
Digitized by Google

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
8 11
41 - F
1
ROMA



Digitized by Google

Digitized by Google

S. 41. F. 1
1

DE IVSTITIA ET IVRE CÆTERISQVE VIRTVTIBVS CARDINALIBVS LIBRI QVATVOR.

Ad Secundam Secundæ D. THOMÆ, à Quæst. 47. vsque ad Quæst. 171.

Auctore LEONARDO LESSIO è Societate IESV,
S. Theologiæ in Academia Louanienſi Profeſſore.

Quibus in gratiam, & ſingularem commoditatem animos ad ſuperiores Facultates adiungentium, varia, & non contemnenda ab eodem Auctore ex omni ſcientiarum genere collecta, ſtudioſè elaborata, & diuerſo tempore publicis iuuis facta Opuſcula ſunt annexa.

Editio ſecunda auctior, & caſtigatior.

Admodum Reuerendo P. D.

D. ATTILIO BRVNACCIO FLORENTINO,
Ex Ordine Ciſtercienſi Abbati Septimi, Comitique Stalis.

8. 41. F. 1
BIBLIOTECA NAZ. ROMA

VENETIIS, Apud Andræam Baba. MDCXXV.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD MODVM R. P. D.

ATTILIO BRVNACCIO
FLORENTINO,
EX ORDINE CISTERCIENSI ABBATI SEPTIMI,
Comitique STALIS ſpectatæ virtutis, ac munificentiæ viro.

ANDREAS BABA S. D.

VI in ea Philoſophiæ parte, quæ de moribus eſt, vel tradenda, vel expolienda, vel etiam augenda, aliqua cum laude ſtudium omne ſuum contulerunt, ATTILI BRVNACCI, ij mihi dè. mùm videri ſolent omni prædicatione maiores: Qui nec in eo preclaram illam & maximam, quam ferè ex ijs quę mente vrgemus, voluptatem haurimus, abiecerunt; & illud quod propè diuinum ſapientes viri ſemper arbitrati ſunt, alijs vt prodeſſent, mirabiliter ſunt aſſequuti. Quam enim non pariant cogitanti animo voluptatem; quæ vſu morum expreſſa vel aliud agentem, ſeu reluctantem veriùs perpetuò etiam rapere poſſe videantur? Quid Pub. rei vtiliùs atq; accommodatiùs, quam corpore domi ſedentem ſcriptis ſuis gentibus leges, ac iura præſcribere; neq; vni aut alteri Ciuitati, Regnouè; ſed ipſi orbi terrarum, humanoq; generi auxilio eſſe: contra potentiores impenetrabilibus Iuſtitiæ armis tenuiores, obarmare; adeſſe reo; iniuria verò accuſanti non modò deeſſe, ſed etiam obeſſe plurimùm: infinitam Principum virorum potentiam certis præceptionibus coercere; prauos ad iuſtitiæ normam refingere mores, probi, vt ritè rectèque probi ſint humano, diuinoq; iure efficere? Hoc ſcilicet eſt, ita aliena curare, vt tua nequaquam negligas; ita in Solem & puluerem, vt aiunt, prodire, vt tamen in te ipſo collectus nec ad punctum quidem temporis egreſſus videaris; ita demùm forenſibus implicari tumultibus, vt interim à turba ſemoto quam expeditiſſimum in cælum tibi pateat iter. Iurè igitur, ac meritò Socrati illi vel Philoſophiæ parenti, vel eiuſdem certè principi alumno video maximæ laudi datum, quòd quæ de moribus præcipit Philoſophiæ partem primus è cœlo in vrbes domoſq; tranſtulerit. Quid enim? Morum conſtantiam aliquando præcepit? è ſtata, rataq; cœleſtium orbium

Digitized by Google

conuerſione id mutuatus eſt. Legibus ſæuerioribus cenſuit deterrendos improbos ciues, probos verò egregièq; in Rempublicam animatos erigendos? è minitante modomodo ſereno ſudoq; cœlo id vt faceret hauſit. Affulſit modo præmijs, modo pœnis, quaſi quadam denſa caligine obductus eſt? Mirabilis. illa grataq; mortalibus diei, noctisq; viciſſitudo, honeſti rectique normæ materiem præbuit. Neque fractos,neq; molles, neq; inconſtantes Pub. rei adminiſtros requirit? vtriq; videlicet Polo quorum conſtantia, ipſa cœlorum irrequieta conuerſio regitur ac pennatur, quam ſimilimos voluit. Denique non niſi quod ordinem, quod honeſtum, quod rectum ſaperet,excogitauit;commentus eſt? Ad Aplanis innumerabilibus penè collucentibus aſtris quaſi ex Indico ſolo pretioſis lapillis interpuncti,exemplar Rempub.omnem compoſuit. Igitur ſi hanc quæ modo ipſa ſua tenuitate vacillat, modo in iram collecta barbarè, ſeuereq; præcipit; quæq; naturæ inditum rationis lumen, & illud quidem ſæpèſæpius ægritudine aliqua præpeditum,auctorem habet, tanquam è cęlo delapſam ſuſpicimus, admiramur; dubitari profectò non poteſt, illos maiori quodam numinis afflatu fuiſſe perculſos, qui eam nobis tradidere, cui, præter humanas diuino etiam ex munere, ne in vllam omnino partem à recto deflecteret, vires, ideſt Cardinalium virtutum, vt vocant, cumulus acceſſiſſet. Hoc illud diuinum ius eſt; Hæc illa iuſtitia in cuius ſanctis penetralibus ſemper æqui, ac probi facti reſpectus religioſa cum obſeruatione verſatur; Hæc inquam,illa quæ ſtudium verecundiæ promouet, cupiditati obſiſtit, obſequitur rationi, neque vtile ducit quod indecorum, quæ tandem euehit ad Deum. Hac ergo cum omnia, ideſt tum diuina tum humana contineantur; miretur iam quiſquam, cur tam multi extiterint, quorum, vt hanc ipſam omni ex parte exornarent deſudarit induſtria, omniumque celebriorum ſcriptorum calami quaſi ad cotem quandam adeo indefeſsè exacuerentur? Scilicet eos innumera, quæ in Rempub. redundarent commoda impulere, ac ipſa iuſtitiæ pulchritudine, maximè ſunt excitati, quam ex ſocietate mortalium, Gentium conſenſione, Regnorum ac Vrbium frequentia, Ciuium ac populorum florentiſſimis opibus, ac fortunis corporeis propè oculis hauſerunt. Siquidem clamant omnia, quocunq; oculos conuerteris, nos ad Iuſtitiam, vt inquit ille, eſſe natos, neque opinione, ſed naturæ eſſe conſtitutum ius. Iam verò eorum qui è Cœlo, quò

Val.Max. lib.6.c.5

Cic. lib. 1. de leg.

Digitized by Google

, Neglectaterras fugit, & mores feros
, Hominum; cruenta cæde pollutas manus. *Senec. in Octau.*

Astreæ virginis reuocandæ scriptis libris, tantum munus susceperunt; LESSIVS cum doctis omnibus extrema linea mihi semper visus est. Cuius, quæ de iustitia, & iure doctissimè scripsit præclara esse; vel ipse propè mortalium omnium consensus declarat. Quamquam enim iam vbique gentium teratur, legatur, adhuc tamen ab omnibus expetitur, & quasi cum iniuria conuicioq; postulatur. Ego verò non commisi, diu vt studiosi Iuris sua, quam de me iampridem forte conceperant expectatione fraudarentur; prælo igitur LESSIVM submisi, curauiq; summa accurataq; diligentia iterùm excudendum. An verò in eo assequutus sim, quòd volebam, alios iudices volo. Fateor, non sum Venetijs primus in ea laude versatus; attamen primus, tùm Venetijs, tùm in Italia, qui, cum ijs quę antea prodierunt, quæ modo ab Auctore adiecta sunt, quæq; iam iustum in volumen excrescunt in lucem emiserim: effeceruntq; ingentia illa tua erga me merita, vt, de IVSTITIA & IVRE insigni quidem ac præclaro OPERI, nostra verò industria etiam comptiori emendatioriq́ue præluceres tu ATTILI BRVNACCI

. Justus & tenax propositi VIR; *Horat. 3. Car. 3.*

Tibi, inquam, dicaui, cui in iure dicundo isthæc tua, tum pietate tum opibus florens Cisterciensis Hetrusca Congregatio hoc tempore primas defert. Cui administrandæ (liceat hoc mihi à modestia tua semel impetrare) vix primum accesseras, cum subito boni omnes in eam spem erecti sunt, breui fore vt clarissimus ille quondam toto terrarum orbe Cisterciensis Ordo aliqua ex parte reflorescere t. Succurrebat enim, cum Episcopis, Archiepiscopisq; atque Abbatibus plusquam septingentis, ac innumerabili penè Monachorum multitudine præditus Christiano Orbi non solum aderat sed etiam præerat; cum è Cistercienſi illo quotannis celebrato concilio vniuersa Christiana Respub. summaq; rerum penderet; cum ad ipsum quasi ad securum, tranquillumq; solidæ pacis portum factiosorum Principum procellis Romani Pontifices iactati confugerent; cum Friderico exultanti, crebrisq; elato victorijs præsentissimo animo obsisteret; cum, vt eidem non obsisteret, nullo posset incommodo deterreri; Hæc, inquam, omnia, tecum quodammodo aureo illo sæculo redeunte, veniebant in mentem, quæ ab Historicis quidem obscuriùs, ac parciùs quam rei dignitas po-

Sigonius de Regno Ital. lib. 13 ann. 1161

Cistercienſis ordinis merita & laudes.

Digitized by Google

ſtularet iacta in commentarios, meliùs clariusq; ex iſta tua in eundem Ordinem egregia voluntate, quaſi è viua ſpiranteque adhuc Hiſtoria leguntur, colliguntur. Modo ſe daret occaſio, modo tempora illa virtuti opportuniora redirent, modo pares adeſſent opes, ampliſſimæq; fortunarum acceſſiones à Chriſtiana pietate profectæ florerent; haberet profectò celeberrimus ille Ordo quem cum antiquitate, ac inſignibus illis Patribus magnitudine animi, conſtantia, morumq; probitate nulli ſecundis compararet. Quando verò hæc ipſa potius tibi, quàm tu illis ipſis hactenus defuiſſe videntur; interim ex LESSIO tui ſcilicet ad viuum expreſſa imagine leget omnis grata poſteritas ita omnem vitæ tuæ partem iuſtitia iureq; fuiſſe moderatam, vt quæ ad primam felicitatem, vt vocant, quam maximè ſplendidam, amplamq; conſequutus es, ſpectare videbantur; ea ſemper ad animi tui cultum, & fructum, maiusq; Dei obſequium ſapientiſſimè tranſtuleris.

Vale ex noſtra Veneta Typographia. xvij. Kal. Iunij. 1617.

Digitized by Google

APPROBATIO SVPERIORVM.

EGo Oliuerius Manareus, Visitator Societatis IESV per Belgium, potestate ad hoc mihi facta à Reuer. admodum P. N. Claudio Aquauiua Generali Præposito, facultatem concedo, vt opus de IVSTITIA ET IVRE, cæterisque Virtutibus Cardinalibus, à P. Leonardo Lessio, Societatis nostræ Theologo compositum, ac grauium Theologorum eiusdem Societatis iudicio examinatum & approbatum, typis euulgetur. In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Louanij, Anno Domini M. DC. III. XV. Decembris.

Oliuerius Manareus.

APPROBATIO CENSORIS.

OPVS eruditum ac prælo dignissimum, vt quod aptissima methodo, *Sobrietatem ac Prudentiam docet, & Iustitiam & Virtutem, quibus nihil est vtilius in vita hominibus.* Sapien. 8.

GVILIELMVS FABRICIVS Nouiomagus,
Apostolicus & Archiducalis librorum censor.

Digitized by Google

ΛΕΟΝΑΡΔΩ ΛΕΣΣΙΩ

Θεολογικὴν Ἀρετῶν Τετραορίαν

ἐκτυπουμένῳ.

Εἶδος.

Στροφὴ ἀ. κῶλων ιδ'.

Ἄνθελε, καὶ παρ' αὖραν.
Λαθοῦσ' ἐν κευθμῶσι αἴγλαν
Θέμεναι ζαθέων ἐργμάτων,
Ὥς χρυσὸν ὁ Γρυπόθυμος
Κρυφαῖον, οὐ σεσάβει.
Δρασσὼν γὰρ Σοφίαν
Θεσμοῖσιν ἐν χερυβάεσσι,
Δῖον φράσσ' Ἀλαδίος
Φάος Ἰδρώσας λαβών.
Τί δὲ καὶ τοῦδε κλέπτεις.
Προφάσεται πάλαι ἀ-
γλαοὶς ὡς φάρος. Μει-
σῶν ἱερὰν ἐβάλετ' ἀ-
σφαλῆ πάλαι Γρυδίου.

Ἀντιστροφὴ κώ. ιδ'.

Σοφᾶ τε χειρῶν βοαδεί-
φ ἄνευθε Ἰδρώσας χαί-
τᾳ ἄγων φρενὶ παλαιμονῶ-
τας. Δαρὸν αὖτ' ἄρ' τόδε
Πρὶν ἴσκε Νῦν δὲ ἄλλως.
Σιλᾶς, καὶ καλῶς,
Ἐκτυποῖς δία βίβλῳ.
Ἄπη τε μεγάλου χρίσις
Τυχίμαν ἐγκαμόντων.
Ἐ χρῆμα, τετελεσ-
μένον μὴ χαμαὶ
Σιωπᾷ κεκλυφὸς
Ἐσλὸν Πρόσωπα δὲ θίμεν
Χρὸς ἔργου ἀρχομένᾳ.

Ἐπῳδὸς καὶ ά.

Τηλαυγῆ Ὀφθαλμὲ Σοφῶν μέγας,
Γαρύει σε θυμὸς ἐμ' ἐρεύ-
νᾳ, εἰ ἀ' οὐρὰ καὶ ῥυ-
κὸς ἰδοῦ ὡς σοι πύλας
Ἀναιγόμεν' ἐτῶν Γεκτόνων
Ἔργ' ἐπ' ἄλλοισιν ἄλλοι μεγάλαι. Ἔ-
κατον, θία βαίσαιος πάλαι,
Χρῖμα τεκμαίρει Ἁρμόναις δίφρῳ.

Στροφὴ β', κώ. ιδ'.

Ἐλέφαντι Μυρμηκίδας βρα-
χὺ ζυγὸν, εὖ ἀκούει χθ-
μαιρὰν Σὺ δὲ ὄχον Ἀρε-
τᾶν σοζομᾶις Θεολο-
γία ἵππει τὰν ἀ-
νία ἀσφαλῶ.
Ἐν δ' ἄκρῳ ὑπερίσχει
Τιμᾶ. Μάκαρ ὅτις τὸν ἐνθ-
βα κ' ἀέθλοις ἐδοῖς
Ἰκὶ ἅπαν ἔς μέρος
Ὁλύμπιος ἐρ-
ροῖ, ἔνθα συζω-
ὸς ἄμεινον δρασσὰ ἀμ-
πνον εὐκαλοῦς γλυκερόν.

Ἀντιστροφὴ κώ. ιδ'.

Τὸ πίλῃ αἰῶνα Μάμαι
Χεόμεν', ἃ κρατίσιππον
Ἱέρωνα, Κύκνε ὦ λύρας,
Πλάκτρῳ γεγάνει. Ἄμ-
πνον ἅρμα νικαφο-
ρίας ῥυσεῖ·
Νυχαβάτας Ἐφ' ᾧ
Ἀερθέντα ὄχῳ ὁ·

LEONARDO LESSIO

Theologicam Virtutum Quadrigam edenti.

Ode Pindarica numeris adſeruatis.

Strophe 1. verſuum 14.

NEC veiles, nec decoræ,
Latebra quas tegit, luces,
Operùmve iubar entheum.
Ceu nullus auro color
Quod occulit Ficus.
Per alta rapuit
Artis vt iuga Sacræ,
LESSI, ſapida Veritas
Face ſua te replet:
Et hanc haud benè premes?
Diu qua, Pharos
Facem vt clara lucens
Mutæq. ſcita Grudijs
Sacræ dediti, & opes.

Antiſtrophe verſuum 14.

MANV adiuta dum cacumen
Catus ad Artium ductas
Animi priùs Inertiæ
Deprælantes. Sed hæc
Fuere quondam. Nunc
In orbem Omnibus
(Factum & id bene?) iubar
Per ſcripta iacula tua,
Tibiq. laudem occupas.
Humi ingloria regi
Negant nam bona,
Taceriq. facta.
Mos verò fulgida Operi
Præire veſtibula.

Epodus verſuum 8.

PRIMO. Te, Ocelle ò Sapientium,
Vt tua pro laude clueas;
Tamen mens & ardet
Canere, portaſq. ad hoc
Recludere melos. Diſparat
Hunc Ars ab illo. Sed Artem, bona velut eos,
Probatque, reprobatque res,
Si quis artitus eſt. Tot inter Artes.

Strophe 2. verſuum 14.

QVADRIGA Myrmecidæ, arctum
Vt ebur, audit excellens.
At & Ipſe iuga ſub ſua
Virtutem adaptas: quibus
Dei-Sophia frenos
Inerrans regit:
Summa Honos habet. Iter
Felix fer ò & ampliùs,
Facere qui iſtis potens
Lacunaria Poli
Ad alti aurea?
Vbi & ſolpitatæ
Vitæ optimas legere opes,
Et æuiternus aget

Antiſtrophe verſuum 14.

NECI ſuperſtes. Quid? & nunc
Chronicum, equiq. victorem
Hierona mi, Olor ò Lyræ,
Plectro attones? Penſior
Quadriga mihi, libras
Libro quam tuo,
Iuga Bootes. Vxem hoſtieus, te ſed enim aget

LESSI,

φεὺ σὺ, Λεων βίβλε
Νομᾷς, ἀτε πραχλωτῆ
νὶ Τιμᾶς πλυτοῖς
Λ'μοιβαῖσι φάμα
Παν δοξία σε ἀναγει.
Λίθῳ τι μὶ σε πραχῦ.

Εκφ δις καὶ ἑ.

Βελλόνι ἀρχὸς φίλος. Οἶδα, δὴ
Λ'ταλῆ τι καὶ σχῆ φα-
νδον δ' Λ'λίῳ. Εὖ
Σὺ δὶ δίδασκε σοφι-
λαττὲν ποτὶ νεως Ουρανοῦ,
Τοὐνεδ' αἰδλον τι τετραορία δὴ Λ-
ρετων. Λ'γε πρὸ σαλπὶς γᾶν
Σαῦ τίτρωρον Κέλδμα δὸν χαὶ ἅλδε.

Πέτρος Βέλλιος.

IESSI; vt Arctica Polo
Flectit regere doctior
Honoris bona in-
clyto Fama curru:
Maſtumq. gloria, & ado-
rea, appetet lapide.

Pindari verſiculus 8.

NEC Liuor aeri. Phaethon ruit:
(Nota res) vt haud benè Patris
Habenas perurget.
Quatere ſed cautiùs
Suprema ſapiens tu doces
Ad templa Cæli, vtq; Virtus ſtata triumphet:
Quadrigam igitur hanc tuam
Ede: mappa fat Imperator vrſit.

PETRVS BOVILLIVS.

IN LIBROS
DE QVATVOR VIRTVTIBVS
R. P. LEONARDI LESSII.

OLIM fertur in igneis quadrigis
Vates raptus ad ætherem fuiſſe:
Vis rapi quoque Lector? has quadrigas
Virtutum cape, ſcande: ſponſor adſum,
In cælum rapieris hiſce libris.

I. Lipſius pangebat.

IN AVCTOREM EIVSDEM OPERIS.

LESSI Theologa palæſtra,
Diuinæ Sophiæ medulla prima
Ceſſas ingenuo pudore, ceſſas?
Nec doctorum hominum volas per ora,
Qui buccis patulis, hiante labro
Illud grande ſophos, ſophos recantent?
Victuros animi tui labores,
Ac curas decimum premes in annum,
Qua fractis pluteis, & vngue roſo
Dudum peruigiles olent lucernas?
Iam, LESSI, ſatis eſt, ſat eſt morarum:
Ex vmbra liber euocatus adſit,
Ardua liber expeditus arte,
Arguto liber expolitus vngue,
Venuſtus liber eleganſque totus,
Extremis liber auctus vmbilicis
Extemplo in mediam ruat coronam,
Et longas hominum eſuritiones
Sua lautitia famemque paſcat.
Ceſſas ingenito pudore, ceſſas?
Et manus fugis eruditiores?
Nobiſque immeritò louis cerebrum,
Et cibos nimis inuides Deorum,
Quos docta ſimul explicas papyro,
Sic ſqualore, ſituque araneoſo
Felices pateris perire chartas,
Et blattis pretioſa dona condis,
Dona digna mage Indicis lapillis,
Dona Acidaliis priora concbis,
Dona vellere digniora Serum?
Repugnes licet, & ſeris maligne
Ac valuis adamantinis recondas,
Erumpent tamen, & choro ingata
Solem bis geminæ petent ſorores;
Et qualis Philomela lenta ramis
Dulci perſonat hinc & hinc ſuſurro,
Vocem murmure molliore frangent;
Ac ſecum facili pioq; nexu
Longam poſt ſe hominum trahent catenam;
Qua cita properis rotis quadriga,
Quam nobis bonus artifex poliſti,
Ad ſedes procul euolet piorum.
Ergo de tabula manum ſeuerans,
Conſortemq; oculum reduce tandem;
Parce tam bona ſcripta, parce quaſo
Infeſtis obelis necare LESSI,
LESSI Theologa potens palæſtra,
Diuinæ Sophiæ medulla prima
Ceſſa depoſito pudore, ceſſas?

IACOBVS BONFRERIVS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HABES, studiose Lector, de Iustitia & Iure tractationem quam annos abhinc undecim vel duodecim publicè Louanij dictaui, recognitam illam & auctam: cui deinde reliquarum Virtutum Cardinalium, Prudentiæ Fortitudinis & Temperantiæ explicationem adieci. Non cogitaueram initio typis euulgare, quòd viderem satis multa à viris doctissimis de huiusmodi materijs, præsertim de Iustitia, & Iure, in lucem edi; sed crebra multorum & diuturna flagitatio extorsit; quam non assentatoriam, sed seriam fuisse vel ex eo facilè conieci, quòd à plurimis illa dictata (sicut & pleraque alia, quæ multorum annorum decursu hinc docueram) scirem magno vel labore, vel sumptu exscribi. His accedebat vlnus tuscrum, quibus vitæ meæ nationes omnes subieci. Deum precor, tuo sit & publico bono, cui omnis nostra seruit industria.

Seriem quæstionum D. Thomæ non omnino seruaui; præsertim in ijs, quæ ad Iustitiam pertinent; eò quòd ipse plurima vel non attigit, vel breuiter tantum aut obiter, prout occasio soluendæ alicuius obiectiunculæ ferebat. Vnde sæpè 20. vel 30. dubitationes circa vnum articulum, aut vnam responsionem inducendæ fuissent, magna totius materiæ, & operis confusione. Quare visum fuit alium ordinem lectori commodiorem instituere, & totum opus in quatuor libros partiri; cuique virtuti Cardinali suo libro attributo: qui tamen de Iustitia, longè ceteros sua mole superat, ob argumenti, in quo hæc versatur, copiam, & necessariam notitiam. quamobrem eiusdem in septem sectiones, seu partes principales distribui: sectiones in capita, & capita in dubitationes; quas etiam, quantum fieri potuit, articulis D. Thomæ aptaui.

Sectatus sum breuitatem plerisque amicam, selectiora persequens, quæ vel ad vsum, vel ad speculationem visa sunt illustriora, & ex quibus alia haud ita magno negotio possunt à bonis ingenijs exsculpi. Sententias authorum obsoletas vel prætermissi, vel obiter tantum attigi. In rebus claris authores multos adducere superuacaneum duxi, & Lectori molestum; in ambiguis non prætermisi, quantum opus visum, celebrioribus aliquot expressè adductis, ceteris compendio, indicato nimirum authore & loco, vbi particulatim citantur. Multitudinem textuum de industria vitaui, satius esse ducens paucos firmos, & ad rem pertinentes, quàm dubios, vel παρόρυγοις, in medium proferre, & lectoris studium eludere. Perspicuitatem vbique præstare sum conatus, declinatis persæpè obscurioribus loquendi formulis, quæ studiosis tenebras possent effundere. Sententiam veriorem in singulis indagare, & omni ope firmare studui, allata, quantum licuit, ratione aliqua fundamentali; insinuata tamen sententiæ diuersæ probabilitate, si quam forte habere videbatur. Hæc enim contrariarum sententiarum cognitio commodissima, & ferè necessaria conscientiæ foro. Denique quid re ipsa præstitum sit, eruditi & candidi Lectores iudicabunt. Hoc sanè ingenuè fateri possum, magno mihi labore stetisse; & facilius tres tomos à me de istis argumentis, si quæ passim obuia corradere, & authorum sententijs, citationibus, ac rationibus persequendis me diffundere libuisset, conscribi potuisse, quàm hunc vnicum. Verùm consulere volui studiosorum commoditati pariter, & fructui, quos proinde oratos velim, hunt laborem meum bòni consulant, & quidquid in eo reperient à præceptis opinationibus suis discrepans, benignè interpretentur.

BREVIS EXPLICATIO
ET DIVISIO VIRTVTVM
TOTI OPERIS SVPPOSITA.

SVPPONO Primò, virtutem propriè tantùm esse ponendam in supremis animæ potentijs, intellectu & Voluntate; & ad supremas eius operationes (quæ sunt intelligere & velle) perficiendas. Est enim Virtus propria perfectio naturæ rationalis, qua rationalis est. Rationalis autem est, quatenus est principium intellectionis & Volitionis. Itaque tota ratio virtutis ad perfectionem harum duarum functionum immediatè ordinatur. Hæc autem perfectio consistit in attingendo vero & bono. Honestum bonum intelligo: hoc enim est proprium naturæ rationalis. Tunc enim intelligentia perfecta est, quando in qualibet re Veritatem clarè & certò, quantum fas est, assequitur; & Voluntas, quando bono honesto firmiter inhæret: sic enim suum finem & veluti formam, ad quam instituta est, Vtraque potentia, & vtriusque potentiæ operatio consequitur. 1 Subiectum virtutis. 2 Virtus immediatè ad perficiendas supremas animæ functiones ordinatur

Porrò ab harum perfectione pendet perfectio operationis facultatis imaginatricis & appetitus inferioris & potentiæ executiuæ. Etquamuis in imaginatrice & appetitu inferiori sint aliqui habitus, quibus perficiantur ad suas functiones; (assuescunt enim ab intrinseco obedire rationi & Voluntati, & ad hoc faciles promptique reddantur & determinantur) tamen probabilius est hos habitus non esse virtutes, sed tantùm Virtutum adumbrationes, & veluti ἀνθρώπινα quædam, (vt Dionysij verbo vtar) quæ ita Virtutes intellectus & voluntatis imitentur, eisq. subseruiant, sicut Vis imaginatrix & appetitus inferior deseruiunt intellectui & Voluntati, eosq. in suis functionibus imitantur. Quod ex eo confirmari potest, quòd in illis potentijs inferioribus non sit libertas; Vnde earum opus nec per se liberum est, nec laude dignum, sed solùm vt subest motioni rationalis & voluntatis. atqui opus, cui per se competit ratio virtutis, per se quoque maximè est laude dignum. Hoc enim est propria virtutis nota, præsertim eius, quæ est in parte appetente. Ratio à priori est, quia sicut vis imaginatrix non potest attingere ratione veri, solido iudicio discernendo verum à falso, honestum à turpi; ita nec appetitus inferior rationem honesti, amando præcisè quia honestum, rationiq; consentaneum, & odiendo quia turpe, ac rationi dissonum. Non enim potest ferri extra proprium obiectum, quod est esse delectabile sensibus, Vel commodum naturæ, præscindendo ab ordine ad rectam rationem. Verùm exactior de his disputatio pertinet ad 1.2. quæst. 56. Vide D. Bonau. in 3. d. 23. q. 3. & ibidem Scotum. 3 Mediatè ad inferiores. Habitus partis inferioris non est virtus.

Rectè igitur Aristoteles 7. Phys. c. 3. dicit Virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum; quia perficit intellectum & Voluntatem ad optimam operationem circa sua obiecta & proprium materiam. 4 Quid virtus.

Hinc sequitur esse duplex Virtutum genus; alterum intellectus, alterum voluntatis: quia duæ sunt supremæ potentiæ, & supremæ operationes immanentes, quibus optimo modo natura rationalis Vero & bono coniungitur & informatur. Duplex virtus.

Virtus intellectus est dispositio perficiens illum ad cognitionem Veri; facit enim infallibili modo verum cognosci. 5 Virtus intellectus & voluntatis quid.

Virtus autem Voluntatis est dispositio perficiens voluntatem ad effectum honesti.

Honestum voco, quod Græci τὸ πρέπον dicunt, id est, decens, decorum. Decorum est quod congruit cuique iuxta præscriptum rectæ rationis; seu quod congruit naturæ rationali, quà rationalis est, vel absolutè, Vel supposito tali statu, aut conditione rerum: idq; vel per modum operationis, vel per modum obiecti, circa quod versetur. Aliud enim decet virum, aliud feminam; aliud Regem, aliud subditum, aliud hominem, aliud Angelum, aliud Deum. Virtus igitur voluntatis in vnoquoque est affectus erga id, quod cuique congruens, & decens agere, Vel appetere. Honestum quid.

Suppono Secundò, Ex his virtutibus quasdam absolutè & simpliciter dicendas esse virtutes, quasdam solùm ex parte: vt D. Thomas ex Aristotele docet 1.2. q. 61. art. 3. 6

Absolutè dicuntur virtutes, quæ non solùm præbent facultatem boni operis, sed etiam bonum vsum sui, id est, quæ ita voluntatem mouent & afficiunt, vt non possit illis malè vti tamquam principio operationis. Tales sunt omnes illæ, quæ vel inhærent voluntati, Vel ad sui vsum postulant rectam voluntatem, vt prudentia, & fides catholica. Virtus absolutè quid.

Ex parte, seu secundùm quid virtutes dicuntur, quæ solum præbent facultatem boni operis, (id est, vt opus in suo genere perfectum fiat) non autem bonum sui vsum; vt sunt virtutes intellectuales huius Vitæ, præter prudentiam & fidem. Sapientia enim, intellectus, scientia, & ars, etsi mentem perficiant vt cognitionem veritatis assequatur, & ars etiam dirigant potentiam executricem, vt opus artificiale perfectum reddat: tamen non faciunt vt voluntas ipsis benè, honestè, & laudabiliter vtatur: (possunt enim ad prauum finem adhiberi:) & ideò tantùm ex parte sunt virtutes, non absolutè & simpliciter; quatenus tantùm præstant vt rei cognitio, Vel opus externum in suo genere sit perfectum; non autem vt proueniat ex bono affectu, & ad finem honestum tendat. Virtus secundùm quid, seu ex parte.

Suppono

7 Theologicæ. Morales.

Suppono Tertiò, Inter eas, quæ absolutè dicuntur virtutes, alias esse Theologicas, alias Morales. Theologicæ vocantur, quæ immediatè circa Deum, seu diuinam aliquam perfectionem tamquam obiectum formale versantur, vt Fides, Spes, Charitas.

Morales autem, quæ in ceteris rebus mores hominum secundùm præscriptum rectæ rationis componũt. Inter has, quatuor sunt quæ dicuntur CARDINALES, Prudentia, Iustitia, Fortitudo. Temperantia: quibus cetera omnes sunt annexæ; tamquam partes quædam potestatiuæ, iuxta D. Thomam.

Cardinales

Vocantur autem Cardinales & principales, non solùm à DD. scholasticis, sed etiam à Patribus. Ambrosius in illud Luc. 6. Beati pauperes, dicit B. Lucam in quatuor beatitudinibus amplexum esse quatuor virtutes veluti Cardinales. Et infra: Scimus virtutes esse quatuor Cardinales, Temperantiam, Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem. Lib. 1. offic. c. 24. Vocat eas principales. Eodem nomine vocat eas Prosper lib. 3. de vita contemplatiua c. 18. & Gregorius lib. 2. moral. cap. 36. & alij passim.

8 Cur sic appellatæ.

Vt autem intelligatur ratio huius appellationis, Notandum est, nomine Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ interdum intelligi generales quasdam rectitudines, quæ in omni virtute reperiri debent. Omnis enim virtus debet esse Prudens in operando, ne erret per inconsiderationem, vel negligentiam: Iusta, Vt præstet quod debet Deo, proximo, vel sibi ipsi, & vt neminem lædat: Fortis vt fortiter in bono persistat, non sinendo se ob vllas difficultates à recto dimoueri: Temperans, vt modum à ratione præscriptum non excedat.

Hoc modo rectè dicuntur Virtutes Cardinales; quia sunt generales, & principales quædam rectitudines, quibus tota vita nostra dirigi, & in quibus veluti quibusdam cardinibus firmari & verti debet.

Secundò, Significantur illis nominibus speciales quædam virtutes, quæ etiam rectè dicuntur Cardinales. Prudentia quidem, quia est ceterarum Virtutum fundamentum, & veluti cardo. Iustitia particularis, non quòd excellentior sit ceteris, quæ alteri debitum reddunt; (sic enim potiùs Religio esset dicenda virtus Cardinalis) sed quia perfectissimè ea, quæ iustitiæ sunt propria, (nempe respicere alterum & reddere debitum ad æqualitatem) in iustitia particulari, quæ est hominum inter se, reperiuntur. Fortitudo, quia versatur in maximis & difficillimis vel superandis, vel tolerandis. Temperantia, quia versatur in maximis voluptatibus moderandis. Itaque hæres sunt principales, tum quia singulæ sibi vendicant aliquam principalem conditionem & rectitudinem ex prædictis, quæ peculiariter in ipsis resplendeat; tum quia versantur in materia principali, quæ potissimùm illam rectitudinem postulat: de quibus infra suis locis plura dicentur.

9 *Commendantur hę virtutes Sapientię 8. Sobrietatem & prudentiam docet (Sapientia) & iustitiam, & Virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Vbi nomine Sobrietatis intelligitur Temperantia; Virtutis, Fortitudo; Vt docet D. August. lib. 1. retract. c. 7. & patet clarè ex textu Græco, vbi ponuntur nomina harum virtutũ philosophis vsitata; σωφροσύνη γὰρ καὶ φρόνησίς ἐστιν, δικαιοσύνη καὶ ἀνδρία. Vide Ambros. lib. de paradiso cap. 3. & August. lib. de Genesi contra Manichæos c. 10. vbi tropologicè has virtutes volunt significari quatuor flumina paradisi.*

De istis igitur quatuor virtutibus, & ijs quæ his sunt annexa, oppositisq. vitijs & peccatis, nobis hoc opere quatuor libris distincto tractandum est. De quibus agit D. Thomas 2. 2. à quæst. 47. vsque ad 171. cùm antea Virtutes Thologicas explicasset. Libro Primo dicendum breuiter de Prudentia. Secundò, de Iustitia. Tertiò, de Fortitudine. Quartò, de Temperantia.



INDEX

INDEX CAPITVM ET DVBITATIONVM.

LIBER PRIMVS.

DE PRVDENTIA.

CAPVT PRIMVM.

De Prudentia in se spectata.

DVBITATIO PRIMA.

1 QVID sit Prudentia. pag. 1.
2 Quomodo Prudentia ab alijs virtutibus distinguatur. 2
3 Quænam sint functiones Prudentiæ. 3
4 Vtrum prudentia pendeat à virtutibus moralibus, & quomodo. 4

CAPVT II.

De Partibus Prudentiæ, & vitijs oppositis.

DVB. 1. Quæ sint partes subiectiæ prudentiæ, id est, in quas species dividatur. 5
2 Quænam sint partes integrantes prudentiæ. 6
3 Quæ sint partes potentiales prudentiæ. 7
4 Quot & quibus modis peccatur contra prudentiam. ibid.

LIBER II.

DE IVSTITIA ET IVRE.

CAPVT I.

De Iustitia generatim.

DVB. 1. Quid sit Iustitia. 11
2 Vtrum Iustitia tantum versetur circa actiones, an etiam circa passiones. 12
3 Vtrum præter Iustitiam particularem sit aliqua Iustitia generalis, quæ legalis dicatur, & quid illa sit. 12
4 Vtrum Iustitia particularis rectè dividatur in Distributiuam & Commutatiuam. 14

CAPVT II.

De ipso Iure in genere.

DVB. 1. Quid sit Ius, & quodnam sit Iustitiæ obiectum. 15
2 Quomodo Ius secundum varias acceptiones dividatur. 16

CAPVT III.

De speciebus Iuris realis, vt sunt dominium, vsusfructus, vsus, possessio, & alia quædam.

DVB. 1. Quid sit dominium in genere, & quænam eius species. 16
2 Quid sit dominium perfectum, seu plenum. 17
3 Quænam requirantur ad dominij acquisitionem. 17
4 Quidnam sit vsusfructus. 18
5 Quomodo vsusfructus amittatur. 19
6 Quid sit Vsus. 19
7 Quid sit seruitus apud Iurisperitos. 19
8 Vtrum distinguatur vsus à dominio in rebus, quæ ipso vsu consumuntur. 20
9 Quid sit possessio. 21
10 Quomodo dividatur possessio. 21
11 Quibus modis acquiratur possessio. 21
12 Quomodo amittatur possessio tum mobilium tum immobilium. 22
13 Quid priuilegij conferat possessio. 22

CAPVT IV.

Quibus & in quæ dominium competat.

DVB. 1. Vtrum soli natura rationali dominium competat. 23
2 Vtrum paruuli ante vsum rationis habeant verum dominium. 23
3 Vtrum filijfamilias sub patria potestate constituti habeant dominium & quarum rerum. 23
4 Vtrum serui habeant dominiũ aliquarum rerum. 24
5 Vtrum Religiosi habeant aliquarum rerum dominium. 25
6 Vtrum Clerici non Religiosi habeant aliquorum bonorum dominium, & quorum. 27
7 Vtrùm Clerici habeant dominium bonorum immobilium Ecclesiæ & suppellectilis sacræ. 30
8 Vtrùm omnia hominc inferiora cadant sub eius dominium. 31
9 Vtrũ homo cadat sub dominiũ alterius hominis. 31
10 Vtrum homo sit dominus vitæ suæ & mẽbrorũ. 31
11 Vtrum homo sit dominus suæ famæ, & honoris. 31

CAPVT V.

De modo acquirendi dominij in res, quæ vel nullius, vel communes sunt; vbi de mancipijs, venatione, piscatione, aucupio, & thesauris.

DVB. 1. Quomodo facta sit prima rerum diuisio seu distinctio dominiorum. 32

INDEX CAPITVM,

2 *Vtrum hæc diuisio dominiorum licita fuerit, & cõmoda humano generi.* 32
3 *Quo iure facta sit hæc diuisio.* 33
4 *Quibus modis acquiritur dominium in homines seu mancipia.* 33
5 *Vtrum seruitus transeant in dominorum potestatem, vt non possint fugere.* 34
6 *Quæ animalia licitè occupentur, venatione, piscatione, aucupio.* 35
7 *Vtrum Princeps possit iustè prohibere Venationem, piscationem, & aucupium in locis publici iuris.* 36
8 *Vtrum quis possit Venari in prædio uel saltu alieno.* 37
9 *Quomodo peccet & an teneatur ad restitutionem is qui contra iustam prohibitionem uenatur, aucupatur, piscatur.* 37
10 *Vtrum fera à me vulnerata, & postea ab alio capta sit mea, an capientis.* 39
11 *Vtrum fera meo laqueo capta, sit mea, an eius, qui fortè superueniens laqueo exemit & abstulit. ibid.*
12 *Vtrum uenæ metallicæ auri & argenti, censeri debeant in nullius dominio, sicut feræ; & fiant primò occupantis.* ibid.
13 *Vtrum iustè prohiberi possit pastio, & lignatio, in pascuo, vel silua Reipubl.* ibid.
14 *Quale peccatum sit, contra iustam prohibitionem pascere, vel ligna cędere.* 40
15 *Quomodo acquiratur dominium in thesauros. ibid.*
16 *Cui cedet, si in loco publico, vel sacro inueniatur.* 41
17 *Quid si per magiam repertus sit.* ibid.
18 *Quenam dicantur haberi pro derelicto, ita vt dominium eorum concedatur primo occupanti.* 41

CAPVT VI.

De modo acquirendi dominij in rem alterius absque eius consensu; quod fit præscriptione.

DVB. 1. *Quid sit præscriptio & Vsucapio.* 42
2 *Quæ conditiones requirantur ad præscriptionem seu vsucapionem.* 42
3 *Vtrùm dubitans an res sit sua, censeatur bona fide eam possidere.* 43
4 *Vtrũ dubitans an res sit sua, simul dubitet an liceat eam retinere, & tamen retineat, vtrùm bona fide continuet possessionem, an mala.* 44
5 *Vtrum si quis ex ignorantia Iuris rem vsurpet vt suam, suamque esse existimet, habeat bonam fidem sufficientem ad præscribendum.* 44
6 *Vtrum aliquando cum mala fide procedat præscriptio.* 46
7 *Quantum temporis requiratur ad vsucapionem rerum mobilium.* 47
8 *Quantum temporis requiratur ad immobilium præscriptionem, siue contra priuatum, siue contra Ecclesiam, vel piam causam.* 48
9 *Quanto tempore præscribantur seruitutes, & quando amittantur.* 48
10 *Quanto tempore præscribatur ius Patronatus, (id est ius præsentandi ad beneficium) & beneficium ipsum.* 49
11 *Quanto tempore præscribantur debita, actiones hypothecæ, legata, fideicommissa, & maioratus.* 50
12 *Quanto tempore possit præscribi aduersus Principem.* 51
13 *Quanto tempore præscribat, qui rem accepit à possessore malæ fidei, vel eo, qui malæ fidei tradidit.* 52
14 *Quantum temporis requiratur vt consuetudo præscribat contra legem.* 53
15 *Quæ res non possint præscribi.* 55
16 *Quando præscriptio dicatur non procedere, dormire, interrumpi.* 55
17 *Vtrum qui legitimè præscribit rem aliquam, si termino præscriptionis elapso constet fuisse alienam, teneatur eam restituere.* 56
18 *Quibusnam aduersus præscriptionem restitutio in integrum concedatur.* 56

CAPVT VII.

De Iniuria & Restitutione in genere.

DVB. 1. *Quid sit iniustitia & iniuria.* 57
2 *Vtrum aliquis dicatur iniustus, eo ipso quòd faciat aliquid iniustum.* 58
3 *Vtrum aliquis possit pati iniustam volens.* 58
4 *Quid sit restitutio, & cuius virtutis actus.* 59
5 *Ex quibus capitibus generatim nascatur obligatio restitutionis.* 59
6 *Vtrum nascatur obligatio restitutionis ex damno dato absque culpa, uel per culpam leuem, extra officium & contractum.* 60
7 *Vtrum nascatur obligatio restituendi ex damno, culpa leui vel leuissima in officio vel consilio dando commissa.* 61
8 *Vtrum nascatur obligatio restitutionis damni ex culpa leui, vel leuissima, quando intercessit contractus commodati, conducti, depositi, pignoris, vel alterius similis.* 62
9 *Vtrum oriatur obligatio restitutionis ex damno dato cum ignorantia comitante.* 63
10 *Vtrum restitutio sit necessaria ad salutem.* 63

CAPVT VIII.

De iniurijs & damnis in rebus spiritualibus, & necessaria restitutione.

DVB. 1. *Vtrum is, qui priuat aliquem per iniuriam aliquo sensu, vel vsu rationis, philtro, veneno, vel alio modo, teneatur ad restitutionem.* 64
2 *Vtrum is, qui alterum graviter læsit in bonis animæ pertrahendo ad peccatum, teneatur ad aliquem restitutionem.* 64
3 *Vtrum is qui auertit aliquem à Religione, quam volebat ingredi, vel ingressum extraxit, teneatur ad aliquam restitutionem.* 65

CAPVT IX.

De iniurijs in corpus proximi per homicidium vel mutilationem: & de necessaria restitutione.

DVB. 1. *Vtrum liceat occidere aliquid viuens.* 67
2 *Vtrum liceat occidere peccatores.* 67

3 Vtrùm priuata authoritate liceat interficere maleficos. 67
4 Vtrum homini priuato liceat interficere tyrannum. 68
5 Vtrùm licitum sit occidere filiam in adulterio deprehensam, uel ipsum adulterum. 68
6 Vtrum liceat seipsum interficere. 69
7 Vtrum aliquo casu liceat interficere innocentem. 61
8 Vtrùm liceat alterum occidere in vitæ suæ defensionem. 72
9 Si is, qui inuaditur non possit se tueri, nisi cum periculo innocentis, quo inuasor se protegit, Vtrum ei liceat se cum illo periculo defendere. 73
10 Vtrù ad conseruationem uitæ matris, liceat præbere pharmacum, quo proles putetur moritura. 74
11 Vtrum liceat occidere furem in defensionem suarum facultatum. 75
12 Vtrum pro defensione pudicitiæ & honoris, liceat occidere eum, qui tentat violare. 76
13 Vtrùm pro defensione alterius, liceat occidere inuasorem, & an ad hoc teneamur. 77
14 Vtrum aliquando licitum sit se mutilare, & quibus casibus. 78
15 Quando homicidium casuale sit necatiu, & quando non. 79
16 Vtrum mors, uel aliud damnum alicui tertio ex tuo maleficio obueniens tibi imputetur. 80
17 Vtrum homicidium, uel aliud damnum irrogatum per mancipium tuum, uel animal, tibi imputetur, & quid si per filium. 81
18 Vtrum homicidium & damna, quæ inferuntur per triremes Turcarum, imputentur remigibus Christianis ibi captis, ita Vt peccent contra Iustitiam, uel saltem contra charitatem. 82
19 Quantum teneantur homicida uel mutilator restituere. 82
20 Quomodo æstimatio lucri futuri facienda est, cum ignoretur quamdiu fuisset victurus. 83
21 Quantum teneatur restituere, qui modum iustæ defensionis excessit. 83
22 Vtrùm quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio. 84
23 Vtrum sit aliquid restituendum pro uita, membro, seu cicatrice. 84
24 Vtrum aliquid restituendù pro expensis funeris. 85
25 Vtrum animæ occisi aliquid restituendum ex Iustitia. 85
26 Vtrum tantummodò uxori & liberis, an etiam aliis restituere teneatur, Vt creditoribus, & is, quos occisus alebat. ibid.

CAPVT X.

De iniurijs in corpus proximi per stuprum & adulterium, deque congrua restitutione.

DVB. 1. Vtrum stuprum, si fiat consentiente puella, contineat specialem deformitatem, uel iniuriam supra simplicem fornicationem. 86
2 Ad quid teneatur corruptor virginis, si nò promisit ei coniugium. 87
3 Ad quid teneatur corruptor, si eam decepit promissione coniugij. 88
4 Vtrum is, qui aliud uoluit ingredi Religionem, si postea puellam sua promissione uera uel ficta decepit possit ingredi. 89
5 Vtrum adulter teneatur aliquid restituere marito adultera pro iniuria, si partus non sit secutus. 90
6 Vtrum si secutus sit partus, teneatur adulter ad restauranda damna, quæ consequuntur marito uel hæredibus legitimis ex sustentatione eius & hæreditatis partitione. 90
7 Ad quid teneatur adultera, si partus secutus sit. 91

CAPVT XI.

De iniurijs famæ, & honoris per detractionem & contumeliam, deque necessaria restitutione.

1 Quid sit fama & bonor, & quo distinguantur. 91
2 Quid sit detractio. 93
3 Quale peccatum sit detractio. 93
4 Vtrum auditor detractoris peccet mortaliter. 94
5 Vtrum audita, uel alia quælibet referens absque asseueratione & dubitanter, peccet mortaliter, & teneatur restituere. 94
6 Vtrum sit peccatum mortale, infamare seipsum. 94
7 Vtrum possit quis sibi falsò crimen imponere, ad uitanda tormenta: præsertim si ob id esset extremo supplicio afficiendus. 95
8 Vtrum ad vitanda grauia tormenta possis alterius peccatum occultum, uel aliud secretum pandere, præsertim si ipsi inde mors immineat. 96
9 Vtrum possim manifestare alterius crimen occultù, ad impediendum damnum proximè impendens. 97
10 Vtrum liceat infamare eum, qui fictis uirtutibus sibi famam parauit. 97
11 Vtrum reuelare crimen proximi uni uel duobus, quibus dicere perinde sit ac si nulli diceretur, sit peccatum mortiferum. 98
12 Vtrum iniuriam sibi ab aliquo factam referens amico, peccet. ibid.
13 Vtrum crimen proximi, quod publicum est in aliqua ciuitate, liceat alibi patefacere, vbi ignoratur. ibid.
14 Vtrum cum, qui uno aut altero crimine infamis est, liceat de alijs infamare. 99
15 Vtrum fama cum periculo uitæ sit restituenda. ibi.
16 Vtrum si fama restitui nequeat, debeat pecunia compensari. 100
17 Vtrum si fama alicui sit reconciliata, teneatur infamator eam restituere, v. g. si virorum grauium testimonio, uel probitate uitæ penitus absterserit infamiam. 101
18 Vtrum si infamia iam penitus abierit in oblionē sit restituenda, v. g. infamauit adolescens puellam, se illi pudicitiam eripuisse, deinde temporis successu homines penitus obliuiscantur. 101
19 Vtrum totum damnum, quod sequitur ex infamia, sit compensandum. ibid.
20 Quomodo fama sit restituenda. ibid.
21 Vtrum hæredes infamatoris teneantur ad famæ restitutionem, si ipse eam non restituit. 102
22 Vtrum is teneatur ad restitutionem famæ, qui bona fide existimans esse verum & publicum, narrauit & infamauit proximum: item quid si auditores de alio intellexerint? 102

INDEX CAPITVM,

23 *Vtrum Prælatus non impediens infamatorem teneatur ad restitutionem.* 103

24 *Vtrum restitutio famæ possit condonari, præsertim à Prælato.* 104

25 *Vtrum in restitutione famæ fieri possit cõpensatio.* 104

26 *Quanam excusent famæ restitutionem.* 105

27 *Vtrum honor sit restituendus, & quomodo.* 105

CAPVT XII.

De iniurijs fortunárum, per furtum, rapinam, damnumve illatum; & de necessaria restitutione ob hanc causam.

DVB. 1. *Quid sit furtum.* 106

2 *Vtrum furtum & rapina differant specie.* 107

3 *Vtrum fur & raptor continuò peccent donec restituant.* 107

4 *Quibus modis illud peccatum actuale iniquæ detentionis interrumpatur.* 108

5 *Vtrum dum quis vtitur re aliena, quam detinet inuito domino, peccet nouo peccato, quotiescumque id facit.* 108

6 *Quale peccatum sit furtum.* 108

7 *Vtrum is, qui minutis furtis intendit furripere quantitatem notabilis pretij, peccet mortiferè.* 109

8 *Vtrum is, qui per furta minima non intendit acquirere rem notabilem, sed ex occasione ea committit, peccet mortiferè.* 110

9 *Quando plures vni per minuta furta grauem damnũ inferunt, vt cum multi vineam prætereuntes botrũ vnum vel duos carpiunt; Vtrũ singuli peccent mortiferè, & teneantur ad restitutionem.* 111

10 *Vtrum occultè vindicare rem suam, vel sibi debitam, furripiendo eam alteri, sit peccatum mortiferum.* ibid.

11 *Vtrum aliquando liceat vim adferre debitori, si aliter nequeas rem tuam obtinere.* 112

12 *Vtrum in extrema vel etiam in graui necessitate licitum sit aliena furripere.* ibid.

13 *Quando filius peccet mortiferè accipiendo vel expendendo bona paterna, & quando non.* 113

14 *Quando vxor peccet mortiferè, capiendo & donando ex bonis mariti, vel quorum ille habet administrationem, & quando non.* 114

15 *Vtrum si res furtiua pereat, fur teneatur ad restitutionem.* 115

16 *Vtrum fur & quiuis alius iniquus possessor teneatur restitutionem facere iuxta summam æstimationem, quam tempore detentionis habuit.* 116

17 *Vtrum fur & quiuis alius malæ fidei possessor, fructus perceptos, & eos, qui percipi poterant, teneatur restituere.* 117

18 *Vtrum is, qui alteri est causa damni, siue impediendo ab aliquo bono, siue alia aliqua ratione, teneatur ad restitutionem.* 119

19 *Vtrum si quis damnũ intulerit in re adhuc in dies crescente teneatur integrè perinde ac si adulta esset rependere.* 122

20 *Vtrum qui in tempestate eũcit merces alienas, teneatur ad sarciendum damnum.* 122

CAPVT XIII.

De cooperantibus ad furtum vel damnum.

DVB. 1. *Quot modis censeatur quis mediatè cooperari ad damnum alterius.* 122

2 *Vtrùm ij, qui positiuè cooperantur, semper teneantur ad restitutionem; an solum quando sunt causa sine qua damnum non fieret.* 122

3 *Quomodo oporteat positiuè cooperari, nempe cõsilio, iussione, consensu, palpatione, receptione, & participatione, vt censearis causa damni.* 123

4 *Vtrum is, qui aliquo horum sex modorum cooperatur, teneatur in solidum.* 126

5 *Quo ordine teneantur isti in solidum restitutionem facere.* 126

6 *Vtrũ inter causas secundarias, quæ tenentur post executorem, videlicet inter consultorem, consentientem, animantem, receptatorem, & subministrantẽ sit aliquis ordo in restituendo.* 127

7 *Quando plures sunt causa damni æquè principales, vel æquè secundariæ, quæ videãtur æqualiter contulisse ad totũ damnum, ad quid singulæ teneantur.* 128

8 *Vtrum si is, qui damnum accepit, vni sociorum obligationem restitutioni condonet, reliqui maneant liberi.* ibi.

9 *Quomodo censeatur causa damni quis negatiuè.* ibi.

10 *Vtrum qui hoc modo causa damni fuere semper teneantur ad restitutionem.* ibid.

11 *Vtrum hi teneantur in solidum, & quo ordine.* 130

CAPVT XIV.

De restitutione ratione rei acceptæ, & cui facienda restitutio.

DVB. 1. *Vtrum is, qui bona fide consumpsit, vel alienauit, teneatur postea ad restitutionem.* 130

2 *Vtrum possessor bona fide teneatur etiam fructus perceptos restituere.* 131

3 *Vtrum si emeris rem furtiuam bona fide, tenearis eam domino reddere: an verò possis dissoluere contractum recepto pretio.* ibid.

4 *Vtrum si dubites an res sit aliena, possis eam accipere, retinere, alienare.* 132

5 *Vtrũ qui bona fide rem alienam, quam ab alio emerat, vendidit, domino comparente teneatur contractum venditionis rescindere, reddito pretio emptori, cui vendidit; an sufficiat cedere ei suam actionem.* 133

6 *Vtrum bona, & debita incerta, id est, quorum ignotus est dominus vel creditor, sint pauperibus restituenda.* ibid.

7 *Cui facienda restitutio inuentorum, habẽtium dominum, sed incertum, & an inuentor possit ea sibi retinere.* 135

8 *Vtrum acceptum ob turpem causam sit necessario restituendum, &c.* ibid.

9 *Vtrum acceptum ob causam honestam, vel quamtamen obligabaris, (verbi gratia vt facias vel omittas quod tenebaris facere vel omittere) debeas restituere.* 136

CA-

CAPVT XV.

De ordine in restitutione seruando, deque loco & expensis.

DVB. 1. *Vtrùm debita certa sint priùs soluenda quàm incerta.* 137
2 *Vtrùm inter debitores certos, priùs soluendum sit venditori, cui pretium nondum est solutum, re uendita extante.* 138
3 *Vtrùm debita ex delicto præferenda sint debitis ex iusto contractu.* 139
4 *Quis ordo sit seruandus in solutione certorum debitorum.* 140
5 *Vtrum priùs petenti liceat priùs soluere.* 141
6 *Vtrum regula illa Iuris, (Qui prior est tempore, potior est Iure,) possit extendi ad creditores personales.* ibid.
7 *Vtrum inter chirographarios carentes priuilegio prælationis, possit satisfieri pauperi, omissis ditioribus.* ibid.
8 *Quo loco & cuius expensis faciendæ sit restit.* 142

CAPVT XVI.

De causis excusantibus à restitutione, vel omnino, vel ad tempus.

DVB. 1. *Quæ inopia uel impotentia excuset debitorē à restitutione.* 143
2 *Vtrum remissio creditoris excuset.* 145
3 *Vtrum cessio bonorum excuset à restitutione.* 146
4 *Vtrum si restitutio pluetur creditori uel alteri nocitura possit differri.* 147
5 *Vtrum si id quod tibi debeo, soluam tuo creditori, liberer à restitutione tibi faciendæ.* ibid.
6 *Vtrùm rei debitæ inscitus excuset.* 148
7 *Vtrum iuris uel Iudicis auctoritas excuset à restitutione.* 148
8 *Vtrùm ingressus in Religionem liberet a restitutione.* ibid.
9 *Vtrùm excommunicatio creditoris liberet à restitutione.* 149
10 *Vtrùm creditorum incertitudo excuset a restitutione.* ibid.
11 *Vtrùm dispensatio vel compositio cum Prælato excuset.* ibid.
12 *Vtrum compensatio excuset.* 150

CAPVT XVII.

De Contractibus in genere.

DVB. 1. *Quid sit contractus, quid pactum.* 150
2 *Quot modis perficiantur contractus.* ibid.
3 *Quomodo diuiditur contractus & pactum.* 151
4 *Vtrum omnis contractus pariat obligationem in foro conscientiæ externo.* ibid.
5 *Vtrum contractus, cui error vel dolus causam dederit sit validus.* 152
6 *Vtrum contractus, cui metus causam dederit, sit validus.* 154
7 *Vtrum contractus per se inualidi confirmentur iuramento.* 157
8 *Quinam possint contrahere.* 161
9 *Quibus concedatur restitutio in integrum, si ex aliquo contractu damnum notabile acceperint.* 162
10 *Vtrum in hac in integrum restitutione comprehendantur etiam fructus percepti.* 164
11 *Quando contractus fuit inualidus, quomodo possit ratificari.* 164

CAPVT XVIII.

De Promissione, & Donatione.

DVB. 1. *Quid sit promissio.* 166
2 *Quid sit donatio, & quomodo differant donatio, promissio, pollicitatio, pactum, & stipulatio.* 167
3 *Vtrum promissio ob turpem causam, seu propter opus malum (v. g. ob fornicationem, homicidium) obliget.* ibid.
4 *Quænam promissiones sint irritæ iure positiuo.* ibidem.
5 *Vtrum promissio vel donatio interna obliget nos homini.* 168
6 *Vtrum promissio vel donatio externa obliget ante acceptationem, & quomodo acceptanda dum sit absenti.* ibid.
7 *Qui possint promissionem vel donationem absenti factam acceptare; siue, vt Iurisperiti loquuntur, Qui possint pro absente stipulari.* 170
8 *Quantum obliget promissio externa legitimè acceptata.* 171
9 *Vtrum promissioni vel donationi iam acceptatæ possit apponi aliquod onus, vel impositum tolli.* 173
10 *Quibus euentis promissio acceptata & antea valida desinat obligare.* ibid.
11 *Quinam possint donare, qui non.* 174
12 *Vtrum donatio inter coniuges, & inter liberos & parentes sit valida.* 175
13 *Quantum possit quis validè donare.* 176
14 *Quibus euentis donatio possit reuocari.* 177
15 *Vtrum promissio vel donatio conditionalis sit valida, & quā vim habeant cōditiones appositæ.* 178
16 *Vtrùm donatio facta ad certum vsum vel finem, vel sub certo onere si illud onus, vel ille finis non præstetur sit valida.* 180
17 *Vtrum donatio ob causam præteritam vel præsentem sit valida, si causa non subsit.* 180

CAPVT XIX.

De Testamento, & Legatis.

DVB. 1. *Quid sit testamentum, & quomodo à codicillo differat.* 181
2 *Vtrum testamentum factum ad piam causam sit validum, si ei desint solemnitates: quas requirit Ius ciuile.* 181
3 *Vtrum testamentum factum ad causam non piam sit validum in foro conscientiæ, si ei desint solemnitates iure positiuo requisitæ.* 182
4 *Quinam non possint testari.* 184
5 *Quinam non possint testamento instituì hæredes uel legatarij.* 185
6 *Vtrum illegitimus possit instituì hæres.* ibid.
7 *Quibus modis potest aliquis hæredi substituì.* 187
8 *Vtrum testamentum possit semper reuocari.* 188

INDEX CAPITVM,

CAPVT XX.

De Mutuo, & Vsura.

DVB. 1. *Quid mutuum.* 189
2 *Vtrum aliqui ex mutuo non obligentur.* 189
3 *Quid sit vsura.* 190
4 *Quo iure sint prohibitæ Vsuræ.* ibid.
5 *Vtrum licitum sit sperare lucrum ex mutuo.* 191
6 *Vtrũ qui animo vsurario aliquid accepit pro mutuo sine vllo externo pacto teneatur ad restitutionẽ.* 192
7 *Vtrum licitum sit mutuari cum pacto vt pœnã debitans, vel famæ, honorisve violati restitutionem cõdonet.* 192
8 *Vtrum sit vsura, si tibi mutuem vt mihi vicissim remutues, aut Vt ex mea officina quæ tibi opus sunt emas, aut meo molendino molas.* 193
9 *Vtrum liceat mutuare cum pacto Vt mihi vel alteri officium vel beneficium conferas.* 194
10 *Vtrum ratione damni emergentis ex mutuo, possit mutuator aliquid supra sortem exigere.* 194
11 *Vtrum ratione lucri cessantis liceat vltra sortem exigere.* 195
12 *Vtrum qui bona fide fecit contractum vsurarium, vel aliàs iniquum, quem si talem sciuisset, fecisset alium iustum; possit ratione lucri cessantis, Veritate comperta, tantum retinere, quantum contractu illo iusto lucraturus fuisset.* 197
13 *Vtrum ratione periculi sortis, vel difficultatum aut expensarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, liceat aliquid Vltra sortem exigere.* 198
14 *Vtrum ratione carentiæ pecuniæ, seu obligationis non repetendi ante certũ tempus, possit aliquid exigi; vt si mutuem tibi 1000. aureos ad vnum annum, priuans me non solum pecunia, sed etiam facultate repetendi per tantum tempus.* 199
15 *Vtrum in mutuo pœna conuentionalis locũ habeat; siue, Vtrum licitum sit pacisci, Vt mutuarius, si ad terminum statutum non restituerit, aliquid soluat in pœnam suæ moræ Vltra sortem.* 200
16 *Vtrum is qui pignus ab alio habet si fructus ex eo perceperit, teneatur eos in sortem putare.* 201
17 *Vtrum licitum semper sit in mutuo pacisci, Vt rei restituatur in eadem mensura, etiamsi pretium eius tempore restitutionis creuerit.* 202
18 *Vtrum dominium Vsurarum transferatur in Vsurarium.* 203
19 *Quænam possimus ab Vsurarijs titulo gratuito vel oneroso accipere.* 209
20 *Vtrum hæredes vsurarij teneantur in solidum.* 204
21 *Quinam ex cooperantibus ad vsuras teneantur ad restitutionem.* 205
22 *Quænam pœnæ sunt vsurarijs constitutæ.* 206
23 *Vtrum montes, qui dicuntur pietatis, excusentur ab vsura, & qua ratione.* ibid.
24 *Vtrum si vsurarius, qui mihi est debitor 100. librarum, assignet mihi solutionem petendam ab eo, qui vsuræ nomine ei debet tantumdem, possim acceptare & exigere.* 207

CAPVT XXI.

De Emptione & Venditione.

DVB. 1. *Quid emptio, venditio, negotiatio, & hæc quibus prohibita.* 209
2 *Quodnam censendum sit æquale, seu iustum pretiũ rerum venalium.* 210
3 *Vtrum res eæ, quæ non habent pretium legitimum, vel vulgare, (vt sunt quædam gemmæ, insignes canes, falcones, aues Indicæ, picturæ Veteres, & similia) possint vendi quanti Volet dominus.* 211
4 *Vtrum liceat interdum pluris Vendere vel minoris emere quàm Valeat.* ibid.
5 *Vtrum si sciam pretium mercis mox minuendum, possim eam Vendere pretio currente.* 213
6 *Vtrum liceat carius vendere dilata solutione, seu credito, quàm Vendi soleat præsenti pecunia.* 214
7 *Vtrum liceat minoris emere ob anticipatam solutionem.* 215
8 *An chirographa, seu credita possint emi minoris, quam contineant, verbi gratia, vtrum ius ad 100. aureos soluendos intra annum, possit modò emi minoris, Vt 96. vel 97.* 216
9 *Vtrum chirographa, seu librancæ, vt Vocant, possint interdum emi dimidio pretio, si difficilis vel ambigua sit solutio.* 217
10 *Vtrum si sciam occultè debitorem meum non esse soluendo, possim Vendere illud debitum ijs qui id nesciunt pretio ordinario.* ibid.
11 *Vtrùm Venditor teneatur defectum rei Venditæ emptori aperire.* 218
12 *Vtrum si res vendita pereat, vel deterior fiat, pereat emptori, an Venditori.* 219
13 *Vtrũ venditor possit percipere fructus, vel vtilitates rei à se venditæ, donec soluatur pretium.* 219
14 *Vtrum licita sit emptio & venditio cum pacto retrouenditionis, Vel redemptionis.* 221
15 *Ad quem pertineat fructus medij temporis, quando venditionis contractus dissoluitur.* 223
16 *Vtrum venditiones, & emptiones reciprocæ eiusdem rei diuerso pretio, quas Hispani vocant Baratas, & Mubatras, sint licitæ.* 225
17 *Vtrum is, qui vendidit rem alienam possit retinere pretium.* ibid.
18 *Vtrum licitum sit aliquam rem alienam emere & emptam retinere.* 224
19 *Vtrum is, cui aliquid traditum est vendendum possit sibi aliquid ex pretio retinere, si pluris vendiderit, quàm ei est præscriptum.* 225
20 *Quando res in solidum ex interuallo duobus fuit Vendita, vtri debeatur.* 225
21 *Vtrum omnia monopolia sint iniqua.* ibid.

CAPVT XXII.

De Censibus seu Redditibus annuis.

DVB. 1. *Quid sit census.* 227
2 *Quotuplex sit census: seu de varijs censuum generibus.* ibid.
3 *Vtrum emptio census noui sit licita.* ibid.
4 *Vtrum iure naturæ emptio census personalis sit licita.* 228
5 *Vtrũ emptio census perpetui irredimibilis sit licita minore pretio, quàm sint pensiones sperata.* 230
6 *Vtrum census temporalis possit emi minoris, quam sint omnes pensiones simul iunctæ.* ibid.

7 *Vtrum*

7 Vtrum census licitè possit emi minore pretio, aut venditione, quã fuerit ab initio constitutus. 231
8 Vtrum licitum sit emere censum cũ pacto vt venditor, quando voluerit redimere, teneatur redimere eadem moneta. ibid.
9 Vtrum emptio census, cum pacto vt nõ possit redimi, nisi ante vel post certum tempus, sit licita. 232
10 Vtrum licita sit emptio census vtrimque redimibilis. ibid.
11 Vtrum alia quædam pacta, quibusdam locis contra fieri censuali addi consueta, sint licita. 234
12 Quæ conditiones iure positiuo requirantur in emptione censuum, ibid.
13 Vtrum hæ conditiones obligent vbique. 236
14 Quomodo constituendum sit iustum pretium censuum. 237
15 Vtrum si census emptus fuerit minoris iusto, pensiones sint restituendæ quatenus superant pretium datum. 237

CAPVT XXIII.

De Cambijs.

DVB. 1. Quid sit cambium & quotuplex. 238
2 Vtrum in cambio minuto liceat aliquid accipere supra valorem nummi lege definitum. ibid.
3 Vtrum in cambio locali, quando campsor prior accipit, vt alibi restituat, possit aliquid lucrari, & quo titulo. 240
4 Vtrum quãdo campsor dat prior, vt alibi recipiat, possit lucrari, & quo titulo. ibid.
5 De praxi cambiorum, quæ hoc tempore viget. 242
6 Vtrum Cambium Erandofurtense & similia, in quibus pretium variatur pro maiore, vel minore temporis intercapedine, sint licita. 243
7 Vtrùm cambium Risuntinum sit licitum. 244
8 Vtrum prouisiones, quas solent campsores & bancarij accipere, insitè accipiantur. 245
9 Vtrum possit fieri pactum de eo quod interest campsoris, vel de recambio, si campsarius fuerit in mora. 246
10 Vtrum campsor, quando post multa cambia & recambia, debitor ei soluit partem aliquam, teneatur illam acceptare in sortem, antequam sit satisfactũ detrimentis cambij. ibid.
11 De conditionibus, quas requirit Pius V. in sua bulla de cambijs, & an omnes obligent. 247

CAPVT XXIV.

De Locatione, & Conductione, Emphyteusi, & Feudo.

DVB. 1. Quid locatio, conductio, emphyteusis, feudum, & linellus. 247
2 Vtrum si conductor impediatur ab vsu vel cultura rei absque sua culpa, teneatur soluere pensionem. 248
3 Vtrum locator rei fructiferæ teneatur remittere de pensione conuenta, si sterilitas, vel calamitas absque culpa conductoris obuenerit. ibid.
4 Quodnam censeatur iustum stipendium operarij, famuli, & eius qui aliquod officium habet. 249
5 Vtrum is qui pluribus operam suam locauit possit plura stipendia accipere. 250
6 Ex qua culpa teneatur locator conductori, & conductor locatori. 251
7 Quas ob causas licitum sit conductorem expellere, vel priuare conducto. ibid.
8 Vtrum licitum sit locare domum vel rem aliam ei, qui putatur ea abusurus ad peccatũ mortiferũ. 252
9 Quænam conditiones iure communi requirantur ad contractum emphyteuticum. 252
10 Quæ conditiones requirantur ad contractum feudalem. 253
11 Vtrum res Ecclesiæ possint in feudum, vel emphyteusim à Prælatis dari, vel ad longum tempus locari, & quomodo. 254

CAPVT XXV.

De contractu societatis.

DVB. 1. Quid sit societas, & quibus modis contrahatur. 256
2 Quomodo contractus societatis iniri debeat, quando alter confert sortem, alter operam: & quomodo diuisio in fine facienda. 256
3 Vtrum in societate licitum sit pactum cum socijs vt saluam præstent sortem, & reddant quotannis certum lucrum paruum, pro incerto magno. 258
4 Quæ damna & expensæ ponentis operam sint communes, quæ non. 262

CAPVT XXVI.

De Ludo, & Sponsionibus.

DVB. 1. Quid ludus, quid sponsio, & vtrum hi contractus sint licui. 273
2 Quæ conditiones requirantur ad iustitiam huius cõtractus. ibid.
3 Vtrum is, qui ludo vetito aliquid est lucratus, teneatur ad illius restitutionem. 264
4 Vtrum is, qui ludo vetito perdidit, teneatur soluere in foro conscientiæ. 265
5 Vtrum per ludum & sponsiones possit lucrari is, qui non potest perdere. 266

CAPVT XXVII.

De Deposito & Commodato.

DVB. 1. Quid sit depositum, quid commodatum. 267
2 Vtrum depositarius possit deposito vti. ibid.
3 Ex qua culpa depositarius teneatur, si depositum pereat vel deterius effectum sit. 268
4 Quando deposituri repetenti depositum possit non reddi. ibid.
5 Vtrum commodatum possit repeti ante tempus, cũ damno commodatarij, si commodanti simile damnum impendeat. ibid.
6 Vtrum commodatarius & depositarius possint præferre res suas rebus commodatis & depositis si vtrasque saluare nequeant. 269

CAPVT XXVIII.

De Fideiussione, Assecuratione, Pignore, & Hypotheca.

1 Quid sit fideiussio, & quas cõditiones requirat. 270

2 *Qui possint validè fideiubere, qui non.* 270
3 *Vtrum singuli fideiussores teneantur in solidũ,* 271
4 *Quid sit contractus assecurationis, & quidnam ad eius iustitiam requiratur.* 271
5 *Quid sit pignus & hypotheca.* 272
6 *Quot modis contrahatur hypotheca.* ibid.
7 *Qua possint vel non possint esse pignori.* 273

DE INIVRIIS IN IVDICIIS.

CAPVT XXIX.

De Iudice.

DVB. 1. *Vtrum Iudicium sit actus Iustitiæ.* 274
2 *Vtrum iudicium temerariũ sit peccatũ mort.* ibid.
3 *Vtrum dubitatio & suspicio temeraria sit peccatũ mortiferum.* 276
4 *Vtrum dubia in partem meliorem sint interpretanda.* 277
5 *Vtrum liceat aliquando iudicare non secundum leges scriptas.* 279
6 *Quinam peccent vsurpatione Iudicij.* ibid.
7 *Vtrum Iudex excommunicatus peccet vsurpatione iudicij, si iudicia exerceat.* 280
8 *Vtrum Iudex, qui propter crimen ipso iure est privatus titulo, vel solum habet titulum putatiuum, peccet vsurpatione Iudicij iudicando, ita vt sententia eius sit irrita.* 281
9 *Vtrum tyrannus peccet vsurpatione iudicij, eiusque sententiæ sint irritæ.* 284
10 *Vtrum Iudex possit condemnare reum, qui per testes legitimè est probatus criminosus, v. g. homicida; quem tamen certò nouit innocentem.* 284
11 *Vtrum Iudex possit aliquem ex priuata scientia, aut certè non citatum & auditum cõdemnare.* 287
12 *Quot modis Iudex iuridicè procedat aduersus crimina.* 288
13 *Quando præcedit Iudex via inquisitionis generalis, Vtrum debeat præcedere infamia personæ vel delicti.* 288
14 *Vtrum quando crimen est publicũ, sed author ignoratur, Iudex possit inquirere quis fecerit.* 289
15 *Vtrum ad inquisitionem specialem necesse sit infamiam præcedere.* 290
16 *Quibus modis aperiatur via Iudici, præsertim seculari, ad inquisitionem.* 291
17 *Ex quibus indicijs possit Iudex reum subijcere torturæ.* ibid.
18 *Vtrum Iudex teneatur ad restitutionem heredibus rei, si postquam præter ordinem Iuris crimen vel extorsit, vel deprehendit, reum condemnet.* 295

CAPVT XXX.

De accusatore, & teste.

DVB. 1. *Quid sit accusatio, & quas requirat solemnitates.* 296
2 *Vtrum accusationem debeat præcedere secreta monitio.* 297
3 *Vtrum accusator possit desistere ab accusatione incepta, & quas ob causas.* 297
4 *Quot testes in causis criminalibus requirantur, & quomodo plenè probent.* 298
5 *Quinam sint testes idonei; qui minus idonei.* 299
6 *Vtrum semper teneatur quis testari vel denuntiare Iudice præcipiente, vel iuramentum deferente.* 300
7 *Vtrum testis ratione falsi testimonij teneatur ad restitutionem.* 301
8 *Vtrum testis teneatur ad restitutionem, si nolit testari, vel si veritatem occultet.* 301

CAPVT XXXI.

De Reo, & Aduocato.

DVB. 1. *Vtrum licitum sit reo & aduocato, occulta crimina testium detegere ad labefactandum eorũ testimonium.* 301
2 *Vtrum reus, si impingat accusatori crimen mendacij seu calumniæ, peccet & teneatur ad restitut.* 302
3 *Vtrum reus à Iudice interrogatus teneatur fateri veritatem.* 303
4 *Vtrum reus condemnatus secundum allegata & probata teneatur obtemperare sententiæ.* 304
5 *Vtrum reus possit fugere ex carcere, & vincula, carceremque effringere.* 305
6 *Vtrum alij possint reo fugam è carcere consulere, & auxilium ad eam præbere.* 306
7 *Vtrum Aduocati teneantur pauperibus patrocinari gratis.* 306
8 *Quando Aduocatus teneatur ad restit. parti.* 307
9 *Vtrum Aduocatus possit causam dubiã tueri.* 307

DE OFFICIIS IVSTITIÆ DISTRIBVTIVÆ.

CAPVT XXXII.

De Acceptatione Personarum.

DVB. 1. *Quid sit acceptatio personarum, & quale peccatum.* 308
2 *In quorum bonorum distributione potissimum locũ habeat acceptatio personarum.* 309
3 *Vtrum illi, qui conferunt officia secularia, peccent mortiferè peccato acceptionis personarum, si non eligant dignissimos quosque.* 309
4 *Vtrum officia secularia possint vendi.* 311

CAPVT XXXIII.

De Tributis, & Vectigalibus.

DVB. 1. *Quæ conditiones requirãtur vt vectigal seu tributum generatim acceptum censeatur iustum.* 312
2 *In quibus existit hæc potestas legitima vectigalis imponendi.* 312
3 *An Ecclesiastici à vectigalibus sint exempti.* 313
4 *Quo Iure Ecclesiastici sint exempti a vectigal.* 315
5 *Quinam Clerici sint exempti.* 316
6 *Qua sit legitima causa imponendi vectigalis.* 316
7 *Vtrum vectigalia constituta super eis rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur, sint iusta.* 317
8 *Vtrum qui vectigal, quod rebus venditis, vel in proprium vsum comparatis impositũ est, fraudãt, peccent mortiferè, & teneantur ad restitutionem.* 318
9 *Vtrum is, qui emit à mercatore, quæ nouis vectigal de-*

debitũ fraudare, teneatur ex mercibus emptis illud ſoluere, principali non ſoluente. 319
10 *Vtrùm is, cui Princeps debet, nec poteſt ſolutionẽ impetrare, poſſit fraudatione vectigalium ſibi compenſare.* 320
11 *Vtrùm aſſoreſ mercatorum teneantur ad reſtitutionem ſuis dominis, ſi cum Gabellarijs tranſigant, & ſibi vectigalia retineant.* 321

CAPVT XXXIV.

De beneficijs.

DVB. 1. *Quid ſit beneficium.* 321
2 *Quotuplex ſit beneficium.* 321
3 *Quibus modis beneficia acquirantur.* 322
4 *Quid & quotuplex eſt Ius patronatus.* 322
5 *Quibus modis acquiritur Ius patronatus reſpectu Eccleſiæ vel beneficij.* 323
6 *Intra quantum temporis teneatur patronus præſentare beneficio vacante.* 323
7 *Qualem teneatur patronus præſentare.* 324
8 *Si multi præſententur, quinam ex illis ſit inſtituendus.* 324
9 *Vtrùm Pontifex poſſit derogare Iuri patronatus, conferendo beneficia non præſentatis.* 324
10 *Quibus competat Ius collationis beneficiorum.* 325
11 *Si Epiſcopus conferat beneficium abſenti per litteras aut nuntium; Vtrùm poſſit revocare collationẽ, & alteri conferre antequam iſte acceptaverit.* 325
12 *Vtrùm aliquando liceat conferre beneficium indigni.* 326
13 *Vtrùm prætermiſſis dignioribus, liceat interdum conferre dignis.* 326
14 *Vtrum extra hos caſus beneficia ſemper ſint conferenda digniſſimis.* 327
15 *Vtrùm is, qui ſibi vel alteri minùs digno procurat beneficium omiſſo digniore, teneatur digniori aliquid reſtituere.* 328
16 *Quæ formula ſervanda in conferendis Eccleſijs parochialibus.* 329
17 *Quæ conditiones requirantur in particulari, vt quis cenſeatur idoneus ad beneficium.* 329
18 *Quomodo requiratur legitimus chorus.* 329
19 *Quomodo requiratur clericatus, ſeu ordo in ſingulis beneficijs.* 330
20 *Quænam ætas ad ſingula beneficia ſit neceſſar.* 332
21 *Quomodo requiratur cælibatus ad officium.* 333
22 *Vtrũ requiratur vt nõ ſit vlla cenſura irretitus ibi.*
23 *Vtrùm requiratur morũm probitas.* 336
24 *Quænam ſcientia ſit neceſſaria.* 337
25 *Qua aptitudo ex parte corporis ſit neceſſaria.* ibid.
26 *Quę & qualis intentio ſit neceſſaria.* ibid.
27 *Vtrum licitum ſit habere plura beneficia; & quatenus;* 338
28 *Vtrum per diſpenſationem Pontificis licitum ſit habere plura beneficia requirentia reſidentiã.* 339
29 *Vtrum teneantur beneficiarij ad reſidentiam, & non reſidentes amittant fructus.* 340
30 *Vtrum beneficiarij omnes teneantur ad preces canonicas.* 341
31 *Quæ excuſent beneficiarium à precibus horarijs, & quæ non excuſent.* 341
32 *Vtrum beneficiarij non recitantes preces canonicas teneantur ad reſtitutionem fructuum.* 342
33 *Vtrum Canonici non canentes in choro Officium divinum, teneantur ad reſtitutionem diſtributionum.* 344
34 *Quibus modis beneficia amittantur.* 344
35 *Quid reſignatio in beneficijs, & quę ad illam requirantur.* 345
36 *Quid permutatio, & quæ ad eam requiſita.* 345
37 *Quid & quotuplex ſit penſio.* 346
38 *Quænam requirantur vt penſio eccleſiaſtica poſſit obtineri.* 346

CAPVT XXXV.

De Simonia.

DVB. 1. *Quid ſimonia.* 347
2 *Vtrum omnis venditio aut commutatio rerum ſpiritualium pro temporalibus, ſit ſimonia iure divino prohibita.* 349
3 *Vtrum permutatio rerum ſpiritualium inter ſe, ſit ſimonia Iuris divini.* 350
4 *Vtrum ſit aliqua ſimonia Iuris humani, & in quibus contractibus ea cernatur.* 351
5 *Vtrum Papa poſſit eſſe ſimoniacus.* 352
6 *Quotuplex ſit ſimonia.* ibid.
7 *Vtrum in grani vel extrema neceſſitate liceat dare pretium pro Sacramentis.* 353
8 *Vtrum pro ſpiritalibus functionibus, quibus labor aliquis coniunctus eſt, liceat pecuniam dare vel accipere.* 354
9 *Vtrum Prælati poſſint aliquid exigere pro diſpenſatione in votis, iuramentis, impedimentis matrimonij aut quibuſuis legibus eccleſiaſticis.* 356
10 *Vtrum Epiſcopi vel eorum officiales poſſint aliquid exigere pro litteris Ordinis ſuſcepti, vel dimiſſorijs, vel ſigillo.* 357
11 *Vtrum pro omiſſione actus ſpiritalis aliquid dare, vel exigere ſit ſimonia.* 357
12 *Vtrum pro ingreſſu Religionis aliquid dare vel accipere ſit ſimonia.* 358
13 *Vtrum ſit ſimonia exigere pretium pro doctrina Theologica.* 359
14 *Vtrum ſit ſimonia reſignare beneficium in favorem tertij, id eſt, cum clauſula Non aliter nec alias.* 360
15 *Vtrum licitum ſit reſignare beneficium reſervata penſione.* 361
16 *Vtrum licitum ſit reſignare vel conferre beneficium in confidentiam.* 362
17 *Vtrum licitum ſit permutare beneficia, compenſata fructuum inæqualitate.* 362
18 *Vtrum redemptio vexationis licita ſit in beneficijs, & quousque.* 363
19 *Vtrum licitum ſit pecuniam offerre electoribus, volentibus eligere in Pontificem, Epiſcopum, Parochum, aliquem indignum ſeu inepcum, ne talem eligant, ſed quempiam idoneum.* 364
20 *Vtrum licitum ſit conferre beneficium, vel quid aliud ſpirituale pro munere a manu, vel a lingua, vel ab obſequio.* 365
21 *Vtrum ſit ſimonia conferre beneficium propter timorem.* ibid.
22 *Vtrum penſio poſſit vendi, aut redimi pecunia.* 366
23 *Quas pœnas inducat ſimonia commiſſa circa ingreſſum*

greſſum Religionis. 367
24 Quas pœnas inducat ſimonia realis in Ordin. ibid.
25 Quas pœnas inducat ſimonia realis in beneficijs. 368
26 Quas pœnas inducat ſimonia confidentia. 370
27 Vtrum ſimonia conuentionalis inducat pœnas iuris ibidem.
28 Vtrum pretium ſimoniacè acceptum, Iure diuino ſit reſtituendum. 371
29 Vtrum res ſpiritualis per ſimoniam acquiſita ſit in re diuino dimittenda. 373
30 Vtrum omne id, quod ſimoniacè acceptum eſt, Iure eccleſiaſtico debeat reſtitui. 373
31 Cui debeat fieri reſtitutio pretij, & an ante ſententiam Iudicis. ibid.

CAPVT XXXVI.

De Religione in genere.

DVB. 1. Quid ſit Religio. 374
2 Vtrum religio a ceteris virtutibus diſtinguatur, & quomodo. 375
3 Vtrum religio diſtinguatur ab ea Virtute, qua coluntur Sancti. 378
4 Vtrum ratione diuerſarum perfectionum in Deo exiſtentium, vel ratione diuerſorum beneficiorũ ex ipſo procedentium, debeantur ei cultus diuerſæ ſpeciei. 380

CAPVT XXXVII.

De actibus internis religionis, Deuotione, & Oratione.

DVB. 1. Quid ſit deuotio. 381
2 Quid ſit oratio. 382
3 Vtrum oratio ſit ad ſalutem neceſſaria, & quando obliget. ibid.
4 Quænam in oratione ſint petenda. 383
5 Quibus conueniens ſit orare. 384
6 Vtrum Sancti ſint orandi ſeu inuocandi. 385
7 Vtrum ſit orandum pro omnibus. 387
8 Vtrum forma precandi, quæ Horæ canonicæ vocatur, ſit vtilis & retinenda in Eccleſia. 388
9 Quinam ad preces canonicas obligentur, & quanta ſit hæc obligatio. 389
10 Quo modo preces horarię recitandę. 390
11 Quę & quanta attentio requiratur in Horis canonicis. 391
12 Quæ formula in Horis canonicis ſeruanda, & quibus temporibus recitandę. 393

CAPVT XXXVIII.

De Sacrificio, & Adoratione.

DVB. 1. Quid ſit adoratio. 394
2 Quid ſit ſacrificium propriè dictum. 395
3 De diuiſione ſacrificij. 397
4 Vtrum hoc tempore licitum ſit offerre agnum vel vitulum. 398

CAPVT XXXIX.

De Decimis.

DVB. 1. An populus Chriſtianus teneatur decimas ſoluere, & quo iure. 399
2 Vtrum Eccleſia iuſta ratione hanc quotam conſtituerit. 400
3 Ex quibus rebus decimæ ſoluendæ, & quo modo. ib.
4 Quibus ſint decimæ ſoluendę. 402
5 Qui teneantur decimas ſoluere. 403
6 De primitijs & obiationibus. 404

CAPVT XL.

De Voto.

DVB. 1. Quid ſit Votum. 404
2 Vtrum votum cui error dedit causã ſit validũ. 406
3 Vtrũ metus votũ irritum reddat, & quo iure. 407
4 Vtrũ propoſitum aliquando habeat Vim voti. 408
5 Cuius virtutis actus ſit votum. 409
6 De diuiſione votorum. 410
7 Quænam cadant ſub votum. 411
8 Vtrum ſit bonum uouere, & ex voto aliquid facere animo colendi Deum, & quantum ſit bonum. 414
9 Quale peccatum ſit violare Votum. 415
10 Vtrum votum alterius poſſit alterum obſtringere: Vt parentis, filium; teſtatoris, hęredem; deceſſoris, ſucceſſorem. 416
11 Quot modis poſſit quis voto ſolui. 417
12 Quorum vota poſſint irrita reddi, & a quibus. 417
13 Vtrum Prælatus poſſit vota omnia Religioſorum ſibi ſubditorum irritare. 418
14 Vtrum Vota impuberum poſſint irritari, & a quibus. 420
15 Vtrum coniux poſſit omnia Vota coniugis irrita reddere. 421
16 Quinam poſſint vota cõmutare, & quomodo. 423
17 Quinam poſſint in votis diſpenſare, & cum quibus, & quas ob cauſas. 426
18 In quibus votis poſſint diſpenſare Epiſcopi & inferiores Prælati, ſine ſęculares, ſine regulares, & quo modo. 428
19 Vtrum Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis Religioſorum. 431
20 Vtrum obligatio non habentis tacitam vel expreſſam conditionem ceſſet, ſi conditio tollatur per nimiam vel fraudem vouentis. 434

CAPVT XLI.

De Statu Religioſo.

DVB. 1. Quænam requirantur ad ſtatum Religioſum. 435
2 Vnde proueniat Ordinum religioſorum diuerſitas, & quis ſit inter eos perfectior. 438
3 Qui poſſint ingredi Religionem, qui non. 439
4 Vtrum aliquis poſſit compelli ad Religionem. 442
5 Ad quid teneatur qui vouit ingredi Religionem. ib.
6 Ad quid teneatur qui obſtrinxit ſe Voto caſtitatis perpetuæ. 445
7 Quid requiratur vt profeſſio ſit Valida. 447
8 Quam Vim habeat profeſſio in Religione approbata. 451
9 Ad quid teneatur Religioſus ex vi cuiuſq; voti. 454
10 Vtrum bona Religioſi tranſeant in Monaſterium per profeſſionem, ſi aliter de illis antea non diſpoſuerit. 456

11 *Cui acquirat Religiosus post professionem.* 457
12 *Quorum beneficiorum ecclesiasticorum sint capaces.* 459
13 *Vtrum Regularis ex suo Ordine possit ad aliũ transire, & qua ratione.* 460
14 *Vtrum Religiosus ob aliquas causas possit ejici, vel dimitti à Religione, & ob quas.* 461
15 *Quid interest inter ejectum, fugitiuum, & apostatã, & ad quid ejectus teneatur, quid ve possit.* 462

CAPVT XLII.

De Iuramento, & Adiuratione.

DVB. 1. *Quid sit iuramentum.* 464
2 *De multiplici iuramenti diuisione.* 465
3 *Vtrùm licitum sit iurare, siue per Deum siue per res creatas.* 466
4 *Quando iuramentum promissorium liberè factum obliget quando non.* 467
5 *Vtrum violatio iuramenti promissorij, præsertim in re parua, sit peccatum mortale.* 468
6 *Vtrum iuramentum promissorium metu graui extortum obliget.* ibid.
7 *Vtrum iuramentum dolo vel errore extortum obliget.* 470
8 *Vtrum si quis ficto animo aliquid iuramento promittat, obligetur, & quale peccatum hoc sit.* ibid.
9 *Vtrum si alio sensu quam alter intelligit, iures, obligeris: & quale peccatum hoc sit.* 472
10 *Vtrum fas sit deferre iusiurandum ei, quem putas peieraturum.* 473
11 *Vtrum sit maior obligatio iuramenti quã voti.* 474
12 *Quibus modis tollatur obligatio iuramenti.* ibid.
13 *Quid sit adiuratio, & in qua competat,* 477
14 *Quid periurium, & qua eius pœna.* 478

CAPVT XLIII.

De Superstitione, eiusq; speciebus.

DVB. 1. *Quid sit superstitio, & quænam eius species* 479
2 *Quid sit idololatria, & quantum peccatum.* 479
3 *Qua fuerit origo idololatriæ, quis progressus.* 480
4 *Vtrum idololatria sit tantummodo in cultu, quo creatura instar Dei colitur.* 481
5 *Quid sit diuinatio, & quænam eius species.* 482
6 *Vtrum omnis prædictio ex astris sit illicita.* 484
7 *Quousque diuinatio ex alijs signis ad secundam speciem pertinentibus; Vt ex motu, volatu, vocibus auium, vel aliorum animalium aut hominum capi possit.* 486
8 *Quousque diuinatio ex somnijs sit licita.* 487
9 *Vtrum Vsus sortium sit licitus.* 488
10 *Quæ & quotuplices sint vanæ obseruationes, & quale in his peccatum.* 489

CAPVT XLIV.

De Magia.

DVB. 1. *Quid sit magia & quotuplex.* 491
2 *Quæ sint magiæ fundamenta.* 492
3 *Quomodo cognosci poterit an aliqua operatio ad magiam pertineat, & quibus indicijs spiritus redeũtes discerni.* 493
4 *Quale peccatum sit magia.* 496
5 *Quæ remedia aduersus maleficia possint adhiberi.* ibidem.
6 *Vtrum liceat tollere ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa malefica posita à maleficis, eo fine vt diabolus desinat nocere.* 497

CAPVT XLV.

De Irreligiositate.

DVB. 1. *Quid sit tentatio, & quale peccatum.* 500
2 *Quid sit sacrilegium.* ibid.
3 *Quomodo species sacrilegij sint distinguendæ.* 501
4 *Quando sacrilegium censendum sit esse peccatum mortiferum, quando veniale.* 502
5 *Quid sit blasphemia, quotuplex & quale peccatum.* 503

CAPVT XLVI.

De reliquis virtutibus Iustitiæ annexis, in quibus est debitum legale.

DVB. 1. *Quid sit pietas & quæ eius officia.* 506
2 *Quid sit obseruantia.* 507
3 *De diuisione obseruantiæ.* 508
4 *Quid obedientia, & quænam eius functiones.* ibid.
5 *Quæ conditiones in obedientia, præsertim religiosa, maximè commendentur.* 510
6 *Quid inobedientia, & quale peccatum.* 512

CAPVT XLVII.

De virtutibus Iustitiæ annexis, in quibus est solum debitum morale.

DVB. 1. *Quid sit gratitudo, & quod eius officium.* 513
2 *Vtrum innocens magis teneatur ad actionem gratiarum quàm penitens: & quomodo gratitudo excitanda.* 515
3 *Quid ingratitudo & quale peccatum.* 516
4 *Quid sit Vindicatio, & cuius virtutis opus.* 516
5 *Quid sit veritas & quæ eius functiones.* 518
6 *Quid mendacium, quotuplex, & quale peccatũ.* ibi.
7 *Quid sit affabilitas, & quæ vitia illi aduersa.* 520
8 *Quid sit liberalitas, & quæ vitia ei opposita.* 521
9 *Quid sit ἐπιείκεια, seu æquitas.* 522

LIBER III.

DE FORTITVDINE.

CAPVT I.

De Fortitudine secundùm se, & eius functionibus.

DVB. 1. *Quid fortitudo, & quæ illius officia.* 524
2 *Vtrum martyrium sit opus fortitudinis.* 526

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

3 Quæ-

3 *Quænam ad martyrium requirantur.* 527
4 *Quænam dispositio in peccatore sit necessaria vt martyrium ei prosit ad salutem.* 530
5 *Quam vim habeat martyrium, & quando conseruat suum effectum.* 532
6 *Quæ vitia opponantur fortitudini, & quale in his peccatum.* 533

CAPVT II.

De Virtutibus Fortitudini connexis, & vitijs oppositis.

DVB. 1. *Quæ sint partes fortitudinis.* 534
2 *Quid sit magnanimitas & qui eius actus.* 535
3 *Quæ vitia magnanimitati aduersentur.* 537
4 *Quid magnificentia, & quod vitium ei aduersetur.* 538
5 *Quid patientia & longanimitas; & de illius incitamentis & gradibus.* 539
6 *De perseuerantia, & constantia, vitijsque oppositis.* 541

LIBER IV.

DE TEMPERANTIA.

CAPVT I.

De Temperantia, eiusque partibus in genere.

DVB. 1. *Quid sit temperantia, & quod eius officium.* 543
2 *Quæ sit regula temperantiæ statuenda.* 544
3 *Quæ vitia temperantiæ in genere aduersentur.* 545
4 *Quæ sint partes temperantiæ.* ibid.

CAPVT II.

De speciebus Temperantiæ, Abstinentia, Sobrietate, Castitate, Pudicitia.

DVB. 1. *Quid sit abstinentia.* 546
2 *Quid sit ieiunium, & quænam ad eius legitimam obseruationem requirantur.* 547
3 *Vtrum in ieiunio ita vetentur plures refectiones, vt in singulis peccetur mortiferè.* 548
4 *Vtrùm caupo peccet, si die ieiunij canam apponat, aut cibos vetitos.* 549
5 *Quo iure obligemur ieiunare, & quanta sit hæc obligatio.* ibid.
6 *Qui teneantur ieiunij ecclesiastici præcepto, & qui excusentur.* 551
7 *Vtrùm peregrini tencantur speciali ieiunio loci in quo versantur.* 552
8 *Vtrum ciuis teneatur peculiari ieiunio sui oppidi, dum absens est.* 554
9 *Vtrum tempora ieiunij ab Ecclesia sint rectè determinata.* ibid.
10 *De ieiunij commodis.* 555
11 *Quid hæretici in ieiunio Catholicorum reprehendant, & eorum breuis refutatio.* 556
12 *Quid sobrietas, & quod eius officium.* 558
13 *Quid castitas, & in quibus rebus versetur.* ibid.
14 *Quid sit Virginitas.* 559
15 *Vtrum virginitas sit præstantior matrimonio.* 560
16 *Quibus modis Virginitas amittatur.* 561

CAPVT III.

De Gula, Ebrietate, & Luxuria.

DVB. 1. *Quid gula, & quale peccatum.* 564
2 *Vtrum aliquando licitum sit vesci carne humana.* 565
3 *Quid ebrietas & quale peccatum.* 567
4 *Vtrùm sit peccatum prouocare ad æquales calices, & an fas respondere.* 570
5 *Quid luxuria, & quale peccatum.* 571
6 *Quæ sint luxuriæ species.* 572
7 *Vtrùm fornicatio sit peccatum mortiferum.* 573
8 *Vtrùm in osculis, tactibus, & aspectibus sit peccatum mortiferum.* 575
9 *Quale peccatum sit stuprum & raptus.* 577
10 *Quid adulterium & quale peccatum.* 578
11 *Quid incestus & quale peccatum.* 579
12 *Quid sacrilegium in materia luxuriæ & quale peccatum.* 580
13 *Quæ peccata luxuriæ dicantur esse contra naturã.* 582
14 *Quale peccatum sit pollutio voluntaria, & quibus euentis possit excusari.* 583
15 *Vtrùm delectatio, quæ ex imaginatione operis venerei percipitur, sit peccatum mortiferum.* 587

CAPVT IV.

De partibus Temperantiæ potentialibus, Continentia, Mansuetudine, Clementia, Modestia, & vitijs oppositis.

DVB. 1. *Quid sit continentia.* 591
2 *Quid sit incontinentia, & quale peccatum.* 592
3 *De mansuetudine.* 593
4 *De ira & iracundia.* 594
5 *De clementia & crudelitate.* 596
6 *Quid modestia, & quæ eius species.* 597
7 *Quid sit humilitas, & quod eius officium.* 598
8 *Quid sit superbia, & quomodo ab alijs vitijs distinguatur. Item de nimia sui abiectione.* 601
9 *De speciebus superbiæ, & quale peccatum sit superbia.* 602
10 *De gradibus humilitatis, & superbiæ.* 603
11 *De studiositate & curiositate.* 605
12 *De modestia in motibus externis.* 607
13 *De Eutrapelia.* 607
14 *De modestia circa res externas, & præsertim ornatum corporis.* 609

INDICIS CAP. ET DVBITAT. FINIS.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
QVÆ HOC VOLVMINE TRACTANTVR,
RECOGNITVS ET AVCTVS.

Prior numerus, paginam; Posterior, marginalem paginæ numerum denotat. Vbi numerus marginalis solùm apponitur, ad proximè designatam paginam refertur.

Abductio.

ABDVCENS aliquem à Religione ad quid teneatur, pag. 65. num. 12.

Abiectio sui.

Abiectio sui inordinata. 602. n 62. quomodo apponatur humilitati, ibi an pertineat ad pusillanimitate. ibid.

Ablatio.

Ablatio iniqua rei alienæ non obligat ad restitutionem, nisi quia damnosa. 115. 92

Abortus.

An liceat procurare abortum indirectè. 74. 61

Abrenuntiatio.

Abrenuntiatio simplex non priuat quèmquam iure, quod leges ei in bonum commune tribuunt. 165. 26

Absens.

Absentes vel præsentes respectu præscriptionis qui dicantur. 48. 23

Abscessu quàm diu possit beneficiarius. 340. 155

Abstinentia.

Abstinentia quid. 546. 1. 2. Et debitos oppugnant impatientia & superbia, 547. 5. Requirit abstinentia longiorem, & victum duriorem, nu. 6

Abstinentia quorumdam Monachorum, nu. 7

olim in ieiunio à vino Abstinebatur, nu. 8

Acceptio personarum.

Acceptio personarum quid sit 308. 1. sin Deo non est personarum Acceptio, nu. 3. ex genere suo est peccatũ mortiferum: in exigua tamen materia potest esse veniale. 308. 4. in quorũ bonorum distributione potissimum locum habeat, nu. 5. & seqq.

in distributione iuris, quàm facit Iudex partibus ius dicens, quando is peccet vitio Acceptionis personarũ, ibi.

Accepta.

Acceptatio iniusta generatim quid sit. 59. 19

Accepta ab auctore malæ fidei quanto tempore præscribantur. 52. 42

Accepta ob turpem causam an sint restituenda. 315. 52

Accipiens mercedem operis turpis patrati, non necessariò approbat opus. 167. 19

Accepta ob causam honestam, ad quam obligabaris ex iustitia, sunt restituenda. 136. 62. item si ex charitate obligabaris; nisi sit opus sumptuosum & laboriosum. 137. 69, secus ob ea, quæ cedunt in honorem solius Dei aut vtilitatem proximi, num. 70. possunt tamen data vt facinus lege punibile committatur, in Iudicio repeti, nume. 71

Liberaliter data nõ sunt restituenda, nisi lege statuente 72.

Accepta à Religioso an retineri possint. 476. 78

Accipere ab ejecto è Religione an quis possit. 463. 113

Acceptare, Acceptilatio.

Acceptare promissionem vel donationem qui possint. 168. 35. 96. 170. 47

Acceptans non potest eam condonare. 171. 50

Acceptatio promissionis vel dationis absenti factæ quomodo fieri debeat. 169. 42

An possit fieri post mortem promittentis vel dantis. nu. 43.

Acceptare promissionem onerosam solus promissarius validè potest. 171. 51

Acceptilatio quid sit. 151. 28

Acceptare quivis potest promissionem ad se directam. 424 num. 104

Actio, Agere.

Agere & facere quomodo differant. 3. 14

Agere qui non possint. 55. 9

Agere licet de quavis iniuria vindicanda, non autem de quouis damno compensando. 85. 146

Agere contra ius alterius ex causa licet. 147. 54

contra Actionem vt possit præscribi quæ possessio necessaria. 43. 7

Actio quando censeatur causa damni. 81. 113

Actiones externæ in re graui vix fiunt ex inconsideratione, quæ sit peccatum veniale. 61. 29. Interna sæpius. ibid.

Actio adulterij quanto tempore præscribatur. 50. 36

item Actio acculandi alia crimina, ibid.

Actiones humanæ non pendent ab aliis. 485. 36

Agere aliquid in honestum interitum, vbi tibi certa mors sequatur, licet. 71. 32

Accusatio, Accusator.

Accusantem falsò, occidere an licitum. 72. 47

Accusatoris vicem quæ suppleant: & quis dicatur accusator virtualis. 288. nu. 104

Accusatio quid sit. 296. 1. ad Accusationem quæ requirantur solemnitates, nu. 2. & 3. Dies admissi criminis an exprimi debeat. nu. 45

inscriptio. Accusatus in foro seculari non est necessaria: secus in foro ecclesiastico. 297. 8. 9 quandocumque crimen est probabile in Iudicio, an teneatur Accusator ex iustitia prætermittere secretam monitionem, num. 10 & 12. Denuntiatio euangelica a iudiciali quomodo differat, num. 11

Quãdo debeat accusator desistere ab accusatione incepta, & quas ob causas possit. nu 14

Quibus euentis accusationem Iudex abolere possit, num. 15. 16

In causa ciuili quando possit actor à lite recedere. 298. nu. 17. In causa criminali quando licitum sit desistere per gratiam, nu. 18

In crimine publico capitali quando transigere sit licitum, num. 20

Addictio.

Addictionis pactum in diem in venditione quod dicatur. 222. nu. 125

Adiuratio.

Adiuratio quid. 477. 67. Preces Ecclesiæ potiùs sunt obsecratio quam adiuratio, nu. 68. Sola rationalis natura adiuratur, num. 69

Dæmones adiurantur imperio, nu. 70. Res inanimæ quomodo adiurentur. 477. nu. 71

Adiuratio quid sit, & quantum obliget. 437. 67

Dupliciter fit, nu 68. Quænam adiurari possint, nu. 69

Adolescens.

Adolescentibus necessaria sobrietas. 558. 91. Romani ante annum trigesimum vinum non bibebant, ibid.

Studiosi pulchritudinis an peccent. 610. 169. 110

Acceptantes inutu beneficium an ad horas teneantur. 341. nu. 194.

Adoratio.

Adoratio quid sit: variè accipitur. 384. nu. 1. 2

INDEX RERVM.

In quo propriè consistat, nu.4
Externa adoratio per se adiaphora.nu.5

Adoptitia.

Aduentitia bona filij præscribi non possunt.55.48

Aduertentia.

Aduertens damnum ex sua actione secuturum an teneatur ad restitutionem.80.112
Qualis requiratur ad peccatum.275.9

Adulatio, Adulator.

Adulatio quale peccatum.521.52
Adulator quando teneatur ad restitutionem.125.25
Adulatores qui dicantur.521.52

Adulter, Adulterium.

Adulterium quid.558.71. Est peccatum mortale, ibidem. Tripliciter patratur. num.74. Bruta quædam id plectunt. nu.71
Adulterij necessariò sæpe duplicè malitiâ includit. 87.4.
Adulteram filiam & adulterum occidere an licitũ. 68.69. 14.16. An vxorem.68.15
Adulterij actio quanto tempore præscribatur.50.36
Coniux si consentiente marito adulterium committat an faciat iniuriam.58.12
Adulterorum pœnæ.69.15. Transactio pro adulterio an valeat. 90 37
Adulter ad quid teneatur si adultera nothum supponat.90 36
Adulter inuasus à marito potest se defendere. 80. 106. Si præuiderit inde mortem marito imminere, tenebatur etiam ex charitate abstinere.80.107
Adulter ad quid teneatur.90.36
transactio occulta pecuniaria pro hac iniuria valet. 90. 38.90
Quid si partus sit secutus.nu.39.& 41
Non censetur causa abortus, nisi suaserit.nu.43.
Adultera secuto parto ad quid teneatur 91.47.48. & seqq. &c. Adultera an teneatur se prodere ne spurius succedat.91.53

Adultus.

Adultus neque contaminari peccato, neque iustitia consequi sine suo consensu potest.528.24

Aduocatus.

In extrema necessitate pauperis Aduocatus tenetur ei succurrere gratis. 306. 45. Item in graui, si habeat superfluũ.nu.49. Quando eius negligentia vel imperitia cliẽs iusta causa excidit, tenetur ei de damno. nu.47. Si tuetur causam iniquam, tenetur de damno, quod parti obuenit ratione illius patrocinij: tenetur etiam suo clienti, si eum non monuit de causæ iniustitia.307.nu.48
Aduocatus debet cliẽtem deserere monitum de causæ iniustitia, si uolit desistere.nu.49
Aduocatus rei, qui ipsum fraudibus contra fiscum defendit, nõ tenetur fisco compensare emolumẽtum, nec reus ipse tenetur.nu.50
An Aduocatus fisco teneatur, si causam eius negligenter agat.num.51
Aduocatus clientem ita defendens, vt accusator non possit conuincere, quamuis accusator damnetur ad pœnam talionis, non tenetur ad restitutionem illius damni, nec efficitur irregularis.nu.52
Aduocatus fisci an teneatur restituere.307.nu.51
Si Rei & Actoris causa æquè est probabilis, potest Aduocatus suscipere vtriusuis patrocinium.ibid.& nu.53

Æqualitas.

Æqualitas alia arithmetica, alia geometrica.15.5

Æquitas.

Æquitas seu Epieikeia quid sit. 512.63. Dirigitur à iudicio seu gnome.64
Æquum quid sit.523.67

Æstimatio.

Æstimatio laboris & lucri, quod occisus faciebat, quomodo facienda.83.126.128. Potest variari secundùm diuersos contractus.231.3

Ætas.

Ætas requisita in Abbatissa vel Priorissa.332.107
Ætas requisita ad professionem.447.58
Ætas requisita ad Ordines sacros, Vide *Beneficium.*

Affabilitas.

Affabilitas quid sit.684.47. Eius obiectum. nu.50
Duplicitèr in eam peccatur.521.51

Affectus.

Affectus quomodo mutet iudicium.431
Cum prauo affectu potest aliquando esse rectum iudicium in particulari, nu.32
Affectus erga rem an pretium augeat.211.18.& 212.27

Alea.

Alearum nomine qui lusus in iure intelligantur.163.4. Sub quanto peccato prohibiti.num.5.& 608 98. Sub quanto lucro.nu.6. Olim omnibus prohibitæ aleæ.608.98

Alieni detentor.

Alieni iniquus detentor continuè peccat.107.11
Alienam rem emptam bona fide vendens tenetur restituere pretium emptori.108.26
Alienam rem vendens fit dominus pretij accepti. 103. nu. 162. 163. Aliena pecunia aliquid emens fit eius dominus.nu.161

Alimenta.

Adulter an ad alimenta prolis teneatur 60. 42. & 186. nu. 67.70

Ambitio.

Ambitio quid sit.537.21. Est triplex.ibid.
Quale peccatum.nu.22
Oritur ex superbia.ibidem.

Amicitia, Amicus, Amor.

Amicitia quid sit.520.46
Offerre se morti pro amico.70.30
Amicitiam alicuius appetere propter lucrum licitum est. 192.nu.38,39
Amor proximi duplex; & vter sit actus charitatis.379.n.23

Anabaptistæ.

Anaptistas quando occupet diabolus.499.61
Vxores ferè habent communes.33.nu.18

Anima, Animatio.

Salus animæ proximi quando saluti proprij corporis præferenda.73. 51
Animæ defuncti ab occisore nihil ex iustitia restituendum 85.nu.148
Animatio fœtus quoto die fiat.75.nu.65

Animalia.

Animalia alia mansueta & seruа, alia siluestria & libera.55. 28. Licitè occiduntur.67.1. abstinendum tamen crudelitate.nu.2

Animus.

Animus malus, siue intentio non obligat ad restitutionem. 109 35.129.128

Annus.

Probationis annus an debeat esse continuus.447.58.49
Quomodo computandus.ibidem. Quid si in annum bissextilem incidat, ibid.
Annus bissextilis in professione spectandus.nu.59

Antinomiæ.

Antinomiæ in Pandectis ob varias Iurisconsultorum sententias reperiuntur.131.11

Apes.

Examina apum quando liceat capere.36.32

Apostata.

Apostata quis dicatur.462.109
Apostata, fugitiuus, & eiectus Religiosus quomodo differant, ibidem.
Apostata & fugitiuus Ordinis acquirit.463.111.

Apostolus.

Apostoli, & præcipui Sanctorum, vel virgines, & qui coniugati, abstinebant coniugij vsu.561.nu.508

Apparitiones.

Apparitiones spirituũ quomodo possint internosci.495.28

Apprehensio.

Apprehensio alia vera, alia ficta.21.46
Vbi ficta locum habeat.nu.47
Apprehensio iurium duplex.22.49
Dupliciter res non apprehenditur vt grauis.585.103

Approbatio.

Approbatio an sit de essentia religiosi status.439.11
A quo fieri debeat.nu.12. Pontifex ea sibi reseruat.439.13.

Arma.

Arma deferentes ad Turcas fiunt serui Christianorum capientium.34.nu.14
Arma vendens ad bellum iniustum.125.nu.31

Arro-

INDEX RERVM.

Arrogantia.

Arrogantia quid, 605.nu.76

Ars.

Ars quid sit, quomodo differat à prudentia.3.13
Ars notoria quid sit.489.62.Quale peccatum, ibid.

Assecuratio.

Assecuratio quid sit; quidque ad eius iustitiam requiratur. 249.nu.25.26.& 271.nu.24
Assecurationis pactum etiam in censibus licitum. 334.66
Assecurans merces, quas fingit se aliquis habere in aliqua naui, si nauis pereat, an teneatur ad pretium conuentum. 272.nu.28
Quid si plures assecurent, eaſdem.272.30

Assignatio.

Assignationem mihi ab vsurario factam super debitas vsuras an possim acceptare, & eas exigere. 207.nu.195

Astra, Astrologia.

Astrologia duplex; naturalis, iudiciaria.484.nu.32
Cur incerta experientia naturalis nu.33. Quænam noscenda ad prædictiones astrologicas ibid. Ex 130.prædictionibus tantum 7.veræ deprehensæ.ibid.
Ex astris & hora natiuitatis non potest probabiliter iudicari de temperamento.484.nu.34
Naturalis astrologia non est per se peccatum.ibid.
Iudiciariæ vsus semper est per se peccatum mort.nu.35
In eius vsu est tacitum fœdus cum dæmone. 485.37
Astra non sunt causa humanarum actionum.ibid.36
An possint poni saltem signa euentuum. ibid.39
Iudiciaria astrologia est fundamentum magiæ, 486.41
Quid si non certò affirment euenturum, nu.42. Vnde fit vt vera prædicant nu.43
Cantus & motus auiũ quomodo signum tépestatũ, nu.45
Quando signa à Deo diriguntur.nu 46
Ioseph an augur fuerit.487.nũ.49

Astutia.

Astutia quid sit.8.14.Quale peccatum.ibidem.

Asylum.

Asylo non gaudet latro publicus.501.15

Attentio.

Attentio in omni oratione requiritur. 391.nu.62
Attentio quadruplex.nu.61.Attentio ad verba an sufficiat. 393.69. Quo sit virtualis dum animus distrahitur. 393. 71.an requiratur propositũ distinctũ attentionis. nu.72.
Attentio imperfecta non sufficit ad opus meritorium.405. nu.4.Secùs ad violandum voti promissionem, ibid.
Attentionis imperfectio in tentatione.585.103

Attritio.

Attritio sufficit ad martyrij fructum. 531.48. An voluntas patiendi pro Christo sufficiat. nu.49

Auaritia.

Auaritia quid sit 533.59.Quale peccatum, nu.59.& 60. Eius filiæ, ibidem.
Græcorum sacerdotum auaritia.63.47

Auctio.

In auctione rem pluris quandoque vendere quàm valeat an licitum.213.35

Aucupium.

Aucupium quomodo & vbi licitum.35.28.& 37.39
Aucupãs contra iustam prohibitionem qũo peccet. 37.40

Audacia.

Audacia quid.554.nu.65

Audire.

Audiens detractorem quomodo peccet.94.20.& seqq.
Audita referens quomodo peccet, nu.& seqq.

Austeritas.

Austeritatis moderatæ vtilitates, 442.21

Banniti.

Banniti an occidi possint, & à quo.676.& 68.14

Baptismus.

Baptismus, exorcismus, &c. remedia sunt aduersus malefitia, 496.nu.29

Barata & Mohatra.

Baratæ & Mohatræ an licita.223.nu.130

Bellum.

Bellum an detur vtrimque iustum.125.nu.30
Bello capti serui fugere possunt.35.24.Fugientes iuuare licitum.35.25. Quando belli iustitia ambigua, an vtrimque fiant serui.33.12

Beneficium.

Beneficium quid sit.321.nu.1
Aliud est sæculare, aliud regulare. Aliud simplex, aliud duplex: & quid ea sint.321.5, & seqq.
Beneficiũ procurans indigno ad quid teneatur.120.n.129
Beneficium, aut officium nõ vacat ante sententiam, etiamsi in lege dicatur, ipso facto sit priuatus.281. nu.63
Beneficia sex modis acquiruntur; Præsentatione, electione & confirmatione, postulatione & confirmatione, collatione libera, permutatione, resignatione in fauorem cum secuta collatione: & quid illa sint.322.11.& seqq.
Sibi vel alteri minùs digno procurans beneficium omisso digniore, an teneatur aliquid restituere digniori vel Ecclesiæ 328.72
Beneficiarius si putet verè se dignum, non tenetur resignare beneficium.329.76
Decem conditiones requisitæ vt quis censeatur ad beneficium idoneus. 329.86
Ante omne beneficium requiritur Clericatus, seu prima tonsura.330.92
Si beneficium ex institutione requirat certum ordinem, eo carens est inhabilis ad illud nu.91
In ceteris beneficijs sufficit prima tõsura, & habilitas ad suscipiẽdũ intra annũ ordinẽ beneficio congruentẽ.331.98
Adeptus Episcopatum si munus consecrationis intra tres menses non susceperit, ad fructuum restitutionem tenetur. Si totidem postea menses idem neglexerit, Episcopatu ipso iure priuatus est.nu.99
Adeptus Ecclesiam parochialẽ tenetur ordinari ad sacerdotiũ intra annũ alias ipso iure beneficio est priuatus.n 100
Obtinentes beneficia in Ecclesijs cathedralibus, vel collegiatis, vel regularibus, quibus varia annexa sunt onera, tenentur intra annum suscipere ordines officio conuenientes.332.105
Quæ ætas ad singula bñficia sit necessaria.332.107.& seq.
Cœlibatus quomodo requiratur ad beneficium, nu.111
Quæ scientia.337.nu.127
Intrusus ad beneficium quis dicatur.336 113
Collatio beneficij facta omnino illitterato est irrita. n. 119
Aptitudo corporis requiritur, quæ necessaria ad decenter præstandum officium.nu.130
Ad omne beneficium requiritur determinata intentio status ecclesiastici, & Ordinis muneri suo necessarij.nu.131
Accipiens beneficium vt eius fructibus alatur donec studia absoluerit, peccat mortifere, nec potest illud retinere.337.nu.132
Quia accepit beneficium parochiale, sine animo suscipiẽdi intra annum sacerdotij, tenetur fructus restituere, nisi voluntate mutata intra annum promotus fuerit, nu.153
Beneficium parochiale accipiens animo non residendi, peccat, non tamen est ipso facto priuatus, nu.136
Beneficia plura habere non est intrinsecè malum, sed speciẽ mali præsefert, eo honestari potest. Nullus tamen potest recipere, & simul retinere plures Episcopatus in titulũ, commendam, aut alio titulo.33.nu.135
Electus ad Episcopatũ, obtenta bonorum administratione, & cõsecratione, vel saltẽ elapso tẽpore cõsecrationi præfixo, amittit omnia beneficia, quæ ante obtinebat.n.139
Beneficia alia sunt incompatibilia primi generis, alia secundi: & quæ illa sint.nu.140
Habens beneficium incompatibile primi generis, si secundum huius generis acceperit, obtenta pacifica possessione secundi, vacat prius ibid.
Reliqua beneficia residentiam postulantia non sunt incompatibilia primi generis. n.144
Quatuor casibus licet habere plura beneficia.339. 147.148 Per dispensationem licitum habere plura beneficia residentiam requirentia, si adsint iustæ causæ dispensandi. 339 149.Alias non est tutus.340.nu.151
Habentes beneficia cum cura animarum, tenentur iure diuino residere, & per se officium administrare.nu.153.Episcopi possunt quorannis a suis Ecclesijs ex iusta causa tribus mensibus abesse.nu.155
Si necessarium diutius abesse, a quo debeant causæ approbari, nupt.156. Alias fructus pro rata temporis ablentiæ non faciunt suos.nu.157
Parochi si vltra duos menses absint, an peccent, & fructus amittant.340.nu.139

Qui in Eccleſijs cathedralibus vel collegiatis obtinent dignitates, canonicatus, præbendas vel portiones, nõ poſſunt quolibet anno abeſſe vltra tres menſes nu. 162. Cauſæ excuſantes a reſidentia. nu. 163
Beneficiarij omnes ad horas canonicas tenentur. 34. 166. Ea obligatio quando incipiat. nu. 167
Ij excuſantur a lectione horarum, qui nec per ſe, nec per ſuos, vllos fructus percipiunt, nec percepturi ſunt; ſi per eos tamen non ſteterit quo minus percepturi ſint, n 168
Probabile etiam excuſari eos, qui valdè parum recipiunt, vt ſi beneficium non habeat vltra 8. aureos. Tenentur tamen qui aliquid recipiunt, aliquoties per annum, v. g. feſtis & dominicis, nu. 169
Non excuſatur beneficiarius a precibus primo & ſecundo anno, eo quòd fructus beneficij horum annorum in quibuſdam eccleſijs debeatur fabricæ, vel deceſſori mortuo. 342. num. 170
Quid ſi non ſacerdotes expendant maiorem partem prouentuum in ſubſtitutum, qui ſacra faciat, nu. 171
Beneficiarij qui ſunt in poſſeſſione nõ excuſãtur a precib., eo quòd beneficium ſit litigioſum, aut q; fructus ſint ſequeſtrati, vel ab alio percipiantur; ſi tñ probabile ſit ipſos in lite fore ſuperiores, & fructus illos obtenturos nu. 173
Qui nihil recipiunt, eo quòd non reſideant cum poſſint, non excuſantur. ibid.
Adoleſcentes, qui parentum auctoritate coguntur acceptare beneficium, cum tamen non habeant animum ſtatus eccleſiaſtici, an ad officium teneantur, nu. 174
Beneficiarij omittentes preces canonicas tenentur ad reſtitutionem fructuum pro rata omiſſionis, nu. 175
Habentes beneficia curata & capellas, non tenentur ſtre naturæ ad reſtitutionem, etiamſi preces canonicas omiſerint: at habentes beneficia, quorum præcipua functio eſt precatio canonica, non tenentur ſponte reſtituere, nih Eccleſia ſignificet ſe velle. 343. nu. 179
Eccleſia imponit reſtitutionem fructuum per modum oneris, ſeu conditionis. 343. nu. 182
Beneficiarij non habent abſolutum dominium fructuum, etiam antè perceptorum, niſi poſt dictum officium, aut certè abſque culpa prætermiſſum. nu. 183
Canonici non canentes in choro vbi id conuenit, nõ merentur diſtributiones, etiamſi domi preces recitent, aut ſubmiſsè in Eccleſia dicant, nu. 184
Quid ſi conſuetudo habeat vt per Vicarios officium peragant, nu. 185
Superiores Canonicorum habentes iuriſdictionem in Capitula, tenentur curare vt Canonici per ſe diuina officia obeant. num. 186. Modi quatuordecim, quibus beneficia amittuntur. 344. 187
Beneficiatorum bona triplicia. 27. 35. Verùm ipſi bonorum ſuorum dominium habent. nu. 36. & ſeqq. Congrua eorum ſuſtentatio. 27. 40
Peccant mortaliter ſuperflua prophanè expendentes. 29. 47 Cur eorum bona dicantur res Dei. ibid.
Beneficio metu renũtians non tenetur legere horas, nec poteſt ad eius titulum ordinari. 135. nu. 37.
Beneficiati de quib & quo poſſint teſtari. 184. nu. 41. 42. 43
De ſuperfluis ſui beneficij ex conſuetudine etiam in cauſas non pias valide, ſed illicitè teſtantur. nu. 44
Item ſi ea ex inteſtato diuitibus amicis relinquant. ibi. Hæredes tamen non peccant accipiendo. nu. 48
Beneficium vnum maius altero dupliciter dicitur. 515. 9
Beneficio indignus qs dicatur, quis et dignißimus. 326. 52
Quorum beneficiorum ſit capax regularis. 459. 95
Reſignatio in beneficijs quid. 345. 188. Fit tacitè, vel expreſsè. ibidem.
Vt conditionalis, & id quod ex vi illius ſecutũ fuerit, ſit validũ, nouem requiruntur conditiones, nu. 190. & ſeqq.
Beneficium qua ratione ſit intuendibile iure diuino, & qua ratione ſit vendibile per Pontificem abſque ſimonia iuris diuini. Vide v. *Simonia.*
Beneficij relatio. 515. nu. 7
Beneficium non retribuere quando peccatum. 516. 18
Vtrùm Deus maius beneficium innocenti quàm pœnitenti conferat 516. nu. 10

Blanditiæ.

Blanditijs vel precibus aliquem ad maleficiũ permouẽs, ſi autequã patretur, ea reuocet, ad nihil tenetur. 124. n. 17

Blaſphemia.

Blaſphemia quid, quotuplex, quale peccatum. 503. 23. & 540. 31. quo modo confitenda. 504. 33. Eius pœna. num. 34. quomodo comprehendi. ibid.

Bona.

Bonorum ſpiritualium dignitas conſideranda. 9. 19
Bona filijfamilias quadruplicia, caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, aduentitia, profectitia. 23. 7 & ſeqq.
Bona Principum quintuplicia, & quomodo ſingula præſcribantur. 51. nu. 41
Ob bonorum conſeruationem an liceat tyrannum occidere. 68. 11. & 73. 49. an furem. 75. nu. 66
Bona incerta quæ dicantur 133 31. 32 Poſt inquiſitionem diſtribuenda pauperibus. nu. 33. Non tamen iure naturæ. n. 36. Quæ bona incerta quibuſdam locis Principibus applicentur. ibid. Quæ non habentur per delictum retineri poſſe probabile. num. 38. Quo iure Pontifex poſſit de his diſponere. nu. 40 Cenſetur adeſpota. ibi. Si poſſeſſor pauper ſit, poteſt ea ſibi retinere, nu. 41
Bona incerta pauperibus diſtribuens, domino comparetur ad quid teneatur. 133 31. & 43
Per hanc diſtributionem non transfertur plenum dominium 134. 45
Conſultum in ea vti conſilio confeſſarij, nu. 47
Inuentor taliũ rerum an poſt diligentem inquiſitionem poſſit eas ſibi retinere, nu. 48. & 49
Bona Religioſi per profeſſionem tranſeunt in Monaſterium. 456. 81. & quare. num. 82. Quomodo bona diſtribuenda poſt profeſſionem. ibid.
Bona eccleſiaſtica ementes in Anglia & Hollandia an peccent. 223. 135
Bona mariti & vxoris an communia; quid ſi maritus ſit diſſipator. 262. 37
Etiam bonorum poſſeſſio tranſit in Monaſterium. 457. 84. Dominium quando contingatur, & quando debeat apprehendi. ibid.
Bona adiaphora an per ſe peti poſſint. 384. 21. Vide *V. Clericorum bona.*

Bona fides.

Bona fide rem furtiuam emens, eam ſine previo domino tenetur reddere. 130. 2. Si conſumpſerit vel alienauerit, in quantum factus eſt ditior tenetur reſtituere. nu. 3. 4
Si perijt etiam ipſius culpa, ad nihil tenetur. 130. 6. Vide *Res furtiua.*

Breuiarium.

Breuiarium quid contineat. 389. 48
Breuiario Romano qui vti poſſint. 391. 73. Qui non teneatur illud acceptare. ibid.
An priuatim eo omnes vti poſſint. nu 74
An qui eo vtuntur, teneantur ad Pſalmos graduales, &c. num. 76

Bruta.

Bruta nonnulla adulterium plectunt. 578. 71

Calumniator.

CAlumniatorem occidere licitum. 73. 49. & 77. 82.
Duellum cum eo acceptare licitum. 73. 49

Cambium. Cambſor.

Cambium quid ſit. 238. 1. Eius diuiſio. num. 5. Refertur ad varios contractus, nu 4
Cambium ficcum quid ſit. 238. 5. Reale. ibid.
Minutum & locale. nu. 6
Cambio minuto varias ob cauſas aliquid lucrari licitum. num. 7
Cambſor minutus poteſt aliquid lucrari, etiamſi ſponte id officium ſubeat, num. 9 Etiam ob numerationem pecuniæ, num. 10
Cambſor in cambio locali prior pecuniam accipiens quo titulo poſſit lucrari. 240. 19. 20 Quantum poſſit accipere. numero 21. Quomodo transferat pecuniam numero 21. & 22
debet aſſecurare pecuniam, nu. 26
Cambſor prior dans pecuniam alibi recipiẽdam an poſſit lucrari. 250. 27. Quo titulo, n. 28. & 34. Non tenetur ſuã commoditatem in eo æſtimare. nu. 32. Potest lucrari ſi dans ad locum intra idem regnum conſtitutum. nu. 33. Potest lucrari ratione duplicis tituli. 252. 39. 41. Quem titulum maximè ſpectent mercatores. 252. 43
Cambiorum praxis hoc tempore, nu. 47. Quæ perſonæ requiſitæ.

INDEX RERVM.

quisitæ.nu.48. Quo genere nummorum reganter.nu. 51.
Cambia quorum pretia variantur pro diuersa distantia nundinarum ad quas dantur, an licita.253.nu.53. & 54.
Cambia mercatorum cum Rege an iusta.253 nu.58.
Cambium Bisuntinum, seu Placentinum quid sit nu.m. 59. Arlicitum.nu.60.& 251.nu. 68
Campsorum prouisiones quæ dicantur. nu.73. An possint exigi in pacto de recambio. 246.nu.84.
Campsor potest facere pactum de interesse, si alter sit in mora.249.nu.81
An de recambio.nu.82. An possit tunc prouisiones exigere.nu.84. An possit debita adiycere forti.246.nu. 85. An teneatur partem solutionis computare pro sorte. nu.86.
Cambiorum conditiones à Pio V requisitæ.n. 88. Vix sunt receptæ.nu.93
Campsorum prouisiones an iustæ.245.nu.73. An possint exigi in recambio ex pacto facto.246.84.

Canonicus.

Canonicus non assistens diuino officio, tenetur ad restitutionem distributionum, etiamsi ei fiat remissio ab alijs. 246.nu.41
Canonici an in choro cantare teneantur. Vide *Beneficium*.

Capitis minutio.

Capitis diminutio quid sit.19.nu.21

Caro.

Carne humana an vesci liceat in necessitate 70.28. & 565. 9. Non licet quemquam occidere vt eius carne vtaris in medicamentis. nu.10. Ob crimina auibus & feris proijci potest.ibidem.
Idolothytis an vesci liceat.70.29
Immunda carne Iudæi potuissent vesci in necessitate, ibid. Non tamen tenebantur.566. 11.
Carnibus vesci in morbo non tenetur Cartusi Pōt.cōs.ibid.
Caro est iuuentus: quomodo regendum.556.71

Carthusianus.

Ad Carthusianorum Ordinē possunt omnes alij Religiosi transire.460.100. Ipsi verò ad Mendicantes.ibid. Conditiones in transitu requisitæ.nū. 101.
Si transeat quis ad alium Ordinem vt sit Prælatus, an requiratur annus probationis, & noua professio.nu.101.
Transire potest quis ad laxiorem cum venia Prelati, si causa iusta subsit.nu.102. Si absque venia, an sit apostata & excommunicatus.ibi. Quis veniam dare possit.nu. 103
Mendicantes non possunt trāsire nisi ad Carthusianos. nu. 104. Si secus faciant, an recipientes & recepti sint excommunicati; & professio irrita.ibid.
Canonici Regulares possunt transire ad Ordinem Monachorum, vbi disciplina benè seruatur.nu. 101
Carthusianus an possit se delectare esu carnium imaginatio.588.111.113

Castitas

Castitas quid. Eius officium. Perfecta, Imperfecta: coniugalis; materia castitatis. 183.92. & seqq.
Castitatis votum ad quid obliget.455. 77

Castrensia bona.

Castrensia, vel quasi castrēsia bona quæ dicātur.29.nu.9. an de ijs possint disponere minores inscio tutore.162.n.62

Causa.

Causa vera damni vel rei quæ sit.123.nu.3.q.11.
Causa principali damni restituente reliquæ sunt liberæ. 126.nu.41.127.nu.5
Causæ æquè principales æqualiter tenētur.128.nu.152.54
Causa damni negatiua ad quid teneatur.128.62
Vni ex causis cōdonatione facta ad quid teneātur reliquæ. 128.53.60. Ex causa turpi accepta an restituēda 232.52.
Causæ excusantes à restitutione.137.1. Non semper sufficiunt vt fureris.440.nu.27
Causam pollutionis quando non teneamur vitare.583.98.
Quid si absit periculum consensus.nu.98. Si causa alium de sit illicita.nu.99. Turpem ob causam acceptum opere impleto non est restituendum.155.52. Nisi communē æstimationem excedat.nu.33. Nec etiam iure positiuo restituendū.nu.56. Leges quæ talia pacta rescindunt quomodo intelligendæ. nu. 57. Talia quædam esse restituenda probabile.136.60. Cui.nu. 91. Ante peccatum patratū, pro eo accepta restituenda sunt.135.nu.55

Censura.

Censuras in incurrat qui mandat occidere clericū, si percutiat ante executionem.124.nu.19

Census.

Census quid sit.227.12. Varie diuiditur.nu.4. Reseruatiuus quid.ibid. Differt ab emphyteusi.nu.5.
Quid consignatiuus.ibid. Varie diuiditur.nu.6.
Quid sit realis. 296 Quid personalis. nu.7
Quid mixtus.nu.8. Quid fructuarius, quid pecuniarius. nu.9. Quid certus vel incertus.10
Quid vitalitius.nu.11
Census quo loco soluendi.232.nu.57
Censum non soluens an teneatur de interesse.149 33.
Censuum pretium an possit mutari. 230.34 & 234 68.
Census noui emptio licita.228. 13 Immediate in eo emitur non pensio, sed ius ad eam.nu. 14. Conditiones iure positiuo in ea requisitæ 231. nu.47
Census personalis emptio licita.239.18.240.20. Qualis debeat esse persona super quam constituntur.nu. 21. Hypothecam in ea exigere licitum est, nu. 22
Census mixti emptio licita.nu.23
Census realis irredimibilis emptio licita.241.nu.34. Etiam pecuniarij nu. 36
Census realis perit pereunte re super qua fundatur. Res talis non est hypotheca.nu.33 An possit in tali censu exigi hypotheca.nu.36
Census personalis irredimibilis licitus.241.nu.37
Census temporalis quid.242.40. An licitus.ibidem.
Census vitalitij pretium.nu.41
Census quando emi possit minore pretio, quàm quo fuit initio constitutus.242.45. & seqq.
Census noui irredimibiles non possunt in Belgio constitui 237.105. Res noua an censui subijciatur.218.91
Censum emere cum pacto vt eodem genere monetæ redimatur, an licitum. 214 49. An cum pacto vt non possit redimi nisi ante vel post certum tempus.214.51.53
Censui vtrimque redimibilis an licitus.215.nu. 56
Census redimibilis arbitrio solius emptoris an licitus. 215. num.64
Census super alium censum fundari potest. 217.nu.77
Censui addi soluta pacta, an licita.226.nu.66
Conditiones iure positiuo requisitæ in censibus. 224 nu.75 & seqq. An obligent in conscientia.219 nu. 92. & seqq.
Census pensiones non soluens an teneatur ad lucrum cessans vel damnum emergens.126.nu.85.86
Censui reali subiecta re pereunte, si alia eius loco ædificetur, hæc non erit censui subiecta.229. 92. Si illa culpa censuarij pereat, ipse tenebitur soluere pensiones.nu. 92. Si diuidatur in plures partes, ex singulis partibus tota pensio exigi potest.89.
Censuum iustum pretium quomodo constituendum. 219 nu.102. Si minori fuerit emptus, quid agendum.220.nu. 206. 207
Census soluendi eo loco, vbi est res, super quam sunt constituti.142.nu.57

Certum.

Certum quid dicatur 90 nu. 39

Cessio iuris & bonorum.

Cedere bonis an Clericus teneatur.246.nu.50
Cessio iuris debet esse libera.58.nu.23
Cessio bonorum quatenus excuset à restitut.246.num. 42. Non est introducta nisi pro ijs qui aliàs satisfacere nequeunt.148.72
Cessio simplex non priuat hominem iure, quod ex ei in bonum commune tribuit.255.nu.26

Charitas.

Charitas maxima in proximum quæ.529 74
Charitas adesse debet in martyrio, saltem in fine, nu.35

Chirographum.

Chirographa minoris emere quàm valeant an licitū. 216 65. & 70. Chirographa vsurariorum an emi possint 207.195
Chirographarij creditores 141.nu.35

Chorus.

Chorus non requiritur ad perfectum statum. 442.23

Christus, Christiani.

Christi defensio cur Petro prohibita. 72.50
An passus sit iniuriam à malis, 58.nu.14
Christus quomodo sit vnicus mediator noster.387.34
Christi humanitati an conueniat orare, 385.24

Christus an aliquando iurarit 464. 4.
Christi patientia. 540.43
Christi manſuetudo vbi eluxerit. 593. 19. Humilis fuit in natura humana. 609.57. An fuerit humilis interno iudicio. ibid. Eius propria virtus eſt humilitas. 603. 71.
Chriſtiani bello capti an fiant ſerui & quando. 33. 12.
A Turcis capti, poſſunt eos ſpoliare & fugere. 34. 18.

Cibus.

Cibus quomodo ratione inobediẽtiæ coinquinet hominẽ. 557.80. Debet eſſe ignobilior alitu; & quare. 566 9.
An in obſidione teneamur veſci cibis incommodis 566. 12 an idolothytis. 70. 29.

Circumciſio.

Circumcidentes ſe Æthiopes ex ignorantia an excuſandi. 479. 4.

Ciuitatum bona.

Ciuitatum bona & iura quomodo præſcribãtur. 51. nu. 41.

Clementia.

Clementia quid. 596. 39. Tria ad eam requiſita. ibid. Eius motiua. nu. 40. Vitia ei oppoſita 567. 42.

Clerici, Clericorum bona.

Clericorum bona triplicia. 27 35. Vtrùm habeant dominium. nu. 36. Congrua eorum ſuſtentatio qualis. 27. 40. Peccant mortaliter ſi ſuperflua beneficij expendant in vſus prophanos. 29. 47. Cur eorum bona dicantur eſſe res Dei. 29. 47. An habeant dominium ſacræ ſupellectilis. 30. 51. In graui neceſſitate tenentur ſuperflua ſuſtentationis ſuæ, pauperibus dare, aliàs in pias cauſas erogare. 29 47.
Clerici ſunt veluti patres & tutores pauperum & orphanorum. 29. 47. Acquiſita ex fructibus beneficiorum pertinent ad Eccleſiam. 30. 50.
An bona patrimonialia clerici præſcribi poſſint. 50. 41.
An poſſint occidere in defenſionem bonorum. 75 72.
Clericis quo prohibita ſit venatio. 37. 41. & 103. & 104.
Clerici etiam ante Clement. ob iuſtam ſui defenſionem occidentes non incurrebant irregularitatem 73. nu. 52.
Clericus inops non tenetur bona cedere, nec poteſt ob debita in carcerem conijci. 146. 50.
Clerici quinam gaudeant priuilegio fori. 146. 53.
Clericis ſacris initiatis negotiatio prohibita. 210 n. 4. Quarum rerum venditio illis permiſſa. num. 5. Poſſunt tamẽ per alios negotiari, ſed parum decenter. nu. 6.
Clerici vel Epiſcopi non poſſunt fideiubere in damnum Eccleſiæ, ſed benè in ſuum. 268. nu. 19.
Clerici minorum Ordinum an ad ſtatas aliquas preces teneantur. 389. 46. An ratione tonſuræ. nu. 47.
Clerici quibus de rebus & quomodo teſtari poſſint. 184. numero 41.
Eis vetitus aleæ luſus & lauarum. 363. 5. & 608. 98. Vide *Beneficium*.

Coactio.

Coactus non cedit iure ſuo. 58. nu. 12.
Cogi poſſumus ad multa ad quæ non tenemur ex iuſtitia. 68. 38. & 103 75.
Cogi nullius poteſt ad Religionis ingreſſum. 65. 14.

Codicilli.

Codicilli quomodo differant à teſtamento. 181. nu. 1

Collator.

In quaque diœceſi Epiſcopus eſt proprius Collator omnium beneficiorum, niſi ex fundatione, vel præſcriptione hoc ius alteri competat. 315. nu. 42
Summus Pontifex eſt generalis collator beneficiorum in quauis diœceſi. nu. 44
Tribus modis poteſt Pontifex ea conferre. nu. 45
Dignitates infra Epiſcopatum & Abbatiam, & alia beneficia regulariter conferri debent intra ſex menſes, alioqui deuoluuntur ad Superiorem: Si autem Electores per tres menſes neglexerint eligere ad Epiſcopatum, vel Abbatiam, deuoluitur collatio ad proximum Superiorem, qui cum conſilio Capituli ſui Eccleſiæ prouidebit. numero 46. & 47
Cur ratiõs Pontifex iure præuentionis & concurſus vtatur: & cur aliqua beneficia ſibi reſeruauerit, ſuoque iure interdum in conferendo vtatur. nu. 48.
Epiſcopi exiſtentes in curia Romana non poſſunt vlla conferre, etiamſi vacent in propria diœceſi, ſed neceſſe eſt vt Curiam exeant ad ea conferenda; poſſunt tamen in aliena diœceſi. 325. 39.
Capitulum, ſede Epiſcopali vacante, non poteſt conferre beneficia, quæ ad liberam ipſius Epiſcopi collationem pertinebant nu. 50
Si Epiſcopus conferat beneficium abſenti per litteras aut nuntium, vtrùm poſſit reuocare collationem, & alteri conferre antequam ille acceptauerit. nu. 51.
Non licet beneficium eccleſiaſticum conferre indigni; modo aliqui reperiantur digni quibus conferri poſſit. Dignum faciunt beneficio habente curam animorum ætas conueniens, probitas morum, & ſcientia debita. nu. 53.
Conferri indigno ad maiora mala impedienda quãdo poſſit. num. 55.
Vt collator ſit ſecurus debet poſitiuè ſcire collatarium eſſe dignum. 326. 56. Non omnis conſcio reddens hominẽ indignum beneficio, reddit ipſo facto collationem irritam. num. 57
In quinque euentis licitum eſt prætermiſſis dignioribus beneficia conferre indignis. nu. 58 & ſeqq.
Electores, Præſentatores, & Collatores tenentur curare vt beneficia digniſſimis conferantur. nu. 62.
Ad beneficia habẽtia curam animarum, vel aliam functionem magni momenti in Eccleſia, eligere, poſtulare, aut præſentare dignum omiſſo digniore, eſt peccatum mortale. Idem dicendum de conferente qui liberè confert. 327. 64.
In ceteris beneficijs non videtur peccatum mortale, ſemel vel bis prætermittere dignorem. Videtur tamen eſſe mortale, ſi quis id paſſim faciat, aut ſi raro curet vt digniores præferantur. nu. 66
Collatio beneficij facta excommunicato, aut ſuſpenſo, aut interdicto, eſt nulla; & etiam electio, præſentatio & poſtulatio excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti, & aſſignatio in eius fauorem eſt irrita. 333. 116.
an electio & Collatio beneficij facta ei, qui ignorat ſe excõmunicatum ignorantia probabili, ſit irrita. 333. 117.
exiſtens in excommunicatione an valide accepiat beneficium. nu. 118
an ſit inualida acceptatio eius, qui in excommunicatione eſt electus aut præſentatus, & poſtea ſit capax per abſolutionem, priuſquam acceptet electionem vel præſentationem. nu. 119
Irregulari facta Collatio eſt nulla. 334. 120.
Hæretici, credentes, receptatores, defenſores & fautores, ipſorumque filij & nepotes per lineam maſculam ſunt inhabiles ad omne beneficium eccleſiaſticum, & officium publicum. Item qui ad preces talium eccleſiaſticum beneficium ſcienter obtinuerunt. 336 125.
ad Collationem beneficij iure naturæ requiritur morum probitas. 336. nu. 125.
Collatio tamen facta criminoſo, non eſt ipſo iure irrita; niſi crimen annexam habeat cenſuram, vel irregularitatem. num 126.
Collatio beneficiorum & officiorum, quibus deeſt ſolemnitas, an ſit valida in conſcientia. 134. 32. & 35.
in Cõferendis Eccleſijs parochialibus quæ formula ſeruanda. 329 78. & ſeqq.
ſi quis eſſet priuatus beneficio per ſententiam ſecundum allegata & probata latam, & illud tibi à legitimo Collatore collatum eſſet; probabile eſt te non teneri ad reſtitutionem, etiamſi ſcires ſententiam falſis probationibus niti. 290. 27

Colonus.

Quomodo præſcribat agrum alterius. 50. 36

Columba, Columbaria.

Columbaria permiſſa ſunt. 35. 29. an Columbas liceat aliũ attrahere. 36. 28
Columbæ alienæ quomodo fiant tuæ. 36. 30

Commeſſatio.

Commeſſatio quid. 564. nu. 1.

Commiſſoria lex.

Commiſſoria lex in venditione quid ſit. 233. nu. 124.
Commiſſoria lex in pignoribus eſt prohibita. 201. 133.
An licita in cenſibus. 234. nu. 64.

Commodatum.

Commodatum reſtituendum eo loco, quo acceptum, impenſis commodatarij. 142. 34
Commodatum quid ſit. 267. 4. differt à mutuo & precario. ibid.

ibid. an poſſit repetiante tempus. 268. 17
Commodatarius an poſſit rem ſuam præferre alienæ, quando vtramque nequit ſeruare. nu. 32
Commodatarius quando teneatur ex culpa leui. 62. 37
Communio rerum.
Communio rerum in ſtatu innocentiæ non fuit præcepta. 32. 3. Vbi ſit ea expediens 33. 9
quam ſit vtilis in monalterijs. ibid.
Communio rerum vbi ſit commoda. 33. 9
Commutatio.
Commutare vota qui poſſint. 433. 101. quomodo poſſint Commutare. 424. 104. Cauſa Commutationis qualis eſſe debeat. Facta Commutatione poteſt redire ad priùs votum. 426. 111
Commutare quiſque poteſt vota in melius. 423. 101
Regulares qui poſſunt vota commutare, an etiam poſſint iurata de eadem materia. 475. 59
voto Commutato teneris ex voto ad id in quod eſt commutatum. 475. 57
Compenſatio.
Compenſatio in reſtitutione famæ licita. 104. n. 131. etiam cum damno pecuniario. 105. 136
Compenſatio occulta an fieri poſſit in depoſito vel cõmodato. 268. 16. Compenſatio in reſtitutione an licita. 150. 85. & 320. 75. Compenſatio an in promiſſis locum habeat. 272. 75
Compoſitio.
Compoſitio de incertis an fieri poſſit cum Pontifice. 134. 36. & 134. 40. & 149. 81
Compulſio.
Compelli ad Religionem nemo poteſt. 442. 38
Concilium.
Concilium Prouinciale an poſſit tollere ieiunia Iuris communis. 555. 66
Concilij etiam generalis decreta, vbi decennio non fuerue cepta, non obligant. 136. 98. Conciliorum definitio ad quæ ſe extendat. 206. 492
Concio.
Iocus in Concionibus ſacris graue peccatum. 608. 96
Concupiſcentia.
Concupiſcentia eſt vitium puerile. 545. 08. 15
Conditio.
Conditio generalis obiecti non tribuit actui ſpecialem malitiam, niſi expreſsè volita. 57. nu. 2
Conditio poteſtatiua quæ dicatur. 206 3. & 223. 129
Conditio addita donationi vel contractui, ſi ſit de præterito aut de præſenti, aut neceſſariò futuro, non ſuſpendit ea. 178. 117. ſi de futuro incerto, ſuſpendit. nu. 118
ius tamen tribuitur donatario ne reuocetur ac grauetur donatio. n. 118. non impleta Conditione fiunt planè irrita. nu. 119. Cõditio impoſſibilis reddit irrita. nu. 121 excipe matrimonium quoad forum externum. n. 122. & vltimã voluntatem. 179. 123
Conditio turpis de futuro reddit contractum irritum, non tamen de præterito. 178. 121
Conditio, *Si ſupplerit*, an debeat haberi pro non adiecta. 199. nu. 123
Conditio duobus modis dicitur impoſſibilis. nu. 126
Conditio turpis an votum impediat. 412. nu. 37
Condonatio.
Læſus an Condonare poſſit lædenti omnem reſtitutionem. 86. nu. 158
Condonare famæ reſtitutionem qui poſſint, num. 104. 128. 127. Condonatio generalis damnorum & iniuriarum ad quæ ſe extendat. 106. 146
puella an poſſit Condonare quod pacta erat vt pateretur ſe violari. 88. 19. Condonans vni reſtitutionem an cenſeatur etiam alijs condonare. 128. nu. 57
Conductio.
Conductio quid ſit. 247. n. 2. Conductor impeditus ab vſu rei an teneatur ad penſionem. 248. 7
Conductor rei fructiferæ ob ſterilitatem nihil ex ea percipiens an teneatur ſoluere penſionem. 249. 12
eadem eſt ratio quando fructus collecti caſu pereunt. 249. n. 18. ex qua culpa teneatur de damno 249. nu 19
Conductor quando poſſit ex re conducta expelli. 249. nu. 3
quid ſi pactus ſit ne expellatur. 252. 37. an tunc teneatur ad integram penſionem. nu. 38
Confeſſio. Confeſſarius.
Confeſſarius quomodo ſe geret erga furem. 110. 50. Si malè conſultat ex ignorantia, ad quid teneatur. 61. 33
Confeſſarij non cogentes pœnitentes ad reſtitutionem, an teneantur de damno, ſi ex officio curam animarum habeant. 136 77. ſecùs de alijs n. 78. quomodo ſe geret circa excedentes in ornatu. 611. 114
qui non Confeſſus eſt, aut non communicauit in paſchate, poſtea tenetur. 554. 59
Confeſſio ſimulata, filia ſuperbiæ. 598. 76
in Confeſſione an poſſis aperire circumſtantiã complicis. 98. num. 70
Quomodo confiteberis peccati interruptiones. 108. nu 20.
ſi Confeſſarius non reſtituat quod ei deditti vt reſtitueret, an tenearis. 148. nu. 61
ex Confeſſione ſacramentali non poteſt formari inquiſitio aut tortura. 294. nu. 60
Confiſcatio.
Confiſcatio priuat dominio & proprietate, nõ poſſeſſione & vſu. 282. 64. Eam impediens ad quid teneatur. 223. nu. 134.
Coniugium.
Coniugum altero Religionem ingrediente, alter debet etiã ingredi, aut ſaltem vouere caſtitatem. 439. 25. 440. 26. quibus caſibus alter ſine alterius conſenſu ingredi poſſit 440 29
Coniux hæretici an poſſit Religionem intrare, nu. 29
Coniuges pari conſenſu vouentes continentiam an mutua vota irritent. 441. 85
Coniux in abſentia coniugis an poſſit ſe delectare imaginatione copulæ. 589. 131
Conſecratio virginum.
In Conſecratione virginum preces vim habent ſolùm per modum deprecationis. 563. 118
Conſecrari poteſt per vim corrupta. 289. 115
non autem ſi voluntariè nu. 117. quid ſi id notum tantum ex confeſſione, nu. 118
Conſentiens.
Conſentiens in læſionem ſuam, ſuo iure cedit, eique non fit iniuria. 58. nu. 11. 12
Coactus non cedit iure ſuo, nu. 12
Conſentiens quando cenſeatur cauſa damni. 125. nu. 12. 13
Conſenſus in opus malum debet eſſe ex plena deliberatione. 276. 10. & 588. 116
Conſideratio.
omnia peccata ex defectu Conſiderationis oriuntur. 544. 7
Conſideratio imperfecta reſpectu voti quæ dicatur. 405 num. 4
Conſilium.
Conſilium præbens in re quam ignorat. 61. 33
Conſilium ſi adhibeatur vbi ius requirit, actus eſt nullus. 448. 61
Conſilium ad leuitatem vitandam in vouendo. 413. 45
Conſtantia.
Conſtantia quid ſit. 542. 48. Vitij oppoſita, nu. 49
Conſtitutio.
Cõſtitutio Gregorij XIII. de votis Societatis Ieſu. 436. 8
Conſuetudo.
Conſuetudo contra legem quanto tempore præſcribat. 53. 45. quomodo tollat vim legis, nu. 45. & 46
Conſuetudo quomodo inducatur. 553. 50
quid ſi orta ex ſcandalo ibidem.
Conſuetudo paucorum annorũ moderatur ieiuniũ. 547. 8.
Conſuetudo peccandi. 598 76
Conſulens.
Conſulens damnum ad quid teneatur. 90. 41. 124. 14. quid ſi reuocent. nu. 15.
Conſulere minus malum an liceat. 124. 19.
Conſulens diuinos an ſit excommunicatus. 483. 29.
Contemptus.
Contemptus explicitus legis tribuit ſpecialem malitiam peccato. 57. nu. 2
Contemptus præcepti & præcipientis. 45. 513.
Contemni res aliqua variis modis poteſt. 516. nu. 16.
ex Contemptu peccare quid. 454. 74.
Continentia.
Continẽtia quid. 591. 4. an diſtinguatur à tẽperãtia. nu. 4.
Continentia ſecundùm quid. nu. 6.
an Continentia ſit virtus. nu. 2. incitamenta Continentiæ,

Exemplum Christi: pœna voluptatis: locus: tempus: cõdicio voluptatum: mala comitantia. 592. 9

Continuatio.

Cõtinuatio formalis peccati requirit actualem libertatem. 209. 19. Tripliciter interrumpitur. nu. 21. Quomodo cõfitendæ hæ interruptiones, nu. 24

Contradictoria.

Contradictoria possunt implicitè & inefficaciter intendi. 471. nu. 39

Contractus.

Quando interceßit Contractus commodati, conducti, &c. quibus casibus quis teneatur ad restitutionem ob damnũ. 62. 36. & seqq. Vtrùm hæ leges obligent in conscientia. 73. 43. 44

Contractus quid sit. 143. 1. 2. Generatim comprehendit donationem & promißionem. num. 4. Et sic non differt à pacto. numer. 5. Dupliciter dicitur perfectus numer. 6. Quatuor modis perficitur, re, scriptura, verbis, consensu. nu. 78

Contractus diuiſio. 151. 12. Innominati quatuor sunt species. nu. 13. Innominatus parit obligationem naturalem, non ciuilem nu. 14

Contractus bonæ fidei quid sit. 151. 15. Quid stricti iuris, ibid. Quid nudus quid vestitus. nu. 17. Vestitus sex modis. nu. 18. Non est differentia inter hos in foro conscientiæ. nu. 19. In foro ciuili pactum nudum non obligat. nu. 21. Ius positiuum potest pacta alias valida reddere irrita vel irritabilia, nu. 20

Contractus nudi pariunt quatuor effectus. nu. 23. Quidam etiam dant actionem in foro externo. nu. 24

Contractus quinque modis dissolui potest. 223. nume. 122. Ad quem fructus medij temporis pertineant. num. 104. num. 123

Contractus focietatis quid sit 283. nu. 1

Contractus illicitus non semper irritus. 345. 38

Contractus seu pactum nudum iuramento confirmatum parit actionem in vtroque foro. 152. nu. 25
An idem dicendum pollicitatione iuramento firmata. ibidem.

Contractum dolus vel error tripliciter afficit. 352. num. 27. Error circa substantiam eum irritat. ibid. Circa accidens non. nu. 28. Si tamen sit causa contractus, & alter contrahentium sit eius causa vel particeps, à decepto irritari potest. nume. 29. Deceptor tenetur ad restitutionem rei & fructuum. nu. 30. si emptor deceptus sit vltra dimidium pretij, non est irritus contractus, sed ad æqualitatem reuocandus. nu. 28

Contractus quibus dolus circa accidens causam dedit, non sunt iure positiuo irriti, sed irritabiles. 353. num. 31. Deceptus si velit potest alterum cogere vt stet contractui. ibid. Si alter non fuit particeps doli, sunt omnino validi. 354. 33. An deceptus possit eum irritare. ibid.

Contractus ob metum grauem initus non est omnino irritus. 155. 36. Aliqui casus excipiuntur. numer. 37. Vide *Metus*.

Contractum iuramento validari, & iuramentum super eo factum esse validum non sunt idem. 157. nume. 50. Vide *Iuramentum*.

Contractus minoris an firmetur iuramento. 160. 56. An pupilli. nu. 56. An prodigi. ibid.

Contractus vel actus contra iuramentum factus est validus, si alias valuisset. 160. nu. 57

Contractus mercatorum huius temporis cui lege an iuſti. 58 243. nu. 58

Contrahere validè quinam possint. 60. 161. nu. 60

Contrahens cum minore tenetur ei rem magni pretij restituere, si repetat antè sententiam. nu. 61
Non tamen non recepto pretio soluto ibidem.

Contractus inter coniuges validi, donatione autem inualidæ. 175. 86. Confirmantur morte donantis vel iuramento. nu. 87. 88. Excipiuntur aliquot casus. nu. 89

Contractũ minùs solemnem esse validum in foro conscientiæ donec per sententiam infirmetur, probabile. 184. nu 32. Contrarium verius. 184. 35. 36

Contractui naturalem obligationem inducenti potest fide iussor accedere. nu. 35. Alijs non. ibid.

Contractum iniquum bonæ fidei iniens, qui aliàs iustum æquè lucrosum inijcit, an possit lucrum retinere. 198. nu. 104. 105. & 233. nu. 61. Titulus iustus tripliciter in contractu potest intendi. nu. 206

Contractus cui deest aliqua solemnitas an valeat. 184. num. 31

Contractus ex alterius ratihabitione pendens non est perfectus, donec in illum consenserit. 269. nu. 3

Contractuum dissolutio & condonationes debent esse liberæ. 427. nu. 119

Contractus multi in quibus non est vltrò citroq; obligatio. 461. nu. 107
quid si Contractus sit tantùm in tuam vtilitatem. 62. 40

Contractus inciti in Lusitania, quibus apponitur iuramentum absque venia regis. 474. 55

Contritio.

Contritio ad martyrium indirectè requiritur. 529. 42. Non autem directe. nu. 45

Contumelia.

Contumelia quid. 93. nu. 7

Cooperans.

Cooperari an dicatur qui facit id quod ex se est indifferens. 82. 88. 122

Cooperans quinis damno alieno an teneatur ad restitutionem. 122. 123. nu. 2 4. 8. Quid si metu cogatur. 125. nu. 29. 30. An possint occidi. ibid.

Cooperatio necessaria vt sit causa damni. 123. 11. 12. & 125. nu. 24. & 29

Cooperantes consilio, iussione, cõsensu, laudando; recipiendo, tenentur in solidum de damno. 124. 32. Quo ordine. 126. 39. 41. & 127. 48. & seqq.

Cooperans peccato & veheus dominam ad locum adulterij quomodo peccent. 23

vsurario Cooperantes, qui teneantur ad restitutionẽ. 208. num. 178

Correctio legis.

Correctio legis propriè sit per gnomen. 522

Corruptor.

Corruptor virginis ad quid teneatur. 87. nu. 1. 5. 4. 9. 10. 12. Quid si matrimonium promiserit. 88. 20. 23. 26. An possit religionem quàm antè vouerat ingredi. 89. nu. 32

Creditor.

Creditor quando dicatur fidem emptoris sequi. 138. num. 9

Creditoribus quo ordine satisfaciendum. 137. 1. & 138. 7. & 140. 21. Cuius res in specie adhuc exstat, probabile ei primò ex ea satisfaciendum. 138. n. 11. Hypothecam habentibus ante alios soluendum. 139. nu. 22. Inter eos qui non habent hypothecas quo ordine soluẽdum. 182. 34. An prius potenti liceat prius soluere. 141. 38. 39
An pauperi prius liceat satisfacere cum damno ditioris. 141. nu. 46

Creditores personales an præferendi. 140. nu. 34

Creditorem impediens ne soluat an possit occidi. 76. n. 75.

Creditoribus occiſi an aliquid restituendum. 85. nu. 151

Creditoribus quo loco, quibusve impensis satisfaciendum. 141. 48. 51. 52.

Crimen.

Crimen occultum patefacere seruato ordine iuris an sit detractio. 93. 9. & 118. nu. 124

actio contra Crimen quanto tẽpore præscribatur. 50. n. 36

Crimen falsum sibi imponere ad vitanda tormẽta an liceat. 109. 35. 39. 41. An vestimentum morte eripias. nume. 40.
An verum ob alias causas fatendum. 36. An alteri imponere. 96. nu. 46

Crimen alterius occultum rebelare ad vitanda tormenta an liceat. 96. 51. 53. An ad vitandum damnum tertij. 97. 57. 60. An ad tuendam famam. 104. 131

Crimen occultum alterius vni vel duobus rebelare quale peccatum. 98. 68. 70

Crimen alibi publicum, vbi secretum est reuelare quale peccatum. 93. 33. 78. An reuelans teneatur ortum damnum restituere. 99. 81

Crimen tripliciter dicitur publicum. 98. 73

Crimen olim publicum reuelare quale peccatum. 99. n. 84.

Quod crimen dicatur publicum, quod priuatum. 297. 50. Tribus modis crimen per publicam scientiam constare potest, nu. 13

ob Crimen an possit quis compelli ad professionem. 442. num. 42

Crimen patris eximit filium patriâ potestate. 357. 83

Crimina magiæ coniuncta. 496.25
Criminoſi an poſſint teſtari.222.nu.39

Culpa.

Culpa,alia ex contractu, alia ex officio, alia extra vtrumque.60.22. Alia Theologica, alia Iuridica, ibidem. Diuiditur in latam, latiorem, latiſſimam, leuem, leuiſſimã, ibid. Earum definitiones.nu.24.Iata requiritur ad neceſſariam reſtitutionem.n. 24. & vt ſit peccatum mort.60. 27.In damno graui cenſetur pecc.mort.ibidem.
Culpa vnde iudicetur grauis.61.nu.32
Culpa leuiſſima ſæpè punitur in foro externo.61.nu.30
Culpa leuis non eſt peccatum.60.24
Culpa venialis non eſt perfecta iniuria.60.27
an quis aliquando teneatur ex Culpa leuiſſima. 61. nu32 & 130.nu.78
Culpa lata vel leuis reſpectu eorum qui tenentur ex officio quænam dicatur, & quænam ad reſtitutionem obliget. 61. 31. Qualis requiratur in contractibus ad reſtitutionem.62.nu.40
Culpam venialem an deleat per ſe martyrium.532. 55

Cultus.

Cultus religionis quomodo differat ab honore.375.nu.5 quomodo feratur in Deum 376.nu.10
non eſt diuerſus ratione diuerſorum beneficiorum aut attributorum Dei.379.45.46. Non deberetur Deo,ſi nihil ab eo acceperimus.nu.25
Cultus Sanctorum an ſit actus religionis.378.16. & 379 nu.24.Eſt duplex.378.18.& 379.22
Cultus imaginum qualis.379 19
Cultus diuinus etiam non præceptus eſt licitus.481.19
Solutio Scripturarum quæ obijciuntur.nu.20
Nomina cultũ ſignificatia cõia Deo & creaturis.394.nu.2
Cultus Dei quid. 414.52
Deo cur debeatur Cultus.375.nu.2
Cultus falſus quale peccatum.479.4

Curioſus, Curioſitas.

Curioſè audiens detractorem quantum peccet.64.num.20
Curioſa petere à dæmone hominem poſſidente quale peccatum.457.nu.71
Curioſitas in quo conſiſtat.605.79.80.& 606.81 quale peccatum 606.83
Curioſitas ſenſuum.nu.81

Cuſtos vineæ.

Cuſtodes vinearum,ſiluarum,portuum, &c. non tenentur ſoluere mulctam conſtitutam ijs qui venantur,furantur, merces efferunt,&c.129.nu.37

Damnum, damnare.

DAmnum illatum debet compenſari, non reſtitui. 39. 15.tripliciter alteri mea culpa obuenire poteſt. nu 22 vt tenear reſarcire requiritur culpa lata nu.24. An damnum omne ex iniuria ſequens obliget ad reſtitutionem. 66. 19. An damnum ex infamia vera ortum reſtituendum.101.104
Damni intentio cum ſufficientis diligentiæ adhibitione cõ ſiſtere poteſt.60.29.Non obligat ad reſtitutionem. ibid.
In damno graui,culpa ordinarie mortalis cenſetur.60.27
Damnum datum per ignorantiam concomitantem an debeat reſarciri 65. 46
Damnum ex iniuria ſequens per actionem non iniuriosam non obligat ad reſtitutionem.60.19
Damnatus ad mortem an ſe poſſit occidere. 70.26. poteſt ſe ſiſtere Iudici & non fugere ex carcere. 70.28.item abſtinere cibo,elanculum oblato nu.29
Damnum prouenies tertio ex tuo maleficio an tibi imputetur.80.110.& ſeqq.
Damnum illatum per ruſtm mancipium vel iumentum an tibi imputetur,82.nu.115. 117. An tenearis tale animal vel mancipium tradere noxæ.nu. 118
Damnum reſarcire ex bonis diuerſi generis nemo tenetur. 85.142
Damnum ex infamia ſequens an integrè reſarciendũ. 101. nu 101.& ſeqq.
Damnificatio non omnis eſt furtum. 106.6
Damni cauſam dans impediendo bonum ad quid teneatur 119. 124
Damnum ab alio inchoatum complere ad quid teneatur. 31 nu.53.
Damnũ inferens rei creſcenti ad quid teneatur.121.n.134
Damno alio cooperans an ſemper teneatur ad reſtitutior ẽ 122.2. Debet moraliter eſſe certus quod damno cauſam dederit.125.nu.38
Damno alieno cooperantes quo ordine teneantur ad reſtitutionem.126.39.41.& 127.48
Damnum nõ impedientis ad quid teneatur.128.62. & ſeqq.
Damni cauſa quomodo quis negatiuè cenſeatur.128.n.62
Damna impedire qui ex officio teneantur. 129. 69
Damnum emergens quid ſit.194.68.Poteſt mutuator eius ratione aliquid exigere.nu.66
Damnum ante teneatur ſarcire fictè iurans.470.36

Debitum, Debitor.

Debita quomodo præſcribantur.46. 19
Debitori vim inferre an liceat.112.nu.64
Debita incerta quæ dicantur.133.31.& 137.2. Vide *Bina incerta.*
Varijs modis dicuntur incerta.137. 2. cui reſtituenda, ibid & nu.3. Quæ in ſpecie reſtituenda ante certa debita.nu.3. Alias certa prius ſunt reſtituenda.nu.4
Debita certa quo ordine ſoluenda.139 7.& 140.21
Debita ex delicto non ſunt præponenda debitis ex contractu,nec contra.139 nu.16
Debitum prius petenti an liceat prius ſoluere.141.38.39
Debitum ex delicto ſoluendum impenſis damnificatoris. 232.37.Secus de alio.nu.52
Debitum ex contractu vbi reſtituendum & cuius impenſis n.53.54.55.Solutio fit loco venditionis 141.nu. 56
Debita minoris emere quàm valeant an licitũ. 216.n.67.70
Debitum alteri vendere,quod ſcis debitorem nõ poſſe ſoluere,an ſit contra iuſtitiam.217.79 & 217 nu.82.
Debitor ex diuerſis cauſis poteſt prius ſatisfacere pro debito quod voluerit.146.Secus ſi votum ex alio naſcatur.numero 87
debitor vnde proueniat.380.25. Eſt duplex,culpæ,& pœnæ.384.nu.18

Debitum coniugale.

Debitum coniugale quando in loco ſacro reddi poſſit.781. num.85

Dæmon.

Dæmonis amicitiam expetere, aut benevolentiam illi oſtendere illicitum.477.nu.71
Quænam à dæmone hominẽ poſſidente petere liceat.ibid.
dæmones quænam futura poſſit prædicere 482. 23. omne commercium cũm ijs ſacrilegium eſt n.27.artem ab ijs traditam an liceat diſcere.495.36
dæmon reb.ſacris operationes ſuas ſæpè immiſcet.491. 13 quomodo aliquorum corpora transformet.494.18
Poteſt multa facere iuuatus à magis, quæ per ſe non poteſt.498.42
dæmon imitatur modos reuelationis diuinæ.487.26 Poteſt ſomnia immittere.488. 54. Occupat Anabaptiſtas ſumpta cœna.489.62
dæmon tranſtulit oliuetum Vetij Marcelli 493. 14. poteſt irrogare & curare morbos.405. 19.26
theſauros eruere.ibid.inuiſibilem reddere.nu.21 incitare ad amorem,odium,&c.num 23
circa animas ſeparatas nihil poteſt. ibid.
à dæmone expectari poteſt effectus priuatiuus.498.40

Deceptio.

Deceptio pertrahens aliquem ad peccatum eſt contra iuſtitiam.645.Continet duplicem malitiam.nu.4
Deceptio in emẽdo vel vendẽdo circa dimidium iuſti pretij non datur actio in foro externo.212.n.20.attertamen tenetur ſupplere vel reddere pretium in cõſcientia.n.21
Voluntarie deceptus an quid prætendere poſſit. 64. 5
Decepens an teneatur ſtare contractu.153.nu.25

Decimæ.

Decimæ impedientes an teneatur reſtituere aliquid Eccleſiæ.36.38.Hoſpitalarijs datæ à Rege adiudicantur Epiſcopo.44.nu.17
Decimæ an poſſint vſucapi ſine titulo.48.43.& 55.nu.48. An poſſim præſcribi à laico.55.nu.48
Decimæ non ſunt eleemoſynæ.399.2
Decimæ ſacerdotibus à Chriſtiano populo debẽtur.399.3 Quo iure 39 45.& 399.4.6
Decimarum perſolutio cuius virtutis ſit actus.500.9
Vtrum Eccleſia poſſit hanc quantam conſtituere.nu.20
Ex quibus rebus ſoluendæ ſint decimæ. nu.22

An Eccleſia habeat dominium decimarum ante ſeparationem earum.401.14.15
Quomodo ſoluendæ ſint decimæ.401.16
Quibus ſoluendæ.nu.17
Decimarum ius eſt ſpirituale.402.18
An laicis poſſit competere.nu.19.& 42.6
Decimas ſoluere quinam teneantur.402.22
Quãto tẽpore immunitas ab ijs poſſit præſcribi.403.26
Decimarum præſcriptio.51.nu. 41
Decimæ an in feudum poſſint concedi.402.19. Laicus poteſt eas in pium locum transferre cum conſenſu Epiſcopi.nu.20. Non autem in laicum.nu.21
Pontifex poteſt populũ à ſoluendis decimis eximere. 403 25. Perſonales à quibus ſoluendæ.403.27. Epiſcopi & Clerici eas debent Pontifici.nu.28. Triplici nomine poteſt eas exigere.ibid.

Decretum.

Decreta Concilij etiam generalis, vbi per decennium non ſunt recepta, illa non obligant.236.nu.98

Defectus.

Defectus mercium an debeas aperire.218.82
Defectus alicuius naturales, vel naturalium alicui narrare quale peccatum.93.nu.14.13
Quale ſit obijcere eoſdem.ibid. Quando poſſis eos detegere.119.nu.124

Defenſio.

Defenſio ſui contra quemuis conceſſa.72.41. Etiam monachis.ibid. Quæ ſit inculpata.nu.43. Vide *Occiſio.* Licet in ea mortem inuaſoris intendere.73.53
Defenſio Chriſti quare Petro prohibita.53.50
Defenſio innocentis cum periculo inuaſoris licita, & ſi ille vellet, occidi poteſt.77. Non tamen ad eam tenetur ſi priuatus ſum 78.92. Nec quiſquam cum periculo vitæ ſuæ.nu.92
Defendere bona proximi ex charitate quibus tenetur, ſi cõmode poſſit.78.93. Non tamen omnes ex iuſtitia. ibidẽ. Qui teneantur ex iuſtitia 94

Delectatio.

Delectationes aliæ ſunt ſpirituales, aliæ corporales. 543.3
Delectationes guſtus & tactus hominũ & brutis communes.544.4
Delectationes moroſæ in virgine, & corrupta ſunt eiuſdem ſpeciei.87.nu.8
Delectatio ex ipſa imaginatione. Delectatio ex re imaginata: diſcrimen harum. 587.107
Delectatio ex re imaginaria excitæ ad pollutionem. numero 109. 110
Vtrum conſentiens in delectationem conſentiat in opus. 58.111
Requiritur affectus in opus, ſeu ſimplex operis complacentia.nu.112
Delectationis venereæ & eius carnium diſcrimen.nu. 113. Si opus ſolo iure poſitiuo vetitum.nu.114
Qualis debeat eſſe conſenſus 588.116
Si cauſa ſubſit inſiſtendi operi ex quo oritur delectatio.numero.118
Quale peccatum ſit reſpectu cuiuſque talis delectatio.589.119
Peccatum operis & delectationis eiuſdem ſunt ſpeciei.numero.122

Deliberatio.

Deliberatio plena ad conſenſum requiritur.586.116

Delictum.

Delicto filij non tenetur pater.81.nu.121

Depoſitum.

Depoſitarius ſtrictiùs obligatur rem alienam cuſtodire, quam ſuã.115.nu.94.95
Depoſitum debet reſtitui impenſis deponentis, niſi depoſitarij culpa remotius ablatum ſit.142.54.35
Deponens pecunias apud vſurarium non tenetur ad reſtitutionem, niſi vſuras ſuadeat.205.nu.184
Depoſitum quid ſit.267.nu.1
Depoſitarius an poſſit depoſito vti. nu.5. Ex qua culpa teneatur.268.nu.9
Quando poſſit depoſitori repetenti non reddere depoſitũ nu.14
An poſſit rem ſuam præferre depoſitæ, ſi vtramq; nequeat ſaluare.269.nu.22

Derelicta.

Derelicta quæ dicantur.41.nu.67

Deſiderare.

Poteſt res per ſe illicita deſiderari vt fiat inculpatè.516.numero 106

Detentio, Detentor.

Detentor iniquus rei alienæ continuò peccat.107.num.11
Non tamen nouo peccato.nu.15 20. 24
Non excommunicatur ſi impoſſibilis reſtitutio.108. 21
Detentio iniqua rei alienæ quando interrumpatur, ibid.
Detentor iniquus qua æſtimatione debeat rem alienam reſtituere.116.100.108
An ex ea poſſit fructus percipere.117.120.

Detractio.

Detractio quid ſit.106.6. Quid differat à calumnia. nu.7
Minus eſt peccatum.ibid ſit octo modis.nu.8
Quale ſit peccatum. nu.20.22. Quæ materia ſit grauis. nu.23.24
Detractionem audiens quomodo peccet.107. 19.20
Non reſiſtens ei.num.22. Audita referens quomodo peccet.308.nu.24 & ſeqq.
Detractoris hæredes ad quid teneantur.102.112.113
defunctis fama reſtituenda.nu.114
Detractorem non impediens ad quid teneatur. 103. numero 119.122
Quando Superior teneatur eum cogere ad reſtitutionẽ famæ.nu.122.123

Deuotio.

Deuotio quid ſit & quotuplex.381.nu.1.2
Vnde naſcatur.nu.3

Deus.

Deus poteſt pro arbitrio etiam innocentes occidere.31.numero 58
An ex iuſtitia poſſit homini obligari 172.57
Deus ob diuerſa beneficia non eſt diuerſo cultu colendus. 380.25. Si tamen nulla in re ab eo dependeremus, nõ teneremur eum colere.ibid.
Mouetur noſtris orationibus 382.nu. 4
Dei patientia.540.42. Quomodo ea nobis ſit exemplo.numero 43

Dies.

Dies aliqui an infortunati.493.65

Dignitas.

Dignitatis damnum an reſtituendum.105.143
Dignitates non facilè acceptandæ.512.33
Declinando eas non facit quis contra voluntatem rationabilem Superiorꝝ, niſi materialiter.512.34
Dignitatem vel Perſonatum habens ſacerdos excommunicatur, ſi ius ciuile vel medicinam audiat.606.nu.83

Dij.

Dij gentium quare dæmonia dicti.481.15

Dilectio Dei.

An dilectio Dei ſuper omnia requiratur ad martyrium 529.31.35
Velle ponere vitam pro Chriſto non eſt amor Dei ſuper omnia.nu.33

Diligentia.

Diligentiam indebitam omittens, etiam damnum inferendo, non teneatur ad reſtitutionem.60.25
Diligentia in damno alieno cauendo extra officium qualis requiratur.ibid.nu.24.& ſeqq.
Qualis in officio.61.31.32. Qualis in contractu.numero.35. 37. Vtrùm leges de hac diligentia ſeruanda obligent in conſcientia.62.43. Diligentia an periculum excludat, 80.nu.103

Dioceſis.

Dioceſim quomodo ſortiantur vagi.428.121

Diſpenſatio.

Diſpenſandi modus.425.112.113.
Diſpenſare in votis quid ſit.ibid.
Qui poſſint diſpenſare, ibid.
Poteſtas diſpenſandi iure ordinario competit ſolis Prælatis, nu.114. Cauſa iuſta neceſſaria, nu.115
Quænam illa ſit.427.120
An ſit tutus in conſcientia cum quo fine cauſa diſpẽſatur. 340.151.
In quibus votis Epiſcopi poſſint diſpenſare, 428.121.123.
An in voto caſtitatis.428.125

An in votis conditionalibus.430.131.
Prælati regulares in quibus possint dispensare. num.133
An in votis Nouitiorum. ibid.
Abbatissæ quid in votis possint.430.133
Mendicantes in quibus dispensent.nu.134.
In quibus Parochi.430.135
Summus Pontifex potest dispensare in voto solemni continentiæ.431.139
Item in matrimonio rato non consummato.433.145
Disputare.
Disputare contra vsum Ecclesiæ insanum.386.30
Distractio.
Distractio in oratione quale peccatum.391.62
Distributio.
Distributiones an possit canonicus absens retinere.146.41 & 341.nu.14
Diues.
Diues an propter diuitias honorandus.300.10
Diuinatio.
Diuinatio quid sit.482.23. Est rerum futurarum.nume.22.
Dupliciter fit.482.24
Diuinationis variæ species.nu.24.25.& 483.30
Quale peccatum sit singulæ.483.27.& 481.35
Diuinationes exercentes an sint excommunicati,483.29
Diuinatio ex diuersis signis concepta quænam sit licita.486.44.Explicantur Scripturæ pro vana diuinatione allatæ.487.48
Diuinatio ex somnijs an sit licita.487.50
Diuinans ex actionibus quæ fortuitò eueniunt an peccet mortaliter.483.31
An diuinationem per somnia quærens.488.54
Diuisio.
Diuisio rerum an licita sit & vtilis.32.1
Quo iure facta.33.7
Diuortium.
Diuortio facto per sententiam,tenetur nocens redire, si innocens velit.462.111
Dolus.
Dolus quid sit.8.25.& 60.23. Ignorãtia ab eo excusat. ibi.
Quando ipsi culpa æquiparentur ibid.
Dolus potest tripliciter afficere cõtractum; vt sit circa substantiam contractus,vel circa accidens;vt sit causa eius, vel tantùm occasio; vt contrahens eius sit particeps,vel non.152.27.& 252.nu.28.Vide *Error.*
Dominium,Dominus.
Dominium in genere.19.1.Eiusdem diuisio.nu.2
Dominium proprietatisduplex.num.4.Quid directum sit, quid vtile.ibid.
Dominium perfectum dictum olim mancipium.21.6
Eius definitio.17.7
Eius vsus aliquando lege impeditur.17.9
Ad eius acquisitionem quæ requirantur.nu.12
Exceptiones ab hac regula.18.16
Dominium quibus competat.23.nu.1
Quale Dei dominium num.2. Quale Angelorum.nu.3.
Quale hominum.nu.4.Quale infantium.23.nu.6
Quibus in rebus competat filijs familias.23.7.8
An seruis competat.24.15.16
An competat Religiosis.27.35.& 25.nu.18
An Clericis competat.25.36
An omnia homine inferiora cadant sub eius dominium. 31.nu.52
An homo cadat sub dominium alterius.31.nu.54
Tantum est in eas res,quas nostra industria possumus acquirere.31.57
Vita fundamentum dominij.ibid.
Dominiorum & rerum diuisio quomodo sit facta.32.1
An sit licita.nu.2. Vtilis fuit hominibus.32.nu. 3.
An potuisset in statu innocentiæ.32.3
Quo iure facta sit.32.7
Quomodo dicitur facta Iure Imperatorum.33.10
Dominia rerum quot modis transferantur.42.nu.1
Dominium in homines seu mancipia. quatuor modis acquiritur.33.49
Dominium an transferatur in causas pias per solum contractum.229.142
Dominium quomodo redeat ad venditorem.222.nu.126
Domino suo res quæuis melioratur.116.num.100.& 105
Expensæ tamen restituendæ.nu.101.& 118.nu. 112
Domicilium.
Domui locatæ inuecta,pro pensionibus annuis, & damnis in donum datis oppignorata sunt.138.nu.11
Domicilium nouum quando quis constituat,& quæ ad id requirantur.552.46
Donatio.
Donatio quid sit.167.11.Alia realis,alia verbalis. ibidem.
Per hanc non transfertur dominium.nu.12
Differt à promissione.nu.15
Donatio absenti facta quomodo acceptetur.166.nu.4
An vt possit reuocari ante acceptationem debeat nuntio reuocatio ignotescere.n.44. An donante mortuo possit acceptari.nu.45.46.Quinam possint ea acceptare. n.47.
Debet aliquo modo dirigi ad præsentem. 170.49. Acceptans non potest eam condonare.nu. 50
Donationi potest ante acceptationem onus apponi, potest non sine consensu donatarij.173.62 63
Si acceptes cum onere in fauorẽ tertij, ipse hoc ipso acquirit ius vt id ei præstes.nu. 64
Donatum quo loco persoluendum.143.nu. 59
Donare an alteri possis res creditori tuo necessarias. 148 nu.70
Donare qui possint,qui non.174. 77
Donationes coniugum inter se sunt inualidæ.175. 86
Confirmantur morte vel iuramento donantis.nu.87.88.
Excipiuntur sex casus.nu.89
Donatio patris in filiumfamilias est inualida.176.90
Confirmatur morte vel iuramento. ibid.
Excipiuntur aliquot casus.nu 91
Donare quantum quis possit.176.93.97
Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum est inualida.nu.93.Nisi fiat causa mortis.(hæc enim institutionem hæredis non impedit.) nu. 94. Aut in pios vsus. nu 95. Aut iuramento firmetur.nu.96
Donatio excessus quibus casibus valeat.177.nu.100.
Donatio quibus casibus reuocari possit.177.112.
Donatio alia inter viuos,alia causa mortis.177. 113
Donatio inofficiosa quæ sit, & quantum valeat.177. num. 112.Est illicita; etsi vsque ad mortem parentis valida. nu.113
Donatio mortis causa tribus casibus reuocatur. 178. num. 114. Si donator promittat non reuocare,transit in donationem inter viuos.nu.116
Donatio conditionata quantum valeat.178.117
Donatio in certum vsum, vel finem, vel cum onere quatenus valeat.180.124. 126.
Donatio ob causam præteritam vel præsentem si non subsit,an valeat.180.120. 131
Donum ex liberalitate factum non semper melius, quàm quod sit ex obligatione.415.56
Dormiens.
Dormiens quomodo possit peccare.107.17.& 18.
Dos.
Dos an cadit in commissum.121.135.& 202.142.
Dos an spuriæ debeatur.186.nu.68
Dotalis fundus non præscribitur.55.nu.48
Dotalis hypotheca quibus præferatur. 140.26.27
Fundi dotalis alienatio non firmetur iuramento.160.56
Dubitatio, Dubium.
Dubitans an res sit sua,an bona fide possideat.43.10.
In dubio melior est conditio possidentis.90.40
Dubitans an debeat,ad nihil tenetur.137. nu.2
Dubitans cui ex duobus debeat, vtrique rem diuidat. ibid.
Dubitans an causa damni fuerit, ad nihil tenetur. 126. nume.38
Dubitans an habeat rem alienam,ad quid teneatur.125.numero 23.
An possit accipere rem, quam dubitat esse alienam. nu. 24.25
Dubium aliud positiuum,aliud negatiuum.192.45
Dubitatio quid sit, & quomodo animus dubitare dicatur. 275.nu.6
Dubitatio de probitate alicuius quando peccatum sit mortiferum,quando veniale tantùm.277.nu.25
Temere dubitans iniuriam facit proximo.nu.26
Temerè dubitãs cui & quomodo restitutionem facere debeat.nu.27

In dubio de perſonis poſſumus nos habere quadrupliciter, num.30
Dubia de rebus non ſunt in meliorem partem interpretanda,ſed ſuis æſtimanda momentis.277.31
Dubia de perſonis ad bonam vel malam exiſtimationem pertinentia, ſunt in meliorem partem interpretanda. 277.num.23
In dubio non tenemur ſpeculatiuè iudicare aliquem eſſe probum,vel non improbum,278.nu. 33
Occurrente dubio non tenemur etiam ſemper actu poſitiuo practicè iudicare proximum eſſe probum, ſed poſſumus iudicium noſtrum ſuſpendere,nu.34
Tenemur lege iuſtitiæ dubia interpretari in potiorem partem negatiuè & practicè,ita vt propter dubium non habeamus proximum pro improbo,nu.56
Negatiuè & ſpeculatiue dubia in meliorem partem interpretari lege iuſtitiæ non tenemur, quando dubium eſt poſitiuum ; ex charitate tamen aliquo modo tenemur. 278.num 37.38
Non videtur contra iuſtitiam, ſi quis propter dubium non tanti æſtimet hominem,quanti anteà,nu. 41
Quando agitur de vitando aliquo damno, vel remedia adhibendo,dubia quomodo ſunt in deteriorem partem accipienda,num.42
Quando agitur de interna ſolum æſtimatione & reuerentia erga proximum, dubia ſunt in potiorem partem interpretanda,num. 44

Duellum.

Duellum contra calumniatorem acceptare quando liceat. 72.num.47
Quando contra iniuſtè inuadentem,nu.49
Duellum acceptare ne habearis ignauus an liceat.77.n.84
Duella ſpectantes excommunicati.606.83
Quid ſi ex occulto tantum ſpectent. ibid.

Duratio.

Duratio quomodo augeat omne peccatum vel meritum. 107.num.16

Ebrietas.

EBrietas quid.567. 13. Quid ſi cauſa medicinæ inebrieris ibid. Ingurgitans ſe iudicio medici quomodo peccet.ibid.Eſt peccatum mortale.567.nu.15. Septem grauia mala ſecum trahit.568 numer. 20. Præcipua iniuria eſt quòd priuet vſu rationis, nu. 22. Quomodo curetur. 569.num.24
Ebrioli ſimiles ſtagnis;brutis peiores.568. 21
Fœditas eorum.569.23. Non ſunt caſti. ibid.
An in ebrietate commiſſa imputentur ad culpam, n.25.27
Signa pridianæ ebrietatis.570. 30. Prouocatio ad æquales hauſtus quando mortalis,nu. 31

Eccleſia.

Eccleſia minoris vel pupilli priuilegio gaudet.56.nu.52
Eccleſiaſtica bona dicuntur res Dei. 29.num.47.48.
Eccleſia vtitur in contractibus priuilegio minoris.162.numero 62
Ex eius contractu ſi deſit ſolemnitas nulla ipſi oritur obligatio. ibid.
Eccleſia in donationibus eſt inſtar filij.177. 109
Eccleſiæ quando teneantur ex mutuo.190.nu.12
Eccleſiæ res an poſſint in feudum vel emphyteuſim dari. 254.59. Vt hoc vel alio modo alienentur duo requiruntur.254.63.64. An qui ſine illis aliquid acceperunt, teneantur reſtituere.255. 66
Eccleſiæ res quanto tempore elocari poſſint,nu.67
Contra Eccleſiæ vſum diſputare,inſanum.386.30
Eccleſia poteſt præcipere actum internum concomitanter, & quomodo.392.65. 66

Effectus.

Effectus quando cenſeatur voluntarius in cauſa. 585. 103

Electus.

Electus à religione cui acquirat. 473.112
Habet acquiſitorum adminiſtrationem,nu.113
An teneatur redire,nu.110.112
An teneatur intrare alium ordinem. ibid.
Poteſt vti veſte clericali,nu.112
Electus à religione an recidat in obedientiam Epiſcopi. 463.114.Non eſt ſolutus votis,nu.115

Electio.

Electio Prælati, cui decſt ſolemnitas,an ſit valida.184. num.32.34
An pro Electione particularis perſonæ in Pontificem, & licitum ſit pecuniam offerre.364.112
Eligi non poteſt Religioſus ad Epiſcopatum, nec ad beneficium extra ordinem ſine facultate Prælati.459.97

Eleemoſyna.

ad Eleemoſynam faciendam ex fructibus beneficiorum, maximè tenentur Epiſcopi & Parochi,& etiam alij Clerici.29 47
præcepto Eleemoſynæ an ſatisfiat mutuando.144.11
an debeam dare Eleemoſynam excommunicato. 149. 80 Ad eam an poſſis cogi.149.75
Eleemoſynam accipiens ſimulando ſanctitatem an teneatur reſtituere.180.nu. 131
Eleemoſyna paupertatis ſimulatione obtenta cui reſtituenda.180.nu.133
Eleemoſyna an à reſtitutione liberet.29.47

Elementum.

Elementa non ſunt animata.492.nu.5
Quid circa ea dæmon poſſit.493.num.14

Emphyteuſis.

Emphyteuticæ rei ſibi in pignus datæ fructus poteſt dominus directus percipere.205.nu.139
Tres conditiones neceſſariæ,nu.140
Emphyteuſis quid ſit. 247.3. Quomodo differat a locatione,num.4
Emphyteuticam rem vendens tenetur ſoluere laudemium, & ſi faciat inſcio domino directo perdit rem,nu.5
Emphyteuta quid ſit,num.2. Non poteſt præſcribere dominium directum.252.nu.44
Emphyteuta laicus habens rem eccleſiaſticam per emphyteuſim, tenetur ſoluere tributa laicis impoſita, num.44. Poteſt rem emphyteuticam vendere vel donare alteri; num.44. Si certo tempore penſionem non ſoluerit, perdit rem cum omnibus meliorationibus,nu.45.46
Tenetur recedere ante ſententiam, non tamen ante dominj petitionem,nu.44
Quibus detur reſtitutio in integrum,nu.48
Quid ſi res integrè,vel ex parte perierit,nu.49
An poſſit eam alienare non monito domino,nu.52
Rem Eccleſiæ non poteſt oppignerare, neque locare ad decennium,n.54.56. Qui eam emit,debet ſoluere laudemium directo domino,nu.57
Emphyteuſis an in monaſterium tranſire poſſit.457. nu.81

Emptio, Emptor.

Emptio quid ſit.209.1
Emens aliquid pecunia aliena fit eius dominus.203. 161
Emere pignora vſurarijs relicta an licitum.203.166
Emere rem minoris ob anticipatam ſolutionem an liceat. 215.59. Cauſæ ob quas licet aliquando ita emere vibus. 215 60.61
Emere debita vel chirographa minoris quàm valeant an liceat.219.nu.65.70
Emere librantias dimidio pretio an liceat.217. 74
Emere pretio vili rem pretioſam, ſi eo loci communiter ob ignorantiam tanti æſtimatur,vel obeum vſum, in quem vendi vulgò ſolet, non pluris valet,eſt licitum. 217. 80. Secùs ſi eſſet priuata ignorantia venditoris,nu.84
Empta res ante traditionem cui pereat.218.95
Emptæ rei fructus ante ſolutionem pretij ad quem pertineant.219.99.100.& 220.109
Emptio cum pacto retrouenditionis eſt licita.221.nu.113
Emptio reciproca diuerſo pretio an licita.223.nu.130
Ementes eccleſiaſtica bona inter hæreticos & rurſus vèdentes ad quid teneantur.223.133.135.& 224.nu.137
Ementes omnes merces, eaque deinde prementes vt caritatem inducant an peccent contra iuſtitiá.226.150.151
Emens à fure an poſſit ei reſtituere.126.41
A piratis rapta antemi poſſint.221.137
Eunuchus quid ſit.11. 15. & 522. 63. Dirigitur a iudicio ſeu gnome, num.64.Singulæ virtutes habent aliquam rationem æquitatis, ibidem. Quomodo iuſtitiæ annectatur. 523.70
Eunuchus quando locum habeat.456.nu.79

Epiſcopus.

Epiſcopus viſitans Eccleſias, ſi præterſumptus aliquid accipiat,tenetur reſtituere duplum.146.37
Quomodo præſcribat locum alterius Epiſcopatus.50.n.36

Epiſcopi an poſſint teſtari. 184. 41
Hæredes prophani ex teſtamento vel inteſtato an poſſint ſibi relicta retinere.nu.44.45. Poſſunt fideiubere ſuo periculo,non Eccleſiæ 271.nu.19
Quis dicatur Epiſcopus domicilij,originis,beneficij. 330. 92
Epiſcopus an iuri patronatus derogare poſſit. Vide *Patronatus.*
Epiſcopi an poſſint Religionem ingredi.439.nu.24
Tenentur votum aperire Pontifici.ibid.

Error.

Error iuris qualis impediat præſcriptionem.44.nu. 14
Errorem,in quem alium pertraxiſti,teneris ex iuſtitia tollere.94.nu 3.
Error tripliciter afficit contractum.152.nu 27
Error circa ſubſtantiam contractus eum irritat.ibid.
Non tamen circa accidens.num. 28. Si aliter contrahens eius cauſa vel particeps ſit,poteſt arbitrio decepti irritari,num.29. Deceptorque tenetur ad reſtitutionem rei & fructuum.nu.30
Error irritat votum.405.5. An irritet iuramentum.470.nu. 33.34
Error per accidens iuuat.530.43

Euchariſtia.

Euchariſtiam petendi ius propriè non habet exiſtens in peccato mortali, ſed ne infametur.147.nu.55
Euchariſtia alatur in periculo mortis ei qui repentè priuatur vſu rationis.528.nu.25

Euictio.

An detur actio in rem ex pacto retroueditionis. 222. numero 121.

Eutrapelia.

Eutrapelia quid.607 92 Vitia ei oppoſita.nu.97. Defectus contra eam peccatur.nu. 99

Examen.

Examinandi qui præſentantur,& à quibus. 329.79.& 329. 82.& 337.num.128

Excellentia.

Excellentia honoranda in quibus conſiſtat.92. nu.3

Exceptio.

Exceptio quid ſit. 42.2. Alia dilatoria, alia peremptoria. ibidem.
Excipere an poſſit inferior contra Superiorem 459.98

Excommunicatio.

Excommunicatio non ligat eum qui parere non poteſt, etſi aliàs nollet.118.21. Non impedientes vim clericis illatam,an excommunicentur.129.nu. 65.
Excommunicatio an retrotrahatur.370. nu.152.
An eum liget qui in compenſationem rem alienam accepit.107.61
Animo hæretico aliquid dicens an excommunicetur. 119. num. 128
Excommunicato an tenear dare eleemoſynam.149.80
Excommunicatio creditoris an liberet à ſolutione. 149.nu. 77.79
Excommunicantur cogentes mulierem ingredi religionẽ. 442.39.& etiam impedientes.ibid.

Executor.

Exequens damnificationem alieno nomine tantum, tenetur ſatisfacere ſecundo loco.127.42.43
Executor ſententiæ & miniſter iuſtitiæ quando non poſſit mandare executioni ſententiam, quam ſcit eſſe iniuſtã, & quando poſſit. 285.83.& 486.91

Exemptio.

Exemptio à poteſtate alicuius quomodo præſcribatur. 51. num.41

Expenſæ.

Expenſæ funeris an reſtituendæ ab occiſore.85.nu.147
Expenſæ quas fecit læſus an detrahendæ.82.124
Expenſæ an detrahendæ à fure in reſtitutione.116.101

Expoſitus.

Expoſitus infans eximitur à patria poteſtate.463. 112

Exprobratio.

Exprobans ignauiam quando teneatur ad reſtit.123.nu.25

Extrema neceſſitas.

Extrema neceſſitate preſſus an poſſit aliena ſurripere. 112. num. 66
Extrema neceſſitas excuſat à reſtitutione.149.2. Vide *Neceſſitas.*

Facultas.

FAcultas generalis Superioris quando præſumi poſſit. 455.78.In quibus conceſſa cenſeatur.455.79

Fallacia.

Fallacia quid ſit.60. 23.

Falcidia.

Falcidiam detrahere quid ſit. 176.94 [& 188.91.

Fama,famoſum.

Fama quid ſit.92.1. Differt ab honore.num.5
Famæ ſuæ homo eſt dominus.31.num.59
Multis caſibus poſſumus eam proijcere.51.59
Fama noſtra tripliciter proximo neceſſaria.nu.60
Famoſi libelli auctor morte punitur.93.nu. 11
Famam fictis virtutibus paratam alicui tollere an liceat. 97.num.63
Famoſum quid dicatur.78.nu. 73
Fama eſt quod compoſitum ex variis.99 nu. 85
Fama an reſtituenda ſit cum periculo vitæ 99.86.90. 91
Famæ vel vitæ alienæ potes aliquando ingentem pecuniã prudenter præferre,non tuæ.100.nu. 88
Fama læſa non eſt compenſanda pecunia.100.99
Niſi ex quadam æquitate. 100.90
Fama alia via recuperata non eſt reſtituenda.100.98
Quid ſi infamia oblitioni tradita.nu.100
Fama quomodo debeat reſtitui.101.nu.106.109.nu.111
An poſſit pecunia compenſari.100.97
An ab hæredibus infamatoris debeat reſtitui.532. 112.
Defunctis etiam reſtituenda eſt 102.nu.114
Famæ reſtitutio à quibus donari poſſit.124.nu.124
Compenſationem admittit.nu.131. Etiam cum damno pecuniæ.103.136. Quænam ab ea excuſent. nu.137

Fames.

Fame perire malle quam idolothyta comedere licitum.
Ateus iniuſtam ſententiam exequaris.70.nu.29
Item vt alteri vitam ſerues.ibid.

Famulus.

Actio famuli ad petendam mercedem in iudicio quanto tẽpore extinguatur.50. 36
Famuli quando poſſint occultè augere ſua ſtipendia. 112. num.63
Famuli damnum domini non impedientes ad quid teneantur.129.nu 75
Famulus ob aliquod impedimentum non præſtans operã conductam an poſſit petere mercedem.248 nu. 7.8
Famulorum ſtipendia vade iuſta æſtimanda. 249. numero 23.24
Quando poterunt vti compenſatione occulta. nu.24
Debent attingere ſaltem infimum gradum iuſtæ mercedis,alias dominus tenetur augere nu.25.
Duo caſus excipiuntur.nu.26.Si minus ſtipendium exigant vt dominum alliciant ad beneficium vel officium conferendum,ad quid dominus teneatur.241.num. 28.
Domini non ſtantes promiſſis tenentur eis ad reſtitutionem damnorum.nu.31
Famuli vſurariorum an teneantur ad reſtit.205.181
Famulus vel factor poteſt pecuniam quam à domino accepit compſando lucrari.239.18. Niſi mens domini fuerit vt eamdem ſpecie pecuniam daret.ibid.

Fauor.

Fauor conceſſus alicui ordini æquatur iuri cõmuni.475.80

Feminæ.

Fœminis cur neceſſaria ſobrietas.558. 91
Iis apud Romanos vinum interdicebatur.ibid.
Ornantes ſe an peccent.609 105. 106. Vide reliqua. *V. Mulier.*

Feræ.

Feræ cicuratæ capi non poſſunt 35.28.Secus quando deſinunt eſſe cicuratæ.n.30.Quamdiu quis cenſeatur feræ captę dominus.nu 31
Feram tuum agrum vaſtantem an poſſis occidere 36.n.37
Fera icta ab vno,capta ab altero,cuius ſit. 39.47
Item volus lequeo capta,ab alio erepta,cuius ſit.39.50

Feudum.

Feudum quid ſit.248.nu.5. Differt ab emphyteuſi.ibid.
Si in pignus accipias feudum,an eius fructus poſſis percipere.201.nu.138
Quas conditiones requirat.253.50.An res eccleſiæ in feudum dari poſſint.nu.59

Feudum an poſſit cedere Monaſterio. 457.48
Fideicommiſſum.
Fideicommiſſum quando trãſeat in Monaſterium.457. 84
Fideicommiſſum quomodo præſcribatur.50.nu.39
Fideiuſſio, Fideiuſſor.
Fideiuſſio quid ſit.269.1
Quas conditiones requirat.num.2
Obligat aliquando magis quàm principalis contractus. 270.num.6
Fideiuſſor indemnitatis quis dicatur.nu.8.
Fideiuſſor non poteſt conueniri niſi prius excutiatur principalis debitor, & non ſit ſoluendo,nu.8
Excipiuntur aliquot caſus,nu.8.9
Fideiubere valide qui poſſint.161. 61. & 270.nu.11.
Si plures fideiubeant, an ſinguli teneantur inſolidum. 271.nu.21
Fideiubens pro altero in cauſa criminis,non poteſt pro illo plecti niſi pecuniaria mulcta.273. nu.41
Fideiuſſio mulieris an firmetur iuramento 158.nu.58
Fideiuſſor nõ obligatur,ſi is pro quo fideiubet nullo modo obligetur.161.nu.61
Fideiuſſor quibus contractibus poſſit accedere.275.35
Fidelitas.
Fidelitas ex ſe tantum obligat ad veniale.171.53
Io promiſſis tamen obligat ſub peccato mortali,& largo modo iuſtitia dicitur.nu.57. Quomodo à ſtricta iuſtitia differat.ibid.
Fides bona, Mala.
Fides bona in præſcriptione quid ſit.44. nu.9.11
An dubitans rem eſſe ſuam cenſeatur bona fide poſſidere.ibid.nu.10.& 44.nu.13
An inter bonam & malam fidem detur medium.44 12
Mala propriè loquendo numquam præſcribit.45.19
Contra fiſcum vel ſeruitutem quæ ſit bona fides 47. numero 21
Fideicommiſſaria ſubſtitutio quid ſit.187.85
Filius.
Filius emancipatur ſi pater fiat hæreticus.19.23. & 24.numero 11
Filiusfamilias quarum rerum dominium habeat.23.7
Quadruplex genus peculij habere poteſt. ibid.
An ſibi acquirat.21.42
Poteſt à parente vendi 34.nu.17
Opera patri præſtita quomodo lucrari poſſit.107.nu.81
Quando teneatur patri ſeruire gratis.ibid.
Filiam adulteram occidere an licitum.68. 14.15
Filij delicto non tenetur parens.69.121
Filius non tenetur credere matri dicenti ipſum eſſe illegitimum. 91.51
Niſi conuincatur. Et tunc non poteſt adire hereditatem. num.52
Filiusfamilias an poſſit aliquid ludo perdere vel lucrari, 266.34.& 267.nu 38
Filiusfamilias quando mortiferè peccet expendendo bona parentum.113.76.79. Quomodo ſæpe excuſetur à reſtitutione.nu.78
Non eſt abſolutè dominus pecuniarum,quas expendendas accepit. nu. 77
Non tenetur reddere mutuum quod accepit & conſumpſit.189.6. Niſi iurarit.nu.9
Filiusfamilias an gratis patris negotia tractare teneatur, 124.num.81
Filius non poteſt ingredi Religionem patre in graui neceſſitate relicto.442. 34. Quãdo ratione paternæ neceſſitatis teneatur egredi ibid.
Filiusfamilias de quibus poſſit teſtari.184.37
Filius naturalis quis dicatur.173. 55. An poſſit hæres inſtitui à parentibus.187. 71. Naturalis filius an ſuccedat patri ab inteſtato. Matri ſuccedit inſtar legitimi. 187. numero 75
Filijs quando danda legitima.456.nu. 83.
Filij iuramenta de bonis aduentitijs irritare poteſt pater, etiam poſt annum vigeſimumquintum.476.61
Finis.
Finis ſecundarius an obſit primario.180. 127.
Fiſco.
Fiſco addicta bona alterius apud ſe habens cui teneatur reſtituere.268.nu.14.
Quanto tempore præſcribatur contra fiſcum actionẽ.51.n.38
An teneatur quis ſua tradere fiſco ante ſententiam.121.numero 135
Cum fiſco contrahentis bona an maneant ei obligata.140 num.31
Fœnus.
Fœnus quid ſignificet.189.1. Vide *Vſura.*
Fœtus.
Fœtus quo die animetur.75 nu.65.
Formido. Vide *Timor.*
Quæ formido conſtitat cum prudenti iudicio.2.5
Fornicatio.
Fornicatio eſt peccatũ mortale.573.47. In Chriſtianis eſt grauius peccatum quàm in Ethnicis.574. 53
Quomodo cenſeatur ex maximis peccatis. nu.55
Fortitudo.
Fortitudo quid ſit.525.11. Dupliciter accipitur. 525. 1.3
Eius officium n.5. Circa quid verſetur 525.5 6. Reſpicit tantum pericula honeſta,& maximè bellica.525.8.9.
Quibus conſiderationibus excitetur, nu. 10. Quæ vitia ipſi opponantur.533.nu.61
Fortitudinis partes.514.nu.12
Fortitudo alia naturalis,alia ſupernaturalis.nu. 1.Eius officium in duobus ſitum.nu 2
Franciſcani.
Franciſcani an poſſint hæredes inſtitui.172.54
Fraus.
Fraus quid ſit.9.26 Non ſit ſcienti & conſentienti. ibid.
Fraus & dolus nemini patrocinantur.ibid.
Quando fraus dicatur fieri contra legem, vel legi.nu.27.
Fructus.
Fructus præſcribuntur triennio bona fide poſſeſſi.44.n.15
Fructus rei furtiuæ an vſucapiantur. 47.22.
An fructus beneficiorum qui ſuſtentationi ſuperſunt debeant impendi in pias cauſas.28.nu.44
Fructus alicuius rei qui dicantur. 18 17
Fructus ex re aliena percepti cui cedant. 118 121.124. & 131.nu.8
Fructus alterius rei,alij induſtriæ.118.nu.110
Fructus rei venditæ ante ſolutionem pretij ad quem pertineant 219.nu.99 100.220.nu.108
Fructus medij temporis quando contractus diſſoluitur, ad quem pertineant 222.nu.122
Fructus beneficiorũ poſſunt vedi vel elocari in multos annos.255.70. Sed elocatio morte venditoris expirat. ibid.
Fructus pignoris quomodo poſſint percipi.202.138
Tres conditiones requiſitæ vt poſſit dominus rei in pignus datæ fructus percipere 201. 140
De fruc. beneficij an poſſit regularis diſponere.458.nu.93.
Fuga, Fugere.
Fugere ne inuaſorem occidant qui teneantur.63 44.& 77. nu.85.86
Alienum equum fugiendo interimens tenetur ad reſtitutionem,ſi probabile erat periculum.144.nu.10
Fugere an poſſint bello capti 34 18. Quid ſi dederint fidem de non fugiendo.ibid.
Debent fugere ad ſuos. ibi. Quid ſi capiantur iterum antequam perueniant.ibid.
An poſſit fugere damnatus ad exilium. 35.26
Fugiens ex religione an peccet contra iuſtitiam.451.67.
Funus.
Funeris expenſæ an reſtituendæ. 85.147
Furtum, Fur.
Furto ablata quanto tempore præſcribantur.51.nu.42
Furem occidere in defenſionem facultatum an licitum.71. nu.66 & ſeqq. An etiam Clericis.nu.72
An occiſor incurrat irregularitatem.nu. 73
Quamdiu liceat occidere.nu.74.78
Furtis parans ſibi honorabilem ſtatum tenetur reſtituere cum eius iactura 115.89. Quid ſit furtum. 106.nu. 1.
Eſt peccatum,quia damnum infert.nu.6.Differt à damnificatione,ibid. Quando ſit ſacrilegium.n.7. Differt à rapina.n.8.Minus eſt peccatum.ibi. Differt ab iniquis contractibus. 109.9. Generatim accipitur pro omni iniqua ablatione.100.nu.10
Fur continuè peccat dum ſponte non reſtituit.106.12
Non tamen nouo peccato.nu.26. Non excõmunicatur, ſi non poſſit reſtituere.208.nu.22

Furtim quale peccatum sit. 108. num. 27
Quæ in eo materia sit notabilis. num. 29. 31. 33
Furta multa minuta an constituant peccatum mort. 109. nu. 36. 39. Qui talia commisit cui debeat restituere. 110 num. 41.
Furtum minutum complens notabilem summam per se nõ constituit peccatum mortale. 110. 43
Furta multa venialia committens, sub peccato mortali tenetur restituere. 110. 45. Maior tamen quantitas requiritur quàm in vno furto. nu. 46
Item quando á diuersis quàm si ab vno. 110. 47
Furta esculentorum quando sint peccatum mort. 110. nume. 48. 49
Furta famulorum, vxorum, liberorum, quando sint peccatum mort. 110. 49. 50 & 113. 76. & 114. 82
Furantes minuta multa ab vno quomodo peccent. 111. nume. 51. 52
Furtiua re perempte an fur teneatur ad restitutionem. 115. 90. 92. & 116. 96
Furtum non inducit obligationem restituendi, nisi quia dã nosum. 115. nu. 92
Fur non tenetur tam strictè rem alienam custodire ac depositarius. 115. 94. An teneatur ad summam æstimationem, quam res furtiua habuit. 116. 99.
Furtiuam rem bona fide emens vel possidens, tenetur eam domino agnito reddere sine pretio. 130. nu. 2. Si consumpserit, vendiderit, vel eius culpa perierit, tantum restituat quanto factus est ditior. 130. n. 3. 4. 6. 7. Tenetur etiã restituere omnes fructus rei exilientes, vel quando ex ijs factus est ditior. 130. 8. 9. Non tenetur ad fructus neglectos. nu. 12
Furtiuam rem emens potest eam furi reddere vt pretium recipiat. nu. 14. Potest tamen cogi per Iudicem vt domino reddat. 131. 18 Nec potest alteri vendere. num. 16. Si gratis habet, vel sciuerit esse alienam, tenetur reddere domino sine pretio. n. 13. 19. nisi paruo emerit vt eã domino recuperarẽt. nu. 20. Mala fide ementem posse reddere furi probabile. nu. 21.
Furtiua res proprijs permissa transit in dominium. nu. 21. Dubitãs an rem furtiuam habeat ad quid teneatur. 132. 23. 24. An possit ab alio talem accipere. nu. 24. 25
Furtiuam rem emptam bona fide vendens tenetur emptori restituere pretium. nu. 26. Nisi ipse præpropere eam restituendo causa fuerit cur alter pretium recuperare non potuit. 133. 28
Emptore non comparente ad nihil tenetur domino rei, nisi factus sit ditior nu. 29. Si post venditionem dominũ agnoscat, non tenetur quemquam monere. nu. 30.
Furtiuam rem tradens confessario restituendam, si ille non restituat, alter non liberatur. 137 65. Contrarium tamen probabile. nu. 67
Furis res non sunt hypothecatæ pro furtis: quare licet eas emere vel accipere ab eo. 204. 167. Nisi fiat impotentior ad soluendum. nu. 104. 169
Furtum in loco sacro an sacrilegium. 502. 14

Gabella.

Gabellas Ecclesiasticis imponentes an excommunicati ipso facto. 502. 21

Gehenna.

Gehenna vide dicta. 592. num. 9

Gemma.

Gemmarum, falconum, &c. quale pretium sit iustum. 139. num. 6

Gloria.

Gloria quid sit. 537. 27. Quid inanis gloria. ibidem.
Quale peccatũ nu. 24. Gloria tripliciter est vana. nu. 23. Eius filiæ. 26

Gnome.

Gnome quid. 7. 12. & 15. Ab ἐπιείκεια qui differat. ibid.
Dirigit ἐπιείκειαν. 572. 64
Corrigit leges. num. 66

Gradus.

Quando gradus requiritur ad beneficium obtinendum, an necesse sit de facto haberi vel esse in potentia ad accipiendum. 333. 106
Gradus in Leuitico veriti. 579. 77
Gradus solo iure positiuo prohibiti in consanguinitate & affinitate specie non differunt. 580. nu. 80.
Graduum diuersitas facit diuersitatem specificam. nu. 79

Gratitudo.

Gratitudo quid sit. 513. 1. An sit vna virtus. nu. 2. 3
Eius officia sunt beneficij æstimatio. 514. 5
Benigna acceptatio. ibid. Gratiarum actio nu. 6
Grata commemoratio. ibid Beneficij relatio. 514. 7
Vter debeat esse gratior in Deum innocens an pœnitens. num. 10. 11
Gratitudo quomodo in Deum excitanda. 514. 13
Officium gratitudinis tripliciter prætermittitur. 515. numero 17

Guarantigium.

Guarantigium quid sit. 270. num. 4

Gula.

Collum gruis optabat sibi helluo Philoxenus. 544. 5
Quinque modus exceditur. 564. 5
Gula est peccatum mortale. nu. 6. 7
Tripliciter in ea ponitur finis vltimus. ibid.
Quid si ex cibo timeatur nocturna pollutio. nu. 7
Est vitium capitale. nu. 8. Eius quinque filiæ. ibid.
Carne humana an vesci liceat. nu 9

Habitus.

HAbitum distinctum esse circa finem & media probabile est. 4. 28
Habitũ religiosum dimittẽs est excommunicatus. 607. 109

Hæreticus.

Hæreticus quomodo amittat vsum fructum. 19 23
Hæretici qui negarint posse quid proprium possideri. 32. 2
Hæretici seruus an fiat liber. 34 20
Hæretici bona an possint præscribi contra fiscum. 50. n. 38
Hæretico an teneat soluere debitum 150. num. 84
Hæretici an possint testamentum facere. 185. nu. 50
Hæretici & Politici dediti suspicionibus prauis vt bonos contemnant, &c. 276. nu. 21
Hæretici sacrilegi sunt. 502. 17
Non sunt martyres. 527. 20. & 529 38
Hæreticorum de ieiunio errores. 549. 25
Item de ieiunij obligatione. 551. nu. 36
Sex in ieiunio conditiones reprehenduntur. 556. 77
Refelluntur. 78. & seqq.
Hæretici coniux an possit religionem intrare. 440. 29
Hæreticorum errores circa orationẽ 382. 9. Circa sanctorum inuocationem. 385. 27. Circa horas canonicas 388. 41. Circa sacrificium. 395. 6. Circa iuramentum. 466. 13 Circa decimas. 399. 1. Circa vota. 414. 50 Iouiniani error de virginitate. 560. 102
Hæreticorum sententia de idololatria. 481. 17
Refutatur. nu. 18. & seqq. Fundamentũ hæreticorũ. n. 20. Refutatur. ibid. Sunt sacrilegi, quia abutuntur sacra Scriptura. 502. 17
Hæreticorum quid retardet conuersionem. 594. 22
Hæretici crudeles in Catholicos. 597. 43
Manichæorum error circa occisionem animalium. 67. 1
Donatistarum error circa suiipsius occisionem. 69. 19
Sanctos inuocandos qui hæretici negent. 375. 27

Hæreditas, Hæres.

Hæreditas quomodo adeatur. 18. 16. Non requiritur traditio ad dominium acquirendum. ibid.
Hæres possessoris malæ fidei an præscribat. 51. nu. 42
Hæres *sum* quis dicatur 51. nu. 43
Hæredibus an quid restituendum pro vita occisi. 84. n. 142
Hæres ab intestato hæredi testamento minùs solemni instituto, si sciat institutum, tenetur cedere in conscientia hæreditate. 180. 21 Potest tamen Trebellianam, idest, quartam partem sibi retinere nu. 33. Si dubitet de voluntate testatoris, debet diuidere hæreditatem. 21
Hæredes testamento instituui quinam non possint. 185. 56
Non teneantur tamen sic accepta restituere ante sententiam. nn. 52
Hæredes beneficiatorum licitè ijs succedunt, etiam in bonis, ijs quæ illi illicitè relinquunt. 185. 48
Hæres ex testamento institutus cum onere vt hæreditatem spurio restituat, ad nihil tenetur. 185. 60. Nec fisco ante sententiam. nu. 61. Ipse tamen id promittendo, & testator exigendo peccarunt mortaliter. n. 62. Potest tamen eam hæreditatem sponte tradere spurio. ibid.
Hæredi substitui sex modis quis potest. 186. 76
Hæredes vsurarij ad quid teneantur. 204. 173

INDEX RERVM.

Ad hæredes ab inteſtato quando bona religioſi deuoluantur.457.nu.86

Hæreditatem adire poteſt monaſterium poſt mortem religioſi,nu.87

Hæreditas delata ſeruo,non acquiritur domino, inuito ſeruo,ibidem.

Hæres ſi votum negligat,an peccet contra votum.447. 66

Herus.

Herus ad quid teneatur famulo, ſi merces ſit minor iuſto conſtituta,vel heri arbitrio relicta.253.25. & ſeq. Quid ſi non ſtet promiſſis.251.nu.31

Holocauſtum.

Holocauſtum quid.397.22

Homicidium, Homicida.

Homicidium caſuale quando ſit peccatum.79. n. 101.103 108. Quando adferat irregularitatem.nu.103.104

Homicida quid teneatur reſtituere.22.124. Quid ſi pœnam latronis ſuſtinuit,an teneatur.84.n.138.139. Ad quid teneatur pro vita,membro, cicatrice. 84. 140. Tenetur ad ſolum damnum pecuniarium,nu.145. Niſi forte ex charitate,ibid. Pro expenſis funeris ordinarie nihil debet reſtituere.85.nu.147. Nihil tenetur ex iuſtitia reſtituere animæ defuncti, nu.148

Homicida quibus teneatur reſtituere. nu.151. & ſeqq.

Homo.

Homo poteſt habere dominium rerum omnium externarũ quæ ipſius vſibus ſeruiũt.31.52. Poteſt etiam cadere ſub alterius dominium.33.55. Non eſt dominus vitæ.40.57. Eſt dominus ſuæ famæ.31.nu.59 Homines omnes naturæ conditione pares.31.nu.54. Poteſt ſe homo infamare ad humiliationẽ,&c.31.59 Homini cur debitus cultus, 375.4. Quomodo colatur.378.nu.19

Honeſtum.

Honeſtum quid ſit.545.17.18.& 559.94

Eſt fundamentum delectabilis ibid.

Honeſtum eſt aliquid certo modo diſpoſito quod aliàs nõ eſſet.2.3

Honor.

Honorem tueri cum periculo alterius qua ratione ſit licitum 76.78.79

Honor quid ſit.92.2.& 375.5. Differt a fama.92.5. Quibus debeatur,numer.4. Quomodo lædatur.105.num.139. Qua ratione reſtituendus,numer.143. Omiſſio honoris debiti quando ſit contra iuſtitiam commutatiuam.num. 142. Quænam ſatis actio ante ſententiam, quæ poſt ſit debita, nu.145

Honor cur debitus & cui.309.nu.9

Honor inordinatè tripliciter appetitur.537.81

Quale peccatum,nu.22. Oritur ex ſuperbia.ibid.

In quibus ſitus honor.nu.23

Horæ canonicæ.

Horæ canonicæ quæ dicantur.388.41. An vtiles ſint.ibid.

Quinam ad eos obligentur.388.44

Nemo liberatur ab hac obligatione ratione cenſurarum, quas incurrit. n.45. Quale peccatum eas vel earum partem omittere.390 nu.52.53

Quæ ſit iuſta cauſa omittendi horas. nu.54

Horæ canonicæ quomodo ſint recitandæ,num.55. Interruptio horarum quale peccatum. 391. 57. Non requiritur intentio ſatisfaciendi præcepto, num. 59. Quæ attentio in ijs requiratur 391. 61.& 392.69

An ſponte diſtractus teneatur eas repetere aut fructus reſtituere nu 67.68

Horæ canonicæ ſecundùm quem vſum recitandæ ſint.393 nu. 53.74. Vtrùm obligent horæ paruæ B. Virginis,officium Defunctorum,&c.nu.76

Vnum Officium legens pro alio,an teneatur repetere.394. nu.77. Beneficiarijs quando teneantur ad preces canonicas.341.167 Quo tempore legendæ ſint.384.nu.78

Ordinem earum inuertere, & Sacrum ante Matutinum recitare ex cauſa licet,nu.80.81

Varij modi recitandi preces.393.nu.70. Quomodo ſit virtualis attentio dum animus diſtrahitur.393.71

An in confeſſione explicãdum quot horæ ſint omiſſæ. 390. num.53

Horarum ſingularum ratio.3[illegible]41. Breuiarium quid contineat,num.42. Melius præuenire horas in priuato officio quàm differre,nu.43

Quando quis teneatur præuenire,ibid. Recitans cum ſocio ſatisfacit.390.52. Quis eum modum introduxerit. 390.nu.52

Cõſuetudo obligat diaconos & ſubdiaconos ad horas.389 num.45

Clerici ad triremes damnati an ad horas teneantur, an excommunicati,an degradati,ibid.

Clerici minorum Ordinum ad quas preces obligentur, nu. 46. An Epiſcopus eas poſſit imponere, ibid.

Omittens vnum pſalmum an peccet mortaliter.390.nu.52

Hoſpitale.

An ſpurius poſſit poni in hoſpitali pauperum.194. nu.69

Hoſtia.

Hoſtia pacifica quid.398. nu.23

Humilitas.

Humilitas quid.598.46.& 599. 54. eius excellentia,numero 55

Latro quidam vt ſe humiliaret, publicè grauiſſima crimina confeſſus eſt.31.59

Humilitatis actus.nu.48

Humilitas duplex,Iudicij & affectus.nu.49

Summè humilis eſt ſumme magnanimus, nu.51

Fundamentum humilitatis, nu.52. Comparatio eius cum alijs virtutibus,nu.56. Eius incitamenta,nu.57

Eſt fundamentum virtutum.58

Septem gradus humilitatis ex parte functionum. 604. 73

Eius excellentiam non agnouerunt Philoſophi.599.55

Hypocriſis.

Hypocriſis quid ſit & quale peccatum. 520.45

Hypotheca.

Hypotheca quid ſit.272. 31. Differt a pignore, ibid.

Hypothecam deſtruens ad quid teneatur.86.153

Quot modis contrahatur.272. nu.33

Tacita multis modis contrahitur. nu.34

Alia vniuerſalis,alia particularis.273.nu.38

Hypotheca prior etiam tacita præfertur poſteriori etiam ex preſtæ.140 nu 23

Quædam tamen poſteriores præferuntur prioribꝰ. 140.16

Hypothecas tacitas qui habeant, num.26.& ſeqq. Nulla eſt hypothecarum tacita iure naturæ. 204.167

Iactantia.

Iactantia quid ſit.519.41. Quale peccatum, nu.42

In ſex caſibus eſt peccatum, ibidem. Eſt peior ironia, num.43

Iactare ſe de peccato mortali an ſemper mortale, nu.42

Idolum, Idololatra, Idolatria.

Idolum quid ſignificet.479.7

Idololatria quid ſignificet,nu.7 8. Quid ſit,n.8. Tres actus in ea concurrunt,nu.9 Quãtum ſit peccatũ.479.10. An grauius hæreſi,nu.10. Eam ſolo actu externo cõmittens, nec eſt apoſtata,nec excõmunicatus,nu.11. Quæ eius origo & progreſſus,nu.12

Idololatria non eſt colere Deum alio cultu quã quem mandauit.481.nu.17

Scripturæ obiectæ ſoluuntur.481.17

Idolothyta nolle comedere etiam in certo vitæ periculo licitum.70.29

Idolum erigens vel iniquam legem ferens continuè peccat.107 nu.14

Ieiunium.

Ieiunium quid.547.6. Qua in eo permiſſa in Hiſpania & Galliæ partibus quibuſdam, nu.8

Impatientia infeſtat ſobrios, nume.5. Potus permittitur in ieiunio, nu.10

An condita & electuaria,num.10

Lectoribus & miniſtris menſæ aliquid præſumere an licitum.547.11. An veſpertina collatio, ibid.

Si manè ſumatur aut meridie ſine cauſa,eſt tantùm peccatum veniale,ibidem. Interrumpens refectionem qui peccet,ibidem. Anticipationem horæ probabile eſt eſſe tantùm venialem, num.13

Ieiunium non violatur niſi ſecunda refectione, nu.15

Excuſatus a ieiunio an poſſit bis, ter, quaterve comedere. 548.nu.17

Qui cauſa profectionis tentatus eſt, an teneatur ieiunare ſi non proficiſcatur,nu.18

Neſciens eſſe ieiunium,ſi ſumpſit ientaculum, tenetur poſtea ieiunare.num.19

INDEX RERVM.

An possit prandere, ibidem.
Non potest amicus serio inuitari ad coenam à non ieiunãte.549.nu.20.21
Cibos vetitos apponere in locis Catholicorum illicitum.nu.22. Apud hæreticos quando permissum. num.23. An coena apponi possit,num.24
Iter faciens per Germaniam,vel alia loca hæretica non potest vesci carnibus tempore vetito,si alij cibi haberi possint.551.nu.35
Hæreticorum de ieiunio errores.549.num.25
Ieiunium nostrum nõ pertinet ad iugum legis veteris. 550 nu.27. Nec est contra libertatem euangelicam,num.28
Ieiunium nostrum est iuris humani, nu.30
Explicatur sententia eorum, qui videntur dicere esse iuris diuini.550.nu.31
Ieiunij præceptum obligat ad mortale,nu.33.& 551.num.38. Olim ieiunabatur feria quarta & sexta per annum, nu.34.& 555.nu.64.65
Non ieiunans clericus iubetur deponi,laicus excommunicari.551.nu.34
Bona fide putans se non teneri ieiunare, excusatur. In dubio tenetur,nisi petat dispensationem,nu.34
Vesci carnibus ieiunij tempore graue peccatum. 551. 35. Cur ex vetentur.557.78
Etiam perfectus non liberatur à ieiunio.551.37
Causæ excusantes à ieiunio.nu.40
Adolescentes non tenentur ante expletum annum vigesimumprimum,ibid. Senes quando desinant obligari,n.41
Excusantur laborantes,etiamsi sint diuites.552.nu.42
Pictores,sculptores,tonsores,raptores. &c. nõ excusantur. nu.43. An etiam sutores teneantur,ibidem.
Excusantur qui ad negotia proficiscuntur pedites, ibidem. Item qui cum ieiunio nequeunt fungi officio suo. ibid.
Peregrinationem suscipiens tenetur, si poterat commodè eam differre,nu.44
Coniux an à ieiunio excusetur,ibidem.
Quid si hæreticus maritus in contemptum Ecclesiæ iubeat eam cœnare,ibidem.
Cibos vetitos concedit euidens necessitas,nu.45
In dubio dispensat Episcopus vel Parochus,ibidem.
Cui concessus carnium vsus, an etiam concessa iecunda refectio,ibidem.
Peregrinus an teneatur loci ieiunio,nu.46
An ieiunio loci vnde discessit.727.53.554.53
Qui satisfecit ieiunio vno loco, nõ tenetur alibi, modò absit scandalum, nu.52. Potest se accommodare in cibis, &c. incolis loci in quo est,nu.55
Extremis & visceribus animalium vescuntur Castellani, ibidem.
Discedens mane ex loco vbi non ieiunium, potest comedere carnes,etiamsi sit ieiunium in loco ad quem se confert.554.57. Quid si sit ieiunium in loco vnde discedit, num.58
An qui in loco vnde discessit non expleuit ieiuniũ Quadragesimę,alibi teneatur,si illud ibi iam sit expletum. n.59
Ieiunia commodo tempore instituta,num.61. Cur tempore verno.62. Cur tali numero dierum.555. nu.63
Ieiunium olim erat tantùm.36.dierum ante Paschã.postea 44.dierum. Sabbati ieiunium in Ecclesia Romana & Africa.555.64. Quatuor tempora.nu 65
Ieiunia vigiliarum.555.66. Concilium Prouinciale an possit tollere ieiunia Sanctorum Bartholomæi, Matthæi, Iacobi, Thomæ,ibidem.
Quatuor ieiunia ex consuetudine,ibidem.
Ieiunia sexaginta.nu.67
An die Dominico liceat ieiunare,nu.68
Ieiunij commoda morbos curat,longæuitatem præstat,tẽtationes carnis sedat,sensus exacuit.nu.69.& seqq.
Illustrationibus animam aptat, flagella auertit, impetrandi vim habet,est meritorium,est cibus virtutis.556.71.& seqq.
Rechabitis à vino abstinentibus,promissa merces,num.76

Iephte.

Iephte an voto tenebatur.412.35

Ignauia.

Ignauia quid & quale peccatum.533.61

Ignorantia.

Ignorantia iuris qualis impediat præscriptionẽ 44.14.16
Ignorantia crassa quos obliget ad restitutionem. 63. 63. nu.33.34
Ignorantia concomitans an obliget ad restit.63.46

Illegitimus.

Illegitimi alij naturales,alij spurij.185.55
An possint hæredes à parentibus institui nu.58. & 186. 64.& seqq.
Illegitimi an in hospitali infamię vitandę causã exponi possint,num.69
Primo triennio debent alĩ à matre, reliquo tempore à patre,donec sibi prouidere possint,nu.70
Illegitimus an possit religionem intrare.442.37

Illicitum.

Illicitè multa fiunt quæ facta tenent.264.18.

Imaginatio.

In imaginatione operis illiciti duo spectantur. 587.107
Delectatio ex ipsa imaginatione,nu.107.108
Delectatio ex re imaginaria excitat ad pollutionem.587 nu.109.110
Imaginatione copulę futurę an sponsi oblectari se possint. An vidua præteritæ; An coniux in absentia coniugis. 189.nu.20.121

Imago.

Imagines quomodo colamus. 379.19
Imagines astronomicæ.490.63.& 493.12
Imagines sacras frangere, vel indecorè pingere quale peccatum.502.nu.17

Immobilia.

Immobilia bona quæ dicantur.48.nn.25

Immutabilitas.

Immutabilitas Dei orationis efficaciæ non obest. 382.8.

Impatientia.

Impatientia quid sit,& quale peccatum.540.41

Impedimentum, Vide *Matrimonium.*

Impediens.

Impediens aliquem vi,ne alteri benefaciat, quando teneatur de damno.86.154.& 119.223.& 121.133
Impediens aliquem a bono cõsequendo, ad quid teneatur. 119.123.& seqq.& 121.nu.133
Impedire damnum omninõ ad quid teneatur.128.n.62.64
Quid si accipiat pretium ne impediat.129.68
Non impediens iniicentes manus in clericos excommunicatur,si tenebatur ex officio impedire, aliàs non. 129. num.65
Magistratus non impedientes furta & latrocinia,si sine graui damno possunt,tenentur ad restitutionem. 129.70
Item ad id conducti,nu.71. Non tamen tenentur soluere mulctam statutam ijs,qui damna rebus, quas seruant inferunt,nu.73
Nun impedientes quo ordine teneantur ad restitutionem. 130.nu.80
Impedire quis ne peccet quomodo licitè possit. 147.54
Impedire peccatum proximi cum graui tuo incommodo non teneris,nu.58

Imperium: Imperare.

Imperandi ius ex triplici causa nascitur.509.24
Imperandi potestas quadruplex.nu.25
Imperium prudentiæ quale sit.4.23.& 24
Imperij coronam vidit sibi in somnis imponi Theodosius 487.num.50

Impuberes.

Impuberum vota irritari possunt à patre.420.nu.82
An à matre,ibidem.
an possint testamentum condere.184.nu.37

Inanis gloria.

Inanis gloria quid sit.537.23. Quale peccatum, nume.24. Est vitium capitale,num.25. Septem eius filiæ. Aduersatur magnanimitati,nu.27

Incendium.

Incendere puluerem ad comburendam nauem ne in potestatem hostium veniat,an licitum.71.32
Incendio grassante potes te ex fenestra cum certa morte demittere. 71.35
Incendiarij,effractores Ecclesiæ, &c. an excommunicati. 503.nu.22

Incerta.

Incerta bona quæ dicantur.132.31
quænam fisco applicentur,nu.36

INDEX RERVM.

Incestus.

Incestus quid,579.75. Est contra reuerentiam iuri sanguinis debitam,num.78
Incestum animalia quædam detestantur, & puniunt, ibid.
Impedimentum ex incestu cum consanguinea vxoris.580. 81.Cum consanguinea propria,num.82.

Inconsideratio.

Inconsideratio quando sit peccatum mortale.80.20
Frequentiùs accidit in motibus animi internis quam in opere externo,& quare.61.29
Inconsideratio naturalis excusat à restitutione.61.29. Vix est peccatum veniale in actionibus externis in materia graui, num.29.

Inconstantia.

Inconstantia quid sit,& quale peccatum.542.49
Quando sit peccatum mortale. 8.20

Incontinentia.

Incontinentia quid.592.11.Est peccatum. 593.14
Est minus malum quàm intemperantia,num.15
Magis dedecorosa quàm ita; est tamen periculosior, numer.16.17

Incubus.

Incubus vnde proueniat.487. 56

Indigentia.

Indigentia siue necessitas hominum reddit merces pretiosiores; non vnius in particulari, sed multorum. 216. numer.67

Inducens.

Inducens alterum in errorem aut peccatum ad quid teneatur.643.& seqq.
Inducens alios ad damnum inferendum vi vel fraude, vel in suam vtilitatem, tenetur primo loco restituere. 126. 41.42
Si liberè induxit vt communi nomine facerent, æqualiter cum alijs.128.54

Indulgentia.

Indulgentiæ recitantibus horas Beatæ Mariæ,&c.393. numer.76

Inebriare.

Inebriare alterum an liceat. 94.29.& 570.nu.33
an liceat se inebriare,nu.36

Infamia, Infamatio.

Infamare se multis casibus licitum.31.nu.59
Qui alium infamauit. tenetur ei restituere famã etiam cum sua infamia 31.59
ad virandam infamiam an possis alium occidere.77.81
Infamator non tenetur dicta reuocare,nisi probabile sit profuturum.96.51
Infamans aliquem ne officium consequatur,ad quid teneatur.119 124. & seqq.
Infamare seipsum quale peccatum.94.30
An liceat ad viranda tormenta.95. nu.34
Infamare cum,qui fictis virtutibus sibi famam comparauit an licitum.97.63
Infamem ob vnum vel alterum crimen an liceat de alijs infamare.98.83
Quando infamia in obliuionem abijt,an restituenda sit fama.101.num.100
Infamatoris hæredes ad quid teneantur.102.112.113
Infamans alium sine sua culpa ad quid teneatur,n.115.116
Infamatorem non impediens ad quid teneatur.103.120
Quando teneatur eum Superior cogere ad restitutionem famæ.103.123
Infamare infamatorem quando licitum,nu.130
Infames sunt vsurarij.206.186

Ingratitudo.

Propter ingratitudinem an possit donatio reuocari. 176. 104.
Ingratitudo alia formalis, alia materialis.516.15
Quale sit peccatum.516.nu.16
Materialis quale sit peccatum.17
Ingratitudinis diuersis gradus,nu.18.20

Iniuria, Iniustitia.

Iniuria quid.15.3
Iniurias priuatas ignoscere meliusne quàm vindictam petere.517.27
Iniustitia duobus modis accipitur. 57. 1. Generatim accepta non distinguitur ab inobedientia,nu.2. Est communis omni peccato, ibidem.
Iniustitia alia actualis,alia habitualis;vtriusque definito.75 4.Dupliciter committitur,actione & omissione, nu.5
Iniustus est qui sciens aliquid iniustum facit, nõ tamen qui ex ignorantia inculpata.58.nu.7
Iniustum formaliter quid sit.58.nu.10
Iniustitia non fit volenti & scienti.58. nu.11
Iniuria & iniustitia includunt formaliter rationem voluntarij,vnde nec ab ignorãte,nec volenti fieri possunt. ibi.
Iniuriam sibi nemo facere potest.58.13
Iniuriam passus Christus & Sancti 59.14
Iniustum facere potest quis ei, qui iniuriam non patitur. 59.14
Iniuria non fit volenti etiam in re, quam secundùm legem Dei deberet nolle. 648
Ex iniuria sequens damnum non per actionem iniuriosum non est restituendum.66.19
Ex iniuria quantitate non est spectanda quantitas restituenda.83.nu.134
Iniuriam sibi factam alteri referre quale peccatũ.98.nu.72
Iniuria nemini immediatè tollit ius suum,sed mediatè.98. num.77
Iniuriarum generalis condonatio ad quas se extendat.106. 146
Iniuriam faciens quàm sibi nocet. 593 20
Iniuriarum actio quanto tempore excludatur.50.nu.36
Iniqua acceptio rei alienę non obligat ad restitutionem,nisi quatenus damnosa.115.nu.92
Iniquus detentor rei alienæ qua æstimatione teneatur eam restituere.116. 99 & seqq.
An ex ea possit fructus percipere.117.110.111

Innocens, Innocentia.

Innocens aliquo modo tenetur ad maiorem gratiarum actionem quàm pœnitens.515. nu.10
Innocentes aliquando in seruitutem rapi possunt.33.12
Innocentem occidere an aliquando liceat.71.36.& seqq. duo modo liceat eum periculo vitæ exponere,ibid.
Innocentem priuatum cum periculo vitæ suæ nemo tenetur defendere.78.90. Nec priuatus cum periculo inualoris,num.92
Innocentia quid sit.559.nu.99
Innocentes pro Christo occisi sunt martyres.530 45

Inobedientia.

Inobedientia alia materialis.quę continet omne peccatum alia formalis.512.40.Est duplex peccatum,nu.41 quantum peccatum sit,nu.45
Inobedientia generatim accepta in omni peccato reperitur nec ei specialem malitiam tribuit.57.nu.2
Secus si explicitè sit volita.ibid.
Inobedientia membrorum causa verecundiæ.561.106
cibus propter Inobedientiam quomodo coinquinet. 557. num.80

Inquisitio.

Inquisitionis prætextu pecunias extorquens tenetur restituere,etiamsi fiat ei remissio.146.40
Inquisitio est triplex.288.107

Insensibilitas.

Insensibilitas patientiæ opposita.540.nu.42
quale peccatum, ibidem.

Insinuatio.

Insinuatio in excessiua donatione qualis requiratur. 276. num.97

Intentio.

Intendens damnum ex actione non iniurioſa an teneatur ad aliquid.81.nu.113
Intentio mala per se non obligat ad restitutionem.118 123
carens Intentione obligandi se iuramento, an obligetur. 471.38

Interesse.

Interesse quid sit.194.68

Intemperantia.

Intemperantia quid.545.13. Est vitiũ maximè probrosum & infame.nu.14.Est puerile vitium.545.nu.15

Interpretatio.

Interpretari aliquid de personis quadrupliciter possumus. 277.nu.30. Interpretari in priorem partem aliquid possumus dupliciter;speculatiuè & practicè.ibid.
Quando in deteriorem,quando in potiorem partem aliquid

quid interpretari debeamus.179.nu.42.44.
Intimiditas.
Intimiditas quid.533.63. Vnde proueniat,nu.64
Intruſio.
Intruſio in beneficium quid.336 123.
Inuaſor.
Inuaſorem iniuſtum occidere eſt licitum.72.48
Etiam eius mortem intendendo.73.53
Idque priuata auctoritate.73.54
Saluare ſæpè conſilium potius occumbere,nu.55
Niſi quis ſit in peccato mortali,nu.56. Vide occiſio.
Inuaſus iniuſtè,poteſt ſe tueri cum periculo innocentiæ.73.57.& ſeqq.
Inuaſorem iniuſtum pro defenſione alterius occidere licitum.77.87. Etiamſi ille vellet occidi,nu.88
Inuaſorem occidens tenetur reſtituere,ſi modum iuſtæ defenſionis exceſſerit.84.134. Non tamen ſi noluerit fugere ne occideret,ibidem.
Inuaſionis varij modi.76.nu.73
Inuenta.
Inuenta an poſſint retineri.135.48
Inuidia.
Inuidia quale peccatum.595.27
Inutile.
Inutiliter relinqui quid dicatur.182.nu.15
Iocus.
Iocus in ſacris concionibus graue peccatum.608.96
Ira.
Ira ſubdita excuſat occidentem aliquando à reſtitutione.60.nu.28
Iræ vtilitas.594.23. Eſt ſatellitium rationis, ibidem.
Quando ſit peccatum, nu.24
Ira eſt minus de decordia quàm incontinentia; eſt tamen periculoſior.593.16.17.& 595.28
Iræ diſcrimen ab odio & inuidia,nu.27
Ira imitatur iuſtitiam,ibidem
Cur maximè perturbet mentem,nu.28
Iraſcentis noxa 593.21. B. Thomæ Mori conſideratio contra iram,ibidem. Iræ ſpecies. 597.29.30
Quæ comedia, num.37
Ironia.
Ironia quid. 519.nu.41
Irregularitas.
Conſulens homicidium an ſiat irregularis.64.11
Irregularis an ſit clericus furem occidens.76.73
Si reuocet mandatum occidendi, an incurrat cenſuras.124.nu.17
Irregularitas ex defectu natalium tollitur per profeſſionem Religionis.454.75
Iudex; Iudicium.
Iudex an poſſit per ſententiam iniungere reſtitutionẽ quæ antè non debebatur.81.118
Iudex compellens ſoluere vſuras excõmunicatus.264.179
Iudicium rectum in particularicum affectu prauo difficulter;aliquando tamen conſtitit.5.31.32
Iudex tenetur reſtituere accepta pro ſententia iuſta ferenda.136.64. Non tamen pro iniuſta.129.55
Non tenetur gratis præſtare officium, niſi ſtatutum ſit ipſi ſtipendium.236.68
Iudex delegatus ſi quid præter modica eſculenta, aut ſumptus neceſſarios aut à pauperibus acceperit, tenetur ad reſtitutionem,etiamſi ei ſit remiſſio.146.nu.39
Iudicium quid ſit,& quot modis accipiatur.274.1.2.
Iudicium ſtrictè ſumptum eſt actus ſcientiæ iuris & iuſtitiæ.idque dupliciter,nu.3.4
Temerarium iudicium quale peccatum.93.71
Iudicium temerarium quid ſit,& de quibus rebus fiat.275.num.5
Iudicij temerarij vel ſuſpicionis gradus tres ponuntur à D. Thoma,nu.9 Imò quinq; poni poſſum.277.28.
Iudicium temerarium Iudicis prodiens in actum externũ per ſententiam ſemper eſt peccatum mortiferum contra iuſtitiam.275.nu 8
Iudicium temerarium internum quãdo ſit peccatum mortale,quando non,nu.9 & ſequ.& 277.28
Iudicium practicum an ſequatur ex ſpeculatiuo. 278.n.40
Iudex quando ſecundum leges ſcriptas iudicare teneatur.279.nu.45
Iudex inferior quando recedere a lege ſcripta poſſe iudicando contra verba legis,quando non, nu.47
Ad iudicium iuſtum tria requiruntur.279.48
Iudicij vſurpatione peccant,qui iudicant ſibi non ſubditũ, vel non in alijs cauſis,in quibus eum iudicant,eſtque illorum ſententia irrita,nu.49.
Qui iudicium vſurpare cenſeantur,nu.51.52
Peccatum vſurpationis iudicij ex genere ſuo eſt mortiferum 280.nu 53
Iudex excommunicatus, ſi ſententia excommunicationis eſt occulta,non peccat vſurpatione iudicij,& ſententia, ceteraque eius acta publica ſunt valida,nu.54
Si excommunicatio ſit publica,verius eſt non peccare vſurpatione iudicij;niſi ſit denunciatus nominatim; vel notorius perculſor clerici, nu.56
Iudicem excommunicatum excommunicatione publica & notoria verius videtur peccare,mortiferè ratione cõmunicationis, niſi ignorantia, vel inconſideratio, vel functionibus breuitas excuſet.281.nu.59
Iudex nominatim denuntiatus & manifeſtus clerici perculſor peccat vſurpatione iudicij, contra iuſtitiam, & omnia eius acta ſunt irrita, nu.60
Si denuntiatus alio ſe conferat vbi eius cenſura eſt ignota, fiatque Iudex,acta eius erunt valida 281.nu.62
Iudex ipſo iure ob crimen priuatus titulo valide obit actus iudiciarios,nu.64
Vt Iudicis putatiui acta valeant,quæ requirãtur,nu.65. Iuriſdictio occulte ablata non reddit actus habentis titulũ coloratum inualido.283.nu.66
Inferiores Iudices à tyranno, qui inuaſit Remp. conſtituti, ſi eius tyrannidem non ſuſtentent, aut iuuent, non peccant ius dicendo, modo alioqui omnia iure agant. 284.num.75
Verius videtur Iudicem non poſſe vllo modo condemnare ad mortem reum,cuius innocentiam certo nouit,nu.78.& 285.nu.82
In cauſis ciuilibus & criminalibus minoribus, an poſſit ex probationibus ſententiam ferre.285.nu.84
Iudex inferior non poteſt aliquem ex priuata ſcientia, aut certe non citatum & auditum condemnare.287.nu.92. Verius quoque eſt nec Iudicem ſupremum poſſe aliquẽ condemnare ex ſola ſua ſcientia priuata,nu.94
Iudex iuridicè aduerſus crimina tribus modis procedit. 289.103
Iudex non poteſt condemnare ſine accuſatore generatim ſumpto,nu.104
In quibus criminibus procedatur a Iudice ex officio,n.106
Inquiſitio triplex.1. Omnino generalis.2. Omnino ſpecialis.3. Mixta,nu.107
Vt Iudex faciat inquiſitionem omnino generalem,non eſt neceſſe vt aliqua infamia præceſſerit, nu.108.
Cum iudex inquiſitionem omnino generalem facit ſubditi interrogati non debent patefacere,crimmoſos occultos, num.109.& ſeqq.
Quando crimen eſt manifeſtum, ſed auctor ignoratur, ius eſt Iudici quærere in genere quis fecerit.289.nu.114.
Subditi tamen non tenentur patefacere auctorem, ſi nulla laboret infamia, vel nihil mali in poſterum timeatur. 289 num.118
Vt Iudex poſſit inſtituere inquiſitionem ſpecialem contra aliquem tendentem ad punitionem criminum, debet præcedere aliqua infamia auctoris,nu.121
Quanta illa eſſe debeat,nu.123
Quibus caſibus non requiritur ad ſpecialem inquiſitionem infamia præuia de illo crimine.290.nu.124.& ſeqq.
Praxis Iudicum ſæcularium, qui ex denuntiatione publici Officialis, aut ad querelam partis offenſæ procedunt ad capiendas informationes & iudicia, quibus habitis formant libellum inquiſitionis, an damnanda,nu.131.132
Hæc Iudicum praxis an neceſſaria.291.135
Iudex eccleſiaſticus non debet procedere ad inquiſitionẽ abſque præuia infamia,nu.291.nu.140
Quibus modis aperiatur via Iudici ad inquiſitionem.291.nu.143.& ſeqq.
Duo circa inquiſitionem faciendam notanda 291.nu.148
Indiciorum quinque gradus,nu.150. Quæ ſufficiant ad torturam,nu.153.& ſeqq.
Ex indicio verius eſt non poſſe condemnari reum ad poe-
nam

nam ordinariam criminis.295.nu.170
Iudex condemnans ad mortem non ſubditum,vel in crimine exempto tenetur ad reſtitutionem hæredibus,n.171
Iudex etiam proprius condemnans reum vel ex priuata ſcientia,vel ex cognitione per iniuriam extorta,ad reſtitutionem tenetur.295.172
Si tamen Iudici,qui per iniuriam crimen extorſit,ſuppetebant aliæ rationes,ex quibus reum iuridicè damnare poterat,non tenetur ad reſtitutionem,nu.174
Si Princeps parefacto iam crimine iubeat omnino cõdemnari illum, cuius crimen per Iudicem inferiorem per iniuriam eſt extortum ; poſſit ne is obedire Principi & teneatur ad reſtitutionem,nu.175
Iudicij vſurpatione generatim dici poſſunt peccare, qui ſolum titulum coloratum habent.283.nu.68
Iudicem iniquum fecit Cambyſes excoriari.597.48

Iuramentum. Iusiurandum.

Iuramentum an roboret pactum nudum.152.25
Iuramentum quid ſit.464.1. Non eſt pertio miraculi, nec actus orationis,n.2. Duo ad eſſentiam eius requiruntur. 464.4. An iuret qui dicit per fidem, coram Deo, &c. ibidem.
Iurare per falſos deos quale ſit peccatum,nu.5
Iurare per creaturas an ſit verum iuramentum, nu.6
Iuramenti finis,nu.7
Iuramentum aliud conteſtatorium, aliud etiam execratorium.465.7.An differant ſpecie,num.9. Tale periurium continet diuerſam malitiam, ibid.
Iuramentum aliud per Deum, aliud per creaturam, quod quadrupliciter ſit,nu.10. An ſit eiuſdem ſpeciei cum illo,ibid. Aliud ſimplex,aliud ſolemne 465.11. Aliud aſſertorium,aliud promiſſorium, aliud comminatorium, num.11. Quomodo hæc differant, ibidem, aliud conditionale, num.12
Iurare per membra Chriſti quando ſit blaſphemia, nu.10
Iurare per Deum vel creaturas an licitum,nu.13
Iſit cultus latriæ,ibid. Tres conditiones requiſitæ,& quæ ſi peccatum eas non ſeruare.467.17
Iuramentum promiſſorium liberè factum quando obliget, nu.13 & ſeqq. Eius violatio in re parua an ſit peccatum mort 464.23. Differentia voti & iuramenti,nu.25
An metu extortum obliget.465.26
Caſus ſuperueniens ipſum irritat.470.34
Iurare ſe facturum aliquod peccatum,quale peccatum ſit. 467.18
Iurans latroni ſe eum non accuſaturum an teneatur, nu.19
Iurans ſe daturum latroni certã pecuniam,tenetur.467.27
Item iurans ſe rediturum ad iniquum carcerè.469.n.28
Iuramentum vi extortum violare quale peccatum,nu.30
Iuramentum dolo vel errore extortũ an obliget. 470.n.33
Iuramenti obligatio non pendet tota ex intentione. 471. num.39
Qua ratione differat a voto. ibid.
Iurans fictè an teneatur iuramento,nu.36
Quantum peccet.471.nu.41
Iurans verbis ſine intentione ſe obligandi, an obligetur. 471.nu 38
Iurans alio ſenſu quàm alter intelligit,an teneatur.472.44.
Quantum peccet, nu.46.48
Iuſiurandum deferre ei,quem putas peieraturum an liceat. 473.49. An iraturo per falſum Deum.474.50
Vtrùm iuramentum ſit maius peccatum,nu.51
Iuramentum an magis obliget quàm votum, nu.52
Quomodo eius obligatio tollatur.474.55.56
Quuis in ſui gratiam factum poteſt remittere,nu.57
Si commutetur eius materia in aliam,non tenetur ad eã ex iuramento ſecus in voto 57. Quis commutare poſſit.475.58. Quis ea irritare.476.61
Quis in ijs diſpenſare poſſit.476.62.64
Qua ratione ſeu auctoritate poſſit quis diſpenſare. 477. num.67
Qua ratione cognitio iuramenti ad ciuile etiam forum pertineat,nu 66
Iuramenti vinculum quomodo poſſit laxari.476.63
Conditionis ſubtractione ſoluitur,ibid.
Iuramentum per vim & metum an iure irritum.476.64
An de non accuſando etiam ſit irritum,ibid.
Filij iuramẽtum de bonis aduentitijs irritare poteſt pater, etiam poſt 25 annum.476.65
Iuramentum de re licita ſemper validum, de re illicita inualidum. Excipe duos caſus.157.nu.50.& 158.nu.52
Non idem eſt iuramentum ſuper contractu eſſe validũ, & validare contractum,ibid.
Iuramentum quando dicatur eſſe cõtra bonos mores. 157. nu.50. Si vi extortũ,validum eſt, ſed peti poteſt diſpenſatio, ibidem.51
Iuramentum, ſuper contractu factum eius naturam induit.158.52.Quando valideat contractum alias,irritum, nu.55.& 56
Iuramentum generatim factum ſuper re illicita, non obligat ad licitam aliquam eius ſpeciem, nu.54
Iuramentum dupliciter addi poteſt contractui.158.nu.56. Merè aſſertorium non firmat contractum,ſecus de promiſſorio,ibidem.
Iurans ſe ſoluturum non priuat ſe iure poſteà repetendi, ibidem.
Iuramentum præcedens non inualidat actum vel contractum ſequentem,nu.57
An ſecundus irritet prius,nu. 58.59
Iuramentum ſequitur naturã actus cui adiungitur.158.52
Iuramentum prius an à poſteriore infirmetur. 159.nu.57
Iurans non reuocare teſtamentum,an poſſit reuocare.188. num.95
Iurata promiſſio patitur eaſdem exceptiones, quas iniurata.174. nu.73
Iurans quid indifferens vel minus bonum an teneatur.467 num.20
Exempla iuramentorum,quibus ineſt tacita conditio.467. num.22
Cum quis iurat ſe fore religioſum, tenetur, etiamſi nullus acceptet iuramentum, quia à Deo acceptatur, ibid.
Iurans ſeruare ſtatuta Capituli,ibidem.
Mercatores iurantes rem ſibi tanti conſtare, &c.472.nu.46
Quomodo iurabit qui tranſit per locum infectum,nu.47
Quando fas adhibere iuramentum. 474.48
Ioci cauſa ambiguè iurans,nu. 48

Iuriſdictio.

Iuriſdictio metu extorta eſt valida.255.37
Actu interno dari non poteſt.168.nu.33

Ius patronatus.

Ius patronatus quid ſit, & quotuplex.322.17. Vide *Patronatus.*
Ius collationis beneficium quibus competat.325.43

Iuſtitia, Iux, Iuſtum.

Iuris naturæ aliquid dicitur tripliciter.33.8
Ius ad pecuniam vel aliam rem emi poteſt, etiamſi res ipſa non ematur. 229.26.27
Ius imperandi ex triplici cauſa naſcitur.509.24
Imperandi poteſtas quadruplex.nu. 25
Iuſtitia tribus modis accipitur. 11.nu.1
Iuſtitiæ definitio,11.2.Differt à ceteris,num.5
Iuſtitia formaliter diſponit ſuum ſubiectum ad alterum, effectiuè alterum ad ſe. 11.4
Iuſtitia non eſt hominis ad ſe,nec filij ad patrem.12.6
Nec inter dominum & ſeruum qua tales,ibid.
Iuſtitiæ obiectum.12.7.Quomodo poſſit paſſiones moderari.16.nu.8.Attingit medium rei,nu.9
Iuſtitia legalis quid ſit.12.11.15.19
Videtur non differre à pietate,nu.12
Aliter eſt in Principe,aliter in ſubditis;nu.13
Quomodo à pietate differat.11.nu.14.
Iuſtitiæ particularis diuiſio.178 20. Diſtributiua propriè eſt in Magiſtratibus,ibid.Diſtinguitur à commutatiua, nu.21.Illa ſpectat medium rationis hæc rei, ibid.
Illa hanc interdum includit.18.nu.23
Ius triplex.191.Eius definitio.nu.2.& 11.6.7
Varie diuiditur. 20.8
Quid ſit ius naturale,quid poſitiuum,nu.9
Quid ius ad rem,nu.11. quid ius in re, nu.12
Iuſtum generatim acceptum eſt obiectum obedientiæ.15. num.4
Speciatim eſt obiectum iuſtitiæ particularis, nu.5
Aliud ſpectat æqualitatem arithmeticam,aliud geometricam.15.5
Iure naturæ nemo ſeruus.35.nu. 54
Quomodo iure naturæ omnia ſint communia. 32.3.4

Ius

Ius naturæ immutabile. 32.3. Quomodo differant ius naturale, & positiuum, ibidem.
Ius gentium quid. 33.9. Quomodo facta sit eo iure diuisio rerum, ibid. Dicitur aliquando ius naturæ. 33.10
Iura quomodo præscribantur. 46.20
Ius legitimandi & vectigalia imponendi quomodo præscribatur. 51.nu.41
Iuris cessio debet esse libera. 58 nu.12
Iustitia commutatiua tantum postulat vt satisfacias alteri in bonis in quibus eum læsisti. 100.87
Ius gentium supponit, non euertit, ius naturale, 112.68
Ad quæ ex iustitia obligaris, pro ijs nihil potes accipere, 136.63. Ne quidem vt in gratiam tertij facias, nu.67
Ius ad prouentus, præstito officio non est spirituale. 366.nu.126
Ius succedendi quomodo reuiuiscat. 236.88
Iustitia quomodo dicatur versari circa actus externos. 277 num.27
Iustitia nostra quomodo maior iustitia Pharisæorum. 399. num.7
Sui iuris quisque est in ijs, quæ ad statum vitæ pertinent. 416.nu.63
Ius quomodo acquiratur in non subditum per iniuriam ab eo factam. 476.63
Iuris ecclesiastici violatio an sacrilega. 502.18
Iustos à mortuis excitatos probabile est singulari gratia custodiri, ne excidant à gloria, 533.nu.60

Labor.

Laboris eius qui occisus æstimatio quomodo facienda, 82.nu.125

Læsus.

Læsus ex contractu quis dicatur. 163.nu.69

Lætitia.

Lætitia inepta vnde nascatur. 604.76

Laicus.

Laicus an possit possidere rem sacram. 21.40. & 42
An præscribat decimas. 55.48. an possit occidere furem in defensionem bonorum. 75.nu.86

Lana.

Lanarum emptio an licita anticipata solutione. 215.61

Lapicidinæ.

Lapicidinæ fundus eius, cuius est fundus. 39.53

Larua.

Laruarum vsus. 608.98

Latro.

Latro publicus non gaudet asylo. 501.13

Laudemium.

Laudemium quid sit. 227.1. & 253.nu.57

Lectio.

Librorum prohibitorum lectio inducit excommunicationem. 606.83
Lectio curiosa quando mortalis, nu.84

Legatum.

Legata soluenda eo loco vbi legantur. 143.59
Quanto tempore præscribantur. 51.39. Soluenda legata quæ ponuntur in testamento. 181.nu.9
Legatarij vsurarij ad quid teneantur. 205.nu.176

Legitimus.

Legitimus publicè habitus non tenetur credere, matri se esse illegitimum. 91.nu.51
Legitima an danda filijs statim post patris professionem. 457.nu.83
Professus an debeat matri, mo, &c. relinquere legitimã, si liberis careat, ibid.

Lenitas.

Lenitas nimia vitanda. 597.nu.44

Lentitudo.

Lentitudo quando sit vitium. 596.34.35

Leuitas.

Leuitas animi in quo sita sit. 604.76

Lex.

Lege naturæ quomodo omnia communia. 32.3
Lex naturæ est immutabilis, ibid.
Lex contra legem quomodo præscribatur. 53.44
Quomodo consuetudo eius vim tollat, nu.45
Leges quædam obligant tantum post sententiam. 63.44
Virum leges de damno ex culpa dato resarciendo obligent in conscientia, nu.43. & 45
Legem iniquam ferens continuè peccat. 107.nu.14
Non tamen semper nouo peccato, nu.15
Lex pœnalis quædam obligat ante sententiam. 146.nu.38
Lex commissoria in pignoribus est prohibita. 201.133
An licita in censibus. 234.nu.68
Lex commissoria in venditione quæ sit. 222.nu.124
Lex ante promulgationem an obliget. 236.98
Leges, quibus additur, ipso iure priuetur beneficio vel officio, priuant titulo, non possessione. 282.64

Libelli, Libellaticus.

Libelli famosi, 93.11
Libellus, seu liuellus, vel libellaticus contractus quid sit. 248.6

Liberalitas.

Liberalitati non repugnat debitum ex gratitudine, sed ex iustitia. 167.14
Liberalitas quid sit. 521.54. Eius obiectum, nu.54.57
Eius necessitas, num.55. Quæ possint ad eam nos incitare. 521.56. Reperitur etiam in Deo, nu.58
Vitia illi opposita, nu.59. & seqq.

Libertas. Liber.

Libertas non debet vendi sine causa. 34.15
Libertas actualis necessaria ad continuationem peccati. 107.num.19
Liber homo non potest pignori dari, vel ob debita in seruitutem rapi. 273.nu.40
Libertas Euangelica à quintuplici seruitute non soluit. 550.28
Libertate se abdicant religiosi propter Christum. 34.15
Libertas peccandi. 604.76

Librantia.

Librantias dimidio pretio emere an licitum. 217.74
Earum pretium æstimandum non ex commoditate vel difficultate vnius vel alterius, sed ex publica æstimatione, n.76. Non possunt tam vili pretio emi ab ijs, quor um est eas soluere. nu.78

Libri.

Libros sacros an liceat tyranno tradere comburendos. 71. num.40
Libros comburere iussus mathematicus, & publicam pœnitentiam agere. 484.35
Libri magiam naturalem tradentes suspecti, & vitandi iuuentuti, 491.nu.1

Lignatio.

Lignari, vel pascere pecus in loco publico an possit prohiberi. 39.54. Contra iustam prohibitionem id agere quale peccatum, nu.55
Quale in loco alterno, nu.56

Litare.

Litare hoc tempore agno vel vitulo an licitum. 398.25

Litigium.

Litigium quid sit. 521,51. Quale peccatum, nu.53

Littera.

Litteras alterius referans ad quid teneatur. 120.131

Locatio. Locatum.

Fur locans torquem auream an teneatur restituere pretiũ locationis, 118.nu.114
Locator rei fructiferæ an teneatur ob sterilitatem remittere de pretio. 248.12. An quando casu fructus collecti pereunt. 249.18
An ratione vbertatis possit augere, nu.21
Locator ex qua culpa teneatur de damno. 249.19
Quando possit conductorem expellere, nu.32
Quid si promiserit non expellere. 252.37
An teneatur minuere pensionem, nu.38
Locare rem alicui qui putatur abusus ad peccatum an liceat. 252.nu.39
Locare domum vsurarijs an liceat, nu.41
Locari res Ecclesiæ quanto tempore possint. 155.68

Longanimitas.

Longanimitas est pars patientiæ. 540.nu.40

Lucifer.

Lucifer peccauit superbia. 603.69

Lucrum.

Lucri æstimatio quomodo facienda. 83.118. & seqq.
Lucra mariti & vxoris quando fiant communia. 114.87
Lucrum sperare ex mutuo an licitum. 191.nu.35
Lucrum cessans quid sit. 194.68. An pro eo mutuator possit aliquid

aliquid exigere. 196.79.80. Quando dicatur ceſſare nu. 83. Tres cõditiones neceſſariæ eius qui occiſus eſt.n.85

Ludus.

Maritus an poſſit inuita vxore in ludo pecuniam exponere. 114.nu.88
Ludus quid ſit.263.1.Iure naturæ licitus.nu.3
Ludi quidam prohibiti iure ciuili,nu.4. Quantũ in ſingulis luſibus ſine commiſſione liceat exponere, ibid.
Ludus alex ſub quanto peccato prohibitus clericis vel laicis.nu.5.6
Ludus vt ſit licitus quas conditiones requirat, nu.7
Impellens iniuria alium ad luſum tenetur reſtituere. 264.9.12. Item fraudem faciens in luſu, nu.13
Quæ fraudes licitæ,nu.15
Ludo vetito acquiſita non debent reſtitui ante ſententiã. 264.17. Quid ſi victor impediat ſententiam,nu.21
Ludo vetito amittens ſi nõ audeat ſoluta repetere in iudicio an poſſit occultè accipere. 265.22
An poſſit minando repetitionem alterum cogere ad reſtitutionem partis.265.23. An teneatur ſoluere in conſcientia,nu.24. Quid ſi vterque renũciauerit beneficio legis,nu.26. Quid ſi iurauerit ſoluturum,an poſſit iuramẽtum relaxare,nu.27
Ludo vel ſponſione an poſſit lucrari qui non poteſt perdere,n.28.30.An religioſus,266.32.37.An filius familias, nu.34.37
Ludi theatrales veriti in loco ſacro.608.98
Ludus non eſt opus ſeruile,nu.98. Quid ſi lucri cauſa laudatur.ibidem.

Luxuria.

Luxuria eſt peccatum mortale. 571.40. Eſt vitium capitale.ibid.Eius filiæ octo. nu.42. Euertit prudentiam. ibid. Species eius ſunt ſex.572.43

Machinatio.

MAchinatio quid ſit.60.nu 23

Mancipatio.

Mancipium quid.21.6
Mancipium nemo eſt iure naturæ.40 nu.55
Quot modis quis fiat mancipium.33.18

Magia.

Magia naturalis quid ſit.491.1.Quid ſuperſtitioſa, num.2. Quæ ſint eius fundamenta.491.4. Quibus indicijs cognoſci poterit an aliqua ad magiam pertineant.473.13 Quale ſit peccatum.496.26.Quę crimina coniuncta habeat.nu.27.Quæ remedia contra eam adhibẽda,nu.28.
Magi omnia elementa ac cælos dicunt animata, & illarum animarum virtute ſe operari. 492.14. Variæ ipſorum operationes.493.14. Quomodo poſſint corpora transmutare 494.18. An poſſint in homines dæmones immittere,& abijs ejicere.495.22
Quænam poſſint circa animam hominis,nu.23
Magica ſigna tollere vt diabolus deſinat nocere an ſit licitum.497.35
An liceat contraria ad eumdem effectum ponere. 499.45
Quomodo cognoſcatur an aliquid ſit magicum. 493. 13. & ſeqq.
Magorum virgæ an conuerſæ in ſerpentes,494.18
A Magia haud immunis Marſilius Ficinus.492.6

Magiſtratus.

Magiſtratus non impedientes latrocinia,furta,&c. ſi commodè poſſint,tenentur ad reſtitutionem.129.nu.70

Magnanimitas.

Magnanimitas quid ſit.535.6.Ratio eius formalis, n.7.Differt ab alijs virtutibus, nu. 8. Quomodo verſetur circa honores.535.9.Eius officium,nu.10]
Quibus inſit,n.12.Fidẽtiã & ſecuritatẽ g̃enit.536.n.13
Magnanimus ſolos ea ſolos honores magni facit, nu.11
Functiones ipſius.536.nu.14
Magnanimitati quæ vitia aduerſentur.537.18. & 538.27
Differt à magnificentia.538.31.Summè humilis eſt ſummè magnanimus.599.51

Magnificentia.

Magnificentia quid ſit.535.2.& 538.30.31. Differt à magnanimitate,nu.31.Eius officium,nu.32
Vitia oppoſita.539.34.36

Maleficus.

Maleficam vt ſigna tollat verberibus cogere licitum. 73. num.48

Mandans.

Mandans damnum ad quid teneatur.123.11
Ad quis mandatum reuocans,nu.12
Mandans damnum tenetur primo loco ſatisfacere, executore ipſo deficiente.126.42.44

Mandatum.

Mandatum reuocans ante executionem ad quid teneatur. 123.num.12
Mandatum reuocans an teneatur alium monere vt ſibi caueat.124.nu.18
Mandatum an expiret morte mandantis.170 46

Manifeſtum, Manifeſtare.

Manifeſtare occultum alterius crimen, vt damnũ proprium vel tertij auertas an liceat.111.51.& 57
Manifeſtare crimen alicuius vni vel duobus quale peccatum.112.nu.68
Manifeſtum & occultum mutant ſpecies iniuriarum. 206. num.3.137

Manſuetudo.

Manſuetudinis ſex incitamenta.593.19
Chriſti manſuetudo vbi eluxerit.ibid.

Maritus.

Maritus vxoris bona in ſuum commodum adminiſtrat, ſecùs de tutore.114.83.Tenetur ad reſtitutionem vxori ſi ea diſſipet.114 87.Si ludo perdit, damnum eſt commune,niſi ordinarie perdat,nu 88
Maritus prodigè adminiſtrans bona communia tenetur vxori reſtituere,eoque deficiente hæredes.262.n.37.Et vxor poterit vti occulta compenſatione.nu.37
Maritus non habet in bona communia plus iuris præ vxore,præter ius adminiſtrandi,ibidem.

Martyr, Martyrium.

Martyres,qui ſeipſos occiderunt,70.24
Martyrium quid ſit.526.12.Dupliciter ſubitur,ibid.
In martyrio parvulorum, Chriſti meritum ſupplet actum voluntatis eorũ,n.12.527.19. Cuius virtutis ſit actus.n. 13.14.Tria in eo conſideranda,n. 15. Cur ſemper dicatur actus fortitudinis.527.18. Quænam ad illud requirantur.527.19.& 529.37.& ſeqq.
Quatuor eius gradus.527.22
Quænam requirantur in peccatore.530. 40.42. & 531. nu.48.& ſeqq.
Martyrium obire ob vanam gloriam quale peccatum. 528 num.29
Martyrium ſubiens pro aliqua virtute, implicitè etiam illud ſubit pro fide,nu.28. Qui occiditur ob opus bonum iam factum,etſi doleat ſe illud feciſſe, modò malit pati mortem quàm negare eſſe opus bonum, an martyr cenſeatur.528.29.Actus acceptandi mortem debet aliquo modo eſſe ſupernaturalis,nu. 30. Non tamen neceſſariò actus charitatis,nu.31.32.Et quamquam ſit ſignum dilectionis Dei ſuper omnia non tamen infallibile,nu.33. & ſeqq.
Martyrium habet ex ſe vim delendi peccatum,& conferẽdi primam gratiam.530 48.& 552.54
Quando conferat effectum,nu.57
Milites pro fide pugnantes non ſunt martyres.529.36
Martyrum mors non eſt ſacrificium.527.17
Martyrium Polycarpi præſignatum,cui in ſomnis ceruical vilum comburi.532.nu.50
In iuſto martyrium per ſe habet vim augendæ gratiæ. 532 num.55
An per ſe deleat culpam venialem.ibid.
Si curetur miraculosè,probabile eſt ſingulari gratia cuſtodiri ne excidat à gloria.533.nu.60
Martyrium S.Ioannis Apoſtoli.527.22
Innocentes ſunt martyres.530 45
Martyrium æquatur baptiſmo,nu.46

Mater.

Mater an poſſit filium vendere.34.17
Mater poteſt accipere pharmaca ſaluti neceſſaria cum periculo fœtus.74.62
Non tamen intendendo abortum,nu.61
Nec poſt animationem prolis.63
Niſi aliàs veraque periret,nu.64
Mater non poteſt ſubſtituere pupillariter.187.nu.88

Materia.

Materia grauis in furto quæ ſit.109.29

Quæ

Quæ ſit reſpectu filiorum, vxorum, &c. 113. nu. 76

Matrimonium.

Matrimonium promittens vt virginem decipiat ad quid teneatur. 68. 20. & ſeqq. An poſſit religionem, quam antè vouerat, ingredi. 89. 32

Matrimonium irritatur metu graui niſi iure incuſſus ſit. 155. 37. Quomodo validetur. 165. 74. 75

Conditio, quæ addita matrimonio illud impediat. 179. 122

Matrimonium metu leui contractum an valeat. 157. nu. 47

Matrimonium omnia bona communia faciens, nõ facit ea damna communia quæ alterius culpa proueniunt. 256. 4. & 262. 37

Matrimonium contrahere poſſt votum caſtitatis animo ſtatim ingrediendi religionem an liceat. 444. 49

Matrimonio contracto conceduntur duo mẽſes intra quos licitum ſit religionem ingredi. 50. Quando licitum contrahere matrimonium poſt votum caſtitatis. 445. 51

Matrimonium contrahens poſt votum caſtitatis, an poſſit altero petente debitum, conſummare. nu. 52

Si coniux adulterium committat, tenetur non reddere. ibid.

Matrimonium diſſoluit ſponſalia etiam iurata. 455. 69

Matrimonium quoad vſum & inclinationem conuenit homini qua parte ſimilis eſt brutis. 561. 106

Eius vſus habet adiunctam maximam verecundiam. ibi. Eius incommoda. nu. 107. 108

Non plus boni confert mundo quàm virginitas. nu. 110

Sicut vis gignendi, ita etiam matrimonium eſt a Deo. 573. nu. 48

Cur mulier vna non poſſit pluribus viris iungi. 579. 74

Mediator.

Mediator vnicus cur Chriſtus dicatur. 387. 34

Sancti mediatores ſecundarij. ibid.

Medicamentum, Medicus.

Medicamentis pretioſiſſimis non tenemur vti in morbo. 566. 12

Medicus malè curet vulneratum. 80. nu. 103

Melius.

Melius quid dicatur. 424. 101. & 562. 110

Membrum.

Membra ſecari in morbo an teneatis permittere. 78. nu. 96. an iubente Tyranno. 79. 101

Mendacium, Mentiri.

Mentiri maius peccatum eſt quàm non facere quod affirmaſti te facturum. 272. nu. 53

Mendacium in confeſſione ſuper re leui quando ſit peccatum mortale. 416. 59

Mendacium quid ſit. 518. 33. Trixad ipſum requiruntur. ibi. Quomodo opponatur veritati. 518. 34. Amphilogicus ſermo non eſt mendacium. nu. 35. In quo conſiſtat mendacij malitia nu. 36

Nullum vmquam eſt licitum. nu. 37. 39

Per ſe eſt tantum peccatum veniale. 519. 40

Tripliciter diuiditur. 41. & ſeqq.

Gradus mendacij. 529. nu. 46

Mercator.

Mercator an poſſit rem pluris vendere quàm alij. 140. n. 24

Mercatorum contractus cum Rege hoc tempore an iuſtus. 243. nu. 58

Mercatores iurantes rem ſibi tanti conſtare, quantum peccant. 472. 46

Merx.

Merces alienas in tempeſtate ejiciens ad quid teneatur. 122. nu. 133

Merx quid ſit. 206. 1

Mercium pretium nõ pendet ex commoditate vel difficultate, inopia vel abundantia vnius, ſed communi. 216. n. 67. & 217. nu. 75

Merces omnes coementes & deinde prementes vt caritatẽ inducant an peccet contra iuſtitiam. 226. nu. 150

Merces habentes ſecundum ſe certam æſtimationem, non ideò pluris valent quia maiore ſumptu ab aliquo compa randæ. 245. nu. 66

Metallica vena.

Domini fundi an ſint domini venæ metalli. 39. 51

Metus.

Metus alius leuis, alius grauis, qui cadit in conſtantem virum. 155. 35. Reſpectiue grauis. ibid.

Reuerentialis eſt abſolutè grauis. ibid.

Metus grauis non reddit contractum omnino irritum. 155. 36 Excipiuntur aliquot caſus. nu. 37

Metus iuſtus non irritat matrimonium. 155. 37

Nec iniuſtus ſponſalia, iuriſdictionẽ, promiſſionem, donationem, renuntiationem beneficij, ſeu irritabilia facit. nu. 37. 38

Metus coactus an furem poſſit iuuare. 125. 29

Et h alter, metus cauſa ſit. 155. nu. 39

Metus iuſtè incuſſus non irritat contractum. nu. 41. etiamſi terrendi tantùm cauſa incuſſus ſit. nu. 42

Metus iuſtè incuſſus non ita reddit contractum inuoluntarium, ſicut iniuſtè incuſſus. 156. 43. Nec obligatio ex illo inita poteſt reuocari in irritum. n. 44. niſi ius alterius excedat. nu. 45. Nihil refert in conſcientia an alter ſeriò an iocò metum incutiat. nu. 45

Metu leui iniuſto iotus contractus, in foro conſcientiæ reuocari poteſt. 156. 46. Excepto matrimonio, iuxta probabiliorem ſententiam. 47. Et voto nu. 47

Metus quo iure votum irritat. 402. 17. 18

An metus grauis irritet profeſſionem. ibid.

Quid ſi non ad votum eliciendum incuſſus. ibid.

Metu expreſſum iuramentum obligat. 469. nu. 26. 30

Miles, Militia.

Miles in certo vitæ periculo nõ poteſt deſerere ſtationem. 70. 27. an poſſit torqueri. 293. 154

Miles gregarius tantum tenetur de damno quod per ſe in bello iniuſto intulit. 126. nu. 37

Milites pro fide pugnantes non ſunt martyres. 529. 36.

Milites an dentes ſibi poſſint excutere cùm deſunt glandes plumbeæ. 79. nu. 100

Militum priuilegium. 136. nu. 58

Militi mutuum dans an præferendus, &c. 140. nu. 32

In militia requiritur ſeueritas. 597. 41

Diſciplina militaris. ibid.

Miniſter.

Miniſtri iuſtitiæ delinquentes & corrupti muneribus, puniendi. 597. nu. 41.

Minor.

Minores qui dicantur. 56. nu. 52

Minor in ſuum cõmodum ſine venia curatoris validè contrahit, non tamen in incommodum. 161. nu. 60

In quibus contractibus obligetur. 61. Si velit rem venditam ſibi redhiberi an teneatur reſtituere pretium. ibi.

An maior ei teneatur ante ſententiam reſtituere ſine pretio. ibi. De caſtrenſibus vel quaſi caſtrenſibus poteſt validè ſua auctoritate contrahere. 162. 62. Quando teneatur ex mutuo. 190. n. 15. 17. Quando ex fideiuſſione. 271. nom. 18

Minor qui ſubeſt curatori, de non caſtrenſibus ſine eius venia donare non poteſt; rarò tamen profuſione peccat mortaliter, Nec donatarius tenetur reſtituere priuſquà petatur. 174. nu. 81

Minores.

Minoritæ habent vſum rerum ſuarum, non tamen dominium. 20. nu. 34

Miraculum.

Miraculum quando liceat petere. 500. 45.

Miſſa.

Miſſam audire an teneatur, qui è loco vbi eſt feſtum diſcedit ad locum vbi non eſt feſtum. 554. 56

Miſſam audiens animo non ſatisfacit præcepto ad quid teneatur. 391. nu. 59

Mixtio.

Miſcens rem alienam ſuæ, ita vt diſcerni nequeat, ſine eius conſenſu, totius dominium acquirit; ita tamen vt alter habeat ius in rem, vt illa ipſi ſatisfiat. 203. 157

Mixta res vtriuſque conſenſu, fit communis nu. 157

Moderatio.

Moderatio greſſus, vocis, orationis. 607. 89

Modeſtia.

Modeſtia quid ſit 597. 45. & 607. 86

Eius officium. nu. 89. Vitia oppoſita. nu. 92

Quando peccetur contra eam per defectum. ibid.

Modeſtia cultus quid. 610. 100

Si contra conſuetudinem vel ſupra ſtatum nu. 101

Deficiens in ornatu. 609. 104

INDEX RERVM.

Monachus.

Monachi vnde dicti.435.n.2
Monachis negotiatio interdicta.209.n.4
Quarum rerum venditio illis permissa.n.5
Possunt tamen per alios negotiari, licet parùm decenter.n.6
Monachorum quorumdam abstinentia.547.n.7
Monachus potest succedere ab intestato,etiam post professionem.456.n.87

Monasterium.

Monasterium ex delicto vel contractu monachi quatenus teneatur.458.90. An procurare debeat vt Prælatus eius contractum approbet.ibidem.

Monialis.

Moniales septuagenariæ alicubi non censentur inter seniores.555.n.70
Monialium clausura an possit induci, si eam non vouerint.454.n.75

Monopolium.

Monopolium quid sit.225.n.144
Fit quatuor modis.n.144
Quando & quale peccatum.n.145.& seqq.

Montes pietatis.

Montes pietatis an liciti.189.n.189

Morbus.

Morbi ex varia comestione varij.555.69
Morbum adducit ebrietas.568.10
Morbos irrigare & curare potest diabolus.495.18.20

Mores.

Mores boni alij ciuiles,alij naturales.168.26

Morositas.

Morositas quid sit,521.51. Quale peccatum.n.53

Mors.

Mortem sibi ex causa optare licitum, etsi non inferre.40.n.20
Morti se offerre pro iniustè damnato licitum.70.30
Morti certæ se obijcere ad frangendas inimicorum vires, vel facere aliquid vnde certa mors sequatur,licet.71.32
Mortem inuasoris ob iustam sui defensionem licet intendere.73.55
Mors tertio prouenies ex tuo maleficio, an tibi imputetur.80.n.110.& seqq.
Tenetur homo in mortis periculo sequi viam certam,quâtum potest.519.43

Mulier.

Mulier an possit fideiubere.270.12. Ornatus mulierum.Vide *Ornatus.*
Mulier scienter contrahens cum sacris initiato potest rapi in seruitutem.34.14

Munus.

Munus aliud est à manu.aliud ab obsequio, aliud à lingua.365.425.& seqq. Vide *Simonia.*

Musica.

Musicam prophanam adhibere rebus sacris habet speciem sacrilegij.502.n.17

Mutilatio.

Mutilare seipsum quibus euentis liceat. 78.96.& 79.n.101
Qui teneantur ferre mutilationem ob vitæ conseruationem.n.97.S. Marcus an se mutilarit.78.99
An possis te mutilare ob causam religionis tyranno iubente.79.n.101
Mutilator vel homicida quid teneatur restituere. 82.n.124
Nihil tenetur pro vita vel membro. 84.140
Tenetur ad solum damnum pecuniarium.n.145

Mutuum.

Mutuatarius obligari non potest ex vi mutui vt alio loco satisfaciat.142.n.57
Mutuum quid sit. 189 3. Non reperitur in solis rebus vsu consumptibilibus.n.4
Quinam ex eo obligentur. n.6. Ex eo lucrum sperare an licitum. 191. 35. Accipiens aliquid pro eo, animo vsurario,an teneatur restituere. 192.41
Mutuare cum pacto vt alter pœnam debitam vel famæ restitutionem remittat,an sit vsura. 192.n.47
Mutuare cum pacto vt alter vicissim mutuet, vel ex eius officina merces emat, an sit vsura.194.n.62
Mutuans minori an possis eum cogere ad soluendum. 163.n.63
Mutuatarius quando dicatur esse in mora.194.69
Mutuator potest aliquid exigere ratione damni emergentis.n.69. Potest etiam ob probabile periculum, de certa pecunia ab initio pacisci.n.72
Si non deduxerit in pactum, nihil potest exigere, nisi alter fuerit in mora.nu.77. Vtrum possit exigere vsuras, quas pro pecunia mutuata soluit.n.78
Mutuator potest aliquid exigere ratione lucri cessantis. 165.79. Et initio de eo pacisci. n.80
Tres conditiones necessariæ.n.84
Item ratione periculi sortis, aut expensarum in recuperando.198.nu.111
Tria necessaria vt iuste fiat.nu. 113
Mutuum quomodo gratis debeat fieri 185.n.82
Mutuator non potest aliquid exigere ratione solius carentiæ pecuniæ, vel obligationis non repetendi certo tempore.200.126
Potest tamen pacisci de certa pecunia in pœnam soluenda, si statotempore alter non soluerit.n.128
Quatuor conditiones necessariæ n.130
Debetur ante sententiam iudicis.201.n.135
Non tamen ante petitionem partis.n.136
An teneatur restituere fructus ex pignore perceptos.nu. 137.141
An possit pacisci vt res quouis casu, eadem mensura restituatur.202.n.44
Mutuans.1600. non potest per partes accipere. 1700. 229. nu.32

Naaman.

NAaman comitans dominum ad locum idoli an peccarit.517.n. 21
Naaman Syri actio non erat idololatria. 498.39

Naufragium.

Naufragantium bona non habentur pro derelictis. 41. 67. Nec pro adespotis.135.50. In naufragio alteri necessaria ad vitam seruandam tabula cedere licet.70.31. Quis ius habeat tabulam seruandi.ibid.
Naufragorum bona an possint capi. 135.49

Nazarei.

Nazarei qui.435.n.4

Necessitas.

Necessitate extrema pressus an possit aliena surripere. 137. 66.67 An etiam graui.n. 71
Necessitas extrema excusat à restitutione.143.nu.2
Ea sublata quibus euentis tenearis restituere. 3. & seqq. & 147.63. Item grauis.144.nu.15
Si dominum rei in extremam necessitatem rei suæ subtractione conieceris, teneris eam reddere,etiam cum tuo interitu,aliàs non.nu.12.13
Necessitas siue indigentia hominum reddit merces cariores,non vnius,sed communis.216.n.67
Necessitas qualis minuat bonitatem operis.414.54
Quando liceat minùs comedere quàm necessitas poscat. 544.n.10
Ex necessitate fieri aliquid tripliciter dicitur. 414.14

Necromantia.

Necromantia quid sit 483. nu.14

Negligentia.

Negligentia quando peccatum mortale.8.20.& 61.nu.30.
Negligentia stupiorum.606. 85

Negotiatio.

Negotiatio quid sit.210.4. Clericis prohibita est. ibid.

Nepos.

Nepos est in potestate aui iure communi.195.80

Notarius.

Notarius vsurarum instrumentum conficiens peccat mortaliter,raro tamen tenetur ad restitutionem.206. n.180.

Nothus.

Nothus quis dicatur.285. nu.57

Notitia.

An de rebus singularibus haberi possit.2.4

Notorium.

Notorium iure vel facto quid dicatur.98.73.& 206.nume. 285

Nouitius.

Nouitij nec ante professionem bonis validè cedere possunt nec monasterio, de ijs præter victum & amictum dare.442.n.39

No-

Nouitiorum vota non possunt à Prælato irritari.420.80
Commutantur tempore nouitiatus in onera religionis, ibidem.
Nouitium abducens à religione,ad quid teneatur. 65.12

Numeratio pecuniæ. Vide Pecunia.

Numeratio pecuniæ quando alterius gratia fit, pretio æstimabilis,239 nu.10

Nuptiæ.

Nuptias etiam furatus promittens ei, quam virginem putat,si deprehendit vitiatam, non tenetur. 174.nu 73

Obedientia.

OBedientia vnde dicta. 510. nu.22.Est in magna ammiratione.14.nu.19
Contra obedientiam præscribi non potest.51.41
Eius obiectum.510.nu.23
Ratio formalis,nu 24
Respicit necessario præceptum. 510.nu.27
Conditiones in ea commendatæ.510.nu.29
Ius naturæ iubet Superiori obedientiam.33.10
Obediendi necessitas maior vel minor non sequitur auctoritatem præcipientis,sed materiæ præceptæ. 510.nu.23
In dubio obediendum Superiori.455.76. & 510.30
Non est contra hanc promptitudinem declinare honores. 511.nu.33
Quomodo debeat esse fortis.510.nu.35
Obedientia quomodo debeat esse cæca.510.29
Quomodo prompta. 511.nu 32
Obedientiæ cum alijs virtutibus comparatio.512.36
Quomodo melior victimis. 512.38
Quatuor eius gradus,nu.39
Obedientia formalis non est præcepta,nu.42
An Prælatus eam possit præcipere, n.44
Obedientia Rechabitarum.556.nu.70

Obiectum.

Obiectum prudentiæ & finis,& affectus idem.3.8
Obiectum aliud quod,aliud cui. 15.nu.7
Obiectum virtutis ex quo actu spectandum, 376.nu.21

Oblatio.

Oblationes quænam debitæ Ecclesijs.404.34
Offerre in sacrificio agnum vel vitulum an hoc tempore licitum.403.25
Oblatio thuris quid. 396.15

Obligatio.

Obligatio naturalis vnde oriatur.182.nu 22
Obligatio amicitiæ supra sortem ex pacto imposita constituit vsuram.194.nu.62
Obligatio datur etiam ad negationes actuum.200.121
Obligari quemquam ad peccatum contradictionem implicat.160.nu.8
Obligare nos homini sine actu externo non possumus.168 num 33
Nec sine eius acceptatione,nu.34
Obligatio naturalis quid sit. 182.nu.18
Obligatio iustitiæ & amicitiæ quid sint.191.nu.48
Obligatio restituendæ famæ pretio æstimabilis, nu.49
Obligatio mutua potest peti pro obligatione.233.nu.58
Obligatio naturalis quomodo desinat.537 109
Non obligat in conscientia sententia reipsa iniqua, ni quia nititur præsumptione, aut falsis probationibus quamuis secundùm ordinem iuris lata.290.nu.24
Obligatio voti quinque modis tollitur.417.68
Obligatio ex promissione repugnat liberalitati. 415.nu.56
Obligatio duplex eiusdem speciei.413.nu.48
Quando censeatur adesse, ibidem.
Ad obligationem non requiritur animus implendi. 471. num.41
Obligatio iuranti non impeditur per legem.474. nu.55.56
Obligatio per iuramẽtum inducta tollitur quinque modis, nu.57.& seqq.

Oblivio.

Oblivio naturalis excusat à restitutione.60.26

Obsequium.

Obsequia sponte oblata gratiosa.557.84

Observantia.

Obseruantiæ debitum quale.12.5
Obseruantia quid sit.507.nu.12
Quibus deferenda,nu.10
Differt à pietate,nu.13
Gradus obseruantiæ.507.nu.16
Variæ eius species,nu.18
An omnium vnus sit habitus, nu.21

Obseruatio vana.

Obseruationes vanæ quæ dicantur.489.nu.62
Sunt triplices,scilicet,Ars notoria,nu.62
Obseruatio sanitatum, nu.36
Obseruantia euentuum, nu.65. An cauere quis possit à futuro ob præsagium.491.nu.66

Obses.

Obsides occidi non possunt, si sine eorum culpa ij à quibus traditi sunt,pacta violent. 273.nu.40.Possunt tamẽ in seruitutem rapi,ibidem.

Occasio.

Occasionem præbens mali ad quid tenetur.109.nu.30

Occisio.

Occidere viuentia non licere Manichæorum error. 67.1
Abstinendum a crudelitate in occisione bestiarum, nu.2
Occidere peccatores licitum,non tamen priuata auctoritate.67 3.5
Occidere tyrannum an priuato licitum.68.nu.7
Occidere filiam in adulterio deprehensam vel adulterum an licitum.68.14.An vxorem.68.15
Occidere seipsum an licitum.56.nu.12
An sit contra ius Reipub. nu.21
An contra ius diuinum,nu.22
An reo liceat se occidere 70.nu.25
Occidens hominem putans esse feram vel inimicum. 70 25
Occidens ex subita ira.70.28
Occidere seipsum indirectè & non ex intentione licitum. 70.num.27
Occidere alterum in vitæ defensionem licitum. 72.41
Etiam Monachis & Clericis, ibid.
Etiam Principem ibidem.
Quod etiam in bestijs locum habet,nu.41
Quæ cautio adhibenda 43
Qui teneantur fugere,ne cogantur occidere; nu.44
Licet etiam alterius mortem intendere.73.53
Etiam cum periculo innocentis.73.57.&c.
Amentes & furiosos te inuadentes an possis occidere. 72 num.42
Quid de martyribus qui se occiderunt.70.23
Sampson an se occiderit.71.nu.33
Incendere puluerem tormentarium, ne ab hostibus capiaris,an licitum.71.32
Occidere falsò accusantem num licitum 72.47
Occiditur inuasor priuata auctoritate. 73.54
Sæpè est salutare consilium permittere se potiùs occidi, num.53
Nisi sis in peccato mortali, nu.56
Occidere furem pro defensione facultatũ an liceat. 75.66. & seqq. An etiam clericis, nu.72
Occidere in defensionem pudicitiæ licitum.76.76
Item in defensionem honoris, ibidem.
Occidere iniustè alium inuadentem licitum. 77.87
Etsi ille vellet occidi,nu.88
Item nitentem inferre stuprum filiæ vel vxori,etiam volentibus,ibidem.
Non tamen licet occidere vxorem volentem adulterari,num.89
Occidens prouocantem se ad pugnam nihil tenetur restituere.83.nu.123
Inuasorem occidens tenetur damna restituere, si modum iustæ defensionis excesserit, nu.134
Nemo ex iustitia tenetur fugere ne occidat, nu.136
Occidens rem alienam mox perituram non tenetur ad restitutionem, 115.nu.93
Mulieres quædam amore virtutis se occiderunt.526.nu.15
Occisus pro Christo in somnis an sit martyr. 528.24

Occultum.

Occultum alterius peccatum aperire ad proprium vel tertij damnum auertendum an liceat.97 54.57
Occultum & manifestum iniuriam species mutant. 106. num 3
Occultè rem suam vindicare an liceat.56.57

Oeconomus.

Oeconomus ex fidelitate tenetur quærere maxima commoda domini,ob tacitam promissionem. 172.nu.57

Oenopolæ.

Oenopolæ miſcentes aquam vino an ſemper peccent. 118. 82. 83

Officium.

Officium verùm te obliget ad vitam pro alio ponendam. 78. num. 91

Officium vnum pro altero legens non tenetur repetere. 374. nu. 77

In officio quinque conſiderari poſſunt. 311. 24

Officia ſæcularia vendere per ſe non eſt illicitum, num. 25

Ea vendere plerumque eſt illicitum & perniciosum, maximè ſi aliquam iuſtitiæ adminiſtrationem habeant, num. 28

Eorum vendirio licita quatuor requirit conditiones, num. 29

Officij alicuius adminiſtrationem ſuſcipiens ad duo ſe obligare videtur. 26. Quæ conditiones in officialibus conſtituendis requirantur, nu. 19

Omiſſio.

Omiſſio ſequens ex actu libero. 569. 29

Omittens alium defendere an peccet. 78. nu. 93

Opera.

Operam ſuam aliqua in re locans non tenetur eam minoris æſtimare quia ipſi commodum eſt id agere. 245. n. 75

Operam pluribus locans quantum poſſit accipere. 250. num. 27

Opinio.

Opinio quid ſit. 274. nu. 6

Opinio honeſti non eſt iudicium prouidentiæ. 2. 2

Opinio non habet ex intrinſeco modo tendendi quòd ſit vera, ibidem.

Opinio Doctorum probabilis efficit vt Eccleſia det iuriſdictionem, etiamſi forte opinio illa ſit falſa. 281. nu. 68

An etiam valeant acta, etiamſi populus dubitet an ſuperior ſit officio priuatus. ibidem.

Opus.

Opus malum quâ ratione delectabile vel vtile, vendibile eſt. 135. nu. 52

Opus vni ex iuſtitia debitũ nõ poteſt vendi tertio. 137. 67

Opus malum vel ſacrum poteſt habere in ſe quẽdam pretio æſtimabile. 167. nu. 17

Operis turpis patrati mercedem pactã dans vel accipiens non neceſſario approbat ipſum opus, nu. 19. Secus ante opus, ibidem.

Opus bonum poteſt tribus modis dici fieri ex neceſſitate. 415. 54. Melius factum ex voto quàm ſine eo, nu. 53

Etiamſi fiat repugnante affectu. 415. 55

Quomodo opus ex præcepto ſit melius. nu. 54

Operis ſolo iure poſitiuo prohibiti imaginatione an poſſit quis delectari. 538. nu. 114

Quid ſi cauta ſubſit inſulendi operi ex quo oritur ea delectatio. 589. nu. 118

Oratio.

Oratio eſt actus religionis externus, & attingit Deum vt ſignum ſignatum. 383. 11 Eius definitio. 381. nu. 3

Eſt actus rationis practicæ, nu. 5

An ſit actus ſpei, nu. 8

Quomodo Deus noſtris orationibus moueatur, ibidem.

Oratio ad ſalutem eſt neceſſaria. 383. nu. 20

Quibus euentis ad eam obligemur, nu. 11

Quæ per orationem petenda ſint, nu. 12

Orationis Dominicæ explicatio. 383. nu. 13

Oratio quibus conueniat. 384. nu. 32

Pro quibus orandum ſit. 387. nu 38

Diſtrahi in oratione quale peccatum. 391. nu. 62

Oratio matrimonij vſu impeditur. 393. nu. 76

Oratio requirit promptitudinem. 381. nu. 2

Orationi non eſt Dei immutabilitas. 382. 8

Eſt cauſa quorumdam Dei decretorum, ibidem.

Solam ſufficere aiebant hæretici, ibid.

Errores hæreticorum circa illam 382. 9

Duplicia petuntur in oratione Dominica. 384. 21

Orant defuncti purgatorio pro nobis. nu. 23

Cur damnatis non conueniat, ibidem.

Oratio conuenit Chriſti humanitati. 384. 24

Et quare modo oret, nu. 25

An rogandus vt pro nobis oret, nu. 26

Orandi formulæ exponuntur. 385. 28

Orationum oblatio, nu. 29

Orat ſemper Eccleſia dum horas canonicas legit. 388. 43

Ordo Religioſus, Ordinis Sacramentum.

Ordines à quo poſſint conferri. 330. 92

Ordo religioſus quid ſit. 435. nu. 2

Ornatus.

Ornans ſe ad vanam gloriam. 610. 118

Deficiens in ornatu, nu. 104

Ornatus fœminarum, nu. 105. & 610. 107. & ſeqq.

Adoleſcentum ornatus, nu. 109

Quadruplex finis veſtium, nu. 106

Ornatus ſcandaloſus, 611. 113.

Ornatum quando quis cogendus deponere. 611. 114

Oſculum.

Oſculum an ſit peccatum. 575. 56

Otium.

Otiũ ſuadens Religioſo, vel ſeruo ad quid teneatur. 66. 29

Ova.

Ova ieiunij tempore non permiſſa in Hiſpania, & quibuſdam Galliæ partibus. 547. 8

Vide verbo *Ieiunium.*

Pactum.

PActum nudum non transfert dominium. 17. 12

Neque obligationes parit. 157. nu. 21

Pactum pecuniarium pro reſtitutione famæ. 101. 97

Pacta turpia an per leges irritentur. 136. 57

Pacti definitio. 150. nu. 5

Pactum nudum & veſtitum quid. 151. nu. 17

Veſtitur ex modis, nu. 18

Pacta mutuo non pugnantia quæ poſſunt ſeparatim fieri, poſſunt etiam ſimul fieri. 233. nu. 59

Pacta cenſibus addi ſolita aſſecurationis fructuum legis commiſſoriæ an licita. 234. nu. 66

An alia quædam pacta, nu. 71. & ſeqq.

Pactum iuſtitiæ & pactum amicitiæ quid ſint. 192. 48

Pactum cõmiſſoriæ legis in pignoribus prohibitũ. 201. 133

Palpo.

Palpo quando teneatur ad reſtitutionem. 125. 25

Panis.

Panis quotidianus quid. 383. nu. 17

Papa.

Papa eſt adminiſtrator vniuerſalis bonorum eccleſiaſticorum. 30. 51. An poſſit bona Eccleſiæ ad alios vſus & Epiſcopatus transferre, ibidem.

An poſſit præſcribi contra obedientiam ei debitam. 53. 44.

Papa de bonis incertis quo iure poſſit diſponere. 134. 40

Papa non poteſt plura præcipere Religioſis quàm eorum Prælatus. 454. nu 74

Papa an poſſit derogare iuri patronatus conferendo beneficia non præſentatis. Vide *Patronatus.*

Papa an ſimoniæ culpam, vel pœnas incurrere poſſit. Vide *Simonia.*

Parens.

Parens poteſt filium vendere. 34. 17

Parentes an tenellos pueros poſſint ſecum in lecto permittere. 61. nu. 30

Parens non tenetur filios alere ex iuſtitia, ſed lege pietatis. 85. nu. 152

Parentibus qualis cultus debitus. 506. nu. 5

Princeps & patria ijs præferenda. 507. 15

Si obſint diuino cultui non ſunt audiendi. 508. 17

Parœcia.

Parœcia quomodo contrahatur quoad ſacramenta ſuſcipienda. 552. num. 47

Parœcia propria quæ. 428. 121.

Participans.

Participat quis malefitio duobus modis, & ad quid teneatur. 125 nu. 28

Quando tenetur in ſolidum. 126. 34. &c.

Paſſio.

Paſſio dupliciter vincit rationem. 592. 12. & quomodo. nu. mero 13

Paſtio.

Paſtio in paſcuo reip. an licita. 39. 54

Patientia.

Patientia quid ſit. 539. 38. Vitia oppoſita. 540. 41

Patientia pars fortitudinis. 535. 2. & 539. 37

Dupliciter accipitur, ibid. Eius materia, nu. 37

Patien-

INDEX RERVM.

Patientia Dei quomodo possit nobis esse exemplo. 540. nu.43
Patientiæ fructus,ibidem.
Quæ ad eam nos excitent,nu.42.43
Eius gradus.540.nu.44

Patria.

Patria præferenda parenti & quare.11.nu.14
Patriæ affectus vulgaris nõ magnifit a sapientibus.506.nu.4.

Patronatus.

Quomodo præscribatur contra ius patronatus.54.48
Ius Patronatus dupliciter accipitur in iure. Primo,pro iure quod habent patroni in libertos ex manumissione. Secundò,pro iure præsentandi ad beneficium.322.nu.19
Ius Patronatus secundo modo sumpti, est potestas præsentandi instituendum ad beneficium ecclesiasticũ vacans. ibid. Hoc ius duplex est,videlicet,patronatus ecclesiastici,& laici.nu.18.19. Patronatus laicus quomodo fiat ecclesiasticus,nu.20
Ius patronatus quinque modis acquiritur. Primò, Si quis Ecclesiæ constituendæ fundum concedat. Secundò, Si cũ consensu Episcopi construat. Tertiò, Si eam dotet, vel beneficiũ aliquod erigat. Quartò, Multiplicatis præsentationibus per tempus quod hominum memoriã excedat. Quintò, Concessione Pontificis,nu.22
Circa iuris patronatus acquisitionem,possessionem,alienationem multa constituit Concil. Trident.sess.14. cap.12. 323.nu.24
Si patronatus sit laicus, patronus intra quatuor menses a vacatione beneficij, vel ecclesiæ, tenetur præsentationẽ facere: si autem sit ecclesiasticus,intra sex.nu.26. Sex itẽ menses conceduntur,si patronatus partim sit laicus,partim ecclesiasticus, ibidem.
Si patroni intra tempus constitutũ aliquem scientes non præsentauerint,in Episcopi voluntate est conferre beneficium cui voluerit,nu 27
Patronus dignum præsentare tenetur, nu.29
Si multi præsententur, siue vnus post alium ab eodem patrono, siue diuersi simul a diuersis patronis, cui ex ijs beneficium conferendum.324.nu.31
Si verò multi sint patroni nec sint inter se concordes, is instituendus est,in quem plures cõsentiunt, siue illi præsentent per modum vnius corporis,siue seorsim. nu.33
Pontifex potest derogare iuri patronatus,conferendo beneficia non præsentatis,siue patronatus sit laicus,siue ecclesiasticus, nu.35. Si tamen patronatus sit laicus non censetur ei derogatum,etiamsi de facto Pontifex alteri conferat beneficium,nisi id diserte per clausulam derogatoriam in litteris exprimatur,nu.36
Legatus a latere, & consequenter Nuntius Apostolicus cũ potestate legati à latere potest derogare patronatui Ecclesiasticorum,non tamen laicorum,nu.38
At Episcopus nec patroni laici, nec Ecclesiastici iuri derogare potest.324.nu.39
Quod si ius patronatus partim sit laici,partim Ecclesiæ, nec tunc censetur ei facta derogatio absq; expressa clausula, nu.40
Si ius patronatus solùm priuilegio vel præscriptione acquisitum sit, potest Pontifex ei derogare absque expressa clausula derogatoria,etiamsi sit laicorum: modò tamen non constet a laico esse fundatum. Imò etiam Legatus à latere potest tale beneficium sine præsentatione conferre,nu.42

Paupertas,Pauper.

Paupertatis essentia non reddit hominem incapacem dominij,sed vsus independentis.26.nu.27
Pauper qui obest suo mendacio alteri ad quid teneatur. 213.nu.43
Pauper pro loco & tempore quis.134.nu.46
Pauperibus quos alebat occisus an debeat occisor aliquid. 85.nu.154
Pauperibus an quarta pars fructuum bonorum ecclesiasticorum debeatur.3049
Pauperum nomine in restitutione facienda intelliguntur quæuis opera pia.133.34
Paupertatem adducit ebrietas.746.10
Paupertas ad quid religiosum obliget.455.78

Peccatum.

Peccatum omne inobedientia quædam est.512.40
Peccatum non semper præsupponit iudicium imprudens. 7.num.10
Quomodo omnis peccans dicitur imprudens, nu.17
Peccatum omne aliquo modo iniustum est.17. nu.1
Peccatum ex contemptu legis specialem malitiam habet, & quando.57.nu.2
Peccatum non committitur ex culpa leui.60.24
Inducens aliũ ad peccatũ ad quid teneatur.64.3. & 64.7
Quid de eo qui vult permanere in peccato 64.9
Peccatores licitè occiduntur, non tamen priuata auctoritate.67.3.5
Peccati continuatio formalis requirit actualem libertatem. 107.19. Quando constituat diuersum numero peccatũ, nu 20. Tripliciter interrumpitur,nu.21
Peccati interruptiones & resumptiones quomodo confitẽdę.108.nu.24
Peccati interruptio quomodo confitenda.108.20
Peccatum idem quomodo venniale & mortale.110.40
Peccata aliena.125.nu.1
Peccatum alterius quando teneatis impedire.147.58
Peccati remissio maius Dei beneficium quam conseruatio innocentiæ.515.nu.11
Peccatum potest habere in se quædam pretio æstimabilia. 187.nu.19
Peccata contra naturam quæ 582 nu.89
Fiunt quinque modis, ibidem.
Quid si inordinatio sit tantùm in modo,nu.89
Quod sit grauissimum in peccatis contra naturam. 583. num.92
Peccata omnia delet professio in Religione,& quare. 453. num.72
Peccatum operis & delectationis an eiusdem speciei. 590. num.122
An duplicem malitiam habeat,nu.123
Peccati defensio.604.76
Peccandi libertas & consuetudo,ibid.

Pectus.

Pectoris denudatio an sit peccatum.610.112

Peculium.

Peculium aliud castrense, aliud quasi castrense, aliud aduentitium,aliud profectitium.23.nu.7

Pecunia.

Pecunia ingens alienæ famæ vel vitæ aliquando prudentes præfertur,non tamen propriæ.100
Pecunia quarum rerum mensura sit 100.94
Pecunia est etiam merx.240. nu.4
Pecunia quid.516 nu. 54
Pecuniam currenti pretio,potes exponere,etsi decreto Magistratus iam condito,& mox promulgando, illud solus minuendum.213.nu.44.46
Pecunia quomodo vendi possit 229.27.& 238.4
Pecunia præsens pluris valet quàm ius ad illam.223.nu.30
Pecunia ratione puritatis materiæ, & commoditatis transferendi à complore pluris æstimari potest.239 n.11.12. Pretium eius aliquando crescit vulgi æstimatione.nu.14
Pecuniæ æstimatio duplex.241.34
Æstimatio extrinseca ob quatuor causas variatur,nu.35
Legitima non est nisi respectu pecuniæ eiusdem loci, num.37
Pecunia tripliciter lucro destinatur.194.nu.86
Pecunia pupillorum & viduarum alteri mutuo ex consuetudine data,an iuste lucretur.6.in centum.198.107. & 233.nu.62
Pecunia an dari possit pro Sacramentis. Vide *Simonia.*

Pedagium.

Pedagium quid sit.312.nu.2

Pensio.

Pensio in beneficijs est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio.346.201.
Est triplex,temporalis,spiritalis,media,nu.202
Quænam requirantur vt pensio ecclesiastica possit obtineri,nu.203
Pensionarius etsi iure antiquo nõ tenebatur ad aliquas preces, nunc tamen post Constitutionem Pij V. vbi ea recepta est,tenetur recitare Officium B. Virginis;quod omittens fructus non facit suos.347.nu.208
Pensionem an possit Abbas Prioratui, vel beneficio Religiosi imponere.458.nu.91

Percuſſor.

Percuſſor clerici ipſo facto eſt excõmunicatus.503.nu.11

Peregrinus.

Peregrini an à ieiunio excuſentur. Vide *Ieiunium.*
An ieiunio loci teneantur.552.nu.46
Puniri poſſunt ab Ordinario loci.553.nu.50
Et obligari ad ieiunia,feſta,&c.ibid.
Secùs ſi tantùm tranſeant,nu.51
An teneantur ieiunio loci vnde diſceſſerunt,nu.54

Perfectus.

Perfecti à ieiunio non liberantur.551.37
Maximè perfecti maximè ieiunant, ibid.

Periculum.

Periclitans res noſtra ſemper manet noſtra donec perierit. 41.nu.67
Periculo cuicunque alterum exponẽs ad nihil tenetur, niſi damnum ſequatur. 88. 16. Pacta tamen de eo pendente facta obligant.88.17
Periculo ſe exponens quomodo peccet.500.nu.3
Pericula quæ ſuſcipiuntur honeſta eſſe debent.515.8
Tenetur homo in periculo mortis ſequi viam certã quãtum poteſt.530.nu.43

Periurium.

Periurium quid ſit.478.73 Quæ eius pœna,nu.74
An grauius ſit homicidio,nu.75
Periurium cur graue peccatum.464.3
Execratorium continet ſpecialem malitiam.465.9
Periurio alterius an vti tuum commodum vti poſſis. 473. nu.49
Periuris conſtitutæ pœnæ grauiſſimæ;mors.depoſitio.474. 53.& 478.74.Iurans facere id quod eſt peccatum,an ſit periurus.466.18

Permutatio.

Permutatio requirit vtrinque rei traditionem, & ita differt a mutuo.283. nu.1
Permutari poteſt res exiſtens cum futura, nu.3
Permutatio triangularis.361. nu.88
Permutatio in beneficijs eſt certæ rei ad alteram facta mutua præſtatio. Ad hanc quænam requirantur. 345. nu. 195.Vtrũ ius ad rem poſſit permutari,v.g.ius præſentationis,vel gratiæ expectaturæ cum ſimili iure,vel cum beneficio.346. 99
Si quis velit ſuum beneficium reſignare in meum fauorem, & Ordinarius nolit admittere talem reſignationem, vt ipſe poſſit beneficium alteri conferre, Verum ego poſſim vti permutatione ficta, reſignando cauſa permutationis beneficium quod non habeo.346.nu.100
Permutatio rerum ſpiritualium quando ſit ſimonia, quando non. Vide *Simonia.*

Perſeuerantia.

Perſeuerantia tripliciter accipitur.541.45
Quomodo & virtus ſpecialis.540.40. Eius materia.541 47. Vitia oppoſita.542.49

Pertinacia.

Pertinacia quid.542.49.Eſt conſtantiæ oppoſita. ibidem.
Quale peccatum.ibid.

Peſte.

Veniens ex loco peſte infecto,an & quomodo iurare poſſit. 372.nu.47
Peſte infect s an poſſit ſeruire cum ſuo periculo.70.31
Peſte laboranti marito an poſſit vxor miniſtrare.566.14

Pharmacum.

Pharmacum præbere matri cum periculo prolis an liceat. 74.nu.61

Philoſophi.

Philoſophi humilitatis excellentiam non agnouerunt 599 nu.55

Philoxenus.

Philoxenus helluo.54.45

Pietas.

Pietas eſt excellentior in Principe quàm in ſubditis.14.n.13
Quomodo conueniat cum iuſtitia legali.14.12
Quomodo differat.14.14.Pietas quid ſit.506.1
Tripliciter accipitur,ibidem.
Quale debitum reſpiciat.506.4.Eius obiectum,nu.5
Ratio formalis obiectiua,nu.7
Eſt prima virtus poſt religionem.506.8
Pietas in parentes ſpirituales,nu.9

Pigmenta.

Pigmentis an vti liceat.610 111

Pignus.

Qualem diligentiam teneatur quis adhibere in pignore cu ſtodiendo 63.nu.41
Pignus quid ſit.272 31
Quot modis contrahatur,nu.33
Quænam non poſſint dari in pignus. 273.39
Fructus pignoris quinam ſint oppignorati.nu.43
Pignus poteſt dari tertio in pignus,nu.44
Pignoris fructus an a creditore poſſint percipi.201.137 & 141
Pignora ab vſurarijs emere an licitum.203.165,166

Piſcatio.

Piſcatio quando & vbi licita.34.28.& 39.nu.50
Quomodo peccet qui contra iuſtam prohibitionem piſcatur.37.40
An diebus feſtis vel ieiunij licita.38.42

Plagium.

Plagium quid ſit.106.5

Platonici.

Platonici ferè omnes vel magi, vel magiæ fauentes.492.6

Pœna.

Pœnam ſeruitutis qui incurrant.34. nu.14
Pœnam vtrùm quis vltrò ſubire teneatur 35.nu.22
Pœna talionis non infligitur à Iudice vt læſis ſatisfiat, ſed vt iniuria puniatur,quare non eximit a reſtitutione. 84. nu. 138
Pœna ſponſalibus appoſita an debeatur poſt iuramentum. 158.nu 56
Pœnam an tenear fateri me incurriſſe.186.nu.61
Pœna conuentionalis an ante ſententiã debeatur.201. 136
Pœna non retrotrahitur,niſi vbi id lege expreſſum.252 nu mer.46
Pœnam alicui iniungere inuito ſolus ſuperior poteſt: conſentienti etiam priuatus.200.nu.129
Neuter tamen innoxio,nu.131
Pœnæ vſurarijs conſtitutæ.206.nu.186
Pœnam adulteris & inceſtis quædam bruta infligunt.578. nu.71
Pœna in corruptores virginum.581.88
De pœnis ſimoniæ. Vide *Simonia.*367.130
Pœna congruit malefactori.516.21
Per eam fit reparatio iniuriæ,ibid.
Pœna minuenda quantum ratio boni patitur.442 38

Pollicitatio.

Pollicitatio iuramẽto firmata an ius tribuat.152.25.& 158 52. Pollicitatio quid ſit.167.nu.16

Pollutio.

An poſſis veſci cibis pollutionem prouocantibus.74.62.
Pollutio voluntaria eſt peccatum mortale.583.54
Quid ſi cauſa ſanitatis, vel molestiæ carnis mitigandæ. 583 95.& 74.61
Pollutio dupliciter non plenè voluntarie.585.105.
An licitum eam deſiderare,aut de ea gaudere.585.104
Non eſt fas eam iuuare, ibid.
Poteſt deſiderari ſimplici affectu,nu.105
Licitum gaudere de tam facta, ibid.
An eam excitat delectatio rei imaginariæ.587.120

Populus.

Populus refractarius quomodo in officio contemodus. 197 num.41

Portorium.

Portorium quid ſit.313.nu 2

Poſſeſſio, Poſſeſſor.

Poſſeſſio vnde dicatur.20.39. Alia facti,alia iuris,ibidem.
Quid ſit poſſeſſio facti.nu.40.Quid iuris.num.41.Quid requiratur vt per alium quis aliquid poſſideat.41.42
Alia eſt ciuilis,alia naturalis.21.43.44
Alia eſt ciuiliſſima,nu.45.& 22.48
Tribus modis acquiritur.27.46
Poſſeſſio iurium duobus modis apprehenditur.21.49
Poſſeſſio modium quatuor modis amittitur.22.nu.50
Poſſeſſio quid priuilegij conferat.22.52
A malæfidei poſſeſſore accepta quanto tempore præſcribantur 52.nu.43
Poſſeſſionis initium conſiderandum.49 nu.28
Poſſeſſa alieno nomine an poſſint præſcribi.54.nu.48

Potus.

Potus non soluit ieiunium. 547.nu.9
An perdat meritum ieiunij,nu.10

Precarium.

Precarium quid sit, & quomodo differat à commodato.61. 139.& 167.nu.4

Præceptum.

Præcepti nomen aliquando latè capitur 510.27
Præceptum restitutionis est affirmatiuum. 63.48
Præceptum impleri potest etsi non habeas intentionem implendi.391.nu.59
Præcepta opera cadunt sub votum.413.47
Præcepta violare ex contemptu quis dicatur,& quale peccatum.454.nu.74
Præcipi res grauis potest sub veniali peccato, ibidem.
Non tamen leuis sub mortali.454. 75
Præcipiendi ius ex triplici causa nascitur.509.24
Præcepto satisfacit qui opus præceptum facit, etsi contrarium intendat. 522. 42
Præcepta obligant pro materiæ capacitate, & grauitate. 551. nu.33
Etiamsi ratio Præcepti in aliquo cesset, ipsum tamen non cessat.551.nu.37
In præceptis diuinis non facilè cadit excusatio,nu.39
Præceptum operi bono nouam addit bonitatem.557.83
Præceptum in virtute obedientiæ obligat ad mortale. 454. num.74
Quid si præcipiatur supra,vel infra regulam, ibid.
Et quæ sint suprà regulam,nu.77
Ob quas causas possint aliqua præcipi, ibidem.
Quando censeatur aliquid præcipi secundùm regulam, ibidem.

Preces.

Preces importunæ quæ dicantur,& quem contractum irritum faciant.157.nu.48

Præcipitatio.

Præcipitatio quando peccatum mortale.8.nu.20

Prædictio.

Prædictio ex astris quænam sit illicita.454. 32.& 484.n.35

Prælatus, Prælatura.

Prælati vendentes bona Ecclesiæ sine consensu Pontificis, quas pœnas incurrat. 254.nu.64
Nec sufficit consensus Legati à latere,ibidem.
Prælati in venditione bonorum Ecclesiæ quæ teneantur seruare.254.nu.59. & seqq.
An sine illis conditionibus possit repudiare hereditatem vel legatum.254.nu.65. An qui sine illis aliquid acceperunt,teneantur restituere.254.66
Quanto tempore possint res Ecclesiæ elocare, nu.68
Successor tenetur eo contractu,nu.71
Prælatus quænam possint religiosi præcipere. 455.74
Prælati religiosi etiam cum consensu conuentus non possunt validè donare,nisi in causas pias.174.nu.83
Prælaturam accipiens in excommunicatione, vel alio impedimento occulto,validos exercet actus iurisdictionis, si titulum habeat coloratum,communi errori populi coniunctum.282.66

Præscriptio.

Præscriptio quid sit.42.2.3
Quomodo differat ab vsucapione, ibidem.
Quatuor cõditiones requiruntur ad præscriptionẽ.42. 3
Laicus res sacras non potest præscribere; nec religiosus quidquam,nu. 6. Quando incipiat præscriptio, ibidem.
An possessio necessaria in præscriptione contra actionẽ, nu.7. An dubitans censeatur bona fide possidere 43.10
Princeps an possit præscribere ius inferendi damnum in venatione. 51. 41. Quomodo ecclesia præscribit aduersus hæreticos.32.2. Præscriptio tibi nũquam obstabit si probes tuo nomine rem ab alio fuisse possessam. 42.6
Ius vtilitatis an possit præscribi,ibidem.
Præscriptio ordinaria in minore, milite, an procedat cum ignorantia iuris. 44.nu.17
Dominus quando præscribat stipendiũ cõtra famulũ. 46.19.20. Contra pupillum & minorem an præscribat. 47. 24. An præscribatur contra ecclesiam Romanam 47.22.& 34
Quomodo præscribat vnus Episcopus locum alterius episcopatus.49.36. Contra ciuitatẽ,ecclesias, pia loca quo annis præscribatur.48.25. Quãto tempore præscribatur actio Reip.contra Quæstores & administratores.49. 36
Actio in iniuriam quanto tempore præscribatur. 49.36
Quomodo præscribatur contra debita.46.19
Quomodo contra iura.60.20
Quantum temporis requiratur ad præscriptionem in mobilibus.47.22
Quantum in immobilibus, nu.23. Præsentes vel absentes respectu præscriptionis qui dicantur.47.23
Quomodo præscribantur seruitutes,48.26
Quomodo præscribatur patronatus,ius præsentandi, &c. 49.31. Quomodo beneficia.50,nu.33
Quo tempore præscribantur debita,legata,actiones,hypothecæ,fideicommissa,&c.50.30.37
Quomodo & quæ bona Principis possint præscribi.52. nu. 41. Quomodo contra legem.52. nu.45
Exemptio à potestate spirituali Pontificis nullo modo præscribi potest. Secus est de exẽptione a potestate læculari. 52. 41. Possessoris malæ fidei hæres nũquam præscribit, nisi fuerit triginta annis 52.42
Secùs de ijs qui alio ab eo acceperunt,nu.43
Excipiuntur duo casus,ibid. Præscribi quæ non possint.55. 43. Præscriptio quando dicatur dormire,non procedere, interrumpi.55. nu.49
Præscribens rem aliquam potest eam retinere, etsi alienam fuisse cognoscat.56. 50. Contra præscriptionem quibus concedatur restitutio in integrum.56.nu.52. Beneficium quomodo præscribatur.420.8. Præscriptio decimarum. 402.19. Et immunitatis earum.402.26

Præstigium.

Præstigium quid sit.483.nu.25

Præsumptio.

Præsumptio vsurarium.178. nu.119
Præsumptio quid sit. 537. 18. & 604. 76. Supponit falsam opinionem 537. 19. In quibus reperiatur, ibid. Quando sit peccatum mortale,nu.20
Præsumptio de misericordia Dei,ibidem.

Pretium.

Pretium accipiens ne furem impediat, tenetur de damno. 229.68
Pretium iustum rerum venalium quod sit.210.7
Aliud legitimum,aliud vulgare seu naturale,nu.7.8 9
Ex quibus capitibus crescat,aut minuatur, nu.8
Legitimũ cõsistit in indiuisibili,non tamẽ vulgare,nu.10
Quando alterum altero maius, vtrum liceat accipere. 211.nu.13
Pretium acceptum pro turpi opere an restituendum. 235. 53.& 136.nu.59
Et cui restituendum.136.61
Pretium iustum quale sit earum rerum,quæ certum non habent.211.nu.15
Pretium mercium mox minuendum sciens, possum tamen currenti pretio vendere.213.nu 39
Et si magistratus decreto minuendum sciam.214.nu.46
Non ex vnius commodo aut indigentia, sed ex communi æstimandum.210.67.& 217.nu.76
Pretium iustum censuum quomodo constituendum. 237. num.102
Pretium pro re spirituali accipiens an iure diuino ad illius restitutionem teneatur.371.157
Pretium iure positiuo quando restituendum.373. nu.169

Primitiæ.

Primitiæ quid sit.404.nu.30
An debitæ Ecclesijs,nu.33

Princeps.

Princeps comparatur ad Rempub. sicut custos conductus ad personam custodiendam.11.13. Ob varias causas tenetur curare obseruationem legum.n.18
Princeps in bello potest exponere subditorum vitã. 31.58
Princeps in ijs quæ agit in proprium commodum comparatur ad subditos vt priuatus ad priuatum.37.40
Si alienum prædium vertat in viam publicam & an teneatur compẽsare.37.40. An præscriptione tutari se possit.37.41. An possit princeps dare priuilegium in mercibus importandis,&c.225.149
Principes sæculares non possunt suis legibus præiudicare pijs causis.176.nu.402
Principibus necessaria sobrietas.558.90

Principis assertio in testamentis, vel contractibus æquiualere potest pluribus testibus; non tamen in causis criminalibus, quãdo agitur de aliquo condemnãdo. 287.n. 95
Principi potest Reipub. concedere auctoritatem vt ex priuata scientia absoluere & condemnare possit. 287. 97
Quantumuis sit certus de crimine, non potest ordinariè condemnare nisi citatum & auditum. nu. 99
Principes & Gubernatores assumentes ad officia sæcularia maiora eos, qui putantur malè munus administraturi, peccant mort & tenentur Reipub. ad faciendã damna inde secuta. 309. 13. Omissis aptioribus minus idoneos assumentes, peccant quidem & sæpè mortaliter non tamen tenentur ad restitutionem, si illi verè erant idonei. num. 15.
Principis præcipuum munus est curare vt quàm maximè idoneos ministros habeat, idque pro statu præsenti. 310. 20. 21
Princeps quomodo parenti præferendus. 507. 15.
Prior.
Prior tempore potior est iure, de quibus intelligendum. 539. 22. & 141. 43. 44
Priuilegium.
Priuilegium militum. 136. 58
Priuilegium impetratum à Principe vt vni soli liceat aliquas merces vendere an licitum 226. 148
Prodigus.
Prodigus est instar pupilli, & eius contractu nulla ipsi oritur obligatio. 162. nu. 62
Prodiga largitio etsi in libero sit peccatum, non tamen in eo qui se promittendo obstrinxit. 166. 10
Prodigalitas quando mortalis. 522. 62
Professio.
Actio ad reclamandum contra Professionem quando tempore extinguatur. 50. nu 36
Professum à religione abducens ad quid teneatur. 68. 16
Professio serui, vel coniugis consummato matrimonio domino vel coniuge inuito, est irrita. 148. 70
Professio coniugum an valida. 439. 25
Professio viri inuita vxore est irrita, etiã post mortem vxoris. 422. 94
Item professio in religione non approbata. 438. 14.
Professio fit tacitè vel expressè. 446. 57
Quæ requirantur vt sit valida, nu. 58. Quæ ætas, ibid.
Qualis probatio, nu. 59. Animus profitendi. 448. 60
Libertas profitentis, & consensus Prælati, ibidem.
Vt fiat in religione approbata, nu. 62
Vt tria vota substantialia emittantur, ibidem.
Vt non sit conditio repugnans. 63
Nec insit profitenti impedimentum ordini repugnans, nu. 64 Cum quibus pactis possit fieri, nu. 63
Professus inualidè, Postquam aliquot deinde annos manfit in religione potest egredi. 450. 65
Quæ in egresso seruanda ibidem.
Professio facta in religione non approbata an habeat vim voti simplicis. 449. 62
Professio in religione approbata quam vim habeat. 450. 67
Tradit religiosum Deo, nu. 67
Facit inhabilem ad matrimonium. Irritat matrimonium ratum, nu. 69
Ex natura sua non repugnat contractui matrimonij, nu. 68. 69 Priuat omni dominio. 452. 70
Soluit vota simplicia, nu. 74. Delet peccata, ibidem.
Tollit irregularitatem ex defectu natalium. 454. 75
Professus in religione cum intentione retinẽdi dominium rerum suarum an valide profiteantur. 452. 70
Ad professionẽ an possit quis compelli ob crimen. 443. 42
In professione spectandus annus bissextilis. 447. 59
Professio in religione baptismo similis. 459. 94
Inualidè professus impedimentum celans. 449. 64
Professus an restitui possit. 453. 73.
An aliquid donare. ibidem.
An post professionem patris statim filijs legitima sit danda. 457. 83. Professus an debeat matri, auo, &c. relinquere legitimam. si liberis careat, ibidem.
Professio fidei quibusdam beneficiarijs necessaria. 341 165
Profusio.
Profusio quid sit. 522. 61. Quale peccatum, nu. 62
Gignit auaritiam, ibidem.
Proles.
Proles quando non contrahat seruitutem. 34. 13
Subit conditionem matris. 35. 22. Quãdo animetur. 75. 65. Spurius an possit esse hæres. 90. 43
Promissio.
Promissis aliquem ad maleficium prouocans, si antequam patretur ea reuocet, ad nihil tenetur. 124 nu. 17
Promissio & pollicitatio nondum acceptata nullam obligationem inducit. 132. nu. 25
Promissam rem an possit occultè capere. 156. nu. 44
Promissa iurata an obligent ante acceptationem. 158. numero 52
Promissio solutionis pœnæ in sponsalibus an firmetur iuramento. 160. nu. 56
Promissæ rei solutio potest esse licita, etsi promissio erat illicita, ibidem.
Promissio generatim sumpta quid sit. 166. nu. 1
Quid speciatim, nu. 2
Non obligat vltra intentionem promittentis, nu. 6
In dubio inclinandum in fauorem promittentis, nu. 7
Quo casu definit obligare. 169. nu. 20
Promissio prodiga quando obliget. 167. nu. 9
Executio eius non semper est peccatum, ibidem.
Et tunc ius tribuit promissario, ibidem.
Promissio quomodo differat à donatione verbali, pacto, pollicitatione, stipulatione. 168. nu. 15
Legitimè acceptata quantum obliget. 271. 52. &c.
Forma stipulationis non reddit eam firmiorem in foro interno, sed in externo tribuit actionem 272. nu. 55
Promittens nuptias impari cum indignatione familiæ peccat, tenetur tamen exequi 167. nu. 9
Promissio ob turpem causam ante opus patratum est inualida. 178. nu. 17
Post opus patratum obligat. nu. 18
Contrarium probabile in opere lege punibili, nu. 20.
Promissiones iure naturæ vel positiuo quænam sint irritæ. 167. 52. 23. Cum iuramento firmatæ quæ executioni mãdari possint, nu. 25
Promissio interna iure naturæ non obligat nec hominis. 168. nu. 30.
Obligaret tamen si homo posset cognoscere internas locutiones, vt Angeli, vel Deus num. 32. Nec externa ordinariè obligat ante acceptationem, nu. 34. 39
Quædam excipiuntur, nu. 36. Mortuo promissario vel nuntio an possit acceptari, nu. 35
Promissio ad pias causas ante acceptationẽ an valeat. 169. nu. 38. 39
Promissio absenti facta quomodo acceptetur. 169. 42
An vt validè acceptetur, debeat acceptatio innotescere promittenti, nu. 43. An vt validè reuocetur, debeat reuocatio innotescere nuntio, nu. 44 An possit acceptari mortuo promittente, nu. 45. Quinam possint eam acceptare, nu 47. Debet aliquo modo dirigi ad præsentem vt possit eam acceptare, 170. nu. 49. acceptãs non potest eam condonare, nu. 50
Promissionem onerosam solus promissarius validè acceptat. 170. 51. & 172. nu. 55
Promittere non est tantùm affirmat se facturum. 171. 52
Promissa res debet esse maior quam in furto, vt obliget sub peccato mortali. 172. 56
Promissio minùs obligat quàm stricta iustitia, nu. 57
Promittens aliquid etiam in contractu oneroso non animo verè promittendi, etsi possit ob animum decipiendi peccare mortaliter non tamen tenetur sub mortali promissis stare. 173. 58 61
Nisi aliter inde damnum incurreret, nu. 59
Aut contractum ex sua parte impleret, nu. 60
Promittens fictè alicui nuptias, si aliter nullum damnum incurrat, potest iurare se non promisisse, & solum vertere ne contrahat. 173. nu. 61
Promissio vt sit valida quinque requirit. 404. 1
Qualis in ■ deliberatio requiratur, nu. 2
Debet esse directè volita, nu. 4. & spontanea, nu. 5
Promissioni vel dationi ante acceptationem potest non apponi, postea non sine consensu alterius. 173. 62
Si eam acceptes cum onere in fauorem tertij, ipse hoc ipso acquirit vt id ei præstes, nu. 64
Hoc tamen posse a donatore tibi remitti donec non est acce-

acceptatum à tertio, probabile, nu.65
Promissio acceptata quibus euentis desinat obligare, nu.69 & seqq. & 171.nu.20
Promissio iurata patitur easdem exceptiones quas iniurata.174.nu.73
Promittens etiam iuratus puellæ, quam virginem putat, nuptias, non tenetur si deprehendit vitiatam, nu.73
Promissio bis facta non tribuit duplex ius.581.87
Promittere & promissa soluere eiusdem est virtutis. 414. nu.62

Propositum.

Propositum an habeat aliquando vim voti.409.20
Propositum vouendi non sufficit ad votum, num.21. & sequentib.
Quando quis possit à proposito resilire, nu.21

Proprium.

Proprium non posse possideri hæresis fuit Apostolicorum & Pelagij.32.2

Prouidentia.

Prouidentia & benignitas Dei in homines.9.30

Proximus.

An pro defensione proximi possis alium occidere.77. numero 87
Proximi amor duplex.379.23. Quid ei condonandi.384. num.19

Prudentia.

Prudentia vnde dicatur.1.1. Dupliciter accipitur. ibidem.
Prudentiæ definitiones, ibidem.
Prudentia falli nequit circa proprium obiectum.2.2
Formidinem excludit, non scrupulum, ibid.
Cum prudenti iudicio quæ formido consistat, nu.5.6
Prouidentia versatur circa actiones singulas, nu.7
Prudentiæ obiectum, effectus. & finis idem.2.8
Differt à virtutibus moralibus, nu.11
Ab intellectualibus, nu.13
Quomodo fit virtus moralis, nu.12
Est regula virtutum moralium, nu.11
Respicit honestas actiones sub ratione veri, ibid.
Dupliciter respicit opus honestum, ibid.
Postulat affectum ordinatum, num.13. & diligentiam 4. num.17
Prudentiæ functiones triplices.3.17
Prudentia medium virtutibus præscribit.3.18
Quomodo finem præscribat, nu.20
Synteresin & principium suum supponit, ibid.
Quomodo imperet virtutibus, nu.23.24
Quomodo ab ijsdem pendeat.5.nu.30
Duobus modis dicitur completa.5.3.4
Non potest esse nisi in probis, nu.35
Alia naturalis, alia supernaturalis.6.2
Partes prudentiæ triplices.6.1
Species seu partes subiectæ quinque.6.3
Integrantes octo.7.10. Potentiales tres, nu.12
Prudentia personalis sola dicitur absolutè prudentia.6.5
Si omnino completa sit, complectitur cæteras.6.7
Contra prudentiam dupliciter peccatur.7.18
Prudentia carnis quid sit.7.21
Quale peccatum.8.23
Prudentior hominibus suæ sortis nemo tenetur esse.7.14

Pubertas.

Pubertati proximi validè cõtrahunt in suum commodum sine consensu tutoris.163.nu.60
Qui dicantur pubertati proximi, ibid.
In quibus contractibus obligentur, nu.61
An teneantur ex mutuo.190.nu.15
Pubertas masculis incipit.14
Feminis 12.anno.163.nu.60

Publicum.

Publicum aliquid tripliciter dicitur.98.73

Pudicitia.

Pudicitia quid. 559. 95. An pro ea tuenda possis occidere alium.76.76

Puer.

Puer an possit perdere virginitatem.564.112
Pueri an possint intrare religionem.441.35
Puellæ quando possit, num.39

Pupillus.

Pupilli pecunia emptum an sit obligatum, &c. 140.30
Pupilli contractus an firmetur iuramento. 160.nu.56
Pupillaris substitutio quid sit.187.nu.79
Hac mater non potest substituere.nu.80

Purgatio.

Purgare se ferro candenti, vel aqua feruenti illicitum. 500 num.3.& 4

Purgatorium.

In purgatorio orant iusti pro nobis. 384.nu.23

Pusillanimitas.

Pusillanimitas quid sit.538.28. Quale peccatum, num.29. Quæ contra eam iuuent, ibid.

Quæstor.

Quæstor quomodo peccat, & ad quid teneatur dum malignè soluit & munera extorquet.310.14. an possit Religionem intrare.441.33

Rapina.

Rapina differt specie à furto.107.nu.8
Grauius est peccatum, ibid.
Differt ab iniquis contractibus, nu.9

Raptus.

Raptus quid sit.106.nu.5
In raptu duplex malitia.578.nu.67
Pœnæ in raptores, nu.68. Deprehensus in flagranti crimine potest à coniunctis personis occidi, ibid.
Per nuptias cum rapta non tollitur infamia, num.69
Quid si sponsus rapiat sponsam, nu.70
Raptor puellæ in seruitutem deditur.34.14

Ratificatio.

Ratificatio quid requirat.164.72.& 419.78

Ratihabitio.

Vtens re aliena sub ratihabitione.62.37
Ratihabitio ad quæ extendatur.62.37.& 216.3
Ratihabitio æquiualet mandato.123.nu.13

Rationis vsus.

Rationis vsus priuatio duplex.567.14
Non potest quis cedere iure, quod habet ad potestatem vtendi ratione.568.18
Rationem dupliciter vincit passio.591.11.12. & quomodo, nu.13

Rebellio.

Rebellio quid.604.76

Rechabite.

Rechabitis à vino abstinentibus promissa merces.556.nume.76

Recursus.

Recursum præbens maleficio ad quid teneatur. 125.16

Regnum.

Regnum Dei quid.383.15

Regula.

Regula an necessaria ad statum religiosum. 437.2
Regulæ approbatæ quæ sint.438.18

Religio. Religionis status, Religiosus.

Religio vnde dicta, 374.1
Quid sit, num.2
Eius obiectum, nu.3.& 376.nu.10
Non potest esse nisi in creatura respectu sui principij.
Eius actus sunt quatuor.375.nu.6
Religio ab alijs virtutibus differt, nu.7
Non versatur immediatè circa Deum, nu.9.10
Proximè accedit ad virtutes Theologicas. 377.14
An Religio complectatur cultum Sacramentorum. 378.16
Religio dimittens professum sine causa peccat contra iustitiam.461.107
Non tamen si nondum professum, ibid.
Ad religionis essentiã non requiritur tanta firmitas vt quis per Superiorem solui nequeat.462.108
Religionis nomen tripliciter accipitur.435.nu.2
Religiosus status, quid sit, ibid.
Quæ ad eum requirantur, nu.4
Solemnitas votorum non est ad eum necessaria. 436.8
An approbatio sit ad eum necessaria.437.10
Religiosus propter Christum se libertate abdicat. 34.15
Religiosorum ordinum diuersitas vnde proueniat. 438.16.
Quis sit perfectior.438.16. Moderata corporis afflictio in eo Vtilis, nu.21. Non requiratur in eo chorus, nu.23
Religionem non approbatam intrans an ad castitatem teneatur.438.14

Religionem qui possint ingredi.439.24
Qui non,num.25.& 441.nu.30
Ad religionem compelli nemo potest. 442.38
Excipe aliquot casus.442.num.42
Vouens religionem ingredi ad quid teneatur, nu.43
Religiosus an habeat aliquarum rerum dominium. 25. numero 18
Nihil potest alienare, nec consentiente Prælato in res turpes,ibidem.
Religiosus ad quid per singula vota obligetur. 454.74.& sequentibus.
Religiosi singuli tantùm habent vsum sine dominio rerum quibus vtuntur.47.31
Quo iure sint incapaces dominij & matrimonij.32.22
Non sunt incapaces iurium spiritalium.27.26
Religiosi beneficiati habent ius dispendandi fructus suorũ beneficiorum,non tamen dominium,26.29
Quomodo eos possint expendere, imò Bona immobilia à superioribus ipsis concedi nõ possunt.26.30. Quomodo census vitalitij ipsis possint permitti. 27.31
Religiosus an possit aliquid ludo perdere vel lucrari. 166. nu.32.33
A Religione aliquem abducens ad quid teneatur. 65. numero 12 13
Religionis status debet liberè suscipi.65.14
Est status perfectionis,ibid.
Religiosus non tenetur laborare ex iustitia, sed tantùm ex virtute religionis.66.18
Religiosus propriè quærere tenetur suum bonum spirituale,66.20
An teneatur fugere ne percutiatur.72.44
An possit furem occidere.75.nu.72
An ad vitandam ignominiam.100.77.nu.85.86
Exiens monasterio ad audiendum ius ciuile vel medicinã est excommunicatus.606.83
Religionem ingrediens an liberetur à restitutione. 148. 70.&c.
Religionem ingredi non potest seruus domino inuito, nec coniux consummato matrimonio.148.70
Nec debitor qui aliàs commodè posset breui satisfacere, nu.72.Secùs si non nisi post longum tempus, nu.73
Religiosi contractum sine suo consensu factum, potest suo arbitrio Prælatus infirmare vel validare.162.nu.68
Religiosi subditi non possunt sine consensu Prælati donare validè,etiam in pias causas:nec Prælati in causas prophanas,etiam consentiẽte Conuentu. 175.85. In quibus censeatur tacitus Prælati consensus,nu.83
Religiosi testari non possunt sine consensu Pontificis, & cum eo tantùm in causas pias.184.nu.40
An possint fide iubere.271.nu.20
Religiosi quinam teneantur legere Horas.389.49
An Prælatus possit dispensare,nu.51
Religiosi bona an transeant ad monasterium per professionẽ.436.81.Potest bona sua distribuere liberis, si habeat, num.82
Religiosus an post professionem acquirat omnia monasterio.458.87
An possit succedere in hæreditatem, ibid.
Comparatur partim seruo,partim filiofamilias, ibid.
Religiosi delicto non tenetur monasterium. 458.90
Nec est contractu,nisi quatenus in eum consensit,ibid.
Religiosus beneficiatus cui acquirat ea quę acquirit,nu.91
Quorum beneficiorum sit capax.459.nu.95
Quando requiratur consensus Prælati,nu.97
An requiratur auctoritas Episcopi.459.98
Religiosus ordinem mutare quando possit, & in qualem transire,num.100
Quænam obseruanda.460.101
Religiosus transiens ad alium ordinem est incapax omnis beneficij sæcularis. 461.105
Religiosus potest eijci ob iustam causam è religione, numero 106.
Religiosus electus fugitiuus & apostata qui differant. 462. 109. An electus præsertim requisitus, teneatur redire, nu.110
Non tamen tenetur aliud monasterium ingredi. 462. 111.Potest vti habitu clerici sæcularis, non autem suo. num.112
Cui acquirat ea quæ acquirit,ibidem.
Habet eorum administrationem.463.113
Non potest testari,ibi. Quid si in illicita expendat,ibid.
Non recidit sub obedientiam Episcopi,num.114
Non est liber a votis, sed ab obseruatione regularum, num.115
Religiosus an possit ob culpam in sæculo commissam exhæredari.458.87
Intra duos menses à matrimonio contracto potest quis religionem ingredi.445.50
Translati ex ordine mendicantium ad Carthusianos, vel ad ordinem non mendicantem, inhabiles ad officia, &c. 461.105. Omnes translati incapaces beneficiorum sæcularium,ibid.
Religiosus eligi non potest ad beneficium extra monasterium sine consensu Prælati. 459.97
Est capax curæ animarum.459.98. An etiam dignitatis, num.99. Est inhabilis ad canonicatum,& beneficia sæcularia,ibid.
Religiosus transire potest ad artiorem ordinem.num.100 Id tamen non est laudabile, nisi sit necessarium,& vtile. ibid. An ordo ad quem transit debeat esse perfectior,nu. 100. Omnes possunt trãsire ad Carthusianos, ibidem. & Carthusiani ad mendicantes,ibid.

Remedium.

Remedium contra carnis tentationes.562.111
Remedia aduersus maleficia.496.28
Remedia contra pusillanimitatem.538.29

Remiges.

Remiges Christiani non tenentur ad damna quæ inferunt Turcarum triremes.82.122. An possint occidi. 125. nume. 30

Renuntiatio.

Renuntiatio successionis an firmetur iuramento.160.56
Renuntiatio simplex non priuat quemquam iure, quod ei leges concedunt in bonum commune.265.nu.26
Renuntiatio bonorum facta cum iuramento bimestri ante professionem non valet.474.55

Reparatio.

Reparatio iniuriæ fit per pœnam.517.21

Res.

Rerũ diuisio quomodo sit facta,& an sit licita.32.1.2. Fuit vtilis hominibus.33. nu.3
Rei illicitę dans operam & casu occidens an incurrat irregularitatem.69.nu.103
Res superioris ordinis numquam est necessariò periculo exponenda pro re inferioris.92.nu.56
Rei alienę iniquus detentor continuè peccat.107. nu.11
Rem suam occultè vindicare an liceat.112.nu.61
Res domino suo melioratur.116.nu.100
Rem furtiuam emens ad quid teneatur.130.1.2.3
Res eadem secundum varios contractus variam æstimationem habet.133.nu.33
Rebus diuinis vti in finem humanum an licitum.466.16
Res vilis quomodo appeti possit.599.53
An toties peccet quis,quoties re aliena vtitur inuito domino.108.nu.25

Respublica.

Reipub-pars dupliciter comparatur.12.nu.10
Quomodo Respub.comparetur ad Principem.11.13
Triplex in ea habitudo,ex qua triplex iniustitia.14.20
Respub an possit tradere innocentem.71.40

Resignatio. Vide *Beneficium.& Simonia.*

Restitutio.

Restitutio an necessaria sit si pascas vel ligneris in loco alieno.40.56. Suadens fugam seruo furi,tenetur de damno, & etiam restituere seruum.35.23.
Restitutio in integrum contra præscriptionem quid sit.56 52.Quibus concedatur,ibid.
Restitutionis definitio.65.nu.15
Apud Theologos sumitur etiam pro cõpensatione,ibid.
Est actus iustitiæ commutatiuæ,nu.16
Quomodo a solutione vel satisfactione,nu.17
Respicit rem,satisfactio personam,nu.18
Deo propriè fieri non potest,benè tamen satisfactio,ibi.
Ex duplici capite nascitur,nu.19
Generatim accepta nascitur ex triplici capite.66.20
Discrimen inter hæc capita,nu.21.

Resti-

INDEX RERVM.

Reſtitutio ratione damni requirit latam culpam.60.24
Quæ ſit peccatum mortale.60.27
In contractibus ſufficit leuis & aliquando leuiſſima.61. num.32. & ſeqq.
Quid ſi promiſerit quis maiorem operam adhibere.61. num.32.
Quando excuſet naturalis inconſideratio.60.nu.26
Quando ignorantia concomitans.63.46
Reſtitutio externa neceſſaria ad ſalutem.63.47
Reſtitutionis præceptum an ſit affirmatiuum.64.49
Vtrùm facienda ſit pro ſolutione vel rationis vſu per iniuriam ablato.64.1.2
Vtrùm pro bonis naturæ.num.3
Quis ordo in ſeruandus ſit.137.num.1
Reſtitutionis quantitas non eſt ſpectada ex quantitate iuriæ.83.nu.134
Reſtitutionem famæ condonare qui poſſint.135.nu.137. & ſequent.
An liceat compenſare.num.131
An cum damno pecuniario.105.136
Quænam ab ea excuſent.num.137
Quo ordine reſtituet conſultor, conſentiens, &c. 227. num.48
Reſtitutio omnis iure naturæ debita eſt certæ alicui perſonæ aut communitati.134.37
Iure tamen poſitiuo poteſt aliquid deberi incertis,ibid.
Reſtituenda accepta prius ad quæ tenebaris ex iuſtitia.236.63
Reſtitutio cuius expenſis & quo loco facienda ſit. 142.nu. 48 &c.
Quæ cauſæ ab ea excuſent.143.num.1
Prima cauſa eſt extrema neceſſitas.num.2
Quibus euentis hac ſublata tenearis reſtituere.nu.6.7
Excuſat etiam grauis quandiu durat. 144.11. Niſi creditor ſit in eadem neceſſitate. num.19. Probabile nec tunc teneri, quando eius non ea cauſa.nu.20
2 cauſa, Periculum ſalutis, fortunarum, ſtatus.144.n.21. Lucrum tamen ceſſans non excuſat.145.24
Nec periculum ſtatus ſi ad eas angustias tua culpa ſis reductus.145.28 Vel ſi ſtatus inique partus,num. 29
Vel ſi creditor ſit in eodem periculo. num.31
Hæc tamen non ſufficiunt vt aliena auferas.nu.27
An damna ex ſolutionis dilatione orta tenearis ſoluere, 145.num.32
3. cauſa, Remiſſio creditoris.145. num.34
Quæ debet eſſe libera,num.35
Facta ab habente poteſtatem. num.36
Non obſtante iure,num.37
Quod ſit tribus caſibus,ibid.
4. cauſa, Ceſſio bonorum.146.42
5. cauſa, Reſtitutio putetur nocitura creditori.147.nu.53
Niſi grauius timeatur incommodum.nu. 57
6 cauſa, Solutio facta creditori creditoris, in loco conſcientiæ,num.60
7. cauſa, Interitus rei debitæ in ſpecie, extra contractum vel culpam.148 num.62
8. cauſa, Iudicis auctoritas quatuor caſibus.148.68
9. cauſa, Ingreſſus religionis.149.70, & ſeqq.
10. cauſa, Excommunicatio creditoris vt poſſit nõnihil differri,nu.77. Non tamen debitoris,nu.79
11. cauſa, Incertitudo creditorum, vide *Debita incerta.*
12. cauſa, Compoſitio cum *Prælato.*149.83
13. cauſa, Compenſatio.nu.85
Reſtituens rem furtiuam per confeſſarium, qui eam retinet an teneatur ſecundo reſtituere.148.65
Reſtitutio in integrum conceditur minoribus vſque ad annum vigeſimumnonum completum.172.63. Eccleſijs, num.66. & 255.65. Repub.163.67. Supremis Principibus, Vniuerſitatibus, interdum etiam rudibus, ibid.
Dupliciter petitur,nu. 68. Per eam fructus rei contractu gratuito alienati repetuntur, nu.70
Secus in oneroſo.nu.71
Niſi infra iuſtum pretium vendita ſit,ibid.
An ad reſtitutionem iure diuino teneatur, qui pretium pro re ſpirituali accepit.371.nu.157
Pretium quando iure poſitiuo reſtituendum.473.169

Retrotrahi.

Retrotractio excommunicationis & inhabilitatis in ſimonia conuentionali, non inducit irregularitatem in eo qui poſt contractum ſimoniacum, alias eius impletionem celebrauit.370.153. Effecit tamen vt collatio interim alterius beneficij reddatur irrita, quaſi tunc fuiſſet inhabilis.nu. 254
Quibuſdam videtur ſolum habere locum in foro externo.155

Retrouenditio.

Pactum retrouenditionis an licitum.221.113. & 222.numero 123

Reuelatio.

Reuelare occultum crimen alterius aut ſecretum ad vitanda tormenta an liceat.96.nu. 51
An ad damnum tertij auertendum.97. 57.&c.

Reus.

Reus an poſſit præſcribere quando bona cecidere in commiſſum 50.num.38
Reus an poſſit reculare cibum oblatum.70 29
an teneatur ipſemet exequi ſententiam. 33. 22. & 70. 25
Reus quando condemnari poſſit non auditus. 287.100
Reus reuelans occulta crimina teſtium ad infirmandum teſtimonium, an faciat contra iuſtitiam. 302.1
Fieri tamen poteſt vt ſit contra charitatem talia crimina patefacere. nu.2
Reus habet ius repellendi teſtem quouis modo magis idoneo.302.nu.4
Saltem ex charitate ita tenetur reſpondere & ſe defendere; vt quàm minimum accuſatorem lædat.nu.5
Reus accuſatus de crimine, quod iuridice probari nequit, non peccat contra iuſtitiam, ſi neget crimen, aut dicat accuſatorem mentiri & calumniari, nu.6
Illicitè patefactum etiam extra iudicium quadam ratione negari poteſt.nu. 7
Reus non tenetur fateri veritatem, aut iurare de calumnia, ſi iudex non interroget iuridice.nu.8
Non tenetur etiam crimen fateri, quando dubitat vtrum iudex iuridice interroget.303.10
Reus tenetur veritatem fateri, etiamſi capite plectendus eſſet, quando ei notum eſt Iudicem iuridicè interrogare. nu 14
Contrarium tamen non eſt improbabile, præſertim in cauſa capitali, quamdiu eſt ſpes euadendi.304.nu. 16
Quando non eſt ſpes euadendi, tunc tenetur veritatem fateri.nu 19
An reus poſſit per vim ſe defendere contra Iudicem, aut Miniſtros, ne ſententiam iniquam exequantur. 305. nu. 29.30
Reus ante ſententiam fugere poteſt, niſi iurauerit ſe permanſurum.nu.31
Etiam poſt ſententiam, ſi damnatus ad pœnam mortis, vel mutilationis.nu 33
Qui licite fugere poteſt, poteſt etiam vincula rumpere, & carcerem perrumpere.305 36
Reus damnatus ad pœnam carceris temporariam non poteſt fugere. Probabile tamen eſt damnatum ad carcerem perpetuum grauem præſertim; item damnatum ad triremes fugere poſſe.num. 39
Reo, cui fas eſt fugere, poſſunt alij fugam & vinculorum diruptionem conſulere; modo non ſint poteſtatis publicæ miniſtri.306.num.40
Probabile etiam eſt licitum eſſe eiſdem captiuo inſtrumenta porrigere, quibus vincula incidat & carcerem effringat.nu.41
Non tamen poſſunt alij reum iuuare exterius effringendo carceres & vincula rumpendo.nu.44
Reus conuictus non torquetur, exceptis duobus caſibus. 293.352
Vtrum reus poſſit ſæpius torqueri.294.168
An vt ſocij detegantur. nu 162

Sacrum, Res ſacra, Sacrificium, Sacerdos.

Sacras res tyranno tradere an licitum.71.40
Sacrum, ante Matutinum dictum, ex cauſa celebrare licet.384.81
Sacrificium quid ſit.395.6.& 397.19
Quinque ad id requiruntur.396.11
Qualis mutatio hoſtiæ in eo requiratur.396.13. Quando vna res mutatur in aliam, quæ cenſeatur hoſtia.nu.15.

Sacrificium in Miſſa conſiſtit in conſecratione.396.16
Sacerdotes quinam in lege naturę,& immolatione agni Paſchalis fuerint.396.12
Sacrificij vera ratio reperitur in paſſione Chriſti. 397. numero 17
Non tamen in paſſione martyrum, ibid.
Sacrificium tribus modis diuidi poteſt 398.21
Quænam res in veteri lege per ſacrificium offerebantur, ibidem.
Sacrificare hoc tempore agnum vel vitulum an licitum. num.29
Sacris rebus ſæpè dæmon ſuas operationes velat.493.numero 13
Sacrarum rerum tria genera.501.10.& 502.15
Earum temeratio graue peccatum,num.15.16.17
Sacerdos an pecuniam accipere poſſit pro Sacramentis adminiſtrandis. Vide *Simonia.*
Non omne opus bonum eſt ſacrificium.195.num 7
Ad ſacrificium requiritur ſacerdos & altare,ibid.
Qua ratione opera bona dicantur ſacrificia,nu.9.
Sacrificiorum decem genera,ibid.
Non omnis oblatio eſt ſacrificium,num.10
Fibris intrinſecus ſacrificij.397.18
Deſcriptio ſacrificij, numero 19. Duo teſtamur ſacrificio, ibidem.
Sacrificia dijs inferioribus oblata.397.20
Sacerdotium Eccleſiæ eſt ſupernaturale,nu.26
Chriſtus adeptus eſt poteſtatem alterius ſacrificij inſtituendi.398.27
Sacramẽtorum perceptio & adminiſtratio *in* peccato mortali eſt ſacrilegium.502.16
Sacris verbis ad facetias vti graue peccatum.608.96

Sacrilegium.

Sacrilegium quid ſit.107.7 & 500.num.6
Tres ſunt eius ſpecies. 501.num.10
Quando ſit peccatum mortale,quando veniale.502.numero 20
Sacrilegorum pœnæ,num.21.& 581.88
Qui ipſo facto incurrant excommunicationem latæ ſententiæ, ibi.
Sacrilegium quinque modis fit.581.84
Voto obſtrictus & ſacerdotio inſignitus an duplex committat ſacrilegium.581.num.87

Saga.

Sagam,ſi per dæmonem noceat,an poſſis occidere.73.n.8
An poſſit demergi in aquam ad eliciendam criminis cõfeſſionem.294.167
Sagæ ipſa à dæmone transferuntur. 454.15
Quomodo tranſmutentur.484.18
Quæ remedia contra earum maleficia adhibenda. 496.29
Sagæ poſſunt multa per dæmonem facere, quæ *ipſe* ſolus non poſſet.498.42
Sagam te percutientem repercutere licitum.496.45

Salus.

Salus animæ proximi quando ſaluti propriæ præferenda. 73.num.51

Samuel.

Samuel poſt mortem verè apparuit Sauli. 495.24

Sanctus.

Sancti iniuriam paſſi ſunt.59.num.14
Sancti qua ratione inuocandi ſint.385.28
Quomodo cognoſcant noſtras preces.486.33
Quibus potiſſimùm meritis nitantur, dum orant pro nobis.387.36
Orando proſunt.386.30
Sancti tripliciter coli poſſunt. 383.17
Cur eorum cultus religioſus dicatur. 384.24
Sanctis dupliciter vota fiunt,385.27
Sanctorum patientia.540.num.43

Sanguis.

Sanguis à corpore occiſi emiſſus an ſufficiat ad capturam &c.294.167
Sanguis adoleſcentis corpus ſenile fouet.566.10

Sanitas,Sanitatum obſeruatio.

Sanitatum obſeruatio quid ſit.489.63
Quale peccatum, nu.64
Sanitatis cauſa non tenemur mutare aerem.566.12

Satisfactio.

Satisfactio differt à reſtitutione. 59.nu.18
Reſpicit illa perſonam,hæc rem,ibid.
Fieri poteſt Deo,non tamen reſtitutio, ibi.
Confeſſarius an poſſit iniungere vt des pauperibus acceptum ob turpem cauſam. 136.61
Satisfacere creditoribus quonodo oporteat. Vide *Creditores.*

Scriptura.

Explicatur locus Apoſtoli 1.Timot.6. Radix omnium malorum eſt cupiditas.552.59
Explicantur Scripturæ, quas hæretici contra ieiunium obijciunt.557.78
Explicatur locus Apoſtoli de virginitate.1.Corint.7. 560.105.& ſeqq.
Explicantur Scripturæ allatæ contra caſtitatem.562.num.109
Locus Gen. Creſcite & multiplicamini,benedictio eſt,non præceptum,ibid.
Explicatur locus Mat.5.de iuramento. 466.14
Explicatur locus Iob 37. Qui in manu omnium hominum ſignant,vt nouerint ſinguli opera ſua.487.48
Scriptura ſacra abutentes peccant. 502.17

Scrupulus.

An ſcrupulum excludat prudentia. 2.6
Scrupuli vnde oriantur. 2.6

Secretum.

Secretum alterius an poſſis aperire.96.54

Securitas.

Securitas quid ſit.535.4
Vnde oriatur.536.nu.13

Senex.

Senibus neceſſaria ſobrietas.558.nu.90

Sepultura.

Sepeliens eccleſiaſtica ſepultura manifeſtum vſurarium eſt ipſo facto excommunicatus.206.188

Seruus,Seruitus,Seruile opus.

Seruitus pœnæ quid ſit.19.nu.22
Qua parte ſublata ſit,ibid.
Seruitus in rebus quid ſit.19.nu.26
Quid ſit ſeruitus cauſalis.19.nu.27
Seruitutis diuiſio & definitio.19.nu.28
Seruus an poſſidere quid poſſit.21.42
Serui an dominij capaces.26.num.13.& ſeq.
Quomodo aliqui dicantur natura serui,alij domini.31.54. in ſtatu innocentiæ nulla fuiſſet ſeruitus, ibi.
Seruitus quomodo contra naturam.31.num.56
Seruus nemo eſt lege naturæ.31.num.54
Seruitus quomodo ſit contra legem naturæ, num.56
Quot modis contrahatur.33.12
In ſeruitutem aliquando rapi poſſunt innocentes, num. 12
Quando contrahitur natiuitate,num.13
Quomodo venditione.34.15
Chriſtiani bello capti non fiunt serui.33.12
Ex ancilla natus contrahit ſeruitutem.33.13
Seruitutis pœnam qui incurrant.34.14
Serui qui ad peccatum ſollicitantur an poſſint fugere. 34.19. an teneantur reuerti ceſſante periculo.item an & illi qui durè tractantur, ibid.
Seruus hæretici an poſſit fugere vt fiat liber.34.20
Serui infidelium an fugere poſſint ad Eccleſiam vt fiant liberi.34.20
Quomodo poſſit ſeruus iuſtè plectio fuerit. 35.27
Serui qui fugere poſſunt.35.24
Bello capti fugere poſſunt.35.24
Poteſt quis eos iuuare.35.25
Quomodo in fuga deprehenſi poſſint puniri,num.27
Seruitutes quomodo præſcribantur.47.num.20
Seruitus alia continua,alia diſcontinua.49.28
Quomodo extinguatur, num.30
Seruitus affirmatiua,negatiua,49.29
Seruo fugam ſuadens tenetur ad reſtitutionem, non tamen ſuadens otium.66.20
Seruus non tenetur laborare ex iuſtitia,ibi.
Seruus à Domino ſuo eiectus fit liber.463.num.112
A ſeruitute quintuplici nos liberat euangelica libertas.550.num.28

Seruile opus potest facere, qui vadit ad locum in quo non est festum.554.55
An teneatur prius audire Sacrum,nu.56
Serrus an possit religionem intrare.441.31
Serui professio sine consensu domini est irrita.248.70
Seruorum vota quis irriter.421.86
Seruilia opera in festis cur illicita.502.18

Severitas.

Seueritate quando vtendum.597.41

Signum.

Signa magica tollere vt diabolus desinat nocere an licitū. 497.38
An aliquis teneatur. 499.43
An liceat ad eumdem finem contraria signa ponere, numero 45
Signi crucis effectus.496 33

Simonia.

Simonia est species sacrilegij.501.8
Simonia ob quas causas a Simone mago nomen acceperit. 347.1
Est studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale,vel spirituali annexum,nu.3
Sola supernaturalis censetur esse materia eius. 346. numero 6
Simonia non est vendere doctrinam vel notitiam cuiuslibet veritatis,naturali industria comparabilis,n.7 In statu innocentiæ non fuisset simonia proprie dicta,n 8. Non est simonia dare alicui beneficium ob amorem humanum; vt quia sanguine vel amicitia iunctus,nu.9
Non est simonia quando sacerdos præstat ministeria sacra, etiam principaliter ob lucrum temporale,modo nullum pactum tacitum vel expressum interueniat,nu.10
Nec est simonia si quis animo non quidem verè emēdi aut soluendi,sed decipiendi dumtaxat,promittat aliquid tēporale pro beneficio 348.11
Res spiritali vel sacra, ita vt materia sit simoniæ, quatuor modis dicitur,nu.12
Omnis uenditio & commutatio rerum spiritualium cuiuscunque generis pro pretio temporali, si in ea habeatur ratio consecrationis,vel eius quod supra naturam est,est simonia iure diuino prohibita,nu.14
Beneficiū si consideretur planè formaliter,quatenus est ius fructum obtingens per officium sacrum, sic iure diuino est inuendibile.343.17
Si consideretur materialiter,nempe pro iure ad illos fructus, qui officio sunt annexi; sic beneficium vendi potest per Pontificem absque simonia iuris diuini,nu.19
Non est simonia iuris diuini,nisi quis intēdat ius fructuum vendere mediante officio,nu.21
Permutatio rerum spiritalium, si nullum temporale interueniat, ratione cuius hæc permutatio fiat, non est simonia iuris diuini.350.22
Probabilius est aliquam esse veram & propriè dictam simoniam solo iure ecclesiastico introductam,nu.23
Hæc simonia iuris humani in quibus locum habeat.351.26
Permutatio beneficiorum non propriè simonia dicitur, sed tantùm ratione generali, & imitatione quadam, numero 30
Permutationes aliarum rerum spiritualium non sunt simoniacæ 352.31
Papa non potest incurrere pœnas simoniæ iure ecclesiastico statutas,nu.32
Potest contrahere culpam simoniæ iuris diuini,ibid.
Verius quoque incurrere culpam simoniæ iuris humani, exigendo pecuniam officijs iure vendi prohibitis, numero 33
Simonia alia est iuris humani, alia diuini. Item mentalis, conuentionalis & realis.
Quid mentalis,nu.35
Conuentionalis duplex est, purè videlicet conuentionalis & mixta.
Quid illæ sint. 352.36
Etiam in graui vel extrema necessitate non potest dari pecunia pro baptismo,tamquam pretium æquiualens.numero 38
Sacerdoti nolenti administrare hoc uel aliud Sacramentū, nisi pro pecunia,an possim eam dare,ibid.
Simoniæ suspitudo in quo sita.353.40
Pro actionibus spiritualibus,quæ spirituales sunt,aliquid accipere vel dare simoniacum est,nu.45.
Non est simonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinsecis actioni sacræ,ibid.
Nec est,si des aliquid pro sustentatione ministri sub obligatione rei spiritalis.354.47
Iure naturæ non est simonia, si minister rerum spiritalium siue sit pauper, siue dives, pacisceatur de certo stipendio ad sustentationem,nu.47
Iure antiquo fuit simoniacum sic pacisci: huictamen Iuri per contrariam consuetudinem in quibusdam derogatum. numero 48
Quòd si nimium exigatur pro sustentatione, non erit simonia,sed iniustitia.355.51
Pro labore intrinsecus actioni sacræ coniuncto,v.g. pro labore in faciendo Sacro,baptizando,confirmādo,&c. pretium exigere, vel de eo pacisci,quodā sensu simoniacum est, num.52.& seqq.
Episcopi & Archiepiscopi non committunt simoniā,quando exigunt procurationes seu expensas pro consecratione ecclesiarum,& pro visitatione. 356.55
Secus si exigāt aliquid in commodum suum temporale pro dispensatione in votis,&c. nu. 57.
Pontifex à simonia excusari potest, etiamsi causa dispensationis aliquid accipiat veluti in quamdam multam, per quam alter compensetur recessum à communi lege. 356.58
Nec episcopi nec eorum ministri (excepto Notario) quidquam accipere possunt,etiam spōte oblatum vel pro literis ordinis suscepti,vel dimissorijs, vel sigillo.357.60
Qui reditus habent sufficientes,tenentur lege iustitiæ suis officialibus iusta stipendia assignare 357.63
Simonia propriè non est,dare vel exigere aliquid pro omissione actus spiritalis,nu 64
Huic tamen cōtractui,si sine iusta causa fiat,coniuncta est quædam turpitudo simoniæ affinis,nu.65
Simonia est,si pro ipso statu religioso aliquid offeratur vel accipiatur.358.66
Si muneribus solùm intendas allicere animum alicuius ad monasterium vel fidem Catholicam,vt sponte hæc amplectatur,non est simonia,ibid.
Si monasterium est opulentum,videtur esse simonia,exigere aliquid pro sustentatione ingredientis.359.71
Nō est simonia aliquid exigere pro doctrina Theologię naturalis seu metaphysica,nu. 74. Secùs est aliquid exigere pro cathechismo,seu doctrina & veritate fidei tradenda tamquam pretium.359.77
Si Theologia pro cognitione mysteriorum fidei & Scripturarū diuinitus infusa accipiatur, exigere aliquid pro illa tamquam pretium est simonia, ibid.
Sin Theologia accipiatur pro scientia,quæ ex principijs fidei per industriam rationalis naturalis deducit conclusiones, pro quibusdam eius actibus pretium accipi potest, pro quibusdam non,nu.78
Resignare beneficium in fauorem tertij,id est,cum clausula *Non aliter,nec alias*, non est simonia iuris diuini, nec humani.361.86
Huiusmodi tamē resignationes,ob imaginem simoniæ,iuxta stylum Curiæ non possunt fieri,nisi in manibus Summi Pontificis,nu.87
Licitum est resignare beneficium reseruata pensione, modò sit moderata,& legitima auctoritate constituatur. numero 89
Potest Pontifex imponere pensionem causa simplicis resignationis.361.nu. 91
Idem dici potest de Legato à latere.Episcopum autē verus est non posse, nisi priuilegium, aut consuetudo præscripta id ei concesserit, ibid.
Quando quis vult resignare in fauorem tertij sub onere pensionis,possunt illi inter se tractare, non tamen absolutè concludere, sed tantùm sub beneplacito Pontificis: numero 91
Si quis expensas fecerit in obtinendo beneficio litigioso an possit illas repetere,nu.94
Si resignes,conferas, vel aliter procures alicui beneficium cum intentione obligandi vt post aliquod tempus nepoti vel alteri renuntiet,erit simonia mentalis,nu.96
Si alicui beneficium procures aliqua ratione eligendo, præsentando,

sentando,&c. cum pacto vt *is*, qui beneficium illud accepturus est, illud idem tibi, vel alteri aliquando resignet: aut vt pensionem ex eo, vel fructus aliquos alteri præstet, erit simonia confidentiæ externa, quæ pœnas iuris infert, nu. 96

Si procures beneficium cum pacto vt tibi reseruetur pensio vel fructus aliqui, an sit simonia, nu. 97 1

Ex bullis Pij IIII. & Pij V. patet in beneficorū resignatione, præsentatione & collatione, illicitas esse, ob speciem simoniæ confidentiæ, quasdam introcessiones, quas vocant accessus 362. 98

Permutatio beneficiorum facta sine auctoritate Prælati est illicita, nu. 100

Si alterum beneficium sit altero dignius, & paritas sit reddituum, est simonia iuris diuini, si pecunia vel pēsione excessus ille compensetur, ibid.

Si beneficia habeant prouentus inæquales possunt, nihilominus inter se commutari, nu. 101

Qui nondum habet ius iure, non potest oblato pretio vexationem redimere ab his, qui non tantum obesse possunt, sed etiam prodesse. 363. 106

At potest oblato pretio vexationem redimere ab his, qui sōlùm possunt obesse, nu. 108

Qui habet ius in re per confirmationem, vel institutionem, vel collationem liberam, potest pretio redimere vexationem. 364. 110

Pro electione in Pōtificem, Episcopum, vel Parochum, particularis personæ etiam dignissimæ non est licitum offerre pecuniam electoribus: licitum tamen est, vt nō eligāt ineptum, nu. 112

Videtur quoque licitum pro electione personæ idoneæ in genere, nu. 113

Item si vnus tantùm idoneus reperiretur. 364. 114

Si munus à manu des ad conciliandam solùm amicitiā, vt posteà tui memor tibi ex amicitia cōferat, non erit simonia in dante. similiter nec in collatore accipiente, si id tā quam gratis donatum accipiat, nu. 115

Si id des cum intentione obligandi vt te præsentet, &c. erit simonia, saltem mētalis, ex parte tua similiter ex parte alterius, si eadem accipiat, nu. 117

Idem dicendum de omni obsequio Ecclesiæ, Collatori, &c. præstito, ibid.

Si beneficium detur propter munus à lingua, non erit simonia, nisi pactum aliquod tacitum vel expressum intercedat, nu. 118

Conferre beneficium propter timorem, si nullum interueniat pactum, non est simonia. 365. 119

Si intercedat pactum, saltem occultum, per quod alter nouo modo in posterum censeatur munere obstrictus ad non nocendum, videtur esse simonia, nu. 120.

Sin solùm agatur de præsenti euitatione mali iniustè in eum hoem intentati, non erit simonia ad illud euadendum beneficium conferre, vel renuntiare, nu. 121

Pensio, quæ datur ad officium aliquod spirituale, non potest pretio vendi absque vitio simoniæ, nec etiam redimi, nume. 122

Quæ verò fundata in titolo merè temporali, potest redimi & etiam vendi pretio, sine simonia, nu. 123

Non est simonia, si is, qui aliquam pensionem debent ex ijsquæ vel Parocho seni non valenti amplius deseruire datur, vt se sustentet, beneficio eius alteri collato, nu. 124

Aliquam ex his pēsionibus emere aut vendere probabilius est non esse simoniam. 366. 125. Huiusmodi tamen pensiones vendere, stylo Curiæ est prohibitum, & vendens punitur vt simoniacus, nu. 129

Nulla simonia inducit pœnas iuris ipso facto, nisi in ordine, beneficijs, & religionis ingressu. 367. 130

Sed nec in his, si sit mentalis tantùm, ibid.

Simonia realis circa Religionis ingressū, singularibus personis inducit excōmunicationem; & Conuentui seu Capitulo, si consenserit, suspensionem, nu. 131

Simoniacè admissi ad religionem, videntur iure inhabiles ad manendum in monasterio vbi sic recepti sunt. nume. ro 232

Conferens ordines per simoniam realem est excōmunicatus, nu. 133. 2. Est suspēsus a collatione cuiusuis ordinis etiam primæ tonsuræ. 3. Est suspensus ab executione omnium munerum Pontificalium. 4. Interdictus est ingressu ecclesiæ ingressus. 5. Si contra suspensionē vel interdictum istud fecerit, est suspensus ab administratione suæ ecclesiæ, & a perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum. 6. Nemo potest illud absoluere præter Romanū Pontificem, nu. 135

Qui ordinem aliquem per simoniam realem suscepit. 1. Est excommunicatus ipso facto. 2. Est suspēsus ab executione Ordinum. 3. Si præsumpserit in illa suspensione ministrare, efficitur irregularis. 4. Nemo præter Romanum Pontificem potest illum absoluere a censuris, aut cum eo dispensare. 368. 136

Qui beneficium confert vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, &c. est ipso facto excommunicatus, nu. 137

Qui beneficium per simoniam realem acquirit. 1. Est ipso facto excōmunicatus. 2. Omnis prouisio & collatio huiusmodi est nulla, nullumque ius tribuit. 3. Fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum. 369. numero 137. & sequentibus

Si simonia sit publica vel deducta ad forum externum, & reconfidente beneficiario commissa, inhabilitas per eam contracta non potest tolli per Episcopum, sed per solum Papam. 369. 140

Regula de triennali possessore non prodest simoniacè intrusis in beneficium, sicut nec intrusis, ibid.

Mediatores in simonia beneficij & Ordinis incurrunt pœnam excommunicationis ipso facto, si ad executionem vtrumque ventum fuerit, nu. 141

Qui sua auctoritate beneficia permutant, communior DD sententia est, eos prædictas pœnas incurrere: cōtraria tamen sententia est etiam probabilis, ibid.

Si ab alijs te ignorante, tua causa simonia commissa est, non incuris quidem pœnam excommunicationis; tamen absque dispensatione non potest tibi illa vice beneficiū conferri, nu. 142

Qui non consentit in factum amici ratum habendo contractum ipsius, sed solùm ex amicitia soluens id quod ipse amore eius dedit vel promisit, an incurrat simoniam. 369. 144

Tribus casibus non tenetur quis beneficium resignare, etsi illud dato pretio consecutus sit. 366. 143. & 309. 145

Simonia confidentiæ infert. 1. Excommunicationem Papalem vtrique parti contrahenti. 2. Priuationem beneficij in quo commissa est simonia. 3. Priuationem reliquorum beneficiorum antè obtentorum & pēsionum. 4 inhabilitatem ad idem beneficiū, & ad cetera omnia. 5. Omnia beneficia collata & accepta in confidentiam simoniacā reseruata iure Sedi Apostolicæ, nu. 147

Priuatio omnium beneficiorū & inhabilitas ad omnia incurritur in tribus casibus. 1. In simonia confidentiæ. 2. In simonia commissa in electione Papæ. 3. In simonia, quæ committitur quādo examinatores ad parœcias aliquid ab examinandis ratione examinis accipiunt. Non tamen tenetur quis in his casibus beneficia sua dimittere ante sententiam. 370. nu. 148

Nulla simonia conuentionalis, excepta ea, quæ confidentiæ dicitur, inducit ipso facto vllas pœnas iuris positiui. numero 149

Si tamen posteà hæc simoniaca pactio vtrinque in totū vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ, & retrotrahuntur ad tempus pactionis, nu. 151

Retrotractio excommunicationis & inhabilitatis in simonia conuentionali non inducit irregularitatem in eo qui post contractum simoniacum, ante eius impletionem celebrauit. 371. 153

Hæc tamen retrotractio facit vt si interim beneficium aliud collatum fuerit, collatio reddatur irrita, quasi nunc fuisset excommunicatus & inhabilis, nu. 154

Quibusdam tamen videtur hæc retrotractio non habere locum in foro conscientiæ, sed solùm in foro externo. nu. 155

Accipiens pretium pro re spirituali, an iure diuino teneatur ad illius restitutionem, nu. 157

Priuatus se aliqua re spirituali in gratiam alterius, & pro eo damno pretiū accipiens, non tenetur iure diuino ad restit. 371. 158

Conferens pretio aliquid spirituale, quod annexum habet cōmodum temporale, iure diuino non tenetur ad illius pretij

pretij reſtitutionem, nu. 160. Secus de conferente pretio aliquid ſpiritale abſque ſuo incommodo, quod non habet annexum commodum temporale.
Res ſpiritalis per ſimoniam acquiſita an iure diuino dimittenda. 373. 166
Non tamen res ſpirituales ſimoniacè acceptas iure eccleſiaſtico tenentur reſtituere, ſaltem ante ſententiam, niſi ſit beneficium, nu. 168
Pretium autem iure poſitiuo reſtituendum, 1. Si acceptum ſit pro beneficio. 2. Si acceptum pro collatione Ordinum, vel aliorum Sacramentorum, aut Sacramentalium, & notabiliter excedat id quod pro ſuſtentatione exigi poterat. 3. Si acceptum pro admiſſione in Religionem ibidem.
Temporale acceptum pro conferendo beneficio, vel alia re ſpirituali, non ſecuta collatione, iure naturæ reſtituendum ei, à quo acceptum. 373. 170
Si vtrimque ſimonia ſit completa, an pretium acceptũ, ante ſententiam Iudicis reſtituendum ſit. 374. 171
Fructus percepti ex beneficio ſimoniacè accepto, etiam ante Iudicis ſententiam reſtituendi ſunt, nu. 174

Simulatio.

Simulationem alterius an poſſis paſcere. 97. 63
Simulatio quid ſit. 520. 43
Simulatione paupertatis, ſanctitatis, obſequij, aliquid obtinens an teneatur reſtituere. 160. nu. 132

Singularia.

De ſingularibus poteſt eſſe certa notitia. 2. 4

Sobrietas.

Sobrietas quid 558 86. 87. Eius officium, ibidem.
Maxime neceſſaria Epiſcopis, Principibus, ſenibus, feminis & adoleſcentibus: & quare. 558. 89 91

Societas.

Societas in contractu quid ſit. 256. 1. Quatuor requiruntur, nu. 2. Variis modis contrahitur, n. 4. In ſocietate bonorum damna ſunt cõmunia, niſi ex alterius culpa proueniant, nu. 4. Non tranſit ad hæredes hæc ſocietas, etſi ita pactum, nu. 5. Niſi iuramento firmata, n. 6. Poteſt iniri pactum vt ſocij præſtent periculum ſortis, & dent certum lucrum pro incerto. 257. nu. 24
Societas ſortis & operæ quomodo initur. 256. 9. 12
Locum habet etiam in grege & paſcuis. 257. nu. 22
Societas per tres contractus an licita. 257. nu. 24
Dominium ſortis in ei non transfertur, nu. 25
Non eſt neceſſe ſemper explicite fieri, nu. 31
Debent tamen hi contractus ſaltem implicitè intendi, nu. 32. Quare poteſt ita dari pecunia etiam ei qui nõ eſt negotiaturus, nu. 32
Poteſt etiam circa greges fieri, nu. 25
Societas quænam damna & expenſas faciat cõmunia. 261. nu. 34
Societas IESV caret iure ſuccedendi in bona 436. num. 81

Sodomia.

Vitio diuina in Sodomitas 582. nu. 91

Solicitudo.

Sollicitudo temporalium quale peccatum. 9 31
Moderata ſollicitudo bona eſt, ibidem.

Solutio.

Solutio debet eo loco vbi res vendita eſt. 141. 56
Soluendi cenſus eo loco vbi res eſt, ſuper quam ſunt conſtituti. 142. 57
Solutio facta creditori creditoris liberat debitorem. 117. n. 60. Non tamen ſemper in foro externo, ibid.
Solutio rei promiſſæ poteſt eſſe licita, etſi res promiſſa fuerit illicita. 158. nu. 56
Soluens vſuras non intendit abſolutè earum transferre dominum, ſed quatenus debitæ. 203. 119
Solutione dilata carius vendere an licitum. 214. numero 52
Solutio anticipata an pretium minuat. 217. nu. 59

Somnium.

Somnia ex quinque cauſis proueniunt. 487. 50
An ex ijs liceat futura conijcere, ibidem.
Quomodò diuina a vanis diſcernantur, nu. 51
Quale peccatum ex vanis conijcere futura. nu. 53
Quærens diuinationem per ſomnia. 488. 54
Somniorum quinque genera. 489 59
Coniectura de corporis affectibus ex ſomnijs, ibid.

Sors.

An ſors in diuiſione prima rerum locum habuerit. 32. nu. 1
Sors quid. 488. 57. In quibus locum habeat, nu. 58
Sorte eligendus ſacerdos qui tempore peſtis maneat in oppido, ibid.
Sorte electi Saul & Matthias. 488. 59 Conſultoria illicita. nu. 60. Quid ſi deſit humanum conſilium. ibid.
Sortes diuinatoriæ omnino illicitæ. nu. 61

Species.

Species vitij quæ proprie dicantur. 565. 4

Spiritus.

Spiritus apparentes quibus indicijs poſſint dignoſci. 495. 25. De puella quæ reuixit & mira dixit. ibid.
Spiritalis res per ſimoniam acquiſita an iure diuino dimittenda. 373. 166

Spoliatio.

Spoliatio ſe re ſua ob dubiam obligationem nemo tenetur. 90. nu. 40

Sponſalia.

Sponſalia non tenetur deceptus implere, ſi ſubſit id, quod ſi ſciuiſſet, non contraxiſſet. 154. 33. & 174. nu. 72
Sponſalia an reddantur irrita per votum caſtitatis. 446. 55
Sponſalia metu extorta an valeant. 154. 37
Si quis iurat ſe ſecundam ducturum, an teneatur primæ cui non iurauit. 161. nu. 59
Sponſalia iurata iſidem de cauſis ſoluuntur quibus ſimplicia. 475. nu. 60

Sponſio.

Sponſio quid ſit. 263 2. Iure naturæ licita. nu. 3.
Sponſione vel ludo an poſſit lucrari qui non poteſt perdere 266. 28
Sponſio quæ fit in baptiſmo non eſt votum. 410. 19

Sponſus.

Sponſi de futura an poſſint ſe delectare imaginatione copulæ futuræ. 589. 120
Sponſum deſeruit ſancta Thecla & alij. 451. 69

Spurius.

Spurius quis dicatur. 185. nu. 56
Præter alimenta nihil poteſt a patre accipere. nu. 58
Pupillari tamen inſtitutione fratri poteſt ſuccedere. nu. 59. An matri poſſit ſuccedere. 176. 64
An alimenta ei debeantur. nu. 67

Statio.

Strationem deſerere etiam in certo vitæ periculo militi illicitum. 70. 27

Status.

Status diminutio quatenus excuſet à reſtitutione. 145. nu. 18. 25
Status dupliciter accipitur. 435. 1. & 436. 8
Quid ſtatus religioſus. nu. 2
Quæ ad eum requirantur. nu. 4
In ijs quæ ad ſtatum vitæ pertinent quiſque eſt ſui iuris. 416. nu. 63

Sterilitas.

Sterilitas quænam dicenda magna. 194. 17
An ob eam remittenda ſit penſio. nu. 22

Stipendium.

Stipendia augere ſuis famulis quando teneatur dominus. 212. nu. 63
Stipendia iuſta famulorum vnde æſtimanda. 249. 23.
Si ſint infra infimum gradum iuſtæ mercedis tenentur domini ea augere, etſi non fuerit conuentum. 249 25
Duo caſus excipiuntur. nu. 26
Stipendium quantum poſſit accipere pluribus ſeruiẽs. 250 nu. 28

Stipulatio.

Stipulatio quid ſit. 151. numer. 9. Qui poſſint ſtipulari. 170. num. 47

Studioſitas.

Studioſitas quid. 605 77. Et officium, nu. 78
Studium quid. ibid.

Stuprum.

Stuprum an ſupra fornicationem, ſpecialem malitiam contineat. 86. 2. Quid ſit proprie ſtuprum, nu. 6
Quomodo differat a raptu. 86. nu. 7
Eſt morte deterius. 520. nu. 46

Suaſio.

Suadens damnum ad quid teneatur. 114. nu. 14

Quid ſi reuocet conſilium. num.15. Quando cenſeatur ſua iuſsione cooperatus.126.nu.33
Suadere minus malum an liceat.124.15 571 35
Suadens volenti iurati.10.vt furetur.20. tantùm tenetur ad decem,126.33

Subditus.

Subditi qui dicantur 428.121
Subditus quomodo quis fiat alteri per iniuriam factam. 475.nu.63

Subiectio.

Subiectionis modi quinque.279.50

Subſtitutio, Succeſſio.

Subſtitutio vulgaris quid ſit.187.77. Quid pupillaris. nu. 79 Quinam hac poſſint ſubſtituere,nu.80
Quid exemplaris n.83. Qui hac poſſint ſubſtituere.nu. 84 Quid fideicommiſſoria. nu.85. Poteſt per codicillos fieri.187.86. Cuius fidei res commiſſa poteſt Trebellianam,id eſt,quartam partem ſibi retinere. nume.87. Niſi ſubſtitutus ſit pia cauſa.nu.88
Vel teſtator prohibeat,num.89. Quid ſit reciproca, ſeu breuiloquia.nu.91. Quid compendioſa.nu.93
Quomodo ſuccedat religioſus in bona,448.nu.87
Ius ſuccedendi quomodo reuiuiſcat,nu.88

Suffragium.

Suffragium ferens ad rem iniuſtam, quando cenſeatur cauſa damni.125.nu.33

Superbia.

Superbia vnde dicta, 601.59. Quid ſit.ibid. Quomodo ab alijs vitijs diſtinguatur,nu.60 Eius fundamentum, nu. 62. Primus actus completus ſuperbiæ.ibid. Eius ſpecies. 602.65
Superbia completa, nu.68. Quomodo dicatur grauiſſimũ peccatorum,ibid.
Eſt primum mundi peccatum. 603.69
Eſt regina vitiorum,nu.70
Eius remedia ſeptem, nu.71
Gradus ſuperbiæ,604.73.76

Superior.

Superior ad quid cogere poſſit inferiorem. 71.39
An teneatur alios defendere.78.nu.95
Superior non impediens detrahentem ad quid teneatur. 94.22. Quando cogere eum ad reſtitutionem teneatur. 104.123
Superior an debeat dubia in meliorem partem interpretari.279.43
Superior quanam poſſit religioſis ſuis præcipere.454.74
Superior non poteſt dare veniam vt religioſus aliquid in res vanas expendat.456.79 Nec poteſt ſuperflua concedere.ibidem.
Superiori tamquam Deo obtemperandum.510.29
Quid ſi fallatur,nu.30
In dubio ei obtemperandum,ibidem.

Superſtitio.

Superſtitio vnde dicatur,478.1. Quid ſit, nu.2
Poſſet etiam reperiri in veri Dei cultu,n.1
Duæ ſunt eius ſpecies, nu.2
Ex genere ſuo eſt peccatum mortale.479.4
Aliquando veniale,nu.5
Superſtitiones adhiberi ſolitæ ad ſanitatem tuendam, & ad proſperam fortunam,qualia peccata ſint.489.63.64

Suſpicio.

Suſpicionis, vel iudicij temerarij gradus tres diſtinguuntur à D. Thoma. Imò quinque poni poſſunt. 175.6
Suſpicio quid ſit,ibidem.
Dupliciter poteſt quis ſuſpicari. 176.16
Suſpicio dupliciter voluntaria,176.nu.17
Suſpicio temeraria quando tantum ſit peccatum veniale. nu.18
Quando ſit peccatum mortiferum,nu.21
Quale ſit peccatum ex genere ſuo.nu.23
Temere ſuſpicans cui & quomodo reſtitutionem facere debeat,177.nu.27

Syneſis.

Syneſis quid ſit.7.12.& 522.nu 64

Synteresis.

Synteresis quid ſit,3.13.& 20
Eſt principium prudentiæ.ibidem.
Supponitur à virtutibus moralibus,nu.21

Tactus.

TActus partium verecundarum ex cauſa iuſta.533.60
Quid ſi cauſa curioſitatis,nu.62

Temeritas.

Temeritas quid ſit.534 65

Temperantia.

Temperantia quid.543.1.Eius officium.544.7
Regula temperantiæ,nu.9. Quando minus liceat comedere,nu.10. Vitia temperantiæ contraria,nu.12

Tempeſtas.

Tempeſtate obortа merces alienas ejiciens ad quid teneatur.136.122.nu.138

Tempus.

Tempus requiſitum ad præſcriptionem.47 22.23
Quod ſit longum,quod longiſſimum,ibid.
Quando incipiat tempus præſcriptionis.49 29
Tempus præſens eſt pœnitentiæ, & peruigilium magnæ ſolemnitatis, & æterni ſabbati.592.9

Tentatio.

Tentatio quid ſit.500.1. Quid tentare Deum,nu.2
Fit dupliciter.499.3. Quale peccatum,nu.4

Teſtamentum.

Teſtamenti definitio.181.nu.1
Differt à codicillis,num.2. Non requiritur ſolemnitas vt valeat in pijs cauſis, nu.4.7.7
Si factum non ad cauſas pias inualidum ſit defectu ſolemnitatis, valet in eo legata pia,nu.9
Item legata prophana in teſtamento pio minus ſolemni.181.nu 9
Teſtamentum minus ſolemne ad cauſas non pias valere in foro conſcientiæ probabilius.nu.12
Teſtari quinam poſſint.184. nu.37
Teſtantur Clerici validè ex conſuetudine de bonis ſui beneficij in cauſas prophanas,ſed mortiferè peccãt. 84.40
Hæredes tamen non peccant accipiendo,nu 48
Teſtumento hæredes inſtitui quinã non poſſint 185.nu.50
An tales teneantur ante ſententiam ſic accepta reſtituere,nu.52.& 186.nu.58
Teſtamento hæres inſtitutus cum onere vt ſpurio hæreditatem reſtituat,poteſt eam retinere,nu.58.60
Teſtamentum ſemper per ſe reuocari poteſt.588.nu. 94
Niſi iuramentum obſtet,nu. 95
An tunc validè reuocetur.188.nu.98
Teſtari an poſſit religioſus.450.73
Si per teſtamentum de bonis diſpoſuit religioſus ante ingreſſum,an fruetur ijs monaſterium.457.85
Teſtamentum facere poſſit ne ingrediens religionem.442. 40

Teſtis.

Teſtis impediens ſententiam iuſtam ad quid teneatur.128 nu. 136
Teſtis in iudicio non aperiens veritatem an teneatur reſtituere.130.nu.76
Teſtis accipiens vt verum teſtimonium dicat 137 65
Quando per teſtes veritas inquiritur in cauſis criminalibus,ſufficiunt duo teſtes legitimi.298.nu. 24
Duos teſtes requiri & ſufficere ad condemnandum iure gentium receptum eſt,nu.25.26
Plures tamen duobus ad Eccleſiaſticos condemnandos requiruntur,nu.27
Verùm etiam iure diuino poſitiuo hic numerus teſtium ſit definitus.299.nu.28. 30
Solo iure ciuili & canonico duo teſtes requiruntur præter accuſatorem,nu. 29
Vt duo teſtes plenè probent quæ requirantur, n.32. & ſeq.
Quinam teſtes ſint idonei,qui minus idonei.391.35
Nouem hominum genera iure à teſtimonio ferendo repelluntur,nu.36. & ſeq.
Socius criminis quibus caſibus admittatur vt teſtis idoneus,nu.39
Teſtes minus idonei ſæpè faciunt indicium,nu.40.41
Teſtari & denuntiare quinque caſibus tenetur ſubditus poſito præcepto Iudicis 391.43.44
Multis tamen caſibus non tenetur,nu. 45.& ſeqq.
In omnibus caſibus, in quibus non tenetur quis iniuratus aliquid reuelare,non tenetur etiam iuratus.301.nu.51
Teſtis ſi ſciens dixit falſum teſtimonium,tenetur ad reſtitutionem,nu.52.

Qui falsum testimonium dixit,an teneatur reuocare,quamuis ipsi similis pœnæ periculum crearetur,nu.53
Qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, an teneatur ad restit.nu.55
Verius videtur testem, qui se occultat vel fugit,priusquam Iudicis præceptum aut citatio ei legitimè denuntietur, non teneri ad restitutionem damni, defectu iustificationis secuti.301.58
Qui iurauit se dicturum veritatem,an ex iustitia veritatem dicere teneatur, nu.60

Thesaurus.

Thesaurus quid sit.40.57.An sit inuentoris.40.58.& seq.
Quid si inueniatur in re mobili.40.62
Vel in loco sacro.41.64
Quid si arte magica reperiatur.41.65

Timiditas.

Timiditas quale peccatum.533.nu.63

Titulus.

Titulus quid sit.18.13.& 282.64
Effectus traditionis & tituli,ibid.18.14
Titulus iustus in contractu tripliciter potest intendi. 191. num.106
Titulus coloratus coniunctus communi errori populi facit vt valida sint acta habentium talem titulum.282.66
Qui solum titulum coloratum habent,dici possunt generatim peccare vsurpatione Iudicij.282.66
Titulus ob quem alicui honor debetur quid sit.309 9
Titulus beneficij quomodo reualidetur.335.110

Tortura.

Tortura an licita.340.151, Reus conuictus non torquetur exceptis duobus casib.152. Quidam iure torqueri prohibentur,nu.154
Quæ indicia ad torturam sufficiant,numero.153.156.& sequentibus.
Verùm tortura adhiberi possit vt socij detegantur.341.numero 162
Verùm sit sufficiens indicium ad capturam & torturâ emissio sanguinis è corpore occisi ad præsentiam alicuius: similiter immersio veneficarum in aquam, nu.167
Verùm reus possit sæpiùs torqueri,nu.168

Traditio.

Traditio realis necessaria ad transferendum dominium.17.nu.12.18.nu.13
Traditio nuda,non transfert dominium,ibid.
In quibusdam non requiritur, 18.16

Transfictio.

Transactio cum parte an licita post accusationem, 298.20.& 307.49

Trebellianica.

Trebellianica quæ dicatur.181.3.& 188.87

Tributum.

Tributum generatim,& strictè sumptum quid sit. 312.numero 1
Tributa præscribi non possunt.51.nu.41
Tributum ex emptione aut venditione debitum est statim a contractu celebrato.209.nu.3
Tributum an in conscientia tyranno solui debeat.284.numero 74
Tributum honorarium Principi debitum.375.5
Vide *Vectigal.*

Tristitia.

Tristitiam ex vario affectu moderari possumus.539.numero 38

Turpis causa. Vide V. *Causa.*

Turpiloquium.

Turpiloquium an sit mortale peccatum.577.63.& 599.97

Tutor.

Tutor non tenetur ex culpa leui.61.nu.31
Tutores tenentur de damnis,eorum negligentia pupillis illatis.123.nu 74
Tutorem non posse agere pro pupillo contra testamentum minus solemne probabilius.260.nu.29
Contrarium tamen probabile,nu.30

Tyrannus.

Tyrannus an possit vsu capere ius imperij in populum liberum.37.nu.41
Tyrannus potest quis esse dupliciter.68.7. An licitè possit occidi,ibid. Triplex cautio adhibenda,nu.9
An in defensionem fortunarum possit interfici.68.11
Tyranno tradere innocentem an licitum.71.38
An virginem vel res sacras, nu 40
Tyrannus duplex; Vsurpatione potestatis: vsu regiminis.283.69
Tyrannus qui remp. inuasit,peccat vsurpatione iudicij ius dicendo.284.70
Tyrannus non peccat peccato homicidij,nec tenetur ad restitutionem, si fontes secùdum ordinem iuris interficiat aut bonis spoliet. 284.76
An teneatur quis in conscientia tyranno tributum solutum,nu.74

Vagus.

VAgi quomodo sortiantur diœcesim.428.121

Vectigal.

Vectigal propriè sumptum quid sit & quotuplex.312.2
Vt sit iustum quinque requirit conditiones, iuxta Caietanum, nu 56.
Medina solùm tres requirit.312.8
Potestas legitima vectigalis imponendi in quibus existat, nu.9.& seqq.
Ciuitates etiam subiectæ possunt suis ciuibus ob bonum publicum imponere quædam onera.313.nu.15
Episcopus cum consensu Capituli potest in ecclesijs sibi pleno iure subiectis aliquam collectam imponere ad reparationem ecclesiarum,&c.nu.16
Qui sine legitima potestate in suis terris noua pedagia seu gabellas imponunt, vel veteres augent, vel eas,quæ prohibitæ sunt imponi vel augeri,exigunt,tenentur ad restitut.nu.17
Ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ, & res illarum a vectigalibus soluendis sunt exemptæ,nu.18
Patrimonialia bona,& alia sæcularia,quæ ad ecclesiasticos, vel ecclesias,aut ad monasteria deueniũt, immunia sunt a nouis vectigalibus imponendis,nu.19
In quibusdam tamen casibus Ecclesiastici non sunt exempti a vectigalibus.313.13.& seqq.
Ecclesiastici non ita exempti sunt a vectigalibus iure diuino,vt absque vlla alia exemptione non sint subditi Principibus sæcularibus.315.28
Quadam tamen ratione dici possunt iure diuino exempti à vectigalibus, quadam iure canonico & ciuili, numero 30
Exemptio à vectigalibus Ecclesiasticis ab Imperatoribꝰcõcessa,à successoribus reuocari non potest.315.31
Etiamsi Principes consentire noluissent in exemptionem à vectigalibus Ecclesiasticis concedendam,Summi tamen Pontifices,& Concilia œcumenica habebant auctoritatẽ eam inducendi,nu.36
Quinam Clerici sint exempti,nu.37 & seqq.
Causa legitima imponendi vectigalis duplex est;Prior, Necessitas publica.316.41
Altera, Compẽsatio sumptuum & damnorum acceptorum;& iusta vindicta.317 49
Quatuor conditiones ad causam legitimam vectigalium requiruntur.317 42
Vectigaliũ exactor, qui est subditus Principis, & obedientia cõpulsus exigit, si dubium sit an vectigal sit iustũ vel iniustum,quando peccet,& teneatur ad restitut. quando non,nu.45.46
Quando dubitatio de iustitia vectigalis oritur ex dubitatione de potestate imponentis, vtrum exactor sit excommunicatus,nu.47
An Princeps qui sua culpa erarium exhausit,vrgente necessitate noua tributa possit imponere.317.48
Etsi vectigalia constituta super eis rebus, quæ ad vsum familiæ necessarium emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur, ordinariè sint iniusta: quatuor tamen casus sunt,in quibus talia vectigalia imponi possunt. 317.50.& sequentibus.
Qui vectigal rebus venditis vel in vsum proprium comparatis impositum fraudant in summa notabili,quãdo constat illud iustè esse impositum, & vtiliter impedi, verius est eos mortificè peccare,& teneri ad restitutionem 318.56
An vectigal soluendum pro rebus de loco in locum transuectis.318.61
An qui tem aliquam defert, emit, aut vendit ad solatium

ſuæ extremæ vel magnæ neceſſitatis, debeat in conſcientia vectigal.nu,62
Vt ſubditi teneantur ad ſolutionem vectigalis noui, an debeat conſtare eſſe iuſtum,nu.64
Vtrum is,qui emit à mercatore, quem nouit vectigal debitum fraudare, teneatur vel ex mercibus emptis, vel pecunia illud ſoluere,principali non ſoluente. 319.num.69. & ſeqq.
Vtrum is,cui Princeps debet, nec poteſt ſolutionem impetrare, poſſit fraudatione vectigalium ſibi compenſare. 320.nu.75.& ſeqq.
Vtrum actores mercatorum teneantur ad reſtitutionẽ dominis ſuis,ſi cum gabellarijs tranſigant, & ſibi vectigalia retineant.321.81.82
In vectigalibus ſoluendis ſubditi agunt non vt ſubditi,ſed vt debitores.320.nu.77

Velum.

An velari poſſit virgo pollura.589.nu.120

Venatio.

Venatio qualium animalium licita.35.28
An poſſit à Principibus populo prohiberi.36.33
Quomodo obligentur ad cauenda damna, quæ feræ poſſent inferre vicinorum agris.36.33
Iniuſtè alium à venatione prohibens ad quid teneatur. 36.38
An in ſaltu alieno ſit licita. nu.39
Dum feræ damnum inferunt, an prohibitio venandi curanda.37.39
Venari an poſſit Princeps cum damno aliorum, & an præſcriptio valeat,37.40.41
Venari an liceat in feſtis & feſtis,ibid.
Quomodo peccet qui contra iuſtam prohibitionem venatur.nu.40
Qualis prohibita ſit clericis.37.42
Quatuor de cauſis prohibetur, ibid.

Vena metallica.

Venæ metallicæ an ſint domini fundi.39.51.

Venditio.

Vendere ſeipſum an licitum.34.15
Et cum quibus conditionibus. ibid.
S.Paulinus ſe vendidit. ibid.
Parens poteſt filium vendere.34.17
Vendens arma iniuſtè pugnantibus, vel maleficis venenũ ad quid teneatur.125.num.31
Vendere non poteſt meretrix vſuram corporis ſupra communem æſtimationem:ſecus de honeſta.135.52
Venditio quid ſit.209.nu.1
Vendere res curioſas quanti poſſumus an licitum. 211.16
Vendere rem pluris quam valeat an licitum.20.
An ratione mercaturæ.nu.24
An ratione affectus erga rem,212.16
An ratione expenſarum in ea factarum,nu.29
An ratione copiæ emptorum, nu.30
Vendere merces pretio currenti, quando ſcis illud ſtatim minuendum,eſt licitum,213.40. Etſi ſciam decreto Magiſtratus minuendum.214.46
Vendere carius ob dilatam ſolutionem an liceat. nu.50.& nu.56
Vendere alteri debitum eius qui ſoluendo non eſt,an ſit cõtra iuſtitiam,217.79.& 81
Vendere rem quam ſcis mox perituram an licitum,nu.80.
Vendere res vitiolas æquali pretio cum integris illicitum. nu 82
Venditor quos rei defectus teneatur aperire, nu.86.91
Si occultauerit ipſius defectus teneatur alteri ad omnia damna,213.nu.88
Quandoque etiam reſcindere contractum, nu.89
Laudans rem ſupra meritum, vel parua vitia occultans ad quid teneatur.nu.90
Vendita res cui pereat,219.nu.95
Venditæ rei fructus ante ſolutionem ad quem pertineant. 286.99.100.& 220.108
Venditor an poſſit venditæ rei fructus percipere, donec pretium ſoluatur.219.99.& 220.108
Venditio cum pacto redemptionis eſt licita.221.113
Quæ conditiones requiſitæ.nu.114.& ſeqq.
An venditor habeat actionem in talem rem. 222.121
Venditione diſſoluta ad quem pertineant fructus medij temporis.nu.122
Venditio cum pacto legis commiſſoriæ quæ dicatur, 222. num.124
An vectigal ex ea debeatur,nu.127
Venditio cum pacto addict.onis in diem, nu.125
An vectigal ex ea debeatur,nu.127
Vendens rem alienam iuſſu domini an poſſit aliquid lucri ex pretio,224.nu.1,6
Vendens eandem rem duobus, cui debeat eam tradere,nu. 138
Vendens vinum miſtum pro puro,vel vnum pro alio,quãdo peccet.218.72 & ſeqq.
Venditio reciproca diuerſo pretio facta an licita. 223. numero 130
Vendens res alienas an ſit dominus pretij.203.163
An poſſit retinere.223.nu.133. & ſeq.
Si vendiderit bona fide, poſtea rem cognoſcens non tenetur monere emptorem. ibid.
Venditione ſola dominium rei non transfertur.225. num. 140
Excipiuntur aliquot caſus nu.240
Vendita res vni,& alteri tradita, eſt ſecundi.225.240
Excipiuntur aliquot caſus.nu.242
Quibuſdam caſibus prior emptor habet actionẽ in rem. nu.141
Vendi poteſt res nondum exiſtans.228.nu.14

Veneſica.

Veneficam te percutientem repercutere an liceat.499.45.
Vide *Saga.*

Verecundia.

Verecundia an ſit virtus.545.16. Coniuncta eſt vſui matrimonij.561.106.Fuiſſet in ſtatu naturæ nudæ vt imperfecto,ibid.

Veritas.

Veritatis virtus ad duo nos obligat,171.nu.53
Veritas quid ſit.518.29
Eſt virtus ſpecialis,nu.30
Eius obiectum,nu.31
Eius functiones,nu.32
Qua ratione debita;31

Veſtes.

Veſtiũ quadruplex finis.801.106.Exceſſus in veſtibus quale peccatum.510.nu.112
Veſte tenui vtens vt tranſpareant pudenda,nu.112
Vti veſte alteri ſexus an peccatum,nu.114

Viduæ.

Viduam qui ſeduxit, ad quid teneatur.89.35
Vidua an poſſit delectari imaginatione copulæ præteritæ. 589.nu.120

Vindicatio.

Vindicare ſibi occultè rem ſuam an liceat.111.56
Poteſt peccari accipiendo,& non retinendo,nu.61
An talis poſſit negare Iudici ſe accepiſſe,nu.62
Vindicatio quid ſit.517.21
Varia intentione fieri poteſt,ibid.
Quæ virtus ſit.ibi.517.22
Quæ requirantur vt ſit actus virtutis.23
Opponuntur ei crudelitas & remiſſio.517.28

Vindicta.

Vindicta an ſumi poſſit priuata auctoritate.68.8. & 517.23 24.An poſſit expeti ſine odio vel culpa,nu.25.26
Melius eſt priuatas iniurias ignoſcere.517.27
Vindicta aliquando experenda.nu.27

Vinea, Vinum.

Vineam deuaſtantes ad quid teneantur.111 53
Vinum vnius generis pro alio vendens.218.86
Vino olim in conuiuio abſtinebatur.547.8
Vinum multorum cauſa incommodorum. 568.23

Violatio.

Violator virginis ad quid teneatur,& quomodo peccet.86. 2.& ſeqq.& 87.9.&c.
Quid ſi matrimonium promiſerit.88.20.& ſeqq.
An poſſit religionem,quam antè vouerat,ingredi.89.32

Virga.

Virgæ magorum Aegypti an conuerſæ in ſerpentes.494.18

Virgo, Virginitas.

Virginem tyranno tradere an licitum.71.40
Quædam Virgines nates ſibi præciderunt.77.101

Virginitas dicta a virore, quia præseruat à concupiscentię adultione. 559 96. Quomodo à castitate distinguatur, nu.99. Eius obiectum. 559. 10.
Eius motiua. ibi. Est præstantior matrimonio. nu. 103.
Ad eam omnes inuitantur. nu. 103. Eius merces. ibid.
Omnibus possibilis. ibid & 560 104
Quomodo omnes possint, vel non possint eam capere. ibidem.
Virginitas apud omnes gentes est in admiratione. Soli numini dicanda. num. 106. Conuenit homini qua parte est Angelis similis. ibid. Facit similem Angelis.
Est angelica portio. ibid.
Virginitas quomodo amittatur. 562. 112. Eius status non amittitur violatione carnis inuoluntaria. num. 114. Eius amissio irrecuperabilis. & quare, nume. 116. Quomodo amittatur irrecuperabiliter. 740. 117. Amittitur voluntaria pollutione, etiamsi in somno fiat, si in vigilia fuit procurata. n. 109. Item per contactus impudicos. 564. 121.
An puer possit eam amittere. 564. nu. 121
Quomodo possit recuperari, nu. 122

Virtus.

Virtus moralis supponit synteresin. 3. 21
Perficit per se primò intentionem. 4. 28. Eadem virtus circa finem & media, etsi sit habitus diuersus. ibidem.
Quomodo virtus moralis præcipiat prudentiæ. nu. 29
Virtutum moralium officium. 4. 31
Virtutes morales quomodo supponant prudentiam. 5. 33.
Dupliciter dicuntur completæ. nu 34
Virtutes omnes se mutuo iuuant. 12. 7. Omnis virtus ob suum finem intrinsecum potest quosuis actus externos aliarum virtutum ad illum idoneos imperare. nu. 8
Omnis virtus attingit medium rationis, excepta iustitia num. 9. Possunt illarum actus à religione imperari. 377. num. 13
Virtutum Theologicarum obiectum immediatum est ipse Deus. 476. 10
Virtutes singulæ respiciunt aliquam rationem æquitatis. 522. num. 65
Triplices habent partes. 534. nu. 1
Virtus duplex circa honores, & duplex circa pecunias. 538 num. 32

Vis.

Vis impediens alterum ne tertio benefaciat, quando teneatur de damno. 86. nu. 154
Vim facere debitori an liceat. 112. nu. 65
Vi vel fraude aliquem à bono consequendo impedientes ad quid teneantur. 85. 154. & 119. 123
Vim clericis illatam non impedientes excommunicantur; si tenebantur ex officio, alias non. 129. nu. 65

Vita.

Vita est fundamentum dominij omnis humani. 31. 57
Vitæ suæ nemo dominus, ibid.
Nec Princeps, nec Respub. dominus est vitæ suorum subditorum vel seruorum, nu. 58
Vita communis consentanea iuri naturæ. 33. 5. quam vtilis. 33. 8
Vitæ omnium æqualis dignitatis. 84. 143
Vita prolongatur ieiunio. 555. nu. 70
Probatur exemplis. ibid.
Vitam non tenemur quouis modo conseruare, sed mediis ordinarijs. 566. 12
Vita non tenetur quis conseruare in omni euentu. 469. 19.

Vitium.

Vitia fortitudini opposita. 533. nu. 61
Vitia contra naturam non sunt humana, sed ferina & morbosa. 545. nu. 14

Volitum, Voluntarium, Voluntas.

Voluntas bonum honestum & clarè propositum nõ necessario amplectitur. 7. 17
Voluntas in moralibus est instar formæ. 58. nu. 10.
Volens nemo patitur iniustitiam. nu. 11
Etiam [redacted] re quam deberet nolle. nu. 8.
Volitum & voluntarium differunt. 107. nu. 21
Voluntas immediatè nos alteri non obligat, nec per ii sufficit. 68. nu. 33
Voluntates vltimæ. 179. nu. 123
Voluntarium peccatum tria requirit. 587. 97
Voluntas Dei quomodo impleatur. 383. 6
Voluntas patiendi pro Christo an ad martyrium sufficiat. 531. nu. 49
Voluntas si se habeat negatiuè circa opus malum an peccet. 589. nu. 117

Voluptas.

Voluptatis solius causa comedens peccat. 544. 10

Votum.

Voto castitatis obstrictus peccat contrahendo, non tamen postea debitum reddendo. 107 & 444. 49 &c.
Vouens aliquid Deo an possit præponere debiti alterius solutionem. 89. nu 32
Vouens generatim rem illicitam, non tenetur ad licitam eius speciem. 159. nu. 54
Votum cum imperfecta deliberatione factum, ne quidem sub veniali obligat, licet validi transgressio cum tali deliberatione sit venialis. 166. nu. 3
Votum quid sit. 404. 1. Vt sit validi. quinque requirit. ibid.
Qualis deliberatio in [redacted] requiratur, nu. 2. 4
Quo iure votum metu extortum sit irritum, nu. 6. 7
Quis metus requiratur vt sit irritum, nu. 7. 8. 10
Semel ratum est natura sua insolubile. nu. 8
Cuius virtutis actus sit. 410 25
Vouere intendens & nolens obligari an teneatur voto. 407. 13
Secus de eo qui habet intentionem se obligandi, sed non implendi. 407. nu. 15
Votum non obligat vltra expressam vel tacitam intentionem vouentis. 408. nu. 19
Vnde non ad casus quos prudenti iudicio, iudicatur fuisse excluſurus, si præuidisset, nu. 18
Votum consistit præcisè in promissione. 410. 29
Aliud cõditionale, aliud absolutum: aliud pœnale, aliud non pœnale, n 30. Aliud simplex, aliud solemne. 411. 31
Aliud expressum, aliud tacitum, nu. 32. Diuiditur etiam in personale, reale, & mixtum. Item in perpetuum & temporale, nu. 32
An votum magis obliget quàm iuramentum. 474. 32
Voti materia qualis 411. 33. & 412. 40. 42
Votum Iephte. 412. 35
Vouere opus bonum ob malum finem dupliciter quis potest. 412. 36
Vouere opus malum quale peccatum, nu. 39
Votum matrimonij factum ab incontinente an validum. 413. 44
Vouens secundò idem an nouam cõtrahat obligationem. 413. 48
Vouere aliquid Deo an sit ipsi gratum, nu. 49
Opus ex voto est melius. 414. 53
Etsi fiat repugnante affectu. 415. 57
Votum violare quale peccatum. 415. 57
Quid si materia sit leuis, nu 58
Continet aliqua ratione sacrilegium. 501. 11
Votum vnius an possit alterum obstringere. 416. 62. & seq.
An filij votis parentum obligentur. ibid.
Voto personali obstrictus, si non possit implere, non tenetur per alium implere, nu. 64
Nec si per aliud impleuit, ablato impedimento erit liber. ibid.
Voto liberari quot modis quis possit. 417. 68
Quorum vota, & a quibus irritari possint, nu 69
An peccet sine causa irritans. ibid.
An possit Superior irritare votum in quod consensit. 418 num. 75
An possit quis omnia sua vota subijcere iudicio & voluntati confessarij, sicut vota religiosi subijciuntur Superiori, num. 76
Vota nouitiorum an subijciantur Prælato. 419. 77
Impuberum vota qui, & quando irritare possunt. 78. 79.
Vota filiorum puberum. 420. nu. 81
Vota seruorum, nu. 82
Vota coniugum, nu. 82. & seqq.
Vota commutare quinam possint & quomodo. 421. nu. 87. 422. nu 92
Quod opus hic dicendum sit melius 423. 10
Votum intrandi religionem non potest commutari in susceptionem Episcopatus, nu. 103
Votum factum in fauorem Ecclesiæ alicuius, aut terræ sanctæ, quomodo possit commutari. nu. 104

Vota nouitiorum quomodo commutari poſſint. 424 n.107
Quæ cauſa requiratur ad commutationem. 425. 110
Cuius votum commutatum eſt in aliud, poteſt vtrumlibet facere.nu.111. Tenetur tamen ad alterum ex voto; ſecus in iuramento.474.57
In votis diſpenſare quis poſſit.426.114
Quid ſit diſpenſatio ibidem. Quæ cauſæ debeant ſubeſſe. 427.120. In quibus poſſint Epiſcopi diſpenſare. nu.121. In quorum votis.ibid. In quibus Religioſi priuilegiati. 430.134
Vota quinque Pontifici reſeruata.428. nu.122
An poſſit diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis.431.139
Voti ſolemnitas in quo conſiſtat.438.141. Eſt tantum iuris humani ibid Non conſiſtit in benedictione, neque in traditione. ibid.
Voto paupertatis,& obedientiæ an liberentur Religioſi fa & Epiſcopi.413.143
Voti conditione obligatio non ceſſat ſublata conditione,ſi fraude vouentis tollatur.437.147
Vouens finem, cenſetur vouere media neceſſaria.434.147 149
Vota ſimplicia caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis, non tantum continent promiſſionem,ſed etiam veram traditionem,hominis,436.nu.8
Religio in genere dupliciter vouetur.441.43
Vouens Religionem ingredi ad quid teneatur.ibid.
Si ante ingreſſum contrahat matrimonium & conſummet,viuente coniuge ad nihil tenetur.441.45
Vouens etiam perſeuerare ad quid amplius teneatur. 444. num.47
Vouens perpetua caſtitatem ad quid teneatur.444.n.49
An ſi matrimonium deinde contrahat, poſſit illud altero petente conſummare.44.nu.52
Non poteſt reddere debitum poſt adulterium coniugis. n. 53. An poſſit reddere petenti coniugi conſcio vou ante contractum.446.54
Votum caſtitatis præcedens ſponſalia,facit ea irrita.n.55. Quid ſi ſubſequatur.ibid.
Qui voueant ſtabilitatem loci.447.57
Votum caſtitatis an obliget.455.77
Voto quomodo Deus honoretur.439 25
Vota Sanctis dupliciter fiunt.nu.23
Votum obedientiæ Prælato factum quomodo intelligendum.nu.27. Eſt opus intellectus practici.435. nu.2
Vota religioſorum an obliget cõſenſum Prælati.453.n. 73. Quid ſi votum repugnet regulæ,nu.72. 74
Non poteſt Prælatus diſpenſare in voto arctioris Religionis.454.nu.75
Voti relaxatio fit in tranſitu ad laxiorẽ ordinẽ.460. nu.102
Commutare poteſt quiſque in melius. 423. 101
Melius quid dicatur.424.101
Peccatum contra votum propriè & per ſe eſt perfidia in Deum.505.11
Per votum perſona fit quodammodo ſacra.ibid.
Res vota non poteſt ad prophanum vſum applicari.ibi.
Qui vouit abſtinere vſu externo tantum feminę,an peccet contra votum,ſi interius morose delectatur.588.numero 115

Vſucapio.

Vſucapere an poſſit tyrannus ius imperij in populum liberum.37.nu.41
Vſucapio quid ſit. 42. 3. Quomodo differat à præſcriptione ibid.& nu.4
Vſucapionis mobilium tituli decem.47.22
Vſucapi an poſſit fructus rei furtiuæ.47.22
Quanto tempore vſucapiantur res mobiles Eccleſiæ Romanæ.49. 22

Vſura.

Vſuras ſoluens an cedat iure ſuo.58. 22
Vſura quid ſignificet.189.nu.1
Capitur aliquando in bonam partem.nu.2
Quid ſit.190.nu.18.22
Quo iure ſit illicita nu.23. 26
Nullam dari meri iuris humani probabilius.197.nu.97
Vſurario animo aliquid accipiens pro mutuo, an teneatur reſtituere.192.nu.46
Quid ſi dubitet quo animo alter dederit.192.nu. 45
Vſurarius mentalis qui dicatur.nu. 41
Vſurarium contractum bona fide ineens, qui, ſi ſciuiſſet, iniſſet alium æquè lucroſum, poſſunt lucrum inde acceptum retinere.107.nu.102.104
Vſurarium dominium an in vſurariũ transferatur.203. 156 Fructus etiam iſtiuſmodi rerum retinendi.nu. 160
Vſuraria pecunia mercando lucrum ſuum facit.nu. 161
Vſuras ſoluens non intendit earum dominium aliter transferre quam quatenus debitum, & ideo non validè transfert.nu. 159
Vſurarius res alienas vendens acquirit dominium pretij rei,tamen dominium non transfert.nu. 163
Quæná ab eo poſſimus emere,vel gratis accipere.203.165
Aſſignationem mihi ab eo factã an poſſit exigere.207.195
Vſurarij bona non ſunt hypothecata pro vſuris.204.167
An liceat ea ab ipſo accipere vel emere.204.nu.168
Vſurarij hæredes ad quid teneantur. 204.173
An legatarij & donatarij.nu.176
Vſurario cooperantes qui teneantur ad reſtitutionem. nu. 178
Vſurarij manifeſti qui dicantur.206.185
Pœnæ ijſdem conſtitutæ.n.186 Non ſunt iure communi excommunicati,nec ab officio diuino,ſed à participatione ſacramenti arcendi.ibidem.
& à confeſſione,donec ſatisfecerint.nu.187
Vſurarium manifeſtum ſcienter ſepeliens eſt ipſo facto excommunicatus.206.188
Vſuræ lucratorię & compenſatoriæ.220.104
Vſurarum præſcriptio.221 nu.118
Vſura iuris humani an detur. 236.nu.97
Vſurarijs locare domum an liceat.254. 40.42

Vſurpatio Iudicij.

Vſurpatione iudicij qui peccent.279.49
Vſurpare iudicium quinam cenſeantur. nu.51.52
Vſurpatio iudicij eſt peccatum mortiferum ex genere ſuo. 280.nu. 53

Vſusfructus, Vſus.

Vſusfructus quid ſit.18.17. Duobus modis acquiritur. 18. 19. Quomodo amittatur.nu. 20
Vſufructuarius ad quatuor obligatur.18. 18
An ſit dominus loci vbi theſaurus inuenitur.40. nu. 61
Vſus quid ſit.19.24. Quomodo differt ab vſufructu. nu. 25
An in vſu conſumptibilibus differat à dominio. 20. 31
Dupliciter concedi poteſt.nu.32
Alius iuris,alius facti.nu.33.& 20.36
An vſus facti ſeparatim vendi poſſit.20.37
Vſu conſumptibilia quæ dicantur.189. 4
Vſusfructus bonorum religioſi an tranſeat in monaſterii. 457.nu.81
Vſumfructum bonorum aduentitiorum filij retinet pater. etiam poſt filij profeſſionem.ibidem.

Vxor.

Vxor an poſſit fugere ſi durè tractetur.34.19
Vel maritum præuertere qui eam vult occidere.72. 45
Vxor capiendo bona mariti quãdo peccet mortaliter. 114 82. 84. Quæ poſſit libere expendere.nu.84. 85. Honeſta eius ſuſtentatio quid requirat.nu. 85
Adminiſtratio bonorũ ad ipſam deuoluitur.114.65.86
Lucra ſunt ei cum marito communia.n.87.& 262. 37
Poteſt ex bonis cõmunib. ſuos decẽter ſuſtentare.nu.88
Vxor poteſt miniſtrare marito in peſte.566. 22

Zelus.

Zelus animarum Deo gratus.562.110

FINIS.

Corrigebat D. Franciſcus Tauris.

LIBER PRIMVS DE PRVDENTIA, PRIMA VIRTVTE CARDINALI.

Hic Liber continet duo CAPITA.

PRIMVM est, *De Prudentia secundum se spectata.*

SECVNDVM, *De partibus Prudentiæ, & vitijs oppositis.*

CAPVT PRIMVM.

De Prudentia in se spectata. *Habet dubit.* 4.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Prudentia. D. Thomas Q. 47.

1 *Prudentia vnde dicta.*

PRVDENTIÆ nomen dictum videtur à porrò videndo, teste Isidoro libro 10. Etymol. capit. 15. *Prudens*, inquit, *dicitur quasi porrò videns. Perspicax enim est, & incertorum videt casus.* Græci vocant φρόνησιν παρὰ τῶ φρονεῖν, quod sapere, intelligere, cogitare significat, cum affectu quodam ad rem cogitatam. Hoc autem *Prudentia nomen dupliciter accipitur.* ἀπὸ τῶ φρενός, quod mentem denotat, deriuatur. Accipitur autem dupliciter. Primò generatim, pro omni notitia veri, præsertim quæ aliquo modo ad rectè viuendum pertinet. Hoc modo Ambrosius libro 1. de Officijs capit. 24. dixit, *Prudentiam in veri inuestigatione versari, & scientiæ plenioris infundere cupiditatem*, vt notauit Diuus Thomas quæst. 47. artic. 2. ad 2. Sic accepta comprehendit etiam fidem, & vniuersam Theologiam, & sæpe in Scripturis vocatur *Sapientia*, vt Ecclesiastici 3. & 33. Prouerb. 3. & 8. Sapient. 6. & alibi. Secundò, speciatim & propriè, pro virtute intellectus proximè morum directrice. Hoc modo est virtus Cardinalis, de qua hic tractamus. Hinc D. Antonius, teste Cassiano collat. 2. cap. 2. omnibus alijs virtutibus præferebat, tanquam directricem ceterarum, quæ non sinat eas à recto ad dexteram vel sinistram deflectere. Ceteras enim virtutes, si discretio absit, necessario impingere, vel nimio feruore, vel torpore, & remissione: hanc solam efficere vt regia via incedant. Item hanc esse, quæ in Euangelio vocetur oculus, & lucerna corporis nostri, a qua totum virtutum veluti corpus sit illustrandum, &c. D. Ambrosius lib. 1. de officijs cap. 16. dicit prudentiam esse *primum officij* (id est, boni operis) *fontem*. Sine hac nec iustitiam, nec aliam virtutem esse posse. Idem docet D. Augustinus lib. 1. de moribus Eccles. cap. 24. Ex quibus constat quanti hæc virtus sit momenti, quantoque studio comparanda. Varijs modis definiri potest.

Definitiones. D. Augustinus lib. 1. de lib. arb. cap. 13. definit. *Prudentiam esse rerum appetendarum, & fugiendarum scientiam.* lib. 83. qq. q. 30. *Esse rerum bonarum, & malarum, & neutrarum scientiam.* Aristotele, lib. 6. Ethic. capit. 5. *Prudentia est habitus cum ratione vera circa bona humana actiuus*, Vbi quidam legunt, est *habitus verus*. alij ex eodem Aristotele sic: *Prudentia est recta ratio agendorum.* Hæ omnes definitiones bonæ sunt: clarius tamen sic definiri potest: *Prudentia est virtus intellectus, qua in quouis negotio occurrente nouimus quid honestum sit, quid turpe.* Hæc definitio habet tres partes. 1. *Virtus intellectus*. ad intellectum pertinere per se notum est, & indicat ipsum nomen, vt dictum est. Deinde functiones quæ ipsi tribuuntur, vt consultare, iudicare, & imperare, quæ sunt rationis. Esse *virtutem* docet Aristot. loco citato, & omnes Philosophi, atque Theologi, & colligitur innumeris sacræ Scripturæ locis, quibus Prudentia commendatur, imprudentia reprehenditur & damnatur. *Explicatur definitio prima.*

Probatur ratione, Primò, quia est mensura & regula virtutum, quæ sunt in voluntate à qua ratio virtutis in ipsas descendit: vnde ipsa non potest non esse virtus: Secundò, quia est certa notitia honesti & turpis; ita enim Prudentia fertur in suum obiectum, vt ex modo iudicandi falli non possit circa proprium obiectum; quia euidenter cognoscit esse honestum vel turpe. Cuius signum est, quòd is, qui iudicat sibi aliquid esse honestum vel licitũ, de quo dubitat vel formidat an in eo non peccet, sit imprudẽs, & imprudenter iudicet: nempe quia iudicium Prudentiæ debet esse euidens & certum, excludens omnes rationabilem formidinem. Dico rationabilem; quia non semper excludit scrupulum. Hic enim sæpè perseuerat cum iu- *Prudentia fallit ne quis circa proprium obiectum.*

dicio Prudentiæ; tamen vt tunc iudicium ſit prudens, debet reputari ſcrupulus: & hic etiam ſcrupulum quodammodo excluuit. Prudentia etſi enim imaginatio peccati permaneret cum quadam anxietate, tamen per prudentiam reputatur vmbra, non veritas.

Prudentia non eſt opinio.

Ex his ſequitur opinionem honeſti non eſſe iudicium prudentiæ, quia non ita fertur in ſuum obiectum vt non poſſit eſſe falſa: quam ob cauſam non eſt virtus, vt rectè Ariſtot. 6. Ethic. cap. 3.

Nec obſtat quod interdum opinio ſit vera; quia id non habet ex intrinſeco modo tendendi in ſuum obiectum; ſed per accidens & fortuitò: nam ſicut eſt vera, ita poterat eſſe falſa, nulla facta in ipſa variatione.

Dices Primò, etiam Prudentia falli poteſt, vt patet in Iacob, qui iudicabat honeſtum accedere ad hanc mulierem Liam; cum tamen non eſſet honeſtum; quia Lia non erat eius vxor; de quo Geneſis 29.

2 *Obiectio.*

Reſpondeo, Prudentiam in proprio ſuo iudicio falli nõ poſſe. ratio eſt, quia iudicium Prudentiæ ſupponit diligentem, & iuxta capacitatem humanam ſufficientem rei conſiderationem: qua poſita, etiamſi opus fortaſſe in ſe non ſit abſolutè honeſtum, tamen reſpectu huius hominis ſic affecti eſt honeſtum. & ita iudicatur cum his circumſtantijs prudenter & abſque errore eſſe honeſtum. Sicut enim poteſt aliquid eſſe iucundum alicui in certa diſpoſitione & affectione, vt potus aquæ ſitienti, quod extra talem diſpoſitionem eſſet moleſtum: ita etiam poteſt aliquid cuipiam in certa diſpoſitione eſſe honeſtum, quod extra eam non eſſet. Sic ergo Iacob per prudentiam non iudicabat hanc eſſe ſuam vxorem; vel accedere ad hanc eſſe abſolutè honeſtum; (hæc enim iudicia non erant iudicia prudentiæ, neque imprudentiæ, ſed inculpati erroris in homine prudente) ſed iudicabat hoc eſſe ſibi honeſtum, ſpectatis circumſtantijs quæ tunc ſe offerebant. hoc enim iudicium immediatè erat directiuum operationis. Erat etiam hoc iudicium verum; quia ſpectato illo errore inculpato, & ceteris circumſtantijs, erat illi verè honeſtum ad hanc accedere, vt fuſius ſuo loco dictum, eſt 1.2.q.19.art.6.

3 Dices Secundò, Prudentia verſatur circa operationes ſingulas, de quibus ob ſummam mutabilitatem nulla poteſt eſſe certitudo, poſſunt enim ſecundùm innumeras circumſtantias variari: vnde Philoſophi dicunt de rebus ſingularibus non eſſe ſcientiam: ergo Prudentiæ iudicium non poteſt eſſe certum.

4 Reſpond. Etſi demonſtrationes non fiant de ſingularibus immediatè, ſed de vniuerſalibus; ſub quibus multa ſingularia continentur, & hac ratione dicatur de ſingularibus non eſſe ſcientia: tamen de ſingularibus certa notitia haberi poteſt, qualia ſint, vel eſſe debeant, vt hanc domum eſſe rectè factam vel non rectè; &, vt rectè fiat, hæc & illa requiri. hoc enim iudicium ex regulis vniuerſalibus & notitia vniuerſalium pendet. Sic poteſt eſſe certa notitia de actionibus ſingulis, ſint ne honeſtæ, nec ne: & quid requiratur vt honeſta fiant. Iudicium enim ſemper fit ex certis & determinatis circumſtantijs, cum quibus ſingulæ actiones faciendæ occurrunt, & ex determinatis principijs, quæ in rebus ſingulis ſunt conſideranda.

De rebus ſingularibus poteſt eſſe notitia certa.

Dices Tertiò, Multi prudenter agunt, & tamen poſtea dubitant, vel formidant ſe male feciſſe: aiunt enim, Si malè feci, DEVS ignoſcat. ergo Prudentiæ iudicium non eſt certum.

5 Reſpond. Si ante actionem, vel actione iam inchoata, dubites vel formides te peccare, non potes prudenter iudicare id eſſe agendum; quia teneris abſtinere, ne pecces. Niſi fortè in abſtinendo videretur tibi eſſe maius, vel certe non minus peccatum. Tunc enim prudenter, & certo potes iudicare eſſe faciendum, & reipſa facere, abſque peccato. Nec refert quòd tunc putes te peccare; quia ille error per accidens ex imbecillitate intellectus interuenit: nec impedit quo minus illud iudicium, quo iudicas opus eſſe faciendum, ſit prudens, eo quòd nulla ſuppetat ratio in præſenti negotio melius iudicandi. Nec obſtat quod videaris agere contra conſcientiam, ac proinde imprudenter & culpabiliter: quia reuera non agis contra conſcientiam: non enim dicta tibi opus eſſe omittendum; ſed ſolum ſpeculatiuè videtur tibi eſſe peccatum. cum qua peccati imagine vel opinione ſtare poteſt iudicium practicũ, hoc opus hic & nunc ſecũdum rectam rationem eſt nihil

Quæ formido poſſit conſiſtere cum iudicio Prudentiæ.

An peccetur contra cõſcientiam.

6 Faciendum; quod iudicium eſt certum, euidens, & prudens, & ex eo ſequitur bona actio. Si verò poſt actionem formides eſſe peccatum, hæc formido non impedit quo minus iudicium præcedens, ex quo ſecuta eſt actio, fuerit certum & euidens. Nam facile fit, vt actio, quæ antea ſe offerebat vt honeſta, poſtea ob conſiderationem nouæ circumſtantiæ, vel oblationem alicuius quæ aſſuit, ſe offerat vt ambigua: quo modo fieri ſæpe ſolent inſidijs bonarum mentium ſcrupuli.

SECVNDA PARS, *Quæ nouimode in quouis negotio occurrente.* quia prudentia verſatur circa actiones ſingulas. Non enim eſt prudens, qui nouit in genere quidnam ad quamque virtutem requiratur, & in ſingulis actionibus obeundis non nouit determinare circumſtantias neceſſarias ad honeſtatem, v.g. locum, tempus, modum, &c. quod ſcire debet non in vno tantum genere actionum, ſed in omni: alioquin non eſt abſolutè prudens, ſed ſolum in certa materia & ſecundum quid. Itaque Prudentia in ijs, qui perfectum rationis vſum habent, extendit ſe ad omnes actiones liberas totius vitæ, eas conſiderans & dirigens.

7 *Prudens abſolutè.*

Prudens in certa materia.

TERTIA PARS, *Quid honeſtum ſit,* id eſt, quid deceat agere. Hic explicatur obiectum, & effectus, & finis Prudentiæ. Agere enim honeſtè eſt obiectum Prudentiæ, (ſicut ædificare domum eſt obiectum artis) quod obiectum prius natura quàm exiſtat, conſideratur à Prudentia per modum obiecti. Eſt etiam opus, ſeu effectus Prudentiæ, (ſicut ædificare eſt effectus artis) quatenus Prudentia dirigit voluntatem in eligendo, & potentias executrices in exequendo. Denique eſt etiam finis Prudentiæ, quia Prudentia non eſt ob cognitionem honeſti, ſed ob actionẽ. vide Ariſt. 6. Ethic. cap. 6.

8 *Idem eſt obiectum effectus & finis prudentiæ.*

Nota, Prudentiam ſcire quid honeſtum, & quomodo honeſtè agendum, quatenus nouit in particulari determinare quæ circumſtantiæ ſint neceſſariæ vt opus fiat honeſtum: nempe vt temperatè comedas, vt iuſtè iudices, vt iniuriam patienter feras; & ſimilia.

QVARTA PARS, *Et quid turpe.* Sicut enim virtutis eſt facere bonum, & vitare malum: ita Prudentiæ eſt ibſe bonum vt agatur, & malum vt vitetur. Vnde D. Auguſtin. *Prudentiam* dicit *eſſe ſcientiam rerum appetendarum & vitandarum.* Et Ariſtotel. dicit *Prudentiam verſari circa ea quæ bona vel mala ſunt homini*; nempe iudicando in particulari quid homini amplectendum, & quid vitandum in agendo. Ratio eſt, quia contrariorum eadem eſt ſcientia: nemo enim perfectè poteſt ſcire quomodo recte viuere debeat, niſi ſciat quidnam in moribus ſit vitandum.

9

Ex his facilè intelligi poſſunt reliquæ definitiones. Prima enim, quæ eſt D. Auguſtini, intelligenda eſt de ſcientia, ſeu notitia rerum appetendarum & vitandarum in particulari, ſeu in ſingulis actionibus. In ſecunda verò, quæ Ariſtotelis eſt, primò dicitur eſſe *habitus verus*, id eſt, qui per ſe, & natura ſua verus eſt; non autem per accidens dumtaxat, vt opinio. Secundò dicitur, *cum ratione actiua*, id eſt, per iudicium rationis. iudicium enim rationis eſt proprius actus Prudentiæ, per quem actum prudentia operatur actus aliarum virtutum, illas in ſuis actibus dirigendo. Quod autem illud, *Cum ratione* ita intelligendum ſit, vt ſit idem quod per rationem, tamquam per proprium actum, probatur, quia alioqui Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia dicetur virtutes cum ratione actiuæ; vt quę nõ poſſint agere ſine iudicio rationis. Hoc tamen eſt contra mentem Ariſtotelis, qui illa parte vult excludere alias virtutes à definitione Prudentiæ. Tertiò, dicitur *circa ea*, & id eſt, circa honeſtum & turpe, nempe, vt honeſtum agatur, turpe fugiatur. In Tertia dicitur *Eſt recta ratio agendorum*, id eſt notitia rectè, ſeu honeſtè agendi; ſeu, eſt notitia, qua recte dirigantur humanæ operationes.

10 *Explicantur reliquæ definitiones.*

DVBITATIO II.

Quomodo Prudentia ab alijs virtutibus diſtinguatur.

D. THOM. QVAEST. 47.

REſpondeo, Dico Primò, à Virtutibus moralibus diſtinguitur, Primò, quòd prudentia ſit in intellectu, eiuſque actus

11 *A moralibus.*

actus elicitus sit essentialiter notitia; Virtutes autem morales sint in voluntate, earumque actus elicitus sit essentialiter volitio vel nolitio. Secundò, hinc sequitur alia differentia; quòd prudentia sit veluti mensura & regula, qua Virtutes morales regulentur & dirigantur: quia actus voluntatis diriguntur per intellectũ. Tertiò, quòd Prudentia respiciat honestas actiones, sub ratione veri. Nam est considerare quęnam vere sint honestæ, quæ autem solum videantur tales, & quæ apertè inhonestæ. Virtutes autem morales respiciunt eas sub ratione boni: quia inclinant in eas, tamquam in proprium bonum naturæ rationalis.

Obiectio. Dices, D. Tho. 2. 2 q. 47 art. 4. in corp. dicit Prudentiam respicere bonum non solùm materialiter, sed etiam formaliter, id est, inquit, sub ratione boni. ergo non sub ratione veri; quia fieri nequit vt eadem virtus, vel etiam eadem potentia respiciat suum obiectũ sub duplici ratione formali.

Prudentia dup. respicit opus honestum. Omissa solutione Caiet. respondeo, Prudentiam respicere opus honestum dupliciter. Primò tamquam obiectum cognoscibile, & sic respicit illud sub ratione veri. Secundò, vt finem operabilem: & sic respicit illud sub ratione boni. Non.n. Prudentia considerat quid honestum, vt in illa veritate cognita fiitat, sed vt per virtutes morales illud operetur, quia bonum.

12 *Prudentia quo modo est virtus moralis.* Aduerte tamen, etiamsi Prudentia sit essentialiter virtus intellectus, tamen ratione materiæ & finis, meritò ponenda est inter virtutes morales: vt rectè docet D. Tho. 1. 2 q. 58. art. 3. ad 1. quia tota versatur in consideratione, & directione morum. Dicitur itaque moralis: non quòd sit elicitiua morum: (sicut Iustitia, Fortitudo, Temperantia) sed quia morum directiua.

13 *A Virtutibus intellectus.* Dico secundò, A virtutibus Intellectus distinguitur: à *Sapientia* quidem, quia Sapientia est mere speculatiua, & versatur circa res diuinas, & iudicat per causas supremas, nec postulat rectum affectum. Prudentia verò est omnino practica, versatur circa actiones humanas, iudicat sæpè per causas inferiores, & postulat affectum ordinatum. vide Aristot. lib. 6 cap. 7. Et hic.

A Sapientia.

Ab intellectu. Ab *Intellectu*: quia intellectus est tantum habitualis cognitio principiorum, ex quibus aliorum notitia ducitur. Prudentia propriè versatur circa particularia, quę ex principijs cognoscuntur. Vnde supponit tãquam fundamentũ, Intellectu principiorum moralium, qui dicitur *συντήρησις* secundum Theologos.

Synteresis.

A Scientia. Ab Arte. A *Scientia*, quòd Scientia sit vniuersalium, nec postulet rectum appetitum. Ab *Arte*, quòd Ars sit recta ratio faciendorum; (*τῶν ποιητῶν*) Prudentia, verò agendorum (*τῶν πρακτῶν*) iuxta Aristotelem 6. Ethic. cap. 5.

14 *Differentię inter facere & agere.* Vbi nota differentiam inter facere & agere (Græci dicunt *ποιεῖν* & *πράττειν*) *Facere*, est edere operationem trãseuntem in externam materiam vt fiat aliquod opus, v. g. domus nauis. *Agere*, est edere actionem immanentem vnde homo fiat bonus vel malus. Secundò, Prudentia imprimit actioni formam honesti. Ars verò imprimit, non actioni, seu praxi, sed operi producto formam artificialẽ, vsibus humanis accommodam: vt patet non solùm in artibus, quę externam materiam adhibent: sed ẽt in ijs, quę opus hominis; vt ars canendi, saltandi: cantus.n. & saltus per se nõ sũt *πράξεις* sed opus, *ποιητά*. Tertiò. Hinc sequitur alia differentia, vt Prudentia postulet appetitum rectũ, ars minime.

15 *A fide.* A *fide* distinguitur, quòd fides versetur immediatè circa mysteria diuina, & alia quæ non sunt in nostra potestate, sitque magna ex parte speculatiua: neque dirigat immediatè nostras actiones; neq; postulet rectum affectum, nisi circa authoritatẽ primæ veritatis. Prudentia tamen Christiana necessariò supponit fidem: sicut scientia cognitionẽ principiorum, v. g. beatitudinem nostram consistere in visione Dei; hanc operibus bonis promerendam: Sacramentis vtendum, &c.

16 *A Theologia.* Denique à *Theologia* distinguitur, quòd Theologia magna ex parte sit speculatiua: & non versetur immediatè circa actiones nostras: neq; postulet rectum affectum, nisi eo modo, quo fides. Prudentia tamen supernaturalis conuenit cum Theologia, quòd sicut Theologia supponit expressam fidem mysteriorum, & cognitionem multarũ veritatum naturalium: ita Prudentia supernaturalis supponit fidem principiorum reuelatorum, ad mores pertinentium, & cognitionem naturalem non reuelatorum.

DVBITATIO III.

Quænam sint functiones Prudentiæ.

D. THOM. Q. 47. Art. 6. 7. 8. 9.

17 *Functiones Prudentiæ, Modus functionum.* REspondeo. Generatim ab Aristotele, & D. Tho. numerari tres, nempe *benè consultare, benè iudicare, & præcipere executionem*. Debent autem hi actus, vt benè fiant, fieri certo modo; nempe cum *sollicitudine & diligentia*: vt D. Thom. artic. 9. docet. Prudentia enim in suis functionibus postulat diligentiam; scilicet prout conditio personæ, & negotij momentum, requirit. Cuius signum est, quòd nemo dicatur prudens, qui vel in consultando, vel in iudicando, vel in exequendo non adhibet diligentiam debitam. Ratio est, quia prudentiæ est omnes circumstantias considerare, & omnia necessaria ad finem intentum (quantum fert conditio personæ) conuenienti modo loco, tempore, &c. adhibere: quod sine magna diligentia fieri nequit. Dico *quantum fert conditio personæ*; quia si quis adhibuit quod potuit, vt rectè iudicaret, iudicium erit prudens, etiamsi speculatiuè erret: vt suprà dictum est.

1. *Munus consultare.* Primum igitur prudentiæ munus est, *Benè consultare*; inquirendo quæ media, & quæ circumstantiæ necessariæ sint vt opus fiat honestè, & secundum virtutem. Operari enim secundum virtutem est finis Prudentię. Ad hunc finẽ quærit in singulis negotijs idonea media per consultationem. Vnde Aristoteles 6. Ethic. c. 7. *Prudentis maximè opus est, rectè consultare.* plura de consilio diximus 1. 2. q. 14.

2. *iudicare.* Secundum munus est, *Rectè iudicare* post consultationẽ, Hoc autem fit, quando post diligentem inquisitionem, & considerationem rei concluditur quid, quoue modo, loco, tempore, quibusque alijs circumstantijs sit agendum, vt opus secundum virtutem fiat. Ad hoc iudicium maximè expedit in promptu habere, sententias Sapientum, & in primis quæ in Prouerbijs Salomonis & Ecclesiastico. hæ enim ad omnem prudentiam in omni vita hominem informant. vnde consultum esset eas memoria tenere.

18 *Præscribit mediam Virtutibus, & quo modo.* Per hosce duos actus Prudentia dicitur *inuenire*, & *præscribere medium virtutibus moralibus*. id est, quidnam in singulis functionibus mensuræ rationis sit commensum, non exorbitãs per excessum, aut defectum. v. g. in Iustitia, quid, quantum, vbi, quando, cui sit restituendum; in Temperantia, quantum, quo modo, vbi, quando vtendum cibo, vel vxore. Præscribit autem medium, iudicando id esse mediũ, seu honestum; & per hoc iudicium ostendendo, seu obijciendo illud voluntati, vt per virtutẽ moralẽ amplectatur.

19 *Vtrum finem præscribat.* Vtrum autem Prudentia ẽt præscribat finem virtutibus moralibus, disputatur inter Scotum & Thomistas. Scotus enim, in 3. d. 36 q. vnica art. 2. affirmat, Caiet. q. 47. ar. 6. negat. Sed respondendum cum distinctione. Si enim loquamur de fine vniuersali. & abstracto, quem virtus moralis per se adæquatè respicit, sic Prudentia per se nõ præscribit illi finem. Non.n. per se dictat Prudentia in genere esse temperatè viuendum: esse fortiter agendum, & patienter ferendum: quæ sunt fines vniuersales adæquati virtutum moralium. Et hoc est quod vult D. Th. art. 6. cum ex mente Aristotelis ait, *Prudentia non est præstituere finem virtutibus moralibus, sed solum disponere de his quæ sunt ad finem.*

20 *Synteresis finem generalem virtutibus præscribit.* Dixi *Per se*, quia etsi prudentia per se non præscribat in genere fines virtutum; tamen præscribit eos per suũ fundamentũ, & principium ex quo pendet; nempe per habitũ *synteresis* (vt rectè D. Th. art. 6. ad 1.) qui est notitia principiorum moralium: vt patet ex 1. p. q. 79. Hic enim dictat esse temperate & iustè viuendũ, quæ in moralibus sunt principia. Et hoc sensu dici potest Prudentia præstituere finem virtutibus moralibus, quia cum ipsa includat habitum *συντηρήσεως*, tamquã suum fundamẽtum & radicẽ; quod per hũc fit, rectè dicitur per prudentiã fieri, & hoc probãt argumenta Scoti. Nam si virtus moralis secundum suã essentiam consideretur, nõ supponit necessario aliud dictamen prudentiæ quàm dictamen *Synteresis*: cognita.n. honestate, quæ est in temperatè viuendo, potest homo in genere illi affici, & firmiter proponere temperatè viuere: quod propositum permanens habitu, erit essentialiter virtus.

21 *Prudentia particularem finem præscribit.* Si verò loquamur de fine particulari, quem virtus moralis in singulis actionibus intendit, hunc finem per se ipsam præscribit Prudentia, vt expressè docet D. Th. 1. 2. q. 66. ar. 3. ad 3. Quia virtus moralis in singulis actionibus intendit

honeſtè operari, ſeu attingere medium, vt per ſe conſtat, hoc enim eſt finis intrinſecus in quaque actione virtutis. Quid autem in ſingulis honeſtum, ſeu medium, & quænã ad hoc neceſſaria, oſtendit prudentia. His adde, Prudentiã dici etiam præſcribere ea quę ſunt ad finẽ; (vt docet D. Th. art.6. ex Ariſtotele li. 6. Ethic. c. 12. & 13.) tum quia poſito

22 *Et media præſcribit.* affectu generali alicuius finis per virtutem moralem, v. g. per intentionem viuendi temperatè, Prudentia præſcribit quibus, & qualibus actionibus ad eum finem pertingas: tũ quia in ſingulis actionibus, poſito affectu rectè operandi, præſcribit circumſtantias ad hoc neceſſarias.

23 *3. rectè imperare.* Tertium munus eſt, *Rectè imperare*. Hoc imperium multi Thomiſtæ putãt eſſe actum omnino diſtinctum à iudicio, qui ſemper ſit neceſſarius, vt voluntas interius, vel exterius liberè operetur. etſi enim intellectus iudicet bonum eſſe hoc facere; tamen voluntatem non poſſe moueri, niſi intellectus imperet voluntati, interius dicendo, Fac hoc quo imperio poſito, voluntatem non poſſe detrectare, ſed neceſſario obedire. Sed 1.2.q.17.art.1.d.2. oſtenſum eſt tale imperium non eſſe neceſſarium, imò euertere libertatem.

Itaque quando ab Ariſtotele 6 Ethic. cap. 10 & D. Tho. art.8. dicitur *Prudentia eſſe imperare vel præcipere*, non intelligitur imperium proprie dictum (niſi loquamur de Prudentia œconomica, vel politica quæ reſpicit inferiorem) nemo enim ſibi ipſi propriè imperat, dum aliquid facit: ſed

24 *Quo modo Prudentia imperet.* dicitur *imperare*; quia Prudentiæ eſt præſcribere quid & quomodo agendum, & mouere voluntatem ad conſẽſum & ad opus. Præcipuus enim effectus, atq; adeo finis Prudẽtiæ eſt vt opus fiat, vt docet Ariſtoteles c. 10. diſtinguens Prudentiam à Syneſi, id eſt, perſpicacia. Perſpicaciæ enim ſolum eſt iudicare. ſed Prudentia non ſiſtit in iudicando; verum vlterius imperat, ſeu mouet voluntatem vt opus faciat. Vnde quãtumuis aliquis rectè iudicet, ſi tamen nõ ita iudicat in particulari vt reipſa voluntatem moueat opũtue faciat, non dicitur prudens, ſed imprudens, & imprudẽter agere. Non quòd aliquis actus elicitus Prudentię illi deſit, vel etiam quod interueniat aliquod iudicium imprudens. (etſi enim plerumq; & ferè ſemper tale iudicium interueniat, quando non ſequimur iudiciũ Prudentiæ in agendo; tũ abſolutè nõ eſt neceſſariũ: vt patet ex dictis 1.2.q.9.a.1.) ſed quia vltimus effectus, & finis Prudentiæ deeſt; & conſequenter, quia aliquid fit, vel omittitur contra iudiciũ Pru-

25 dentiæ. Quod autem rectè dicatur Prudentia imperare, & præcipere ratione huius motionis, patet: tum quia præſcribere quid agendum, & ita mouere, eſt munus imperantis, & ſuperioris: tũ quia ideo dicitur ratio imperare appetitui inferioris, & alia corpori; nẽpe q.a aliquo modo mouet: (nõ aũt ratione imperij propriè dicti) ergo cum Prudentia munus ſit, inſtar ſuperioris ſuo modo mouere volũtatẽ, eaq; in executione operis dirigere, rectè dicit eius eſſe imperare.

26 *Imperium Prudentiæ fit formaliter per actum iudicij.* Hinc ſequitur, hoc imperium non fieri per aliquẽ actum diſtinctum à iudicio, ſed formaliter per actum iudicij, quo prudens iudicat hoc opus cum talibus circumſtantijs eſſe faciendum. Nam hoc iudicium omnino ſufficit ex parte intellectus ad mouendam voluntatem: non tamen habet rationem imperij efficacis, niſi reipſa moueat volũtatem. Conſiſtit igitur hoc imperium in cauſalitate, & veluti efficientia, quam actus iudicij habet in actum voluntatis: de quo plura diximus 1.2.q.9.a.1.

27 *Quo modo Prudentia præcipiat, diſponendo de mediis.* Ex his facilè intelligi poteſt quomodo Prudentia præcipiat virtuti morali, non præſtituendo illi finẽ, ſed diſponendo de his quę ſunt ad finẽ vt ait D. Th. 2.6. & obſcurè explicat Caiet. Nempe quia prudentia per ſe mouet virtutẽ moralem, non quidem ad effectum honeſti in genere: (ad hoc enim mouet *ſyntereſis*, vt dictum eſt) ſed ad effectum honeſti, in ſingulis actionibus oſtendendo cum quibus circumſtantijs debeat operari, vt honeſtè operetur.

Dices, Virtus moralis potius debet præcipere Prudentiæ, quam Prudentia ipſi, quia virtus moralis verſatur circa finem; Prudentia autem circa ea quæ ſunt ad finem, vt dictum eſt. atqui virtus, quæ verſatur circa finem imperat

Reſponſio Caietani. virtutibus quæ circa media; ſars enim militaris imperat artibus quæ conficiunt arma: ergo, Reſpondet Caiet. Virtutem moralem nõ verſari circa finem authoritatiuè, & ideo non poſſe imperare Prudentiæ. Quòd non verſetur authoritatiuè, probat, quia virtus moralis non perficit primò intentionem finis, ſed electionem mediorum. Sed hæc ſo-

28 lutio non videtur vera. Neimò, quia virtus moralis per ſe primò eſt affectus habitualis honeſti, v.g. temperatè viuendi; quia eſt affectus boni per ſe amabilis: ergo primò perficiet intentionem finis. Antecedens probatur ex D Auguſ. lib. de moribus Eccleſiæ c.15. vbi docet *omnem virtutem eſſe amorem boni*: amor autem per ſe primò tendit in finem, nõ in media. Secundò; quia propoſitum, ſeu intentio tẽperatè viuendi eſt actus virtutis, cum ſit difficilis, rectæ rationi conſentaneus & laude dignus. atqui non poteſt eſſe actus ſecundarius virtutis: tum quia eſt adæquatus virtuti temperantiæ, tum quia non ſupponit vllum alium actum, ſeu affectum, vnde ſequatur: eſt ergo primarius actus virtutis Temperantię. Tertiò, Voluntas primò & immediatè inclinatur in affectum boni in genere: ergo virtus moralis inclinatur primò & immediate in affectum honeſti ſui generis ſibi adæquati; quia omnis potentia & habitus primò, & per ſe reſpicit obiectum ſibi adequatum. Quartò, Si virtus moralis, v.g. Temperantia non facit per ſe primò intentionem rectam circa finem, id eſt, circa vitã tẽperatam, quid eſt, q illam rectam facit? Non enim natura ſua eſt recta. debet ergo fieri recta ab aliquo habitu acceſſorio: qui habitus ſine dubio eſt virtus, neque alia quàm Temperantiæ. Et quamuis valde probabile ſit alium eſſe habitum circa finẽ abſtractè conſideratum, alium circa media; ſicut in ſcientijs alius ponitur habitus circa principia, alius circa cõclu-

Refutatur. Virtus moralis perficit primò intentionem finis.

Probabile eſt eſſe diſtinctũ habitum circa finem, & circa media in virtutibus moralibus.

ſiones, (nulla enim eſt ratio, quæ contrarium contineat, & proportio quæ eſt inter finem & principia, inter concluſiones & media id videtur poſtulare) tamen habitus circa finem nõ eſt ponendus diſtincta virtus ab habitu circa media: ſed vterque iunctus eſt vna integra & completa virtus moralis, tendens ad vnum finem aequatũ, qui eſt honeſta vita in tali materia. Sicut ẽt habitus principiorum & concluſionum ſunt vna integra & completa virtus intellectus tendens ad vnum finem, qui eſt perfecta veritatis intelligentia. Dicuntur autem duo habitus, & duæ virtutes intellectuales, ſed partiales, & eſſentialiter incompletæ.

29 *Alia reſponſio.* Omiſſa ergo ſententia Caiet Reſpondeo, Virtutes morales ẽt quodam modo præcipere: ſeu imperare Prudẽtiæ: ſed aliter quam Prudentia præcipiat ipſis. Ratio eſt, quia intellectus mouet voluntatem, & viciſſim voluntas intellectum. Prudentia igitur præcipit Virtutibus moralibus, oſtendendo, & præſcribendo quomodo & in quid ferri debeant; & ita mouendo ex parte obiecti ad ſpeciem actus. Virtus Moralis præcipit Prudentiæ, volendo vt prudentia hoc, vel illud cõſideret, & ita applicando ex parte ſubiecti ad exercitium actus. Hoc tamen non poteſt facere, niſi antè mota ſit à Prudentia, vel certè à Syntereſi. Itaque potius Prudentia dicitur præcipere Virtutibus moralibus, quàm hæ virtutes Prudentiæ: tũ quia omnis motio incipit à Prudentia: (non enim voluntas poteſt mouere, niſi ante mota per intellectum) tum quia motio Prudentiæ eſt ſublimior. mouet enim per modum finis & ſpecificantis actum voluntatis: Voluntas ſolum per modum applicantis extrinſecus: vnde eius motio ſæpè non eſt neceſſaria.

Quo modo etiam Virtus moralis præcipiat Prudentiæ.

DVBITATIO IV.

Vtrùm Prudentia pendeat à virtutibus moralibus, & quomodo.

30 RESpondeo, Prudentiam in ſuis functionibus pendere ordinariè à virtutibus moralibus. Colligitur ex Ariſt. 6 Ethic c.5. & 13. Probatur, quia Prudentiæ eſt, id quod in ſingulis actionibus eſt honeſtum apprehendere, ſeu iudicare tamquam hic & nunc conueniens: atqui virtus moralis in voluntate exiſtens, facit vt id qđ eſt honeſtũ videatur intellectui conueniens, & hic & nũc acceptandũ. Quiſque enim iudicat prout eſt affectus: iracũdus enim apprehẽdit intellectu vindictam tãquam conuenientem: & intẽperans voluptatẽ: auarus, habere copiã pecuniarũ: ſeruare autem in his modũ rationis, nõ apprehendũt vt cõueniẽs ſibi hic & nunc, ſed vt ſummũ, vt cõueniens in genere, vel pro alio tẽpore & ſtatu rerũ. Sicut n. in animalibus, varij inſtinctus & propẽſiones naturæ faciũt vt phantaſia apprehẽdat varias res tãquam cõuenientes vel repugnantes. ita in hominibus, varij affectus ſiue voluntatis, ſiue appetitus inferioris, ſiue habitu ſint, ſiue actu, ſunt cauſa cur phãtaſia & intellectus aliquid apprehẽdat vt cõueniens vel diſcõueniẽs. Morales itaque virtutes in voluntate latentes facĩt vt intellectus

31 *Quo modo affectus mouet iudicij.*

tellectus bonum honestum in actionibus iudicet esse conuenientis hic & nunc fieri: idque præstant, partim quia cõprimunt passiones, quæ rationem perturbant in consideratione honesti, & bonum delectabile ostentant: partim quia subiectum ita disponunt, vt opus honestum sit in quã maximè congruum, sicut sitienti potus, esurienti cibus. Vnde mirum non est intellectui statim ita videri. Consensio enim illa, quæ est inter obiectum & affectum, causa est ex parte obiecti, vt apprehendatur per modum conuenientis. Sicut è contrario dissonantia est causa cur intellectus apprehendat vt dissentaneum.

Vnde apparet quãtam vim habeat affectus in omnibus iudicijs practicis noſtrarum actionum directiuis. Idque experientia quotidiana comprobat. vide 1.2.q 9 ar 2. & 5. Dixi, *ordinariè*, quia aliquando (etsi rarius) fit vt aliquis de honesto hic & nunc prudenter iudicet, quamuis voluntas sit prauè ad illud affecta. ebriosus enim interdum iudicat bonum esse vt hoc tempore & loco, in hoc continuo rationis mensuram seruet; etsi affectus adhoc non inclinet: & macchus, vt ſe hic & nunc contineat: quamuis affectus in contrarium tendat, ratio est, quia vt intellectus possit comprehendere honestũ subratione conuenientis hic & nunc, sufficit consensio, quam illud habet cum natura rationali, in qua veluti in radice omnes virtutes morales continentur. praui enim affectus non possunt illam consensionem & congruentiam tollere, quamuis eam multum obscurẽt, & obuoluant. Vnde moraliter fieri nequit vt quis crebrò prudenter iudicet in particulari, sine virtute morali.

Cum prauus affectus potest interdum esse rectum iudicium in particulari.

Obiectio. 33 Dices, Virtutes morales supponunt prudentiam; quia sunt habitus electiui secundum dictamen prudentiæ; ergo prudentia nõ supponit virtutes morales: essent enim seipsis priores, ac posteriores, & sibi ipsis causæ, & effectus.

Virtus moralis inchoata supponit inchoatam prudentiam, quæ consistit in Synteresi.

Respondeo, Virtutes morales completas supponere prudentiam completam tamquam magistram, & directricem, quæ in singulis functionibus ostendat quid, & quomodo agendum. Inchoatos verò (nempe vt solum sunt affectus honesti in genere, v.g. temperatè viuendi: cuique, quod suum est, reddendi) supponere prudentiam inchoatam per *synteresin*, quæ est rudimentum quoddam, inchoatio, & principium prudentiæ: sicut affectus ille honesti est inchoatio virtutis moralis. At prudentia secundum illam suã inchoationem non supponit vllo modo virtutẽ moralem; sed est causa virtutis moralis inchoatæ: secundò verò suum complementum, quod habet vt se extendit ad actiones singulas supponit virtutem moralem, saltẽ inchoatã.

Aduerte tamen prudentiam posse dici dupliciter com- 34
pletam; primò essentialiter, cum se non tantum extendit ad principia moralia, & conclusiones generales, sed etiam ad pleraque actiones individuas alicuius virtutis. Secundò extensiuè, cùm potest facilè in omni casu occurrente iudicare. Simili modo virtus moralis potest dupliciter dici completa; essentialiter & extensiuè. Essentialiter, cùm extendit se ad aliquas functiones suæ materiæ promptè obeundas. Extensiuè, cum ad omnes. Priore modo Prudentia non supponit virtutes morales, nisi inchoatas: neq; omnes; sed eas tantum, in quarum materia versatur. Altero modo supponit omnes virtutes morales etiam cõpletas. Quia nemo potest in omni casu prudenter iudicare, v.g. in materia temperantiæ, nisi alijs quoque virtutibus sit instructus, si enim careat fortitudine, non rectè iudicabit de honesto temperantiæ mortem intentãte tyranno; si iustitia, non rectè iudicabit quando ius alterius per temperantiam violaretur, negando debitum coniugi. Itaque perfecta Prudentia requirit omnes virtutes morales: singulæ quoq; virtutes morales, si perfectæ sint, supponunt prudentiam; ita tamen vt prudẽtia prius se extendat ad quamuis actionem in individuo, quàm virtus moralis se ad illam proferat. Nam iudicium prudentiæ semper præit affectum virtutis moralis circa vnum eumdemque actum individuum. Sed de his plura 1.2.q.58

Prudentia & Virtus moralis dupliciter dicitur completa.

Ex his intelligi potest in quibus sit prudentia; (de quo D. Thom. a. 13.) perfecta enim prudentia non potest esse 35
nisi in viris probis, qui affectum in omni materia virtutis rectè dispositum habent. Hi enim soli rectè iudicare in omni negotio concurrente possunt. In hominibus improbis, vel alicui vitio deditis non potest esse nisi imperfecta prudentia. quia prauus affectus, quo laborant, non sinit eos prudenter in materia virtutis oppositæ iudicare.

In quibus sit

CAPVT SECVNDVM.

De partibus prudentiæ, & Vitij oppositis.

Habet 4. dubitationes.

DVBITATIO PRIMA:

Quæ sint partes subiectæ Prudentiæ, id est, In quas species diuidatur.

DE QVO D. THOM. QVÆST. 48. & 50.

1 NOTANDVM est, D. Thom. quæst. 48. constituere triplices partes Prudentiæ; nempe subiectiuas, potentiales, & integrales. *Subiectiuas* vocat species, seu inferiora, quo modo homo & brutum dicuntur partes animalis. *Potentiales* vocat virtutes quasdam adiunctas, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias; ita vt non habeant totam vim principalis virtutis. quo modo potentiæ animæ dicuntur animæ partes apud Philosophos. *Integrantes* vel quasi integrantes vocat ea, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis. Hic quærimus de partibus subiectis, in quas tamquam in inferiora diuiditur.

2 Respondeo igitur Prudentiam posse rectè diuidi, primò in naturalem, & supernaturalem, siue in acquisitam, & infusam. *Naturalem* voco, quæ non excedit limites rationis naturalis. Hanc solam Philosophi agnouerunt. Pendet ex *synteresi*, quæ est notitia principiorum practicorum, vt Decalogi & similium; & ex virtutibus moralibus sui ordinis: comparaturque vsu, nascitur enim ex actibus. *Supernaturalis* est, quæ limites notitiæ naturalis excedit. pendet ex fide & ex virtutibus moralibus sui ordinis. Sicut enim sunt aliquæ virtutes morales commensæ prudentiæ naturali, & tendentes ad honestum naturale, quod est consentaneum naturæ rationali qua talis est: ita etiam videntur esse quædam virtutes morales commensæ dictamini prudentiæ infusæ, tendentes in honestum supernaturale, quod est consentaneum statui hominis supernaturali; nimirum hominis Christiani filij adoptiui Dei, &c. de quo plura 1.2.q.58.

Prudentia alia Naturalis, alia Supernaturalis.

Secundò, diuiditur immediatè in prudentiam *personalem*, seu *solitariam*, & in *gubernatricem*. *Gubernatrix* diuiditur in quatuor species; *Oeconomicam*, *Ciuilem*, *Legislatricem*, & *Militarem*. Itaque in vniuersum ponuntur quinque species Prudentiæ. Ex quibus quatuor priores ponit Aristoteles 6. Eth. cap. 8 & vocat partes Prudentiæ. quintam addit D. Thom q.50 ar.1. 3

Prudentia 5 species.

Solitaria seu *personalis* est, qua quis in singulis actionibus spectat quid agere deceat, proprium intendens bonum.

Oeconomica, qua quis rectè gubernat familiam, eius bonum solum spectans.

Ciuilis seu *politica* est, qua quis rectè administrat ciuitatem, legesque seruari curat.

Legislatrix seu *nomothetica* est, qua quis idoneas leges condit.

Militaris, qua militia ritè administratur.

4 Ratio harum specierum est, quia Prudentiæ generatim acceptæ est procurare bonũ hominis operationũ directione: hoc autem procuratur vel directè, vel indirectè, scilicet amouendo mala, quæ bonum hominis impediunt. Si indirectè, hoc fit per prudentiam militarem, qua hostes bonum publicum & priuatum perturbantes auertuntur. Si directè, vel procuratur bonũ proprium, vel communitatis: si proprium, erit prudentia personalis. Si verò communitatis, tum vel familiæ, vel Reipublicæ. Si familiæ bonum intendatur, erit *Oeconomica*. Si Reipubl. id fiet vel ferendo leges (quod proprium est supremi Principis) & sic erit Legislatrix: vel curando proxime vt mandentur executioni, (quod fit per magistratus immediatos) & sic erit Prudentia ciuilis. Per *ciuem* enim non intelligit Aristoteles virtutem subditorum, qua legibus parent; (vt D. Tho. videtur accipere) sed magistratuũ, qua curant leges seruari, & totã Rempubl. gubernant, vt recte Eustratius exponit. Nam Aristoteles ponit duas huius partes, Consultricem & Iudicatricem: illa præbet in dubijs consilium, hæc exercet iudicia in tribunalibus: quorum vtrumque pertinet ad personam publicam. Adde non esse opus peculiari prudentia in ciue vt legibus communibus pareat, sicut nec domesticis vt præceptis patris familias.

5 Hic tamen Notandum est primò, solam *Prudentiam personalem* absolutè dici Prudentiam, & hominem facere absolutè & simpliciter prudentem, vt docet Aristoteles ca. 8. Quia is solus absolutè prudens est dicendus, qui sua præ ceteris omnibus curat, seipsum omni virtute exornãs. Prudentia enim per se primò curat bonum suũ, id est, sui subiecti. Cetera vero prudentiæ species non vocantur absolutè nomine Prudentiæ: sed secundum quid, seu cum adiuncto, vt prudentia Oeconomica, vel Ciuilis, vel Legislatrix, vel Militaris: quia non spectant bonum suum, sed alienum; vnde neque necessario postulant, neque faciunt affectum habentis rectum; sed potius affectum alienum, præsertim Oeconomica, Ciuilis, & Legislatrix, quia intendũt bonum communitatis; nempe vt familia vel Respublica secundum virtutem degat. Nam militaris potius videtur esse ars quædam disponendi exercitum ad prælium, quam species Prudentiæ: sicut ars nautica, ars negotiandi, & similes. Vnde quidem de arte militari scripserunt. Potest tamen poni species Prudentiæ, quatenus disponit & curat vt milites fortiter & cũ virtute militares functiones obeant. Hoc enim videtur proprie officium prudentiæ militaris. Vnde supponit artem militarem, eique addit rationem dirigendi milites secundum virtutem.

Prudentia personalis est absolutè Prudentia vel quia cum adiuncto.

6 Notandum secundò, singulas species dictas posse rursus in multas alias vel species, vel potius in partes veluti integrantes diuidi. Probabile enim Prudentiam personalẽ tot habere partes specie distinctas, quot sunt species Virtutũ. Non enim qui prudens est in functionibus Iustitiæ, statim est prudens in functionibus Temperantiæ, vel Fortitudinis: quamuis vt absolutè dicatur prudens, debeat in omni materia virtutis passim occurrente prudens esse. Idem dicendum de Prudẽtia Ciuili, Oeconomica, Legislatrice, & Militari. Varia enim sunt genera militiæ, & gubernationis ciuilis, & domesticæ ratione variarum circumstantiarum, tum loci, tum personarum, tum finium adiunctorum, (vt commodorum vel incommodorum) quæ diuersissimam rationem agendi postulant, vt bonum exitum habeant.

Quamuis species Prudentiæ non constent partibus, quasi integralibus.

7 Notandum tertiò, Prudentiam personalem quodammodo complecti omnes alias prudentiæ species; quia potest se extendere ad omnes illarum functiones, dictando de ipsidem actionibus de quibus ipsæ; sed sub alia ratione. Quidquid enim ordinat vel iubet paterfamilias per prudentiam œconomicam, spectans bonum familiæ, potest ordinare, & iubere per prudentiam personalem, spectando bonum honestum suę actionis, nempe vt officio suo satisfaciat. Quatenus enim in agendo specie, vt familia rectè sit disposita, dirigit suam actionem prudentia œconomica; vt verò intendit satisfacere suo officio, vel agere id quod decet suam personam, dirigit eam prudentia personali. Idem dicendum de Ciuili, Militari, & Legislatrice.

Prudentia personalis omnino completa complectitur cæteras.

Itaque prudentia personalis omnino completa, qua quis in omni statu, seu officio potest se gerere vt decet, includit illas prudentias tamquam partes, superaddens illis respectum ad proprium bonum, quod est honestè agere. Neque enim Rex potest habere prudentiam suæ personæ necessariam, & facere omne id quod se decet, nisi norit leges vtiles ferre; & ita requirit prudentiam Legislatricem. Neque Magistratus officio suo satisfacit, qui non nouit Remp. administrare, iudicia exercere, bono ciuium consulere; & ita requirit Ciuilem. Et hoc est quod vult Aristoteles ca. 8. in prin. cum ait; *Prudentiam & Ciuilem* (πολιτικὴν) *esse eundem habitum, sed non habere eundem rationem seu suam esse.* Prudentia enim completa includit Ciuilem, & reliquas tamquam sui partes; refert tamen illarum materiam ad suum finem; & ita distinguitur ratione formali. vide Giraldum in lib. 6. Ethic. q. 14. Si tamen Prudentia personalis accipiatur vt dirigit hominem constitutum extra publicum officium, sic non includit illas; sed est species omnino distincta à ceteris. 8

DVBITATIO II.

Quænam sint partes integrantes Prudentiæ.

D. THOM. QVAEST. 49.

NOtandum est Partes integrantes prudentiæ posse dupliciter poni; Primò, vt partes integrantes dicantur illæ, ex quibus veluti membris Prudentia tota propriè constat. Non enim Prudentia est simplex alicuius habitus, sicut neq; scientiæ speculatiuæ, sed constat multis partibus instar totius heterogenei, respicientibus diuersam rationem honesti, quæ est in diuersis virtutibus. Alijs.n. regulis & notionibus dirigũtur functiones iustitiæ, alijs tẽperãtię, alijs fortitudinis & patientiæ: quæ tamẽ omnes necessariæ sunt ad integram & absolutam Prudentiam. Dicitur autem Prudentia vna virtus, sicut Theologia & Physica dicitur vna scientia: nempe quia respicit vnum obiectum generale quod est viuere secundum virtutem; idque sub vno eodemque modo tendendi, qui est considerare singulas actiones cum omnibus circumstantijs, de quo plura 1. 2. q. 57. Verum D. Th non loquitur hoc modo de partibus Prudentiæ; quia non videtur tales ponere. Secundò, vt partes integrantes Prudentiæ dicantur quædam functiones; sine quibus non habetur perfectus vsus prudentiæ. Hoc modo ponit octo partes prudentiæ, *Memoriam, intelligentiam, docilitatem, solertiam, prouidentiam, rationem, circumspectionem, cautionem*, è quibus *solertia* & *docilitas* maximè iuuant ad acquirendam prudentiam. *Memoria, intelligentia, prouidentia, ratio*, potissimum iuuant ad vsum prudentiæ in consultando & iudicando. *Cautio* & *circumspectio* ad executionem operis; quæ dicitur fieri in perio Prudentiæ. *Memoriam* vocat recordationem eorum, quæ legimus, audiuimus, vidimus, aut aliter experti sumus. Ex his enim sæpenumerò facilè colligimus quid in præsenti negotio expediat; plurimum enim valent tum exempla aliorum, tum experientia ipsa ad Prudentiam. *Intelligentiam* vocat notitiam præsentium: vt enim prudenter iudices, necesse est præsentem statum rei vbi esse probè perspectum. Potest etiã hoc nomine significari notitia principiorum moralium. 9 10

Octo partes integrantes Prudentiæ.

Prouidentia dicitur consideratio futurorum euentuum, qui possent sequi ex opere.

Ratio dicitur promptitudo quædam ratiocinandi, & aliud ex alio colligendi.

Docilitas accipitur pro affectu & promptitudine ad discendum.

Solertia (quã Arist. vocat ἀγχίνοιαν. & melius Latinè diceret sagacitas) est species bonæ cõiectationis, (quę ipsi dicitur εὐστοχία) est enim solertia, seu sagacitas, medij (id est, rõnis alicuius cui res sit probãda vel improbanda) inuẽtio tẽpore breuissimo, vt idem Arist. docet lib. 2. prior. Analyt.

Circumspectio est consideratio circumstantiarum, ne quæ desit in opere.

Cautio est cura vt vitẽtur incõmoda, quibus res est exposita, v. g. ne proximus offendatur, ne incidas in aduersã valetudinem. poterat hæc sub circumspectione comprehẽdi. 11

Non sunt nec habemus.

Notandũ est, non omnes hos actus à diuersis habitibus proficisci, Cautio enim, Circũspectio, Prouidentia, & Intelligen-

telligentia sunt actus Prudentiæ; quia intrinsecè includuntur in prudenti iudicio, & executione. Memoria, Ratio, Solertia, & Docilitas tantum requiruntur ad acquirendũ Prudentiam, vel ad acquisitæ perfectiorem vsum.

DVBITATIO III.

Quæ sint partes potentiales Prudentiæ.

D. THOM. quæst. 51.

12 *Tres partes potentiales prudentiæ.*

REspondeo, Valdè ingeniosè à D. Th. poni tres partes potentiales prudentiæ, *Eubuliam Synesin, & Gnomen.* Per *Eubuliam* intelligit habitum quemdam, qui præbet facultatem rectè consultandi: id est, inueniendi bonum consilium in rebus ambiguis & perplexis. Per *synesin* habitũ rectè iudicandi de consultatis, idque ex cõsideratione cõmunium principiorum practicorum, scilicet legum naturalium & positiuarum, & finium illarum, quos fines Legislator spectauit. Per *Gnomen*, habitũ rectè iudicandi ex principijs quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis iuxta tamen mentem Legislatoris. vide Caiet. qu. 120. art. 1. & 2. Vocat autem has partes potentiales Prudentiæ; quia Prudentia his vtitur ad suum finem, veluti membris quibusdam suis; vel vt anima vtitur suis potentijs ad suum finem. Sicut enim in singulis animæ potentijs elucet vis, & conditio animæ, etsi non plenè: ita in illis facultatibus, earumq; functionibus elucet natura & conditio Prudentiæ, etsi non adæquatè.

13 *Non distinguuntur realiter à prudentia habitus.*

Vtrùm sint habitus distincti ab habitu Prudentię dubitari potest. Probabilius est non esse ab illa distinctos realiter, sed esse ipsam Prudentiam inadæquatè consideratam; nempe vt se ad hanc vel illã functionẽ extendit; vt probat Giraldus lib 6. q. 15. Probatur, quia Prudentiæ propriũ est inquirere media ad finem idonea: atqui hoc fit bona consultatione; ergo bona consultatio est actus proprius Prudentiæ. Vnde rectè Aristoteles ait c. 7. lib. 6. *Prudentia maximè opus esse dicimus rectè consultare.* Neq; satisfacit, si dicatur Prudentiæ proprium est benè consultare, quòd imperet illam; nã consultatio de mediis non imperatur propriè à Prudentia, sed à cognitione & amore finis. In qua cognitione finis non tã cernitur Prudentia quàm synteresis. Cernitur autem primò in consultatione, si benè fiat: ergo bona cõsultatio est prima functio in qua Prudẽtia elucet. Quòd etiam rectè iudicare siue ex ipsis legibus, & earum finibus, quod facit *synesis*, siue ex altiori consideratione, quod facit *gnome*, sit actus Prudentiæ elicitus, patet; quia per hunc actum Prudentia imperat voluntati, eamq; & potentias inferiores in executione dirigit, vt supra ostensum est.

14 *σύνεσις.*

Dices, Aristotelé synesim non videri significare partem aliquam Prudentiæ, seu iudicium Prudentiæ præcedens executionem; sed perspicaciam quamdam ingenij in alio, qui de iudicio & facto prudentis acutè iudicat, vt exponit Eustratius in cap. 10 lib. 6. dicitur enim *συνετὸς καὶ ἀσύνετος*, teste Aristotele ibidem, qui altero aliquid dicente vel faciente statim potest percipere rectène an secus dictum factúmve sit: sicut discipulus dicitur *ξυνιέναι* & *ἀσύνετος*, qui statim percipit quod magister docet. Vnde apud Græcos *ξυνιέναι* sæpè vsurpatur pro *μανθάνειν*, quod est percipere quod alius dicit.

Respondeo verum esse Aristotelem quidem hoc pacto synesim ibi accipere: non tamen negat quin similis facultas in prudente requiratur circa inuenta per consultationem. Vnde rectè D. Thom. posuit partem Prudentiæ. Imò ipsemet Aristoteles lib. 1. Magnor. moral. c. 35. expressè docet Synesin esse Prudentiæ partem: quamuis interdum esse possit in eo qui non est prudens. Per *γνώμην* idem intellegit Aristoteles, quod D. Thom. nam lib 6. Ethic. cap. 11. dicit Gnomen esse Rectum iudicij æqui & boni. Æquum & bonum (quod Græcis dicitur *τὸ ἐπιεικὲς*, est, quod cùm fit contra verba legis, (etsi non contra mentem legislatoris) iudicio prudentis definitur, vel vt Aristot. lib. 5. c. 10. definit, est *correctio legis, quatenus deficit ob vniuersalem locutionem.* Eodem pertinet sententia D. Thom. cùm ait Gnomen iudicare ex principijs extraordinarijs contra verba legis. idem. n. valent corrigere legem vbi deficit ob vniuersalem locutionem, (quod proprie ad gnomen pertinet) & iudicare ex altiori principio contra verba legis. Ratio autem cur interdum opus sit hac correctione legis, & consideratione altioris principij, quã fit finis proximus legis, est quia leges vniuersaliter latæ sunt, vt Legislator finem proximum, quem per illam intendit vt plurimùm assequatur: quo fit vt multi casus occurrant, in quibus nõ expedit eas seruari, quia aliquid fieret cõtra aliam Legislatoris intentionem, & contra bonum publicum vel priuatum. Vniuersales enim Regulæ in rebus practicis patiuntur multas exceptiones. hæ exceptiones quia verbis legum comprehendi non poterant, relictę sunt iudicio prudentum, & vocatur *τὸ ἐπιεικὲς*, id est, æquũ & bonum. Iudiciũ verò quo de illis iudicatur, vocatur Gnome, quod Latinè benignam sententiam possumus nominare, hoc autem peti debet ex altiori consideratione, ob quã verba legis non sunt seruanda. In legibus pœnalibus dicitur *συγγνώμη*, id est, venia, vel pœnæ mitigatio. Exempli gratia, lex vniuersè præcipit, Qui occidit occidatur. Tu tamẽ inuisus ab alio occidisti: Vir æquus, per *γνώμην* iudicat verba legis hic non esse seruanda, teque non esse morte puniendum: quod iudicium pendet ex alia consideratione, quàm præceptum legis illius. Virtus verò quæ in voluntate respondet huic iudicio, dicitur *ἐπιείκεια*. Vnde sicut *ἐπιείκεια* se habet ad iustitiam, ita *γνώμη* se habet ad prudentiam. Est igitur pars potentialis Prudentiæ siue Prudentia ipsa, vt versatur circa æquum & bonum: sicut *ἐπιείκεια* est pars iustitiæ, & iustitia quædam, vt rectè Aristoteles cap illo 10 docet; quod quomodo verum sit dicitur infrà cap. 47. dub. 9. *συγγνώμη.* *ἐπιείκεια.*

DVBITATIO IV.

Quot & quibus modis peccatur contra Prudentiam.

D. THOM. Quæst. 53. 54. 55.

16 *Omne peccatũ est contra Prudentiam.*

DICO Primò generatim loquendo, omne peccatum est contra prudentiam; patet, quia omne peccatũ est contra iudicium prudentiæ, sicut omne opus bonum est secundùm iudicium Prudentiæ.

Non tamen ex imprudentia.

Aduerte tamen non esse necessariũ, vt sicut omne opus bonum sequitur ex iudicio prudenti, ita omne opus malũ sequatur ex iudicio imprudenti; potest enim sequi ex iudicio indifferenti, quo aliquid iudicatur non quidem esse honestum, vel turpe, sed esse delectabile, vel molestũ. Hoc. n. iudiciũ sufficit vt voluntas possit illud opus velle, aut nolle, vt ostensum est 1. 2. q. 9. art. 1. dub. 4. & 5.

Dices, Omnis peccans est imprudens, imò & ignorans, testè Aristotele: ergo omne peccatum sequitur ex errore, vel ignorantia.

17 *Omnis peccans ignorãs.*

Resp. Negandam consequentiam. Dicitur imprudens, non quòd semper imprudenter iudicet, sed quia imprudẽter, (id est, contra prudentiæ dictamen) operatur. Dicitur ignorans, nõ quod necesse sit vt ignoret rem esse turpem, vel noxiam saluti: sed quia vel ignorat, vel non satis considerat illam turpitudinem, quasi si consideraret, vt par est; non faceret. Et quamuis fieri possit vt aliquis plenissimè rei turpitudinẽ considerans, eam nihilominùs faciat, propter voluntatis libertatem, quæ sicut bonum honestum etiam clarè propositum non necessariò amplectitur, sed potest repudiare, ob molestiam annexam, ita obiectum turpe clarè propositum non necessariò repudiat, sed potest amplecti ob voluntatem annexã: tamen hoc rarissimè fit. Vnde vniuersè dici potest omnem peccantẽ esse ignorãtem.

18 *Contra Prudentiã peccatur excessu & defectu.*

Dico Secundò, Si magis speciatim loquamur, dupliciter contra prudentiam peccatur, iuxta D. Th. per excessum, & per defectum. Probatur quia sicut obiecta aliarum virtutum consistunt in medio, ita etiam obiectum Prudentiæ: (idem. n. est obiectum circa quod versatur Prudentia consultando, & iudicando, ac aliæ virtutes inclinando) ergo sicut cõtra alias virtutes potest peccari per excessum & defectum; ita contra prudentiam.

19 *Defectus, quatuor modis.*

Dico Tertiò, Per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter, *præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, & negligentia.* Probatur, quia ■ peccata sunt propriè contra prudentiam, quæ sunt contra regulas prudentiæ, quas ipsa in suis functionibus seruare debet; item

quæ

quæ sunt contra functiones proprias prudentiæ: atqui hæc peccata sunt talia; ergo. Minor patet: Prima.n. regula Prudentiæ est, vt priusquam opus aggrediaris. vel Iudicium feras, deliberes de medijs, de modo, & ordine exequendi, de cauendis impedimentis &c. contra hanc regulã est *præcipitatio*, quæ proposito aliquo fine statim opus aggreditur, vel certè iudicat de medijs, & modo exequẽdi omissa deliberatione Secunda est, vt rem de qua iudicandũ est, eiusq; circumstantias diligenter inspicias: contra hanc, est *inconsideratio*, quæ iudicat, omissa diligẽti inspectione. Tertia est, vt rebus deliberatis, & rectè iudicatis inhæreas, neque te finas ob leues ratiunculas diuelli. contra hanc est *Inconstantia*, qua sine vlla, vel certe sine iusta causa mutat sententiã. Quarta est, vt rem deliberatam & iudicatam, opportuno tempore mandes executioni. contra hanc est *negligentia*. Hæc tamen dupliciter potest considerari: primò, vt est omissio diligentiæ requisitæ in ipso opere externo, & sic nõ est directe contra prudentiam, sed contra virtutẽ, in cuius materia versatur, vt negligentia in orando, est contra Religionem; in soluendo debito, contra iustitiam. Secundò, vt est omissio diligentiæ requisitæ in actu intellectus excitantis & dirigẽtis voluntatẽ & vires externas ad executionẽ; & sic est contra prudentiam. *Præcipitatio* igitur est directè contra *eorsitium*: *inconsideratio* contra *iudicium*: *inconstantia* contra *iudicij firmitatem*: *negligentia* contra *rationis vigilantiam* in exequendo. Est enim omissio actuum rationis, qui necessarij sunt vt opus suo tempore fiat.

Præcipitatio.

Inconsideratio.

Inconstantia.

Negligentia.

20 Notandũ est Primò, *præcipitationem & inconsiderationem* non esse peccatũ mortale, nisi ratione periculi alicuius peccati mortiferi, cui se homo exponit, præcipitanter vel inconsideratè iudicãdo vel agendo: quia sicuti in actibus prudentiæ nõ quæritur rectitudo propter ipsos actus, sed propter opus quod illis actibus est dirigendum: quia in regula non quæritur rectitudo propter ipsam regulam, sed propter id, quod regulæ est conformandum; ita prauitas imprudentiæ æstimanda ex opere, quod inde sequitur.

Qualia sint peccata.

Inconstantia numquam est peccatũ mortale, nisi quis ex voto, vel præcepto teneatur perstere in sententia, vel ob aliquã causam extrinsecam, vt ad vitandũ scandalum, &c.

Idem dico de *negligentia*. hæc.n. non est peccatum mortale; nisi negligas id, ad quod sub peccato mortali teneris, vel ita tis animo remissio ad ea quæ salutis sunt, vt euidenti periculo aliquid tale negligendi te exponas.

Notandum Secundò, Ad prædicta peccata reduci alia quædam, quæ non sunt tam directè contra prudentiam, vt *obstinationem, indocilitatem, & defectum ratiocinandi, ad præcipitationem*, *defectum intelligentiæ cautelæ*, & *circumspectionis, ad inconsiderationem*. ad eamdem referri potest *improuidentia, & defectus solertiæ*: etsi D. Thom. referat ad *inconstantiam, & negligentiam*. sed res est parui momenti.

21 Dico Quartò, per excessum, vel potiùs quadam specie & imagine prudentiæ, peccatur contra Prudentiã sex modis iuxta D. Th. *Prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, solicitudine temporalium, & solicitudine futurorum*. *Prudentia carnis* dicitur qua quis viuit secundùm carnem: vt colligitur ex Apostolo ad Rom. 8. vbi opponit prudentiam carnis prudentiæ spiritus; & sapere secundùm carnem, ei quod est sapere secũdùm spiritum. Nam finis prudentiæ carnis est viuere secundùm carnẽ, sicut finis prudentiæ spiritus est viuere secundùm spiritum, *Viuere* autem *secundùm carnem* est sequi intrinsecus & motus naturæ corruptæ; seu, est facere opera carnis, quę sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, & cetera, quæ Apostolus recenset c. 5. ad Gal. Itaque *prudentia carnis* est, quæ excogitat idonea media ad opera carnis complẽda. Sicut *prudentia spiritus* est, quæ excogitat idonea media ad opera, seu fructus spiritus; de quibus Apostolus agit eodem capite. Sicut enim omnis virtus habet suam prudentiam, qui tamquã regula in suis functionibus dirigatur, vt opus suũ honestũ reddat, (quod est eius finis intrinsecus) ita omne vitium habet suam quãdam falsam prudentiam, qua dirigatur ad obtinendum bonum delectabile, quod est eius finis; hæc dicitur prudentia carnis.

Prudentia imagine peccatur sex modis.

Prudentia carnis.

Viuere secundùm carnẽ.

22 Notandum autem est Primò, Sicut prudentia vera supponit, & includit appetitum honesti, sine quo appetitu nuda illa notitia intellectus non habet rationem prudentiæ: ita prudentia carnis, quæ est falsa prudentia, supponit, & includit affectum operum carnis, sine quo affectu non dicetur prudentia carnis. Supponit quidem; quia iudicium omnis prudentiæ siue veræ, siue falsæ plurimum pendet ex affectu, *qualis enim quisque est, ita iudicat*, vt Aristoteles ait, id est, quisque iudicat conuenienter suis affectibus. Includit verò quia prudentia non significat qualemcumque notitiam mediorum, sed directam & ordinata ad opus: itaq; includit affectũ operis. Vnde Apostolus nomen prudentiæ seu φρονηματος vel φρονήματος passim vsurpat pro affectu alicuius boni honesti, aut delectabilis, mouente intellectũ ad excogitationẽ mediorũ, quibus illud obtineatur: vel pro cogitatione intellectus, quę ab effectu, seu intentione ad illud bonum ordinatur. sic c. 8 ad Rom. *Sapere secundum carnem mors est*: φρονῆν γὰρ σάρκα, id est, habere affectum & cogitationes intentas ad opera carnis. Simili modo accipit, cum ait; *Prudentia spiritus vita, & pax*. Et ad Philipp 2. *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu*. Græcè, τοῦτο φρονεῖτε ἐν ὑμῖν, id est, talis sit in vobis affectus, vel talis cogitatio, ex affectu procedens.

Prudentia supponit affectum finis alicuius.

23 Notandum Secundò, Prudentiam carnis imitari veram prudentiam; quia sicut hæc quærit, & inuenit media verè idonea ad finẽ honestũ; ita illa quærit, & inuenit media verè idonea ad finem delectabilẽ, ad honores &c. Vnde non est necessariũ in iudicio huius prudentiæ esse errorem, seu falsitatẽ; quia non est necesse vt media non sint idonea ad finem, vel vt iudicet illa esse absolutè bona; sed satis est si iudicet esse conuenientia ad finem propositum, ad quem verè idonea sunt. Potest tamen tale iudicium dici practicè falsum, quia est causa prauæ electionis; siue quia non est consentaneum appetitui recto.

Prudentia carnis imitatur veram prudentiam.

Notandum Tertiò, Prudentiam carnis non esse peccatum nisi ratione affectus praui, cui subest. Vnde si hic sit peccatum mortale, erit peccatum mortale; si veniale, erit veniale vt patet ex dictis 1.2.q.17.art.vlt. Consilium n. & iudicium sunt actus imperati ab intentione. Vnde accipiũt suam bonitatem vel prauitatem ab intentione.

24 *Astutia* generatim, est ratio aliquid agendi modo occulto. Dicuntur.n. astuti in contractibus & negotijs, qui norunt modos agendi non passim obuios, quibus vel alios decipiunt, vel cauent ne decipiantur. Videtur ab Aristotele vocari δεινότης, (*solertiam* quidam interpretantur) quam ipse etiam in malis ponit, vt patet lib. 1. magnorum Moralium cap. vlt. vbi dicit *omnem prudentem esse* δεινὸν, id est, *astutum vel solertem. sed non contrà: quia non omnis* δεινὸς, *solers est. sicut Mentor qui videbatur quidem* δεινὸς. (*sibi*) *non tamen erat prudens*. Itaq; astutia generatim accepta, est quid communis quàm prudentia. Verum hoc accipitur magis specialiter, nempe pro notitia prauorum mediorum ad fallendum idoneorum, cum affectu exequendi coniuncta. Hoc modo accipit D. Augustinus lib. 4 contra Iulianũ c. 3. cum ait, *exercitibus virtutibus quadam vitia ipse similia, sicut astutia Prudentiæ similis est, quæ tamen est vitium*. Et Apostolus 2 ad Corint. 4 *Non ambulantes in astutia*. Græcè ἐν πανουργίᾳ, quo nomine propriè significatur hæc vitiosa *astutia*: quia astuti omnia tentant, in omnem partem se vertunt, vt rem conficiant. Continet artem simulandi & dissimulandi. Habet locum in ijs functionibus quæ proximum respiciunt. nemo.n sibi ipse aliquid occultat, vel in modo agendi sibi aliquid occultum optat; sed tantum proximo.

Astutia quid.

Videtur hæc *astutia* species quædam prudentiæ carnis. Hi.n. maximè videntur prudentes secundũ carnẽ, qui modos norunt occultos obtinendi temporalia, fallendo alios.

Est peccatum mortale vel veniale, pro ratione affectus cui subest, & nocumenti quod proximo sequitur; si enim expresè vel implicite graue nocumentum intendas, erit peccatum mortale: ficut mendacium perniciosum. Item si graue malum sequatur, idque aduerteris vel facilè aduertere potueris: tunc enim est intentio tacita, seu interpretatiua. Si autem nullum fit nocumentum vel modicũ, erit veniale: sicut mendacium officiosum, & iocosum. Vide Caietanum in Summa verbo *Astutia*.

Quale peccatum.

Dolus est astutiæ executio siue verbis, siue factis; est n. hoc nomen generale. Tantum habet locum erga proximũ. & potissimum in materia Iustitiæ, vt in cõtractibus & distributionibus. Duobus modis, secundum Iurisperitos, dolus venit in contractum Primò, dando causam contractui. Dicitur autem *dare causam contractui*, quando si dolus abfuisset, alter nullo modo voluisset contrahere. Secundò, non dando causam; sed solum incidendo in cõtractum: vt quando contractus fuisset quidem initus, sed non eo pretio,

25 *Dolus.*

Dolus venit in contractum duplicitèr.

tio, verum maiori aut minori. Vtrum autem & quando dolus contractum vel aliam diſpoſitionem irritam reddat, & quando non, dicemus infrà lib. 2. c. 17. dubit. 5.

Ignorantia à dolo excuſat.

Porrò ignorantia iuris, etſi craſſa ſit, ſemper excuſat à dolo, & conſequenter a pœna legis, quando ad eam incurrendam lex requirit dolum ſeu præſumptionem: quia ignorantia craſſa dolus non eſt.

Quãdo culpa æquiparetur dolo.

Nec obſtat quòd culpa lata dicatur æquiparari dolo; hoc enim ſolum eſt verum quando lex non requirit dolũ, præſumptionem, aut ſcientiam; ſed ſimpliciter loquitur & in actionibus deſcendentibus ex contractu, vel quaſi contractu, vt notat Sylueſter verbo *Culpa*. q 3. & 11. ex Bartolo, Cyno, & alijs.

26 *Fraus.*

Fraus eſt executio aſtutiæ per facta, vt cum menſura eſt minor iuſto: cum moneta eſt adulterina. vnde eſt quid cõtractibus & minus commune q̃ dolus. Itaq; dolus & fraus ſe habent ad aſtutiam, ſicut pactiones & actiones iuſtæ ad prudentiã Sicut enim hæc diriguntur iudicio & regulis prudentiæ: ita illa iudicio & regulis aſtutiæ. Quare hi modi agendi contra prudentiã non ſunt diſtincti ab aſtutia, ſed executiones tantum, ſeu actus externi aſtutiæ. De his duobus dici ſolet, *Fraus: & dolus nemini debet patrocinari.* Habetur cap. Ex tenore. 16. de Reſcriptis. Item; *Fraudem non facit qui ſcit & conſentit.* L. Nemo. 4. de regulis iuris.

27 *Agere in fraudem legis.*

Dicitur etiam fraus fieri, vel *contra legem*, vel *ſupra legem*. *Contra legem* quando fit contra id quod lege præcipitur vel vetatur, abſque colore & artificio, quo violatio illa tegatur. *Legi* verò, quando artificio quodam ita agitur contra mentem legis, vt videamur illi non repugnare hoc autẽ fit potiſſimum tribus modis, vel iuxta Sylueſt. *Fraus*, quatuor. Primò, ſupponendo perſonam pro perſona vt ſi coniux volẽs donationem facere coniugi, (quod non poteſt per leges) ſupponat aliam perſonam cui donet, cum onere transferẽdi in coniugem. Si tutor volens emere rem pupilli, (quod per leges non poteſt) interponat aliã perſonam quæ emat. Secundò, ſupponendo rem pro re. vt ſi filio familias volẽs dare mutuum, loco mutui det triticum vẽdendum, vt pretio fruatur; nimirum vt hac arte eludas vim L. 1. 4. de Senatuſconſ. Macedon. vbi ſtatuitur vt filius familias ex mutuo non teneatur. Tertiò, contractum pro contractu. vt ſi vxor in ſpeciem vendat viro, quod intendit donare. Si beneficiarius ſpecie mutui accepti, vel etiam gratitudinis, ſoluat centum aureos ei, à quo beneficium accepit. Si mulier, quæ fide iubere nõ poteſt, (per L. 2. 4. ad S.C. Velleianum) faciat ſe principalem debitricem. qui his & ſimilibus modis agunt, dicuntur facere fraudem legi, vel in fraudem legis, & non excuſatur coram Deo à prævaricatione legis, etſi coram hominibus videantur legem ſeruare.

28 *Sollicitudo temporaliũ.*

Sollicitudo temporalium eſt nimia mentis occupatio in illis conquirendis vel conſeruandis, proueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. Itaque tria in hoc vitio includuntur: primum eſt, nimius affectus ad bona tẽporalia: ſecundum, timor & anxietas quædam, ne vel conatus noſtri in ijs corradendis non ſatis bene ſuccedant, vel damnum aliquod interueniat: tertium, nimia occupatio mentis in illis cogitandis & tractandis.

Sollicitudo futurorum.

Sollicitudo futurorum eſt nimia animi occupatio circa futura, maximè vt vitæ neceſſaria habeantur, coniuncta cum anxietate & parua fiducia diuinæ prouidentiæ. vt cũ quis plus quàm par eſt, ſollicitus eſt de victu, veſtitu, alijſq. rebus neceſſarijs, in futurum annum, menſem, vel diem, eſt ſpecies ſollicitudinis temporalium.

29 *Eſt valdè pernicioſa ob tres cauſas.*

Hæ ſollicitudines, ſi modum iuſtum excedant, maximè ſunt noxiæ ſaluti Primò quia includunt cupiditatem rerũ temporalium, quam Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. vocat *radicem omnium malorum. Radix*, inquit, *omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* de qua infrà libro 2. capit. 47. Secundò, quia impediunt animam á ſeria cogitatione rerum ad ſalutem pertinentiũ: quo nihil poteſt eſſe magis pernicioſum. bona n. ſpiritalia niſi attente & crebrò cogitentur, non cognoſcitur, eorũ dignitas & pulchritudo. quod autẽ non cognoſcitur, non æſtimatur quod non æſtimatur, non amatur, non quæritur, facilè negligitur & contemnitur. Pari modo, peccatorũ malignitas, & damna immẽſa, niſi attenta conſideratione, non cognoſcuntur; quo fit vt etiã non horreantur, nec vitentur vt par eſt. Et ſanè, ſi quis diligenter aduertat animum, deprehendet omnes fere lapſus & peccata hominum ex defectu conſiderationis prouenire; vt meritò dixerit Ariſtoteles; *omnem peccantem eſſe quodammodo ignorantem.* Nam omnes, vel ferè omnes ideo peccant, quod malitiam peccati, & pœnam ipſi debitam, vel non conſiderent, vel non ſatis conſiderent; quantum videlicet in tali articulo conueniret.

Hinc ſcripturas vocat peccatores ſtultos, fatuos, inſenſatos, inſipientes. non tamen hinc inferas omne peccatum eſſe ex ignorantia: hoc enim poſtulat vt naſcatur eſſe peccatum. Tertio, quia bonas inſpirationes impediunt ne fructum pariant. Vnde Matth. 13. dicitur ſollicitudines ſæculi, tamquam ſpinas quaſdam, ſemen verbi diuini ſuffocare. Itaque cum huius in conſiderando defectus cauſa ſit, maxima ex parte, temporalium ſollicitudo, perſpicuum eſt illam eſſe valdè pernicioſam, & vitandam. Vnde Dominus multis rationibus, conatur eam nobis eximere, Matth. 6 *Ideo* inquit, *dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.* Idque confirmat primo, quia qui animam dedit, quæ longè eſt præſtantior quam eſca, dabit etiam eſcam: & qui corpus dedit, dabit veſtimentum. Secundo, Si Deus, qui eſt Pater 30 *Prohibetur in ſcripturis.* veſter, paſcet aues cœli, quæ neque ſerunt, neque metunt, neq; congregant in horrea; quanto magis paſcet vos ſuos filios? Tertio, ſi pulcherrimè veſtit lilia, & fœnum agri, quomodo patietur vobis veſtes neceſſarias deeſſe? Ex his concludit, rurſus repetens, & ante dixerat: *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quid operiemur?*

Deinde addit nouas rationes. Prima eſt, & Gentiũ ſit, diuinam prouidentiam & paternam Dei curam ignorantiam, hæc anxiè inquirere. Secunda, & Pater noſter cœleſtis ſciat nos his omnibus indigere: ac proinde, ſi ante omnia quæramus regnum Dei, & iuſtitiam eius, (quod ipſe à nobis requirit) hæc omnia tamquam vilia & parui momenti nobis adijcienda; ſicut in tempore rerum pretioſarum, vilia quædam manuiſſę loco adijci ſolent. Tertia, & craſtinus dies, cum præſens fuerit, ſollicitus erit ſibi ipſi. ſufficere enim diei ſuam malitiam, ideſt, affli ctionem & ſollicitudinem ipſi congruentem; nec oportere eam ex futuris diebus accerſere & præcipere.

Ex his colligas, quanti hæc res ſit momenti. vide Chryſoſt. hom. 22. in Matth. Eandem vetat Lucæ 21. *Attendite ne forte grauentur corpora veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina illa dies.* Omitto alia Scripturæ loca plurima.

Petes, An ergo ſit peccatum mortiferum?

Reſpond. Non ſemper eſſe peccatum mortiferum; ſed 31 *Quale peccatum.* tunc ſolum, quãdo quis propter temporalia reipſa violat, vel paratus eſt violare aliquod præceptum in re graui, omittendo, vel committendo: alias ſolum eſt veniale tamẽ ob cauſam ſupradictam ſummoperè cauenda. Vide D. Thomam art. 6. q 55.

Aduerte tamen moderatam ſollicitudinem temporaliũ, & futurorum non vetari, ſed cõmendari. Prouerb 6 *Vade ad formicam, ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.* Prouerb. 10. *Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt, qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.*

Ratio eſt, quia non vult Dominus vt omnia vitæ huic neceſſaria homini ſponte, abſque vlla cura ipſius & ſollicitudine, proueniant; id enim ipſi eſſet occaſio otij & deſidiæ, quæ maximorum malorum eſt origo, & merito puluinar diaboli eſſe dicitur; ſed vult ab eo laborem & ſollicitudinem adhiberi; vt hoc exercitio occupatus auocetur à libidinibus, alijſque peccatis, quæ otium parit. Verum hæc ſollicitudo debet eſſe moderata, & cõmẽſa rebus cui impenditur: vt non ſit nimis anxia, quaſi Deo non eſſemus curæ: nec maior tribuatur corpori quàm ſpiritui; rebus temporalibus quàm æternis: humanis quàm diuinis, vel ſaltem ne hæc præ illis negligantur.

Hæc de Prudentia ſufficiant.

LIBER

LIBER SECVNDVS
DE IVSTITIA ET IVRE. ET VIRTVTIBVS ANNEXIS IVSTITIÆ. VITIISQVE CONTRARIIS.

Diuiſio Libri, & ſeries Capitum.

EXplicata PRVDENTIA, ſequitur IVSTITIA cum ſuis partibus, virtus latiſſimè patens, vt quæ in omnibus hominum negotijs, quibus inter ſe communicant, cernatur. Itaq; huius virtutis in quouis negotij genere leges & rationes neceſſariò cognoſcendæ ſunt, maximè ijs, qui aliorum Directores vel Iudices aliquando futuri.

Vt autem in his omnibus compendioſiore methodo procedamus, diuidemus totam hanc tractationem de IVSTITIA, quam ſecundo Libro comprehendemus, in ſeptem Sectiones principales, & in Capita 47.

SECTIO PRIMA.

De Iuſtitia, Iure, & ſpeciebus Iuris.

Continet ſex Capita.

Cap. 1. *De Iuſtitia in genere.*
Cap. 2. *De Iure in genere.*
Cap. 3. *De dominio, uſufructu, uſu, poſſeſſione; quæ ſunt ſpecies Iuris.*
Cap. 4. *Quibus, & in quæ Dominium competat.*
Cap. 5. *De modo acquirendi dominij in res, quæ vel nullius, vel communes ſunt. Vbi de Seruitute, Venatione, Piſcatione, Aucupio, Theſauris.*
Cap. 6. *De modo acquirendi dominij in rem alterius: vbi de præſcriptione.*

SECTIO SECVNDA.

De Iniurijs & damnis in omnibus humanorum bonorum generibus, & neceſſaria reſtitutione.

Continet hæc 10. Capita.

Cap. 7. *De Iniuria & Reſtitutione (quæ eſt actus Iuſtitiæ) in genere.*
Cap. 8. *De Iniuria in bonis ſpiritualibus.*
Cap. 9. *De Iniuria in corpus proximi per homicidium, vel mutilationem.*
Cap. 10. *De Iniuria in corpus proximi per adulterium, & ſtuprum.*
Cap. 11. *De Iniurijs famæ & honoris per detractionem & contumeliam.*
Cap. 12. *De Iniurijs fortunarum per furtum, rapinam, damnum ve illatum.*
Cap. 13. *De cooperantibus ad furtum, vel damnum.*
Cap. 14. *De reſtitutione rationc rei acceptæ, & cui reſtitutio facienda.*
Cap. 15. *De ordine ſeruando in reſtitutione, de modo loco, & expenſis.*
Cap. 16. *De excuſantibus à reſtitutione.*

SECTIO TERTIA.

De Contractibus.

Continet hæc 12. Capita.

Cap. 17. *De contractibus in genere.*
Cap. 18. *De promiſſione & donatione.*
Cap. 19. *De teſtamentis & legatis.*
Cap. 20. *De mutuo & Vſura.*
Cap. 21. *De Emptione & Venditione.*
Cap. 22. *De Cenſibus.*
Cap. 23. *De Cambijs.*
Cap. 24. *De Locatione, emphyteuſi, & feudo.*
Cap. 25. *De Societate.*
Cap. 26. *De Ludo & ſponſionibus.*
Cap. 27. *De Depoſito & Commodato.*
Cap. 28. *De Fideiuſſione, & Pignore & Hypotheca.*

SECTIO QVARTA.

De Iniurijs in Iudicijs & Tribunalibus.

Continet Capita 3.

Cap. 29. *De Iudice.*
Cap. 30. *De Accuſatore & Teſte.*
Cap. 31. *De Aduocato & Reo.*

SE-

SECTIO QVINTA.

De Iuſtitia diſtributiua.

Continet Capita 4.

Cap. 32. *De Acceptione perſonarum in genere.*
Cap. 33. *De Veſtigialibus.*
Cap. 34. *De Beneficijs.*
Cap. 35. *De Simonia.*

SECTIO SESTA.

De Religione, quæ eſt prima pars Iuſtitiæ.

Continet hæc 10. Capita.

Cap. 36. *De Religione in genere.*
Cap. 37. *De Oratione & laude Dei.*
Cap. 38. *De Sacrificio & Adoratione.*
Cap. 39. *De Decimis.*
Cap. 40. *De Voto.*
Cap. 41. *De Statu Religioſo.*
Cap. 42. *De iuramento & Adiuratione.*
Cap. 43. *De Superſtitione eiuſque ſpecibus.*
Cap. 44. *De Magia.*
Cap. 45. *De Irreligioſitate.*

SECTIO SEPTIMA.

De ceteris virtutibus Iuſtitiæ annexis.

Continet 2. Capita.

Cap. 46. *De Reliquis Virtutibus Iuſtitiæ annexis, in quibus eſt debitum legale.*
Cap. 47. *De Virtutibus Iuſtitiæ annexis, in quibus eſt debitum morale.*

SECTIO PRIMA
DE IVSTITIA, IVRE ET SPECIEBVS IVRIS IN GENERE.

CAPVT PRIMVM.

De Iuſtitia generatim. *Habet 4. Dubitationes.*

D. Thomas quæſt. 57. & 58.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Iuſtitia. D. THOM. Q. 58. MVLTIS ART.

1 *Iuſtitia duas acceptiones.*

NOTANDVM, nomen *Iuſtitiæ* tribus potiſſimùm modis accipi; vt colligitur ex Ariſt. 5. Eth. c. 1. Primò, pro complexione omnium virtutum: *Iuſtum* enim dicitur quod eſt adæquatum, & commenſum ſuæ regulæ, cui debet commenſurari (includit enim debitum & adæquationem; vt docet D. Tho. q. 80. art. vnico, & alibi.) Vnde *Iuſtitia* dicitur ea affectio, quæ efficit hanc adæquationem & commenſionem. Quare cùm collectio omnium virtutum, ſiue actu ſiue habitu formaliter conformet, & veluti commenſam reddat voluntatem ſuæ regulæ, legi diuinæ, rectè vocatur *Iuſtitia*, & quæuis virtus pars *Iuſtitiæ*, præſertim cùm hac ratione ordinetur ad alterum (quod etiam notio Iuſtitiæ poſtulat, vt idem D. Thom. cum Ariſtotele docet) nempe ad Deum, cuius legi conformatur per omnem enim virtutem reddit anima Deo quod ei debet. Sic accipitur paſſim in Scripturis: vt cùm dicitur, *Beati qui eſuriunt & ſitiũt iuſtitiã: qui faciunt iuſtitiã.* Sic Chryſ. ho. 12. in Matt. ait, *Iuſtitia nihil aliud eſt quàm omnium mandatorum plena cuſtodia.* & Anſelmus dialogo de veritate c. 13. *Iuſtitia eſt rectitudo voluntatis, ſeruata propter ſeipſum.* Hinc fit vt nomen Iuſtitiæ accipiatur etiam pro ipſa *charitate*, nempè quia charitas voluntatem reddit conformem toti legi diuinæ; vt quæ omnium virtutum complexionem quodammò contineat, juxta illud Apoſtoli, *Vinculum perfectionis dilectio.* Vnde D. Aug. lib. de natura & gratia c. 38. *Charitas Dei quæ vna iuſtus eſt quare magnus iuſtus eſt*, &c. vlt. *Charitas inchoata, inchoata Iuſtitia eſt; charitas magna, magna Iuſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta Iuſtitia eſt.* Secundò, accipitur pro virtute particulari, qua voluntas inclinatur ad cuique reddendũ ius ſuum ad æqualitatem: quo modo hic de ea diſputamus, & quærimus quid ſit.

Iuſtitia generalis.

2 *Definitio iuſtitiæ particularis.*

Definitur ab Vlpiano L. Iuſtitia 1. de Iuſt. & Iure, hoc modo, *Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuũ cuiq; tribuendi.* Senſus eſt, Iuſtitia eſt virtus inclinans; & firmãs voluntatem ad perpetuò cuiq; tribuendum ius ſuum; idq; ad æqualitatem. Dicitur Primò, *conſtans voluntas*, quia eſt propoſitum habituale deliberatum & firmum. Secundò *perpetua voluntas*, quia ad perpetuò reddendum: qui enim tantum ſemel, aut bis, non autem ſemper & in omni euentu vellet cuiq; ius ſuum reddere, non eſſet verè iuſtus, nec haberet hanc virtutem. Tertiò, *ius ſuum*, id eſt, quod cuiq; ſtrictâ obligatione eſt debitum. Debet autem reddi hoc ius ad æqualitatem, alioquin non perfectè redditur, ac proinde non erit perfecta Iuſtitia: quia Iuſtitia æqualitas quædam eſt, vel certè æqualitatem inuoluit, vt nomen inſinuat. Simili pæne modo definitur Iuſtitia à D. Aug. lib. 19. de Ciu. c. 21. & Ambr. lib. 1. de officijs c. 24. *Iuſtitia eſt virtus quæ ſuũ cuique diſtribuit.*

Hinc patet Primo, Iuſtitiam eſſe virtutem; nam reddere cuique ius ſuum, & conſtituere vbique in actionibus, quibus homines inter ſe communicant debitam proportionem & æqualitatem, eſt per ſe honeſtum & rectæ rationi conſentaneum; ac proinde virtutis opus.

3 Patet Secundò, Hanc virtutem eſſe in voluntate, quam inclinat vt velit cuique reddere quod debet: eſt enim propoſitum & inclinatio voluntaria ad id quod iuſtum eſt.

4 *Ad alterum diſponit.*

Patet Tertio. Hanc virtutem rectè diſponere hominem ad alterum in functionibus & commutationibus mutuis. nam inclinat vt velis, & præſtes quod alteri debes, & iuri eius ex æquo reſpondet. Nec obſtat, quòd Iuſtitiæ ſit velle etiam vt alter tibi ius reddat, ideoque non ſolùm te diſpo-

disponat ad alterum, seu etiam alterum ad se: quia formaliter solum subiectum suum disponit ad alterum; effectiuè tamen alterum ad se disponere potest: omnis enim virtus honestum sui obiecti amat in omnibus, illudque procurat quantum commodè potest.

5 *Distinctio Iustitiæ à ceteris.*

Patet Quarto, Distinctio huius virtutis à reliquis, Ab ijs quæ sunt in intellectu; quia est virtus voluntatis. A ceteris quæ sunt voluntatis differt obiecto; à *Theologicis*, quòd earum obiectum sit Deus; Iustitiæ, debitum proximo à *religione*, quòd religio spectet debitum Deo, vt primo principio, cui æquale reddi non potest, Iustitia, debitum proximo, cui potest rependi æquale: à pietate, quia pietas spectat solum debitum parentibus & patriæ ratione ortus, cui etiam satisfieri ex æquo non potest. ab *obseruantia*, quia hæc spectat debitum maioribus ratione gubernationis, cui etiam præmium æquale reddi nequit ab homine. ab *aliis Iustitiæ partibus*. quia debitum, quod spectant, est minus debito Iustitiæ. à *Temperantia*. quia hæc non disponit meam functionem ad alterum, sed ad meipsum, vt mihi sit commensa; inclinando me, verbi gratia, vt comedam, & bibam, sicut ratio dictat mihi conuenire ad bonam valetudinem, ad functiones animi & corporis, sine vllo ad alterum intuitu. à *Fortitudine*; quia hæc non respicit quid alteri debeatur, sed quid se deceat sustinere, & quantum, &c.

6 *Inter filium & patrem.*

Patet Quinto, cum *Iustitia* sit ad alterum; hominis ad seipsum non esse propriè Iustitiam, vel iniuriam, neque patris ad filium, aut hi ad patrem, iuxta Aristotelem & D. Thomam: quod intellige quoad iure & debita quæ sunt inter ipsos qua tales sunt. quod enim filius vt filius debet patri, debet ei lege pietatis non Iustitiæ, debet enim ei, non vt alieno & prorsus distincto, sed vt principio sui esse. similiter quod pater filio: debet enim ei tamquam sibi ipsi. est enim filius aliquid patris, scilicet fructus eius & veluti pars abillo abscissa, iuxta Aristotelem 8 Ethic. cap 12. in qua natura paterna conseruetur. quare cum ratio inter ipsos sit vnio, maius est debitum quàm Iustitiæ vulgaris.

Nec obstat, quòd si filius patrem occidat, peccet contra Iustitiam, & teneatur heredibus ad restitutionem; quia non peccat contra Iustitiam præcisè quatenùs facit contra debitum filij & ius paternum; (sic enim solum peccat contra pietatem;) sed quatenus sine legitima authoritate interimit hominem. Est enim in hoc facto duplex malitia, altera contra Iustitiam, ratione substantiæ personæ quæ laditur; altera contra pietatē, ratione circumstantiæ eiusdem personæ. Potest tamen inter ipsos esse debitum Iustitiæ, quatenus sunt distinctæ personæ habentes distincta iura & dominia, vt si filius sit emancipatus, vel habeat bona castrensia, aut quasi castrensia.

Inter dominum & seruum.

Pari modo inter dominum & seruum quà tales sunt propriè non est Iustitia. Ius enim domini in seruum non est Iustitiæ, sed despoticum, quo potest illi imperare, illoque vti in suum commodum, illum vendere, permutare, donare. Seruus enim est domini instrumentum & possessio. Seruus verò obstringitur domino, debito obseruantiæ seu dulię, & debito obedientiæ, si tamen spectentur vt sunt homines distincti & in multis rebus liberi, suique iuris, diuersa iura habētes, sic potest inter eos esse Iustitia, & Iniuria. vt si dominus seruum occidat, vel mutilet, nam in vita membrisque tuendis, & conseruandis seruus non subest domino, sed est sui iuris. si seruus furetur vel damnum domino inferat: si fugam contra Ius & fas capessiat; hoc enim furti genus est.

DVBITATIO II.

Vtrùm Iustitia tantum versetur circa actiones, an etiam circa passiones.

D. THOM. ART. 9.

7 *Obiectum Iustitiæ.*

RESPONDEO, & dico Primò, Iustitiam primariò versari circa solas actiones ritè ad alterum disponendas, & circa res vt sunt actionum materia, non autem circa passiones, vt temperantia, & fortitudo.

Probatur; quia proprium officium Iustitiæ non est curare vt homo non nimium irascatur, vel ne metuat, aut ne voluptates amet plus quam par est; sed vt cuique præstet quod ei debitum & quamuis ab hoc impediri possit per iram, timorem; pecuniæ vel voluptatum amorem; tamen eius non est hæc impedimenta per se ipsam tollere, sed aliarum virtutum præsidio, omnes enim virtutes se mutuo iuuant, dum quas tollit quædam aliarum impedimenta. Mansuetudo enim temperat iram; vnde iuuat illas virtutes, quantum functiones per iram impediri possent; vt iustitiam, obedientiam, humilitatem. Fortitudo moderatur timorem, liberalitas, pecuniarum amorem. idē de ceteris esto iudicium. *Virtutes omnes se inuicē iuuant.*

Dico Secundò, Potest tamen Iustitia, secundario moderari passiones, quatenus illa moderatio est medium necessarium ad finem ipsius intrinsecum, qui est reddere cuique Ius suum.

Probatur primò, Quia possum velle moderari irā, amorem pecuniæ, & timorem ne alicui faciam iniuriam; & ex vi huius intentionis sequetur moderatio illarum passionum, absque interuentu intentionis, quæ sit alterius virtutis: atqui intentio illa neminem lædendi est actus Iustitiæ: ergo Iustitia etiam moderatur passiones. 8 *Quomodo Iustitia possit esse causa moderationis passionum.*

Secundò, Quia omnis virtus ob suum finem intrinsecum potest quouis actus externos aliarum virtutum ad illam idoneos imperare; vt ostensum est 1.2.qu.17.artic.5. atqui moderatio passionum est medium idoneum & sæpè necessarium ad finem intrinsecum Iustitiæ, eiusque actus externus virtutis, cum non sit in voluntate: ergo Iustitia potest illam imperare. Itaque illa moderatio tunc formaliter erit actus Iustitiæ, non autem temperantiæ, vel mansuetudinis, vel fortitudinis; quia immediatè sequitur ex affectu Iustitiæ. vt ostensum est 1.2.qu.18.artic.6. dub.1.

Hinc colligi potest quomodo Iustitia dicatur attingere *medium rei*; reliquæ virtutes *medium rationis*. de quo D. Thom. art.10. Iustitia enim non spectat quidnam sit commensuratum suo subiecto secundum rectæ rationis regulam; sed quid sit commensum rei, vel turi alterius, vt nec minus nec amplius præsetur, sed æquale. Temperantia autem & Fortitudo spectant medium rationis; id est, quidnam iuxta rationis dictamen sit commensum subiecto, nō excedens aut deficiens modum subiecti. vnde medium in his est variabile pro varietate subiectorum: quod enim respectu vnius est medium & æquale; ad alterum est nimium, ad tertium est parum. itaque rationis examine hoc medium est inuestigandum, & ex consensu cum regula rationis statuendum. In Iustitia autem non per est idem medium, qualecumque tandem sit subiectum, quod ipsa afficit: quod medium consistit in æqualitate rei ad rem, (vt pretij ad rem venditam) vel proportionis ad proportionem: scilicet vt talis sit proportio inter munera & onera communia; qualis est inter personas quibus hæc distribuuntur. Vnde meritò dicitur medium rei, non excedens, non deficiens ad Ius alterius. 9 *Iustitia attingit medium rei, alia Virtutes medium rationis.*

DVBITATIO III.

Vtrùm præter Iustitiam particularem sit aliqua Iustitia generalis quæ legalis dicatur, & quid illa sit.

D. THOM. QVÆST. 58. ART. 5.6.7.

RESPONDEO, Esse quamdam Iustitiam legalem, seu generalem. Ita docet nic D. Thom. artic.5. Aristoteles lib.5. cap 1.

Ratio est, quia omnis pars Reipub. dupliciter potest ad alteram comparari. Primò, vt pars ad partem; ciuis ad ciuem; & sic est Iustitia particularis quæ hominem in hac habitudine perficit. Secundò, vt pars ad totum: scilicet ad ipsam Rempub. sic est Iustitia generalis, quæ hominem in habitudine ad Rempub. perficit. 10 *Pars Reipub. bifariam comparatur.*

Sed tota difficultas est, quid sit hæc Iustitia; quod eius officium, & quomodo ab aliis distinguatur, nam D. Thomas hic, & Soto lib.3. de Iustitia qu.2.art.3. existimant quamdam esse virtutem particularem distinctam à ceteris omnibus, quæ procuret bonum commune. Verum Andreas Vega lib.5. in Conc. Triden. cap.4. & multi alij putant esse com-

complexionem omnium virtutum.

Notandum eſt, nos poſſe loqui vel de re ipſa, vel de mente Ariſtotelis, qui primus Iuſtitiæ legalis nomine videtur vſus. Si de re ipſa loquamur.

11 Dico Primò, Non videri dubitandum quin ſit aliqua particularis virtus bonum commune Reipub. intuens & procurans, cui hoc nomen Iuſtitiæ poſſit accommodari. Probat hoc ſatis D. Thom. art. 6.

Iuſtitiam legalē eſſe quandam rationē virtutem ſpecialem.

Ratio eſt, quia velle & procurare bonum Reipubl. habet ſpecialem rationem honeſti & laudabilis, quæ non inuenitur in functionibus aliarum virtutum, multò enim id eſt, laudabilius quam curare priuata: ergo ad ſpecialem virtutem pertinet; quæ recte dicetur *Iuſtitia legalis*. *Iuſtitia*, quia reſpicit quodammodo alterum, id eſt, Rempubl. *Legalis*. quia extendit ſe ad omnia quæ lege ſunt ſtatuta propter bonum commune.

Secundo, Quiſque ciuium qui eſt pars ſocietatis ciuilis, eiuſque fruitur cõmodis, ſpeciali debito obſtrictus eſt ad procurandum bonum illius ſocietatis: (nam pars eſt propter totum, & bonum partis propter bonum totius) ſed vbi eſt ſpecialis ratio debiti, ibi etiam eſt ſpecialis ratio virtutis, & quidem Iuſtitiæ, cum ſit ad alterum, & etiã de ijs quæ legibus ſunt præcepta.

Tertiò, Si quis negligat bonum commune: quando verſatur in periculo, vel proponat ei priuatum commodum, peccat contra hanc Iuſtitiam: non tamen tenetur ad reſtitutionem, niſi ex officio ei incumbat huius boni conſeruatio: quod ſignum eſt hanc eſſe virtutem ſpecialem diſtinctam à Iuſtitia particulari.

12 Dico Secundò. Probabile eſt hanc virtutem non diſtingui à virtute *pietatis*; quatenus per pietatem patriæ, vel Rei publ. in qua viuimus debitum cultum, obſequiumque præſtamus.

Videtur non diſtingui a pietate.

Probatur, quia ſecundũ Diuus Thoma *Iuſtitia legalis* eſt procurare bonum commune Reipub. & cæteras virtutum functiones ad hoc deſtinare quando opus eſt, v. g. ſi Reſpubl. verſetur in periculo, Iuſtitia legalis conatur omnibus modis eam tueri; imperat arti militari, vt excogitet modos defenſionis; pericula contemnit; ſumptus annonæ reſtringit; thelauros effundit: denique nihil non molitur ex affectu erga Rempubl. Sed hæc omnia videntur eſſe officia *pietatis* in patria, vel Rempubl. neque explicari poteſt quænam alia virtus hæc præſtet; ergo pietas eſt illa virtus, quam D. Thom. Iuſtitiam legalem vocat, vel certè parum ab ea diſtinguitur.

13 Dices, *Pietas* æque eſt in ſubditis ac in Principe: atqui *Iuſtitia legalis* non eſt æquè in vtroque: in Principe enim eſt principaliter, & architectonicos; in ſubditis ſecundario & velut in adminiſtris, vt docet D. Thom. art. 6. ergo ſunt diuerſæ virtutes.

Reſpondeo, Maiorem non eſſe veram. *pietatis* enim virtus quoad ſuas functiones externas (quæ ſunt Reipublic. bonum procurare & conſeruare) principalius & excellentius eſt in Principe; idque ob duas cauſas. Prior eſt, quia Princeps ſi conſideretur vt priuata perſona, eſt nobiliſſima pars Reipubl. pollens opibus, authoritate, ſcientia rei militaris, aliiſque præſidijs, quibus Reſpubl. defenditur, & ſic lege pietatis tenetur pro ſuis viribus Rempub. tueri; ac proinde alios dirigere, ſicut membrum nobilius dirigit ignobiliora. Altera eſt, quia eſt Superior communitatis, cui ex officio incumbit publici boni curatio, & ſic tenetur ad eadem obſequia externa pietatis, lege Iuſtitiæ: hic enim non comparatur ad communitatem vt pars ad totũ, ſed vt pars ad partem: nam tota Reſpub. ſe habet ad Principem ſicut particularis perſona ad cuſtodem, quem ſtipendio ad ſe tuendum & cuſtodiendum conduxit: & ob hanc cauſam maximè procuratio boni communis pertinet ad illum ἐφχιτεκτονικῶς. Nam ratione officij eſt in illo authoritas iubendi & alijs præſcribendi.

14 Dico Tertiò, Et ſi hæc ſententia probabilis ſit; veritas tamen eſt *Iuſtitiam legalem à pietate* diſtingui, ſi nomine Iuſtitiæ legalis cum Diuo Thoma & multis alijs intelligamus virtutem, quæ ſpectat bonum publicum, quatenus debitum à parte toti. Probatur, quia vbi eſt diuerſa ratio debiti, ibi ſunt diuerſæ virtutes, ſed hic ſunt diuerſæ rationes debitorum; nam longè ſtrictiori & alteri debito pars obſtringitur toti, & ciuis Reipubl. quatenus ipſa eſt vnum corpus in quo ipſe membrum; quam effectus obligetur cauſæ ſuę ſecundarię, & homo ſuæ patriæ, ratione auxilij, quod ipſa ad eius ortum contulit, cuius ſignum eſt, quòd quiſque ſuam Rempub. cuius eſt membrum, teneatur præferre parenti & vitæ ſuæ: cum tamen parens magis ſit principium ortus quàm patria: atqui pietatis eſt curare bonum patriæ, quia hoc officium eſt illi debitũ ratione beneficij ortus, quod ab ea accipimus: Iuſtitiæ autem legalis eſt, idem bonum ſiue patriæ, ſiue alteri Reipcuius tumus ciues, procurare, quia id illi debetur ratione vinculi & nexus, qui eſt partis ad totum, & membri ad corpus: ergo ſunt diſtinctæ virtutes.

Videtur non diſtingui a pietate.

Verius eſt diſtingui a pietate.

15 Dico Quartò, Si verò de mente Ariſtotelis lib. 5. Ethic. cap. 1. & 2. vbi de Iuſtitia legali agit, ſit quęſtio, videtur Iuſtitia legalis in ſubdito nihil eſſe aliud quam omnium virtutum complexio, quatenus legi obtemperat; in ſuperior eadem complexio virtutum, quatenus inclinat illum, vt curet leges ſeruari.

Ariſtoteli videtur eſſe cõplexio omniũ virtutum.

Prior pars eſt Euſtratij in illum locum, Burid. q. 4. Giraldi q. 5. in lib. 5. Ethic. & aliorum.

Probatur Primò, quia Ariſtoteles cap. 1. dicit *Iuſtitiam legalem non eſſe partem virtutis* (id eſt ſpeciem aliquam) *ſed vniuerſam virtutem: ſicut iniuſtitia*, inquit, *legalis non eſt ſpecies malitiæ, ſed vniuerſa malitia*. Addit, *virtutem in genere. & Iuſtitiam legalem eſſe idem re, ſed differre ſolùm τῷ εἶναι*, id eſt, notione & ratione, vt recte Euſtratius interpretatur, atqui non recte diceretur de aliqua particulari virtute (etiamſi ipſa alias ad ſuum finem referret) non eſſe ſpeciem virtutis, ſed vniuerſam virtutem; non differre à virtute in genere, niſi ratione.

Secundò, Ita ſe habet Iuſtitia legalis ad virtutem in genere, ſicut iniuſtitia legalis (quam ipſe παρανομίαν, id eſt, legis violationem vocat) ad malitiam in genere; vt idem Ariſtoteles docet, atqui violatio legis, & malitia ſunt idem, etſi ratione differant, ergo ſimiliter Iuſtitia legalis & virtus.

Tertiò, Iuſtitia legalis nihil aliud eſt Ariſtoteli quàm virtus vt legibus pareat, ſicut Iniuſtitia eſt legum violatio, ſeu παρανομία: atqui omnis virtus legibus paret: ergo collectio virtutum eſt Iuſtitia legalis.

Quartò Ariſtoteles dicit legalem Iuſtitiam eſſe in maxima admiratione apud omnes homines, & prouerbiali verſu dici, *In Iuſtitia ſummatim eſt omnis virtus*: qui ſumptus eſt ex Theognide: atqui hoc proprie conuenit perfectæ obedientiæ, quæ fit per complexionem virtutum. Itaque Ariſtoteles per *Iuſtitiam legalem* videtur intelligere *obedientiam*, non vt eſt virtus ſpecialis, quæ affectu præcepti facit opus; ſed vt eſt virtus generalis, omnis enim virtus quatenus facit id quod lege præceptum eſt, eſt obedientia legis, etiamſi id faciat non affectu obedientiæ, ſed propriæ honeſtatis, quicumque enim facit quod lex iubet, & vitat quod ipſa prohibet, legi obedit, & legem implet. 16

Altera pars probatur, quia omnis virtus inclinat in ſuũ bonum eo modo quo poteſt. Temperantia enim non ſolum inclinat hominem, vt ipſe leges temperantiæ ſeruet, ſed etiam vt ab alijs ſeruari curet, ſi commodè poteſt, ergo tota collectio virtutum in Principe inclinat illam, vt omnium virtutum leges à ſubditis ſeruari curet. 17

Aduerte tamen, Superiorem poſſe multis modis inclinari vt curet ſeruari leges. Poteſt enim hæc cura conſiderari. Primò, vt debita ex officio, & ſic ad eam inclinat Iuſtitia particularis. Secundò, vt debita ex eo quòd ſit præcipuum membrum Reipubl. & ſic ad eam impellit virtus, quam D. Thomas vocat Iuſtitiam legalem. Tertiò, vt debita patriæ, quæ genuit, & ſic ad eã inclinat pietas. Quartò, vt debita ex honeſtate ſingularum virtutum, de quibus ſunt leges; & hoc modo tota virtutum collectio inclinat ad eam curam, quæuis enim virtus ſi poteſt, curat vt alius quoque ſit virtute præditus, vt dictum eſt. Quintò, vt debita ex inclinatione charitatis naturalis in homines; & ſic ad eam inclinat charitas naturalis, quæ etiam vocatur Iuſtitia: de qua Cicero de Finib. lib. 5. *In omni honeſto nihil eſt tam illuſtre, quam ipſa charitas generis humani, quæ animi affectio ſuum cuique tribuens, & ſocietatem coniunctionis humana-* 18

Vt curet ſeruari leges ex variis capitibus poteſt eſſe debitum.

re æquè, vt mirificè ruant, dicenda Iustitia. Idem dicendum de quouis alio officio erga Rempub. potest enim in eo multiplex ratio debiti spectari.

19 *Ratio Iustitiæ legalis videtur maximè conuenire obedientiæ.*

Dico Quintò, Si qua virtus particularis vocanda sit Iustitia legalis, videtur hoc nomen maximè conuenire virtuti *obedientiæ*. Probatur, Nam ea quæ Aristoteles hic tribuit *Iustitiæ legali*, magis conueniunt obedientiæ, quàm vlli alteri virtuti particulari.

Primò, quia Iustitiæ legalis obiectum secundum Aristotelem est id quod lege sancitum est, quod ille τὸ νομιμὸν vocat, atqui idipsum est obiectum obedientiæ.

Secundò, quia *obedientia* competit esse in magna admiratione apud homines, esse instar Hesperi inter virtutes, & omnes virtutes complecti (quæ Aristoteles tribuit Iustitiæ legali) quia omnes virtutes inserit, insertasque custodit.

Tertiò, Rectè dici potest virtus vniuersa; quatenus inclinat ad omnium virtutum functionem & materiam.

Quartò, Hæc virtus respicit alterum, id est, Superiorẽ, cuius legibus obedit, & bonum commune, quod consistit in legum custodia.

Denique Aristoteles nusquam alibi de obedientia agit; quasi eam hic satis insinuauerit. In eamdem sententiam apertè inclinat D. Thomas q. 120. art. 2. ad 1.

DVBITATIO IV.

Vtrùm Iustitia particularis rectè diuidatur in Distributiuam & Commutatiuam.

D. THOM. QVÆST. 61. ART. 1.

RESPONDEO, Dico Primò, Rectè ita diuidi. Probatur ex Aristotele 5. Ethic. cap. 2. vbi duas ponit Iustitiæ partes, quarum altera dirigimur in distributionibus,
20 altera in commutationibus. Eadem est sententia communis Theologorum & Philosophorum. Sed difficultas est quomodo hæ species distinguantur.

Ex triplici habitudine in Republ. triplex virtus Iustitiæ.

Dico Secundò, Rectè distingui tali consideratione. In Republica est triplex habitudo. 1. partis ad partem. 2. totius ad partes. 3. partium ad totum. Nunc, virtus quæ singulas partes disponit ad bonum totius Reipub. est Iustitia legalis, de qua dictum est, quæ verò disponit ad partem est Iustitia particularis. Porrò ad partem, est duplex habitudo, nempe totius ad partem & partis ad partem, virtus quæ dirigit partem ad partem (scilicet ciuem ad ciuem) vt constituatur æqualitas inter ciues in actionibus, quibus inter se communicant, dicitur Iustitia commutatiua, quæ verò dirigit totum, seu congregationem ad partes, in distribuendis per ciues rebus communibus, officijs, & oneribus, iuxta proportionem inter ipsos repertam, dicitur Iustitia distributiua. Hæc propriè & principaliter residet in Principe vel Magistratu, ad quem pertinent huiusmodi distributiones; in priuatis secundariò, quatenus eos disponit, vt iustam distributionem ament, eaque legitimè facta acquiescant. Colliguntur hæc ex D. Thoma quæs. 63. artic. 1.

Differentia Iustitiæ commut. & distributiuæ.

21 Itaque distinguuntur hæ duæ species, Primò, quòd Iustitia commutatiua disponat priuatum hominem ad priuatum, vel eos qui se instar priuatorum habent. Iustitia distributiua, communitatem vel eum qui communitatem repræsentat, ad priuatum. Secundò, quòd illa dirigat commutationes, hæc distributiones. Tertiò, quòd illa spectet conditionem rei alterius, vt ei reddat æquale: hæc conditionem personę, (vt sit ne diues an pauper: nobilis an ignobilis: doctus an indoctus: idoneus ad officium an ineptus) vt secundum proportionem illarum conditionum fiat distributio. Quartò finis intrinsecus illius est constituere æqualitatem inter datum & acceptum: huius finis est constituere æqualitatem inter proportionem, & proportionem, vt eadem sit proportio inter res, quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones personarum, quibus fit distributio, verbi gratia est aliquid distribuendum secundùm dignitatem personarum: si is cuius dignitas est vt duo, accipiat 3. aureos; is cuius dignitas est vt quatuor, accipiet 6. cuius vt octo, accipiet 12. &c. Vide Aristotelem lib. 5. Ethic. c. 3. & 4. Hinc patet, quando militi datur stipendium, vel operarijs publicis merces à Republ. pro cuiusque merito, non dari per *Iustitiam distributiuam*, sed per *commutatiuam*; quia non spectatur conditio personarum, sed operarum, quas præstiterunt; & nihil aliud intenditur quàm vt in singulis constituatur æqualitas rei ad rẽ, scilicet mercedis ad opera. Vnde Respubl. non comparatur tunc ad illos vt totum ad partem: sed vt pars ad partem, vt ciuis ad ciuem: subit enim rationem vnius personæ conducentis operas singulorum. 22 *Respubl. soluens stipendia militi, vtitur Iustitia commutatiua.*

Dices, Cùm fit distributio bonorum communium secundùm conditiones personarum, videtur etiam fieri per Iustitiam commutatiuam, & solùm per accidens videtur resultare illa proportionum similitudo inter multos. cuius signum est, quòd si distributor aliquem fraudauerit minus dando quàm postulabat eius conditio, faciet ei iniuriam; quam tenetur sarcire per legem Iustitiæ commutatiuæ, vt docet D. Thomas qu. 62. art. 1. ad 3. Hæc ergo erat violata.

Omissis varijs solutionibus Respondeo, Proportionum similitudinem, seu æqualitatem non resultare per accidẽs, sed esse primariò intentam à Iustitia distributiua, tamquam finem intrinsecum; sicut æquatio rerum primariò intenta est à Iustitia commutatiua. Tamen interdum Iustitia distributiua in sua functione includit commutatiuam, nempe quando fit distributio rerum, quæ stricto iure debentur, iuxta personarum conditionem, vt si quis relinquat centum aureos distribuendos studiosis alicuius collegij pro cuiusque inopia, vel eruditione; Præses distributor lege Iustitiæ commutatiuæ obligatur erga singulos; quamuis erga omnes teneatur seruare formam Iustitiæ distributiuæ, vt sit ea proportio eleemosynæ ad eleemosynam, quę est inopiæ ad inopiam, vnde si alicui pauperiori minus dederit, tenebitur ex Iustitia commutatiua ei restituere ad Iustam proportionem, non secus ac si donator ei in particulari reliquisset, verbi gratia 10. aureos, & Præses solùm dedisset 5. hoc ipso enim quo donator vult talem proportionem stricte seruari, singulis implicitè assignat certam summam, iuxta proportionem inopiæ, quæ singulis debetur lege Iustitiæ commutatiuæ. 23 *Iustitia distribut. interdùm includit commutatiuam.*

Confir. Quia si pro vno solo fuisset facta assignatio, deberetur illi ex Iustitia commutatiua: ergo etiam debetur quando fit pro pluribus secundùm proportionem paupertatis, vel doctrinæ: nam æque multum iuris quisque acquirit ac si ipsi soli assignatio facta esset. Eadem ratio locum habet quando distribuitur ærarium commune alicuius vniuersitatis, vel collegij in singulos pro cuiusque dignitate vel ordine, iuxta leges, & consuetudines receptas. Itaque quando diuiditur aliquid stricto iure debitum, concurrunt in eodem actu Iustitia commutatiua, & distributiua: distributiua, quatenus respicitur vt cuique detur secundùm proportionem suæ dignitatis: commutatiua, quatenus respicitur vt cuique detur æquale iuri quod habet; quod ius ortum est ex lege, vel consuetudine, vel donantis dispositione, supposita certa proportione dignitatis ipsius ad dignitatem aliorum, & quod alijs tantum, vel tantum datum sit. Quare minus dando quàm oportet, simul violatur Iustitia vtraque: distributiua, quia non datur secundùm proportionem dignitatis, quam habet ad alios: commutatiua, quatenus non datur æquale iuri quod ipsi acquisitum est. Quando verò fit distributio rerum, quæ stricto iure non debentur secundùm conditionem personarum, tunc Iustitia distributiua non includit commutatiuam; vt fit in distributione beneficiorum, & officiorum: quæ debent quidem conferri dignioribus, non tamen ita vt ipsi ius strictum ad illa habeant. Vnde non fit ipsis iniuria, quæ ad restitutionem obliget, etsi alijs conferantur: peccat tamen distributor contra Iustitiam distributiuam. de quo plura infrà cap. 33. dub. 2. & 3. & cap 34. dub. 13. *Intendunt nõ includat.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De ipso Iure in genere.

Habet 2. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Ius, & quodnam sit Iustitiæ obiectum.

1 *Ius potissimùm dicitur tripliciter.*

NOTANDVM est, nomen *Iuris* potissimum accipi tripliciter. Primò, vt sit idem quod *Iustum*. *Iustum* autem dupliciter accipitur, secundum Aristotelem lib. 5. Ethicorum, capit. 1. nempe generatim pro *legitimo* (& sic, omne opus virtutis quatenus consentaneum legi, dicitur *Ius* & *Iustum*) & specialiter pro eo, quod est *æquale, & alteri debitum*. hæc enim tria inuoluit *Iustum* strictè acceptum, (vt colligitur ex D Thom. quæst. 80.) *æqualitatem, debitum,* & *esse ad alterum*, sic dicimur reddere ius alteri. Secundò, vt sit idem quod *lex*, quæ est regula *Iusti* in genere: cùmque sententia Iudicis sit etiam veluti quædam lex, (est enim lex priuata non publica) etiam ipsa *Ius* dicitur. hoc modo Iudex dicitur dictare Ius, & præesse iuri dicendo: quamuis tunc possit accipi pro iusto, & æquo. Tertiò, accipitur ius pro *legitima potestate*. Sic acceptum potest hoc modo describi, *Ius* est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem; cuius violatio iniuriam constituit.

3. *Iustum, generale, speciale.*

2. *Ius est lex.*

3. *Ius est potestas legitima.*

2 *Ius pro potestate legitima quid.*

Primò, *Est potestas*, idest, habitudo quædam ad aliquid, vnde dicimur aliquid posse. hæc autem se habet, vel in modum potentiæ actiuæ; vt quando est ius ad aliquid agendum, vel retinendum: vel potentiæ passiuæ, vt in iure quod habes vt alaris, vt custodiaris, vt tibi seruiatur, vel potentiæ resistendi, vt in iure quod habes ne quis ædificet tali loco; ne aperiat fenestram in tuum hortum, vel aream, ne altiùs attollat murum, ne officiat tuis luminibus.

Secundò, *Legitima*, idest, à lege concessa: quia facultas, quæ secundum legem non competit, non est ius, sed vis, & iniuria: lex autem hanc potestatem concedens, vel est diuina positiua, vt ad Sacramenta percipienda, vel est naturalis, vt ad vsum membrorum, ad vitam per cibum, & potum sustentandam, ad matrimonium ineundum, ad vim vi propulsandam, & similia. Vel est humana, vt ad successionem hæreditatis, ad præscribendam, vel vsucapiendam certo tempore rem alienam, ad acquirendum, possidendū, retinendum, alienandum per varia contractuum genera. Tot enim sunt genera iurium, quot sunt genera legum, quæ ius tribuunt: quamuis hæc diuersitas non faciat diuersitatem in ipso Iustitiæ habitu.

Hinc sequitur, hanc potestatem non esse quid physicū, sed morale dumtaxat, competens homini ex aliqua Dei, vel hominum ordinatione, vel deputatione, vel concessione; sicut esse magistrum, doctorem, regem, militem.

Tertiò, *Ad rem aliquam*: vt ad obtinendum rem aliquam per successionem hæreditariam, per testamentum, per donationem liberalem, per contractus, per occupationem.

Quartò, *Ad functionem*: vt ad liberum vsum membrorum, & rerum suarum.

Quintò, *Quæsi functionem*, vt ad possessionem ciuilem, & naturalem, ad retinendum dominum, statum, & conditionem, in qua est.

3 *Iniuria.*

Sextò, *Cuius violatio*, &c. quia iniuria nihil est aliud, quàm alieni Iuris violatio. Dicitur autem violari non quando aliquis priuatur suo Iure; sed quando iure manente contra illud agitur. Non enim agi potest contra ius, quod non est. Vnde quando quis priuatur officio, quod est Ius quoddam; non fit iniuria, nisi in ipso aliud Ius manet accipiens illud officium: potest enim esse Ius ad Ius, & dominum Iuris. His positis.

Dico Primò, Si *Ius* accipiatur pro *Iusto in genere, est formaliter obiectum obedientiæ.*

Probatur, quia sic idem est quod *legitimum*, seu lege statutum: atqui hoc est obiectum formale obedientiæ, quæ ideò vult, & facit quia est præceptum.

4 *Iustum in genere.*

Dixi *formaliter*; quia si *legitimum* accipiatur materialiter, pro eo quod est lege statutum, est obiectum omnis virtutis: quia lex in omni materia virtutis aliquid statuit, vt supra cap. 1. num. 15 dictum est.

Dico Secundò, Si *Ius* accipiatur pro *Iusto speciali*, quod est æquale, debitum alteri; hic est obiectum formale Iustitiæ particularis. probatur, quia hic peculiari ratione dicitur Iustus, qui hanc equalitatem debitam amat, intendit & seruat: Iniustus, qui eam non seruat, vt patet in contractibus. ergo hæc æqualitas quatenus debita, est obiectum formale Iustitiæ. patet consequentia, quia obiectum formale cuiusque virtutis est illud bonum honestum, quod per illam virtutem in opere intenditur.

5 *Iustum speciale.*

Hæc autem æqualitas est duplex, vt suprà cap. 1. numer. 21. dictum est; altera *res ad rem*, (vt pretij ad merces; rei reddendæ ad rem sublatam, vel peremptam) quæ æqualitas dicitur esse secundum *proportionem arithmeticam*, estque obiectum Iustitiæ commutatiuæ. Altera, *proportionis ad proportionem*, (vt cùm est æqualitas inter proportionem rerum, quæ distribuuntur, & dignitatum secundum quas distribuuntur) quæ æqualitas dicitur esse secundum *geometricam proportionem*; estque obiectum Iustitiæ distributiuæ. ratio illius appellationis est, quòd Arithmetica, præsertim vulgaris, spectet propriè proportionem numerorum, & quantitatum: Geometria proportionum.

Æqualitas duplex.

Dico Tertiò, *Ius secundo modo*, scilicet pro lege, non est obiectum, sed regula Iustitiæ & cæterarum virtutum. Ratio est, quia virtutes in suis functionibus debent dirigi secundum præceptum legum: nisi enim legibus sint conformes, non erunt studiosæ, nec laudabiles.

6 *Ius pro lege.*

Dico Quartò, *Ius pro potestate legitima*, non est *obiectum, quod* Iustitia intendit; est tamen aliquid vnde obiectum Iustitiæ quodammodò pendet, & ad quod intrinsecum ordinem habet, quod formale *obiectum cui* dici potest.

7 *Ius pro potestate.*

Probatur, quia etsi Iustitia in opere suo non intendat Ius alterius, intendit tamen id, quod Iuri alterius est debitum; ac proinde id, quod intrinsecum ordinem habet ad Ius alterius. quod confirmatur, quia obiectum, quod Iustitia intendit, includit esse debitum alteri ad æqualitatem, debitum autem non potest esse sine Iure in altero; nam est correlatiuum eius: Debitum enim, Iuri est debitum. ergo obiectum Iustitiæ includit ordinem ad Ius alterius. Hinc fit, vt nullum sit proprie opus Iustitiæ, sine Iure in altero: quia opus Iustitiæ est reddere quod Iuri alterius est debitum. vnde in altero postulat Ius, in altero debitum.

Quòd autem hoc ius recte dicatur *obiectum formale cui*, patet, quia est ratio cur alteri aliquid sit debitum. Pro quo notandum est, in Iustitia, sicut & omni virtute, quæ est ad alterum, posse distingui *obiectum quod*, & *obiectum cui*. *Obiectum quod* est illud, quod ipsa virtus intendit, & præstat exterius. Hoc in proposito est redditio rei æqualis, quatenus debita, seu redditio debiti ad æqualitatem Iuris alterius.

Obiectū quod & cui.

Obiectum cui est is cui præstatur hoc in proposito est proximus noster, quatenus Ius habet rationem cuius illi aliquid est debitum: ex iure enim ipsius in me, vel mea, nascitur in me debitum præstandi id, quod illud Ius impleat, & exhauriat; quo posito Iustitia inclinat, vt id velim affectu, & præstem effectu: itaque Ius est ratio obiectiua in *obiecto cui*, vnde tota ratio Iustitiæ pendet. vide inf. c 36. dubit. 2. & cap. 47 dubit. 1.

Nec obstat, quòd *Vindicatio* non respondeat Iuri alterius, sed ipsius vindicantis: quia hæc virtus non est species Iustitiæ particularis, sed pars potentialis, vt infrà ostenditur cap. 47. dubit. 4.

Ex his patet hãc Iuris acceptionem maximè seruire nostro proposito, quia tota Iustitiæ ratio ex ea oritur: nam ipsa ratio debiti, & obligationis nostræ ex ea pendet.

DVBITATIO II.

Quomodo Ius secundùm varias acceptiones dividatur.

Diuisio Iuris pro Iusto.

1 RESPONDEO, Dico Primò, Si *Ius* accipiatur primo modo, idest, vt idem sit quod *Iustum alteri debitum*, diuiditur in Iustum per æqualitatem rerum, & in iustum per æqualitatem proportionum, vt dictum est, numer. 5.

Diuisio Iuris pro lege.

9 Dico Secundò, Si accipiatur secundo modo pro lege, diuiditur sicuti lex. Itaque *Ius* aliud est naturale, aliud positiuum: *Ius positiuum* aliud est diuinum, aliud humanum. *Ius diuinum* aliud est vetus, aliud nouum. *Ius humanum* aliud est Ius gentium, aliud Ius canonicum, aliud ciuile.

Ius naturale.

Ius naturale dicitur, quod ex ipsis rerum naturis oritur, scilicet, ex natura rationali, & naturali conditione operum, de quibus hoc Ius disponit. Vnde eius rectitudo, suppositæ existentia naturæ humanæ, non pendet ex aliqua libera ordinatione Dei, vel hominis, sed ex ipsa rerum natura. Itaque sicut naturæ conditio est immutabilis, ita quoque lex naturalis est immutabilis, manentibus iisdem circumstantijs rerum, vt bonum faciendum, malum vitandum; Deum colendum, & cætera quę continentur in Decalogo, vel euidenter ex eo ducuntur.

Ius positiuum.

Ius positiuum est, quod pendet ex libera Dei, vel hominum voluntate; vnde mutari potest, etiamsi omnes circumstãtiæ, cum quibus antea obligabat, eædem maneant. *Ius diuinum vetus* est, quod Deus in veteri Testamento tulit, de cærimonijs, & politia. *Nouum* quod in nouo, vt sunt ea quæ de Sacramentis. *Ius humanum* est, quod authoritate humana, seu puri hominis est conditum. *Ius gentium* est, quod passim apud omnes Gentes seruatur. *Ciuile*, quod authoritate principum secularium est conditum. *Canonicum*, quod authoritate Pontificis, vel Concilij conditum est. Sed de his plura 1. 2. tractatu de legibus, quæstion. 96.

Dico Tertiò, si Ius accipiatur tertio modo, scilicet, pro potestate legitima, diuidi potest, Primò ex parte principij, nempe secundum diuisionem legum a quibus oritur. Vnde aliud est *naturale*, quod lege, vel concessu naturæ competit: aliud *positiuum*, quod lege positiua, vel concessione libera Dei, vel hominum competit: & sic deinceps in alijs membris. Secundò, diuidi potest ex parte termini quem respicit, & sic diuiditur in *Ius ad rem*, & *Ius in re*. *Ius ad rem* dicitur, quod non tribuit actionem in rem, sed tantum in personam, tale ius est quod tibi competit per stipulationem, per donationem, per emptionem, aliosve contractus, ante traditionem rei. Si enim res illa alteri vendatur, & re ipsa tradatur, manet tibi, nec potes illam vindicare: quia non res erat tibi obligata, sed tantum habes actionem personalem in eum, qui te fraudauit, vt infrà cap. 3. numer. 12. & 13. dicetur. Tale etiam ius est, quod habes per electionem, postulationem, præsentationem ad beneficium. Immo tale etiam est, quod habes per collationem beneficij, ante acceptationem: & per successionem hæreditatis, ante illius acceptationem. *Ius in re* dicitur, quod tribuit actionem realem, seu quod rem obligatã habet. Tale est quod habetur per emptionem, & alios cõtractus, secuta rei traditione; per collationem beneficij, secuta acceptatione; per testamentum, vel successionem ab intestato, secuta acceptatione: tale etiam Ius est dominium rei, & vsus, & vsusfructus, idest, Ius vtendi, & fruendi, respectu rei quæ subest illis iuribus. Item Iura quæ dicuntur *seruitutes*; Ius etiam hypothecæ, & pignoris; denique omne Ius, quod rem aliquam siue corporalem, (vt sũt agri, domus, suppellex) siue incorporalem (vt sunt officia, beneficia, reditus, seruitutes, & similia) ita nobis obstrictã tenet, vt ex ea possimus percipere fructus, vel emolumenta, vel securitatem creditorum, vel honorem. dicitur Ius in re: quocunque autem res talis transeat, potest vindicari tanquam nobis obstricta; quia res omnis transit cum suo onere, quo est affecta.

10 *Ius pro potestate legitima.*

Ius ad rem.

11 *Ius in re.*

CAPVT TERTIVM.

De speciebus Iuris realis; vt sunt dominium, vsusfructus, vsus, possessio, & alia quædam.

Habet 13. *dubitationes.*

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit dominium in genere, & quænam eius species.

1 RESPONDEO, *Dominium* in genere duo includit, nempe potentiam quandam, & authoritatem in rem, vel personam, (vt colligitur ex Diuus Thom. de Potentia, quæstion. 7. articul. 10. (& subiectionem rei, vel personæ, talem, vt inde dicatur ipsa esse alterius. Dominus enim vocatur qui habet aliquid suum, de quo possit disponere, vel in quod authoritatem exercere: qui autem nihil habet suum, in quod exerceat potestatem, non dicitur dominus.

Dominium generatim.

Itaque *dominium in genere* nihil videtur esse aliud quàm ius gubernandi, vel disponendi de re aliqua, tanquam sua. *Suum* autem dicitur, quod ita subiectum, & astrictum illi, cuius esse dicitur, vt possit de eo disponere proprio Iure, non ex commissione alterius. Sic ius, quod Deus habet in vniuersam creaturam, tanquam rem suam, quo potest de illa statuere, quod placuerit, est dominium Dei, & quidem perfectissimum, cùm creatura perfectissimè sit eius, vtpote ei sub me subiecta, & obstricta ratione creationis, conseruationis, gubernationis, & summæ ab eo dependentiæ omnium quæ in ipsa sunt. Similiter Ius quod Rex habet in suum regnum: Dux in suum ducatum, & quiuis in suas possessiones, dominium vocatur.

Dominium Dei.

Hoc modo Dominium diuidi potest in dominiũ Iurisdictionis, & Proprietatis. *Dominiũ Iurisdictionis* est potestas gubernãdi suos subditos. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, iudicare, punire, præmiare. *Dominium proprietatis* est Ius disponendi de re aliqua, tanquam sua in suum commodum: ad hoc dominio quisque dicitur rei

2 *Dominium Iurisdictionis*

Dominium proprietatis.

rei ſuæ dominus; ſiue ille ſit perſona priuata, ſiue publica, ſiue communitas: nam perſona publica,& Reſpubl. poteſt poſſidere bona iure priuato inſtar priuatæ perſonæ. *Dominium iurisdictionis* diuiditur eo modo, quo iuriſdictio ordinaria, quia ab hac non videtur diſtingui. vnde aliud eſt *ſeculare*, aliud *eccleſiaſticum*. *Seculare* eſt quod in rebus ſæcularibus gubernat, pacem,& publicam tranquillitatem procurans, vt eſt poteſtas Imperatoria, Regia, Ducalis, Comitalis, Marchionalis,& ſimiles, reſpectu prouinciarum, oppidorum, & pagorum, quæ ipſis proprio iure in negotijs ſæcularibus ſubſunt. *Eccleſiaſticum dominium* quod in rebus ſacris,& in recte viuendi ratione dirigit, cultum diuinum,& ſalutem animarum ſpectans; vt eſt poteſtas Papalis, Patriarchalis, Archiepiſcopalis, Epiſcopalis,& aliæ inferiores, reſpectu ſubditorum, qui ipſis in ſpiritualibus ſubſunt. *Dominium Proprietatis* diuidi poteſt in perfectum, & imperfectum. *Perfectum* dicitur quod continet proprietatem rei & commodorum eius. *Imperfectum*, quod tantum habet vel proprietatem rei abſque emolumentis, vel emolumenta abſque rei proprietate. Vnde hoc dominium eſt duplex; aliud enim dicitur *directum*, aliud *vtile*. *Directum* continet ſolam rei proprietatem: vnde habens hoc dominium ſolet dici proprietarius. Tale dominium eſt quod habet filius familias in peculio, quod dicitur aduentitium: & Princeps in feudis; & qui dedit agrum ad emphyteuſim, in agro, & omnis is qui dicitur dominus eorum, quorum alteri conceſſus eſt vſusfructus. *Dominium vtile* continet ſolam rei commoditatem & vtilitatem. Tale eſt quod habet vſufructuarius, feudatarius, emphyteuta. Hic tamen aduertendum eſt, ne dominium directum eſſet omnino inutile, Iure ſtatutum eſt, vt certis quibuſdam caſibus dominium vtile redeat ad dominium directum. vt patet Inſtitut. de vſufr. §. 1. Vide Sylueſtrum verbo Dominium; q. 1. & 2. Omiſſo dominio Iuriſdictionis (de quo 1.2.q.95. tractandum) explicandæ nobis ſunt præcipuæ ſpecies dominij proprietatis,& quædam Iura affinia.

Dominium ſæculare. Eccleſiaſticum.

Dominium proprietatis Perfectum, Imperfectum. Directum, Vtile.

DVBITATIO II.

Quid ſit dominium perfectum ſeu plenum.

NOTANDVM eſt, Dominium veteribus Latinis dici *mancipium*, quòd potiſſimum apprehenſione manuum hoc Ius acquiratur. vnde *res mancipi* dicebantur, quæ dominio erant ſubiectæ; & *homo ſui mancipij*, qui ſui iuris erat. *Auri & accepti mancipio*, cuius transferebatur dominium. poſteà hoc ius cepit vocari dominium, quo nomine paſſim vtuntur authores Digeſtorum. vt patet tit. de acquirendo rerum dominio,& alibi.

Mancipium.

Nunc Reſp. Hoc dominium ſic poſſe definiri; Dominiũ eſt ius in re, extendens ſe ad omnem eius vſum ſeu diſpoſitionem, niſi lege prohibeatur. Definitur hic dominium plenum, continens in ſe dominium directum,& vtile, definitio habet tres partes: prima eſt *ius in re*, hoc enim eſt loco generis: omne enim dominium eſt ius in re: non contrà, vt patet in hypotheca,& pignore, in vſu & vſufructu; & in iure quod coniuges habent in mutua corpora: ſunt enim hæc iura in re, non tamen dominia. Excluduntur hic omnia iura ad rem. Dico *in re* generatim; quia etſi iuriſperiti tantum rerum corporalium velint eſſe dominium; incorporalia autem (vt officia, iura) poſſideri *quaſi demisso*: tamen hæc differentia paſſim non ſeruatur, neque vulgò, neque à Theologis, neque à Iuriſperitis: dicimur enim paſſim domini reddituum,& ſimilium iurium. Vnde quotidie emuntur, & venduntur etiam chirographa, & actiones perſonales, & ſeruitutes. Secunda *Extendens ſe ad omnem eius vſum*: quæ pars eſt loco differentiæ: nam proprium eſt perfecti dominij, vt poſſis re tua vti pro tuo arbitratu, eam vel tibi ſeruando, vel vendendo, vel donando, vel vastando. Hic excluduntur Primò, omnia ea iura, quæ etſi dicantur dominia, non ſunt tamen dominia plena; vt *dominium directum*, quod eſt dominium proprietatis nudæ ſine vſufructu: & *dominium vtile*, quod eſt ſolius vſusfructus, vel vſus: & dominium Iuriſdictionis, quale habet rex in regnum, & omnis ſuperior in ſubditos. Secundò excluditur ius pignoris, & hypothecæ, & ſimilia. quamuis enim per hæc obtineatur aliquod ius in re ad aliquem determinatum effectum,& vſum, non tamen ad omnem vſum: quia

Quid dominium perf.

Dominium iurium.

Ad omnem vſum.

Quæ excluſa.

res, in quibus hęc iura habentur, non poſſunt vendi; donari, deſtrui. Sic Religioſus non habet dominium in veſtes, & libros, quia non habet ius ad omnem eorum vſum, ſed ſolum ad determinatum.

Tertia eſt, *nisi lege prohibeatur*: quia etſi dominium ex natura ſua tale ſit vt tribuat poteſtatem ad vſum, ſeu diſpoſitionem rei qualemcumque; tamen interdum lege impediente ſit, vt hæc poteſtas non poſſit exire in actum. Sicut qui habet potentiam naturalem videndi impeditur interdum ne poſſit ea vti ad videndum; quo impedimento ſublato, ſtatim ſine acceſſione noui auxilij poteſt in actum exire. Sic pupillus prohibetur alienare rem ſuam vſque ad certum tempus, cum tamen ſit verus dominus, vt Apoſtolus ait ad Gal. 4. Sic maioratus, fideicommiſſa,& alia bona, quæ dicuntur vinculata, alienari ex legum diſpoſitione non poſſunt; cum tamen vero dominio poſſideantur. non enim hoc impedimentum, quod lex inducit, tollit naturã dominij, aut ius in re, ſed ſolum impedit eius iuris vſum aliquem, & executionem: quo impedimento per lapſum temporis, vel aliter ceſſante, ſine collatione noui Iuris potes illa alienare. Simili modo poteſt impediri per votum, & iuramentum, vt infrà patebit. 9

Lex interdũ impedit vſu.

Ex his facile intelligi poteſt illa Iuriſperitorum definitio, *Dominium eſt Ius perfectè diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur*. vbi *corporali*, melius omittitur, vt dictum eſt. Hæc tamen definitio non explicat hoc Ius eſſe in re fundatum; quod tamen ad rationem dominij eſt neceſſarium. 10

Dices, Dominium videtur quid prius Iure; ideò enim habes ius in re illa ad omnem vſum,& diſpoſitionem, quia es eius dominus; non contra: ergo dominium non eſt formaliter Ius.

Reſp. Perfecta ratio dominij non eſt prior Iure, & poteſtate diſponendi de re, ſed hanc eſſentialiter includit. eſſe enim dominium rei eſt rem illam ita habere ſibi ſubiectam,& aſtrictam per aliquem actum, verbi gratia per emptionem & apprehenſionem, vt ex vi illius ſubiectionis poſſis de ea libere diſponere. Itaque *dominium* ex parte rei dicit ſubiectionem rei, & veluti ſeruitutem, qua domino eſt obſtricta,& dicitur formaliter eſſe res mea, tua, ſua: ex parte domini dicit nõ tantum nudam illam habitudinem, qua dicitur rem habere per emptionem, & traditionem; ſed etiam poteſtatem, & ius, quæ ex vi modi illius habendi ſequuntur. Ad rationem in oppoſitum. 11

Dominium eſſentialiter includit poteſtatem, & Ius.

Reſp. Etiam dicimus hominem poſſe intelligere, quia habet intellectum; & tamen intellectus eſſentialiter eſt potentia intelligendi. Itaque iſte modus loquendi non eſt ſufficiens ſignum rationem dominij eſſe priorem quam ſit ratio Iuris; potentia enim omnis conſiderata in ſe,& ad ſe, concipitur vt prior ſeipſa conſiderata in ordine ad actum; cum tamen reuera prior non ſit; eo quòd reſpectus,& ordo ad actum ſit illi eſſentialis.

DVBITATIO III.

Quænam requirantur ad dominij acquiſitionem.

RESPONDEO, Dico Primò, Quando dominium ab vno in alium transferendum eſt, ad acquiſitionem dominij ordinariè duo requiruntur, *titulus, & traditio*: ita docet Couar. l.2. var. cap 19. Colligitur aperte L. Traditionibus, 20. C. de pactis. *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. iuncta ſimul lege Nunquam, 31. ff. de acquir. rer. dom. *Nunquam nuda traditio transfert dominium; ſed ita, ſi venditio, aut aliqua iuſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur*. Ex his duabus legibus aperte habetur vtrumque requiri, & ſufficere. Ratio eſt ipſa legum diſpoſitio: nam iure naturæ non eſt neceſſaria traditio: eſt tamen rationi conſona. quia ſicut, vt poſſim re aliqua vti naturaliter, requiritur in me vis vtendi, & in re cõueniens applicatio: ita, vt poſſim re aliqua vti moraliter tanquam dominus, requiritur ex parte mea aliquod ius, per contractum aliquem, vel ſimilem modum, & ex parte rei debita applicatio, quæ fit per traditionem, vel apprehenſionem. Accedit, quòd hac ratione euitetur etiam incertitudo dominiorum, multarum litium ſeminarium. 12

13 *Titulus* est id, in quo totum ius primitus fundatur, vt emptio, donatio, successio hæreditaria, & similia. per hæc tamen nondum habetur dominium, aut ius in re; sed solùm ad rem: nisi accedat certa quædam traditio, quæ est veluti conditio necessaria, vt ex vi prioris donationis, vel emptionis resultet dominium. Vnde si Petrus tibi vendidisset prædium, domum, pannum, equum, vel aliud quiddam, & ante traditionem venderet alteri, & traderet, secundus emptor acciperet eius dominium, nec teneretur illud tibi cedere, sed solùm haberes actionem damni in venditorem: vt patet ex L. Quoties. 15. C. de rei vindicatione. Nisi forte alteri esset tradita titulo gratuito; tunc enim posses illam vindicare. similiter, si alteri esset quidem tradita titulo oneroso, sed scienti eam tibi antea venditam. de quo vide Couar. l. 2. variarum cap. 19. num. 5. & infrà cap. 21. dubit. 19.

14 Notandum est, Ex eo quòd per solum titulum, vel contractum non consequimur dominium, vel aliquod ius in re ante traditionem; sed solùm actionem personalem, (præterquam in pignore & hypotheca) resultare multos effectus, vt benè extendit Antonius Gomez. de seruit. nu. 23. & 24. Primò, promisisti alicui, vel vendidisti seruitutem in prædio, (v. g. ius eundi, vel currum ducendi per tuum prædium) & nondum tradidisti eo modo, quo tradi debet, si alteri vendis prædium, ille non habebit actio-
15 nem in emptorem, aut in prædium, sed in te. Secundo, si vendidisti prædium cum pacto de retrouendendo, & ille vendat alteri, non habebis actionem in illum secundum emptorem, aut in prædium, sed in primum; quia nudum pactum de retrouendendo non tribuit tibi ius in re, sed actionem contra emptorem. Tertiò si alienasti bona tua in fraudem creditorum, & emptor alienarit in tertium: creditores non habent actionem in illa bona, vel in tertium, sed tantum in secundum, si fuit conscius fraudis, &c. vide plura apud Gomez. suprà.

16 Dixi *ordinariè*, quia in quibusdam casibus non est traditio necessaria ad dominium acquirendum. Primò, in *beneficijs*: nam in his acquiritur ius in re, & quasi dominium per collationem, & acceptationem. vt patet ex cap. Si tibi absenti, tit. de præbendis in 6. Secundò, in *hæreditate*: vt enim quis fiat dominus hæreditatis, siue per testamentum, siue ab intestato, non requiritur aliud, quàm vt hæreditas adeatur. vt patet ex L. Cùm hæredes. 23. ff. de acquirenda, vel amittenda possessione, vbi sic dicitur, *Cùm hæredes instituti sumus, adita hæreditate omnia quidem iura ad nos transeunt, possessio autem nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet*. Additur autem hæreditas, dum acceptatur verbo, vel facto, vt habetur Institut. de hæredum qualitate. §. vult. Tertiò, in *legato*; Si enim tibi res certa legata sit, statim hoc ipso quo hæres acceptat hæreditatem, efficeris eius dominus. vt colligitur ex L. A Titio. 64. ff. de furtis, vbi dicitur *quod res legata vella via ab eo, qui legauit, ad eum, cui legata est transeat*. Quartò, Quando aliquid donatur, venditur, aut relinquitur ciuitatibus, ecclesijs, aut alijs pijs locis, aut in redemptionem captiuorum, vt colligitur ex L. vltima, C. de sacrosanctis Ecclesijs. Quintò, In contractu societatis omnium bonorum per matrimonium. de quo vide Couar. lib. 3. variar. c. 19. num. 1. & 2. Sextò, Si donasti, & tradidisti alteri domum, fundum, vel quid simile, sub ea conditione vt tibi alimenta præbeat, illo non præbente, vt debet, statim recipis dominium, & possessionem illius rei absque vlla traditione. L. 1. C. de donat. quæ sub modo. Septimò, Si Princeps contrahat cum aliquo, vel donet, & intendat transferre dominium, erit translatum absque alia traditione. vt docet Couarru. l. 2. variar. c. 19. num. 3. Ratio est, quia sicut ex voluntate Principis est quod requiratur traditio; ita etiam ipsius arbitrio potest omitti. Præter hos vix inuenias alios casus, in quibus ad comparandum dominium siue plenum, siue non plenum, non requiratur traditio iure communi Cæsareo: nam de iuribus proprijs variorum regnorum, vel dominiorum non est nobis hic ferino.

Quando traditio non sit necessaria.

Aduerte tamen, ad ius hypothecæ, vel pignoris, talem traditionem, aut apprehensionem non esse necessariam, sed nudam conuentionem, vel legis dispositionem sufficere, vt patet L. 1. ff. de pignoribus.

Dico Secundo, quando dominium non transfertur ab vno ad alterum, ad acquisitionem eius sufficit apprehensio: sic enim acquiruntur dominia earum rerum, quæ nullius sunt; vt infra dicetur. cap. 5.

DVBITATIO IV.

Quidnam sit vsusfructus.

RESPONDEO, *est ius rebus alienis vtendi, fruendi, salua rerum substantia*. Ita habetur Institut. de vsufructu, in principio. Habet hæc definitio 5. partes. Prima, *est ius*, quia non loquimur hic de vsu actuali, quem iurisperiti vocant vsum facti, sed de ipso iure vtendi fruendi. Secunda est, *vtendi*, vt excludatur ius, quod habet creditor in pignore, vel hypotheca, vel depositarius in deposito; hi enim non possunt vti rebus illis; quòd si vtantur inuito domino, tenentur ei restituere æstimationem vsus. Tertia *fruendi*, vt excludatur nudum ius vtendi re aliqua, quod non extendit se ad eius fructus percipiendos: sicut facit hoc ius, quo non solum datur potestas vtendi re illa, in qua constitutum est, (verbi gratia, equo, domo, agro, silua) sed etiam fruendi, id est, percipiendi omnes fructus, ita vt hoc ipso quo eos colligit, acquirat in eis plenum dominium. Si tamen fructuarius, priusquam eos collegerit, moriatur, (etiamsi iam sint maturi) acquiruntur domino proprietatis: non hæredibus fructuarij, vt habemus Institut. de rerum diuisione §. Is verò Ratio est, quia quamdiu adhærent fundo, censentur vnum cum solo, vnde pertinent ad dominum soli, donec fructuarius eos colligendo comparauerit sibi eorum dominium. quare si durante suo iure non collegerit, manebunt domino fundi. *Fructus* autem dicuntur, in grege quidem, lana, lac, fœtus: in fundo, fœnum, segetes, virgulta, salices, & omnes arbores cæduæ: fructiferæ autem non censentur in fructu. proles ancillæ non censetur in fructu, ob dignitatem naturæ. Vide de his omnibus lib. 7. ff. titul. 1. potissimum l. 8. & 59. & 68. Quarta, *rebus alienis*, vt excludatur ius vtendi, & fruendi, quod quisque habet in re sua. Quinta, *salua rerum substantia*, quia fructuarius debet rem integram proprietario reseruare. Hinc fit vt vsusfructus proprie dictus non possit constitui in reibus, quæ vsu consumuntur, vt in vino, oleo, frumento, pecunia. Vtilitatis tamen causa in his constitui potest quasi vsusfructus. tunc autem transfertur dominium in fructuarium; sed hic debet dare cautionem se finito tempore præscripto restituturum pecuniam, vel rei æstimationem. Vide Instit. suprà, §. Constituitur.

17 *Explicatur definitio.*

Fructus qui.

Quasi vsus fructus.

Notandum autem est Primò, ob hanc vltimam particularem, *vt salua maneat rei substantia*, fructuarium obligari ad hæc quatuor. Primò, Si habet vsumfructum gregis, vel armenti, quamuis possit vtifrui lacte, lana, & fœtu; tamen in locum capitum demortuorum, vel inutilium, debet è fœtu substituere alia capita: quæ postquam substituerit, cedent in dominium proprietarij: vnde si pereant, ipsi peribunt. Ita habemus Institut. de rerum diuisione. §. Sed si gregis. hoc tamen non habet locum quando conceditur vsus, non gregis collectiuè, sed animalium, seu singulorum capitum; tunc enim non tenetur substituere. Ita habemus L. Quid ergo 70. ff. de vsufructu. Ratio est, quia grex est æternus; sed singula capita seorsum pereunt.

18 *Obligatur, ad 4.*

Secundò, Si vsusfructus sit constitutus in silua aut vinea, tenetur fructuarius loco arborum vel vitium demortuarum alias serere; nisi vi tempestatis vel simili casu essent euersæ, quod enim fortuito perit absque culpa fructuarij, proprietario perit.

Tertiò, Si in ædibus sit constitutus vsusfructus, tenetur ad modicam earum reparationem proprio sumptu, vt integræ permaneant; nō tamen tenetur ad magnos sumptus, quibus efficiantur meliores.

Quartò. Tenetur ad dandam cautionem proprietario, se boni viri arbitratu vsurum fruiturum re ipsius, eamque restituturum finito tempore præscripto: vide plura apud Sylu. sed minoris momenti.

Notandum Secundò, Vsum fructum acquiri dupliciter, Primò, Legis ordinatione. Hic dicitur *legalis*, vt is, quem pater habet in peculio filij aduentitio, quamdiu filius est sub patria potestate, & quem habet mater transiens ad secunda vota in bonis prioris tori.

19 *Dupliciter acquiritur.*

Secundò, Priuata dispositione, vt testamento, pactionibus,

nibus, ſtipulationibus. vt habetur Inſtit.de vſufructu.§.1. Hic dicitur *communiter dicitur*.vid Gomez.de ſeruit.nu.1.

DVBITATIO V.

Quomodo vſus fructus amittatur.

20 RESPONDEO, Amitti multis modis. Primò, ſi moriatur vſufructuarius.Secundò,ſi res ipſa pereat: vt ſi domus incendio conſumpta ſit. Tertiò,ſi tanto tempore non vtatur ſuo iure, quanto opus eſt,vt dominus directus contra eum præſcribat. Hoc autem tempus eſt 10. annorum inter præſentes, & 20. inter abſentes; vt colligitur, C.de vſufructu, L.penult. Quartò, per maximam
21 capitis diminutionem. Dicebatur autem maxima capitis diminutio, cùm ciuitas ſimul, & libertas amittebatur. hoc autem fiebat tribus caſibus. Primus eſt, per condemnationem ad metalla,vel ad beſtias, vel generatim ad mortem.Sæpe enim condemnatio ad mortem longo tempore antecedebat executionem. Hi dicebantur effecti ſerui pœnę quòd autem omnes ad mortem condemnati huc pertineant, patet L. Qui vltimo, 29.ff.de pœnis, & clarius, L. Quod ad ſtatum, 12. ibidem vbi dicitur, *eos, in quos animadverti iubetur, ſtatim ſeruos pœnæ fieri*. eodem pertinent damnati perpetuò ad triremes; vt docet Gomezius ad L.4.Taurin.num.1. Et quamuis per authenticam primam de nuptijs, cap.8 ablata ſit ſeruitus pœnæ, quatenus erat impedimentum dirimens matrimonium, non tamen eſt ablata, qua parte faciebat amitti vſumfructum, eumque reuerti ad proprietarium, vt erudiè oſtendit Molina diſput. 9. Secundus eſt, quando libertus ingratitudinis in patronum condemnabatur, ideoque rurſus in ſeruitutem reuocabatur. Tertius, quando ſe patiebatur
22 vendi, vt eſſet particeps pretij. Hi tres caſus habentur Inſtitut.de cap. diminut. §. 2. Quintò, per mediam capitis diminutionem, quæ eſt, cùm ciuitas amittitur, ſed libertas retinetur; hoc autem fiebat duobus caſibus. Primò, cum quis deportabatur in Inſulam. Secundò, cùm aliquis proſcribebatur interdictus aqua, & igni: vt haberur Inſtitut.ſup.vbi.

Capitis diminutio maxima tribus Caſibus.

Media cap. diminutio.

Aduerte, hæc debere eſſe perpetua, & cum amiſſione omnium bonorum; quo modo fiebat apud veteres: alioquin non inducunt mediam capitis diminutionem. Hi omnes dicuntur mortui ciuiliter, quia teſtari non poterant,& reſpectu bonorum perinde ſe habebant,ac ſi mortui fuiſſent. vide Sylu.v. Teſtamentum.1.q.4.eadem pertinent damnari ad carceres perpetuos,iuxta communem ſententiam Doctorum. Per profeſſionem verò non redit vſus fructus ad proprietarium, ſed tranſit ad monaſterium, ſi eſt capax ſucceſſionis; vt rectè Nauar. commentario ſecundo de regular. num.70. & ſequen. colligitur authent. Ingreſſi. C. de Sacroſan. Eccleſ. de quo inf. cap. 41. dub.10.

Sextò, Si vſufructuarius cedat iure ſuo ipſi proprietario.

Septimo, Si acquirat rei proprietatem: quod conſolidatio dicitur. Vide Inſtit. de vſufructu.§. finitur, & Sylueſtrum verbo Vſus.quæſt.11.

23 Octauò, Si pater fiat hæreticus, hoc ipſo amitti vſumfructum in bonis aduentitijs filij; iſque ſtatim coaleſcit cum dominio directo, quòd habet filius. Ita docet Iacobus Simanchas Inſtitutionum catholicarum tit.9 nu.81. & noſter Molina diſp.9.Ratio eſt, quia propter crimen hæreſis paternum, etſi adhuc occultum, filius omninò exit patriam poteſtatè,efficiturque ſui iuris,adeo, vt nulla alia emancipatione egeat, vt expreſsè habetur c.2 de hæreticis in 6.Alex.4.Si nulla alia eget emancipatione: ergo etiam quoad bona ſua eſt exemptus à iure paterno, vnde ſequitur, poſſe illum vti occulta compenſatione, ſi aliter ſuo iuri conſulere nequit.

Si pater ſit hæreticus.

DVBITATIO VI.

Qui ſit Vſus.

24 RESPONDEO. Vſus eſt ius vtendi re aliena, ſalua ipſius ſubſtantia. De hoc agunt Inſtitutiones, & digeſta, poſt titulum de Vſufructu. Patet ex dictis de vſufructu. Additur *ſalua rei ſubſtantia*, vt excludatur ius ad vium, quo res conſumitur, vel alienatur; qui etiam dicitur vſus, ſed non ita proprie. Quid autem concedatur in vſu fundi, ædium, ſerui pecoris, eleganter explicatur in Inſtit.tit.de vſu,& habitatione.

Solum hic duo Notanda. Primum, Eum, cui conceſſus eſt vſus alicuius rei, non poſſe illam alteri locare, vel gratis concedere: ſecus eſt de eo,qui habet vſumfructum. hic enim poteſt rem illam alteri locare, & percipere pretium locationis, vel gratis concedere. Inſtitut.de vſu.§.1. non tamen ita vt alter fiat vſufructuarius: ſed vt habeat ius quoddam ad percipiendos fructus dependens à iure vſufructuarij.

25 *Diſcrimen vſus, & vſusfructus.*

Secundum.In omnibus rebus alienis,quibus aliquo modo vti,vel etiam frui poſſumus,conſiderari quandam relationem ſubiectionis,& obligationis reſpondentem iuri noſtro,quod in illis habemus;quæ ſubiectio,ſeu obligatio vocatur *ſeruitus* à iuriſperitis. Inſtitut. tit. de ſeruitutibus ruſticorum prædiorum, & vrbanorum. ff. eodem tit. Dico in omnibus rebus alienis, quia *nemini res ſua ſeruire dicitur*, ſecundum Iuriſperitos, ſed aliena tantum, vt habetur L.Vti frui, c. ff. Si vſusfructus petatur: idque diſtinctionis cauſa à dominio; quia ius ſeruitutis formaliter minus eſt quam ius dominij. Vnde Iuriſperiti ſubiectionem rei, in quam habemus dominium, non vocant ſeruitutem formalem, ſed cauſalem. vide Gomezium de ſeruitutibus in principio.

26

Seruitus.

DVBITATIO VII.

Quid ſit ſeruitus apud Iuriſperitos?

27 NOTANDVM eſt, hoc nomen dupliciter accipi apud Iuriſperitos; Primò, pro ſubiectione, & obligatione, quæ eſt in re alterius, vt ipſa quodammodò ſeruiat alteri. Secundò, pro iure, quod reſpondet illi obligationi.

Si accipiatur pro *iure*, ſic nihil aliud eſt quam ius fruendi, vel aliquo modo vtendi re aliena,vel aliquid circa eam impediendi. hoc modo eſt quid generalius quam Vſus, & Vſusfructus. omne namque ius vtendi,vel fruendi eſt ſeruitus; vt docet Gomezius de Seruitutibus, num.1. & 2. non connumeratur Ius impediendi,ne alterius attollas murum eſt ſeruitus,non tamen eſt vſus,vel vſusfructus.

Quid ſeruitus pro iure.

Si autem pro *ſubiectione rei*,ſic nihil eſt aliud quàm obligatio realis,qua res alteri eſt obſtricta,vt poſſit ex ipſa percipere fructum,vel ea aliquo modo vti, vel circa eam aliquid impedire.

Quid pro obligatione.

Diuiditur autem in tres ſpecies,ſecundum Gomezium, & alios; Alia enim *ſeruitus* eſt *merè perſonalis*, vt ea quæ à perſona debetur perſonæ:vt ſi mihi vſum ſerui tui ad tempus,vel ad vitam meam conceſſeris. Alia eſt *merè realis*: vt ea quæ à re debetur immediatè alteri rei, talis eſt quæ reſpondet iuri agrorum, vel domorum, & ſimilium rerum. Dixi *immediatè*, quia hæc ſeruitus etiam debetur à re perſonæ;ſed mediatè tantum,nempe ex eo, quòd fiat talis rei dominus,vel conductor, verbi gratia ager meus habet ius, vt per agrum tuum poſſit iri, vel iumentum duci in meum: ager tuus ſeruit meo; eſtque hæc ſeruitus realis; quia à re debetur immediatè rei; & conſequenter hoc ius tranſit ad eum, ad quem tranſit meus ager. Alia eſt *mixta*, qua à re debetur immediatè perſonæ. hæc extinguitur cum perſona, cui debetur, talis eſt in re, qua poſſumus vti, vel frui immediatè.

29 *Seruitus triplex.*

Seruitus autem *realis* diuiditur in *Ruſticam*, & *Vrbanam*, id eſt,in eam,quæ prædio ruſtico,& quæ vrbano debetur. *Prædium vrbanum* in iure vocatur omne habitaculum,etiãſi in villa ſit, & hortus annexus, cauſa amœnitatis. *Ruſticum* quoduis aliud; vt ſtabulum, horreum, ager. *Seruitutes* igitur *Vrbanæ* ſunt,verbi gratia,vt ædes tuæ non poſſint altius attolli, ne officiant vicini luminibus: vt in tuum parietem poſſit immitti lignum à vicino, & ſimilia. *Ruſticæ*, vt liceat tibi per fundum alterius ire in tuum, vel iumentum agere vel quam ducere,& ſimilia;quæ optimè explicantur Inſtitut.de Seruitutibus,& lib.8.Digeſtorum tit.1. 2.3.4.qui ſunt de Seruitutibus. Hæc enim non magnopere pertinent ad noſtrum inſtitutum. Vide plura apud Gomezium,de Seruitutibus.

30 *Seruitus realis.*

D V.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm diſtinguatur vſus à dominio in rebus, quæ ipſo vſu conſumuntur?

31 SVnt duæ ſententiæ admodum celebres, occaſione Ordinis Fratrum Minorum, qui dicunt ſe nullius rei habere dominium, nec in communi quidem; ſed nudum dũtaxat vſum. Prior eſt Ioannis 22. Extrauag. quæ incipit, Ad conditorem. §. Quòd autem, & duabus ſeqq. Ius vtendi rebus illis, quæ ipſo vſu conſumuntur, vel alienantur, non diſtingui à dominio earum; ac proinde Fratres Minores habere verum dominium in hiſce rebus. Hanc ſententiam ſequitur Franciſcus Sarmiento, de Redit. parte 1. c. 1 & 1. parte defenſionum contra Nauar. pag. 11. & Syl. verbo Dominium. §. 3. & Turrecremata lib. 2. Summę cap. 122. ad 10. argum.

Altera ſententia eſt omninò contraria; nempe in hiſce rebus hæc duo diſtingui, & proinde Minores, etſi vſum habeant talium rerum, nullo tamen modo habere dominium, ſed hoc eſſe penes Sedem Apoſtolicam. Ita declaraunt Nicolaus IV. Extrauag. *Exiit qui ſeminat*. de verborum ſignificatione in Sexto, & poſteà Clemens V. in Clementina, *Exiui de Paradiſo*. eodem tit. Ante Nicolaum in eadem ſententia fuere Innocent. IV. & Alexand. IV. & Gregor. IX. quos Nicolaus pro ſe citat. Hanc ſententiam ſequitur Soto lib. 4. de Iuſtitia, quæſt. 1. art. 1. Nauarr. commentario 2. de Regular. num. 3. & plerique alij pro qua.

32 Dico Primò, Ius vtendi poteſt eſſe ſeparatum à dominio, etiam in ijs rebus, quæ vnico actu vtendi conſumuntur, vel alienantur. explicatur ſimul, & probatur.

Vſus concedi poteſt dupliciter.

Dupliciter enim poteſt alicui concedi vſus, & ius vtendi pure, vel pecunia. 1. *reuocabiliter*: & tunc non videtur multum differre à dominio 2. *omnino reuocabiliter*. & dependenter à voluntate concedentis, ita vt quouis momento poſſit reuocari ſine vlla iniuria vſurarij: & hoc ius ſine dubio diſtinguitur à dominio, quia dominium eſt ius in re abſolutum, & firmum, non dependens ex alterius nutu, & arbitrio. hoc autem eſt conditionatum, & debiliſſimum. habeo enim illud ſi velis; non habeo, ſi nolis me habere. Tale eſt quod ſinguli Religioſi in veſtes, libros, cibos, & ſimilia, quæ illis à Superioribus conceduntur, habent. Non enim ita conceditur illis ius vtendi, quin ad nutum Superioris reuocari poſſit: nam ratio Religioſæ paupertatis hoc intrinſecè includit.

Notandum autem eſt, *Vſum irreuocabilem*. à Nicolao
33 III. Extrauag. *Exiit*, vocari *Vſum Iuris*, tum quia in eo habetur ius abſolutum; tum quia iura de eo loquuntur. *Vſum* autem *reuocabilem* vocat *Vſum facti*. non quòd in eo nihil ſit iuris; (ſic enim iniuſtus eſſet, vt rectè Ioannes argumentatur,) ſed quia non eſt ius abſolutum, & ſolidum, vtpote ab alieno nutu dependens, donec res ipſo facto conſumatur.

34 *Minores non habent dominium in communi.*

Dico Secundò, Verius eſt, Conuentus, totumque ordinem Minorum, non ſolùm in rebus alijs, ſed etiam ijs quæ vnico actu vtendi conſumuntur, habere nudum vſũ, ſeu ius vtendi ſeparatum ab omni dominio.

Patet ex decretis Pontificum Nicolai, & Clementis, quibus tres alij Pontifices conſentiunt: eſtque communior ſententia DD.

Probatur Primò, Quia cùm hæc poſſint ſeparari, nihil mirum ſi de facto in aliquo ordine ſint ſeparata.

Secundò, Certum eſt, Religioſos ſingulos tantummodò habere talem vſum abſque omni dominio: nam quidquid habent, poteſt illis ad nutum Superioris auferri ſine vlla iniuria. quod neque hi, qui ſunt alterius ſententiæ, negant, vel negare poſſunt: nam hoc eſt de eſſentia paupertatis Euãgelicæ; ergo nihil eſt incommodi ſi idipſum in aliqua communitate conſtituatur; ita vt ipſa tota nihil habeat, niſi nudam rei conceſſionem ad vſum, ſine omni proprietate dominij.

Obiect. mea Obijcies Primò, Ioannes 22. Extrauag. Ad conditorẽ, dicit, *ſe abdicare à ſe, & à Sede Apoſtolica, omne dominium horum rerum, ne Fratres Minores prætendant illud eſſe apud Sedem Apoſtolicam*. ergo vel eſt apud nullum, vel eſt apud ipſos Minores.

Reſp. Fideles, qui iſtas res largiuntur, vel intendunt ſibi reſeruare earum rerum dominium donec conſumantur, vel non intendunt: ſi intendunt, manet apud ipſos: ſi non intendunt, tranſit ad Sedem Apoſtolicam, nam poſt renuntiationem illam alij Pontifices rurſus illud admiſerunt, vt habetur in priuilegijs Minorum verbo Paupertas. Itaque Sedes Apoſtolica habet dominium non ſolum rerum immobilium, ſed etiam omnium mobilium Ordini à Fidelibus abſolutè donatorum, ita vt poſſit Ordinem hiſce priuare ſine iniuria.

Obijcitur Secundò, Vſus diſtinctus à dominio eſt qui competit alicui in re aliena ſalua rei ſubſtantia; vt habetur Inſtitut. de vſu, & habitatione, & patet ex dictis: ergo ille vſus, quo quis poteſt rem conſumere, non eſt diſtinctus à dominio: ac proinde Minores talium rerum habebunt dominium.

Reſpond. Negando conſequentiã; nam ſolum ſequitur, 36
hunc vſum, quo quis poteſt conſumere rei ſubſtantiam, nõ eſſe talem, qualis eſt ille, de quo iura loquuntur, qui proprie & ſtrictè dicitur vſus. eſt autem magna differentia inter hos duos vſus: etſi enim vterque ſit ius quoddam vtendi, tamen hic de quo nunc loquimur, quem ponimus in Minoribus, (quique *Vſus facti* vocari ſolet) eſt ius ad nutum reuocabile. vnde ſi dominus tollat rem, quam dedit, non faciet illis iniuriam ille verò, de quo iura (quem *Vſum Iuris* vocant) non eſt reuocabilis: vnde ſi dominus tollat rem ante tempus conceſſum, faciet iniuriam. Deinde hic extendit ſe ad rei conſumptionem, donationem, venditionem, ſicut dominium: ille verò ſolùm ad vſum, in quo ſalua manet domino rei ſubſtantia. Vnde hic vſus ratione iuris eſt minor altero, ratione tamen functionum, ad quas ſe extendit, eſt maior.

Differunt hic vſus, & ille de quo Iura.

Obijcitur Tertiò, D. Thom. qu. 78. art. 1. docet in illis rebus, quæ vſu conſumuntur, cuicumque conceditur vſus, concedi etiam rem ipſam, eiuſque *dominium*. vnde colligitur in mutuo talium rerum non poſſe exigi vſuram, id eſt, pretium vſus diſtinctum à pretio rei: ergo ſentit *ius vtendi* non diſtingui in his à dominio.

Reſpon. D. Thom. loquitur de vſu, ſeu iure vtendi abſo- 37
lutè, & independenter ab alio; quod ſanè nihil, vel parum diſtinguitur à dominio in talibus rebus, quæ vnico actu conſumuntur: nos verò loquimur de iure vtendi dependenter ab alio; quod diſtinguitur à dominio rei.

Inferes: Ergo hoc ius poterit pretio vendi, retento dominio directo; & alio contractu vendi poterit ipſum dominium; quod eſt aperire magnam feneſtram vſuris.

An iſte vſus poſſit vendi ſeorſim à dominio.

Reſp Concedo, abſolutè poſſe vendi hoc Ius, ſeu hunc vſum; ſed minoris valet quàm dominium rei, vel Ius irreuocabile vtendi. Non enim tanti valet Ius ad nutum alterius reuocabile, quanti ius irreuocabile. Neque ius, quod conceditur ſolum ad vſum determinatum, quanti illud, quod ad indeterminatum. Quòd ſi quis alio contractu velit vendere dominium directum, non poteſt pluris vendi, quàm per ſe valeat ſeorſim ab illo vſu; & ita pretium vſus, & pretium dominij illius directi non ſuperabunt iuſtam rei æſtimationem: ſed hic modus contrahendi non eſt vſitatus; nam facilè palliaret vſuras; quamuis per ſe non ſit illicitus.

Obijcitur Quartò, Si vſus diſtinguitur à dominio: ergo 38
Ioannes 22. erravit.

Reſpondeo Primò, Eſto; quia non in quæſtione pertinente ad fidem, neque ipſe aſſeruit ſuam ſententiam, tanquam ad fidem pertinentem; neque alios obligare ad ita ſentiendum voluit: ſed ſolum quid ſibi videretur, vt vir doctus explicuit.

Conciliatio ſententiarũ.

Reſpon. Secundò, Si quis benè rem totam introſpiciat, deprehendet non eſſe differentiam inter has ſententias, niſi in modo loquendi. non enim negaſſet Ioannes, Fratres Minores ſine conſenſu Superioris non poſſe vendere cibos, qui illis apponuntur: & Superiores poſſe illis auferre ſine iniuria. vnde quando vult eos habere dominium, non loquitur de dominio propriè dicto; ſed de quodam iure, quod in effectu æquè valet ac dominium; quia ita liberè conſumunt ac ſi domini eſſent. Vide Franciſcum Sarmiento, de Redditibus parte 1. cap. 1.

DVBITATIO IX.

Quid sit possessio.

39 NOtandum est, *possessionem* dici à *pedum positione*, vt habetur L. 1. ff. de acquir. vel amit. possess. nam per *pedum positionem* super bona immobilia, quæ sunt potissima; vt super agrum, vel fundum, solet acquiri possessio. tribuitur autem hoc nomen interdum ipsis rebus possessis. Sed hoc loco accipimus pro actu, vel iure possidendi, à quo denominatur quis possessor. Actus possidendi dicitur possessio facti. Ius possidendi dicitur possessio iuris. Vtraque nobis est explicanda.

40 *Possessio facti quid.* Dico Primò, *Possessio facti est detentio rei, corporis & animi, & iuris ad minimum.* Ita Sil. verbo Dominium q. 2. ex Hostiensi. eam explicat ex parte Couar. ad regulam Possessor. p. 2. num 1. 2. in principio.

Prima pars, *est detentio rei*; vbi rem accipio in genere, quia non solum res corporales, sed etiam incorporeæ, vt census, beneficium, seruitus, & similia dicuntur possideri à Theologis; quæ à Iurisperitis dicuntur quasi possideri, vt notat Couar. suprà. Nomine autem *detentionis*, intelligitur etiam apprehensio prima, quæ ordinariè requiritur; quæ apprehensio est possessionis inceptio, & acquisitio; vt notat Couar.

Secunda, *corporis adminiculo*; quia vt res aliqua incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi manibus, pedibus, oculis, vel simili modo, in se vel in alio, in quo censeatur contineri; vt statim dicemus.

Tertia, *animi adminiculo*; quia debet eam apprehendere animo possidendi. Vnde depositarius non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo retinendi sibi.

Quarta *iuris adminiculo*, non quòd omnis possessio facti sit iusta; (nam fur verè possidet rem furtiuam) sed quia ius facit, vt talis detentio sufficiens censeatur ad constituendam possessionem: nec eam impedit, sicut impedit ne detentio rei sacræ, vt loci religiosi, facta a laico, censeatur possessio; vt patet L. qui vniuersas. 30. ff. de acquir. & amit. possessione.

41 *Possessio iuris.* Dico Secundò, *Possessio iuris est ius insistendi alicui rei, tanquam sua, & non prohibita possideri.* Ita Bartol. in l. 1. de acquir. vel amit. poss. I. & Couar. suprà num. 3.

Prima pars, *est ius*, vt excludatur possessio facti, quæ formaliter est ipsa occupatio & detentio, vnde hoc ius oritur; si iusta fuerit. quod si illa detentio fuerit iniusta, non oritur ex ea ius in conscientia. vnde solum dicetur possessio facti; quamuis Iurisperiti omnem possessionem ius appellent respicientes forum externum.

Secunda, *ius insistendi rei*, vt excludatur dominium quod per se, & formaliter tantum est ius disponendi de re. Hoc verò ius in eo situm est, quòd possessor possit rem pacificè tenere, & iuris remedijs: & interdum etiam armis tueri aduersus perturbantes; quod hic dicitur *insistere rei.*

Tertia, *tanquam suæ*, si quis insistat rei nomine alterius non erit vera possessio. vnde tutor non est possessor bonorum pupilli: quia illa non detinet vt sua, sed nomine pupilli: nam pupillus possidet per tutorem. Sic etiam possidere per seruum, & per filium. *vt autem possideam per alium*, requiritur vt ille habeat animum rem detinendi pro me. si enim intendat pro se detinere, id est, tanquam suam, non possideo per illum: quia non meo nomine, sed suo detinet. Excipio tamen seruum, & filium nondum emancipatum. hi enim, cum sint eius conditionis, vt non acquirant sibi, acquirunt nobis; etsi hunc animum non habeant: vt docet Couarru. suprà: quod intellige si iuste acquirant. si enim acquisitio esset iniusta, nec sibi, nec nobis acquirerent; sed possessio maneret apud antiquum dominum. Colligitur Instit. Per quas personas nobis acquir. §. Item placet, in fine, & L. Quod seruus. 24. ff. de acquir. possess.

42 *Per alium possidere.*

Seruus, & filius familias non acquirunt, nec possident sibi.

Quarta, *non prohibita possideri*. quia nemo potest habere ius possidendi contra iuris dispositionem, seu iure resistente; vt rei sacræ, loci publici, decimarum à laico.

DVBITATIO X.

Quomodo diuidatur Possessio.

RESPONDEO, Etsi varijs modis diuidi possit, nimirum vel pro diuersitate titulorum vel ratione bonæ & malæ fidei; vsitatissima tamen est ea diuisio, qua in *Ciuilem* & *Naturalem* diuiditur. *Ciuilis est quæ solo animo retinetur*, quamuis enim initio, vt incipias possidere, requiratur adminiculum animi pariter, & corporis, vt dictum est; tamen postea vt retineas, & continues possessionem, sufficit animus retinendi rem, nec desistendi à possessione. vt habetur Instit. de interdictis. §. Possidere. Hoc modo possidet is qui abest à rebus suis, sed animo eas retinet, & occupat. Dicitur autem hæc *possessio ciuilis*, tum quia magis constat iure ciuili, quàm naturali; cum naturalis modus possidendi sit per corporalem insistentiam; tum quia parit effectus ciuiles, scilicet vsucapionem rei, & dominium fructuum. 43 *Ciuilis possessio quæ.*

Naturalis est quæ corpore simul & animo retinetur; vt quando quis occupat rem vt suam, potest hæc *naturalis* coniungi cum *ciuili*; vt quando quis est præsens per se, vel alium, rebus, quas ciuiliter possidet. dicitur que tunc possessor ciuiliter & naturaliter possidere: quæ possessio est firmissima. Potest etiam esse separata à *ciuili*: vt si inuasor occupet rem meam immobilem: ego ciuiliter, ille naturaliter eam possidet. hæc possessio infirmior est quàm ciuilis. Adhoc tamen valet ne possessor possit ab extraneo perturbari; & interdum ne ab ipso quidem domino sine authoritate publica. 44 *Naturalis possessio.*

Sed Aduerte, hæc duo nomina interdum aliter accipi; 45 nempe, vt *possessio ciuilis* dicatur qua res possidetur quoad dominium directum. *Naturalis* autem, qua possidetur secundum vsum fructum, vel vsum, vel habitationem, vel alia iura diuersa à dominio. vt docet Couar. ad reg. Possessor par. 2. numer. 4. Sic fructuarius possidet rem nomine suo naturaliter, quoad vsum; quamuis non possideat eam nomine suo, quoad dominium directum. Idem possidet vsumfructum (seu ius vtendi fruendi, quod habet in re) ciuiliter. Supradictis duabus speciebus possessionis à quibusdam DD. addi solet tertia, quam vocant *Ciuilissimam*, quæ sola legis ordinatione constat. de qua inf. nu. 48. *Ciuilis.*

DVBITATIO XI.

Quibus modis acquiratur Possessio.

RESPONDEO, Tribus modis acquiri, *Apprehensione vera: apprehensione ficta: legis dispositione.* 46

Apprehensio vera est, quæ fit manibus, vel pedibus. hæc est necessaria, quando acquirenda est possessio earum rerum, quę dominium non habent; vt ferarum, gemmarum, thesaurorum, insularum, fluminum. Item hæreditatis relictæ, quia domino caret, qui eam tradat, quando quis etiam clàm, vel vi possidere vult, requiritur vera apprehensio. denique si alius rem possideat qui tibi nolit possessionem tradere, debes eam verè apprehendere, vt possideas. Nisi forte authoritate Iudicis ea tibi eminus ostendatur, & ficto modo tradatur. Vide Antonium Gomezium in legem 45. Tauri num. 55. *Vera apprehensio vbi sit necessaria.*

Apprehensio ficta locum habet, quando res habet possessorem, à quo tradatur; vel quando loco possessoris authoritate Iudicis traditur. huius sunt varij modi. vsitatiores sunt isti.

1. Si antiquus possessor tradat alteri, cui vult possessionem cedere, claues domus, in qua sunt merces tradendæ; idque apud ipsam domum, seu in præsentia domus. vt probat Couar. l. 3. variarum cap. 16. nu. 11. Ratio est, quia dum emptor apprehendit claues, censetur res ipsas intus conditas apprehendere. 47 *Ficta vbi locum habeat.*

2. Si tradat alteri scripturam, seu instrumentum, quo constet de titulo, & iure, quo rem possidebat. Nam in tali instrumento res ipsa contineri videtur.

3. Si antiquus possessor eminus vel cominus ostendat mihi fundum, dicatque se tradere illius possessionem; & ego significem me acceptare: oculi enim sunt veluti longę quædam

BIBLIOTECA PIA ROMA

quędam manus, quibus res visus quasi contrectamus.

4. Quando post contractum, consentiente antiquo possessore, apponitur custodia nomine eius, ad quem res transferitur: siue res sit mobilis, vt pecora, triticum, vel aliæ merces: siue immobilis, vt fundus, castrum, oppidum.

5. Si dem, aut vendam tibi rem absentem, & constituam me tuo nomine eius rei possessorem: tunc enim per me incipis possidere, nec opus est alia apprehensione. Hoc Iurisperiti vocant traditionem, & acquirere possessionem per *clausulam constituti.*

6. Si re tibi vendita, vel donata, constituam me conductorem eius, vel retinendum mihi vsumfructum: nam hoc ipso censetis per me accepisse possessionem. Vide plura apud Antonium Gomezium, ad legem Tauri 45. a num 45. & deinceps. & Molinam disp. 14.

48 *Dispositio legis.*

Legum dispositione interdum transfertur possessio absque vlla vera, vel ficta apprehensione, si leges ita statuant, vt optimè probat Couar. l. 3. variarum c. 5. nu 6. Ratio est, quia modus acquirendæ, & amittendæ possessionis iuri humano subiacet, quod potest statuere varios modos, prout magis videtur expedire Reipub. pro diuersitate rerum, & prouinciarum. In regno Castellæ, Maioratus possessio, & omnium pertinentium ad ius primogenitj, transit ad proximum cognatum, vel agnatum, cui iure debetur, sine vlla vera, vel ficta apprehensione. vt habetur L. 45. Tauri, et ita apud Couar. Simili modo, apud Gallos possessio defuncti transit in eius hæredem, etiam extranеum, sine vllo apprehensionis actu; teste Couar. ibidem; qui ita ex multis DD. probat. Istum modum possidendi Doctores vocant *Ciuilissimam possessionem*: quia fit sola legis ciuilis potestate, absque vllo animi vel corporis adminiculo, etiam nesciente eo, qui incipit possidere.

Ciuilissima possessio.

49 *Possessio rerum, quomodo apprehendatur.*

Possessio autem *veritatis* & *seruitutum* apprehenditur dupliciter. Primò, Si mittam te in agrum, in quo volo tibi seruitutem constituere, tuque illuc eodem animo, eas. Secundò, Si vtaris aliquo iure tanquam ad te pertinente, sciente, & ferente eo cuius intererat concedere, vel prohibere: qui modus est generalis; & extendit se etiam ad ea quæ non sunt in re aliqua constituta; vt ad ius eligendi, præsentandi, & similia. de quo vide Couar. reg. Possessor 2. p. initio, a §. 8. Quomodo autem beneficij possessio acquiratur, idem l. 3. variarum c. 16. nu. 10. vbi vide multa alia ad hanc quæstionem de acquirenda possessione variarum rerum, & iurium pertinentia. Verum in his omnibus spectandæ sunt consuetudines regionum, & prouinciarum, quæ admodum sunt variæ.

Possessio bona fidei.

DVBITATIO XII.

Quomodo amittatur possessio tum mobilium, tum immobilium.

50 *Possessio mobilium amittitur quatuor modis.*

RESPONDEO, Et dico Primò, *Possessio rerum mobilium* tum ciuilis, tum naturalis amittitur. Primò, Sola voluntate possessoris nolentis eam amplius possidere. Secundò, Per furtum, aut rapinam alterius. Tertiò, Si alterius custodiæ subsit, qui eam incipiat detinere tanquam suam. ad quod requiritur, vt eam corporaliter apprehendat re vera, animo eam sibi retinendi. L. Possideri 3. ff. de acquir. possess. Quartò, Per amissionem rei, verbi gratia bursæ, annuli: vel per fugam *si sint animalia*; vt si pecus aberrauerit à grege, desinit statim possideri à dominio: si gallinæ, & similes aues domesticæ auolarunt, nec habeant consuetudinem per se redeundi: secus verò si habeant consuetudinem redeundi. De quibus, & aliis animalibus, vt piscibus, feris columbis, vide plura, d. l. Possideri. ff. de acquir. & amit. possessione. Dixi *si sint animalia*; quia possessio serui, & ancillæ non amittitur per ipsorum fugam, vt patet L. Pomponius 13. ff. ibidem.

51 *Possessio immobilium amittitur multis modis.*

Dico Secundo, *Rerum immobilium possessio ciuilis, & naturalis* amittitur. Primò, Si possessor sit longo tempore absens; nec per alium rei insistat, neque etiam protestetur se nolle amittere possessionem: quod si non diu absit, vel protestetur, amittit solum naturalem, non ciuilem. 2. Si rem sciat ab alio occupatam, & negligat. 3. Si reuersus, statim quidem repetat suam possessionem, sed ab occupante repellatur, nec audeat ei resistere. 4. Si timens repulsam non audeat reperere, aut inuadere possessionem. 5. Si nesciat rem esse suam, & ideò nec censeat illam in bonis suis: tunc enim caret animo possidendi. Hinc per longam oblitionem perditur possessio, vt docet Glossa in cap. 11. Clerici 16. quæst. 4. & colligitur ex L. Furtum. ff. de vsucapionibus. Item si id, quod possidemus, ita perdidemus, vt ignoremus vbi sit, vt habetur L. Si id quod ff. de acquirend. possess. 6. Si res ita sit occupata, vt non sit probabilis eius recuperatio. vt si vir valde sit potens, qui illam occupet: vel mare aut flumen assidue inundet. quamdiu verò possessor est in possessione, vt in domo, vel in fundo; aut in conspectu eius; aut saltem propè, ita vt prestò possit adesse cum opus fuerit, retinet semper rei immobilis possessionem, tum naturalem, tum ciuilem. Vide plura apud Gomezium supra; & ff. tit. l. de acquirend. & amitt. possess.

DVBITATIO XIII.

Quid priuilegij conferat possessio.

52 *Quos effectus pariat. Possessio iuris*

RESPONDEO, Primò, *Possessio*, si sit bonæ fidei, parit præscriptionem; id est, facit vt res, quæ non est tua, elapso certo tempore fiat tua, & omnes fructus percepti. Secundò, Si oboriatur dubium de rei domicilio, & adhibita diligenti inquisitione maneat adhuc dubium vtrius sit, melior est conditio possidentis. Tertiò, in iudicio parit præsumptionem dominij. Vnde possessor non debet probare rem esse suam; sed alter, qui eam repetit: qui nisi id satis probet, nihil obtinebit. Quartò, Possessor potest armis suam possessionem non solum naturalem, sed etiam ciuilem tueri, L. 3. ff. de vi & vi armata. & L. 1. C. Vnde vi, & cap. Olim, de restitut. spoliatorum. vt si foris rediens, inuenias domum tuam, vel agrum ab aliquo iniusto inuasore occupatum, potes illum armis expellere, conuocatis ad id auxilijs necessarijs: seruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia hoc nō est inuadere alium, sed suam possessionem tueri, sicut enim non teneor pati, vt quis me dejciat à possessione naturali domus, vel agri; ita neque à ciuili: dejcior autem si non audeo illum expellere. Quintò, Possessor expulsus potest armis suam possessionem repetere, modò id fiat confestim, & non ex intervallo; inquit Vlpianus dicta L. 3. vt dum fur rem tuam auferens fugit; dum rediens domum, repulsus es ab iniquo inuasore. *Dicitur autem fieri confestim*, vel *ex tempestate*, quod fit q; amprimum commode fieri potest; spectata rei difficultate, & ceteris circumstantijs; vt si auxilia contrahenda essent. vide Sil. Bellum 2 nu. 3. Sextò, Si Dominus rei expellat iniustè possessorem à possessione, amittit dominium, & applicatur expulso. Si non sit dominus, tenetur reddere possessionē expulso, & insuper æstimationem eius; vt habemur L. Si quis in tantum 7. C. Vnde vi. sed hæc lex, præterquam quòd pœnalis sit, ac proinde nō obliget ad hanc restitutionem ante sententiam, non videtur amplius in vsu. vt docet Couar. l. 3. variarum c. 16. num. 7. Septimò, Si is, qui amisit possessionem, non expellat occupatorem, sed probet *illum* vi, clam, aut precariò à se accepisse, adiudicabitur ei possessio, siue ille occupator titulum habeat, siue non. Spoliatus enim ante omnia est restituendus. cap. 12. & multis aliis de restitut. spoliat. & 3. quæst. 1. & ff. de vi & vi armata. & ff. quod vi aut clam. & ff. de precario. Si autem nihil horum trium probare potuerit, alter retinebit possessionem. §. Quorum vis in fine Instit. de Interdictis. Sed agendum erit de proprietate, quod vulgò de petitorio dicitur.

Si res subtracta erat defuncto, qui illam tempore mortis possidebat; adiudicanda est eius possessio hæredi, postquam hæreditatem adierit. §. Sequens diuisio. Instit. & Interd. L. 1. ff. & C. Quorum bonorum. nec refert vtrùm clam subtracta sit, an palam tradita tanquam hæredi, vel legatario, cum talis non esset. Si tamen possessor statim posset ostendere legitimum titulum, non esset priuandus possessione: vt si res vsucapta sit: vt colligitur ex d. L. 1. ff. Quorum bonorum. iuncta Glossa.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Quibus, & in quæ Dominium competat. *Conſtat XI. dubit.*

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm ſoli naturæ rationali Dominium competat.

1 RESPONDEO, *ſoli naturæ rationali conuenire, ſcilicet Deo, Angelis, hominibus.* Ratio eſt, quia fundamentum omnis dominij eſt intellectus, & libera voluntas, quæ ſoli naturæ rationali inſunt. Quod probatur Primò, quia illud eſt fundamentum dominij, per quod homo habet poteſtatem diſponendi de rebus: hanc autem habet per intellectum, & voluntatem: quia per hæc immediatè habet poteſtatem in ſuos actus; & per ſuos actus in res externas. Secundò, quia ratio dominij includit poteſtatem liberam, & ordinationem in aliquem finem: atqui ſolius rationis, & voluntatis eſt ordinare aliquid liberè in aliquem finem. Tertiò, confirmat ex Script. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris, beſtijs terræ, &c.* vbi tribuitur homini præfectura, & dominium in beſtias terræ, & pisces maris, ratione imaginis diuinæ, quæ conſiſtit in intellectu, & voluntate libera. Vide Franciſcum Victoria, relect. de Indis 1. p num 20.

2 *Dominium Dei quale.* Deus quidem ſummum quoddam, abſolutiſſimum, & prorſus independès in omnes creaturas habet dominium; ratione creationis, & conſeruationis, per quam tota creatura, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum omnes ſuas perfectiones eſt ex ipſo, & per ipſum, & in ipſum. Vnde de omnibus liberè diſponere poteſt prout placuerit; nec cuiquam fiet iniuria: ſepoſita tamen ipſius liberali promiſſione, & ordinatione, quæ quandam obligationem inducit, non quidem *Iuſtitiæ* propriè, ſed *Fidelitatis*, ſeu *Veritatis*; quæ virtus paſſim in Scriptura *Iuſtitia* vocatur. de quo plura 1.2. quæſt. 114. Cumque ſit immutabilis, inducit etiam quandam neceſſitatem, ita vt aliter diſponere nequeat, quàm ordinauit. Hoc dominium Deus neque poteſt abdicare, neque vlli creaturæ communicare, neque vllam creaturam ab eo eximere: quia titulus eius neque communicari poteſt, neque ab eo quiſquam eximi. Hic enim titulus eſt creatio, & aſſidua conſeruatio cauſæ ſupremæ, & independentis. Itaque omne dominium quod creaturis communicatur, infinitis partibus eſt minus; & eſſentialiter dominio diuino circa vnam quamque rem ſubordinatum, ab eoque dependens.

3 *Angelorum quale.* Angeli propriè non videntur habere dominium, niſi ſuarum actionum. Poſſunt tamen etiam dici habere dominium rerum corporalium: quia magnam habent authoritatem illas adminiſtrandi; quę authoritas interdum dominium dicitur. Sed hoc dominium non eſt tale, quale humanum, eo quo modò loquimur. Non enim adminiſtrant illas vt ſuas; neque in ſuum commodum; ſed ſicut Præfecti Regij Prouincias. & Vrbes, Regis nomine. Secus eſt de dominio Chriſti hominis, cui omnia dedit Pater in manus, vt ſint ipſius. de quo 3. p. q 8.

4 *Hominum.* Hominibus propriè conuenit hoc dominium in res externas: nam his ſolis res externæ conceſſæ ſunt, vt de illis liberè diſponant ad ſua commoda: quod maximè verum eſt de omnibus rebus ſublunaribus. Vnde Pſalm. 8. dicitur: *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues, &c.*

5 Cœleſtia corpora, etſi condita ſint ad hominis miniſterium, tamen homo non propriè dicitur illorum dominus; quia nihil circa ea poteſt diſponere, vel mutare: commoditatum tamen, quæ ab illis percipiuntur, dominus dici poteſt.

DVBITATIO II.

Vtrùm paruuli ante vſum rationis habeant verum dominium.

RESPONDEO, habere verum dominium, vt patet ad Gal 4. *Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium*, vbi Apoſtolus illi tribuit verum dominium hæreditatis relictæ. Nec refert quòd careat vſu rationis, & libero arbitrio: quia etſi ad vſum dominij requiratur vſus rationis; non tamen ad dominium ipſum habituale, quòd immediatè fundatur in potentijs: quod autem non poſſint habere vſum iſtarum potentiarum, prouenit tantùm ab impedimento extrinſeco; ſcilicet ex redundantia humorum in cerebro. Idem dicendum de amentibus. Vide Victoriam, relectione de Indis, num. 21. & 22.

DVBITATIO III.

Vtrùm filij familias ſub patria poteſtate conſtituti habeant dominium, & quarum rerum.

MAgni refert hæc noſſe, vt ſciamus de quibus validè abſque patris conſenſu poſſint diſponere.

Suppono quadruplex genus *peculij* filijs familias poſſe competere, *caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, aduentitium, profecticium*: eſt communis ſententia DD. Vide Sylu. verbo peculium, & Nauar. cap. 17. num. 142. *Caſtrenſe* dicitur quod in militia, vel occaſione militiæ partum, vt ſtipendia militum, & aliorum, qui caſtra ſequuntur; prædæ ex hoſtibus; donatiua ducum, vel commilitonum; teſtamenta, & legata occaſione militiæ; mobilia, à parentibus, vel alijs data eunti ad militiam, vel obſequium Principis, vel in illis verſanti; item quæ in obſequio Principis in Palatio, & quæ in cuſtodia alicuius arcis acquiruntur. Denique omnia lucra, quæ mediante aliquo contractu ex talibus bonis proueniunt.

7 *Quadruplex genus peculij. Caſtrenſe.*

Quaſi caſtrenſe dicitur omne id, quod ex beneficio eccleſiaſtico acquiritur. Imò quicquid acquiritur poſt clericatum, etiamſi alias eſſet aduentitium, vt expreſsè habetur Auth. Presbyteros. C. de Epiſcopis, & clericis, quod valdè notandum. Item quidquid acquiritur officio publico, non mechanico, vt Iudicis, Aduocati, Tabellionis, vel profeſſione alicuius artis liberalis; & quod datur intuitu talis functionis, vt libri qui dantur à parente, vel alio ei, qui artem profeſſurus liberalem; & quod liberalitate Principis: denique quod ab aliquo datur filio familias, vt ſit tanquam caſtrenſe, ſeu vt ipſe tantũ, non pater, habeat vſumfructum: vocantur hæc quaſi caſtrenſia, quia habent priuilegium caſtrenſium, etſi verè caſtrenſia non ſint: & quia clerici ſunt milites ſpirituales.

Quaſi caſtrenſe.

Aduentitium, quod non prouenit à parente, reſpectu cuius dicitur aduentitium; neque eius cauſa, vel intuitu principaliter datur; (ſic enim eſſet profecticium) ſed ſucceſſione, vel donatione alio intuitu facta, vel induſtria propria, vel fortuitò ei obuenit; ita tamen vt non ſit caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe, vt ſi inueniat theſaurum; ſi lucretur negotiando ex pecunia furtiua, aut mutuo accepta; tunc enim lucrum eſt peculium aduentitium; ſi in domo parentis aliquid extra ordinem lucretur, præteritis ordinarijs operis ad quas tenetur; ſi plus lucretur quã conſumit,

Aduentitium.

&

& insinuet se cupere lucrum: si non insinuat, censetur id concedere amori parentis, de quo vide infrà cap. 12. n. 81. Mortua matre ante patrem, bona materna sunt aduentitia filio respectu patris. Non tamen si pater præmoriatur, eius bona sunt aduentitia filio respectu matris: quia hoc ius oritur ex patria potestate, quam non habet mater in filium. Vide Nau. & Sil. suprà, & Molinam disput. 9. & 232. & L. 4. & 6. C. de bonis quæ lib. in potestate, &c.

Profectitium est quod prouenit à parente viuo, vel principaliter, & proximè eius causa datur; necesse castrense, aut quasi castrense, vt sunt ea quæ à parentibus conceduntur filijs, vt ea administrent; & quæ dantur filio ab alijs ob amicitiam, vel obsequium parentum: secùs si ob amicitiam; vel obsequium filij. L. 6. C. de bonis quæ lib. &c. & Sil. suprà cum Nauar.

Profectitia.

8 His positis, dico Primò, filius familias habet plenum dominium in peculio castrensi, & quasi castrensitia vt tota proprietas, & vsusfructus, & administratio horum bonorum sit penes filium. Ita communiter DD. Vide Nau. & Sil. suprà, sunt enim aperta iura. 2. & C. de castrensi peculio.

De castrensi & quasi castrensitia peculio.

Hinc sequitur Primò, filium de his posse disponere; nō secùs, ac si esset paterfamilias, per donationes, vel contractus, imò etiam per Testamentum, & vltimas voluntates: si tamen sit puber, i. si expleuerit annum 14. ante enim hoc tempus testari nequit L. A qua ætate. 5. C. Qui Test. fac. poss. qua de re infra cap. 19. dubit 4.

Sequitur Secundò, parentem ex his bonis non posse filij quidquam vsurpare, nisi quantum necessarium ad alimenta filij, cùm illum ex suis alat; alioquin tenetur ad restitutionem, si filius velit. quod si filius non speret futurum, vt parens restituat, potest vt occulta compensatione, vel mortuo parente petere à coheredibus: quod est notandum.

Dico Secundò, *Peculij aduentitij* filius est dominus directus, seu proprietarius: non tamen habet vsumfructum, seu vtilitatem. quamdiu est sub patria potestate; exceptis aliquot casibus. Primus est, si pater filio condonet vsumfructum hoc enim non est, donare de suis, (quod facere non potest) sed non vsurpare de bonis filij. vnde filius non tenetur hoc conferre in suam legitimam, quando cum fratribus cernet hæreditatem paternam. Secundus est si aliquid donetur filio, ea lege, vt parens vsumfructum nō habeat, tunc enim filius habebit etiam vsumfructū. vt Nauar. suprà. Tertius, si aliquid ei donetur patre contradicente, non enim est æquum, vt parens ex eo commodum reportet. Quartus, si vsusfructus alicuius rei filio relictus sit: tunc enim parens nihil habebit. Ratio est, quia super vsūfructum non potest statui alius vsusfructus: nam vsusfructus est ipsa commoditas, & vtilitas rei; vnde dicunt Iurisperiti *seruitutes non esse seruitutem.* Quartus, si filius vnà cum patre succedat in hæreditate fratris, vel sororis. Vide

9 *De aduentitio an disponat.*

10 *Quibus casibus filius vsumfructum habeat.*

11 Sil. verbo Peculium. 1. q. 3. His adde 6. casum. Si parens fiat hæreticus: nam hoc ipso filius efficitur successoris. cap. 2. §. fin. de hæret. in 6. ac proinde redit ad eum vsus fructus, quem pater habebat in bonis aduentitijs filij. Simanchas in Cathal. inst. tit. 9. num. 81. His euentis vtilitas pertinet ad filium; sicut bonorum castrensiū, & quasi castrensium; & coaluisset vsusfructus cum dominio directo. Spectandæ tamen hic in re locorum cōsuetudines, & propria iura. Hinc sequitur, nihil de illis extra casus prædictos non posse disponere; quia administratio, & vtilitas est penes patrem; potest tamen de illis donare causa mortis, patre consentiente: vt expressè habetur L. Tam is. 25. C. de mortis causa donat. Non tamen de his testari, etiamsi pater consentiat, nisi ad pias causas; vt patet ex cap. Licet pater 4. de sepulturis in 6. Potest tamen de castrensibus, & quasi castrensibus absolutè testari, vt ibidem dicitur.

Dico Tertiò, *Profectitium* nullo modo habet dominium; quia dominium directum, & vtile est apud parentes: neque filius habet authoritatem administrandi nisi in eorum vtilitatem. vnde non potest de his quidquam alienare, vel in suam vtilitatem conuertere absque consensu parentis, respectu cuius profectitium dicitur; alioquin furtum committit. Hinc fit, vt ob crimen filij hæc bona non possint fisco addici.

12

DVBITATIO IV.

Vtrùm serui habeant dominium aliquarum rerum.

RESPONDEO & dico Primò, Seruos non videri habere aliquod dominium omninò perfectum, & independens à potestate dominorum. Probatur Primò quia iura expressè dicunt *seruos quidquid acquirunt quauis causa, vel occasione, dominis acquirere*, vt patet Institut. per quas personas bonis acquir. §. Item nobis & L. Id vestimentum. 25. C. de peculio. vbi dicitur *Seruum nec ipse dominium vestimenti quotidiani; quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest.* 13

Seruorum dominium non est independens.

Secundò, quia Innoc. 4. in c. Cùm olim. 2. De priuilegijs, dicit *seruum, & Monachum in eo esse pares, quod neuter alicuius rei dominium habeat.* quam sententiam Nauar. de Redd. quæst. 1. monito 10. in praxi & theorica receptam ait.

Tertiò, quia si seruus secundum se totum quidquid est, domini est, multò magis ea, quæ habet, dominij sunt: accessorium enim sequitur suum principale.

Hinc sequitur, Dominum non facere iniuriam propriè, si seruo res suas adimat; sicut faceret si ab alio acciperet: quia ius omnia serui subiecit potestati domini. peccaret tamen dominus, si id, quod concessit ei vt proprium, de quo pro arbitrio suo posset disponere, absque iusta causa auferret. id enim, præterquam quòd sit inhumanum, est etiam contra fidem tacitè ei datam: nam dum sic concedit, concedit absolutè, & in perpetuum, taciteque promittit non reuocare. 14

Dico Secundò, Possunt tamen serui habere aliquarum rerum dominium imperfectum, ita vt eas non teneantur dominis suis tradere: quamuis domini absque iniustitia possint illos priuare. 15

Probatur. Primò, quia etsi iura concesserint dominis potestatem res seruorum sibi vsurpandi, non tamen idcirco fecerunt seruos incapaces omnis iuris, & dominij, instar Religiosorum, nempe vt non possint ea, quæ acquirunt, occultare, & teneantur ea dominis exhibere, imò credibile est id non potuisse facere: tum quia nulla causa legitima suberat; (vnde ob nullum delictum talis incapacitas hactenus est inflicta) tum quia non est consentaneum humanæ imbecillitati vt tale onus imponatur inuito; esset enim nimis magna occasio peccandi. Secundò, quia serui possunt seipsos redimere, vt patet L. Vlt. 53. C. de iudicijs vbi seruus datur actio contra dominos, *si dicant se suis nummis redemptos, & non manumissos contra placita fisci.* Casus autem præcipui, in quibus potest seruus aliquod dominium comparare, videntur esse isti. 16

Lex non potest seruos tam reddere incapaces, vt sunt professi.

1. Si Dominus expressè, vel tacitè consentiat vt possit aliquod peculium habere.

Quibus casibus seruus sibi acquirat.

2. Si seruo aliquid donetur, vel legetur ea conditione, vt ad dominum non perueniat: tunc enim si dominus vsurparet, hoc ipso amitteretur.

3. Si relinquatur seruo absolutè, & sine conditione, non tamen intuitu domini. v. g. ob industriam, vel officium exhibitum: hoc enim videtur dari, vt non sit domini, sed tantum serui.

4. Si ei aliquid detur in compensationem iniuriæ illatæ. compensatio enim fit, vt ex ea solatium capiat, loco doloris, quem passus est; non vt dominus eius inde ditescat. vnde contra omnem humanitatem esset hoc ei auferre.

5. Si aliquid lucretur sua pecunia: sicut si filius lucretur peculio castrensi, vel quasi castrensi. lucrum enim subit eamdem rationem, quam sors, quando quis nomine suo eam exponit.

6. Si aliquid sibi subtrahat sine domini incommodo, quod libere poterat consumere, vel expendere, aut præter opera præscripta quædam alia faciat, ex quibus quæstum colligat.

Ex his patet multum interesse inter Monachos, & seruos quoad dominij rationem, & si enim in eo conueniant quòd neutri habeant dominium omnino perfectū; tamen Monachi nullum omninò in particulari habent, vt statim dicemus, & præterea sunt omninò incapaces; serui verò sunt capaces, & præterea habent aliquod dominium imperfectū, ratione cuius possunt sua authoritate rebus suis 17

Differentia inter dominia seruorum & Monachorum.

vti, & frui, eaſque alienare abſque domini conſenſu. & quamuis proteſtari domini aliquo modo ſubiectũ ſit, eſſet tamen inhumanitas, & abuſio quædam heriis authoritatis, ſi hac poteſtate dominus vteretur. Vide Nauar. de Redditibus, q.1. monito 10. & 11. & Petrum Nauar. lib.3. de Reſtit. c.1. nu.117.

Sententia minor. Notandum tamen eſt, multos DD. concedere ſeruis verum, & perfectum dominium in pleriſque caſibus ſupra dictis; eiſque fieri veram iniuriam obligantem ad reſtitutionem, ſi dominus res ipſis conceſſas auferat. Iura autem, quæ tradunt ſeruos quidquid acquirunt domino acquirere, intelligenda regulariter. Ita Molina Diſput. 38. Poſſet etiam addi, Iura illa conſuetudine eſſe mitigata: & hoc malum in praxi. Itaque poſſet ſeruus vti occulta compenſatione, ſi dominus ei res ſuas abſtuliſſet.

DVBITATIO V.

Vtrùm Religioſi habeant aliquarum rerum dominium.

18 *Sententia Nauarri.* NAVARRVS commentario 2. de Regularibus. nu. 3. 34. & alibi, docet ne ipſis quidẽ congregationibus Religioſorũ, quæ poſſunt habere reditus & bona immobilia in communi, competere dominium proprie talium bonorum; ſed ſolum adminiſtrationem: dominium autẽ conſiſtere apud ſolum Chriſtum dominum. Idem docet de omnibus clerici reſpectu bonorum Eccleſiaſticorum, in apol. q.1. monito 24. & ſequentibus. In eadem ſententia eſt Maior in 4. d 24. q.6. Ratio præcipua eſt, quia hæc bona paſſim in Iure vocantur *patrimonium Chriſti*. Sed contraria ſententia eſt communis DD. pro qua.

19 Dico Primò, Religioſi profeſſi poſſunt in communi habere dominium bonorum temporalium, ita vt ipſa cõgregatio vero dominio illa poſſideat.

Conuentus Religioſorum habet dominium. Probatur Primò, ex Conc. Triden. ſeſſ 25. cap. 3. de Regularibus, vbi conceditur *omnibus monaſterijs, & domibus tam virorum, quàm mulierum etiam mendicantium, exceptis Franciſcanis, (nempe Capucinis, & minoribus de obſeruantia,) vt deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat.* atqui non propriè dicitur *poſſeſſor*, qui ſolam habet adminiſtrationẽ, ſed qui dominium.

Secundò, Quia Nicolaus III. Extrau. Exijc, docet *dominium rerum quibus Franciſcani vtuntur, ad Papam pertinere, non autem ad eorum congregationem*; vbi inſinuati in alijs religionibus, quibus licet habere bona in communi, dominium pertinere ad ipſas congregationes.

Reſpondit Nauarr. comm. 2. nu. 3. per *dominium* ibi intelligi *Ius adminiſtrandi.*

Contrà; quia ſedes Apoſtolica plus iuris in illa bona, quam ſit Ius adminiſtrandi, habere videtur. nam poteſt ea pro ſuo arbitratu illis auferre, & dare alijs abſque iniuria; quod non poteſt in ea bona, quorum tantùm habet adminiſtrationem. Non enim poteſt vnius monaſterij bona ſine iuſta cauſa dare alteri monaſterio, vel Eccleſiæ, abſque peccato iniuſtitiæ; cuius ratio non eſt alia, quam quòd non habeat illorum dominium, ſed ſolum Ius adminiſtrationis.

Tertiò, Quia communis ſententia DD. eſt, *Monachum quidquid acquirit, non ſibi acquirere: ſed monaſterio*: vt docet Innocent. communiter receptus in capit. Cùm olim. 2. de priuilegijs. atqui hoc impropriſſimè diceretur, ſi ſolùm ius adminiſtrandi, non autem dominium monaſterio acquireretur.

Quartò, Si communitas non haberet dominium horũ bonorum, vel id proueniret ex Eccleſiæ ordinatione, vel ex vouentium intentione, vel ex intentione donantium. ſed ex nullo horum poteſt prouenire: neque enim vlla eſt talis ordinatio Eccleſiæ, quæ cõmunitatem faciat incapacem dominij: neque intentio vouentium eſt, vt per votum paupertatis, aut profeſſionem excludant dominiũ a communitate; ſed tantùm à ſingulis in particulari: neq; intentio fidelium donantium hæc bona, eſt transferre dominium illorum in quemquam alium, quàm in ipſos ordinum conuentus; ſicut qui dat pauperi eleemoſynam, non intendit transferre dominium in alium, quàm in pauperem. vide Franciſcum Sarmientum de Reddit. Eccl. p.1. cap.1. nu.21. & 22.

Aduerte tamen, hoc dominium non ita eſſe abſolutũ, 20
& independens vt ſæcularium: Primò, quia annexum *Hoc dominiũ eſt limitatũ, & affectum.*
habet onus, vt non poſſit alienari, (ſaltem quoad bona immobilia, & mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt) *niſi in commodum religionis*, ſed debeat tranſmitti ad poſteros: ſic enim illorum conuentui donatum eſt, & ſacris Canonibus conſtitutum, vt religio perſeuerare poſſit. qua in re eſt ſimile maioribus, qui etſi alienari non poſſint, tamen vero dominio poſſidentur. Secundò, quia ob legitimam cauſam, per Papam (qui eſt ſummus adminiſtrator omnium eccleſiaſticorũ bonorum) poteſt ipſis admi, & alio transferri, relictis tamen ad vitam neceſſarijs: vt patet tum ex praxi quotidiana, tum quia hac mente à fidelibus cenſentur donata monaſterijs: vt ſi cultus diuinus in ipſis deficiat, poſſint Per ſummum Eccleſiæ diſpenſatorem melioribus vſibus applicari. Ad rationem Nauarri reſpondebitur infra.

Dico Secundò, Religioſi profeſſi ſolemniter, ſunt in 21
particulari omnino incapaces omnis dominij, vſusfructus, poſſeſſionis, & ſimilis iuris rerum temporalium, mobilium, & immobilium; ita vt nemo ex illis aliquid ſuo nomine, ſeu tamquam proprium tenere poſſit. Eſt certa, & communis Doctorum.

Probatur. Primò, ex cap.12. Non dicatis. 12. q.1. *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* Deſumptum eſt ex regula D. Auguſtini. Scripſit in illud Nauarr. commentarium ſecundum de Regularibus.

Secundò, Ex capitulo. Cùm ad monaſterium. 6. de ſtatu monachorum. vbi Innocentius III. ſic ait, *Prohibemus diſtrictè in virtute obedientiæ, ſub obtentatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo poſſideat.* Et infra dicit *nec Papam in eo diſpenſare poſſe.* & cap. Monachi. 2. eodem tit. Concil. Lateran. ait; *Qui peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta adminiſtratione permiſſum, à communione removeatur altaris.* &c.

Tertiò, Ex Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. *Nemini regulariũ, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuſcunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine conuentus poſſidere, vel tenere: ſed ſtatim ea ſuperiori tradantur, conuentuique incorporentur.* Ratio eſt, quia Religioſus per ſolemnem profeſſionem non ſolum ſpoliauit ſe omni dominio, ſed etiam ſe incapacem omnis dominij, & iuris temporalis fecit. etſi enim voto ſimplici paupertatis non amittas dominium, nec etiam eius fias incapax; tamen voto ſolemni amittis, & incapax redderis.

Vnde autem votum ſolemne paupertatis hanc vim ha- 22
beat, quæri poteſt. de quo infra cap.41. dub.8. Nunc tamen breuiter Dico, Ex ordinatione Eccleſiæ hanc vim habere. quod ex eo conſtat, quia non habet eam præcisè ex natura voti: vt patet in voto ſimplici, quod non minus eſt efficax in ratione voti, quam ſolemne, & tamen nunquam poteſt inducere hanc incapacitatem. Neque etiam ex intentione vouentis: ſi enim voueas in religione non approbata à ſede Apoſtolica, quantumuis intendas te reddere incapacem dominij: tamen incapax non fies: nemo enim ſuo arbitratu ſe poteſt reddere incapacem. Vnde non relinquitur aliud, quàm ordinatio Eccleſiæ ſtatuentis, vt profeſſio in religione approbata hunc effectum habeat. Simile eſt in incapacitate matrimonij, per ſolemne votum caſtitatis inducta.

Votum ſolemne reddit incapacem ex ordinatione Eccl.

Dices, Supra nu.21. dictum eſt Papam non poſſe concedere vt Monachus *proprium* habeat; atqui ſi ex conſtitutione Eccleſiæ proueniret, quòd non ſit capax dominij, Papa poſſet ei proprium concedere; quia poteſt in Eccleſiæ conſtitutione diſpenſare.

Reſpon. *Proprium* dupliciter accipi poteſt. Primò, vt ſignificet dominium, quòd in ſe, & ſui vſu ſit omnino independens ab arbitrio Superioris, & tale proprium non poteſt cõcedere: quia eſſentiæ ſtatus regularis repugnat. Nam ex vi voti paupertatis, & ipſa dominij retentio, & eius vſus arbitrio Superioris ſubijcitur; ita vt ſi Religioſus dominium retineat, illud ſecũdum ſe, & ſui vſum debeat aſſiduè à nutu Superioris depẽdere, vt infrà c.41. dubi.9 oſtendemus. Itaque cõſtante Religionis natura, hoc propriũ concedi nequit. De tali loquitur Põtifex d. Cap. Cùm ad monaſterium. 6. & Concil. Lateran. loco citato.

Quomodo nõ poteſt habere proprium, ſeu dominium.

Secundò, poteſt accipi generatim, vt comprehendat

etiam dominium, vt quod in ſe, & in ſui vſu à Superioris arbitrio dependet. & hoc modo Papa poteſt *proprium* ſeu dominium concedere. tale enim proprium cum eſſentia Religionis non pugnat, vt infrà loco notato dicetur. & huius *proprij* incapacitas ex Eccleſiæ conſtitutione prouenit, non ex ipſius voti natura, aut vouentis intentione, vt oſtenſum eſt.

Addo, Eccleſiam etiam abſque profeſſione poſſe aliquem incapacem dominij, & matrimonij reddere; vt videre eſt in ijs, qui in noſtra Societate cooptantur in Coadiutores formatos, ſiue ſpirituales, ſiue temporales; qui etſi profeſſionem non faciant, tamen per formulam ſuorum votorum redduntur incapaces, & dominij, & matrimonij, ita ſtatuente Sede Apoſtolica. Simili modo, qui in gradum Scholaſticorum, vel Coadiutorum poſt biennium admittũtur, fiunt inhabiles ad matrimonium, eiuſdem Sedis Apoſtolicæ decreto, quæ hanc incapacitatem, & inhabilitatem votis illorum adnexuit. Ex ſupradicta propoſitione infert Nauar. lib. de Redditibus q. 1. monito 10. & 12. & commentario 2. nu. 2. Religioſum profeſſum nullius rei habere dominium, ne veſtis quidem, qua induitur, aut panis, quo veſcitur; ſed quidquid habet, eſſe penitus ſubiectum adminiſtrationi Superioris, ſine cuius conſenſu nihil omninò habere poſſit. 23 24

Vnde Sequitur Primò, Peccare mortaliter, ſi aliquid notabilis momẽti recipiat, & retineat, ſine tacito, vel expreſſo conſenſu Superioris. Secundò, Si donatione, vel alio modò tale quid alienet, ſine Superioris conſenſu; & eum, qui accepit, teneri ad reſtitutionem. Tertiò, Si abſcondat, ne Superior ſciat. Quartò, Si poſſideat aliquid tamquam proprium, nolens illud permittere Superioris diſpoſitioni: aut murmurans tamquam iniuria affectus, dum ei adimitur. Ratio eſt, quia hæc omnia, dum abſque conſenſu Superioris fiunt, ſunt actus dominij independentis, & iuris proprietarij; qui per votum paupertatis religioſæ reddiuntur illiciti; vt quibus votum, & profeſſio violetur. 25 *Confectaria. Peccat religioſus peccato proprietatis.*

Dixi *Religioſos eſſe incapaces dominij rerum temporalium*; quia iurium, & bonorum ſpiritualiũ poſſunt habere dominium, vel quaſi dominium. Nam regulares beneficiarij habent dominium, vel quaſi dominium, & poſſeſſionẽ ſuorum beneficiorum; & poſſunt agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & ad adipiſcendum, retinendum, & recuperandum eorum poſſeſſionem. Similiter ſimplex Religioſus poteſt agere nomine proprio, ſuper iure eligendi ſibi competente, & iure alimẽtorum, & iure manendi in tali, vel tali monaſterio. de quo vide Nauarr. qu. 1. de Redditibus, monito 9. & cõmentario 1. de Regularibus. Ratio eſt, quia Religioſi per votum paupertatis non renuntiant bonis ſpiritalibus, nec iuribus prædictis, aut honoribus, qui pro talibus debentur; ſed tantum temporalibus; vt docet D. Tho. 2. 2. qu. 186. ar. 7. ad 4. & Caiet. ibid. 26 *Non ſunt incapaces Iurium ſpiritualium.*

Dico Tertiò, quidam Religioſi non profeſſi, ſed tamen per ſolum votum ſimplex acceptatum ab Eccleſia facti verè Religioſi, non ſunt incapaces dominij: ſed retinent illud quamdiu Superiori videtur; non tamen poſſunt habere vllum vſum ſuorum bonorum, vel aliorum, ſine Superioris conſenſu. Patet ex conſtitutione Gregor. XIII. edita hac de re anno 84. quæ incipit, *Aſcendente domino*, &c. Tales ſunt Scholaſtici approbati, & Coadiutores, emiſſis votis poſt biennium probationis, in Societate IESV. 27 *Religioſi non profeſſi.*

Vbi Notandum eſt, nõ eſſe de eſſentia paupertatis Religioſæ vt reddat hominem dominij incapacem, vel etiã vt dominio priuet, ſed tantùm vt primet poteſtate vtendi ita vt abſque Superioris conſenſu non poſſis vlla re vti, vel de vlla diſponere; & illo volente teneatis etiam eius dominium abdicare. Ratio eſt, quia parui momenti eſt dominium, cuius vſus ita eſt impeditus, & dependens, & alienatio ſic obſtricta, & debita, dominium enim rerum non æſtimatur niſi propter vſum, & poteſtatem diſponendi; vnde ſi poteſtas vtendi, & diſponendi ita impediatur in aliquo per votum ac ſi non eſſet dominium, ſanè talis merito Religioſæ paupertatis cultor eſt cenſendus. nihil enim amplius habet in rebus temporalibus poteſtatis, quæ in actum poſſit exire, quàm is qui dominio caret. 28 *Conſectaria. Eſſentia paupertatis Religioſæ.*

Hinc ſequitur Primò, Talem, ſi alicuius rei, etiamſi ſua ſit, vſum vſurper, abſque Superioris conſenſu tacito, vel expreſſo, peccare mortifere, ſi res ſit notabilis momẽti; quia non iecùs eſt priuatus poteſtate vtendi, quam ſi ſua non eſſet. Secundò, ſi de ea diſponat in alium, per donationem, teſtamentum, vel aliter abſq; conſenſu Superioris, non ſolum peccare mortaliter, ſed etiam diſpoſitionem eſſe irritam. Cuius ratio eſt, quia per votũ paupertatis à legitimo Superiore acceptatum priuauit ſe poteſtate diſponendi ſuo arbitrio, ſolumque retinuit poteſtatem diſponẽdi ex arbitrio, & conſenſu Superioris. vnde ſi hic conſenſus deſit, diſpoſitio erit irrita; idque multo maiori ratione quam diſpoſitio Prælati de re Eccleſiæ eſt irrita, ſi fiat abſque conſenſu Capituli. Simili modo diſpoſitio pupilli eſt irrita abſque conſenſu tutoris: etſi enim totum dominium ſit in pupillo, tamen hoc dominium eſt impeditum, translata poteſtate diſponendi in tutorem. Simili modo dominium talis Religioſi eſt impeditum, ita vt non poſſit exire in actum, niſi dependenter à voluntate Superioris. conceſſa tamen poteſtate diſponendi, poteſt diſponere in quaſuis pias cauſas: nec Superior poteſt illum ad hanc, vel illà reſtringere, vt ex Conſtitut. conſtat. *Diſpoſitio eſt inualida abſque Superioris conſenſu.*

Dico Quartò, Religioſi beneficiarij vt Abbates, Priores, Præpoſiti, Cõmendatores, & ſimiles habentes beneficia regularia, vel ſæcularia, etſi nullum habeant dominium; habent tamen ius adminiſtrandi, & diſpeniandi fructus ſuorum beneficiorum, tum ad ſui ſtatus congruã ſuſtentationem, tum ad alias pias cauſas. Id enim iure, & conſuetudine eſt eis conceſſum, quamdiu illa beneficia obtinent; vt probat Nauarr. comment. 2. de Regular. nu. 10. quamuis Franciſcus Sarmiento prima parte defenſionis, monito 12. contrarium teneat. de quo plura infr. cap. 41. dubit. 10. 29 *Religioſi beneficiarij.*

Ex his ſequitur, Religioſum factum Abbatem, Commendatorem, vel Epiſcopum, etſi poſſit expẽdere in vſus proprios neceſſarios, & decentes, & ad pias cauſas; nõ tamen poſſe expẽdere in res vanas, aut ditare ſuos amicos, & ſi fecerit, teneri ad reſtitutionem: ſimiliter & eos, qui illa acceperunt. Ratio eſt, quia omnium iſtorum bonorum non eſt dominus; ſed ſolum adminiſtrator, & diſpenſator, habens tantummodò ius ad expendendum illa bona iuxta præſcriptum Canonum, & Religionis, & intentionem eorum, qui ea Religioni, vel Eccleſiæ reliquerunt. Vide Nauar. q. 3. de Redditibus, monito 17. & 33. *Quomodo religioſi poſſint expendere.*

Dico Quintò, Superiores religionum non poſſunt alicui regulari concedere vlla bona ſtabilia, (vt ſunt fundi, reditus, ædium locationes) etiam ad vſum duntaxat, vel adminiſtrationem; colligitur ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. de regularibus, vbi ſic habetur, *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad vſum fructum, vel vſum, adminiſtrationem, vel commendam. Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, vel tenentium, ad ſolos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat.* Nauar comment. 2. de Regular. num. 15. & 18. putat hoc decretum ſolum continere ius commune, eſſeque declarationem capituli. *Cùm ad monaſterium*: ac proinde ſolum prohiberi conceſſionem ſuperfluam, aut ad quoſuis vſus etiam prophanos. ſed longe verius eſt hic nouum ius contineri, & introduci; idque tum ad tollendos abuſus, qui ex hiſce conceſſionibus bonorum immobilium ſequi ſolent; tum propter ſpeciem proprietatis, dum regulares talia bona tamquam ſua videntur adminiſtrare, & fructus in quoſuis vſus exponere. Itaque etiamſi non ſit contra votum paupertatis aut contra ius commune, habere cum facultate Superioris, eumque aſſidua ab eius nutu dependentia, talium bonorum adminiſtrationem, & vſum ad quaſuis pias cauſas; tamen Concil in poſterum prohibet, & vult ad ſolos officiales horũ adminiſtratione deinceps pertinere; vt aperte colligitur ex reſponſis Illuſtriſſimorum Cardinalium, qui præſunt dubijs circa decreta Concil. Tridentini oborientibus, qui ne nobiliſſimis quidem perſonis id concedere voluerunt, hoc Concilij decreto permoti. 30 *Conceſſio bonorum ſtabilium. Sententia Nauarri.*

Hinc ſequitur, etſi cenſus vitales poſſint permitti pro alimentis, & vſibus neceſſarijs eorum, qui monaſterijs ingrediuntur; tamen horum adminiſtrationem non poſſe ipſis concedi; ſed ſolis officialibus; quãuis eorum fructus vſibus deſtinatis impendantur. Illi quoque, pro quibus reli- 31 *Cenſuum vitalium adminiſtratio.*

relicti ſunt, nihil ſibi iuris in illis vindicare poſſunt: Vnde Superior poteſt illos etiam in alios vſus expendere, modo tamen aliunde ſatis ipſis prouideat. Pontifex tamè cuius Religioſo poteſt talium bonorum liberam adminiſtrationem, & vſum concedere; modo tamen id fiat ad cauſas pias: quia cùm ſit ſupra Concilium, poteſt in eius præceptis diſpenſare; de quo 2.2.q.1.art.10.

33 *An teneantur ſponte cedere.* Aduerte tamè, ſi alicubi talis adminiſtratio rerum mobilium, vel immobiliũ ad vſus neceſſarios concederetur, non teneri religioſos ea Superioribus ſponte tradere; niſi conſtaret alia ratione, ex communi penu, (vt fit vbi perfecta vitę communio ſeruatur) ipſis proſpectum fore. vnde multis locis poſſunt excuſari. niſi enim hoc modo illis eſſet prouiſum; plerumque neceſſarijs rebus deſtituerentur, maximè vbi Abbatiæ dantur in Commendã, vel malè per Prælatos adminiſtrentur. Si tamen à Superiore legitimo alia ratio certa inſtitueretur, per quam iuxta formam vitæ communis, ipſorum neceſſitatibus ſatis foret conſultum; non poſſent huic reformationi reſiſtere, etiãſi illam priorem rationem in ingreſſu inueniſſent.

33 *Aliqua mobilia poſſunt concedi, etiam pecuniæ.* Dico Sextò, Poſſunt tamen Superiores concedere aliqua mobilia ſuis ſubditis ad vſus neceſſarios, & etiam ad opera pia. Eſt communis ſententia DD. v.g. veſtes, libros, & ſimilem ſupellectilem, (hæc tamen debet eſſe ſtatui paupertatis accõmodata, omni carens ſuperfluo, vt Cõc. inquit) & etiam aliquam pecuniam, præſertim ad vſus certos, & determinatos. Vtrùm ad vſus ſuos, vel pios indeterminatè concedi poſſit, dubium eſt. Verius videtur poſſe; quia hoc neque eſt contra profeſſionem paupertatis, neque vllo iure vetatur.

34 Dices, Conc. Trid. etiam mobilium poſſeſſionem hiſce Religioſis prohibere videtur.

Reſp. Concilium loqui videtur initio capitis de eis bonis, quæ nondum erant incorporata monaſterio, aut ſine iuſta licentia Superioris à Religioſis obtinebantur: nam immediatè poſt tantùm vetat ne Superiores concedant ſtabilia, nulla facta mentione mobilium. Expedit tamen ob periculum proprietatis, & abuſus talia non concedi, niſi ad vſus omninò definitos.

DVBITATIO VI.

Vtrùm Clerici non religioſi habeant aliquorum bonorum dominium, & quorum.

35 *Tria genera bonorum clericis.* NOTANDVM ex Nau. q. 1. de Redditibus monito 19. *Beneficiarius ſæculares tria genera bonorum habere poſſe*; *Patrimonialia* qualia ſunt, quæ ipſi hæreditate, vel induſtria, vel donatione, vel alio modo, quo laici ſolent, ſibi acquirunt. *quaſi patrimonialia*; quæ ipſi acquirũt vt Clerici, miniſterijs Clericorum abſque beneficio; vt celebrando, cõcionando, canendo, confeſſiones audiẽdo, Vicaria temporali: item quæ aſſignantur alicui ad honeſtam ſuſtentationem ab Epiſcopo, vel Pontifice. *merè Eccleſiaſtica:* vt ſunt ea, quæ recipiuntur ratione Canonicatus, Decanatus, vel alterius beneficij tituli.

His poſitis.

36 Reſpondeo, & dico Primò, Clerici non religioſi habẽt verum dominium bonorum patrimonialiũ, & de illis vt laici poſſunt diſponere. eſt cõmunis DD. Ratio eſt, quia per Clericatum, vel Ordinem neque fiunt incapaces dominij, neque etiam ſe abdicant dominio, neque ſe obligant ad patrimonialia in pias cauſas expendenda.

37 *Poſſunt libere diſponere debent quaſi patrimonialib.* Dico Secundò, Clerici etiam habent abſolutum dominium quaſi patrimonialium; neque tenentur ea magis in vſus pios expendere, quàm bona patrimonialia. Ita Couar. in cap. Cùm in officijs. de teſtamentis n. 4. Nauarrus & alij. Ratio eſt; quia hæc dantur, vt ſtipendium quoddã ſuſtentationis, & veluti merces ratione operis præſtiti, vt de ijs diſponant pro arbitrio: non enim fideles qui hæc tribuunt, intendunt illis vllum onus imponere; ſed permittunt liberrimæ illorum diſpoſitioni; ſicut permittunt operarij arbitrio vſum mercedis, quam ei perſoluũt. Nec refert, quod hæc ſtipendia interdũ lõgè excedãt operam; quia libere à fidelibus dantur. Vnde ſi alicui pro vno ſacro dentur 10. aurei; non minùs fiet illius pecuniæ abſolutus dominus, quam is, cui datur vnus duntaxat regalis. ſi enim pauper ſit abſolutè dominus eleemoſynæ, quæ ei datur ſine onere, etſi ea magna ſit; cur Clericus non fiat dominus ſtipendij, quod ei liberaliter pro aliquo opere cõſtituitur? Vide Nauar. q. 1. de Redditibus, monito 19. & 39. vbi docet contra Innocentiũ, hæc bona æquari patrimonialibus; ac proinde clericos de illis libere diſponere.

38 Vnde ſequitur, ſi de his viuant, vel expendant in pias cauſas poſſe tantundem accipere ex redditibus beneficij, deque eo tamquam de patrimonialibus diſponere, quia cùm habeant ius accipiendi coram ſuſtentationem ex beneficio, non tenentur viuere ex alijs ſuis bonis. vnde ſi ex alijs viuant, poſſunt vti compenſatione, accipiendo tantundem ex beneficio. Rurſus cum alia bona non teneantur abſolute in opera pia expendere; ſi ſic expenderint, poterunt vti compenſatione ex bonis beneficij, quæ alioquin in talia opera conferre debuiſſent, vt docet Nauar. monito 32. niſi fortaſſe intenderint nõ vti compenſatione: quod non eſt præſumendum; niſi id expreſsè intenderint, & voluerint ſibi libertatem illam diſponendi adimere. Nemo enim ſe priuat iure ſuo, niſi volens.

39 *Pars ſuſtentationi neceſſaria.* Dico Tertiò, Epiſcopi, Canonici, & alij beneficiarij, quod ad eam partem fructuum attinet, quæ congruæ eorum ſuſtentationi eſt neceſſaria, ita fiunt domini, vt non magis teneantur ex ea erogare ad opera pietatis, quam ex bonis patrimonij. eſt ferè communis ſententia Theologorum, etſi multi Canoniſtæ diſſentiat. Ratio eſt, quia hæc pars eſt iuſta merces eorum, qui Eccleſiæ ſeruiunt. qui enim Eccleſiæ ſeruit, iure poteſt ex bonis Eccleſiæ viuere. Vnde ſequitur, ſi quid velint ex hac parte ſibi detrahere, poſſe de eo diſponere ſicut de bonis ſæcularibus: quia nullam habent obligationem particularem, cur hæc potiùs, quàm ſæcularia bona ſua in pauperes, vel pias cauſas teneantur impendere: vt rectè docent Couar. in c. Cum in officijs num. 2. Nauar. de Reddit. q. 1. monito 30. Sotus lib. 10. q. 4. artic. 3. concl. 6. Si enim liberè poterant hæc in ſuos vſus conuertere; cur, ſi ſeipſos fraudare, & parciùs viuere velint, vel reſeruatis fructibus beneficij vt patrimonialibus, non poſſint eos fructus cuiuis alteri donare? Idem ſentit Couar. de his redditibus quos dignißima, inquit, mercede Iuſtitiæ, & laboris impenſi in regimine Eccleſiæ, recipit is, qui Eccleſiæ curam geſſit; vt Paſtor, Lector Capituli, Scholaſticus, Decanus Chriſtianitatis, & ſimiles: quod etiam ex propoſit. 2. datis conſtat. eſt enim iuſta laboris merces, iuſtumque ſtipendium.

40 *Obiectio.* Dices, Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. omnino interdicit ne Eccleſiaſtici conſanguineos ditare ſtudeant de redditibus Eccleſiaſticis.

Reſpond. Concilium non loquitur de ijs, quæ quis ſibi hoc modo ſubtraxit, vel quæ iuſto labore promeritus acquiſiuit; (hæc enim non cenſetur fructus beneficij, ſed propriæ induſtriæ; vt rectè notat Nauar.) ſed loquitur de ijs, quæ tantùm ratione beneficij obueniunt, & ſuſtentationi redundant.

In congruenti ſuſtentatione poſſunt dari tres gradus. Notandum hic ex Nauarro, monito 45. ſicut iuſtum pretium rerum non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem: (datur enim infimum, medium, & ſummum) ita etiam congrua ſuſtentatio ſuos gradus habet. Quare ſicut quiuis iuſtè poteſt rem vendere pretio ſummo, ſeu rigido; ita poteſt ſumere quod ad ſummum conuenientis ſuſtentationis eſt neceſſarium: ac proinde ſi quid velit huic detrahere, poterit de eo diſponere. verbi gratia, infimum congruæ ſuſtentationis ſit 500. medium 600. ſummum 700. ſi velit vti Summo, & expendere tantum 500. in ſe ſuamque familiam alendam poterit 200. condere, vt liberè de eis diſponat.

41 *De parte quæ excedit latitud. congruæ ſuſtent. Sententia Nauarri.* Sed tota difficultas eſt de ea parte fructuum, quæ non eſt vlli gradui conuenientis ſuſtentationis neceſſaria, ſed ſuperflua: vt ſi percipis 1000. florenos ex tuo canonicatu, è quibus 500. omninò ſufficiũt, ita vt facilè 500 quotannis recondas: quæritur vtrùm efficiaris dominus illorum 500. ita vt non tenearis ex iuſtitia in opera pia expendere? Sunt duæ celebres ſententiæ. Prior eſt Nauarri, qui libr. de Redditibus eccleſiaſticis ſummis viribus nititur oſtendere, Clericos non eſſe dominos illius portionis redundantis; ſed ſolùm diſpenſatores; ita vt ex iuſtitia teneantur expendere in pias cauſas: ſi ſecus fecerint, obligari ad reſtitutionem in opera pia ex alijs bonis, quæ plenо iure retinent: ſicut œconomus bona domini ſui con-

tra intentionem illius expendens, ad reſtitutionem tenetur. Idem docent multi Theologi, Alexander Halẽſis 3.p. quæſt.36.art.2. Ricardus in 4.d.45 q.1.circa 3.principale Henricus quod lib.8.q.27. Hi expreſsè dicũt Clericos fructuum Eccleſiaſticorum ſolùm habere vſum, non proprietatem, Maior in 4.d.24 q.6.vbi etiã dicit nullum Doctorem ante ipſius ætatem contrarium tenuiſſe: in quo tamen fallitur. Gabriel in 4.d.15 q.8.art.2.& Paludanus dict.24.q.3. ſub finem, inclinant in hanc ſententiam tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum conformiorẽ: etſi fateantur alteram eſſe probabilem. Thomas Vualdenſis tom.1.lib.4.c.42.& quatuor ſequentibus. Petrus Soto de Inſtruct. Sacerdotum, p.2.lect.3. vbi dicit: *Primo omnium conſtat ex decurſu totius Eccleſiæ ab Apoſtolis, & ipſo iure diuino, bona omnium Eccleſiarum, cùm Chriſti ſint, meritis etiam pauperum eſſe: nec vlla ratione, aut poteſtate humana fieri poſſe, vt liceat in alios vſus quàm Eccleſiaſticos & pauperum expendi poſſint.* & infrà; *contrarium credimus errorem eſſe grauiſſimum; falſum contra bonos mores, & Inſtitutum: & quidni etiam contra Scripturam?*

In eadem ſententia ſunt plerique Canoniſtæ, vt oſtendit Nauar. Tract.de Reditibus, monito 7. & Sarmiento p.2.de Reditibus cap.1.& ſeq. etſi in quibuſdam minutis inter ſe diſcrepent. Eandem tenet Franciſcus Turrianus in quadam Epiſt.ad Epiſcopum Laodicenſem, quam refert Nauar. Tract.de Reddit.q.3.monito.35.

Altera ſententia huic ex diametro aduerſatur, Clericos beneficiarios eſſe, abſolutè dominos omnium prouentuum, quos ex beneficijs percipiunt, etiam partis illius redundantis. hanc docent paſſim recentiores.

42 *Sententia Nauarri eſt valdè probabilis.*

Dico Quartò, Sententia Nauar. qua parte tenet beneficiarios non ita eſſe dominos partis ſuperfluæ, quin ex iuſtitiæ teneantur eam in opera pia expendere; adeo vt ſi in alia infumpſerint, obligentur ad reſtitutionem, eſt valdè probabilis, facris canonibus, & rationi valdè conſentanea. Primò, quia eſt multorum Theologorum, & omnium pæne Canoniſtarum, vt Nauar. oſtendit. Secundò, quia multi Canones dicunt eam partem, quæ ſumptibus neceſſarijs ſupereſt, eſſe pauperum; & ex bonis Eccleſiæ vnam quartam deberi pauperibus; vt patet 12.q.2.

Tertiò, quia fideles non contulerunt tanta opes in Eccleſiam, vt Eccleſiaſtici ſoli illis fruerentur: ſed vt ex illis caperent, quod decenti ſuſtentationi neceſſarium, & reliqua in pauperes, aliaque pia opera conferrent: ergo acceperunt illa bona cum tali onere. quare etſi dominium omnium fructuum accipiant, tamen accipiunt cum hoc onere, vt quod ſupereſt in pauperes expendant. Hanc ſententiam tanquam tutiorem, iudico in praxi beneficiarijs conſulendam. Nihilominus.

43 *Altera vetior.*

Dico Quintò, Verius videri, poſt erecta beneficia, certoſq; prouentus ſingulis Titulis aſſignatos, Beneficiarios eſſici abſolutè dominos omnium illorum prouentuum; ita vt quamuis partem ſuperfluam profanè expenderint; tamen ad reſtitutionem pauperibus, vel alijs pijs cauſis non teneantur: peccare tamen mortifere, ſi hanc partem in opera pia non expenderint. ita paſſim. DD. huius temporis. Tradit hanc ſententiam Sotus lib.10. de Iuſtitia q.4.art.3 & 4.& videtur eſſe ſententia D. Thomæ q.185. art.7. vt conatur oſtendere Sotus & Sarmiento, quamuis Nauar. illum à ſe ſtare contendat. Adrianus in 4. Tract. de Reſtit. §.pro clariori concluſ.2.& 4. Covar. in cap. Cùm in officijs. de Teſtam. Franciſcus Sarmiento de Reditibus p.2.cap.1.& 2.& p.4.& alij multi recentiores. Dixi *poſt erecta beneficia*, quia antequam eſſent inſtituta, & ſingulis ſua portio aſſignata, alia erat ratio. tunc enim omnes oblationes, & redituum prouentus erant bona communia: nam Clerici viuebant in communi, ſicut modo Religioſi: & ſingulis dabatur ab Epiſcopo, qui omnium erat adminiſtrator, quantum cuique opus: quæ ſuperabant, conferebantur in pauperes, vel in alios pios vſus: vt colligitur ex Canonibus 12.q.2. Vnde tũc nemo habebat dominiũ, niſi eius partis, quam in ſingulos dies conſumendam accipiebat. Verùm proceſſu temporis, refrigeſcente charitate multa exorta ſunt incommoda; vel quòd non poſſent ita communiter pacificè inter ſe viuere: vel quòd plerique maiores commoditates experirentur; vel quòd nollent ſe ſtatui eccleſiaſtico ſub tanta diſciplina, tamque tenui dicta mancipare. Itaque ſeorſim beneficia, & prębendæ inſtitutæ, certique prouentus annui ſingulis annexi, ex quibus copioſè, ſeorſim, & pro ſuo arbitratu poſſent viuere.

Fieri dominos prouentuum.

Nunc probatur prior pars, *Ipſos fieri abſolutè dominos omnium prouentuum*. Primò, quia Canones id ſatis apertè indicant: nam cap. vnico, de Clerico non reſidente, dicitur, *Qui diuinis officijs non interſunt, (niſi infirmitas, ſeu iuſta, & rationabilis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas relenet) non ſunt domini quotidianarum diſtributionum; neque faciunt eas ſuas; ſed ad reſtitutionem ſic præceptorum obligantur.* Supponunt ergo alios, qui interſunt, fieri dominos: quòd ſi illi fiunt domini quotidianarum diſtributionum, cur non etiam aliorum prouentuum? præſertim cùm omnes dentur propter diuinum officium, ſiue publicè, ſiue priuatim dicendum?

Reſpondet Nauarrus, & Canoniſtæ, *eſſe dominos* quoad fidelem adminiſtrationem. Sed hæc expoſitio eſt extor[illegible]; nam ſic etiam Abbates eſſent *domini* ſuorum prouentuum, quod nemo dixerit. Secundò, Conc. Trid ſeſſ.22.c.3. De reformatione *ſtatuit, vt in omnibus Eccleſijs cathedralibus; & collegiatis tertia pars prouentuum, omnium dignitatum, perſonatuum, & officiorum, in diſtributiones diuidatur; vt ſcilicet qui eas obtinent, ſi perſonaliter competens ibi ſeruitium quolibet die ſtatuto non impleuerint, illius diei diſtributionem amittant, nec eius quoque modo dominium acquirant; ſed fabricæ, vel alteri loco applicetur.* Tertiò idem ſeſſ.23. capit 1. De reformatione *ſtatuit, vt Epiſcopi, qui vltra tres menſes (niſi vrgente neceſſitate) abſunt à ſuis Eccleſijs, fructus non faciant ſuos pro rata temporis abſentiæ; ſed teneantur fabricæ vel pauperibus erogare.* Idem ſtatuit de alijs curam animarum habentibus. His & alijs locis aperte inſinuat Conc. beneficiarios, ſi præſtent quod debent, fieri integrè dominos omnium ſuorum prouentuum.

44 *Non tenere ad reſtitutionem. Probatur ex D.Tho.*

Altera pars, *quòd non teneantur ad reſtitutionem, etſi profanè expendant*, videtur ſequi ex dictis. Si enim abſolutè ſunt domini, cur teneantur ad reſtitutionem? quiſque enim rei ſuæ eſt moderator, & arbiter. Idem ſentire videtur D. Thom. quæſt.185. artic.7. vbi cum ex can. De reditibus.12.quæſt.2. oſtendiſſet reditus Eccleſiæ & oblationes fidelium in quatuor portiones eſſe diuidendas, ex quibus prima danda ſit Epiſcopo, ſecunda fabricæ, tertia pauperibus, quarta Clericis; ſubdit, *Si ergo diſtincta ſint bona, quæ debent in vſum Epiſcopi cedere, ab his quæ ſunt pauperibus, & miniſtris, & cultui Eccleſiæ erogandæ, & ſi quid ſint reſtituerit Epiſcopus de his, quæ ſunt pauperibus eroganda, vel in vſum miniſtrorum, aut in cultum diuinum expendat; non eſt dubium quin contra fidem diſpenſatoris agat, & mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur. De his autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo vſui deputata, videtur eſſe eadem ratio quæ eſt de propriis bonis; vt ſcilicet propter immoderatum affectum, & vſum, peccet quidem ſi immoderate ea ſibi retineat, & alijs non ſubueniat, ſicut requirit debitum charitatis.* hæc ille. vbi videntur deeſſe hæc verba, *non tamen ad reſtitutionem teneatur*, vt notat Sotus: quia hanc reddit[illegible]nem requirit illud *quidem*; alioquin eſt oratio imperfecta & ἀνταπόδοτος, idem poſtulat illa oppoſitio, quam ſtatuit inter portionem ipſius vſui ſpecialiter deputatam, & inter portiones alijs deputatas, quarum ſolùm eſt diſpenſator. deinde, etiamſi illa verba non addantur; tamen ſatis manifestè res ipſa videtur inſinuari, dum ait eãdem eſſe rationem de bonis ſpecialiter ipſius vſui deputatis, & de propriis, ſeu patrimonialibus. quod non eſt ita intelligendum, quaſi Epiſcopus poſſit vtraque eodem modo expendere, dum ſuperflua ſunt, & honeſtæ ſuſtentationi redundant: id enim falſum eſt, & contra Conc. Trident. ſeſſ.25.cap.1. de reform. & contra multos Canones antiquos, quibus iubentur Eccleſiaſtici, quę ipſis ſupererant in cauſas pias erogare. Denique repugnat communi prudentum iudicio. quis enim dixerit, cui quotannis viginti, triginta vel plura aureorum millia redundant ex fructibus eccleſiaſticis, eum poſſe de illis ita liberè diſponere, vt de ſæcularibus? Itaque illud accipiendum quoad dominium, & immunitatem a reſtitutione in vtroque bonorum genere; vt colligitur ex verbis præcedentibus in corp. art. Item quoad hoc, quòd non teneatur illa, niſi neceſſitate vrgẽte, in pauperes erogare: qua non vrgente liberum ei ſit in alia pia opera infumere.

sumere. In his igitur est eadem ratio bonorum patrimonialium, & fructuum ecclesiasticorum alicui specialiter deputatorum. nō tamen negat D. Thomas quin absolutè teneatur superflua bonorum ecclesiasticorum vel in pauperes vel alia opera pia erogare, & quidem strictiori iure quàm superflua bonorum sæcularium; vt colligitur ex resp. ad 2. Vbi solùm permittit de illis bonis dari consanguineis, quantum necesse est vt non egeant. Aliter hunc locum exponit Sarmiento & Sotus; sed meo iudicio non rectè; quia sequeretur Episcopum vanè insumendo 50. milla aureorum superflua ex reditibus Ecclesiæ, non plus peccare quàm tantundem insumendo ex sæcularibus.

45 *Probatur ratione.* Idem probatur ratione. Primò, Nemo cogendus est ad restitutionem alicuius rei, nisi cōstet esse alienam, vel lege iustitiæ alteri debitam: atqui nulla ratione, vel authoritate constat Beneficiarios vel nō habere dominium omnium suorum prouentuum, vel aliquam partem horum lege iustitiæ alteri deberi: ergo non sunt ad restitutionem cogendi. Maior patet ex Reg. Iuris, *In dubio nemo spoliandus est iure, quod possidet*: &, *In pari causa potior est conditio possidentis.* Minor probatur, quia hoc neque potest conuinci ex modo donationis fidelium, quo hæc bona ad Ecclesiam translata sunt; neque ex Ecclesiæ præcepto, aut dispositione. non ex modo donationis; quia non constat fideles, qui hæc bona contulerunt, sub hoc modo, & hac conditione donasse, vt Ecclesia lege iustitiæ teneretur, ex ijs, quæ ministrorum honestæ sustentationi superessent, pauperes alere, vel alia opera pia promouere, vt diuersa opinio supponit. quamuis enim fideles intenderint, vel desiderauerint, vt hoc fieret, tamen valdè credibile est eos Ecclesiæ talem obligationem non imposuisse: tum quia non dubitabant quin Episcopi, & Prælati, qui illa administrabant, id sponte sua essent abundè facturi, quod eos passim tam solicite facere videbant: tum quia modestiores, & in suos Superiores reuerentiores erunt, quàm vt illis auderent huiusmodi obligationem imponere; præsertim cum hæc darent in redemptionem suarum animarum, vel vt seruorum Dei preces, & suffragia consequerentur, vel ad cultus diuini amplificationem.

Non ex modo donantium.

Confirmatur, Quia bona Ecclesiæ à fidelibus relicta, vel sunt decimæ, vel *prædia*, vel census, vel dominia pagorum, oppidorum, prouinciarum, &c. atqui nullum genus horum videtur relictum cum tali onere: nisi forte in particulari aliqua donatione id expressum sit: ergo generatim non est putandum tale onus esse impositum. Minor probatur, Nam quòd ad Ius decimarum attinet; fideles ratione illius non potuerunt Ecclesiæ vllam obligationem erga pauperes imponere: decimæ enim debentur illi lege Iustitiæ, ratione administrationis spiritalium; vt communiter doctores tradunt, & docet D. Th. q. 87. ar. 1. Ratio est, quia tenetur populus lege Iustitiæ eos qui ipsi spiritualia administrant, pro dignitate sustentare: idque lumine naturali constat, etiam apud Ethnicos. porrò ad hanc sustentationem Ecclesia ab initio determinauit decimam fructuum partem. exemplo Legis veteris: vbi etsi longè pauciores essent Leuitæ, & Sacerdotes, alijque sacrorum ministri; minor quoq; esset eorum dignitas, minor labor, minor sacrorum sumptus; tamen decima pars fructuum, præter primitias & oblationes, à Deo constituta, & præcepta fuit: neque ipsis vlla obligatio Iustitiæ ad superflua in pauperes eroganda fuit imposita. Itaque decimæ (de quibus tamen maximè est quæstio) post illam determinationem non dantur libera fidelium voluntate, sed soluuntur lege Iustitiæ; sicut tributa Principibus quare non potuerunt fideles vllam obligationem Clericis ratione decimarum, quo ad modum expendi superfluos illarum fructus, imponere. verùm de his *infra*, cap. 39. dubit. 1. & 2.

Diuersa bona Ecclesiæ.

Decimæ.

Dominia, prædia, & census prouenient quidem ex libera fidelium donatione; non tamen videntur donata cū tali onere; dominia enim data sunt Ecclesiæ ad splendorem, & authoritatem; prædia, & census, ad fundationem Ecclesiarum, vel Monasteriorum, eorumque conseruationem, ad augmentum cultus diuini, ad erectionem alicuius beneficij, ad satisfactionem pro peccatis, ad alimenta ministrorum Ecclesiæ, & aliorum in communi viuere volentium; vt constat ex multis can. 12. q. 1.

Sed neq; ex dispositione Ecclesiæ constare potest Beneficiarios ad restitutionem malè expensorum teneri. Primo, quia nusquam id in canonibus clarè explicatur; cum tamen sit res maximi momenti, vt quæ ad omnes Beneficiarios pertineat, & summoperè ad publicam ædificationum, & pauperum subuentionem faciat. sanè si vel ex natura rei, vel ex Ecclesiæ præcepto obligātur, id clarè debuisset per Summos Pontifices, vel Concilia œcumenica, aut prouincialia exprimi, nec tanta iniquitas tolerari: cū in rebus multo minoribus, & per se clarioribus id fecerint; ne quis prætextu ignorantiæ se posset excusare; v.g. Eum teneri ad restitutionem, qui diuino officio non interesset, vel preces canonicas, aut partem earum aliquando prætermitteret, aut à sua residentia super tres menses emaneret: & alia id genus, vt videre est in Conc. Lateran. sub Leone X. Conc. Trident. & variis Canonibus 12. q. 1. & q. 2. & alibi.

Non ex ordinatione Ecclesiæ.

Secundò probatur, quia Ecclesia non rescindit pacta, 46 vel donationes, quibus Beneficiarij fructus redundantes alienant, vel profane, aut vanè expendunt: quod tamen omnino facere deberet, si putaret eos pauperibus stricto iure deberi. Hanc enim prouidentiam & curam ipsa pauperum causis debet; vt si quid lege Iustitiæ eis debitū sit, præstari curet, & debitores, si opus sit, compellat; sicut in testamentis, & pijs legatis facere consueuit. Eandem debet suis subditis Clericis & laicis: vt nec illis permittat quod pauperum est alienare, nec his retinere. Et sanè mirum esset Ecclesiam permittere tantam iniustitiam, & nō compellere ad restitutionē, sicut administratores alienorum compelli solent, si illa in suos vsus conuerterint, vel malè expenderint, maximè cū causa pauperum sit in primis fauorabilis. Hæ sunt præcipuæ rationes pro hac sententia, qui plures desiderat, videat Franciscum Sarmiento de Reditib. p. 4. c. 1. vbi 12. rationes adfert: sed fere iam dictis continentur.

Tertia pars, *quod mortaliter peccent, si expendant illam portionem redundantem in vsus profanos, vel ad distandos amores*, 47 est communis sententia DD. vt fatetur Sarmiento, & Probatur. Primò, quia est contra districtum Ecclesiæ præceptum. Nam Concil. Trident. sess. 25. capit. 1. de reformatione sic ait, *omnino enim eis interdicit* (Episcopis sancta Synodus) *ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiares suos augere studeant; cum & Apostolorum canones prohibeant ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes fuerint vt pauperibus distribuant.* & infra, *Quæ verò de Episcopis dicta sunt eadem non solum in quibuscunque ecclesiasticis beneficijs, tam seruilaria quàm regulata obtinentibus, pro gradu suæ conditionis obseruari, sed etiam ad S. E. R. Cardinales pertinere decernit.*

Esse peccatū letale.

Conc. Trid.

Vbi Notanda primò sunt illa verba, *omnino interdicit*, quibus apertè insinuatur strictum præceptum.

Notandum secundò, Non solum ipsos reditus, sed etiā redituum fructus, *res ecclesiasticas*, & *res Dei* vocari, quod ex eo liquet, quòd Episcopi nō reditibus ipsis, sed fructibus eorum consanguineos locupletare soleant; fructus quoque, non reditus in pauperes distribuantur. Denique quia hoc præceptū extenditur ad omnes minores Beneficiarios, quorum pauci administrationem habēt, nisi suorum beneficiorum; qui si reditus ipsos in consanguineos transferre vellent, omnes illis obsisterent. Vnde etiam cōstat Concilium loqui non solum de fructibus alienis, quorum habēt solum administrationem; sed etiam de ijs quimentæ Episcopali sunt applicati.

Cur dicantur esse res Dei.

Dicuntur isti fructus esse *res Dei*: quia sunt destinati tum ab Ecclesia, tum à donatoribus, vt ad honorem, & cultū Dei impendantur: quomodo etiam decimæ dicuntur esse Dei: quæ causa sufficiens est, vt Ecclesia singulis possit imponere præceptum, ne ex his consanguineos ditare studeant, aut vanè expendant. Idem probari potest ex antiquis Can. quibus præcipitur, vt portio fructuum, & oblationum, quæ Episcopo, Clericis, & Fabricæ nō essent necessaria, distribueretur pauperibus; quod a temporibus Apostolorum multis sæculis seruatum est, & à variis Pontificibus & Concilijs confirmatum; cui ordinationi Ecclesia per erectionem beneficiorum, & per hoc quòd singulis suæ partis administrationem permisit, derogatum noluit; sed potius voluit ei per singulos, pro cuiusq; facultate, satisfieri. Quare sicut Episcopi, cum illa administrarent, tenebantur portionem cæteris non

neceſſariam, pauperibus ſe ponere: ita Beneficiarij, qui in illam adminiſtrationem ex parte ſucceſſerunt, tenentur ea, quæ ſibi redundant, in vſus pauperum, vel ſaltem in pias cauſas, quando graues neceſſitates non occurrunt, ſeponere.

Secundò probatur, Niſi Eccleſiaſtici obligarentur ſuperflua in pios vſus impendere, valdè improuidè faceret Eccleſia tantam affluentiam fructuum illis permittendo. quid enim hoc aliud eſſet quam dare illis anſam, & inſtrumentum luxus, libidinum, ſuperbiæ; & fruſtrari pia fidelium vota? deberet potius bonam partem illis detrahere, & inde alia bona opera inſtituere.

Tertiò. Clerici ratione gradus, quē obtinent in Eccleſia, ſunt velati patres & tutores pauperum & orphanorum: ergo peculiari nexu charitatis & miſericordiæ tenentur illis opem ferre. Confirmatur, quia eleemoſyna ſæpè eſt neceſſaria ad bonum ſpirituale in ſubditis conſeruandum; vt quando pudicitia virginum ratione paupertatis periclitatur: aut aliqui ad furta & latrocinia ſe conuertūt. Ergo Eccleſiaſtici, (maximè Epiſcopi & Parochi) qui ex officio bonum ſpirituale ſubditorum procurare debent, partem prouētuum ſuorum præ cæteris in opera pietatis impendere tenentur. vide Sotum lib. 10. q. 4. ar. 4. concluſ. 2. & 3. Verùm hæc ratio non probat extra tales caſus tenen illos ſub peccato mortali præcisè ratione ſuperflui. Itaque præcipua ratio, cur tam ſtrictè, extra neceſſitatem grauem corporalem, vel ſpiritalem proximi teneantur ſuperflua illa in pauperes, vel opera pia impendere, eſt Eccleſiæ præceptum: quo ſemoto, etſi nonnulla ſit inordinatio, tamen non videtur mortifera.

Obiectiones. Contra 1. & 2. partem propoſitionis quintæ, qua parte aſtruit dominium abſolutum Beneficiariorum, eoſque à reſtitutione liberat, ſunt multa argumēta ex Canonibus, & Patribus, vt videre eſt apud Nau. q. 1. de Redit. Monito 21. 22. 23. vbi habet 17. rationes: quarum præcipuas attingemus.

Obijcitur Primò, Multi Patres & Pōtifices in ſuis Canonibus dicunt bona Eccleſiæ *eſſe patrimonium Chriſti, res Dei, bona pauperum: & Clericos tantum eſſe diſpenſatores, & procuratores bonorum Eccleſiæ*: vt videre eſt 12 quæſt. 1. & 2. Reſp. Dicuntur *patrimonium Chriſti*; quia propter Chriſtum, & ad cultum Chriſti ſunt donata. Dicuntur autem *bona pauperum*; tum quia omnia ſuperflua dicuntur eſſe pauperum, vt potè pauperibus eroganda (qua ratione Hieronym. etiam de ſæcularibus dicit, *aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria retinere probatur*, vt habemus diſt. 42. can. Hoſpitale) tum quia peculiari ratione Clerici ex his bonis pauperibus ſubuenire debent: tum denique quia hæ ſententiæ referendę ſunt maximè ad illud tempus, quo nondum beneficia erant diuiſim erecta. ſed viuebatur in communi: tunc enim verè erant bona pauperū, non laicorum propriè, ſed Clericorum, qui tūc pauperes erant, & in particulari nullum habebant dominium, ſed communiter omnia poſſidebant; & aliqui ex illis erant bonorum communium adminiſtratores, ſicut in monaſterijs. Nos autem agimus de tempore poſt erecta beneficia, & bona diuiſa.

48 *Patrimonia Chriſti & bona pauperū quomodo dicantur.*

49 Obijcitur Secundò, Multi canones iubent fructus redituum eccleſiaſticorū, & oblationes fidelium diuidi in quatuor partes, & vnam tribui Epiſcopo, alteram Clericis, tertiam fabricæ, quartam pauperibus. Ita habemus can. de Reditibus, qui eſt Simplicij; & can. Vobis, can. Cōceſſo, & can. Quatuor, qui ſunt Gelaſij; item can. Cognouimus, can. Mos eſt, qui ſunt Gregorij primi, & habentur 12. q. 2. atqui in pleriſque locis non videtur quidquam aſſignatum pauperibus; ſed ſolum Epiſcopo, Clericis & fabricæ: ergo portio pauperum permixta eſt prouentibus Clericorum, & Epiſcoporum: ac proinde tenētur ex iuſtitia illam in pauperes conferre. ea autem portio cenſebitur eſſe pauperum, quæ ipſorum ſtatui nō eſt neceſſaria. Nec ſatisfacit ſi dicas canones illos intelligendos de bonis vſque ad illud tempus donatis; non autem de donandis in poſterum: quia Gregorius expreſsè iubet *vt ſine de præteritis redditibus, ſine de his, quæ in poſterum obuenient, quarta ſecundum diſtributionem canonicam diſpenſentur*.

Reſp. Ex iſtis canonibus ſatis conuinci Clericos teneri præcepto Eccleſiæ ijs locis, vbi pauperibus ſua quarta non eſt aſſignata, quæ ſibi redundant, erogare: non quòd ex Iuſtitia hæc pauperibus debeantur; ſed quia ſacri canones iubent vt ipſis ex Eccleſiæ redditibus quarta portio detur: vt habetur can. Mos eſt. 12. q. 2. Vnde cum paſſim in bonorum Eccleſiaſticorū diuiſione, & beneficiorum erectione nihil pauperibus videatur aſſignatum; dubitandum non eſt quin obligentur Beneficiarij ſinguli pro ſua parte, diuiſis enim bonis, ſimul diuiſa eſt obligatio his bonis ordinatione Eccleſiæ impoſita. Non enim Eccleſia voluit (ſicut ante diximus) per erectionem beneficiorum, & bonorum diuiſionem hāc obligationem extinguere, vt ſatis ex Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 2. de Reform. conſtat.

Dices. Hoſpitalia ex his bonis videntur conſtituta: ergo pauperibus ſua quarta eſt aſſignata.

Reſp. Negando antecedens; pleraque enim alia ratione ſunt erecta, ita vt bonis Eccleſiaſticorum nihil ſit detractum. & quamuis conſtaret alicubi ex hiſce bonis erecta eſſe, nihilominus ſuperflua tenentur in pauperes, vel alias pias cauſas, quæ numquam deſunt, impendere: quia hæc eſt mens canonum, & intentio fidelium.

Obijcitur Tertio, Clerici non poſſunt de bonis eccleſiaſticis teſtari: ergo non ſunt domini. antecedēs patet c. Relatum, 12. & cap. Ad hæc 8. titul. de Teſtamentis. & Confirmatur; quia agri, domus, & ſimilia acquiſita bonis eccleſiaſticorum pertinent ad Eccleſiam, non ad ipſos Clericos; vt patet ex cap. Placuit. 12. q. 3. qui eſt Concilij Carthaginenſis Tertij, & cap. Sacerdos, 12. q. 4. ex Concilio Toletano ix. item ex toto tit. de peculio Clericorum. ergo pecunia, qua acquiruntur hæc bona, ad eos non pertinet. 50

Reſp. Hinc tantum ſequi vſum dominij in certis actibus impediri; ſicut in impubere. meritò autem in condendo Teſtamento impeditur, tū quia par eſt vt quod ipſis ſupereſt relinquatur Eccleſiæ; tum quia hac ratione autocantur à ſtudio accumulandi, & incitantur vt in vita ad pios vſus erogent. Nunc tamen conſuetudine tandem obtentum vt teſtari poſſint de qua infra cap. 19. dub. 4. Ad Confirmat.

Reſp. Neg. conſequent. quia Eccleſia potuit ſtatuere vt ſi aliqua immobilia comparentur pecunia Eccleſiaſtica, ea cedant in dominium Eccleſiæ; nimirum ne Clerici opibus congerendis inſtar ſæcularium inhiarent, ſed potiùs ſuam pecuniam in pauperes conferrent. Vide plura apud Nau. ſupra, & Sarmiento, 1. p. de Reditibus Eccleſiaſticis ca. 2. quæ quia difficultatem non habent, omitto.

DVBITATIO VII.

Vtrùm Clerici habeant dominium bonorum immobilium Eccleſiæ, & ſupellectilis ſacræ.

RESP. Nemo in particulari habet dominium bonorum immobilium Eccleſiæ, vel ſupellectilis ſacræ, ſeu cętus Eccleſiaſticorum cuiuſq; Eccleſiæ habet dominium bonorum ſuæ Eccleſię, ſicut conuentus Monachorum habet dominium bonorū monaſterij: cum his tamē limitationibus. Primò, vt Pontifex tanquam caput omnium Eccleſiarum, & conuentuum Eccleſiaſticorum habeat ſupremam omnium adminiſtrationem: de quo vide Nauar. in cap. Non liceat, de ſpolijs Clericorum. § 3. Secundò, vt ſi ſit neceſſarium, vel valdè expediens ad commune bonum Eccleſiæ, poſſit Pontifex ea ad alios vſus, & etiam ad alias diœceſes transferre. Sic videmus interdum bona eccleſiaſtica Principibus ſæcularibus cōcedi ad Eccleſię vtilitatem. abſque tamen iuſta cauſa id facere non poteſt: quia non eſt dominus, ſed adminiſtrator; ac proinde leges fidelis diſpenſatoris ſeruare debent. prima autem lex eſt publica Eccleſię vtilitas. Tertiò, vt conuentus Eccleſiaſticus cuiuſque diœceſis teneatur illa ad poſteros tranſmittere, nec poſſit ea vendere, vel extinguere pro arbitrio. quod vinculum prouenit partim ex decreto Eccleſiæ, partim ex donatorum diſpoſitione, qui voluerunt ea perpetuo eſſe cultui diuino dicata. Vide Adrianum in 4. de Reſtit. §. Pro clariori. & Turrecrem. lib. 2. de Eccleſia cap. 113. 51

Pontifex adminiſtrator vniuerſalis bonorū Eccleſiaſticorum.

DVBITATIO VIII.

Vtrum omnia homine inferiora cadant sub eius dominium.

51 RESP. Res omnes externas, vsibus humanis subiectas, cadere sub dominium hominis, idque iure naturæ; vt agros, montes, flumina, plantas, bestias, metalla, & similia. Cælorum autem, & astrorum propriè non sumus domini: etsi enim propter nos cõdita sint, vt nostris vsibus famulentur; tamen non sunt nobis ita subiecta, vt de illis possimus disponere; sicut res inferiores, quas contrectamus, & aptamus ad nostra cõmoda. Sumus tamen domini effectuum, vt luminis, caloris, auræ salubritatis; quia his vtimur quodammodò, sicut alijs rebus externis. Alio tamen modo possumus dici domini cælorum, & astrorum quia in obsequium nostrum facta sunt. Vide D. Thom. 1-p.q.96.art.2.

Quo modò iure naturæ dominus sit.

52 Aduerte tamen, cum dicitur hominem iure naturæ habere dominium in res inferiores, non esse id ita intelligendum, quasi singuli habeant completum dominium à natura: sed quia potestatem habent res inferiores occupandi, & earum dominium completum comparandi, hoc enim ius cuique à natura concessum in rem quamlibet, vt eam occupare, sibique vindicare possit, si ab alio antè occupata non fuerit.

DVBITATIO IX.

Vtrum homo cadat sub dominium alterius hominis.

54 RESPONDEO, & dico Primò, Iure naturæ non habet homo dominium in alterum hominem. Ratio est, quia omnes homines naturæ conditione sunt pares; cum sint eiusdem naturæ, ex eodem parente, & ad eumdem finem conditi. & quamuis quidam à natura sint magis apti ad imperandum, alij ad seruiendum, (qua ratione Aristoteles 1. hb. Polit. cap. 1. & 3. dixit: *quosdam natura seruos, quosdam dominos*) nemo tamen natura est *seruus* propriè. cuius signum est, quòd in statu naturæ integræ nulla futura fuerit seruitus, vt communiter docent Patres, Aug. lib. 19. de Ciuit. c. 15. & Gregorius lib. 21. Moral. cap. 12. quia seruitus est pœna peccati.

Quo modo quidam natura serui, quidam domini.

Nulla seruitus in statu innocentiæ.

Dico Secundò, Iure tamen gentium, & ciuili potest quis effici seruus; idque multis modis, vt statim dicemus.

55 Patet ex Scriptura, Exodi 21. Leuit. 25. Deuter. 20. & 21. vbi variæ leges præscribuntur de varijs seruitutum generibus, & Apostolus 1. Corin. 7. *Seruus vocatus es? non sit tibi cura.* Vnde constat etiam Christianos posse esse seruos, non solum gentilium, sed etiam Christianorum; de quo vide Gratianum dist. 54. vbi habet multa decreta de seruis Christianis.

56 Dices, Seruitus est contra naturam; ergo. Respondeo, Non est ita contra naturam, vt sit contra rectam rationé, vel præceptum naturale; sed dicitur esse contra naturam, quia est contra primæuam naturæ conditionem, secundum quam, cum omnes essent recti, & sine peccato, iniquum fuisset si alter alterum seruituti subiecisset. nunc autem, supposito peccato, est secundum rationem: sicut vti pharmacis, & cruciatibus afficere homines, est contra primam naturæ constitutionem, non autem est contra rationem, supposito morbo, vel peccato. docet hoc D. Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 15. *Rationalem factum ad imaginem suam voluit nisi irrationalibus dominari; non homini homo, sed homini pecus. conditio quippe seruitutis, ea intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noè iustus peccatum filij vindicaret, nomen itaque istud culpa meruit, non natura &c.*

Seruitus quomodo cõtra naturã.

DVBITATIO X.

Vtrùm homo sit dominus vitæ suæ, & membrorum.

57 RESP. & dico Primò, Hominem non esse dominum, sed solum custodem vitæ suæ, membrorumque, & quasi vsuarium: dominium verò horum esse apud solum Deum. Ita passim DD. D. Th. q. 64. ar. 1. Caiet. in summa: verbo Homicidium. Victoria relect. de homicidio nu. 21. Sotus lib. 4. de Iustitia q. 2. a. 3.

Homo vitæ vsuarius est tantùm præcio.

Probatur ex Scriptura, Deuter. 32. vbi insinuatur diuinæ potestatis esse posse occidere, & vitam concedere, *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam.* id est, habeo ius, & potestatem occidendi. Sapientiæ 16. *Tu es domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem.* Idem docuerunt non solum Doctores Christiani, sed etiam Philosophi. Cicero de senectute refert Pythagoram dixisse, *Nemini fas esse iniussu Imperatoris suimet De de præsidio & statione vitæ decedere.* Eadem est sententia Aristotelis lib. 1. Ethic. c. 10.

Cur homo non sit vitæ suæ dominus

Ratio est, Primò, quia dominium non est nisi in res eas, quas nostra industria nobis possumus adscisere: has enim sicuti possumus acquirere, ita etiam relinquere, atqui vitam nemo sua industria potest acquirere. Secundò, quia vita est fundamentum omnis dominij humani: ante quam enim vitã accipiat nullius dominij est capax, quia non est: ergo par non est, vt ipsa sub dominium cadat: sicut fundamentum omnium accidentium non potest esse quid accidentarium. Tertiò, quia dominium non est nisi in res distinctas: vita autem, & membra non sunt quid distinctum à nobis, sed pars nostri, vel substantia.

Dico Secundò. Neque Princeps, neque etiam Respublica est dominus vitæ suorum subditorum, vel seruorũ. Sequitur ex dictis, & Confir. Primò, Exodi 21. *Qui percusserit virga seruum, vel ancillam, & in manibus eius mortui fuerint, criminis reus erit.* nempe homicidij. Secundò, proprium veri domini est rem pro arbitratu suo posse perimere, etiam voluntatis causa: atqui solus Deus pro arbitrio potest interficere etiam innocentes, non autem Respub. ergo Respub non habet dominium in vitam hominis. Tertiò, nemo est dominus suorum membrorũ, sed solum custos, & gubernator, vt ostensum est: atqui quisque priuatus se habet ad Rempub. vt membrum, & pars, ex qua vna cum alijs partibus ipsa veluti vnum corpus constat; ergo non habet dominium in priuatos. 58

Nec obstat quòd Principes possint interficere malefactores, & exponere subditorum vitam in bello: quia id faciunt non vt illorum domini, sed vt custodes tranquillitatis, & boni publici: sicut homo vt custos vitæ suæ resecat membrum putridum, & exponit partem pro salute totius.

DVBITTAIO XI.

Vtrùm homo sit dominus suæ famæ, & honoris.

CAIET. infrà q. 73. art. 2. negat. cum enim fama sit bonum medium inter vitam, & res externas, potius censet eam collocandam cum vita, cuius domini non sumus, quàm cum rebus externis, quarum domini sumus. Idem videtur sentire Sil. ver. Detractio q. 3. 59

Homo famæ suæ dominus.

Sed dicendum est hominem esse verè dominum famæ suæ, sicut rerum externarum. colligitur ex D. Tho. infrà q. 64. artic. 5. ad 3. vbi docet. *Hominem licitè posse disponere de seipso, quantum ad ea quæ pertinent ad hanc vitam, sed transitum de hac vita ad alteram non subiacere libero eius arbitrio.* & clarius quæst. 73. art. 4. ad 1. vbi docet *in cuiusque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.* Idem docet Sotus lib. 4. de Iustitia q. 2. art. 3. & Adrian. in 4. quæst. de restitutione, circa finem. Couar. libro 2. variarum c. 2. num. 8. & alij recentiores.

Probatur Primò, Quia homo famam, & honorem, post vitam diuinitus acceptam, sibi acquirit, & auget, sicut res cæteras: ergo est illius dominus vt ceterarum. Secundò, Quia nisi esset dominus, non posset eius restitutionem condonare: (nemo enim condonare potest quod non est suum) atqui certum est posse condonare eius restitutionem.

Nec obstat (quod contra hãc rationẽ obijcit Adrian.) quòd possimus condonare mutilationem membri, cuius tamen non sumus domini: quia si membrum posset restitui sicut fama, non possemus condonare. quòd igitur con-

condonamus, est satisfactio pro illata iniuria, & restitutio pecuniaria pro damno secuto: non autem propriè restitutio membri. Tertiò, quia in multis casibus possumus nos infamare. Primò, ad petendum consilium. Secundò, ad nostri humiliationem; sicut latro ille apud Climacum gradu 4. qui publice grauissima crimina confessus est. Tertiò, ad vitandum peccatū superbiæ, vel aliud. Quartò, quando iniustè aliquem infamauimus, tenemur restituere ipsi famam etiam cum nostra infamia, si opus est; atqui si non essemus famæ domini nihil horum liceret: sicut non licet seipsum occidere, mutilare, vulnerare, ob horum finium aliquem.

Potest homo interdum se infamare.

Contrà Obijcitur Primò, Eccles. 41. *Cura habe de bono nomine*, &c. ergo non licet famam negligere. Resp. Non licet eam negligere sine iusta ratione: hinc tamen non sequitur hominem non esse eius dominum: quia etiam pecuniæ sine iusta causa profundi non debent.

Obijcitur 2. D. Aug. lib. De bono viduitatis c. 22. dicit *conscientiam nostram esse nobis, famam proximis. ac proinde crudelem esse qui famam negligit.*

Resp. Fama nostra tripliciter potest esse proximis necessaria. Primò, quando ex nostra fama ita pendet fama proximi, vt ex nostra infamia illius infamia sequatur: sicuti ex infamia Monachi sequitur infamia quædā monasterij. Secundò, quando fama nostra est necessaria, vt proximo præstemus officium ei stricto iure debitum, sicut fama personæ publicę, Episcopi, Parochi, Abbatis, necessaria est vt bene regat subditos, & in his duobus euentis, multorum iudicio contra Iustitiam peccat, qui se infamat. non quia præcisè seipsum fama priuat; sed quia ex consequenti proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum debitum officium. Tertiò, quando non ex officio, sed solùm ex charitate proximo prodesse tenemur, & per infamiam ad hoc reddimur inepti; tunc solùm contra charitatem peccat, qui se infamat: sicut contra charitatem peccat, qui pecuniam, qua pauperibus prodesse poterat, abijcit. Hæc de domino vitæ, & famæ; cætera dicentur infra cap. 9. de Homicidio. & cap. 11. de Detract.

60 *Tripliciter fama nostra proximis necessaria.*

CAPVT QVINTVM.

De modo acquirendi dominij in res, quæ vel nullius, vel communes sunt: vbi de mancipijs, venatione, piscatione, aucupio, thesauris.

Constat Dubitationibus 18.

DVBITATIO PRIMA.

Quomodo facta sit prima rerum diuisio, seu distinctio dominiorum.

Occupatio. Sortitio.

1 RESPONDEO, Hæc distinctio facta est partim *occupatione*, partim *sortitione*. hi enim sunt primi modi acquirēdi dominij. Nam posteri Adę in hunc mundum, veluti in amplissimam domum opibus refertā venientes, vt quisque prior aliquid occupasset, ita quoque dominus illius efficiebatur. quòd si dubiū erat vter prior occupasset, vel si ante occupationem plures ad rem aspirabant, sorte decidebatur. Similiter post diluuium, filij Noe alij aliam terrę partem, maximè post linguarum confusionem occupauere; vel sorte diuisere: vt patet Gen. 10. & 11. Deinde crescente genere humano, illæ partes multipliciter rursus, & propè in infinitum sectæ, diuisæ, & distractæ sunt.

2 Resp. Si manstissent cōmunes, mundus arderet perpetuis contentionibus, & bellis: quia plerumque plures concurrerent ad eamdem rem occupandam, qui se mutuo conarentur impedire: & potentiores plerique omnia raperent. nec meum & tuum (quæ dicuntur esse potissima causa dissentionum) tunc minùs fuisset quam modò: quisque enim conatus fuisset rem communem, dum ea vtendum esset, facere suam; sicque assiduò rixæ, & pugnæ inter homines extitissent. his incommodis per diuisionem vtcúque occursum est: multò enim pauciores, & rariores sunt nunc occasiones, quam tunc fuissent: (vnde Gen. 13. cùm essent iurgia contra inter familiam Abrahæ, & Loth communiter pascentes, diuisione regionis conciliati sunt) quamuis ob hominum prauitatem non omnia incommoda vitari potuerint. Denique id ipsum Aristoteles lumine naturæ ductus docuit lib. 2. Polit. cap. 2. & 3.

3 *Fuisse vtilè diuisionem rerum.*

Maior esset perturbatio si res manstisset communes.

Obiectiones

Obijcitur Primò, *Iure naturæ omnia fuit communia*, vt habetur cap. Ius naturale, d. 1. ergo etiam post peccatum omnia debent esse communia.

Sententia Scoti.

Respondet quidam, in statu innocentiæ *omnia* iure naturæ debuisse esse communia, sed hoc ius post lapsum esse reuocatum, & ideò potuisse fieri diuisionem. Colligitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. conclus. 1. & 2. Sed Contra. Primò, quia etsi communitas rerum valdè fuerit consona statui innocentiæ, nullo tamen præcepto diuino, vel naturali vetabantur inducere diuisionem. quia Deus res istas inferiores hominū dispositioni subiecit, & ex hac diuisione nihil incommodi secutum fuisset. nā singulis relictū fuisset quòd abundè sufficeret: & quilibet cum altero libentissimè ex rebus suis communicasset. Secundò,

In statu innocentiæ communitas rerum non fuit præcepta.

DVBITATIO II.

Vtrùm hęc diuisio dominiorum licita fuerit, & commoda humano generi.

D. THOM. QVÆST. 66. ART. 1. 2.

3 RESPONDEO, Post peccatum hęc dominiorum diuisio non tolùm fuit licita, sed etiam salutaris generi humano.

Quòd licita fuerit, est certò tenendum. Nam ex multis Scripturæ locis constat licitè aliquid tanquā propriū possideri. & contrarium est hæresis quorundam, qui vocati sunt apostolici, ut refert D. Aug. hæresi 40. & Epiphanius hæresi 61. *qui asserebant hominem non posse saluari nisi viueret instar Apostolorum, nudus ab omni diuitiarum proprietate.* Idem docuit Pelagius, vt colligitur ex Augustino epistola 106. quæ est ad Paulinum.

Apostolici & Pelagius fuit non esse possidere proprium.

Quòd etiam *commoda generi humano*. Probatur Primò, Si possessiones manstissent communes, relictæ fuissent inculæ, tum quia homines facilè negligunt communia, tamquam parum ad se pertinentia; maximè autē curant propria, iuxta illud Aristotelis, *Amabile bonum, vnique suum proprium*, tum quia quisque fugit labores præsertim abiectos, & graues, (quales sunt in agricultura, & rebus mechanicis) sectaturque otium, & dignitatem. quamobrem quisquè alteri talium rerum curam, & procurationem reliquisset.

Secundò, Si manstissent cōmunes, mundus arderet perpetuis contentionibus, & bellis: quia plerumque plures concurrerent ad eamdem rem occupandam, qui se mutuo conarentur impedire: & potentiores plerique omnia raperent. nec meum & tuum (quæ dicuntur esse potissima causa dissentionum) tunc minùs fuisset quam modò: quisque enim conatus fuisset rem communem, dum ea vtendum esset, facere suam; sicque assiduò rixæ, & pugnæ inter homines extitissent. his incommodis per diuisionem vtcúque occursum est: multò enim pauciores, & rariores sunt nunc occasiones, quam tunc fuissent: (vnde Gen. 13. cùm essent iurgia contra inter familiam Abrahæ, & Loth communiter pascentes, diuisione regionis conciliati sunt) quamuis ob hominum prauitatem non omnia incommoda vitari potuerint. Denique id ipsum Aristoteles lumine naturæ ductus docuit lib. 2. Polit. cap. 2. & 3.

Maior esset perturbatio si res manstisset communes.

Obiectiones

Obijcitur Primò, *Iure naturæ omnia fuit communia*, vt habetur cap. Ius naturale, d. 1. ergo etiam post peccatum omnia debent esse communia.

Sententia Scoti.

Respondet quidam, in statu innocentiæ *omnia* iure naturæ debuisse esse communia, sed hoc ius post lapsum esse reuocatum, & ideò potuisse fieri diuisionem. Colligitur ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. conclus. 1. & 2. Sed Contra. Primò, quia etsi communitas rerum valdè fuerit consona statui innocentiæ, nullo tamen præcepto diuino, vel naturali vetabantur inducere diuisionem. quia Deus res istas inferiores hominū dispositioni subiecit, & ex hac diuisione nihil incommodi secutum fuisset. nā singulis relictū fuisset quòd abundè sufficeret: & quilibet cum altero libentissimè ex rebus suis communicasset. Secundò,

In statu innocentiæ communitas rerum non fuit præcepta.

Ius naturæ non potest abrogari.

cundò, non rectè dicitur ius naturæ abrogatum: tũ quia est immutabile, & perpetuum, vt pote immutabilem rectitudinem continens: tum quia ius non dicitur reuocari ex eo quòd cesset eius obligatio in aliquo ratione alicuius circumstantiæ mutatæ: (alioquin ius naturale, quo teneor opitulari in extrema necessitate constituto, reuocaretur eo ipso, quo cessat illa necessitas, quod est absurdum; semper enim manet illud ius, & illud dictamen, etiamsi defectu materiæ hic & nunc nõ me obliget actu) sed quia cessat voluntate legislatoris; eo manentibus ijsdem circumstantijs materiæ potest illud tollere. hoc enim interest inter ius naturale & positiuum, quòd ius naturale semper vim habeat manentibus ijsdem circumstantijs materiæ; ius positiuum possit tolli, etiamsi nulla mutatio fiat circa materiam.

4 Respondeo igitur non fuisse aliquod præceptum naturale iubens rerum communitatem, & vetans diuisionem: sed omnia dicuntur *iure naturæ communia*, partim negatiue, quia *Ius naturæ* diuisionem non fecit, aut præcepit: partim positiue, quia omnibus potestatem fecit vtendi quauis re, & dominij capiendi priusquam ab aliquo sit occupata, quod ius etiam nunc durat.

Quo modo omnia dicantur iure naturæ communia.

Obijcitur 2. Cap. Dilectissimis, 12. q. 1. dicit Clemẽs I. 5 *Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius illud, & sic inter mortales facta est diuisio.* Respondeo, omissis varijs expositionibus, sensum esse, per iniquitatem hominum fuisse occasionem datam cur recta ratio dictarit esse faciendam diuisionem, cùm ante iniquitatem omnia essent communia. Canon enim ille acceptus est ex epistola 5. S. Clementis. qui hortatur Fideles, qui erant Hierosolymis, ad vitam cõmunem, ex eo quod sit consentanea statui innocentiæ, vbi non erat *meum & tuum*: rerum autem diuisio orta sit occasione peccati.

6 Obijcitur Tertiò, Patres dicunt neminem debere dicere, *hoc est meum, hoc est proprium; sed quædam sint communia*: ita Ambr. in c. 12. Lucæ, Chrysost. hom. 10. in Epist. 1. ad Cor. in moral. & orat. in S. Philogonium, &c. Respondeo, Tantum volunt neminem ita sibi rem aliquam debere vindicare, quin paratus sit eam, quando necesse erit, cum altero communicare; eò quod in necessitate omnia sint communia. de quo plura supra de eleemosyna q. 32.

DVBITATIO III.

Quo Iure facta sit hæc diuisio.

7 *Non iure diuino facta est.*

RESPONDEO & dico Primò, non esse factam Iure diuino. Deus enim neque fecit diuisionem illam primam, neque eam præcepit fieri. Dedit quidem Israelitis spolia Ægyptiorum, & regna Cananitarum; hoc tamen factum est præter vitatũ morem. Denique Deus nusquam in Scripturis reuelauit hanc diuisionem esse faciendam.

8 *Non iure naturæ.*

Dico secundò, non est etiam facta proprie iure naturali. Probatur, quia ius naturæ neque fecit hanc diuisionem; cùm omnia reliquerit communia: neque etiam præcepit eam fieri; neque natura secundùm se ad eam inclinat: non enim illam quærit, nisi in vita cuili vbi vtendum cum alijs, & suppositis incommodis ex hominum prauitate prouenientibus. Hac ratione matrimonium dicitur esse Iuris naturæ; nimirum quia natura secundùm se, id est extra vitam politicam, & sepositis externis incommodis cœlibatus, ad illud inclinat: non sic ad rerum diuisionem.

Triplicitèr dicit aliquid dici Ius naturæ.

9 *Quo modo dicatur facta Iure Gentium.*

Dico Tertio, Hæc diuisio facta est iure gentium, vt habetur d. 1. cap. *Hæc gentium est sedium occupatio.* & ff. de Iustitia & Iure L. *Ex hoc iure dominia distincta*, &c. Hoc tamen non est ita intelligendum quasi sit aliquod præceptum apud homines; sed quia commune omnium iudicium est diuisionem rerum expedire, tum ad pacem, tum ad melioremrerũ administrationẽ; idque spectata mortalium conditione, quæ sui est amans, & alieni negligens; quæ cupiditati & ambitioni misere est subiecta. Itaque hoc *Ius gentium* nihil est aliud quam commune hominum iudicium, & gentium cõsensus: vel est concessio, & *Quid intelligatur per Ius Gentium.*

ius ex cõmuni iudicio, & consensu prouenies. Et quia hæc vitia plerumque in genere humano regnant apud omnes nationes; ideò expedientissimum fuit apud omnes fieri diuisionem. Vnde sequitur, si in aliquo cœtu, dono supernaturali hæc vita possint tolli, vel comprimi vt non dominentur; Ius gentium ibidem non postulare, aut magis expedientem censere rerum diuisionem, sed potius earumdem communitatem, qualis erat in statu innocentiæ: præsertim cum nulla alia ex hac sequantur commoda; temperantia, modestia, tranquillitas animi, vacuitas solicitudinis rerum temporalium, mentis ad res diuinas, & ad studium sapientiæ expeditio; hoc modo Fideles, Ecclesiæ primordio, omnia habuere communia, maximè Hierosolymis, & Alexandriæ. Item seruatur & quidem perfectius, in monasterijs, & cœtibus Religiosorum; qui cùm ex multitudine sint selecti, & toti rebus diuinis mancipati, facilius illa vitæ, quæ diuisionem rerum postulant, deuitare queunt. quare merito inter eos, vt omnia sint communia statuimus.

Communitas rerũ vbi sit expediens.

Obijcitur Primò, Istud decretum diuisionis §. Pene, dicitur, *Id, quod nullius est, naturali ratione conceditur occupanti*, ergo diuisio est facta Iure naturali. Respondeo, 1. *Ius gentium* interdum vocari *Ius naturale*, vt dicitur §. præcedenti eodem tit. 2. aliud est res esse diuidendas, aliud rem fieri occupantis. quòd enim res, quæ nullius est (præsertim fera, vel gemma, cuius possessio alteri non affert incommodum) fiat occupantis, est Iuris naturæ. nam etiam in statu innocentiæ locum habuisset. quòd verò *faciendæ* sit rerum diuisio, est Iuris gentium.

Obiectiones.

Dicitur aliquando Ius naturale.

Obijcitur Secundò, Furtum est contra ius naturæ: ergo dominium rei competit, alteri Iure naturæ. Resp. negando consequentiam, quia *Ius naturale* dictat nihil alteri inuito auferendum, quocumque iure illi id competat. Sicut etiam iubet Superiori obediendum, etiamsi illa potestas ei nisi iure humano non competat.

Obijcitur Tertiò, id est Iuris naturæ, quod ratio naturalis dictat omninò necessarium ad pacem generis humani: sed diuisio rerum est huiusmodi: ergo est Iuris naturæ. Resp. 1. concedi posse illam hac ratione esse Iuris naturæ; quamuis alio modo negetur esse Iuris naturæ. 2. naturalis ratio non dictat id esse omninò necessarium: posset enim in singulis communitatibus institui politia, secundùm quam penè omnia manerent communia; vt fit apud Anabaptistas in Morauia. excipe tamen vxores, quas illi fœdè nimis contra omnia iura communes faciunt. 10

Obijcitur Quartò, *Quòd hæc villa sit mea, & illa tua, est ex iure Imperatorum*, vt inquit Augustinus tractatu 6. in Ioannem; ergo non Iure gentium. Respondeo, Diuisio rerum in genere est Iuris gentium, non autem huius vel illius rei variis personis particularibus facta attributio. Hæc enim prouenit vel ex prima occupatione, vel ex variis contractibus; aliisve modis iure Ciuili approbatis. 11

DVBITATIO IIII.

Quibus modis acquiratur dominium in homines, seu mancipia.

RESP. Quatuor modis, seu titulis. *Iure belli, nativitate, iusta condemnatione*, & *emptione*; vt rectè docet Siluester verbo Seruitus q. 3. 12

Primus Titulus est *Ius belli*. 1. in bellis seruari consuetum, & communi gentium consuetudine receptum; quo non quidem præcipitur, sed datur potestas ei, qui aliquẽ in bello iusto capit, vt vindicet illum sibi in seruum. vt patet I. Hostes. ff. de captiuis. cuius iuris institutio profecta est ex naturali quadam commiseratione; ne capti occiderentur, (cùm tamen meritò posset occidi) sed seruarentur, mortem in seruitutem commutata. vnde & *serui* dicti sunt. Instit. de Iure personarum. Extenditur hoc Ius etiam ad paruulos hostium & innocentes; qui etsi non peccarint, tamen seruituti possunt addici tamquã hostilis Reipub. membra, quæ vti commodis, ita & incommodis sui corporis participant, in bonis præsertim externis. Vnde cũ in his etiam censeatur libertas, hæc spe-

Vnde seruitus iure belli.

Innocentes in seruitutẽ rapi possunt.

spoliari possunt. accedit quòd hac ratione etiam parentes, qui deliquerunt, in suis puniantur. sed de his plura 2.2.q.10.a.10. Apud Christianos tamen consuetudine introductum vt Christiani capti à Christianis non fiant serui; idque in honorem libertatis, quam per Christum sumus consecuti. si tamen bellum iniustum gerant contra infideles, & capiantur, fiunt eorum serui Iure gentium. Vide Couar. in Reg. Peccatum 2.p.§.11.nu.6.

Aduerte tamen, eum, qui in bello ex parte sua iusto capitur, nõ contrahere veram seruitutem, quod si vtrimque iustitia belli sit ambigua ob probabile ius vtriusque partis, capti vtrimque fiunt serui; vt rectè Couar. ex lege supradicta. vbi tamen constare coeperit vtri parti faueat iustitia, tunc ea pars, quæ iniustè cepit, debet captum in libertatem sine pretio restituere.

33 Secundus Titulus est *Nativitas*: ratione cuius efficitur seruus, qui ex ancilla natus est: *nam partus sequitur ventrem*, L. Partum. C. de rei vindicatione. idque meritò, quia mater est certior: & plus confert materiæ corpulentæ quàm pater: seruitus autem secundùm corpus conuenit.

Proles quando non contrahit seruitutem.

Notandum tamen, si mater fuit libera quando concepit, aut in partu, aut tempore aliquo medio inter conceptum, & partum (etsi vel ad momẽtum) proles Iure Cęsareo non contrahit seruitutem; vt expressè habemus In fin. de Ingenuis, §. Sed & si quis. Ratio est: quia hoc ipso momento, quo mater efficitur libera, etiam proles libertati est restituta. vnde calamitas matri superueniens, non debet nocere proli libertatem assequutæ: præsertim cum causa libertatis sit maximè fauorabilis.

Vbi tamen nulla est lex, vel consuetudo disponens de seruitute prolis, sufficit vt mater in partu sit ancilla: quia proles in partu est fructus ancillæ, non liberæ. Ita seruari dicitur apud pleraſque gentes, quæ Iure communi Cęsareo non vtuntur.

34 *Pœna seruitutis.*

Tertius Titulus est *Iusta condemnatio*, qua quis fit seruus, si ad hoc propter crimen à legitimo iudice condemnetur. Sicut enim potest quis morte damnari; ita etiam seruitute, quæ mors est ciuilis. Sic qui deferunt arma, vel alia prohibita ad Turcas, vel Saracenos, fiunt serui Christianorum eos capientium. c. Ita quorumdam, 6. tit. de Iudæis, & Saracenis. Raptor puellæ in seruitutem deditur 36.q.1.cap. De raptoribus. Fœmina, quæ sciens contraxerit matrimoniũ cum eo, qui sacro ordine initiatus est, potest a Principe in seruitutem rapi. cap. Eos qui. d. 32. filij autem ex tali coniugio suscepti efficiuntur serui Ecclesiæ, cui parens inscriptus erat, 15.q.8.c. Cùm multæ. Quæ omnia intellige post sententiam Iudicis: ante enim illam pœna seruitutis legibus sta tuta non incurritur. Vide Silu. suprà q.3.

35 Quartus Titulus est *emptionis & venditionis*, loquor de illa emptione, qua quis primò fit seruus ex libero; vt quando quis vel seipsum vendit, vel à parentibus venditur.

Potest quis seipsum vendere.

Quòd autem homo liber possit seipsum vendere, probatur: quia est dominus suæ libertatis, sicut famæ & pecuniæ: ergo eam potest liberè abdicare. quod Confirmatur exemplo tum S. Paulini, qui se vendi in seruum voluit, vt filium viduæ redimeret: tum eorum, qui Religionem ingrediuntur, qui non solùm bona externa, sed etiã libertatem suam abdicant propter Christũ: quamuis hi non efficiantur serui; eo quòd hoc non faciant in cõmodum Prælati temporale, sed suum spirituale. Idem apertè colligitur Exodi 21. & Deut. 15. vbi cõceditur Hebræo, vt se sponte possit alteri in perpetuum seruum tradere.

Vnde patet, Iure naturæ hominem liberum posse suã libertatem vendere, vel donare. vt tamen id fiat sine peccato, debet adesse iusta aliqua causa: alioquin esset profusio libertatis. quæ bonis fortunæ, & famæ est præstantior.

36 *Conditiones, vt venditio iure Cæsareo sit rata.*

Aduerte tamen, Iure communi, in fauorem libertatis requiri 6. conditiones, vt hęc venditio fit rata. 1. vt is, qui se patitur vendi, sit maior viginti annis. 2. vt intendat esse particeps pretij. 3. vt re ipsa sit particeps. 4. vt emptor credat ipsum esse seruum. Vnde non permittit ius vt quis seipsum per se vendat; sed vt id per alium fiat. 5. vt sciat se esse liberum ante venditionem. 6. vt venditor sciat ipsum esse liberum. His omnibus conditionibus simul concurrentibus, venditio est valida: si vel vna desit, Iure cõmuni est irrita. Vide Sil. verbo Seruitus q.3. vbi tamẽ Iure Cæsareo non vtuntur, potest quis seipsum liberè vendere, nulla habita ratione illarum conditionum.

Quod verò etiam parentes possint iure naturæ vendere proles non emancipatas, colligitur Exod. 21. v. 7. Ratio est; quia proles est veluti pars, & fructus parentis, trahens ab ipso esse, & vitam, vnde parens ius habet ex illa percipiendi ea emolumenta, quæ ipsa de se, si sui iuris esset, percipere posset. atqui ipsa si esset sui iuris, posset se vendere: ergo, &c. 37 *Patet ex patria potestate in filium.*

Ius tamen ciuile requirit certas conditiones, vt patet L. 2. C. de patribus, qui filios distraxerunt. Primò, vt id fiat *per nimiam paupertatem & victus causa*; vt illa lex ait. quòd si ob aliam causam pretio filij egeat, v.g. ad se redimendum à morte, vel seruitute, vel perpetua captiuitate, non poterit filium vendere, nec obsidem dare, vt docet Couar. l.3 variar. c.14. num.4. ex Accursio, Dyno, & Alciato; quia lex illa 2. id tantùm concedit *victus causa*. Si tamen nudum ius naturę spectemus, poterit ob quamuis grauem necessitatem. Secundò, vt soli patri hoc liceat: tamen iure naturæ etiam licitum matri. Tertiò, vt solùm possit vendere filium nondum emancipatum, qui enim sui iuris est effectus, non subest amplius patriæ potestati. Quartò, vt filius ita venditus possit recuperare libertatem, soluto pretio, vel oblato alio mancipio, perinde ac si numquam fuisset seruus; ita habetur L. 2. supra. Vide Couar. loco citato. *Conditiones requisitæ vt parens possit vendere filium.*

DVBITATIO V.

Vtrùm serui ita transeant in dominorum potestatem, Vt non possint fugere.

18 RESPONDEO, & dico Primò. Certum est posse fugere si non sint iuste in seruitutem tracti; nec solùm fugere, sed etiam vi repellere impedientes, & surripere a suis dominis quantum satis ad compensationem iniuriæ, & operæ præmitæ; imò quantum possunt, si adhuc duret bellum, quod ex parte capiẽtium sit iniustum. quia tunc possunt hoc modo nocere hosti, ex tacito Principis iustum bellum gerentis consensu, vt rectè notat Molina. Sic Christiani à Turcis capti possunt eos spoliare, & fugam capessere. *Iniustè addicti seruituti.*

19 Dico Secundò, Si à domino incitentur ad aliquod peccatum, qui rogatus nolit desistere; vel si inhumaniter tractentur, fugere possunt. Prior pars constat; quia non tenentur cum periculo animæ suæ (ob quod etiam maximè coniuncti deserendi, iuxta illud, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te*) domino suo seruire. *Quando serui possunt fugere.*

Altera probatur; quia inhumaniter tractando (vt si fame, siti, frigore, verberibus sine causa affligat) facit eis iniuriam, à qua se possunt eripere per fugam, cùm alia ratio non suppetit. Cessantibus tamen his causis tenentur reuerti, si in posterum non est periculum: sicut coniux, quæ ob similem causam toro maritali se subduxit. Nisi fortè iniuria tanta fuerit vt meritò libertate sit compensanda.

20 Dico Tertiò, Si dominus sit Iudæus, aut Paganus, iurisdictioni Principis Christiani subiectus; vel si sit hæreticus; seruus Christianus hoc ipso fit liber, ac proinde potest dominum deferre.

Probatur L. Deo nobis 56. C. de Episcopis & Clericis. vbi Iustinianus ait, *His ita diffinitis, reperta lege iubemus, vt nullus Iudæus, vel Paganus vel hæreticus seruos Christianos habeat; quod si secuti in tali reatu fuerint, sancimus seruos omnibus modis liberos esse, secundùm antiquiorem nostrarum legum tenorem.* Idem colligitur ex cap. vlt. de hæreticis, & cap. 2. & vlt. de Iudæis & Saracenis.

Adde seruos infideles illorum posse etiam fugere ad Ecclesiam vt fiant Christiani, & factos Christianos statim esse liberos; vt habetur d. L. Deo nobis suprà.

21 Dico Quartò, Qui a se, vel à parentibus legitimè sunt venditi, fugere non possunt.

Ratio est, quia cùm sint facti serui per legitimum contractum, in quem ipsi, vel parentes eorum loco iustè consen-

sule-

senserunt, tenentur contractu stare, nec possunt illũ violare absque iniustitia; sicut nec alias venditiones.

22 Dico Quintò, Qui in pœnam criminum iustè ad seruitutem sunt condemnati, non videntur posse fugere. est communis fere DD. sententia.

Ratio est, quia reus tenetur exequi instam sententiam, si pœna talis sit vt non possit alii per reum executioni mandari. atqui seruitus est talis pœna. ergo, sed de hoc plura infrà. nam si seruitus illa sit valdè calamitosa; probabile est fugere posse oblata commoda occasione. contrarium enim est nimis durum, & superans humanam conditionem, præsertim talium hominum.

Dico Sextò, Proles eamdem conditionem subit quam mater. Vnde si mater se vendidit, vel à parentibus iustè vendita est, vel ob crimen seruituti addicta, proles non potest fugere.

23 Hinc sequitur, eum, qui huiusmodi seruis consilium, vel auxilium ad fugam præbet, peccare, & ad restitutionem teneri totius damni inde secuti, vt si fugit, & abstulit simul 100. aureos, is qui fugam suasit, tenetur domino restituere non solũ pretium serui, sed etiam damni, quod fugiens intulit; quia totius damni causa censetur, vt rectè notauit Nauar. c. 17. nu. 103.

24 Dico Septimò, Serui bello capti licitè possunt fugere ad suos; non possunt tamen dominis persequentibus vi resistere. Est contra Nauar. c. 17. nu. 103. & multos alios. sed ita sentiunt D. Soto lib. 4 de Iustitia q. 2. ar. 2 Bannes 1. 2. q. 40. ar. 1. dub. 13. Couar. ad regulam Peccatum, 2. p. §. 11. nu. 6. & l. 1. variar. c. 2. nu. 10. & aliqui alij.

Serui bello capti fugere possunt.

Probatur prior pars §. Item ea. Instit. de rerum diuisione: vbi de seruis bello captis sic dicitur: *Qui tamen se euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt.* Idem insinuatur L. Nihil 26. ff. De captiuis & postliminio reuersis. *Nihil interest* inquit, *quomodo captiuus reuersus sit, vtrùm dimissus, an vt vel fallaci potestatem hostium euaserit; ita tamen, si eo animo venerit vt non illo reuerteretur.*

Probatur Secundò ratione, Primò, quia cùm hæc seruitus cõmuni consensu gentium sit introducta, nõ debet eius conditio magis onerari quam consuetudine totius orbis sit receptum. atqui consuetudo habet, vt tales serui sine conscientiæ scrupulo possint ad suos fugere. neq; hoc censetur illicitum, nisi forte dedissent fidem de non fugiendo, & ea lege vita eis esset condonata; tunc enim tenentur stare promissis. Secundo, quia hæc seruitus cæteris est nobilior, minùsque probrosa: vnde etiam in viros nobiles cadere potest. ergo non est cogenda in eas angustias, in quas aliæ seruitutes. Tertiò, Si non possent fugere, beneficium illud legum, quo conceditur libertas in termino, esset inutile; quia non possent illud consequi nisi per peccatum: vnde esset illecebra ad peccandum.

Quousque fuga sit illis concessa.

Dixi, *posse fugere ad suos*; quia non licet eis fugere ad euagandum extra potestatem dominorum, sed solum animo contendendi ad suos. hæc enim sola fuga iure, & cõsuetudine seruis concessa est, vt per eam possint libertatẽ in termino recuperare: nempè cùm ad suos, vel ad amicam ciuitatẽ, vbi publico nomine tuti sint, peruenerint: vt habetur L. Postliminio. 17. ff. de captiuis. quòd si in via intercipiantur, possunt reduci: quia antequam perueniant ad suos non recuperant libertatem. Postquam autẽ peruenerint ita sunt liberi, vt etiamsi redeant causa mercaturæ, vel simili, non possint à priore domino retrahi in seruitutem. Si autem fugiant non animo redeundi ad suos, peccant. & tenentur redire, vt rectè Couar. supra. quia priuant dominum vsu sui, dum adhuc continentur sub eiusdem dominio; nec sunt in via subtrahendi se ab eo per fugam iure permissam.

Non possunt fugere animo vagandi.

25 Altera pars, *quòd dominis persequentibus vi resistere non possint*. Probatur; nam domini habent ius illos intercipiendi, & detinendi quamdiu ad suos non peruenerint; alioqui inutilis esset seruitus. quare cùm non possit esse bellum vtrimque iustum, non possunt se vi tueri. Simile est in reo, qui etsi fugere possit, non tamen ministris iustitiæ persequentibus resistere.

Potest quis cooperari ad fugam.

Ex his sequitur Primò, Licitum esse cooperari huiusmodi seruo ad fugam; modò scandalum, & aliæ indebitæ circumstantiæ absit. Secundò, Idem esse iudicium de prole; quia non est deterioris conditionis suo parente. Tertiò, Idem ius permanere, etiamsi decies quis venditur. nam iure belli seruus censetur, cuius primæua seruitus sic est constituta, etiamsi decies venierit. 26

Obijcitur Primò à Nauar. cap. Si quis seruum 17. q. 4. *Obiectiones.* vbi Concilium Gangrense sub Anathemate prohibet *ne quis alieno seruo suadeat vt seruitium domini sui desistere*. Idem prohibetur capit. sequenti, quod est Concilij Romani sub Martino I & confirmatur L. 1. C. de seruis fugitiuis. vbi dicitur *fugitiuus seruus furtum sui facere domino*. Et Leg. 3. si in fuga deprehendatur, grauis ei pœna decernitur, nempe pedis amputatio, vel damnatio ad metalla.

Respon. Illis canonibus solùm prohiberi, ne quis prætextu religionis, seu libertatis Christianæ doceat seruum contemnere dominum suum, & deserere eius ministerium; vnde nihil ad nostrum propositum. Ad confirmationem; lex prima loquitur de eo, qui fugit ad alium dominum. lex autem tertia loquitur indistinctè de seruis, qui fugiunt ad barbaros hostes Romani Imperij; vnde excipi debent illi, qui fugiunt ad suum populum, vt colligitur ex alijs iuribus allatis.

Obijcitur 2. qui damnatus est exilio ad certum locũ, non potest ex eo loco fugere: ergò cùm seruus iure gentium damnatus sit seruitute, non potest fugere.

Resp. Negando conseq. quia hi serui non damnantur vt malefactores in iudicio; sed nobiliori quodam modo, & minùs ignominiosa seruitute, cui ex more gentium hoc priuilegium est relictum.

Obijcitur 3. Serui à dominis solent grauiter puniri si 27 contingat eos fugere, & à fuga retrahi. ergo non licet eis *Quo modo iuste possint plecti si fugerint.* fugere: quia alioqui iniustè punirentur. Respon. Primò, Forte illos dominos sequi alteram sententiam, quæ censet fugam esse illicitam, quæ etiam est probabilis, etsi nostra sit probabilior. Secundò, Probabile est, etiamsi dominus putet fugam licitam, nihilominùs seruum posse castigari; non quòd peccauerit, sed quia priuilegium fugiẽdi videtur illi cum hoc onere concessum in gratiam domini; sicuti custodia publica inclusi licite fugiunt, vt infrà dicetur; & tamen deprehensi puniuntur, L. 1. ff. de effractor. & alibi quod magis locum habere potest in seruis; quia cùm caperentur in bello, poterant iustè occidi: sed mors illis ita commutatur in seruitutem, vt si fugiãt, nolentes in ea desistere, prior pœna ex parte possit reuocari, irrogato graui supplicio.

DVBITATIO VI.

Quæ animalia licitè occupentur venatione, piscatione, aucupio.

28 NOTANDVM est, animalium quædam naturali indole esse mansueta, vt sunt oues, boues, equi, sues, gallinæ domesticæ, anates domesticæ, & similes: alia esse fera seu siluestria: & horum alia vsu sunt mansuefacta, vt cuniculi, cerui, quos domi nutrimus, pauones, columbæ domesticæ: alia retinent indolem siluestrem.

Nunc Resp. & dico Primò, Animalia natura mansueta, & domestica, etiamsi dominorum potestatem longiùs euaserint, non licet capere. patet §. Gallinarum, Instit. de rerum diuisione, vbi dicitur *furtum committere qui hæc animalia cùm effugerint, detinet*. Ratio est: quia hæc, licet fugerint; nõ tamen ideò recuperant libertatem; cùm naturali sua indole sint domestica; vnde adhuc manent in dominio prioris domini. quare vbicùmque hæc inuenta fuerint oberrantia, dominis sunt restituenda. Imò etiam si capta à lupo vel à vulpe fuerint; qui ea exemerit, restituere debet quidquid de illis superfuerit. *Mansueta re* *stituenda.*

Dico Secundò, Animalia fera, seu siluestria vsu mansuefacta, quæ consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi potestatem domini, non licet occupare. Instit. supra §. Pauonum. Vnde qui in suo columbario appositis illecebris, aliorum columbas eò traducit, tenetur ad restitutionem: secùs si id fine fraude accidat, v. g. quia meliùs eas alit, vel commodiorem stationem aptauit. consuetudo tamen est considerandа. nam quibusdam locis dicitur esse moris vt omni arte alienas columbas liceat accersere. 29 *Columbaria permissa.*

Dubitant Doctores an columbaria sint licita. Sed dicendum

cendum est ordinarie licita esse, nisi lege aliqua sint prohibita. Ita Nauar.c.17.nu.126. Cajet.verſ.Columbarium. Silu. Reſtitutio 3.o.4. Sotus lib.4.q.6.art.4. Molina diſp. 43. Primò, quia paſſim eſt conſuetudo. Secundò, quia non ſentitur ordinarie damnum notabile: non enim minùs veſcuntur ſeminibus pravis, quæ ſata ſuffocant: & ſtrangulant, vt lolio, melanthio, orobanche, quam bonis: vnde Alenſis dicit quoſdam tenere tantum prodeſſe quantum nocent. Tertiò, quia potiſſimùm veſcuntur granis prolapſis è ſpica, nec ſcalpendo detegunt ſemina terræ mandata; vt ferunt harum rerum curioſi. Quartò, niſi haberentur columbaria, eſſet major numerus ſilueſtrium; quia pauciores caperentur, & ita magis nocerent ſatis; Denique quia cedunt in cibũ Reipub. Curare tamen debent qui eas fouent, vt pabulum in columbarijs non deſit, ſic enim minus nocere poſſunt.

30 *Fera ſiſſa eſt animata.* Dico Tertiò, Si hęc animalia amittant conſuetudinem redeundi, licet occupare, & ſiunt occupãtis, vt habemus expreſsè Inſtitut. loco citato. Ratio eſt, quia tunc cenſentur ſe recepiſſe in naturalem libertatem, & non amplius eſſe in poteſtate prioris domini. Vnde columbæ tuæ ſi ſe aggregarint columbis alterius columbarij, & conſuetudinem redeundi deſeruerint, ſiunt alterius. Dicuntur autem conſuetudinẽ redeundi deſeruiſſe, ſi bis terve tẽpore conſueto non redeant, vt docet Nauar.c.17.num.128. & Sil. verbo Inuentum, q.2. quod de columbis eſt verũ; non tamen de ſeruis, & alijs, quæ interdum vagãtur iuxta domum, & ſponte non redeunt, tamen facile patiũtur ſe reduci. Itaque prudentis arbitrio definiendum eſt quando cenſeantur conſuetudinem redeundi deſeruiſſe.

31 *Omnino fera.* Dico Quartò, Animalia omnino fera, & ſilueſtria. ſi poteſtatem domini euaſerint, & in libertatem naturalem ſe vindicauerint, vbicunque reperta fuerint, licet proſequi, & capere, & ſiunt occupantis. Ratio eſt eadem quæ ſuprà, quia iam nullius ſunt.

Vbi Aduerte, eum, qui ceperit aliquod animal ferum, ſeu ſilueſtre, vt cervum, leporem, perdicem, columbam, tamdiu cenſeri dominũ, quamdiu illud ſua cuſtodia coercet. quòd ſi eius cuſtodiam euaſerit, rurſus fiet primò occupantis: vt ſi cervus ex ſilua, vel prato concluſo euaſerit. Dicuntur autem recuperaſſe naturalem libertatem, quando ita euaſerunt vt difficile poſſint comprehendi. tunc enim ſunt extra dominii poteſtatem. quòd ſi facilè, non cenſentur eſſe extra dominium.

32 *Examen apum.* Vnde patet, examen apum, cùm ſilueſtris ſit naturæ, ſi ita euolet vt ſit difficilis eius proſequutio, poſſe à quolibet capi, etiamſi ex arbore tua dependeat. Sicut enim auis non ideò fit tua quia in tua arbore nidificat; ita nec examen apum quia ex tua arbore pendet tuum eſt, potes tamen alium re adhuc integra prohibere ne fundum tuũ ingrediatur, vel arborem conſcendat vt illum præuenias. quod ſi in tuũ alueare ſe inuolet, tuum efficitur. Hæc omnia expreſsè habentur Inſtit. de rerum diuiſione. & fuſiùs in Pandectis l.3.4.5. ff. de acquirendo rerum dominio. & l.3.§.Item feras. ff. de acquirenda poſſeſſione. Vide etiam Nauar.c.17.nu.128.

Aduertendum tamen, in his omnibus habendam eſſe rationem conſuetudinis, locorum, & prouinciarum.

DVBITATIO VII.

Vtrùm Principes poſſint iuſtè prohibere venationem, piſcationem, & aucupium in locis publici iuris.

33 COVAR. ad regulam Peccatum p.2. §.8. refert multos Doctores, qui tenent Principes non poſſe id prohibere; eo quod iure naturæ, vel gentium licitum ſit animalia libera capere. quod ius Princeps tollere non poteſt. Ita Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Decius, Tiraquellus, Rebuffus, & plures alij; & Iaſon dicit hanc ſententiam eſſe communem. Sed Couar. tenet contrarium; adductis pro ſe multis Iuriſperitis, & conciliatis illis, qui aliter ſentire videbantur. Idem ex Theologis tenent Cajet. Tom.1.opuſcul.tract.17.c.12. & Ioannes Medina C. de Reſtit.q.12. Sotus lib.4.de Iuſtitia q.6.ar.4. & alij paſſim. Pro qua ſententia.

34 Dico Primò, Principes poſſunt prohibere hanc venationem, ſeu captionem animalium in locis publici iuris, ex conſenſu populi, ſiue gratis, ſiue per aliquem contractum præſtito. Ratio eſt, quia populus poteſt cedere iure ſuo.

Dico Secundo, Poſſunt etiam eam prohibere, ſi iudicetur id neceſſarium ad Reipub. onera ſuſtinenda; nempe vt inde confletur maxima vis pecuniæ, officio & adminiſtrationi Principis neceſſaria. Quo titulo quidam Principes reſeruant ſibi ius piſcandi certa genera piſcium; vt apud Hiſpanos reſeruant ſibi ius piſcandi thynnos, vt in quit Couar.nu.10.

35 *Princeps poteſt ad ſuam recreationem reſeruare ius venandi.* Sed difficultas eſt, Vtrùm ad ſolam recreationẽ poſſint ſibi abſque populi conſenſu tale ius reſeruare?

Reſp. Et dico Tertiò, Principes etiam ad ſolam recreationem poſſunt abſque conſenſu populi Ius venandi in quibuſdam locis ſibi reſeruare. Ita Couar. Sotus, & Medina ſuprà.

Ratio eſt, quia Princeps cùm laboret pro Repub. poteſt etiam aliqua loca communia ſuæ recreationi reſeruare, præſertim cùm id etiam pertineat ad Principis dignitatem.

Non tamen vbique. Dico *in quibuſdam*; quia non poteſt populum ab omnibus locis publicis excludere, & ſibi totam venationem reſeruare; niſi forte eam ob cauſam remittat aliquid de tributis ſibi debitis, vel aliter compenſet. Ratio eſt, quia eſt nimis inhumanum, & tyrannidem ſapiens (vt rectè docet Medina) tantummodo ſui commodi, & oblectationis gratia, vniuerſum populum omni recreatione, & vtilitate venationis, quæ iure naturali, & gentium eis eſt conceſſa, priuare.

36 *Poteſt quibuſdam concedere.* Notandum Primò, Poſſe Principẽ perſonis de Repub. bene meritis ius venandi, vel piſcandi in loco communi attribuere cæteris excluſis; modò tamen id abſque notabili communitatis incommodo fiat. Sic videmus quibuſdam monaſterijs, & nobilibus varia priuilegia in hoc genere conceſſa.

Notandum Secundò, etiam cõſuetudine legitimè præſcripta poſſe huiuſmodi ius acquiri, tum Principi, tum alijs: vt docent Caietan. Medina. & Couar. ſuprà. Ratio eſt, quia conſuetudo habet vim legis, & priuilegij: & ſicut alia Iura præſcriptione acquiri poſſunt, ita & iſtud. Videndum tamen ne huiuſmodi conſuetudo malo titulo, vel tyrannice ſit vſurpata, vt monet Couar. nu.10.

37 *Obligantur ad damna.* Notãdum Tertiò, Principes, qui ſibi tale ius reſeruãt, obligari ad cauenda damna, quæ feræ multiplicatæ poſſent agris vicinorũ inferre; & ſi quæ inferãt, teneri ipſos ad reſtitutionẽ. ita Couar. ſuprà nu.10. Ex Cajet. Eſtque communis DD. ſententia. Ratio eſt, quia reſeruatione iſtius iuris, & lege illa, qua vetat venationem, & ferarum peremptionem, dat cauſam damni, quod per feras infertur. qui autem dat cauſam damni, ipſum quoque damnũ dediſſe videtur, ac proinde tenetur ſarcire. Neque ſatis eſt ſi dicant ſe velle ſarcire damna, quæ inferentur; ſed etiam debent cauere quantum opus eſt ne inferantur; vt rectè notat Nauar.c.17.nu.125. aliud enim peccatum eſt inferre damnum, aliud nolle compenſare illatum. quamuis ſi verè paratus eſſet totum damnum abſque mora cõpenſare, & diligenter de eo ſubinde inquireret; non putarem peccare mortifere: quia non inferret notabilem iniuriam. Verum hoc in praxi rarum eſt. Excipiuntur tamen duo caſus, quibus Princeps ad neutrum tenetur. Primus, Si conſenſu Reipub. & eorũ qui poſſident agros vicinos, hoc ius haberet: quiuis enim poteſt cedere iure ſuo. Quo tamen caſu diſſimulare deberet cum eo, qui feram ſegetes vaſtantem in agro ſuo perimeret. Vtitur. n. ille iure naturalis defenſionis, quam populus ille ſe priuare voluiſſe non cenſetur. Secundus, Si in terra hoſtili a ſe occupata tale ius in aliquo ſaltu inſtituat, antequam agri vicini diuidantur: tunc enim agri illi tranſeunt cum hoc onere tcu ſeruitute ad ſuos poſſeſſores.

Duobus casibus non tenetur.

38 *Prohibens iniuſtè venationem.* Notandum Quartò, Eum, qui iniuſtè prohibet alium a venatione, piſcatione, aucupio, teneri ad reſtitutionem probabilis lucri, quod ille deductis expenſis, & laboribus facturus erat, vt rectè notat Couar.nu.11. & 12. Nauar.c.17.nu.120. nõ tamen ad reſtitutionem animaliũ, quæ capta non ſunt: quia illa nondum fuerunt in poteſtate eius qui prohibitus eſt. Vnde etiam ſecundùm quoſdã non tenetur

netur Eccleſiæ compenſare decimas, quas venatores de rebus captis in quibuſdam locis ſoluere ſolent: (etſi Couar. contra ſentiat) quia decimæ, niſi de rebus iam perceptis, non debentur. idem iudicium eſto de eo, qui impedimento fuit agricolæ in agricultura. Sed de his infrà, ca. 59. dubit. 3.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm quis poſſit venari in prædio vel ſaltu alieno.

39 RESP. Abſolutè poſſe, modo illa loca non ſint ita concluſa, vt feræ non poſſint egredi. cauendum tamen ne quid damni inferatur. Quiſque tamen poteſt ius venandi in ſuis prædijs ſibi reſeruare, & alijs prohibere ne ibi venentur; vt habemus. §. Feræ. Inſtit. de rerum diuiſione. hæc tamen prohibitio erit irrationabilis, ac proinde parum curanda, ſi ipſe dominus nolit ibi venari, & feræ multiplicatæ damna inferant. imò talis dominus tenebitur tunc ad reſtitutionem damnorum; quia cenſetur illorum cauſa per ſuam prohibitionem, vt notat Couar. n. 11. Et conſentiunt omnes DD. vt ſuprà diximus.

Prohibitio aliquando parum curanda.

40 Simili modo cauendum venatoribus, ne ipſo actu venandi in locis alienis, vel tranſitu per illa, damnum inferant proterêdo ſata, iterendo ſegetes, excutiendo grana, lædendo vineas, diſſipando ſepes, & ſimilia. alioquin tenentur ad reſtitutionem. Ita docent omnes DD. qui hanc rem attingunt. Sylueſter v. Venatio: *Verum* inquit *venatores conculcantes agros, vineas, & ſegetes, & quorum canes occidunt gallinas, & animalia pauperum, & aliorum, tenentur reſtituere: dicit Aſtenſis quòd ſic, ad aſſimationem; aliàs peccant mortaliter; niſi damnum ſit ita modicum, quod probabiliter creditur non curare.* Idem ijſdem verbis affirmat Angelus, eodem verbo. Caietanus in Summa, eodem verbo, dicit *Actum venandi eſſe peccatum, ſi damnum agris, aut vineis inferatur, idque pro magnitudine damni.* Barthol. Fumus eodem, numero 1. dicit, *Actum venandi eſſe peccatum ſi ſint cum damno proximi in perſona, vel rebus; vt quia venator exponit ſe periculo occidendi, vel vulnerandi proximum ex defectu circumſpectionis, vel deſtruit ſegetes, ſemina, vineas, vel huiuſmodi, & tunc iudicat mortale, vel veniale ſecundum qualitatem actus, vel periculi, cui ſe exponit; & vltra peccatum tenetur de damno per eum illato, vel eius occaſione.* Nauarrus in Enchiridio capit. 13 numero 125. *Peccat qui ad venandum prof. ctus permittit vt canes ſui noceant alienis animalibus domeſticis, gallinis, anatibus, aut feribus, & id genus alijs; aut vt ſui equi, aut famuli notabile damnum inferant prædijs, aut ſatis per quæ tranſeunt, aut eorum fructibus, & non velit reſtituere. Hoſtienſis in Summa de parnit. & remiſſ.* Omitto alios; quia idem omnes nemine diſcrepante docent.

Ratio eſt perſpicua. Quia vel venatio inſtituitur ad oblectationem, vel ad proprium commodum, vel ad bonum commune. v.g. ne feræ multiplicatæ noceant agris, pecoribus, hominibus. Si ad oblectationem, vel proprium commodum, manifeſtum eſt id non poſſe fieri cum diſpendio aliorum. Nec refert etiamſi forte ſit perſona publica, vel gubernator patriæ; quia in ijs, quæ ipſe agit in commodum proprium, comparatur ad ſubditos, vt priuatus ad priuatum; vnde non minus tenetur de damno quàm ſi eſſet priuatus. [redacted] verò, ad bonum publicum inſtructa ſit, nulla æquitas patitur, vt damnum, quod occaſione boni publici contractum eſt, a paucis hominibus priuatis ſuſtineatur; ſed iuſta proportione diſtribuendũ in omnes. alioquin peccatur contra iuſtitiam diſtributiuam: quæ ſicuti præſcribit bona communia certa proportione diſtribui in ſingulos, ita etiam onera, & damna, quæ cauſa communis boni imponuntur, vel inferuntur. Sicut enim bonum quod intenditur commune eſt: ita etiam damnum commune eſſe debet. Itaque deberet huiuſmodi ex cauſa damnum paſſis fieri compenſatio ex bono communi: v.g. remiſſione tributorum, vel exactionũ, vel immunitate a milite, vel ſimili modo. Pari ratione cum cauſa boni publici ſolum alicuius occupatur, vt conuertatur in viam publicam, vel vt in eo fiat propugnaculum; vel cum deijciuntur ædificia priuatorum, facienda eſt compenſatio ex publico. Cum autem damnum illatum eſt cauſa proprij commodi, ex proprijs compenſatio facienda, vt per ſe notum eſt.

Aduerte tamen, ſi damnum eſt modicum, & dominus loci tantùm ferè commodi adferat agricolis occidẽdo feras, quantum damni ipſo actu venandi; vel ſi rebus illorum conſulat, ſua authoritate auertendo milites, eoſque ab alijs incommodis tutando, ita vt meritò videri poſſint illa damna, quæ ſubinde ex venatione ſentiunt, non curare, & condonare; non eſt obligatio reſtituendi: quo modo fortaſſe aliqui locorum domini poſſunt excuſari. hoc tamen nõ habet locũ quando dãna ſunt grauia. Quo modo autem damnum graue, aut leue agris, & ſatis inferatur, & quodnam tale cenſendum ſit, optimè ex ipſis agricolis cognoſci poteſt. 41 *Limitatio.*

Dices, Quid ſi ab hominum memoria ſit vſurpatũ, vt tota venantium turba cum equis, & canibus, pronũ occaſio tulerit, per media ſata ſeſe inferat, nõ curans quid dãni inde reſultet; nec vlla ob id fiat reſtitutio, maxime cũ nemo querelas apud iudicem deponat? videtur enim hoc euentu habere locum præſcriptio, quo tanti temporis tractu hoc ius ſit a domino loci vſucaptum. Reſp. Vt titulus præſcriptionis hic locum habeat, debere cõſtare 1. de ipſa cõſuetudine, & vſu, qui memoriã hominũ antecedat. 2. nõ fuiſſe factam compenſationem, cùm damna irrogata erãt grauia 3. Quod damno affecti nõ depoſuerint querelas, nec mouerint litẽ. id non factum deſperatione obtinendi iuris, aut metu maioris mali, ſed omninò libere, & animo condonandi. alioquin cùm præſumptio ſit in contrarium, non poterit cenſeri bona fides in venatoribus damna illa inferentibus. Sic tyrannus non poteſt vſucapere ius imperij in populum liberum, quando ſolo metu illum coercet, ita vt non præſumatur liberè in illum conſentire. Ratio eſt, quia præſcriptio in huiuſmodi quæ vi præſumuntur vſurpata, non poteſt dare ius, niſi quatenus tanti temporis vſus, & poſſeſſio parit præſumptionem liberi conſenſus eorum, ad quos pertinet. Si tamen huiuſmodi fundi eſſent beneficiarij, iure feudi, vel emphyteuſis domino obnoxij, poſſet ex huiuſmodi conſuetudine præſumi talem ſeruitutem ab initio fuiſſe voluntate principis annexam, & idcirco minorem penſionem, minuſve obſequium domino ab emphyteuta, vel feudatario præſtari. Quis autem primo loco, quis ſecundo, & in ſubſidium hic in reſtitutione veniat, ex regulis generalibus colligendum. Vide infrà cap. 13. dubit. 5. & ſequentibus. *An præſcriptio excuſet.*

DVBITATIO IX.

Quomodo pecces, & an teneatur ad reſtitutionem is, qui contra iuſtam prohibitionem venatur, aucupatur, piſcatur.

NOTANDVM ex Couar. venationem prohiberi generatim quatuor rationibus. Primò *ratione ſtatus perſonæ*. Ita prohibetur Clericis, & multò magis Monachis; præſertim ea venatio, quæ [redacted] magno ſtrepitu canũ, & armorum, vt patet c. 1. de Clerico venatore: quod ſumptum eſt ex Concil. Aurelianenſi: vbi *Epiſcopus, qui crebrò talibus venationibus dat operam, iubetur ſuſpendi tribus menſibus a communione: presbyter verò duobus: diaconus ab officio.* vnde videtur frequentatio talium venationum eſſe peccatum mortale. Quieta tamen venatio cum retibus, laqueis, pauciſque canibus, modò raro fiat, non eſt omninò prohibita Eccleſiaſticis; vt notat Medina q. 12. C. de Reſtitut. & Silu. verbo Venatio; ſiue fiat cauſa neceſſitatis, ſiue exercitij, ſiue moderatæ recreationis, vt notat Panor. in illud c. 1. citatum. 42 *Quadruplex ratione poteſt eſſe venatio prohibita.*

Secundò, *ratione temporis*. Sic videri poſſit prohibita venatio diebus feſtis, & ieiunij. ex cap An putatis d. 16. ſed hoc intelligendum eſt quando ratione venationis omitteretur ſacrum, vel violaretur ieiunium. alioquin abſolutè non eſt prohibita, cùm non ſit opus ſeruile; vt notat Nauar. ca. 13. nu. 11. quamuis in magnis feſtis, & quibuſdam ieiunijs ſit valdè indecora ob nimiam animi effuſionem, & corporis agitationem. *Venatio & aucupiũ non eſt opus ſeruile.*

Tertiò, *ratione publicæ vtilitatis*, ne videlicet ſoboles ferina extinguatur. ſic prohibetur interdum venatio illis mẽſibus quibus feræ ſunt grauidæ, & quãdo ſunt nimes; quia tunc facilè capiuntur; & vſus certorum inſtrumentorum, vt bombardarum, retium tenuium, & ſimilium, quibus

quibus facilè magno numero concluduntur.

Quartò, *ratione loci*, vt si in aliquo loco à Principe statuta immunitas ne quis ibi venari possit, vel si locus sit alienus. His positis.

43 *Quale peccatum.*

Dico Primò, Quando venatio solùm est prohibita ratione status, vel temporis, ordinariè non est nisi peccatum veniale; modo scandalum absit, & periculum occisionis, vel mutilationis: & animal captum non est necessariò restituendum.

Prior pars patet ex dictis; estque Medinæ, Siluestr. & aliorum.

Altera probatur; quia conditio personæ, vel temporis non facit illam actionem inuitum, aut rem obnoxiam restitutioni.

Dico Secundò, Etsi venatio prohibita sit ratione vtilitatis publicæ, tamen non est peccatum mortale, nisi quàndo modus venandi censetur notabiliter perniciosus cómodo Reipub. & ideircò lata graui pœna est prohibitus; vel quando reipsa notabile damnum bono publico infertur, (vt si tobolem feminam notabili ex parte extingueret) animalia tamen capta non sunt in foro conscientiæ restituenda. Ita Conrad. reg. Peccatum p. 2. § 8. & alij. Ratio est, quia leges in hisce casibus non prohibent ipsam acquisitionem ferarum, sed vsum venationis: vti autem venatione contra legis mandatum non censetur notabilis iniuria, vel læsio Reipub. cùm iure gentium liceat occupare quæ nullius sunt. Vnde fit vt venator non teneatur ad restitutionem ferarum captarum, etiamsi instrumentis vetitis ceperit; quia feræ non sunt res Reipub.

Restitutio quando necessaria.

Aduerte tamen, si quis aquas inficeret, vnde contingeret magnam vim piscium mori, vel alio modo graue damnum inferret, teneretur ad restitutionem Reipubl. quæ habebat ius venandi; quatenus censetur illud ius grauiter læsisse, & spem lucri, & oblectationis eripuisse ipsa tamen animalia non tenetur restituere: sed solum quantum illa spes, seu ius venandi censebatur valere.

Dices, Ergo semper teneretur ad aliquam restitutionem, etiamsi vnam duntaxat, vel alteram feram ceperit; nam ini què priuauit Rempub. iure illius venandi, & sic censetur læsisse.

Resp. neg. consequentiam, quia illud ius venandi non censetur notabiliter læsum propter vnam atque alteram feram subtractam: quamuis enim duæ, vel tres feræ sint magni momenti; ius tamen venandi respectu earum, in magno saltu est parui momenti.

Qui venatur in fundo personæ priuatæ.

Dico Tertiò, Qui venatur in alieno fundo, vel prædio, vel silua, inuito domino, non tenetur ad restitutionem eius quod cepit; peccat tamen pro ratione iniuriæ, & damni illati, (si quod inferat) & tenetur ad eius compensationem. Docet hoc Couar. supra nu. 4. Medina q. 11. & alij.

Fera non sunt fructus fundorum.

Prior pars probatur, quia animal libertæ nó erat dominii illius fundi; sed nullius: ergo transit in dominium primò occupantis. Ratio est quia animantia non sunt fructus agrorum, vel siluarum, vel fluuiorum, sicuti arbores, quæ solo hærent; sed alia ex alijs procreantur. Vnde sequitur, etiamsi ager, vel possessio talis sit vt eius fructus in venatione consistant, ipsaque venatio sit alteri elocata, non tamen ideò animalia fiunt conductoris, vel vsufructum habentis, quam diu naturali libertate fruuntur; sed conductor, & vsufructuarius solùm ius venandi in tali fundo habent, quod ius censetur ad fructus agri, vel siluæ pertinere. Vide Couar. nu. 9. & 11.

Altera pars probatur, quia is, qui venatur in aliena possessione inuito domino, facit illi iniuriam. Dominus enim ius habet vt nemo ibi se nolente venetur, vt habemus §. Feræ. Instit. de rerum diuisione & l. Item si fundi. 9. §. Aucupiorum. 7. de vsufructu, vbi dicitur, *Reditus aucupiorum, sicut & venationum, ad fructum agri pertinere, nec esse rationabile in agro aliene quemquam, nolente domino, aucupari.* Vnde vlteriùs patet, si damnum aliquod inferat, teneri ad restitutionem; vt si segetes proculcet, si sepimenta dissipet: item, si dominus illam feram venari volebat, & probabiliter erat capturus; spectanda est æstimatio illius spei. Denique si ius venandi alteri vendere, vel elocare statuerat, & tu crebra venatione effeceris vt parui æstimetur, quòd si nullum damnum sit illatum, (vt si dominus ipse nolebat venari, nec ius illud elocare) non tenetur venator ad vllam restitutionem, etiamsi inuito domino venatus sit; quia notabile damnum non irrogauit. vetatio quoque illa parum erat rationi consentanea, cùm ipse eo iure vti nollet.

Aduertendum autem est, eamdem esse rationem extranei, venantis in loco publico, atque cuiuscumque venantis in loco priuato alterius, inuito domino: vterque enim tenetur damnum, si quod illatum fuerit, tenetur, non ipsas feras.

44 *Qui in fundo Principi tributo.*

Dico Quartò, Qui venatur in loco publico venationi Principum vel aliarum personarum iustè assignato, peccat venialiter: & si notabile damnum infert, mortaliter; teneturque ad compensationem damni, non autem ad restitutionem animalis capti.

Probatur prior pars, nam lex illa prohibens in tali loco venationem, etiamsi pœnam appositam habet, communi tamen hominum iudicio non censetur grauem inducere obligationem, quamuis ipsi domini ibi venari soleant; nam feræ sunt nullius, & siluæ sunt communes: & alias non est notabilis læsio. Vnde rationi consonum est vt relenatio illa iuris venandi facta per Principem, non adeo strictè accipiatur.

Dices, Si est peccatum veniale, ergo ratione grauitatis materiæ potest esse mortale.

Respondeo. Ipsa materia seclusa damno, ex genere suo est parua, & ita non constituit peccatum mortale, si damnum absit.

Altera pars constat; nam ratione damni potest censeri peccatum mortale: vt si animalia capta essent magni pretij, & multa, ideoque Princeps non posset tam multa capere quàm alias solet. Item si feræ sint redditæ fugaces, vt nisi primè postea capiantur. Denique si aliqua ratione damnum sit notabile. Potest tamen venator excusari à restitutione, (vt notat Medina) quia Principes non solent talem restitutionem curare, sed sufficit illis vt deprehensi pœnam luant.

45 *Pœna qualis.*

Hæc autem pœna non debet esse corporalis; vt mutilatio, vel flagellatio, (vt rectè notauit Siluest. verbo Venatio. N. uar. cap. 17. num. 121. & alij DD. communiter) sed pecuniaria; quia non censetur graue crimen, etiamsi grauem damnum intulerit. Vnde si sit statuta pœna corporalis, non est mandanda executioni; nisi quis valde sæpè esset deprehensus, & minoribus pœnis non emendatus; tunc enim posset aliqua corporalis, verbi gratia flagellatio adhiberi.

Si arte magica ceperit.

Vltima pars, *qui non teneatur ad restitutionem animalis capti*, patet ex dictis. Notandum est, hoc etiam locum habere, etsi quis arte magica, vel alia prava machinatione feras elicuerit, & ita extra siluas ceperit: vt notat Couar. nu. 14. Nam modus ille capiendi, etsi sit graue peccatum, non tamen facit vt ipsa captio sit contra Iustitiam. Quamuis ille puniri possit, sicut is, qui intra siluam venatur. Qui tamen feras extra locum suum absque vlla fraude egressas caperet, non solùm ad nihil tenetur, sed neque ideò puniri debet; vt ibidem Medina & Couar. quia ipsæ feræ, cùm sint nullius, iure gentium permittuntur occupari extra saltum prohibitum. Adde, Idem dicendum si quis venetur feram in saltu concluso, sed ita vasto, vt in eo difficillimè capiantur; nam in tali loco non multùm frenunt libertate naturali quam si ibi non essent. Quod Confir. quia animalia quæ sunt in Insula Ouarum, vel Ceylan, naturali libertate fruuntur, & fiunt primò occupantis. ergo idem dicendum de saltu amplissimo clauso. Ita Couar. supra nu. 15.

Saltus conclusus, si vastissimus sit, non tollit feris libertatem naturalem.

Vtrùm autem feræ, quæ naturali libertate fruuntur, possint per aliquam legem ita alicui Magnati addici, vel bono publico seruari, vt non transeant in dominium capientis, dubitari potest. Verius est posse, modò legitima causa subsit: vt si alia ratione non posset commodè sumptibus quibusdam necessarijs prouideri. hoc tamen rarò in praxi vsu venit. Ratio est, quia lex ob nullam causam potest alios reddere inhabiles ad certæ rei dominium comparandum. Sicut enim actiones humanæ subsunt legum dispositioni, adeò vt per leges possit tibi concedi ius, vel imponi obligatio, aut etiam injici impedimentum ad aliquas actiones obeundas: ita etiam res externæ, earumque dominium & possessio, legum dispositioni subiacet; sic vt ius acquirendi, vel incapacitas, per eos irrogari possit. Hinc quidam

sunt incapaces quorundam officiorum,successionis hæreditariæ, possessionis immobilium, &c.

DVBITATIO X.

Vtrùm fera à me vulnerata,& postea ab alio capta, sit mea, an capientis.

47 *Tria requiruntur vt fera ista fiat percussoris.*

RESPONDENT communiter DD. esse capientis,& non vulnerantis. Ita Couar. ad reg. Peccatum p.2.§.8.nu.13.& alij.quod patet §.illud quæritum Instit. de rerum diuisione. Sed hoc intelligendum est, nisi ita vulnerata sit, vt percussor insequens eam certò esset capturus. Vnde tria requiruntur vt fiat percussoris. Primò, vt læserit eam quantum satis ad capiendum. Secundò, vt læsam insequatur. Tertiò, vt moraliter certum sit quòd eam sit apprehensurus. Ratio est, quia tunc habet illam quodammodò in sua potestate; censetur enim quasi capta: vnde alius non potest illum præuertere. Secùs est quando dubium erat vtrùm fera esset euasura: tunc enim fit occupantis; quia adhuc videtur habere suam naturalem libertatem, vt colligitur ex L. Naturalem.5. ff. de acquir. rerum dominio. vbi dicitur, *feram recepisse naturalem libertatem quando difficilis est eius prosecutio*.

DVBITATIO XI.

Vtrùm fera meo laqueo capta sit mea, an eius qui fortè superueniens laqueo eximit, & abstulit.

48 COVAR. suprà nu.13.& Nauar.c.17.nu.176.adiudicant illam eximenti; nisi contraria sit consuetudo in aliquo loco particulari. Idem sentiunt plerique Doctores, ob L. In laqueum. 55. ff. de acquir. domin. vbi insinuatur esse eximentis. Confirm. quia non acquiritur dominium feræ, nisi per apprehensionem: is autem qui laqueum posuit nondum apprehendit. ergo, &c. Hæc sententia est probabilis.

49 *Videtur eius qui laqueum posuit.*

Verius tamen videtur, & rationi naturali magis cõsentaneum, vt sit eius, qui laqueum posuit. Ratio est, quia hic eam apprehendit, & occupauit per suum instrumentum, adempta ei libertate naturali: quæ apprehensio sufficiens videtur vt debeat illius censeri. sicut enim manibus, ita instrumentis aliquid apprehendere possumus, & in nostram potestatem redigere. Fauet dicta lex In laqueum, ff. de acq. dominio, vbi hic cursus ponitur, & respõdetur *Feram meam esse, si in potestatem deuenerit*, atqui venit in meam potestatem per meum laqueum. Vnde ad argument. contrar. sententiæ respondeo, Illam legem, si benè expendatur, videri facere a nobis. in alio sensu non puto receptam. Nemo enim est qui nõ putet sibi iniuriã fieri, si fera sic capta tollatur. Ad Confir. ille apprehendit per suum instrumentum. quòd si talis apprehensio non est sufficiens ad comparandum dominium, (quod tamen probari non potest) nihilominus satis est ad comparandũ ius ad rem, quo tu exclusis alijs possis illam apprehendere; ita vt si alius præueniat, & te impediat a cõsecutione illius rei teneatur ad restitutionem. ita Molina disput.42

50 *Si erat eluctatura.*

Hic tamen aduertendum est primò, Si fera ie erat extricatura, potuisse ab alio occupari; quia tunc non peruenerat omninò in tuam potestatem, nec tu eam habiturus eras. Molina tamen putat tunc existimanda spem tuam, & ab altero compensandam: quod est satis æquum.

Dices, si auem cauea conclusam teneam, parumque absit quin erumpat, & tu superueniens eam eximas, mihi est restituenda, quia necdum effugerat: ergo similiter fera laqueo mea capta.

Resp. neg. consequentiam; quia hæc fera nondum facta est mea cùm nondum eam omninò occupauerim: illa autem auis iam antè erat mea; vnde nisi reipsa assequatur naturalem libertatem, mihi est restituenda.

Si in tuũ laqueum adigam.

Secundò, si fera, quam ego persequor, incidat in laqueum tuum, vterque habet ius occupandi; tu quia laqueo tuo capta; ego, quia mea industria incidit. nisi enim excitassem, nõ incidisset, itaque erit alterutrius, qui prior illam occupauerit.

Tertiò, Si nassam in flumine intenderim piscibus capiendis; pisces capti mei sunt: eadem enim est ratio quæ laqueorum; quòd si tu, vbi plena fuerit, exemptis piscibus eã eodem loco vel alibi reponas, quod secũdo loco captum erit, tuum erit. si prior occupaueris. quia etsi meo instrumento, tamen hoc factum tua indulgentia, qua nassam ibi tuo nomine posuisti: meum verò, si ego prior, quia meo instrumento captum. Hoc maxime æquitati congruit.

Nassa vtra ab alio intenta.

DVBITATIO XII.

Vtrùm venæ metallicæ auri, & argenti, censeri debeant in nullius dominio, sicut feræ; & fiant primò occupantis.

NOTANDVM est, præter feras, in nullius dominio esse lapillos, gemmas, ambarum, coralium, & similia, quæ in littore maris, vel promontorijs, vel fluminibus inueniuntur. vnde hæc omnia fiunt primò occupantis. vt patet Instit. de rerum diuisione §. Feræ. & §. Lapillorum. Sed difficultas est de venis metallicis.

Quæ in nullius dominio.

51 Resp. & dico primò, Valdè probabile esse has in nullius dominio censeri. Sotus l.5 q.3.art.3.& alij.

Metalla auri & argenti in nullius dominio.

Probatur, quia Principes passim sibi vendicant ius effodiendi hæc metalla, & concedunt priuatis ius ea inquirendi vbilibet, etiam in agro alieno, & bonam partem sibi reseruandi, compensato dumtaxat damno, quod infertur loco: quod non facerent si nulla metalla essent in dominio eius, cuius est ager.

Vnde sequitur, si quis eruisset aurum, vel argentum in agro alieno, etiam inuito domino, non teneri ad restitutionem auri domino agri; sed solùm ad æstimationem damni illati: in quo spectanda etiam est spes illa & verisimilitudo, qua dominus putabatur auro illo potiturus. Si tamen pars aliqua auri vel argenti eruti, per regni leges esset attributa Principi, ea esset persoluenda.

52 *Ius effodiendi cui competat.*

Dico Secundò, Etsi tales venæ nullius sint, & res eruta fiat occupantis; tamen secluſa omni lege, & cõsuetudine particulari, potestas, & ius effodiendi tantum competit ei, qui est dominus loci: vnde si locus est hominis priuati, ius etiam est priuati; si est publicus, competit Reipub.

Ratio patet ex dictis de venatione; præsertim cùm metalla sint fundo permixta, & inhærentia: animalia autem sint vaga, ergo si cuique competit ius venandi in suo fundo, multò magis ius ibidem effodiendi metalli.

Possint extraneis prohiberi.

Vnde sequitur Indos Occidentales iure potuisse prohibere Hispanos ab occupatione talium venarum in sua regione: vt rectè docet Sotus lib.5.q.3.ar.3.ad 2.(quamuis contrariũ senserit Victoria relect. de Indis p.3.nu.4.) quod intellige antequam illæ Prouintiæ Hispanico imperio essent subiectæ. Nam quæque Respub potest prohibere extraneũ a venatione in silua publici iuris; & quisque priuatus alium a venatione in suo fundo; vt supra dictum est. ergo multò magis ab eruendis metallis.

53 *Alia venæ reduunt fundo.*

Dices, Lapidicina, quæ est in meo fundo, mea est, & nõ tantùm ius cædendi ibi lapides; vt ostendit Couarr. qq. practicarum cap.37 nu.3. & colligitur ex L. Vir in fundo. 8. ff de fundo dotali. Idem sentiendum est de fodina carbonaria, cretaria: ergo similiter vena auri, & argenti, stanni, cupri, &c.

Respon. Neg. conseq. Primò, quia venę metallicæ sunt maximæ æstimationis; quare non est æquum illas cedere vilissimo fundo. qua ratione, §. Litteræ. Instit. de rerum diuisione, dicitur, *ridiculum esse, picturam Apellis, vel Parrhasij in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.*

Secundò, quia venæ illæ ab ipsa natura in Ius publicum, non autem priuatis vsibus institutæ videntur, vt recte Sotus lib.6.q.3.art.3. ait, suntque difficillimæ inuentionis, & rarissimæ.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm iustè prohiberi possit pastio, & lignatio, in pascuo, vel silua Reipublicæ.

54 *Lignatio in silua communi.*

RESPONDEO, Rempublicã posse id iustè prohibere, etiam suis ciuibus, saltem secundùm certum

modum, & mensurâ v.g. ne tali loco tali tẽpore pascant; ne tamen extendant ilurpem, ne maiorem molem lignorum auferant. Ratio est, quia id potest esse multum expediens bono publico. atqui potestas Reipub. vel Principis (in quem Respub suam transtulit auctoritatem) extendit se ad omnia, quæ bono publico conducibilia censentur. Non videtur tamen omnino, & in totũ posse prohibere; quia singuli ius habent inde necessaria sumendi: quo iure absque suo consensu non possunt spoliari, nisi forte aliunde ubi illa commodè parare valerent; de quo plura apud Couarr. pract. qq. c. 37.

DVBITATIO XIV.

Quale peccatum sit, contra iustam prohibitionem pascere, vel ligna cedere.

55 *Lignatio peccatum veniale.*

RESPONDEO, & dico Primò, Si ciuis in loco publico communitatis, cuius ipse est pars, id faciat, solum venialiter peccat; nec ad restitutionem tenetur; nisi magnum detrimentum communitati censeatur illatum. Ita Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 4. & alij.

Ratio est, quia in hisce rebus communibus, non censetur notabilis iniuria committi per eos, qui alias ius habent; nisi forte enorme damnum inferatur, vt si ilurpes multæ notabiles incidatur, si grandiores arbores ædificijs idoneæ ilernantur.

Dico Secundò, Idem dicendum de incolis duorum oppidorum, vel pagorũ habentium loca compascua, vel siluas cæduas, si alteri in alterorũ siluis hinc inde lignentur.

Ratio est, quia etsi incolæ huius loci nõ habeant ius lignandi in silua communi alterius loci, nec viciſſim: tamẽ quia passim scitur contrarium ab vtraque parte fieri, censentur communitates viciſſim condonare quod ereptum fuerit, contenti multa, si qui in facto capiantur.

56 *Si locus sit alteri elocatus vel alienus.*

Dico Tertiò, Si pascas, vel ligneris in loco alicuius priuati, vel Reipub. alienæ, cuius ciues non possunt idem facere in loco Reipub. tuæ; vel si id facias in loco communi elocato alteri; peccas pro ratione rei ablatæ, vel damni illati, (quod sæpè multo pluris est, quàm res succisa valeat) & teneris ad restitutionem. Ita Sotus supra: vbi tamen illud de restitutione intellige, si persona vel Respub. possidens locum solet curare recuperationem talium. alioquin si non solet curare, sed satis ei sit vt comprehensi mulctam luant, non erit necessaria restitutio. Vide plura de iure pascendi apud Gouarr pract. qq. cap. 37. quæ ideo non adfero, quia variantur pro diuersitate locorum: vnde consuetudo, & leges municipales in his seruandæ.

Quando hic non sit opus restitutione.

DVBITATIO XV.

Quomodo acquiratur dominium in thesauros.

TRACTAT hoc Couar. regula Peccatum. par. 3. §. 2. Syluester & Summistæ v. Inuentum.

57 Notandum est, Thesaurum esse dictum quasi θησαυρὸς ἀπὸ τοῦ θεῖναι, quòd in crastinum, seu futurum reponatur, vt docet Couar. ex Alciato. Definitur autem l. de acquirendum dominio l. Numquam. 31. hoc modo, *Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominium non habeat*, Vbi nomine *pecuniæ* intelliguntur quæuis opes mobiles, vt cathenæ, gemmæ, vasa, nummi aurei, & argentei. quòd si non sit vetus, non censebitur thesaurus; vnde non fiet inuentoris, sed si dominus inueniri nequit, expendi conuenit in pios vsus, sicut alia bona incerti domini. His positis.

Thesaurus quid.

58 Dico Primò, Iure naturali, & gentium thesaurus transit in dominium inuentoris occupantis. est communis sententia DD. quæ. n. nullius sunt, fiunt primò occupantis, ac thesaurus in nullius dominio censetur: ergo &c.

Dices, Quid si possit sciri à quorũ maiorib. sit cõditus.

Respõdeo, Non refert; quia quod tanto tẽporis spatio desijt possideri, desijt etiam esse in dominio cuiusquam.

Notandũ tamen, Ius cõmune multa circa inuẽtionem thesaurorũ disposuisse, vt patet §. Thesauros. Inst. de rerũ diuisione, & L. vnica C. de thes. quare hoc ius sequendo.

In proprio fundo.

Dico Secũdò, Thesaurus inuẽtus in proprio fundo totus est inuentoris. Inst. t. suprà, vbi dicitur *thesaurus, quem quis in loco suo inuenerit. D. Adrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eum inuenerit.* & L. vnica C. de thesauris, idem habetur, addita ratione, *ne Dei beneficium inuidiosa calumnia prosequatur.*

59 *In fundo alieno.*

Dico Tertiò, Inuentus in fundo alieno, (etiamsi is fundus Principis fuerit) si quidẽ fortunò sit repertus, dimidiũ erit inuẽtoris, & dimidiũ domini fundi; si autẽ de industria quæsitus fuit consensu domini, totus erit domini.

Prior pars aperte habetur vtroq, loco citato: estque seruãda in foro cõscientiæ, & ante omnẽ Iudicis sententiã.

Ratio est; quia hæc dispositio iuris non est pœnalis, sed definitiua proprietatis rerum; vt rectè docet Nauar. c. 17. nu. 175. & Caiet. infrà q. 66. art. 5. & alij passim.

Secunda pars, *vt totus sit dominꝰ, si de industria quæsierit*, non videtur obligare in conscientia ante sententiam Iudicis, sed sufficit dare dimidiam partem domino fũdi, parte altera dimidia retenta. Ratio est, quia ista dispositio est pœnalis, ad puniendam iniuriam, quam inuentor domino loci intulisse videtur, quærendo absque eius consensu in eius fundo. Confirmatur ex L. vnica C. de thesauris. vbi sic dicitur, *In alienis verò terrulis nemo audeat inuenire, id est, nec volentibus, vel ignorantibus dominis opes abditas suo nomine perscrutari. quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter huius legis tenorem in alieno loco thesaurum seruatus inuenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur.* Vbi expende verbum *compellatur*, quod indicat legem esse pœnalem, & compulsionem Iudicis esse expectandam.

Dispositio pœnalis.

60 *Quando dominus fundi consensit.*

Dico Quartò, Si dominus consensit vt quæreret, sciens quid ille quæreret, standum est pacto, si quod initum est; si autem nullum sit pactum, totus thesaurus erit inuentoris Nauarr. c. 17 nu. 172. & alij. Ratio est, quia tunc videtur illi partem suam condonasse: nisi forte inuentor certò sciuerit ibi latere thesaurum, & simulauerit se nihil scire. tunc enim dominus ita deceptus non censetur condonasse, vt rectè Sil. verbo Inuentum. q. 3.

Sed difficultas est, si fundus habeat duos dominos, nimirum directum, & vtilem; vtri domino dimidium sit restituendum.

61 *Quid si fundus sit duorum dominorum.*

Resp. & dico Quintò, Quando fundus hoc modo duobus dominis subest, dimidium erit inuentoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo est diuidendum, tanquam inter dominos loci.

Ex quo sequitur, si dominus vtilis (vt feudatarius, vel emphiteuta) inueniat thesaurum, reddet domino directo tantummodò quartam partem, & sibi reseruabit alteram quartam partem, quatenus est eius loci dominus; dimidium verò quatenus est inuentor: quod est contra Nauar. nu. 172. & quosdam alios.

Ratio est, quia idem est inuentor, & sic debetur illi dimidium; & est etiam dominus loci ex parte, vnde ei debetur altera quarta. conductoris autem, & vsurarij nulla habetur ratio; quia nullo modo sunt domini. idem dicendum de pignoratore. vide Molina disput. 56.

Vsufructuarius.

De Vsufructuario nudo quæri potest vtrùm censeatur hic esse dominus loci; communis sententia est non censeri. colligitur ex L. Fructus 7. ff. soluto matrimonio, vbi dicitur, *thesaurum inuentum in fundo dotali, in quo vir habet vsum fructum, non debere viro, sed vxori, cuius est fundus: quia thesaurus non est fructus fundi.* Nauarr. tamen num. 174. & quidam alij putant hunc censendum dominum; & eum quoque qui ad vitam conduxit. Sed quod dixi est verius.

62 *Emi potest fundus.*

Dico Sextò, qui scit alicubi thesaurum latere, & emit locum antequam eruat, efficitur dominus totius thesauri. Ita Nauarrus num. 175. & Sotus lib. 5. de Iustitia. qu. 3. art. 3. ad 1. & indicat D. Th. infrà q. 66. ar. 5. Idem insinuatur in parabola Domini Matth. 13.

Ratio est, quia emit illum ex loco proprio; nec tenebatur domino priori indicare, sed poterat vti sua scientia, emendo agrum illum secundùm communem æstimationem, ad quam æstimationem nihil facit thesaurus absconditus, cuius nulla habetur suspicio.

Petes, quid si thesaurus conditus fuerit in re mobili, v. g. in saccis lana plenis, vtrùm is qui efficitur dominus lanæ, efficiatur etiam dominus thesauri?

Resp. Non videri hoc ipso effici dominũ thesauri: quia non

non intendit illum occupare. Habet tamen ius illum thesaurum occupandi ante alios. Vnde miles, qui excussit hosti saccos lupulo refertos, in quibus erant lamina aurea, & argentea recondita, non fuit factus dominus illarum; cùm illos vendiderit antequam sciret quid lateret.

DVBITATIO XVI.

Cui cedat, si in loco publico, vel sacro, inueniatur.

63 *In loco publico.* RESPONDEO & dico Primò, Si in loco publico, verbi g. in flumine, in platea effossa, in via publica inueniatur, totus videtur esse inuentoris; non Principis, vel Reipub. Ita Couar. regula Peccatum, p. 3. §. 2. nu. 3. citans pro se Baldum, Cynum, & alios quosdam.

Ratio est, quia Respub. vel Princeps non est dominus talis loci iure dominij specialis, de quo Leges loquuntur; sed dominio iurisdictionis, & authoritate disponendi.

Dices, §. Thesauros, Instit. de rerum diuisione dicitur, *Si quis in fiscali loco, vel publico, vel ciuitatis thesaurum inuenerit dimidium esse fisci, vel ciuitatis.*

Resp. Per *locum publicum* non intelligi forum plateam, vel similem locum, qui propriè nullius est, omnium vsibus deputatus; sed de loco, quem Respublica, specialis dominij iure possidet; vt silua, pascuum, domus, hortus: alioqui dimidium nô deberet dari ciuitati, vt ibi dicitur, sed potiùs Principi.

Probabile, est dimidiũ esse Principis. Fateor tamen cõtrarium esse probabile, quia plerique Iurisperiti ita sentiunt, teste Couarr. suprà.

Aduerte, quando agitur de loco publico, nihil interesse vtrùm fortuitò ibi repertus sit, an de industria quæsitus. Ratio est, quia locus publicus non cẽsetur alienus, sed communis; distinctio autem illa solùm locum habet in loco alieno.

64 Dico Secundò, si inueniatur in loco sacro, vel religioso casu fortuito, totus est inuentoris, vt patet §. Thesauros. Instit. de rerum diuisione. Idem habet Glossa ad cap. Si quid inuenisti. 14. quæst. 5. & summa Rosella verbo Furtum num. 11. Contrarium tamen etiam est probabile, quod tenet Couar. & multi alij: qui docẽt dimidium deberi Ecclesiæ, vel Prælato, quia Ecclesia, & Prælatus habentur pro domino loci sacri. Verius tamen puto quod dixi, quia Iustinianus, etsi optimè nouerat conditionem locorum sacrorum apud Christianos; tamen in suis Institutionibus confirmauit legem Adriani, cuius hæc est dispositio. vnde cùm Ius Canonicum ei nô derogauerit, videtur seruanda. Intelligo autem hæc de locis sacris, & religiosis omninò publicis, quę in Iure dicuntur esse nullius, secùs de monasterijs. & similibus, quæ specialis dominij iure possidentur.

In loco sacro casu inuento.

Inuentus fundo. Dico Tertiò, Si data opera inuentus sit in tali loco dimidium cedet Ecclesiæ.

Probatur, quia Ecclesia censetur dominus talis loci. vnde secundùm Legem vnicam, C. de thesauris, debetur ei dimidium.

Dices: Ergo etiam debetur dimidium, si fortuitò.

Respon. neg. conseq. quia obstat aliud ius particulare, Quod aliter in eo casu disposuit.

DVBITATIO XVII.

Quid si per magiam repertus sit.

65 RESp. In eo casu pertinere ad fiscum. Ita communiter DD ex L. vnica, C. de thesauris.

Arte magica reperta. Notandum tamen inuentorem non teneri illum tradere antequam a Iudice cõpellatur; vt rectè Nauar. nu. 175. Ratio est, quia lex illa pœnalis est, & quidem sententiæ ferendę, non latę. Nihil enim aliud dicit Imperator, quam *si cuique in suis locis triberet facultatem quærendi thesaurum, & inuento fruendi; dummodo sine sceleratis, ac puniendis sacrificijs, aut alia qualibet arte legibus odiosa quærat.* hic nullum verbum habet quo illum reipsa priuet inuentis.

66 Porrò hic Aduertendum est, Primò, Si hic thesaurus quæsitus sit in loco alieno arte magica; solùm per eam partem adiudicandum per sententiam fisco, quæ fuisset inuentoris; quia dominus loci ob maleficium alterius nô debet suo iure priuari.

Secundò, ea quæ hactenus dicta sunt de thesauris, procedere secundùm Ius commune. quod si in aliqua Prouincia sint aliquæ leges particulares, vel consuetudines hac de re iustæ, sunt seruandæ. Quod autem quidam dicunt consuetudinẽ habere vt thesaurus vbiuis inuẽtus sit Principis, hoc multi censent non obligare in conscientia, vt Sil. verbo Inuent. nu. 13. Sotus l. 5. de Iustitia q. 3. art. 3. ad 2. quem vide. Sæpè tamen potest iusta subesse causa vt pars aliqua Principi assignetur: vt si tale subsidium iudicaretur necessarium ad onera Reipublicæ sustinenda: vt autẽ totus applicetur, durum videtur; quia valdè difficile est, & dissonum Iuri naturali. Fateor tamen contrarium non esse improbabile, quod tenet Couarr. supra n. 4. quamuis rationes ipsius non conuincant.

An Principi totus seruandus.

DVBITATIO XVIII.

Quænam dicantur haberi pro derelicto, ita vt dominium eorum concedatur primo occupanti.

67 RESp. & dico Primò, *Pro derelicto haberi*, quod dominus ea mẽte abiecit, vt id in numero rerum suarum esse nolit; vt patet §. penult. Instit. de rerum diuis.

Pro derelicto. Vnde sequitur, ea quæ in tempestate proijciuntur, leuandæ nauis causa, non haberi pro derelicto; vt dicitur §. vlt. suprà. quia ea libentissimè dominus seruaret si posset; & postquam proiecit, & in portum euasit, summe desiderat ea recuperare. Vnde iniquè est consuendo, quæ in quibusdam locis seruatur, vt dominus Prouinciæ, vel territorij, bona naufragorum tamquam *ἀδέσποτα* i. quæ possessore careant, occupet. Nam præterquam quòd sit contra Ius naturale, vtpote alieni occupatio, & magna in miseros crudelitas, est etiam cõtra Ius Cæsareum, Auth. Naurigia, C. de Furtis. Et si sint bona Christianorum, occupantes ea incurrunt excõmunicationem Bullæ Cœnæ Domini. de quo vide Nauarr. c. 27. nu. 60. & 128. & Couar. ad reg. Peccatum p. 3. §. 1 nu 5.

Bona naufragorum.

Dices, quid si ea res certò fuerit peritura, nisi ego eripuissem (vt saccarum frumentum, farina, papyrus) possumne retinere?

Respon. non potes; quia (vt habetur ex L. Pomponius. 44. ff. de acquirendo dominio) quęlibet res nostra, quamtumcumque periclitetur, manet nostra, quamdiu non est consumpta; nempe si cupimus eam nostram manere. Vt si ouis nostra ex faucibus lupi eripiatur, aut domus ab incendio, nostra manet. Vnde quod ait Nauarr. c. 17. num. 99. posse nos talia retinere, si cum aliquo vitæ periculo ea ex vndis eripuerimus, non est absolutè verum, nisi quando rationabiliter credi potest dominum permittere res huiusmodi, siue eiectas, siue ex naufragio periclitantes, ei, qui se periculo voluerit exponere; vt quãdo res illæ statim essent perituræ, & non sine discrimine possent recuperari, ita vt periculum ferè tanti ęstimetur quanti res ipsæ: tunc enim etsi dominus ius habet rei vindicandæ, tamen recuperator potest exigere æstimationem sui laboris, & periculi. Vnde si dominus nihil dicat, poterit retinere tanquam ratione periculi concessam.

Quando res potest recuperari, sed dominus non vult. Dico Secundò, Pro derelicto etiam haberi videtur res ea, quæ fluctibus procul abrepta est, & dominus sciens vbi sit quærenda, non curat eam recuperare; vel quia eam parui facit, vel quia essent magnæ expensæ faciendæ.

Probatur, quia dominus rem talem non videtur velle habere in bonis suis, ob incommodum coniunctum. secùs est quando omninò vellet eam recuperare, si aliquo modo posset.

Quando nulla est spes recuperandi. Addunt quidam rem etiam haberi *pro derelicto*, quando dominus ita eam proijcit, vel relinquit, vt nulla ei spes superfit industria aliqua, vel aliquo casu eam recuperandi. Itaque tunc si ego extraordinaria industria eripiam, vel saluem, efficiam meam. Ita Petrus Nauarr. lib. 4. c. 1. num. 58. sed non existimo id esse verum; nisi dominus significauerit se eam concedere occupanti, vel æstimatio industriæ sit ferè par illi rei.

CAPVT SEXTVM.

De modo acquirendi dominij in rem alterius absque eius consensu; quod fit præscriptione.

Habet Dubitationes 18.

HACTENVS diximus de modo acquirendi dominij in res, quæ nullius sunt, vel communes: sequitur vt explicemus quomodo acquiratur in res, quæ dominum habent, seu quomodo dominia ab alio in alium transferantur. Generatim autem transferuntur vel voluntate priore domino, vel iusto. *Voluntate* transferuntur tripliciter; donatione, vltima voluntate, contractu, de quibus infrà. *Iusto* totidem modis. Primò, Iure gentium; sic res bello captæ fiunt capientis, de quo suprà, 2. 2. quæst. 40. quæ est de Bello. Secundò, authoritate alicuius legis particularis; idque vel sine culpa domini, vt lege præscriptionis: vel ob culpam eius, vt ob crimen hæresis, læsæ maiestatis, incœstas nuptias: de quo 1. 2. q. 96. Tertiò, sententia Iudicis; vt si fur damnetur in quadruplum, qui modus tam obligat in conscientia, quando sententia non nititur falsa præsumptione, de quo infrà sect. 4. Itaque ad præsentem locum solùm pertinet tractatio de Præscriptione.

DVBITATIO I.

Quid sit Præscriptio & Vsucapio.

2 *Præscriptio tripliciter dicitur.* *Exceptio.*

NOtandum est nomen *præscriptionis* tripliciter accipi apud Iureconsultos, (vt colligitur ex Couar. ad reg. Possessor, in principio, & §. vnico, relectione 1.) 1. generatim, vt idem sit quod *exceptio*, quæ opponitur ad excludendam actionem intentam ab actore; vnde cùm exceptio sit vel *dilatoria*, (vt si opponas, iudicem non esse competentem, testes tuos mimes, actorem excommunicatū) vel *peremptoria*, (vt si opponas te mandato Principis fecisse; iam ante solutum quod petitur) etiam præscriptio erit vel dilatoria vel peremptoria. Hoc modo accipitur in titulo. De exceptionibus, & præscriptionibus, lib. 44. Digestorum. Simil. modo accepit Tertullianus, inscribēs librum suum *De præscriptionibus aduersus hæreticos*; agit enim de illis, quæ hæreticis, per suam doctrinam, veritatem intentantibus opponi possunt a Catholicis, ac ab eis vsurpantur.

Secundò, accipitur specialiùs pro *exceptione peremptoria* proueniente ex eo, quod tempore legibus definito rē aliquam possedimus, vel iure aliquo vsi sumus, vel quòd alius tali tempore ab vsu alicuius iuris cessauerit, vt docet Couar. sup. à §. vnico. nu. 4. & patet ex titulis. C. de præscriptione longi temporis & de præscript. 30. & 40. annorū.

Tertiò, accipitur pro *dominij acquisitione*, vel *iuris alieni fine*, ex tempore legibus definito proueniente. Hoc modo dicimur præscribere domum, vineam, agrū, id est, acquirere dominium domus, vineæ, agri. Verùm sic non accipitur in iure ciuili, sed in iure Pontificio, & passim ab Interpretibus vtriusque iuris; vt docet Couar. nu. 6. Ratio cur sic acceperint, est quia qui dominium alicuius rei per continuatam eius possessionem comparauerat, si impetebatur a priore domino, præscribebat, id est excipiebat & opponebat contra tempus possessionem, per quam fecerat rem suam: & ita eius actionem perimebat. Hinc ipsa *vsucapio* & *dominij acquisitio* cœpta est vocari *præscriptio*; cùm tamen præscriptio ex vsucapione oriatur, vt patet L. Emptor. 7. C. de præscriptione longi temp.

3 *Quid præscriptio.*

Ex his patet quid sit *præscriptio*. Nam si primo modo capiatur, nihil est aliud quam exceptio, seu oppositio aduersus actionem actoris.

Si secundo modo, est exceptio peremptoria contra priorem dominum, ex tempore legibus definito vim habens.

Si tertio modo, est dominij acquisitio, vel alieni iuris, siue realis, siue personalis, peremptio per continuationē temporis lege definiti. Vbi aduerte, si acquisitionem dominij paulò latiùs accipiamus, non opus est addere illam partem (*vel alieni iuris peremptio*) quia qui ius alterius perimit, acquirit dominium suæ libertatis; liberatur enim obligatione, qua alteri erat obstrictus, rectè tamen additur causa claritatis.

Vsucapio verò *est acquisitio dominij per continuationem temporis lege definiti*. Ita habetur L. 3. ff. de Vsucapion. quæ definitio cautè, est intelligenda. Vsucapio enim est causa acquisitionis dominij; formaliter autem videtur esse *ipsa possessio* quædam rei alienæ. Vnde dicimus Vsucapione interrumpi. Potest tamen etiam accipi pro ipsa acquisitione formali dominij, nemo enim dicitur res vsucepisse, nisi iam dominium acquisierit. *Vsucapio.*

Ex his colligi potest quomodo præscriptio ab vsucapione differat; si enim primo vel secundo modo sumatur, res est clara: quia præscriptio his modis est oppositio contra actorē. si tertio modo, sic est magis communis quam vsucapio. omnis enim vsucapio est præscriptio, non contrà. Nam præscriptio, qua extinguitur actio personalis, vel realis alterius, nō est propriè vsucapio, tamen est præscriptio. Generaliter tamen posset dici vsucapio, quoties ius, & libertas ab aliqua obligatione potest dici vsucapi; & sic æquè latè paterent præscriptio, & vsucapio. *Differentia inter Vsucapt. & præscript.*

Aduertendum tamen, Iuris Interpretes passim distinguere præscriptionem ab vsucapione; quòd vsucapio sit mobilium, præscriptio verò immobilium. verùm hæc differentia non est fundata in Iure. Nam vsucapio etiam est immobilium, vt patet Inditade Vsucapionibus, in principio; & non semel ad res immobiles refertur. & L. vnica. C. De vsucapione transformanda. Similiter præscriptio in rebus mobilibus locum habet nam quando eas vsucepimus vtimur præscriptione, seu exceptione contra priorem dominum. Itaque hæc nomina vtimur tanquam synonymis. 4

DVBITATIO II.

Quæ conditiones requirantur ad præscriptionem, seu vsucapionem.

RESPONDEO, Ordinariè requirūtur quatuor, ex communi DD. sententia, vt tollatur Silueſtr. verbo Præscriptio num. 1. *rei habilis, titulus præsumptus, bona fides, & continuatio possessionis cum bona fide, per tempus lege præscriptum.* 5 *Quatuor conditiones.*

Primò, requiritur *possessio*, quia vt habet regula iuris in 6. *sine possessione præscriptio non procedit*. oritur enim hoc totum ius ex possessione debet autem hæc possessio esse qua quis nomine suo possidet, nō autem nomine alieno: quia hic vere non est possessor, sed alter qui per illum possidet. cùm autem possessio alia sit *ciuilis tantùm*, alia *naturalis tantùm*, alia *ciuilis & naturalis simul*, hæc vltima est aptissima gignendæ præscriptioni. *naturalis tantùm* non sufficit. *Ciuilis tantùm*, qua solo animo rei nostræ etiam absentes insistimus, sufficit; vt probat Couar. reg. Possessor, p. 1. § vnico. nn. 7. hæc enim etiam ideò *ciuilis* dicitur, quòd hunc ciuilem effectum pariat. *Possessio.* *Ciuilis sufficit. non autem naturalis.*

Ob defectum huius conditionis non possunt præscribi, primò loca sacra, & ius decimarum a laico; nam

non

non est capax possessionis ciuilis talium; cùm ius ei resistat, vt patet ex dictis supra c. 3. dub. 9. Secundò, Religiosus. Religiosus professus non potest quicquam præscribere, seu vsucapere; quia nihil potest nomine suo possidere. Tertiò, Fructuarius. Fructuarius, colonus, emphyteuta, feudatarius, conductor, commodatarius, pignorator, nó possunt rei proprietatem præscribere, seu vsucapere: tum quia hanc non possident nisi naturaliter, cùm dominus directus eam possideat ciuiliter; tum quia non possident eam nomine suo, ne naturaliter quidem, sed nomine directi domini. Vnde si post cétum annos probare posses initium possessionis, nimirum rem illam nomine tuo possessam fuisse ab initio, nulla præscriptio tibi obstabit: ita expressè Glossa in cap. Clerici, 11. vers. ius proprium. 16. q. 4. Ioannes Andreas ibidem. Silvest. præscriptio 2. num. 20. & alij, quod probatur d. cap. Clerici, vbi dicitur, *Qui precario possidentur, in ius proprium præscriptione temporis non posse vendicari*, Idem confirm. cap. Si Episcopus. 12. ibidem. Et quamuis loquantur solùm de rebus Ecclesiæ, eadem tamen sunt intelligenda de rebus aliorum, cùm eadem in omnibus sit ratio, vt Glossa exponit. Idem confirm. Iure ciuili. nam L. Malè agitur, C. de præscript. 30. annorum, sic dicitur: *Malè agitur cum dominis prædiorum, si tanta precariò possidentibus prærogativa defertur, vt eos post 40. annorum spatia qualibet ratione decursa inquietare non liceat.* Et infra: *Nemo igitur qui ad possessionem conductor accedit diu res alienas tenendo, ius sibi proprietatis vsurpet; ne cogantur domini aut amittere quæ locauerunt, aut locatores vtiles sibi fortassis excludere, quotannis omnibus super dominio suo publicè protestari.* Sed hæc intelligo, si res apud illum, qui nomine alterius possidebat, vel apud eius hæredem, maneat. secùs si alteri vendita ab hærede bona fide fuerit. sed de hoc plura infra dubit. 15. Possunt tamen isti præscribere ius vtilitatis; non quia naturaliter possident rem, (vt quidam volunt) sed quia hoc ius ciuiliter possident, vt potè suo nomine; vt recte Couarr. suprà num. 7. Quarto, Si colonus, Colonus. vel quiuis fructuarius venderet dominum vel agrum absente domino & ignorante, emptor non posset præscribere; quia non haberet possessionem ciuilem; sed solùm naturalem; ciuilis enim manet apud dominum absentem, quamdiu retinet animum possidendi, vel donec sciat rem suam ab alio occupatum, & sciens non audeat eum depellere: vt dictum est c. p. 3. dubit. 12. vbi tamen dominus amittit possessionem, emptor poterit præscribere, vt dicetur dubit. 13. Quinto, Nemo potest præscribere quá- Quando incipit præscriptio. diu apud ipsum non est possessio ciuilis, sed apud alium: tunc præscriptio incipit ab eo die, quo dominus prior amittit possessionem ciuilem, vt omnes DD. tradunt teste Couarr. nu. 7. tunc enim primùm incipit detentor ciuiliter possidere.

Petes, vtrùm hæc conditio requiratur etiam in præ- 7 scriptione, quæ fit per debitorem vel reum contra actionem personalem vel realem creditoris vel actoris? quidam negant; eò quòd reus vel debitor, qui sic præscribit, nihil videatur possidere: cùm hæc præscriptio ex eo oriatur, quòd creditor vel actor aliquid omittat. Sed conformius dicitur etiam hic necessarium esse quamdam possessionem, nempe libertatis suæ, quæ certò duret tempore, vt infrà dubit. 11. patebit.

Præscriptio contra actionem.

8 Secundò requiritur. *Titulus probabiliter præsumptus*, id Titulus. est, qui bona fide putetur validus; vt donationis, testamenti, vel successionis ab intestato, emptionis, permutationis, &c. Non est autem necessarium vt ille titulus sit verus, id est, validus: nã hic sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium secuta traditione: sed satis est vt probabiliter putetur verus, quamuis reuerà inualidus sit, (vt quia venditor non habuit potestatem vendendi) tũc enim ius facit vt res aliena, exacto tempore definito, fiat tua. Debet autem hæc opinio, qua putas titulum validum prouenire, non ex ignorantia iuris, præsertim manifesti & indubitati, (vt si putares minorem posse vendere rem immobilem sine decreto Iudicis, aut parentem valide donare filio) vt infra dubit. 5. dicetur; sed ex ignorantia facti; vt si putes decretum Iudicis interuenisse, & non interuenit: si id quod parens dedit, putes fuisse donatum per cessionem vsusfructus, quem in bonis eius habebat. In dubio autẽ vtrùm ex ignorantia iuris, aut facti prouenerit hęc opinio de titulo, exacto tempore præscriptionis præsumendum pro præscribente, ob possessionem bonæ fidei toto illo tempore continuatam. secus si constet prouenisse ex errore Iuris. Aduertendum tamen est, non semper requiri titulum ad præscriptionem; vt docuit Couar. 2. p. §. 8. quia sæpè fit, vt tituli obliuiscamur; multa enim habemus in rebus nostris, quæ vtrùm emptione, donatione, testamento, an aliter acceperimus ignoramus. Requiritur tamen vt breuiore, vel ordinario tempore fiat præscriptio.

Tertiò, Requiritur *bona fides*, vt patet ex regula Iuris in 9 Sexto. *Possessor mala fidei non præscribit*, (in quam regu- Bona fides. lam Couarr. doctissimum commentarium scripsit, quem sæpè hic citamus.) Idem habetur in c. finali. de præscriptionibus, quod sumptum est ex Concil. Magno Lateranẽsi, vbi dicitur, *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali inducto definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quàm ciuilis; cùm generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, qua absque mortali peccato non potest obseruari. Vnde oportet vt qui præscribit in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Ex quibus verbis hoc etiam colligitur, *bonam fidem* in pro posito esse credulitatem, quia quis sibi prudenter persuadet rem esse suam, vel saltem nescit esse alienam. Dico *prudenter*, quia si ex ignorantia crassa, vel inordinata cupiditate illa persuasio procedat, non erit bona fides. Quid bona fides.

Quartò, Requiritur certi temporis continuata posses- Continuata possessio. sio: quod tempus varium est pro varietate rerum præscribendarum, vt infrà dicetur.

Circa prædictas conditiones, præsertim circa 3. & 4. sunt aliquot dubitationes. Vnde fit.

DVBITATIO III.

Vtrùm dubitans an res sit sua, censeatur bona fide eam possidere?

TRactat hoc Couar. ad Regul. Possessor, p. 2. §. 6. nu. 3. & sequent. 10

Resp. & dico Primò, Qui dubitat non censetur habere bonam fidem ad inchoandam possessionem, quamdiu manet dubitatio. Ita Couarr. suprà. Ioannes Medina Cod. de restitutione quæst. 17. & est communis sententia Doctorum.

Ratio est, quia vt rem quam anteà non habebam, incipiam mihi vindicare, & vsurpare, requiritur vt determinatè iudicem eam vel esse nullius, (ita fieri meam per occupationem) vel certè esse meam, quamuis id anteà non aduerterim. Quòd si dubitem an sit mea, an aliena, iniquè ago eam mihi arrogans; cùm non sit melior mea conditio quàm alterius. In hoc casu si dubium versetur inter duos, quorum neuter bona fide possidebat, res est diuidenda: quia par est ius vtriusque; neque est vlla ratio cur alteri potiùs quam alteri adiudicetur. vt dictum est 1. 2. q. 19. Si sit dubiũ quãdo neuter possidet.

Dico Secundò, Qui dubitat, censetur habere bonam fi- 11 dem sufficiẽtem ad continuandam possessionẽ bona fide initam; vnde quando dubium superuenit ei, qui bona fide cœpit possidere, non violat. nec interrumpit eam. Ita Couar. supra. §. 7. num. 3. & sequentib. vbi multos citat pro hac sententia, idem docet Medina loco citato. Est contra Adrianum in 4. q. de præscriptione. & Sotum l. 4. de Iustitia q. 5. ar. 4. & quosdam alios, qui dicunt bonam fidem per tale dubium interrumpi, & ita non procedere præscriptionem. Sed probatur nostra sententia ex capit. Si virgo. 34. quæst. 1. vbi dicitur, *In tuæ prædiorum, tamdiu vnusquisque possessor bonæ fidei dicetur, quamdiu possidere se ignorat alienum.* Idem indicatur c. finali de præscriptione, cùm dicitur, *Vnde oportet, vt qui præscribit in nulla temporis parte habeat res alienæ conscientiam.* atqui dubius non est sibi conscius rem esse alienam, & ignorat se possidere alienum: ergo manet possessor bonæ fidei, & procedit præscriptio. loquuntur autem hæc capita de continuatione possessionis, non autem de inchoatione. Dubitatio non interpellat præscriptionem.

Secundò, Probatur ratione; quia in pari dubio melior est cõditio possidentis, quàm non possidentis: ergo cũ is, qui incipit dubitare, iam possideat, melior est eius conditio, quam nó possidentis; ac proinde potest rem retinere, etsi

etsi adhibita diligentia adhuc maneat dubitatio. quòd si potest rem retinere, etiam potest cõtinuare possessionem perseuerante illo dubio. ergo hæc continuatio poterit perficere præscriptionem. nam sola illa possessio est inutilis ad præscribendum, quæ non est sine peccato. vt patet ex dicto c. finali.

Obijcitur contra, Bona fides est existimatio, qua quis prudenter existimat rem, quam retinet, esse suam; atqui dubitans non existimat esse suam: ergo non habet bonam fidem.

Resp. Non tãtùm est bona fides cùm quis positiuè credit rem esse suam, sed etiam cùm nescit esse alienam; vt colligitur ex cap. finali suprà. Vnde cùm dubitans nesciat esse alienam censetur habere bonam fidem, talem, qualis quidem non sufficit ad inchoandam præscriptionem, tamen ad continuandam sufficiens est.

12 *An detur medium inter bonã & malam fidem.*

Ex his potest colligi resolutio cuiusdam dubitatiuncu læ, quam Couar. tractat num. 2. suprà: Vtrùm detur medium inter bonam, & malam fidem? Dicendum est dari medium, si hæc speculatiuè cõsiderentur: non autem si in ordine ad praxim. dubitãs enim speculatiue, nec bonam, nec malam fidem habet, quia nec credit positiuè rem esse suam, nec alienam; sed hæret in medio. In ordine autem ad praxim habet vel bonam fidem, vel malam: bonam, si agatur de continuatione possessionis benè inchoatæ, malam verò, si agatur de possessione primùm ineunda. Qui enim dubitat an res sit sua, mala fide possessionẽ inchoat: quia contra conscientiam facit. scit enim se eam rem, de qua dubitat an alterius sit, sibi vindicare non posse. bona tamen fide possessionem ritè inchoatam continuat; quia cùm possessio ei sufficiatur, nouit se rem illam ob dubitationem superuenientem non teneri deserere, & alteri tradere; sed satis esse vt diligenter de veritate inquirat, & si adhibita conuenienti pro rei momento inquisitione adhuc dubium perseuerauerit, se in sua possessione progredi posse: eò quòd in dubio melior sit conditio possidentis.

DVBITATIO IV.

Si quis dubitans, an res sit sua, simul dubitet an liceat eam retinere, & tamen retineat, Vtrùm bona fide continuet possessionem, an mala.

13 RESPON. Mala fide continuat possessionem; vnde non procedit ei præscriptio; vt expressè habetur L. Si fur. ff. de vsucapionibus. vbi dicitur, *Si quis id quod possidet non potest sibi lucro per leges vsucapere, dicendum est, etsi errat; non procedere tamen annũ vsucapionem, vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia in iure errantis non procedat vsucapio.* Sed occasione huius legis occurrit dubium, de quo fusè Couar. reg. Poss. p. 2. §. 7. nu. 5. & sequ.

DVBITATIO V.

Vtrùm si quis ex ignorantia Iuris rem vsurpet vt suam, suamque esse existimet, habeat bonam fidem sufficientem ad præscribendam.

VERBI gratia, comparasti rem aliquam contractu vsurario, quem putabas iustum; quòd existimares vsuras mediocres iuste exigi: accepisti à Religioso veste, equum, &c. nesciens Religiosum nõ posse donare: vtrùm cum tali errore currat præscriptio? Ioannes Medina qu. 17. docet quamuis ignorantiam inculpatam tam iuris, quàm facti sufficere ad præscribendum in foro conscientiæ. Sed contrarium est verius si agatur de præscriptione ordinaria. Pro quo.

14 Dico Primò, Iuris clari ignorantia non sufficit ad præscriptionem rei, etiamsi sit omnino inculpata. Est communis sententia DD. vt docet Couarr. reg. Poss. p. 2. §. 7. num. 6.

Probatur L. Numquam 31. ff. de vsucapionibus, dicitur, *Numquam in vsucapionibus iuris error possessoribus prodest.* & L. Iurit. 4. ff. de iuris & facti ignor. *Iuris ignorantia in vsucapione negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.* & L. Error. 8. ff. eodem tit. *Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendijs obest. Iuris autem error, nec fœminis in compendijs prodest, cæterùm omnibus iuris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.* Idem habetur L. sequenti. Quare cum leges nolint hunc errorem prodesse, non procedet cum eo præscriptio sicut enim præscriptio iure humano constat, ita ab eodem potest circumscribi. *Error iuris impedit præscriptionem, maximè si vincibilis.*

Dico Secundò, Huius tamen Iuris ignorantia seu error inculpatus sufficit ad præscribẽdos fructus ex re illa perceptos. Ita Nauar. lib. 1. consil. 6. tit. de officio Iudicis. Couar. l. 1. variarum resolutionum cap. 3. num. 8. Glossa in l. si fur. 32. ff. de vsucap. §. 1. Innoc. Ancharana Cardinal. & Imola, in cap. Ad nostram 11. de rebus Eccl. non alien. & alij multi. Probatur ex L. Sed etsi 25. §. Scire 6 ff. de petitione hereditatis: vbi insinuatur, eũ qui in iure errans possidet, posse comparare fructus, modo non sit prædo, id est, malæ fidei possessor. Nec refert verùm fuerit error iuris nec assistentis, nec resistentis contractui, an iuris resistentis: quia vtroque casu verum est, vt docet Nauarrus & Couarr. suprà; etsi multi Iurisconsulti cum Bartolo id non admittant, cùm est error iuris resistentis. Ratio est, quia quando ius non distinguit, nec nos debemus distinguere: atqui d. §. Scire nõ distinguit, nec est vllus textus, aut ratio efficax, qua illa distinctio probetur, vt Nauarrus ait. Deinde præter auctores citatos, ita docet Glossa in l. a. C. Si quis ignorans rem suam esse; vbi Baldus & Salicetus secuti Glossam docent errantem in iure bona fide, acquirere fructus ex contractu nullo, & iure reprobato Idẽ tenet Couar. supra. Præscribuntur autem fructus triẽnio bona fide possessi, vt docet Couar. supra nu. 7 & ex infra dicendis patebit. Ratio, cur fructus præscribatur, esse potest, quia error circa fructus videtur esse error facti; putat enim possessor se eos percipere ex re sua. 15 *Sufficit ad fructuum vsucapionem.*

Dico Tertiò, Ignorantia, vel error, Iuris valdè dubij, & etiam verè dubij, sufficit ad præscriptionem ipsius rei. Ita Nauar. supra. *Error*, inquit, *iuris dubij perinde prodest ad hoc, (vsucapionem) sicut error facti.* Probat ex Glossa, Panor. Felino & alijs in cap. De quarta, de præscriptionibus. Idem tenet Couar. §. 7. num. 12 & Silu. verbo Præscriptio §. 4. & alij. Nec refert quòd aliqui ex his requirãt vt hoc ius sit valdè dubium; quia sufficit esse verè dubium, vt Nauar. & Sil. Ratio est: quia quando Ius aliquod est verè dubium, (id est, de quo vtrimque sint multorum sententiæ) prudenter possumus, in praxi vtramlibet sequi, perinde ac si ius planum esset. 16 *Error iuris dubij.*

Hinc sequitur, posse vsucapere eum, qui aliquid contractu ambiguo, de quo vtrinque sunt opiniones Doctorum, comparauit.

Sed difficultas est vtrùm sententia Medinæ sit aliquo modo probabilis. Quidam negant esse probabilem etiãsi agatur de præscriptione longissimi temporis, quæ non requirit titulum, qualis est 30. & 40. annorum. Probatur Primò, ex iuribus adductis num. 14. quæ expressè habent iuris errorem in præscriptione non prodesse. Secundò, quia cum mala fide non procedit vllo tempore præscriptio. capit. fin. de præscript. Atqui is qui per ignorantiam iuris rem acquirit, comparando illam per contractum iure inualidum, habet malam fidem, vt iura loquuntur; ergo. Minor probatur ex L. Quemadmodum 7. C. de agricolis & censitis, vbi dicitur eum, qui emit adscriptitium sine gleba, non posse vsucapere. *Quia*, inquit, *mala fides possessorem esse nemo ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.* Vbi aduerte non dici talem præsumi habere mala fidem, sed habere malam fidem. Nam iura malã fidem vocant non solùm credulitatem, qua quis credit, aut dubitat rem non esse suam, quam retinet vt suam; sed etiam, qua quis ex errore iuris seriò putat esse suam. hanc enim ideò vocant malam, quia est inutilis ad præscriptionem. Tertiò probatur ex cap. Dudum 31. de decimis. vbi Pontifex decimas, quas Rex Hungariæ dederat Hospitalarijs S. Stephani, adiudicat Episcopo: eò quòd acceperant illas a manu laici, qui iure eas non poterat possidere, ac proinde nec donare: vbi Pontifex non ponderat lapsum temporis 40. annorum nondum expleti, sed titulum ex errore iuris inductum, ac proinde inualidum. Quartò, 17 *Sententia Medinæ an sit probabilis.*

Etiamsi

Etiamsi pars aduersa cõtra quam Titius intendit præscribere, fateretur illum ignorantia inuincibili iuris liberasse, nihilominus in foro externo Titius condemnaretur: ergo ibi non proceditur ex præsumptione malæ fidei, sed ex eo quòd credulitas ex errore proueniens sit re vera mala fides. Confirm. Quia alioquin Ius ciuile foueret peccatum, auferendo rem vero domino, qui iam præscriptione acquisiuerat verum dominium. Quintò. Etiamsi confideretur illas leges procedere ex præsumptione malæ fidei, tamen res illæ non possent præscribi tempore 30 annorum, sed solùm tempore cuius initij non extat memoria: quia præsumptio iuris illi obstat, iuxta cap. 1. de præscript. in 6.

Hæc ferè sunt argumenta, quibus hæc sententia probari potest, quam proinde tenet noster Molina disp. 64. (qui etiam putat contrariam non esse probabilem) Glossa in cap. 2. de his quæ fiunt a Prælato. & in cap. Apostolicæ. 9. de donat. Felinus in cap. de quarta. 4. nume. 34. de præscript. Abbas in cap. Cùm non liceat. col. 6. Cynus in l. Si quis emptionis, §. 1. C. de præscript 30. annorum. Bart. in l. Sed etsi, §. Sane, ff. de petit. hæredit. Sed contrariam iudico veriorem & probabiliorem, quando agitur de præscriptione 30. annorum. Hanc tenet expressè Couarr. ad regul. Possessor. p. 2. § 7. nume. 6. concl. 2. *Error*, inquit, *iuris bonam fidem inducit sufficientem ad eam præscriptionem, quæ titulum non requirit, sed sola bona fide procedit*; qualis nimirum est triginta annorum. Et quamuis in sequentibus videatur hoc restringere ad errorem iuris nec assistentis nec resistentis; (quale plurimorum DD. iudicio est de testamentorum solemnitatibus, tamen postea numero 11. idem concedit de errore iuris contractui resistentis, modò sit error inuincibilis. *Quantum*, inquit, *ad præscriptionem error iuris excluditur, nec ex eo præscriptio procedit, quia illa culpa & negligentia in iuris errore, & in non inquirendo diligenter quid leges de illo actu ad eius substitiam statuerint, efficit, vt ad effectum præscribendi iuris error vel mala fides inducatur, vel eius vicem habeat; iuxta regulam, Qui contra iura, &c. quo fit vt si contingat errorem iuris etiam resistentis inuincibilem esse, tunc præscriptio ex animo iudicio obtentus, atque ita defendi potest Ioannis Medina opinio. Imò & ea sic intellecta apud Iudicem exteriorem admittenda est, sicut apertissimè in terra constat probatur.* Hæc Couarr. Eamdem sententiam tenet Alexander Imolensis in d. capit. de quarta. & in repetit. cap. final. col. 4. in fine de præscript. & col. 10. adducit Antonium Butrio in capit. Cura 11. de iure patron. qui etiam id docet in capit. Peruenit 4. de empt. & vendit. vbi dicit, *Licèt error iuris circa titulum impediat præscriptionem ad quam requiritur titulus, non tamen impedit præscriptionem, ad cuius subsistentiam non requiritur titulus, sed sola bona fides, vt est præscriptio 30. annorum.* Idem tenent Paulus de Castro consil. 152. §. Circa præsentem casum, col. 3. & consi. 40. §. In causa, col. 1. & maxime ■ l. Celsus 27. post principium, ff. de vsucap. Ludouicus Romanus consil. 123. §. Circa primum dubium, col. 4. Pro eadem citat Couarr. Alexandrum consi. 125. Felinum in capit. Cùm contingat. 24. de rescriptis. Iason in l. Si quis id quod notab. 8 & ibidem Decium, ff. de Iurisdictione omnium Iudicum. & Anton. Rub. cons. 75. qui hanc omnium fatetur esse communem.

Contraria probabilior.

Probatur Primò, Præscriptio tricenaria non requirit titulum, sed tantùm possessionem bonæ fidei tanto tempore continuatam: atqui is, qui errat in iure, potest habere bonã fidem, & cùm ea possidere tempore præscripto; ergo. Minor probatur, quia doctiores, quos commodè potuit, consuluit, & omnia fecit, quæ tenebatur facere ad cognoscendas contractus leges; ita vt ignorantia sit planè inuincibilis; ergo habet bonam fidem. quod cõfirmatur: quia cùm ius sit obscurum, seu dubium, ideo error iuris non excludit bonam fidem de titulo, quòd error tunc planè sit inculpatus, & homo fecit quicquid debuit ad veritatem cognoscendam. ergo similiter quando ius non est quidem obscurum sed ignotum, error non excludet bonam fidem, si homo fecit quod in se est, vt veritatem cognosceret. Ita Couar. supra, vbi dicit hanc rationem apertissimè concludere.

Secũdo, Ideo error iuris impedit præscriptionem, quia qui sic errat, præsumitur habere malam fidem, vel reuerà habet; sed iure ciuili præscriptio tricenaria & quadragenaria locum habet etiam cum mala fide; vt patet Leg. Si quis emptionis, C. de præscript 30. vel 40. annorum: ergo iure ciuili tricenaria præscriptio valet etiam cum errore iuris. Cõseq. est clara, & antecedens quoad vtramque partem admittitur ab omnibus.

Dices, Ius ciuile qua parte concedit præscriptionem tricenariam cum mala fide, est correctum per Canones, vt patet capit. Vigilanti. 5. & capit. final. de præscriptione.

Resp. nõ esse correctum nisi quoad malam fidem, quæ est cum peccato: tota enim ratio illius præscriptionis tollendæ erat, quia sine peccato & dispendio salutis non poterat seruari. atqui cùm est error iuris inuincibilis, nullũ est peccatum in possessione: ergo quoad hanc malam fidem non est correctum. Hæc ratio videtur hanc sententiam planè conuincere.

Tertiò. Idcò leges iuris ignorantiam circa titulum non admittunt in præscriptione ordinaria, quia is, qui ius sui contractus ignorat, præsumitur non bona fide inchoasse possessionem; quia tenebatur adhibere diligentiam vt sciret quid ius præscribat, vt rectè docet Couarr. supra numero 10. ergo si reuerà nulla fuit negligentia, & error sit prorsus inculpatus, in foro conscientiæ, vbi cessat præsumptio, poterit præscribere. Antecedens est Couarruuius suprà, & multorum DD. & confirm. ex regula 82. in 6. *Qui contra iura mercatur, bonam fidem habere non præsumitur.* quam regulam intelligi de præsumptione iuris docet ibidem Glossa, & ipsa verba satis indicant. Idem confirm. ex L. Quemadmodum. 7. C. de agric. & censit.

Quartò, Multi DD. docent præscriptionem ordinariam, quæ titulum requirit, procedere cum ignorantia iuris in ijs, in quibus error iuris toleratur; vt in minore, rustico, milite, muliere: quia in his non præsumitur mala fides si aliquam diligentiam adhibuerunt: ita Molina Iureconsl. libro 2. de primogenijs cap. 7. numero 69. cum alijs quibusdam quos citat. & Baldus in L. Venditioni, C. de Vsucap. pro emp. & in L. Possessiones, C. si quis ignorem minor. esse. Vbi dicit excusari si errans est miles, vel mulier, vel est passus in iure difficilis, de quo interrogans sapientem, habuit responsum erroneum. Ex his patet Medinæ sententiam esse valdè probabilem, & iure veriorem in præscriptione 30. annorum, quæ titulum non requirit: in præscriptione autem ordinaria, quæ requirit titulum, in foro conscientiæ non esse improbabilem, imò, non videri improbabile etiam in foro externo admittendam esse, si probatum fuerit nullam negligentiam possessoris interuenisse, sed illum fecisse quantum pro sua conditione potuit, vt iura cognosceret. Idem probant 3. & 4. ratio, & confirmatio primæ rationis.

Nec obstat, quòd hæc præsumptio malæ fidei sit præsumptio Iuris, & de iure, contra quam non admittatur probatio. cum sit instar iuris; quare etsi ordinariè non admittatur, tamen quando subest euidens causa, potest admitti, vel Iudicis benignitate, vel restitutione in integrum, ex clausula generali, Si qua mihi iusta causa esse videbitur de qua Leg. 1. in fine, ff. Ex quibus causis maiores, &c.

Ad argumenta.

Ad Primam rationem sententiæ aduersæ Respond. Illa iura loqui de præscriptione ordinaria requirente titulum, quæ triennio, 10. vel 20. annis expletur. non autem de præscriptione 30. annorum. Hæc enim iure Pandectarum (vnde sunt illæ leges citatæ) non est cognita, sed iure Codicis introducta. Secundò, dici potest illa procedere ex præsumptione malæ fidei. præsumitur enim, cum est error iuris in contractu, interuenisse saltem negligentiam aliquam, nec adhibitam omnem diligentiam, quæ potuit, & debuit adhiberi, & ita error iuris non prodest in compendijs: nisi probetur adhibitam omnem diligentiam vt ius sciretur. Cum hoc tamen stat, quòd possit prodesse in foro conscientiæ, vbi cessat præsumptio, & statur ipsa veritate.

Ad Secundam, Nego illum reuerà habere malã fidem, si error erat inuincibilis. solum enim præsumitur habere, quia præsumitur non adhibuisse diligentiam, quam debuit, vt sciret iura. Neque iura credulitatem ex errore inculpato vocant malam fidem, eo quòd sit inutilis ad præscriptionem: esset enim petitio principij. Ideo enim

credulis-

credulitas aliqua est inutilis ad præscriptionem, quia est mala fides; non autem ideò est mala fides, quia inutilis ad præscriptionem. Deinde valdè improprie diceretur talis mala fide possidere. Deniq; cap. Vigilanti, & cap fin. de præscript. nullam agnoscit in hac materia malam fidem, nisi quæ est cum peccato: talis autem credulitas ex errore iuris inculpato non est peccatum.

Nec obstat *L. Quemadmodum*, sensus enim est, nullus iuris peritus ambigit esse malæ fidei possessorem (nempe quoad forum externum) qui contra legum interdicta mercatur. Confir. quia ex alia lege sumpta est regula iuris 82 *Qui contra iura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere*, quæ aperte loquitur de præsumptione illamque legem explicat: vnde eodem modo intelligenda. Confirm. 2. quia eadem *L.* dicitur emptorem amittere pretium: atqui hoc non est iustum nisi interuenerit aliqua culpa in emptione: ergo agitur de errore culpabili. Addo, Etiamsi mala fides si acciperetur, tamen cùm præscriptio 30. annorum iure ciuili cum mala fide procedat, & talis mala fides non sit reiecta per Canones, consequens est eam nõ obstitere tali præscriptioni; cuius etiam signum euidens est, quòd in d. *L. Quemadmodum.* solùm dicatur per talem malam fidem excludi præscriptionem longi temporis: insinuando non excludi præscriptionem longissimi temporis, qualis est tricenaria.

Ad Tertiam, Ad præscribendas illas decimas requirebatur possessio 40. annorum bona fide cũ titulo: vel possessio a tempore immemorabili sine titulo. quia ius illi præscriptioni resistit, vt constat ex cap. 1. de præscript. in 6. Illi autem Hospitalarij nõ possederant a tempore immemorabili. Vnde cogebantur ostendere titulum; in quo titulo acquirẽdo præsumitur fuisse malæ fidei. eò quòd errauerint in iure manifesto: qui error præsumitur culpabilis, nisi contrarium probatum fuerit. An tempus 40. annorum fuerit elapsum, non cõstat ex textu. itaque non est mirum, si Pontifex id non ponderarit.

Ad Quartam, Nego id esse verum in præscriptione tricenaria; immo probabile esse nec in ordinaria verum esse, si pars aduersa fateatur illum omnem diligentiam adhibuisse. Ad confir. Non magis fouet peccatum, quàm quando testamenta non solemnia rescindit, vel non protegit, aut promissionem absq; stipulatione factam non admittit. &c. Vel dici potest, quòd sicut præscriptio est iure ciuili introducta; ita etiam iure ciuili in quibusdam casibus possit rescindi; vt patet cùm datur restitutio in integrum contra præscriptionem. Probabile tamen est in foro conscientiæ, si constet omnem operam debitam fuisse adhibitam, non rescindi ratione ignorantiæ iuris. etiamsi contra præscribentem sententia feratur: quia sententia procedit ex falsa præsumptione. Parendum tamen sententiæ ob scandalum, & ne iuris ratio perturbetur, sicut in multis similibus vsu venit.

Ad Quintam, Negandum est antecedens. Ad probationem resp. illud cap. loqui non de præsumptione malæ fidei ratione ignorantiæ iuris, sed ratione conditionis ipsius rei; eò quòd res ipsa talis sit naturæ, vt iure communi non videatur posse a tali possideri, sicut decimæ a Laico; aut decimæ huius diœcesis ab Episcopo alterius diœcesis. itaque nihil ad rem facit.

18 Dico Quartò, Error inducens bonam fidem omninò sufficientem ad vsucapionem, regulariter est error facti.

Sequitur ex dictis; vt si rem acceperis a fure, nesciens esse furem, tenet illam bona fide, orta ex errore facti. Similiter si emptione, vel donatione habeas a pupillo, nesciens esse pupillum; vt patet Leg. Pro emptore. 2. ff. Pro emptore. Pari modo si emas a Prælato rem Ecclesiæ, putans Capitulum consensisse, est error facti, & potes præscribere, etiamsi Capitulum non consenserit. Si autem emeris a Prælato, putans non requiri consensum Capituli, est error iuris; nec potes præscribere, nisi fructus rei, non autem rem ipsam. vt docet Couarr. num. 6. intellige tempore vt ordinario, & vt supra explicatum.

DVBITATIO VI.

Vtrùm aliquando cum mala fide procedat præscriptio.

19 VIDE Couarr. ad reg. Possessor, p. 2. §. 11.

Resp. Propriè loquendo nunquam procedit præscriptio cum mala fide. Nam leges ciuiles statuentes Præscriptionem 30. aut 40. annorum etiam cũ mala fide procedere, sunt abrogatæ iure canonico. vt patet c. finali, de præscriptionibus. Vnde omnes leges particularium locorum, statuentes præscriptionem post certum aliquod tẽpus, siue in rebus corporalibus, siue in spiritualibus (idest iuribus seu actionibus realibus, & personalibus) requirũt suo modo bonam fidem vt fusè docet Couar. §. 11.

Præscriptio contra debitum pecuniarium, vel actionem.

Vnde infertur Primò, vt præscribam contra debitũ pecuniarium, vel contra actionem ad tale debitum, quã habet Petrus in me, non sufficit vt Petrus toto tempore non exigat debitum, aut non meminerit; sed requiritur vt ego certo temporis spatio bona fide existimem me nihil debere Petro; v.g. vt putem esse condonatum; vel solutum, vel vt omnino memoria exciderit. Ratio est, quia alias nõ censebor bona fide possidere ius non soluendi, etsi enim creditor me non interpellet; tamen terminus elapsus ipsaque dies interpellat, & monet solutionis. quare cũ peccem non soluendo, non potest mihi procedere præscriptio: iuxta capit. finale suprà. Similiter, etsi famulus intra biennium, ex quo desijt famulari. non petat stipendium a domino; non tamen potest dominus præscribere contra debitum illud, nisi bona fide putet solutum.

20 *Potest denegari actio in iudicio.*

Aduerte tamen, non esse improbabile, cum mala fide posse præscribi contra actionem personalem; ita vt si certo tempore creditor non exigat debitum, postea non possit illud petere in iudicio, eique denegetur actio; vt docet Adrianus quodlib. 6 ar. 3. Sic Carolus V. Anno 1540. Bruxellæ statuit, vt famuli mercedem pactam petant a dominis intra biennium, a die a quo seruire cessauerint: alioquin non possint eam petere in iudicio, nisi scripturam producant. non tamen per hoc liberatur dominus in cõscientia, si mala fide retinet: sicut non liberatur is, qui rem emit minoris iusto, etsi non infra dimidium: neque is qui nudo pacto promisit aliquid; etsi contra hos non detur actio in foro externo. Contrarium tamen est verius, vt ostendit Couarr. si enim constaret debitorem mala fide non soluisse, condemnaretur hoc autem constare vix potest, nisi ex ipsius confessione.

Ius eligendi, præsentandi, &c.

Infertur Secundò. Vt quis præscribat ius eligendi, præsentandi, pascendi, aut venandi in alieno prædio, aut alterius seruitutis; requiri vt bona fide vtatur tali iure tempore lege constituto; si enim mala fide vtitur, sciens se non rectè facere, non currit præscriptio.

Obiectio. Contra actionem fisci.

Obijcitur Primò, Is cuius bona per legem pœnalem addicta sunt fisco, eiusque hæredes præscribunt contra fisci actionem, cùm tamen sciant bona sua fisco deberi. ergo aliquando cum mala fide currit præscriptio.

Resp. Iurisperiti hoc passim vocant malam fidem: sed rectiùs dicitur cum Theologis, tales habere bonam fidẽ: non quidem qua sibi persuadeant hæc bona absolutè, & pleno iure esse sua: sed qua iudicent licere sibi ea retinere, donec per fiscum auferantur: & se non teneri fisco ea offerre: de quo Vide Couarr. ad 4. Decretal. p. 2. c. 6. §. 8. a numero 5.

Contra seruitutem rusticam.

Obijcitur Secundò, Possum præscribere contra eum, qui habet ius seruitutis rusticæ in meo prædio, etiamsi sciam ipsum hoc ius verè habere: ergo cum mala fide.

Resp. Nego cõseq. aliud enim est acquirere ius aliquid agendi in re alterius; aliud extinguere ius, quod alter habet ratione prædij rustici in re mea. hoc denique nihil aliud est, quàm præscribere libertatem rerum mearum: quod fieri potest etiamsi sciam alterũ ius habuisse. Itaque altero habente ius seruitutis in prædijs meis, (v.g. vt possit transire per meum hortum vel agrum; vt possit pascere in meis prædijs) cùm non requiratur vllus actus in me vt ego contra ius illud præscribam; sed sufficiat vt ipso iure suo certo tempore non vtatur (vt habemus *L.* Hæc aũt iura. ff. De seruitutibus vrbanor. prædior.) non sum in mala fide, etsi sciam illum ius habere. nam nihil facio illicitum

licitum, nec aliquid omitto, quod deben. nõ enim teneor illum monere vt iure suo vtatur. Itaque sum in bona fide, vt rectè Medina q.17.capit.de restitutione: quia bona fide sino illum iure suo non vti, & mihi libertatem creari. secùs verò est quando alter habet ius, non quidem aliquid faciendi circa rem meam; sed vt ego aliquid non faciam; v.g. ne altiùs ædificem, ne fenestras ■ hortum ipsius aperiam, & similia. Tunc enim vt ego extinguam illud ius, requiritur vt bona fide faciam contrarium, & ille per certum tempus non contradicat; iuxta legem citatã.

DVBITATIO VII.

Quantum temporis requiratur ad vsucapionem rerum mobilium.

NOTANDVM est, ante tempora Iustiniani res mobiles in Italia potuisse vsucapi annali possessione bona fide continuata: immobiles biennio. Verùm ipse hoc ius tanquam parum consentaneum æquitati, plenumque litigiorum reformauit, vt videre est Tit. De annali except Italic. contract. tollenda, & Tit. de Vsucap. transform. cuius reformationem amplexum est Ius canoni cum. Iuxta hanc igitur.

22 *Res mobiles.* Respõdeo & dico Primò, Ad vsucapionem rerum mobilium priuati hominis, vel etiam Ecclesiæ, cum titulo requiritur, & sufficit possessio per triennium bona fide continuata. Est communis sententia DD. vt docet Couar. reg. Possel. p.2.§.2.num.5. De *rebus Priuatorum*, habetur C. de vsucapione transformanda, Le. vnica. & Inst. de vsucapionibus §.1.

De *rebus Ecclesiæ* habetur authent. Quas actiones, C. de Sacrosanctis Eccl. *Quas actiones aliàs decennalis, aliàs viennalis, aliàs tricennalis præscriptio excludit, has si loco religioso competant, quadraginta annis excludentur: Vsucapione trienny, vel quadrienny præscriptione in suo robore durantibus: sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio vel priuilegio.* Quæ authent. recepta est ab Ecclesia, vt patet ex Decret. 16.q.3.capit.vlt & penult. Ex qua constat, in rebus, & actionibus, quę minore tempore quàm decẽnio vsucapiuntur, vel præscribuntur, par esse ius priuati, & Ecclesię. talis est actio redhibitoria, actio de dolo, quã ■ minoris, & similes. Tituli autem huius Vsucapionis a DD. numerantur decem.

Tituli Vsucapionis mobilium. 10. Primus est, *Pro soluto.* vt ■ putans me ex aliqua causa debere tibi 100. aureos, soluam, vel catenam auream loco solutionis tradam, tuque bona fide recipias. ita habetur L.2.ff. Pro emptore; vbi dicitur, *Si existimans me debere tibi ignoranti tradam, vsucapies.* Idem dicendum cùm quid per errorem soluitur secundò. Excipe tamen nisi putem me debere, vel possidere ex emptione quæ non præcessit. Tunc enim triennio id non vsucapietur, vt ibidem dicitur.

Secundus, *Pro emptore.* vt si emas rem bonã fide a furioso, quem putabas sanæ mentis. secùs si a prodigo vel aleatore, cui interdicta administratio: quia requiritur bona fides non solùm in accipiente, sed etiam in tradente. idque necessarium in omni vsucapione mobilium, quocumque titulo vsucapias. L.2.ff. Pro emptore.

Tertius, *Pro transacto.* vt cum aliquid bona fide est traditum & acceptum causa trãsactionis, vt a lite recedatur. L. Ex causa, C. de Vsucap. pro empt. vel transact. vbi dicitur, *Ex causa transactionis habentes iuliam confirmationem possessionis vsucapere possunt.* Nec refert etiamsi ea res forte sit aliena: modò non sit furtiua, aut vi possessa, aut res hici, aut pupilli; sed talis quæ vsucapi possit; quod in omni vsucapione ordinaria est necessarium.

Quartus, *Pro hærede.* vt cùm quis verè est hæres, aut bona fide se hæredem putat: intellige vt supra, nisi res sit vitiosa, id est, cuius conditionem obtinet Vsucapio. Aduerte tamen, quando extat hæres qui dicitur *suus*, alios non posse contra illum vsucapere, vt infra dubit. 13. dicetur.

Quintus, *Pro donato.* vt cùm quis bona fide donauit rẽ alienam ignoranti. L.2.ff. Pro donato. *Si is, qui alienam rem donauerit, rectorue constituerit donationem, etiamsi iudicium ediderit, remque euperit euincere, currit vsucapio.* Hic tamen requiritur vt donatio non sit inualida ratione personæ. Hinc filius sub patria potestate constitutus non potest vsucapere donatum a patre; nec coniux donatum a coniuge, vt habetur L.1.ff. Pro donato. Qui tamen emit a coniuge, quod sic donatũ nouit, potest illud vsucapere: quia cum consensu coniugis præsumitur venditum, vt habetur L. Si id quod. ff. Pro derelicto.

Sextus, *Pro derelicto.* vt cùm quis cœpit bona fide possidere rem, quę a domino putabatur habita pro derelicto. Idem dicendum de eo qui conditionem rei sciens, illam emit, vt habetur d. L. Si id quod.

Septimus. *Pro legato.* vt ■ testator credebatur sanæ mentis, non tamen erat: si legatum per codicillum ademptum erat, & ■ ignorabatur, L.4.ff. Pro legato. *Pro legato potest vsucapi, si res aliena legata sit: aut testatoris quidem sit, sed adempta codicillis ignoratur. in horum enim persona subest iusta causa, quæ sufficit ad vsucapionem.* Addit; *Idem dici potest etsi in nomine erit dubitatio: veluti si Titio legatum sit, cùm sint duo Titij, vt alter eorum de se cogitatum existimaverit.* Idem L.fin ff eodem.

Octauus, *Pro dote.* vt si res aliena bona fide pro dote data sit; Leg.1.ff. Pro dote. Incipit autem hæc vsucapio a tempore, quo cœpit esse mancipatus per contractum de præsenti, non antè, vt ibidem dicitur: quia dos tunc primùm incipit possideri titulo dotis. Si tamen aliquid a sponsa detur ea mente vt statim fiat eius, poterit illud vsucapere *pro suo*, non *pro dote*, vt ibidem habetur.

Nonus, *Pro suo.* hic titulus est valdè generalis, & oritur ex omnibus ijs, quibus putamus nobis acquiri dominiũ, remque possidemus vt nostram, vt patet L. 2. ff. Pro suo. Hoc modo potest quis vsucapere fructum rei furtiuæ, quam bona fide emit: v.g. agri, vel ancillæ, etsi rem ipsam furtiuam vsucapere nequeat L.4.ff. eodem. Sic si hæres putet Titio aliquid legatum, quod non est legatum, vsucapiet Titius pro suo ibidem. Denique quando quis in rebus suis inuenit aliquid nõ furtiuum, aut vi possessum, quod bona fide putat esse suum, potest illud vsucapere, L. fin. ff. Pro suo.

Hi fere 9. tituli habentur lib.41. Digestorum, & 1ũ C. lib.7. Addunt DD. decimum, *Pro iudicato.* vt cùm res est iudicata, & spatio 10. dierum non est appellatum. Hoc modo excluditur ius appellationis; & sententia transit in rem iudicatam, vt habetur Nouella 23. Quod etiam amplexa est Ecclesia in iudicijs ecclesiasticis, vt patet ca.27. Anteriorum. 2. q.6. Ex his satis patet quomodo se habeat vsucapio in mobilibus.

Ecclesia Romana. Petes, vtrùm vsucapio triennalis etiam locum habeat contra Ecclesiam Romanam? Videtur non habere, nam post illa verba, *Vsucap. trienny*, &c. subiungitur. *Sola Ecclesia Romana*, &c. quasi sit exceptio ab vtraque sententia præcedente. Confirm. capit. Cùm vobis. 14. de præscriptionibus vbi generatim absque distinctione mobilium & immobilium dicitur, *Contra Ecclesiam Romanam, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi vendicat*, vbi Glossa, v. Centum; *Hæc præscriptio obtinet in rebus & possessionibus*, distinguens *res a possessionibus*, tanquam mobilia ab immobilibus. & Panor. in capit. Cùm dilecta. 4. de confirm. vtil vel inutil. v. Possessiones: *Ecclesia Romana gaudet præscriptione centum annorum, non solùm in rebus priuatis ipsius Romanæ Ecclesiæ, sed etiam in omnibus turibus & possessionibus, quæ competunt ratione libertatis datæ: vt cùm eximit aliquod monasterium, vel capitulum a iurisdictione Ordinarij*, addit Panor. *Et sentiunt DD. hoc extitisse generalitate verborum hoc procedere tàm in rebus mobilibus quam immobilibus, corporalibus & incorporalibus, quod bene notes. Ex hoc enim infertur; quòd Vsucapio triennalis in rebus mobilibus non habet locum contra Ecclesiam Romanam.* Idem tenet Syl. v. Præscriptio. 1. numero 7. §. Tertium. Hæc sententia est valdè probabilis. Nihilominùs altera quoque sententia probabilis est, nimirum triennalem mobilium præscriptionem contra Ecclesiam Romanam locum habere: ita Couarr. supra generatim docens par esse ius priuati, & Ecclesiæ in rebus & actionibus, quæ minori tempore quàm decennio vsucapiuntur. & Molina disputat. 68. citans Glossam, & DD. in illam Authent. Probatur, quia illa exceptio, *sola Romana*, &c. solùm intelligenda est fieri ab illis verbis, *Has tres, 3. loco competant*, &c. & illa, *Vsucapione trienny*, &c. veluti per parenthesin interiecta. Id apertè indicant DD. in periocha huius Authent.

Coo-

Confir. quia alias non rectè diceretur *Vsucapionem triennij, &c. in suo robore durare*; hoc enim significat nihil in illa mutari: at aliquid in ea mutaretur, si statim ab ea fieret exceptio. Deinde hæc Authent. ex tribus diuersis Iustiniani Nouellis contexta est. Prima pars est ex Nouell. 131. capit. 6. pro temporalibus præscriptionibus, &c. Secunda, *vsucap. triennij*. ex Nouella 111. capit. 1. Tertia, *sola Romana*, ex parte est ex Nouella 9. vbi solùm in præscriptione longissimi temporis quale est spatium 30. annorum, concedit Ecclesiæ 100. annos. Vnde hoc non est extendendum ad vsucapionem triennalem & quadriennalem. Mihi tamen probatur prior Sententia: quia hæc res non solùm pendet ex vi illius Authent. sed maxime ex ordinatione Canonum, qui generatim loquuntur.

Dico Secundò, Ad vsucapionem rerum mobilium sine titulo, requiruntur anni 30. siue priuati ex sint, siue Ecclesiæ. est communis DD.

Prior pars patet ex Leg. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annorum; vbi res immobiles contra priuatum præscribuntur 30. annis, sine titulo. Idem ergo censendum de mobilibus; cùm nihil aliud de his sit statutum, absente titulo.

Altera probatur; quia cùm Ecclesia in mobilibus non habeat priuilegium, sed solùm in immobilibus, eodem iure censeri debet quo priuatus. de quo vide Couar. §. 5. numero 2. Ego tamen excepterim Eccl. Rom. iuxta prædicta.

DVBITATIO VIII.

Quantum temporis requiratur ad immobilium præscriptionem, siue contra priuatum, siue contra Ecclesiam, vel pium causam.

23 Immobilia priuatorum.

DICO Primò, Ad præscribenda bona immobilia priuatorum, cum titulo requiritur spatium 10. annorum inter præsentes, 20. inter absentes: sine titulo requiruntur anni 30. Est communis sententia DD. in cap. Sanctorum, de præscript. & alibi.

Longum tempus.

Prior pars habetur Instit. de vsucap. §. 1. & Le. Cùm in longi. vlt. C. de præscript. longi temporis. vbi tria notanda sunt, Primum est, Longum tempus in materia vsucapionis vocari spatium 10. annorum inter præsentes 20. inter absentes. *Longissimi.* Longissimum autem spatium 30. vel 40. annorum. Patet ex dicta L. Cùm in longi.

Præsentes.

Secundum, *Præsentes* dici, qui in eodem territorio habitant; vt sunt omnes qui in territorio Louanienſi, etiamsi non in ciuitate: *absentes*, qui in diuersis territorijs, vt docet Panor. in capit. De quarta, de præscriptione. numero 30.

Vnus annus præsentiæ æquiualet duobus absentiæ.

Tertium, Si præsens fueris 7. annis, & posteà egrediaris territorium habiturus alibi, opus est adhuc sex annis, vt res immobilis contra te præscribatur. Ratio est: quia supererant tres anni ad complendam præscriptionem contra præsentem qui debent duplicari ratione absentiæ: vt habetur expressè Authen. Quòd si quis. C. de præscriptione longi temporis. vnus enim annus præsentiæ æquivalet duobus annis absentiæ. Sil. verbo Præscriptio. 1. q. 7. & reliqui DD.

Altera pars, *sine titulo requiri annos* 30. patet ex capit. Sanctorum. de præscriptione. Idem colligitur ex Leg. Si quis emptionis. 8. §. 2. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum.

Vbi non requiratur titulus.

Tituli probatio.

Vbi aduerte, quando agitur de præscriptione 30. vel 40. annorum, *ordinariè* neque Iure Pontificio neque Cæsareo requiri titulum; sed sufficere bonam fidem cum possessione tanti temporis. vt docet Couarr. regul. Poss. §. 5. numero 2. ex communi Doctorum sententia. Dixi *ordinariè*, quia interdum exigitur tituli probatio; nempè quando præsumptio Iuris est contra præscribentem, vt docet Couar. l. 1. variarum c. 17. nu. 7. vt fit quando Episcopus vnius diœcesis vult præscribere decimas sitas in alia diœcesi, vt habemus. ca. 1. de præscriptione in 6. Hic enim ex possessione 40. annorum non præsumitur titulus, sed requiritur tituli probatio; vel certè, vt a tempore cuius initij memoria non extat, possederit.

24 Contra pupillum & minorem.

Dico Secundò, Si priuatus ille fuerit pupillus, nulla contra eum, quamdiu est in ea ætate, datur præscriptio, siue mobilium siue immobilium: si autem non sit pupillus, sed minor (id est, nondum habens 25. annos expletos) requiruntur 30. anni.

Prior pars patet L. Sicut in rem. 3. C. de præscriptione 30 annorum. factum id est in fauorem pupillaris ætatis & status.

Altera pars habetur L. vltima, C. in quibus causis in integrum restitutio necessaria non est. Ratio est, quia minores non ita rebus suis possunt inuigilare vt maiores, præsertim cùm administrationem non habeant.

25 Contra Ecclesiam & pias causas.

Dico Tertiò, Ad præscribenda bona immobilia cõtra Ecclesiam Romanam requirũtur anni 100. contra aliam Ecclesiam, vel Hospitale, vel Monasterium, vel contra pias causas. requiruntur anni 40. est communis DD. De Ecclesia Romana habetur Authentica, Quas actiones. C. de sacrosanctis Ecclesijs; vbi præscriptionis tempus contra reliquas Ecclesias, & pia loca restringitur ad annos 40. (cùm anteà esset annorum 100. vt patet ex Leg. Vt inter diuinum, quæ immediatè præcedit) & soli Ecclesiæ Romanæ inter loca pia reseruatur priuilegiũ 100. annorum. Dico *inter loca pia*, quia hic non reuocatur priuilegium, quod in dicta lege, Vt inter diuinum erat concessum ciuitatibus, vt contra eas non possit præscribi nisi 100. annorum spatio, si quid illis per vltimam voluntatem relictum, vel si quid donatum, vel venditum fuisset; vt rectè Couar. §. 2. numero 15. Idem de *Ecclesia Romana* habetur in multis canonibus tit. de præscriptione. De *alijs Ecclesijs* habetur tum alibi, tum cap. De quarta, de præscriptione. De *alijs pijs locis & causis* habetur Auth. Quas actiones; & probat Couar. reg. Possessor. §. 2. num. 3. vbi etiam refutat quosdam, qui putabant contra pauperes non præscribi.

Priuilegium quorundam Regularium.

Hic tamen notandum est Primò, Quibusdam Monasterijs & Collegijs Regularium cõcessum esse vt res immobiles non possint contra ipsos præscribi nisi annis 60. Cõcessit hoc Eugenius IIII. de plenitudine potestatis, Ordini S. Benedicti; & Iulius II. congregationi S. Saluatoris. vt ex eorum priuilegijs manu scriptis constat. Idem concessum Ordinibus illis, qui horum priuilegijs participant; vt Societati nostræ. & quibusdam alijs.

Secundò, Si res priuati incipiat esse Ecclesiæ, & contra priuatum præsentem anni quinque sint exacti, non requiri vlterius spatium 35. annorum ad complendam præscriptionem cõtra Ecclesiam, sed sufficiunt 20. quia quinque priores contra priuatum continent dimidium temporis necessarium. vt docet Sil. verbo Præscriptio qu. 7. §. Sextum, consentiunt alij DD.

Bona immobilia quæ.

Tertiò, nomine *bonorum immobilium* hic etiam intelligi Ius, & actiones ad immobilia: item beneficia, census, redditus; Ius patronatus, vsusfructus, & seruitutes. hæc enim omnia fixa manent, & instar immobilium fructum, vel commoditatem adferunt. Itaque de his iudicandum iuxta duas propositiones supradictas. Maioris tamen lucis causa quia interdum in his est aliqua diuersitas, breuiter agendus de singulis.

DVBITATIO IX.

Quanto tempore præscribantur seruitutes, & quanto amittantur.

26 Seruitus personalis vt acquiratur.

DE hac re fusè agit Gomezius, tractatu de seruitutibus tomo 2. c. 15.

Dico Primò, Seruitus merè personalis, quæ debetur personæ a persona, nullo tempore præscribi potest, id est, vsucapione acquiri. Leg. finali, C. de longi temporis præscriptione. idque verum est, etiamsi bona fide putans esse seruum, emeris. ratio est, quia æquitas non patitur hominem liberum fieri seruum ex errore opinionis.

Dico Secundò, seruus tamen præscribit libertatem cõtra dominum, si per 20. annos bona fide putauerit se liberum; etiamsi titulum libertatis non habeat. L. 2. C. de longi temporis præscript. quæ pro libert. Gomez. nu. 26. hoc constitutum est in fauorem seruorum.

27 Seruitus mixta.

Dico Tertiò, Seruitus mixta, quæ à re debetur perso-

næ,

ne, vt est vsusfructus, præscribitur cum titulo 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes: sine titulo annis 30. L. fin. C. de præscript. longi temporis. & Gomezius supra, verbi gratia aliquis, qui non erat dominus rei, vel non habebat potestatem, constituit tibi vsumfructum in agro, silua, vel alia re simili; tuq; inde possedisti bona fide hoc ius per 10. annos præsente eo, ad quem pertinebat: etiamsi postea constet illum non potuisse constituere, tamen tu retinebis ad vitam, vel ad tempus constitutum: quia hoc ius effectum est tuum lege præscriptionis. quòd si dominus, ad quem pertinebat, sit absens, requiruntur anni 20. Si titulum non habes, quo ad te peruenit, (vt si dictum tibi fuit ad te pertinere, nescias autem qua ratione) sicque bona fide per 30. annos possideas, tuus erit ad vitam. Idem dicendum est de feudo, & emphyteusi; præscribuntur enim vt vsusfructus. cùm sint species quædam illius.

Vbi tamen aduerte, vsumfructum non præscribi ratione possessionis rei fructiferæ; vt agri, siluæ, vel alterius; (quia vsusfructuarius non possidet hanc rem suo nomine, nec possessione ciuili, sed tantùm naturali & nomine alterius) verùm ratione possessionis ipsius iuris, quod vocatur vsusfructus; vt benè Gomezius supra; qui citat alios, debes enim hoc ius possidere tamquam tuum.

28 *Seruitus merè realis cum titulo.* Dico Quartò, Seruitus merè realis, siue sit continua vel quasi continua; (vt tigni, immittendi, oneris ferendi, stillicidij, aquæductus) siue discontinua; (vt eundi per tuum prædium, agendi iumentum, ducendi currum) cum titulo & bona fide præscribitur 10. annis, præsente eo, contra quem agitur; 20. verò eo absente. est communis DD. ex L. finali, C. de præscriptione longi temporis. vt si is, qui verè non erat dominus rei, tamen putabatur esse, tibi concessit ius immittendi tignum in murum, vel stillicidium in arem, vel ducendi aquam per hortum, vel iumentum, aut plaustrum per agrum; & tu bona fide hoc ius per decennium possideas, præsente eo, cuius interest, verè efficeris dominus talis iuris, lege præscriptionis. neque hic requiritur scientia & patientia illius, contra quem præscribitur: quando titulus adest. vt communiter DD. tradunt.

Sine titulo. Dico Quintò, Seruitus merè realis, si sit continua vel quasi continua absque titulo, cùm scientia & patientia aduersarij, præscribitur decennio inter præsentes, vicennio inter absentes; discontinua verò absque titulo, non præscribitur nisi tempore immemorabili, id est, cuius initij non extet memoria. Prior pars est communis DD. ex L. 1. & 2. C. de seruitutibus & aqua; eamq. tradit Gomezius tomo 2. cap. 15. num. 27. Si enim dominus, vel is cuius interest, scit & permittit tanto tempore, censetur hoc ius sponte concedere. Altera est etiam communis, ex L. Seruitutes. 4. ff. de seruitutibus. Itaque non præscribis ius agendi iumentum, vel ducendi currum per agrum alterius absque titulo, nisi ab hominum memoria fuerit cõsuetudo. quod ideò leges statuerunt, tum quia non facilè potuit à domino aduerti possessio huius iuris, vt posset eam impedire, cùm sit valdè interrupta; tum quia non potest assignari tempus quo possessio cœperit. Itaque hic non tam præscriptio, quàm præsumptio iuris antiqui & veri tituli locum habet; sicut etiam in alijs, quæ tempore immemorabili nituntur: secùs est in seruitute continua, cuius vsus cùm sit continuus vel quasi continuus, facilè aduertitur. vide Gomezium num. 28.

Tempus immemorabile.

29 *Initium possessionis considerandum.* Notandum est, cùm tota præscriptio nascatur ex continua possessione, quæ certo tempore duret, diligenter aduertendum initium possessionis, quod aliter accipitur in seruitutibus affirmatiuis, aliter in negatiuis; vt docet Gomezius supra. In *affirmatiuis* enim (vt sunt illæ, in quibus tribuitur ius ad aliquid agendum circa rem alterius; vt sunt tigni immittendi, stillicidia, aquæductus & similes) incipit possessio ab eo die, quo quis tali iure vtitur bona fide. In *negatiuis* (vt sunt in quibus datur ius ad impediendum ne aliquid agas, vt, ne altiùs attollas domum, ne propiùs ædifices, ne interfis electioni, ne veneris in tali silua, &c.) possessio incipiat ab eo die, quo prohibes vel impedis alterum, qui contrarium molitur. His positis, videndum quomodo seruitutes extinguantur præscriptione.

30 Dico Sextò, Vsusfructus & omnis seruitus, quæ non vsu amittitur, extinguitur 10 annis inter præsentes, & 20. inter absentes; habetur expresè L. penult. C. de seruitutibus. *Quo modo amittantur.*

Aduerte tamen esse differentiam inter seruitutes rusticas & vrbanas. Nam *rusticæ seruitutes*, sicut & vsusfructus extinguuntur per solum non vsum: nec requiritur vt dominus prædij aliquid faciat, quo incipiat vsucapere suam libertatem; (vt habetur L. Hæc autem iuram 6. ff. de seruit. vrban. prædiorum) vel vt nesciat te ius habere. Itaque ius itineris, agendi iumenti, ducendi plaustri, deriuandæ aquæ per prædium alterius, pascendi pecoris, aquandi, arenæ fodiendæ, & similia amittis solo non vsu per decennium, si præsens sis, si absens, per vicennium. *Vrbana* autem non amittuntur solo non vsu; sed requiritur vt possessor loci debentis seruitutem, aliquid faciat bona fide, quo incipiat vsucapere suam libertatem; vt habetur d. L. Hæc autem iura. v. g. habes ius immittendi tigni in murum alterius; si eximas tignũ, & possessor nihil faciat quo impediat ne rursus immittas, non perdis vmquam ius tuum: sed si ille foramen obstruat, & tu per 10. annos non vtaris tuo iure, perdis ius tuum. Similiter si habes ius ne ille altiùs attollat, vel propiùs ædificet, non amittis ius nisi ille contrà faciat; & tu post illud factum 10. annis præsens fileas. requiritur autem vt ille nesciat ius tuum, & bona fide agat. Habentur hæc omnia expresè d. L. Hæc autem iura. ff. de seruit. vrban. prædiorum. Vide Siluest. verbo Præscriptio 1. q. 7. §. Vndecimò. Molinam disput. 70. Couarr. lib. 1. variar. cap. 17. *Differentia inter seruitutes rusticas & vrbanas.*

DVBITATIO X.

Quanto tempore præscribatur ius Patronatus (id est ius præsentandi ad beneficium) & beneficium ipsum.

DE hoc Couarr. reg. Possessor. part. 2. §. 10.

31 Dico primò, Si constet Ecclesiam olim fuisse liberam, ius Patronatus à laico præscribi nequit. Est communis sententia DD.

Ratio est; quia hoc ius est spirituale. Hæc ratio tamen non videtur firma. cùm enim laicus sit capax huius iuris, cur ex possessione à tempore immemorabili non debet præsumi iusto titulo concessum? sed benè probat non præscribi absque titulo, nisi tempore immemorabili: quia præsumptio Iuris illi resistit. amplius conuincere non videtur.

Dico Secundò, Ius Patronatus etiam in Ecclesia Parochiali, de qua dubium est an olim libera fuerit, potest præscribi à parochianis 40. annis cum titulo; tempore immemorabili, absque titulo; imò etiam annis 40. absque titulo.

Prior pars patet, quia cum titulo colorato vel præsumptio possunt præscribi a laico bona immobilia & iura (vt feudum & emphyteusis) contra Ecclesiam; cur non etiam ius Patronatus, quod est minoris momenti? Nec præsumptio Iuris est contra ipsos; cùm credibile sit ipsos esse fundatores illius Ecclesiæ, quando de alio non constat. Altera probatur, quia ex possessione huius iuris per tempus immemorabile præsumitur iustus titulus in parochianis. Addo etiam *absque titulo* posse ipsos spatio 40. annorum hoc ius præscribere, quia neq; Ius commune, neque malæ fidei præsumptio illis obstitit, vt colligitur ex Couar. loco citato. Idem docet Molina disput. 75 §. Meritò tamen.

32 Dico Tertiò, Ius nominandi Rectorem aut Prælatum in Ecclesia collegiata vel cathedrali præscribi non potest à laico contra ipsam Ecclesiam, nisi annis 40. cum titulo, aut tempore immemorabili absque titulo. Ratio est. quia Ius commune repugnat. vnde est vehemens præsumptio vsurpationis & malæ fidei. Nam Iure communi illorum debet fieri electio, quæ pertinet ad Capitulum; nisi Patronus, qui Ecclesiam ædificauit, aut dotauit, id sibi cum consensu Episcopi tanquam ex pacto reseruasset, vt patet cap. Messaria. 56. de electione. Quia tamen non est incapax talis Iuris, (potuit enim competere maioribus eius vel ex pacto in fundatione cum Episcopo inito, vel ex priuilegio Pontificis) potest illud præscribere 40.

annis cum titulo colorato, (vt si concessum fuisset inuasidè ob excommunicationem, vel alia de causa) vel absque titulo tempore immemorabili. Tam diuturna enim possessio huius iuris, & vsus absque contradictione frequentatus, tollit præsumptionem malæ fidei, & inducit titulum præsumptum. vide Concil. Trident. sess. 25. de reformat. capitulo 9. vbi declaratur quomodo hæc iura sint examinanda, & probanda. Hoc modo multi Principes præscripserunt in maioribus beneficijs Ius patronatus.

33 *Ius patronatus cõtra priuatum præscribitur.* Dico Quartò, In Ecclesia non libera, ius Patronatus à laico contra verum Patronum præscribi potest cum titulo colorato decem annis inter præsentes, 20. inter absentes: sine titulo annis 30. Est sententia communis DD. teste Couarr. Patet; quia est eadem ratio quæ bonorum immobilium, & iurium contra priuatum; vt feudi, emphyteusis, quæ simili modo præscriptione acquiritur. Non enim hic agitur contra Ecclesiam, sed contra priuatum.

Dico Quintò, Beneficium ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi potest contra alium, ad quem vere pertinebat, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes; sicut alia iura, quæ bonis immobilibus annumerantur. est communis sententia. Sine titulo non potest præscribi, quia non potest nisi institutione Canonica acquiri eius possessio.

34 *Beneficium.* Dico Sextò, Qui pacificè aliquod beneficium absque simoniaco ingressu triennium possedit, præscribit contra actionem cuiusuis impetitoris. patet ex regula Cancellariæ 53.

35 Sed difficultas est, vtrùm hæc possessio bona fide cum titulo colorato & absque simonia per triennium continuata, præscribat proprietatem beneficij, ita vt possessor postea non teneatur illud resignare? Couarr. tenet non præscribere: itaque beneficium in foro conscientiæ esse dimittendum, simul atque constiterit collationé non fuisse validam.

Verùm Nauar. l. 3. consil. 40. & 42. de præbendis, post Couarr. & alios, tenet contrarium, cum glossa antiqua in regulas Cancell. & Rebuffo, qui affirmat ita iudicari in Parlamentis Galliæ, estque orationi valide consentaneum; cùm enim Pontifex post triennium nemini amplius concedat actionem ad illud beneficium, videtur possessorem reddere etiam securum in conscientia, si bona fide cum titulo possedit; tãquam qui triennali vsucapione fecerit suum: in qua sententia etiam est Emanuel Sa, & alij quidem recentiores.

DVBITATIO XI.

Quanto tempore præscribantur debita, actiones, hypothecæ, legatas, fideicommissa, & maioratus,

Debita. 36 DICO Primò, Debita rerum mobilium & immobilium præscribuntur cum bona fide annis 30. contra creditores: & excluditur actio ad ea petenda. est communis sententia ex L. Sicut in rem. 3. Cod. de præscript. 30. & 40. annorum, vbi dicitur, *nec actiones reales, nec personales vltra 30. annorum spatium protendendas.* & infrà; *omnes huiusmodi actiones 30. annorum iugi silentio emori.* Idem de omnibus actionibus personalibus vndecumque ortis, vt familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum, pro socio, furti, bonorum vi raptorum, &c. dicitur L. 1. §. Ad hæc. C. de annuali except. Excipitur actio hypothecaria, quæ etsi, quando competit contra extrancum, extinguatur annis 30. tamen quando contra creditorem eiusque hæredes, non excluditur nisi annis 40. vt statim dicemus. Huc pertinet etiam actio illa, quam quis habet, cùm rem suam vendidit infra dimidium iusti pretij, ad petendum supplementum pretij, vel rescindendum contractum. Similiter cùm quid emit vltra dimidium iusti pretij, ad repetendum excessum. excluditur enim 30. annis, vt ex dicta L. 1. sequitur, & docet Gomezius tomo 2. capit. 2. numer. 22. de emptione & vendit. ex communi DD. sententia.

Actiones vltra breuiori tempore excludantur. Aduerte tamen Primò, multas actiones breuiori tempore extingui, & præscribi aduersus eos, quibus competunt. Etsi enim omnes extinguantur 30. annis, non tamen omnes tantùm temporis requirunt. Nam actio, quam habet Respub. aduersus Quæstores & administratores, postquam computus sunt subscripti, seu expuncti, excluditur ab ipsis quidem annis 20. ab eorum hæredibus annis 10. vt expressè habetur L. In omnibus. ff. de diuersis temporalibus præscriptionibus.

Actio redhibitoria ad recuperandum pretium, quando error dedit causam contractui (vt cùm quis emit rem vitiosam, quam non emisset si vitium sciuisset) præscribitur contra emptorem sex mensibus, computandis à die quo vitium resciuit. In foro tamen conscientiæ venditor ob dolum non liberatur. Si bona fide egit, potest vsucapere pretium triennio: vt constat ex dictis dubit. 7.

Actio quanti minoris, quæ est ad recuperandam partem pretij, quam noluisset dare, si vitium ei perspectum fuisset, excluditur anno. vide L. 1. & sequentes, ff. de Ædilitio edicto. Si tamen huiusmodi actio vtilis competat ecclesiæ, aut pio loco, ad eam excludendam requiruntur anni quadraginta. Omnis enim actio, quæ alias 10. alias 20. alias 30. annis excluditur, hæc si loco religioso competat, non excluditur nisi annis 40. vt habetur Auth. Quas actiones. C. de sacrosanct. Eccles. vide suprà num. 12.

Item actio personalis nuda & simplex in Hispania extinguitur 10. annis; si autem habet annexum ius summariæ executionis, quod sæpe fit, extinguitur 20. annis; ipsum autem ius executionis, decem prioribus. Actio famulorum ad petendam mercedem in iudicio, extinguitur in Hispania triennio, computando à die quo desierunt seruire, in Belgio biennio. Couarr. ad Regul. Possessor. p. 2. §. 11.

Quando locus vnius Episcopatus à fide Catholica defecit, si Episcopus loci monitus ab alijs Episcopis vt eum reducat, per sex menses neglexerit; potest alius Episcopus eum conari reducere, & si reduxerit, ipsius erit; capit. 15. Placuit, vt quicumque. 16. quæst. 3. Si autem non monitus neglexerit, & alius reduxit, & reductum triennio possederit pacifice, ipsius erit: & sic ius repetendi competens priori Episcopo extinguitur triennio, cap. 1. de præscriptione.

Pari modo, si colonus prædium, quod Reipubl. superiorem non recognoscenti in temporalibus vel supremo Principi est tributarium, colere neglexerit, & alius agricola id colere curauerit; biennio illud sibi acquirit, priore excluso. si prænuntiam monitio fuerit, sex menses solùm ad repetendum prior colonus habet. Ita statuitur in fauorem boni publici, L. Locorum. & L. Qui agros, C. de omni agro defert. Vide Couar. supra.

Actio iniuriarum exspirat lapsu vnius anni: L. Si non conuitij. C. de iniurijs; & Panormit. cap. Ea noscitur, nu. 4. de sententia excommunic.

Actio ad accusandum adulterium ad pœnam criminalem, vel ciuilem, perit lapsu quinquennij: L. Adulter. C. ad L. Iuliam de Adult. non tamen extinguitur ad petendum diuortium, capitulo octauo. Admonere. 33. quæst. 2.

Actio de alijs criminibus accusandis ad pœnam, extinguitur annis viginti L. Querela. C. de falsis. Non tamen extinguitur ius iudicis, quo ex officio potest procedere contra infamatum, vel canonicum purgationem indicere: quod etiam post quadraginta annos facere potest; vt docet Panomit. cap. Accepimus. 14. nu. 1. de purgat. canon.

Actio ad reclamandum contra professionem extinguitur quinquennio, vt colligitur ex Concil. Trident. sess. 25. de Regular. c. 19. de quo infra c. 41. dubit. 7.

Actio quod metus causa, in minore exspirat lapsu anni, in maiore, si prima opportunitate eam intentare negligat. Panor. cap. Si quis autem. 2. nu. 4. de Regular. Ex his apparet, quanta in huiusmodi actionibus, vt contra eas præscribatur, sit diuersitas.

37 *Hypotheca.* Dico Secundò, Si res hypotheca possideatur à debitore, vel hæredibus eius, non extinguitur actio hypothecaria, quam creditor habet, nisi 40. annis requiritur autem in debitore bona fides se non debere, & vt tanto tempore post

post diem solutioni assignatum creditor non exegerit. Si verò possideatur ab eo, qui non est debitor, nec hæres eius, (vt si fuit vendita ei, qui ignorabat hypothecatà) extinguitur decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes: habentur hæc L. Cùm notissimi. 7. C. de præscriptione 30. annorum, & L. 1. & 2. C. si aduersus creditorē. Vide Couarr. ad reg. Possess. 3. p. §. 3.

38 *Contra fiscū alienata.* Dico Tertiò, Quando bona alicuius ob non solutum vectigal, vel ob similem causam ipso facto sunt cōmissa, (i. fisco addicta) præscribuntur à reo, & ab hæredibus eius contra actionem fisci quinquennio. ita vt si quinque annis à die commissi non petantur, exspiret ius fisci. L. 2. C. de vectigalibus & commissis. vbi dicitur, *commissum, quod ante quinquennium fuerit dictum, nisi lata res annotata sit, vindicari non posse.*

Commissum ob crimen. Dico Quartò, Quando ob aliud crimen sunt commissa (v.g. ob crimē perduellionis, ob incestas nuptias) reus quamdiu puniri potest, non potest ea præscribere; alij tamen (siue hæredes sint, siue non) ad quos ea deueniunt, præscribunt ea quinquennio contra fiscum, præterquam in casu hæresis.

Prior pars, quòd *reus non possit ea præscribere quamdiu potest puniri*, per se patet. quamdiu enim potest puniri, fiscus ius habet ea sibi vindicandi.

Bona hæretici 40. annis. Altera probatur ex L. 2. supradicta, quæ generaliter loquitur. Excipio casum *hæresis*; quia bona hæretici & consequenter bona apostatæ numquam possunt præscribi cōtra actionem fisci, nec ab ipso, nec ab hæredibus eius, neq; ab alijs, ad quos ea deuenerint, nisi ipsi ignorauerint illum hæreticum esse, & 40. annis cum hac ignorantia ea possederint. Colligitur ex cap 2. de præscript. in 6. De quo vide Couarr. in epitome 4 decret. p 2. c. 6. §. 8. quia hæc res merè est fori externi. non enim in conscientia tenentur ea tradere, nisi post sententiam cogantur.

39 *Legata. Fideicommissa.* Dico Quintò, Legata & fideicommissa non possunt præscribi contra legatarium & fideicommissarium nisi spatio 30. annorum. Colligitur L. vlt. C. Communia. de legatis. vbi dicitur, *Nec vsucapionem, nec longi temporis, (id est, 10. vel 20. annorum) præscriptionem, contra legatarium, & fideicommissarium procedere.* quòd autem 30. anni sufficiant, est communis sententia DD. vt docet Couar. reg. Possessor 3. p. §. 3. num. 6.

Ratio est, quia defectus tituli, & mala fides eius, qui rem transfert, non nocet in præscriptione tricennaria. tantum enim spatium temporis supplet defectum tituli in possessore bonæ fidei.

40 Vtrùm autem fideicommissum possit etiam præscribi contra eos, quibus post 30. vel 40. annos erat tradendum, qui fortè nondum nati erant currente tempore præscriptionis, disputat Couarr. & ostendit multis rationibus probabile esse absolutè præscribi; ita vt successoribus non sit vmquam restituendum. Idem dicendum de Maioratu & Primogenio.

Traditum mala fide requirit annos 30. non si bona. Aduerte, hanc tricennariam præscriptionem requiri, si legatum, vel si fideicommissum, vel Maioratus, qui ad alium peruenire debebat, tibi fuit traditus ab eo, qui alteri tradere debebat: tunc enim ratione malæ fidei, quæ est in auctore, non potes præscribere ante triginta annos, vt infrà dicetur. Secus si à tertio habeas, qui bona fide acceperit ab illo: tunc enim potes præscribere tempore ordinario; vt notat Couar. & consentiunt alij DD.

DVBITATIO XII.

Quanto tempore possit præscribi aduersus Principem.

NOTANDVM est, quinque genera bonorum Principis posse considerari: vt docet Couarr. Reg. Possessor. p. 2. §. 2. num. 7.

41 *Fisco illata.* In primo sunt ea, quæ per sententiam fisco sunt tradita: hæc non possunt præscribi nisi 40. annorum spatio. L. Omnes. 4. C. de præscrip. 30. vel 40. annorum. nec obstat §. Res fisci. Instit. de Vsucapionib. vbi dicitur, *Res fisci vsucapi non potest*: hoc enim est intelligendum tempore ordinario, quo res priuari potest; vt tribus 10. 20. annis. Secus autem extraordinario; vt ibidem notat Glossa.

Quando autem res nondum fisco est incorporata, sed manet apud reum, vel hæredes, potest præscribi quinquennio: vt dictum est sup. nu. 38.

Tributa. In secundo sunt ea, quę quis debet Principi in recognitionem subiectionis suæ, & supremæ potestatis ipsius; vt sunt census, & tributa: horum exemptionem & immunitatem nemo potest præscribere. Panormitan. in cap. Cùm nobis. & cap. Ad audientiam, & alij. Secùs est de immunitate ab indictionibus & collectis, quæ non in recognitionem supremæ potestatis, sed pro expensis alicuius belli, vel simili aliqua publica necessitate soluuntur: hæc enim potest præscribi contra ciuitates annis 40. vt ostendit Couarru ibidem, num. 20. Idem dicendum aduersus Principem, vt colligitur ex d. L. Omnes. C. de præscript. 30. vel 40. annorum, nisi aliud particulari lege statutum sit, vt ex alijs docet Couar. supra num. 15.

Obedientia. Simili modo præscribi à subditis nequit immunitas ab obedientia Principis, vel ab ipsius correctione, vel vt ad eum non possit appellari; quia potestas præcipiendi, iudicandi, & castigandi omninò intrinseca est auctoritati Principis respectu subditorum. Potest tamen subditus præscribere exemptionem, & libertatem, per quam desinat esse subditus, & non agnoscat illum Superiorem In temporalibus: quod multi Principes antea subditi Imperio Romano fecere. ad hoc autem sufficiunt quadraginta anni cum titulo, & sine titulo tempus immemorabile: vt ex ijs, quæ nunc dicentur, colligi potest. Exemptio tamen à potestate spirituali summi Pontificis nullo modo præscribi potest, sicut nec ipse Pontifex potest aliquē à sua iurisdictione eximere: quia hæc iure diuino annexa est Pontificatu in omnes Christianos, illis verbis Domini, Pasce oues meas, Ioannis 21.

Principi reseruata. In tertio sunt ea, quæ etsi dignitati Principis non sunt intrinseca; tamen ei propriè conueniunt, & reseruantur. vt posse indicere vectigal, instituere Tabelliones, legitimare, & similia. Hæc acquiri possunt præscriptione ab inferiore, spatio quadraginta annorum cum titulo: sine titulo per tempus, cuius initij non extet memoria. Panor. in c. Cùm nobis, de præscript. estq. communis opinio, teste Couarr. Ratio cur hæc acquiri possint ab inferiore, est quia possunt hæc per Principem communicari subdito. Vnde si subditus (v. g. Comes aliquis eiusq; maiores) à tempore immemorabili hoc vsurpauerit, præsumitur à Principibus concessum.

40. anni non sufficiūt absque titulo. Quadraginta anni non sufficiunt sine titulo; quia nisi titulum ostendat, (v.g. concessionem alicuius, qui fuerit Princeps, vel pro Principe habitus) præsumptio est contra eum quòd mala fide vsurpauerit: vt patet in simili cap. 1. de Præscriptione in 6. vbi Episcopus sine titulo non potest præscribere decimas alterius diœcesis: eò quòd præsumptio iuris sit contra illum; cùm decimæ iure communi pertineant ad Ecclesias diœcesis. Simili modo cùm hæc Iura Principum sint propria, præsumptio malæ fidei est contra subditum. tollitur autem præsumptio illa, vel ostensione tituli colorati, vel possessione temporis immemorabilis. idem dicendum de præscriptione meri, & mixti imperij: vt Couarruuias §. 3. num. 3.

Coronæ annexa. In quarto sunt bona Principatus, quæ coronæ sunt annexa; vt prata, saltus, viuaria, prædia rustica. & vrbana, Vrbes, Castra. hæc præscribi non possunt contra Principem, nisi 100. annis. Probatur ex L. Vt inter diuinum 23. C. de sacrosanctis Ecclesijs, vbi in præscribendo legato, vel donato, vel empto, contra ciuitates requiruntur 100. anni; ergo multo magis contra Regnum, vel Prouinciam. Hæc enim sunt bona Regni vel Prouinciæ. Est communis sententia Doctorum. Secùs est de fisco Principis. hic enim non fruitur priuilegio præscriptionis centenariæ, sed tantum 40. annorum; sicut neque ciuitates cōtra quas etiam 40. annis præscribitur; Excepta ijs, quæ habentur d. L. Vt inter diuinum, quæ sunt hereditas, legatum, fideicommissum, donatum, emptum: vt enim hæc contra ciuitatem aliquam præscribas, requiruntur 100. anni. In cæteris sufficiunt 40. vt passim docent DD.

Ius ciuitatum in quibusdam, quæ ipsis relicta. In quinto, sunt ea, quæ Princeps possidet vt priuatus.

Primata Principis.

In his quibus præscribit contra Principem, sicut contra priuatum. Ita Couarr. supr. num. 16. ex Baldo & alijs; Nam & res patrimoniales Clericorum præscribuntur contra eos, sicut contra alios. Neque vllum Ius extat, quo Principibus hac in parte aliquod Priuilegium præ ceteris, maxime Ecclesiasticis, tribuatur.

DVBITATIO XIII.

Quanto tempore præscribat, qui rem accepit à possessore malæ fidei, vel eo qui malæ fidei tradidit.

42 *Hæres auctoris mala fides non præscribit.*

RESPONDEO & dico Primò, Is qui accepit eam vt hæres immediatus, nullo tempore potest eâ præscribere, etiamsi bona fide acceperit, & possederit. Est communis sententia DD. vt docet Couarr. reg. Possess. §. 9. in principio. Colligitur ex L. cùm hæres 11. ff. de diuersis temporal. præscript. vbi dicitur: *Cùm hæres in Ius omne defuncti succedat; ignorantiam eius defuncti vitia non excludit: veluti cùm scienti alienum ille vel precario possedit. quamuis enim precarium heredem ignorantem non tenet, nec interdictum vtile communicatur, tamen vsucapere non poterit, quod defunctus non potuit.* Addit: *Item Iuris est, cùm de longa possessione quæritur, cùm exordium rei, bonæ fidei fuit, non mutetur.* Et §. Diuina. Instit. de Vsucap. *Si ille* (defuncti) *initium iustum non habuit* (id est, si mala fide cœpit possidere) *heredi eo bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest.* Idem habetur L. vlt. C. Communia de Vsucapion. Ratio est; quia hæres, defuncti personam repræsentat, ita vt fictione Iuris censeatur vna eadem persona; & eorum possessio, quasi vna continuata possessio. vnde cùm initium illius possessionis in defuncto sit vitiatum mala fide, censetur etiam vitiata qua parte extenditur ad hæredem, ita vt hæres fictione Iuris mala fide censeatur possidere. atqui cum mala fide non procedit præscriptio. vnde sicut defunctus non poterat rem illam præscribere, ita nec hæres. Hæc ratio colligitur ex Iuribus citatis.

Probabile illum vsucapere.

Aduerte tamen non videri omnino improbabile, hæredem posse præscribere spatio triginta annorum: quia hic non requiritur titulus, sed solùm possessio bonæ fidei. atqui ille hæres re vera bona fide possidet. Nec obstat, quo Iuris fictione dicatur possidere mala fide. tum quia id solùm est verum quatenus continuatur eius possessio cum possessione defuncti, & vna cum illa censetur; non autem quatenus consideratur ipsa per se, & vt ab ipso hærede habens initium per nouum actum, quo adita hæreditate cœpit possidere: tum quia, cùm illa non sit vera mala fides, sed solùm ficta vel præsumpta, quæ etiã impediat præscriptionem ordinariam, quæ tribus, decem, aut 20. annis completur, non debet ei tribui tanta vis, quanta malæ fidei veræ. vnde non debet impedire extraordinariam, quæ est 30. vel 40. annorum, & nullum postulat titulum, nisi præsumptio Iuris ei aduersatur. itaque hæres poterit 30. annis illa bona præscribere, non vtendo tamen accessione temporis, quo mala fide illam possedit defunctus. Hanc opinionem Iure Canonic. veram esse tenent Dynus, Bartolus, Bellamerus; & quidam alij. Immo eamdem etiam Iure ciuili obtinere docet Alexander, consil. 110. numero 7. & multi alij relati per Baldum. Vide Couarr. supra numero 14. & 5. qui etiam satis in illam inclinat. Tamen altera opinio videtur Iuri conformior, quod causam cur talis hæres non possit præscribere, refert in malam fidem præsumptam, qua censetur possidere: quæ mala fides etiam præscriptioni tricennariæ obstat. Eamdem tenet Siluester Præscriptio 1. num. 8. & alij passim.

43 *Hæres mediatus.*

Dixi, *vt hæres immediatus*; quia hæres mediatus, id est hæres huius hæredis, potest eam tempore ordinario præscribere, si bona fide vera prior hæres possederit. Ratio est, quia fictio illa Iuris de mala fide ad secundum hæredem non extenditur. vitant enim Iura duas fictiones ex eadem causa. vnde etsi mala fides vera defuncti pariat in hærede fictionem, & veluti vmbram malæ fidei: non tamen hæc mala fides ficta, seu vmbratilis potest similem parere in successore. vmbra enim vmbram non facit, sed verum corpus. quare etsi prior hæres succedens immediatè auctori malæ fidei, ac proinde labem malæ fidei Iuris fictione ab eo contrahens, non possit rem illam vsucapere; secundus tamen hæres, ad quem fictio illa non pertingit, poterit. Quòd si hæres potest illam vsucapere, multò magis donatarius, emptor, & legatarius poterunt, cùm personam sui auctoris non repræsentent. vnde si immediatus hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, aut apud eum depositam, existimans hæreditariam esse, bona fide accipienti vendiderit, aut donauerit, aut doris nomine dederit; dubium non est, quin is, qui acceperit, vsucapere possit, vt habetur §. Sed tamen. Instit. de Vsucap.

Donatarius, emptor, legatarius.

Hoc tamen, quod diximus secundum hæredem posse vsucapere, limitandum censent DD. nisi hic secundus sit hæres, qui *suus* in Iure vocatur. Hic enim rem illam non potest vsucapere titulo hæredis. ita colligunt ex L. Nihil pro hærede. 2. C. de Vsucapion. pro hærede; vbi dicitur: *Nihil pro hærede posse vsucapi, suis hæredibus existentibus, obstimat.* quam legem DD. communiter sic intelligunt; quasi diceretur, *suos* hæredes non posse vsucapere titulo pro hærede, si succedant in rebus alienis apud defunctum repertis, quamuis defunctus bona fide eas tamquam suas possederit. Idem confirmant ex L. 2. ff. Pro hærede, vbi dicitur: *Filius à patre hæres institutus, vt hereditarias à patre sibi donatas, pro parte coheredem vsucapere non potest.* Hæres autem (*suus* quem Græci ἰδιόκτητον, id est domesticum, vocant) est filius & filia respectu patris; nepos & neptis respectu aui morientis, in cuius sunt potestate; si tamen pater illorum per mortem, vel aliter non amplius eidem auo subeat, vt habetur §. Sui autem. Instit. de hæred. qualit. & differ. Dicuntur isti hæredes *sui*, vel quia propriè & domestici, vel quia sibi ipsis quodammodò succedunt: nam etiam viuo patre quodammodò domini bonorum existimantur; vt habetur Instit. loco citato. Causa autem, iuxta communem DD. sententiam, cur talis non possit præscribere titulo hæredis, est; non quòd fingatur habere malam fidem, sicut eius decessor, sed quia non habet titulum possidendi dilucidum. censetur enim continuare possessionem sui decessoris, & ex ipsius titulo. Vnde cùm ille non haberet titulum, vt pote hæres mali auctoris; nec hæres illius habet.

Quis dicatur hæres suus.

Duo tamen hic aduertenda: Alterum est, cùm dicitur hæredem *suum* non posse vsucapere, id intelligendum de Vsucapione ordinaria, quæ requirit titulum, & in mobilibus peragitur triennio; in immobilibus decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes. vnde non dicitur absolutè, non posse præscribere *pro hærede*. id est titulo hæredis. Huic tamen nihil obstat, quin possit præscribere vsucapione extraordinaria non requirente titulum, qualis est tricenaria & quadragenaria, quando præsumptio Iuris non aduersatur, vt patet ex dictis. non tamen potest vti accessione temporis sui decessoris nisi hic etiam præscribere poterit. Vnde si ponamus hæredem immediatum iniqui possessoris, qui catenam auream mala fide possidebat, non posse vsucapere 30. annis illam catenam etiam cum bona fide; huius filius requiret 30. solidos annos. Si autem iuxta probabilem sententiam supra insinuatam, dicamus immediatum hæredem potuisse tanto tempore illam vsucapere, secundus hæres poterit vti accessione temporis, quo prior possedit. vnde si tempus illud sit 10. annorum, solùm requiret annos 20. si sit 20. solum requiret 10. ad complendam præscriptionem.

44 *An hæres suus possit vsucapere.*

Alterum est, ea quæ diximus de hærede suo, ipsum non posse vsucapere pro hærede, procedere secundùm intellectum illarum duarum Legum, quem communiter amplectuntur DD. Satis tamen probabile est, longè aliã esse mentem illarum Legum, vt ostendit Viglius in Tit. de hæred. qualit. & differ. §. Sui autem. Cum enim L. 2. C. de vsucap. pro hærede, dicitur: *nihil pro hærede posse vsucapi, suis hæredibus existentibus*; non significatur hæredes suos non posse vsucapere, sed alios non posse vsucapere titulo pro hærede, contra hæredes suos. Cùm enim suppetunt hæredes sui, ad quos ea res pertinet, alius

Probabile posse vsucapere.

alius caret titulo pro hærede. vnde non potest vsucapere, nimirum tempore ordinario. Confirm. Lex Testamento 2. C. vnde liberi; quæ est eiusdem Imperatoris, vbi dicitur; *ex testamento, vel ab intestato existente filio, vel nepote suo hærede, neminem posse ab intestato hæredem existere.* Vnde sequitur illum non posse habere titulum hæredis, ac proinde non posse pro hærede vsucapere. Nec obstat dicta L. 2. ff. Pro hærede; quia solùm agitur de rebus à patre donatis filio; quas cùm filius titulo donationis naturaliter possidere cœperit viuo patre, non potest postea illo mortuo eadem incipere possidere titulo hæreditis (ob dictum vulgare, quod habetur eadem Lege, *neminem sibi causam possessionis mutare posse*) vnde nec pro hærede vsucapere.

Ad rationem contrariæ sententiæ respondet Vigilius, *hæredi suo*. Iuris fictione tribui quidem dominium idem quod decessori, non tamen eamdem possessionem. Etsi enim viuo patre filius dicatur dominus ob futuram successionem necessariam, non tamen possessor. vnde etiam nihil potest attingere sine consensu patris. Accedit quòd nec primo hæredi, qui immediate succedit auctori malæ fidei, desit titulus (rem enim habet titulo successionis hæreditariæ) nec defectu tituli negatur ei vsucapio; sed defectu bonæ fidei, vt ostensum est. multò minùs secundo hæredi deest, titulus, cùm priori de nouo succedit. Iuxta hanc sententiam *hæres suus* potest vsucapere titulo pro hærede, sicut alij, quæ sententia in re non multùm discrepat à sententia multorum DD. qui dicunt, etsi hæres suus non possit præscribere titulo pro hærede, quatenus est filius, posse tamen quatenus est cognatus vel agnatus testatoris. hoc enim nihil aliud est, quàm absolutè fateri illum posse pro hærede vsucapere, licet sub alia qualitate, seu formalitate quàm filij. quæ tamen qualitas semper includitur. Vide Gomezium tomo 1. cap. 9. de translatione hæreditatis, num. 19. & Couarr. Regul. Possessor. p. 2. §. 5. num. 3. & sequentibus.

45 *Si alio titulo accipiatur.*

Dico secundò, Qui bona fide accepit eam alio titulo (vt legati, donati, empti, &c.) ab auctore malæ fidei; potest eam præscribere tempore ordinario: præterquam in duobus casibus. Primus est, si res sit immobilis, & sit, contra quem præscribitur, ignoret eam ab alio possideri. Secundus est, si illa res sit *furtiua*, vel *vi possessa*; tunc enim requiruntur 30. anni. Est communis DD. ex L. An vitium. 5. ff. de diuersis temporalibus præscriptionibus, vbi dicitur, *vitium auctoris non obesse emptori, vel legatario*. vt si Titius vendat tibi quod alteri oppignorauerat: tunc enim mala fides auctoris solùm versatur circa rei possessionem, quam sibi iniquè vsurpat, non circa proprietatè, vt habetur d. L. An vitium. Si tradat tibi quod alteri anteà se venditum, & nondum traditum fuerat. Si Prælatus sine consensu Capituli in te aliquid transferat, cùm putares eum consensum habere. Si tibi donatum à minore quem putabas maiorem: secùs si erres in iure, putans Prælatum sine consensu Capituli posse alienare, aut minorem donare. Si accepisti ab inuentore, qui putabat id necessario dandum pauperibus. In his igitur, & similibus, cùm res non sit furtiua, nec vi possessa, mala fides auctoris non nocet successori particulari, nimirum emptori, donatario, &c. Denique si accepisti bona fide à possessore malæ fidei, & Dominus sciens rem suam alienatam intra decem annos si præsens fuerit & intra 20. si absens, litem in te non fuerit contestatus, firmiter eam obtinebis, vt habetur Authent. Malæ fidei. C. de longi temporis præscriptione, & Nouella 119.

Probatur exceptiones.

Fecimus duas exceptiones. Prior de re immobili apertè colligitur ex d. Authent. Malæ fidei; vbi dicitur: *Male fides possessore alienante, cessat longi temporis præscriptio, si verus dominus ignoret ius suum, & alienationem factam. spectatur ergo 30. annorum defensio.* Secus verò quando scit, & non se opponit vt dictum est.

Res furtiua & vi occupata.

Altera exceptio probatur, quia *res furtiuæ*, & qui *vi occupata* (etiamsi postea ab aliquo bona fide emptæ fuerint) non possunt præscribi spatio longi temporis, id est 10. vel 20. annorum: vt expressè habetur §. Furtiuæ. Institut. de Vsucap. Habent enim ex dispositione Iuris vitium obstiens ordinariæ præscriptioni, vt patet Instit. loco citato. Quare fallitur Sotus l. 4. de Iustitia q. 5. art. 4. post secundam conclusionem, vbi docet Latronis filium, si bona fide paternam hæreditatem adiuit, & toto tempore præscriptionis illa fide possedit, esse tutum in conscientia, etiam si postea innotescat fuisse aliena. Idem docet de emptore, qui bona fide emit à latrone. Sed est apertè contra Ius; hæres enim mali auctoris titulo hæredis numquam præscribit; vt ostensum est: emptor verò non præscribit tempore ordinario.

Sententia Soti.

Nec obstat L. Si aliena 10. ff. de vsucapionibus, quam Sotus pro se citat; nam ex eadem lege in fine, constat rem furtiuam non posse vsucapi, nec à possessore quidem bonæ fidei. Aduerte tamen emptorem talis rei posse illam vsucapere tempore longissimo, nempè 30. annis; vt communiter DD. docent, & colligitur ex L. Sicut in rem. 2. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum. & L. Si quis emptionis. 8. §. Quod si. C. eodem. Vnde si Breuiarium emeris à fure, & 29. annis bona fide possederis, & tunc intelligas furto fuisse sublatum, non potes retinere: vt ait Siluest. secùs si 30. expleueris. quòd si vbi 20. annis possederit, alteri tradas; potest ille vti accessione temporis tui, & ita præscribere 10. annis. 10. enim & 20. efficiunt 30. annos præscriptionis: idque semper fieri potest, quando alter alteri in possessione succedit: si tamen vterque poterat rè vsucapere. Si enim prior non poterat vsucapere, eò quòd mala fide possideret, vel quia est hæres eius, qui mala fide possidebat; non potes vti accessione temporis, quo ille rè possedit, sed debes ipse integrum tempus possidendo explere. ita habetur §. Diuina. & seq. Institut. de Vsucap. & L. penult. & vlt. ff. de diuersis tempor. præscript.

Vsucapitur 30. annis.

Vti accessione temporis alterius.

Idem dicendum de rebus *ex possessis*, cùm aliquis alterum è possessione sua vi deijciens, illam occupat: quamuis res litigiosa sit, aut ille suam esse putet. talis enim res, etsi bona fide ab illo inuasore eam emeris, non potest vsucapi, nisi 30. annis, secluso tempore quo ille eam possedit: Si tu illam alteri tradas, poterit ille vti accessione temporis quo tu illam possedisti, vt antè dictum est.

Si vacabat possessore.

Petes, quid si illa res vacabat possessore, propter longam obliuionem Domini absentis, aut negligentiam, aut mortem, & ab altero absque bona fide occupata fuit?

Respon. Illam rem posse vsucapi per eum qui bona fide illam ab Vsurpatore emerit, vel dono acceperit, tempore ordinario, nimirùm 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes, vt expressè habetur §. Quod autem. Institut. de Vsucap. quia res illa nec est furtiua, nec vi possessa: vt ibidem dicitur. Sed hoc Ius postea est correctum ab eodem Iustiniano Nouella 119. vbi requirit 30. annos in emptore, & alijs, qui à malæ fidei possessore perceperunt. Si inquit, *verus rerum Dominus ignorat, simul quid ea res ad ipsum pertineant, simul quid alienatio intercesserit; iubemus, vt non aliter, quàm triennij præscriptione excludatur: cùm is, qui res hoc modo possidet, dicere nequeat, quod ipse bona fide possideat, quando à mala fidei possessore hasce acceperit.*

DVBITATIO XIV.

Quantum temporis requiratur vt consuetudo præscribat contra legem.

46 SVPPONO ex dicendis 1. 2. quæst. 97. Consuetudinem posse præscribere contra ius positiuum, illudque tollere, & nouam obligationem inducere: modò sit *rationabilis, & legitimè præscripta*; vt expressè definitur capitulo vltimo de consuetudine; vbi Gregor. IX. sic ait: *Licet longæua consuetudinis non sit talis auctoritas; non tamen est vsque adeo valitura; vt vel iuri positiuo debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.*

Rationabilis.

Rationabilis dicitur, quæ lege statui posset; siue quæ iusta censeretur, & obligaret, si lege statuta esset. Eadem enim est materia legis iustæ & consuetudinis. nam consuetudo est tacita quædam lex; vt insinuatur L. 3. C. Quæ sit longa consuet. & ex eodem fonte profluit. Vnde etiam eamdem vim habet, quare sicut lex posterior tollit legem priorem: ita etiam consuetudo priorem legem tollere potest. Nec refert etiamsi in

lege dicatur, *non obstante illa consuetudine etiam immemorabili*: vel, *nulla consuetudine in contrarium illi unquam futuris temporibus valitura*. Nam prior clausula intelligitur de consuetudine, quæ viguit ante illam legem, quam ea lex vtpotè posterior abrogare potuit, sicut & legem priorem. Altera loquitur quidem de consuetudine futura; sed intelligenda, durantibus circumstantijs cum quibus illa consuetudo tunc non videbatur rationabilis: illis tamen mutatis, & subortis alijs, cum quibus consuetudo contraria incipit videri rationabilis, potest vim illius legis tollere, & nouam inducere, vt passim DD. tradunt. Et Couar. lib. 3. variarum cap. 13. num. 4. vbi dicit hanc opinionem esse communem.

Sic consuetudine quædam festa & ieiunia Iuris communis quibusdam locis abrogata, vel alia noua introducta. Sic decimæ multæ sublatæ; sic multa circa ritus Sacramentorum consuetudine mutata. Denique idem locum habet in legibus irritantibus, & quibusdam inhabilitatibus ad officia, beneficia, vel etiam matrimonia, inducendis, vel tollendis.

Nec obstat, quòd sicut lex non potest habere vim absque consensu Principis, ita nec consuetudo: quia sicut consuetudo est tacita quædam lex; ita etiam ad eam sufficit tacitus, & generalis consensus Principis, quo statuit, vt consuetudo legitimè præscripta vim legis obtineat, & ius positiuum tollat. Similiter non obstat, quod habetur L. 2. C. quæ sit longa consuetudo; vbi dicitur: *Consuetudinem, vsusque longæuum non vilis auctoritas est, verùm non vsque adeo sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem*. Senius enim est, consuetudinem debere cedere rationi naturali: vnde vt vim habeat, debere esse rationabilem; vt Pontifex ad verba huius legis respiciens, ait. Similiter debere cedere legi superuenienti: quia per legem tolli potest. Hinc tamen non sequitur, quin possit legem priorem abrogare, si legitimè fuerit præscripta, vt d. cap. fin. dicitur.

Requiri 10. annos.

His positis, difficultas est quantum temporis ad hoc requiratur. Multi DD. putant requiri 10. annos, vt consuetudo legem ciuilem aboleat: 40. vt legem ecclesiasticam. Ita Panormitan. in cap. vlt. de consuetudinibus, num. 11. Angelus verbo Consuetudo, num. 8. & 9. Silu. eodem verbo, nu. 6. Nauar. l. 1. consil. 1. tit. de consuet. Ratio est; quia ad introducendam consuetudinem, Ius ciuile requirit longum tempus, C. quæ sit longa consuetudo. atqui longum tempus est tempus 10. annorum. C. de præscript. longi temporis. ergo contra legem ciuilem requiruntur 10. anni.

Quod verò contra legem ecclesiasticam requirantur 40. videtur ex eo probari, quòd contra Ecclesiam nò procedat præscriptio, nisi quia fragmenta annis.

Sed distinguendum est. Vel enim illa consuetudo viget sciente & tolerante Principe; vel eo in particulari illam ignorante. Nunc,

Non requiri certum tempus.

Dico Primo, Si priore modo consuetudo se habeat, verius est non requiri certum tempus vt possit legem tollere. Ratio est; quia vt consuetudo tollat legem, solùm requiritur vt passim agatur contra legem, seu vt lex non seruetur, quando occurrit seruanda, sciente Principe, & non se opponente: vt docent passim Theologi & Canonistæ. Panormitan. supra. Glossa in c. 1. de treuga & pace, & alij. dum enim scit suam legem non seruari, & tacet, censetur consentire vt non seruetur, ne Reipubl. perturbetur, ac proinde censetur tollere obligationem legis. & hoc modo consuetudo dicitur tollere vim legis, nempe quia Princeps permittens consuetudinem, implicitè detrahit tuæ legi vim obligandi. Confirm. quia consuetudo populi habentis Principem, non potest per se tollere vim legis, quam Princeps imposuit (cùm singuli seorsim, & omnes simul ei subsint) sed hanc vim tantùm habere potest à cõsensu tacito, vel expresso Principis. censetur autem tacitus consensus, dum consuetudini non se opponit, etiamsi id fiat metu difficultatum.

Vnde consuetudo habet vim tollendæ legis.

Hinc sequitur sæpè fieri, vt paucis annis lex abrogetur per consuetudinem, etiamsi antè recepta fuerit: quia vt dicatur esse consuetudo contraria, sufficit bis, teruè contra actum esse. vt docet Sil. verbo Consuetudo, numer. 6. Panorm. supra, & alij passim: quam consuetudinem si cõstaret Principẽ scire & dissimulare, desineret lex obligare.

Nec obstat, quòd Ius ciuile ad consuetudinem requirat longum tempus. Primò, quia non omne longum tempus est decennij; tantùm enim in materia vsucapionis ita definitur. Secundò, quia vt consuetudo tollat legem, non requiritur vt sit longior, quam necesse est vt Princeps censeatur eam permittere, & suo consensu approbare. *Longum tempus.*

Dices, Cap. fin. de consuetud. dicitur, consuetudinem, vt tollat legem, debere esse *legitimè præscriptam*; sed ad præscriptionem requiritur certum tempus. ergo.

Respon. hoc intelligendum de consuetudine, quã Princeps in particulari ignorat. Huic enim non censetur ita consentire, sicut illi quam nouit, & sponte tolerat. quod enim quis ignorat, non potest in particulari approbare, solum ergo huic consentit in genere, quatenus consentit in decretum, quo statuit consuetudinem legitimè præscriptam esse instar legis. Itaque requiritur certum tempus necessarium ad præscriptionem.

Dico secundò. Si cõsuetudo ignorante Principe vigeat, vt censeatur legitimè præscripta, ita vt possit legem tollere, requiruntur decem anni, quibus ea consuetudo bona fide a subditis promiscuè sit seruata; eòque probabile est etiam sufficere. 47

Decem annos requiri, est communis sententia DD. Itemque contra legem ciuilem sufficere. Probatur; quia lex ciuilis longæ consuetudini tribuit vim legis, eamque instar legis iubet seruari. C. quæ sit longa consuetudo. l. 1. 2. 3. atqui tempus 10. annorum eodem iure censetur tempus longum, & lõgam efficiens possessionem; vt patet C. de præscriptione longi temporis. ergo etiam longũ vium, & longam consuetudinem.

Quòd etiam 10. anni sufficiant contra legem canonicã nondum receptam moribus vtentium, docet Nauarr. libr. 5. consil. titul. de excommunic. consil. 8. & fusè probat Felinus in cap. 1. de treuga & pace. nu. 13. pro eadem adducens multos DD. nimirum Cald. Imolensem, Butrium, Zabar. & Dominicum, &c. idem tenet Couarr. l. 2. variar. cap. 16. num. 6. citans Iasonem in L. Rem non nouam. §. Patroni. C. de Iudicijs sequitur Azorius lib. 5. Instit. mor. cap. 4. q. 3. & alij recentiores. Ratio est, quia cum lex moribus vtentium minime recepta non obliget, ac proinde non fit in possessione, facilius inducitur, & conualescit aduersus eam consuetudo, quam si iam recepta esset. quæ consuetudo ad hoc valet, vt non teneamur post decennũ eam admittere, nisi Princeps de nouo eam constituat, eique nouum vigorem tribuat. itaque opus est noua promulgatione: nam lapsu decennij, vis eius est antiquata. ante decennij lapsum, etsi non obligarentur subditi, cum non viderent illam receptam; tamen poterant compelli ad eam seruandam etiam ab inferioribus Principe. ita DD. supradicti.

Contra legem Ecclesiasticam.

An verò decem anni sufficiant contra receptam, maior est difficultas. Non videtur improbabile sufficere; primò, quia nusquam Ius aliquod distinguit inter legem Ecclesiasticam & ciuilem hac in parte: ergo si contra legem ciuilem sufficiunt decem anni, etiam contra Ecclesiasticam.

Nec obstat, quòd contra Ecclesiam non procedat præscriptio nisi annis 40. quia hoc intelligendum de bonis immobilibus; & Iuribus Ecclesiæ, quæ sunt instar bonorum immobilium. obligatio autem subditorum ad legem seruandam, non potest censeri inter bona, vel iura Ecclesiastica: itaque illæ leges præscriptionum non sunt huc traducendæ. Secundò, Si 10. anni sufficiunt, vt Princeps sæcularis censeatur tacito quodam consensu remittere vim suæ legis; cur non sufficiant Principi Ecclesiastico? præsertim cum eius sit curare, ne subditi peccent. neue assiduis angantur scrupulis, qui ex huiusmodi interminatis obligationibus nasci solent. Itaque cum Ecclesia contrarium non expresserit; probabiliter existimari potest, eam sequi, vt in alijs multis solet, Iuris ciuilis morem. Tutiùs tamen est, sententiam communem amplecti. Porrò aduertendum est requiri, vt per illud tempus subditi bona fide legem non seruauerint, ita vt non seruando non peccauerint: alioquin contra eam non præscribent, vt rectè Silu. & alij docent.

Dices, si currente illo tempore non peccant, quomodo

ergo

ergo possunt puniri propter legis violationem?

Resp. quia præsumuntur peccasse. non enim præsumitur legum communium ignorantia, nisi probetur. deinde quia hac veluti cõditione tacita conceditur ius præscriptionis; vt si intra illud tempus deprehensi fuerint agere contra legem, possint plecti: vt hac ratione lex non exarmetur, dum adhuc viuit, sed habeat, quo se possit tueri.

48 Dico Tertiò, Si consuetudo sit aliquo modo contra Ius Ecclesiæ, requiruntur anni 40. Patet ex dictis dubit. 8.

DVBITATIO XV.

Quæres non possint præscribi.

49 NOTANDVM est, quædam in Iure dici non posse præscribi seu vsucapi: quia ordinario tempore non vsucapiuntur. sic res furtiuæ, res vi possessæ, & res filij, dicuntur non posse vsucapi; cùm tamen possint, hæ 40. illæ 30. annis. Simili modo dicuntur non posse vsucapi ea, quorum alienatio est prohibita; vt, fundi dotalis, maioratus, legati, fideicommissi: quæ tamen possunt præscribi tempore ordinario, ab eo, qui bona fide illa possidebat, & iam vsucapionem inchoauerat, antequàm illa bona contraherent hæc onera, seu obligationes reales. Vbi verò iam contraxerunt, non potest inchoari præscriptio ordinaria ab eo, qui hæc accepit ab authore malæ fidei (tecùs de eo qui accepit à tertio:) benè tamen tricennaria: vt patet ex dictis dubit. 11. Idem dicendum de bonis aduentitijs filij familias, si pater ea alienet. Vbi enim cœperint esse bona eius aduentitia, non potest inchoari in illis præscriptio contra filium, quamdiu est sub potestate patris; sed inchoabitur solùm postquam desierit esse sub illa; & ab illo tempore debet continuari per 30. annos, ob malam fidem eius, qui alienauit. Vide Leg. 1. C. De bonis maternis, & Siluest. Præscriptio secundo, nu. 13.

Non præscribuntur tempore ordinario.

Prohibita alienari.

Vsucapio inchoata antequam bona fierent obnoxia.

Bona aduentitia.

Aliena nomine possidentur.

Pari modo dicuntur nõ posse præscribi, quæ alieno nomine possidentur, vt precarium, cõmodatum, conductum, pignus, res emphyteutica aut feudalis: nimirũ ab eo qui hęc sub tali titulo possidet, aut ab eius hærede, vt constat ex dictis dubit. 3. & insinuatur generatim cap. Si diligenti. 17. de præscriptione, & L. Cùm notissimi 7. §. in his C. de præscript. 30. & 40. annorum: id expressè habetur de re emphyteutica, & conducta. Eadem est ratio rei feudalis: quia feudũ & emphyteusis eodem ferè iure constant. L. Nec creditores. 10. C. de pignoratitia actione, idem dicitur de pignore. Azo. tamen ad illam legem docet hæredem longissimo tempore, nempe 30. annorum, posse pignoris proprietatem præscribere. Hæc tamen omnia possunt præscribi a successoribus particularibus, quibus titulo legati, donati, empti, &c. obligerint. vt constat ex dictis supra dubit. 13. Ius tamen feudale & emphyteuticum quoad proprietate potest præscribi contra dominum directum annis 30. vt habetur lib. 2. feudorum tit. 26. §. 4. *Si quis per 30. annos rem aliquam vt feudum possedit, & seruitutem domino exhibuerit: quamuis ea de re non sit inuestitus præscriptione tamen 30. annorum se tueri potest.* Idem dicendum de iure emphyteutico, si vniformem pensionem toto illo tempore soluit. Cum titulo autem præscribitur hoc ius 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes: iuxta ea quæ diximus supra. nu. 17.

Denique, quando Ius commune, vel præsumptio malæ fidei obstat præscribenti. Tunc enim res illa præscribi non potest absque, nisi spatio 40. annorum cũ titulo, vel tempore immemorabili sine titulo, vt expressè habetur c. 1. de præscript. in 6. tam diuturna enim possessio habet vim tituli: nam facit iusti tituli præsumptionem, & excludit præsumptionem malæ fidei. Hoc modo dicitur non posse præscribi exẽptio à iurisdictione Ordinarij, quę tamen 40. annis cum titulo, & tempore immemorabili sine titulo acquiritur, vt constat cap. Cum personæ 7. de priuilegijs in 6. Simili modo decimæ & Ecclesiæ vnius diœcesis dicuntur nõ posse præscribi ab Episcopo alterius diœcesis. Nam iure statutum est, vt omnes Ecclesiæ sint in potestate Episcopi, in cuius territorio sunt sitæ, vt habetur cap. 10. Omnes. 16. q. 7. Possunt tamen si possideantur 40. annis cum titulo, vel tempore, cuius initij memoriam non exstet, sine titulo. vt patet ex d. c. 1. de præscript. in 6.

Idem dicendum, Primò, de iure patronatus, ad nominandum Rectorem vel Prælatum, qui Iure communi erat eligendus à Capitulo. Secundo, de immunitate à soluendis decimis: omnes enim Iure communi soluere tenentur. quia tamen interdum aliqui eximuntur, potest hæc exemptio præscriptione 40. annorum cum titulo, vel tempore immemorabili sine titulo acquiri: non tamen ita, quin, si opus sit, ecclesia possit rursus obligationem soluendi imponere: quia Iure naturæ populus tenetur ecclesiæ ministros alere; vt infrà cap 39. dubit. 1. dicetur. Tertiò, de immunitate à contributionibus, aliisque publicis oneribus. Quartò, de potestate faciendi, vel concedendi aliquid quod non nisi à Principe summo fieri, aut concedi solet, vt ea quæ sunt meri & mixti imperij. Vide supra dubit. 10. & 12.

Nullo autem modo præscribi possunt, primò, exẽptio ab obedientia Superioris, & alia, de quibus dubit. 12. Secundò, res vsibus publicis deputatæ; vt forum, via publica, pons: hæc, nec in totum, nec in partem præscribi possunt Tertiò, ius decimarum percipiendarũ à laico. Et quidẽ si de ipso primæuo & fundamentali iuri loquamur: nullo modo a laico præscribi potest, quia est spirituale, fundatũ in ministerio sacro. Si aũt de aliquo iure, quod ab illo primæuo sit deriuatum, vt est ius feudale, quo olim nimirum ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. circa annum Domini 117. celebratũ, laicis interdum decimæ solent concedi; dubium est, an hoc Ius aliqua ratione post illud Concilium possit præscribi. Couarr. l. 1. variarum c. 17. num. 5. negat: quia, inquit, non solùm ius commune illis resistit, & malæ fidei præsumptio, sed etiã facti sunt incapaces per illius Concilij decretum; quod habetur cap. Quamuis. 17. & cap. Prohibemus. 19. de decimis. quando autem est incapacitas, non habet locum præscriptio. Nihilominùs, si eius maiores à tempore, cuius initij nõ exstet memoria, tale ius possedissent, præsumerentur habuisse ante Concilium, nec opus esset alia tituli probatione, vt plurimi DD. quos ipse Couarr. citat & sequitur, docent. Quartò, Limites Prouinciarum, Episcopatuum, & parœciarum: quod intelligi, si de his constet; si autem non constet, præscribi possunt. Quintò, Res indiuisa communis pluribus, nullo tempore ab aliquo illorum præscribi potest; quia ille nomine aliorum possidet. Colligitur L. Si communem. 10. ff. Quemadmodum seruitus amittatur. Aide plura apud Sil. Præscriptio secundo.

Nullo modo præscribuntur.

DVBITATIO XVI.

Quando præscriptio dicatur non procedere, dormire, interrumpi.

50 RESPONDEO & Dico Primò, *Præscriptio dicitur non procedere*, quando ob aliquam causam non incipit, vel non potest incipere. Ita Couarr. reg. Poss. §. 12. Hoc fit potissimum ob quatuor causas. Primò, si desit possessio ciuilis. Secundò, si desit titulus, non potest incipere præscriptio tricennalis, decennalis, aut vicennalis: potest tamen tricennalis; vt dictum est dubit. 8. Tertiò, si desit bona fides. Quartò, si res non possit alienari, lege resistente; vt dictum est de fundo dotali, de bonis aduentitijs filij familias, de legato, fideicommisso, maioratu.

50 *Non procedit ob 4. causas.*

Dico Secundò, Præscriptio dicitur *dormire*, quando iam inchoata aliquanto tempore cessat; ita tamen, vt illo exacto, rursus vim habeat, & continuetur cum tempore priore. Sic dicitur dormire. Primò, tempore belli, quando ius non dicitur, vel homines diffugiunt in aliud territorium. Similiter tempore pestis. Secundò, quando Ecclesia caret Rectore, cessat contra Ecclesiam. Tertiò, quando is cõtra quem præscribitur non potest agere; vt est filius familias, pupillus durante ætate pupillari, (nempe vsque ad annum 14. exactum in mare; in fœmina vsque ad 12. exactum,) vxor viuente marito. vid. Sil. Præscriptio 1. nu. 9.

Dormire dicitur.

Dico Tertiò, Præscriptio dicitur *interrumpi*, quando inchoata ita cessat, vt si rursus reuiuiscat, non continetur cum tempore priore; sed de nouo debeat inchoari.

Dicitur interrumpi.

Hæc *interruptio* generatim fit dupliciter: primò, naturaliter. secundò, ciuiliter. *naturaliter* interrumpitur, quando incipit aliquid deesse, quod est necessarium ad naturam præscriptionis; vt, possessio, vel bona fides. *ciuiliter* interrumpi-

Interruptio fit dupliciter.

rumpitur quando per aliquem actum iuridicum interpellatur; vt, per litis contestationem, vel citationem: vt docet Couar. §.11.ex Panor. & alijs. *Triennalis* vsucapio non interrumpitur litis contestatione. Si tamen is, qui volebat ita vsucapere condemnetur, nebet rem restituere: si non condemnetur, maneatque in bona fide, expleto triennio illam poterit retinere. *Decennalis* tamen, *vicennalis* & *triennalis*, interrumpitur litis contestatione facta coram Iudice competente. Si tamen actor succubuerit in lite; vel si litem ipsum deseruerit, non interrumpitur. Similiter si animo tantùm interrumpendi præscriptionem litem mouerit. His addo, præscriptionem cõtra actionem fisci interrumpi sola citatione. De his plura apud Couar. & Silu. sed parum vtilia Theologo.

DVBITATIO XVII.

Vtrùm qui legitime præscripsit rem aliquam, si termino præscriptionis elapso, constet fuisse alienam, teneatur eam restituere.

51 MVLTI existimant, talem teneri ad restitutionem, nisi intercesserit negligentia Domini in re sua inquirenda: ita Adria. in 4. quæst. 1. de Præscript. pag. 166. Ioannes Med. C. De Restit. quæst. 18. eiusdem sent. videtur Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. §. De secundo: nam eodem fundamento mouetur: & Gab. ibid. quæst. 14. art. 1. in fine, & alij nonnulli: fundamentum huius sententiæ est, Quòd leges præscriptionis videantur solùm vel potissimùm institutæ in pœnam negligentiæ Domini: vbi ergo negligentia non interuenerit, vbi locum non habere. quare is, qui vsucepit, vel præscripsit, ad restitutionem obstrictus erit, vbi constiterit nullam negligentiam intercessisse. Sed contrarium est verius.

Vnde, dico Primò, non solùm quando Domini priecis intercessit negligentia; sed etiam quando constat nullam intercessisse, res legitimè præscriptæ transeunt in dominium noui possessoris, ita vt non teneatur eas restituere, nisi prior Dominus per Iudicem, restituatur in integrum. Ita vt Couar. ad reg. Possessor. p. 3. §. 2. numer. 3. vbi multos alios refert. & Sotus lib. 4. de Iustitia q. 5. art. 4. & passim DD.

Præscriptio transfert dominium, etsi absit negligentia.

Probatur 1; quia L. 3. ff. De vsucapionibus definitur *vsucapio esse dominij acquisitio per continuationem temporis lege definiti*: ergo transacto illo tempore, non tenetur is, qui vsucepit, ad restitutionem; cùm dominium acquisierit. Secundò, Leges præscriptionis numquam meminerunt, eam statui in pœnam negligentiæ dominorum: sed ob bonum publicum, nam L. 1. ff. de vsucapionibus dicitur *bono publico introducta est vsucapio; ne dum & ferè semper incerta essent rerum dominia.* & L. vltima. ff. Pro suo. *concessa dicitur vt aliquando litium esset finis.* Similiter canones indistinctè & absque restrictione negligentiæ, approbant præscriptiones bonæ fidei; atqui Princeps per suas leges potest priuare subditum re sua, etiam absque eius culpa; si ratio boni communis ita postulat. ergo cùm ratio boni id exigat, (nempe ne semper incerta sint dominia, & ne infinita quædam litium leges suboriatur) non est dubitandum quin hisce legibus dominium transferatur.

Tertiò, quia lege pœnali non amittitur dominium ante sententiam; atqui præscriptio simul atque peracta est, dominium adimit, & in nouum possessorem omninò transfert: ergo leges præscriptionis non sunt pœnales dumtaxat, punientes dominorum negligentiam. Confir. quia illa negligentia rei suæ, non est nisi venialis, quæ non meretur ablatione rerum puniri. Vnde Adrian. requirit in ea culpam mortalem. sed hæc vel numquam, vel rarissimè accidit; & ita ferè numquam præscriptio habebit effectum.

Denique non potest sciri quanta negligentia à domino priore sit commissa: itaque hæc res tota erit plena scrupulis, & inutilis ad praxim.

52 Dico Secundò, Præscriptio non solùm transfert dominium vtile, sed etiam directum, idque tam in bonis immobilibus, quàm in mobilibus. Ita Couar. suprà. §. 1. in fine & passim Theologi. Leges enim & canones indistinctè loquuntur de dominio, nec restringunt ad dominium vtile, vt patet c. 3. 4. 6. de præscript. & ex cap. Clerici, 26. q. 3. vbi dominium acquisitum per præscriptionem vocatur *proprium*. Denique ex cap. Placuit. 1. & 2. 16. quæst. 3. idem colligi potest ex legibus citatis, & ex toto tit. C. de præscript. 30. annorum. Fundamentum Iurisperitorum, qui contrarium tenèt in bonis immobilibus, falsum esse ostendit Couar. suprà §. 1. nu. 1.

Non solùm vtile, sed et directum.

Obijcitur primò, nemo sine culpa debet priuari re sua: ergo debet intercessisse culpa. *Obiectio.*

Resp. Antecedens verum est, nisi ratio boni communis aliud postulet; vt sit in proposito.

Obijcitur secundo, fundamentum præscriptionis est bona fides. ergo postquam constiterit rem fuisse alterius, subuertitur præscriptio; quia subuertitur eius fundamentum. *Interdùm priuatur quis re sua sine sua culpa.*

Resp. Non subuerti bonam fidem ex eo, quòd peracta præscriptione constet rem fuisse alienam: quia tunc verè potest iudicare rem esse suam; quamuis antea alienus fuerit.

Obijcitur Tertiò, Cui res est adiudicata per sententiam nitentem falsa præsumptione, tenetur ad restitutionem: atqui leges præscriptionis nituntur falsa præsumptione: ergo is, cui res est adiudicata per talem legem, tenetur ad restitutionem.

Resp. Primò, negando conseq. quia Iudex per sententiam non intendit transferre dominium, sed solùm declarare verius sit: vnde si fundamentum est falsum, quo sententia nititur, ipsa quoque corruit, nec est seruanda in conscientia. At verò Princeps per legem præscriptionis intendit transferre dominium absolutè: & quamuis fortè falsa præsumptione ex parte nitatur, tamen iustam causam habet ita statuendi absolutè.

Secundò Respondeo, negan. minor. quia verum non est, leges præscriptionis potissimùm præsumptione negligentiæ niti esse; vt ex dictis constat.

DVBITATIO XVIII.

Quibusnam aduersus Præscriptionem restitutio in integrum concedatur.

NOTANDVM est, *Restitutionem in integrum* esse 53 quoddam remedium, quod, finita præscriptione, relinquitur priori domino, qui rem suam amisit; nempe vt authoritate Iudicis possit restitui in dominium, & possessionem rei amissæ.

Quo posito Respondeo, Hoc remedium concedi, Primò, minoribus ætate, id est, qui nondum 25. annos expleuerunt. Secundò, Pijs locis & Ecclesijs, etiamsi præscriptio sit 40. annorum. Ita docent Glossa, & DD. in Auth. Quas actiones. C. de sacros. Eccl. verb. Excluduntur: estque communis opinio, teste Panor. in c. 1. de Præscript. & in cap. Auditis, eodem. Ecclesiæ enim concessum est priuilegium minorum, estque ipsa instar minoris, vel etiam pupilli; vt tradunt DD. in cap. 1. & 2. de restit. in integrum lib. 6. quibus locis etiam expressè Ecclesijs hoc beneficium restitutionis conceditur. Vbi aduerte Ecclesijs, & minoribus hoc concedi; quamuis ipsis scientibus, & resistere valentibus præscriptio facta sit; vt docet Couar. ad leg. Possessor. p. 3. §. 3. nu. 3. quia ratione fragilis ætatis id concessum minoribus: quorum priuilegium extenditur ad Ecclesiam & alia pia loca. conceditur verò per quatuor annos postquam sciuerint completam contra se præscriptionem. L. fin. C. de tem. in integrum restit. Tertiò, maioribus ætate conceditur in præscriptione 10 & 20. annorum; modò tamen probent cum iusta & probabili ignorantia sua, aut omninò sine sua negligentia præscriptionem fuisse peractam. L. 1. §. fin. ff. quibus causis maior. Abbas & Felinus in cap. Vigilanti. de præscript. & alij, estque sententia communis, teste Couar. suprà numer. 1. Habent & hi quatuor annos postquam sciuerint completam præscriptionem. In præscriptione autem 30. & 40. annorum non conceditur maioribus restitutio, iuxta Couar. num. 1. quamuis alij aliter sentiant: minoribus autem conceditur, Sed hæc ad forum externum pertinent. vide infra c. 17. dubitatione 3.

Minoribus Ecclesia.

Maioribus.

SECTIO SECVNDA.

DE INIVRIIS ET DAMNIS IN OMNIBVS HVMANORVM BONORVM GENERIBVS,

ET NECESSARIA RESTITVTIONE.

EXPLICVIMVS *superiori sectione per sex capita quid* Iustitia, *quid* Ius, *quænam eius species, & in primis quid* dominium, *quibus & in qua competat, quibus ve modis comparetur. Sequitur nunc vt tractemus de* Iniurijs & damnis, *quibus Iustitia & Ius violatur, &* Restitutione, *qua est principalis actus Iustitiæ commutatiuæ, per quem ius violatum instauratur.*

Primùm igitur dicemus de Iniuria & Restitutione in genere. 2. De iniuria in bonis spiritualibus. 3. De iniuria in corpus proximi per homicidium vel mutilationem. 4. De Iniuria in corpus proximi per adulterium & stuprum. 5. De Iniurijs famæ & honoris per detractionem & contumeliam. 6. De Iniurijs fortunarum per furtum, rapinam, damnum illatum. 7. De Cooperantibus ad hæc. 8. De Restitutione ratione rei acceptæ. 9. De Ordine seruando in restitutione, deque eius expensis. 10. De Excusantibus à Restitutione.

CAPVT SEPTIMVM.

De Iniuria & Restitutione in genere.

Habet 10. *Dubitationes.*

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit iniustitia & iniuria.

D. THOMAS QVÆST. 59.

Iniustitia dupliciter dicitur.

1 NOTANDVM est, sicut nomen *Iustitiæ* dupliciter accipitur. (vt suprà cap. 1. dubit. 1. ostensum est) Primò, pro omni virtute, quatenus est quædam legis obedientia. Secundò, pro virtute particulari, quæ constituit æqualitatem in commutationibus & distributionibus: ita etiam nomen *Iniustitiæ* dupliciter accipitur, vt expressè docet Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. Primò pro *omni legis violatione*, quam ipse ἀνομίαν vocat, nos iniquitatem. Hoc modo omne peccatum est *Iniustitia* quædam: quia est violatio æqualitatis seu conformitatis debitæ legi vel præcepto Superioris. Hinc *peccatum* definitur, *celestium inobedientia mandatorum, & diuinæ præuaricatio præcepti.* Vnde passim in Scripturis omne peccatum vocatur *iniustitia*, & peccatores *iniusti*. Ioannis 7. *In iustitia in illo non est.* Ad Rom. 1. *Reuelatur enim ira Dei de Cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Ezech. 18. & alibi. Similiter omne peccatum vocatur *iniquitas* seu ἀνομία. E contrario omne opus bonum vocatur *iustitia.*

Ratio Iniustitiæ cõmunis ei peccato.

2 Hinc patet hanc rationem *Iniustitiæ* esse generalem, & communem omni peccato, sicut esse contra charitatem; neque videri distingui à ratione generali inobedientiæ; quia hæc *iniustitia* consistit in hoc, quod conformitas legi debita violetur, quæ violatio nihil est aliud, quàm legis inobedientia. Itaque peccatum non contrahit aliquam specialem prauitatem ex hac malitia (quia generalis est, essentialiter omni peccato conueniens) nisi ipsa in illo peccato, speciali modo sit volita; vt cùm quis ex contemptu legis peccat, quod fit, quando quis directè vult legẽ violare, vt offendat se eam nihili pendere. generalis enim conditio obiecti non potest specialem malitiam tribuere actui voluntatis, nisi speciali modo sit volita: quia malitia formalis in actu voluntatis sumi debet ex ordine, quem habet ad malitiã obiectiuam, quæ cernitur in obiecto volito: vt ostensum est 1.2. quæst. 18 art. 1.

Peccatum ex contemptu.

Secundo modo accipitur *Iniustitia* vt opponitur Iustitiæ particulari; idque vel vt actus, vel vt habitus. Si vt 4
actus, sic nihil est aliud, quàm alieni iuris violatio: neque differt ab *iniuria*. Sicut enim actu Iustitiæ cuique ius suũ tribuitur; ita Iniustitiæ hoc ius violatur: in qua violatione sita est *iniuriæ* ratio. Si verò accipiatur vt habitus, habitui Iustitiæ oppositus; sic nihil est aliud, quam praua voluntatis dispositio ex iniustis actibus orta, & ad similes inclinans. Quamquam si Theologicè magis, quàm Philosophicè loquamur, *habitualis iniustitia* non tantùm consistit in praua dispositione reali; sed etiam morali & imputatiua. quod vt intelligatur

Iniuria vt.

Notandum, duplici modo fieri alteri iniuriam, *commissione & omissione*; neque minùs omissione reddi hominem iniustum, quàm commissione. Omissio nuda non relinquit in voluntate aliquam dispositionem realem; relinquit tamen hominem iniustum habitualiter donec restituat, vel satisfaciat. En habitualem iniustitiam sine reali dispositione voluntatis. Et quamuis rarò fiat, vt quis debitũ officium omittat absque positiua voluntatis complacentia & assensu. tamen fieri potest, & interdum fortasse fit. Idem in alijs vitijs locum habet, vbi omissione peccatur; remanet enim homo habitualiter vitiosus, absque reali habitu. Idem quoque locum haberet in virtutibus & omnibus vitijs, si ex actu nihil reale relinqueretur

Duplicitèr fit iniuria.

retur: moralem enim illud & imputatiuum ex actu relicto, ſufficeret ad denominandum hominem iuſtum vel iniuſtum, temperantem vel intemperatum. Sed de hoc plura, 1.2.q.49.art.1.

6 *Iniuſtitia habitualis.* Hinc patet *Iniuſtitiam habitualem* generatim non tantùm conſiſtere in reali diſpoſitione; ſed etiam in morali, ſeu imputatiua: quatenus complacentia interpretatiua omiſſionis, per quam illa omiſſio tua voluntaria cenſetur manere ſecundùm moralem æſtimationem, & imputatur vt præſens, donec fiat reſtitutio.

DVBITATIO II.

Vtrùm aliquis dicatur iniuſtus, eo ipſo quòd faciat aliquid iniuſtum.

D. THOM. ART. 3.

7 *Qui ſciens facit.* RESPONDEO, & dico Primò, Qui ſciès aliquid eſſe *iniuſtum*, ſponte illud facit, eo ipſo eſt *iniuſtus*. probatur; qui vult libere id, quod nouit eſſe iniuſtum, conſequitur quam velle ipſam iniuſtitiam & æqualitatem annexam, ac proinde meritò dicitur iniuſtus. D. Thomas dicat talem intendere formaliter iniuſtum; quia intendit id, quod ſcit eſſe iniuſtum, & ita intentio ſit formaliter iniuſta; quamuis ipſam iniuſtitiam per ſe non intendat.

8 *Qui ex ignorantia probabili.* Dico ſecundò, Qui ignorantia inculpata neſcit eſſe iniuſtum, vel ſi ſcit, non conſentit in opus, ſed vi externa impulſus facit, non eſt dicendus iniuſtus. Ratio eſt; quia malitia annexa operi, nullo modo eſt voluta, ac proinde nō poteſt ipſius voluntatem contaminare.

Dico Tertiò, ſi ignorantia ſit culpabilis, vel vis extrinſeca, aut paſſio, qua incitatus, talis ſit, vt ei poſſit reſiſti, vere erit iniuſtus, ſi faciat opus iniuſtum; licet minus, quàm ſi ſciens & volens. Ratio eſt quia hæc non impediunt quin ille abſolutè cenſeatur velle, & voluntariè facere quod iniuſtum eſt, vt oſtenſum eſt 1.2.q.6. art.7.& 8.

9 Notandum tamen, Ariſtotelem lib.5.Ethic.cap.8.vbi hanc quæſtionem tractat docere; eum qui ex ignorantia, vel paſſione quippiam iniuſtum deſignat, non eſſe dicendum iniuſtum: quia non operatur inuitè, id eſt, ex habitu & affectu directè inclinante ad id, quod iniuſtum eſt; ſed ſolùm per accidens, & indirectè. Verùm hoc intelligendum eſt non tam perfectè dici iniuſtum, quàm eum, qui ſciens & ſua ſponte facit: alioqui talis abſolutè eſt iniuſtus: indirectè enim voluntarium in peccatis recidit in ſpeciem voluntarij directi; vt conſtat ex 1.2.q.1.

10 *Formaliter iniuſtum quid.* Notandum Secundo, circa Reſponſ. D. Thomæ ad 3. dum quis per ignorantiam inculpatam facit opus iniuſtum, hoc opus non dici formaliter *iniuſtum*; quia non procedit à voluntate (quæ in moralibus eſt inſtar formę) iniuſta. dicitur tamen iniuſtum materialiter; quia conſtituit veram inæqualitatem rei ad rem. Idem videtur dicendum de reliquorum vitiorum operibus. qui enim accedit ad non ſuam per ignorantiam, vt Iacob; vel plus comedit quàm natura poſtulet, facit opus materialiter intemperatum; (quamuis formaliter, vt ſubeſt voluntatis affectui, poſſit eſſe temperatum) etſi enim non incongruens ſit homini tale dictamen ex errore inculpato habenti; tamen eſt ei incongruens ſecundùm ſe, & abſque illo errore conſiderato. & ita quamuis ratio intemperati non conueniat illi operi in ordine ad æquale dictamen, conuenit tamen ei in ordine ad naturam rationalem abſolutè conſideratam.

DVBITATIO III.

Vtrùm aliquis poſſit pati iniuſtum volens.

D. THOM. ART. 3.

11 RESPONDEO, & dico Primò, Sicut nemo poteſt facere *iniuſtum* propriè vel iniuriam, niſi volens; ita nemo poteſt propriè pati *iniuriam* niſi nolens. Ita D. Thom. ar.3. ex Ariſtotele 5.Ethic.cap.9.& 11.

Prior pars patet; quia iniuſtum formaliter & iniuria includunt rationem voluntarij. hinc fit vt amens, & bruta non faciat iniuriam, etſi damnum. Sufficit autem ſiue directe, ſiue interpretatiuè ſit voluntarium.

12 Altera pars probatur; quia nemo poteſt pati *iniuriam*, niſi ius eius violetur; non poteſt autem violari ius alterius, niſi ipſo nolente, vel expreſsè, ſi ſciat; vel implicitè, ſi neſciat; & ita ſit affectus, vt ſi ſciret, expreſsè nolleret. Cuius raro eſt; quia ſi velit, vel certè poſſit, permittat ſe lædi; tam cedit iure ſuo, illudque abdicat, vel certè in arbitrio lædentis ponit: ac proinde etſi ipſi lædatur, ius tamen ipſius (quà ipſius eſt) non violatur. ſicut ſi concedam tibi vt veſtem meam auferas, pono dominium rei meæ in tuo arbitrio, vnde ſi auferas, non violas ius meum. *Si conſentiat cedit iure ſuo.*

Dixi, *quà ipſius eſt*; quia etſi non violetur præcisè quà ipſius eſt, poteſt tamen violari quatenus ad alium pertinet. Seruus enim habet ius vt non ſpolietur rebus ſuis inuitus; & Dominus habet ius vt idem non ſpolietur etiā volens. Vnde qui ſpoliat ſeruum conſentientem, etſi non faciat iniuriam ſeruo, facit tamen iniuriam Domino. ſimiliter qui vaſtat vineam cuſtode conſentiente. Idem vſu venit quotieſcumque alter alteri ita ſubditus aut connexus eſt, vt iura eorum inter ſe connexionem aut dependentiam habeant. Sic qui ſeipſum interficit, etſi non facit propriè iniuriam ſibi, facit tamen iniuriam Reipub. cuius ipſe eſt pars, & etiam Deo (iuxta D. Tho.) qui ſolus vitæ humanæ eſt Dominus. Vnde tales peccant contra præceptum. *Non occides*; & pœna homicidij ſi fieri poſſet, plectendi eſſent: & poſt mortem in tanti criminis pœnam non minore ignominia afficiuntur. De quo vide Iulium Clarium lib.5.recept. opinion. §. finumer.37. Sed de hoc plura infrà cap.9.dubit.6. Pari modo qui aliam volentem interficit, non facit quidem illi propriè iniuriam: (volendo enim occidi, cedit iure ſuo ac proinde interfector non tenetur hæredibus ad vllam reſtitutionem) facit tamen iniuriam Reipub. & Deo, & peccat contra iuſtitiam legalem. Vnde Dauid puniuit Amalechitem tanquam homicidam, qui ſe occidiſſe Saulem volentem dicebat.2.Reg.1. Idem dicendum, quando comiunx conſentiente coniuge adulterium commutit. Non enim facit propriè iniuriam conſentienti; ſed peccat contra matrimonij legem. *Facit iniuriam Deo.*

Notandum tamen eſt, non cenſeri quempiam cedere iure ſuo, ſi aliquo modo inuoluntariè, & renitente affectu conſentiat, inductus ab eo, qui læſurus eſt. Sicut. n. donatio debet omninò eſſe libera; ita etiam ceſſio iuris, quę tollit iniuriam. Vnde qui ſoluit vſuras, non cedit iure ſuo: quia non cupit vt vſurarius has exigat, nec intendit ſe vllo iure priuare, aut donare; ſed ſoluit, quia aliter pecuniam obtinere nequit. Ex his patet intelligentia illius regulæ, quæ eſt 27.inter reg.Iuris in 6. *Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus.* *Ceſſio iuris.*

Aduerte tamen, quoſdam Doctores hanc regulam, & quæ dicta ſunt, limitare ad ea, in quibus iure noſtro cedere poſſumus; vt in fama, honore, & alijs bonis externis, quorum ſumus domini. In his enim ſcienti & nolenti non fieri iniuriam: quia cùm hæc ſubſint noſtræ diſpoſitioni hoc ipſo, quo volumus his ſpoliari, iure noſtro nos priuamus, & illud in alterius collocamus arbitrio; ſecùs eſſe in alijs, quorum non ſumus domini, ſed cuſtodes dumtaxat: vt in vita, & membrorum integritate, in coniuge, in prolibus, & ſimilibus, in quibus iure noſtro cedere non poſſumus. In his enim propriè fieri iniuriam ei, cui ipſa commiſſa ſunt, vel obnoxia, ſi perimantur, vel lædantur; etſi id ipſo volente fiat. Ratio eſt, Quia cùm ceſſio Iuris ſit inualida, totum Ius permanet in ſuo vigore: ac proinde ſi contra illud fiat, peccatur contra iuſtitiam & ſit verè & propriè iniuria quamuis conſentienti. Vnde inferunt, eum qui interficit Titium volentem, facere ei propriè iniuriam; quia Titius non poterat iure illo cedere: ſimiliter cùm quis adulterium commiſit cum vxore Titij ipſo Titio conſentiente. Alij dicunt non fieri in iſtis propriè iniuriam perſonæ, ſed naturæ, vel ſtatui. 13 *Sententia quorundam Doctorum.*

Verùm id, quod diximus, eſt magis conſentaneum vſitato modo loquendi. nemo enim, qui volens in corpore *Contrarium verius.*

læſus fuerit ab aliquo, vel coniugem alteri violandâ dederit, dicet ſibi iniuriam factam, aut de iniuria conqueri poterit. Deinde eſt ipſa doctrina Ariſtotelis lib. 5. Eth. cap. 9. vbi oſtendit *neminem ſponte pati iniuriam, etiamſi poſſit ſponte iædi; & damno affici:* quia ad illud requiritur vt inuitus patiatur. Neque id intelligit ſolùm in rijs, quæ ſubſunt noſtræ diſpoſitioni; vt in fama & thuitijs; ſed etiam in alijs, in quibus iure noſtro cedere non poſſumus; vt in vita & membris: quod ex initio capitis cõſtat; vbi ex Euripide adducit exemplum eius, qui matrem volentem & rogantem interfecit. Confirm. nam idcircò nemo ſibi iniuriã facere, aut à ſe iniuriam accipere poteſt; quia non poteſt à ſe inuitus pati: non enim fieri poteſt, vt quis ſibi damnum velit inferre, & ſimul nolit illud à ſe pati. Idem docet D. Thom. ar. 3. q. 59. Confirmatur ſecundò, Quia qui violat filiam conſentiente parente, non facit parenti iniuriam; & qui furatur à pupillo conſentiente tutore, non facit tutori iniuriam: & tamen illi iure ſuo cedere non poſſunt. ergo ad formalem iniuriam non ſufficit quòd quis iure ſuo non poſſit cedere.

Eſt iniuria materialis.

Nec obſtat, quòd quis in illis iure ſuo cedere non poſſit, ac proinde ius illud, quod habet, vt in illis non lædatur, permaneat: quia non permanet ſub ratione formali iuris iuſtitiæ, ſed ſolùm materialiter; cùm ipſe nolit eo vti, eoque quantum in ſe eſt, cedat. Vnde non cenſetur iniuria in illum niſi materialiter: ſicut enim poteſt eſſe iniuria materialis ex parte irrogantis, ita etiam ex parte eius cui irrogatur.

14 Dico Secundò, fieri poteſt, vt quis ex parte ſua iniuriã inferat, & tamen alter propriè iniuriam non patiatur: & è contrario fieri poteſt, vt quis iniuriam, vel potiùs iniuſtum patiatur, & alter propriè iniuriam non inferat. ita D. Th. ad 3. ex Ariſtotele ſuprà prioris exemplum eſt; ſi detrahas famæ alterius, vt illi noceas; & ille cedat iure ſuo optans haberi infamis propter Chriſtum. poſterioris eſt; ſi per ignorantiam vendas alteri rem vitioſam, quam ille putet eſſe probam.

Vtrum Chriſtus & Sancti fuerint paſſi iniuriam.

Dices, ergo Chriſtus & Sancti propriè non ſunt paſſi iniuriam; cùm libenter paſſi ſint, & pati deſideraverint. Reſp. nego conſeq. quia vt quis dicatur non pati iniuriam, non ſatis eſt quòd ob aliquam cauſam libenter patiatur, ſeu quòd gaudeat illo malo; ſed oportet vt etiam cupiat illud ſibi a tali irrogari, cedendo, quantũ in ſe eſt, iure ſuo: alioquin retinet actionem iniuriarum in illum; & ille tenetur ad reſtitutionem, vel ſatisfactionem. Chriſtus autem, & Sancti non cupiebant ſibi ab impijs illa mala irrogari, nec illis ad hoc vllum ius, vel auctoritatem tribuebant; ſed ſolùm permiſſiue ſe habebant non repugnando, & ſe non ſubtrahendo illorum poteſtati, vt ſic eorum malitia ad maius bonum vterentur. Vnde retinet actionem iniuriarum in illos coram tribunali diuino; vt patet Sapientiæ 5. *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt.*

DVBITATIO IV.

Quid ſit reſtitutio, & cuius virtutis actus.

D. THOM. QVÆST. 62. ART. 1.

15 NOTANDVM eſt, *Reſtitutionem* propriè ſignificare poſitionem rei in priſtinum ſtatum, & quia dum res ablata redditur, in priorem ſtatum ponitur, ideò ſignificat *reddition em rei ablatæ, ſiue iure, ſiue iniuria ablata ſit*; quod aliter Latinis dicitur *Redhibitio*, & redhibere. ſic depoſitum & commodatum dicitur reſtitui, & etiam mutuum, quia ſaltem ſecundùm ſpeciem eſt idem. Emptor verò pretium numerans non dicitur *reſtituere*, ſed *ſoluere*: & qui damnum intulit, *compenſat*, non *reſtituit*.

Reſtitutio quid.

Apud Theologos tamen, hoc nomen accipitur generaliùs; vt etiam cõprehendat omnem illati damni compenſationem; & ſic nihil eſt aliud, quàm *res accepta reddition em eorum quæ illata compenſare*. Hoc modo qui damnum intulit, dicitur facere reſtitutionem, dum illud compenſat, & æquivalens rependit. poſſet etiam hoc modo emptor ſoluens pretium dici facere reſtitutionem, quia reddit rem in æquiualenti; quamuis non ita vſitate.

Hinc patet Reſtitutionem eſſe opus externum Iuſtitiæ commutatiuæ; quia huius virtutis eſt conſtituere æqualitatem inter datum & acceptum, inter damnum & compenſationem; quod fit reſtitutione. 16 *Eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ.*

Nec obſtat quòd etiam error contra Iuſtitiam diſtributiuam commiſſus, ſarciatur reſtitutione, & ita videatur etiam eſſe opus Iuſtitiæ diſtributiuæ, quia ſæpè in actu diſtributionis continetur debitum iuſtitiæ commutatiuæ, quod debitum violatur praua diſtributione: ſicq; non eſt mirum, ſi opere iuſtitiæ commutatiuæ inſtaurari debeat; vt oſtenſum eſt c. 1. dub. 4.

Petes, Quomodo differt reſtitutio à ſolutione, & ſatisfactione? 17 *Differtà ſolutione & ſatisfactione.*

Reſpondeo, A *ſolutione* differt, quod non omnis ſolutio propriè ſit reſtitutio, nec cõtra dicimur enim *ſoluere* quod ex voto, iuramento, charitate aut miſericordia debitum eſt (nam & ex his virtutibus debitum & obligatio aliquid dandi in proximum naſcitur) non tamen propriè dicimur *reſtituere*, aut facere reſtitutionem. & è contrario, qui reddit depoſitum, reſtituit, non tamen ſoluit. *Reſtitutio* enim poſtulat vt res quodammodo ſit eadem vel in ſe, vel in æquiualenti: *ſolutio* vt ſit diuerſa.

A *Satisfactione* vero, Primò, Quòd ſatisfactio ſit quiddam generalius; omnis enim reſtitutio eſt ſatisfactio, non contrà. 18 Secundò, quòd ſatisfactio reſpiciat perſonam, dum præſtat id, quod alteri ſatis eſt, etſi non ſit æquialens debito. Reſtitutio autem reſpicit rem, dum præſtat æquialens, vel rem ipſa exhibet. Tertio, Satisfactio propriè ſit pro iniuria illata, & honore violato, quãuis nihil damni illatum ſit. Reſtitutio verò proprie vbi damnum illatum, vel res alterius ablata. Sic Deo ſatisfacimus, cui tamen nihil propriè reſtituere poſſumus, cùm omnia perfectiſſimè ſint ipſius. Quartò, ſatisfactio ſit etiam pro damno irreparabili; reſtitutio ſolùm pro reparabili.

DVBITATIO V.

Ex quibus capitibus generatim naſcatur obligatio reſtitutionis.

RESPONDEO, nam ex duplici capite naſci; nempe ex *iniuſta acceptione*, vel *ex re accepta* ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè. colligitur ex D. Thom. q. 62. art. 6. & 7. docet Cajet. ibidem, & Couarru. ad reg. Peccatum. 2. p in principio. 19

Per *Iniuſtam acceptionem*, intelligo non ſolùm furtum, ſed etiam damnum quoduis per homicidium, adulterium, ſtuprum, furtum, infamiam, ſiue alio modo iniquè illatum. quicunque enim alteri damnum infert, aufert aliquid ab eo; & ſic dicitur teneri ratione iniuſtæ acceptionis. *Quid iniuſta acceptio.*

Per *Rem acceptam*, *intelligo non ſolùm eam, quæ à* domino ablata eſt; vt equus, veſtis, pecunia; ſed etiam eam, quæ ex iuſtitia alteri debita eſt, & apud me retinetur; vt legatum alteri, aut venditum, quod apud me eſt. *Res accepta.*

Quòd autem ex priori capite naſcatur obligatio reſtitutionis, probatur; quia qui damnum intulit, violauit æqualitatem, quam poſcit iuſtitia commutatiua: ergo vt æqualitatem illam ſarciat, tenetur lege iuſtitiæ ad reſtitutionem, etiamſi nihil emolumenti acceperit.

Quod etiam ex ſecundo capite patet; quia qui habet rem alterius, etſi nullam iniuriam intulerit, habet tamen plus quam ſuum; & verus Dominus tantumdem habet minus quàm ſuum. Vide vt fiat æqualitas iuſtitiæ, per quam cuique tribuitur ſuum, debet domino reſtitui. Vide D. Tho. art. 6. 7. q. 62. quamuis hæc duo capita paulò aliter explicet; ſed res eſt eadem.

Dices. Qui obligatur ex ſtipulatione non tenetur ex altero horum capitum; ergo hæc non ſufficiunt.

Reſponderi poteſt, talem non propriè teneri ad reſtitutionem, ſed ad ſolutionem. Si tamen nomen reſtitutionis generatim accipiatur pro omni redditione, qua res ex iuſtitia debita redditur in ſeipſa vel in æquiualenti, ſic aſſignanda ſunt *tria capita omnis reſtitutionis*. Primum. *Ex iniuſta* 20 *Tria generatim capita reſtit.*

iniuſta acceptione, ſeu damno illato. Secundùm, *Ex re accepta* iuſtè vel iniuſtè. Tertium, *Ex contractu*. Nam mutuum & pretium rei emptæ & ſimilia, non debentur propriè ratione rei acceptæ, (nam fieri poteſt vt hæc non extet) ſed ex contractu.

21 *Diſcrimen inter illa.*

Notandum eſt, inter hæc capita eſſe magnum diſcrimen, quando enim aliquid debetur ex iniuſta acceptione, vel ex contractu, manet obligatio reſtitutionis, etiamſi res debita pereat ſine noſtra culpa: quando verò debetur tantùm ratione rei acceptæ, non manet obligatio, re abſque culpa noſtra pereunte, vt patet in depoſito.

Ex his plurima poſſunt deduci, vt patebit ex ſequentibus.

DVBITATIO VI.

Vtrùm naſcatur obligatio reſtitutionis ex damno dato abſque culpa, vel per culpam leuem extra officium & contractum.

22 NOTANDVM primò, tripliciter fieri poſſe vt damnum alteri culpa mea obueniat. Primò, Si tenear ex officio impedire, & negligam. Secundò, Si ex contractu. Tertiò, Si extra officium & contractum, de quo modo hic agimus.

Culpa dupliciter dicitur.

Notandum ſecundò, Ex Adriano in 4. De reſtitut. §. Vtrùm in foro animæ, *culpam* aliter accipi apud Iuriſperitos, aliter apud Theologos. Apud Theologos enim *culpa* idem eſt, quod peccatum, ſiue mortiferum, ſiue veniale. apud Iuriſperitos verò eſt idem, quod omiſſio alicuius diligentiæ, vnde ſequitur aliquod incommodum. Diuidunt autem culpam, in latam, latiorem, latiſſimam, leuem, & leuiſſimam. *Culpa latiſſima eſt dolus apertus. latior, eſt dolus tectus, occultus.* Eſt autem *dolus quauis calliditas, fallacia, & machinatio ad circumueniendum, fallendum, & decipiendum adhibita. Calliditas fit tacendo, fallacia mentiendo, machinatio arte verborum.* ita tradit Gloſſa ff. de dolo L.1. Sequuntur paſſim Doctores.

Culpa latiſſima. *Latior.* *Dolus.*

Culpa lata eſt omiſſio eius diligentiæ, & circumſpectionis, quam paſſim homines eiuſdem conditionis adhibere ſolent: vt ſi quis librum commodatum relinquat foris ante oſtium.

Culpa lata.

Culpa leuis eſt omiſſio eius diligentiæ, & circumſpectionis, quam ſolent diligentiores illius artis, vel profeſſionis adhibere.

Leuis.

Culpa leuiſſima eſt omiſſio diligentiæ, quàm diligentiſſimi, & prudentiſſimi adhibent. Vide Nauarrum cap. 17. numer. 177. & ſequentibus. & Silu. verbo Culpa, in principio.

Leuiſſima.

His poſitis: Angelus, verbo Culpa. numer. 6. ſentit ex quauis culpa, etiam leuiſſima naſci obligationem reſtitutionis. idem tenet Adrianus ſuprà. probant ex quibuſdam Canonibus. ſed contraria ſententia eſt tenenda; pro qua.

24 *Solum tenetur ex culpa lata extra cõtractum.*

Dico primò, Quando non interceſſit aliquis contractus, non oritur obligatio reſtitutionis ratione damni dati (ſaltem in foro conſcientiæ) niſi ex culpa lata; non autem ex leui, vel leuiſſima. ita communiter DD. vt fatetur Angelus; Innocentius in cap. Sicut dignum, de homicidio. Gab in 4. d. 15. quæſt. 14. art. 3 dub. 2. Silu. verbo Culpa. nu. 6. vbi citat Panor. & alios. & verbo Reſtitutio ſecundò §. 12. & 17. Sotus lib. 4. de Iuſtitia. q. 7. art. 2. & lib. 5. q. 1. art. 9.

Probatur primò; Quia nemo tenetur adhibere maiorẽ diligentiam in ſuis operibus, ne alteri noceat, quam eiuſdem conditionis homines paſſim in ſimilibus adhibere ſolent (nemo enim tenetur eſſe prudentior & circumſpectior hominibus ſuæ ſortis) ergo damnum eueniens non debet illi imputari, ſed cenſebitur inuoluntarium.

Secundò, Talis neque tenetur ratione cõtractus; (ſicut tenetur, qui ignorans vendidit rem vitioſam) neque ratione rei acceptæ; cùm ea non extet; neque etiam ratione iniuſtæ acceptionis; cùm ſine omni peccato damnum ſit ſecutum: nemo enim tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, niſi quando in ea eſt peccatũ; (alioqui teneretur quis ex caſu fortuito, & præſtita ſumma diligẽtia; quod tamẽ nemo dixerit) ergo cùm hic non fuerit peccatum, non tenetur. Quod autem ratione culpæ leuis, vel leuiſſimæ non interuenerit peccatum, patet; non tenebatur diligentiam & circumſpectionem adhibere, quam prudentiores & prudentiſſimi ſolent adhibere; ſed ſolùm eam, quam prudentes: ergo hanc adhibendo, & illam omittendo, non peccauit.

Teneri verò, *ex culpa lata*, conſtat: quia quiſque in actionibus periculoſis tenetur præſtare diligentiam, quã homines eiuſdem conditionis cõmuniter præſtare ſolent: ergo ſi hanc non adhibuerit, cenſebitur damnum illi voluntarium; quia non fecit quod potuit, & debuit, vt conſtat ex dictis 1.2.q.6.ar 3.

Notandum eſt quoidam limitare hanc propoſitionem hoc modo. Non teneri ex culpa leui, & .. *niſi quis aduerterit damnum ſequuturum, vel illud intenderit*. Sed ſi quis bene cõſideret, non eſt neceſſaria hæc limitatio; quia qui *aduertit* ex ſua actione ſequuturũ damnum, tenetur maiorem diligentiam adhibere: nam quiuis prudens tunc eam adhiberet. Vt autem quis *intendat* damnum inferre per eam actionem, cui adhibet ſufficientem circumſpectionem, vix vmquam contingit. ſi enim facit aliquid vt noceat, quo modo adhibet ſufficientem circumſpectionem ne noceat? Fieri tamen abſolute poteſt: vt ſi quis diligenti conſideratione adhibita, quam prudens adhiberet, putet eſſe feram, & veniat in mentem fieri poſſe, vt ſit hoſtis, ideoque telo petat.

25

Poteſt intẽdi damnũ per actionem. cũ ſufficiens cautio adhibetur.

Vtrùm autem tunc ad reſtitutionem teneatur, eſt dubium. videtur teneri; cùm directam nocendi intentionem habeat. Sed verius videtur non teneri: quia damnum reſpectu illius actionis cenſetur fortuitum. actio enim illa, facta cum tali circũſpectione, non cenſetur vllo modo tendere ad homicidium, aut eſſe periculoſa, vt vitari debeat. nec refert, quòd ab intentione eò dirigatur; quia dirigitur in incertum tamquam in effectum fortuitum; ſicut ſi quis iaculetur in altum eo fine, vt cadat in caput inimici eò quòd cogitet id eſſe poſſibile; quamuis credat inimicum longè abeſſe. Simile fere eſt, ſi quis in aliquo opere omnem diligentiam debitam præſtet, ne noceat; optet tamen caſu obuenire damnum vel mortẽ, (vt poſſet contingere in medico vel chirurgo) & ideò non adhibeat circumſpectionem diligentioris, aut diligentiſſimi: Hic enim non tenebitur ad reſtitutionem. Ratio eſt; quia non tenebatur maiorem diligentiam adhibere: adhibuit enim totum, quod ex iuſtitia debuit: vnde omittendo illam maiorem diligentiam, non fecit ei iniuriam; ac proinde, ſi æger moriatur, non illi imputabitur homicidium: quamquam coram Deo ſit reus, quòd optauerit; & vt caſu moreretur, omiſerit maiorem diligentiam; quæ omiſſio fuit contra charitatem; ſicut quando quis omittit pauperi ſuccurrere in neceſſitate.

Poteſt fieri vt quis omittat diligentiam indebitam vt damnum euenias.

Ex his infero, Si ex facto tuo vel omiſſione ſequutum eſt alteri damnum, & tu nihil in hoc peccaueris, ob naturalem inconſiderationem, vel obliuionem, non teneri te ad reſtitutionem: quamuis in foro externo hoc lata culpa commiſſum diceretur. quia neque ratione rei acceptæ teneris; vt quæ non extet: neque ratione iniuſtæ acceptionis; cùm non peccaueris: neque ratione contractus; cùm nullus interuenerit, vti ſuppono. ita Sotus ſuprà, v. g. egrediens cubiculum, & alia cogitatione abreptus, non clauſiſti oſtium; hinc ingreſſi fures multa abtulerunt. Habes lucernam iuxta locum periculoſum; & quãuis ſolicite propoſueris extinguere, tamen aliquid interuenit, quo abſque culpa obliuiſceris; vel in ſomnum incidis, & excitatur incendium. Aperuiſti puteum, & caſu oblitus es tegere, vel ſepire, ne quis incidat: cenſetur. n. huiuſmodi euentus damnum fortuitò datum. tales caſus ſolent ſæpè contingere inter homines, ſine vllo eorum peccato, Deo ſic diſponente, vel permittente.

26 *Si non aduertis damnum poſſe ſequi.*

Sed difficultas eſt, Vtrùm in culpa lata, vt quis obligetur ex ea, debeat eſſe peccatum mortale.

Reſpõdeo & dico ſecundò, debere eſſe peccatum mortiferum cõmiſſum, in damno dato, vt quis ex culpa obligetur ad reſtitutionem: ordinariè autem quando damnũ eſt graue, culpa, ſeu negligentia, qua commiſſum eſt, cenſetur mortalis; niſi aliunde conſtet non eſſe. Prior pars eſt ex mente Silueſtri locis citatis, & auctorum, quos ipſe citat, Innocentij, Antonij de Butrio, & aliorũ, vt conſtat per exemplа ipſorum. Soti libro quarto de Iuſtitia.

27 *Culpa lata obligans ad reſtitutionẽ debet eſſe mortifera.*

quæſt.

quæſt.7.ar.2.ante ſolutionẽ primi argumẽti, vbi ne in cõmodato quidem,putat eſſe obligationẽ reſtitutionis damni,niſi interceſſerit culpa mortalis : *Quæ à venialibus*, inquit, *homines libere eſſe arguunt:* ſed de hoc infrà. Approbamus ſententiam Soti, quando nullus intercedit cõtractus. idem tenent multi recentiores,vt Petrus Nau.l.2.c.2.nu.48.Henriquez tractatu de Irregularitate cap.15.vbi citat alios, Emanuel Sà, v. Reſtitutio. Ratio eſt; quia quando ſolum culpa venialis commiſſa eſt, non eſt actus perfectus in ratione iniuriæ, ſed imperfectus : ergo non inducit obligationem reſtitutionis,ſaltem perfectam,qua aſtringat ſub peccato mortali. non enim poteſt obligatio maior eſſe in ſuo ordine, quàm fuerit iniuria, ex qua naſcitur, in ſuo.

Culpa venialis, non eſt perfecta iniuria.

Petes, Vtrùm ſaltem ſub veniali ſit obligatio?

28 Quidam affirmant:Sicut enim cum nulla eſt culpa,nulla eſt obligatio;cùm eſt lethalis,eſt obligatio ſub peccato lethali:ita etiam cùm eſt culpa venialis,videtur eſſe obligatio ſub veniali. Sed verius videtur,nullam eſſe obligationem reſtituendi;quod ſatis indicat Sylueſt.& alij DD. Nam obligatio in materia graui, non poteſt eſſe niſi ſub graui peccato : pendet enim obligatio ex materiæ grauitate, poſito præcepto naturali vel poſitiuo : mirum enim eſſet, hominem ſub veniali duntaxat obligari ad reſtitutionem decem millium aureorum; nec poſſe hoc peccato liberari, niſi proponat reſtituere. Ratio eſt; quia cum ſolum venialis culpa in damno inferendo interceſſit; vt cũ ex quadam inconſideratione & animi ἀπροσεξία prouenit,cenſetur quaſi fortuito obueniſſe quis enim in huiuſmodi rebus periculoſis non aliquando aliquam negligentiam admittit? rariſſimè tamen hinc talia damna accidũt. quare merito quaſi fortuna videri debent.

Nõ tenetur ſub veniali.

Subita ira occidens.

Ex dictis ſequitur, Eum, qui ſubita ira correptus aliquem interimit, ita vt fuerit ſolũ motus ſecundo primus, non teneri ſub mortali ad reſtitutionem; vt rectè colligit Petrus Nauar.

29 Altera pars probatur; Quia quando opus eſt periculoſum,vel aduertis periculum, vel non aduertis : ſi omnino non aduertis, naturali quadam mentis diſtractione : vel quia nihil occurrit, quod mentem excitet ad periculi cõſiderationem,nõ peccas,etiamſi non adhibeas diligentiã. ſi autem aduertis periculum,ordinariè peccas mortaliter, debitam diligentiam omittens:raro enim in operibus externis contingit inconſideratio imperfecta, quę ſit venialis; quæ tamẽ frequens eſt in ſubreptitijs cogitationibus, & internis animi motibus. Ratio eſt; tum quia opera externa ſtatim periculum ſuũ ingerunt,& excitant mentem ad conſiderationem: tum quia membra exteriora nõ mouentur ad opus,niſi per rationem ſuperiorem; vt docet D.Thom.1.2.q.74.art.7. Interdum tamen contingit, hanc negligentiam conſiderationis eſſe venialem:quamuis exterius iudicetur eſſe lata culpa, quia non adhibuit eam omnem circumſpectionem, quam homines communiter adhibere ſolent : & tunc verius eſt, non eſſe obligationem reſtituendi.

Inconſideratio imperfecta crebrior circa motus animi,quam circa actiones externas.

30 Sed contra has duas propoſitiones. Obijcitur primò, ex cap. vltimò,de Iniurijs,vbi Greg.IX. dicit, *non excuſari eum, cuius imperitia, vel negligentia damnum eſt datum, ſed ſolum eum, qui vt non occideret, de contingentibus nihil omiſit.*

Obiectiones.

Reſp.Loquitur de culpa lata,quę eſt peccatum: nomine enim negligentiæ & imperitiæ intelligitur peccatum, vnde ſubdit, *Nec ignorantia te excuſat. ſi ſcire debuiſti ex facto tuo, iniuriam verisimiliter poſſe contingere.* Quod autem ait, *illum non teneri, qui de contingentibus nihil amiſit*; intelligendum eſt de *ijs contingentibus*, quæ prudens prouideret: non autem de omnibus;nam certum eſt neminẽ ex caſu fortuito teneri.

Obijcitur Secundò,Ex Can.Conſuluiſti 2.q.4.vbi Stephanus V. ſcribit, *Monendi ſunt & proteſtandi parentes, ne ſum tenellos ſecum in vno lecto collocent, ne negligentia qualibet proueniente ſuffocentur,vel opprimantur,vnde eſſi res homicidij inuoluantur.*

Reſpondeo, Loquitur de negligentia, quæ ſit peccatum,quæ facilè committitur in re tam periculoſa & tam crebra; quam negligentiam quiuis prudens conaretur vitare.

Obijcitur Tertiò,Ex L. Qui occidit.30.ff. ad L. Aquiliam.§. In hac quoque. Sed reuera illa lex pro nobis facit. Primò enim dicit, in hac actione puniri dolum, & culpam; & ſubdit exemplum eius, qui in ſtipulas ignem immiſit die ventoſo, deinde addit, *At ſi obſeruauit omnia, quæ oportuit, & ſubita vis venti largius ignem produxit, uaret culpa.* Aduertendum tamen eſt, in foro externo, tam Eccleſiaſtico, quam ciuili, interdum puniri culpam leuiſſimam, præſertim in committendo poſitam; partim ob præſumptionem fraudis, quæ potius locum habet in commiſſione;partim ne detur locus negligentię vel fraudi. Sed nos loquimur in foro interiori, vbi præſumptio non habet locum.

In foro exterior non punitur.

DVBITATIO VII.

Vtrùm naſcatur obligatio reſtituendi ex damno,culpa leui,vel leuiſſima in officio,vel conſilio dando commiſſa.

3 RESPONDEO & dico Primò, Neminem teneri in foro conſcientiæ ex culpa leui vel leuiſſima in officio; ſed ſolum ex graui. Docent hoc auctores ſupra allati dubit.6. Ratio eſt eadem; quia nemo tenetur in officio vel artificio eſſe prudentior & diligentior,quã paſſim homines eiuſdem conditionis eſſe ſolent:v.g. aduocatus non tenetur eſſe diligentior aut prudentior,quàm paſſim boni aduocati eſſe ſolent.vnde ſi contingat te cadere cauſa, eò quòd non præſtitit quod doctiſſimus & diligentiſſimus præſtitiſſet; tamen bona fide præſtitit quod ſolent diligentes & docti in ſimilibus cauſis; non tenetur ad reſtitutionem.Idem dico de Medico, Architecto,Prætore, Magiſtratu, Principe & alijs officium vel artificium aliquod factitantibus. Vnde ſequitur, etiam tutorem & curatorem non teneri in foro conſcientiæ ex culpa leui vel leuiſſima,ſed ſolum ex lata,quidquid dicat Syl.Reſtitutio 3.qu.8.§.3. cuius ſententia in foro exteriori videtur ſeruari.

Solũ ex graui tenetur.

Aduerte tamen, hæc intelligenda; niſi quis profiteretur ſe diligentiorem aut peritiorem alijs, aut etiam diligentiſſimum, peritiſſimumque; & hac ratione eum, qui talem quærebat, ad ſe pertraxiſſet : tunc enim tenetur ex culpa leui,& etiam leuiſſima; vt rectè Sylueſt. verbo Culpa. qu.4. Ratio eſt;quia tunc promittit ſaltem implicitè, amplius quàm alij paſſim præſtent, & alter hanc ob cauſam ceſſat meliorem quærere : ergo,niſi hãc diligentiam præſtet, tenebitur ad reſtitutionem, non quidem totius damni; ſed quanti iudicabitur ſpes illa valere, qua ſperabat alter, maiori illa diligentia & peritia, quam quærebat, ſe voti compotem fore.

32 *Niſi promiſerit operã meliorem.*

Dices,qui aliquid ex officio facit,videtur ſemper teneri ex culpa leui,quia pro ea re ſtipendium accipit,ac proinde intercedit veluti contractus quidam in vtilitatem vtriuſque:atqui cùm contractus eſt in vtilitatem vtriuſq; tenetur ex culpa leui, vt infrà dicetur.

Reſpondeo, quodam ſenſu dici poſſe talem teneri ex culpa leui; quia debet maiorem diligentiam adhibere, quam ſi nihil commodi perciperet, vel non ex officio faceret.Verùm quia non debet maiorem diligentiam,quàm communiter debent homines eiuſdem officij; ideò commodiùs dicitur,eum non teneri niſi ex culpa graui,nempe quæ grauis eſt inter homines eiuſdem officij.

Quomodo dicitur teneri ex culpa leui.

33 Dico Secundò.Qui præbet conſilium,tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti ratione ignorantiæ craſſæ, vel culpę latę.ſi erat parochus,cõfeſſarius,cõcionator,Theologus,Iuriſconſultus, vel eius profeſſionis, ad quam talis conſultatio ſpectabat.Ita Ioan.Medina Cod.de reſtit.qu.7. vt ſi confeſſarius dicat quempiam teneri ad reſtitutionem, qui non tenetur, vel non teneri,qui tenetur; vel cõtractum quempiam eſſe licitum, qui eſt illicitus; ſi ignorantia ſit craſſa,vel conſiderãdi negligentia ſit grauis, tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti. Probatur Primò, Quia talis ex officio & profeſſione tenebatur hoc ſcire,& in reſpondendo, hunc errorem vel negligentiam vitare, & non fecit: ergo cẽſetur cauſa damni ſequuti. Secundò, Quia ratione ſuæ profeſſionis vel officij, habetur ſufficiens ab eo,qui conſilium petit: ergo ſi non ſit ſufficiens, & tamen reſpondeat, decipit alterum. Imò quicumque

dat alteri cõsilium suadens vt hoc vel illud faciat, aut absolute alterius illum posse facere, tacite habere euidentiam moralem, illud cum his circumstantijs huic esse licitum: alioquin committit culpam latè, vt patet ex dictis lib.1. de Prudentia dubit. 1. Ratio est, quia nemo potest aliquid aggredi, nisi cum tali iudicio, ob periculum peccati, ergo neque alteri esse auctor.

Qui non teneantur.

Aduerte tamen. Primò. Numquam teneri eum, qui cõsultus respondet iuxta opinionem vere probabilem. vt ostensum est 1.2.q.19. Secundò: Neque eum, qui simpliciter aperit suam opinionem, dicens ita sibi videri; non autem suadet vt alter sequatur. Tertiò, Nec eum qui indicat se dubitare; tunc enim si alter sequatur, suæ temeritati adscribat.

34 *Si faciat eius iniussu.*

Dico Tertiò, Si is, qui præbet consilium, erat illarum rerum parum peritus (v.g. quia non pertinebant ad eius professionem) & alter sciens eius insufficientiã petat consilium; consultor non tenebitur illi ad restitutionem. Ratio est, quia sibi debet imputare, si damnum ex illo consilio capiat; scienti enim & volenti non fit iniuria. Si tamen agatur de damno alicuius tertij: nunc talis tenebitur illi tertio. vt si suades alicui certum cõtractum iniustum, vel vt non restituat, &c. Ratio est; quia tuo malo consilio illi tertio multo damnum infers. Nec refert, quòd tu consultor in culpabiliter ignorabas veritatem; quia nemo potest se miscere cunctis consilijs in rebus, quas non intelligit, vnde latam culpam committis.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm nascatur obligatio restitutionis damni ex culpa leui, vel leuissima, quando intercessit contractus commodati, conducti, depositi pignoris, vel alterius similis.

35 SOTVS 4. de Iustitia q.7.ar.2. existimat etiam tunc requiri culpam mortiferam; ita vt si is, cui res commodata, vel locata, vel oppignorata est, negligenter eam custodiat, & ipsa eius negligentia pereat, non teneatur ad restitutionem, nisi negligentia fuerit tanta, vt sit peccatum mortiferum coram Deo: *Nam*, inquit, *a temeritate homo vix liberari potest; vade ob illas negligentias, non est tanta facinus plectendus.* Idem tenent multi recentiores. Emmanuel Sà, v. Commodatum. Henriquez de Iustit. c.15. vbi citat alios. addens eos, qui contrarium tenent, *ipsi humanos, et id locum habere in foro exteriori.* Verùm contrarij seu tenentia est fere communis.

36 *Si pereat fortuito non tenetur.*

Respondeo igitur, & dico Primò, Si res apud commodatarium, vel conductorem pereat fortuito, ad nullã ipse restitutionem tenetur, nisi aliter expresse sit conuentum. Ita habetur c. vnico de Commodato. Probatur, quia res quæque domino suo perit, si nulla intercessit culpa, vel pactio, ratione cuius tenearis ad damnum sarciendum.

37 *Leuis et tres casus.*

Aduerte tamen, in tribus casibus teneri commodatarium de euentu fortuito, qui in illo cap. exprimuntur. Primò, Si intercessit pactum de restituendo quomodocunq; periret. quod pactum is, qui commodat, semper potest exigere, quando gratis commodat, secus autem quando iusto pretio; quia supra iustum pretium nihil potest exigi pretio æstimabile. talis autem obligatio præsumenda euentum fortuitum, est pretio digna. Secundò, Si sit in mora restituendi; vt si tempore statuto non restituat, & postea pereat; si enim restituisset, forte nõ periisset. est autem in mora, qui potest restituere, & non restituit, cum tamen teneatur. Tertiò, Si ex culpa, data sit occasio casui fortuito; vt si nõ sis re illa vsus eo loco, quo conuenit est, sed alio, vbi erat maius periculum, ipsaque perijt, v.g. accepisti vtendum vas argenteum domi tuæ, & foras extulisti. vide Institut. Quibus modis re contrah. obligatio. §. Item is.

Si sit ratihabitione retatur vltra terminum, vel alio modo.

Dices, Quid si bona fide putauit se facere volente domino?

Respond. Si verè domino placebat vt sic vteretur, vel vt retineret vltra terminum, non tenetur, secus verò si deprehendat domino displicuisse. Prior pars probatur, Quia vsus est sub ratihabitione domini, ergo si postea ratum habeat, liberabitur; *quia ratihabitio retrahitur, & mandato æquiparatur*, vt habetur reg. 10. de reg. iuris in 6. quod verum est maxime in contractibus & quasi contractibus, hic autem est contractus commodati. Sicut ergo, si domini expresso consensu fuisset vsus, non teneretur de casu illo fortuito; ita nec modo tenetur accedente ratihabitione, quæ æquiualet præuio & expresso consensui.

Dices, Iam est ius acquisitum domino, cui non intendit renuntiare. Confir. Quia ratihabitio non extenditur ad ignorata.

Respondeo, Illi non est ius acquisitum absolutè, sed solùm dependenter à consensu vel dissensu in vsum præteritum; sicut delata vel deuoluta hæreditate ad Titium, Titius non habet ius nisi dependenter ab acceptatione.

Ad confirmationem. Ratihabitio non extenditur principaliter ad ignorata, extenditur tamen accessorie. sicut & contentus in contractibus; vt si emas rem tibi damnosam futuram, vel, si ego nomine tuo contraxerim vtilissimè, & tu nolis ratum habere. error enim circa extrinseca in contractibus non vitiat contractum. Hinc fit vt sæpè contrahamus vel ratificemus, ex quibus maximum nobis obuenit damnum.

Altera pars patet ex dictis, & confir. Quia non potuit vti re illa nisi cum animo cõpensandi in euentu, quo dominus nollet ratum habere ipsius factum; alioquin commisisset furtum, contrectando rem alienam inuito iusta ratione domino. ergo si dominus nolit ratum habere illum vsum, tenebitur perinde ac si illo inuito vsus esset. Nam re vera illo inuito vsus est; nec potest excusari à peccato, nisi per bonam fidem cum animo compensandi, si dominus nollet ratum habere.

Dices, Etiam cùm dominus ratum habet vsum præteritum, non videtur id facere nisi saluo iure de compensando si res perijt.

Resp. negando assumptum, Sicut enim in contractu commodati in futurum non postulant vt cõmodatarius teneretur de casu fortuito; ita nec putandus est id requirere in ratihabitione præteriti, nisi id exprimat. Quod diximus de commodato, multo magis locum habet in conducto: quia conductor ad euentum fortuitum obligari non potest, sicut commodatarius.

38 *Si eodem modo peritura apud dominum.*

Nota tamen, Si res eodem modo erat peritura apud dominum, commodatarium in his casibus non teneri ad restitutionem, vt docet Couar. reg. Peccatum p.2.§.6.nu.1. & multi alij, de fure & omni iniusto detentore: quia tunc non censetur domino causa damni de quo plura infra c.12.dub.15.

Dico Secundò, Si consultamus intra limites Iuris naturalis, nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamsi apud ipsum fit ex contractu; nisi ob dolum, aut latam culpam. Colligitur ex Siluest. & alijs dub.6. citatis, quia generatim loquuntur.

39 *Iure naturæ solum tenemur ex culpa lata.*

Probatur Primò, Quia Iure naturæ nemo tenetur maiorem diligentiam præstare in custodia rei commodatæ, conductæ, & quam in re propria, & quam ipse dominus adhibuisset si apud ipsum mansisset. ergo si hæc diligentia fit præstita, si contingat rem perire, sine culpa peribit, ac proinde sine iniustitia: atqui nemo tenetur Iure naturæ in cõscientia de damno dato, nisi iniuste datum sit: ergo cum hic nulla sit iniustitia commissa, non obligabitur in conscientia. Confirmatur; quia quando quis præstitit omnem diligentiam, quam tenebatur præstare, res censetur casu perijsse: ergo, &c. probatur, quia Iure naturæ non minorem postulat custodiam *precarium*, quàm *commodatum* (cum precarium nihil sit aliud quàm commodatum ad tempus incertum, nempè ad arbitrium domini) atqui *precarium* non requirit nisi custodiam communem, ita vt solum præstare debeas dolum, & latam culpam, vt patet L. Contractus. 23. ff de regulis Iuris. & L. Quæsitum est. 8. §. Eum quoque. ff de precar. ergo, &c.

40 *Iure positiuo, si contractus in tuam solius vtilitatem, teneris ex leuissima.*

Dico Tertiò, Positis tamen legibus humanis, de hisce rebus latis, si res alterius sit apud te per contractum, qui in tuam solius vtilitatem tendat: teneris non solum ex lata culpa, sed etiam ex leui & leuissima. v.g. Si gratis tibi commodauit librum, equũ, vestem tua causa, teneris in ea re custodienda adhibere nõ solum eam diligentiã quã homines cõiter in suis rebus similibus præstare solent; sed

ſed etiam quam diligentiores & diligentiſſimi: vnde ſi librum commodatum reliquiſti in cubiculo, & egrediens oſtium attraxiſti, ſed non tentaſti an firmiter clauſum eſſet, teneris ad reſtitutionem. Probatur hæc ſententia ex cap. vnico, de commodato, vbi dicitur: *Cum gratia ſui tantum quis accommodatum accepit, de leuiſſima etiam culpa tenetur*; quod DD. interpretantur de culpa iuridicè accepta; quamuis Sotus velit eam Theologicè accipi pro vera culpa in conſciẽtia. Idem colligitur ex L. In rebus commodatis 18. ff. Commodati vel contra & Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio. §. Item is. Ratio eſt; quia æquitas poſtulat, vt is, qui gratis re alterius vtitur in ſuã vtilitatem, ſummam diligentiam adhibeat, ne domino pereat; id enim iure naturæ ex gratitudine repẽdere debet; vnde ſufficiens ſubfuit fundamentũ, ad hoc lege ſanciendum, & inducendum ſtrictam obligationem.

41 *Si in vtilitatem domini, ex lata.*

Dico Quartò, Si cõtractus tantum cedat in commodum domini, cuius ipſa res eſt; teneris ſolum ex dolo, vel lata culpa, non autem ex leuiſſima vel leui. Patet Inſtitut. ſupra. §. Interea & is. vbi dicitur, *depoſitarium*, (nempe qui gratis rẽ depoſitam cuſtodit) *teneri ſolum ex dolo.* vbi nomine *doli* et *latæ culpæ* cõtinetur, vt ibidẽ inſinuat Gloſſa. Vnde ſi tibi cõmodauit librũ, arma, veſtem, in meum dum taxat commodũ; teneris ſolũ ex culpa lata. Ratio eſt; quia æquitas poſtulat, vt tunc non maiorẽ tenearis cuſtodiam præſtare, quam paſſim homines in ſuis rebus ſolẽt; cũ tibi nulla fiat gratia, nec tuũ cõmodũ ſpectetur, ſed domini.

Si in vtilitatem vtriuſq; ex leui.

42 Dico Quintò, Si cõtractus cedat in vtilitatem vtriuſq; teneris ex culpa lata, & leui; non autem ex leuiſſima. Patet hoc ex d. L. Contractus 23. ff. de regulis Iuris, & Inſtit. ſupra, §. Creditor. talis eſt contractus pignoris, pignus. n. datur vtriuſq; gratia, nempe creditoris & debitoris: vnde is, qui pignus accepit, non tenetur niſi ad exactam diligẽtiam in eo cuſtodiendo, vt habetur Inſtit. ſupra: non tamẽ ad exactiſſimam, vt ibidem probat Gloſſa. talis etiam eſt contractus conducti & locati; & contractus depoſiti, quãdo datur pretium pro rei cuſtodia: ſecus ſi gratis fiat. Denique contractus commodati, quãdo vtriuſque cauſa fit. Ratio eſt; quia cum res aliena tibi concedatur in tuam vtilitatem, æquitas poſtulare videtur vt valdè diligenter eam cuſtodias: non tamen diligentiſſimè; quia non tua ſolius cauſa, ſed etiam ob commodum domini traditur.

Sed nunc difficultas eſt, vtrũ hæ leges obligent in conſcientia ante ſententiam Iudicis, ad damni ex culpa leui vel leuiſſima dati reparationem.

43 *Probabile eſt illas leges nõ obligare ante ſententiã.*

Sotus putat ante ſententiam non obligare; eſſe enim pœnales, & procedere ex præſumptione culpæ interioris. Idem videntur ſentire ceteri ſupra citati. Quæ ſententia meo iudicio non eſt improbabilis; non quòd hæ leges pœnales ſint, propriè loquendo, cùm reſtitutio non ſit pœna: ſed quòd in foro conſcientiæ nõ videantur receptæ: nemo enim eſt, qui pignori vel rei conductæ putet ſe maiorem cuſtodiam debere ex iuſtitia, quàm dominus ipſe adhibere ſolet. idem videtur de commodato: etſi. n. maiore cura hoc cuſtodiat, quàm dominus; non tamen id facit, & putet ſe teneri lege iuſtitiæ, ſed ex gratitudine: id. n. gratitudo poſtulat, propter commodũ, quod ex re alterius percipit. nec minus putant homines ſe teneri ad cuſtodiam precarij, quam commodati. Vnde etiam plerumque fit reſtitutio, non ſolum ſi commodatum periit; ſed etiam ſi precarium; quamuis abſque omni culpa perierit.

44 Dices, Si non tenetur: ergo iniquè cogitur in foro exteriori.

Reſpondeo, negando conſequentiam: potuit. n. hoc lege ſtatui propter bonum commune; tũ vt vitetur omnis fraus & negligentia circa res huiuſmodi; tum vt omnes excitentur ad diligentiam eam, quæ æquitati naturali eſt conſentanea, etſi ex iuſtitia non ſit debita. Sicut. n. qui defloravit virginem volentem, ante ſententiam nihil ei ex iuſtitia debet; tamẽ in foro externo cogitur eam dotare; lege ſic ſtatuente propter bonum cõmune: ita etiam qui amiſit cõmodatum abſque culpa, etſi nihil ex iuſtitia debeat ante ſententiam; tamen poteſt cogi ad reſtitutionẽ, ex vi legis ob bonum cõmune, ita ſtatuentis. Neque hoc mirum videri debet; quia in foro externo, dum agitur de damno dato, etiã culpa leuiſſima ſpectatur, vt patet L. In lege. 40. ff. ad legem Aquiliam: tamen in foro conſcientiæ hæc non obligat, vt oſtenſum eſt dubitatione 6.

Fateor tamen contrariam ſentẽtiam (nempè has leges obligare ad reparationem damni ante ſententiã) eſſe communiorem, ac proinde ordinariè in praxi ſeruandam. Ratio eſt; quia illæ leges ſanciunt id, quod naturali æquitati eſt conſentaneum circa rem alienam (quã mediante contractu apud nos habemus) præſtare. qua ſanctione poſita, qui facit talem contractum, (accipiendo commodatum, conductum, depoſitum, pignus) implicitè ſe obligat ad præſtandam eam diligentiam, quam leges requirũt. quare ſi hanc diligentiam non præſtet, (quamuis id naturali obliuione, ſine omni culpa factum ſit) tenebitur ad reſtitutionem. Vide Couar. in epitome 4. decret. p. 2. c. 6. §. 6. nu. 15. & Nauar. c. 17. nu. 184.

45 *Contraria communior Ratio, cur ob legare videã tur.*

DVBITATIO IX.

Vtrùm oriatur obligatio reſtitutionis ex damno dato cum ignorantia comitante.

RESPONDEO, Minimè oriri, (quidquid aliqui dixerint) ſi ignorantia fuit inculpata. vt patet ex dictis 1. 2. q. 6. a. 8. Vt, ſi putans eſſe feram, & telo petens interficias deinde deprehendas fuiſſe inimicum, quem ad necẽ quærebas. Ratio eſt; quia occiſio illa inimici, vel hominis, nullo modo eſt voluntaria; ac proinde abſque omni culpa: & conſequenter non inducit obligationem reſtitutionis. Nec refert, quòd illum æquè voluiſſes occidere, ſi ſciuiſſes eſſe inimicum, & quòd gaudeas occiduſſe; quia illa voluntas non eſt cauſa operis; cum non ſit, nec fuerit, ſed ſolum eſſet, poſita conditione, quæ non ponitur. gaudiũ verò ſequitur opus. Vnde non magis obligat ad reſtitutionem, quàm ſi gauderes ab alio factum.

46 *Ignorantia comitans.*

DVBITATIO X.

Vtrùm reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem?

D. THOM. QVÆST. 62. ART. 2.

GVIDO Carmelita aſſignat Græcis hunc errorem, Reſtitutionem iniquè ablatorum non eſſe neceſſariã ad ſalutem, ſed ſufficere eleemoſynam ex illis datam. Sed non puto Græcos Doctores hoc docuiſſe; cum ſcriptores antiqui non meminerint. quamuis credibile ſit, aliquos eorum ſacerdotes ex auaritia, hoc in abſoluendis pœnitentibus obſeruaſſe, vt partem obtinerent.

47 *Græcorum ſacerdotes.*

Reſpondeo igitur, Ipſam reſtitutionem externam eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſi facultas ſuppetit: ſi autem non ſuppetit, nõ eſt quidem ipſa externa reſtitutio neceſſaria, propoſitum tamen reſtituendi eſt neceſſariũ. Docet hoc D. Aug. epiſt. 54. quæ eſt ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur: ſed fimulatur. ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Prior pars probatur; quia non reſtituere, cum poſſis, eſt voluntariè nocere, & facere iniuriam proximo: (non reſtituendo enim noces proximo; nam impedis illũ à poſſeſſione & vſu rei ſuæ vel debitæ) atqui neceſſarium eſt ad ſalutem vt nemini voluntariè noccamus, aut iniuriam faciamus; vt ex multis Scripturis conſtat. ergo neceſſaria eſt reſtitutio. Vide plura apud Alphonſũ Caſtriũ v. Reſtitut.

Dices, Lucæ 11. Cum Dominus dixiſſet Phariſæo, *quod intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina, & iniquitate*, ſubdit. *Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, ergo ſufficit eleemoſyna ad expianda peccata iniuſtitiæ.

Reſpondeo. Si hoc argumentum valeret, etiam probaret pœnitentiam non eſſe neceſſariam furibus. Itaque nõ vult Dñs eleemoſynam ſufficere, ſed eſſe optimam diſpoſitionem ad munditiam animi. q. d. Date eleemoſynam pro veſtra facultate (id enim videtur ſignificari in Græco, cum dicitur, τὰ ἐνόντα, id eſt, κατὰ τὸ ἐνὸν,) & facite mundamini; quia diſponetur animus ad veram pœnitentiã & reſtitutionem. Vide Ambr. & Theoph in hũc locũ.

Altera pars probatur: quia nemo obligatur ad impoſſibile. quod tamen propoſitum reſtituendi tunc ſit neceſſarium, patet; quia ad remiſſionem peccati, neceſſaria eſt contritio. vel ſaltem attritio cum Sacramento: hæc autem continent propoſitum reſtituendi; tũ quia

48 *Propoſitum reſtituendi eſt neceſſarium.*

continent dolorem de peccato iniustæ ablationis, in quo dolore continetur implicitè propositum restituendi; tum quia continent propositum emendationis, & seruandi diuina præcepta, inter quæ est præceptum restituendi.

49 *Præceptum restitutionis est affirmatiuum.*

Petes, Quale est præceptum restitutionis affirmatiuũ, an negatiuum? Multi dicunt esse negatiuum; quia idem est dicere. *Restitue*, & *Ne detine alienum*. Sed verius est, esse affirmatiuum. Primò, Quia præcipitur actus positiuus; in negatiuo solum præcipitur abstinẽtia ab aliquo opere positiuo. Nec obstat, quòd interdum videatur fieri restitutio sola cessatione detinendi, vt si deferas domum vel agrum, quem vi occupasti; quia hæc cessatio eò dirigitur, vt alter rem suam consequatur, fiatque æqualitas: & ita habet terminum positiuum. Vnde est instar actionis positiuæ, qua impletur præceptum affirmatiuũ. Secundò, Quia non obligat pro omni tempore, sed solum quando est opportunitas restituendi. Negatiuum autem obligat pro omni tempore. Illud autem præceptum, *Ne detine alienum*; in re potius est affirmatiuum, quàm negatiuum; quia non potest seruari, nisi per actum positiuum; neque obligat pro omni tempore.

Aduerte tamen, præceptum restituendi, nasci ex præcepto negatiuo, *Non furtum facies*. Eiusdem enim rationis est furori, & detinere alienum, cum potes reddere. Vnde hoc ipso, quo præcipitur, *Non furaberis*, præcipitur etiam, *vt non detineas*, si potes reddere: & consequenter, *vt restituas*; quia actus restitutionis est necessarius ad non detinendum alienum. 50 *Oritur ex negatiuo.*

CAPVT OCTAVVM.

De iniurijs & damnis in rebus spiritualibus, & necessaria restitutione.

Complectitur Dubitationes 3.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm is, qui priuat aliquem per iniuriam aliquo sensu, vel vsu rationis, philtro, veneno, vel alio modo, teneatur ad restitutionem.

1 *Priuatio mentis, vel sensus non potest pecunia rependi.*

SOTVS lib.4.q.6.ar.3.in solut.1.argumenti, & quidam alij putant pro his damnis præcisè consideratis esse faciendam restitutionem pecuniariam, arbitrio boni viri.

Resp.breuiter, Verius videri; talem non teneri ad restitutionem precisè pro ipso damno sensuum, vel vsus rationis, sed tantum pro damno temporali quod inde sequitur: vt si non possit eam artem vel functionem obire, qua lucrum faciebat. colligitur ex Gomezio tom.3.c.6. nu.12.vbi probat cicatricem & deformitatem ex iniuria remanentem, non posse æstimari à Iudice vel offenso; *quia sicut liber homo nullam recipit æstimationem; ita nec cicatrix vel deformitas eius.* quod expresse habetur. l. fin. ff. de his qui deiecerint, vel effuderint. Idem docet Nau.c.15. n.19 & 20. multique alij infrà citandi. Ratio est, quia hæc damna nullo pretio sunt æstimabilia; sunt.n. in bonis quæ supremum locum inter bona humana tenent; nec quidquam est in hominum potestate, quod his censeatur æquivalens: vnde per pecuniam non potest fieri compensatio. Itaque pro his, satis est pœnitentia coram Deo, cum petitione veniæ pro iniuria illata, quando scitur author, sed de hoc infra c.9.dubit.23.

DVBITATIO II.

Vtrùm is, qui alterum graviter læsit in bonis animæ, pertrahendo ad peccatum, teneatur ad aliquam restitutionem.

3 RESP. & dico Primò, Qui alterum metu, vel fraude pertraxit in peccatum tenetur ex iustitia ipsum suæ libertati restituere, & vim fraudemque tollere, ne ille in posterum simili modo peccet, est cõmunis sentẽtia DD. probatur; quia minari, aut vim inferre est contra iustitiã, si sine iusta authoritate fiat: quæ numquam iusta esse potest, dum quis ad peccatum cogitur. Similiter decipere alterum falsa doctrina circa fidem, mores, vel artes humanas. sicut enim quisque habet Ius iustitiæ, ne ab alio lædatur in corpore; ita et ne in anima lædatur inuitus, errore: sed is, qui aliquid facit cõtra iustitiam, tenetur lege iustitiæ cessare, & quantum in se est, illud retractare, & irritum, infectumque reddere: ergo ex iustitia tenetur vim tollere, minas remittere, fraudemq; patefacere. Vnde nõ est verum, quod quidam docẽt, eum, qui fraude pertraxit aliquem in errorem, si ille error non versetur in materia iustitiæ (v.g. circa cõtractum vel restitutionem) sed in materia fidei, vel tẽperantiæ, non teneri errorem tollere lege iustitiæ, sed solum lege illius virtutis, circa cuius materiam decepit. Ratio illorũ est; quia eodẽ præcepto, quo quis tenetur nihil contra aliquã virtutẽ sciens facere; eodẽ tenetur nihil contra illã suadere, aut docere: tam.n. est cõtra rationem malum scientẽ consulere, quam facere. Sed etsi hæc ratio optimè probet eum, qui suadet falsũ sciens, in materia fidei, vel tẽperantiæ, peccare cõtra has virtutes; tamẽ non probat, eũ non peccare ẽt contra iustitiam. Nã etsi non inuitum, & sine fraude induceret, peccaret cõtra has virtutes: ergo quando fraude vtitur (id est, quando scit, vel dubitat se malè docere, vel consulere, & alterum ex simplicitate decipi inuitum) peccat contra iustitiam.

4 *Duplex malitia in controne, & in deceptione ad peccatũ.*

Aduerte tamen, si quis putaretur non inuitus, sed volũtariè deceptus (quo modo multi iã ad hæreses pertrahuntur auidi nouitatũ, & auribus prurientes) non nasci obligationem ex iustitiæ lege ad errorẽ deducendum: sed tantũ ex lege illius virtutis, contra quã fuit alteri author peccandi, & ex lege correptionis fraternæ. Idẽ dicendum, si deceptus cognoscat aliunde veritatẽ; tunc.n. deceptor nõ tenetur ex iustitia contrariũ suadere. Ratio est; quia ablatus est error intellectus, rõne cuius deceptor censebatur causa operis mali: vnde si alter adhuc pergat in opere malo, non id facit ex ignorantia; sed propria malitia, ac proinde non põt imputari ei, qui antè deceperat. nisi forte variis suasionibus animũ ipsius inflexerit ad malũ: tunc.n. tenetur, si damnum tertio impendeat, quantũ in se est suadere cõtrarium; quãuis ille sciat aliunde veritatem. Ratio est; quia non solũ veritatis ignoratione; sed ẽr tua suasione fuit inclinatus in malum: ergo nisi contrariũ suaseris, censeberis adhuc causa operis, ratione effectus relicti in animo ipsius; nẽpe ratione inclinationis praua & propositi, tua suasione excitati. Sed de hoc plura inf.c.13.dub.3.

5 *Si voluntarie deceptus.*

Si aliunde veritatẽ recognoscat.

6

Dico Secundò, Qui tamen alterum pertraxit ad peccatum, siue prece, vel pretio, siue vi vel fraude, non tenetur ex iustitia curare, vi couuertatur; tenetur tamen ad id lege charitatis, idq; magis, quam alij docent Sotus li.4.de Iustitia, q.6.artic.3.ad primum. Sil. Restitutio 3 q.1. Petrus Nau.c.2.n.1. & alij recentiores. Videtur esse contra Scotũ in 4.d.15.qu.3.art.1. & Adrianum ou. de Rest. §. Ex causa, & quoidam alios, qui sentire videntur, omnes istos, &

7 *Non tenetur ex Iustitia facere vt cõuertatur.*

& etiam qui exemplo ſuo fuerunt alijs cauſa peccandi, teneri ex iuſtitia. ſed rationes eorum ſolum probant teneri ex charitate.

Probatur Primò, De eo, qui pretio vel prece induxit, ſine vi & fraude. Namqui ita induxit, non abſtulit aliquid ab inuito, cum ille inductus, ſciens & prudens peccauerit: ergo non eſt ei illata iniuria.

Dices cum Adriano, etiamſi ille actu elicito non fuerit inuitus; (libere enim conſenſit) tamen actu ſecundum legem diuinam debito, fuit inuitus: nam debebat ei diſplicere. Sicut ſi quis te roget vt ſibi manum abſcindas, etſi ipſe ſponte hoc damnum patiatur; tamen quia actu ſecundum legem debito patitur inuitus peccas contra iuſtitiam.

Ad iniuriã non ſufficit, vt quis actu debito ſit inuitus.

Reſp. Si ſufficeret ad peccatum iniuſtitiæ, vt quis actu debito ſit inuitus, ſemper eſſet contra iuſtitiam inducere alium ad quoduis peccatum: quia deberet ille inuitus induci & facere; id eſt, deberet nolle tibi obſequi. Vnde ſi alicui ſuaſiſſes, vt pecuniam ſuam profunderet in luſum vel conuiuia, tenereris ad reſtitutionem; quod nemo dixerit. Neque illa abſciſſio manus eſt iniuria in eum, qui conſentit; ſed in Rempub. & Deum; qui non conſentit: quia fit inuita Repub. Deoque nolente. Vt igitur ipſi non fiat iniuria, ſufficit vt reipſa non ſit inuitus.

Qui ſcit ſe eſſe in peccato, & poſſe permanere, cenſetur condonare.

9 Secũdo, Probatur generatim de omni eo, qui inductus eſt ad peccatum etiam vi & fraude, & ſcit ſe eſſe in peccato, & poſſe reſurgere. quia nemo tenetur ex iuſtitia ad reſarciendum damnum ei, qui cenſetur illud cõdonare; ſed is, qui a te inductus eſt in peccatum, poſtquam ſcit ſe eſſe in peccato, & poſſe ope diuina reſurgere, & tamen non vult; cenſetur ſibi damnum ſpiritale cõdonare; nam vult in eo permanere, & gratiam amiſſam veluti ante oculos poſitam, non vult recuperare. Sicut ſi res ablata Petro, eſſet in eius conſpectu, ita vt eam facile poſſet recuperare, & tamen nollet; cenſeretur eam habere pro derelicto, & reſtitutionem condonare.

Tertiò, Is qui fuit principalis, & directa cauſa damni ſpiritalis, non tenetur ex iuſtitia; nempe is, qui fecit opus malum, eo quòd is, qui paſſus eſt cenſeatur condonare, nempe idem ſibi ipſi: ergo nec is, qui eſt cauſa remota, cõſilio, prece, vel etiam vi, tenetur, cum alter condonet.

Teneri ex charitate.

10 Quòd tamẽ lege charitatis præ ceteris teneatur, patet; quia æquitas poſtulat, vt is, qui eſt author mali, præ ceteris laboret vt emendetur. & hoc benè probant argumẽta Adriani: maius enim ille attulit nocumentum, quam ſi abſtuliſſet pecunias: imò multi peruertendo alios exemplo, conſilio, vel praua doctrina, plus mali faciunt, quàm tota vita omni diligentia ſua poterunt cõpenſare. Itaque æquitas poſtulat, vt omnem operam per ſe & alios nauet, vt illi emendentur. Puto tamen hanc obligationem, quatenus præ ceteris obligantur, non eſſe ſub mortali, vt docet Nau. li.5.conſi.tit.3.conſil.2.n.4. Probatur iiſdem rationibus, quibus oſtenſum eſt non eſſe contra iuſtitiam: charitas enim non obligat ad correptionem ſub mortali, niſi in neceſſitate, quando etiam alij obligantur. vnde præ ceteris non tenetur ſub peccato mortali.

Dico Tertiò, Si is, qui fraude inductus eſt in errorem
11 faciat opus malum, priuſquam veritatem cognouerit, imputatur conſultori, qui decepit: quamuis qui fecit, ob ignorantiam inculpatam non peccarit. Ratio eſt; quia conſultori hoc opus eſt voluntarium, cum ſciat eſſe prauum: ei autem qui facit, eſt prorſus inuoluntarium quà malum, quia omninò eius prauitatem ignorat. Vnde ſi eſt homicidium vel mutilatio, conſultor irregularitatem incurret, non executor. Adeo verum illud Heſiodi, *Malum conſilium conſultori peſſimum.* Vide 1.2. q.6. art.3.& 8.

DVBITATIO III.

Vtrum is, qui auertit aliquem à religione, quam volebat ingredi, vel ingreſſum extraxit, teneatur ad aliquam reſtitutionem.

DVPLICITER poteſt quis abduci à Religione, Vi, vel fraude. 2. Solis precibus aut ſuaſionibus. Item poteſt eſſe quæſtio de reſtitutione vel perſonæ, vel commodi temporalis, quibus notatis.

Reſpondeo & dico Primò, Qui nouitiũ ſine vi & fraude extraxit, non tenetur ex iuſtitia Religioni liquid reſtituere, etiamſi malo animo fecerit, & grauiſſimè peccarit. Eſt cõtra Adrianum ſupra. Ita Sotus l.4.de Iuſt.q.6.ar.3.& Petrus Nauar.l.2.de Reſtitut.c.2.num.15. Ratio eſt; quia Religioni non eſt facta propriè iniuria: nam ante votorum acceptationẽ (quæ in alijs Religionibus fit in profeſſione, in noſtra vero, dum poſt biennium probationis, emittuntur vota ſimplicia Scholaſticorum) Religio non habet ius ad perſonas, quamuis ipſę voto ſe aſtrinxiſſent, vt in votis realibus, & in omni promiſſione accidit. Hinc patet illum etiam non teneri ad compenſandum vtilitatem temporalem, quam Religio ſperabat a nouitio; quia non habebat ius ad eam, niſi mediante libera voluntate nouitij, quam ille in ſua libertate reliquit, dum nullam vim vel fraudem adhibuit.

12 *Qui nouitium ſine vi & fraude abduxit.*

Ex decentia tenetur.

Dixi, *non teneri ex iuſtitia*; quia ex æquitate quadam ſeu decentia tenetur illum hortari ad bonum propoſitum reſumendum; vt reparet magnum illud bonum, quod nefarie in animo eius deſtruxit, ſpiritum Dei extinguens.

Qui vi vel fraude abduxit.

Dico Secundò, Is, qui vi aut fraude abduxit à Religione ſiue profeſſum ſiue nouitium, non tenetur ex iuſtitia, vel alio præcepto ipſe ingredi; ſed tenetur vim tollere, & fraudem aperire, ſuadereq; reditum; quòd ſi ille redire nolit, vel procul abſit, vt conueniri non poſſit, tenetur ex æquitate quadam alium inducere, ſi commodè poteſt; non tamen ex iuſtitia.

13

Non tenetur ingredi.

Prima pars, *quòd non teneatur ipſe ſeductor ingredi*, probatur; Tum quia ipſe fortè non eſt aptus; tum quia ſtatus Religionis debet liberrimè acceptari: eſt enim ſtatus perfectionis, quæ non niſi liberis, minimèq; coactis functionibus acquiritur: vnde patet, vt eius obligatio non naſcatur ex vllo delicto; ſed tãtum ex ſpontaneo voto: quo fit, vt etſi ob delictũ poſſit qs cõcludi in monaſterio ad agendã pœnitentiã, tũ nõ poſſit cogi, vt Religionẽ profiteatur.

14 *Obligatio Religionis ingrediendi, non poteſt naſci ex delicto.*

Secunda pars, *quod teneatur vim & fraudem tollere*, patet ex dubit.2.

Tertia verò pars, *quòd ex æquitate teneatur alium inducere*, patet ex dictis. Cum enim Deo & Religioni ſubtraxerit obſequium illud, quod ille præſtabat, par eſt vt compenſet eo modo, quo poteſt. quòd tamen *non teneatur ex iuſtitia*, docet Sotus; & probatur. Primò, Quia nec ipſe Religioſus ex iuſtitia tenetur redire, ſed ſolum ex voto religionis, vt quidam volunt. Secundò, Etiamſi teneretur redire ex iuſtitia, (quod verius videtur) tamen author non tenetur ex iuſtitia, niſi vim & fraudem tollere, & ſuadere reditum: nam aliter non poteſt perſonam reſtituere, vt autem aliam huius loco reſtituat, nec moribus receptum eſt, nec iuſtitia poſtulat; quia capeſſere Religionem, non eſt perſuaſionis humanæ, ſed pendet ex inſpiratione diuina. Tertiò, Quia monaſterium non poſſidet Religioſum tamquam mancipium, propter quod, ſi abductum fuerit vi vel fraude, debet aliud reſtitui: ſed tamquã filium, propter quem abductum vel occiſum nõ reſtituitur alius. Quartò, Qui Religioſum occidit, non tenetur ex iuſtitia alium inducere: ergo, &c. Quintò, Nullus Iudex in foro exteriore id ei iniungeret; quod ſignum eſt non teneri ex iuſtitia.

Non ex iuſtitia alium inducere.

Dico Tertiò, Qui nouitium vi vel fraude ſeduxit, auertitque à Religione profitenda, tenetur ex iuſtitia monaſterio compenſare, quanti ſpes illa temporalis commodi, quod ex ipſius hæreditate, donatione, vel induſtria expectabatur, valebat. Probatur generali ratione; Quia qui aliquem impedit vi, fraude, mendacio, metu, ne tibi relinquat legatum hæreditatem, aut ne tibi cõferat beneficiũ, quod propoſuerat conferre; tenetur tibi ad reſtitutionem, quanti illa ſpes, iudicio prudentum, æſtimatur. Etſi enim tu non habeas ius ad beneficium, vel legatũ iſtud; habes tamen ius, ne alteri vis, aut fraus fiat in tuum detrimentum. pari modo Religio ius habet, ne vi aut fraude eum, qui ſtatuit ingredi, auertas. Vnde qui ita auertit, violat ius Religionis; ac proinde tenetur ad reſtitutionem damni conſequentis, qua parte pretio illud eſt æſtimabile.

15 *Tenetur damnum compenſare.*

Hic tamen aduerte, ſi reſtituit illum ſuæ libertati, fraudemque aperuit interea temporis, dum adhuc illi eſt integrum redire, probabile eſſe non amplius teneri: quia in poſterum non cenſebitur cauſa damni mopallerio;

sed nouitius solus sponte non rediens,idem dicendum,si nouitius ille fraudem aliquo modo aduerit : nam egressio tunc non fuit mere voluntaria. quòd si non amplius sit ei integrum redire;vt si interim contraxit matrimonium, vel alia ratione impeditus est;tenebitur deceptor ; quanti spes illa monasterij æstimabitur; quia censetur causa damni in posterum : dixi, *si ei abducto*; quia etiamsi nouitio sit integrum redire; tamen si occasione fraudis vel vis illatæ muter serio animum,deceptor videtur causa damni, quia iniuste eius occasionem dedit.

Sed difficultas est, si quis professum seducat, maximè si ei vi vel fraude. Quidam putant talem teneri ad restitutionem commodi temporalis,quamuis sine vi vel fraude abduxerit.Ratio est;quia Religiosus habet ad percipienda commoda temporalia ex eius functionibus; (vt si erat concionator, vel Doctor, a quo magnus prouentus, vel eleemosynæ) atqui hoc ius impedit is, qui suadet egressum;ergo peccat contra Iustitiam. Sed contrarium videtur verius ; Vnde.

16 *Qui professum abduxit.*

Dico Quartò, Qui vi vel fraude abduxit à Religione professum,tenetur monasterio compensare, quanti emolumentum temporale, ex ipso prouenies, æstimabitur. non tamen,si precibus vel consilio absque vi & fraude id fecit.

Docent hoc quidam recentiores, inter quos Petrus Nau. supra numer. 23. & Michael Salonius. quæst. 62. art. 2.

Prior pars patet ; quia est efficax causa damni, modo iniusto; idque multò magis,quam qui nouitium abducit. qui enim professum vi vel fraude abducit, non potest id ita facere, vt non censeatur velle nocere Religioni ; cum ipse iam sit astrictus Religioni,& teneatur(saltem ex voto obedientiæ) pro Religione laborare,& habeat voluntatem laborandi,ex quo labore prouenit emolumentum. itaque censetur causa propinqua damni, idque modo iniurioso.

17 Hic tamen aduertendum est primò, An reuerà damnum sit acceptum : si enim ille tantumdem consumebat; vel si alius absque notabili incommodo in eius locũ substitui potest, qui parem vtilitatem adferat ; non est opus restitutione.

Secundò, Postquam Religiosus suæ libertati restitutus est,fraude detecta, vel vi laxata, abductorem non teneri in posterum; sed solum pro eo damno, quod datum est interim dum vis, vel fraus durabat. Ratio est; quia in posterum non censetur causa damni, sed ipse Religiosus potens redire.

18 *Religiosus non tenetur laborare ex iustitia, sed ex virtute religionis.*

Altera pars probatur ; Quia Religiosus non tenetur ex Iustitia procurare illa emolumenta ; sed solum ex virtute obedientiæ & religionis ; vt docet Bannes quæst. 62. artic. 2. dubit. 6. & alij. Vnde etsi nolit laborare, & commoda monasterij conquirere, non peccat contra Iustitiam. Ergo is, qui illi suader absque vi & fraude vt non procuret, non peccat peccato iniuriæ in monasterium, sed peccato irreligiositatis. Si enim ipse Religiosus non facit propriè iniuriam nolendo laborare,cum tamen sit principalis auctor damni ; ergo neque consultor, cum solum teneatur secundario.

Dices primò, Ille facit iniuriam Religioni,dum suadet egressionem, & ex hac iniuria sequitur damnum : ergo tenetur de damno.

Resp.Primò,Non esse iniuriam, quæ sit contra Ius Iustitiæ,sed contra virtutem Religionis;cuius violatio non obligat ad restitutionem.

Respon. secundò,& melius; Etsi sit iniuria in Religionem, suadere Religioso egressum; non tamen est iniuria suadere otium, vt illa commoda non procuret. Ac proinde suasor ille non tenetur ad illius damni, vel incommodi sartionem. 19

Confirm. ex facto ipsius Religiosi; hic enim etsi faciat iniuriam Religioni egrediendo, & ex hac iniuria sequatur damnum : tamen ad compensationem damni illius non tenetur. Ratio est, quia etsi egredi sit iniuria ; non tamen nolle procurare vtilitatem temporalem est iniuria ; eò quòd non teneatur ad hoc ex Iustitia, sed solum ex obedientia. Vnde non omne damnum sequens ex iniuria obligat ad restitutionem ; sed solum illud quod ita sequitur, vt per ipsam actionem iniuriosam interatur ; quod hic non contingit, quia quamuis suadere egressionem sit iniuria, quatenus est causa egressionis; non tamen respectu damni secuti, eo quòd hoc damnum immediate ex libera voluntate Religiosi, non ex suasione illa dependeat. *Damnum per accidens ex iniuria sequens.*

Dices secundò,Si quis seruo suaderet ne laboraret, teneretur ad restitutionem domino : similiter si seruo empto suaderet fugam. ergo etiam qui monacho suadet fugam vel otium.

Respondeo, Qui tali seruo suasit fugam effectu secuto, tenetur ad æstimationem serui ; in qua veniunt etiam commoda ab illo separata. Ratio est ; quia seruus est principaliter ad commodum domini : imò quatenus est vtilis ad temporalia est possessio domini,sicut iumentum. Vnde si seipsum domino subtrahat, furtum sui committit, & tenetur ad sui restitutionem ; vt supra capitulo quarto. dubitat. nona dictum est. Secus est in Religioso, quia Religiosus non est principaliter propter commodum temporale Prælati, vel Religionis ; sed ob suum bonum spiritale ; propter hoc enim se Religioni sponte mancipauit. vnde non possidetur à Prælato tamquam seruus; sed subest tamquam filius in suum commodum ; vt ad suam salutem rectè dirigatur. Quòd si quis seruo suaderet, non quidem fugam, sed otium & cessationem ab operibus iniunctis; etsi grauiter peccaret, non videretur tamen peccare contra Iustitiam, nec teneri ad restitutionem ; quia nec ipse seruus dedens se otio, videtur contra Iustitiam peccare;sed contra obedientiam domino suo debitam. Non enim actiones serui sunt debitæ domino lege Iustitiæ, sicut mercenarij, qui pretium pro illis accipit : nec cogitur in foro conscientiæ compensare, etsi negligentius laborauit : sed eo iure debentur, quo seruus tenetur obedire domino. Itaque cum principalis auctor & executor non teneatur ; etiam non tenebitur suasor. Posset tamen talis tamquam corruptor serui puniri. 20 *Suadens seruo otium.*

CAPVT NONVM.

De iniurijs in corpus proximi per homicidium vel mutilationem, & de neceſſaria reſtitutione.

Habet Dubitationes 26.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrum liceat occidere aliquid viuens. *D. Thomas Q. 64. a. 1.*

1 *Manichæi errat.*

RESPONDETVR affirmatiuè. Notandum, Manichæos negaſſe animantia, aut plantas interimi poſſe; quòd omnes animas putarent eſſe quaſdam Dei particulas, vt refert D. Auguſt. lib. 1. de ciuitate, cap. 20. & lib. de hæreſ. c. 46. Sed fide tenendum eſt homines in ſuos vſus animantia & plantas poſſe interimere. Probatur Geneſ. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem ſemen ſuper terram, vt ſit vobis in eſcam.* & Gen. 9. poſt diluuium conceduntur animantia, & omnia viuentia in cibum. 1. ad Corinth. 10. *Quidquid venit in macellum, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Denique ipſe Dominus manducauit agnum Paſcalem, quē antea oportuit occidere. Idem definitum eſt in Concilio Bracarenſi 1. c. 14. vbi hæc hæreſis damnatur. Ratio eſt; quia homo naturaliter eſt dominus omnium rerum inferiorum, iuxta illud Gen. 1. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis beſtijs terræ:* ergo poteſt eas in ſuum vſum conuertere. Confirmatur; quia non poteſt homo ali elementis ſimplicibus, vt terra, aqua, &c. ergo compoſitis, qualia ſunt animalia & plantæ, quæ ſine anima non poſſunt conſeruari, ſed mox corrumpuntur; vtide anima eſt ipſis data inſtar ſalis conſeruantis à putredine, (vt rectè dixit Philo) vt homo poſſit illis vti, cùm libuerit.

2 *Abſtinendū à crudelitate.*

Aduerte tamen, etſi liceat animantia occidere; abſtinēdū tamē à crudelitate, ne ſine cauſa doloribus conficiantur: vnde Prouerb. 12. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia:* & Exodi 23. *Deus præcipit diem ſabbati etiam propter quietem iumentorum.* Ionæ vlt. *Parcit Ninive, tum ob homines, tum ob iumenta.* Deuter. 22. *Non arabis ſimul in boue & aſino;* ne videlicet totum iugum in aſinum decidat; cùm ſit minor. & cap. 25. *Non alligabis os boui trituranti.* Nec obſtat quod Apoſtolus hunc locum adferens dicat; *Numquid de bobus cura eſt Deo?* vult enim dicere; hoc non eſſe principaliter ſcriptum propter boues; ſed ob rem ſignificatam: ſecundariò tamē etiam vt animantia cum ratione tractentur.

Hinc patet Primò, poſſe in hac re eſſe peccatum, ſaltem veniale: eſt enim abuſus quidam poteſtatis herilis, & dominij. Secundò, quanta ſit ſuauitas diuini ſpiritus etiā in creaturas ratione carentes.

DVBITATIO II.

Vtrùm liceat occidere peccatores.

D. THOM. ART. 2.

3 RESPONDETVR affirmatiuè; Ratio eſt, quia pars eſt propter totum: quare ob totius conſeruationem poteſt exſcindi: ergo cùm ſinguli peccatores ſint pars Reipub. ob eius incolumitatem poſſunt occidi.

Notandum eſt, Scotum in 4 q d. 15. q. 3. a. 2. docere, nō quoſuis peccatores poſſe à poteſtate publica occidi: ſed eos dumtaxat, quos Deus in veteri Teſtamento expreſſit. Ratio eſt, quia Deus Exodi 20. & Matth 5. abſolute & generatim prohibet hominis occiſionem; *Non occides.* ergo non licet quemquam occidere, quantumuis ille malus ſit niſi Deo diſpenſante in ſuo præcepto. atqui Deus non diſpenſauit, niſi circa quoſdam peccatores, quos excepit Exodi 22. & alibi. Hinc vlteriùs infert, fures non poſſe occidi; quia non ſunt excepti. *Scoti ſententia fures occidi non poſſe.*

Sed hæc ſententia defendi nequit Primò; Nam D. Thomę ratio generati probat de omnibus peccatoribus Reipub. noxijs; quęuis enim pars eſt propter totum; ergo ob totius incolumitatem poteſt reſcindi. Secundò, Quia ſi illos ſolos licebat occidere in veteri Teſtamēto, quos Deus excepit, nempe maleficos, blaſphemos, adulteros, Sabbatum violantes, & paucos alios; ergo in nouo Teſtamento nullos licebit occidere; quia illæ leges, quibus hi iubebantur occidi, erant iudiciales, accomodatæ ſtatui illius populi; ac proinde iam ceſſarunt: & in Scriptura noui Teſtamenti nihil de his, vel alijs occidendis habemus. Hoc Iulianus Apoſtata prætexens, Chriſtianos priuabat Magiſtratu, vt habet Socrates lib. 3. hiſt. c. 11. Tertiò, Principes ethnici laudabiliter occidere poterant malefactores: (qui tamen Scripturam non legerant, vt poſſent ſcire, quos Deos excepiſſet) vt patet ad Rom. 13. *Non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram illi qui malè agit.* Vide D. Auguſt. lib. 1. de ciuitate cap. 21. Denique Scoti ſententia infirmo nititur fundamento. nam præceptum, *Non occides*, intelligitur tantùm de innocentibus, iuxta illud, *Iuſtum & innocentem non interficies:* & de occiſione, quæ ſit priuata auctoritate, aut non ſeruato ordine Iuris. *Præceptum. Non occides quomodo intelligitur.*

4 *Contrarium probatur.*

DVBITATIO III.

Vtrùm priuata auctoritate liceat interficere maleficos.

D. THO. a. 3.

5 RESPONDEO, Non licet priuata, ſed dumtaxat publica auctoritate. quod intelligi de occiſione ad punitionem; non ad neceſſariam ſui defenſionem. Ratio eſt; quia non licet interficere peccatores, niſi ob bonum Reipub. ſicut non licet amputare membrū, niſi ob ſalutem corporis: atqui procuratio boni publici pertinet ad publicam poteſtatem; quæ eſt in Principe, vel Magiſtratu; ergo ad ſolum Principem pertinet, malefactores è medio tollere: ſicut ad ſolum ſuppoſitum, membrum ſecare. Vide D. Auguſt. L. 1. de ciuit. c. 17. 21. 26. & Gratianum 23. q. 5.

6 Nec obſtat quod interdum permittatur, vt quiuis poſſit occidere publicos hoſtes Reipub. vt latrones & proſcriptos, quos Bannitos vocant; quia tunc non occiduntur auctoritate priuata, ſed publica; conceſſa à Principe, qui illam dare poteſt; primo, quando alia via malum impendens auerti nequit: vt ſæpe accidit in cōiurationibus. ſecundò, quando criminoſus alia ratione caſtigari non poteſt; tamen illum caſtigari omnino expedit; vel ad terrorem aliorum, vel ne plura ſcelera pateret; vt fit in Bannitis, vide infrà qu. 15. dub. 5.

D V-

DVBITATIO IV.

Vtrùm homini priuato liceat interficere tyrannum.

ALPHONSVS à Caſtro lib. de hæreſibus v. Tyrannus, ſentire videtur nullum tyrannum ab homine priuato poſſe interfici: idque probare conatur multis argumentis. Verùm diſtinctione vtendum.

7 *Tirannus duplex. 1. ratione tituli.*

Reſpondeo igitur, dupliciter fieri poſſe, vt quis ſit Tyrannus. Primò, ratione *tituli*, nempe ſi abſque vllo Iure armis principatum inuadat, vel occupet; ſicut Turca regna Orientis, & alia vicina. Talis poteſt à quouis de regno interfici. eſt communis ſententia DD. D. Thomæ 2. ſententiarum d. vltima q. 2. a. 2. ad 5. vbi pro hac ſententia adducit Ciceronem laudantem eos, qui Cæſarem, quâuis familiarem & amicum occiderunt: eumque explicas ait; *Tullius loquitur in eo caſu, quando eloquis dominium ſibi per ambitionem ſurripit, nolentibus ſubditis; vel etiam ad conſenſum coactis; & quando non eſt recurſus ad Superiorem, per quem Iudicium ad mouere fieri poſſit. Tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur & præmium accipit.* Idem erudite docet Caietan. quæſt. 64. art. 3. Sotus l. 4. de Iuſtitia quæſt. 1. ar. 3. & alij paſſim. Ratio eſt; quia talis non eſt Princeps; ſed iniquus inuaſor & oppreſſor Reipubl. & ſingulorum: Atqui quiuis poteſt iniquum oppreſſorem Reipub. (quando aliud non eſt remedium) è medio tollere. ſicut enim priuata perſona, ſi iniquè ab aliquo opprimitur, poteſt vim vi repellere, & inuaſorem è medio tollere, quando alius modus liberationis non ſuppetit; ita Reſpub ſi iniuſtè inuaditur, poteſt per quemuis ſuorum, vim repellere, &, ſi opus eſt, inuaſorem è medio tollere. ſic Aod ſuſtulit e medio Eglon Regem Moabitarum, qui oppreſſerat tyrannicè Iſraelitas, Iudicum 3. & Iudith Holofernem, Brutus, Caſſius, & alij Iulium Cæſarem. denique apud omnes Gentes paſſim maximis honoribus publicè affecti ſunt, qui tales tyrannos occiderunt. vide Herodotum lib. 3. Xiphilinum in Auguſto, & Alexandrum ab Alex. lib 3. cap. 26.

8 *Duplici Iure poteſt è medio tolli.*

Poteſt autem id fieri duplici iure. Primò, Iure defenſionis innocentis; & hoc iure poſſet etiam is, qui non eſt pars Reipub. oppreſſæ; mens enim Reipub. eſt, vt à quouis defendatur, ſi alter liberari non poteſt. Secundò, Iure vindictæ: quia Reſpub. vel eius Princeps, (ſi Principem habet) poteſt vindicare iniurias illatas; ita tamen vt iniuriam vindicta non ſuperet. Hoc iure non poteſt vti niſi auctoratus, vt miles; quia vindicta requirit auctoritatẽ. Vnde in pace non infertur, niſi per Iudicem ſententia interueniente; in bello, niſi per milites.

9 *Triplex cauſa neceſſitatis.*

In his tamen obſeruandum Primò, Neceſſarium eſſe, vt conſtet illum eſſe iniuſtum inuaſorem. Si enim aliquod probabile ius habet, non cenſetur tyrannus. vnde non licet interficere. Quamobrem Romani cùm omnes quibuſcum bella gerebant, haberent pro legitimis hoſtibus, qui iure cum ipſis pugnare poſſent, noluerunt permittere vt priuatus quiſpiã ducem eorum inſidioſe interimeret: vnde transfugam, qui promittebat ſe Pyrrhum veneno necaturum, Pyrrho tradiderunt; vt teſtatur Cicero 3. officiorum. Secundò, Vt non timeantur maiora mala à filio tyranni, vel amicis. Tertiò, vt non ſit contra expreſſam Reipubl. voluntatem. Huius enim eſt, auctoritatem illam vel certè cõſenſum dare. cenſetur autem conſentire, quãdo paſſim ciues optant illum ſublatum; imò quando non cõſtat de contraria voluntate: nam tunc præſumitur velle, quod iuſtè velle poteſt vt liberetur; atqui hoc iuſte velle poteſt, cùm alia ratio non ſuppetat. ergo, &c.

10 *2. Ratione adminiſtrationis.*

Secundò, Poteſt quis eſſe *tyrannus* ratione dumtaxat *adminiſtrationis*; vt ſcis; qui eſt verus Princeps, regni adminiſtrationem flectat non ad bonum publicum, ſed ad ſua priuata compendia; onerando illud iniuſtis exactionibus, vendendo officia Iudicum, condendo leges ſibi commodas, publico parum vtiles. Talis non poteſt à priuatis interimi, quamdiu manet Princeps. Hoc tantùm probant rationes à Caſtro adductæ.

Probari id ſolet, Primò; ex 1. Petri 2. *Serui ſubditi eſſote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* verùm hic locus non agit de ſubditis Principum, ſed de mancipijs, & continet potiùs conſilium, quam præceptum. hortatur enim vt obediant, etiamſi ob fidem multas patiantur iniurias à ſuis dominis: cùm tamen in hoc caſu poſſint fugere, ſi ſcandalum abſit.

Secundò, Probatur ex Concil. Cõſtantienſi ſeſſ. 15. vbi damnatur his articulus; *Quilibet tyrannus eſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vaſſallum ſuum vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito Iuramento ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia vel mandato Iudicis cuiuſcumque.* In quo articulo ſunt multi errores. Primò, Quemlibet tyrannum poſſe occidi: nempe tam eum, qui tyrannicè adminiſtrat, quàm qui tyrannicè titulum occupat. Secundò, Debere occidi per quemuis ſubditum: cùm tamen ex his plerique excuſentur. Tertiò; Idque etiam contra Iuramentum, & fœdus iuratum: cùm omne Iuramentũ licitum ſit ſeruandum. Quartò, Nulla ſententia Iudicis expectata: cùm, ſi ſuperiorem habet ad eum primò ſit confugiendum.

11 *Non poteſt in defenſione fortunarum interfici.*

Tertio, Probatur; Quia Princeps, etſi tyrannicè agat, tamen manet Superior (vnde Scriptura iubet nos, in rebus licitis, parere Principibus Ethnicis tanquam Superioribus, ad Rom. 13. 1. Petri 2. & alibi; etſi maximi eſſent tyranni; vtpotè qui Eccleſiam perſequeretur, & ad impietatem cogerent:) ergo non poteſt a ſubdito interfici, niſi fortè ob neceſſariam vitæ ſuæ defenſionem, de quo infrà. etſi enim auferat bona; hæc tamen non ſunt tanti momenti, vt ob eorum tutelam poſſit interfici, vim vi repellendo, ſicut priuatus quiſpiam: tum quia hæc multis modis poſſunt per ipſum, vel Rempub. reſtitui: tum quia habenda eſt ratio maieſtatis principalis, quæ omnibus ſacroſancta eſſe debet, cùm nobis auctoritatem diuinam repræſentet: præſertim cùm bona externa adminiſtrationi Principis ſint ſubiecta. Adde, ſi tantum exceſſerat tyrannus, vt non videatur amplius tolerabilis, nec vllum aliud remedium ſuperſit, primùm à Repub. vel comitijs regni, vel alio habente auctoritatem, eſſe deponendum, & hoſtem declarandum; vt in ipſius perſonam liceat quidquam attentare. Tunc enim deſinit eſſe Princeps. Vide Caietanum & Sotum ſuprà.

12 *Eſt primò de ponendus.*

DVBITATIO V.

Vtrùm licitum ſit occidere filiam in adulterio deprehenſam, vel ipſum adulterum.

13 *Sententia quorundam eſſe id licitum.*

QVIDAM putant, primò, fas eſſe parenti, ſi filiam in adulterio deprehenderit, ipſam cum adultero occidere; modo adſint illæ conditiones, de quibus in L. Patri. 20. & ſequentibus. ff. de adulteris. quarum prima eſt; vt filia ſit iuncta matrimonio. Secunda, Vt ſit in patris poteſtate. Tertia, Vt eodem impetu occidat filiam, & adulterum, ſi poſſit. Quarta, Vt id faciat in domo patris vel generi. Quinta, Vt deprehendat eos in opere turpi.

Secundò, Putant idem licitum marito in domo propria, in adulterum vxori, ſi adulter ſit perſona vilis. ex L. Marito 24. ff. de adulteris: & L. Gracchus 4. C. eodem titulo. Ita ſentit Iulius Clarus. l. 5. ſententiarum. §. Homicidium. num. 48. & ſequentibus. & alij quidam recentiores. Probari poteſt hæc ſententia, Primò, Quia leges ciuiles non ſolum hoc permittunt, quatenus volunt eſſe impunè (vt communiter reſponderi ſolet) ſed etiam expreſsè dant ius & poteſtatem. Nam d. L. 20. ff. de Adulteris dicitur, *Patri datur ius occidendi adulterum cum filia, quam in poteſtate habet.* L. 22. §. 2. *Ius occidendi, patri conceditur domi ſuæ licet ibi filia non habitet, vel in domo generi.* L. 23. *Voluit lex ita demum hanc poteſtatem patri competere, ſi in ipſa turpitudine filiam deprehendat.* & C. eodẽ tit. L. Gracchus: *Permittitur marito vt occidat adulterum, ſi vilis ſit: & hunc*, dicit, *legitimè interfici.* Item patet ex L. duodecim tabularum, *Furem in adulterio deprehenſum, necare.* vt refert ex alijs Couar. de matrimonio 2. p. c. 7. §. 7. quæ lex etiam multò ante Athenis viguit, lata à Dracone & Sone; teſte Plutarco in Solone.

Ex

Ex his patet, legem dare hanc auctoritatem. & conſtituere parentem & maritum veluti executores iuſtæ punitionis. vnde non faciunt auctoritate priuata, ſed publica.

Reſponſio quorundam.

Reſpondent quidam, has leges eſſe iniuſtas. Ita Fortunius tractatu de vltimo fine illatione 11. Sed contrà primò, Mirum eſt tot præclara ingenia Græcorum & Romanorum hanc iniuſtitiam tot ſæculis non vidiſſe, eamque legibus & moribus à tempore Solonis probaſſe. Secundò, Eædē leges redactæ ſunt in codicem Iuſtiniani Principis Chriſtiani, & à reliquis Principibus, & Iureconſultis Chriſtianis acceptatæ. Tertio, Lex ciuilis poteſt facere poteſtatem occidendi Bannitos (quos vocant) ob graue aliquod crimen: nam paſſim in Italia extant ſtatuta, per quę licet impunè tales occidere, vt refert Clarus ſupra n. 52. Item transfugas, qui ad hoſtes fugere tentant. L. 3. §. Transfugas. ff. ad L. Corneliam, de ſicarijs: cur non etiam poſſit dare poteſtatem occidendi adulterum, & filiam in ſcelere deprehenſos? cùm enim tales mortem mereantur, cur nó poteſt ea, conceſſu legis, per patrem, vel maritum inferri? Adde, olim apud Germanos pœnam adulterarū, maritis permiſſam ſine omni iudicio: vt refert Tacitus, de moribus Germanorum. Hic tamen aduerte, Iure Cæſareo non permitti maritis vt occidant vxores adulteras, vt quidam Theologi recentiores putant: ſed tantùm vt occidant adulterum: & tunc vxorem accuſent in iudicio vt puniatur, vt docet Couarr. ſuprà. & colligitur ex L. 2. ff. de adulterijs. olim quidem aliquamdiu licuit; ſed Auguſtus ſuſtulit: vt refert Suetonius in Auguſto. patri tamen permittitur vt occidat filiam ſimul & adulterum.

15 *Non conceditur marito occidere ex iungem.*

16 *Verius, non licere.*

Ob has rationes videri poſſit hæc ſententia non improbabilis.

Reſpondeo tamen, & dico Primò, contrarium (nempe in foro animę non eſſe licitum ante ſententiam) eſſe tenēdum. Primò, Quia eſt communis ſententia DD. vt affirmat Couar. ſuprà num. 15. à qua, in quæſtione practica tanti momenti, nō eſt facile recedendum. Secundò. Quia iſtæ leges videntur improbatæ per Canones. Nam 33. q. 2. cap. Inter hęc, Nicolaus Papa conſultus, Vtrùm marito liceat ſecundum *legem mundanam* (nempe Longobardorum, vt ait Gloſſa; quæ tunc in Italia ſeruabatur) vxorem, quæ adulterium perpetrauit, interficere: reſpondit; *Sancta Dei Eccleſia mundi nis nunquam conſtringitur legibus: gladium non habet niſi ſpiritalem quo non occidit, ſed viuificat.* vbi occultè inſinuat Eccleſiam improbare illam legem. Ad idem confirmandum adduci ſolet caput Admonere; ibidem, ſed ſi benè examinetur, nihil probat. Confirmari poteſt ex D. Auguſt. l. 2 de adulterinis coniugijs c. 15. *Deſtremò quæro abs te, an marito Chriſtiano liceat, vel ſecundum veterem Dei legem, vel Romanas, adulteram occidere*; (alij legunt *abijcere*. ſed male) & poſt pauca, *Si quòd verius dicitur, non licet homini Chriſtiano adulteram eam vxorem occidere; ſed tantùm dimittere; quis dicat tibi, fac quod non licet, vt tibi liceat, quod non licet? cùm enim vtrumque ſecundum legem Chriſti illicitum ſit, ſiue adulteram occidere, ſiue illa viuente alteram ducere; ab vtroque abſtinendum eſt.* Idem credibile eſt Auguſtinum dicturum de parente & filia, marito & adultero.

17 *Non ſubeſt cauſa ſufficiens ad id cōcedendum.*

Ratio autem potiſſima, cur illa poſtea non ſit concedenda, eſt; quia exponitur manifeſto periculo ſalus animę eorum, qui ſic interficiuntur; idque abſque vlla neceſſitate: nam poſſunt capi, accuſari, & per ſententiam puniri: ſecùs eſt de Bannitis, qui capi non poſſunt. deinde quia datur occaſio occidendi impunè quem velis, domi tuæ: fingendo quòd cum vxore vel filia voluerit habere commercium.

Dico Secundò, Poſt ſententiam legitimè latam, poteſt parens occidere filiam, & maritus vxorem, ſi per Iudicem ei occidenda tradatur; vt ſit in quibuſdam Regnis; tunc enim committitur executio iuſtę ſententię, quæ ſicut cuiuis alteri, ita etiam ipſis concedi poteſt.

DVBITATIO VI.

Vtrùm liceat ſeipſum interficere.

D. THO. 2. 5.

19 *Donatiſtarū error.*

NOTANDVM eſt, Donatiſtas, qui dicti ſunt Circumcellriones, cenſuiſſe eſſe genus martyrij ſeipſum interimere: vnde paſſim ſe varijs modis perimebant: vt Auguſt. refert. hæreſi. 69. & alibi. contra hos diſputat toto ferè lib. 2. quem ſcripſit contra Epiſtolam Gaudentij. & lib. 1. de ciuitate, à cap. 17. vſque ad 28. & alibi.

20 *Abſque diuina auctoritate non eſt licitum.*

Reſpondeo igitur & dico Primò, Abſque diuina auctoritate non eſſe licitum ſeipſum directè ſeu ex intentione perimere; eſt communis ſententia DD. Probatur Primò; Quia eſt contra illud Exodi 20. *Non occides.* vbi prohibetur occiſio cuiuſuis hominis ſine legitima auctoritate: vt docet Auguſt. cap. 17. ſupra: atqui nemo habet auctoritatem in ſeipſum; cum non ſit ſeipſo ſuperior; ergo, &c. Secundò, Quia eſt cōtra illud præceptum, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; vbi dilectio noſtri conſtituitur menſura dilectionis proximi: atqui non licet occidere proximū ſine auctoritate in ipſum; ergo nec ſeipſum: nam hoc eſt ſummi odij ſignum.

Dices, Optare ſibi mortem ſi cauſa ſubſit, non eſt ſignū odij, imuno nec illicitum: ergo nec rogare.

Reſp. negādo conſeq. multa enim ſunt, quæ nobis alijſque poſſumus, nimirum vt inculpato modo obueniant; quæ tamen inferre non poſſumus. exemplum DD. multi adferunt in pollutione. ſic poſſum maleficio imprecari commeritum ſupplicium, nō tamen inferre: poſſum optare multa pati pro Chriſto, quæ non poſſum inferre aut procurare, &c.

21 *An ſit iniuria in Rempubl.*

Tertiò, Qui ſe occidit, Reipub. iniuriam facit: nam illa inuita, veluti quoddam ipſius membrum abſcindit. etſi enim Reſpub. non habeat dominium in ſuos ciues, ſicut dominus in ſeruum; habet tamen ius quoddam illis vtendi in rebus neceſſarijs.

Dices, non videri propriè iniuriam in Rempub. ſed tātum generali ratione; quatenus eſt contra legem Reipub. ſi qua talis lex vel cōſuetudo id prohibens in Reipub. ſit. quod confirmatur, tum quia Reſpub. non putat ſe ob id iniuria affectam; ſicut ſi quis ærarium expilaret: tum quia quiuis poteſt ſe ſubtrahere à Repub. & conferre ſe ad exteras Prouincias, & tunc non plus commodi ex ipſō cōſtabit in Rempub. quam ſi mortuus eſſet: tum quia fieri poteſt vt is, qui ſe interficit, ſit Reipub. inutilis, vel etiam moleſtus: tum denique quia fieri poteſt vt ſit ſolitarius, nulli Reipublicæ inſitus.

Reſp. Quidquid ſit de iſtis rationibus, ſaltem eſt contra iuſtitiam legalem, quæ non eſt minoris, ſed potius maioris momenti, quam commutatiua. vera ratio eſt, quia deeſt auctoritas.

Quartò, Qui ſe interimit, iniuriam quamdam Deo facit, rem eam, quæ ipſi ſoli ſubiecta eſt, abſque auctoritate deſtruens; nam *ipſe ſolus vitæ & necis poteſtatem habet*, vt Sapientiæ 16. dicitur. ordo enim rerum naturalis poſtulat, vt ea, quæ homine ſunt inferiora, ipſius poteſtati ſint ſubiecta, ita vt ea poſſit in vſum ſuum interimere: ipſa verò humana vita, non ſit ſubiecta niſi Deo; & in certis caſibus (nempe quando vita alicuius, Reipub. eſt noxia) ipſi Reipub. loco Dei; non enim par eſt vt illud donum, quod nulla ſua induſtria homo poſſit ſibi comparare, nulloque modo ab ipſius conſenſu pendet, in ipſius ſit poteſtate, ſicut res inferiores.

Quo modo ſit iniuria in Deum.

Dices, Si eſt iniuria in Deum; ergo eſt contra virtutem religionis.

Reſp. negando conſequentiam propriè loquendo: dicitur enim iniuria in Deum, quia interimitur res, quæ tantum generali modo eſt in dominio ſolius Dei; idque ſine auctoritate à Deo conceſſa: tunc autem eſt propriè cōtra religionem, quando ſpeciali modo eſt res Deo conſecrata & violatur abſque auctoritate. Denique hanc ſententiam multis locis docet D. Auguſt. lib. 1. de ciuit. cap. 26. vt ait: *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus; neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales; ne incidat in perpetuas, nemi-*

nem

nem propter aliena peccata ; ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium,quem non polluebat alienum. neminem propter sua peccata præterita ; propter quæ magis hæc vita opus est , vt possint pœnitendo seruari . neminem velut desiderio melioris vitæ,quæ post mortem speratur : quia rei sua mortis,melior post mortem vita non suscipit.

Obiectiones.

Martyres se occidentes.

Sed cõtra Obijcitur Primò, Quidam coluntur vt martyres,qui tamen directè seipsos occiderunt;vt feminæ illæ,quæ cum ad tyrannum essent adducendæ,se in flumen præcipitauerunt;ne pudicitiam amitterent;de quibus Eusebius l.8.c.12.& 17. & Ambros.lib.3.de Virginibus ante medium;& S. Apollonia seipsam in rogum coniecit,vt refert idem Eusebius l.6.c.33. Palladius etiam,historiæ Lausiacæ c.150.aliam quamdam feminam laudat , quæ cum accerseretur a Tyranno,seipsam interfecit.

Resp.has & similes, dupliciter posse excusari , Primò, Quòd id fecerint diuina inspiratione . ita excusat eas D. August.loco citato . Simili modo etiam excusat Sampsonem ibidem cap.21.quamuis hic etiam aliter facilè possit excusari:vt infra nu.33.dicetur . Secundò,Possunt excusari per ignorantiam inculpatam. Nam se occidere ob patriæ salutem aut pudicitiæ custodiam , non est ita euidẽs esse malum,quin inculpatè possit ignorari , & putari licitum:cùm non solum ethnici;(præsertim Stoici, quorum sententiam eleganter explicat Iustus Lipsius cent. 2. epist. 26.)sed etiam multi Christiani,etsi doctissimi ita videantur sensisse: D. Hieronymus in cap 1.Ionæ , versus finem. *Vnde in persecutionibus non licet propria perire manu , absque eo , vbi castitas periclitatur* , vbi aperte insinuat in periculo castitatis id licere. Scio Glossam & alios quosdam,hùc locum Hieronymi in contrarium sensum explicare ; sed violenter. Ambros.& Eusebius supra, laudant mulieres illas,quòd se occidissent, ne violarentur. Neque id tribuit diuinæ inspirationi ; sed laudat factum , tamquam honestum , ob talem finem . Palladius quoque non meminit vllius reuelationis . Simili modo excusat Sotus S.Apolloniam : & excusari potest Razias , de quo 2. Machab.14.

24 *Quo modo sint martyres.*

Dices , Quomodo coluntur vt martyres,si se illicito modo occiderunt ; cum martyr ab alio debeat occidi?

Resp.Quia propter fidem Christi ad hoc fuerunt quodammodo compulsæ.Vnde cum ipsæ in eo facto non peccauerint; secundum mortalem æstimationem censetur ab ipsis persecutoribus occisæ,& sic sunt martyres.

25 *Alius non potest committi executio in seipsum.*

Obijcitur Secundò, Quando aliquis legitimè condemnatus est ad mortẽ, potest cuiuis a Iudice committi executio;ergo etiam ipsi reo:ergo saltem in hoc casu poterit seipsum directè occidere. Confirmatur;quia tunc omnes rationes supradictæ cessant ; non enim tunc agit contra charitatem sui , neque contra præceptum , *Non occides* . quia non occidit innocentem,neque propria auctoritate, neque absque Iuris ordine . Denique nulla videtur posse adferri ratio,cur non liceat , saltem absque peccato mortali.Si dicas,esse contra naturalem inclinationem,esseque nimium crudele . Hoc quidem probat , reum non teneri in se exequi,neque iudicem id posse præcipere.ita vt obliget in conscientia;non tamen conuincit,reum sponte non posse hanc commissionem suscipere:præsertim si permittatur illi mors facilis ; vt vena abrupta , veneno hausto, corde transfixo,alioquin subituro acerbissimã.Sanè multo leuius est minusque natura horret sibi conscisscere lethum suaue ; quàm ab alio perpeti dirissimum.Adde,neminẽ sine causa , & iusta auctoritate posse in seipsum esse crudelem,tamen ex causa,& cum tali auctoritate non videtur esse peccatum,saltem graue, si in seipsum crudelis sit.Secus tamen si tyrannus iuberet, vel is,qui non potest iustè condemnare:quia sicut tunc non potest alteri committi executio,ita nec reo.deest enim iusta auctoritas.qua in re multum erranut Stoici , non intelligentes veram causam,cur homo non possit se interficere.

Hausus veneni.

Ob has rationes hæc sententia videri possit alicui non improbabilis, eam quem insinuat Franciscus Victoria relect.de homicidio num. 30. vbi docet *eum , qui damnatus est vt veneno pereat , posse illud hauire ; imò posse ad hoc obligari* . Idem docet Arragon.q.69.art.4.& Corduba L.1.q. 36.addens esse eamdem rationem aliarum pœnarum. Et sanè dubitandum non videtur , quin possit os aperiri vt infundatur. parum autem videtur referre an ipse infundat,an alius , quando nulla datur ampliùs dilatio vel tergiuersatio; item si serpentis ictu pereundum;an ipse reus applicet,an alius eum præsto habens. Quod autem talis se directè occidat(quidquid Arragon.excuset)patet; quia intrò sumit rem, quę non minùs directè extinguit , quam ignis, vel gladius , vel plumbum liquatum . Neque inter hæc videtur esse alia differentia ; quàm quòd haustus veneni minùs habeat horroris;nec possit commodè vel decorè per alium inferri;sicut supplicium ignis & gladij .

26 Verùm mihi placet contraria sententia tum quia cõmunis Doctorum, à qua in rebus practicis non facilè recedendum:tum quia sicut nemo est idoneus executor sẽtentiæ mortis in parentem , ob reuerentiam illi, qui est principium vitæ,debitam , & ob naturalem coniunctionem;ita multò minus in seipsum : est enim actio directè pugnans cum inclinatione communis naturę;nulla enim res seipsam vllo casu perimere intendit . Ex quo fundamento soluas argumenta alterius sententiæ.

27 *Indirectè et per accidens se occidere.*

Dico Secundò, Etsi non liceat seipsum directè occidere,licitum tamen est quando iusta causa subest,aliquid facere, vel omittere , vnde certò scitur secuturus interitus indirectè.Ita passim DD.infrà citandi.Ratio est;quia non est prohibitum homini ne vitam suam periculis vmquam exponat,aut vt eam conetur semper seruare ; sed tantùm ne ex intentione illam quasi extra auferat;& ne absque causa illam exponat , aut conseruare omittat : tunc enim censeretur illam ex intentione perdere.sicut prohibitum est, ne se ex intentione polluat , aut absque iusta causa , eius periculo se exponat.explicari autem hoc potest multis casibus.

Primò,Miles potest & tenetur non deserere stationem in periculo communi,etsi certus sit se occidendum.

28 *Posse se sistere Iudici plectendum.*

Secundò.Reus potest non fugere ex carcere. etsi certò sciat se morte plectendum,vt multi martyres fecere.imò potest malefactor zelo Iustitiæ & exempli publici , se offerre Iudici puniendum , vt docet Petrus Nauarr.lib.2.c. 3.num.73. quia ob iustam causam potest quis desiderare mortem;& etiam procurare legitimo modo,sicut alteri ; ita & sibi.

29 *Recusare cibum oblatũ.*

Tertiò , Condemnatus ad mortem per famem , potest abstinere à cibo clanculum oblato; vt rectè docet Henricus quodl.5.q.31.Sotus l.5.q.6.art.4.Lopez.c.63.Instruct. quod mirum est negari ab Arragon.& Victoria,cum doceant reum teneri bibere venenum,si ad hoc condemnetur.qui enim haurit venenum,ponit sibi inferre aliquid, directè interimens : qui non comedit, nihil sibi infert,sed permittit calore interno vitam absumi;itaque solùm non conseruat vitam , ad quod satis grauem causam habes, nempe vt se iustæ sententiæ conformet . Confirmatur ; quia si quis tantum haberet idolothyta in extrema necessitate,posset ijs non vesci,& præoptare mortem; vt docet Aug.epist.54.in fine,& Henricus suprà.Idem dico , si solùm haberet carnes humanas , quamuis etiam ego euentu talibus posset vesci , vt docet Caiet. quæst. 148.artic. 2.ad 2.argumentum Martini . vide infrà lib.4.capit.3. dubit.2.

Quartò, Si duo in extrema necessitate constituti sint , potest alter alteri cedere panem , quem habet , quo vitam tueri poterat,& finere se emori : habet enim iustam causam non comedendi , officium charitatis in proximum. Victoria n.26.suprà, Toletus li.5.c.6.& alij.

30 *Offerre se pro amico.*

Quintò , Potest quis se obijcere telo ad conseruandam vitam Principis,& etiam ad conseruandam vitam amici: imò si amicus sit condemnatus ad mortem, potest se pro illo offerre occidendum.inquit Toletus, intellige,si iniustè:si enim iustè,allicceret alterum ad peccatum.

31 *Concedere tabulam.*

Sextò , In naufragio potes alteri permittere tabulam nondum à te occupatam(imò etiam occupatam)& committere te vndis , etsi non sit spes euadendi , vt docet Victoria num.26.suprà,& Petrus Nauarr. hoc enim non est directè se interimere , sed exponere se periculo, vt ab vndis,deprimente corporis pondere,vincatur. Vbi aduerte. eum , qui prior rem occupauit in tali euentu , non teneri alterum admittere, sed posse impedire ; nisi vtrique sufficiat:si simul occuparunt,sorte dirimendum;nisi alter alteri sponte cedere velit .

Septimò , Potes seruire infectis , pesti , etsi putes te inficiendum.

Octauò,

32 *Accendere pulverem.*

Octauò, Potes injicere ignem in pulverem tormentarium, ad euertendam turrim hostilem, etsi certum sit momento te dissipandum: neque enim tu te interimis propriè, sed ignis impetus, vel turris ruina, quibus te ob iustissimam causam exponis: non secùs ac is, qui se objecit telo vt corpus Principis saluet. sic Eleazarus interfecit elephantem, à quo videbat se opprimendum; qui laudatur
33 lib. 2. Machab. cap. 6 Sic Sampson Iudicum 16. vt interficeret hostes populi, euertit domum cuius ruina est & ipse obrutus. Nec obstat quòd D. August. l. 1. de ciuitate cap. 21. dicat Sampsonem non excusari, nisi quia Spiritus latenter hoc intulerat; quia alijs hic nullam talem iussionem censent necessariam. vide Caietanum, in illum locum, & Ambros. lib. 1. officiorum c. 40. vbi factum Eleazari, quod est omnino simile, valdè laudat. Idem tenet Lopez 1. p. c. 65. in fine, & multi recentiores; eique res in bellis penè quotidiana: alioquin nō liceret cum periculo vitæ iuf-
34 fodere turres & mœnia. Hoc modo excusari possunt nostri milites & locij nauales, qui sæpè fortissimè cum hæreticis prælio nauali dimicantes, cùm iam vident nauem in potestatem hostium venturam, communi consensu ignem pulueri injiciunt, & se mari committunt, ne ipsi & nauis veniant in hostium potestatem. non enim intendunt sui interitum, sed ne hostis naui cum publico damno potiatur, & vt se ipsi (si qua ratione possint) morti certissimæ ab hoste inferendæ eripiant: si enim quis potest desilere in mare vt saluet amicum, cur non vt euadat hostis crudelitatem?

35 *Vt viterur incendium.*

Nonò, Grassante incendio, si non supperat alia ratio tam horrendæ mortis euadendæ, potes te è sublimi per fenestram demittere, etiam cum certo vitæ periculo: non enim intendis te occidere, sed dirum illud tormentum fuga euadere. quin etiam animantia instinctu naturæ, modis talibus se saluare nituntur.

DVBITATIO VII.

Vtrùm aliquo euentu liceat interficere innocentem.

D. THO. a. 6.

V. G. Si tyrannus persequeretur innocentem, vt olim Constantius Athanasium, & minaretur vrbi excidium, nisi illum interimat.

36 RESPONDEO & dico Primò, Non posse interfici. probatur Exodi 23. *Insontem & iustum non occides; quia auersor impium.* est ergo impietas hoc facere. ratio est, quia cum nullus hominum habeat dominium vitæ alterius, nemo potest eam tollere, nisi vel ad necessariam defensionem, vel ad criminum punitionem. Vnde D. Augustinus libro primo de ciuitate cap. 17. & 19. docet grauius esse peccatum occidere innocentem, quam peccatorem.

Obiection.

Dices Primò, Respublica potest exponere vitâ suorum ciuium, ob communem salutem: ergo etiam potest vitam alicui eripere, quando id necessarium est ad commune bonum. Secundò, Potest quis ad obtinendam victoriam dirigere tormentum in locum, vbi videt multos innocentes: quod nihil est aliud, quàm eos occidere. Tertiò, Viri Samariæ occiderunt 70. filios Achab timore belli quod Iehu illis minabatur; vt patet 4. Reg. c. 10. & factum illud Deo placuit: ergo ob commune bonum licet interficere innocentes.

37 *Quo modo possit exponere vitam sub laterum.*

Ad primum, Respondeo Rempub. posse suorum ciuiũ vitam exponere imperando iniustam defensionem, necessariam ad patriæ salutem, ad quam defensionem iure naturæ obligantur: quod longè aliud est, quàm ipsam vitam directè eripere, seu inferre mortem. eripere enim vitam innocenti, nihil per se confert ad auertendam Reipub. calamitatem; sed tolùm ex malitia tyranni. Itaque cùm per se malum sit; non fit licitum, ex eo, quòd referatur ad talem finem: alioquin licitum esset Sacramenta prophanare, & hæreticas cærimonias inducere, si tyrannus id præciperet, excidium interminans.

Ad secundum, Hoc non est directè & ex intentione occidere innocentes, sed præter intentionem; intendit enim demoliri turrim, quod licitè potest ad obtinendam victoriam. Neque tenetur abstinere, quòd hostes ibidem pueros & turbam imbellem collocent; (alioquin numquam victoria posset obtineri) sed corpta prosequi potest, quatenus ad victoriam necesse, etiamsi inde sequatur illorum interitus. Si tamen illi essent in castris obsidentium, non possent interfici. vt ciuitas cogatur ad deditionem.

Dirigere tormenta cõ, vbi innocentes.

Ad tertium, Valde verisimile est Iehu indicasse ipsis, voluntatem Domini esse, vt progeniem Achab deleret: alioquin peccasset inducendo eos ad peccatum, fuisse autẽ Dei voluntatem, qui vitæ necisque in omnes potestatem habet, patet 2. Paral. c. 22. vbi dicitur, Deum vnxisse Iehu, vt deleret domum Achab.

38 *Potest illum tradere.*

Dico Secundo, Potest tamen Respub. cogere innocentẽ vt tyrannum accedat, & si ire nolit, potest illum tyranno tradere. Ita docet Lopez 1. p. cap. 60. Instruct & Adrianus, quem ibidem citat, & Petrus Nauarr lib. 2. c. 3. num. 120 quamuis Sotus li. 5. q. 1. art. 7. & quidam alij negent. Probatur Primò: quia ille innocens tunc ex charitate & pietate in patriam & ex Iustitia legali tenetur egredi, & se morti exponere, si certum sit calamitatem communem auertere: ergo etiam ad hoc potest cogi.

Respondet Sotus, eum non teneri ex Iustitia particulari, ac proinde non posse cogi. Sed in hoc fallitur: nam ad multa cogi possumus per Magistratum, ad quę ex iustitia non obligamur: vt ad dandam eleemosynam in magna fame, ad vendendum frumentum, ad vitandos sumptus immodicos in vestes, & conuiuia; ad vitandam ebrietatẽ, fornicationem, incestum, sodomiam, blasphemiam certos ludos, & similia; ad quæ tamen ex Iustitia nō obligamur. ergo, similiter poterit ille innocẽs cogi vt tyrannum accedat, etiamsi certissimè sit interficiendus: sicut cogi potest, vt stationem suam tempore belli obeat, etiamsi constet esse interficiendum. quod si nollet ire, iam vereretur non esset innocens: vnde posset a Rempub. tyranno tradi. similiter si timeretur fuga elapsurus cum pernicie Reipub.

39 Secundò, Si principe in extrema necessitate constituto non supperet nisi vnus panis hominis priuati, posset ille cogi ad cedendum eo Principi, & etiam vt spoliari etiamsi esset moriturus fame: ergo etiam potest cogi vt accedat tyrannum, quando id necessariũ est ad salutem Reipubl. Consequentia patet: quia qui aufert illi panem, non minus videtur ad mortem cooperari, quam qui cogit adire tyrannum. vel qui illum tradit.

Tertiò, Si in hoc esset aliqua iniuria, id proueniret ex eo, quòd ille tradatur inuitus, atqui hoc non obstat: quia panis etiam auferetur ab inuito, & tamen non fit ei iniuria; eò quòd ex charitate obligetur illũ sponte dare: ergo cum hic sit obligatio spõte accedendi ad tyrannum: si cogatur, non fiet iniuria. potest enim legitimus Superior cogere ad ea, quæ iure naturali obligantur.

40 *Obiectiones.*

Dices Primò, Tradere innocentem tyrãno in hoc casu, est ipsi cooperari ad necem innocentis: atqui hoc est illicitum. ergo, &c. Antecedens probatur; quia si satellites ipsius caperent & traderẽt illum, verè cooperarentur; ergo similiter si Respub. id faceret.

Secundò, Si tyrannus in hoc casu peteret sibi tradi virginem ad violandum, nõ posset Respub. illam inuitam tradere: similiter si peteret codices sacros ad comburendum vel Sacramenta ad temerandum: ergo nec innocens potest tradi qui ad mortem quæritur.

Ad primum, Respondeo negando id esse propriè cooperari ad necem. Ad Probationem, est dispar ratio inter satellites tyranni & Resp. pub. Nam illi nullam auctoritatem habent in innocentem: vnde inferunt ei iniuriam. Respub. verò habet auctoritatem; est enim iure naturæ, Superior singulorum: vnde potest cogere ad id, ad quod ille iure naturæ erat obstrictus, vtitur enim iure suo.

Ad secundum, Nego consequentiam; est enim ratio dissimilis. virgo enim ob periculum animæ non tenetur ire; vnde nec Respub. potest eam cogere, vel tradere potest tamen vrbe excludere, & non tueri; non enim eum tanto suo damno tenetur illam protegere, vel apud se retinere.

Codices sacri.

Quòd ad codices sacros & Sacramenta attinet, dici potest esse disparem rationem: quia neque in rebus ipsis est obliga-

obligatio vt tradi debeant; neque Deus tenetur ſuſtinere illam iniuriam, vt homines non occidantur. Accedit, q̃ in huiuſmodi tradendis ad imperiũ tyranni, ferè ſemper ſit periculum ſcãdali publici; videtur enim proditio quædam rerum ſacrarum. vnde Veteres illud ſemper pro magno crimine habuerunt; vt patet ex D. Auguſtino epiſtola 64. & 71. & Hæreſi 69.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm liceat alterum occidere in vitæ ſuæ defenſionem.

D. THOM. ART. 7.

RESPONDET D. Thomas licere, quando id neceſſe, modò tamen non intendatur mors inuaſoris.

41 Notandum eſt Auguſtinum de Ancona tractat. de poteſtate Eccleſiæ. q. 52. art. 3. docuiſſe, *occidere inuaſorem non eſſe licitum, ſed ſolum permiſſum.* Idem videtur ſenſiſſe Gerſon tract. de Euchariſtia. Ratio eorum eſt; quia tenemur potius corporalem mortem oppetere; quàm vt proximũ in eternam damnationem præcipitemus. Sed contraria ſententia eſt communis; pro qua.

Dico Primò, Fas eſſe occidere iniuſtum inuaſorem, ob defenſionem vitæ ſuę, & integritatis membrorum, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita D. Thomas hoc loco & Victoria relect. de homicidio nu. 17. Gomez. tom. 3. c. 3. num. 22. & ſequent. Couarr. relect. in clement. Si furioſus. 3. p. §. vnico. n. 6. Sotus li. 5. de Iuſtitia q. 1. art. 8. & alij. Probatur Primò, Quia Exodi 22. dicitur, *cum, qui furem nocturnum occiderit, non eſſe reum homicidij*, nempe quia diſcerni nequit, an venerit animo occidendi, an furandi tantùm: vt D. Auguſt. q. 84. in Exodum exponit. Secundò Quia *cum vi repellere, leges, omniaque iura permittunt*, vt ait Alexander III. capit. Si verò. 1. de ſententia excommunicationis. Innocent. III. cap. Significaſti. 2. de homicidio. Quare etiam Clericis & Monachis hoc conceſſum, ſicut & laicis: idque contra quoſcumque etiam contra Superiores; vt monacho contra Abbatem, filio contra parentem, ſeruo contra dominum, vaſallo contra Principem: & in quocumque officio ſit quis occupatus; vt ſi celebret, & inuadatur, poteſt ſe tueri, & occidere inuaſorem, ſi neceſſe ſit, & poſtea ſacrum continuare; vt docet D. Anton. 3 p. tit. 4. cap. 3. §. 1. Silu. Bellum 2. §. 7. & 5. & alij.

Defenſio ſui contra quemcumque conceſſa.

42 Vnde quòd Sotus ait, ſi inuaſor ſit Princeps, vel perſona admodum vtilis Reipub. ego verò parum vtilis, teneri me perpeti mortem; tantùm verum eſt eo caſu, quo ex interitu alterius ſequeretur magnum Reipub. damnum; vt, bella ciuilia ob ſucceſſionem, &c. Idem Ius ſuo modo locum habet in bellijs: Si enim bos tuus inuaſus à boue alterius, occidat inuadentem, non teneris dedere eum noxę, domino bouis occiſi; vt colligitur ex L. 1. §. Cum arietes. 9. Si quadrupes pauper feciſſe dicatur. Eodem Iure, furioſi & amentes occidi poſſunt quando inuadunt; ſi aliter elabi nequeas.

43 *Defenſio inculpata quæ.*

Dixi *Cum moderamine inculpatæ tutelæ*, (ſic enim loquitur Alexan. III. ſupra) id eſt, cum ea moderatione, ſine qua iniuria depelli non poteſt: quia in defenſionem non potes vti maiori vi, quàm ſit neceſſe ad iniuriam arcendã: alioqui non eſt defenſio, ſed vltio. vnde teneberis ad reſtitutionem. itaque eum, qui percuſſit, & iam fugit, vel certè deſtitit, & amplius non metuitur, non potes occidere, vel repercutere; (niſi forte interdum ad defenſionem honoris, de quo infrà) quia illa repercuſſio non eſt neceſſaria ad vitam tuendam ab iniuria; vt quæ iam illata ſit, ſi tamen paret ſe percuſſor ad feriendum ſecundò, vel putetur aliter nõ deſtitutus, poteſt ſtatim repercuti: ſi alioquin vis eius declinari nequeat.

Vt autem melius intelligatur, quo modo quiſque vitã ſuam tueri poſſit, & in quibus periculis. Notãdum eſt, vitam multis modis impeti poſſe & inuadi:

Primò, Si reipſa me ferias armis. De hoc nullum eſt dubium.

Secundò, Si accedas ad feriendum, nec poſſim euadere, niſi vel fugam, vel te præueniam. Et quidem ſi poſſim abſque periculo vel ignominia declinare, vel fugere, teneor ex charitate; vt graue damnum in me vel in proximo caueam. Vnde Religioſi & Eccleſiaſtici tenentur fugere; quia id illis non probro, ſed laudi datur: non enim illorum laus eſt in armis & audacia, ſed in pietate & humilitate. Si tamen noluit fugere, non peccabunt contra iuſtitiam, etiamſi inuaſorem occidant, iuſta moderatione ſeruata, vt docet Iulius Clarus de homicidio num. 32. addens hanc eſſe communem ſententiam; incurrent tamen irregularitatem. Si abſque periculo, vel nota ignominiæ non poſſim fugere, poſſum te præuenire, non enim teneor expectare donec percuſſeris. Ita Couar. Sotus, Gomez. & alij, eſtque communis ſententia DD. teſte Iulio Claro num. 33.

Accedis ad occidendum.

Tertiò, Si nondum accedis, tamen inſtructus es ad inuadendum, nec poſſim euadere niſi præueniam: tũc enim poſſum præuenire, vt ijdem Doctores docent, & Nauarr. c. 15. nu. 3. vbi ponit exemplum de marito, qui pugionem condidit ſub ceruicali vt vxorem interficiat; quem vxor id certò ſciens, ſi aliud remedium nõ ſupereſt, poteſt præuertere. Ratio eſt; quia etſi nondum actu inuadat, pareat tamen inuadere, & ita illam tenet concluſam & obſeſſam, vt aliter euadere nequeat. Idem docet Cordub. lib. 1. q. 38. de eo, qui alteri parauit venenum: poſſe enim illud induſtria conuerti in auctorem, ſi alia ratio euadendi non ſuperſit.

45 *Inſtructus armis.*

Quartò, Si per famulum vel ſicarium me ſtatueris occidere, nec alia ſit ſpes euadendi. Hoc etiam caſu videtur licitum præuenire, ſi periculum ſit præſens: vt ſi actu mandes, vel inuadeas: videtur enim eadem ratio; quæ in tertio. parum enim refert, an per te, an per alium inuadas, & coneris interficere. quòd ſi periculum adhuc eſſet longinquum, vt ſi coniuraueris in meam necem, iamque cum ſicarijs egeris, vt opportunitatem quærant exequendi, maior eſt difficultas. Sed videtur eadem ratio, ſi nulla alia ſuperſit via euadendi; quia ita vitæ meæ inſidiatur, vt alia ratione non poſſim elabi. non enim teneor perpetuò me intra domum concludere, vel in exteras regiones concedere. eſſet tamen inſidiator ille aliquoties antè monendus vt deſiſtat. Ita docet Bannes q. 64. art. 7. dub. 4. & quidam alij recentiores.

46 *Per ſicarium inuadens.*

Mihi tamen hic modus in praxi non probatur, tum ob alias cauſas; tum ob periculum abuſus: tum quia perrarum eſt, vt non ſuppetat alia ratio mortis euitandæ.

Quintò, ſi falſis criminationibus, teſtibusque ſubornatis (verbi gratia imponendo ſacrilegium, vel crimen nefandum) vitam meã impetas in Iudicio, nec alia ſit ratio effugij. quidam Doctores concedunt, inter quos Bannes loco citato; vbi dicit licitum eſſe occidere eum, qui vadit ad Iudicem vt impo nat falſum teſtimonium, propter quod eris occidendus, vel infamandus, vel amiſſurus bona temporalia. ratio ipſius eſt; quia hoc non eſt inuaſio, ſed iuſta defenſio. Idem extendit ad eum, qui contra Iuſtitiam legalem pandit crimen occultum. 47

Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. nu. 361. ſentit eſſe probabile. Fauet Caietanus infrà q. 95. art. 8. ad. 3. Probari poteſt Primò, Quia nihil refert vtrùm inuadas me gladio tuo, an alieno, vt ait Caietanus; atqui calumniator ille inuadit gladio alieno, nempe Iudicis: vnde Nathan ad Dauid ait, *Interfeciſti Vriam, gladio filiorum Ammon* & Iudæi, iuxta D. Auguſt. occiderunt Dominum *gladio linguæ*. Secundò, Si dominus vocaret famulos vt me occiderẽt, poſſem præuenire, occidendo dominum, vt famulos in meã necem concitare deſinat. ſi aliter ſaluus eſſe nequeam: vt docet Bannes loco citato. Atqui eadẽ videtur ratio, cùm calumniator conatur per Iudicẽ: cogit enim illum vt me occidat. Tertiò. Quia in hoc caſu licitũ eſt mihi acceptare duellum, vt docet Caietanus ſuprà. Et in Summa, verbo Duellum. & alij Doctores paſſim. Atqui tunc poſſum occidere in pugna, ſi aliter euadere nequeã iniuriam: cur non etiam ſine duello? nam acceptatio duelli nullum ius tribuit, ſed ſolùm facit, vt honeſtiore modo videar me tueri. Imò Bannes aperte indicat, in eo caſu licitum eſſe non ſolùm acceptare, ſed etiam prouocare calumniatorem ad duellum; citans in eam ſententiam Caietanum: quamuis ego id apud Caietanum non inueniã. Sed & hæc ſegnitia, etſi fortaſſe ſpeculatiuè probabilis videri queat,

Calumniator.

non

non tamen in praxi est admittenda, ob incommoda, quæ ex ea sequi possunt. Facilè enim homines tibi persuadent, se per calumniam accusari, & non esse effigium, nisi mortem accusatoris: sicque multæ cædes iniustæ patrarentur. denique talis in Repub. bene constituta, vt homicida plectteretur.

Maleficæ. 48 Sextò, Si maleficæ positis certis signis magicis assiduè per dæmonem noceat. Hoc casu si aliud remedium non suppeditet, vti poterimus iure defensionis, cogendo eam verberibus, vt ab iniuria cesset: si tamen certo constet, eam esse mali auctorem, & putetur fine nouo maleficio, prius maleficium tollere posse. Ratio est; quia ille perinde facit; atque si tyrannus aliquis per suos satellites torqueret: vtitur enim dæmone tanquam instrumento: cùm assiduè instigans signis illis, quibus se dæmon obstrinxit, ad noxam inferendam. Nihil autem interest per te, aut per ministros tuos noceas.

Duellum. 49 His adde, quando necesse est ad vitæ defensionem, nec alia patet ratio contra iniustè iniuasorem, posse acceptari duellum; imò etiam offerri: vt si inimicus armatus te inermem inueniens, permittat tibi arma, vt militariter te occidat, vel si roges vt arma tibi permittat: tunc enim est vera defensio. Caiet. suprà. Nauarrus cap. 11. num. 39. & c. 15. nu. 9. Angelus v. Duellum nu. 2. Lyranus in cap. 17. lib. 1. Regum. & alij. Eadem videtur ratio in iniasione fortunarum; vt colligitur ex ijdem auctoribus, traduntque in specie Angelus & Bannes. Nam fortunæ sunt necessarium vitæ instrumentum, subsidium, & ornamentum.

Obiectiones. Contra hanc propositionem Obijcitur primò, Matth. vbi Dominus Petro volenti se & ipsum defendere, dicit; *Omnes qui acceperint gladium, & gladio perièmt.* Et confirmatur ad Roman. 12. *Non vos defendentes charissimi.*

Cur Petro prohibetur defensio. 50 Respondeo, Petrus reprehenditur, primo, Quia defensio illa habebat potiùs speciem vindictæ quam defensionis: non enim erat probabile tantam turbam tali modo posse repelli. Secundò, Quia erat contra Domini voluntatem, cuius responsum debebat expectare. Tertiò, Quia Dominus non habebat opus tali defensore; nec decebat eum tali modo defendi. Quartò Quia erat contra Patris ordinationem, qui volebat vt Filius illorum vim iniquâ non defugeret. Vide D Augustin. tract. 112. in Ioannem.

Ad confirmationem, *Defendere*, ibi accipitur pro *vleiscì*, vt patet ex Græco ἀμύνεσθαι. Simili modo Iudith cap. 1. & 2. accipitur.

Obijcitur secundò, Plus tenemur diligere salutem animæ proximi, quàm vitam nostram corporalem: ergo ad hanc seruandam non licet proximum occidere; quia si occidatur, anima peribit.

Quando vita exponenda. 51 Resp. Negando consequentiam, quia non tenemur lege charitatis exponere salutem corporis pro salute animæ alterius, nisi quando ea est in extremo discrimine, ex quo non potest se nisi mea ope vindicare: vt si infans esset moriturus sine baptismo. Hic autem sponte & mera malitia conijcit se in discrimen salutis, & potest liberrimè se eximere. Deinde qui inuaditur, non est certus suæ salutis, si se permittat occidi: inuasor etiam iam vulneratus, potest pœnitere, & saluari.

Quæ sit mens SS. Patrum. Tertiò, Possent multa obijci ex Patribus, qui insinuant hoc esse illicitum. Sed hi Patres loquuntur vel de vindicta, vt Cyprianus lib. 1. epistola 1. & Cyrillus Alexandr. lib. 11. in Ioannem cap. 35. Vel de defentione non necessaria, vt Ambros. lib. 3. Officiorum cap. 4. Vel de aggressione, vt August. epist. 154. quæ est ad Publicolam. Vel denique loquuntur de periculo excessus odij, iræ, & debitæ moderationis, vt idem Augustinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 5.

Obijcitur Quartò, Clerici olim, ante Clement. Si furiosus fiebant irregulares si aliquem, se defendendo, occiderent: ergo non erat illis licitum.

An irregulares. 52 Resp. Verius est non fuisse irregulares, vt colligitur ex cap. Si verò, & cap. Significasti, suprà citatis, & c. De his Clericis d. 50. Neque D. Th. hoc ait ad 3. contrarium sentit: quia loquitur de illo, qui in defensione sui modum excessit. Citat enim cap De his Clericis quod agit de illis, qui debitum modum non seruarunt, vt exponit Glossa: quibus ob id pœnitentia ibidem dicitur imponenda. nunquam autem pœnitentia imponenda fuit quando defensio cum debito moderamine facta est; vt aperte ex Alexandro III. & Innocentio III. locis suprà citatis colligi potest. sed de hoc plura suo loco.

Sed difficultas est, Vtrùm liceat occisionem intendere; an solùm ipsam defensionem; ita vt occisio solùm per accidens sequatur: vt videtur docere D. Th. hic, Caiet. & plerique Thomistæ. Alij videntur aliter sentire, sed in re non est discrepantia, vnde.

Licitum est intendere mortem in casu. 53 Dico Secundò, Licitum est in actu defensionis intendere omne id, quod iudicatur ad vitæ membrorumq; defensionem necessarium: ac proinde interdum etiam lasionem mortiferam, & consequenter ipsam mortem: nempe in casu. Ita docet Sotus suprà, & Victoria relect. de homicidio nu. 17. & Nau. c. 15. nu. 3. D. Antoninus 3 p. tit. 4. c. 3. §. 1. Ratio est; quia nisi liceret eam sic intendere, defensio sui sæpè redderetur impossibilis: sæpè enim fieri nequit vt te defendas, nisi inuasori vulnus lethale infligas, vt sclopo, vel hasta. Quòd autem D. Tho. insinuat, priuatæ personæ non licere occidere inuasorem nisi per accidens: omissa Soti solutione, sensus est, personæ priuatæ non esse licitum, absolutè desiderare vt inuasor moriatur. hoc enim non est necessarium ad sui defensionem, sufficit enim vt concidat viribus destitutus, ne amplius lædere possit. Non tamen vult negare; quin modis omnibus possit se tueri. & intendere quidquid ad hoc prudenter iudicatur necessarium. Vnde in periculoso conflictu non debet esse scrupulosè anxius ne hostem lethaliter vulneret; sed potest eum ferire eo modo, quo commodiùs fuerit, vt vim ipsius comprimat; etiamsi caput vel pectus trajiciendum foret quod si mors sequatur, id ei displicet: non enim id directè & secundum se intendebat: & hoc est quod vult Caietanus, & alij.

Priuata auctoritate cõstat defensio. 54 Instabis, Qua auctoritate id facit, publica, an priuata? Resp. Priuata; quia non facit vt Iudex, vel Princeps repræsentàs Rèpub. vel publico nomine, seu vt custos boni publici: sed eo iure, quod quisque habet, vt est custos rei suæ: quo iure noxia retundere, & vim vi repellere potest: quo ét omnia animantia vtũtur. Si publica auctoritate faceret; posset illũ occidere aĩo vindictæ; sicut facit Iudex.

55 Dico Tertiò, Etsi licitum sit occidere inuasorem, quãdo aliter nos tueri nequimus; tamẽ *fere* est salutare consilium permittere se potiùs occidi; quàm occidere. Ita D. Anton. suprà; & Sil. verbo Bellum 2. §. 7. & patet exemplo Christi & multorum Sanctorum. Idem colligitur ex D. Aug. lib. 1. de libero arbitrio c. 5. *legem quidem non reprehendo, qua tales* (Latrones inuadentes) *permittit interfici, sed quomodo istos, qui interficiunt defendam, non inuenio.* nempe quia facilè excedunt modum, vel operè, vel affectu. & D. Ambros. lib. 10. in Lucam, exponens illa verba Lucæ *Emat gladium*, dicit *licitum esse se defendere vsque ad Euangelium, non autem posteà*; non quod absolutè non liceat, sed quòd non ita deceat; quod insinuat cùm ait, *Vt sit in lege æquitatis erudito, in Euangelio benignitatis perfecto.* Ratio est Primò; Quia periculum est, ne ira vel odium se admisceant, neue modum excedamus: & sic dum volumus seruare vitam corporis, vitam perdamus animæ.

Secundò, Quia hoc modo magis conformamur Christo, eiusque Apostolis, & Martyribus.

Tertiò. Quia charitas, etsi non obliget; tamen ad hoc magis inclinat; ne proximus in æternum pereat.

Est salutare consilium. Ob has rationes, sentio hoc consilium magni faciendum. & omnibus Clericis, maximè viris Religiosis amplectendum; vt malint mortem perpeti, quàm iniquum inuasorem occidere.

56 Dixi *sæpè*; Quia si quis putaret se esse in peccato, & valdè timeret damnari, si tunc occideretur; tenetur se tunc omnibus modis tueri: quia magis tenetur diligere salutem animæ suæ quàm proximi. Ita docet D. Anton. suprà.

DVBITATIO IX.

Si is, qui inuaditur, non possit se tueri, nisi cum periculo innocentis, quo inuasor se protegit, Vtrùm ei liceat se cum illo periculo defendere.

RESP. Probabilius est posse. ita Corduba q 33. lib. 1. & Petrus Nauar l. 2. c. 3. num. 147. 57

probatur. Primò, Quia qui innadit, ius habet se defendendi, quo iure non priuatur ex illa innocentis interfectione, vt quæ ipso inuito facta sit. Secundò, A simili; vel vrbem iuste obsidens, potest dirigere tormentũ in turrim vel mœnia, prout necessarium ad victoriam, etiamsi hostes ibi latitantes aliquos innocentes; vt communiter sentiunt DD. ergo similiter ad necessariam vitæ defensionem, potes petere abortum, quamuis ille innocentem obijciat.

58 Aduerte tamen Primò, Si potes fugere, teneris, saltem ex charitate, ne innocentem interficias. Secundò, Non potes directè impetere innocentem, vt illo sublato facilius superes aduersarium, potes tamen petere aduersarium, etiamsi ipse innocentem ante se teneat: vt notauit Corduba.

Petes, Quid si fugiens hostem, non possit euadere nisi per angustum iter, vbi poterit infantem, vel claudum; poterit illac fugere, vt se saluet?

Resp. Petrus Nauarra negat; nisi sit aliqua probabilis spes nó interficiendi. Sed re vera videtur eadem ratio, quę in casu supersonata Corduba lib. 1. c. 38. dub. 2. & colligitur aperte ex Caietano p. 67. art. 2. vbi dicit, *occidere innocentem per accidens, dando operam rei licitæ, & necessariæ, non est contra ius naturale diuinum, vel humanum.*

59 *Si periculum claudo vel infanti.*

Probatur; Nam ille ius habet ad fugam via publica; quo iure non potest priuari in tanto discrimine, ratione infantis, vel claudi ibi forte constituti: sicut si fugienti ameno quispiam vel ebrius se obijceret, non teneretur cum certo vitæ periculo alio deflectere. sufficit igitur in tali casu, vt eam circumspectionem adhibeat, quam pro tempore & loco potest, ne noceat. quòd si læsio vel mors secuta fuerit; non censebitur ab ipso intenta, sed tolùm permissa. Nam vtitur iure suo, extreme sibi necessario, ea circumspectione, qua potest.

Si tamen infans hinc baptismo esset moriturus; eo casu, ex charitate teneretur potius se permittere occidi: quàm saluti proximi spirituali suæ corporali teneretur anteponere.

DVBITATIO X.

Vtrùm ad conseruationem vitæ matris, liceat præbere pharmacum, quo proles pereatur moritura.

60 *Affirmat quid Doctorum.*

QVIDAM DD. sentire videntur, licitum esse dare parentem ad faciendum abortum, si fœtus nondum sit animatus, quando id necessarium putatur ad curationem matris periclitantis secùs verò si sit animatus. Ita videtur sentire D. Antoninus p. 3. tit. 7. cap. 2. §. 2. ex Ioanne de Neapoli. *Medicus*, inquit, *dando medicinas pregnantibus ad procurandum abortum, & mortem eius, vt occultetur peccatum, mortaliter peccant, sed si faciunt hoc ad præseruandam pregnantem a periculo mortis, in quo est ex puerperio tunc secundum Ioannem de Neapoli in 1. quodlibet distinguendum est de puerperio: si enim erat animatum, dando talem medicinam, medicus peccat mortaliter: quia est causa mortis puerperij corporalis & spiritualis: si autem puerperium nondum est animatum, potest, & deberet tunc dare talem medicinam*, &c. Eadem verba refert Siluestr. v. Medicus quæst. 4. & Fumus v. Abortus. nu. 2. Eamdem sententiam tenet Henriquez, & nolter Sanctus lib. 9. de matr. disput. 20. num. 9. & 10. Ratio est, quia in hoc casu fœtus est agresior: nam veluti innadit matrem, dum eius salutis periculum creat, sicuti praui humores innadiunt naturam. ergo simili ratione pelli potest, cùm nihil incommodi maioris momenti ex ea re sequatur. Melius enim est depellere partum nondum animatum, quam extingui matrem. Secùs est cùm proles est animata. tunc enim esset directum homicidium innocentis. Confir. quia ob salutem totius licitum est abscindere partem, vt infra dicit. 14. dicetur. atqui fœtus est pars ventris priusquam diffusa anima informetur L. §. 1. ff. de ventre inspiciendo.

Etsi hanc sententiam non damnem, tamen contraria mihi videtur omnino vera, si de directa intentione abigendi partus loquamur. Vnde

61 Respondeo & dico Primò, Non licet ei præbere pharmacum eo animo vt faciat prolis abortionem, siue ante, siue post animationem. Ita Couarru. Clement. Si furiosus p. 2. 9. 3. nu. 1. & ceteri Doctores; est enim communis omnium sententia, vt inquit Petrus Nauar. lib. 2. c. 3. nu. 140. Probatur: Non licet post animationem; quia non potes directè occidere innocentem vt alium serues. vnde ei qui hoc fecerit constituitur pœna mortis L. penul. C. de sicariis. & L. Diuus. 4. ff. de Extraord. crimin. Neque etiam ante; quia procurare abortum propter sanitatem est illicitum; sicut procurare pollutionem ob eumdem finem. vtrumque enim est contra naturam generationis; neque est medium per se necessarium ad sanitatem. Confirmat Couarruuias ex Tertul. in Apoc. capit. 9. *Nobis homicidio semper interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nascentem; nec refert natum quis eripiat animam, an disturbet nascentem. Homo est qui futurus est; nam fructus in semine est.* Item cap. Si aliquis. 5. de homicidio, dicitur; *eum, qui fecerit vt mulier non possit concipere, vel generare, vel vt proles non possit nasci, vt homicidam tenendum.* quia tamen verè non est homicida, non punitur morte, sed exilio, si est nobilis; ad metalla, si ignobilis, vt expresse habetur L. Si quis aliquid 38. §. Qui abortionis. ff. de Pœnis.

Non licet directè procurare abortum.

Dices, Quid si certa sit mors vtriusque, nisi adhibeatur tale pharmacum; & probabile sit matrem posse saluam conseruari illo adhibito?

Resp. Non refert, nunquam enim licet ista directè procurare; vt patet in simili de pollutione, & de acceleratione mortis infirmi; quæ nullo casu procurari possunt. Imò est magis directe & propinque contra naturam generationis expellere fœtum, quam procurare pollutionem; sicut fœtus etsi nondum animatus, longè propinquior est naturæ humanæ, quam semina nondum commixta: Deinde in pollutione tolùm expellitur semen rude vnius generis, idque ex fede non vltima, sed intrumentaria: in abortu expellitur semen geminum, commixtũ, elaboratum, idque ex fede primaria & finali a natura ad hoc destinata.

Dices, Pollutionem nullo casu esse licitam ob voluptatem coniunctam, quę tanta est, vt homines in ea locarent summum suum bonum, si aliquo casu permitteretur: ea autem voluptas non est in abortione. ita quidam Doctor.

Sed contra: Primò, quia sic non tam iure naturali, quã positiuo diuino pollutio esset prohibita (quod est contra communem DD sententiam) illa enim causa prohibendi est omnino extrinseca & remota, & etiam locum haberet in actu coniugali. Secundò, quia pollutio non est prohibita propter voluptatem, sed voluptas illa est prohibita ob pollutionem seu seminis inordinatam emissionem tum quòd natura sua incitet ad spermatissimum, vt infrà lib. 4. cap. 3. dubit. vlt. dicetur; tum quia voluptas in ratione motus, sequitur conditionem operationis, ex qua resultat.

Ad rationem contrariæ sententiæ. Etiam semen simili modo innadit quando abundantia, vel retentio morbum creat: & tamen directè pelli non potest. imò proles animata multò magis innadit quã inanimata, cùm sit robustior, & plus alimenti ablumat, magisque naturam offendat. ergo si hæc directè potest depelli, etiam illa. Ad Confirm. Concedendo maiorem; sed nego fœtum propriè partem esse. Lex illa citata non loquitur de fœtu inanimo tantùm, sed etiam animato. *Partus*, inquit, *antequam edatur, mulieris portio est vel viscerum.*

Quod ad auctores illos tres primo loco citatos attinet, verba illorum sunt obscura, & tolùm videntur velle dicere, licere dare medicinam talem, quę abortum faciat, non quidem directa intentione pellendi partus, sed curandi morbi; vt si necesse sit ad salutem matris mouere menses, aut detrahere sanguinem, licitum est hæc intendere, etsi certissimè inde sequatur abortus. Si tamen partus est corruptus, tunc liceret directè abigere ob matris salutem. quia non habet amplius rationé fœtus aut puerperij, sed molæ aut malignæ massæ.

Dico Secundò, Si mater periculosè laboret, & non superfit aliud remedium, potest ei præberi pharmacum directè tendens ad curationem, etiamsi putetur inde abortio secutura: modò proles nondum sit animata. Est communis sententia DD. Siluestri v. Medicus quæst. 4.

62 *Licitum in directè.*

Anton.3.p.t.7.cap.2.§.2.Nauarr.cap. 25.num.62.

Probatur Primò, Quia mater ante prolem conceptam ius habebat vtendi remedijs neceſſarijs ad vitæ ſuæ conſeruationem, quod ius ſuperuentu prolis non eſt ei ablatum.

Secundò, Quia abortio tunc cenſetur ſolum permiſſa, non procurata; quia præter intentionem ſupervenit, matre ſuo iure vtente: ſicut ſi valetu ius caula vtendum ſit medicamento, vel certo cibi potuive genere, vnde pollutio ſequutura putetur, quam nullo modo intendis, cenſebitur ſolum permiſſa, & per accidens eueniens.

63 Dico Tertiò, Si proles iam ſit animata, non eſt licitum præbere matri medicamentum directè curatiuum, cum notabili periculo prolis, ſi certum erat, vel valde probabile prolem ſine illo viuam edendam. eſt contra Cordubã q.38.dub.2. & Ludouicum Lopez c.63. Sed noſtram ſententiam docent D. Anton. Nauarr. & alij ſupra. Ratio eſt; quia quilibet tenetur præferre ſalutem æternam proximi ſuæ vitæ corporali, & hanc pro illa exponere: ergo ſi matre à medicamento abſtinente, proles ad baptiſmum ſeruari poteſt, alioquin ante baptiſmum moritura teneatur mater abſtinere, quamuis cum certo vitæ diſcrimine id futurum eſſet. 64 Adde tamen, ſi valde probabile eſſet, non adhibito remedio vtrumque moriturum; eo verò adhibito ſaltem matrem poſſe ſeruari; eo caſu licitè poſſe hæc remedia adhiberi.

Petes, Quando proles animatur anima rationali?

65 Reſp. Couarruuias ſupra putat mares animari die 40. à conceptu, feminas 80. & ita communiter ſentire DD. Sed nulla videtur ratio, cur tanta ſit diſcrepantia inter marem ac feminam. Itaque verius eſt, vtrunque fœtum animari ſimul atque fuerit formatus. Nam Exodi 21. iuxta verſionem LXX. dicitur: *Qui percuſſerit mulierem prægnantem; & illa abortum fecerit, ſi fœtus erat formatus, dabit animam pro anima; ſi nondum erat formatus, multabitur pecunia.* vbi aperte inſinuatur fœtum habere animã, ſimulatque formatus fuerit. idem docent Medici. Quoto autem die formatio abſoluatur, docet Læuinus Lemnius cap.11. citans Hippocratem l. de natura fœtus, *maris formationem abſolui aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. feminæ verò, nunc 35. nunc 40. nunc 45. nunc 50.* Verum Hippocrates id non docet: nam li. de natur. fœtus num. 10. docet maſculum, vt longiſſimè triginta diebus formari, feminam vt longiſſimè, 42. diebus atque duobus locis eodem lib. repetit. & probat ex purgatione, quæ poſt maſculi partum durat diebus 30. poſt feminæ 42. vt diutiſſimè.

Animatio prolis.

DVBITATIO XI.

Vtrùm liceat occidere furem, in defenſionem ſuarum facultatum.

COVARRVVIAS in Clement. Si furioſus p.3.§. vnico num.6. putat id eſſe licitum. Primò, Si ſit fur nocturnus; eo quòd præſumatur animo occidendi veniſſe. Secundo: Si ſit fur diurnus, & telo ſe defendat. dum poſſeſſor vult impedire, ne rem auferat. Ratio eſt, quia in his duobus caſibus miſcetur periculum perſonæ cum periculo rei familiaris. Tertiò, non eſſe licitum, ſi cum re fugiat; quia non miſcetur periculum perſonæ.

Alij putant id abſolutè eſſe licitum laicis, non tamen Clericis.

66 Reſp. & dico Primò. Laicis id eſſe licitum, ſi illæ facultates ſint magni momenti; nec ſit probabilis ſpes aliter illas recuperandi. eſt communior ſententia DD. Antonini 3.p.tit.4.cap.3.§.2. (vbi docet non ſolum pro rebus ſuis quemque poſſe defenſionem ſuſcipere, vim vi repellendo; ſicut pro ſua perſona: ſed etiam pro rebus apud ſe depoſitis vel commodatis, & pro rebus amicorum, eos adiuuando) Caietani q.67.a.7. Silueſt. Homicidium 1.nu. 5. Ioannis Medinæ Cod. de reſtit. q.4. Soti lib.5.q.1. art. 8. & multorum aliorum DD. Idem tenent plerique Iuriſperiti, teſte Syluestro & Couarr.

Laicis licere.

Probatur Primò, Ex Scriptura Exodi 22. vbi dicitur *non fore reum ſanguinis, qui furem nocturnum occiderit, ſed qui diurnum.* quod non ideo tantum dicitur; quòd noctumus præſumatur venire ad occidendum; diurnus minimè, ſed potiſſimùm ideò, quòd ea, quæ noctu furripiuntur, ordinariè nõ poſſint recuperari, fure ignoto: vt rectè docet Ioannes Medina C. de reſtit. q.4. Ea verò, quæ interdiu, plerumque poſſunt. Hinc qui furem diurnum, nõ ſe telo defendentem interficeret, non excuſaretur ab homicidio in foro externo, in foro tamen conſcientiæ excuſaretur, ſi non erat probabilis ſpes recuperandi; vel ſi recuperatio non erat certa, ſed dubia, vt Sotus ait: quia non tenetur res ſuas perdere, aut probabili periculo exponere, vt fur ſaluus ſit.

Secundò. probatur ex Iure Canonico. Primo, Ex cap. Interfeciſti. 2. de Homicidio; vbi ex pœnitentiali Romano dicitur, *Si autem ſine cau meditatione, ſed tua vel liberando tuum ſeruũ diabolo membra interfeciſti. ſi aliquã reſtituere voluerit, bonum eſt tibi, & eleemoſynas fac largiter.* Vbi indicat, non eſſe neceſſariam pœnitentiam, ac proin de hoc licitum fuiſſe; hortatur tamen ad eleemoſynas, ad cautelam, ne forte modum exceſſerit. Secundo, Ex ca. Olim. 1. de reſtitut. ſpoliatorum. vbi Innocentius III. approbat, quòd Epiſcopus Tridonenſis Templarios qui ipſo ignorante poſſeſſionem occupauerant, vim vi repellendo ejecerit. Tertiò. Ex c. Dilecto. 6. de ſententia excomm. in 9. *Cum omnes leges, omnesque iura, cum vim repellere, cunctis ſine ſe defendere permittant, licuit vtique ipſi Decano (ſi prædictus Calixtus cum bonis ſuis mundanis iniuriose fuerat, vel ea violenter occupare præſumpſerit) contra illius violentiam iniuriamque ſe tueri.* 67

Tertiò probatur, Ex Iure ciuili L. Furem. 9. ff. ad L. Cornel. de ſicarijs. & L.4. ff. ad L. Aquiliam.

Quartò, Ratione. 1. Quia bona temporalia ſunt ad vitam ſeruandam neceſſaria: ergo ſicut licet vitam tueri; ita etiam hæc, quæ vitæ ſunt neceſſaria, non ſolùm præciſè vt viuamus; ſed etiam vt conuenienter, & honeſtè viuamus. 2. Quia alioqui daretur occaſio furibus & latronibus viros probos ſpoliandi, nihil enim ab illis eſſet tutum, ſi defenſio neceſſaria non poſſet obijci. conceſſa autem defenſione, etiam conceſſa cenſetur occiſio, ſine qua ſæpè non poteſt eſſe defenſio.

Dixi in propoſitione, *Si res illæ ſint magni momenti*; 68 quia pro re minima, non videtur conceſſum Ius defenſionis cum tanto alterius malo. eſt enim valdè iniquum, vt pro pomo, vel etiam vno aureo ſeruando, alicui vita auferatur. Si tamen tibi verteretur probro, niſi rem furi extorqueas, poſſes conari, & ſi opus eſſet etiam occidere, iuxta Sotum, tunc enim non tam rei, quàm honoris eſſet defenſio.

Dixi, *Nec ſit probabilis ſpes aliter recuperandi*; quia ſi poſſit aliter recuperari, (v.g. per Iudicem) ſæpè erit ſaltem cõtra charitatem, pro illius defenſione occidere: vt ſi furre ablata fugiat. quòd ſi non fugiat, ſed vi ſe velit tueri contra eum, qui nititur furtum impedire, poterit viciſſim illa vis vi repelli, quantum neceſſe eſt, vt res ſalua ſit; (vt fatetur Couar. & alij) etiamſi res per Iudicem recuperari poſſit: quia non dictat charitas, vt patiar res meas in mea præſentia capi, vtque tantæ furis improbitati non reſiſtam. ratio eſt; quia hoc faciendo magnam contumeliam infert, quæ vi repelli poteſt. Cõfirmatur ex c. Olim. ſupra, vbi Innocentius III. docet, licitum fuiſſe Epiſcopo, vi ejicere iniuſtum occupatorẽ poſſeſſionis; & tamẽ facile Iudicio potuiſſet recuperari. Idem docet Syluester, verbo Bellum 2. nu. 3. vbi dicit, *quando res per viam iudicij poteſt rehaberi; non licet eam defendere, niſi dum eſt in ipſo rapi.* intellige, dum raptor adhuc præſens eſt, nitens alterum poſſeſſione naturali ipſius rei ſpoliare, etſi eum præſentem videat; hoc enim eſt magna contumelia. 69 *Si fur ſe velit tueri.*

Idem dicendum, quando in iudicio non poteſt niſi magnis moleſtijs recuperari. 70 *Si fugiat.*

Petes, An ſit contra Iuſtitiam, ſi furem procul fugientem conficias, quando res Iudicio eſt recuperabilis?

Reſpond. verius videri, non eſſe, vt docet Caietanus 71 art. 7. & colligitur ex dictis; quia quiſque Ius habet defendendæ ſuæ poſſeſſionis, etiam ciuilis; quamdiu furem habes in conſpectu. vnde potes eam tueri. erit tamen contra charitatem, quæ poſtulat, vt cum quàm minimo malo proximi rem tuam ſalues.

Dico Secundò, Idem licitum Clericis pro defenſione rerum ſuarum, ita expreſsè D. Antoninus ſupra: vbi 72

Idem tenent alij citati.

docet omnibus conceſſam eſſe defenſionem rerum, quibus conceſſa defenſio vitæ. idem tenent reliqui ſuprà. & colligitur euidenter ex cap. Olim. & cap. Dilecto, ſupra. Nam ibi conceditur Epiſcopo & Decano. Ratio eſt; quia iure naturæ id illis eſt conceſſum, neque iure humano

Et Religioſis.

illis eſt prohibitum ſub peccato: ergo, &c. Vnde idé Ius extenditur ad Religiosos, ſecundum prædictos DD. Neque obſtat c. Suſcepimus, de homicidio; quia illi duo Fratres Benedicti non iudicantur ibi peccaſſe, & eſſe irregulares, quòd res ſuas moderatè defenderint, ſed quòd occaſionem dederint homicidio, latrones captos ligando, & cum ſe ſoluere vellent, occidendo, cùm ſine occaſione, ſe ſuaque ſalua habere poſſent.

Vtrùm autem Clericus vel laicus ſit irregularis, qui
73 ob defenſionem rerum ſuarum occiderit, alibi dictum eſt. Nunc breuiter dico laicum non eſſe. Idem probabile eſt de Clerico, ſi id fecerit cum debito moderamine. Cur enim fiat irregularis ob id, quod (vt habetur capit. Dilectio. 6 de ſentent. excomm. in 6.) omnes leges & omne ius ei permittunt? Confirm. quia occiſio priuata auctoritate facta non inducit irregularitatem defectu lenitatis, ſicut cùm ſit publica auctoritate a Iudice eiuſque miniſtris; ſed ratione culpæ. Vnde cùm abſit culpa, non debet cenſeri irregularis. Vide Sotum l.b. 5. q. 1. art. 8. Couar. Clement. Si furioſus. 3. par. §. vltimo. idem poſtremò egregiè defendit noſter Suarez in præclaro opere ſuo de Cenſuris.

Sed difficultas eſt, quouſque ſe extendat hæc defen-

Varij modi inuadendi & impugnandi.

ſio. quare Notandum eſt varijs modis poſſe rem meam inuadi.

Primò, Si per te nitaris auferre, teque defendas contra impedientem. In hoc caſu eſt communis ſententia poſſe interfici. & fatetur Couar.

Secundo, Si te accepta fugias. Tunc poſſum inſequi, &
74 ferire; vel ſi neceſſe ſit, eminus telo petere: vt ſi quis equo meo fugiat ita Sotus ſupra ar. 8. Silueſter v. Bellum 2. nu. 3. & 10. & alij paſſim.

Probatur Primò, Quia inuaſio rei durat, donec ſe in tutum receperit, vbi quietè poſſidere incipiat.

Secundò, Quia niſi id eſſe licitum, defenſio rerum maxima ex parte eſſet inutilis; poſſent enim fures quidlibet rapere, & ſtatim fuga ſe propipere: in fuga enim eſſent tuti.

Tertiò, Si re certo loco depoſita, volentem ingredi in
75 eum locum, vi impedias. Tunc videtur conceſſum vt vim vi repellam, meamque rem vi recuperem: ſi tamen deſit Iudex, cuius ope id poſſum conſequi. ita Siluester. v. Bellum 2. num. 13 & Panormit. in cap. Sicut. 3. de Iureiurando. Idem ſentiunt multi DD. fieri poſſe quando quis nulla mora interpoſita rem ſuam perſequitur. D. Ant. ſuprà. Siluest. v. Bellum 2. num. 10. Ioannes à Lignano, cuius verba citantur ab Anton. Siluest. Fumo, & alijs, quibus docet, *ſi vi poſſideas rem meam, poſſe me eam recuperare in continenti; nec poſſe te mihi reſiſtere; ſecus ſi id tentem ex intervallo. Si poſſideas precario, & ego eam velim mihi reſtitui; ſi denegas reſtitutionem, poſſe me ex continenti vim tuam repellere. Nam denegando, videris ſpoliare. Si poſſides rem meam clandeſtinè, poſſe me domum tuam ingredi, quòd ſi me nolis admittere, poſſe me vim tuam repellere.* Verùm puto hæc non concedenda, ſi res per Iudicem poſſit recuperari, vel ſi maior perturbatio metuenda.

Si intrare volentem impedias.

Quartò, Si inuadas res meas per famulum, vel arte magica per dæmonem; nec alia ratione, quàm nece tua, poſſit impediri.

Quintò, Si coniuraueris in mea damna.

Sextò, Si impedias iniquè meos creditores, ne mihi ſatisfaciant.

Septimò, Si falſa accuſatione, vel falſo teſtimonio, me fortunis coneris euertere; nec alia ratio impediendi ſuppetat.

Sed de his modis, ſatis conſtat ex dubitat. 8. & rurſum aliquid dicetur dubit. 12.

DVBITATIO XII.

Vtrùm pro defenſione pudicitiæ & honoris, liceat occidere eum, qui tentat violare.

RESPONDEO & dico Primò. Licitum eſt mulieri, adoleſcenti, & cuiuis alteri, pro defenſione pudicitiæ occidere inuaſorem. Eſt communis ſententia DD. quamuis D. Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. videatur dubitare. Ratio eſt; quia pudicitia pluris meritò æſtimatur, quàm multæ opes: præterquam quòd in hac re ſit periculum peccati. Idem Ethnici ſenſerunt. Nam vt ſcribit Cicero, oratione pro Milone, Adoleſcens, qui Tribunum occiderat, volentem vim inferre eius pudicitiæ, à Mario exercitus Imperatore abſolutus fuit. 76 *Pro pudicitia.*

Dico Secundò, Fas etiam eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui fuſtem vel alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat; ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Ita docet expreſsè Sotus art. 8. Nauar. cap. 15. nu. 3. & Siluester verbo Homicidium 1. q. 5. & Ludouicus Lopez cap. 62. Antonius Gomez. tom. 3. c. 3. num. 23. Iulius Clarus §. Homicidium. num. 26. vbi dicit *periculum famæ æquiparari periculo vitæ.* Ratio eſt; quia hic conatur auferre honorem, qui meritò pluris apud homines æſtimatur, quàm damnum multarum pecuniarum: ergo ſi poteſt occidere, ne damnum pecuniarum accipiat, poteſt etiam ne hanc ignominiam cogatur ſuſtinere. 77 *Pro vitanda ignominia.*

Notandum eſt, varijs modis honorem alterius poſſe impeti & auferri, in quibus videtur conceſſa defenſio. 78 *Varij modi impetendi honoris.*

Primò, Si baculum, vel alapam nitaris impingere. de quo iam dictum eſt.

Secundò, Si contumelijs afficias, ſiue per verba, ſiue per ſigna. hic etiam eſt Ius defenſionis. Nam, ex ſententia omnium, licet contumelioſum occidere, quando aliter ea iniuſta arceri nequit, (quamquam ipſe armis nō inuadat) ait Petrus Nauarr. lib. 2. c. 3. num. 376. Etſi autem id non inueniam apud auctores expreſſum, (tamen videtur ex illis poſſe colligi præciſo ſcandalo, & alijs grauibus incommodis) quando contumeliæ ſunt atroces, & alia ratione vitari nequeunt. ratio enim naturalis dictat licitam eſſe eam defenſionem, quæ neceſſaria ſit ad contumeliam depellendam, & comprimendam: alioqui daretur licentia improbitati, optimos quouſque contumelijs vexandi: quæ tamen multò quàm dãna rei familiaris ſunt acerbiores magiſque mordent animos. Cauenda tamen vindictæ libido. Non enim licet priuata auctoritate contumeliam vindicare, ſed tantùm compeſcere. quod etiam in vitæ & rerum defenſione ſeruandum: tanti intereſt quo animo quid agas. Vtrùm hæc ſententia non eſt ſequenda. Satis enim eſſe debet in Repub. vt iniuriæ verbales, verbis repelli, & legitima vindicta comprimi & caſtigari poſſint. *Ad depellendam contumeliam.*

Tertiò, Si illata alicui alapa, ceſſes, vel etiam fugias; multi DD. cenſent in hoc caſu, ſi vir nobilis vel honoratus huiuſmodi iniuria ſit affectus, poſſe ſtatim repercutere, vel fugientem inſequi, & tantum infligere verberum vel vulnerum, quantum putatur neceſſarium ad honorē recuperandum. ita tenet Nauarrus c. 15. nu. 4. Henriquez de Irregularitate cap. 10. vbi citat multos pro hac ſententia: inter ceteros Iaſonem, Cordubam, Mantium, Pennã, Clarum, Caietanum, & Antonium. eãdem docet Petrus Nauarr. lib. 2. c. 3. num. 380. & citat pro hac ſentẽtia Mercatum. idem tenet Victoria, relect. de iure belli nu. 5. vbi dicit *eum, qui colaphum accepit, poſſe ſtatim repercutere, etiam gladio; non ad ſumendam vindictam, ſed ad vitandam infamiam & ignominiam, etiamſi inuaſor non eſſet vlteriùs progreſſurus.* Vnde ſequitur, ſi ille fugiat, poſſe læſum ſtatim inſequi & percutere. ſi enim poteſt repercutere manentem, cur non fugientem? 79 *Ad alapam vitandam.*

Probari poteſt hæc ſententia. Primò, Qui rem meam accepit, & cum ea fugit, poteſt a me percuti, vt eam relinquat, vel reddat, ſi aliter nequit recuperari. atqui is, qui illata graui ignominia fugit, honorem meum quodammodò ſecum defert: nam in poteſtate illius eſt eum mihi reſtituere, offerendo ſatisfactionem; ergo poſſum illum percutere, vt honorem meũ reſtituat, vel ſaltem vt eum ſic recuperem.

Dices,

Dices, eſt diſpar ratio; nam res adhuc extat, & manet tua; ſed cõtumelia illata, honor iam periit: ergo hic non eſt defenſio.

Reſpo. In eo eſt paritas, quòd ſicut res põt recuperari, ita etiam honor, qui in ſignis excellentię & hominum ęſtimatione conſiſtit.

Secundò Probatur; quia ſi damnum à te rebus meis illatum, non poſſet alia ratione ſarciri, quàm tui percuſſione, poſſes ilatim percuti, vt illo modo fiat damni reparatio. ergo ſi violato honore, non poteſt fieri aliter reparatio, quam ſi feriatur is, qui eum læſit, poterit feriri. debet autem hoc fieri in continenti, dum adhuc læſio honoris veluti pendet, ſuſpenſis hominum de tua fortitudine & generoſitate iudicijs.

Tertiò, quia alias dabitur licentia improbis; quoduis genus contumeliæ in quemuis ingerendi: nam ſola fuga, vel ceſſatione tuti erunt; præſertim quando deſunt teſtes, qui eos norint, vel quando non moriatur in eodem loco.

Hic tamen aduerte, ſi læſor veniam petat, offendi non poſſe; quia quantum in ſe eſt honorem reſtituit. vnde ſi alter velit ipſum impetere, poterit ſe tueri; vt rectè notat Petrus Nauarra.

80 Ob has rationes hæc ſententia eſt ſpeculatiuè probabilis; tamen in praxi non videtur facilè permittenda. Primò, ob periculum odij, vindictæ & exceſſus: ſi enim D. Auguſt. ob has cauſas ægre admittit, vt quis pro vita tuenda alterum poſſit occidere; quanto minùs in tali caſu, ob honorem tuendum concederet? Secundò, ob periculum pugnarum & cædium. vnde qui in tali caſu occideret, puniretur in foro externo, vt docet Gomez. ſuprà numer. 24. etſi mitiùs; tum quia alter dedit cauſam; tum quia homo intenſo dolore permotus, non eſt omninò ſui compos.

81 *Ad vitandam infamiam.* Quartus Modus eſt, ſi nomini meo falſus criminationibus apud Principem, Iudicem, vel viros honoratos detrahere nitaris, nec vlla ratione poſſim illud damnum famæ auertere, niſi te occultè interficiam. Petrus Nauarra num. 375. inclinat, licitum eſſe, talem è medio tollere. Eamdem tamquam probabiliorem defendit Bannes qu. 64. ar. 7. dub. 4. addens, idem dicendum, etiamſi crimen ſit verum, ſi tamen eſt occultum, ita vt ſecundùm iuſtitiam legalem non poſſis pandere. idem tenent quidam alij recentiores. probari poteſt.

Primò, quia ſi baculo vel alapa impacta velis meum honorem vel famam violare, poſſum armis prohibere: ergo etiam, ſi id oneris lingua. nam parum videtur referre, quo inſtrumento quis nitatur inferre noxam, ſi æquè efficaciter nocebit.

Secundò, Quia contumeliæ poſſunt armis impediri; ergo etiam detractiones.

Tertiò, *Periculum famæ æquiparatur periculo vitæ*. quod eſt commune pronuntiatum Iuriſperitorum, inquit Clarus nu. 26. atqui ob periculum vitæ euadendum, licitum occidere; ergo. &c.

Quartò, Quia ius defenſionis videtur ſe extendere ad omne id, quod neceſſarium eſt, vt te ab omni iniuria ſeruet immunem. monendus tamen detractor priùs eſſet, vt deſiſteret.

82 Verùm hæc quoque ſententia mihi in praxi non probatur; quia multis occultis cædibus cum magna Reipubl. perturbatione præberet occaſionem. In Iure enim defenſionis ſemper conſiderandum, ne eius vſus in perniciem Reipubl. vergat: tunc enim non eſt permittendus. Accedit, quòd etſi ſpeculatiuè vera eſſet, tamen vix in praxi poſſet habere locum. Nam infamia vel eſt illata, vel non eſt. Si eſt illata; non extinguetur per mortem infamantis. ſi non eſt illata; plerùmque non ſatis conſtat, aliter non poſſe eam impediri, ac proinde non poterimus eo modo defenſionis vti.

83 *Si prouocet ad duellum.* Quintus Modus eſt, Si aliqua occaſione me prouoces ad duellum, & niſi acceptum, cenſebor ignauus, & meticuloſus; nec potero ampliùs in aula cõparere, vel vllam promotionẽ militarẽ ſperare; vt in quibuſdam aulis Principum dicitur vſitatum. Cur enim tali euentu non poſſim duellum acceptare; non equidem animo illum interficiendi, ſed comparandi in loco condicto, ne famam & opinionem ſtrenuitatis (quæ nobilibus æquè eſt chara atque ipſa vita) amittam? ita tamen vt ſi me inuaſeris ſtatuam me tueri cum debito moderamine. Confirmatur Primò, quia ſi quis mihi velit adimere vitam vel bona, nec poſſim aliter ea tueri niſi acceptando duellum, poſſem acceptare: vt patet dubit. 8. cur non etiam vt ſeruem meum honorem & famam?

Dices, recuſare duellum non eſt dedecus apud ſapientes, ſed tantùm apud ſtultos: ergo, &c. Reſpõdetur, quidquid ſit, eſt tantum dedecus, vt paſſim apud nobiles pluris æſtimetur quam omnium bonorum amiſſio; imò ſæpè quàm mors ipſa: ergo Iure naturæ poſſunt hoc dedecus à ſe depellere, etiam cum vitæ periculo.

Confirmatur Secundo, Quia acceptare duellũ, & comparere tali loco, non eſt intrinſecè malum, ſed quiddam adiaphorum, quod benè & malè fieri poteſt: ergo ſi iuſta cauſa ſubſit, poterit licitè fieri. at conſeruatio honoris, qui tanti æſtimatur, eſt iuſta cauſa: ergo, &c.

Hæ rationes videri poſſint alicui probabiles. Nihilominùs, in praxi cõtrarium ſequendũ ſentio, tum ob alias cauſas: tum etiam quia Eccleſia ſub grauiſſimis pœnis vetuit duella, vt patet ex Conc. Tridentino ſeſſ. 25. c. 19. de reformat. quòd meritò potuit, ob maxima mala, quę alioquin ſequerentur: tum denique quia is, qui duellum offert, non nititur me ſpoliare meo honore; ſed ſi honoris amiſſio ſequi videtur, id ſolùm eſt per accidens & ex cõſequenti aliaque ratione impediri poteſt. Primò, Si dicat ſe paratum fore, ſi per Eccleſiæ decreta liceret. Secundò, Prouocantem experturum, qui cum negotium habeat, ſi palàm & non proditorie aggreſſus fuerit. 84

Dico Tertiò, Qui fuſte vel pugno inuaditur, non tenetur fugere, ſi fuga illi eſſet ignominioſa; ſed poteſt ſiſtere gradum, cum animo ſe defendendi, & ignominiã impediendi. & ita communiter DD. Ratio eſt; quia non tenetur ſuſtinere illam ignominiã, (quæ pluris æſtimatur, q̃ multæ pecuniæ iactura) ne lædat inuaſorem. Idem dicendum, quando vita vel fortunæ inuaduntur. Quòd ſi fuga non ſit illi ignominioſa; tenetur fugere, vel alapam ſuſtinere, (ſaltem lege charitatis) vt tantum malum euitetur. Vnde, Eccleſiaſtico vel Religioſo, non liceret ſe tueri cũ morte alterius, ad alapam vitandam; maximè quando fugere poſſet; quia fuga illis non eſt ignominiæ. 85 *Non tenetur fugere, ſi fuga ſit dedecori.* *Tenetur ſi non ſit.*

Vtrùm verò ſi Religioſus noluit fugere, ſed ſe tueri, peccet contra Iuſtitiam, lædendo vel occidendo inuaſorem, quæri poteſt. Puto non peccare contra Iuſtitiã; maximè ſi vita, vel fortunæ inuadantur. non enim ex iuſtitia tenetur fugere: & hæc bona, talia ſunt, vt poſſit ea defendere. Idem dicendum, ſi graues ictus baculi vel pugni inferendi; quia vt hos auertat, poteſt ſe tueri. Ita Iulius Clarus, de homicidio nu. 31. vbi generatim docet, inuaſum non teneri fugere, etiamſi poſſit: ſiue fuga ſit dedecori, ſiue non; dicitque eſſe communem opinionem Iuriſperitorum. quod intellige, non ita teneri, vt peccet contra Iuſtitiam, ſi ſe defendat. videtur tamen peccare contra Iuſtitiam, ſi ob leuem alapam vitandam, occidat: quia res, quam defendit, magni momenti non cenſetur: ac proinde non videtur ei eſſe ius, cauſa illius retinendę, tantum malum irrogandi. 86 *Non tamen peccabit contra iuſtitiã.*

DVBITATIO XIII.

Vtrùm pro defenſione alterius, liceat occidere inuaſorem, & an ad hoc teneamur.

87 *Pro defenſione proximi.* DICO Primò, Poſſe nos vitam proximi, quæ ab alio priuata auctoritate impetitur, tueri, etiam cum interfectione inuaſoris, ſi aliter defendi nequit. eſt cõmunis DD. vt docet Clarus §. Homicidium, num. 27. & 28. Probatur Primò. Quia ſicut quiſque poteſt tueri vitam ſuam; ita etiam proximi, qui charitatis & naturæ nexu ipſi eſt coniunctus. Secundò, quia talis cenſetur innocẽs, etſi forte inuaſioni cauſam dederit; nam iniuſtè inuaditur: atqui licitum eſt defendere cauſam innocentis: imò charitas ad hoc obligat, quando ſine graui incommodo noſtro vel alterius id fieri poteſt idque verum eſt, etiamſi ille nollet defendi, ſed vellet ſe pati occidi: quia cùm non ſit dominus ſuæ vitæ, non poteſt eam alteri donare; ac proinde non poteſt alijs Ius defenſionis adimere. 88 *Et ſi velis occidi.*

Idem dicendum de pudicitia,honore, & fortunis proximi, ſi ſit ſanguine iunctus, vel opem noſtram flagitet; vt docet D. Anton. 3.p. tit.4. c.3. §.2. & alij paſſim. Iniuria enim,quæ fit perſonæ nobis coniunctæ,in nos redundat. Vnde,pater poteſt tueri pudicitiam honoremq. filiæ: & maritus vxoris, etiam ſi ipſæ nolint, & occidere inuaſorem; quia iniuria in ipſum redundat.

Dices, Ergo maritus etiam vxorem volentem adulterari,poterit occidere,ſi aliter tantam iniuriam prohibere nequit. Reſpondeo neg. conſequentiam: dum enim occidit inuaſorem pudicitiæ vxoris, defendit rem ſuam, 89
Maritus vxorem.
nempe corpus vxoris,vt illius fiat ſalutem conſeruet: occidendo autem vxorem,non defendit rem ſuam;ſed eam interimit.

Dices,Defendit honorem;vxor enim marito magnam facit contumeliam,ſi in eius conſpectu tantum nefas tentare audeat.

Reſpon. id minore damno prohiberi poſſe, feriendo illam pugno vel baculo; vel ipſum adulterum armis abigendo.

Dico Secundò. Nemo tamen tenetur tueri vitam hominis priuati, cum probabili periculo vitæ ſuæ,etſi iure poſſit,ſi velit. Ratio eſt,quia non teneor exponere vitam meam pro vita corporali proximi: poſſum enim vitam meam diligere præ vita cuiuſuis alterius priuati. Vnde neque pro defenſione parentis, quamuis id eſſet valde laudabile. Secùs eſt, ſi perſona Principis, vnde pendet boni publici conſeruatio,periclitetur. 90
Non tenetur cum periculo vitæ.

Dices; Quid ſi ex officio teneatur defendere, vt Prætor, Magiſtratus,Princeps? Silueſter, Homicidium 1.q. 6.in fine,dicit,tunc cum periculo vitę teneri. Sed contrarium eſt verius: non enim officium obligat, vt pro homine priuato vitam exponat, ſed tantùm vt pro bono publico, cuius proprie & directe eſt cuſtos. vnde cum periculo vitæ tenetur hoſtes Reipub. & latrones è medio tollere. non autem ciuem priuati cum eodem diſcrimine perſequi. 91
Obligatus ex officio defendere.

Dico Tertiò, Priuatus nõ tenetur tueri vitam alterius priuati,quando non poteſt ſine occiſione inuaſoris.ratio eſt:quia vbi mala ſunt paria,nemo tenetur alterum inferre,vt excludat alterum: præſertim cùm id fieri nequeat, niſi horrendo illo modo occiſionis proximi. Vnde etiam nemo tenetur tueri vitam ſuam per mortem alterius. Adde,ſi inuaſor ſit parens tuus,non potes illum occidere,vt defendas alterum: id enim repugnat pietati filiorum in parentes & idem,& potiori ratione,ſi Princeps; præſertim ſi alias in gubernatione Reipub. bene ſegerat. Sed difficultas eſt. An teneamur vitam proximi tueri; vel liberare,cum iactura facultatum, & quouſque. qua de re dictum eſt q.32.ar.5.dubit.1.de eleemoſyna. 92
Non tenetur priuatus cum morte inuaſoris tueri alterum.

Dico Quartò, Qui non defendit vitam vel fortunas proximi,dum commodè poteſt, peccat quidem mortifere contra charitatem;non tamen tenetur ad reſtitutionẽ, niſi ex iuſtitia teneatur defendere. Prior pars per ſe patet. Altera probatur; quia peccata, quæ ſolùm ſunt contra charitatem nõ obligant ad reſtitutionem. Tertia probatur;quia qui lege Iuſtitiæ tenetur,ſi omittat,peccat cõtra Iuſtitiam; & conſequenter tenetur ad damnum ex omiſſione illa ſecutum;ſicut enim dum quis commiſſione peccat contra Iuſtitiam,tenetur ad damnum ex commiſſione illa ſecutum: ita etiam dum omiſſione, tenetur ad damnum ſecutum ex omiſſione. 93
Omittens defenſionem.

Petes,Quinam teneantur lege Iuſtitiæ alios defendere? Nauarrus cap.24.nu.18. putat omnes Superiores ad hoc teneri erga inferiores, & inferiores erga Superiores. Sed verius eſt,ad hoc obligari, primò, omnes Superiores publica auctoritate ad aliorũ gubernationem prędictos,idq; iuxta modum & finem gubernationis cuiuſque; vt ſunt Principes, Prætores,Magiſtratus.item Epiſcopi,& Parochi. Nam & hi quoque ex officio ad hoc obligantur ſecũdum modũ ſuæ poteſtatis, & media ſuæ gubernationis: ſed in ordine dũtaxat ad ſpiritalia, v.g ne ſubditi doctrina praua inficiantur,ne Sacramenta ens denegentur. Secundò, qui ad hoc poteſtate Magiſtratuum,vel Principũ ſunt conſtituti:vt tutores & curatores. Tertiò,qui adhoc ſpecialiter conducti,vt milites. Quartò,qui ad hoc ſe explicite vel implicite obligarunt, vt feudatarij. & omnes famuli. Alij non videntur obligari ex Iuſtitia. Nam parens non tenetur defendere vitam & fortunas filiorũ lege Iuſtitiæ,ſed pietatis & officij paterni;ſimiliter filij nõ tenentur parentum vitam defendere lege Iuſtitiæ; ſed pietatis filialis. Vnde ſi non faciunt,peccant contra præceptum, *Honora Patrem*. Pari ratione Parochiani non tenentur Epiſcopum & Parochum lege Iuſtitiæ defendere(quia hoc officium non ſuſceperunt)ſed lege obſeruantiæ. Et ſubditi, qui neque ſunt feudatarij, neque ſtipendiarij,non tenentur Magiſtratum, vel Principem defendere lege Iuſtitiæ particularis, ſed legalis & etiam obſeruantiæ;quamuis Princeps & Magiſtratus eos ex Iuſtitia defendere teneatur. 94
Lege iuſtitiæ quo defendere teneãtur.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm aliquando licitum ſit ſe mutilare, & quibus euentis.

D. THOM. ART. 1.

SVPPONO Primò, Poteſtati publicæ licitum eſſe mutilare malefactores, ſicut & occidere. 96

Secundò,licitum eſſe ſe mutilare,quando id neceſſariũ eſt ad corporis ſalutem.vt ſi cancer membrum occuper; ſi vipera vel aſpis momordit,nec aliud remedium præſtò ſit. Ratio eſt: quia membra ſunt ob bonum totius: ergo quando aliquod membrum eſt toti corpori perniciosum, ius naturæ dictat poſſe ſecari.

Vbi aduerte,hominem teneri permittere ſibi membrũ ſeca,i,ſi medici id iudicent neceſſarium,nec magni dolores ſint perferendi: vt docet Scotus l.5.q.2.ar.1. Ratio eſt; quia tenetur vitæ ſuę periclitanti, medijs ordinarijs non admodum difficilibus opitulari. ſi tamen ingentes eſſent cruciatus tolerandi; non tenetur permittere. neque etiã poteſt ad hoc cogi. Ratio eſt:quia non tenetur quiſquam cum tanto cruciatu vitam incerto euentu conſeruare. Vnde Marius, cum ei crus aperiretur, ait; *Non eſt tanto dolore digna ſalus*. Excipio tamen duos caſus. Primò, Quando vita alicuius cenſetur bono communi neceſſaria: tunc enim ob bonum publicum tenetur; & poſſet cogi à Republica. Secundò, Si eſſet Religioſus,qui ſe totum conſtituit in poteſtate ſui Superioris. quamuis de hoc dubitari poſſit; quia non videtur Superior rem tam heroicam inferiori imperare poſſe. Ita docet Salonius in hunc articulum.& hoc videtur probabilius. Niſi forte ille Religioſus eſſet neceſſarius Reipub.vel communitati, & ſalus eſſet omnino certa, (quod rarum eſt) & dolores non nimis diuturni. *Secare membrum.* 97
An poſſit imperari Religioſo.

Difficultas ſupereſt de duobus caſibus; prior eſt, Vtrũ ob animę ſalutem.v.g ad carnis tentationes vitandas aut ſuperandas,liceat ſe mutilare.alter eſt. *De duobus caſibus.*

Vtrùm iubente tyrãno poſſis tibi manum abſcindere, ſi alioquin mox eſſes interficiendus.

Ad priorem.Reſpondeo,Id numquam licere,vt patet can.22. Apoſtolorum & can.1. Concilij Nicæni:vbi id expreſsè cauetur. Ratio eſt; quia id numquam eſt mediũ neceſſarium ad animæ ſalutem. non enim membra adferunt hominj perniciem, (alioquin Deus praue naturam inſtituiſſet) ſed malitia & negligentia liberæ voluntatis. Vnde qui ob hanc cauſam membrum aliquod ſecant,tacitam quamdam iniuriam & blaſphemiam Deo irrogãt. Adde neque etiam eſſe conueniens remedium vel vtile, quia abſciſſio,ſeu caſtratio(de qua præcipuè eſt quæſtio) non tollit tentationes carnis,ſed ſolùm impedit generationem:quin potiùs illi, qui caſtrantur,præſertim in virili ætate,magis incitantur libidine;vt docent Patres,Baſilius lib.de Virginitate circa finem;vbi id probat rationibus & exemplis.& Chryſoſtomus homil.3.in Matthęũ. & Auguſt.lib.6. contra Iulianum.c.5.Vnde paſſim reprehenditur Origenes, de quo vide Euſeb.lib.6.hiſtor.ca.6. & fusè apud Baronium tomo 2. Annalium, ad annum Domini 208. 98
An ob ſalutem animæ poſſit ſe mutilare.
Origenes.

Dices, D. Marcus dicitur ſibi pollicem præſcidiſſe ex humilitate, ne cogeretur ſacris initiari: ergo ob ſimilem caſum licebit. Resp. Hunc non fuiſſe Marcum Euangeliſtam; vt rectè docet Baronius tomo 1.ad annum 45.ſed alium quendam Marcũ anachoretã;qui niſi diuina inſpi- 99
D.Marcus.

ratione

ratione id fecerit; vel ignorantia probabili excuſetur, laudandus in eo non eſt. Tali inſpiratione putatur feciſſe adoleſcens ille, qui linguam mordicus ſibi præſcidit,& in faciem meretricis, vt ſe ab eius impuro contactu tueretur, (cum aliter non poſſet) expuit: de quo Hieronymus in vita Pauli, in principio. quamuis etiam ſine peculiari inſpiratione eam cruentare, vel exigua particula, ob hunc finem mutilare potuerit; cum alia ratio defendendi non ſuppeteret. 100 Sic miles in extrema neceſſitate poſſet ſibi dentes excutere, ipſique loco plumbeæ glandis vti; quod aliquando factum a Lusitanis, in hiſtorijs Indicis legimus.

An iubente tyranno vel caſu urgente.

De ſecundo caſu, Sotus ſupra dicit, quando neceſſitas abſcindendi membri venit ab intrinſeco, vt à morbo, vel ſaltem quando id per ſe eſt neceſſarium ad ſalutem corporis (vt ſi eſſes manu alligatus intra ædes, accedente incendio, vel hoſte) poſſe te manum tuam præſcindere: quia id per ſe eſt neceſſarium vt vita ſit ſalua; non autē, quando prouenit ex alterius imperio.

101 Sed probabilius & verius videtur, etiam tunc licere; vt quando tyrannus, vel Iudex hoc imperaret. Sicut Ioſephus. Chiton auctori rebellionis cuiuſdam imperauit, vt mox ſibi manum abſcinderet, vt refert ipſe Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico, c. vltimo. ita Toletus lib. 5. cap. 6. etſi hoc factum non benè narret, memoria fallente.

Probatur Primò, Quia pars naturaliter eſt propter totum: ergo ad conſeruationem totius licitum eſt auctoritatem habenti partem è medio tollere: atqui quiſque habet hanc auctoritatem reſpectu ſuorum membrorū; quia eſt gubernator & cuſtos eorum, poteſtque de illis diſponere vt expedit ſaluti totius. ergo, &c.

Secundò, ideo nullo caſu licitum eſt priuata auctoritate ſe interficere; quòd occiſio ſui núquam poſſit eſſe medium neceſſarium ad ſaluandum aliquid in ipſo homine præſtantius vita, atqui in homine eſt aliquid præſtantius membro, propter quod ipſum membrum eſt, & ad quod conſeruandum aliquando eſt neceſſarium amputare mēbrum: ergo eſt licitum. Nec refert, illam neceſſitatē prouenire ab extrinſeco; quia neceſſitas eſt in ipſo homine; ſiue prouenīat a natura, ſiue ab ipſo tyranno. itaque licet peccet is, qui hanc neceſſitatem imponit; non tamen peccat, qui tanta neceſſitate preſſus, eo medio ad finem ſuum naturalem vtitur. Nec obſtat, quòd Reſpub. non poſſit iubente tyranno & excidium minante occidere innocentem: quia iſte eſt ſuppoſitum per ſe conſiſtens & ſui iuris, non habens eſſentialem ordinem, aut dependentiam à Repub. ſicut membrum naturale à corpore. Vnde Reſpu. non habet eam auctoritatem in ſuos ciues, quam habet homo in membra vitę ſuæ non neceſſaria. Confirm. Quia hæc membra non ſunt abſolutè neceſſaria corpori, ſed ſolùm ad ornatum & commoditatem. ergo poteſt hæc perdere propter ſalutem totius; ſicut & alia omnia quæ non ſunt omnino neceſſaria ad vitam, poſſumus propter vitam prodigere, quando aliter ſalua eſſe nequit. Et ſanè valdè mirum videtur hominem non poſſe ſibi præſcindere digitum, vel auriculam, vel naſum, vt mortem euadat à tyranno intentatam, cùm hæc omnia ſint propter cōmoditatem totius, & ſalus totius poſſit ſine his conſiſtere. Quare non ſolùm iubente tyranno puto hæc poſſe abſcindi, & perdi, ſed etiam abſque præcepto, quando ſic putaretur flectendus ad miſericordiam.

Obiectio. Dices, Ideò licitum eſt abſcindere membrum alligatū, quia vim infert toti; vim autem vi repellere licet. atqui hæc ratio non habet locum iubente tyranno. Non enim tunc membrum, ſed tyrannus vim infert, vnde ipſe, non membrum primi poteſt. Confirm. quia non ſumus domini membrorum noſtrorum ſed cuſtodes. ergo non poſſumus de illis pro arbitrio tyranni diſponere.

Reſponſio. Reſp. Non illa ſola eſt ratio; ſed etiam, quia poſſumus diſponere de membris non neceſſarijs ob ſalutem totius, quando aliter ſaluum eſſe non poteſt, vt dictum eſt. Deinde non proprie vim infert membrum alligatum, ſed vinculum, vel potius ipſe alligans: alioquin ſi homo medio corpore alligatus eſſet, ſibi ipſe vim inferret, ac proinde ſeipſum poſſet interimere, ſi cum ingenti cruciatu vinceret, poſſem illum perimere, etiamſi ego ſimul perituru eſſem. Ad Confirm. Inde rectè ſequitur non poſſe nos pro noſtro vel tyrāni nudo arbitrio de partibus corporis noſtri diſponere; verùm quando id ad grauiſſimum malum auertendum eſt neceſſarium, nō fit pro nudo noſtro arbitrio, neque ad id neceſſarium eſt dominium. Sic poſſum mihi infligere vulnus, & detrahere adipem, ſi neceſſariū ſit, ad aliud vulnus, vnde alioqui mors impendet, curandum. Imò valdè probabile eſt ob ſalutem Reipub. poſſe me mihi præſcindere nares, aures, & labia, ſicut fecit Zopyrus, de quo Herodotus l. 4. Etſi enim non ſimus horum domini, ita vt pro arbitrio poſſimus de his diſponere, tamen nulla apparet ratio, cur ob cauſam tanti momenti non poſſimus ea perdere, cùm ad vitam non ſint neceſſaria, ſed ſolùm ad ornatum, & commoditatem. Sic Propheta iuſſit ſe vulnerari, 3. Reg. 20. quod ſanè Dominus non præcepiſſet, ſi eſſet ita intrinſecè malum, vt auctores alterius ſententiæ imaginantur. Sic etiam quædam ſanctæ virgines ſibi nares præſcinderunt, vt euaderent petulantiam tyranni. Nec refert, ſi dicas hæc membra eſſe minoris momenti: quia neque horum ſumus domini, ſed ſolùm cuſtodes & rectores; & ita idem fundamentum in his locum habet. quòd ſi hæc minoris momenti poſſumus perdere ob minores cauſas, poterimus manum totam perdere propter cauſam maximam, nimirum ad vitam ſeruandam.

Dices, Etiamſi id poſſit fieri ob grauem cauſam, non tamen tali modo, nimirum ad imperium tyranni. Sed nulla eſt ratio cur non poſſit fieri cogente tyranno, & minante mortem odio priuato, vel ob cauſam politicam. Secus autem ſi ob cauſam religionis: v.g. quia abſoluiſti penitentem, quia feciſti Sacram. tunc enim præſcindendo tibi manum ad imperium tyranni, videreris punire & improbare factum tuum veluti pœna dignum; quod redundaret in iniuriam Religionis.

DVBITATIO XV.

Quando homicidium caſuale ſit peccatum, & quando non.

D. THOM. QVÆST. 64. ART. 8.

RESPONDEO & dico Primò, Homicidiū quod omninò caſu fit, non eſt peccatum; vnde nec propriè *Homicidium* vocatur; ſed occiſio ſimplex dicitur autem caſu fieri, quod nec in ſe, nec in cauſa ſua eſt voluntarium. 102 *Homicidiū fortuitum.*

Tale eſt Primò, Quando cauſa non erat efficax, ita vt ex ea non ſoleat vt plurimùm talis effectus ſequi; ſed aliunde: nempè ex eo, quod per accidens coniungitur: vt ſi alicui inflixiſti vulnus non lethale; ſed mors ſecuta eſt vel malitia medici, qui noxia appoſuit, vel negligentia eiuſdem, vel temeritate læſi, qui remedia opportuna adhibere noluit. Hæc occiſio cenſebitur tibi fortuita: vnde non eris reus homicidij, nec teneberis ad reſtitutionem vt homicida, ſed ſolùm vt vulnerans: vt rectè Sotus libr. 5. q. 1. art. 9. & Antonius Gomez tomo 3. c. 3. nu. 25. eſtq; communis ſententia Iuriſperitorum, ex L. Qui occidit. 30. §. finali. ff. ad l. Aquiliam. Et probari poteſt ex cap. Significaſti. 2. de Homicidio. vbi Innocentius III. dicit: *Si percuſſio medicorum iudicio lethalis non fuit, percuſſor poſt pœnitentiam, ad cautelam iniunctam, poterit in officio ſacerdotali miniſtrare:* aperte indicans non eſſe irregularem. Ratio eſt; quia etſi vulnus ſit aliqua occaſio; tamen re vera non eſt cauſa mortis; ſed negligentia medici, vel ipſius læſi: tenebatur enim vterque diligentiam adhibere. Vnde illi, qui neglexit imputandus effectus. Secùs tamē, ſi eo loco non erant, qui poſſent vulnus curare; & læſus debitam diligentiam præſtitit: tali enim tempore & loco vulnus cenſeretur lethale. 1. *Si cauſa non erat efficax.* 103

Secundò, Si dans operam rei licitæ, vel illicitæ, adhibuiſti ſufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi ſequeretur: tunc enim etiamſi forte ſecuta fuerit mors alicuius, non tibi imputabitur; quia nec in ſe, nec in cauſa erit volita. Nec obſtat, quòd cauſa fuerit periculoſa, ac proinde videatur mors volita in cauſa: quia diligentia abſterſit periculum. Ita ſentiunt paſſim recentiores; qui etiam volunt tunc non incurri irregularitatem. Si enim nulla eſt hic culpa occiſionis, cur ſit irregularitas? nam 2. *Si diligentia periculū excluſit.*

hæc

hæc, cùm in pœnam ſtatuta eſt, (vt in præſenti caſu) ſine culpa non contrahitur. Sed quicquid ſit de Irregularitate, (de qua alibi) certum videtur, hic nullam eſſe culpam homicidij, vel obligationem reſtitutionis: eò quòd mors ſit verè fortuita: vt docet Caietanus art.8. quod declaratur exemplis.

104 1. *Clerici venatoris.* 1. Clericus dans operam venationi cum armis, (quod ipſi eſt vetitum) caſu hominē interficit; nempè quia crepuit fiſtula, vel hominem ferina pelle tectum putauit feram. etſi enim ſic venando, peccet contra dignitatem ſtatus Eccleſiaſtici, & conſequenter contra virtutem Religionis; nullo tamen modo peccato iniuſtitiæ, vel homicidij.

2. *Clerici chirurgi.* 2. Clericus peritus chirurgiæ, incidit ſtrumam vel apoſtema ex artis præſcriptione; monet ægrum, ne ſe vento committat. ille neglectis monitis, confert ſe ad meſſem, corripitur febri. moritur. hæc mors non poteſt Clerico imputari, (quamuis operam rei illicitæ dederit) ſicut nec laico, ſi laicus chirurgus inciſionem feciſſet. habetur iſte

105 caſus c. Tua nos 19. de Homicidio; vbi etiam ſatis ſignificatur non eſſe irregularem, ſi id cauſa pietatis fecit, & ſufficientem diligentiam adhibuit. qua de re ſide plura apud Medinam 1.2.q.73.art.8.

3. *Adulteri ſe defendentis.* 3. Accedit quis ad vxorem alterius: interuenit maritus, inuadit adulterum: adulter ſe debito moderamine defendens, maritum interficit: non eſt reus homicidij, ſed

106 occiſio illa cenſetur fortuita. Ratio eſt; quia neque eſt culpabilis in cauſa. Nam adulterium eſt cauſa remota, & occaſio duntaxat. non enim eſt via ad occiſionem mariti, ſed potiùs adulteri: rariùs enim mors mariti ex eo ſequi ſolet. Neque etiam eſt culpabilis in defenſione: quia poſitus in illis angutijs poterat ſe defendere, (non enim tenebatur ſe pati interfici) cum debito moderamine, vnde etiam non contrahit irregularitatem, iuxta probabilē multorum ſententiam; quam tenet Petrus Nauarr. lib.2. capit.3. nume.362. vbi pro eadem adducit Mercatum & Silueſt. Idem tenet Medina ſupra. Idem dicendum quando aliquis alterum conuitio incitauit ad ſe inuadendum; conuitium enim non eſt via ad occiſionem læſi; ſed conuitiatores potiùs. Contrarium docet Nauarrus c.15.n.7. citat pro ſe Antoninum: ſed hic nihil tale ibidem docet. & Caietanum q.64.ar.8. ſed Caiet. loquitur de eo, qui dat operam rei illicitæ, quæ natura ſua ad occiſionem tendit. Nec obſtant cap. Dilectus. 13. cap Ex litteris 15. & capit. Ioannes. 23. de Homicidio; quibus inſinuatur dantem operam rei illicitæ eſſe irregularē, ſi inde ſequatur mors; quia id intelligendum de re illicita, quæ ideò illicita eſt, quia periculoſa ex ſe; eò, quod plerumque ex ea mors ſequatur: vt auctores citati docent. & optime Bannes q.78. art.8.

107 Aduerte tamen, Si ſuſpicabatur talia incommoda ex adulterio ſecutura, tenebatur ex charitate abſtinere &c. Vnde volendo adulterium committere, peccat non ſolùm peccato adulterij, ſed etiam contra charitatem proximi, quatenus per adulterium conſtituit ſe in neceſſitate damni proximo inferendi. adulterium enim tunc non ſolùm habet rationem adulterij, ſed etiam periculi alterius; quamuis indirectè & per accidens, ratione iniuſtionis alterius. Quando tamen conſtitutus eſt in tali periculo, nō peccat, etiamſi ſe defendendo, occidat alterum; quia ius habet ſe tuendi. Idem dicendum, ſi imminente marito poterat fugere: tenebatur enim ex charitate, ſi videbat inde marito periculum. vnde non fugiendo peccat contra charitatem proximi: non tamen peccat, ſi poſtquam non poteſt ampliùs fugere, ſe defendendo, occidat inuaſorem. occiſio enim illa non eſt peccatum. (quia non cenſetur voluntaria) ſed effectus per accidens ſecutus ex peccato. Simile eſt in eo, qui poſt votum caſtitatis contrahit matrimonium: peccat enim contrahendo, quia exponit ſe periculo faciendi cōtra votum per debiti redditionem: cum tamen poſt contractum petitur debitum, non peccat reddendo; quia negare non poteſt. ſi tamen commodè poſſet auertere petitionem, peccaret reddendo.

108 *Homicidiū mortale aut veniale.* Dico Secundò, Si occiſio nō omninò caſu fiat; eò quòd in opere periculoſo non ſit præſtita cautio neceſſaria, erit peccatum iniuſtitiæ & homicidij, mortale vel veniale, pro ratione negligentiæ. ita Caietanus art.8. & alij pro-batur; quia erit voluntarium in cauſa; nempè in omiſſione cautionis, & diligentiæ debitæ; ſicut ſubmerſio nauis eſt voluntaria in negligentia gubernatoris. vnde non cenſebitur omninò caſualis. Quòd tamen non ſit maius 109 peccatum, quàm illa negligentia probatur; quia non eſt voluntaria, niſi ratione illius negligentiæ: vnde non poteſt niſi ratione illius, imputari ad culpam. ſi ergo negligentia ſit grauis, erit culpa mortalis; ſi leuis, erit venialis: ſi nulla, culpa quoque erit nulla.

DVBITATIO XVI.

Vtrùm mors, vel aliud damnum alicui tertio ex tuo maleficio obueniens, tibi imputetur.

EXEMPLVM ſit: Occidiſti occultè Petrum; imponitur homicidium Paulo, qui cum Petro exercebat ſimultates: capitur Paulus, afficitur ſupplicio.

Reſpondeo, & dico Primò, Si nec ea intentione occi- 110 diſti Petrum, vt Paulo inde damnum eueniret, nec aduertiſti euenturum; non cenſeris cauſa mortis, vel damni Paulo: vnde nec teneris ad reſtitutionem.

Damnū tertio præter intentionē prouenies. Probatur primò, Quia hoc damnum Paulo merè per accidens euenit ex actu tuo: (non enim occiſio Petri erat directa via ad nocendum Paulo) per ſe autem & directè prouenit ex malitia accuſatoris, vel teſtium: ergo non poteſt tibi imputari.

Secundò, quia tale damnum nō prouenit vt plurimùm tertio, ex huiuſmodi actione, ſed rarò: ergo non tenebaris aduertere illud ſecuturum: ergo ſi non aduertiſti, non teneris ad reſtitutionem; quia nihil omiſiſti conſiderare, vel cauere in tua actione, quod ratione tertij conſiderare, vel cauere tenebaris.

Tertiò, Illud damnum nec in ſe, nec in cauſa eſt volitū: ergo cenſetur fortuitum. conſequentia patet ex dubit. ſuperiore. Antecedens probatur; Non in ſe volitum eſt; quia ignoratur euenturum, nec de eo cogitatur. Non in cauſa; effectus non cenſetur volitus in cauſa, niſi probabiliter ex ea proueniat. qui enim rarò prouenit, non cenſetur magis in illa cauſa contineri, quàm non contineri; ſed potius minùs.

Sed quid ſi aduertas damnum ſecuturum tertio? Multi 111 Doctores videntur ſentire, tunc committi peccatum iniuſtitiæ reſpectu tertij.

Si ſcias euētum. Reſp. & dico Secundò, Probabilis videri, etiamſi putes inde damnum tertio obuenturum, nō peccare peccato iniuriæ in tertium: ac proinde non teneri ad reſtitutionem. colligitur ex dictis dubit.15. ita docet Sotus lib.4.q.6.ar.3. ad quartum argumentum. Lopez tom.1.cap.63. & multi alij. Probatur; quia quando ex aliqua actione ſequitur damnum tertio, non ex natura actionis, vel vt plurimùm; ſed ex malitia vel ignorantia aliorum, quæ ſe immiſcet; non cenſetur illa actio iniuriola tertio, vt patet ex ſuperdictis. atqui hoc occiſio Petri eſt talis: ergo non cenſetur iniuriola Paulo.

Dices; Qui aduertit ex opere ſuo ſecuturum damnum alteri, tenetur debitam cautionem adhibere, ne ſequatur: omnis enim prudens hoc faceret. atqui iſte non adhibuit debitam cautionem: ergo omiſſione iſtius cenſetur cauſa damni.

Reſpond. Quando damnum ſequitur ex opere, non 112 natura operis, ſed per accidens, non tenetur ex Iuſtitia cauere, ne ſequatur; ſed ſolùm ex charitate: (vnde quando habet grauem cauſam aliquid faciendi, ne ex charitate quidem tenetur) itaque omittendo cautionem, & non impediendo damnum, non peccat contra iuſtitiā, ſed ſolùm contra charitatem; quæ non obligat ad reſtitutionem.

Confirmatur aliquot exemplis. Primum, Si fureris Petri theſaurum, vnde putes illum dolore moriturum. non cenſeris homicida, nec irregularis; quia hoc damnum non ex illo furto directè; ſed ex animi voluntario affectu ſecutum: poterat enim, & tenebatur dolorem mitigare. ſi non fecit; ſibi mortem ſuam imputet. Secundum, Vendis arma militi, quibus malè vſurum putas; nō tamen ideò cenſeris author illorum malorum: quamuis

peccet

pecces contra charitatem, ſi ipſe alioqui illa mala non fuiſſet facturus. Vendis Iudæo agnum, quem putas ſacrificaturum; non tamen es cauſa ſacrilegi ſacrificij.

Sed quid ſi intendas, vt tertio damnum ſic eueniat? vt ſi cùm vendis arma militi, optes in animo occidi inimicum tuum, & ea intentione vendas. Quidam putant te tunc teneri. ita Sotus ſuprà, & Cordub. 1.q.31.art.3. Sed contrarium verius videtur, vnde.

113 *Si intendas.* Dico Tertiò, Etiamſi intendas damnum tertijſi tamè actio exterior cum circumſtantijs, talis ſit, vt ex ea non ſequatur damnum vt plurimùm, ſeu ex conditione actionis, ſed aliunde; non erit peccatum iniuſtitiæ. Probatur; quia ſecundùm communiorem opinionem Theologorũ, intentio non facit vt opus ſit iniuſtum, niſi alias ex natura ſua & circumſtantijs tale ſit. ergo cùm hæ actiones, de quibus agimus, non ſint iniuſtæ reſpectu tertij, ex natura & circumſtantijs; non fient iniuſtæ ex intentione. Ratio eſt: quia intentio accipit ſpeciem ſuam ab obiecto; ergo ſi obiectum non eſt iniuſtum reſpectu intendentis, neque intentio iniuſta erit, ſed ſolùm contra charitatem. Obiectum autem intentum, non eſſe iniuſtum reſpectu intendentis, patet; quia quod intenditur eſt, vt mors illi eueniat aliorum malitia: atqui hic nulla eſt actio iniuſta, quæ ab intendente in tertium dirigatur. Etſi enim illatio mortis ſit iniuſta reſpectu eorum, à quibus procedit; non tamen reſpectu illius, à quo non procedit, quamuis illam optet fieri. quare nulla etiam eſt iniuſtitia in illa intentione; ac proinde illa intentio non poteſt eam communicare operi externo. Deinde, intentio non facit, vt opus externum magis ſit damnoſum, aut noxium, aut magis violet æqualitatem: ergo ſi per ſe non eſt iniuſtum; intentio nocendi non facit iniuſtum: ſuppono enim aliàs eſſe ſatis voluntarium. vide plura infrà cap.12.dubit.18.num.129.

Ex his innumeræ quæſtiones ſolui poſſunt, quibus quæritur; Vtrùm ſit peccatum contra Iuſtitiam, an tantùm contra charitatem.

114 Dico Quartò, Si actio exterior talis ſit, vt ex ea plerùmque tale damnum tertio ſequi ſoleat, erit peccatum iniuſtitiæ, etiam ſi illud damnum non intendas: niſi fortè in ea actione iure tuo vtaris.

Prior pars patet ex dictis. Altera probatur: quia qui vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam: quamuis poſſit peccare contra charitatem; ſi parum ipſius intereſt illo vti: vt ſi venas aquarum per tuum prædium currentes, è quibus aqua in puteum vicini influebat, prætextu alicuius operis intercipias: ſi cloacam in prædium alienum aperias, &c.

DVBITATIO XVII.

Vtrùm homicidium, vel aliud damnum, irrogatum per mancipium tuum, vel animal, tibi imputetur; & quid ſi per filium.

115 *Si tua culpa.* RESPONDEO, & dico Primò, Si tua *culpa lata* id factum eſt, tibi imputatur, & teneris ad reſtitutionem totius damni; vt, ſi iuſſeris, ſuaſeris, impuleris, vel ſi negligens fuiſti in præcauendo. Neque tunc ſufficit ſeruum, vel animal noxæ dedere, ideſt, ad noxam ſeu damnum ſarciendum: ſed totum damnum compenſandum: vt habetur L. Si ſeruus. 2. ff. de noxalibus actio. & cap. Si culpa. 9. de Iniurijs & damno dato. dixi *culpa lata*: quia de *leui* & *leuiſſima* extra contractum & officium, non

116 teneris: vt ſuprà c.7.dubit.6.

Si abſq; culpa damnum detur. Dico Secundò, Si nulla tua culpa interuenerit, non teneris ad totum damnum; ſed ſufficit mancipium, vel animal noxæ debere: liberum tamen tibi eſt vel damnum compenſare, vel rem, quæ nocuit debere. Eſt communis ſententia DD. & habetur expreſsè locis citatis. Vide Silueſtrum Reſtitutio 2. verſus finem, & Reſtitutio 3.q.4. Ratio eſt; quia dominus non tenetur hic ratione ſui; ſed ratione rei ſuæ, quæ reſtitutioni obnoxia manet: mancipium quidem ratione culpæ: (ſi enim non peccauit, non manet obnoxium) animal verò ratione legis ita diſponẽtis. Cùmque mancipium & brutum nihil habeant a ſe diſtinctum, quod pro damno accipi poſſit, conceſſum eſt ei, qui damnum accepit, vt ex ipſorum corporibus, ſibi compenſet: vtrùmque enim pretio eſt æſtimabile. Hinc fit, vt dominus iubeat obligationem reſtituendi pro damno, vel corpora ipſorum, vel damni pretium.

Sed dubium eſt, Vtrùm in conſcientia teneatis ante Iudicis ſententiam.

117 *Non tenetur iure naturæ.* Reſp. & dico Tertiò. Sepoſito Iure poſitiuo; non tenetur dare corpora; vel pretium damni ante ſententiam. Probatur Primò;

Quia nec tenetur ratione rei acceptæ; cùm hæc non extet; nec ratione iniuſtæ acceptionis vel damnificationis; quia abſque omni eius culpa commiſſum. Secundò, Quia ſeruus iure naturæ non manet obnoxius reſtitutioni, ita vt ipſe ſe debeat tradere læſo in compenſationem; quin imò poteſt abſcondere, & fugere: ergo nec dominus iure naturæ tenetur illum tradere; ſed poteſt iuuare ad latebras & ad fugam. Si enim eſt aliqua obligatio in domino ad eum tradendum, ea eſt ſecundaria, orta ex obligatione ſerui, qui eſt author damni. itaque cùm ſeruus non teneatur ſe tradere pro damno, nec dominus tenetur. Idem dicendum de animali; non enim animal iure naturæ manet obnoxium læſo, quia non peccauit; ſicut neque ſtatua ænea, quæ caſu lapſa aliquem læſit, obnoxia manet.

Obiectio. Dices, Is, qui læſus eſt, iure naturæ poteſt compenſare ſibi damnum ex re, quæ læſit, ſi præter ſeipſum illa nihil habeat: ergo, &c.

Reſp. Primò, Antecedens non eſſe verum, vt patet in ſtatua: non enim ſtatuam illam ſibi vindicare poteſt. Secundò, Etiamſi verum eſſet, non tamen inde ſequeretur dominum teneri tradere, nec poſſe abſcondere. Nam illud Ius læſi, ſolùm eſt conditionatum, nempè ſi poſſit animal, vel ſeruum capere. Seruus enim poteſt fugere, & ſe abſcondere. Itaq; dominus vt ſibi vel ſeruo conſulat, poteſt ad hoc iuuare; niſi aliunde prohibeatur.

118 Dico Quartò, probabile eſt, neque Iure poſitiuo ad id teneri ante ſententiam. Petrus Nauar. l.2.c.1. num.38. putat id eſſe verius; quia iſtæ leges videntur eſſe pœnales. Sed non propriè poſſunt dici pœnales, cùm apertè excludant omnem culpam domini, vt patet L. Si ſeruus, & cap. Si culpa, ſuprà; ſed conſtituunt id, quod eſt conſentaneum naturali æquitati, & quid in tribunalibus debeant Iudices iudicare. interdum enim Iudex authoritate legis, poteſt decernere per ſententiam aliquam reſtitutionem, quæ ante ſententiam non erat debita. ſicut enim in pœnam poteſt iniungere aliquam ſolutionem; ita etiam ob pacem publicam, dum æquitati eſt conſonum.

Non teneris ante ſententiam.

Ratio igitur, cur iſtæ leges ante ſententiam non obligent, eſt; quia videntur ſolùm pertinere ad forum externum, neque aliter vſu receptæ. Nã homines paſſim ignorant has leges.

119 Dices; Gregorius IX. capit. vlt. de Iniurijs, ſic ait: *Quod ſi animalia tua nocuiſſe præsumas; nihilominus ad ſatisfactionem teneris; niſi ea dando paſſis damnum, velis liberare teipſum*, vbi apertè inſinuat obligationem ante ſententiam. *Obiectio.*

Reſp. Ob hoc argumentum, eſt ſatis probabile contrarium, idque multi DD. tenent. Reſponderi tamen poteſt; illa verba poſſe intelligi de obligatione in foro externo; quod inſinuant illa verba. *Niſi velis liberare teipſum*, nempe ab impetitione actoris: vel certè, non eſt vſu receptum. *Contrarium tamen non multò probabile.*

120 Notandum eſt; Si ſeruus vel animal cœperint eſſe extra poteſtatem domini, deſinit erga illum actio vt habetur §. Omnis autem. Inſtit. de Noxal. action. Si in alterius poteſtatem venerit, erit actio cõtra illius dominum: ſi fuerit manumiſſus, conuenietur vt libet. poterit quidem dominus vendere; ſed tenetur emptori indicare vitium; id eſt, eſſe obnoxium. Hæc & alia vide Inſtitut. & ff. de noxalibus actionibus, pertinent enim ad forum externum.

121 *Si filius familias damnum dederit.* Sed quid ſi filius familias occiderit, vel damnum dederit?

Reſp & dico Quintò, Parentem non teneri ex delicto filij, vel damnum ſarcire, vel filium noxæ debere, ſi abſq; parentis culpa commiſſum. Inſtitut. ſupra. §. vltimò. Ratio eſt; Primò; Quia iniquum eſt, vt negligentia filij,

vel

vel filiæ, parenti, vltra ipſorum corpora, damnoſa ſit, vt de ferais dicitur tollit. ſuprà. §. 1. Cæterùm ex alia parte parens non ſit dominus corporum horum, (ſunt enim liberæ) non etiam ratione horum, actio contra parentem poteſt inſtitui. Confirmatur. quia nimis aſperum eſt, vt parens cogatur corpora liberorum ſuorum noxæ debere. Secundò, Quia filiusfamilias cùm ſit liber, prò ſuis delictis conueniri poteſt; vt habetur §. vltimo, ſuprà. manet enim ex ſuo delicto obligatus tamquam liber, & capax dominij. Vide Silueſt. Reſtitutio. 2. verſus finem.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm homicidia & damna, quæ inferuntur per triremes Turcarum, imputentur remigibus Chriſtianis ibi captis, ita vt peccent contra Iuſtitiam, vel ſaltem contra charitatem.

122 NAVARRVS cap. 27. num. 63. docet eos peccare mortaliter ducendo remos, quando contra Chriſtianos agitur; poſſuntque debere oppetere mortem: non tamen explicat, vtrum contra Iuſtitiam, an contra charitatem. Ratio ipſius eſt, quia cooperantur ad homicidia, & damna Chriſtianorum. Etſi enim remigatio illa per ſe & in genere ſpectata non ſit opitulatio ad malum, nec mala; tamen vt hic & nunc fit, eſt verè & propriè cooperatio homicidij, ac proinde mala. actiones enim ſpectandæ in individuo cum circumſtantijs ſicuti ſunt. Addit tamen Nauarrus non videri excommunicatos per Bullam cœnæ (vbi *excommunicantur qui Turcis, & alijs nomine Chriſtiani hoſtibus auxilium quomodolibet præſtant*) quia graui metu compulſi faciũt, quales non videtur ſummus Pontifex velle comprehendere. Idem docet ſuſius in calta quorundam. 6. de Iudæis notab. 11.

Sententia Nauarri.

Non peccant vtiliter.

Sed verius eſt, nõ peccare, quãdo flagris, & metu mortis ad id compelluntur. Neque enim peccant contra Iuſtitiam; quia remigatio non eſt actio natura ſua pernicioſa Chriſtianis, ſed indifferens; ſicut aurigatio. eſt enim delatio nauis per mare, qua Turcæ vectores benè & malè vti poſſunt: quòd autem cedat in perniciem Chriſtianorum, eſt ex malitia Turcarum tergo quando graui ſupplicio vrgentur, non cenſentur cooperari voluntariè ad damna Chriſtianorum: ſicut qui timore mortis reddit depoſitum furioſo, non cenſetur ei cooperari ad necem, quam infert inimico; & aurigæ, qui dominam ſuam vehit ad locum adulterij, non cenſetur ei cooperari: vt fatetur Nauarrus. Secus de ijs, qui tormenta in Chriſtianos dirigunt, ignemque applicant; quia directè damnum inferunt.

Neque etiam contra charitatem: quia nemo tenetur ex charitate vitam ſuam exponere; *nili* probabile ſit illi, damnum auerſum iri: atqui id non eſt probabile illis remigibus: etſi enim vnus vel alter ceſſet a remigando, nõ ideo alij ceſſabunt, ſicque damnum æque euenit. Si tamen aliquis eſſet, qui ſuo exemplo, vel exhortatione putaret reliquos ceſſaturos, & ita graue damnum impediendum: (v.g. ne claſſis Chriſtiana ſuperetur) teneretur ille ex charitate, etiam cum certo mortis periculo, id præſtare: ſecùs ſi damnum non ſit tanti momenti.

123 *Ad rationem.* Ad rationem Nauarri reſpondeo, illam remigationem vt hic & nunc fit, non eſſe formaliter cooperationem: quia non fit intentione cooperandi ad cædes; ſed ſolùm materialiter. neque propriè eſt cooperatio, quia per ſe eſt indifferens, & ſolùm vt ſubeſt malitiæ & vſui Turcorum concurrit ad malum, idque remotè. talis autem cooperatio non eſt illicita, quando non eſt voluntaria, ſed coacta. metuque grauiſſimo extorta. vt patet exemplis ſuprà allatis. Sic non propriè cooperantur captiui, qui coguntur tormenta trahere ad locum pugnæ, munire arces, aduehere arma bellica, vel annonam in caſtra: quia hæ actiones non ſunt noxiæ, niſi per accidens, ex malitia eorum, qui his præuijs ad malum vtuntur. Simili modo valdè probabile eſt, licere Catholicis nautis & aurigis in Hollandia deuehere annonam ad vrbes & præſidia hæreticis infeſſa, & ad eorum caſtra, etiamſi metu graui non compellantur. modò abſit praua intentio, & illis ceſſantibus non deſint hæretici plurimi, qui id facient. Ratio eſt, quia hæc actio eſt indifferens; & ſi Catholici excludantur, ſolî hæretici, quorum maxima copia ſuppetit, totum lucrum capient, & Catholici ad magnam penuriam redigentur, cùm vix alia ratio viuendi hoc tempore id genus hominibus ibi ſupperat. Confirm. Primò, quia hæc actio nec eſt mala per ſe, vt patet; nec ex intentione agentium: quia Catholici non intendunt, quidquam mali; nec ex euentu, vt fit a Catholicis; quia ſi ipſi non facerent, plurimi alij non deeſſent. ergo nõ eſt Catholicis illo rerum ſtatu prohibenda: præſertim cùm id eſſet ipſis grauiſſimum, & permiſſio nullo modo augeat vires aduerſariorum. Repub. enim perturbata & tyrannide oppreſſa multa licent, quæ aliàs ſunt illicita. Confirm. Secundo, quia ſi detrectent, reddent ſe ſuſpectos. & fortè cogentur, aut alijs modis grauabuntur, tamquam oſores boni publici. Ita mecum ſentiunt viri doctiſſimi in hac Vniuerſitate.

An ſint excommunicati.

Quòd verò Nauarrus putat nõ eſſe excommunicatos; ſuppoſita altera ipſius opinione, nimirum, quòd non excuſentur à peccato mortali; contrarium eſt longè probabilius: quando enim metus non excuſat à peccato mortali, non excuſat quoque à cenſura. vt aperte colligitur ex capit. Sacris. 5. de ijs quæ vi. vbi dicitur eum, qui metu communicauit cum excommunicato, eſſe excommunicatum: *Quia*, inquit, *licet metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorſus excludit (cùm pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere,) excommunicationis labe creditur inquinari*. Torquent ſe hic Canoniſtæ, quomodo metus non excuſet à cenſura, cùm ſæpè excuſat à culpa. Sed dicendum, tunc excuſare à pœna, quando excuſat à culpa: quando verò non excuſet à culpa, ita vt culpa maneat mortifera; tunc non excuſare à pœna, vt hoc loco Pontifex clarè pronunciat.

DE RESTITVTIONE ad quam tenetur homicida.

EXPLICATA ratione homicidij, tum voluntarij, tum fortuiti; ſequitur vt dicamus de reſtitutione, ſeu compenſatione neceſſaria.

DVBITATIO XIX.

Quantum teneatur homicida vel mutilator reſtituere.

RESPONDEO & dico Primò, Teneri ſoluere integras expenſas, factas in curationem læſi; nam earum ipſe cauſa efficax fuit. 124

Dico Secundò, Teneri etiam reſtituere, non quidem quantum ipſe erat lucraturus, ſed quantum illa ſpes lucri valebat, ſi quæſtum aliquo officio vel artificio faciebat ijs tamen detractis, quæ ipſe conſumere ſolebat, ſi obijt. quæ enim ipſe conſumebat, non poſſunt cenſeri in lucris ad heredes peruenientibus. v.g. Spes lucri æſtimetur 1000. id quod conſumpturus erat æſtimetur 500. ſuperſunt tantùm 500. reſtituendi, quod valde notandum. Vide Couar. l. 2. Variarum reſolut. cap. 10. nu. 7. & Sotum l. 4. de inſtit. quæſt. 6. art. 3. ad 3.

Deducenda ipſius expenſa.

Sed difficultas eſt, Vtrùm ex hac ſumma etiam detrahi debeat æſtimatio laboris. Ioannes Maior in 4. d. 15. q. 19. affirmat.

Sed contraria ſententia eſt communis: Iſtius laboris non eſſe rationem habendam, ſed integrè reſtituendum, quantum ſpes lucri, omnibus perpenſis æſtimabitur. Ità Couarru. ſuprà num. 7. vltra medium, & alij paſſim. Probatur Primò; Quia ſi æſtimationem laboris detrahamus, vix aliquid ſupererit; nam ſæpè lucrum non eſt maius, quàm æſtimatio laboris; vt patet in ijs artificijs, in quibus eſt partim ingenioſæ induſtriæ. Secundò, Quia qui alium iniuſtè impedinit à labore diurno, tenetur integrè 125

Æſtimatio laboris non detrahenda.

lucrum

lucrum illius diei farcire, nulla parte detracta, ratione laboris non obiti: nam alter cupiebat laborem subire: ergo &c. Sententia tamē Maioris videtur satis æqua, si hoc
126 modo temperetur, vt tantum detrahatur lucro, quantum
Nisi ipse malit illum restituere. ille artifex libēret pro laboris redemptione datum sibi fieri: sic enim non videtur fieri vlla inæqualitas. quod si ille laborem nullo modo voluisset redimi cum lucri diminutione; tunc integrè restitutio erit facienda, iuxta communem DD. sententiam.

127 Dico Tertiò, Si homicida, vel qui damnum intulit moriatur, tenentur hæredes eius bonis. Ratio est, quia hæredes succedunt in locum defuncti, & in omnia eius bona, & iura: vnde etiam in omnes eius obligationes, quibus ex iustitia obligabatur.

Nec obstat L. Ex iudiciorum. 20. ff. de accusationibus, vbi dicitur, *pœnam pecuniariam, quæ defertur à delicto, non transire ad hæredes, lite non contestata*; quia vel intelligitur de pœna propriè dicta, qua puniendus erat per iudicem is, qui crimen contraxerat: quæ pœna non debetur ante sententiam, nec ab homicida, nec ab eius hæredibus. ita eum intelligit Couarr. Vel certè lex ista, sc. *in foro* negat hæredibus occisi actionem de damno in foro externo in hæredes occisoris, nisi ante mortem eius lis cō testata fuerit. ita Antoa. Gomezius tom. 3. c. 3. num. 5. non tamen liberat eos in foro conscientiæ: nihil enim facit ad obligationem coram Deo, quod lis ante mortem contestata, vel non contestata fuerit.

DVBITATIO XX.

Quomodo æstimatio lucri futuri facienda est, cùm ignoretur quamdiu fuisset victurus.

ANGELVS, Restitutio 1. §. Homicida, dicit eam faciendam iuxta dispositionem Legis Computationi. ff. ad legem Falcidiam. Idem docet Couar. libro 2. Variarum cap. 10. num. 7. circa medium. In hac lege certum tempus constituitur futuræ ætatis æstimandæ: ita vt si quis sit annorum 30. vel infra, is putetur adhuc victurus 30. si sit 35. putetur victurus 25. si 40. adhuc 20. si 50. adhuc decem, semper diminuendo vsque ad 60. sicut ibi expressè habetur.

128 Sed cùm hæc lex tantùm loquatur de alimentis alicui
Æstimatio mutua in alimentis legatis. ad vitam legatis, non videtur extendenda ad nostrum casum. Deinde in foro conscientiæ, spectandæ quoque sunt multæ aliæ circumstantiæ, ex quibus æstimandum est futuræ ætatis tempus & lucrum. Denique qui occideret senem 59. annorum: non teneretur nisi restituere lucrum vnius anni; qui sexagenarium, nihil: quod est contra omnem æquitatem. fieri enim potest vt sit validus, & putetur adhuc 20. annos victurus.

129 Resp. igitur, Non posse commodiorem regulam præ-
Hic sit arbitrio prudentum. scribi, quam vt illud restituatur, quod probi prudentesq; viri, spectatis omnibus circumstantijs, ratione lucri cessantis vel damni, ex occisione, mutilatione, aut etiam vitæ abbreuiatione emergentis, iudicauerint esse æquum. Nam si vita alicuius accisa, breuiorque effecta est ex percussione iniusta, æstimandum tempus, quo vlteriùs putabatur eam producturus.

130 Hic tamen aduertendum est. Si quis vel naturali, vel
Si aliàs erat periturus absque culpa. *aliàs iusta morte* erat e medio tollendus; qui iniustè præueniret, non teneretur ad restitutionem; quamuis iniustitiam committeret; vt rectè docet Petrus Nauarr. l. 4. c. 1. numero 78. qui pro eadem sententia citat Nauarr. & Siluestrum. Ratio est; quia non infert damnum pecuniarum: tam breui enim tempore non erat ille lucraturus quidquam.

131 Dixi, vel *aliàs iusta morte.* quia si iniustè erat interficiendus, vel à latrone, vel etiam à Magistratu, & ego præueniam; omninò teneor restituere. Ratio est; quia alter, qui eum interfecturus erat, fuisset obligatus: ergo si ego præueniam, similiter obligabor. non enim aliquid iuris ideò amittit vel viuendi, vel lucri faciendi in vita, quia alius eum iniustè statuerat interimere: sicut amittit,
Si vel periturus apud dominum. quando vel naturaliter, vel iustè per Magistratum perire debet.

Idem dico de quouis alio damno iniustè illato, si res illa apud dominum certò erat peritura, vel iusta pœna, vel casu fortuito. si enim tunc culpa mea, vel etiam dolo periit, sub eius dominio manens, non tenebor ad restitutionem. v.g. si incendi segetes, quas eluuio fluminum certò erat euersura. Sed de hoc plura infrà cap. 12. dubitat. 15.

Petes, Verùm id, quod restituendum est pro lucro probabili hæredibus occisi, æstimatum sit 50. aureis: vt docet Nauar. c. 15. num. 24. in quam sententiam adducit Hostiensem. 122

Resp. Legem, quam citat Nauarr. illis verbis non agere de restitutione damni; (hoc enim debetur etiam ante condemnationem) sed de pœna, seu mulcta, quæ per sententiam debetur; sic enim habet editum prætorium: *Si ex scientia homo liber periisse dicatur.* 50. *aureorum Iudicium dabo.* & immediatè ante dixerat, *se in duplum datorum Iudicium... si ex ictu, vel effusio damnum datum esse.* vnde manifestè patet, legem loqui de pœna homicidij, non cuiusuis, sed fortuiti; non autem de damno farciendo. Idem docet Glossa in ca. 1. de Iniurijs, dicens: *Si liber homo periit,* 58. *aureorum sit condemnatio.* 50. *aureorum pœna.*

DVBITATIO XXI.

Quantum teneatur restituere, qui modum iustæ defensionis excessit.

RESPONDEO, & dico Primò, Qui ab altero sunt prouocatus ad pugnam, etiamsi modum fortè excessit, non tenetur ad restitutionem. ita multi recentiores. Ratio est; quia prouocans videtur ei condonare, dum facit ei potestatem, vt contra se agat quod poterit. Idem docet Bannes q. 62. artic. 2. dub. 6. vbi dicit, eum, qui voluntariè se exponit periculo, prouocando alterum ad certamen, si occidatur, non esse iniustam occisionem respectu illius, sed solùm respectu Reip. vel Dei, qui est Dominus specialis vitæ. & paulò antè dicit talem renuntiare iuri suo, etiam si in damnum filiorum id cedat. Idem videtur dicendum, quando duo prouocant se vicissim, & pari consensu pugnam aggrediuntur. 133 *Prouocatus non tenetur.*

Dico Secundò, Qui inuaditur ab altero sine prouocatione, si iustam moderationem notabiliter excedat, ita vt mortiferè peccet occidendo suum inuasorem, tenetur integrè damna compensare. Ita docet Nauar. c. 15. nu. 27. & plerique hoc tempore. Ratio est; quia qui ita occidit, facit alteri iniuriam, & est causa totius damni: sicut is, qui dolo vel lata culpa est alteri causa damni. 134

Dices, Qui alterum iniustè aggreditur aperta vi, vel ex insidijs, & occidit, maiorem infert iniuriam, quam qui aggressus, & rei indignitate commotus, occidit aggressorem: ergo ad maiorem tenetur restitutionem.

Resp. Negando conseq. Non enim quàtitas restitutionis, ex iniuriæ quantitate æstimanda est. sed ex quantitate damni per iniuriam mortiferam illati. itaque cùm hic interuenerit iniuria, quæ sit peccatum mortiferum, integrè damnum farciendum est. Secùs est in pœna; hæc enim respondet iniuriæ, non damno: vnde vbi maior fuit iniuria, maior quoque pœna est irroganda.

Aduerte tamen quosdam DD. ob argumentum prædictum docere, eum, qui modum iustæ defensionis excedit, non teneri tantumdem restituere quantum aggressorem, qui ex insidijs vel aperta vi occidit; sed multo minùs. Ita Angelus, Restitutio 1. §. Homicida, Siluest. Restit. 3. q. 2. & Gomezius to. 3. cap. 3. nu. 38. Idem docet Sotus lib 4. de Iustit. q. 6. artic. 3. ad tertium. Vbi notandum est. Siluestrum non loqui de pœna propriè dicta, (vt Nauarrus eum exponit) sed de restitutione damnorum, quam vult fieri iudicio boni viri: de qua etiam apertè Gomezius & Angelus. Quæ sententia mihi videtur probabilis, & consentanea æquitati naturali, etsi enim damnum aliud par fit, siue hoc, siue illo modo illatum sit; & compensatio non sit æstimanda ex indignitate rei, vel magnitudine iniuriæ; tamen is, qui alterum inuadit, videtur ex parte amittere ius ad compensationem damni: nam sibi ipsi est causa mali, alterum iniustè inuadendo. quare si occidatur vel lædatur, sibi ex parte debet imputare. Deinde difficillimum est, iustum temperare dolorem, vt ait Angelus, 135 *Probabile in casum non teneri ad restitutionem integram.*

lus. Quare æquitas naturalis videtur postulare, vt non tam seuere teneatur omnia damna rependere; idque cõmunis humani generis sensus approbare videtur.

156 *Qui possit fugere.*

Dico Tertiò, Qui iniustus ab altero, potest fugere, vel aliter declinare, etsi id non faciat, sed debita moderatione, se vel sua defendens occidat inuasorem; non tenetur ad restitutionem.

Probatur; Quia non peccauit contra iustitiam, sed solùm contra charitatem, vt ostensum est supra dubit. 15. & 16. non enim ex iniustitia tenebatur fugere, vel a via declinare.

Confirmatur, quia nemo ex sua malitia, qua vult alterum inuadere, acquirit ius in illum, quo illum obliget ad fugam, ita vt nisi fugiat, vel patiatur se interfici, censeatur ipsi facere iniuriam: sed solùm tenetur fugere ex charitate, si sine honoris dispendio possit: & Ecclesiasticus tenetur etiam lege religionis; ne videlicet, non fugiendo, aliquid committat, quod sanctitatem status ipsius dedeceat; lege tamen iustitiæ non magis tenetur, quàm sæcularis.

Dico Quartò, Idem omninò dicendum de eo, qui aliâ 157 contumelia, vel alia iniuria afficit; si ab illo inuasus, iusta ratione se tueatur, & illum occidat, non tenetur ad homicidij compensationem: est contra Nauarrum c. 15. nu. 7. ita tenet Nauarra l. 2. ca. 3. nu. 362. ex Siluestro & Mercado. Igitur ex dictis supra dubit. 15.

Qui iniuriatur ob contumeliam illatam.

Probatur, quia is, qui iniuriam alteri intulit, si armis ab eo inuadatur, potest se cum iusta moderatione tueri; præsertim venia petita, vel satisfactione oblata: quia alter tunc nullum ius habet sic inuadendi priuata auctoritate. ergo si eum occidat, non facit ei in hoc iniuriam. Confirmatur; quia inuasor non habet ius iniustitiæ in alterum, vt ille se non defendat; neque etiam vt fugam capessat: sed solùm vt satisfactionem pro iniuria offerat. ergo si moderatione debita se defendens occidat inuasorem, non facit contra ius *ipsius*: ac proinde non peccat contra iustitiam: sed habet se illa occisio tanquam per accidens, & mediante alterius malitia proueniens, occasione operis iniurioſi. vt si quis seipsum occideret præ impatientia, quia domum eius succedi, non conferet ego idcirco homicida: nam illa actio iniuriosa, non est vere iniuriosa, respectu occisionis, per accidens ex ea prouenientis, sed solùm est contra charitatem, vt supra dub. 16 num. 112. ostensum. vnde nec obligat ad restitutionem, causa mortis illatæ.

DVBITATIO XXII.

Vtrùm quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio.

138 SVMMA Rosella, Restitutio 3. & quidam recentiores dicunt tunc non deberi aliam compensationem; quod etiam videtur sentire Scotus dist. 15. q. 3. art 2. Gabriel ibidem q. 15. art 2. Angelus Restitut. 1. §. Homicida; Adrianus q. vlt. de Restitut.

Respondeo, Verius est, in rigore omnia damna ex homicidio secuta, ex bonis homicidæ sarcienda. Ita Nauarr. cap. 15. num. 25. Couar. lib. 2. Variar. cap. 10. nume. 7. circa medium Gomezius tom. 3. cap. 3. num. 37. & alij. Ratio est, quia pœna infligitur a Iudice; non vt damnum parti læsæ compensetur, sed vt iniuria Reipubl. & legibus illata vindicetur, aliisque terror incutiatur. Vnde etiam ea crimina, quæ nemini damnum inferunt, pœna mortis puniuntur. Vt sodomia, grauis blasphemia, hæresis.

139 *Contrarium probabile.*

Quamuis hæc sententia in rigore sit vera, tamen contraria est probabilis, & consentanea æquitati, præsertim cum hac limitatione. vt hæredes homicidæ, quando ipse in corpore plexus fuit, in conscientia non teneantur quidquam soluere. nisi hæredes occisi id exigant; ita enim ferè habet vsus, vt pœnæ talionis censeantur acquiescere, & iniuria illata videatur sic esse compensata. sic docet Michael Salonius q. 62. art. 2. Si hæredes occisi exigant aliam compensationem præter pœnam homicida (quod tamen honesti non solent) tunc hæredes homicidæ videntur teneri, quia damnum iniustè datum non est per pœnam talionis expiatum. Certum tamen est, hæredibus occisi nihil deberi pro ipsa vita ablata, etiamsi alias pro ea restitutio deberetur. Ratio est; quia damnum vitæ censetur pœna talionis abundè compensatum. Ita docet Scotus in 4. dist. 15. quæst. 3 art. 2. Gabriel ibidem quæst. 15. art. 2. & alij.

DVBITATIO XXIII.

Vtrùm sit aliquid restituendum pro Vita, membro, vel cicatrice.

MVLTI Doctores censent, non solùm pro damnis 140 pecuniarijs ex læsione, vel homicidio secutis, restitutionem pecuniariam deberi; sed etiam præcisè pro damno vitæ, vel membri, vel cicatricis, idque arbitrio boni viri. Indicat id D. Thomas quæst 62 art. 2. ad primum. Sotus lib. 4. de Iustit. q. 6. art 3. ad tertium. Siluest. Restitutio 3. q. 2. & quidam alij. Ratio est, quia qui non potest damnum totum integrè compensare, tenetur eo modo, quo licet iuxta arbitrium prudentum. Confirmatur, quia alioqui sequeretur, teneri quempiam restituere pro vita bouis occisi, & non pro vita hominis: quod tamen videtur absurdum, eo quòd hæc sit multò pretiosior. Sed contrarium videtur verius

Respondeo igitur; Et si pro vita serui, vel animalis ne- 141 cessariò restitutio pecuniaria sit faciendæ; tamè pro vita, membro, vel cicatrice hominis liberi, nihil in conscientia necessariò deberi. *Pro vita serui, non autè liberi restituendum.*

Prior pars patet; quia vita serui & animalis pretio æstimantur, quod ad æqualitatem rependi potest; vnde pro horum vita tantum soluendum, quanti plurimi vendi poterant: pro mutilatione & cicatrice, quanti pluris venderentur, si illæsa fuissent.

Secunda pars, est Nauarri ca. 15 nu 22. vbi id egregiè probat. & Glossa in cap. 1. de Iniurijs & damno dato: Lemaæ in 4. d 24. q. 21 art. 2. dub. 7. Veteres Nauarr. libr 4. de Restitut. cap. 1. nu 80. Eamdem tenet Couar. libro 2. variarum resolut cap. 10. nu. 7 circa medium, & Gomezius to. 3. cap 6. num. 12. vbi dicunt *cicatricem hominis liberi, pecunia compensari non posse*: vnde idem multò magis (si consequenter loqui velint) dicere debent de vita & membro.

Probatur Primò, Ex L. vltima. ff de his, qui effud. vel deiec. *Cùm liberi hominis corpus ex eo, quod interfectum effusumve quid sit, lesum fuerit. Iudex computet, quanti eo die mancipia pretiosa; centumque impendia, quæ in curatione facta sunt; præterea operarum, quibus caruit, aut carituras est ostendit, quid unumquemque facturus est. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio; quia liberum corpus nullam recepit æstimationem.* Item habetur L. Ex hac lege. 3. ff si quadrup. paup. fecisse dicatur.

Dices Has leges solùm negare actionem in foro externo. Contrà, Quia apertè indicant, nihil pro his deberi, eò quòd natura sua sint supra omne pretium; ac proinde non possint conferri cum ijs rebus, quæ in humanos contractus veniunt. & hæc ratio nulla est, cur neganda sit actio, si in conscientia aliquid debetur: & cur non fiat eius taxatio per Iudicem, cùm reliquorum damnorum fiat, ipseque melius quàm alius quius, eam facere possit. 142

Probatur Secundò, Hæredes non tenentur compensare damnum vitæ, aut iniuriam illatam, vt Scotus fatetur: ergo nec ipse occisor. si enim occisor ex Iustitia tenebatur ex suis bonis; cur non hæredes ex ijsdem teneantur, cùm succedant in eius obligationes, sicut in iura? *Hæredes non tenentur.*

Tertiò, Quando homicida punitur pœna talionis, satisfacit illa pœna pro damno vitæ: vti praxis omnium tribunalium habet, & DD. supradicti sentiunt: neque enim iustum videretur ad amplius fontem obligare. Atqui per hanc pœnam corporalem nulla fit læso pro vita compensatio; sed solùm fit vindicatio, quæ a reo non debetur ex Iustitia commutatiua, sed a Magistratu. ergo cùm post hanc pœnam censeatur in conscientia liber ab illa compensatione, quæ pro ipsa vita sit facienda, signũ euidens est ipsum antea etiam liberum fuisse, nec Iustitiæ lege damnum vitæ debuisse compensari; sicut alia damna, 143

Nihil certi poſſit determinari.

na, à quibus non eſt liber poſt pœnam.

Quartò, Quia non poteſt ſtatui, quantum pro vita, vel membro ex Iuſtitia ſit reſtituendum; neque vir prudens certum quid arbitrari poteſt. ſi enim dixerit mille deberi pro vita, cur non duo millia, vel tria, & ſic deinceps? etſi enim homicida non teneatur ita ſe exhaurire reſtituēdo, vt in extremam aut grauem neceſſitatem incidat; tamen ſi opibus abundet, numouani poterit ab arbitris tantum taxari, quin dici poſſit amplius deberi.

Vita æquales.

Quintò, Quia vitę omnium hominum ſunt æqualis dignitatis: ergo æqualis debet fieri pro omnibus reſtitutio; quod eſt abſurdum.

Sextò, Reſtitutio, quæ debetur ex Iuſtitia, reparat
144 damnum illarum præcise ad æqualitatem: ergo vbi damnum natura ſua irreparabile eſt, non debetur reſtitutio lege Iuſtitiæ.

Septimò, quia nemo obligatur damnum ſarcire ex bonis diuerſi ordinis, ſed tantùm eiuſdem; hæc enim ſola inter ſe ſunt commenſurabilia: ergo quando non poteſt fieri commenſuratio, non eſt obligatio Iuſtitiæ. Antecedens patet; quia alioquin qui læſiſſet in vita, deberet reſtituere in honore, vel potius in bonis ſpiritualibus, ſi pecunia non poſſet; quod tamen neque moribus gentium eſt receptum, neque vllo modo neceſſarium: vt paſſim Doctores tradunt.

Ex quibus patet Primò, Solum damnum pecuniarium
145 ſecutum ex homicidio, eſſe ex iuſtitia compenſandum; pro damno autem vitæ, & pro iniuria, ſolum deberi ſatisfactionē quamdam, ſignis doloris & petitione veniæ. Fieri tamen poteſt, vt obligetur ex charitate ad aliquam pecuniariam ſatisfactionem, ſi hæredes ſint pauperes, & non putentur mœrorem aliter depoſituri; & ipſe eam ſine graui incommodo poſſit præſtare: tunc enim videtur ſaltem ex charitate, & quadam æquitate naturali generi. fortè hoc voluit D. Thomas.

Solum damnum pecuniarium compẽſandum.

Secundò, Si vir nobilis aut alius occiſus ſit, qui nihil lucri faciebat, nihil reſtituendum, præter expenſas in medicos, ſi quæ factæ ſint.

Tertiò, Patet reſponſio ad contrariam rationem: non enim omne damnum, ex Iuſtitia eſt compenſandum: vt patet de damno ſpirituali; quod tamen maximum eſt. Neque mirum videri debet, ſi pro vita animalis fiat reſtitutio, non autem pro vita hominis liberi; quia vita hominis liberi eſt ſupra omne pretium pecuniarium & humanū, ſicut & bona ſpiritualia: non tamen vita animalis, vel mácipij. Hinc tamen non ſequitur, minus eſſe peccatum occidere hominem, quam belliam.

146 Dices, L. Prætor edixit 7.§.6.ff. de Iniurijs dicitur: *Poſſe hodie de omni iniuria, ſed & de atrocꝭ ciuiliter agi. Imperator reſcripſit.* ergo poteſt agi in Iudicio de damno vitæ ſarciendo.

Reſpondeo, Negando conſequentiam. Aliud enim eſt agere de iniuria vindicanda, aliud de damno ſarciendo. iniuriæ enim nō debetur reſtitutio ſed vindicatio. & mulcta etiā pecuniaria, quę ſit opera Iudicis. ſatisfactio etiam debetur, ſed non pecuniaria ante ſententiam. itaque poteſt ciuiliter agi, quia poteſt exigi aliqua ſatisfactio pecuniaria, per Iudicem imponenda.

DVBITATIO XXIV.

Vtrùm aliquid reſtituendum pro expenſis funeris.

147 RESPONDEO, Ordinariè nihil pro his expenſis reſtituendum, quamuis contrarium aſſirmet Nauarrus capit. 15. numer. 22. Ratio eſt; quia etiamſi naturali morte obijſſet, nihilominus hę expenſæ fieri debuiſſent. vnde per occiſionem nihil damni ex hac parte illatum; niſi fortè ex acceleratione, eo quòd citius illi ſumptus fieri debuerunt, quibus adhuc aliquid lucri facere potuiſſet: ſed hoc ſub lucro ceſſante comprehenditur. Vel niſi extra patriam, aut alieno loco occiſus ſit, vbi maiores ſumptus, quàm domi fieri debuerunt; quòd pertinet ad damnum emergens.

Pro expenſis funeris.

DVBITATIO XXV.

Vtrùm animæ occiſi aliquid reſtituendum ex Iuſtitia.

SCOTVS d.15.qu.3.art 2. Gabriel, Adrianus, & Angelus ſupra, docent, Si homicida ſubeat pœnam talionis, 148
nihil amplius deberi pro vita occiſi: ſi non ſubeat; debere ſatisfacere pro vita illius, bonis ſpiritualibus, per eleemoſynas, orationes, Miſſas, &c.

Non ex iuſtitia.

Sed communior ſententia eſt, non obligari ex Iuſtitia ad hanc reſtitutionem; quamuis ſit ſaluberrimum conſilium, & æquitas naturalis videatur quodammodo poſtulare. Vnde merito pro ſatisfactione ſacramentali, ipſi à ſacerdote poteſt iniungi. ita docet Sotus lib.4.q.6.ar.3.ad tertium. Sylueſter ſupra & alij.

Ratio eſt; quia bonum ſpirituale non poteſt eſſe pre- 149
tium rei temporalis: ergo non poteſt ex Iuſtitia deberi pro damno vitæ. Antecedens probatur; quia ſunt res diuerſi ordinis; & vita per hoc non reſtituitur nec in ſe, nec in æquiualenti, quod apud homines habeat parem æſtimationem.

Dices, Deberi hæc bona non pro vita, ſed quia illum priuauit facultate merendi, & ſatisfaciendi.

Reſpondeo, Facultas merendi eſt irreparabilis; ſimili- 150
ter meritum amiſſum eſt irreparabile: quia meum meritum non poteſt alteri donari; ita vt fiat ipſius. Deinde priuatio huius facultatis, non poteſt vllo opere noſtro compenſari, ſicut nec vita. Et quamuis ſatisfactio vnius alteri prodeſſe poſſit; non tamen conſtat, an alter aliqua ſatisfactione ſit priuatus, nec vtrum ei profutura ſit. Denique nō poteſt in his certa menſura conſtitui, quæ lege Iuſtitiæ debeatur.

Facultas merendi.

DVBITATIO XXVI.

Vtrùm tantummodo Vxori & liberis, an etiam alijs reſtituere teneatur, vt creditoribus, & ijs, quos occiſus alebat.

MVLTI DD ſentiunt, His omnibus faciendam reſtitutionem, quia per iniuriam impediti. Verum hæc ſententia eſt valdè difficilis in praxi, & fortè in rigore non vera. vnde.

Reſpondeo & dico Primò. Probabile eſt homicidam 151
non teneri creditoribus defuncti. Colligitur hoc ex dictis ſupra dub.15.& 16. Tenent Sotus, Salonius, Lopez, & alij ibi citati.

Creditoribus.

Probatur, Nam planè per accidens obuenit damnum creditoribus: non enim illa actio occiſionis ex natura ſua, vel vt plurimum eſt ipſis damnoſa: ergo non eſt iniuria in illos.

Secundò, Quia creditor non habet ius in debitorem, niſi quantum extendunt ſe bona, quæ actu habet, vel quæ verisimiliter erat habiturus: ergo cum homicida reſtituit hæredibus, in quos obligatio defuncti trāsfertur, ea, quæ ipſe putabatur lucraturus, non facit iniuriam creditoribus: poſſunt enim ab hæredibus ſolutionem petere.

Tertiò, Creditor non eſt ita coniunctus debitori, vt damnum, quòd huic fit, debeat cenſeri fieri creditori: nam ſolum per accidens, ſeu ciuili modo ei coharet: qua ratione innumeri poſſunt cum ipſo coniungi. Abſurdum autem videtur omnes eos, qui cum ipſo contrahunt, habere ius Iuſtitiæ in ipſius inimicum, ne ipſum occidat. Confirmatur; quia qui cum aliquo contrahunt, debent videre an ille habeat ſufficientia bona, vel certè curare, vt det ſufficientem cautionem: quod ſi non fecerint, ſibi imputent; non enim tenetur inimicus ex Iuſtitia tam procul reſpicere.

Quartò. Nō videtur hæc obligatio vſu recepta, immo communi hominum iudicio, non cenſetur homicida creditoribus obligatus, niſi forte ea intentione occiderit, vt eis obeſſet.

Dices Primò, Homicida tenetur filijs occiſi, quia parēs 152
illis ex Iuſtitia obligabatur: ergo cum etiam obligetur ex iuſtitia creditori, tenebitur ei occiſor.

Filij.

Respon. Negando antecedens: Idcò enim tenetur filijs occisi, quia videntur vna persona cum parente, ita vt censeantur damnum passi in bonis proprijs, quæ per parentem possidebant. Neque verum est, parentem debere ex justitia filijs, cùm solùm teneatur lege pietatis.

Dices Secundò, Qui hypothecam perimit, tenetur creditori de damno: ergo etiam qui *interimit* debitorem, qui ratione obligationis personalis, est instar *hypothecæ*.

153 *Hypotheca.* Respondeo Primò, negando antecedens; Nam satisfacit dando æquivalens illi hypothecæ; vt si erat domus, ædificando domum similem; vel dando æstimationem; & compensando fructus pro tempore, quo eos impedivit.

Secundò, Negando consequentiam: quia debitor non obligatur secundum se, vt hypotheca; (non enim potest vendi) sed ratione bonorum, quæ actu habet, vel habiturus erat; quæ compensantur ab homicida, ipsius hæredibus, quorum est, defuncti debita soluere.

154 *Pauperes.* Dico Secundò; Etiam probabile est, non teneri illis, quos occisus alebat ex liberalitate. Ita docet Sotus, Lopez, & Salonius supra.

Probatur primo; Quia hoc damnum merè per accidens illis obuenire censetur. Secundo, Quia interfector non tenebatur: ergo nec interfector; cum ipsi non censeantur vna persona cum interfecto. Tertiò, Quia alioqui teneretur alere omnes famulos eius & pauperes, quos ipse sustentabat, quod tamen non est vsquam receptum.

Dices. Qui per vim impedit, ne quis alteri benefaciat, tenetur illi de damno illius commodi sperati; at homicida per vim impedit. ergo, &c.

Respond. Maior vera est, si eo modo vis adferatur vt censeatur his velle nocere: hic autem non eo modo, neque eo fine vim infert; sed quia est inimicus, cui per accidens coniunctum est damnum aliorum. Adde, quòd si ille pauperes alebat, forte hæredes fiet ditiores alent multò plures; nam singuli aliquas elecmosynas dabunt.

155 *Parens, vxor, filij.* Dico Tertiò, Occisor solùm videtur obligari parentibus occisi, filijs, & vxori. Ita Sotus supra l.4 q.6 artic.3. ad tertium & Lopez cap.62. & Salonius quæst.62. art.2. Bannes ibidem quæst.6. Idem tenent multi alij. Ratio est; non quia hæres succedit in iura defuncti; nam defunctus numquam ius habuit ad illam restitutionem, vtpotè cuius obligatio per mortem eius orta sit: sed quia parens & filius censentur vna persona, similiter maritus & vxor, quare qui interficit Patrem, ille vxori, liberis, & parenti eius tam interiori, eoque in re sua lædit. Nam veluti partem quandam ablegauit, à qua illis strictissimo nexu proueniebat vt ita. Itaque si filius interfectus sit, & parens debeat succedere, eo quòd interfectus careat prole, ipsi restitutio facienda. Simile est de eo casu, quo filius debuisset parentem alere, occisus tenebitur. Idem dico de vxore; ea enim commoda filijs, parentibus, & vxori eius rependenda, quæ ipse interfectus præstare debuisset. Quòd si tantummodo haberet filium, qui fratri succedat, probabile est eum nihil debere illi ratione eorum, quod defunctus ante mortem acquisiuit; quod totum ad hæredem etiam extraneum transit. Ita Bannes, Sotus, & alij supra. 156 *Frater.*

Primò, Quia nec est hæres necessarius, nec censetur vna persona cum eo, vnde non censetur lædus in re sua.

Secundò, Quia communi hominum iudicio non dicitur ei damnum illatum, sed potiùs commodum. citiùs enim fruitur eius bonis; & si viueret, fortè alios hæredes instituisset.

Aduerte etiam, probabile esse, homicidam non teneri vxori illa nullum notabile detrimentum accepit, vel si æquè commodè potest nubere, vt iidem Doctores tradunt. Tunc enim non censetur in rebus, pecunia æstimabilibus læsa. Neque parenti occisi, nisi forte sit hæres, vel filius occisus illum alebat, & aliunde si non sit prospectum. Quia alioquin non censetur in re sua lædus, ita vt damnum pecuniarium acceperit. 157

Dico Quartò, Si lædus interfectori omnia remittat, ad nihil tenebitur; sicut qui volentem interficere est communior sententia DD. Bannes quæst.62. art.2. dubit.6. Sotij, Salon. & alij supra. Ratio est; quia filijs non fit iniuria per homicidam in bonis fortunæ, nisi quatenus lædantur in parente, contra ipsius voluntatem: ergo quando parens condonat omne damnum, nullum ius eis remanet. Sicut enim per eum ius acquirunt, ita eo remittunt. 158 *Si condonet.*

Nihilominus, non recte faciet lædus, si filijs valdè egentibus, condonet occisori omnem restitutionem: valebit tamen in conscientia: nisi fortasse, lege positiua, non permittatur eis nisi alicuius certæ portionis bonorum dispositio, v.g. tertiæ, quartæ, vel quintæ: tunc enim non valet remissio, nisi iuxta hanc moderationem, vt quidam volunt. Alij tamen non addunt hanc limitationem, quia tale debitum, cum ab honestissimis viris plerumque condonari soleat, non videtur censeri inter bona creditoris, de quibus loquuntur leges, portionem legitimam præferentes. nemo enim cogitur huiusmodi actiones ex delicto vel iniuria nascentes in censu suo numerare. 159

CAPVT DECIMVM.

De iniurijs in corpus proximi per stuprum & adulterium, deque congrua restitutione.

Constat Dubitationibus 7.

NOTANDVM, esse varias luxuriæ species: vt docet D. Thomas infrà, quæst.154. artic.1. inter quas duæ sunt, quibus potissimum iniuria fit proximo, *stuprum* & *adulterium*. Quare de his duabus dicendum, & de restitutione huc pertinente. de ceteris infrà lib.4. cap.3.

DVBITATIO I.

Vtrùm stuprum, si fiat consentiente puella, contineat specialem deformitatem, vel iniuriam supra simplicem fornicationem.

Stuprum. 1 CAIETANVS 2.2. quæst.154. art.6. fusè nititur probare *stuprum* (seu defloration virginis) per se continere specialem deformitatem, atque adeò specialem iniuriam in ipsam puellam, & in parentem eius, sub cuius custodia manet; eò quòd per illud violetur & referatur claustrum virginale, cui per se debetur parentis custodia.

Dico Primò, Si puella non est sub potestate parentum, vel tutorum, vel si illis consentientibus se patiatur violari, illud stuprum non continet specialem malitiam mortalem supra fornicationem. Ita Sotus in 4. d.38. quæst.2. artic.4. post septimam conclusionem, & Petrus Nauarra libro 2 de restitution. cap.3. num.433. Probatur; quia in stupro non est speciale peccatum, nisi fiat specialis iniuria; quod etsi quidam negent, tamen cæteri cum Caiet. fatentur: sed hic nulla est iniuria; quia, consentienti non fit iniuria: ergo, &c. 2 *Violatio virginitatis.*

Dices ex Caietano, Nec ipsa, nec parentes poterant consentire: sicut nemo potest consentire, vt sibi abscindatur manus: atqui per stuprum fit scissio quædã & ruptio membri: ergo fit verè iniuria, etiamsi consentiant.

Respon-

3 Respondeo Primò, Verius esse, nullam fieri rupturam vt peritissimi medici docent. Deinde, etiamsi esset aliqua ruptura, illa per se non est illicita; nam potest fieri per actum matrimonij: & in se considerata, est parui momenti; cum non lædat naturam.

Tertiò, si alicui volenti abscinderetur manus, nõ fieret ei iniuria: vt docet Bannes ex D. Thoma in 4.qu.64.art.5. in fine; & constat ex dictis supra capit. 7. dubit.3. multo ergo minus, ob innocuam illam rupturam. Denique, ipsa est domina sui corporis, & habet ius vtendi eo, etiam ad hoc opus; ita vt nemini faciat propriè iniuriam: sicut corrupta, nemini *facit iniuriam*, si suo corpore abutatur.

Dices Secundò, ex Caietano. Si stuprum non habet peculiarem malitiam, quando parentes & puella consentiunt: ergo neque adulterium, si maritus & vxor consentiant.

Resp. Negando consequentiam: violatur enim indissolubile illud vinculum, quod matrimonij contractus induxit, quod non est in mariti potestate. Vnde etsi vterque consentiat, adhuc dupiex in adulterio malitia remanet. Primò, quia est commercium earum personarum, inter
4 quas nullum matrimoniale vinculum intercedit: sic enim habet turpitudinẽ fornicationis, estque contra castitatẽ. Secundò, quòd per illud violetur indissolubile vinculũ, quo naturæ auctor alterum alteri obstrinxit, quodque Sacramenti sanctitas confirmauit. hac ratione habet malignitatem adulterij, estque quodammodo contra iustitiam, vt multi DD. volunt; quia coniux iure illo cedere non potest. non tamen propriè est iniuria in coniugem: vt ex dictis supra ca.7.dub.3 constat. de hoc infra lib.4.c.3.dub 10 plura.

Adulterium coniuge consentiente.

Notandum tamen est, Bannes suprà, constituere malitiam propriam stupri in quadam deformitate, non cõtra Iustitiam, sed contra castitatem: quia natura ordinauit illam integritatem ad placẽdum viro in matrimonio. Sed profectò, hæc obligatio videtur parui momenti; nã potest abstinere à nuptijs: potest etiam ita agere, vt vir non percipiat fuisse corruptam. denique potest ante matrimonium cum illo pacisci, vel esse parata perferre ipsius molestias. Vnde etiam ipse non multum huic sententiæ inhæret.

5 Dico Secundò, si puella potestati parentum subiecta, absque illorum consensu, patiatur se violari; illa violatio non cõtinet specialem culpam mortiferam, ratione resignationis claustri virginei: quamuis ratione mœroris & infamiæ, quam adfert parentibus, possit interdum specialem & grauem culpam continere. Prior pars sequitur ex dictis: quia ipsa est domina sui corporis; nec parens maius habet ius in corpus filiæ inuiolatæ, quàm violatæ. Secunda pars patet; quia ingens mœror parentibus inde solet obuenire, ob dedecoratam familiam, & spes frustratas. Sed hæc incommoda per accidens coniuncta sunt violationi virginitatis; nempè ratione euulgationis: si enim occulta maneret, nihil tale sequeretur. Itidem eadem sequi posse ex fornicatione filiæ corruptæ. Vnde patet, hanc malitiam non constituere propriam speciem stupri. Est tamen valde ponderanda; quia potest esse mortifera, vt pote quæ sit contra charitatem proximorũ, & pietatem, seu reuerentiam, parenti & familiæ debitam, & sæpè ex ea grauissima mala, vt inimicitiæ & cædes sequuntur.

Si parens nõ consentit.

Potest addere malitiam mortiferã ratione mœroris & dedecoris familiæ.

6 Dico Tertiò, Si puella consensit liberè in sui violationem, non est proprie *stuprum* à fornicatione specie distinctum, sed tunc demum propriè est tale, quando violatio fit ipsa omninò inuita. Vbi aduerte *stuprum*, aliquando accipi, pro omni coitu lege prohibito. sic, etiam adulterium & sodomia, & incestus, *stuprum* vocantur: vt patet l. Inter liberas. ff. de adulterijs. aliquando accipitur strictius: & sic in virginem & viduam committitur; vt habetur eadem lege. Sed proprissimè accipitur pro violenta virginis corruptione; quę Græcis propriè dicitur φθορά, id est, corruptio: vnde *stupratores* & *corruptores* virginum propriè dicuntur, qui vim inferunt: & sic propria ratio *stupri* consistit in hoc, quod virginitati seu claustro virginali vis adferatur. Quare supra fornicationem addit iniuriam in puellam, qua per vim integritas corporis (quæ maximi fieri solet) ei adimitur. vnde est grauissimum peccatum, pœna mortis plectendum.

Si consensit ipsa sola. Stuprum proprissimè.

Differt autem à *raptu*, quod *raptus* vim includat, qua puella abripitur à domo sua, vel paterna, & locum habere potest in corrupta: *stuprum* autem tantùm in integra, & potest fieri sine omni raptu: sicut & raptus potest fieri sine violatione. Ex his sequitur, cogitationes seu delectationes morosas in virgine, & in adolescente circa virginem, etsi sint peccata mortifera, non habere tamen specialem malitiam mortiferam supra alias delectationes morosas, nisi coniunctæ sint cum voluntate inferendæ violentiæ.

7 *Raptus.*

8 *Delectationes morosæ in virgine, vel circa virginem.*

DVBITATIO II.

Ad quid teneatur corruptor virginis, si non promisit ei coniugium.

9 RESPONDEO, & dico Primò, Si puella liberè consensit, ipse ad nihil ei tenetur. Sequitur ex dictis, quia volenti non fit iniuria: neque tunc est proprie stuprum. Addo cum Soto lib.4.c.7.art.1.ad 2. neque parenti eius quidquam tunc deberi. Ratio est: quia nec illi fit iniuria, nisi fortè quatenus censetur lædi honor & dedecorari familia. puella enim est domina sui corporis. Neque D.Th. q.62.art.6.ad 3. contrarium tenet, vt quidam dicunt. Similiter ad nihil tenetur, si puella remisit damni compensationem, potest enim cedere iure suo, quod habet ad detrimenta nuptiarum sarcienda, præsertim cùm liberum ei sit à nuptijs abstinere.

Si sponte consensit.

10 Dico Secundò, Si vi aut fraude vsuram corporis extorsit, etsi absque promissione, tenetur tamen vel eam sibi matrimonio copulare, vel damnum reparare. Ita docet Nauar.c.16.numer.16.& sequentibus, Sil. ver. Luxuria quæst.5. Anton. 2.par. tit.5. cap.6 §.1.& alij. Probatur; quia damnum tunc per iniuriam illatum est, ergo debet rependi. hoc autem fiet vel matrimonio, vel damni æstimatione.

Si vi vel fraude inducta.

Sed contrà, cap.1 de adulterijs, dicitur, *Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dotabit eam, & habebit vxorem.* quod desumptum est ex c.22. Exodi, & c.2. *Deut.* *Statuimus, vt quam stupraverit, vxorem habeat; ac si renuendum putaverit, corporaliter castigatus & excommunicatus, retrudatur in monasterium.* hic non solùm ad alterum, sed ad vtrumque teneri dicitur: nec solùm ad æstimationem dãni, sed ad integram dotem.

Resp. Hæc intelligẽda esse, post sententiam Iudicis, vt rectè docet Sylu. suprà. ante enim sententiam non tenetur, nisi ad alterum. neque ad integram dotem, sed solùm quanti pluris valebat spes nuptiarum, quam adhuc integra habebat: nam iure naturæ ad amplius non tenetur. ita Couar.2.p.de sponsal c.8.§ 8.num.19.

11

Dixi, *absque promissione*, quia si intercessit promissio, implenda est, vt statim dicemus nu.35.

Petes, Quid si parens vel puella nolit admittere matrimonium, vtrùm ipse damnum teneatur reparare pecunia? Respondeo, Si vi defiorata fuit, potest recusare ipsius matrimonium, & exigere quanti pluris eget ad alteri liberè pro sua conditione nubendum. Idem dico, si fallaciter inducta fuit; vt si adolescens fingebat se nobilem vel diuitem, vt eam deciperet. qui enim fingit aliquid, ob quod ipsa consentit, & cupit gratificari, sine quo nullo modo consensisset; iniuriam ei facit: ac proinde tenetur de damno secuto. Cou. tamen p.2.de sponsalibus, c.6.§.8.nu.19. existimat puellam, in hoc casu, admittere debere matrimonium, si ipsius conditio ei respondeat. quæ sententia nititur quadam æquitate. Sed verius putamus eam in rigore non teneri acceptare: quia circa ipsum decepta fuit per iniuriam; vt existimaret esse alterius conditionis quàm re vera sit, quæ deceptio causa fuit damni: vnde potest iustam compensationem exigere.

12 *Si parens nolit admittere matrimonium.*

Sed, Quid si ipsa velit matrimonium, teneturne corruptor? Respondeo, si nec tacitè nec expressè promisit, (vt si vi aut minis extorsit) non tenetur ante sententiam, sed sufficit in foro cõscientiæ, damni illati compensationem præstare, siue vi, siue fraude, & mendacijs illam induxerit; modò promissio non intercesserit.

13 *Si ipsa velit.*

Petes, vtrùm adolescens teneatur ad alterum prædictorum.

ctorum, si precibus importunis vsuram corporis impetrarit? Quidam putant non teneri, nisi coniunctæ fuerint minæ, aut metus reuerentialis; vt si erat illius dominus, aut superior, aut magnæ auctoritatis, cui ipsa nihil audeat recusare: ita Petrus Nauar.lib.1.cap.3.nu.444.& quidam alij recentiores: quæ sententia est satis probabilis, & ordinariè vera. Fieri tamen potest, vt importunitas tanta sit, vt ratione illius solius teneatur: vt si adeò importunè eam solicitet, vt ipsa malit graue illud virginitatis detrimentum pati, quam assidue tam improba solicitatione enecari. Tales erant preces Dalilæ, quibus expugnauit Samsonem. Sed hoc rarum est: quia molestiam illam plerumq; aliter excutere possunt, concepta ira, qualem in hac causa decet. deinde quamuis initio videantur multùm repugnare; postea tamen sæpè libenter consentiunt. Promissa verò vim non adferunt, sed blandè alliciunt: multoque magis munera. alioquin qui promissis vel muneribus impetrasset officium, vel legatum, teneretur ad restitutionem, quod non est probabile. vide plura infrà, c.17.dubit.6.

14 *Si precibus inducta.*

Promissa & munera.

Dico Tertiò, Si puella vi aut fraude violata, fortè postea æquè commodis potita est nuptijs, ita vt nihil detrimenti acceperit; non debet ei quidquam necessariò restitui. Ita docet Nauarr.cap.16.num.17.& 19. multique recentiores. Probatur; quia neque pro ipsa defloratione pudicitiæ; vt quæ irreparabilis sit,& pretio non æstimanda: neque pro damno inde secuto, cùm nullum reipsa secutum sit.

15 *Si æquè commodè nupsit.*

Dices, Stuprator constituit eam in periculo non inueniendi commodas nuptias; quod periculum est pretio æstimabile: ergo debet rependi.

16 *Periculum damni.*

Respondeo, Inferre alteri periculum, etiam vitæ & fortunarum, non obligat ad restitutionem, nisi damnum reipsa sequatur. huic tamen non obstat, quin aliqua compensatio possit in pactum deduci, antequam se periculo quis exponat. v.g. possum iustè exigere 100. vt me exponam vitæ periculo; tamen si alius me iniustè adducat in tale periculum sine pacto, non tenetur ad vllam restitutionem, si fortè damnum secutum non fuerit. quia periculum etsi magni æstimetur ob damnū, quod potest sequi; si tamen non sequatur reipsa; nihil pro illo restituendum (nisi pactum intercesserit) nam periculum damni non est damnum.

Dices Secundò, Ergo puella, quæ iam 100. acceperat pro defloratione, tenebitur restituere, si postea æquè benè nupsit, & nihil incommodi est perpetia. Resp. negando consequ. Primò enim, poterit retinere pro ipso pudicitiæ damno: iuxta alteram sententiam, quæ probabiliter sentit, illud esse pecunia reparandum Secundò, etiā iuxta nostram sententiam non tenebitur: ratio est, quia qui in aliquo periculo vitæ, fortunarum, vel infamiæ est constitutus, potest pacisci cum eo, qui ipsum per iniuriam in tale periculum coniecit, de damno, quod probabiliter timetur. & quamuis postea non obuenerit, poterit tamen pretium conuentum retinere. & si nondum solutum fuerit, poterit ex vi pacti exigere; eò quòd illud periculum, quod alter præstare debebat, in se susceperit. quòd enim damnum non euenerit, vel suæ industriæ, vel benignæ Dei prouidentiæ adscribat. Confirmatur, quia potest quis pacisci de lucro cessante, vel damno emergente, antequàm eueniant: (nempè, certo pretio periculum horum in se recipiendo) nec tenetur restituere pretium conuentum, etiamsi non eueniant; quando alterius causa hoc periculum suscepit. ergo etiam poterit, quando alterius culpa in periculum coniectus est; quia tunc ille tenetur periculum præstare. debet tamen hoc pactum iniri, dum periculum adhuc durat: nam si nullum sit amplius, non est pretio æstimabilis eius præstatio: itaque tunc pro ea non poterit quidquam exigere. Similiter, nec hæredes puellæ poterunt exigere, si ipsa ante tempus nubendi obierit, & ante obitum pacta non fuerit: quia damnum non est secutum. Denique si postquam pacta est, condonauerit: potest enim hanc condonationem facere, etiamsi sub parentum cura fuerit; quia non parentibus, sed ipsi debetur.

17 *Si æquè benè nupsit.*

18

19 *Potest condonare.*

DVBITATIO III.

Ad quid teneatur corruptor, si eam decepit promissione coniugij.

RESPONDEO, Si promisit coniugium, & ea spe, seu conditione vsuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiamsi fictè promisisset. Est communis sententia DD. Probatur, quia hæc promissio facta est in modum contractus; vnde cùm ipsa ex parte sua compleuerit contractum, tenetur etiam ipse complere, prout extrà iudicio prudentum sonat. alioquin si tali artificio vti liceret, infinitis fraudibus humana commercia paterent. Confirmatur, quia ipsa, consentiendo bona fide in copulā pro matrimonio futuro, ius iustitiæ acquisiuit ad ipsius matrimonium, cui iuri non potest ipse satisfacere, nisi consentiendo in matrimonio. Vnde sequitur, non satis esse eam dotare, vel largis donationibus damnū sarcire, si ipsa nolit acquiescere. Idem dicendum, si animo ficto cum ea per verba de præsenti contraxit, eo tantùm fine, vt ea potiretur: vt docet Sotus in 4.d.29.quæst.1.art.3.& Adria.q.2.de matrimonio,& alij. Etsi enim matrimonium illo casu sit nullum, tamen manebit obligatio eam ducendi, si ipsa velit, ratione iniuriæ & damni secuti.

20 *Tenetur eam ducere.*

21

Aduerte tamen, excipi aliquot casus, quibus non tenebitur eam ducere; sed sufficiet aliter damnum sarcire. Primò, Si ipse longe sit nobilior vel opulentior, idque ipsa sciuerit; tunc enim facile potuit suspicari, ipsum simulatè nuptias promittere, vt ea frueretur.

Quibus casibus non teneatur ducere.

Dico, *si ipse id senserit*, quia si omninò ignorauit ipsius conditionem, & exteriùs non habuit vllam causam suspicandæ fraudis, tenebitur eam ducere, si ipsa velit. ita Petrus Nauarra suprà & multi alij DD. Ratio est, quia tenetur ex parte sua contractum complere, ne ipsa detrimentum patiatur. Neque illa facit iniuriam exigendo promissum; quia pacta sunt corpus pro corpore, bona fide reliqua, vt diuitiæ, nobilitas, per accidens se habent ad hunc contractum. Quidam tamen dicunt posse eum pecunia satisfacere arbitrio prudentum: quod est probabile. insinuat D.Tho.in 4.d.28.artic.2.ad 4 ait enim, *quòd teneatur eam ducere, si sint æqualis conditionis, vel si ipsa est melioris conditionis*; indicans non teneri, si ipse sit melioris. Idem tamquam valdè probabile tenet Corduba libr.1. sui quæst. quæst.13. Ratio est; quia qui in cōtractu fictè aliquid promittit, quod est longè melius, non tenetur illud dare: sed sufficit vt det aliud, quod iudicio prudentis sit æquale. sufficit enim ad iustitiam, vt contractus reducatur ad æqualitatem.

22 *1. Si multum superet.*

23 *An pecunia compensari.*

Secundò, Si ex alijs coniecturis facilè deprehendi poterat, ipsum non sincerè agere. (vt verbis ambiguis vti, inconstanter loqui, nimijs vti exaggerationibus,) Ratio est; quia in his casibus, puella facile potest aduertere vel suspicari, ipsum reuerā nihil serió promittere, sed se ludificari. Vtrùm verò teneatur tūc damnum, si quod secutum fuerit, rependere, dubium est: quidam putant teneri, quia per iniurium causam damni dedit, fraude enim & mendacio eam decepit. Sed verius videtur non teneri. si enim fraudem facilè potuit aduertere, nō præsumitur decepta, sed fingere deceptionem, vt ait D.Th. suprà & Sil. Matrimonium quar.ò q.8.Tabi.v.Matrimonium 2.qu 7.& Fumus v.Restituio nu.22 citatq; D.Tho.& Vercellensem.

24 *2. Si aduertat non sincerè agere.*

25

Tertiò, Si aliquod impedimentum legitimum intercesserit; vt si fiat eius affinis, si ducat aliam per verba de præsenti, si sacros ordines suscipiat, si graue aliquod damnum vel scandalum ex tali matrimonio sequeretur: denique, si pater nolit eam dare. In his casibus sufficiet damnum sarcire. de hoc tamen vltimo est difficultas. nam si corruptor non admittitur à parente puellæ ad matrimonium, paratus alioquin promissorum fidem præstare; cur in conscientia teneatur alio modo damnum sarcire? Quidam distinguunt; si ex animo promisisset, ad nihil aliud obligandum, quia nullam iniuriam intulisset. si autē animo fallaci promisisset, tunc à parente & à puella posse repudiari tamquam impostorem & pudicitiæ insidiatorem, & tamen ratione iniuriæ teneri nihilominùs damnū sarci-

26 *3. Si impedimentum.*

27 farcire. Sed verius puto in conscientia ad aliud non teneri, quam ad implendum promissum, ducendo eam in vxorem; sic enim abunde videtur satisfacere pro iniuria per fictionem illata. Quod confirmatur ex alijs contractibus: si enim fictè tibi promittam mutuum, eoq; nomine tu emas merces; facio tibi iniuriam, & teneor farcire damnum, nisi seruem promissum: si tamen seruare volo, tu verò nolis accipere, non teneor damnum secutum cõpensare.

An teneatur compensare pecunia.

28 Quartò, Si illam contingat postea cum alio fornicari, prior non tenebitur eam ducere. Ratio est, quia in promissione sponsalium. hæc conditio tacitè ubique ligitur. Sed difficultas est. Verum tunc teneatur illi aliter satisfacere? Respondeo non teneri, nisi ante fuerit conuentum: nam ex vi promissionis, solum tenetur eam ducere. quæ obligatio extinguitur per superuenientem fornicationẽ. vnde nisi antea fuerit mutata in obligationem pecuniariam, nihil ei ex iniitia debebitur.

4. Si fornicata fuerit.

29 Quintò, Si dicenti se virginem, promisit nuptias, vt ea potiretur. & postea deprehendat, non esse virginem, non tenebitur stare promissis. ita Lopez 1.p c.76. citans pro se Armillam. idem tenet Corduba lib.1. q.13. sui quæstionarij dicto 3. Ratio est; quia sicut eam decepit ita vicissim ab ea deceptus est: itaque est compensatio iniuriæ. Vnde nec videtur pecunia compensare debere. cur enim teneatur, cùm ab ea deceptus sit? Confirmatur; quia si seriò promisisset, non teneretur propter illam deceptionem: ergo neque dum fictè.

5. Si ipsum decepit.

30 Sextò, si putabat illam esse virginem, & in coniunctione deprehendat re vera nõ fuisse; quamuis ex verbis eius deceptus non fuerit. quo casu non tenebitur illam ducere: vt docet Corduba supra lib.1.q.13. quia illa causa sufficiens est ad soluenda sponsalia: tenebitur tamen, iuxta prædictum auctorem, pecunia compensare, quia ipsa illum non decepit fraude aliqua. Contrarium tamen fortè non improbabile, quia si seriò promisisset, non solùm non teneretur eam ducere: sed neque dotare. Nam ex vi promissionis, solùm obligatur ad eam ducendam; quæ obligatio cessat ex eo, quòd deprehendat non esse virginem; vt alibi dictum est. quam sententiam inuenio probatam doctissimo viro Thomç Sancio lib.1.dç matrimonio disput.10.num.12.

6. Si non erat virgo.

Aduerte tamen, si sciebat eam non esse virginem; & 31 promisit ei matrimonium fictè, ad obtinẽdam copulam, ea secuta tenebitur illam ducere, si ipsa velit; quia ipse deceptus non fuit, & illa, ex parte sua, præstitit conditionem contractus. ita docet Syluest. verb. Matrimonium 4. q.8. Palud.d.28.q.1.art.2.concl.4. Contrarium tamen esse verius, si non timetur infamia, docet Thomas Sancius, citans Lopezium, Veracruz & reliq. quare sufficiet compensare pecunia. Ratio est; quia corrupta, exigendo tale matrimonium pro corporis sui vsura, nimium exigit. Non enim tanti æstimatur copula cum corrupta, vt matrimonio eius debeat cõpensari. Vnde cùm non teneatur ad matrimonium ratione promissionis, (vt quç nulla fuerit) nec ratione damni; cùm nullum secutum sit, vt suppono. solum tenetur iudicio prudentis compensare copulam, per talem iniuriam obtentam. secùs tamen si esset honesta vidua, & impenderet infamia.

Si sciebat nõ esse virginẽ.

DVBITATIO IV.

Vtrùm is, qui antè vouerat ingredi Religionem, si postea puellam sub promissione vera vel ficta matrimonij deceperit, possit ingredi.

32 RESPONDEO, Non posse intrare, sed teneri eam ducere: vt passim DD. tradunt: si tamen ipsa votum eius omninò ignorauit, & recuset omnem aliam satisfactionem. Probatur: quia ingressus Religionis iam factus est ei illicitus; non enim potest ingredi, nisi grauem iniuriam irrogando puellæ; ergo, &c.

Non potest intrare Religionem.

Secundò, à simili. Si ego vouissem 100. dare in eleemosynam, & postea inferrem alteri damnum tanti æstimatum, nec haberem aliunde, quo illud compensarem; teneret dare illa 100. Deo vota, nec possem persoluere votum, omissa damni compensatione; quia obligatio strictæ iustitiæ præponderat obligationi religionis: ergo similiter hic, cum ratione contractus & damni pudicitiæ, corpus illius sit obnoxium puellæ. nec aliter possit ex æquo satisfieri, nisi cum illa contrahendo, teneatur contrahere, & etiam consummare matrimonium: nam contrahendo & non consummando, non censebitur reparatum damnum pudicitiæ, nec occurretur efficaciter infamiæ imminenti.

Tertiò, Quia puella bona fide ex parte sua complenit contractum, cum damno suæ pudicitiæ: ergo aliter tenetur complere ex parte tua. Neque puella tenetur admittere aliam compensationem, tum quia pudicitia non est pecunia æstimabilis, tum quia non tenetur subire infamiam amissæ virginitatis, vt ille votum suum impleat.

Aduerte tamen, si puella sciuit eum habere votum ca- 33 stitatis vel Religionis, non potest vrgere ipsius nuptias; quia non bona fide contraxit, cum videret ipsum non posse nuptias promittere. Sed, teneturne tunc aliter compensare? Certè non videtur teneri; (nisi forte perstaterit puellæ se facile obtenturum dispensationem) quia non fuit ab ipso decepta. sciuit enim, quod promissum est, non posse ab ipso licitè præstari.

Si sciuit eius votum.

An aliter compensare teneatur.

Petes, Verùm in his casibus impetrari debeat dispensatio voti? Respondeo, non videri necessarium; quia executio voti facta est illi illicita. consulendum vt petatur; quia alias tenebitur ex parte sua seruare castitatem, si eam vouit; vnde non poterit debitum petere, sed tantummodò reddere, ea implicitè vel explicitè petente. 34

Dispensatio.

Quod dictum est de eo, qui promissione matrimonij 35 virginem decepit, nõ posse illam ingredi religionem absque ipsius cõsensu; idem dicendum de eo, qui contractis sponsalibus non obtinuit quidem vsuram corporis, sed magnam familiaritatem, quæ moueat suspicionem copulæ, ita vt absque notabili infamia puellæ, non possit recedere à contractu. ita Corduba & Lopez supra num.19. citati. Ratio est, quia non potest hanc iacturam aliter farcire. Idem dicendum si erat vidua bonæ famæ, & nõ infimæ sortis, ob eamdem causam. Denique idem docet Sancius lib.8. disp.36. si puella vi vel dolo fuit defloratа, vel precibus violentiæ æquipollentibus; & corruptor vt huic iniuriæ satisfaciat, sponte promittat ei matrimonium: tunc enim tenetur stare promissis, nec potest illa inuita Religionem capessere. Ratio est, quia ex vi illius defloratonis iniuriosæ tenetur illam ducere, vel dotare, iuxta capit. 1. de adulterijs, quod ex lege veteri translatum in ius canonicum. Itaque cùm ratione iniuriæ violationis teneatur ad alterum disiunctiue, vbi semel elegerit alteram partem, non potest mutare absque consensu puellæ. *quod enim semel placuit, amplius displicere non potest:* iuxta regulam 21. de regul. iuris in 6. Quod intellige, si alterius interfit, vt ibidem Glossa: atqui hic plurimùm interest puellæ te non mutare. Confirm. quia cùm obligatio est disiúctiua, facta electione alterius partis hæc sola debetur; vt patet in alijs debitis. electio autem in huiusmodi est debitoris; vnde debet esse libera. quare si metu cogatur ad illam partem, nempè ad promittendum matrimonium, non tenetur ad illam; sed soluendo dotem, vel damnum farciendo est liber. Si viduam honestam vi vel fraude absq; promissione matrimonij cognouit, etsi postea ei promitteret matrimonium in satisfactionem, nihilominùs posset alio modo pro iniuria satisfacere, & ita religionem ingredi. ita Sancius supra. quod intellige, nisi sequeretur illam grauis infamia. cui alia ratione non possit occurri. Ratio est, quia talis promissio fuit omninò libera. (solùm enim de defloratore virginem statutum est, vt teneatur eam ducere, vel dote augere, c.1. & 2. de adult.) vnde habet tacitam conditionem, nisi religionem ingrediar. Sicut qui promissione pecuniæ puellam defloravit, etsi postea loco pecuniæ promittat matrimonium, nihilominùs potest religionem ingredi soluta pecunia promissa: quia cùm sit promissio omninò libera, non à iure imperata, habet tacitam conditionem prædictam.

Si sponsalia contraxit.

Si vi vel dolo defloratа fuit.

Si viduam vel vi fraude.

Promissio libera.

Verùm etsi hæc sint probabilia; verius tamen puto esse eamdem rationem in foro conscientiæ, siue promissio facta sit viduæ honestæ, siue virgini, in prædictis casibus,

Contrarium sententiæ prior.

sibus, modò cetera sint paria. Ratio est, quia ius illud cap. 1 de adult. non obligat ante sententiam Iudicis, vt suprà dictum est, & communiter docent auctores. Itaque promissio illa matrimonij in vtroq; casu censetur liberalis; ac proinde tacitam habens conditionem, nisi religionem ingrediar, poterit ergo ingredi, soluendo dotem, aut prudentis arbitrio compensando: nisi per sententiam coactus fuerit illam ducere. Vbi etiam aduertendum, eum, qui consentientem defloravit, si postea ei matrimonium promittat, in foro externo cogendum vt eam ducat. Ratio est, quia quando vi vel dolo fecit secuta promissione, est compellendus, vt dictum est, atqui præsumitur ita fecisse; quia non videtur sponte consensisse; vnde cogetur, nisi probet illam vel non fuisse virginem, vel sponte præbuisse consensum, vt rectè Sancius suprà.

In foro externo.

quarto de Iust. quæst. 7. artic. 2. Nauar. cap. 16. numero 48. & 49.

Dico Secundò, Si vllo modo suasit vel procurauit, vt adultera prolem susceptã marito supponeret, fingeretq; esse eius prolem, tenetur de damno secuto; nempe de alimentis & hæreditate, vnà cum adultera. Ratio est, quia vterque est causa totius damni. 41

Si suasit, tenetur.

Vbi aduerte, vtrumque teneri pro rata æquè; primò adulterum, quia vtriusque nomine suasit; adulteram, quia vtriusque nomine fecit. Quando enim consilium est in commodum consultoris, ipse tenetur primo loco, executor solùm in defectum. si tantùm est in commodum executoris, executor tenetur primò, consultor solùm secundariò in defectum. si in commodum vtriusque, vterque tenetur æquè primò pro rata: in solidum verò, ex defectu alterutrius, vt infra c. 13. dub. 5. dicetur.

Consultor & executor.

Dico Tertiò, Si adulter agnoscat esse suam prolem, vel certè nullam habeat iustam rationem dubitandi, tenetur restituere saltem ea, quæ impensa in alimenta prolis, à tertio anno ætatis & deinceps, quamdiu parens tenetur filium alere, quamuis non suaserit suppositionem. Est communis sententia DD. contra Sotum suprà. Probatur; quia pater à tertio anno tenetur alere filium & deinceps, donec sibi de alimentis prouidere possit: à partu autem ad tertium annum inclusiue, tenetur mater: colligitur ex capitul. 2. De conuersione infidelium. & probat ibidem glossa. Et ex L. Nec filium. 9 C. de patria potestate. Sed præcipua difficultas est, de restitutione hæreditatis, quam nothus ille cum alijs filijs, tamquam vnus ex legitimis prolibus cernit. 42

Alimenta.

43

Quidam docent, etiamsi adulter agnoscat esse suam prolem, tamen non teneri sarcire damnum legitimis filijs, ex illegitimi successione obueniens; modò non fuerit auctor suppositionis. docet hoc Sotus suprà, & Henriquez lib. 1. De matrimonio cap. 21. vbi pro eadem sententia citat Pennam. Alij quidam recentiores, etsi contrarium teneant, tamen fatentur, hanc Soti sententiam non esse probabilem.

Sententia Soti & quorundam aliorũ.

Probari potest Primò, Quia iste adulter, non est verè causa huius damni: neque enim illud intendit, neque sua actione attingit, sed aliena actione prouenit: nempe matris suppositione, & fictione, quæ illum, tamquam legitimum marito suo supponit; cuius fraudis adulter non est auctor, nec consultor, vti ponimus.

Secundò, Si adultera procuraret sibi abortionem, non censeretur adulter causa homicidij: nisi forte suasisset vel adiuuisset: ergo similiter non censebitur causa suppositionis, & consequenter neque damni ex suppositione secuti; non enim videtur esse magis causa suppositionis quàm abortionis, cùm neutrum consuluerit, & vtrumque ex sola voluntate adulteræ secutum sit: ipso materiam, circa quam vtrumque fit, dumtaxat suppeditante, id est, prolem.

Dices, censeri auctorem huius suppositionis, quia matrem in eam necessitatem coniecit, vt necessariò deberet prolem supponere, alioquin debuisset seipsam prodere. Respondetur, non ideò censeri auctorem; quia non coniecit illam nolentem & inuitam in eam necessitatem, sed volentem: vnde ipsa sibi debet imputare, quòd in ea necessitate sit cõstituta. Addi potest; probabile videri, quòd etsi per iniuriam, illam in hanc necessitatem coniecisset, (quamuis teneretur illi de damno, quod ipsa pateretur) non tamen obligatum iri hæredibus, quibuscum illegitimus opera matris hæreditatem diuidit; vt si constituam aliquem in necessitate accipiendi mutui aut vendendæ supellectilis, & ille ratione istius inopiæ faciat iniuriam tertio, non tenebor tertio, cui ille iniuriam, occasione inopiæ fecit; sed illi, cui ego iniuriam intuli. 44 45

Contraria placet.

Verùm contraria tententia mihi placet, Primò, quia communis, à qua proinde in re tanti momenti non est facile recedendum. Secundò, quia nõ expedit in re tam nefaria fauere adulteris. Tertio, quia etiamsi adulter nõ suasit suppositionem, tamen est causa cur nothus ille credatur esse legitimus filius mariti, idque iniquo modo; videlicet commercio cum vxore aliena.

Vnde cùm ex iniurioso facto ipsius sequatur hæc falsa credulitas; censetur etiam causa damni, quòd ex illa credulitate nascitur. 46

Neque

DVBITATIO V.

Vtrùm adulter teneatur aliquid restituere marito adulteræ pro iniuria, si partus non sit secutus.

36 RESPONDEO, & dico Primò, Si nullum aliud damnum secutum est, non teneri quidquam pro hac iniuria marito illata rependere. Ratio est, quia iniuriæ ab omni damno separatæ, non debetur ex iustitia, nisi satisfactio, per signa doloris, veniæ petitionem, &c. quæ tamen locum non habet, quando iniuria ignoratur; vnde nisi maritus resciscat, non tenetur adulter ad talem satisfactionem. hæc enim satisfactio non fit, nisi lentienti se iniuria affectum, cùm consistat in placatione animi exacerbati. quod si resciscat, & putetur cupere, tenetur aliàs minimè.

37 Dico Secundò, Si maritus exigat satisfactionem pecuniariam, alter non tenetur eam præstare. Ratio est; tum quia tale damnum non est illatum; tum quia hæc conuentio seu transactio pro iniuria adulterij, Iure est interdicta. L. Transigere. 18. C. de transactionibus, vbi dicitur; *Transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio prohibitum non est.* Idem vetatur L. Miles. 11. ff. ad legem Iuliam, de adulterijs. quod idcircò ius voluit, ne maritus videatur suæ vxoris lenocinium facere, eiusque corpus ad quæstum tamquam leno prostituere. Si tamen maritus occultè transigeret cum adultero sine scandalo, non videretur peccare, nec ad restitutionem teneri; quia leges illæ magis pertinent ad Iudices, ne concedatur actio, nimirum in pœnam, ob præsumptionem lenocinij, quàm ad mores priuatos. 38

Occulta transactio non est illicita.

DVBITATIO VI.

Vtrùm si secutus sit partus, teneatur adulter ad restauranda damna, quæ consequuntur, marito vel hæredibus legitimis, ex sustentatione eius, & hæreditatis partitione.

39 RESPONDEO, & dico Primò, Adulter non tenetur ad vllam damni compensationem, nisi ei moraliter certum sit, esse suam prolem. Vbi aduerte, non videri certum, quamdiu habet probabilem rationem dubitandi de contrario: vt dictum est 1.2. quæst. 19. artic. 6. Id enim moraliter certum censetur, quòd prudenter ita creditur, vt contrarium nullo modo videatur probabile: talia enim passim humano more certa dicuntur. Nunc probatur; quia in dubio, melior est conditio possidentis: nemo enim tenetur aliquid soluere, & re sua se spoliare, nisi ei constet se debere. consentiunt fere in hoc DD. Quamuis enim quidam dicant illum teneri, quando probabiliter credit esse suam prolem; hoc tamen non est ita generatim intelligendum; sed quando ita credit, vt non habeat probabilem rationem dubitandi de contrario. Fieri enim potest, vt quis probabiliter credat esse suam prolem, & etiam probabilitatem habeat non esse: quo casu certum est non teneri. vide Sotum libro

Quid certũ.

Neque dici poteſt.hoc damnũ inde naſci per accidens; quia ſicut ille error vt plurimùm ſequitur ex tali facto iniquo, ita ex errore damnum: idque facile erat præuidere.

Et confir.quia adulter verè eſt cauſa ſuppoſitionis:hoc ipſo enim quo facit naſci prolem ex aliena vxore,ſuppo nit illam marito eius tamquam eſſet ipſius vera proles, nam id ſufficit vt cenſeatur proles mariti, & conſequenter vt ſupponatur marito tamquam ſua, ergo eſt cauſa ſuppoſitionis, & conſequenter damni quod ſequitur. Sicut ſi ipſe poneret prolem viuam actu in vtero vxoris alterius, verè ſupponeret prolem marito, non minùs quàm ſi occultè in domo ſubtracta vel interfecta prole illius. ſupponeret extraneam. atqui eadem eſt ratio de ſemine, quod eſt proles in potentia:ſicut perinde eſt,ſiue ſerpentem actu, ſiue ſemen eius ponas in loco,vnde poſtea nociturus eſt.

Dices, ſola mulier ſupponit pariens in domo mariti, vel affirmans eius eſſe prolem.

Nõ ſola mulier eſt cauſa ſuppoſitionis.

Reſp. Negando antecedens;quia non eſt opus ad ſuppoſitionem, vt dicat eſſe prolem mariti. Nam hoc ipſo quo non eſt ſuſpicio adulterij, cenſetur eſſe mariti; quare eo ipſo quo cauſam dedit pariendi, ſuppoſitionis crimen admiſit. vnde cùm non ſola, ſed vna cum adultero cauſam dederit, etiam adulter eſt cauſa ſuppoſitionis. Nec refert etiamſi foris non pariat;quia ad id non tenetur,niſi ſalua fama & vita,commodè poſſit: & quamuis poſſet. non tamen idcirco, id omittendo, ipſa eſſet ſola cauſa ſuppoſitionis: quia per hoc non excuſaretur adulter, neque idcircò ex eius facto minus damni proueniret.

Similiter non excuſatur ille, etſi orta ſuſpicione adulterij,ipſa iure eſſe prolem mariti; quia damnum aliarum prolium ſemper ex eius facto iniuſto ſequeretur,ſi notbus ſuccedat. ſicut quando duo cauſam efficacem damni futuri dederunt, non excuſatur alter ex eo quod alter cauſam illam occultet.v.g. Titius & Caius propinarunt alicui latens venenum,vnde ille moriturus eſt, niſi ei ſuccurratur.oritur ſuſpicio de Titio:negat Titius:hinc fit vt ille moriatur: non excuſatur Caius a reſtitutione,ſed vnà cũ Titio tenetur. Quia cauſam efficacem dedit,vnde re ipſa damnum ſecutum eſt.

Hinc etiam patet, non eſſe neceſſe vt tempore adulterij extent liberi, quibus fiat iniuria. quia ſufficit per actũ iniuſtum poni cauſam,ex qua liberis extantibus damnũ ſequetur. Manet enim actus ille iniuſtus virtute in cauſa, velut in ſemine. ſicut cùm Tyrannus legem iniuſtam ſcribit,quæ etiam ad 100. annos nocet.

Ex his facile ſoluas rationes ſententiæ diuerſæ.

DVBITATIO VII.

Ad quid teneatur adultera, ſi partus ſecutus ſit.

47 RESPONDEO & dico Primò. Tenetur quantum fieri poteſt, ſine famæ diſpendio & vitæ periculo procurare, ne legitimi hæredes ratione huius illegitimæ prolis aliqui damni capiant. Ita communiter DD. Vnde ſi habet parapherna, tenetur ea relinquere legitimis in compenſationem. Similiter, ſi quid ex labore capiat lucri; ad quod ei etiam diligentia præſtanda. Debet etiam ſolitos ſumptus imminuere, quantum commodè poteſt,ſpectata conditione ſtatus, valetudinis,&c. Quòd ſi hiſce modis non poteſt ſatisfacere, tenetur eum inducere ad capeſſendam Religionem, ſi ad eam videatur idoneus. Ratio eſt; quia omnibus modis debet cauere damnum hæredibus.

Tenetur cum penſare.

48 Dico Secundò, Si hiſce modis plenè poteſt damnum compenſare,non tenetur ad aliud;ſed poteſt permittere. vt illegitimus ſuccedat. Ratio eſt;quia nullum tunc ſequitur damnum legitimis hæredibus.

Dices,Illegitimus, per leges ciuiles,eſt incapax hæreditariæ ſucceſſionis: atqui hæ leges obligant in conſcientia.

49 *Poteſt tamen cum alijs facere.*

Reſpondeo Primò,non eſſe incapacem,quando eo nomine illa portio ceteris eſt compenſata;& res omnino eſt occulta. neque in hoc caſu leges illas accipiendas.

Secundò,etiamſi ſit incapax, tamen poteſt permitti vt ſuccedat, ne ipſa infametur; præſertim quando alij inde damnum non ſentiunt,ob compenſationem.

Dico Tertiò,Etiamſi nullo modo poſſit mater compenſare damnum, non tenetur tamen prodere ſuum crimen marito, aut proli, niſi moraliter certa ſit damni auertendi. Eſt communis DD. præter Adrian quæſt.1. de reſtitut. §.Sed reſtat, & Palud.in 4.d.27.q.2.art.1. qui putant eam teneri ſeſe prodere, quamuis exiſtimet ſe nihil effecturam; quia, inquiunt, fieri poteſt, vt filius ei credat, & forte credet. 50

Probatur noſtra ſententia; quia in dubio melior eſt cõditio poſſidentis:ergo quamdiu prudẽter dubitat an proderit reuelatio, non tenetur famam ſuam,crimen occultum pandendo, prodigere, multoque minùs, quando parum eſt credibile profuturum. Imò id magnæ eſſet imprudẽtiæ;redderet enim ſe infamem & exuſam apud filium, & ipſum conijceret in magnos æſtus animorum; quod non eſt faciendum abſque certo fructu,de quo probabiliter non dubitetur. *Non tenetur, ſi dubitet an proderit.*

Vbi aduerte primò, rarò accidere, vt adultera non habeat iuſtam rationem dubitandi an reuelatio proderit. 51

Primò, Quia filius matri dicenti ipſum ſpurium non tenetur credere,etſi ſciat ipſam adulteram fuiſſe;vt docet Gloſſa in cap.Officij.9.de pœnitent.& remiſſionibus. & fatentur omnes Canoniſtæ in cap.Per tuas.10 de Probationibus,& Iuriſperiti in L.Si poſthumus. 24. ff.de liber. & poſthumis. Ratio eſt; tum quia alleganti ſuam turpitudinem, nulla debetur fides: vt in regulis iuris dicitur; quod intellige,cum alterius præiudicio,vt in præſenti caſu accidit: tum quia,cùm ipſe & ſua,& publica opinione ſit legitimus, non tenetur cum tanto ſuo incommodo ſe reputare illegitimum,niſi conuincatur. Itaque quamdiu ſubeſt aliqua ratio ſuſpicandæ fraudis vel erroris,non tenetur credere. Tum denique. quia ingenium mulierum eſt, alios præter modum amare,alios odiſſe. *Filius non tenetur matri habere fidẽ.*

Secundò, Quia mater poteſt ſibi perſuadere, filium, etiamſi credat animo, tamen verbis negaturum, nec ideò ceſſurum hæreditate, ſed potiùs omnia litibus & tumultibus miſturum.

Aduerte Secundò, ſi filius omnino conuincatur, (vt, quia mater teſtibus probat, parentem toto illo tempore abfuiſſe)tenetur non adire hæreditatem. 52 *Si conuincatur eſſe illegitimus.*

Dices, Qui alterum infamauit tenetur reuocare, quãuis non putet aliquem crediturum: ergo mulier tenetur ſe filio aperire, &c. Ita Adrian.

Reſpondeo. Si infamator certus ſit nihil profuturum, non tenetur:ſi dubius,tenetur;quia ipſe damnum intulit in fama, quod etiam cum famę diſpendio debet farciri. mulier autẽ ipſa damnum non intulit,ſed ſolùm cauſam dedit,ex qua damnum ſequetur, non famæ ſed pecuniæ: vnde tenetur impedire,ſi poteſt,etiam cum diſpendio pecuniæ;non tamen cum diſpendio vel periculo famæ.

Dico quartò. Quamuis certa ſpes eſſet per reuelationẽ criminis,damnis hæredum occurſum iri;non tamen tenetur crimen ſuum patefacere,ſi inde periculum vitæ vel famæ ſibi impendere putaret. 53 *Non tenetur cum vitæ periculo.*

De periculo vitæ,eſt communis ſententia DD.*De periculo famæ*,docet Scotus d.15.q.2.ſub finem. Gabr.ibidem q.2.Caiet.q.62.art.6.& opuſculo 31.reſponſione 14.& Nauarr.cap.16 nu.44 & cap.17.num.89.vbi fusè & doctè id probat,& c.18.n.47.Couarruuias regula Peccatum,1.p.nu.7.Innocent.Panor.& alij Canoniſtæ in c.Officij.9.de pœnit.& remiſſ. Caſtro lib.2.de poteſtate legis pœn.ca.11.Medina C.de reſtitut. q.3. Et quidem *de periculo vitæ*, patet primò. Quia vita nullo pretio eſt æſtimabilis: ergo propter rei pecuniariæ reſtitutionem, non tenetur quis vmquam vitam prodigere, aut periculo exponere.

Secundò, Quia in periculo vitæ ceſſat dominiorum diſtinctio,ita vt licitè re aliena tamquam tua vti poſſis:nec tenearis eam reſtituere, quãdiu periculum durat; vt ſi in fuga alienũ equum cõſcenderis, & ille perierit: ergo,&c. Hinc fit,vt etiamſi ampliſſima hæreditas,aut primogenitura,aut etiam regnum ad ſpurium deuolui deberet;non tamẽ ad hoc impediendum vita exponi debeat. numquã enim poteſt eſſe tanta externorum bonorum copia,vt ipſam per ſe ſolam præferri vitæ oporteat. Si tamẽ ſpurius eſſet perditis moribus,ita vt ex dominatu eius timerentur

mala

mala Reipublicæ adminiſtratio: legitimus autem eſſet
54 optimæ ſpei teneretur adultera, etiam cum vitæ periculo impedire ſpurij ſucceſſionem: hoc enim non prouenit
Niſi mors mala impendat. ex obligatione, qua tenetur impedire damnum legitimi hæredis, ſed malum Reipublicæ; eſtque hæc obligatio potiùs ex lege charitatis vel iuſtitiæ legalis, quam iuſtitiæ commutatiuæ.

Altera pars, quòd *neque enim fama periculo.*

Probatur Primò, ex cap. Officij 9 de pœnitent. & remiſſionibus. vbi Pontifex conſulens de quadam muliere,
55 quæ patrum ſibi inſigni artificio ſuppoſuerat, eſſetne abſoluenda, cùm crimen ſuum timeret marito detegere; reſpondet. *Sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio ſuo ſenſit, quamuis id timeat confiteri, non eſt pœnitentia denegan-*
Neque cum periculo famæ. *da, ita nec illi, ſed confeſſarius ſenſibiliter debet inuenire, & diſcretè ſcrutari.* Hîc Pontifex loquitur in genere de ea, quæ ob aliquam iuſtam cauſam timet marito detegere crimẽ; nempè ob periculum vitæ, vel famæ, vel etiam perpetuæ offenſionis.

56 Secundo, Quia fama eſt res ſuperioris ordinis, quæ
Res ſuperioris ordinis. iuxta Regulam Caiet. & Nauarri numquam eſt neceſſario exponenda pro rebus infeſioris conditionis. Hinc enim fit, vt homo etiam infimæ ſortis, non teneatur vitã exponere pro maximis thelauris reſtituendis, vel famæ, etiam illuſtris hominis, reparanda.

Tertiò, Quia fama apud homines pecunia non ſolet æſtimari; & ſi quis eam ſic æſtimaret, præoptando pecuniam famæ, contra rectam rationem faceret, *melius enim eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* vt habetur Prouerb. 22. quò fit, vt etiamſi ad perfectionem pertineat pecuniarum renuntiatio: non tamen famæ, & boni nominis; cùm hæc ad ædificationem proximi, & rectam officij adminiſtrationem pertineant. vide infra c. 11. dubit. 15.

Quartò, Quia quòd ſolè ſuccedant legitimi, legibus humanis eſt introductum: quæ non videntur obligare, ſed omnino ceſſare, quando imminet tale diſpendium. 57

Aduerte autem Primò, nos loqui de muliere honeſtæ cõditionis, & quæ pro tali paſſim habetur: hęc enim proprie eſt bonæ famæ. Nam ſi ſuſpecta ſit, vel adeò vilis, vt ipſius fama prudentum iudicio parui fit pretij, putarem locum habere poſſe ſententiam Soti, famam iudicio prudentum eſſe componendam cum æſtimatione hæreditatis: quod tamen non admiſerim de vera fama, qualem honeſtæ conditionis & vitæ matrona poſſidet.

Secundò, ſi maritus ſit vir valde bonus & prudens, & 58
pariter filius, ipſique, rẽ ſilentio fiat cõpreſſuri, neque idcirco mulierẽ oſturi, aut probris vexaturi, non ceſſebitur ſe infamare, quamuis crimen illis detegat. Vnde ſi hæ circũſtantiæ adſint, & ſimul ſit certa ſpes damni auertendi, (quod ſanè rariſſimum eſt) tenebitur ſe ipſa prodere.

CAPVT VNDECIMVM.

De iniurijs famę, & honoris, per detractionem & contumeliam, deque neceſſaria reſtitutione.

Complectitur Dubitationes 27.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit fama & honor, & quomodo diſtinguantur.

1 RESPONDEO, Iuriſperiti ſic definiunt. *Fama eſt illæſa dignitatis ſtatus, legibus & moribus comprobatus.* Ita habetur Leg. cognitionum. 5. in. de extraordin. cognit. ſed hic tantùm bona fama deſcribitur. In genere ſic deſcribi poteſt. *Fama eſt multorum exiſtimatio de re* [illegible]. Sermo etiam de huſce & rumor. fama dici ſolet, nempè a *fando.* ſed potiſſimùm conſiſtit in ipſa opinione & iudicio interno, eſtque duplex; *Bona, Mala.* Nos hic ſolùm de bona agimus, quæ potiſſimùm conſiſtit in opinione virtutis & ſapientiæ: (in quibus etiam intelligo functiones ex his procedentes) hæc enim duo ſunt propria hominis bona, ob quę ſola eſt laude dignus, ſecundariò autem in opinione ingenij, eloquentiæ, nobilitatis, roboris, pulchritudinis, potentiæ, opum, & ſimilium; quæ etiam magni æſtimantur apud homines, qui & famam ex hiſce quærunt.

Fama.

In quibus fama bona ſita ſit.

Honor autem nihil eſt aliud, quàm teſtificatio quædam excellentiæ alterius: vt docet D. Thom. q. 103. art. 1. ad 2. immediatè tamen, eſt teſtificatio noſtræ opinionis, de excellentia alterius, cum quadam noſtri ſubmiſſione; & mediatè, ipſius excellentiæ: nam ſigna externa immediatè ſigni
3 ficant noſtros conceptus & affectus; mediatè res ipſas. Hoc autem fit, vel verbis, vel ſignis. Verbis, vt quando quis alterum honorificè compellat, vt ſapientem, eximium, magnificum, clariſſimum, &c. Signis, vt genuflexione, corporis inclinatione, ceſſione primi loci, erectione ſtatuæ, &c. qui enim cupiunt honorari, nihil aliud optant, quam talia ſigna ſuæ excellentiæ exhiberi.

Honor.

Dupliciter exhibetur.

Excellentia autem, quam reſpicit honor, potiſſimùm
3 conſiſtit in ſapientia & virtute: (quæ etiam ſanctitas dicitur) hæc enim habent præcipuam excellentiam. Deinde etiã in alijs perfectionibus & dignitatibus vel moralibus vel realibus, a Deo communicatis, ſiue mediante ratione naturali, ſiue ſupernaturaliter. Sic poteſtas, quæ eſt in Principibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, & quæ in ſacerdotibus, eſt honoranda; quia eſt communicatio quædam diuinæ poteſtatis: dignitas quoque principij, ſeu cauſæ, quæ eſt in parentibus: deniq; omnis perfectio rationalis naturæ; quia eſt participatio quædam perfectionis diuinæ, eſt aliquo modo ratio honorandi, ſi nihil aliud impediat. Quod addo, propter *damnatos*, & *damnatos*, qui, quia in malo obdurati, & omni ignominia digni, nullo honore ſunt afficiẽdi. Denique id, quod ſingularem quemdam ordinem, vel vt effectus, vel vt inſtrumentum ad hæſce perfectiones habet, etiam eſt ratio honorandi. Sic nobilitas & diuitiæ honorantur: nobilitas, quia ex præclarè geſtis orta eſt: diuitiæ, quia ad opera præclara facultatem præbent, ſuntque virtutis inſtrumentum.

Excellentia in quibus conſiſtat.

4

Ex his patet differentia honoris & famæ; nam fama eſt opinio virtutis, ſapientiæ, & rerum præclarè geſtarum alterius; honor autẽ, eſt teſtimonium excellentiæ. Fama igitur conſiſtit in interna opinione; & dum exit in opus externum, dicitur laus, vel vituperatio. Honor autẽ conſiſtit in externa ſignificatione noſtræ æſtimationis de excellentia alterius, & ſubmiſſionis noſtri. vnde ſupponit opinionem excellentiæ, & intentionem exteriùs per aliquod ſignum eam teſtandi, (in quo ſigno conſiſtit honor) idque ideò; quia hoc excellentiæ eſt debitum. Hinc fit vt honor ſit excellentius quid, quàm fama: nam includit famam ſeu opinionem excellentiæ. & præterea eius teſtificationem & manifeſtationem. Vnde merito Ariſtoteles l. 4. Ethic. c. 3. docet *honorem eſſe maximum inter bona externa*; cuius ſignum eſt, quia, vt ipſe ait. *Principatus & diuitiæ propter honorem ſunt optabilia.* Sed de his plura infrà cap. 36. dubit. 1. & 2.

5 *Diſcrimen honoris & famæ.*

DVBI-

DVBITATIO II.

Quid ſit detractio.

D. Thom.q. 73. a. 1.

6 RESPONDEO, *eſt aliena fame occulta & iniuſta denigratio ſeu violatio*. Ita ab omnibus paſſim DD. definiri ſolet. Vbi aduerte, duo requiri ad *detractionem*. Primò, vt aliquid dicatur: vel eo modo dicatur; vt alicuius famam & exiſtimationem, quam poſſidet in animo alterius, extinguere, aut minuere valeat. Secundò, vt fiat occultè, ſaltem iuxta intentionem dicentis: ſi enim quis in præſentia alterius, famæ detrahere intendat, iam non erit ſimplex detractio, ſed *contumelia*; quæ dictis vel
7 alijs inſignis incoràm violat alterius honorem: vt patet ex D. Thoma quæſt. 72. artic. 1. Vnde dupliciter differt *detractio a contumelia*. Primò, quòd detractio directe lædat famam; contumelia autem honorem. Secundò, quòd detractio fiat occulte, ſeu in abſentia, ſicut furtum; iuxta illud Eccleſiaſticæ 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit*: contumelia autem potiſſimum fit incoràm: ſicut enim honor non exhibetur niſi præſenti, vel abſenti tamquam præſenti; (deſiderat enim is, qui honorat, vt honorato innoteſcat & opinio, quam de illius excellentia habet, & teſtimonium, quod exhibet) ita contumelia non fit niſi præſenti, vel abſenti tamquam præſenti. Vnde patet; detractionem ceteris paribus eſſe minus peccatum, quàm contumeliam; tum quia minus bonum aufert; tum quia eſt minus contra alterius voluntatem. nam occultè, & altero neſciente aufert famam; ſicut fur pecunias; quod eſt ſignum, ipſum reuereri eum, cui nocet. ſed contumelia, quaſi vi illata, honorem aufert ſcienti & actu renitenti, ſicut raptor pecunias.

8 Notandum eſt, Detractionem fieri octo modis, vt colligitur ex D. Thoma: quatuor directè, & quatuor indirectè. Directè; Primò, imponendo crimen falſum. Secundò, amplificando crimen verum. Tertiò, pandendo crimen occultum. Quartò, ſiniſtrè interpretando alterius factum: qui quartus modus, quatenus in animo alterius per tuam interpretationem lædis bonam opinionem, quam ipſe de proximo conceperat, vel ingeneras prauam; pertinet ad detractionem: vt verò in animo tuo ſic iudicando temerè, proximò iniuriam facis; ad temerarium iudicium. Indirectè; Primò, negando rectè facta, vel dotes alterius. Secundò, ea extenuando. Tertiò, tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo tuum ſilentium alij interpretabuntur tacitam vituperationem. Quartò, ſimulatè vel frigidè laudando; vt quando quis ſimulat ſe velle laudare aliquem, & tamè nihil affert laude dignum. Nam vt Phauorinus apud Gellium libro 19. noctium attic. capit. 3. ait, *Perinde eſt frigidè laudare, quàm apertè reprehendere*.

Detractio.

Differt a contumelia.

Vt octo modis.

DVBITATIO III.

Quale peccatum ſit detractio.

D. THOM. ART. 2. & 3.

9 NOTANDVM eſt, Non eſſe detractionem, ſi quis ſeruato ordine correptionis fraternæ, patefaciat teſtibus, vel Superiori crimen fratris vt emendetur; quia non eſt iniuſta famæ læſio. Nam pro bonis ſuperioris ordinis, licitè exponuntur bona inferiora; vt pecunia pro vita corporali, & fama pro ſalute ſpirituali. Vt autem ſit detractio, requiritur, vt iniuſtè fama lædatur; quod dupliciter fieri poteſt. Primò, directa intentione. Secundò, indirecta.

Nunc, dico, Primò, Si directè intendas famam alterius
10 lædere, erit formalis detractio; ex genere ſuo peccatum mortiferum, grauius quidem furto (quia lædit proximum in bono, quod pecunia eſt præſtantius) ſed leuius homicidio (quia illud bonum eſt minùs præſtans quàm vita) & leuius adulterio; quia adulterium triplicem malitiam continet: nempe contra bonum prolis; contra ſanctitatem matrimonij; & contra ius coniugis: vt ſupra oſtenſum eſt.

Eſt peccatũ mortiferum.

Dixi, *ex genere ſuo*. quia ratione exiguitatis materiæ, in
11 qua quis intendit famam alterius lædere, poteſt eſſe veniale; vt ſi de induſtria aliquam paruam imperfectionem alterius narres.

Similiter, ratione materiæ, vel circumſtantiarum fieri poteſt, vt aliquod furtum ſit grauius aliqua detractione, & aliqua detractio adulterio: infamare enim grauiter aliquẽ Ordinem Religioſum, vel Prælatum Eccleſiaſticum, peius eſt peccato adulterij. Inter omnes detractiones eſt peſſima, quæ fit per libellos famoſos, tum quia ad plurimos permanat; tum quia ægerrimè poteſt aboleri, cum author nequeat deprehendi. Vnde morte puniuntur & qui libellum famoſum ſparſerit, & qui inuentum vulgauerit; vt patet L. vnica. C. de famoſis libellis.

Libelli famoſi.

Dico Secundò, Quod ſi non intendas lædere famam:
12 ſed ex quadam loquacitate narres peccata, vel defectus alterius, eſt detractio materialis; quia læſio alterius, non eſt directè volita: eſt tamen peccatum mortiferum, ſi id, quod narratur, grauiter proximi famam lædat. Ratio eſt; quia etſi expreſsè non intendas lædere; tamen intendis implicitè, dum vis illud, vnde per ſe læſio ſequitur.

Dico Tertiò, Si id, quod narratur, parum lædat, erit
13 veniale. hinc fit primò, vt narrare defectus veniales proximorum, non ſit niſi veniale: vt docet D. Anton. par. 2. tit. 8. capit. 4. & Silu. ver. Detractio, numero 2. Ratio eſt; quia cùm nemo ferè ab his ſit liber, non notabiliter lædunt famam; niſi fortè conditio perſonæ talis eſſet, vt in
14 ea huiuſmodi defectus cenſeantur magni momenti; vt ſi quis diceret de viro graui & religioſo eſſe mendacem, id eſt, crebrò mentiri: tam dicere illum ſemel vel bis mentitum, non eſſet mortale; quia non ideò amitteret famam. Secundò, ob eamdem cauſam ordinariè non eſt peccatum mortiferum, reuelare defectus naturales; (niſi inde aliquod notabile damnum ſequatur) ſiue illi defectus ſint animi, vt ſi dicas quempiam eſſe ignarum, parui iudicij, parui ingenij: ſiue corporis; vt eſſe cæcum, gibboſum, &c. Idem locum habet in defectibus natalium, vt ſi quis dicat eſſe filium Clerici, natum ex adulterio, & ſimilia: vt docet Pet. Nauarr. libro 2. capit. 4. numero 307. & inſinuat Nauar. cap. 18 num. 24. niſi fortè propterea putaretur valdè in animo eorum, quibus dicitur, contemnẽdus. Ratio eſt, quia ob hæc non cenſetur quis infamis. Si tamen in faciem hæc & ſimilia, præſertim viro honorato
16 dicantur conuitiandi cauſa, erit peccatum mortale; quia cenſetur notabilis contumelia; ſecùs ſi vilis ſit conditio; niſi fortè grauem mœrorem inde putetur concepturus.
17 Tertiò, Quando ratione conditionis perſonæ, peccata, etiam mortifera, non cenſentur notabiliter lædere famã; non eſt peccatum mortale, horum reuelatio: vt ſi quis dicat, militem commiſiſſe duellum; habere concubinam, decepiſſe puellam: vel adoleſcentem eſſe prodigum, deditum amoribus. Quartò, Idem dicendum, ſi generali-
18 bus nominibus peccatorum mortalium aliquem infames; vt ſi dicas, eſſe ſuperbum, auarum, iracundum; vt docet Silueſter v. Detractio num. 2 ex D. Anton. ſuprà. Ratio eſt; quia hęc nomina ordinariè non ita accipiuntur, vt ſonent peccata mortalia; ſed vt naturalem inclinationem, vel venia-
les defectus denotent. Fieri tamen poteſt, vt ratione dignitatis perſonæ, de qua dicuntur, vel quia putantur accipienda pro grauibus vitijs: ſit in his peccatum mortiferum. vide Nauarr. cap. 18. num. 24.

Defectus veniales narrare.

Defectus naturales.

Natalium defectus.

Generalia vitiorum nomina.

DVBITATIO IIII.

Vtrùm auditor detractoris peccet mortaliter.

D. THOM. ART. 4.

19 *Inducens detractorem.*

RESPONDEO & dico Primò, Qui ita audit, vt inducat, vel excitet ad detrahendum; non minus peccat quam ipse detractor, sed potius magis: similiter qui detrahentem verbis vel gestibus animat ad prosequendū. Ita D. Thom. art. 4. & alij. Quòd magis peccet, probatur; quia non solum ipse in se peccat affectu detractionis, sicut detractor; sed etiam alteri est causa detrahendi. detractor enim solum est auctor sui peccati, ille verò & sui, & alterius: vnde tenetur ad restitutionem, nisi detractor ipse restituat. In hoc casu locum habet quod ait Bernardus lib.2.de consid.sub finem, *Detrahere vel detrahentem audire, vtrum horum acerbius sit nescio facile dixerim.*

20 *Qui lætatur auditu.*

Dico Secundo, Qui audiendo detractorem lætatur, nō tamen inducit, nec animat ad continuandum, peccat mortifere contra charitatem (vt qui alieno malo lætetur) & etiam contra iustitiam, quatenus gaudet eo opere, quo alteri inuitè damnum datur: non tamen tenetur ad restitutionem; quia non est causa damni.

Dices, Tenebatur impedire, & non impediuit: ergo est causa. Respondeo, Non tenebatur obligatione iustitiæ, sed solum charitatis. vnde saltem non est causa per iniuriam.

Ex curiositate audiens.

Aduerte tamen, Si quis solum delectetur eloquentia detractoris, vel curiosa cognitione factorum proximi; nō tamen desideret, vt ille detrahat, non esse peccatum mortale; sed tunc solum, quando vel delectatur damno proximi, (quod non potest prouenire nisi ex aliquo odio) vel ita delectatur eloquentia vel curiosa cognitione, vt placeat ei quòd alter detrahat. Nam vt Apostolus ad Rom. 1. ait. *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

21 *Non resistens.*

Dico Tertiò, Qui nec inducit, nec lætatur, tamen audit, nec resistit, cum possit; aliquando peccat venialiter, aliquando mortifere. Mortifere peccat, si infamia sit grauis, & facile possit eam impedire, nec putet eam alia ratione auertendam, vel breui recuperandam. Ratio est: quia charitas obligat, vt graue damnum proximi, quod ipse inuitus patitur, impediamus, si commodè possumus. Vnde si sit Superior, qui ex officio tenebatur impedire proximi infamiam, obligabitur ad restitutionem, in defectum inferioris. Venialiter peccat Primò, si detractio est leuis. Secundò, si est quidem de re graui, tamen solum sit apud vnum, vel vt summum duos, qui rem omnino silebunt, tunc enim non censetur notabilis infamia. ita Caietan. 2.2.quæst.73.art.2.dub.1. Cordub. q.2. conclus.5. Pet. Nauar. lib 2. capit. 4. numero 334 sed hæc sententia non est ita vniuersè amplectenda, vt infra dubit. 11. dicetur. Tertiò, si nimia erecundia vel animi pusillitate non audeat resistere. ratio est; quia tunc valdè difficile est efficaciter impedire. vnde tunc non tenetur, saltem sub peccato mortali: nisi fortè infamia esset valde atrox, vel grauia incommoda putaretur paritura. tunc enim deberet sibi vim facere, excussa verecundia, & modestè contradicere. Quartò, Si putet detractorem sponte reuocaturum, vel emendaturum quod dixit, idque breui & efficaciter. quòd vt faciat, adhibenda correptio fraterna, si opus sit. Quintò, Si putet auditores non credere. Nullo autem modo peccas, si vel non putes profuturam tuam monitionem, vel metuas aliquod magnum damnum; vt contumelias, verbera; vel si rationabilis verecundia obstet; vt si sis famulus, vel nullius auctoritatis. debes tamen tunc, si commodè possis, vel discedere, vel faciem tristiorem ostendere, vel sermonem alio diuertere: nam hac ratione impeditur, vel saltem minuitur detractoris feruor, iuxta illud Prou.25. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.* vide Chrysost. hom. 3. ad populum, a medio vsque ad finem: Bernard. sermo 24. in Cantica, & serm. de triplici custodia, manus, linguæ, cordis.

22 *Quando sit venialis.*

23

DVBITATIO V.

Vtrùm audita, vel alia qualibet referens absque asseueratione & dubitanter, peccet mortaliter, & teneatur restituere.

RESPONDEO, & dico Primò, Non esse peccatum mortiferum si ita referat, vt ei probabile non sit vllam inde infamiam orituram, eo quòd alij non sint credituri. Ita Scotus d.15.q.4. Nau.ca.18.nu.50. & multi alij DD. Ratio est; quia tunc non est probabile periculum damni proximo. 24

Notandum tamen, si crimen esset valdè graue; vt hæresis, proditio, præpostera libido: & verisimile esset ex narratione, auditoribus malam suspicionem suboriturā, posse esse peccatum mortiferum; quia talis suspicio videtur esse magnum malum, respectu honestæ personæ.

Dico Secundò, Si quis audita referat coram ijs, quos probabile est ex sua leuitate credituros, etiamsi ipse sufficientem occasionem ad id minimè dederit, peccat mortiferè contra charitatem, non tamen contra iustitiam; ac proinde non tenetur ad restitutionē. Quòd *mortiferè peccet*, probatur; quia qui aduertit ex suis dictis, vel factis, alium grauiter lædendum, siue in fortunis, siue in fama, siue in corpore; tenetur ex charitate abstinere, si commodè possit; quamuis id ex alterius culpa prouenturum videat. Quisque enim tenetur impedire notabile damnum proximi, quantum commodè potest; & maximè quod sui occasione proueniret. Quòd autem non *teneatur ad restitutionem*, docet expressè Caiet. quæst.71.ar.3. cùm ait, *Etiam qui audita refert, non tenetur ad restitutionem.* & Nau. cap.18. numero 48. vbi dicit, *non teneri, qui non dedit iustam causam credendi.* Adrianus in 4. qu. de Restit. fama, in fine, Silu. v. Detractio, q.4. & aliquot alij DD. Ratio est; quia non est causa efficax damni, sed merè per accidens ex ipsius narratione sequitur: non enim eius narratio est talis, vt idonea sit fidem facere; sed quòd illi credant, id prouenit ex illorum leuitate, vel malitia. Vnde is qui narrat audita ab hominibus parum fide dignis, indicatis suis auctoribus, non tenetur ad restitutionem, etiamsi auditores ex sua leuitate credant: imò etiamsi id malo animo faceret: quia intentio nocendi, non obligat ad restitutionem, quando opus ex se non est damnosum: vt supra cap.7.dubit.2.dictum est. 25 *Si ex leuitate putentur credituri.* 26 *Non teneri ad restitutionem.* 27

Dico Tertiò, Qui refert audita eo modo, vel nominatis ijs auctoribus, vt audientes meritò possint induci ad opinandum malum de proximo, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem. Ita Sotus l.4.de Iust.qu.6.art.3. circa quartum argumentum. Probatur, quia dat sufficientem causam alijs malè opinādi, ex qua mala opinio reipsa sequitur: ergo, &c. Antecedens probatur Primò, Quia si absolutè diceret Petrum commisisse adulterium, & alij crederent, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem: atqui quando eo modo narrat, vel eo auctore, cui meritò æquè sit credendum atque ipsi, non minùs efficaciter inducit audientes ad sic opinandum, quàm si ipse ex se asseueraret: ergo, &c. Secundò, Quia inducere alterius testimonium est adferre argumentum non exigui ponderis ad persuadendum: ergo, &c. 28

DVBITATIO VI.

Vtrùm sit peccatum mortale, infamare seipsum.

CAIETANVS q.73.art.2. & in Summa.v. Detractio, existimat esse peccatum mortiferum contra iustitiam, se infamare; quia censet hominem non esse dominum suæ famæ. Vnde colligit Primò, esse grauius peccatum se infamare quam proximum, sicut grauius est se occidere, quam proximum: in qua sententia videtur etiam esse D. Aug. l.1. de ciuit. c.20. Secundò, hominem teneri ad restituendum sibi famam. Sed communis sententia est in contrarium; pro qua. 29

Dico Primo, Seipsum infamare ex genere suo non est pecca-

Non esse contra iustitiam nec peccatū mortiferum ex suo genere.

peccatum mortiferum, neque contra iustitiam, neq; contra lui charitatem. Ita Sotus l.5.q.10.art.2. Nau.c.18.nu.27.& 61.& alij passim. Probatur *non esse contra iustitiam*; quia homo est Dominus suæ famæ, sicut suarum opum: vt suprà cap.4.dubit.11.dictum est: ergo illam dissipando nulli facit iniuriam; (sicut neque dissipando alia bona) siue id fiat reuelando crimen verum, siue crimen falsum sibi imponendo. quæ enim lex iustitiæ obligat illum, vt retineat bonam existimationem in mentibus hominum? *Non esse etiam contra charitatem*.

Probatur Primò, quia charitas non obligat hominem ad bona huius vitæ, quæ extra nos sunt comparanda, vel conseruanda, nisi quatenus sunt necessaria aut bona spiritualia vel nostra vel proximorum: ergo non obligat ad famam conseruandam, si ipsa secundùm se consideretur.

Secundò, Quia prodigalitas, quæ versatur in bonis externis, ex genere suo non est peccatum mortiferum, aut contra charitatem: sed solùm veniale contra liberalitatem: ergo cùm fama sit etiam quoddam bonum externum, eius profusio non erit contrà charitatem, sed solùm erit quædam prodigalitas.

Dico Secundò, Ratione tamen alicuius circumstantiæ, 31
Potest esse peccatū mortale ex aduētū.
neimpe damni, quod nobis vel alijs contingit ex nostra infamia, potest esse peccatū mortale, se infamare. Est communis DD. Primò, Si ex mea infamia sequatur notabile scandalum, vel mihi, vel proximo. Mihi quidem, vt si ex infamia reoderer efferatior ad peccandum. Sed existimo raro fieri vt ex hoc capite infamare se, sit peccatum mortale; quia ordinariè est occasio remota. Proximo verò; vt si ille sciens me aliquando tale peccatum admisisse, inde occasionem acciperet idem patrandi: quamuis & hoc fortasis rarò vsu veniat; præsertim si cum dolore vel vituperatione crimen meum commemorem. Secundò. Si inde mihi immineat periculum vitæ, vt si dicam me occidisse parentem Petri, vel violasse eius torum: hoc enim non solùm est famæ sed etiam vitæ profusio; & est alteri dare occasionem peccandi. Tertiò, Si mea fama sit necessaria muneri quod gero, vt si sim Episcopus, Parochus, Abbas, Prior. tunc enim peccabo contra iustitiam.

32 Aduerte tamen, in hoc casu se infamare, aut famā suam negligere, non esse per se contra iustitiam: sed velle munus Prælati cum hac infamia, qua factus est meptus, retinere. Vnde si quis vellet deponere officium, aut nouis virtutum exercitijs infamiam vincere, vt muneri non obsit; non erit hac ex parte contra iustitiam se infamare, aut famam negligere: vt docet Sotus l.4.q.6.ar.3. ad 4. Quartò,
33 *Si infamia redundet in alios.*
Si mea infamia redundat in alios. v.g. in liberos, in familiam, in Ordinem religiosum. est enim magna infamia liberis, (præsertim in Hispania & Italia) habuisse parentem hæreticum; præterquam quòd fiant inhabiles ad officia, & beneficia: & familiæ honestæ infamia est, esse aliquem in ea proditorem patriæ: sodomitam, latronem, vel qui publico supplicio sit affectus: Ordini religioso, habere Religiosum impuræ vitæ, ebriosum. In his igitur & similibus casibus, plerumque erit peccatum mortale seipsum infamare: tum quia notabiliter existimatio aliorum laeditur. tum quia graui mœrori afficiuntur. Vtrùm autem sit contrà iustitiam, dicendum infrà dubit.23.

DVBITATIO VII.

Vtrùm possit quis sibi falsò crimen imponere, ad vitanda tormenta; præsertim si ob id, esset extremo supplicio afficiendus.

34 CAIETANVS ver. Detractio, & quidam alij, negant id licere, etiamsi hoc modo posset mortem euadere, eò quòd homo non sit suæ famæ dominus. Sed hoc fundamentum, neque verum est, vt suprà ostensum; neq; si verum esset, quidquam efficeret: quia etiamsi non esset Dominus suæ famæ, tamen ad vitæ suæ, vel proximi conseruationem, posset sine omni peccato crimē occultum, quod verè commisit, pandere; & sine peccato mortali, crimen, quod non commisit, sibi falsò imponere. Ratio est; quia rectus ordo habet, vt bona minoris momenti exponantur cōseruandis maioribus: (sic enim naturæ impulsu, pars exponitur ad conseruationem totius) ergo pro conseruatione vitæ tuæ, potes famam perdere, etiamsi famæ non sis dominus. Idem dico de vita proximi; quia licitum est pro illo vitam exponere: ergo multò magis famam; præsertim cùm fama sit bonum reparabile. Vnde respondeo &

Dico Primò, Ad vitanda tormenta leuia, falsò sibi crimen imponere, ob quod morte sis plectendus. est peccatum mortiferum. Ita Sotus lib.5.de iust.q.10.art.2. atque communis sententia DD. 35
Ob leuia tormenta non licet imponere sibi falsū.

Probatur Primò; Quia quisque tenetur suam vitam conseruare & tueri; etiam cum aliquo dolore & incommodo, maximè quando mortem non est commeritus. Secundò; Quia in hoc casu censeretur sibi sponte mortem immeritam accersere, & seipsum quodammodo occidere; sine causa dando occasionem mortis.

Dico Secundò, Nō tamen erit peccatum mortiferum, si ob huiusmodi tormenta pandas verum tuum crimen occultum, etsi ob id morte sis plectendus. colligitur ex Scoto dist.15.quæst.3. vbi dicit, *Expedit enim homicida vt solueret, si passiones voluntarias vel patientes susceptas, vt seruaret occideretur pro homicidio*. Vbi indicat expedire, vt se offerat Magistratui puniendum. Idem tenet Fct. Nauarra l.2 capit 4. numero 134. Probatur; quia ille meritus est mortem: ergo potest eam sibi optare, & procurare, si bonum finem propositum habeat, nempe vindictam suorum scelerum, exemplum publicum, & vt abrumpat peccandi consuetudinem quam alia ratione sibi non videtur posse deferere: denique vt bene se disponat ad mortem. nam alioquin est in periculo ne subitò pereat imparatus. Ob has causas, sine omni peccato videtur se posse iudicio sistere, & crimen aperire: ergo idem poterit in tormentis. Neque dici potest eum hic peccare contra charitatem, tum quia maius bonum sibi propositum habet, quam sit vita; ob quod vitam optet deferere, tum quia si alius, qui criminis esset conscius illum accusaret ob bonum publicum, eiusque salutem, non peccaret contra charitatem: ergo nec ipse. 36
Laudare verum.

Notādum tamen, si quis mollitie quadam animi; quòd parua tormenta nequeat perferre, crimina sua occulta proderet, non excusari a peccato; quamuis putem non fore mortiferum. Nisi forte per accidens, ratione alicuius magni damni inde secuturi; vt est infamia familiæ, scandalum publicum, & similia. 38
Si animi mollitie.

Dico Tertiò, Ad vitanda leuia tormenta, confiteri crimen suum occultum, vel imponere sibi falsum, non est peccatum mortiferum, si nullum aliud grauius malum inde metuitur. Sequitur ex dictis quia quisque famæ suæ est dominus: ergo sicut eam sine causa prodigere, ex genere suo non est mortale; ita multò minùs mortale erit, si ob aliquam causam, licet non omnino iustam & parem, eam prodigat 39
Si nō sequatur graue incommodum.

Dico Quartò, Ad parentem, vel amicum a morte, vel tormentis magnis eripiendum, non est per se peccatum mortiferum, absque iuramento, sibi crimen falsò imponere, quando in quæstione non procedetur iuridicè. Probatur; quia possum sine peccato mortifero mihi crimen falsum imponere, ad vitanda tormenta, si nihil aliud mali inde timeatur: atqui interitus amici vel parentis æquiualet magnis doloribus: ergo, &c. Imo si parens vel amicus sit omnino inculpatus, nec sit alia via mortis illorum auertendæ, videtur non esse peccatum, etiam se morti offerre illorum loco; quia nemini fit iniuria; & alias licitum est, vitam pro parente & amico exponere, vt docet Toletus l.5.c.6 & Sotus lib.5. de Iust.q.1.art.6. 40
Ad liberandum amicū.

Dixi, *Si iuridicè procedatur*; quia si iustè procederetur, peruerterem iustum iudicium, & facerem iniuriam Iudici, & accusatoribus & Reipub. vnde sine dubio esset graue peccatum mortiferum.

Dico Quintò, Ad vitanda tormenta valdè grauia quibus merito possis celerem mortem præoptare, non peccas mortifere, si crimen falsum tibi imponas, quamuis certò ob id sis morte plectendus. Est contra Nauarrum & quosdā alios. sed ita tenet Angelus v. Detractio. nu.6. Silu. eod. q.3. Sotus suprà. Toletus l.5.cap.66. & multi recentiores hoc tempore. vnde hæc sententia est tenēda; fauet enim multis miseris, qui alioquin non solùm corpore, sed etiam anima perirent, confitendo crimina falsò 41
Si mors inde non sequatur.

contra

contra conſcientiam, quæ non audent reuocare metu tormentorum.

Probatur primò; Quia non tenetur homo cum tanto cruciatu vitam tueri, ne alius eam eripiat; ſicut non tenetur permittere ſibi tibiam abſcindi, cum tanto dolore; non enim (ait ille) tanto dolore digna eſt ſalus.

Secundo, Quia ſi tunc fateri crimen, de quo falsò accuſatur vel interrogatur, eſſet peccatum mortiferum, vel id ideò eſſet, quod ſit mendacium perniciosum; vel quòd ſit peruerſio iudicij: atqui non eſt perniciosum, quia neque alteri affert aliquod malum, quod tanti ſit, vt ille ex charitate aut iuſtitia teneatur illud cum tanto incommodo ſuo auertere, vt ſuppono. Neque etiam ſibi infert malũ, quod notabiliter præponderet ipſis tormentis; nam crimen fatendo, breui morte longam mortem redimit, vel potiùs multas mortes vnica ſimplici commutat: talia enim tormenta pati, eſt longa quædam & multiplici morte mori. Neque etiam eſt peruerſio iudicij propriè; quia nec peruertit Iudicem vt iaciat contra officium, nec accuſatorem, nec teſtes. Mendacium enim in iudicio, ſi cum nullius ſit iniuria, non eſt peccatum mortiferum; vt ſi Petrus à me exigat in iudicio 100. aureos, & ego iuridicè interrogatus, ad vitandas lites, fatear me debere, nõ pecco mortiferè; imò ne veniliter quidem, ſi commodâ ratione me a mendacio vindicem. Neque etiam facit iniuriam Iudici aut Reipub. quia non diceret hoc ſibi iniuriæ; (ſicut ſi negaret crimen verum) ſed potiùs commiſeratione moueretur, ſi ſcirent.

42

43 Tertio, Vel interrogatur ſecundùm Iuris ordinem per tales torturas, vel contra illum ordinem. ſi contrà, non ipſe Iudici, ſed Iudex ipſi iniuriam facit. Si ſecundùm ordinem iuris; adhuc Iudex non facit iniuriam, fatendo crimen falſum; quia non tenetur Iudici cum tantis tormentis ſuam innocentiam probare.

Dices Primò, ex Nauarro c.18.nu.19. Talis homo mortaliter loquendo ſe interficit: ergo peccat.

44 *Non ſe interficit.*

Reſpond. Nego illum ſe interficere: non enim phyſicè, vt patet; neque etiam moraliter; (ſicut is, qui ſine iuſta cauſa ſe conijcit in certum periculum mortis, dicitur ſibi cauſa mortis) quia iuſtam cauſam habet, ob quam ſe interficiendum exponit; ſicut ſi quis ſe exponeret hoſtium telis, vt grauiſſima tormenta ab illis inferenda euaderet, non ſe occideret. Imò ſi honeſta perſona rogaret eum, qui illa nefando modo vellet aburi, vt ipſam potiùs interficeret, non cenſeretur homicida ſui, quamuis fortè alia ratione peccaret: ergo neque hic eſt homicida ſui, fatendo tale crimen. Quod confirmatur; quia ſi rogaret Iudicem, vt ſe interficiat potiùs, quam ita torqueat, non cenſeretur homicida ſui.

45

Dices Secundò. Ergo etiam poterit alteri ſine peccato mortifero falſum crimen imponere, vt tormentis ſe eximat.

46 *Alteri falſa crimina impingere.*

Reſpondeo, Negando conſequentiam; quia non eſt Dominus, nec eam habet poteſtatem in famam alterius, quam in ſuam, præſertim contra veritatem: vnde faciet illi grauem iniuriam, ſi inuito falſum crimẽ impingat; quæ

47 iniuria non habet locum, dum ſibi impingit. Admitto tamen, non fore mortiferum, ſi illi conſtet, id non eſſe contra alterius voluntatem; vt ſi procul abeſſet, nec quidquam illi periculi immineret, eſſetque tanta amicitia alteri coniunctus, vt non ſit dubium, quin æquo animo ſit laturus.

48 *Non tenetur reuocare, ſi ſibi impoſuit.*

Dico Sextò, Qui hoc modo vi tormentorum falſus eſt crimen falſum, ob quod erit morte plectendus, non tenetur illud poſtea reuocare, quamuis anteà periurio illud confirmaſſet, ſi prudenter metuit ſe rurſum ad tormenta raptum iri; (vti ordinariè fieri ſolet) ſed poteſt ſine peccato mortifero in eo perſiſtere, & mori. Ita Angelus, Sotus, & alij. Patet ex dictis, præterquam illud de periurio, quod nũc probatur; quia etſi peccauerit mortiferè quando periurio confirmauit, tamen poſtea non tenetur retractare. Ratio eſt; quia periurium iam tranſijt, & non retractando, nemini facit iniuriam: retractando autem, culpam periurij delere non poteſt, ſed coram Deo pœnitendo, quod poteſt facere abſque externa reuocatione: ſecùs eſt de periurio, quod in detrimentum alterius cedit, hoc enim debet reuocari.

Petes, Vtrùm teneatur ea quæ ſibi impoſuit retractare, ſaltem in extremo vitæ, cum iam iam eſt occidendus? Ita enim docet Siluester ſuprà ex Panormitano. Sed verius eſt non teneri, ſi ea reuocatio nihil prodeſſet, ſicut ordinariè nihil prodeſt.

49 Dico Septimò, Si Religioni vel familiæ, ex confeſſione falſi criminis, ſequeretur grauis infamia, prudenter expendendum, vtrùm tormenta ipſi infamiæ præponderent, an contrà: nam fieri poteſt, vt tanta ſit illa infamia, vt potiùs tenearis quæuis tormenta perpeti, quàm illa tibi cum tanto aliorum damno irrogare. v.g. ſi tale bonum publicum notabiliter læderetur, ſi aliqui ideò in hæreſim lapſuri, &c.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm ad vitanda grauia tormenta, poſſis alterius peccatum occultum, vel aliud ſecretum pandere, præſertim ſi ipſi inde mors immineat.

50 RESPONDEO & dico Primò, poſſe te ob hanc cauſam illud aperire, ſi nullum aliud incommodum alteri, quàm infamiæ impendeat. Ita docet Nauar.ca.18. nu.54. & alij paſſim. Probatur; quia non teneor alterius famam cum tanto meo incommodo ſeruare, ſicut nec alterius pecunias, ſi eas apud me occultatas habeam.

51 Dices. Hoc non ſolùm eſt non conſeruare famam, ſed etiam poſitiuè auferre; quod non licet. Reſpondeo, Id eo caſu non eſſe poſitiuè auferre, quia non intendo auferre opinionẽ bonam, quã de ipſo habent, ſed ſolùm id, quod latebat occultum in mente mea, profero per ſigna in lucem, ad quod ius habeo; eò quòd ille reuera hoc crimen fecerit, & ego illius cognitionem ſine ipſius iniuria ſim aſſecutus. Sicut enim, ſi epiſtola, quædam ſecreta tua continens, apud me recondita foret, poſſem eam proferre ad vitanda grauia tormenta; ita etiam ſi tua ſecreta in mea cognitione recondita ſint, poſſum ea proferre in lucẽ, vt aliquod graue incommodum euitem, etiamſi inde ſequatur, vt alij de te malam opinionem concipiant, & bonam è mentibus ſuis excludant; ad hoc enim permiſſiuè ſolùm me habeo dum iure meo vtor. Hinc ſit, vt ad vitanda grauia tormenta, poſſim aperire quoduis ſecretum alterius, mihi cognitum; modò non ſit vel ex confeſſione Sacramentali acceptum, vel iniuria extortum; (vt quidam excipiunt) vel niſi inde grauiſſima incommoda timeantur; vt ſi eſſet ſecretum Principis vel Reipublicæ vel exercitus; vt rectè docet Sotus lib.5.de Iuſt.q.10.art.2. Nauarr. capit.18.num.54. Ratio eſt; quia illud ſecretum, eſt veluti quoddam depoſitum apud me occultatum, quod ego nõ teneor ſeruare occultum cum tanto meo incommodo, etiamſi certum ſit, alteri inde damnum obuenturum; ſi tamen ſine cauſa proderem, eſſet iniuria, & teneret ad reſtitutionem; quia voluntariè eſſem cauſa damni.

Aperire occulta.

52

53

54 Dico Secundò. Ob eamdem cauſam potes illud aperire, etiam ſi inde alteri eſſet periculum mortis: modò illud ſine vi & fraude, & extra confeſſionem acceperis. Ita Sotus & Naua. ſupra & alij. Ratio eſt; quia non teneor cum tanto meo incommodo ſeruare famam, aut etiam vitam proximi. Non negamus tamen, quin ſæpè laudabilius ſit, etiam quæuis tormenta perferre; quam ſecreta, vel etiam crimina occulta priuati hominis patefacere, qui tamẽ patefecit, non peccant. tenetur tamen poſteà extra tormẽta reuocare cõfeſſionem, qua parte cedit in damnum proximi; ſeruata veritate commodo aliquo ſenſu, ſi poteſt; niſi rurſus tormenta, vel aliud graue incommodum metuat.

Si alteri mortis inde ſit periculum.

Sed dubium hic eſt, Si aut fraude extorſiſti. Sotus putat tunc te non poſſe reuelare, etiamſi tormentis eſſes necandus. Nauarrus autem diſtinguit: Si damnum inquit, ir reparabile alteri immineat ex reuelatione, non potes; ſi autem reparabile, potes.

55 Reſp. & dico Tertiò, Probabile eſt abſoluè, etiã in hoc caſu poſſe tale ſecretum, vel crimen alterius aperiri ad vitanda grauia tormenta, etſi ipſi inde ſit vitæ periculum. docet Petrus Nauarra l.2.cap.4.num.131. Ratio eſt; quia iuxta Sotum & alios, poſſum aperire ſecretum tali caſu; quamuis ſtipulatus ſim alteri ſilentium: ergo etiam licet iniuria extorſerim. Nã qui ex contractu aliquid debet, nõ minùs

Quid ſi iniuria extorſeris.

minùs tenetur, quam qui ex delicto, vt infra dicetur.

Secundò, Quia etsi antea iniuriam feci extorquendo secretum, vel fraude explicando: iam tamen postquâ scio, jus habeo vtendi & reuelandi in tanta necessitate; sicut si quis furatus esset equum, posset eo in necessitate vti, etiâ cum interitu equi: imo etiam cum interitu Domini: vt si hostibus inuadentibus fugiat, Domino in periculo relicto.

Tertiò, Quia in hoc casu reuera non infero damnum, sed si quod sequatur, ex alterius malitia sequitur, qui me iniustè torquet; nam mea confessio tormentis expressa, non est alicuius ponderis, nec ei debet adhiberi fides: vt patet ex cap.1. causa 15.q.6. Alexandri PP. Quæ ratio bene probat, confessionem non esse per se causam damni, sed solum per accidens: & damnum illud prouenire non ex mea confessione, sed ex malitia Iudicis torquentis, & consequenter non censeri me causam illius damni, nisi permissiuè.

56 Dices, Si talis confessio non censetur causa damni: ergo si vi tormentorum, de altero crimen falso confitearis, non peccas mortifere, nec teneris ad compensationem damni.

Respond. Siluester v. Detractio. q.3 fatetur totum; modo tamen post tormenta reuoces. Idem docet Pet. Nauli.2.c.4.nu.131. quæ sententia videtur probabilis, si nihil aliud quàm infamia metuatur. quia talis confessio, verè non inducit infamiam, quando postea reuocatur. Si tamè inde mors vel aliud graue damnum illi impenderet, omnino mortifere peccares: quamuis enim, si Iudex legitimè procedat, talis confessio nihil mali inferre possit; secus tamen res habet, si capiat occasionem illi nocendi. Sicut si latro minetur mihi mortem, nisi dixero quis se accusarit, non possum falso id imponere ei, quem ille ob id esset interfecturus. Ratio est; quia cum talibus circumstantijs falsum imponere, est per iniuriam dare causam magni dâni. Meritò enim potest is queri de iniuria, cui cum tanto damno falsum imponitur.

An aliquo casu possim falsum alteri imponere.

DVBITATIO IX.

Vtrùm possim manifestare alterius crimen occultum, ad impediendum damnum proximo impendens.

57 RESPONDEO & dico Primò. Si illud damnũ est alicuius momenti, siue temporale, siue spirituale, posse crimen proximi manifestari ad illud impediẽdum, quatenus id ad illud est necessarium. Ita Sotus libr.5. de Iustitia. q.7. art.1. & Nau. c.18. num.31. & alij. v.g. nouit Petrũ esse furem, possum monere eos, quibuscum habitat, vt sibi caueant: si gerit se pro medico, & ego noui eius imperitiam, possum monere quibus impendet periculum: homicidium à Petro commissum imponitur innocenti, qui

58 ob id erit plectendus, possum aperire Petrum auctorem. Imò in huiusmodi casibus sæpe fit, vt non solum possim, sed vt etiam tenear ex charitate, crimen alterius manifestare, nempè si graue damnum ex eo alijs immineat, & damnum quod ex manifestatione sequitur, non sit tanti, vt eius ratio præ altero haberi debeat. In dubio autem, vtrum præponderet, inclinandum in fauorem innocentis, huic enim in dubio fauendum. Ratio horum est; quia nemo habet ius tuendæ famæ cum tãto damno, quod inde alteri iniustè obueniret. Itẽ quisque habet ius ad proferendum in lucem id, quod in sita cognitione abditum tenet, si ex occultatione alijs damnum proueniret; si enim quisque id posset ad sua damna auertenda, cur non etiam possit ad damna proximorum, cum debeat diligere proximum sicut seipsum? hinc fit, vt quando agitur de officio,

59 beneficioq; conferendo; de matrimonio contrahendo; de Religione suscipienda; si ego sciam aliquod iustum impedimentum, vnde aliquod notabile incommodum meritò timeri debeat, possim eius occulta pandere.

Dico Secundò. Si ad auertendum illud damnum, non

60 est necesse crimẽ alterius patefacere, sed superet alia via commodior, seu minus noxia, v.g. per fraternã correptionem; nõ possum aperire: similiter, si nihil iuuaret ad damnum auertendum. Prior pars patet; quia esset contra charitatem: tenemur enim minimum ladere proximũ, quantum fieri potest, tum in illo curando; tum in malis ab illo prouenientibus auertendis.

Sæpè teneor manifestare.

Sed difficultas est. An sit contra iustitiam, crimen tunc aperire? Videri possit non esse; quia nemo habet ius ad famam, per quam alijs nocere parat; seu per quam tribuitur ei probitas vel peritia, cuius simulatione alijs esset nocuturus. Vnde etiam nemo potest conqueri sibi factam iniuriam, quod illis sui defectus sint patefacti, sed sibi id imputare debet; vt qui per hanc famam alijs nocebat. Deinde quia potest quis interdum habere ius in famam, & vitam alterius, etiamsi malum aliter auerti possit; vt si inuadaris & possis fugere: non enim ex iustitia teneris fugere, vt supra ostensum est. Sic si accuseris iniustè, & possis euadere, vel exceptione fori, vel exceptione cõtra accusatorem, pandendo crimina eius occulta; non facis illi iniuriam, si pandas. Nihilominus altera sententia est communior, præsertim si ille alioquin erat bonæ famæ. vide infra num. 132.

61 *An sit contra iustitiã.*

62 *Ius in vita mea & fama mea alterius, dum alias non suppeditat.*

Altera pars probatur; quia si reuelatio illa non videtur profutura, frustra fieret; in dubio tamen est licita.

DVBITATIO X.

Vtrùm liceat infamare eum, qui fictis Virtutibus sibi famam parauit, vel qui crimen commisit, cui iure infamia est annexa.

RESPONDEO, & dico Primò, Licitum est aperire 63 hanc simulationem, si ea vergat in alicuius detrimẽtum, vt si quis simulet se peritum à vocatum, medicum, confessarium, pharmacopolam, & constet mihi non esse talem. Ratio est; quia ille ius non habet famam suam retinendi cum aliorum periculo vel incommodo; præsertim cum ea sit indignus, & tota in errore fundetur.

Si fictio det in damnum alicui.

Dico Secundò, Si hæc simulatio nemini noceat, non li- 64 ceet eã patefacere. Probatur, quia est saltem contra charitatem. v.g. est paupercula, quæ simulat pietatem, vt eleemosynas conquirat, non possum eius occulta peccata manifestare, nisi ex illa hypocrisi damnum alicui proueniat. cũ enim sit verè pauper, est capax eleemosynarum. Idem dicendum de ijs, qui simulant nobilitatem, eruditionem, & quamuis peritiam sine periculo alicuius damni.

Si nemini sit damno.

Sed dubium est, Vtrùm sit contra iustitiam hanc fictionem aperire: videtur enim non esse; tum quia ille hypocrita nõ habet ius ad illam famam, cùm fraude & falsorũ mendacijs illam comparauit; tum quia ille nititur decipere, & ingenerare falsam opinionem mentibus aliorum, non secus atque is, qui verbis mentitur: potest ergo veritas aperiri. Ita sentit Adrian. quodlibeto vndecimo, quæstione prima. 65

An sit contra iustitiã.

Si dicas, Non licet aperire crimen occultum alterius, ergo nec hypocrisim: Responderi potest, hoc esse proprium hypocrisis, vt eam patefacere non sit contra Iustitiam, quia intendit decipere, in falsam opinionem alios pertrahendo. Sed verius est, esse contra Iustitiam; quia quamdiu ipsius malitia est occulta, Ius habet, nõ quidem vt positiuè iudicetur esse probus, sed vt nõ iudicetur esse malus; quia palam nihil improbè gessit: qui autem aperit hypocrisim, facit, vt positiuè iudicetur malus: ergo facit ei iniuriam. Nec obstat, quòd intendat falsam opinionem suæ virtutis ingenerare: tum quia per hoc non efficaciter 66 lædit: (nam alij non tenentur positiuè credere esse talem: sufficit enim vt non iudicent contrarium; an autem talis sit, Deo committent) tum quia illud incommodum per se est parui momenti. Fatcor tamen contrarium esse probabile.

Quod attinet ad eum, qui crimen cõmisit, ob quod lex 67 ipso facto ante omnẽ sententiam infamiam infligit, adẽs auctorem eo ipso esse infamem, &c. (de quo multa habẽtur * de his qui notantur infamia) vt si quis contrahat simul cum duabus, vel simul habeat duas sponsas; si quis deprehẽdatur in adulterio; si exerceat improbum fœnus, exigens vsuras vsurarum; si lenocinium exercet: si filias, vel neptes prostituit; si quæstus causa ludibrium sui facit, &c. Quæri potest, vtrum talis absque iniuria infamari

poſſit, cùm per legem iure fumæ ſit priuatus. Sed dicendũ eſt non poſſe quamdiu factũ eſt occultum. Ratio eſt; quia retinet adhuc iuſtam famæ poſſeſſionem, qua abſque iniuria priuari non poteſt. Sicut cũ lex infligit hęretico, vel inceſtas nuptias contrahenti, amiſſionem bonorũ ipſo facto; etſi ille dominium amiſerit, non tamen poteſt ſtatim ſpoliari, quia retinet iuſtam poſſeſſionem vſque ad ſententiam declaratoriam crimmis, imo vſque ad iuridicam ſententiæ executionem. vt *infra* cap.19.dub.8.dicetur. Valet tamen huiuſmodi infamia legalis ad duo. Primò, vt ſimul atque delictum fuerit publicum, poſſit eius auctor vbiq; repelli, & tractari tamquam iure infamis. Secũdo, vt ſecuta ſententia declaratoria retrotrahatur infamia ad tẽpus commiſſi delicti, & ab eo tempore cenſeatur inhabilis ad officia & beneficia, tãquam vere infamis: imo valdè probabile eſt, ſtatim commiſſo crimine hanc inhabilitatẽ in conſcientia contrahi: non tamen valet ad hoc, vt quãdiu manet res occulta, poſſis illam propalare. Sola.n. publicitas (vt ſic dicam) facti, & neceſſitas impediendi maioris mali, hanc licentiam tribuit.

DVBITATIO XI.

Vtrùm reuelare crimen proximi Vni Vel duobus, quibus dicere perinde ſit ac ſi nulli diceretur, ſit peccatum mortiferum.

68 *Sententia Caietani, & quorundam recentiorum.*

CAietanus q.73.art 2.dub.1.putat non eſſe mortiferũ. Idem docet Petrus Nauarra libr.2.c.4.num 335. & Corduba tract.de Detractione q.2.conclu.5 & Nauarrus c.18.num.33. Idem tenent quidam alij huius ætatis. DD. Fundamentum eſt, quia illud cenſetur eſſe leue detrimentum in fama, ſi non eſt periculum euulgationis, aut alterius incommodi.

Quod probatur Primò; Quia qui confiterur ſua peccata ſacerdoti, non cenſetur ſibi notabile detrimentũ famæ irrogare: (præceptum.n.confeſſionis non obligat, cum notabili iactura famæ, ſicut nec cum notabili iactura fortunarum) ergo hæc infamatio, quæ fit apud vnum vel alterum, qui perinde ſe habebunt erga infamatum ac ſi nihil ſcirent, non cenſetur notabilis, & conſequenter nec mortifera.

69 *Circumſtantia complicis explicanda.*

Secundò, Quia ſi illud detrimentum famæ eſſet notabile, non liceret explicare in confeſſione eã circumſtãtiã, ex qua ſacerdos cognoſceret ſocium criminis; (quod tamen licitum eſſe docent pænè omnes Doctores, exceptis paucis recentioribus) quia non eſt licitum in confeſſione alterum notabiliter infamare. Quare cum ex communi ſententia DD. id licitum, imò præceptum ſit; euidens ſignum eſt, non cenſeri notabilem famæ læſionem Verùm hæc ſententia non videtur ita vniuerſe affirmanda: Nam fieri poteſt, vt quis malit ſua crimina multis externis & plebeijs eſſe nota, quàm Prælato, vel alicui viro graui, cũ quo aſſiduè verſatur, vel à quo dependet: vt recte Sotus l.4.de Iuſtitia q.6 ar.3.& l.5.q.10.ar.2.conc.4. Nec obſtant rationes allatæ, præceptum.n.confeſſionis etſi non obliget cum notabili iactura famæ, quæ iactura ſit extrinſeca confeſſioni; (vnde non tenetur quis confiteri per interpretem etiamſi fideliſſimus ſit, nec ſacerdoti, qui timetur reuelaturus alteri) obligat tamen cum iactura famę confeſſioni ipſi intrinſeca: ſiue pœnitens illam magnifaciat, ſiue non: fructus.n. confeſſionis hoc incommodũ abundè compenſat; vt merito eius nõ debeat haberi ratio. vnde etiam circumſtantia cõplicis explicanda; quia ad integritatem confeſſionis ſpectat. Fateor tamen, viros prudentes, quando nihil aliud incõmodi inde metuunt, parui facere, nec grauatè ferre crimen ſuum innoteſcere Prælato, vel alteri, à quo potiùs auxilium expectant, quàm incommodum. Neque hoc eſt vera infamia. hæc.n. eſt plurium opinio & ſermo. Secus eſt, quando metuit, ne ille aliter erga ſe afficiatur, & ne exterùs ab illo malè tractetur. etſi enim neque tũc ſit propriè infamia, merito tamen magni æſtimatur.

70 *Limitatur hæc ſententia.*

71 Dices, Temerarium iudicium de proximo in re graui, eſt peccatum mortiferum; vt cõmuniter docent DD. & tamẽ hic ſolùm apud vnum fama amittitur: ergo vel vni aperire crimen, eſt peccatum mortale.

Reſpondeo, negãdo conſequentiam. Nam temerarium iudicium non eſt peccatũ mortale præciſè propter damnum, quod infert; ſed propter grauem iniuriam, dum ex leuibus indicijs, ei graue crimen impingit, & in corde ſuo contemnit. hoc enim perinde eſt, ac ſi falſum imponeret: quod eſt peccatum mortale; etiam ſi apud vnum duntaxat fieret. Secus eſt quando aperitur crimen verum. multo enim maior iniuria eſt falſum imponere, quam verum apeſue. *Temerarium iudicium.*

DVBITATIO XII.

Vtrùm iniuriam ſibi ab aliquo factam referens amico, peccet.

RESPONDEO, Si faciat intentione detrahendi, vt ſe hoc modo vindicet, ſine dubio eſt peccatum; & fieri poteſt, vt ſit mortale. Si autem vt conſolationem accipiat ab amico, ſiue vt querela expoſita color mitigetur; nõ eſt peccatum, ſaltem) mortiferum: quia iure ſuo vti videtur. Ita Petrus Nau.lib.2.c.4.num.345. Nimis enim graue eſt, & præter humanam conſuetudinem, vt quis cogatur iniurias acceptas ſolus in ſilentio concoquere, nec poſſit eas cum amico communicare, nam hac ratione magnã partẽ earum veluti pondere quodam leuatur. Vnde ſi inde aliqua infamia auctori iniuriæ proueniat, non ipſi, ſed auctori imputandum. adhibenda tamen moderatio, ne pluribus dicatur, quàm ad conſilium & ſolatium ſit neceſſe; nec nominanda perſona, niſi ad conſilium ſit opus, vel ad neceſſariam conſolationem valde expediens. 72 *Referẽs amico ſolatij cauſa.*

DVBITATIO XIII.

Vtrùm crimen proximi, quod publicum eſt in aliqua ciuitate, liceat alibi patefacere, vbi ignoratur.

NOTANDVM eſt, in propoſito crimen tripliciter dici publicum; Primò, ſi ſit notorium Iure. Secundò, ſi facto. Tertiò, ſi famoſum. 73 *Publicũ tripliciter. Notorium iure.*

Notorium Iure dicitur, de quo conſtat per iuridicã ſententiam; vel per confeſſionem rei in Iudicio; vel per legitimam teſtium depoſitionem.

Notorium facto dicitur, quod in præſentia multorum eſt perpetratum; vt, in aliquo conuentu, vel in loco publico. v.g. in foro, vel celebri platea, eo tempore, quo multis innoteſcere potuit: vel quod maiori parti vicinæ paſſim ob oculos verſatur; vt ſi quis in publica platea pugnet, vel iurgia cum clamore miſceat: ſi quis publicè concubinam habeat, & domi filios alat. *Notorium facto.*

Famoſum dicitur, cuius fama ex ſufficientibus indicijs orta ad multos peruenit, ita vt maior pars ciuitatis, vel pagi, vel parœciæ, vel vicinię illud nouit. Addit Nauar.c.25. Enchir.nu.73. etiam dici *notorium*, quod euidenter notum eſt maiori parti alicuius congregationis ſeu collegij, vbi non ſint pauciores quàm decem, itaque ſi 6. aut 7. in congregatione, vbi 10. vel 11. ſint, factum ſciant; dicetur eſſe *notorium*, quod verum eſt reſpectu illius congregationis, non autem abſolutè. quidquid.n. notum eſt maiori parti alicuius colleg.ij vel congregationis, eſt notorium in illa congregatione, non autem abſolutè reſpectu totius vrbis, vel parœciæ. Vnde etiam talia non poſſunt abſolutè dici publica, ſed illa duntaxat abſolutè publica dicuntur, quæ eo loco, & cum illis circumſtantijs ſunt geſta vel propalata, vt cuiuis innoteſcere potuerint: v.g. in foro, vel publica platea; quia non curauit auctor, quis videret vel non videret. his poſitis. *Famoſum.* 74

Dico Primò, Reuelare alicuius crimen, quod aliquo iſtorum trium modorum ſit publicum, eo loco, vbi ignoratur, non eſt contra iuſtitiam. Docet hoc Caiet.opuſc.11. Reſp.9. & Nau.c.18.num.26. Ratio eſt; quia quando hoc modo crimen eſt publicum, auctor amittit ius ad famam: nam ipſa facti euidentia, & iuſti Iudicij ratio ei repugnat, ne poſſit queri ſibi fieri iniuriam narratione factorũ, quæ iam in propatulo ſunt poſita. & quidem ſi per ſententiam ſit publicum, non poteſt eſſe dubitatio. Nam vna 75

ex

ex pœnis,quæ Iudices afficiunt reos, eſt, quòd eo loco & tempore Iudicia exerceant & pœnas infligant, quo eorũ crimina in plurimorum notitiam venire queant, ergo nõ eſt contra iuſtitiam,ea quouis loco diuulgare. Si verò ſit publicum euidentia facti vel indiciorum,iam ſponte videtur ceſſiſſe iure ſuo,quod ad famam habebat:nam hoc ipſo,quo non eſt verisimile in publico crimen admittere, vel eius indicia manifeſta dare,non videtur curaſſe quis ſciat, vel non ſciat;eo enim loco & modo fecit,vt quiuis videre poſſet:quòd ſi reipſa multi non viderint,id per accidẽs eſt,quia accidit,ibi tunc non adeſſe. Secùs de eo,qui in aliqua domo coram aliquibus peccat: non enim hic cẽſetur abijcere ſuam famam,niſi reſpectu domeſticorum,qui ad talem locum conuenire ſolent. Idem confirmatur ex conſuetudine totius orbis: nuſquam enim homines putant ſe iniuriam facere,ſi publica crimina alibi referant,vel litteris perſcribant,hiſtorijs commendent,vel hiſtorijs commendata legant,vel referant.

Qui in publico peccat,videtur cedere iure famæ.

76 Dices, Is qui hic amiſit famam,non ideò alibi eſt infamis:ergo cùm ibi adhuc retineat bonum nomen,non poteſt eo ſpoliari.

Reſpon. Petrus Nauarra,& alij quidam,putãt eum retinere ius ad famã in locis remotis, vnde ſi quis crimen, quod hic publicum eſt,ibi referat, peccaturum contra iuſtitiam. Sed contrarium videtur verius: vnde dicẽdum eſt retinere quidam alijs locis famam reipſa & facto,nõ tamen iure: poſtquam enim crimen publicum factum eſt, amiſit ius famæ, ita vt nemo ex iuſtitia teneatur amplius priorem exiſtimationem de illo retinere,vt ex Caietan.& Nau. ſupra,colligitur.

77 Sed quid ſi per iniuriam factum ſit publicum?

Etiamſi per iniuriam factum ſit.

Reſpondeo,Non referre:(etſi quidam aliter ſentiant:)nã hoc ipſo,quo factum eſt verè publicum, ius amiſit vt homines aliter de ſe ſentiant;vt ſi confeſſus fuit crimina ſua occulta, per tormenta.

Dices, Per iniuriam nemo amittit ius: ergo.

Reſpondeo, Non amittit ius præcisè per iniuriam,ſed per id,quod ex iniuria ſequitur,quod eſt eſſe publicum,& in propatulo. Publicitas enim facti tribuit licentia loquẽdi,ita vt non cenſeatur amplius iniuria,ſiue ſit publicum per ſe,ſiue ratione famæ, vt oſtenſum eſt. Nunc videndũ an hoc ſit contra charitatem.

78 Dico Secundo, Detegere crimẽ eo loco,quo fama communis illud breui erat perlatura, non eſt peccatum cõtra charitatem ſaltem mortiferum:quòd ſi fama non erat eo perlatura, vel ſaltem non niſi poſt longum tempus, ſæpè erit peccatum mortiferum, ſi ille ibi erat bonæ famæ. Prior pars probatur; quia tunc nõ cenſeor aliquod notabile dãnum inferre,cum iam ſit paratum in fama & rumore cõmuni,ex quo,neceſſitate quadam euenit, ipſa hominum conditione & communi conſuetudine, idque ſine peccato,ſaltem mortali eorum. Idem docet Nau. ſupra,ex D.Thoma in 4.d.9.q.2.art.3.

Si breui fama peruenta erat crimen.

79 Secunda pars videtur eſſe contra Nauarrum & Caietanum inſinuant enim non fore peccatum mortiferum. Sed quidquid ſit de horum ſententia, eſt ferè communis aliorum,eſſe mortiferum:quod probatur;quia tũc læſio proximam in re magni momenti,quod merito ægerrimè ferem mihi fieri. Nec refert,quod ille ius ad famam non habuerit;quia ſine cuiu quam iniuria & abſque fraude eam poſſidebat, eaque adhuc diu fruiſſet fructus: ergo contra charitatem eſt, illum ſpoliare bono nomine; præſertim ſi nihil commodi proueniat detractori.

80 Aduerte tamen, Non fore peccatum mortale,Primò,ſi ille parum curet ſe alibi infamari; quod ſæpè fieri ſolet, præſertim ſi procul abſit. Secundò,ſi quis ob graue crimẽ fuerit publicè punitus:tũc enim ſæpè expedit illa ad aliorum exemplum narrari. Et in his caſibus, poteſt intelligi Nauarrus & Caietanus.

81 Fetes, Quid ſi dãnum aliquod in corpore vel fortunis inde proueniat;(vt ſi ſubtrahatur penſio, vel cõijciatur in vincula)tenebiturne is,qui diuulgauit? Reſpõdeo, Quidã putant teneri; ſed verius credo non teneri. ratio eſt; quia hæc infamatio non fuit contra iuſtitiam, ſed ſolum cõtra charitatẽ: vt oſtenſũ eſt. ergo etiam ſi inde illi damnũ obueniat,non tenebor;quia nõ cenſebor cauſa iniuſta illius: quamuis peccatum contra charitatem tunc ſit grandius. Confirmatur; quia ſi actio ipſa non eſt iniurioſa,neq; id, quod ex illa ſequitur;vt patet in eo,qui abſque vi & fraude impedit legatum,vel beneficium,quod alius tibi volebat cõferre:ſi enim actio,qua impedit non eſt tibi iniuriosa, non inducit obligationem reſtitutionis,quamuis ex ea tibi damnum prouenerit.

Quid ſi damnum ſequatur.

Dico Tertiò,Suis,qui olim ob ſua crimina fuit infamis, nunc famam honeſtè viuendo recuperauit, eſt peccatum contra charitatem illa crimina apud eos, qui ignorabãt, commemorare:non tamen videtur eſſe contra iuſtitiam, modò non detur occaſio opinandi illum adhuc improbum eſſe. Eſſe *contra charitatem*, patet ex dictis. Non eſſe tamen *contra iuſtitiam*, probatur; quia etſi ius habeat ad famam, quam ex eo tempore bonè viuendo comparauit, non tamen vmquam acquirit ius; vt dicatur, vel æſtimetur fuiſſe probus, illo tempore, quo crimina ſua publica fecit: ergo qui narrat eum olim illa feciſſe, non facit ei iniuriam; modò id non ea forma narret, vt indicet eum etiamnum improbum eſſe. Quod ſi alij iuſtè acciperent occaſionem dubitandi de præſenti probitate, teneretur ſaltem ex charitate illam ſuſpicionem amouere.

82 *Si nuare famam recuperauit.*

DVBITATIO XIV.

Vtrùm eum,qui vno,aut altero crimine infamis eſt, liceat de aliis infamare.

RESPONDEO & dico Primò,Si illa alia ſint valdè affinia & ordinatè cõiuncta grauiori crimini, quod iam publicum ſit,non erit peccatum,ſaltem mortiferum, illud aperire apud eos,qui principale norunt, vt ſi narres de adultero,cuius crimẽ ſit publicum,ſcripſiſſe litteras amatorias,miſiſſe munera,&c. ſi de ebrioſo,nõ rectè curare familiam, rixari cum vxore: ſi de illo,qui inſigne furtum commiſit, referas alia minora feciſſe. Ratio eſt; quia non cenſetur noua infamia. Opus tamen hic eſt magna circumſpectione,an crimen ita ſit annexum alteri,vt non cenſeatur notabiliter infamiam augere. 83 *Si crimina connexa.*

Dico Secundò, Si crimina illa non ſint ita connexa,nõ ſolum eſt contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiã illa patefacere, præſertim ſi ſint alterius generis. Eſt communis ſententia DD. contra Paludanum in 4.d.19.in fiquem refutat Adrianus quodl.11.art.1. 84 *Si diſſimilia.*

Probatur Primo; Quia qui eſt infamis in vno genere vitij,non ideo amiſit ius ad famam,quã habet in alijs virtutibus: (poteſt enim quis haberi ebrietatis,& tamen eſſe & haberi iuſtus in contractibus,fidelis vxori, catholicus) ergo non poteſt infamari de alijs occultis.

Secundò, Sicut diuerſarum virtutum diuerſa laus eſt, alia maior, alia minor; ita etiam diuerſorum criminũ diuerſa eſt infamia, & alia pluris, alia minoris æſtimatur. multi enim parum curant infamiam fornicationis, vel ebrietatis, qui tamen maximi faciunt infamiam furti & periurij. ergo nullo modo qui amiſit ius famæ in vna virtute, cenſetur amiſiſſe in alijs; ſicut qui læſus eſt in vno membro, non amiſit idcirco integritatem in alijs. Ratio à priori eſt; quia fama non eſt quid ſimplex, ſed conflat varijs quaſi partibus, quarum vna ſicut non perdit vllo modo alia, ſic ſine alia haberi poteſt, & à diuerſis diuerſæ partes famæ poſſidentur. rarum autem eſt, vt quis in omni virtute fama ſit clarus,omnesque bonæ famæ partes ſit conſecutus. 85 *Fama non eſt quid ſimplex.*

Sequitur altera pars huius capitis.

De famæ reſtitutione, quomodo, quibus, & à quibus facienda.

DVBITATIO XV.

Vtrùm fama cum periculo vitæ ſit reſtituenda.

DOminicus Sotus lib.4.q.6.art.3.& quidam alij affirmant: ſi fama ſit illuſtris familiæ. 86 *Non eſt periculo vitæ.*

Reſpondeo & dico Primò, Quando ex infamia, quam inuiſti, non euenit alteri damnum in bonis ſuperioris ordinis,

ordinis,(nempe in ſpiritalibus,aut in vita corporali) non teneris cum vitæ periculo famam illi reſtituere Ita Caietan.ſupra,q.62.a.3.& opuſc.31.reſpon.14.vbi generatim docet *rem inferioris ordinis, nunquam eſſe reſtituendam ex Iuſtitia, cum iactura rei ſuperioris.* Quam regulam optimè defendit Petrus Nauarra libr.2.c.4.nu.405. Idem eruditè probat Nauar.cap.17.num.89 90 91 contra Sotum.Idem preuiter repetit cap.18.num.47. *Tertiò* inquit, *ſunt bonorum ordines, videlicet animæ, corporis, famæ* (cui annexus honor) *& pecuniæ: & nemo tenetur reſtituere bona inferioris ordinis,cum iactura bonorum ordinis ſuperioris.* In eadem ſententia eſt Corduba l.1.quæſt.31.& Silueſt.ver. Detractio q.4.caſu 2.

Non iactura rei ſuperioris ordinis.

Probatur Primò;Quia nullum temporale bonum,ſiue pecunia, ſiue fama, ſiue vita, exponendum vel reſtituendum eſt,cum damno boni ſpiritalis;idque ideò,quia bonum ſpirituale eſt ſuperioris ordinis, nec æſtimabile bono inferiore; ergo ſimiliter fama non eſt reſtituenda cum periculo vitæ;cùm vita ſit bonum præſtantius.

Secùdo,Nemo tenetur ſarcire damnum pecuniarium, iacturaſuæ libertatis,ſeipſum vendendo,aut tradendo in ſeruitutem,vt paſſim omnes docent; idque ideò, quia libertas eſt ſuperioris conditionis: ergo,&c.

Tertiò, Quia iuſtitia commutatiua ſolum poſtulat, vt
87 fiat reſtitutio in bonis, in quibus iniuſtè alterum læſiſti; nempe vt vitam exponas pro vita proximi,(ſi eam in periculum per iniuriam coniecisti) famam pro fama, pecuniam pro pecunia; quia dumtaxat per illa fit æqualitas. Quòd ſi hæc æqualitas per te fieri nequeat ſine iactura boni ſuperioris cenſetur impoſſibilis;ac proinde non te obligat iuſtitia, vt reſtitutionẽ exequaris: ſed tribuit ius læſo,vt per iudicem procuret vindicationem.

Quartò,Idem confirmari poteſt ex iis, quæ ſuprà cap. 10 dubit 7. diximus de adultera,quæ ſibi partum ſuppoſuit,quæ cum periculo vitæ vel famæ non tenetur ſe aperire; etiamſi maxima hæreditate legitimi hæredes eſſent priuandi; vt plurimi DD. tenent.

An poſſint commenſurari.

Dices,Res interioris ordinis poteſt ſumi tanta quantitate,vt prudenti iudicio præponderet rei ſuperiori. v. g. tanta poteſt aſſignari vis pecuniæ, vt præſtantior cenſeatur quàm fama; & tam illuſtris poteſt eſſe fama, vt præſtantior habeatur quàm vita:ergo tunc debebit fieri reſtitutio, etiam cum damno boni ſuperioris. Confirmatur; quia qui latrocinio ſibi amplum ſtatum adſciuit, tenetur facere reſtitutionem,etiam cum amiſſione illius ſtatus & honoris: ergo,&c.

88 Reſpondeo,Etſi fieri poſſit, vt prudenter præferas ingentem pecuniæ tuę ſummam famæ vel vitæ alterius cõſeruandæ; non tamen prudenter eam præferes famæ aut vitæ tuæ,nemo enim prudenter pro quantauis magna fama eligeret mori, vel pro maxima vi pecuniæ ſuſcipiet infamiam;quia fama omnibus thelauris melior, Eccleſiaſtici 41. Itaque vita & fama propria non poſſunt pecunia æſtimari. Vnde non ſequitur; ego poſſum pluris facere mille aureos, quos habeo, quam vitam huius ruſtici ex latronibus redimendam: ergo ſi ruſticus mihi eos abſtulerit; tenebitur reddere cum vitæ periculo; poteſt enim ille vitam ſuam pluris facere, quam centum millia aureorum.

89 Ad confirmationem; Qui furtis ſibi honorificum ſtatum parauit, non habet ius ad illum ſtatum,cum per iniuriam eum obtineat; vnde non eſt mirum,ſi teneatur reſtitutionem facere cum amiſſione illius ſtatus & famæ, quæ ex illo præcisè orta eſt. Adde, amiſſione ſtatus, non amitti famam:poteſt enim ſtatus ſine culpa amitti.

90 Aduerte tamen,licitum eſſe vitam pro fama reſtituenda exponere;non quòd fama pluris æſtimetur quàm vita, ſed quòd pro virtute licitum ſit vitam periclitari.

Si periculum vitæ impendeat.

91 Dico Secundò,Si ex infamia,(de falſa intellige)periculum vitę vni vel pluribus impendeat, vel mala Reipublicæ adminiſtratio, vel aliud grande malum, teneris etiam cum vitæ periculo reparare. Eſt cõmunis DD. Quia tunc obligaris non ratione ſolius infamiæ, ſed ratione damni, quod ex ea ſequitur; quod contingere poteſt in infamia Principis, Papæ, Prælati, Religioſi ordinis, & ſimilium, vnde magna in Republica damna.

DVBITATIO XVI.

Vtrùm ſi fama reſtitui nequeat, debeat pecunia compenſari.

RESPONDEO & dico Primò, Probabilius videtur, Iuſtitiam minimè poſtulare, vt infamia compenſetur pecunia, ſi reuocatione dictorũ tolli nequit. Colligitur ex Nauarro c.17.num 90 vbi ait, *Quando fama reſtitui nequit, aliquem pecuniam dari, non quidem pro fama; quæ nullum pretium habet, ſed pro damni compenſatione, quod ob eius iacturam quis incurrit.* Idem docet Sylueſtr.v.Detractio q.4.caſu 2.& Franciſ. Victoria,vt refert Salonius,Pet. Nauſup.num.417.multique recentiores. quod probari poteſt illis rationibus, quibus ſupra oſtendimus, pro ipſa vita ablata, non eſſe neceſſario faciendam reſtitutionem pecuniariam. Ratio eſt;quia Iuſtitia commutatiua tantum poſtulat, vt reſtituatur quod ablatum eſt, vel quod communi hominum æſtimatione eſt æquiualẽs; quod ſi neutrum fieri poſſit,ceſſat eius obligatio. Vnde qui damnum pecuniarium non poteſt ſarcire pecunia, nõ tenetur illud compenſare orationibus, aut honore exhibendo. Item qui vi aut fraude aliquem pertraxit in peccatum,non tenetur ipſi,aut hæredibus pecuniam rependere. 92

Non neceſſarium eſt compenſanda pecunia.

Dices, Pecunia eſt menſura omnium rerum humanarum:ergo in pecunia poteſt dari æquiualens. Deinde etiãſi non detur æquiuales, tamen debet dari opera, vt quam proximè ad hoc accedatur. ſicut is, qui intulit damnum mille aureorum. ſi non poteſt reddere æquiualens, tenetur tamen dare quãtum poteſt, vt quam proximè accedat ad æqualitatem. 93

Reſpondeo,Pecunia ſecundum communem vſum hominũ, non eſt menſura,niſi rerum venalium, quas homines ſolent pecunia commutare,fama autem neque natura ſua,neque gentium conſuetudine pecunia ſolet æſtimari. Quod etiam patet ex Scripturis. Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi; quam mille theſauri pretioſi & magni;* & Prou.22. *Melius eſt nomen bonum,quàm diuitiæ multæ,* ad eſt,infinitæ. Quamuis interdum ex quorundam animi vilitate accidat,vt famam pretio exponant:ſed hoc æſtimationi famæ non officit.

Ad confirmationem, Is, qui damnum mille aureorum 94
irrogauit,tenetur vel totum damnũ ſarcire ex æquo ſi poteſt;vel ſi nõ poteſt,tenetur partem ex æquo; quòd ſi nec totum nec partem,ceſſat obligatio iuſtitiæ cõmutatiuæ; atqui hic nec tota fama, nec pars pretio æſtimatur ex æquo. quod confirmatur Primò, Quia alioqui infamator poſſet eam pecunia compenſare,etiam nolẽte infamato; ſufficit enim vt reſtituat id,quod æſtimatione æquale eſt. Confirmatur Secundò, Si vir diues pro compenſatione infamiæ acceptę pecuniam exigat,ridiculus erit,eo quod exigat id, in quo nullum damnum accepit, quodque non ſolet pretium vel totius vel partis famæ cenſeri. Vnde ſequitur eamdem eſſe rationem pauperis: nam ſtatus eius, qui iniuriam accepit, non mutat ius, ſeu rationem iuſtitiæ commutatiuæ. Fieri tamen poteſt vt ex quadam æquitate, & etiam ex charitate tenearis infamiam pecunia compenſare: nimirum, ſi infamatus ſit pauper,qui talem ſatisfactionẽ deſideret, nec aliter mœrorem videatur depoſiturus;& is,qui infamauit ſit diues. Sicuti enim ratione alicuius coniunctionis vel beneficij accepti, lex charitatis me magis obligat erga hunc, quam erga iſtum; ita etiam ratione alicuius incommodi,quod alteri ex me obuenit; vt ſi aliquem induxi in peccatum, magis ego ex charitate teneor illum emendare, quàm alius; & quam alium, ceteris paribus; vt patet ex dictis capit. octauo, dubitatio 1. 95

Aliquando ex charitate tenemur.

Dico Secundò,Si infamator per Iudicem cõdemnetur 96
ad pecuniariam ſatisfactionem,vel ſi tranſigat cũ eo,quẽ infamauit certa pecuniæ ſumma, tenetur ex Iuſtitia eam numerare. Probatur;quia ſuppoſita tali iniuria,poteſt Iudex in pœnam criminis talem ſatisfactionem imponere, & ille ex Iuſtitia tenetur eam exequi, quia iuſtæ ſententiæ tenetur ex iuſtitia parere. Idem poſſet Iudex, etiamſi fama iam eſſet recuperata, idque in pœnam prioris delicti,quia poteſt iuſta pœna punire delicta,etiam poſt damna data. Similiter pacta & conuentiones iuſtæ obligant;

atqui

atqui hoc pactum potest esse iustum, quia infamatus habet ius accusandi infamatorem, & etiam exigendi restitutionem, quando erit possibilis: vnde vt hoc iure cedat & omne debitum condonet, potest certa pecunia pacisci.

97 *Compensatio infamia per pecuniam.*

Dico Tertiò, Debitor pecuniæ, v.g. 100. aureorum iniustè læsus in fama vel honore à creditore, non tenetur ad solutionem illius pecuniæ, sed potest vi compensationis secundum æstimationem damni accepti iudicio prudentis faciendam, si à creditore aliam restitutionem obtinere nequit. Sequitur apertè ex sententia eorum qui famam pecunia compensandam docent, quando aliter sarciri nequit. Quæ sententia est satis probabilis, & plurimorum DD. sicut & illa quæ vitam ipsam, & cicatricem pecunia compensari vult. Si enim infamator teneatur dare pecuniam, v.g. 100. aureos, pro infamia vel dedecore quod intulit, eo quòd aliter satisfacere nequeat, vel nolit: ergo alter potest eam exigere, vel si debet, potest non soluere. Hæc enim omnia paria sunt. Quòd si infamator possit quidem restituere famam, sed nolit, tunc etiam in altera sententia tenetur vel famã restituere, vel certe tantum pecuniæ, quãtum iudicio prudentis alter potest exigere. etsi enim fama non possit, iuxta eam sententiam, pecunia æstimari, obligatio tamen illius restituendæ, qua ille tenetur, & incommodum quod læsus patitur, potest pecunia æstimari. Confirm. quia cum possit restituere, tenetur vel restituere, vel alia ratione ei satisfacere, ita vt ille liberè acquiescat.

DVBITATIO XVII.

Vtrùm si fama alia via sit reconciliata, teneatur infamator eam restituere, v. g. si virorum grauium testimonio, vel probitate vitæ penitus absterserit infamiam.

98 *Si fama reconciliata.*

RESPONDEO, Tunc non teneri ad famæ restitutionem, quia iam restituta est, sicut si dominus recuperauerit vel sua vel aliorum opera equum, quem sustulisti, non teneris ad restitutionem; quia non potest bis eandem rem accipere. Si tamen interea ratione infamiæ aliquid damni accepisset, v.g si impeditus fuisset à consecutione beneficij, officij, vel legati, tenereris ad illius cõpensationem, quia hoc damnum ex iniusta tua infamatione illi obuenit. Vtrum autem aliquid sit restituendum pro ipsa infamia, quã ille medio tempore, vsque ad illam recuperatam subijt, quæri potest. Sed respondendum est, deberi aliquam satisfactionem, si putetur illam velle: (quod addo, quia alioquin censetur condonata, nec consuetum est alias offerre) nempe significatione doloris & veniæ petitione. vel honore aliquo aut laude, iuxta cõditionem personarum: vt rectè docet Petrus Nauar. lib. 2. c. 4. num. 421. & Nauarrus cap. 18. num. 47.

99 *Vtr infamia medij temporis.*

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm si infamia iam penitus abierit in obliuionem sit restituenda, v. g. infamauit adolescens puellam, se illi pudicitiam eripuisse, deinde temporis successu homines penitus obliuiscantur.

100 RESPONDEO, Teneri restituere etiam post viginti annos, si periculum est, ne aliquando illa infamia reuiuiscat: quod facile fieri potest: nam homines data occasione facile recordantur eorum, quæ antea exciderant; quod maximè locum habet, quando falsum impositum fuit. vt docet Caiet. q. 62. art. 2. si enim verum fuit, non facile memoria renouanda, nisi periculum sit euidẽs: quod si putetur nullum esse periculum, non tenebitur, vt docet Nauarrus c. 18. nu. 47. contra Caietanum; quia fama iam censetur restituta, vel certè damnum illatum omnino euanuisse; idque verùm est; siue crimen fuerit verum, siue falsum, vt ibidem Nauarrus.

DVBITATIO XIX.

Vtrùm totum damnum, quod sequitur ex infamia sit compensandum.

101 *Damnum ex infamia falsa.*

RESPONDEO, & dico Primò, Damnum, quod sequitur ex infamia falsa, est integrè reparandum. Est communis sententia DD. ratio est; quia hæc infamia est penitus iniuriosa. impositio enim falsi criminis, duplicem continet iniuriam. Primò, calumniã, eo quòd crimen impingatur ei, qui scitur innocens. Secundò, infamationem, quod hoc alijs persuadeatur. itaq; hæc actio omnino est iniuriosa: atqui omne damnũ, quod alicui sequitur ex actione in ipsum iniuriosa, est restituẽdum: ergo, &c.

Dices, Hoc damnum per accidens sequitur. v.g. infamasti Petrum adulterij: vnde præter intentionem tuam factum est, vt excideret officio vel beneficio, quod ambiebat.

102 Respon. Hoc non censeri per accidens sequi; quia etsi non intendebas, tamen labes infamiæ, quam intulisti, est quædam veluti praua dispositio, moraliter apta impedire varia commoda & accersere incommoda, ita vt hæc crebrò ex ea sequantur. qui ergo hanc per iniuriam infert, censetur esse causa iniusta damnorum, quæ inde sequuntur.

103 *Quantum restituendũ. Quid si de crimine vero.*

Aduerte tamen, non esse tantumdem restituendum, quanti officium vel beneficium iam obtentũ valet; (nisi forte obtento priuatus fuisset) sed quanti spes illa obtinendi valebat.

Sed maior difficultas est, de patefactione criminis veri. Nam Sotus lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. sentit, damnũ, quod hinc sequitur, nõ esse integrè compensandum, sed partem dumtaxat arbitrio boni viri definiendam. Ratio est; quia si ille priuetur officio, vel impediatur ab eo cõsequendo, id non tam prouenit ob criminis manifestationem, quæ est iniuriosa; quàm ob ipsum crimen, quod verè commissum est; manifestatio autem est solum conditio quædam veluti applicans & adducens crimen occultum tamquam causam principalem in cognitionem. hæc sententia non est improbabilis, præsertim cum multi recentiores illam sequantur. contraria tamen est communior, pro qua.

104 *Damnum ex infamia vera.*

Dico Secundò. Verius videri eum, qui patefacto crimine occulto alteri fuit causa damni, teneri ad integram restitutionem, sicut qui imposuit falsum. Vt si impediuit à beneficio, ab opimo matrimonio, ab eleemosynis, cum esset probe dignus. Ita Nau. c. 18. nu 45. & alij passim, qui in genere dicunt infamatorem teneri ad restitutionem omnium damnorum, nec distinguunt inter crimen falsum & verum. Ratio est; quia est causa principalis (moraliter) illius damni; sicut is, qui ignem occultum cineribus detegit, & applicat stramini bus, vnde vento flante accenditur domus. Deinde ipsum crimen non potest esse causa damni, nisi accedente cognitione; vnde quamdiu crimen manet occultum, non potest inferre damnũ, & ita se habet ac si non esset: ergo qui illud manifestat, tribuit illi veluti vim nocendi: ergo censetur causa principalis damni secuti.

105 *Est causa principalis.*

DVBITATIO XX.

Quo modo fama est restituenda.

106 *Aliquando iramentum adhibendũ, aliquando etiam testes.*

RESPONDEO & dico Primò, Si crimen falsum disseminasti debes adhibere omnem industriam, vt falsa illa opinio animis hominum eximatur; vnde teneris illis significare, te deceptum fuisse, aut falsum dixisse, aut etiam mentitum esse, sicut videris opus esse vt credant; adhibito etiam iuramento, si aliter non putentur credituri, & rei grauitas postulet. Ratio est; quia reuocatio efficax debet adhiberi.

Sed quid si auditores ne iuranti quidem credere velint, teneberisne testibus confirmare?

107 Resp. Fieri posse vt tenearis. vt docet Sotus l. 4. q. 6. ar. 3. præsertim si id fine magno tuo incõmodo facere possis; tunc enim vel charitas ad hoc obligaret; imò interdũ etiam Iustitia: vt si alij haberẽt aliquas probabiles causas

ſuſpicandi, te non ex animo, ſed pretio inductum reuocare. Ratio eſt; quia Iuſtitia obligat, vt efficaciter reuoces, id eſt, eo modo, vt adiutores meritò poſſint debeantque tibi credere, nec habeant occaſionem ſuſpicãdi rem fictè
108 geri; rarò tamẽ accidit; vt hoc vlu veniat. Nauarro tamen cap. 18. num. 45. videtur durum, vt quis aliquando ad teſtes obligetur. Ratio ipſius eſt; quia, ſi ne iuranti quidem contra ſeipſum credere velint, id ex malitia eorum prouenit; itaque mala opinio, quam retinent, cenſetur non amplius prouenire ex dicto tuo, qui illud ſatis efficaciter reuocaſti, ſed ex ſua ipſorum malitia, qui ſine vlla cauſa volunt malè de proximo ſentire. Idem ſentit Pet. Nauarr. lib 2. cap. 4. num. 378. Sed quod diximus verius eſt, ob rationem allatam.

109 Aduerte tamen, ſi auditores nullam habentes probabilem rationem, nolint tibi ſiue iuranti, ſiue teſtes adhibenti fidem habere, ad nihil amplius te obligari; quia non amplius cenſeris cauſa illius prauæ opinionis, ſed illorũ peruerſitas.

Quotuplex modus famã proximi reſtituendi.

Dico Secundò, Qui crimen occultum alterius manifeſtauit, quatuor modis poteſt famam reſtituere. Primò, Si dicat ſe quidem tale quid narraſſe, ſed in eo fuiſſe mentitum, aut dixiſſe falſum. Hoc modo reſtitui poſſe probatur; quia etſi vno ſenſu dictum tuum falſum non fuerit;
110 nempe quia erat conforme rei: (verè enim cõmiſerat crimen, quod eum commiſiſſe dixeras) alio tamen ſenſu falſum fuit; idque dupliciter. Primò, quia non fuit conforme legi diuinæ, vtpote peccatum, quod in Scripturis vocatur mendacium, & fallitas: ſicut omne opus bonum, quia cõforme legi diuinæ, vocatur veritas. Secundò, Quia non fuit verum veritate publica, licet veritate occulta verum fuerit. Hoc modo reus, cuius crimen eſt occultum, poteſt negare ſe feciſſe, quia nõ fecit publicè, vel ita vt teneatur fateri, & Iudex aliquem condemnans ex allegatis & probatis contra ſuam priuatam ſcientiam, pronuntiat illum reum & criminoſum, quamuis verè non ſit; quia ſecundũ publicam probationem talis eſt. pari modo poteſt ille dicere, ſe dixiſſe falſum, vel mendacium, quia non eſt verũ ſecundum publicam ſcientiam: vt rectè Pet. Nau. li. 2. c. 4. nu. 381. Verum, etſi hic modus ſit valde bonus & efficax, tamen ad illum non teneris; tum quia non teneris te infamare, tanquam qui falſum crimen impoſueris, cum verũ dixeris, tum quia multi putant hunc modum illicitum, vt qui continere videatur mendacium: quorum ſententia eſt probabilis, quamuis contraria ſit probabilior.

Secundo. Si dicat deprehendiſſe, ſe fuiſſe deceptum, vel erraſſe: qui modus eſt etiam bonus, ſed non tenetur eo vti; quia etſi fortaſſe hoc modo ſe non infamet, tamen videtur decipere auditores ſpecie quadam mẽdacij; quod non tenetur facere. imò non poteſt, ſecundum Caietanum & Solum.

Tertiò, Si dicat ſe malè vel iniquè locutum eſſe de proximo, rogetq; vt talem opinionem deponant: verum hic modus parum eſt vtilis apud ingeniosos, inde enim magis confirmabuntur, illum crimen commiſiſſe. apud ſimplices tamen ſæpè eſt vtilis & vſurpandus.

Quartò, Laudando infamatum & honorificè de eo loquendo, vbi datur occaſio. hic modus neceſſarius eſt, dum quis non vult vti primo, vel ſecundo, & tertius eſſet inutilis vel noxius; ſic enim ſenſim ex vna parte tantundem famam eius illuſtrare poterit, quantum ex altera obſcurauit. Hunc tradunt Sotus l. 4. de Iuſt. quæſt. 6. artic. 3. ad 4. Caiet. qu. 62. art. 2. & 72. art. 3. Nauarr. cap. 18. num. 45. & multi alij.

Petes Teneturnè infamator reuocare apud eos, quibus ipſe non dixit, ſed alij, qui ab ipſo acceperant, v. g narraſti tribus, illi verò narrant alijs.

Reſp. Si ab illis tribus ſtipulatus eſt ſilentium, vel pu-
111 tauit omnino rem tacitam fore, non tenetur niſi apud eos reuocare; quia infamia per illos irrogata, cenſetur quaſi fortuita reſpectu ipſius. Secus verò ſi aduertit probabile periculum vlterioris infamiæ; & maximè ſi crimen ſit falſum. tunc enim ſi illi non reſtituant, tenetur tamquam cauſa: vt rectè Pet. Nauar. lib. 2. c. 4. nu. 443.

DVBITATIO XXI.

Vtrùm hæredes infamatoris teneantur ad famæ reſtitutionem, ſi ipſe eam non reſtituit.

RESP. & dico Primò, Hæredes loco defuncti non te- 112
neri ad famę reſtitutionem. Ratio eſt; quia hæc obligatio eſt merè perſonalis; (non enim eſt ad aliquid dandum, ſed ad aliquid agendum) vt obligatio voti perſonalis, & reſtitutionis honoris, orta ex contumelia, quæ non tranſit ad hæredes; cum nullo modo afficiat vel reſpiciat bona, in quibus ipſi ſuccedunt, ſed nudam perſonam. *Hæredes non tenentur niſi ad damna ſecuta.*

Dico Secundo, Tenentur tamen ad reparationem dam- 113
norum, quæ ex infamia illa ſecuta ſunt. Ita Nauar. cap. 18. n. 45. & Adrian. quodlib. 11. Ratio eſt; quia hęc obligatio non eſt pure perſonalis; ſed afficit quodãmodo bona infamatoris. vnde cum ea affectione ſeu obligatione perueniunt ad hęredes: veluti ſi defunctus domum alterius per iniuriam incendiſſet, hęredes tenerentur damnum ex bonis illius rependere.

Dices, Quid ſi is, qui ratione infamiæ damnum paſſus eſt, iam obierit?

Reſpon. Tunc reſtitutio facienda eſt hæredibus ipſius, quia hi ſuccedunt in omnia iura defuncti, ſunt enim hæc veluti partes hæreditatis.

Petes, Vtrum defuncto ſit fama reſtituenda? 114

Reſp. Affirmatiuè; quia fama eſt bonum, quod homo etiam poſt mortem cenſetur poſſidere per hanc enim viuit quodammodo in memoria hominum: vnde maximè ſolent homines appetere famam poſt mortem, quaſi per hanc conſequantur quamdam immortalitatem. *Etiam mortuo reſtituenda.*

DVBITATIO XXII.

Vtrùm is teneatur ad reſtitutionem famæ, qui bona fide exiſtimans eſſe Verum & publicum, narrauit & infamauit proximum: Item quid ſi auditores de alio intellexerint.

RESPONDEO & dico Primò, Qui hoc modo proxi- 115
mum infamauit apud Superiorem vel alium, etiãſi fraternæ correptionis cauſa id fecerit, ſimul ac cognouerit errorem, tenetur ad reſtitutionem.

Probatur; quia qui damnum dedit iniuſtum in re aliena, etiam abſque culpa, vbi cognouerit, tenetur illud reparare ſaltem ex charitate: ſi poteſt. atqui hic damnũ dedit iniuſtum in fama alterius, vti ſupponimus. ergo. Itẽ, qui abſtulit rem alienam iniuſtè, quamuis ſine culpa, & ſolum materialis iniuſtitia fuerit, tenetur eam reſtituere ſimul atque ſciuerit iniuſtè ſe abſtuliſſe. atqui hic abſtulit iniuſtè materialiter. ergo, &c.

Dico Secundò, Non tenetur eam reſtituere cum graui 116
ſuo incommodo: vt, cũ propria infamia, vel magno damno fortunarum. Probatur; quia ſine culpa eam abſtulit: ergo non tenetur cum ſuo graui damno eam reſtituere: ſicut ſi deprehendas equum vel librum alterius apud te, ſine tua culpa, non teneris remittere, magnis tuis expenſis. Pari modo ſi damnum abſque culpa intuliſti. *Non tenetur cum graui ſuo incommodo.*

Vbi Aduerte differentiam inter eum, qui infamauit proximum cum culpa iniuſtitiæ, & eum, qui ſine culpa; quòd ille teneatur famam reſtituere, etiam cum detrimẽto famæ ſuæ; ſicut qui iniuſtè formali iniuſtitia damnum intulit, tenetur, etiam cum æquali damno ſuo ſarcire; hic verò non teneatur cum notabili damno, ſed ſolum cum modico, vti prudentia & charitas dictabit.

Dico Tertiò, Si is, qui ita infamatus eſt ſine culpa infa- 117
matoris, interim aliquid damni patiatur, impediatur ab officio, beneficio, aut etiam priuetur, non tenetur alter ad reſtitutionem. Ratio eſt; quia non eſt cauſa huius damni, niſi quatenus eſt cauſa infamiæ, ex qua hoc damnum eſt ſecutum. ſed eſt cauſa infamiæ ſine culpa: ergo etiam ſine culpa eſt cauſa damni inde cõſequuti: ac proinde nõ *Neque de illo ſecuto.*

tenetur

tenetur illud ſarcire. Hæc ratio benè probat, ſi damnum illud ſecutum ſit ex infamia, priuſquam ille ſuum errorẽ reſciſcat, nam tunc ſine vlla eius culpa ſequitur.

An teneatur de damno ſecuto.

Sed difficultas eſt, ſi ille, antequam damnum ſequatur ex infamatione, agnoſcat ſuum errorem. & reuocando quæ dixit, poſſit damnum auertere. Videtur adhuc non teneri. nam communis ſententia DD. eſt, eum, qui rem alterius abſque ſua culpa peremit, ſi inde non eſt factus ditior, non teneri ad reſtitutionem. quia neque ratione rei acceptæ, vt quæ non amplius extet: neque ratione inullæ acceptionis, cùm in ea non peccauerit: neque ratione contractus cùm nullus interuenerit: quæ tria tantùm ſunt radices reſtitutionis ex iuſtitia debitæ, vt patet ex dictis c. 7. dubit. 5. Atqui iſte abſque ſua culpa rem alterius, nimirum famam, peremit. ergo non tenetur lege iuſtitiæ ad eius reſtitutionem: ac proinde neque ad reparationem damni quod inde ſecutum.

Dices, aliam eſſe rationem famæ, aliam rerum pecunia æſtimabilium. illa enim ſolo verbo, abſque vllius rei iactura reſtitui poteſt: damnum vero aliarum rerum non poteſt abſque ſimilium rerum amiſſione ſarciri. vnde in damno rerum merito lex iuſtitiæ non obligat, quando ſine culpa datum eſt; ne homo ſine ſua culpa cogatur ſe rebus ſuis ſpoliare. ſecus tamen in damno famæ, quod ſine vllo detrimento ſarciri poteſt.

Reſp. hoc argumentum benè probare, in damno famæ eſſe maiorem obligationem charitatis; quia charitas magis obligat, vbi malum minore incommodo poteſt tolli. non tamen videtur probare obligationem iuſtitiæ: hæc enim non pendet ex facilitate reſtitutionis, ſed ex radicibus ſupradictis. Vnde etiamſi ſolo verbo, poſſet reparari damnum rerum abſque culpa illarum, cum res eſt deſtructa; non tamen eſſet obligatio ex iuſtitia, ſed ſolùm ex charitate. Confirm. hæc ſententia; ſi enim qui abſque culpa aliquem infamauit, teneretur lege iuſtitiæ, etiam teneretur cum famæ ſuæ amiſſione. Iuſtitiæ enim lex obligat etiam cum bonorum eius ordinis iactura; vt patet in eo qui iniuſtè damnum in rebus vel in fama intulit. atqui iſte non tenetur cum iactura ſuæ famę: ergo non ex iuſtitia. Ob has rationes hæc ſententia non videtur improbabilis.

118 Nihilominus cõtraria ſententia mihi placet, nimirum eum, qui ſic infamauit, lege iuſtitiæ teneri ad reſtitutionem famæ, cum errorem ſuum deprehenderit, ſi abſque notabili incommodo ſuo poſſit.

Probatur Primò, Qui famam alterius lædit, potiùs eſt ſimilis furi rem alienam auferenti, quàm damnum inferenti peremptione rei: nam ex natura rei fama illius manet in eius poteſtate, quaſi eam apud ſe retineat: vnde dicitur fama auferri, ſurripi, reſtitui; ſicuti res dicitur auferri a fure, detineri, & reſtitui. atqui is, qui rem alterius abſtulit, & habet in ſua poteſtate, tenetur ex iuſtitia illam reſtituere, ſimul atque cognouerit ſe iniuſtè abſtuliſſe. ergo idem dicendum in fama.

Secundò, Qui ex errore dixit falſum teſtimonium, tenetur, ſi commodè poteſt, lege iuſtitiæ reuocare, vbi deprehenderit ſuum errorem: alioquin cenſebitur intuliſſe grauem iniuriam, & poterit puniri in foro externo tamquam falſus teſtis. Ergo etiam qui ex errore infamauit.

Tertiò, Qui eſt auctor mali etſi abſque culpa, longè ſtrictiori iure tenetur illud emendare, ſi commodè poteſt, quàm alius qui non eſt auctor. ſed alius tenetur lege charitatis; ergo ille tenetur lege ſtrictiori, quæ non videtur eſſe alterius virtutis quam iuſtitiæ.

Quartò, Etiamſi conſideremus talem non teneri lege iuſtitiæ ad reparationem famæ præciſe, qua parte iam eſt perdita: tamen videtur omninò teneri ad impediendum damnum impendens, ſicut qui abſque culpa incendit ſtramina ædibus vicina, vbi aduertit periculum, tenetur lege iuſtitiæ cauere, ne ſerpat vlterius, neue ſequatur inde aliud damnum: & qui laqueum vel aliud inſtrumentum periculoſum intendit, aut puluerem tormentarium certo loco poſuit, tenetur vbi aduertit periculum, impedire ne noceat ade, vt ſi neglexerit, teneatur de damno ſecuto. atque ex infamia ferè ſemper impendet damnum: tum quia ordinariè tamquam flamma quædam ſerpit vlterius, iuxta illud poetæ.

Fama malum quo non aliud velocius vllum, &c. tum quia alios bonos ſucceſſus in temporalibus & ſpiritualibus impedit.

Denique ratio eſt, quia quiſque ex iuſtitia tenetur neminem lædere, & conſequenter cauere, quantum commodè poteſt, ne ex ſua actione vel opere, quod in ipſius eſt poteſtate, alteri nocumentum inferatur.

Aduerte tamen eum, qui abſque culpa læſit, aut cauſam lædendi potuit, non teneri cum tanto oncre reſtituere, aut damnum impendens impedire, cum quanto tenetur is, qui cum culpa iniuſtitiæ. par enim non eſt æquè grauari inculpabilem atque culpabilem ceteris paribus. Vnde qui ideo ſolum lege iuſtitiæ tenentur impedire malum aliquod, quòd ratione officij ad id obligentur, non tenentur cum pari ſuo damno, vt infra ca. 13. nu. 70 dicetur. Ille autem qui abſque culpa cauſam læſionis dedit, eſt ſimilis illi, qui tenetur ex officio; non autem illi, qui ex culpa iniuſtitiæ. Ex quibus ad argumenta alterius ſententiæ reſpondeas.

Dico Quartò, Si te narrante de aliquo auditores alium 119
intelligant, quàm tu velis, ſicque illi oriatur infamia, teneris ex charitate ad reſtitutionem, ſi commode potes, non tamen ex iuſtitia.

Prior pars patet; quia charitas poſtulat, vt damnum proximi auertamus & tollamus, ſi abſque notabili incommodo poſſumus.

Altera probatur; quia tua narratio non eſt cauſa directa illius infamiæ, ſed illorum praua intelligentia, qui imprudenter id ex verbis tuis colligunt. Aduerte tamen, ſi ea eſſet conditio & diſpoſitio auditorum, vt ea ſpectata tale quid prudenter vel probabiliter ex verbis tuis videãtur poſſe colligere, idque aduertas, teneris non ſolum lege charitatis, ſed etiam iuſtitiæ, te explicare. & infamiam auertere: quia etſi narratione tua non des hominibus perſpicacibus, vel circumſtantias rei intelligentibus, iuſtam occaſionem talis opinionis præuæ; das tamen illis rudioribus & rerum ignaris, vel alias opiniones ſimiles non improbabiliter de tali viro conceptas habentibus, coram quibus narras. ſermones enim operantur pro capacitate & diſpoſitione auditorum.

DVBITATIO XXIII.

Vtrùm Prælatus non impediens infamatorem teneatur ad reſtitutionem.

RESPONDEO & dico Primò, Prælatus: ſeu Superior non impediens externum, a quo videt infamari ſuum ſubditum, non tenetur, ſaltem ratione famæ, ſuo ſubdito ad reſtitutionem. Ita Sotus libro 5. de Iuſtitia q. 10. ar. 4. Ratio eſt; quia ex officio non ſuſcepit defendendam ſubditi famam, ſed ſalutem procurandam. 120

Dixi, non teneri *ſaltem ratione ipſius famæ*; quia videtur aliquando teneri ratione bonæ vitæ, ſalutique ſpiritualis, ſubditi. Nempè ſi bona fama putaretur neceſſaria, vel valde commoda, ne ille licentius viuat: multi enim amiſſa fama fiunt impudentes ad peccandum, tamquam fræno honeſtatis, quo coercebantur, ſublato. Itaque cum Superior ex officio teneatur impedire ea, quæ ſubditorum ſaluti aduerſantur, tenebitur etiam impedire ſubditorum infamiam, & ſi neglexerit, bonam famam reſtituere. 121

Dico Secundò, Si non impediat ſubditum, alteri non 122
ſubdito detrahentem, cum facilè poteſt, tenebitur ad reſtitutionem famę, niſi ſubditus reſtituat. Probatur, quia ex officio incumbit illi ſubditum ſuum corrigere & impedire, ne alteri iniuſtè noceat: ergo ſi non impediat cum facilè poſſit, cenſebitur cauſa moralis damni: ſicut ſi Prætor non impediat furta & latrocinia in ciuitate, tenebitur ad reſtitutionem, quia indirectè cenſetur cauſa.

Dico Tertiò, ■ tamen ſubditus in abſentia Superioris famam alterius violauerit, non tenetur Superior eam reſtituere, ſubdito non reſtituente; modo quantum in ſe eſt compellat ſubditum vt reſtituat. Prior pars patet; quia non cenſetur tunc cauſa damni; cum abſens non potuerit impedire.

Secunda pars probatur; quia Superior ex officio tene-

tur

tur compellere inferiorem ne perſiſtat in iniuria alteri inferenda, ſicut ne primò illam inferat; atqui is, qui infamauit, & non reſtituit famam cum poſſit, perſiſtit in iniuria, eamque continuat; ſicut is, qui rem alienam detinet inuito domino. ergo Prælatus tenetur eum compellere.

Petes, Qui Superiores hic intelligantur obligari.

Reſpondeo Parentes reſpectu liberorum; quamdiu eorum regimini ſubſunt: dominu reſpectu ſeruorum; Superiores Regularium, Epiſcopi, & ex parte Parochi, quia hi etiam poſſunt ſuos ſubditos compellere: denique Principes & Magiſtratus. ſicut enim hi tenentur contumelias impedire, ita & detractiones; maximè per libellos famoſos, qui capitali ſententia vindicantur. vt patet Leg. vnica. C. de famoſis libellis. Non tamen tenentur cogere ad reſtitutionem famæ, niſi parte id iuridicè petente; niſi fuerint aliquo modo infamiæ cauſa. ſic enim vſus habet: ratio eſt; quia parte non petente, præſumi poteſt condonata.

123 *Superiores quinam.*

Libelli famoſi.

DVBITATIO XXIV.

Vtrùm reſtitutio famæ poſſit condonari. præſertim a Prælato.

124 RESPONDEO, Reſtitutionē famæ, & ſicut aliorum bonorum externorum. poſſe condonari, niſi forte nobis ſit neceſſaria, vel ad proximi ædificationem, vel ad vitandum ſcandalum; vel ad officium quo proximo obſtringimur rite obeundum. Vnde Infero primò, Priuatum poſſe condonare hanc reſtitutionem, niſi fortè eſſet infamatus de crimine, vnde tuneretur ſcandalum; (vt de hæreſi) vel eius infamia redundaret in familiam; tunc enim eam condonare, eſſet contra charitatem, condonatio tamen eſſet valida. Quod intellige, Si non alia ratione redundat in familiam, quàm quòd ille infamis homo dicatur eſſe illius familiæ; illorum frater, cognatus, &c.

Priuatus poteſt condonare.

125 Secundò, Si vir valdè vtilis bono publico, qui ſuis concionibus vel doctrina multum proderat Reipublicæ, condonaret reſtitutionem famę, vnde poſtea impediretur fructus confuetus. peccaret contra charitatem. infamator tamen non amplius teneretur ex iuſtitia; ex charitate tamè teneretur, ſi commodè poſſet; quia tenetur ex charitate iſtud damnum Reipublicę, cuius ipſe cauſam dedit, auertere, tollendo cauſam.

126 Tertiò, Si fama tua videtur neceſſaria ad rectam muneris tui adminiſtrationem; non potes condonare. Excipio tamen duos caſus. Primò. Si poſſis & velis officium deponere: tunc enim poſſes condonare ſine peccato mortifero: vt patet ex dictis ſupra, & docet Sotus lib. 4. de Iuſt. q. 6. art. 3. ad quartum.

Secundò, Si humilitate & alijs virtutum officijs, facilè hanc iacturam poſſis apud ſubditos ſarcire.

127 Sed quid ſi condonet reipſa, nolens officium deponere, vel aliter ſuæ auctoritati conſulere; eritne condonatio valida?

Superior condonans ruſſe mam.

Reſpon. cum Soto ſuprà, validam videri; quia ipſe verè eſt dominus ſuæ famæ, non ſubditi. Neque per hanc condonationem facit iniuriam ſubditis; (niſi fortè infamia in ipſos redundaret) quia non habent Ius, vt ipſe ſuam famā conſeruet, niſi ſuppoſito quòd velit manere Superior, & alijs modis eam recuperare nolit: quorum vtrumque in ipſius arbitrio poſitum eſt. vnde non tam condonando reſtitutionem, quàm volendo cum illa ineptitudine permanere in officio, iniuriam illis facit.

128 Dices, Parens non poteſt condonare reſtitutionem bonorum, quæ ſunt neceſſaria alendæ proli: ergo nec Superior reſtitutionem famæ neceſſariæ ad gubernandum ſubditos.

Reſpon. Primò, Negando conſequentiam; quia parens non poteſt cedere officio parentis, ſicut Superior officio Superioris.

Secundò, Negando antecedens: (ſi conſiſtamus præciſè in iure naturæ) quia poteſt mendicato illis victum conquirere ſi velit; quòd ſi nolit, ſibi imputet; non enim manet illa condonatione abſolutè impotens ad prolem alendam.

Quartò, Si infamia tua redundet in alios, ita vt ipſi inde maneant infamati vel ſuſpecti: tunc enim condonatio non videtur valere. Talis eſt infamia Religioſi, quæ redundat in Monaſterium. valdè enim lædituir bonum nomen Ordinis, dum dicitur habere ſceleratum Monachum iam tota communitas quodammodò redditur plebi ſuſpecta. Vnde etiam ſæpè ingenti pecunia vellent hanc labem redimere. Nec obſtat quod Religioſus videatur dominus ſuæ famæ, vt dictum eſt capit. 4. dubit. 5. (non enim per votum paupertatis renunciat famæ & honori ſuo) quia non eſt dominus famæ Communis, quæ per ipſius infamiam violatur. Talis etiam videtur infamia parentis, præſertim de crimine hæreſis, proditionis, vel alio ſimili, quæ redundat in liberos: habentur enim viles, & inhabiles ad officia & dignitates. Idem dicendum de graui infamia filij vel filiæ, ſi adhuc ſub cura parentum exiſtant. imò etiamſi non exiſtant: ſi tamen infamia illorum, parentes ſuſpectos reddat. eadem enim in his omnibus ratio. Si enim mea infamia vel labes ex tua pendet, non potes tuam ſine meo conſenſu condonare. Secus ſi tua infamia non aliter redundet in me, quàm quòd dicar habere fratrem vel cognatum ſceleratum; vt dictum eſt numero 124.

129 *Si infamia tua in alios redundet.*

DVBITATIO XXV.

Vtrum in reſtitutione famæ fieri poſſit compenſatio.

RESPONDEO & dico Primò, Non poteſt ita fieri compenſatio infamiæ, vt ſi alius te infamarit, tu viciſſim illum poſſis infamare. Ratio eſt; quia eſt manifeſta vindicta, quam nemo priuata auctoritate poteſt facere. reddere enim malum pro malo vt fiat æqualitas, ſolius eſt publicæ poteſtatis.

Compenſatio.

Dico Secundò, Si quis te infamet, nec tu poſſis infamiam alia ratione auertere, potes aliquos defectus illius occultos aperire, ne ipſi fides adhibeatur. Ita Sotus ſupra & alij paſſim. v.g. potes dicere, illi fidem non eſſe habendam, eò quòd alias in mendacio vel periurio ſit deprehenſus.

130 *Potest aperire alterius peccata.*

Probatur Primò; Quia quiſque habet Ius tuendæ non ſolùm vitæ, ſed etiam famæ, cum iuſta moderatione: (id eſt, ſine qua iniuria prohiberi nequit) ergo cùm infamia, quam ille per iniuriam tibi irrogare nititur, aliter prohibere nequeas, niſi criminibus eius patefactis, potes ea patefacere. Secundò; Quia potes aperire crimen alterius ad vitanda tormenta tua, vel damna proximi: vt patet ex dubitat. 8. & 9. ergo multò magis ad auertendum damnum; quod ipſe criminoſus tibi parat inferre. nam ratione iniuriæ amittit Ius, quod habet, ne crimen eius occultum pandas.

131

Aduerte tamen Primò, Si criminis detectio non eſt vtilis ad famæ tuæ defenſionem, eſt iniqua; quia non eſt defenſio, ſed vindicta. vnde ſi tibi reſtituat, teneris illi viciſſim ad reſtitutionem.

132 *Contra charitatem.*

Secundò. Si alia via famam tuam poſſis tueri, v. g. interpoſito iuramento, vel adhibitis teſtibus; erit contra charitatem aperire crimen occultum ad fidem ei detrahendam; quia lædis illius nomen plus, quàm eſt neceſſe. videri tamen poſſit non eſſe contra Iuſtitiam; quia non teneris ex iuſtitia confugere ad iſtos modos. non enim ille Ius habet, vt parcas nomini ipſius in defenſione tui. cum ipſe famam tuam iniuſtè oppugnet. non tamen potes plura in illum dicere, quàm neceſſe ſit vt ei fides non habeatur. communior tamen ſententia DD. id vult eſſe contra Iuſtitiam, quam & ego probo, auctoritate illorum ductus.

Dico Tertiò. Si tu alium iniuſtè infamaſti, qui te anteà infamauerat; non teneris ei ad reſtitutionem, ſi ipſe tibi reſtituere nolit; ſed potes vti compenſatione, ſeruata tamen æqualitate, quantum fieri poteſt. Eſt contra Nauarr. cap. 18. num. 47. & Caiet. q. 62. art. 2. & Petrum Nauar. c. 4. num. 395. Sed noſtra ſententia eſt verior eamque docet Adrian. in 4. q. penult. de reſtit. § Circa prædicta. Sotus li. 4. q. 6. art. 3. ad 4. Ioſephus Angles in 4. de reſtit. famæ. dubio 3. Toletus lib. 5. c. 70. & alij.

133 *Potest vti compenſatione, non reſtituendo.*

Dixi,

134 Dixi, *ferueta æquitate*; quia ſi tu intuliſti ei multò grauiorem infamiam, diuulsilé tamen, detegendo plura crimina, teneris ad reſtitutionem, donec damnum à te illatum ſit æquale damno, quod ipſe tibi intulit. Probatur; quia in rebus temporalibus, quando iura ſunt paria, ſi alter non vult tibi ſeruare ius, & ſoluere debitum, nec tu teneris illi ſeruare, & ſatisfacere. vt patet in debitis pecuniarijs. atqui fama eſt bonum temporale, cuius ſumus domini: ergo eſt eadem ratio. Idem videtur dicendum, quamuis iura non ſint paria, ſi infamia, quã intuliſti, non poſſet per partes reſtitui: (vt ſi illum de grauiori crimine infamaſti, quàm ille te) tunc enim eam inſtar pignoris detinere potes, vt eum ad reſtitutionem compellas; & ipſe ſibi imputet quòd non reſtituas, ſicut ſi annulum aureum habeas ab eo, qui tibi debet tres Philippicos; potes retinere inſtar pignoris, vt cogas ad ſolutionem.

135 *Obiectio Nauarri.* Dices cum Nauarro, Damnum famæ à te illatum, per reciprocum damnum non tollitur, ſicut debitum pecuniarium vnius, tollitur per debitum reciprocum alterius; ergo eſt diſpar ratio.

Reſp. Etſi damnum à te illatum non tollatur per infamiam tibi viciſſim illatam, tamen tollitur debitum ſarciendi illius damni; ſi alter ſarcire nolit, quod à ſe illatũ eſt: quod etiam vſu venit in damnis fortunarum. ſi enim tu incendiſti ædes Petri, & Petrus viciſſim tuas, nõ tollitur per hoc damnum à te illatum Petro; ſed tollitur debitum ſatisfaciendi Petro, propter compenſationem.

Hinc patet, compenſationem hanc fieri poſſe etiam altero inuito, ſi ipſe nolit reſtituere: multò ergo magis mutuo conſenſu, contra Caietanum. Quæ omnia intelligenda ſunt de ijs, qui poſſunt facere condonationẽ infamiæ ſibi irrogatæ: nempe quorũ infamia non pertinet ad ſubditos vel ſocios: vt patet ex dictis dub. 24. inter tales enim non poteſt fieri compenſatio, propter iniuriam, quæ ſubditis vel ſocijs fieret.

Petes, Vtrùm poſſit fieri compenſatio infamiæ cum damno fortunarum, v.g. intuliſti Petro damna in fortunis, & ille te grauiter contra iuſtitiam infamauit: vtrùm poſſis illi denegare damnorum reſtitutionem, ſi ipſe nolit tibi famam reſtituere.

136 *Cũ damno fortunarũ.* Reſp. Probabile eſt hanc compenſationem fieri poſſe; quia probabilis eſt ea ſententia, quæ aſſerit infamiam pecunia eſſe compenſandam, quando in ſuo genere nõ reſtituitur. Itaque ſi ille non velit, vel non poſſit eam in ſuo genere compenſare, poſſit tamen pecunia, licitum tibi eſt pro ea pecuniæ certam ſummam, iudicio prudentis arbitrandam, exigere; ac proinde denegare debita vſque ad illam ſummam. Idem etiam in altera ſententia locum habet; quando famæ reſtitutio eſt poſſibilis, & infamator non vult eam reſtituere: tunc enim iure pro ea pecuniam exigere potes, ſeu potiùs pro redemptione obligationis reſtituendi. Secùs tamen in hac ſententia, ſi reſtitutio famæ eſſet impoſſibilis: tunc enim nihil pro ea exigere poſſes niſi forte competeret tibi actio iniuriarũ, pro cuius ceſſione aliquid paciſci potes.

DVBITATIO XXVI.

Quænam excuſent famæ reſtitutionem.

137 *Excuſantia reſtit. famæ.* RESPONDEO. Primò, Iuſta condonatio, ideſt, quæ ab eo facta eſt, cuius infamia non redundat in alios. vt patet dubit. 24.

Secundò, Iuſta compenſatio: vt ſi ab eo, quem infamaſti, pari modo ſis infamatus. vt patet dubit. 25.

Tertiò, Si fama alia ratione iam ſit recuperata, dub. 17.

Quartò, Si infamia prudenter exiſtimatur abijſſe in obliuionem; tunc enim non teneris, ſiue falſum impoſueris, ſiue verum. dub. 18.

Quintò, Si crimen occultum, quod aliquibus dixiſti, alia ratione fiat publicum. tunc enim amiſit ius reſtitutionis. dub. 12.

Sextò, Si reſtitutio ſit impoſſibilis. dub. 15. & 16.

138 *Si amittenda fama maioris momenti.* Septimò, Si non poſſit fieri ſine periculo vitæ. dub 15

Octauò, Si non poſſit fieri ſine amiſſione famæ, quę ſit longè maioris momẽti; vt ſi prælatus, vel vir illuſtris infamauit plebeium, non tenetur cum iactura ſui nominis reuocare; ſed ſufficit vt illũ laudet in eo genere virtutis, vbi infamauit. quòd ſi ſic videatur non ſatis reſtituta, reliquũ poterit pecunia compenſare arbitrio prudentum, vel potiùs remiſſionem reſtitutionis pecunia impetrare; ſi tamen commodè poſſit, alioquin nõ tenetur. Ratio eſt; quia ille plebeius non poteſt cum ratione exigere, vt ille famã ſuam tanti momenti amittat; ſed debet eſſe contentus laude, humanitate, & muneribus pecuniarijs ex arbitrio prudentum. Ita Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. ad quartum. Toletus lib. 5. cap. 70. Corduba lib. 1. q. 33. art. 2. Couarr. ad regulam Peccatum, 1. p. n. 8. §. Tertiò, adultera, & alij.

Nonò. Si bona fide perſuaſus eſſe verum, & publicum narraſti, nec poſſis ſine damno famæ tuæ reſtituere. dubit. 22.

Decimò, Si reuera nulla fuit infamia ſecuta, eo quòd infamator eſſet nullius fidei, (quòd ſæpè accidit) vel quia illi, apud quos infamauit, ſciebant ſimilia; ita vt infamia non fuerit notabiliter aucta.

DVBITATIO XXVII.

Vtrum honor ſit reſtituendus, & quomodo.

NOTANDVM eſt, Honorẽ lædi contumelijs, irriſione, ſannis, alapa inflicta, alijſque ſimilibus modis. ſicut enim honoramus aliquem edito ſigno, quo teſtemur eius excellentiam, nosque eam magnifacere, cùm quadam noſtri ſubmiſſione: ita honorem lædimus edito aliquo ſigno, quo teſtemur eius vilitatem, noſque illum contemnere, quod fit modis enumeratis. 139 *Honor lædi-tur.*

Dico Primò, Qui iniuſtè alterius honorem læſit, tenetur ad reſtitutionem ſeu ſatisfactionem, ſiue id publicè coram alijs, ſiue priuatim fecerit coram illo ſolo. Eſt cõmunis DD. Prior pars patet; quia fecit veram iniuriam contra iuſtitiam commutatiuam.

Dices, Alter nullum accepit damnum ex contumelia. 140 præſertim ſi nemo alius id aduertit; ergo nihil reſtituendum.

Reſp. Eſto, non acceperit damnum, tamen illata eſt ei verè iniuria; vnde teneris ſaltem ad ſatisfactionem, ſi nolis hoc vocare reſtitutionem. quod confirmatur illa ſententia Domini, Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo Fatue* (ideſt, graue conuitium) *reus erit gehennæ ignis*; & ſubijcit Dominus, *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo*. vbi manifeſtè Dominus exigit ſatisfactionem, etiam pro contumelia priuata.

Reſp. Secundò, Inferri etiam damnum quoddam hominum æſtimatione, non fortunarum, ſed dignitatis, dũ enim contumelia afficis, veluti labem quandam dignitati irrogas, eamque quantum in te eſt viliorem reddis. Vnde contumelia affecti, dicunt honorem, & dignitatem ſuam læſam & imminutam. Hanc autem læſionem tanti æſtimant, vt ſæpè damna fortunarum grauiſſima præoptent; vnde etiam ſolent maxima indignatione ob hanc iniuriam commoueri. 141 *Damnum dignitatis.*

Dico Secundò, Omiſſio honoris debiti ſuperioribus vel æqualibus, non eſt contra iuſtitiã commutatiuã, ſed contra virtutem obſeruantiæ: vnde per ſe non obligat ad reſtitutionem. Patet; quia aliud eſt non honorare, aliud contumeliam irrogare. 142 *Omiſſio honoris.*

Dixi *per ſe*; quia fieri poteſt, vt ratione alicuius contumeliæ interpretatiuæ, quę illi omiſſioni coniuncta eſt, obligeris; vt ſi alijs honorantibus Epiſcopum, vel Paſtorẽ prætereuntem, tu illum ſine vllo honoris ſigno imprudenter aſpicias.

Dico Tertiò, Qui in alterius abſentia aliquid fecit vel dixit apud alios in eius contumeliam, tenetur apud eoſdem reſtitutionem facere, ſi probabile eſt aliquid honori ipſius apud eos detractum. Patet ex ijs, quæ ſunt dicta de fama. ſi enim in animis eorum, dignitas ipſius imminuta eſt, ibi quoque inſtauranda eſt. 143

Dico Quartò. Varij ſunt modi honoris reſtituendi; ex quibus is tantùmodò eſt neceſſario adhibendus, quo, iudicio prudentis, ſatisfit honori violato. Hæc propoſitio per ſe patet; & docet eam Caiet. opuſc. 31. reſp. 13. du. 5. *Modi reſtituendi honoris.*

Primò, Reſtitui poteſt honor amica, & honorifica ſalutatione, aut cõpellatione; & huic ferè ſufficit Prælatis & 144

Supe-

Superioribus erga inferiores: & viris nobilibus erga plebeios; vt rectè Caiet. quæst. 72. art. 3. non enim tenentur ij adeo ſeſe demittere, vt veniam petant; quod expreſsè D. Auguſtinus docet in ſua regula, de Superioribus.

Secundò, Adhibendo ad mentiam, dando locum honorificum, propinando, &c. qui modus ſæpè ſufficit, etiam inter eos, qui ſunt paris conditionis.

Tertiò, Petendo veniam; qui modus eſt efficaciſſimus: quo debent vti inferiores erga Superiores, & ſæpè etiam æquales inter ſe; nam ſi laeſus hanc ſatisfactionem ſibi exigat, (vel ſi gravi contumelia affectus fuerit) nec aliam velit admittere, tenebitur alter veniam petere, ſi ſit inferior vel æqualis.

145 *Et veniæ petitio.*

Notandum Primò, fieri poſſe, vt non ſufficiat veniæ petitio; vt ſi atrox iniuria viro nobili illata ſit; tùm enim poteſt exigi maior humiliatio, v.g. vt flexis genibus cum fune in collo veniam petat: ſed qui iniuriam intulit, non tenetur eam præſtare ante ſententiam Iudicis: ſic enim moribus Gentium eſt receptum, vt etiam pro leuibus iniurijs, non teneatur quiſquam ſponte maiorem ſatisfactionem exhibere, quam humilem veniæ petitionem cum ſignis doloris. Quòd ſi alter maiorem exigat, eam per Iudicem curet imponi, vel infligi.

Dices, Satisfactio exhibenda eſt ad æqualitatem.

Reſpon. Satisfactio pro iniuria dupliciter poteſt eſſe æqualis iniuriæ. Primò exactè, ita vt gratiam non habeat admixtam: & hæc quia valdè difficilis eſt, infligenda eſt per Iudicem. Secundò, eadem proportione, ſic vt tota ferè nitatur gratia condonantis, & hæc conſiſtit in humili veniæ petitione, ſignique doloris, eique præſtandæ etiam ante ſententiam.

Notandum Secundò, Si petas veniam omnium iniuriarum, & alter eam concedat, non cenſeri condonatas, niſi eas iniurias, quas verisimiliter intendit condonare. Itaque ſi aliqua illum latet, quam ſi noſſet, nollet ſine ſatisfactione condonare, non cenſetur eam condonaſſe; quia ignorantia condonationem reddit involuntariam. 146

CAPVT DVODECIMVM.

De iniurijs fortunarum, per furtum, rapinam, damnùmve illatum: & de neceſſaria reſtitutione ob hanc cauſſam.

Conſtat Dubitationibus 20.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit furtum. *D. Thomas q. 66. art. 3.*

1 *Furti quid.*

RESPONDEO, Iuriſperiti ſic definiunt, *Furtum eſt contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei vel etiam vſus, poſſeſſionisve.* Ita habetur l. 1. §. Furtum. ff. de Furtis. & Inſtitut. de obligationibus, quæ ex delicto. §. 1. quam ſupplet, & explicat Nauarr. cap. 17. num. 1. Ciceius & breuiùs Theologi, *Furtum eſt occulta rei alienæ accepto inuito domino.* Hæc definitio habet tres partes. Prima eſt, *occulta*, vt diſtinguatur a rapina & alijs iniuſtis acceptionibus, per iniquos contractus; occulta enim acceptio eſt, quæ fit domino neſciente, vel quam quis intendit facere domino neſciente. In contractu autem non intendit contrahens aliquid tollere domino neſciente, quamuis non cupiat vt dominus aduertat rei iniuſtitiam.

2 Dices Primò, Qui accipit rem, domino vidente, non accipit occulte, & tamen committit furtum: ergo.

Reſpon. Si ſciat dominum videre, & non curet, potiùs committit rapinam quàm furtum: ſi autem ignoret dominum videre, eſt furtum; quia intendit ipſo neſciente accipere, ita vt alter nollet.

Dices Secundò, Detentio rei alienæ habet rationem furti: ergo non tantùm conſiſtit in acceptione.

Reſpon. Detentio eſt inſtar acceptionis; quia acceptio & accepti detentio moraliter cenſetur eadē actio. quòd ſi quis id, quod iuſtè accepit, poſtea iniquè retineat, perinde facit, ac ſi primò tunc iniuſtè acciperet. vid. D. Thomam in reſpon. ad 2. & Caiet. ibidem.

3 *Occultum & manifeſtum.*

Dices Tertiò, Crimen nō accipit ſpeciem ex eo quòd ſit occultum: ergo de ratione furti nō eſt vt occulte fiat.

Reſpon. Quando quis in iniuria inferenda vtitur modo occulto, tanquam medio ad exequendum opus, facit ſpeciem diſtinctam à manifeſto; quia tunc occultum & manifeſtum continent diuerſas iniurias. Hac ratione furtū differt ſpecie à rapina, & dolota inuaſio à manifeſta, & contumelia à detractione. Si autem vtatur modo occulto ob verecundiam, vel ad vitandum ſcandalum, aut ſupplicium, eſt circumſtantia generalis.

4 Secunda eſt, *rei alienæ*; quia acceptio rei ſuæ, quæ eſt apud alium, non eſt furtum, ſaltem quà ſuæ; quamuis poſſit eſſe furtum quatenus illa res eſt alteri commodata vel oppignorata; tunc enim auferetur illi vſus, vel ſecuritas, quam per illam rem habebat.

Tertia eſt, *inuito domino*; Si quis enim putaret domino non diſplicere, non eſſet furtum, quamuis occulte illud acciperet; eo quòd per verecundiam vereatur petere; debet autem eſſe cum ratione inuitus. vnde qui occulte accipit in extrema neceſſitate, non eſt fur. Item qui cōpenſandi cauſa, quando aliter quod ſuum eſt recuperare nequit. Addunt aliqui, *rei corporalis, & mobilis*; ſed melius omittuntur, nam poteſt quis etiam furari iura; vt cenſus & ſeruitutes, & res immobiles, occupando dominum, vel agrum alienum, domino abſente.

Ex his patet Primo, Eum, qui accipit hominem liberū, 5
v.g. vxorem vel prolem alicuius, nō committere *furtum*; *Plagium.*
quia homo liber nō habet dominum, à quo poſſideatur: ſed dicitur committere *plagium*, ſeu *crimen plagiarium*, ſi fiat ad vendendum, vel ad retinendum in mancipiū; ſi verò fiat ad fruendū dicetur *raptus*, quæ proprie non ſunt ſpecies furti. Quod ſi quis furetur ancillam vel mancipium, vt illud vendat, erit verum furtum: quia eſt acceptio rei alienæ, quà aliena; intēdit enim eam accipere ratione vtilitatis temporalis, quæ eſt domini. ſi autem furetur, vt ad tempus abutatur, non dicetur furtum, quia illa ancilla ſecundùm illum actum non ſubeſt dominio alterius, nec ipſe quærit in ea id, quod alterius eſt, ſed quod ipſius ancillæ. Infert quidē damnum in domino, dū priuat ancillæ obſequio; ſed non omnis damnificatio eſt furtum. Quā- 6
uis enim furtum non ſit peccatum, niſi quia infert alteri *Differūt fur-*
damnum priuando eum re ſua, contra ipſius rationabilē *tū & damnificatio.*
voluntatem (ſi enim vna eademq; res in duobus locis eſſet, vel a duobus poſſideri integrè & vſurpari poſſet, nullum peccatum committeretur) tamen nō omnis damnificatio eſt furtū, ſed differunt hęc ſaltē materialiter. furtū enim poſtulat acceptionem ſeu vſurpationem, qua quis rem ſibi vindicet; etſi ad breue tempus, & animo eā paulò poſt abijciendi: quo modo Auguſtinus furabatur poma. vnde qui incendit alterius ſegetes, non eſt fur, tamen damnum infert; nec minùs peccat, quam ſi eas auferret.

Patet Secundò, Eum, qui rem ſacram accipit, aut pro- 7
phanam in loco ſacro, tanquam in aſylo depoſitam, com- *Sacrilegiū.*

mitte-

mittere peccatum furti: quia accipit alienum inuito domino; quamuis huic furto connecta sit malitia sacrilegij, quæ quia præcipua est, ei nomen tribuit. Sunt tamen in hoc peccato duæ malitiæ distinctæ contra duas distinctas virtutes.

DVBITATIO II.

Vtrùm furtum & rapina differant specie.

D. THOM. ART. 4.

Rapina.

8 RESPONDEO, specie differre in ratione iniuriæ, ita D. Thomas & Caietanus. Ratio est; quia *rapina* includit violentiam, quæ fiat domino scienti; quam *furtum* excludit. Itaque nouam rationem iniuriæ continet; quia nouam rationem inuoluntarij. aliter enim est inuoluntarium, quod quis ignorans patitur, aliter quod sciens & retinens. quamuis enim vtrumque sit absolutè inuoluntarium, tamen alterum est longè magis inuoluntarium, & alterius rationis. Vnde etiam patet rapinam esse grauius peccatum quàm furtum, ceteris paribus: vt docet D. Thomas art. 9. & ibidem Caietanus.

Petes, Quo modo furtum & rapina differunt ab iniuria, quæ fit per iniquos contractus?

9 *Per contractus iniquos.*

Respon. Quòd furto & rapina patiatur dominus damnum omnino inuoluntarie, nempe per ignorantiam, vel per vim: in contractibus autem patiatur damnum inuoluntariè mixtim, si sciat iniquitatem contractus, id est, partim voluntariè, partim inuoluntariè, mauult enim hoc damnum iniustè pati, quàm contractum omittere. si autem ignoret contractus iniquitatem, & ideo contrahat, erit furtum, seu eiusdem, ac furtum, rationis. Ex his constat rationem generica communem furto & rapinæ, esse *iniustam ablationem rei alienæ, absolutè inuoluntariam.* Vt autem contineat etiam iniustitiam contractuum dicetur *iniusta ablatio rei alienæ.* vide Ioannem Medinam quæst. 4. Cod. de rebus restituendis.

10 *Furtum generatim acceptum.*

Aduertendum tamen est, aliquando omnem iniustam acceptionem vocari furtum, & rapinam: vt patet cap. 4. Si quid. 14. q. 5. ex D. Augustino, *Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti.* Sic Exodi 20. dum prohibetur *furtum*, omnis iniqua acceptio rei alienæ intelligenda est, vt docet D. Augustinus lib. 2. quæst. 72. in Exodum. & hoc modo diuiditur furtum in fraudulentum, occultum & violentum. Sed proprie accipitur pro occulto, vt dictum est.

DVBITATIO III.

Vtrùm fur & raptor continuo peccent, donec restituant.

CAIETANVS quæst. 66. art. 3. circa solutionem tertij argumenti, putat ipsam detentionem non posse continuare peccatũ actuale furti, eo quòd non sit actio, sed effectus actionis: vnde vult detentorem esse solum in peccato habituali. Sed contrarium est verius, vnde.

Respond. & dico Primò, Fur & omnis iniquus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ, continuè actu peccat. toto eo tempore, quo cum possit non restituit, colligitur ex Gabriele in 4 dist. 15. qu. 2. art. 2. concluſ. 2. & Soto lib. 4. quæst. 7. art. 4.

11 *Continuò peccat detentor.*

Probatur Primò; quia non restituendo lædit continenter proximũ, ipsum impediens a possessione & vsu rei suę vel debitæ: quæ læsio quo diutius durat, eo censetur maior. atqui hæc læsio assiduè pendet vel a voluntate libera non restituendi, vel a libera voluntatis omissione: ergo est peccatum actuale, eo saltem modo, quo in omissione operis externi, qua alius lædituꝛ, est peccatum actuale.

Secundo, Qui non restituit cum possit, voluntarie detinet rem alienam: atqui detentio rei alienæ, etsi nõ sit propriè actio, est tamen instar actionis, sicut possessio: ergo quamdiu hæc detentio exterior liberè pendet a voluntate, est actuale peccatum actu uocens proximo.

Tertiò, Qui conijcit proximũ iniustè in vincula, & ibi relinquit, continuo peccat actu; quia continuo nocet: perinde enim est siue manibus suis vinculis eum assidue tenendo affligat, cum vtrumque æquè liberè continuetur. ergo etiam qui assiduè rem alienam cum incommodo cõtinuo detinet, continuum peccatum committit.

Dices Primo, Ergo is, qui alteri vulnus inflixit, continuo peccat, quia continuo nocet.

Vulnerans.

13 Respon. neg. consequ. Non enim propriè continuè nocet, sed semel nocuit, & tunc peccauit actu. omne autem nocumentum deinceps secutum, naturaliter manat a primo nocumẽto, ita vt non dependeat amplius a præsenti ipsius voluntate, vt sit vel non sit, sed solum a præterita, in qua semel censetur volitum. Quod si esset in ipsius potestatẽ tollere quotidianam molestiam ex vulnere prouenientẽ; & non faceret; continuo noceret præsenti voluntate, & sic continuo peccaret: sicut is, qui præsenti voluntate continuo nocet constrictum tenendo, quem singulis momentis posset soluere. Simile videmus in tyranno, qui Idolam erigit, vel iniquam legem sancit. tamdiu enim peccat, quã diu illud Idolum, vel illa lex assidue ex ipsius liberrate dependens, manet: nam ex parte sua tandiu actu nocet; quod nocumentum quouis momento potest & debet tollere.

14 *Iniquam legem ferens.*

Nec refert, quod erecto Idolo vel lege lata nihil amplius agat; quia illa libera dependentia rei nocentis, est instar continuæ noxiæ actionis. qui enim omnibus momentis causam noxiam, quam posuit, potest auferre, si non auferat, continenter nocet & peccat.

Dices Secundo, Ergo singulis momentis peccat. 15

Respon. Verum est. non quidem nouum peccatum addendo, sed prius actu continuando, sicut si mala voluntas per integrum diem duret, est vnum continuum peccatũ, quod quo plus liberè durat, eo ceteris paribus è grauius. Similiter detentio rei alienæ toto tempore, quo commodè restitui potest, est vnum peccatum continuum actuale, quod singulis momentis crescit idque dupliciter.

16 *Quomodo crescat hoc peccatum.*

Primò, ratione maioris liberæ durationis. Secundò, ratione maioris nocumenti, quod inde domino prouenit. si enim inde dominus continuo crucietur animo, vel noua experiatur incommoda; hæc detentio fit continuè peior, idque intrinsecè quodammodo: sicut si ignem segetibus immissum singulis momentis possis extinguere, & omittas, assiduè crescit peccatum, ratione maioris damni: & si proximũ, quem vides fame cruciari, non iuues, cum singulis momentis possis, assiduè crescit illa omissio ratione maioris incommodi. quòd si inde nihil aliud incõmodi eueniat, quàm quòd dominus careat re sua, solum augebitur priore modo: sicut omne peccatum, & omne meritum augetur ex circumstãtia durationis; quamuis in bonitate vel malitia intrinseca non crescat. vt ostensum est 1.2. q. 74.

Dices Tertiò, Si hæc detentio est vnum continuum peccatum actuale: ergo homo actu peccat, etiã cum dormit, tunc enim detinet.

17 *An, cum dormit, peccet.*

Resp. Primò, Quodam sensu concedi posse, hominem peccare dum dormit; non quidem quòd tunc nouam culpam contrahat, vel contractam augeat, sed quia prauum propositum exequitur, vel in executione cœpta perseuerat: quo modo ipse somnus peccatũ esse potest, vt si dormias loco vel tempore vetito, vel vt diuinationum assequaris in somno, vel turpi voluptate perfruaris; his enim euentis ipse somnus est peccatum externum seu executio peccati; pendet enim a priori voluntate, & ab ea informatur. Simili modo, tempore somni potest continuari aliud peccatum antea incœptum. vt si innocentem duris vinculis constrictum relinquas. & ita cubes.

18 Resp. Secundò, Dum dormit, propriè loquendo actu non peccat vero & formali peccato; quia neque somnus, neque id, quod fit in somno, dependet ab aliqua voluntate libera, tamquam actio, quæ assiduè liberè fit & continuatur; sed tamquam effectus voluntatis præteritę, a qua ita pendet, vt cum cæpit, non sit in nostra potestate continuare, vel abrumpere: vnde peccatum non crescit, etsi somnus longior fuerit opinione, neque minuitur, si brevior. Hinc etiam fit, vt quando somnus est executio peccati, 19 non teneamur somnum in confessione explicare: sed sufficiat dicere, nos tali fine ad somnum compositisse; hoc enim est actio libera, non autem somnus. Hinc patet, peccatum detentionis in somno non continuari formaliter, sed effectiuè; quia effectus eius antea præuisus & prævolitus continuatur: qui effectus etiam dicitur peccatum, quia est executio malæ voluntatis, vel continuatio

tio executionis, antea per malam voluntatem inchoatæ. Vt autem formaliter continuetur, requiritur vt assiduè dependeat ab hominis libertate, ita vt quouis momẽto possit & debeat tollere. non est tamen necessarium, vt continenter actu formali nolit tollere: sufficit vt non tollat, & aduertat se posse tollere. tunc enim si omittat, liberè omittit; habetque actu voluntatem interpretatiuam cõtinuam desinendi seu non restituendi; vt patet ex dictis 1.2. qu. 6. art. 3.

Peccatum est formaliter continuatum.

20 Quam sit nouum peccatũ moraliter.

Ex his sequitur, toto eo tempore, quo commodè potest fieri restitutio, non fieri nouum peccatum (moraliter loquendo) per illam voluntariam retentionem; sed continuari antiquum, quod antea per acceptionem erat inchoatum, nam illa retentio informatur a prima voluntate retinendi, quę interpretatiuè censetur actu manere. Et quamuis interim ille haberet aliquoties voluntatem expressam, toto eo tempore non restituendi, non censeretur tamen moraliter nouum peccatum, neque plura numero peccata, nisi physica ratione; sed vnum peccatũ grauius; quia omnes illæ internæ voluntates referuntur ad vnum, idemque opus externum continuatum, & cum eo vnum numero peccatum efficiunt, sicut cum quis versatur in conatu occidendi inimici, omnes actus præuij occisioni sũt vnum numero peccatum, quia omnia interna desideria tendunt ad eumdem conatum.

DVBITATIO IIII.

Quibus modis istud peccatum actuale iniustæ detentionis interrumpatur.

21 Triplicitèr interpellatur peccatum detentionis.

RESPONDEO, Tripliciter interrumpi, ita vt formaliter non continuetur. Primò, ratione ipsius propositi: vt dum quis propositum detinendi mutat, constituens prima opportunitate restituere, & hæc est perfecta interruptio. Secundò, Ratione detentionis externæ, quando illa in se incipit non amplius esse iniuriosa, eo q restitutio eo tẽpore facta sit impossibilis: vt si procul absit, vel graui penuria laboret. tunc enim externa detentio non est amplius peccatum. vnde etiamsi ferretur excommunicatio in eum, qui rem illam detineret, detentor tunc non incurreret, etiamsi animum numquam restituendi haberet. quia etsi illa voluntas interna peccatum sit; detẽtio tamen externa peccatum non est. non enim est volita, seu a voluntate dependens, etiamsi fortè sit volita. Incideret tamen, simulatque offerret se opportunitas restituendi, & eam negligeret. quia tunc detentio rursus inciperet esse voluntaria, ac proinde peccatum externum.

Dices, Quid si detentor non aduertat se tali tempore non teneri ad restitutionem, putetque se teneri? Respon-

22 deo, Tunc externæ detentionis peccatum interrumpitur quidem materialiter; quia illa detentio re vera in se non est iniusta, aut peccatum: non tamen interrumpitur formaliter, quia ipse putat eam esse iniustam, & vult continuare. Sicut si acciperem a te rem meã, nesciens esse meã; acceptio illa esset iniusta formaliter, (id est, vt subest illi iniquæ voluntati) non tamen in se & materialiter; quia est actio in se iusta, quæ nullè potest appeti, & fieri.

23 Tertiò, Ratione somni vel alterius distractionis, per quam fit, vt homo non habeat tunc in sua potestate de illius rei detẽtione cogitare. vt enim illa detentio sit libera necesse est, vt in potestate hominis sit aduertere, se detinere: alioquin pro illo tempore non est libera, ac proinde nõ est peccatũ formaliter, sed materialiter tantum, vel effectus peccati. Itaque interrumpitur peccatum detentionis formaliter; quia ille homo formaliter tunc nõ peccat, cùm illa detentio ab illo liberè non pendeat, continuatur tamen effectiuè: quia effectus prioris peccati immediatè volitus continuatur: qui effectus, est peccatũ in sua causa, a qua dependet; nempè in voluntate, quæ præcessit. Hinc fit, vt peccatũ ratione huius detentionis non sit maius vel minus, siue ea diutiùs durer, siue breuiùs, nisi quatenus id est præuisum & præuolitum; & consequenter, solùm ratione voluntatis præcedentis.

24 Quo modo explicanda

Petes vtrũ interruptio huius peccati debeat explicari in confessione? Videtur sane id non esse necessarium; sed sufficere vt explicetur. Primò, Quamdiu rem retinuerit. Secundò, Quoties interim occasionem restituendi habuerit, & neglexerit. Tertiò, An interim dominus graue damnum vel afflictionem magnam senserit. Primum requiri, Vt intelligatur aliquo modo multitudo actuum interiorum, vel continuatio æquiualens multis actibus internis. Secũdum, Vt intelligatur multitudo actuum seu omissionum exteriorum. Tertium, Vt quanta in illis actibus externis fuerit malitia: non requiri vero vt explicet, quoties resiliit a proposito restituendi; tum quia is, qui decies mutauit propositum, non magis peccauit, quam qui permansit continuè in voluntate retinendi, si cetera sint paria: tũ quia omnes illæ volitiones non restituendi, referuntur ad continuationem vnius actus externi, ac proinde moraliter censeatur vnum peccatum.

in confessione.

Mihi probatur, vt etiam numerus talium volitionum explicetur: quia per se sunt distincti actus: puta, si potuit meminisse.

DVBITATIO V.

Vtrùm dum quis Vtitur re aliena, quam detinet inuito domino, peccet nouo peccato, quotiescunque id facit.

RESPONDEO, Quidam putant id esse nouum peccatum. Ita Nauarr. c. 17. nu. 54. & Caiet. q. 66. art. 3.

25 Vsus rei non est nouum peccatum.

Sed verius est non esse nouum, sed vnum idemque cõtinuatum, colligitur ex Gabr. & Soto supra cit. nu. 11. Ratio est, quia rem alienam accipere, retinere, vti, & destruere, censentur eiusdem rationis & speciei moralis: ergo quando hæc simul concurrunt, est vnum peccatum continuatum.

26

Hic tamen duo Aduertenda. Primò, Si domino perinde sit vtar ne re sua, an eam apud te detineas otiosam, nõ magis crescere culpam vsu, quàm nuda detentione: vt si sit gemma, annulus, torquis, vel quid simile, quod vsu non fit deterius: si sit pecunia, eamque alienes, modo ea alienatione non fias ad restituendum impotentior. quòd si dominus longè ferret ægrius vsum, quam otiosam detentionem, eo quòd res vsu atteratur, vel periculo exponatur, tunc peccatum magis vsu augesceret, quàm detentione: (semper tamen intra eamdem speciem) vt si sit vestis, vel equus, &c.

Secũdo, Notandum; Si res ita apud te facta sit deterior; vt verisimile sit dominum eam nõ amplius velle, sed pretium eius; non est peccatum, ea vti, aut etiam destruere; quia hoc non fit amplius inuito domino, cum eam nolit sibi restitui. peccatum tamen esset non restituere eius pretium, si commodè posses. quòd si etiam id tũc commodè non posses, neque hoc peccatum esset.

DVBITATIO VI.

Quale peccatum sit furtum.

RESPONDEO & dico Primò, Ex genere suo esse peccatum mortiferum. Ratio est; quia infert proximo nocumentum: atqui hoc est contra charitatem: ergo. *27*

Aduerte tamen, Furtum ex genere suo esse minimum peccatum, quod in proximum cõmittitur; quia bona fortunæ sunt infima. ratione tamen incommodorum, quę inde sequuntur, posset esse maius alijs.

Dico Secundò, Fieri tamen potest, vt ex indeliberatione, vel ex materiæ paruitate, sit tantum peccatum veniale. Est certa. Et quidem ratione paruitatis materiæ patet; quia in furto tali non est notabilis læsio. Ratione autem indeliberationis, quomodo possit esse peccatum veniale difficilius est: nam illud opus externum videtur vix fieri posse absque plena consideratione. Sed quidquid sit *28* de opere externo, saltem voluntas furandi potest carere plena & sufficienti aduertentia: vt patet, dum quis tentatur ad furtum; ac proinde in hac peccatum veniale erit. Puto tamen etiam fieri posse, vt hæc voluntas exeat in opus externum, auferendo rem alienam sine plena animaduersione. Quidam enim ex consuetudine ita sunt propensi & veluti determinati ad furandum, vt rem auferant priusquam perfectè aduertant quid agant. Idem fieri potest

Furtum indeliberatũ.

reſt ex vehementia tentationis, præſertim in feſtinatione vbi non conceditur deliberatio.

29 Dico Tertiò, Vt furtũ ſit peccatũ mortale, requiritur, vt materiæ quãtitas notabilis ſit. patet; quia non cuiuſuis rei ablatio pòt eſſe culpa mortifera. v.g. pomi vel oboli.

Sed difficultas eſt, quænã cenſenda ſit quantitas notabilis. Nau.c.17.nu.4. putat dimidiũ regale eſſe quantitatẽ notabilem, quæ conſtituat furtum mortiferũ. Tolet.lib.5. cap.16. vnum regalem, vel duos, etiam reſpectu ditiſſimi. Barth. Medina 1.2.q.88.ar.4. duos regales. Sot.l.5.q.3.art. *Quantitas notabilis.* 3.ad 3. vnũ vel duos aureos. Deniq; quidã centum aureos requirũt, vel amplius, ſepoſito omni incõmodo extrinſeco. Alij vero docẽt non poſſe in genere taxari, quæ quantitas ſit notabilis; ſed hanc ſtatuendã arbitrio prudentũ, pro varia perſonarũ & locorum conditione. Ita Io. Medi. C. de reſt.q.10.& Pet. Nau.lib.3.c.1.nu.35. Ratio eſt; quia quod reſpectu vnius cenſetur notabile, reſpectu alterius nõ cẽſetur tale; ſed modicũ & parui momẽti. iuxta quam ſententiã dici poteſt, Primò, reſpectu omniũ, etiam Regis & hominis prædiuitis, vnũ aureum videri quid notabile. vnde furtũ vnius aurei erit mortif. Ita Pe. Nau. & Sot. ſup.

30 Nec obſtat, quod hæc quantitas reſpectu Regis modica videatur: quia etſi modica ſit ad donationes pro regia magnificentia faciendas; non tamen eſt modica, ſpectatis omnibus Regis oneribus, ad quæ ſubleuanda hęc quantitas notabiliter iuuat: vt patet, cùm militi ſoluendum eſt, qui per mẽſem vnum, pro duobus aureis vitam exponit. Deinde cenſetur notabilis, cũ agitur de iniuria ſubeunda: non enim minus Rex ſe ſuaque omnia tuta eſſe vult ab iniuria, quam alius quilibet. Secundò, Reſpectu mediocriter diuitũ, quatuor regales, ſiue vnum florenum cenſeri quid notabile. iuxta Pet. Nau. quia ſufficit illis ad victum vnius diei, addit ille. minorem quantitatem non cenſeri notabilem. Tertiò, Reſpectu mechanicorum, duos regales; iuxta ſententiam Medinæ. inde enim cõmodẽ victitant, & hæc ſumma ferè æquat mercedem diurnam. Sotus tamen &
31 Petrus negant duos ſufficere. Quartò, Reſpectu pauperis. vnum regalem, vel etiam dimidium. Sententia illa de centum aureis, eſt nimis laxa, nec ſatis conſentanea Scripturæ, qua dicitur, *Fures regnum Dei non poſſidebunt.* pauciores enim ſunt, qui tantas ſummas furripiant.

Nihilominus; etſi hæc vltima ſentẽtia ſatis probabilis videatur; placet tamẽ ſententia Barth. Medinæ. & Toleti, qui duos regales abſolutè quantitatẽ notabilem ſtatuũt. quamuis etiã minor ſumma talis cenſeri poſſit, ſi notabilem læſionẽ ſecum trahat; vt ſi pauperi furrepta fuerit: vt Toletus notat. Quod confirmari poteſt ex Nauarro, qui dicit, In quibuſdã Epiſcopatibus ſolitam ferri excõmunicationem ob furtum duorum regalũ. Hoc tamen, modo poſt Conciliũ Trident. fieri nõ debet: imò per ſe res ſatis indigna videtur, niſi in caſu aliquo particulari, circũſtantiæ tale remediũ poſtulent. Vidẽ Conc. Trid. ſeſſ.25. c.3. de refor. vbi ſtatuitur vt huiuſmodi excommunicationes non feranatur, niſi ob rem non vulgarem, cauſa diligenter per Epiſcopum examinata. Vnde non facilè excuſauerim eos, qui pro tribus vel quatuor florenis excommunicant.

32 Dices, Si furtum duorum regalium, in diuitem commiſ ſum, eſt peccatũ mortiferũ, non infrà; ergo ſi quis auferat duos regales, minùs vno obolo, non peccabit mortiferè.

Reſp. Nõ poſſe hanc quantitatem mathematicè ſtatui, ſed moraliter; ſicut iuſta rerũ pretia, quæ non conſiſtunt in indiuiſibili termino. Itaque cenſebitur ẽt peccare mortiferè, qui ſaltẽ vno vel altero aſſe non abeſt ab hac quantitate. quæ enim parum diſtant, nihil diſtare videntur.

33 Dico Quartò, Quamuis ipſa res, quæ furripitur, non ſit notabilis pretij, tamen ſi auferatur ei, qui inde graue incommodũ accipiet, eſt peccatum mortiferum; quãuis nõ mortiferum in ſpecie furti. Prior pars, *eſſe peccatum mortale.* probatur; quia notabile damnũ proximo irrogatur; *Si notabile incommodũ ex re parua.* vt ſi futori furripias ſecas, vel ſartori acum; nec poſſint aliunde habere: ſic ſi auferas cuipiã rem parui momenti. quam tamẽ ille maximi facit, & propter quam valdè perturbabitur. vel diras imprecabitur, vt ait Sotus ſuprà.

34 Secunda pars, *Non eſſe peccatum mortiferum* in ſpecie furti, optimè probatur à Nau. ſup.c.17.nu.2. quia res, quæ furripitur, nõ eſt notabilis pretij; ergo non eſt materia furti mortiferi. Vnde ſequitur. ſi talis ferretur excõmunicatio. Quicunque rem notabilem furatus fuerit, ipſo facto ſit excommunicatus, hunc non fore excommunicatum.

Petes, Ad quam ſpeciem ergo pertinebit hoc peccatũ, qua eſt mortiferum?

Reſp. Si ſequatur damnum. v.g lucrum ceſſans, erit in ſpecie damnificationis iniuſtæ; (quæ proprio nomine caret) quia huius damni cauſam iniuſtè dedit: ſi autẽ ſciat fur, talem ſolere peierare, imprecari, blaſphemare, erit peccatum ſcandali, pertinens ad eam peccati ſpeciem, cuius ſciebat ſuo furto etſi exiguo, ſe fore cauſam.

Ex his ſequitur, cum, qui furripit minima, cum animo maiora furandi ſi poſſet, Peccare quidem mortifere; non illo actu, quo vult furari hoc minimum, ſed alio huic coniuncto: talis enim habet duos actus voluntatis. vnum abſolutum, quo vult hanc rem Paruam furari: & hæc voluntas exit in actum externum, eſtque ſolùm peccatum veniale: alterum conditionatum, ſcilicet vellem auferre maiora ſi poſſem. & hæc velleitas eſt peccatum mortiferum, ſed non exit in actum externum. vnde talis fur non inuolueretur ſententia excommunicationis latæ in eos, qui rem notabilem furati eſſent. 35 *Animus furandi maiora.*

DVBITATIO VII.

Vtrùm is, qui minutis furtis intendit furripere quantitatem notabilis pretij, peccet mortiferè.

RESPONDEO. Qui per furta minima intendit diteſcere, aut conquirere notabilem pecuniæ quantitatem, peccat mortifere illa intentione, & quouis externo furto minuto, ex eius vi procedente. Eſt communis DD. ſententia. Prior pars patet; quia intendit accipere rẽ alienam magni momenti inuito domino. 36

Dices, Intẽdit accipere à diuerſis, & nemini cupit facere notabilẽ iniuriam: ergo non eſt peccatum mortale. Ob hoc argumentũ Hieronymus ab Hangeſto c.6. moralium pag.130. admittit hoc nõ eſſet peccatũ mortale, nec tenetur ad reſtitutionẽ. Sed hanc ſententiam non facilè conceſſerim in praxi. Primò, quia alioquin nõ peccarent mortiferè, qui vtuntur ponderibus, vel menſuris iuſto minoribus: quod videtur eſſe contra illud Prouerb. 11. *Statera dolo ſa abominatio eſt apud Deum.* & Deuter.25. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius & minus, &c. abominatur enim Deus eum, qui facit hoc.* vbi ſatis inſinuatur eſſe peccatum mortale. Secundò, quia præbet occaſionẽ hominibus, vt ex alieno diteſcere ſtudeant. Tertiò, quia eſt cõtra cõem DD. ſententiam. Io. Medi. C. de reſt.q.10. in fi. putat *non eſſe peccatum mortale, ſi ille id in fraudem legis de non furando, non faceret; ſed quia fortè non habet aliãde vnde ipſe & familia ſua viuat.* quæ ſententia teneri poteſt, Primò, ſi illius hominis conditio ſit talis, vt alij teneantur ei ſuccurrere: vt docet Angelus v. Furtum, nu.37. Fumus eodem verbo nu.10.& alij. Secundò, quando conſtat alios, à quibus accipit, ſi noſſent hominis ſtatum, non fore inuitos circa rei ſubſtantiam, etſi circa modum inuiti ſint; dum diſplicet occulta furreptio, vel fraus. alias non eſt tuta. 37 *Surripientes minima.*

Vnde ad obiectionem Reſpondeo negando conſequẽtiam; nempe quòd ille non peccet mortifere, dum intendit à multis parum accipere. Ratio eſt; quia multis inferre paruum damnum, perinde eſt, ac ſi vni inferas magnũ. nam omnia illa parua ſimul iuncta, efficiunt vnum magnum, quod eſt illius communitatis. 38 *Reſpondetur.*

Nec refert, quod ſinguli vix ſentiant aliquid incommodi; quia etſi nemo in particulari ſentiat: tamen reſpectu cõmunitatis eſt notabile incommodum. quia tali ſumma poteſt Reſpublica aliquẽ notabiliter iuuare, vel aliquod debitũ diſſoluere. ſicut ſuprà dictum eſt de Rege; qui etſi in ſua perſona ex furto duorũ aureorum nihil ſentiat incommodi; tamen cenſetur ei quid notabile, ſpectatis omnibus eius oneribus, & obligationibus. Simili modo, qui ex immenſo tritici numero, ad Rempublicam pertinente, duos modios auferret, parum incommodi ſingulis inferret: tamen peccaret mortiferè, quia reſpectu Reipublicæ id cenſetur notabile. Adde hanc rationem furandi, remque ſuã augendi valde repugnare ſocietati humanæ, & in omni Republica bene inſtituta valdè exoſam; ac proinde tamquam rem valdè noxiam hominum ſocietati, cenſeri prohibitam ſub peccato mortifero: ſicut forni-

catio prohibita eſt ſub peccato mortali; quia per ſe noxia eſt educationi prolis.

39 Altera pars probatur; quia ſingula externa furta procedunt ex intẽtione mortifera, ſuntque eius executio: ideo enim furta parua committit, vt ſenſim ad magnã quantitatẽ perueniat: vnde ſingulæ acceptiones ſunt executiones partiales illius intentionis mortiferæ, & conſequẽter in illis eſt peccatũ mortiferum. quidquid enim fit ex intentione mortiferi peccati, eſt peccatum mortiferum.

40 Notandum tamen, in ſingulis non cõmitti nouum peccatum mortale, ſed cõtinuari iam cœptum: omnes enim illæ acceptiones & detentiones acceptorũ cenſentur vna cõtinua executio illius prauæ voluntatis. Sed cõmittitur nouũ peccatum veniale in ſingulis; & ſimul continuatur executio mortiferæ intentionis. Itaque quæque voluntaria acceptio eſt intrinſecè peccatũ veniale; denominatione autem extrinſeca eſt mortale. Vnde fieri poteſt, vt is, qui ſic furatur, non magis peccet, q̃ ſi vno actu eamdem quãtitatẽ furaretur, ſed potius minùs, ſi cetera ſunt paria.

Idẽ peccatũ veniale & mortale.

41 Petes, Vtrùm ille, qui ſic à plurimis corraſit, teneatur ad reſtitutionem, & cui?

Cui reſtituet.

Reſpon. Teneri ad reſtitutionem ijs, à quibus accepit, ſi tamen commodè poſſit. quòd ſi non poſſit, vel quòd ignorentur, vel quia executio eſt difficilior, quàm res tantilla poſtulet, vel quia eſt periculum infamiæ, iniungendum illi à confeſſario, vt det in pauperes, vel alia pia opera: hoc enim vi letur maximè conſentaneum iuſtæ voluntati dominorum, à quibus ſubtractum. Sed de hoc plura infra cap. 14. dubit. 6.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm is qui per furta minima non intendit acquirere rem notabilem, ſed ex occaſione ea committit, peccet mortiferè.

42 RESPONDEO & dico Primò, Antequam perueniat ad quantitatem notabilem, non peccat mortiferè; tamen ſimulatque ad eã pertingit, mortiferè peccat, niſi per inaduertentiam excuſetur. Prior pars eſt manifeſta. Secunda etiã eſt communis DD. & probatur; quia iam incipit voluntariè detinere alienum notabili quantitate.

Sed difficultas eſt, Vtrùm illud vltimum furtum completus quantitatem notabilem, ſit peccatum mortiferum. Multi affirmant. Exempli cauſa, accepit quis nouem furtis paruis, nouem aſſes: tandem ex occaſione accipit decimum: in acceptione decimi dicunt eſſe peccatum mortiferum. Sed contrarium videtur verius, vnde.

Dico Secundò Furtum illud decimum, per ſe non eſt niſi veniale; ſed detentio voluntaria rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoatur, eſt peccatum mortiferum. Prior pars eſt Nauarri c. 17. nu. 139. Altera patet ex ſupradictis.

43 Dices, Hoc decimo furto infert iam notabile damnũ; ergo peccat per illud mortiferè.

Furtum completens ſummam notabilem.

Reſp. Damnum illatum incipere tunc quidem eſſe notabilis pretij; tamen hoc non infertur per decimum furtum, ſed per hoc & præcedentia collectum ſumpta, quorum vnumquodque eſt ſolùm veniale.

Admitto tamen, tunc incurri peccatum mortiferum, ſi ille fur aduertat ſe iam habere quantitatem notabilem, & non proponat reſtituere; cùm tamen commodè poſſit. tunc enim ſaltem implicitè habet voluntatem retinendi alienum quantitate notabili: peccat ergo mortiferè, non quidem voluntate accipiendi hunc decimum aſſem, ſed voluntate illa, qua hunc decimum cum illis antè acceptis (qui ſimul iunẽti faciunt rem notabilem) vult retinere.

Si tamen non aduerteret ſe iã habere alienũ quantitate notabili, nõ peccaret mortiferè. Similiter ſi aduerteret quidem, ſed non haberet commoditatem reſtituẽdi, poneretque prima opportunitate reſtituere. Ratio eſt; quia talis neque accipit tunc alienũ quantitate notabili, neque etiam habet voluntatem culpabiliter tale quid retinendi (licitè enim poteſt adhuc nolle reſtituere priores nouem) & acceptio decimi non eſt peccatum mortiferũ, ſed ſolum veniale: ergo non peccat niſi venialiter.

Dices, Quid ſi poſt quantitatem notabilem per minima furta ſublatam, addat quis furta alia parua, eruntne mortifera?

Reſpondeo, Per ſe non fore mortifera, ſed mortifera 44
erit voluntas retinendi illa minuta cum alijs; & hoc peccatum voluntatis & externæ retentionis ſenſim creſcet, prout plus & plus detinebitur. vt ſi poſt 10. illos accipiat alios duos, & alia occaſione tres, & poſtea vnum, ſicque ſæpiùs, retinens interim omnia priora. Si tamen non ſit commoditas reſtituendi priora, illa voluntas retinendi mortifera non erit, modo concipiatur propoſitum reſtituendi prima opportunitate: ſed tunc quando illa noua furta rurſus ad quantitatem notabilem alcendent, committetur nouum peccatum mortiferum, iuxta modum ſupradictum.

Ex his patet, fieri poſſe, vt quis commiſerit tantum furta venialia, & tamen ſub peccato mortali teneatur reſtituere; quia velle retinere illam quantitatem ſic partam per furta venialia, eſt peccatum mortale. 45

Aduerte tamen, ad peccatum mortale maiorẽ quanti- 46
tatem requiri, quando quis eidem magnis temporum interuallis ſubtrahit paruis furtis, & non ex induſtria, ſed per occaſionem, quàm dum breui tempore, vel de induſtria, vel ſimul accepit, vt ibidem Nauarrus docet. Ratio eſt; quia homines minùs ægrè ferunt ſibi auferri longo interuallo & caſu, quædam minima, etiam ad notabilem quantitatem, quàm eamdem quantitatem ſimul vel per partes, de induſtria. Vnde ſi is mortiferè peccat & ad reſtitutionem tenetur, qui ab eodem aufert decem ſimul, vel per partes de induſtria; requirentur quindecim, vel ſexdecim, aut etiam viginti, vt quis ſub peccato mortali teneatur reſtituere acquiſitum per minuta furta fortuita; præſertim ſi longius interuallis ſint facta. Ratio tamen, qua id probat Nauarrus non videtur firma. ex illa enim ſequeretur, numquam peccari retentione ſic ablatorum, etiamſi eſſent decem ſcuta: Ita enim argumentatur Nauarrus, Minùs peccat qui retinet, quàm qui capit, ceteris paribus: at capiendo illa parua ſine animo perueniendi ad quantitatem notabilem non peccat plus quàm venialiter; ergo nec retinendo. Etſi enim minus quis peccet retinendo, quàm capiendo ceteris paribus, hic tamen non ſunt paria; nam retentio comparatur ad quantitatem notabilem, tamquam ad vnum obiectum; vnde poteſt eſſe mortifera: ſed acceptiones ſingulæ comparantur ad res non notabiles; vnde non poſſunt eſſe niſi veniales; hæc tamen ratio Nauarri ad hoc iuuat, vt oſtendatur requiri maiorem quantitatem ad peccandũ mortiferè ſola retentione, quam acceptione, quæ ſimul fit.

Maior quantitas requiritur vt ſit notabilis.

His adde, maiorem quoque quantitatem requiri, quando quis à diuerſis minuta furatur, quam quando ab vno; quia diuerſi illi parum læduntur, nec ita curant rerũ minutarum caſu ſurreptarum reſtitutionem. Denique, maior requiritur quantitas in furtis filiorum à parentibus, quàm famulorum à dominis; & in furtis famulorum, quàm externorum. 47

Vbi aduerte, furta eſculentorum, & poculentorũ, quæ 48
committuntur à famulis & ancillis. etiamſi ſenſim perueniant ad notabilem quantitatem, non eſſe peccata mortalia, ſi furentur ea, vt ipſimet conſumant, (ſecùs verò ſi vt vendant) ſintque ordinaria, quæ non ſolent accuratè cõcludi. de quo vide Nauarrum cap. decimoſeptimo, numero 138. Ratio eſt; quia dominis non omnino diſplicet, vt hæc capiantur: cuius ſignum eſt, quòd etſi ſciant illa paſſim fieri, tamen non impediunt; & ſi rogarentur, facilè concederent. Vnde potiùs diſplicet modus accipiendi 49
quam ipſa acceptio ſeu conſumptio. atqui non eſt peccatum mortiferum accipere aliquid occulte ab eo, cui non diſpliceret acceptio, ſi res ab eo peteretur; quamuis modus accipiendi diſpliceat; vt rectè docet Caietan. in Summa v. Furtum & Nau. cap. 17. nu. 138. & comment. 2. de Regular. numer. 20. quia dominus non eſt inuitus circa ſubſtantiam acceptionis, ſed ſolùm circa modum. quod valde notandum, ob furta filiorum, vxorum, famulorum, amicorum, & ſimilium, qui per verecundiam, vel timorem non audent petere.

Furta famulorum.

Si modus accipiendi diſplicet, non acceptio.

Si tamẽ furripias ad eũ vſum, ad quem ille nullo modo 50
noluiſſet cõcedere, vt, ad cõpotationes, ludos, &c. erit verum furtũ; quia non vult rẽ eſſe tuam ad talem vſum; & ita acceptio ſecundum ſubſtantiam cẽſebitur fieri inuito domino.

domino.id enim maximè ex vſu & fine,ad quem res accipitur,ſpectandum eſt. Vide infra cap.41.nu.80.

Monendi mihi ſunt hoc loco pro his & ſimilibus caſibus Confeſſarij, vt non facile in furtis etiam minutis, & quæ ad peccatum mortale non pertingunt, diſſimulent; ſed pro cõditione & capacitate perſonarum ſemper aliquam reſtitutionem iniungant, quæ fiat, vel reddendo rẽ eamdem ſi extat, vel eiuſdem ſpeciei, vel pretium rei, vel compenſando maiore obſequio, quàm ex contractu teneantur; vel ſi creditoribus non poſſunt, conferendo tãtumdem in pauperes. Hæc enim ratione, cùm non impunè tranſeunt, magis ab huiuſmodi peccatis abterrentur, quàm alijs pœnitentialis. alioquin fiunt ad huiuſmodi furtula faciliores, & ad maiora gradum faciunt.

DVBITATIO IX.

Quando plures vni per minuta furta graue damnũ inferunt, Vt cùm multi vineam prætereuntes, botrum Vnum vel duos carpunt; vtrum ſinguli peccent mortiferè, & tenean-tur ad reſtitutionem.

RESPONDEO & dico Primo, Si id fiat communi conſilio, peccant mortiferè, & tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, iuxta multorum ſententiam, de qua infrà.cap.13.dubit.2.

Si caſu fiat. Dico Secundò, Si caſu id fiat, ita vt alter alterius non ſit conſcius, nemo peccat mortiferè, neque tenetur ad reſtitutionem. Ita Nauar.cap.17.nu.130.& alij. Ratio eſt; quia nemo eſt cauſa notabilis damni.

Sed quid ſi aduertant notabile damnum inferendum?

51 Reſpondeo. Multi DD. affirmãt tunc ſingulos mortiferè peccare & ad reſtitutionem ſuæ partis teneri. Ita docet Couar.lib.1.variarum.c.3.nu.12. Medina C. de reſtitutione quæſt.10. Petrus Nauarra lib.3.c.1.nu.48. & alij. Ratio eſt, quia ſi aduertas magnum damnum à pluribus perminuta furta dari, & ipſe nihilominus fureris; ad illud cooperaris & auxilium præbes: atqui hoc eſt peccatum mortale. Vnde vlterius ſequitur, teneri te ad reſtitutionẽ tuæ partis ſub peccato mortali; quia retinendo, cooperaris cum alijs ad retentionem rei notabilis. debet ergo fieri reſtitutio, donec res retenta non fuerit amplius notabilis pretij. Sed contrarium videtur verius, vnde.

Si alteri non ſit cauſa furandi. Dico Tertiò, Ei, qui alteri nullo modo ſuo exemplo, vel hortatione eſt cauſa accipiendi, etiamſi ſciat alios accipere, nõ tamẽ peccat mortiferè. modicum accipiendo; neque tenetur ſub peccato mortali ad reſtitutionem: colligitur ex Soto in 4.d.22.quæſt.1.art.2. caſu 3. Probatur; quia iſte infert parum damni: ergo ex hac parte non peccat niſi venialiter, & nemini eſt cauſa vel occaſio furandi; vt ſuppono: ergo ex eo, quòd alij furentur, peccatum ipſius non aggrauatur. ſicuti is, qui nouit alios furari à Rege, & parum furatur, non peccat mortiferè, quãdo ſuo exemplo alijs non eſt cauſa.

Nec obſtat, q̃ talis cooperetur magno damno; quia ſolum in parua parte cooperatur, & præter ipſius intentionem eſt, quòd illa cum alijs iungatur & magnum damnũ cõſtituat. vnde non eſt verum, q̃ conſentiat in totũ damnũ: quia diſplicet illi quòd magnum damnum inferatur.

Dices Primo, Ille eſt cauſa cur damnũ, quod alioquin
53 non fuiſſet notabile, ſit factum notabile: (v.g. alij abſtulerunt 9. aſſes, quod damnum ſuppono nondum eſſe notabile. ſed fit tale ablato decimo, quem ille furatur) ergo peccat mortifere.

Cõplens damnum. Reſpon. Negando conſeq. quia non eſt verè cauſa dãni notabilis, ſed parui: quòd autem hoc furto poſito iam illatum ſit damnum notabile, id omnino per accidens eſt, & præter ipſius intentionem, neque vllo modo ſequitur ex conditione illius furti; ſed ex eo, quòd accidit alios antè abſtuliſſe nouem. itaque complere hoc modo damnũ & efficere. vt ex non notabili, fiat notabile, non eſt notabiliter lædere, vel notabili iniuria afficere; ſed totũ illud, quod eſt notabile accipere vel retinere; quod iſte non facit. Sicut qui complet lineam 10. pedum, addendo vnum pedem, nõ eſt cauſa longæ lineæ. & qui cõplet ſummam 100. florenorum, dando vnum florenũ, non dat ſummam 100. florenorum: ita qui auferendo vnum, complet damnum decem aſſium, non dat damnum notabile. Quòd etiam inde confirmatur; quia alioquin ſit ſcens alium abſtuliſſe nouem, auferas vnum, infinitè amplius peccabis auferendo vnũ. quàm ille auferẽdo nouẽ, quod per ſe abſurdũ. Vnde patet, illud argumentum, quod eſt fundamentum contrariæ ſententiæ, parum eſſe firmum.

Dices Secundò, Qui hoc modo damnum vineæ intulerunt, poſſunt ſub pœna excommunicationis compelli ad reſtitutionem: ergo peccarunt mortiferè, &c.

54 *Poſſunt compelli.* Reſp. negando conſequentiam; poteſt enim quis ex iuſta cauſa compelli ſub peccato mortali ad id, ad quod aliàs non tenebatur; vt v. g. venire ad ſupplicationem, ſoluere mulctam lege impoſitam. ad hoc enim ſatis eſt, vt ſit iuſta cauſa præcipiendi; etiam ſi hæc cauſa per ſe abſque præcepto Superioris non ſufficiat ad obligandũ. Itaque cùm hic ſit iuſta cauſa præcipiendi ſub pœna excommunicationis, vt ſinguli ſuam partem reſtituant; nẽpe vt ille graue damnum acceptum reſarciat, poteſt ſic præcipi. Hæc tamen cauſa non ſufficit, vt ſinguli iure naturæ abſque præcepto Superioris teneantur ſub peccato mortali; quia quiſque in particulari poteſt cogitare ſuã reſtitutionem parum profuturam ad damni compenſationem, eò quod alij non reſtituent.

55 Dices Tertio. Ergo fieri poteſt, vt quis magnum damnum accipiat, & tamen nemo teneatur ſub peccato mortali reſtituere.

Reſp. concedendo totum: neque enim hoc abſurdum videri debet, quando à multis datum eſt: cùm etiam locũ habeat, quando ab vno abſque culpa lethali irrogatum, vt ſuprà oſtenſum cap.7.dubit.6.

DVBITATIO X.

Vtrùm occultè Vindicare rem ſuam, Vel ſibi debitam, ſurripiendo eam alteri, ſit peccatum mortiferum.

RESPONDEO & dico Primo, Si res tua iuſto ti- 56 tulo, v.g. pignoris, locationis, commodati, &c. apud *Si iuſto titulo extet rei tuæ alterum.* alium extet, eamque occultè recuperes, peccas peccato furti, & teneris ad reſtitutionem. Eſt communis DD. Ratio eſt; quia iniquè ſpolias alterum ſuo iure, quod in illam rem habebat; quod ſi magni ſit momenti, neceſſario eſt reſtituendum; hoc tamẽ intellige, ſi probabile erat, te rem tuam iure alterius finito, commodè recuperaturum.

Dico Secũdò, Si iniuſto titulo apud alium fuerit, vel aliàs 57 tibi debita, non teneris ad reſtitutionẽ, etiamſi eã occulte receperis: peccas tamen, niſi certæ conditiones adſint. *Si iniuſto.*

Prior pars patet; quia nulla fit inæqualitas, neque alter iuſta ratione eſt inuitus. teneris tamen tunc monere, ſi commode potes, nihil tibi deberi, vel remittere debitũ, vt ille ſentiat ſe non amplius obligatum; tum ne permaneat in peccato, exiſtimando ſe detinere tuum vel tibi debitum; tum ne ſecundò tibi ſatisfiat, rectè Sotus lib.5. de iuſtit.quæſt.3.art.3. Caiet.quæſt.66.art.5. Nauar.cap. 17.num.113.& alij.

Altera pars, Quod peeces, probatur; quia fit iniuria publicæ poteſtati, quæ ad hoc conſtituta, vt ſingulis ius ſuum tribuat, vt rectè D.Tho.q.66.art.5.ad tertium.

Dixi, *Niſi certæ conditiones adſint*; his enim poſitis, li- 58 citum eſt rem ſuam occultè recuperare. & pro debitis, *Certæ conditiones neceſſariæ.* compenſatione vti.

Prima eſt, Vt moraliter certum ſit, rem tuã eſſe. vel tibi ex iuſtitia deberi. ſi enim id eſſet dubiũ, non poſſes eã accipere, nam in dubio melior eſt cõditio poſſidentis. Similiter, ſi nõ eſſet debita ex iuſtitia, ſed ſolũ ex gratitudine.

Secunda eſt, Vt non poſſis eam alia ratione redipiſci, vel certe non abſque notabili moleſtia, vel expenſis, vel 59 amiſſione beneuolentiæ & fauoris.

Tertia, Vt non accipias rem aliquam apud debitorem depoſitam, ſed tuam vel tui debitoris; nam compenſatio fieri debet ex bonis debitoris, quæ in eius ſunt dominio.

Quarta, Vt abſit periculum ſcandali vel infamiæ, ne tamquam fur puniaris, vel habearis. Hæ cõditiones ſi adſint, licitè potes vti compenſatione. Quidam addunt, *ne cõpenſatio fiat in depoſito:* Ita enim expreſsè docet Greg.IX. 60

Depositum. cap. Bona fides, de depoſito. Sed hoc videtur pertinere ad forum externum, in quo cogetur reddere depoſitũ, ob præſumptionem perfidiæ, vt tibi inſinuatur. quod video etiam placuiſſe Emanuelı Sâ.

61 *Excommunicatio.* Ex dictis ſequitur Primò. Si feratur excommunicatio in eos, qui furripuerunt; non comprehendi eum, qui in compenſationem accepit, etiã ſi alia via recuperare potuerit: (quod eſt contra Ioannem Med. quæſt. 11. niſi in hiſce tribus caſibus. Primo. Quando debitum erit dubiũ. Secundo, Quando notabiliter vltra æqualitatẽ progreſſus eſt; nam reſpecta illius exceſſus eſt verum furtũ. Tertiò, Quando rem alienam accepit, quæ non erat debitoris. Extra hos caſus non ligatur hac excommunicatione. Ratio eſt, quia etſi peccauerit ſic accipiendo, non tamen peccat retinendo; quia ſolum peccauit in modo accipiendi. vnde etiam non tenetur ad reſtitutionem. Neque Iudex intendit illum cogere, ſed iniuſtum detentorem. & quamuis intenderet, nihil tamen efficeret: quia ille non tenetur reſtituere: vnde excommunicatio eſſet efficax. quamuis enim peccauerit, forte etiam mortifere. tamen illud peccatum iam præterijt, vnde propter illud nõ poteſt excommunicari: vlterius autem detinendo, non peccat, vnde neque ob hanc cauſam.

Dices, Iudex per modum pœnæ poterit imponere
62 hanc reſtitutionem ob peccatum præteritum.

Reſpond. Negando poſſe; quia Iudex non poteſt aliquem punire pœna pecuniaria vel ſimili ob delictum, niſi priùs iuridicè audiatur reus & conuincatur.

Sequitur Secundò, Si is, qui iuſtè accepit, rogaretur à
Si rogetur à Iudice. Iudice, num ſciat quis acceperit, vel an ipſe non acceperit, poſſe negare ſe ſcire, etiam cum iuramento; mẽte intelligendo ſe neſcire quis ita acceperit, vt Iudex intendit, nempè iniuſtè. quod ſi non rectè accepiſſet; (eo quòd via iuris) facile poterit recuperare: quamuis nunc iuſtè retineat, tamen iudicè interrogatus tenebitur fateri; quia Iudex tunc habet ius interrogandi, ſicut de alijs criminibus. vnde non poteſt vti arrincio prædicto. vide Nauarr. cap. 17. nu. 114. & duobus ſequentibus. Contrariũ tamen non eſt improbabile; quia alia videtur mens Iudicis, nẽpe an acceperit iniuſtè, non quoad modum tantùm, ſed quoad ſubſtantiam acceptionis.

Sequitur Tertiò, Famulos non poſſe ſibi occultè com-
63 *Famuli.* pẽſare ex bonis dominorum, dum quæruntur ſtipendia ſua eſſe nullo minora; niſi reuera iudicio prudẽtis ita ſit; nec ſolum lege gratitudinis, ſed etiam iuſtitiæ plus debeatur; quod poteſt fieri dupliciter. Primò, Si paruo quidem ſit conuentum, ea tamen mente, vt dominus, ſeruitio diligenter præſtito eſſet ſuppleturus, & hanc mentẽ famuli dominus ſatis aduerterit; tunc enim ex iuſtitia dominus tenetur ſupplere: quia hoc tacitè in pacto continetur. Secundò, Si preſſus neceſſitate, exiguo conuenit; quia dominus amplius dare noluit. tunc enim quòd operam ſuam multò pluris valentem tam paruo locet, non ſponte facit; ſed neceſſitate cõpulſus: (ſicut ſi quis neceſſitate preſſus, paruo vendat rem aliquam magni pretij) tenetur ergo dominus ſupplere ſtipendium ad æquiualentiam. hoc tamen intellige, ſi tali ſeruitio egebat, vel ſi magnum ex eo capiat emolumentum. quòd ſi non egebat, ſed ſolùm ad preces alterius, nullo magno ſuo commodo admiſit, meritò poteſt minus offerre ac dare, *merces enim vltrouæ*, vt dici ſolet, *valeſiunt*: vide Nauarr. cap. 17. nu. 109. & ſequentibus.

DVBITATIO XI.

Vtrùm aliquando liceat vim adferre debitori, ſi aliter nequeas rem tuam obtinere.

64 RESPONDEO, Dominicus Sotus putat id licere, quando Reſpublica ita eſt perturbata, vt nemo ius ſuum obtinere valeat, modò tamen ſine armis, & moderatè fiat. Sed vtendũ diſtinctione. Si res tua extet apud
65 *Vim adferre. quando liceat.* alterum in ſua ſpecie, (v. g. equus, veſtis, torquis, &c.) & non poſſis eam aliter recuperare ob Reipublicæ perturbationẽ, non eſt improbabile, poſſe te dominum ingredi & eã auferre: & ſi ille velit impedire, poſſe te etiã armis mori. habes enim ius recuperandi rem tuam. Neque hic videtur propriè aggreſſio, ſed defenſio; vt ſuprà dictum eſt, ex D. Antonino & Siluestro. Si tamen res non extet, ſed ille tantùm ſit debitor tuus, non potes hoc modo illã vindicare; quia tu non es dominus rei illius, ſed ipſe: vnde habet ius tibi reſiſtendi, ſi eam vi auferre nitaris, & tu ceſeris aggreſſor, non ille; quia ipſe non detinet rem tuã, ſed tu inuadis rem ipſius.

DVBITATIO XII.

Vtrùm in extrema vel etiam in graui neceſſitate, licitum ſit aliena furripere.

D. THOM. QVÆST. 66. ART. 7.

NOTANDVM eſt, Eum, qui in neceſſitate verſatur, non poſſe alienum vſurpare, niſi ante petierit
66 *Primò debet petere.* iuuari, explicata ſua miſeria; vel niſi certò ſibi perſuadeat, ſe nihil obtenturũ. ſi enim probabilis ſpes ſit, poſſe te conuenienti modo petendo (non enim tenetur vir honeſtæ conditionis oſtiatim mendicare) conſequi vt ſit tuum, non videris redactus ad eam neceſſitatem, vt cogaris furripere alienum. Hoc enim tunc demũ iure gentiũ conceditur, quando alia via occurrendi neceſſitati non ſuppetit. Quare ſi aliter facis, contra debitum ordinem facis: nemo enim poteſt viuere ex alieno, quando poteſt ex proprio; efficiendo vt res aliena fiat ſua per donationem vel aliter. Non tamen videtur eſſe peccatum mortale, ſi hic ordo non ſeruetur; modo ſcandalum abſit. quia ſiue dominus concedat, ſiue non concedat, potes accipere, eſt enim dumtaxat inordinatio in modo.

Nunc, Dico Primo, Quemuis in extrema neceſſitate
67 *In extrema licitum furripere.* conſtitutum poſſe accipere rẽ alienam, qua extremè indiget ad vitæ ſuæ conſeruationem. Eſt communis ſententia DD. Probatur; quia in extrema neceſſitate *omnia ſunt communia*, vt habet receptum axioma. non quòd per illam ſtatim transferatur dominium; (vt rectè probat Nauarrus cap. 17. num. 61.) ſed quia, quoad ius vtendi, communia ſunt, ita vt licitè quiuis illis angustijs preſſus, poſſit occupare, ſibique vindicare rem quamlibet, adeò ſibi neceſſariam, & ex eius vſu ſibi & proximo opitulari. Cuius ratio eſt; quia finis rerum inferiorum eſt, vt hominibus in neceſſitate ſint ſubſidio, & vt homines per illas poſſint vitam ſuam conſeruare & tueri: ac proinde omnibus natura hoc ius competit. Neque diuiſio iure gentiũ introducta potuit hoc ius adimere: quia Ius gentium, ſupponit, non euertit Ius naturale; præſertim quod tam opere neceſſarium ad vitæ conſeruationem. cenſeri itaque debet diuiſio eſſe facta, reſeruato cuique Iure naturali, quatenus erat neceſſarium ad vitam tuendã: alioquin non eſſet rationabili modo facta. 68

Hinc ſequitur Primò, Si quis in tali neceſſitate conſti-
69 *Non poteſt impediri.* tutus, vellet aliquid ſibi neceſſarium occupare, non poſſe à domino illius rei prohiberi: quia Iure ſuo vtitur. quare poterit ſe tueri, tamquam qui iniuſtè ab altero inuadatur: & ſi neceſſe ſit, ſeruato iuſtæ defenſionis moderamine, impedientem occidere.

Sequitur Secundò, Talem acceptionem non eſſe furtũ aut rapinam; quia non fit domino iure inuito; tenetur enim conſentire, cum tu iure tuo vtaris.

Aduerte tamẽ, Si dominus ſit in pari neceſſitate, te nõ
70 *Si domini ſit par neceſſitas.* poſſe ab illo accipere, vt omnes fatentur; quia in pari caſu, melior eſt conditio poſſidentis. Vtrum autem tenearis reſtituere, dicetur infra cap. 16. dubit. 1.

Sed difficultas eſt, Vtrum idem ſit licitum in graui neceſſitate. Multi DD. negant, putantes id iuris ſolo extremæ neceſſitati reſeruatum. Ita Caiet. q. 66. art. 7. Sotus l. 5. q. 3. art. 4. Couar. ad reg. Peccatum p. 2. §. 1. nu. 3. & multi alij. Alijs placet contrarium.

Dico Secundò, Probabile eſt, nõ ſolùm in extrema, ſed
71 *In graui neceſſitate.* etiã in graui neceſſitate morbi, famis, nuditatis, poſſe te clanculum furripere ab opulẽtis, ſi aliter graue illud malum auertere nequeas. Angelus v. Furtum. §. 37. Silu. eodẽ q. 5. Nauar. c. 17. nu. 5. Ioan. Medina C. de eleemoſyna. qu. 7. Couarruuias ſuprà, ſentit eſſe probabile. Petrus Nauar. l. 3. c. 1. num 375. Per grauem intelligo, non quouis modo grauem, ſed valde grauem, etſi non extremam.

Probatur Primò, quia ſicuti à natura omnibus cõceſſa
eſt

eſt poteſtas ſuccurrendi extremæ neceſſitati ex rebus humanis, ita & valdè graui. cur enim hæc poteſtas reſtricta ſit ad extremam? Secundò, Ex graui neceſſitate facilis eſt lapſus in extremam: ergo quod in extrema cõceſſum eſt, extẽdendum eſt etiam quodammodo ad grauem. Tertiò, Sicut diuiſio rerum non debuit, nec iure potuit efficere, quin extrema in neceſſitate haberes Ius furripiõdi ab ijs, qui non ſunt in ſimili neceſſitate, nempe ſuperflua naturæ, quamuis eſſent aliquo modo neceſſaria ſtatui; ita neque potuit efficere, quin dum grauis neceſſitas premit, quando aliud remedium non ſuppetit, liceat furripere ſuperflua, vel parum neceſſaria alterius ſtatui. Itaque in diuiſione & attributione rerum, qua factum eſt, vt nemini ius ſit in rem alterius, ſemper debuit hæc conditio tacita intelligi, *niſi extrema vel certè valdè grauis neceſſitas poſtulet*. alioquin contra rationem & æquitatem facta eſſet. Secùs de neceſſitatibus communibus, & non admodum grauibus, quæ creberrimæ ſunt; & non ſic vrgent, vt diuiſio & attributio Iure gentium facta debeat violari. alioquin omnia furtis plena eſſent, nec poſſet pax inter homines conſeruari.

71 *Non eſt furtum.* Hinc patet, Talem ſurreptionem non eſſe furtum; quia dominus tenetur conſentire: nec poteſt cum ratione eſſe inuitus circa ſubſtantiam acceptionis; quamuis modus diſplicere poſſit, ſi accipias prius quàm petieris, tuamque inopiam aperueris. Si tamen ipſe ſit in pari neceſſitate, 73 *Si ſtatus laederetur.* vel ſtatus ipſius notabiliter læderetur; poſſet recuſare, ſicque eſſet furtum; quia in hac neceſſitate non licet furripere ab alio, cum notabili detrimento ſtatus illius: ſicut in extrema non licet accipere cum graui detrimento naturæ illius.

74 Dices Primò. Cap. Si quis 3. de furtis, dicitur; *Si quis ob neceſſitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, aut pecus, pœniteat hebdomadas tres, & ſi reddiderit, non cogatur ieiunare*. Hic imponitur pœnitentia ei, qui ob grauem neceſſitatem furatus fuerit. Ita Couarruuias.

Reſp. Primò, Ibi fortè agi de neceſſitate nõ ita graui, vt docet Gloſſa ibidem & D. Thomas q. 66. ar. 7. ad primum *Decretalis*, inquit, *illa, loquitur in caſu, qua non erat vrgens neceſſitas*. vbi tamen Aduerte, illud cap. non eſſe ex decretalibus Pontificum, ſed ex Pœnitentiali Theodori.

Reſpon. Secundò, Fortaſſe agi de ijs, qui in debito modo ſuæ neceſſitati conſuluerunt, furripiendo clanculum, cum facilè potuiſſent obtinere ſi ſuam neceſſitatem aperuiſſent.

75 Dices Secundò, Si in graui neceſſitate poſſes furripere: poſſes etiam ad dandum cogere, vel in Iudicio vel extra: ſed non poteſ cogere: ergo nec furripere. Minor probatur; quia nemo poteſt cogi ad id, ad quod non tenetur ex iuſtitia, ille autem non tenetur ex iuſtitia tibi dare: ergo. Ita Sotus.

Reſpondeo, Si hoc argumentum valeret, concluderet, ne in extrema quidem neceſſitate te poſſe furripere, quia diues non tenetur ex iuſtitia dare, ſolum ex charitate, vt Sotus fatetur. Itaque neganda eſt minor. poteſt enim diues cogi per legitimam poteſtatem ad ſuccurrendũ pauperi, & ſi te volentem occupare rem tibi ſic neceſſariam conetur impedire, potes te tueri, ſi ſcandalum abſit. *Poteſt cogi quis ad eleemoſynam.*

Ad probationem Reſpondeo, negando aſſumptum. ad multa enim cogi poſſumus, ad quæ ex Iuſtitia non obligamur, vt ad non ſe inebriandum, ad non fornicandum, non blaſphemandum, imò ad dandam eleemoſynam. vt enim quis cogi poſſit, ſatis eſt eum obligari alicuius virtutis præcepto; & neceſſarium eſſe vel valdè expediens ad bonum publicum, vt huiuſmodi opera fiant.

DVBITATIO XIII.

Quando filius peccet mortiferè accipiendo, vel expendendo bona paterna, & quando non.

76 *Ex bonis paternis accipiens.* RESPONDEO, Peccat mortiferè Primò, ſi notabilem ſummam accipiat occultè ex bonis parentũ, (nempe quorum dominium vel vſusfructus eſt parentũ) ipſius meritò inuitis; & tenetur ad reſtitutionem. eſt communis ſententia Doctorum, quia eſt verum furtũ in materia notabili: vnde Prouerb. 28. dicitur; *Qui ſubtrahit aliquid à patre ſuo, & à matre; & dicit, hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt*. vbi ſatis indicatur eſſe mortiferum.

Sed aduertendum eſt, Non idem cenſeri *notabile* in furtis filiorum vel vxoris, quod cenſetur tale in furtis externorum, vt rectè inter alios notauit Petrus Nauarra lib. 3. par. 2. cap. 1. ſed maiorem quantitatem requiri, neque hęc quantitas eſt eadem reſpectu omnium, ſed varia pro conditione ſtatus, ætatis, perſonarum, locorum & aliarum circumſtantiarum, prout prudens iudicabit: vnde ſi filius ſubtraxit duos vel tres aureos parenti prædiuiti non ſtatim putandum eſt mortale, præſertim cum parens talis, ſæpè non ſit multum inuitus: ſecus ſi parenti mechanico, vel cui res angulta. *Quid hic notabile.*

77 *Expidere contra voluntatem parentum.* Secundò, Si expendat in res turpes aut vanas (vt in ludum, in compotationes, in feminas) notabilem ſummam contra voluntatem parentum, ex ijs pecunijs, quas parẽs ei ad honeſtos vſus dedit. v. g. ad emendos libros, veſtes; ad ſoluendũ didactra magiſtris: vt rectè Nau. c. 17. n. 164. Ratio eſt; quia parens non conceſſit ei pecunias illas ad tales vſus, ſed ad alios. neq; intendit illas ſimpliciter donare. & dominiũ earũ in filiũ abſolutè transferre, iunctò ſolum mandato vt honeſtè, vel in hos vſus impendat: ſic enim ad reſtitutionem non videretur teneri, ſed ſolum contra paternam obedientiam feciſſe. Sed intendit donare cũ reſtrictione ad vſus determinatos; v. g. ad emendos libros; ita vt filius non accipiat earum dominium niſi ad tales vſus. Poteſt enim parens ſuam donationem limitare pro ſuo arbitrio, ita vt non plus iuris conferat, quàm ipſe conferre intendit. quare ſi filius aliter expenderit, tenebitur ad reſtitutionem, cũ ad alium vſum ius nõ habuerit. Hoc tamen intellige, ſi pareus inde damnum acceperit, ita vt ei idcircò plus cauſa filij expendendum fuerit: ſecus ſi in ſolius filij incommodum ceſſerit. quòd ſi non poſſit reſtituere, tenetur adducere in diuiſionẽ; niſi fortè conſtet alios tantundẽ expendiſſe, vel niſi parens condonauerit, vel putetur facile condonaturus. ſi filius auderet rogare: qua ratione multi excuſantur ab hac reſtitutione. 78 Et quamuis donatio patris facta filio non valeat, niſi in certis caſibus, vt infrà cap. 18. dub. 12. dicetur; tamẽ morte confirmatur, niſi recedat eã ſummam, de qua parens poteſt diſponere. Vide Nauar. cap. 17. nu. 158.

Non peccat accipiendo, vel certè non mortiferè. Primò, Si quantitas pro conditione ſtatus & perſonarũ non cenſeatur iudicio prudentum notabilis. 79 *Peccat ſæpe mortifere filius accipiendo ſine rationabili cauſa.*

Secundò, Si putet parentem rogatum facilè conceſſurum; tunc enim non videtur inuitus circa ſubſtantiam acceptionis, ſed tantum circa modum, vt dictum eſt dubit. 8. num. 49.

Tertiò, Si dum verſatur in ſtudijs, vel extra domum paternam, expendat more aliorum ſuæ conditionis, in elecmoſynas, ludum, & honeſtas recreationes: præſumitur enim parens id permittere, niſi conſtet de contraria voluntate, Nauarrus nu. 157.

Quartò, Si in extrema vel etiam graui neceſſitate proximi furripiat ad eleemoſynam: tunc enim parens non poteſt eſſe cum ratione inuitus, quia ipſemet tenetur dare.

Quintò, Si accipiat ex bonis ſuis caſtrenſibus vel quaſi caſtrenſibus, nempe ex partis occaſione militiæ, vel officij publici, vel beneficij, &c. quia hæc non pertinent ad patrem, nec pater vllum ius in his habet, ſed ipſe filius eſt in his veluti paterfamilias, vt oſtenſum eſt cap. 4. dubit. 3.

Sextò, Si parens ſibi vendicet bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia filij, vltra id, quod expendit in eius alimenta, filius poteſt tantumdem repetere. quòd ſi non audeat, poteſt occultè vti compenſatione, vel repetere a cohæredibus. Quod valdè notandum confeſſarijs, ne facilè cogant filium ad reſtitutionem, cuius fructus beneficij percipiuntur a parente.

Septimò, Si parens ſit hæreticus, bona aduentitia filij, in quibus ille habebat vſumfructum, redeunt ad filium, & vſusfructus conſolidatur cum proprietate, vt patet ex dictis c. 3. dubit. 5. vnde filius poteſt ea ſibi vindicare. quòd ſi non audeat vel non poſſit, poteſt occulta compenſatione, ex alijs bonis paternis ſibi conſulere.

Octauò, Si filius gerit negotia patris, poteſt, deductis 80 expenſis, quas pater facit in illo alendo, pro ſuo labore & induſtria

Si gerit negotia paterna.

induſtria tantumdem accipere, quantum daretur extraneo; niſi intendat facere gratis. Ita Nau. cap.17. nu.144. Angelus v. Peculium, nu.11. & alij.

81 Hic tamen ſunt tria neceſſaria, Primò, vt filius proteſtetur ſe velle lucrari: qui enim negotium alterius gerens petit mercedem, debet id explicare, ſi poteſt: maximè quando alter eſt præſens: nam hic fortè nollet, rebuſque ſuis aliter conſulet. quòd ſi ob reuerentiam paternam nō audeat, non eſt neceſſarium; quia parens non poteſt tunc id iure ægrè ferre. Secundò, vt conſter parentem non facturum per ſe, neque inuenturum alium, qui gratis vel minoris faciat. Tertiò, vt vſumfructum iſtius lucri non ſibi vendicet ante mortem patris, vel ſuam emancipationem, quia pertinet ad patrem. cenſetur enim hoc lucrum in bonis aduentitijs, vt dictum eſt cap.4. dub.3.

Dices, Filius iure naturali tenetur ſeruire parenti ſine ſtipendio: ergo.

Reſp. Negando antecedēs; niſi pater egeat, vel niſi alij filij etiam lucrentur patri. nulla enim æquitas dictat, vt ipſe teneatur ſine ſtipendio laborare, alijs otiantibus.

DVBITATIO XIIII.

Quando vxor peccet mortiferè, capiendo & donando ex bonis mariti, vel quorum ille habet adminiſtrationem, & quando non.

Quando peccet.

82 RESPONDEO, Mortiferè peccat, ſi ſummam notabilem ex bonis mariti, vel quorum adminiſtratio ipſius eſt, ipſo cum ratione inuito, accipiat. Ratio eſt; quia accipit illud, cuius dominium vel certe adminiſtratio & vſusfructus eſt alterius. Itaque tenetur ad reſtitutionem, etiā ſi ex dote, vel ex bonis communibus accepiſſet: quia etiam ſi tota dos & dimidia pars communium bonorum ad ipſam pertineat, quod ad proprietatem attinet; tamen

Si maritus non adminiſtret vtiliter.

83 adminiſtratio & dimidia pars emolumentorū, ſunt mariti, quibus iniquè illum priuat. Secùs de pupillo, qui clam ſurripit à tutore: quia tutor non adminiſtrat bona pupilli in ſuū commodum, ſicut maritus bona vxoris. ſi tamen putaretur maritus non vtiliter adminiſtraturus, non tenetur tunc quidem: ſed ſoluto matrimonio, debet adducere in partitionem cum hęredibus mariti, quantum ſubtraxit, dimidium eius ſibi detrahendo. Idem faciendum in alijs caſibus, quando non habet vnde reſtituat.

Hinc patet, non eſſe verum, quod ait Paludanus in 4. diſt.15. quæſt.3. artic.6. vxorem ex faculeatibus communibus poſſe facere eleemoſynas, quantum rediret ad eam vel ad liberos, eius nomine, ſoluto matrimonio. ſic enim totam ſuam partem poſſet dare, & priuare maritum eius adminiſtratione: vide Nauarrum cap.17. num.155.§. Ad tertium.

Quando excuſatur.

84 Non peccat mortiferè, Primò, Si quantitas iudicio prudentis, ſpectato ſtatu, opibus, & ceteris, non ſit notabilis.

Secundò, Si maritus rogatus concederet.

Tertiò, Si det in extrema vel graui neceſſitate proximi; in extrema quiſque tenetur ex eo, quod ſupereſt naturæ: in graui, ex eo, quod ſtatui.

Quartò, Si det ex luis, quorum habet liberam adminiſtrationem, vt ex parapherais, vel ex lucris ſuæ induſtriæ, (præſertim ſi attulit dotem ſufficientem ad ſe alendum) vt docent Nauarrus, Silueſtr. & alij: quod intellige iure communi Cæſareo; nam quibuſdam locis hæc lucra cenſentur communia.

Poteſt fieri priuilegio conſuetudinis donationib.

85 Quintò, Poteſt facere donationes & eleemoſynas ſecundum conſuetudinē aliarum ſuæ conditionis mulierū. quòd ſi maritus vetet, videtur vetare exceſſum. Ita paſſim DD. Paludanus ſuprà. Silueſt. v. Eleemoſyna, quæſt.5. Angelus ibidem nu.7. & alij. Si tamen conſter illum omnino vetare; Nauarrus & alij quidam, dicunt illam non poſſe quidquam dare. Sed contrarium eſt verius, quod etiam tenet Molina diſputat.274. & Petrus Nauar. lib.3. cap.1. nu.83. & colligitur ex ratione, quam Silu. Angelus Paludanus & alij DD. adferunt; quia *conſuetudo tribuit ius, non ſecus ac priuilegium vel lex*; quo iure maritus illam priuare nequit: præſertim cùm Ius poſitiuum magnam vim habeat circa bonorum adminiſtrationem, vt eam vel reſtringat marito, vel laxet.

Confirmatur Primò; quia vir tenetur vxori præſtare decentem ſuſtentationem, ſpectata eius conditione, ſuiſque opibus: atqui in hac ſuſtentatione continetur non ſolùm victus, veſtitus, ornamenta, & famulatus, ſed etiam alia, quæ fœminæ ſimilis conditionis, illis locis habere & facere conſueuerunt, ad recreationes, eleemoſynas & largitiones. ergo tenetur ei hoc concedere. Secundò, quia vxor non eſt mancipium viri, ſed ſocia, habens etiam auctoritatem adminiſtrationis, etſi ſub viro, ne quid inordinatè aut profuſè faciat: ergo nō poteſt ei maritus omnes donationes prohibere.

Sextò, Poteſt dare ad impediendum damnum mariti, ſiue temporale, ſicut fecit Abigail 1. Reg.25 (hoc enim damnum redundat in vxorem) ſiue ſpirituale; largiendo eleemoſynas, ne Deus illum ob flagitia puniat, vel vt cōuertat, vt docent Angelus, Silueſt. ſuprà, Nauarr. nu.154. & alij. hic enim vtilissime geritur negotium mariti, nec ipſe poteſt cum ratione eſſe inuitus.

Septimò, Si pro rebus familiæ vel ſibi neceſſarijs accipiat, vt pro veſtitus, pro victu, pro medicamentis: quia maritus non poteſt iuſtè recuſare.

Octauò, Si maritus eſt amens vel fatuus: tunc enim adminiſtratio ad aliam deuoluitur, niſi aliter à Magiſtratu ſit prouiſum.

86 Nonò, ſi maritus eſt abſens; nam tunc etiam pertinet ad eam adminiſtratio, niſi aliud à marito ſit præſcriptū. Nauarrus tamen putat eam in his duobus caſibus nō poſſe amplius dare, quàm maritus præſens, vel cōpos mentis ſolitus erat. Sed verius eſt, eam poſſe dare, prout ratio dictabit: quia poteſt ſecundùm ſuam prudentiam adminiſtrare. vnde alij DD. non addunt eam limitationem, vt Palud. Silueſt. Angelus.

Si maritus diſſipator.

87 Decimo, Si maritus eſt diſſipator, rem communem in compotationes, largas donationes, vel mulieres profundēs tunc.n. facit vxori iniuriam partem ipſius ſine ipſius conſenſu profundens nam dimidia pars bonorum in matrimonio acquiſitorum eſt vxoris, & dos tota. vnde ſoluto matrimonio, tenetur maritus vel eius hæredes ad reſtitutionem vxori vel eius hæredibus. quare ſi vxor difficultates metuit, poteſt occultè vti compenſatione, accipiendo ex bonis mariti vt filis vel liberis conſulat, quantum opus eſt, vt ſua pars ſalua ſit. vt rectè docet Petrus Nauarra leg.3. cap.1 num.114 contra Nauarrum cap.17. nu.155. qui putat maritum non teneri ad reſtitutionem, ſi malè impendat ex lucris communibus. Ratio ipſius eſt; quia non cenſentur lucra, niſi quæ tempore diuortij inueniuntur. Sed hæc ratio non eſt vera. Primò, Nam vxor reuera acquirit dominium & poſſeſſionem illorum lucrorum, ſimulatque percipiuntur. ſicut in omni ſocietate, ſinguli ſocij acquirunt dominium & poſſeſſionem totius lucri ab initio, quo illud cedit ſocietati, etſi partialiter. Neque maritus quidquam habet amplius, quàm Ius adminiſtrandi in ſuum & vxoris commodum. Debet autem hæc adminiſtratio fieri ſecundùm dictamen rationis; ſicut & omnium bonorum communium: alioquin non eſt adminiſtratio, ſed diſſipatio, quæ non debet obeſſe ſociæ, ſed ſoli auctori. Secundò. Quia alioquin maritus ſi faceret notabiles donationes abſque conſenſu vxoris, non teneretur computare in ſuam partem; (quod tamen Nauarrus negat affirmans eum teneri) nam daret de ijs, quę nondum cefſerant in rationem lucrorum communium.

Lucra ſtatim fiunt communia.

Si ludo perdidit.

88 Aduerte tamen, Si maritus ludo perdidit, damnū cenſeri commune; quia ludus eſt contractus fortuitus, quo potuit perdere & lucrari. vnde communia hic eſſe debēt & lucra & diſpendia; ſicut & in alijs contractibus. Nec ſi forte ordinarie amitteret, & vxor nollet conſentire; non enim tenetur, cùm videatur eſſe diſſipatio, rem ſuam ita periculo exponere.

Vndecimò, Si pater vel mater vxoris ſint pauperes, ita vt miſerè ſecundùm ſtatum ſuū viuant: tunc enim ſi maritus nolit illis ſuccurrere, poteſt vxor ex bonis communibus vel ex ſua dote ſubtrahere, vt illis det. Ita dicendū, ſi habeat proles ex alio matrimonio, quæ ſimiliter egeant. Ita Petrus Nauarra nume.159. & Cordub.qu.125. Ratio eſt; quia iure naturæ tenetur iſtis ſuccurrere, ſi poteſt; & iſti Ius habent alimenta ab ea petendi. vnde maritus non pōt iure id iniquè ferre. Tenetur tamen vxor hęc omnia,

quæ

quæ ſic dederit, referre in ſuam partem, cùm ad partitionem cum hæredibus viri ventum erit.

Probabile tamen eſt, quod docet Molina diſput.274. Si matrimonium fuit celebratum contractu medietatis bonorum, poſſe huiuſmodi neceſſitati ſuccurri ex bonis cõmunibus: ita vt vxor non teneatur id in ſuam partem referre. Similiter ſi matrimonium ſit celebratum contractu arrharum & dotis; (vt ſolet iure communi) & extent aliqua lucra communia; poſſe de his lucris ſumi, vt onus in vtrumque recumbat. Idem dicendum de marito, ſi in ſuos donationes fecerit.

Duodecimò, Si frater vel ſoror vxoris, ſimili paupertate
89 conflictentur, probabile eſt; vxorem poſſe illis, ſimili ratione ſuccurrere. Ita Petrus Nauarra numero 161. Probatur; quia maritus iure communi tenetur fratribus ſuis ſubuenire. (vt docent communiter DD. cum Gloſſa in Leg. Qui filium. 4. ff. Vbi pupillus educari debeat) cur vxor id non poſſit? Confirmatur ex lege Mutus. 73. §. 1. ff. De iure dotium, *Manente matrimonio, non perditura vxoris ob has cauſas dos reddi poteſt: vt ſe ſuoſque alat, vt fundum idoneum emat, vt in exilium vel in Inſulam relegato parenti præſtet alimenta, aut vt egentem virum, fratrem, ſororemve ſuſtineat.*

DVBITATIO XV.

Vtrùm ſi res furtiua pereat, fur teneatur ad reſtitutionem.

90 *Etſi caſu pereat tenetur.* RESPONDEO & dico Primò. Si res furto vel aliter iniquè parta, caſu pereat, nihilominùs is, qui ſuſtulit, tenetur ad pretij reſtitutionem, ſi non putetur ſimiliter peritura fuiſſe apud dominum. Eſt communis DD. D. Thomæ quæſt 62. art. 6. Couar. ad regulam Peccatum, p. 2. §. 6. nu. 1. & aliorum. Probatur Primò, quia qui eam iniuſtè accepit, non ſolum obligatur ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis: ergo ſiue res exter. ſiue non, tenetur ſarcire damnum. conſequentia patet; quia iniuſta acceptione eſt cauſa interitus; nam credibile eſt, ſi non accepiſſet, non perituram; ergo, &c. Secundò, qui iniuſtè detinet, ſemper eſt in mora: ei autem qui eſt in mora, caſus fortuitus imputatur, vt patet ex cap. Decimæ. 16. quæſt. 1. Si tamen purgaſſet moram, rem offerens do-
91 mino, & is noluiſſet tunc accipere, ſed ei cuſtodiendam commiſiſſet, non teneretur ex caſu fortuito: quia non eſſet amplius in mora.

Sed controuerſia eſt inter Doctores. Vtrùm fur aut inquis poſſeſſor teneatur ad reſtitutionem, quando res certo erat apud dominum peritura. v.g. Abſtuliſti veſtes, frumentum, pecuniam ex domo alterius, quæ paulo poſt incendio vel hoſtili incurſione peritura erant apud dominum. Incendiſti ſegetes, quas inundatio poſtridiè erat euerſura. Paludanus in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 2. concluſio. quinta, docet, etiam in hoc caſu teneri iniquum detentorem. Ratio eius eſt, *quia ſemper eſt in mora: mora autẽ trahit ad ſe periculum, vt iuris determinant.* Hæc ille. Idem tenent plerique Iuriſperiti, vt refert Couarruuias loco citato.

Dico Secundò, Si res caſu, vel iuſta hoſtium incurſio-
92 *Si apud dominum erat peritura, non tenetur.* ne, certò erat peritura apud dominum, non tenetur fur ad eius reſtitutionem, ſi apud eum ſimiliter perijt. Ita Couarruuias ſupra. & Ioan. Medina C. de reſtitut. quæſt. 6. concluſio. 6. Silueſter Reſtitutio 7. quæſt. 5. §. Tertium. Petrus Nauar. lib. 4. cap. 1. num. 17. Nauarrus cap. 17. num. 8. Dixi, *caſu vel iuſta hoſtium incurſione*, quia ſi non erit peritura apud dominum, niſi per iniuriam, tenebitur, qui enim eam ſic abſtuliſſet, vel deſtruxiſſet, teneretur: ergo ſi tu præuenias, teneberis: nam obligatio quam alius ſubijſſet, in te ratione damni transfuſa eſt.

Dixi, *Si certo erat peritura apud dominum*, quia ſi id ſit dubium, vel ſi dominus eam erat venditurus, vel alienaturus ante illud tempus, teneberis; quia in dubio, *melior eſt conditio innocentis.*

Nũc probatur propoſitio, Primò. Quia ſi res certò erat apud dominum peritura, ita vt nihil iuris, vel commodi inde ad eum rediturum eſſet, nihil quoq; noui detrimenti eſt illi illatum, dũ apud te perijt: ergo nihil eſt ei compenſandum pro re illa. Antecedens probatur; quia illud detrimentum iam erat præparatum in cauſa; ita vt non poſſet impediri a domino, ac proinde ſecundùm æſtimationem moralem perinde ſe habebat, ac ſi iam illatum eſſet; ergo non cenſetur ille fur nouum damnum intuliſſe. Secundò, Quia fur non eſt cauſa damni ratione interitus rei, cùm ad hunc non cooperetur; vti ſuppono; neque ratione iniquæ acceptionis; cùm ſimiliter interitura fuerit apud dominum, etiamſi nõ fuiſſet accepta. quid enim dominus poteſt queri de damno per acceptionem illato, cum res illa etiam non accepta, eſſet peritura? Tertiò, Quia iniqua acceptio non inducit reſtituendi obligationem, niſi quatenus infert damnum efficaciter: atqui hæc acceptio non fuit talis; ergo. Quartò, Probatur ex L. Si plures. 14. §. Siue autem, ff. Depoſiti vel contrà. vbi dicitur *Enim, contra quem agitur, vt reddat depoſitum.* (qui ſanè habet inſtar furis) *ſi ſua natura res ante rem iudicatam interciderit*, veluti, *ſi homo mortuus fuerit, abſolui debere.* (id eſt liberari a reſtitutione pretij) Ratio ſubditur, *quod æquum ſit naturalem interitum ad actorem pertinere; vtique cum interitura eſſet ea res, etſi reſtituta eſſet actori.* Hæc ibi. Quintò, Probatur ex Leg. final. §. finali, ff. De lege Rhodia, de Iactu; vbi dicitur, *Si ea conditione nauem conduxiſti, vt ex mercibus tuis deportarentur, eſſque merces nauta, nulla neceſſitate coactus, cum id ſcires te facere nolle, tranſtulit in nauem deteriorem, & merces cum ea nauc perierint; habet ex conducto locato cum priore nauta actionem: imò contrà, inquit Paulus, ſi modo ea nauigatione vtraque nauis perijt.* vbi clarè conſtat. nautam non teneri, ſi etiam melior nauis perijt: quia ex eo quod merces tranſlatæ ſint in deteriorem contra pacta, non cenſetur datum damnum. vnde patet hanc ſententiam, etiam foro externo eſſe conformem. vide Couarruuiam, & Silueſt ſupra. Sed quid ſi res perijt culpa furis?

Dico Tertiò, Probabile eſſe, furem non teneri, etſi cul-
93 *Si culpa furis perijt.* pa ipſius res talis pererit. v.g. ſi eã negligentia perdiderit, vel etiam vaſtarit aut conſumpſerit; modò eam peremerit eo loco, quo alioquin peritura erat, & intra illud tempus, quo apud dominum perijſſet. Probatur, quia illa res in eo ſtatu conſiderata, domino nullus eſt pretij: nam eo loco certo eſt peritura abſque vllo domini commodo: ergo etiamſi fur illam perimat, non cenſetur irrogare damnum alicuius momenti: vt ſi in cendas ſegetes, quas vides mox eluuione euertendas, ſi abſumas annonã, quæ proijcienda eſt in mare, vel naufragio peritura; ſi interficias equum, quem iuſtus hoſtis erat abducturus, quamuis enim in his & ſimilibus caſibus rem perimas, vel conſumas, vel alienes, non tamen cenſeris notabile damnum inferre, ac proinde non teneris ad reſtitutionem. Ob eamdem rationem, ſi occidas eum, qui certiſſimè paulo poſt moriturus erat, vel vi morbi, vel iuſta ſententia Magiſtratus, etſi grauiter pecces, non teneris tamen damni ſecuti.

Dices, Si res mea, quam pretio tradidi cuſtodiendam,
94 pereat culpa depoſitarij, tenetur ipſe ad reſtitutionẽ, etſi apud me peritura fuiſſet, atqui fur non minus tenetur rem cuſtodire quàm depoſitarius: ergo ſi culpa ipſius perijt, tenebitur, quamuis apud dominum peritura fuiſſet. Ita Petrus Nauarra lib. 4. cap. 1. num. 17. qui etſi fateatur noſtram ſententiam probabilem, tamen contrariam tenendam putat.

Depoſitarius quomodo teneatur. Reſpondeo. Non quouis euentu furem æquè teneri ad cuſtodiam ac depoſitarium nam depoſitarius, quando vllo modo veriſimile eſt rem ſaluari poſſe, ſi alò transferatur, vel abſcondatur, tenetur ex iuſtitia id præſtare; nam ad hoc conducitur, vt omni ratione rem ſaluam præſtet ſi tamen conſtet interim rei caueri non potuiſſe, non tenebitur depoſitarius etiamſi negligens in ea cuſtodienda fuerit, vel eam conſumpſerit. Fur vero non tenetur ex iuſtitia eam alò transferre, ſi videt eam apud dominum, & eo loco vbi nunc eſt perituram eſſe, vnde etiãſi eam tunc conſumat, non tenebitur ad reſtitutionem: quia in eo ſtatu conſiderata, domino nullius eſt pretij.

Dices, Hoc ipſo, quo eſt apud furem, qui poteſt cauere
95 ne pereat, res incipit domino eſſe maioris æſtimationis, quia tenetur eam domino cuſtodire, ſicut ex eo quod eſt apud depoſitarium, qui poteſt eam ſaluare, eſt pluris, quàm ſi apud dominum eſſet: ergo.

Reſpondeo, Si cuſtodia non eſt ei cõmiſſa, non tenetur

hoc

hoc casu ex iustitia eâ custodire, sed solùm ex charitate; (sicut tenetur ignem auertere a domo proximi, qui casu ibi accensus est) vnde si nolit, res non valet pluris domino apud furem, quàm apud ipsum. (secùs apud depositariũ) quare si rem perimat, non censetur causa noui damni.

96 *Si alio loco vel tempore destruas vbi non pe sset.*

Dixi, *Modo eam perimat eo loco*, &c. Quia si eam perimat alio loco, vel postea, vbi non perijsset, tenebitur ad eius compensationem. Exemplum, Si furatus es veltem, vel equum e domo alterius, quæ paulo post casu cum tota supellectile cõflagrauit, (in qua etiam res illæ perijssent, nisi apud te seruatæ fuissent) & hæ res postea apud te pereant, vel casu surripiantur; teneris. Ratio est; quia quando periculum transijt, si res extet, rursus incipit domino valere: quia ipsius mansit: ergo etsi casu pereat, fur tenetur, cum fuerit in mora; si enim restituisset quando debebat, dominus eam saluam recepisset; neque apud eum perijsset. Idem dicendum de rebus, quæ ex naufragio eripiuntur. iam enim incipiunt domino valere: secùs erat ante naufragium, cum iam tempestas sæuiret. Idem dicendum, si alio loco, v.g. Detulisti annonam in alium locum, vbi non perijsset; si eam ibi consumas, teneris. Ratio est; quia res illo loco constituta, iam incipit domino rursus valere, & consequenter debet ei restitui.

Dices, Si eam restituisset, peritura erat apud dominum,
97 ergo non censetur domino valere.

Resp. Negando consequentiam; quia re ipsa restituta non fuit, sed mansit in loco suo, ac proinde non potuit ibi consumi, sine obligatione restituendi.

98 *Si factus locupletior.*

Dico Quartò, Si fur rem vendidit, vel eam consumẽdo factus est locupletior, tenetur ad restitutionem, quatenus factus est locupletior. etiamsi apud dominum fuisset peritura. Probatur; quia pretium & illud augmentum fortunarum furis, successit in locum rei; ita vt res censeatur extare veluti in altero se & æquipollenti: ergo hoc totum domino rei restituendum. Confirmatur, nam pretium est instar rei, eiusque vice fungitur apud omnes gentes. Nec refert, quod dominus non habeat actionem realem in pretium, sufficit enim personalis, vt ei debeat restitui. Satisfacit tamen restituendo rem similem. vide infra nu. 107.

DVBITATIO XVI.

Vtrùm fur & quivis alius iniquus possessor, teneatur restitutionem facere iuxta summam æstimationem, quam tempore detentionis habuit,

99 QVIDAM affirmant. v.g. Furatus es modicum tritici, qui tunc valebat tres aureos, sed ante restitutionem excreuit ad quinque. deinde sensim remisit ad tres: dicunt teneri ad quinque. ita Nauar. c. 17. nu. 26. Idem videtur sentire Gabr. dub. 15. q. 2. art. 3. dub. 1. concluſi. 3. Ratio est; quia quidquid incrementi accessit est domini. vnde totum illud teneberis domino reddere: quia obligatione nõ es liberatus; non enim per solutionem, nec per remissionem, nec per donationem; ergo, &c.

Sed vtendum est distinctione cum Ioanne Medina, C. de restit. q. 6. & Couarru. ad reg. Peccatum, p. 2. §. 6. nu. 2. Vnde.

100 *Si res fuit melior, extet,*

Dico Primò. Si res effecta sit melior vel maioris pretij apud furem, & adhuc extet; tota domino reddenda, etiam cum illo incremento. Ratio est; quia res semper manet in dominio prioris domini: vnde ad eumdem pertinet eius incrementum & status melior. vt, si abstuleris pullum equinum, aut vitulum, qui postea apud te adolescat: si nummos, quorum pretium apud te sit auctum.

Nec refert, quod apud dominum non fuisset effecta melior vel fortè perijsset; quia hoc ipso quo extat, domini est: vnde ratione rei acceptæ & extantis debes restituere. hinc sequitur eum, qui accepit frumentum vel pecuniam, & retinuit donec excreuit æstimatio, teneri restituere simile frumentum, si prius consumpsit, vel illam æstimationem, si adhuc durat. Etsi enim fortè non statuisset illam tunc temporis vendere, tamen quamdiu durat illa æstimatio, est in ipsius potestate, tanti vendere. vnde non tenetur in restitutione tunc temporis minore compensatione esse contentus.

Notandum tamen ex Couarruuia num. 3. expensas esse 101
deducendas, (saltem in foro interiori) quibus res effecta *Expensæ deducendæ.*
est melior, quas dominus facere debuisset, si rem ad eum statum voluisset perducere. nemo enim cum damno alterius locupletari debet. vt si ex argento furtiuo pateram cõfeceris, vel equum magnis expensis educaueris vel curaueris. In foro tamen externo, leges non patiuntur expensas æstimari, sed in pœnam, fur illis priuatur. Verùm, cùm hoc pœnale sit, nõ obligat ante sententiam Iudicis, teste Couarruuia ibidem. Itaque dominus accipiens rem suam ita meliorem effectam, tenetur in foro conscientiæ, æstimationem expensarum facere, non solum necessariarum, sed etiam vtilium; industriæ item & laboris, a fure adhibiti, vt docent Couarru. & Medina supra, & Petrus Nauarra libro quarto, capit. 1. num. trigesimosecundo. Si tamen dominus interim cum damno suo caruisset vsu, vel fructu rei suæ; hoc etiam æstimare potest; vt omnibus cõsideratis, fiat æqualitas.

Dico Secundò, Si res permanserit in eodem statu sufficit eam vti est restituere, lucrum tamen cessans, & damnum emergens ex detentione, domino sarciendum est. Quare si industria domini res futura erat multo melior, hoc est æstimandũ; (deductis laboribus & expensis eius) nam hoc ad lucrum cessans pertinet. 102

Dico Tertiò, Si res effecta sit deterior, vel minoris pretij quàm erat anteà; sed idem euenturum erat apud dominum, qui eam vsque ad hoc tempus erat seruaturus; satis est illam reddere vti modo est. vt si pretium frumenti, vel pecuniæ rursus decrescat, si equus, ante sanus & valens, debilitetur, &c. colligitur ex dub. 15. res enim accrescit & decrescit domino suo. Idem docent Couarruu. & Medina supra. Itaque in casu illo tritici, teneris solum ad tres aureos: (nisi fortè eo tempore, quo valebat quinque, coactus fuerit dominus emere quinque; tunc enim ratione damni emergentis, teneris ad quinque) Ratio est; quia licet incrementum illud, quod res habuit, sive in se sive in æstimatione, totum fuerit domini; tamen dum ponimus eam tunc non vendendam, sed seruandam in aliud tẽpus, quo rursus futura erat deterior, aut minoris pretij, censetur illud incrementum domino prorsus inutile, ac nullius pretij. vnde si res sic effecta deterior, illi restituatur, nullum damnum supererit: tantum enim habet, quantum si ablata numquam fuisset; & aliàs de illo incremento nihil amplius extat. 103 *Si apud dominum deterior futura.*

Hinc patet responsio ad argumentum pro sententia Nauarri supra allatum. Fur enim soluitur obligatione sarciendi illius incrementi, per hoc quod non amplius extet, & simili modo apud dominum erat desiturum. In hoc enim casu, tenebatur solum ad illud incrementum ratione rei acceptæ; non autem ratione damni illati; quia non censetur domino damnum ex omissione restitutionis illatum esse, quando res apud dominum simili ratione deterior futura, aut incrementum nullius vtilitatis domino est futurum. 104

Petes, Quid si fur illam vendidit in optimo statu?

Respondeo, & dico Quartò, Si res intrinseco augmento melior effecta, vendita est vel aliter alienata per furem, tenetur domino restituere æstimationem, quam habet in illo statu, (detractis tamen impensis) etiamsi apud dominum non erat melior futura: si autem solum extrinseca æstimatione aucta est, eamque tunc vendidit, & dominus eam venditurus non erat, tenetur solum ad æstimationem, qua domino erat valitura. Loquor autem in euentu, quo neque rem ipsam, neque similem paris bonitatis potest restituere. 105 *Si vendita a fure in optimo statu.*

Prior pars patet; nam totum illud incrementum intrinsecum, statusq; optimus, rei inhærens, est quiddam pertinens ad dominum rei, ratione cuius ipsa res pluris valet: ergo sicut æstimatio substantiæ rei est domino restituenda, ita etiam æstimatio huius augmenti. vt, si abstulisti pullum equinum, & adultum vendidisti: quidquid enim accessit illi pullo magnitudinis, roboris, dexteritatis, est domini; ac proinde si domino restitui non potest, æstimatio restituenda est, non solum pulli, sed etiam illius accessionis: nam in vtroque damnum datum est. Puto tamen non esse restituendam domino æstimationem rigorosam, etiãsi ipse ita vendidit. quia non censetur domino in hac damnum illatum, nisi ipse rem tanti erat venditurus. Sufficit igitur

igitur reſtituere mediam,vel etiam infimam.Sufficit etiã reſtituere rem eiuſdem ſpeciei æquè bonam,detractis expenſis & compenſato damno ſi quod interuenit, &c.

106 Altera pars probatur; quia quando ſola æſtimatione aucta eſt, nihil ei acceſſit, ratione cuius pluris valeret, quàm ante vel poſt; ſed incrementum pretij prouenit ob cauſam extrinſecam,v.g. ob raritatem rei,vel copiam emptorum, vt patet exemplo tritici & pecuniæ, ſupra. ergo ſi eo tempore vendita fuit,quo valuit plurimi, non tenebitur reſtituere illam æſtimationem, ſi dominus illã non erat tunc venditurus. Ratio eſt;quia hoc ipſo,quo dominus eam rem non erat venditurus, ſed ſeruaturus donec pretium decreſceret; non cenſetur accepiſſe damnum, quoad illud incrementum.vnde fur poteſt illud retinere; quia cenſetur fructus induſtriæ. ſicut enim induſtriæ eſt rem efferre in locum vbi pluris valet, ita etiam eam ſcire vendere eo tempore, quo pluris valet.Confirm. Quia res ſuo tempore ſcitè vendita, eſt maioris vtilitatis, quam ſeruata in tempus importunum,quo pretium erit vile.atqui quod importune fit vendita eſt ex induſtria furis, neque id habitura erat apud dominum. ergo lucrum illud eſt fructus induſtriæ; ac proinde non debitum domino, cum opportunitas effluxerit, & pretium decreuerit.tunc enim non eſt amplius in poteſtate domini,tanti vendere. Quare qui accepit modium frumenti cum valeret tribus aureis, & vendidit eo tempore, quo valuit quinque, non tenetur reſtituere domino, nili tres, ſi rurſus pretium eo vſque decreuit.& dominus vſque ad hoc tempus erat ſeruaturus; vel ſi erat venditurus aut conſumpturus, antequam pretium intenderetur.

Dices, Dominus habet ius ad pretium rei ſuæ:ergo eſt
107 ei totum reſtituendum: confirmatur; quia nemo poteſt diteſcere ex alieno.

Reſpondeo, Dominus in præſenti caſu non habet ius ad pretium rei per furem venditæ,niſi quatenus id eſt neceſſarium ad ſarciendum damnum ex ablatione rei acceptum: Nam totum pretium eſt furis,vt patet ex Leg. Qui vas.48.§.vlt.ff.De furtis. Vnde ſolùm poteſt à fure repetere æſtimationem damni. quare ſi eam non erat venditurus dum valebat quinque, no poteſt exigere quinque;niſi adhuc tanti valeat.

Ad confirmationem. Non poteſt quis diteſcere ex re aliena, ita vt per eam formaliter fiat ditior, hoc enim eſt detinere alienum,ſed bene poteſt ex ea,tamquam ex cauſa, diteſcere abſque damno alterius; ſicut cùm quis pecunia furtiua negotiatur.

Obiectio. Dices Secundò. Si fur cum res apud dominum eſſet peritura, eam accipiat & vendat, dominus poteſt repetere pretium,quia pretium ſuccedit in locum rei,& ad bonam fortunam domini pertinet, rem tunc fuiſſe furreptam; ergo ſimiliter ſi fur eam vendat quando valet plurimi,dominus poterit pretium repetere,cum id in locum rei ſuccedat,etiamſi eam ipſe non erat venditurus. Quòd enim tunc vendita ſit, ad bonam eius fortunam pertinet: vnde non erit vllum diſcrimen inter augmentum rei intrinſecum & extrinſecum.

Reſponſio. Reſpondeo, Negando conſequentiam, eſt enim diſpar ratio. Cum enim a fure venditur res apud dominum peritura, tenetur fur non ratione iniuſtæ acceptionis (ſi enim periſſet ſimiliter apud furem, ad nihil obtrictus manſiſſet) ſed ratione rei acceptæ,quæ apud illũ exſtat in æquiualenti, quatenus ex pretio factus eſt ditior, ſine vlla peculiari induſtria;vt dictum eſt ſupra num.93.Si enim peculiari induſtria ſua pluris vendidiſſet(v.g.pretio rigoroſo, aut quia repentina ſuperuenit caritas, quæ mox ceſſauit) non teneretur niſi de pretio ordinario, id eſt, quanti res tunc temporis communiter æſtimatur. Nam illud accidentarium eſſet fructus induſtriæ. Nos autem loquimur hic in caſu, quo fur factus eſt ditior ex peculiari induſtria, per quam res illi pluris valuit quàm domino; quem exceſſum dicimus non teneri reſtituere. Confirmatur. Quia in prædicto caſu fur ſatisfacit reſtituendo tantumdem frumenti paris bonitatis: atqui non valet iam niſi tribus aureis:ergo non ſuppetente frumento,reſtituendo tres aureos ſatisfacit ad æqualitatem. Pati modo in altero caſu,ſi fur reſtituat domino rem venditam,vel aliam ſimilem,paris bonitatis; non eſt quòd dominus,apud quem erat peritura, pretium venditionis exigat. Pretium quidem ſuccedit in locum rei; non tamen ſuccedit in omnes rei obligationes, neque qua parte cenſetur fructus induſtriæ: & ſemper res ſimilis paris bonitatis reſtitui poteſt compenſato damno, ſi quod ex detentione domino obuenit. Confirm. Quia non minus res empta aliena pecunia ſuccedit in locum pretij, quàm pretium ſuccedit in locum rei alienæ venditæ. At fur pretij non tenetur reſtituere rem emptam,ſed ſatisfacit reſtituendo pretium acceptũ: ergo fur rei non tenetur reſtituere pretium rei venditæ, ſed ſatisfacit reſtituendo rem venditam, vel ſimilem paris bonitatis.

Dices, Cùm pretium frumenti decreuit, non cenſetur frumentum paris bonitatis: ac proinde non ſatisfaciet ad æqualitatem. Sed hoc eſt contra communem modum loquendi. Nemo enim dixerit, frumentum eſſe melius quia carius, aut deterius quia minus carum. Deinde ſi non eſt paris bonitatis quando eſt minoris pretij;ergo ſi cum modius frumenti valebat quinque aureis dediſti mihi mutuum vnum modium, conceſſo termino vſq; ad meſſem, non ſatisfaciam reddendo tantumdem in meſſe, ſi tunc minoris valet,quod eſt abſurdum.Tertiò,Bonitas eſtimationis eſt tibi nullius pretij, ſi non ſtatueras vendere, & occaſio vendendi iam eſt elapſa. Nec refert, quòd hac ratione homo commodum perciperet ex dilatione reſtitutionis;quia id per accidens eſt.Sicut enim accipit commodum quando pretium decreſcit,& talis res facilius haberi poteſt; ita poteſt incurrere incommodum.ſi pretium creſcat,& res illa difficilior ſit obtentu.Addo ſemper accipere incommodum ſpiritale incomparabiliter maius.

Dico Quintò,Si dominus rem erat venditurus in optimo ſtatu,vel ſumma æſtimatione, tenetur fur præter rem ipſam,reſtituere æſtimationem illius incrementi vel pretium rei,quo dominus eam vendidiſſet; etiamſi ipſe inde commodum non perceperit. In hoc caſu vera eſt ſententia Nauarri.Ratio eſt;quia tunc eſt verè cauſa huius damni per ſuam iniquam detentionem,impediendo ne dominus inde lucrum faceret, quod alioquin facturus erat. 108 *Si dominus erat venditurus.*

Nec refert,vtrum res;caſu,an culpa furis perierit,deteriorve facta ſit; quia mora ſua eſt damni cauſa.Idem dicẽdum, ſi res intrinſecè melior effecta apud furem, deinde facta eſt deterior vel periit, quæ ſi ſuo tempore reddita fuiſſet,id incommodi apud dominum non accepiſſet.quo caſu etiam vera eſt Nauarri ſententia;nam totum hoc incrementum erat domini, ac proinde illi reſtituendum. Si ergo non reſtituit, eſt in mora; & conſequenter tenetur etiam in caſu fortuito.

Dico Sextò, ſi incertum ſit quo pretio aut in quo ſtatu 109
dominus eam erat venditurus, reſtitutio facienda ſecundum optimum ſtatum & ſummam æſtimationem, quam interea habuit. Ita paſſim DD. Ratio eſt;quia in eo ſtatu vendi poterat,& in dubio melior eſt conditio innocentis, in eiuſque fauorem inclinandum.

Dices, Non conſtat, an verè damnum illud optimi ſtatus intulerim; ergo non teneor, nemo enim tenetur plus reſtituere, quam conſtet abſtuliſſe.

Ob hoc argumentum, verius videtur, in rigore non debere reſtitui ſecundùm optimum ſtatum in foro conſcientiæ;ſed poſſe detrahi æſtimationem illius incerti.cur enim tantum teneatur reſtituere, quando eſt incertum, quantum dum eſt certum? illud enim eſſe incertum, minuit æſtimationem damni. Inclinandum autem in fauorem innocentis in foro externo, vbi nocens eſt puniendus, & quando non ſuppetit melior ratio conſtituendæ æqualitatis. *Aeſtimanda incertitudo.*

DVBITATIO XVII.

Vtrùm fur & quiuis alius malæ fidei poſſeſſor, fructus perceptos, & eos, qui percipi poterant, teneatur reſtituere.

NOTANDVM eſt.Eum,qui detinet rem alienam,detinere vel bona fide,(vt ſi putet eſſe ſuam,vel legitimè cõceſſam)& hic dicitur poſſeſſor bonæ fidei,de quo infra agendum. vel mala fide; (vt ſi ſciat vel putet,ſe non legitimè detinere) hic dicitur poſſeſſor malæ fidei, qualis eſt fur, raptor.

Notan-

110 *Fructus rerum & industriæ.*

Notandum Secundò. Fructus esse duplices; quidam sunt fructus rei, qui nimirum ab ipsa re proueniunt, quibus intercedat humana industria; vt sunt fructus agrorũ, arborum, ædium, & earum rerum, quæ habent vsum locabilem. pretium enim locationis est fructus earum, quem mediante vsu sui, qui pretio est æstimabilis, pariunt. Alij sunt fructus industriæ, vt quæstus, qui percipitur negotiatione vt emendo vili, vendendo carè, ratione temporis vel loci Nudum autem rei pretium non censetur fructus rei, sed succedit in locum rei, tanquam altera res. Item quæstus, qui ex vsu artificioso alieni instrumenti; vt si alieno penicillo. vel coloribus alienis pingas.

111 *Restituit fructus reales.*

Nũc sit Prima Propositio, Possessor malè fidei tenetur restituere non solùm rem alienam, sed etiam fructus ex ea perceptos: nempe fructus rei, non autem nudæ industriæ. est communis sententia DD. Ratio est, quia fructus rei hoc ipso quo producuntur, cedunt in dominium eius, qui est dominus rei. §. Is verò. Inst. de rerum diuisione: ergo non minus sunt restituendi quàm res ipsa. deducendæ tamen sunt expensæ, quas dominus facere debuisset ad illos percipiendos: vt si fur agrum coluit alterius; si equum furtiuum aluit: quod non solum intellige de impensis necessarijs, sed etiam vtilibus, quibus res effecta est melior, & fructuosior. Idem de opera, & labore non solum conductitio, sed etiam quem fur per se præstitit. horum omnium æstimatio detrahi potest, si dominus tantundem impendere debuisset. Secus si ipsemet sine impensis, vel certè minoribus, æquè multum erat præstiturus.

112 *Expensæ detrahendæ.*

Dices, Si expensæ possunt deduci, id fiet ratione damni, quod fur incurrit, rem alienam curando; atqui dominus non tenetur illud damnum æstimare, sed fur sibi imputet, quod fecit: ergo.

Respondeo, Non præcisè ratione damni furis, expensæ deducuntur, sed quia rem alterius suo sumptu vel labore meliorem reddidit, quod dominus sine pari sumptu non fecisset.

113 De impensis in ea, quæ solum ad ornamentum & voluptatem pertinent, distinguendum est. Si enim dominus illud ornamentũ velit retinere, debent deduci: si nolit, non debent. poterit tamen tunc iniquus possessor illud auferre; vt si horologium ædibus affixit. Si nequeat auferri, res arbitrio prudentis transigenda. Dixi *fructus rei, non autem nudæ industriæ*; quia *fructus nudæ industriæ* non sunt restituendi; vt si aliena pecunia es negotiatus, non teneris lucrum dare, sed dumtaxat summam surreptam, compensato simul damno emergente, si quod ratione inopiæ pecuniæ interuenerit. si alienum frumentum vendiditi, sufficit restituere frumentum eiusdem pretij; nisi dominus illud carius interim erat venditurus.

114 *Torques locatus.*

Ex his sequitur Primò, Eum, qui torquem aureum, furto surreptum aliquoties pretio locauit, teneri non solùm ad restitutionem torquis, sed etiam pretij locationis, quamuis dominus eum locare non consueuerit, quod est contra Nauarrum c.17.nu.25. Ratio est, quia illud lucrum non est fructus industriæ, sed pretiũ locationis, seu vsus; qui vsus est instar fructus rei; ac proinde eius vtilitas est domini. Idem dicendum de equis & mulis surreptis & elocatis. quamuis dominus elocare non sit solitus. Nauarri tamen sententia locum habet, quando dominus est vir diues, qui tale pretium non putaretur velle.

115 *Ager sterilis excultus.*

Sequitur Secundò. Eum, qui agrum sterilem sibi oppignoratum, quem dominus coli non curabat, excoluit, & aliquos inde fructus percepit, teneri ad illorum fructuum restitutionem, contra Sotum lib. 6.q.1.art.2. vt rectè docet Nauar.c.17.nu.117. deducenda tamen sumptuum, laboris & industriæ æstimatio.

116 *Fructus percipiendi diligentia domini.*

Dico Secundò, Nó solum fructus perceptos, sed etiam non perceptos, quos tamen dominus singulari sua diligentia percepisset, tenetur sarcire. Ratio est, quia sua detentione iniqua, est causa illius lucri cessantis. Vbi notandum, perinde esse vtrùm illi fructus percipiendi fuerint ex re, mediante industria domini (vt ex agro per diligentissimam culturam) an ex nuda industria, vt ex peritia negotiationis & contractuum: tenetur enim malæ fidei possessor omne lucrum cessans & damnum emergens, quod dominus ratione iniquæ detentionis patitur, reponere. nam huius totius censetur causa iniusta.

Petes, Quid si fur rem meliorem fecit, sed postea sua negligentia exiguos fructus percepit, quàm si dominus cum illo incremento recepisset, longè plus fructuum collegisset, tamen apud ipsum res illud augmentum habitura non fuisset.

117 *Si dominus erat percepturus fructus, rem tamen non effecturus meliorem.*

Respondeo, Quidam tenent furem tunc non teneri de excesso illo fructuum, quos dominus percepisset, ita Couarruuias libro primo variarum, capitul. octauo, numero quarto. Ratio est, quia in his non intulit domino damnum: nam si illa res apud dominum mansisset, non fuisset melior reddita, ac proinde nec dominus illos fructus percepturus erat. Hæc sententia est probabilis; quia nititur quadam æquitate. Tamen contrarium videtur verius; quia rei melioratio eo ipso quo est, domini est, & iniquè a fure detinetur, ex qua detẽtione lucrum domino cessat. Confirm. quia fur non restituendo illud melioramentum, est in mora; ac proinde tenetur de casu fortuito, & de omni damno. quod ex detentione sequitur; quod alias, si suo tempore restituisset, non erat secuturum. quamuis enim non sit causa damni prima acceptione, est tamen causa detentione rei, postquam facta est melior; quod Couarruuias non videtur aduertisse.

118 *Si fur singulari industria percepit.*

Dico Tertiò, Tenetur etiam restituere fructus rei, quos ipse sua singulari industria percepit, deductis tamen expensis, quamuis dominus eos percepturus non fuisset. Probatur; omnes fructus rei cedunt in dominium eius, cuius est ipsa res, eo ipso quo extant, vt patet Instit. de rerum diuisione. §. si Titius, & duobus sequentibus. vbi dicitur, *Plantas, quæ terræ coaluerint, & frumenta, quæ sata sunt, solo cedere.* ergo si fructus extent, vel iniquus detentor sit factus ex illis locupletior, domino sunt restituendi.

119 *Si fur non est factus locupletior.*

Sed difficultas est, Si neque extent, neque illis fur factus sit locupletior, eo quòd consumpserit cum sociis, an sint restituendi, quando dominus eos non fuisset percepturus. Quidam tenent in hoc euentu non esse restituendos. Primò, quia fur nec tenetur causa rei acceptæ, cum non extet; neque causa iniquæ acceptionis, quia iniqua acceptio rei alienæ non obligat ad restitutionem, nisi quatenus efficaciter intulit damnum; atqui hic verè non intulit damnum secundum æstimationem moralem; quia etsi rem alterius non accepisset, vel detinuisset, dominus non ideò esset locupletior; ponimus enim rem ei futuram infrugiferam, vel certè minus frugiferam. Secũdò, Quia quando res apud dominum non erat fructificatura, & industria alterius effectũ est vt fructificaret, adscribendum videtur industriæ, non reisergo. Ita Couarruuias ad regul. Peccatum, parte secunda, §. sexto, numero quarto, & Ioannes Medina quæstione sexta de restitution. & Siluest. v. Restitut. 3. numero nono in principio. Petrus Nauarra lib. quarto, cap. primo, numero 44. Hæc sententia est probabilis; nititur enim quadam æquitate, & iuxta eam posset etiam defendi. quod Nauarrus docet de torque & equo furtiuo locato, si à domino elocari non solent, vt colligitur ex Siluestro.

120 *Sunt restituendi.*

Contrarium tamen in rigore est verius. Ratio est; quia fructus hoc ipso, quo extant, quomodocumque proueniant, (etiamsi casu vel sponte) domino cedũt, vt patet ex Iure citato: ergo statim debent domino restitui, cum sint in specie debiti. ergo eos consumere est domino verum damnum inferre; est enim consumere rem ipsius, quæ si suo tempore reddita fuisset, apud dominum nó periisset. Item cum debeant restitui statim, si fur eos tunc non restituit, est in mora; ac proinde etiamsi fortuitò pereant, tenebitur ad restitutionem. Si tamen pereant fortuito, vel etiam culpa leui, priusquam commodè possent restitui, non tenebitur; quia non censetur fuisse in mora. etsi enim rem iniquè detinuit, non tamen fructus.

121 Hinc patet solutio rationis prioris contrariæ sententiæ, etsi enim non censeatur intulisse damnum iniqua detentione rei, (quia apud dominum fuisset infrugifera) intulit tamen damnum, quia fructus perceptos debito tempore non restituit; qui hoc ipso quo sunt, domini sunt. Secus est, quando, si res reddita fuisset, apud dominum erat peritura.

Ad secundum Respondeo, Non esse fructum nudæ industriæ, sed ipsius rei suppositæ industria. vnde solum sequitur pretium industriæ deducendum.

DVBI-

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm is, qui alteri eſt cauſa damni, ſiue impediendo ab aliquo bono, ſiue alia aliqua ratione, teneatur ad reſtitutionem.

OMISSIS opinionibus, Notandum eſt ex Nauarro cap 17.num.69.

122 *Dupliciter aliquid debitum.* Dupliciter poſſe aliquem petere beneficium, officium, vel aliud commodum.

Primò, Si habeat Ius in re vel ad rem, (de quibus ſupra cap.2.dubitat.2.) ita vt res ei ex iuſtitia ſit debita, ſcilicet per iuſtam promiſſionem, ſtipulationem, venditionem, præſentationem, oppoſitionem, expectatiuam, regreſſum, acceſſum, coadiutoriam, primogenituram, &c. aut alium titulum, per quem datur actio ad rem petendam. qui talem impediret, etiam ſolum ſuadendo, ſine vi & fraude, ne res, ad quam Ius habet, ei detur, teneretur ad reſtitutionem, non quidem quanti illa res valebat, ſed quanti illud Ius, illaque ſpes iudicio boni viri, conſideratis omnibus circumſtantijs, æſtimaretur.

123 *Vi vel fraude impediens tenetur.* Secundò, Si nullum habeat Ius in re vel ad rem propinquum, quod ei tribuat actionem in iudicio; ſed ſolùm remotum, quia dignus eſt, vel bene meritus: & de hoc eſt tota difficultas.

Nunc dico Primò, Qui vi aut fraude impedit aliquem a conſequendo aliquo beneficio, vel officio, quo dignus erat, vel ne inſtituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, legatum, &c. tenetur ad reſtitutionem, quanti iudicio prudentis ea ſpes ipſi valebat. Eſt communis DD. Probatur; quia fraus & vis vel exercentur circa eum, qui beneficium ſperat; (vt ſi quis illum vi detineat, vel minetur ei ne ſolicitet, vel litteras intercipiat, vel fraude auertat a re proſequenda) & ſic manifeſtè fit ei iniuria, ex qua ſequitur damnum. nam contra voluntatem ſuam modo iniuſto impeditur a proſecutione, ad quam Ius habet: (etſi enim non habeat Ius ad illud bonum, quod proſequitur, habet tamen Ius ad illud proſequendum, rogando, ſolicitando) ergo damnum, quod inde ſequitur, cenſetur per iniuriam datum. Vel exercetur circa ipſum collatorem, (vt minando, ne conferat tali, aut perſuadendo ipſum eſſe indignũ, ignarum, &c. idque falsò) & ſic etiam fit iniuria petenti. Ratio eſt; quia violatur Ius ipſius, quod habet ad illud bonum; quod Ius non eſt quidem abſolutum, ſed conditionatum; quia in libera voluntate collatoris poſitum. ſi enim velit, res tibi debetur: ſi nolit, non debetur. Vnde ſi quis voluntatem eius, qui propoſuit, vel deliberat tibi dare, per vim, aut fraudem directè impediat, aliòve infectat; veram tibi iniuriam facit, nam Ius tuum, in libertate collatoris conſtitutum, violat.

124 *Si crimen occultum apertum.* Dices, Ergo ſi crimẽ tuum occultum pandam, ob quod collator mutauit animum, non tenebor; quia collator non inuoluntariè, (non enim fraude deceptus vel metu compulſus) ſed voluntariè ſtatuit tibi non conferre.

Reſpondeo, Vel ita pando, vt ſequatur infamia apud plures: vel ſoli collatori & ijs, quorũ intereſt, patefacio. Si priore modo; & illa infamia ſit cauſa cur collator non conferat, aliàs collaturus, teneor ad reſtitutionem; quia per iniuriam ſum damni cauſa. Si ſecundo modo, non teneor: quia Ius eſt, quando de officijs vel beneficijs agitur, patefacere ea, quæ hominem minus habilem, vel collationem minus decoram reddunt. Vnde ſolent capi occultè informationes. Quare fortaſſe etiam in priore caſu non tenebor, ſi non tam ob infamiam, quàm ob crimen occultè commiſſum, nolit conferre. Confirmatur; quia non eſt iniquum patefacere id, cuius ignoratio collationem reddit inuoluntariam; ita vt eo cognito nollet conferre, atqui ignoratio huius occulti criminis redderet illam collationem inuoluntariam: ergo patefactio huius, qua parte ad collatorem pertinet, non eſt iniuſta; etiamſi apud alios iniuſta ſit. Secus eſt, quando falſa dedecora impinguntur. tunc enim collator decipitur: eiuſque libertas impeditur, & inuoluntariè ſententiam mutat.

Petes, Quid ſi is, qui falsò collatorem informauit, ſua *Si calumnia* dicta reuocet, tenebiturne adhuc ad reſtitutionem?

reuocetur. Reſpondeo, Si reuocet dum res non eſt integra, tenebitur; quia ex vi prioris iniuriæ damnum eſt ſecutum: nec eſt amplius in arbitrio collatoris illud impedire vel non impedire. Si verò res eſt planè integra, non tenebitur, quia non cenſebitur cauſa damni in poſterum, ſed libera voluntas collatoris. Ratio eſt; quia quamdiu res eſt integra, infamator non cenſetur intuliſſe damnum, ſed ſolum poſuiſſe cauſam, vnde damnum timetur. Fecit enim per iniuriam, vt collator nollet, quod antea volebat; quod *nolle* erit cauſa damni, videlicet *Non collaturis.* at ſublata falſa informatione, ſi collator perſtet in propoſito, & nolit conferre, non amplius huius *nolle* cauſa erit infamator, (quia non propter eius dicta pergit nolle) ſed libertas collatoris; qui pro ſuo arbitratu voluntatem mutare poterat. Circa prædicta quædam ſunt aduertenda.

125 Primò, Si is, qui petit, nullo modo eſt dignus, ſeu idoneus officio, vel beneficio; non teneris ei reſtituere pro illo incommodo; etiamſi vi, aut fraude impediuiſti. Ratio eſt; quia tunc nullum Ius habebat in libera collatoris voluntate poſitum: non enim poterat ei conferre. teneris tamen ad famæ reſtitutionem; niſi ratione mali impediendis potueris eius crimen detegere; vt ex ſupra dictis conſtat.

Secundò. Si erat quidem dignus & idoneus, tamen nulla ſpes erat: ipſum fore conferendum; tunc etſi vi aut fraude nixus fueris impedire, non teneris ad reſtitutionẽ. Ratio eſt; quia tuus conatus eſt inefficax; nam ex eo nullum reipſa damnum obueniet: æquè enim illi collatum non fuiſſet. Nec refert, quòd fuerit dignus; quia ſi hæc dignitas nullam ei ſpem pretio æſtimabilem tribuebat, nihil ei cenſetur iniuſtè ablatum. ſi tamen aliquam ei ſpem tribuebat quamuis paruam, hæc iudicio boni viri æſtimanda eſt & compenſanda.

126 *Si impediuiſti ei conferretur digniori.* Tertiò, Si erat dignus & ſpem habebat, ſed eam impediuiſti, vt conferretur digniori vel aptiori, quidam putãt teneri ad reſtitutionem, quanti illa ſpes ipſi valebat. Sed verius eſt te non teneri, niſi ad reſtitutionem famæ, de qua modo non diſputamus. Ratio eſt; quia officia & beneficia ſecundum rectam rationem & Reipublicæ, Eccleſiæque intentionem, debent conferri dignioribus; & contra rationem eſt, conferre ea digno, relicto digniore, quando collatio eſt libera. Neque is, qui dignus tantum eſt, Ius habet, vt collator non cogatur cõferre digniori. Vnde etſi fiat iniuria collatori, ſi ab eo, qui poteſtate caret vis ei inferatur; tamen petenti officium, non fit iniuria Ita Couar. ad reg. Peccatum p.2.§.7.num.8. & Michael Salonius q.62.art.2.controuerſ.25. Secus eſt, ſi procuraſti vt æque digno conferretur; tunc enim teneris illi, quem iniuſtè impediuiſti, nam reſpectu alterius æquè digni, Ius habebat, vt collatori ſua libertas relinqueretur.

127 *Si impediuiſti dignum vt daretur indigno.* Quartò, Si iniquè impediuiſti dignum, vt daretur indigno, teneris non ſolum digno, ſed etiam Eccleſiæ vel Reipublicæ, quæ inde damnum patitur; idque iuxta damni æſtimationem, iudicio prudentum faciendam. Patet; quia es cauſa vtriuſque damni. Pari ratione teneris Eccleſiæ, ſi dignior quærebatur, tuque vi aut fraude impediuiſti ne id fieret, vt conferretur ei, qui erat minus dignus: quia Eccleſia Ius habet quærendi optimos miniſtros, quod Ius tu iniquè impediuiſti. Sicut ſi quis optimum operarium quærẽs, per te decideretur, vt acciperet minus idoneum: huic enim teneberis, iuxta damni æſtimationem.

Quintò, Si erant plures competitores digni, & tu illos omnes vi vel fraude impediuiſti; teneris ſingulis, quanti cuique ſua ſpes, iudicio prudentis æſtimabitur.

128 *Impediens fine vi & fraude.* Dico Secundò, Qui ſine vi aut fraude, precibus, blandi tijs, muneribus, impedit dignum vel digniorẽ ab officio, beneficio & ſimilibus, non tenetur illis ad vllã reſtitutionem, etiamſi illud malo animo & ex odio faciat. Eſt cõtra Caietanum q.62.art.2. & Couarruuiam ſupra, qui putant eum, qui quouis modo impedit digniorem vt detur digno, teneri ad reſtitutionem digniori, quia ſecundum iuſtitiam diſtributiuam ei erat debitum. Eſt etiam contra Maiorem, in 4.diſt.15.q.16. qui docet eum, qui quouis modo impedit dignum vel digniorem, teneri, ſi id faciat ex odio, ſecus ſi vt ſibi vel alteri conſulat. Sed noſtram ſententiam docet & probat Nauarrus cap.17.numero 69. & ſequentibus, & Sotus lib.4. de Iuſtitia. quæſtione ſexta, artic.3. verſus finem, & alij paſſim. Ratio eſt; quia ille dignus & dignior Ius non habent, niſi in libera voluntate collatoris

collatoris: ergo si relinquas collatorem in sua libertate, nec aliquid facias, quod illi libertati repugnet, non censeris hoc Ius violare. ergo cum preces, munera, blanditiæ non repugnent libertati, (non enim collator inuoluntariè censetur facere, quod ita iniustus facit) nullo modo infers illis iniuriam.

Malus animus non obligat ad restitut.

Nec obstat, quòd malo animo id facias. Primò, Quia iste malus animus non est contra iustitiam, sed cõtra charitatem: non enim est contra aliquod Ius, quod illi habeant, quando non intendis impedire libertatem collatoris. Secundò. Quia generatim loquendo verius est, malum animum seu intentionem, nunquam obligare ad restitutionem, nisi opus externum secundum se sit iniustum, etiamsi Scotus & Richardus distin. 15. & Caiet. quæst. 62. art. 2. contrarium sentire videantur. Ratio est; quia nisi opus externum secundum se sit iniustum exterius, nulla committitur iniustitia; ac proinde dãnum, quod sit opere externo, non censetur illatum contra iustitiam. Sicut si quis animo hæretico aliquid dicat, quod exterius nullam habet speciem hæresis, non est hæreticus exterius, nec excommunicatus, vt dictum est 2.2. quæst. vndecima. Neque D. Thomas quæst. 62. artic. 2. ad 4. contrarium sentit; quia intelligi debet de eo, qui impedit alium modo iniusto.

Dices, Lege 2. ff. de aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ. §. Idem Labeo, dicitur. *Qui auertit torrentem, ne sibi noceat, vnde factum sit vt vicino noceatur, cum ea aqua pluuia arcenda agi non posse a vicino; si modò non hoc animo fecit vt vicino noceat, sed ne sibi noceat.* Idem habetur Leg. 1. Vnde sequi videtur, si id fecit vt vicino noceat, iniuriam fore: ergo pari ratione qui impedit alterum ab officio vt illi obsit, non vt sibi vel alteri prosit, est illi iniurius; quamuis sine vi & fraude id faciat.

Respondeo, Omissa solutione Nauarri, quam habet numero 71. illa exceptione indicari, concedi actionem in foro externo, si probari possit, nullo suo commodo, animo dumtaxat nocendi id factum. potest enim talis in pœnam cogi ad reparationem damni, & operis in priorem statũ restitutionem. hinc tamen non sequitur, illum obligari ante sententiam.

119 *Præmans vt detur indigno.*

Notandum Primò, Si absque vi & fraude procurasti vt beneficium daretur indigno, non teneris quidẽ alijs competitoribus dignis, (quia nihil contra ius illorum fecisti) sed teneris Ecclesiæ vel Reipublicæ; cuius iura violasti, procurando ei ministrum ineptum; sicut is, qui ad opus publicum operarios ineptos curauit, ad restitutionẽ tenetur. Vbi hic seruandus est ordo; vt primo loco teneatur is, qui officium administrauit, & stipendia accepit: hic enim primò tenetur restituere stipendia, quæ ei data pro officio; quia id vel non præstitit, vel non vt oportet: deinde sarcire damna, quæ ipsius negligentia vel imperitia sunt contracta. Secundò loco tenetur collator. Tertiò suasor.

Hinc patet, Quanti oneris sit, conferre beneficia vel officia publica, quod tamen Ius plerique tantopere expetunt.

Si minus digno.

Notandum Secundò, Si absque vi & fraude impediuisti digniorem vt daretur minus digno; peccasti quidem, nõ tamen teneris ad restitutionem. non enim digniori; quia contra ius eius nihil est actum: non etiam Ecclesiæ; quia nullum damnum per iniuriam illi illatum: nam in potestate Prælati erat eligere dignum, relicto digniore, quamuis in eo non sit fidelis dispensator. hinc peccat contra fidelitatem dispensandi, & quidem sæpè mortiferè, vt infra dicetur. Etsi enim Ecclesia non ita obliget Prælatum, aut Respublica Principem, vt semper teneatur lege Iustitiæ, restitutionis vinculum inducente, conferre dignioribus; obligantur tamen ad hoc lege fidelitatis.

Dices, Ergo nunquam poterit petere beneficium vel officium, qui suos competitores videt esse digniores & aptiores.

Respondeo, Si certò illi constaret alios multo melius & fructuosius obituros officium. peccaret sollicitando, sicut & collator conferendo; quia debet bonum commune præferre priuato. Si tamen hoc illi non constet. (vt ferè semper fit. nõ enim qui maximè videtur idoneus, semper optimè præstat officium) & ope diuina confidat se tã benè functurum munere quam alios; non peccat, si bona fide se collatori offerat: quia ministros eligere non est ipsius, sed collatoris.

Dico Tertiò, Si fraus vel iniuria non censeatur verè causa damni secundum æstimationem moralem, sed occasio dumtaxat; non tenetur ad restitutionem. Ratio est; quia tunc damnum non sequitur ex vi actionis iniuriosæ, sed alunde. explico exemplis. Das alapam alicui, qui inde per impatientiam incidit in morbum, & moritur: vel libidine vlciscendi, te vult interficere, a quo non potes te expedire, nisi ipsum interimas: non teneris de damno secuto, vt supra ostẽsum c. 9. dub. 8. Scripsisti falsò literas, & sparsisti per viam, magnam esse in Hispania frumenti inopiam, quas Petrus repertas aperiens, mittit magnum frumenti numerum cum ingenti damno tuo: non teneris de damno, etsi grauiter contra charitatem peccasti; quia suæ leuitati assignare debet, quòd huiusmodi literis fidem adhibuerit. Secus si ad ipsum eas scripsisses & misisses. ita Lopez 1. p. cap. 124. 130 *Si solum est occasio.*

Petes, Vtrùm is qui secretum alterius per iniuriam cognouit, si eo vtatur in suum commodum cum incommodo alterius, teneatur ad restitutionẽ, v.g. Titius Camerarius scribit Romam ad Caium vacare beneficium in mense Pontificis. Literæ veniunt ad manus Sempronij: hic suspicatus quod reuerat, illas aperit, & postea clausas reddit Caio; sed illum præueniens apud S. Sanctitatem impetrat beneficium. 131

Si litteras detinuit.

Dico Primò, Si Sempronius litteras illas suppressit, vel serò reddidit, ita vt Caius non posset sollicitare, tenetur ad restitutionem quanti spes Caij æstimabitur. Ratio est, quia per iniuriam impedit illum a prosecutione illius beneficij. Tenebatur enim ex iustitia tempestiuè tradere, prout ei erat mandatum: ac proinde omissio tradendi, vel dilatio est contra iustitiam. ex hac autem directè sequitur, quòd non possit prosequi illud beneficium; & consequenter amissio illius beneficij. vnde & hęc iniustè inferuntur. nam quod directè ex actione iniusta sequitur, iniustè irrogari censetur. Tenetur ergo ille, non quanti valet beneficium, nisi forte certum erat illum fuisse obtenturum; sed quanti spes obtinendi æstimabitur.

Si legit.

Dico Secundò, Si literas tempestiuè tradidit, sed illas anteà artificio quodam apertas legit; & sibi beneficium impetrauit; probabilius est non teneri ad restitutionem. *Probatur*, Quia etsi commissa sit iniuria aduersus Caium in literarum apertione & lectione, non tamen in comparando beneficio, cum Caius non haberet maius ius quam alter; & cuius esset ius sollicitandi. Cõfirmatur, Quia etsi notitia aliqua per iniqua media sit parta; tamen postquã iam habetur, est illius qui illam possidet, & potest ea vti in suum commodum, non minus quàm si iusto modo acquisita esset: vt si noris secretam artem alterius operæ dæmonis; vel occultè ingressus illius musæũ, chartas eius euolueris, artificia inspexeris, potes illa arte vti. etiãsi lucrũ alterius indeminuatur. Similiter si illum coegeris vt te doceat, vt machinas suas tibi ostenderet &c. Etsi enim forte pro operæ docendi aliquid soluendum sit, tamen ratione vsus illius notitiæ, & lucri quod inde consecutus es, ad nihil ipsi teneris; cum nemo per talem vsum censeat alteri fieri iniuriam. Sicut enim illa notitia est tua, ita etiam vsus illius: & consequenter fructus, qui inde prouenit.

Dices, illa apertio & lectio literarum est iniuriosa Caio: atqui hinc sequitur ipsi damnum: ergo censetur damnum illatum per iniuriam. 132 *Obiectio.*

Respondeo, Damnum illud nõ sequitur ex apertione, aut lectione literarum, nisi remote & per accidens; quatenus inde sequitur notitia rei, & ex notitia sollicitatio, & ex sollicitatione permotio voluntatis collatoris; & collatio beneficij. itaque iniustitia statim intercipitur, & damnum illud sequitur Caio, ex eo quòd tu vteris iure tuo; & re tua. non enim ille caret beneficio, quia tu eum per iniuriam impediuisti, sed quia tibi conferri curasti: quod iure poteras. Simile esset, si visa vel contrectata bursa alterius (qualis fingitur fuisse bursa Fortunati) tantumdem tibi pecuniæ comparares quantum ea continetur: tunc enim etiamsi per iniuriam & vi illius bursam contrectasses, & tantundem tibi illo contactu comparasses, posses illa vti non minus, quàm si tibi ab illo donata fuisset. vnde si illum præuenires in emptione mercium, non teneretis ad restitutionem.

Petes,

133 *Quale peccatum.*

Petes, Quale peccatum eſt in illa litterarum apertione? videri poſſit non eſſe peccatum mortale. Primò, quia non facit animo lædendi, aut aliquod damnum inferendi, ſed ſolũ ſibi conſulendi: atqui non videtur eſſe peccatum, niſi quis animo lædendi id faciat, aut læſionem iniuſtam inde ſecutũ putet, aut dubiter; vt indicat Nau.c.18.n.53. Secũdò, quia ſi litterę illæ non fuiſſent ſignatæ; vel ſi iã reſignatæ fuiſſent inuentæ in cubiculo alterius, non eſſet peccatũ mortale illas legere: atqui reſignatio non eſt peccatum mortale niſi ratione lectionis, ergo cùm lectio per ſe non ſit peccatum mortale, neque reſignatio erit. Tertiò, Poſſum aperire litteras inimici, ſi ex illis metuo mihi notabile nocumentum; ergo etiam litteras amici, ſi inde ſpero magna commoda abſque iniuria alterius.

Sed verius videtur eſſe peccatum mortiferũ. Ratio eſt, quia communi hominũ iudicio reſignare litteras alterius, & legere in re magni momenti, cenſetur grauis iniuria, & in eum qui illas miſit, & in illum ad quẽ mittuntur. Sigilla enim cõſenſu gentium adhibentur tamquã ſupremum munimen, & cuſtodia ſecreti chartis commiſſi: vnde iure gentium debent eſſe inuiolata; ſicut legati. Sine enim huiuſmodi immunitate & veluti priuilegio vix poſſet eſſe communicatio inter abſentes: quod in magnum damnũ Reipub. redundaret. Violare ergo ſigillum eſt res grauis, vtpote tendẽs ad auerſionem communicationis inter abſentes; ac proinde peccatum mortiferum.

Quando non ſit peccatum mortale.

Poteſt tamẽ excuſari; 1. Si ſit Superior regularis qui aperit. hic enim ius habet aperiendi litteras quæ mittũtur ad ſubditum ab ijs, quibus Superior ille non ſubeſt. Idẽ dicẽdum de parente & alijs qui ſunt loco parentis. 2. Ex ratihabitione mittentis, vel eius ad quẽ mittuntur. 3. Cauſa ſibi cauẽdi ab iniurijs & infidijs: quomodo litterę interdũ intercipiuntur & aperiũtur à magiſtratibus. 4. Si ex inaduertentia fiat, putans eas ad te ſcriptas. 5. Si contineãt res parui momenti. 6. Si ex curioſitate, & nullũ ſit periculũ alterius incõmodi. Vide Nau. ſup. & Emanuelẽ Sã v. Litterę.

134 *Impediens confiſcationem.*

Petes Secũdò, Quid ſi is, cuius bona ob crimẽ iuſtè ſũt cõfiſcanda vel diripiẽda, fraude aut mendacijs impediat; teneturne ad reſtitutionẽ? Videtur teneri, quia iniuſtè impedit fiſcũ ab eo conſequẽdo ad quod ius habet, maximè ſi crimẽ ſit ſaltem ſemiplenè probatũ; tunc enim tenetur veritatem fateri. Vnde in hoc caſu talem teneri ad reſtitutionem docet Sotus l.1.de iuſt.q.6.ar.6. paulò ante quintã cõcl. Et Mol. diſp. 95. §. Duo ſunt; eſtq; opinio probabilis.

Sed contraria eſt verior & probabilior, quã tenet Nau. c.18.n.49 Bannes 2.2.q.62.ar 3. Petrus Arragon. & Mich. Salon. ibid. Sancius lib. 10. de matrim. n. 14. Probatur, quia huiuſmodi occupatio bonorum conſtituta, eſt in pœnam criminis: atqui pœna non debetur ante ſententiam ſaltem declaratoriã criminis; vt communiter DD. tradunt: imò non eſt ſoluenda ante ſententiam conſtitutiuam pœnæ, qua ipſa pœna iubeatur ſolui: ergo ſententia non ſequuta non debetur pœna.

Dices, non deberi per modum pœnæ ratione criminis initio commiſſi, ſed per modum compenſationis damni, ratione doli, quatenus mendacijs impediendo curſum iudicij, & ſententiam, impediuit commodum, quod inde erat obuenturum fiſco.

Obiectio.

Sed contra Primò, Quia opus illud quo ſententiam impedit, non eſt contra iuſtitiã commutatiuam, nec propriè iniuria, ſed ſolum contra veritatẽ, obedientiam & iuſtitiã legalem, quæ virtutes nõ obligant ad reſtitutionem. Non enim poſita ſemiplena probatione, tenetur lege iuſtitiæ cõmutatiuæ veritatẽ fateri; ſed lege obedientię & iuſtitię legalis, vel religionis ſi iurauit. Deinde etiamſi opus illud quo impedit eſſet iniuria, in ordine ad ferendã ſententiã (vt ſi minaretur iudici ne ſententiam ferat, vel actori ne in cauſa pergat) nõ eſſet tã iniuria in ordine ad illa bona, quatenus fiſcum, vel actorem ab illis obtinẽdis impedit. Ratio eſt; quia ſicut quiſque habet ſummum ius in tuẽda vita: ita etiam in tuẽdis bonis, quæ ſunt inſtar vitę cũ abſque illis *vita* ſit *inuita*. vel, vt Græci dicũt, *βίος αβίωτος* vnde etiã ipſa bona *βίοι vitæ* vocantur. Ergo ſicut is qui non ſinit ſibi eripi vitam alioquin iuſtè ob crimen auferendã, nõ facit iniuriam reſtitutioni obnoxiam, etiamſi alteri indè maximum commodum erat obuẽturum; ita nec is qui non ſinit ſibi eripi bona iuſtè alioquin in pœnam criminis auferẽda facit iniuriam reſtitutioni obnoxiam. Facit quidem iniuriam reſiſtendo armis iudici vel illi minãdo; hæc tamen iniuria non eſt in illum, cui pœna erat applicanda: quia ille ius non habebat, niſi ſuppoſita ſententia iudicis. Imò illa ſuppoſita, non habet ius vt reus ſponte bona ſua ei tradat, aut vt cum illis non fugiat; cũ ad horum nihil ſit cõdẽnatus: ſed ſolũ, vt per miniſtros publicos ea occupet & auferat: qua occupatione facta, & pacifica eorum poſſeſſione obtẽta, reus nõ amplius ius habet illa furripiendi aut vi auferendi, cũ illorũ dominũ, & poſſeſſionẽ omino amiſerit: vnde ſi poſtea auferret, teneretur ad reſtitutionẽ.

Confirmantur ſupradicta; Primò, Quia cùm bona ſũt alteri applicanda, reus non minus iuris habet ad ea defendenda ne ſibi auferantur, quàm cùm nulli ſunt applicãda, ſed igne vaſtãda. Nõ enim ipſe ob vtilitatem alterius minus eſt liber ad impediẽdam rerum ſuarum ablationem; hæc enim ipſi æque grauis eſt, imò grauior, cum alteri prodeſt. Atqui cùm ſunt vaſtãda, non facit iniuriam reſtitutioni obnoxiam etiamſi fraude, dolo aut vi impediat ablationem; ergo neque cùm alteri ſunt applicanda. Cõfirm. Secundò, Quia obligatio illa reſtituendi nimis eſſet grauis, nec accõmodata fragilitati humanæ. Quotuſquiſque enim eſt hominum, qui vbi bona ſua hoc modo eripuiſſet periculo amiſſionis, ſponte ea offeret fiſco, vel alteri, cui in pœnam ea erant ceſſura? Sanc vix vllus reperietur. atqui lex vt iuſta ſit, debere ſe hominum moribus & fragilitati attemperata, vt communiter Theologi, & Canoniſtæ docent. cap. Erit, cap. In iſtis. d.4.

135 *Cõf. ſ. Hinc.*

Hinc infertur Primò, Hæreticum, qui fraude, mẽdacijs, falſis teſtibus ſe defendit, & impediuit ſententiã, aut confiſcationem bonorum, non teneri ad reſtitutionem. Quia non fecit iniuriam fiſco, vel ſaltem non talem, quæ reſtitutioni ſit obnoxia, propter ſummum ius defenſionis ſui ipſius, & rerum ſuarum.

Secundò, Idẽ dicendũ de adultera, quę ipſo iure amittit dotem. Nõ enim tenetur ea quę habet tradere ante ſẽtentiam definitiuam & vltimam. Vnde etiãſi falſis probationibus ſe defendat, aut falsò probet etiam maritũ mœchatum eſſe, ſicq; ſententiã diuortij impediat, non tamẽ tenetur ad reſtitutionem. Similiter ſi à ſententia appellet, etſi iniquè nam appellatio ſuſpendit ſententiã. Ita Sãcius ſupra, multos alios citans. Si tamẽ maritus dotem habet, non tenetur eam repetenti reſtituere; quia poteſt ei oppone re exceptionem adulterij; vt apertè colligitur ex capite Plerumque de donationibus inter virum & vxorem.

Tertiò, Idem locum habet in eo, cuius bona ob nõ ſolutum veẽtigal, vel res prohibitas importatas aut exportatas ſunt ipſo facto commiſſa ſeu addicta fiſco, vel reden ptori, hoc enim cùm fiat in pœnã criminis, requirit ſententiã iudicis, vel euidentiam tantã, vt poſſit iuſtè ferri ſententia. Vnde ſi ſententia impediatur, vel ita agatur vt crimen certo cõſtare non poſſit; non tenetur. Similiter, ſi cũ rebus ſuis priuſquã occupẽtur, fugiat. Ipſum tamẽ veẽtigal, ſi iuſtum erat, tenetur ſoluere; quia non eſt cõſtitutum in pœnam, ſed in iuſtam compenſationẽ ratione ſecuritatis vel gubernationis, quã princeps in patria præſtat.

Quartò, Idẽ cernitur cùm miles iuſtè oppidũ aliquod cõceſſu Principis expilat. Fit enim hoc in pœnam delicti, cuius omnes præſumuntur participes. Vnde etiamſi mẽdacij, fraudibus, vel etiã vi militem impedias, ne res tuas diripiat, non teneris ei ad reſtitutionem. Addo tamen in prædictis caſibus, ſi aliquod damnũ iniuſtè inferatur ab eo, qui res ſuas tuetur, teneri ad illius compenſationem; vt ſi falſis teſtibus ſe defendat, tenetur ad expenſas litis; ſi reſiſtendo lædat, tenetur ad expenſas medicorum.

136 *Teſtes.*

Petes Tertiò, Quid dicendũ de teſtibus, qui falsò teſtimonio impediunt ſententiam, & conſequenter confiſcationẽ? Videntur ſanè non teneri ad reſtitutionem, etiamſi rẽ ſuam non defendant, ſed alienam. Si enim principalis auctor, & qui mandat, non tenetur, cur teneantur ſecundarij, qui illum iuuant? Deinde quia fiſcus vel actor non habet ius ad bona occupãda, niſi poſita ſententia: ergo ſi illa non ponatur, non fit ei hac ex parte iniuria. Cõfirm. Quia à tali teſte detecta falſitate fiſcus non ſolet exigere compenſationem damni, q̃ bona rei non obtinuerit; ſed ſatis habet illum puniri vt periurum; non ergo cenſet ſibi factam iniuriam reſtitutioni obnoxiam.

Verùm autem Iudex teneatur ad reſtitutionem, ſi huiuſmodi reum non condemnet, vide infrà c.13.nu.73.

DVBITATIO XIX.

Vtrùm si quis damnum intulerit in re adhuc in dies crescente, teneatur integrè, perinde ac si adulta esset, rependere.

137 DOMINICVS Sotus l.4.q.6.a.5.& Mich.Salon.q.62. a.4.affirmant,si ex malitia rem illam peremit;nō autem si ex negligentia.vt si conculcasti segetem,nunc æstimatam 100. in messe 200. Si interemisti pullum equinū, nunc valentem 20.intra biennium 100.Ratio illorum est; quia dominus rei non tenetur eam vendere pretio, quo nunc valet,sed potest eam retinere.præstando omnes casus,eosque non æstimando.

Tenetur solum ad rei æstimationē.

Respondeo,Contrarium esse verius.Ratio est;quia restitutio damni illati non est vnquam facienda nisi secundum æqualitatem;prout prudentes arbitrabuntur.itaque pro talibus segetibus non est amplius restituendum, quā illæ iudicio prudentum ipectatis circumstantijs tunc valebant.Idem dicendum dé pullo equino & similibus.

Est maior iniuria.

Nec obstat,quòd ille eo pretio vendere noluisset; hinc enim non sequitur damnū esse maius quàm ipsa res nunc valeat,sed iniuriam esse maiorem; quia hinc fit vt damnū fit magis contra domini voluntatem;quod ad incrementum iniuriæ pertinet.non damni:pro qua iniuria,non pecunia,sed veniæ petitio, vel quid simile præstari solet.vnde illa distinctio damni ex malitia & negligentia, sententiam Soti non iuuat. etsi enim maiorem faciat iniuriam qui infert damnum ex malitia, quàm qui ex negligentia, non tamen infert maius damnum.vnde neque ad maiorem tenetur restitutionem.

DVBITATIO XX.

Vtrùm qui in tempestate eijcit merces alienas, teneatur ad sarciendum damnum.

138 RESPONDEO, & dico Primò, Si is, qui eijcit alienas habet suas, tenetur illi pro sua parte ad restitutionē.Ratio est;quia cùm etiam propriæ merces coperentur ad nauis depressionem.iniquum est totū onus conferre in merces alterius. Imo hoc casu,omnes tenētur pro sua parte,qui ibidem merces habent,vt patet L.2.& 4.ff. de lege Rhodia,de iactu.

Sed teneturne pro mercium suarum æstimatione, an ponderē?Quid si tātum habeat geminas vel margaritas, quæ nauem parum onerant?

Omnes tenentur pro ratione mercium.

Respondeo,Sepositā lege positiua,videtur tantum habenda ratio ponderis; quia pondus adfert naui periculū, non æstimatio vel pretiositas.Lege tamen positiua statutum est, vt habeatur ratio æstimationis, vt quisque pro mercium pretio conferat ad compensandum ei, cuius merces sunt eiectæ. Cuius ratio esse videtur, quia quò merces tuæ sunt magis pretiosæ,eo pluris interest tua,vt nauis salua sit, ac proinde eò amplius te in collationem dare par est.quæ ratio habet quidem aliquid æquitatis,ob quam possit lege sanciri: si tamen lex absit, alterum videtur seruandum.

139 Dico Secundò, Si is, qui alienas eijcit, nullas habeat, non tenetur ad vllam restitutionem. Colligitur ex L. secunda, vt dicitur, *Liberi corporis,non oportere fieri æstimationem*,nempe ad sarciēdum damnum.Idem docet Io. Med. C.de rest.q.3.causa 1.& Pet.Nau lib.3.cap.1.nume.381. Probatur; quia id potest duplici iure, *Vsus & defensionis*. Iure Vsus,quia quando alicuius rei vsus mihi est extremè necessarius ad vitam conseruandam,possum eam rem licitè consumere: & si inde non sum factus ditior, non teneor ad restitutionem; vt si hostem fugiens infiliam in equum alienum, qui in fuga perimitur; non enim ratione acceptionis,vt quæ sit concessa; neque rei acceptæ, vt quæ non extet in se vel in sui pretio; neque contractus, cū nullus intercesserit,vti suppono.Hęc tamen ratio non habet locum, nisi in paupere; & forte contrarius huius fundamenti est verius:vt infra capitulo decimosexto,dubitatione prima dicetur. Altera tamen ratio est solida; nempe ex Iure defensionis: quia iure naturæ quiuis potest à se repellere,quidquid ei adfert interitum,vel est impedimento, ne se possit in extremo periculo saluare: atqui merces illæ adferent interitum, deprimendo nauem. cui infideo. Idem dicendum, si quis fugiens perrumpat parietem, vel conculcet segetes, aliter se saluare non valens,vt rectè Petr. Nauar.

Eijciens alienas.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De cooperantibus ad furtum vel damnum.

Complectitur dubitationes 11.

NOTANDVM est, Dupliciter furtum vel damnum inferri posse. Primò, immediatè exequendo, & de hoc dictum est capit.12. Secundò, mediatè cooperando: vt consulendo, mandando,&c. De his modis nunc agendum est:sic enim plene intelligetur quis ad restitutionem tenetur.

DVBITATIO I.

Quot modis censeatur quis mediatè cooperari ad damnum alterius.

RESPONDEO, Passim à Doctoribus nouem modos numerari, qui continentur hisce versibus:

Iussio,consilium,consensus,palpo,recursus,
Participans,mutus,non obstans,non manifestans.

Et sic in vniuersum sunt 9.genera personarum,quæ tenentur ad restitutionem, præter executorem. De quibus modis vide D.Thom.q.62.ar.7. & Gabrielem in 4.q.2.d. 15.art.3.Sylvest. Restit.3.q.6. Adrianum in 4.tract de resti.q.1.§.Circa prædicta.Ioannē Med.C.de rest.q 7. & 8. Sotum lib.4.q 7.art.3. Couar.ad reg.Peccatum p.2.§.12. Denique Nauarrum,c.17. num.17.& seq.

Aduertendum est,sex prioribus modis,positiuè cooperari,tribus posterioribus, priuatiuè.

DVBITATIO II.

Vtrùm ij,qui positiuè cooperantur,semper teneantur ad restitutionem:an solum quando sunt causa,sine qua damnum non fieret.

QVIDAM DD. sentire videntur,hosce cooperatores solum teneri ad restitutionem.quando ita cooperantur mandando,cōsulendo,consentiendo,&c. vt sine ipsis damnum non fieret: quando verò sine ipsis æquè damnū inferretur,non teneri.Ita docet D. Ant. p.2. c.1. tit.12.§. 12.ex Paludano & Richardo.Syl. Rest.3. q.6.§.3.vbi dicit hanc esse communem sentētiam,Adrianus in 4.§. De concurrentibus cum fure.Nau.c.17.nu.17.& seq.denique ipse D.Th. in 4. d.15.q.1.art.5.ad 3.quæstiunculam.quæ sententia quodam sensu est aperte falsa, quodam certa, quodam probabilis.vt autem res intelligatur. 1

Dico Primò, Qui iubet,consulit,consentit, laudat,vel refugium præbet executori, ita vt ex hisce causis ille motus fuerit ad damnum inferendum, non ideò excusatur à restitutione,quod alius non defuisset,qui iussisset, consuluisse,&c.Ita docet Caiet.quæst.62.ar.6.Ioannes Medina quæst.7.Sotus lib.4.q.7.ar.3.& alij.Est certa,nec credibile est,auctores prioris sententiæ id negaturos. quòd si eorum 2

Nemo excusatur ex eo quòd alius erat id inquè facturus.

rum ſententia ſic accipiatur, vt huic repugnet, eſt apertè falſa. Probatur; quia talis ita eſt cauſa damni in hoc caſu, vt ſi ipſe vel alius ſimilis non moueret executorem, damnum non fieret; ergo verè eſt cauſa ſine qua non fieret. Patet conſequentia, Nam cauſa ſine qua non, eſt ea, quæ ita cooperatur, vt ſine ipſa vel ſimili ſuperueniente, non fieret effectus à cauſa executrice; non autem illa dumtaxat, quæ ſi abſit, effectus non fiet: nam alioquin is, qui ſuadet vel præcipit homicidium, nõ eſſet cauſa, ſi alius erat ſuaſurus, vel præcepturus: imò occiſor non erit cauſa damni, ſi alius erat occiſurus: quę apertè ſunt falſa. ſicut enim ille iniquè erat facturus, & reſtitutionis obligationem incurſurus, ſi ſuaſiſſet vel præcepiſſet maleficium; ita etiam is, qui in eius locum ſuccedit.

3 Dices, Illa dumtaxat eſt vera cauſa, qua poſita ſequitur effectus, & qua non poſita non ſequitur: ergo ſi tuo conſilio nõ poſito, effectus nihilominus ſequeretur, tuum conſilium non poteſt cenſeri cauſa.

Reſpondeo. Non eſſe de ratione cauſę, vt illa non poſita, effectus non ponatur; ſed tantum vt illa poſita, effectus ponatur: idem enim effectus poteſt poni per multas cauſas. pari modo cauſa ſine qua non, eſt ex cuius cooperatione, ſequitur effectus, ita vt niſi ipſa vel ſimilis ſuperueniens cooperetur, non ſequatur effectus.

4 *Si eodem modo malum erit patrandum.* Dico Secundò, Si executor abſque illo conſilio, conſenſu, mandato, laude, vel miniſterio ęquè bene & eodem modo damnum erat illaturus, quamuis nulla alia ſimilis cauſa eſſet ſuperuentura; tunc illi non tenentur ad reſtitutionem. Eſt communis ſententia DD. vt ſi conſilio, mãdato, laude, inuites eum, qui antè ad facinus paratiſſimus erat, quique nõ ideò celerius, atrociùs, aut amplius inferet mali, nec firmabitur in propoſito, nõ teneris ad reſtitutionẽ.

5 Ratio eſt; quia etſi grauiter pecces, etiam cõtra Iuſtitiam, tamen conſilium & mandatum tuum inefficax eſt; quia damnum ex ipſo tamquam ex cauſa non ſequitur, ipſumque dumtaxat vt quid concomitans ſe habet. hoc modo Petrus Nauarra lib 3. capit. 4. numero 48. & quidam alij putant explicari poſſe ſententiam illorum DD. quo ſanè ſenſu eſt certa.

6 *Doctores non requirunt vt eodem modo abſque cooperatione ſit inferendum.* Sed ſi quis eorum verba perpendat; illi non requirunt, vt damnum eodem modo ſit inferẽdum ab executore; ſed tantum vt abſolutè ſit inferendũ, ſiue cum iiſdem circumſtantijs, ſiue cum diuerſis. Sententia igitur illorum Doctorum eſt, hos nõ teneri, etiãſi executorẽ mouerint vt citius vel animoſius, vel alio loco faceret, ſi ipſe iam ita erat comparatus, vt ſine ipſis vel ſimilibus ſuperuenientibus abſolutè eſſet facturus. pari modo ſi cauſam dederint, vt plus damni inferret, quàm alioquin illaturus erat, non tenentur niſi ad illud amplius. Probatur; quia D. Thomas ſupra, vt cõſulens teneatur ad reſtitutionem, duo requirit, nempè, *vt probabiliter credat, conſilium ſuum fuiſſe efficax. & quòd ſine eo iniuſta ablatio commiſſa non fuiſſet.* vbi ſatis inſinuat, etſi conſilium ſit efficax, ita vt moueat executorẽ, vt citius vel expeditius faciat; tamen non inducere obligationem reſtituendi, ſi executor abſque conſilio erat facturus, licet nõ eodem modo D. Antoninus, ex Paludano, *Si ſine conſilio vel mandato fuiſſet nihilominus facta rapina vel damnificatio, & nihil amplius per illa eſt additum, non tenentur, niſi quantum ad eos de rapina peruenit: ſi verò aliquid amplius ex mandato vel conſilio factum eſt, ad illud amplius tenentur in ſolidum.* hic ſolum requirit, vt ipſa damni ſubſtantia abſque conſilio fuerit inferenda; non autem vt eodem modo vel tempore. Idem diſerte docet Nau. nu. 20. & ceteri ſupra citati, & Gabr. in 4. d. 15. q. 2. ar. 3. dub. 2.

7 Hæc ſententia eſt probabilis. Primo, propter Doctorum auctoritatem. Secundò, propter rationem: quia iſti tunc non tam ſunt cauſa ſubſtantiæ damni, quàm modi vel circumſtãtiæ, cum qua mandatur executioni; vt quòd fiat hoc tempore, hoc loco, hoc inſtrumento, hoc modo, vel cum hoc incremento: ergo non tenentur ſubſtantiam damni rependere.

8 *Si damnum aque abſque tali cooperatione erat inferendum non teneri.* Dices, Sunt cauſa totius actionis, vt hic & nunc ſit: ergo tenentur. Confirmatur, quia non poteſt quis eſſe cauſa illorum accidentium & circumſtantiarum, niſi etiam ſit cauſa ſubſtantiæ actionis.

9 *Obiectio.* Reſpondeo. Ob hoc argumentum altera ſententia (hos obligari in ſolidum) eſt valde probabilis: quam tenẽt Caietanus, Medina, Sotus & Petrus Nauar. ſupra. Reſpõ-

Reſponſio.

ri tamen poteſt; etiamſi ſint cauſa totius actionis indiuiduæ, vt hic & nunc ſit; tamen quia illa actio, quatenus dã noſa ſecundũ ſuam ſpeciem iam erat parata in cauſa exequente, & omnino ſecutura, non videntur circa eã quidquam efficaciter operati, niſi inducendo nouas circũſtantias, quod non eſt magni momenti ad ſubſtantiam damni. quando etiam aliqua cauſa eſt exitura per ſe in actum; parum refert vtrum hoc celerius fiat an tardius, hic an alibi, hac an illa actione indiuidua, hoc an illo inſtrumento. Ad confirmationem, Concedo eſſe cauſam ſubſtantiæ illius actionis in indiuiduo, nempè quòd potius ſit *hæc* indiuidua actio quàm illa: ſed hoc parũ facit ad obligationem reſtitutionis.

Primò, Quia qui eſt cauſa vt differatur damnum in craſtinum, eſt cauſa cur ſit alia actio indiuidua damnificans, & tamen non tenetur. Similiter qui rogat vt alio loco occidat, vbi minus erit ſcandali.

Secũdò, Qui volenti furari 10. ſuadet vt furetur 20. eſt cauſa illius indiuiduæ actionis, qua vult 20. & illius, qua accipit 20. & tamen non tenetur niſi ad 10. eo quòd furti dumtaxat horum, cenſeatur cauſa, vt docet Medina, Couarru. Petrus Nauar. & alij: ergo vt quis teneatur in ſolidum, non ſufficit vt ſit cauſa totius actionis vt hic, & nũc fit, ſed vlterius requiritur, vt actio illa ſecundũ ſuam ſpeciem, ſine tali cooperatione à tali executore non ſit proceſſura. Ex his patet, hãc ſententiam eſſe probabilem, etſi altera quoque probabilis ſit, & hoc tempore in ſcholis receptior. vnde ſentio in praxi ordinarie ſequendam; id enim iſti iniqui cooperatores merentur, vt in poſterum ſibi caueant. 10

DVBITATIO III.

Quomodo oporteat poſitiuè cooperari, nempè conſilio, iuſſione, conſenſu, palpatione, receptione, & participatione, Vt cenſearis cauſa damni.

RESPONDEO Primò. De *Iuſſione*. Qui ita iubet, vt alterius animum ad maleficium moueat, cenſetur damni cauſa: imò inter cauſas præcipua: quia non eſt efficacior modus, quo creatura rationalis liberè ab alio moueatur, quàm per mandatum. mandans enim, quamdam obligationem & neceſſitatem imprimit alteri. Dupliciter autem poteſt quis mãdare, Primo, Expreſsè; vt ſi dicas famulo, Occide, volo occidas. Secundò, Implicitè; vt ſi dicas, Vtinam mihi hoc obſequium quis præſtet, charus mihi erit qui hoc fecerit. 11 *Iuſſio.*

Aduerte tamen Primò, Si reuoces mandatum ante maleficium patratum, idque mandatario innoteſcat, non teneris; quia iam tollis cauſam: qua de re ſunt multa Iura. mandati. 12

Secundò, Enim, qui ratum dumtaxat habet maleficium nomine ſuo factum, non obligari in foro conſcientiæ ad reparationem damni, vt rectè Medina quæſt. 7. ad quartũ argum. quod eſt contra Nauarrum cap. 27. nume 233. qui putat ratihabitionem obligare inſtar mandati, ſi dũ mandare poteras, damnum tuo nomine ſit illatum. Sed contrarium eſt verum. Ratio eſt; quia ex illa ratihabitione facti præteriti, ipſum factum, per quod damnum illatum eſt, nullo modo pendet, tamquam ex cauſa mouente. Nec refert, quòd nomine tuo factum ſit; quia inde tantum ſequitur voluntatem tuam fuiſſe cauſam finalem, & ideo illum feciſſe, vt tibi gratificaretur, quia putabat tibi gratum futurum: ſed hoc non ſufficit, vt tu cenſearis cauſa efficiens, & voluntariè mouens ad damni irrogationem. Finis enim non mouet voluntariè, ſed naturaliter, ex parte ſua. 13 *Ratum habens.*

Dices, Cap. Ratihabitionem, de regulis Iuris, in Sextò, dicitur, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſſe dubium comparari.*

Reſpondeo, Comparatur mandato, nõ reſpectu operis patrati, & obligationis reſtituendi, ſed reſpectu contractuum. (quia ſola voluntate foris expreſſa firmari poſsũt contractus, præteriti, non autem cauſari damnum præteritum) Item reſpectu pœnæ in foro externo: quia qui ratum habet maleficium, punitur ſicut qui mandauit.

14 *Conſilium.*

Secundò, *De conſilio*. Hoc ſimiliter eſt cauſa, dum quis ex eo permouetur ad faciendum opus. Huc etiam pertinent preces & promiſſiones. Ex quo vero culpa in dando cõſilio quis teneatur, explicatum eſt ſupra c.7.dub.7. Modo ſetis ſit, cum teneri, qui fraude vel culpa lata iniquum conſilium dedit.

Sed difficultas eſt. Primò, Si conſultor ante perpetratum maleficium reuocet conſilium, vtrum nihilominus teneatur?

15 *Reuocans conſilium ſi teneatur.*

Reſpondeo, & dico Primò, Si dediſti cõſilium falſum vel inito fundamento iuris (v.g. dicendo contractum eſſe licitũ, bellum eſſe iuſtum. & ſimilia) ſufficit vt poſtea retractes ſententiam, dicendo te deceptum, & ſincerè veritatem explices, eo modo, ijſque rationibus, vt is, cui conſilium dedit, intelligat te ex animo, non muneribus corruptum loquutum: eam prius conſilium ſatis elidit. vnde ſi ille nihilominus in concepto facinore perſiſtat, iam non tuo conſilio, ſed ſua duntaxat malitia, vel priuata opinione videbitur moueri; ac proinde tibi non imputabitur.

16 *Conſilium falſum ſolum reuocatum in ſe, ſi ſufficiat.*

Dico Secundò. Si dediſti conſilium verum, oſtendendo voluptatem vel honorem, qui ex opere iniquo conſequetur, vel machinanti malum occultam nocendi rationem aperuiſti, non ſufficit reuocare oſtendendo rem eſſe illicitam, ſuadereque contrarium, ſed oportet perſuadere. ſi enim ipſe permotus illa voluptate, vel commoditate exequẽdi, quem aperuiſti, facinus perficiat, teneberis. Ratio eſt, quia oſtentione commodi vel honoris, voluntatem ipſius ad damnum inferendum permouiſti, & hæc motio manet, quamdiu ipſe eodem motiuo incitatus, cõceptum facinus vult proſequi: ergo cum ſis cauſa illius voluntatis, eris cauſa effectus eius, ſcilicet damni ſecuti. Simili modo, occultam nocendi artificium aperiendo, veluti arma & auxilia inſtruxiſti vt nocear, ſine quibus non potuiſſet nocere, & per quæ in propoſito nocendi ſuit confirmatus: ſicut qui furcuti præbet arma vt inimicum occidat, tenetur, niſi ipſa abſtulerit one illis occidat. Confirmatur, quia cum primum conſilium dares, debebas cogitare mala, quæ inde ſequi poterant, & non fore poſtea in tua poteſtate impedire, quin cõſilium illud exeat in opus.

17 *Diſcrimen inter mandantem & conſultorem.*

Hinc intelligi poteſt diſtinctio inter *mandantem* & *cõſultorem*: cum enim mandatarius agat nomine mandãtis, vt ipſius voluntati morem gerat, hoc ipſo quo mandans reuocat mandatum, & reuocatio innotueſcit mandatario ante operis executionẽ, ceſſat omnis ratio agendi, à mandante propoſita; ac proinde omnis motio, ab ipſo proueniens, non ſecus ac ſi vis ſelo impreſſa, ſubitò cohibeatur & extinguatur. Dixi, *Si reuocatio innotueſcat mandatario*, quia ſi non innotelcat, tenetur mandator, effectu ſecuto, non minus, quam ſi non reuocaſſet; quia ex vi mandati damnum datum eſt. Vnde etiam incurrit cenſuras & irregularitatem, ſi forte mandati, (vt v.g. in percuſſione Clerici) poſita ſit: nec refert quod modò ſit in ſtatu gratiæ; quia etſi cenſura talis non contrahatur niſi propter peccatum mortiferum, non tamen eſt opus, vt illius peccati culpa tunc committatur, ſed ſufficit cõmiſſam eſſe, & effectum eius, ſeu opus externum ex vi illius tunc fieri: ſicut in propoſito accidit. Nam opus externum imputatur mandati tamquam auctori principali, qui altero ſit vſus vt inſtrumento. Qui verò conſilium accipit, agit nomine ſuo, id eſt, vt rebus ſuis conſulat, vnde non ſtatim ceſſat ratio agendi ipſi impreſſa, niſi contrarium perſuadeatur, vel certe mitigetur illam rationem, ob quam motus fuit, non ſubeſſe. vnde effecto ſecuto, cenſuras incurret.

Quando verò quiſpiam precibus, blanditijs, promiſſis induxit alterum ad conflandum maleficium; ſufficit, vt quantum in ſe eſt, oſtendat ſibi diſplicere, ſeque propoſitum mutaſſe, & promiſſa reſcindere. nam alter nomine ipſius actuus erat, ſeu vt ipſi gratificaretur.

18 Aduerte tamen, non eſſe improbabile, conſultorem nõ teneri, ſi conſilium, quantum in ſe eſt, reuocet, & contrarium perſuadere nitatur, quamuis reipſa non perſuadeat. Ita Petras Nauarra lib.3. cap.4. numero 27 citans pro ſe Ioannem Medinam. Idem docet Salonius quæſtione 62. articulo ſeptimo, controuerſi 6. Neque ponunt in hoc diſcrimen inter mandantem, & conſultorem. Ratio eſſe poteſt, quia quando fecit quod poteſt, vt conſilium prius euertat, vel oſtendit, omnibus conſideratus eſſe iniquum & non ſequendum, non videtur executor ipſius conſilio moueri, ſed ſua malitia. Sed quod diximus videtur verius.

Petes, Vtrum ſi mandatarius poſt reuocationem mandati ipſi inſinuatam perſtet *in propoſito* patrandi maleficij; v.g. occidendi Titij, teneatur mandans lege iuſtitiæ monere Titium vt ſibi caueat, vel aliter impedire effectum. Quidam putant ſic teneri. Ratio eſt; quia mandans dando mandatũ de Titio occidendo, fecit ei iniuriam. ergo ex iuſtitia tenetur impedire damna, quæ ex illa iniuria ſequi poſſent. ergo ſi ſcit inde ipſi imminere periculum, ex iuſtitia tenetur illud impedire, prout commodè poteſt. v.g. admonendo illum vt ſibi caueat, &c. Confir. Quia ad hanc obligationem ſufficit, vt Titius ex iniuria à mandante illata, ſit conſtitutus in hoc periculo.

Sed contrarium tenent plerique DD. non teneri lege iuſtitiæ, ſed ſolum charitatis, etſi forte ſtrictius quam alij, eò quòd occaſionẽ periculi dederit. Ratio eſt; quia etſi fecerit iniuriam Titio mandando eius homicidium, & voluntatem alterius ad hoc flectendo, tamẽ hæc iniuria ante effectum fuit ablata. Nam voluntas illa occidendi in gratiã mandantis, plane euanuit. Nec refert quòd ille dicatur peritare in voluntate occidendi, quia hæc voluntas non eſt eadem, ſed diuerſa, vtpote ex alio motiuo concepta, quæ plane per accidens & fortuito ſequitur priorem voluntatem. Ad confirmationem, Periculum in quo poſt reuocationem mandati Titius verſatur, non eſt ex iniuria, vel opere mandantis, ſed ex malitia & arbitrio mandatarij. Denique ſi illa ſententia vera eſſet, mandans ſemper teneretur ad reſtitutionem ſecuto effectu, etiamſi non ſolum reuocaſſet mãdatum, ſed etiam omnibus alijs modis conatus fuiſſet impedire: ſicut qui per iniuriam conſtituit aliquem in periculo hoſtium, ex quo illum non poteſt eripere, tenetur ſecuto damno.

Secundò, Difficultas eſt, Vtrum conſulens minus damnum ad auertendum maius, teneatur ad reſtitutionem? 19 *Suadens minus malũ.*

Reſpondeo, Si conſulas inferri alicui damnum minus, ne eidem inferatur maius, non teneris. Ratio eſt; quia vtiliter negotium illius geris, & meritò tibi gratiam debet pro hoc beneficio. Neque peccas ſuadẽdo minus, etſi ille de eo non cogitaſſet, (vt putat Petrus Nauarra ſupra nu. 29.) quia non ſuades abſolute, (hoc enim eſt illicitum, ſicut & facere) ſed ſub conditione nempe ſi alterum omnino velit facere, vel ſi aliter à maiore abduci non poteſt: quæ conditio intelligitur, quando ſuaderur ei, cuius animus putatur obſtirmatus: Si autem ſuadeas latroni, vt alteri, de quo non cogitabat damnum minus inferat, teneris: quia iniuriam illi facis, dum illum animo latronis, nocendi cupido, obijcis. nõ enim licet impedire damnum Petri cum iniuria Pauli. Hinc ſequitur, Peccaſſe Loth Geneſ. 19. dum Sodomitis in hoſpites irruere conantibus, ſuaſit ſtuprum filiarum, quia ſuaſit iniuriam in eas, de quibus ipſi non cogitabant: vt omittam, quòd ex officio paterno earum pudicitiam tenebatur tueri: quamuis forte excuſari poſſit, quòd vel ex perturbatione id dixerit, vel ad declarandam ſceleris, quod attentabant immanitatem. quomodo dicere ſolemus, Me potius interfice quàm illi noceas. vide Caietanum in illum locum, & Lippomani Catenam.

Aduerte tamen Primò, Si Paulus eſſet vir opulentus, qui nõ puteretur grauate ſuſcepturus minus damnum ad auertendum damnũ Petri multo grauius, liceret illud cõſuiere. Idem videtur, ſi Petrus illud minus damnum Paulo eſſet repenſurus: tunc enim Paulus ex charitate teneretur permittere.

Secundò, Si latro de vtroque cogitaret, & anceps eſſet vtri vellet damnum inferre, conſtituiſſet tamen firmiter inferre alteutri, poſſes ſuadere in genere quod minus eſt, malum enim minus, reſpectu maioris, non cenſetur malum. Neque per hoc conſilium fit iniuria ei, cui minus damnum infertur; quia non reuocas maleſico in mentem aliquid, quod non cogitabat; ſed tantum in genere doces, minus malum potius eſſe faciendum, quam maius, ſi neceſſe ſit alterum fieri, (quæ doctrina vera eſt & vtilis) & indicas vtrum ex duobus ſit minus; in quo etiam veritatem, quam noſſe expedit, oſtendis. Vnde non poteſt alter quæri ſibi factam à te iniuriam: non enim dicis, Fac huic potius iniuriam quàm illi; ſed tantum proponis 21 *Si latro ſit anceps de duobus.*

veritа-

veritatem ſpeculatiuam; quod vt facias, iuſtam cauſam habes. Iuxta hæc intelligendus eſt Sotus lib.4. de Iuſtitia, q.7.art.3. ſub finem. Contrarium videtur ſentire Petrus Nauarra ſupra num.30. Sed nihil aliud eius ratio concludit, quàm in particulari non licere directè maleficum inclinare in alterutrum, rogando vt huic potius quam illi noceat. Nos autem tantum dicimus, poſſe in genere ſuadere, vt faciat id, quod minus eſt, & indicare vtrũ ſit minus; relinquendo ipſius iudicio, vtrum malit amplecti.

Tertiò loco eſt *Conſenſus*, hic eſt cauſa, quando ab alicuius cõſenſu pendet, vt res fiat, vel non fiat, v.g. vt huic inferatur bellum; vt iſte eligatur in Prælatum. Quòd ſi id à conſenſu tuo non pendeat, eo quòd auctoritatem nullam habeas, vel ſi abſque tuo conſenſu iam antea èquè erãt parati, neque illum expectarint, non cenſetur cauſa damni. 21 *Conſentiens.*

Hinc fit vt quando plures ferunt ſuffragia, vel ſubſcribũt in cauſam iniquam, ſi tu etiam conſentias, poſtquam ſufficiens numerus ſuffragatus eſt, non tenearis ad reſtitutionẽ damni ſecuturi: (etſi mortiferè peccaueris conſentiendo) niſi ſpes fuerit, te contrario ſuffragio poſſe malum impedire. Ita Nauarrus c.17 nu.21. & Caietanus v. Reſtitutio, cap.1.§. Conſenſus. Ratio eſt; quia iam cauſa damni ita eſt diſpoſita, vt æque & eodem modo damnum ſit ſecuturum abſque tuo ſuffragio, atque cum illo. quare tuũ ſuffragium accedens, non eſt vllo modo cauſa damni. Si tamen tuum ſuffragium antè contuliſti, quàm ſufficiens numerus eſſet cauſæ iniquæ ſuffragatus; teneris ad reſtitutionem: etſi certò ſciueris, ſequentes in eamdem partem cõceſſuros, vt rectè Caietanus. Ratio eſt, quia ſuffragium tuum cauſæ damnoſæ aliquid contulit, eiuſque pars in effectum influens eſt effecta. 23 *Dans ſuffragium.*

Dices, Hoc ſuffragium non fuit cauſa ſine qua non: ergo, &c. 24

Reſpondeo. Negando antecedens. fuit enim cauſa ſine qua non fieret damnum, nulla alia ſimili cauſa accedente: nam quando ſe adiunxit cauſæ damnoſæ, (ſuffragantium numero) nondum ipſa erat ita diſpoſita & valida, vt ſufficeret ad damnum inferendũ. Hoc autem ſuffragiũ accedẽs, illam compleuit. Similiter teneris, ſi ſpes erat te alios ab iniquo ſuffragio poſſe reuocare; quia ex officio quiſq; ſuffragantium tenetur damnum impedire, ſi poteſt.

Quartò loco eſt *Palpo*, id eſt, adulator, qui laudat malefactorẽ, aut ſcelus patrandũ commendat. Quò etiam pertinet exprobatio ignauiæ; vt quòd iniuriam, quam accepiſti, non ſis vltus. Hic tenetur, quando ex tali laudatione vel exprobatione alter impellitur ad maleficium. Ratio eſt; quia eſt inſtar conſilij, proponit enim laudem, gloriã, decus, vel ignominiæ abſterſionem, quæ ex maleficio videntur conſecutura. 25 *Laudãs malefactorem.*

Quintò loco eſt *Recurſus*, ſeu recurſum præbens. hic tenetur, quando eo modo præbet recurſum vt moraliter cẽſeatur furi cooperari ad damnum inferendum, vel ad non reparandum illatum. v.g. ſi illum recipiat & nõ alios paſſim, ſi illum aut eius inſtrumenta occultet, ita vt hinc animetur ad damnum inferendum. 26 *Præbens refugium.*

Dices, Ergo qui occultat furem, dum quæritur à lictoribus, tenebitur ad reſtitutionem, ſi poſtea ille damnum intulerit.

Reſpondeo, Verum eſt, ſi id ita faciat vt in poſterũ det ſpem ſimilis opitulationis, & fur illa fidens, rurſum damnum inferat. alioquin ſi non det illi ſpem refugij in poſterum, non tenetur, quia non eo fine, nec eo modo abſcõdit, vt moraliter cenſeatur cauſa damni: ſed tũc merè per accidens ex illo opere damnum ſequitur. Dicitur etiã *receptator*, qui rem furtiuam in cuſtodia accipit, vt furi ſeruet. hic tenetur domino, ſi eam furi reddiderit: (ſi tamen abſque notabili incommodo poterat ei denegare) quia non poterat eam in deteriori ſtatu conſtituere, quàm apud ſe erat. Item quia cẽſetur cooperari furi ad retentionem rei alienæ. vide Sylueſtrum Reſtit.3-q.6. 27

Sextò loco eſt *Participans*. Dupliciter autẽ dicitur quis *particeps*. Primò, qui particeps eſt prædæ: & hac ratione tenetur pro ea parte quæ ei obuenit. Secundò dicitur participans, qui particeps eſt iniquæ operationis, præbẽdo auxilium & adiuuando ad executionẽ, ſicut qui ſcalas apponit, vel eas ſuſtinet fure aſcendente, qui excubias agit, qui inſtrumenta ſuppeditat, qui furem comitatur defendendi cauſa, qui iuuat effringere, aſportare, &c. qui remos in triremibus hoſtium impellunt, qui tormenta ad mœnia vel propugnacula hoſtilia pertrahunt, & ſimiles. Hi ſemper tenentur ad reſtitutionẽ hoc ipſo, quo aliquid auxilij ad iniquam executionem cõtulerint; ſi id ſponte & ſine compulſione fecerunt, & maximè quando aliàs damnum non fuiſſet ſecuturum. 28 *Participans.*

Dixi, *Si id ſponte fecerunt*; quia ſi quis iuſto metu coactus fecerit, non tenetur; modò id quod facit, non ſit per ſe malum. Itaque hoc metu cõpulſus, poteſt apponere ſcalas, præbere inſtrumenta effringendi, iuuare, conſcendere murum; hæc enim per ſe ſunt indifferentia. neque lædunt dominum, niſi ex iniqua intentione & vſu furis, qui is auxilijs vtitur ad malum finem: pari modo poteſt iuuare in re poſtquam ſublata eſt, aſportanda. & in pecore abigendo. in his enim nõ eſt iniuria in dominum, ſi ex graui metu fiãt, poſtquã res ſublata eſt. ſicut enim fur ipſe iuſto metu vrgente, non tenetur rem ablatam reſtituere, ita poteſt eam ob ſimilem metum de loco in locum transferre. quare multo magis id poterit innocẽs, qui rem non furripuit. 29 *Iuſto metu compulſus.*

Hinc ſæpe excuſantur ruſtici, qui prædas militum inuſtas coguntur auehere, vel pecora ſublata deducere. Nõ tamen hoc metu poteſt quis domum alienam perfringere, vel per feneſtram penetrare, & res foras proijcere: vel pecora è ſtabulo abigere, nam hoc eſt eſſe cauſam principalem & directam furti & iniuriæ. quicũque enim res meas primò aufert vel damnificat, iniuriam mihi facit, quocũque metu id faciat. Niſi fortè id faciat cum animo compẽſandi: tunc enim dominus id meritò debet permittere, ne alter grauiſſimum malum incurrat. 30

Dices, Iſti cooperatores, qui functiones illas ad malum *Obiect.* præuias obeunt, poſſunt interfici ab iis, qui iniuſtè oppugnantur, vel impetuntur, ſi malum alia ratione nequit auerti: ergo inique agunt. Conſequẽtia patet, quia alioquin daretur bellum vtrimque iuſtum, ſepoſita ignorantia. Cõfirmatur; quia etſi illud, quod faciunt, in abſtracto & per ſe conſideratum non ſit malũ, ſed adiaphorum; tamen vt hic & nunc fit, eſt vera cooperatio iniuſtæ inuaſionis.

Ob hoc argumentum putant quidam cum Nauarro remiges Chriſtianos, qui coacti metu mortis, agunt remos apud Turcas, non excuſari.

Sed reſponderi poteſt, poſſe interfici, non iure vindictæ tamquam reos criminis, ſed iure neceſſariæ defenſionis: (alioquin enim impoſſibilis eſſet defenſio) quo modo et pueri, & amentes, interfici poſſent. etſi enim illi ius habeant ad illam actionem, quatenus eſt neceſſaria vt mortem euitent; qui tamen impugnantur, aduerſus quos hoſtis vtitur illorum opera, ius habent vt ſe defendant, & victoriam perſequantur, & conſequenter vt faciant ea, quæ ad hunc finem neceſſaria ſunt. Ad probat. conſequentiæ, Cõcedo poſſe dari ſpeciem quamdam belli vtrimque iuſti, maximè vbi ex altera parte non eſt propinqua vel directa oppugnatio. Sic ſeruo bello capto, licitũ eſt fugere, tamen ſi fugerit, dominus poteſt eum caſtigare; vt dictũ eſt ſupra c.5.dub.5. & reus poteſt effracto carcere erumpere, tamen ſi fecerit, poteſt puniri, vt infrà cap.31.dub.5. oſtendetur. idem aliis exemplis poſſet oſtendi. ſecus tamen, ſi vtrimque ſit propinqua impugnatio. vnde illi dũ cauſa defenſionis impetuntur, non poſſunt ſe defendere, lædendo iuſtos defenſores vel inuaſores, ſed tenentur deſiſtere: quia ceſſat coactio; vel ſi adhuc durat, illi parendo, mortem non vitabunt, ſed aliunde incurrent. *Bellũ vtrimque iuſtum.*

Ad confirmationem, Dicendum eſt, illud opus non eſſe malum vt procedit a volũtate eius, qui coactè agit, ſed ſolum vt ſubeſt directioni cogentis, & vtentis eo ad malum finem: quæ malitia nõ eſt imputanda illi miſero, nec actionem, vt ab ipſo eſt, contaminat; ſicut cum quis reſtituit gladium ardenti in cædem hoſtis ſui, metu mortis adactus.

Peres, Vtrum is, qui vendit arma properanti ad bellum iniuſtum, vel venenum machinanti mortem alterius; cenſeatur cooperari, ita vt teneatur ad reſtitutionem? 31 *Vendens arma ad bellũ iniuſtum vel venena.*

Reſpõdeo Primò, Si vendas arma ſoli parti iniquæ, & recuſes alteri, teneris: quia ita vendis vt cẽſearis cooperari. Secundo, Si vendas paſſim omnibus petentibus, nõ teneris; quia externo actu venditionis non cenſeris magis cooperari parti iniquæ, quam alteri. Deinde quia damnũ omnino remotè & per accidẽs ſequitur ex huiuſmodi vẽditione: non enim magis tendit ad irrogãdam iniuriam,

quàm ad depellendam. Tertiò, Si vendas, iam cõtracta pugna, vel proximè impendente, teneris: quia vendendo ei, qui tam proxime comparatus est ad iniuriam inferendã, censeris ei propinque cooperari; sicut qui furenti in cædè inimici, præbet gladium. cum enim tantum malum possis & tenearis impedire, arma negando; si ea præbeas non videris ob exiguum illud lucellum præbere, sed vt iuues & seruias eius intentioni. Secus si magnum lucrum vel damnum esset propositum. Quarto. Si vendas venenum ei, qui dicit se petere ad interimenda noxia animalia, non teneris; etiamsi putes eum malo fine petere. Ratio est; quia eo modo vendis, quo alijs vendi solet. Cõfirmatur; nam qui vendit agnum Iudæo, quem putat sacrificij causa emere, non censetur ei cooperari ad superstitionem; quia ista venditio cum his circumstantijs facta, est indifferens ad vsum bonum & malum, & ex modo, quo fit, non videtur fieri ad vsum malum, quem alter occultè intendit, sed ad bonum, quem ex natura sua vel iusta institutione habet; ergo neque qui arma vel venenum, si eo modo vendat, quo passim alijs consueuit.

Agnum Iudæo.

DVBITATIO IV.

Vtrùm is, qui aliquo horum sex modorum cooperatur teneatur in solidum.

32 RESPONDEO, Quod ad quinque priores modos attinet, *consulens, mandans, consentiens, laudans, & receptans*, tenẽtur ad reparationem totius damni, si totius causa fuere; partis verò, si solum partis damni causam dederepatet ex dictis. Sed quid, si volenti furari 10. suaseris, vt acciperet 20. teneberisne ad 20.

Qui volenti furari 10. suadet furari 20.

Respondeo, Si volenti furari 10. suasisti vt præterea alios 10. furaretur, non teneris nisi ad 10. quia non fuisti causa prioris volitionis, qua cepit hæc 10. sed posterioris tantum, quæ tibi alia 10. pertinet. Si vero suasisti vt furetur 20. putat Adrian. qu. 1. de restit. §. Iam dicam, eum teneri

33 ad 20. quia est causa nouæ voluntatis, permẽtis immediatè ad 20. Sed cõtrarium est verius, vt docet Medina C. de restitu. quæst. 8. & Couarruu. ad reg. Peccatum, p. 2. §. 12. nu. 4. nempe solum teneri ad 10. Ratio est; quia suo consilio non fuit causa, nisi ablationis 10. nisi forte tuo consilio reddiderit ipsum in proposito firmiorem, vel causa fuerit vt citius ageret, quam alioquin erat facturus: tunc enim censetur causa totius iniquæ damnificationis, quatenus hic & nunc peragitur, iuxta Caietanum, Sotum & Medinam, de quo dubit. 2.

Verùm autem aliquis alterius consilio sit firmior reddi tus, non potest facilè deprehendi; nisi exterius aliqua cernatur in opere variatio; vt si citius, audacius, ardentius solito faciat; vel indicet se ambiguum ante fuisse.

Sed præcipua difficultas est de sexto modo: nempe de

34 *participante*, vel *adiuuante*, vt quando milites spoliant vrbem: quidã enim videntur existimare, singulos damni socios teneri in solidum; alij negant. Sed vtendum est distinctione: vel enim cooperantur ad idem indiuiduum damnum, vel ad diuersum: quo posito.

De militibus spoliantibus vrbem.

Dico Primo, Si cooperetur ad idem damnum indiuiduum, tenetur in solidum, etiamsi socius constituerat solus inferre; iuxta sententiam Caietani, Soti & Medinæ suprà: vt si iunes ad eamdem domum incendendam, ad idẽ pondus auferendum, ad eumdem gregem abigendum, ad eamdem domum effringendam. Et de tali cooperante intelligendi sunt prædicti Doctores, dum dicũt eũ, qui cooperatur ad idem damnum, teneri in solidum. hoc enim limitandum est ad idem indiuiduum damnum, quod à pluribus, tamquam partibus vnius integræ causæ, infertur. quisque enim tunc est causa partialis totius damni, vt hic & nunc fit, & in totum vim confert, licet partialem: sicut dum plures vnam nauem trahunt, vnum pondus gestant. Nec refert, quòd sine te fieret; quia nõ fieret; nisi tu vel alius tuo loco similem vim conferret: nam per solam illam vim, quam nunc socius adhibet, executio non fieret; vel certe non eodem modo fieret: per plures enim fit facilius, celerius, animosius.

Cooperantes ad idem indiuiduũ dãmnum.

Hic tamẽ Aduerte, hanc sententiam maximè habere lo

35 cum, quando quis cooperatur immediate exequendo malefitium cum alio, tamquã causa partialis: tunc enim proximè est causa damni, ita vt sine ipso, vel alio similem opem conferente non fieret: vt patet in eo, qui iniuste rẽ auferre. Si verò solum cooperetur mediate, præbendo instrumenta, iuuando concendere, ligando vinctũ; probabilis est sententia Nauarri, Siluest. & aliorum, non teneri; si damnum æquè per executorem erat inferendum, iuxta ea, quæ diximus dubit. 2.

Hoc maximè locum habet in executoribus.

Dico Secundò, Si verò non concurrat ad idem damnũ indiuiduum, sed distinctum irroget, non tenetur in solidum, sed dumtaxat pro sua parte. Ita docet Adrianus q. 1. de restit. Siluest. Restit. 3 q. 6. §. Quartum, Nauarrus c. 17. nu. 21. & alij. Ratio est; quia tunc quisque solum est causa partis damni, quam ipse per se dedit, non autem totius, aut partis, quam alius fecit. nisi forte alium impulerit, vt citius aut alacrius faceret, aut nisi se vicissim permouerint vel animarint: sicut quando tres vel quatuor milites se mutuo excitant ad alicui damnum inferendum: tunc enim singuli censentur causa totius damni. hoc tamen ordinariè non accidit, nisi inter paucos.

36 *Si damnum sit diuiduũ.*

Hinc fit, vt miles gregarius non teneatur nisi de dãno, quod ipse per se in bello iniquo dedit: non autem ad totum illius belli; (quod est contra Couar. reg. Peccatum, p. 2. §. 12. nu. 2. & Iosephum Angles in 4. difficultate 10. de restitut. ex bello) quia totius damni causa non fuit, sed dumtaxat suæ partis, vt rectè Syluestr. v. Bellum 1. q. 10. §. Sexta, & Nauar. nu. 22. Nec obstat, quòd singuli iuuerint ad iniquam expugnationem, & ingressum in vrbem; quia solum iuuerunt faciendo partem suam; non autem procurando vt alij suam in illo damno, facerent, aut vt vrbem expugnarent. vnde sicut iste non est causa damni, nisi ratione partis, quam ipse intulit; ita non tenetur ad restitutionem, nisi pro sua parte. Sicut enim totus exercitus est causa totius damni, ita singuli suæ tantum partis, nisi alia ratione alios iuuerint vel incitauerint. Dux tamen tenetur ad totum, quod per milites illatum est, quia vel eos ad hoc direxit, vel si non direxit, saltem tenebatur ex officio impedire.

37 *Miles gregarius.*

Petes, Quid si dubium sit, an alios tuo consilio vel laude permoueris?

Respondeo. Te in dubio non teneri, quia melior est cõditio possidentis; cur enim tantum onus in te suscipias, si dubitas an causa damni fueris? debet igitur moraliter esse certum. Idq; locum habet in omni casu, quo dubitatur an causa damni fueris; si enim post diligentem inquisitionem dubium manet, non teneris; vt ostensum est 1. 2. qu. 19. art. 6. Idem docent Syluester supra q. 6. in princip. vbi dicit esse communem sententiam, & Petrus Nauarra li. 3. cap. 4. num. 58.

38

DVBITATIO V.

Quo ordine teneantur isti in solidum restitutionem facere.

OMISSIS varijs sententijs, Respõdeo, Si aliquid ablatum sit, Primo loco & ante omnes tenetur is, ad quẽ res furtiua peruenit; siue extet in specie, siue non extet, si tamen inde factus sit ditior. Ratio est; quia hic obligatur ratione rei acceptæ, quæ obligatio est summa: nã res aliena quamdiu extat in specie, per se debetur, semperq; clamat, vt dici solet. Si consumpta sit; vel consumpta est bona fide, ab eo, qui ignorabat esse furtiuam, & sic non tenetur, nisi quantum ex ea factus est ditior; vel consumpsit mala fide, sciens esse alienam vel certe dubitans: & sic tenetur restituere pretium; quia quòd consumpserit eã mala fide, non liberat eum, quin primo loco teneatur, perinde ac si extaret. alioquin noua illa iniuria liberaret cum à restitutione. cùm enim ipse ex ea re commodum, sciẽs & volens perceperit præ reliquis; par etiam est vt præ alijs quoque veniat in onus restitutionis. Si aliquis ex socijs damnum compensauerit, illi restituenda est res illa vel pretium eius, non domino: quia in ius domini successit. Vide Caietanum q. 62. art. 6. & Couar. regula Peccatum, p. 2. §. 12.

39 *Is ad quem res peruenit.*

40

Dubium tamen est, An is, qui bona fide rem furtiuam emit, possit eam furi restituere; vt pretium redipiscatur, etiamsi

41

Qui bona fide emit a fure. etiamsi dominus eam non esset recuperaturus; de quo infrà c. 14. dubit. 3. Si verò nihil ablatum sit, sed tantummodo damnum irrogatũ, primo loco tenetur is, qui coegit, vel fraude induxit, vel qui imperauit; cui alter non fuit ausus cõtradicere: vt si Dux imperet militi vt occidat, incendat, spoliet: si quis persuadeat id esse licitum, si conuitijs impellat. Ratio est; quia hic inuitè coniecit alterum in obligationem restituendi. Vnde si hic restituit, executor, vel is, qui hoc modo inductus est in maleficij societatem, non tenetur quidquam ei refundere, quia hic inductor totum debet compensare. Pari modo tenetur primo loco, qui suo nomine fecit, vel rogauit fieri, vel suasit. Primò, quia is, cuius nomine fit, est causa principalis, quæ instar finis & efficientis moralis mouet ceteras: ergo tenetur ante ceteras. Secundò, quia qui commodi vel honoris, vel oblectamenti sui causa cupit fieri maleficium, implicitè hoc ipso censetur in se totum onus restitutionis suscipere. par enim non est, vt onus & obligationem maleficij in alios reijciat, qui sua causa illud fieri postulat, vt si roges Petrum vt interficiat tuum inimicum. in hoc casu vera est sententia Caietani. Soti & Bannesij, quæ affirmant, eum, qui alios induxit, teneri primo loco; & inductos nõ teneri illi quicquam refundere.

Rationem dami dati, qui primo tenetur.

Qui coegit.

42 *Qui sua causa fecit.*

43 Aduerte tamen, esse quãdam sententiam, quam Petrus Nauarra l. 3. cap. 4. num. 101. & sequentibus, multis rationibus confirmare nititur: nempe hunc non ita teneri primo loco; quin executor & alij teneantur suas partes conferre, etsi minores, v. g. damnum sit 6. aureorum, is qui iussit suo nomine fieri, tenebitur in restitutionem cõferre 3. executor 2. laudator 1. Ratio præcipua est; quia omnes illi verè concurrunt ad damnum inferendum: ergo etiã concurrere debent ad restitutionem. Quæ sententia non est improbabilis, maximè quando executor mercedẽ habuit pro maleficio. tunc enim etiam suo nomine fecisse videtur. Contrarium tamen puto esse verius; quia qui maleficium sua causa fieri cupit, censetur etiam onus restitutionis in se recipere.

Si executor mercedem accepit.

44 *Executor, secundo loco. ceteri post hunc.*

Secundò loco tenetur executor, quatenus est executor. Tertiò loco, ceteri, qui consilium dederunt, qui consenserunt, qui laudauerunt, vel animauerunt, qui præbuere recursum, & qui præstiterunt obsequium, instrumenta, comitatum. Probatur; quia executor, post eum, qui iussit, vel suo nomine fieri voluit, est principalis; ceteri verò sunt causæ accessoriæ & secundariæ, fulcientes, & quoadmodo seruientes executori. quod enim faciunt, non sua causa faciunt, sed vt ipsum instruant & arment. alius enim obtẽdit viam perficiendi, alius vtilitatem, alius laudem promittit, alius securitatem, alius obsequium & instrumenta præbet.

45 *Si executor restituerit.*

Vnde sequitur Primò, Si executor restituerit, hos nihil teneri ipsi refundere; quia tenentur solum in eius defectum. quamuis, vt antè insinuaui, non sit improbabile. & ceteri teneantur illi ad aliquid refundendum, si ipsum induxerunt, aliàs non facturum, & ipse non sua causa executus est. Ita enim tenet Caietanus qu. 62. ar. 6. ad tertium argumentum. Bannes ibidem art. 7. & Sotus lib 4. quæst. 7. art. 3. vbi etiam dicit. Si auctor non intentaret malum, nisi comitatus socijs, socij tenentur ei restituere. Ratio illorum est; quia qui inducunt aliquem ad maleficium, sunt causa cur ille incurrat obligationem restitutionis: similiter qui comitantur eum, qui aliàs non auderet. Sed quod diximus est verius. quamuis enim sint executori causa vel occasio mali, tamen quia nulla vi vel fraude illum inducunt, non tenentur ipsi ratione huius inductionis, neque censentur obligationem in se recipere: quia non sua causa fieri volunt.

46 *Quid si noluerit vel nõ valuerit.*

Sequitur Secundò, Si executor noluerit, vel non potuerit restituere, teneri illos, quia succedunt in defectum executoris; sicut executor in defectum iubentis.

Sequitur Tertiò, Si isti soluerint, executorem (secundũ veriorem sententiam) teneri illis refundere totum. Ratio est; quia soluendo successerunt in Ius, quod dominus habebat in executorem qui prius tenebatur. Vnde sicut executor debuisset soluere domino ante ipsos; ita tenebitur ipsis soluere, qui Ius domini in se transtulerunt, soluendo loco executoris: sicut si fideiussor, qui secundo loco tenetur, soluat, trãsfert in se actionem domini, quam habebat in principalem debitorem. Pari modo, si executor soluerit, tenebitur ei iussor, vel is, qui causa sua fieri voluit. vide de his Syluestrum Restitut. 2. quæstio. 6. §. Quantum, vbi pro hac tententia citat Diuum Thomam, Rebellam, & supplemen. Idem docet Couarru. ad regulam Peccatum p. 2. §. 12. num. 3.

Sequitur Quartò, Si executor nomine omnium executus est facinus, omnes simul teneri primo loco; quia illorum causa factum est, & illi in hoc consentiendo vt sic fieret, tacitè in se receperũt obligationem. executor autem, quã executor, tenetur secundo loco; quamuis vt vnus illorum, quorum nomine factum est, teneatur primo loco. Itaque si ipse restituerit in solidũ, reliqui tenentur ei conferre suas partes: ita tamen vt ipse quoque pro sua parte in compensationem veniat; non vt executor, sed vt vnus illorum, quorum nomine factum est, v. g. totum damnum sit centum aureorum: omnes quorum nomine factum, comprehenso executore, sint decem, reliqui nouem debent ei singuli decem aureos.

47 *Si omnium nomine factum est.*

DVBITATIO VI.

Vtrùm inter causas secundarias, quæ tenentur post executorem, videlicet inter consultorem, consentientem, animantem, receptatorem, & subministrantem, sit aliquis ordo in restituendo.

PETRVS Nauarra lib. 3. cap. 4. num. 81. ponit inter has causas ordinem aliquem. Ratio ipsius est: nam, illa prior tenetur, quæ prius & immediatius effectum attingit: atqui inter has alia prius & magis attingit, alia posterius & minus. aliter enim attingit consultor, aliter laudator, aliter receptator. Idem docet Alcocer in Summa c. 21. vbi Primò loco dicit teneri imperantem & consulentem. Secũdò, executorem. Tertiò, receptatorem. Quartò, qui non impediunt, cum ex officio teneantur. Quintò, custodem specialiter deputatum. Sextò, qui tacuerunt; vt testes iuridicè interrogati.

48

Sed verius est, non esse inter has causas secundarias ordinem talem, qualis est inter principalem & secũdariam, ita vt vna soluente, reliquæ maneant liberæ, sed in defectum principalis, omnes hæ causæ videntur teneri æquè primò, sic tamen vt alia ad plus, alia ad minus teneatur. Ratio est; quia vna nõ est operata ad damnum, tametsi instrumentum alterius, vel alterius nomine, sed quæque per se in suo ordine. laudans enim non seruit consentienti vel consulenti, nec eius nomine agit, neque contra, vt supponO (si enim ponamus aliquem ex his, alterius nomine agere, non tenebitur ille æquè primò, sed secundariò & in defectum illius, cuius causa egit, vt dictum est, quia ille in se suscipit obligationem) Itaque æquissimum videtur si executor non restituat, vt isti omnes in locum eius immediate succedant, & teneantur pro rata portiones conferre; maiorem quidem is, qui magis videtur executorem mouisse; minorem, qui minus. vnde is, qui est causa sine qua damnum non fieret absolutè, plus tenetur conferre quàm is, qui solum est causa sine qua nõ fieret tali modo, id est, ita celeriter audacter, vel atrociter. Ex quo vlterius sequitur, quòd plus interdum teneatur conferre consulens, quàm receptans vel consentiens; & interdum contra; prout executor magis vel minus ab hac vel illa causa motus fuit. Et hoc videtur velle Petrus Nauarra. nihil enim aliud probat eius ratio. omnes enim mediatè & secundario attingunt effectum; (non vna mediante altera, vt instrumentum alterius) quamuis alia efficacius alia. Vnde solum sequitur, aliam plus debere in restitutione, aliam minus, non autem prius vel posterius. alioquin si receptator restitueret, ceteri nihil tenerentur ei refundere. Ille autem ordo, quem ponit Alcocer, non probatur, quia nulla est ratio, cur receptator teneatur prior, quam Superior consentiens: aut consultor, prior, quam receptator. Immo si quis ordo ponendus sit: post executorem, prior teneri videbitur Superior consentiens, quam consultor vel receptator; quia ille tenebatur etiam ex officio impedire. vnde duplici ex causa tenetur; & quia consensit; & quia non impediuit.

Non est ordo vterius assignandus.

49

Qui plus mouit, tenetur ad amplius; qui minus, ad minus.

50

51

DVBI-

DVBITATIO VII.

Quando plures sunt causæ damni æquè principales, vel æquè secundariæ, quæ videantur æqualiter contulisse ad totum damnum, ad quid singula teneantur.

RESPONDEO Primò, Tenentur æquas portiones ad restitutionem damni conferre. Secundò, In 52
Causa æquè principales. defectum reliquorum quisque tenetur in solidum. Tertiò, Ei, qui prius soluit, tenentur reliqui singuli pro sua parte. v.g. tres communi consilio incenderunt domum valentè 3000.aureorum, quilibet tenetur conferre 1000. pro sua parte, si duo nolint, tertius tenetur in solidum; sed tunc habet ius exigendi 1000. ab vtroque sociorum. Primum patet; quia cum eodem modo & æquè principaliter ad damnum sint cooperati, æqualiter tenentur ad eius reparationem; ac proinde æquis partibus. Secundum patet: quia quisque cooperatur ad totum damnum: ergo in 53
defectum sociorum tenetur ad reparationem totius. Tertium patet; quia ius, quod habebat dominus exigèdi a singulis partem, translatum est in eum, qui pro sociis satisfecit; non enim pro eis satisfecit, vt essent omnino liberi; sed quia illis nolentibus, tenebatur domino restitutionem procurare: ergo potest ab illis repetere, quod nomine illorum domino dedit, quod ipsi dare debuissent. Cõfirmatur Primò. Quia in hoc, rectè eorum negotium gessit, ac proinde ipsi ratum habere tenentur. Secundò, Quia dum nolunt soluere; non solum creditori, sed etiam socio iniuriam faciunt, cogentes eum soluere pro ipsis, ergo potest 54
ab illis repetere. Tertiò, Quia alias peior esset conditio *Qui alios induxit.* eius, quem prius pœnitet. Nec obstat, quòd ipse alios induxerit ad damnum inferendum; quia si non imperauit, nec coegit, nec induxit in sui gratiam, vt facerent: sed ob communem vtilitatem: omnes censentur eodem gradu & loco cooperati: nec quisquam videtur totum onus damni in se recipere. vnde singuli ad suas portiones conferendas 55
eodem gradu tenẽtur, ac proinde qui totum soluit, potest a ceteris suas partes exigere. Contrarium tenent Caietanus, Sotus, & Bãnes supra, nempè eum, qui induxit alios, non posse exigere ab illis: vt partes conferant, eo quòd ipsis sit causa damni, inducendo in societatem maleficij. Sed quod diximus est verius: quia non fecit illis iniuriam, sed volentes & consentientes induxit.

56 Ex his sequitur, non esse vniuersè verum, quod docet Angelus v. Furtum, num. 16. *Vno soluente, ceteros non teneri illis refundere, nisi fuerint causa, sine qua ille, qui soluit, non fuisset inductus in crimen.* etsi enim hoc sit verum in principali auctore soluente, respectu executoris, & in executore respectu reliquorum, vt dictum est; non tamen est verum in duobus executoribus, vel consultoribus, vel laudatoribus, &c. quorum alter non induxit alterum in crimen: neque in laudante, consentiente, consultore, &c. quorum alius alium non induxit, sed tantum induxerunt executorem. Fateor tamen in foro externo non dari actionem in socios, propter commissum crimen, & hoc est quod significatur L. si plures 17. ff. de dolo, quam citat Angelus.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm ille, qui damnum accepit, vni sociorum obligationem restituendi condonet, reliqui maneant liberi.

RESPONDEO & dico Primò, Si condonet auctori principali; qui secundo loco tenebantur, ma- 57
Condonatio facta auctori principali liberat ceteros. nent liberi. Est communis sententia DD. Patet; quia hæc remissio est instar solutionis: (vnde solet a Iurisperitis vocari acceptilatio, quæ est imaginaria quædam solutio) atqui soluente eo, qui primo loco tenebatur, ceteri manent liberi, vt patet ex dictis: ergo, &c. vide Medinam q.3.dub. 58
3. & Sotum lib.4.q.7.art.3. in fine. *Condonatio facta secundario.*

Dico Secundò. Si remittat ei, qui secundo loco tenebatur, non ideo liberatur is, qui primo loco. Ratio est; quia obligatio principalis auctoris, non pendet ex obligatione secundarij, sed contra. quo fit, vt secundario soluente, teneatur ei principalis ex integro; soluente autem principali auctore, secundarius nihil teneatur ei rependere.

Dico Tertiò, Quando plures eodem gradu tenentur, 59
(id est, æquè primo, vel æquè secundario) etsi vni perfecta fiat remissio, non ideo ceteri sunt liberi a suarum partium restitutione. Ratio est; quia obligatio vnius non pendet ab altero, sed omnes æquè mediatè vel immediatè se habent ad damnum.

Sed difficultas est, quantum quisque debeat, si id, quod superest, in solidum sit compensandum, v.g. Titius, Stichus & Caius intulerunt damnum 300.aureorum, & Caio fit remissio.

Respon. Stichum & Titium debere suas partes, nempè 60
vtrumque seorsum 100. Quòd si Titius nolit restituere, *Si vni facta sit condonatio.* vel non possit, Stichus non tenebitur ad totam portionem Titij, sed solum ad dimidiam, nempè ad 50. vnde in vniuersum vt restitutionem faciat, non tenebitur, nisi ad 150. non autem ad 200. vel 300. Ratio est; quia alterum dimidium portionis Stichi, qui non volebat vel non poterat restituere, ferre debet Caius, cui facta est remissio: nam eam ferre debuisset, si nulla remissio facta fuisset: atqui per remissionem non possunt socij grauari, sicut nec per solutionem. Itaque dum Caio fit remissio; triplex remis- 61
sio ei fieri intelligenda est. Primò, eius partis, quam deberet, ceteris conspirantibus ad restitutionem, nempè 100. aureorum. Secundò, Partis, quam deberet, vno recusante restitutionem; nempè 150 si enim Stichus noluisset restituere, tunc Caius cum Titio debuisset restituere in solidum, collatis vtrimque 150. Tertiò, totius, quod debuisset soluere, vtroque socio solutionem recusante, nempè 300.

DVBITATIO IX.

Quomodo censeatur quis causa damni negatiuè?

RESPONDEO, Si non impediat damnum, dum ex 62
officio tenetur. hoc fit tribus modis, qui notantur his *Causa negligendo.* verbis, *mutus, non obstans, non manifestans. Mutus* dicitur, qui omittit præcipere: si erat Superior; consulere. si consultor; clamare aut strepitum edere, si erat custos rei, ad damnum impediendum. *Non obstans* dicitur, qui omittit opem vel operam, qua poterat damnum impedire, & quam ex officio tenebatur nauare, vt Principes, Magistratus, Præpositi viarum & similes. *Non manifestãs* dicitur, qui cum ex officio teneatur, omittit manifestare malefactorẽ, siue ante factum, quando damnum erat impediendum, siue post factum, quando sarciendum; vt custos rei custodiendæ deputatus. ita passim has causas explicant Sotus, Caiet. Syluest. Medina, & Nauarrus supra.

DVBITATIO X.

Vtrùm qui hoc modo causa damni fuere, semper teneantur ad restitutionem.

CAIETANVS v. Restitutio, cap.1.§.Aduerte; quòd 63
in his tribus: putat etiam eos teneri ad restitutionẽ, qui etsi ex officio non tenerentur, tamen tenebantur ratione articuli necessitatis, & facilè poterant sine suo incommodo damnum impedire; vt si scias aliquos statuisse spoliare domum, vel occidere, & nisi indices, sequetur dãnum. Ratio est; quia talis censetur causa illius damni, saltem indirectè; quod sufficit. Idem tenent Angelus v. Furtum. num.26. & Richar.d.15.art.5.q.4. & quidam alij. cũ hac limitatione, si, quod non impedias, ex malo animo facias. Sed contraria sententia est communis, pro qua.

Dico primò, Neminem ratione damni non impediti te- *Solus is, qui obligatur ex officio, tenetur ad restitutionem.*
neri ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio. colligitur hoc ex D.Thoma quæst.62.art.7.ad 3. & docet Medina quæst.9.Nauarr.cap.17. num.18. Couarr. de reg. Peccatum, p.2.§.3.numer.5. qui dicunt hanc sententiam esse ferè communem. Ratio est; quia qui non obligatur ad impediendum ex officio, solum obligatur ex charitate: atqui violatio obligationis ex charitatis lege nascentis, non inducit necessitatem sarciendi dãni; id enim pro- 64

prium

prium eſt vinculi Iuſtitiæ, vt omnes tradunt.

Obiectiones. Dices Primò. cap. Quantæ, de ſentent. excommun. Innocent. III. dicit *eos, qui conſentiunt injicientibus violentas manus in Clericos, & eos, qui injiciunt, pari pœna condemnari ab Eccleſia*, nempe pœna excommunicationis. Secundò, capit. Sicut dignum. 6. de homicidio, Alexander III. ait. *Qui potuit hominem liberare a morte, & non liberauit, occidit.* Tertiò, Qui ſuadet alteri, ne impediat furem vel latronem aggredientem aliquem, tenetur ad reſtitutionem: ergo etiam is, qui non impedit, dum facilè poteſt.

65 *Solutio.* Reſp. Ad Primum: Innocentius ibi loquitur de ijs, qui conſentiunt vel non impediunt, cùm ex officio teneantur impedire; vt exponit Gloſſa. quamquam non negauerim poſſe excommunicationem ferri etiam in talem, qui non tenetur ex officio. Inde tamen non ſequitur, eum obligari ad reſtitutionem: nam propter peccatum mortale poteſt quis excommunicari, non tamen obligari ad reſtitutionem.

Ad Secundum. Dicitur *occidere*; ſicut is, qui non paſcit fame morientem; nempe culpa homicidij, vt eſt contra charitatem, non vt contra Iuſtitiam, capit. Paſce, d. 87. ex Ambroſio.

66 *Impediens deſaſſionem.* Ad Tertium. Medina, conceſſo antecedente, negat conſequentiam, & conatur oſtendere. eum, qui remotior eſt, interdum teneri, quando propinquior non tenetur. Sed ex dictis ca. 12. dubit. 18. colligitur, antecedens eſſe diſtinguendum: ſi enim is, qui ſuadet tibi ne latronem, qui inuadit innocentem, impedias, id faciat ſine vi aut fraude, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis grauiſſimè peccet contra charitatem. Ratio eſt, quia non fecit cõtra aliquod Ius iuſtitiæ, quod aliter habeat. ſed ſolùm contra charitatis debitum: ille enim innocens non habet Ius iuſtitiæ ad tuum auxilium, niſi quatenus in tua libera voluntate illud poſitum eſt. Vnde quamdiu libertas tuę voluntatis non impeditur, non fit ei iniuria. Si tamen vi aut fraude impediret, tunc veram ei iniuriam irrogaret.

67 Ad rationem initio allatam pro ſententia Caietani, Reſpondeo, Eum, qui tali modo eſt cauſa damni, ſolùm eſſe cauſam priuatiuam; quæ cùm nullo modo influat in effectum, tenetur ad reſtitutionem; niſi ex officio obligata fuerit ad impediendum. ſi enim ſolùm ex charitate teneatur, ſolùm contra charitatem peccabit.

Sed quid ſi fur det tibi aliquid, ne impedias ipſius furtum, clamando vel manifeſtando, teneberiſne ad reſtitutionem?

68 *Si fur det pecuniam, ne impedias.* Reſp. Primò, Te non teneri ad reſtitutionem pretij, niſi forte ſit pars furti. hanc enim teneris reſtituere, ratione rei acceptæ.

Secundò, Quod ad compenſationem damni attinet, Soto ſi. 4. q. 7. art. 3. putat re etiam non teneri: quod probatur Primò, Quia non ideò magis obligaris ad impediendum, quod pretium acceperis vt non impedias. Secundò Quia recipiendo illud pretium, non facis iniuriam ei, quem fur parat inuadere: ſicut non facis iniuriam, dũ precibus tibi perſuadet finis, nec maleficium impedias.

Contrarium videtur verius; quod tenet Petrus Nauarra l. 3. capit. 4. nu. 132. & Salonius pag. 273. Ratio eſt; quia hic non ſolùm eſt non impeditio, ſed etiã actus poſitiuus, quo animat furem: ſine quo vel non feciſſet, vel non tam audacter & ſecurè feciſſet. Aliud enim eſt, non impedire, aliud extrinſeco aliquo ſigno animare, & ſecuriorem reddere: accipiendo autem pretium, videtur ſpondere ſecuritatem. Quòd ſi ſolùm non impediret, non teneretur, etiam ſi pretium accepiſſet, vt bene probant argumenta.

69 *Omnes qui ex officio tenentur.* Dico Secundo, Omnes, qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, ſi id ex culpa graui negligant, tenẽtur ad reſtitutionem. Eſt communis ſententia Doctorum. probatur; quia illi ex iuſtitia debent illum actum impeditionis damni: ergo omiſſio eius eſt contra Iuſtitiam: ergo ſi ex illa omiſſione ſequatur damnum, omittens eſt cauſa illius dãi cõtra Iuſtitiam. Conſequentia patet, quia ſicut damnum, quod ſequitur ex iniuſta commiſſione, eſt iniuſtum: ita etiam quod ſequitur ex iniuſta omiſſione. Vnde ſicut teneris ad reparationem damni, quod alteri datur ex opere tuo, contra Ius ipſius facto, ſeu contra Iuſtitiæ debitum commiſſo; ita etiam teneris ad illud, quod datur ex omiſſione, quæ ſit contra Ius ipſius, ſeu cõtra debitum, quo ipſi obligaris, quo modo debitor tenetur creditori ad intereſſe, quod ſequitur ex non præſtita ſolutione debita, vt rectè Medina quæſt. 9.

Ex his infertur Primò. Principes, Magiſtratus, Prætores, & duces belli, teneri ad reſtitutionem, ſi omittant impedire furta, latrocinia, iniuſta monopolia, & ſimilia damna, cùm poſſint ſine ſuo notabili detrimento vitæ, famæ, honoris, aut rei familiaris. Ita Sylueſter Reſtit. 3. qu. 5. & alij Doctores. Ratio eſt, quia ex officio, ac proinde lege iuſtitiæ commutatiuæ tenentur, tanquam ad hoc conducti: ideò enim ſtipendia & honores a Republica accipiunt. Dico, *Sine notabili detrimento*: quia non tenentur impedire damnum minus, cum ſuo maiori vel æquali. ita enim cenſentur Reipublicæ operam ſuam veluti locaſſe, vt gratia communitatis damna (vt ſunt latrocinia, hæreſes & ſimilia) teneantur impedire, etiam cum vitæ periculo; quia talia longe præponderant damno priuato: damna verò priuatorum, quando id facere poſſunt ſine pari damno ſuo. 70 *Magiſtratus &c.*

Infertur Secũdò; Idem dicendum de omnibus illis qui per modum contractus ſeſe ad alterius rei cuſtodiam obligarunt, ſtipendia ob eam cauſam accepturi. nam lege iuſtitiæ tenentur cuſtodiam præſtare; vnde ſi omittant, tenentur damni ſecuti, ſiue ab hominibus inferatur, ſiue a feris; vt cuſtodes hortorum, vinearum, ſaltuum, ſtagnorum, &c. Debet tamen damnum illud eſſe magni momenti, & dominus iuſta ratione inuitus: vnde ſi cuſtos permittat aliquid pauperi, non ideò ſtatim tenebitur. vide Nauarrum capite 17. num. 122. & 123. 71

Sed difficultas eſt, Vtrùm, ſi pœna ſit conſtituta in eos, qui certo loco venantur, lignantur, paſcunt; aut certas merces exportant aut important, aut vectigal non ſoluunt; cuſtodes diſſimulantes, aut non accuſantes, teneantur ea cõpenſare? Quidam putant teneri. ita Petrus Nauarra l. 3. c. 4. nu. 142. Salonius quæſt. 62. art. 7. controuerſ. 5. colligitur ex Soto lib. 1. qu. 6. art. 6. in fine quartæ ſolutionis. Ratio eſt; quia non accuſando, vel non apprehendendo, ſunt cauſa damni ſuis dominis, a quibus ſtipendia accipiunt, quorum tenentur commoda procurare. cùm enim domini hoc ipſo, quo quis contra legem huiuſmodi pœnalem delinquit, Ius acquirant ad mulctam pecuniariam, tenentur ipſi hoc ius non negligere: quòd ſi negligant, peccant contra iuſtitiam; ac proinde tenentur de damno ſecuto. Hæc ſententia eſt probabilis. 72 *Si fur tam à Custode.*

Contrarium tamen videtur verius: Hos cuſtodes non teneri mulctam dependere, quæ delinquentibus irroganda erat. Ita Nauarrus cap. 25. nu. 34. Silueſter Reſti. 3. q. 5. Idem tenuit S. Bernardinus, teſte Siluestro & Nauarro. Ratio eſt; non quòd pœna non debeatur ante ſententiam, vt videtur velle Nauarrus: (nõ enim hic agitur de ſolutione pœnæ, ſed de damno dato, vel commodo contra officium neglecto) ſed quia cuſtodes huiuſmodi non tenentur ex iuſtitia acculare. vt dominus vel Reſpublica diretur mulctis; ſed ſolum vt damna impediantur, & vectigalia ſoluantur; officium enim illorum non eſt mulctas procurare. ſed vectigalia recipere, & res ſuæ cuſtodiæ creditas, indemnes præſtare. Leges quoque pœnales & commiſſoriæ non ſunt factæ, vt Reſpublica ex pœnis locupletetur, ſed vt leges ſeruentur, & ſubditi officium præſtent. Vnde neque Procurator fiſcalis non accuſans, neque Iudex non condemnans in tali caſu, tenentur ad pœnæ illius compenſationem. 73 *Verius eſt nõ teneri.*

Infertur Tertiò. etiam teneri tutores & curatores, qui negligunt impedire damna pupillorum & minorum; ná ex iuſtitia ad hoc obligantur. Etſi enim ſtipendia non recipiant, tamen poteſtas publica, ſiue lege, ſiue imperio, poteſt hanc obligationem imponere, & ipſi tenentur admittere, & vbi admiſerint, lege iuſtitiæ ſunt obſtricti. Similem obligationem contrahit famulus, quando ei domus vel rerum cuſtodia a domino demandatur; ſecus eſt ſi non demandetur. Nam non hoc ipſo, quo quis alteri famulatur, tenetur iuſtitiæ lege res ipſius cuſtodire, ſaltem contra domeſticos; ad hoc enim non cẽſetur ſe obligaſſe, niſi is, cui inter famulos ea cura ſpeciatim eſt commiſſa. Vnde ſi aliũ famulum videat aliquid furripientem, nõ tenetur lege iuſtitiæ impedire; & conſequenter nec damnum reſtituere. Contra extraneos tamen tenetur; nam ratione famulatus cẽſetur obligari ad res domini ab iniuria extraneorum tuẽ- 74 *Tutores.* 75 *Famuli.*

das

das,vt rectè docet Sotus l.4. qu.7.art.3. & ita ferè habet communis gentium sensus. Cui verò domus cura cõmissa,tenetur ex officio custodire,etiam contra domesticos.

Testis. 76 Simili modo, multorũ sententia tenetur testis,si iuridice interrogatus,veritatẽ non manifestarit; vnde fiat vt alteri damnum detur,vel antea datum non rependatur. Ratio est;quia testis tunc ex imperio Iudicis accipit obligationem & quasi officium manifestandę veritatis. Secus si interrogetur nõ iuridicè, v.g.tamquam amicus aut familiaris,aut si res sit occulta. Si tamen periculum vitæ, famæ vel rei familiaris inde illi impenderet,non teneretur. quamuis iuridicè interrogatus;sicut nec Iudex cum pari detrimine tenetur damna priuata impedire. Illud tamen de obligatione testis non est certum;imò contrarium videri possit verius;de quo infra c.30.dubit.8.dicetur.

Petes, Vtrum confessarij teneantur, si pœnitentem nõ cogant ad restitutionem, vel non moneãt? Multi DD.docent teneri. Rosella Restit.2. num.5. Angelus Restit. vltimo num.5. Nauar.cap 17.num.22. Petrus Nau.l.3.cap. 4.n.125. quam sententiã puto valdè probabilem,si loquamur de ijs, qui ex officio habent curam animarum, vt sint Episcopi & Parochi. Ratio est;quia cùm illi sint Superiores, ex officio tenentur regere subditos, & pro modo suæ gubernationis impedire, ne alijs damnum inferant: (ideo enim decimas a populo & stipendia Ecclesiastica percipiunt, sicut Principes & Magistratus seculares tributa & vectigalia) ac proinde tenẽtur curare, si cõmodè possint, vt restitutionem faciat.eiusdem enim rationis est damnum inferre, & illatum nolle tollere. quare cum in hoc Sacramento administrando,id cõmodè possint procurare; si negligant, tenentur de damno ex omissione secuto. Sufficit autẽ vt ex culpa lata vel etiam leui negligant, vt rectè Petrus Nauar. *leui* inquam, non quæ ipsis leuis sit,sed quæ leuis esset in eo,qui non tenetur ex officio,nec stipendia recipit. quæ enim culpa est leuis in eo, qui facit nõ ex officio,est grauis in eo,qui ratione officij & stipendij tenetur; quia maiorem diligentiam præstare debet. Si verò loquamur de illis, qui ex officio ad curã animarũ non tenentur,vt sunt Religiosi;verius est hos nõ teneri de damno secuto, etiãsi ex ignorantia, vel negligẽtia pœnitentẽ non monuerint. Ratio est;quia administratio Sacramenti pœnitentiæ,præcisè non obligat confessarium ad impediendum damnum tertij, sed solùm ad curandũ bonũ pœnitentis. & quamuis ex præsenti munere teneatur pœnitentem monere & instruere: non tamẽ ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium;(sicut Superior tenetur)sed ex obligatione erga pœnitentem: qua tenetur eius salutem spiritalẽ procurare. vnde si omittat,peccat contra debitum iustitiæ,quo obstrictus est pœnitenti, non quo tertiò.

Confessarij Iudices animarum. 77

Religiosi & Capellani. 78

His addo,idem probabiliter dici posse de Episcopis & Parochis:quia eorum obligatio, qua lege Iustitiæ obstricti sunt populo,solùm videtur esse in ordine ad spiritalia, vt supra c.9.dubit.13.dictum est.

DVBITATIO XI.

Vtrùm hi teneantur in solidum, & quo ordine.

RESPONDEO & dico Primò, Qui fuit causa damni, non impediẽdo,aliquo horũ trium modorũ,cum ex officio teneretur,obligatur in defectum aliorum ad restitutionem *in solidum*. Est communis DD. Ratio est; quia fuit causa sine qua non totius dãni;quod sufficit in causa permissiua. tũc enim causa permissiua dicitur verè causa, quãdo sine eius permissu,damnũ nõ fuisset illatũ. & ipsa, lege iustitiæ tenebatur impedire.de quo plura 1.2.q.c.2.3 79

Vtrum autem inter has causas sit aliquis ordo, non ita constat. Petrus Nauarra nu.147.putat, Primò loco teneri Superiorem,qui non impedit damna,vt Principes. Magistratus,Prælatos:sicut enim in illis est primaria potestas impediẽdi; ita negligentia illorum cẽsetur primaria causa damni. Secundo loco,custodem rei. Tertiò,testem,qui rogatus,non aperit veritatem;& eum,qui tenetur ex officio dare consilium,rectaque monita,& negligit. Quæ sẽtẽtia videtur vera,si sint causæ damni æquè propinquæ. Alioquin custos rei particularis, videtur prius teneri, quàm Magistratus, qui solum est custos vniuersalis; quia hic adhibetur,vt illius defectum suppleat, eiusque negligentia, est causa propinquior damni, quàm negligentia Magistratus. 80 *Quo ordine.*

Dico Secundò,Hæ causæ non impedientes, tenentur post omnes causas positiuas,& in defectum earum succedunt. Ratio est;quia sicut causa positiua est potior, magisq. influit,quàm permissiua;ita etiam priore locum habet in restitutione. Confirmatur,quia causa positiua animat aliquo modo malefactorem,ac proindè positiuè mouet,& inclinat ad damnum inferẽdum;causa autem permissiua nullo modo inclinat, sed solum non impedit. Quòd si contingeret malefactorem, considerata Superiorum vel custodum præterita negligentia,animari,alia esset ratio;tunc enim causa permissiua, esset instar causæ positiuæ; ac proinde teneretur simul conferre in restitutionem cum positiuis,non post illas. 81 *Causa priuatiue tenentur post positiuas.* 82 *Nisi fortè animentur inde malefactor.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De restitutione ratione rei acceptæ,& cui facienda restitutio.

Habet Dubitationes 9.

EXPLICVIMVS duobus capitibus, quisnã teneatur restituere ratione iniustæ acceptionis, eã immediatè exequẽdo,vel mediatè cooperando. Nũc breuiter dicendum de ijs, qui tenentur ratione rei acceptæ; quales sunt, qui bona fide rem alienam apud se habent.

DVBITATIO I.

Vtrùm is,qui bona fide rem consumpsit, vel alienauit, teneatur postea ad restitutionem.

1 RESPONDEO & dico Primò. Quicumque habet rem alienam, quamuis optima fide illam hactenus tenuerit, putans esse suam, simulatque tamen cognouerit esse alienam, tenetur ad eius restitutionem prima opportunitate,idque tantummodò ratione rei acceptæ. Ratio est; quia non potest retinere rem alienam inuito domino. Hinc lex ciuilis concedit domino euictionem & vindicationem rei suæ, vbicumque ea fuerit. Neque pretium, quod pro ea dedisti, exigere à domino potes (L.Mater tua.3. L. si mancipium, 23. C. de rei vindic.) quia par non est,vt ipse rem suam emat (L.Suæ.16. ff.de contrah.empt.)sed illud tibi à venditore repetendum.L. 1. ff. de euict. Quòd si eam postquam sciueris esse alienam, vlterius detineas, habita restituendi opportunitate: incipis esse possessor malæ fidei, & obligari non solùm ratione rei acceptæ,sed etiam ratione iniquæ detentionis, quæ æquiualet iniquæ acceptioni. vnde si interim pereat quamuis casu, teneris ad restitutionem; quia censeris esse in mora. 2 *Non potest exigere pretiũ rei.*

Dico Secundò,Si is,qui rem alienã bona fide possidebat,eam interim consumpsit,vel alienauit,solùm tenetur restituere id,quo inde factus est locupletior. Est communis DD.vide Caietanum quæst.62.a 6. Medinam qu.10. de re- 3 *Si consumpta vel alienata bona fide.*

de reſtit.& Syl.Reſtitutio 3.q.7.Nau.c.17.nume.7.& ſequentib.Ratio eſt, quia ſolũ tenetur ratione rei acceptæ, quæ cùm non amplius apud illum extet, ceſſat quoque cum ea, eius obligatio.

Hinc ſequitur Primò, Si eam bona fide emit, & deinde 4
Si bona fide vendidit. eodem pretio vel minoris bona fide vendidit, ad nihil teneri. ſi verò pluris vendidit, ita vt rem familiarem auxerit, tenetur ſolum reſtituere illud auctarium.

Secundò, Si eam dono accepit & vendidit, tenetur re- 5
Si factus locupletior. ſtituere pretiũ; niſi forte illud inſumpſerit in luſum, vel largitiones, ita vt ex eo non ſit factus locupletior. quod intellige, ſi alioquin talia impendia facere non conſtituera. ſi enim iam decreuerat, vel ſi neceſſarium erat impendere, quamuis illius rei pretium non obtigiſſet; iam pepercit rebus ſuis, quas impendiſſet; & ſic cenſetur factus locupletior. Vnde tenetur, quatenus rebus ſuis, inſumendo aliena, pepercit: vt ſi inſumpſit decem aureos ex re aliena, ſolumque pepercit quinque ex ſuis, eo quòd non conſumpſiſſet niſi quinque, non tenetur niſi ad quinque; quia his tantummodo videtur locupletiòr.

Tertiò, Si eam bona fide donauit, non donaturus aliam 6
similem vel diſſimilem, ſi hanc non habuiſſet, non tenetur ad quidquam; quia non eſt factus ditior. Secus eſt, ſi aliam ex ſuis erat donaturus: quia tunc pepercit rei ſuæ. donando alienam, & ita, compendium ex re aliena fecit.

Quartò, Si res periit durante bona fide, ad nihil tene- 7
Si perijt ex culpa. tur, ſiue fortuito, ſiue culpa parua, aut magna perierit; quamuis Nauarrus capit.17. num.7. contrarium inſinuet. dum ait, *Si abſquè ipſius culpa periit*, & Sotus l.4. de Iuſtit. quæſtio 7.artic.2. *Si abſque magna culpa periit*. Ratio eſt; quia non tenetur ratione damnificationis, ſeu iniuſtę acceptionis; (nam conſumptio illius rei vel negligens cuſtodia, non eſt actio iniuſta, cum bona fide ſe gerat erga illam, tamquam erga rem ſuam) ſed ſolum tenetur ratione rei: ergo ſi res non extet, nec in ſe, nec in pretio, quomodocumque id factum ſit, non tenetur. vide Sylueſtrum ſupra.

DVBITATIO II.

Vtrùm poſſeſſor bona fidei, teneatur etiam fructus perceptos reſtituere.

RESPONDEO & dico Primò. Tenetur reſtituere om- 8
Fructus extantes. nes fructus, qui apud illum extant, modò non ſint fructus meræ induſtriæ. Ratio eſt; quia fructus hoc ipſo, quo proueniunt ex re tua, cedunt in tuum dominium, vt conſtat Inſtit. de rerum diuiſione. §. Si Titius, & ſequenti. Tales ſunt qui ſine vllo labore proferuntur, vt fœnum, glãdes, poma, nuces, &c & etiam qui interueniente labore, vt ſegeres, vuæ. In his tamen detrahendæ ſunt expenſæ. Fructus autem nudæ induſtriæ non ſunt reſtituendi, ne quidem a malæ fidei poſſeſſore: vt ſi quis aliena pecunia negotiarus ſit, vt ſupra dictum eſt.

Dico Secundo, Si fructus quidem non extent, tamen il- 9
Non extantes. lis factis ſit locupletior, tenetur quatenus locupletior: ſiue illi fructus fuerint mere naturales, ſiue mixti, ideſt, ex re, mediante induſtria, prouenientes. Ita Gabriel diſt. 15. q.3.art.3.dubio 5. Ioannes Medina C. de reſtit. q.10. Couarr. l.1.variar.c.3 nu.6.& alij paſſim. Ratio eſt; quia fructus debentur domino, detractis expenſis; in locum autẽ fructuum ſuccedit eorum pretium, qua parte eo factus eſt ditior: idque ſeruandum eſſe in foro conſcientiæ docet Sylueſter v. Fructus quæſt.1.

Aduerte tamen, in quibuſdam tribunalibus, fructus 10
Fructus mixti. mixtos non extantes (etſi inde factus ſis ditior) iudicari non eſſe reſtituendos, vt refert Couarruuias lib.1. var.ca.3.nu.6. quæ etiam eſt multorum Iuriſperitorum ſententia, vt ibidem docet. Nec videtur omnino improbabilis; nam quædam Iura huic videntur fauere. Inſtit. de rerum diuiſione. §. Si quis a non domino. Le. Quæſitum, 40. ff. de acquirendo rerum dominio.

Cõtrarium tamen, quod diximus puto verius; quia eſt communis ſententia, & firmiore nititur ratione, & fauet apertus textus L. Si me & Titium, 32. ff. Si certum petatur. Ad Iura illa, reſponderi poteſt eſſe intelligenda eo caſu, quo non ſis factus locupletior.

Dices, Leg. Qui ſcit, 25. §. vltimo, ff. de vſuris, dicitur, 11
Bene facit emptorem, qui prius quàm fructus percipiat, cognouit fundum alienum eſſe, cenſeri adhuc bonam fidem habere, vt fructus ſuos efficiat; donec fundus euictus ſit: ergo etiamſi extent poteſt retinere.

Reſpondeo, Hanc legem nõ videri æquam ſeu veram? certum enim eſt, ſimulatque quis nouit rem eſſe alienam, non poſſe fructus eius ſuos facere, vt aperte colligitur L. Qui bona fide 23. & L. Bonæ fidei, 48 ff. de acquirendo rerum dominio: quia fructus cedunt ſolo, vt ſupra oſtẽſum eſt. Neque mirum, interdum in Pandectis huiuſmodi antinomias reperiri, quas fruſtra nituntur interpretes conciliare: quia hoc opus collectum eſt ex plurimorum Iuriſconſultorum reſponſis, qui ſæpe contraria ſentiebant; & collectores non poterant in tanta voluminum & ſententiarum multitudine ſemper meminiſſe quid alibi potuiſſent. vide Couarr. ſupra num.7.

Dico Tertiò, Poſſeſſor bonæ fidei, non tenetur ad re- 12
Qui non percepit per negligentiam. ſtitutionem fructuum, quos ratione negligentiæ ſuæ non percepit, ſicut tenetur poſſeſſor malæ fidei. Probatur; quia cum non ſit factus ditior, non tenetur ratione rei acceptę; & cum non fuerit cauſa iniuſta damni, domino obuenientis, (ſicut poſſeſſor malæ fidei, iniuſta detentione) non tenetur ratione iniuſtæ acceptionis.

DVBITATIO III.

Vtrùm ſi emeris rem furtiuam bona fide, tenearis eam domino reddere; an verò poſſis diſſoluere contractum, recepto pretio.

RESPONDEO & dico Primò, Si gratis eam accepi- 13
Si gratis acceptam. ſti, teneris, vbi cognoueris alienam, domino reſtituere: nec potes reddere furi, niſi moraliter ſis certus, furem reſtituturũ. Ratio eſt; quia teneris ratione rei acceptæ, quæ apud te eſt: non furi, cùm non ſit eius; ergo verò domino. Nam reſtitutio, quæ facienda eſt ratione rei acceptæ, debet fieri illi, cuius res eſt.

Dico Secundò, Si bona fide eam emiſti, vbi intellexeris 14
Si empta fide bona, poteſt reſtitui ſibi eſſe alienam, poteris reſcindere contractum, & reddere furi, à quo accepiſti, vt pretium recuperes: nec teneris tunc domino reſtituere. Ita docet Nauarrus cap.17.nu 9 Sylueſter v. Reſtitut. 3.quæſt.7. Angelus Reſtitutio 1.num.1. Gabriel in 4 diſt.15.q.3.ar.3.dubit.5. vbi citat Hoſtienſem. Alexan. Halenſis 4 p.quæſt.86.membro 3.art.5. Probatur Primò, Quia nullam iniuriam intuliſti domino hãc rem emendo, & apud te detinendo, cum bona fide egeris: ergo non poteſt dominus merito egrè ferre, tamquam iniuria affectus, ſi eam, ne pretium amittas, in eo ſtatu, in quo erat antea, conſtituas.

Secundò, Quia hic contractus fuit omnino inuoluntarius: error enim dedit cauſam contractui; nam ſi ſciuiſſes eſſe alienam, noluiſſes eam emere: aut certè fuit non volũtarius, ita vt non voluntariè habeas rem alienam: ergo potes contractum reſcindere & rem acceptam reſtituere, vt pretium recuperes. conſequentia probatur, quia talis contractus vel natura ſua eſt nullus, propter defectum voluntarij, vel certè in irritũ reuocari poteſt, pro arbitrio eius, qui deceptus eſt, vt infra cap.17.dubit.5. dicetur. Tertiò; Si quis inuentam rem alienam in plateis, ſibi aſſumeret, & poſtea aduerteret eam ſibi fore damnoſam, poſſet reponere eodem loco: nec teneretur eam cum ſuo damno ſeruare, vt domino reſtituatur: ergo, &c.

Aduerte tamen, contrariam ſententiam eſſe probabi- 15
Contrarium probabile. lem; quam tenet Caietanus 2.2.quæſt.62.art.6. Sotus lib. 4.quæſt 7.art.2.& Couarr.ad reg.Peccatum 3 p.in initio. & lib.1.variar.cap.3.num.6. quorum hæc ſunt præcipua argumenta.

Primò, Si talis emptor rei alienæ poteſt eam furi reddere, vt pretium recuperet: ergo, ſi fur non inueniretur, vel ſi obijſſet, poſſet eam alteri vendere, ne damnum patiatur

Reſpondeo, Negando conſequentiam; quia ſi non inue- 16
Argumenta contraria ſententia. niatur a quo illam emit, iam non poteſt contractũ reſcindere; nec rem in eodem ſtatu conſtituere; vnde tenetur eã domino reddere: quia neque poteſt eam retinere, cum ſit aliena:

aliena : neque poteſt eam vendere, cum eius dominium transferre non queat. Neque etiam poteſt a domino pretium exigere; quia nullum Ius habet in dominum, cum ſine domini culpa ad ipſum peruenerit; ſed tantum Ius habet in venditorem: ac proinde ab hoc ſolo poteſt damnum ſuum ſarcire, & non ab alio.

37 Secundò, Qui rem furtiuam reddit furi, cooperatur ipſius iniquæ detentioni; ergo, &c.

Reſpondeo, Negando antecedens; vtitur enim iure ſuo vt ſe indemnem præſtet, relinquens furem ſuæ conſcientiæ. non enim ſuadet vt non reſtituat; quin potius illi præbet reſtituendi exemplum: neque etiam dat occaſionem noui peccati, quia fur iam ante non conſtituerat reſtituere.

38 Tertiò, Si dominus rei poſſet conuenire talem emptorem coram Iudice, Iudex eum condemnaret ad reſtitutionem: ergo etiam antea tenebatur reſtituere.

Reſpondeo, Negando conſequentiam; ideo enim condemnabitur emptor ad reſtitutionem, quia res aliena apud ipſum reperitur. Iudex enim ſtatim inquirit a quo eã emerit: qui ſi poteſt inueniri, iubet, non vt illi reſtituat; (quia non vult dominum rei per iſtas ambages ducere) ſed vt reſtituat domino, cuius eſt, & ipſe ſi velit pretium ab illo recuperet. Iudices enim id quod eſt expeditiſſimum ſequi ſolent. ſi ille inueniri nequit, iam æquè tenebitur domino quòd ſi furem ſciens, nolit ipſum detegere, meritò a Iudice in pœnam condemnatur, vt rem domino, non furi, reſtituat.

Si empta ſide mala.

39 Dico Tertiò, Si mala fide rem emiſti, vt tibi retineres, ſciens vel dubitans eſſe furtiuam; teneris eam domino reſtituere. Ita docet Nauarrus. Caiet. Sotus & Couar. ſupr. Ratio eſt; quia ille tenetur nõ ſolum ratione rei acceptæ; ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis. accepit enim rem alienam inuito domino, ſciens vel dubitans eſſe alienam. ergo etiamſi periret, teneretur de damno: ac proinde tenebitur eam domino reddere, etiamſi oporteat pretium amittere. Confirmatur; quia cum ſciuerit eſſe alienam. & nihilominus voluerit emere; cenſetur damnum in ſe voluiſſe ſuſcipere, & iure ſuo cedere, quod habuiſſet ad contractum diſſoluendum, ſi alienam eſſe ignoraſſet. Itaque ſibi imputet, quòd pretium dederit pro ea re, quam ſciebat reſtitutioni obnoxiam.

An pretium a domino poſſis exigere.

Petes, Vtrum ſaltem poſſis repetere pretium; quod pro ea dediſti?

40 Reſpondeo, Si eam ſciens eſſe alienã paruo pretio emiſti, vt domino inuento reſtitueres; pretium repetere poteſ, & dominus in conſcientia tenebitur reddere, & in foro externo etiam cogetur, vt colligitur Inſtitut. de obligationibus, quæ quaſi ex contractu. §. 1. & L. 2. Si quis abſentis. ff. de negotijs geſtis. Ratio eſt; quia vtiliter geſſiſti negotium domini: non enim dediſti pretium, vt rem tibi retineres, ſed vt eam periculo. in quo erat eximeres, ne domino periret. Vide Couarruuiam ad reg. Peccatum, 3. p. in initio nu. 5. Si magno vel penè æquali m eumdem finem comparaſti, non tenetur dominus totum refundere, (niſi forte prudenter putaueris eam longe pluris valere) quia nihil vtilitatis tali emptione domino attuliſti, nec vtiliter eius negotium egiſti. tenebitur tamen ad aliquid arbitrio prudentum, nimirum quantum prudenter, gerendo negotium ipſius, impendere potuiſti colligitur. d. L. Si quis abſentis. ff. de negot. geſtis. Si verò eam tibi emiſti, non potes pretium repetere: quia neque nomine venditionis, (non enim dominio rem ſuam vendere potes) neque nomine geſtionis negotij, quia non eius cauſa emiſti. colligitur ex Leg. Si pupilli. 6. §. Sed etſi quis negotia. ff. ſupra. vide Gabrielem & Sylueſt. ſupra.

Contrariã improbabilis.

41 Circa hanc Tertiam propoſitionem, Notandum primo, Contrariam ſententiam, Nempè, etiam eum, qui mala fide emit, poſſe contractum cum fure initum reſcindere, vt pretium redipiſcatur, nõ videri improbabilem; eam enim tenẽt Alexander Halenſis. Gabriel, Angelus & Syl. ſupra. Ratio illorum eſt, quia ſibi quiſque conſulere poteſt præ altero præſertim cùm reſcindendo contractum non conſtituat rem peiori loco, quàm erat ante. Hæc ſententia videtur valde rationi conſentanea, quando reſcinditur ex continenti, vel non ita diu poſtquam eſt initus; quia non cenſetur notabilem iniuriam domino feciſſe, rem ipſius tantiſper contrectando.

Notandum Secundò, Ea, quæ hiſce tribus Dubitationibus dicta ſunt, potiſſimum eſſe intelligenda de rebus alienis, quæ proprijs non ſunt ita permixtæ vt diſcerni nequeant. quæ enim ita permiſcentur vt non poſſint diſcerni, tranſeunt in dominium eius, cuius rebus permixtæ ſunt, & perit obligatio realis, ſolùmque manet perſonalis. iuxta Silueſt. Vſura 6. quæſt. 1. Ioan. Medinam quæſt. 10. de reſtitutione, & Angelum v. Vſura 2. num. 18. quorum ſententia eſt probabilis & conſentanea Legi, Si alieni nũmi. ff. de ſolutionibus, vbi de alienis nummis dicitur, *Si mixti eſſent, ita vt diſcerni non poſſent, eius fierent, qui accepit, in libris Cuij ſcriptum eſt: ita vt actio domino cum eo, qui dediſſet, ſiuti competeret.* Ratio eſt; quia in talibus non eſt cauſa, cur potiùs hæc pars quàm illa cenſeatur aliena. Itaque ſi emeris frumentum, oleum & ſimilia, quæ furto ſublata fuere, & rebus venditoris eiuſdem generis permixta, non teneris ad reſtitutionem, etiamſi id ſcias & res apud te adhuc extet. vt docet expreſsè Medina quæſt. 10. Verùm de hoc plura infrà ca. 20. dub. 18. num. 156. & ſequentibus.

42 *Res alijs permixta.*

Si res aliena proprijs ſuis permixta.

DVBITATIO IIII.

Vtrùm ſi dubites an res ſit aliena, poſſis eam accipere, retinere, alienare.

43 RESPONDEO & dico Primò; Qui initio bona fide rem accepit vel habuit, ſi poſtea incipiat dubitare, an ſit aliena, tenetur inquirere veritatem, & manente dubio poſt inquiſitionem, non tenetur reſtituere; ſed manet in poſſeſſione bonæ fidei. Ita Ioannes Medina quæſt. 10. & Silueſ. Reſtitutio 3. quæſt. 7. §. Tertium, Gabriel ſupra, & alij. Ratio eſt, quia in dubio melior eſt cõditio poſſidentis: vnde niſi moraliter certus eſſe incipiat, alienam eſſe, nõ tenetur ea ſe priuare. vide cap. 6. dub. 3. de præſcriptione. Hinc ſequitur, Si rem illam. domino poſt diligentem inquiſitionem nõ inuento, vendat, non tenere poſtea illo comparente; vt rectè Siluester, Gabriel, & alij. Ratio eſt; quia neque tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, cũ bona fide illam habuerit, & vendiderit; neq; ratione rei acceptæ, vt quæ nec per ſe ipſam, nec per aliquid ſui, quod vicem eius ſupplear. apud ipſum extet. Quod addo, quia ſi ipſe ex ea factus eſt locupletior, eatenus tenetur. res. ſi. ratione illius acceſſionis, quæ ea rebus illius facta eſt, cenſetur adhuc extare.

Si dubiũ ſuperueniat.

Dices, Quid ſi occurrente dubio, non inſtituit inquiſitionem, & poſtea certò deprehendat rem fuiſſe Titij?

Reſpondeo, Tunc tenetur Titio reſtituere, non ſolùm rem illam, ſed etiam fructus conſumptos ex eo tempore, quo dubitare cœpit. ratio eſt; quia ex quo exorta dubitatione, an eſſet aliena, cœpit negligere inquiſitionem, non fuit amplius poſſeſſor bonæ fidei, ſed mala fide & contra conſcientiam ſuam rem illam cum ea animi diſpoſitione poſſedit. Deinde ex iuſtitia tenebatur veritatem inquirere; vnde omiſſio illa, ſeu negligentia fuit contra iuſtitiæ legem. quare tenetur damni, quod ex ea omiſſione vero domino obuenit.

44 Dico Secundò. Qui dubitat, vtrum res ſit aliena, poteſt nihilominus eam accipere titulo donationis, permutationis, emptionis, &c. modò eo animo accipiat. vt eam domino, ſi poſt diligentem inquiſitionem inuenerit, reſtituat. Ratio eſt; quia in hoc nullam facit domino iniuriam, ſed beneficium; nam alioquin fortaſſis numquam fuiſſet reſtituenda.

Si ab initio dubitet.

45 Dico Tertiò, Quòd ſi non eo animo eam accipiat, ſed potius vt ſibi retineat, peccat quidem, vt ſupra dictũ eſt, non tamen tenetur eam ſtatim reſtituere, ſed mutato animo, debet diligenter an aliena ſit inquirere, & vbi moraliter certus fuerit alienam eſſe, integrè reſtituere cum fructibus etiam conſumptis: ſi autem aliquid dubij remanſerit, tenetur eam cum altero, de quo dubitat, diuidere; plus vel minus pro ratione dubij & inclinationis animi illi aſſignando: qui ſi ſit perſona nota, ei ſua pars tribuenda, ſi verò ſit ignota, pauperibus. Ita Caietanus qu. 62. ar. 5. Sotus l. 4. q. 7. art. 1. circa tertium argumentum, Ioannes Medina qu. 17.

Ex dictis ſequitur, Si accipias rem aliquam ab eo, qui

bona

bona fide poſſidebat, neq; moraliter certus ſis, tuam eſſe non poſſe te retinere, ſed totam debere reſtituere; quia in dubio poſſeſſio illi fauet, ita vt niſi moraliter certum ſit eius non eſſe, non poſſe ea ſpoliari: & ita in omnibus tribunalibus, apud omnes gentes iudicatur. Si verò neuter poſſideret, vel alter non bona fide poſſidebat, non poteris in dubio totam tibi vindicare, ſed prout animus magis in hanc vel illam partem inclinat, reſtitutio ex ea facienda. quare in pari dubio, poteris retinere dimidium: ſi probabilius putes eſſe alienam, ei maior pars reddenda: ſi tuam, in maiorem retinebis; idque ſecundum varios gradus, qui in hoc aſſenſu eſſe poſſunt. cùm enim neutri poſſeſſio ſuffragetur, res ex coniectura & opinione iuris vtriuſque partis, ſtatuenda eſt.

DVBITATIO V.

Vtrùm qui bona fide rem alienam, quam ab alio emerat, vendidit, domino comparente, teneatur contractum venditionis reſcindere, reddito precio emptori, cui vendidit; an ſufficiat cedere ei ſua actione.

26 NAVARRVS c.17.n.8. exiſtimat ſatis eſſe, vt cedat ei ſua actione, v.g. emi equum a Petro, & vendo eum Paulo bona fide; deinde reſcitur eſſe Ioannis, eiq; reſtituitur: dicit Nauarrus me nõ teneri refundere pretiũ Paulo, cui vendidi, à quo Ioannes recuperat equum, ſed ſufficere vt ei cedam actione, quam habeo in Petrum, à quo emi. *Tenetur reſtituere pretium.* Sed contrarium eſt tenendum; nempè vbi cõſtiterit rem eſſe alienã, & Paulus voluerit idcirco cõtractum reſcindere debere me eſſe paratum reſcindere & pretium reſtituere. Ita docet Sotus l.4.q.7.art.2. & colligitur ex D.Th. q.77.ar.2. Probatur; quia qui vendit alteri rem vitioſam tanquam bonam, vbi conſtiterit de vitio, tenetur ſe paratum exhibere, vel ad tollendum vitium, vel ad reſcindendum contractum: Sicut ſi quis daret bona fide monetam adulterinam, teneretur poſtea dare bonam vel reſcindere contractum: atqui hæc conditio eſſe alienum, eſt quoddã vitium rei: ergo, &c. Reſpondet Nauarrus, eſſe ſolùm vitium extrinſecum, rem verò intrinſecè non eſſe defectuoſam: ſecùs eſſe in falſa moneta & ſimilibus, quæ intrinſecum vitium habent. 27 Sed hæc reſponſio non ſatisfacit: nã nihil videtur referre, ſitne vitium intrinſecum an extrinſecũ, quando reuerà tale eſt, vt emptor meritò ſit inuitus, faciatq; eius ignoratio emptionem inuoluntariam. tunc enim emptio eſt inualida, ac proinde reſcindenda, (ſi velit emptor) reddito pretio: vt infrà c.17.dub.5. dicetur. Secũdò, Quia venditor tenetur ẽptori de euictione: nec poteſt illum ad alium ablegare, cũ quo illi negotium non fuit; ſed ipſemet tenetur illi ſatisfacere. vt conſtat ex L.1. & multis alijs Iurib. ff. de euict. & C.eo. Tertiò, Quia venditor non potuit transferre dominiũ emptorem, cùm res fuerit aliena: ergo eriã ex hac parte contractus eſt inualidus: ac proinde tenetur ei pretium reſtituere, ſi ipſe velit.

Dices Primò, Quid ſi Paulus eam mox reſtituat, antequam mihi exhibeat, teneborne ei reddere pretium?

28 Reſp. Nõ tenebor; ſi videlicet ex illa redditione incurri damnum, non valens recuperare pretium à Petro, quod tamen potuiſſem recuperare, ſi rem illã mihi à Paulo redditam, ei reſtituiſſem. *Si præpropere reſtituas.* Si enim Paulus volebat à me pretium recuperare, debebat mihi rem illã reſtituere, vt ego me indemnem ſeruarem: iuxta ea, quæ diximus dubitatione tertia. Quòd ſi illa accelerata reſtitutio non ſit cauſa, cur ego nequeam pretium à me datum Petro; redipiſci. tenebor pretium, quod accepi à Paulo, eidem refundere; quia vẽdendo ipſi rem alienam ei cauſam damni dedi; & ipſe ſua reſtitutione mihi viciſſim damnum non intulit, ſicut fecit, quando poteram me indemnem præſtare.

Dices Secundò, Quid ſi domino comparente, Paulus, qui rem habet, non inueniatur.

29 Reſp. Tunc ad nihil teneor, niſi ex vẽditione factus ſim ditior: quia neque ratione rei acceptæ, cum illam non habeam, & ex ea factus non ſim ditior: neque etiam ratione iniuſti damni; quia bona fide vendidi. *Si poſſeſſor non inuenia tur.* Paulo etiam non teneor, quia nullum damnum ex rei emptione, quam à me habet incurrit; cùm bona fide illam retineat.

Dices Tertiò, Quid ſi mihi innoteſcat poſt venditionem, fuiſſe alienam, teneborne monere dominum vel indicare Paulo, eſſe alienam?

30 Reſpondeo, Non teneberis, ſi inde tibi damnum impenderet; vt ſi non poſſes recuperare pretium, quod bona fide dediſti. *Si poſſ alienationè ſciat eſſe alienã.* Ratio eſt; quia cùm rem alienam non habeas, nec alicui ſis cauſa damni iniuſta, non teneris cum magno tuo damno curare, vt dominus rem ſuam recipiſcatur, ſi tamen abſque tuo damno poſſis, teneris ex charitate.

DVBITATIO VI.

Vtrùm bona, & debita incerta, (id eſt, quorum ignotus eſt dominus vel creditor) ſint pauperibus reſtituenda.

31 SVPPONO Primò, bona non cenſeri *incerta*, niſi poſt eam inquiſitionem, quæ iudicio prudentis pro rei qualitate videatur ſufficiens; maior enim diligentia, & in pluribus locis, & longiori tempore adhibenda, quando res eſt magni pretij, quàm dum parui. Quòd ſi quis ante debitam diligentiam præſtitam, talia conuertat in pia opera; poſteà domino comparente, tenebitur ei ad integram reſtitutionem, vt communiter docent DD. *Incerta.*

32 Suppono Secundò, non cenſeri *incerta*, quando conſtat ea deberi certæ alicui communitati, vel toti, vel maiori eius parti. etſi enim in particulari nõ conſtet, quid cui debeatur; tamen conſtat hæc eſſe illius communitatis, ita vt ipſa tota, vel maior eius pars ius in illa habeat, & ſinguli vel plerique cenſeantur habere aliquid in illo cumulo: vt quando exercitus expilat iniuſtè pagum, vel oppidum. tunc enim reſtitutio facienda communitati, opera Magiſtratus, Epiſcopi vel Parochi, vt hi diſtribuãt ijs, qui in eo hominũ cœtu maius damnum accepiſſe iudicabuntur. Nec poteſt fieri in pauperes, aut in alia pia opera; quia hæc bona non cenſentur eſſe incerta. Item quando pauciores quidem ex illo conuentu damno affecti ſunt; tamẽ per aliquam induſtriã cognoſci poteſt qui ſint; videlicet opera Parochi vel Magiſtratus euocatis generatim vt cõpareant, qui ſpoliati fuere; & examinatis vbi, quando, quibus & qualibus rebus ſpoliati, &c. quod faciendum eſt in rebus magni momenti; non tamen id neceſſarium in paruis, vt cùm quis minutis vẽditionibus fraudauit. Quã do tali induſtria ſciri nequit quib. debeantur, conferenda ſunt in pauperes, ſiue illis loci, ſiue alterius His poſitis. *Debita communitati.*

Reſp. & dico Primò, Bona *incerta* (id eſt habentia dominum ignotum) & incerta debita, ſiue ex contractu, ſiue ex delicto, reſtituenda ſunt in pauperes, ſaltem iure poſitiuo vel conſuetudine. Eſt communis DD. ſententia, præterquam de bonis inuentis. Vide Couarruuiam ad reg. Peccatum, p.3.§.1. nu.3. Io. Med. C. de reſt. q.3. cauſa 10. Nauar. c.17.nu.92. & 94. & alios. 33 *Incerta in pauperes cõferenda.*

De incertis ex delicto debitis probatur ex cap. Cùm tu, de vſuris. Vbi Alexander III. iubet, *vt ea quæ vſuris iniquè acquiſita ſunt, ſi non ſuperſint illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus: & vſurarij, eorumque hæredes eccleſiaſticis pœnis ad hoc cogantur.* quod DD. communiter extendunt ad *incerta* ex alijs delictis debita, (vt ex furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus) idque meritò, quia eadem vel etiam maior eſt in his ratio: ne videlicet hominibus iniquis integrum ſit ex iniquitate & iniurijs diteſcere. Nomine autem *pauperum* intelliguntur non ſolùm mendici, ſed etiam quibus neceſſaria ad decentem ſtatum deſunt. & etiam quæuis opera pia; vt inter ceteros docet Nauarrus c.17.nu.93.

De debitis *ex contractu*, v.g. ex depoſito commodato, mutuo, venditione, &c. probatur: quia etſi de his non extet Canon, tamen vbique eſt conſuetudo piorum, vt hæc in pias cauſas expendantur, quando dominus inueniri nequit, vt animæ eius proſit. 34 *Pauperes qui.*

Sed difficultas eſt, Vtrùm etiã iure naturæ pauperibus pijſve operib. hæc ſint eroganda. Ferè omnes DD. ita ſentire videntur: id enim ſequi videtur ex ratione, qua vtuntur. aiunt enim hæc in pauperes eſſe reſtituenda; quia debitor iure naturæ tenetur hæc reſtituere eo modo, quo 35 *Quo iure pauperibus.*

poteſt, nempè vt vel ipſæ res, vel vtilitas ex illis ad dominum perueniat: atqui hoc fiet, ſi dentur pauperibus ad ſalutem domini viui vel mortui: ergo iure naturæ hæc in pauperes danda. Verum hæc ratio, etſi rectè probet, iuri naturali, ſuppoſita fide, conſentaneum eſſe vt ſic erogentur; non tamen probat id lege iuſtitiæ eſſe debitum. Primò, Quia fieri poteſt vt dominus in hæreſi vel alio peccato mortifero obierit: quo euentu nihil poteſt ei prodeſſe. Secundò, Quia in quibuſdam locis, fiſcus Principis occupat bona eorum, qui inteſtati moriuntur, & nullum hæredem intra decimum gradum relinquunt. Item animalia incertorum dominorum oberrantia, ſi domini poſt diligentem inquiſitionem inueniri non fuerint, applicantur in Hiſpania quibuſdam Magnatibus. Idem fit de cæteris inuentis in Gallia, teſte Couarruuia ſupra numero quinto. quæ omnia iniquiſſima eſſent, ſi iure naturæ pauperibus deberentur. Quòd ſi hæc illis non debentur, cur debeantur alia, cum omnia æquè ſint dominorum incertorum? nec minus hæc quam illa in dominorum vtilitatè ſint expendenda? Tertiò, Quia fieri poteſt compoſitio cũ Pontifice ſuper incertis, etiam inuitè acquiſitis, vt ea liceat retinere: quod ſignum eſt, non eſſe iure naturæ pauperibus debita. Quartò, Lex reſtitutionis eſt lex naturæ, atqui ratio naturalis non dictat hæc bona pauperibus eſſe debita: alioquin etiam apud Ethnicos id dictaret; quod 37 conſtat non eſſe verum. Quintò, Omnis reſtitutio iure naturali debita, debetur certæ perſonæ, vel certæ communitati; ſicut etiam omne damnum & omnis iniuria fit certæ perſonæ vel communitati: ſed hæc incerta non debentur certæ perſonæ vel communitati: ergo non debentur iure naturali. Iure tamen poſitiuo vel arbitrio humano, poteſt aliquid deberi in incertum; vt ſi tradam tibi aliquid diſtribuendum in pauperes, vel alias pias cauſas, in quas volueris, ex iuſtitia teneris; & niſi diſtribuas, iniuriam facis tum mihi cuius rem retines; tum pauperibus in confuſo.

36 *Non tenetur iure naturæ.*

38 Ex his ſatis patet, hęc iure naturali pauperibus vel pijs cauſis non deberi. Vnde ceſſante lege poſitiua, vel conſuetudine vim legis habente, bona incerta, non neceſſario ſunt in pauperes eroganda. Itaque cum ſolum lex inueniatur de ijs, quæ ex delicto debentur, nempè de vſuris, putat Petrus Nauarra lib.4.cap.2.num.47.ea, quę ex contractu debentur, poſſe tanquam adeſpota, poſt diligẽtem inquiſitionem retineri: quæ ſententia non eſt improbabilis, præſertim cum non conſtet conſuetudinem eſſe in contrarium. Contrarium tamen in praxi, tamquam magis pium & communi Doctorum ſententiæ conformius, ordinariè iudico ſequendum.

Incerta ex contractu debita, quaſi adeſpota.

Ad rationem pro contraria ſententia allatam.

39 Reſpondeo. Teneri quidem debitorem iure naturæ reſtituere rem eo modo, quo ipſa, vel vtilitas temporalis ex ea, ſeu pretium ad dominum peruenire queat: non tamen iure naturæ tenetur curare, vt ſi vtilitas temporalis, ad eum peruenire nequeat, proueniat illi vtilitas ſpiritalis: quia lege iuſtitiæ non tenetur damna temporalia cõpenſare bonis ſpiritalibus, vt ſupra oſtenſum eſt. Fateor tamen valdè eſſe æquitati conſentaneum, vt ita fiat; maximè ꝙ hæc etiam videatur eſſe tacita dominorũ voluntas.

Reſp. ad rationem contrariam.

40 Petes, Quo iure poteſt Pontifex de bonis incertis diſponere?

Ius Pontificis.

Reſpondeo Primò, Quia eſt ſupremus Princeps in ſpiritalibus, cuius eſt de temporalibus ſuorum ſubditorũ diſponere, prout expedit ad bonum ſpirituale. quòd maximè locum habet, quando ipſi domini de illis diſponere nequeunt. Itaq; poteſt hæc in pias cauſas ad ſalutem dominorum incertorum deſtinare. Secundò, Quia poteſt debitores talium bonorum in pœnam iniuſtitiæ vel etiam in fauorem pauperum reddere incapaces, ne poſſint illorũ dominiũ acquirere. Tertiò, Quia talia bona ex tacita dominorum voluntate videntur in cauſas pias eroganda. Vnde cum Pontifex ſit communis parens pauperum & cauſarum piarum, maximè ad ipſum pertinet ſua lege curare, vt ita fiat. Hinc patet potuiſſe Põtificem diſpoſitionem talium bonorum Principibus ſęcularibus ſubtrahere & ſibi reſeruare; ſua lege ſtatuendo, vt in cauſas pias cõferantur. quod niſi feciſſet, poſſent Principes de his, ſicut de theſauris & alijs bonis, domino carentibus, ſtatuere. Ratio eſt, quia bona hæc incertorum dominorum, poſt diligentem inquiſitionem cenſentur tamquam adeſpota; (id eſt, quæ domino carent) quia non magis illis prodeſſe poſſunt quàm ſi illorũ nõ eſſent. & omnino domino carerent. vnde ſi leges de his diſponant, nulla fit dñis iniuria.

Dico Secundò, Si is, qui hæc bona habet, verè pauper eſt; poterit ea tamquam vnus è numero pauperum ſibi retinere. Ita docet Scotus d.15.q.3. Caiet.q.62.ar.5. & alij. Ratio eſt, quia non debet eſſe peioris conditionis, quam alij pauperes, præſertim ſi non interceſſit ipſius culpa in re illa acquirenda, vel debito contrahendo. Quòd ſi culpa interceſſit, meretur quidem ea re priuari; tamen paupertas eſt ſufficiens ratio, cur poſſit illi per confeſſarium vel etiam propria ſua auctoritate applicari. non enim eſt neceſſe, vt detur pauperiori vel ſanctiori; (quamuis id expediat) ſed ſatis eſt, vt detur pauperi, nomine paupertatis. Vbi autem illi res hoc modo applicata fuerit, non tenebitur poſtea copioſior effectus, alijs pauperibus reſtituere; quia ſibi eam cauſa paupertatis vindicando, benè eam diſtribuit; iuxta generalem intentionem eius, cuius eſt, de bonorum incertorum diſtributione ſtatuere, ſcilicet Pontificis & domini incerti.

41 *Si poſſeſſor ſit pauper.*

42

Petes, Quid ſi dominus poſtea compariuerit?

Reſpondeo Primò, Si alijs pauperibus poſt debitam diligentiam diſtribuiſti, ad nihil amplius teneris. neque enim ratione rei, vt quæ in tua poteſtate non ſit amplius, neque ratione iniuſtæ acceptionis, quia etiamſi iniuſtè acceperis, tamen hæc culpa iam eſt abſterſa per reſtitutionem factam ijs & eo modo quo potuit & debuit in tali caſu fieri.

43 *Si dominus cõpariuerit.*

Secundò, Si eam tibi tamquam pauperi aſſignaſti, teneris domino cognito, modo adhuc extet in ſe vel in pretio; idque quamuis ſine tua culpa illam habueris. Ratio eſt; quia teneris ratione rei: nec es in tanta neceſſitate, vt eam tibi poſſis reſeruare.

Tertiò, Si verò ipſa nec in ſe, nec in pretio extet, ad nihil teneris: præſertim ſi ſine culpa illam acquiſieras: quia qui bona fide rem alienam conſumpſit, non tenetur, niſi quatenus factus eſt ditior.

Quartò, Si per culpam acquiſieras, adhuc probabilius videtur te non teneri, domino comparente, ſi poſt debitã inquiſitionem, animo reſtituendi factam, tibi tamquam pauperi applicaſti, eamque ſic conſumpſiſti, ita vt nec in ſe, nec in pretio apud te extet. Ratio eſt; quia neque ratione rei acceptæ teneris; (vt quæ neque in ſe, neque in pretio extet) nec ratione iniuſtæ acceptionis; quia culpa abſterſa eſt per voluntatem reſtituendi, & diligentiam præſtitam vt domino reſtitueres, & per reſtitutionem, quam tibi tamquam pauperi, feciſti.

Aduerte tamen, quoſdam Doctores teneri, Rem ſemel debito modo pauperi applicatam, (etiamſi tibi ipſi applicueris) non debere domino poſtea comparenti reſtitui, etiamſi in ſua ſpecie extet. Inſinuat Petrus Nauarra lib.4. c.2. nu.57. & docet aperte Henriquez, de indulgentijs c. 34.nu.8. Ratio eſſe poteſt Primò, Quia dum applicata eſt pauperi, cenſetur in vtilitatem domini reſtituta, & dominus tenetur hanc reſtitutionem ratam habere.

44 *Quorundã ſententia.*

Secundò, Quia per hanc applicationem transfertur dominium. Sed facilè ad has rationes reſponderi poteſt. Ad primam, Non tenetur dominus habere ratum, niſi donec rem ſuam inueniat. quia cum hęc tacita conditione debet fieri applicatio, videlicet, vt ſi dominus compareat, ei reſtituatur. Ad ſecundam, Negatur trãsferri dominium, niſi poſtea poſſideatur tempore neceſſario ad vſucapionem, vt rectè Couar. Iura enim hunc modum transferendi dominium ignorant. Si tamen in aliqua Prouincia eſſet aliqua conſtitutio, ordinans vt ſic dominium transferatur; non eſſet damnanda: quia diſpoſitio talium bonorum ſubeſt auctoritati Principum, niſi quatenus Pontifex eam ſibi reſeruat.

45

Dixi in Secunda propoſitione, *Si is, qui hæc bona habet, verè eſt pauper*, quia ſi ſolùm eſt pauper pro loco vel tempore, tenebitur poſtea, iuxta communem ſententiam, veris pauperibus ad reſtitutionem: nam ex ordinatione Eccleſiæ & cõſuetudine piorum, veris pauperibus ſunt diſtribuenda. *Pro loco* pauper eſt, qui alibi bona habet. *Pro tempore*, qui nouit artem vel induſtriam, qua facilè ſibi neceſſaria ad victum comparare poteſt, vel aliunde ea proxime expectat.

46

Aduer-

47 *Per quem facienda diſtributio.*

Aduertẽdum autem eſt, expedire, vt quis in hac diſtributione (& præſertim quando ſibi rem alienam reſeruat) vtatur conſilio Epiſcopi, vel Parochi, vel prudentis confeſſarij; quia facilè amor proprius in hoc negotio decipit. abſolutè tamen non eſt neceſſarium; nam ſufficit, vt prudenter fiat. vide Sylueſtrum v. Reſtitutio 8. q.5. & Medinam q.3. cauſa 10. & Nauar.nu.92. qui notat, in quatuor caſibus Epiſcopum ſe poſſe interponere.

DVBITATIO VII.

Cui facienda reſtitutio inuentorum habentium dominum, ſed incertum, & an inuentor poſſit ea ſibi retinere.

48 *Inuenta poſſe retineri nõ eſt improbabile.*

DOMINICVS Soto lib.5.de iuſtitia, quæſt.3.artic.3. ad 2. putat, inuentorem, ſi poſt diligentem inquiſitionem dominus inuentus non fuerit, poſſe hæc ſibi retinere; neque obſtare vllum Ius poſitiuum eccleſiaſticum aut diuinum, quo hæc neceſſariò ſint pauperibus eroganda.

Probatur Primò, Quia talia bona, hoc ipſo, quo per ſedulam inquiſitionem tempuſq; ad id ſufficiens, dominus non poteſt deprehendi, cenſentur adeſpota: ac proinde iure naturæ fiunt occupantis, ſicut theſauri. & alia, quæ nullius ſunt: niſi quòd tacita quædam obligatio illis annexa ſit vt ſi dominus comparcat, reſtituantur.

Secundò, Quia ſuper huiuſmodi bonis numquam ſolet fieri compoſitio cum Pontifice, vt teſtatur Petrus Nauarra l.4.c.2.nu.71. quod ſignum eſt ea non eſſe neceſſariò in pios vſus eroganda. Eamdem ſententiam ſequitur Petrus Nauarra l.4.cap.2. nu.75. qui pro eadem citat Ledeſmam, Mercatum, & Barthol.Medinam. Hæc ſententia eſt probabilis.

49 *Eſſe conferenda in pios vſus, eſt communior ſententia DD.*

Contraria tamen eſt ferè communis DD. nempè hæc pauperibus vel alijs pijs operibus eſſe impẽdenda; eamque tenet D.Thomas q.62.art.5.ad 3. & paſſim Theologi in 4.d.15.Syl.v.Inuentum, nu.2. vbi dicit, *Omnes Canoniſtas ita ſentire.* Nauar.c.17.nu.170. Conar.ad reg.Peccatũ, 3.p.§.1.nu.1.& ſeqq. qui etiam non probat conſuetudinẽ illam applicandi hæc Magnatibus. Hanc ſententiam ordinariè in praxi iudico ſequendã. Primò, Quia eſt ferè communis. Secundò, Quia magis fauet pietati. Tertiò, Quia paſſim apud pios eſt conſuetudo, vt pijs operibus hęc impendantur: quæ conſuetudo videri poteſt habere vim legis; orta enim eſt ex praxi communis ſententiæ, quæ vſque ad Sotum viguit. vnde magnum ſcrupulum plerique ſi hæc ſibi retinuerint, cõcipiunt. Quartò, Quia eſt magis conſentanea iuri communi. Nam Authent. Omnes peregrini. C. communia, de ſucceſſ. ſtatuitur, *Si peregrinus inteſtatus deceſſerit, ad hoſpitem nihil perueniet, ſed bona ipſius per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, hæredibus tradantur, vel in cauſas pias erogentur,* & cætera. quæ conſtitutio magis pia eſt, quàm quæ huiuſmodi fiſco applicat. Quintò, Quia hæc videtur eſſe domini voluntas, vt ſic ei res ſua aliquo modo proſit; & quiſque de rebus ſuis perditis, ita fieri cuperet.

50 Aduertendum eſt nullo modo tolerabilem eſſe conſuetudinem, quæ in quibuſdã locis dicitur eſſe, vt bona naufragorum in littus eiecta, habeantur tamquam adeſpota; & occupentur à Gubernatore loci. (de quo vide Couarruuiam ſupra) ſunt enim excommunicati per Bullam Cœnæ Domini: & meritò, quia eſt afflictionem addere afflictis; & maximo damno affectis, modicum, quod benigna ſors ad ſolatium extremæ miſeriæ indulſerit, eripere.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm acceptum ob turpem cauſam ſit neceſſariò reſtituendum, & cui.

51 PRIMA ſententia eſt, Pro nullo opere, quod per ſe turpe ſeu peccatum ſit, (vt eſt fornicatio, adulterium, homicidium) poſſe aliquid accipi, & ſi quid ſit acceptũ, id eſſe neceſſariò reſtituẽdum; niſi videatur gratis donatum. Ita Ioannes Medina C.de reſt.q.20.& 21. Idẽ aliquando ſentit Nauar.c.17.nu.38.& ſeq. Fundamentum eſt, quia peccatum, eſt nullius pretij. vtpote vitul, teſte Auguſtino; ac proinde prorſus inuendibile.

Secunda ſententia eſt, Pretium acceptũ pro opere turpi, quod non ſit contra iuſtitiam, non eſſe reſtituendum: ſecus verò ſi ſit contra iuſtitiam. Ita Soto l.4.q.7.ar.1.ad ſecundum. Fundamentum ipſius eſt, quia acceptum pro opere debito ex iuſtitia, neceſſario eſt reſtituendum: ergo etiam quod acceptum fuerit pro opere iniuſto.

Tertia eſt, Acceptum pro omni opere prauo, quod legibus punitur, eſſe reſtituendum; ſecus verò de accepto pro opere, quod leges non pununt. Ita ferè omnes vtriuſque Iuris DD. quod refert Couarruu. ad reg. Peccatum, p.2. §.2. Probatur, L. Generaliter, 26. ff. de verb.obl. *Generaliter nouimus, turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti, velut ſi quis homicidium vel ſacrilegium ſe facturum promiſerit. ſed & officio Prætoris continetur, ex huiuſmodi obligationibus actionem denegari.* Et L. Pacta.6.C.de pactis. *Pacta quæ contra leges conſtitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati Iuris eſt.* Si nullam vim habent, nulliuſque ſunt momenti; ergo id, quod ex vi talis pacti accipitur non efficitur accipientis, ac proinde eſt reſtituendum. Pro reſolutione.

52 *Non iure naturæ reſtituendum eſt.*

Dico Primò, Si ſolum Ius naturę ſpectetur, acceptũ ob turpem cauſam, ſeu propter opus, quod eſt peccatũ, opere impleto non neceſſariò eſt reſtituendũ, ſiue illud opus ſit contra Iuſtitiam, ſiue non-colligitur ex D.Thom. q.32. art.7.in corp.& q.62.art.5.ad 2.vbi docet, *ſolle retineri id, quod propter opus malum eſt acceptum.* Nec diſtinguit, ſitne opus illud contra iuſtitiam, an non. Idem docet Caietanus ibidem & Couar.ad reg.Peccatum p.2.§.2. Probatur Primò, Quia ſi Iure naturæ eſſet reſtituendum, deberet reſtitui ei qui dedit; atqui huic non debet reſtitui, quia in accipiendo nulla huic facta eſt iniuria. libenter enim & liberè dedit pro opere, quod tu facere non tenebaris. Secundò, Quia etſi opus malum, pro quo dedit, non ſit æſtimabile pretio quà malũ, tamen quà delectabile vel vtile vni, & alteri detrimentoſum, periculoſum, laborioſum, inter homines pretio æſtimatur: ergo quod hac ratione pro eo eſt acceptum, nõ eſt reſtituendum; niſi fortè quis 53 communem æſtimationem exceſſerit: vt ſi meretrix, quæ vſuram ſui concedere ſolet vno aureo, ab aliquo iuuene extorſerit 50 tamquam pretium. Hoc tamen locum non habet in ea, quæ putatur honeſta: vt ſi matrona aliqua vel filia, 100. aureos pro vſura corporis accipiat ab eo, qui dare poterat, retinere poteſt; nam tanti & pluris poteſt ſuam pudicitiam æſtimare. Res enim, quæ certum pretiũ non habent, nec ad vitam ſunt neceſſariæ, ſed voluptatis cauſa quæruntur, arbitrio venditoris poſſunt æſtimari, vt probabiliter docet Petrus Nauarra & alij.

54 *Pro iniuſta ſententia.*

Notandum tamẽ eſt, Couarruuiam & Caietanum excipere id, quod acceptum eſt à Iudice, vt iniuſtam ſententiam ferat; hoc enim putant iure naturæ eſſe reſtituendum; quia iniuſta ſententia & peruerſio iudicij non eſt res venditibilis. Sed hæc ratio non eſt firma; nulla enim eſt cauſa, cur magis debeat Iure naturæ reſtitui, quod acceptum fuerit pro iniqua ſententia, quàm quod pro iniqua occiſione. quod tamen etiam illorum iudicio non eſt neceſſariò reſtituendum.

55 Dices, Diuus Auguſtinus epiſtola quinquageſimaquarta ad Macedonium ait, *Sceleratius accipit pecuniam pro ſententia iniuſta, quàm pro iuſta, pro teſtimonio falſo, quàm pro teſtimonio vero:* atqui pecunia accepta pro ſententia iuſta, eſt reſtituenda: ergo & pro ſententia iniuſta. Ita Sotus.

Reſp. Negando conſeq. nõ enim quia aliquid eſt ſceleratius, ideò magis vel ęquè obligat ad reſtitutionem. Hęc enim obligatio non ſequitur magnitudinem ſceleris, ſed damnum per iniuriam datum: at qui accipit pro ſententia iniuſta, nullam infert iniuriã danti; ſicut is, qui pro iuſta. porrò illud eſt ſceleratius quàm hoc, tum quia peius eſt ferre ſententiam iniuſtam, (ad quam ferendam iam habet animũ, qui pecuniam accipit, propter iniuriam, quæ fit alteri parti) quàm accipere pecuniam pro ſententia iuſta ferẽda: tum quia (vt ibidem Auguſtinus ait) ſceleratius datur pro iniuſta, quàm pro iuſta, quamuis detur voluntariè & libenter. loquitur enim de ſententia ferenda. Adde, ibidem Auguſtinũ ſignificare, pecuniam iſtã etſi ſceleratius

acceptam,non eſſe opere impleto reſtituendam;dum dicit *datum à volentibus*. Volenti enim non fit iniuria. ſecus ſi data ſit pro ſententia iuſta ; quia cenſetur data coactè, metu ſententiæ iniuſtæ.

Dixi,*Opere impleto*,quia ante opus impletum, debet reſtitui,eo quòd opus, propter quod datur, debet omitti. vide infrà cap.18.dubit.3.

56 *Neque iure poſitiuo reſtituendum eſt.*

Dico Secundò, Verius etiam videtur,neque iure poſitiuo,id neceſſariò reſtituendum. Ita D.Anton. 2.par.tit. 2.cap.5.in princ. Angelus,v.Concuſſio, num.2.& v.Reſtitutio §. Turpe.Sylu.Reſtit.2.& v.Eleemoſyn.quæſt.4. Nauar.cap.17.num.30.& 36.Idem tenent Couarruu. & Caietanus ſupra. qui tamen excipiunt id, *quod acceptum eſt à iudice pro ſententia iniqua ferenda*, innixi non iuri poſitiuo,ſed naturali,quod iam refutatum eſt. Idem tenet ex parte Sotus,ſed excipit id. *quod acceptum eſt ob maleficium commiſſum contra iuſtitiam*. verùm non ſibi conſtat: nam ibidem docet, acceptum ab adultera non eſſe reſtituendum ; cum tamen adulterium ſit maleficium contra iuſtitiam. Deinde ex eius ſententia ſequeretur, militem debere reſtituere ſtipendium acceptum in bello iniuſto ; & fabrum pretium inſtrumenti fabricati ad furta vel homicidia,& armorum ad bella iniqua.quæ omnia ſunt cõtra communem hominum ſenſum,vt rectè Couarruuias ſupra. Ratio eſt, quia leges iſtę ſupra citatę & ſimiles, quę pacta turpia & iniqua reſcindũt,non ideo reddũt irrita acquiſitionem rei ex tali cauſa;nec faciunt accipientem inhabilem ad comparandum eius rei dominium:ſed tantùm videntur decernere, vt ante opus patratum habeantur illa pacta inualida, & ne ex illis oriatur obligatio ciuilis,id eſt, ob quâ poſſit in iudicio peti promiſſum, vt docet Couar.ſupra nu.6.& Nauarrus ſupra.Confirmatur. Quia credibile eſt, his legibus non reſcindi obligationem naturalem,quæ ex talibus pactis opere completo naſcitur. ita enim leges politiuæ ſunt interpretandæ, ſi fieri poteſt,vt diſpoſitioni Iuris naturalis conſonent.

57 *Leges pacta turpia irritantes.*

58 *Priuilegium mulatum.*

Dices Primò,L.2.C. de donat.inter virum & vxorem. *iubetur reſtitui ancilla militi, quam ipſe donauerat concubena* ; ergo tenebatur reſtituere.

Reſpon. Ibi tantùm concedi militibus ius repetendi in iudicio,quod meretricibus donarunt,vt docet Adrianus, tractatu de reſtit.§. Oritur alia quæſtio.An meretrix,&c. in fine. Hinc tamen non ſequitur debere reſtitui ante ſententiam:deinde id non conceditur aliis : imò alij in foro externo cogũtur ſoluere pretium turpitudinis meretrici ; vt probat Couar. nu.2. Deniq; id non conceditur in aliis delictis.nã L.3. ff. de condict. ob turpem cauſam dicitur, *Vbi dantis & accipientis turpitudo verſatur, non poſſe repeti dicimus, veluti ſi pecunia detur vt malè iudicetur.* Et L. 8. dicitur *Solutum ob turpem cauſam, non poſſe repeti*. idem patet ex L.2.& 5. C. eodem, ex quibus legibus ſatis probabiliter colligitur, poſſe iſta retineri in conſcientia. Mens enim legum eſt, vt is, qui dedit,in pœnam criminis, non poſſit recuperare.

59 *Accipere pretium ante maleficium eſt peccatũ. non autẽ accipere poſſe.*

Dices Secundò, Is,qui accipit aliquid ob maleficium, peccat,quia videtur illud approbare: ergo non poteſt accipere : ergo nec retinere.

Reſp. Accipere pretium ante maleficium patrarum,eſt peccatum,ſimiliter & dare.ratio eſt,quia tunc dare,eſt inducere ad maleficium;& accipere.eſt ſpondere & promittere maleficium;nam ſub tali conditione datur & accipitur. Verùm accipere poſſt maleficium,non eſt peccatum. ſicut nec dare, non enim tunc accipitur vel datur, quòd maleficium placeat;ſed ratione laboris, ſumptus, vel periculi ſuſcepti;vel ratione pacti onerosi & fidei obligatæ, quod fieri poteſt cum perfecta criminis deteſtatione, & animo numquam committendi.

60 Dico Tertiò, Etſi hæc ſententia verior ſit,contraria tamen,quæ cenſet id,quod acceptum fuerit ob crimen legibus punibile, (niſi cenſeatur donatum) eſſe reſtituẽdum; non eſt improbabilis. Patet, quia eſt ferè communis omnium Iuriſperitorum,vt docet Couar.ſupra num.6. Item Medinę & Nauarri olim,(licet hic poſtea mutarit)& aliorum ; habetque rationes ex Legibus petitas, vtcumque probabiles.

61 *Cui faciendareſtitutio.*

Sed tunc difficultas eſt,cui reſtitutio ſit facienda.Communior ſententia eſt, eſſe reſtituendum pauperibus, vt ibidem Couar.docet.Cum.n.leges non velint illud reſtituì illi, qui dedit & induxit ad maleficium ; neque poſſit retineri iuxta hanc ſententiam, (eo quòd pactum fuerit irritum) conſequens eſſe videtur, vt in pias cauſas ſit expendendum. Sed reuera hoc potius eſt ſalutare conſiliũ, quam præceptum,vt rectè docent Antoninus, Nauarr. & alij. Meritò tamen id poterit iniungi in pœnitentiam à confeſſario,quando ei videbitur expedire;præſertim cum tot DD.dicant abſolutè in pauperes conferendum.Sotus & Couarr.putant ſi reſtituendum eſt, eſſe potius reſtituẽdum ei,qui dedit.Si enim dominium non tranſtulit, apud ipſum manſit : quia non intendit aliter rem à ſe alienare, quam vt in hunc transferretur. ex qua ratione confirmatur prior ſententia. abſurdum enim eſt, vt illi fiat reſtitutio,& contra mentem legum, quæ intendunt illum punire negata condictione ſeu actione repetendi ; ergo nulli debet neceſſariò reſtitui ante ſententiam.

DVBITATIO IX.

Vtrùm acceptum ob cauſam honeſtam,ad quam tamen obligabaris, (V. g. vt facias vèl omittas, quod tenebaris facere vel omittere) debeat reſtitui.

QVIDAM putant, generatim id eſſe reſtituendum.Ita Medina q.26 Nauar.c.17.nu.34.Couar.ad reg Peccatum.p.2. §.3.vnde ſi alicui detur aliquid ne formicetur, ne blaſphemet, ne peieret, *id eſſe reſtituendum*. Sed verius eſt non eſſe reſtituendum ; niſi actio vel omiſſio debita fuerit ex iuſtitia,vel niſi debita fuerit ex charitate erga proximum, & ſine vllo ſumptu vel labore poſſit præſtari. quod vt diſtinctè explicetur. 62

Dico Primò, Si opus vel omiſſio ex iuſtitia ſint debita proximo. non poteſt pro illis quidquam exigi ; & quod acceptum fuerit eſt reſtituendum. eſt communis DD. vide Couarru.& Medinam ſupra,& Sotum l.4.q.7.artic.2. Probatur primò, Quia manifeſtè violatur æqualitas, ſi pro eo, quod iam ex iuſtitia abſolutè eſt debitum. aliquid amplius exigatur vel accipiatur. Secundò, Quia id,quod datur pro iuſtitia obtinenda,vel iniuria vitanda,non cenſetur dari ſpontè, ſed coactè & ex metu iniuriæ, prouenient ab eo,cui datur: ergo neceſſariò eſt reſtituendum: quia cenſetur per tacitam quamdam iniuriam extortum.hæc eſt vera ratio,cur ſit reſtituendum. 63 *Si lege iuſtitiæ debitum.*

Hinc ſequitur Primò, Iudicẽ teneri reſtituere id, quod accepit,vt iuſtam ſententiam ferret:intelige,ſi datum eſt timore iniuriæ.alias non dandum: ſecus,ſi inſtar muneris liberalis, vt maiorem quam ſolet, quamque tenetur, diligentiam in cauſa adhibeat. 64 *Iudex.*

Vbi aduerte in ſententia iudicis duo conſiderari poſſe. Prius, Quòd ſit actio maximè vtilis & neceſſaria Reipuegés multo labore & examine actorum & probationum, & magna auctoritate perſonæ. Alterum, Quòd ſit iuſta. Ratione prioris aliquid pro ſententia à partibus accipi poteſt, ſi alias iuſtum ſtipendium iudici non eſt aſſignatũ. Sic enim debita eſt ei merces lege iuſtitiæ, ſicut & labori Aduocatorum & Iuriſconſultorum. Ratione alterius, nullum ei debetur ſtipendium: ſed ſuppoſito officio iudicis, gratis hanc æqualitatem in ſua actione procurare debet. quod etiam locum habet, cum eſt ea varietas ſententiarum, vt ei liberum ſit vtramlibet partem in iudicando ſequi. vt enim ſententia ſit iuſta, ſemper gratis curandum eſt Iudici. Verùm quia tunc vtraque pars iuſta cenſetur, dubitari poteſt, vtrùm contra iuſtitiam peccet, ſi aliquid accipiat, vt hanc potiùs quam illam in iudicando ſequatur. Videtur non ita peccare. Primò, Quia rationes prædictæ hic ceſſant. Secundò, Quia non tenetur ad alteram determinatè,ſed liberum ei eſt ſequi quam maluerit. ergo ſi aliquid accipiat,vt hanc ſequatur potius quam illam, non faciat vlli iniuriam. Conſequentia patet. Quia cũ res non eſt debita, non eſt contra iuſtitiam (ſi ſolum ius naturæ ſpectemus) exigere pro ea re pretiũ;ſi alioquin pretio ſit æſtimabilis. Tertiò, Quia non accipit pretium pro iuſtitia ſententiæ, ſed quia in hac cauſa hanc opinionem præfert iſti,ad quod nullo modo tenebatur. Hoc autem eſt pretio æſtimabile.tum quia vtiliſſimum parti, tum quia ſequendo hanc opinionem amittit fauorem alterius partis, cui potuiſſet *Si vtramque ſententiã ſequi poteſt.*

potuiſſet gratificari. Quartò, Quia nemo dixerit, illi parti, a qua iudex aliquid in hoc caſu acceperit, factam eſſe iniuriam, imo paſſim hoc tempore dantur à partibus, & accipiuntur munera à iudicibus, vt quantum intra limites iuſtitiæ poſſint iudices iuſtum fauorem impertiant: quāuis hoc ſit valde reprehenſibile, & merito legibus vindicandum. Idem ſæpe fit in collatione officiorum ſæcularium in Beneficijs tamen eſt ſimonia, quamuis forte iure naturæ non ſit obligatio reſtituendi, vt infra capit. 35. dub. 18. dicetur. Hæc argumenta, ſi ſolum ius naturæ ſpectetur, faciunt hanc ſententiam ſatis probabilem. Nihilominus legibus id vetitum eſt, quæ etiam poſſunt ad reſtitutionem obligare, imò & incapaces reddere dominij rei hoc titulo datæ acquirendi.

65 *Teſtis.* Sequitur Secundò, Teſtem teneri reſtituere quod accepit, vt verum teſtimonium dicat. Etſi enim non ſemper ex iuſtitia teneatur teſtari, tamen ſi teſtari velit, tenetur ex iuſtitia teſtari veritatem. Si tamen veritatis teſtimonium eſſet illi detrimentoſum, poſſet aliquid exigere pro damno, vel periculo, quod metuitur, ſimiliter ſi labor aut ſumptus eſſet ſubeundus.

66 *Pro depoſito, commodato, &c. reddendo.* Tertio, Nihil poſſe exigi pro reddendo depoſito, vel commodato, vel inuento, vel pro ſoluendo debito, quod intellige de ipſa nuda redditione, nihil habente laboris aut moleſtiæ. Secus ſi continetur ſit labor, vel aliquid aliud pretio æſtimabile.

Pro omiſſione iniuriæ. Quartò, Neque etiam vt non fureris, non occidas, non detrahas, quia hæ omiſſiones ex iuſtitia ſunt debitæ abſque vllo pretio, & nihil ſumptus vel laboris habent. vnde L. 2. ff. de condict. ob turpem cauſam dicitur, *Iulianus dicit ſi ædem tibi ne hominem occidas, condici poſſe*, id eſt, poſſe repeti.

67 Dices, Etſi talis omiſſio eſt debita, non tamen eſt debita in tui gratiam: ergo ſi quis tua cauſa abſtineat ab his alteri inferendis, qui te non contingit, poterit ratione huius obſequij aliquid exigere & accipere.

Reſpon. Sotus ſupra, ob hoc argumentum cōcedit poſſe ſic aliquid accipi. Sed communis ſententia eſt in contrarium. ratio eſt; quia quando opus vel omiſſio ſecundū ſe eſt inuendibilis, etiam eſt inuendibile obſequium, quo fit in tui gratiam. alioquin vſurarius poſſet aliquid exigere, quòd in tui gratiam det mutuum alteri; & collator beneficij, quòd tua cauſa huic conferat. & iudex quòd tua cauſa iuſtam ſententiam ferat. tale enim obſequium, quando opus eſt abſolutè debitum, non cenſetur dignum pretio apud homines. ſed vt ſummum amicitia. Si quid tamē ex liberalitate ob hanc cauſam eſſet datum, poſſet retineri; quia non cenſetur donatum inuitè, neque ob cauſam, quæ ſit nullius pretij, ſed ſponte & ex cauſa virtutis. vnde promiſſio facta ſub tali conditione, non magis obligat, quàm promiſſio liberalis abſoluta.

68 Dices, Miles ex iuſtitia tenetur militare, & tamen poteſt exigere ſtipendium; ergo pro opere debito ex iuſtitia poteſt pretium exigi.

Reſp. Miles non tenetur ex iuſtitia, niſi ei *iam* conſtitutum ſit ſtipendium. præter hoc autem nō poteſt amplius exigere. Idem dicendum de Iudice, & alijs officijs, quæ non ſunt debita ex iuſtitia, niſi poſt contractum, quo illis ſtipendium ſuit merces proportionata.

69 *Debitum ex charitate proximo.* Dico Secundò, Si opus debitum ſit proximo ex charitate, non poteſt pro eo pretium exigi, ſi forte ſit laborioſum, vel ſumptuoſum. ita Couar. & Medina ſupra. Probatur primo, quia communiter homines in iudicio hæc nō ſunt pretio æſtimabilia. Secundo, quia cum valde intereſſet proximi, vt hæc fiant, ſi quid pro eo det, ei debet coactè datum, (non gratis) pro re nullius pretij. Sic nihil poteſt exigere, vt animo deponas odium inimici, vel vt inhabiles ces furem, qui res meas ſurripuit, vel locū vbi depoſuit; ſi id ſine labore, ſumptu, periculo facere poſſis, vt cōtra Couar. ſupra. Demque vt in extrema neceſſitate des tenuem eleemoſynam pauperi.

70 *Debitū duntaxat in bonum operantis, vel in honorem Dei.* Dico Tertiò, Quando aliquid datum eſt pro opere vel omiſſione, quæ ſolum cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, non neceſſariò eſt reſtituendum, ſed poteſt retineri. ita Petrus Nauar. lib. 4. cap. 100. & ex parte Sotus ſupra. Ratio eſt; quia tunc cenſetur eſſe liberaliter donatum ex cauſa, vel ſub conditione: nemo enim ab alio emit actiones vel omiſſiones liberas, illi ſoli commodas vel Deo honorificas, ad quas tenetur; ſed ſi quid pro illis offerat vel det, cenſetur datum in bonum illius, vel ad honorem Dei, mere liberaliter.

71 Hinc ſequitur, Eum qui aliquid accepit ab altero, vt fieret Chriſtianus, vt confiteretur in Paſchate, vt nō fornicaretur, non blaſphemaret, poſſe retinere; nec teneri reſtituere, niſi repetatur in iudicio. Nec obſtat L. 2. ff. de condictione ob turpē cauſam, vbi dicitur; *Si tibi dedit, ne ſacrilegium faceres, condici poſſe*; id eſt, repeti: quia ſolum conceditur repetitio in iudicio, idq; quando datum eſt, ne crimen fieret, quod legibus punitur; hinc tamen non ſequitur, ante ſententia eſſe reſtituendum. Puto tamen id, quod pro huiuſmodi cauſa promiſſum fuerit, impleta cauſa, non eſſe debitum niſi ex virtute fidei, ſicut ſi abſq; huiuſmodi conditione promiſſum eſſet. Ratio eſt; quia reuera hæc opera non ſunt pretio æſtimabilia, ſicut nec alia ſupradicta: ſed diſcrimen inter hęc opera, & illa eſt, quod datum pro his non cenſeatur exortum ab inuito, ſed liberaliter donatum; eo quod is, qui dat, nulla neceſſitate compellatur. Secus de dato pro illis, quæ ex iuſtitia vel charitate proximo ſunt debita.

72 *Si præſumatur de tuto liberalitatem.* Aduertendū tamen eſt, Quando conſtat vel prudenter præſumitur aliquid datum per modum muneris liberalis, ad inclinandum eum, qui accipit, ad bonum opus ex iuſtitia vel charitate debitum, vel ad eum à malo auertēdum; non eſſe reſtituendum, niſi lex poſitiua in aliquo caſu expreſsè inhabilē reddat ad dominium eius rei capeſſendū, ſicut videntur feciſſe Iudices L. Plebiſcito. 18. ff. de officio Præſidis. & L. Solent. §. finali. ff. de officio Proconſulis, de quo plura infrà ſuo loco. vide Sylueſtrum v. Iudex 1. q. 8.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De ordine in reſtitutione ſeruando, dequè loco & expenſis.

Complectitur dubitationes 8.

1 NOTANDVM eſt, Quando bona debitoris, in ſolutionem omnibus creditoribus ſatisfiūt, non eſſe opus vllo ordine: nam omnibus integrè eſt ſatisfaciendum: ſed tum demum certus ordo ſeruandus eſt, quando non ſufficiunt.

DVBITATIO I.

Vtrùm debita certa ſint prius ſoluenda quàm incerta.

2 SVPPONO, Debitum varijs modis dici *incertum*. Primò, ſi non ſatis conſtat, vtrū debeas, necne: & tūc non eſt neceſſaria reſtitutio; quia melior eſt conditio poſſidentis. Secundò, ſi conſtat quidem rem deberi, ſed dubium eſt cui ex duobus, vel tribus debeatur. Hoc euentu, ſi dubium eſt æquale, res æqualiter eſt inter eos diuidenda, vel ex illorum conſenſu forte applicanda: ſic enim ſeruatur iuſtitia quòd ſi poſtea conſtiterit, vter ſit verus creditor, alter tenetur ei reſtituere ſuam partē, niſi eam legitimè vſu cœperit. Si noluerit reſtituere, tu tamen liber manes; quia reſtituiſti eo modo, quo potuiſti & debuiſti; nec in eo incerto amplius à te potuit exigi. Si dubium non fuit æquale, ei debetur maior pars, de quo minus eſt dubium; alteri verò minor, iudicio prudentis. vi ſup. c. 14. dub. 4. *Debitum incertum tripl.*

Tertiò, Dicitur incertum debitum, quando conſtat quidem

quidem deberi;ſed neſcitur cui vel quibus ex totâ multitudine:ſiue res ipſa in ſpecie ſua ſit aliena, (vt equus, veſtis,torquis,& ſimilia) ſiue tantùm ſit debita confuſe; vt quando loco rei peremptæ debetur pecunia.His poſitis.

3 *Si aliena in ſpecie.*

Dico Primò,Si res incertum habens dominũ,in ſpecie ſua eſt aliena,primo loco eſt reſtituenda,nõ certis creditoribus,ſed iis,quibus incerta reſtitui ſolẽt;iuxta ea,quæ cap.14.dub.6.& 7.dicta ſunt: quamuis nihil aliud ſupereſſet,quod certis creditoribus dari poſſit.Eſt cõmunis DD. Ratio eſt ; quia creditoribus debet ſatisfieri ex bonis debitoris.non ex alienis.Itaque hæc ante omnia ſunt ſegreganda à bonis debitoris,& in pios vſus eroganda.

4 *Si non ſint aliena in ſpecie.*

Dico Secundò , Si res ipſæ non ſunt in ſua ſpecie alienæ,tunc ex eis priùs faciẽda eſt reſtitutio certorum debitorum,quàm incertorum.Eſt communis DD.Antonini 2.p.tit.2.cap 3.in princ.Caiet.v.reſtit. cap.8. Silu.reſt.6. q.5.Medinæ,C.de reſt.q.2 §.Ad aliud,quod quinto loco, & Nauarri cap.17.nu.47.& aliorum.

Sed difficultas eſt,quẽnam ſit huius ratio.DD.qui cenſent incerta iure naturæ pauperib.eſſe danda,valde laborant in aſſignanda ratione , nec quidquam afferunt quod omnino ſatisfaciat.Sed iuxta ſententiã,quam ſupra c.14. dub.6.& 7.ſecuti ſumus,nõ eſt difficile.Ratio igitur,cur

5 *Cur certis creditoribus priùs ſoluendum.*

certis creditoribus potius ſit ſoluendum quàm incertis. eſt; quia Iure naturæ tenetur debitor ex iuſtitia ſoluere creditoribus certis,etiamſi nulla lex poſitiua id iuberet ; idq; de bonis ſuis,quorum dominium habet. Non tamẽ Iure naturæ de his bonis tenetur ſoluere creditorib. incertis;quia his ipſis ſolutio fieri non poteſt. quòd autem loco eorum teneatur pauperibus; id ſolum iure poſitiuo conſtitutum eſt:quod Ius locum non habet,quando certi creditores extant;neque mens legislatoris fuit, nec verò potuit eſſe, eo caſu obligare : quia quod debitum eſt Iure naturæ,non poteſt tolli per legem poſitiuam.

Adde,non ſoluendo talia incerta, nemini in particulari fieri iniuriam,ſecus verò ſi non ſoluantur certa.

Dices,Quando res eſt in ſpecie aliena,& dominus reperiri nequit, non debetur Iure naturæ pauperibus; & ſepoſita lege poſitiua poteſt retineri : ergo etiam ex ea debet ſatisfieri creditoribus certis.

6 Reſp.Negando conſequentiam,quia etſi ſepoſita lege poſitiua poſſet debitor ex ea ſatisfacere , non tamẽ tenebatur ; eo quòd non teneatur niſi de rebus ſuis ſoluere. Vnde Iure poſitiuo ſtatui potuit,vt hæc darentur paupe ribus, etiamſi creditores certi nihil eſſent habituri : quod ſi debitori vt pauperi res illa applicetur, tunc videtur ex illa creditoribus eſſe ſoluendum ; quia non amplius aliena cenſetur;niſi fortè paupertas illum excuſet.

DVBITATIO II.

Vtrùm inter debitores certos , priùs ſoluendum ſit Venditori, cui pretium nondum eſt ſolutum, re vendita extante.

7 *Res Eccleſiæ & minorum.*

RESPONDEO & dico Primò, Si res ſit Eccleſiæ vel fiſci vel minoris,& adhuc extet inter bona debitoris;ante omnia ſoluendum eſt pro ▪ pretium iuſtum,vel certè res ipſa eſt reſtituenda. Probatur;quia talis rei non eſt translatum dominium per conuentionem mutuã , & ſecutam traditionem;niſi reipſa perſoluatur pretium, vt docet Angelus v.Emptio nu.4. Silueſt. eodem verbo nu. 2.& notat Bartol.in L.à Diuo Pio,15. §.Sed ſi emptor. ff.de re iudicata & Panor.in c.Cũ olim,de officio deleg. & colligitur ex L.ſi curator.5. ff. de iure fiſci,nũcta Gloſſa,vnde ſequitur talem rem,vbicumque extitent,etiamſi aliis vendita fuerit,poſſe vindicari .

8 *Res alienum vendita.*

Dico Secũdò:Si res alterius vendita fuerit tali debitori,& ille nec pignus aut fideiuſſorem dederit,nec pretiũ in præſenti obtulerit,nec vẽditor illud pro ſoluto habuerit fidens emptori , tunc vel pretium ante omnia ſoluendum,vel res reſtituenda venditori . Probatur; quia iure cõmuni in hoc caſu nondum cenſetur tranſlatum dominiũ,etiamſi res tradita fuerit, vt expreſsè habetur Inſtit. de rerum diuiſione.§. Venditæ vbi dicitur,*Vendita vero res & tradita, non aliter emptori acquiritur , quam ſi is venditori pretium ſoluerit , vel alio modo ei ſatisfecerit , veluti ex promiſſore aut pignore dato : quod quamquam cauetur ex L. duodecim tabularum , tamen recte dicitur & iure gentium, id eſt, Iure naturali id effici* . Idem habetur L. Quod venditi. 19.ff.de contrahenda emptione . Vnde ſequitur, rem talem, vbicumque extiterit, vindicari poſſe,niſi pretiũ ſolutum fuerit, vt dicitur L. Procuratoris. 5. §. Sed ſi dedi. 18.ff.de tributoria actione.

Sed hic difficultatem parit quod in eodem §.Inſtit.ſupra,additur his verbis ; *Sed ſi is , qui vendidit , fidem emptoris ſecutus fuerit, dicendum eſt ſtatim rem emptoris fieri.* ſemper enim videtur fidem emptoris ſequi,quando ei credit abſque fideiuſſore vel pignore. Vnde tunc ſemper transfertur dominium .

9 Reſp.Tunc tantùm cenſetur ſequi *fidem emptoris*, quãdo ipſius nuda promiſſione eſt contentus , perinde ac ſi pretium eſſet ſolutum.quod Vlpianus in d.L.Procuratoris ait.*In creditum abire*.& Pomponius in d.L.Quod vendidi, *Fidem habere emptori ſine vlla ſatisdatione.*

Petes,An ergo tunc venditor non habeat Ius prælationis? Couarruuias l.1.variar.c.7.nu.3. putat non habere. pro qua ſententia adfert multos Iuriſperitos, qui dicunt hanc eſſe communem.Idem ſentit Petrus Nauar.l.4.c.4. nu 39.& Molina diſp.536.Probatur Primò , quia illa res non eſt amplius venditoris,cùm tranſlatum ſit dominiũ, vti ſuppono,neque manet illi obnoxia Iure hypothecæ . Nam neque Iure naturæ , neque Iure poſitiuo conſtituta eſt in tali re hypotheca . Non Iure naturæ, quia hoc Iure nulla inducitur tacita hypotheca.ſi enim contrahẽtes pacto expreſſo non obligant rem ſolutioni , non eſt cur illa iure naturæ debeat priori domino cenſeri obligata; cùm eius dominium perfectè in alium tranſierit, non ſecus ac ſi ſolutio in præſentia eſſet facta.Nõ etiam Iure poſitiuo; quia nullum Ius poſitiuum inducẽs in tali re hypothecã in iure Cæſareo reperitur. Secundo. Si emptor ille alteri venderet, prior venditor non poſſet eam vindicare:ergo non erat ipſi hypothecata . Tertiò , Quia neque expreſſa hypotheca ex conuentione contrahentium poteſt in emptione ſic conſtitui, vt venditor habeat Ius prælationis præ alijs hypothecis iure poſitiuo conſtitutis: nam contrahentes non poſſunt ſuo conſenſu efficere, vt ijs,qui in re ciuili vel municipali habet ius ſplationis, debeat poſtponi.vt ſi emi à te domũ vel nauim, & poſtea ad eius reparationem accipiã ab alio pecuniam mutuam ; hic tibi præferetur in ſolutione,quia iure poſitiuo habet ius prælationis,etiam reſpectu præcedentium hypothecarũ, vt infra dicetur.Ex quibus ſequi videtur, venditorẽ eſſe numerandum inter creditores hypotheca carentes;ac proinde omnibus hypothecam habentibus poſtponendum . Hæc ſententia eſt valdè probabilis . Contraria magis videtur æquitati conſona, vnde.

10 *Non habere venditorem ius prælationis.*

Rationes adferuntur.

11 *Probabile eſt, venditorem in re vẽdita eſſe præferendum .*

Dico Tertiò, Probabile eſt, venditorem, ſi ab emptore fideiuſſorẽ vel pignus nõ accepit,& res adhuc apud emptorem extet, in ea re cæteris eſſe præferendũ, ita vt vel pretium ei ſoluendum ſit,vel res ipſa reſtituenda . Ita tenet Caietanus v.Reſtitutio cap.octauo,Syluest.Reſtitut. 6.quæſtione quinta,Fumus,eodem verbo,num.36.Medina C. de reſtitutione quæſtione ſecunda. ff. Tertium dictum.Nauarr.cap.17.num. 49. Idem tenet Archidiaconus,Baldus,& alij,teſte Sylueſtro . Probatur Primò,quia valdè durum eſt, & ab æquitate naturali alienum, vt res mea,quam à me emiſti, non ſoluto pretio , extans in ſua ſpecie,alijs aſſignetur,& ego re mea ſimul & pretio frauder.ſepoſito enim omni Iure poſitiuo,ſtatim iudicio naturali quiuis cenſeret,æquius eſſe vt venditori res ſua reſtituatur.ſi emptor ſoluẽdo non ſit,quam vt detur alteri. Secundò,Si tibi locaui meam domum,inuecta & illata in eam manent obligata pignori pro penſionibus annuis,& damnis in domũ datis,vt habetur L. ſecunda. ff. Ex quibus cauſis pign. vel hypothec.tacita cõtrahatur.ergo argumento à fortiori etiam res vẽdita manet obligata pro pretio . Tertiò . Quia Iure gentium non transfertur dominium rei venditæ ante ſolutum pretium , niſi datum fuerit pignus vel fideiuſſor: vel niſi venditor ſecutus fuerit fidem emptoris , vt habetur §.Venditæ, ſupra : idque quia non cenſetur venditor dominium alia ratione velle transferre . atqui quando venditor credit emptori . etiamſi intendat transferre dominium, non tamen intendit ſe priuare omni Iure , & recurſu ad rem ſuam , niſi reipſa

reipſa ſolutum fuerit pretium, vt patet ex vſu & cõmuni hominum ſenſu: ergo ſaltem quamdiu extat, apud emptorem, cenſetur quaſi hypothecata pro pretio.

12 *Reſp. ad rationes.* Vnde, ad primam rationem in contrarium Reſpõdeo. Etſi iure naturæ ſeu gentium non contrahatur vlla hypotheca perfecta qualis iure poſitiuo; nempe in quam retineatur ius apud quemcumque extet; benè tamen poteſt cõtrahi imperfecta & inchoata, in quam retineatur ius, quamdiu extat apud emptorem. talem videtur habere venditor in re empta, vt dictum eſt. Si tamen emptor alteri vendat, non manet amplius obligata, ſicut nec pretium pro ea acceptum; vt rectè Nauarrus.

13 Ad ſecundam, Inde tantũ ſequitur, non eſſe hypothecam perfectam, quales ſunt omnes hypothecæ ſpeciales iure poſitiuo introductæ.

Ad tertiam, Inde ſolùm probatur, aliquam hypothecam huic præferendam, nempe eam, quæ conſtituta eſt ratione mutui accepti ad rei inſtaurationem; ſecùs de alijs. Idem ob eaſdem rationes videtur dicendum, de omni alia re, titulo oneroſo alienata, vt ſuprà docet Nauarrus: vt de re mutuata, permutata, &c. quod intelligo, ſi res illa in ſua ſpecie adhuc extet in bonis debitoris, maximè ſi alijs permixta nondum ſit. Imò etiamſi permixta ſit, ſi certò conſtet illam ibi contineri. quia æquiſſimum eſt, vt ante omnes illi, qui eam tradidit, reſtituatur, vel ipſa, vel pretium eius; nec alij creditores poſſunt id merito ægre ferre, cùm debitor eius reddítione non fiat impotentior ad ipſis ſoluendum, quam fuiſſet, ſi eam non accepiſſet.

DVBITATIO III.

Vtrùm debita ex delicto, præferenda ſint debitis ex iuſto contractu.

14 *2. Prius quæ ex delicto.* SVNT tres ſententiæ. Prima eſt, Debita ex delicto eſſe priùs reſtituenda, quàm ex contractu, (niſi fortè in contractu interuenerit hypotheca) & quo delictum fuit maius, eò quoque priorem deberi reſtitutionem. Ita Ioannes Medina quæſtio. 2. de reſtitut. dubit. 5. Vnde poſt hypothecas. Primò, reſtituendum debitum ex rapina. Secundò, ex furto. Tertiò ex vſuris. Quartò, ex contractu oneroſo; vt ex mutuo, emptione, &c. Quintò, ex contractu gratuito; vt ex legato, promiſſione non completa, &c. probatur. Primò, Auctoritate D. Bonauenturæ. Secundò, Quia illa debita ſunt priùs ſoluenda, quæ cum maiori iniuria & peccato ſunt contracta; eò quòd quando non poteſt ſimul ab omnibus peccatis recedi, conſentaneum ſit, vt priùs à grauioribus, deinde a leuioribus recedatur. atqui maius peccatum, maiorque iniuria, ceteris paribus, eſt in rapina, quàm in furto, & in furto, quàm in vſura: ergo priùs ſoluendum pro rapto, quàm furto, & priùs pro furto, quàm pro vſura, & priùs pro vſura, quàm pro contractu, in quo nulla commiſſa iniuria. inter contractus autem, magis obligat is qui eſt oneroſus, quàm qui gratuitus; idque meritò; quia per oneroſum homo nõ fit impotentior ad ſoluendum alijs; nam vna res ſupponitur loco alterius, ex natura contractus: per gratuitum verò ſecùs. Idem ſentit D. Thomas opuſculo 73. capit. 18. *Cum neceſſaria ad ſalutem præcedant ea, quæ ſunt deuotionis, tuiſtè ſoluuntur debita ante legata. ſed maiori iuſtitia reſtituenda ſunt ablata, quàm debita ſoluenda: cumin hoc impleatur Iuſtitia, & tollatur iniuria facta Deo & proximo. In ſolutione autem debitorum, nulla tollitur iniuria. ſed ſolùm impletur Iuſtitia.* Idem tenet Michael Saloníus q. 62. art. 8. in fi. & videtur tenere Angelus Reſtitut. 2. nu. 18. Hæc ſententia non eſt improbabilis.

15 *2. Prius quæ ex cõtractu.* Secunda Sententia eſt, Priùs ſoluenda eſſe debita ex contractu iuſto oneroſo, non gratuito, quam ex delicto: niſi fortè res ex delicto parta, in ſpecie ſit aliena. Ita Caietanus. v. Reſtitutio c. 8. Nauar. cap. 17. nu. 52. Bartholom. Medina lib. 1. Summæ capit. 14. § 33. Denique D. Anton. p. 2. tit. 2. cap. 7. §. 1. & 2. qui etſi aſſentiatur primæ ſententiæ in ordine debitorum ex delicto, nempe priùs reſtituendum, quod ex rapina debitum, quàm quòd ex furto, & prius ex furto, quam ex vſura; addit tamen, priùs eſſe reſtituenda, quæ ex contractu iuſto debita. hæc ſententia probabilis eſt, ſi res ex contractu accepta, extet apud debitorẽ. iuxta ea, quæ diximus dubit. 2. alioquin non video qua ratione probabili queat defendi; niſi fortè in vſuris.

16 *3. Non eſſe inter hæc ordinem.* Tertia ſententia, quam veriorem iudico, eſt, Inter hæc debita nullum eſſe ordinem, ſed ea pari iure cenſeri. eſſeque debita perſonalia, ſine iure prælationis: præſertim ſi res ex contractu accepta, apud debitorem non extet. Ita docet Sylueſter, Reſtitutio 6. q. 5. puncto 5. Petrus Nauarra li. 4. cap. 4. nu. 41. & alij recentiores. Probatur Primò, Quia neque iure poſitiuo aliquid hac de re cautũ eſt, neque vlla ratio ſufficiens adferri poteſt qua probetur, ius naturæ poſtulare, vt alterum debitum alteri præponatur. ergo ſunt paria. Secundò, Quia etſi maior fiat iniuria per rapinam quam per furtum, & per furtum fortè quam per vſuram: tamen poſtea, dum quis non vult reſtituere, eſt eadem iniuſtitia in ipſa rei detentione. eiuſdem enim ſpeciei peccatum eſt, non ſoluere debitum ex contractu poſt elapſum termiuum, inuito creditore, & non ſoluere debitum ex rapina aut furto: quia æquè fit inuito domino: quamuis enim in rapina ſit maior iniuria, eo quòd ſit maior contemptus domini, & ipſe magis inuoluntariè patiatur; tamen poſtea non eſt maior obligatio reſtituendi: nam pro exceſſu iniuriæ, qui eſt in primo aggreſſu, non eſt facienda reſtitutio pecuniæ, de qua hic agimus, ſed alia ſatisfactio.

17 *Raptor.* Dices Primò, Quamdiu raptor non reſtituit, non recedit ab iniuria, quam intulit perſonæ, vi rapiendo; atqui ab hac maximè tenetur recedere: ergo ante reliquos, &c.

Reſp. Primò. Negando maiorem. nam hoc ipſo quo definit vim inferre, iniuria perſonalis non continuatur, ſicut detentio rei, ſed tranſit. vnde etiamſi non reſtituat rapta, tamen non cenſetur continuare actualem rapinam, ſed ſolum rei alienæ detentionem.

Reſpondeo Secundò, Negãdo ſubſumptum. non enim magis tenetur ad faciendam iniuriam illatam perſonæ, quàm ad faciendam reſtitutionem rei detentæ: præſertim cum in rei detentione, etiam iniuria domino fiat, & præter iniuriam, damnum. Itaque cum is, qui tenet ex cõtractu, æquè obligetur elapſo termino, atque is, qui ex vſura, furto vel rapina: non eſt cur naturali iure vllum ordinem inter iſta debita conſtitutum putemus. Quod etiam ex eo cõfirmatur: quia alioquin contra ius naturæ faceret iudex, qui iuberet pro rata talibus creditoribus reſtitui; & teneretur ipſe de ſuo ſupplere, quod nemo dixerit.

18 Dices Secundò, Detentio vſurarum non tantum repugnat voluntati domini, quantum detentio rei furtiuæ, vel raptæ, vel ex contractu oneroſo debitæ: ergo in vſuris, non eſt tanta obligatio reſtituendi, quanta in ceteris. Antecedens patet, ex communi hominum ſenſu: nemo enim de illis magnopere quæritur, neque conatur recuperare. vnde etiam non eſt tam deteſtabilis vſurarius, quàm fur vel raptor, vel debitor ex contractu, qui poſt elapſum terminum non vult ſoluere, cum poſſit. Ob hoc argumentum, non videtur improbabile, debita ex contractu oneroſo, ex furto & rapina, poſſe præponi debitis ex vſura. Quia tamen contrarium puto verius.

19 *Debita ex vſuris.*

20 Reſpondeo, Omnia hæc contra voluntatem dominorum retineri; ita vt ſi poſſent, curarent ſibi reſtitui; quod ſufficit. vt æquè iniuſtè, ſeu contra eamdem iuſtitiæ ſpeciem retineantur. Et quamuis detentio vſurarum, non tantum repugnet actuali voluntati domini, quantum debitum ex contractu vel furto, id non refert: quia hoc non prouenit ex eo, quòd intendat vſurario eas donare, vel aliquid iuris concedere; ſed ex eo, quòd ſpem non habeat recuperandi; ſitque malum neceſſarium ſponte ſubeundum. Sicut qui ſponte dat lytrum latroni, non reſtituit actuali voluntate (niſi inefficaciter) illi detentioni; & tamen non minus iniuſtè ille detinet, quam fur vel raptor. Itaque hæc actualis repugnantia nõ facit, vt detentio rei ſit magis contra iuſtitiam, quàm alias eſſet; ſed facere poteſt, vt magis ſit contra charitatem: vt ſi quis vehementer ſe inde cruciaret.

DV-

DVBITATIO IV.

Quis ordo ſit ſeruandus in ſolutione certorum debitorum.

21 *Ordo reſtitutionis.*

RESPONDEO Primò reſtituenda ea, quorum dominium non fuit translatum in debitorem.

Secundò, Soluendum pro moderatis expenſis funeris debitoris, L. penultima. ff de Religiosis, & ſumptibus funeris. Huc etiam pertinent ea, quæ neceſſaria ſunt ad conſcribendum teſtamentum, ad faciendum inuētarium, ad cuſtodiam ſuppellectilis, & ſimilia opportuna, vt fiat reſtitutio. Vnde ſi quis fecerit has expenſas pro debitore aut pro funere alterius, quem debitor ſepelire debuiſſet, (vt pro funere vxoris, filij, vel mancipij) ei iure naturali primò reſtitutio facienda eſt.

22 Tertio. Soluendum ijs, qui habent hypothecam, (quātum ea ſe extendit) ante alios, qui non habent, vt habetur L. Eos. 9. C. Qui potiores in pignore. Ratio eſt, quia hypotheca datur creditori ad ſecuritatē vt in omni euentu poſſit ex ea curare ſibi ſatisfieri.

Quartò, Inter hypothecarios creditores, primò ſoluendum ijs, qui tempore ſunt priores; hæc enim regula iuris, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*. intelligenda eſt de ijs, qui in eadem re habent hypothecam, vt docet Syluester v. Reſtitutio 6. quæſt. 5. & colligitur L. 2. 4. 5. 6. 7 8. C. Qui potior, in pign. hab (verum etiam vera ſit in creditoribus perſonalibus, dicetur dubitat. 6.) eſtque generaliter vera, ſiue hypotheca ſit tacita, ſiue expreſſa, ſiue generalis, ſiue 23 ſpecialis, ſiue ſit conuentionalis, ſiue iudicialis, ſiue Prætoria. Exceptis quibuſdam caſibus, in quibus poſterior præfertur priori, vt ſtatim dicemus. Neque ſolum expreſſa prior, præfertur expreſſæ poſteriori; ſed etiam tacita prior, præfertur expreſſæ poſteriori, vt patet in hypotheca dotali quæ etſi tacita ſit, præfertur tamen expreſſæ poſteriori, vt docet Couar. lib. 1. var. cap. 7. nume. 2. & colligitur ex L. Hac edictali. 6. §. His illud adiungimus. C. de ſecundis nuptijs. Similiter generalis prior præfertur etiam ſpeciali poſteriori: vt colligitur ex L. 2. ff. Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur.

24 *Nauarrus.* Vnde patet Primò, Falli Nauarrum cap. 17. numer. 50. & 51. & Sylueſtrum Reſtitutio 6. quæſt. 5. Dum dicunt eos, qui expreſſas habent hypothecas, præferri ijs qui habent tacitas. hoc enim verum non eſt, niſi illa expreſſa ſit tempore prior; exceptis quibuſdam caſibus iure declaratis.

25 *Sylueſtr.* Patet Secundò, Falli Sylueſtrum, quando vult eum, qui habet ſpecialem hypothecam poſteriorem, præferri habēti generalem priorem omnium bonorum, & præterea ſpecialem in aliqua re, quę diſtincta ſit ab hypotheca ſpeciali alterius. Nec obſtat L. 2. C. de pignoribus & hypothecis, quam ipſe pro ſe adducit; nihil enim aliud ibi dicitur, quam tuum pignus poſterius debere tibi ſaluum eſſe, ſi priori creditori, habēti generalem hypothecam, & etiam ſpecialem in alia re, quæ a tuo pignore diſtincta ſit, poſſit integre ſatisfieri ex illa ſpeciali. tunc enim non potest impedire tuam ſpecialem, ratione ſuæ generalis prioris. qui enim præter generalem hypothecam, etiam capit ſpecialem, id facit quod primò velit vindicare ſpecialem; & nō attingere generalem, niſi in euentu, quo ſpecialis non ſufficiat. Vnde ſequitur. tuum pignus non fore tibi ſaluum, ſi alteri ex ſpeciali illa hypotheca non poſſit integrè ſolui. & conſequenter generalis prior, præfertur ſpeciali poſteriori. vide Couar. lib. 3. variarum cap. 18.

26 *Poſterior tempore aliquando præfertur priori.*

Aduerte tamen, Eſſe aliquos caſus, in quibus poſterior tempore præfertur priori, habenti hypothecam expreſſam vel tacitam.

1. *Mutuans pro re conſeruanda.*

Primus habetur L. 5. ff. Qui potiores in pign. Si tibi credidi, ſeu mutuaui pecuniam, ad refectionem vel conſeruationem alicuius rei, alteri ante obligatæ; vt ad reficiendam vel armandam nauem. tunc enim præferri debeo alijs, habentibus in eadem re hypothecam generalem vel ſpecialem etiam expreſſam. cuius ratio eſt; quia ſine tali mutuo, pignus illud vel non extitiſſet, vel certè periiſſet; ac proinde prior creditor parum vel nihil ex eo habuiſſet commodi. vnde non poteſt ægrè ferre, quòd is, cuius pecunia ſaluum eſt, prior ex eo ſolutionem illius pecuniæ accipiat.

2. *Mutuans pro re cuſtodienda.*

Secundus habetur L. 6. ſuprà. Si tibi mutuaui, v.g. 100. vt ſatisfaceres pro mercium vectura, vel pro conductione ædium, in quibus aſſeruarentur: manent mihi merces iſtæ obligatæ, ita vt primus ſolutionem ex illis habere debeam ante alios generalem vel ſpecialem, tacitam vel expreſſam hypothecam habentes.

3. *In hypotheca dotali.*

Tertius eſt, In hypotheca dotali, per quam bona mariti ſunt obligata vxori, eiuſque deſcendentibus, ita vt ipſa & ipſius filij ex illis, ſuam dotem antea alios creditores, habentes tacitas hypothecas priores, poſſint deducere; vt patet L. Aſſiduis. 12. C. Qui potiores in pignore.

Notandum tamen eſt Primò, Dotem non præferri hypothecæ expreſſe priori. Ratio eſt; quia lex non intendit dori dare priuilegium cum iniuria priorum creditorum, qui ex ſpeciali conuentione iam ius habebant in bonis debitoris. valdè enim durum eſſet, per nuptias viri ſuperuenientes, omnes priores amittere Ius, quod expreſſe pacti erant. Secùs eſt de ijs, qui habebant tacitam priorem, lege introductam; (his enim dos præfertur, niſi etiam priuilegium prælationis habeant, vt in caſu primo & ſecundo,) quia lex potuit ſuum beneficium, quod cōcedit prioribus. ita reſtringere, vt poſtponantur priuilegio mulieris in cauſa dotis, vt docet Siluester v. Dos, nu. 14. 27

Hinc patet, Non ſequi; expreſſa hypotheca prior, præfertur doti poſteriori; & hæc dos præfertur mutuo poſteriori pro refectione, ergo expreſſa hypotheca prior, præfertur illi mutuo poſteriori, vide Couarr. lib 1. variar. cap. 7. vbi oſtendit in ijs, quæ iure humano conſtant, non eſſe neceſſariam, vt ſi a. vincat b. & b. vincat c. a. vincat c. Idem Siluester ſuprà. 28

Notandum Secundò, Dotem non præferri priuilegio, quod habet is, qui mutuauit pecuniā iuxta primum & ſecundum caſum; niſi tempore dos ſit prior; vt rectè docet Siluester ſuprà. Neque contrarium colligitur ex Nouell. 97. c. 3. (vt quidam putant) quia ibi ſolùm dicitur, *Eum, qui mutuauit ad ædificationem vel refectionem domus vel nauis, non præferri doti priori ſicut præfertur alijs non priuilegiatis.* Hinc tamen non ſequitur dotem poſteriorem, illi præferri, aut illum doti poſteriori non præferri. 29

Quartus caſus eſt, Quando ex pecunia pupilli empta eſt res aliqua; illa res manet pupillo obligata ante omnes; ita vt ſi ea alteri ſit hypothecata, ipſe ſit præferendus, vt poſſit recuperare pretium. Idem colligitur ex L. penult. C. de ſeruo pign. dato. 30

4. *Emptum pecunia pupilli.*

Quintus eſt, Si tibi dem mutuā pecuniā ad emendā domū vel prædium vel rē aliam, cum pacto expreſſo, vt ea res mihi maneat hypothecata pro debito; præferat alijs creditoribus, habentibus hypothecā generalē in omnibus tuis bonis, quamuis talis hypotheca comprehendat etiam bona futura & conſequenter hanc ipſam domum. Ita habetur L. Licet. 8. C. Qui potiores in pign. Couar. ſup. nu. 3.

5. *Mutuans ad aliquid emendum, &c.*

Sextus eſt, Quando quis contraxit cum fiſco, manent ipſa bona fiſco obligata cum priuilegio prælationis. Idem Ius habet fiſcus ratione tributi nondum ſoluti. Vnde omnia bona Receptorum & Redemptorum vectigaliū, ſunt fiſco hypothecata, lib. 2. C. de priuil. fiſci: dos autem & fiſcus pari iure cenſentur. L. Dotis tuæ. 9. C. de Iure dot. vide Couarr. ſuprà. 31

6. *Contrahēs cum fiſco.*

Septimus eſt, Quando quis alicui credit pecuniam ad militiam, v.g. vt emat equum, arma, vel vt ſe in militia ſuſtentet; habet hypothecam iure prælationis, etiam ante dotem, etſi dote ſit poſterior. vt patet ex Nouella Iuſtiniani 97. cap. 4. Vnde huic ex bonis mariti integre ſoluendum, quamuis vxoris dos eſſet peritura. In his caſibus nō eſt ſeruanda illa regula, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure:* nam habent priuilegium, vt præferantur, etiamſi tempore ſint poſteriores; non quidem ſemper omnibus, ſed quibuſdam. In ceteris autem hypothecis, tale priuilegium non habentibus: & in his, quæ æquale priuilegium habent, eſt ſeruanda; ita vt integrè ſatisfieri debeat ei, qui priorem hypothecam habuerit. Verùm accurata horum tractatio, eſt Iuriſperitorum. vide doctiſſimum tractatum de pignore Antonij Neguſantij. 32

7. *Credens militanti.*

Quintò, Poſt eos, qui habent hypothecam, ſi quid ſuperſit, ſoluendum creditoribus perſonalibus, id eſt, qui nō habent vllam rem debitoris, ſibi immediatè in genere vel 33 34 *Creditores perſonales.*

vel in ſpecie obligatam, ſed ſolam perſonam. Inter hos
Habentes priuilegium per ſonale. Primò loco ſoluendũ ijs, qui habent perſonale priuilegiũ prælationis, abſque hypotheca; quale habet ſponſa de futuro, in bonis ſponſi, ratione dotis traditæ, non ſecuto matrimonio, vt docet Gloſſa in Le. Eos. 9. C. Qui potior in pig. &, Qui depoſuit pecunias apud nummularium non percipiens inde vſuras, vt patet. Le. Si hominem 7. §. final. ff. depoſiti, vel contrà. quod quidem DD. extendunt ad
Depoſitum, commodatũ, pignus. omnia depoſita, & ad commodatum & ad pignus ſi dolo vel culpa debitoris perierint. Item ad pecuniam depoſitã in ſocietate mercatorum ad negotiationem Si tamen hęc extaret, etſi mixta eſſet, ante hypothecas reſtituenda eſſet, quia in ſpecie eſt aliena: nam quando talia voluntate dominorum commiſcentur, ſingulæ partes fiunt communes; vt habetur §. Si duorum. Inſtit. de rerum diuiſione, &
35 L. Marcellus. 3. §. Pomponius ff. de rei vindicat. Secundò
Chirographarij. loco ſoluendum ceteris creditoribus chirographarijs ex titulo oneroſo, cuique pro rata; non habita ratione temporis prioris vel poſterioris, quo debitum eſt contractũ. Ita Sylueſter ſuprà & Nau. cap. 17. nu. 51. Tertio loco ſoluendũ creditoribus ex titulo gratuito, vt ſi defunctus alicui pix cauſæ aliquid vouerat. Quartò reliqua erunt pro hæredibus & legatarijs; ita tamen vt hæredes præcedant legatarios ad ſuam legitimam obtinendam, ſi ſunt hæredes neceſſarij: vel ad quartam bonorum (quæ dicitur Falcidia) ſi non neceſſarij.

36 Quæ hactenus dicta, iure communi Cæſareo ſeruanda
Obligans in conſcientia. ſunt, vbi & quatenus illud eſt receptum. Quòd ſi in aliquibus locis ſint hac de re aliæ aliquæ leges, vel conſuetudines rationi conſentaneæ, eæ ſunt ſeruandæ; & quidem in foro conſcientiæ; vt docent communiter DD. Vnde fallitur Gabriel in 4. d. 15. q. 2. dub. vlt. vbi dicit, quæ Canoniſtæ diſputant, quinam Iure potiores ſint in reſtitutione, potiùs ad Iudicij quàm ad conſcientiæ forum ſpectare. Nam hæ leges non nituntur præſumptione, ſed æquitate naturali; ex qua propter bonum commune ſtatuunt hunc ordinem: quod non minùs potuerunt facere,
37 quam transferre dominia vſucapione. omnis autem lex
Lex humana. humana rectæ rationi conſentanea, quæ non nititur falſa præſumptione, ſeruanda eſt in conſcientiæ foro.

DVBITATIO V.

Vtrùm prius petenti liceat prius ſoluere?

38 DICO Primò, Si debitor vel eius hæres ſoluat poſte-
Soluens poſteriori. riori, omiſſo eo qui habet hypothecam priorem, vel priuilegiatam, ſciens id fieri cùm damno prioris, tenetur priori de damno; & poteſt prior recuperare a poſteriore quod ſolutum eſt. Patet L. Scimus 22. §. Etſi præfatam. C. de Iure deliberandi.

39 Dico Secundò, Si ſint plures creditores perſonales, in-
Prior petens. ter quos nullum ſit priuilegium prælationis, & aliquis ex illis exigat ante alios ſolutionem debiti, ſiue in iudicio, ſiue extra; poteſt & tenetur debitor ei integrè ſoluere etiamſi tempore eſſet poſterior. Ita docet Nauarrus ca. 17. numer. 52. & Silu. Reſtitutio. 6. quæſt. 8. & colligitur ex L. Pupillus. 24. ff. Quæ in fraudem creditorum. Ratio eſt, quia diligentia poſterioris creditoris fecit eum potiorem, ſicut hypotheca vel priuilegium, vt dicitur in prædicta lege. vnde ſequitur, creditorem poſſe petere integrum debitum, quando timet debitorem non fore omnibus ſoluẽdo; & retinere, vbi acceperit.

Petes, Vtrùm non petenti, poſſit debitor ſciens ſtatum ſuum labantem integrè ſatisfacere, vt ei gratificetur?

40 Reſp. Non poſſe; quia Ius hoc non concedit. Cùm. n-
Offerens non exigenti. iſte par ſit alijs iure, neque diligentia in petendo faciat eum potiorem; non poteſt ei fieri integra reſtitutio cum damno aliorum: ſed pro rata: vt rectè docet Nauar. ſuprà. Addo tamen eum, qui in hoc euentu ſolutionem accepit, non teneri in conſcientia reſtituere; quia non accepit rem alteri obligatã. Et colligitur ex L. Quod autem. 6. §. 2. & 3.
41 ff. Quæ in fraudem creditorum. Idem dicendum, etiamſi
Poteſt ſolutũ retineri. alij creditores habeant priuilegium perſonale prælationis abſque hypotheca; vt colligitur ex Leg dicta, vbi dicitur: *Qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris poſſiderentur,* (id eſt auctoritate Iudicis occupẽtur ab alijs creditoribus) *quamuis ſciens prudenſque ſoluendo non eſſe, reciperat; non timet hoc edictum;* nempe quo reuocantur ea, quę in fraudem creditorum alienata ſunt. Idem docet Molina diſput. 536. etiamſi Sylueſter. & alij contrarium ſentire videantur.

Nec refert, quòd ad hoc induxeris debitorem, quia Iura id concedunt, teſte Molina. Nec obſtat Le. Pupillus. 24. ff. eodem tit. quia eſt alius caſus, in quo tutores ſponte gratificati ſunt vni ex creditoribus. vnde dicitur ibidem, *tale debitum reuocandum:* quod intellige, *per Iudicem.* quare niſi ſic reuocetur, poterit ille creditor retinere.

DVBITATIO VI.

Vtrùm regula illa Iuris, (Qui prior eſt tempore, potior eſt Iure,) poſſit extendi ad creditores perſonales.

42 MVLTI Doctores affirmant, illam locum habere in
omnibus creditoribus eiuſdem ordinis, id eſt, quorum alter non habet aliunde priuilegium prælationis contra alterum. Ita Gabriel d. 15. quæſt. 2. dub. vltimo. Medina C. de reſtitut. quæſt. 2. dub. 5. Salon. quæſt. 62. art. 8. in fine. Valentia diſput. 5. q. 6. puncto 10. Toletus lib. 5. ca 25. Emanuel Sá v. Reſtitut. nu. 63. Idem videtur ſentire Nauar. cap. 17. nu. 53. in fine. Probatur Primò, Quia quo diutius creditor caruit ſuo, eo ſtrictius ei debetur; & eo citius eſt ei reſtituendum. Secundò, Quia maiori incommodo prius eſt occurrendum; atqui is, qui diutius caruit ſuo, *Eſt probabilis.* plus accepit incommodi. ergo. Hæc ſententia, ob auctoritatem horum DD. non eſt improbabilis, & eſt ſatis rationi conſentanea. nam quando prius debitum contrahitur, debitor eſt magis ſoluendo, quàm poſtea quando noua debita accedunt. vnde par eſſe videtur, vt primus creditor non fraudetur propter debita poſteriora. non enim debent ipſi eſſe fraudi poſteriora debita ex contractu vel delicto, cùm eo tempore, quo cum illo contraxit, illa non habuerit. Accedit, quòd illa regula, *Qui prior eſt tempore, prior eſt Iure,* non ſolùm intelligenda ſit in habentibus eamdem re ſibi hypothecatam, ſed etiam in ordine conſeſſus Canonicorum in Capitulo; In ordine ſubſcribendi Inſtrumentis actuum capitularium; In habentibus gratias expectatiuas in eadem Eccleſia, vt notat Gloſſa in illam regulam. Imò eadem Gloſſa, dicit eam ſeruandam inter plures creditores, quando venduntur res debitoris, vt illis ſatisfiat. quare non obſcurè eſt in hac ſententia. 43

Contrarium tamen puto verius, nempe non eſſe ſer- 44
Contrarium verius. uandam inter creditores chirographiarios ſeu perſonales carentes hypotheca vel alio iure prælationis; ſed tantùm inter creditores habentes eádem rem ſibi hypothecatam. Ita expreſsè docet Sylueſter, Reſtit. 6. q. 5 & D. Antpn. p. 2. tit. 2. c. 7. §. 3. ex Baldo; & alij paſſim. colligitur ex L. 1. ff. de ſeparationibus. vbi dicitur; *Licet alicui, adjiciendo ſibi creditorem, creditores ſuos deteriorem facere conditionem.* &c. & ex multis legibus C. Qui potiores in pign. vbi tantùm hypothecis applicatur hæc regula.

DVBITATIO VII.

Vtrùm inter chirographiarios carentes priuilegio prælationis, poſſit ſatisfieri pauperi, omiſſis ditioribus.

45 MVLTI DD. affirmant id fieri poſſe. Medina ſu-
Soluens pauperi. prà. *Si debitor poſterior eſt longè pauperior priore, tunc debitum poſterioris videtur præferendum, quia maiori damno prius occurrendum.* Idem tenet Salon. ob eamdem cauſam. Idẽ expreſsè docet D. Thomas opuſc. 73. c. 18. & probat; *quia plus laſus eſt pauper ablatione ſuorum, & plus indiget.* Emmanuel ſuprà, ait, *excuſari eum, qui ſoluit prius petenti vel valdè indigenti,* Silueſt. Reſtit. 6. in fine. dicit *talem excuſari tunc poſſe, non tamen fori.*

Sed contrarium videtur verius. Probatur: quia pauper 46
Verius non licere. neque Iure poſitiuo habet ius prælationis, vt patet: neq; Iure naturali, niſi fortè ſit in extrema vel graui neceſſitate, ita vt charitas obliget illi ſubuenire. tunc enim creditor diues, meritò patiendebet debitũ ſuum differri, vel nunquam

quam ſolui, vt alteri, par ſus habenti, in tanta afflictione conſulatur. Quod ſi pauper non tanta prematur inopia, non poteſt alter penitus priuari, vt illi integrè ſatisfiat. Nec refert, quòd pauper plus incommodi ſentiat ex dilatione vel priuatione partis rei debitæ; hinc enim non ſequitur, illum habere ius prælationis, ſed vt ſummum, ceteris paribus amplius poſſe ei ſolui, quàm diuiti, qui tale incommodum non ſentit. ſicut plus reſtituendum eſt, cui debentur 100. quàm cui 50. quando ſecundùm proportionem fit ſolutio.

47 *Contrarium non eſt omnino improbabile.*

Nihilominus fateor ſententiam alteram non eſſe omnino improbabilem, præſertim cùm D. Thomas tam expreſsè illam teneat.

DVBITATIO VIII.

Quo loco & cuius expenſis facienda eſt reſtitutio.

NOTANDVM eſt, Obligationẽ reſtitutionis naſci vel ex iniuſta acceptione, vel ex re accepta, vel ex contractu, vt explicatum eſt ſuprà cap.7.dub.5. Nunc.

42 *Si ex delicto debitum, expenſis debitoris reſtitui.*

Dico Primò. Si debitum ortum ſit ex iniuſta acceptione, reſtitutio facienda eſt expenſis debitoris, idque eo loco, vbi dominus illam poſſeſſurus erat, ſi ablata non fuiſſet: Ita Caietanus 2.2.q.62.art.5.circa ſolutionem tertij argumenti, Sotus l.4.de Iuſt.qu.7.art.1.circa ſolutionem tertij argumenti. Couarr. ad reg. Peccatum 1.p.nume. 9. Ioannes Medina C.de reſtitut.quæſt.2.dub.3. Probatur, quia ex eo quòd dominus rem ſuã amiſerit debitoris iniquitate, non debet vllum damnum ſentire; ſed lege iuſtitiæ debet ita fieri reſtitutio, vt in priſtinum ſtatum reſtituatur perinde ac ſi res ablata non fuiſſet. ergo reſtitutio non debet fieri ipſius expenſis, ſed debitoris, qui ſibi imputet, quòd eas ſubire cogatur.

Dices Primò, Ergo tenetur ad amplius, quàm ad rei ablatæ ſeu damni illati compenſationem.

Reſpond. Verum eſt teneri ad amplius, quàm damnum ſecundùm ſe conſideratum æſtimetur; non quidem vt dominus inde amplius accipiat commodi, quàm accepit de trimenti: ſed quia id eſt neceſſarium tanquam medium, vt fiat reſtitutio, qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium neceſſarium.

Dices Secundò. Non debet imputari debitori, quòd creditor in alium locum migrauit: ergo tunc illius ſumptibus non erit mittenda.

49 Reſpon. Negando conſequentiam: quia creditor non debet amittere libertatem transferẽdi ſe quò libuerit, ob iniuſtitiam debitoris; qui ſibi imputet, quòd ſumptus illos in reſtitutione facere cogatur. debebat enim rẽ relinquere in bonis creditoris; ſic enim cũ alijs paruo vel nullo ſumptu translata fuiſſet. ſi tamen creditor facturus erat ſumptus in re illa aſportanda, poſſunt deduci. non enim teneris illi cum lucro reſtituere, ſed ſatis eſt vt ex ablatione nihil damni ſentiat, de quo vide Couar. ſuprà.

Notandũ tamen eſt, Si res non poteſt ſine magnis ſumptibus reſtitui, poſſe ex quadam æquitate naturali differri reſtitutionem, modò inde dominus vel nihil vel parum dãni capiat. Si tamen ea eſt rerũ conſtitutio, vt niſi modo reſtituas, poſtea nec ipſi, nec hæredibus reſtituere poſſis, omnino nunc reſtituenda vel res ipſa, vel iuſtum rei pretium, quamuis magnæ expenſæ eſſent faciendæ: quia dominus non ideò poteſt re ſua in perpetuum priuari, quòd debitor tantundem in ſumptum impendere cogatur. niſi probabile eſſet, domino in hoc caſu non diſplicituru, vt amicis eius vel pauperibus detur. quod per litteras ab eo peti debet, ſi res eſt ambigua. ſi vero ſpes ſit, fore vt aliquando reſtituatur ſine tanto ſumptu, poterit reſtitutio differri. ſi res ſit parui momenti & ſine duplo vel triplo ſumptu reſtitui nequit, probabile eſt, pauperibus dari poſſe; præſumi enim poteſt id domino non diſplicere.

50 *Si magni ſũptus.*

51 *Si non ex delicto.*

Dico Secundò. Quæ debentur ſolùm ratione rei acceptæ reſtituenda ſunt in loco vbi habentur; nec teneris ea mittere domino expenſis tuis, ſed mittes expenſis domini: vt, ſi bona fide emeris rem a fure. Ratio eſt, quia cùm tuo damno non teneris dominum in priſtinum ſtatum reſtituere, cùm eum per iniuriam non deturbaueris, ſed ſolùm teneris ad rei cuſtodiam; monito interim domino vt ſignificet, quo modo velit eam ſibi tranſmitti. qua in re non teneris vllos ſumptus ferre. imò ſi contingat te in alium locum migrare, nec poſſis eam commode apud aliquem, qui reſtituat, deponere, ſed cogaris auehere, poteris expenſas a domino repetere: qui tenetur ad omnes expenſas, rei ſuæ cuſtodiendæ neceſſarias, in vtilitatẽ ipſius factas; vt habetur expreſsè l.2.ff. de negotijs geſtis.

52 *Si ex contractu.*

Quod attinet ad ea quæ ex cõtractu debẽtur, hæc ſunt triplicia. vel enim debet reſtitui idem numero, vt depoſitũ, commodatum, pignus; vel debet reſtitui quid diſtinctum, quod pro alio commutatur, vt in mutuo, venditione, locatione, &c. vel debet reſtitui id, pro quo nihil accipitur, ita vt ſolum ex altera parte ſit obligatio, vt in promiſſione, donatione, teſtamento, legato. His poſitis.

53 *Si res eadem numero reddenda.*

Dico Tertiò, Quæ debentur ex contractu, in quo res eadem numero eſt reſtituenda, ſi in alterius tantùm partis vtilitatem accepta ſint, debent eius expenſis reſtitui: idque eo loco, vbi ſunt tradita: niſi aliter iuſta aliqua pactione conuentum ſit. Prior pars patet; quia par non eſt, vt eius expenſis reſtituatur cuius commodum in contractu non quæritur: ergo. Altera probatur; quia in huiuſmodi contractibus tacite cenſentur paciſci de eodem loco; niſi ob aliquam cauſam extrinſecam aliter expreſsè inter illos ſit conuentum: æqualitas enim poſtulat, vt ſicut idem reſtituendum, quod acceptum eſt, ita etiam eodem loco.

54 *Commodatum.*

Hinc fit, vt ſi tua cauſa equum commodatum acceperis, tenearis eum tuis expẽſis reſtituere in eum locum, in quo tibi traditus eſt. Non tamen teneris eum in locum remotum mittere, in quem forte dominus commigrauit; quia ibi commodatum non accepiſti, nec illius longinquitatis es cauſa, ſed dominus ſibi imputet, quòd commodatum ante diſceſſum non repetierit.

Depoſitum.

E contrario, ſi depoſitum gratis cuſtodiendum accepiſti, reſtituendum eſt expenſis deponentis; quia par non eſt, vt depoſitarius cùm nihil commodi ex depoſito perceperit, ſuis expenſis illud ad dominum remittere cogatur, ſiue dominus in eodem loco manſerit, ſiue alio commigrauerit. Secùs eſt, ſi depoſitarius in alium locum remotiorem commigraret; quia tenetur rem depoſitã repræſentare in eo loco, vbi eam cuſtodiendam accepit, vt inde expenſis domini reſtituatur. Idem dicendum de commodato, quod gratia ſolius commodantis acceptum eſt.

Sed quid, ſi depoſitum furripiatur & transferatur in aliũ locum; cuius expenſis remittendum erit ad depoſitarium?

55 *Si depoſitum translatum fuerit.*

Reſp. Si ſine culpa lata depoſitarij translatum eſt, debet quæri & referri expenſis domini deponentis, non autem depoſitarij: quia vitium & incommodum, quod obuenit depoſito ſine culpa lata depoſitarij, non eſt ei præſtandum, ſed auctori: ſi verò ex culpa depoſitarij lata factum ſit tenetur ſuis expenſis; imò ſi pretio illam cuſtodiat, tenebitur etiam ex culpa leui, iuxta ea, quæ diximus cap.7.dub.6.

56 *Si alia reddenda.*

Dico Quartò, Quæ debentur ex contractu, in quo pro re accepta eſt reddenda alia reſtitutio ex natura contractus, non quouis loco fieri poteſt, ſed ibi facienda eſt, vbi res, pro qua datur eſt accepta, ſecundũ quẽ locum, etiam res quæ datur, eſt æſtimanda. Prior pars, *non quouis loco fieri poſſe reſtitutionem*, probatur, quia hoc ſæpè alteri parti eſſet magno damno; vt ſi emens Antuerpiæ vellet ſoluere in Hiſpania; vel contrà. ergo debet eſſe certus aliquis locus, in quo ex natura contractus fiat ſolutio. is autem eſt, vbi res vendita, mutuata vel permutata, fuit tradita & accepta. nullus enim magis iuſtitiæ congruit: eo quòd in omnibus iſtis contractibus, vna res in locum alterius quaſi ſubſtituitur, quod perfecto modo fieri nequit. ipſi idem locus ſeruetur. Hinc fit vt nemo ex vi mutui poſſit obligari vt alibi reddat: aut ex contractu venditionis vel locationis, vt alibi pretium ſoluat. Nam hi contractus vt iuſti ſint, reducendi ſunt ad æqualitatem reſpectu certi loci, in quo res prior traditur. Idem dicendum de emptione cenſuum. hi enim ex natura contractus non ſunt ſoluendi in loco vbi eſt creditor, ſed vbi ipſe cenſus eſt conſtitutus, ſeu vbi eſt res illa, in qua obligatio eſt conſtituta, v.g. domus, ager, pratum, &c. nam pẽſio annua eſt veluti fructus hypothecæ, qui nõ eſt alibi, ex natura contractus, tradendus, quam vbi naſcitur. Quòd ſi cenſus ſit omnino perſonalis nullã habens hypothecam, ſoluendus eſt vbi iuſta pactione conſtitutus fuerit. Si in pactum non eſt deductum,

57 *Mutuum.*

Cẽſus realis.

58 *Perſonalis.*

ductum,ſoluendus eſt in loco, vbi debitor commoratur; quia immediatè in ipſo debitore conſtitutus eſt.quod intellige, ſi debitor non habeat valdè procul. ſi enim tam procul diſcedat, vt emptori inde graue incommodum oriatur in penſione exigenda, ita vt ſi de eo cogitaſſet,non luiſſet cenſum emere;tenebitur debitor mittere ad locum priorem. His tamen non obſtat, quin contrahentes poſſint de alio loco ſolutionis pacifci, modo hoc onus iuſta mercede compenſetur.

Donata, legata, &c.

59 Dico Quintò, quæ debentur ratione donationis,legationis, teſtamenti, reddenda ſunt in loco, vbi erant cum donarentur; niſi aliud in ipſa diſpoſitione expreſſum fuerit;ac proinde expenſis eius,cui donata ſunt. Patet, quia qui rē gratis dat,vel legat,nō intendit ſe ad amplius obligare;ſed permittit eam alteri, vt ſi velit ſuo ſumptu illam auferat;ſi nolit,relinquat. ſi tamen hæres alio transferret, teneretur ſuo ſumptu illam mittere, vbi erat prius.

Circa prædicta. Nota, Quando res eſt reſtituenda expenſis creditoris,eas ex ipſa re deduci poſſe, quando alia commodior via non ſuppetit: vnde ſi opus fuerit,poterit ea vendi, vel ex parte, vt reſiduum ad creditorem mittatur, vel tota,ſi eſt indiuiſibilis, (vt equus) vt ei pretium mittatur. Quòd ſi tantæ eſſent in remittenda re vel pretio expenſæ, quanti valet, non eſt reſtituenda, ſed monendus dominus: vel ſi id fieri nequit, danda pauperibus ſi putetur dominus numquam ad viciniora loca venturus. 60 *Si magna ex penſa.*

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De cauſis excuſantibus a reſtitutione, vel omnino, vel ad tempus.

Complectitur dubitationes 8.

1 IOANNES Medina, Codic. de rebus reſtituendis, quæſt.3.enumerat 12. cauſas a reſtitutione excuſantes,quas ordine proſequitur.

Prima eſt. Inopia debitoris. 2. Remiſſio creditoris. 3. Ceſſio bonorum.4. Damnum, quod veriſimiliter putatur creditori, vel Reipub. vel alicui tertio obuenturum. 5. Solutio facta creditori tui creditoris.6. Rei debitæ interitus. 7. Iuris aut Iudicis auctoritas. 8. Religionis ingreſſus. 9. Excommunicatio creditoris. 10. Incertitudo creditorum. 11. Diſpenſatio vel compoſitio cum Papa.12. Compenſatio. De quibus breuiter dicendum.

DVBITATIO I.

Quæ inopia vel impotentia excuſet debitorem a reſtitutione.

Extrema neceſſitas.

2 RESPONDEO: Dico Primò, Extrema neceſſitas tua vel tuorum, vel proximi,cui aliter ſubuenire nequis, niſi rem alienam, vel alteri debitam impendendo, excuſat a reſtitutione, quamdiu ea durat. Eſt communis DD. Ratio eſt, quia in tali euentu omnia ſunt communia. ſaltem quoad vſum, ita vt licitè quiuis poſſit occupare, ſibique vindicare rem adeò neceſſariam, & ex eius vſu,ſibi,& proximo opitulari,vt oſtenſum eſt cap. 12.dubit. 12.

Sed difficultas eſt, Vtrùm tranſacta neceſſitate tenearis ad reſtitutionem?

Ea tranſacta, an reſtituendum.

3 Reſp. Certum eſt, in quibuſdam euentis,ſi res ſit magni momenti,nec cenſeatur donata,te teneri,dum ſuppetet commoditas.

Primò, Si res adhuc extet, tunc enim teneris ratione rei acceptæ, vt ſi eguiſti vſu rei,quo res non conſumitur, vt equi, veſtis, nauis,&c. non enim extrema neceſſitas Ius tribuit ad amplius, quam opus ſit, vt ex periculo te eripias. Si quid ergo ſuperſit, reſtituendum.

Si debitum ex contractu.

4 Secundò, Si interceſſit contractus, ſiue ante neceſſitatem, ſiue in ipſa neceſſitate, per quem translatum ſit dominium: vt ſi acceperis mutuum vel emeris. ſi enim ante neceſſitatem accepiſti,& per illam rem te in extrema neceſſitate potes iuuare, non incidis in extremam neceſſitatem reſpectu opis alienæ. (de qua hic agimus) id eſt, qua res aliena tibi ſit neceſſaria. nam per rem tuam, quam emiſti antea, vel mutuam accepiſti, quæ in tuum dominium ceſſit, potes tibi conſulere. vnde manifeſtum eſt, non eſſe tibi Ius accipiendi & conſumendi rem alienam: manet ergo obligatio per contractum inducta. Si tamen per contractum non ſit translatum dominium,vt in commodato, precario, conducto; & in extrema neceſſitate

Si non erat translatum dominium.

5 rem conſumpſeris,probabile eſt, te non teneri; niſi re, vel ſpe ſeu facultate propinqua diues ſis. Ita Petr. Nauar.libr. 4. capit. 4. numero 26. Ratio eſt; quia non teneris ratione rei, vt quæ nec in ſe, nec in pretio extet: neque ratione acceptionis, cùm eam iure tuo conſumpſeris: neque ratione contractus, quia illi contractus non obligant re pereunte, niſi culpa tua perierit.Hic autem abſque culpa perijt. colligitur ex Syluestro Reſtitutio 5.numero 2.

Si debitum ex delicto tenuit.

6 Tertiò, Si habes ex delicto, vt ſi furatus ſis ante neceſſitatem, teneris, etiamſi poſteà in neceſſitate conſumas. quia obligatio iam ante contracta, per neceſſitatem ſuperuenientem non eſt extincta ſed conſopita: quare tranſacta illa neceſſitate te reuiuiſcit. Ita Scotus d.15.q. 2. §. Ad argumenta. Idem tenent Richardus, Paludanus & Siluest. Reſtitut. 5.numero 2. qui hos citat. Hæc ſententia mihi videtur vera. Contrarium tamen eſt probabile, Scilicet te non teneri;vt docet Petrus Nauarra libro 4.capit. 4. numero 24. & quidam alij. quia licitè potuiſſet accipere,ſi non habuiſſet anteà, & conſumere. Addunt iidem Doctores: Si accepiſti rem abſque peccato, nempè in ipſa neceſſitate conſtitutus, te non teneri reſtituere, quia vſus es iure tuo, illam accipiendo & conſumendo. Sed contrarium puto eſſe verius. Nempè ſi res, quam conſumpſiſti, ſit magni pretij, nec putetur donata, te ſemper ad reſtitutionem teneri, quando commodè poteris. Ita docet Nauarrus capit. 17. numero 61. & 62. Adrianus in quarto tractatu de reſtitution. §. Quia dictum. pag. 159. Couarruu. ad regul. Peccatum. par. 2. §. 1. numero 3. & 4. Medina. quæſt. 3. in principio, Toletus libro 5. capit. 24. Ratio eſt; quia extrema tua neceſſitas non transfert in te dominium rei alienæ; ſed tantùm tribuit Ius vtendi, idque prout opus eſt, vt periculum euadas, & cum minimo alterius incommodo. ergo non aufert obligationem reſtitutionis faciendæ, ſi copioſior euaſeris. Confirmatur; quia alter non tenetur eam dare, niſi quatenus opus eſt vt conſulas tuæ neceſſitati: ſed ad hoc ſufficit, vt rem tibi vendat, vel mutuet, vel det cum obligatione reſtituendi, cùm veneris ad lautiorem fortunam: ergo. Quòd ſi res ſit parui pretij, non teneris poſteà reſtituere; maximè ſi re & ſpe ſeu proxima facultate pauper eras: quia talia non ſolent pauperibus ſub onere reſtituendi dari, ſed abſolutè. ridiculus enim eſſet diues, qui a paupere pro aliquot panibus, vel calceis, vel trita veſte, talem obligationem exigeret.

Si abſq; peccato accepiſti.

Contrarium probabile.

Si res ſit magni pretij, verius eſt te teneri.

Petes, Quo iure tenebitur reſtituere rem talem, ſi non interceſſit contractus,quo ſe ad hoc obligarit, neque delictum?

Quo iure teneatur.

9 Reſpondeo, Tenetur ratione cuiuſdam tacitæ obligationis iure gentium introductæ, qua quis rem alterius in neceſſitate conſumens, ſe tacitè obligat ad rependendum, quando ſuppetet copia. etſi enim diuiſio rerum non potuit impedire vſum rei alienæ, tibi neceſſariæ; fecit tamen,vt tenearis ad reſtitutionem,quando commodè poteris. rationi enim conſentaneum eſt, vt conſulatur tuæ neceſſitati abſque notabili alterius damno. Alioquin ſi exercitus extrema inopia laborans, abſumeret bo-

na

na multorum agricolarum, non teneretur ad restitutionem; quod planè falsum est. Tacitè ergo se obligant iure gentium ad restitutionem faciendam, dum commodè poterunt.

Dices, Si quis in extremo periculo, dum fugit hostem, vtatur equo alterius, & contingat equum perire, non tenetur ad restitutionem, vt multi DD. docent. ergo non oritur tacita obligatio ex vsu rei alienæ.

Respondeo, Si non sit probabile periculum interitus
10 equi, non tenetur soluere pretium; quia interitus censetur
Si equus quo fugit pereat. fortuitus. sed solùm tenetur pro vsu, si ille sit diuturnus, vel cum notabili damno domini. Pari modo, neque conductor tenetur ad pretium; quia res domino suo perit; nisi interueniat pactum vel mora, vel culpa. Si autem sit periculum; verius puto, teneri soluere pretium si intereat; etiamsi aliqui DD indistinctè loquentes, contrarium sentire videantur. quia sicut dominus in hoc casu non tenebatur absque illo onere concedere, ita non videtur ipse sine tali onere accepisse cum æquitas naturalis & ius gentium videantur ad hoc obligare: non enim plus iuris potest sibi in re alterius vindicare, quàm alter tenebatur concedere. Vide Nauarrum & Couar. supra.

11 Hinc tamen non sequitur, præcepto eleemosynæ sa-
Præceptum eleemosynæ. tisfieri mutuando; sed bene donando sub conditione, quando res est magni pretij quod verum est; nemo enim potest iure queri sibi 20. vel 30. aureos non dari absolutè, sed cum onere vt teneatur restituere, si locuples aliquando euaserit.

12 Petes, Quid si creditor sit in pari necessitate?
Si creditor in pari necessitate. Respondeo Primò, Si creditor subtractione illius rei coniectus est in illas angustias, teneris illi restituere. Primò, quia subtrahere alicui rem, qua ille extremè indiget, est perinde atque occidere. Secundò, quia in pari causa melior est conditio possidentis, præsertim domini. Ita
13 passim DD. Scotus, Sylvester & alij suprà. Secundò, Si verò creditor subtractione illius rei non est coniectus in extremum illud discrimen, sed aliunde incidit, non teneris illi in pari discrimine, quàm is simul inciderit. (etiamsi Scotus, Richardus & Paludan. contrarium teneant) idque nō solùm quando res est sub dominio debitoris; sed etiam quando in specie est debita creditori: etsi Nauarrus n. 60. cap. decimoseptimo, tunc contrà sentiat. Ita docet Caietanus quæst. 62. art. 5. Sotus libr. 4. quæstione 7. artic. 1. ad quartum argumentum, Toletus, de peccatis mortalibus, capit. trigesimonono. Ratio est; quia pro eo tempore cessat vis & potestas dominij, iure gentium introducta; & perinde se res habent, ac si diuisæ numquam fuissent. etsi enim dominium rei maneat apud priorem dominū, quasi in habitu, tamen actus eius impeditur, perinde ac si nō esset. Itaque manent intra limites iuris naturæ. quare cum seposito iure gentium, quo facta est diuisio, possit quisque sibi consulere ex re, quam occupat & possidet; non tenetur eam tunc restituere domino. Vnde si ante occupatum panem in solitudine, vel tuam furcinam aut tabulā in naufragio, vel equum in fuga, non teneor tibi nunc restituere, etiam si simul in extremum periculum incideremus: quia per hanc subtractionem non incidisti in periculum: neque in periculo constitutus, hanc rem occupaueras, vt per eam te saluares. Si eodem momento res sit occupata in extrema necessitate a duobus, tunc vel diuidenda est, si potest diuidi, vel sorte tribuenda.

14 Idem licitum esse non solùm pro se, sed etiam pro pa-
rente, vxore & liberis: hos enim in extrema necessitate præferri posse creditori docet Sotus suprà, Lopez 1. par. c. 53. & Toletus de septem peccatis mortalibus cap. 39. reuocans id, quod dixerat lib. 5. capit. 24. addens, etiam fratres in hac necessitate posse præferri creditoribus. Idque mihi videtur probabile. etsi Couarr. & alij id non concedant, nisi cuique pro se.

15 Dico Secundò, Non solùm extrema, sed etiam grauis
Omnis necessitas excusat. necessitas tua & proximi excusat, quādiu durat; nisi creditor sit in pari necessitate. est cōmunis sententia Doctorū, & patet ex dictis cap. 12. dubitat. 12. vbi ostensum est, probabile esse, licere in hoc casu clāculum surripere; ergo multò magis licitum est non restituere. etiamsi res in specie debita sit. Itaque ob periculum morbi, magnæ famis, nuditatis & similis afflictionis, quam aliter nequis auertere. nisi rem alteri debitam impendendo, potest differri restitutio. hæ enim dicuntur graues necessitates.

Dixi *quandiu durat*, quia verius est, per hanc necessitatem non extingui debitum, neque rem alienam magni pretij posse consumi, sine obligatione restitutionis faciendæ; quando commodè fieri poterit, vt patet ex supradictis. Non tenetur tamè de lucro cessante vel damno emergente ex dilatione; quia non censetur esse in mora, neque tacitè videtur ad hoc se obligasse, cùm solùm per accidens eueniant ex dilatione. 16 *Non extinguit debitū.* 17

Aduerte tamen, non esse improbabile, si is, qui cōsumpsit rem alienam in graui necessitate re & spe pauper erat, non teneri postea ad restitutionem. Ita Syluester v. Furtum quæst. 5. Angel. eodem. nu. 37. vbi dicit, *Posset etiā dici, quòd licet aliquis non sit in extrema necessitate, sine peccato & obligatione restituendi, posset occultè & bono modo accipere rem alterius. quando scilicet ille ita abundat, & iste ita egeret, vt ex præcepto teneatur huic subuenire.* Idem tenet Petr. Nauarr. suprà numero 26. vbi etiam docet, Si quid ante necessitatem abstulisti iniustè, & in necessitate consumpsisti, debitum extingui; sicut antè dixerat de necessitate extrema. Hoc tamen non est concedendum, quando debitum est ex contractu, per quem translatum est dominium in debitorem; iuxta ea, quæ diximus circa primam propositionem, nu. 4. 18

Dixi, *Nisi creditor sit in pari necessitate*; quia tunc teneris ei restituere, iuxta communiorem DD. sententiam. Nam in pari necessitate (præter extremā) potior est conditio creditoris. Imò multi DD. vt Scotus, Richardus, Paludanus apud Syluestrum Restitutio quinta, quæstione secunda, tenent etiam in pari necessitate extrema, esse restituendum. Sed cōtrarium est probabile, & forte verius. vt si debitor sit in graui necessitate ratione morbi, famis, vel nuditatis, non tenebitur restituere etiamsi creditorem contingat in parem incidere; modò debitor illum in eam nō coniecerit; idque siue ex furto debitum sit ortum, siue ex cōtractu. Ratio est; quia non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui, videtur esse melior cōditio possidentis, vt colligitur ex dictis capit. 12. dubit. 12. Ideò. nō melior est conditio possidentis in extrema necessitate; quia tunc omnia sunt communia; ita vt ius habeas occupandi ea, quæ sunt apud alterum, non similiter egentem. & postquam occupasti, non teneris restituere, durāte illa necessitate; quamuis alter casu in parem necessitatem inciderit, modò tu illum in eam non coniecceris. atqui simile ius occupandi ex rebus alterius, ipsi nec ad personam, nec ad statum necessarijs, videtur concessum in graui necessitate, vt ibidem probabiliter est ostensum: ergò etiāsi alter postea incidat in similem statum, non teneris tunc illi restituere. 19 20 *Si creditor inciderit in grauem necessitatem.*

Dico Tertiò, Excusaretiā a restitutione statim facienda. Primò, magnum periculū salutis animæ tuæ, vel tuorum. Secundò. magnum detrimentum in rebus non debitis. Tertiò, notabilis iactura decentiæ status. Primum docet D. Anton. 2. p. tit. 2. cap. 8. ex Scoto distinctio. 15. q. 2. §. vltimo, & Hērico quodlib. 6. quæstio. 24. Idem tenet Nauar. cap. 17. numero 57. vt si periculum sit, ne vxor vel filiæ præ inopia se prostituant, ne filij fiant latrones, ne ipse in desperationem præ impatientia incidas. vt rectè D. Antonin. Magnæ enim sunt infirmitates animorum, quæ non quouis modo vinci possunt. Ratio est; quia quisque magis tenetur saluti animæ suæ & suorum consulere, quā debita soluere. Debet autem hoc periculum esse *notabile*, ita vt non supperat alia commoda ratio eius auertendi, nisi differendo solutionem. Secundum & Tertium docent ijdem auctores & Couar. ad reg. Peccatum, p. 1. numero 2. Medina q. 2. dubit. 4. & alij. Ratio est, quia in hisce casibus, creditor secundum rectam rationem tenetur consentire in dilationem: contra enim æquitatem & charitatem faceret, si vellet sibi cum tanto alterius incommodo statum satisfieri. ergo non peccas contra iustitiam, etiamsi differas. Patet consequentia, quia cùm omnis iniustitia sit contra rectam rationem; vbi rectæ rationis dictamen non lædit, non peccatur contra iustitiā, vt docet Scotus suprà. Confirmatur, quia nemo tenetur restituere, quamdiu dominus non potest iure esse inuitus circa detentionem: atque hic non potest iure esse inuitus: ergo. 21 *Periculum salutis, vel famæ, vel status, excusat.*

Hinc infertur Primò, Eum, qui debet 100. aureos, si nō potest statim soluere, nisi domum vel prædium aliquod 22

vendat

Si res parua, pretio esset ve denda.

vendat multò minoris quàm valeat; nõ teneri statim, sed posse differre. Idq; verum est, non solùm quando debet ex contractu, sed etiam quando ex delicto, vt Nauar. suprà ex D. Anton. docet. Etsi Caietanus v. Restitut. qu. 6. & Sotus lib. 4. quæst. 7. ar. 4. contrarium sentiat. Ratio est, quia etsi creditor, quando debitum est ex furto, non teneatur ex iustitia dilationem concedere; tenetur tamen ex æquitate & charitate: æquum enim est, vt creditor permittat differri restitutionem, quæ suo debitori tam est damnosa, cùm id fine suo notabili incommodo facere possit. Itaque quando is est rerum mearum status, vt non

23 possim debitum præstare statim, sine magna aliarum rerũ mearum iactura, licitum est mihi, ex quadam æquitate Iuris naturalis, differre. nisi forte creditor simile detrimentum accepturus putetur. Secùs est, quando tales sunt circumstantiæ vt nisi modò restituio fiat, numquam sit futura. tunc enim si res iniustè ablata est, statim restitui debet; etiamsi magni sumptus essent faciendi, vt dictum est cap. 15. dubitatio 8.

24 Dixi. *Aliarum rerum mearum*, quia si non paterer iacturã nisi in rebus debitis, quibus me spolio dum soluo, non possem idcircò differre restitutionem. hoc enim non est propriè damnũ pati in rebus suis, sed relinquere alienas & debitas. Similiter, si ex restitutione, non paterer quidem damnum in rebus meis, quas possideo, sed solùm in lucro, quod intendo consequi; non possem idcircò differre, vt rectè Nauarrus num. 59. & Caiet. v. Restit. cap. 6. quia tunc nihil amitto de meo, sed solùm desino lucrum facere de alieno, seu alteri debito. æqui æquitas non dictat, alteri carendum esse rebus sibi debitis, vt ego ex illis lucrum capiam. quod tamen intelligendum est, nisi illud lucrum quæram, vt etiam alijs creditoribus meis satisfaciam; quibus alioquin soluere non potero. tunc enim charitas postulat, vt creditor permittat dilationem, si cõmodè possit. quia contra rationem est, vt velis tibi statim restitui cum tanto aliorum creditorũ incommodo, quod dilata solutione posset vitari. Ita Petrus Nauarra l. 4. c. 4. nu. 52. ex Corduba & Medina.

Si solum desino lucrari.

25 Infertur Secundò, Si vt nobilis nõ posset statim soluere, nisi priuet se omni obsequio famulorum & equorum, cogaturque abstinere à consortio sui similium; & si ciuis primarius non possit statim, nisi ita se priuet, vt cogatur obire artem mechanicam sibi insuetã, posse differre restitutionem, donec absque iactura status sui possit restituere. Quod intellige, *si statum suum iustè obtinent*. debent tamen sibi detrahere quantum possunt intra limites decentiæ status, quæ non consistit in indiuisibili, vt sensim restituant, vt notat Anton. suprà. Et quamuis si debita sint ex

26 delicto, plerique existiment statum esse soluenda, etiam cum amissione status: Verius tamen & æquius videtur, posse differri restitutionem. si statum illum iustè obtinẽt, & ex improuiso calamitas incidens, ad eas angustias redegerit, vt debita olim ex delicto contracta non possint dissoluere, sine sui status amissione. Ita Nauarrus cap. 17. nu. 63. & Syl. Restit. 5. q. 1. 3. & 4. vbi dicit hanc sententiã esse veriorem & humaniorem, & pro ea citat Scotum, Archidiac. & Ioannem Nyder. videndum tamen, an creditores non sint in pari angustia.

Non teneris statim cum amissione decentis status.

Dices, Ob hanc causam non licet accipere alienum: ergo nec retinere; cùm hæc eiusdem rationis videantur.

27 Respondeo, Negando consequentiam, minùs enim est retinere per aliquod tempus dum possides, quam primũ à domino auferre, eumque possessione spoliare; sicut minùs est non curare vulnus inflictum, quam illud infligere, idque confirmat communis hominum sensus; qui minùs curant, rem suam per aliquod tempus non restitui, quàm primò auferri.

28 Sed quid si ad eas angustias tua culpa sis redactus, v.g. ludis, comessationibus, superfluis sumptibus?

Si tua culpa eo redactus, non excusaris.

Respondeo, Tunc non mereris dilationem, neque debitorum ex contractu, neque ex delicto. Tibi enim imputare debes, quòd iam sine status amissione non possis satisfacere. Secùs est, quando infortunium fuit improuisum. Ita docet Sotus l. 4. de Iust. q. 7. ar. 4. & Pet. Nauarra suprà num. 44. Quod est notandum pro quibusdam *nobilibus*, qui debita sine fine contrahunt, vt supra conditionem sui status expendant.

29 Dixi, *Si statum illum iustè obtinent*. Quia si quis rapinis, vsuris; & similibus fraudibus ad aliquem honorabilem status peruenisset, teneretur etiam cum eius amissione confestim restituere. vt communiter docent DD. Ratio est; quia hoc non est tam statum suum amittere, quam alienum dimittere, & ad suum reuerti. Quod est valde notandum pro multis hoc tempore, qui magnis fraudibus repentè diuites & magni euadunt. non .n. possunt differre restitutionem vsque ad mortem; sed tenentur statim restituere, etiã cũ dimissione status malè acquisiti. Hoc tamen intelligenãũ, nisi debitor ille passim habeatur vir probus & honestus, & non possit subito statum mutare, nisi de suis fraudibus se infamet; tũc enim fensim posset restituere; quia periculum infamiæ excusaret, ne statim teneatur.

Si status iniquè partus, non excusat.

Dices, Dimittere statum, semper est quædam infamia; 30 ergo qui restituendo deberet eum dimittere, numquam debet restituere.

Respondeo, Negando antecedens; quãdo enim passim scitur statum illum fraudibus comparatum, nulla est infamia illum deponere, sed hoc potiùs bonam famam cõciliat, malamque abstergit. Quando verò putatur iustè acquisitus, tunc interdum dimissio status infamiam parit. nempè si homines inde suspicentur iniustè conquisitum fuisse.

Petes, Quid si creditor ex dilatione par damnum acceperus sit in re familiari, vel statu? 31

Si creditor simile damnũ patiatur.

Respondeo, Tunc teneris statim restituere, vt communiter docent Doctores; quia iactura rei familiaris vel status, non tribuit tantum Iuris, quantum extrema vel grauis necessitas, nec facit vsum rerum communem. Itaque in causa paris damni, potior est conditio creditoris.

Notanda est quædam differentia inter dilationem debitorum ex cõtractu iusto, & debitorum ex delicto: quando enim licitè differo solutionem eorum, quæ ex delicto debeo, tenor compensare damna, si quæ interim eueniant creditori, & lucrum cessans ratione dilationis. Ratio est; quia iniustè fui causa, dum accepi rem illam lucri cessantis vel damni emergẽtis; debebam enim aduertere, facilè hoc incommodum ex tali acceptione euenire. Quãdo autem licitè differo solutionem debitorum ex contractu iusto, tũc probabile est, me non teneri compensare damna, si quæ fortè ille interim patiatur. Docet hoc Petrus Nauarra, nu. 56. Ratio est; quia talis (inquit) non est in mora. Quod existimo verum esse, si debitor inciderit in grauem necessitatem, vel in eam inopiam, vt non possit sine amissione status restituere: non autem si duntaxat damnum aliquod pecuniariũ esset passurus, quale creditor patiturus. tunc enim si solutionem differat, vt damnum vitet, debebit creditorem reddere indemnem, quamuis ex contractu debeat. Nam contractus tacito consensu videntur sic intelligendi; vt videlicet post terminum tenearis soluere, vel damna emergentia compensare; nisi fortè interim in grauem necessitatem incideris, aut in eã inopiam, vt si tunc restituas, statum tuum retinere nequeas, tunc enim nõ est par creditoris, & debitoris necessitas. Fortè tamen in censibus soluendis, illa sententia locum habere possit. nemo enim in his cogitur ad præstandum damnum creditori obueniens, aut ad lucrum ei cessans compensandũ, quando sine notabili suo damno non potest statutis terminis soluere. Addo, Quando debitum est ex delicto, debitorem non teneri de damno emergente vel lucro cessante pro eo tempore, quo non poterat restituere, nisi conijciendo se in grauem necessitatem; vt ex suprà dictis colligitur.

Differentia inter debita ex delicto, & ex cõtractu.

32

33 *Grauis necessitas, et amissio status excusant à compensatione damni emergentis.*

DVBITATIO II.

Vtrùm remissio creditoris excuset.

RESP. Sicut dilatio concessa à creditore excusat, ne statim tenearis; ita *remissio*, ne vnquam teneatis. Est cõmunis DD. Caiet. v. Restit. c. 7. Couar. ad reg. Peccatũ p. 2. nu. 1. Soto l. 4. q. 7. ar. 4. Nau. c. 17. nu. 45 &c. Ratio est; quia sicut creditor potest ius suum, quod habet in debitorem, alteri donare; ita etiam ipsi debitori; quod est remittere: quia remissio est quædam donatio. Nec refert, etiamsi debitor non haberet animum restituendi; quia etsi peccet, tamen debitum extinguitur; si aliter libere remittat.

34 *Condonatio creditoris.*

Hic tamen tres requiruntur conditiones ex communi DD.sententia.

35 *Primò debet esse libera.*

Prima est, Vt hæc remissio sit *omnino libera*, id est, non extorta metu vel fraude; iuxta ea, quæ dicenda sunt c. 17. dub. 5. & 6. tùc enim etsi forte aliquo modo sit valida, tamen ad arbitrium donantis est reuocabilis; & donatarius tenetur vim & fraudem tollere, & donatorem in suâ libertatem restituere, vt ratum habeat vel irritũ, quod deceptus vel compulsus fecit. *Metu extorta* censeretur, si expresse vel implicitè debitor minaretur creditori, nisi integrè vel ex parte remittat: quod interdũ fit, quando potentes debent mechanicis aut mercatoribus. Similiter si cogeret eum subire multas molestias in solicitando, sæpè venire frustra, diu expectare, &c. *Fraus esset*, si fingeret, se longè pauperiorem, quam reuerà sit; blanditiæ autem & preces non obstant, quia non reddunt condonationem inuoluntariam; nisi forte præter modum essent importunæ, ita vt quis mallet sua pecunia priuari, quam tanta importunitate solicitari: tunc enim remissio non valeret in conscientia; quia causa redimendæ iniustæ vexationis fieret. Non tamen hic opus est præsentem exhibere pecuniam, vt quidam putant. Imò vt rectè notat Caietanus, expedit vt pauper non offerat diuiti rem debitam, quando petit remissionẽ; quia fortè præsentia rei moueretur ad non condonandum, vel certè esset difficilior. facilius enim remittimus non habita, quam ea, quæ iã habemus in potestate. quandocunq; tamen creditor ex signis præsumitur non liberè condonasse, debitor non liberatur.

36 *Secundò vt possit condonare.*

Secunda conditio est, *Vt possit condonare*, nemo autem potest condonare, nisi qui donare. vnde paterna debita non potest filius familias remittere, sicut nec vxor mariti.

37 *Tertiò, vt ius non resistat condonationi. Episcopi visitantes.*

Tertia, Vt condonatio *non fiat in casibus iure exceptis*, qui tres inueniuntur. Primus casus est, Si Episcopus vel Archiepiscopus visitans Ecclesias, aliquid accipiat ab eis præter sumptus, qui necessarij sunt ad victũ illis diebus, quibus visitat: tunc enim tenetur ad eius restitutionẽ intra mensem; & quidem in duplũ, etiamsi libera eis fiat remissio à dantibus. Quòd si intra mensem duplum non restituerint, Archiepiscopis & Episcopis interdictus est ingressus Ecclesiæ: inferiores autem, ab officio & beneficio sunt suspensi, quousque grauatis Ecclesijs, de duplo huiusmodi satisfactionem impendant. Ita habetur cap. Exigit, de censibus & exactionibus, quod est Gregor. X. in Concil. Lugdunens. & capit. sequenti, quod est Bonifacij

38 *Lex pœnalis obligãs ante sententiã.*

VIII. quod nonnihil moderatur caput præcedens; quia permittit, vt sumptus necessarios recipiant in pecunia, cùm Gregorius solùm esculenta permitteret. Notandum hic est, legem pœnalem de duplo, obligare ante sententiam; quod perrarum est, nec vnquam præsumitur, nisi ex modo loquendi sit euidens. Secundus casus est, Si iudex de legatus aliquid receperit à partibus, nisi fortè esculentum, aut poculentum, mera liberalitate oblatum,

39 *Iudices delegati.*

quod paucis diebus possit consumi: vel si, dum cogitur extra domicilium proficisci, acceperit pluspquam moderatas expensas; vel denique si aliquid acceperit, quando partes sunt notabiliter pauperes; tenetur ad restitutionẽ, non obstante quauis remissione. Patet ex capit. Statutũ. §. Insuper, iunctò § Si quid, de rescriptis, in sexto. Tertius

40 *Inquisitores.*

casus, Si inquisitores prætextu officij Inquisitionis, pecunias extorserint, tenentur restituere, nullis priuilegijs, pactis vel remissionibus, super hoc valituris. Clementina Nolentes, de hæreticis, in sexto.

41 *Canonicus.*

His adde Quartum, Si Canonicus, qui officio non interest, accipiat distributiones, tenetur ad restitutionem. nec prodest remissio ceterorum, quibus illæ accrescunt. vt habetur in Concil. Trid. sessio. 24. capit. 12. de reformatio.

DVBITATIO III.

Vtrùm cessio bonorum excuset a restitutione.

42 *Cessio.*

RESPONDEO & dico Primò, *Cessio bonorum* in foro conscientiæ non magis excusat, quàm necessitas sine cessione excusaret, vt rectè Nauarrus cap. 17. nu. 86. Probatur, quia in hac cessione tantũ conceditur alimẽta, idque ex quadã misericordia: neque semper, sed quando casus id videtur mereri; vt patet L. Qui bonis. ff. de cessione bonorum: atqui hæc etiam absque cessione, consistendo in lege naturæ & gentiũ, retineri possunt. Non enim tenetur debitor se spoliare necessarijs alimẽtis, ita vt cogatur mendicare; sed potest retinere ea, quæ spectata conditione suæ personæ, & eorum, quos alere tenetur iudicio prudentis, cẽsentur necessaria; vt patet ex dictis dubit. 1. Idque verũ est, etiamsi debeat ex delicto: idẽ Nauarrus docet. quamuis si delictum sit notorium, (vt si scia- 43
tur illum iniquis modis opes collegisse) non tantum retinere possit, quantum si ex contractu deberet, & casu aliquo in grande infortunium incidisset; vt supra ostensum est. quàtum autem quisque in tali euentu possit retinere, iudicio prudentis est definiendum.

Dico Secũdò. *In foro tamen exteriori cessio ad hoc iuuat* 44
ne debitor possit conijci in carcerem; vt patet L. 1. C. Qui bonis cedere possunt: & ne, si post cessionẽ aliquid acquirat, ei possit auferri, quando est necessarium ad suã vel suorum sustentationem, vt patet ex L. Is, qui bonis, 4. & L. Qui bonis. 6. ff. de cessione bonorum. & §. vltimo. Inst. de actionibus.

Hinc sequitur, Eum, qui absque culpa cogitur cedere 45
bonis, si fiat executio in bonis eius per creditores, posse *Absque sua culpa cedit.*
abscondere quantũ necessariũ est, vt tenuiter viuat secũdùm suum statum; vt docet Petr. Nauar. l. 4. c. 4. nu. 60. & Silu. Restit. 7. q. 6. & alij, qui admittũt, eum posse retinere vt *non egeat*; ideest, (vt expresse Siluester ait) *ne aliquatenus indecenter viuat.* Idẽ colligitur apertè ex suribus citatis, maximè quoad ea bona, quæ post cessionem acquirit, de quibus etiam is, qui debitor est ex delicto potest retinere quantum necessarium est, vt pro sua conditione nõ indecorè viuat; nam leges generatim loquuntur.

Petes, An leges id permittant de bonis, quæ tempore 46
initantis cessionis habebat?

Respondeo, Ita videtur colligi ex d. L. Qui bonis. 6. ff. de cessione bonorum vbi dicitur, *Eum cui bonis cessit, non esse fraudandum quotidianis alimentis*: quod est æquitati consentaneum in debitore, qui absque sua culpa, non est soluendo.

Dico Tertiò, Si illi, qui hoc modo bonis cessere; po- 47
stea ad lautiorẽ fortunã peruenerint, tenẽtur integrè sa- *Possea tenetur.*
tisfacere. Est communis DD. & patet; nã idem Ius, quod cessionis priuilegium induxit, hoc expresse statuit, vt patet ex L. Cum & filijfamilias. 7. C. Qui bonis cedere possunt, vbi dicitur, *Aperrissimi iuris est; si quid pinguius accesserit debitoribus, hoc iterum usque ad modũ debiti, posse à creditoribus legitimo modo exigi.* & L. 4. ff. de cessione bonorum dicitur, *Is, qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantũ facere potest conuenitur.* Idem habetur §. vlt. Inst. de action. 48
Ratio est; quia per cessionem, debitum non fuit extinctũ, sed consopitum: donec ad pinguiorem fortunam perueniret. Quod tamen intelligendum est, si acquisierit plusquam sibi est necessarium ad decentiam status, nam si nõ amplius acquisierit, nõ tenetur. vt colligitur ex d. L. Qui bonis. 6. & §. vlt. Instit. supra, iuncta Glossa, quæ dicit *illum teneri soluere, deducto tamen semper, ne egeat*, iuxta L. In condemnatione. 173. ff. de reg. Iu.

Notandum tamen est Primò, Quosdam Doctores sen- 49
tire, eum, qui cessit bonis, quibusdam actibus iuxta con- *Qui actu ignominioso cessit.*
suetudinem loci ignominiosis, (v. g sedendo in loco publico, cum corbe capiti imposito) nõ teneri soluere debitum, etiamsi postea pinguiorem nactus fuerit fortunam: quia ea ignominia satis videtur punitus; videturque hæc pœna esse loco solutionis; sicut qui punitus est pœna corporali, loco pecuniariæ, quam præ inopia soluere nõ potuit. Sed contrarium est verius, vt docet Couar. 2. variar. capit. 1. num. 6. quia hæc pœna non imponitur vt liberetur à solutione, sed vt plectatur culpa, quæ præsumitur ab eo admissa, accipiendo mutuum & contrahendo, cùm esset impotens solutionis. Accedit. quòd per cessionem bonorum, non tollatur obligatio naturalis, restitutionis; sed solùm competat exceptio, impediens litis contestationem; iuxta communem sententiam DD. de qua vide Couarr. supra.

Notandum Secundò, Clericum inopem nõ teneri bo- 50
nis cedere. nec posse tamen ob debita in carcerẽ conijci. *Clericus nõ tenetur cedere.*
vt notant Abbas, Imola, Ancharanus, & alij in capitulo

Odoar-

Odoardus 3. de ſolutionibus, quia Clericus non poteſt conueniri, niſi quatenus facere poſſit, deductis neceſſarijs alimentis; vt colligitur ex d. capit. Odoardus, & tenent communiter Doctores, ſecuti Gloſſam in c. Miles. 9. De re Iudic. & Gloſ. in cap. 40. Studeat. d. 50. Ratio eſt; ne in opprobrium ſtatus eccleſiaſtici cogatur mendicare. vnde nec poteſt Clericus huic priuilegio renunciare.

Couarruuias ſupra nu. 9. intelligit hæc de Clerico ſacrorum ordinum. vel qui proprio miniſterio Eccleſiæ inſeruit; de tali enim intelligendum eſſe caput Odoardus. Rebuf. tamen extendit ad omnes. ne conueniantur vltra id, quod facere poſſunt: id eſt, vt neceſſaria alimenta illis ſint relinquenda iuxta d.l. In condemnatione. 173. ff. de regulis Iuris. Puto extendendum ad omnes & ſolos Clericos, qui iuxta Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 6. gaudent priuilegio fori, exceptis Clericis coniugatis; vt ſunt Primò, Omnes initiati ſacris. Secundò, Habentes beneficium eccleſiaſticum. Tertiò, Qui clericalem habitum & tõſuram deferentes, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiunt. Quartò, Qui in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola vel Vniuerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores Ordines verſantur, & habitum cũ tonſura geſtant. Excipio *Clericos coniugatos*, qui ſi cum virgine contraxerunt, & alicuius Eccleſiæ ſeruitio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiunt, clericali habitu & tonſura vtuntur, gaudet quidem priuilegio fori & canonis, non tamé ceteris Clericorum priuilegijs, vt expreſsè habetur capitulo vnico, de Clerico coniugato, in ſexto, ac proinde nec iſto.

Ad quos clericos pertinent capit. Odoardus.

51

52

DVBITATIO IIII.

Vtrùm ſi reſtitutio putetur creditori vel alteri nocitura, poſſit differri.

53 RESPONDEO. Poſſe differri; & interdum debere, vel lege charitatis vel etiam iuſtitiæ. Prior pars patet; quia qui differt ſolutionem, vt creditorem à malo, in quod alioquin incurret, auocet, vtiliter & ſalubriter negotium eius gerit. ergo ille non poteſt iure id ægrè ferre. Altera, quòd interdum debeat differri, vt patet: vt ſi dominus reperat rem ſuam, v.g. depoſitum vel mutuum, vt inſumat in libidines, vel vt emat beneficium, & dilata ſolutione ſpes ſit, malum illud fore impediendum. tunc enim lege charitatis teneor differre, niſi inde aliquod notabile incommodum metuam. Ita Sotus lib. 4. quæſtio. 7. art. 1. & Nauar. cap. 17. nu. 62. & 63. Ratio eſt; quia teneor impedire malum proximi ſpirituale, etiam cum aliquo ipſius incommodo temporali, vt patet in correptione fraterna, dum adhibentur teſtes; & in denuntiatione, tendente ad emendationem, vbi læditur fama proximi: ergo ſi differendo reſtitutionem, poſſim tale malum impedire, teneor ex charitate.

Si putetur nocitura.

Dices, ille habet Ius petendi rem ſuam; ergo niſi reſtituo, facio ei iniuriam. Confirmatur; quia nemo poteſt inuitus impediri ne ſe inebriet, ne ſcortetur, ne per aleam decoquat.

54 Reſpondeo. Habet quidem Ius petendi, ſi illud per ſe ſpectes; ſed quando vult re illa ad quam Ius habet, in ſuũ vel alterius dãmnũ abuti; ex charitate teneor obſiſtere. ſi commodè poſſim: & quamdiu eſt ſpes eum impediendi, non facio iniuriam; quia ſalubriter eius negotium ago. non enim quouis modo agere contra Ius alterius eſt iniuria; (vt patet in eo, qui negat depoſitum furenti) ſed ſine iuſta cauſa vel debito modo agere. quamuis proprié & formaliter, quando iuſta cauſa ſubeſt, non agatur quippiã contra Ius alterius, (cũ ille Ius non habeat, vt id non agatur) ſed ſolùm materialiter, quatenus res aliqua denegatur vel tollitur, ad quam præciſa illa praua intentione, Ius habet. Ad confirmationem; Non poteſt ita impediri, vt vis ei à priuato afferatur, ſed alijs modis bene poteſt.

Agere contra ius alterius, ex cauſa.

55 Dices Secundò, Parochus tenetur ſubdito petenti in Paſchate Euchariſtiam porrigere, quamuis ſciat eum eſſe in peccato occulto, eò quòd ſubditus Ius habeat ad eam; etſi petendo peccet: ergo teneor etiam reddere debitum, petenti ob malum finem.

Reſpondeo, Proprié loquendo, iſte ſubditus non habet Ius petendi Euchariſtiam, ſed habet Ius ne à Parocho infametur; aut ne confeſſio ipſius reueletur: quod tamen ex publica Euchariſtiæ denegatione ſequeretur. & hac ratione à Doctoribus dicitur habere Ius ad eam, nempe quia ſine iniuria non poteſt ei negari; quæ iniuria in hoc conſiſtit, quòd ille infametur, vel ſecretum confeſſionis violetur. ſecùs eſt in noſtro caſu: ex dilatione enim non ſequitur nouum incommodum.

Petès Euchariſtiã in peccato occulto.

Dices Tertiò. Maritus, qui vouit caſtitatem, habet Ius petendi debitum, & vxor tenetur reddere, (de quo c. 40. dubit. 10.) quamuis ille petendo peccet. ergo ſimiliter in noſtro caſu.

56 *Maritus tenens caſtitatem.*

Reſpondeo, Etſi Ius habeat; tamen quando vult illo iure abuti, poteſt vxor debitum negare, ſi commode poteſt; & ſperet hoc pacto peccatum mariti impeditum iri, præſertim in poſterum. Quod addiderim; quia maiori tergiuerſatione vtendum, quando agitur de impedicndis nouis peccatis, in quæ vel ille incideret, vel alium induceret; quàm cùm agitur de impediendo opere externo, cuius iam culpa eſt interiùs commiſſa.

Aduerte tamen. Si ex dilatione ſolutionis eſt periculũ maioris vel paris incommodi non poſſumus illam differre; quia non eſt Ius differendi, niſi quatenus eſt ſpes mali impendendi. Item quando tergiuerſatio parùm prodeſſe; vt ſi te vocaret in Ius. Deinde ſi tibi inde aliquid incommodi notabilis metuas, nõ teneris: vt ſi idcirco vel illius amicitiam, vel aliqua emolumenta amitteres non enim teneris proximi peccata cum notabili tuo incommodo impedire. Adde, quoſdam putare, quando creditor vult abuti rebus ſuis, tantummodo in ſuum damnum. vt in aleam, compotationes, libidines; debitorem non obligari ad ſolutionem differendam; quia non eſt ipſius curare, quo modo ille res ſuas fit impenſurus. Itaque cùm ex Iuſtitia debeat, non eſſe differendum. Ita Petrus Nauarra libro quarto cap. ſecundo, numero trigeſimoquarto. Puto tamen eſſe verius, quod diximus; quamuis raro obligetur ſub peccato mortali. tum quia creditor poteſt illum Iure cogere; tum quia paſſim apud homines hæc ratio differendæ ſolutionis parùm eſt in vſu, & ſæpè parùm efficax ad malum creditoris impediendum, & cum moleſtijs & calumnijs coniuncta.

57 *Si eſt periculũ paris mali.*

58 *Ordinariè non tenetur differre.*

Tertia pars, *Quòd interdum teneris ex iuſtitia differre reſtitutionem*, patet; vt ſi furens ira in inimicum, repoſcat depoſitum gladium. tunc enim reddere. cenſeretur eſſe propinqua cooperatio, vide Nauarrum ſupra & L. Si pignore 54. §. 4. ff. de furtis. vbi dicitur, *Qui ferramenta ſciẽs commodauerit ad effringendum oſtium vel armarium: vel ſcalam ſciens commodauerit ad aſcendendum, licet nullum eius conſilium principaliter interuenerit ad furtum faciendum furti tamen actione tenetur.* quod intellige, niſi ex recuſatione graue malum tibi impenderet: tunc enim illa reddere vel commodare nõ cenſeretur cooperatio: quia eſt actio per ſe indifferens.

59

DVBITATIO V.

Vtrùm ſi id, quod tibi debeo, ſoluam tuo creditori, liberer a reſtitutione tibi facienda.

60 RESPONDEO, Hæc ſolutio me liberat in foro conſcientiæ, ſi mihi conſtet te illi debere. Ita Angelus v. Solutio nu. 13. ex Gloſſa Inſtitut. Quibus mod. tollatur oblig. Silueſt. v. Solutio nu. 4. Medina quæſt. 3. cauſa 5. vt ſi tibi debeam 100. & tu tantumdem debeas meo fratri; ſi ſoluam fratri tibi non amplius obligor. Ratio eſt; quia dum ſoluo tuo creditori 100. cui debes tantumdẽ, transfero in me Ius, quod ille in te habebat ad exigẽdum à te 100. vnde ſi tibi tantumdem debeam, poſsũ vti compenſatione. nam Ius, quod ego in te tunc habebo, tãti valet, quanti illud, quod tu in me. Itaque in conſcientia tibi non amplius obligor. Dico *in conſcientia*, quia ſecundùm Bartolum in L. Solutum. 11. ff. de pignoratit. actio. cogar in foro externo tibi ſolutere; niſi res debita, quam reſtituo tuo creditori, ſit illi obligata; vt ſi conduxi a te domum, quam tu conduxiſti ab illo; vel niſi mea cauſa factus ſis debitor illi; vt ſi gerens mea negotia mutuum

Solutio facta creditori creditoris mei.

61

tuum acceperis. Verùm in foro conscientiæ, hæc minimè sunt necessaria, sed sufficit, vt tu vere ex lege iustitiæ alteri debeas, vt Angelus & Syluest. suprà docent.

DVBITATIO VI.

Vtrùm rei debitæ interitus excuset.

62 *Rei interitus.*

RESPONDEO, & dico Primò, Si res, quam debes restituere, sit in specie aliena, excusaris eius interitu, si non intercessit tua culpa, vel mora vel pactum, Secùs vero si aliquid horum intercessit, nisi similiter fuisset peritura apud dominum, vt patet ex dictis c.7.dub.6. & 8. & c. vnico, de commodato.

63 *Si consumpsit in necessitate.*

Dico Secundò, Si rem alienam magni pretij in extrema necessitate tua consumpsisti, verius est, te non excusari a restitutione, dum pinguior fortuna obtigerit; sed teneri tacito quodam pacto quod censetur iure gentiũ interuenisse: etsi contrarium sit probabile. patet ex dictis dub. prima huius capitis.

64 *Pecunia tradita confessario vt restituat.*

Dico Tertiò, Si res non sit specie aliena, sed tua, eius interitus non te excusat. Ratio est; quia res domino suo perit. vt si pecunia destinata solutioni, surripiatur; vel à cõfessario, cui executionem commisisti, retineatur. Vbi Notandum est, quosdam existimare in hoc casu, quo negotium confessario vel Parocho commissum est tradita ei pecunia vt restituat, (eò quòd debitor sine sui infamia nõ possit per se exequi) si eã retineat, debitorem excusari. rõ illorũ est, Primò, quia hic restitutionem quãtum in se est fecit, vt debuit & potuit: ergo ab eo non est amplius exigendum. non. n. tenebatur per se restituere, cùm id sine suspitione criminis facere non posset; (vbi supponimus) neque poterat inuenire commodiorem & tutiorẽ viam, quam per Parochum, vel confessorem. Secundò, Quia si creditor actu expresso consensisset, vt fieret hoc modo restitutio, debitor non teneretur ad amplius: sed in hoc casu creditor implicite & actu debito cẽsetur consensisse, (quia tenebatur cõsentire) qui cõsensus implicitus & debitus eãdem vim habet, quam expressus: ergo excusatur.

65 *Si non exequatur, non liberatis.*

Sed contrarium est longè verius, vt docet Nauar. c.17. nu.67. & D. Anton. 2.p.tit.2.c.4.§.1. idque siue res in specie sit aliena, siue non. Si enim non est in specie aliena; vt si mittas pecuniã vel rem tuam tradendã creditori. & non tradatur, tibi perit, etiãsi debeas ex contractu. Nisi fortè creditor miserit vel assignauerit hominem certum, cui numeres: hic enim loco creditoris acceptat, & ita transfertur dominium in creditorem. Vnde si retineat, creditoris est damnum. vt docet Syluester Restit.4. q.vlt.

66 Si verò est aliena in specie, v. g. torquis, vestis, equus, etiam tuo periculo perit & retinetur, si iniuste acceptiti. Ratio est; quia intercessit culpa, per quam dedisti occasionem damni domino obuenientis. si enim non surripuisses, ille rem suam non amisisset. Confirmatur, quia qui rẽ surripuit, tenetur de casu fortuito, eò quòd apud dominũ non sic periisset, vt patet ex c.7.dubit.8. & c.12. dub.15. ergo, &c. debebat enim, cùm acciperet, cogitare similes casus ex surreptione posse euenire.

67 *Ad rationes in contrarium.*

Ad primam rationem, Respondeo, Fecit quidem quod debuit & potuit pro illo tempore, sed cum tacita obligatione, vt si res non succederet, teneretur inire aliam viam, donec damnum reipsa fit compensatum.

Ad secundam, Dominus non tenebatur consentire, vt per Parochum restitueret, nisi cum onere iterum restituendi, si reipsa Parochus non exequeretur.

Aduerte tamen; contrariam sententiam non videri omnino improbabilem; ob rationes allatas, & quorumdam Doctorum virorum, qui illam tenent auctoritatem.

DVBITATIO VII.

Vtrùm Iuris vel Iudicis auctoritas excusset à restitutione.

68 RESPONDEO, Quibusdam casibus excusare. Primò, Quando res legitimo modo est vsucapta: tunc enim auctoritas legis transfert dominium in eum, qui vsucepit; de quo suprà cap.6. Secundò, Quando Iudex in poenam delicti, per sententiam imponit alicui mulctam in fauorem eius, qui iniuriam passus est. oportet tamen sententiam niti veritate, non falsa præsumptione; de quo infrà. Tertiò, Quando Iudex auctoritatem legum & naturalem æquitatem secutus, aliquid alicui adiudicat. quòd aliàs non deberetur ex rigore iustitiæ; is, qui hoc percepit, non tenetur restituere. de quo vide c.7.dubit.8. Quartò, Quando aliquis per sententiam ordine Iuris latam, priuatus est officio, beneficio vel hæreditate. Is, qui hæc postea obtinet, non tenetur restituere, etiamsi priuatim sciat condemnatum esse innocentem; modò ille causa falsæ illius sententiæ non fuerit. vide infrà c.29. dub.10.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm ingressus in Religionem liberet a restitutione.

69 MEDINA q.7.causa 8.docet, debitorem, qui manendo in sæculo poterat soluere, & ingrediendo se reddit impotentem. non posse ingredi Religionem, nisi antè soluerit. quòd si ingrediatur & profiteatur, tamen adhuc manere obligatum, & labore suo vel arte, si quam nouit, debere conari soluere. Ratio est; quia iure naturæ tenetur satisfacere. Contrarium tenet D.T.q.vlt. huius par. art.6. ad 3. & ibidem Caiet. Syl. Religio.2.q.4. & alij Summistæ omnes. docent enim non teneri manere in sæculo, sed sufficere si bonis cedat suis creditoribus.

70 *Valet professio.*

Pro resolutione. dico Primò, Si debitor ingrediatur & profiteatur, omnino valebit professio, nec poterit reuerti ad statum sæcularem. In hoc conueniunt omnes. Idque probat ratio D. Thomæ, quia etiamsi sit pecuniæ debitor, tamen eius persona est libera. vnde etiamsi concederemus illum malè facere, dum se Religioni mancipat, debitis non solutis; tamen illa traditio est valida: sicut si facultates ad soluendum creditori necessarias alteri donares, donatio iure naturæ valeret; (quamuis in ea peccares) quia res illæ tuæ erãt. Secùs est si seruus profiteatur; quia cùm persona ipsius libera non sit, sed domino ex iustitia addicta, nõ potest validè se alteri donare; ac proinde nec profiteri sine domini consensu. Idem dico de cõiuge, matrimonio iam consummato. non enim est sui iuris. secùs est ante consummationem.

71 *Si res in specie exstet.*

Dico Secundò, Qui debet aliquid extans in specie, non potest omissa restitutione Religionem ingredi. Ratio est; quia hic nulla est iusta ratio non restituendi. Idem dicendum, si quis sit obnoxius reddendis rationibus. vt ibidem D. Thomas ex B. Gregorio docet; id enim breui tempore fieri potest. Similiter si alicui sint parentes in graui necessitate constituti, aut proles adhuc tenera alendæ; de quo infrà.

72 *Si facili negotio possit.*

Dico Tertiò, Si debitor possit breui tempore, vt paucis annis & consuetis laboribus satisfacere creditoribus, tenetur aliquantisper differre ingressum, vt illis satisfaciat. Ita Petrus Nauarra l.4.c.4.num.94. & Lopez 1.p.c.129. Idem sentit Medina suprà, & Doctores Parisienses, quos ipse citat; quia tunc creditores meritò sunt inuiti, si illis antea non satisfaciat; cùm facili negotio possit. neque tunc beneficio cessionis se poterit liberare. quia hoc non est introductum, nisi in fauorem eorum, qui aliter se à debitis eripere nequeunt.

73 *Si difficulter possit.*

Dico Quartò, Si opus esset longo tempore, (vt multis annis, vel insolitis laboribus) nõ teneretur expectare, sed relinquẽdo omnia sua creditoribus, poterit Religionẽ ingredi. Ita Pet. Nauarra nu.95. idem dicent omnes, qui D. Th. sequuntur. Rõ est; quia qui actu bona non habet, nec est in propinqua potẽtia ad ea habenda, absolutè cẽsetur impotens ad soluendum, ac proinde ab obligatione restitutionis est excusatus. Neque obligandus ad insolitũ aut longũ laborẽ, quando dedit quidquid habuit; quia ne Iudices quidẽ in foro externo ad hoc obligãt, vt ex praxi tribunalium satis constat. sufficit enim eis si viderint debitorẽ omnia, quç actu habebat, dedisse, nec breui tempore posse reliqua conquirere. Vnde etiam colligitur, nõ esse hoc priuilegium Religionis, sed ex natura rei obligationem cessare, vel potius sopiri ratione impotentiæ. idque non

74 *Liberatur relictis omnibus.*

solùm

solùm locum habet, quando ex contractu, sed etiã quando ex delicto est debitum, vt ex furto, vsuris, rapinis. sufficiet enim dare omnia, & non posse breui aut facile, iudicio prudentis, reliqua soluere.

75 Non est tamen negandum, quin status Religionis aliquid peculiaris fauoris hac in re mereatur, vt etiam propter illum, creditores non debeant plus exigere, quàm possit actu & sine longa mora præstare; præsertim cũ in longa mora sit periculum salutis, vel damni spiritalis. Ide, cum quis est debitor ex iusto contractu, potest facile beneficio cessionis liberari, retentis etiam necessarijs alimentis, vt suprà ostensum est.

76 Ex his sequitur, Si is, qui Religionem vult ingredi, est vir honoratus, quem dedeceat seruire, vel manibus operari, hunc non teneri ad illas lucrãdi rationes descendere. sed posse statim ingredi; quia talis, vbi omnia dederit, quæ actu habet, ad nihil amplius tenetur, cùm nulla ratio lucrandi, quæ ipsum deceat, suppetat. si autem est talis, cui aliqua lucrandi ratio honesta & statui ipsius consentanea suppeditet: tunc videndum, an breui tempore sine animæ periculo possit se expedire, an non. & iuxta ea, quæ dicta sunt statuendum. Fatendum tamen Diui Thomæ sententiam esse probabilem. vide Siluest. Religio secunda-quæstione quarta.

DVBITATIO IX.

Vtrùm excommunicatio creditoris liberet à restitutione.

77 *Excommunicatio.* RESPONDEO, Non esse improbabile posse differri, donec Ecclesiæ reconcilietur. Hoc enim tenet Adrian. quæst. 3. de clauibus. § si petas an. & Felin. in c. Inter alia, de sententia excõmunicationis. Panormit. in d. c. Inter alia, 35. & cap. Intelleximus, 7. de Iudicijs, Glossa in caput Absolutos, de hæreticis. & quidã alij apud Couarru. ad regul. Peccatum 1. p. nu. 8. Probatur Primò ex cap. Nos sanctorum, 15. quæst. 6. vbi Gregorius VII. sic ait: *Eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento confirmati sunt, Apostolicæ auctoritate à iuramento absoluimus, & ne fibi fidelitatem obseruent, omni ratione prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* & cap. sequen. *Iuratos milites* (inquit Vrbanus II.) *Hugoni comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est, seruiant, prohibeo.* Qui Canones etsi tantùm videãtur intelligi de debito fidelitatis, quòd subditus debet Principi, aut miles Duci, aut famulus domino; tamen videtur esse eadem ratio de debito pecuniario. vnde Glossa in d. c. Nos sanctorum, probat multis, hanc sententiam esse probabilem. Secũdò probatur, Cap. Quòd in dubijs, & sequenti dicitur, *Nullus scienter nominatim excommunicato cõmunicare tenetur, nisi quidam personæ, quæ per illud Gregorij Papæ caput, Quoniam multos, specialiter excusantur.* sed illo c. Gregorij, non excusantur debitores. ergo non tenentur. Vnde Glossa & Adrianus colligunt non teneri etiamsi iuramento promisissent soluere; quia Iuramentum habet tacitam conditionem, si talis permanserit, cui communicare liceat.

Aduerte tamen, etsi quidam Canonistæ idẽ videantur
78 sentire de debitore excommunicato, videlicet eum non teneri ad soluendum, quamdiu est in excommunicatione; id tamen omni ratione & probabilitate carere; quia non debet ei excommunicatio tanto esse commodo, vt rectè notat Glossa in can. Nos sanctorum: alioquin multi essent, qui cuperent excommunicari.

79 *Verius non liberare.* Dico Secundò, Verius tamẽ videri, etiãsi creditor nominatim sit excommunicatus, nõ ideò differri posse restitutionem. Ita tenet Couarr. suprà. Syluest. excõmunicatio 5. quæst. 12. Ioannes Medina quæst. 3. causa 9. & plerique alij. Ratio est; quia neque Iure diuino, neque etiã iure humano debitor liberatur à tali debito statim soluẽdo post elapsum terminum. *Non iure diuino*, quia nullum tale ius reperitur. præsertim cũ etiam ethnicis & publicanis debita soluenda sint. vt colligitur ad Romã. 13. nisi fortè spes esset, tua dilatione ipsum conuersum iri, & reconciliandũ Ecclesiæ, quod interdum vsu venit. quando debitor est magnæ auctoritatis; & recusat soluere creditori, ni reddeat ad Ecclesiam. *Nec* etiam *Iure humano*, quia iura citata non loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis & obsequij. leges enim penales sunt strictè interpretandæ. quamuis Medina & quidam alij, putent etiam agere de debito pecuniario, quod ex promissione & stipulatione iuramento confirmata sit contractum, & de omni alio debito solis verbis conflato; quod est probabile.

Debitũ fidelitatis & obsequij.

Dices, Excommunicati sunt vitandi in omni conuictu humano, atqui soluere creditori est habere cum eo humanum commercium. ergo hoc non licet. 80

Resp. Hoc esse vnum ex præcipuis argumentis cõtrariæ opinionis: Sed dicendum cum Couarruuia, illam cõmunionem esse valde paruam & breuẽ; & cùm sit in re necessaria, (vtpotè in debito iustitiæ, quod creditor potest exigere. saltem extra Iudicium) non debet talis communicatio videri prohibita. sicut eleemosyna potest & debet dari excommunicato, quando eleemosynæ præceptum erga proximum obligat.

Aduerte tamen, Si excommunicatus repetat debitum in Iudicio, posse eum à debitore repelli, vt expressè habetur c. Pia, de exceptionibus in 6. 81

DVBITATIO X.

Vtrùm creditorum incertitudo excusset à restitutione.

RESPONDEO, Creditorum incertitudo non omnino excusat: tunc enim restitutio facienda est iu pauperes, iuxta communem sententiam, ordinarè in praxi seruandam. vide suprà c. 14. dubit. 6. & 7. 82

DVBITATIO XI.

Vtrùm dispensatio vel compositio cum Prælato excusset.

RESPONDEO, & dico Primò, Quãdo incertum est quinam sint creditores, tunc excusat compositio cũ Pontifice, siue debitum sit ex delicto, vt in vsuris, furtis, minutis; siue absque delicto, vt in debitis ex contractu, & inuentis. Ratio est; quia quando ignoratur proprius horũ dominus, hæc restituenda sunt in vsus pios, non iure naturæ, sed iure positiuo; (vt suprà c. 14. d. 6. & 7. ostensum est.) in quo iure potest Pontifex dispensare. sublata autẽ illa obligatione restituendi, possunt hæc retineri. 83 *Compositio.*

Dico Secundò, Si creditores sint noti, non potest Pontifex te liberare à restitutione, nisi legitima causa subsit: ea tamen supposita, potest. Prior pars patet; quia non potest Pontifex aut Princeps, absque iusta causa res vnius alteri donare; neq; enim est dominus bonorum, suorum subditorum, neque dispensator; sed tantùm defensor iuris cuiusque, & Iudex vindexque criminum.

Altera pars patet; quia Pontifex habet supremam potestatem in bonis temporalibus omnium Christianorũ, licèt indirectam; nempe quatenus opus est ad regimen spiritale. vnde posita iusta causa, potest de rebus illorum disponere. Itaque potest imponere mulctas pecuniarias, & confiscationem bonorum pro criminibus: & consequenter condonare restitutiones, huiusmodi hominibus faciendas. quod notandum propter ea, quæ debentur hæreticis, siue ex delicto, siue ex contractu: cauendum tamen scandalum. vide cap. Cùm secundùm leges, de hæretic. in 6. Syluestrum Restit. 7. quæst. secunda, §. Quintum. & Innocentium IIII. in cap. Quæ in Ecclesiarum, de constitut. 84 *Potestas Pontificis.*

Sed quia aliqui hac de re nonnihil dubitarunt, probatur hac ratione. Summus Pontifex ob tale crimen potest priuare dominio bonorum, illudque addicere fisco, iuxta d. c. Cùm secundũ leges: potest subditos eximere obligationes seruiendi, obediendi, soluendi tributa alijsq; vinculis etiam iureiurando confirmatis, iuxta c. Absolutos. ex. de hæret. cur non etiam debitores liberare obligatione soluendi, & debita cõdonare? est enim hoc multò minus.

Dices, Potest ista per sententiam generalem seu legem; nõ autem per sententiam priuatã, nisi præcedat cognitio

cauſæ, & ſententia declaratoria criminis: alioqui ſequeretur magna perturbatio in Repub. deinde quia pœna debet cognoſci à reo & ſentiri; alioqui non eſt pœna: at illa ſententia priuata non cognoſcitur. Reſpondeo, negando quod aſſumitur, expedit enim vt etiam per ſententiam priuatã poſſit irrogari pœna, cũ iuſta cauſa ſubeſt: vt ſi crimen alia ratione puniri nequeat, ob potentiã vel abſentiam rei, vel perturbationem quæ metuitur; & pœna illa non ſit omninò noua, ſed contineatur in alia iam ipſo facto incurſa, vt in confiſcatione bonorum. & quãuis ad executionem confiſcationis per realem ablationẽ bonorum requiratur ſententia declaratoria criminis, vt patet ex d. cap. Cùm ſecundùm leges tamen hæc ſententia non eſt neceſſaria quando pœna non requirit aliam executionem præter eam, quam lex vel ſententia ſecũ defert. quia inde nõ ſequitur vlla perturbatio, ſicut ex reali ablatione. Imò poteſt talis pœna irrogari per ſententiã conditionalem. v. g. *Si conſtat Titium tali crimine obſtrictum, non ſi fiat ſcientia*, &c. vnde nec alia cauſæ cognitio requiritur. Ad illud de notitia pœnæ; Non eſt neceſſe vt ſemper reus pœnam ſentiat. ſatis eſt vt poſſit eam apprehendere & timere: quamuis in executione eam non ſentiat: vt patet in pœnis quæ poſt mortem inferuntur.

Idem puto poſſe Principem ſæcularem reſpectu ſuorum ſubditorum. Iam enim iuſta lege illorum bona fiſco addicta ſunt, ſed ob potentiam non poteſt fieri executio.

DVBITATIO XII.

Vtrùm compenſatio excuſet.

RESPONDEO, Excuſare tum eum, qui compenſatione vſus eſt, ne cogatur reſtituere id, quod compentationis cauſa alteri ſubtraxit: tum eum, cõtra quem vſus eſt, ne rurſus cogatur ſoluere. vide ſuprà cap. 12. dubit. 10. & cap. 11. dubit. 16. 85

SECTIO TERTIA.

DE CONTRACTIBVS.

SVPERIORI Sectione, diximus de iniurijs in bonis animi & corporis, & generatim de Iniuſtitia in bonis externis, neceſſariaq; reſtitutione; ſequitur nunc vt agamus de quibuſdam ſpecialibus modis Iniuſtitiæ, qui contingunt in rebus externis per varios contractus. Primùm igitur dicemus de contractibus in genere, deinde de præcipuis in particulari.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De Contractibus in genere.

Conſtat Dubitationibus 11.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit contractus, quid pactum.

1 *Definitio cõtractus ſtrictè accepti.*

CONTRACTVS *eſt extrà ciuilem obligatio, quòd Græci* συναλλαγμα *vocant.* Ita habetur l. 19. Labeo, ff. de verſignific. quæ definitio non ſic eſt intelligenda, quaſi contractus ſit formaliter obligatio, (obligatio enim eſt effectus per contractum productus in contrahentibus) ſed quòd ſit cauſa obligationis: eſt enim formaliter locutio, vel ſcriptura, vel aliud externum ſignum, quo homines exprimunt mentem ſuam, & ſeſe viciſſim alter alteri obligant, & iura commutant. Itaque 2 *contractus* eſt ſignum externum practicum, vltrò citroq; obligationem ex conſenſu contrahentium pariens: quod nomine Græco clariùs indicatur.

3 *Donatio, promiſſio.* Hinc ſequitur, donationem & promiſſionem non eſſe proprie contractus; quia non pariunt obligationem, niſi in altera parte.

Mutuatio. Dices, Mutuatio non inducit obligationem niſi in mutuatario; ergo non eſt contractus.

Reſpondeo Negando antecedens; nam mutuator tenetur non repetere ſtatim; ſed debet ad aliquod tempus permittere, vt alter mutuo fruatur: & ſic etiam in ipſo naſcitur obligatio ex mutuo.

4 *Contractus late.* Aduertendum tamen eſt, ſæpè in Iure, nomen *contractus* accipi paulò latiùs, vt etiam comprehendat *donationem & promiſſionem acceptatam*, vt patet l. Contractus. 16. C. de fide Inſtrument. & alibi, vbi *donatio* vocatur cõtractus, & ſic, *contractus eſt conſenſus duorum, obligationem ſaltem in alterutro pariens*, quo modo non diſtinguitur à *Pacto*, quod definitur eſſe *duorum conſenſus atque conuentio*, vt enim fiat pactum, neceſſe eſt vt duæ voluntates in idem conueniant reciproco conſenſu. dico *reciproco conſenſu*: quia non ſufficit vt quouis modo in idem conueniant; ſed requiritur vt conſenſus ſuos in ſe mutuò dirigant. Vnde donatio, & promiſſio, etiamſi à duobus communi conſenſu fiant, antequam ſint acceptatæ, & accedat conſenſus reciprocus eius, in quem diriguntur, non habent rationem pacti; ſed per acceptationem tranſeunt in *pactum*. vide Gomezium tom. 2. c. 9. num. 2. & infrà cap. 18. dubit. 6. num. 42. & ſeqq. Nos nomine *contractus* vtimur hic amplè, vt idem ſit quod *pactum*, & comprehendat contractus gratuitos, qui ſunt veluti ſemicontractus. 5 *Pactum.*

DVBITATIO II.

Quot modis perficiantur contractus.

NOTANDVM eſt, *Contractum* dici dupliciter perfectum. Primò, Quando res, circa quam verſatur, eſt tradita. ſic emptio dicitur perfecta, quando res eſt tradita & pretium ſolutum. verùm hæc perfectio non eſt intrinſeca rationi contractus: ſed ſæpè eſt effectus contractũ conſequens, atque adeò finis, ob quem cõtractus fit. Nam cõtractus emptionis & vẽditionis eſt perfectus in ratio- 6 *Duplex perfectio contractus.*

ratione contractus ante traditionem rei. dicitur enim proprie res empta & vendita, simulatque inter emptorem & venditorem conuenit de pretio. Secundò. Quando ipse contractus habet omnia necessaria, quæ secundum suam speciem requirit, vt tale nomen mereatur; siue traditio rei ad hoc sit necessaria, siue non. de qua perfectione hic loquimur.

7 *Perficitur quadruplicitèr.* Resp. Igitur, contractum quadrupliciter perfici, nempè *re*, *scriptura*, *verbis*, *consensu*. Ita Syluester v. Contractus, num.6. & colligitur Inst.de obligat.*in fine*. *Re* perficiuntur, qui non constituunt in conuentione sola, sed requirunt rei traditionem; vt *depositum*, *commodatum*, *mutuum*, *permutatio*, *pignus*, *donatio*. non enim contractus hi censentur celebrati, nisi re tradita, vt ipsa nomina indicant, quibus significatur rei traditio. vnde ante traditionem, dum in solis verbis consistunt, dicuntur pacta nuda, quæ non pariunt obligationem ciuilem, nisi ex aliquo Iuris priuilegio.

Pactum nudum.

8 *Scriptura* perficiuntur, qui ante scripturam rati non habentur. vt *emphyteusis*, & omnis contractus, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram notario, qui instrumentum conficiat.

9 *Stipulationes.* *Verbis* dicuntur perfici, qui requirũt certam verborum formulam, tales sunt omnes *stipulationes*. Hæ sunt formulæ quædam, quæ constant interrogatione præuia vnius, & responsione subsequa alterius, v.g. spondes dare tantũ? spondeo. promittis 1000? promitto. dabis 1000. pro domo mea? dabo. facies? faciam. fideiubes? fideiubeo. & similes: infinitum est enim omnes stipulationum formulas persequi, teste Cicerone in Topicis. vide Inst. de verborũ obligationibus. Hæ autem formulæ possunt adhiberi in omnibus contractibus, eisq; maiorem firmitatem in foro externo tribuunt. de quibus vide plurima apud Gomezium tom.2.c.9 quæ quia solùm ad forum externum pertinẽt, (in quo etiam paruum vsum nunc habent) omitto.

10

11 *Consensu* perficiuntur, qui non requirunt certam verborum formam, sed sufficit consensus, quouis modo exterius vtrimque explicatus, vt emptio, venditio, locatio, conductio.

DVBITATIO III.

Quomodo diuiditur contractus & pactum.

12 *Prima diuisio.* RESPONDEO, Multas assignari a DD. diuisiones, vt videre est apud Syluestrũ verb. Contractus & verb. Pactum. Primò *Contractus* diuidi potest in *explicitum & implicitum*; siue in *formalem & virtualem*. *Formalis* contractus est, cùm expressè duo in idem conueniunt cum obligatione mutua, vel saltem alterius erga alterum, vt dub.1. dictum est, & hic propriè dicitur contractus. *Virtualis* contractus est, cùm solum implicitè cõueniunt absque vlla expressa pactione se obstringentes. Hunc vocant *quasi contractum*, vt Tutela, & quoduis aliud officium, mandatum. & negotiorum gestio. qui enim aliquod officium suscipit, eo ipse se obligat erga alterũ, & alter obligatur erga illum iuxta leges vel consuetudinẽ receptam. similiter qui aliquid mandat, vel mandatum alterius suscipit; & qui negotium alterius gerit in his enim nõ requiritur vlla conuentio expressa; sed hoc ipso quo ista suscipiuntur, vi legis vel consuetudinis, in quam omnes consenserunt, tacita nascitur obligatio, & ideò non vocantur propriè contractus, sed quasi contractus.

13 *Contractus innominatus.* Secundò, Contractus diuiditur in *nominatum & innominatum*. contractus *nominatus* est, qui habet speciale & proprium nomen, quo ab alijs distinguatur: vt emptio, venditio, mutuum, locatio, societas, commodatũ, pignus, depositum, & similes. *Innominatus est*, qui non habet nomen speciale, sed genericum tantum. Huius sunt quatuor species, *do vt des*; *do vt facias*; *facio vt des*: *facio vt facias*, vt si Petro des panem pro vino, erit contractus innominatus; *do vt des*. non enim est emptio aut venditio; quia non datur pretium pro merce: nec est mutuum; quia non recipitur res eiusdem speciei post certum tempus: nec locatio aut conductio; quia non datur pretium pro vsu vel opera: sed datur vna res pro alia, quarum neutra est pretium alterius: qui cõtractus proprium nomen non habet.

Dices, Est *permutatio*. Respondeo, Verum est, sed hoc nomen est generale, non specificum; conuenit enim emptioni & mutuo. vnde non constituit contractũ nominatum. simili modo, si Petro des panem, vestem, &c. vt pro te laboret, vel scribat erit contractus *do vt facias*. si autem des pecuniam, erit conductio. Si scribas vel seruias alicui. vt det panem, vestem, libros; erit contractus *facio vt des*. si illi seruias vt te doceat; erit contractus *facio vt facias*.

Aduertendum est, Etsi ex his contractibus innominatis oriatur statim obligatio naturalis; non tamen oritur obligatio ciuilis, (id est, quæ Iure ciuili tribuat actionem in foro externo) nisi ex altera parte sit impletus. vel nisi vestiatur formula stipulationis, aut iuramento, aut alia ratione. de quibus vide plura apud Gomezium to.2.cap.8. & Syluestrum v. Pactum q.5. & 8. 14 *Obligatio naturalis, ex contract. innominatis, non ciuilis.*

Tertiò, diuiditur in cõtractum *bonæ fidei*; & *stricti iuris*. *Contractus bonæ fidei* sunt, in quibus Iudex multa potest ex æquo & bono arbitrari, vt sunt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus, permutatio & similes. *Contractus stricti iuris* sunt, in quibus Iudex ad verba adstringitur; vt in stipulationibus, in contractu feudali & emphyteutico, in promissione liberali. in donatione. vide plurima de hac diuisione apud Couarruuiam ad regulam, Possessor p.2.§ 6. 15 *Tertia diuisio.*

Quartò, Diuiditur in *lucrativum*. & *interesse*. *Lucrativum* est, in quo nihil rependitur; vt promissio, donatio, commodatum, precarium. Huc referri possunt *testamentum & legatum*, quæ sunt donationes quædam in die. vnde testamentum apud Græcos & Hebræos vocatur *pactum*. & inter pacta numeratur: Berith enim & διαθήκη, (quæ idem valent, quod testamentum) passim in Scripturis pro pacto accipiuntur. *Interesse* est, in quo aliquid loco eius, quod datur, debet reddi, vel præstari. hic autem vel trãsfert dominium integrum, vt mutuum, emptio, &c. vel vtile tãtùm, vt feudum & emphyteusis: vel vsumfructum aut vsum; vt locatio, conductio: vel securitatem confert; vt pignus, hypotheca, fideiussio. ceteri cõtractus ad hos reducuntur; vt cõtractus censualis ad emptionem; depositi ad locationem, &c. 16 *Quarta diuisio.*

Quintò, Contractus seu pactum, diuiditur in *pactum nudum & vestitum*. *Pactum nudum* dicitur, quod in meris finibus conuentionis consistit, omni alio firmamento carens. talis est omnis cõtractus innominatus, antequam ex altera parte sit impletus; nisi accedat ei formula stipulationis, vel iuramentum, &c. Item omnis contractus, qui re perficitur, est pactum nudum ante rei traditionem; vt donatio, mutuum, &c. *Pactum vestitum* est; quod habet aliquid amplius, vnde iure ciuili robur obtineat. Vestitur autem sex modis. Primò, Re ipsa; vt si ex altera saltẽ parte sit impletus. Secundò, Verbis; vt si accedat formula stipulationis. Tertiò, Litteris; vt si litteris fatearis tibi esse satisfactum, etiamsi satisfactum non sit; quod vocatur *acceptilatio*. Quartò, Specifico nomine contractus. sic omnes contractus nominati, qui consensu perficiuntur, (vt emptio, venditio, locatio & similes) sunt contractus vestiti. Imò omnes contractus nominati, sunt vestiti, si in suo genere sint perfecti. Quintò, Coherentia cum contractu vestito; vt si vendam tibi domum 1000. aureis, cum pacto vt illam adhuc inhabitem; & tibi pro inhabitatione dem hanc vestem. Pactum enim istud accessorium, per se est pactum nudum; tamen quia cohæret cum vẽditione, quæ est pactum vestitum, censetur etiam vestitum; nam accessorium sequitur naturam principalis. Sextò, Iuramento; nam iuramentum non minùs confirmat pactum nudum, quam quiduis aliud. vide Syluestrum v. Pactum nu.a. 17 *Quinta diuisio.* *Pactum nudum.* *Pactum vestitum.* *Pactum vestitur.6.modis.*

DVBITATIO IV.

Vtrùm omnis contractus pariat obligationem in foro conscientiæ & externo.

DICO Primò. Omnis contractus etiam nudus, spontè libereq. factus, si contrahentes sint habiles, parit obligationem naturalem, seu in foro conscientiæ, ita vt parte inuita non possis rescindere; nisi iure positiuo sit irritus, vel detur irritandi potestas. est communis sententia Doctorum, vt docet Gomezius tom.2. cap.9. nu.2. & Couarr. in cap. Quamuis pactum, p.2.§.4.n.23. Probatur Primò, 19 *Parit obligationem naturalem.*

Primò, Quia iure tenetur quisque præstare quod promisit, altero acceptante; siue promiserit titulo gratuito, siue oneroso. Nec refert an pacto nudo an vestito promiserit; quia iure naturæ & gentiũ nulla est inter hæc distinctio; sed solo iure ciuili: quæ etiam solum forum externum respicit. Secundò, Quia ad obligandum sese, sufficit animus verbis expressus, & acceptatus; vt communiter docent Theologi. vide Siluestrum v. Pactum num. 4.

10 Dixi, *Nisi iure ciuili sit irritus.* &c. quia ius humanum potestatem habet, vel irritandi omnino pactum alias validum, vt nullam pariat obligationem; vel tribuendi facultatem & ius alteri contrahentiũ cuius interest, obligationem eludendi; vt patet in contractu impuberis, in alienatione fundi dotalis, in contractu parentis cum filio vel filia, vt pro certa summa ce dat legitima portione; aliisque innumeris, qui iure natur. Ii & gentium essent validi, nisi Ius positiuũ eis reluctaretur. Ratio est; quia sicut duo homines priuati, sepositio omni iure positiuo, possunt inter se statuere certas formulas & conditiones, sine quibus contractus eorũ in posterum non censeantur validi, nec obligationẽ naturalem possint inducere; ita Respublica, quæ naturaliter est Superior singulorũ, seu cui naturaliter cõperit potestas in singulos, potest cõstituere huiusmodi cõditiones: & consequenter Principes sæculares, in quos suã potestatẽ Respublica transtulit: multoque magis Principes Ecclesiæ in ijs, quæ ipsorum gubernationi subsunt, id possunt; quatenus necesse est, vel expedit ad bonum spirituale subditorum. hanc enim potestatem habent à Christo, qui naturaliter supremus est omnium Dominus.

21 *Pactum nudum.* Dico Secundò, Contractus tamen, qui dicitur *Pactum nudum*, non parit obligationem in foro ciuili. est communis sententia Doctorũ, vt docent Couarruuias & Gomezius sup. & patet clare L. Iuris gentium. 7. initio. ff. de pactis, vbi dicitur: *Nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem.* & L. Ex placito. 3. C. de rerum permut. *Ex placito permutationis, nulla re secuta, constat nemini actionem competere. Nulla re secuta.* id est, neutra ex parte contractus completo per rei traditionem. si. n. altera ex parte cõpletus fuerit, tam parit obligationem in foro externo, in fauorem eius qui implenit. L. 1. ff. de rerum permut. & alibi. tunc enim vestitur reipsa, vt dictum est supra nu. 18. Ratio autẽ, cur pactum nudum obligationem in foro externo nõ pariat, est, quia etsi ius ciuile nõ resistat talibus cõtractibus, eos irritando; tamen noluit etiam illis assistere, *Ius ciuile eis non assistit.* cõcedendo actionem, ne lites multiplicarentur. imò permittit illos rescindi causa pœnitentiæ, etiam altera parte nolente, quamdiu pactum nudum neutra ex parte est impletum: vel, si ex altera parte impletum est, liberum est huic pœnitere, vel cogere partem ad complendum, vt cõstat ex L. Si pecuniã. 5. ff. de Cõdict. causa data. & L. 1 ff. de rerum permut. Verùm, hoc nõ est licitum in foro conscientiæ; quia vtraque pars tenetur seruare promissum, & exoluere fidem altera volente & petente; vnde in foro Ecclesiastico, & vbi Iure Canonico vtuntur in tribunalibus, coguntur stare contractu, & implere promissum, vt docet Couarruuias supra n. 24 & Siluester verb. Pactum. *Locus de Iure Canonico.* nu. 3. & patet ex cap. 1. de pactis. vbi id passim notant Doctores. Ratio est, quia Ius Canonicum, cum sit conditum ad salutem animarum, respicit obligationem cõscientiæ, eamque iubet impleri; nisi forte præsumat errorem vel
23 fraudem. quam ob causam non concedit actionem ad exigẽdum promissum, nisi exprimatur causa, cur sit promissum. Siluester supra. alioquin non præsumit seriò & liberè promissum.

Notãdum tamen est Primò, Talia pacta ratione obligationis naturalis habere alios quosdam notabiles effectus, etiam in foro externo. Primò, Pariunt exceptionem, vt habetur d. L. Iuris gentium. Secundò, Impediunt soluti repetitionem. Tertiò, Tribuunt ius compensandi in foro conscientiæ. Quartò, Potest eis accedere fideiussor, et efficaciter obligari; Quintò, Potest retineri pignus. quæ omnia latis in Iure sunt nota, & infra magis patebunt.

24 Secundò, Quædam pacta nuda, priuilegio Iuris dare actionẽ ciuilem. vt patet ex Glossa in §. De constituto, Instit. de actionibus; vbi enumerat septem casus. tale pactum est, *donatio verbalis acceptata, promissio dotis, promissio feudi pro se, vel pro alio.* &c. sunt enim parui momenti.

Dico Tertiò, Si tamen pactum nudum iuramento cum firmetur, parit actionem in vtroque foro. est communis sententia Doctorum, inquit Couarruuias supra n. 26. Probatur; nam si contractus, qui iure ciuili est irritus iuramẽto confirmetur, datur ex eo actio eodem iure ciuili, modò non sit contra bonos mores; vt patent Authent. Sacramenta puberum, C. Si aduersus vendit. & colligitur ex c. Quamuis pactũ de pact. in 6. ergo multò magis ex cõtractu, qui non est irritus, dabitur actio iure ciuili. sed de hoc infra dubit 7. Idem putat Couarruuias esse dicendum de pollicitatione iuramento confirmata, quæ tamen non est pactum. Contrarium tamen puto verius, quia ex pollicitatione (id est, ex promissione nondum acceptata) nullum ius acquiritur ei, cui fit: nam requiritur acceptatio, vt infra dicetur. ergo etiamsi fortè implenda sit, (de quo infra numero 52.) propter obligationem, qua tenemur efficere, ne Deum adduxerimus in testem falsi; non tamen ob vllum ius, quod acquisitum sit illi in cuius fauorem facta est: secus de pactis Iure ciuili irritis; quia hæc pacta non irritantur, nisi dum sola sunt, & sine iuramento fiunt. Dum autem fiunt cum iuramento, Ius ciuile non intendit
26 ea irritare, sed relinquit in suo vigore, quem habent, præcisso iure positiuo. atqui hoc iure præcisso, sunt valida & inducunt obligationem: ergo accedente iuramento inducunt suam propriam obligationem, & ius conferunt, illudque iuramento confirmatur. Vnde dici solet iuramentum sequi naturam contractus, quam habet ex natura rei; non autem quam habet ex iuris prohibitione. atque ita duplici obligatione tenemur illa implere, nempe obligatione iustitiæ & religionis. vnde mirum non est si iure ciuili detur actio ex tali pacto. quòd si ius intenderet ea irrita reddere etiam cum iuramento, omnino irrita essent. Sicut enim potest impedire ne ex pacto simplici obligatio nascatur; ita etiam ne ex iurato.

25 *Iuramẽtum.*

Pollicitatio iuramento confirmata.

DVBITATIO V.

Vtrùm contractus, cui error vel dolus causam dederit, sit Validus.

NOTANDVM est, *Dolum* vel errorem posse contingere, vel circa substantiam rei, vel circa accidentia & extrinseca, quæ alliciunt, aut auertunt a contrahendo. Rursus, potest hic *dolus dare causam contractui*, ita vt sine illo non velles contrahere: aut non dare causam, sed solum *incidere in contractum*, vt si velles quidem contrahere, sed non tanto pretio. Denique hic *error* seu *dolus* potest prouenire vel a parte, quæ tecum contrahit. vel a tertio, ita vt pars non sit vllo modo illius particeps, vel ex propria tua opinione. His positis.

27 *Dolus multis modis in contractu.*

Error tirr substanti

Dico Primò, Quando contingit in altero contrahentiũ esse errorem circa substantiam rei, contractus iure naturæ est irritus. est communis sententia Doctorũ. ratio est; quia deest substantialis consensus: nam non consentit in illam rem, sed in aliam, quam putat subesse istis accidentibus. vt si venditor gemmam putet esse vitrum, & pro tali vẽdat, emptor re comperta tenetur ad restitutionem gemmæ, vel ad iustum eius pretium, prout de nouo inter eos conuenerit, quia venditor non consentit in alienationem gemmæ, sed vitri. Similiter si venditor vitrum vendat pro gẽma; quia emptor non consensit in emptionem vitri, sed gemmæ, quam putabat esse sub illa specie. Idem patet ex contractu matrimonij.

28 *Si dolus non det causam contractui.*

Dico Secundò, Si non sit error circa substantiam, contractus est validus, modo dolus nõ det causam cõtractui. est communis sententia Doctorum, D. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 17. §. 6. Caietani quæst. 77. artic. 3. Soti lib. 6. quæst. 3. artic. 2. & aliorum. probatur, quia ille verè consentit, v. g. in emptionem illius rei, sciens & volens, absque meru & fraude: qui consensus sufficiens est ad contractus validitatem. Nec refert quòd fuerit dolus circa qualitatem rei; tum quia non requiritur, vt omnes rei qualitates norit, aut vt in omnes conientiat; tum quia non habet expressè vel tacitè animum huic contractui repugnantem. etsi enim sciret rei qualitatem; tamen vellet contrahere, quamuis non eo pretio.

Hinc sequitur, Contractum esse validum, etiamsi quis dece-

deceptus ſit in pretio vltra dimidium: quia dolus non dedit cauſam cõtractui, ſed ſolùm eſt cauſa maioris vel minoris prętij. Vnde ipſe contractus non poteſt reſcindi, nolente emptore, ſed ad ęqualitatem reduci. Ita docet Gloſſa in cap. Cùm dilecti. 3. de emptione & venditione; & expreſsè habetur eodem c. & C. de reſcind. vendi. L. 2.

29 *Si dolus det cauſam contractui. Non eſſe omnino irritum.*

Dico Tertiò, Si dolus det cauſam contractui & proueniat ab altera parte, vel ſaltem illa ſit particeps doli; contractus adhuc iure naturæ non eſt omnino irritus, tamen pro arbitrio eius, qui deceptus eſt, (ſi ſolubilis ſit) irritari poteſt. Quòd non ſit omnino irritus, Probatur Primò, ex contractu matrimonij, qui dolo initus validus eſt; & quia natura ſua inſolubilis eſt, validus perſeuerat, nec ob iniuriam acceptam irritari poteſt. Secundò, Quia dolus iſte verſatur, non circa ſubſtantiam contractus aut materiæ; ſed circa cauſam contrahendi, quæ rei eſt extrinſeca & acceſſoria: ac proinde non tollit conſenſum, qui aliquo modo ſit ſufficiens ad naturam contractus. Tertiò, Si deceptus velit contractum conſtare, deceptor non poteſt reſilire, ne ex dolo commodum reportet, vt colligitur ex cap. 1. de eo qui duxit in matrimonio, & docent plurimi Doctores, quod eſt ſignum contractum nõ fuiſſe omnino inualidum. Quartò, Quia communis ſentẽtia Doctorum eſt, contractum ſtricti iuris, etiãſi dolus vel metus ei cauſam dederit, validum eſſe; doli tamen mali vel metus exceptione actionem elidi. & colligitur L. Dolo. 5. C. de inutilibus ſtipulationibus, & apertius Inſtit. de exceptionibus, initio. hoc autem falſum eſſet, ſi iure naturæ eſſet omnino irritus. quia quod iure naturæ eſt irritum, iure ciuili non poteſt eſſe validum, & tribuere actionem.

Poſſit irritari

Quòd autem poſſit irritari pro arbitrio decepti, patet: quia qui dolo inducit alterum ad contrahendum, iniuriam ei facit; ac proinde tenetur illum reſtituere in integrum, & reddere omnia infecta, ſi deceptus venit.

Deinde etſi dolus iſte non habeat eam vim vt reddat contractũ planè irritum, quia non tollit conſenſum ſubſtantialem; tamen tribuit ius recedendi a cõtractu, eiuſq; irritandi. Ita enim vſu omnium gentium receptum eſt, vt ſi quis deprehendat ſe penitus deceptum, nolit ſtare contractu, præſertim ſi res eſt adhuc integra. Vnde omnis contractus ſolubilis iure gentium videtur habere hãc tacitam conditionem, quòd contrahens ſtabit contractu; niſi deprehenderit ſe grauiter deceptum; id eſt, tali errore qui ſit cauſa contractus. Nemo enim ita intendit inhærere contractui, vt non poſſit retrocedere, etiamſi ex gratui errore contraxiſſet; quia defuit plenus cõſenſus: Itaque duplici iure poteſt talis contractus reſcindi, ratione iniuriæ, & ratione defectus conſenſus, qua parte ignorauit. Cùm autem metu extortus eſt, ſolùm ratione iniuriæ reſcindi poteſt, vt ſequenti dubit. dicetur. nam adfuit conſenſus ex parte cognitionis; ſed defuit plena libertas in conſenſu, idque per iniuriam.

30 *Deceptor tenetur ad eo ſtitutionem.*

Hinc ſequitur, Deceptorem teneri ad reſtitutionem rei & fructuum, etiamſi dominium tranſlatum fuerit; quia per iniuriam fuit cauſa alienationis: & deceptum poſſe vti occulta compenſatione, ſi aliter quod ſuum eſt, recuperare nequit.

31 *An iure poſitiuo ſint irriti.*

Sed difficultas eſt, vtrùm tales contractus ſint omnino irriti iure poſitiuo. Iuriſperiti ſic diſtinguunt; omnes contractus *bonæ fidei*, quibus dolus partis cauſam dederit, iritos eſſe: eos autem, qui vocantur *ſtricti iuris* (vt ſunt omnes, qui fiunt per formulam ſtipulationis & quidam alij) eſſe validos, & tribuere actionem in foro externo, ſed poſſe exceptione doli mali elidi. de quo vide Couarruuiam ad regulam Poſſeſſor. 2. p. §. 6. nu. 6.

Contractus bonæ fidei & ſtricti iuris.

Verùm, quidam hanc diſtinctionem reijciunt tamquã non ſatis in iure fundatam: & docent eamdem eſſe rationem contractuum bonæ fidei & ſtricti iuris: omnes enim aliquo modo validos eſſe, & poſſe exceptione doli elidi. Ita Ioannes Ignæus in L. Contractus. 23. ff. de reg. iur. nu. 150. Faber & Bellapertica apud Couarr. ſuprà. Hæc ſententia non eſt improbabilis, ſed meo iudicio valdè probabilis ſi rectè explicetur. Primò, Quia ſicut d. L. Dolo, 5. C. de inutilibus ſtipulationibus dicitur de cõtractu ſtricti iuris: *dolo vel metu adhibito, actio quidem naſcitur, ſi ſubdita ſtipulatio ſit, per doli mali tamen, vel metus exceptionem ſubmoueri petitio debet*: ita L. Si dolo. 5. Codic. de reſcindenda venditione dicitur de contractu bonæ fidei, *ſi dolo aduerſarij deceptum, venditionem prædij te feciſſe Præſes Prouinciæ adductus animaduerterit, ſciens contrarium eſſe dolum bonæ fidei, (quæ in huiuſmodi contractibus maximè exigitur) reſcindi venditionem iubebit.* itaque inſinuat contractum *bonæ fidei* non eſſe omnino nullum, ſed poſſe reſcindi. Nec obſtat Leg. 7. Et eleganter. ff. de dolo. vbi dicitur *nullam eſſe emptionem, ſi in hoc ipſo vt venderet circumſcriptus eſt*: tum quia ibi agitur de minore per dolum decepto vt venderet ſeruum, cuius contractus, quo talem rem abſque decreto Iudicis alienat, eſt planè nullus, vt patet L. 16. in cauſæ cognitione. §. Item relatum. ff. de minoribus: de quo infra dubit. 8. tum quia ibi agitur de emptione, cui cauſam dederat dolus tertij; quo caſu emptio in alijs non eſt irrita, etſi ſit irrita in minore, ob defectum decreti. Itaque hæc lex non probat talem contractum eſſe planè nullum.

Probatur Secundò, Quia quando metus dat cauſam contractui, non eſt omnino irritus, ſed *in irritum* reuocandus, vt dicemus dubit. 6. atqui metus & dolus in iure cenſentur paria L. Si dolo, ff. de inutilibus ſtipul. & cap. Cùm contingat. 28. de iureiurando. Tertiò, Quia id magis conſentaneum eſt iuri naturę, per quod tales contractus non ſunt omnino irriti, quamuis etiam non omnino validi. Quartò, Eſt magis expediens bono publico ad coercẽdos huiuſmodi deceptores, qui interdũ hac ratione capi poſſunt in altutia ſua, ſi is, qui deceptus fuerit, velit contractũ valere quando eſt ipſi vtilis. Ob has rationes ſentio eſſe verius; nullum eſſe diſcrimen hac ex parte in foro conſcientiæ inter contractus bonæ fidei & ſtricti iuris, cùm dolus cauſam dedit: ſed vtroſq; aliquo modo eſſe validos, & parere aliquam debilem obligationẽ iure naturæ in foro conſcientiæ, quę tamen dolo detecto poſſit elidi per eũ qui deceptus eſt: neque hanc obligationem Iure ciuili impediri. Idem colligi poteſt ex Cou. ad regul. poſſeſſ. p. 2. §. 6. nu. 8. vbi dicit: in foro cõſcientiæ non eſſe conſiderandam diſtinctionem contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris.

Nec obſtat, quòd talis contractus dicatur aliquando *irritus* vel *nullus*, vel *nullam vim habere*. rectè enim dicitur *irritus*. tum quia deceptor ex eo nihil ſolidi iuris acquirit, niſi alter illum ratificet; nam tenetur ad reſtitutionem in integrum, ante omnem ſententiam. tum quia in fauorem decepti eſt irritus. poteſt enim hic, vbi reſciuerit deceptionem, illum irritum reddere. & petere reſtitutionem rei traditæ: tum denique, quia in iure ſæpè dicitur irritũ, quod eſt irritandum, & contrà. Poteſt etiam dici *validus* non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, nempè in fauorem decepti; quia poteſt illum ratificare.

Quomodo d. cauſa irritus.

Vt autem hæc meliùs intelligantur. Notandum eſt contractus ſtricti iuris, quibus dolus cauſam dedit, iure ciuili dici validos; quia mero iure ciuili (vt diſtinguitur a iure Prætorio) non datur actio ad talis contractus reſciſſionẽ. aut ad vindicandum dolum deceptoris: cõtractus autem bonæ fidei dici irritos, quia illo iure datur actio ad reſciſſionẽ contractus, & doli vindicationem. Iure tamen Prætorio (quod eſt moderatio quædam iuris ciuilis) etiam datur actio ad reſciſſionem cõtractus ſtricti iuris, cui dolus cauſam dedit, & ita iure Prætorio etiam hic cõtractus eſt ſimili modo inualidus. Aequitas enim poſtulat vt poſſet reſcindi. Ita Couar. ſupra num. 6. ex Duareno, & alijs. Ex quibus patet, illam diſtinctionem ſolùm pertinere ad forum externum; & eſſe *irritum* ſeu *inualidum*, aut *validum*, nihil aliud eſſe quàm dari vel nõ dari actionem ad reſciſſionem contractus: & cùm dicitur *ipſo iure*, hanc clauſulam non intelligi more vulgari, neq; de iure ciuili in genere. ſed de iure ciuili primario & ſtricto, vt diſtinguitur contra ius Prætorium: quod multi non aduerterunt.

Deceptor poteſt cogi ad implendum contractum.

Ex hac ſententia ſequitur, Eum, qui deceptus eſt, poſſe cogere deceptorem ad implendum contractum; nec opus eſſe nouo conſenſu deceptoris; quia ex primo conſenſu manet obligatio: (obligauit enim ſe deceptor quantum potuit ex parte ſua) quæ non perit, niſi deceptus, cognita deceptione, reſiliat a contractu. Vnde ſi deceptor reuocet ſuum conſenſum, antequam alter reſiliat, non valet.

32 *An teneatur ratificare, volente deceptо.*

Petes, Vtrùm in altera ſententia, quæ tenet, contractus bonæ fidei, quibus dolus cauſam dederit, iure poſitiuo eſſe omnino nullos; obligetur deceptor in conſcientia contractum ratificare & implere, ſi deceptus velit? Multi Doctores docent, in conſcientia teneri ante ſententiam Iudicis.

cis. Primò, Quia, etsi contractus validus non fuit, tamen ex parte sua fidem dedit, quam debet seruare. Secundò, Quia iura ita statuerunt, non in pœnam dolosæ machinationis, sed ob naturalem æquitatem; quia bono communi ita expedit. quæ sententia est valde probabilis, eamque tenent Richardus in 4.dist.36. circa 3.principale, q.1. Sylu est. Matrimonium.8.q.2.§.Nonum. Nau.c.22.num.33. Molina disput.352.& alij.

Sed habet difficultatem: si enim non tenetur implere ratione contractus; ergo solùm ratione pœnæ: at nemo tenetur ad pœnam nisi post sententiam. Suppono non interuenisse damnum decepto; quod non sit aliter reparabile. si enim tale interuenisset tunc ratione damni sarciendi teneretur contractum ratificare & implere, vt si sponsam cognouisset.

Dices, Tenetur ratione iniuriæ. Contrà; Illa iniuria, si absit damnum, non est tanti; & facilè alia ratione ei satisfieri potest. Confirmatur, quia qui ficte contraxit, non tenetur, saltem sub peccato mortali, ratificare contractũ, si nullum incommodum secutum sit, vt infrà c.18.nu.61. dicemus: ergo neque qui dolo. Vnde valde probabile videtur, posita illa sententia non teneri ratificare contractum, saltem sub peccato mortali, nisi ratione damni secuti, vel ratione sententiæ iudicis. Ita sentit Conradus de contractibus q.57. Ioannes Medina.C.de restitut.q.33. Sotus in 4.d.35.q.vnica.art.2.

33 *Si iure non sit particeps doli.*

Superest vt dicamus de illo euentu, quo is, quicum contrahis, non est particeps doli; sed deceptus ex alterius, vel propria opinione. Quidam enim putant nunc adhuc contractũ esse irritum: Ita Conradus & Medina suprà. Ratio illorum est, quia deest consensus liber. nam quòd consentis, est ex errore inuincibili, qui facit inuoluntarium, Sed contrarium est verius, Vnde.

Est validus.

Dico Quartò. Talem contractum absolutè validum esse. Ita Glossa in c. Cùm dilecti, de empt.& vend. Bartolus in d.L.Et eleganter.ff. de dolo in principio. Couarr. reg. Possessor, p.2.§.6.n.6.& alij. Ratio est, quia non est error circa substantiam rei, sed solùm circa extrinseca; vt circa causas, quæ alliciunt vel auocant a contractu. vt Bartolus ait. & alias nulla interuenit iniuria partis. Accedit, quod nullus ius talem contractum irritum reddat. Vnde sequitur, eum, qui tali contractu aliquid consecutus est, non teneri ad restitutionem nisi contractus in irritum reuocetur; quia nullam iniuriam intulit.

Petes, An hic contractus, detecto errore, possit in irritum reuocari arbitrio eius, qui deceptus est?

Potest in irritum reuocari.

Resp. Si sit contractus gratuitus, vt promissio vel donatio liberalis, potest pro arbitrio reuocari, si dolus vel error circa motiuum ei causam dederit; quia in his spectãda est etiam intentio tacita & habitualis: nam ex sola intentione legem accipiunt, cùm omnino sint gratuita. deinde ad vitandas multas lites & perplexitates ita passim vsu est receptum. secùs tamen in voto, vt infrà c.40.d.2.dicemus. Si verò sit onerosus, maior est difficultas. quia hic contractus pendet etiã ex consensu alterius, qui talem conditionem nollet admittere. Deinde, quia vel tua opinione deceptus es, & sic tibi ipse imputare debes, quòd rem meliùs non examinaueris: vel dolo tertij, & sic in illum actionem habes, vt expressè habetur d.L.Et eleganter.7.ff. de dolo, & L.Si proxeneta 2.ff de proxeneticis.

Verius tamen puto, quandocunque error inuincibilis dedit causam contractui, & res adhuc est integra, eũ, qui deceptus est, vbi scierit veritatem, in cõscientia non teneri implere contractum; nisi forte per sententiam Iudicis cogatur. Patet hoc Primò, in contractu sponsalium, quem non tenetur deceptus implere simulatque cognouerit aliquid fuisse, quod si ab initio sciuisset, noluisset cõtrahere. Secundò, Quia si tale quid post contractum eueniret, non teneretur illum implere, eo quòd status rerum sit notabiliter mutatus. ergo etiam non tenebitur, si id, quod ab initio latebat, postea se aperiat. nam paria sunt, superuenire de nouo, & proferri in lucem, seu incipere cognosci. Tertiò, Quia alter non potest conqueri de iniuria, cùm tacita mens contrahentium sit, non obligare se ad implendum contractum, si se deceptos deprehendant: idq; confirmat consuetudo passim recepta. eadem conditio tacitè ex vsu omnium gentium intelligitur in promissione standi contractui, ciuitque non reuocandi. Si tamen inde alteri damnum obueniret, deberet alter compensare. Quando autem res nõ est integra, vt si contractus sit vtrinque vel altera ex parte completus; tunc est distinguendum; vel enim alter erat conscius vitij seu defectus, vel non erat: si non erat conscius, iura non concedunt rescissionẽ, sed solùm actionẽ quanti minoris, id est vt tanto minus soluas, quanti minoris, detecto vitio rem esses empturus. vt habetur L.13.ff. de actionibus empti, in principio; vt si *oues morbidas emisti, vel ligna combusta*. vt ibidem dicitur. quod non solùm in contractu empcionis, & venditionis, sed etiam in alijs permutationibus locum habet, vt constat L.18.in fine, ff. de ædilitio edicto. Sepositio tamen iure positiuo, puto posse rescindi, si deceptio est causa contractus, & circa rem magni momenti, in qua meritò non censetur voluisse consentire. Vide Syluestrum. Iuramentum.3.q.1. & Nauarrum ca.12.nu.13. de quo infrà cap.42.dubit.7.

Si dimidium partis obueniret.

Si conscius vitij.

Si autem is, qui tecum contrahit, conscius est vitij, contractus est irritus in tuũ fauorem, ita vt pro arbitrio tuo, detecto vitio, possis illũ irritare, vel confirmare. colligitur ex dicta L.13. Ratio est, quia tunc censetur particeps doli. nam tenebatur quasi ex officio, saltem iure positiuo, aperire tibi omnia occulta rei vitia. Hoc enim statuit L.1.ff. de ædilitio edicto; & colligitur etiã d.L.13. de actionibus empt. itaque si non fecit, contra iustitiam peccauit. vide Medinam, C. de restitutione q.34. Puto tamen, sepositio illo iure positiuo, illum ex iustitia ad hoc non teneri, nisi irrogatum, vt infrà c.21.dubitatione 11. dicetur.

Ad rationem Conradi & Medinæ, Respondeo; Illum consensum habere libertatem sufficientem ad essentiam contractus, vt patet in matrimonio, quod validum est, etiamsi decipiaris circa causas contractus. Ratio est. quia consentis hic & nunc in rem, quam nolli; error enim est circa aliquid extrinsecum. dicitur inuoluntarius solùm secundùm quid. ratione taciti dissensus, qui esset actu, si error abesset. quia tamen nec actu est, nec virtute, sed solùm habitu, non reddit irritum contractum. imò neque si actu esset, irritaret. quia solùm est simplex displicentia; nollem si scirem. Hic tamen error, & hoc inuoluntarium sufficit ad reuocandum contractum vel non implendum, vt dictum est.

34 *Libertas sufficiens ad contractum.*

DVBITATIO VI.

Vtrùm contractus, cui metus causam dederit, sit validus.

NOTANDVM est, *Metum*, alium esse *grauem*, alium *leuem*. *Grauis*, alius est *grauis absolutè*, alius *respectiuè*. *Metus absolutè grauis* est, qui cadit in constantem virum. Dicitur autem metus *cadere in constantem virum*, qui est alicuius mali, quod viro constanti est formidabile, eumque meritò commouere queat. talis est, Primò, Metus mortis. Secundò, Mutilationis. Tertiò. Atrocis cruciatus. Quartò, Longi carceris. Quintò, Diuturni exilij. Sextò, Seruitutis. Septimò. Stupri in viro vel femina. Octauò. Amissionis honorifici status. hæc omnia habentur, ff. Quod metus causa. & C. Eodem. Et in 1.decretal.eod. titulo. Nonò, Amissionis omnium bonorum, vel certè notabilis partis; nam sine his non potest commodè & honoratè viuere. Decimò, Infamiæ iuris, vel etiã facti, quæ difficulter possit abstergi; fama enim præfertur opibus, iuxta illud Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*. Vndecimò, Excommunicationis iniustæ. secùs si iusta sit. hæc enim facilè potest cauere, sublata contumacia. Duodecimò, Etiam metus grauis dicitur, si hæc mala liberis nostris timeamus, *quia pro affectu parentes magis in liberis terrentur*. vt habetur L. Ifti quidem. 8. in fine ff. Quod metus causa. Idem dicendum, si parenti vel vxori impendeat: quia hi etiam præ liberis diligendi. Imò idem videtur, si fratri, sorori, vel alteri, arctissimo amicitiæ vinculo nobis copulato: quia horum mala, nostra reputamus. Decimotertiò. Ad metum quoque grauem pertinet, metus reuerentialis, quo filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, vxor viri, Monachus Abbatis, Clericus Episcopi, nimirũ si hæc offensio putetur fore magna & diuturna, cũ asperitate vultus vel verborum, vel alia mala tractatione.

35 *Metus grauis seu cadens in constantem virum.*

Quorum mala.

Metus reuerentialis.

Item

Item ▪ parens vel alius, cui hæc reuerentia debetur, aliquid importunè & assiduè petat. Vnde non quiuis metus reuerentialis censetur grauis; sed ingens; vel si coniunctæ fiant minæ, vel timor malæ tractationis, vel preces importunæ, id est, vehementes & sæpiùs repetitæ: hæc enim, dum iunguntur illi reuerentiæ, quæ Superioribus deferri solet, æquiualent metui graui. Vide de his Couarruuiam in epitome 4. decretal. p. 2. cap. 3. §. 4 & Henriquez lib. 1. de matrimonio lib. 9. & nouissimè Sanchez lib. 4. de matrimonio disput. 5. 6. 7.

Respectiuè grauis.

Respectiuè grauis dicitur, qui est alicuius mali, quod etsi viro constanti non sit formidabile, tamen fœminæ, vel seni, vel puero, vel homini meticuloso, formidandum merito videtur: quod iudicio prudentum relinquitur. nam secundùm rectam rationem hi non minùs concutiuntur minoribus malis, quàm viri robusti & constantes; maioribus.

Respectiuè etiam grauis dici potest, quando malũ, quod timetur, maius est, quàm damnum, quod per contractum incurritur, vt ▪ muneris auferre æquum, nisi vendam tibi vestem. hic tamen absolute leuis est. His positis.

36 *Non est omnino irritus iure naturæ.*

Dico Primò, Contractus metu graui celebratus neque iure naturæ, neque etiã iure positiuo est omnino irritus, sed est aliquo modo validus. Prima pars, *quòd non sit irritus iure naturæ*, est communis ferè Doctorum sententia, Soti in 4. d. 29. q. 1. ar. 3. Richardi, eadem dist. circa 1. prin. quæst. 2. Palud. d. 15. q. 2. art. 5. & aliorum, qui tenent, tales contractus non esse irritos, sed irritandos. Probatur, si est omnino irritus iure naturæ, id prouenit ex defectu consensus, vel quia interuenit iniuria. non defectu consensus, quia qui metu coactus consentit, absolutè cõsentit voluntariè: omnibus enim consideratis, vult. Nec obstat, quòd illi volitioni iungatur nolitio: quia est solùm nolleitas, vt ita dicam; quia nollet, si timor mali abesset; quæ proinde omnino inefficax, cùm conditio non extet. Confirmatur, quia quando quis iustè cogitur, valet contractus; & tamen est simile inuoluntarium, & simile nolle.

Non etiam ratione iniuriæ. tum quia iniuria nõ est immediata causa contractus, sed consensus contrahentis, tum quia etsi iniuria possit esse sufficiens causa ad reuocandum consensum & contractum irritandum, nõ tamen est sufficiens, vt ipsum reddat omnino irritum, vt patet in contractu, cui dolus causam dedit, qui etsi iniuria interueniat, non tamen est iure naturæ irritus, sed irritandus, vt dictum est dubit. 5. nu. 29. & 31. Item cùm quis decipitur circa vel vltra dimidium iusti pretij.

Nec iure positiuo.

Altera pars, *quòd non sit omnino irritus iure positiuo*, est etiam ferè communis sententia Doctorum, vt docet Nauarrus, in cap. Accepta, oppositi. 5. nu. 7.

Probatur Primò, Instit. de exceptionibus in princip. *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus, stipulanti Titio promisisti quod non debueras promittere, pactum est, iure ciuili te obligatum esse; & actio, qua intenditur dare te oportere efficax est.* Vbi Glossa, *obligatum esse: scilicet inspecto iuris rigore; & efficax est, scilicet in sui substantia.* Secundò, Probatur Leg. Si mulier. 21. §. final. ▪. Quòd metus causa. *Si metu coactus adiui hereditatem, puto me heredem effici; quia quamuis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, sed per Prætorem restituendus sum, vt abstinendi mihi potestas tribuatur.* Tertiò, Ex Leg. vlt. Codic. de his, quæ vi, *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* ergo erant aliquo modo validæ. Idem probari potest ex L. 3. 5. 7. Codic. de his, quæ vi. & ex capit. 2. & 4. de his, quæ vi.

37 *Excipiuntur aliquot casus.*

Excipit tamen Glossa in capit. 2. de his, quæ vi. sex casus, in quibus metu facta sunt omnino irrita. Primus, Cõtractus matrimonij, etiam si iuramentum accedat vt communiter Doctores in cap. Cùm locum, & capit. Veniens. 2. de sponsalib. non tamen probo, quod Glossa addit, matrimonium ex metu esse irritum. qualiscunque metus ille sit; ex culpa, an sine causa. Verùs enim est. non esse irritum, si metus iure incutiatur. Secundus, Si dos promissa vel soluta sit per metum; quia est accessoria ad matrimonia. ▪. Quod met. causa. d. L. Si mulier. §. Si dos, Tertius, In rebus Ecclesiæ nõ tenet promissio vel traditio ex metu. 15. quæst. 6. c. 1. &c. Peruenit, de iureiurando. quia iure requiritur certa solennitas in rerum Ecclesiæ alienatione, de qua capit. Sine exceptione, 12. quæst. 2. & nos infrà capit. 14. dubitat. 10. Quartus, Si votum ex metu emissum; capit. 1. de his, quæ vi. Quintus, Iurisdictio per metum extorta non valet, L. 2. ▪. de Iudicijs. Sed contrarium est verius, Talem iurisdictionem validam esse. & ea, quæ ex ipsa sunt secuta. Colligitur ex Glossa in cap. Abbas 2. De his, quæ vi. vbi dicit, *quia generaliter ea, quæ metu gesta sunt, valent, nisi sint specialiter irrita.* Nec obstat d. L. 2. de Iudicijs, quia loquitur in casu speciali, quando iurisdictio conceditur vel prorogatur à partibus litigantibus, Iudici alicui, cui alias non sunt subiectæ, qui metu hoc ab illis extorquet: talis iurisdictionis collatio & prorogatio est irrita, & gesta ex illa, non valent. Sextus, Auctoritas tutoris per metum extorta, ▪. de auctorit. tutor. L. 1. §. vlt.

Iurisdictio metu extorta.

His addunt aliqui alios casus. Septimus ergo sit, Si spõsalia metu sint extorta. Sed verius videtur, ea non esse omnino nulla, sed more aliorum contractuum irritanda. caput enim Ex litteris, de desponsat. impuberum, quo illi nituntur, solùm probat, ea posse irritari.

Dices, Ergo ex illis oritur impedimentum publicæ honestatis.

Respondeo, Id posse concedi; nihil enim incommodi. potest etiam negari, quia quod ab initio est ita debile, vt meo arbitrio partus possit in irritum reuocari, censetur iure quasi irritum. Octauus, Promissio & donatio metu facta; quia hi actus debent omnino esse liberi, nam liberali donationi repugnat coactio.

Sponsalia metu extorta.

Sed verius est, hos actus non esse omnino irritos: non enim ad illorum subsistentiam requiritur maior libertas, quàm ad contractus onerosos. Neque donationi liberali proprie repugnat coactio. sed donatio onerosa. Cõfirmatur L. vltima. C. de his, quæ vi; vbi donationes cum contractibus onerosis dicuntur infirmandæ; non sunt ergo per se omnino irritæ. Nonus, Renuntiatio beneficij metu facta. Sed probabilius est, illam non esse omnino irritam, sed irritandam, vt docet Nauarrus in cap. Accepta. oppositi. 5. artic. 7. Vnde ipse infert. Primò, Renuntiantem non teneri ad Horas, sed eum, cui beneficium ex renuntiatione collatum est. Secundò, Renunciantem non posse ad titulum illius beneficij ordinari; quia non est ampliùs ipsius. Contrarium tamen in vtroque dicendum esset, si renuntiatio illa esset omnino irrita. quæ sententia etiam est valdè probabilis, vt ex eodem Nauarro patet.

Promissio metu extorta.

Renuntiatio beneficij.

38 *Possunt rescindi.*

Dico Secundò, Etsi hi contractus non sint omnino irriti, possunt tamen in foro conscientiæ rescindi, & in irritũ reuocari pro arbitrio eius, qui metum passus est, si metus iniustè incussus fuit ad contractum extorquendum. Est communis sententia Doctorum. Hinc passim in iure dicitur; *quæ vi & metu fiunt, debere in irritum reuocari. debere robore firmitatis carere.* cap. 2. & 4. de his, quæ vi. Ratio est; quia qui metum iniustè incussit, iniuriam alteri intulit; vnde tenetur illum in priorem statum restituere: & alterius habet exigendi hanc restitutionem.

39 *Si à tertio incussus.*

Dices, Hæc ratio benè probat, si metus tibi incussus sit à parte, cum qua contrahis; non autem si à tertio, ita vt pars non sit iniuriæ particeps. tũc enim non videris posse rescindere contractum, sed solùm habere actionem in tertium.

Resp. ▪ tunc potes rescindere. & rem tuam recuperare, vt patet L. Item si cũ exceptione 14. §. In hac actione, 3. ▪. Quod metus causa, vbi dicitur, *in hac actione non quæritur verum is, qui conuenitur, an alius metum fecit. sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim.* Idem colligitur ex cap. 1. 3. & 4. de his quæ vi. nam agitur de specie facti, in qua metus à tertio illatus est. Vtrùm autem id ex iure naturæ proueniat, an ex positiuo, non satis cõstat. Plerique Doctores videntur sentire, ex iure naturæ. ratione enim iniuriæ, rem manere obligatam priori domino; & consequenter, cum illo onere transire ad quoslibet. consensum enim per iniuriam extortum non transferre rem solidè & irreuocabiliter: sed eo modo, vt maneat ius in rem, & non tantùm in personam, quæ iniuriam intulit. par. n. non esse, vt quis per iniuriam alterius, ius omne in rem suam amittat. Confirmatur, quia ratione iniuriæ eadem res in pristinum statum est restituenda: ergo est obnoxia restitutioni, vbicumque fuerit. Hæc sententia est valdè probabilis, & etiam in eo, quod metu leui extortum

Vtrum iure naturæ possit irritari.

tum est,locũ habebit,vt statim dicemus : & quãdo dolus tertij dedit causam contractui,quia vtrobique interuenit iniuria,nisi ius ob bonum commune aliter disponat;sicut facit,quando neuter contrahentium est conscius vitij occulti,vt superiore dubitat dictum est. Crediderim tamẽ, eum, qui bona fide rem talem emit ignarus iniuriæ, quæ intercessit,non teneri ad restitutionem,nisi quando is,qui iniuriam passus est , in rem agere cœperit:quia consecutus est dominium rei,& ipse nullam iniuriam intulit.

Si ignarus sit iniuriæ tertij.

40 Dixi *si incussus fuit ad contractum eligendum*. quia si ob aliam finem incussus fuit,& ad illud malum euadendum contractus irritus, non potest rescindi. vt si captus a latrone promittas tertio,qui iniuriæ non est particeps 100. vt te liberet:tunc enim metus non est propriè causa contractus,sed solùm occasio:nec potest dici metu extortus, sed cùm iam metus ob aliam causam est iniectus,adhibetur contractus tanquam medium ad illum pellendum. itaque qui contractum tecum init,non infert metum, sed aliunde illatum aufert. vnde non meretur vt contractus ei rescindatur.

Si ob illum finem incussus metus.

41 Dixi *iustè*, quia si iniustè incussus fuerit, etiam ad eliciendum contractum,non potest irritari. Iustè incutitur, quando malum , quod minamur,iure inferre possumus. Sic qui cõtraxit spõtalia, metu excommunicationis , potest compelli contrahere matrimonium. cap.ex litteris.a de sponsalibus. qui violauit virginem , compellitur eam dotare vel ducere:qui promisit aliquid,ne accusaretur de crimine,de quo iure poterat,tenetur . Ratio est,quia hi contractus non possunt irritari, nisi ratione iniuriæ, quæ abest, quando metus iustè incuti poterat. Sylu.v.Metus. q.6. Angelus ibid.nu.10.& alij.

Si iustè.

42 Petes, Quid si ei,qui minabatur accusationem, nõ erat animus accusandi,sed solùm terrendi;poteritne id,quod sic extorsit,retinere? Videtur non posse; quia dolus dedit causam cõtractui.noluisset enim aliter dare,nisi fuisset deceptus. Deinde quia dedit,vt deponas animum . quẽ non habes;itaque titulus non subsistit. Vnde Molina disputat. 514 docet,eum,qui poterat in iudicio repetere amissa iudo prohibito, posse quidem seriò comminari repetitionẽ,& ne vtatur hoc iure, pacisci cum illo, vt partem lucri restituat;tamen si fictè minatus fuerit,non posse retinere,quod extorsit. Hæc sententia est probabilis.

Si non erat animus ipse vendi malum, sed terrendi tantum.

Verius posse retinere.

Contrariam tamen credo veriorem, quam tenet Sanchez libro quarto de matrimonio, disputatione 9. Ratio est;quia etsi non habeat animum,habet tamen ius accusandi,eoque iure vti potest ; quod ius est pretio æstimabile;sive habeat animo eum vtendi, sive non Itaq. si aliquid des vt eo iure non vtatur, poterit id retinere . Nec obstat,quòd dolus dederit causam contractui , ac proinde ille contractus videatur irritus;iuxta ea,quæ dub.5.diximus:quia non est dolus malus seu iniustus , de quo illa sunt intelligenda;sed iustus.nam iustè poterat minari accusationem,sive haberet animum,sive nõ. Neque tu præcisè deberis vt deponas animum,sed si reipsa non accusset; & iure accusandi cedat: quorum vtrumque ille præstat : potest ergo pro eo aliquid accipere. Idem dicendũ, cùm quis minatur tibi repetitionem eorum , quæ perdidit . sive enim ex animo minetur,sive fictè,potest retinere quod tu hac de causa dederis ; quia das vt cedat iure repetendi,& vt reipsa non repetat.

43 Dices, Multi Doctores docent , supradictos cõtractus esse inualidos , defectu consensus & voluntarij : atqui dum metus iustè incutitur sæpè non minùs inuoluntariè consentit, quàm dum iniustè;ergo.

Qui iustè cogitur consentire voluntarius moraliter.

Respondeo, Si physice res consideretur, nõ minùs inuoluntariè consentit,qui iustè cogitur, quàm qui iniustè. vterque.n.consentit repugnante voluntate,tum per simplicem affectũ molitionis,tum per dolorẽ animi, moraliter tamen loquendo,is qui iustè cogitur,nõ cẽsetur inuoluntariè consentire,quia voluntarie causam metus & coactionis dedit: vnde timor ille mali non censetur extrinsecus inferri,sed ab illomet nasci,ac proinde cõsensus inde secutus non censetur inuoluntarius;cùm sit omnino voluntarius in sua causa. Qui verò iniustè cogitur,censetur inuoluntariè consentire;quia causa metus non est illi voluntaria,nec ab ipso ortum habuit;sed solùm à causa extrinseca. Vnde consensus inde secutus, quatenus à causa extrinseca oritur,cẽsetur inuolũtarius . Hoc modo intelligi,quando Doctores dicunt, ad contractus requiri *consensum liberum: & coactionem* repugnare libertati contractuum : loquuntur enim de contractibus firmis , qui non possunt pro arbitrio partis irritari , & *de coactione* a causa extrinseca,non habente ortum ab intrinseco. *Liberum* vocant,non coactum a causa extrinseca,seu per metum iniustum,& dolo non inductũ. si enim cogaris a causa iusta, id non officit libertati cõtractuum. Simili modo intellige cap.Cùm locum. 14. de sponsal. vbi dicitur, *Ibi locum non habet consensus , vbi metus & coactio intercedit*. loquitur. n. de consensu qualis solet requiri in contractibus , vt firmi sint,& de *coactione iniusta*. Et illud in regulis Iuris , *Nihil consensui tam contrarium, quàm vis & metus.*

Liberum.

Coactum.

Consensus.

Ex his patet Primò,Omnes emptiones , venditiones , transactiones,concessiones,promissiones,donationes,contractus,& distractus,seu contractuum rescissiones, & generaliter omnes cõsensus, per metum grauem iniustè extortos , posse in irritum reuocari , & quidquid ex illis est secutum . 44 *Cõsectaria 5.*

Secundò,Eum,qui ex huiusmodi contractu,vel cõsensu aliquid est consecutus;teneri ad restitutionem,sive ipse,sive alius metũ intulerit. Ratio est,quia qui metum intulit , ratione iniuriæ tenetur omnia in pristinum statum restituere ; ac proinde reddere , quod consecutus est. qui autem rem habet , & non fuit particeps iniuriæ , tenetur saltem ratione iuris positiui , quo non solùm datur actio in personam,quæ iniuriam intulit,sed etiam in rem , apud quemcumq; existat;vt expressè habetur L.9. §.Sed quod. & §.Volenti, ff. Quod metus causa . Imò valdè probabile est,teneri etiam iure naturali,vt supra num.39. ostensum est ; quamvis fortè non ante rescissionem contractus , si bona fide processit.

Tertiò,Si non pateret alia via illius recuperandæ, priorem dominum posse eam occultè surripere ; vel si id non daretur,vti occulta compensatione,sicut in alijs debitis . quomodo etiamdum res aliqua mihi promissa est,si illam aliter consequi nequeo, possum iuxta probabilem sententiam, mihi occultè consulere.

Occulta compensatio.

Quartò,Non posse in irritum reuocari id,quod ex metu iustè illato actum est;quia nulla iniuria interuenerit,ratione cuius hęc potestas rescissionis competat.

Aduerte tamen,si nimis grauis sit obligatio,vel res,quã metum inferens exigit,& non habeat proportionem cum iure,quo ipse cedit,malum intentatum remittẽs, vel cum opera,quam præstat,malum aliundè impẽdens auertens; posse consensum reuocari,quo ad illum excessum,vt contractus ad æqualitatem reducatur.vt si ne accusem te furti, vel alterius communis , exigam maiorem partem bonorum;si dum hostem fugis,vt concedam latebras; petam a te aliquem contractum valdè damnosum . In his enim aliqua proportio & æqualitas seruanda est:prout prudentia determinabit;quæ si excedatur,committitur iniustitia: ac proinde tenetur alter ad restitutionem;quam si non fecerit,potest læsus vti occulta compensatione; alia via recuperandi non suppetente. 45 *Si nimis grauis obligatio exigatur.*

Quintò, Nihil referre in foro conscientiæ , virùm alter reuerà malum inferre cogitauerit,an non;si tu seriò apprehendisti periculũ tibi impendere, & ideò consensisti animo repugnante ; id est, nullo modo consensurus, nisi tale malum apprehenderes. Ratio est; quia malum non causat metum,nisi quatenus apprehensum. vnde sive reuera impendeat,sive non impendeat;si eodem modo cõcipiatur, eumdem metum concitabit, easdemque vires habebit ad consensum extorquendum . In foro tamen externo non admittitur hæc exceptio metus, nec datur actio ad rescindendum,nisi iusta ratione conceptus fuerit; quia aliàs nõ præsumitur fuisse causa consensus; imò non putatur fuisse verus metus , sed simulatus. *Si falsò putaui illi malum impendere.*

Quæ hactenus dicta sunt, intelligenda de metu graui, qui vocatur metus cadens in constantem virum. Idem de metu reuerentiali , cui coniunctæ sunt minæ tacitæ vel expressæ , aut timor diuturnæ aut grauis offensionis : hic enim meritò grauis a Doctoribus censetur,vt suprà diximus .

Nunc difficultas superest de metu leui, quo vir cõstans permoueri non solet ; quia L. Metum, 6. ff. quod metus causa, dicitur, *metum vani hominis non esse spectandum . sed eum , qui in constantissimum cadit* . & ff. de regulis Iuris , 46 *De metu leui.*

Vanus

Vani timoris nulla eſt excuſatio. Vnde etiam in foro externo non datur reſciſſio actus, qui per metum leuem extortus eſt.

Acta per metum leuem iniuriosum, possunt rescindi.

Reſpondeo & dico Tertiò, Etſi ea, quæ per metum leuem acta ſunt, ſint aliquo modo valida, nec in foro externo admittatur exceptio huius metus, nec detur actio ad reſcindendũ contractũ, tamen in foro cõſcientiæ, poſſunt in irritum reuocari, & quæ tradita ſunt repeti. & qui ea obtinet, tenetur reſtituere: ſi metus ille per iniuriam ad illa extorquẽda ſit incuſſus. Ita Syluester v. Reſtitutio 2. dicto 7. Nauarr. cap. 17. num. 15. vbi dicit, *in foro conſcientiæ idem eſſe, ſiue iuſto metu conſenſerim, ſiue minore, dummodo coram Deo ille fuerit cauſa principalis conſenſus. Cauſam principalem* vocat, quæ ſola, vel præcipuè impellit, & mouet animum ad conſenſum. & capit. 22. nu. 51. §. Septimum, *Ad reddendum actum inefficacem coram Deo, ſufficit quilibet timor, etiam minor iuſto, modo ſit cauſa, ſine qua non, ſaltem principalis eius.* vbi etiam matrimonium & votum ex metu leui, videtur velle eſſe inualidum, de quo infrà cap. 40. dub. 1. Adrianus tract. de reſtitut. dub. 5. in fin. vbi loquitur de omnibus tranſactionibus. Sotus in 4. d. 29. q. 1. ar. 3. vbi docet, omnes contractus, præter votum & matrimonium, quocumque metu notabili factos, reſcindi. Idẽ tenet Couarruuias reg. Peccatum 2. p. §. 3. num 7. & paſſim recẽtiores. Probatur Primò, Quia ſæpè metus leuis, id eſt, minoris mali, non minus perturbat hominem, & impellit nolentem ad conſenſum, quam metus mali grandis, cadens in virum conſtantem: ergo ſi hic tribuit poteſtatem reſcindendi contractum, etiam ille. Secundò, Quia quod hoc metu obtinetur, per iniuriã obtinetur, atqui id, quod per iniuriam comparatum eſt, obnoxium eſt reſtitutioni: vt enim fiat æqualitas, debet reſtitui ei, à quo ablatum eſt. Tertiò, Qui metu cogitur, priuatur per iniuriam ſua libertate: ergo debet in priſtinum ſtatum reſtitui, vt liberè probet vel improbet contractum, & ipſe ius habet hunc ſtatum ſibi aſſumendi, & quæ geſta ſunt confirmandi vel irritandi.

47 *Matrimonium ex metu leui.*

Hic tamen. Primò, Excipe cõtractum matrimonij; qui per metum leuem, iuxta veriorem ſententiam, non eſt irritus; vnde nec irritari poteſt, cum ſemel validè initus, ſit inſolubilis.

Probabile eſt metum iure naturæ inualidum reddere actum.

Altera tamen ſententia, coram Deo tale matrimonium irritum eſſe, eſt probabilis, eamque tenet Nauarrus ſuprà, & aliqui recentiores, quam eſſe ſatis probabilem affirmat Thomas Sanchez lib. 4. de matrimonio, diſput. 17. num. 4. Imò coguntur eam tenere, ſi ſibi conſtare velint, omnes qui ſentiunt metum grauem iure naturæ matrimoniũ irritum reddere, vt Couarruuias in 4. p. 2. c. 3. §. 5. num. 6. D. Bonauent. in 4. d. 29. q. 1. Scotus ibid. q. vnic. Gab. in ſuppl. eadem diſt. q. 2. a. 2. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 7. in prin. & alij multi, quorum ſententia eſt valdè probabilis. Si enim metus grauis iure naturæ matrimonium irritum reddit, id prouenit ex eo, quòd adimat libertatem illi contractui neceſſariam: atqui ſæpè metus leuis non minus adimit; ergo ſimiliter irritabit. Sed quia contrarium fundamentum eſt probabilius & verius: nempe ſolo iure poſitiuo id fieri; verius etiam eſt, matrimonium metu leui non reddi inualidum.

Secundò, Excipe votum, Etſi enim probabile ſit, votũ metu iniurioſo factum, iure naturæ eſſe inualidum; tamẽ contrarium eſt verius, vt infra cap. 40. dubitatio quinta, dicemus.

48 *Confeſſaria prætia. Ex metu reuerentiali acta.*

Ex dictis ſequitur Primò, Ea, quæ ſolo metu reuerentiali acta ſunt, poſſe reſcindi; & eum, qui inde commodũ percepit teneri ad reſtitutionem. Ita Siluester Reſtitutio 2. dicto 7. & v. Metus. q. 12. Nau. ſupra. & c. 17. nu. 152. Petrus Nauar. l. 3. de reſtit. c. 1. num. 332. & alij. quia hic metus, etſi nõ ſit grauis, tamen eſt iniurioſus & cauſa actus. vt ſi filius non audeat vllo modo cõtradicere patri, aliquid promittat, donec, vel alicui iuri renuntiet, animo repugnãte; quamuis aliud malum nõ timeat, parens enim, qui ſua auctoritate filij libertatem veluti oppreſſam tenet, obligatur ex iuſtitia, in huiuſmodi actibus eã laxare, vt pro ſuo arbitrio eligat quod placuerit: vnde ſi non fecerit, iniuriã infert; & teneatur ad reſtitutionem eius, quod per talem conſenſum conſecutus eſt.

Secundò, Si vxor conſentiat in aliquem contractũ mariti, vel promittat aliquid vel fideiubeat, quia non audet contradicere marito, timens iurgia & auſterum cõuictũ poſſe illam reuocare conſenſum, & eos qui inde aliquid acceperunt ad reſtitutionem teneri. Patet ex iiſdem auctoribus. Ratio eſt, quia iniuriam patitur, dum eius libertas ſic impeditur, & cogitur.

Preces importunæ.

Tertiò, Ea, quę per preces importunas ab aliquo obtẽta ſunt, voluntate illius repugnante, & ſolum ad repellendam moleſtiam illam concedente reſtituenda eſſe. Syluester ſupra, dicto nono. Nauar. cap. 16. nu. 17. Thomas Sãchez lib. 4. de Matrimonio, diſput. 10. vbi citat plurimos auctores pro hac ſententia. Ratio eſt, quia iniuriã facit, qui tali modo aliquem affligit. *Preces* enim *importunæ* dicuntur, quibus aliquis vehementer & crebrò vrget, cum ingenti moleſtia eius, qui rogatur. Si ergo hic, vt illam moleſtiam depellat, & ille finem vexandi faciat, conſentiat; conſenſus ille per iniuriam videtur elicitus, ac proinde reuocari poteſt.

Duplex limitatio.

Hoc tamen dupliciter ſentio limitandum. Primò, Vt is, qui huiuſmodi precibus vrgetur, non poſſit illam importunitatem alia ratione, minore incommodo repellere. ſi enim poſſet facilè aliter repellere, non videretur conceſſiſſe inuitus, nec per iniuriam quaſi coactus. vt cũ officia vel beneficia aliquãdo à Principibus vel Prælatis improba ſollicitatione obtinentur. non enim omnino inuiti cõcedunt, (quia ſi vellent, facilè petentes coercerẽt) ſed ex parte tantùm. nec volunt videri coacti. Secundò, Vt is, à quo ſic extortum eſt, maneat inuitus, & putetur cupere vt fiat reſtitutio. multi enim etſi inuiti concedant, vbi tamen ſemel conceſſere, vel non cupiunt fieri reſtitutionẽ, vel facillimè condonant. Ad rationem ex iure allatam.

49 *Leges ſolum denegant actionem.*

Reſpõdeo; Illis legibus non approbari cõtractus metu leui initos, nec vllum robur illis dari; ſed ſolum actionem in foro externo denegari ad eos reſcindendos, idque meritò. Primò, ne lites in immenſum excreſcant; facile enim talis metus incidere & probari poteſt. ob quam cauſam non conceditur actio ex dolo, niſi dederit cauſã cõtractui, vel niſi deceptus ſis vltra dimidium iuſti pretij. Secundò, quia quando metus leuis eſt, non præſumitur cauſa actus, ſed liber conſenſus. Si quis tamen enormiter læſus eſſet, poſſet officium Iudicis implorare, etiamſi metus grauis non fuerit.

DVBITATIO VII.

Vtrùm contractus per ſe inualidi confirmentur iuramento.

HÆc quæſtio eſt valdè perplexa apud Iureconſultos; de qua tractat fusè Couarruuias in cap. Quamuis pactum, p. 2.

50 *Quid ſit iuramentũ eſſe validum.*

Notandum eſt, non eſſe idem, *Iuramentum eſſe validum* & *iuramentum confirmare contractum.* ſed habent ſe vt magis & minus commune. Iuramentum enim *validum* dicitur, quandocumque eſt ſeruandum ob honorem diuini numinis, etiamſi ei, in cuius fauorem fit, nullum ius per illud acquiratur. *Confirmat contractum.* quando non ſolum ſeruandum eſt, ſed etiam alteri, in cuius fauorem fit, ius tribuit, & contractũ in ſua ſpecie validum efficit. Hinc fit, vt etiamſi iuramentum relaxetur, maneat tamen obligatio iuſtitiæ ex contractu, quæ tranſit ad hæredes, ſicut & Ius alterius ad hæredes tranſmittitur. Panorm. c. Cum contingat, num. 8. de Iurciur.

Quando confirmare contractum.

Nunc duo nobis potiſſimum ſunt explicãda; prius eſt, quando iuramentum oppoſitum contractui cenſeatur validum, quando non: alterum eſt, quando confirmet contractum, quando non.

Quod ad prius attinet, vt ſciamus quando iuramentum eſt validum, quando non; Notandæ ſunt duæ regulæ.

Quando ſit validum. 1. regula.

Prima eſt, Quando id, quod iuramento alicui promittitur, ſine vllo promittentis peccato ſeruari poteſt; iuramentum ordinariè eſt validum & ſeruandum. intellige, ſi ille, in cuius fauorem factum eſt, illud ſeruari velit, & aliàs legitimè non relaxetur.

Secunda eſt, Quando id, quod promittitur, ſine peccato promittentis ſeruari nequit, iuramentum eſt inualidum & irritum. vtraque apertè colligitur capitu. Cùm

contingat, de Iureiurando. vbi dicitur, *seruari debere huiusmodi iuramenta*. (quæ fiunt super contractu iure ciuili non obligante) *sine vi & dolo sponte præstita; cum in alterius præiudicium non redundent, nec obseruata vergant in dispendium salutis æternæ*. Idem habetur c.2.de pact. in 6. Vnde à contrario sensu colligitur, non esse seruanda, si obseruatio vergat in dispendium salutis. vergit autem, si est peccatum mortiferum, aut veniale. Idem colligitur ex illa regula Iuris, *Non est obligatorium iuramentum, contra bonos mores præstitum*. Quod intellige de *bonis moribus naturalibus*, vnde homo dicitur bonus; & quorum contrarium est peccatum: non de *ciuilibus*, quos tantum expedit esse in Republica, vt benè sit ordinata politice. Ratio prioris regulæ est; quia honor & reuerentia diuinæ maiestatis (quã iuramento in testẽ adduximus) postulat, vt efficiamus verũ esse, quod promittimus; (si modò id licite fieri potest) ne illum testem falli faciamus. Posterioris ratio est; quia nemo obligari potest ad peccatum, id enim contradictionem implicat.

Contra bonos mores.

Petes, Quid si vi, vel alia iniuria extortum sit?

11 Respondeo breuiter (nam plura de hac re dicenda infra c.42. dubit.6.& 7.) Si dolo extortum sit, ita vt dolus dederit causam contractui, cui iuramẽtum apponitur, communis sententia DD. est esse inualidum, nec egere relaxatione. Ratio est; quia iuramentum non confirmat incognita, sed solũ ea quæ cognoscuntur. cadit enim super actum prout apprehenditur. vnde iurans non tenetur, nisi prout bona fide apprehendit. Confir. Primò, quia iuramentum non additur, vt non possit occurrere fraudi ignotæ, sed ne violet contractum spectatum prout bona fide est initus. Cõfirm. Secundò, quia omnis promissio standi contractui, vel non reuocandi (loquor de contractu, qui natura sua est solubilis) habet ex vsu recepto & iure gentium hanc tacitã conditionem, nisi deprehendero me deceptum, vt suprà c.5.nu.29. dictum est. semper enim excepta censetur iniuria ignota. quare eamdem conditionem retinet iuramentum, cum sequatur naturam actus cui apponitur, vt infra nu.52. ostendetur. Idem dicẽdum quando error inuincibilis dedit causam contractui; quia hic etiam habet tacitam conditionem, vt supra ostensum. Vnde docent DD. iuratẽ non obligari ad ea quæ si cogitasset, excluisset, aut noluisset comprehendere. ita Bar. L. si quis pro eo. nu.15.ff. de fidemisso. & Panorm. c.1. Cum contingat. 28. nu.3. de Iureiur. ex Ioanne Andr. &c.

Si vi seu metu extortum sit, etsi plurimi DD. putent esse inualidum, verius tamen est, validum esse, cum plenus consensus adfuerit, nec habeat tacitam aliquam conditionem. Etsi enim alter nullum ius ex eo consequatur; tamen honor Dei postulat, vt seruetur quod promissum est, quãdo sine peccato seruari potest. Confirmatur ex cap. Debitores. de Iureiur. vbi dicitur, eum, qui iuramento promisit soluere vsuras, teneri. vide plura infra cap.42. dub.6.& 7. Potest tamen hoc etiẽ peti relaxatio iuramenti. (quam Episcopus, vel alius habens priuilegium dispensandi in iuramentis absque præiudicio tertij, dare potest) & tunc non tolui, vt patet d. cap. Debitores, & c. Si verò, de Iureiur. ad quod intimandum in d. cap. Cum contingat, dicitur, *iuramenta sine ex & dolo sponte præstita*. esse seruanda; quia si dolo præbita sint, non obligant: ita vt aut metu, potest peti relaxatio: & tunc possunt nõ seruari: Si autem sine vi vel dolo; non potest; & ita *omnino seruanda sunt*, (vt notanter dicitur d. cap.2. de pactis) id est, ita vt non possit dari dispensatio quod intelligo, nisi culpa fuerit in promissario; ad hanc enim puniendam potest Superior Iuramentum promissoris relaxare. item nisi præstitum ab impubere; tunc enim potest irritari. Potes etiam, quando vis vel dolus interuenit, satisfactre momentanea solutione, quandocumque enim habes ius repetendi, si iurasti soluere, teneris quidem soluere, vt impleas, quod iurasti: sed potes mox repetere; quia ius repetendi habes, & contrarium iuramento non promisisti. Potes etiam ab Episcopo petere relaxationem vt non soluas; quia hoc nõ censetur in præiudicium tertij, dum est animus repetendi.

Quando interuenit metus, potest peti relaxatio.

Manet tamen solutio.

12 Dixi in 1. regula *Ordinariè*, quia excipiuntur aliquot casus, quibus iuramentum de re alioquin licita, non obligat. Primus est. Quando Ius irritum reddit non solum contractum, sed etiam iuramẽtum appositum. sicut Concilius Tridentin. sess.25. cap.16. de regular. irritam reddit omnem renũtiationem & dispositionem nouitij, etiã iuratam; nisi facta sit cũ licentia Episcopi, vel eius Vicarij, intra duos menses proximos ante professionem: & statuit vt etiam tunc non possit effectum sortiri, nisi secuta professione. Secundus est, Quando iuramẽtum factum est in fauorem tertij, sed nemo acceptauit. vel saltem non valide acceptauit; nec alias factum est in modum voti. Ratio est; quia Iuramentum sequitur naturam & qualitatem actus, super quem cadit: vt communi consensu Doctores docent. *Accessorium enim sequitur naturam principalis*. & colligitur apertè L. vltima, C. de non numerata pecunia. ibi Barto. num.1. & alij. Hinc fit, vt quando actus aliquis, vel ex iuris dispositione, vel ex recepta consuetudine, vel ex agentis intentione, tacitam aliquam conditionem includit; eamdem quoq; includat iuramentum actui appositum; nisi agens, contrarium intendat. Itaque cum promissio facta absenti non obliget, nisi ab ipso vel ab alio eius nomine validè acceptetur, & sub hac conditione semper fieri censeatur; etiam iuramentum huic promissioni appositum non obligabit ante acceptationem; nam eamdẽ conditionem includit. quare reuocari pro arbitrio poterit, ne acceptetur. Ita tradunt multi Doctores quos refert & sequitur Sancius lib.1. de matrimonio. disputat.7. numero 24.

Iuramẽtum sequitur naturã actus.

Dices, Deus acceptauit Iuramentum: ergo non potest reuocari.

Respondeo, Negando antecedens. Deus enim iuramẽtũ promissorium, factum in fauorem hominis, non acceptat, nisi quatenus homo illud acceptat. vnde etiã remittente homine, remittit Deus: quia hoc iuramentum hanc tacitam conditionem includit, *Si acceptetur, si non remittatur*, &c. Dixi, nec *aliàs factum sit in modum voti*; quia tunc obligat initar voti, etiamsi ab homine promissio non acceptetur: acceptatur enim à Deo; vt timores te non lusurum alea, aut ingressurum Religionem, &c. tunc enim promissio censetur dirigi in Deum, & præterea confirmari iuramento: vnde est votum iuramento confirmatum.

13 *Quomodo Deus acceptet Iuramẽtum.*

Idem dico, etiamsi tale iuramentum non accipiatur vt promissorium, seu vt propriè vim habens voti; sed vt assertorium de bono opere faciendo, vel malo vitando. Etsi enim tali ratione non intendat homo aliquid quidquã promittere, intendit tamẽ se in bono proposito firmare, quod propositum Deus acceptat, & cupit impleri. quare cum non desit vlla conditio tacita necessaria ad obligandum, implendum est, ne Deum facias testem falsi. Secus, si quid adiaphorum, vel quod maius bonum impediat, iurueris. quia tale propositum Deus non acceptat. Vnde desit cõditio necessaria, nimirum, si Deo gratum est.

Tertiò excipiuntur omnes illi casus à plerisque DD. in quibus actus aliquis prohibetur, seu irritus decernitur principaliter ob fauorem publicum: de quibus infra numero 55.

Ex prædictis regulis sequitur Primò, Inualidum esse iuramentum Clerici, quo renuntiat priuilegio fori, promittens se compariturum coram iudice sæculari. Ratio est; quia sine peccato id exequi non potest; cum sit illi prohibitum, vt apertè habetur cap. Si diligenti, de foro competenti. Secundò, Inualidum esse iuramentum, quo vir iurat vxori, se non accusaturum illam de vllo crimine: quia fieri potest vt teneatur illam accusare. vnde capit. Quemàdmodum, de iureiurando dicitur, tale iuramentum *esse temerarium*; nempe quia iuratur id, in quo potest esse peccatum.

14 *Confectaria due.*

Primilegij fori renuntiatio facta à Clerico.

Iuramẽtum de non accusando.

Petes, An iuramentum hoc valeat, saltem quamdiu non committitur crimen, in quo teneatur accusare?

Videri possit valere: quia obligatio videtur diuidua. nõ enim solum intendit se obligare ad celanda ea, quæ sunt contra bonũ publicum, sed etiam ea quæ ipsum priuatim lædunt. vnde etsi respectu illorum nõ possit se validè obligare, tamen obligatio manebit valida, quatenus se extendit ad ea quæ fieri possunt. Sicut si Titius iurauit seruare secretum in omnibus quæ illi dices; etsi non teneatur seruare in his, quæ vergunt in damnum publicum, vel tertij, in alijs tamen tenetur: quia obligatio est diuidua, & vtile non debet per inutile vitiari.

Respon. Fateor obligationem esse diuiduã, nisi ipse intẽ-

tenderit se tantum obligare ad omnia coniunctim, ita vt si non teneretur, vel non posset omnia celare, nollet obligari ad singula seorsim, tamen ex alio capite videtur irritum hoc iuramentum, si intelligatur de crimine committendo, nimirum quia tali promissione inuitatur coniux ad peccandum, & remittitur dolus futurus, contra L. Si vxus 27. §. Illud. & §. Pacta. ff. de pactis. Vnde est peccatū tale quid promittere, & promissionem non rescindere: quare non potest iuramentum accedens esse validum. Secus si agatur de crimine iam commisso, aut de accusatione ciuili ad diuortium. Vide Panormitan. in cap. Quemadmodum. 28. de iureiur. num. 14. vbi fusè hanc distinctionem tractat. Tertiò, Quotiescumque ius prohibet aliquem actum tamquā illicitum, eumque punit, iuramentum de eo faciendo appositum est irritum; vt cum prohibetur exportatio frumenti, vel auri, &c. tum quia hæc censentur illicita, saltem ciuiliter: tam quia sunt prohibita immediate propter bonum publicum: tum quia nullum vinculum priuatum potest hominem obligare contra legem publicam, etiamsi illa lex nō obligaret nisi ad pœnam. Ob eamdem causam quidam volunt irritum esse iuramentum prodigi, cui interdicta est bonorum administratio, quo ille confirmat aliquem contractum. Ita Bartolus in L. Is cui bonis, 6. nume. 7 ff. de verb. obligat. vbi pro hac sententia citat Iacobum de Arena, & quemdam magnum Canonistam. & in addit. citatur Angelus, Baldus, Ancharanus, &c. alij dicunt esse irritum, qui præsumitur carere iudicio. ita Couarr. in cap Quamuis pactum. par. 2. §. 3. numer. 11. quam rationem etiam affert Bartolus & alij. Verius tamen credo, etsi hoc iuramentum non confirmet contractum, non esse irritum. Ratio est, quia non prohibetur ei administratio ob fauorem publicum, vel tamquam illicita, sed ob priuatum: at quando lex aliquid decernit irritum ob priuatum commodum, nō inducit obligationem peccati, etiamsi vtatur verbis in personam directis, quibus ei aliquid mandet vel vetet. vt rectè Couarr. supra. §. 2. nu. 14. ergo hac ex parte nihil obstat iuramēti vinculo. Secus tamen si ob commodum publicum. tunc enim obligat sub peccato pro grauitate materiæ, vt vult Couar. Deinde etsi ipsi aliquo modo contractus esset prohibitus sub peccato, non tamen ideo teneretur illam semel factum rescindere. hoc enim ei non est præceptum. ergo etiamsi non possit sine iuramento obligari ad alienandum; poterit tamen obligari vt alienationi iam factæ non contraueniat. Idem dicendum, quotiescumque præceptum legis dirigatur ad personam, ita vt ei aliquam obligationē imponere intendat. iuramentum enim non potest contra legis publicæ obligationem, quamuis ea peccatū non contineat, vinculum injicere. quia omnis lex iusta ad bonum publicum pertinet. hoc modo sustineri ex parte potest doctrina Bartoli in d. L. Is cui bonis, num. 7. & in L. Si quis pro eo. 56. num. 9. ff. de fideiussorib.

Si ius prohibeat.

Iuramētum prodigi.

Ex his patet iuramentum semper esse seruandum & egere relaxatione, nisi vel iure sit irritum, vel desit tacita conditio, vel sit de re illicita, vel sit contra aliquam legem, aut alia aliqua ratione sit contra commodum publicum.

55 Restat alterum, quod nobis erat explicādum. nimirum, Quando iuramentum confirmet contractum, quando nō. Bar. in d. L. Si quis pro eo. ff. de fideiuss. & mādator. assignat decem regulas, quæ ferè ad duas reduci possunt.

Quando confirmet contractum. Regula 2.

Prior est, Quando actus aliquis principaliter prohibetur iure ciuili ob priuatam vtilitatem alterius contrahentium, confirmatur iuramento, nisi vis aut dolus interuenerit.

Altera est, Quando actus prohibetur principaliter ob fauorem publicum, non confirmatur iuramento, imò iuramentum est inualidum, ita vt non egeat relaxatione.

Prior regula est recepta ab omnibus. eiusque complura adferam exempla infra numer. 56. Ratio est, quia quisque potest renuntiare quod in suum fauorem est introductum; iuramentum autem accedens sequitur actum cōsideratum secundum suam primordialem naturam, vt supra numero 26. dictum est. quare cum actus secundum naturam suam seposito iure ciuili sit validus, confirmabitur iuramento.

Altera regula etiam à plerisque comprobatur, & ratio eius petitur ex cap. Si diligenti. 13. de foro competenti. & L. Ius publicum. 38. ff. de pactis. quibus locis dicitur, non posse ius publicum pactis priuatorum tolli. Sed discrepantia est inter DD. assignandis exemplis; satis enim obscurum est, quando aliquid sit prohibitum primario ob obnum publicum, quando ob priuatum. Vnde multa exempla quæ a Bartolo adferuntur, ab alijs refutantur. vt patet apud Couar. in capit. Quamuis pactum. par. 2. §. secundo, & tertio. Adferam tamen aliqua in quibus minus est dubitationis.

Primum sit, iuramentum Clerici, quo renuncians foro suo promittit se compariturum coram iudice sæculari. ca. Si diligenti suprà. Sed hoc iuramentum potius est inualidum. quia de re illicita, vt quæ redundet in ignominiam ordinis Ecclesiastici, vt supra dictum est.

Exempla vbi iuramentum irritum.

Renuntiatio fori.

Secundum, iuramentum metu extortum appositum matrimonio metu contracto, vel sponsalibus similiter metu contractis. Talia enim sponsalia & matrimonia esse prohibita ob fauorem publicum: eo quòd odia lites, pugnę, quibus Respubl. perturbatur, ex huiusmodi sequerentur: ac proinde iuramentum accedens esse inualidum. Sed hæc iuramenta alia ratione possunt censeri inualida. Iuramentum enim appositum tali matrimonio; vel ita intelligitur, vt velis inhærere illi matrimonio absque nouo consensu; & sic est omnino illicitum; ac proinde inualidum: quia cum matrimonium illud fuerit nullum propter metum, opus est nouo consensu. iuramentum enim nō supplet defectum consensus, qui ex natura rei est necessarius. Deinde hoc iuramentum habet ex natura rei tacitam conditionē, nempe si liber adfuit consensus; qui cum non adfuerit, cessat obligatio iuramenti defectu conditionis. Vel intelligitur, vt velis inhærere adhibito consensu nouo requisito, & sic est promissio sponsalium. est tamen irritum tale iuramentum. Nam enim obligaret, teneberis contrahere matrimonium inutile. nam matrimonium metu contractum est irritum. Illud autem metu contrahetur. nam iuramentum est metu mortis iniustè extortum; cuius iuramenti violandi metu cogeris contrahere. vnde metus mortis erit causa contractus. quod enim est causa causæ, est causa causati. at qui is qui exigit hoc iuramentum, non intendit matrimonium inualidum, sed validum. ergo hic deest tacita conditio. nempe hæc, *si matrimonium metu contractum sit validè*. Quòd autem tale iuramentum sit irritum, colligitur ex c. Ex litteris. 11. de desponsat. impuber. vbi sponsalia metu contracta & iurata à puella duodenni iudicantur irrita. & docet Caietan. v. Periurium. cap. 3. Arragon. 2. 2. quæst. 89. art. 7. Sancius lib. 4. de matrimon. disputat. 21. num. 3. & alij multi.

Matrimonium metu contractum.

Aduerte tamen contrariam sententiam, scilicet, hoc iuramētum esse validum & requirere absolutionem, esse valde probabilem, eamque tenet Silu. v. Sponsalia. nume. 6. in fi. & aliqui alij. quia res est licita quę promittitur. sed quod diximus, est verius.

Tertium est iuramentum, quo quis cogitur confirmare votum aut professionem metu extortam. id enim inualidum est, eo quòd tale votum sit prohibitum ob fauorem publicum. ita Sancius supra. Sed dici potest hoc iuramentum esse irritum ob defectum tacitæ conditionis, nimirum si adfuit liber consensus. Hunc enim ex natura rei requirit professio. quare cum hic defuerit, cessat obligatio iuramenti defectu conditionis.

Votum, professio.

Quartum, iuramentum quo Clericus confirmat donationem factam cōcubinæ. id enim est inualidum, quia hæc donatio prohibita est fauorem publicæ vtilitatis & honestatis. ita Couar. in c. Quamuis pactum. p. 2. §. 1. nume. 12. adductis multis Doctoribus.

Idem dicendum de iuramento militis, quo confirmat donationem a se factam meretrici, ob eamdem causam; & colligunt Doctores ex L. Miles. 41. §. Mulier. ff. de testamē. militis. Verus tamen puto, tale iuramentum donationi iam factæ appositum, egere relaxatione. Secus, si appositum promissioni donandi. vt colligitur ex dictis nume. 54. in fine.

Vide alia quædam exempla magis dubia apud Couarr. loco citato. & §. 3. Nam vt supra dictum est, non potest probari talia iuramenta non egere absolutione, nisi opus sit illicitum, vel contra legem, vel contra bonum publicum, &c.

Vt autem melius intelligatur, quando iuramentum confirmet contractum, quando non, assignari possunt duę illę regulæ.

56 *Alia regula. 1. regula.*

Prima ſit, Quando actus iure naturæ eſt irritus, vel irritari poteſt, non confirmatur iuramento: quamuis iuramentum regulariter ſit ſeruandum, ſi id, quod promittitur non eſt illicitum. Prior pars eſt communis Doctorũ. Omnes enim fateatur, teſte Couarruuia, contractum iure naturæ irritum non confirmari iuramento; vt quando vi vel dolo extortus eſt, tunc enim ratione iniuriæ tenetur extortor ad reſtitutionem. vnde nullum ſolidum ius acquirit; & qui iurauit, ratione iniuriæ poteſt petere iuramenti relaxationem. Altera pars euidenter patet ex duabus regulis initio poſitis, ex iure Canonico.

Dixi *regulariter*, quia ſi dolo extortum ſit, aut contra legem, non eſt ſeruandum, nec eget vlla relaxatione, vt ſupra dictum eſt.

2. regula.

Secunda regula ſit, Quando actus talis eſt, vt ipſe vel promiſſio illius ratificandi, vel non reuocandi, inducat obligationem naturalem, confirmatur iuramento; etiamſi alias iure ciuili ſit irritus, vel in irritum reuocabilis, modo vis vel fraus non interceſſerit: ſi verò nec ipſe nec promiſſio illa inducat obligationem vllam, ne naturalem quidem, vel ſi vis aut fraus interuenerit, non confirmatur iuramento; eſt tamen hoc iuramentum ſeruandum, niſi relaxetur. Hæc regula conſtat duabus partibus; quæ vt intelligantur.

Dupliciter iuramẽtum poteſt addi contractui.

Notandum eſt, Dupliciter poſſe iuramentum addi contractui. Primò, Si iures te promittere, donare, vendere, &c. & hoc modo non confirmat contractum, nec vllum ei robur tribuit: quia non eſt iuramentum promiſſorium, ſed aſſertorium tantum eius, quod fit. Vnde non minus poteſt contractus reuocari, quam ſi tale iuramentum additum non eſſet. Secundò, ſi iures te ſemper contractum ratum habiturum, nec vmquam reuocaturum. & hoc modo intelligi debet iuramentum, vt confirmet contractum. Ratio prioris partis eſt. Si enim ipſe contractus inducit obligationem naturalem, manifeſtum eſt confirmari iuramento: quia iuramentum aufert omnia remedia iuris & facti, quibus illa obligatio poterat elidi; & ſic manet omnino firma, & irreuocabilis. Hoc modo confirmantur omnia pacta nuda, & omnia alia, quibus ius neque aſſiſtit neque reſiſtit, de quibus ſupra hoc eodem capit. numero 14. 17. 21. & 25. Denique omnes illi contractus, qui iure ciuili non ſunt omnino irriti, ſed datur ſolùm poteſtas elidendi actionem & ius alterius. Si autem contractus ſit omnino irritus, promiſſio tamen non reuocandi poteſt inducere obligationem naturalem, cum hæc iure non ſit irrita. vnde ſi huic promiſſioni accedat iuramentum, confirmat illam: & conſequenter contractus ille reuocari nequit ſine iniuria. nam promiſſio non reuocandi, ius tribuit alteri vt contractus non reuocetur: quod ius ſit omnino firmum iuramento. Aliam rationem attuli ſuprà numero 26. ſed hæc eſt clarior.

Probatur & explicatur prior pars regulæ. Pacta inducentia obligationem naturalem.

Exempla in quibus contractibus. Contractus minoris. Donatio inter coniuges. Promiſſio in ludo. Fideiuſſio mulieris. Contractus minoris de re immobili.

Exempla, vbi contractus inducit obligationem naturalem, ſunt; Primò, Contractus minoris, præſertim de re mobili, ſine auctoritate curatoris. de quo infra numer. 65. Secundo, Donatio inter patrem & filium nondum emancipatum; inter maritum & vxorem; de quibus capit. 18. numero 88. & 90. Tertiò, Promiſſio ſoluendi & non repetendi, quod credito vel ludo veritò ludens amiſeris. De quo infra capit. 26. numero 26. & 27. Quartò, Fideiuſſio mulieris facta etiam inſtrumento publico. infra cap. 28 nume. decimoſeptimo.

Renuntiatio ſucceſſionis.

Vbi non inducit obligationem naturalem; Primò, Contractus minoris, quo alienat rem immobilem vel mobilẽ, quæ ſeruando ſeruari poterat, abſque auctoritate iudicis. hunc enim irritum eſſe, nec naturaliter obligare, colligitur ex L. 7. 21. & 15. C. de prædijs minorum. iuramento tamen confirmari poteſt Leg. 1. C. Si aduerſus venditionem. nam promiſſio non reuocandi obligat naturaliter. Secundo, fideiuſſio mulieris ſine iuris ſolemnitate. de quo infra cap. 28. num. 17. His adde exempla ſequentia, ſiue contractus ſit irritus, ſiue non: nam ea res valde eſt perplexa apud Iuriſconſultos; & probabile eſt quando contrahentes ſunt habiles, & adeſt vtrimque plenus conſenſus, contractum inducere obligationem naturalem, etiamſi ſolemnitas iuris non ſeruetur; de quo infra cap. 19. nu 33. Itaque Tertium ſit. Renuntiatio futuræ ſucceſſionis in paterna hæreditate, cap. 2. de pactis, in 6. de qua vide multa apud Couarru. de pactis, p. 3. §. 3. & 4. Quartò, Alienatio fundi dotalis, aut rei donatæ propter nuptias, facta abſque iudicis auctoritate. cap. Cum contingat, de iureiur. Quintò. Promiſſio inſtituendi hunc hæredem. Sextò, Promiſſio non reuocandi teſtamentum. Septimò, Promiſſio ſoluendi 100. in pœnam, ſi teſtamentum mutetur. De quibus vtribus promiſſionibus infra cap. 19. num. 95. Octauò, Donatio facta abſque inſinuatione vltra 500. ſolidos. Nonò, Donatio omnium bonorum, præſentium & futurorum, de quibus capit. 18. num. 96. Decimò, Promiſſio pœnæ ſponſalibus adiectæ, ſoluendæ ab eo, qui reſiliet. etſi enim hæc promiſſio fortaſſis ſit prohibita: (vt videtur colligi poſſe ex cap. Gemma, de ſponſalibus. vbi dicitur *huiuſmodi pactio merito improbanda*) tamen ſolutio ſeu impletio promiſſionis, prohibita non eſt: ſicut nec receptio rei, quæ ſoluitur. imò videtur inducere obligationem naturalem. nam is cui hæc mulcta ſoluta fuerit, non tenetur ad reſtitutionem ante ſententiam Iudicis, vt poſt alios docet Sanchez libr. 1. de matrimonio, diſput 32. numer. 21. quod ſignum eſt aliquod ius per talem promiſſionem acquiri; ergo accedente iuramento confirmatur.

Alienatio fundi dotalis. Promiſſio nõ mutandi teſtamenti, etc. Donatio omnium bonorum. Promiſſio pœnæ in ſponſalibus.

Aduerte tamen ſi ſolum iurauit ſoluere, non intendens ſibi adimere ius repetendi, quod ei per leges conceſſum eſt; tenebitur quidem ſoluere. poterit tamen poſtea vti iure ſuo in repetendo; imò ſi habet animum repetendi, poterit petere diſpenſationem, ne teneatur ſoluere quia hoc caſu ſolutio eſt parui momenti; ac proinde non ſoluere, non cenſetur eſſe in præiudicium tertij; vt ſuprà numero 51. dictum eſt.

Si habens ius repetendi, iuranus ſoluere.

Contraria tamen ſententia, hanc promiſſionem pœnæ non confirmari iuramento, imò hoc iuramentum eſſe irritum, eſt probabilis; quia plurimorum Doctorum, quos refert & ſequitur Sanchez lib. 1. de matrimonio diſput. 32. nume. 21. Ratio tamen, qua id probant, non videtur ſolida. putant enim non ſolum promiſſionem eſſe peccatũ; (quod tamen certum nõ eſt) ſed etiam ſolutionem: eò quòd promiſſor dum ſoluit, videatur promiſſionem ſuam approbare. Sed hoc neceſſarium non eſt. promiſſor enim ſoluendo non magis approbat promiſſionem, quam promiſſarius ſolutum acceptando. hic tamen acceptando & retinendo non peccat; vt ipſi fatentur. Deinde ſi per ſolutionem approbatur promiſſio, numquam poteſt quis teneri ex promiſſione prohibita; quod conſtat eſſe falſum. dixi, *modò vis aut fraus non interceſſerit*; quia tunc non confirmatur iuramento; ſiue dicatur obligatio naturalis orta ex cõtractu tali, ſiue non; vt patet ex dictis num. quinquageſimoprimo, & quinquageſimoſexto.

Poſterior pars regulæ.

Ex dictis patet poſterior pars regulæ aſſignatæ. quando enim actui nulla prorſus ſubeſt obligatio; non habet locum confirmatio illius: non enim confirmatur, niſi quod aliquam vim habet, etſi valde debilis ſit & infirma. Deinde vbi nulla eſt obligatio, ibi nullum eſt ius in altera parte: atqui vbi nullum eſt ius, nulla fit iniuria, etſi actus reſcindatur. itaque relaxari poteſt vinculum iuramenti; (quia per hoc nulla iniuria irrogatur tertio) & tunc actus reſcindi. Ante tamen illius relaxationem, omnino ſeruandum eſt. propter honorem diuinum; quia abſque ſalutis diſpendio ſeruari poteſt.

Contractus pupilli.

Exempla ſunt: Primò, Contractus pupilli, etiamſi pubertati ſit proximus: vt cum habet decem annos cum dimidio, ſi ſit mas, vel nouem cum medio ſi fœmina. hic enim contractus, quamuis ſit de bonis caſtrenſibus vel quaſi caſtrenſibus, iure eſt irritus, iuxta multorum ſententiam, quam ſequitur Couarruuias de matrimonio. p. 1. cap. 5. §. 2. nume. 4. & Molina diſputat. 130. & 261. & multi alij, eſtque valdè probabilis, ob multa iura, quibus ſignificatur pupillum non contrahere obligationem. Vide §. Nunc admonendi. Inſtitut. quibus alien. licet. Promiſſio quoque nõ reuocandi talem contractum irrita eſt ob eamdem cauſam: vnde per eam nulla inducitur obligatio; quæ accedente iuramento poſſit confirmari. itaque poterit tale iuramentum relaxari vel irritari: quia id non cedit in iniuriam tertij. Couarruias loco citato, docet poſſe iuramentum illud relaxari ob facilitatem illius ætatis; quia præſumitur deceptus.

Aduerte tamen, contrariam ſententiam (pupillum contrahere obligationem naturalem, & conſequenter eius contractum iuramento confirmari) eſſe probabiliorem, vt erudite oſtendit Sanchez libr. 6. de matrimonio, diſputatio.

tatio. 38. quæstio.2. de quo plura infrà dubitatio 8.

Contractus prodigi.

Secundò, Contractus prodigi, cui datus est curator, *hic enim non potest promittendo obligare, & ideo nec sacramentum interponere potest pro eo*; vt expresse dicitur L. Is cui bonis. 6. ff. de verborum obligation. Iuramentum tamen est seruandum nisi relaxetur, vt supra probabilius esse diximus.

Promissio irrita.

Tertiò, Omnis promissio, quæ prorsus est irrita, ita vt nullam obligationem pariat; vt est omnis promissio de re prohibita, aut quæ non est in potestate promittentis. quare cum de multis promissionibus fit quæstio, vtrum inducant obligationem naturalē; vt de promissione instituendi hunc hæredem, non reuocandi testamentum, soluendi certam summam, si testamentum mutatum fuerit, & similes; probabiliter teneri poterit, licitum esse petere dispensationem iuramenti, quod tali promissioni apponitur. Idem dicēdum de promissione, metu vel fraude extorta.

57 *Actus contra prius iuramentum.*

Petes Primò, Vtrùm actus, qui fit contra iuramentum antea præstitum, sit validus, maximè si iuramento muniatur; Siue, Vtrum iuramentum confirmet contractum, vel actum contra prius iuramentum? De hac re agit Couarruuias in c. Quamuis pactum, p.2. §.2.

Respōdeo, & Dico Primò, Si actus ille, qui fit cōtra iuramentū, talis sit, vt per se sine iuramento factus, sit validus; manet validus, etiamsi in eo committatur periurium. Ita Couarruuias supra numero quinto, & alij Doctores passim. Ratio est, quia iuramentū prius, contra quod agitur, solum facit vt non possit contra fieri absque periurio; non autem trāsfert dominium, aut reddit inhabilem ad actum contrarium per se validum, qui suum robur à iuramento non debet accipere. Patet exemplis. Qui sponsalia contraxit cū aliqua, eaque iuramento confirmauit, valide postea contrahit matrimonium cum alia. c. Sicut. 22. de sponsalibus. Qui aliquid cum iuramento vendidit Caio absque traditione; si postea vendat & tradat Titio, hic actus est validus. vt colligitur L. Traditionibus. 20. C. de pactis. & L. Quoties. 15. C. de rei vindicatione. Qui iurauit non reuocare testamentum, non reuocare procuratorem, validè posteà reuocat. Qui iurauit tibi conferre beneficium, validè alteri confert. Si Canonici iurarunt edito statuto, se non aucturos numerum Canonicorū si posteà auxerint, valet. Nec contrarium dicitur capit. Dilecto. 25. de præbendis. quia solum dicitur eos id non posse facere, nempe licitè, quia contra Iuramentum: non autem esse irritum si faciant: vt notat Panormitanus ibidem. non enim hoc iuramento se priuarunt iure augendi.

58 *Actus iure inualidus nō confirmatur iuramento cōtra prius iuramentum.*

Dico Secundò, Si actus ille, qui contra prius iuramentum fit, per se absque iuramento sit inualidus, non potest confirmari iuramento contra prius iuramentum. Couarruu. supra, & alij quos ibi citat. Ratio est, quia iuramentum, in quo est periurium, non potest firmare cōtractum per se inualidum. Item iuramentum posterius non potest obligare contra iuramentum prius. Exemplum: Si mulier iurauit se non alienaturam res dotales, aut donatas propter nuptias, & postea alienet, non valet alienatio, etiamsi eam iuramento confirmet, vt docet Glossa in ca. Licet. 2. de iure iurando in 6. quia per se iure est irrita, nisi fiat auctoritate Iudicis, vt patet L. Iulianus. 5. ff. de fundo dotali. & Authent. Siue à me. C. ad Senatus consultum Velleianum: & periurio non potest cōfirmari. Si maritus iurauit se non donaturum vxori, & postea donet, addito iuramento de non reuocando, non confirmatur donatio; quia donatio per se inualida, non potest robur accipere à periurio.

59

Dices, In iuramento non reuocādi illam donationem, non est periurium; quia ante non iurauit se donationem (si contingeret eam facere) reuocaturum.

Respondeo, Non iurauit id expresse; censetur tamē id tacitè iurasse, dum iurauit non alienare. ex vi enim huius iramenti, tenetur reuocare alienationem, si potest. vnde si postea iuret se eam non reuocaturum, cum tamen potest item habeat reuocādi, facit contra prius iuramentum, & ita committet periurium, non solum donando contra prius iuramentum; sed etiam iurando non reuocare. Secus quando contractus, qui fit contra prius iurameutum, per se est validus, nec potest reuocari. tunc enim etsi contrahendo fiat periurus; nō tamen iurando non reuocare.

Contractu eiusdem rationis.

Denique quando actus contrarij sunt eiusdem rationis, si prior est validus, secundus huic contrarius est inualidus, etiamsi iuramento muniatur: vt si promittam tibi rem, quam antea alteri promisi, vel Deo vouí. Sic sponsalia iurata cum secunda, non obligant contra prima simplicia. Ratio est, quia promissio posterior non potest mandari executioni sine peccato; fieret enim cum iniuria eius, cui prior facta est. vnde etiam est inualida per se, etsi non sit contra vllum iuramentum. Idem dicendum de venditione secunda, facta contra primam; nisi in secunda facta sit traditio. tunc enim transfertur dominium. idem de donatione, vt colligitur ex dictis supra capite tertio, dubitatione tertia.

DVBITATIO VIII.

Quinam possint contrahere.

RESPONDEO, Generatim omnes qui habēt administrationem bonorum, posse contrahere, quatenus illa administratio se extendit: nam administratio magna ex parte in contractibus consistit. qui verò carent administratione, non possunt: nisi ex consensu eorū, quibus subsunt. Sed præcipua difficultas est de pupillo & minore.

60 *Minor & pupillus.*

Dico Primò, Minor, & pupillus pubertati proximus possunt sine auctoritate curatoris, vel tutoris valide contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum: non enim possunt sine auctoritate eorum, quibus subsunt, aliis validè & efficaciter obligari, quāuis possint, alios sibi obligare. est communis sententia Doctorum, & habetur expresse Inst. de author. tutor. initio, vbi post pauca dicitur, *Placuit, meliorem quidem suam conditionem (pupillum) facere posse, etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem verò non aliter, quàm cum tutoris auctoritate. Vnde in his casibus, ex quibus obligationes naturā nascuntur, vt in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis, si auctoritas tutoris non interueniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur, at ipsi vicem pupilli non obligantur.* Idem habetur Insti. de inutil. stipulat. §. Pupillus vbi etiam additur, hoc intelligendum de *pupillo pubertati proximo*, id est, qui habet ætatis decem annos cum medio, si mas est: vel nouem cum medio, si femina. ante hoc tempus dicitur *infans*, vel *infantiæ proximus*; nec præsumitur Iure satis habere iudicij ad contrahendum. *Infantia* durat vsque ad annum ætatis septimum completum. *Pubertas* verò incipit masculis in termino quartidecimi; feminis duodecimi. Vnde intra hos terminos constituti, quando sunt propinquiores termino in quo incipit pubertas, quam in quo definit infantia, dicuntur proximi pubertati; & præsumuntur Iure habere sufficiens iudicium ad alterum sibi per contractum obligandum. ita docet Glossa in d. §. Pupillus. v. Infantiæ proximus. Inchoata pubertate, definit ætas pupillaris, & incipiunt vocari *puberes* & *minores* vsque ad annum vigesimumquintum expletum: post quod tempus vocantur *maiores*.

Pubertati proximus qs dicatur.

Infantia. Pubertas.

Idem intelligendum de contractu *pupilli* vel *minoris cum maiore*. Si enim minor cum minore, vel habente priuilegium minoris, contrahat, non illum sibi obstringit; quia eodem priuilegio vtitur. Secus de maiore. Vnde dici solet, contractum maioris cum minore claudicare; quia *solum ex altero latere est obligatio*, vt Iure consultus ait L. Iulianus. 13. §. Si quis a pupillo. ff. de actionib. empti. Porrò statuerunt hoc Iura in fauorem illius ætatis: *vt minoribus, ætas in damnis subueniret, & in prosperis rebus non obesset*, vt habetur L. Non eo minus, decimoquarto, C. de procurator.

Petes, Vtrum nullo modo. & in nullo contractu obligentur.

61

Respondeo & dico Secundò, In contractu, quo alienāt vel oppignerant propria auctoritate, rem aliquam immobilem vel mobilem pretiosam, quæ seruādo seruari queat, nullo modo obligantur: in alijs verò probabilius est obligari ex contractu naturaliter, non tamen ciuiliter; possunt tamen hanc obligationem beneficio restitutionis in integrum elidere, & ita non obligantur validè seu efficaciter.

Prior pars, est ferè communis sentētia Doctorum: nam

In quib. contractibus nõ obligetur naturaliter.

Requiritur decretum.

ad alienationem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ pupilli vel minoris, requiritur non solùm auctoritas tutoris vel curatoris, sed etiam decretum Iudicis; alioquin est irrita, vt patet ex multis iuribus, ff. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt. sine decreto non alienãdis, vel suppo nendis. & L. 7. 11. 15. C. de prædijs minorum. Itaque si tale aliquid alienauit sua auctoritate, nullo modo obligatur; ac proinde potest non implere cõtractum: & si impleuit, rem suam repetere, absque beneficio restitutionis. hoc enim beneficium non est necessarium, nisi quando contractus fuit validus, saltem quoad obligationem naturalem inducendam. maior quoque, cum quo contraxit, tenetur, etiam ante sententiam, rem acceptam restituere, volente minore aut eius curatore: quia per contractum, nullũ ius acquisiuit.

An maior teneatur restituere.

Vbi tamen aduertendum est, maiorem non teneri restituere ante sententiã iudicis, nisi minor restituat pretium, quod accepit. si enim nolit pretium restituere, poterit maior iure retentionis, aut compensationis rem retinere; vt docet Sarmiento, de restitutibus p. 1. cap. 2. nu. 6. nam Iure naturali tenetur alter pretiũ restituere. imò ad hoc quoque tenetur iure ciuili, quatenus ex eo factus est locupletior, vt patet ex L. 1. ff. de auctor. tutor. Quòd si non sit factus locupletior; vt quia amisit vel consumpsit, Iure ciuili non tenebitur, sed solùm obligatione naturali; quam obligationem potest excutere, vtendo beneficio restitutionis in integrum, & cogendo maiorem ad restitutionem rei venditæ. per sententiam Iudicis; qua sententia posita, tenebitur eam reddere, amisso pretio; vt omnes Doctores docent. de quo infra dub. 9. Si tamen dolo pupilli res perijt, datur actio aduersus illum vt soluat: quia cum sit doli capax, tenetur de dolo. habetur expresse L. vnica, C. de reputationibus, quæ fiunt in iud. &c.

In quib. naturaliter.

Altera pars, *In alijs contractibus priuata auctoritate factis, probabilius esse, minorem obligari naturaliter*, est plurimorum Doctorum, Bartoli, Pauli, Angeli, Saliceti, Fulgosij, Azonis, Alexãdri, Decij, Cornei, & aliorum, quos citat & sequitur nolter Sanches, libr. 6. de matrimonio, disput. 38. num. 21. Item Ant. Gomezij, de restit. minorum nu. 1. Nauarri lib. 4. consi. 39. num. 11. de sponsalib. Lopez 1. p. cap. 124. & Molinæ disput. 224. Cordubæ in Summa, quæst. 155. Primò, Quia fideiussor minoris obligatur etiam ciuiliter, vt colligitur L. fi. ff. de Iureiur. & L. Marcellus. 25. ff. de fideiussoribus. ergo obligatur ipse minor, saltem obligatione naturali. Consequentia patet, quia cõmunis sententia Iurisperitorum est, principali nullo modo obligato, non obligari fideiussorem; deficiente enim principali obligatione non valet accessoria, vnde vt fideiussor teneatur, requiritur vt principalis saltem naturaliter obligetur. L. Cum lex. 46. ff de fideiussoribus & mandatoribus & L. Naturaliter. ff. de condict. indebit. Secũdò, L. Si pupillus. 21. ff. ad L. Falcidiam, aperte indicatur, pupillum ex mutuo accepto, contrahere, *obligationem naturalem* reddendi. & L. 1. ff. de Nouat. *illum obligari naturaliter*, si sine tutoris auctoritate promiserit. similia habentur multis alijs textibus.

Fideiussor.

Mutuum.

Habens à minore.

Hæc sententia tãquam probabiliore supposita; etsi minor non possit resilire à contractu Iure ordinario, seu spectata conditione contractus: potest tamen Iure extraordinario, seu priuilegio restitutionis in integrũ, & hac ratione dicitur non obligari ex tali contractu: quia non obligatur efficaciter, sicut maior, cum possit hanc obligationem naturalem, beneficio Iuris ciuilis eludere. Hoc modo intelligenda sunt alia Iura, dum habẽt, pupillum & minorem sine auctoritate tutoris vel curatoris non obligari, vt fusè ostendit Sancius ex multis Iurisperitis. Potest tamẽ tutor vel curator pro suo arbitratu rescindere contractum: quia ipsi commissa est administratio.

Ex his sequitur. Eum, qui à pupillo & minore habet aliquid per contractũ, vel donationem, ad cuius alienationem non requiritur decretum, nõ teneri ad restitutionem ante sententiam Iudicis. etsi enim pupillus & minor non possint transferre dominium per talem actum, secuta traditione; id impedite Iure ciuili: vt aperte habetur §. Nũc admonendi, & §. fi. Inst. it. Quibus alien. licet. tamen obligatione naturali tenentur stare contractu, & rem illã alteri tradere, & traditam permittere possidere: vnde alter Ius habẽs, vt hoc sibi fiat, potest eam retinere, donec per remedium restitutionis iubeatur restituere. ita Sanches sup pra, & Molina disputat. 224 & sequen. & consentiunt omnes auctores, qui admittunt in minores obligationem naturalem: obligatio enim naturalis tribuit creditori Ius retinendi & cõpensandi, vt Iurisperiti docent ex L. 3. §. Pupillus. ff. de negot. gest. & L. Etiam quod. 6. ff. de compensat.

Contraria sententia non est probabilis.

Aduerte tamen, Alteram quoque sententiam esse valdè probabilem, nimirum ex nullo contractu pupilli vel minoris vllam obligationem nasci, & iuxta illam posse rem traditam mero iure absque beneficio restitutionis repetere: & alter tenebitur eam ante omnem sententiam restituere. in hanc propendent plerique Theologi. Si tamen accesserit minoris iuramẽtum, nec ipse poterit repetere, nec alter tenebitur restituere, vt constat ex dictis supra dubitatio. 7.

62 Si iuramento non firmetur.

Circa prædicta, sunt Notanda tria. Primò, Eũ, qui contra it cum minore, etsi nõ possit resilire, potest tamẽ nolle implere contractum, nisi minor ante procuret consensum curatoris, vel decretum Iudicis, in euentu, quo illud est necessarium; vel nisi iureiurando confirmet cõtractũ: quia alioquin exponeret se periculo damni; & minor, si hæc recuset, non videtur agere bona fide.

Castrensia: Quasi castrensia.

Secundò. Prædicta intelligẽda de bonis minorũ, quorum etsi habeant dominium, non tamen habent administrationem vt sunt hæreditaria, & alia, quæ neque castrẽsia, neque quasi castrensia sunt. nã de castrẽsibus & quasi castrensibus possunt omnino valide contrahere absq; auctoritate eorum, quibus subsunt: quia horum non solum habent dominium, sed etiam administrationem. Si tamen grauem læsionem senserint, possunt vti beneficio restitutionis, vt infra dicetur.

Etiam alijs quibusdam euentis claudi dicat contractus.

Tertiò, quòd dictum est supra, Contractum pupilli & minoris cum maiore claudicare, etiam locum habere in quibusdam alijs casibus. Primò, In cõtractu Ecclesiæ, quorem immobilem vel mobilẽ pretiosam, quæ seruari poterat, sine debita solemnitate alienauit. Ecclesia enim est instar minoris. hic enim cõtractus est irritus ex parte Ecclesiæ, vnde ipsa potest resilire si velit; alter tamen, cum quo contraxit, non potest, si Ecclesia nolit, & curet eum debito modo ratificari, supplendo solemnitatẽ omissã, vt docet Sarmiento, de reditibus p. 1. cap. 2. nu. 18. Secũdò, In cõtractu prodigi, cui datus est curator. L. Is, cui bonis. 6. ff. de verb. oblig est enim hic instar pupilli. quamuis ex huius contractu nulla oriatur obligatio, vt patet ex dicta L. Is, cui bonis: sicut nec ex cõtractu Ecclesiæ, cui deest solemnitas requisita. Tertiò, In contractu Religiosi, absque expressa vel tacita sui Superioris facultate contrahentis. potest enim Prælatus hunc contractum ratificare, vel irritum reddere, prout ei libitum fuerit; idque siue suo, siue monasterij nomine Religiosus ille contraxerit, vt docet Nauarrus comment. 2. de Regul. numer. 30. & 65. in fine. Quartò, In cõtractu fraude, vel metu iniquè extorto. quẽ enim fraudem aut vim passus est, potest petere, vel resilire, vt docet Sarmiento supra nu. 18. & colligitur L. Iulianus. 13. §. Si quis à colludente. ff. de action. empti. de quo supra num. 32. & 38. Probabile tamen est, in huiusmodi euentis, quando contractus fuit irritus, alterum re adhuc integra non teneri implere contractum, nisi per sententiam cogatur; iuxta ea, quæ dicta sunt num. 32. De ceteris, qui contrahere possint, vide infra capite 18. dubitatione vndecima.

DVBITATIO IX.

Quibus concedatur restitutio in integrum, si ex aliquo contractu damnum notabile acceperint.

NOTANDVM est, Hoc beneficium propriè non habere locum, quando cõtractus fuit omnino irritus: tunc enim *communi auxilio & mero iure munitus est*, vt habetur initio L. in causæ cognit. 16. P. De minoribus, vbi in fine additur, *generaliter probandum est, vbi contractus non valet, pro certo præterea se non debere interponere*. Quo posito.

Respondeo, Hoc beneficium concedi, Primò, Minoribus,

63 *Minoribus.* ribus, id est, qui nondum 25. annum expleuerunt, si interea in aliquo contractu non satis prudenter & circumspecte facto, dammum acceperint: L.3. & 5. C. de in integrum rest. minor. etiamsi ille contractus sit factus de consensu tutoris, vel curatoris, & auctoritate Iudicis, vt patet ex L. 1. & sequentibus, ff. de minoribus & ff. de in integrum restitutione. Ratio est; quia consensus tutoris & decretum Iudicis solum faciunt vt Actus mero Iure valeat: non autem excludunt beneficium restitutionis.

Si læsus ex venditione. Vnde sequitur Primò, Si læsus est ex venditione, quòd rem vẽdiderit minoris iusto, poterit agere ad iustum pretium. si oportebat rem non vendi; poterit agere contra quemuis possessorem ad eam recuperandam. vt rectè Gomezius tom. 2 cap 14. num. 7. Secundò, Si læsus est ex mu*Si ex mutuo.* tuo accepto; vt quia pecuniam illam amisit, vel male consumpsit: potest vti beneficio restitutionis in integrum, & solum soluere id, quo factus est locupletior. quod est notandum pro ijs, qui minoribus dant mutuum sine fideiussore, (cum enim naturaliter obligentur, potest eis accedere fideiussor. vt supra nu. 61. ostensum est) vel sine auctoritate parentis, tutoris vel curatoris: vide L. 2. C. de filio familias. Tertiò. Si læsus est in solutione pecuniæ sibi fa*Si ex eo, quod debitor ei solvit.* cta, potest restitui, si enim debitor ei soluit sine auctoritate tutoris vel curatoris, solutio ipso Iure est nulla. Vnde debitor non manet liber, nisi pecunia sit salua, vel conuersa in vtilitatem minoris. Hoc tamen intelligo in foro externo; non enim tenetur sponte soluere secundò: sed potest expectare sententiam Iudicis quia solutio valuit naturaliter. si verò soluit ei cum auctoritate tutoris vel curatoris, manet liber ipso Iure: sed restituitur minor, si pecunia sit deperdita vel consumpta facilitate vel culpa ipsius. Hoc tamen casu, credo debitorem habere actionem in eos, quorum auctoritate & mandato soluit. quòd si etiã Iudicis auctoritas accesserit, qui compulit illum soluere minori; tunc perfectè manet liberatus, nec potest aduersus eũ restitutio in integrum peti. habentur hæc omnia §. *Ex donatione.* Ac ex contrario. Instit. Quibus alienare licet, iuncta Glos. fi. Quartò. Si donauit rem notabilem, censetur læsus, & potest restitui. si tamen ex rationabili causa donauerit. ver bi gratia, propter obsequia ab altero accepta, quæ decuit sic remunerari: vel propter nuptias, vel sponsalitiam largitatem, spectata qualitate personarum & cõsuetudinem regionis; non restituitur: non enim per talem donationẽ censetur læsus: quia prudenter & secundum rectam rationem facta est. L. 1. C. Si aduersus donationem. Quintò, *Ex quasi contractu.* Si læsus est ex quasi contractu; vt quia damnosam hæreditatem sibi testamento delatam acceptauit, etiamsi cũ auctoritate tutoris vel curatoris id factum sit. tunc enim ex tacito contractu obligatur creditoribus defuncti & legatarijs: vel si lucrosam repudiauit. Gomezius num. 4 pari modo si læsus sit in electione, eligendo partem deterio*Ex resignatione beneficij.* rem. Gomezius num. 5. Sextò, Si læsus est imprudenti resignatione vel permutatione beneficij, multi censent esse restituendum. vt Couarruuias lib. 1. variar. cap. 5. num. 3. & alij, quos ibi citat. in eandem sententiam propendet Molina disput. 573. idque verum esse censent, etiam si beneficium sit iam alteri collatum, quæ sententia probabilis est: etsi contraria sit etiam probabilis, & plurium DD. de quo vide Couarru. supra, capit. 5. num. 1. 2. 3. puto tamen non esse in vsu, vt detur restitutio.

64 *Quanto tempore.* Petes. Quanto tempore competat hoc priuilegium minoribus? Respondeo, Vsque ad annum 29. completum; nã durat quatuor annis integris post expletum annum 25. ætatis, quo definunt esse minores. L. fin. C. De tempor. in integrum restit. estque communis sententia DD.

65 *Obstat ratificatio.* Aduerte tamen. Etsi minor possit restitui aduersus omnes contractus, in quibus est læsus, durante minori ætate factos, si nihil aliud accessit; non tamen, si maior factus (id est. expleto anno 25. ætatis) eos ratificauit. Et quidem si contractus, in quo minor fuit læsus. mero Iure valuit: vt quia cum debita Iuris solemnitate celebratus fuit, ratificatio tollit beneficium restitutionis, quod illi ratione minoris ætatis competebat, vt patet ex L. 1. & 2. C. Si maior factus ratum habuerit. Si verò non valuit ipso Iure; vt quia aberat decretum in casu, quo requirebatur; ratificatio quidem confirmat contractum, & tollit beneficium restitutionis, competens ratione minoris ætatis: non tamen tollit beneficium seu ius competens maioribus; vt est remedium legis. 2. C. De rescindenda venditione, quod datur illi, qui deceptus est vltra dimidium iusti pretij, vel aliud simile; vt docet Gomezius supra num. 11. & habetur expressè L. 1. C. Si maior factus alienationem factam sine decreto, ratam habuit.

Similiter non datur restitutio, si contractum in minore *Iuramento.* ætate iuramento confirmauit; quamuis alioquin per se irritus & nullus esset. Authen. Sacramenta puberum. C. Si aduersus venditionem. vbi generatim dicitur, *Iuramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur.* Idem patet ex L. 1. eiusdem tit. Ex quibus constat, contractum minoris iuramento confirmari, & ipsum fieri instar maioris. Si tamen commissa fuisset iniustitia, vt si fraude vel metu fuisset inductus ad contrahendũ, obtenta iuramenti absolutione, quam tunc petere potent, fas ei erit restitutionis remediũ *Impuberis in iuramento.* implorare. Idem dicendum, si adhuc erat impubes, dum iurauit. impubertas enim est sufficiens causa relaxandi iuramenti, sicut metus; vt docet Couarruuias in ca. Quamuis, de pactis, p. 3. §. 1. nu. 4. quia iudicium adhuc est valde infirmum. addo etiam a tutore in irritum reuocari posse, vt infrà cap. 42. dub. 12. dicetur.

66 *Conceditur pijs locis.* Secundò, Conceditur hoc beneficium Ecclesijs, alijsq; pijs locis. Hæc enim instar minorum habent quadriennium a celebrato contractu, vel quasi contractu, vt cõmuniter tradunt DD. ex cap. 1. & 2. de restitutione in integrum li. 6. vide ibidem Glossam & Couarru. lib 1. variar. capit. 3. nume. 10. & 11. Vbi nota, Ecclesiæ, si valdè enormiter sit læsa ex contractu, concedi amplius quàm quadriennium, vt ibidem docet Couarru. ecclesiastici tamen in suis contractibus, quos priuato nomine faciunt, non fruuntur hoc priuilegio, Couarruuias c. 4. num. 3.

67 *Respub.* Tertiò. Cõceditur Reipublicæ cuiusuis oppidi L. 4. C. Quibus ex causis maiores in integrum restituantur. vbi dicitur, *Respublica minorum Iure uti solet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest.*

Principibus supremis. Academiæ. Quartò, Supremis Principibus, quoad bona principatus alienata. quia hæc ad Rempublicam pertinent.

Quintò, Vniuersitati studiorum, iuxta Panormitanum, in cap. 1. De in integrum restit. & alios multos.

Rudibus. Sextò, Interdum conceditur rudibus, vt rusticis, & mulieribus, qui ignorant iura, vt ex Maranta, qui alios citat, refert noster Molina, disp. 574 §. Militibus.

De restitutione in integrum contra præscriptionem, dictum est cap. 6. dub. vlt.

68 *Quo modo petatur restitutio.* Circa prædicta, duo sunt notanda. Primum est, Dupliciter posse peti restitutionem in integrum. Primò, Implorando officium Iudicis, citata parte; vt quando solutio facta est, vel res ab altero possidetur. Secundò, Excipiendo contra eum, qui petit solutionem, vel rem tradi, se læsum eo contractu vel actu fuisse; vt docet ex communi sententia doctorum Gomezius num. 8. Confirm. ex reg. Iuris 71. in Sextò. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.* & regul. 156. ff. eodem, *Cui damnus actionem, eidem & exceptionem competere, multo magis quis dixerit.* Hæc exceptio semper durat, quamdiu solutio facta non est. Posì quam facta est, opus est sententia Iudicis vt recuperetur: nec licita est occulta compensatio. quia lex solum concedit hanc recuperationem, mediante Iudicis sententia. colligitur L. Si curatorem. 3. C. de in integrum restit. minor.

69 *Quis dicatur.* Secundum est, Non ex eo censeri quempiam læsum, quòd re ipsius vendita, præsentet se alius, qui plus offerat: vt multi DD. affirmant. si enim iusto pretio vendita est, eoque tempore & modo, quo prudens venderet, non potest minor petere restitutionem, vt colligitur ex L. Verum. 1. §. Sciendum. ff. de minoribus. si verò vendita est infra iustum pretium, vel non debito tempore, vel non cũ debitis circumstantijs; tunc potest petere restitutionem, & eam vendere pluris licitanti. Idem dicendum de elocationibus & conductionibus, alijsque contractibus. vide plura apud Gomezium tom. 2. cap. 14. Sed quæ diximus abunde satis sint Theologo.

DVBITATIO X.

Vtrùm in hac in integrũ reſtitutione comprehendantur etiam fructus percepti.

70 *Si contractus gratuito.*

DICO Primò, Si res minoris contractu gratuito ſit alienata, poſſunt repeti etiã fructus ex ea percepti; deductis tamen expenſis, quæ in illis colligendis ſunt factæ. vt ſi prædium vel domus ipſius alteri ſit donata. ratio eſt, quia non tantum cenſetur tunc minor eſſe læſus alienatione rei, ſed etiam fructuum. Idem dicendum de rebus Eccleſiæ & Reipub.

71 *S. iuſto pretio aliena.*

Dico Secundo, Si ſit alienata contractu oneroſo, vt ſi prædium ſit venditum; Couarruuias l.1.variar.c.3.nu.1. multiq; alij Doctores docent, etiam omnes fructus repeti poſſe; ſed verius eſt, in foro conſcientiæ non poſſe repeti fructus, *ſi res iuſto pretio fuit vendita.* Probatur Primò, Quia in alienatione horum fructuum non cenſetur fuiſſe læſus: nam ſicut emptor ex re, quam accepit, fructus percepit; ita potuit venditor ex pretio lucrum facere; quòd ſi non fecit, ſuæ negligentiæ aſſignet. Secundo, Quando iuſtum pretium perſoluitur, non cenſetur contractus damnoſus minori; niſi quia expediebat rem illam non vendi, non autem ratione fructuum aliquot annis percipiendorum; ergo in reſtitutione non poteſt repeti, niſi res ipſa, non autem fructus percepti. Tertiò, Quia nulla videtur eſſe ratio, cur iure ciuili id poſſit ſtatui. cum enim contractus fuerit validus, & fructus bona fide ſint percepti ex re propria, & non cenſeatur fuiſſe facta læſio ratione fructuum, ſed ſolum ratione rei venditæ; non videtur ſubeſſe legitima cauſa, cur hi fructus iubeantur reſtitui; præſertim cùm talis lex potius in damnum, quam in commodũ minorum ſit ceſſura: nemo enim tam iniqua conditione volet cum ipſis cõtrahere: nam donec minor annum 29. ætatis expleuerit, emptor erit in periculo reſtituendi rem cum omnibus emolumentis perceptis.

Nec obſtat Lex, Quòd ſi minor. 24.§. Reſtitutio. ff. de minoribus, & aliæ quædam citatæ a Couarruuia, quibus expreſsè dicitur *rem eſſe reddendam cum fructibus, quando conceditur reſtitutio in integrum*; quia explicari poſſunt de fructibus perceptis poſtquam contractus beneficio reſtitutionis eſt reſciſſus. alioquin illæ leges non ſunt conſentaneæ rationi; vt docet Molina diſputatione 575.

Si infra iuſtum.

Dixi, *Si res infra iuſto pretio vendita fuit*; quia ſi infra iuſtum, repeti poteſt per hoc remedium reſtitutionis ea fructuum pars, quæ reſpondet illi, quatenus res excedit pretium datum: vt ſi res valeat 1200. & tu emeris 600. cogeris per ſententiam reſtituere dimidiam partem fructuum: quia hæc reſpondet rei, qua parte ſuperat pretium datum: ſuperat enim parte dimidia. Si emiſti 900. cogeris reſtituere quartam partem fructuum quia res quarta ſui parte ſuperat illud pretium. Si 800. tertiam. Ratio eſt, quia venditor non ſolum in hac rei venditione, ſed etiam in hac portione fructuum cenſetur læſus, vnde ſi ſit minor vel Eccleſia, cõpetit illi reſtitutio quoad illam partem. Vtrùm autem abiq; beneficio reſtitutionis debeantur venditori fructus illi, vt multi iuriſperiti volunt, dicemus infra cap. 21. dub 13.

DVBITATIO XI.

Quando contractus ſuit inualidus, quomodo debeat ratificari.

72 *Contractus, ob varias cauſas inualidus.*

NOTANDVM eſt, Contractum poſſe eſſe inualidum vel ratione fictionis (vt ſi vterque vel alter contrahentium in animo non conſenſit) vel ratione metus, vel ratione doli, vel ratione alicuius impedimenti irritantis, vel ratione defectus formæ eſſentialis.

Rationes fictionis vel metus.

Dico Primo, Si ratione fictionis vel metus in altero cõtrahentium, contractus fuit inualidus, probabilius eſt nihil requiri niſi conſenſum liberũ ex parte eius in quo fuit defectus. ita Nauar. c 22. nu. 51. & 80. lib. 3. Conſil. tit. De Regu. conſil. 24. Lopez. 1. p. cap. 85. & paſſim DD. in 4. d. 29 agentes de eo qui metu conſenſit. Ratio eſt; quia quando ſimulatè contraxit, nihil defuit contractui, præter eius internum conſenſum. nam exterius conſenſum præſtitit, & alter interius & exterius: ergo ad ratificandum nihil requiritur præter illius internum conſenſum.

Similiter quando contractus ratione metus fuit inualidus, nihil requiritur niſi vt is qui metu conſenſit, ſublato metu nouum conſenſum interius præbeat. Nec refert etiamſi multum temporis a primo contractu inualido interceſſerit; vt rectè Nauar. d. nu. 80. quia alter manet in priore conſenſu, vtens re tanquam ſuã.

Dices, Conſenſus internus non ſufficit ad cõtractum, ſed debet exterius exprimi. Reſpondent quidã ſufficere, vt inito expreſſus fuerit; illi enim externo accedere hũc internum, & efficere integrum conſenſum conſtante interno & externo. Sed contra, Hic conſenſus internus poſt nouum prætitus, non exprimitur vllo modo cõſenſu illo externo tempore contractus exhibito, nec vllo modo illum informat; cùm ſignum illud ab hoc conſenſu non procedat. ergo hæc duo nõ poſſunt coire ad vnũ integrũ conſenſum conſtituendum; ac proinde requiritur aliud ſignum externum expreſſiuum illius conſenſus interni.

Reſpon. Rectè probari illa duo non coalescere in vnũ; & requiri aliquod ſignum externũ, ſed non eſt opus alio, quàm vſu & poſſeſſione rei tamquam ſuæ: per hoc enim ſatis exprimit conſenſum in contractũ. Similiter ſufficit quoduis aliud ſignum quo ottẽdat ſibi cõtractũ probari.

Dixi eſſe probabilius, quia contraria quoq; ſententia, nimirum, requiri nouum conſenſum ex parte vtriuſque, eſt probabilis, vt docet Sancius lib. 2. de matr. diſp. 32. nu. 8. pro qua citat aliquot DD.

Sed quid ſi vterque metu vel fictè conſenſit?

73 *Si vterque ficte vel metu.*

Reſpondeo, Quidam dicunt tunc requiri vtriuſque nouum cõſenſum more recepto exterius expreſſum. Ratio eſt, quia tunc contractus neutra ex parte fuit inchoatus. Sed videtur diſtinguendum. Vel enim alter nouit defectũ qui eſt in altero, vel ignorat. ſi nouit, nõ poteſt præſumere illum manere in conſenſu priore valido, vt ſic conſenſus ipſius accedens perficiat, (vt in caſu ſupradicto) ergo debet vterque de nouo mutuum & reſpectiuũ conſenſũ præbere & exigere. Si tamen vterque ignoraret defectum alterius, & putaret illum valdè conſenſiſſe, & ideò vterque interius conſentiret, alter prius, alter poſterius, iuxta caſum ſupradictæ aſſertionis, putarem valere. ita n. expreſsè docet Sylueſt. v. Matrimonium. 8. qu. 11. dicto 4. ex Richard. d. 29. a. 2. q. 1. Idem tenet Anton. 3. part. tit. 1. cap. 7. Ratio eſt; quia etſi v.g. Titius, qui prior ſic conſentit, falsò præſumat Lucretiam conſenſiſſe; tamen abſolutè iam conſentit, & hunc conſenſum ſatis exprimit ſeruãdo contractũ, & re tanquam ſua vtendo: ergo cùm ſit peruenit conſenſus Lucretiæ, contractus perficitur iuxta primam aſſertionem; quia concurrit cum cõſenſu Titij, qui præceſſit, & vſque ad illud tempus mãſit vel formaliter, vel virtute. Nec refert quòd falsò putet Titiũ ab initio valdè conſenſiſſe. quia parum refert vtrum initio valuerit, an non, modo nunc valeat, quando ipſa conſentit.

74 *Si dolus causam dedit.*

Dico Secundò, Si dolus dedit cauſam cõtractui, deceptus non cenſetur illũ ratificare, niſi veritate detecta rurſus exterius cõſentiat. Idẽ dicendũ, quando ſuberat aliud impedimentum irritans. vbi enim ſciuerit ſublatum impedimentum, opus eſt nouo conſenſu. Prior pars patet, quia quamdiu latet dolus, & veritas ignoratur, cõſenſus non eſt liber: imò iure non cenſetur eſſe conſenſus. Nam voluntas non fertur in incognitum, vt ſup. dubit. 5 & 7. oſtenſum eſt. niſi quis forte ita præberet conſenſum, vt actum vellet eſſe ratum, etiamſi in eo eſſet deceptus. Tũc enim dolus non eſset cauſa illius conſenſus. Altera pars etiam patet, quia quando erat impedimentũ, conſenſus fuit inualidus, vt potè in materiam inhabilem. ergo impedimento ſublato requiritur nouus conſenſus.

Si nouint impedimentum ſublatum.

Aduerte tamen, ſi contrahentes ſcirent impedimentũ ſublatum. non eſſe opus verbali contractu ad ratificãdũ; ſed ſatis eſſe vt interius in animo cõſentiant, & vſu ipſarum rerum hunc conſenſum exprimant: quod maximè locum habet in matrimonio; quando enim matrimoniũ ob aliquod occultum impedimentũ fuit inualidum, ſublato impedimento ſatis eſt vt coniuges id ſcientes affectu maritali vtantur matrimonio, vt aperte colligitur ex ca. 2. & 4. de coniugio ſeruorum. hic enim eſt nouus conſenſus, qui ſatis ipſo vſu exprimitur. Si tamen neſciãt ſublatum, non ſufficit. quia non eſt nouus conſenſus, ſed repetitio

petitio antiqui, ideo enim volunt permanere, quia putant primum consensum fuisse validum, Simile est in ratificatione professionis, vt infrà c.41.dub.7.in fin.dicetur.item in collatione beneficiorum & officiorum, quando fuit invalida ratione impedimenti, v.g. irregularitatis. Nam eo sublato sufficit, vt collator vel summus Pontifex id sciens consentiat retentioni.aut non contradicat cùm facilè possit. vt infra c.34.dubit.22.dicetur.

Denique idem cernitur in donationibus, aliisq; contractibus dolo factis.detecto enim errore is, cuius interest, non contradicit cum facilè possit, censetur ratificare, nec velle in irritum revocare quod factum est.

75 *Si alter tantùm novit.*

Sed difficultas est maximè in matrimonio, quando fuit irritum ob aliquod impedimentum; vtrùm eo sublato, ad ratificandum matrimonium requiratur, vt vterq; novum consensum præbeat, intendatq; de novo contrahere. Multi Doctores putant id nô esse necessarium, sed sufficere vt altera pars, v.g. vxor, conscia impedimenti, eo sublato, intendat de novo contrahere & consentire per aliquem actum externum, marito vicissim per actum externum suũ consensum exprimente, quo illam pro vxore habeat. Ratio est quia cum mariti consensus cadat in materiam habilem, est validus.itaque si accedat consensus vxoris, erit novus contractus. Cõfirmatur, quia etsi mariti consensus fuerit invalidus pro tempore quo durabat impedimentũ, eo tamen cessante, incipit esse validus, si continuetur. Vnde volunt sufficere vt vxor sublato impedimento intẽdat per actum coniugalem de novo contrahere, petendo vel reddẽdo debitum ea mente; nec opus esse vt maritus sciat fuisse impedimentum, aut vt intendat novum contractum inire: nam reddendo debitum satis indicat suum consensum, quo illam pro vxore habere cupit. ita tenet Angel. Matrimonium 3.impedimento 4.n.10.Tabiena Matrimonium 2.q.7.nu.8.Supplementum Gabrielis d.29 q.1.ar.3.dub.3.Sotus dub.35.q.vnica ar.2.dicit se nescire vtrũ cõtraria non sit probabilior.Eandem tenent multi Doctores antiquiores, vt refert Innoc.in c.1.de eo qui duxit in matrimonium, &c.& multi alij quos citat Sancius lib.2.de matrim.disput.36.nu.2. qui docent non esse necessarium indicare marito impedimentum, sed sufficere vt coniux illum inducat ad rursum contrahendum aliquo prætextu: quo casu maritus non præbebit consensum nisi fundatum in errore, quo putat primum contractum valuisse. Sed hęc sententia est parum probabilis. Vnde.

76 *Vterque debet intendere novũ contractum.*

Dico Tertiò, contrariam esse multo probabiliorem & tenendam; nimirum requiri vt vterque intendat de novo contrahere, perinde ac si nullus contractus præcessisset. itaque necessarium esse vt vel impedimentum marito aperiatur, vt sine ambagibus de novo contractus ineatur, vel ita cum illo agatur, vt velit matrimonium renouare perinde ac si antea non fuisset contractum. Ita sentiunt plerique Doctores, ita vt Couarr. de matrim.p.2.c.4.in princ.nu.5. dicat esse communem sententiam. Scotus in 4.dubit.35.Adrianus in 4.tract.de sponsal.dubit.13.Sylu Matrimonium 8.q.2.Nauar.c.22.num.47. & alij quos adducit & sequitur Sancius supra disp.36.num.3.Ratio est; quia prior consensus mariti fuit omnino irritus, cùm fuerit circa materiam inhabilem: ergo cùm reddita fuerit habilis, requiritur novus consensus, qui non fundetur in priore contractu. Si enim ideò consentit, quòd putet contractum fuisse validũ, non intendit aliquid novi iuris transferre in alterum, sed solùm approbare quod ante fecit. Quare cum id fuerit irritum, consensus ille nihil operatur. non enim consensus & approbatio, quæ fertur in contractum prout ex parte rei gestus est, potest habere maiorem vim, quàm ipse contractus. Confir. Primò, Quia ille consensu, est ex errore circa substantiam contractus; consentit enim, quia putat priorem contractum fuisse validum, cum non fuerit: & ex errore personæ; nam consentit quia putat hãc esse iam suam vxorem, cum non sit: ergo est omnino invalidus. Confirm. Secundò. Quia si non requiritur novus consensus mariti, non etiam requiritur novus consensus vxoris. vnius enim consensus non facit contractum. Itaque sublato impedimento si se mutuo cognoscant effectu marituli, erit matrimonium, etiamsi vterque ignoret impedimentum sublatum. atqui hoc videtur omnino falsum: quia vbi non est vllus novus consensus, non potest esse nouum vinculum, nova obligatio, nouũ ius; nec potest esse ratificatio actus invalidi. Neque dici potest esse nouum consensum in actu maritali: quia hic actus agitur in virtute prioris consẽsus, qui nullus fuit: illius enim est signum & approbatio actus ille, vt rectè inquit Scotus loco citato. non enim intẽdunt per illum actum aliquid novi iuris sibi mutuo conferre, sed solum vti iure, quod putant se ex priore contractu habere.

77 *Possumus uti in gravissima necessitate.*

Aduerte tamen contrariam sententiam non ita esse improbabilem, quin in casu grauissimæ necessitatis ea possimus vti: vt si maritus non posset induci ad nouum contractum modo supradicto ineundum; nimirum, quo illam in vxorem accipiat, etiamsi hactenus vxor non fuisset: nec vxor auderet illi detegere impedimentum ob periculũ vitæ aut grauis infamiæ, aut scandali quod sequeretur ex separatione: & ex altera parte non posset effugere debiti redditionem. Ita Sãcius d.disp.36.ex Dominico Soto, & alijs. Ratio est; quia grauissima necessitas facit, vt licitum sit quod alias minimè liceret: vt patet cùm infans baptizatur in digito tantùm, alijs partibus nô extantibus, & cùm absolutio datur ei, qui absente sacerdote dedit signa contritionis. Confirmatur ex dicto Soti de secreto membro.3.p.2.concl.3.vbi dicit hominẽ non teneri sequi suam opinionem, si inde magnum immineat periculũ; sed posse sequi alteram partem, de qua solum habet formidinem (id est, quam opinatur quidem esse falsam, tamen non est certus de falsitate.ita vt putet se posse decipi circa eam) modo illa formido apparentem habeat probabilitatem. Idem approbat Sancius supra.citãs in eandem sententiam Nauarrum.magnitudo enim periculi facit, vt formido in moralibus præponderet opinioni, & vt minus probabile præferendum sit probabiliori. Itaq; in tali eventu sufficeret inducere maritum sub aliquo prætextu (vt maioris amoris, vel suæ consolationis) ad renouandum simpliciter contractũ vel si id non posset, satis esset, vt ipsa petendo vel reddendo debitũ intendat de nouo consentire: nã mariti consensus adest hoc ipso, quo illa tamquam vxore vtitur. Et quãuis fundetur in priore consensu, qui erat ob materiæ inhabilitatem invalidus, tamen iã cadit in materiam habilem, quod confirmari potest. quia intendit modis omnibus actũ coniugalem, nec vllo modo vult fornicari: ergo hoc ipso tacitè consentit absolutè in illam, nec videtur restringere consensum suum ad primum contractum. Numquã tamen hac sententia vtendum extra casum grauissimę necessitatis.ob tenuem illius probabilitatem, vt dictum est.

78 Notandum est, ea quæ diximus de matrimonio priuatim ratificando, intelligenda esse, quando antea in facie Ecclesiæ contractum fuit, ita vt præsumeretur verum matrimonium, siue bona, siue mala fide contrahentium: vel vbi decretum Concilij de parocho & testibus adhibendis non est promulgatum.

79 Dico Quartò, Si actus solum fuit irritus ratione solemnitatis iure requisitæ; pro foro conscientiæ, probabile est, non opus esse alia ratificatione, quamuis pro foro externo requiratur illa solemnitas. Ratio est; quia quando agentes sunt per se habiles, & adest plenus eorum consensus, probabile est actum in foro conscientiæ esse validũ; ita vt neutra pars ante sententiam teneatur illum rescindere.de quo vide infra cap.19 numero 32.& seqq. Vnde Syl.v.Electio 1.numero 11. *Si electio tenuit iure naturali, puta quia intervenit consensus electorum; sed non tenuit iure positivo, quia omissa fuerunt substantialia secundum Innocent. quem communiter sequuntur DD. in c. Quod sicut. de electione, si confirmetur electus, est verus Prælatus, & non tenetur in foro conscientiæ resignare.* In contractibus autem certum est non teneri rescindere ante petitionem partis.itaque parte non vrgente.non opus est ratificatione. Quomodo ratificanda sit professio quando interuenit impedimentum, dicetur infra c.4.dub.7.num.65.& 66.

CAPVT

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De Promiſſione, & Donatione.

Conſtat dubitationibus 17.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Promiſſio.

1 NOTANDVM eſt, Nomen *promiſſionis* eſſe generale, poſſeque extendi ad omnes contractus, ſicut & nomen ſtipulationis: poſſum enim promittere rem aliquam ſub aliquo onere, (v.g. vt detur pretium aut res alia) vel gratis. Verùm hic loquimur de *promiſſione gratuita*, qua aliquid promittitur gratis ex liberalitate, vel gratitudine; quæ ſic deſcribi poteſt; *Promiſſio ſimplex* eſt deliberata & ſpontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona & poſſibili. Dico *deliberata*, nempe plena deliberatione ſeu attentione, qualis requiritur ad peccatum mortiferum, ad meritum, & ad votum validum, vt rectè Nauarrus cap. 18. num. 7. Vnde ſi quis promittat aliquid cum ſemiplena deliberatione, non ſatis aduertens quid faciat; non obligatur ad implendum, ne ſub veniali quidem. Ratio eſt, quia cùm hæc obligatio ſit onus quoddam; quod ſponte ſuſcipitur, non debet cenſeri cuiquam impoſitum, niſi perfectè in illud conſenſerit. quod non ſit abſque perfecta deliberatione ſeu animaduerſione quid agas. deinde quia alioquin non eſt actus perfectè humanus. vnde ſequitur, etiam votum Deo factum cum imperfecta deliberatione, non obligare ne ſub veniali quidem. quamuis violatio voti validi, facta ex imperfecta deliberatione, venialis ſit. de quo inf. cap. 40. dub. 1.

2 *Quid promiſſio.*

Debet eſſe deliberata.

3 *Votum.*

Dico *Spontanea*, vt excludatur promiſſio metu aut fraude extorta; hæc enim non eſt valida promiſſio; vnde eam non tenemur implere niſi ſit iurata, vt docet D. Tho. q. 89. art. 7. Nec refert, (ſaltem in foro conſcientiæ) etiamſi metus ille leuis fuerit, iuxta Sylueſtrum v. Reſtitutio 2. §. Septimò, & Nauarr. c. 17. num. 30. ratio eſt, quia qui metu etiam leui vel fraude extorquet promiſſionem, iniuriam facit; vnde ratione iniuriæ poteſt promittor non ſoluere promiſſum, de quo plura diximus cap. 17. dubit. 6.

4 *ſpontanea.*

5 *Metus leuis.*

Dico *obligatio fidei*, quia non ſufficit dicere, ego faciam, ſignificando ſolum voluntatem faciendi, ſed oportet vt fides detur & obligetur, id eſt, vt homo ſe obliget alteri ex virtute fidei, ſeu fidelitatis; vt rectè Sotus l. 7. de iuſtit. q. 1. ar. 2. vnde etiam non eſt ſatis dicere, ego promitto me hoc facturum, ſi ſolùm intendat ſignificare animi ſui propoſitum; non autem dare fidem, vt ſæpè fit. Si tamen ex tali modo loquendi alter deciperetur cum notabili ſuo detrimento; teneretur ille ſub peccato mortali implere, quod verborum ſpecie promiſit. vt docet Nauarrus cap. 18. num. 6. quia non implendo, daret cauſam damni. Similiter non ſufficit dicere, ego promitto me facturum quidquam iuſſeris, ſi id dicas vt affectum tuum & animi promptitudinem, ad alteri placendum tetleris; non autem vt te illi obliges; quod etiam frequens eſt inter homines. Ratio eſt, quia hæ & ſimiles formulæ loquendi, ſæpè vſurpantur voluntatis vel teſtandi animi cauſa, non autem ex intentione ſe abſolutè obligandi. vnde tunc abſolutè non obligant, cum enim omnis vis obligandi promiſſionis ſit ab intentione; non poſſunt vltra intentionem obligare. Vide Nauarr. comment. de datis & promiſſis pro iuſtitia, &c. num. 22. & 23.

promiſſio ſola ſpecie verborum.

6

Dices, Quid ſi promittor ſit dubius, quo animo verbis promiſſionis vſus ſit?

Reſp. In vtroque foro inclinandum eſſe in eius fauorè, quia in dubio non eſt imponendum onus. quod, niſi ſpontè, non ſuſcipitur. Ita multi DD. Verius tamen puto, ſi verba expreſſam promiſſionè præ ſe ferunt, in dubio in vtroque foro interpretandum valere, & obligationem induci,

In dubio.

7

maximè in voto. Ratio eſt; quia quando verba ſunt promiſſoria. non eſt præſumendum defuiſſe animum promittendi. cùm hic ex natura rei adeſſe ſoleat: niſi de contrario ſaltem per rationes probabiles conſtet; vel niſi verba ſint talia, vt cum talibus circumſtantijs non minus ſoleant vſurpari aliter quàm promiſſoriè. Neque tunc imponitur onus dubium, ſed moraliter certum. Confir. quia hic non eſt par conditio promiſſoris, & promiſſarij. nam conſtat verbis promiſſionis, quæ fauent promiſſario. ergo hæc ſeruanda, niſi aliunde conſtet defuiſſe animum.

Dico, *De re quapiam bona*, vt excludatur promiſſio operis, quod ſine peccato præſtari nequit; quia nulla poteſt contrahi obligatio ad id, quod ſine peccato præſtari non poteſt. vt patet ex ca. vlt. de pactis. id enim contradictionem implicat: ſic enim fieret vt idem eſſet peccatum & virtus, bonum & malum, & vt homo peccaret non minus omittendo peccatum, quàm faciendo.

8

Dices, Ergo promiſſio prodiga non obligat; cum profuſio rerum ſuarum ſit opus malum.

Reſp. Plerique DD. expreſsè concedunt. promiſſionem, qua parte prodiga eſt, non obligare; idque verum eſſe quidam aiunt, etiamſi iuramento confirmata ſit. Ita enim docet Sotus lib. 4 de Iuſt. q. 7. a. 1. ad 2. & Bannes q. 62. a. 5. dub. 5. Quam ſententiam quibuſdam euentis veram cenſeo. Primò, Quando ita eſt prodiga, vt eius executio abſolutè ſit illicita. hanc enim rationem in probanda ſententia ſua prædicti DD. adferunt. Secundò, Quando aliquid eſt promiſſum in modum pretij, nec promittor aliter intendit dare. tunc enim non tenetur ad exceſſum niſi iuramentum interuenerit. vt patet in promiſſione vſurarum & pretij enormis. Denique quando meritò præſumi poteſt, promiſſorem fuiſſe deceptum, aut promiſſionem non fuiſſe omnino liberâ alioquin ſi nihil horũ intercedat, & executio ſine peccato fieri poſſit, non video, cur promiſſio prodiga non obliget, maximè iureiurando accedente; et amſi ipſa imprudenter & cum peccato facta fuerit. multa enim imprudenter & cũ peccato fiunt, quæ tamen facta teneant, nec facilè reſcindi poſſunt, vt ſi puella nobilis, contra voluntatem parentum, & cum familiæ indignatione promittat nuptias ignobili & pauperi peccat quidem promittendo, tamen verè obligatur. pari modo etiamſi promiſſio aliquando peccatum ſit ob circumſtantias, vel quia prodiga; tamen fieri poteſt, vt impletio eius peccatum non ſit. ſuppono enim rem eſſe in plena poteſtate promittentis, neque illam alteri priori debitam. Ratio eſt, quia etſi prodiga largitio, quæ eſt executio promiſſionis, peccatum ſit, dum adhuc liber es, & nondum obſtrictùs, tamen poſtquam te obligaſti promiſſione vel iuramento, non eſt peccatum, ſed actus iuſtitiæ vel fidei, vel religionis, prout te intendiſti obligare; neque ampliùs habet immediatè rationem donationis, ſed ſolutionis debiti. ſicut enim prodiga donatio, incipiens à traditione, dominium transfert; ita prodiga promiſſio ius tribuit, quo iure in altero iam poſito, teneris promiſſum ſoluere, ſi nihil prædictorum impediat. In hanc ſententiam intelligo Sancium libr. 1. de matrimonio diſput. 14. & Molinam diſput. 271. & quoſdam alios Doctores.

Prodiga.

9

Executio non eſt peccatum.

10

DV-

DVBITATIO II.

Quid sit donatio,& quomodo differant donatio, promissio, pollicitatio, pactum,& stipulatio.

NOTANDVM est, nos hic loqui de *donatione gratuita*, quæ fit vel ex mera liberalitate, vel etiam ex
11 gratitudine. Hæc definiri solet, *Datio liberalis*. Per *dationem* intelligitur actio donantis, natura sua sufficiens ad dominium transferendum, quæ fit vel traditione rei, vel
Duplex donatio. verborum officio. Est enim duplex *donatio*, alia incipit à reali traditione; vt quando res ipsa simul traditur: & hæc est completa donatio, transferens dominium. alia incipit à promissione, vel à verbali traditione; vt cùm dico, do tibi meum equum, qui absens est. hæc donatio verbalis natura sua sufficiens est ad dominium transferendum; tamè iure positiuo impeditur, ne dominium transferat, nisi secuta reali traditione. vt dictum est cap.3.dubit.3. vnde si
12 quis rem sic donatam Petro, donaret aut venderet Paulo & eidem traderet; Paulus acquireret illius rei dominium, & Petrus solum haberet actionem personalem in donatorem, vt compenset rei æstimationem; quia per donationem verbalem, non secuta reali traditione, nò fuit translatum dominium in Petrum, sed solum concessum Ius ad rem, tribuens actionem personalem in Paulum autem per traditionem realem translatum est dominium. vide infra cap.21.dubit.19.

Dicitur *liberalis* datio. quia neque fit tamquã iure de-
13 bita, neque vt aliquid reddatur tamquam iure debitum. *Liberalis.* vnde excluditur omnis donatio, quæ habet rationẽ solutionis debiti, vel permutationis; neutra enim est liberalis.

Dico *tamquam iure debita*, quia benè fieri potest tam-
14 quam debita ex gratitudine, quæ donatio *remuneratoria* dicitur. non .n. repugnat aliquid dari ex liberalitate, & ex gratitudine; cùm liberalitas sit dispositio necessaria ad gratitudinem. nemo enim potest esse gratus in benefacto res, nisi sit liberalis. Imò eadem donatio simul ex affectu liberalitatis & gratitudinis sequi potest. Potest enim quis in donando vtriusque virtutis bonum & laudẽ spectare. vt ergo dicatur *liberalis*, sufficit vt non fit debita ex iustitia, neque ad tale debitum alteri imponendum ordinetur. quæ tamen merè liberalis est, non fit ex gratitudine, sed affectu solius liberalitatis.

Ex his patet, quomodo distinguantur *promissio* & *dona-*
15 *tio*. *Promissio* enim natura sua (id est. sepositio iure positiuo) non habet vim transferendi dominij: *donatio* verò, etsi *Discrimen promissionis & donationis.* tantum verbis fiat, habet. Ratio est, quia promissio respicit donationem futuram: donatio verò est translatio rei in alterum in præsenti. posito tamen iure quo impeditur translatio dominij per donationem verbalem, parum videtur interesse inter hanc donationem & promissionem.

16 *Pollicitatio.* *Pollicitatio est offerentis solius promissum.* L.3.ff. de pollicit. seu est nuda promissio, nondum secuta acceptatione. vnde omnis pollicitatio est promissio, non contra-

Pactum. *Pactum est duorum consensus atque conuentio.* d. L.3.ff.eodem. vnde ad rationem pacti requiritur consensus duorum; ad rationem pollicitationis solum vnius. Tranfit autem pollicitatio in pactum, quando is, cui facta est, eam accepeat.

Stipulatio. *Stipulatio* autem est contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ fit precedente interrogatione creditoris, & secura responsione debitoris. vt supra cap.17. dub. 2. explicatum est. vide Gomezium tom.2.c.9.num.1.2.3. & Syluestrum v. Pollicitatio.

DVBITATIO III.

Vtrùm promissio ob turpem causam, seu propter opus malum (v. g. ob fornicationem, homicidium) obliget.

RESPONDEO, & dico Primò, Promissio, omnisque pactio ante patrationem operis praui, cuius
17 causa ipsa est facta, est inualida, & vltro citroque nullius *Ante opus præstitũ non obligat.* roboris. Ratio est, quia nemo potest obligari ad peccatũ; hoc enim contradictionẽ implicat; vnde promissor operis non tenetur; quare nec promissor pecuniæ; opere nondum præstito, tenetur; cùm eius promissio respectiua fuerit; vtpotè solo intuitu illius operis facta: imo tenetur illam reuocare, tamquam iniquam, & ad malum directè allicientem.

Dico Secundò, Patrato opere malo, verius est promis-
18 sorẽ obligari soluere promissum. colligitur ex Couar. ad *Opere patrato obligat.* reg.Peccatum p.2.§.2.numer.1. Caietanus quæst.32.artic.7. Medina C. de restitutione quæst.28. etsi enim hic putet solutum debere restitui. eo quòd opus turpe sit inuendibile: tamen dicit promissum debere solui, vt fidem suam promissor liberet. Verum. non tantum ex virtute fidei, vt vult Medina, sed etiam ex iustitia videtur teneri. Probatur, quia non fuit promissio gratuita. sed onerosa, nempè locatio & conductio operarum, vel contractus innominatus, do vt facias: (vt si promittas annulum vel catenam pro maleficio) ergo si opera iudicio humano tanti valet, quanti res promissa, vbi præstita fuerit, nascetur obligatio iustitiæ in promissore. quando enim altera pars impleuit contractum; tenetur altera lege iustitiæ. quòd autem in huiusmodi contractu possit esse æqualitas, patet; quia in opere præstito, non solum est malitia consideranda, sed etiam labor, periculum, detrimentum fortunarum, & similia, quæ executor tua causa subijt. Item fidelitas,
19 quam tibi præstitit, & voluptas aut vtilitas; quæ tibi inde *Quæ in opere æstimentur precio.* prouenit: atqui hæc apud homines digna precio æstimantur, vt rectè docet Caietanus. Nec refert, quòd malitia illis sit connexa, quia possunt hæc seorsim a malitia operis considerari: sicut in bonis operibus labor, periculum, dãnum, possunt considerari per se, & præcisa ab operis sanctitate, ita vt non committatur simonia; vt si quis paciscatur dare sacerdoti 100. aureos, vt in loco, vbi est periculum capitis, semel faciat sacrum; hic, periculum abstrahitur ab operis sanctitate, & precio æstimatur absque simoniæ culpa: ergo similiter in malis, poterit periculum abstractim precio æstimari absque malitia.

Hinc sequitur, Mercedem opere præstito accipi & exi-
Discrimen solutionis ante opus, & post opus. gi posse; quia debetur iure naturali: & eã accipiendo non obstringit se ad aliquid, quod sit peccatum, nec approbat facinus commissum. potest enim illud detestari qua peccatum, & dolere se fecisse: tamen quia factum est, potest persequi commodum & Ius, quod ex eo obuenit. Secùs si accipiat mercedem ante opus; quia nõ potest accipere nisi obligando se, & promittendo tacitè operis executionẽ. qui enim accipit pactam mercedem ante opus. confirmat se in contractu, & spondet opus, vt ex parte sua contractum impleat. cumque antea solum esset promissio conditionata, seu respectiua, *si soluas mercedem*, iam fit absoluta; quia impletur conditio, sub qua promiserat opus.

Aduerte tamen, probabile esse, eum, qui aliquid promi-
20 fit pro opere malo, quod legibus punitur, vt pro homicidio, adulterio, furto, & similibus; non teneri ad implẽdum promissum, etiam opere secuto; quia est communis sententia Doctorum vtriusque Iuris. vt docet Couarruuias *Contrario est probabilis.* supra num.6. Et confirmatur ex L.Si plagij.123.ff.de verborum obligationibus vbi dicitur; *Si plagij* (alij legunt flagitij) *faciendi, factiue causa concepta sit stipulatio ab initio nõ valet.* & L.Generaliter 26.ff. eodem. *Generaliter nouimus, turpes stipulationes esse nullius momenti.* quibus locis lex reddit irritas tales conuentiones. Quamuis responderi pos-
21 sit, leges illas, & similes ita accipiendas esse, vt significent *Mens illarũ legum.* non valere tales stipulationes ante factum, neque etiam post factum dari Ius petendi promissum in foro externo; non autem earum mentem esse, tollere obligationem naturalem, quæ ex huiusmodi promissionibus onerosis oritur. vide supra cap.14.dub.8.

DVBITATIO IV.

Quænam promissiones sunt irritæ iure positiuo.

SVPPONO, Iure naturæ irritas esse omnes promissiones, quarum impletio est illicita: quia nemo potest obligari ad peccatum. Iure autem positiuo probabile est esse irritas, Primo, Omnes eas promissiones, quæ factæ sunt ob turpem causam, quæ legibus punitur, etiamsi earum impletio illicita non sit: quamuis contrarium

trarium verius videatur; vt iam dictum est.

23 Secundò, Irritæ sunt omnes promissiones, quæ præbet occasionem peccandi, vt si promittas alicui, quod non tenebitur in posterum de dolo, de vi, de iniuria, de furto. vt patet L.27.§.4.ff. de pactis. si tamen post iniuriam cõmissam, liberè eam condones, valet condonatio. non enim leges impediunt condonationem; sed volunt, ne ex vi promissionis aut pacti præcedentis, tenearis condonare.

24 Tertiò. Irritæ sunt, quæ adimunt libertatem disponendi de rebus suis. vt si promittas alicui, quod illũ institues hæredem, quòd non reuocabis testamentum, quod dabis tantum, v.g. 100. si non instituas hæredem. Hæc omnia comprehenduntur L. Pacta 6. C. de pactis vbi sic dicitur; *Pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris est*. Idem colligitur ex L. Stipulatio hoc modo. 61. ff. de verbor. obligat. *contra leges* ea dicuntur fieri, in quibus promittitur aliquid, quod leges prohibent, vt homicidium, furtum. *contra bonos mores* sunt, per quæ datur occasio iniquè agendi, vt in exemplis num. 23. vel impediuntur illi mores, quos expedit esse in Rep. bene instituta. vide Syluest. v. Pactum num. 8. & 11. & Molin. disp. 271.

25 *Iuramento confirmata sunt valida.* Aduerte tamen, etsi promissiones & pacta quæ dicũtur esse contra bonos mores sint per se irrita, tamen si accesserit iuramentum, esse seruanda: vt docet Sylu. v. Pactum. nu. 11. Omne enim iuramentum seruandum est, nisi sit de re illicita, vel contra leges, vel alia ratione contra bonum publicum, vt supra c. 17. dub. 7. nu. 54. ostensus est.

26 *Contra bonos mores.* Nec obstat, quòd hæc pacta dicantur esse contra bonos mores: iuramentum autem contra bonos mores præstitũ non sit obligatorium, vt habetur cap. Non est obligat. 58. de regulis Iuris in 6. quia vt Syluester ait, non sunt *contra bonos mores naturales*, (de quibus intelligenda est ista regula) *sed ciuiles*; id est, non sunt contra virtutem, ita vt res promissa sit peccatum, sed possunt incõmodare moribus, quos expedit esse in Republica. Hoc modo pactum, quod filia, dum nuptui traditur, cum patre init, vt dote contenta, nullum ad bona paterna regressum habeat. est contra bono mores, & irritum iure ciuili; tamen iuramento confirmatur, vt constat cap. Quamuis pactum. de pactis in 6. & promissio vsurarum est contrà bonos mores; quia occasionem præbet exigendi vsuras, tamen impleri debet, si iuramentum accedat. cap. Debitores. de iureiurando. Potest tamen in huiusmodi pactis peti dispensatio iuramenti ab Episcopo, si in illis aliqua iniuria intercessit & tunc promissum non seruari. vt supra cap. 17. dubit. 7. dictum est.

27

DVBITATIO V.

Vtrùm promissio vel donatio interna obliget nos homini.

28 *Non obligat nos homini.* RESPONDEO, & dico Primò, Etsi promissio vel donatio pure interna facta Deo, obliget nos Deo cordium inspectori; non tamen facta homini, obligat homini. est communis sententia DD.

29 Sed difficultas est, Vtrùm id proueniat ex solo iure positiuo, an ex iure naturali. Quidam putant id prouenire solo iure positiuo. consistendo enim intra limites iuris naturalis, talem actum inducere veram obligationem. Ita Ledesma in 4 p. 2. q. 18. ar. 1. dub. 13. & inclinat Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. Molina disp. 266. Probari potest. Primò, Quia promissio interna addit aliquid supra nudum propositum: ergo magis obligat. Secundò, Actu interno, quo quis non vult amplius rem habere in bonis suis, potest amitti possessio & dominium. ergo etiam causari obligatio erga alterum. Tertiò, Tota vis obligandi promissionis & donationis est a voluntate interna: ergo hæc sufficiès est ad obligandum. confirmatur, quia expressio exterior non est necessaria, nisi vt possit cognosci & acceptari ab altero: atqui hæc acceptatio iure naturæ non est necessaria. Hæc sententia est probabilis.

Est probabilis.

30 *Promissio interna iure naturæ,* Dico Secundò, Probabilius tamen videtur, promissionem, donationemque internam iure naturæ esse insufficientem & inualida ad obligandum, colligitur ex D. Thoma quæst. 88. ar. 1. vbi dicit, promissionem vnius hominis non posse alteri fieri, nisi per signa externa; Deo autem posse fieri per internam cogitationem. Idem tenent passim Thomistæ: ratio est, quia promissio & donatio sunt signa quædam practica, elicietia id ipsum, quod significat. qui enim dicit, promitto tibi, do tibi, non solum significat internam cogitationem & affectum dandi, sed etiã ipsum actum donationis & promissionis, qui in hisce verbis sub tali intentione prolatis, formaliter consistit, & effectum eius, scilicet obligationem, quæ nascitur in promittente, & ius, quod nascitur in promissario. quæ cum actus interni non sint idonea signa ad alteri significandũ, nõ sunt etiam idonea instrumenta ad se alteri obligandum: nam hæc aptitudo fundatur in significatione ad alterum. Si tamen alter posset cognoscere internas cogitationes, sicut possunt Angeli, quando ad eos diriguntur; tunc per actũ internum optimè posset donatio & promissio fieri. Accedit, quòd talis promissio non sit acceptata; quod tamẽ necessarium est ad obligationem, vt statim dicetur. sub hac enim tacita conditione fieri censetur.

videtur inualida ad obligandum se homini. 31

32

Ad primum Respondeo, Interna promissio addit supra propositum aliquam inchoationem promissionis; quę tamen adhuc est insufficiens ad causandam obligationem. *Ad argumenta.*

Ad secundum, Etsi possessio & dominium possint amitti actu interno, vt cum res habetur pro derelicto; nõ tamẽ transferri in alterum: ad hoc enim plura requiruntur. facilius enim est aliquid definere, quàm incipere esse, aut in altero produci. vnde nec ius alteri dari per internam promissionem potest.

Ad tertium, Etsi tota vis obligandi sit a voluntate, tamen voluntas non potest eam immediatè in homine causare absque actu externo; tamquam instrumento. alioquin hoc ipso, quo interius vellem, alter haberet ius in omnia bona mea, nec possem ea alteri dare vel retinere. hinc fit, vt etiam Iurisdictio sine actu externo dari nequeat, vt cõmuniter Theologi docent. Ad confirmationem. Non tantum ideo requiruntur externa signa, vt alteri significetur voluntas donandi, sed etiam vt ipsa donatio & promissio per illa fiat. vt dictum est. 33

DVBITATIO VI.

Vtrùm promissio vel donatio externa obliget ante acceptationem, & quomodo acceptanda dum sit absenti.

34 *Potest renocari.* RESPONDEO, & dico Primò, Promissionem ante acceptationẽ ordinariè nullam parere obligationem naturalem aut ciuilem. est communis sententia Doctorũ teste Gomezio to. 2. ca. 9. numero 1. & seqq. & patet L. 1. ff. de policitationibus. Idem dicendũ de donatione, vt ex communi sententia Doctorum docet idem Gomez. tom. 2. cap. 4. nu. 3. & colligitur aperte ex L. Absenti. 10. ff. de donat. & L. Nec ambigi. 6. C. eodem. Vnde sequitur. ante acceptationem semper reuocari posse: quod tum ex prædictis iuribus, tum ex alijs clare deducitur, vt L. Multum interest. 6. C. Si quis alteri, vel sibi & L. Si pater. 4. ff. de manumissis vindicta.

Idem in omnibus alijs contractibus locũ habet L. Contractus. 16. C. de fide Instrumentorum. & alibi. Ratio est, quia obligatio non nascitur nisi mutuo duorum consensu. L. 1. ff. de pactis. quare priusquam alterius consensus accedat, prior potest pœnitere, & suam oblationem reuocare.

Ex his patet Primò, Mortuo donatario ante acceptationem, inualidam esse donationem: quia amplius acceptari nequit. 35 *An valeat mortuo donatario.*

Dices, Poterit acceptari ab hæredibus.

Respon. Ex rigore Iuris non posse; quia ad illos directa non fuit. videtur tamẽ posse ex quadam æquitate, quia hæredes personam defuncti repræsentant: & præsumendum est eam esse mentem donatoris, vt si defunctus beneficio eius frui non posset hæredibus illius prodesset; nisi de contrario constet. quod intellige, si illi hæredes sint liberi: secus si extranei.

Secundò, Quando donatio defertur per nuntium, si cõtingat illum mori ante insinuationem vel traditionem, censetur tacitè reuocata: quia per mortem mandatarij solui mandatum. L. 57. Mandatum. ff. mandati. vnde con- *An mortuo nuntio.*

fen-

ſenſus donatoris. qui illi commiſſus & per illum deferendus erat ad donatarium, quaſi euaneſcit; quo fit vt duorum conſenſus non poſſint concurrere.

Hoc tamen intellige, ſi nuntio commiſſum erat vt verbis, & traditione reali rem perageret. ſecus ſi ſolum litteras deferendas habuit. hæ enim ſi ad manus donatarij pervenerint, ſufficiunt ad donationem inſinuandam vel deferendam. vnde ipſe vicißim per litteras poterit eam acceptare.

36 *Quædam pollicitationes obligant.*

Dixi *Ordinariè*, quia à Doctoribus excipiuntur quædam pollicitationes, quæ obligant ante acceptationem: nempe quæ fiunt ciuitati, vel vniuerſitati, vel Eccleſiæ, vel hoſpitali. In iure tamen non inuenitur expreſsè, niſi de promiſſione facta ciuitati ad inſtaurandas ruinas, vel ob honorē ab ea receptum aut recipiendum, vel ad opus aliquod faciendum, ſi hoc opus iam ſit inchoatum. de quibus .C. de pollicitationibus, per totum. Verum Doctores id extendūt ad promiſſiones jam dictas. quia promiſſiones & donationes ad pias cauſas, videntur æquari donationibus & promiſſionibus factis ciuitatibus, ſi priuilegia ſpectemus. vt patet L. illud. 19. & L. Vt inter. 23. Cod. de Sacroſanctis Eccleſijs.

37 *An iure naturæ requiratur acceptatio.*

Sed difficultas eſt, vnde proueniat quòd ex promiſſione & donatione ante acceptationem non oriatur obligatio. Quidam putant id prouenire ex ſolius iuris poſitiui diſpoſitione; quam conſiſtēdo intra limites iuris naturalis ſufficere conſenſum ad obligationem. Couarruuias in caput Quamuis pactum. p. 2. §. 2. num. vlt. Molina diſp. 263. Probatur Primò, Quia ex pollicitatione facta ciuitati oritur obligatio: ergo hic actus natura ſua ad hoc eſt ſufficiens. cōſequentia patet; quia ius ciuile non tribuit contractibus maiorem vim, quàm natura ſua habeant; quamuis interdum ob bonum commune, illis vim, quam per ſe habent, adimit. Secundò. Quia in gratuitis promiſſionibus acceptatis, obligatio nō oritur ex acceptatione, ſed ex gratuita promiſſione, quæ nō expectat obligationem reciprocam.

Couarr. ſentent. non requiritur.

38 *Donationes ad cauſas pias.*

Hæc ſententia eſt probabilis; & ex ea ſequitur, promiſſiones & donationes ad pias cauſas eſſe validas ante omnem acceptationem. quod tenet Felin. in c. 1. de pactis. n. 7 citatq. pro ſe Bartolum, Baldum, Panor. & alios. ratio eſt; quia iure naturali ſunt validæ; & iure ciuili non ſunt reditæ inualidæ: nam leges ciuiles, quæ irritas reddunt tales promiſſiones & donationes, non habent vim in pijs cauſis eo quòd iure Canonico (ad quod ea res pertinet) non inueniantur approbatæ. Sed contraria ſententia videtur eſſe communior Doctorum. Vnde

39 *Verius eſt, Iure gentium requiri acceptationem.*

Dico Secundò, Verius videri, quod promiſſio & donatio non habeat vim obligandi ante acceptationē, id prouenire non tantum ex iure ciuili, ſed etiam ex iure naturali, vel iure gentium. vnde vt habeant vim abſolutè obligandi, iure gentium requiri acceptationem. Probatur Primò, Quia in cōtractibus oneroſis, ante acceptationem licitum eſt vbique gentium pœnitere & reuocare ſuā oblationem; vt patet in contractu emptionis ſponſalium, matrimonij, & alijs: nec opus eſt expectare donec alter acceptet vel reijciat: ergò idem licitum erit in promiſſionibus, & donationibus gratuitis, niſi lex poſitiua adimat hanc poteſtatē. Secundò, Sicut promiſſio vel oblatio oneroſa, qua quis ſe obligat, habet tacitam conditionem, nempe, *Si alter vicißim ſe velit obligare*; ita etiam promiſſio & donatio habent tacitam conditionem, *ſi acceptentur*; Nam vt L. Qui abſenti. 38. ff. de acquirenda vel amitt. poſſeſſ. dicitur. Qui promittit vel donat, non videtur animum ſe obligandi habere, donec alter acceptet. ergo ſicuti ibi conditione nondū impleta, poteſt reuocare oblationem; ita & hic. Tertiò, Quia ex contraria ſententia ſequitur, eum, qui apud ſe, nemine audiente, diceret promitto vel do Ioanni Roo. teneri manifeſtare hanc ſuam donationem Ioanni, an velit acceptare; nec poſſe pœnitere. quod tamen videtur durum, & credibile nuſquam gentium vſitatum.

40 *Ius ciuile impedit reuocationem.*

Ad primam rationem Reſpondeo, Ius ciuile non efficere vt pollicitatio facta ciuitati vim habeat abſolutam ante acceptationem; (nihil enim tale colligi poteſt ex vlla lege toto titulo de pollicitationibus) ſed ne poſſit reuocari pro libito, ſicut ex natura rei poſſet: vt patet ex L. 3. eodem tit. vnde fit, vt talis promiſſio ſemper poſſit acceptari, & promiſſum peti: quæ petitio videtur neceſſaria vt teneatis ſolūere, vt ijſdem legibus indicatur. Nec tenetur promiſſor eam ciuitati inſinuare: nulla enim lex id præcipit. Idem dicendum videtur de pollicitationibus ad cauſas piasniſi ex intentione promittentis vim habeant voti: nam tunc ſponte ſolui debent. Itaque ex pollicitatione omni naſcitur quædam obligatio veluti conditionata, & ſuſpenſa, donec acceptetur, vel reuocetur, quam reuocationem ius poſitiuū poteſt impedire. vnde tunc ius ciuile non tribuit proprie pollicitationi vim, quam iure naturali vel gentium non habet, ſed impedit ne poſſit reuocari.

Ad ſecundum, Obligatio non oritur ex acceptatione tāquam ex cauſa directa, ſed tamquam ex conditione ſine qua non. ſicut enim ignis eſt ſufficiens cauſa calefactionis aquæ, tamen non poteſt ex eo naſci calefactio, niſi aqua debito modo applicetur; ita promiſſio eſt ſufficiens cauſa obligationis, & iuris in altero, ſi alter eam acceptet: quæ acceptatio eſt veluti conditio neceſſaria, vt promiſſio vim exerat, vſque tribuat. 41

Quòd ad alteram partem huius dubitationis, quæ eſt de modo acceptandi, ſeu quid requiratur, vt donatio facta abſenti, valide poſſit acceptari, attinet; dicendum eſt, Primò requiri, vt donator, abſenti per epiſtolam, vel nuntium, cui id commiſerit, eam deferat, vel inſinuet. id enim neceſſarium eſt, vt duorum voluntates in vnum concurrant; vt colligitur L. Abſenti, 10. ff. de donationib & L. 1. ff. de contrahenda emptione. Vnde ſi alius quiſpiam præcurrens, cui id mandatum non fuit, donationem illi inſinuet, non ſufficit vt valide acceptari poſſit; quæ eſt communis ſententia DD. vt refert Clarus lib. 4. §. Donatio, qu. 12. & colligitur ex Gloſſa in L. Nec ambigi. 6. C. de donat. Ratio eſt; quia cum promiſſor non intendat per hunc hominem, ſuū conſenſum & obligationem in alterum dirigere, non poteſt alter, acceptando, aliquid iuris acquirere. nam cui nihil valide offertur, nihil etiam poteſt valide acceptare. Cum autem ipſe nuntium mittit, tūc in verbis nuntij ſuum conſenſum & obligationem ponit, vt per eum ad abſentem deferatur: & ſic ſuum abſens coram nuntio acceptat, duorum conſenſus concurrunt; quod ad rationem pacti eſt neceſſarium, vt dictum eſt dub. 1. c. 17.

42 *A latere pars. De modo acceptandi, quādo facta abſenti.*

Debet inſinuari per nūcium, vel ſpiſtolam.

Secundò, Si donatio per nuntium deferenda, vel facienda eſt abſenti; requiritur vt hic eam coram nuntio acceptet; nec ſufficit eam acceptare coram alijs, vt ex multis auctoribus oſtendit Sancius libr. 1. de matrimonio, diſput. 7. nume. 35. Ratio eſt; quia alioquin duorum conſenſus non concurrunt; nec viciſſim innoteſcunt. Quam ob rem, acceptatio debet exprimi illi, qui eam offert; id eſt, ipſi promittenti, vel eius nuntio, qui eius locum ſupplet. Hoc ipſo enim, quo aliquis deſtinatur ad abſentem, vt offerat ei promiſſionem alterius: conſtituitur etiam ad recipiendam eius acceptationem. vel, ſi promiſſio ſit oneroſa, eius repromiſſionem.

Debet acceptari coram nuncio, ſi per nuncium offeratur.

Vnde ſequitur, Non videri veram ſententiam Sylueſtri v. Matrimonium 5. qu. 12. & quorumdam aliorum, qui docent, quando matrimonium contrahitur per nuntium vel litteras, ſufficere vt abſens exprimat cōſenſum ſuum alijs. debet enim conſenſus abſentis exprimi illi, qui cum petit, & qui ſub conditione illius ſibi rependendi, in alterū conſentit; niſi conſtet, aliam eſſe promittentis mentem. Quod addo; quia non eſt de eſſentia contractus, vt conſenſus abſentis, cum quo contrahis tibi innotuerit. Si enim mens tua eſt, vt ſtatim contractus valeat poſito alterius conſenſu, etiam antequam tibi innoteſcat, ſtatim valebit. hoc tamen non præſumitur niſi clarè ſit expreſſum.

Si offeratur per litteras.

Si verò per litteras promiſſionem tuam abſenti obtuleris; vt acceptatio eius ſit valida, ita vt retrocedere nequeas requiri, vt ea tibi viciſſim per litteras, vel per nuntium ad te miſſum, innoteſcat. Ita Sancius ſupra. Dubitabur Primò, quia requiritur acceptatio externa expreſſa, ita vt promiſſor eā poſſit intelligere. Deinde, quia alioquin nō concurrunt conſenſus duorū in vnum. Denique, quia antequam tibi innoteſcat conſenſus alterius, poteſt ille ſuum conſēſum reuocare: ergo & tu potes tuum. quod maxime locū habet in promiſſionibus reſpectiuis, quæ requirunt repromiſſionem. hæ enim omnes, hanc tacitam conditionē habent; ſi is cui promittis, viciſſim repromittat ſeque obliget: quod fit ſigno externo, ad promiſſerē directo. In gratuitis tamen promiſſionibus, vel donationibus, non puto neceſſarium vt litteræ acceptationis, vel nuntius ad donatorem peruenerint: quia non tanti intereſt eum, qui gra-

tis donat, scire suam donationem acceptari, quam eum, qui sub onere aliquid offert, & repromissionem expectat, nosse, alterum repromittere. cuius signum est, quod donator non sit multum de eo cognoscendo solicitus. Secus vero in eo, qui cõtractum onerosum init. Denique qui gratis donat, non videtur beneficium suum ad hoc velle restringere, vt non habeat vim, nisi litteras de acceptatione acceperit; sed potius cupit illud, simul atque debito modo acceptatum fuerit, efficax esse.

44 *Si reuocet consensum misso nuntio.*

Tertio, Requiritur vt non reuoces donationem ante acceptationem. si enim reuoces, & nuntio, quem misisti, id innotescat; non potest quid quam efficere. L. Si vero 12. §. Si mandauero. ff. Mandati, *quia extinctum est mandatum*, vt ibidem dicitur; ac proinde omnis potestas insinuandi, vel tradendi, ei adempta. Si autem non innotescat ante executionem, tunc distinguendum est: vel enim ille se habet solum ut nuntij, referentis alterius donationem, aut rem tradentis; vel habet mandatum faciendi donationem. Si priore modo se habeat; facta reuocatione, nihil fit: quia deest omnino consensus ex parte donantis. Ille enim nuntius solum habet officium nuntiandi vel tradendi; non autem tribuendi aliquid Iuris. Si secundo modo, valent eius acta, non quidem ad transferendum dominium; sed ad tribuendum donatario Ius ad rem, & donatori injiciendam obligationem ad consensum. Colligitur L. Si mandassem. 15. & L. 26. Inter causas. ff. Mandati. Tenetur enim mandator rarum habere, quod ex vi mandati, bona fide, eius nomine gestum est. Vide Gomezium tomo secundo, capit. 4. numero 3.

An possit mortem donatoris possit accepari.

Pets. Verum post mortem donatoris, possit donatio valide acceptari?

Respondeo Primò, Quando ipsa donatio ante mortem facta est ex parte donatoris, & missa ep itola vel nuntius, qui illam absenti insinuet, vel rem tradat, si contingat donatorem mori ante insinuationem, verius est illam nihilominus valide acceptari posse. Ita docet Sanctus li. 1. de matrimon. disput. 6. num. 5. & Molina i reconditus libr. 4. de primog. cap. 2. nume. 77. Ratio est; quia donatio illa, ex parte donantis fuit valida, etsi reuocabilis; vt expresse habetur L. Nec ambigi. 6. C. de donat. & manet virtute impressa literis vel nuntio, vt ad donatarium transeat. Vnde perseuerat post mortem; ac proinde potest tũc acceptari. Confirmatur Primò. Quia donatio mortuo donatore non potest reuocari per hæredem, etiamsi nondum sit acceptata, vt passim docent DD. Couarr. li 3 var. cap. 14 nume. 17. Iulius Clarus §. Donatio. quæst. 13. in fine & alij. quod est signum illam posse valide acceptari post mortem. quorsum enim adempta hæredi potestas reuocandi, si non potest acceptari? Confirmatur Secũdo, Quia donatio est gratia quædam: quando autem gratia facta est ex parte concedentis, potestas executoris non expirat morte concedentis, vt expresse dicitur c. Si super gratiam 9 de offi. deleg. in 6 Contraria tamen sententia est plurimorum Doctorum, vt ostendit Sanctus; quorum fundamentum est, quia mandatum morte mandantis soluitur. Verum hic non est proprie mandatum donandi. sed donatio ipsa, vt dictum est. Itaque illam ratio ad alium casum pertinet. Vnde.

46 *Si solum sit mandata, nõ potest.*

Dico Secundo, Quando donatio ante mortem donatoris non est facta ex parte ipsius, sed solum mandata fuerit; vt si misit rem per nuntium vel procuratorem, cum mandato, vt suo nomine det absenti. tũc si antequam ille munere suo fungatur, contingat donatorem mori, non potest donatio valide acceptari. vnde res illa restituenda est hæredibus donatoris. Ratio est; quia ante mortem donatio facta non fuit, sed solum datum fuit mandatum donandi. mandatum autem, morte mãdantis expirat, vt habetur d. l. 26. Inter causas. ff. Mandati. vnde procurator ille non potest donationem nomine sui mandatoris facere; & si fecerit, erit nullius momenti: ac proinde et acceptatio. Hoc tamen intelligendum est, nisi mandatum fuerit in fauorem piæ causæ; quia illud morte mandantis non expirat; vt notat Moli ex Couar. l. 1. var. c. 14. nu. 16. vnde etiam post mortẽ est exequendum. cuius ratio est; quia quilibet præsumitur ita tacite voluisse in vita: cum opera pietatis tunc maximè homini sint necessaria. Confirmatur ex L. Si pater. 4. ff. de manu. vind. vbi mandatum de manumittendo seruo non expirat morte mãdantis, fauore libertatis: ergo multò magis idem dicendum fauore piæ causæ, & salutis animæ.

Mandatum in fauorem piæ causæ.

Hinc sequitur, Si culpa nuntij donatio non fuerit tempestiuè ante mortem donantis facta, ipsum teneri ad duplicem restitutionem: nam hæredibus defuncti tenetur ratione rei, quæ tunc illorum est; donatario ratione damni, quod eius culpa contraxit. vt rectè notauit Molina disput. 263. posito enim tali mandato, tenebatur nuntius lege iustitiæ adhibere diligentiam, & mandatum ex mente mandantis in commodum donatarij implere.

Aduerte tamẽ quosdam sentire mandatum donandi non expirare morte donatoris, eo quòd sit gratia quædam. ita Emanuel Sa v. Donatio, nu. 21. & v. Mandatum. nu. 2. quæ sententia est probabilis: & iuxta illam non tenebitur nuntius ille hæredibus, sed soli donatario.

DVBITATIO VII.

Qui possint promissionem vel donationem absenti factam acceptare; siue, vt Iurisperiti loquuntur, Qui possint pro absente stipulari.

RESPONDEO, Primò, id potest omnis, qui ab altero generalem vel *s*pecialem habet commissionem.

47 Secundò, Is qui est sub alterius potestate, ita vt non sit sui Iuris. vt filiusfamilias pro patre, seruus pro domino, Religiosus pro Prælato. Ratio est, quia censetur vna persona. non tamen famulus mercenarius pro suo domino, aut subditus pro Principe, quia sunt sui Iuris. vnde Inst. de inutilibus stipulationibus. §. Si quis alij, dicitur, *si quis alij quã ei cuius iuri subiectus sit, stipuletur, nihil agit*.

Tertiò, Qui aliorum curam gerunt, vt tutor pro pupillo, curator pro furioso. Item Princeps pro subdito: quia cũ hic alteri possit facultatem facere stipulandi pro altero, multò magis ipse eam habet. Item Notarius publicus, præsertim si de eo conficiat instrumentum. de quo vide Couarruuiam libr. 1. variar cap. 14. num. 11. & deinceps. Hoc tamen de notario solum in Iudicio locum habere multis testimonijs ostendit noster Sanctus lib. 1. disputatio. 7. numero 11.

Quartò, Is qui ex donatione, vel promissione facta absenti, commodum reportat, vel onere aliquo liberetur. vt patet §. Sed & si quis, Instit. de inutilibus stipulationibus: vt creditor pro debitore, socius pro socio, vxor pro marito; vel si pœna sit adiecta in fauorem præsentis. de quo vide Couarruu. in capitu. Quamuis pactum. p. 2. §. 4. numero 5.

48 Quintò, Quiuis priuatus potest stipulari & acquirere Ecclesiæ, *p*ijsve causis, iuxta Glossam, communiter receptam in cap. Quoties cordis 1. quæstio. 7. de quo Couarruu. sup. num. 14. Ad hos reduci possunt omnes quos refert Glossa in §. Si quis alij. Instit. supra. Frater hos autem nemo potest iure communi valide pro absente stipulari seu acceptare promissionem in fauorem absentis factam, ita vt inde nascatur aliqua stricta obligatio. Ratio est; tum quia Iura resistunt tali stipulationi, eamque irritam reddunt. vt patet d. § Si quis alij. & L. 126. Si ita stipulatus. §. Chrysogonus ff. de verb. oblig. Tum quia promissio facta alicui, cuius nihil interest eam impleri, censetur solum verbis facta illi, reipsa autem solum facta est tertio, in quem est exequenda. Nihilominus secundum communem vsum hominum, amicus pro amico ita stipulari solet, vt aliquam leuem obligationem pariat. Si tamen hæc iuramento confirmetur, non solum in foro conscientiæ obligat, sed etiam in foro ciuili tribuit actionem. vt patet ex dictis dubitatio. 4. Secus vero quando stipulatio nihil valet: quia iuramentum secundum naturam actus, in quem cadit accipiendum est. atqui actus habet tacitam cõditionem, puta, si valide acceptetur: ergo donec valide acceptatus fuerit, poterit reuocari, etiamsi iuramentum intercesserit. vide supra cap. 17. dubitatio. 7. num. 52. Circa prædicta.

49 *Verba promissionis ad præsentem dirigenda.*

Notandum Primò, Vt is, qui præsens est, possit pro absente stipulari, (id est, promissionem in absentis commodũ petere & valide acceptare) requiri vt verba obligationis dirigantur expresse vel implicite ad præsentẽ. v. g. promitto tibi me daturum Petro 100. &c. Si enim dirigantur ad

ad abſentem, is qui præſens eſt, non poteſt promiſſionem acceptare. quia illi non fit. Ita docet Couarruui. ex communi ſententia Doctorum, in cap Quamuis pactum. p. 2. §. 4. num. 13. vnde ſi dicat. Promitto Petro abſenti 100. nemo poteſt validè acceptare talem promiſſionem nomine Petri. Ratio eſt, quia vt fiat pactum, neceſſarius eſt conſenſus reciprocus duorum in idem, vt patet ex pacti definitione dubit. 1. hic autem non eſt conſenſus reciprocus, quia non adeſt conſenſus eius, in quem tuus conſenſus, & verba tuæ promiſſionis diriguntur. Itaque talis promiſſio, ſemper poteſt reuocari, quamdiu abeo, qui abſens eſt, acceptata non fuerit.

Dixi *Expreſsè vel implicitè*. quia dupliciter verba promiſſionis cenſentur ad præſentem dirigi. Primò, Quando exprimitur perſona præſens. vt promitto tibi, &c. Secundò, Quando perſona, cui fit promiſſio, non exprimitur, quamuis ea, in cuius fauorem fit, exprimatur. vt ſi dicas, promitto me daturum Petro 100. tunc enim implicitè cenſetur fieri præſenti: ſic enim vſus hominum conſueuit; & in dubio is ſenſus verbis contractus eſt tribuendus, qui faciat valere. L. Quoties in ſtipulat. 80. ff. de verb. oblig. quare ſi præſens acceptet, valet.

50 *Stipulator nō poteſt eā condonare.*

Notandum Secundo, Eum qui validè nomine alterius promiſſionem acceptauit, non poſſe eam condonare, quia iam tertio ex diſpoſitione legum eſt Ius quæſitum, quo illum priuare non poteſt. obligatio tamen, qua obſtringitur promiſſor tertio, adhuc pendet, donec à tertio acceptata fuerit: vnde ante eius acceptationem nō tenetur eam exequi. ratio eſt, quia præſens non acceptauit eam nomine ſuo, ſed nomine tertij & ſub eius beneplacito. vnde ſi ille eam repudiet, tota eſt irrita; quamuis id in damnū præſentis verteret. ſecus eſt, quando is, qui acceptat promiſſionem pro tertio, viciſſim aliquid repromiſerit: tunc enim poteſt condonare promiſſionem in fauorem tertij factam, ratio eſt, quia poteſt ſeipſum obligatione ſoluere, conſentiente promiſſore, cui ſe obſtrinxit. Confirmatur ex reg. 35. ff. de reg. Iuris. *Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidque diſſolui, quo colligatum eſt*. itaque cùm hoc vinculum ortum ſit ex acceptatione ſtipulantis, poterit eiuidem remiſſione diſſolui.

Dices. Hoc argumentum videtur probare, etiam poſſe condonare, etſi nihil repromiſerit: quia iiſdem cauſis res diſſoluitur, quibus ab initio conſtitit. Nec obſtat, quòd tertio videatur ius acquiſitum; quia dici poteſt. ita eſſe acquiſitum, vt pendeat ex arbitrio ſtipulantis; ſicut quando ſtipulans viciſſim aliquid repromiſit. Confirmatur, quia cōſiſtendo intra limites legis naturæ poteſt remittere; atqui nullum eſt. Ius poſitiuum, quòd ſciam quod hanc remiſſionem irritum reddat; præſertim cùm verba promiſſionis non ad abſentem, ſed ad ſtipulantem directa fuerint. Denique ſtipulans non tenetur abſenti indicare ſe in fauorem ipſius ſtipulatum eſſe, præſertim quādo ex officio vel mandato non tenebatur res ipſius curare: ac proinde inutilis ei erit illa ſtipulatio.

Ob has rationes illa ſententia non videtur improbabilis: eamque tenet collector deciſionum Pedemōtan. in 70. & fauent auctores, qui tenent, donationem in fauorem abſentis factam & acceptatam, reuocari ex conſenſu donatarij poſſe. de quo vide Couar. lib. 1. var. c. 14. num. 13. & infra dub. 9. num. 64. & 65.

51 *Promiſſio onerosa facta abſenti.*

Notandū Tertiò, Ea, quæ diximus de acceptatione promiſſionis pro abſente, intelligenda eſſe tantummodo de promiſſione gratuita ſeu lucratiua. Si enim promiſſio ſit onerosa, ſeu reſpectiua, (vt cùm promitto tibi me ducturum tuam filiam, ſi ipſa viciſſim velit promittere: me venditurū parenti tuo meam domum, ſi pro ea mille dare velit) non ſufficit vt tu pro abſente acceptes; ſed requiritur vt abſens eam acceptet, & repromittat. vnde ante eius repromiſſionem, quæ viciſſim priori promittenti nota ſit, ſemper reuocari poteſt. Ita Sanctius ſupra num. 12. Molina diſputatio. 164. & quidam Iuriſperiti. Probatur Primò, Quia ante vtriuſque partis obligationem, non poteſt effici perfectus contractus: cōtractus enim reſpectiuus, habet tacitam conditionē, ſi alter repromittat; qua non impleta potes reſilire: quia promiſſio non eſt plenè acceptata. Secūdò, quia abſens poteſt nolle acceptare cū illo onere: ergo ſimiliter contrahens cum abſente, poteſt retrocedere. patet conſeq. quia contractus onerosi non debēt claudicare. Tertiò, Qui acceptat pro abſente nō poteſt acceptare. niſi quatenus ei poteſt eſſe cōmoda: ſed hæc nullo modo ſufficit; quia etiamſi fieret per ipſum abſentem, & coram, nō ſufficeret: debet enim ſimul adeſſe repromiſſio; vt ex vſu communi omnium gentium patet.

Dices. Omnis promiſſio ſeriò facta & acceptata ab eo, cuius intereſt eam impleri, ſeruanda eſt lege naturæ, ſiue ſit abſoluta ſiue conditionata. ſi enim eſt conditionata, expectandus eſt euentus conditionis, vt mandetur executioni. Confirmatur Primò. Quia talis promiſſio facta præſenti in fauorem abſentis, eſt abſoluta promiſſio: conditio autem, quæ additur vel ſubintelligitur, non afficit ipſam promiſſionem, ſed eius executionem; ergo hoc ipſo, quo acceptatur ab eo, cui immediatè fit, obligat abſolutè, quamuis ad executionem non teneatur, niſi poſita conditione. Confirmatur Secundò. Quia qui tale quid promittit, ſimul cenſetur promittere ſe expectaturum, vt conſenſus alterius inquiri poſſit. alioquin videretur deluſoriè promittere præſenti.

Reſpon. Si illa promiſſio eſt reſpectiua, poſtulans repromiſſionem, poteſt reuocari ante repromiſſionem: neq; huius conditionis euentus eſt expectandus lege Iuſtitiæ, ſed ſolùm lege conſtantiæ, (ſi res interea non mutentur) quæ tamen non obligat, niſi forte ad veniale. Ad Primam confirmationem. Illa promiſſio non eſt abſoluta, quia promiſſor non intendit ſe obligare irreuocabiliter, niſi aliter promittat. Ad Secundam confirmationē. Non promittit ſe expectaturum: alioquin præter promiſſionem reſpectiuam, eſſet alia, quæ ſit gratuita; quod eſt contra ſuppoſitum. agimus enim de eo caſu, in quo ſolùm eſt reſpectiua. neque ideò eſt deluſoria promiſſio; quia ſeriò promiſit, neque ab initio habebat in animo reuocare.

DVBITATIO VIII.

Quantum obliget promiſſio externa legitimè acceptata.

52 *Sententia Caiet. ſolum obligare ſub ven.*

SVNT tres ſententiæ, Prima eſt Caietani infra quæſtio. 113. articul. 1. ſub finem, vbi docet, promiſſionem per ſe, ſolùm obligare ſub peccato veniali: per accidens tamen, nempe ratione damni, quod promiſſarius ea non impleta incurreret, poſſe obligare ſub mortali. Ratio ipſius eſt; quia ſolùm ex quadam honeſtate morali fidelitatis ſeu veritatis tenemur promiſſa implere. ſicut enim ex virtute veritatis tenemur dicere verum, & facere vt verba reſpondeant menti; ita ex eadem virtute obligamur, vt opera reſpondeant verbis. atqui veritatis virtus non obligat ſub peccato mortali: ergo, &c. Sed quidquid ſit de veritate huius ſententiæ, hoc fundamentum Caietani non eſt verum. Primò, Quia promittere non tantum eſt affirmare ſe daturum vel facturum, ſed vlterius eſt ſe obligare alteri, & conſequenter ius illi tribuere ad exigendum. vnde dici ſolet, *promiſſionem parere debitum*. Secundò. Quia inde ſequeretur eum, qui promittit, non magis obligari, quàm eum, qui abſque promiſſione affirmat ſe facturum; quod conſtat eſſe falſum communi hominum vſu & ſenſu. Hoc ſequi patet, quia qui tantùm affirmat ſe facturum, tenetur ex virtute veritatis ſuum dictum verificare, ne lædat honeſtatem huius virtutis. atqui ſecundùm Caietanum hæc eſt tota ratio; cur teneatur promittens: ergo non magis obligatur. *Refutatur fund. Caiet.*

Vbi Aduerte, Virtutem *veritatis* nos obligare ad duo; nempe vt dicta noſtra conformemus menti, ne committamus mendacium; & vt facta conformemus dictis, ne dicamus falſum. vtrumque enim requiritur vt quis ſit verax in dictis. magis tamen obligat ad non mentiendum, quàm ad non dicendum materialiter falſum. Itaque ſi promiſſio ſolùm obligaret lege veritatis. minus peccatum eſſet violare promiſſum, quàm mentiri mendacio officioſo; (quod tamen manifeſte falſum eſt) quia minus peccatum eſt non facere quod affirmaſti te facturum, quàm mentiri. certum igitur videtur, promiſſionem non tantùm obligare ex virtute veritatis; (etſi hæc obligatio in ea inueniatur) ſed etiam ex peculiari ratione & virtute, quam *fidelitatem* & *fidem* promiſſorum vocamus. 53 *Veritas obligat ad duo.*

Alia tamen ratione hæc ſententia probari poteſt. Primò,

Quia liberalis promiſſio ſolum obligat lege fidelitatis; ſed fidelitas non videtur obligare ſub peccato mortali, ſi alia incommoda abſint. violatio enim fidei, ſolú cõtinet quandam deceptionem proximi abſque damno. Secundò, Quia homines parum ſolent æſtimare violationem talium promiſſorum, nec ideo ſolent haberi iniuſti, ſicut fures, aut qui debita iuſtitiæ non ſoluunt; ſed leues, inconſtantes, non ſatis fidi. Tertiò, Quia plerique promiſſores, ſi rogarentur an velint eam promiſſionem chirographo firmare, dicerent
54 ſe nolle tam ſtricte obligari, Itaque hæc ſententia eſt pro-
Eſt probabilis. babilis; ſi tamen promiſſor non intendat amplius ſe obligare quam ex fidelitate, eamque tenent multi docti viri, vt Henriq. de excommunicatione c.17 Franciſcus Garzia de contract. 1.p.c.3. Fumus verb. Perfidia, & ex parte Molina diſput. 376.

Secunda ſententia eſt, Obligationem promiſſionis, pendere ex intentione promittentis. ſi enim promiſſor intendat ſe ſolum obligare ex honeſtate morali; ſolum tenebitur ſub peccato veniali. ſi verò intendat ſe obligare ſtrictè & ex iuſtitia, tunc tenebitur ſub peccato mortali. Ita Molina ſupra. eſtque probabilis, ſed non ſatis explicat vim promiſſionis, quantum ipſa per ſe, præciſa intentione extrinſeca, obliget.

55 Tertia ſententia eſt communior DD. Promiſſionem, ſi materia notabilis ſit, obligare ſub peccato mortali. Pro qua.

Obligare ſub pec. mor. Dico Primò, Omnis promiſſio ſeriò facta animo promittendo. in re magni momenti, vbi acceptata fuerit, obligat ſub peccato mortali ad ſui impletionem. Tenet Nauar. c 13.nu.6. Soto, l.7 q.2.ar.1.ad 1. Richardus in 4.d.38.circa tertium principal.q 3. Antoninus 2.p tit.10.c.1.§.4. vbi fusè agit de hac re, & videtur eſſe communis Canoniſtarum. vide Couarru. in cap. Quamuis pactum, §.4. vbi citat multos.

Probatur Primò, Quia omnis promiſſio, ſi fiat per formulam ſtipulationis, tribuit actionem in foro externo, & promiſſor cogitur eam implere, vt omnes DD. tradunt: ergo inducit ſtrictam obligationem; nempè lege Iuſtitiæ, vel virtutis Iuſtitiæ valde affinis, quæ proinde Iuſtitia dici poſſit.

Dices, Hinc ſolum ſequi, promiſſionem inducere talem obligationem, ſi fiat interueniente formula ſtipulationis, non autem ſi fiat ſimpliciter.

Reſpondeo, Formula ſtipulationis non reddit promiſſionem firmiorem in foro conſcientiæ. ſed ſolum in foro externo; quia præſumitur maiore cum deliberatione facta, quando hæc interuenit. Deinde etſi Iure Digeſtorum requiſita fuerit ſtipulatio, vt promiſſio ſimplex tribueret actionem in foro externo; tamen Iure Codicis non videtur requiri; vt colligi poteſt ex L.1. Si quis argentum. C. de donationib. Adde, quidquid ſit de Iure ciuili, tamen Iure Ca-
Iure Can. datur actio ex promiſſ. nonico conceditur actio ex promiſſione acceptata, etiamſi formula ſtipulationis non interuenerit, vt patet ex ca.1.de pactis. eſtque communis ſententia Doctorum teſte Gomezio tom.2.c.9.num.2. & Couarr. in c. Quamuis pactum. p.2.§.4.nu.14. & 15. Nec refert quòd Ius Canonicum requirat expreſſionem cauſæ, quia dum cauſam non exprimis cur promittas, videris per errorem promittere; quæ tamen præſumptio ceſſat in foro conſcientiæ. vide Sylueſtrum v. Pactum, num.3.

Probatur Secundo, Promiſſio onerosa acceptata obligat lege Iuſtitiæ, vt omnes fatentur: ergo etiam gratuita. Conſequentia probatur; quia etſi in onerosa ſit perfectior obligatio, eo quòd pro obligatione rependatur æqualis obligatio; tamen hoc non facit obligationem promittentis eſſe alterius generis. aut non pertinere etiam ſuo modo ad virtutem Iuſtitiæ.

Dices, Qui facit promiſſionem gratuitam, non videtur ſe tam ſtricte velle obligare, ſed ſolum ex virtute fidei, ita vt ſi non ſeruet, faciat contra fidem ſeu fidelitatem, non tamen contra Iuſtitiam.

Fides. Reſp. Virtutem fidei eſſe eam, qua quis ſeruat promiſſum, quia promiſit, & ſe verbis obſtrinxit. vnde quantum obliget promiſſio, non eſt ſpectandum ex virtute fidei, ſed contra, quantùm fides obliget, dijudicandum eſt ex natura promiſſionis: atqui promiſſio ex natura ſua obligat ſupra ſimplicem aſſertionem, vt oſtenſum eſt: ergo fides, cuius eſt implere promiſſum, obligat plus quàm virtus veritatis, cuius eſt verificare aſſertum. neque intelligi poteſt, quæ ſit hæc maior obligatio niſi ſit Iuſtitiæ, vel virtutis, Iuſtitiæ valdè affinis.

Tertiò probatur, Quia promiſſione datur ius ad rem, quod etiam ad hæredes promiſſarij tranſit; ſicut & obligatio promiſſoris ad ipſius hæredes traijcitur: atqui huiuſmodi Iuri reſpondet obligatio iuſtitiæ. Confirmatur; quia promiſſarius dicit ſibi rem deberi; poteſtque debitum exigere vel condonare; quod ſignum eſt eſſe debitum Iuſtitiæ, vel virtutis affinis. *Promiſſione datur ius ad rem.*

Quartò, Omnis obligatio contractuum eſt obligatio iuſtitiæ, & non oritur niſi promiſſione: ergo promiſſio inducit obligationem Iuſtitiæ.

Quinto, Quia homines queri ſolent, iniuriam ſibi fieri ſi promiſſio violetur. ergo fit contra obligationem Iuſtitiæ.

Sextò, Homines non ſolent acquieſcere ſimplici aſſertioni, ſed ſolent exigere promiſſionem quaſi tunc demum ſint ſecuti; ſentiunt ergo inducere obligationem Iuſtitiæ.

Septimò, Quia Cicero lib.1. offic. dicit, *Fundamentum iuſtitiæ eſt fides. id eſt. dictorum, conuentorumque conſtantia & veritas.* vocat *fidem. Iuſtitiæ fundamentum*; quia eſt cauſa operum iuſtorum, ſeu cur impleantur promiſſa & ſeruentur contractus: nam *fides* nihil eſt aliud, quàm affectus voluntatis, inclinans ad ſeruanda promiſſa, non tantum gratuita, ſed etiam onerosa, idque non tantum ad verificandum quod dictum eſt, ſed propriè ad ſatisfaciendum obligationi, quæ ex promiſſione eſt orta. vnde videtur eſſe pars Iuſtitiæ.

Petes, Quanti momenti debet eſſe res promiſſa, vt violatio promiſſionis cenſeatur eſſe mortifera?

Reſpon. Nauarrus c.18. num.6. inſinuat ſufficere vt res 56
ſit notabilis. rem autem *notabilem* explicat eſſe eam, quæ *Quantis res promiſſa eſſe debeat.*
in furto notabilis cenſetur. Sed certum eſt in promiſſione longè maiorem requiri; vt docet Lopez lib.2. de contract. c.vlt. & Ioannes Penna, quem ibidem adducit. vnde ſi furtum vnius aurei eſt peccatum mortale; requiruntur plures aurei, vt promiſſio ſub mortali obliget. Ratio eſt, quia promiſſum longè imperfectiore modo eſt debitum: nam per promiſſionem ſolum datur Ius ad rem; & multi modis poteſt reuocari, vel impediri. Deinde cenſetur maior iniuria ſi vnum autem furripias, vel ex contractu oneroſo debitum non ſoluas, quàm ſi quatuor vel quinque ex liberali promiſſione debitos, non ſoluas.

Dices, Debitum ex Iuſtitia, & debitum ex fidelitate di- 57
ſtinguuntur atqui obligatio promiſſionis eſt fidelitatis: er- *De virtute fidei.*
go non eſt Iuſtitiæ. maior patet ex communi modo loquendi DD. qui ſolent dicere, deberi quippiam ex fidelitate non ex iuſtitia. Sic œconomus & omnis, qui officium aliquod nomine alterius adminiſtrat, dicitur ad quædam teneri ex fidelitate, & non ex Iuſtitia.

Reſpondeo. Si nomen *iuſtitiæ* omnino ſtrictè ſumatur, *Debitum fidelitatis & Iuſtitiæ.*
videtur debitum fidelitatis à debito Iuſtitiæ, & fidelitas à iuſtitia diſtingui. Debitum enim fidelitatis, quod ex liberali promiſſione oritur, eſt multo imperfectius, quam id, quod debetur lege Iuſtitiæ, ratione contractus, vel damni dati. Primò, Quia promiſſio ſolum tribuit Ius ad rem, & remotum. Secundò, Multis modis poteſt reuocari. Tertiò, Quia pendet ex liberalitate promittentis; non enim rependitur æquiualens. Quartò, Non ita adſtringit. vt ſi violes, tenearis ad compenſationem lucri ceſſantis. nemo enim ſua liberali promiſſione cenſetur ſe ad hoc velle obligare, niſi id exprimatur. Quintò, Quia non neceſſario reſpicit eum, qui eſt ſui iuris, vt patet in promiſſione domini ad ſeruum, patris ad filium, & Dei ad hominem. Denique quia promiſſio non impedit, quo minus res dicatur poſtea gratis dari. debitum autem *perfectæ iuſtitiæ* longè maius eſt; & ſi non ſoluatur, obligat ad lucrum ceſſans refundendum: & ſolum eſt ad eum, qui eſt ſui iuris, & omnino diſtinctus; & impedit donationem gratuitam. Itaque hæc debita ſunt diſtincta. Vnde cum virtus *fidei*. ſeu fidelitas reſpiciat ſolum debitum promiſſionis; Iuſtitia autem debitum perfectum, (reſtituit enim cuique quod ei perfecto iure debetur; vt ſi damnum datum, ſi contractus iniuſtus, ſi res aliena ablata) ſequitur has quoque virtutes diſtinctas eſſe. quamuis ſi *Iuſtitia*, non tam arctè ſumatur, etiam *fidelitatem* ſub ſe comprehendat; & ſic fidelitas

nihil

nihil erit aliud,quàm iustitia inadæquatè concepta; nempè quatenus reddit cuique Ius suum ex promissione debitum.& hoc modo debitum promissionis,à multis DD.dicitur debitum Iustitiæ.Verum melius dicitur hæc distingui sicut diximus.

Oeconomus. Hinc patet Primò,Qua ratione œconomus teneatur ex *fidelitate* in contractibus & negotijs gerendis spectare maxima commoda sui domini;& nó ex Iustitia: quia etsi ad hoc principaliter ex officio suo non teneatur,tenetur tamen secundariò ex tacita quadam promissione,qua dum officium suscepit,censetur se adstringere ad curandâ summam vtilitatem domini,quantum commodè seu communi diligentia potest. de quo plura infra c.32.

Deus non tenetur ex Iustitia propriè. Patet Secundò,Deũ, etsi ex sua promissione debeat pœnitentibus ignoscere,non tamen teneri ex iustitia, sed solum ex fidelitate; tum quia promissiones satisfacit fidelitas propriè;non iustitia stricte accepta; tum quia Deus non potest creaturæ lege perfectæ iustitiæ obstringi; eo quòd semper sit in eius dominio, multò magis quàm seruus in potestate domini.

58 Dico Secundò, Si quis vtatur verbis promissorijs, non quidem animo seriò promittendi,sed tantũ ad significandum firmum propositum,vel ad firmius asseuerãdum,vt ei credatur,nõ obligabitur sub peccato mortali ad implẽdum quod ita promisit:nisi ratione dãni inde secuti. Probatur;quia talis non obligatur nisi lege veritatis,qua tenetur dicta sua efficere vera,& cauere ne dixerit falsum; atqui ad hoc non obligatur sub peccato mortali, vt rectè Caiet. docet. Hoc modo multorũ promissiones,qui leuiter solent multa promittere,sunt intelligendæ. non enim mẽs illorum est seriò se obligare,aut ius alijs tribuere exigendi,sed dumtaxat firmiter asserere. Idem de illis,qui nõ intendunt se obligare absolutè, sed cum conditione circa executionẽ,v.g.nisi fuerit incommodum aliquod,vel nisi
59 aliud melius occurrerit.Si tamen promissarius putaret alterum seriò promisisse, & inde postea contingeret illum damno affici,(vt quia non potuit soluere ad diem conditũ)promissor tenetur implere sub peccato mortali:quia illo modo promittendi illum decepit, eaque deceptio est causa sine qua non, damni secuti.quod vt euitetur, debet
60 promissũ præstare.Pari modo si promissio facta sit in modum cõtractus oneros,& altera pars impleuerit onus seu conditionem impositam,tenetur implere promissũ,etiãsi animo non se obligandi, sed decipiendi promiserit. ratio est,quia tenetur euitare damnum promissarij. & grauem deceptionem,cui causam dedit fictè promittẽdo. Deinde quia in contractibus huiusmodi, ex iustitia tenebatur interdum cõsensum adhibere; alioquin decipit alterum,& non rependit æquale.Adde,nullam fore fidem contractuũ inter homines,si hac ratione se possent expedire.dicendo
61 se fictè promisisse.Si tamen res adhuc sit integra, & nihil incommodi timeatur, non videtur peccatum mortale nõ seruare tale promissum,vt docet Syluester v. Pactum.nu. 4.(quamuis potuerit esse peccatum mortiferum in promittendo,propter animum decipiendi) vt si quis animo decipiendi promiserit puellæ nuptias; quia reuera nihil promisit, sed simulauit se promittere, ex qua simulatione nihil incõmodi puellæ obuenit; quòd si talis à Iudice rogetur an promiserit; poterit negare etiam cum iuramento;quia re vera non promisit.quòd si per sententiam Iudicis iubeatur promissum implere.debet parere; si non parendo timeretur scandalum:alioquin non tenebitur.quare potest vertere solum,ne cogatur sententiæ,in falsa præsumptione fundatæ, morem gerere,vt in simili docet Sotus l.7.quæst.1.art.2.

Si altera pars contractum impleuit.

Fides promissa.

DVBITATIO IX.

Vtrùm promissioni vel donationi iam acceptatæ possit apponi aliquod onus,vel impositum tolli.

62 DICO Primò, Ante acceptationem promissionis vel donationis, potest onus imponi. vt si dem tibi domum vel agrum sine onere, priusquam acceptes, possum imponere onus,vt mihi vel alteri tenearis inde soluere aliquam pensiunculam annuam,vel post certum tempus restituere. ratio est. quia potest tota reuocari: ergo multo magis onus imponi.

Dico Secundò, Post acceptationem,non potest vllum 63
onus imponi,absque consensu promissarij. Ita Couar.l.1. variar.c.14.nu.1. ratio est;quia iam consecutus est ius ad rem sine onere;ac proinde sine onere est ei debita.habetur expressè l.Perfecta C.de donat.quæ sub modo.*161.Perfecta donatio conditiones pestes non capit.*

Dico Tertiò,Si acceptes donationem cum onere in fa- 64
uorem tertij apposito, ille tertius hoc ipso acquirit Ius vt illud onus ei præstes,quod Ius transit ad ipsius hæredes: est tamen hoc Ius reuocabile à donatore vsque ad tẽpus, quo onus est implendum;nisi fuerit à tertio acceptatum. Ita docet Couarruuias num.3.& 11.Iulius Clarus §.Donatio quæst.13.nume.5.Prior pars colligitur aperte ex L. Quoties.3.C.de donat.3.quæ sub modo. Altera colligitur ex L.Eum qui,3.ff. Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt.vbi significatur à cõtrario sensu, in potestate venditoris,qui grauamen in fauorem tertij apposuit,esse, illud reuocare ante tempus, quo erat implendum. Idem colligitur ex L.1.& vltima C. Si mancipium ita fuerit alienatum,&c.

Onus impositum in fauorem tertij.

Sed dubium est.Vtrùm sit reuocabile à donatore, post- 65
quam tempus aduenit. v.g. dedi tibi domum cũ onere vt post quinquennium ea cedas Petro: transactum est quinquennium; nondum cessisti,nec Petro quidquam significatum: vtrùm possim te hoc onere liberare, vel domum meam repetere,vt mihi seruem.

Potest omnino illud tollere ante acceptationem tertij.

Respõdeo,& dico Quartò, Etsi probabile valdè sit tũc non posse amplius reuocari;tamen cõtrarium quoque est probabile,nempè posse reuocari à donatore,donec ipse vel alius nomine ipsius acceptauerit quod in ipsius fauorem est constitutum:vel donec cœperit impleri. Priorem partem tenet Clarus nu.5. multique alij, quos ipse refert. & videtur colligi ex d.L.Quoties.3.C. De donationib. quæ sub modo,vbi corrigitur Ius vetus,quo post tempus elapsum, si onus appositum in fauorem tertij non erat præstitũ à donatario,concedebatur vt à donatore & ab hæredibus eius posset reuocari.

Alteram partem tenet Couar.nu.13.& Bart.in L. Qui 66
Romæ.122.§.Flauius. nu.1.ff.de verborum obligationibus. ratio est,quia donatio ante acceptationem nõ est valida:ergo cum tertius ille nõ acceptauerit eam per se vel alium,poterit reuocari. Nec obstat d.L.Quoties:Quia ad eius interpretationem satis est vt hæredes donatoris non possint eam reuocare,& vt illi tertio cõpetat actio in donatarium,volente donatore,non autem donatore nolente & reuocante onus impositum.

Aduerte tamen,si tertius ille, in cuius fauorẽ onus im- 67
positum est donationi,sit ciuitas vel causa pia,statim atq; fuerit acceptata à donatario, acquirit Ius irreuocabile,& actionem in rem:vt patet ex L.Vt inter.23.C.de sacrosan. Eccl.& docet Couar. num.14.

Ciuitas. Causa pia.

Dixi, *Posse reuocari à donatore:* quia ipsius hæredes non 68
possunt reuocare onus impositum,etiamsi nõdum sit impletum,nec tempus implendi aduenerit.vt patet ex d. L. Quoties,& docet Couar.n.17.est;sententia communis. Ratio est; quia eius est reuocare, qui donationem liberè fecit. vnde mortuo donatore, onus illud fit irreuocabile. Similiter fit irreuocabile, quando cœperit impleri; quia tunc censetur ille tertius acceptasse. qui enim rem donatam acceptat,satis acceptat ipsam donationem.

DVBITATIO X.

Quibus euentis promissit acceptata & antea valida desinat obligare.

69 QVIDAM dicunt, eam desinere obligare,quando ita mutatur status rerum vel personarum,vt si promissor hanc mutationem præcogitasset noluisset promittere, vel donare.Ita Nau.c.18.nu.7. & quidam alij. quæ regula in multis casibus est idonea; præsertim quãdo promissio, vel donatio facta est homini. In quibusdam tamen factis Deo, habet difficultatem. multi enim vouẽt castitatẽ vel Religionis ingressum, non præcogitãtes difficultates obuenturas, quas si præuidissent, noluissent promittere;

Promissio facta Deo.

vt ipſimet teſtantur: tamen omnium iudicio manẽt obligati;nam debebant hęc omnia præcogitare.& iuxta monitum Saluatoris, ſedere & computare ſumptus, qui ad turrim euangelicam extruendam ſunt neceſſarij. vnde ſi non fecerint, ſibi imputent.reuerẽtia enim diuinæ maieſtati debita, poſtulat, vt promiſſio impleatur ſecundum eum ſenſum, eamque mẽtem, quam promiſſor reipſa habuit explicitè vel implicitè,dum promitteret,non autem ſecundum eam, quam *habuiſſet*, ſi hæc vel illa præſciuiſſet. Id tamen *in promiſſionibus homini factis* non eſt neceſſarium. quia hæ facilius.reuocantur. vide infra cap.40. dubitatione 2.

70 *Quibus euentis deſinat obligare.* Reſpondeo igitur, Faciliori modo hanc rem explicari poſſe,ſi dicamus promiſſionẽ deſinere obligare, Primò, Si res promiſſa fiat illicita, vel inutilis, vel impoſſibilis. Ita Caietanus q 113. artic.1. ſub finem, & alij Doctores communiter.

71 Secundò, Si ſtatus rerum vel perſonarum ita mutetur, vt promiſſor ſecundum iudicium prudentum non videatur illum euentum voluiſſe comprehendere: quod ex cõditione rei promiſſæ.promiſſionis,& promiſſarij diſpoſitione, ceteriſque circumſtantijs iudicandum eſt, vt rectè Caietanus ſupra Ratio eſt;quia promiſſio non habet vim niſi ex voluntate & intentione promittẽtis, quam expreſſe vel implicitè habet dum promittit:ergo vltra hanc intentionem expreſſam vel prudenter interpretatam; non poteſt obligare. Confirmatur,quia lex,quæ abſolutè lata eſt, non obligat in illis caſibus, quos legislator expreſsè vel interpretatiuè voluit exceptos:atqui promiſſio eſt lex quædam particularis,quam ſibi quis ſpõte imponit.ergo non obligabit in illis caſibus, quos expreſsè vel tacite ex prudentum interpretatione cẽſetur excepiſſe:vt ſi promiſiſti operam tuam alteri certo tempore, & filius tuus in morbum incidat,vt non poſſis eum deſerere, non teneris

71 *Exemplum.* præſtare promiſsũ:vt inquit Caietanus.Si puellæ promiſiſti nuptias,putans eſſe virginem,alioquin non promiſſurus,& poſtea conſtet non fuiſſe virginem;non teneris eã ducere;quia ſecundum affectũ & intentionem,quam habebas promittendo, non cenſeris te voluiſſe obligare ad implendam promiſſionem, ſi talem defectum in ea deprehenderes.Nec refert,etiamſi iuramento promiſſionẽ confirmaueris:quia iuramẽtum non dat vim promiſſioni,niſi ſecundum eam mentem, qua ipſa cenſetur facta. vnde ſi promiſſio habet tacitam conditionem ſiue ex iuris interpretatione aut diſpoſitione, ſiue ex mente promittentis, iuramentum accedens non tollit eã conditionem,ſed ſolum ſecundum eam cõfirmat promiſſionem. vide infra c. 42. dub 4. Nec obſtat c. Quemadmodum,de iureiurand. vbi dicitur. *Qui iurauit ſe auctorem aliquam in vxorem,non poſſe ei poſtea obijcere fornicationem precedentem*: quia intelligitur de fornicatione ſibi nota, vt colligitur ex Gloſſa, §. *Precedentem*.

Aduertendum eſt, Eum, qui tempore conſtituto non impleuit promiſſum.cum facile poſſet, non ſolui obligatione,ſi poſtea incidat in paupertatem; ſed obligationem

74 *Sopitur obligatio promiſſionis.* pro eo tempore ſopiri: vnde cum fuerit ſoluendo,tenebitur implere promiſſum.ratio eſt.quia iam non eſt tantum debitor ex promiſſione, ſed ex delicto, eò quòd fuerit in mora;per quam moram fuit promiſſario cauſa damni.itaque ratione damni,ex mora prouenientis,tenetur. in quo dãno continetur & id,quod promiſſum eſt,& ſi quid occaſione promiſſionis non impletæ, præterea incommodi incurrit.

Tertiò,Deſinit obligare,vel potius conſopitur, quãdo

75 *Compenſatio in promiſſis.* duo viciſſim ſibi aliquid promiſerũt,& alter non vult implere promiſſum:tunc enim alter non tenetur,ſdd poteſt vti compẽſatione.Nauarrus c.18.nu.7.citato,putat id ſolum eſſe conceſſum,quando poſterior promiſſio facta eſt intuitu prioris,veluti in remunerationem;tũc enim ſi is, qui prior promiſit non impleat,alterum non teneri: non autem quãdo ſecunda promiſſio alio fine eſt facta.Sed verius eſt,ſiue hoc reſpectu,ſiue alio facta ſit ſecunda promiſſio; ſi prior non impleat, alterum non teneri. Primò, Quia hæc iura & debita ſunt eiuſdẽ rationis;ergo in illis poteſt fieri compenſatio.Secundò,Quia ſecũdus promiſſor non cenſetur ſe voluiſſe obligare ad præſtandũ promiſſum, eo euentu, quo contingeret promiſſarium, qui prior promiſerat,fieri ingratum & fidem violare.hæc tamen ingratitudo non eſt ſufficiens ad reuocandam donationem iam completam. etiamſi id quidam affirment, 76
de quo infra dubitatio.14. quamuis donator poſſit vti cõpenſatione occulta, tantumdem ſubtrahendo, quantum ille promiſerat, ſi alia via rem promiſſam conſequi nequit.

Quartò,Quãdo aliquid promiſſum eſt ob cauſam,quæ non ſubeſt; vt ſi promiſeris,quòd putes te accepiſſe ab ipſo aliquod beneficium, cum non acceperis. tunc enim nõ teneris implere. quia eſt error circa cauſam principalem. vide infra c 40.dub.2.

DVBITATIO XI.

Quinam poſſint donare, qui non.

RESPONDEO,Eos ſolos *donare liberè poſſe,qui* 77
habent dominium & adminiſtrationem, cũ facultate alienandi. Qui tantum *habent dominium*,non poſſunt donare;quia donatio pertinet ad regimen & diſpoſitionẽ bonorum. Qui tantum adminiſtrationẽ,non poſſunt,niſi ſecundum mentem domini,vel in eius commodum. Qui carent facultate alienandi,non poſſunt;niſi *prout ius vel* Superior id eis permittunt.

Primò igitur, Donare non poteſt is,qui caret rationis vſu ad id ſufficiente: qui talis eſſe debet,qualis in contractibus, & votis.

Secundò, *Prodigus*, qui à Magiſtratu poſitus eſt ſub curatore; quia adepta eſt ei adminiſtratio. vnde qui aliquid à tali acceperit,tenetur reſtituere.

Tertiò, *Impubes*, talis eſt maſculus, qui nondum explevit annum 14.& femina;quæ nondum 12.vt patet L. fina li,Cod.Quando tutores vel curatores eſſe deſinãt,eſtque communis ſententia Doctorum hunc donare non poſſe. colligunt id ex L.finali,C.de teſtamento militis,vbi tribuno impuberi denegatur poteſtas teſtandi,etiam de bonis caſtrenſibus: *eo quòd ſtabilem mentem nondum ſit adeptus*, 78
quæ ratio etiam locum habere videtur in donationibus. 79
ex illa tamen lege non videtur prohiberi donare ad cauſas pias. ſed ſolum extraneis. idem colligitur L. 2. ff. de pollicitat.

Quartò,*Filius familias*,etiamſi pubes ſit,non poteſt do- 80
nare ſine conſenſu expreſſo vel tacito patris, niſi habeat bona caſtrenſia,vel quaſi caſtrẽſia.iuxta ea,quę dicta ſunt cap.4.dub.3.& cap.12.dub.13.Si tamen de his bonis donauerit profuſè,ita vt ſentiat damnum notabile,poteſt potere reſtitutionem in integrum:vt dictum eſt cap.17.dubitatio nona.

Quintò, *Minor* 25. *annis*, ſi curatori ſubſit, donare ne- 81
quit de bonis ſuis, quæ neque caſtrenſia, neque quaſi caſtrenſia ſunt, abſque conſenſu expreſſo vel tacito. vel debito ſui curatoris, cenſetur autem conſenſus eius tacitus vel certè debitus, vt poſſit donare, & expendere pro ſua conditione & facultate, prout alijs paris conditionis paſſim permitti ſolet:qua in re ſpectandus eſt natalium ſplẽdor, magnitudo patrimonij, cauſa donandi,& mos receptus, vt rectè Sarmiento 1.parte de reditibus.cap.2.nu.5. Si profuſè donet vel expendat,peccat;quia cõtra præſcripti eius, cui tenetur obedire. raro tamen ob hãc cauſam erit peccatum mortale; quia nemini fit iniuria. vnde illi, quibus donatio eſt facta,nõ videntur teneri ad reſtitutionem,donec donatum,à curatore repetatur.vel ipſe donator petat reſtitutionem in integrum,vt docet Molina diſput.224.261.& 277.

Profuſa donatio minoris.

Sextò, *Vxor* non poteſt donare abſque conſenſu mariti,niſi prout explicatum eſt cap.duodecimo,dubitatione decimaquarta.

Septimò, *Eccleſiaſtici* non poſſunt de ijs,quæ ex fructi- 82
bus beneficiorum decẽti ſuſtentationi ſuperſunt, donare ad vſus prophanos:alioquin peccant mortifere ſi ſumma eſt magna:niſi forte id faciant cum animo ex alijs, quorũ liberam habent diſpoſitionem.tantumdem in cauſas pias refundendi. eſt communis ſententia DD. vt oſtenſum eſt c.4.dub.6.qui tamen acceperint,non tenentur ad reſtitutionem; iuxta probabilem multorum DD. ſententiam, quamuis contrarium quoque non minus videatur probabile. vt ibidem dictum.

Octauò,

83 Octauò, *Superiores Regularium* non possunt donare ad vsus prophanos; (v.g. ad locupletandos suos consanguineos) & qui acceperint, tenentur ad restitutionem. ratio est, quia non sunt domini bonorum Monasterij, sed tantũ administratores: ergo non possunt ea conferre quibus voluerint; sed tenentur in illis tractandis leges boni administratoris & œconomi seruare, & secundum præscriptum & intentionem Ecclesiæ impendere. Confirmatur, quia Conuentus, qui est dominus istorum bonorum non consentit in tales donationes; immo nec potest cõsentire eò
84 quòd per Canones hæc potestas sit illi adempta, qui non permittuntur douationes. nisi ad pias causas. etsi enim Conuentus habeat dominium istorum bonorum: tamen hoc dominium per votum paupertatis & Ecclesiæ constitutiones est restrictum & limitatum ad pios vsus: & subest dispositioni Summi Pontificis, qui est supremus istorum bonorum administrator. Vnde Prælati Regularium, qui solum sunt administratores subordinati, non possunt ab eo præscripto recedere. Vide constitutio. Clemẽtis VIII. contra prophanas Regularium largitiones editam: & Nauarrum comment. 2. de Regular. numero nono, & sequentibus.

85 Nonò, Subdici Regulares non possunt donare, ne quidem ad causas pias, nisi ex consensu Prælatorum expresso vel tacito. vnde qui versantur extra Monasterium in studijs possunt facere eleemosynas, aliasque expensas minutas, quas vsus receptus habet: quia censetur Superioris adesse consensus, nisi constet de contrario: nullo tamẽ modo ad res illicitas; v.g. ad turpes voluptates. & quod hoc modo acceptum fuerit, est restituendum; quia non potuit transferri ob eam causam dominium; nec valet ad hoc cõsensus Superioris. vide Siluest. Religio. 6. quæst. 7. dicto secundo. & supra cap. 4. dubitatio. quinta, & infra cap. 41. dubitatio. nona.

Ad res illicitas.

DVBITATIO XII.

Vtrùm donatio inter coniuges & inter liberos & parentes sit valida.

86 *Donationes inter coniuges sunt inualidæ.*

DICO Primò, Donationes coniugum inter se, iure communi sunt inualidæ, ita vt ad arbitrium donantis sint reuocabiles; exceptis quibusdam casibus. est communis sententia DD. ex L. 32. Cùm hic status. ff. de donat. inter virum & vxorem, & cap. fin. eodem titu. hoc autem ideò iure statutum est, ne coniuges mutuo amore se bonis suis spoliarent. Itaque etiamsi maritus aliquid dederit vxori, potest tamen illud vendere. & pretium in commune conferre; per hoc enim tacitè donatio reuocata censetur. Alij contractus inter coniuges valent, vt venditio, mutuum, permutatio, L. 5. Si sponsus. ff. de donatio. inter vir. & vxor.

87 *Confirmatur duplicitur.* Notandum tamen est Primò, Donationes duobus modis confirmari, Primò, Morte donantis, modò hæc præcedat mortem donatarij; sicut legatum & donatum causa mortis confirmatur morte, vt patet ex d. L. Cum hic status. vt tamen morte confirmetur, requiritur vt res ante mortem fuerit aliquo modo tradita, ita vt donatarius eius possessionem aliqua ratione acceperit, vt docet Couarruuias Rub. de testamentis, par. 3. num. 3. & Gomezius to. 1. cap. 4. num. 23. secuta autem morte, retrotrahitur confirmatio vsque ad tempus traditionis, ita vt omnes fructus ab illo tempore collecti cedant donatario. vt ibidem docet num. 7. & Iulius Clarus lib. 4. §. Donatio. quæstio. nona, numero 7.

Dixi, Si mors donatoris præcedat: nam si mors donatarij præcedat, irrita erit donatio, vt patet ex d. L. Cum hic status. ff. supra.

88 Secundò. Confirmatur iuramento; vt si coniux iuret se eam non reuocaturum. vt patet ex dictis supra dub. 4. & cap. 17. dub. 7.

Notandum Secundò, Esse quosdam casus, quibus hæc donatio statim valet. neque expectanda est mors donatoris, de quibus Silu. v. Donatio 2. q. 4.

89 *Statim valet in hisce casibus.* Primus est, Si Imperator donet Augustæ, vel cõtra. L. 26. C. de donatio. inter vir. & vxor. Idem dicendũ de quotuis Principe supremo, eiusque vxore. Ratio est, quia Iure naturæ valet; lege autem positiua non redduntur inhabiles, vel certè Princeps dispensat. vnde in illorum contractibus non requiruntur solemnitates iure ciuili præscriptæ.

Secundus, Si coniux coniugi det ad instaurationem ædium succensarum. L. 14. ff. eod.

Tertius, Si donans ex donatione non fiat pauperior, id est, si nihil ei detrahatur ex bonis vel iuribus iam quæsitis vt bene explicat Gomez. tom. 2. cap. 4. num. 23. & 24. vt si maritus repudiet hæreditatem vel legatum vel fideicommissum sibi delatum & nondum acceptatũ, vt prætieniat ad vxorem, statim valet. d. L. Si sponsus. §. Si maritus. ff. de donatio. inter vir. & vxor. Hoc tamen intellige, si vxor alias erat successura, vt quia erat marito substituta, vel quia ab intestato debebat succedere; vt rectè notat Gomezius suprà. Tunc enim non accipit immediatè a marito, sed iure proprio, quod habebat marito non acceptãte. alioquin si ipsa nullum ius habebat, & maritus repudiet in fauorem vxoris, erit potius cessio quàm repudiatio. nam ipsa immediatè ius a marito accipiet. atqui cessio talis in fauorem vxoris non valet; quia continet tacitam acceptationem naturæ priorem. hoc ipso enim quo cedit alteri. censetur tacitè & natura prius adijsse seu acceptasse, vt apertè colligitur L. Si auia. C. de iure deliberandi. Similiter nõ valet, si mihi donatum iubeam dari vxori, quia hoc ipso quo id mando, supponitur me tacitè acceptasse. Idem. n. operatur tacitum quod expressum. vt colligitur L. 1. ff. de rebus eorum qui sub tut. vbi dicitur, si minor emat prædium obligans illud pignori donec soluat integrè pretiũ, obligationem non valere: quia hoc ipso quo dominium quæsitum est minori, incipit non posse obligari. censetur autem quæsitum tacitè & prius natura quam possit oppignerari.

Repudiatio hæredit. leg.

Dices, Legatarius rei certæ statim per mortem legãtis acquirit dominium legati; nam vt habetur L. A. Titio. 64. ff. de furtis. *Ea quæ legantur, velut res eo ab eo qui legauit, ad eum cui legata sunt, transeunt.* Vbi Bartolus dicit hoc dominium transire fictè a die mortis, verè a die aditæ hæreditatis. ergo repudiatio talis legati est alienatio & donatio; ac proinde non valet.

Respondeo, Negando consequentiam. Quia hoc dominium non est omnino perfectum & absolutum ante acceptationem; sed habet hanc imperfectionem quòd sit repudiabile: adeo vt si repudietur retrotrahatur repudiatio; & fingitur numquam acquisitum; vt expresse habetur L. 1. ff. Si quid in fraudem patroni. vbi dicitur; *Quamuis legatum vetro nostrum sit, nisi repudietur; attamen cum repudiatur vetro nostrum non fuisse palam est.* Idem cernitur in hæreditate respectu hæredis sui. hic enim statim accipit dominũ hæreditatis absque additione (vnde & ad suos hæredes trãsmittit) sed reuocabiliter, ita vt possit repudiare: vt cõstat L. Apud hostes. C. de suis & legitim. hæredibus. L. Si fratris, C. de iure deliberan. Vide Gomezium tom. 1. c. 9. nu. 17. & 20. Valet igitur in supradictis casibus repudiatio, etiamsi bona omnia repudiantis sint hypothecata, aut fisco iure addicta ob crimen; aut quamuis fiat in fraudem creditorum, quibus potuisset soluere, si non repudiasset. quo postremò casu etsi Gomezius tom. 2. cap. 4. num. 22. putet illum licitè id posse facere: credo tamen peccare contra iustitiam. Eadem enim virtute obligamur ad finem & ad media necessaria. atqui ille debitor obligatur ad finem, nimirum solutionem: ergo ad acceptationem hæreditatis, quæ hic & nunc est medium necessarium. nihilominus repudiatio est valida.

Quartus, Si donatarius non fiat ditior: vt si maritus det vxori ad fucos, ad vnguenta, ad dandas eleemosynas. Denique si ipsa ita expendat, vt locupletior non fiat. L. 7. ff. eodem. quamdiutamen inde aliquid extat non expensum potest id repeti.

Quintus, si alter det alteri vt aliquam dignitatem assequatur, v.g. vt fiat Doctor. L. 40. Quod adipiscendæ. ff. eodem.

Sextus Si fiat causa remunerationis, vt si maritus senex donet vxori iuueni: vel ignobilis nobili statim valet, vt ex communi sententia docet Gomezius numer. 23. quia potius est remuneratio, quam rependit pro nobilitate, vel iuuenili flore coniugis, quàm simplex donatio. colligitur ex d. L. 7. Quod autem §. Si vir. ff. eodem. Idem dicendum, si maritus

si maritus ex certa scientia fateatur se dotem accepisse, quam non accepit censetur enim, eam donare vxori in remunerationem.

90 *Patris in filium.*

Dico Secundò, Donatio patris in filium nondum emancipatum est inualida, ita vt pro arbitrio patris reuocari possit. L. 2. C. de inoffi. donat. & L. Cum de bonis 11. C. de donat. & alibi confirmatur tamen tum morte donatis, (si res antea fuerit tradita) tum iuramento, sicut donatio inter coniuges; vt habet communis sententia DD. Ratio, cur Iura voluerint esse inualidam, est, quia quamdiu filius est sub potestate patris, censetur veluti vna persona ciuilis cum patre, & ita videtur pater sibi donare, confirmatur tamen morte, quia tunc filius desinit esse in potestate patris. Hinc infert Gomezius supra n. 25. Primò, Valere donationem patris in filium emancipatū, quia in hunc cessat patria potestas. Secundò, Donationem matris in filium esse validam, quia filius non est in potestate matris, sed patris. Tertiò, Donationem patris in filium naturalem illegitimum valere, quia iure Cæsareo non est sub patria potestate. Quartò, Validam esse donationem filij in patrem & matrem, si det de castrensibus vel quasi castrensibus.

91 *Valet in his casibus.*

Sunt tamen aliqui casus, in quibus donatio patris in filium sub patria potestate constitutum statim valet. Primò, Si aliquid detur in dotem, vel ad matrimonium. Secundò, Cum donat bona mobilia proficiscenti ad bellū. Tertiò, Si professuro aliquam disciplinam libros donet; hęc enim duo genera efficiūtur statim castrensia, vel quasi castrensia bona. Quartò, Si vsumfructum, quem habet in bonis aduentitijs filij, condonet filio. Quintò Si in remunerationem obsequiorum. Denique in omnibus penè casibus in quibus donatio inter coniuges valet statim, valet etiam parentis in filium, teste Nauarro cap. 17. numer. 147 quem vide ibidem cum Syluestro Donatio 2. q. 7.

92 Aduerte tamen, Io his omnibus, si donatio excedat illā quantitatem, de qua parens potest liberè disponere, eam secundum hunc excessum reuocari, ne legitimæ aliarum prolium officiat.

DVBITATIO XIII.

Quantum possit quis validè donare?

93 *Donatio omnium bonorum.*

RESPONDEO, & dico Primò, Donatio, qua quis donat alicui omnia sua bona tam futura quam præsentia, iure communi est inualida, est communis sententia DD. ex L. Stipulatio hoc modo. 61. ff. de verb. obligat. vt docet Clarus q. 19. nu. 1. Couar. Rubr. de testamentis p. 2. num. 8. & l. 3. var. c. 12. Ratio est; quia per hanc donationem homo aufert sibi potestatem testandi, quod leges improbant, tamquam contra bonos mores, quos in Republ. bene institutā esse decet.

94 Vnde sequitur, Validā forte donationem omniū bonorum præsentium; quia non adimit sibi potestatem testādi de futuris, vt rectè infert Clarus num. 2. & Couar. l. 3. variar. c. 12. num. 4. Similiter si donator reseruet sibi aliquid ex bonis suis, vel saltem vsum fructum, vt idem Clarus n. 8. & 9. quia de hoc testari poterit. Denique si donet omnia bona sua præsentia & futura, donatione causa mortis, (sicut sæpè fit inter coniuges, cum paciscuntur vt superstes habeat omnia) valebit donatio, quia hæc donatio non aufert potestatem testandi. potest enim donator non obstante tali donatione, alium hæredem instituere, qui etsi teneatur postea donatario dare iuxta conuenta in donatione, tamen potest detrahere Falcidiam (vt inquit Clarius nu. 7.) id est, quartam partem, eamquem sibi retinere.

95 *Donatio omnium bonorū ad causam piam.*

Notandum tamen est, Esse duos casus, in quibus donatio inter viuos omnium bonorum præsentium & futurorum valet. Prior est, si fiat Ecclesiæ, vel in aliquam piam causam. Ita Clarus q. 20. nu. 3. & Couar. Rubr. de testamētis p. 2. nu. 13. vbi citat multos, qui dicunt hanc communem esse DD. sententiam. Probatur primò, Quia talis donatio non potest censeri contra bonos mores. si enim possum personam meam tradere Ecclesię vel Monasterio, cur non etiam omnia bona? Secundò, quia Ius ciuile non potest impedire officia pietatis & consilia Euangelica; atqui talis donatio est officium pietatis & cōsiliū Christi, ergo.

Posterior est, Si iuramento confirmetur. Ita Couarruuias, nu. 14. etsi plerique Iurisperiti contrarium sentiant, sed illorum ratio est infirma: non enim donatio omnium bonorum est contra bonos mores, sicut id quòd est illicitum sed solum quia expedit in Republ. passim esse libertatem testandi. quare cum absque vllo peccato possit quis omnia sua donare si iuramento promittat se non reuocaturum, valet donatio. vt aperte colligitur ex capite, Quāuis pactum de pactis in sexto. *Si iuramento confirmetur, valet.*

97 Dico Secundò, Potest quis validè donare vsque ad 500. solidos: vltra verò hanc summā donatio est inualida, quoad excessum; nisi fiat cum insinuatione. Habetur expressè L. penul. C. de donat. sub finem. quòd ideo statutum est, ne homines, metu vel fraude, vel inconsulta temeritate impulsi, sed donationibus exhaurirent. valent autem 500. solidi teste Claro q. 15. num. 1. scutis Hispanicis 700. vel vt alij volunt 750. *Insinuatio hæc*, est simplex suæ mentis declaratio, qua quis declarat Iudici, se liberè donare huic tantum vel tantum. nec requiritur causæ cognitio, vel facultas a Iudice, sed sufficit eius præsentia, vt docet Clarus num. 5. Iudicis autem est inquirere, an donatio sit omnino libera, an coacta. *Insinuatio.*

Hinc sequitur Primò, Si quis donet pluribus, & excedat prædictam summam, donationem quoad excessum esse inualidam; modo donatio illa simul, & quasi vno animi impetu fiat, detrahendum autem tunc singulis secundum proportionem. Si tamen diuersis temporibus, animique motibus fiat, erit valida. vt patet ex L. Sancimus. 34. C. de donat. §. 4.

98 *Debitorum condonatio.*

Secundò, Si quis debitum aliquod liquidum, hanc summam excedēs, remittat, inualidam esse remissionem; quia remissio est instar donationis. Ita Clar. q. 16. num. 2.

99 *Potest retineri donec restituatur.*

Aduerte tamen, Eum, cui vltra hanc summam donatū est, posse retinere, nisi a donatore vel eius hæredibus repetatur; quia leges non intendunt obligare donatarios, vt sponte restituant, (hoc enim non pertinebat ad bonum commune) sed vt restituant, si donator vel eius hæredes velint: non enim reddunt donatarium inhabilem, sed tribuunt donatori potestatem pro arbitrio repetendi; quamdiu ergo non repetit, possunt retinere. scienti enim & volenti non fit iniuria. Nec refert, etiamsi donator ignoret se posse repetere; quia donatarius non tenetur id illi dicere cum suo incommodo: sed potest retinere rem, donec aliunde rescisca & repetat.

100 *In quibus casibus sit valida absque insinuatione.*

Excipiūtur tamen aliquot euentus, quibus donatio absque insinuatione est valida, etiamsi 500. solidos excedat. Primò, Si iuramento confirmetur. ita Clarus q. 18. qui dicit vtramq; scholam tam Legistarum quàm Canonistarū ita sentire hoc tempore; etsi olim plurimi contrarium senserint. ratio est euidens: quia donare supra illam summam nullo iure est prohibitum; ergo si iuramento cōfirmetur, est omnino seruandum: patet consec. ex capit. Quamuis pactum. 2. de pactis in Sexto. vide supra dubitat. 4. & cap. 17. dubitat. 7. Secundò, Si donatio fiat ad redemptionem captiuorum. Tertiò, Si ad reparationem ædium, incendio vel ruina destructarum. Quartò, Cum magister militum dat militi mobilia, quantumuis ea sint magni pretij. 101 Hæ tres exceptiones ponuntur L. vltima. C. de donationibus. Quintò, Quando donatio est remuneratoria obsequiorum vel beneficiorum. Ita Clarus quæst. 16. nu. 6. ex L. Aquilius. 27. ff. de donationibus. Sextò, Cum quis renūtiat bonis, vel iuribus speratis nondum obtentis; vt si filius vel filia renuntiet hæreditati vel legato, quod sperat ratione substitutionis. Ita Gomezius capit. 4. numero 10. quiuis enim potest renūtiare iuri, quod illi offertur eo modo, vt dependeat ab ipsius arbitrio acceptare vel recusare. Sed hic proprie non est donatio; quia non datur aliquid, quòd fit suum, sed recusatur alienum quod futurum erat suum.

Sed difficultas est, Vtrum donatio ad pias causas sit inualida, si fiat absque insinuatione, supra dictam summam. 102 *Donatio ad pias causas sine insinuatione.*

Resp. Absolutè validam esse talem donationē in vtroque foro, vt docet Iulius Clarus quæst. 17. vbi dicit hanc sententiam esse communem. Syluest. v. Donatio. 1. quæst. 4. & Angelus Donatio. 1. num. 20. Tabiena ibid. nu. 14. etsi Gomezius supra num. 10. contrarium sentiat. Probatur Primò, Quia etsi fortè Ius ciuile non permittat nisi 500. solidos validè donari: tamen hoc non est seruandum in præiudicium piarum causarum, vt recte ait Clarus. ratio est, quia Principes sæculares non possunt aliquid statuere

Potestas Principis secularis.

tuere in præiudicium bonorum operum & salutis animarum: solum enim ita possunt gubernare Remp. ad trã quillitatem temporalem, vt ea gubernatio non impediat studium pietatis & media ad finem supernaturalem; sed potius subseruiat & iuuet: atqui si talis insinuatio esset necessaria in causis pijs, sæpe bona opera impedirentur; idque cum magno boni spiritualis damno.

Secundò, Capite Relatum. 1. de testamentis, Pontifex decernit, *ne pro legatis ad pias causas requiratur solemnitas septem vel quinque testium iure ciuili definita, sed sufficiant duo vel tres, sicut iure gentium satis est.* vnde Panorm. ibid. numero 4. deducit, donationem ad pias causas valere absque insinuatione, in quantauis magna summa, quidquid leges ea de re disponant; addens se ita sæpè respondisse si enim Pontifex sustulit illum numerum testium, ne pia legata impediantur; eius dubitet. quin eius mens, sit ne donationes piæ implicentur, aut circumscribantur legibus insinuationis, sed vt omnino liberum & expeditum relinquatur earum exercitium?

Tertiò, Si Imperator in fauorẽ militiæ liberas reliquit largitiones Ducum in milites; quantò magis idem priuilegium debetur donationibus pijs in fauorem diuini cultus, salutis animarum, & sustentationis pauperum.

Quartò, Donatio quantumuis magna ad redemptionẽ captiuorum est validæ; cur non etiam ad alias causas non minus Deo gratas & salutares?

DVBITATIO XIV.

Quibus euentis donatio possit reuocari.

103 *Duplex donatio.*

SVPPONO duplicem esse donationem; *Inter viuos & mortis causa. Donatio inter viuos* est, cum quis sic donat, vt etiam se viuo velit rem absolutè esse alterius. *Donatio mortis causa* est, cum sic donat, vt rem non velit absolutè & irreuocabiliter esse alterius, nisi post suam mortem: vt si dicam dono tibi hanc rem post mortem meam, vel cum moriar, vel quia timeo nunc mori. vide Syluestrum v. Donatio 1. numero 1. & Gomezium numer. 19. Nunc.

104 *Donatio inter viuos, reuocatur triplici ex.*

Dico Primò, Donatio inter viuos, etiamsi sit acceptata, & res sit tradita, generatim triplici ex causa potest reuocari. Primò, Ob ingratitudinem donatarij. Secundò, Ob prolem susceptam. Tertiò, Si vt inofficiosa. Ita Iulius Clarus. q. 21. num. 1. Gomezius tom. 2. c. 4. nu. 11.

Ratione ingratitudinis.

Primò, *Ratione ingratitudinis.* huius ponuntur quinque casus L. fin. C. de reuocandis donat. Primus est, Si donatarius iniurias atroces in donatorem effuderit. Secundus, Si manus impias intulerit. Tertius, Si iacturam non leuem bonis eius attulerit. Quartus, Si periculum vitæ ei intulerit. Quintus, Si cõditionem donationi appositam non impleuerit. His addunt DD. Sextum; Si inopia pressum non aluerit. quod est notandum pro simplicibus, qui omnia donant suis liberis & postea negliguntur; vt rectè Syluest. Donatio. 1. num. 17. Idem docet Clarus num. 3. & Gomezius num. 14.

105 Notanda tamen hic sunt tria; Primum est, Hæc non habere locum, quando donatio est ob causam; vt propter obsequia, quæ eam merebantur. neque in donatione facta Ecclesiæ vel Monasterio; quia censetur facta Deo & ob grauem causam. vt notat Clarus.

106 *Non tenetur ante sententiam.*

Secundum est, Donatarium non teneri ad restitutione ante sententiam; quia est pœna, vt aperte colligitur ex L. citata. vnde debet interponi querela & ingratitudo probari. Si tamen res nondum sit tradita, potest non tradere, & petentem exceptione ingratitudinis repellere: cui enim, datur repetitio post solutionem seu traditionẽ, datur exceptio ante traditionem, vt non teneatur soluere, vt supra ca. 17. nu. 68. ostensum est. Quòd si re tradita, donatarius per iniuriam impediat querelam; potest donator via compensationis occultè sibi consulere; quia per iniuriam patitur damnum.

107 *Quando hæredes possint reuocare.*

Tertium est, Si donator non reuocauit in vita ob hanc causam, nec hæredes eius posse. Ita expressè habetur d. L. fi. C. de reuocand. donat. quod intellige nisi fortè donator per ignorantiam ingratitudinis in se commissæ, eam non reuocauerit; tunc enim hæredes eam reuocare possunt; sicut etiam possunt alium hæredem ab hæreditate repellere, vt docet Gomezius supra num. 14. Syluest. Donatio 1. nu. 18. ratio est, quia etsi ignoretur ingratitudo, tamen tacitè censetur reuocata donatio, hæreditas, legatum & fidecommissum factum ingrato; vnde hæredes donatoris possunt eam reuocationem post mortem eius exequi etiã contra hæredes eius, qui ingratus extitit.

108 *Ratione prolis.*

Secundò, Reuocatur ratione prolis susceptæ, vt si quis prole carens, magnam partem bonorum suorum donauit, & postea nascatur ei proles. L. Si vnquam. 8. C. de reuocãdis donat ratio est, quia præsumitur fuisse facta sub tacita conditione, nisi nascerentur rei liberi. Et quidem si donatio facta sit extraneo, reuocatur tota; si facta sit alicui ascẽdentium, v. g. patri vel auo, reuocatur solum quoad legitimas filiorum postea susceptorũ, iuxta Gomezium. Idem dicendum si donatio facta sit Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam, solum enim reuocatur, quantum necesse est vt filij, qui post nascuntur, habeant legitimam. vt communiter docent DD. vide Gomezium num. 11. & Clarũ q. 23. num. 2. Syluest. Donatio 1. nu. 22. Probatur Primò. Quia quod datum est priori filio, non reuocatur nisi quoad legitimas aliorum post susceptorum; atqui Ecclesia est instar filij; vt Panormitanus & alij docent. Secundò, Quod datur in piam causam, datur propter salutem animæ, cuius causa non est minus fauorabilis, quam causa filiorum, vt colligitur Authent. Si qua mulier. C. de sacrosanct. Eccles. Interdum tamen expedit ad ædificationem populi, vt id, quod Ecclesiæ vel Monasterio datum est ante liberos natos, Prælatus, ijs postea susceptis, totum restituat; sicut fecit Aurelius Carthaginensis Episcopus, vt refertur capit. fin. 17. quæstion. 4. ex D. Augustino sermone 52. ad fratres in eremo.

Donatio ad piam causam quomodo reuocetur.

110 *Debet repeti.*

Notandum tamen Primò, Donatarium non teneri ad restitutionem, donec donatum repetatur: quamdiu enim non repetitur, potest præsumere donatorem non cupere restitutionem, & cedere suo iure.

Si renunciet priuilegio.

Secundò, Si donator expressè, & in specie renũtiet priuilegio legis. *Si vnquam*, dum donat; non posse reuocare dum viuit, etsi ei nascantur liberi; poterunt tamen liberi post eius mortem reuocare, quatenus fuit eis inofficiosa; id est, quatenus legitimam eorum læsit: quia renunciatio patris non potest tollere ius filiorum, quòd post mortem patris habent ad suas legitimas. vide Clarum quæst. 22. numero 4.

111 *Si iuramento confirmauit.*

Tertiò, Si iurauit, se non reuocaturum donationem, nihilominus potest reuocare suscepta prole. ratio est, quia hoc iuramentum non excludit tacitam conditionem, quę ex iuris dispositione inest illi donationi. vnde ille tantum censetur iurare se non reuocaturum; sub hac conditione, si nati ei non fuerint liberi. Ita Iulius Clarus quæstio. 23. nume. 1. Gomezius nume. 11. & alij. si tamen ille expressè excluderet illam conditionem, velletque donationem valere, etiamsi filij nascerentur eamque iuramento confirmaret. nõ posset eam reuocare, vt idem Clarus quæst. 22. num. 4. docet ratio est, quia quando iuratur id, quod non est malum, iuramentum est seruandum, vt supra capit. 17. dubitat. 7. ostensum est. Atqui non reuocare talem donationem est non malum. ergo, &c. cæt. poterunt tamen liberi eam reuocare post mortem patris, ob rationem paulò ante allatam.

112 *Ratione inofficiosi.*

Tertiò, Reuocatur si sit inofficiosa, idest, si sit contra officium pietatis paternæ in filios; vt cum tantum donat, vt filij priuentur sua portione legitima, L. 1. & sequen. C. de inofficiosa donat. Primò, Si facta est alicui ex filijs, reuocatur solum vsque ad legitimam aliorum. L. 5. & 8. C. eodem Secundò, Si facta est extraneo, animo fraudandi liberos, reuocatur tota. si tamen aliquid liberis relictum est, probabile est non reuocari, nisi quoad legitimas filiorum; idque tenent plurimi DD. cum Bartolo & Panormit. quos citat Couarruu. lib. 1. variar. capit. 19. versus finem. Idem tenet Clarus q. 24. num. 4. Tertiò. Si non eo animo facta est, reuocatur solum quoad legitimas filiorum. vide Couarruu. supra, Gomezium num. 13. Clarum quæst. 24. Quartò, Si facta est Ecclesiæ vel piæ causæ, solum reuocatur vsq; ad portiones legitimas filiorum, vt docet Iason consi. 141. & Decius consi. 247. quia Ecclesia est instar filij, & donatio est facta in fauorem animæ. Imò secundum Nauarrum, possunt parentes minuere legitimas filiorũ, tum per con-

tractus

tractus oneroſos,tum etiam per donationes remuneratorias,& ad cauſas pias, quia donatio talis non eſt vera donatio,ſed donatio ob cauſam.ita Nau.c.26.nu.39.ex Alberico;nec vllo iure contrarium probari.

113 *Quid do reuocetur,ſi parẽs habet liberos.* Circa prædicta duo ſunt Notanda: Primò, Donationẽ inofficioſam,quam parens liberos habens fecit,non reuocari, niſi poſt mortem parẽtis;nam tunc primum debetur filijs ſua legitima;ac proinde tunc primum incipit donatio illa cedere in filiorum præiudicium.

Secundò, Donationem inofficioſam,etſi valida ſit vſq; ad mortem donantis, tamen non fieri ſine peccato ; quia fit in damnum liberorum,quod poſt mortem donatis ſentient.vnde etſi quis promittat aliquid inofficioſè, eamq; promiſſionem iuramento confirmet , non tamen tenetur implere;quia ſine peccato implere nequit.vt colligitur ex multis Iuribus, C.de inofficioſis donat.

114 *Donatio mortis cauſa,reuocatur triplici modo.* Dico Secundò,Donatio,quæ mortis cauſa facta eſt,reuocari poteſt ob tres cauſas. Primò, Si pœniteat donatorem.ſicut enim teſtamentum & legatum, vſque ad mortẽ pro arbitrio teſtatoris reuocari poteſt; ita etiam donatio, quæ mortis cauſa fit.Nec refert,verum expreſsè pœniteat, an implicitè; vt ſi rem alteri donet.colligitur L.Qui mortis cauſa.30.ff.de mortis cauſa donat.

115 Secundò, Si donator dedit intuitu alicuius periculi inſtantis,ex quo metuit mortem incurrere;hoc ipſo,quo periculum euaſerit , cenſetur tacitè reuocata donatio. vt ſi quis det in graui morbo,vel inſtante prælio. vt patet L.3. & ſequentibus.ff.de mortis cauſa donationibus.vide Gomezum num. 19.

116 *Promiſſio & donatio inter viuos non extinguitur.* Tertiò,Si donatarius moriatur ante donatorem,ipſo iure eſt reuocata , idem vſu venit in teſtamentis & legatis. Secus eſt in promiſſione & donatione inter viuos,quæ nõ extinguitur morte donatarij ſi ſit acceptata, ſed tranſit ad hæredes ; quamuis ſit donatio conditionata,vel in diem. Quòd ſi donator in donatione promittat ſe eam non reuocaturum , tranſit in donationem inter viuos , vt docet Gomezius nu.19.& alij.de quo vide etiam Couar. Rubr. de teſtam.p.2.nu.37.& ſeqq.

DVBITATIO XV.

Vtrùm promiſſio vel donatio conditionalis ſit valida,& quam vim habeant conditiones appoſitæ.

117 *Præſentis,præteriti, & certo futuri.* RESPONDEO & dico Primò,Conditio præſentis vel præteriti,addita donationi,vel alteri diſpoſitioni,non ſuſpendit eam;ſed ſi cõditio exiſtit,valet diſpoſitio,ſi non exiſtit,non valet,etiamſi ignoretur:vt do tibi hanc veſtem,ſi fuiſti Romæ;ſi es meus cognatus.habetur L. Cum ad præſens.37.& 2.ſequent.ff.ſi certum petetur. & L.conditio in præteritum. 100.ff.de verbor.obligatio. Idem dicendum,ſi conditio eſt de eo,quod neceſſario vel omnino certò futurum eſt ; quia quòd hoc futurum ſit , iam in præſenti eſt verum , ac proinde conditio cenſetur præſens . futuritio enim (vt ſic loquar) iam ineſt rei : vt promitto,do,vendo tibi,ſi es moriturus,ſi iudicium eſt futurum, L. Si pupillus. 9.ff. de novatio. eſtque communis ſententia DD. vt teſtatur Gomezius capit. 12. de legatis num.63.

118 *Conditio futuri incerti.* Dico Secundò Conditio futuri incerti ſuſpendit donationem & alias diſpoſitiones, vſque ad euẽtum conditionis;v.g.promitto tibi 100.ſi nubes,vel ſi fies ſacerdos. ratio eſt , quia ante euentum conditionis non poteſt certo conſtare an extabit:vnde qui ita donat,non intendit vt illud fiat donatarij,niſi conditio euenerit.Gomezius ſuprà num.64.

Inducit obligationem pẽdente. Aduerte tamen. Ex huiuſmodi promiſſione vel donatione acceptata,ſtatim naſci obligationem in donatore,& ius in donatario,(pendens tamen à futuro quoad ſui impletionem) quod non poteſt reuocari a donatore , niſi in caſibus dubitatio.14.poſitis,nec nouo aliquo onere grauare inuito donatario,vt rectè Sylueſt. Donatio 2. quæſtione 15.

119 Nec obſtat, quòd donatio mortis cauſa poſſit reuocari quia ex diſpoſitione iuris habet hanc tacitam conditionem , vt valeat ſi non reuocetur. d. L. Qui mortis cauſa. ff.de mort. cauſa donat.

Dico Tertiò,Si conditio,ſub qua donatio facta eſt , ſuo tempore impleta non fuerit,donatio non obligat,ſed in irritum recidit. Idem dicẽdum de ultimis alia diſpoſitione, ſub conditione futuri facta.Ratio eſt ; quia diſpoſitio pendens ex hominis libertate non habet maiorem vim obligandi , nec aliter obligare poteſt , quàm diſponens intendit : atqui non intendit ſe obligare conditione non impleta;ergo. 120

121 *Conditio impoſſibilis irritũ reddit contractum.* Dico Quartò,Conditio impoſſibilis non ſuſpendit, ſed irritam reddit donationem , & quemuis alium contractum,ita vt nulla ex eo oriatur obligatio, nec ei poſſit accedere fideiuſſor.(non loquor modo de contractu matrimonij.& diſpoſitione vltimæ voluntatis) Ita Gomez.tractatu de legatis tomo 1.cap.12.nume.67.colligitur ex L. Impoſſibiles. 7.ff.de verborum obligat. & L.Non ſolum, 31.ff.de actionibus & obligat.Vbi etiam ratio inſinuatur; *quia animum ea cogitatio eſt,vt nihil agi exiſtimens appoſita ea conditione,quam ſciant eſſe impoſſibilem.* eſt enim talis conditio ſignum diſſenſus , niſi aliunde præſumatur ioco adiecta.

Reipſa impoſſibilis. Notandum eſt . Conditionem dici dupliciter *impoſſibilem*,reipſa & iure.*Reipſa impoſſibilis* eſt, quæ fieri nequit,ſiue id ex natura rei prouenerat , vt ſi lunam detraxeris;ſiue ex impotentia illius , cui imponitur , vt ſi pauper millionem aureorum dederis.

Iure impoſſibilis. *Iure Impoſſibilis* dicitur,quæ ſtante Iure,eoque inuiolato fieri nequit;vt eſt omnis conditio turpis peccatum continens.Item quæ nihil boni in ſe continet,& alicui bono eſt impedimento . qualis olim apud ethnicos erat conditio non nubendi. Item , ſi eleemoſynam non dederis;ſi amicitiam illius deſerueris,&c.Igitur ſi cõditio ſit priore modo impoſſibilis,irritum reddit contractum,ſiue ſit de futuro, ſiue de præſenti vel præterito ; quia talis conditio eſt ſignum non addeſſe cõſenſum ſerium in contractum, ſed diſſenſum potius. dum enim conſenſus ſuſpenditur ab eo, quod eſt impoſſibile;ſicut hoc eo tempore.in quod refertur,non extat,ita nec cõſenſus abſolutus extat. Vnde etiã non refert, vtrùm putetur poſſibilis an impoſſibilis . Si enim putatur impoſſibilis, ſignum eſt,ab initio deeſſe ſeriũ conſenſum , & ita nihil agitur. Si poſſibilis,adeſt quidem ſeriũ conſenſus, ſed ſeriò ſuſpenditur à conditione, quæ numquam extitit nec extabit.& ita expectandus eſt euentus , donec ſciant eſſe impoſſibilem . ſimul autem atque id reſciſcunt. ceſſat omnis obligatio , quæ eſſe poterat ratione conſcientiæ errantis,quamdiu putabatur poſſibilis: nam ex parte rei nulla ab initio ſubfuit obligatio,cũ conditio ab initio fuerit determinata ad non eſſe .

Conditio impoſſib. irritum reddit contractũ de futuro. Si ſecundò modo dicatur impoſſibilis , nimirum quia turpis, non irritat contractum, niſi ſit conditio de futuro, non autem ſi de præſenti vel præterito . Ratio eſt ; quia quando eſt de futuro , obſtringeret vel alliceret alterum directè ad peccatum;atqui nemo poteſt obligari ad ſeruãdam promiſſionẽ, qua alius obſtringatur vel alliciatur ad peccatum. hoc enim contradictionem implicat v.g. promitto vel do tibi 100.ſi illum occideris: vendo tibi meam domum, ſi fœnus in ea exercere velis.Itaque ante conditionem impletam,omnes huiuſmodi promiſſiones & donationes ſunt nullius momenti.Impleta tamen cõditione obligant ; quia non amplius ad peccatum obſtringunt. & alias poteſt opera alterius omnibus ſpectatis tanti æſtimari;de quo vide ſupra dub.3.Vnde etiamſi talis conditio ſit de præterito vel præſenti,non infirmat promiſſionẽ, quia ad peccatum non allicit .

Excipitur contractus matrimonij in foro externo. Excepi *contractum matrimonij*, propter caput finale , de conditionibus appoſitis. Vbi Gregorius IX. ſtatuit *conditiones impoſſibiles & turpes , contractui matrimonij adiectas , debere propter eius favorem pro non adiectis haberi ; ac proinde non irritare contractum exceptis iis , quæ ſunt contra ſubſtantiam coniugij* . de qua conſtitutione,etſi ea ad tractatũ matrimonij pertineat , hic etiam aliquid dicendum . Difficile enim eſt intelligere, quomodo conditio impoſſibilis poſſit haberi pro non adiecta in contractu matrimonij , cùm ſit potius ſignum,conſenſum deeſſe,quàm adeſſe;& Eccleſia non poſſit defectum conſenſus in matrimonio ſupplere . Item quomodo conditio turpis non irritet potius contractum, cùm alliciat ad peccatum,& etiã ſuſpendat ſæpè conſenſum in futurum. 122

Re-

Respon. breuiter, (cum res non sit huius loci) Conditionem, quę reipsa impossibilis est, haberi in foro externo pro non adiecta in contracta matrimonij, & illum non reddere irritum in tribus casibus.

Quo modo cõditio impossibilis in contractu matrimonij habetur pro non adiecta.

Primò, Quando aliũde constat illam a contrahentibus ioco adiectam, nec illi voluisse inhærere, aut suum consensum ab illa suspendere: vt si vir dicat, accipio filiam tuam in vxorem, sed debes pro dote numerare vnum millionem aureorum. Ita communiter DD. Medina C. de rectif. q. 23. Couarr. in 4. decret. cap. 3. §. 2. Lopez p. 2. c. 44. & alij.

Secundò, Quando vterque contrahentium scit cõditionem esse impossibilem, & iure statutum esse, vt habeatur pro non adiecta. hac enim cognitione stante si volunt contrahere addita tali conditione, præsumuntur illam ioco addere, & velle vt ex parte rei habeatur pro non adiecta, sicut sciunt illam a iure haberi. Medina & Couarruuias supra. Adrianus de sponsalibus dubit. 11. & alij.

Tertiò, Quando non constat virùm serio an ioco adiecerint talem conditionem. In dubio enim iudicandum est in fauorem matrimonij. cap. finali. de sententia & re iudicata. idque propter periculum animæ, ne videlicet separati, & aliis iuncti, in adulterio viuant, si ex parte rei prior contractus validus fuit.

Idem iudicium de turpibus, quæ nõ sunt contra substantiam.

Quod attinet ad conditiones turpes, quæ non repugnãt substantiæ; vt si mecum furari volueris. hæ etiam pro nõ adiectis habendæ sunt in foro externo, sicut impossibiles; & ijdem casibus; nimirum si vel constet ioco adiectas, vel dubium sit vtrùm ioco an serio. vel denique, si contrahentes sciant esse turpes & a Iure reijci. quia Pontifex eodem modo de illis & de impossibilibus loquitur. hoc tamen intelligendum est, si illæ conditiones turpes sint de futuro. si enim sunt de præterito vel præsenti, non habentur pro non adiectis; quia sic non inducunt ad peccatum, sed supponunt factum. Ita Adrianus in 4. de sponsalib. dubitat. 9. Lopez p. 2. cap. 42. Sylvester Matrimonium 3. q. 1. D. Thomas in 4. d. 29 q. vnica art. 3. & alij. Porrò sicut illæ conditiones habentur pro non adiectis in contractu matrimonij. ita etiam in contractu sponsalium, vt communiter DD. tradunt, quia sunt via ad matrimonium.

Hæc exceptio solum pertinet ad forum externum.

Circa prædicta Notandum est, etsi illa procedant in foro externo, & quo ad præsumptionem illius fori: tamen si vterque vel alter contrahentium animum habuit conditioni impossibili affixum, non intendens præbere consensum absolutum, nisi eueniente conditione, certum est nihil effici coram Deo, nec vllam induci obligationem; quia reuera nullus est consensus. Vnde quoad hoc, est eadem ratio contractus matrimonij & ceterorum. Idem dico, si conditio erat turpis & de futuro, & animus similiter illi erat affixus; tunc enim suspenditur consensus vsque ad euentum conditionis. Quare cum talis contractus alliciat ad peccatum, nullam inducit obligationem ante euẽtum. Vbi autem posita fuerit conditio, ex vi prioris contractus oritur obligatio vel matrimonij vel sponsalium, iuxta diuersas hac de re sententias, sicut in reliquis contractibus. Vnde etiam ex hac parte est eadem ratio contractus matrimonij & ceterorum: quare solum est discrepantia quoad præsumptionem fori externi.

Conditiones quæ contra substantiam matrimonij.

Ceterum, cõditiones quæ sunt contra matrimonij substantiam (vt sunt illæ, quæ sunt contra bonum prolis, vel fidei, vel sacramenti) non habentur pro non adiectis in foro externo, sed absolutè reddunt contractum irritum. vt si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis cures, vel donec inueniam ditiorem, vel si corpore quęstum facies. Ita expressè habetur dicto capite finali. Quod intellige si sint de futuro: sic enim solum imponunt obligationem contrariam obligationi substantiali matrimonij. vide lib 5. de matrimonio Thomæ Sancij, vbi de his omnibus fusè & eruditè disputat.

Vltimæ voluntates.

Excipiuntur etiam *vltimæ voluntates*, vt sunt institutio hæredis, fideicommissum, legatum, & donatio mortis causa. nam conditio impossibilis vel turpis illis appositа, nõ reddit dispositionem irritam, sed habetur pro non adiecta: vt constat. L. 1. & 6. §. 9. ff. de conditionibus institutionum & §. Impossibilis. Instit. de hæredibus instituendis. vide Gomezium de legatis. nu. 67. Neq; id tantum in foro externo & quoad præsumptionẽ, sicut in matrimonio & sponsalibus sed etiam in conscientia. ratio est: quia etsi ius non possit supplere consensum in sponsalibus & matrimonio eo quòd in his quisq; sit sui iuris, nec vlla potestas humana possit alteri dare potestatem mei corporis ad vsum matrimonij absque meo consensu; potest tamen illum supplere in vltimis voluntatibus; quia res externæ subsunt dispositioni iuris humani, suppetente iusta causa. Idem potuisset in alijs cõtractibus si voluisset. sed iustas ob causas non fecit. Causa verò, cur in vltimis voluntatibus, non in alijs ita statuerit, est, quia mortuo testatore, non superest qui possit eius mentẽ interpretari, quomodo conditionem intellexerit, serione an ioco adiecerit, an satis aduerterit qualis conditio esset: vnde nasci potuissent plurimæ lites. Deinde si conditio sit turpis, meritò reijcitur, in pœnam testatoris. si impossibilis, reijcitur tanquam impertinens. In alijs contractibus non reijcitur, sed reddit contractum irritum; quia contrahentes rursus contrahere possunt, si velint. Si tamen testator putabat conditionem possibilem & honestam, non reijcitur, sed irritam reddit dispositionem. vt docet Gomezius supra num. 65. & alij, ex L. Seruo manumisso. 58. ff. de conditione indebiti.

Conditio nubendi vel nõ nubendi.

Conditio, *Si in Religionem ingressa fuero, si vxorem non duxeris*, apposita vltimæ voluntati habetur. Iure Digestorum pro non adiecta. L. Titiæ 100 ff. de conditionibus & demonstrat. idque fauore matrimonij, et Reipub. augeatur. postea tamen Iure Codicis hoc restrictum est ad primas nuptias; & constitutum vt in secundis hæc conditio vim haberet, ita vt si contra facias, legatum amittas, Authentica, Cui relictum. C. de indicta viduitate tollenda. Parem modo vim habet conditio *si religionem ingrediaris*. Ita Gomezius supra nu. 78. & alij. Si dicatur Lego tibi 200. *si nupseris*, nihil addendo de ingressu Religionis, consequeris 200. etiamsi Religionem ingrediaris. Conueniunt in hoc omnes DD. teste Molina disputat. 207. & habetur apertè Nouella 123. de Sanct. Ep. c. 37. & Auth. Nisi rogati. C. ad S. C Trebel. ratio est; quia non censetur de Religione cogitasse, cum id non expresserit; ac proinde noluisse eam excludere. Si autem dicatur Lego 200 si nupseris. 100. si Religionem ingrediaris, etc. secundum. Multi enim tenent te habiturum 200. etiãsi Religionem ingrediaris quia illa cõditio, si nupseris, quatenus retrahere potest a Religione, habenda pro non adiecta. Sylvester verbo Hæreditas 4. quæst. vlt. Medina quæstio. 23. Panorm in ca. In præsentia de probationibus, estque communior sententia Iurisperitorum. colligitur ex Authenticis proximè citatis. Contrarium tenet Couarruias lib. 1. variar. cap. 19. num. 7. & seqq. cum alijs, quos citat. Eadem placet Molinæ disputat. 107. etsi contrariam fateatur probabilem. Ratio est; quia testator expressè contrarium statuit, & potuit ad hoc iusta ratione moueri. hoc tamen ex circumstantijs iudicandum est.

Nihilominus prior sententia videtur iuri conformior, vt docet Felinus ca. In præsentia. de probationibus, num. 37. Vbi pro hac sententia adducit Ioannem Andream, Antonium de Butrio, Romanum, Bartolum, Albericum, Abbatem, Matthesilanum. & Baldum; quamuis Baldus sibi non constans alibi doceat contrarium. Pro eadem Couar. lib. 1. variar. c 19. nu. 9. citat Soncinatem, Aretinum, Iasonem, & Ioannem Crottum. Idem passim tenent Summistæ. Ratio est, quia si quis benè consideret, Nouella illa 123. Iustiniani capit. 37. non nititur præsumptione tacitæ voluntatis testatoris, vt volunt auctores contrariæ sententiæ, qui proinde nolunt illam locum habere, quando testator expressè monasterium excludit; sed absolutè intendit fauere pietati, etiam contra testatoris voluntatem; & ideo vult talem clausulam haberi pro non adiecta; sicut iure Digestorum clausula *Si non nupserit*, habebatur pro non adiecta, quia volebat ius fauere nuptijs. Quomodo enim præsumi potest passim de quouis testatore, qui sic disponit; *Lego Fuluiæ 200. si nupserit, si autem non nupserit. 100.* non cogitasse de statu religionis, & si cogitasset, ita affectum fuisse erga illam, vt Fuluiæ ingredienti Religionem relictus esset 200. perinde ac nubenti? Sanè hoc præsumi non potest, sed potius contrarium; nam ingredi Religionem est maximè affine ei, quod est non nubere; & homines tunc omnia expendere solent. Deinde pauci erga Religionem ita sunt affecti, vt ita vellẽt disponere. Quidquid enim ad Religionem peruenit, videtur familiæ perire. Vnde idem Iustinianus eadem Nouella in fauorem Religionis statuit, ne parentes possent filios Religionẽ ingredientes legitima priuare, sed vt hãc tenerentur monasterio

rio dare. Et multa alia ibidem constituit in Religionis fauorem, ne parentes & consanguinei quidquam ingredientibus detraherent. Quare etiam si constet de contraria voluntate testatoris, nihilominus clausula illa habebitur pro non adiecta, vt rectè docent Auctores supra citati.

Nec obstat, quod Couarr. obijcit: Neminem, qui seriò Religionē cogitet, ratione talis clausulæ auertendum: quia etsi id verum sit quando legatum est paruum (nam ob tale, ne nuptias quidem omittet, qui seriò de illis cogitat) non tamen quando est amplissimum, ex quo manens in sæculo maxima bona ad Dei gloriam perficere poterit, quod legatum diuites amici occupabunt, & vanè expendent, si Religionem ingressus fuerit. Addo non tantum agi, ne auertantur qui firmo animo religionem destinarunt; sed etiam ne illi qui de illa deliberant.

DVBITATIO XVI.

Vtrùm donatio facta ad certum Vsum vel finem, vel sub certo onere; si illud onus, vel ille finis non præstetur, sit Valida.

124 DICO Primò, Quando aliquis donat ob certum finem, si nō intendat ad illū finem obligare. sed solum allicere animum. vel præbere media ad illum consequendum, si placuerit; non est irrita donatio, etiamsi finis nō sequatur. v.g. Petrus legauit puellę 100. vt nubat. nec aliud expressit; illa verò ante nuptias obijt; legatum non est restituendum, sed transit ad hæredes puellæ. imò etiamsi manens in vita coleret cœlibatum in sæculo, vel ingrederetur Religionem, non teneretur restituere. vt docet Molina disput. 208. quia non censetur legato maius bonum voluisse impedire, nisi aliunde de contrario constet. Ob hanc causam valida est donatio, qua quis donat collatori ad allicendum ipsius animum, vt beneficium conferat; vel mercatori, vt ad mutuandum inclinetur; vel puellæ, vt ad consensum flectatur, quamuis finis non sequatur. quia non est donatio conditionata, sed absoluta, facto non animo obligandi, sed tantum alliciendi ad liberum consensum. vnde potest acceptare, etiamsi non intendat præstare quod donator exoptat.

125 *Donatio ad allicendum animum.*

126 *Donatio ad certum vsum vel finem.*

Dico Secundò, Si intendat donatarium ad illum finem vel vsum obligare, donatio erit irrita, fine non præstito, si ille sit principalis finis donationis: si verò sit secundarius, non erit irrita, poterit tamē in irritum reuocari, si donatarius nolit præstare. Ita docet Ioannes Medina C. de restit. q.24. Prior pars patet ex multis textibus ff. de conditione causa data non secuta. & Cod. de condictione ob causam quibus conceditur repetitio causa non secuta.

Probatur, quia quando dat ad certum vsum, tamquam ad finem principalem, limitat suam donationem ad illum vsum, nec habet aliam causam, cur velit rem esse ipsius. sicut enim est in potestate ipsius donare, ita etiam limitare suam donationem ad certum finem & vsum, prout placuerit: nam tota vis donationis pendet ex intentione donantis. vt si parens det filio pecuniam, eo dumtaxat fine, vt emat libros; si filius non emerit, tenetur ad restitutionem; quia donator limitauit donationē suam ad certum vsum, nec aliam causam donandi habuit. si tamen filius bona fide conatus fuisset emere, & aliunde fuisset impeditus; vel si insumpsisset in res alias æquè vtiles, non esset obligandus ad restitutionem, quia parens posset præsumi id ratum habere. Idem dicendum de similibus donationibus. Altera

127 *Si finis secundarius non præstetur.*

pars probatur, quia etsi finis secundarius non præstetur, tamē subest finis principalis, ob quem donatio est facta; & ita non censetur irrita, nisi ex circumstantijs constet aliam donatoris mentem fuisse. vt si des Monasterio 100. aureos sub aliquo onere, est valida donatio, etiamsi Monasterium onus non præstiterit. quia nō censetur ille principalis finis donationis, sed salus animæ, ob quam Monasterio videtur absolutè donatum, etsi cum onere. immo nec reuocari potest, nisi id additūm sit in donatione, vel nisi aliunde constet, eam donatoris mentem fuisse. vt docet Medina supra. & colligitur ex cap. Verum, de condit. appositis, potest tamen compelli Monasterium, vt onus impleat; quod si nolit. per sententiam Iudicis potest priuari. Si tamen impletio

128 *Donans sub certo onere.*

oneris non est in ipsius potestate (vt quia alij impediunt, vel pendet à consensu aliorum, qui nolunt consentire) nō potest compelli. sufficit enim vt sit paratum facere quantum in se est, vt onus impleat. non enim donator censetur aliud intendisse, nisi expresserit; cùm recta ratio non plus exigat, quàm homo possit præstare. Idem dicēdum de omnibus donationibus, quæ ob aliquem finem principalem fiunt, cum aliquo onere annexo.

DVBITATIO XVII.

Vtrùm donatio ob causam præteritam vel præsentem sit Valida, si causa non subsit.

RESPONDEO, Talem donationem esse inualidam, nisi donator actu vel habitu ita sit affectus, vt illam censeatur velle valere, quamuis causa non subsit. colligitur ex Medina quæst. 24. Probatur Primò, Quia talis donatio est inuoluntaria: procedit enim ex errore, qui si non esset, donatio non fieret: atqui donatio vt omnino valida sit, debet esse plenè voluntaria, cum ex libertate pendeat. Secundò, Quando error dat causam contractui, vel alteri dispositioni; actus est irritus vel saltem in irritum reuocabilis, vt ostensum est supra cap. 17. dubit. 5. atqui hic dat causam actui: ergo. Tertiò, Cum quis exprimit se donare ob causam, videtur donatio fieri sub conditione, *si causa subsit*, ergo si illa conditio non subsistit, donatio est nulla. Hoc tamen argumentum non est firmum; quia expressio causæ non habet vim conditionis; vt patet in contractu matrimonij, si quis ita dicat accipio te in vxorem, quia es bonis moribus, quia dives, &c. talis n. contractus est validus, siue causa illa extet in re, siue nō; solùm enim exprimitur quid moueat & impellat animum ad contrahendum, non autem ponitur vlla conditio consensui.

129 *Si causa non subsit.*

Circa hanc assertionem Aduertendum est, si res absolutè donetur. & error non sit circa substantiam rei donandæ, vel personam donatarij, vel circa substantiam ipsius actus (vt cùm est error circa causam principalem, dantem speciem actui) sed solùm circa conditionem accidentariam, vel causam secundariam, donationem nō esse omnino irritā: dici tamen *inualidam*, quia pro arbitrio donantis reuocari potest. errore cognito. & quidem si donatarius est causa deceptionis, tenetur errorem detegere, & ponere rem totam in arbitrio donatoris, vt donationē ratificet vel reuocet. si verò non est causa, non videtur ad hoc teneri. vnde poterit retinere, donec reuocetur. iuxta ea, quæ d. dub. 5. cap. 17. diximus.

Differentia erroris circa substantiam & circa conditionem accidentariā.

Dixi, *Nisi actu, vel habitu*, &c. quia sæpè fit, quempiam ita esse affectum, vt si sciret causam esse falsam, nollet donare: tamen quia dedit, non vult donationem esse irritam. vt si donasti aliquid amico, quia putas illum curasse aliquod negotium, quod non curauit; tamen multa alia tua causa fecit, ob quæ velles donationem confirmare.

130

Petes. Quando causa, ob quā aliquid datur, non subest; quomodo scietur vtrùm velit donationem valere, an nō?

131 *Causa principalis & secundaria dati.*

Resp. Quando id non exprimitur. esse colligendum ex conditione dantis & accipientis, & rei donatæ. & ex conditione causæ: si enim causa ob quam datur non est principalis, sed secundaria, ob quam hic & nunc solùm se applicat ad donandum, & extat aliqua causa principalior; tunc donatio nō est censenda irrita, etiamsi illa causa secundaria non extet. vt patet exēplo allato. Item cùm datur eleemosyna pauperi simulanti fidem catholicam, vel sanctitatem; nam principalis causa dandi est paupertas. posset tamen talis donatio reuocari, si error ei causam dedit. deinde etsi causa principalis ob quam datur non extet; si tamē conditio donantis, vel rei donatæ est talis, vt putetur nolle obligare ad restit. poterit donatarius retinere.

Hinc sæpè fit, vt qui simulatione sanctitatis, paupertatis vel infirmitatis, vel obsequiorum aliquid impetrarunt, non teneantur ad restitutionem; quia donatores non censentur id onus velle imponere: idque vel ob liberalitatem, vel ob beneuolentiam & amicitiam, vel ob rerū paruitatem, vel quia res est consumpta, & difficilis esset donatario restitutio. Si tamē putetur donator velle, vt sic per fraudem obtentum restituatur, est restituendum, maxime si quantitas est notabilis. Imò etiam in dubio est restituēdū; saltem pars aliqua, pro ratione dubij; quia cùm non incepit

132 *Paupertatis simulatione obtentum.*

perit bona fide possidere, non potest ratione possessionis, ipsius conditio melior censeri: vel certè debet fraudem aperire & rem in libero arbitrio donantis constituere.

213 *Cui restituendum.* Dubium tamen est inter DD. cui sit restituendum id, quod simulatione paupertatis obtentum est, si donator putetur illum velle ad hoc obligare. Plerique DD. docent id esse conferendum in alios pauperes, vel in alios pios vsus, quia donator illud iam à se alienauit, & Christo donauit, accepturus pro eo mercedem, non secùs ac si verè pauperi dedisset. ita Nau. c. 17. nu. 107. Scotus in 4. d. 15. qu. 2. art. 3. Adrianus in 4. tract. de restit. qu. 5. & Medina suprà. Sotus tamen lib. 9. de Iust. q. 7. art. 3. ad 4. putat esse restituendum donatori; quia hic non intendit donare Christo, nisi quatenus intendit donare huic pauperi. Sed possunt conciliari, si dicamus esse restituendum donatori, si is sit notus, & res sit notabilis, & ipse putetur velle vt sibi restituatur. alioqui si res sint minutæ, vel ignoti qui dederunt, vel si putentur velle illud alijs pauperibus dari, alijs dandum est.

CAPVT DECIMVMNONVM.

De Testamento, & Legatis.

Constat dubitationibus 8.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit testamentum, & quomodo à codicillo differat.

1 RESPONDEO, *Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult.* Ita definitur L. 1. ff. Qui test. fac. poss. Verùm quia hæc definitio conuenit etiam alijs vltimis voluntatibus, nempè codicillo, legato, fideicommisso & donationi causa mortis; addunt Doctores, *cum directa hæredis institutione*, per quam particulam testamentum discernitur ab illis: quia nulla alia vltima voluntas continet hæredis institutionem. vnde propriè loquendo *Testamentum est hæredis institutio*. Ideò enim instrumentum illud dicitur *testamentum* iure ciuili, quia cõtinet hæredis institutionem; non autem quia continet legata vel fideicommissa. nam quòd hęc in eodem instrumento scribãtur, est extrinsecum & accessorium rationi testamenti, possent enim omitti. Differt autem à *codicillo*, Primò, Quòd codicillus non fiat ad instituẽdum hæredem, (nisi interdum ex priuilegio, quale concessum militi, vt patet *L. Militis codicillis. 36. ff.* de milit. testam.) sed ad aliquid in testamento explicandum vel mutandum, addendum vel detrahendum; vt ad legata instituenda, vel ad substitutionem fideicommissariam faciendam, &c. Secundò, Quòd in codicillo sufficiant 5. testes, etiamsi non sint rogati, inter quos possunt etiam esse mulieres. In testamento requiruntur 7. testes rogati masculi & puberes. vide Sylu. v. Testam. 1. nu. 2. Hinc fit vt *clausula codicillaris* testamento addita (qua significat testator se velle suam dispositionem valere per modum, vel testamenti, vel codicilli; vel generatim se velle illam valere meliore modo, quo potest) eam vim habeat, vt etiamsi testamẽtum ob defectum solemnitatis non valeat qua testamentum (ideſt, quoad institutionem hæredis directa) valeat tamen qua codicillus. Vnde efficitur Primò, Vt legata tali testamento relicta, sint soluenda. Secundò, Si testator non habens liberos, instituat extraneum hæredem, institutio illa directa habebit vim substitutionis fideicõmissariæ. nam frater vel alius, qui ab intestato succedit, tenebitur illi tradere hæreditatẽ, retenta solum quarta eius parte, quam vocant Trebellianicam. Tertiò, Si verò habeat liberos, illi habebunt solùm legitimam; extraneus verò sic institutus habebit reliqua. vide Sylu. *supra* numer. 11. & Molinam disp. 132. & Iulium Clarum §. Testamentum qu. 46.

2 *Codicillus.*

3 *Clausula codicillaris.*

DVBITATIO II.

Vtrùm testamentum factum ad piam causam sit Validum, si ei desint solemnitates, quas requirit Ius ciuile.

VERBI gratia, si non adsint 7. testes, vel non omnes sint masculi, & puberes; vel nõ omnes sint rogati, vel si non omnes subscripserint, &c. quæ habentur L. Hæc cõsultissima. 21. C. de testamen. dicitur autem factum ad piã causam, quando hæres instituitur pia causa, vt Ecclesia, Monasterium, pauperes.

Respondeo, Vt testamentum ad pias causas sit validum, etiam in foro externo, non requiruntur solemnitates Iuris ciuilis; sed sufficiunt ea, quæ sunt Iuris gentium, nempè vt duo testes adsint. Ita Couarru. cap. 11. de testam. num. 9. & Iulius Clarus §. Testamentum q. 6. nu. 1 & colligitur aperte ex capit. Relatum. 1. de testamentis. Vbi Alexander III. mandat vt Iudex causas, in quibus agitur de ijs, quæ relicta sunt Ecclesijs, tractent non secundùm leges, sed secundùm Canones, duobus vel tribus duntaxat legitimis testibus requisitis. quod etiã in foro ciuili seruandum esse docet Clarus suprà & alij DD. Neque requiritur præsentia Parochi, vt quidam volunt. nam Pontifex dicit non nisi duos legitimos testes requirendos. potuit autem Summus Pontifex hac in re legibus ciuilibus derogare, quia potestatis ecclesiasticæ (cuius plenitudo est in Pontifice) est, ordinare hominum actiones ad finem supernaturalem, qui est salus animæ: & consequenter potest submouere & tollere omnia, quæ studium & cursum bonorum operum ad salutem animæ pertinentiũ impediunt: atqui illę leges in causis pijs impedirent studium bonorum operum: ergo.

4 *Testamentum ad pias causas.*

Duo testes sufficiunt.

5

Peres, Vtrùm necessarij sint duo testes, vt tale testamentum sit validum in foro conscientiæ?

Respondeo, Non esse necessarios: sufficit enim in his testamentis id, quod Iure naturali est sufficiens. nempe vt sit potestas in disponente, capacitas in eo, in cuius fauorẽ disponitur, & libertas in dispositione: quod probatur, quia nulla solemnitas Iuris ciuilis in his testamentis est necessaria. vt patet ex cap. Relatum. 1. de testamen. neque etiam necessarij sunt duo testes Iure Canonico, quia Ius Canonicum non requirit eos vt dispositio sit valida in foro conscientiæ; sed vt possit probari in foro externo, quantum satis est, vt Iudex pro ea sententiam ferat. vt colligitur ex d. cap. Relatum.

6

7 *Non sunt necessarij in foro conscientiæ.*

Hinc sequitur Primò, In tali testamento, vt validum sit, non requiri hæredis institutionem. ratio est, quia hæc necessaria tantùm est iure ciuili: atqui vt testamẽtum ad pias causas validum sit, nihil requiritur solo Iure ciuili introductum. Ita Iulius Clarus q. 6. nu. 8.

8

Secundò. Etsi testamentum aliquod ad causas prophanas, defectu solemnitatis sit inualidum; tamen legata pia in eo contenta, valida esse. Ita Couarru. cap. 11. numer. 4. ratio est, quia caput Relatum, loquitur generatim de omnibus ad piam causam relictis; vnde etiam comprehendit legata.

9 *Legata pia.*

Tertiò, Legata prophana posita in testamento ad pias causas minùs solemni, valere, eiseque soluenda. est sententia communis Doctorum, vt refert Clarus §. Testamentum, quæstione sexta, numero nono. ratio est, quia solẽnitas,

Legata prophana.

nitas, quæ ſufficit ad inſtitutionem hæredis, etiam ſufficit ad legata illi appoſita.acceſſorium enim ſequitur naturam principalis.

Quartò, Etſi regulariter non valet diſpoſitio vltimæ voluntatis captatoria; (id eſt, quæ confertur in alterius arbitrium) tamen valere in diſpoſitione ad pias cauſas. Ita Clarius quæſt.6.num.5.citat Bar.& alios,qui dicunt hanc eſſe ſententiam communem. Ratio eſt,quia iure gentium talis diſpoſitio eſt valida. & ſatis aperte colligitur ex cap. Cùm tibi,de teſta. vbi dicit Innoc. III. *Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem commiſit, non videtur decedere irritatam.* quod multi DD. intelligunt in cauſis pijs, & ita exponitur in ſummario illius cap.

DVBITATIO III.

Vtrùm teſtamentum factum ad cauſam non piam ſit validum in foro conſcientiæ, ſi ei deſint ſolemnitates iure poſitiuo requiſitæ.

11 *Sententia Couar.* COVAR.c.10.de teſtam.num.12.docet tale teſtamentum etiam in foro conſcientiæ inualidum eſſe, ita vt hæres tali teſtamento inſtitutus, & legatarius teneantur ad reſtitutionem hæredibus ab inteſtato. citat pro hac ſententia Baldum & Fortunium.eamdem tenent quidam recentiores. nihilominùs.

12 *Contraria verior.* Reſp Contrariam ſententiam omnino veriorem videri, Tale teſtamentum in foro conſcientiæ validum eſſe, & licitè retineri,quod ex tali teſtamento poſſidetur,ſiue titulo hæreditatis,ſiue legati. Probatur Primò, Quia communis ſententia DD. vtriuſque Iuris eſt ex teſtamento minùs ſolemni oriri obligationem naturalem,vt teſtatur Iulius Clarus §. Teſtamentum. quæſt.90.num.1.& Iaſon in L. Cùm quis.10.C.de Iuris & facti ignorantia.numer.13.& fatetur Couarruuias num.10.atqui hoc nihil aliud eſt,quàm teſtamentum tale in foro conſcientiæ eſſe validum, ita vt hæres ab inteſtato teneatur ei ſatisfacere; & inſtitutus poſſit relictum petere & retinere:quamuis ius ciuile ex eo actionem non tribuat.ſicut ſimplex promiſſio in foro conſcientiæ eſt implenda, etiamſi Ius ciuile ex ea non concedat actionem. Reſpondet Couarruuias, illam ſententiam Iuriſperitorum intelligendam de obligatione naturali;non ſtricta; ratione cuius hæres ab inteſtato teneatur ex iuſtitia: ſed laxa,qua teneatur ſolùm ex honeſtate morali: vnde eũ, qui ſic inſtitutus eſt,non poſſe retinere hæreditatem vel legatum, eo quòd Ius Iuſtitiæ non habeat. Verum hæc reſponſio non ſatisfacit, Primò, Quia obligatio naturalis apud Iuriſperitos vocatur ea, quæ præciſo omni iure poſitiuo oritur ex natura actus, & à iure poſitiuo ſuperueniente non irritatur:atqui ſepoſito iure poſitiuo. oritur obligatio iuſtitiæ ex tali teſtamento: ergo loquuntur de obligatione iuſtitiæ.Secundò,Si oritur ex tali teſtamento obligatio honeſtatis:ergo hæres ab inteſtato tenebitur ſaltem ſub peccato veniali illi ſatisfacere. nam alioquin faceret contra honeſtatẽ virtutis.ſimiliter hęres tali teſtamento inſtitutus poterit retinere quod ipſi ſic datum fuerit.ſicut quod datur ex vi promiſſionis, vere debitum eſt, & retineri poteſt; quamuis non ſit debitum niſi ex honeſtate morali,vt multi DD.docent. Denique quòd Iuriſperiti hanc ſententiam intelligant de obligatione ſtricta, patet ex eo,quòd inde concludant hæredem ab inteſtato teneri in foro animæ reſtituere hæreditatem ei, qui ſic eſt inſtitutus; & inſtitutum poſſe retinere. vide Angelum v.Hæres numero 5. & alios infrà.

13 *Reiicitur.*

14 Probatur Secundò, Quia plerique Theologi, qui hanc quæſtionem attigerunt,aperte docent tale teſtamentum in foro conſcientiæ validum eſſe, Adrianus quodlib.6.artic.1. illatione 2.Angelus v.Hæres nu.5. Tabien. ibid.nu.4.Silu. v. Teſtamentum 1.q.5.§. Quartum,ſecundum Archid. & v.Hæreditas 3.q.7.Io.Med.C.de reſt.q.23.in fi. Lopez 2.p. c.14.Idem ex parte tenet Sotus lib 4.de Iuſt q.5.ar.3. Bann.2.q.62.diſp.5.quatenus docent,id quod ex tali teſtamento poſſidetur non eſſe reſtituendum, donec per ſententiam hæredi ab inteſtato adiudicetur. denique notter Molina diſput.81.

15 Tertiò,Ex L. Etſi inutiliter.2.C. de fideicommiſſis, vbi Antoninus ſanxit,*Non poſſe per te retineri fideicommiſſum relictum à defuncto inutiliter.* (id eſt,in ſcriptura minùs ſolemni) *ſi tu ſcieris voluntatem defuncti, cuius eſt hæres,aliud præſtitiſſe* rationẽ ſubdit, *Quia nõ ex ea ſola ſcriptura, ſed ex conſcientia relicti fideicommiſſi, defuncti voluntati ſatisfactum eſſe videtur.* Hic apertè ſupponit,voluntatem defuncti,de qua conſtet per confeſſionem hæredis,cuius intereſt, validam eſſe debere etiam in foro externo;etſi per ſcripturam minus ſolemnem non ſatis probetur. Vnde colligunt Iuriſperiti, legata,quæ in teſtamento minùs ſolemni tibi ſunt relicta, ſi à te poſſideantur, non ſolùm poſſe in foro conſcientiæ retineri; ſed etiam in externo defendi per legitimam exceptionem, quam ſententiam Iaſ. dicit eſſe communem, vt refert Couar. num.19. 16

17 Quartò,Probatur ex §.vltim.Inſt. de fideicommiſſarijs hæreditatibus,vbi Iuſtinianus ſtatuit,vt ſi teſtator fidei hæredis ſui commiſit, vt hæreditatem vel ſpeciale fideicommiſſum tibi reſtituat; & poſteà nec ex ſcriptura, nec ex 5. teſtium numero poſſit probari hanc fuiſſe eius voluntatem; poſſis ei offerre iuramentum;& ſi iurare noluerit,vel ſi falſus fuerit,cogatur tibi reſtituere: nec liceat ei ad ſubtilitatem iuris confugere,(ideſt,non liceat ei opponere,teſtamento defuiſſe debitam ſolemnitatem)rationem ſubdit, *Ne depereat vltima voluntas teſtatoris, fidei hæredis commiſſa.* Idem habetur L.Quæſtionem.32.C.de fideicomm.

18 Quintò, Quia numerus teſtium & ſimiles ſolemnitates ſolùm requiruntur in teſtamentis,vt fidem faciant in foro externo, ſeu vt falſitas & omnis deceptio euitetur; vt expreſsè dicitur d.L.Quæſtionẽ.C. de fideicomm.vbi ſic habemus, *Cùm enim per teſtium ſolemnitatem offenditur,tunc & numerus teſtium & minuta ſubtilitas requirenda eſt.Lex enim,ne quid falſitatis incurras per dues forte teſtes compoſitum teſtamentum, maiorem numerum teſtium expoſtulat; vt per ampliores homines perfectiſſima veritas reuelatur. Cùm autem is,qui ex voluntate defuncti lucratur (& maximè ipſe hæres, cui ſumma auctoritas totius cauſæ commiſſa eſt) dicere compellitur veritatem per ſacramenti religionem; quales locus teſtibus relinquatur, vel quemadmodum ad extraneam fidem decurratur, propria & indubitata fide relictæ? Cum & in leges reſpeximus,quæ iuſtis diſpoſitionibus teſtatorum omnino hæredes obedire compellunt;& ſic ſtrictiſſimas cauſam exigunt, vt etiam amittere lucrum hæreditatis ſancimus eos qui teſtatoribus ſuis minimè parucrint.*

Ex quibus clarè patet, non fuiſſe mentem legiſlatorum reddere irrita talia teſtamenta in foro conſcientiæ;ſed tantùm in foro externo non aſſiſtere,ſeu non dare actionem: ſicut non dant actionem ex nuda promiſſione, niſi formula ſtipulationis,vel ſimili modo ſit veſtita.

19 Sextò, *Nihil eſt tam conueniens naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferri, ratam haberi;* vt habetur §. Per traditionem. Inſtitutio. de rerum diuiſione: ergo non eſt conueniens naturali æquitati, vt omiſſio talium ſolemnitatum (præſertim ſi per ignorantiam vel obliuionem vel impotentiam proueniat) hanc voluntatem reddat inualidam: valdè enim durum eſt vt non poſſim teſtari, vel aliquid legare in fauorem amici, eò quòd deſit vnus teſtis, vel notarius; & ob hanc cauſam amicus teneatur in conſcientia reſtituere fratribus meis, vel ſororibus, vel cognatis, quibus. ob iuſtas cauſas nihil volui relictum.

20 Septimò, Ideò introductæ ſunt iſtæ ſolemnitates,vt voluntati teſtatoris certiùs ſatisfieret, nec poſſet varijs hominum artibus interuerti. homines enim maximè deſiderant vltimæ voluntatis ſuæ diſpoſitionem ſeruari. vnde Auth. de nuptijs colla.4. capit.46. Imperator ait, *Vbique cuſtodire volumus morientium voluntates.* ergo non intenderunt legiſlatores ob defectum illarum irritas reddere vltimas voluntates; ſi aliunde conſtet de mente teſtatoris. hoc enim eſſet euertere finem, vt ſeruentur media. Denique hanc ſententiam tamquam maximè rationi conſentaneam tenet Plinius Secundus libr. 2. epiſt. ad Annianum, *Ego* inquit *propriam legem mihi dixi,vt defunctorũ voluntates, etiamſi deficerent, quaſi perfectas tuerer.* Et libr.5. ep. ad Caluiſium, *Hoc enim ſi tuis affectibus, irritum ſi defuncti voluntatem, ratum & firmum eſt: mihi autem defuncti voluntas (vereor quam in partem iuriſconſulti quod dicturus ſum accipiant) antiquior iure eſt.*

21 Ex his ſequitur Primò, Hæredem ab inteſtato, ſi ſciat volun-

Confeſſarius 5. voluntatem defuncti, teneri reſtituere hæreditatem & ſoluere legata eis, quibus teſtamento munus ſolemni debentur.

Secundò, Si dubius ſit de voluntate teſtatoris debet cũ illis componere pro ratione dubij. Ita Molina diſp.81. ratio eſt, quia cùm nec ipſe nec alij ceperint adhuc poſſidere bona fide, in dubio par eſt eorum conditio. Probabilius tamen videtur hęredem ab inteſtato hoc caſu poſſe totũ retinere. Ratio eſt, quia habet ius certum, à quo non debet excludi per ius alterius dubium. hæc enim eſt ratio cur melior ſit conditio poſſidentis. quia enim poſſidens, qui certus eſt ſe habere ius poſſidendi, non tenetur rem nec totam, nec partem eius deferre, obius dubium alterius.

Tertiò, Si hæres ab inteſtato retineat hæreditatem & 22 legata; poſſunt illi, quibus aliquid per tale teſtamentum *Si debet adiudicari hæredi ab inteſtato.* erat relictum, vti occulta compenſatione; nam reuerà res illæ erant ipſorum. Syluester v. Hæreditas 3.q.7.

Quartò, Si hæres ab inteſtato fateatur mentem teſtatoris fuiſſe, vt hæreditatem nomine fideicommiſſi alteri tra- 23 deret, vel legatum aliquod ſolueret; aut ſi oblato iuramen- *Si hæres fatetur.* to, iurare noluerit, cogendus eſt etiam in foro externo hęreditatem tradere, (detracta tamen quarta parte, quam vocant Trebellianam) & ſoluere legatum, vt patet ex quarta & quinta probatione.

Quintò, Idem ob eamdem cauſam dicendum eſt, ſi fa- 24 teatur voluntatem teſtatoris fuiſſe, vt hæreditas non vt fideicommiſſum, ſed immediatè perueniret ad inſtitutum. non enim recurrendum eſt ad fidem teſtium, vel ad iuris ſubtilitatem, quando is cuius interest, confitetur teſtatoris voluntatem; vt habetur d.L.Quæſtionem.32. C.de fideicommiſſis.

Sed contrà obijcitur ex Couarruuia, Primò. Ex L.Hac conſultiſſima.21. C.de teſtamentis. *Non ſubſcriptum à teſtibus ac non ſignatum teſtamentum, pro infecto haberi conuenit.* & ſubdit, *Ex imperfecto teſtamento voluntatem teneri defuncti: (niſi inter ſolos liberos habeatur) non conſtat.* & §. Ex eo Inſtit. Quibus modis teſtam.infir. *Imperfectum teſta-* 25 *mentum nullum eſt.*

Reſpondent quidam, has leges niti præſumptione fraudis, quæ præſumitur cõmiſſa in talibus teſtamentis, quando præſcriptæ ſolemnitates deſunt. vnde quando conſtat nullam fraudem commiſſam, ſed hanc eſſe veram & liberam voluntatem teſtatoris, leges haſce nõ habere locum. *Non niſitur præſumptione fraudis.* Sed ſolutio non videtur vera. Primo, Quia nõ poteſt prudenter præſumi fraus, ex eo, quòd vnus vel alter teſtis, vel ſubſcriptio alicuius deſit. nam multis modis fieri poteſt vt aliquid horum fit omiſſum. Secundò, Quia quatuor teſtes poſſunt ſufficere, vt conſtet non ſubeſſe fraudem; ſufficiunt.n. in rebus maioribus, vt in cauſa criminali, in qua agitur de vita. Tertiò, Etiamſi Iudices ſciant nullam ſubeſſe fraudem, tamen non adiudicabunt ex tali teſtamento hæreditatem, niſi hæres ab inteſtato fateatur hanc fuiſſe mentem teſtatoris. vel niſi reculauerit oblatum iuramentum. Vnde aliter reſpondetur, Illas leges loqui de nullitate in foro externo, quia in foro externo non datur actio 26 ex tali teſtamento. lex enim Ciuilis ei non aſſiſtit: non ta- *Eſt nullum in foro externo.* men ei reſiſtit. vt rectè docet Franciſcus Sarmiento de reditibus p.1.c.2.nu.3. habetur itaque pro *infecto, irrito*, & *nullo* in foro externo, quia non cõceditur actio ex tali teſtamento, perinde ac ſi nullum omnino extaret. cum hoc tamé conſtitit, quòd ex eo naſcatur obligatio naturalis in hærede ab inteſtato ad res illas tradẽdas; & ius in ijs quibus ſic aliquid eſt relictum, ad exigendum: ſicut patet in pactis nudis, ex quib.etſi nulla oriatur obligatio ciuilis, oritur tamen obligatio naturalis. vt dictum eſt.c.17.dub.4. Potuit autem ius Ciuile actionem ex huiuſmodi teſtamẽtis denegare ob iuſtas cauſas. Primò, Ad vitandas plurimas lites, quæ ortæ fuiſſent, ſi licuiſſet hæredi inſtituto & 27 legatarijs probare, hanc fuiſſe mentem teſtatoris. quam *Cur deneget actionem.* etiam ob cauſam factum eſt, vt certas ſolemnitates requireret, quæ niſi ſeruatæ eſſent, aliæ probationes nõ admitterentur, præter confeſſionem hæredis ab inteſtato, cuius intereſt. Secundò. Ad excludendas varias hominum artes & machinationes, quibus conati fuiſſent vltimas voluntates interuertere, ſi ſatis fuiſſet probationibus iure gentium requiſitis vti. dum enim videt tam multa requiri ad faciendam fidem in cauſa teſtamentaria, deſperat de ſucceſſu, & ceſſant à fraudibus. Tertiò, Ne hæredes ab inteſtato, quibus non conſtat de voluntate teſtatoris, gemino dolore afficerentur, ſi priuati ſolatio defuncti, cogerentur extraneis dare hæreditatem. quòd ſi dubis de voluntate defuncti conſtet, non poſſunt quem, quia par eſt vt ſatisfiat voluntati defuncti, quam ipſimet agnoſcunt.

Obijcitur Secundò, Si illa teſtamenta in foro conſcientiæ eſſent valida, iniquè Iudices adiudicarent hæredibus ab inteſtato; foouerent enim apertam iniuſtitiam; præberent etiam occaſionem hæredibus illis, inique petendi, quod alijs relictum eſt.

Reſpondeo. Non adiudicari hæredibus hæreditatem illam tamquam abſolutè ad illos pertineat; ſed non concedi 28 actionem ijs, qui nituntur tali teſtamento; quia repelluntur tamquam deſtituti probatione, quam leges requirunt. quòd ſi contingat hos eſſe poſſeſſo.es; datur quidem hæredibus repetitio, quia putatur bona fide agere, nec ſcire aliã eſſe defuncti voluntatem: non tamen intendit Iudex decernere rem abſolutè illorum eſſe; ſed eſſe illorum, quantum apparet ex probationibus, quæ iure admittuntur, interim relinquens eos ſuæ conſcientiæ. quòd autem hæredes inde occaſionem accipiant petendi quod alijs relictum eſt, ipſorum malitiæ imputandum, non legum diſpoſitioni, quæ iuſtis cauſis nititur. Simile cernitur in pactis nudis, ex quibus etſi aliquid debitum ſit in conſcientia; ius tamen ciuile Cæſareum non concedit actionem. imò concedit repetitionem, ſi aliter aliquid hoc nomine abſque voluntate partis acceperit. vide Couarruuiam in cap. Quamuis pactum, par.2.§ 4. vbi docet dari repetitionem hæredi, ſi ex ignorantia facti (nempè ex eo, quòd putauerit teſtamẽtum eſſe ſolemne) ſoluerit legatum, vel fideicommiſſum. non autem ſi ex ignorantia Iuris; id eſt, ſi ſoluerit, quòd putaret teſtamentum minùs ſolemne eſſe validum. ſed hoc ad forum externum pertinet: nam in conſcientia non licet repetere, ſi putat illam fuiſſe defuncti voluntatem.

Obijcitur Tertiò, Si tale teſtamentum in foro conſcien- 29 tiæ eſt validum: ergo tutor non poterit agere pro pupillo (qui eſt hæres ab inteſtato) ad reſciſſionem teſtamenti minus ſolemnis in fauorem alterius conditi, ſi ſciat voluntatem teſtatoris fuiſſe vt alius eſſet hæres: quod eſt graue incommodum. ſi enim agat, peccabit mortaliter: ſi non agat, condemnabitur vt pupillum præſtet indemnem.

Reſpon. Non poſſe agere: ſi autem ideo cogatur pupillo compenſare damnum, pupillus tenetur ei in conſcientia ad reſtitutionem, & ipſe poteſt occultè tantumdem detrahere ex illius bonis.

Aduerte tamen Primò, Sententiam Couarruuiæ eſſe 30 probabilem, & ſecuram in conſcientia, etſi noſtra ſit verior *Sententia oppoſita eſt probabilis.* & probabilior: potuiſſent enim legislatores ita ſtatuere; quamuis non ita conſentaneè naturali æquitati. vnde poterit tutor ea vti & ſic agere contra tale teſtamentum. Iuxta hanc ſententiam. Primò, Is, cui ſic quid relictum eſt, non poteſt illud petere tamquam ex iuſtitia debitum. Secundò, Si poſſidet, non poteſt retinere: niſi forte ſit fideicommiſſum, quod teſtator fidei ſui hæredis commiſerit: vel legatum, quod hæres iam ſoluerit, ſciens teſtamentum non fuiſſe ſolemne; iuxta ea, quæ dicta ſunt in tertia, quarta, & quinta probatione. Tertiò, Hæres ab inteſtato poteſt illud retinere; & ſi aliter poſſidet, repetere in iudicio. Quartò, Quod ſi non poſſit ob potentiam aduerſarij, vti poteſt occulta compenſatione.

Aduerte Secundò, Dominicum Sotum & Bannes ſu- 31 pra, tenere quamdam ſententiam mediam; ſentiunt enim teſtamentum minus ſolemne, quadam ratione eſſe validum, quadam inualidum. Validum; quia inſtitutus poteſt capere hæreditatem, ſi nemo ei ſe opponat, & retineret, donec Iudex illi eam abiudicet. Inualidum; quia hæres ab inteſtato poteſt eam capere & retinere, etiamſi ſciat voluntatem defuncti aliam fuiſſe; quòd ſi alter eam occupauerit, poteſt in iudicio eam petere, & cum adiudicata fuerit, retinere. Hæc ſententia non eſt improbabilis. nec dubitandum eſt, quin legislatores ita potuerint ſtatuere, nempè vt tale teſtamentum non eſſet irritum in conſcientia, ante ſententiam Iudicis; & per eam irritaretur vel declararetur irritum ex vi legis, &c. Verum non videtur illa fuiſſe mens illorum: nam ſi hæres fateatur voluntatem teſtatoris fuiſſe vt alteri traderet fideicommiſſum vel legatum, cogetur vi legum ſoluere. vt ſupra dictum eſt. *Sententia Sot.*

32 *Aliorum contractuum solemnitatis.*

Aduerte Tertiò, Ea, quæ dicta sunt de solemnitate testamentorum, à quibusdam extendi ad contractus, donationes, beneficiorum & officiorũ collationes, electiones, præsentationes & similes actus, qui ex dispositione Iuris Ciuilis vel Canonici requirunt varias solemnitates, ver. grat. vt celebrentur certis verbis, certo loco vel tempore, per tres tractatus, coram certo numero testium. si enim hi actus solo defectu solemnitatis laborent, ob quem iure positiuo damnantur irriti, non ideò definere valere in foro conscientiæ: ita enim docent omnes DD. Iuris, qui tenent, testamentum nuncupatiuum solemne valere; vt fatetur Couarr. num. 10. &

33 omnes Theologi citati in 2. argumento. Vnde si contrahentes sint per se habiles, & adsit plenus eorum consensus, cõtractus erit validus in foro conscientiæ. Nec obstat, quòd contractus matrimonij sit irritus sine Parocho & testibus; quia Conc. Tridentinum sessio. 24. c. 1. de reform. expresè reddit illos inhabiles ad sic contrahendum: & præterea satis significat se omnino irritum reddere in foro conscientiæ. Simili modo, si electioni ad Prælaturam adsit legitimũ suffragium eorum, qui habent ius eligendi; & alienationi rei Ecclesiæ auctoritas personarum, quæ illam facere possunt: hi actus erunt validi in foro conscientiæ, quamuis aliquæ solemnitates per Canones requisitæ desint. Pro quo facit. Lex Cùm amplius solutum. ff. de reg. Iuris, vbi dici-

34 *Bannes.* tur, *In natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus.* Hanc sententiam tamquam probabiliorem amplectitur Bannes disput. 3. ad quæst. 62. pa. 100. vbi docet, eum, qui per contractum minùs solemnem possidet, iustè possidere, donec à Iudice spolietur; nec teneri vitium contractus alteri parti indicare. ratio ipsius est, quia leges positiuæ tam ecclesiasticæ quàm ciuiles, quæ irritos faciunt contractus minùs solemnes, non sunt aliæ iuxta hanc moderationem receptæ; nimirum vt reus nemo teneatur rẽ, quam sic habet, ante sententiam dimittere, eaque per huiusmodi contractus transferri quidem dominium, sed infirmum & reuocabile. excepit tamen electionem Prælatorum, hanc enim si ex defectu solemnitatis necessaria, esse irritam, propter rei momentum: quia Iurisdictio spiritualis per eam conferri debet: alij tamen Doctores nullam faciunt exceptionem. Videtur hæc sententia satis probabilis. maximè spectato vsu, qui passim est receptus. non enim cõsuetum est, vt quis ea, quæ per tales contractus habet, restituat, nisi cogatur per sententiam. Durum enim est, vt qui rem habet ex consensu eius, qui poterat illã tradere, cogatur sponte ea cedere; quòd non eo loco vel tempore, vel coram illis testibus, quos lex præscribit, tradita fuerit.

Dominium reuocabile.

35 *Contrarium verius.*

Nihilominùs contrarium est Iuri conformius & verius; nimirum huiusmodi actus & contractus, quibus deest solemnitas, siue qua lex illos absolutè irritos decernit, non inducere obligationem naturalem; nisi fortè alibi explicetur in Iure, illam solemnitatem solùm requiri ad probationem in Iudicio, sicut in testamentis. Ita ferè tenent reliqui DD. & Couar. in c. Quamuis pactum. p. 2. §. 4. nume. 7. & Sarmiento de reditibus p. 1. c. 2. num. 3 & alij. Probatur Primò, Quia non est dubitandum quin potestas ciuilis & ecclesiastica possint talem irritationem & nullitatem actibus inducere, vt nullam omnino vim habeant: ergo iudicandum est eas reipsa id facere, quando claris verbis actũ irritum & nullum decernunt, nec indicant vsquam id ad forum externũ restringendum. Secundò, Quia L. In causæ cognitione. 16. ff. de minoribus, apertè insinuatur, multos esse contractus, qui defectu solemnitatis à lege requisitæ, ita sunt irriti, vt ad eos rescindendos non opus sit beneficio restitutionis; sed mero Iure possint dissolui: ergo tales contractus etiam ante sententiam Iudicis omni robore carent, ita vt ne naturalem quidem obligationem inducant. obligatio enim naturalis non potest elidi, nisi beneficio restitutionis, vt patet ex dictis capit. 17. d. 8. & 9. Tertiò, Quando contractus inducit obligationem naturalem, potest illi accedere fideiussor; vt colligitur ex L. Fideiuss. 16. ff. de fideiuss. & mandat. sed multi contractus defectu solemnitatis ita sunt irriti, vt non possit illis accedere fideiussor. L. Qui contra. 11. ff. de fideiussor. ergo. Denique ratio est, quia quando lex irritum reddit contractum ob defectum solemnitatis, facit hanc pertinere ad formam essentialem contractus, & adimit contrahentibus potestatem aliter se inuicem obligandi. Vide dicta sup. c. 17. dubit. 8. num. 61. & dub. 7. nu. 56. vbi attulimus aliquot exempla.

Hinc sequitur, etiam completo tali contractu, alterum 36
posse resilire inuito altero, & rem suam repetere, offerendo quod pro ea accepit: & alterum teneri restituere, etiam ante sententiam, nisi forte causas probabiles habeat, quibus se possit tueri. non tamen tenetur, quamdiu alter rem traditam non repetit, vel acceptam non restituit. Nec obstat contraria consuetudo; quia negari potest esse talem consuetudinem, nisi quando is, qui conuenitur, putat se habere causas iustæ defensionis; vel qui repetit, non potest rem acceptam restituere. Fieri tamen potest, vt dissoluere talem contractum sit contra charitatem, vt si bona fide erat initus, & alter sine graui incommodo nõ possit rem acceptam restituere.

Potest resilire.

DVBITATIO IV.

Quinam non possint testari.

RESPONDEO, Eos non posse testari, qui vel sufficienti rationis vsu carent, vel Iuris dispositione prohibentur. Inter hos, Primò, est impubes, id est masculus ante 14. annum expletum, & femina ante annum 12. expletum. vt aperte habetur L. A qua ætate. 5. ff. Qui testamenta. vbi dicitur illud tempus debere esse completum, ita tamen vt sufficiat vltimum diem esse inchoatum. 37

Impubes.

Secundò, Filius familias. hic tamen si pubes sit, potest testari de bonis castrensibus & quasi castrensibus; L. Nemo. 11. C. Qui testamenta. De bonis aduentitijs, si quidem ea ante clericatum ei obuenerit, non potest testari ad causas prophanas, etiamsi pater consentiat, vt docet Clarus qu. 18. ex communi DD. sententia; quia est contra aperta iura, L. Qui in potestate. 9 ff. Qui testamenta. & L. Nemo. 11. C. eodem. Potest tamen ad causas pias cum patris consensu. vt idem Clarus docet qu. 5. nu. 7. & apertè colligitur ex cap. Licet de sepulturis in 6. estque communis sententia DD. De bonis verò aduentitijs, quæ post clericatum consecutus est, testari potest absolutè absque patris consensu; quia illa sunt quasi castrensia. vnde eorum commoditas & dispositio ad ipsum pertinet, vt patet ex dictis supra c. 4. d. 3. & expresè habetur Authent. Presbyteros. 1. C. de Episcopis & Clericis. 38

Filiusfamilias.

Tertiò, Testari non possunt, qui commiserunt aliquod 39
crimen, cui iure annexa est pœna, qua ipso facto sunt intestabiles. L. Is cui. 18. & L. Cum lege. 26. §. Qui test. vt sunt illi, qui insecuti sunt hostiliter Cardinalem; vel eum ceperunt, aut percusserunt, & qui ad hoc fuerunt cooperati. vt habetur c. Felicis, de pœnis l. 6. Tales etiam sunt hæretici, vt patet L. Manichęos. 4. C. de hæret. Item credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, si intra annũ non satisfecerint; vt patet Auth. Credentes. C. de hæret. quæ est Frederici Imperatoris, & ca. Excommunicamus. 1. §. Credentes ex Concilio Lateranen. magno vbi dicitur, *Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hereditatis successionem accedat*. Simili modo testari non potest, qui damnatus est ob libellum famosum, vt habetur d. L. Is cui. §. Si quis.

Criminosi.

Quartò, Religiosi testari non possunt, nisi ex concessio 40
ne Summi Pontificis: qui sicuti potest facere potestatem donandi ad pias causas inter viuos; ita etiam condendi testamenti: sed tantùm ad pias causas. vide Couarruuiam de testam. c. 1. nu. 17. & 18. hæc autem facultas concedi nõ solet, nisi Religiosis habentibus beneficium aliquod regulare vel sæculare, vel degentibus extra Monasterium & sua industria victum quærentibus, vel quibus quotannis aliquid certi à Monasterio assignari solet. vt se inde sustentent. vt docet Nau. commen. 2. de Regular. nu. 58. vide infrà c. 41. dub. 8. nu. 73.

Religiosi.

Sed præcipua difficultas est de Clericis beneficiarijs. Vtrum de prouentibus suorum beneficiorum testari possint, etiam in suos consanguineos.

Respond. & dico Primò. Omnes Clericos, qui non sunt 41
Religiosi, posse testari, etiam ad causas prophanas de patrimonio & de alijs, quæ suo labore & industria congregarũt. denique de ijs quæ ex prouentibus beneficiorũ congruenti sustentationi subtraxerunt. patet ex dictis c. 4. dub. 6. vide Nauarrum tract. de Reddit. eccl. q. 3.

Beneficiarij.

Dico Secundò, De ijs verò, quæ ex beneficiorum pro- 42
uentibus

tentibus congruenti ſuſtentationi ſuperant, ſi ius ſcriptum ſpectemus, teſtari nequeunt, ne ad pias quidem cauſas: ex conſuetudine tamen multis locis recepta, poſſunt de his ad opera pia teſtari. Prior pars patet ex cap. Quia nos, & cap. Relatum. 2. & cap. Cùm in officijs, de teſtamentis. quæ capita explicantur à Couarruuia tract. de teſtamentis, eſtque communis ſententia Doctorum. vt docet Couarr. in cap. Cùm in officijs (quod eſt ca. 7. de teſtamentis) num. 16. hoc autem ideo iure ſtatutum eſt, vt Eccleſiaſtici non ſtuderent opibus accumulandis; ſed eas in vita liberaliter in pios vſus expenderent.

43 Alteram partem docet Couarruuias num. 13. vbi dicit, *moribus receptum eſſe, vt ſolis Epiſcopis teſtandi facultas ſit neceſſaria; Clericos enim ceteros omnes liberè teſtare de ijs, quæ ex reddditibus eccleſiaſticis adepti ſunt; atque in iiſdem parentes fratres, cognatos ſuccedere inteſtatos.* vnde patet, multis locis conſuetudine hæc iura eſſe abrogata. hæc enim conſuetudo non eſt per ſe mala, neque contra preceptum dei poteſt, ſi ad pias cauſas referatur. Vnde etiam in Epiſcopis locum habere poteſt, quos videmus multis locis teſtari, quod Pontifex non ignorat. quare poteſt conſuetudo etiam in illis abrogare ius illud poſitiuum.

44 Dico Tertiò, Peccant tamen mortiferè beneficiarij, ſiue ſint Epiſcopi ſiue Canonici, qui de parte illa prouentuum diſponunt ad cauſas prophanas, relinquendo eam conſanguineis diuitibus, vel ſponte ſinunt eos ſuccedere ab inteſtato. diſpoſitio tamen huiuſmodi & ſucceſſio eſt valida; vbi conſuetudo inualuit. *Quod peccent mortiferè* eſt communis ſententia Doctorum. ſi enim peccant mortiferè diſponendo de his prophane inter viuos; (vt oſtenſum eſt c. 4. dub. 6. & ſentiunt omnes Doctores) multò magis diſponendo per vltimã voluntatem. nam ſemper minùs conceſſum fuit beneficiarijs concedere teſtamẽtum, quàm donare inter viuos. cõfirmari poteſt ex multis Canonibus, quibus grauiter prohibetur, ne de ijs, quæ ex bonis Eccleſiæ acquiſita ſunt, teſtentur, præſertim Epiſcopi; ut patet ex cap. Cùm in officijs. de teſtamentis. & 12. qu. 5. per totam. & quamuis illis Canonibus ſit derogatum pleriſque locis quoad cauſas piasminime tamẽ quoad prophanas, & portionem bonorum congruæ ſuſtentationi ſuperfluam: viri enim boni valdè ab eo ſemper abhorruerunt. & ſanè mirum eſt in quibuſdam eccleſiaſticis tantam eſſe ſalutis ſuæ incuriam & futurorum ſecuritatẽ, vt etiamſi mox ad Chriſti tribunal rapiendi ſint; ea tamen negligant, quibus facilè ſaluté conſequi poſſent; & inſuper rem adeò periculoſam, ut amicos ſuos locupletent. audeant attentare. Verùm hęc eſt huius ſæculi faſcinatio, & Principis huius mundi, corda mortalium excæcantis, poteſtas.

Peccant mortiferè ſi ad prophana.

Nec obſtat, quòd Summus Pontifex aliquando concedat alicui Epiſcopo vel Clerico facultatem teſtandi: hoc 45 enim ſolùm eſt intelligendum ad pias cauſas. ut monet Navar. in Apolog. c. 3. monito 6. & alibi.

46 Altera pars, *Quod diſpoſitio ſit valida*, non eſt quidem certa, nam plurimi Doctores tenent contrarium cum Navarro, vt ſuprà cap. 4. dub. 6. oſtenſum eſt: eſt tamen probabilis. ratio eſt; quia beneficiarij ſunt domini omnium fructuum, etſi cum onere & obligatione vt ſuperflua in pios vſus expendant: ergo valide transferunt illorum dominium, ſiue donatione inter viuos, ſiue per vltimam voluntatem, ſupponimus enim eos ex conſuetudine eſſe habiles ad teſtandum.

Eſt valida diſpoſitio.

Nec refert, quòd peccẽt mortiferè; quia aliud eſt diſpoſitionẽ eſſe illicitam, aliud eſſe irritam. etſi enim ex præcepto Eccleſiæ & fundatorum intentione teneantur expendere in pios vſus, nõ tamen decernitur irritum, ſi contrariũ fecerint; ſicut cùm quis de ſuperfluis ſuis diſponit in vſos prophanos, cũ ea in eleemoſynam, vrgente graui neceſſitate proximorum, conferre tenetur; diſpoſitio valet, 47 48 etiamſi ipſe mortiferè peccet. Hinc etiam patet, hæredes valide ſuccedere; accipiunt. n. ab illo, qui validè poterat diſponere. neque illa per ſe ſunt obligata pijs vſibus; ſed omnis obligatio erat perſonalis, ad ſolũ teſtatorem pertinẽs, quæ nõ tranſit ad hæredes: quo fit vt hæredes non peccẽt ea accipiẽdo iure hæreditario; ſed ſolus teſtator, ita expreſsè vel tacitè diſponẽdo, & qui ipſum ad hoc induxit.

Poſtremò, Damnati ad mortem naturalem vel ciuilem; 49 (vt eiecti in exilium perpetuũ.) Item damnati ad perpe-

Damnati.

tuos carceres teſtari non poſſunt, niſi ad pias cauſas. de quibus & alijs quibuſdam minutionibus vid. Sylueſtrum, Teſtamentum 1. qu. 3. & 4. nam in variis locis ſunt variæ leges & conſuetudines; nec vbique ſeruatur ius Codicis vel Digeſtorum.

DVBITATIO V.

Quinam non poſſint teſtamento inſtitui hæredes vel legatarij.

RESPONDEO, Inter eos, qui hæredes, vel legatarij inſtitui non poſſunt, numerantur Primò, Hæretici & apoſtatæ L. Fin. C. de hæreticis. & L. Hi, qui ſanctam. 3. C. de apoſtatis. Secundò, Credentes. Tertiò, Receptores. Quartò, Defenſores. Quintò, Fautores hæreticorum, ſi tamen intra annum non pœnituerint, vt patet ex Authen. Frederici Imperatoris, C. de hæreticis. & cap. Excommunicamus. 1. §. Credentes. 50 *Hæretici. Credentes, &c.*

Hinc ſequitur, hæredes catholicos poſſe tales hæredes excludere; & ſi impediantur, vti aduerſus eos occulta compenſatione: quia ius non habent. Vtrùm verò illi teneantur ad reſtitutionem eorum, quæ tali ſucceſſione acquiſierunt, dubitari poteſt. videntur enim in conſcientia teneri, quia facti ſunt inhabiles ad ſuccedendum, ac proinde debentur illa bona hæredibus ab inteſtato, catholicis. Sed probabile eſt non teneri ante ſententiã, vel certè antequam catholici hæredes ſeſe opponant. quamuis enim ex rigore Iuris videantur teneri, tamen hoc ius cum illo rigore non eſt vſu receptum. eſt enim valdè durum & parùm conſentaneum conditioni talium hominum, vt obligentur talia commoda ſponte reſtituere. 51 52 *Non tenentur ante ſententiã.*

Sextò, Qui perſequuntur Cardinales, eoſque percutiũt vel capiunt. c. Felicis. 5. de pœnis, in 6.

Septimò, Quicumque ob crimen aliquod eſt inteſtabilis actiuè, (id eſt, ita vt non poſſit condere teſtamentum) eſt etiam inteſtabilis paſſiue (id eſt, eo modo vt non poſſit capere ex teſtamento) vt docet Gloſſa in cap. Is cui ar. Qui teſtam. quam communiter approbant DD. vt docet Clarus q. 34. de teſtam. ex Aretino. 53 *Criminoſi.*

Octauò, Fratres Minores nõ poſſunt hæredes inſtitui, vt patet Clem. Exiui, de verborum ſignificat. §. Quia igitur. Hoc tamen intelligendum, vt exponit Gloſſa, non poſſe abſolutè inſtitui hæredes, ita vt ipſi acquirant ius ad bona immobilia, & teneantur ad onera defuncti. vt hæredes. poteſt tamen in eorum fauorem hæreditas relinqui, vt per executores vẽdatur & detur eis pretium. vide cetera apud Sylueſtrum. Hæreditas. 3. quæſt. 2. non tamen placet, quòd putet excommunicatum non poſſe eſſe hæredem, cùm id nullo iure probetur. 54

DVBITATIO VI.

Vtrùm illegitimus poſſit inſtitui hæres.

NOTANDVM eſt, *Illegitimorum* generatim duas eſſe ſpecies; quidam vocantur *naturales*, quidam *ſpurij*. *Naturales* ſunt, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens, vt docet Couar. de matrim. p. 2. cap 8. §. 4. num. 4. etſi enim iure Cæſareo ſolùm dicebatur naturalis, qui natus erat ex vnica concubina domi retenta; tamen iure Canonico omnes illi vocantur naturales, qui ex parentibus ſolutis geniti; omneſque eodem iure gaudent. quod etiam conſuetudine receptum eſt in foro ciuili. vt docet Panor. in c. Per venerabilem; Qui filij ſint legitimi. potiùs enim fauendum eſt ei. qui natus eſt abſque concubinatu, quàm ei, qui ex concubina domi retenta, cùm hoc ſit detectius; vt idem Panormitanus ait. 55 *Illegitimi duplices. Naturales.*

Spurij dicuntur, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis & natiuitatis erat impedimentum dirimens, vt docet Couarr. §. 5. num. 1. 2. 3. Sub his duabus ſpeciebus comprehenduntur notati & manzerés appellatique quæ nomina variè ab auctoribus vſurpantur; nec quicquam ad rem explicandam faciunt. vide Couarruuiam §. 4. num. 1. & 11. 56 *Spurij.*

Ex his patet, Eum, qui natus eſt ex femina foris habi- 57

ſante, eſſe naturalem, ſi nullam erat impedimentum inter eam & virum, etiamſi ipſa eſſet meretrix; cuius filius in iure vocatur nothus. Item eum, qui natus eſt ex virgine vi compreſſa; quia etſi talis coniunctio lege puniatur, id nõ fit, quòd ipſæ perſonæ ſint inhabiles; ſed ob vim illatam. Item eum, qui natus ex Clerico beneficiario in ſacris non exiſtente, & ex ſoluta, quia beneficiũ non eſt impedimentum dirimens, neque illa coniunctio in iure vocatur coitus damnatus. Idem dicendum de eo, qui natus eſt ex parentibus votum ſimplex caſtitatis habentibus. Denique de eo, qui natus eſt ex parentibus, inter quos erat impedimentum; ſed illud omnino erat ignotum, ſaltem alteri parti: quia talis coniunctio formaliter non eſt niſi ſimplex fornicatio. Qui verò natus eſt ex ſoluta & coniugato, ex ſoluta & ſacerdote, eſt *ſpurius*. His poſitis.

58 *Spurius non ſuccedit patri.*

Reſpondeo & dico Primò, *Spurius* non poteſt aliquid à patre capere, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſiue ex contractu inter viuos. Ita Couar. de matrimo. p. 2. c. 8. §. 5. nu. 5. & Clarus q 31. de teſtam. patet Auth. Licet. C. de naturalibus liberis, in fine; vbi dicitur, *Qui ex damnato ſunt coitu, omni prorſus beneficio ſecluduntur*. & Nouella 74. c. 6. dicitur: *Nulla eis participanda clementia eſt: ſed ſit ſupplicium etiam hoc patrum vt agnoſcant eos nihil habituros.* Quod ſi pater illi aliquid in teſtamento præter alimenta relinquat, nihil per hoc iuris illi acquiritur; ſed tenetur in conſcientia legitimis hæredibus. vt docet Couarr. nu. 11. ratio eſt, quia iple per leges factus eſt incapax. Hæc intellige de ſpurio patris, nam ſi vxor habeat ſpurium, is eſt marito initar extranei. vnde lex de illo non loquitur. quare maritus ſeu pater putatiuus poteſt illi relinquere ſicut extraneo.

Tenetur in conſcientia reſtituere.

Hinc ſequitur Primò, *Spurium* à patre non poſſe ſubſtitui, nec vulgari, nec fideicommiſſaria ſubſtitutione, vt idẽ docet numer. 7. quia perinde eſt, capiatne à patre immediatè, an ab alio ex patris ordinatione. Poteſt tamen ſubſtitui ſubſtitutione pupillari, non quidem ita vt bona paterna per pupillum ad ipſum perueniant; ſed vt in alia bona pupilli ſuccedat. hæc enim non habebit à patre, ſed à fratre, cui ſuccedere poteſt; vt docet Couar. num. 6. vide infrà nu. 79. dub. 7.

Sequitur Secundò, Si pater hæredem inſtituens, roget
60 eum vt hæreditatem reſtituat ſpurio, & ille promittat ſe id facturum; non teneri illum hæredem implere promiſſum; quia promiſſio fuit nulla, vtpotè contra legem: vnde poteſt hæreditatem ſibi retinere: tamquam verus hæres a teſtatore inſtitutus. conditio enim ſeu grauamen appoſitum à teſtatore, cùm ſit contra legem, cenſetur tamquam non appoſitum in vltimis voluntatibus, vt patet ex L. Impoſſibilis. 7. ff. de verb. oblig. Vide Gomez. tom. 1. cap. 12. nu 67. & ſuprà c. 18. nu. 123. dub. 15.

Dices, tenetur reſtituere fiſco; quia bona illa hoc ipſo, quo hæres promittit, ſunt confiſcata, ut ex multis legibus patet L. pen. ff. de Iure fiſci. L. Prædonis. 46. ff. de petitione hæreditatis.

61 *Non tenetur fiſco ante ſententiam.*

Reſpon. Non teneri ante ſententiam; quia eſt pœna (vt rectè Couar. nu. 13.) cõſtituta hęredi à legibus in punitionem illius promiſſionis iure prohibitæ: pœna autem non debetur ante ſententiam condemnatoriam unde ſi a Iudice interrogetur, an tale quid promiſerit teſtatori; non tenetur fateri, niſi præceſſerit infamia; ut rectè idem Couar. nu. 14. quia agitur de crimine occulto, ob quod grauiter, ſi uerum fateatur, mulctabitur; nempè confiſcatione, non ſolùm illius hæreditatis, ſed etiam omnium bonorum, & deportatione in Inſulam, eo quòd ſponte non reuelauerit, vt patet C. de iis, qui ſe deferunt, L. vnica. quo fit vt nec teſtis teneatur teſtari niſi præceſſerit infamia, vel probatio ſemiplena, ſicut in aliis delictis. Si tamen ſponte reuelaſſet antequam interrogaretur, conceſſa fuiſſet ei tertia pars bonorum in præmium. Si ſpurius reuelaſſet, data ei fuiſſet pars dimidia, vt patet L. vnica. C. ſupra citato.

62 *Si hæres promiſit ſe traditurum.*

Sequitur Tertiò, Si hæres inſtitutus nihil promiſit teſtatori de hæreditate reſtituenda ſpurio, poteſt eam reſtituere ex ſua liberalitate; & ſpurius poteſt eam accipere; quia accipit illam voluntate veri domini, nulla lege vetante. ſi verò tacitè vel expreſsè promiſit teſtatori id petenti; peccauit quidem mortiferè promittendo, ſicut & teſtator ita diſponendo: ſi tamen illa bona tradat, poteſt ea ſpurius retinere. Ita Couarruuias nu. 11. *Quod mortiferè peccarit pro-*
mittendo, patet; quia leges talem promiſſionem ſub grauiſſima pœna vetant. *quod tamen traditio valeat*, probatur; quia fit ab eo, qui eſt dominus bonorum, & lex, etſi prohibet promiſſionem factam teſtatori, non tamen prohibet quin hæres, qui eſt verus dominus illorum bonorum poſſit ea dare hæredi & tradere.

Dices. Hæc traditio fit ex voluntate parentis: ergo ſpu- 63
rius eſt incapax illius per legem.

Reſp. Cùm hæres ſciat ſe neque ſua promiſſione neque ex diſpoſitione teſtatoris obligari, non cenſetur ea dare ex vi illius diſpoſitionis, ſed ex ſua liberalitate. quod ſi putaret ſe obligari, & idcircò ea daret ſpurio. ſpurius non efficeretur illorum dominus: quia donatio non eſſet voluntaria; procederet enim ex ignorantia. vnde teneretur ea ipſi reſtituere. ſi tamẽ ipſe re intellecta permitteret ea ſpurio, poſſet retinere. colligitur ex Couar. num. 11.

Dico Secundò, *Spurius* etiam non poteſt ſuccedere ma- 64
tri, etiamſi nulla proles alia ſuperſit. Couarru. §. 5. num. 20. *Non ſuccedit matri.*
Molina diſp. 167. dicit eſſe omnium DD. ſententiam. probatur; quia illegitimus, qui non poteſt ſuccedere patri, non poteſt etiam ſuccedere matri. niſi aliquo iure ſit de hoc exceptio. vt colligitur ex d. Authen. Licet, ſuprà, & ex Nouel la 74. cap. 6. atqui nulla de ſucceſſione ſpurij in bonis maternis extat in Iure exceptio; ſicut de alijs illegitimis, vt patet Inſtit. ad S. C. Orficianum. §. Nouiſſime. & L. Si qua illuſtris. 5. C. eod.

Aduerte tamen Primò, Quoſdam exiſtimare filiũ con- 65
iugati ex ſolura, ſuccedere poſſe matri. ſimiliter filium ſacerdotis, ex ſoluta vno vel altero concubitu ſuſceptum; eo quòd tales coniunctiones legibus non vindicentur. Hæc ſententia non videtur improbabilis; nam in praxi plerumque eſt recepta, teſte Couarruuia nu. 20. Contraria tamen eſt verior; quia reuerà illi concubitus legibus damnantur, etſi rarius puniantur.

Aduerte Secundò, Quoſdam ſentire (quibus accedit 66
Emmanuel Sà, verbo Hæreditas & Henriquez lib. 1. de ma- *Sententia probabilis.*
trimonio c. 21. nu. 1.) *ſpurium* poſſe retinere ea, quæ mater ipſi reliquit. donec per Iudicem priuetur modo notabiliter non noceat legitimis liberis. Quæ ſententia mihi videtur non improbabilis, præſertim de matre non illuſtri. nam ſi quis bene expendat iura, quibus Doctores probent matrem non poſſe aliquid eirelinquere, non omnino vrgent. Auth. enim Licet, & Nouella 74. loquuntur apertè de patre. ſimiliter Authent. Ex complexu, C. de inceſtis nuptijs, vbi dicitur, *ex complexu nefario aut inceſto, ſeu damnato, liberi nec naturales ſunt nominandi, omni paterna ſubſtantia indigni beneficio, ita vt nec alantur à patre*. cur hoc extendamus ad ſubſtantiam maternam, cùm odia ſint reſtringenda? In d. L. Si qua illuſtris. 5. C. ad S. C. Orficianum, ſolùm dicitur mulierem illuſtrem, ſi proles habet legitimas, non poſſe quidquam dare, vel teſtamento relinquere ſuo ſpurio. Hinc tamen non ſequitur, quia mulier non illuſtris id poſſit, etiamſi alias proles habeat. Item non ſequitur illuſtrem non poſſe, ſi alijs liberis careat.

Aduerte Tertiò, Etiam ſpurijs deberi alimenta, ſi aliun- 67
de nõ ſe poſſunt ſuſtentare, vt patet ex c. Cùm haberet, de *Alimẽta debentur.*
eo, qui duxit in matrimonium, &c. eſtque cõmunis ſententia DD. teſte. Couarruuia §. 6. num. 9. ratio eſt, quia parens iure naturali tenetur alere prolẽ, ſi poſſit. Nec obſtat, quòd Iure ciuili fuerit vetitum, ne proles ex damnato concubitu à patre alerentur, vt patet d. Authen. Ex complexu. C. de inceſt. nup. quia ius Canonicum illud ſuſtulit, tamquam minùs conſentaneum naturali pietati. & ita nunc ſeruatur etiam in foro ſæculari, vt idem Couarruuias docet. Nomi- 68
ne autem *alimentorum* intelliguntur omnia, quæ pro con- *Alimenta.*
ditione perſonæ ſunt neceſſaria; vt victus, veſtitus, habitatio, medicinæ, &c. hęc autem pręſtanda ſunt, ſpectata conditione parentis & prolis, prout prudens arbitrabitur, vt colligitur ex dicto cap. Cùm haberet. Vnde ſequitur, filiæ *Dos ſpuria.*
ſpuriæ deberi dotem; quia hæc ſuccedit in locum alimentorum, etiamſi parens eſſet ſacerdos; vt docet Nauarr. in c. Non liceat. §. 19. nu. 11 & colligitur ex Couar. nu. 15. Ne- 69
que ſatisfacit pater huic obligationi, ſi filium ponat in aliquo hoſpitali pauperum, vt rectè Couar. num. 13. niſi forte ipſe pauper ſit; vel niſi res ſit occulta, & aliàs timeatur infamia. tunc enim ad tempus poſſet exponi ad aliquod hoſpitale, vitandæ infamiæ cauſa. nam etiam ad ſimiles caſus hoſpitalia quædam ſunt fundata. teneretur tamen tunc

parens

parens hoſpitali illi cõpenſare ſumptus, etſi non ex rigore iuſtitiæ; (niſi fortè pro ſolis pauperibus ſit inſtitutum) tamen ex decentia & gratitudine. Poſſunt autem hęc alimẽta ſecundùm quoſdam relinqui, (præſertim ſi eorum quantitas lege ſit definita) etiamſi filius non egeat, quamuis Couarruuias numer. 14. de hoc dubitet. cur enim parens non poſſit dare filio ſpurio, quod poteſt extraneo? Ita ſentit Henriquez lib. 1. de matrimonio. cap. 20. nu. 4. Sed contraria ſententia eſt communis, & ex mente legum.

His adde, Matrem teneri alere prolem primo triennio, 70 vel ſuis ſumptibus curare ali. ſi poſſit: poſt hoc triennium *Mater quando teneatur alere.* tenetur pater, donec filius ſua induſtria ſe poſſit iuuare, vt docet Couarr. num. 19. & alij DD. & patet ex L. Nec filium 9. C. de patria poteſtate, vbi id expreſsè habetur. Idẽ inſinuat Gregorius IX. cap. fin. de conuerſione infidelium, dum ait, *Pueri poſt triennium apud patrem ali debent*; vide Molinam diſp. 169. §. Mater.

71 Dico Tertiò, Filius *naturalis* poteſt inſtitui hæres vni- *Filius naturalis an patri ſuccedat.* uerſalis a ſuis parentibus, ſi ipſi legitimas proles non habeant. patet ex d. Auth. Licet. C. de filijs naturalibus.

Aduerte tamen, Si aliquis carens prole legitima, habeat 72 aſcendentes. ijs iure communi Cæſareo deberi portionem legitimam. vt patet Authent. de hæred. bis ab inteſtato, Nouella 118. Couarr. §. 4. nu. 20. hoc tamen pleriſque locis non eſt in vſu. vnde ibi totum poteſt dari filio naturali. Similiter totum relinqui poſſe nepotibus, ſiue ex filio naturali ſint nati, ſiue ex ſpurio; quia nulla lex id vetat. quòd ſi 73 filius naturalis non inſtituatur hæres, non ſuccedet patri ab inteſtato, niſi in duabus vncijs, id eſt in ſexta parte bo- 74 norum. vt habetur eadem Authent. Licet. Si pater habet liberos legitimos, non ſuccedet cum illis ab inteſtato; poteſt tamen ei relinqui vncia, id eſt, pars duodecima bonorum. vide Couarr. nu. 19.

Dico Quartò, Filius *naturalis* ſuccedit matri carenti le- 75 gitimis, etiam inteſtatæ, vt hæres ex aſſe. habenti autem le- *Succedit matri.* gitimos, ſuccedit ex æquo cum illis. d. L. Si quæ illuſtris. 5. C. ad S. C. Orficianum. ſed exactior horum tractatio pertinet ad Iurisperitos.

DVBITATIO VII.

Quibus modis poteſt aliquis hæredi ſubſtitui.

76 DE his agit Gomezius tom. 1. cap. 3. vſque ad 8. & Couarr. toto cap. 16. de teſtamentis.

Reſpondetur, generatim ſex modis, vt docet Gomezius cap 3. numero 1. & alij paſſim, nempe *ſubſtitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommiſſaria; reciproca & compendioſa*. quatuor priores ſunt ſimplices. duæ reliquæ ſunt compoſitæ ex pluribus.

77 *Subſtitutio vulgaris* eſt, qua quiuis iure non prohibitus, poteſt ſubſtitui a quouis teſtatore. nam per hanc ſubſtitutionem teſtator ſolùm ſubſtituit ſub conditione; nempè ſi is, qui ipſi ex teſtamento vel ab inteſtato ſucceſſurus erat, nolit aut non poſſit eſſe hæres: vt ſi moriatur ante teſtatorem, ſi propter crimen fiat incapax, ſi repudiet hæreditatem. his euentis ſuccedet ſubſtitutus. Hæc autem condi- 78 tio in omni ſubſtitutione vulgari vel exprimitur, vel ſal- *Fit tripliciter.* tem tacitè ſubintelligitur. fit enim vel *verbis generalibus*; vt ſi teſtator dicat, Titium inſtituo hęredem, & Sempronium ei ſubſtituo. & tunc non exprimitur vlla conditio, ſed ſubintelligitur. vel *verbis ſpecialibus*, vt, Titium inſtituo hæredem, & ſi is hæres non erit, ſubſtituo ei Sempronium. hic exprimitur conditio, ſed verbis ſpecialibus, ſub quibus cõtinentur diuerſæ conditiones ſingulares. vel denique *verbis ſingularibus*: vt quando exprimitur conditio ſpecialiſſime. vide Couarr. de teſtamentis cap. 16. § 4. numero 3. 4. 5. & plurima de varijs formulis huius ſubſtitutionis apud Gomezium tom. 1. cap. 3.

Subſtitutio pupillaris eſt, qua qui proli impuberi in ſua po- 79 teſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit. cùm enim nemo ante *Pupillaris.* pubertatem poſſit condere teſtamentum; Iura conceſſerunt vt pater impuberis poſſit loco illius quodammodo teſtari in ſuo teſtamento, directè ſubſtituendo ei hæredẽ, ſi antè pubertatem deceſſerit; per quam ſubſtitutionẽ fit, vt non ſolùm bona illius pupilli, quæ a patre obtinuerit, ſed etiam alia ad ſubſtitutum perueniant, perinde ac ſi ipſemet teſtamentum feciſſet; vt docet Gomezius cap. 4. nu- mero 13. Nam. vt §. Igitur. Inſtit. de pupill. ſubſtit. dicitur, *In pupillari ſubſtitutione, duo quodammodo ſunt teſtamenta. alterum patris, alterum filij, tamquam ſi ipſe filius ſibi hæredem inſtituiſſet.*

Vbi tria notanda ſunt, Primum eſt. Vt hæc ſubſtitutio 80 ſit valida duo requiri. Primò, Vt teſtatur eum cui ſubſti- *Duo requirũtur.* tuit, habeat in ſua poteſtate. vnde mater non poteſt pupillariter ſubſtituere, vt docet Couarr. §. 5. nume. 18. quia liberi non ſunt in poteſtate matris. nec pater filio illegitimo, ob eamdem cauſam. Secundò, Vt pupillus, cui ſubſtitutio ſit non recidat per mortem teſtatoris in alterius poteſtatem. vnde auus non poteſt nepotem pupillariter ſubſtituere, ſi pater viuit; quia nepos poſt mortem aui recidit in poteſtatem patris. Nec pater filium, ſi auus adhuc viuit; quia nepos eſt in poteſtate aui iure communi. vide Gomezius. c. 4. num. 2.

Secundum eſt, In hac ſubſtitutione ſemper exprimi, vel 81 certè ſubintelligi conditionem *ſi in ætate pupillari*, (id eſt, ante pubertatem) *deceſſerit*. nam ratione huius dicitur ſubſtitutio pupillaris, vt DD. tradunt. Intelliguntur etiam aliæ conditiones, ratione quarum continentur tacite aliæ ſubſtitutiones. Nam in omni formula ſubſtitutionis continetur omnis ſubſtitutio, cuius perſona, cui ſubſtituitur, eſt capax, ſeu quæ verbis illius formulæ ſignificari poteſt. niſi conſtet de contraria mente teſtatoris.

Tertium eſt. Subſtitutionem pupillarem expreſſam poſ 82 ſe fieri tripliciter, vt antè dictum eſt de vulgari. Primo, *Poteſt fieri* Verbis generalibus; vt ſi teſtator loquens de filio ſuo im- *pliciter.* pubere, non tamen exprimens ſpecificè quòd ſit impubes, dicat, Inſtituo filium meum hæredem, & ei Titium ſubſtituo. Secundò. Verbis ſpecialibus; vt ſi mentionem faciat pupillaris ætatis. Tertiò. Verbis ſpecialiſſimis; vt ſi exprimat conditionem, Inſtituo filium meum impuberem hæredem, & ſi in pupillari ætate poſt mortem meam deceſſerit, ſubſtituo ei Titium. quandocumque autem vno ex his tribus modis facta eſt ſubſtitutio, tunc ſubſtitutus pupillaris excludit matrem pupilli, ſi ille pupillus in ætate pupillari mortuus fuerit. vt docet Gomezius cap. 4. num. 7. & Couar. §. 5. num. 20.

Exemplaris, eſt, cũ filio amenti, vel ſurdo ſimul & muto 83 vel prodigo, cui bonorum adminiſtratio interdicta (qui *Exemplaris.* duo poſteriores teſtari non poſſunt, niſi ad pias cauſas) fit ſubſtitutio; vt ſi teſtator habens talem filium dicat, Inſtituo filium meum. & ei ſubſtituo Titium. Si hic filius nondum fuerit pubes, eadem ſubſtitutio etiam erit pupillaris. in eadem etiam ſemper continetur vulgaris. ſi enim contingat filium mori ante teſtatorem, ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. Idem dicendum. ſi nomine ipſius hæreditas repudietur. Expirat hæc ſubſtitutio, ſi filius redeat ad ſanam mentem, nec citò in inſaniam relabatur. Dicitur hæc ſubſtitutio exemplaris, quia ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis eſt inuenta.

Vbi notandum Primò, Poſſe hanc ſubſtitutionem fieri 84 non ſolùm a patre, ſed etiam a matre, idque in diuerſos ſubſtitutos; & patris ſubſtitutio valebit in bonis prouenientibus a patre & linea paterna: matris verò valebit in ijs, quæ a matre & linea materna. vt docet Gomezius cap. 6. numero 13.

Secundò, Si ille, cui fit ſubſtitutio, habet liberos vel fratres, debet vnus vel plures ex his ſubſtitui. relicta legitima 85 eis, quibus iure debetur. vt idem Gomezius. num. 6. *Fideicommiſſaria.*

Subſtitutio fideicommiſſaria eſt ſubſtitutio indirecta ſeu obliqua, qua hęres grauatur, vt hęreditatem totam vel partem eius aliquotam (v.g. dimidiam, tertiam, quartam, &c.) reſtituat alteri, qui fideicommiſſarius dicitur; vt ait Gomezius c. 5. num. 1. vbi.

Tria notanda occurrunt. Primò, Ceterasomnes ſubſtitutiones eſſe *directas*, quia per eas hæreditas directè & immediatè a teſtatore defertur ſubſtituto abſq; miniſterio al- *Eſt indirecta.* terius. Hæc autem eſt *indirecta* ſeu obliqua; quia per eam defertur hæreditas miniſterio alterius, vt docet Gomezius ſupra, & Couarr. c. 16. §. 4. num. 2.

Vnde ſequitur, hãc ſubſtitutionem poſſe fieri codicillo; 86 ceteras minimè. ratio eſt, quia per codicillum benè poteſt *Sola poteſt fieri codicillo.* hæredi imponi onus vt hæreditatem alteri reſtituat; (vt fit in hac ſubſtitutione) non tamè per codicillũ poteſt aliquis directè inſtitui hæres, quod ſit in ceteris ſubſtitutionibus. nam in illis inſtituitur hæres ſub certa conditione,

nempe

nempe ſi prior inſtitutus non fiat hæres, vel ſi hæres factus, moriatur in pupillari ætate, vel in amentia, &c. Si tamẽ aliquis codicillo faciat ſubſtitutionẽ vulgarem, vel pupillarem, vel exemplarem, vel reciprocam, vel compendioſam; ex benigna Iuris interpretatione habebit vim ſubſtitutionis fideicommiſſariæ; ita Gloſſa communiter recepta. Inſtit. de vulg. ſubſt. in principio.

87 *Poteſt detrahere quartã Trebellian.* Secũdò; Hæredem ſic inſtitutum & grauatum reſtituere, poſſe detrahere quartam partem eius, in quo inſtitutus eſt; idque, tum ne vana ſit hæredis inſtitutio, tum vt alliciatur ad acceptandum & præſtandum quod teſtator cupit; vt ſi eſt inſtitutus in tota hæreditate, cum onere ea reſtituendi alteri, detrahet quartam totius. ſi in dimidia cum ſimili onere, detrahet quartam illius dimidij; ſi in decima, detrahet quartam illius decimæ. quod ſi teſtator aliquid ei certi aſſignet, & reliquum iubeat reſtitui; ſi illud certũ non adæquat quartam partem totius, in quo inſtitutus eſt, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartã. hæc patent, §. Sed quia ſtipulationes. Inſtitut. de fideicommiſſariis hæreditatibus. L. 1. & ſequent. C. ad S.C. Trebellianum. Vocatur autem hæc quarta *Trebellianica*, à Senatuſconſulto Trebelliano, per quod eſt conſtitutum vt detraheretur. vt colligitur ex dicto §. A legatis non detrahitur

88 *Non detrahitur à legatis nec à pijs cauſis.* hæc quarta, vt docet Couarr. ca. 16. §. 1. num. 10. ſimiliter cùm fideicommiſſum eſt ad piam cauſam, ſeu cùm ſubſtitutus eſt pia cauſa; vt docet Gomezius cap. 5. num. 11. & Couar de teſtam. cap. 18. nu. 13. ſicut enim fauore piæ cauſæ in legatis pijs ceſſat falcidia, vt patet Authent. Similiter C. ad L. Falcidiam; ita in fideicommiſſis pijs ceſſat Trebellianica. niſi forte etiam hæres, qui grauatur, ſit cauſa pia; tunc enim detrahet; quia vna cauſa pia contra aliam non habet priuilegium; ſed iure communi cenſentur. Sylueſter v. Legitima, 1. num. 9.

Petes, Vtrùm teſtator poſſit prohibere ne hæres detrahat Trebellianam?

Reſpondeo poſſe, vt docet Gomezius ſupr. quia poteſt

89 *Poteſt prohiberi hæc quarta.* prohibere ne hæres detrahat Falcidiam à legatis, Authentic. Sed cùm teſtator, C. ad L. Falcidiam: ergo etiam ne detrahat Trebellianam à fideicommiſſis. conſequentia probatur, quia in Iure Trebelliana & Falcidia æquiparantur, ita vt ipſa nomina ſæpè confundantur. Idem docet Couarr. cap. 18. num. 10.

90 *Hæres primi gradus detrahit duas partes.* Tertiò, Si is, cui imponitur fideicommiſſum ſit hæres primi gradus, (ideſt, filius vel parens, cui debetur legitima) hunc ante omnia poſſe detrahere ſuam legitimam; hæc enim fideicommiſſo grauari non poteſt. deinde de reliquo, quando illud erit reſtituendum, poteſt detrahere quartam Trebellianam; vt docet Couar. c. 16. §. 11. nu. 10. ex cap. Rainutius, & ex ca. Rainaldus, de teſtamentis, vbi id expreſsè habetur. niſi forte iuſſus ſit ſtatim poſt mortem teſtatoris reſtituere fideicommiſſum; tunc enim non poſſet quartam illam deducere; ſed deberet eſſe contentus legitima, vel illa quarta, prout maluerit; vt ibidem docet Con. A legatis tamen, habita legitima, non poteſt vlterius detrahere Falcidiam. Vocatur autem *Falcidia* ea pars, quã detrahit hæres à legatis. vel donationibus cauſa mortis factis. & quidem ſi ſit hæres primi gradus, (id eſt, cui debita ſit legitima) & teſtator tam multa fecerit legata, vt non reliquerit illi integram legitimam, detrahit à legatis, ſpectata ſingulorum proportione, donec compleat legitimam. Si autem ſit hæres, cui iure non ſit debita legitima, detrahit ſolum vſque ad quartam bonorum; quam ſibi poteſt ſeruare, ſicut in fideicommiſſis. vide Silueſtrum v. Legitima. num. 9 & Molinam diſput. 213.

Si ſtatim ſit reſtituendũ, non detrahet Trebell.

91 *Falcidia.*

92 *Reciproca. Plures continet.* *Subſtitutio reciproca* (quæ & *breuiloqua* dicitur) eſt, qua inſtituti, ſibi viciſſim ſubſtituuntur. hæc complectitur plures ſubſtitutiones quoad perſonas. vt ſi dicas, Inſtituo Seium. & Caium meos hæredes, & eos inuicem ſubſtituo. hic vt minimum ſunt duæ ſubſtitutiones vulgares. ſi vterq; eſt impubes; ſunt duæ vulgares, & duæ pupillares. ſi alter eſt impubes, alter puber; ſunt tantum duæ vulgares: quia hæc ſubſtitutio ſolum complectitur eas, quæ vtrique ſubſtituto pariter conueniunt, vt docet Couar. cap. 16. §. 7. num. 4. Poteſt etiam contiuere duas fideicommiſſarias; vt ſi fiat per codicillum; vel ſi fiat in teſtamento verbis obliquis, id eſt, quibus iubeantur, vel rogentur hæredes, vt is, qui prior moritur, reſtituat alijs hæreditatem; Couarruuias n. nume. 3. vide etiam Gomezium cap. 8.

93 *Compendioſa.* *Subſtitutio compendioſa* eſt, quæ plures cõplectitur ſubſtitutiones, quoad diuerſa tempora. comprehendere enim poteſt omnes hæredes & omnes ætates eorum, vt ait Gomezius c. 7. num. 1. vt ſi teſtator dicat, Inſtituo filium meũ hæredem; & quandocunque ex vita deceſſerit, ſubſtituo ei Titium. hic enim ſi filius moriatur ante patrem, vel alia de cauſa non fiat hæres, Titius ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. ſi verò filius fiat hæres & moriatur in ætate pupillari, ſuccedet Titius ex pupillari. Si verò filius moriatur poſt pupillarem ætatem, ſuccedet ex fideicommiſſaria, detracta legitima, & quarta Trebellianica. ſi verò filius ſit amens, ſuccedet ei ex exemplari. Gomezius num. 2.

Plures continet.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm teſtamentum poſſit ſemper reuocari.

94 RESPONDEO, Teſtamentum per ſe conſideratũ, ſemper vſq; ad mortem poteſt reuocari & mutari. nam *primum in mortuis confirmatur*, vt ait Apoſtolus ad Hebr. 9. idem omnia Iura & gentium mores docent. vide Couar. Rubr. de teſtam. p. 2. in principio.

95 Sed difficultas eſt Primo. Vtrùm reuocari poſſit, ſi teſtator iurauerit ſe non reuocaturum. Multi enim Iuriſperiti, vt refert Couar. ſupra, num. 48. docent liberè reuocari poſſe abſque vllo peccato. Sed omnino tenendum eſt abſque peccato mortali reuocari non poſſe. Ratio eſt; quia iuramentũ, quod abſque ſalutis præiudicio ſeruari poteſt, implendum eſt. vt apertè habetur cap. Quamuis pactum. de pactis in 6. de quo ſupra cap. 17. dub. 4 atqui hoc iuramentum tale eſt. nam non reuocare teſtamentum & relinquere eum hæredem, quem inſtituiſti, eſt res licita, quæ abſque ſalutis incommodo poſſit ſeruari. immo fieri poteſt vt ſit multò melius quàm oppoſitum; vt ſi teſtamentum factum ſit ad piam cauſam. tunc igitur nullo modo abſq; ſacrilegij ſcelere poteſt reuocari: eſt enim inſtar voti. Nec obſtat, quòd teſtamentum natura ſua ſit reuocabile; hoc enim intelligendum de teſtamento per ſe & nude conſiderato, abſque iuramento: ſicut donatio inter coniuges & donatio mortis cauſa eſt reuocabilis per ſe conſiderata; ſi tamen confirmetur iuramento, non poteſt abſque peccato mortifero reuocari. imò promiſſiones & contractus, qui iure poſitiuo vel naturali ſunt irriti, iuramento ita confirmãtur vt omninò impleri debeant, ſi eorum impletio licita eſt; vt patet in promiſſione ſolutionis vſurarum, quæ iure naturæ eſt irrita; & alienatione fundi dotalis, quæ iure ciuili eſt irrita. Quæ etiam vera ſunt, etſi prohibitum eſſet iuramentum apponere. & ſi enim nunc peccaret iurando, eò quòd faceret contra iuſtam prohibitionem; tamen nõ peccaret iuramentum implendo; nam hoc non eſt prohibitum. vide ſupra cap. 17. dub. 7.

Si iuramento confirmetur, non poteſt reuocari.

96

Aduerte tamen, Si quis metu vel fraude inductus eſſet ad iurandum, poſſet petere diſpenſationem in iuramento, & tunc reuocare. ſed de hoc infra ca. 42. dubit. 12. nu. 64.

97 *An reuelatio valeat.* Secundò, An, ſi teſtator reuocet tale teſtamentum iuramento confirmatum, confecto alio. reuocatio ſit valida, ita vt priùs teſtamentum reddatur irritum? Couarruuias numero 46. cum plurimis Iuriſperitis affirmat ſecundum teſtamentum eſſe præferendum priori: ac proinde prius eſſe irritum, etiamſi id conditum eſſet ad pias cauſas. Probatur; quia ſi conſtituam te meum procuratorem, & iurem me non reuocaturum; ſi tamen reuoco, valet reuocatio, & deſinis eſſe meus procurator. ſimiliter ſi iurem me ducturum hanc in vxorem; ſi poſteà duco aliam, valet actus ſecundus. ratio eſſe poteſt, quia iuramentum non aufert poteſtatem ad teſtandum, quam Ius gentium & ciuile concedit; ſed ſolum facit vt ſis periurus ſi aliud condas. Hæc ſententia benè probat prius teſtamentum non habere vim teſtamenti; ſed ſecundum. verùm non probat ex priori non eſſe acquiſitum ius ad bona teſtatoris, ratione iuramenti. ſi enim teſtator promitteret tibi ſe daturum ſua bona vel partem illorum, & hanc promiſſionem iuramento confirmaret; acquireres Ius ad illa in vtroq; foro; quod Ius tranſiret ad tuos hæredes, & ipſe contraheret obligationẽm, quæ tranſiret ad ipſius hæredes; vt conſtat ex dictis ſuprà ca. 17. dub. 7. vnde hæredes defuncti tenerẽtur ſatisfacere huic obligationi, ante impletionem teſtamenti, ſicut alijs

98

99

debi-

debitis in vita contractis; quia ſuccedunt in omnia onera realia defuncti. Idem dicendũ de teſtamento iureiurando confirmato. vt docet Medina diſput. 149.& 152. hoc tamẽ intelligendũ eſt, ſi is, in cuius fauorem teſtamentum illud fuit conditum, ſciuit & acceptauit. ſi enim neſciuit, ex iuramento illo non eſt orta obligatio realis, quæ ad hæredes

100 *Reſtrictio illius ſententiæ.*

tranſeat, ſed perſonalis tantùm, quæ manſit in ſolo teſtatore. nam vt ſupra cap. 18. dubit. 6. dictum eſt, ex promiſſione non acceptata non oritur obligatio. itaque hæredes nõ tenebuntur. Hæc ſufficiant de teſtamentis. nam cetera ferè ad iuriſperitos pertinent, & diuerſiſſimæ ſunt de hiſce rebus diuerſorum locorum leges & conſuetudines.

CAPVT VIGESIMVM.

De mutuo & vſura. D. Thomas quæſt. 78.

Conſtat dubitationibus 24.

1 *Vnde vſura dicta.*

NOTANDVM eſt, lucrum vſurarium vocari *vſuram*, eò quod ex *vſura*, id eſt, *vſu* pecuniæ alteri mutuatæ prouenit. *vſura* enim idem valet quod *vſus*: dicimus enim Latinè, habere vſuram huius lucis, vſuram breuiſſimi temporis & Cicero, *Natura dedit vſuram vitæ, ſicut pecuniæ*. Hinc factum eſt vt lucrum ex vſura ſeu vſu pecuniæ prouenens, *vſura* vocetur. Idem lucrum vocatur etiam fœnus, quaſi quidam fœtus pecuniarum, & Græcè τόκος. id eſt, partus. de quo vide pulchra apud Ambroſ. libro de Tobia cap. 12.& 13.& Baſil. homil. 2. in Pſalmum 14. qui dicunt vſuram vocari fœnus & τόκος, quòd cùm pecunia ſit natura ſua maximè ſterilis; tamen induſtria auarorum, vincat fœcunditate omnia viuentia.

Notandum Secundò, hæc nomina non ſemper accipi
2 in malum; vt Deutero. 23. *Fœnerabis gentibus multis, & a nullo fœnus accipies*, id eſt, mutuabis. Eccleſiaſtici 29. *Fœnerare proximo tuo in tempore neceſſitatis*. Similiter apud prophanos ſcriptores ſæpè pro iuſto lucro ſeu intereſſe accipiuntur.

DVBITATIO I.

Quid mutuum.

NOTANDVM eſt, nomen *mutuum*, aliquando accipi pro ipſa, quæ cadit in contractum mutuationis; vt cùm dicimus dari vel reddi *mutuum*: aliquando pro ipſa mutuatione: quo modo hic loquimur de mutuo; & poteſt ſic deſcribi. *Mutuum eſt traditio rei numero, pondere vel*
3 *Mutuũ quid.* *menſura conſtantis, facta eo animo, vt ſtatim fiat accipientis, cum obligatione vt ſimilis ſpecie & bonitate reſtituatur*. colligitur ex Inſtit. de. Quibus modis re contrah. obligat. & ff. Si certum petetur, L. 2.

Explico ſingula. *Eſt traditio*; quia mutuum perficitur traditione ſicut donatio, commodatum, depoſitum. hinc excluduntur contractus, qui verbis perficiuntur, vt emptio, venditio, locatio, conductio, & ſimiles.

Rei, numero, pondere vel menſura conſtantis; quia mutui
4 obligatio in his rebus conſiſtit, quæ numero, pondere, menſurave conſtant; vt in vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro; vt habetur Inſtitut. Quibus modis re contr. oblig. in principio. & d. L. 2. ff. Si certum petetur. Non dico *vſu ex ſe conſumptibilis*; quia ſi tibi mutuem libram æris vel argenti, eſt verum mutuum, vt patet ex locis citatis, non tamen rei illius vſus eſt conſumptio vel alienatio. Vnde non eſt verum, quod ait Nauarrus cap. 17. numero 206. mutuum reperiri in ſolis rebus, quæ vſu conſumuntur; etſi verum ſit, vt plurimum in his reperiri. Dicuntur autem *vſu conſumi*, quarum vſus eſt conſumptio; (vt oleum, vinum) vel alienatio (vt pecunia) Hæ res dicuntur a iuriſperitis *accipere functionem* (vt patet Leg. 2. ff. Si certum pet.) quia vna poteſt fungi vice alterius, vt frumentum, frumento; pecunia, pecuniæ; vt colligitur ex eadem lege. Similiter non eſt propriè mutuum, ſi quis alteri det ouem vel bouem, recepturus aliam ouem vel bouem. quia hæc non conſtant pondere numero vel menſura. vnde etiam non ſolemus dicere, mutua mihi vnam ouem. ſed potiùs eſt cõtractus innominatus, dabo vt des. ſicut ſi quis det facculum pecuniæ vt alium recipiat ſimilem; non eſt mutuum, ſed contractus innominatus, vt inquit Gl. Inſtit. ſupra in principio.

Eo animo, &c. quia *mutuum* dicitur quaſi ex meo tuum; ita enim a me tibi datur, vt ex meo tuum fiat; vt habetur Inſtit. ſupra & d. L. 2. ſupra.

Cum obligatione. quia hæc traditio non habet rationem mutuationis, niſi cum obligatione fiat. hinc excluditur donatio.

Vt ſimilis in ſpecie; ſi enim reddenda ſit res alterius ſpe- 5
ciei, non erit mutuum, ſed permutatio: ſi verò eadem numero, non erit etiam mutuum, ſed commodatum, vel depoſitum. Itaque ad rationem mutui requiritur vt mutuatarius obligetur reddere rem ſimilem ſecundùm ſpeciem; vt autem ſeruetur æqualitas, debet eſſe paris bonitatis.

DVBITATIO II.

Vtrùm aliqui ex mutuo non obligentur?

RESPONDEO, Omnes, qui poſſunt contrahere, 6
iure naturæ ex mutuo obligari; niſi priuilegio iuris poſitiui eis conceſſum ſit, vt in certis caſibus non obligentur, vel certè obligationem poſſint elidere exceptionem. Tale autem priuilegium conceſſum eſt *filio familias, Eccleſiæ, ciuitatibus & minoribus*.

Ac Primò quidem *filius familias*, qui eſt ſub patria po- *Filius familias.*
teſtate, ſi mutuam pecuniam abſque conſenſu patris acceperit, non tenetur in effectu ad reſtitutionem; ne poſt mortem quidem patris: quia poteſt opponere mutuatori exceptionem Senatuſconſulti Macedoniani, quo conceſſum eſt ei, vt non teneatur ſoluere. vt docet Gomezius tom. 2. ca. 6. numero 2.

Vbi notandũ Primò, Huius Senatuſcõſulti occaſionem 7
dediſſe quemdam Macedonem fœneratorem. hic Romæ filijs familias perẽtibus pecunia mutuabat, qui poſteà oppreſſi ære alieno vitæ parentũ inſidiabantur, vt hæreditate potiti, poſſent ſoluere. quam ob cauſam Senatuſconſulto cautum fuit, vt ſi quis filio familias mutuam pecuniam dediſſet ei non daretur actio, perinoque. ne quidem poſt mortem patris, vt habetur L. 1. ff. de S. C. Macedoniano. *S. C. Macedonianum.*

Notandum Secundò, Quamuis verbis huius Senatuſ- 8
conſulti ſolùm videatur tolli obligatio ciuilis; tamen etiam tollitur obligatio naturalis, ita vt in foro conſcientiæ non teneatur vnquam tale mutuum reſtituere, ſi velit hoc priuilegio vti. vt docet Gomezius ſupra, ex Innocentio in ca. Quia plerique, de immunitate Eccleſiarum, & communi ſententia DD. & Molina diſput. 301. idque ſtatuit lex tum in pœnam eorum, qui talibus mutuarent; tum vt omnis occaſio machinationis prauæ contra parentes, filijs præſcinderetur. vnde etiam huic priuilegio non poteſt filius renuntiare, quia magis eſt in fauorem parentum, quàm ipſius. Si tamen filius iurauit ſe ſoluturum, tene- 9
bitur ſoluere, ſaltem poſt mortem patris, quando commodè poterit. quia ſemper iuramentum in alterius fauorem factum ſeruandum eſt, quando abſque peccato ſeruari poteſt. *Etiam naturalis obligatio tollitur.* *Si iurauit ſoluere.*

rio dare. Et multa alia ibidem constituit in Religionis fauorem, ne parentes & consanguinei quidquam ingredientibus detraherent. Quare etiam si constet de contraria voluntate testatoris, nihilominus clausula illa habebitur pro non adiecta, vt rectè docent Auctores supra citati.

Nec obstat, quod Couarr. obijcit: Neminem, qui seriò Religionē cogitet, ratione talis clausulæ auertendum: quia est id verum fit quando legatum est paruum (nam ob tale, ne nuptias quidem omittet, qui seriò de illis cogitat) non tamen quando est amplissimum, ex quo manens in sæculo maxima bona ad Dei gloriam perficere poterit, quod legatum diuites amici occupabunt, & vanè expendent, si Religionem ingressus fuerit. Addo non tantum agi, ne auertantur qui firmo animo religionem destinarunt; sed etiam ne illi qui de illa deliberant.

DVBITATIO XVI.

Vtrùm donatio facta ad certum Vsum vel finem, vel sub certo onere; si illud onus, vel ille finis non præstetur, sit Valida.

124 DICO Primò, Quando aliquis donat ob certum finem, si nō intendat ad illū finem obligare. sed solum allicere animum, vel præbere media ad illum consequendum, si placuerit; non est irrita donatio, etiamsi finis nō sequatur. v.g. Petrus legauit puellę 100. vt nubat. nec aliud expressit; illa verò ante nuptias obijt; legatum non est restituendum, sed transit ad hæredes puellæ. imò etiamsi manens in vita coleret cœlibatum in sæculo. vel ingrederetur Religionem, non teneretur restituere. vt docet Molina disput. 108. quia non censetur legato maius bonum voluisse impedire, nisi aliunde de contrario constet. Ob hanc causam valida est donatio, qua quis donat collatori ad alliciendum ipsius animum, vt beneficium conferat; vel mercatori, vt ad mutuandum inclinetur; vel puellæ, vt ad consensum flectatur, quamuis finis non sequatur. quia non est donatio conditionata, sed absoluta, facto non animo obligandi, sed tantum alliciendi ad liberum consensum. vnde potest acceptare, etiamsi non intendat præstare quod donator exoptat.

125 *Donatio ad alliciendum animum.*

126 *Donatio ad certum vsum vel finem.*

Dico Secundò, Si intendat donatarium ad illum finem vel vsum obligare, donatio erit irrita, sine non præstito, si ille sit principalis finis donationis: si verò sit secundarius, non erit irrita, potest tamē in irritum reuocari, si donatarius nolit præstare. Ita docet Ioannes Medina C. de restit. q. 24. Prior pars patet ex multis textibus ff. de conditione causa data non secuta. & Cod. de condictione ob causam quibus conceditur repetitio causa non secuta.

Probatur, quia quando dat ad certum vsum, tamquam ad finem principalem, limitat suam donationem ad illum vsum, nec habet aliam causam, cur velit rem esse ipsius. sicut enim est in potestate ipsius donare, ita etiam limitare suam donationem ad certum finem & vsum, prout placuerit: nam tota vis donationis pendet ex intentione donantis. vt si parens det filio pecuniam, eo dumtaxat fine, vt emat libros; si filius non emerit, tenetur ad restitutionem; quia donator limitauit donationē suam ad certum vsum, nec aliam causam donandi habuit. si tamen filius bona fide conatus fuisset emere, & aliunde fuisset impeditus; vel si insumpsisset in res alias æquè vtiles, non esset obligandus ad restitutionem, quia parens posset præsumi id ratum habere. Idem dicendum de similibus donationibus. Altera

127 *Si finis secundarius non præstetur.*

pars probatur; quia etsi finis secundarius non præstetur, tamē subest finis principalis, ob quem donatio est facta; & ita non censetur irrita, nisi ex circumstantijs constet aliam donatoris mentem fuisse. vt si des Monasterio 100. aureos sub aliquo onere, est valida donatio, etiamsi Monasterium onus non præstiterit. quia nō censetur ille principalis finis donationis, sed salus animæ, ob quam Monasterio videtur absolutè donatum, etsi cum onere. immo nec reuocari potest, nisi id additūm sit in donatione, vel nisi aliunde constet, eam donatoris mentem fuisse. vt docet Medina supra. & colligitur ex cap. Verum, de condit. appositis, potest tamen compelli Monasterium, vt onus impleat; quod si nolit, per sententiam Iudicis potest priuari. Si tamen impletio

128 *Donans sub certo onere.*

oneris non est in ipsius potestate (vt quia alij impediunt, vel pendet à consensu aliorum, qui nolunt consentire) nō potest compelli. sufficit enim vt sit paratum facere quantum in se est, vt onus impleat. non enim donator censetur aliud intendisse, nisi expresserit; cùm recta ratio non plus exigat, quàm homo possit præstare. Idem dicēdum de omnibus donationibus, quæ ob aliquem finem principalem fiunt, cum aliquo onere annexo.

DVBITATIO XVII.

Vtrùm donatio ob causam præteritam vel præsentem sit Valida, si causa non subsit.

RESPONDEO, Talem donationem esse inualidam, nisi donator actu vel habitu ita sit affectus, vt illam censeatur velle valere, quamuis causa non subsit. colligitur ex Medina quæst. 24. Probatur Primò, Quia talis donatio est inuoluntaria: procedit enim ex errore, qui si non esset, donatio non fieret: atqui donatio vt omnino valida sit, debet esse plenè voluntaria, cum ex libertate pendeat. Secundò, Quando error dat causam contractui, vel alteri dispositioni; actus est irritus vel saltem in irritum reuocabilis, vt ostensum est supra cap. 17. dubit. 5. atqui hic dat causam actui: ergo. Tertiò, Cum quis exprimit se donare ob causam, videtur donatio fieri sub conditione, *si causa subsit*, ergo si illa conditio non subsistit, donatio est nulla. Hoc tamen argumentum non est firmum; quia expressio causæ non habet vim conditionis; vt patet in contractu matrimonij, si quis ita dicat accipio te in vxorem, quia es bonis moribus, quia dives, &c. talis n. contractus est validus, siue causa illa extet in re, siue nō; solùm enim exprimitur quid moueat & impellat animum ad contrahendum, non autem ponitur vlla conditio consensui.

129 *Si causa non subsit.*

Circa hanc assertionem Aduertendum est, si res absolutè donetur, & error non sit circa substantiam rei donandæ, vel personam donatarij, vel circa substantiam ipsius actus (vt cùm est error circa causam principalem, dantem speciem actui) sed solùm circa conditionem accidentariam, vel causam secundariam, donationem nō esse omnino irritā: dici tamen *inualidam*, quia pro arbitrio donantis reuocari potest. errore cognito. & quidem si donatarius est causa deceptionis, tenetur errorem detegere, & ponere rem totam in arbitrio donatoris, vt donationē ratificet vel reuocet. si verò non est causa, non videtur ad hoc teneri. vnde poterit retinere, donec reuocetur. iuxta ea, quæ d. dub. 5. cap. 17. diximus.

Differentia erroris circa substantiam & circa conditionem accidentarią.

Dixi, *Nisi actu, vel habitu*, &c. quia sæpè fit, quempiam ita esse affectum, vt si sciret causam esse falsam, nollet donare: tamen quia dedit, non vult donationem esse irritam. vt si donasti aliquid amico, quia putas illum curasse aliquod negotium, quod non curauit; tamen multa alia tua causa fecit, ob quæ velles donationem confirmare.

130

Petes. Quando causa, ob quā aliquid datur, non subest; quomodo scietur vtrùm velit donationem valere, an nō?

131 *Causa principalis & secundaria dā di.*

Resp. Quando id non exprimitur, esse colligendum ex conditione dantis & accipientis, & rei donatæ. & ex conditione causæ: si enim causa ob quam datur non est principalis, sed secundaria, ob quam hic & nunc solùm se applicat ad donandum, & extat aliqua causa principalior; tunc donatio nō est censenda irrita, etiamsi illa causa secundaria non extet. vt patet exēplo allato. Item cùm datur eleemosyna pauperi simulanti fidem catholicam, vel sanctitatem; nam principalis causa dandi est paupertas. posset tamen talis donatio reuocari, si error ei causam dedit. deinde etsi causa principalis ob quam datur non extet; si tamē conditio donantis. vel rei donatæ est talis, vt putetur nolle obligare ad restit. poterit donatarius retinere.

Hinc sæpè fit, vt qui simulatione sanctitatis, paupertatis vel infirmitatis, vel obsequiorum aliquid impetrarunt, non teneantur ad restitutionem; quia donatores non censentur id onus velle imponere: idque vel ob liberalitatem, vel ob beneuolentiam & amicitiam, vel ob rerū paruitatem, vel quia res est consumpta, & difficilis esset donatario restitutio. Si tamē putetur donator velle, vt sic per fraudem obtentum restituatur, est restituendum, maxime si quantitas est notabilis. Imò etiam in dubio est restituēdū; saltem pars aliqua, pro ratione dubij; quia cùm non incepe-

132 *Paupertatis simulatione obtentum.*

rit

perit bona fide poſſidere, non poteſt ratione poſſeſſionis, ipſius conditio melior cenſeri: vel certè debet fraudem aperire & rem in libero arbitrio donantis conſtituere.

213 *Cui reſtituendum.* Dubium tamen eſt inter DD. cui ſit reſtituendum id, quod ſimulatione paupertatis obtentum eſt, ſi donator putetur illum velle ad hoc obligare. Plerique DD. docent id eſſe conferendum in alios pauperes, vel in alios pios vſus. quia donator illud iam à ſe alienauit, & Chriſto donauit, accepturus pro eo mercedem, non ſecùs ac ſi verè pauperi dediſſet. ita Nau c.17.nu.107. Scotus in 4.d.15.qu.1.art.3. Adrianus in 4.tract. de reſtit. qu.5. & Medina ſuprà. Sotus tamen lib.9.de Iuſt.q.7.art.3.ad 4.putat eſſe reſtituendum donatori; quia hic non intendit donare Chriſto, niſi quatenus intendit donare huic pauperi. Sed poſſunt conciliari, ſi dicamus eſſe reſtituendum donatori, ſi is ſit notus, & res ſit notabilis, & ipſe putetur velle vt ſibi reſtituatur, alioquin ſi res ſint minutæ, vel ignoti qui dederunt, vel non putentur velle illud alijs pauperibus dari, alijs dandum eſt.

CAPVT DECIMVMNONVM.

De Teſtamento, & Legatis.

Conſtat dubitationibus 8.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit teſtamentum, & quomodo à codicillo differat.

1 RESPONDEO, *Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult.* Ita definitur l.1.ff.Qui teſt.fac.poſſ. Verùm quia hæc definitio conuenit etiam alijs vltimis voluntatibus, nempè codicillo, legato, fideicommiſſo & donationi cauſa mortis; addunt Doctores, *cum directa hæredis inſtitutione*, per quam particulam teſtamentum diſcernitur ab illis: quia nulla alia vltima voluntas continet hæredis inſtitutionem. vnde propriè loquendo *Teſtamentum eſt hæredis inſtitutio*. Ideò enim inſtrumentum illud dicitur *teſtamentum* iure ciuili, quia cõtinet hæredis inſtitutionem; non autem quia continet legata vel fideicommiſſa. nam quòd hęc in eodem Inſtrumento ſcribãtur, eſt extrinſecum & acceſſorium rationi teſtamenti, poſſent enim omitti. Differt autem à *codicillo*, Primò, Quòd codicillus non fiat ad inſtituẽdum hæredem, (niſi interdum ex priuilegio, quale conceſſum militi, vt patet *L. Militis codicillis. 36.ff.* de milit. teſtam.) ſed ad aliquid in teſtamento explicandum vel mutandum, addendum vel detrahendum; vt ad legata inſtituenda, vel ad ſubſtitutionem fideicommiſſariam faciendam, &c. Secundò, Quòd in codicillo ſufficiant 5. teſtes, etiamſi non ſint rogati; inter quos poſſunt etiam eſſe mulieres. In teſtamento requiruntur 7. teſtes rogati maſculi & puberes. vide Sylu.v.Teſtam.1.nu.2. Hinc fit vt 3 *clauſula codicillaris* teſtamento addita (qua ſignificat teſtator ſe velle ſuam diſpoſitionem valere per modum, vel teſtamenti, vel codicilli; vel generatim ſe velle illam valere meliore modo, quo poteſt) eam vim habeat, vt etiamſi teſtamẽtum ob defectum ſolemnitatis non valeat qua teſtamentum (ideſt, quoad inſtitutionem hæredis directa) valeat tamen qua codicillus. Vnde efficitur Primò, Vt legata tali teſtamento relicta, ſint ſoluenda. Secundò, Si teſtator non habens liberos, inſtituat extraneum hæredem, inſtitutio illa directa habebit vim ſubſtitutionis fideicõmiſſariæ nam frater vel alius, qui ab inteſtato ſuccedit, tenebitur illi tradere hæreditatẽ, retenta ſolum quarta eius parte, quam vocant Trebellianicam. Tertiò, Si verò habeat liberos, illi habebunt ſolùm legitimam; extraneus verò ſic inſtitutus habebit reliqua. vide Syl. ſupra numer.11. & Molinam diſp.132. & Iulium Clarum §.Teſtamentum qu.46.

Codicillus.

Clauſula codicillaris.

DVBITATIO II.

Vtrùm teſtamentum factum ad piam cauſam ſit Validum, ſi ei deſint ſolemnitates, quas requirit Ius ciuile.

VERBI gratia, ſi non adſint 7. teſtes, vel non omnes ſint maſculi, & puberes; vel nõ omnes ſint rogati, vel ſi non omnes ſubſcripſerint, &c. quæ habentur L. Hæc cõſultiſſima.21. C. de teſtamen. dicitur autem factum ad piã cauſam, quando hæres inſtituitur pia cauſa, vt Eccleſia. Monaſterium, pauperes.

Reſpondeo, Vt teſtamentum ad pias cauſas ſit validum, etiam in foro externo, non requiruntur ſolemnitates Iuris ciuilis; ſed ſufficiunt ea, quæ ſunt Iuris gentium, nempè vt duo teſtes adſint. Ita Couarru.cap.11.de teſtam num.9. & Iulius Clarus §.Teſtamentum q.6.nu.1 & colligitur aperte ex capit.Relatum.1.de teſtamentis. Vbi Alexander III. mandat vt Iudex cauſas, in quibus agitur de ijs, quæ relicta ſunt Eccleſijs, tractent non ſecundùm leges, ſed ſecundùm Canones, duobus vel tribus duntaxat legitimis teſtibus requiſitis. quod etiã in foro ciuili ſeruandum eſſe docet Clarus ſuprà & alij DD. Neque requiritur præſentia Parochi, vt quidam volunt. nam Pontifex dicit non niſi duos legitimos teſtes requirendos. potuit autem Summus Pontifex hac in re legibus ciuilibus derogare, quia poteſtatis eccleſiaſticæ (cuius plenitudo eſt in Pontifice) eſt, ordinare hominum actiones ad finem ſupernaturalem, qui eſt ſalus animæ: & conſequenter poteſt ſubmouere & tollere omnia, quæ ſtudium & curſum bonorum operum ad ſalutem animæ pertinentiũ impediunt: atqui illę leges in cauſis pijs impedirent ſtudium bonorum operum: ergo.

4 *Teſtamentum ad piam cauſam.*

Duo teſtes ſufficiunt.

5

6

Petes, Vtrùm neceſſarij ſint duo teſtes, vt tale teſtamentum ſit validum in foro conſcientiæ?

Reſpondeo, Non eſſe neceſſarios: ſufficit enim in his teſtamentis id, quod Iure naturali eſt ſufficiens. nempe vt ſit poteſtas in diſponente, capacitas in eo, in cuius fauorẽ diſponitur, & libertas in diſpoſitione: quod probatur, quia nulla ſolemnitas Iuris ciuilis in his teſtamentis eſt neceſſaria. vt patet ex cap. Relatum.1. de teſtamen. neque etiam neceſſarij ſunt duo teſtes Iure Canonico, quia Ius Canonicum non requirit eos vt diſpoſitio ſit valida in foro conſcientiæ; ſed vt poſſit probari in foro externo, quantum ſatis eſt, vt Iudex pro ea ſententiam ferat. vt colligitur ex d.cap. Relatum.

7 *Non ſunt neceſſarij in foro conſcientiæ.*

Hinc ſequitur Primò, In tali teſtamento, vt validum ſit, non requiri hæredis inſtitutionem. ratio eſt, quia hæc neceſſaria tantùm eſt iure ciuili: atqui vt teſtamẽtum ad pias cauſas validum ſit, nihil requiritur ſolo Iure ciuili introductum. Ita Iulius Clarus q.6.nu.8.

8

Secundò. Etſi teſtamentum aliquod ad cauſas prophanas, defectu ſolemnitatis ſit inualidum; tamen legata pia in eo contenta, valida eſſe. Ita Couarru. cap.11. numer.4. ratio eſt, quia caput Relatum, loquitur generatim de omnibus ad piam cauſam relictis; vnde etiam comprehendit legata.

9 *Legata pia.*

Tertiò, Legata prophana poſita in teſtamento ad pias cauſas minùs ſolemni, valere, eiſque ſoluenda. eſt ſententia communis Doctorum, vt refert Clarus §. Teſtamentum, quæſtione ſexta, numero nono. ratio eſt, quia ſolẽnitas,

Legata prophana.

Confessaria 5. voluntatem defuncti, teneri restituere hæreditatem & soluere legata eis, quibus testamento munùs solemni debentur.

Secundò, Si dubius sit de voluntate testatoris debet cũ illis componere pro ratione dubij. Ita Molina disp. 81. ratio est, quia cùm nec ipsè nec alij ceperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio. Probabilius tamen videtur hęredem ab intestato hoc casu posse totũ retinere. Ratio est, quia habet ius certum à quo non debet excludi per ius alterius dubium. hæc enim est ratio cur melior sit conditio possidentis. quia enim possidens, qui certus est se habere ius possidendi, non tenetur rem nec totam, nec partem eius deferre, obstat dubium alterius.

Tertiò, Si hæres ab intestato retineat hæreditatem & 22 legata; possunt illi, quibus aliquid per tale testamentum *Si iudex adiudicet hæredi ab intesta to.* erat relictum, vti occulta compensatione; nam reverà res illæ erant ipsorum. Sylvester v. Hæreditas 3.q.7.

Quartò, Si hæres ab intestato fateatur mentem testatoris fuisse, vt hæreditatem nomine fideicommissi alteri tra- 23 deret, vel legatum aliquod solueret; aut si oblato iuramen- *Si hæres fa- tetur.* to, iurare noluerit, cogendus est etiam in foro externo hęreditatem tradere, (detracta tamen quarta parte, quam vocant Trebellianam) & soluere legatum, vt patet ex quarta & quinta probatione.

Quintò, Idem ob eamdem causam dicendum est, si fa- 24 teatur voluntatem testatoris fuisse, vt hæreditas non vt fideicommissum, sed immediatè peueniret ad institutum. non enim recurrendum est ad fidem testium, vel ad iuris subtilitatem, quando is cuius interest, confitetur testatoris voluntatem; vt habetur d.L.Quæstionem.32. C.de fideicommissis.

Sed contrà obijcitur ex Couarruuia, Primò. Ex L.Hæc consultissima.21. C.de testamentis. *Non subscriptum à testibus ac non signatum testamentum, pro infecto haberi constituit.* & subdit, *Ex imperfecto testamento voluntatem tenere defuncti; (nisi inter filios liberos habeatur) non volumus.* & §. Ex eo Instit. Quibus modis testam.infir. *Imperfectum testa-* 25 *mentum nullum est.*

Respondent quidam, has leges niti præsumptione fraudis, quæ præsumitur cõmissa in talibus testamentis, quando præscriptæ solemnitates desunt. vnde quando constat nullam fraudem commissam, sed hanc esse veram & liberam voluntatem testatoris, leges hasce nõ habere locum. *Non nititur præsumptione fraudis.* Sed solutio non videtur vera. Primò, Quia nõ potest prudenter præsumi fraus, ex eo, quòd vnus vel alter testis, vel subscriptio alicuius desit. nam multis modis fieri potest vt aliquid horum sit omissum. Secundò, Quia quatuor testes possunt sufficere, vt constet non subesse fraudem; sufficiunt.n.in rebus maioribus, vt in causa criminali, in qua agitur de vita. Tertiò, Etiamsi Iudices sciant nullam subesse fraudem, tamen non adiudicabunt ex tali testamento hæreditatem, nisi hæres ab intestato fateatur hanc fuisse mentem testatoris, vel nisi recusauerit oblatum iuramentum. Vnde aliter respondetur, Illas leges loqui de nullitate in foro externo, quia in foro externo non datur actio 26 ex tali testamento. lex enim Ciuilis ei non assistit: non ta- *Est nullum in foro exter- no.* men ei resistit, vt rectè docet Franciscus Sarmiento de reditibus p.1.c.2.nu.3. habetur itaque pro *infecto, irrito*, & *nullo* in foro externo; quia non cõceditur actio ex tali testamento, perinde ac si nullum omnino extaret. cum hoc tamè constitit, quòd ex eo nascatur obligatio naturalis in hærede ab intestato ad res illas tradẽdas; & ius in ijs quibus sic aliquid est relictum, ad exigendum: sicut patet in pactis nudis, ex quib. etsi nulla oriatur obligatio ciuilis, oritur tamen obligatio naturalis. vt dictum est c.17.dub.4. Potuit autem ius Ciuile actionem ex huiusmodi testamẽtis denegare ob iustas causas. Primò, Ad vitandas plurimas lites, quæ ortæ fuissent. si licuisset hæredi instituto & 27 legatarijs probare, hanc fuisse mentem testatoris. quam *Cur deneget actionem.* etiam ob causam factum est, vt certas solemnitates requireret, quæ nisi seruatæ essent, alias probationes nõ admitterentur, præter confessionem hæredis ab intestato, cuius interest. Secundò. Ad excludendas varias hominum artes & machinationes, quibus conati fuissent vltimas voluntates interuertere, si satis fuisset probationibus iure gentium requisitis vti. dum enim videt tam multa requiri ad faciendam fidem in causa testamentaria, desperat de successu, & cessant à fraudibus. Tertiò, Ne hæredes ab intestato, quibus non constat de voluntate testatoris, gemino dolore afficerentur, si priuari solatio defuncti, cogerentur extraneis dare hæreditatem. quòd si illis de voluntate defuncti constet, non possunt quæri, quia par est vt satisfiat voluntati defuncti, quam ipsimet agnoscunt.

Obijcitur Secundò, Si illa testamenta in foro conscientię essent valida, iniquè Iudices adiudicarent hæredibus ab intestato; fouerent enim apertam iniustitiam; præberent etiam occasionem hæredibus illis, inique petendi, quod alijs relictum est.

Respondeo. Non adiudicari hæredibus hæreditatem il- 28 lam tamquam absolutè ad illos pertineat; sed non concedi actionem ijs, qui nituntur tali testamento; quia repelluntur tamquam delicti probatione, quam leges requirunt. quòd si contingat hos esse possessores, datur quidem hæredibus repetitio, quia putatur bona fide agere, nec scire aliã esse defuncti voluntatem: non tamen intendit Iudex decernere rem absolutè illorum esse; sed esse illorum, quantum apparet ex probationibus, quæ iure admittuntur, interim relinquens eos suæ conscientiæ. quòd autem hæredes inde occasionem accipiant petendi quod alijs relictum est, ipsorum malitiæ imputandum, non legum dispositioni, quæ iustis cautis nititur. Simile cernitur in pactis nudis, ex quibus etsi aliquid debitum sit in conscientia, Ius tamen ciuile Cæsareum non concedit actionem. imò concedit repetitionem, si alter aliquid hoc nomine absque voluntate partis acceperit. vide Couarruuiam in cap. Quamuis pactum, par.2.§ 4. vbi docet dari repetitionem hæredi, si ex ignorantia facti (nempè ex eo, quòd putauerit testamentum esse solemne) soluerit legatum, vel fideicommissum. non autem si ex ignorantia Iuris; id est, si soluerit, quòd putaret testamentum minùs solemne esse validum. sed hoc ad forum externum pertinet: nam in conscientia non licet repetere, si putat illam fuisse defuncti voluntatem.

Obijcitur Tertiò, Si tale testamentum in foro conscien- 29 tiæ est validum: ergo tutor non poterit agere pro pupillo (qui est hæres ab intestato) ad rescissionem testamenti minus solemnis in fauorem alterius conditi, si sciat voluntatem testatoris fuisse vt alius esset hæres: quod est graue incommodum. si enim agat, peccabit mortaliter: si non agat, condemnabitur vt pupillum præstet indemnem.

Respon. Non posse agere: si autem ideo cogatur pupillo compensare damnum, pupillus tenetur ei in conscientia ad restitutionem, & ipse potest occultè tantumdem detrahere ex illius bonis.

Aduerte tamen Primò, Sententiam Couarruuiæ esse 30 probabilem, & securam in conscientia, etsi nostra sit verior *Sententia op- posita est pro- babilis.* & probabilior: potuissent enim legislatores ita statuere; quamuis non ita consentaneè naturali æquitati. vnde poterit tutor ea vti & sic agere contra tale testamentum. Iux ta hanc sententiam. Primò, Is, cui sic quid relictum est, non potest illud petere tamquam ex iustitia debitum. Secundò, Si possidet, non potest retinere: nisi forte sit fideicommissum, quod testator fidei tui hæredis commiserit: vel legatum, quod hæres iam soluerit, sciens testamentum non fuisse solemne; iuxta ea, quæ dicta sunt in tertia, quarta, & quinta probatione. Tertiò. Hæres ab intestato potest illud retinere; & si alter possidet, repetere in iudicio. Quartò, Quod si non possit ob potentiam aduersarij, vti potest occulta compensatione.

Aduerte Secundò, Dominicum Sotum & Bannes su- 31 pra, tenere quamdam sententiam mediam; sentiunt e- *Sententia Soti.* nim testamentum minus solemne, quadam ratione esse validum, quadam inualidum. Validum; quia institutus potest capere hæreditatem, si nemo ei se opponat, & retineret, donec Iudex illi eam abiudicet. Inualidum; quia hæres ab intestato potest eam capere & retinere, etiamsi sciat voluntatem defuncti aliam fuisse; quòd si alter eam occupauerit, potest in iudicio eam petere, & cùm adiudicata fuerit, retinere. Hæc sententia non est improbabilis. nec dubitandum est, quin legislatores ita potuerint statuere, nempè vt tale testamentum non esset irritum in conscientia, ante sententiam Iudicis; & per eam irritaretur vel declararetur irritum ex vi legis, &c. Verum non videtur illa fuisse mens illorum: nam si hæres fateatur voluntatem testatoris fuisse vt alteri traderet fideicommissum vel legatum, cogetur vi legum soluere. vt supra dictum est.

32 *Aliorum contractuum ſolemnitates.*

. Aduerte Tertiò, Ea, quæ dicta ſunt de ſolemnitate teſtamentorum, à quibuſdam extendi ad contractus, donationes, beneficiorum & officiorũ collationes, electiones, præſentationes & ſimiles actus, qui ex diſpoſitione Iuris Ciuilis vel Canonici requirunt varias ſolemnitates. ver. grat. vt celebrentur certis verbis, certo loco vel tempore, per tres tractatus, coram certo numero teſtium. ſi enim hi actus ſolo defectu ſolemnitatis laborent, ob quem iure poſitiuo decernantur irriti, non ideò deſinere valere in foro conſcientiæ: ita enim docent omnes DD. Iuris, qui tenent, teſtamentum manùs ſolemne valere, vt fatetur Couarr. num. 10. &

33 omnes Theologi citati in 2. argumento. Vnde ſi contrahentes ſint per ſe habiles, & adſit plenus eorum conſenſus, cõtractus erit validus in foro conſcientiæ. Nec obſtat, quod contractus matrimonij ſit irritus ſine Parocho & teſtibus; quia Conc. Tridentinum ſeſſio. 24 c. 1. de reform. expreſsè reddit illos inhabiles ad ſic contrahendum: & præterea ſatis ſignificat ſe omnino irritum reddere in foro conſcientiæ. Simili modo, ſi electioni ad Prælaturam adſit legitimũ ſuffragium eorum, qui habent ius eligendi; & alienationi rei Eccleſiæ auctoritas perſonarum, quæ illam facere poſſunt: hi actus erunt validi in foro conſcientiæ, quamuis aliquæ ſolẽnitates per Canones requiſitæ deſint. Pro quo facit. Lex Cùm amplius ſolutum. ff. de reg. Iuris, vbi dici-

34 tur, *Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem ſecuti ſumus.* Hanc ſententiam tamquam probabiliorem amplectitur Bannes diſput. 3. ad quæſt. 62. pa. 100. vbi docet, eum, qui per contractum minùs ſolemnem poſſidet, iuſtè poſſidere, donec à Iudice ſpolietur; nec teneri vitium contractus alteri parti indicare. ratio ipſius eſt, quia leges poſitiuæ tam eccleſiaſticæ quàm ciuiles, quæ irritos faciunt contractus minùs ſolemnes, non ſunt niſi iuxta hanc moderationem receptæ; nimirum vt nemo teneatur rẽ, quam ſic habet, ante ſententiam dimittere, eaque per huiuſmodi contractus transferri quidem dominium, ſed infirmum & reuocabile, exceptis tamen electionem Prælatorum, hanc enim ſi ea ſolemnitas neceſſaria, eſſe irritam, propter rei momentum: quia Iuriſdictio ſpiritualis per eam conferri debet: alij tamen Doctores nullam faciunt exceptionem. Videtur hæc ſententia ſatis probabilis, maximè ſpectato vſu, qui paſſim eſt receptus. non enim cõſuetum eſt, vt quis ea, quæ per tales contractus habet, reſtituat, niſi cogatur per ſententiam. Durum enim eſt, vt qui rem habet ex conſenſu eius, qui poterat illã tradere, cogatur ſponte ea cedere; quòd non eo loco vel tempore, vel coram illis teſtibus, quos lex præſcribit, tradita fuerit.

Dominium reuocabile.

35 *Contrarium verius.*

Nihilominùs contrarium eſt Iuri conformius & verius; nimirum huiuſmodi actus & contractus, quibus deeſt ſolemnitas, ſiue qua lex illos abſolutè irritos decernit, non inducere obligationem naturalem; niſi fortè alibi explicetur in Iure, illam ſolemnitatem ſolùm requiri ad probationem in Iudicio, ſicut in teſtamentis. Ita ferè tenent reliqui DD. & Couar. in c. Quamuis pactum. p. 2. §. 4. nume. 7. & Sarmiento de reditibus p. 1. c. 2. num. 3 & alij. Probatur Primò, Quia non eſt dubitandum quin poteſtas ciuilis & eccleſiaſtica poſſint talem irritationem & nullitatem actibus inducere, vt nullam omnino vim habeant: ergo iudicandum eſt eas reipſa id facere, quando claris verbis actũ irritum & nullum decernunt, nec indicant vſquam id ad forum externũ reſtringendum. Secundò, Quia L. In cauſæ cognitione. 16. ff. de minoribus, aperte inſinuatur, multos eſſe contractus, qui defectu ſolemnitatis à lege requiſitæ, ita ſint irriti, vt ad eos reſcindendos non opus ſit beneficio reſtitutionis; ſed mero Iure poſſint diſſolui: ergo tales contractus etiam ante ſententiam Iudicis omni robore carent, ita vt ne naturalem quidem obligationem inducant. obligatio enim naturalis non poteſt eliui, niſi beneficio reſtitutionis, vt patet ex dictis capit. 17. d. 8. & 9. Tertiò, Quando contractus inducit obligationem naturalem, poteſt illi accedere fideiuſſor; vt colligitur ex L. Fideiuſſ. 16. ff. de fideiuſſ. & mandat. ſed multi contractus defectu ſolemnitatis ita ſunt irriti, vt non poſſit illis accedere fideiuſſor. L. Qui contra. 11. ff. de fideiuſſor. ergo. Denique ratio eſt, quia quando lex irritum reddit contractum ob defectum ſolemnitatis, facit hanc pertinere ad formam eſſentialem contractus, & adimit contrahentibus poteſtatem aliter ſe inuicem obligandi. Vide dicta ſup. c. 17. dubit. 8. num. 61. & dub. 7. nu. 56. vbi attulimus aliquot exempla.

Hinc ſequitur, etiam completo tali contractu, alterum 36 poſſe reſilire inuito altero, & rem ſuam repetere, offerendo quod pro ea accepit: & alterum teneri reſtituere, etiam ante ſententiam, niſi forte cauſas probabiles habeat, quibus ſe poſſit tueri. non tamen tenetur, quamdiu alter rem traditam non repetit, vel acceptam non reſtituit. Nec obſtat contraria conſuetudo; quia negari poteſt eſſe talem conſuetudinem, niſi quando is, qui conuenitur, putat ſe habere cauſas iuſtæ defenſionis; vel qui repetit, non poteſt rem acceptam reſtituere. Fieri tamen poteſt, vt diſſoluere talem contractum ſit contra charitatem, vt ſi bona fide erat initus, & alter ſine graui incommodo nõ poſſit rem acceptam reſtituere.

Poteſt reſindi.

DVBITATIO IV.

Quinam non poſſint teſtari.

RESPONDEO, Eos non poſſe teſtari, qui vel ſufficienti rationis vſu carent, vel Iuris diſpoſitione prohibentur. Inter hos. Primò, eſt impubes, id eſt maſculus ante 14. annum expletum, & femina ante annum 12. expletum. vt aperte habetur L. A qua ætate. 5 ff. Qui teſtamenta. vbi dicitur illud tempus debere eſſe completum, ita tamen vt ſufficiat vltimum diem eſſe inchoatum. 37

Impubes.

Secundò, Filius familias. hic tamen ſi pubes ſit, poteſt 38 teſtari de bonis caſtrenſibus & quaſi caſtrenſibus; L. Nemo. 12. C. Qui teſtamenta. De bonis aduentitijs, ſi quidem ea ante clericatum ei obuenerit, non poteſt teſtari ad cauſas prophanas, etiamſi pater conſentiat, vt docet Clarus qu. 18. ex communi DD. ſententia; quia eſt contra aperta iura, L. Qui in poteſtate. 9 ff. Qui teſtamenta. & L. Nemo. 12. C. eodem. Poteſt tamen ad cauſas pias cum patris conſenſu. vt idem Clarus docet qu. 5. nu. 7. & aperte colligitur ex cap. Licet de ſepulturis in 6. eſtque communis ſententia DD. De bonis verò aduentitijs, quæ poſt clericatum conſecutus eſt, teſtari poteſt abſolutè abſque patris conſenſu; quia illa ſunt quaſi caſtrenſia. vnde eorum commoditas & diſpoſitio ad ipſum pertinet, vt patet ex dictis ſupra c. 4. d. 3. & expreſsè habetur Authent. Presbyteros. 1. C. de Epiſcopis & Clericis.

Filiusfamilias.

Tertiò, Teſtari non poſſunt, qui commiſerunt aliquod 39 crimen, cui iure annexa eſt pœna, qua ipſo facto ſunt inteſtabiles. L. Is cui. 18. & L. Cùm lege. 26. §. Qui teſt. vt ſunt illi, qui inſecuti ſunt hoſtiliter Cardinalem; vel eum cęperunt, aut percuſſerunt, & qui ad hoc fuerunt cooperati. vt habetur c. Felicis, de pœnis l. 6. Tales etiam ſunt hæretici, vt patet L. Manichęos. 4. C. de hæret. Item credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ſi intra annũ non ſatisfecerint; vt patet Auth. Credentes. C. de hæret. quæ eſt Frederici Imperatoris, & ca. Excommunicamus. 1. §. Credentes ex Concilio Lateranen. magno vbi dicitur, *Si etiam inteſtabilis, vt nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat.* Simili modo teſtari non poteſt, qui damnatus eſt ob libellum famoſum, vt habetur d. L. Is cui. §. Si quis.

Criminoſi.

Quartò, Religioſi teſtari non poſſunt, niſi ex conceſſio- 40 ne Summi Pontificis: qui ſicuti poteſt facere poteſtatem donandi ad pias cauſas inter viuos; ita etiam condendi teſtamenti: ſed tantùm ad pias cauſas. vide Couarruuiam de teſtam. c. 2. nu. 17. & 18. hæc autem facultas concedi nõ ſolet, niſi Religioſis habentibus beneficium aliquod regulare vel ſæculare, vel degentibus extra Monaſterium & ſua induſtria victum quærentibus, vel quibus quotannis aliquid certi à Monaſterio aſſignari ſolet. vt ſe inde ſuſtentent. vt docet Nau. commen. 2. de Regular. nu. 58. vide infrà c. 41. dub. 8. nu. 73.

Religioſi.

Sed præcipua difficultas eſt de Clericis beneficiarijs. Vtrum de prouentibus ſuorum beneficiorum teſtari poſſint, etiam in ſuos conſanguineos.

Reſpond. & dico Primò. Omnes Clericos, qui non ſunt 41 Religioſi, poſſe teſtari, etiam ad cauſas prophanas de patrimonio & de alijs, quæ ſuo labore & induſtria congregarũt. denique de ijs quæ ex prouentibus beneficiorũ congruenti ſuſtentationi ſubtraxerunt. patet ex dictis c. 4. dub. 6. vide Nauarrum tract. de Reddit. eccl. q. 3.

Beneficiarij.

Dico Secundò, De ijs verò, quæ ex beneficiorum pro- 42

uentibus

tentibus congrueti sustentationi superant, si ius scriptum spectemus, testari nequeunt, ne ad pias quidem causas: ex consuetudine tamen multis locis recepta, possunt de his ad opera pia testari. Prior pars patet ex cap. Quia nos, & cap. Relatum. 2. & cap. Cùm in officijs, de testamentis. quæ capita explicantur à Couarruuia tract. de testamentis, estque communis sententia Doctorum. vt docet Couarr. in cap. Cùm in officijs (quod est ca. 7. de testamentis) num. 16. hoc autem ideo iure factum est, vt Ecclesiastici non luderent opibus accumulandis; sed eas in vita liberaliter in pios vsus expenderent.

43 Alteram partem docet Couarruuias num. 23. vbi dicit, *moribus receptum esse, vt solis Episcopis testandi facultas sit necessaria; Clericos enim ceteros omnes liberè testari de iis, quæ ex reddibus ecclesiasticis adepti sunt; atque in ipsum parentes, fratres, cognatos sua cedere intestatis.* vnde patet, multis locis consuetudine hæc iura esse abrogata. hæc enim consuetudo non est per se mala, neque corruptela dici potest, si ad pias causas referatur. Vnde etiam in Episcopis locum habere potest, quos videmus multis locis testari, quod Pontifex non ignorat. quare potest consuetudo etiam in illis abrogare ius illud positiuum.

44 Dico Tertiò, peccant tamen mortiferè beneficiarij, siue sint Episcopi siue Canonici, qui de parte illa prouentuum disponunt ad causas prophanas, relinquendo eam consanguineis diuitibus, vel sponte sinunt eos succedere ab intestato. dispositio tamen huiusmodi & successio est valida; vbi consuetudo inualuit. *Quod peccent mortiferè* est communis sententia Doctorum. si enim peccant mortiferè disponendo de his prophane inter viuos; (vt ostensum est c. 4. dub. 6. & sentiunt omnes Doctores) multò magis disponendo per vltimã voluntatem. nam semper minùs concessum fuit beneficiarijs concedere testamẽtum, quàm donare inter viuos. cõfirmari potest ex multis Canonibus, qui ius grauiter prohibetur, ne de ijs, quæ ex bonis Ecclesiæ acquisita sunt, testentur, præsertim Episcopi; ut patet ex cap. Cùm in officijs. de testamentis. & 12. qu. 5. per totam. & quamuis illis Canonibus sit derogatum plerisque locis quoad causas pias; minime tamẽ quoad prophanas, & portionem bonorum congruæ sustentationi superfluam: viri enim boni valdè ab eo semper abhorruerunt. & sanè mirum est in quibusdam ecclesiasticis tantam esse salutis suæ incuriam & futurorum securitatẽ, vt etiamsi mox ad Christi tribunal rapiendi sint, ea tamen negligant, quibus facilè salutè consequi possent; & insuper rem adeò periculosam, vt amicos suos locupletent. audeant attentare. Verùm hęc est huius sæculi fascinatio, & Principis huius mundi, corda mortalium excæcantis, potestas.

Nec obstat, quòd Summus Pontifex aliquando concedat alicui Episcopo uel Clerico facultatem testandi: hoc 45 enim solùm est intelligendum ad pias causas. ut monet Nauar. in Apolog. q. 3. monito 6. & alibi.

46 Altera pars, *Quod dispositio sit valida*, non est quidem certa, nam plurim Doctores tenent contrarium cum Nauarro, vt suprà cap. 4. dub. 6. ostensum est: est tamen probabilis. ratio est; quia beneficiarij sunt domini omnium fructuum, etsi cum onere & obligatione vt superflua in pios vsus expendant: ergo valide transferunt illorum dominium, siue donatione inter viuos, siue per vltimam voluntatem, supponimus enim eos ex consuetudine esse habiles ad testandum.

Nec refert, quòd peccẽt mortiferè; quia aliud est dispo- 47 sitionẽ esse illicitam, aliud esse irritam. etsi enim ex præcepto Ecclesiæ & fundatorum intentione teneantur expendere in pios vsus, nõ tamen decernitur irritum, si contrariũ fecerint; sicut cùm quis de superfluis suis disponit in vios prophanos, cũ ea in eleemosynam, vrgente graui necessitate proximorum, conferre tenetur; dispositio valet, 48 etiamsi ipse mortifẽrè peccet. Hinc etiam patet, hæredes valide succedere; accipiunt. n. ab illo, qui valdè poterat disponere. neque illa per se sunt obligata pijs vsibus; sed omnis obligatio erat personalis, ad solũ testatorem pertinẽs, quæ nõ trãsit ad hæredes: quo fit vt hæredes non peccẽt ea accipiẽdo iure hæreditario; sed solus testator, ita expressè vel tacitè disponẽdo, & qui ipsum ad hoc induxit.

Postremò, Damnati ad mortem naturalem vel ciuilem; 49 (vt eiecti in exilium perpetuũ.) Item damnati ad perpe- *Damnati.* tuos carceres testari non possunt, nisi ad pias causas. de quibus & alijs quibusdam minutioribus vid. Syluestrum, Testamentum 1. qu. 3. & 4. nam in variis locis sunt variæ leges & consuetudines; nec vbique seruatur ius Codicis vel Digestorum.

DVBITATIO V.

Quinam non possint testamento institui hæredes vel legatarij.

RESPONDEO, Inter eos, qui hæredes, vel legatarij instituì non possunt, numerantur Primò, Hæretici & apostatæ L. Fin. C. de hæreticis. & L. Hi, qui sanctam. 3. C. de apostatis. Secundò, Credentes. Tertiò, Receptores. Quartò, Defensores. Quintò, Fautores hæreticorum, si tamen intra annum non pœnituerint, vt patet ex Authen. Frederici Imperatoris, C. de hæreticis. & cap. Excommunicamus. 1. §. Credentes. 50 *Hæretici. Credentes, &c.*

Hinc sequitur, hæredes catholicos posse tales hæredes excludere; & si impediantur, vti aduersus eos occulta compensatione: quia ius non habent. Vtrùm verò illi teneantur ad restitutionem eorum, quæ tali successione acquisierunt, dubitari potest. videntur enim in conscientia teneri, quia facti sunt inhabiles ad succedendum, ac proinde debentur illa bona hæredibus ab intestato, catholicis. Sed 52 probabile est non teneri ante sententiã, vel certè antequam catholici hæredes sese opponant. quamuis enim ex rigore iuris videantur teneri, tamen hoc ius cum illo rigore non est vsu receptum. est enim valdè durum & parùm consentaneum conditioni talium hominum, vt obligentur talia commoda sponte restituere. 51 *Non tenentur ante sententiã.*

Sextò, Qui persequuntur Cardinales, eosque percutiũt vel capiunt. c. Felicis. 5. de pœnis, in 6.

Septimò, Quicumque ob crimen aliquod est intestabilis actiuè, (id est, ita vt non possit condere testamentum) 53 est etiam intestabilis passiue (id est, eo modo vt non possit capere ex testamento) vt docet Glossa in cap. Is cui. Qui testam. quam communiter approbant DD. vt docet Clarus q. 34. de testam. ex Aretino. *Criminosi.*

Octauò, Fratres Minores nõ possunt hæredes instituì, vt 54 patet Clem. Exiui, de verborum significat. §. Quis igitur. Hoc tamen intelligendum, vt exponit Glossa, non posse absolutè instituì hæredes, ita vt ipsi acquirant ius ad bona immobilia, & teneantur ad onera defuncti. vt hæredes. potest tamen in eorum fauorem hæreditas relinqui, vt per executores vẽdatur & detur eis pretium. vide cetera apud Syluestrum. Hæreditas. 3. quæst. 2. non tamen placet, quòd putet excommunicatum non posse esse hæredem, cùm id nullo iure probetur.

DVBITATIO VI.

Vtrùm illegitimus possit instituì hæres.

NOTANDVM est, *Illegitimorum* generatim duas esse species; quidam vocantur *naturales*, quidam *spurij*. 55 *Naturales* sunt, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens, vt docet Couar. de matrim. p. 2. cap 8. §. 4. num. 4. etsi enim iure Cæsareo solùm dicebatur naturalis, qui natus erat ex vnica concubina domi retenta; tamen iure Canonico omnes illi vocantur naturales, qui ex parentibus solutis geniti; omnesque eodem iure gaudent. quod etiam consuetudine receptum est in foro ciuili. vt docet Panor. in c. Per venerabilem; Qui filij sint legitimi. potiùs enim fauendum est ei, qui natus est absque concubinatu, quàm ei, qui ex concubina domi retenta, cùm hoc sit detestius; vt idem Panormitanus ait. *Illegitimi duplices. Naturales.*

Spurij dicuntur, qui nati sunt ex parentibus, inter quos 56 tempore concepcionis & natiuitatis erat impedimentum dirimens, vt docet Couarr. §. 5. num. 1. 2. 3. Sub his duabus speciebus comprehenduntur notarij & manzerés appellati; quæ nomina variè ab auctoribus vsurpantur; nec quicquam ad rem explicandam faciunt. vide Couarruuiam §. 4. num. 1. & 11. *Spurij.*

Ex his patet, Eum, qui natus est ex femina soris habi- 57

tante, eſſe naturalem, ſi nullum erat impedimentum inter eam & virum, etiamſi ipſa eſſet meretrix; cuius filius in iure vocatur nothus. Item eum, qui natus eſt ex virgine vi compreſſa; quia etſi talis coniunctio lege puniatur, id nõ fit, quòd ipſæ perſonæ ſint inhabiles; ſed ob vim illatam. Item eum, qui natus ex Clerico beneficiario in ſacris non exiſtente, & ex ſoluta, quia beneficiũ non eſt impedimentum dirimens, neque illa coniunctio in iure vocatur coitus damnatus. Idem dicendum de eo, qui natus eſt ex parentibus votum ſimplex caſtitatis habentibus. Denique de eo, qui natus eſt ex parentibus, inter quos erat impedimentum; ſed illud omnino erat ignotum, ſaltem alteri parti: quia talis coniunctio formaliter non eſt niſi ſimplex fornicatio. Qui verò natus eſt ex ſoluta & coniugato, ex ſoluta & ſacerdote, eſt *ſpurius*. His poſitis.

58 *Spurius non ſuccedit patri.*

Reſpondeo & dico Primò, *Spurius* non poteſt aliquid à patre capere, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſiue ex contractu inter vivos. Ita Couar. de matrimo. p. 1. c. 8. §. 5. nu. 5. & Clarus q 31. de teſtam. patet Auth. Licet. C. de naturalibus liberis, in fine; vbi dicitur, *Qui ex damnato ſunt coitu, omni prorſus beneficio ſecluduntur*. & Nouella 74. c. 6. dicitur: *Nulla eis participanda clementia eſt: ſed ſit ſupplicium etiam hoc patrum vt agnoſcant eos nihil habituros.* Quod ſi pater illi aliquid in teſtamento præter alimenta relinquat, nihil per hoc iuris illi acquiritur; ſed tenetur in conſcientia legitimis hæredibus. vt docet Couarr. nu. 11. ratio eſt, quia ipſe per leges factus eſt incapax. Hæc intelli-

Tenetur in conſcientia reſtituere.

ge de ſpurio patris; nam ſi vxor habeat ſpurium, is eſt marito inter extraneos. vnde lex de illo non loquitur. quare maritus ſeu pater patratius poteſt illi relinquere ſicut extraneo.

Hinc ſequitur Primò, *Spurium* à patre non poſſe ſubſtitui, nec vulgari, nec fideicommiſſaria ſubſtitutione, vt idẽ docet numer. 7. quia perinde eſt, capiatne à patre immediatè, an ab alio ex patris ordinatione. Poteſt tamen ſubſtitui ſubſtitutione pupillari, non quidem ita vt bona paterna per pupillum ad ipſum perueniant; ſed vt in alia bona pupilli ſuccedat. hæc enim non habebit à patre, ſed à fratre, cui ſuccedere poteſt; vt docet Couar. num. 6. vide infrà nu. 79. dub. 7.

Sequitur Secundò, Si pater hæredem inſtituens, roget
60 eum vt hæreditatem reſtituat ſpurio, & ille promittat ſe id facturum; non teneri illum hæredem implere promiſſum; quia promiſſio fuit nulla, vtpotè contra legem: vnde poteſt hæreditatem ſibi retinere: tamquam verus hæres a teſtatore inſtitutus. conditio enim ſeu gratuamen appoſitum à teſtatore, cùm ſit contra legem, cenſetur tamquam non appoſitum in vltimis voluntatibus, vt patet ex L. Impoſſibilis. 7. ff. de verb. oblig. Vide Gomez. tom. 1. cap. 12. nu. 67. & ſuprà c. 18. nu. 123. dub. 15.

Dices, tenetur reſtituere fiſco; quia bona illa hoc ipſo, quo hæres promittit, ſunt confiſcata, ut ex multis legibus patet L. pen. ff. de iure fiſci. L. Prædonis. 46. ff. de petitione hæreditatis.

Reſpon. Non teneri ante ſententiam; quia eſt pœna (vt
61 *Non tenetur fiſco ante ſententiam.*

rectè Couar. nu. 13.) cõſtituta hæredi à legibus in punitionem illius promiſſionis iure prohibitæ: pœna autem non debetur ante ſententiam condemnatoriam unde ſi a Iudice interrogetur, an tale quid promiſerit teſtatori; non tenetur fateri, niſi præcefferit infamia; ut rectè idem Couar. nu. 14. quia agitur de crimine occulto, ob quod grauiter, ſi uerum fateatur, mulctabitur; nempè confiſcatione, non ſolùm illius hæreditatis, ſed etiam omnium bonorum, & deportatione in Inſulam, eo quòd ſponte non reuelauerit, vt patet C. de ijs, qui ſe deferunt, L. vnica. quo fit vt nec teſtis teneatur teſtari niſi præceſſerit infamia, vel probatio ſemiplena, ſicut in aliis delictis. Si tamen ſponte reuelaſſet antequam interrogaretur, conceſſa fuiſſet ei tertia pars bonorum in præmium. Si ſpurius reuelaſſet, data ei fuiſſet pars dimidia, vt patet L. vnica. C. ſuprà citato.

Sequitur Tertiò, Si hæres inſtitutus nihil promiſit teſta-
62 *Si hæres promiſit ſe traditurum.*

tori de hæreditate reſtituenda ſpurio, poteſt eam reſtituere ex ſua liberalitate; & ſpurius poteſt eam accipere; quia accipit illam voluntate veri domini, nulla lege vetante. ſi verò tacitè vel expreſsè promiſit teſtatori id petenti; peccauit quidem mortiferè promittendo, ſicut & teſtator ita diſponendo: ſi tamen illa bona tradat, poteſt ea ſpurius retinere. Ita Couarruuias nu. 11. *Quod mortiferè peccant pro-*

mittendo. patet; quia leges talem promiſſionem ſub grauiſſima pœna vetant. *quod tamen traditio valeat*, probatur; quia fit ab eo, qui eſt dominus bonorum, & lex, etſi prohibet promiſſionem factam teſtatori, non tamen prohibet quin hæres, qui eſt verus dominus illorum bonorum poſſit ea dare hæredi & tradere.

Dices. Hæc traditio fit ex voluntate parentis: ergo ſpu- 63
rius eſt incapax illius per legem.

Reſp. Cùm hæres ſciat ſe neque ſua promiſſione neque ex diſpoſitione teſtatoris obligari, non cenſetur ea dare ex vi illius diſpoſitionis, ſed ex ſua liberalitate. quod ſi putaret ſe obligari, & idcircò ea daret ſpurio. ſpurius non efficeretur illorum dominus: quia donatio non eſſet voluntaria; procederet enim ex ignorantia. vnde teneretur ea ipſi reſtituere. ſi tamẽ ipſe re intellecta permitteret ea ſpurio, poſſet retinere. colligitur ex Couar. num. 11.

Dico Secundò, *Spurius* etiam non poteſt ſuccedere ma- 64
tri, etiamſi nulla proles alia ſuperſit. Couarru §. 5. num. 10. *Non ſuccedit matri.*
Molina diſp. 167. dicit eſſe omnium DD. ſententiam. probatur; quia illegitimus, qui non poteſt ſuccedere patri, non poteſt etiam ſuccedere matri. niſi aliquo iure ſit. de hoc exceptio. vt colligitur ex d. Authen. Licet, ſuprà, & ex Nouella 74. cap. 6. atqui nulla de ſucceſſione ſpurij in bonis maternis extat in iure exceptio; ſicut de alijs illegitimis, vt patet Inſtit. ad S. C. Orficianum. §. Nouiſſimè. & L. Si qua illuſtris. 5. C. eod.

Aduerte tamen Primò, Quoſdam exiſtimare filiũ con- 65
iugati ex ſoluta, ſuccedere poſſe matri. ſimiliter filium ſacerdotis, ex ſoluta vno vel altero concubitu ſuſceptum; eo quòd tales coniunctiones legibus non vindicentur. Hæc ſententia non videtur improbabilis; nam in praxi plerumque eſt recepta, teſte Couarruuia nu. 10. Contraria tamen eſt verior; quia reuerà illi concubitus legibus damnantur, etſi ratiùs puniantur.

Aduerte Secundò, Quoſdam ſentire (quibus accedit 66
Emmanuel Sà, verbo Hæreditas & Henriquez lib. 1. de ma- *Sententia probabilis.*
trimonio c. 21. nu. 1.) *ſpurium* poſſe retinere ea, quæ mater ipſi reliquit. donec per Iudicem priuetur modo notabiliter non noceat legitimis liberis. Quæ ſententia mihi videtur non improbabilis; præſertim de matre, non illuſtri. nam ſi quis bene expendat iura, quibus Doctores probent matrem non poſſe aliquid eirelinquere, non omnino vrgent. Auth. enim Licet, & Nouella 74. loquuntur apertè de patre. ſimiliter Authent. Ex complexu. C. de inceſtis nuptijs, vbi dicitur, *ex complexu nefario aut inceſto, ſeu damnato, liberi nec naturales ſunt nominandi, omnis paterna ſubſtantia indigni beneficio, ita vt nec alantur à patre*. cur hoc extendamus ad ſubſtantiam maternam, cùm odia ſint reſtringenda? In d. L. Si qua illuſtris. 5. C. ad S. C. Orficianum, ſolùm dicitur mulierem illuſtrem, ſi proles habet legitimas, non poſſe quidquam dare, vel teſtamento relinquere ſuo ſpurio. Hinc tamen non ſequitur, quia mulier non illuſtris id poſſit, etiamſi alias proles habeat. Item non ſequitur illuſtrem non poſſe, ſi alijs liberis careat.

Aduerte Tertiò, Etiam ſpurijs deberi alimenta, ſi aliun- 67
de nõ ſe poſſunt ſuſtentare, vt patet ex c. Cùm haberet, de *Alimenta debentur.*
eo, qui duxit in matrimonium, &c. eſtque cõmunis ſententia DD. teſte. Couarruuia §. 6. num. 9. ratio eſt, quia parens iure naturali tenetur alere prolẽ, ſi poſſit. Nec obſtat, quòd Iure ciuili fuerit vetitum, ne proles ex damnato concubitu à patre alerentur, vt patet d. Authen. Ex complexu. C. de inceſt. nup. quia Ius Canonicum illud ſuſtulit, tamquam minùs conſentaneum naturali pietati. & ita nunc ſeruatur etiam in foro ſæculari, vt idem Couarruuias docet. Nomi- 68
ne autem *alimentorum* intelliguntur omnia, quæ pro con- *Alimenta.*
ditione perſonæ ſunt neceſſaria; vt victus, veſtitus, habitatio, medicinæ, &c. hęc autem præſtanda ſunt, ſpectata conditione parentis & prolis, prout prudens arbitrabitur, vt colligitur ex dicto cap. Cùm haberet. Vnde ſequitur, filiæ *Dos ſpuria.*
ſpuriæ deberi dotem; quia hæc ſuccedit in locum alimentorum, etiamſi parens eſſet ſacerdos; vt docet Nauarr. in c. Non liceat. §. 19. nu. 11 & colligitur ex Couar. nu. 15. Ne- 69
que ſatisfacit pater huic obligationi, ſi filium ponat in aliquo hoſpitali pauperum, vt rectè Couar. num. 13. niſi forte ipſe pauper ſit; vel niſi res ſit occulta, & alias timeatur infamia. tunc enim ad tempus poſſet exponi ad aliquod hoſpitale, vitandæ infamiæ cauſa. nam etiam ad ſimiles caſus hoſpitalia quædam ſunt fundata. teneretur tamen tunc

parens

parens hoſpitali illi cõpenſare ſumptus, etſi non ex rigore iuſtitiæ; (niſi fortè pro ſolis pauperibus ſit inſtitutum) tamen ex decentia & gratitudine. Poſſunt autem hęc alimẽta ſecundùm quoſdam relinqui, (præſertim ſi eorum quantitas lege ſit definita) etiamſi filius non egeat, quamuis Couarruuias numer. 14. de hoc dubitet. cur enim parens non poſſit dare filio ſpurio, quod poteſt extraneo? Ita ſentit Henriquez lib. 1. de matrimonio. cap. 20. nu. 4. Sed contraria ſententia eſt communis, & ex mente legum.

His adde, Matrem teneri alere prolem primo triennio, 70 vel ſuis ſumptibus curare ali, ſi poſſit: poſt hoc triennium *Mater quando teneatur alere.* tenetur pater, donec filius ſua induſtria ſe poſſit iuuare, vt docet Couarr. num. 19. & alij DD. & patet ex L. Nec filium 9. C. de patria poteſtate, vbi id expreſsè habetur. Idẽ inſinuat Gregorius IX. cap. fin. de conuerſione infidelium, dum ait, *Pueri poſt triennium apud patrem ali debent*; vide Molinam diſp. 169. §. Mater.

71 Dico Tertiò, Filius *naturalis* poteſt inſtitui hæres vni- *Filius naturalis, an patri ſuccedat.* uerſalis a ſuis parentibus, ipſi legitimas proles non habeant. patet ex d. Auth. Licet. C. de filijs naturalibus.

Aduerte tamen, Si aliquis carens prole legitima, habeat 72 aſcendentes. ijs iure communi Cæſareo deberi portionem legitimam. vt patet Authent. de hæred. bus ab inteſtato, Nouella 118. Couarr. §. 4. nu. 20. hoc tamen pleriſque locis non eſt in vſu. vnde ibi totum poteſt dari filio naturali. Similiter totum relinqui poteſt nepotibus, ſiue ex filio naturali ſint nati, ſiue ex ſpurio; quia nulla lex id vetat. quòd ſi 73 filius naturalis non inſtituatur hæres, non ſuccedet patri ab inteſtato, niſi in duabus vncijs, id eſt in ſexta parte bonorum. vt habetur eadem Authent. Licet. Si pater habet 74 liberos legitimos, non ſuccedet cum illis ab inteſtato; poteſt tamen ei relinqui vncia, id eſt, pars duodecima bonorum. vide Couarr. nu. 19.

Dico Quartò, Filius *naturalis* ſuccedit matri carenti le- 75 gitimis, etiam inteſtatæ, vt hæres ex aſſe. habenti autem legi- *Succedit matri.* timos, ſuccedit ex æquo cum illis. d. L. Si quæ illuſtris. 5. C. ad S. C. Orficianum. ſed exactior horum tractatio pertinet ad Iuriſperitos.

DVBITATIO VII.

Quibus modis poteſt aliquis hæredi ſubſtitui.

76 DE his agit Gomezius tom. 1. cap. 3. vſque ad 8. & Couarr. toto cap. 16. de teſtamentis.

Reſpondetur, generatim ſex modis, vt docet Gomezius cap. 3. numero 1. & alij paſſim, nempe *ſubſtitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommiſſaria, reciproca & compendioſa*. quatuor priores ſunt ſimplices. duæ reliquæ ſunt compoſitæ ex pluribus.

77 *Subſtitutio vulgaris* eſt, qua quiuis iure non prohibitus, poteſt ſubſtitui a quouis teſtatore. nam per hanc ſubſtitutionem teſtator ſolùm ſubſtituit ſub conditione; nempè ſi *is*, qui ipſi ex teſtamento vel ab inteſtato ſucceſſurus erat, nolit aut non poſſit eſſe hæres: vt ſi moriatur ante teſtatorem, ſi propter crimen fiat incapax, ſi repudiet hæreditatem. his cuentis ſuccedet ſubſtitutus. Hæc autem conditio in omni ſubſtitutione vulgari vel exprimitur, vel ſaltem tacitè ſubintelligitur. fit enim vel *verbis generalibus*; vt ſi teſtator dicat, Titium inſtituo hęredem, & Sempronium ei ſubſtituo. & tunc non exprimitur vlla conditio, ſed ſubintelligitur. vel *verbis ſpecialibus*, vt, Titium inſtituo hæredem, & ſi is hæres non erit, ſubſtituo ei Sempronium. hic exprimitur conditio, ſed verbis ſpecialibus, ſub quibus cõtinentur diuerſæ conditiones ſingulares. vel denique *verbis ſingularibus*: vt quando exprimitur conditio ſpecialiſſime. vide Couarr. de teſtamentis cap. 16. § 4. numero 3. 4. 5. & plurima de varijs formulis huius ſubſtitutionis apud Gomezium tom. 1. cap. 3.

78 *Fit triplicater.*

Subſtitutio pupillaris eſt, qua qui proli impuberi in ſua po- 79 teſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit. cùm enim nemo ante puberta- *Pupillaris.* tem poſſit condere teſtamentum; Iura conceſſerunt vt pater impuberis poſſit loco illius quodammodo teſtari in ſuo teſtamento, directè ſubſtituendo ei hæredẽ, ſi antè pubertatem deceſſerit; per quam ſubſtitutionẽ fit, vt non ſolùm bona illius pupilli, quæ a patre obtinuerit, ſed etiam alia ad ſubſtitutum perueniant, perinde ac ſi ipſemet teſtamentum feciſſet; vt docet Gomezius cap. 4. nu-

mero 13. Nam. vt §. Igitur. Inſtit. de pupill. ſubſtit. dicitur, *In pupillari ſubſtitutione, duo quodammodo ſunt teſtamenta, alterum patris, alterum filij, tanquam ſi ipſe filius ſibi hæredem inſtituiſſet.*

Vbi tria notanda ſunt, Primum eſt. Vt hæc ſubſtitutio 80 ſit valida duo requiri. Primò, Vt teſtatur eum cui ſubſti- *Duo requiruntur.* tuit, habeat in ſua poteſtate. vnde mater non poteſt pupillariter ſubſtituere, vt docet Couarr. §. 5. nume. 18. quia liberi non ſunt in poteſtate matris. nec pater filio illegitimo, ob eamdem cauſam. Secundò, Vt pupillus, cui ſubſtitutio ſit non recidat per mortem teſtatoris in alterius poteſtatem. vnde auus non poteſt neporem pupillariter ſubſtituere, ſi pater viuit; quia nepos poſt mortem aui recidit in poteſtatem patris. Nec pater filium, ſi auus adhuc viuit; quia nepos eſt in poteſtate aui iure communi. vide Gomezius. c. 4. num. 2.

Secundum eſt, In hac ſubſtitutione ſemper exprimi, vel 81 certè ſubintelligi conditionem *ſi in ætate pupillari*, (id eſt, ante pubertatem) *deceſſerit*. nam ratione huius dicitur ſubſtitutio pupillaris, vt DD. tradunt. Intelliguntur etiam aliæ conditiones, ratione quarum continentur tacite aliæ ſubſtitutiones. Nam in omni formula ſubſtitutionis continetur omnis ſubſtitutio, cuius perſona, cui ſubſtituitur, eſt capax, ſeu quæ verbis illius formulæ ſignificari poteſt. niſi conſte de contraria mente teſtatoris.

Tertium eſt. Subſtitutionem pupillarem expreſſam poſ 82 ſe fieri tripliciter, vt antè dictum eſt de vulgari. Primo, *Poteſt fieri* Verbis generalibus; vt ſi teſtator loquens de filio ſuo im- *pliciter.* pubere, non tamen exprimens ſpecifice quòd ſit impubes, dicat, Inſtituo filium meum hæredem, & ei Titium ſubſtituo. Secundò. Verbis ſpecialibus; vt ſi mentionem faciat pupillaris ætatis. Tertiò. Verbis ſpecialiſſimis; vt ſi exprimat conditionem, Inſtituo filium meum impuberem hæredem, & ſi in pupillari ætate poſt mortem meam deceſſerit, ſubſtituo ei Titium. quandocumque autem vno ex his tribus modis facta eſt ſubſtitutio, tunc ſubſtitutus pupillaris excludit matrem pupilli, ſi ille pupillus in ætate pupillari mortuus fuerit. vt docet Gomezius cap. 4. num. 7. & Couar. §. 5. num. 20.

Exemplaris, eſt, cũ filio amenti, vel ſurdo ſimul & muto 83 vel prodigo, cui bonorum adminiſtratio interdicta (qui *Exemplaris.* duo poſteriores teſtari non poſſunt, niſi ad pias cauſas) fit ſubſtitutio; vt ſi teſtator habens talem filium dicat; Inſtituo filium meum. & ei ſubſtituo Titium. Si hic filius nondum fuerit pubes, eadem ſubſtitutio etiam erit pupillaris. in eadem etiam ſemper continetur vulgaris. ſi enim contingat filium mori ante teſtatorem, ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. Idem dicendum. ſi nomine ipſius hæreditas repudietur. Expirat hæc ſubſtitutio, ſi filius redeat ad ſanam mentem, nec citò in inſaniam relabatur. Dicitur hæc ſubſtitutio exemplaris, quia ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis eſt inuenta.

Vbi notandum Primò, Poſſe hanc ſubſtitutionem fieri 84 non ſolùm a patre, ſed etiam a matre, idque in diuerſos ſubſtitutos; & patris ſubſtitutio valebit in bonis prouenientibus a patre & linea paterna: matris verò valebit in ijs, quæ a matre & linea materna. vt docet Gomezius cap. 6. numero 13.

Secundò, Si ille, cui fit ſubſtitutio, habet liberos vel fratres, debet vnus vel plures ex his ſubſtitut. relicta legitima 85 eis, quibus iure debetur. vt idem Gomezius num. 6. *Fideicommiſſaria.*

Subſtitutio fideicommiſſaria eſt ſubſtitutio indirecta ſeu obliqua, qua hęres grauatur, vt hęreditatem totam vel partem eius aliquotam (v. g. dimidiam, tertiam, quartam, &c.) reſtituat alteri, qui fideicommiſſarius dicitur; vt ait Gomezius c. 5. num. 1. vbi.

Tria notanda occurrunt. Primò, Ceterasomnes ſubſtitutiones eſſe *directas*, quia per eas hæreditas directè & immediatè a teſtatore defertur ſubſtituto abſq; miniſterio alterius. Hæc autem eſt *indirecta* ſeu obliqua; quia per eam *Eſt indirecta.* defertur hæreditas miniſterio alterius, vt docet Gomezius ſupra, & Couarr. c. 16. §. 4. num. 2.

Vnde ſequitur, hãc ſubſtitutionem poſſe fieri codicillo; 86 ceteras minimè. ratio eſt, quia per codicillum benè poteſt *Sola poteſt fieri codicillo.* hæredi imponi onus vt hæreditatem alteri reſtituat; (vt fit in hac ſubſtitutione) non tamè per codicillũ poteſt aliquis directè inſtitui hæres, quod ſit in ceteris ſubſtitutionibus. nam in illis inſtituitur hæres ſub certa conditione,

nempe

nempe ſi prior inſtitutus non fiat hæres, vel ſi hæres factus, moriatur in pupillari ætate, vel in amentia, &c. Si tamé aliquis codicillo faciat ſubſtitutionẽ vulgarem, vel pupillarem, vel exemplarem, vel reciprocam, vel compendioſam; ex benigna Iuris interpretatione habebit vim ſubſtitutionis fideicommiſſariæ; ita Gloſſa communiter recepta. Inſtit. de vulg. ſubſt. in principio.

87 *Poteſt detrahere quartã Trebellian.* Secũdò; Hæredem ſic inſtitutum & grauatum reſtituere, poſſe detrahere quartam partem eius, in quo inſtitutus eſt; idque, tum ne vana ſit hæredis inſtitutio, tum vt alliciatur ad acceptandum & præſtandum quod teſtator cupit; vt ſi eſt inſtitutus in tota hæreditate, cum onere ea reſtituendi alteri, detrahet quartam totius. ſi in dimidia cum ſimili onere, detrahet quartam illius dimidij; ſi in decima, detrahet quartam illius decimæ. quod ſi teſtator aliquid ei certi aſſignet, & reliquum iubeat reſtitui; ſi illud certũ non adæquat quartam partem totius, in quo inſtitutus eſt, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartã. hæc patent, §. Sed quia ſtipulationes. Inſtitut. de fideicommiſſarijs hæreditatibus. L. 1. & ſequent. C. ad S.C. Trebellianum. Vocatur autem hæc quarta *Trebellianica*, à Senatuſconſulto Trebelliano, per quod eſt conſtitutum vt detraheretur. vt colligitur ex dicto §. A legatis non detrahitur

88 *Non detrahitur à legatis nec à pijs cauſis.* hæc quarta, vt docet Couarr. ca. 16. §. 1. num. 10. ſimiliter cùm fideicommiſſum eſt ad piam cauſam, ſeu cùm ſubſtitutus eſt pia cauſa; vt docet Gomezius cap. 5. num. 11. & Couar. de teſtam. cap. 18. nu. 13. ſicut enim favore piæ cauſæ in legatis pijs ceſſat Falcidia, vt patet Authent. Similiter C. ad L. Falcidiam; ita in fideicommiſſis pijs ceſſat Trebellianica. niſi forte etiam hæres, qui grauatur, ſit cauſa pia; tunc enim detrahet; quia vna cauſa pia contra aliam non habet priuilegium; ſed iure communi cenſentur. Sylueſter v. Legitima, num. 9.

Petes, Vtrùm teſtator poſſit prohibere ne hæres detrahat Trebellianam?

Reſpondeo poſſe, vt docet Gomezius ſupr. quia poteſt

89 *Poteſt prohiberi lęc quarta.* prohibere ne hæres detrahat Falcidiam à legatis, Authentic. Sed cùm teſtator, C. ad L. Falcidiam: ergo etiam ne detrahat Trebellianam à fideicommiſſis. conſequentia probatur, quia in Iure Trebelliana & Falcidia æquiparantur, ita vt ipſa nomina ſæpè confundantur. Idem docet Couarr. cap. 18. num. 10.

90 *Hæres primi gradus detrahit duas portiones.* Tertiò, Si is, cui imponitur fideicommiſſum ſit hæres primi gradus, (id eſt, filius vel parens, cui debetur legitima) hunc ante omnia poſſe detrahere ſuam legitimam; hæc enim fideicommiſſio grauari non poteſt. deinde de reliquo, quando illud erit reſtituendum, poteſt detrahere quartam Trebellianam; vt docet Couar. c. 16. §. 11. nu. 10. ex cap. Rainutius, & ex ca. Rainaldus, de teſtamentis, vbi id expreſsè habetur. niſi forte iuſſus ſit ſtatim poſt mortem teſtatoris reſtituere fideicommiſſum; tunc enim non poſſet quartam illam deducere; ſed deberet eſſe contentus legitima, vel illa quarta, prout maluerit; vt ibidem docet Cou. A legatis tamen, habita legitima, non poteſt vlterius detrahere Falcidiam. Vocatur autem *Falcidia* ea pars, quã detrahit hæres à legatis, vel donationibus cauſa mortis factis. & quidem ſi ſit hæres primi gradus, (id eſt, cui debita ſit legitima) & teſtator tam multa fecerit legata, vt non reliquerit illi integram legitimam, detrahit à legatis, ſpectata ſingulorum proportione, donec compleat legitimam. Si autem ſit hæres, cui iure non ſit debita legitima, detrahit ſolum vſque ad quartam bonorum; quam ſibi poteſt ſeruare, ſicut in fideicommiſſis. vide Silueſtrum v. Legitima. num. 9. & Molinam diſput. 213.

Si ſtatim ſit reſtituendũ, non detrahit Trebell.

91 *Falcidia.*

92 *Reciproca. Plures continet.* *Subſtitutio reciproca* (quæ & *breuiloqua* dicitur) eſt, qua inſtituti, ſibi viciſſim ſubſtituuntur. hæc complectitur plures ſubſtitutiones quoad perſonas. vt ſi dicas, Inſtituo Seium, & Caium meos hęredes, & eos inuicem ſubſtituo. hic vt minimum ſunt duæ ſubſtitutiones vulgares. ſi vterq; eſt impubes, ſunt duæ vulgares, & duæ pupillares. ſi alter eſt impubes, alter puber; ſunt tantum duę vulgares: quia hęc ſubſtitutio ſolum complectitur eas, quæ vtrique ſubſtituto pariter conueniunt, vt docet Couar. cap. 16. §. 7. num. 4. Poteſt etiam continere duas fideicommiſſarias; vt ſi fiat per codicillum; vel ſi fiat in teſtamento verbis obliquis, id eſt, quibus iubeantur, vel rogentur hęredes, vt is, qui prior moritur, reſtituat alijs hæreditatem; Couarruuias numero 3. vide etiam Gomezium cap. 8.

Subſtitutio compendioſa eſt, quæ plures cõplectitur ſubſtitutiones, quoad diuerſa tempora. comprehendere enim poteſt omnes hæredes & omnes ætates eorum, vt ait Gomezius c. 7. num. 1. vt ſi teſtator dicat, Inſtituo filium meũ hæredem; & quandocumque ex vita deceſſerit, ſubſtituo ei Titium. hic enim ſi filius moriatur ante patrem, vel alia de cauſa non fiat hæres, Titius ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. ſi verò filius fiat hæres & moriatur in ætate pupillari, ſuccedet Titius ex pupillari. Si verò filius moriatur poſt pupillarem ætatem, ſuccedet ex fideicommiſſaria, detracta legitima, & quarta Trebellianica. ſi vero filius ſit amens, ſuccedet ex exemplari. Gomezius num. 2.

93 *Compendioſa.* *Plures continet.*

DVBITATIO VIII.

Vtrùm teſtamentum poſſit ſemper reuocari.

RESPONDEO, Teſtamentum per ſe conſideratũ, 94 ſemper vſq; ad mortem poteſt reuocari & mutari. nam *primum in mortuis confirmatur*, vt ait Apoſtolus ad Hebr. 9. idem omnia Iura & gentium mores docent. vide Couar. Rubr. de teſtam. p. 2. in principio.

Sed difficultas eſt Primò. Vtrùm reuocari poſſit, ſi teſta 95 tor iurauerit ſe non reuocaturum. Multi enim Iuriſperiti, vt refert Couar. ſupra, num. 48. docent liberè reuocari poſſe abſque vllo peccato. Sed omnino tenendum eſt abſque peccato mortali reuocari non poſſe. Ratio eſt; quia iuramentũ, quod abſque ſalutis præiudicio ſeruari poteſt, implendum eſt. vt aperte habetur cap. Quamuis pactum. de pactis in 6. de quo ſupra cap. 17. dub. 4 atqui hoc iuramentum tale eſt: nam non reuocare teſtamentum & relinquere eum hæredem, quem inſtituiſti, eſt res licita, quæ abſque ſalutis incommodo poſſit ſeruari. immo fieri poteſt vt ſit multò melius quàm oppoſitum; vt ſi teſtamentum factum ſit ad piam cauſam. tunc igitur nullo modo abſq; ſacrilegij ſcelere poteſt reuocari: eſt enim inſtar voti. Nec obſtat, quòd teſtamentum natura ſua ſit reuocabile; hoc enim intelligendum de teſtamento per ſe & nudè conſiderato, abſque iuramento; ſicut donatio inter coniuges & donatio mortis cauſa eſt reuocabilis per ſe conſiderata; ſi tamen confirmetur iuramento, non poteſt abſque peccato 96 mortifero reuocari. imò promiſſiones & contractus, qui iure poſitiuo vel naturali ſunt irrita, iuramento ita confirmãtur vt omninò impleri debeant, ſi eorum impletio licita eſt; vt patet in promiſſione ſolutionis vſurarum, quæ iure naturæ eſt irrita; & alienatione fundi dotalis, quæ iure ciuili eſt irrita. Quæ etiam vera ſunt, etſi prohibitum eſſet iuramentum apponere. & ſi enim tunc peccaret iurando, eò quod faceret contra iuſtam prohibitionem; tamen nõ peccaret iuramentum implendo; nam hoc non eſt prohibitum. vide ſupra cap. 17. dub. 7.

Si iuramento confirmetur, non poteſt reuocari.

Aduerte tamen, Si quis metu vel fraude inductus eſſet ad iurandum, poſſet petere diſpenſationem in iuramento, & tunc reuocare. ſed de hoc infra ca. 42. dubit. 12. nu. 64.

Secundò, An, ſi teſtator reuocet tale teſtamentum iura- 97 mento confirmatum, confecto alio, reuocatio ſit valida, ita vt priùs teſtamentum reddatur irritum? Couarruuias numero 46. cum plurimis Iuriſperitis affirmat ſecundum teſtamentum eſſe præferendum priori: ac proinde prius eſſe irritum, etiamſi id conditum eſſet ad pias cauſas. Probatur; quia ſi conſtituam te meum procuratorem, & iurem me non reuocaturum; ſi tamen reuoco, valet reuocatio, & deſinis eſſe meus procurator. ſimiliter ſi iurem me ducturum hanc in vxorem; ſi poſteà duco aliam, valet actus ſecundus. ratio eſſe poteſt, quia iuramentum non aufert poteſtatem ad teſtandum, quam Ius gentium & ciuile concedit; ſed ſolum facit vt ſis periurus ſi aliud condas. Hæc ſen- 98 tentia benè probat prius teſtamentum non habere vim teſtamenti; ſed ſecundum. verùm non probat ex priori non eſſe acquiſitum ius ad bona teſtatoris, ratione iuramenti. ſi enim teſtator promitteret tibi ſe daturum ſua bona vel partem illorum, & hanc promiſſionem iuramento confirmaret; acquireres Ius ad illa in vtroq; foro; quod Ius tranſiret ad tuos hæredes, & ipſe contraheret obligationẽm, quæ tranſiret ad ipſius hæredes; vt conſtat ex dictis ſupra ca. 17. dub. 7. vnde hæredes defuncti tenerẽtur ſatisfacere huic obligationi, ante impletionem teſtamenti, ſicut alijs 99 debi-

An reuelatio valeat.

debitis in vita contractis; quia succedunt in omnia onera realia defuncti. Idem dicendũ de testamento iureiurando confirmato. vt docet Medina disput. 149. & 152. hoc tamẽ intelligendũ est, si is, in cuius fauorem testamentum illud fuit conditum, sciuit & acceptauit. Si enim nesciuit, ex iuramento illo non est orta obligatio realis, quæ ad hæredes transeat, sed personalis tantùm, quæ manet in solo testatore. nam vt supra cap. 18. dubit. 6. dictum est, ex promissione non acceptata non oritur obligatio. itaque hæredes nõ tenebuntur. Hæc sufficiant de testamentis. nam cetera ferè ad Iurisperitos pertinent, & diuersissimæ sunt de hisce rebus diuersorum locorum leges & consuetudines.

100 *Restrictio dictus sextæ cap.*

CAPVT VIGESIMVM.

De mutuo & vsura. D. Thomas quæst. 78.

Constat dubitationibus 24.

1 *Vnde vsura dicta.*

NOTANDVM est, lucrum vsurarium vocari *vsuram*, cò quod ex *vsura*, id est, *vsa* pecuniæ alteri mutuatæ prouenerit. *vsura* enim idem valet quod *vsus*: dicimus enim Latinè, habere vsuram huius lucis, vsuram breuissimi temporis & Cicero, *Natura dedit vsuram vitæ, sicut pecuniæ*. Hinc factum est vt lucrum ex vsura seu vsu pecuniæ proueniens, *vsura* vocetur. Idem lucrum vocatur etiam fœnus, quasi quidam fœtus pecuniarum, & Græcè τόκος. id est, partus. de quo vide pulchra apud Ambrosium libro de Tobia cap. 12. & 13. & Basil. homil. 2. in Psalmum 14 qui dicunt vsuram vocari fœnus & τόκος, quòd cùm pecunia sit natura sua maximè sterilis; tamen industria auarorum, vincat fœcunditate omnia viuentia.

Notandum Secundò, hæc nomina non semper accipi 2 in malum; vt Deutero. 23. *Fœnerabis gentibus multis, & a nullo fœnus accipies*, id est, mutuabis. Ecclesiastici 29. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis.* Similiter apud prophanos scriptores sæpè pro iusto lucro seu interesse accipiuntur.

DVBITATIO I.

Quid mutuum.

NOTANDVM est, nomen *mutuum*, aliquando accipi pro re ipsa, quæ cadit in contractum mutuationis, vt cùm dicimus dari vel reddi *mutuum*: aliquando pro ipsa mutuatione: quo modo hic loquimur de mutuo: & potest sic describi. *Mutuum est traditio rei numero, pondere vel* 3 *mensura constans, facta eo animo, vt statim fiat accipientis, cum obligatione vt similis specie & bonitate restituatur.* colligitur ex Instit. tit. Quibus modis re contrah. obligat. & ex §. Si certum petetur, L. 2. *Mutuũ quid.*

Res, numero, pondere vel mensura constantis; quia mutui 4 obligatio in his rebus consistit, quæ numero, pondere, mensurave constant; vt in vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro; vt habetur Instit. Quibus modis re contr. oblig. in principio. & d. L. 2. §. Si certum petetur. Non dico *vsu consumptibilis*; quia si tibi mutuem libram æris vel argenti, est verum mutuum, vt patet ex locis citatis; non tamen rei illius vsus est consumptio vel alienatio. Vnde non est verum, quod ait Nauarrus cap. 17. numero 206. mutuum reperiri in solis rebus, quæ vsu consumuntur; etsi verum sit, vt plurimum in his reperiri. Dicuntur autem *vsu consumi*, quarum vsus est consumptio; (vt oleum, vinum) vel alienatio (vt pecunia) Hæ res dicuntur a Iurisperitis *accepere functionem* (vt patet Leg. 2. §. Si certum pet.) quia vna potest fungi vice alterius, vt frumentum, frumento; pecunia, pecuniæ; vt colligitur ex eadem lege. Similiter non est propriè mutuum, si quis alteri det ouem vel bouem, recepturus aliam ouem vel bouem, quia hæc non constant pondere numero vel mensura. vnde etiam non solemus dicere, mutua mihi vnam ouem. sed potiùs est cõtractus innominatus, dabo vt des. sicut si quis det sæculum pecuniæ vt alium recipiat similem; non est mutuum, sed contractus innominatus, vt inquit Gl. Instit. supra in principio.

Eo animo, &c. quia *mutuum* dicitur quasi ex meo tuum; ita enim a me tibi datur, vt ex meo tuum fiat; vt habetur Instit. supra & d. L. 2. supra.

Cum obligatione, quia hæc traditio non habet rationem mutuationis, nisi cum obligatione fiat. hinc excluditur donatio.

Vt similis in specie; si enim reddenda sit res alterius spe- 5 ciei, non erit mutuum, sed permutatio: si verò eadem numero, non erit etiam mutuum, sed commodatum, vel depositum. Itaque ad rationem mutui requiritur vt mutuatarius obligetur reddere rem similem secundùm speciem: vt autem seruetur æqualitas, debet esse paris bonitatis.

DVBITATIO II.

Vtrùm aliqui ex mutuo non obligentur?

RESPONDEO, Omnes, qui possunt contrahere, 6 iure naturæ ex mutuo obligari; nisi priuilegio iuris positiui eis concessum sit, vt in certis casibus non obligentur, vel certè obligationem possint elidere exceptionem. Tale autem priuilegium concessum est *filio familias, Ecclesiæ, ciuitatibus & minoribus.*

Ac Primò quidem *filius familias*, qui est sub patria po- *Filius familias.*
testate, si mutuam pecuniam absque consensu patris acceperit, non tenetur in effectu ad restitutionem; ne post mortem quidem patris: quia potest opponere mutuatori exceptionem Senatusconsulti Macedoniani, quo concessum est ei, vt non teneatur soluere. vt docet Gomezius tom. 2. ca. 6. numero 2.

Vbi notandũ Primò, Huius Senatusconsulti occasionem 7 dedisse quemdam Macedonem fœneratorem. hic Romæ *S. C. Macedonianum.*
filijs familias pecẽtibus pecunia mutuabat, qui postea oppressi ære alieno vitæ parentũ insidiabantur, vt hæreditate potiti, possent soluere. quam ob causam Senatusconsulto cautum fuit, vt si quis filio familias mutuam pecuniam dedisset ei non daretur actio, petitoque. ne quidem post mortem patris, vt habetur L. 1. §. de S. C. Macedoniano.

Notandum Secundò, Quamuis verbis huius Senatus- 8 consulti solùm videatur tolli obligatio ciuilis; tamen etiam *Etiam naturalis obligatio tollitur.*
tollitur obligatio naturalis, ita vt in foro conscientiæ non teneatur vmquam tale mutuum restituere, si velit hoc priuilegio vti. vt docet Gomezius suprà, ■ Innocentio in ca. Quia plerique, de immunitate Ecclesiarum, & ex communi sententia DD. & Molina disput. 301. idque statuit lex tum in pœnam eorum, qui talibus mutuarent; tum vt omnis occasio machinationis prauæ contra parentes, filijs præscinderetur. vnde etiam huic priuilegio non potest filius renuntiare, quia magis est in fauorem parentum, quàm ipsius. Si tamen filius iurauit se soluturum, tene- 9 bitur soluere, saltem post mortem patris, quando commo- *Si iurauit soluere.*
dè poterit. quia semper iuramentum in alterius fauorem factum seruandum est, quando absque peccato seruari potest.

teſt, vt patet ex dictis ſuprà c.17. dub.7. poteſt tamen huius iuramenti peti relaxatio à Prælato: quia in fraudem legis appoſitum eſt; & alias lex facilè redderetur inutilis; eaque obtenta poterit non ſoluere.

10 Notandum Tertiò, Hanc exceptionem competere, nõ ſolùm filiofamilias, ſed etiam filiæfamilias, & parentibus eorum, & hæredibus, & fideiuſſoribus eorum. vt patet L.7 & 9 ff. de S.C. Macedon. Gomezius ſuprà.

11 *Exceptio.et, quibus ſiliæ tenetur.* Aduerte etiam, eſſe multos caſus, in quibus filius tenetur. Primò, Si habet bona caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia. Secundò, Si publicè putabatur ſui iuris. Tertiò, Si accepit mutuo non pecuniam, ſed rem aliam, vt triticum, vinum, & ſimilia (nam lex ſolùm loquitur de mutuo pecuniario) niſi id fecerit in fraudem legis, vt inde conflaret pecuniã. Quartò, Si pecunia verſa ſit in vtilitatem patris. Quintò. Si pater debuiſſet eam ſecundùm rectam rationem ſuppeditare. vt ſi filius abſens cauſa ſtudiorum, accipiat mutuum neceſſarium vt viuat, vt emat libros neceſſarios, vt ſolaze didactra. vide Gomezium ſuprà.

12 *Eccleſia.* Secundò, *Si Eccleſia vel cauſa pia* mutuum datum ſit, & dubitetur poſteà, num pecunia illa verſa ſit in eius vtilitatem; non tenetur Eccleſia vel locus pius ſoluere, niſi creditor probet in vtilitatem eius pecuniam illam verſam eſſe. Ita habetur in Auth Hoc ius porrectum. C. de Sacroſanct. Eccleſ. quæ translata eſt in Ius Canonicum, 10. q. 2. *Oppidum.* Idem dicendum, ſi mutuum datum ſit *oppido*; vt patet L. Cimras 27. ff. ſi certum pete.

13 Aduerte tamen ſi Prælatus cum conſenſu Capituli, mutuum nomine Eccleſiæ accepit, & poſſit ſolui ablq; alienatione rerum immobilium Eccleſiæ, ſolui debere, etiãſi creditor non probet pecuniam in Eccleſiæ vtilitatem verſam fuiſſe. Ratio eſt, quia ad alienationem rerum mobilium, nõ eſt opus vt conſtet illam Eccleſiæ eſſe vtilem. quare cùm Prælatus cum Capitulo habeant plenam adminiſtrationem, poſſunt hæc in hoc caſu alienare. Si verò ſolui non poſſit abſque alienatione bonorum immobilium: tunc creditor debet probare: quia hæc alienatio non eſt valida, niſi conſtet illam eſſe neceſſariam vel vtilem Eccleſiæ: & in hoc caſu intelligenda eſt ita Authentica.

14 Si particularis aliquis adminiſtrationi Eccleſiæ vel pij loci deputatus, mutuum nomine illius loci acceperit, debet creditor probare eſſe conuerſum in illius vtilitatem; niſi tali adminiſtratori conceſſum fuerit tantam ſummam accipere. vide hæc de re fuſè apud Panormitan. in capit. Quòd quibuſdam, de fideiuſſionibus, & Molinam diſputatione 300.

15 *Minor.* Tertiò, Si tutor nomine pupilli, vel curator nomine minoris mutuum acceperit, non tenetur ille poſteà etiam maior factus ſoluere, niſi creditor probarit id in eius vtilitatem eſſe conuerſum. Ita communiter DD. ex L.3. C. Quando ex facto tutoris.

16 In his tamen caſibus, datur actio aduerſus eum, qui nomine alterius mutuum petierit.

17 *Reſtitutio conceditur.* Quartò, Si aliquis minor 25. annis mutuum acceperit, & inde ſe læſum deprehenderit, vt quia pecuniam inutiliter conſumpſit; poteſt petere reſtitutionem in integrum. vt non teneatur, niſi quatenus inde factus eſt locupletior. vt dictum eſt capit. 17. dub. 9. & docet Gomezius tom. 2. cap. 14. num. 2.

DVBITATIO III.

Quid ſit vſura.

18 NOTANDVM eſt, hoc nomen in præſenti negotio accipi tripliciter, Primo, Pro lucro vſurario. Secundò, Pro contractu vſurario vnde hoc lucrum. Tertiò, Pro voluntate ſic contrahendi. Si accipiatur primo modo, ſic definiri poteſt. *Vſura eſt lucrum immediatè ex mutuo proueniens. Lucrum* vocatur acquiſitio rei ſupra ſortem pecunia æſtimabilis, & alias indebita. vnde ſi mutuem tibi mille, vt definas iniquè nocere, vt ſoluas debitum, vt reddas depoſitum, non erit vſura; quia nihil acquiro ſupra ſortẽ, niſi quod alio titulo mihi erat debitum. ſi mutuem vt conſequar amicitiam vel fauorem, non erit vſura, quia amicitia non æſtimatur pecunia. & quamuis fauor magni æſtimetur in electionibus & ſuffragijs; ſi tamen non intendas obligare, ſed ſolùm allicere, nulla erit vſura, vt ſtatim conſtabit.

Vſura. Lucrum.

Immediatè. quia debet hoc lucrum prouenire ex vi pacti mutuationis. ſi enim immediatè proueniat ex amicitia vel gratitudine, vel ex ſpe alliciendi mutuatorem. ad continuandum mutuum; non erit vſura. vt autem contractus ex vi mutui prouenire requiritur vt mutuans intendat mutuatarium ex vi pacti mutuationis obligare obligatione ſtricta ſeu iuſtitiæ, qualis paritèr intenditur ſolet; vel certè vt maior ſtarius putet hanc mutuationis ſuiſſe mercedem. 19 *Ex vi mutui.*

Ex mutuo proueniens. ſi enim vendas rem tuam ſupra iuſtum pretium, lucraris quidem, ſed hoc lucrum non eſt vſura. quia prouenit non ex vi mutui, ſed ex iniqua venditione. Idem dicendum de locatione, conductione & ſimilibus contractibus. vnde talis non incurrit pœnas vſurariorum. 20

Aduerte tamẽ, nihil referre, ſiue mutuum illud, ex quo tibi lucrum obuenit ſupra ſortem, expreſſum, (vt cùm aliquis expreſsè mutuauit) an implicitum; vt cùm vẽdit rem pluris iuſto, ob dilationem ſolutionis; aut emit minoris iuſto, ob anticipationem: dum enim venditor concedit dilationem, implicitè illi mutuat pretium vſque ad tempus ſolutionis: & dum emptor anticipat ſolutionem, implicitè mutuat vſque ad tempus traditionis rei emptæ. vnde lucrum hinc proueniens eſt vſurarium. 21 *Mutuum ex preſſum. Implicitum.*

Ex his facilè intelligitur quid vſura pro contractu & pro voluntate. *Vſura* enim pro contractu nihil eſt aliud, quam mutuatio expreſſa vel implicita, cum pacto reddendi aliquid ſupra ſortem ratione mutui. *Pro voluntate.* eſt voluntas capiendi lucri ſupra ſortem ex vi mutui, quam definitionem explicat Couarruu. lib. 3. variar. cap. 1. numero 2. 22 *Vſura pro contractu & voluntate.*

DVBITATIO IV.

Quo iure ſint prohibita Vſuræ.

D. THOM. QVÆST. 78. ART. 1.

SVPPONO, *vſuras* (id eſt contractus vſurarios & acquiſitionem lucri ex his contractibus) eſſe prohibitas: imò hæreſim eſſe dicere vſuram non eſſe peccatum; vt definitum eſt in Concilio Viennenſi, & habetur Clem. vnica, tit. de vſuris, §. vlt. & colligitur ex multis Scripturæ locis. Eſt contra Carolum Molinæum, qui in tractatu de commercijs num. 7. 11. & alibi, probat vſuras moderatas, quas Ius Ciuile permittit. vide Nauar. comment. de vſuris num. 11. 23

Sed difficultas eſt, quo Iure ſint prohibitæ. Quidã enim exiſtimarunt ſolo iure poſitiuo interdictas eſſe. Ita Abul. in capit. 25. Matth quæſtio. 171. & 172. Sed dicendum eſt, non ſolùm iure poſitiuo; (diuino & humano) ſed etiam naturali illicitas eſſe. eſt communis ſententia Theolog. & Canoniſtarum, vt videre eſt apud Couarruu. libro 3. variarum, capit. 1. Quòd *iure diuino*, patet Pſalmo 14. vbi dicitur *eum, qui pecuniam ſuam non dederit ad vſuram, habitaturum in monte ſancto Domini*. vbi indicatur eum qui dederit ad vſuram, non habitaturum. Ezech. 18. dicitur de eo, qui dedit ad vſuram, quòd *non viuet*. denique Lucæ 6. *Benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes*, nempè vltra ſortem; vt plerique DD. Scholaſtici, & Vrbanus III. capit. Conſuluit. de vſuris, hunc locum explicant. Et quamuis videatur Dominus ibi tradere conſilium perfectionis Chriſtianæ, vt benefaciamus proximo, eique mutuum demus, etſi nullum ſimile beneficium ab ipſo ſperemus: tamen ille etiam ſenſus eſt probabilis, & colligi poteſt ex illis verbis, argumento a maiori, vt inquit Sotus lib. 6. quæſtio 1. art. 1. 24 *Iure diuino veſita.*

Quòd etiam *iure Canonico*, patet ex Decreto cauſa 14. q. 3. & 4. & ex Decretalibus toto tit. de vſuris. & ex 6. Decretalium eod. tit. & Clem. de vſuris. 25 *Iure Canonico.*

Denique quòd etiam *iure naturali* ſint illicitæ, probatur; quia eſt contra ius naturæ vt idem bis, ſeu duplici pretio vendatur. Item vt vendatur id, quod non eſt vendẽtis: atqui is, qui vſuras accipit, vendit idem bis, & vendit id, quod non eſt ſuum: ergo peccat contra Ius naturæ. Minor probatur, quia qui vſuras accipit, vel accipit eas pro ſorte, 26 *Iure naturali.*

& ſic

& ſic pro eadem re duplex pretium accipit, nempè ſummam ſorti æqualem, & præterea vſuram; vel accipit eas pro vſu ſortis, & ſic vendit alteri vſum rei non ſuæ, ſed ipſius-nam per mutuam transfertur dominium in mutuatarium,& conſequenter etiam vſus rei. Item vſus rei illius non diſtinguitur a ſubſtantia rei, ſi æſtimationem ſpectes nam vſus illius eſt alienatio, & quaſi conſumptio ſubſtantiæ: ergo pro vſu rei,& pro ſubſtantia rei non poteſt diſtinctum pretium accipi.vide Couar.ſuprà numero 5. vbi adfert teſtimonium Ariſtotelis,Plauti,Catonis.Ciceronis,& Ariſtophanis contra vſuras.

17 *Qui tituli poſſunt obtendi.*

Dices, Non deſunt alij tituli vſurarijs, ratione quorum videntur poſſe accipere ſupra ſortem; vt ratione temporis, quo alter pecunia vtitur.ratione obligationis, qua ſe obligat ad non repetendam ſortem intra certum terminum: ratione carentiæ pecuniæ,quia interim priuat ſe facultate ea vtendi.denique ratione laboris mutuandi, ſcribendi, numerandi.

Reſpondeo, Titulum, quo vſura accipitur, propriè eſſe vſum pecuniæ ad certum tempus conceſſam: ceteri tituli propriè & per ſe non ſant vſurarij, ſed tantum quatenus implicitè in illum recidunt. quod fit, dum exceditur in æſtimatione. Itaque ratione temporis nihil accipi poteſt, quia hoc nihil eſſet aliud quàm accipere ratione vſus tanti temporis. Ratione laboris ſcribendi & numerandi dum datur & reſtituitur mutuum,aliquid exigi poteſt, vt docet Sylueſter ex Holtienſi v. Vſura 1.num.32. & Nauar.ca.17. nu. 209. ratio eſt;quia hoc totum ſit in gratiam mutuatarij,eſque nauatio operæ pretio æſtimabilis ſi tamen iuſta æſtimatio excedatur,præſumetur vſura.

18 *Labor numerandi.*

Ratione obligationis non repetendi,& ratione carentiæ pecuniæ, quæ duo parùm differunt, an aliquid accipi poſſit,dicemus infrà.

19 *Sunt intrinſecè mala.*

Ex his patet,vſuram eodem iure vetitam, quo furtum. ac proinde eſſe intrinſecè malam, ſi formaliter conſideretur.ſicut enim intrinſecè malum eſt accipere rem alienam inuito iuſta ratione domino: ita etiam intrinſecè malum eſt exigere lucrum ſupra ſortem ex pacto mutui ſeu titulo mutui. vnde nulla diſpenſatione poſſunt fieri licitè Poteſt quidem Deus tibi concedere, vt vltra ſortem poſſis exigere,ſed tunc tamquam Dominus omnium hoc tibi donabit: & ſic non exiges præciſè ex vi obligationis inductæ per pactum mutui,ſed ex donatione Dei, qui eſt Dominus omnium.ſic Iſraelitæ ſpoliantes Aegyptum non commiſerũt furtum, aut aliam iniuriam.

Indiſpenſabilis.

Sed contrà Obijcitur Primò, Deut. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet aliam rem; ſed alieno,* &c. 28. *fœnerabis gentibus multis & ipſe a nullo fœnus acceptes.* ergo licitum eſt ſaltem ab infidelibus exigere vſuras.

30 *Obiectiones.*

Reſpondeo negando conſequentiam.nam in priore teſtimonio illis verbis (*ſed alieno*) vel ſignificatur tantùm permiſſio vſurarum erga infideles, maioris mali vitandi cauſa,ne videlicet ſuos fratres vſuris exhaurirent,ſicut exponit Diuus Thomas quæſt. 78. artic. 1. ad 2. vel conceduntur vſuræ erga infideles, qui erant hoſtes Iudæorum, quos iure poterant rebus ſuis ſine artificio, ſiue vi ſpoliare; Ita Ambroſ.l.de Tobia capit.8. In ſecundo non dicitur *fœnerabis ad vſuram*, ſed *fœnerabis*, id eſt.mutuum dabis;& ſignificatur benedictio cuſtodientium legem: videlicet, tantas fore eorum opes, vt multis gentibus poſſint dare mutuum.vide Diuum Thomam ſuprà,& Couarru.libr.3. var.cap.1.num.7.

31 Obijcitur Secundò, Ius ciuile permittit vſuras, & ad eas exigendas concedit actionem; ſi tamen per ſtipulationem de eis conuenerit, vt patet.Leg.12. & alijs.Codic.de vſuris. atqui ſi iure naturali eſſent vetitæ, id non latuiſſet acutiſſimos illos Iureconſultos. Ob hoc argumentum Car. Molinæus lib.de commercijs,numero 6. & ſequent. concedit vſuras moderatas eſſe licitas,quales præſcribuntur L.Eos qui.26.C.de vſuris. ſed hoc iam ſatis refutatum eſt.vide.

32 *Poſſunt permitti.*

Reſpondeo, Vſuras ob bonum Reipublicæ poſſe permitti, ſicut & proſtibula; qua parte tamen Ius ciuile videtur eas approbare tamquam licitas, & cogit ad ſolutionẽ,eatenus eſt abrogatum per Ius Canonicum; dum Canones damnant illas tamquam illicitas, vt patet ex plurimis Canonibus; & inſu per excõmunicant Iudices cogentes ad earum ſolutionem, vt patet Clem. vnica. de vſuris. Quod ad Iuriſconſultos attinet,pote eos facile intellexiſſe vſuras formaliter eſſe illicitas; tamen conceſſiſſe quaſdam moderatas,tum ob bonum publicum,tum quia ſæpè aliqui iuſti tituli intercedunt.quamuis in eo ſententia illorum nõ ſit admittenda, quod generatim tales vſuras tanquam licitas & iuſtas concedant.

33 *Vſura quæ nam iure Ciuili conceſſa.*

Vbi aduerte. Iure Cæſareo non quæſtus vſuras concedi; ſed has tantùm, Primò, Si illuſtres erant perſonæ tantùm poterant ſtipulari ſeu exigere tertiam centeſimæ; id eſt, pro centum aureis, ſingulis menſibus tertiam partem aurei. Secundò, Si erant negotiatores, vel præerant ergaſterijs,tantùm beſſem centeſimæ,id eſt,duas tertias vnius aurei per menſem pro 100. Tertiò, In traiectitio cõtractu, (id eſt cùm pecunia dabatur mercatori traijcienti mare) vnam centeſimam, id eſt, vnum pro centum in ſingulos menſes. Quartò, Ceteri non poterant ſtipulari niſi dimidiam centeſimæ, id eſt dimidium aureum pro centum, in ſingulos menſes. hæc omnia habentur. d. l. Eos qui C. de vſuris.& L.vlt.eod.tit. tollit Iuſtinianus omnem anatociſmum, ideſt omnes vſuras vſurarum: quæ naſcuntur ex eo quòd vſuræ nondum ſolutæ annumerentur ſorti.& pariãt ſimiliter lucrum; quod lucrum rurſus adijcitur & parit;& ſic in infinitum.

Vſura vſurarum ſublata.

34

Hinc patet,in maximis vſuris non fuiſſe permiſſum exigere niſi 12. in centum,idque tantùm in fœnore nautico, vbi periculum ſortis erat mutuantis, vt patet ex omnibus legibus, ff. de fœnore nautico. In ſecundis, octo pro centum.in tertijs ſex pro 100.in minimis 4 pro 100.nunc paſſim permittuntur 33.in 100.magno miſerorum hominum malo;cui magna ex parte occurri poſſet per montem pietatis, vt infrà dub.23.dicetur.

DVBITATIO V.

Vtrùm licitum ſit ſperare lucrum ex mutuo.

OMISSIS varijs ſententijs, quæ non tam re, quàm verbis differunt. 35

Dico Primò,Nec principaliter nec minùs principaliter licet ſperare lucrum, quod detur tamquam ex obligatione iuſtitiæ propter mutuũ. Ita Sotus lib.6.quæſt.1.ar. 1. & Ioann.Medina quæſt.1.C.de vſuris reſtituendis.§. Tertiò inquirendũ. Probatur Primò, Quia velle accipere & retinere tale lucrum, eſt iniquum; eſt.n. velle accipere alienum:nam dando tali modo non transfertur dominium,vt infrà dub. 18. dicetur:ergo tale lucrum non licet ſperare: non enim licet ſperare, quod non licet accipere.Secundò, Per mutuum tu nullum ius acquiris ad tale lucrum, nec ille obligationem iuſtitiæ contrahit ad illud dandum:ergo iniquum eſt illud deſiderare tamquam ex obligatione iuſtitiæ per mutuum inducta Hoc ſenſu verum eſt,non licere ſperare lucrum ex mutuo, nempè tamquam ex pacto mutui, obligatione iuſtitiæ debitum. Et hoc eſt,quod ait Vrbanus III. cap. Conſuluit.tit. de vſuris, *Qui mutuat, aliàs non mutuo daturus, eo proposito, vt licet omni conventione ne ceſſante, plus tamen forte recipiat, pro huiuſmodi lucri intentione,quam habet, iudicandus eſt malè agere.* Loquitur enim de eo, qui ſine externa conuentione intendit lucrum tamquam debitum ex iuſtitia, ſiue principaliter, ſiue minùs principaliter. Neque hic eſt facienda diſtinctio inter lucri ſpem & lucri intentionem, quaſi hæc non liceat illa ſit licita, vt facit Medina ſuprà: quia ſpes & intentio non ſunt actus diſtincti.

36 *Sperare lucrũ ex mutuo. Cap. Conſuluit.*

Dico Secundò, Non eſt iniquum etiam principaliter ſperare lucrum ex mutuo, mediante amicitia vel gratitudine: ita vt non ſperetur immediate ex ipſo mutuo, tamquam pretium eius.Colligitur ex Soto ſuprà, & tenet Petrus Nauarra.l.3.de reſtit. cap.2.num. 198. Probatur, quia accipere tale lucrum ſic datum, non eſt iniquum; non.n. accipitur inuito domino, cùm illum ad hoc non obliges, ſed ipſe omnino liberè, ratione amicitiæ vel gratitudinis illud det: ergo intendere accipere, iniquum non eſt, ſiue principaliter,ſiue minùs principaliter intẽdas per mutuationem tale lucrum adipiſci; hoc enim nihil facit ad iniuſtitiam.quamuis fieri poſſit, vt ſit ſignum auaritiæ, ſi principalis

37 *Principaliter ſperans lucrum.*

38 cipalis finis mutuationis in tali lucro conſtituatur. Fieri tamen poteſt vt licite lucrum principaliter intendas; vt ſi mutues alicui Principi, intendens principaliter per eius amicitiam aliquod officium vel priuilegium quæſtuoſum ad bonum finem referendum. licitum enim eſt aliquando amicitiam alicuius ambire propter aliquod commodum temporale, ita vt eam deſideres tãtummodò vt medium ad illud; vt ſi talis amicitia tibi alioquin eſſet grauis. ſic multi captant fauorem aulicorum.

39 Dico Tertiò, Licitum etiam eſt ex mutuo ſperare amicitiam tam principaliter, quam minus principaliter; & ex amicitia lucrum. Quod licitum ſit ſperare amicitiam principaliter, ſeu vt finem principalem, & ſecundariò lucrum ex amicitia, ſatis manifeſtum eſt. poſſum enim deſiderare amicitiam alicuius; propter eius virtutem vel ſapientiam, & ad eam mihi conciliandam dare illi mutuum cum ſpe, quod ex amicitia illa etiam aliquid commodi mihi proue-

40 niet. Quòd *etiam liceat ſperare amicitiam minus principaliter*, nempe tamquam medium ad lucrum principaliter ſperatum (etſi Nauarrus contra ſentire videatur) patet ex dictis. quamuis enim amicitia abſolutè ſit bonum præſtantius quam pecunia, ac propterea non debeat tota eius dignitas æſtimari ex vtilitate ad lucrum temporale; (valde enim inordinatum eſſet nullam appetere amicitiam, niſi ob commodum temporale) tamen quòd me applicem ad huius vel illius amicitiam in particulari. fieri poteſt etiam propter ſolam pecuniam, idque abſque omni inordinatione. quod enim ad multa vtile eſt, poteſt deſiderari ob hanc vel illam vtilitatem, nulla habita ratione aliarum vtilitatum, quæ illi rei inſunt; modò illa res ſecundùm ſe non æſtimetur tantummodò ex illa vna vtilitate. hoc enim non eſt facere commodum temporale finem illius rei, ſed finem huius deſiderij, quo hic & nunc magis deſideratur hoc cõmodum, quàm illa amicitia, quia magis neceſſarium. vt cũ is, qui ſtatuerat manere cælebs, mutat ſententiam, eò quòd offeratur pulchra & opulenta vxor, decernitque hanc ducere; hic non facit pulchritudinem finem matrimonij proprie, ſed ſuæ applicationis ſeu electionis, qua hic & nunc mutat animum. & ſe ad matrimonium applicat, vt benè explicat Caietanus tom. 1. opuſcul. 12. quæſtione 3. Idem dicẽdum de eo, qui amicitiam alicuius affectat, eam dumtaxat ob cauſam, vt inde aliquid commodi temporalis percipiat.

Amicitia minus principaliter intenta.

DVBITATIO VI.

Vtrùm qui animo Vſurario aliquid accepit pro mutuo, ſine vllo externo pacto, teneatur ad reſtitutionem.

Vſurarius mentalis.

NOTANDVM, hunc a DD. vocari *vſurarium mentalem*, quia ſine vllo externo pacto mente vſuraria, aliquid accipit, ſiue alter det gratis, ſiue non.

41 Reſpondeo & dico Primo, Si mutuans intendat aliquid accipere tamquam pretium mutui, ſeu tamquam debitum ex pacto mutui, & mutuatarius eo modo det, (quod interdum accidit, quando indoles mutuantis ei eſt perſpecta) tunc iudicio omnium, tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia mutuarius non intendit donare gratis, ſed ſolùm tamquam debitum ex pacto mutui; atqui non erat debitũ: ergo nihil dat. Iuxta hunc caſum videtur intelligendum capit. Conſuluit, de vſuris, vbi Pontifex dicit, eum, qui ex propoſito mutuam pecuniam credit, vt plus ſorte recipiat (nempe tamquam debitum ex mutuo) inducendum efficaciter ad reſtitutionem: quamuis ſine omni conuentione id fecerit. vide Couarruu. ad regulam Peccatum, p. 2. in principio num. 4.

42 Dico Secundò, Si mutuatarius det gratis ſeu ex amicitia, & mutuator id ignorans accipiat tamquam datum ex obligatione rationis mutui; tunc non tenetur ad reſtitutionem ex parte rei, ſed ſolùm ratione conſcientiæ erroneæ, quamdiu illa durat. docet hoc Caietan. tom. 2. opuſcul. 8. quæſtio. 3. Couarru. ſupra. Gabr. d. 15. quæſtio. 11. dub. penultimo. Scotus eadem diſtinctio. quæſtio. 2. art. 2. Quòd *ex parte rei non teneatur*, Probatur Primò, Quia alter verè & re ipſa donauit, & tranſtulit dominium in mutuantem: (non enim dedit tamquam pretium mutui, ſed ex gratitudine, vt ſupponimus) ergo quocumque animo alter acceperit, non tenetur ad reſtitutionem. Secundò, Quia nemo tenetur ad reſtitutionem, niſi qui habet alienum vel qui iniuſtè læſit: atqui hic non habet alienum, nec iniuſtè læſit. etſi enim habuerit intentionem lædendi dum accepit tamquam debitum ex obligatione; tamen in re læſio non fuit ſecuta; nam alter non dedit ex illa obligatione iniuſta, quam mutuator intendebat, ſed ex amicitia. ergo læſus nõ fuit: ſicut ſi accipiendo librum a Petro putares te furto accipere, & conſentires in furtum: ſi liber reuera ſit tuus; (quamuis id ignores) ex parte rei non teneres ad reſtitutionem; quia in re non læſiſſes illum, vt rectè notat Scotus l. 6. quæſt. 1. art. 2. Similiter ſi quis liberam condonationem obtineat a creditore, liber eſt a debito, quamuis habuiſſet propoſitum numquam reſtituendi, & eo animo remiſſionem petiiſſet. Tertiò Probatur ex L. Inter omnes. 46. §. Rectè. de furtis, vbi ſic dicitur, *Contrectans rem, credens inuitum dominum, committit furtum: ſed furto non eſt obligatus, ſi dominus erat volens.*

Si neſciat dari gratis.

Dices, Quamuis mutuatarius det gratis, tamen mutuator non acceptat illud vt donum, ſed vt debitum: ergo donatio hæc non eſt valida, cùm non ſit acceptata vt donatio quod tamen requiri docent Iuriſperiti. 43

Reſpondeo, Donationem non eſſe validam, quando acceptans non vult eam acceptare titulo donationis, ſed debiti dumtaxat. quòd ſi velit eam acceptare omni titulo, ſeu modo, quo poteſt, (quod ſemper cenſetur facere dum contrarium non exprimit) valida eſt donatio. cõfirmatur, quia cùm hic mutuator nihil quærat niſi lucrum; nulla ſubeſt ratio, cur non cenſeatur acceptare illud omni modo, quo poteſt. Adde quamuis non acceptaſſet tunc implicitè vt donum, poſtea tamen ſemper poterit acceptare quãdo volet, nempe quamdiu alter in eodem propoſito donãdi permanere cenſetur, ſeu quamdiu non reuocat donationem. vnde non tenebitur ad reſtitutionem. Itaque hæc obligatio reſtituendi nulla eſt, vel certè nullius momenti, cùm ex libertate debitoris pendeat. *Quomodo acceptetur hæc donatio.* 44

Petes, Quid ſi mutuatarius det aliquid mutuanti, dum ei reſtituit ſortem, & ille dubitet quo animo detur, vtrùm poſſit retinere. 45 *Si accipiẽs dubites.*

Reſpondeo. Caietanus ſuprà, videtur ſentire, poſſe retinere. Sed dicendum eſt non poſſe cum verò dubio, ſiue negatiuo, (vt quando non habet ſigna, vnde probabiliter cõijciat dediſſe, ſed omnino neſcit dederitne gratis. an vt pretium mutui) ſiue poſitiuo, (vt cum vtrinq; paria ſunt motiua) retinere. Ratio eſt, quia cum tali dubio non poteſt rei alicuius poſſeſſionem inchoare. vt ergo poſſit retinere, requiruntur tales circumſtantiæ, vt omnibus perpenſis, moraliter quaſi certum ſit gratis donari. quod ordinariè cenſendum eſt, quando mutuans non dedit vllum ſignum ſe aliquid petere; & mutuatarius non præfert triſtitiam in dando, aut aliquam moleſtiam, aut metum ſeu coactionem, nec eſt auarus; vt inſinuant Caietanus & Couarr. ſuprà. 46 Quòd ſi bona fide putauerit aliquid gratis donatum, & poſt deprehenderit contrarium, tenebitur ad reſtitutionem; ſi tamen exter vel factus ſit ex eo locupletior. ſecùs ſi bona fide conſumptum, nec quidquam inde emolumenti ſuperſit. vt patet ex dictis cap. 14. dubitatione prima, & ſecunda.

DVBITATIO VII.

Vtrùm licitum ſit mutuare alteri cum pacto vt pœnam debitam, vel famæ honoriſue violati reſtitutionem condonet.

RESPONDEO & dico Primò, Licitum eſt tibi mutuare alteri cum pacto vt priuatam vindictam tibi condonet. Probatur, quia ſic nihil lucraris, ſed ſolùm redimis iniuſtam vexationem tibi impendentem. nullum enim ius habet ad talem vindictam. Idem dicendum, ſi exigat iniuſtam aliquam ſatisfactionem pro fama, vel honore violato. 47 *Vt priuatam vindictam condonet.*

Dico Secundò, Si iuſtam vindictam vel ſatisfactionem exigat, non potes eum ratione mutui obligare pacto iuſtitiæ vt condonet: potes tamen pacto amicitiæ. 48

Vbi Aduerte, Pactum iuſtitiæ eſſe, quo quis intendit alteri

Pactum ſtatim & amicitia.

teri injicere vinculum & obligationem iuſtitiæ. Pactum amicitiæ, quo ſolùm intendat eam obligationem, quam amicitia vel virtus gratitudinis inducit.

Nunc probatur Prior pars, (quæ eſt communior ſententia DD. Angeli v. Vſura 1. numer. 3. Conradi quæſtio. 37. concluſio. 2. & paſſim recentiorum.) Primo. Quia ex vi mutui præcisè non licet obligare niſi ad æquale: atqui ſors eſt æqualis rei, quæ traditur in mutuo, & redditio ſortis eſt æqualis actui mutuationis: ergo ex vi huius contractus non licet obligare ad aliud, quam ad reddítionem ſortis. Secundo. Condonatio vindictæ & reſtitutionis famæ & honoris eſt res magno pretio æſtimabilis: (plerique enim ingenti ſumma pecuniæ vix hæc condonent) ergo vſura eſt, ſi ratione mutui, pacto ciuili, ſeu iuſtitiæ ad condonationem obliges.

Dices Primò, Fama & honor, quæ mutuator iſte debet reſtituere, nõ æſtimantur pretio: ergo per condonationem illam non lucratur aliquid pretio æſtimabile.

49 Reſpondeo, Dicuntur non æſtimari pretio, non quaſi nullo pretio ſint digna; ſed quia ſuperant omne pretium pecuniarum: & ideò maximi æſtimantur apud homines. deinde etſi fama non æſtimetur pretio, onus tamen & obligatio reſtituendæ famæ pretio æſtimatur; eſt enim opus valdè molеſtum, plenum verecundiæ, quod homines ſæpè magno redimunt. huius autem oneris remiſſionem tanquam debitam ex iuſtitia, vel potiùs obligationem ciuilem ad remittendum hoc onus lucratur vltra ſortem.

Fama & honor.

Dices Secundò, Pœna non eſt debita ante ſententiam: ergo ſaltem non erit vſura, ſi mutues cum pacto vt iudicium condonet, quam per iudicem poterat exigere. Ob hoc argumentum Nauar. cap. 17. num. 238. putat hoc non eſſe vſuram.

50 Reſpondeo, Etſi pœna non ſit ante ſententiam proximè debita, eſt tamen debita remote, quatenus potes accuſari. huius autem debiti remiſſionem lucraris ſupra ſortem, quæ remiſſio magni apud homines æſtimatur. vnde cùm ſupra ſortem ad hanc obliges alterum obligatione ciuili, vſuram committis.

51 Altera pars, *quod pacta amicitia poſſit quis obligare alterum vt hæc condonet*, probatur; quia tunc condonatio illa non exigitur vt pretium mutui, neque immediatè ex pacto & obligatione mutui, ſed vt officium amicitiæ, præſtandum non ex obligatione iuſtitiæ, ſed ex amicitia, pro obſequio ex amicitia præſtito vel præſtando. Si enim petis à me aliquod amicitiæ officium; poſſum reſpondere me eſſe paratum tale officium præſtare, ſi tu vicissim aliud præſtare velis, quod etiam ex amicitia exhiberi ſolet. Imò poſſum exigere vt prior præſtes. ſi tamen ego prior mutuum dedero, non obligaberis ex iuſtitia præſtare quod promiſiſti, ſed tantùm ex gratitudine. non enim intendiſti aliter te illa promiſſione obligare, cùm ego aliam obligationem
52 non potuerim exigere. Iuxta hunc modum defendi fortè poteſt ſententia Soti, quam habet lib. 6 quæſt. 1. art. 2. cùm dicit non eſſe vſuram ſi mutues alteri, cum pacto vt ratio-nem famæ vel honoris condoner, quia natura ſua iure amicitiæ condonari ſolet. vnde patet eum loqui tantùm de pacto amicitiæ.

Potest pacto amicitia obligare.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm ſit vſura, ſi tibi mutuem, vt mihi vicissim remutues, aut vt ex mea officina quæ tibi opus ſunt emas, aut meo molendino molas.

53 RESPONDEO & dico, Primò, Si tibi mutuem pecuniam ea lege, vt ſtatim mihi remutues frumentum, vel vinum, non eſt vſura; modò tibi hoc non ſit magis dãnoſum, quàm illud mihi colligitur ex D. Thom. articul. 2. ad 4. cùm ait; *Licet ſimul mutuanti vnum, aliquod aliud mutuum recipere. non autem licet eum obligare ad mutuandum in poſterum.* Probatur Primò, Quia qui à me petit officium amicitiæ, poteſt vicissim à me rogari ſimile officium, & ſi nolit præſtare, tamquam ingratus repelli.

Vt ſtatim remutues aliæ ſpeciem.

Dices. Officio tuo, quo mihi mutuas, reſpondet ex æquo redditio ſortis: ergo non potes pro eo aliud officium (v. g. mutuationem vini vel olei) cum quo ma functio, permutetur exigere.

54 Reſp. Actionem illam mutuandi dupliciter poſſe conſiderari. Primò, Vt eſt contractus quidam, quo traditur certa ſumma pecuniæ. & ſic reſpondet ei reddítio ſortis, vt officium iuſtitiæ; nec quicquam amplius tamquam ex iuſtitia debitum, poteſt exigi. Secundo, Vt eſt officium amicitiæ quod ab amico in commodam amici præſtari ſolet: & ſic deberur ei compenſatio per aliud officium amicitiæ; eaque poteſt exigi in præſenti.

Actioni mutuandi duo actus reſpondent diuerſo modo.

Probatur Secundò. Quia nihil hic deducitur in pactum quod ſit pretio æſtimabile. ſi enim mea mutuatio non eſt pretio æſtimabilis, neque etiam ipſius. Tertiò, Quia non exigitur vt pretiũ mutuationis, ſed vt conditio quæ ſam in mutuatario, quæ ipſi non eſt grauior, quam mihi mutuatio. Secùs eſſet ſi eſſet illi longè grauior; tunc enim videretur pretium; nam talia gratis rependi non ſolent. Hinc patet, non eſſe periculum, ne hac ratione pallietur vſura.

55

Dices, Omne onus a mutuo debet abeſſe.

Reſpond. Id verum eſſe de onere, quod malus ſit quam onus mutuantis. item de onere in futurum, non de officio amicitiæ in præſenti.

56 Dico Secundò, Non eſt etiã vſura ſi mutuẽ, vt mihi vicissim in poſterum eum opus habebo, & tibi commodum erit remutues, aut vt iuſto pretio a me emas. aut vt meo molendino molas, aut vt agrum meum iuſto pretio colas; modo tamen ad hoc te nõ obligem obligatione ciuili, ſed ſolùm gratitudinis. Ita docet Angelus v. Vſura primo numero 4. cùm ait; *non eſſe vſuram, cùm naturalis obligatio ita deducitur in pactum, vt non magis teneatur quàm ex ipſa naturali obligatione.* Idem tenent Hoſtienſis & Greg. Ariminenſis citati ab Angelo, Adrianus in 4. tract. de reſtitut. §. Dico igitur ad quæſtionem. Gabr. in 4. d. 15. q. 3. ar. 3. dub. 1. Ratio eſt clara; quia ſi nulla imponitur maior obligatio in futurum quam ex ipſa beneficij natura oriatur, non poteſt eſſe vlla iniuſtitia: atqui ex tali beneficio oritur obligatio antidotalis ſeu remuneratoria, ratione virtutis gratitudinis: ergo abſque vlla iniuſtitia poteſt imponi & exigi.

Vt remutues ex meo opus habebo.

Petes, Vtrum poſſim ſtatuere mutuatario terminum, vt quando deſierit meam apothecam frequentare, cogatur reddere mutuum?

57 Reſpondeo cũ Angelo, Gabriele & Adriano locis citatis, affirmatiuè: quia quilibet mutuans poteſt conſtituere terminum, quem voluerit, præſerti. ſi alterum non obliget lege iuſtitiæ ad id, quod ſolum lege gratitudinis facere tenebatur, v. g. vt apothecã frequenter. poteſt tamen illum obligare lege iuſtitiæ ad reddendum mutuum, quando illud, quod ex gratitudine faciebat, facere deſierit. vt ſi tibi mutuem eo toto eo tempore, quo meam apothecam frequentabis; ita vt cogaris reſtituere, quando illam deſeruieris. poſſum enim meum beneficium definere, quando tu definis tuum.

Statuere terminum in mutuo.

Sed difficultas eſt, Vtrum mutuans poſſit mutuatario imponere obligationẽ ciuilem ad illa rependenda in poſterum, quando abſque notabili ſuo incommodo poterit. Plerique DD. ſentiunt id eſſe vſurã indicat D. Tho. ſuprà Anton. p. 2. tit. 1. c. 7. §. 8. Gab. ſup. Sotus l. 6. q. 1. ar. 2. Caiet. in Sũma v. Vſura exterior, caſu 8. Probatur, quia iſta obligatio eſt pretio æſtimabilis; vnde mutuans ex vi mutui lucratur aliquid ſupra ſortem pretio æſtimabile: atqui hoc eſt vſura. Hinc inferunt DD. mutuantẽ teneri relaxare illã obligationem, & compenſare pecunia arbitrio prudentis, nõ tamen teneri ad reſtitutionem eorum, quæ ſic lucratus eſt, vt ſi mutuatarius multa ab ipſo emit eo pretio, quo apud alios emere debuiſſet, vel ſi ea occaſione multi alij ad ipſius officinam confluxerint. qua in re fallũtur quidam, dum putant ea pauperibus erogãda. Hæc ſententia eſt tenenda in praxi, præterquam quòd putem non eſſe neceſſarium, vt obligatio illa pecunia compenſetur, ſi nullum ex ea damnum eſt ſecutum. quia iniuria nuda non æſtimatur pecunia, vt oſtenſum ex c. 11. dub. 16. & c. 9 dub. 23.

Obligatio reſtituendi.

58

Contraria tamen quibuſdam videtur non improbabilis, quam apertè tenet Adrianus ſuprà. §. *Sed contrà.* cum ait, *licere mutuando paciſci & inducere obligationem ciuilem, ſi per illud pactum ad nihil aliud obligetur, quàm ad quod prius erat obligatus naturaliter.* Idem tenet Diuus Antoninus ſuprà, §. decimo. de eo, qui mutuat ruſtico, cum pacto vt colat iuſto pretio ipſius agrum, idque pro-

59

bat ex Gregorio Arminenſi. Probari poteſt Primò, Quia non videtur eſſe notabile onus, quod obliges te obligatione ciuili ad illud, ad quod iam obligatus eras obligatione naturali ex gratitudine, ita vt ſine ingratitudine nō poſſes recuſare. Secundò, Amicitiæ officium, quod præſtatur mutuando, videtur mereri, vt mutuatarius ſe obliget ad gratificandum, quando locus & tempus id poſtulabunt: ergo talem obligationem ſeu promiſſionem exigere, non eſt quidquam exigere extra debitum amicitiæ & gratitudinis. Tertiò, Sicut ille ſe obligat ciuiliter ad rependendum beneficium, v.g. ad molendum in mola mutuantis, ita viciſſim, mutuans ſe ciuiliter obligat ad non repetendam ſortem vſque ad certum terminum; non tamen ad hoc tenebatur; cur ergo illa obligatio non poterit pro hac exigi? Quartò, Si tibi debeam 2000 in fine huius anni ſoluenda, poſſum nunc tibi offerre 1000 cum pacto, vt alia 1000 nō ſoluam ante biennium; vt Doctores fatentur. atqui hoc eſt dare nunc mutuum implicitum cum pacto vt viciſſim implicite remutues in fine anni. Quintò, Licitum eſt mutuare ea lege, vt mox viciſſim aliam ſpeciem remutues, atqui hoc non eſt minus graue quàm obligatio ciuilis mutuandi in poſterum, quando gratitudo id poſtulabit. imò multi malent hanc obligationem, quàm mutuare ſtatim; quia incertum eſt an alter indigebit; & non teneris niſi commode poſſis. Denique quando quis tenetur ex charitate aliquid facere, licitum eſt ei mutuare cum pacto imponente obligationem ciuilem, vt id faciat, v.g. vt medicus mihi vel alteri in neceſſitate conſituto curationem iuſto pretio adhibeat; vt aduocatus patrocinium neceſſarium præſtet, vt docet Medina, de vſura quæſt.4. ergo etiam quando tenetur ex gratitudine. vtrobique enim ſupra obligationem naturalem imponitur obligatio ciuilis. Fateor tamen non eſſe omnino eandem in hiſce duobus rationem. Neque ante ſententiæ obſtare videtur D. Thomas, quia loquitur de obligatione abſoluta ad viciſſim mutuandum quouis euentu, quo alter indigebit. quòd poſſet cedere in magnum damnum. eodem modo intelligendi reliqui DD. Hæc autem ſententia loquitur de obligatione conditionata, nempè ſi commodè poſſit. Verum ſententia prior tenenda; niſi eo euentu, quo onus carendi pecunia tanto tempore, par conferetur illi obligationi ciuili: licitum enim eſt par onus exigere. vide etiam pro obligatione ciuili, quam ſubeo, dum tibi mutuum promitto (vt fit inter mercatores) poſſam viciſſim parem à te obligationem exigere. etſi enim pro actu mutuandi non poſſit exigi obligatio ad aliquid reddendum vltra ſortem, pro obligatione tamen mutuandi poſſum viciſſim exigere obligationem. Hinc ad prædicta argumenta reſponderis: debet enim eſſe onerum paritas, vt iuſta ſit conuentio.

DVBITATIO IX.

Vtrùm liceat mutuare cum pacto, vt mihi vel alteri officium vel beneficium conferas.

PETRVS Nauarra lib.3.ca.2.n.267.& Adrianus ſupra, §. Ex his ſuboritur. diſtinguunt, ſi officium ſit ſæculare, & fructus non excedant operas, non eſſe vſuram cum tali pactu mutuare vt ſtatim cōferatur. ſecus verò ſi fructus excedant. Verùm.

62 *Si ex amicitia.*

Reſpondeo, & dico Primò, Siue fructus excedant operas, ſiue non excedant; ſi officium ſit tale, vt ex amicitia benè idoneis conferri ſoleat, non eſſe vſuram mutuare cum pacto, vt tale officium conferatur. modò illud pactum ſit tantum amicitiæ. Idem dicendum, ſi agatur de collatione in futurum, vt patet ex dictis dub.6.& 7. ſola enim obligatio iuſtitiæ ad aliquid ſupra ſortem reddendum repugnat mutuo: non autem obligatio amicitiæ vel gratitudinis. quod ſi ille non conferat ex amicitia, ſed veluti coactus ex obligatione ſibi impoſita pactione mutui, collatio non eſt valida. vnde qui ſic accepit non poteſt retinere; vt docet D. Thomas opuſculo ad Ducisſam Brabantiæ: quia nullo titulo poſſidet. non enim titulo liberalis collationis, vt ſuppono; nec etiam titulo mutui, quia ex iſto titulo non debetur aliquid vltra ſortem. ſi tamen præſumeretur collator nolle illum obligare ad relinquendum officium, vt regulariter fit, poſſet retinere.

63 Dico Secundò, ſi autem illud pactum ſit iniuſtitiæ, erit vſura. ita expreſsè docet D. Thomas opuſcul. cit. ratio eſt, quia exigitur aliquid ſupra ſortem tanquam ex iniuſtitia debitum, ratione mutui.

64 *Si pro beneficio, eſt ſimonia & vſura.* Dico Tertiò, Si mutues alteri cum pacto vt conferat beneficium eccleſiaſticum, ſiue in præſenti, ſiue tempore futuro, partim eſt vſura, pactum ſimoniacum: modò illud pactum ſit iniuſtitiæ; ſecus ſi amicitiæ. *Quòd ſit vſura*, probatur, quia ſupra ſortem exigit obligationem iuſtitiæ, quam alter libens pretio redimeret; nam hæc obligatio adimit ei libertatem alteri gratificandi, quæ libertas pretio eſt æſtimabilis. *Quòd etiam ſit ſimonia*, probatur, quia datur temporale pro ſpirituali.

65 Dices, Illud temporale non eſt pretio æſtimabile, quia mutuatio non eſt pretio æſtimabilis, cùm nullum pretium pro ea liceat accipere, vt quæ omnino gratis ſit præſtanda: ergo non eſt ſimonia, etiamſi fiat pro beneficio vel beneficij collatione, præſentatione, electione, &c.

Reſpond. Etſi non ſit pretio æſtimabilis, eſt tamen quid mere temporale; ac proinde nō poteſt dari vel permutari cū ſpirituali: non enim minor fit iniuria rei ſpirituali ſi commutetur cum re temporali, quæ pretio non eſt digna, quàm quæ eſt digna: ſed potius maior. quod ſi pactum ſit ſolùm amicitiæ, nec erit vſura, vt patet ex dictis, nec ſimonia; quia ſimonia requirit obligationem iuſtitiæ, vt infra dicetur.

66 Aduerte tamen, in praxi non eſſe facilè concedendum pactum amicitiæ in huiuſmodi; nam facilè ſic palliaretur vſura & ſimonia. vnde in foro externo condemnarentur huiuſmodi pactiones tanquam vſuriariæ vel ſimoniacæ.

67 *Varij tituli in mutuatione.* Ex ſuperioribus dubitat. ſatis conſtat, nihil poſſe exigi, ratione ipſius mutuationis, ſupra ſortem. Sed quia mutuationi multi alij tituli poſſunt eſſe connexi; videndum eſt, vtrùm ratione horum poſſit aliquid exigi, Præcipui ſunt illi. Primò, Damnum inde emergens. Secundò, Lucrum inde ceſſans. Tertiò, Periculum ſortis & molestiarum in ea recuperanda. Quartò, Carentia pecuniæ vel obligatio non repetendi pecuniam ante certum tempus. Quintò, Pœna conuentionalis.

DVBITATIO X.

Vtrùm ratione damni emergentis ex mutuo poſſit mutuator aliquid ſupra ſortem exigere.

68 *Damnum emergens.* *Lucrum ceſſans.* NOTANDVM eſt, *damnum emergens & lucrum ceſſans communiter vocari intereſſe. Damnum emergens* dicitur quando quis detrimentum patitur in rebus, quas habet, vel quæ ipſi debentur: vt cum quis ratione mutui, quod alteri præſtitit, cogitur ipſe pecuniam fœnori accipere, & vſuram ſoluere, vel res ſuas minoris iuſto vendere, &c. *Lucrum ceſſans* dicitur, quando quis impeditur ab aliquo bono conſequendo, ſeu à lucro quod illi non erat debitum. His poſitis, Scotus in 4.d.15.qu.2.§. De tertio, ſentit eſſe illicitum exigere aliquid ratione *damni emergentis*. ratio ipſius eſt, quia lex diuina præcipit vt nihil exigatur ſupra ſortem: *quia ſi quis ex mutuo* (inquit) *mutuat damnificari; reſeruet pecuniam ſuam, quia non cogitur facere miſericordiam*. Sed contrarium tenendum cum ceteris Doctoribus.

69 *Eſſe in mora.* Reſpon. igitur & dico Primò, Quando mutuatarius eſt in mora, ſi inde damnum aliquod euenìat mutuanti; tenetur mutuator ad illius compenſationem. dicitur autem mutuatarius & quiuis alius debitor *eſſe in mora*, dum elapſo iam termino non ſoluitur, cum tamen poſſit aduertens explicitè vel implicitè creditorē ſibi velle ſolui. Neque neceſſe eſt vt creditor eū interpellet de ſolutione; quia ipſa dies ſatis interpellat, virtute pacti ab initio conſenſi. Quòd igitur teneatur de damno hinc emerſo, Patet Primò, quia per omiſſionem ſolutionis, eſt cauſa damni. quare cum hæc omiſſio ſit contra iuſtitiam, etiam erit cauſa damni contra iuſtitiam; ac proinde tenebitur ad compenſationem. Secundò, Quando in contractibus conſtituitur terminus ſolutionis vel rei exhibendæ, intuitu tacitum pactum, vt non ſoluens teneatur ad intereſſe, defectu ſolutionis obue-

nientis,

niens,vt colligitur ex L.2.§. Non vrieue,& §. Nunc de of-
76 ficio. & L.4.ff. de eo, quod certo loco dari oportet. Hoc
Si abſq; culpa reddit⁹ impotens. tamen intelligendum eſt, niſi abſque omni culpa ſua reddi-
tus ſit impotens ſolutionis; vt ſi incendio res eius ſint
abſumptæ, ſi ipſe abreptus ſit in captiuitatem: vel incide-
rit in tantam paupertatem, vt non poſſit ſoluere, quin ſe
conijciat in extremam vel grauem neceſſitatem. His enim
caſibus non videtur obligandus ad intereſſe. nam præ-
terquam quod omni culpa vacet tunc non ſoluere; non
videtur etiam tacitum illud pactum ſe ad hos caſus ex-
tendere, eò quòd hoc ſit nimis durum. & moribus homi-
num non receptum. Secùs verò eſt, ſi poteſt ſoluere, quam
uis non ſine magno detrimento rei familiaris: tunc enim
vel tenetur ſoluere ad diem conſtitutum, vel certè in ani-
mo eſſe paratus compenſare intereſſe. vide ſuprà capit 6.
dubitatione prima.

Aduerte tamen ſi bona fide putaret creditorem conſen-
71 tire in dilationem, non cenſeretur eſſe in mora, nec tene-
retur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem damni; niſi an-
teà de eo eſſet conuentum de quo plura ſuprà cap.7.num.
37. & ſequen.

Dico Secundò, Licitum etiam eſt à principio paciſci de
72 aliqua pecunia vltra ſortem reddenda vel ratione periculi
Pòt à princi-pio paciſci. damni ex mutuatione impendentis, etiam ante terminum
& moram mutuatarij, vel ratione ipſius damni, ſi quod eue
nerit. D. Thomas ar.2.ad 1. & alij. ratio eſt, quia illa pecu
nia, quæ mihi neceſſaria eſt ad aliquod damnum impedien
dum; non ſolùm mihi valet quanti ipſe nudè conſiderata
æſtimatur, ſed etiam quanti eſt carere tali damno. non enim
tantummodò æſtimatur res ſecundùm ſeipſam, ſed etiam
quatenus domino eſt cauſa certi boni cõſequendi, vel ma-
li vitandi. vnde licitè poteſt vendi pluris quàm per ſe va-
leat, cùm in ipſa illud etiam commodum vendi cenſeatur.
confirmatur, quia nulla æquitas poſtulat vt quis ex bene-
ficio mutui damnum reportet: ergo damnum illud, & pe-
riculum illius à mutuante æſtimari poteſt.

Requiruntur tamen ad hoc tres conditiones. Prima eſt,
73 Vt mutuum ſit cauſa damni, ſine qua nõ eueniret; vt ſi per
Tres conditiones neceſſariæ. mutuum efficeris impotens illius impediendi. Secunda, Vt
mutuatarium illius damni admoneas, ne illum decipias: nã
fortè nollet mutuum cum tanto onere.

Aduerte tamen, ſi re vera ex mutuo tibi damnum impen
74 deat, v.g. ſi ex mutuo 100. aureorum, certò ſis acceptarus
detrimentum aureorum 10. non erit vſuræ peccatũ, etiãſi
nõ monito mutuatario de hoc damno, paciſcaris tibi red-
di 110. ratio eſt, quia in re nulla eſt inæqualitas, quamuis
ipſe hoc ignoret, & exiſtimet te ratione mutui exigere,
ac proinde des ei occaſionem ſcandali. Neque ipſum decipis
contra iuſtitiam; quia per hoc non datur ei occaſio vt
putet pecuniam illam pluris valere, quàm valeat, aut vt ac-
ceptet contractum, quem alias non erat acceptaturus; vti
ſuppono.

Dices, In venditione venditor debet emptori vitium rei
vel onus, ſi quod habet, aperire; alioquin facit ei iniuriam: er-
go ſimiliter ſi mutues alteri non ſignificans onus tuæ pecu
niæ annexum, facis iniuriam.

75 Reſpondeo, Eſt diſpar ratio, Primò, Nam quòd hæc pe-
cunia damnum emerſurum ſit impedſtura, non eſt vitium
eius, ſeu onus illi annexum; ſed eſt bona quædam condi-
tio, & veluti vis quædam inſita, ratione cuius mihi pluris
valet, quã alteri. vnde plus poſſum exigere, quàm ipſa per
ſe valeat: ſicuti venditor poteſt pluris æſtimare rem quam
piam ſibi peculiariter commodam, quàm ipſa per ſe con-
ſiderata valeat. Secundò, Quia ſi tẽ pluris æſtimet propter
ſuum commodum, quàm ipſa per ſe valeat, neque id ſigni-
ficet emptori; fortaſſe illum decipit, dando occaſionem vt
putet eam eſſe meliorem, quàm ſit; ſecùs in pecunia. quòd
ſi certò ſciat illam non ideò eſſe meliorem, non video quã
iniuriam facit emptori, æſtimando eam pluris quàm per
ſe valeat, ratione damni, quod eius alienatione incurrit;
quamuis id non expreſſerit. Idem dico in pecunia: ſuppo-
no autem, quòd æquè illam erat acceptarus, ſiue cauſa il-
lius æſtimationis illi aperiretur, ſiue non.

Tertia conditio eſt, Vt non cogas illũ paciſci de pericu-
76 lo damni potiùs quàm de damno, ſed relinquas ipſius arbi-
trio: etſi enim periculum illud damni probabiliter euenturi,
ſit ab initio æſtimabile pretio; (quamuis minori, quam
ipſum damnum) non potes tamen alterum cogere vt pro
ipſo periculo aliquid promittat. nam ſi mutuatarius para-
tus eſt ſarcire damnum omne, quod euentus patefecerit;
mutuator ſeruatur indemnis. ſi tamen ipſi ſit indifferens
vtro modo paciſcatur; vel malit pro periculo certo pretio
paciſci, quam pro incerto damno manere in ancipiti; potes
acceptare pactum: & quamuis damnum poſteà non euene
rit, poteris tamen conuentum exigere; nam periculũ, quod
ſubijſti, pretio erat æſtimabile.

Aduerte tamen, ſi neque damnum ipſum, neque pericu- 77
lum damni deduxiſti in pactum, mutuatarius non tenetur *Si non eſt de-ductũ in pa-ctum.*
quidquam pro eo ſoluere, etiamſi poſteà eueniat: modò ip-
ſe non fuerit in mora ſoluendi, quia nec tenetur ratione pa
cti, nec ratione culpæ; ſed mutuans hoc ipſo, quo non de-
duxit in pactum, cenſetur illud in ſe recepiſſe. ſecùs eſt
ſi fuerit in mora. tunc enim damnum ex culpa ipſius e-
uenit. ſimiliter ſi per vim coactus fuit mutuare, hic e-
nim eſt cauſa damni per iniuriam. Vide Nauarrum cap.17.
numero 211.

Petes, Vtrùm ratione damni emergentis poſſis exigere
ſupra ſortem, quantum tu ſupra ſortem coactus fuiſti ſol-
uere vſurario, v.g. accepiſti 1000. aureos ab vſurario. Pe-
trus à te petit mutuum; verum poſſis tantum exigere, quan-
tum tu ſoluis vſurario?

Reſpondeo, Non ideò te poſſe exigere ſupra ſortem: ſi- 78
cut non quia tu care emiſti, potes care vendere; ſed ſpectan *Si mutuans ipſe vſuram ſoluerit.*
dum eſt, quantum ea res tibi commodet. ſi enim ita tibi ſit
commoda, vt non pœniteat te tantum vſuræ nomine pro
ea ſoluiſſe, potes à mutuatario tantumdem exigere: tanti
enim æſtimas illud commodum, quo te cauſa alterius pri-
uas; imò ſi pluris æſtimares, plus poſſes exigere. ſi verò hoc
commodum æſtimes minoris, ita vt pœniteat te tantum
ſoluiſſe nomine vſuræ, non tamen pœniteret ſoluiſſe di-
midium; ſolùm potes exigere dimidium, ſeu tantum, quan-
tum ipſe te velles dediſſe. Denique ſi res illa tibi non ſit ita
commoda vt velles pro ea aliquid dare ſupra ſortem, nihil
etiam potes exigere ſupra ſortem; quia ex eius mutuatio-
ne nullum tibi damnum vel incommodum oritur. Iuxta
hæc intellige Molinam diſput.314. Potes tamen alteri ce-
dere toto contractu: tunc enim non tu vſuram exiges, ſed
vſurarius: nec tu lucraris, ſed pecuniam acceptam cum to-
to onere in alterum volentem deponis. ſicut qui rem ſu-
pra iuſtum pretium emit, poteſt alteri ante ſolutionem cõ-
tractu cedere.

DVBITATIO XI.

Vtrùm ratione lucri ceſſantis liceat vltra ſortem exigere.

SVPPONO, ſi quis metu, vel fraude, vel Principis iuſſu 79
compulſus ſit mutuare, & inde ei lucrum ceſſet, poſſe *Si metu vel fraude im-puls⁹ ad mu-tuandum.*
ab auctore exigere huius lucri compenſationem; vt rectè
Sotus art.3. & alij DD. quia talis eſt ei cauſa damni. Idem
dicendum, ſi ex eo, quod mutuatarius non ſoluat ad diem
præfixum, lucrũ aliquòd amittat. neque in his euentis opus
eſt vt fuerit hoc deductum in pactum.

Sed difficultas eſt, ſi abſit omnis coactio, vtrùm liceat de
hoc lucro paciſci? Quidam Doctores docent id eſſe illici-
tum. Ita Durandus in 3.d.17.qu.2.ad primum. Sotus lib.6.
de Iuſt.q.1.art.3. (etſi fateatur contrarium eſſe probabile)
Idem inſinuat D. Tho.art.2.ad primum. Idem tenent mul-
ti Canoniſtæ, vt Ioannes Andreas, & Innoc. IV. in cap. Na-
uiganti, de vſuris, & quidam alij. Sed contraria ſententia eſt
ferè communis. vide Couarru.libr.3.var.cap.4. & Nauarr.
cap.17.num.211. & in comment. de vſuris nu.43. qui alios
citant. Vnde.

Reſpondeo, Licitũ eſſe paciſci ab initio de lucro ceſſan- 80
te cum mutuatario, quamuis abeo vi vel fraude non ſis in- *Pro lucro ceſſante paciſci.*
ductus; ſeruaris tamen quibuſdam conditionibus. Proba-
tur Primò. Quia pecunia illa, quam mutuas alteri, quate-
nus ſubeſt induſtriæ tuæ ad lucrum ex ea faciendum, plu-
ris tibi valet, quàm ipſa per ſe conſiderata; eſt enim veluti ſe-
men fœcundum lucri per induſtriam, in quo lucrum ip-
ſum virtute cõtineatur: ergo plus pro ea exigi poteſt, quam
ipſa per ſe valeat. patet conſequentia, quia dum illam tra-
dis, etiam lucrum in illa latens tradere cenſeris; eo enim te
ſpolias. ſicut ſi triticum deſtinatum ſationi (quo ſi careas,

carebis fructu) mutuum des; plus potes pro eo exigere, quam per se valeat: quia in illo virtute cõtinetur fructus & dum illud das, simul das fructum in eo latentem. Secundò, Quia dum priuas te hac pecunia lucro destinata, non solùm illa te priuas, sed etiam spe lucri, quam ex illa per tuam industriam conceperas. atqui hæc spes est pretio æstimabilis: (potest.n.spes lucri, seu lucrum speratum vendi)ergo pro ea potest aliquid exigi. Tertiò, Hæc spes lucri non est minoris æstimanda, quam metus dãni. atqui dũ metuitur damnũ ex mutuatione, licitum est de eo pacisci: ergo etiam dum speratur lucrum. Confirmatur, quia amissio rei speratæ computatur inter damna, quod enim spe possidemus, aliquo modo censemur habere.

81 *Non refert an sponte mutues, an coactè.*

Ex his patet. nihil referre siue sponte mutues, siue inuoluntariè per vim, fraudem, vel præceptum Superioris impulsus; quod est contra Sotum suprà. si enim qui per iniuriam cogitur mutuare, de lucro cessante pacisci potest, etiam poterit qui non cogitur. nam iniuria non facit vt centum quæ alteri mutuas sint æqualia centum & decem quæ ab illo exigis; sed lucrum speratum per 100. id facit. alioquin si ratione iniuriæ esset illa æqualitas, darentur 10. illa pro iniuria illata, non pro lucro cessante: & ita lucrum cessans esset impertinens. Item, non possent mercatores exigere pro lucro cessante, quando coguntur à Princ ipe vel Repub. ad mutuandum; (quod tamen non admittit Sotus) quia nulla fit illis iniuria.

Obiectiones. Obijcitur Primò, ex D. Thoma q. 78. art. 2. ad primum, vbi dicit *compensationem damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucretur, non posse in pactum deduci, quia non potes vendere id, quod nondum habes, & à quo potes multipliciter impediri.*

82 Respondeo, D. Tho. loquitur ibi de lucro remoto; nempe quando pecunia nondum erat negotiationi destinata: vel certè solum vult non posse tantum exigi, quantũ erat lucrum possibile. non tamen negat, quin spes illa lucri, quæ minoris valet, quàm ipsa res sperata, possit in pactum deduci. vt colligitur ex q. 62. art. 4 ad 1. & docet Caieta. qu. 78. ar. 2. ad primum.

Obijcitur Secundò, Mutuum debet fieri gratis: ergo cùm non tenearis mutuare, non potes quidquam exigere.

Quòd mutuũ debeat gratis fieri. Respondeo, mutuum debet fieri gratis, quia pro ipso mutuo præcise spectato nihil potest exigi supra sortem: bene tamen potest exigi pro spe lucri, quam ex illa pecunia acceperas, qua spe simul te priuas, dum illam pecuniam tradis. quo modo licitum est aliquid accipere ratione damni emergentis.

Obijcitur Tertiò, Lucrum tibi cessare, est te à lucrando prohiberi & impediri; atqui preces non cogunt, præsertim si te ad mutuandum offeras: ergo non potest iure videri lucrum cessans, quando vel ipse te offers, vel precibus cedis. ita Sotus.

83 *Quando lucrum dicatur cessare.* Respondeo, Non tantùm dicitur alicui *cessare lucrum*, quando inuitus priuatur vel impeditur; sed etiam quando ipse se priuat, siue id faciat sponte, siue ad preces alterius. hoc enim est pretio æstimabile. sicut si quis me roget, vt non laborem, vel vt instrumenta artis meæ ipsi commodem; possum pacisci de lucro cessante. non enim teneor me priuare meo emolumento gratis.

84 *Conditiones requisitæ.* 1. *Conditio. Mutuatio debet esse causa lucri cessantis.* Aduerte tamen, vt hæc pactio sit licita, requiri tres conditiones. Prima est, Vt hæc mutuatio sit causa lucri cessantis: vt si pecuniam destinatam negotiationi vel emptioni rei frugiferæ, subtraham illi destinationi, vt tibi mutuẽ; & ita amittam spem illius lucri.

Hinc sequitur, si quis relicta aliqua negotiatione propter datum mutuum, conferat se ad aliam rationem lucrandi per artificium vel aliam industriam, & ita compenset totum lucrum negotiationis; non posse ratione lucri cessantis quidquam exigere, quia per mutuum non cessat

85 illi lucrum absolutè: datur enim ei occasio lucrandi alia via, quam non habuisset, si in negotiatione perstitisset. si tamen illa ratio lucrandi est molestior, potest illam molestiam æstimare, & pro ea exigere compensationem. similiter si minus illa alia via lucretur, quàm lucratus fuisset prosequendo negotiationem: potest enim tantum exigere, quantum prudens arbitrabitur, omnibus circumstantijs perpensis.

86 Vt autem melius intelligatur quando mutuatio sit causa lucri cessantis, Notandum est, Pecuniam varijs modis possie esse lucro destinatam, & ab ea destinatione causa mutui auelli. Primus est, Si absolutè sit destinata certæ negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ, (vt census, agri, domus) & vt tibi petenti mutuem, eam inde auellam. tunc enim possum pacisci de lucro, quod tua causa mihi perit. Idem dico, si erat destinata negotiationi in genere; vt fit à quibusdam, qui in omnem lucrandi occasionẽ sunt intenti. nihil enim refert, sitne certæ an incertæ negotiationi destinata, modò æquè lucrum speretur. Hic tamen requiritur (vt notant DD.) vt non habeam aliam pecuniam otiosam, quam commodè in mutuatæ locum possim supponere, & eidem lucro destinare. Dixi, *commodè*, quia (vt rectè notauit Nauarr. num. 212.) etsi habeã aliam repositam in alios euentus. (vt ad alendam familiam, ad dotandas filias, ad solandam senectutem, vel ne statum meum periculo exponam) quam proinde nolo propter lucrum in aliquod discrimen conijcere; tamen possum pro lucro cessante pacisci; quia reuera illa mutuatio est causa cur lucrum illud mihi pereat, quod per illam pecuniam sperabam. Nec refert, quòd inani timore non audeam illam exponere; quia ex quo absolutè decreui non amplius impendere negotiationi, quàm hanc certam summam; si ex ea mutuem, verè lucrum mihi cessat, quod aliunde non compensatur, vt etiã notauit Molina disput 316. vnde absolutè loquendo, sufficit vt nolim aliam loco mutuatæ impendere. *Triplicitèr potest pecunia negotiationi destinata ab ea auelli.* 1. *Si te petẽte eam auellam, vt tibi mutuem.* 87

Secundus modus est, Si antequam mutuum petas, ego pecuniam meam negotiationi subtraxerim, vt tibi, quem officio petiturum, possim mutuare. Hoc euentu etiam possum pacisci de lucro cessante, etsi non eodem prorsus modo, quo prius. ibi enim pecuniam, quam do mutuam, pluris mihi valebat, vt subesset illi destinationi, quàm ipsa per se valeat, (per hanc enim facta erat veluti semen lucri futuri) & ideò plus poteram exigere, vt fieret æqualitas: vt pro 100. 110. quia 100. destinata negotiationi, valebant 110. hic verò quòd do non pluris mihi nunc valeat, quam per se æstimetur; cùm iam defierit esse semen lucri, eò quòd prius subtraxerim negotiationi, quàm mutuum peteretur. vnde dum mutuum rogor, non possum exigere supra sortem quòd illa mihi nunc pluris valeat, sed ob aliam causam; nempe quia cum damno meo pecuniam meam ex statu fœcundo ad statum sterilem reduxi, idque vt mutuarem tibi, prudenter coniectans te id cupere, & ratum habiturum. vnde ratione huius possum exigere, quanti illud lucrum, quo tua causa me priuaui, æstimabitur. Negotium enim tuum cum meo damno gessi. Etsi enim mutuum hic non sit immediata causa lucri cessantis; est tamen causa mediata: nam subtractio pecuniæ à negotiatione est causa immediata. Hæc autem subtractio fit propter mutuum, estque præparatio, & dispositio ad mutuum; quæ subtractio etiam censetur fieri voluntate eius, qui mutuum est petiturus. Hac ratione excusari videntur mercatores, qui præscientes Regem petiturum, pecuniam suam à negotiatione subducunt, vel ea abstinent, vt ingentes summas paratas habeant: non enim id faciunt sine magno lucri detrimento; & alia ratio non suppetit ad tantam vim numeratæ pecuniæ simul repræsentandam. 2. *Si abstraxi pecuniã, antequã petas.* 88 89

Tertius modus est, Si pecuniam destinarim negotiationi, non absolutè, sed dumtaxat sub conditione; vt si dicam, velem negotiari, nisi multi mutuum peterent. de quo modo est difficultas. Quidam enim doctissimi viri putant, etiam tunc posse aliquid exigi ratione lucri cessantis. 3. *Si non fuerit destinata nisi sub conditione.* 90

Probari potest Primò, Quia si abstineas negotiatione, vt paratam habeas pecuniam ad mutuandum Principi, potes exigere interesse, dum ille mutuum petet: ergo similiter, si id facias vt mutues ijs, qui è Republ. sunt petituri.

Dices, Esse disparem rationem; quia dum id facis ad mutuandum Principi, certa mutuatio (nempe ea, quæ Principi est facienda) est causa lucri cessantis; & sic posset à Principe exigi compensatio: dum verò id facis vt mutues ijs, qui passim se offerent; nulla certa mutuatio est causa lucri cessantis. (quamuis enim non mutuares huic vel illi in particulari, non tamen ideò lucrum ex negotiatione caperes) quare non potes ab hoc vel illo in particulari compensationem exigere.

Respondeo, Etsi nulla particularis mutuatio seorsim spectata sit causa, tamẽ omnes collectim sumptæ sunt cau- 91

sa

ſa totius lucri ceſſantis. nam vt mutues paſſim occurrentibus, abſtines à negotiatione, & ſubis detrimentum lucri inde prouenturi. quare cùm omnes collectim ſint cauſa, poteſt onus compenſandi hoc lucrum diſtribui in ſingulas mutuationes ſecundùm cuiuſque proportionẽ: ſicut quando multi collectim ſunt cauſa alicuius damni: onus reſtitutionis debet diſtribui in ſingulos, prout quiſque ad illud damnum eſt cooperatus. Simile videmus in monte pietatis (de quo infrà dub.13.) vbi onus diſtribuitur in ſingulos mutuatarios.

92 Secundò, Si Reſpublica, boni communis cauſa aliquem mercatorẽ cogeret abſtinere à mercatura, vt paſſim daret mutuum ijs, qui ſunt petituri; poſſet iſte mercator exigere à ſingulis intereſſe: non enim tenetur gratis abijcere ſpem illam quæſtus, vt alijs commodet: ergo etiam poterit, quatenus ſponte ob eam cauſam abſtineat. conſequentia patet, quia quòd coactus vel ſponte abſtineat, non mutuat rationem Iuſtitiæ, & æqualitatis; nec tribuit Ius exigendi intereſſe: ſed quòd lucrum ceſſet, vel non ceſſet.

93 Tertiò, Si quis præſciret in particulari, quinam eſſent petituri, poſſet abſtinere à mercatura, vt pecuniam habeat paratam, & quando peterent, exigere intereſſe. tunc enim certæ & determinatæ mutuationes eſſent cauſa lucri ceſſantis: ergo idem licitum erit, etiamſi neſciantur in particulari. quid enim refert ad iuſtitiam, vtrùm ſcias in particulari qui ſint, an in genere eſſe aliquos? hinc enim non pendet ratio æqualitatis, de qua ſola nunc quærimus.

Quartò Mutuatarij in hoc caſu non putant ſibi fieri injuriam; imò æquum cenſent, vt ei compenſetur, quantum ſpes lucri per negotiationem (quam cauſa mutui reliquit) conſequendi, valebat.

94 Quintò, Si quis venderet aliquod inſtrumentum artis ſuæ, quo multùm poterat lucrari, & quo vellet vti niſi ſciret à multis deſiderari, poſſet exigere ab emptore intereſſe lucri ceſſantis: atqui pecunia eſt inſtrumentum mercatorum, quo poſſunt multùm lucrari, & quo vellent vti negotiando, niſi ſcirent illud à multis alijs expeti: ergo ſi illud à ſe alienent, poſſunt exigere intereſſe.

95 *Videtur probabilis.* Ob has rationes, hæc ſententia mihi olim viſa eſt probabilis & etiam nunc videtur, præſertim ſpeculatiuè conſiderata; modò ille non exigat amplius quàm ſpes illa lucri, detracta laborum & expenſarum æſtimatione, valebat; & ſemper retineat animum negotiandi illa pecunia, ſi mutuum non peteretur. In praxi tamen ob periculum palliandi vſuras, non eſt facilè admittenda. poſt factum tamen, non auſim cogere ad reſtitutionem.

96 *2. Conditio. Spes ſola eſt munda.* Secunda conditio eſt. Vt non tantum exigas, quantum eſt lucrum, quod ſperabas, ſed minus. deducenda enim eſt æſtimatio laborum, expenſarum, & quanti pluris valet, id quod certum eſt & præſens, quàm quod futurum & incertum, vt DD. paſſim docent. Itaque ſolùm potes deducere in pactum, quanti valet illa ſpes lucri deductis laboribus, & expenſis: vt ſi paratus ſis ſpem illam lucri vendere 10. aureis, & labores expenſaſque ob illud ſubeundas redimere tribus; non potes exigere nomine lucri ceſſantis niſi aureos ſeptem. ſi amplius petas, iniuſtitiam committis, pro lucro ceſſante plus exigens, quàm ipſe illud æſtimes. non tamen id eſſet propriè vſura; quia non peteretur nomine mutui, ſed amiſſionis lucri.

97 *Lucri ceſſantis compenſatio duplicitèr deducitur in pactũ.* Notandum tamen Primò, Dupliciter hoc lucrum poſſe in pactum deduci. Primò, *Indeterminatè*; nempe vt mutuatarius teneatur tantum ſoluere pro intereſſe, quantum euentus declarauerit lucri fuiſſe futurum: ita vt ſi poſteà ex euentu deprehenſum fuerit, mutuo non dato, lucrum futurum fuiſſe 100. aureorũ; teneatur pro eo ſoluere 100. (deductis tamen deducendis) ſi 50. ſolùm quinquaginta, ſi nullum, nihil. id autem ſciri poterit vel ex euentu, quem idem mercator in alia pecunia negotiationi expoſita experitur; vel quem alij mercatores in ſimili mercimonij genere verſantes, ſortiuntur.

Secundò, *Determinatè*, nempe ſtipulando à principio à mutuatario vt aliquid determinati promittat pro ſpe lucri, qua ſe mutuans per mutuum priuat. & tunc poterit mutuans hoc exigere, etiamſi euentus declarat nullum lucrum fuiſſe obuenturum, & ſortem ipſam cum naui perituram: quia ſpes illa, cùm mutuum daret, pretio erat æſtimabilis, eamque cenſetur vendidiſſe.

98 Notandũ Secundò, Sotum l.6. qu.1. art.3. tenere laboris & moleſtiarum æſtimationem non neceſſariò eſſe deducendam mercatori. quod probatur, quia ſi petas à mechanico vt tibi ſua commodet inſtrumenta, vel vt te comitetur, poteſt tecum paciſci de toto lucro ſarciendo, quod eo tempore amittet, nec tenetur laboris æſtimationẽ deducere; ergo nec mercator tenetur æſtimationem laboris & moleſtiarum negotiationis detrahere; Quæ ſententia mihi placet, quando iſte labor talis eſt, vt mercator non optet illum pecunia redimere; quia vel cupit illum ſubire, vt otium aliamve moleſtiam vitet; vel facili conatu cũ ceteris negotijs eum præſtabit. *An labor deducẽdus ſit.*

Tertia conditio eſt, Vt lucri ceſſantis compenſatio nõ exigatur ſtatim dato mutuo; ſed conuenienti intervallo. vt ſi ex mutuo 100. aureorum debeantur tibi 10. nomine lucri ceſſantis, non potes paciſci decem ſtatim dari; vt rectè docet Medina de vſuris q.3.§. Septima conditio. ratio eſt, quia ſi ſtatim velis reddi 10. iam in re non mutuas alteri 100. ſed ſolùm 90. ſolùm enim 90. retinet dum decem tibi reſtituit. vnde hac ratione fiet vt tantumdem exigas pro lucro ceſſante ex nonaginta, quantum ex centum; quod apertè eſt iniquum: cùm enim non ceſſet tibi lucrũ niſi ex 90. non eſt æquum vt velis compenſationem, quaſi ceſſantis ex 100. 99 *3. Conditio. Non ſtatim exigenda compenſatio.*

Aduerte tamen, ſi mutues 100. aureos ea lege vt ſtatim reddat 9. (ratione lucri ceſſantis ex 91. quæ ipſe retinet) non eſſe vſuram. ratio eſt, quia hoc nihil eſt aliud quam mutuare 91. cum intereſſe, & alia nouem ſine intereſſe: quæ tamen ſtatim ſint reddenda ad ſoluendum intereſſe ex 91. prouenies. in quo contractu non magis grauatur mutuatarius, quam ſi differretur ſolutio intereſſe. 100 *Si ſtatim exigat compenſationem.*

Petes, Vtrùm vt pactio lucri ceſſantis ſit licita, neceſſarium ſit vt mutuans ſe non offerat ad mutuandum, ſed alterius precibus compulſus mutuet? 101 *An non teneſis ſe offerre.*

Reſpondeo, non neceſſarium non eſſe: (etſi Conradus quæſtio.30. & quidam alij id exiſtiment) vt rectè Nauarr. num.212. & Sotus ſupra art.3. ratio eſt, quia æqualitas & iuſtitia contractus non pendet ex eo, quòd deſideres vel non deſideres illum fieri: ſicut poſſum offerre alteri equũ meum, qui mihi valdè eſt commodus venalem; æſtimato commodo, quo me priuo. in hoc tamen caſu teneor præfacere emptori, me ratione commodi, quo priuor, amplius petere; ne decipiatur putãdo equum eſſe meliorem quam ſit, & ita emat meum commodum neſciens, loco bonitatis equi.

DVBITATIO XII.

Vtrùm qui bona fide fecit contractum vſurarium, vel aliàs iniquum, quem ſi talem ſciuiſſet, feciſſet alium iuſtum; poſſit ratione lucri ceſſantis, veritate comperta, tantum retinere, quantum contractu illo iuſto lucraturus fuiſſet.

QVIDAM viri ſanè docti affirmant, & dicunt in tali caſu contractum illum iniquum bona fide initum, reducendum eſſe ad limites contractus iuſti, quem contrahens cum eodem vel cum altero poterat facere. Probatur hæc ſententia Primò, Quia iſte contractus eſt cauſa cur relinquat alium contractum, quo iuſtè lucratus fuiſſet: ergo poterit exigere intereſſe lucri ceſſantis. 102

Dices, Ergo etiamſi mala fide contraxiſſet, poſſet exigere intereſſe.

Reſponderi poteſt negando conſequentiam; quia dum mala fide contrahit iudicans contractum eſſe iniuſtum; tunc in contrahendo non cenſetur habere rationem lucri ceſſantis per alios contractus iuſtos. ſi enim illius rationem habere vellet, facilè in ſuo contractu poſſet conſtituere iuſtitiam & æqualitatem, & ita non eſſet iniquus. Qui autem putat contractum eſſe iuſtum, non intendens niſi iuſtè contrahere; implicitè videtur in ſuo fidium accettere omnes titulos iuſtos, qui in tali contractu poſſunt reperiri: & conſequenter etiam titulum lucri, quod ceſſat ex alio contractu, quem feciſſet, niſi hunc cõtractum probum putaſſet.

103 Secundò, Quia in hoc contractu, formaliter & ex intentione contrahentis seruatur æqualitas: & etiam est æqualitas ex parte materiæ; nam potest in ea materia inueniri titulus iustus; etiamsi à contrahente non consideretur; ergo talis contractus etsi secundùm se sit iniquus, tamen ratione intentionis & tituli latentis potest iustificari.

Tertiò, Quia nemo per talem contractum putabit sibi factam iniuriam; non enim facta est iniuria formalis, cùm mutuator non intenderit nisi iuste contrahere: nec etiam materialis, quia in materia reperitur titulus iustus, quem ille implicitè censetur voluisse: non enim est necesse vt expresse cogitarit, si hic contractus esset iniquus, vellem facere alium, aut vellem exigere compensationem lucri cessantis: quia sufficit intentio virtualis, quam videtur habere negotiator diligens, in omnem occasionem intentus. si enim rogaretur, diceret hanc esse mentem suam in omni contractu.

104 *Refutatio sententiæ generatim acceptæ.* Verùm hæc sententia ita generatim accepta, non videtur vera. Primò, Quia si emisti rem minoris iusto, bona fide; postea tamen intellecta veritate teneris complere pretium; nec potes confugere ad alium cõtractum, quem cum alio iniuisses, & quo plus lucratus fuisses; ratio est, quia venditor non consensit in illum titulum; non enim mens eius erat rem suam minoris iusto vendere propter interesse emptoris.

Secundò, Si vẽdas aliquid bona fide supra iustum, teneris postea comperta veritate restituere excessum, nec potes cõfugere ad lucrum cessans. ratio est, quia emptor non consensit in illum titulum, non enim intendit compensare interesse venditoris; sed tantùm emere rem iusto pretio. vnde quòd amplius soluas, est quia decipitur, putatque rẽ pluris valere, quàm reuerà valeat. si enim scisset rei pretium, noluisset dare quantum dedit, quòd si illum excessum volebas ratione tui interesse, hoc ei debebas explicare, nã fortasse noluisset rem emere supra iustum, ob tuum incommodum faciendum. Idem dicendum de locato & conducto, de cambijs & censibus.

105 *Limitatio sententiæ.* Si tamen limitetur hæc sententia ad contractus eos, in quibus vterque contrahentium censetur consentire in eosdem titulos: ita vt is, cum quo contrahis, intendat tibi dare lucrum omni eo titulo, quo tu intendis illud accipere, vt fit in mutuo; sic non videtur improbabilis. & potest habere locum in quatuor casibus.

1. *Si expressè intendat omni titulo lucrari.* Primò, Si quis dum alteri tradit, v.g. 100. intendat expressè omni titulo, quo potest, lucrari sex; hic poterit postea exigere sex; si reuera lucrum cessans, de luctis deducendis, tanti æstimetur, etiamsi de hoc non cogitauerit. Similiter poterit exigere, si alio iusto titulo salua forte tantum poterat petere, vt per tres contractus cum mercatore; (de quibus infrà) aut per contractum census vtrimque redimibilis, aut alium: quia satis est vt intendat omni iusto titulo id lucrari à tali; vt erudite docet Gregorius à Valentia disput. 5. qu. 25. nu. 2. ratio est quia ad iustitiam, seu æqualitatem, perinde est siue titulus sit cognitus & volitus in genere, siue in specie; modo reuerà extet & propter illum exigatur æquiualens.

106 2. *Si implicitè. Id fit tripliciter.* Secundò, Si quis implicitè & virtute aliquem titulum iustum intendat quod potest fieri tripliciter, Primò, Si intendat accipere lucrum eo titulo, quo consueuit passim à mercatoribus, v.g. in Bursa accipi. tunc enim implicite spectat illum titulum ex quo illa consuetudo est orta, etiamsi illum in particulari ignoret. vnde si ille titulus sit in se iustus & reuera hic & nunc subsit; potest iuste illud lucrum accipere. Orta autem videtur hæc consuetudo ex interesse, quod incurrunt mutuando: vnde si interesse lucri cessantis subsit huic mutuo, poterit lucrum illud accipere; quia implicitè hoc interesse spectauit.

107 *Pecunia pupillorum.* Simili modo, si consuetudo illa dandi pecuniam pupillorum & viduarum in depositum (vt vocant) & exigendi 5. vel 6. pro centum orta sit ex iusto titulo: (v.g. triplicis contractus cum mercatore, aut veri interesse) qui fic contrahunt iuxta morem receptum, implicite spectant titulum illum, vnde consuetudo illa est orta. vnde si subsit interesse, vel si ille cum quo contrahitur est talis, vt per tres contractus ab eo tantum peti queat, possunt illud exigere.

108 Secundò, Censetur implicitè intendere iustum titulũ; si ex vi præcedentis propositi, quo statuit in hoc contractu exigere lucrum omni titulo, quo potest, se applicet postea ad hunc contractum celebrandum: tunc enim etiam si actu id non cogitet, tamen implicite censetur velle ita contrahere, & rem ipsa sic exequi, sicut ante proposuit. quo modo forte excusari possent aliqui, qui initio cùm ad Bursam darent, expressè saltem intenderunt illud lucrum omni titulo iusto accipere; & inde consuetudine contracta, non amplius postea ad actu cogitant. nam censentur semper contrahere ex vi illius consuetudinis & habitus inducti per priores illos actus, in quibus erat expressa intentio omnium iustorum titulorum; quæ intentio censetur manere in habitu, & consequenter in omnibus actibus ex illo habitu, seu consuetudine secutis. *Ex vi præcedentis propositi contrahens.*

109 Tertiò, Videri potest implicitè intendere iustum titulum, qui cupit iusto modo lucrari, & non aliter. Hic enim intendit formaliter iustum titulum & ita est affectus, vt si sciret titulum huius contractus non esse iustum, nollet contrahere, sed faceret alium contractum; vel statim titulum iustum inuenire: (vt lucri cessantis) & deduceret in pactũ: vnde videtur ille virtute intendere titulum omnem iustũ, qui subest; neque se alligare ad hanc formam contractus, v.g. mutui: nam ita est actu dispositus, vt si rogaretur quo titulo, quaue forma cõtractus velit lucrari illa sex pro 100. responderet, omni modo meliore, quo possum: quam clausulam Notarij plerumque solent addere Instrumẽtis, quia censetur ea esse mens contrahentium.

110 Hoc animo viri iusti, Deumque timentes solent contrahere, dum res est obscura. Iuxta hanc rationem excusari possent multi, qui pecuniam pupillarem apud homines industrios vel mercatores deponere solebant. hi enim non intendunt nisi licito modo hoc lucrum percipere: & si rogarentur; ex vi suæ consuetudinis & præsentis affectus idipsum responderent. Itaque non ausim hos cogere ad restitutionem. quamquam putem non permittendum, vt quis in posterum sic contrahat absque expresso titulo ob quem lucrum petat: quia cùm tituli non considerantur expresse, non constat an ex parte rei seruetur æqualitas. deinde non satis liquet, an iste tertius modus implicitæ intentionis sit sufficiens; videtur enim potiùs intentio habitualis, quàm virtualis: & si sit sufficiens, an reipsa interuenerit. quare hunc modum non probauerim in formali pacto mutui. nisi expresseris te velle contrahere meliore modo, quo potes.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm ratione periculi sortis, vel difficultatum aut expensarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, liceat aliquid vltra sortem exigere.

111 *Ratione periculi.* QVIDAM putant id esse illicitum. Ita Nauarr. cap. 23. num. 81. Sotus lib. 6. q. 4. art. 1. ad 1. & quidam alij, ob rationes infra ponendas.

Respondeo tamen, Absolutè id esse licitum, vt docet Angelus Vsura 1. num. 38. Syluestr. Vsura 1. quæst. 25. Ioann. Medina C. de restitut. quæstio. 38. §. Ad tertiam causam, Corduba in Summa quæst. 78. Petrus Nauarra lib. 3. capit. 2. num. 343. & alij recentiores. Probatur Primò, Quod me conijciam in tale periculum est pretio æstimabile; vt si mutuem homini non satis ditato, aut decoctori, aut dubiæ fidei: aut si timeam probabiliter magnas molestias in recuperanda sorte: (quos casus ponunt Ioann. Medina, & Petr. Nauar.) ergo possum pro eo pretium exigere. iustissimum enim est, si pro eo, quod pretio æstimabile est, pretium exigatur.

Secundò, Quia fideiussor potest ratione periculi, quod fideiubẽdo subit, aliquid exigere: atqui fideiubere est quoddam mutuare.

Dices, Fideiussor accipit ratione obligationis, quam subit.

Respondeo, Non tantùm ratione obligationis, sed etiam & maximè ratione periculi. etsi enim possit ratione solius obligationis aliquid exigere; cùm omnis obligatio ciuilis sit pretio æstimabilis: tamen multò magis potest ratione periculi, vt patet in eo, qui fideiubet vbi periculum est nullum; & in eo, qui idem facit vbi magnum: hic enim longè amplius

ampliùs exigere poteſt, nec alius ei titulus in hoc ſuffragatur, quàm periculi.

Tertiò, Qui vendit ad diem, ſeu creditò, poteſt ratione periculi, quod ſubit dilata ſolutione, aliquid exigere ſupra iuſtum rei nudæ pretium, vt infrà cap 21. dub. 6. dicemus: atqui dilatio ſolutionis eſt tacitum quoddam mutuum: ergo ſi licet in hac dilatione, etiam licebit in mutuo expreſſo.

Quartò, Si tibi commodem vel elocem equum, domũ, veſtem, poſſum aliquid exigere ratione periculi, quod tua cauſa ſubeo, ſi prudenter metuo ne apud te res pereat, vel deterior efficiatur, vt quia re noui negligentem aut non probæ fidei: (quod etiam Sotus fatetur) ergo etiam quando mutuo pecuniam. Nec ſatisfacit quod ait Sotus, eſſe diſcrimen, quòd ibi non transferatur dominium, hic verò transferatur: hoc enim parùm ad rem facit, nam ſicut tu obligaris reddere locatum & commodatum, ita etiam totum mutuum; & ſicut mea res tibi locata, eſt in periculo, ita ſumma mihi debita, eſt in periculo.

Quintò, Mutuator poteſt exigere vt mutuatarius ei caueat, dato fideiuſſore aut pignore: ergo poteſt etiam ipſe aliquid accipere cùm periculum fideiuſſoris ſubit.

112 *Tria requiriũtur.* Notandum tamen, Vt hoc iuſtè fiat tria requiri. Primò, vt non cogas mutuatarium vt te adhibeat loco fideiuſſoris, ſed liberum ei facias pignore vel fideiuſſore cauere: quia obligatio illa, quòd teneatur te loco fideiuſſoris accipere potiùs quàm alium, eſt onus quoddam pecunia æſtimabile. Itaque non potes id ei imponere, niſi fortè ratione lucri ceſſantis, vt ſic illud compenſes.

113 Secundò, Vt non plus exigas ratione huius periculi, quàm ipſe alteri velles dare pro talis periculi redemptione, ſi pecuniam tuam in illud conijcere cogereris. hoc enim eſt ſignum, te iuſtam æſtimationem non excedere.

Tertiò, Vt ſit verum periculum, ex quo probabiliter timeatur incommodum. Nec refert etſi poſtea fortè damnum nullum euenerit: quia non pro ipſo damno futuro, ſed pro periculo damni pactus es.

114 *Obiectiones.* Sed contrà obijcitur ex Nauarro, Primò, Quòd hæc ſententia ſit contra communem ſententiam Theologorũ & Canoniſtarum.

Reſpondeo, Eſt contra communem ſententiá, licitum eſſe cogere mutuatarium vt velatur mutuante loco fideiuſſoris; non autem inire cum illo talem contractum; ſi ſponte conſentiat.

115 *Cap. In ciuitate.* Secundò, *Eccleſia*, inquit, *determinauit contrarium. c. In ciuitate, de vſuris ex que colligere licet Eccleſiam determinaſſe talia pericula non eſſe conſiderabilia.*

Reſpondeo, Falli Nauarrum; nam in illo c. nihil aliud definitur ab Alexandro III. quàm ratione ſolutionis dilatę non licere merces pluris vendere, quam modò valeant; niſi dubium ſit, illas, plus minuſve tempore ſolutionis valituras.

Vbi aduerte, non damnari eum, qui plus exigit ratione periculi, cui ſors per dilationem ſolutionis exponitur; de hoc enim nulla fit ibi mentio; imò tacitè inſinuatur id eſſe licitum. ſi enim tibi ius eſt rem quæ nunc valet 5. vendere 6 dilata ſolutione, quando dubium eſt, vtrùm ea tempore ſolutionis ſit plus minuſve quàm ſex valitura, vt docet Pontifex; multò magis ius erit exigere aliquid ſupra rei præſentem æſtimationem, ratione periculi totius ſortis. Si enim illud licet quia exponis te periculo amiſſionis lucri, multò magis hoc licebit; cùm te exponis periculo non minuti vel ambigui lucelli, ſed totius ſortis amittendæ.

116 *Expoſitio c. Nauiganti.* Tertiò, Ex cap. Nauiganti. 19. de vſuris, vbi Gregorius IX. ſic ait, *Nauigantes vel euntes ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus.*

Reſpondeo, Vel Pontifex loquitur de eo, qui ita mutuat vt alterum cogat inire ſecum contractum præſtandæ ſecuritatis mercium aut pecuniæ: qui videlicet non vult mutuare, niſi alter alium contractum ſecum ineat, quo ipſe certo pretio in ſe periculum pecuniæ vel mercium recipiat. & hoc eſt illicitum & ex parte vſurarium, vt dictum eſt: quia hoc onus eſt pretio æſtimabile, & fortè alia ratione, minore detrimento ſecuritas præſtari potuiſſet, dato pignore vel fideiuſſore. Ita docent Angelus & Syl. ſuprà & Ioann. Medina ſupra, ad 4. & alij DD. ferè omnes; vel certè ſolùm intendit damnare vſuras centeſimas, quæ in traiectitia pecunia iure ciuili permittebantur; de quibus dubitatio 4.

117 Quartò, Ex Soto. Quamuis inquit periculum, quod ſubis mutuando vel vendendo creditò ſit pretio æſtimabile; tamen non potes pro eo quidquam exigere, niſi inuoluntariè hoc patiaris. atq; is, qui ſe offert vel rogatus mutuat, nõ patitur hoc periculum inuoluntariè. ergo non poteſt quidquam pro eo exigere.

Reſpondeo, Ad hoc ſuprà dub. 11. reſponſum eſt; nam eodem argumento probabat Sotus, non licere quidquam exigere pro lucro ceſſante, niſi inuoluntariè id patiaris. Dico igitur, verum non eſſe, quod aſſumitur. ſi enim pretio æſtimabile eſt exponere pecuniam tali periculo; nihil refert vtrùm voluntariè an inuoluntariè id facias. etſi enim dum res ſponte offertur, eius pretium minuatur; (nam vt dici ſolet *merces vltroneæ valeſcunt*) & ideò minus exigere debeas dum te loco fideiuſſoris offers, quam ſi ad hoc rogatus eſſes; tamen iudicio prudentis ſpectatis circumſtantijs, hoc officium meretur mercedem.

Quintò, Si poſſet aliquid exigi ratione metus & periculi; is, qui magis eſt meticuloſus, poſſet plus exigere; quod eſt abſurdum.

118 Reſpondeo, Metus debet iniri iuſta ratione, debet enim eſſe verum periculum, ob quod prudenter metuitur. vel tale vt ipſemet libenter tanti illud redimeret, ſi cogeretur ſubire.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm ratione carentiæ pecuniæ ſeu obligationis non repetendi ante certum tempus, poſſit aliquid exigi; vt ſi mutuem tibi 1000. aureos ad vnum annum, priuans me non ſolùm pecunia, ſed etiam facultate repetendi per tantum tempus.

119 *Contrà ſententia.* QVIDAM, vt refert Molina diſput. 308. putant hoc titulo poſſe aliquid exigi, in qua ſententia videtur eſſe Ioannes Medina C. de reſtitut. quæſtione 32. §. Inde infertur. vbi dicit, *Inde infertur (ſſ. mutuantem) aliquid ſupra ſortem recipere ſine vitio vſuræ aut iniuſtitiæ: ratione grauaminis, quod ex carentia mutuatæ pecuniæ patitur; ſi inde non daretur occaſio infamiæ aut ſcandali: quia ob illam cauſam licitum eſt vendenti, ſupra iuſtum pretium accipere.* hæc ille. quæ ſententia probari poteſt. Primò, Quia fideiubere alterius nomine ad vnum annum pro tanta ſumma, eſt pretio æſtimabile, etiamſi nullum ſit periculum in debitore; ergo etiam mutuare cum obligatione nõ repetendi. conſequentia probatur, quia hoc eſt difficilius quam illud. plures enim inuenias, qui nomine tuo fideiubeant pro tanta ſumma, quàm qui eam tibi velint ad tantum tempus mutuare, vt experientia conſtat. & ratio eſt; quia qui fideiubet in hoc caſu, moraliter certus eſt ſe nullam pecuniam numeraturum; & ſi fortaſſe contigerit eam eſſe numerandam, certus eſt ſe eam recuperaturum: imò poteſt eam ſtatim repetere, & omne intereſſe. qui verò mutuat, tam reipſa numerat, & quidquid euenerit non poteſt ante annum repetere. ſi quoque interim ei obuenerit intereſſe, non compenſabitur, niſi expreſsè de eo fuerit conuentum.

Secundò, Licitum eſt aliquid exigere pro obligatione mutuandi 1000. ſuſceptæ per vnum annum; ergo etiam pro obligatione non repetendi pecuniam mutuatam tanto tempore.

120 *Obiurgatur.* Dices, Eſſe diſparem rationem: nam omnis obligatio eſt pretio æſtimabilis. vnde licet aliquid ſtipulari pro fideiuſſione & obligatione mutuandi, quamuis nihil ſit periculi vel damni in illis. at verò quòd quis non poſſit mutuatam pecuniam repetere ante annum elapſum, non eſt obligatio aliqua, ſed liberalis conceſſio ſuæ pecuniæ, (ſicut fit in donatione, vbi donator nullam ſubit obligationem) quæ ſatis compenſatur redditione æquiualentis in fine anni.

Sed

Reſultatio. Obligatio ad actum agendi.

Sed contrà Primò, Non ſolum dantur obligationes ad actus poſitiuos, ſed etiam ad priuationes actuum. ſicut enim me obligo ad aliquid faciendum, ita etiam nec poſſum obligare ad non faciendum; vt ſi promittam alicui non vti via vel actu per agrum ipſius, non vrgere ſolutionem ante certum tempus, non vocare in Ius, non egredi vrbe: in quibus conſtat induci veram obligationem ad aliquid non faciendum: contra quam ſi fecero, Ius alterius violabo; & tenebor de damno ſecuto. Nec refert, quòd is, qui donat, nullam dicatur ſubire obligationem; quia plus oneris ſubit, quàm ſi obligationem ſolùm aliquam ſuſciperet; cùm rem penitus a ſe alienet, non retento iure repetendi, quod omne eſt pretio æſtimabile.

112 Secundò, Etiamſi concederetur, non dici obligationem, tamen negari non poteſt, quin ſit onus quoddam indebitum; tale autem onus ſubire eſt pretio æſtimabile. ſicut enim fieri poteſt vt is, qui fideiubet pro eo, qui maximè eſt ſoluendo, incommodum aliquod ſubeat; ita etiam fieri poteſt, vt is, qui mutuat cum tali onere, incommodum aliquod inde reportet, etiamſi modò non appareat; vt experientia docet. ſæpè enim fit vt qui diuiſiui videntur, non ſint; vel ſi ſint, repentè fiant pauperes, & non ſint ſoluendo per infortunium, vel occultam calumniam, vt ſæpe fit in magnis emporijs.

Tertiò Probatur hæc ſententia, quia ſicut alijs rebus & oneribus poteſt aliquod pretium imponi; ita etiam oneri

113 carendi ſua pecunia tanto vel tanto tempore. cùm enim pecunia ſit inſtrumentũ negotiandi, & priuare te inſtrumento ſuæ artis ſit pecuniæ æſtimabile; cur non etiam mercatores poterunt carentiæ pecuniæ pretium aliquod communi conſenſu imponere; præſertim ſi ratio boni communis id poſtulet? Quòd autem bonum commune poſtulet vt id faciant, probatur; quia cùm plurimi pecunia præſenti egeant nec facilè poſſit inueniri, qui gratis mutuare velit, (partim ratione periculi ſortis, vel difficultatis in ea recuperanda; partim ne priuet ſe commoditate varijs modis negotiandi maximè per cambia, quæ hoc tempore vigẽt) ratio poſtulabat, vt mercatores communi conſenſu conſtituerent veluti certa pretia carẽtiæ pecuniæ, ſpectatis omnibus illis circumſtantijs, ex quibus ea carentia poſſet pro tempore pluris vel minoris æſtimari; idque vt paſſim omnibus conſtaret quanti pecunia haberi poſſit, & ne ſinguli pro ſuo arbitratu ſuum intereſſe, ſuaque incommoda, cum magno mutuatariorum damno taxare poſſent. Et hic videtur

114 eſſe vſus Burſæ ſeu Periſtylij Antuerpientis, quò mercatores quotidie conueniunt, & habita ratione copiæ vel inopiæ pecuniæ, multitudinis cambiorum, mercimoniorum, omniumque lucrandi rationum, (in quibus opus eſt pecunia præſenti) ſtatuunt tum per ſe, tum per ſuos proxenetas pretium carentiæ pecuniæ, quòd mercatores mutuãtes, pro eo quòd tanto tempore ſua pecunia careant, nec ante terminum conſtitutum liceat repetere, poſſint exigere. Hoc pretium interdum eſt ſex pro 100. in annum, aliquando 7.8.9.10.11.12. amplius quàm 12. vetantur exigere, conſtitutiones Caroli V. edita Bruxellæ anno 1540. 4.

115 Octobr. quæ habetur pag. 767. diuerſarum ordinat. vbi ſi amplius exigatur, declaratur vſurarium. Porro hoc pretiũ videtur poſſe ibidem exigere quiuis mercator, etiamſi nullum ei lucrum ceſſet. Primò. Quia eſt iuſtum pretium carentiæ pecuniæ inter mercatores. nam iuſtum pretium rei vel oneris in aliqua communitate, eſt, quod bona fide cauſa boni communis, ab illa communitate ſpectatis omnibus circumſtantijs imponitur. atqui hoc pretium ſic imponitur: ergo eſt iuſtum. Secundò, Quando alicui rei vel obligationi ob iuſtas cauſas, quæ communiter adſint, eſt pretium impoſitum, poſſum illud exigere, etiamſi mihi talis obligatio non ſit oneri, imò etiamſi ſit commoda; eo quòd communiter tanti æſtimetur: ergo etiamſi ex carentia pecuniæ per annum, non ceſſet mihi lucrum, nec ſit periculum ſortis; tamen quia huic carentiæ ob iuſtas cauſas tale pretium eſt impoſitum, poſſum illud exigere ſicut ceteri: ſicut pro fideiuſſione poſſum exigere pretium communiter taxatum, ſi quod ſit, etiamſi nullum mihi ſit periculum, imò etiamſi mihi ſit percommoda: cùm tamen fideiuſſio potiſſimùm ex periculo incommodi æſtimetur.

Hæ rationes videri poſſint alicui probabiles, potiſſimũ

116 tertia, & iuxta eas conſuetudo Burſæ Antuerpienſis excuſabilis, quam præſtaret ſeruari; quàm illam, quæ modo introducta eſt: qua multi nolunt cuiquam mutuare ſecũdùm morem Burſæ; ſed tantùm dare ad cambium. vnde fit vt qui mutuando ſolùm lucrarentur 7.8. vel 10.in 100. facile extorqueant 20. vel 30. in 100. per varia cambia & recambia intra vnum annum.

Nihilominùs ſentio non tam eſſe laxas habenas mercatoribus dandas; nec illis concedendum vt quidquam ſupra ſortem exigant, ſi illis ex carentia pecuniæ nullum lucrum ceſſat, nullum periculum imperdet, nullum incommodum metuunt. Primò, Quia ſententia illa videtur noua, nec illam apud auctores reperio: ac proinde in re mota 117
ſi tandem non facilè admittenda. Deinde quia carentia pecuniæ & obligatio non repetendi ante aliquod tempus, eſt quid intrinſecum rationi mutui: (alioquin mutuum non differret a precario) vnde ſi mutuum debet gratis fieri (vt conſtat ex ſupradictis) nihil pro hac carentia vel obligatione petendum eſt.

Ex hoc fundamento elicienda eſt reſponſio ad 1. & 2. argumentum.

Ad Tertium Reſponderi poteſt, tale pretium imponi a mercatoribus non poſſe, quia carentia pecuniæ non eſt pretio æſtimabilis, niſi ratione alicuius incommodi vel periculi coniuncti.

DVBITATIO XV.

Vtrùm in mutuo pœna conuentionalis locum habeat; ſiue, Vtrùm licitum ſit paciſci, Vt mutuatarius, ſi ad terminum ſtatutum non reſtituerit, aliquid ſoluat in pœnam ſuæ more vltra ſortem.

RESPONDEO, Id eſſe licitum; ita Scotus d.15.q. 118
2. & ex Scoto Gabriel q.11. art. 1. columna 4 Sylueſt. Vſura 1. numero 28. Ioannes Medina quæſt 3. de vſura. §. Quarta cauſa. & Nauar. cap. 17 numero 215. & alij. Ratio eſt, quia debitor, qui eſt in mora, peccat contra iuſtitiam retinendo alienum ſeu alteri debitam; ac proinde dignus eſt pœna: ergo ex conuentione partium poteſt illi aliqua pœna conſtitui; ſicut illi ſolet pœna imponi, qui a contractu reſilierit; & hæc pœna poterit exigi etiamſi mutuans nihil incommodi ſit paſſus. *Pœna conuentionalis.*

Dices, Nemo poteſt alteri imponere pœnam, quam te- 119
neatur ſubire, niſi Superior: ergo, &c.

Reſpondeo, Solus Superior poteſt inuitum obligare ad pœnam; ſed priuatus poteſt alterum obligare conſentiendo; tunc enim ille per ſuum conſensum ſeipſum obligat, ſicut in alijs pactis.

Notandum tamen, hic requiri 4. conditiones. Prima eſt, 4. *Conditiones requiſitæ.*
Vt non fiat in fraudem vſurariam. vt notant Scotus, Gabriel & alij: vt ſi non cures vtrùm ſoluat ante talem terminum, an non; ſed vt poſſis lucrari ex mutuo, terminum illi cum pacto pœnali cõſtituis. tunc enim non ex culpa, quæ nulla eſſet in non ſoluendo; ſed ex vi mutui conferetur illud lucrum expectari. eodem pertinet ſi vt lucreris, breuem nimis terminum, intra quem ſcis illum ſoluere non poſſe, conſtituas. Neceſſe igitur eſt vt dum mutuas, velis tibi ad talem terminum reſtitui, ſiue tua intereſſit, ſiue non; & vt is iuſta temporis intercapedine, vt intra eum ſoluere queat mutuatarius, diſſert. tunc enim non reſtituendo peccabit; ac proinde potes paciſci de pœna, vt ſi contra hanc tuam voluntatem reſtituere omiſerit, eam teneatur ſoluere. quòd ſi conſtituta iam pœna, optes illam incurri, peccas contra charitatem, optando peccatum proximi ob tuũ commodum; non tamen contra iuſtitiam; nec inde fit vt exactio pœnæ ſit iniuſta: (etſi contrarium ſentire videatur Nauarrus ſuprà) quia omiſſio ſolutionis non ideò deſinit eſſe peccatum. 130
1. *Conditio. vt abſit fraus vſuraria.*

Secunda eſt. Vt debitor verè ſit in culpa non ſoluendo. 131
nam ſine culpa non poteſt imponi pœna; ſiue ea ſit iudicialis, quam Iudex imponit per ſententiam; ſiue legalis, quæ lege eſt conſtituta; ſiue conuentionalis, quę conſtituitur ex conuentione partium. vnde ſi factus ſit impotens, non poteſt exigi, vt rectè notat Nauarrus ſuprà. Pari mo- 132
do ſi contractus, cui appoſita eſt pęna, iure ſit irritus; quia abſq; peccato talis contractus poteſt non ſeruari. ſi tamen hu- *2. Vt ſit culpa. Si contractus ſit irritus.*

huiuſmodi contractus iuramento eſſet confirmatus, pœna peti poſſet; quia tunc obligaret; ac proinde eius violatio eſſet peccatum, quod pœnam meretur.

Sed quid, ſi culpa ſua factus ſit quiſpiam impotens?

Reſpon. Si aduertit vel facilè aduertere potuit ex negligentia vel actione ſua culpabili ſecuturam impotentiam, tenebitur ad pœnam. Ratio eſt, quia tunc non ſoluere eſt culpabile, volitum in cauſa culpabili. vnde meretur pœnam. vt ſi alea vel comeſſatione decoxit rem familiarem. Secùs ſi id ita factum ſit, vt nullo modo aduerterit.

133 *3. Vt ſit pœna moderata.*

Tertia eſt, Vt pœna ſit moderata iuxta menſuram culpæ: quod etiam in pœna iudiciali & legali requiritur. quando enim pœna eſt immoderata, iniquè cogitur mutuatarius in eam conſentire: ac proinde non poteſt peti, qua parte iuſtum modum excedit. Hinc pactum legis commiſſoriæ in pignoribus (id eſt, vt pignus ſit creditoris, ſi certo tempore debitor non ſoluerit) eſt iure prohibitum cap. Significante. 7. de pignoribus, & l. 1. & 3. C. de pactis pignor. Hinc ſequitur, ſi pars debiti ſoluta fuerit, non poſſe totam pœnam exigi, ſed partem tantùm; eam nimirum, quæ parti debiti proportione reſpondeat.

134 *4. Vt mora ſit notabilis.*

Quarta, Vt mora ſit notabilis. non enim vnius diei, vel etiam hebdomadæ interuallum ordinariè ſufficiens dici debet ad pœnam incurrendam. hic tamen qualitas negotij & mos Prouinciæ ſpectandus eſt. Nam ſi conceſſum eſt ſpatium ſufficiens, & intra illud ſolutio facta non ſit, poterit peti. etiamſi vel vnum diem exceſſerit, ſi iuris rigore vti velit mutuator.

Petes, Vtrùm hæc pœna poſt moram ſit debita in foro conſcientiæ ante Iudicis ſententiam?

135 Reſp. Valde probabile eſt ante omnem ſententiam deberi. Ita Syluester v. Pœna num. 14. & Couarr. in epitome 4. Decret. 2. p. c. 6. §. 8. numero 11. & alij. ratio eſt; quia debetur ex vi pacti inter contrahentes initi. & ſic communis ſenſus hominum eas accipit. vnde multum differt hæc pœna a pœna legali & iudiciali, quæ non debentur ante ſententiam; quia non ex vi pacti & promiſſionis rei; ſed Iudicis præcepto, delictum punientis.

136 *Non debatur antequàm exigatur.*

Aduerte tamen, ſicut legalis & iudicialis non debentur ante ſententiam Iudicis, ita conuentionalis non debetur ante exactionem partis, quæ hic Iudicis vicem ſupplet: eſt enim nimis durum & moribus hominum non ſatis accommodatum, vt ſolutio debeatur ante exactionem: æquum verò, vt parte exigente; quia debetur ex pacto. quare ſicut Iudici iubenti non licet reſiſtere, ita neque parti exigenti pœnam conuentam, denegare. ita Couar. loco citato. Molina diſput. 97. & multi Iuriſperiti.

Dixi eſſe, *ualdè probabile*; quia non eſt certum. Imò contrarium etiã probabile eſt; videlicet pœnam conuentionalem non eſſe neceſſariò ſoluendam in foro conſcientiæ, antequam debitor illius per ſententiam Iudicis cogatur. ita enim ſentit Adrianus quodlib. 6. art. 1. concl. 2. illatione 3. vbi generaliter docet, nullam pœnam eſſe ſoluendam ante condemnationem. Lopez l. 1. de contract. c. 31. & l. 2. c. 34. Victoria. vt refert Lopez; inſinuat Nauar. ca. 23 n. 68. eamdem tenet noſter Sanchez libr. 1. de matri. diſp. 37. & dicit multos neotericos doctiſſimos ita ſentire. Ratio eſt; quia illa videtur eſſe mens contrahentium & pœnam apponentium; niſi aliud exprimant. ideò enim apponunt pœnam vt cogant ſecum contrahentem ad ſeruãdam fidem; & vt ius habeant compellendi ad eius ſolutionem, ſi fefellerit. confirmatur, quia cùm pœna ſit contra voluntatem; eius conditio naturalis poſtulat, vt non ſit debita ſolutio, niſi quis cogatur. hæc tamen ratio non omnino conuincit, quia quod ex pacto debetur, non requirit ſententiam Iudicis. Itaque verius puto ſpectandam conſuetudinem; quæ niſi requirat condemnationem Iudicis; credo teneri ante ſententiam aut ſolam partis requiſitionem. In dubio tamen de conſuetudine, cenſeo alteram ſententiam probabilem.

DVBITATIO XVI.

Vtrùm is, qui pignus ab alio habet, ſi fructus ex eo perceperit, teneatur eos in ſortem putare.

137 DICO Primò, Si pignus creditori datum ſit tantummodò in ſecuritatem debitorũ, tenetur creditor fructus ex eo perceptos in ſortem computare: niſi ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, vel periculi ſortis, vel pœnæ conuentionalis, (iuxta ea, quæ ſuprà diximus) vel ratione expenſarum in pignore cuſtodiendo factarum, poſſet eos retinere. eſt communis ſententia DD. & aperte colligitur ex c. 1. & 2. de vſuris. Ratio eſt; quia nullum ius habet ad fructus illos ratione mutui. vnde etiamſi agrum ſterilem, quem mutuator non colebat, acceperit in pignus; ſi ſua diligentia inde fructus collegerit, tenetur eos, deductis expenſis in colendo factis, referre in ſortem, vt rectè Nauarrus capit. 17. num. 216. contra Sotum: quia fructus hoc ipſo, quo naſcuntur ex re alterius, pertinent ad dominum illius rei. vide ſuprà capit. 12. dubit. 17. Quod ſi quis vellet accipere fructus rei quę in pignus offertur, & nihilominus poſtea recipere ſortem; deberet illam rem emere cum pacto de retrouendendo. tunc enim poſſet percipere fructus, donec venditor rem ſuam redimeret; vt rectè Caietanus quæſt. 78. art. 2. circa reſp. D. Thomæ ad ſextum. nam tempore illo medio res ipſius eſſet & rei periculum; vnde cuã fructus poſſet autem hæc emptio fieri etiam poſt contractum mutui & pignoris, ſi vtriuſque conſenſu reſciſſo contractu mutui iniretur contractus emptionis cum pacto de retrouendendo; de quo infrà cap. 21.

138 *Quo modo poſſint fructus pignoris percipi.*

Excipiuntur duo caſus, in quibus creditor non tenetur fructus pignoris in ſortem computare. vt docet Nauarrus cap. 17. nume. 217. & Gabriel. d. 15. quæſt. 11. art 2. concl. 4. & alij. Prior eſt, ſi feudatarius debeat aliquid domino directo, eique in pignus tradat feudum: tunc enim dominus directus feudi poteſt eius fructus percipere, ſorte manente integra; vt patet ex capit. 1. de feudis, quod eſt Innocentij III. & capit. Conqueſtus 8. de vſuris, quod eſt Alexandri III.

139 *Duo excepti onesin feudo, & in empſy-teuſi.*

Poſterior eſt, ſi emphyteuta oppigneret domino directo rem emphyteuticam: tunc enim dominus directus, etiamſi laicus ſit, poteſt fructus rei illius percipere. Ratio horum eſt; quia contractus feudi & emphyteuſis habent tacitas quaſdam conditiones, cum quibus ſemper cẽſentur celebrari. niſi contrarium exprimatur. inter has vna eſt, vt ſi dentur in pignus domino directo, poſſit ipſe percipere eorum fructus, ſorte non imminuta; idque ne res apud dominum directum exiſtens fructificet alteri quod non videtur conſonum rationi. Ex ſimilibus tacitis conditionibus fit, vt feudum in multis caſibus reuertatur ad dominum directum. vt docet Syluester v. Feudum nu. 17.

140 Requiruntur tamen tres conditiones vt dominus poſſit fructus illos percipere. Primò, Vt non exigat obſequium vel penſionem ſolitam. Secundò, Vt non percipiat eos, quos res producit, qua parte eſt melior effecta per induſtriam emphyteutæ. Tertiò, Vt feudum vel emphyteuſis non ſit comparata magna pecuniæ ſumma, vel magnis obſequijs antecedentibus; ſed bona ex parte gratis conceſſa: alias iniquum eſſet pactum illud de fructibus horũ (cùm oppignerata hæc domino directo fuerint) percipiẽdis. vide Sylueſtrum ſuprà nume. 29. & 30. Nauarr. & Gabrielem ſuprà.

141 Dico Secundò, Si pignus datum ſit non ſolùm ad debiti ſecuritatem, ſed etiam vt creditor interim eo fruatur, loco rei debitæ; tunc non tenetur eos in ſortem conferre. Hoc modo intelligendum eſt caput Salubriter, de vſuris, vt rectè oſtendit Molina diſput. 321. & colligitur ex Caietano loco cit. ſic enim ait Innocentius III. illo capit. *Sanè generum, ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi a ſocero ſunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in ſortem non credimus compellendum: cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſuſtentanda.* q.d. ideò fructus talis pignoris non ſunt computandi in ſortem; (in diminutionem dotis) quia tale pignus non conſueuit dari vt dos minuatur; cum fructus dotis integræ frequenter non ſufficiant oneribus matrimonij ſuſtentandis; in quem tamen finem dos datur. non ergo mens ſoceri eſt, vt ratione horum fructuũ dos minuatur; ſed vt gener fruatur illis, donec ei dos repræſentata fuerit. hæc videtur eſſe mens Pontificis: non enim intendit aliquid ſtatuere præter ius commune, aut aliquod priuilegium concedere genero ratione onerum matrimonij in pignore dotis, quod ex conditione contractus non habeat; (vt ex ipſo modo loquendi ſatis patet) ſed tantùm explicat generum non teneri, ſuppoſita conſuetudine, quæ paſſim viget.

Cap. Salubriter, de vſuris.

Hinc

142 *Non requiritur vt genero lucrum ceſſet.*

Hinc ſequitur Primò, Generum hos fructus poſſe ſeruare, etiamſi ex dilatione dotis nullum ei lucrum ceſſet; quia non conceduntur hi fructus ratione lucri ceſſantis: (vt plerique DD. putant, teſte Couar. li. 3. variar. c. 1. num. 3.) ſed vt onera matrimonij, donec dos ſoluatur, ſuſtententur; niſi de contraria ſoceri intentione conſter. Idem dicendũ, etiamſi is, qui dedit dotem, ſit extraneus.

Poteſt lege ſtatui, vt percipiat fructus pignoris.

Secundò, Si conſtet ſocerum pignus non dediſſe, niſi in ſecuritatem dotis, nõ poteſt gener fructus retinere, niſi ratione lucri ceſſantis: (vt ſi ſocer ſit in mora, non ſoluens tempore conſtituto) ratio eſt, quia tunc illi fructus pertinent ad ſocerum; neque genero alia ratione ſunt debiti, vti ſuppono. Vnde gener in hoc caſu non poteſt obligare ſocerum, vt ſocer ei illos fructus concedat, aut vt nouum contractum, quo illos poſſit percipere donec dos ſoluatur, ſecum ineat. Poſſet tamen lege conſtitui, vt etiam in hoc caſu, gener ad onera matrimonij ſuſtinenda, poſſit percipere fructus pignoris, donec dos ſoluatur: imo vt poſſit petere à ſocero penſionem annuam, donec dotem ſoluerit; idque non tantùm ratione intereſſe, ſed etiã tamquam pretium onerum matrimonij. hoc enim æquitati eſt conſentaneum, & pertinet ad Reipub. bonam ordinationem & tranquillitatem.

143 Tertio ſequitur, Viduam non poſſe ſoluto matrimonio percipere fructus pignoris, ei pro ſecuritate dotis aſſignati; niſi ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis: quia tale pignus nõ ſolet dari niſi ad ſecuritatem. Contrarium tamen tenent multi DD. Bannes q. 78 art. 2 ſub finem. Petrus Arragon. ibidem. Lopez & quidam alij. vnde ſententia illa non eſt improbabilis. Sed puto ſpectandam conſuetudinem, vel mentem oppignerantis.

DVBITATIO XVII.

Vtrùm licitum ſemper ſit in mutuo paciſci, Vt res reſtituatur in eadem menſura, etiamſi pretium eius, tempore reſtitutionis creuerit.

VT ſi mutues mihi 10. modios tritici, valẽtes nunc 20. aureis, vtrùm poſſis exigere totidem modios, etiamſi pretium creſcat ad 25. aureos.

144 Sotus lib. 6. quæſt. 1. art. 2. putat in mutuo ſemper poſſe exigi eamdẽ menſuram, ſeu idem pondus rerum. Ratio ipſius eſt; quia in mutuo ſpectatur porportio ſeu æqualitas corporum, quæ permutantur non pretiorum. ſi enim pretiorum æqualitas ſpectaretur eſſet potiùs emptio & venditio, quam mutuum. Sed vtendum diſtinctione, vnde.

145 *Si dubium an plus minus ue ſit valebit.*

Dico Primò, Si ſit dubiũ verùm res tempore reſtitutionis valebit pluris an minoris, poteſt mutuator exigere parem menſuram rei æquè in ſe bonæ, eamque ſuo tempore accipere, etiamſi interim pretium eius valdè creuerit. Ratio eſt, quia tunc par eſt vtriuſque conditio. ſicut enim mutuator poteſt lucrari, ita & amittere vnde ſi lucretur, non prouenit id ex obligatione mutui; (quaſi illud lucrum ſupra ſortem exigatur ex pacto) ſed per accidens, & caſu fortuito, eo quod res tempore redditionis facta ſit maioris æſtimationis. In caſu vera eſt ſententia Soti.

146 *Si certum valiturum minoris.*

Dico Secundò, Si certum ſit vel ſaltem probabilius rem valituram minoris, poteſt mutuator maiorem quã dederit menſuram exigere, (prout id magis vel minùs certum fuerit) vt fiat æqualitas; idque ſiue rem illam eſſet nunc venditurus aut in familia conſumpturus, ſiue ſeruaturus. Probatur; quia qui dat mutuum, poteſt ſpectare in re ſua non ſolùm naturalem bonitatem, ſed etiam pretium; & exigere vt reſtituatur æquale non ſolùm bonitate, ſed etiam pretio. ſi enim in omnibus alijs contractibus poteſt exigi æquale in pretio; cur non etiam in mutuo? ergo ſi tibi mutuo 10. modios dum valent 25. aureis, poſſum paciſci, vt reſtituas mihi 12. modios & dimidium, ſi tempore reſtitutionis ſinguli modij non valebunt niſi duobus aureis; quia illi duodecim cum dimidio æquales erunt æſtimatione meis decem.

147 Dico, *Si tempore reſtitutionis non valebunt niſi duobus:* quia non poſſum te obligare, vt ad illud tempus differas reſtitutionem; poſſum tamen obligare vt non differas vltra certum terminum, & intra illum ſoluas, ea menſura, quæ æquet pretium menſuræ, quam tibi nunc trado.

Dices, Ille contractus nõ eſt mutui; ſed venditionis frumenti tui, & emptionis alterius, nam implicitè exigis pretium frumenti tui, (quod eſt 25. aureorum) & emis frumentum alterius, tibi ſuo tempore reddendum.

Sed contrà. Si eſſet contractus emptionis & venditionis, non poſſem exigere vt reddas mihi rem eiuſdem ſpeciei. ſi enim pretium frumenti mei eſt 25. aureorum, debeo illo in venditione eſſe contentus: nec poſſum vlterius obligare emptorem vt vendat mihi vicißim frumentum vſque ad illam ſummam, pretio tempore traditionis currente: hæc enim obligatio exigeretur ſupra iuſtum pretium. Eſt igitur formalis contractus mutui, etſi implicitè venditionem & emptionem contineat.

148 *Non refert quod eam nõ eras ſeruaturus.*

Dices, Si rem illam eras ſeruaturus in illud vſque tempus, quo minoris erat valitura, non cenſetur tibi pluris nunc valere, quàm tunc valebit: ergo non potes nunc pro ea amplius exigere, quàm tunc valebit. Quidam concedunt totum.

Sed neganda eſt conſequentia; quia etſi toto eo tempore, quo manebas in proposito illam ſeruandi non pluris valeret; tamen hoc ipſo, quo mutaſti illud propoſitũ ſtatuendo illam nunc alienare per mutuum, potes illam æſtimare ſecundùm præſentem valorem, quem modo habet, ac proinde huic æquale exigere.

149 *Si non eſt certum de maiore menſura.*

Petes, Quid ſi in contractu non fuerit conuentum de reſtituenda maiore menſura, vel de exæquando pretio, ſed tantùm de reſtituendo mutuo, tenebiturne mutuatarius poſtea cùm pretium decreuerit, maiorem menſuram reſtituere? Petrus Nauarra lib 3. cap. 2. num. 252. & ſequentibus putat eum teneri. Primo, Quia alioquin non ſeruatur æqualitas pretiorum, quæ in ceteris omnibus permutationibus ſeruari ſolet. Secundò, Si mutuo tibi 100. aureos dum ſinguli valent 12. regalibus, & poſtea decreſcat pretium eorum vſque ad 11. non ſatisfacis ſi mihi reſtituas idem pondus auri, ſed maius dare debes: ergo ſimiliter in alijs, vbi materia diſtinguitur à pretio. Hæc ſententia eſt probabilis.

150 *Non tenetur reddere maiorem.*

Contraria tamen videtur vſu recepta; quam tenet Sotus ſuprà. ratio eſt; quia in mutuo ita vſu receptum eſt, vt mutuatarius non cenſeatur obligatus, niſi ad reddendam rem ſimilem ſpecie, & parem bonitate & menſura; niſi ratione mutuationis pretij aliter ſit conuentum. hæc enim eſt conditio puri mutui, cui nulla implicite miſcetur emptio aut venditio.

Ad primum reſpõderi poteſt, In mutuo nudo, non ſpectari æqualitatem pretiorum, ſed bonitatis naturalis & menſuræ. quamuis ſi mutuans velit, poſſit etiam habere rationem pretij: ſed ſi non fecit, ſibi imputet.

151 Ad ſecundum; Alia eſt ratio nummorum, alia frumenti & rerum ſimilium. in nummis enim non ſpectatur niſi pretium: vnde non debet reſtitui niſi pretium æquale. in alijs rebus primario ſpectatur ipſa materia. nemo enim petit mutuum frumentum propter pretium frumenti, ſed propter ipſum corpus & ſubſtantiam eius.

152 *Si valitura pluris, non poteſt exigere menſuram parem.*

Dico Tertiò, Si certum eſt, vel probabilius rem tempore traditionis valituram pluris, quàm modo valeat, non potes ad parem menſuram reddendam obligare; ſed tantùm ad eam, quæ tunc temporis adæquabit pretium rei à te traditæ. vt ſi 10. modij, qui nunc valent 20. aureis, reſtituendi ſint eo tempore, quo valebunt 25. non potes exigere vt reſtituantur 10. ratio eſt, quia non potes paciſci vt aliquid reddatur vltra id, quod æquiualet rei tuæ. 10. autem modij tempore redditionis pluris valebunt quàm res tua, quam modo tradis. excipe, niſi rem tuam vſque ad illud tempus conſtituiſſes ſeruare; 153 tunc enim ratione lucri ceſſantis poſſes amplius exigere quàm res valeat. hic tamen detrahenda eſſet æſtimatio cuſtodiæ vſque ad illud tempus faciendæ, & æſtimatio periculi corruptionis; tantoque minus exigendum.

154 *Poſſe exigi menſuram parem, eſt probabile.*

Aduerte tamen, Sotum ſuprà & Molinam diſput. 311. putare non eſſe contra iuſtitiam, etiamſi exigat in hoc caſu parem menſuram; modò non obliget illum vt differat ſolutionem vſque ad illud tempus, ſed ſolùm obliget vt ſoluat dũ mutuãs repeter. ratio eſt, quia tunc mutuatarius ſibi imputare debet quòd expectauerit donec pretiũ creuit. Hæc ſententia etiam probabilis eſt, ſi non erat certũ, pre-

pretium fore augendum; vel ſi mutuans conſtituerat rem ſeruare, aut erat adhuc anceps. aboquin ſi conſtabat pretium augendum, & conſtituerat rem conſumere aut alienare ante illud tempus, non video quo iure poſſit æqualē menſuram repetere. hoc enim eſt manifeſte aliquid lucrari ſupra æſtimationem ſortis, ex pactione mutui.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm dominium Vſurarum transferatur in Vſurarium.

155 *Sententia quorundā, transferri dominium.*

MVLTI putant vſurarium acquirere dominium vſurarum, (id eſt, earum rerum, quas ratione mutui ſupra ſortem accepit) ſiue illæ ſint vſu conſumptibiles, vt vinum, frumentum, pecunia; ſiue non, vt veſtes, annuli. Ita docet Scotus in 4. d. 15. quæſt. 2. art. 3. ad ſecundum. Palud ibidem quæſt. 2. art. 5. Nauar. cap. 17. numero 265. Fundamentum præcipuum eſt, quia voluntas illa mutuatarij, qua illas ſoluit, ſufficiens eſt ad dominium transferendum: nam abſolutè voluntariè ſoluit; & ſolùm inuoluntariè ſecundum quid. Sed contraria ſententia eſt communior, pro qua.

156 *Si miſceantur.*

Reſpondeo & dico Primò, Si res illæ nomine vſuræ acceptæ, ita miſceantur rebus vſurarij ſimilibus, vt non poſſint ab eis diſtingui, tunc earum dominium cenſetur tranſlatum. eſt communis ſententia Doctorum colligitur ex §. Si duorum. & 2. ſequentibus inſtit. de rerum diuiſione. & L. Si alieni 78. ff. de ſolutionibus, vbi dicitur, *Si alienum nummum inſcio vel inuito domino ſoluti ſint, manent eius, cuius fuerunt. ſi miſti eſſent, ita vt diſcerni non poſſent, eius fiunt qui accepit in libris Caſſii ſcriptum eſt; ita vt actio domino cum eo, qui dediſſet, furti competeret.* valde tamen credibile eſt, quamdiu cumulus ille extat, aliquo modo idem permanens, ſiue apud vſurarium, ſiue apud alium; eum, cuius res ibi permixta eſt, habere ius in re, vt ante alios omnes ei ex illo ſatisfiat: imo eum poſſe ſibi ex illo occultè accipere, quantum è re ſua ibi permixtum eſſe nouit. Ratio eſt, quia etſi quando miſceo, v. g. frumentum alterius, frumento meo abſque voluntate domini, aceruus ille ex vtroque reſultans non fiat communis, ac proinde nec ſingula grana communicentur, ſicut cùm vtriuſque conſenſu miſcetur: tamen competit illi actio in rem, quamdiu aceruus extat totus. vt habetur Inſtitut. ſuprà. quod eſt valdè conſentaneum iuri naturali. cur enim cùm certò mihi conſtat rem meam eſſe huic permixtam, non poſſim mihi vindicare ex mixto illo, quantum de meo ineſt? Confirmatur ex L. Marcellus. 3. § Pomponius. ff. de rei vindicatione, vbi dicitur: *Si quid quod e noſtem naturæ eſt, ita confuſum & mixtum eſt, vt ſeparari nequeat, pro parte vindicandum, vt puta meum argentum & tuum in vaſſum redactum eſt.*

157 *Dominus habet ius in re, quamdiu manet aliud.*

158 *Non tranſfertur dominium vſurarium.*

Dico Secundò, Si non ita permiſceantur, non transfertur earum dominium in vſurarium; ac proinde numquam transfertur ex vi ſolutionis ſeu traditionis factæ ratione cōtractus mutui. Eſt communior ſententia DD. D. Thomæ art. 3. Caiet. to. 2. opuſc. 8. ca. 1. Medinæ quæſt. 4. de vſura. § Ad tertiam principale. Soto lib. 6. q. 1. artic. 4. Couar. l. 3. variarum cap. 3. nu. 6. & aliorum. Ratio eſt; quia per illam ſolutionem mutuatarius non intendit donare gratis, vti ſuppono, nec plus iuris dare vſurario quàm habeat, aut quàm ei debeatur ratione mutuationis: atqui ratione mutuationis nihil debetur præter ſortem: ergo non intendit transferre dominium, ſed ſolùm externam traditionem facere, quę neceſſaria eſt vt fidem ſuam liberet, & pecuniam mutuam imperret. confirmatur ex L. Numquam. 31. ff. de acquirendo rerum domin. Vbi dicitur, *Nunquam nuda traditio dominium transfert, niſi præceſſerit venditio, aut aliqua alia cauſa*; atqui hic nō præceſſit iuſta cauſa, id iuſtus titulus: ergo Ad hoc, etiamſi quis facere vellet, transferri dominium, hoc tamen eſt adeò debile, vt nullius ſit momenti: quia tenetur ſponte reſtituere propter iniuriam; & mutuatarius retinet ius in re; ſicut quando aliquid metu extortum eſt. de quo ſuprà cap. 17 dub. 6.

159 Hinc patet reſponſio ad fundamentum diuerſæ ſententiæ, illam voluntatem non eſſe ſufficientem, non defectu voluntarij propriè; quia eſt abſolutè libera; ſed quia per eam non eſt volitum vt vtæ vſuræ abſolutè cedant in dominium vſurarij, ſed ſolùm vt ſint ipſius, quatenus ei debentur, non aliter.

Ex his ſequitur, ſi res nomine vſuræ accepta, ſit fructifera, non ſolum rē illam, ſed etiam fructus perceptos reſtituendos eſſe. vt docet D. Thomas ſuprà. quod etiam admittunt illi, qui putant dominium vſurarum transferri in vſurarium. vide Couarruuiam l. 3. variar. c. 3. num. 6.

160 *Si ſit res fructifera, tam fructus debentur.*

Dico Tertiò, Res tamen lucrifactæ pecunia vſuraria, ſtatim ac ipſi traditæ fuerint, tranſeunt in ipſius dominium; eſt communis ſententia DD. D. Thomæ art. 3. Adriani in 4 tract. de reſtit. quæſt. de vſura §. Occurrunt. Medinæ, de vſura quæſt. 4. §. Ad quartum principale, Couar. lib. 3. var. cap. 3. numero 6. & aliorum & colligitur apertè ex L. 1. C. Si quis alteri, vel ſibi ſub alterius nomine, vel aliena pecunia emerit. vbi ſignificatur eum effici dominum, cuius nomine aliena pecunia res empta fuerit, ſi ei tradatur poſſeſſio, & L. 8. ibidem. *Qui alienā pecuniā comparat, non ei cuius nummi fuerint, ſed ſibi tam actionem empti, quàm dominium, ſi ei tradita fuerit poſſeſſio, quærit.* Item L. Si ex ea. 6. C. de rei vindicat. Ratio eſt; quia talis res eſt fructus induſtriæ, non pecuniæ. vt quæ per ſe ſit ſterilis.

161 *Res pecuniæ vſuraria pars eſt vſurarij.*

Dico Quartò, Si vſurarius res alienas loco vſurarum acceptas vendat, acquirit dominium pretij; licet dominiū illarum rerum non transferat in emptores. Prior pars patet ex L. 48. Qui vas, in fine ff. de furtis, vbi dicitur, *Nummus, qui redactus eſt ex pretio rei furtiuæ, non eſt furtiuus.* & paulò ante: *Cum fur rem furtiuam vendidiſſet, eaque nummos pretij domino rei per vim extorſit: furtum eam nummorum feciſſe, veſtè reſponſum eſt.* poteſt tamen dominus pretium capere in compenſationem, quando timet ſe rem ſuam non recuperaturum.

162 *Si vendat res alienas.*

163 Dices, Talis contractus eſt inuoluntarius ex parte emptoris: (ſi enim ſciret rem eſſe alienam, nollet emere) ergo eſt irritus. confirmatur. quia non intendit transferre dominium pretij in venditorem, niſi venditor transferat viciſſim dominium rei in illum: atqui venditor hoc non poteſt vllo modo facere: ergo, &c.

Reſp. Eum quidem aliquo modo eſſe inuoluntarium, cùm ex errore procedat: quia tamen hic error non eſt circa rei ſubſtantiam, ſed circa conditionem quamdam extrinſecam, non eſt ipſo iure contractus irritus. poteſt tamē emptor illum reſcindere vbi ſciuerit, & pretium repetere, vt conſtat ex capit. 17. dubitat. 5. ſed quamdiu hoc non facit, pretium eſt venditoris. Ad confirmationem? Non intendi. pretium transferre ſub conditione illa; ſed tranſferre illud abſolutè cum onere vt venditor rem quoque tranſferat in ipſum. vnde venditor ſtatim fit dominus pretij traditi; ſed manet obligatus vt rem faciat emptoris; teneturque de euictione.

164 Aduerte tamē, hic requiri vt emptor bona fide res illas emerit neſciens eſſe alienas; ſi enim id ſciuit, cōtractus eſt irritus. vnde tunc vſurarius non acquirit dominium pretij. vt patet L. Si in emptione. 34. ff. de contrahenda emptione.

Altera pars probatur; quia qui non eſt dominus rei, non poteſt illius dominium in alium transferre. vt colligitur L. Ex empto. 11. ff. de actionibus empti. hinc vbicumque reperta fuerit, poterit a priore domino vindicari.

DVBITATIO XIX.

Quænam poſſimus ab vſurarijs titulo gratuito vel oneroſo accipere.

HAEC quæſtio locum habet in omnibus debitoribus, qui non ſunt ſoluendo.

165 *Si res ſint alienæ.*

Reſpond. & dico Primò, Non potes ab vſurario vel fure accipere vllo titulo res alienas, quæ in ſpecie extant, vt veſtes, catenas, lectos; etiam ſi ipſi eas alienando, non fierent impotentiores ad ſoluendum ratio eſt: quia cùm ipſi talium rerum non habeant dominium, non poſſunt illud in alium transferre. Hinc ſequitur, eas non poſſe emi. & ſi quis eas ſciens eſſe alienas emeret, teneretur ad reſtitutionem earum, & etiam fructuum omnium.

166 Notandum tamen eſt, hęc eſſe intelligenda, quando inuito domino emerētur. ſecus verò ſi ex cōſenſu eius, ſaltem tacito & præſumpto. vnde excuſandi videntur, qui emunt

pr-

Emptio fructuum ab vsurarijs.

pignora & alia, quæ vsurarij passim in oppidis publicè vendunt. Primò, Quia non constat an hæc sint aliena; talia enim solent sponte a mutuatarijs relinqui per modum venditionis pro sorte & vsuris. & ita dominium eorum transit in vsurarium, quamuis teneatur pretium supplere. Secundò, Quia mutuatarij postquam ea relinquerunt pro vsuris, non solent curare ad quos perueniant; & si rogarentur, libenter facerent potestatem emendi.

167 *Si vsurarij propria.*

Dico Secundo, Potes ab vsurario & a fure accipere etiã titulo gratuito res eas, quarũ ipse dominium habet, ratio est, quia hæ res non sunt alienæ, sed ipsius vsurarij, neque aliis sunt vlla reali obligationi obnoxiæ. non enim res vsurarij sunt tacitè hypothecatæ pro vsuris, vt quidã olim putarunt. nusquam enim in iure positiuo talis hypotheca constituta inuenitur: iure autem naturali nulla est tacita hypotheca. Accedit quòd ne furis quidem bona pro furtis hypothecata sint, communiter DD. docent. vide Nau. cap. 17 num. 265 Syluestrum Vsura 6. num. 5. Couarr. l. 3. variar. c. 3. nu. 6. & alios; ergo potest earum dominium valide in alios transferre. consequentia patet, quia dominus rei alteri non obligatæ, habens liberam administrationẽ, potest eius dominium transferre in alium.

Petes, Quid si per eam donationem vel alienationem fiat impotens ad soluendum?

Resp. Multi DD. in hoc casu docent, eum, qui aliquid accepit, teneri ad restitutionem; quia accepit in fraudem creditorum, ac proinde iniustè.

Sed vtendum est distinctione. Primò. Si non induxisti illum ad donandum vel ad alienandum, sed ipse sponte tibi donat, vel vendit, aut emit; non teneris ad restitutionem in foro conscientiæ. etiamsi scias ipsum per hoc fieri impotentem ad soluendum. Ita Petrus Nauar. lib. 3. c. 4. nu. 118. & Molina disp. 327 colligitur aperte ex L. vltima, §. 4. ff. Quæ in fraudem creditorum. & patet ex ratione allata; quia illæ res nemini sunt obstrictæ. & ipse est earum dominus, & nulla lege est inhabilis ad transferendum earum dominium: ergo transfert recta. Nec obstat, quòd ille peccet donando, quatenus per hoc reddit se impotentẽ ad soluendum creditoribus: quia tu non es causa cur velit donare; sed supposito quòd ipse sponte velit, tu accepras, vtens iure tuo. nec enim vel iniuria, vel charitas postulat, vt negligas tuum commodum, etiamsi inde per accidens sequatur alteri tantumdem damni.

168 *Si res alienentur in fraudem creditorum.* *Si non induxisti ad donandum, potes accipere.*

Aduerte tamen, si titulo gratuito accepisti, iure ciuili

169 *Conceditur actio iure Ciuili.*

concedi creditoribus actionem, qua possint illud à te repetere. & quidem si scisti illum ea donatione fieri impotentem, cogeris restituere, etiam si neque res extet, neque ex ea factus sis locupletior. si verò nesciuisti, solùm teneberis quatenus extat, vel ex ea factus es locupletior. vt patet ex L. Quod autem 6. ff. Quæ in fraudẽ creditorum. Quòd si titulo oneroso accepisti; si quidem sciuisti illũ sic reddi impotẽtem (vt si venderet domum vel agrum. vt insumat in conuiuia, in ludum) cogeris reddere non restituto pretio, nisi quatenus inde aliquid extat in bonis debitoris, vt patet L. 7. 8. & vltima, ff. Quæ in fraudem creditorum. Si verò nesciuisti, non datur actio creditoribus ad rescindendum; vt expresè habetur d. L. Quòd autem 6. d. tit. vbi dicitur; *Si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignorauit, cessare videntur verba edicti.*

Notandum est, hanc actionem concedi creditoribus

170 solùm per vnum annum, qui computandus est ab eo die, quo primùm sciuerunt alienationem esse factam; vt patet ex iuribus citatis.

Si induxisti eum.

Secundò, Si verò illum induxisti ad donandum vel alienandum, putans eum per hoc fore impotentem, teneris ad restitutionẽ. si hæc impotentia sit causa non soluendi. ratio est, quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Si tamen hæc impotentia non sit causa cur non soluat, non teneris; vt si ipse ea esset industria vt facilè posset tantumdem lucrifacere; tunc enim non impotentia, sed negligentia esset causa non soluendi. quo euentu potes licite ab illo petere donationem vel condonationẽ. Pari modo si iã antè habuerat non soluere: (vt fit in multis occultis vsurarijs) tunc enim etsi tua inductione fiat impotens, tamen non teneris ad restitutionem; quia hęc inopia non est causa non soluẽdi, sed propositum illud prauum. Confirmatur, quia creditores nihil à talibus expectant: vnde non censent sibi fieri iniuriam, si quis à talibus aliquid sibi donari vel condonari petat.

Notandum tamen est, eum, qui induxit alium ad donandum, aduertens eum sic reddi impotentem ad solutionis, ita vt industria non possit supplere, debere esse paratum ad restituendum, quandocumque viderit illum cupere soluere suis creditoribus, & per impotentiam (cuius ipse sua inductione est causa) impediri. ratio est, quia in eo casu ipse est causa non soluendi, cùm sit causa impotentiæ, propter quam debitor non soluit. Idem dicendum, si creditores putentur bona illius publica auctoritate occupaturi: quia tunc esset causa, cur creditores minus in bonis eius inuenirent.

171 *Debet esse paratus restituere.*

Dico Tertiò, Si vsurarius vel alius debitor non est soluendo, nihil potest ab eo accipi per vltimam voluntatem, vt per testamentum, codicillum, fideicommissum, vel donationem causa mortis; sed totum in conscientiæ foro restituendum creditoribus. colligitur ex d. L. Quòd autem §. 9 ff. Quæ in fraudem creditorum. & L. vltima. §. Etsi C. de iure deliberandi. ratio est, quia nemo post mortẽ suam habet potestatem lucrandi, & compensandi creditoribus, si quid ex bonis ipsius, quod creditoribus dandum erat, in alios collatum fuerit. ergo par non est, vt de rebus suis possit pro eo tempore cum damno creditorũ disponere: confirmatur; quia ideò potest res suas alienare dum viuit; quia quamdiu viuit, manet ipsius persona obligata, quæ adhuc lucrari potest: ergo cùm post mortem non possit ipsius persona manere obligata, aut aliquid lucrari vnde soluatur creditoribus; non potest etiam in illud tempus aliquid in fraudem creditorum alienare.

172 *Per vltimã voluntatem non licet accipere.*

DVBITATIO XX.

Vtrùm hæredes vsurarij teneantur in solidum.

NAVARRVS capit. 17. num. 278. sentire videtur, 173 singulos hęredes in solidum teneri: ait enim *Si quis haredem non habeat unde restituat, alius ad id pro sua hereditatis parte, quantum ferre obligabitur.* Probat per capit. Tua nos. 9. de vsuris, vbi dicitur, *Qui ad fisci reuocationem usuras, ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viuerent, cogerentur.* Idem censet de donatario, & legatario, deficientibus hæredibus. Eamdem tenet Glossa in illud caput: Sed contraria est verior, pro qua.

Dico Primò, Si res aliqua in specie extet apud vsurarium, quam nomine vsurarum acceptam esse constet, 174 ea ad quemcumque hæredem deuenerit, est restituenda. Patet ex dictis; quia est aliena. secùs est de ijs, quæ pecunia vsuraria sunt coempta. nam horum dominium est penes vsurarium, vt dictum est suprà, dub. 18. *Si res aliena in specie extet.*

Dico Secundò. Hæredes non tenentur in solidum, nec 175 aliter pro altero; sed singuli tantùmodo pro sua parte iuxta vires hæreditatis. Ita Caietanus tomo 1. opusc. 8. quod est de vsura quæst. 5. Syluest. Vsura 6. quæst. 10. Couarruu. l. 3. variar. cap. 3. Sotus lib. 6. quæst. 1. artic. 4. Medina q. 4. de vsuris. §. Ad quintum principale. ratio est, quia in successione hęreditatis sicut bona defuncti diuiduntur in hęredes; ita etiam eius obligationes personales & debita rationi enim consentaneum est, vt qui tantummodò ex parte commodum percipit, onus quoque ex parte dumtaxat sentiat. dico *personales*, quia si aliquid obligatione reali sit obstrictum, illud in totum conuenuri potest.

Ad cap. Tua nos, Respondeo, Ibi tantùm significari totam obligationem restituendi transire ad hæredes simul iunctos: ita tamen vt singuli non teneantur, nisi ex parte.

Dico Tertiò, Etiamsi omnes hæredes deficiant, tamen 176 legatarij & donatarij non tenentur ad restitutionem, si illa, quæ hæredibus relicta sunt, sufficiunt ad soluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam. Ita docet Ioannes Medina suprà. Probatur. quia onera debitorum testatoris non transeunt ad legatarios, sed ad hæredes: hoc enim ratio hæreditatis includit, hæres enim dicitur, qui succedit in vniuersum ius defuncti. L. Hæreditas. 63. ff. de regulis Iuris; ac proinde etiam in onera eiusdem, substituitur enim in locum defuncti. *Legatarij non tenentur.*

Aduerte tamen, si bona hæredibus titulo hæreditatis 177

cum

Si bona relicta haeredum non ſufficiant ad omnia.

enim oneribus defuncti relicta, non ſufficiunt vt ipſi ſolutis debitis habeant ſuam legitimam, vel quartam iure debitam; tunc legatarios & donatarios, quibus aliquid cauſa mortis donatum eſt, teneri contribuere, ſeruata proportione, vt ſolutis debitis legitimam vel quartam illam, quæ Falcidia dicitur, obtineant; vt patet ex dictis capit. 19. dubitatione 7.

Falcidiam detrahunt.

DVBITATIO XXI.

Quinam ex cooperantibus ad vſuras teneantur ad reſtitutionem.

178 *Qui agunt partes vſurarij, tenentur.*

RESPONDEO, & dico Primò, Omnes eos teneri, qui agunt partes vſurarij, & ſunt cauſa efficax cur vſuræ ſoluantur, vel ſolutæ non repetantur. Tales ſunt Primò, Qui perſuadent alicui vt fiat vſurarius & vſuras exigat: vt recte Nauar. 17. nu. 265. & Sotus l. 6. q. 12. 4. ſuò ſimile ſic; ſicut qui mouet alteri vt furetur, tenetur de damno inde ſecuto, ſi furtum ceperit, mutuatarijs, qui aliter mutuum obtinere nequeunt, id gratum fore: tunc enim quodammodo illorum partes agit, ipſiſque tacitè conſentientibus & ratum habentibus, ſuadet.

179 *Excommunicantur Iudices.*

Secundò, Omnes Iudices, qui ſtatuto vel ſententiâ cõpellunt ſoluere vſuras, vel decernunt vt ſolutæ non repetantur, tenentur in ſolidũ ijs, qui eas ob hanc cauſam ſoluunt, vel ſolutas non audent repetere. ſunt etiam ipſo facto excommunicati, vt patet Clementina vnica, de vſur. 2. Secundò, ſi vſurarios ſolum in Reipublic. permittant, ad maiora incommoda vitanda, nullum eis auxilium præſentes: tunc enim non cenſerentur vſurarum cauſa: niſi forte ingentes ſummas pro licentia fœnerandi exigant, vnde fiat vt ipſi vſuras augeant & pauperes magis exhauriant.

Pretium pro licentia fœnoris.

Abuſus inſignis.

Sicut in quibuſdam fit locis, vbi tanta penſio Vſurarijs imponitur, vt pene tertiam partem lucri ſoluere cogãtur. Vnde augent vſuras & exigunt à mutuatarijs circiter 33. in centum per annum, id eſt, tres quadrantes in libra Flãdricam per hebdomadam cum pro ſe, remiſſa illa penſione, ſint contenti 21. in centum & duobus quadrantibus in libram per hebdomadam. Tenentur tamen ſolum ſecundo loco, nempe in defectum vſurariorum, quando fuerunt cauſa.

Denegatio actionis.

Petes. verum Iudices poſſint denegare actionẽ repetere volentibus vſuras. Videntur non poſſe, quia d. Clemen. vnica de vſuris, excommunicat omnes Iudices qui impediunt vſurarum repetitionem, at denegare actionem ad repetendum, eſt impedire repetitionem: ergo. Deinde, quia Iudices tenentur ex officio adminiſtrare iuſtitiam iis habentibus: iuſti autem habent ius repetendi.

Reſpondeo, per ſe loquendo Iudices nõ poſſe actionẽ illam reijcere, ſed teneri admittere. Etſi enim Clemen. illa non uideatur loqui de ſimplici actionis denegatione; ſolũ enim prohibet hos actus. 1. Facere, ſcribere, dictare ſtatuta, vt ſoluantur vſuræ. 2. Liberè & ſcienter iudicare vt ſoluta cum repetuntur, non reſtituantur. 3. Huiuſmodi ſtatuta iam edita, ex libris communitatum non delere. 4. Talia ſtatuta, uel conſuetudines parem uim habentes obſeruare: & hæc omnia cum præſumptione. Vbi manifeſtum eſt, non contineri ſimplicem actionis denegationem. Tamen ſecunda ratio allata ſatis probat Iudices ordinariè id non poſſe.

Quando poſſit denegari.

Dico *Ordinariè*. Quia ſi alicubi putaretur neceſſarium, uel ualdè expediens bono publico, ut uſuræ permittantur, eo quòd non ſuppetat alia ratio minore incommodo, pauperculis, mechanicis, & alijs indigentibus ſuccurrendi, & vſurarij nollent mutuare, ſi talis actio concedatur: tunc poſſet princeps ſupremus permittere, & etiam ſtatuere, ut Iudices inferiores actionem denegent. Sic enim denegatur actio in multis alijs caſibus, ubi tamè eſt obligatio naturalis, ut cum quis deceptus eſt citra dimidium iuſti pretij. Itaque ob publicum commodum non uidetur dubitandum, quin hæc actio denegari poſſit; in qua ſententia deprehendi poſſea eſſe Azorium, lib. 8. Inſtitu. moral. cap. 22. quæſtio. 13. dub 3. & Nauarrum in conſil. lib. 5. tit. de Iudæis & Sarracenis, conſil 3. num. 7. & 8. conſil. 4. num. 3. qui non reſtringunt ad caſum, quo id uideatur neceſſarium bono publico: ſed abſolutè docent Principes ſupremos poſſe repetentibus vſuras denegare actionem. Imò Nauarrus ampliùs affirmat: Principem poſſe ſtatuere & compellere vt vſuræ permiſſæ ſoluantur. Ratio eſt: quia princeps non tenetur in omni caſu iuſtitiam ſubditis adminiſtrare, ſed ſolùm quando id fieri poteſt, ſine notabili incommodo, ergo ſicut, vt vitetur incommodum multarum litium, poteſt denegare actionem in deceptione citra dimidium, & in promiſſionibus ſimplicibus, &c. ita ad vitandum incommodum pauperum & mechanicorum in Republic. poteſt denegare actionem, in repetitione vſurę. Confirmatur, quia princeps non tenetur adminiſtrare iuſtitiam, quando ipſa communitas id non vult; ſed maualt pati aliquam iniuriam, quàm priuari certo commodo. atqui in hoc caſu noſtro communitas non cupit. ergo, &c. Non tamen vſurarij idcircò ſunt liberi in conſcientia, nec minùs ab Eccleſia iuxta canones puniri poſſunt, aut vſuræ in foro eccleſiaſtico repeti.

Quando non poſſit.

Cum autem nulla in eo vertitur boni communis vtilitas, puto Principem non poſſe talem actionem repellere, aut permittere vt Iudices inferiores repellant; ſed teneri eos cogere vt adminiſtrent. Tum quia tenetur impedire peccata publica in contra legem naturæ, vt ſunt vſuræ: tum quia tenetur adminiſtrare iuſtitiam, & curare vt ab omnibus adminiſtretur, niſi alia aliqua ratio permittendæ iniuriæ ſubſit. Clementina illa non pertinet ad ſupremos Principes, ſed ſolùm ad Iudices inferiores, vt ex verbis eius manifeſtum eſt.

180 *Notarij.*

Tertiò Notarius, qui Inſtrumentum vſurarium ita conficit iniurio mutuatario, vt ex eo ſcripta cogatur ſoluere vſuras: vt ſi contractui vſurario prætendat honeſtum nomen mutui vel venditionis. Notandum tamen, qualemcumque Inſtrumentum confingat, ſi id faciat volente mutuatario, non teneri ad reſtitutionẽ, quia non lædit iniquum. ſimiliter non tenetur, ſi exprimat contractum, qualis eſt. nam ex vi talis Inſtrumenti non poſſunt vſuræ exigi. niſi forte alicubi eſſet iniquum ſtatutum quo cogerentur mutuatarij eas ſoluere. raro tamen vſu venit vt Notarius teneatur, quia non facit inſtrumentum niſi volente mutuatario, peccat tamen ſemper mortiferè talia inſtrumenta conficiendo; quia facit contra ſuum iuramentum, quod Notarij, dum munus illud ſuſcipiunt, facere ſolent.

181 *Famuli.*

Quartò, Famuli & factores vſuriariorum, qui faciunt ipſos contractus iniquos.

Aduerte tamen, Sylueſtrum v. Vſura 7. q. 4. cum Monaldo docere, non teneri famulum, qui ex ſpeciali mandato domini dicentis, *Mutuo Petro decem libras ad vſuram meo nomine*, mutuum dedit, quæ ſententia vera eſt, ſi contractus iam cum domino ſit initus; ita vt famulus tãtummodò pecuniam numerare debeat. Secus verò ſi ipſe contractus per famulum ſit ineundus. tunc enim videtur efficax cauſa damni, imponendo illi obligationem iniuſtam, ob quam poſtea vſuras ſoluit. ſi tamen non eſſet in poteſtate famuli abſque eo contractu pecuniam dare, eò quòd dominus eſſet præſens; non videtur teneri, quia mutuatarius non cẽſet ſibi iniuriam fieri à famulo, qui aliter pecuniam numerare non poteſt; ſed à domino. & hoc videtur velle Sylueſter ſupra.

182 *Si famulus non poſſet aliter dare.*

183 *Qui cogunt ad ſolutionẽ.*

Quintò, Famuli qui cogunt ad ſolutionem vſurarum. quòd ſi non vrgeant, & mutuatarij aliequin ſponte erant ſoluturi, putat Sotus libro ſexto de Iuſtitia, quæſtione prima, articulo quarto, in fine, illos non teneri: cum mutuatarij non putent ſibi ab illis fieri iniuriam, & conferunt vt dominis ſuis vſuras accipere tradant. Sed contra verius eſt hoc ipſo quo exigunt iniuriam fieri, quia iure dominorum, quod nullum eſt, exigunt, & directè ſpoliant alterum re ſua. Verùm quia id ſponte non faciunt, ſed in gratiam dominorum, nec ipſis inde emolumentum prouenit, non cenſent debitores ſibi tantam iniuriam fieri, vt velint per ipſos fieri reſtitutionem; vel ſaltem quin libenter ſint contenturi ſi rogentur.

184 *Non efficaciter cooperantes.*

Dico Secundò, Qui verò agunt partes mutuatarij. vel certè non efficaciter concurrunt, eò tenentur ad reſtitutionẽ, etiamſi uideantur cooperari. Tales ſunt Primò, Famuli, qui recipiunt pignora, eaque aſſeruant. Secundò, Qui numerant pecuniam. Tertiò, Qui referent omnia in libros rationum. Quartò, Proxenetæ, qui quærunt eos, qui pecunia egent & adducunt ad vſurarium. hi enim potiùs beneficium

ficium præſtant, quàm iniuriam inferunt. vide Sylueſtrum v. Vſura 7. qu. 3. non eſt in poteſtate illorum vt vſurarius det pecuniam ſuam ſine vſura. Quintò, qui pecuniam ſuã apud vſurarium depoſuerunt, modo tamen non ſuaſerint vt vſuras exigeret, nec ſint earũ participes. vt docet Caietanus qu.78.art.4. Ratio eſt, quia nemo mutuatarius cenſet ſibi per hoc fieri iniuriam, aut id ægrè fert. quid enim illis obeſt quòd vſurarius pecunijs abundet? fieri tamen poteſt vt is, qui deponit, peccet, quatenus ei præbet materiã plurium iniquorum contractuum: ſic intellige D.Thom.q.78. artic.4. ad vltimum, vbi Caietanus non videtur aſſecutus eius mentem.

Deponens pecuniam apud vſurarium.

DVBITATIO XXII.

Quænam pœnæ ſint Vſurarijs conſtitutæ.

NOTANDVM eſt, multas pœnas tum iure ciuili, tum maximè iure Canonico in vſurarios manifeſtos eſſe conſtitutas; vt patet c. Quamquam. de vſuris l.6. & alibi. de quibus fusè Couarruuias libr.3. var.c.3. & Syluester Vſura 9.quæſt.4.

285 Dicuntur autem manifeſti vſurarij, qui facto vel iure manifeſtè ſunt tales. Facto quidem manifeſtè tales dicuntur, qui palam, ita vt nulla tergiuerſatione negari poſſit, ad vſuram dant. Iure verò, qui Iudicis ſententia de hoc crimine ſunt condemnati, vel qui de ſeipſis legitimo Iuris ordine hoc crimen coram Iudice ſunt confeſſi, vel denique de quibus id per idoneos teſtes in iudicio eſt plenè probatum vt docet Couarru. ſupra num.4. & 5. Infamia, aut ſemiplena probatio non ſufficit, teſte Couarruuia. Imò nec confeſſio extra iudicium, coram Parocho & teſtibus; vt docet Molina diſputat.333. quia confeſſio extraiudicialis non inducit notorium Iuris. vide Gloſſam capitul. Manifeſta. 2. quæſtione 1.

Manifeſti vſurarij, qui dicantur.

286 Prima pœna eſt, infamia Iuris. L. Improbum, 20. C. Ex quib. cauſ. irrog. infam. vnde ſi frater meus illum hæredem inſtituat, poſſum agere contra illum actione inofficioſi teſtamenti, vt docet Sylu. ex Bar. & patet ex L. Fratres. 27. C. de inofic. teſtam. Item ſi eſt Clericus, beneficij obtinendi eſt incapax; vtpote irregularis.

Infamia.

Secunda eſt, Quòd non ſint admittendi ad communionem altaris &c. Quia in omnib. 3. de vſur. quibus verbis non ſignificatur, vt quidam volunt, eos eſſe excludendos ab officio diuino tamquam excommunicatos, ſed ſolum à perceptione Euchariſtiæ; hæc enim communio altaris dici ſolet. Addo ipſos iure communi non eſſe excommunicatos; & pœnas eſſe reſtringendas.

287 Tertia, Nec ad oblationes offerêdas; d.c. In omnibus qui oblationes eorum acceperit, ipſo facto eſt ſuſpenſus ab officio, donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfecerit: & compellitur reddere; vt ibidem habetur.

Quarta. Nec ad confeſſionem peccatorum. donec ſatisfecerint reipſa pro ſua facultate; vel idoneam cautionem dederint; (nempe pignoratitiam vel fideiuſſoriam) idque vel creditoribus ipſis (ſi ſint præſentes) vel Ordinario loci, aut eius Vicario, vel Parocho coram teſtibus fide dignis, vel Notario publico habenti mandatum ab Ordinario; vt patet ex d.c. Quamquam, ſupra. Si talem cautionem præſtare non poſſunt debent iurare ſe non poſſe, & ſe facturos quidquid poterunt, vt fiat reſtitutio, ſi periculum non patiatur moram, ſtatim abſoluendi ſunt, & poſtea cautio exigenda.

288 Quinta, Nec ad ſepulturam Eccleſiaſticam, d.cap. Quia in omnibus. Imò qui eos ſcienter ſepelite præſumpſerit, ipſo facto eſt excommunicatus; nec eſt abſoluendus ſtonec arbitrio Epiſcopi ſatisfecerit. Clementina 1. de ſepulturis. Vbi non ſolum ueſpillonem, ſeu ſandapilarium, qui corpus in ſepulchrum demittit, puto comprehendi, contra Nauarr.cap.12.num.137. & Caiet.v.Excommun. cap.46. in hos enim rariſſimè competit illud, *qui propriè temeritatis audacia præſumpſerint ſepelire*; quod tamen hic requiritur. Vnde ridicula foret hæc conſtitutio, vt rectè docet Gloſſa in hanc Clemen. ſed etiam & in primis Parochum, qui funeri præeſt. hic enim propriè dicitur ſepelire. comitantes tamen non comprehenduntur; quia hi non propriè ſepeliunt, ſed funus honoris cauſa deducunt, & aſſistant.

Vtrum autem hæc cenſura & illa, de qua § 3. modo incurrantur ante ſententiam condemnatoriam vel declaratoriam criminis in ipſos vſurarios ſpecialiter latam, dubitari poteſt. Sanè in extrauag. Ad euitanda, quam refert Nauarr. cap.17.numer.35. videtur requiri ſententia ſpecialis. nec generalem Iuris prohibitionem ſufficere. ſed de hoc alibi.

Sexta, Teſtamenta ipſorum ſunt irrita. niſi ante mortem ſoluerint vel cautionem legitimam dederint. dicto capitul. Quamquam.

Septima, Eccleſiaſtici non poſſunt vſurarijs exteris elocare domos, aut permittere in eis habitare. imò tenentur eos expellere ex ſuis terris intra tres menſes: alioquin ipſo facto incurrunt pœnam ſuſpenſionis, ſi ſint Epiſcopi: excommunicationis, ſi ſint minores Epiſcopis; interdicti, ſi ſit Collegium vel Vniuerſitas Eccleſiaſticorum. vt patet capit.1.de vſuris in Sexto. vide plura apud Sylueſtrum & Couarr. ſuprà.

DVBITATIO XXIII.

Vtrùm montes, qui dicuntur pietatis, excuſentur ab Vſura, & qua ratione.

189 NOTANDVM eſt, in multis Chriſtiani orbis locis, iam à 160. & amplius annis, fuiſſe à pijs viris ingentes pecuniæ ſummas ad mutuandum pauperibus deputatas, quæ ſummæ ſolent vocari *montes pietatis*. conſtituti autem ſunt hi montes cum hiſce conditionibus.

Prima, Vt ex illis detur mutuum ad certam ſummã pauperibus loci, non exteris, aut diuitibus.

Secunda, Vt ad certum tempus, v.g ad annum, vel paulò amplius id eis permittatur.

190 *Conditiones montis.*

Tertia, Vt mutuatarij dent pignus idoneum: quia alioquin talis mons facilè exhauriretur, multis poſtea non ſoluentibus.

Quarta, Singulis menſibus aliquid minutum ſoluent pro ſumptibus neceſſarijs ad montis conſeruationem; vt pro ſtipendio miniſtrorum, qui montem cuſtodiunt, & adminiſtrant; ſemperque parati eſſe debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, cuſtodienda, reddenda; pro conductione domus, pro libris rationum, ceteriſque neceſſarijs inſtrumentis.

Quinta, Si tempore præſcripto non ſoluerint, venditur pignus; & quod ex pretio, detracta ſorte & menſtruis detrimentis ſuperfuerit, illis reſtituatur. Patent hæc ex Medina, de vſuris q.10. & Nauarro tract. de vſuris num.59. & ſequentibus.

His poſitis, Caiet.to.2.opuſc.6. cenſet hunc montem & hanc mutuandi rationem illicitam eſſe. Idem docet Sotus l.6.q.1.art.6. In eamdem ſententiam inclinat Sylu. Vſura 5. qu.4. Verum dicendum eſt, certum eſſe hanc rationem mutuandi & hoſce montes licitos eſſe & pios. Ita Nau. & Medina loco citato, & alij paſſim.

191 *Sententia Caietan. & aliorum.*

Montes eſſe licitos.

Probatur Primò, Quia Leo X. in Concilio Lateranenſi. ſeſſ. 10. vna cum ipſo Concilio approbat hoſce montes, tamquam pios, & cupit eos erigi cum conditionibus expoſitis; concedens Indulgentias ijs, qui manus adiutrices ad huiuſmodi erigendos porrexerint. denique excommunicationis ſententiam profert in omnes, qui contrarium docere vel cõcionari præſumpſerint, vt patet ex Bulla eiuſdem, quæ tota extat apud Medinam, & in to.4. Conc. vnde videtur hæc doctrina fide tenenda.

Reſpondet Sotus Primò. Caietanum, qui Concilio interfuit, non obſtante hac determinatione, integro opuſculo contrarium docuiſſe, idque eſſe ſignum eam non eſſe validam.

Sotus.

Reſpondeo, Caietanum ſcripſiſſe illud opuſculum ante Concilium, nempe anno 1498. ut patet ex fine opuſculi; Concilium autem, hoc definiuit anno 1515. ut patet ex fine Bullæ.

192

Secundò Reſpondet Sotus, hoc Concilium non eſſe receptum in ijs, quæ ſtatuit de eiuſmodi montibus. Sed hæc reſponſio nihil ualet: nam vt definitio alicuius ueritatis rata ſit, non eget receptione populorum; ſed hoc tantummodò locum habet in legum obligatione. non enim ueritas quæ definitur, pendet à receptione aut cenſura

ſura ſubditorum, ſed obligatio legis, quæ imponitur.

Tertiò Reſpondet, Concilium ſolum approbaſſe hoſce montes, quatenus non ſunt contrarij ſacris Canonibus; atqui conditiones poſitæ, tunc illis contrariæ, præſertim ea, qua pauperes iubentur aliquid ſoluere in ſingulos menſes.

Verum Sotus non videtur expendiſſe Bullam, quam Concilium approbauit: eam in ea expreſsè habetur & approbatur illa conditio his verbis, *Declaramus & definimus, montes pietatis, in quibus prouentus impenſis & indemnitate aliquid moderatum ad ſolatium ſtipendiorum impenſas, & aliarum rerum, ad illorum conſeruationem pertinentium, pro earum indemnitate deuitare vtra ſortem, abſque lucro communem montium receptor. nec mali ſpeciem præferre, nec vllo pacto improbari.* Id autem, quod ipſe dicit, ſcilicet non approbari quatenus eius capitula non ſunt contraria ſacris Canonibus, non habetur in illo Concilio; ſed Pontifices, qui fuerant ante Concilium, conditionem illam in ſuis Bullis adiecerant, vt patet ex Caietano. Sed quia hæc conditio maximas controuerſias inter Theologos excitauerat, debuit tota res apertè definiri in ſuis verbis ambiguis.

Concilium definitio.

Denique dicit Sotus non pertinere ad Concilium, huiuſmodi quæſtiones, quæ magis ex philoſophia, quam Sacris literis pendent; definire. Sed hæc reſponſio parum digna eſt tanto viro. Nam ad Concilium pertinet, definire omnia ex quibus pendet ſalus animarum; vt, vtrùm hoc licitum, an illicitum, peccatum an meritum. hoc enim noſſe non minus neceſſarium eſt, quàm quæ mere ſpeculatiua: nam proximè pertinent ad hominum mores. & ſanè Eccleſiæ auctoritas eſſet valdè imperfecta, ſi de his certo & infallibiliter ſtatuere nò poſſet. Neque opus eſt, dum non agitur de veritate aliqua ſupernaturali, vt decisio ex Sacris literis vel traditionibus immediate colligatur; ſed ſatis eſt ex illis mediate ſeu remote aliqua adumenta peti; ex quibus vnà cum ratione naturali rectis veritas illa firmiter deducatur. quomodo etiam ab Eccleſia definitum eſt, *animam rationalem eſſe corporis formam.*

Secundò, Probatur ex Concilio Tridentino, hoc enim Concilium ſeſſ. 22. cap. 8. 9. 11. enumerans loca pia, quæ ab Epiſcopo viſitari debent, ponit etiam hoſce *montes*; ſuppoſuit ergo eſſe pia opera, vt xenodochia, &c.

193 Tertiò, Probatur ratione. Primo, Quia nihil exigitur à mutuatarijs ratione mutuationis, ſed ſolum ratione expenſarum, quæ neceſſariæ ſunt ad montis conſeruationem & adminiſtrationem; vt patet ex Bulla Leonis: atqui licitum eſt aliquid pro his expenſis exigere: ergo quod in illis montibus datur, iuſtè exigitur. Minor probatur, quia expenſæ illæ fiunt in gratiam & commodum eorum, qui mutuum petituri ſunt, nempè vt maius damnum euitent, nec cogantur vſurarios accedere; ergo ſi quis cupiat frui commodis montis, poteſt cum eo inire pactum, vt pro ſua parte ad illas expenſas contribuat. par enim eſt, vt qui commodis alicuius rei frui cupit, etiam contribuat ad illius rei neceſſariam conſeruationem. Secundò, Nulla æquitas poſtulat, vt quis cum damno ſuo mutuet: ergo tantum exigere poteſt, quantum eſt neceſſarium ad damnum vitandum: & conſequenter quantum opus eſt pro domo conducenda, pro ſtipendijs miniſtrorum, pro libris, &c. atqui hæc non poſſunt commodius exigi, quàm ſi ſinguli pro ratione mutui contribuant. cum enim ad eos ſimul ſumptos hoc onus pertineat, debet diſtribui in ſingulos pro ratione commodi, quod ex monte percipere volunt. Nullo tamen modo poteſt aliquid exigi vt mons augeatur, vel vt dominus illius ditior fiat. vt rectè Medina q. 10.

194 Hinc ſequitur, etiam hominem priuatum poſſe huiuſmodi montem inſtituere, etiamſi pecuniam illam ſub onere alicuius cenſus acceperit, & exigere à mutuatarijs quantum opus eſt, vt ſe indemnem præſtet, etiamſi 8. vel 10. in 100. ab illis ſoluenda eſſent. dum enim hoc eorum in commodum illorum agit, & veluti negotium illorum vtiliter gerit, poteſt exigere quantum opus eſt vt ſe indemnem præſtet. Negotium eorum vtiliter geri, patet; quia tunc non ſoluerent niſi 8. vel 10 cum iam ſoluant 33. & in quibuſdam locis 44. vel 45. Nec obſtat, quòd eo amplius exigatur, quo diutius ſortem retinent; quia par eſt vt illi plus ad onera montis contribuant; qui diutius illius commodis fruuntur, quorumque pignora diutius cuſtodiuntur. Denique non obſtat, quòd illi, qui dant pignora, in quibus nihil moleſtiæ (vt catenam auream vel annulum) tantum ſoluant, quantum eis dant moleſtiora, vt veſtes: quia debuit certa quædam & æquabilis ratio erga omnes conſtitui. quando enim ob varias circumſtantias non poteſt vbique ſeruari æqualitas, ſufficit aliquid generatim determinari, quod maximè videatur accedere. Ex his patet reſponſio ad ratione Soti & Caietani.

Ex dictis patet, valdè optandum & ad laborandum eſſe, vt paſſim per oppida huiuſmodi montes, ſublatis vſurarijs, qui vbique dominantur, & plebem exhauriunt, excitentur. Inde enim multiplex vtilitas in Republic proueniret. Primò, impediretur peccatum vſuræ, Deo & hominibus valde deteſtabile. Secundò, Pecunia remaneret in patriam, cum iam alio exporteretur: quia vſurarij ferè ſunt exteri, qui ſedem ſæpè mutant; & vbi euaſerint opulenti, in ſuas regiones redeunt. Tertiò, Incolæ pecunia affluentes haberent locum vbi ſecure & fructuose eam poſſent collocare, emendo cenſus ſuper monte fundatos: tales enim cenſus eſſent optimi & ſecuriſſimi. vnde numquam deeſſent qui pecuniam copioſe conferrent. Quartò, Homines tenuiores, in omni euentu ad ſua negotia poſſent ſtatim habere pecuniam numeratam, atque ſine notori detrimento, ſoluendo 6. 7. 8 9. vel 10 in 100 aut etiam multo minus: nam credibile eſt ſucceſſu temporis multos fore, qui hoſce cenſus ſint condonaturi, vel teſtamento relicturi, aut alias ſummas legaturi: ſicque ſenſim montem ad magnas opes peruenturum, vt tandem ſerpium, ſine notabili contributione mutuatariorum, poſſit ſuſtentare; ſicut in multis Italiæ locis accidiſſe videmus. Quintò, Vendens pignoribus, reſtitueretur quod ſortem & detrimenta excedit: cùm vſurarij eorum pretium pignoris, etiamſi multo pluris valeat, ſibi reſeruent.

DVBITATIO XXIV.

Vtrùm ſi Vſurarius, qui mihi ſit debitor 100. librarum, aſſignet mihi ſolutionem petendam ab eo, qui Vſuræ nomine ei debet tantumdem, poſſim acceptare & exigere.

QVòd poſſim, Probatur Primò, quia Antuerpiæ, & paſſim per orbem dantur & acceptantur tales aſſignationes, nec quiſquam ſibi facit ſcrupulum: itaque videtur hoc vſu gentium receptum. Secundò, Quia nullam facio iniuriam debitori vſurario; ſi enim mihi non ſoluiſſet, debuiſſet ſoluere vſurario. Tertiò, Poſſe vel repetere vſuras, quas mihi ſoluit, ſeu per habebitum rectum ad vſurarium, cui eas primò debebat: & ita nihil ego ei damni intuliſſe cenſebor.

195 *Non poſſum exigere.*

Reſpon. tamen & dico Primò, Me non poſſe à tali hanc aſſignationem exigere, ſi mihi certo conſtet illam vſurario nullo modo deberi.

Probatur Primò, Quia communis ſententia Doctorum eſt, famulum vſurarij non poſſe exigere vſuras nomine ſui domini, eò quòd non debeantur: ergo neque creditor vſurarij poteſt eas exigere: non enim hic minus exequitur iniquam exactionem, nec minus exigit indebitum, quàm famulus.

Secundò, Ipſe vſurarius non poteſt eas exigere: & ſi exigat, peccat contra iuſtitiam & tenetur ad reſtitutionem, vt omnes fatentur; ergo nec creditor vſurarij poteſt. patet conſequentia, quia creditor vſurarij non habet pluris iuris in illum, quàm ipſe vſurarius: cum non exigat illas niſi ex vi chirographi, & iuris, quod vſurarius in illum tráſtulit; quod ius nullum fuit, ſicut & chirographum iniquum.

Tertiò, Creditor vſurarij eodem titulo illas exigit, quo ipſe vſurarius exigeret, nempè tamquam debitas pro vſu pecuniæ & ab vſurario mutuatæ: (ſicut ſi tibi ſint debita 100. a Petro cauſa venditionis, & mihi ſoluas chirographo Petri, exigam illa 100. titulo venditionis, quo tibi debentur) atqui exigere illas eo titulo, quo exigit vſurarius, eſt iniquum: ergo creditor vſurarij iniuſtè exigit.

Quartò, Si tyrannus, qui Rempublicam vi oppreſſit, debeat tibi 1000. & det aſſignationem ſuper ſubditos, quibus iniuſta tributa impoſuit, non potes abeis ſolutionem

exigere cuius non eſt alia ratio, quàm quòd tyrannus nullum ius ad illa habeat ac proinde nec alteri dare poſſit: ergo ſimiliter ſi vſurarius, vel alius iniquus oppreſſor aſſignet ſolutionem ſuper eos, qui nihil ei iuri debent, non potes illos conuenire.

Quintò, Qui ſoluit vſuras creditori vſurarij, poteſt ſolutum repetere; & ſi alia ratio ei non ſuppetat, vti occulta compenſatione: quod ſignum eſt, ei factam iniuriam, non ſolùm ab vſurario, ſed etiam à creditore. Antecedens patet, tum quia ſi ſoluiſſet vſurario, poſſet repetere, & vti compenſatione erga illum: ergo etiam dum ſoluit creditori vſurarij, qui eodem iure ſciens & prudens ab illo exegit, poteſt repetere & vti compenſatione: tum quia non eſt translatum dominium illa ſolutione. ſicut enim non transfertur dominium vſurarum in vſurarium, qui proprio nomine illas exigit, ita neque in illum, qui nomine & iure vſurarij; præterea cùm hic etiam ſciat non ſubeſſe titulum.

196 *Tenetur ad reſt. primo loco.* Ex dictis ſequitur Primò, Eum qui ex vi talis chirographi ſolutionem accepit à debitore vſurarij, teneri ad reſtitutionem primo loco; quia tenetur ratione rei acceptæ, quamdiu pecuniam eius apud ſe habet: ea autem alienata tenetur ſolum ſecùdo loco, nempe ſi vſurarius, qui principalis eſt auctor damni per contractum vſurarium, & in cuius commodum facta eſt ſolutio ipſius creditori, non reſtituerit.

Secundò, Poſſe vtrumque conueniri & cogi per Iudicem ad reſtitutionem, ratione iniuſtæ actionis per quam damnum alter accepit. qui enim damnum à pluribus per iniuriam accepit, ita vt ſinguli in ſolidum ſint obligati, poteſt à quolibet eorum compenſationem exigere, prout illi commodius fuerit, nec tenetur inter eos ordinem ſeruare, quamuis ipſi inter ſe ordinem tenere debeant: nam ratione iniuriæ habet immediatè ius in ſingulos. Neque poteſt Magiſtratus impedire ne vſuræ ſolutæ repetantur, quia Clemens V. approbante Concilio generali, excommunicat omnes Iudices & magiſtratus, qui ſtatuunt vel iudicant, vt vſuræ, cum repetuntur, non reſtituantur. vt patet Clemen. vnica, de vſuris.

Ad argumenta.

197 Ad primum Reſpondeo, Apud Chriſtianos, vbi vſuræ puniuntur, nõ acceptari à viris probis tales aſſignationes quando conſtat eas non deberi. Sed quia plerumque præſumuntur iuſtæ, eò quòd non conſtet de contrario, ideo paſſim illis fit ſolutio. vbi autem vſuræ communiter fiunt, non eſt mirum eas acceptari. ſed hæc conſuetudo non facit illud licitum, cùm ſit corruptela contra Ius naturæ.

Exigere illas eſt iniuria. Ad ſecundum. Nego nullam fieri iniuriam dum exiguntur illæ vſuræ: exigere enim id, quod nullo titulo eſt debitum, idque nõ gratia ſoluentis, vt ei commodetur, ſed gratia exigentis, eſt vera iniuria; & ſolutio non minus fit inuitè, quàm ſi fieret ipſi vſurario, cùm eodem titulo fiat. Accedit, quòd ſi ille non exigeret, poſſet adhuc pecuniam retinere. Denique quia exiguntur à creditore vſurarij tamquam inuitum debitum: qua etiam in re fit iniuriam, cũ vſurarij titulus approbetur.

Ad tertium, Etiamſi idem damnum accepturus erat per vſurarium, tamen hoc non excuſat alterum; tum quia fortè non tam citò; tum quia ſicut vſurarius illud iniuſtè intuliſſet, & fuiſſet obligatus ad reſtituendum, ita qui loco illius infert, iniuſtè agit, & tenetur ad reſtitutionem.

198 Dico Secundò, Si mihi non conſtat illam iniuſto titulo exigenda eſſe, eò quod proximus non ſit condemnãdus vſuras niſi res ſit euidẽs, poſſum tali aſſignatione vti, & exigere ſolutionem. Probatur Primò, quia quando res non eſt euidens, poſſum inducere in animum ſubeſſe cauſas, ob quas iuſtè poſſit exigi per meum debitorem, ac proinde me etiam poſſum exigere. Secundò, Quia cùm inter mercatores plerumque fiat ſolutio per aſſignationes: ſi propter aliquod leue dubium vel ſuſpitionem deberent recuſare aſſignationes, non poſſent inter ſe tractare. ſi tamẽ iuſtæ rationes ſubitandi occurrant; inquirenda primum eſt veritas, vel aſſignatio recuſanda. manẽte tamẽ dubio poſt debitam inquiſitionem, poteſ eã ſuſcipere, quia in dubio proximus non eſt cenſendus vſurarius, ſed iuſtus negotiator; ac proinde eius aſſignatio putanda eſt iuſta. ſi tamen poſtea contrarium deſectum fuerit debeo eſſe paratus reſtituere, illo non reſtituente, niſi tempus vſucapioni neceſſarium effluxerit. Simile eſt in emptione rei, de qua dubito an ſit furtiua, ſeu an venditor eam iure poſſideat. de quo vide ſupra cap. 14. dub. 4.

Petes, Quid ſi ipſe vſurarius vel alius iniquus poſſeſſor pecuniam ab aliquo iniuſtè acceperit, & ea mihi ſoluat, teneorne eam reſtituere ei, cui ſcio iniuſtè extortam, vel ſurreptam? 199

Si ſcio hanc pecuniã eſſe alienam teneor eam reſtituere. Reſpondeo, Si mihi conſtat hanc pecuniam materialem alienam eſſe, in rigore Iuris teneor eam reſtituere. Primò, Quia dominium non eſt translatum in vſurarium, vti ſuppono; neque etiam in me, quia non poteſt vſurarius rei alienæ in me dominium transferre, ac proinde nullum Ius habeo ad eam retinendam. Secundò, Dominus illius pecuniæ poteſt eam ſibi vindicare, vbicumque eam inuenerit, etiam per occultam compenſationem, accipiendo æquiualens à poſſeſſore illius. quod ſignum eſt me teneri ad eius reſtitutionem; præſertim ſi ſciam eum, qui eam dedit, non reſtituturum æquiualens. Tertiò. Si equum, vestem, vel aliam rem, quam in ſpecie ſcio eſſe Petri, non poſſum retinere inuito Petro, cur poſſim retinere pecuniam, quam in ſpecie ipſius eſſe ſcio? Quartò, Non habeo vllum alium titulum ad eam retinendam, quàm illum, quem habebat iniquus poſſeſſor, à quo eam accepi; ſed ille non habebat iuſtum titulum ad eam retinendam, ſuppoſito quòd non voluerit domino reddere aliam æquiualentem; ergo nec ego habeo vllum titulum iuſtum illius retinendæ, ſuppoſito quod nec ego, nec ille habeat uoluntatem reſtituendi domino æquipoſſentem. Quintò. Acceptum à fure, uel alio iniquo poſſeſſore, reſtituendum eſt uero domino omnium DD. ſententia; niſi uel contractum cum fure mox diſſoluas, ne amittas pretium reſtituel certò ſcias furem domino reſtituturum æquiualens, quod ipſi æquè placeat ac res ſua. Neque hic excipienda pecunia, quia omnes generatim loquuntur de re aliena, & eadem eſt ratio pecuniæ, & aliarum rerum, quæ functionem recipiunt, ſeu quæ in numero, pondere, & mentura conſiſtunt.

200 *Obiectio.* Dices, Dominus huius pecuniæ parum curat cui hi materiales nummi dentur; quia non ideò redditur ipſius cõditio peior, quamdiu prior iniquus poſſeſſor eſt ſoluendo; nam æquè facilè poteſt recuperare rem ſuam; ergo non cenſet ſibi ullam à me fieri iniuriam. ſi ego hanc pecuniam, mihi à priore iniquo poſſeſſore numeratam accepiem.

Reſpondeo, Illum parum curare cui illa pecunia numeretur; quia ille, cui numeratur, manet ſimiliter obligatus ad eam reſtituendam, taltem ratione rei acceptæ. non enim per hoc quòd permittit eam alteri numerari, & ratam habet illam numerationem, intendit cedere Inre ſuo, quod in rem ipſam habet, aut liberare alterum obligatione, quam ex rei alienæ uſurpatione contrahit. Idem dicẽdum de omnibus rebus functionem recipientibus; nam ſi quis eas accipiat gratis, uel contractu onerofo ab iniquo poſſeſſore, ſciens eſſe alienas; tenetur ratione rei acceptæ uero domino; etiamſi domino perinde ſit in quem hęc res fuerit alienata. Vnde patet, ſi is, cui hæc pecunia numeratur, eam acceptet cum animo non reſtituendi, etiam eo euentu, quo prior poſſeſſor nollet reſtituere; eum facere iniuriam uero domino, cuius illa pecunia erat: non enim poteſt eam acceptare, niſi cum animo reſtituendi, in euentum quo prior nollet reſtituere. Idem dicendum de ijs, qui emunt pignora, quæ ſciunt eſſe in ſpecie aliena, utpote pro ſolis uſuris accepta; ſed hoc uix unquam conſtare poteſt: putantur enim uendita pro ſorte & uſuris; quæ uenditio ſatis eſt ad transferendum dominium in uſurarium, etſi teneatur pretium ſupplere.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

De Emptione & venditione. *D. Thomas quæſt. 77.*

Habet 21. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid Emptio, venditio, negotiatio, & hæc quibus prohibita.

1 RESPONDEO, *Emptio* definiri poteſt, *pactio rei pro merce. Venditio, pactio mercis pro pretio.* colligitur ex L. 1. ff. de contrahenda emptione. vbi tria requiruntur pro forma, ſeu ſubſtantia huius cõtractus, merx, pretium, & mutuus conſenſus.

Merx. *Merx* vocatur quæuis res vendibilis, tales ſunt res omnes mobiles & immobiles, actiones & iura, quæ pecunia æſtimari & comparari ſolent. Item omnia bona præſentia & futura, ſimul ſumpta: hæc enim vno actu vendi poſſunt, etſiamſi non poſſint donari, vt colligitur ex L. Stipulatio hoc modo concepta. 61. ff. de verb. oblig. quia per talem venditionem non impeditur libera facultas teſtandi; cùm poſſit de pretio teſtari: impeditur verò per gratuitam donationem. Pari modo merx & res vendibilis eſt hæreditas iam delata, non tamen ea, quæ nondum delata eſt; vt quæ expectatur ab homine viuente. huius enim venditio eſt irrita; vt pote contra bonos mores, vt patet ex L. 1. de hæred. vel act. vendita.

Pretium. *Pretium* verò eſt nummus ſeu pecunia: hæc enim inuenta eſt vt ſit menſura & pretium omnium, quæ in contractus humanos veniunt; vt docet Ariſtot. lib. 5. ethic cap. 5. Neque hæc per ſe merx eſſe poteſt, aut iuſtæ mercis vendi; niſi ratione materiæ, vel circumſtantiæ, quæ ipſius rationi ſit extrinſeca: vt quia vetus, quia pulchra, quia commoda ad transferendum, quia abſens, quia difficilis recuperatu, &c. Ante vſum nummi non erat emptio, vel venditio, ſed ſolum permutatio, vt d. L. 1. ff. de contrahenda emptione, habetur, ſed quia ea res erat incommoda, inuentus eſt nummus.

Perficitur conſenſu. *Eſt pactio.* hoc ponitur loco generis, quia emptio & venditio ſunt ſpecies pactionis: vel potius partes vnius integræ pactionis, quæ ſit ſpecies pactionis in genere. nã ex emptione & venditione fit integrum pactũ, quod conſenſum duorum intrinſecè includit. illæ autem partes, etſi diſtinctæ ſint, tamen ſe mutuò reſpiciunt, adeò vt altera ſine altera non poſſit intelligi: ſicut in alijs relatis accidit.

Porrò conſiſtit hic contractus in nuda pactione ſeu conuentione partium: nec requirit ad ſui ſubſtantiam traditionem rei aut pretij; quia ſolo conſenſu perficitur, vt dictum eſt ſupra c. 17. dubit. 2. & habetur d. L. 1. ff. de contrahenda emp. in fine vnde inter abſentes contrahi poteſt, & per nuntium, & per literas, vt ibidem dicitur. vt tamen transferatur dominium per hunc contractum, requiritur traditio, vt conſtat ex cap. 3. dub. 3. vnde non ſecuta vtrumque traditione, cenſetur adhuc incompletus, quia etſi ſecundùm ſubſtantiam perfectus ſit, non tamen habet vltimum ſuum complementum ad quod contrahentes peruenire intendunt. Hinc quando emptioni aut venditioni pœna aliqua apponitur, ea intelligenda eſt de actibus vtrimque per traditionem completis, niſi expreſsè legislator aliud intendat. Pari modo, non requiritur ſtipulatio; quia eſt contractus bonæ fidei: nec ſcriptura; niſi partes ante vel in contractu ita velint ad maiorem ſecuritatẽ; & tunc cenſentur ſuſpendere ſuum conſenſum extremum, donec conuentio ſcripto ſit conſignata & relecta, vt docet Gomezius tom. 2. c. 2. num. 17.

Eſt contractus reciprocus. Diſtinguitur ab alijs. Cùm dicitur *pretij pro merce*, & *mercis pro pretio*, indicatur apertè, hunc contractum eſſe reciprocum, & requirere promiſſionem ſeu mutuum conſenſum hac parte diſtinguitur tum à donatione & promiſſione liberali; tum ab omnibus alijs contractibus, in quibus ſit commutatio inter alia, quam inter mercem & pretium: ut eſt permutatio, mutuum, & omnes contractus innominati. item locatio, & cõductio: res enim, quæ dicitur locari uel conduci, non datur pro pretio; ſed ſolùm conceditur ad uſum: quamuis uſus ipſe quodammodo uendi uideatur, qua pro pretio conceditur. ſed propriè non dicitur uendi; quia non tam uſus ipſe, quàm res utenda, proponitur in contractu.

Petes, Quid ſi pro re aliqua detur pecunia & res, (ut pro domo alia domus, & 100. aurei) eritne emptio uel uenditio?

2 Reſpondeo, Si res illa, quæ datur, ſit multò maioris uaſ. *Si detur pecunia & res pro eo.* loris, quã pecunia, erit permutatio: ſi uero pecunia ſit multò maioris uaſoris, cenſebitur emptio & uenditio; nam à maiori parte ſit denominatio. quod ſi ſint paris ualoris, uel ferè paris, cenſebitur talis contractus, qualem ipſi intenderunt. de quo uide Gomezium num. 10.

3 Ex his ſequitur, quando tributum aliquod ſoluendũ eſt ex contractu emptionis & uenditionis, hoc tributũ ſtatim poſt conuentionem partium incipere deberi, etiamſi res nondum ſit tradita, aut pretium ſolutum; quia debetur ex contractu perfecto: hic autem perficitur ſtatim per conſenſum mutuum uerbis expreſſum. quod intellige ſi conſenſus ſit abſolutus, & pretium ſit determinatum. ſi enim conſenſus ſit *conditionatus*, ſuſpendit contractum uſque ad euentum conditionis: qua poſita contractus perficitur; ſed eo modo, ut eius effectus, qui eſt obligatio abſoluta, iuris fictione retrotrahatur ad tempus initi contractus, perinde ac ſi ab initio conſenſus abſolutus fuiſſet, ut conſtat ex L. Qui balneum. 9. & L. *Potior.* 11. ff. Qui potiores in pignore. & alijs iuribus. *Tributum in re contractuum emptionum.* *Si conſenſus ſit conditionatus.*

Sed hoc intellige ſi cõditio ſit caſualis, ſecus uerò ſi poteſtatiua: tunc enim non fit retrotractio. Ita docet Bart. in d. L. Qui balneum. & faſè in L. Si is qui pro emptore in qu. 5. num. 44. & ſeqq. ff. de uſucap. *Limitatio.*

Caſualis conditio dicitur, cuius impletio non eſt ullo modo in poteſtate eius cui imponitur, ſed pendet ab euentu fortuito; ut ſi naues ex India uenerint hoc anno.

Poteſtatiua eſt, cuius impletio eſt in poteſtate eius ſolius cui imponitur; ut ſi tutelam ſuſceperis, ſi officiũ tuum mihi reſignaueris.

Ratio eſt; quando conditio eſt poteſtatiua, intẽdit is, qui conditionem apponit, allicere alterum ad celerem impletionem. vnde tunc impleta conditione non debet fieri retrotractio; ſed contractus tunc primum incipiet, quaſi tunc ſolum initus eſſet. alioquin non excitaretur ad conditionem celerius implẽdã. nam perinde eſſet ſiue citius, ſiue tardius impleretur: cum æquè ad initium contractus obligatio retraheretur. Hæc autem ratio ceſſat, quando conditio contractui apposita eſt caſualis. Vnde cum is, qui hanc conditionem apponit, ſit ita affectus, vt vellet ſtatim inducere obligationem abſolutam, ſi ea conditio præſens eſſet, ita refert ſe ad euentum conditionis, vt ea poſita velit omnia fieri, quaſi ab initio extitiſſet. Atque hoc modo interpretandi ſunt contractus, niſi conſtet aliam fuiſſe mentem cõtrahentium. Hi enim ita poſſunt contrahere, vt etiamſi conditio ſit caſualis, non fiat retrotractio; & è contrario vt fiat, quando eſt poteſtatiua. ſed tunc id diſertè debet exprimi. alioquin præſumendum in dubio ſicut diximus.

Hinc fit, vt etiam debitum vectigalis retrogatur, & debeat ſolui redemptori, qui erat tempore contractus; non autem qui eſt dum impletur conditio. *Si retrotractio ſit habenda.*

Simili modo, quando contractus requirit *ratihabitionem* alterius, etiamsi absolute nitus videatur, non censetur perfectus, nisi accesserit ratihabitio; quia talis contractus ex dispositione iuris cõtinet tacitam conditionem, quæ illi vim dare debet, eumque perficere. quæ vbi accesserit, perficetur quidem contractus; sed eo modo, vt fictione iuris hæc perfectio, & obligatio eam sequens retrotrahatur, perinde ac si hæc omnia ab initio fuissent. nam perinde omnia sunt agenda. Colligitur ex reg. Ratihabitionem de reg. Iur. in 6. & L. fi. C. ad S.C Macedon. vbi id elegantèr explicatur: & ex multis alijs Iuribus, quæ citat Gomez. to. 2. c. 11. nu. 30. vbi hanc rem fusè tractat.

Si pretium indeterminatum.

Denique non est perfectus contractus emptionis, si pretium non sit *determinatum*; vt si contrahentes conferant illud in arbitrium tertij. est quidè validus contractus priusquã ille definiat, ita vt non possint retrocedere absque mutuo consensu, non tamen est perfectus, vt patet §. Pretium, Institutio. de emptione & venditio vnde non debetur vectigal ante definitionem. hic tamen non habet locum retrotractio; quia contractus fuit absolutus, non conditionatus, aut requirens ratihabitionem; sed ob solam pretij indeterminationem imperfectus. videre de his est plura apud Gomezium supra & nostrum Molinam disp. 337.

4 *Negotiatio.*

Negotiatio est cum quis rem aliquam comparat eo animo, vt integram & non mutatam vendendo, lucretur; vt ait Chrysostom. homil. 38. in Matth. & habetur capitul. 11 Ejciens. distinct. 88 vbi illud *vendendo* accipitur generatim vt etiam *permutationem* contineat; nam apud barbaros negotiatio fit permutatione: & campsores permutatione pecuniæ negotiantur. Hæc res per se non est illicita, sed indifferens; quia ad bonum, malum, vel indifferentem finem referri potest; vt ostendit Diuus Thomas, quæstione 77. articulo quarto.

Obijcies verba Chrysostomi, *Ejciens* (inquit) *Dominus vendentes & ementes de templo; significauit, quòd mercator numquam potest Deo placere: & ideo nullus Christianus debet esse mercator.* Respondet D. Thom. Chrysostomum loqui de eo qui finem vltimum in lucro constituit, paratus offendere Deum mortifere vt lucretur: quod plerique faciunt, vel (quod in idem redit) loquitur de eo, qui fraudibus & periurijs negotiationem exercet.

Clerici prohibita.

Aduerte tamen Primò, Eam esse prohibitam Clericis, vt patet cap. Consequens. dist. 88. vbi Gelasius ait, *Clericis ab indagris quælibus abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio effugiendum, aut in quocumque gradu sint positi, mox à clericalibus officijs cogantur abstinere.* Idem patet capitul. Negotiatorem. 8. ex Hieronymo & capitul. Fornicari. 9. ex August. & capit. finali. de vita & honestate Clericorum & cap. Secundum 6. Ne Clerici vel Monachi, vbi Pontifex ait, *Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur.* Ex his patet esse peccatum mortale, si multum negotiationi dent operam. quod intellige de Clericis, qui sacris initiati; de Monachis verò generatim, vt notat Medina C. de rettr. quæstio 2. Causa secunda, in fine. Ratio cur Ecclesia id tam seuere prohibuerit, est tum quia valdè indecorum est, Clericos lucris captandis incumbere; tum quia mirè occupat animum & à spiritualibus auocat; tum quia plena est periculis periurij, fraudum & inuitiæ. vnde Ecclesiastici 26. *Duæ species difficiles, & periculosa mihi apparuerunt; difficilè exuitur negotians à negligentia* (intellige rerum ad salutem pertinentium) *& non iustificabitur caupo à peccatis.* Idem apertius Apostolus 1. ad Timotheum 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus*, rationem subdit, *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Ratio vetandi.

Quid illis permissum.

5 Aduerte Secundò, posse Clericos comparare rem aliquam; vt fit materia ex qua aliam conficiant, quã vendant; quia id non est negotiari, vt expressè Chrysostomus supra docet. si olim Religiosi sportas, storeas, & similia faciebant vt venderent & ex pretio se sustentarent: & Apostolus autem scenofactoriam faciebat. Similiter possunt agros proprios colere, vt fructus vendant; lapides vel metalla ex suis fundis cædere vel eruere, siue ea mutent in aliam speciem siue non; greges in suis prædijs alere, vt ex fœtu, lacte, lana, pecuniam conficiant, aut vt ipsa animalia adulta & sagina-

ta vendant, vt rectè docet Medina C. de rettr. 3. Causa secunda, & Medina disp. 342. hæc enim omnia sunt fructus vel quasi fructus agrorum.

6 *Conductio alienæ prædij.*

Tertio, Non possunt tamen conducere aliena prædia, vel similes res fructiferas, vt fructus vendant, & ita quæstum faciant. etsi enim hoc non sit negotiatio, est tamen expressè prohibitum 21 q. 3. ca. 1. 2. & 3. ex Concil. Carthag. 1. & 4. secus si pro sua necessaria sustentatione. Ibidem prohibetur, ne suscipiant administrationem vel procurationem domus secularis.

Per alios negotiari.

Quarto, Non esse peccatum si Clerici vel Religiosi per alios negotientur, qui totam industriam præstent, vt si pecuniam in societate mercatorum depositam habeant; quia tunc cessat ratio prohibitionis, & quia solum prohibitum est, ne per se negotientur, vt probat Medina supra. videtur tamen parum decorum statui ecclesiastico. vnde non putarem faciendum, nisi iusta aliqua causa excusset.

DVBITATIO II.

Quodnam censendum sit æquale, seu iustum pretium rerum venalium.

RESPONDEO. *Iustum pretium* censeri, quod vel à potestate publica ob bonum commune est taxatum, vel communi hominum æstimatione determinatum. 7 *Iustum pretium.*

Dupliciter imponitur.

Dupliciter enim solet pretium imponi. Primò, Per Principem vel Magistratum, qui consideratis circumstantijs, ex quibus æstimatio rerum pendet, statuunt quanti vendi debeat; idque potissimum ne emptores decipiantur, vel cogantur soluere, pro libidine venditorum. Hoc vocant DD. *pretium legitimum*, quasi lege definitum. Quòd autem hoc iustum censeri debeat, (*nisi forte* contet ipe munerum, vel odio venditorum, vel crassa ignorantia taxatum esse) patet; quia quod potestas publica ex officio statuit, non potest à subditis in dubium vocari. atqui hoc pretium statuit ex officio. sicut enim ceteris in rebus bonum commune curare ad potestatem publicam pertinet, ita etiam in negotiatione, ad auertendas fraudes & pauperum expilationes. Accedit quòd superiores possunt melius ceteris omnes nosse circumstantias, ex quibus æstimatio rerum crescit vel decrescit; quarum quædam spectantur circa merces ipsas, vt copia, inopia, necessitas, & vtilitas earum, quædam circa venditores, vt labores, expensæ, pericula, damna in illis comparandis, adducendis & conseruandis. item modus vendendi, nempè an citrò offerant an rogati vendant; quædam circa emptores, sitne multi an pauci, sitne pecuniæ copia an inopia. 8 *Circumstantiæ considerandæ in taxatione.*

Communi hominum æstimatione.

Secundò, Imponi solet communi hominum intelligentium æstimatione, unde dicitur *vulgare*: à quibusdam verò *naturale*, tanquam à naturali prudentia constitutum, cerniturque in ijs rebus, quibus à publica potestate pretium non est impositum. quòd autem hoc iustum censeri debeat, patet ex L. Pretia. 63. ff. ad L. Falcidiam: vbi dicitur, *pretia rerum non ex effectu, nec vtilitate singulorum, sed communiter fiunt*, id est, definiuntur & taxantur; nisi forte legendum sit *fiunt*, ratio est; quia iudicium priuatum est fallax, & facilè lucri cupiditate peruertitur. iudicium verò commune est minus errori obnoxium. quare cum hoc certior regula non suppetat, hoc sequendum est. Fit autem hæc communis æstimatio consideratis prædictis circumstantijs: uide Nauarr. cap. 23 nume. 78. & sequentibus, Medinam Codic. de restituno. quæstione trigesima prima. Couarru. libro secundo uariarum, cap. tertio, in principio. 9

Communis hominum æstimatio.

Notandum autem, esse discrimen inter hæc duo pretia; quòd *pretium legitimum* consistat in indiuisibili; *vulgare* non item; sed habeat quamdam latitudinem, vt docet Scotus dist. 15. quæst. 2. & alij DD. ratio est, quia legitimum taxatur ab uno uel à multis in unum conuenientibus: uulgare autem à plurimorum iudicio pendet, qui non idem omnino iudicant. quod enim aliqui æstimant 9. alij æstimant 10. alij 11. Hinc fit, ut *pretium uulgare*, ht triplex ut communiter docent DD. *Infimum* seu pium, *medium*, *summum* quod *& rigorosum* dicitur: u. g. pretium medium sit 10. infimum erit 9. plus minus, summum, n. rursus medium sit 100. infimum 95. summum 105. ut ait Couarruu. supra 10 *Differentia pretij legitimi & uulgare.*

11 *Pretium uulgare triplex.*

num.

mum : ipſum quoque medium ſuam habet latitudinem, ſimiliter infimum & ſummum.

15 Hinc vlterius ſequitur, quando pretium lege taxatum eſt, non licere amplius accipere; ſed reſtituendum, quod ſupra exigatur. quando autem pendet ex vulgari æſtimatione, licere eamdem rem triplici illo pretio vendere, prout occaſio tulerit.

Quando pretium vulgare & legitimū diſcrepant.

Petes, Quid ſi pretium legitimum diſcrepet a vulgari, v.g. tritici legitimum pretium ſit 10. regalium, vulgare autem propter abundantiam vel raritatem emptorum ſit 8. licebitne vendere pretio legitimo?

13 *Si legitimū ſit maius.*

Reſpon. & dico, Primò. Si pretium legitimum maius ſit quàm vulgare, ordinariè non eſſe licitum exigere pretium legitimum: ratio eſt, quia ordinariè pretium taxatur in gratiam emptorum vt non excedatur; non autem vt infra non deſcendatur, ſi circumſtantiæ varientur. & communis æſtimatio minoris facit. Dixi *ordinariè*, quia interdum taxatur in gratiam venditorum, vt non minuatur; (vt ſit in editione cenſuum perpetuorum & vitalium & ſimilium iuriũ, quæ homines non niſi coacti penuria vendunt) & tũc licebit totum pretium legitimum exigere. Imò ſi quis minoris emeret, non eſſet tutus in conſcientia. Ratio eſt, quia iudicium Magiſtratus præferendum eſt iudicio populari; nam Magiſtratus auctoritate publica & boni communis intuitu tale pretium conſtituit.

14 *Si minus.*

Dico Secundo, Si pretium legitimum ſit minus, vulgare maius; ſi licebit exigere vulgare, ſed ſolum legitimum: ratio eſt; quia hoc cenſendum eſt verum rei pretium a Magiſtratum definitum, ne excedatur. Aduerte tamen, ſi mutatis circumſtantijs copiæ, inopiæ, & ſimilibus; Magiſtratus eſſet notabiliter negligens in pretio legitimo mutãdo, poſſet res vendi pretio vulgari, nam lex cenſeretur iniqua, vt recte Ioann. Medina q. 36. Sed hoc non eſt priuatorum iudicare, niſi moraliter ſit euidens, (ſemper enim in dubio pro Superioribus eſt præſumendum) vt ſi conſtaret Magiſtratum corruptum muneribus aut malè inſtructum de circumſtantijs mercium, vel odio vendentium aut ementiũ, pretium taxaſſe.

DVBITATIO III.

Vtrùm res eæ, quę non habent pretium legitimum, vel Vulgare, (vt ſunt quædam gemmæ, inſignes canes, falcones, aues Indicæ, picturæ veteres, & ſimilia) poſſint Vendi quanti Volet dominus.

15 *Sententia quarundã.*

QVidam affirmant; ita Soto lib.6. quæſt.2. artic.3. & Petrus Nauarr. lib.3 ca.2. num.110. Probatur Primo, quia cum non ſint neceſſariæ vitæ humanæ, ſi quis velit eas emere, ſponte cenſebitur velle dare quod alter exigit: (alioquin non emeret, cum nulla neceſſitas eum ad hoc compellat) quare venditor poterit accipere.

Secundo, Quia *quiſque in rebus ſuis eſt moderator & arbiter*, vt habemus L. In re mandata. 21. C. mandati. & commune proloquium eſt, *rem valere quanti vendi poteſt*. L.2.§. Si hæres. 2. ad Trebellianum. S.C.

16 *Contraria tenent.*

Reſpondeo tamen, contrarium verius videri, nempe res tales non poſſe vendi pro arbitrio venditoris, ſed iuxta æſtimationem intelligentium, vel certe iuxta æſtimationem ipſius venditoris, bona fide ſpectatis circumſtantijs ſupradictis, initam colligitur ex Nauarro capit.23 numero 78. & Caiet. in art.1. quæſt.77. Probatur Primò, Quia iuſtum pretium earum rerum, quæ nec lege nec communi æſtimatione taxatæ ſunt, ſumendum eſt ex iudicio intelligentis mercatoris, qui ſpectatis circumſtantijs, ad rei valorem facientibus, eam æſtimet atque res quælibet debet vendi iuſto pretio: ergo non eſt licitum tanti vendere, quanti vendi poteſt. Maior probatur: quia hoc certior regula haberi nequit; quam iudicium intelligentis. Secundo, Nam ideo res tanti valet, quia venditori placet eam tanti vendere; ſed quia prudentum iudicio omnibus conſideratis tanti æſtimatur: ergo non poteſt eam vendere quanti libet. Cõfirmatur quia iudicium, quo iudicatur tanti valere, debet eſſe prudens; atqui nemo poteſt prudenter iudicare eam valere tanti ex eo, quod venditor tanti velit vendere. Tertiò. Quia alioquin venditor rem eam, quam bona fide æſtimat 10. poſſet vendere 100. vel 1000. ſi videret Principem aliquem ea delectari, eamque velle emere.

Aduerte tamen, ſi venditor ei valde adſiciatur, poſſe hũc ſuum affectum æſtimare: (vt docet Nauar. ca.23. num.83.) ſed id bona fide fieri debet. 17 *Affectus æſtimatus.*

Ad primum Reſpondeo, Illum emptorem non cenſeri ſponte donare exceſſum pretij, quia non intendit donare, ſed emere, & ſoluere dumtaxat pretium rei vendę cum in re nihil reſpondeat incremento pretij, non poteſt hoc incrementum inſtar pretij retineri. Nec refert, quod ei nulla vis aut neceſſitas emendi inferatur, cum alioquin poſſent vlurę peti ab eo, qui nulla neceſſitate coactus, ſed in lucrum vel in alias oblectationes mutuum petit. 18 *Oblationes.*

Dices, Si non intendit donare exceſſum pretij, cur illum dat, cum ſciat rem non tanti valere, & nemo illum cogat emere?

Reſpondeo. Quia rem illam deſiderat, & maluit facere iacturam illius incrementi, quam re illa carere: ſicut qui promittit vluras vt habeat pecuniam præſentem ad luſum.

Ad ſecundum, Lex illa nihil ad rem facit, nam non loquitur de æſtimatione rebus imponenda; ſed tantum ſignificat quemque de rebus ſuis poſſe diſponere pro ſuo arbitratu, etiam in ſuum incommodum; mandatarium autem non poſſe. Commune autem dictum illud, *Res tanti valet, quanti vendi poteſt*. intelligendum eſt intra limites iuſtæ æſtimationis; quia iuſtitia pretij non conſiſtit in indiuiduo. 19

DVBITATIO IV.

Vtrùm liceat interdum pluris vendere vel minoris emere quàm Valeat.

D. THOM. QVÆST. 77. ART. 1.

NOTANDVM Primò, In foro externo non dari actionem ei, qui emendo carius vel vendendo vilius non eſt deceptus vltra dimidium iuſti pretij; v.g. ſi agrum tuum valentem nunc 100. libris, vendas 70. vel 60. vel etiam 50. libris, non potes intentare actionem ad reſcindendam venditionem, aut ad ſupplendum pretium; quia non es deceptus vltra dimidium iuſti pretij; ſecus autem ſi vendidiſſes 48. vel 49. vel minoris. Pari modo, ſi agrum valentem 100. libris, emas 152. vel pluris; potes agere vt vel reſtituatur exceſſus ille. vel empto reſcindatur: non tamen ſi emeris 140. vel etiam 150. colliguntur hæc aperte ex L.2. C. de reſcindenda venditione, & L.8. ibidem, & ex capit. Cum dilecti & capit. Cum cauſa, de emptione & venditione. vide Gomezium tomo 2. ca.2. num.22. & Couar. l.2. var. c.3. Permittit autem lus vtrumq; deceptionem, quæ non eſt vltra dimidium iuſti pretij, ad vitandas innumeras lites quæ ſequerentur, ſi ex qualibet fraude daretur actio. 20 *Deceptio vltra dimidium iuſti pretij.*

Notandum Secundò, Fraudatorem, qui citra dimidium decepit, non ideo excuſari a reſtitutione eius, in quo alterum circumuenit, ſiue emendo, ſiue vendendo, vt communis ſententia DD. habet. D. Thomas hoc articulo, D. Anton.2 part. ti.1. ca.16.§.3. Io. Medina q.32. Couar.2. var. ca.4. numer.11. & alij, quos ipſe citat. ratio eſt, quia illud, quod excedit, non cenſetur liberaliter donatum, ſed ſolum quatenus debitum eſt titulo emptionis vel venditionis, nempe tamquam iuſtum pretium, vel tamquam æquivalens & debitum pretio oblato. ſi ergo non eſt debitum, eo quod ſuperet æqualitatem; non poteſt retineri, niſi conuenienti modo compenſetur, ſupplendo defectum pretij vel rei. vide Nauar. in cap. Nouit. de Iudicijs notab.6. num.54. & ſequentibus. 21 *Tenetur in foro conſcientiæ.*

Hinc patet falli Ioannem Gerſon opuſc. de contract. part.2. propoſit.11. (habetur in titul. 2. alph.31.) dum putat talem non teneri ad reſtitutionem; (quamuis peccatum & confiteri teneatur) eò quòd ſcienti & volenti non fiat iniuria; quia ille non eſt abſolute volens, ſed tantùm modo complacato; ſicut is, qui ſoluit vſuras. Adde, ſententiam illam includere repugnantiam. ſi enim talis fraudatio eſt peccatum, certe eſt peccatum contra iuſtitiam: ac proinde obligat ad reſtitutionem. Neque leges approbant hoc, tamquam 22 *Ioannes Gerſon.*

quam licitum,sed permittunt,non cogendo restituere,aut contractum rescindere,ad maiora incommoda vitanda;vt docet D.Thomas hoc articul.primo,& Bartolus in legem illam 2.& 8.

23 Nec obstat Lex,*In causæ cognitione. 13. in fine, ff. de minoribus*, vt dicitur; *Idem Imperium aut. in pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire.* nam hoc intelligendum est de circumuentione intra latitudinem iusti pretij, vt ait Couar.lib 2.var.ca.3.nu.2.vel dicitur *licere naturaliter*, quia iure gentium permittitur.His positis.

Causæ vendendi pluris.

24 *1.Ratione officij mercandi.*

Respondeo & dico Primò,Esse aliquas causas,ob quas licitum est interdum pluris rem vendere, quam per se ipsa alioquin valeret aut venderetur. Prima est, Ratione officij mercandi;sic mercatores possunt paulò pluris vendere,quam ab alijs vendi soleat,qui non ex officio,sed ex occasione aliquid vendunt.Ita Ioann. Medina,C de restitut. quæst.3.§.Secundum erat.& Cajet ar.1.ratio est quia pretio est æstimabile, quod curas & cogitationes suas in rebus conquirendis,conseruandis & distrahendis assiduè impendant,aliaque multas lucrandi rationes omittere cogatur. Hinc fit vt multò pluris æstimetur res, dum vendenda est a mercatore, cui ex officio competit eam vendere, quam dum venditur a milite vel mechanico, qui fortuito illam obtinet & vendit.

Aduerte tamen Primo, Nõ ideo posse mercatorem pluris vendere,quàm lege vel communi æstimatione sit præscriptum;quia in taxatione pretiorum habita est ratio officij mercandi.

25 *Potest vendi pretio æstimato.*

Secundo.Si ille,qui vendit aliquid ex occasione, tãtum exigat, quantum solent mercatores, non facere iniuriam emptori.imo res sit æquè bona,quia potest eam vendere pretio currenti, etiamsi ipse eas curas & impensas non haberit.quas mercator.non enim necesse est ipsum subijsse omnia incommoda, ex quibus æstimatio creuit vt illam æstimationem petere possit. Nec obstat, quòd minoris in manibus eius æstimetur; quia non ideo minoris æstimatur,quòd reuera minoris valeat, supposita voluntate eam opportunè vendendi; sed quia tales nolunt vel nesciunt opportunitatem expectare,& vltro emptoribus ingerunt.

26 *2. Ratione lucri cessantis,&c.*

Secunda, Ratione lucri cessantis vel damni emergentis ex rei alienatione,vel ratione peculiaris affectus aut oblectationis;qua se priuat,potest eam pluris vendere,quâ per se valeat,iuxta æstimationem ipsius lucri vel damni, oblectationis,vel affectus.ratio est,quia hic non tantum vendit rem illam nudam, sed etiam *suum* commodum vel oblectationem vel affectum; ergo etiam horum æstimationem exigere potest,etiamsi res habeat pretium legitimum. vt rectè docet Pet.Nau.lib 3 c.2.num.23.

27 Hic tamen tria notanda sunt, Primò venditorem debere emptori significare causam cur tantum exigat,ne putet rem pluris valere, quia fortè non cupit illius incommodum redimere.

Ob affectum.

Secundò,Si ratione affectus,quo erga rem afficitur, eâ pluris æstimet: affectum illum debere aliqua iusta ratione niti,ob quã prudenter possit tanti æstimari,vt si gemmam valde raram, vel statuam valdè antiquam habeas.

Sed quid,si affectus ille ratione non nitatur, & nihilominus verè ex illo affectu rem tanti facias,quãti pretium, quod exigis? vt si domum valentem 1000. aureis æstimes bis mille,quia accepta longo ordine a maioribus. Quidam admittunt; quia sua incommoda quiuis æstimare potest. Equidem non omnino probauerim;quia affectus a ratione alienus corrigendus est, non enormi pretio redimendus. vel solandus.

28 *Si constitueras rem seruare.*

Tertiò, Titulo lucri cessantis, rem posse pluris vendi,si eam constitueras seruare, donec pluris esset valitura. & iam se aliquis emptor offerat.potest autem tũc pacisci dupliciter.Primò.De pretio determinato: & quidẽ si certum sit rem illo tempore valituram. v.g. 30. aureos, potes eam nunc vendere 30.detracta tamen æstimatione custodiæ & periculi corruptionis vel interitus rei. vnde si custodia & periculum æstimes solum duobus aureis, potes vendere 28.si vno tantum, 29. Si autem sit dubium an valebit 30. tamen certum sit valituram inter 24. & 30. potes eligere pretium,quod sit medium inter 24.& 30.idque maius vel minus pro ratione dubij. & in hoc casu intelligendum est cap.In ciuitate. de vsuris.loquitur enim de eo,qui rem ser-

Duplicitèr potest pacisci.

naturus erat vsque ad tempus solutioni destinatum,& dicit eum nunc posse illam vendere eo pretio,quo plus minusve illo tempore putatur valitura; id est, pretio medio inter summum & infimum illius temporis.vide Couarr.2.var.c.3.num.6.Secundò,*Potest pacisci de pretio indeterminato.* nempe vt emptor soluat quantum cuentus ostenderet communiter valere eo tempore, quo venditor statuerat vendere,detracta tamen æstimatione custodiæ & periculorum.non potest tamen pacisci vt soluat ei summum pretium,quo tunc valebit; quia non est certus se eo venditurum;si rem asseruet;& ita non cessat ei certò hoc lucrum. detrahenda ergo æstimatio illius incertitudinis,id est,quanti æstimatur, esse certum de summo pretio.

29 *Ratione laborum & expensarum.*

Tertia causa,cur possis pluris vendere, est ratione laborum & expensarum,quas subijsti in rebus illis conquirendis,aduehendis & conseruandis:hoc tamen intelligẽdum est,si res illæ non habebant pretium statutum;tunc enim, cum pretium primò sit imponendum,potest venditor habere rationem expensarum extraordinariarum in eo taxãdo. vt videmus in mercibus,quæ deferuntur per loca periculosa, vbi opus est comitatu manus militaris aduersus volones. non tamen hoc intelligo de expensis ratione infortunij vel per imprudentiam factis. secùs verò est si res illæ non pretium suum, quo passim vendantur,habẽt;quia semper tenetur eas vendere pretio currente, vel sibi reseruare;vt docet Medina q.3. & Couar.l.2.var.cap.3. numero 3.& alij.In hoc enim pretio taxando tam habita est ratio laborum & expensarum, quæ ordinarie fieri solent. quòd si ab aliquo plures factæ sint,ipsius est infortunium, nec ideo pretium commune augere potest; sicut nec tenetur minuere,etiamsi nullis expensis fecerit. hæc enim est conditio mercatorum,vt sicut possint lucrari,si merces habuerint expensis exiguis, ita perdere, si ingentibus, & extraordinarijs.

30 *Ratione copiæ emptorũ, &c.*

Quartò, Ratione copiæ emptorum & pecuniarum, & penuriæ mercium, possunt res pluris vẽdi, quam alioquin venderentur, si emptorum vel pecuniarum esset raritas, vel mercium abundantia.ratio est,quia ex his crescit æstimatio cõmunis mercium. id enim pluris æstimatur,quod à pluribus quæritur,quodque difficilius vel minore copia inuenitur. minoris verò, cuius maior est copia, vel quod minus quæritur. Hæc ratio interdum fit vt repente rerũ pretia valdè augescant, superueniente magna emptorum, qui opulenti sunt, & auidi ad emendum, copia; & statim illis abeuntibus ad priorem statum redeant: ut cum Princeps cum aula subitò ad aliquod oppidũ venit, vel classis Indica appellitur,vt rectè docet Molina disp.346.quo casu non censet damnandum,quod res carius vendantur externis illis, quàm indigenis; si pro vtrisque sit satis magna copia:nam respectu externorum illorũ,qui pecunia abundant, & plurima emere volunt, res istæ censentur pluris valere,quàm respectu indigenarum.Si tamen res non sufficeret pro vtrisque,accresceret pretium absolutè respectu omnium:neque venditores permittendi essent vendere carius exteris,vt vilius dent indigenis. Vel dici potest,vtroque casu accrescere pretium respectu omnium:neque venditores teneri minoris vendere indigenis, quam aduenis: tamen consuetudine receptũ esse, vt indigenis fiat gratia, eo quòd incrementum illud sit fortuitum & transiens.nõ enim est illicitum vẽdere carius exteris,quàm incolis:modo limites pretij rigorosi non excedantur cum exteris.

Fit emptũ, &c.

An carius exteris vendere liceat.

31 *Si in gratiã emptoris.*

Quintò, Si vendis in gratiam emptoris, alias non venditurus,potes aliquanto pluris æstimare, quàm si vẽderes sponte.ratio est,quia æstimabile pretio est, quod rem tuã, quę uenalis non erat, venalem facias. Sed hoc limitauerim, si aliquid inde incommodi vel molestiæ sentias.

Vtilitas emptoris.

Aduerte tamen,non posse rem pluris vendi ob singularem aliquam vtilitatem vel necessitatẽ emptoris,(vt multi absque vlla conscientia faciunt) Ita D. Thomas hoc art. & communiter DD. ratio est,quia nemo potest alteri vẽdere id,quod est ipsius;illa autẽ vtilitas est ipsius emptoris non venditoris, & prouenit ex aliqua alia circumstantia, cuius venditor non est causa.

Causa emendi minoris.

Dico Secũdò,Sunt etiam aliquæ causæ ob quas emptor potest interdum emere rem minoris quàm alias valeret. Primò,Si emptori parum est utilis,eamque in gratiam nõditoris emat. Ita Medina quæst.32. Nauarrus capit 23.numer.84.& alij,pretium enim uilescit,tum ex eo,quòd em-

32 *Si emptori parũ utilis.*

33 ptores non inueniátur, tum ex eo, quòd ipsis res parum sit commoda. Secundò, Ratione modi vendendi; vt si vendantur auctione publica, vel si quærantur aut rogentur emptores. nam vt prouerbio dici solet (teste Caietano) *merces vltroneæ valescunt pro tertia parte.* Ita Caietan. art. 3. Medina supra §. Similiter. Couarru. supra. numer. 5. Nauarr. cap. 23. numer. 78. & alij ratio est, quia ille modus vendendi indicat copiam mercium, & paucitatem emptorum, qui communum modo velint emere; quæ duo faciunt rem minoris æstimari. sic ipsa multum paruo veneunt. Similiter si res sit mutila, vel incommoda venditori, minoris æstimatur.

Ratione modi vendendi.

34 Notandum tamen Primò, Si res habet pretium legitimum, statutum in gratiam venditoris (vt fit in censibus, præsertim nouis) non decet diminui ratione modi vendendi, aut ratione copiæ. quia hoc pretium non statim mutatur ob aliquarum circumstantiarum variationem, si ordinatio eadem perseueret: alioquin liceret emere reditum nouum aurei vnius, aureis 12. si emptor negaretur; quod est falsum: quia est contra legem receptam. secus est in reditibus antiquis; quia pretium legitimum ob varias causas circa hos, consuetudine est abolitum, præsertim in Belgio.

Consit.

35 Notandum Secundò, In auctionibus interdum excedi pretium commune ex emptorum contra licitatione: & tunc probabile est venditorem non teneri ad restitutionem; vt docet Petrus Nauarr. supra & Mercatus. ratio est, quia ibi res fiunt fortuito & incerto pretio; vt sicut plerumque venduntur minoris quàm sit pretiũ mercatorum, ob ementium raritatem & frigus; ita vendantur interdum pluris ob ementium multitudinem vel feruorem: quare sicut illud ad malam, ita hoc ad bonam fortunam ipsius censebitur pertinere. confirmatur, quia iustum pretium illius fori est, quod absque fraude potest illo modo vendendi obtineri: hic enim passim habet hominum doctorum & piorum vsus.

Si in auctione pretiũ sit maius.

36 Tertiò, Si multæ sint merces & pauci emptores: vt fieri solet in fine nundinarum; maxime cum tunc accedat etiam inopia pecuniæ: hæc enim valdè minuunt pretium vulgare rerum venalium. Dico *vulgare*, quia *legitimum pretium* non tam facile variatur. quare non licet statim ab eo recedere.

Ratione copiæ mercium, &c.

37 Quartò, Ratione donationis potest res emi minoris quàm sit pretium commune, quando venditor cẽsetur defectum pretij condonare: sicut è contrario potest pluris vendi, quando emptor censetur excessum pretij donare. Ita Conradus quæst. 57. & 58. de contract. Medina quæstio. 32. hæc tamen donatio non præsumitur interuenire, quando vel ignorantia iusti pretij, vel necessitas emendi, aut vendendi interuenit; sed requiritur vt contrahentes sciant rerum pretia, & omnino liberè contrahant, absque fraudis aut coactionis admixtione. Neque puto hęc sufficere nisi coniunctio aliqua sanguinis, vel amicitia intercedat. nam inter extraneos non præsumitur donatio, nisi huius euidentia signa appareant. vide Caiet. art. 1. & Couarr. l. 2. variar. cap. 4. num 9.

Ratione donationis.

38 Quintò, Ratione copiæ mercium, quas simul emis, potes emere minoris, quàm si paucas emeres. ratio est, quia venditorem exoneras multis curis & occupationibus, quas circa illas merces habuisset, eumque reddis expeditiorem, vt itaum alias comparet. quod magis cedit illi in lucrum, quàm si eas pretio ordinario seorsim vendidisset. vnde hic modus emendi, facit vt venditor pretium accidat, & minuat.

Si simul multa emas.

DVBITATIO V.

Vtrùm si sciam pretium mercis mox minuendum, possim eam vendere pretio currente.

39 VERBI gratia, accepi literis magnam copiam aliunde aduehi, vel breui in lucem proferendam, quæ hactenus suppressa fuit; vtrum possim id dissimulare & vendere pretio vsitato.

Disputatur hæc quæstio apud Cicer. l. 3. offic. inter Antipatrum & Diogenem Babylonium. Antipater vult id esse contra officium boni viri. Diogenes negat. vtrùm autem sit contra iustitiam non clarè exprimunt. Cicero tamen id clarè affirmat. Idem tenet Medina Cod. rest. q. 35. & Conradus q. 62. & 63. de contractibus. Sed contrarium est verius. vnde.

Respondeo, Etiam si venditor sciat futuram pretij remissionem, emptorque nesciat, nihilominus potest res suas absque iniustitia vendere pretio currente. Ita D. Thom. qu. 77. art. 3. ad quartum, & Caiet. ibidem, Siluester v. Emptio, quæst. 15. Soto l. 6. quæst. 3. art. 2. ad tertium. Couarruu. ad reg. Peccatum p. 2. §. 4 num. 5. & 6. & alij ratio est, quia res iustè vendi potest iuxta communem æstimationem pro tẽpore vrgentem. nam iustum pretium est, quod vel Principis leges vel communi æstimatione constat: confirmatur, quia priuata scientia venditoris communem sensum & æstimationem non mutat, sicut nec priuata scientia emptoris illam mutat: alioquin emptor non posset emere pretio currente, si sciret pretium postea valde augendum, quod tamen falsum esse constat exemplo Ioseph, Genesis 41. qui sciens postea fore maximam caritatem, omne frumentum Ægypti pretio currente comparabat.

40 *Potest vendi pretio currente.*

Obiectiones.

Dices ex Medina Primò, Illa communis æstimatio non est prudens: non enim facta est ex omnibus circumstantijs ad valorem rei facientibus.

41 Respondeo, Negando illam non esse prudentem; sufficit enim vt sit facta ex circumstantijs, quæ communiter sciri possunt: euentus enim futuri non possunt vulgò cognosci, vnde ex illis sumi nõ debet æstimatio rei. aliquin semper inquo pretio res venderetur, quando imminet maior copia mercium, vel ratione fertilitatis, vel ratione nauium aliunde aduchendarum, vel alio casu, quamuis vterque contrahentium id ignoraret.

Dices Secundò, Merces iam aduectę & præsentes faciũt decrescere pretium; quia abundantia mercium minuit pretium; ergo etiam illæ, quæ breui erunt præsentes: quia quæ parum distant, non videntur abesse. & habentur quasi præsentia.

42 Resp. Abundantia præsens vel imminens facit decrescere pretium, si passim sciatur; secus si ignoretur. vnde etiãsi merces sint in portu, vel in oppido, si id vulgò ignoretur, non decrescit pretium. vnde potes tuas pretio antiquo eatenus vsitato, vendere.

43 Dixi *absque iniustitia posse sic vendi* quia interdum fieri potest vt sit cõtra charitatẽ; vt si vni ingentem copiam talium mercium vendas, qui inde graue damnum incurret, statu & fortunis euertendus. regulariter tamen non est cõtra charitatem; (vt apertè indicat Diuus Thomas cum ait, *abundantioris fori virtutis, si pretium mutuat vel futurum copiam exponat*) quia potest quis rebus suis consulere, etiamsi inde par damnum proximo obueniat: Cauendum tamen hic est, ne emptorem fraudibus vel mendaciis allicias ad emendum. quia sic iniusto modo esset illi causa damni; ac proinde teneretur ad restitutionem. vt si subornaret aliquem, qui emptoribus persuaderet pretium breui augendum. Si tamen ipse rogatus, an non expectentur naues, vel an non sit futura maior copia, diceret se nescire; putarem non teneri ad restitutionem; quia non tenetur veritatem aperire cum tanto suo incommodo. Imò quidam putant non teneri, etiam si diceret non fore copiam. hoc enim mendacium censeri officiosum, ad vitandum damnum proprium. sicut si pauper astans ostio diuitis, & expectãs eleemosynam, diceret alteri pauperi accedenti, iam esse datam, non teneretur. secùs si alius, cuius nihil interest, sic mentiretur: censeretur enim causa nocendi esse mentitus. Ita Petrus Arragon qu. 77. ar. 3. Quæ sententia probabilis est, si ille in hoc non sit censendus fide dignus: tunc enim qui credit, suæ leuitati imputet, si quid inde incommodi sentiat.

Potest esse contra charitatem.

44 Ex his patet, quid dicendum sit de casibus, quos Medina proponit. Primò, Si scias obsidionem futuram, posse te celeriter merces, quas habes in ciuitate, diuendere pretio currente, non monitis emptoribus de periculo impendente. Secundò, Posse te elocare domum tuam pretio solito, etiãsi scias pretia elocationum minuenda, ob aulæ recessum. Tertiò, Posse te vendere triticum tuum pretio currente, etiamsi scias Magistratum condidisse decretum de illo minuendo. si tamen hoc nondum est promulgatum. Idem dicendum de pecuniæ commutatione, & alienatione.

45 In hoc tamen tertio casu quidam putant non posse te plus tritici, vel alterius mercis (cuius pretium per Magistratum scis esse minuendum) vendere, quam venditurus eras, si id non sciuisses: aliquin si ratione huius scientiæ amplius vendas, teneri te ad restitutionem. Ita Molina disputat 354. & quidam Iurisperiti, quos ib. citat. Ratio est, quia si Magistratus alicui aperiret suum decretum ante promulgationem, qui occasione huius notitiæ cum aliorum damno ditaretur, teneretur ad restitutionem, quia dedit occasionem damni: ergo etiam ille tenebitur, qui hac occasione ditatus est, quomodocunque tandem ea scientia ad ipsum deuenerit.

Sed contrarium videtur verius, nempe non esse contra
46 iustitiam, etiamsi occasione illius scientiæ plus mercium vendas, quod expressè tenet Couarruuias loco citato. Probatur, quia etiàsi sciam decretum a Principe vel Magistratu conditum circa merces vel monetam, tamen quamdiu illud non est promulgatum, ob obligationem illam vim habet; ac proinde antiquum pretium adhuc durat: sicut prior lex vim habet, etiamsi alia qua hęc abrogetur, iam sit conscripta: modo tamen non sit promulgata: ergo possum vendere pretio antiquo.

47 Dices, posse me vendere pretio antiquo bona fide, vt alij vendunt, qui decretum nesciunt, donec illud decretum promulgetur; non tamen posse me ratione notitiæ huius decreti vendere plus mercium eo pretio, quam aliquin eram venditurus, quia non possum priuatim cum aliorum dispendio vti lege, quæ omnibus debet esse communis.

Quædam posse. resellit.

Sed hæc responsio non satisfacit; Primò, Quia nulla lex vetat me vti notitia illius decreti in meum commodum. Secundò Quod vendam aliquid permotus notitia illius decreti, vel ob aliam causam, nihil facit ad æqualitatem vel inæqualitatem, quæ seruanda est in contractibus. atqui si vendam modum frumenti pretio curiæ, nihil sciens de illo decreto, erit æqualitas inter rem & pretium, iustaque venditio, nec tenebor ad restitutionem, etiamsi pretium paulo post per decretum minuatur: ergo etiam erit æqualitas & iusta venditio, etiamsi sciam illud decretum. Tertiò. Intentio interior non potest facere vt actio exterior, alias iusta, fiat iniusta, & obliget ad restitutionem, vt ostensum est cap. 12. nu. 129.

48 Ad rationem in contrarium, Respondeo negando consequentiam; Magistratus enim ex officio tenetur dare operam quantum fieri potest ne ex huiusmodi decretis, quibus pretia mutantur, aliquibus præ aliis damnum obueniat. Hinc tamen non sequitur, illum, qui notitia tali vsus est, teneri, quia non tenetur ex officio ciuium commoda curare, vel damna auertere. sicut si Magistratus sine causa excluderet alios venditores & ita mercium tuarum pretium valde excresceret, teneretur ille ciuibus compensare damnum illius incrementi: quia contra officij sui debitum est causa cur pretium ita creuerit. tu tamen non teneris; quia
49 res tua tanti valuit, supposita aliorum exclusione. Si tamen fuit causa cur Magistratus alios excluderet iniustè, teneris de damno, tum exclusis, tum Reipublicæ primo loco, quia in tuum commodum ad hanc iniquitatem, Magistratum induxisti. Idem videtur dicendum: si muneribus corruptum induxisti, vt tibi decretum suum ante promulgationem patefaceret, & hac ratione merces tuas cum graui aliquorum damno, magno pretio distraxisti.

Ad rationem contrar.

Nescio tamen an hoc secundum sit satis solidum. quia illa reuelatio magistratus, etsi sit contra officium (ac proinde ob illam possit puniri, sicut ob violationem aliorum secretorum) tamen non videtur causa damni iniusti. Nã ille iusto pretio merces suas vendidit. Vnde nec ipse reuelator videtur ante sententiam, qua ad hoc condemnetur, ad restitutionem seu compensationem damni teneri.

Simile esset, si in caritate annonæ scriberetur ad Magistratum magnam frumenti vim intra octiduum adfuturam; & aliquis ex ipsis, quamuis impositum esset omnibus communi consilio silentium, hoc amico patefaceret, vt interea omne suum frumentum diuenderet: non videtur eo casu ille reuelator ad compensationem vllam teneri.

DVBITATIO VI.

Vtrùm liceat carius vendere dilata solutione, seu credito, quam vendi soleat præsenti pecunia.

50 RESPONDEO & dico Primò. Intra limites iusti pretij licitum est vendere rem carius dilata solutione: nempe si præsenti pecunia vendebas infimo vel mediocri; poteris credito vendere pretio summo: quia omne illud pretium censetur iustum. *Venditio credito.*

51 Dico Secundo, Supra pretium rigorosum, quo res poterat: vendi pecunia numerata, non licet eam vendere ob solam dilationem solutionis. est communis sententia Doctorum: ratio est; quia dilatio solutionis est implicitè quoddam mutuum (dum enim creditor differt solutionẽ, perinde facit, ac si acceptam à debitore pecuniam eidem mutuet,) atqui pro mutuo nihil licet accipere supra sortem; ergo nec pro dilatione solutionis, vltra iustum pretium. *Supra rigorosum.*

52 Adhuc tamen, si res, quæ nunc valet eo tempore solutionis, creditur valitura plus, minusve quàm ea posse nũc vendi quodecim credito; si tamen eam rem venditor vsq; ad illud tempus constituerat seruare, vt patet ex cap. In ciuitate. 6. de vsuris, de quo supra dub. 4. tunc enim non ratione dilatæ solutionis, sed ratione lucri cessantis tanti vendit. vnde etiam præsenti pecunia posset tantidem vendere. secus tamen si non cõstituerat seruare. Qua in re fallitur Caietanus q. 78. art. 2. ad septimum. vbi docet, quando quis vendit credito, & res tempore solutionis erit maioris pretij, posse nunc de illo pretio pacisci, etiamsi rem non constituisset seruare in illud tempus. ratio ipsius est, quia tempore traditionis pretij completur contractus ex parte ementis: atqui tunc res valet pluris, quàm tempore conuentionis: ergo postulat æqualitas vt detur maius pretium. *Si dubium an plus sit vendere credito.*

Sed contrarium est communis sententia DD. vide Couarruu. lib. 2. variarum cap. 5. num. 6. & Medinam quæst. 38. causa 5. ratio est, quia hoc ipso, quo venditor rem tradit, amittit eius dominiũ, fitque emptoris: vnde si crescat eius pretium, crescit emptori, ac proinde venditor non potest quidquam pro eo incremento exigere; nisi ipse eam rem iustè seruaturus. Nec obstat cap. In ciuitate, de vsuris quia loquitur de eo, qui merces erat seruaturus; vt exponit Glossa & Doctores communiter. & colligitur ex capitu. Nauganti. 19. ibidem. vbi similis species fusè expeditur.

Ad rationem Caietani Respondeo, Contractũ emptionis & venditionis essentialiter compleri mutuo consensu verbis expresso, & pretium rei esse spectandum secundũ valorem rei, quem habet tempore traditionis, quando transfertur dominium in emptorem. dicitur autẽ complere solutione pretij, quia est finis & terminus contractus; vel dictum est dub. 1.

53 Dico Tertiò, Licitum est tamen augere pretium ratione lucri cessantis vel damni ex illa dilatione, seu credito venditione emergentis patet ex dictis c. 20. dub. 11. sicut enim in mutuo ob hanc causam licet vltra sortem exigere, ita in venditione supra iustum pretium: quia dilatio solutionis est quoddam mutuum implicitum. *Ratione lucri cessantis ex dilatione.*

54 Dico Quartò, Etiam licitum est aliquid exigere supra iustum pretium ratione periculi sortis cui mercator credito vendens exponitur. Item ratione expensarum & molestiarum, quas timet in recuperanda sorte Io. Medina C. de rest. q. 38. §. Ad tertiam causam. Corduba q. 78. Petrus Nauar. l. 3. c. 21. nu. 110. consentiunt Sotus lib. 6. q. 4. art. 1. ad 2. & Nati c. 23. num. 81. quoad secundam partem; primam tamen negant. *Ratione periculi sortis & molestiarum solutionis.*

Sed probatur Primò, Quia exponere se tali periculo est pretio æstimabile. omnium iudicio: ergo pro eo potest aliquid exigi.

Secundò, Quia vẽditor potest petere fideiussorem, qui vt periculum illud præstet, seu in se suscipiat, potest iustũ pretium stipulari: ergo si emptor cupiat venditorem illud in se suscipere, poterit & ipse iustum eius pretium exigere. vide dicta supra c. 20. dub. 13. vbi id pluribus cõfirmauimus,

vimus,& ad rationes Soti & Nauarri reſpondimus:nam eadem vtrobique eſt ratio.

55 *Conditiones requiſitæ.* Aduerte tamen Primò, Debere eſſe verum periculum, non fictum. Secundò. Venditorem non poſſe cogere emptorem vt ſe potius quam alium pro periculo præſtando accipiat. Tertiò, non poſſe plus exigere, quàm ipſe libenter alteri daret ad ſimile periculum redimendum, ſi neceſſe foret. Quartò, Significàdum emptori, quo titulo tantum exigat, præſertim ſi dubium ſit an illi placeat, fortè enim nolet eo titulo quidquam dare.

56 Dico Quinto, Licitum etiam eſt eas merces, quæ communiter non niſi credito ſeu ad terminum (vt aiunt) vendi ſolent, pluris vendere, quàm venderentur, ſi ſolum numerata pecunia diſtraherentur: colligitur ex Soto libro 6. qu. 4. art. 1. ad quartum. Et Couarruu. lib. 2. variarum capit. 3. numer. 6. ſentit eſſe probabilem. citatque pro ea Salicetum & Decium. Tales ſunt, quæ ingenti copia ex India aliiſve locis in magna emptoria deferuntur, & mox diſtrahuntur in varios mercatores, qui ad diuerſa loca eas deſtinant, vt ibi ſenſim præſenti pecunia vendantur. Sic Antuerpiæ merces Venetæ, quædam venduntur ad terminum 10. menſiũ, quædam ad 8. Florentinæ ad 10. Lucenſium ad 9. Neapolitanæ & Mediolanenſes ad 6. vel 8.

Solita vendi credito, poſſunt pluris vendi.

Denique merces cuiuſuis generis venduntur vt plurimum ad terminum 6. 8. 9. 10. 12 menſium. non raro hi termini duplicantur, ea lege, vt emptor elapſo medio tempore numeret dimidium pretij, reliquum in fine.

57 Ratio autem, cur ſic poſſint pluris vendi, eſt, quia cum iſtæ merces non poſſint ea copia, qua expedit Reipub. & emptores deſiderant, præſenti pecunia vendi; neceſſarium fuit inſtituere modum eas vendendi credito, ſeu ad terminum; qui modus facit vt mox plurimi emptores ſeſe offerant, quorum copia pretium incendit, facitque creſcere, & ſic non venduntur pluris præcisè ob dilationẽ ſolutionis; ſed quia iſte modus vendendi, per accidens facit pretium creſcere, alliciendo copiam emptorum. Accedit, quòd cum pretium non conſiſtat in indiuiſibili, ſæpè fit vt pretium, quo venduntur credito, non excedat pretium rigoroſum, quo numerato vendi poſſent. denique fere ſemper mercatoribus eſt incommoda illa dilatio ſolutionis: nam ſæpè videmus poſtquam credito vendiderunt, eos agere cũ emptoribus de anticipando termino; remittendo 8. vel 9. in 100. per annum, vel plus minuſve, ſecundum numerũ mẽſium. Itaque in taxando illo pretio potuit haberi etiam ratio illius incommodi. Nec refert, quòd aliquis in particulari hoc incommodum non ſentiat, quia non ideo ceſſat pretium commune, vt ſupra oſtenſum eſt.

58 *Iuſtum pretium rerum, quæ credito vendantur.* Ex quibus patet, non eſſe illa pretia, quibus merces credito pluris vendi conſueuerunt, facilè condemnanda; niſi aliundè conſtet eſſe iniuſta. Nam meritò præſumi poteſt illud eſſe verum pretium talium mercium in tali modo vendendi, quod a mercatoribus, ſpectatis circumſtantijs omnibus ad rem facientibus, impoſitum eſt. Si tamen Magiſtratus pretium imponat, hoc ſeruandum.

DVBITATIO VII.

Vtrùm liceat minoris emere ob anticipatam ſolutionem.

59 *Anticipata ſolutio.* RESPONDEO, Infra pretium infimum non licet emere præcisè ratione anticipatæ ſolutionis. eſt communis ſententia DD. Ratio eſt, quia hoc eſſet lucrari aliquid ſupra ſortem ex vi impliciti mutui. Qui enim ſolutionem anticipat, implicitè mutuat; & poſteà dum ei res empta pluris valẽs traditur, implicitè fit ei reſtitutio cum vſura: nam illud incrementum, quo res pluris valet quam pretium, datur ex vi pacti præcedentis propter anticipatam ſolutionem, id eſt, propter vſum pecuniæ tanti temporis.

60 *Cauſa cur ſi liceat emere minoris.* Aduerte tamen, interdum per accidens licere minoris emere ratione anticipatæ ſolutionis; vt ſi per illam anticipationem emptor patiatur damnum, vel lucri iacturam: vel ſi eſſet periculum fraudis in venditore, quòd vel merces non traderet, vel non ſinceras. vel non ſtato tempore: hæc enim omnia æſtimabilia ſunt. Denique quia modus hic vendendi inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorũ; ac proinde facit pretium decreſcere. Hinc patet non eſſe facilè condemnandas anticipatas emptiones lanarum, quæ in Hiſpania & alibi fieri ſolent; in quibus arroba lanæ (eſt pondus 25. librarum) videtur multo minoris emi anticipata ſolutione, quàm valeat tempore traditionis: quas emptiones defendi poſſe docet Sotus libro 6. quæſt. 4. ar. 1. ad quartum, & fuſe Corduba quæſt. 85. in Summa, & nouiſſimè Molina diſp. 360. qui praxim earum fuse explicat. 61 *Lanæ anticipatè minoris emptæ.*

Probatur Primò, Quia mercatores, qui eas anticipata ſolutione emunt, patiuntur ex illa anticipatione iacturam lucri: nam aliquot menſibus ante traditionẽ mercis, carent ſua pecunia, qua interim per cambia lucrari potuiſſent. cuius ſignum eſt, quòd libenter ſoluant vnum vel duos regales in ſingulas arrobas amplius, ſi venditor patiatur extrahi ſolutionem in tempus traditionis mercis, vel in duos treſve menſes poſt. vnde ſequitur, poſſe tãto minoris emi, quam valeat tempore traditionis, quanti æſtimatur ſpes lucri, qua ſe per anticipatam ſolutionem priuant. 1. *Ratione lucri ceſſantis.*

Secundò, Quia ſæpè metuunt defectum ex parte venditorum vt quod non præſtabunt totum pondus, vel nõ ſinceram mercem, ſed infectam & ſordidam, aut infimæ notæ: cuius ſignum eſt, quòd libenter emant pluris ſolito, medio regali ſingulas arrobas, ſi ſperent venditorem præbiturum ſinceram: & quòd eo plus dent in ſingulas tales menſuras, quo venditor maiorem copiam habiturus eſt; quia tunc minus timent defectum in contractu implendo. atqui hic metus pretio eſt æſtimabilis: vnde facit mercium æſtimationem decreſcere. 2. *Ratione metus fraudis.*

Tertiò, Sicut modus vendendi credito facit pretiũ creſcere, quatenus inducit multitudinem emptorum; ita è contrario modus vendendi ſolutione anticipata facit pretium decreſcere; quia inducit raritatem emptorũ, & multitudinem venditorum, nam pauci ſunt, qui hoc modo lanam emant, & plurimi qui vendant. quo fit vt iuſtum pretium in hoc modo vendendi minus ſit, quàm pretium in venditione rei præſentis. 3. *Ratione facilitatis in ſtorum, &c.*

Quartò, Res quę emptori primum tradenda eſt poſt aliquot menſes, minoris illi valet; quã ſi ſtatim ei tradenda eſſet, multas enim opportunitates habet res præſens. eiuſque præſens dominium, quas non habet res futura. ergo ſi eam nunc emat & ſoluat, poteſt minoris emere, quàm tempore traditionis emenda foret. 4. *Quia emptio, res minus commoda.*

62 Quintò, Si nulla fieret venditio anticipata illius lanæ, (vt ſi edicto eſſet prohibita, vel ſi mercatores nollent eam emere ante tempus traditionis) non venderetur tunc pluris quàm nunc anticipata ſolutione vendatur; ſed potiùs minoris, vt periti mercatores affirmant, & ratio ipſa probat: nam tunc pretium valdè decreſceret, tum ratione copiæ, quæ ſumma eſt tempore tonſionis: tum quia venditores eam paſſim emptoribus ingererent; idque partim ad vitandos ſumptus in ea conſeruanda ſubeundos, partim ad obtinendam pecuniam, qua tunc ſummè ad debita ſoluenda, & pabulum in hiemem comparandum egent. vnde ſequitur, per has anticipatas emptiones nullam iniuriam fieri venditoribus, cum tanti emantur, quanti ſi nulla anticipata emptio fieret. 5. *Alia ratione emuntur minoris.*

Dices, Res tempore traditionis valet pluris, quàm pro ea ſoluatur anticipatè: ergo non emitur iuſto pretio. probatur conſequentia, quia iuſtum pretium rei eſt, quanti ipſa res valet tempore traditionis; non autem tempore conuentionis. Si enim dum triticum valet 10. regalibus, emã illud anticipata ſolutione 10. ſed tradendum poſt 4. menſes dum valebit 14. iniqua eſt emptio, continens implicitam vſuram; eo quòd res tempore traditionis pluris valet: ergo ſimiliter ſi pondus lanæ, quod tempore traditionis valebit 18. regalibus, emam 14. iniqua eſt emptio, continens implicitam vſuram: nam exceſſus rei eſt lucrum proueniens ex anticipata ſolutione. *Obiectio.*

63 *Solutio. Quando res ſimiliter pluris eſt ex tempore traditionis.* Reſpondeo, negando conſequentiam. Ad probationem dico Iuſtum pretium rei eſſe, quanti ipſa valet tempore traditionis; niſi ex cauſis extrinſecis tempore contractus minoris æſtimetur: vt ſi ex modo vendendi tali tempore, cõtingat eſſe paucos emptores & multos venditores, ſi ex tali modo emẽdi ceſſet lucrum vel timeatur fraus, aut defectus aliquis in venditore, tunc enim etſi res ipſa nudè & ſecundum ſe conſiderata pluris valeat, non tamen pluris valet cum illis circumſtantijs. His adde, iuſtum pretium

rei

rei tempore contractus non esse æstimandum ex pretio, quod erit tempore traditionis, quando hoc pretiũ pendet ex præcedentibus contractibus, nempè quando per illas emptiones anticipatas inducta est raritas mercium (ac proinde caritas) tempore traditionis. cum enim illa raritas pendeat ex præcedentibus contractibus, nõ potest pretium in præcedentibus contractibus, quando non erat raritas, sumi ab æstimatione, quam merces habent in raritate. alioquin qui emit, dum offertur magna copia mercium, deberet emere eo pretio, quo valebunt dum erit raritas, si venditor non posset antea tradere; quod est absurdum.

64 Requiratur ergo, vt pretium, quod erit tempore traditionis, aliunde proueniat quam ex emptionibus anticipatis; ita vt etiamsi tales emptiones non præcessissent, nihilo minus tanti res illa tempore, quo tradenda est, sit valitura: quod hic locum non habet: nam si lana multis huiusmodi anticipatis contractibus vendita non fuisset, non esset carior tempore traditionis, quàm fuit tempore anticipatæ conuentionis. Denique non est eadem lana, quæ carior est tempore traditionis & quæ venditur anticipata solutione sed alia; nempè ea, quæ tunc adhuc vendenda superest, quæ ob raritatem carior est. alioquin si tota lana anticipatè vendita, ponatur tempore traditionis non vendita, non erit carior. hoc tamen requiritur, vt pretium emptionis anticipatæ, debeat sumi ex tempore traditionis.

DVBITATIO VIII.

An chirographa, seu credita possint emi minoris quã continent. v. g. Vtrùm Ius ad 100. aureos soluendos intra annum, possit modo emi minoris, vt 96: vel 97.

65 SVPPONO, talia posse minoris emi si difficilis vel ambigua sit solutio, vel cum molestijs obtinenda. Item ratione lucri cessantis aut damni emergẽtis ex emptione.

Sed tota difficultas est, Si nihil horum subsit, an secundum se minoris emi possint? Sint duæ sententiæ. Prior est; Posse talia iura minoris emi, ita Panor. & Innoc. in c. In ciuitate, de vsuris, Caietanus v. Vsura, sub finem, Nau. ca. 17. nu. 230. Idem docuit olim doctissimus Cardinalis Bellarminus Louanij, & Pet. Parr. Rom. Probatur Primò, Quia talia iura dum proponuntur venalia inter mercis, cõmuni hominum iudicio, minoris æstimantur, quàm pecunia præsens, vt experientia patet: eo quod hæc multarum rerũ facultatem præbeat, quam iura illa non tribuunt: ergo minoris emi possunt. patet consequentia; quia illud censetur iustum cuiusque rei venalis pretium, quod communis hominum æstimatio statuit. si enim in ceteris rebus censetur iustum pretium, quod ex communi æstimatione statuitur, cur non etiam in his chirographis?

Sententia affirmans posse minoris emi. 66

67 Dices, Quod homines communiter hæc chirographa minoris faciunt, hoc fit ob inopiam eorum, qui magis egẽt numerata: ergo hæc æstimatio non est prudens: ac proinde non licet ea vti alioquin. quando quis ob inopiam esset paratus dare duplum, liceret exigere duplum.

Responderi poterit; negando conseq. nam omnium rerum æstimatio pendet ex necessitate, cui subiecti sunt homines, & nihil æstimarentur, si ea necessitas, abesset; vt patet in medicamentis, in cibis, in ædificijs, & eorum materia. Neque requiritur vt ea necessitas sit omnium; sufficit vt sit multorum, vel ferè omnium, ita vt ratione eius, res illa tanti æstimetur. Itaque cum illa iura minus sint necessaria, quam pecunia numerata, & non præbeant eam facultatem lucrorum & aliorum commodorum, prudenter minoris æstimantur.

Nec refert, quòd tibi *in particulari* perinde sit, vtrùm habeas pecuniam præsentem, an tale chirographum, quia id per accidens est. non enim ex tua æstimatione pretium rei pendet, sed ex communi: sicuti etsi nullis vmquam egetes medicamentis, posses nihilominus ea pretio communi vendere.

68 Secundo Probatur, Si talia iura non valent minoris quã pecunia præsens: ergo inutiles erunt emptiones censuum personalium, quæ in plurimis locis sunt receptæ. Sequela patet; quia in his nihil emitur aliud, quam ius ad recipiendum quotannis, v. g. sextamdecimam partem sortis, ita vt sextodecimo anno tota sors sit exhausta. nihil autẽ refert ad iustitiam, siue diuisam quotannis, siue totam summam in fine totius illius tẽporis recipias. ergo si Ius, v. g. ad 96. recipienda diuisim 16. portionibus ad annos 16. tanti valet quanti pecunia præsens 96. non licebit emptori cẽsus, post annum 16. quidquam amplius accipere; neque licebit recipere totam sortem, si venditor interim voluerit cẽsum redimere; sed pensiones annis elapsis solutę, erunt in sortem computandæ: quorum vtrumque est contra praxim multarum Prouinciarum, in quibus Bulla Pij V. de censibus non est recepta; quam praxim vt iniquam damnare, valdè durum est.

Census personales.

Tertiò Probatur. L. Minus. 205. ff. de regulis Iuris, vbi dicitur, *minus est actionem habere, quàm rem*. ergo minoris valet & minoris emi potest. Addunt aliqui ob periculum palliandi vsuras, hanc sententiam non esse passim usurpãdam, sed tantum in censibus, in quibus lege publica vel communi æstimatione pretium est taxatum, & in alijs iuribus iam ante constitutis. v. g. Petrus ex mutuo vel empto debet mihi 100. aureos soluendos post biennium; si tibi velim Ius meum vendere, poteris illud minoris emere. v. g 97. vel 98. 69

Si petas, vtrùm ipse debitor possit illud emere, vt ita se obligatione liberet?

Respondetur, Si creditor illud offerat venale, non videri cur debitor non possit illud emere, eo modo, quo quilibet alius; vt docet Nauar. loco citato. non enim ipse debet esse peioris conditionis in emptione illius iuris, quam alij, nisi fortè ipse sit causa cur creditor velit vendere: vt si se præberet difficilem ad soluendum tunc enim nõ posset eo pretio emere, quo alij. ratio est, quia tenetur illam difficultatem tollere, & præstare solutionem fore facilem & securam termino elapso. vnde ob illam difficultatem non potest debitum minoris æstimare. alij tamen possunt, quia non sunt causa illius difficultatis, nec tenentur eam tollere.

Debitor potest emere. 70

Nisi sit causa difficultatis.

Altera sententia, Talia Iura non posse minoris emi, est communis aliorum DD. Medinæ. C. de restit. quæst. 38. Soti lib. 6. quæst. 4. ar. 1. ad 3. Sylueitri, Vsura 2. q. 14. Gabriel. d. 15. q. 11. dub 4. ad 3. & aliorum; quæ & mihi probatur. Primò, Quia est communior & securior. Secundo, Quia debitor 100. aureorum soluens minus, quam debet (v. g. 96.) ob anticipationem, committit vsura: implicitè enim mutuat 96. vsque ad terminum solutioni destinatum. vt tunc pro illis recipiat 100. nam debitum 100. aureorum extinguitur atqui hoc ille facit, qui emit chirographum 100. aureorum pro 96. ergo.

Contrarium tutius.

Probatur altera sententia. 71

Dices fortè, Maiorem esse veram, si ideo precisè minus det; quia terminum solutionis præuenit secus autem si minus det, non gerens se vt solutorem debiti, sed vt emptorem iuris alieni, quod per modum mercis expositum venale, non pluris æstimatur, nec pluris venditi in sua ciuitate posset. tanti interest, quo titulo, quaue forma quis contrahat. Sed hæc diuersitas videri possit magis esse in mente quàm in re ipsa: vnde.

Probatur Tertiò, Nam hac ratione poterunt vsurę multę palliari vsurarius enim dicere poterit se nolle mutuare; sed esse paratum emere Ius. v. g. ad 100. vel 200. aureos, quod quisque sibi potest imponere. 72

Dices forsan, Non fore vsuram palliatam si tale Ius vel actio non minoris ematur ab vsurario, quàm publicè venditi posset, addita pignoris securitate. Sed hoc supra c. 20. dubit. 14. discussum est, & in praxi improbatum.

Nec satisfacis, si dicas hanc sententiam non esse admittendam in nouo iure, quod quis sibi è vestigio imponat vt vendat: (nisi sit census annuus) eo quòd iste modus contrahendi non sit receptus, cum planior sit via per mutuũ, ac proinde meritò censeri vsurarium, qui eo vteretur. Secus esse de chirographis seu iuribus, iam antè, aliam ob causam constitutis: hæc enim frequentissimè in emporijs vendi solere & semper minoris, quam contineant: hoc, inquam, non satisfacit: nam saltem in re non est inæqualitas. si enim non est in antiquis, cur sit in nouis? non ergo censendus est vsurarius, sed potius auarus. & durus in proximum.

Quartò, Si ius ad 100. aureos in fine anni recipiendos, 73

minoris

minoris valet quàm 100. præsentes; ergo si quis exigeret 100. præsentes, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem.

Fateor tamen hoc argumentum non conuincere. nam poterit negari consequentia. Primò, Quia 100. præsentes non omnino excedunt limites iusti pretij, sed pertinent ad pretium rigorosum; vnde si quis velit illud dare, poterit accipi. Secundò, Quia venditor non tenetur in huiusmodi iuribus vendendis quidquàm remittere de pretio, etiamsi solutio sit difficilis; sed potest totum exigere, non æstimando difficultatem vel dilationem solutionis: vsu enim receptum est, vt quisque vendat talia iura quanti potest, intra tamen limites summæ debitæ. Idem videmus in censibus antiquis. Vnde si inueniatur emptor, qui sciens rei conditionem, tantum velit dare, iustè potest accipi.

Ad argumenta. Ad primam rationem contrariæ sententiæ. Respondeo Chirographa minoris æstimari, vel propter aliquod periculum, aut difficultatem annexam; vel quia qui dat pecuniam præsentem, priuat se aliqua potestate aut commoditate, quàm non habet per chirographum.

Ad Secundam, In reditibus personalibus semper est, aliquod periculum ob temporis diuturnitatem. deinde non ipsæ pensiones, sed ius ad illas emitur, vt infrà ca. 22. dubit. 5. dicetur.

DVBITATIO IX.

Vtrùm chirographa, seu librancia, vt vocant, possint interdum emi dimidio pretio, si difficilis vel ambigua sit solutio.

74 RESPONDEO, Id sæpè iustè fieri posse, nempè si solutio tam sit difficilis obtentu, vel tam incerta, vt ob hanc circumstantiam coniunctam, prudenter æstimentur dimidio minoris: vt si chirographum per se consideratum valeat 100. & difficultas vel incertitudo annexa sit tanta, vt passim quiuis eam libenter redimeret 50. tunc potest emi 50 & paulò minoris. imò fieri potest vt licitè ematur 40. vel 30. prout difficultas & incertitudo solutionis maior fuerit

Si tibi non sit difficilis obtentu. Dices, Etsi alijs solutio difficilis sit impetratu, Petro tamen, eiusque sodalibus, ob fauorem Principis vel officialium, vel ob contractus, quos cum illo ineunt, non est difficilis, nec incerta; ergo ipsi non poterunt illud tam modico pretio emere: nam ratio illa detrahendi de pretio, in illis cessat. 75 Ob hoc argumentum quidam putant non posse librancias militares à mercatoribus, qui cum Rege contrahunt, minoris emi (saltem notabiliter) quàm contineant; quia certi sunt integræ solutionis, idque absque difficultate.

76 Sed contraria sententia est probabilis, & verior, posse emi tali pretio absque iniustitia. in qua præter alios est etiam doctissimus vir Ludouicus Molina disput. 361. ratio est; quia dum hæ librancie offeruntur venales, earum pretium non pendet ex commodo vnius vel paucorum, sed ex publica æstimatione, qua æstimarentur si publicè in foro, sub voce præconis, concurrente tota ciuitate, proponerentur. Confirmatur, quia cùm non habeant pretium lege præscriptum, illud assignandum est ex communi æstimatione. vnde si Princeps Turcarum tibi debeat 1000. aureos, nullaque vel parua sit spes obtinendæ solutionis, vel non nisi magnis sumptibus aut laboribus, fas est hoc debitum emere paruo pretio. v.g. 100. vel 50. aureis; etiam si emptor peculiarem aliquam rationem norit, qua facilè integram solutionem obtinere queat. hoc enim ad bonam ipsius fortunam pertinere existimandum est. Sæpè tamen fit vt mercatores illi peccent contra charitatem, si miseris militibus, qui per magnam inopiam coguntur eas vendere, rationabile pretium dare nolint; cùm ipsi tam ingens lucrum inde reportent.

Librantiarum æstimatio est iudicij publici.

Peccant sæpè cõtra charitatem.

77 Aduerte tamen Primò, Integrum esse ijs, qui talia chirographa habent, non æstimare difficultatem vel incertitudinem solutionis debitæ, ac proinde nolle vendere nisi integrè numeretur tota summa. vsu enim receptum est, vt hæc vendátur quanti vendi possunt absque fraude & ignorantia, intra limites summæ contentæ.

Possunt vendi quanti cõstiterit.

Secundò, Huiusmodi chirographa non posse emi tali pretio à debitore vel eius ministris, quorum officium est ea soluere: vt dictum est dubitatione octaua, quia ipsi sunt causa malignæ solutionis: qua in re interdum grauiter peccatur a Receptoribus & Quæstoribus Principum. secùs tamen si Quæstor causa non sit, & scandalum absit. 78

Receptores & Pagadores.

DVBITATIO X.

Vtrùm si sciam occultè debitorem meum non esse soluendo, possim ijs, qui id nesciunt, vendere illum debitum pretio ordinario.

ISTE casus est frequens inter mercatores. Videri possit non esse contra Iustitiam, modò mendacijs vel fraudibus non alliciam emptorem. Primò, Quia qui vendit rem quanti communiter æstimatur, non facit emptori iniuriam: (nam hoc censetur iustum rei pretium) atqui ille sic vendit: ergo, &c. Nec refert, quòd illa æstimatio nitatur errore, dum putant illum debitorem esse soluendo, eo quòd passim pro opulento habeatur: quia ille error non versatur circa rei substantiam; (qualis esset, si quis emeret chirographum fictum, putans illud esse verum; vel vitrum, putans esse gemmam) sed circa aliquid extrinsecum, nempè circa conditionem quamdam non rei, quæ venditur, sed eius, qui debet eam tradere. Arqui talis error non facit contractum iniquum, nec tollit pretium vulgare; vt si rem meam, quæ est in potestate alterius, qui passim habetur vir bonus, vendam tibi cum onere illam recuperandi, & ego sciam, non sine graui difficultate recuperatum iri; nemo dixerit hanc venditionem esse iniustam: non enim venditoris est, explicare conditiones illas extrinsecas rei, nisi rogetur, sed emptoris est de illis inquirere, & omnia circumspicere. 79

Chirographa, quorum debitor non est soluendo.

Vadens rem difficilè recuperatu.

Secundò, Qui vendit merces suas pretio currente, sciens maximam copiam breui proferendam in lucem, non peccat contra iustitiam; vt dictum est dubitatione quinta, & tamen æstimatio illa nititur errore, vel ignorantia: ergo similiter nec iste contra iustitiam peccabit. qui vendit tale debitum pretio, quo vulgò æstimatur inter mercatores, etiamsi illa æstimatio ex errore vel ignorantia procedat. sicut enim illæ merces ob communem æstimationem tanti valent; ita etiam illud debitum, seu obligatio chirographica. 80

Tertiò, Si sciam segetem delendam vel domum incendendam ab hoste, possum nihilominus eam vendere ijs, qui id nesciunt, pretio ordinario; & tamen nemo vellet emere, si id sciret: ergo, &c.

Quartò, Si obligatio nihil valeret quando debitor non potest soluere; ergo etiam quando non vult soluere; nec ob potentiam potest cogi: (hæc enim idem valent, secundùm communem hominum æstimationem) ac proinde non possem tunc eam vendere pretio ordinario alicui mercatori, qui sua industria posset solutionem obtinere: quod tamen falsum esse constat ex dictis suprà dubitatione nona.

Verùm quidquid sit de ratione Iustitiæ, mihi videtur absolutè illicitum; quia saltem est contra charitatem, maximè quando alicui tenuiori esset occasio grauis damni. deinde videtur esse contra Iustitiam, sicut enim Ius fructuum agri sterilis, in se est parui momenti, nec potest vendi eo pretio, quo Ius in agro fertili: ita Ius in illum, qui non est soluendo. Vnde hoc vitium videtur intrinsecum rei, ac proinde manifestandum. quod si non fiat, saltem contractus poterit rescindi, cùm dolus ei causam dederit; iuxta dicta cap. 17. dub. 5 secùs est in casibus, qui in argumentis proponuntur: res enim ibi non est intrinsecè deterior, aut minoris momenti; sed per accidens, ratione alicuius extrinseci, minoris æstimata. Ex quibus patet responsio ad argumenta. 81

Contrarium verius.

DVBITATIO XI.

Vtrùm Venditor teneatur emptori defectum rei vendendæ aperire.

D. THOM. ART.2. & 3.

Defectus mercis.

82 SVPPONO iniquum esse vendere rem habentem vitium in quantitate, (id est, cui non est iustum pondus, aut numerus, aut mensura) aut qualitate, eo pretio, quo venderetur, si omni defectu careret: vt docet D. Thomas art.12. ratio est, quia in tali contractu deest æqualitas debita. sic peccant œnopolæ, qui vino miscent aquam; & frumentarij, qui tritico miscent secale aliave semina, vel quisquilias: sicut illi, qui Amos 8. dicunt, *quisquilias frumenti vendamus*. Item qui sericum tinctum, mangonio multò faciunt ponderosius, & tamen non multo minoris venduntur, quam si tinctum non esset. qua ratione multi Antuerpiæ & alibi facti sunt ditissimi. decipiuntur enim emptores & nollent tanti libram emere, si fraudē scirent. Denique omnes, qui mensuras adhibent dolosas, contra illud Prou.

Admixtio.

83 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Si tamen res ex illa admixtione non esset minùs bona, quàm ea, quę ab alijs venditur; non esset condemnandus iniustitiæ, qui eodem pretio venderet: quia illa fraude nullum damnum infert emptori. Cur enim rem suam non possit ad eum statum reducere, in quo sunt res aliorum, & tunc eam vendere eodem pretio, quo alij? fit hoc interdum in vino, tritico, & similibus speciebus; dum vino valde præstanti miscetur aliud tenue, vel aqua; aut tritico valdè puro, secale; ea tamen moderatione vt non sint deteriora quàm, quæ ab alijs passim venduntur. docet hoc apertè Lopez p.2.c.42. sui Instruct. etiam in eo casu, quo pretium à Repub. est taxatum. Crediderim tamen, talem posse puniri, tamquam specierum vendendarum adulteratorem, & emptorum deceptorem. tales enim mixtiones sunt in Republ. valde odiosæ, & auctores infames.

Emens rem vtilem vsum pro vili.

84 Pari modo iniquum est emere rem vitio carentem pro vitiosa, & pretiosam pro vili, vt gemmam loco vitri; etiamsi venditor ob ignorantiam, eam non pluris iudicet, quam si vitiosa aut vilis esset. Ratio est, quia non seruatur æqualitas: non enim venditor intendit rem donare, qua parte excedit, sed totā vti est, vendere, & iusto pretio commutare. Si tamen in aliqua regione res illa passim parui

85 æstimaretur, eo quòd ignorent, alibi eam magni fieri; posset ibi paruo emi. Sic apud Indos licitum erat contra aurum aliasque res pretiosissimas commutare specula, tintinnabula, cultellos, & similia crepundia.

Item si aliquæ gemmæ pretiosissimæ in aliquo oppido, paruo æstimarentur à gemmarijs illius loci, posset alius, qui earum præstantiam nosset, eas paruo emere: quia illo loco non pluris censentur valere. Denique fascis herbarum, qui venditur ad pabulum animalium, potest emi pretio, quo talia vulgò vendi solent, etiamsi emptor sciat ibi pretiosas quasdam herbas contineri. Ratio est, quia tota illa res ad eum vsum, quo vendi solet non pluris æstimatur. His positis.

Si venditor rogetur, tenetur aperire.

Respondeo, & dico Primò, Si emptor roget venditorē.

86 an res sit bona, an careat vitio, vel si petat ad certū vsum; tenetur venditor ex iustitia aperire rei vitia, maximè occulta, vel talem, qualem ille desiderat offerre. est communis sententia DD. Probatur, quia tenetur ex officio explicare conditionem rei suæ, quam vendendam exponit, præsertim si rogetur ab emptore: alioquin maximæ contingerent fraudes, quæ non possent ab emptoribus vitari. ordinariè enim nemo nouit melùs rei conditiones, quam ipse venditor. Itaque si venditor affirmet rem vitio carere, eamque lauder, cum tamen occultum vitium habeat, iniuriam facit emptori; & quidem si hac ratione alliciat eum, qui alioquin emere noluisset; contractus est inualidus: quia dolus dat causam contractui, iuxta ea, quæ dicta sunt cap.

87 17. dilt.5. Si autem voluisset quidem emere, sed non tanti, quanti nunc emit, eo quòd facilè reperisset illo pretio meliorem; non est quidem inualidus contractus, quia dolus non dedit causam contractui, sed solùm cur pluris emeret: tenetur tamen restituere ex pretio, quanti minoris emenda fuerat; quia eatenus eum decepit.

Pari modo, si petenti ad certum vsum, offerat rem inutilem vel parùm vtilem: vt si pannum adustum vēdat pro firmo: aromata euanida pro recentibus, semina corrupta pro sanis. Item si mangonio artis ita tegat rei vitia, vt non possint facile deprehendi, & sic vendat eam tamquam integram. tunc enim etiāsi nihil dicat; tamen facto suo mentitur rei bonitatem: vt si quis guttulam argenti viui infundat in aures equi, vt excutiat segnitiem, & præseferat generositatem. In his & similibus casibus, in quibus dolus verborum vel factorū dat causam contractui, tenetur venditor ad omnia damna inde secuta; nisi tempestiuè emptorem admoneat. quod intellige de damnis, quæ probabiliter ex tali deceptione præuideri poterant euentura: vt si oues morbidas vendidit pro sanis, per quas totus grex est infectus; si tigna vitiosa, vnde domus ruinam est passa. Ita expressè habetur Leg. Iulianus, ff. de actionibus empti & venditi.

Tenetur damni secuti.

Peres, vtrùm teneatur rescindere contractum & restituere pretium?

An rescindendus contractus.

89 Resp. Si res adhuc est integra, tenetur monere emptorē vt rescindatur contractus, si velit; si tamen nullum incommodum notabile inde timetur emptori, & res alioquin ipsi sit vtilis pro ratione pretij, non tenetur, saltem sub peccato mortali: quia etsi peccauit, nullum tamen notabile damnum intulit. sic sæpe possunt excusari, qui vinum Mosellanum pro Rhenano vendiderunt, modò iustum pretiū non excesserint. Si autem res non sit integra, vt si est consumpta, nec aliquid detrimenti inde emptor accepit, non tenetur; quia nō fuit excessus in pretio, vti suppono. quòd si fuit aliquis excessus, reuocandus est contractus ad æqualitatem per occultam compensationem. vide Lop.p.2.ca.42. vbi pro hac sententia multos citat.

Dixi. *Maximè occulta vitia aperienda*, quia potest existimare, manifesta facilè ab emptore esse deprehendenda: si tamen putaret non deprehendi, teneretur etiam illa aperire; quia generatim rogatur de omnibus.

Si venditor laudet rem supra meritum.

90 Notandum tamen, etiamsi venditor laudet rem suam supra meritum, vel cælet vitium, quod illam non reddat notabiliter minùs vtilem ad vsum, cui expetitur, non censeri irritum contractum, nec teneri ad restitutionem; etiāsi forte emptor alioquin non fuisset emturus. Ratio est, tum quia hęc fere est consuetudo mercatorum, quę passim ab emptoribus scitur: tum quia emptor non incurrit per hoc notabilem aliquam læsionem, tum denique quia nimis durum esset tale genus hominum tam stricte obligare ad omnium vitiorum detectionem. quod maximè verum est, quando emptor expressè non rogat de vitijs, sed petit rem bonam & vtilem sibi exhiberi. Ita Lopez sup. Victoria & alij, quos ibidem citat.

Si emptor suo iudicio fidat.

91 Dico Secundò, Si emptor suo iudicio fidens, rem aliquā ex multis deligat, nihil interrogans, præterquam de pretio, non peccat venditor contra iustitiam, etiamsi occultū vitium non aperiat; modò non vendat supra iustum, sed detrahat de pretio, pro ratione vitij. colligitur apertè ex Diuo Thoma art.3. solùm enim requirit vt defectus indicetur, ne emptor inde periculum incurrat; quod latis potest contractū præstari potest. Idem apertè docet Quodlib.2. art.10. consentiunt Sotus lib.6.q.3.ar.2. & D. Anton.2.p.tit.1.cap.17.§.6. Lopez & Victoria suprà. Probatur, quia hic nullam iniuriam facit in ipso contractu, nam vendit rem suam iusto pretio; neque per iniuriam allicit illum ad contrahendum: non enim vllo mendacio vel fraude est causa cur emptor emat: ergo nullam hic committit iniustitiam. si enim neque in contractu est iniustitia, neque in modo alliciendi ad contractum, absolutè nulla est hic iniustitia. Nec obstat, quòd non indicet vitium, quia ad id non tenetur ex iustitia, nisi emptor petat; nam exploratio rei ad emptorem pertinet. nec enim emptor meritò queri potest de iniuria sibi facta per venditorem, qui vitium non aperuit; sed si deceptus est, sibi imputet, eo quòd iudicio suo præfisus, non petita sententia venditoris, rem emerit. Nec obstat Lex Iulianus.13.ff. de action.empti. & L.1.ff. de ædilitio edicto, vbi statuitur vt *venditor aperiat omnia vitia occulta emptori; alioquin concedi actionem redhibitoriam*: quia vel illa lex est positiua, nec locum habet nisi vbi moribus recepta; vel intelligenda quando emptor id petit: vel solùm datur actio ad rescindendum, & redhibendum per sententiam Iudicis.

Aduerte

92 Aduerte tamen Primò, Si venditor quodam ingenio artis, vitium texit, non excusari; quia dolus dedit causam cõtractui, vt dictum est. Idem dicendum, si rem illam ponat cum alijs viuo carentibus, vt distingui ab emptoribus non possit.

93 Secundò, Etiamsi non sit contra iusticiam non monere emptorem dum suo iudicio fidit, tamen potest esse contra charitatem; vt si videat emptorem ex simplicitate decipi, & putet rem ei fore inutilem, quamuis alijs inutilis non sit. Quod si etiam putatur fore noxia, ratione occulti defectus, videtur quoque ex iustitia teneri aperire defectum, 94 saltem post contractum; vt DD. communiter docent: nam hoc ipso, quo rem suam exponit venalem cum occulto vitio, tenetur officij sui lege cauere ex parte sua, ne quis inde aliquod nocumentum capiat, alioquin videtur causam nocumenti dedisse: vt si vendat equum sternacem, oues interno morbo laborantes, tigna vitiosa, colligitur ex d. L. Iulianus. ff. de actionibus empti. Puto tamen ante contractum ad hoc non teneri, quando emptor suo iudicio rem emit, vt dictum est; modo illa post contractum monitione, omnia damna & incommoda possint cauere. colligitur ex Soto & Lopezio suprà.

Si putatur fore noxia.

DVBITATIO XII.

Vtrùm si res vendita pereat, vel deterior fiat, pereat emptori, an venditori.

95 RESPONDEO, & dico Primò, Si res vendita pereat vel deterior fiat post traditionem, perit emptori etsi pretium nondum sit solutum. Ratio est, quia per traditionem translatum est dominium in emptorem, res autem domino perit. vide supra c. 3. dub. 3. & infra dubit. 19.

Si post traditionem perit.

96 Dico Secundò, Si pereat ante traditionem, sitque res certa & determinata, (v.g. hic equus, hæc domus, hoc dolium vini) peracto contractu venditionis, perit emptori; vnde non tenetur venditor eius pretium restituere. Pari quoque modo eius incrementum ad emptorem pertinet. Ita Syluester v. Emptio, numer. 3. & Couarr. practic. quæstionum c. 3. numer. 5. patet ex L. Quòd sæpè. 35. §. In his, ff. de contrahenda empt. & ex L. 1. & sequent. C. de periculis & commodis rei venditæ. Ratio est, quia contractus venditionis rei determinatæ, absolutè celebratus, sufficiens est iuris gẽnium ad transferendum dominium: quòd autem reipsa dominium non transferat ante traditionem, est ex dispositione iuris ciuilis, quod ob certas causas ita statuit, vt dictum est cap. 3. dubit. 3. nolunt tamen hoc ius impedire, quin ante traditionem omnia rei commoda & incommoda ad emptorem pertinerent, perinde ac si dominium translatum esset. itaque etsi impediat dominium, nõ tamẽ impedit effectum, qui ex dominio sequi solet. Idque merito, quia mens contrahentium est, vt statim res cum sequentibus eius euẽtis ad emptorem pertineat, nisi aliter expressè fit cõuentũ. tamẽ culpa vẽditoris, qui ex officio tenetur rem custodire donec eam tradat emptori, deterior fiat, vel pereat ipse tenetur. Similiter si sit in mora tradẽdi, & interim pereat vel deterior fiat, nisi similiter deterior futura fuisset apud emptorẽ, vt rectè docet Syluester suprà.

Si res sit determinata, perit emptori.

Dico Tertiò, Si autem res sit indeterminata; (vt si quis 97 emat 10. modios tritici ex messe vel granario; 10. oues ex grege) vel si emat rem determinatam, sed ad mensuram, (v.g. totum aceruum tritici, vno floreno in singulas mensuras) tunc ante rei traditionem vel mensurationem, periculum interitus pertinet ad venditorem. Ita Syluest. suprà. Couarr. num. 7. & expressè habetur d. L. Quòd sæpè. §. In his ff. de contrahendâ emptione. Ratio est, quia quando fit emptio rei indeterminatæ, vel ad mensuram, intelligitur tacita conditio, si res tradatur, vt dicitur in illa lege. vnde nisi sequatur traditio vel mensuratio (in qua continentur quædam traditio, cùm corã emptore fieri debeat) emptor non tenetur, quia non censetur perfecta venditio, cùm conditio non sit impleta.

Si res sit indeterminata vel ad mensuram vendita.

Aduerte tamen, si res fiat interim melior, vel deterior 98 absque culpa & mora venditoris. commodum & incommodum pertinere ad emptorem. Ratio est, quia emit rem prout erit tempore traditionis, exponens se fortuitis euentibus. vide Syluestrum & Couarr. suprà.

.. interim fiat melior vel deterior.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm Venditor possit percipere fructus vel vtilitates rei à se venditæ, donec soluatur pretium.

COVARRVVIAS lib. 3. variarum cap. 4. num. 1. & se- 99 quentibus, affirmat, fructus post venditionem natos, deberi venditori, donec emptor pretium soluerit: quòd si res tradita fuerit, & emptor hos fructus percipiat, ipsum teneri eos compensare pecunia, quia re vera ad venditorem pertinent; etiamsi emptor non fuerit in mora, vt dum ei concessus est terminus ad soluendum, probat ex L. Curabit. 5. Cod. de action empti. vbi dicitur, *Curabit Præses Prouinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem, fructus percipit, partem pretij, quam penes se habet, cum vsuris restituere, quas, & perceptorum fructuum ratio, & munera ætatis fauor, licet nulla mora intercesserit, generauit.* quod intelligit Couarru. & alij doctissimi iurisperiti de vsuris non lucratorijs, quæ illicitè sunt, sed compensatorijs fructuum, quos venditor percipere debuisset. Item. L. Iulianus. 13. §. Ex vendito. ff. de action. emption. vbi dicitur, *Nam cùm re emptor fruatur, æquissimum est, eum vsuras pretij dependere.* Hanc sententiam vt omnino improbabilem refutat Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2 num. 157. Siluester Vsura 2. quæst. 11. & alij multi.

Sententia Couarru. & Iurisperitorum.

Pro solutione Notandum est, nos posse loqui vel de fructibus ex re tempore contractus pendentibus, vel de alijs post natis. Nunc.

Dico Primò, Si loquamur de fructibus pendentibus, certum est hos quoad valorem, quem tunc habent, deberi emptori nisi aliter conuentum fuerit. habetur expressè d. L. Iulianus. §. Si fructibus. ff. de actionibus empt. estque communis sententia DD. vt docet Gomezius to. 2. c. 2. num. 11. & Couar. l. 1. variar. cap. 15. num. 1. ratio est, quia fructus actu existentes tempore contractus, reique cohærentes, censentur pars rei emptæ; ac proinde simul cum re empta sunt pretio conuento. Itaque debentur emptori, quandocunque pretium soluerit, sicut res ipsa. Dixi, *quoad valorem, quem tunc habent:* quia non censentur pars rei emptæ, si considerentur secundùm valorem, qui crescendo ipsis accedit. vt si emas vineam, dum primùm floret, valor florũ ad te pertinet, tamquam pars rei emptæ; non sic incrementum, quod crescendo capiunt. hoc enim est effectus & fructus rei emptæ, non pars. 100 *Fructus pendentes.*

Dico Secundò, Si verò loquamur de fructibus, qui post contractum nascuntur, vel de incremẽto quod postea prouenit distinguendum est; vel enim emptor soluit, aut certè obtulit pretium, vel non obtulit; si soluit, aut obtulit pretium venditori, & venditor sit in mora rei tradendæ; omnes illi fructus debentur emptori. imò venditor tenetur illi ad omne interesse intrinsecum; vt si plus fructuum ex re fuisset percepturus, si res deterior est facta vel minoris pretij, interim dum apud venditorem fuit. & venditor si eam habuisset, opportunè & cum lucro alienasset, vel non esset apud eum reddita deterior. Ratio est, quia huius totius dãni venditor est ei causa ex iniusta rei detentione. Dixi, *Ad omne interesse intrinsecum*, quia venditor non tenetur emptori ad interesse *extrinsecum*: id est, quod per accidens emptori euenit. v.g. ex eo, quòd rem in alium locũ, vbi pluris valebat, non potuit transferre. vel ex eo, quòd mancipia fame mortua sunt, ob rem non traditam. ita expressè habetur L. Si sterilis. 21. §. Cùm per venditorem. ff. de actionibus empti. E contrario, emptor, si in mora fuerit soluendi pretij, non tenetur venditori, nisi ad vsuras pretij; non autem ad interesse lucri cessantis ex eo, quòd pretio non fit negotiatus; vt expressè habetur L. finali, ff. de periculis & commod. rei emptæ. 101 *Fructus post contractum nati.* *Si emptor obtulit pretiũ, & venditor sit in mora.* 102

Sed aduerte, hæc intelligenda in foro externo: nam in foro conscientiæ non distinguitur interesse *intrinsecum* & *extrinsecum*; neque interesse vsurarum & lucri cessantis. quicunque enim per iniuriam est causa damni, tenetur ad totum interesse, quod probabiliter poterat præuideri; vt communiter Theologi docent: & patet ex dictis suprà cap. 7. dub. 6. & 8. & cap. 10. dubit. 11. & 12.

Dico Tertiò, Si pretium non soluit, aut obtulit, nec ven-

103 ditor ei fidem de pretio habuit, tunc iure communi Cęsa-
Si non obtulit pretiũ, nec venditor ei fidē habuit. reo ni fructus debentur venditori: quòd si res tradita sit emptori, & pte fructus eius percipiat, tenetur venditori eodem iure soluere vsuras pretij, pro ratione fructuum. Ita Gomez.us & Couar.supra, & colligitur ex Legibus citatis. Si tibi domum tuam vendideris simpliciter 1000. aureis, & emptor contractu celebrato non soluat, cum tamẽ ei terminum non concesseris: vel si dixit se statim soluturũ & non soluat. Ratio est Primò, Quia tunc dominium non est translatum, etiamsi res sit tradita, (vt patet §. venditæ, Inst. de rerum diuisione) idque factum culpa emptoris. vnde merito fructificat venditori, apud quem dominiũ mansit iuris dispositione. Secundò, Quia æquitas non patitur, vt emptor percipiat fructus ex re empta, & venditor non possit frui pretio, (quamuis desideret) idq; proueniat culpa emptoris, vt colligitur ex L. Iulianus 13. §. Ex venditore. de act. empt.

104 Dices. Vsuræ sunt prohibitæ: Respondet Couarr. lib. 3.
Vsuræ compensatoriæ et lucratoriæ. var. c. 4. num. 1. vsuras lucratorias esse prohibitas, non autem compẽsatorias. nempe quibus compensantur fructus qui venditori debebantur. non enim soluit vsuras, quia pretium quasi mutuum tenet; sed quia fructus percipit, qui ad venditorem adhuc pertinent: vnde sequitur, si nullos fructus emptor percipiat, & venditor etiã nullos perceperus fuisset, emptorem ad nullas vsuras teneri. si multos percipiat, teneri ad multas, nempe quæ exæquent fructus perceptos. v.g. emisti domum 1000. aureis, cuius elocatio valet 50. si nihil ex pretio soluisti, & domum inhabites, vel eloces; teneris venditori compensare totum vsum domus; (hic enim est fructus eius) ac proinde solueres 50. si tolam pretij dimidium soluisti, teneris soluere dimidium æstimationis fructuum, nempe 25. si tertiam partem pretij soluisti, teneris soluere duas tertias æstimationis fructuum: & sic deinceps, seruata proportione inter partes pretij fructuum soluendorum, & partes pretij, quæ restant soluendæ.

105 Dico Quartò, Si venditor emptori rem tradidit, habita
Si venditor rem tradidit & credit fidē de dilatione. fide de pretio & concessa dilatione ad soluendum; fructus omnes debentur emptori, nec tenetur ad vsuras pretij non soluti. Ita Couar. supra num. 5. Ratio est; quia quando venditor sponte rem tradit & concedit dilationem absque alia pactione, censetur renuntiare constitutioni Cæsareæ, dictæ legis, Curabit.

Notandum tamen, venditorẽ in hoc casu iuxta Couarruuiam & multos Iurisperitos quos adducit, posse stipulari vsuras, vel interesse, donec pretium solutum fuerit. Ratio ipsorum est, quia si noluisset eis rem tradere, nec habere fidem de pretio, potuisset sibi reseruare fructus. Item si rem tradidisset & noluisset habere fidem de pretio, potuisset exigere vsuras pretij, iuxta L. Curabit. 5. atqui per hoc, quòd rem tradat emptori, habeatque ei fidem de pretio, non onerat illum; sed beneficium potius & commodum præstat. ergo ratione huius non amittit ius exigendi vsuras pretij pro ratione fructuum, donec pretium solutum fuerit.

Ex hac sententia Sequitur Primò. Si uendam tibi domũ
106 1000. aureis, habita fide de pretio, eamque tibi tradam
Confectaria illius sententiæ. posse me stipulari, ut soluas pretium elocationis, donec solueris pretium domus.

Secundò, Si eam tibi uendam, nõ habita fide de pretio,
107 & tradam; teneberis soluere usuras pretij ex Iuris dispositione, etiamsi id in pactum non sit deductum, quia ceteris esse in mora.

Tertiò, Si uendam tibi domum 1000. aureis, posse me sti-
108 pulari, ut percipiam fructum locationis, donec interea fuerit alia res frugifera, quæ pretio comparetur, relicto interim pretio in deposito, uel apud emptorem, prout emptori placuerit. possum enim uendere ea lege, ut non fiat traditio, antequam alia res frugifera inuenta fuerit. quæ pretio comparetur, quo contractu inito, possum adijcere aliũ quo faciam traditionem. & trãsferam dominium domus, & ius percipiendi fructus, usque ad illud tempus, quo res alia inuenta fuerit, pro pensione annua, quæ exæquet fructus, ut docet Molina disp. 368.

Circa prædicta Aduertẽdum est, ea, quæ ad 3. & 4. assertionem, & in consectarijs de fructibus a uenditore percipiendis, & usuris ab emptore soluendis dicta sunt, procedere secundũ ius Cæsareum: contrariam tamen sentẽtiam esse ueriorem & naturali æquitati conformiorem, nempe, omnes fructus peracto contractu venditionis, pertinere ad emptorem, nisi aliter conuentum expresse fuerit. quod si conuentum fuerit, vt certo tempore maneant venditoris; tunc etiam periculum rei debere esse venditoris. deinde emptorem si sit in mora soluendi, solum teneri ad interesse. Ita tenet Siluester Vsura 2. qu. 11. citans pro hac sen- 109
tentia Franciscum Mayronium in 4. dub. 15 sanctum Bernardinum Senensem, Rosellam & Archidiaconum. eadem est communis Theologorum, præter Archidiacono. Probatur Primo, Quia contractu celebrato, res statim censetur ita pertinere ad emptorem, vt si pereat, ipsi pereat; non venditori; vt supra dubit. 12. de ijs rebus, quæ venduntur non ad mensuram, sed ad corpus, (id est, prout corpus rei obijcitur sensibus) dictum est: atqui non est æquitati consentaneum, vt totum periculum rei sit emptoris, & venditor interim fructus omnes percipiat. nam inæqualis esset contrahentium conditio, venditor enim, nihil nisi commodum; ex venditione perciperet posituſque esset extra omne periculum incommodi: & emptor solum periculum & incommodum. quare si venditor fructus percipere velit, oportet vt etiam toto eo tempore res periculo ipsius conflet. Secundò, Quia contractus talis videtur implicitam continere vsuram: videtur enim venditor illos fructus percipere 110
ob dilationẽ solutionis pretij; non enim percipit illos ratione lucri cessantis, vt Couar. fatetur: (alioquin si nullum lucrum ei cessaret, non posset percipere, quod tamen ipse negat) neque ratione alicuius periculi, quod ipse in se suscipiat; quia totum periculum reijcitur in emptorem: ergo ratione dilationis pretij.

Tertiò. Venditor vel patitur interesse ex dilatione solutionis, vel non patitur. si patitur interesse; potest illud deducere in pactum ab initio contractus, & hoc modo sibi satis cauere. si non patitur, non est æquum vt exigat fructus, vel eorum compensationem, reiecto periculo rei in emptorem. eodem modo, si emptor est in mora soluendi, & venditor inde patiatur interesse; abundè ei satisfit, si illud æstimetur. quare non est ratio, cur fructus percipiat, nisi simul periculum rei præstare velit; idque ab initio in pactum deducat.

Ad legem Curabit, responderi potest, illam legem, qua 111
Ad argumentum Couar. parte concedit vsuras, esse abolitam iure Canonico, vnde reuocandam esse ad æquitatem naturalem, nempe vt emptor cogatur compensare interesse, si vel sit in mora, vel si ab initio est deductum in pactum. Eodem modo respondetur ad legem, Iulianus. certum est enim illas leges loqui de vsuris pretij absolutè, siue fructus sint magni, siue parui. ex aute vsuræ erant iure Cęsareo semisses, id est quibus soluebantur 6. in 100. vt patet L. Eos. 26. C. de usur. Quod autem Couarruuias ex Carolo Molinæo docet, leges illas loqui de usuris compensatorijs fructuum, non videtur uerum. Primò, Quia fructus re uera pertinent ad emptorem, maximè in casu legis Curabit. ubi emptor non erat in mora. Secundò, Quia alioquin leges non dicerent esse solmendas usuras pretij, sed esse fructus compensandos, uel fructus pertinere ad uenditorem. Tertiò, Quia alioquin non semper eædem usuræ essent soluendæ.

Dices, Cum re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretij dependere, ut habet d. L. Iulianus, sup.

Respondeo. Id non esse æquum, nisi uenditor patiatur 112
tantumdem incommodi ex dilatione pretij: uel nisi præstet periculum rei & fructus æquiualeant illis usuris, idque ab initio deductum sit in pactum. Cum enim uenditor suscipit in se periculum rei, potest deducere in pactum, ut recipiat fructus, donec pretium sit solutum, & proinde potest emptori fructus illos pro certa pensione relinquere, quæ usuræ nomine uocari potest.

DVBI-

DVBITATIO XIV.

Vtrùm licita sit emptio & venditio cum pacto retrouenditionis, vel redemptionis.

113 RESPONDEO. Esse licitam, modò iusto pretio fiat. Et quidem licitam esse *venditionem* cum pacto redemptionis in fauorem venditoris, est communis sententia DD. & patet in censibus, qui fere semper cum tali pacto, saltem implicito venduntur. Nam ex dispositione Iuris hoc pactum subintelligitur. Idem confirmari potest ex c. 25. Leuitici, vbi Dominus filijs Israel vult esse potestatem redimendi possessiones omnes venditas, præter domos intra vrbem constitutas. Ratio est, quia quisque est arbiter rei suæ, eique modum, quem vult, imponere potest.

De emptione cum pacto retrouenditionis in gratiam emptoris, est maior difficultas. Sed verius est, non esse illicitam, modò iusto pretio fiat. Ita Couarruu. lib 3. var. cap. 9. nu. 3. vbi etiam pro hac sententia citat Ioannem Medinam quæst. de censu redimibili, quæ est vlt. de vsura, & Ioannem Maiorem in 4. d. 16. qu. 14. dein que Imolensem & Alexandrum. Ratio est, quia sicut iusto pretio compensari potest onus, quod venditor imponit emptori, nempe tantùdem detrahendo de pretio: ita etiam onus, quod emptor imponit venditori, compensari potest, tantumdem augendo pretium in prima venditione. Vt autem sciatur an iustum sit pretium.

114 *Pactum retrouenditionis in fauorem venditoris.*

Dico Primò, Quando res venditur cum pacto redemptionis in fauorem solius venditoris apposito, (id est, quo fiat ei potestas redimendi, si velit) debere eam minoris vendi, quàm per se nuda æstimetur: Ratio est, quia venditor imponit emptori onus quoddam pretio æstimabile, nempe vt ipsi volenti teneatur rem reuendere, seu restituere intra aliquod tempus. quare de pretio rei detrahendum est, quanti hoc onus æstimabitur; vt rectè Maior supra qu. 34. in fine.

115 *Redimere eodem pretio.*

Vbi Aduerte Primò, Non esse iniquum, si venditor vendat cum pacto, vt eodem pretio possit redimere: hoc enim non est aliud, quàm vendere cum pacto, vt liceat post aliquod tempus contractum dissoluere, non enim tunc in redemptione est nouus contractus, sed solum est dissolutio prioris contractus, facta ex vi pacti apposiri. quare non est necesse vt venditor tantum det pro re, quanti ea absolutè tunc valet, cùm tunc nullus nouus contractus fiat. Similiter non est iniquum, vt venditor vendat ad certum tempus, cum pacto vt possit illud rem suam absque vllo pretio recipiat. & si ante illud tempus velit redimere, emptor teneatur fructus perceptos pro rata annorum computare in sortem. quo modo vendebant Iudæi suas possessiones, vt patet Leuitici 25.

In eo tamen casu, quo venditor cupit sibi seruare ius redimendi, posset emptor, qui rem iusto pretio emit, ab ipso exigere, vt quando volet redimere, soluat quanti tunc æstimabitur; & consequenter vt plus soluat; quàm pro illa re accepit, si valdè probabile est tempore redemptionis pluris valituram; vel si eam alio delaturus erat maiore quæstu. ratio est, quia emptor non tenetur consentire in pactum, quo venditio est dissoluenda; sed potest exigere, vt quando venditor volet rem illam recuperare, eam emat nouo contractu; & consequenter eo pretio, quo tunc æstimabitur. tanti interest quem contractum ineas. Imò etiamsi non esset pluris tunc valitura, posset tamen exigere plus quàm dedit: quia emit rem cum onere in fauorem venditoris appositi; ac proinde minus debuit pro ea dare, quàm si absque onere emisset. cogitur autem eam reuendere absque onere: ac proinde potest exigere pretium rei per se consideratæ; quod maius est, quàm pretium rei cum onere spectatæ.

116 Aduerte Secundò, Iniquam etiam fore venditionem cum pacto redimendi eodem pretio, si magni sumptus in re faciendi essent, & exigui fructus percipiendi, ita vt onus sumptuum, & præstatio periculi non compensetur fructibus: tunc enim non seruatur æqualitas: nam emptor plus debet restituere, quam accepit. Similiter est iniqua, si pacisceatur vt minoris redimere possit, quàm venditi; vt patet ex dictis; nisi forte constet illam minoris valituram.

117 *In fauorem emptoris.*

Dico Secundò, Quando pactum redemptionis apponitur venditori in fauorem emptoris tantùm, (id est: vt venditor teneatur redimere, si placuerit emptori) tùc emptor debet illam pluris emere, quam ipsa per se valeat, & consequenter, quam possit illam vendere alicui tertio. Ratio est, quia talis emptor consequitur sè in perpetuum, quantum est ex parte ipsius, perinde ac alius quiuis, qui absque vllo pacto apposito rem emeret; vlterius autem imponit grauamen venditori: ergo etiam illud compensare debet; cùm sit pretio æstimabile.

118 *Vtrùm eum venditore.*

Petes, vtrùm emptor possit pacisci vt venditor teneatur eodem pretio rem illam redimere. Videtur non posse, quia non potest alicui tertio eo pretio vendere, vt dictum est, eo quòd res per se tanti non valeat, quanti cum illo onere quod imponitur venditori: ergo neque venditori potest imponere obligationem redimendi eodem pretio. Confirmatur hoc exemplo, habes domũ æstimatam 4000. aureorum. ergo illam à te emo 4300. ea lege, vt quando post aliquot annos mihi placebit, tenearis eam redimere. itaq; solues 4000. pro domo quam mihi perfectè comparo; & 300. pro onere quod tibi impono. Valdè enim onerosum est venditori, quod semper teneatur habere paratam pecuniã apud se vel amicos, qua domum redimat, quando emptor volet. atqui hoc onus iam subijt venditor, quando domum redimit; ergo emptor non potest repetere pretium quod pro eo onere dedit; neque ab initio pacisci vt illud reddatur, sed solùm vt reddatur pretiũ domus, sæpe 4000. Confir. Secundò, Quia si domum emerem simplici contractu emptionis absque adiectione illius pacti, deberem pro ea soluere 4000. vt suppono. & si facto illo contractu vellem pacisci cum venditore, vt eam teneatur redimere eodem pretio, nempe 4000. deberem illi dare pro illa obligatione 300 aureos. vt etiam suppono; nec postea in redemptione possem illos 300. repetere: ergo neque etiam in altero contractu, vbi pactum redemptionis annectitur ab initio. quæ enim pacta seorsum inita non sunt iusta, neque etiam iuncta inita iusta sunt.

Resp. In rigore videri tale pactum iniquum, vt rationes allatæ probant. Spectato tamen vsu communi & æstimatione hominum, posse excusari. Nam magni æstimatur inter homines, quod emptor tamdiu careat illis 300. aureis, quos pro illo onere dedit, & quod forte domus nunquam redimetur, & quod venditor interea potuit illa pecunia vti in suum commodum, & spem habeat fore vt non cogatur redimere, & c. quæ omnia sæpè tanti possunt æstimari, quanti illa obligatio quam in se suscepit: quo casu posset emptor pacisci vt venditor eodem pretio redimat, non per nouum contractum, sed per nudam contractus resolutionem; vt passim fit in reditibus.

Resp.

119 *Casus capit. III. vos, de pignor. Transsumptus firmatum de iure.*

Quòd si emptor pacisceatur vt venditor rem venditam maiore pretio post aliquot annos redimat, contractus erit iniustus (nisi aliquid excidat, vt melioratio rei, incrementum pretij futurum, &c.) non seruans in pretio æqualitatem. non tamen erit vsura, sed generet vsuræ suspicionem, maximè si fructus percepti computentur in sortem. Vnde contractus ille, quo quidam emit prædium ab eo, qui egebat pecunia, 23. libris, ea lege, vt si intra biennium emptori displiceret emptio, teneretur venditor intra annum post displicentiam, redimere 26 libris, fructibus in sortem computatis; de iure præsumitur vsurarius, ex tribus indicijs simul iunctis; vt patet capit. Illo vos 4. de pignoribus. Primum est, Quod fructus computentur in sortem: quod non solet fieri, quando res vere fuit empta; nam tunc pertinent ad emptorem. signum ergo est non fuisse veram emptionem, sed oppignerationem pro mutuo. Secundum est, Quod exigat tres libras amplius quàm dederit. Tertium est, Quòd emptor ille solitus sit vsuras exercere. Itaque quando hæc tria signa simul conueniunt, oportet contractum vsurarium in foro externo pronunciare. Vtrùm autem tale pactum in fauorem emptoris sit licitum in censibus dicemus c. 22. dub. 10.

120 *In fauorem vtriusque.*

Dico Tertiò, Si hoc pactũ appositum sit contractui venditionis in fauorẽ vtriusque, ita vt in potestate venditoris sit redimere, & emptoris reuendere quando voluerit; tunc res debet minoris vendi quàm per se valeat; pluris tamen, quàm si cum pacto redimendi in fauorem solius venditoris

ris venderetur. Itaque si res per se valeret 100. cum pacto autem in fauorem solius venditoris 80. dum apponitur pactum in fauorem vtriusque, valebit fortè 88. vel 90. prout prudens arbitrabitur circumstantijs consideratis. Ita docet Medina q. 11. de vsura.

Limitatio.

Notandum Primò, Hæc omnia intelligenda esse sepositò interesse ementis & vendentis. nam si emens incurrat interesse ratione emptionis, poterit minus dare pro re & paciscì vt non redimatur, nisi post certum tempus, vt interim ex fructibus sarciat lucri facturam. item vt venditor teneatur eodem pretio redimere.

121 *An detur actio in rem in hoc pacto.*

Notandum Secundò, Etsi probabile sit ex pacto de retrouendendo dari venditori actionem in rem; ac proinde posse eam vindicari vbicumque reperta fuerit; (quod tenet Couar. l. 3. var. c. 8. nu. 2. & 3.) tamen contrarium videri verius nempè venditori, solùm in factam, seu in personam actionem competere. vnde si emptor domum, quam ei cũ tali pacto vendidit, vendat tertio, & tradat; tu non poteris domum illam tertio eripere, sed tantùm agere contra eum, qui vendidit, vt damnum tibi inde proueniens sarciat. Ita tenent Alexander, Iason, Curtius. & alij apud Couar. & Gomezius c. 2. nu. 29. & Molina disp. 374 ratio est; quia illud pactum non habet maiorem vim, nec tribuit maius ius quàm simplex venditio; atqui simplex venditio absque traditione non tribuit ius in rem, sed solùm in personam, vt patet ex c. 3. dub. 3. ergo neque illud pactum. sed de hoc plura infrà dub. 19

Notandum Tertiò, quando venditor redimit rem olim à se venditam reseruato iure redimendi, non teneri alterum, è cuius manibus redimit, de euictione, sicut venditor in venditione. quia redemptio non est emptio, neque contractus aliquis sed distractus, seu prioris contractus resolutio. fit enim vi primi contractus, quo ipse vendidit cum tali pacto. vnde nec requirit consensum alterius, sed eo inuito fieri potest; nec debetur vectigal venditionibus impositum.

DVBITATIO XV.

Ad quem pertinent fructus medij temporis, quando Venditionis contractus dissoluitur.

122 *Quinque modis dissoluitur.*

SVPPONO contractum posse dissolui quinque modis, de quibus vide multa apud Gomezium tom. 2. cap. 2. num. 2 1. & seqq. Primò, Per *nouum pactum.* vt si postquam absolutè est iuctus, interposito iusto interuallo temporis, poeniteat, & mutuo consensu contrahentium rescindatur. & tunc est noua venditio & emptio, siue fiat eodem pretio, siue diuerso hoc casu, omnes fructus quos res protulit eo tempore, quo perseueratum est in contractu, pertinent ad primũ emptorem; iuxta ea, quæ dicta sunt dub. 13. quia ad eum pertinuit periculum rei. Nec refert, etiamsi contractus dissoluatur remedio legis 2. C. de rescind. vẽd. nimirum quòd venditor deceptus fuerit, vltra dimidium iusti pretij, & emptor nolit pretium supplere; sed malit dissoluere contractum: quia fructus percipiendi, & etiam pendentes, secundùm æstimationem, quàm rescissionis tempore habent, ad emptorẽ pertinent, vt docet Gomez. sup. nu 14. ratio est; quia etsi iustum pretium non dederit; emptio tamen valida fuit, & sufficiens ad dominiũ, secuta traditione, trãsferendum: & ita percepit fructus ex re sua; & qui adhuc ex re illa pendent, ad ipsum pertinent. Confirm. quia nullam iniuriam fecit venditori, quòd rem possederit, & fructus ex illa perceperit; sed quia iustum pretium non dedit. vnde in foro conscientiæ solum tenetur quanti interest venditoris, supplementum illud pretij ab initio fuisse solutũ. vnde si bona fide actum est, nihil debet.

123 *Si resoluatur ex pacto retrouenditionis.*

Secundò, Ex vi *pacti retrouenditionis.* in prima venditione appositi; quo euentu si eodem pretio res debet redimi, quo vendita fuit, omnes fructus, qui à tempore venditionis vsque ad tempus redemptionis producti sunt, secundũ valorem, qué tunc habent, ad emptorem pertinent; vt docet Couar. l. 1. var. c. 15. nu. 6. & 7. cum multis alijs DD. nisi aliter conuentum tacitè vel expressè fuerit. Secundùm valorem autem, quem acquirunt post tempus retrouenditionis, aut postquam emptor coeperit esse in mora: nolendo rem redimi; pertinent ad priorem venditorem, cui res debet restitui. Si verò diuerso pretio fieri debet redemptio, nempè pretio tunc currẽte, fructus omnes pendentes pertinent ad primum venditorem, qui rem redimit, sicut in alijs venditionibus. Ratio est; quia hic est nouus cõtractus emptionis & venditionis, & ita reuenditor potest pretium augere, ratione fructuum pendentium; ibi verò non est nouus contractus, sed tantùm resolutio prioris contractus; vnde non potest pretium augere, nec exigere fructuum compensationem: atqui contra æquitatem est, vt cogatur rem cum suis fructibus restituere, si illam sine fructibus accepit. vide Couar. sup. & Molinam disp. 374.

124 *Si ex pacto legis commissoriæ.*

Tertiò, *Ex pacto legis commissoriæ.* dicitur autem venditio resolui *ex pacto legis commissoriæ*, quando res alicui est vendita ea lege, vt nisi intra certum tempus pretium eius soluat, res sit inempta, & contractus irritus; & postea emptor intra illud tempus non soluit. tunc enim ipso facto cõtractus est nullus; si tamen venditor velit: quia in eius fauorem appositum fuit vnde hæc conditio subintelligitur, vt apertè colligitur ex L. 2. & 3. ff. de lege commissoria. In hoc casu si hoc pactum conceptum fuit verbis directis, (id est, quibus significetur vt contractus ab initio censeatur irritus, vel res inempta) omnes fructus pertinent ad venditorem. ratio est; quia etsi venditio fuit pura, seu absoluta, non cõditionalis; & per eam translatum fuerit dominium in emptorem, si res ei tradita fuerit: (vt docet Gomezius tom 2. cap. 2. num. 30. & Couar. lib. 3. var. c. 8. nu 1.) tamen ex vi pacti ita dissoluitur ac si numquam fuisset; ac proinde omnes fructus sunt restituendi. quamuis enim venditio nõ fuerit pendens ab aliqua conditione; tamen affectus venditionis, id est, dominium rei & fructuum trãslatum in emptorem ita fuit pendens, vt conditione non impleta penitus euanescat ac si numquam fuisset; irritatio enim retrotrahitur ad tempus contractus. Si verò hoc pactum conceptum fuit uerbis obliquis seu indirectis; (id est, quibus significetur contractum esse rescindendum in posterum, uel rem reddituram ad uenditorem) tunc fructus medij temporis pertinent ad emptorem. ratio est; quia tunc irritatio contractus non censetur retrotrahi usque ad tempus celebrationis, sed fieri solum in posterum: ac proinde fructus prioris temporis manent apud emptorem. In his tamen non tã formula uerborum inspicienda, (quæ sæpè ambigua est) quam mens contrahentium; si in foro conscientiæ agatur.

125 *Si ex pacto additionis in diem resoluatur.*

Quartò, Resoluitur *ex pacto additionis in diem*, dicitur autem uenditio *ex pacto additionis in diem resolui*. quando res alicui est uendita ea lege, ut si intra certum tempus, (v. g. intra mensem vel annum) alius meliorem conditionem obtulerit, res sit inempta; & interim alius meliorem conditionem affert, offerendo maius pretium vel commodiorem solutionem, vel minori cum onere; vt explicat Couar. sup. & patet ex L. 1. & 4. ff. de addictione in diem. In hoc casu idem dicendum, quod in tertio; nam eadẽ vtriusque est ratio vt ostendit d. loco Couar.

126 *Dominium quo redeat ad venditorem.*

Aduertendum est autem Primò, In vtroque casu, si pactum conceptum sit verbis directis, dominium redire ad uenditorem, etiam antequam res ei ab emptore reddita fuerit. Si autem uerbis obliquis, non redire ante traditionem: iuxta communem sententiam DD. quamuis probabile sit, in quarto casu dominium redire ante traditionem, etiamsi uerbis obliquis pactum fuerit conceptum, ut docet Couar. suprà

127 *Vectigal.*

Secundò, In neutro casu deberi vectigal ex uenditione solui consuetum. si pactum uerbis directis initum fuit. ratio est, quia ex ui pacti ita dissoluitur. ac si numquam fuisset. retrotrahitur enim irritatio ad tempus contractus. Nec refert, quod uenditio fuit absoluta, non conditionalis; quia dominium, & omne ius acquisitum ex illa uenditione, fuit quasi conditionatum, & dependens ex euentu futuro. si autem conceptum fuit uerbis obliquis, debetur; quia tunc non retrotrahitur irritatio, sed solùm ualet in posterum. unde uenditio nim habuit absolutam usque ad tempus, quo incipit esse irritum. ac proinde ex ea est ius acquisitum Principi; sicut ex uenditione, quæ resoluitur per pactum de retrouendendo. uide Gomezium c. 2. num. 31. ubi hanc rem clarè & fusè prosequitur.

128 *Si sit conditionalis.*

Quintò, *Si uenditio sit conditionalis*, & conditio impleta non fuerit: tunc enim uenditio est irrita. In hoc casu, fructus omnes ante conditionẽ impletam percepti, pertinent ad

ad venditorem. Nec refert quod res tradita fuerit, & pretium solutum; quia venditio non fuit perfecta, (nam eius perfectio & impletio pendebat a conditione) ac proinde traditio illa nullam vim habuit ad transferendum absolutum dominium rei vel fructuum in emptorem. Dico *absolutum*, quia transfert aliquale dominium & ius in re, vt colligitur ex L. Sub conditione, de solutionibus; & notant ibi dem DD. cum Bartolo; sed illud pendet omnino ab euentu conditionis, eaque non eueniente euanescit, quasi ab initio non fuisset.

Si tamen emptor ex solutione pretij pateretur iacturam lucri, posset eius æstimationē ab initio deducere in pactū. vt si conditio impleta non fuerit, ei fiat compensatio. Si verò conditio impleta fuerit, tunc omnes illi fructus pertinent ad emptorem, sicut & res ipsa. Ratio est, quia ea est
129 natura contractus conditionalis, vt impleta conditione, eius vis retrotrahatur ad tempus contractus; quasi tunc purè celebratus fuisset, & quasi conditio tunc fuisset præsens, vt suprà dubit. 1. dictū est. & docet Gomezius tom. 2. cap. 2. nu. 30. ex multis iuribus, & fusiùs cap. 11. nu. 30. nisi fit conditio potestativa, (vt aiunt iurisperiti) id est, cuius tota impletio est in potestate eius, cui imponitur. hæc enim non retrotrahit contractum, vt ibidem docet Gomezius. quod intellige, nisi alia sit mens contrahentium. quæ maximè in foro conscientiæ spectanda.

Conditio potestativa.

DVBITATIO XVI.

Vtrùm Venditiones & emptiones reciprocæ eiusdem rei diuerso pretio, quas Hispani vocant Baratas & Mohatras, sint licitæ.

EXEMPLVM sit. Petit quis 100. aureos mutuos: mercator non vult mutuare, sed paratus est vendere illi merces credito, summo pretio. v.g. 105. vel 106. aureis, vt eas vendat pecunia numerata cui voluerit: ille emptas offert mercatori, qui easdem emit vel potiùs redimit pecunia numerata, sed minoris, pretio nimirum medio vel infimo; v.g. 100. aureis, & ille manet debitor 105.

130 Quidam DD. existimant id esse iniustum, & palliatam vsuram, quando idem redimit, qui vendidit. Sed verius est non esse iniustum, etiamsi redimat ipse venditor, modo intra limites iusti pretij consistat; ita vt quando vendit credito, non excedat pretium rigorosum, & quando redimit numerato, non descendat infra iustum infimum; ita Nauarrus 23. numero 91. & Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. numero 170. & alij recentiores. Ratio est; quia & venditio prima iusta est, cùm fiat iusto pretio, quamuis summo, & secunda etiam est iusta, qua eædem merces reuenduntur. Nec refert, quòd hæc reuenditio fiat pretio infimo; tum quia pretium infimum etiam est iustum, præsertim in numerata pecunia; tum quia merces, quæ a venditore ingeruntur, vilescunt. Nec etiam refert, quod idem sit emptor, qui antè erat venditor, quia si alius quius poterat illo pretio emere, cur non ille qui vendidit? Imò beneficium alteri in hoc præstari videtur, dum ille liberatur a quærendis alijs emptoribus & sumptibus in proxenetas faciendis. non tamen potest illum ad hoc cogere. sed debet omnino liberum relinquere.

Mohatra sive Barata.

Aduerte tamē, hunc modum contrahendi sæpè non ca-
131 rere culpa in mercatore, qui ex composito ita vendit, vt pretio infimo redimat. nam Primò peccare potest contra charitatem; vt si cogat miserum aliquem hominem emere merces, quibus nō eget, magno illius dispendio; cum possit illi facile, & absque suo incommodo mutuum dare. Secundò peccare potest præbendo malum exemplum; nam contractus ille habet speciem mali, & suspicionem vsuræ. Tertiò seipsum & suos infamando. non tamen tenetur ad
132 restitutionem: (vt inquit Nauarrus) quod intellige non teneri ex iustitia, sed fieri potest vt teneatur ex charitate; vt si alter sit pauper, & graue sit illi tale detrimentum: cum enim ipse sit causa illius grauis incommodi, tenetur illud amouere ex charitate, si commodè potest. cessante tamen paupertate alterius, non teneretur; quia nec charitas nec iustitia illum obligat. Quòd si vendidisset bona fide, nihil de redemptione cogitas, & postea rogatus redimeret præsenti pecunia, non peccaret, vt rectè docet Angelus Vsu-

Sæpè peccat contra charitatem.

ra 1. numero 60. idem dicendum si ipse iustam aliquam rationem habeat sic contrahendi cum aliquo diuite, & scandalum absit.

DVBITATIO XVII.

Vtrùm is, qui vendidit rem alienam, possit retinere pretium.

HANC dubitationem attigimus cap. 14. dub. 1. & 5. & cap. 20. dubit. 18. nu. 163.

Notandum est, quòd ille, vel bona fide vendidit, nesciens esse alienam, vel mala: rursus vel ditior factus est, vel non est.

Dico Primò, Si bona fide vendidit, & non est factus locupletior, non tenetur domino ad pretij restitutionem. Probatur, quia neque ratione rei acceptæ; cùm hæc apud ipsum non extet, nec vllum ex ea perceperit emolumentum: neque ratione iniustæ acceptionis, cùm nullam iniustitiam commiserit. neque etiam emptori, quamdiu emptor rem illam retinet; quia contractus fuit validus, & emptor nullum ex illo damnum accepit. Si tamen res euincatur, vel domino restituatur, tenebitur emptori de euictione. Non tamen tenetur monere emptorem esse alienā, si casu contigerit id ēum rescisceret; quia non tenetur cum pari suo damno curare, vt alteri fiat restitutio eius, quod nulla eius culpa perijt, vel alienatum est. vide suprà capit. 14. dubit. 1. & 5.

133 *Si bona fide vendidit.*

Dico Secundò, Si factus est locupletior ex venditione, 134
tenetur illud lucrum restituere domino, quia illud lucrum supplet vicem rei alienæ. vnde etsi non sit alienum, tamen quia in locum eius successit, & ex ea prouenit, debet restitui, veluti fructus rei. par. n. non est, vt quis ex re aliena ditescat absque sua industria. Secùs si illud lucrum ex industria proueniat; vt si rem detulit in alium locum, vbi pluris vendidit; tunc enim non tenebitur illud restituere, quia est fructus industriæ; vt sup. loco citato ostensum est.

Dico Tertiò, Si mala fide vendidit, & non est factus locu- 135
pletior, eò quòd tantidem emerit, distinguendum est; vel enim poterat rem domino restituere, vel non poterat; si poterat rem domino restituere & eam alienauit: communis ferè DD. sententia est, teneri ad restitutionem pretij seu æstimationis. Ratio est, quia eam alienando, damnum infert; sicut si eam permeret. & aliàs nullum ius ad illam alienandum habebat. Secùs est, dum res empta a fure, eidem restituitur: hoc enim non est alienare, aut in alium transferre, sed contractum priorem resoluere: quod iuxta probabilem sententiam poterat facere, ad vitandum damnum pretij, si alia ratione caueri non poterat, vt dictum est c. 14. dub. 3. Verùm extra hunc casum, tenebatur etiam cum damno pretij, rem domino restituere, vnde si non fecerit, tenebitur compensare æstimationem. Si verò non poterat eam domino restituere, & per alienationem non reddidit eam recuperatu difficiliorem, non videtur domino teneri; nisi quatenus ex illa alienatione factus est ditior. ratio est, quia per illam alienationem nihil damni inulit domino. Itaque non tenetur ratione rei acceptæ; neque ratione iniustæ acceptionis. suppono enim, quòd ipse domino eam non eripuerit, neque sit causa cur ei restitui non possit. Confirmatur, quia ob hanc causam multi DD. tradunt, emptum a fure etiā mal. fide. posse eidem restitui, ad pretium recuperandum; etiamsi domino restitui possit, vt suprà cap. 14. dub. 3. ostensum est: ergo multò magis quando non potest restitui, potest absque iniuria alteri vendi.

Si mala fide vendidit.

Si non potuit domino restituit.

Hac ratione multi in Anglia & Hollandia, qui bona ecclesiastica immobilia ab alijs empta, alijs postea vendiderunt, excusari possunt a restitutione, per hanc enim venditionem nihil damni Ecclesiæ, cui illa bona, hoc statu rerū, restitui non possunt, intulerunt. Vnde non tenentur Ecclesiæ restituere pretium, vel æquiualens. Si tamen ex fructibus, vel venditione, facti sint locupletiores, tenentur eatenus: nam fructus sunt Ecclesiæ, hoc ipso, quo in re Ecclesiæ nascuntur: & lucrum ex venditione, etsi Ecclesiæ non fit; est tamen ei debitum. tamquam id, quod succedit in locum rei; nisi ex industria prouenerit.

Qui bona ecclesiastica vendiderunt.

Neque etiam hi tenentur emptoribus, qui ab ipsis ea bona emerunt; quia etsi contractus fuerit irritus, & consequen-

sequenter nõ fuerit translatum dominium pretij, vt patet ex dict. cap. 20. dubit. 18. tamen quia venditor illud volẽs emptore accepit & retinet, & emptor nollet dissoluere contractum & restituere emptum; nõ tenetur venditor illi pretium restituere, sed potest retinere loco rei venditæ. Si tamen emptor vellet dissoluere contractum & emptum restituere, deberet venditor ei reddere pretium, quia ab initio contractus fuit irritus.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm licitum sit aliquando rem alienam emere, & emptam retinere.

136 VIDETVR non posse vmquam emi, aut retineri res talis. Primo, Quia venditor non potest eam vendere, cùm sit raptor, fur, aut iniquus detentor; sed tenetur restituere domino: ergo nec emptor potest emere. Secundò, Quia per talem venditionem non transfertur dominium (non enim venditor potest transferre in alterum ius, quod ipsemet non habet) ac proinde manet aliena in specie. atqui res aliena restituenda est domino, si fieri potest: vel si non potest, eò quòd ignoretur, danda est in pauperes; illa enim censetur domini voluntas, & sic quodammodo ipsi domino in pauperibus restituitur. nam fructus restitutionis redundat in dominum, cùm pauperes pro ipso orent; vt passim DD. docent. Tertiò, Qui emunt res furtiuas vel raptas fiunt participes criminis, & quodammodo fouent auctores in crimine: si enim non inuenirentur emptores, non raperent alienorum merces.

Pro resolutione notandum est, rem alienam, quæ à fure, raptore, vel alio possessore iniquo venditur, vel posse restitui domino, vel nõ posse restitui: rursus vel esse spem fore recuperandam à domino, vel non esse: denique vel non defore alios multos emptores, qui numquã restituẽt, si ego non emero; vel tales defore. Nunc.

Si erat spes recuperandi.

Dico Primò, Si spes erat dominum alia ratione rẽ suam recuperaturum, non possum illam emere nisi animo ipsi restituendi, nec possum exigere pretium quod dedi, sed solum quantum prudenter consideratis circumstantijs iudicabitur dominus in ea recuperanda fasse expensurus. Ratio est, Quia cùm res sit aliena, & possit restitui, debet restitui: nec Dominus tenetur aliquid soluere, nisi quatenus vtiliter negotium eius gessi, seu quanti æstimabitur rei saluatio. si plus dedi, meæ id imputem imprudentiæ: non tenetur ipse meos errores luere. vt aperte colligitur L. Sed an vltrò. 10. in fine. ff. de negotijs gestis.

Obiectio.

Dices, Gestor negotiorum non tenetur nisi de culpa lata: quia totum agit in vtilitatem alterius, ergo dominus tenebitur compensare etiamsi culpa leuis commissa sit, vt si putabam rem fore irrecuperabilem, vel plus solui quàm par erat pro talis rei redemptione.

Responsio.

Respondeo illum non teneri domino ex culpa leui, si per talem culpam illum lædat; v. g. expendendo ipsius pecuniã, vel rem vendendo, &c. Si tamen gerendo negotium alterius seipsum lædat per talem culpam, v. g. suam pecuniã expendendo, dominus non tenetur illi: quia non tenetur nisi quanti prudenter gestio talis negotij seu saluatio rei æstimabitur. Vnde si per errorem amplius de suo impenderit, sibi imputet. Si tamen hic & nunc gestio negotij prudenter instituta fuerit, tenetur eam integrè compensare; etiamsi fortè dominus alia via minore sumptu rem erat recuperaturus. quia id per accidens est; & hæc cauillatio semper opponi posset. Idem dicendum, etiamsi postea res absque culpa gestoris perierit, vel deterior facta sit. d. L. Sed an vltrò, sub finem. & L. Siue hæreditaria. 22. ff. de negotijs gestis.

Si non erat spes recuperandi.

Dico Secundò, Si nulla probabilis spes sit dominum rẽ suam recuperaturum, nisi ego emero: me verò emẽte possit illi restitui; non possum illam emere animo mihi absolutè seruandi: & si id fecero, dominus potest illã postea sibi vindicare absque vlla compensatione: possum tamen emere animo illi exhibendi vt vel mihi illam permittat, vel si id nolit, iustam compensationem gesti negotij soluat.

Si nesciebat rem alienã.

Prior pars probatur. Quia dominus, neque pro re ipsa mihi tenetur, vt quæ ipsius sit (nemo enim rem suam emere tenetur) neque pro gestione negotij. quia non gessi negotium ipsius, sed meum. non enim vt ipsi aliquid commodi adferrem emi, sed vt mihi seruarem. vnde si dominus postea rem suam inuenerit apud eum qui à fure in suum cõmodum emit, nõ tenetur ei quidquam dare, nisi quatenus factus est inde locupletior; etiamsi sit notabiliter meliorata sumptibus emptoris, &c. Colligitur aperte l. 6. §. sed etsi. ff. de negotijs gestis. Si tamen bona fide nesciens esse alienam emisset; dominus teneretur refundere expensas, saltem ad eam quantitatem, quam ipse in ea recuperanda facere debuisset. L. Liberto. 31. §. 1. ff. de negotijs gestis: quia vtiliter ipsa negotium eius gestum fuit: nec par est, vt alter absque sua culpa hoc damnum sustineat.

Altera pars probatur, Quia cùm sic vtiliter negotium eius gestum sit, tenetur refundere sumptus: vt patet ex L. 3. & sequentibus. ff. de negotijs gestis: vel relinquere ei rẽ redẽptã, si fortè malit ea carere, quàm sumptus præstare. Quod si nolit, poterit nihilominus alter in compensationem retinere: quia eo animo rem alioquin periturã suo sumptu liberauit; & ita passim vsu receptum; modò tamen non valdè infra limites iusti pretij eam redemerit. Si enim res longè pluris valet, quàm expẽsæ, & Dominus nolit refundere expensas, & rem sibi restituat debet gestor esse cõtentus expensis, quas vel auctoritate iudicis, vel ex re ipsa obtinere poterit, si ea fructuosa sit; vel eam retinebit veluti in pignus, donec Dominus soluerit.

137 *Si publicè vendatur.*

Dico Tertiò, Quando non est probabilis spes, rem Domino posse restitui, eaque publicè venditur, possum & ego, per se loquendo, emere, animo mihi seruandi vel vendendi, si Dominus non comparuerit, & si comparuerit, illi eodem pretio relinquendi. Probatur, Quia in hoc casu nulla fit iniuria Domino ab emptore, immo agitur negotium Domini, quantum agi potest; vnde nec ipse censetur inuitus, sed consentiens in translationem dominij cum illo onere. Hoc modo Catholici in Hollandia possunt emere merces ibi publicè propositas, quas hæretici in mari ceperunt. Confirm. Quia alioquin eorum hoc lucrum solis hæreticis cederet, qui iniustum bellum fouent. & religionem oppugnant, nec emunt animo restituendi in euentu quo Dominus compareret, sed omnino sibi retinendi tam quam iustè capta.

Rapta à piratis.

Sed aduertendum est, rarò sciri posse qui sint Domini, nisi aliqui mittant suos actores, qui nomine ipsorũ illa redimãt. Primò, Quia sunt res diuersissimæ, nec sciri potest, quid cuius fuerit. Deinde, quia interdum 100. 200 300. vel plures partem in illis mercibus habent: plurimi enim ad huiusmodi nauticas eraiectiones solent contribuere. vnde si res in tam multos diuidenda foret, singulis minimum obueniret. itaque non curant recuperare. Denique multi nolunt sciri se damnum passos, seque quantum possunt, occultant, præsertim cùm desperant se quidquam nisi maiore sumptu recuperaturos.

Ad argum.

Ad Primam rationem in oppositum, Neganda consequentia. Quod enim raptor vendat, facit inuito Domino, qui vult sibi restitui; vel si id fieri nequit, saltem pauperibus. Supposita tamen illius iniqua voluntate vendendi, non est dominus inuitus, neque verò cum ratione esse potest circa talem emptionem qualem diximus.

Ad Secundum, Translatio dominij in emptorem nõ fit auctoritate & voluntate raptoris. sed tacito consensu domini, cui expedit tali modo illud transferri; quia transfertur cum onere restituendi, si dominus comparuerit. Dici etiam potest transferri dominium iure gentium tamquam rei adespotæ, etsi cum onere in euentu domini comparentis; maximè cum emptor ille non sit particeps iniquæ inuasionis, & rapinæ, nec illi faueat. Expedit enim communiter Reipubl. vt bona incerta non maneant vacantia. Neque necesse est vt fiat restitutio in pauperes, quando res empta est præsertim tali animo; consulendum tamen esset, vt id, in quo facti sunt ditiores, pauperibus conferant. quia illud domino restitui deberet, detracta tamen industriæ & expensarum æstimatione. Vide supra cap. 14. dubit. 6. & 7.

Ad Tertiam, Qui emunt talia modo supradicto, nimirũ cum illis circumstantijs quas exposuimus, non sunt participes criminis, nec fouent auctores in malo, cùm plurimi emptores alij non sint defuturi, qui absque animo restituendi sint empturi. Prædictam sententiam expressè post hæc scripta deprehendi traditam à Molina disp. 118. §. Illud postremò.

DV-

DVBITATIO XIX.

Vtrùm is, cui aliquid traditum est vendendum, possit sibi aliquid ex pretio retinere, si pluris vendiderit, quàm ei est præscriptum.

138 *Retinere in pretio.*

RESPONDEO non posse, si vel mercedem pro suo labore accipiet, vel erat in famulatu: vel si gratis hoc officium præstandum suscepit. Ratio est, quia non habet vllum legitimum titulum, quo possit sibi aliquid ex pretio vsurpare: non enim ratione rei venditę, cum hæc non sit ipsius; nec ratione industriæ vel ministerij, quia pro ea mercedem accipit; vel si erat in ministerio, tenebatur sine mercede. Ita Sylueiter ex Archidiacono verb. Emptio, qu. 24. & alij. Nec obstat, quòd Dominus rei vendendæ pretium determinauerit; quia id solùm videtur fecisse ne venderetur infrà, non autem ne supra, si forte occasio ita ferret. Vnde eo ipso quo pluris fuit venalita, totum illud cessit domino.

139 *Habet locũ in alijs contractibus.*

Aduerte tamen, si talis famulus rem illam pretio à domino indicato sibi cõpararet, & postea suo nomine pluris vẽderet, non facturum contra iustitiam; ac proinde ad restitutionem obligatum non tri: quia eam iusto pretio à domino comparauit, & postea iusto pretio suo nomine vendidit. Nisi forte dominus ei mandasset vt venderet quanti intra latitudinem iusti pretij vendi posset. quo casu tenetur illam diligentiam præstare. quo facto, posset eam sibi vindicare eo pretio, quod alij obtulerunt.

DVBITATIO XX.

Quando res in solidum ex intervallo duobus fuit vendita, viri debeatur.

HANC quæstionem tractat Couarr. lib.2.variarum resolutionum.cap.19.ad quam breuiter.

140 *Si neutri facta sit traditio.*

Respondeo & dico Primò, Si neutri sit tradita, debetur priori emptori. est communis sententia Doctorum. Ratio est, quia res illa non poterat vendi secundo emptori, cùm iam esset vendita: vnde nec potest ei tradi sine iniuria prioris: ergo ne fiat iniuria, tradenda est priori.

Si tradita secundo emptori.

Dico Secundò, Si tradita sit secundo emptori, priori autem solùm vendita; debita est secundo, Est communis sententia Doctorum, vt docet Couarru. supra, num.1 & constat ex L.Quoties.15.C.de rei vindicatione, in principio, & in fine, & L.Traditionibus.20.Cod.de pactis. Ratio est, quia solo contractu absque traditione non transfertur dominium, nec acquiritur ius in re: (exceptis quibusdam casibus) sed præter contractum requiritur traditio, vt constat ex dictis legibus. qua de re vide supra, c.3.dubit.3. quod non solùm locum habet in contractu emptionis; sed etiam in promissione, donatione & similibus contractibus, imò etiam in locatione, vt docet idem Couarruu. numer.8 quia etsi conductor per traditionem rei conductæ non habeat dominium; habet tamen rei detentionem, à qua si expelleretur, ante omnia Iudicis officio restituendus esset: sicut is, qui possessione fuit spoliatus. Vnde iure detentionis se defendet contra primum conductorem, qui solùm habet actionem personalem in locatorem. Nec refert, quòd contractus cum priore fuerit fortasse iuramento confirmatus; quia hoc quidem efficiet vt sit periurus, si alteri eã tradat; non tamen impediet dominij trãslationem. vt docet idem Couar. epitome de spons. p.1. cap.5. num.9.

141 *In quibus euentis hoc locum nõ habeat.*

Notandum tamen Primò, Hoc non procedere in ijs euentis, quibus peculiari iure ex solo contractu absque alia traditione transfertur dominium: vt si aliquid venditum aut donatum sit Ecclesijs, locis pijs, vel ciuitatibus. iuxta L.fin.C.de sacrosanct.Ecclesijs. tunc enim dominium transfertur per solum contractum: vnde non poterit secundus emptor vel donatarius, per traditionem dominium acquirere: secùs si res solum sit promissa; quia promissio facta pio loco, vel alteri, non transfert dominium, nec tribuit ius in re: vnde si res Ecclesię promissa, alteri donata & tradita fuerit, huius erit.

Si res hypotheca a priori.

Secundò, Non habere etiam locum, quando priori emptori in securitatem contractus res fuit hypothecæ nomine subiecta: tunc enim secundus emptor per traditionem non poterit eius dominium comparare, vt docet Couarr. supra, nu.7. ex L.Si creditor.13.§.finali, ff. de distractio.pignorum: & ratio est, quia qui habet pignus, est simplici creditori præferendus, maximè in ipso pignore.

142 *Si male fide egit.*

Tertiò, Si secundus emptor male fide egit, conscius nimirum prioris contractus, prior poterit ab eo rem euincere, tamquam in fraudem ipsius alienatam. Ita Glossa communiter recepta in capit. Si tibi absenti, in 6. Sponte tamen eam priori tradere non tenetur: nisi forte induxerit emptorem, vt eam sibi venderet, quo casu est causa damni iniusta, quod prior per illam venditionem incurrit, iuxta ea, quæ dicta sunt suprà cap.20.dub.19. Si autem non fuit conscius, non posset ab eo euinci, nisi forte prior titulum emptionis vel alium onerosum habeat; secundus verò titulum donationis: tunc enim etsi secundus inscius fuerit prioris contractus, tamen prior poterit illam euincere, vt colligunt Doctores ex L.Ignoti.5.C.de reuocandis his, quæ in fraudem creditorum. vide Couarruu. numer.5. Donatarius tamen non tenetur illam sponte tradere, sed solùm si emptor illam intra tempus iure constitutum exigat. iuxta ea, quæ cap.illo vigesimo, dubitatione decimanona diximus.

143 *Si dubiũ sit vtri prior tradita.*

Dico Tertiò, Si vterque emptor affirmet rem sibi traditam fuisse, nec liquere possit vri prior tradita fuerit; adiudicanda est priori. Ratio est; quia seclusa traditione, ius prioris est potius: ergo in dubio hunc fauendum Nisi forte posterior numerauerit pretũ, prior verò nihil: tunc enim præsumptio est, posteriori factam traditionem. Ita Couarr. num.6.ex Baldo & alijs.

DVBITATIO XXI.

Vtrùm omnia monopolia sint iniqua.

144 *Monopolij.*

NOTANDVM est, *Monopolium* proprie dici cùm vnus, vel pauci efficiunt, vt ipsi soli aliquod mercium genus vendant eo pretio, quo ipsis libuerit: generatim autem accipitur à Doctoribus pro omni machinatione & industria mercatorum, qua efficiunt, vt ipsi soli vel aliquid vendãt vel certo pretio vendant. Hoc autem fieri potest quatuor modis: vel enim *conspirant* inter se de pretio, vt nemo vendat minoris: vel agunt vt ipsi soli certis quibusdam mercibus vendant; idque vel *priuilegio Principis*, vel *industria*, coemendo omnes merces, easque supprimendo, donec creuerit pretium: vel *impediendo* ne alibi importentur ab alijs. Si primo modo fiat.

Potest fieri 4.modis.

145 *Conspiratione in pretium.*

Dico Primò, Si venditores *conspirent in pretium*, modò id non sit supra legitimum, vel supra vulgare summum, nõ peccant contra iustitiam. (quamuis bene contra charitatem.) Similiter nec emptores, si coniurent in pretium infimum, aut rogent alios ne pluris emant, quam tanti vel tanti; modo id non sit infra iustum. Hoc interdum fieri solet in auctionibus publicis, dum quis rogat alterum, ne pluris licetur, vt ipse rem illam minoris emere possit; non tamen infra latitudinem iusti pretij illius fori.

146

Aduerte tamen, si aliqui mercatores fraude vel minis impedirent alios ne minoris venderent, tenerentur ad restitutionem emptoribus, qui inde damnum caperent; iuxta ea, quæ dicta sunt cap.12.dub.18.

147 *Si supra legitimum.*

Dico Secundò, Si pretium, in quod venditores conspirant, sit supra legitimum, vel supra summum vulgare, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem illius auctarij, quod emptores soluere coacti sunt, atque adeò totius damni inde secuti. Ratio est, quia pretia rerum non pendent ex libidine mercatorum; sed vel ex Superioris taxatione, vel ex communi æstimatione, bona fide, absque conspiratione, & dolo inita, spectata copia & raritate mercium, emptorum, venditorum, & ceteris circumstantijs. quare is, qui suo consilio vel consensu causa est, cur aliquis supra illud pretium soluat, est illi causa damni iniusta; ac proinde tenetur ad restitutionem.

Aduerte tamen, Primo loco teneri eum, qui pretium accepit. Secundo loco, seu in subsidium huius, ceteros conspiratores, idque vel in totum vel in partem, prout ad illam

lam conſpirationem ſunt cooperati; iuxta ea, quæ diximus cap.13.dub.4.

Emptores. Dico Tertiò, Pari modo emptores contra iuſtitiam peccant, quando conſpirant vel rogant alios, vt non liceantur rem iuſto pretio, ſed minoris. ratio eſt, quia venditores ius habent ad pretium maius: nempe ad illud quo bona fide res æſtimatur: vnde per talem conſpirationem fit illis iniuria.

148 2. *Priuilegio Principis.* Si ſecundo modo, nempè *Priuilegio Principis* fiat monopolium, vt cùm aliquis à Principe impetrat priuilegium, vt ſibi ſoli liceat aliquod genus mercium inuehere & vendere; tunc diſtinguendum eſt; vel enim illud priuilegium iuſta aliqua ratione conceſſum eſt; vel non; ſi iuſta ratione conceſſum eſt; verbi gratia, quia aliter nemo tales merces ſufficienti copia vellet inuehere ob ſumptus, quos non facilè poteſt recuperare, niſi ad tempus aliquod priuilegium habeat; vel quia Princeps eget pecunia pro bono publico, ad quam conflandam tale priuilegium aliquibus vendit, tunc tale monopolium eſt licitum: modo iuſtum pretium a Principe taxatum, vel prudentum iudicio ſpectaris circumſtantijs omnibus, taxandum, non excedant.

149 Vbi Aduerte, quando Princeps tale priuilegiũ concedit in mercibus communiter Reipublic. ad politicam vitam neceſſarijs, debere ſimul pretium taxare. quod ſi id eorum arbitrio reliquat, iniquum hac in parte erit tale priuilegium; nam datur illis occaſio vẽdendi iniquo pretio cum notabili damno Reipublic. quòd ipſe tenebatur pro officio ſuo impedire, vt rectè notat Nauarrus cap.23. num.92. ſecùs tamen ſi id concedat in mercibus, quæ ſolùm ad delicias & luxum pertinent, quas nemo cogitur emere. vt ſunt picturæ, varia genera tapetium, ſericorum pannorum, & holoſericorum, aleæ, fritilli, chartulæ luſoriæ, latrunculi & ſimilia. cùm enim in his nemo grauetur, niſi qui ſponte vult, (niſi forte pauci aliqui diuites) facilè poteſt Princeps habere iuſtam cauſam non impediendi ne iuſtum pretium excedant. Si verò priuilegium ſine iuſta ratione conceſſum fuerit. eſt iniquum; ſitque iniuria & ſubditis, tales merces vendere volentibus, qui iniuſtè impediuntur; & emptoribus, qui eas meliore pretio emerent. vnde vtriſque tenentur ad reſtitutionem. Primo loco qui abſque ratione priuilegium impetrarunt, (ſunt enim cauſa principalis, cùm in ſuum commodum Principem ad concedendum, & ad alios iniuſtè prohibendos pertraxerint.) Secundo loco qui conceſſerunt. Hoc tamen intellige, ſi iniquitas priuilegij ſit manifeſta vel certa. alioqui in dubio non tenetur. præſumendum enim ob auctoritatem, & prudentiam Principis in fauorem Priuilegij.

150 3. *Si pauci communi omnia.* Si tertio modo fiat, vt quando vnus vel pauci *emunt omnes merces* certi generis, (verbi gratia, frumentum tempore meſſis, vel ante aut poſt) vt ipſi poſteà pro ſuo arbitratu vendant: Doctores paſſim tenent hos peccare contra iuſtitiam, & obligari ad reſtitutionem. Ita Gabriel diſtinctio. decimaquinta, quæſtione decima, articulo 3. dubitatione ſecunda, Ioannes Medina C. de reſtitutio. quæſtione 36. & alij. Probatur Primò. Quia iniuriam faciunt Reipublic. inducendo caritatem, interim dum tantam copiam apud ſe retinent. quamdiu enim illa copia ibi manet. Reipublicæ ius habet vt pretium non augeatur, Secundo, Iniuriam faciunt, poſteà carè vendendo; nam illud pretiũ reſpectu ipſorum non eſt iuſtum, cum per fraudẽ ſint ipſius cauſa. Hæc ſententia eſt valde probabilis.

151 *Contrarium non eſt improbabile.* Contraria tamen ſemper mihi viſa eſt non improbabilis; nempe hos non teneri ex rigore iuſtitiæ, ad reſtitutionem, neque peccaſſe contra iuſtitiam particularem; ſed tantùm contra charitatem proximorum & contra iuſtitiam legalem, ſeu publicam veilitatem. quam video etiam placuiſſe doctiſſimo viro Ludouico Molinæ diſputatio. 345. in fine. Probatur, quia non peccarunt contra iuſtitiam emendo, emerunt enim pretio currente, vti ſuppono. Nec refert quòd hac ratione inducta ſit caritas: quia etiam multitudo emptorum inducit caritatem; non tamen ideò illi emendo peccant contra iuſtitiam; quia actio illa, ex qua prouenit caritas, non eſt contra iuſtitiam. Neque etiã ſupprimendo, ſeu non vendendo, quia non tenebantur ex iuſtitia tunc vendere, cum nullo pacto ſe ad hoc obligarint. poterant enim eas in aliud tempus ſeruare, vel in alia loca deferre, vel etiam vaſtare abſque iniuria cuiuſquam: quia perfectum dominium eorum habebant. Neque cives habebant ius iuſtitiæ ad eas emendas, niſi ipſis vendere volentibus. alioquin dicendum eſſet ipſos peccaturos fuiſſe contra iuſtitiam, ſi res ſuas in flumen proiecíſſent. Nec obſtat, quod poſſint cogi a Magiſtratu, vt ſua proferant & opportune vendant, & grauiter puniri ob talem compreſſionem, quia multa crimina per publicam poteſtatem puniri poſſunt, quæ tamen non ſunt contra iuſtitiã particularem: ſufficit enim vt aliquo modo ſint contra bonum publicum.

Hinc patet reſponſio ad rationes allatas. Reſpublic. 152
enim non habet ius iuſtitiæ vt pretium non augeatur, ſi copia mercium, quæ eſt in vrbe, ſit ſuppreſſa & ignota, vt patet ex dub 5. nam pretium pendet ex communi æſtimatione: alioquin alij, qui bona fide tunc carè vendiderunt, tenerentur poſteà ad reſtitutionem. vnde etiam hoc pretium reſpectu eorum, qui ſuppreſſerunt. non eſt iniuſtum, quia nulla iniuſta actione illud procurarunt. Ad alterum argumentum.

Reſpondeo, hoc ſolùm probare, illos peccaſſe contra Iuſtitiam particularem, ſi arbitratio pretij, ſpectatis circumſtantijs temporis, quo vendunt, fuerit irrationabilis: quomodo intelligenda eſt illa ſententia. Sicut cùm conſpirant in pretium, vt dictum eſt num.147.

Si Quarto modo fiat; ſi quidem vi aut fraude *impediat*, 153
ne maior copia aliunde importetur, vt mancat caritas in Republic. tenetur ad reſtitutionem. tum Reipublic quatenus iniuſtè ei cauſa fuit maioris pretij; tum mercatoribus, quos impediuit. quatenus priuauit eos probabili lucro. Ita Sylueſter v. Emptio, quæſtione 13. Si verò ſine vi aut fraude impediuit, non tenetur. Quo modo monopolia facientes puniantur in foro externo. vide apud Sylueſtrum v. Emptio, dicta qu. decimatertia, & decimaoctaua.

Quartus modus.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

De Cenſibus ſeu Redditibus annuis.

Complectitur Dubitationes 15.

POST contractum venditionis & emptionis, agendum nobis eſt de cenſibus, quorum contractus, eſt ſpecies venditionis & emptionis.

DVBITATIO I.

Quid ſit Cenſus.

1 *Cenſus varia accepio.*

NOTANDVM, nomen *cenſus*, variè accipi, vt docet Couarruuias lib. 3. var. c. 7. num. 1. Primò, Pro æſtimatione fortunarum cuiuſque, quæ fieri ſolet, vt ſciatur quantum quiſque Principi tributi nomine ſoluere debeat: cenſere enim eſt æſtimare. Secundo, Pro ipſis fortunis, quæ cenſentur, iuxta illud, *dat cenſus honores, Cenſus amicitias*. Tertiò, Pro ipſo tributo, ſiue capitatim, ſiue ratione fortunarum impoſito, ſic Matth. 22. *Licet cenſum dare Cæſari, an non?* Quartò, Pro omni eo, quod annuatim alicui ſolui ſolet in ſignum ſubiectionis vel dominij. Quintò, Accipitur non pro pecunia aut re aliqua corporali, quæ ſolui ſolet; ſed pro re ſpirituali, nempe pro iure quodam in re alterius, vt ex ea quotannis aliquid ſoluatur, poteſtque ſic deſcribi: 2 *Cenſus eſt ius percipiendi annuam penſionem ex re vel perſona alterius*. Dico *Eſt ius*, quia cenſus in propoſito non eſt ipſa penſio ſoluenda; (quamuis ſæpè hoc nomen ſic vſurpetur) ſed ius quoddam ad exigendum quotannis certam penſionem ab alio; cui iuri reſpondet in altero obligatio ſoluendi. Hinc fit, vt qui vendit cenſum, non vendat pecuniam aut fructus aliquot annuos, vt quidam putarunt. ſed ius quoddam exigendi certam pecuniæ ſummam, vel certos fructus: quæ ſanè plurimùm differunt. 3 *Ex re alterius*; quia nemo ſuper re ſua proprie dicitur cenſum vel redditum habere; (cùm habeat in ea ius multò perfectius, nempe dominium) ſed tantùm ſuper re alterius, in quam ipſe ratione cenſus nullum ius habet, niſi ad exigendam ex ea penſionem; cùm dominium vtile & directum ſit penes alterum. *Vel perſona alterius*; quia etiam ſuper perſona nuda hoc ius conſtitui poteſt, vt infrà dicemus.

Cenſus quid. 2

DVBITATIO II.

Quotuplex ſit cenſus, ſeu de Varijs cenſuum generibus.

RESPONDEO & dico Primò, Cenſum generatim diuidi in Reſeruatiuum & Conſignatiuum. 4 *Reſeruatiuus* dicitur, quando quis transfert rem ſuam in alterum quoad dominium directum & vtile, donando, legando, vendendo, aut permutando, ſeruata ſibi penſione annua ſuper eadem re. Talem cenſum conſtituit Ioſeph in omnibus terris Aegyptiorum, præterquàm ſacerdotum, cùm eas emptas & ſubiectas dominio Pharaonis, Aegyptijs reſtituit, vt patet Gen. 47. verſ. 24. De tali non agit Conſtitutio Pij V. vt notat Thomas Boninſignius tractatu de cẽſibus & alij. vnde in huius contractu poſſet apponi pactũ legis cõmiſſoriæ, id eſt, vt res ſuper qua cõſtituitur, cedat in cõmiſſum & redeat ad eum, qui illã contulit, ſi biennio vel triennio nõ fuerit penſio ſoluta, vt docet Couarruuias lib. 3. variar. c. 7. nu. 1. Diſtinguitur autẽ hic contractus ab emphyteuſi, teſte Couar. ſuprà. 5 Primo, Quia in emphyteuſi non transfertur niſi dominium vtile: hic autẽ vtrumque, directum & vtile. Secundò, Si in emphyteuſi non ſoluatur penſio intra biennium, dum eſt Eccleſiæ, vel intra triennium, dum eſt ſæcularis: dominium vtile cadit in cõmiſſum, & ipſo iure coaleſcit cum dominio directo, hoc autem non fit in cenſu, niſi de hoc expreſsè fit pactum inter partes. Tertiò, Emphyteuta non poteſt rem vendere, domino directo non monito, aliàs cadit in commiſſum; & ex pretio tenetur ei ſoluere certam partem quam vocant laudemium: ad neutrum tenetur debitor cenſus.

Reſeruatiuus. 4

Differt ab emphyteuſi. 5

Conſignatiuus dicitur, quando quis ſuper bonis ſuis, quorum dominium directum & vtile retinet, vel etiam ſuper perſona ſua, alteri ius penſionis annuæ conſignat. de hoc eſt tota diſputatio apud Doctores. *Conſignatiuus.*

Dico Secundò, Conſignatiuus cenſus variè diuiditur. Primò, Ratione materiæ, in realem, perſonalem, & mixtum. *Realis* eſt, qui ſuper re aliqua fundatur, ita vt ex ea re penſio debeatur. Huic reſpondet Primò, In reipſa obligatio realis, quæ rem perpetuò comitatur, etiam ſi alteri vendatur, tamquam onus quoddam, ſeu grauamen illi annexum, donec legitimè redimatur. Secundò, Obligatio perſonalis in eo, cuius illa res eſt. nam onus rei redundat in dominum. Tertiò, Relatio debiti in penſione. vnde patet, cenſui reali triplex correlatiuum partiale ordine quodam reſpondere. 6 *Diuiſio.*

Perſonalis eſt, qui immediatè ſuper perſonam quæ ſeipſam obligat ad penſionis ſolutionem, conſtituitur: huic reſpondet tantùm obligatio in perſona, & debitum in penſione. Nec obſtat, quòd hic interdum interueniat hypotheca: quia hæc non interuenit ex vi contractus cenſualis, ſed ſuperuenit per alium contractum: nam hypotheca ſolùm exigitur ad ſecuritatem contractus alterius. vnde ex ea non eſt ſoluenda penſio, niſi eo euentu, quo aliter ſolutio à perſona debitore nequiret obtineri. 7 *Perſonalis.* *Hypotheca in perſonali.*

Mixtus eſt, qui conſtituitur ſuper re & ſuper perſona immediatè: ita vt etiam, ſi res pereat, perſona tamen maneat obligata. ſecùs in mere reali, vbi re ex parte vel in totum pereunte, perit ſimiliter cenſus, vt infrà dicetur. 8 *Mixtus.*

Secundò, Diuiditur ratione penſionis; ſcilicet in *fructuarium*, ex quo debentur fructus, vt frumentum, vinum, &c. & *pecuniarium*, ex quo pecunia. 9 *Fructuarius.* *Pecuniarius.*

Tertiò, In cenſum certum & incertum. *Certus* eſt, cùm determinata pecuniæ ſumma vel fructuum menſura, in penſionem conſtituta eſt. *Incertus*, cùm indeterminata, v. g. tertia vel quinta pars fructuum conſtituitur ſoluenda. ſicut fecit Ioſeph in Aegypto, hic enim modus non eſt licitus, niſi in cenſu reſeruatiuo. 10 *Certus.* *Incertus.*

Quartò, Ratione temporis futuri, in *perpetuum* & *temporalem*. *Perpetuus* diuiditur in *Redimibilem* & *Irredimibilẽ*. *Temporalis* verò in eum, qui extenditur in tempus certum, ver. gra. 10. vel 20. annorum; & in eum, qui in incertum, vt ad vitam vnius, duorum, vel trium hominum, qui vitalitius dicitur. vide Ioannem Maiorem in 4. diſtin. 15. quæſt. 34. 11 *Perpetuus Redimibilis, & Irredimibilis.* *Temporalis.*

DVBITATIO III.

Vtrùm emptio cenſus noui ſit licita.

QVIDAM DD. olim putarunt emptionem cenſuum nouorũ, (ideſt, qui tunc primũ conſtituuntur quando vendendi ſunt) illicitam eſſe, etiã ſi in re aliqua fructifera conſtituantur; ſi penſiones recipiendæ paterentur tandem ſuperaturæ pretium. Secùs tamen eſſe de antiquis, hos enim licitè emi poſſe pretio communiter taxato. Ita ſentit Henricus quodlib. 8. quæſt. 23. ratio ipſius eſt, quia emptio redditus noui, non emptio, ſed purũ mutuum eſt: ſed in mutuo non licet plus pecuniæ accipere quam datum ſit: ergo, &c. Maior probatur, quia extrema huius contractus (inquit) ſunt, pecunia ſimul data & pecunia per quotas recipienda, pecunia autem vendi non poteſt, ſed mutuo datur. Nec refert, quòd in re aliqua fructifera videatur cõſtitui, quia hæc ſolùm ſe habet per 12 *Sententia Henrici de nouis cenſibus.*

per modum hypothecæ. Idem sentire videntur Innocentius & Ioannes Andreas in cap. In ciuitate. de vsuris.

13 *Emptio census concessa etiam nouarum.*

Verùm contraria sententia est communis & certa, Non minùs licitè emi nouos reditus, quàm antiquos. Ita Conradus q.79.vbi 12.rationibus Henrici sententiam refutat. Sotus lib.6.q.5.ar.1. Medina de vsura q.12. Couarr.lib.3.var. cap.7.num.2. Nauarr.comment.de vsuris num.69.& seqq. & alij. Probatur Primò, Quia Martinus V.& Calixt. III. in suis Extrauagantibus, quæ habentur inter communes, titulo de emptione & venditione, auctoritate Apostolica declararunt; *census eos, qui conditiones ibidem positas haberent, esse iustos, & licitos, & debitores ad solutionem obligari.* Nec distinguunt hi Pontifices inter antiquos & nouos; sed in genere de omnibus loquuntur. Secundò, Quisque potest de nouo constituere ius percipiendæ pensionis in suis bonis, titulo donationis, vt ipsi fatentur: ergo etiam titulo emptionis; non enim minoris valet quod emitur, quàm quod donatur. Tertiò, Quia antiqui aliquando fuerunt noui, & ipsius temporis non fecit eos esse iustos: ergo sicuti antiqui vendi possunt, ita & noui. Quartò, Potest quis alteri vendere Ius seruitutis in suo agro, de nouo constituendum: ergo etiam Ius percipiendæ pensionis annuæ patet consequentia; quia sicut Ius seruitutis est particula quædam decerpta ex Iure integro, quod dominus habet in re sua; ita & census, seu Ius pensionis annuæ, est pars quædam Iuris, quam dominus habet in re sua. si ergo illa vendi potest, etiam hæc.

14 *Ad rationes sententiæ contrariæ.*

Ad fundamentum contrariæ sententiæ Respondeo, Verum non esse, nullam hic interuenire mercem præter pecuniam, seu pensiones annuas: nam id, quod venditur & emitur propriè & immediate in hoc contractu, non est pecunia aut pensio annua; sed Ius ad pensionem annuam exigendam: quod ius multum distinctum est à re ipsa, vt ostendit Conradus. deinde etiam pecunia absens & periculis exposita vendi potest *pro præsente*, vt infrà dicetur, cap.23.dubit.4.

Dices, Illud Ius non extat: ergo non potest vendi.

Respondeo Primò, *Etsi nunc non extet*, tamen paulò post extabit; vnde potest vendi. sicut hæreditas futura, & iactus retis futurus vendi potest, vt rectè Medina q.12.

Respondeo Secundò, Falsum esse, hoc Ius non extare antequam vendatur: extat enim in ipso vendente; nam hic Ius habet percipiendi pensionem ex re sua, (quamquam tunc non vocetur census) quod ius sicuti alteri donare potest, ita etiam vendere, tamquam rem modo extantem.

DVBITATIO IV.

Vtrùm iure naturæ emptio census personalis sit licita.

15 *Emptio census realis.*

SVPPONO, emptionem census realis redimibilis licitam esse; quod expressè habetur in Bulla Pij V. ann. 1568. de censibus edita, & in Extrauag. Martini V.& Calixti III. titulo de empt.& vendit. ratio est; quia sicuti emptio prædij licita est cum pacto de retrouendendo, ita etiá emptio iuris percipiendi fructus ex illo prædio; quod Ius est pars quædam Iuris existentis in domino prædij. vt enim dominus potest vendere totum Ius suum, quod habet in prædio, ita etiam potest vendere partem Iuris, quæ nihil est aliud quàm census realis. vide Couuar.lib.3.variar. cap.7.num.5.

16 *Personalis.*

Sed difficultas est de personali. Multi DD. negant, quos citat & sequitur Nauarrus comment.de vsuris, numer.81. Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Ancharanus, Antonius de Butrio, Cardinalis Zabarella. Panorm. & Anani. in cap. In ciuitate, de vsuris, D. Antoninus 2.par.titu. 1.cap.8. Angelus v. Vsura. §.78. & quidem recentiores. Probat hanc sententiam Nauarrus, Primò, Quia census personalis est inuentio noua & numquam in Repub. Romana post susceptam religionem Christianam vsurpata. Secundò, Pensio non potest in libera persona constitui, eo modo quo in prædio constituitur. Tertiò, Liber homo non potest pignori dari. cap.2.de pignoribus: atqui Ius census maius est Iure pignoris: ergo, Quartò, Quia liber homo non potest in seruitutem rapi ob debita.

Quid non putant illiciti emp. personalis.

Verùm ex his rationibus suis constat, hos auctores non loqui de censu personali, qui passim est in vsu, sed de eo, qui ita constituitur in persona, sicut constitui solet in prædio, sedè vt si non fit soluendo, creditor possit debitorem vendere, aut trahere in seruitutem, sicut prædium vendi aut vindicari in dominium potest. Nos autem non loquimur de tali censu personali, sed de eo, qui in creditore solum ponit Ius pensionis annuæ, (cui interdum ad securitatem accedit Ius hypothecæ in omnibus bonis debitoris) in debitore vero tantum obligationem personalem illius soluendæ, (& in bonis obligationem hypothecariam) quæ tranſeat ad hæredes, ita tamen vt non obliget illos nisi secundùm vires hæreditatis. quo fit vt sæpè tales census pereant, etiamsi omnia bona pro illis hypotecata fuerint. 17 *De quali censu personali loquimur.*

Respondeo igitur & dico Primò, Census personalis emptionè licitam esse. docet hoc Conradus quæst. 74. & 79. Maior in 4.d.15.q.34. Gabr. ibidem q.12. art.1. concluſ. 1. Sotus l.6.q.5. art.1. concl.4. Ioannes Medina, de vsura qu. 11.§. Sed quæret aliquis. Couar. l.3. variar. c.7. nu.5. Thomas Boninsignius c.2.4.nu.7. denique puto fore paucos ex auctoribus, quos Nauar. citat, qui talium censuum emptionem condemnarent. Nam Panormitanus, citatus a Nauarro q.5. apertè eam admittit esse licitam. Probatur Primò, Quia olim etiam Ecclesiæ debebantur decimæ personales, scilicet ex labore manuum, & ex negotiatione; vt patet c. Decimæ, 16.qu.1.& cap. Apostolicæ, & cap. Pastoralis, de decimis, quæ etiam nunc quibusdam locis soluuntur. Item Esdræ lib.2.c.2.10. fideles constituerunt annuum reddium tertiæ partis sicli pro fabrica templi, panibus propositionis & sacrificijs, idque tantùm super personas suas: atqui talis obligatio vel sponte suscepta, vel a Superiore legitimè imposita, est certo pretio æstimabilis: ergo vendibilis. quare etiam census personalis vendibilis erit: cùm talis obligatio sit verè census personalis. 18 *Esse licitum.*

Secundò, Si ad censum res aliqua distincta a persona vèditoris requireretur, supra qua census dicatur constitui, id esset vel quia illa res deberet emptori census vendi, vel certè quia fructus eius, illi vendi deberent: atqui neutrum est verum. Non enim res illi venditur; quia dominium rei directum & vtile manet apud venditorem census, qui liberè eam potest alienare in quem voluerit, vt patet ex Bulla Pij V. Neque etiam fructus propriè illi venduntur; quia sæpè fit vt sit census pecuniarius, qui super agro constituitur. Denique etiamsi concederemus fructus rei vendi, simili modo vendendi possunt fructus, & lucra personæ. Si dicas rem fructiferam requiri, vt ius percipiendi ex ea fructus (quod ius est penes dominum rei) possit alteri vendi, hi quo iure alteri collato consistit ratio census: cur non similiter potest vendi Ius illud, quod quisque habet, percipiendi lucri ex sua industria, suisque bonis, obligando se & posteros suos ad eam diligentiam, quæ ad solutionem sufficiat? sicut enim fertilitas agri est naturalis, ita fertilitas (vt ita dixerim) hominis, qua potest acquirere lucrum, est voluntaria; ac proinde potest se homo ad eam obligare. quòd si etiam agri fertilitas esset in hominis potestate, posset similiter homo obligari ad eam procurandam: imò hoc ipso, quo census super agro constitutus est, homo, sine alio pacto, tenetur ad eum bona fide & diligenter colendum. non ergo mirum esse debet, si possit obligari censu personali ad eam industriam, quæ tantum acquirat, quantum necesse est ad pensionis solutionem. 19

Nec obstat, quòd posteri quoque obligentur; quia sicut obligationes aliæ personales ex alijs contractibus ortæ, tranſeunt ad hæredes, eosque obligant lege, iustitiæ: ita etiam hæc obligatio soluendæ pensionis, etiamsi merè sit personalis, ad hæredes tranſire potest. omitto alias rationes minoris momenti.

Dico Secundò, Hanc emptionem esse licitam, etiamsi pensiones sperentur excessuræ pretium. colligitur ex auctoribus citatis. qui n. admittunt hunc censum, admittunt eo modo, quo passim est in vsu: atqui nemo huiusmodi censum emit, nisi verisimile ei sit, pensiones cum tempore excessuras pretium: est enim census perpetuus etsi redimibilis, ex parte venditoris. vnde semper sperat emptor se plus accepturum, quàm dedit: nam sperat se accepturum pensiones aliquot, & posteà si venditor voluerit post aliquot annos se liberare. totã sortem. Probatur Primò, Quia per hanc emptionem non emuntur proprie pensiones futuræ, 20 *Si pensiones sperent sortem.*

futuræ, sed ius quoddam illas exigendi, quod in omni Republ. longè minoris valet, quàm pensiones speratæ, si essent præsentes, valerent. Secundò, Census realis super agris licitè emi potest minoris quàm sint pensiones speratæ: ergo etiam personalis. consequentia probatur a paritate rationis: sicut enim ibi non violatur æqualitas, eo quòd non ematur proprie fructus qui longè superant pretium, sed ius ad illos, quod censetur æquale pretio; ita etiam hic non emuntur pensiones, sed ius & actio ad illas, quæ actio communi hominum æstimatione non pluris valet. Confirmatur, quia communi hominum iudicio pluris æstimatur census realis super amplissimo agro vel copiosis decimis fundatus, quàm census personalis cum hypotheca: ergo si ille minoris emi potest, quàm sint pensiones, etiam hic potest.

Tertiò, Nisi liceret tales census emere minore pretio, quàm sint pensiones speratæ, condemnandi essent plerique census in Belgio, Germania & Gallia, nam plerique aut è quàm certo modo realizentur coram Magistratu, (quod ipsè non fit, vel non nisi post longum tempus) sunt mere personales, cum hypotheca speciali, vel generali omnium bonorum; & emuntur fere denis in singula anna, aut pretio decuplo sextuplo: atqui non est facile damnandũ quod tot viri docti & religiosi in tot Provinciis faciunt.

21 Dico Tertiò, Persona, in qua census constituitur, debet esse vel fructifera; (id est, talis vt aliquem fructum sua opera vel industria pariat, vnde soluat) vel vt aliqua bona in re vel in spe habeat. Ita Medina quæst. ratio est, quia alioquin ius illud nullius esset momenti; & ita non esset pretio æstimabile.

22 *Licita est hypothecam et ius personale.* Dico Quartò, Licitum etiam est in emptione census personalis, exigere hypothecam generalem, vel specialem securitatis causa. colligitur ex ipsdem auctoribus. Probatur: Primo, quia in reliquis contractibus licet exigere hypothecam, vt in mutuo, in venditione ad germinium, & similibus: cur non etiam in emptione census? si enim contractus est validus, meritò potest exigere is, cuius interest, securitatem, vt firmus maneat & non violetur. ad hoc autem pertinet hypotheca.

23 *Census mixti licet.* Dico Quintò, Licita etiam est emptio census mixti, id est, qui partim sit personalis, partim realis. probatur, quia si emptio vtrumque seorsim est licita; cur non etiam iunctim? exemplum sit, Si emas census super prædium, ea lege, etiamsi prædium nihil vel parum aliquando ferat, teneatur nihilominus venditor totam pensionem soluere. quo casu si prædium vendatur tertio, poteris pensionem exigere, & à venditore census, ratione obligationis personalis; & à tertio, ratione obligationis realis, quæ est in prædio. Item si emas census in prædio vel domo, ea lege, vt venditor obligetur, si res omnino pereat. quamuis dici possit. pactum illud accessorium, esse pactum assecurationis pensionum ex prædio soluendarum. Denique si emas census in prædio, cuius fructus non sufficiunt, ea lege vt tota pensio soluatur. quo casu est realis quatenus se extendit ad fructus prædij personalis, vt ad reliquam partem.

24 *Obiectiones.* Sed contra Obijcitur Primò, Martinus & Calixtus Pontifices in suis extrauagan. tit. de empt. & vend. solum reales census licitos esse declararunt: ergo personales sunt illiciti.

Respondeo, Non declararunt solos reales esse licitos, quamuis de illis solis declarationem fecerint; eo quòd de his solis essent consulti.

25 Obijcitur Secundò, Si tibi darem 1000. aureos, ea lege vt quotannis pro vsu mihi persolueres 50. vsuram committerem: eo quòd vsum pecuniæ seorsim venderem, sed ita in emptione census personalis: ergo, &c. Hoc argumẽtum ait Lopez Sotum nunquam potuisse soluere.

Respon. In censu personali non vendi ab emptore vsum pecuniæ; sed emi ius super alterum, qui sibi obligationem personalem potest imponere.

26 *Emptio iuris, & rei differunt.* Dices, Qui emit ius exigendi pecuniam, emit ipsam pecuniam; atqui pecunia non est vendibilis, cum ipsa sit pretium & mẽsura rerum aliarum, iuxta Aristotelem: ergo hic nõ est vera emptio sed mutuum. Maior probatur, quia qui emit ius alicuius possessionis, principaliter censetur emere possessionem. ergo, &c. Confir. propter quod vnumquodque tale; illud magis tale; atqui illud ius emitur propter pecuniam: ergo ipsa pecunia magis emitur.

Respondeo ad maiorem, Verum non esse, eum, qui emit ius ad pecuniam, emere propriè ipsam pecuniã; nam hæc multum differunt, vt ex communi vsu hominum patet, qui quotidie iura sua & actiones pecuniarias vendunt.

Ad probationem maioris Dico verum non esse, eũ, qui emit solam ius ad possessionem, emere propriè ipsam possessionem vt patet dum ius litigiosum emitur: tunc enim non dicitur emi ipsa possessio, sed ius & actio alterius. deinde etiam hoc sit liquidum, qui habet ius ad possessionem, non ideo habet ipsam possessionem. ac proinde qui vendit ius suum, non propriè vendit possessionem. sic qui trãsfert in alterum ius, quod habet in beneficium per præsentationem, non transfert in illum beneficium. 27

Ad minorem Respondeo, Verum non esse, pecuniã vendi non posse: si enim differet loco, vel adiunctas habeat aliquas difficultates aut pericula, vendi potest, sicut alia merces. vt cap. 23. dicetur. quamuis in censu personali non ipsa propriè, sed ius ad illam vendatur, vt dictum est. 28

Ad confirmationem, Etsi illud ius ematur propter pensiones, ipsæ tamen pensiones non sunt propriè id, quod emitur in contractu venditionis; sed sunt ratio emendi. Sicut qui emit agrum non dicitur emere fructus, quos singulis annis ager feret, quamuis propter fructus emat agre pensiones non habent se propriè instar mercis in hoc contractu; sed ius ad illas.

Illud autem axioma non sic est intelligendum. quasi quæcumque denominatio alicui conueniens propter aliud debeat illi magis conuenire. domus enim emitur propter vsum, non tamen vsus; emitur medicamentum ob valetudinem, non tamen ipsa valetudo.

Obijcitur Tertiò, Qui emunt prædium vel equos absque ijs omnibus ijs carent, eosque rursus pro annua pensione ipsdem fidelibus venditoribus locant, censendi sunt vsurarij: atqui non essent vsurarij, si ius ad personales annuas pensiones posset emere: ergo tales pensiones non possunt emi. 29

Resp. Negando minorem, Primò. Quia non intendunt emere aliquem censum; sed accipere pretiũ fictæ locationis. quare cùm nullus sit planè contractus, ob quem expressè intendunt lucrum, nullo modo possunt illud lucrũ percipere. Secundò, Quia intendunt repetere sortem, quã dederunt, quod non fit in censibus.

Obijcitur Quarto, Emptio census personalis nõ est aliud quam emptio personalis debiti, successiuè soluendi, & iuris personalis, ad illud exigendum; sed tale debitum & ius, si nullum timeatur periculum, non minus valet quàm res ipsa. ergo nõ potest emi minoris, quàm sint omnes pensiones speratæ.

Resp. Primo, Negando minorẽ; longè enim pluris communi hominum æstimatione censetur valere pecunia præsens, quam actio personalis, sed ius ad illam sic per partes, & per tanta intervalla exigendam cuius signum est, quòd nusquam inueniretur, qui tantum vellet pro tali iure soluere, si illud per modũ mercis venale proponeretur. quòd si fortè aliquis inueniretur, cui perinde sit habere tale ius ac pecuniam præsentem; id non refert; quia communis hominum æstimatio pretium rebus & iuribus imponit. Accedit, quòd tale ius non pluris valeat, quã ius reale in optimo & securissimo agro, quod tamen minoris æstimatur, quã omnes pensiones, quæ inde sperantur, si simul essent. 30

Respondeo Secundò, Cùm ius personale ferè semper cum aliquibus periculis & difficultatibus sit cõiunctum, & pecunia præsenti res fructiferæ possint emi, vel negotiatio cum magno lucro institui, meritò potuit communi hominum æstimatione, vel Principis decreto, illi iuri certum pretium imponi, omnibus illis circumstantijs probè expensis, quòd pretium à quouis exigi possit, etiamsi forte illæ circumstantiæ in ipso loco non habeant. non enim necesse est, vt omnes illæ causæ, ex quibus crescit communis æstimatio rerum quouis loco habeant, vt suprà c. 20. dub. 14. dictum est. 31 *Potest ius personale cõmutare pretium, et circumstantias expensis, ac æstimare ad sortem.*

Obijcitur Quintò, Si hoc ius minoris valet, quàm pensiones speratæ: ergo qui dat mutuos 1600. aureos, pòt exigere 1700. per partes reddendos, ita vt quotannis soluantur 100. (nam mutuans solum acquirit ius ad 1700. sic soluendos,) quod ius non valet pluris quàm pretium, nempe 1600. atqui cõstat id esse vsurarium, sepposito lucro cessante, damno emergente, & omni periculo: ergo illud ius non valet minoris quàm pensiones.

Respondeo negando sequelam maioris. quia qui dat mutuo,

tuo, non intendit emere aliquod ius, nec mutuatarius intendit aliquod ius vendere; (non enim proponitur hic aliquod ius per modum mercis vendibile) sed vterque tantũ intendit celebrare contractum mutui, ex cuius vi, solũ potest exigi res eiusdem speciei & valoris; nec habetur ratio distantiæ temporis, si nullum inde sit periculum vel incommodum. pensiones autem 17. centenum aureorum, sepositæ temporis distantia pluris valent quàm 1600. aurei. secus est, quando ius aliquod per modum mercis exponitur venale. nam æstimatio mercium & rerum, quæ subijciuntur contractui emptionis & venditionis pendet ex variis circumstantijs, quæ communiter adsunt. & quamuis contingat aliquas respectu huius vel illius abesse, nõ ideo mutatur pretium lege vel communi æstimatione impositũ. quare hoc ius emi potest pretio taxato. tanti refert quomodo
33 ius contrahat. Cuius ratio est, quia vna eademque res secundum varios contractus variam æstimationem recipit; vt si illam vendas in auctione publica, minoris censetur valere, quàm si per manum periti mercatoris. simili modo si mutues operario 30. aureos, ea lege, vt iusto pretio pro te laboret, erit vsura, vt plerique DD. fatentur; si verò anticipato pretio eadem pecunia conducas ipsius operas, non erit. & tamen idem consequeris, etsi non plus pecuniæ exponas, si mutues 1000. aureos, accepto agro in pignus. non potes fructus percipere nisi velis eos computare in sortem; si autem eadem pecunia agrum emas cũ pacto retrouendi, potes omnes fructus percipere, & postea pretiũ totum repetere. neque metuendum hoc modo vsuras palliatum iri; tũ quia in censu nõ licet repetere sortem; tum quia nemo libenter in tot annos alteri credit.

DVBITATIO V.

Vtrùm emptio census perpetui irredimibilis, sit licita minore pretio, quàm sint pensiones sperata.

34 *Census irredimibilis licitus.*

RESPONDEO & dico Primò, Emptio census realis perpetui & irredimibilis licita est minori pretio, quã sint pensiones speratæ. est communis sententia DD. Ioan. Medinæ quæst. 12. & 15. de vsura, Soti lib. 6. quæst. 5. art. 2. Couarruu. lib. 3. var. cap. 7. & aliorum. probatur quia res ipsa, seu dominium rei, in qua census ille fundatur, est minoris pretij quam fructus ex ea sperati: nam fructus, qui temporis successu percipiuntur, decuplo pluris valent, quàm res communiter æstimetur. atqui census realis nihil est aliud quam pars illius iuris, quod in dominio continetur: ergo multo magis emi potest minore pretio quam fructus. minus enim est habere censum super re, quam eius dominium.

Pereunte re, perit census realis. Couarru. & Sotus.

Notandum tamen Primò, si res illa casu pereat, censum quoque concidere, id enim commune est omni censui reali. quia sicut pereunte re, dominium eius perit; ita etiam ius omne percipiendi fructus ex illa. vnde patet falli Couarruu. suprà numer. 5. & 6. Sotum suprà art. 1. dum putant re perempta, non perire censum realem; (nisi contrarium in contractu sit expressum) sed venditorem manere obligatum. ratio ipsorum est, quia putant rem censui subiectam, à qua dicitur census realis, esse veram hypothecã pro censu. atqui hypotheca pereunte vel in alium translata, adhuc manet obligatio personalis in priore debitore. ergo, &c. Sed hoc fundamentum non est verum. neque id, quod ex eo infertur. nam census realis nihil est aliud, quam ius percipiendi fructum vel pensionem ex re fructifera alterius. vnde se habet sicut ius seruitutis, quod quis habet in re alterius. v. g. ius eundi per prædium alterius, venandi, piscandi, colligendi glandes & similia: ratione cuius iuris res non dicitur hypotheca pro illo iure. si enim res pereat, perit ius, si ad alium transferatur, prior dominus omni obligatione soluitur. quando autem res aliqua est hypothecata, tunc etiamsi pereat, vel in alium transferatur, manet tamen obligatio personalis; quia hypotheca datur in securitatem alterius debiti, maximè personalis. Itaque dicere rem subiectam censui esse hypothecam pro censu, est omnes census facere personales. Quod confirmatur ex cõstitutione Pij V. Martini V. & Calixti III. de quibus infrà dubit. 12. vbi expresè requiritur hæc conditio tanquam

35 *Res subiecta censui reali non est proprè hypotheca.*

intrinseca censui reali, vt pereuntere, pereat etiam pro rata ipse census.

Notandum Secundò, In census realis irredimibilis emptione posse hypothecam exigi. sed hæc hypotheca nullũ habebit vsum, si res censui subiecta pereat. solumque ad hoc seruiet, vt si fortè debitor census nolit (re censui subiecta permanente salua) soluere pensiones, possit vendi hypotheca, vt ex ea solutio petatur. 36 *Vsus hypotheca in censu reali.*

Notandum Tertiò, non solum fructuarium, sed etiam pecuniarium census irredimibilem, posse in re fructifera fundari. ratio est, quia non tantum res illa, quam ager profert, censetur fructus eius, sed etiam pecunia illi æquivalens, sicut fructus domus, non solum est vsus & habitatio, sed & pretium vsus. vnde sicut dominus agri non solum ius habet ad agri segetem, sed etiam ad pretium ex segete capiẽdum; ita hoc ius vendere alteri in perpetuum potest. *Census pecuniarius irredimibilis.*

Dico Secundò. Etiam emptio tenitus personalis irredimibilis est licita, etsi pretium sit minus quàm pensiones speratæ. colligitur ex Medina & Soto supra. Probatur Primò, Quia minor est species vsuræ in hac emptione, quàm in emptione census personalis redimibilis: cum nulla sit spes recuperandæ sortis. ergo si hic emi potest pretio minore, quàm sint omnes pẽsiones speratæ, etiam ille potest. Secundò, Quia certum est hominem sibi posse talem obligationem imponere; quæ ad hæredes transeat secundum hæreditatis facultates: atqui hæc obligatio communi hominum iudicio est certo pretio æstimabilis, v. g. 30. aureis in singulos; cum tamen plures speretur recipiendi intra annos 40. Confirmatur, quia si vir aliquis opulentissimus tale onus sibi suisque posteris in perpetuum imponeret, illudq; publicè venale proponeret, nemo tantùm offeret, nec tanti illud æstimaret, quanti omnes pensiones, si præsentes essent; sed longè minoris: atqui pretia rerum & iurium ex communi hominum æstimatione pendent. Tertiò, census realis irredimibilis pretium minus est, quàm sint pensiones speratæ: atqui sæpè fit vt census reales sint multo meliores & securiores quàm personales; ergo etiam pretium iustum personalis irredimibilis minus est, quàm omnes pensiones speratæ. 37 *Census personalis irredimibilis licitus.*

Nec obstat, quòd pretium census personalis irredimibilis maius esse debeat, quàm pretium census realis irredimibilis nudè consideratj; eo quod venditor ibi maius onus sublineat: (etsi enim omnia eius bona pereant, non tamen perit obligatio huius census, cum sit personalis; sed tãtum consopitur. donec melior fortuna obtigerit) quia si census realis annexum habeat pactum assecurationis, non est minore pretio dignus, quàm census personalis perpetuus: atqui pretium eius tunc est minus, quàm pensiones speratæ: ergo etiam pretium census personalis. 38 *Census realis cum pacto assecurationis non est minoris pretij, quam personalis irredimibilis.*

Dices, Nullum potest dari pretium cersui irredimibili æquale: ergo eius emptio est iniqua. Antecedens probatur quia si des 24. vel 25. vel etiam 30. in singula, intra tot annos habebis sortem, & reliqua supra sortem accipies. Imò quantumuis fors sit magna, decursu annorum superabitur pensionibus. 39 *Obiectio.*

Resp. Non emi ipsas pensiones, sed ius ad pẽsiones. quod communi hominum æstimatione æquivalet certæ summæ pecuniæ præsentis. vnde non refert quòd pensiones superent; quia hæ sunt instar fructuum illius iuris, quod primo & principaliter emitur, & cuius pretium vel lege publica, vel cõmuni hominum æstimatione statuitur: alioquin non liceret emere agrum certo pretio, quia fructus agri intra aliquot annos pretium superabunt. neque censum realem irredimibilem, ob eamdem causam: nam aliquot annis pensiones superabunt pretium. id tamen est contra praxim orbis, & communem sententiam DD.

DVBITATIO VI.

Vtrùm census temporalis possit emi minoris quàm sint omnes pensiones simul iunctæ.

NOTANDVM est, temporalem dici qui ad certum vel incertum tempus constitutus est, in cuius termino sponte extinguitur, sorte non resusa. 40 *Vitalitius census licitus.*

Resp. & dico Primò, Qui ad incertum tẽpus constitutus est,

eſt,(vt eſt omnis vitalitius) emi poteſt pretio; quod minus ſit, quam penſiones ſperatæ. eſt communis ſententia DD. Gab.in 4.d.15.q.12.ar.3.dub.2.Maioris ibid.q.34.concl.2. Medinæ.de vſura,qu.14. Couar. lib.3.var.c.7.num.3.& 4. & aliorum. Probatur Primò, Quia quod penſiones ſimul iunctæ ſuperent ſortem, id eſt, fortuitum. ſicut enim poſſunt ſuperare, ita etiam ſuperari, eſſeque minores ſorte; cum valdè incertum ſit, an tot annos ſit victurus is, ſuper
41 quem conſtitutus eſt. Nec obſtat, quòd interdum multo probabilius ſit eſſe diutius victurũ, ac proinde plures penſiones perſoluturum; quia non emuntur penſiones. ſed ius ad illas exigendas: quod ius minoris longè valet, quam penſiones præſentes; tum ob commoditatem pecuniæ præſentis, tum quia multis modis tanto tempore fieri poteſt, vt nihil ex eo poſſit percipi. Secundò, Quia cenſus vitalitius eſt res quædam æſtimabilis communi hominum iudicio, certo pretio; quòd ferè ſemper minus eſt, quàm penſiones ſperatæ: (nemo enim emeret cenſum, niſi ſperaret) atqui res omnis vendibilis iuſtè emi poteſt pretio, quo cõmuniter æſtimatur. ergo.

Notandum autem, hoc pretium, ſi cenſus ſit ad vitam vnius ætate florentis, alibi eſſe octonum. alibi ſeptenum nummum ſingulos: ſi ad vitam duorum, denum. quod enim in quauis Prouincia lege vel communi æſtimatione eſt taxatum, præſumendum eſt eſſe iuſtum pretium, niſi contrarium ſit euidens.

Dico Secundò, Probabile etiam eſt, eum, qui ad certum
42 tempus conſtitutus eſt, v.g. ad 10. vel 20. annos, poſſe minoris emi, v.g. ſi quis vellet vendere penſionem 10. aureorum in decennium, probabile eſt licere emere 90. Tenet hoc Conradus q.79.& 80.Couar.c.illos 7.num.4.Caiet.v. Vſura,ſub finem.Nauar.cap.17.num.230.& commentario de vſuris num.71. vbi indicat, 100.aureis poſſe emi penſionem annuam 10. aureorum ad annos 15. & quidem ſi ſit cenſus realis, non videtur dubium, ſicut enim emi poteſt ius percipiendi fructus ſeu emolumenta ex re fructifera alterius in perpetuum; ita etiam ad certum annorum numerum quod ius ſemper æſtimatur minoris, quam emolumentum ſperatum, ſi præſens eſſet. Confirmatur, quia alioquin pluris valeret cenſus temporalis quam perpetuus. nam cenſus perpetuus redimibilis emi poteſt denis ſenis nummis in ſingulos: hoc autem pretio non poſſet emi cenſus temporalis ad 20. annos. Item cenſus irredimibilis emi poteſt 30. nummis in ſingulos. atqui hoc pretio emi non poſſet cenſus temporalis ad annos 33. quæ omnia per ſe abſurda ſunt.

Cenſus ad certum tempus.

43 Si autem loquamur de cenſu perſonali ad certum tempus, maius eſt dubium. tamen probabile eſt licitè emi minoris; ita enim docent auctores citati. Probatur Primò, Quia alioquin pluris valeret cenſus perſonalis ad annos 17. vel 20. quam reditus perſonalis, vel realis perpetuus redimibilis, imò quàm perpetuus redimibilis. vt oſtenſum eſt.

Perſonalis certi temporis.

Secundò, Quia non poteſt dari ſufficiens ratio cur communi hominum æſtimatione vel Principum lege non poſſit iuribus perſonalibus aliquod certum pretium imponi, ſpectatis omnibus circumſtantijs, quæ communiter ſolent interuenire, quod pretium minus ſit quàm res, quæ in futurum expectatur. vt enim hoc fiat; communè bonum videtur poſtulare. vt ſupra oſtenſum eſt.

Obiectio. Dices, Ergo licitus eſt hic cõtractus, do tibi 180. aureos ea lege, vt per 20. annos mihi ſoluas quotannis 10. hoc autem eſt abſurdum: nam ſepoſito lucro ceſſante & damno emergente, eſt aperta vſura. ergo.

44 Reſpondeo, ſi ille intendat emere cenſum, non erit iſte contractus illicitus: quia intendit emere actionem perſonalem, quæ non pluris æſtimatur in illa Repub. vti ſuppono. Si autem intendat ſolum dare mutuum, erit illicitus: quia mutuum non datur pro iure; ſed pro alia re ſimili in ſpecie, eiuſdem valoris. Simile erit ſi dicat, do tibi 180. aureos, vt per 20. annos ſoluas mihi annuè 10. aureos ex fructibus: nec minus poterit hoc modo palliari vſura, quam illo altero. verum non eſt magnopere timendum, ne hac ratione vſuræ inualeſcant, quia non deſunt alij modi multò vtiliores. quamquam cenſeam omnino diſſuadendum, ſi quis hoc modo vellet contrahere.

Alia ratio emptionis alia mutui.

DVBITATIO VII.

Vtrùm cenſus licitè poſſit emi minore pretio, aut vendi maiore, quam fuerit ab initio conſtitutus.

RESPONDEO, & dico Primò, Si cenſus ille habeat 45
pretium legitimum a Principe conſtitutum, non videtur poſſe emi minore pretio, quàm initio fuerit creatus: poteſt tamen vendi maiore. ratio eſt, quia taxatur pretium in gratiam venditorum, ne miſeri venditores, qui propter inopiam coguntur cenſum vendere, & emptores rogare, minore pretio cogantur eſſe contenti: non autem ne maiore poſſint vendere, ſi emptorem inueniant. quare cum pretium legitimum conſiſtat in indiuiſibili non poteſt minus dari. vnde videmus in Belgio puniri eos, qui cenſus, dum primò creantur, emunt minore pretio quam 16. in ſingula: non autè eos, qui vendũt maiore, v.g. 18. vel 20. in ſingula.

Si haberet pretium a lege.

Dices, Principis decretum tantum eſt intelligendum de prima cenſus emptione & conſtitutione, non autem de emptione ſecunda vel tertia.

Reſp. Negãdo aſſumptum, niſi id exprimatur: dũ enim in genere taxat cenſus pretium, iubendo ne minoris emantur, videtur loqui de omnibus, ſicut dum taxatum eſt pretium frumenti, non ſolum in prima emptione ſeruandum eſt, ſed etiam in ſequentibus.

Aduerte tamen, in Belgio hoc non ſeruari: nam paſſim 46
videmus antiquos cẽſus emptos ad rationem 16. in ſingula, multo minore pretio vendi, Principe ſciente, nec contradicente: vnde videtur hac in parte conſuetudo legi derogaſſe. Imò quibuſdam locis ne in prima quidem conſtitutione pretium legitimum ſeruatur. emũt enim ad rationem 15. vel 14. vel etiam 12. in ſingula. quod quia permittitur a Principe, ſeu Concilio, non aufim condemnare, meritò tamen deberet prohiberi. ſed non multi inueniuntur emptores, quia ſolutio maligna.

Dico Secũdo, ſi cenſus nõ habeat pretium legitimum, 47
vel ſi illud paſſim non ſeruetur, poteſt emi minore pretio, quàm initio fuerit conſtitutus. ratio eſt, quia pretium vulgare non conſiſtit in indiuiſibili. vnde quod primò emptũ eſt pretio ſummo, ſæpè poſtea venditur pretio infimo. Accedit, quòd quando multi ſunt emptores, qui quærunt cenſus, pretium poſſit augeri, ſicut è contrario, quando multi ſunt venditores, & pauci emptores, minuitur. vt experientia in Belgio ab anno 1585. vſque ad præſentem, qui eſt 95. docuit.

Si careat pretio legitimo.

Hinc ſequitur, ſepoſita lege poſitiua, poſſe ab initio iniri pactum, vt ſi venditor velit redimere, teneatur redimere eo pretio, quo tempore redemptionis æſtimabitur, & quo alijs tunc vendi poſſet. quòd ſi moraliter certum ſit pluris valiturum, eo quòd hypotheca erit melior, vel quia plures erunt emptores, poteſt etiam paciſci vt pluris redimatur. Ordinariè tamen tale pactum lege poſitiua prohibetur, & Pius V. in ſua conſtitutione illud prohibuit, ſtatuens vt venditor eodem pretio poſſit redimere, quo primum vẽdidit. Idem ſanxit Carolus V. non ſolum de cenſibus, qui ab origine ſua fuerunt redimibiles, ſed etiam de omnibus irredimibilibus; exceptis cenſibus reſeruatiuis, & piorum locorum, qui ante fuerunt irredimibiles; vt patet ex ordinatione ipſius, facta Bruxellæ ann. 1528. die 23. Febr.

48 *Pactum vt red. matur pretio maiore.*

DVBITATIO VIII.

Vtrùm licitum ſit emere cenſum cum pacto vt venditor, quando voluerit redimere, teneatur redimere eadem moneta.

VERBI gratia, Si emptus ſit 100. coronatis in ſpecie, vt teneatur totidem in ſpecie vel quanti tunc in ſpecie valebunt, refundere.

Reſpõdeo & dico Primò, Id quibuſdam euentis eſſe licitum. Primò, Si certum erat æſtimationem monetæ nõ eſſe mutandam. Secundò, Si vtrumque par erat dubiũ an eſſet augenda an minuenda. Tertiò, Si certum erat æſtimationem augendam, & emptor ſtatuerat pecuniam ſuam in illud tempus ſeruare: tunc enim ratione damni, quod pati-

49 *Redimere eadem moneta.*

tur, pecuniam illam tunc exponendo, potest tale pactum apponere. Quarto, Si tanti emerem quanti emi solent irredimibiles, tunc enim non teneor reuendere. Vnde possum exigere vt eadem moneta redimat, si redimere voluerit. hoc tamen non habet locum in Belgio nam Carolus V. in sua ordinatione, qua census irredimibiles vult posse redimi eodem pretio, quo primum venditi sunt, statuit vt id fiat ea moneta, & secundum eum valorem accepta, quem ipse vltimo imposuerat: non autem secundum valorem antiquum. Vbi tamen non vetat, quin si monetam valde excrescere contigerit; possit redimi, secundum eum valorem monetæ, quem pro tempore habuerit: non enim intendit venditores grauare, sed illis consulere.

50 Dico Secundò, Extra hos casus tale pactum non esse licitum. vnde si census redimibilis ematur pretio ordinario, & addatur pactum, vt venditor quando redimere voluerit, eadem moneta redimat, hoc pactum est iniquum, nec obligat in conscientia. Probatur, quia emptor non dat nisi pretium census absolutè considerati, v.g. 16. in singula, & præterea imponit venditori graue onus, magno pretio æstimabile; pro quo onere, neque dat quidquam, neque ipse vicissim aliquod incommodum æquale in se suscipit. ergo non est æqualitas inter emptorem & venditorem. Confirmatur, quia quando emptori, vel rei imponitur aliquod onus à venditore, quod non requiritur ex vi contractus; potest emptor exigere compensationem: ergo similiter quando ab emptore venditori onus imponitur, potest venditor præter iustum pretium census compensationem illius oneris exigere, vt sit æqualitas.

DVBITATIO IX.

Vtrùm emptio census, cum pacto, Vt non possit redimi, nisi ante Vel post certum tempus, sit licita.

51 *Vt non possit redimi, nisi ante certum tempus.*

RESPONDEO, & dico Primò, Absolutè licitum est emere censum cum pacto vt nò possit redimi nisi intra certum tempus (v.g. intra decennium) ita vt si intra illud tempus non redimatur à venditore, fiat irredimibilis. Ita Gabriel d.15.q.12.art.2.concl.4. Sotus supra art.3. Couar.l.3.var. cap.8. num.7. Medina de vsura q.15.dub.1.§. Aduerte tamen. Probatur Primò, Quia talis emptionis exemplum habemus Leuit.25.v.29. vbi dicitur, *Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebat licentiam redimendi, donec eius impleatur annus. si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Iubilæo.* Secundò, Tale ius est certo pretio æstimabile: ergo iustè poterit eo vendi. Tertiò, Licitum est emere censum irredimibilem absolute: ergo etiam licitum emere perpetuum irredimibilem sub illa conditione: nam illa conditio est in fauorem venditoris. Quartò, Quia sæpè potest esse iusta occasio tale pactum apponendi; vt si intra illud tempus occurrerent occasiones emendi res frugiferas, vel census irredimibiles, quæ putarentur non habendæ postea: tunc enim ratione lucri cessantis, posset tale pactum apponere.

52 *Pretium huius census.*

Notandum tamen, pretium talis census debere esse maius, quàm si semper maneret redimibilis, & minus, quàm si absolutè esset irredimibilis. vt per se patet. Item quò tempus illud, quo libertas relinquitur est longius, eo debet pretium esse minus; & quo tempus illud est breuius, eo debet esse maius; vt rectè notant Medina.

53 *Vt non possit redimi, nisi post certum tempus.*

Dico Secundò, Licitum etiam est emere censum cũ pacto vt possit redimi post certum tempus, v.g. post decennium, ita vt ante redimi nequeat. Patet ex ijsdem auctoribus. ratio ferè est eadem; quia licitum est emere censum cum pacto, vt perpetuò redimi possit; & cum pacto vt numquam redimi possit: ergo etiam cum pacto, vt ante certum tempus non possit; post autem illud tempus, possit. hic autem, pretium eo maius esse debet, quò tempus est longius, quo redimere non licet. & eo minus, quò hoc tempus est breuius. quod si tempus, quo non possit redimi, sit paucorum annorum, hoc onus plerumque est parui momenti.

54 *Pretium.*

DVBITATIO X.

Vtrùm talis sit emptio census Vtrinque redimibilis.

SVPPONO licitam esse emptionem census redimibilis ex parte venditoris: id est, cum pacto, vt venditor possit redimere quando voluerit; tales enim sunt census quos approbant Pontifices, vt infra dicemus. Sed difficultas est, Vtrum emptio talis census possit adijci pactum in fauorem emptoris, nempe vt emptor possit illum reuendere, quando voluerit, vel reloluere contractum, recepto, quod dedit. 55

Redimibilis ex parte emptoris.

Sotus l.6.qu.5.art.3.concl.1 censet tale pactum esse vsurarium. ratio ipsius est, quia vbicumque datur pecunia cũ pacto eandem rursus recipiendi & aliquid vltra sortem, licèt incerta vel patet, vel latet; atqui hoc fit dum das 1000. aureos, ea lege vt quotannis recipias 50. donec refundat sortem. & vt reddat illam, quando petes: ergo.

56 *Pactum conditionis census varias apponi potest.*

Respondeo tamen contrariam sententiam esse probabilem, & speculatiuè veriorem, hanc enim tenet Gabr.d.15.q.12.ar.2.concl 4. & 2.3. ad 3. contra 4. concl. Conradus q.84. post 5. concl. §. Circa enim solutionem, & corollario primo, vbi docet, venditori census posse apponi pactum multis modis. Primò, vt neuter habeat potestatem resoluendi contractum. Secundò, Vt solus venditor habeat. Tertio, Vt solus emptor. Quarto. Vt vterque, fructibus minimè in sortem computatis. Nec obstat quod Gabriel in respond. 2. argumentum contra 4. concl. addat: *Verum hoc dico vocatiuè & probabiliter, sciens quosdam DD. notabiles hanc scripsisse. attero tamen examini peritorum.* Sic enim loqui solemus ad declinandam inuidiam, quando aliquid noui & receptæ opinioni aduersum ex nostra sententia proferimus. quamuis ibi etiam apertè fateatur sententiam illam esse probabilem, & a notabilibus DD. teneri. Simile quid addit Conradus; sed argumenta eius quæ in 5. concl. & in corol. 1. & 2. inuehitur, satis indicant quid in animo habet. Idem expressè tenet Ioannes Medina qu.15. de Vsura dub.3. Petrus Arragon q.78.ar.4. & optime Gregorius à Valentia 2.2. disput.15.q.22.puncto 6. & quarti.25. puncto 2. vbi etiam refert eandem sententiam multis doctissimis Theologis Romæ in quadam consultatione, cui ipse interfuerit anno 1581. probabilem esse licitam, etsi obpericulum vsurarum minimè suadendam. Probatur primò. Venditor potest vendere censum cum pacto vt possit redimere quãdo voluerit. & vt emptor teneatur nunc censum seu literas census reducere, vt omnes fatentur: ergo similiter emptor potest emere censum cum pacto, vt possit illum reuẽdere & reddere venditori, & vt tunc venditor teneatur illum redimere. consequentia patet à paritate rationis; si enim venditor potest sibi tale ius reseruare & talem obligationem emptori imponere, ad rem, quam alienat, recuperandam; cur emptor non possit sibi simile ius reseruare, & similem obligationem imponere venditori, ad recuperandam pecuniam, quam alienat?

57 Dices, Esse disparitatem rationis; quia dare pecuniam cum obligatione ad eam reddẽdam, est mutuare, non emere: dare tamen rem aliam vendibilem pro pretio, cum obligatione ad illam retinendam, non est mutuare sed vendere cum pacto redimendi: ergo est dispar ratio.

Dupliciter datur pecunia cum obligatione reddendi.

Resp. Dupliciter posse dari pecuniam cum obligatione ad eam reddendam. Primò, si detur immediatè pro simili pecunia eiusdem valoris, cum obligatione vt illa post aliquod tempus reddatur; & sic est mutuum. Secundò, Si detur immediatè pro re aliqua vendibili, cum obligatione vt venditor illam rem post aliquod tempus redimat, & pro ea pretium restituat; & tunc est vera emptio. hoc modo fit in proposito; nõ enim emptor census dat pecuniam immediatè pro pecunia refundenda in redemptione, sed pro censu; neque obligat alterum vt reddat pecuniam pro pecunia accepta, sed vt recipiat rem, seu ius, quod vendidit, & reddat pro ea iustum pretium.

Solutio cuiusdam.

Quidam vir doctus prædictam rationem conatur infringere, negando imponi onus emptori, dum cogitur admittere redemptionem. Quia, inquit, venditioni censuum id per se coniunctum est, vt non habeat effectũ perpe-

tuum;

petuum;ac proinde vt possit à venditore redimi. Secus de venditione aliarum rerum. Rationem dubitatis adfert ex hac venditionis censuum & aliarum rerum. qui enim vendit censum, non intendit alienare rem aliquam, qua non indiget,sicut qui res alias vendit;sed in necessitate cõstitutus ne magis egeat, in bonis frugiferis sibi necessarijs censum constituit, sperans se felicioribus annis exoneraturum. Intendit itaque censum redimibilem vẽdere,quod & emptor intendere debet.Hinc sequitur,inquit si rem penitus inspiciamus, facultatem redimendi venditori reseruatam, non esse propriè conditionem grauantem emptorem,sed ipsi contractui natiuam.

Refutatur. Respondeo, Si illud ius venditori reseruatum, dicatur non esse onus emptori,eò quòd compenletur;dum minuitur pretium census. hoc fateor non esse onus,sed simili modo dicetur non esse onus venditori, quòd emptor sibi ius reseruet,quia id compẽsatur aucto pretio. Quòd autem sit verum onus patet; Primò, Quia omnis obligatio in futurũ quam quis magis cuperet redimere,est onus:atqui hæc obligatio quæ imponitur emptori, vt teneatur admittere resolutionem contractus censualis, est talis obligatio, ergo est onus. Secundò, hæc obligatio potest esse valdè incõmoda: quia etiamsi offerant se occasiones pretij vehementè impendendi,non tamen potest illud repetere,& tamen vẽditor potest illud retinere,quando id ipsi erit inutile, vel damnosum,vt cum pretium pecuniæ est auctum, vel cum est magna pecuniæ copia, & nulla fructifera sunt venalia. Tertiò, Si vendam tibi agrum meum reseruato iure redimendi,impono tibi onus; ergo similiter si vendam tibi ius fructuum, v.g. 10. modiorum,in agro reseruato iure redimendi, censeor tibi onus imponere.

Illam obligationem esse onus.

Dices, Esse disparem rationem; quia est de natura census constituti, vt possit redimi pro voto vẽditoris. vnde non est onus distinctum.Sed hoc non est verum;nam plurimi sunt census, qui non possunt redimi, qui tamen sunt verissimi & perfectissimi census. Deinde census per se est ius percipiendi fructus ex re alterius, quod absolutè translatum est perpetuum. Itaque verum non est hanc esse naturam censuum,vt possint redimi; aut venditioni censuum per se conuenire, vt non habeat effectum perpetuũ fateor plerumque census ita vẽdi, sed non semper,nec emptores tenentur tales emere, sed possunt exigere, vt redimi nequeant.tales enim pactum ius ciuile admittit tamquam minime suspectos;& si non admitteret, iuste ius naturæ & gentium admittit; de quo nobis hoc est firmo Loquimur enim de iustitia huius contractus spectato iure naturæ & gentium. Nec; peccant emptores contra iustitiam,etiamsi fini vendentis se non accommodent. parum enim ad iustitiam contractus & rerum æqualitatem refert, quo fine venditio fiat.

58 Secundò Probatur, Ideò venditor iustè potest emptori imponere obligationem reuendendi;quia hoc onus potest compensari,tanto minoris rem vendendo:atqui obligatio, quam emptor imponit venditori ad rem redimendam,potest similiter compensari ad æqualitatẽ tanto pluris emendo: (non enim est infiniti pretij) ergo similiter potest imponi. Confirmatur,quia emptor census potest pacisci cum tertio, vt ille teneatur censum a se emere quando placuerit. ergo simile pactum potest inire cum venditore

Obligatio illa potest cõpensari.

Obiectio eiusdem. Dices, Nullus vẽditor sponte talem obligationẽ admitteret;si ergo admiserit,coactè id faciet,atqui iniquum est cogere ad aliquam obligationem vltra naturam contractus. Deinde si illam obligationem redimendi suscipiat, peribit veritas emptionis, & ex emptione fiet mutuum. vnde ex vi mutui pensiones percipiet, quod est vsurarium.

Responsio. Respondeo Primò, negando maiorem; quia illa obligatio ex æquo compensatur dum emptor dat maius pretium soluendo 20.in singula,cum alias sine tali obligatione non solueret nisi 16 in singula. Itaq; illa obligatio non est venditori notabiliter onerosa Confirm. Quia quando emptor volet resoluere contractũ, facilè inuenier sortem vendendo alicui censum ordinarium, seu redimibilẽ ex parte venditoris.vnde patet illum minus laedi tali censu vtrimq; redimibili, quam censu ordinario. Deinde distinguo minorem. Dupliciter potest quis cogi ad aliquam obligationem vltra naturam contractus. Primò, Ex vi solius contractus principalis, absq; iusta compensatione illius obligationis: & hoc est iniquum;neque hic fit,vt ostensum est.Secundò Per distinctum contractum, saltem implicitum, & iusta compensatione; & sic non est iniquum,sed iustum & quotidianum. possum enim nolle inire vnum contractum absque alio contractu.

Ad alteram rationem, Nego per hoc perire veritatem emptionis.Si enim ex eo quòd obligo venditorem ad restituendum pretium rei venditæ, quando cupit contractum resoluere, emptio vertitur in mutuum; nulla emptio cum pacto retrouendendi ex parte emptoris esset licita: nec emptor poterit lucrari fructus rei, sed tenebitur computare in sortem;quod falsum esse ostendimus cap.21.dub.14. eibique contra Couar.& alios multos DD. Similiter in societate mercaturæ,contractus societatis & conductio operarum verterentur in mutuum,si socius,cui pecunia traditur, obligatur iusto pretio ad præstandum periculum sortis. Quod etsi Sotus concedat,Couarr.tamen & alij negant;& falsum esse ostendemus c.25. dub.3.itaque non per hoc emptio vertitur in mutuum.Rationem attulimus supra n.57. in resp. ad 1. replicam.

Pro obligatione soluit fieri mutua obligatio. Tertiò, Si petas à me vt emam à te censum, possum vicissim à te petere vt emas post aliquod tempus a me communi, idque in pactum deducere: (nam pro obligatione licita potest peti mutua obligatio) ergo similiter possum petere vt post aliquod tempus eumdem censum redimas. si enim possum in pactũ deducere, teque obligare vt emas à me rem aliam,cur non etiam vt eandem,quam mihi vendidisti,redimas?

Quæres, How pactum potest addi emptioni aliarum rerum,v.g. agrorum,domorum,animalium? dictum est c.21.dub.14 cur non etiam emptioni censuum? vide Couarr.ibi,dum lib.3.var.c.9.n.3. admittit hoc pactum in aliarum rerum emptione,& num.4.negat in emptione censuum,*nouitate* docet.

59 Quinto,Pacta,quæ seorsim fieri possunt,ita vt neutrum destruat alterum, etiam fieri possunt iunctim: (quæ enim seorsim iusta sunt, etiam simul iuncta sunt iusta) atqui hæc pacta seorsim fieri possunt. qui enim emit censum redimibilem ex parte solius venditoris,100 aureis ei debentur quotannis 6. aurei & quadrans;sed hic potest inire pactum cum venditore vt quotannis non soluat nisi 5. aureos, & vt pro reliqua parte se obliget ad redimendum, quando emptori placuerit: illa enim obligatio videtur satis compensari,si quotannis cõsuescat pro ea vnus aureus, & tres regales.

Pactum huius census.

60 Hæ rationes satis probant, probabile esse, hoc pactum emptioni census realis apponi posse. nam sicut totum rei dominium emi potest cum pacto redimendi in fauorem vtriusque appositio; ita etiam ius fructuum,quod est veluti pars dominij. Si verò agatur de emptione census personalis,maior est difficultas.Sed auctores citati etiam de hac intelligendi sunt:nam generatim loquuntur. Imo Gabriel, Medina, & Valentia expressè de hac agunt: & iisdem rationibus probatur:nam sicut census realis est ius quoddam certo pretio vendibile,ita & census personalis: vnde eadẽ rationes vtrobique locum habent.

61 Ex his sequitur,cum in Belgio ematur communiter census personalis, redimibilis ex parte solius venditoris,16.in singula, non fore illicitum (vbi lex positiua non obstaret) emere censum personalem vtrimque redimibilem 20. in singula: nam onus illud, quod imponitur venditori ad redimendum quando placuerit emptori, satis videtur compensari, dum tanto pluris emitur. Confirmantur, quia non magis grauatur tali censu, quàm censu personali ordinario;immo minus.qui enim vendidit talem censum, v.g. 100. aureis, quotannis non soluit nisi 5. aureos, & quando cogetur redimere, facilè inuenet pretium, vendendo alteri censum ordinarium 100 aureis, qui pendet sex aureos & quadrantem. itaque singulis annis unum aureum & quadrantem minus redit in censu utrimque redimibili, quàm debuisset dare si fuisset census ordinarius.

Tertium huius census.

Hoc modo uidentur posse excusari contractus quidam 62 valdè usitati; quibus solet pecunia pupillorum tradi mercatori uel alteri pro usura quinquunce,id est, pro quinque in 100.& quamuis contrahentes non cogitent expressè de censu utrimque redimibili;tamen uidentur implicitè in illum consentire, dum is, qui pecuniam tradit, intendit hoc lucrum percipere omni modo, quo iustè id fieri potest, &

alter intendit eo titulo, quo ille accipit, dare. qua de re aliquid dictum est supra cap.20.dubitat.12. vide plura apud Valentiam disputatio.5. quæstio.25. puncto 2. Verum hic modus contrahendi meritò in posterum deberet vbique prohiberi.

63 *Redimibilis pro solius emptoris arbitrio.*

Petes, Verum licita sit emptio census cum pacto vt non possit redimi nisi velit emptor, & ipso volente debeat redimi?

Respondeo, Ex natura rei esse licitam, modò iusto pretio fiat; quod fatè deberet esse maius, quàm pretium census absolutè irredimibilis. ratio est, quia ex parte venditoris est absolutè irredimibilis; & præterea imponitur obligatio venditori, vt eum redimat, quando emptor voluerit, quæ etiam est pretio æstimabilis. Potest tamen emptor pacisci, vt si redemptio fiat, eodem pretio fiat, quo emptio facta est: quia potest pacisci vt resoluatur contractus. sicut enim dum emitur talis census, acquirit emptor censum, & illam obligationem à venditore: ita etiam dum emptio resoluitur, restituit venditori censum & illam obligationem: ac proinde potest exigere pretium pro vtroque datum. vide supra capit.21. numer.118. vbi alia ratio, eaque solidior indicata.

64 *Redemptio eodem pretio.*

DVBITATIO XI.

Vtrùm alia quædam pacta, quibusdam locis contractui censuali addi consueta, sint licita.

65 *1. Pactum etsi res pereat, soluendam pensionem.*

PRIMVM est, vt venditor semper teneatur ad pensionem, etiamsi res censui subiecta casu pereat. Quidam putant hoc pactum esse iniquum. Primò, Quia est contra naturam contractus censualis, qui postulat vt re pereunte, census pereat. Secundò, Iniquus esset contractus, si emerè de te agrum, annuè redderem 10. mensuras, cum pacto vt si ager pereat, vel minus reddat, tenearis in perpetuũ supplere ex tuis bonis vsque ad 10. mensuras: atqui talis est emptio census cum illo pacto: ergo.

66 *Non est iniquum.*

Sed verius est, hoc pactum inquum nò esse, si iusto pretio compensetur. iustum autem pretium est, quanti illa obligatio conditionalis iudicio probi & intelligentis viri, collato periculo euentus, æstimatur. si enim parvum vel nullum sit periculum, paruo æstimabitur; si magnum, magno. Probatur Primo, Quia hic sunt duo pacta, quæ seorsim iuste fieri possunt; vt si primò ematur iusto pretio census absolutè: deinde iusto pretio fiat pactum illud soluendæ pensionis in quouis euentu: ergo etiam possunt simul fieri; quæcumque enim seorsim sunt iusta, etiam iunctim iusta sunt. non enim ex vi vnius contractus, vltra iustum pretium obligat emptor venditorẽ ad alium; quod est illicitum, (vt dictum est capit 20. dubitat.7.& 8.) sed non vult celebrare vnum contractum sine alio: quod potest licitè facere. potest enim se nolle obligare, vel applicare ad vnum contractum, nisi alter se obliget, vel paratus sit applicare ad alterum.

Secundò, Pactum illud accessorium; est pactum assecurationis: at qui pactum assecurationis aliis contractibus addi potest; ergo etiam contractui census.

Tertiò, Illud pactum habet vim pacti census personalis; atqui census personalis est licitus, vt ostensum est dub.5. ergo etiam illud pactum. quo fit vt totus census emptus tali contractu, sit census mixtus ex reali & personali; vel certè, vt sit census realis cum pacto assecurationis. vt suprà dictum est dubit.4.

67 *Ad rationes.*

Ad Primum Respondeo, Pactum non est ita contra naturam contractus censualis, quasi destruat naturam contractus censualis; sed quia obligat ad aliquid, ad quod nullo modo obligat nudus contractus census realis, idque inducendo nouum contractum, nempe assecurationis vel census personalis. sic pactum retrouenditionis est contra naturam contractus emptionis, & tamen licitè ei additur.

Ad Secundum, Ille contractus non est per se illicitus, quia est emptio agri cum pacto assecurationis fructuum in perpetuum: quod pactum est licitum. si enim fieri potest pactum assecurationis fructuum ad tempus, cur non etiam in perpetuum? Item, si fieri potest tale pactum cum tertio, cur non etiam cum venditore agri?

68 *2. Pactum legis commissoriæ.*

Secundum pactum addi solitum, est, Vt si per biennium vel triennium pensio soluta non fuerit, res censui subiecta cadat in commissam. & in pœnam negligentiæ efficiatur domini census. Hoc pactum continetur implicitè in contractu emphyteusis, cui contractus censualis est aliqua ex parte similis: vnde huic etiam addi posset; præsertim contractui census reseruatiui. In contractu verò consignatiuo addi non potest, nisi ex æquo compensetur, aucto pretio census arbitrio prudentis: quia sicut in pignoribus pœna commissi est excessiua; (non enim par est vt ob non solutum tempore præfixo paruum debitum, amittas pignus aliquod pretiosissimum) & ideò iure prohibita, cap. significante, de pignoribus: ita etiam in rebus censui subiectis, (quæ sunt instar pignoris & hypothecæ) excedit iustum modum, nisi pretio compensetur. tunc enim poterit esse iusta. Posset tamen absque pretij augmento apponi pactum vt si per biennium non soluerit, contractus resoluatur & censuarius cogatur restituere pretium, vt notat Medina q.15.de vsur.dub.vltimo; quia pactum legis commissoriæ tali modo in contractibus est licitum, vt sup.c.21.dubit.15. ostensum est.

69 *Quomodo possit apponi.*

A luerte tamen, si absque culpa factum sit, vt debitor non soluerit pensionem, rem non debere censeri commissam: nam vbi non est culpa, locum non habet pœna. 70

Tertium pactum est, vt debitor census non possit rem illam vendere, non requisito prius illo, qui in ea censum habet, sicut in contractu emphyteutico. hoc pactum, etsi sit præter naturam contractus censualis, tamen non est iniquum. nam si res vendatur viro potenti, vel multis priuilegijs instructo, difficulter obtinebitur solutio pensionum. Vnde puto emptorem posse hoc pactum apponere absque augmento pretij: præsertim cum Pius V. illud inter ceteras conditiones numeret, vt dubitari dicetur. 71 *3. Pactum, vt res non vendatur requisito domino census.*

Quartum est, Vt si debitor rem vendat, teneatur decimam partem pretij dare emptori census. hoc iniquum est, nisi ex æquo compensetur; quia est valde onerosum, & præter naturam contractus censualis. Possent tamen hæc tria vltima pacta locum habere, si prædium illud, vel rem aliam fructiferam (super quam alter censum cupit vendere) iusto pretio emeres, & reseruato tibi dominio directo & censu annuo, dominium vtile in eumdem venditorem transferres cum obligatione pensionis annuæ & decimæ partis soluendæ, si dominium vtile vendi contingeret, ceteriquè pactis; sicut fit in contractu emphyteutico. quia tunc hic esset verè contractus emphyteuticus post emptionem rei. Possent autem hi contractus volente venditore simul fieri. 72 *4. Pactum, de soluendo laudemio.*

Quintum pactum est, Vt non possit redimi per partes. hoc non est illicitum, imò est conforme naturæ contractus. nam in ceteris rebus, dum aliquid venditur cum pacto vt liceat eodem pretio redimere, non censetur venditor habere ius redimendi per partes: id enim posset cedere in graue incommodum emptoris: ergo neque in censibus. vnde nisi expresè conuenerint vt liceat per partes redimere, vel nisi iura aut consuetudines id concedant, (omnis enim contractus censetur celebrari secundum consuetudinem loci, nisi aliud exprimatur) non poterit venditor nolente emptore sic redimere; sed tenebitur redimere totum simul, sicut totum simul vendidit. 73 *5. Pactum, non redimendum per partes.*

DVBITATIO XII.

Quæ conditiones iure positiuo requirantur in emptione censuum.

HActenus explicuimus quænam iure naturæ sint necessaria vt emptio census sit iusta; & ex omnibus hactenus dictis sequitur, nihil aliud esse necessariũ, quàm vt sit æqualitas secundum æstimationem inter censum & pretium, & si aliqua grauamina hinc inde præter naturam cõtractus per pacta accessoria imponantur, ea prudentis arbitrario debitè compensetur. 74 *Quid iure naturæ necessarium.*

Restat igitur vt breuiter explicemus conditiones, quas requirit ius positiuum, maximè Canonicum, seu Pontificium. cum enim ex hoc contractu (propter procliuem ex eo lapsum ad vsuras) facile possit animarum saluti periculum *Conditiones Iurispositiui.*

lum creari, pertinuit ad Summum Pontificem huic occurrere & ſtatuere quæ conditiones ſint in eo ſeruãdæ. Igitur
75 Martinus V. anno 1423. & Calixtus III. anno 1455. in ſuis extrauagantibus, tit. de emptione, varias referunt cõditiones obſeruari ſolitas in Polonia & Germania, quas ad octo reducit Nauarrus comment. de vſuris, nu. 72. quas tamen hi Pontifices non requirunt vt neceſſarias ad iuſtitiam cẽſus; (vt quidam opinati ſunt) ſed dumtaxat affirmant, cenſus eos, qui haſce conditiones haberent, iuſtos eſſe & licitos: de hoc enim conſulti erant. vnde ex hiſce extrauagantibus ſtatui nequit quæ conditiones ad iuſtitiam cenſuum ſint neceſſariæ. Imò Sotus lib. 6. quæſt. 5. art. 1. cenſet nullam illarum eſſe neceſſariam, præter illam iuſti pretij & vt vẽditor ad cenſus redemptionem non cogatur.

Conditiones cenſuũ Martini V. & Calixti III.

Conditiones autem poſitæ ab his Pontificibus ſunt iſtę. Prima eſt, Vt certam rem immobilem & fructiferam deſignet venditor, cui cenſum imponat. Secunda, Vt illa ſola maneat obligata ſolutioni cenſus; non autem ipſius perſona, aut alia bona. Tertia, Vt pretium iuſtum ſoluatur, quod poſſit eſſe 10. 11. 13. vel 14. in ſingula annua; vt plus aut minus ſecundum temporum qualitatem. Quarta, Vt pretium ſtatim ſoluatur pecunia præſenti. Quinta, Vt venditori liberum ſit cenſum eodem pretio redimere, ſiue totum ſimul, ſiue per partes. Sexta, Vt venditor ad redimendum non obligetur. Septima, Vt res, ſuper qua cenſus eſt conſtitutus, pereunte, ipſe quoque pereat. Octaua, Vt penſiones non ſuperent eſtimationem fructuum rei, in qua cenſus eſt conſtitutus. Sed cum Pontifices non dicant has eſſe neceſ
76 ſarias, non poteſt hinc ad propoſitam dubitationem reſpõderi. Itaque Pius V. anno 1569. edita conſtitutione, multas conditiones requirit, & iubet ſeruari in contractu cenſuario, ſine quibus decernit ipſum contractum irritum & fœneratitium habendum. hanc refert & explicat Nauarrus comment. de vſuris, nu. 84. & ſequentibus. & Thomas Boniſignius, tract. de cenſibus capit. 4. & ſequentibus. Sunt autem vniuerſim conditiones 14.

Conditiones Pij V.

77 Prima eſt, Vt cenſus conſtituatur ſuper re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, natura ſua fructifera, & certis finibus deſignata, & nullo modo aliter.

1. Conditio ſuper re immobili.

Vbi Notandum Primò, Tales res cenſeri agros, domos, flumina, ſiluas, montes, portus, ripas, fodinas metallicas & ſimiles, ea quibus emolumentum percipitur. Item cenſum ipſum; habetur enim pro re immobili, (vt expreſſe dicitur Extrau. g Exiui. § Cumque annui reditus, de verb. ſignif.)
In alio cenſu. & fructifera. vnde ſuper ipſum alius cenſus fundari poteſt, vti videmus ſupra cenſus regios & iura vectigalium, alios conſtitui. debet autem ille cenſus, ſuper quo alius fundatur, eſſe irredimibilis: ſi enim eſſet redimibilis, eo redempto periret cenſus in eo fundatus, vel maneret perſonalis. ſi tamen in hoc euentu, venditor, qui ſecundum in primo fundauit, paratus eſſet eum in alia re fructifera collocare; putarem non eſſe illicitum in cenſu redimibili alium cenſum fundare.

Notandum Secundò, Illam rem debere eſſe certis finibus
78 deſignatam, ne ſuper omnia bona præſentia & futura cenſus cõſtituatur. talis enim videtur eſſe perſonalis, eiuſque totum periculum reijci in venditorem, quem Pontifex hic intendit prohibere.

Ex his patet. hic excludi omnes cenſus perſonales, & etiam mixtos, ſiue hypothecam habeant, ſiue non; quia obligatur implicite perſona. vide Nauarrum a num. 85. & deinceps.

Petes, Quid ſi res cenſui ſuppoſita, non poſſit obligari, vt ſi ſit primogenij. iuculo obſtricta, vel aliena.

Reſpon. Si emptor ignorabat rem eſſe talem poteſt exi-
79 gere penſiones, pro eo tempore, quo ignorauit. Ratio eſt; quia venditor celans vitia rei venditæ, tenetur emptori ad intereſſe, L. Iulianus. 13. ff. de actionib. empt. Ita Nauarr. numero 118. Poſtquam autem ſciuerit, non poteſt in poſterum eas exigere. quia cenſus in re non ſubſiſtit: (nemo enim in rem alienam inuito domino, aut vinculatam, Ius alteri vendere poteſt) poteſt tamen eum cogere vt cenſum in alia re æque bona conſtituat, vel vt pretium reſtituat. ſi autem ſciebat vel ſuſpicabatur rem eſſe alienam, non poteſt penſiones exigere. Ita Nauarr. numero 119. Ratio eſt, quia neque ratione contractus cenſualis, vt qui non ſubſistat: (ſicut qui emit boues ab aliquo, ſciens non eſſe ipſius, & eoldem illi locat, non poteſt exigere pretium locationis, quia locatio non ſubſiſtit) neque ratione intereſſe; nam venditor non tenetur ei de euictione: (cum emptor ſciens & volens eam emat) ac proinde nõ eſt ei cauſa ullius intereſſe, vt patet ex L. Si fundum, 27. C. de euictione.

Rei aliena vel vinculata.

80 Secunda conditio eſt, Vt non fiat niſi numerato, & accepto iuſto pretio, inque tempore contractus & coram Notario, & teſtibus. Notandum ex Nauarro numer. 88. in foro conſcientiæ poſſe anticipari ſolutionem pretij; (vt ſi venditor cupiat debitum, quod mihi debet, computare in partem ſortis, vel etiam in totam ſortem) quamuis in foro exteriori id non permitteretur, propter ſuſpicionem fraudis vſurariæ. idem docet Boninſignius cap. 5. nu. 5.

2. Vt pretium numeretur.

81 Tertia eſt. Vt non fiat, nec in pactum deducatur anticipata ſolutio, id eſt, vt venditor non cogatur ſoluere penſionem, niſi pro rata temporis elapſi. ex quo patet, emptorem, dum pretium numerat, non poſſe ex eo detrahere pẽſionem primi anni, per modum anticipatæ ſolutionis, aut elapſa parte temporis exigere amplius quàm penſionem illi parti reſpondentem. hæc conditio etiam iure naturæ eſt neceſſaria; niſi hoc onus alia ratione compenſetur.

3. Vt per ſio non anticipetur.

82 Quarta eſt, Vt conuentiones directè vel indirectè obligantes ad caſus fortuitos, ad quos ex natura contractus non tenetur, non valeant. vt ſi emptor obliget venditorem, vt ipſe (etſi caſu rem ſubiectam vel fructus cõtingeret perire) nihilominus teneatur ſoluere. cum enim in cenſu reali ſolum vendatur Ius ad fructus rei, ſi caſu nulli fructus ſint, nihil ex vi contractus deberur. Si tamen fiat aliqui fructus, hi debentur emptori cenſus; nec dominus rei quidquam ex illis percipere poteſt, niſi integrè emptori ſit ſatisfactum.

4. Pacta de caſu fortuito.

83 Quinta eſt, Vt non fiat pactum reſtringens libertatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam, neque venditor cogatur emptori cenſus ſoluere laudemium; id eſt, quinquageſimã, vel trigeſimam partem pretij illius rei alienatæ. Ratio eſt. quia cum emptor non habeat dominium directum rei, ſed ſolum Ius quoddam ex ea percipiendi aliquos fructus, vel aliquid fructibus illis æquiualens, non poſtulat natura huius contractus, vt res non poſſit liberè vendi: nam obligatio cenſus ſemper illam comitatur, & cum ea tranſit ad alium dominum, ſicut obligatio hypothecæ tranſit cum res hypothecata. vnde ſicut hypothecata libere vendi poteſt a domino, ita & res cenſui ſubiecta. Laudemium autem non debetur niſi domino directo, in huius dominij recognitionem, vt infra c. 24. dub. 8. dicetur.

5. Pactum de non alienando & de laudemio ſoluendo.

84 Sexta eſt, Vt dominus rei cenſuariæ, ſi illam vendere velit, indicet domino cenſus pretium & conditiones, quibus res eſt vendenda; & per menſem expectet, num ipſe velit emere, eumque alijs præferat; nempe ijs, qui antea non habeant ius prælationis, vt notat Nauarrus numer. 127. Hæc conditio poterat omitti; quia non pertinet ad contractum cenſuarium, ſed ad emphyteuticum, vt idem teſtatur num. 92. non tamen deeſt cauſa cur meritò poſſit exigi, vt dictum eſt dubit. 11.

6. Vt offeratur rem domino cenſus, &c.

85 Septima conditio, Vt non fiat pactũ, quo venditor cenſus incidat in vllam pœnam ob moram ſolutionis penſionum; vt in pœnam commiſſi ſeu amiſſionis rei cenſuariæ, aut intereſſe lucri ceſſantis, aut aliquarum expenſarum.

7. Pœna commiſſi, aut intereſſe.

Notandum tamen, ſi ex dilatione ſolutionis damnum emptori, ſeu domino cenſus obuenerit, iure naturali debitorem tenere; ſed hoc non poteſt in pactum deduci ob fraudem vſurariam: poteſt tamen poſtea exigi tamquam debitum. Idem dicendum, ſi emptor aliquas expenſas in ſolutione adipiſcenda coactus fuerit ſubire, idque ex culpa debitoris. Similiter ſi ex mora lucrum ei ceſſet. Hoc tamen iuxta quoſdam, quos ſequitur Molina diſp. 390. intelligendum de lucro intrinſeco; vt ſi tenebatur ſoluere triticum, dum valebat duos aureos, & tanti erat a creditore vendendum. Sicut enim in emptione & venditione, qui eſt in mora, vel rei tradendæ, vel pretij ſoluendi, non tenetur niſi ad intereſſe lucri intrinſeci, non autem extrinſeci; (quale eſt, quod per induſtriam negotiationis; vt tranſportatione in alium locum, percipieretur) vt colligitur L. Si ſtenlis. 21. §. Per venditorem. ff. de actionibus empti; ita nec in contractu cenſuali; quia hic eſt emptio quædam & venditio: & ſolutio penſionum eſt veluti partialis traditio rei emptæ. de quo vide Nauarr. num. 93. 116 & 138.

Intereſſe intrinſecum & extrinſecũ.

Verum etſi hoc in foro externo lucrum habere poſſit; tamen in foro conſcientiæ videtur etiã ad intereſſe extrinſecum,

ſecum, cuius ipſe per moram iniquam eſt vera cauſa, tenerī ſi enim ex eo, quòd ſtatuto tempore mihi non ſoluas tri ticum, contingat mancipia mea mori, quibus ego alia ratione ſuccurrere non potui; cur non tenearis ad eorum æſtimationem? & tamen hoc eſt intereſſe extrinſecum, vt patet ex d. L. Si iteriis, vide ſupra c. 21. nu. 102.

87 *8. Non exigetur penſio nisi debita.*

Octaua conditio eſt. Vt ex penſionibus ceſſis non augeatur cenſus iam conſtitutus. quod intelligē, antequam illæ re ipſa ſolutæ fuerint; ſecùs cum fuerint ſolutę: nam ex pecuniæ numeratæ additione augeri poteſt: ſic enim ab initio eſt conſtitutus Nauarrus num. 94.

Nona eſt. Vt non fiant pacta, quibus cogatur onera aliqua ſoluere is, qui ex natura contractus ad ea non tenebatur; vt ſi conſuetudo ſit, vt emptor aliquid ſolnat fiſco; non poteſt obligari venditor, nec contra. vide Nauarr. nu. 94. & 132.

88 *9. Pactum ne vt extrinſecum.*

Decima eſt, Vt re in totum, vel in partem perempta vel effecta infructuoſa, pro rata pereat cenſus.

89 *10. Re pereunte, perit cenſus.*

Vbi Notandum eſt Primo, Hanc conditionem intelligendam eſſe de re, quæ in perpetuum periit vel infrugifera eſt reddita, ſiue tota, ſiue ex parte: tunc enim tantummodo cēſus perit pro rata. ſi enim ad tempus pars aliqua rei pereat vel infrugifera ſit reddita (vt ſi eam flumen, ripis perfoſſis, occupauit) non perit cenſus ex parte, ſed totus manet. vnde ſi reliqua pars aliquid ferat, ex ea debetur ſolutio integra: ſi enim cēſus totus ita fundatus ſit in agro toto, & pars in parte agri, vt pereunte parte vel in perpetuum reddita infrugifera, pereat cenſus pro rata: hoc tamen non eſt ita accipiendum, quañ re manente ſalua & ad tempus ex parte infrugifera, non debeat pars penſioni illi reſpondens ſolui: quia ſi res ſecundum nullam ſui partē ſit abſolutè in perpetuum infrugifera effecta, manet ſecundum ſe totam, & ſecundum omnes ſui partes obligata pro tota penſione: quod omnium confeſſione verum eſt, quādiu tota res cenſui ſubiecta, manet in dominio vnius.

Si ad tempus ſolum perit vel infrugifera reddatur.

89 *Res diuiſa non diuidit cenſum, ſed obligationes.*

Sed dubium eſt, Si res diuidatur in plures hæredes, vel vendatur pluribus per partes, vtrùm a ſingulis poſſit dominus cenſus exigere totam penſionem? Couarruuias lib. 3. var. cap. 7. nu. 7. negat; quia illæ obligationes ſunt in rebus diuiſis igitur rebus, diuiduntur obligationes.

Sed contrarium eſt verius, vt docet Nauarrus nu. 114. quia conditio creditoris non debet fieri peioris conditionis ex hæredum multiplicatione. Deinde quia nemo vellet tali conditione cenſum emere: quare dicendum eſt obligationem nō diuidi, quamdiu res ſalua manet, ſed totam manere in toto re, & quodammodo in ſingulis partibus; ita vt ex quauis, totam ſolutionem poſſit accipere. & hoc vſus ipſe ſatis comprobat.

90 *Pactum vt penſio ſemper ſit integra, licitum.*

Notandum ſecundò, Non eſſe illicitum paciſci vt ſemper penſio integra ſoluatur, re ſalua manente, etiamſi interdum ob ſterilitatem vel caſu minus ferat, modo tamen talis ſit, vt alias tantundem amplius ferat, ita vt illud alio anno compenſetur.

91 *Res tota, nō eſt ſubiecta.*

Notandum Tertiò, Si dolo aut culpa cenſuarij res deſtruatur teneri eum reddere pretium cenſus, aut illum ſuper alia re immobili conſtituere. quòd ſi res deſtructa (v. g. tomus, molendinum) inſtauretur, non eſt ipſa cenſui ſubiecta, niſi de nouo ei ſupponatur; quia eſt diſtincta a priore. Ita Nauarr. nu. 118. In hoc tamen eſt ſpectanda conſuetudo loci; quia multis locis vſus eſt contrarius.

92 *11. Redimendi eodem pretio.*

Vndecima conditio eſt, Vt ſemper eodem pretio, quo emptus eſt, poſſit redimi, nec fiant vlla pacta, quibus directe, vel indirectè talis facultas adimatur.

Notandum eſt Primò. Hic reijci cenſus irredimibiles, non quidem omnes, (iuxta Nauar. numero 98) ſed eos, qui non emuntur multo pluris quàm redimibiles; hi enim ſunt iniqui, qui verò iuſto pretio emuntur, cum per totum orbem Chriſtianum ſint receptiſſimi, per iuſtam ſtipulationem poſſunt excipi, vt ibidem rectè docet Nauarrus. non enim credibile eſt Pontificem tam generalibus verbis, tam obiter, cenſus tam receptos velle tollere, præſertim cum in illis ceſſet omnis præſumptio vſuræ. Reijciuntur etiam cenſus temporales, (v. g. ad decennium) quibus adijcitur pactum, vt ſi intra certum tempus non redimantur, fiant irredimibiles. Ita Bonifignius cap. 14. num. 9.

Non prohibētur irredimibiles.

93 *Non per partes, præſertim minutas.*

Notandum Secundò, Non teneri emptorem permittere venditori, vt cēlum per minutas partes redimat, quamuis id in cenſibus Martini V. & Calixti III. conceſſum eſſet, nec enim Pontifex non requirat hoc loco, & meritò: quia id poſſet eſſe valdè incommodum emptori: qui ſi integrā ſummā perciperet, vel bonam eius partem, poſſet prædiū vel aliam rem fructiferam comparare. Ita Thomas Bonifignius c. 14. nu. 11. quare poſſet in pactum deduci vt non redimat, niſi totum ſimul vel notabilem partem.

12. Vt moneat emptorem, &c.

Duodecima eſt, Vt venditor volens redimere cenſum, moneat emptorem ante bimeſtre, & poſt denuntiationem poterit cogi intra annum vt redimat; elapſo anno non poterit cogi.

94 *13. Non poſſe repeti ſortē.*

Decimatertia eſt, Vt emptor non poſſit ab inuito vendi tore pretium repetere. ex hac conditione ſequitur, omnes cenſus eſſe perpetuos, ſeu irredimibiles ex parte ementis, quamuis ex parte vendentis ſemper ſit libera redimendi facultas: niſi ſit cenſus irredimibilis iuſto pretio comparatus, vt dictum eſt conditione 11.

95 *14. Vt pretiū non augeatur.*

Decimaquarta conditio eſt, Vt pretium cenſus ſemel conſtitutum non poſſit augeri vel minui ob temporis vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens. hoc intellige, non poſſe fieri in grauamen vendentis. hic enim ſemper eodem pretio poterit cenſum extinguere, quo vendidit. Verum autem alteri, maiori vel minori pretio, quàm initio emptus fuerit, poſſit vendi, dictum eſt ſupra dubitat 7.

96 *Circa Bullā ſi ſtrumdā.*

Circa has conditiones Notandum Primò. Eas non extendi ad contractus ante Bullam factos, ſed ſolum poſt illam faciendos. Secundò, Solum extendi ad eos contractus, qui fiunt per modum emptionis & venditionis, in quibus dato pretio, cenſus conſtituitur; non autem ad eos, qui fiunt per contractum donationis, aut dotis conſtituendæ, aut per viam legati, fideicommiſſi, vel alterius vltimæ voluntatis. vt notāt Bonifignius ſupra cap. 18 & Nauarr. num. 98.

97 *Vſura Iuris humani non datur.*

Tertiò, Contractus ſub alia forma in poſterum celebrandos, à Pontifice iudicari fœneratitios, quod intelligē, ſaltem quoad præſumptionem fori externi: nam ex parte rei fieri poteſt vt non ſint fœneratitij. Quidam ex dictis verbis colligunt, dari vſuram Iuris humani. vt datur ſimonia Iuris humani. Ita Bonifignius, cap. 7. ratio eſt; quia poteſt Pōtifex abſolutè prohibere formam aliquam contractus, in qua eſt ſpecies quædam ſeu ſimilitudo vſuræ. & efficere vt ille contractus ſit neceſſariò vitandus ob periculum vſuræ, ita vt ſi quis poſt talē prohibitionē non timet, committit peccatum vſuræ. Sed contrarium eſt verius. Ratio eſt, quia vſura non eſt, niſi vbi ex parte rei eſt inæqualitas contra Iuſtitiam: ſed fieri poteſt, vt in contractibus aliter celebratis, quàm hæc Bulla poſtulat, nulla ſit inæqualitas Iuſtitiæ contraria, (vt ſi debitum liquidum conuertatur in cenſum: ſi non fiat coram notario. & teſtibus, &c.) ac proinde vt nulla ſit vſura. De ſimonia eſt alia ratio; quia dum aliquis contractus prohibetur ob reuerentiam rerum ſacrarum, committitur peccatū irreligioſitatis, ſi quis illum attentet. ſed de hoc alibi.

Quartò, Quidquid expreſsè vel tacitè contra has conditiones dari, remitti, aut diuitti contigerit, a Fiſco nūdi cari poſſe. Ita habet Bulla.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm hæ conditiones obligent vbique.

98 *Non obligat vbi non eſt promulgata.*

RESPONDEO, & dico Primò. Has conditiones in Bullæ non obligare, vbi illa non eſt promulgata vel recepta. Probatur Primò, Quia probabile eſt non ſolum leges Imperatorias, ſed etiam Pontificias non obligare nec habere, niſi ſint promulgatæ in Prouincia, vt oſtenſum eſt 1. 2. quæſt. 90. articul. 4. Secundò, Quidquid ſit de aliis quibuſdam conſtitutionibus Pontificijs, non eſt credibile ſuam Sanctitatem velle, vt hæc Bulla, quæ tot nouas & iure naturali minimè requiſitas conditiones continet, circa contractum ciuilem obſeruandas, in alijs Prouincijs vim habeat ante promulgationem in iiſdem factā, nam ex contrario ſequerentur grauiſſima incommoda: infiniti enim cōtractus bona fide celebrati, eſſent irriti, cum maximo plurimorum damno. tenerentur enim plurimi, omnes penſiones receptas computare in ſortem: & multi amiſſa ſorte deberent etiam aliquas penſiones refundere.

(idque

(idque absque vlla sua culpa) qui tamen cum parvo vel maiore lucro eam in rem fructiferam vel negotiationem iam impendissent, si contractum censualem irritum esse putassent. neque enim ex sola promulgatione Romæ facta passim potuit innotescere noua illa ordinatio, sed paucissimis tantum: atqui ratio postulat legem eo modo promulgari, vt commodè & humano more possit innotescere omnibus, ne (quantum est ex parte legislatoris) subditi damnum incurrant ex ignorantia; neque se iuste possint excusare, si non obseruent. Tertiò, Quia etiamsi lex sit promulgata, si tamen ipso vsu & moribus vtentium nõ recipiatur, nec Superiores inficent, & curent executioni mandari, non obligat. vt docet Nauar. l. 1. con. fil. 5. tit. de constitutionibus, & in Enchirid. c. 23. n. 42. & Couar. lib. 2. var. c. 16. n. 6. vel certè definit posse decennium obligare. decreta enim Concilij generalis, quæ per decennium in aliqua Prouincia nõ sunt recepta, amittunt vim suam, & desinunt obligare, vt idem docet lib. 3. consil. 83. tit. de Regularibus. Sed de his plura suo loco.

99 *Non obligat in Belgio. Nec in Sicilia.* Ex his sequitur, has conditiones non obligare in Belgio; tum quia nunquam hic promulgatæ; tum quia contrarius vsus semper preualuit. Idem credo de Gallia & Germania. Addo nec in Regno Siciliæ vim habere. ibi. n. concessum est primum a Nicolao V. deinde a Greg. XIII. vt cum tribus conditionibus possint census emere quarum Prima est, vt constituatur super re aliqua certa, vna vel pluribus, & posset addi generalis obligatio omnium bonorum. Secunda est, vt venditor possit redimere quãdo voluerit. Tertia, vt census non excedat decimam partem sortis, seu pretij. habentur hęc in Bullario nuper edito a Greg. XIII. vnde patet non vbique censendos esse vsurarios omnes census aliter constitutos, quàm in Bulla Pij V. præscribitur.

100 Dico Secundò, Vbi Bulla Pij V. est promulgata & recepta, est omnino seruanda in foro conscientiæ; idque eatenus quatenus recepta est. omnis enim lex iusta & recepta obligat in conscientia. hæc autem talis est: ergo. quòd si ex parte solũ recepta sit, prout visum fuit expedire bono publico regni, etiam ex parte diminuat vim obligandi habet. sed de hoc vide Nau. de vsuris. num. 106. & 107.

101 *Vbi nulla est certa lex vel consuetudo.* Dico Tertiò, Vbi hæc Bulla non est recepta, seruandæ sunt leges & consuetudines ibidem vsitatæ; quæ tamen legi diuinæ vel naturali non repugnent. vbi autem nulla esset certa consuetudo habens vim legis, satis est seruare legem naturalem, quæ tantummodo requirit æqualitatem inter censum & pretium.

DVBITATIO XIV.

Quomodo constituendum sit iustum pretium censuum?

102 *Iustum pretium.* RESPONDEO Illud optimè constitui ex proportione pretij rerum fructiferarum, vt agrorum, domorum, siluarum. quo enim pretio emi potest res frugifera, quæ deductis expensis quotannis reddat 100. aureos: eodem, & etiam minore, iustè potest comparari census realis irredimibilis tantumdem pendens. ratio est, quia amplius est habere plenum rei dominium, quàm solum ius percipiendi tantumdem fructuum, quantum res illa solita est ferre. quòd si census irredimibilis eo pretio emi potest; multo minore poterit census redimibilis, etiam personalis, quia longè minoris æstimatur quàm irredimibilis realis; imò sæpè non pluris quam redimibilis realis, in bono fundo constitutus. Considerandum etiam est, vtrùm in ea Prouincia multum vigeat negotiatio. hæc enim facit pecuniam præsentem pluris æstimari. & census minoris, denique firme copia an inopia pecuniæ: nam inopia pecuniæ facit census vilescere; vt experientia superiorum annorum in Belgio docuit.

103 *Pretium irredimibilis.* Ex his fit vt pretia censuum pro varietate temporum & locorum sint varia: nam pretium census irredimibilis in Hispania est 28 29. vel 30. aureorum in singulos, vt testantur Medina & Nauarrus. cum enim pretium huius non sit lege præscriptum, est variumque & aliarum rerum, quæ pretio vulgi venduntur. vnde fit, vt nunc infimo, nunc medio, nunc summo vendantur.

104 *Pretium redimibilis.* Pretium verò census realis redimibilis est lege taxatũ, estque 14. in singula. In Sicilia tamen huius pretium est solum 10. in singula, quod approbauit Nicolaus V. & Greg. XIII. pro Sicilia. Sixtus quoque III. & Martinus V. idem approbarunt in censibus realibus pro Polonia & Germania, quando pro varia temporum conditione talis est consuetudo vel æstimatio, vt patet ex illorum extrauag. Aliquando est 11. vel 13. vt patet ibidem. Hinc patet, non debere iniquam videri emptionem censuum personalium cum hypotheca, pretio 16. aureorum in singulos: nam hi census, vt experientia docet, ordinarie non sunt securiores quàm census reales, qui tamen multo minoris emi possunt. Deinde eo pretio ferè potest emi prædium, quod tantumdẽ reddat. Denique quia ita viget negotiatio, vt multi parũ curent census personales: nã facilè tantumdem & amplius lucrari possunt per tres contractus in societate mercatorum, idque absque vlla molestia. Census irredimibiles in Belgio non habent pretium legitimum, nec possunt de nouo creari, vt patet ex constitutione Caroli V. anno 1528. Bruxellæ facta. reseruatis tamen vendi possunt pretio 25. in singula, vel etiam minoris.

105 *Pretium in Belgio.*

DVBITATIO XV.

Vtrùm si census emptus fuerit minoris iusto, pensiones sint restituendæ, quatenus superant pretium datum.

106 QVIDAM docent pensiones restituendas: vt si census valentem 15. aureis in singulos, emeris 10. restituendam esse tertiam pẽsionum perceptarum partem, iuxta ea, quæ dicta sunt cap. 21. dubit. 13.

Si pretium constitutum cum clausula irritante. Sed vtendum est distinctione, si enim pretium census est lege constitutum, cum clausula irritante contractum; tunc necessario sunt restituendæ pensiones, quæ parte excedunt iustum pretium. ratio est, quia contractus, qua parte census superat pretium, est irritus; ac proinde non subest vllus titulus, quo recipiatur ille excessus pensionum. itaque qui censum valentem 15. emit 10. debet restituere trientem, id est, tertiam pensionum partem. poterit tamen duas tertias retinere, quia respectu illarum pretium est iustum; ac proinde contractus validus. non enim lex irritare intendit contractum illum, nisi qua parte pensiones superant pretium iustum. si verò pretium non sit lege cõstitutum, vel saltem non cum clausula irritante tunc dubiũ est.

107 Quidam enim putant nihilominus excessum illum pensionum restituendum; iuxta ea, quæ dicta sunt c. 21. dubit. 13. de fructibus restituendis; quæ sententia est probabilis, ob rationes ibi allatas. Contrariam tamen puto veriorem, Nempè nihil ex pensionibus esse restituendum: sed tantum pretium esse supplendum, & interesse (si quod ex carentia iusti pretij obuenit venditori) compensandum. Ita Ioannes Medina q. 15. dubit. 4. §. Sed pone. Probatur, quia venditor non est fraudatus ex eo, quod emptor pensiones percepерit (vt quæ ipsi erãt debitæ ex valido contractu) sed quòd iustum pretium non fuerit ei persolutum, confirmatur, si quis emeret agru minoris iusto, non teneretur fructus agri reddere, sed pretium supplere & sarcire damnum, si quod ex defectu iusti pretij secutum sit: atqui pensiones sunt veluti fructus census. ergo, &c.

Supplendum pretium & interesse.

Dices. Qui emit censum valentem 15. pro 10. non efficitur dominus nisi dodrantis, id est, duarum tertiarum census, cum pro reliqua tertia nullum pretium dederit, vel promiserit. ergo pensiones illius tertiæ retinere non potest.

Respondeo negando antecedens. fit enim dominus totius census, nam venditor totum intendit in emptorem transferre, & emptor totum emere & pro toto pretium dare: sed quia pretium non fuit æquale tribus trientibus, sed duobus tantum; manet obligatus vt suppleat quod deest pretio. pro reliquo.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

De Cambijs.

Complectitur Dubitationes 11.

CAMBIVM magnam habet affinitatem cum contractu emptionis, ideo proximè post emptionè & venditionem, & post contractum censuarium (qui est species emptionis) dicendum est de cambijs.

DVBITATIO I.

Quid sit cambium & quotuplex.

NOTANDVM est, *Cambium* generatim idem esse quod permutationem. *cambire* enim est permutare. sed ex vsu vulgato solum accipitur pro permutatione numismatum. & hoc modo hic loquimur de cambio. soletque sic definiri, *Cambium est permutatio pecuniæ propecuniam.* Nomine *permutationis* generatim significatur omnis contractus oneroſus: nam in his omnibus est quædam commutatio, vt patet in emptione, mutuo, locatione & similibus. verum in proposito *permutatio* accipitur propriè, vt distinguitur à contractibus nominatis; vt nihil sit aliud quàm vtro citroque datio rei pro re, vel pecuniæ pro pecunia; hoc modo est genus ad cambium, & ad permutationem rerum.

1 *Cambium quid.*

Permutatio.

2 *Mutuum differt a cambio.*

Per hanc partem excluditur mutuum à ratione cambij. *mutuum* enim propriè non est permutatio, quia non est vtro citroque datio seu traditio; perficitur enim traditione solius rei, quæ mutuo datur, nec includit redditionem æquiualentis, sed solum obligationem, vt post temporis interuallum reddatur æquiualens eiusdem speciei; *permutatio* verò vtrimque requirit traditionem; nequè censetur perfecta secundum suam propriam rationem, nisi vtrimque secuta sit traditio. vnde non solum res, quæ prior datur, sed etiam quæ rependitur, dicitur permutari. Deinde non postulat vt vllum intercedat temporis interuallum inter dationem & redditionem, sicut mutuum: nisi interdum per accidens ratione rerum, quæ permutantur: nam fieri potest, vt permutetur res præsens cum ea, quæ multum distat, cuius non potest statim fieri traditio. Imò res, quæ existit, potest permutari cum futura, vt triticum præsens cum eo, quod in messe fuerit collectum; vt rectè docet Nauarrus cap. 17. nu. 187. si enim talia possunt emi & vendi, cur non etiam permutari? cum contractus permutationis similis sit emptioni & venditioni; vt habetur L. 1. & 2. ff. de rerum permutatione. vnde non rectè dicit Sotus lib. 6. quæst. 12. art. 2. & alibi ad rationem permutationis requiri vtriusque rei existentiam, & vt is, qui recipit, in promptu habeat vt reddat. id enim nullo iure, nullaue ratione sequitur: vt contra eumdem docet Nauarrus supra. verum tamen est contractum permutationis non fore completũ in sua ratione, nisi res, quę reddenda est, existat, & præterea nisi sit tradita. licitum tamen est facere pactum & inchoare ipsam permutationem, tradendo rem præsentem, etiamsi altera nondum sit. Si tamen neutra existat, non potest quidem inchoari permutatio, cum nulla possit fieri traditio. potest tamen fieri conuentio de permutando, vt patet ex L. 1. ff. de rerum permutatione; hæc enim perficitur consensu.

3 *Res existens cũ non existente & futura potest permutari.*

4 *Cambium refertur ad varios contractus.*

Petes, Ad quam speciem contractus pertinet *cambium?*

Respondeo, Posse referri ad varios. Primò enim ex vi nominis pertinet ad contractum *permutationis*, tamquam eius species, vt dictum est, siue permutentur pecuniæ diuersorum generum, siue diuersorum locorum, nempè præsens cum absente. Secundò, Pertinere potest ad contractum *emptionis & venditionis*. Ita Caietanus opusc. de cambijs c. 7. quod habetur tit. 2. tract. 7. Syluester Vsura 4. quæst. 8. Bonifignius tract. de cambijs cap. 6. num. 7. quod maximè consentaneũ est vsui mercatorum; qui pecuniam absentem spectant tamquam mercem, eamq; præsenti pecunia tamquam pretio emunt & vendunt: nã pecunia non solum est pretium & mensura rerum venalium; sed etiam potest esse merx venalis; tum ratione materiæ, quæ melior vel deterior est; tam ratione commoditatis conseruandi, deferendi, numerandi; tum ratione distantiæ localis, vt infra patebit. Tertiò, Ad contractum *locationis & conductionis operarum*; præsertim si loquamur de cambio, in quo campsor accipit prior, vt alibi reddat: nunc enim censetur pecuniam alterius ex hoc loco in alium traijcere; quæ opera est pretio digna. dum verò hic dat vt alibi accipiat; non ita propriè traijcit alterius pecuniam, sed permutat præsentem cum absente, quæ minoris æstimatur; quia vt præsens fiat, traijci debet. Quartò, Referri potest ad contractum *innominatum*, do vt des. Ita Nauarrus cap. 17. nu. 194. sed parum refert ad quod genus contractus pertineat, modo seruetur æqualitas inter datum & acceptum, vt rectè docet idem Nauarrus.

Pecunia non est merx.

5 *Diuisio cambij.*

Diuiditur autem à DD. *cambium* in *reale*, & *siccum*. *Cambium siccum* vocatur, quod non est verum cambium, sed fingitur esse, eo quòd imaginem quamdam cãbij præseferat; vt quando habetur sola ratio temporis; aut quando fingitur alibi solutio facienda, & fit eodem loco cum usura. dicitur *siccum*, quia caret humore, seu iusto titulo ad pariendum lucrum.

Siccum.

6 *Reale.*

Reale est legitima permutatio pecuniarum, ex qua iustè aliquid lucri capi potest. Hoc subdiuiditur in *minutum* & *locale*. *Minutum* est permutatio numismatum diuersæ rationis & speciei; vt aureorum cum argenteis, argenteorum cum æreis, maiorum cum minoribus, arrosorum cùm integris, ueterorum cum legitimis, antiquorum cum nouis, patriorum cum externis.

Minutum.

Locale.

Locale cambium (quod etiam vocatur *cambium per literas*) est quando permutatur pecunia præsens cum absente.

DVBITATIO II.

Vtrùm in cambio minuto liceat aliquid accipere supra valorem nummi lege definitum.

Vt si aureus nummus lege taxatus sit 110. grossis; vtrum liceat exigere 112. vel 113. dum aurei nummi commutantur cum minutis argenteis?

7 *Varij tituli lucrandi in cambio minuto.*

RESPONDEO, Posse interuenire varias causas, ob quas sit licitum.

1. *Lucri cessantis causa.*

Primò, Ratione lucri cessantis tantum potes exigere supra valorem legitimum, quanti æstimabitur illa spes lucri, qua te per cambium priuas; vt si constitueras nummos aureos alio deferre, vbi pluris valent; vel alibi merces emere, vbi sine damno alia moneta emere nequis. Nec obstat quòd pretium lege taxatũ consistat in indiuisibili, quia illud incrementum non accipitur pro nummo ipso præcisè considerato, sed pro lucro ex eo sperato. Eodem modo licitum est accipere supra pretium legitimum frumenti, vini, & aliarum rerum, si aliò, vbi pluris valent, delaturus eras. vt supra dictum est.

8 2. *Ratione officij cambiendi.*

Secundò, Ratione officij cambiendi, præsertim si id alicui a Repub. vel Principe sit concessum. hoc enim officiũ includit obligationem cambiendi, & multa onera, (vt paratam habere pecuniam varij generis in gratiam aliorum, numerare cum aliquis petierit, custodire assiduè cum solicitudine) quæ sunt pretio æstimabilia. Itaque pro hac obligatione & his obsequijs, quæ in commodum aliorum præstat, potest a singulis aliquid exigere, (si aliunde stipendium non habet) nempè quantum necesse est, vt tale officium ex æquo compensetur, sicut dictum est de monte pietatis c. 20 dub. penult. vide Conradum quæst. 99. concluſ. 4. Ratione huius tituli non solùm potest aliquid lucrari

crari, dum monetam magnam cambit pro parua, vel auream pro argentea, sed etiam dum minutam pro magna, siue aurea, siue argentea, cõmutat: nã vtrũque fit in gratiam eius, qui permutationem petit, & ob vtrumque officium suscipitur & varia pecunia procuratur.

9 *An sine authoritate Principis.*

Dixi, *Præsertim si a principe hoc officium sit concessum*, quia quidam putant nihil posse accipere cum, qui sponte sua absq; tali auctoritate hoc officium sumit. Verùm si hic eadem obsequia præstet, non video cur non possit aliquid exigere; etsi non tantum, quantum illi qui id ex obligatione faciunt. nam obsequia illa in gratiam eorum, qui petituri sunt, præstita, aliquam meretur. & ita tenet Nauarrus cap. 17. num. 288.

10 *Ratione laboris numerandi.*

Tertiò, Ratione laboris numerandi pecuniam. Caietanus tract. de cambijs cap. 1. putat ratione huius tituli nihil posse accipi: tum quia nõ est pretio æstimabilis: tum quia si pretio æstimare quis velit, compensatur labore alterius qui pecuniam etiam numerare debet.

Verùm communis sententia DD. est, ob hunc titulum posse aliquid exigi: etsi parum. ita Conradus q. 99 conclu. 5. Nauarr. supra Sotus lib. 6. qu. 9. art. vnico. ratio est, quia hic labor est pretio æstimabilis, etsi interdum gratis præstari soleat; quare cum fit ad petentionem alterius, poterit pro eo exigi compensatio: ab eo enim, qui petit aliquid in suum commodum præstari, potest merces repeti. vnde etiam in mutuo aliquid ratione huius laboris accipi potest. Neque verum est, numerationem vnius compensari per numerationem alterius; quia vtraque fit in gratiam eius, qui cambium petit; sicut in mutuo: nam secunda est propter primam; prima autem est propter præsentem: ergo & secunda censetur esse propter eundem.

11 *Ratione materiæ.*

Quarto, Ratione puritatis materiæ. Medina quæst. 7. de vsura, negat hoc titulo posse aliquid accipi a caploribus: ratio ipsius est, quia in taxando pretio Princeps habuit rationem puritatis materiæ, ac proinde non potest ob hanc causam pluris æstimari.

Sed contrarium tenent Caietanus de cambijs cap. 6. Sotus & Nauar. supra, & alij. Probatur, Quia scutum auri purissimi, cui nihil alieni metalli est admixtum, etsi non sit maioris taxæ legalis, quàm scutum auri impurioris; est tamen maioris pretij vulgaris, ratione materiæ; communi enim hominum iudicio pluris æstimatur, quia materiæ æstimabilis (nempe auri) plus habet: ergo instar mercis pluris potest vendi, & commutari. sic antiqui ducati duplices pluris æstimantur quàm noui, etiamsi lege idem pretium habeant. itaque licet veteres commutare nouis cum tanto auctario, quanto est plus auri in illis quàm in his.

Resp. ad rationem Medinæ.

Ad rationem Medinæ Respondeo, Principis mentem non esse, quin huiusmodi nummi puriores, si tamquam res commutentur cum impurioribus, possint ratione materiæ pluris æstimari; (id enim esset irrationabile, ac proinde non obligaret subditos in conscientia) sed tantum præscribere pretium eorum, quatenus sunt mensura rerum venalium & solutionis debitorum; vt infra magis declarabitur.

12 *Ratione vtilitatis commoditatum.*

Quintò. Ratione commoditatis conseruandi, transferendi, numerandi, & vbique negotiandi. hunc etiam negat Medina & quidam alij Doctores. Primò, Quia Princeps in pretio taxando, huius commoditatis rationem habuit. Secũdò, Sicut moneta magna & aurea habet sua commoda, ita etiam minuta.

Sed contrarium tenent Doctores citati; & meritò; quis enim non pluris æstimet 1000. coronatos in auro, quam in pecunia minuta argentea? itaque in his permutãdis potest hæc commoditas, qua se quis priuat, æstimari. nihil tamen amplius peti potest ratione commodi, quod alteri inde prouenit; vt rectè notat Caietanus.

13 *Resp. ad rationes Medinæ.*

Ad primam rationem Respõdeo Primò, Principem extenus habuisse rationem huius commoditatis, quatenus maius pretium illis nummis imposuit, quam tantundem auri in minutissimas partes distributum haberet. eo tamen pretio imposito, adhuc pluris æstimatur, quàm pretium illud in minuta pecunia, neque id Princeps tollere potest, (quamuis possit prohibere commutationem) quia est conditio consequens rei naturam.

14 *Quo modo taxatio Principis sit lex.*

Respondeo Secundo, Principẽ non intendere illos nummos taxare secundũ omnem rationem; & ad omnẽ vsum quẽ habere possunt; sed solum, vt sunt mensura rerum venalium, & solutionis debitorum. duplicitèr enim nummi considerari possunt. Primò. Formaliter vt nummi, seu vt sunt mensura rerum vendibilium; qui est vsus earum primarius. sic non pluris valent quàm lege Principis sunt taxati, vel saltem quàm vulgo in emptionibus & solutionibus debitorum solent exponi. quod addo, quia sæpe fit vt formalis æstimatio nummorum crescat supra taxam legalem, ex appretiatione & vsu vulgi, Principe non contradicente; idque ob materiæ puritatẽ vel pondus, vel quia in locis vicinis pluris æstimantur: & tunc possunt passim in contractibus eo pretio exponi, quia illud censetur legitimum. Secundò, Materialiter, seu ratione conditionum; quas habent ex materia vel figura, vt ratione puritatis vel copiæ materiæ vel raritatis, vel antiquitatis, vel commoditatis; hæc enim omnia censentur conditiones materiales. nam etiam ipsa imago est quid materiale in nummo, qua nummus est secundum hanc rationem habent vsum secũdarium, & fiunt res vendibiles & permutabiles cum alijs nummis. nec sunt taxati lege, sed habent vulgarem æstimationem, quæ non cõstituit in indiuisibili sicut legitima, sed cõstat suis gradibus pretij infimi, medij, summi. vnde possunt vendi & permutari cum aliquo lucro, iuxta receptam locorum consuetudinem. ita docent Caietan. c. 1 & 6. Cõradus, Sotus, & Nauarr. supra, & alij passim. Nemo tamen in solutionem debitorum tenetur eos acceptare, nisi secũdùm æstimationem legalem, seu eam, quã habent vt nummi ad vsum primarium.

Epis. si intelligentia. Nummi ut plures censentur. Interdũ pecunia interdum ex fert vulgi æstimationem.

Ad secundam rationem. Monetæ paruæ etiam sua commoda habent; sed exigua copia cuique sufficit, quæ facillimè potest haberi; nemo enim quærit ingentes aceruos minutarum vel fluxorum. secus de magna, cuius summa copia quæritur.

15 *Ratione raritatis.*

Sextò, Ratione antiquitatis vel raritatis. hæc enim cõditio facit nummos pluris æstimari, quàm alioquin valerẽt.

16

Septimò, Ratione vsus seu expendibilitatis, vt ait Caietanus, vt si in aliquo loco cõmunes nummos, qui possunt ibi expendi, cum ijs, qui non possunt. cum enim non habeant ibidem pretium vt nummi, sed solùm vt aurum vel argentum; possunt notabiliter minoris emi, quam valeant in sua Prouincia.

17 *Ad ferès publicè & priuatim.*

Petes, Quid si lege publica cautum sit ne quis præter publicos campsores tale cambium faciat: tenebiturne ad restitutionem qui contra fecerit? Sotus supra putat teneri.

Sed verius est non teneri: nõ enim tenetur Respub. cum nihil damni huic sit illatum: neque etiam ei, qui cum cambium fecit, quia nulla ei facta est iniuria, cum non plus ab eo sit acceptum, quam communi campsorum iudicio nũmi in tali permutatione soleant æstimari.

18 *Famulus pecuniam soluendam ei alia commutans.*

Ex dictis sequitur, si tradam famulo vel negotiorum gestori mille aureos in auro, vt soluat meo creditori, non curans qua specie id fiat, & ille eam commutet contra monetam argenteam cum lucro, eaq; soluat creditori retento lucro; nõ teneri ad restitutionem illius lucri. ratio est, quia illud lucrum est fructus industriæ, prouenientis ex negotiatione pecuniaria, famuli industria & periculo facta; ac proinde nec mihi domino pecuniæ debetur; (sicut cũ fur vel vsurarius negotiatur alienа pecunia, non tenetur domino pecuniæ ad lucri restitutionem) nec etiam meo creditori; quia hæc species illi non erat debita, & illi integrè alia specie est satisfactum. Si tamen mens mea erat, vt illam pecuniæ speciem meo creditori traderet, eò quòd cuperem illi gratificari, & dare occasionem illi lucrandi; tunc distinguendum est, vel enim creditor illa specie erat lucraturus, vel non erat. si erat lucraturus, tunc tamulus tenetur ei de lucro cessante, quanti illa spes lucri æstimabitur, quia hæc species ei erat debita, quam non soluendo, est ei causa iniusta amissionis lucri. si autem non erat lucraturus. sed pretio communi expositurus, ad nihil tenetur, quia etsi iniuriam fecit, speciem debitam non soluens; tamen nihil damni intulit. Sed de his plura supra cap. 20. dubitat. 18. & 19.

DVBI-

DVBITATIO III.

Vtrùm in cambio locali, quando campsor prior accipit, vt alibi restituat, possit aliquid lucrari, & quo titulo.

19 RESPONDEO, posse aliquid lucrari, idque variis titulis, est communis sententia DD. Gabrielis d. 15. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Conradi q. 99. Cajetan. cap. 6. Medinæ qu. 2. de vsura. Navarr. c. 17. nu. 239. Sotti l. 6. qu. 10. art. 1. & aliorum.

1. Titulus. Translationis pecuniæ. Primò, Titulo translationis pecuniæ; trajicit enim pecuniam, quam hic habes, in locum, vbi optas eam esse, v. g. Antuerpiæ Hispalim; quæ operam gratiam alterius præstita, est pretio æstimabilis. Nec obstat, quod re ipsa non transferat; quia id quasi transferre faciendo tu, quod æquivalet reali translationi. Nec etiam vllus communis loquendi habet, vt talis pecuniæ dicatur trajici & transponi, itaque cum æquivalenter eam trajiciat vt alibi tantum commodi præstet, quantum si re ipsa transferret, merito potest pro illo obsequio pretium exigere. Sic enim tu, qui certo pretio pactus es 100. aureos in locum remotum transferre; etsi inueniat homo, cui accepta hic illa pecunia, paratus sit tantumdem ibi gratis numerare; nihilominus potest accipere pretium translationis, perinde ac si re ipsa transtulisset, quia sua industria præstitit id, quo æquivalet translatum. Nec refert, quod sine incommodo vllo vel labore hoc fecerit; quia id ipsius industriæ vel bonæ fortunæ adscribendum. Item dicendum de campsoribus.

Notandum tamen, campsores non posse tantum exigere pro hac vera translatione, quantum si re ipsa transferrent; sed solum quantum ex ipsos bona fide pro tali obsequio est constitutum: quod ordinarie est multo minus, quia facilitas operæ & commoditas, quam percipis, quando præstat, multum detrahit de pretio. Secundum communem hominum æstimationem. Sicut enim aliarum rerum pretium ex communi rerum æstimatione, consideratis omnibus circumstantijs pendet; ita etiam huius operæ, quam ipsi præstant.

21 Quantum hoc nomine possint exigere.

Obiectio. Dices Primò, Is, qui dat hic suam pecuniam campsori vt eam recipiat Hispali, non intendit conducere operam campsoris, sed solum permutare pecuniam, quam hic habet, cum ea, quam campsor habet Hispali: ergo hic tutius est fœnus. Confirmatur, quia transit dominium suæ pecuniæ in campsorem: ergo non conducit operam campsoris ad illius trajectionem. Non enim conducit operam campsoris ad illiusmet pecuniam transferendam.

22 Resp. Respondeo Primò, Negando antecedens: quòd enim intendat operam eius conducere, patet ex forma loquendi; petit enim pecuniam suam, quam campsori tradit, transponi seu trajici Hispalim. Deinde etsi forte non semper expresse intendat operam conducere, tamen id implicite & virtute facit, cum tradit pecuniam campsori, cum obligatione vt Hispali tantumdem reddat. hoc enim campsor non potest facere, nisi per realem vel æquipollentem translationem procurare eam vt reddatur Hispali centum aureos accepti Antuerpiæ, secundum communem hominum æstimationem, et eos vi tutæ & æqualiter transferre; quæ tandem commodum præstatur. Denique etiamsi concederemus illum solum intendere permutare; tamen campsor potest suam pecuniam, quam Hispali habet, pluris æstimare, quatenus per illam virtute potest transferre pecuniam, quæ alijs locis est, Hispalim: seu quatenus illi pecuniæ inest ea conditio, quæ pecunijs, quas hic accipit, non inest; nempè esse Hispali, pro qua conditione vt iulit, dari pretium solet: nam pretio æstimabile est, quòd pecuniam, quam habes Antuerpiæ, possis recipere Hispali, vbi eam optas esse. Et ita si quis attentè consideret, semper implicite videtur contineri in hoc contractu operarum locatio ad pecuniam transferendam.

23 Transfertur dominium permissivè. Ad confirmationem. Non transfertur dominium præcise ex vi huius contractus, sed tantum permissiuè: quia potest campsor illud nolle admittere, integro permanente campsorio contractu. quia tamen is, qui pecuniam tradit, permittit illi dominium, potest campsor illud admittere, & vti illa pecunia tamquam sua: nam alteri perinde est, siue vtatur, siue non; modo aliam æqualentem in loco destinato reparet. sicut enim is, qui tabellario publico tradit pecuniam in alium locum transferendam, concedit ipsius operas: tamen permittit illi pecuniæ dominium: nam perinde est ac si eandem numero realiter transtulerat, hinc æquivalentem; quod fit idem, numerando æquivalentem.

Obiectio 2. Dices Secundò, Pecunia præsens pluris valet quàm absens; ergo si alter intendat commutare præsentem cum absente, non poterit campsor lucrari hoc titulo.

24 Respondeo negando consequentiam: quia, quod pluris valeat, id provenit ratione commoditatis quam affert tenenti, quam non exercet campsor æstimare; quia non capit alterius operam, vt pro absente det præsentem. vnde potest absentiam sua pecuniæ æstimare, quia per eam præstat id, quod pretio est æstimabile, leuando illum onere transferendi, eiusque pecuniam æquivalenter trajiciendo.

25 2. Titulus. Præstatio periculi seu assecurationis. Secundus titulus, quo lucrari potest campsor in hoc cambio, est assecuratio. Ita Lopez tract. de cambijs ca. 4. quam sentet. audiendus esse inter omnes receptissimam. Probatur. quia campsor accipiens hic pecuniam alio trajiciendam, non solum suscipit onus transferendi: sed etiam periculum, vt is pereat, non danti, sed ipsi pereat. atque præstare periculum trajectionis est pretio æstimabile: vt patet quando cum nautis pacisceris vt pecunia tuo periculo transferat. Nec refert, quòd campsori in pecunia transferenda nullum sit periculum, cùm ipse alibi eam paratam habeat; id enim ipsius industriæ vel fortunæ adscribendum: nam fatendum est, illam obligationem, qua se obligat alteri, vt rem ipsius tuam loco conducto reparet, esse pretio æstimabilem, etsi illi eam facillimè possit implere.

Ex his sequitur, quo longius est iter, & quo maiora sunt pericula, eo amplius ratione assecurationis & translationis posse stipulari: quia eo trajectio pecuniæ, si te ipsa fieri deberet, esset difficilior & periculosior.

3. Diuersitas pretij. Tertius titulus esse potest, si pecunia sit minoris pretij in loco, vbi campsor accipit, quàm vbi restituit. de quo plura dubit. sequenti.

26 Obseruatio cula. Circa prædicta Notandum est, assecurationem implicitè contineri in obligatione transferendi, prout in praxi exercetur. hoc ipso enim, quo campsor accipit pecuniam vt alibi restituat, censetur eam assecurare; quia acceptat eius dominium, ac proinde non minus se obligat, quam si eam assecuraret. quare videtur non minus posse exigere pretium, quam si duplici obligatione se obstringeret, trajectionis, & assecurationis. Verum non ita est in praxi; quia enim dominium præsentis pecuniæ, quam hic accipiunt, est valdè commodum campsoribus, ideo communiter parui æstimant illam implicitam assecurationem & trajectionem: neque multùm curat, an locus procul absit, an sit propinquus, an periculosa itinera, an non. quo fit vt sæpè is, qui petit pecuniam suam alibi trajici, prior tradens, vt postea alibi recipiat, lucretur a campsoribus, tamquam ipsemet campsoris munus exerceret; quia in re campsores ostendunt se non satis intelligere iustos titulos, ob quos in reali cambio possent lucrari, & sæpè alia quædam spectare; in quibus est magna suspicio vsuræ; quamuis sibi aliqui ex his persuadeant, hoc negotium cambiorum, & iustos titulos, melius a se quàm a Doctoribus intellectos. In eo tamen quòd in pretio cōstituendo non omnes titulos congerāt, quos alioquin possent, ostendunt se satis sincerè procedere; nec facilè eorum contractus tamquam vsurarios condemnandos, quando pretia communi iudicio, vt passim fit, sunt constituta.

DVBITATIO IV.

Vtrùm quando campsor dat prior, vt alibi recipiat, possit lucrari, & quo titulo.

27 QVIDAM existimant campsorem non posse hic quidquam lucrari: quia tunc non trajicit alterius pecuniam, sed solum dat suam mutuo, vt alibi cum incremento recipiat, quod est vsurarium.

Sed contrarium tenendum est cum communi sententia Doctorum. Ita Conradus supra, Caietan. tractatu de cambijs

bijs,c.6.Sotus lib.6 de iust.q.10.ar.1.Nauar.c.17.nu.289. Probari id potest, explicando titulos,quibus videtur iuste aliquid lucri in tali cambio exigere.

28 *1.Tit.Virtualis translatio.*

Primus titulus est virtualis translatio,vel(quod in idem redit) maior æstimatio pecuniæ præsentis quam absentis. Probatur Primò, Quia numerando hic pecuniam præsentem ei, qui habet absentem, tantum obsequij illi præstat, quantum si pecuniam absentem huc trásferret. atqui obsequium translationis est pretio æstimabile: ergo etiam numeratio pecuniæ præsentis pro absente est pretio æstimabilis, quia æquivalet translationi. Secundo, Quia qui petit pecuniam præsentem pro absente,petit leuari onere translationis suæ pecuniæ ab hunc locum; atqui hoc onere leuat illum cambior,numerando præsentem, & illud in se suscipit: hoc autem est pretio æstimabile: ergo.&c.

29 *Quo transferre censeatur.*

Aduerte tamen quosdam Doctores non admittere hûc titulum in hoc cambio. Primò, quia is, qui prior accipit à cambiore vt alibi restituat,videtur potiùs pecuniam cambiens alio trajecere, quam cambior ipsius: ergo illi potiùs mercedem debebit cambior,quam ipse cambiori.Secundò cambior non potest aliunde huc transferre pecuniam alterius,nisi aliunde eam acceperit; atqui nondum accepit: ergo,&c Verum qua ratione cambior eandem potuit transferre pecuniam alibi,eam satis est explicatum:ideò.n. censetur transferre, quia præstat operam æquivalentem, & quia liberat illum onere transferendi. & quamuis alia ratione cambiarius vtatur trajecere pecuniam cambioris; non tamen ideo cambior ei debet mercedem; quia hanc eius operam non imploraut. Hinc patet responsio ad primum. Ad alteram Respondeo, Non potest eam transferre realiter ante quàm acceperit; potest tamen æquivalenter. facit.n. id,quod æstimatione æque valet ac si pecuniam alibi acceptam huc transferret. sicut si petam Louanij vt tabellarius mihi 100. aureos Antuerpia huc transferat, & ille mihi numeret eos Louanij antequam Antuerpiæ acceperit, æquivalenter eos transtulit. Sed etiamsi concederemus,cambiorē nō trajecere pecuniam alterius in hoc cambio;tamen ex ratione permutationis aliquid lucrari potest; quia pecunia procul absens à loco contrahentium minoris æstimatur quam præsens: ergo præsens potest cum lucro contra absentem permutari. Antecedens probatur, tū quia absens non præbet ex natura rei eam facilitatem & commoditatem,quam præsens: tum quia absens (quantum est ex natura rei) sine sumptu & periculis non potest effici præsens. Hinc fit vt etiam merces absentes minoris valeant quàm præsentes. Ita docet Syluester Vsura 4. quæstione 4. versus finem. Caietan. cap.septimo,de cambijs. Nauarrus cap. decimoseptimo,numer.295. & in capit.fin. de vsuris, num.62. & 63.

30 *Pecunia absens minoris æstimatur.*

31 Nec obstat Primò, Quòd cambior eam sine periculo & sumptu possit efficere præsentem:tum quia id non semper verum est. nam sæpè magnos sumptus & pericula ob id perferunt. & suos factores, quos alibi habent,magna mercede concedunt, tum quia si id ita est, hoc ipsius industriæ aut bonæ fortunæ est acceptum ferendum.satis enim est pecuniam absentem loco,ex ipsa rei conditione minoris æstimari, eò quòd communiter non sine periculis & sumptibus præsens haberi queat.

32 Non obstat Secundò, Quòd interdum cambiori commodum sit pecuniam habere absentem,quia hoc non provenit ex ipsa conditione absentiæ per se consideratæ; sed ex industria cambioris, qui pecuniam absentem nouit vtiliter impendere. vnde non tenetur idcirco eam secundum se pluris æstimare. Sicut enim is,cui commodum est reducere equum Louanio Parisios, non tenetur illud commodum æstimare, aut minùs pro reductione equi stipulari,si aliquis eius opera in equo reducendo vti velit: ita cambior, cui vtile est, pecuniam, quam dat Hispali, recipere Antuerpiæ, non tenetur illud compendium æstimare, aut minùs pro sua opera exigere, quando aliquis flagitat ad hoc eius industriam.

Ex his patet Primò, cambiorem lucrari posse, etiamsi vtrobique sit idem pretium monetæ, & eadem copia vel inopia,vt docet Nauar. in cap.fin.de vsuris num.21. & sequentibus.

33 *Intra idem regnum.*

Secundò,Posse lucrari,etiamsi det ad locum intra idem regnum,vt docet idem Nauar.cap.17.num 290.& Boninsignius cap.7.num.27.quod est contra Sotum q 10 ar.1.& q.13.art.1.Ratio est,quia sicuti opera,quam præstat transferendo eam de vna Prouincia in aliam,est pretio æstimabilis,ita etiam ex vna vrbe in aliam in eadem Prouincia,vt Antuerpia Insulas, & contra.

Secundus titulus, quo in hoc cambio lucrari potest, est maior æstimatio pecuniæ in loco, vbi datur, quam vbi redditur, siue ea æstimatio sit intrinseca, siue extrinseca.

34 *2. Titulus Maior æstimatio pecuniæ.*

Vbi Aduerte, duplicem esse pecuniæ valorem, seu æstimationem; altera prouenit à lege vel communi consuetudine,qua pecunia taxatur vt valeat tot vel tot nummos minutos in eodem loco. sic in Belgio regalis æstimatur 10. grossis: philippicus 100. scutum aureum 130 hæc potest dici legitima & intrinseca, quia lege constitui solet, (etsi consuetudo interdum eam nonnihil augeat) & accipitur ex causis intrinsecis;nempe ex conditione materiæ & ponderis. Altera est extrinseca & fortuita,prouenions ex causis extrinsecis & fortuitis;ratione cuius non censetur pecunia maior pluris valere respectu minutarum in eodem loco; sed tota pecunia simul pluris vel minoris valet, tum respectu rerum venalium in eodem loco,tum respectu pecuniarum,quæ sunt in alio loco.

Duplex pecuniæ æstimatio.Intrinseca, extrinseca.

Prouenit autem hæc æstimatio ex quatuor causis. Primò, Ratione copiæ & inopiæ pecuniæ. quò.n. in aliquo loco apud mercatores est maior copia pecuniæ, eò ipsa est minoris valoris ad res venales præsentes. & etiam ad pecunias differas (quæ tunc rerum venalium ratione subeūt) comparandas: & consequenter pro eisdem meretibus plus pecuniæ dandum est,quàm dum est inopia; copia.n. pecuniæ facit pretia mercium crescere: quia pecunia, quæ pro illis datur,minoris æstimatur. Pari modo, quò minor est copia pecuniæ, eò ipsa est maioris valoris respectu mercium; quia plus mercium eadem pecunia comparari potest. hinc pecuniæ inopia facit pretia mercium decrescere:quia pecunia,quæ datur,pluris æstimatur. sic ob copiā, in Indijs pecunia minoris æstimatur quàm in Hispania, etiamsi idē sit pretium legitimum. & in Hispania minoris quam in Belgio. sicut.n.pretia mercium ob copiam decrescunt,& ob inopiam crescunt; ita etiam valor pecuniarum omnium. Secundò, Prouenit hæc æstimatio ratione maioris vel minoris multitudinis petentium ad cambium. sicut enim multitudo emptorum facit vt crescant pretia mercium,ita etiam multitudo petentium ad cambium,facit vt crescat valor pecuniæ cambioris, siue ea sit præsens, siue absens Tertiò, Prouenit ex multitudine vel paucitate cambium ad cambium; quò enim sunt pauciores, qui velint dare ad cambium, eò pecunia cambioris pluris æstimatur. sicut quò pauciores sunt venditores, eò merces pluris æstimantur. Quarto, Ex necessitate pecuniæ: vt si Principi ingentes summæ pro bello vel alia causa publica sint corrogandæ vel ingens copia mercium offeratur venalis. quò enim pecunia est magis necessaria ad quosdam vsus magni momenti, eò pluris æstimatur respectu aliarum rerum venalium.

35 *Pecuniæ æstimatio intrinseca ex 4. causis.*

His positis, Dico ratione vtriusque æstimationis posse cambiorem aliquid lucrari. Primò, Ratione æstimationis intrinsecæ: vt si det 100. aureos Antuerpiæ,vt recipiat Hispali, debet Hispali accipere plus quàm centum; quia Antuerpiæ habent maiorem æstimationem legalem: plus enim est Antuerpiæ habere 100. aureos quàm Hispali. vnde vt fiat æqualitas, debet Hispali plus recipi quam 100.quòd si det Hispali vt recipiat Antuerpiæ,non poterit Antuerpiæ accipere tantundem pecuniæ,sed minùs, & post to pretio traiectionis, & carentiæ suæ pecuniæ: quia alioquin non esset dati & accepti æqualitas in æstimatione, quæ in omni cōtractu est seruanda;addito tamē pretio cābij & carentiæ pecuniæ,raro fit vt minus accipiant. Secundò, Ratione æstimationis extrinsecæ seu fortuitæ lucrari posse. Patet; quia sicuti merces ratione paucitatis & necessitatis, ratione multitudinis petentium & raritatis venditorum, pluris valent & emi debent quàm aliàs emerentur; ita etiam pecuniæ præsentes ob hasce quatuor causas pluris valent, tum ad merces, tum ad pecunias absentes comparandas, quàm si istæ causæ abessent. nam pecuniæ absentes se habent instar mercis respectu præsentium, vt rectè docet Caietanus cap.7.& Nauarr.num.291.Sylvest. Vsura 4. quæstione 8.§.1. & alij. non enim habent pretium legitimum, nisi respectu monetarum eiusdem loci:

36 *Ob extrinsecam æstimationem potest lucrari.*

37

Pecuniæ absentes se habent instar mercis.

38

Princeps enim ſua lege & populus communi conſuetudine nõ intendit eis imponere pretiũ reſpectu monetarum, quæ ſunt in alijs locis: ſed tantum reſpectu monetarum eiuſdem loci, quare reſpectu pecuniarum illiterarum, reliquitur pretium imponendum iudicio mercatorum & eorum, qui ſic negotiantur, quod cum ſit vulgare, non conſtituit in indiuiſibili; ſed habet latitudinẽ pretij infimi, medij & ſummi, itaque poſſunt emi & vendi ſicut aliæ merces, ſecundum hanc triplicem æſtimationem, quam periti illius negotiationis bona fide imponunt.

39 *Ratione triplicis tituli.*

Ex his patet, campſores interdum ſimul lucrari triplici titulo; videlicet traiectionis & duplicis valoris explicati: tamen potiſſimùm ſolent reſpicere ad valorem extrinſecũ, & ratione huius lucrari. vnde ſemper inquirunt, vbi ſit futura penuria vel neceſſitas pecuniæ, vt ibi dare poſſint, & recipere vbi eſt vilitas & copia.

40 *An poſſit lucrari ratione vtriuſque tituli.*

Dices, Si campſor velit lucrari ratione traiectionis pecuniæ, non videtur poſſe ſimul lucrari ratione maioris valoris: & contra, ſi velit ratione valoris, non poteſt propter traiectionem; cum enim dat tibi 100. aureos Antuerpiæ, recipiendos Hiſpali, traijcit pecuniam tuam Hiſpali Antuerpiam, vbi pluris incipit valere: atqui hoc incremẽtum eſt tuum non campſoris; ergo non debes ei aliquid ratione maioris valoris: vel ſi des ratione valoris, cõ quòd pecunia, quam ipſe dat, pluris valet, quàm tua; non poterit quidquam exigere ratione traiectionis, quia non traijcit pecuniam tuam.

41 Ob hoc argumentum Sotus q. 12. art. 2. docet, campſorẽ dum lucratur ratione maioris valoris, non poſſe ſimul lucrari ratione traiectionis.

Sed contrarium docent reliqui Doctores, & Probatur Primò, Quia ſunt diſtincti tituli pretio æſtimabile. Secundò, Si pecuniæ vtrobique haberent æqualem valorem, nihilominus poſſet aliquid lucrari ratione traiectionis; ſeu quia pecunia abiens minoris valet quàm preſens, vt ſupra oſtenſum eſt.

Quare Reſpondeo ad argumentum, Campſorem non transferre realiter pecuniam tuam in ſpecie; (tunc enim non poſſet petere niſi pretium translationis & aſſecurationis, ſicut baulus) ſed transferre illam ſecundùm æquivalentiam, dando tantumdem de ſuo. vnde debes ei reddere æquivalens alibi, & pretium translationis.

42 *3. Titulus, lucrum ceſſans.*

Tertius titulus eſt, ratione lucri ceſſantis, vt ſi pecunia, quam tradit ad cambium erat deſtinata maiori lucro, ita vt (deducta æſtimatione laboris, expenſæ, & periculi) illa ſpes lucri maioris, pluris valeret, quam commune lucrum cambij, tunc enim poſſet illud incrementum exigi. nam ſicut in alijs contractibus poteſt haberi ratio lucri ceſſantis, vt te indemnem ſeruet: ita etiam in contractum cãbij. Pius V. tamen voluit, ne illud ab initio definiatur, & in pactum deducatur; ſed ſolum ex euentu ſecuto conſtituatur.

43 *4. Carentia pecuniæ.*

Quartus titulus eſſe poteſt Carentia pecuniæ ſuæ, & id, quod huic carentiæ eſt coniunctum, nempe periculum ne non reſtituatur, & priuatio commoditatis ea pecunia negotiandi: magni enim æſtimant omnes mercatores & campſores, quod ad vnum, duos, vel tres menſes cogantur carere ſua pecunia, idq; tum ob periculum, cui exponitur; tũ quia interim priuantur commoditate per illam aliter negotiandi. vnde in omnibus cambijs, quo longius eſt tempus, in quod eam concedunt, eo plus exigunt lucri, & quò breuius, eò minus. Atq; hic eſt potiſſimus titulus, quẽ mercatores in cambijs hoc tempore ſpectant, vt ipſimet diſertè fatentur: addentes, omnia cambia huius temporis iniqua eſſe, ſi hic titulus non ſit iuſtus, parui autem æſtimant traiectionem, quantumuis locus diſtet. qua in re non videtur prudenter facere; nam reuerà hic titulus eſt præcipuus in cambio reali; ob hanc enim cauſam ſunt cambia introducta. Secundò loco æſtimant valorem pecuniæ extrinſecum, qui ex copia & inopia pecuniæ, & ſimilibus cauſis prouenit. vtrùm autem titulus iſte quartus excuſari poſſit, dicemus dub. 6.

Quem titulum potiſſimũ ſpectent campſores, & mercatores.

44 *Species facti à Soto propoſita.*

Ex dictis patet, quid dicendum ſit ad ſpeciẽ facti quàm Sotus l. 6. quæſt. 12. ar. 2. proponit, cuius æquitatem ſe ignorare fatetur. Tempore enim Soti, ſi campſor Metinæ accipiebat prior, reſtituturus in Flandria; lucrabatur in ſingulos aureos 10. dupondia, ſeu marauedinos: ſi verò prior dabat in Flandria, recepturus Metinæ, lucrabatur 70. vel 75. cum tamen videatur non debuiſſe lucrari niſi 50. tunc enim tanti valebant in Flandria 360. marauedini, quãti Metinæ 400. vnde prior accipiens Metinæ, vt in Flandria reliqueret, poteret accipere 400. qui valore æquantur 360. in Flandria reddendis & præterea 10. in pretium traiectionis. & ita lucrabatur 50. Verùm non apparet ratio cur in Flandria prior dans 360. poſſit Metinæ recipere 430. cùm non poſſit Metinæ plus accipere, quàm ipſe ibidem ſolet dare pro 360. Flandricis.

Sed dicendum eſt, quòd quando accipit prior Metinæ, 45
tunc ſolùm lucratur ratione diuerſæ æſtimationis pecuniæ & ratione traiectionis. ratione diuerſæ æſtimationis, accipit 400 marauedinos Metinæ, pro 360. in Flandria. nã hæ duæ ſummæ ſunt valore æquales, ad diuerſa illa loca comparatæ. ratione autem traiectionis accipit adhuc 10. & ſic lucratur 50. accipit enim 410. marauedinos, & reddit ſolum 360. tunc enim dicitur lucrari, quando plus materialis pecuniæ accipit, quam dederit; etiamſi illud plus, non pluris æſtimetur illo loco, quàm illud minus hoc loco.

Si verò prior det idque in Flandria, tunc ſolum dat 360. 46
marauedinos, & Metinæ recipit poſt duos menſes 430. vel 435. ſicque lucratur 70. vel 75. 400. enim accipit ratione diuerſi valoris, cum 400. Metinæ non pluris valeant quam 360. in Flandria. præterea accipit 10. ratione traiectionis, & 10. reliquos ratione carentiæ pecuniæ, eò quòd prior det, & debeat per duos menſes ſua pecunia carere: hunc enim titulum maximè æſtimant. Sed hoc lucrum re vera eſt nimium, & excedere videtur metas iuſtitiæ; nec quiſquam eſt, qui hoc tempore tantum lucretur. duobus enim menſibus lucratur 10. in centum; nam in ſingula ſcuta lucratur 75. marauedinos. Quòd ſi prior det Metinæ 410. marauedinos, non recipiet in Flandria ſolum 360. vt quidam putant; (ſic enim nemo vnquam campſor vellet pecuniam ſuam dare, nam amitteret 50 marauedinos in ſingulos aureos) ſed tanti æſtimabit carentiam pecuniæ duorum menſium, vt ei in Flandria ſint reſtituendi 410. vel circiter.

DVBITATIO V.

De praxi cambiorum, quæ hoc tempore Viget.

VT hæc praxis intelligatur, tria potiſſimum ſunt conſideranda: perſonæ, quæ ad cambium concurrunt: nummi, ſecundum quos cambia ad varia loca reguntur: & variatio pretiorum, ſecundùm longius vel breuius tempus. 47

Quod ad primum attinet, regulariter quatuor perſonæ requiruntur vt contractus cambij ſit perfectus, campſor, campſarius, reſpondens campſoris, & reſpondens campſarij. dum enim campſor alicui pecuniam numerat, accipit viciſſim ab illo obligationem de pecunia illa alibi ſoluenda; & hanc tranſmittit ad ſuum reſpondentem, vt ibi eam recipiat: & campſarius ſimiliter ſcribit ad ſuum reſpondentem, vt ibidem ſoluat. ſi hic acceptet, & ſoluat reſpondenti campſoris, iam perfectum cenſetur primum cambium. ſæpè tamen fit, vt reſpondens campſarij non ſoluat reſpondenti campſoris; ſed tradit illi obligationem tamquam ab eo accepiſſet ad cambium, quàm ille remittat ad campſorem; & ſimul ſcribit ad campſarium, vt ſoluat campſori recambium. quòd ſi reſpondens campſarij 49
ſoluat reipſa; tunc reſpondens campſoris dat eandem pecuniam alicui alteri ad cambium, & acceptam ab eo obligationem mittit ad primum campſorem. & ſic ſemper redit cum lucro. campſor tamen ordinariè ſcire non poteſt quantum lucretur, niſi dum pecunia per ſecundum vel 50
tertium cambium, tandem ad ipſum redit. Interdum fit vt campſarius non habeat reſpondentem in loco, vbi pecunia eſt reſtituenda: ſed campſor aſſignat ei ſuum reſpondentem, qui acceptet debitum, & ſibi ſoluat. quatenus diuerſas perſonas repræſentat, ſeu diuerſa officia ſubit. hic rurſus obligationem ſcribit, tamquam ipſe ad cambium acceperit, eamque tranſmittit ad primum campſorem, vt à campſario ſolutionem accipiat, cum pretio cambij & recambij. quotieſcumque autem fit ſolutio, reſpondens campſoris

48 *4. Perſona requiſita.*

pſoris detrahit ex tota ſumma tuas prouiſiones, (quas vocant) ideſt, mercedem ſui laboris, quæ ſunt bini vel terni aurei in ſingulos millenarios. Verùm autem hæc ſint iuſta patebit ex dub. 7. & 8.

51 *Quo genere nummorum regantur.*

De ſecundo, Vario nummorum genere cambia reguntur ad varia loca; quod vt intelligatur explicabo quo modo id fiat. Antuerpiæ ad loca præcipua Europæ. Igitur Antuerpiæ ad pleraque loca reguntur groſſis: nam campſor pecuniam Antuerpiæ numerans, certo numero groſſorum Flandricorum intendit emere ducatum, qui eſt in Italia vel Hiſpania aut coronatum, qui in Gallia; aut florenum, qui in Germania, &c. Exempli gratia, anno 1600. 7. Decembris curſus cambiorum Antuerpiæ erat talis, Antuerpia Venetias dabat campſor 91. groſſos & tres quartas, vt Venetijs reciperet vnum ducatum intra menſem à contractu: horum ducatus Venetijs æſtimatur in Banco, id eſt, apud trapezitas 124. ſolidis ſeu paruis Venetis. hoc enim intelligunt Venetijs per ducatum, dum agitur de ſoluendis cambijs. Antuerpia Mediolanum dabat 105. groſſos & medium, vt Mediolani reciperet ducatum poſt vnum menſem. hic ducatus æſtimatur 5. libris & 16. ſolidis. Florentiam dabat 110 groſſos & medium, vt ibi reciperet ducatum intra menſem. Madritum dabat 106. groſſos, vt Madriti vnum ducatum intra duos menſes reciperet. Hiſpalim 105. groſſos & medium, vt Hiſpali intra duos menſes ducatum reciperet.

Vlliſiponem 101. groſſos, recepturus ducatum. Vbi aduerte, in Luſitania per ducatum intelligi 10. regales, quando de cambijs agitur; in Caſtella & reliquis Hiſpaniæ locis 11. regales.

Antuerpia Veſuntium, cambium agitur groſſis & coronatis. campſor enim Antuerpiæ dabat 120. groſſos & medium, recepturus Veſuntij in proximis nundinis vnum coronatum Francicum, vel eius valorem. celebrantur hic nundinæ quotannis quater, etſi exiguo concurſu; nempe circa Paſcha, in Auguſto, circa feſtum omnium Sanctorum, & circa feſtum Epiphaniæ.

Lugdunum 117. groſſis, pro coronato. Lugduni proximis nundinis recipiendo. aguntur & hic quater nundinæ, quæ 14. diebus nundinas Veſuntinas præcedunt.

Pariſios & Rotomagum 119. groſſis & medio, pro coronato illis locis intra menſem recipiendo.

Antuerpia Francofurtum regitur groſſis, & florenis Germanicis. dabantur Antuerpiæ 76 groſſi pro florено Germanico, Francofurti proximis nundinis recipiendo. aguntur hic binæ nundinæ celeberrimæ, in Septembri & circa Paſcha. Florenus Germanicus Francofurti in ſolutione cambiorum valet 65. cæteros; ad rationem monetæ Belgicæ penè groſſos 80. Antuerpia Hamburgum agitur groſſis & daleris. Londinum ſcellingis & libris Anglicanis. Coloniam libris Flandricis. dantur enim Antuerpiæ 100. libræ vt Coloniæ recipiantur 102. libræ monetæ ibidem vſitatæ, idque intra duos, 3. 4. 6. 8. 10. vel 20. dies poſt litteras exhibitas, prout conuentum fuerit.

52 *Pretium cambiorum.*

Quod ad tertium attinet, Quandocumque mercatores cambia ſua dirigunt ſecundùm nundinas: tunc quò longiùs abſunt nundinæ, eò maius faciunt pretium cambij; ac proinde eò minus dant pro pecunia, quàm alibi ſunt accepturi: quò verò propiùs abſunt eò minus eſt pretium; ac proinde eò plus dant pro pecunia, quam alibi ſunt accepturi; ita vt ſæpè non lucrentur, ſi nundinæ ſint valdè vicinæ: quod an iuſtè fieri poſſit, dicemus dubit. ſequen. Hæc de praxi.

DVBITATIO VI.

Vtrùm cambium Francofurtenſe & ſimilia, in quibus pretium variatur pro maiore, vel minore temporis intercapedine, ſint licita.

53 *Nundinæ Francofurtenſes.*

NOTANDVM eſt, Francofurti binas quotannis agi nundinas, altera circa Paſcha, altera in Septembri: in quibus fiunt ſolutiones cambiorum. reguntur autem hæc cambia florenis Germanicis & groſſis Flandricis, vt dictum eſt. Nam quidam Antuerpiæ ad cambium, vt recipiant Francofurti, certo numero groſſorum emunt florenum Germanicum, & contrà qui Francofurti dant, vt Antuerpiæ recipiant, florено Germanico emunt certum numerum groſſorum. In pretio autem fere ſeruatur hæc ratio. Si Antuerpiæ campſor quinto menſe ante nundinas pecuniam numerat, ſolùm dat ver. grat. 75. groſſos pro florено Germanico. ſi quarto menſe numerat, ſolùm dat 74. ſi tertio 75. ſi ſecundo 76. ſi vno dumtaxat menſe ante nundinas 77. vel circiter. In nundinis autem recipiunt florenum Germanicum, æſtimatum ibidem 79. vel 80. groſſis; vel Antuerpiæ ius obligationes ſeu litteras cambij aliis vendunt, ita vt 4. 5. vel 6. groſſos in ſingulos florenos Germanicos lucrentur. Similis fere ratio ſeruatur, quotieſcumque datur cambium ad loca, vbi celebrantur nundinæ; quo enim longiùs abſunt nundinæ, eò campſores minus dant, & plus recipiunt: & contra quo ſunt propinquiores, eò plus dant & minus lucrantur.

54 *Ratione temporis.*

Reſpon. & dico Primò, Pretium cambij non poſſe variari ratione ſolius temporis longioris vel breuioris. ratio eſt, quia in cambio non requiritur temporis interuallum, niſi quatenus id neceſſarium ad tranſlationem litterarum, & ad præparationem ſolutionis, vt ea commodè in loco diſtanti fieri poſſit: ergo ſi plus temporis concedatur ad ſolutionem id non fiet ex vi contractus cambij ſed taciti cuiuſdam mutui: atqui in mutuo aliquid exigere ratione temporis longioris eſt vſura. ergo.

55 *Alia cauſa præcedibus.*

Dico Secundo, Poſſe hoc pretium ob alias cauſas iuſtè variari, quas cum valdè probabile ſit in caſu propoſito ſubeſſe, probabile etiam eſt hanc variationem pretij iuſtè à mercatoribus conſtitui; ac proinde tale cambium licitum eſſe. Prior pars patet ex dictis dub. 3. & 4. Altera verò, quòd hæ cauſæ reperiantur in hoc cambio, Probatur Primo, 56 Quia ordinariè campſores pluris æſtimant carere pecunia ſua quinque menſibus, quàm quatuor, & carere quatuor, quam tribus; idque partim quia interim carent facultate lucrandi illa pecunia; partim quia diutiùs verſatur ſors in periculo. vnde hæc æſtimatio non eſt irrationalis; nititur enim iuſta ratione, idque ex communi mercatorum & campſorum iudicio. Secundò, Quia quò plures ſunt menſes ante nundinas, eò plures petunt pecuniam à campſoribus, vt diu pretio frui poſſint: atqui quo plures ſunt petentes, eo magis creſcunt pretia cambiorum. Hæc cauſa quibuſdam videtur ſufficiens ad inducendam tantam pretij variationem. Tertiò, Si non concederetur plus temporis, quam natura vnius cambij poſtulet; qui pluribus menſibus egent pecunia, deberent ſæpiùs ad cambium petere, cũ magno ſuo damno & incommodo. quod conſiderantes campſores concedunt longum tempus, vt in vno cambio, virtute comprehendant plura cambia, quæ ipſi interim facerent cum iiſdem campſarijs, ſi ſolùm tempus præciſè neceſſarium ad tranſlationem concederetur: & hoc cedit in commodum campſatiorum, qui longè minùs ſoluunt, quàm ſi tot cambia cogerentur facere. cauſa igitur, cur quo tempus longius eſt, eò maius pretium ſtatuant, eſt, quia eò plura cambia virtute cenſentur facere. Hac ratione vir quidam doctiſſimus illam pretij variationem excuſabat; imò hinc probatur: præſertim accedente etiam prima & ſecunda cauſa.

57 *Iuſtum pretium.*

Confirmatur, quia iuſtum pretium cenſetur in quoque foro, quod periti illius negotiationis, bona fide conſideratis omnibus circumſtantijs imponunt. & quo inter ſe contrahendo vtuntur nemine contradicente vel conquerente. atqui periti campſores & mercatores, omnibus conſideratis ſic pretia variant, & ſic inter ſe contrahunt, nemine conquerente. ergo hæc variatio non eſt cenſenda iniuſta.

Ex his patet, talia cambia non eſſe damnanda; præſertim cùm omnes paſſim illis vtantur: inter quos multi viri probi & conſcientiæ religioſæ; qui ſi iuberentur abſtinere, ſoli laxiores illis vterentur. quo fieret vt pretia cambiorum iſtorum cum magno Reipublicæ incommodo valdè increderentur. neque enim vnquam obtineri poterit, vt mercatores non pluris æſtiment conceſſionem longi temporis, quàm breuis.

58 *Similia contractus miſcentur.*

Ex hoc & ſupradictis dubijs facilè intelligi poteſt, quid dicendum ſit de cambio, quando ei miſcetur alia ſpecies contractus, & nominatim de quodam contractu, quem mercatores Antuerpienſes ſæpe cum Rege inierunt, de quo abhinc 18 annos ab eis conſultus fui. Dabant Regi An-

Contractus mercatorum cum Rege.

tuerpiæ ad bellicos vſus centum milia aureorum, octoginta duo millia in pecunia, & 18. millia in pannis, dimidio tamen ſupra iuſtum, æſtimatis. Nam quod valebat duobus æſtimabant tribus: vnde cùm pannus totus valeret ſolùm 12000. aureorum, æſtimabant 18000. Porrò ipſi in Hiſpania intra duos menſes accepturi erant 100000. aureorum in pecunia.

Reſpondeo primo, Hunc contractum videri ſic conceptum, vt fraus fieret inſtitoribus: ideò enim totus onus cambij videri voluit in pretium panni, vt in ſolutione ſtipendiorum, miles pannus æſtimetur quaſi reuera tanti valeret. Verùm quia ſolutio illa non fit à mercatoribus, ſed ab officialibus regis, non eſt hæc iniuria mercatoribus imputanda, ſi huius conſilij cauſa non ſint. Si tamen poſſent eam abſque ſuo incommodo impedire, ineundo aliâ ſpeciem contractus, tenerentur ex charitate.

Secundò, Hunc contractum non video illicitum, niſi forte ſit exceſſus in lucro. continet enim tres contractus, per quos ſi ſeorſim ad tantũ lucrum peruenire poſſet, poſſet etiam per eoſdem vectos dari enim 82000. ad cambiũ, & venditur pannus valens 12000. & hoc pretium impletur ad cambiũ in locum diſtitum. nam pretium panni ſoluendũ eſt in Hiſpania poſt bimeſtre. Itaque ſi cambio 82000 millium Antuerpia in Hiſpaniam, & venditione illius panni, & cambio pretij illius, tantum a Rege lucrari poſſent, contractus eſt iuſtus. (quæ enim ſeorſim iuſta ſunt, etiam iunctim.) Nec obſtat, quod videantur pannum vendere ſupra iuſtũ pretium, quia in eo pretio cõprehendunt pretium cambij expreſſi 82000. & taciti 12000. Neque proprie eſt venditio; ſed contractus innominatus, do vt des, comprehendens virtute plures contractus nominatos. Si verò non potuiſſent tantùm exigere ſeorſim, contractus eſt iniquus, & tenentur ad reſtitutionem exceſſus. Et ſane lucrum videri poſſit exceſſiuum: nam in effectu non dant niſi 94000. aureorum, & recipiũt 100000. vnde intra bimeſtre lucrantur ſex in 100. & conſequenter, dum illum contractum quoque bimeſtri repetunt, lucrantur 36. in centum intra vnum annum. Accedit, quòd hac ratione vendant magnam vim mercium, quod commodũ etiam eſt pretio æſtimabile. Ad hæc reſpondent ipſi ſe tantam vim pecuniæ ſine magnis ſumptibus, laboribus & periculis non poſſe conquirere; cùm eam vel ab alijs cum graui intereſſe debeant accipere, vel etiam ex Italia & Hiſpania per multos cum magno periculo curare deferri. Deinde in contractibus cum Regibus magna eſſe pericula; ſoluere enim iſtos quando volunt, & facilè antiquos contractus, ſi per eos læſi videantur, reuocare. Quod ad pannum attinet, ideò ſe hunc inferere ſummæ, quòd id fiat ſine vllo Regis incommodo: & quòd ipſi tantam vim numeratæ pecuniæ; non poſſint aſſiduè habere paratam. Quòd autem lucrum videatur magnum, id fieri ob crebrã eiuſdem contractus repetitionem. Verùm vtrùm lucrum ſit moderatum, an modum excedens; non eſt Doctorum determinare, ſed proborum virorum in arte illa peritorum. Hoc tantùm affirmo, hunc contractum ex forma ſua iniquum non eſſe.

DVBITATIO VII.

Vtrùm cambium Beſuntinum ſit licitum.

59 NOTANDVM, nomine cambij *Beſuntini* intelligi proprie quod ad vrbem Beſançon trajcitur, vbi nõ eſt frequentia mercatorum aut mercium. quidam nunc vocant *Lucentinum*, quòd ad eam quoque vrbem frequens detur. generatim tamen intelligi poteſt omne cambium, quod dirigitur ad locum, vbi campſarius nec vllam pecuniam, nec vllum reſpondentem, nec fidem habet; ſed rogat camſorem, & ipſe nomine eius aliquem, qui reſpondeat, procuret, vel ipſe per ſuum factorem reſpondeat; qui poſtea eandem pecuniam per recambium remittit, vt ita fiat ſolutio cambij & recambij, in loco, vbi fuit primo acceptatum. Ita eſt cambium, quod maximè in illas vrbes à Genuenſibus & alij dicitur celebrari.

60 *Sententia quorũdam.* Quidam Doctores ſentiunt tale cambium non eſſe cõtra iuſtitiam, ſi bona fide iuſtum pretium, quantum fieri poſcit, cõſtituatur. Ita reſponderunt in quadam conſultatione ſex viri doctiſſimi in Luſitania. & tenet Sylueſter v. Vſura 4. q. 9 dicto 6. & Nauar. 5. conſil. 1. tit. de vſuris. & in enchir. c. 17. nu. 289 & 301. & Thomas Boninſignius c. 7. de cambijs num. 7. 8. 9. Quæ ſententia probari poteſt. Primo, Quia ſi hoc cambium eſſet iniuſtum, id ideò eſſet, quod campſarius non haberet pecunias eo loco, vbi ſoluendum eſt: atqui hoc non obſtat; quia non requiritur vt actu ibi habeat; ſed ſuffícit vt habeat in credito apud amicum, vel vt facilè poſſit habere correſpondentem, qui eas ibi det mutuo, vel ad cambium, vt recte docet Nau. in enchirid. cap. 17. nu. 289. & 301. & in conſilijs loco citato: hoc enim ſufficit vt ſit cambium verum & reale, non ficcum: atqui ſic hoc pacto facile poteſt ibi habere pecuniam & reſpondentem; ergo ex hac parte non eſt iniuſtũ; fiet enim tunc vera emptio vel permutatio pecuniæ, quam campſarius ibi habet, vel habiturus eſt per mutuum, vel per aliud cambium reale. 61 *Probatio.*

Dices Primo, Non habet ibi alium reſpondentem, cui debitum trajciat, præter reſpondentem camſoris: atqui hoc perinde eſt ac ſi ipſe camſor reſponderet: quod videtur fieri in fraudem vſurariam. 62 *Obiectiones.*

Reſpondeo, Si camſor illum cogeret vt ſuo reſpondenti trajceret debitum, id iniquum foret; (quia præter naturam contractus nemo poteſt obligari) ſed camſor id ei relinquit liberum, quòd ſi ipſe ſponte petat a camſore ſibi aliquem reſpondentem dari, certe nulla fit ei iniuria. ſicut enim quius alius (qui condicto tempore ibi poteſt ſoluere) poteſt ei reſpondere, debitumque acceptare; ita etiam is, quo ipſe camſor vtitur, ibi poteſt hoc munere fungi.

Dices Secundò, Saltem hoc non licebit, quando reſpondens camſoris, cui creditum tranſmittitur, eſt famulus, vel merus executor camſoris: nam tunc cenſetur vna perſona cum camſore; ac proinde dum ipſi debitum trajcitur, ipſe ſibi ſolueret, quæ ſolutio videtur fictitia & imaginaria. 63

Reſp. Non eſſe imaginariam ſolutionem; poteſt enim vnus, idemque, quatenus ſubit diuerſas perſonas, ſeu officia, ſibi ipſi ſoluere, ſibique eſſe creditor & debitor.

Vbi Aduerte, camſorẽ hic ſubire duas perſonas, nempe camſoris, quatenus hic dat ad cambiũ, & tranſmittit creditum ad ſuum reſpondentem: & camſarij, quatenus nomine eius trajcit debitum in eundem ſui reſpondentem: hoc enim ad officium camſarij pertinebat. Similiter reſpondens duplex officium præſtat. Primò, Quo creditũ acceptat, eſtque reſpõdens camſoris. Secundò, Quo debitũ acceptat, eſtque reſpondens camſarij; ſoluturus ſibijpſi, tamquam reſpondenti camſoris. nihil in refert ad iuſtitiam contractus, ſiue hæ perſonæ ſint diuerſæ, ſiue eædem; modo id in arbitrio eius, cuius intereſt, relinquatur. nam etiam in mutuo, ipſe mutuans poteſt eſſe fideiuſſor, ſeu aſſecurator, ita volẽte mutuatario. vt oſtenſum eſt ca. 20. dub. 11. vnde fieri poteſt, vt camſor ſubeat officia quatuor perſonarum, ſi videlicet reſpondens ſit eius famulus, vel collega in ſocietate; nam loci omnes ſunt inter vnius perſonæ.

Secundò, Probari poteſt, quia ſi tu a mercatore petas mutuum, & ille dicat ſe non dare mutuum, ſed eſſe paratum vendere pannum credito, quem ipſe præſenti pecunia illi, vel alteri reuendas, non peccat contra iuſtitiam; quamuis interdum contra charitatem: vt oſtenſum eſt c. 21. dub. 10. Similiter ſi dicat ſe eſſe paratum emere præſenti pecunia, ſi quid habeas hic vel alibi venale. & ſi nihil habeas, offerat tibi merces (quas alibi habet vendendas) credito, iuxta communem æſtimationem; quas paratus eſt, ſi velis, præſenti pecunia redimere. Atqui hic contractus eſt ſimilis illi, de quo agimus, in quo dicit camſor ſe nolle mutuare, ſed eſſe paratum emere pecunia præſenti tuam pecuniam abſentem, quam habes v.g. Beſuntij & ſi ibi nõ habes, nec potes habere per alios; paratus eſt tibi credito tibi vendere, & præſenti pecunia eandem emere. 64 *2. Probatio.*

Dices Primo, Ille non liberè, ſed coactè accepit tale cãbium: atqui coactio, ſeu inuoluntarietas contractum vitiat: ergo hoc cambium eſt iniquum. 65 *Obiectiones.*

Reſpondeo, Ad hic ſufficientem libertatem vt validus ſit contractus, quia abſolutè liberè & voluntariè contrahit, & quamuis ex parte faciat inuoluntariè; (quia malit alia ratione pecuniam conſequi) tamen quia per iniuriam

tiam ad hunc modum contrahendi non compellitur, non obest hoc inuoluntarium: multi enim valdè inuoluntariè res suas vendunt; quia tamen per iniuriam ad hoc non coguntur, venditio est valida. Idem dicendum de alijs contractibus. Pactio autem vsurarum non ideò est irrita, quia inuoluntaria: sed quia mutuatarius non intendit transferre vsuras, nisi quatenus eas iure debet pro viu pecuniæ. vt dictum est c. 20. dub. 18.

66 Dices Secundo, Pretium in hoc cambio semper est iniustum: ergo & ipse contractus iniquus est. Antecedens probatur, quia pecunia, quam campsarius vendit, campsori pluris valet, ob sumptus, quibus eam comparare debet. sicut merces maioribus laboribus & sumptibus comparatæ, pluris valent. v.g. frumentum aductum ex Sicilia Romam, quàm in agro Romano natum.

Resp. Quando merces secundùm se, habêt communem æstimationem, non ideò pluris valent, quòd maioribus sumptibus fiut comparatæ, vt dictum est supra c. 21. dub. 4. atqui pecunia illa habet suam æstimationem communẽ in illo loco, ad quem cambium mittitur, vt patet; alioqui sequeretur, si aliquis comparasset 100. vlnas panni, maiori pretio, non posset eas eum pretio infimo currente; quod est contra communem sententiam. nec est simile de frumento: quia Siculum melius est Romano. quòd si non esset melius, possem illud emere eodem pretio quo vulgò venditur Romanum.

67 Dices Tertiò, Hoc cambium videri siccum, & verũ mutuum: quia litteræ remittuntur inanes: vnde eodem loco, vbi pecunia accepta est, redditur cãpsori cum lucro, quod lucrum non videtur exigi, nisi ratione dilationis.

Respondeo, Non esse siccum; nam litteræ, per quas fit, verè mittuntur, & virtute earum fit vera solutio in loco destinato; non enim est necesse pecuniam reipsa ibi numerari, sed sufficit ipsam ibi esse, & debita creditaque per chirographa transferri: (qui modus solutionis est vsitatissimus inter mercatores) ita vt sit aliquis, qui accepter debitum, & aliquis, qui acceptet creditum; siue vnus idemque vtramque obligationem & functionem subeat, siue diuersi. hoc enim non mutat rei iustitiam. vnde verum non est litteras redire inanes: nam aliæ remittuntur, quibus fit recambium.

68 *Quid sentiendum in hac quæst.*

Vt explicem quid de hac sententia sentiam, Dico Primò, Si is, qui petit à campsore, non sit habiturus pecuniam alibi actu, vel potestate, seu in credito, idque campsor nouit; contra iustitiam peccat, si ei ad illum locum cambiat. est communis sententia Doctorum. Syluestri, Vsura 4. quæstio. 9. Nauarri cap. 17. nume. 289. & 299. Thom. Bonisigni, capit. septimo. Ratio est, quia dare ad cambium, vel est permutare pecuniam præsentem cum absente, vel est pecuniam absentem emere, aut transferre: atqui hic non est vlla res, quæ possit emi vel transferri à campsore, vel permutari cum pecunia præsente: est ergo emptio & permutatio ficta; ac proinde lucrum inde prouenieus caret iusto titulo. sicut si quis emeret boues ab aliquo, qui nullos habet, eosque illi certo pretio locaret, lucrum illud esset iniustum; quia nulla hic est locatio, sed solùm fictio locationis.

Si alibi non habet pecuniam re ipsa vel fidem.

69 *Si bona fide dedit campsor.*

Aduerte tamen, si campsor bona fide ad cambium dederit in certum locum, putans alterum ibidem habere pecuniam, aut habiturum; potest, vbi resciuerit fraudem, illum cogere vt contractum impleat, & ibi soluat: quòd si alter nollit illic soluere, poterit campsor repetere sortem & pretium cambij in loco, vbi dedit; & interesse, quod patitur ex eo, quod loco constituto solutum non sit. ratio est, quia cũ ipse bona fide contractum ex parte sua impleuerit, tenetur alter quoque ex parte sua implere quantum potest; vel soluere quantum intererat campsoris eum impleri. alioquin contractus semper paterent fraudibus; & contrahentes possent cum magno suo incommodo eludi.

70 *Si alibi habet per amicum.*

Dico Secundò, Si is, qui petit, possit alibi habere pecuniam per amicum vel alium, qui non sit in ministerio vel societate campsoris, non peccabit contra iustitiam campsor, si nolit ei dare nisi ad cambium in talem locum. fieri tamen potest vt peccet contra charitatem proximi. Prior pars patet; quia ex iustitia non tenetur ei dare mutuum; sed potest nolle ei dare pecuniam, nisi aliquid emendo iusto pretio: atqui pecunia illa, quam ille habere potest alibi, est pretio æstimabilis; ergo etsi campsor nolit ei dare pecuniam, nisi emendo talem pecuniam absentem, non peccabit contra iustitiam. sicuti si nolit ei dare pecuniam, nisi emendo domum, vel agrum, vel equum, non facit ei iniuriam.

Altera pars patet; vt si proximus sit pauper, & in aliqua graui necessitate constitutus: nam contra charitatem est, compellere hominem tenuem hic egentem pecunia præsenti, vt alibi, vbi non egeat, cum magno suo damno eã procuret, vt enim campsarius ei, qui alibi pro se respondit, satisfaciat, cogitur ibi facere recambium, & sic in loco, vbi accepit, soluere pretium cambij & recambij, grauissimo suo incommodo.

71 *Probabile est non esse contra Iustitiam.*

Dico Tertiò, Si is, qui petit a campsore, non possit habere alium, qui ipsius nomine satisfaciat in loco cõtracto, quàm ipsum campsorem, vel socium eius, cui pecunia in loco illo est numeranda; probabile est, esse contra iustitiam tunc ad cambium dare. Contraria tamen sententia non est improbabilis, & speculatiuè verior; tamen omnino dissuadenda, nec facilè permittenda. Prior pars probatur, quia ita tenent multi Doctores. videtur enim esse mutuum palliatum. intentio enim non videtur esse alia, quàm dare pecuniam cum obligatione, vt in eodem loco restituatur; cetera videntur agi non seriò, sed tegendi mutui causa. Secunda pars probatur rationibus supra allatis, suppono autem seriò agi. ita vt si factor campsoris, qui respondet pro campsario, fugeret vel decoqueret, campsor non sit habiturus directam & nomine suo actionem in campsarium. nam hoc ipso, quo acceptata est obligatio respondentis, liberatur campsarius; ita vt campsor in illum agere saltem suo nomine non possit: quòd maximè locum habere debet, quando factor campsoris respondet, potest tamen ei competere actio indirecta, nomine sui debitoris.

Tertia pars patet; tum quia sæpè est contra charitatem; 72
tum quia inducit præsumptionem iuris & de iure, vsurarum. vt patet ex Bulla Pij V. de cambijs. vnde talis in foro externo posset plecti tamquam vsurarius.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm prouisiones, quas solent campsores & bancarij accipere, iustè accipiantur.

NOTANDVM est, nomine *prouisionis* significari 73
mercedem & lucrum, quod campsores & bancarij detrahunt pecuniæ numerandæ, ratione operæ, quam præstant scribendo, numerando pecuniam, soluendo pro alio, litteras mittendo, pecuniam depositam custodiendo, pro alio se obligando, alterius negotia expediendo. Itaque possunt hic interuenire varij tituli, de quibus seorsim dicendum.

Dico Primò, Campsor vel nummularius, qui pecuniam 74
mercatorum, vel aliorum accipit custodiendam, cum obligatione eam reddendi quando, & cui voluerint depositores, potest accipere iustam mercedem pro hac custodia & obligatione, si de ea ante stipulatus fuerit; vel si ex consuetudine dari soleat. Ratio est, quia tale obsequium in gratiam alterius præstitum, per se est pretio æstimabile.

Pro custodia.

Dixi Si antè stipulatus fuerit, &c. quia alioquin non censebitur locasse operam suo pretio; sed gratis, vt vsu pecuniæ fruereturr vel accepisse eam mutuo. nam depositores ordinariè nihil dare solent, cùm bancarij libentissimè gratis hoc onus suscipiant, ob commodum, quod illis inde prouenit.

Vbi Aduerte, fieri interdum posse, vt bancarij lucrentur; vt si nolint pecuniam suscipere custodiendam, nisi certo pretio operam suam ad hoc elocando: quod possunt facere etiamsi ex vsu pecuniæ interim magnum quæstum capiant: etsi enim permittatur illis vsus pecuniæ, tamen pretio æstimabile est, quòd obligent se ad pecuniæ custodiam. & ad eam restituendam, quando alteri placuerit: quòd autem interim quæstum vsu pecuniæ faciant, industriæ fructus est, non pecuniæ: vnde hoc non impedit, quin pro obsequio, quod præstant depositori, possint mercedẽ pacisci. Interdum fieri potest, vt deponentes lucrentur; vt si nolint pecuniam suam tradere, nisi in societatem

ſecum, cuius ipſe per moram iniquam eſt vera cauſa, teneri. Si enim ex eo, quòd ſtatuto tempore mihi non ſoluas tritici, contingat mancipia mea mori, quibus ego alia ratione ſuccurrere non potui; cur non tenearis ad eorum æſtimationem? & tamen hoc eſt intereſſe extrinſecum, vt patet ex d. L. Si ſterilis, vide ſupra c. 21. nu. 102.

87 *8. Non exigere penſiones.*

Octaua conditio eſt. Vt ex penſionibus ceſſis non augeatur cenſus iam conſtitutus. quod intelligo, antequam illæ reſoluta ſoluæ fuerint; tecùs cum fuerint ſolutæ: nam ex pecuniæ numeratæ additione augeri poteſt: ſic enim ab initio eſt conſtitutus Nauarrus num. 94.

9. Poſſe non teneri extrinſecè.

Nona eſt. Vt non ſiant pacta, quibus cogatur onera aliqua ſoluere is, qui ex natura contractus ad ea non tenebatur; vt ſi conſuetudo ſit, vt emptor aliquid ſoluat fiſco; non poteſt obligari venditor, nec contra. vide Nauarr. nu. 94. & 132.

88 *10. Re pereunte, perit cenſus.*

Decima eſt, Vt re in totum, vel in partem perempta vel effecta infructuoſa pro rata pereat cenſus.

Vbi Nota idem eſt Primo, Hanc conditionem intelligendam eſſe de re, quæ in perpetuum perijt vel infrugifera eſt reddita, ſiue tota, ſiue ex parte: tunc enim tantumodo cēſus perijt pro rata. ſi enim ad tempus pars aliqua rei pereat vel infrugifera ſit reddita (vt ſi eam flumen, ripis perfoſſis, occupauit) non perit cenſus ex parte, ſed totus manet. vnde ſi reliqua pars aliquid ferat, ex ea debetur ſolutio integra: ſi enim cēſus totus ita fundatus ſit in agro toto, & pars in parte agri, vt pereunte parte vel in perpetuum reddita infrugifera, pereat cenſus pro rata: hoc tamen non eſt ita accipiendum, quaſi re manente ſalua & ad tempus ex parte infrugifera, non debeat pars penſionis illi reſpondens ſolui: quia ſi res ſecundum nullam ſui partē ſit abſolutè in perpetuum infrugifera effecta, manet ſecundum ſe totam. & ſecundum omnes ſui partes obligata pro tota penſione: quod omnium confeſſione verum eſt, quādiu tota res cenſui ſubiecta, manet in dominio vnius.

Si ad tempus ſolum ferat vel infrugifera reddatur.

89 *Res diuiſa non diuidit cenſum, ſeu obligationē.*

Sed dubium eſt, Si res diuidatur in plures hæredes, vel venundetur pluribus per partes, vtrùm a ſingulis poſſit dominus cenſus exigere totam penſionem? Couarruuias lib. 3. var. cap. 7. nu. 7. negat; quia illæ obligationes ſunt in rebus diuiſis igitur rebus, diuiduntur obligationes.

Sed contrarium eſt verius, vt docet Nauarrus nu. 114. quia conditio creditoris non debet fieri peioris conditionis ex hæredum multiplicatione. Deinde quia nemo vellet tali conditione cenſum emere: quare dicendum eſt obligationem nō diuidi, quandiu res ſalua manet, ſed totam manere in tota re, & quodammodo in ſingulis partibus, ita vt ex quauis, totam ſolutionem poſſit accipere. & hoc vſus ipſe ſatis comprobat.

90 *Poſſum vt perſio ſemper ſit integra, id eſt eſtum.*

Notandum ſecundò, Non eſſe illicitum paciſci vt ſemper penſio integra ſoluatur, re ſalua manente, etiamſi interdum ob ſterilitatem vel caſu minus ferat, modo tamen talis ſit, vt alias tantundem amplius ferat, ita vt illud alio anno compenſetur.

91 *Res perua, nō eſt ſubiecta.*

Notandum Tertiò. Si dolo aut culpa cenſuarij res deſtruatur teneri eum reddere pretium cenſus, aut illum ſuper alia re immobili conſtituere. quòd ſi res deſtructa (v. g. domus, molē ſimum) inſtauretur, non eſt ipſa cenſui ſubiecta, niſi de nouo ei ſupponatur; quia eſt diſtincta a priore. Ita Nauarr. nu. 118. In hoc tamen eſt ſpectanda conſuetudo loci; quia multis locis vſus eſt contrarius.

92 *11. Redimendus eodem pretio.*

Vndecima conditio eſt, Vt ſemper eodem pretio, quo emptus eſt, poſſit redimi, nec fiant vlla pacta, quibus directē vel indirectè talis facultas adimatur.

Notandum eſt Primò. Hic reijci cenſus irredimibiles, non quidem omnes, (iuxta Nauar. numero 98) ſed eos, qui non emuntur multo pluris quàm redimibiles; hi enim ſunt iniqui, qui vero iuſto pretio emuntur, cum per totum orbem Chriſtianum ſint receptiſſimi, per tuſtam ſ'ωπόκρισιν poſſunt excipi, vt ibidem rectè docet Nauarrus. non enim credibile eſt Pontificem tam generalibus verbis, tam obiter, cenſus tam receptos velle tollere. præſertim cum in illis ceſſet omnis præſumptio vſuræ. Reijciuntur etiam cenſus temporales, (v. g. ad decennium) quibus adijcitur pactum, vt ſi intra certum tempus non redimantur, fiant irredimibiles. Ita Bonifignius cap. 14. num. 9.

Non prohibētur irredimibiles.

93 *Non per partes poſſe fieri minutas.*

Notandum Secundò, Non teneri emptorem permittere venditori, vt cēſum per minutas partes redimat, quamuis id in cenſibus Martini V. & Calixti III. conceſſum eſſet, nec enim Pontifex non requirit hoc loco, & meritò: quia id poſſet eſſe valdè incommodum emptori: qui ſi integrā ſummā perciperet, vel bonam eius partem, poſſet prædiū vel aliam rem fructiferam comparare. Ita Thomas Boniſignius c. 14 nu. 11. quare poſſet in pactum deduci vt non redimat, niſi totum ſimul vel notabilem partem.

12. *Vt moneat emptorem, &c.*

Duodecima eſt, Vt venditor volens redimere cenſum, moneat emptorem ante bimeſtre, & poſt denuntiationem poterit cogi intra annum vt redimat; elapſo anno non poterit cogi.

94 *13. Non poſſe repeti ſortē.*

Decimatertia eſt, Vt emptor non poſſit ab inuito vendi tore pretium repetere. ex hac conditione ſequitur, omnes cenſus eſſe perpetuos, ſeu irredimibiles ex parte ementis, quamuis ex parte vendentis ſemper ſit libera redimendi facultas: niſi ſit cenſus irredimibilis iuſto pretio comparatus, vt dictum eſt conditione 11.

95 *14. Vt pretiū non augeatur.*

Decimaquarta conditio eſt, Vt pretium cenſus ſemel conſtitutum non poſſit augeri vel minui ob temporis vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens. hoc intellige, non poſſe fieri in grauamen vendentis. hic enim ſemper eodem pretio poteſt cenſum extinguere, quo vendidit. Vtrum autem alteri, maiori vel minori pretio, quàm initio emptus fuerit, poſſit vendi, dictum eſt ſuprà dubitat 7.

96 *Circa Bullā eſt aduertendū.*

Circa has conditiones Notandum Primò. Eas non extendi ad contractus ante Bullam factos, ſed ſolum poſt illam faciendos. Secundò, Solum extendi ad eos contractus, qui fiunt per modum emptionis & venditionis, in quibus dato pretio, cenſus conſtituitur; non autem ad eos, qui fiunt per contractum donationis, aut dotis conſtituendæ, aut per viam legati, fideicommiſſi, vel alterius vltimæ voluntatis. vt notat Boniſignius ſupra cap. 18 & Nauarr. num. 98.

97 *Vſura Iuris humani non datur.*

Tertiò, Contractus ſub alia forma in poſterum celebrandos, à Pontifice iudicari fœneratitios. quod intelligo, ſaltem quoad præſumptionem fori externi: nam ex parte rei fieri poteſt vt non ſint fœneratitij. Quidam ex illis verbis colligunt, dari vſuram Iuris humani. vt datur ſimonia Iuris humani. Ita Boniſignius, cap. 17. ratio eſt; quia poteſt Pōtifex abſolute prohibere formam aliquam contractus, in qua eſt ſpecies quædam ſeu ſimilitudo vſuræ. & efficere vt ille contractus ſit neceſſariò vitandus ob periculum vſuræ, ita vt ſi quis poſt talē prohibitionē non aliter, committit peccatum vſuræ. Sed contrarium eſt verius. Ratio eſt, quia vſura non eſt, niſi vbi ex parte rei eſt inæqualitas contra iuſtitiam: ſed fieri poteſt; vt in contractibus aliter celebratis, quàm hæc Bulla poſtulat, nulla ſit inæqualitas iuſtitiæ contraria, (vt ſi debitum liquidum conuertatur in cenſum: ſi non fiat coram notario, & teſtibus, &c.) ac proinde vt nulla ſit vſura. De ſimonia eſt alia ratio; quia dum aliquis contractus prohibetur ob reuerentiam rerum ſacrarum, committitur peccatū irreligioſitatis, ſi quis illum attentet. ſed de hoc alibi.

Quartò, Quidquid expreſsè vel tacitè contra has conditiones dari, remitti, aut dimitti contigerit, a Fiſco vindicari poſſe. Ita habet Bulla.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm hæ conditiones obligent vbique.

98 *Non obligat, vbi non eſt promulgata.*

RESPONDEO, & dico Primò. Has conditiones in Bullæ non obligare, vbi illa non eſt promulgata vel recepta. Probatur Primò, Quia probabile eſt non ſolum leges Imperatorias, ſed etiam Pontificias non obligare nec irritandi habere, niſi ſint promulgatæ in Prouincia, vt oſtenſum eſt 1. 2. quæſt. 90. articul. 4. Secundò, Quicquid ſit de aliis quibuſdam conſtitutionibus Pontificijs, non eſt credibile ſuam Sanctitatem velle, vt hæc Bulla, quæ tot notas & iure naturali minimè requiſitas conditiones continet, circa contractum ciuilem obſeruandas, in alijs Prouincijs vim habeat ante promulgationem in iiſdem factā, nam ex contrario ſequerentur grauiſſima incommoda: infiniti enim cōtractus bona fide celebrati, eſſent irriti, cum maximo plurimorum damno. tenerentur enim plurimi, omnes penſiones receptas computare in ſortem: & multi amiſſa ſorte deberent etiam aliquas penſiones refundere,

(idque

(idque absque vlla sua culpa) qui tamen cum pari vel maiore lucro eam in rem fructiferam vel negotiationem impendissent, si contractum censualem irritum esse putassent. neque enim ex sola promulgatione Romæ facta passim potuit innotescere noua illa ordinatio, sed paucissimis tantum: atqui ratio postulat legem eo modo promulgari, vt commodè & humano more possit innotescere omnibus, ne (quantum est ex parte legislatoris) subditi damnum incurrant ex ignorantia; neque se iuste possint excusare, si non obseruent. Tertiò, Quia etiamsi lex sit promulgata, si tamen ipso vsu & moribus vtentium nõ recipiatur, nec Superiores insistent, & curent executioni mandari, non obligat. vt docet Nauar. l.1. consil.5. tit. de constitutionibus, & in Enchirid. c.23. n.41. & Couar. lib. 2. var. c.16. n.6. vel certè desinit post decennium obligare. decreta enim Concilij generalis, quæ per decennium in aliqua Prouincia nõ sunt recepta, amittunt vim suam, & desinunt obligare, vt idem docet lib.3. consil.83. tit. de Regularibus. Sed de his plura suo loco.

99 *Non obligat in Belgio. Nec in Sicilia.* Ex his sequitur, has conditiones non obligare in Belgio, tum quia nunquam hic promulgatæ; tum quia contrarius vsus semper perseuerauit. Idem credo de Gallia & Germania. Addo nec in Regno Siciliæ vim habere. ibi. n. concessum est primum a Nicolao V. deinde a Greg. XIII. vt cum tribus conditionibus possint census emere quarum Prima est, vt constituatur super re aliqua certa, vna vel pluribus, & posset addi generalis obligatio omnium bonorum. Secunda est, vt venditor possit redimere quãdo voluerit. Tertia, vt census non excedat decimam partem sortis, seu pretij. habentur hęc in Bullario nuper edito a Greg. XIII. vnde patet non voique censendos esse vsurarios omnes census aliter constitutos, quàm in Bulla Pij V. præscribitur.

100 Dico Secundò, Vbi Bulla Pij V. est promulgata & recepta, est omnino seruanda in foro conscientiæ; idque eatenus quatenus recepta est. omnis enim lex iusta & recepta obligat in conscientia. hæc autem talis est: ergo. quòd si ex parte tolũ recepta sit, prout visum fuit expedire bono publico regni, etiam ex parte dumtaxat vim obligandi habet. sed de hoc vide Nau. de vsuris. num. 106. & 107.

101 *Vbi nulla est certa lex vel consuetudo.* Dico Tertiò, Vbi hæc Bulla non est recepta, seruandæ sunt leges & consuetudines ibidem vsitatæ, quæ tamen legi diuinæ vel naturali non repugnent. vbi autem nulla esset certa consuetudo habens vim legis, satis est seruare legem naturalem, quæ tantummodo requirit æqualitatem inter censum & pretium.

DVBITATIO XIV.

Quomodo constituendum sit iustum pretium censuum?

102 *Iustum pretium.* RESPONDEO Illud optimè constitui ex proportione pretij rerum fructiferarum, vt agrorum, domorum, siluarum. quo enim pretio emi potest res frugifera, quæ deductis expensis quotannis reddat 100. aureos: eodem, & etiam minore, iustè potest comparari census realis irredimibilis tantumdem pendens. ratio est, quia amplius est habere plenum rei dominium, quàm solum ius percipiendi tantumdem fructuum, quantum res illa solita est ferre. quòd si census irredimibilis eo pretio emi potest; multo minore poterit census redimibilis, etiam personalis, quia longe minoris æstimatur quàm irredimibilis realis; imò sæpè non pluris quam redimibilis realis, in bono fundo constitutus. Considerandum etiam est, verùm in ea Prouincia multum vigeat negotiatio. hæc enim facit pecuniam præsentem pluris æstimari. & census minoris, denique sitne copia an inopia pecuniæ: nam inopia pecuniæ facit census vilescere; vt experientia superiorum annorum in Belgio docuit.

103 *Pretium irredimibilis.* Ex his fit vt pretia censuum pro varietate temporum & locorum sint varia: nam pretium census irredimibilis in Hispania est 28 29. vel 30. aureorum in singulos, vt testantur Medina & Nauarrus. cum enim pretium huius non fit lege præscriptum, elevarium fiunt & aliarum rerum, quæ pretio vulgari venduntur. vnde fit, vt nunc infimo, nunc medio, nunc summo vendantur.

104 *Pretium redimibilis.* Pretium verò census realis redimibilis est lege taxatũ, estque 14. in singula. In Sicilia tamen huius pretium est tantum 10. in singula, quod approbauit Nicolaus V. & Greg. XIII. pro Sicilia. Calixtus quoque III. & Martinus V. idem approbarunt in censibus realibus pro Polonia & Germania, quando pro varia temporum conditione talis est consuetudo vel æstimatio, vt patet ex illorum extrauag. Aliquando est 11. vel 13. vt patet ibidem. Hinc patet, non debere iniquam videri emptionem censuum personalium cum hypotheca, pretio 16. aureorum in singulos: nam hi census, vt experientia docet, ordinarie non sunt securiores quàm census reales, qui tamen multo minoris emi possunt. Deinde eo pretio fere potest emi prædium, quod tantumdem reddat. Denique quia ita viget negotiatio, vt multi parũ curent census personales: na facilè tantumdem & amplius lucrari possunt per tres contractus in societate mercatorum, idque absque vlla molestia. Census irredimibiles in Belgio non habent pretium legitimum, nec possunt de nouo creari, vt patet ex constitutione Caroli V. anno 1528. Bruxellæ facta. reseruatim tamen vendi possunt prętio 25. in singula, vel etiam minoris.

105 *Pretium in Belgio.*

DVBITATIO XV.

Verùm si census emptus fuerit minoris iusto, pensiones sint restituendæ, quatenus superant pretium datum.

106 QVIDAM docent pensiones restituendas: vt si censum valentem 15. aureis in singulos, emeris 10. restituendam esse tertiam pẽsionum perceptarum partem, iuxta ea, quæ dicta sunt cap. 21. dubit. 13.

Si pretium constitutum cum clausula irritante. Sed vtendum est distinctione, si enim pretium census est lege constitutum, cum clausula irritante contractum; tunc necessario sunt restituendæ pensiones, qua parte excedunt iustum pretium. ratio est, quia contractus, qua parte census superat pretium, est irritus; ac proinde non subest vllus titulus, quo recipiatur ille excessus pensionum. itaque qui censum valentem 15. emit 10. debet restituere trientem, id est, tertiam pensionum partem. poterit tamen duas tertias retinere, quia respectu illarum pretium est iustum; ac proinde contractus validus. non enim lex irritare intendit contractum illum, nisi qua parte pensiones superant pretium iustum. si verò pretium non sit lege cõstitutum, vel saltem non cum clausula irritante tunc dubiũ est.

107 Quidam enim putant nihilominus excessum illum pensionum restituendum; iuxta ea, quæ dicta sunt c. 21. dubit. 13. de fructibus restituendis; quæ sententia est probabilis, ob rationes ibi allatas. Contrariam tamen puto veriorem, Nẽpè nihil ex pensionibus esse restituendum: sed tantum prętium esse supplendum, & interesse (si quod ex carentia iusti pretij obuenit venditori) compensandum. Ita Ioannes Medina q. 15. dubit. 4. §. Sed pone. Probatur, quia venditor non est fraudatus ex eo, quod emptor pensiones perceperit (vt quæ ipsi erãt debitæ ex valido contractu) sed quòd iustum pretium non fuerit ei persolutum, confirmatur, si quis emeret agru minoris iusto, non teneretur fructus agri reddere, sed pretium supplere & farcire damnum, si quod ex defectu iusti pretij secutum sit: atqui pensiones sunt veluti fructus census. ergo, &c.

Supplendum pretium & interesse.

Dices. Qui emit censum valentem 15. pro 10. non efficitur dominus nisi dodrantis, id est, duarum tertiarum census, cum pro reliqua tertia nullum pretium dederit, vel promiserit. ergo pensiones illius tertiæ retinere non potest.

Respondeo negando antecedens. fit enim dominus totius census, nam venditor totum intendit in emptorem transferre, & emptor totum emere & pro toto pretium dare: sed quia pretium non fuit æquale tribus trientibus, sed duobus tantum; manet obligatus vt supplear quod deest pretio. pro reliquo.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

De Cambijs.

Complectitur Dubitationes II.

CAMBIVM magnam habet affinitatem cum contractu emptionis, ideo proximè post emptionẽ & venditionem, & post contractum censuarium (qui est species empticus) dicendum est de cambijs.

DVBITATIO I.

Quid sit cambium & quotuplex.

NOTANDVM est, *Cambium* generatim idem esse quod permutationem. *cambire* enim est permutare. sed ex vsu vulgato solum accipitur pro permutatione numismatum. & hoc modo hic loquimur de cambio. soletque sic definiri, *Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia.* Nomine *permutationis* generatim significatur omnis contractus oneros us: nam in his omnibus est quædam commutatio, vt patet in emptione, mutuo, locatione & similibus. verum in proposito *permutatio* accipitur propriè, vt distinguitur à contractibus nominatis; vt nihil sit aliud quàm vtro citroque datio rei pro re, vel pecuniæ pro pecunia; hoc modo est genus ad cambium, & ad permutationem rerum.

1 *Cambium quid.*

Permutatio.

2 *Mutuum differt a cambio.*

Per hanc partem excluditur mutuum à ratione cambij. *mutuum* enim propriè non est permutatio, quia non est vtro citroque datio seu traditio; perficitur enim traditione solius rei, quæ mutuo datur, nec includit redditionem æquiualentis, sed solum obligationem, vt post temporis interuallum reddatur æquiualens eiusdem speciei; *permutatio* verò vtrimque requirit traditionem; neque censetur perfecta secundum suam propriam rationem, nisi vtrimque secuta sit traditio. vnde non solum res, quæ prior datur, sed etiam quæ rependitur, dicitur permutari. Deinde non postulat vt vllum intercedat temporis interuallum inter dationem & redditionem, sicut mutuum: nisi interdum per accidens ratione rerum, quæ permutantur: nam fieri potest, vt permuteretur res præsens cum ea, quæ multum distat, cuius non potest statim fieri traditio. Imò res, quæ existit, potest permutari cum futura, vt triticum præsens cum eo, quod in messe fuerit collectum; vt rectè docet Nauarrus cap. 17. nu. 187. si enim talia possunt emi & vendi, cur non etiam permutari? cum contractus permutationis similis sit emptioni & venditioni; vt habetur L. 1. & 2. ff. de rerum permutatione. vnde non rectè dicit Sotus lib. 6. quæst. 12. art. 2. & alibi ad rationem permutationis requiri vtriusque rei existentiam, & vt is, qui recipit, in promptu habeat vt reddat. id enim nullo iure, nullaue ratione sequitur: vt contra eumdem docet Nauarrus supra. verum tamen est contractum permutationis non fore complctũ in sua ratione, nisi res, quę reddenda est, existat, & præterea nisi sit tradita. licitum tamen est facere pactum & inchoare ipsam permutationem, tradendo rem præsentem, etiamsi altera nondum sit. Si tamen neutra existat, non potest quidem inchoari permutatio, cum nulla possit fieri traditio. potest tamen fieri conuentio de permutando, vt patet ex L. 1. ff. de rerum permutatione; hæc enim perficitur consensu.

3 *Res existens & non existens & futura possit permutari.*

4 *Cambium refertur ad varios contractus.*

Petes, Ad quam speciem contractus pertinet *cambium?* Respondeo, Posse referri ad varios. Primò enim ex vi nominis pertinet ad contractum *permutationis*, tamquam eius species, vt dictum est, siue permutentur pecuniæ diuersorum generum, siue diuersorum locorum, nempè præsens cum absente. Secundò, Pertinere potest ad contractum *emptionis & venditionis*. Ita Caietanus opusc. de cambijs c. 7. quod habetur tit. 2. tract. 7. Syluester Vsura 4. quæst. 8. Boninsignius tract. de cambijs cap. 6. num. 7. quod maximè consentaneũ est vsui mercatorum; qui pecuniam absentem spectant tamquam mercem, eamq; præsenti pecunia tamquam pretio emunt & vendunt: nã pecunia non solum est pretium & mensura rerum venalium; sed etiam potest esse merx venalis; tum ratione materiæ, quæ melior vel deterior est; tum ratione commoditatis conseruandi, deferendi, numerandi; tum ratione distantiæ localis, vt infra patebit. Tertiò, Ad contractum *locationis & conductionis operarum*; præsertim si loquamur de cambio, in quo campsor accipit prior, vt alibi reddat: tunc enim censetur pecuniam alterius ex hoc loco in alium trajicere; quæ opera est pretio digna. dum verò hic dat vt alibi accipiat; non ita propriè trajicit alterius pecuniam, sed permutat præsentem cum absente, quæ minoris æstimatur; quia vt præsens fiat, trajici debet. Quartò, Referri potest ad contractum *innominatum*, do vt des. Ita Nauarrus cap. 17. nu. 294. sed parum refert ad quod genus contractus pertineat, modo seruetur æqualitas inter datum & acceptum, vt rectè docet idem Nauarrus.

Pecunia de se est merx.

5 *Diuisio cambij.*

Diuiditur autem à DD. *cambium* in *reale*, & *siccum*. *Cambium siccum* vocatur, quod non est verum cambium, sed fingitur esse, eo quòd imaginem quamdam cãbij præseferat; vt quando habetur sola ratio temporis; aut quando fingitur alibi solutio facienda, & sit eodem loco cum usura. dicitur *siccum*, quia caret humore, seu iusto titulo ad pariendum lucrum.

Siccum.

6 *Reale.*

Reale est legitima permutatio pecuniarum, ex qua iustè aliquid lucri capi potest. Hoc subdiuiditur in *minutum* & *locale*. *Minutum* est permutatio numismatum diuersæ rationis & speciei; vt aureorum cum argenteis, argenteorum cum æreis, maiorum cum minoribus, arrosorum cùm integris, ueterorum cum legitimis, antiquorum cum nouis, patriorum cum externis.

Minutum.

Locale.

Locale cambium (quod etiam vocatur *cambium per literas*) est quando permutatur pecunia præsens cum absente.

DVBITATIO II.

Vtrùm in cambio minuto liceat aliquid accipere supra valorem nummi lege definitum.

Vt si aureus nummus lege taxatus sit 120. grossis; vtrum liceat exigere 122. vel 123. dum aurei nummi commutantur cum minutis argenteis?

7 *Varij tituli lucrandi in cambio minuto.*

RESPONDEO, Posse interuenire varias causas, ob quas id sit licitum.

1. *Lucri cessantis causa.*

Primò, Ratione lucri cessantis tantum potes exigere supra valorem legitimum, quanti æstimabitur illa spes lucri, qua te per cambium priuas; vt si constitueras nummos aureos alibi deferre, vbi pluris valent; vel alibi merces emere, vbi sine damno alia moneta emere nequis. Nec obstat quòd pretium lege taxatũ consistat in indiuisibili; quia illud incrementum non accipitur pro nummo ipso præcisè considerato, sed pro lucro ex eo sperato. Eodem modo licitum est accipere supra pretium legitimum frumenti, vini, & aliarum rerum, si aliò, vbi pluris valent, delaturus eras. vt supra dictum est.

8 2. *Ratione officij cambiendi.*

Secundò, Ratione officij cambiendi, præsertim si id alicui a Repub. vel Principe sit concessum. hoc enim officiũ includit obligationem cambiendi, & multa onera, (vt paratam habere pecuniam varij generis in gratiam aliorum, numerare cum aliquis petierit, custodire assiduè cum solicitudine) quæ sunt pretio æstimabilia. Itaque pro hac obligatione & his obsequijs, quæ in commodum aliorum præstat, potest a singulis aliquid exigere, (si aliunde stipendium non habet) nempè quantum necesse est, vt tale officium ex æquo compensetur, sicut dictum est de monte pietatis c. 20 dub. penult. vide Conradum quæst. 99. concluſ. 4. Ratione huius tituli non solùm potest aliquid lucrari

crari, dum monetam magnam cambit pro parua, vel aurea pro argentea, sed etiam dum minutam pro magna, siue aurea, siue argentea, cõmutat: nã vtrũque fit in gratiam eius, qui permutationem petit, & ob vtrumque officium suscipitur & varia pecunia procuratur.

9 *An sint authoritate Principis.*

Dixi, *Præsertim si a Principe hoc officium sit concessum*; quia quidam putant nihil posse accipere cum, qui sponte sua aosq; tali auctoritate hoc officium sumit. Verùm si hic eadem obsequia præstet, non video cur non possit aliquid exigere; etsi non tantum, quantum illi, qui id ex obligatione faciunt. nam obsequia illa in gratiam eorum, qui petituri sunt, præstita, aliquam mercedem merentur. & ita tenet Nauarrus cap. 17. num. 288.

10 *Ratione laboris numerandi.*

Tertiò, Ratione laboris numerandi pecuniam. Caietanus tract. de cambijs cap. 1. putat ratione huius tituli nihil posse accipi: tum quia nõ est pretio æstimabilis: tum quia si pretio æstimare quis velit, compensatur labore alterius qui pecuniam etiam numerare debet.

Verùm communis sententia DD. est, ob hunc titulum posse aliquid exigi: etsi parum. Ita Conradus q. 99 concl. 5. Nauarr. supra Sotus lib. 6. qu. 9. art. vnico. ratio est, quia hic labor est pretio æstimabilis, etsi interdum gratis præstari soleat; quare cum fiat ad petitionem alterius, poterit pro eo exigi compensatio: ab eo enim, qui petit aliquid in suum commodum præstari, potest merces repeti. vnde etiam in mutuo aliqua ratione huius laboris accipi potest. Neque verum est, numerationem vnius compensari per numerationem alterius; quia vtraque fit in gratiam eius, qui cambium petit; sicut in mutuo: nam secunda est propter primam; prima autem est propter petentem: ergo & secunda censetur esse propter eundem.

11 *Ratione materiæ.*

Quarto, Ratione puritatis materiæ. Medina quæst. 7. de vsura, negat hoc titulo posse aliquid accipi a cãpsoribus: ratio ipsius est, quia in taxando pretio Princeps habuit rationem puritatis materiæ, ac proinde non potest ob hanc causam pluris æstimari.

Sed contrarium tenent Caietanus de cambijs cap. 6. Sotus & Nauar. supra, & alij. Probatur, Quia scutum auri purissimi, cui nihil alieni metalli est admixtum, etsi non sit maioris taxæ legalis quàm scutum auri impurioris; est tamen maioris pretij vulgaris, ratione materiæ; communi enim hominum iudicio pluris æstimatur, quia materia ejus æstimabilis (nempe auri) plus habet: ergo minor merces pluris potest vendi, & commutari. sic antiqui ducati duplices pluris æstimantur quàm noui, etiamsi lege idem pretium habeant. Itaque licet veteres commutare nouis cum taneo auctario, quanto est plus auri in illis quàm in his.

Resp. ad rationem Medinæ.

Ad rationem Medinæ Respondeo, Principis mentem non esse, quin huiusmodi nummi puriores, si tamquam res commutentur cum impurioribus, possint ratione materiæ pluris æstimari; (id enim esset irrationabile, ac proinde non obligaret subditos in conscientia) sed tantum præscribere pretium eorum, quatenus sunt mensura rerum venalium & solutionis debitorum; vt infra magis declarabitur.

12 *Ratione vtriarum commoditatum.*

Quintò. Ratione commoditatis conseruandi, transferendi, numerandi, & vbique negotiandi. hunc etiam negat Medina & quidam alij Doctores. Primò, Quia Princeps in pretio taxando, huius commoditatis rationem habuit. Secũdò, Sicut moneta magna & aurea habet sua commoda, ita etiam minuta.

Sed contrarium tenent Doctores citati; & meritò; quis enim non pluris æstimet 1000. coronatos in auro, quam in pecunia minuta argentea? itaque in his permutãdis potest hæc commoditas, qua se quis priuat, æstimari. nihil tamen amplius peti potest ratione commodi, quod alteri inde prouenit; vt recte notat Caietanus.

13 *Resp. ad rationes Medinæ.*

Ad primam rationem Respõdeo Primò, Principem eatenus habuisse rationem huius commoditatis, quatenus maius pretium illis nummis imposuit, quam tantundem auri in minutissimas partes distributum haberet. eo tamen pretio imposito, adhuc pluris æstimatur, quàm pretium illud in minuta pecunia, neque id Princeps tollere potest, (quamuis possit prohibere commutationem) quia est conditio consequens rei naturam.

14 *Quo modo taxatio Principis sit intelligenda. Nãm aspiciter consulentur. Interdũ pecunia interdum secundum vulgarem æstimationem.*

Respondeo Secundo, Principẽ non intendere illos nummos taxare secundũ omnem rationem; & ad omnẽ vsum quẽ habere possunt; sed solum, vt sunt mensura rerum venalium, & solutionis debitorum. dupliciter enim nummi considerari possunt. Primò. Formaliter vt nummi, seu vt sunt mensura rerum vendibilium; qui est vsus earum primarius. sic non pluris valent quàm lege Principis sunt taxati, vel saltem quàm vulgo in emptionibus & solutionibus debitorum solent exponi. quod addo, quia sæpe fit vt formalis æstimatio nummorum crescat supra taxam legalem, ex appretiatione & viu vulgi, Principe non contradicente; idque ob materiæ puritatẽ vel pondus, vel quia in locis vicinis pluris æstimantur: & tunc possunt passim in contractibus eo pretio exponi, quia illud censetur legitimum. Secundò, Materialiter, seu ratione conditionum; quas habent ex materia vel figura, vt ratione puritatis vel copiæ materiæ vel raritatis, vel antiquitatis, vel commoditatis; hæc enim omnia censentur conditiones materiales. nam etiam ipsa imago est quid materiale in nummo, qua nummus est secundum hanc rationem habent vsum secũdarium, & fiunt res vendibiles & permutabiles cum alijs nummis. nec sunt taxati lege, sed habent vulgarem æstimationem, quæ non cõstitit in indiuisibili sicut legitima, sed cõstat suis gradibus prætij infimi, medij, summi. vnde possunt vendi & permutari cum aliquo lucro, iuxta receptam locorum consuetudinem. ita docent Caietan. c. 1 & 6. Cõradus, Sotus, & Nauarr. supra, & alij passim. Nemo tamen in solutionem debitorum tenetur eos acceptare. nisi secũdùm æstimationem legalem, seu eam, quã habent vt nummi ad vsum primarium.

Ad secundam rationem. Monetæ paruæ etiam sua commoda habent; sed exigua copia cuique sufficit, quæ facillimè potest haberi; nemo enim quærit ingentes aceruos minutarum vel fluxorum. secus de magna, cuius summa copia quæritur.

15 *Ratione raritatis.*

Sexto, Ratione antiquitatis vel raritatis. hæc enim cõditio facit nummos pluris æstimari, quàm alioquin valerẽt.

16

Septimo, Ratione vsus seu expendibilitatis, vt ait Caietanus, vt si in aliquo loco cõmutes nummos, qui possunt ibi expendi, cum ijs, qui non possunt. cum enim non habeant ibidem pretium vt nummi, sed solùm vt aurum vel argentum; possunt notabiliter minoris emi, quam valeant in sua prouincia.

17 *Cãpsores publici & primati.*

Petes, Quid si lege publica cautum sit ne quis præter publicos cãpsores tale cambium faciat: tenebiturne ad restitutionem qui contra fecerit? Sotus supra putat teneri.

Sed verius est non teneri: nõ enim tenetur Respub. cum nihil damni huic fit illatum: neque etiam ei, qui cum cambium fecit, quia nulla ei facta est iniuria, cum non plus ab eo sit acceptum, quam communi campsorum iudicio nummi in tali permutatione soleant æstimari.

18 *Famulus pecuniam soluendam cõ alia commutans.*

Ex dictis sequitur, si tradam famulo vel negotiorum gestori mille aureos in auro, vt soluat meo creditori, non curans qua specie id fiat, & ille eam commutet contra monetam argenteam cum lucro, eaq; soluat creditori retento lucro; nõ teneri ad restitutionem illius lucri. ratio est, quia illud lucrum est fructus industriæ, prouenientis ex negotiatione pecuniaria, famuli industria & periculo facta; ac proinde nec mihi domino pecuniæ debetur; (sicut dũ fur vel vsurarius negotiatur aliena pecunia, non tenetur domino pecuniæ ad lucri restitutionem) nec etiam meo creditori; quia hæc species illi non erat debita, & illi integrè alia specie est satisfactum. Si tamen mens mea erat, vt illam pecuniæ speciem meo creditori traderet, eò quòd cuperem illi gratificari, & dare occasionem illi lucrandi; tunc distinguendum est, vel enim creditor illa specie erat lucraturus, vel non erat. si erat lucraturus, tunc famulus tenetur ei de lucro cessante, quanti illa spes lucri æstimabitur, quia hæc species ei erat debita, quam non soluendo, est ei causa iniusta amissionis lucri. si autem non erat lucraturus. sed pretio communi exposituras, ad nihil tenetur, quia etsi iniuriam fecit, speciem debitam non soluens; tamen nihil damni intulit. Sed de his plura supra cap. 20. dubitat. 18. & 19.

DVBI-

DVBITATIO III.

Vtrùm in cambio locali, quando campsor prior accipit, vt alibi restituat, possit aliquid lucrari, & quo titulo.

19 RESPONDEO, Posse aliquid lucrari: idque variis titulis: est communis sententia DD. Gabrielis d. 15. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Conrad. q. 99 Cajetan. cap. 6 Medinæ cap. de cambijs vltim. Navar. c. 17 n. 239. Soti l. 6. qu. 10. art. 1. & aliorum.

1. *Titulus. Translationis.* Primò, Titulo translationis pecuniæ: trajicit enim pecuniam, quam hic habes, in locum, vbi optas eam esse, v.g. Antuerpiæ Hispalim; quæ operæ gratiam alterius præstita, est pretio æstimabilis. Nec obstat, quod re ipsa non transferat; quia cùm quasi transferre faciendo sit, quod æquivalet reali translationi: inde etiam vbique communis loquendi habet, vt talis pecunia dicatur trajici & transponi. itaq; cum æquivalenter eam trajiciat, ita vt ab illa tantum commodi præstet, quantum si re ipsa transferret, merito potest pro illo obsequio pretium exigere: sicut nummus qui certo pretio pactus est 100 aureos in locum remotum transferre; etsi inveniat hominem, qui accepta hic illa pecunia, paratus sit tamendem ibi gratis numerare; nihilominus potest accipere pretium translationis, perinde ac si re ipsa transtulisset, quia industria præstitit id, quod æquipollet translationi. Nec refert, quod sine incommodo vllo vel labore hoc fecerit; quia id ipsius industriæ vel bonæ fortunæ adscribendum. Idem dicendum de campsoribus.

Notandum tamen, campsores non posse tantum exigere pro hac vera translatione, quantum si re ipsa transferrent; sed solum quantum inter ipsos bona fide pro tali obsequio est constitutum: quod ordinariè est multo minus, quia facilitas operæ & commoditas, quam percipit is, qui eam præstat, multum detrahit de pretio. secundum communem hominum æstimationem. neut enim aliarum rerum pretium ex communi peritorum æstimatione, consideratis omnibus circumstantijs pendet; ita etiam huius operæ, quam ipsi præstant.

21 *Quantum hac virtute translationis exigere possint campsores.*

Obiectio. Dices Primò, Is, qui dat hic suam pecuniam campsori vt eam recipiat Hispali, non intendit conducere operam campsoris, sed solum permutare pecuniam, quam hic habet, cum ea, quam campsor habet Hispali: ergo iste titulus est fictitius. Confirmatur, quia transfert dominium suæ pecuniæ in campsorem: ergo non conducit operam campsoris ad illius trajectionem. non enim conducit operam campsoris ad illius metipsum pecuniam transferendam.

Respondeo Primò, Negando antecedens: quòd enim intendat operam eius conducere, patet ex forma loquendi; petit enim pecuniam suam, quam campsori tradit, transponi seu trajici Hispalim. deinde etsi forte non semper expresse intendat operam conducere, tamen id implicitè & virtute tantum tradit pecuniam campsori, cum obligatione vt Hispali tantundem reddat. hoc enim campsor non potest facere, nisi per realem vel æquipollentem translationem procurare eum vt reddantur Hispali centum aurei accepti Antuerpiæ, secundum communem hominum æstimationem, ut eos virtute & æquivalenter transferre; quatenus illum solum intendere permutare; tamen campsor potest suam pecuniam, quam Hispali habet, pluris æstimare, quatenus per illam virtute potest transferre pecuniam, quæ alijs locis est, Hispali: seu quatenus illi pecuniæ inest ea conditio, quæ pecuniis, quas hic accipit, non inest; nempè esse Hispali; pro qua conditione vt infit, dari pretium solet: nam pretio æstimabile est, quòd pecuniam, quam habes Antuerpiæ, possis recipere Hispali, vbi eam optas esse. Et ita si quis attentè consideret, semper implicitè videtur contineri in hoc contractu operarum locatio ad pecuniam transferendam.

22 *Responsio.*

23 *Transfertur dominium fere nullibi.* Ad confirmationem. Non transfertur dominium præcise ex vi huius cõtractus, sed tantum permittitur: quia potest campsor illud nolle admittere, integro permanente campsorio contractu. quia tamen is, qui pecuniam tradit, permittit illi dominium, potest campsor illud admittere, & vti illa pecunia tamquam sua: nam alteri perinde est, siue vtatur, siue non: modo aliam æquivalentem in loco destinato reparantur. sicut quando mercator cambium publico tradit pecuniam in alium locum transferendam, conducit ipsius operam: tamen permittit illi pecuniam commutè: nam perinde est, an sit eadem numero realis ei transferat, siue æquivalentem; quod fit idem, numerando æquivalentem.

Obiectio 2. Dices Secundò, Pecunia præsens pluris valet quàm absens: ergo si alter immediat commutare præsentem cum absente, non poterit campsor lucrari hoc titulo.

Respond. negando consequentiam: quia quod pluris valeat, prouenit ratione commoditatis quam affert tenenti, quam non habet campsor æstimare; quia non capit alterius operam, vt pro absente detur ei præsens: sed alter ipsius operam flagitat, vt pro præsente det ei absentem. vnde potest absentium sua pecunia æstimare. quia per eã præstat id, quod pretio est æstimabile, leuando illum onere transferendi, eiusque pecuniã æquivalenter trajiciendo. 24

Secundus titulus, quo lucrari potest campsor in hoc cãbio, est affecuratio. Ita Lopez tract. de cambijs ca. 4. quam sententiam dicit esse omnes recepissimam. Probatur: quia campsor accipiens hic pecuniam alio trajiciendam, non solum suscipit onus transferendi: sed etiam periculũ, vt pereat, non dante, sed ipsi pereat. atqui præstare periculum trajectionis est pretio æstimabile; vt patet quando cum nuntio pacifcimur vt pecuniã eo periculo transferat. Nec refert, quòd campsori in pecunia transferenda nullum sit periculum: cùm ipse alibi eam paratam habeat; id enim ipsius industriæ vel fortunæ adscribendum: cum satis est, illam obligationem, qua se obligat alteri, vt rem ipsius tuam loco conducto repræsentet, esse pretio æstimabilem, etiamsi eam facillimè possit implere. 25 *2. Titulus. Assecuratio.*

Ex his sequitur, quo longius est iter, & quo maiora sunt pericula, eo amplius ratione assecurationis & translationis posse stipulari: quia eo tractu pecuniæ, si re ipsa fieri deberet, esset difficilior & periculosior.

Tertius titulus esse potest, si pecunia sit minoris pretij in loco, vbi campsor accipit, quàm vbi restituit. de quo plura dicam sequenti. *3. Diuersum pretij.*

Circa prædicta Notandum est, assecurationem implicitè contineri in obligatione transferendi, prout in praxi exercetur. hoc ipso enim, quo campsor accipit pecuniã vt alibi restituat, censetur eam assecurare: quia acceptat eius dominium, ac proinde non minus se obligat, quàm si eam assecuraret. quare videtur non minus posse exigere pretiũ, quàm si duplici obligatione se obstringeret, trajectionis, & assecurationis. Verum non ita est in praxi; quia enim dominum præsentis pecuniæ, quam hic accipiunt, est valdè commodum campsoribus, ideo communiter parui æstimant illam implicitam assecurationem & trajectionem: neque multũ curãt, an locus procul absit, an sit propinquus: forte pericula ignorant. quo fit vt sæpè is, qui petit pecuniam suam alibi trajici, prior tradens, vt postea alibi recipiat, lucretur a campsoribus, tamquam ipsemet campsoris munus exerceret; quia in re campsores offendunt se non satis intelligere iustos titulos, ob quos in reali cambio possent lucrari, & sæpè alia quædam spectare; in quibus est magna suspicio vsuræ; quamuis sibi aliqui ex his persuadeant, hoc negotium cambiorum, & iustos titulos, melius a se quàm a Doctoribus intellectos. In eo tamen quod in pretio cõstituendo non omnes titulos congerãt, quos alioquin possent, ostendunt se satis sincerè procedere; nec facilè eorum contractus tamquam vsurarios condemnandos, quando pretia communi iudicio, vt passim fit, sunt constituta. 26 *Obseruantiæ cuia.*

DVBITATIO IV.

Vtrùm quando campsor dat prior, vt alibi recipiat, possit lucrari, & quo titulo.

QVIDAM existimant campsorem non posse hic quidquam lucrari: quia tunc non trajicit alterius pecuniam, sed solum dat suam mutuo, vt alibi cum incremento recipiat, quod est vsurarium. 27

Sed contrarium tenendum est cum communi sententia Doctorum. Ita Conradus suprà, Caietan. tractatu de cambijs

bijs, c. 6. Sotus lib. 6 de iust. q. 10. ar. 1. Nauar. c. 17. nu. 289. Probari id potest, explicando titulos, quibus videtur iuste aliquid lucri in tali cambio exigere.

28 *1. Tit. Virtualis translatio.*

Primus titulus est virtualis translatio, vel (quod in idem redit) maior æstimatio pecuniæ præsentis quam absentis. Probatur Primò, Quia numerando hic pecuniam præsentem ei, qui habet absentem, tantum obsequij illi præstat, quantum si pecuniam absentem huc trásferret. atqui obsequium translationis est pretio æstimabile: ergo etiam numeratio pecuniæ præsentis pro absente est pretio æstimabilis, quia æquivalet translationi. Secundo, Quia qui petit pecuniam præsentem pro absente, petit levari onere translationis suæ pecuniæ ad hunc locum; atqui hoc onere levat illum cambior, numerando præsentem, & illud in se suscipit: hoc autem est pretio æstimabile: ergo. &c.

29 *Quo transferre censeatur.*

Aduerte tamen quosdam Doctores non admittere hûc titulum in hoc cambio. Primò, quia is, qui prior accipit à cambiore vt alibi restituat, videtur potiùs pecuniam cambioris alio trajecere, quam cambior ipsius: ergo illi potiùs mercedem debebit cambior, quàm ipse cambiori. Secundò cambior non potest aliunde huc transferre pecuniam alterius, nisi antea eam acceperit; atqui nondum accepit: ergo, &c. Verum qua ratione cambior censeri potest transferre pecuniam alterius, nam satis est explicatum: ideo. n. censetur transferre, quia præstat operam æquivalentem, & quia liberat illum onere transferendi. & quamuis alia ratione cambsarius videatur trajecere pecuniam cambioris; non tamen ideò cambior ei debet mercedem; quia hanc eius operam non imploraut. Hinc patet responsio ad primam. Ad alteram Respondeo, Non potest eam transferre realiter ante quam acceperit; potest tamen æquivalenter. facit. n. id, quod æstimatione æque valet ac si pecuniam alibi acceptam huc transferret. sicut si petam Louanij vt tabellarius mihi 100. aureos Antuerpia huc transferat, & ille mihi numeret eos Louanij antequam Antuerpiæ acceperit, æquivalenter eos transtulit. Sed etiamsi concederemus, cambiorē nō trajecere pecuniam alterius in hoc cambio; tamen ex ratione permutationis aliquid lucrari potest; quia pecunia procul absens à loco contrahentium minoris æstimatur quàm præsens: ergo præsens potest cum lucro contra absentem permutari. Antecedens probatur, tũ quia absens non præbet ex natura rei eam facilitatem & commoditatem, quam præsens: tum quia absens (quantum est ex natura rei) sine sumptu & periculis non potest effici præsens. Hinc fit vt etiam merces absentes minoris valeant quàm præsentes. Ita docet Syluester Vsura 4. quæstione 4. versus finem. Caietan. cap. septimo, de cambijs. Nauarrus cap. decimoseptimo, numer. 295. & in capit. fin. de vsuris, num. 62. & 63.

30 *Pecunia absens minoris æstimatur.*

31 Nec obstat Primò, Quòd cambior eam sine periculo & sumptu possit efficere præsentem: tum quia id non semper verum est. nam sæpè magnos sumptus & pericula ob id perferunt. & suos factores, quos alibi habent, magna mercede concedunt, tum quia si id ita est, hoc ipsius industriæ aut bonæ fortunæ est acceptum ferendum. satis enim est pecuniam absentem loco, ex ipsa rei conditione minoris æstimari, eò quòd communiter non sine periculis & sumptibus præsens haberi queat.

32 Non obstat Secundò, Quòd interdum cambiori commodum sit pecuniam habere absentem, quia hoc non provenit ex ipsa conditione absentiæ per se consideratæ; sed ex industria cambioris, qui pecuniam absentem nouit vtiliter impendere. vnde non tenetur ideirco eam secundum se pluris æstimare. Sicut enim is, cui commodum est reducere equum Louanio Parisios, non tenetur illud commodum æstimare, aut minùs pro reductione equi stipulari, si aliquis eius opera in equo reducendo vti velit: ita cambior, cui vtile est, pecuniam, quam dat Hispali, recipere Antuerpiæ, non tenetur illud compendium æstimare, aut minùs pro sua opera exigere, quando aliquis flagitat ad hoc eius industriam.

Ex his patet Primò, cambiorem lucrari posse, etiamsi vtrobique sit idem pretium monetæ, & eadem copia vel inopia, vt docet Nauar. in cap. fin. de vsuris num. 21. & sequentibus.

33 *Intra idem regnum.*

Secundò, Posse lucrari, etiamsi det ad locum intra idem regnum, vt docet idem Nauar. cap. 17. num 290. & Boninsignius cap. 7. num. 27. quod est contra Sotum q. 10 art. 1. & q. 13. art. 1. Ratio est, quia sicuti opera, quam præstat transferendo eam de vna Prouincia in aliam, est pretio æstimabilis, ita etiam ex vna vrbem aliam in eadem Prouincia, vt Antuerpia Insulas, & contra.

Secundus titulus, quo in hoc cambio lucrari potest, est maior æstimatio pecuniæ in loco, vbi datur, quàm vbi redditur, siue ea æstimatio sit intrinseca, siue extrinseca. 34 *2. Titulus Maior æstimatio pecuniæ.*

Vbi Aduerte, duplicem esse pecuniæ valorem, seu æstimationem; altera prouenit à lege vel communi consuetudine, qua pecunia taxatur vt valeat tot vel tot nummos minutos in eodem loco. sic in Belgio regalis æstimatur 10. grossis: philippicus 100. scutum aureum 130 hæc potest dici legitima & intrinseca, quia lege constituti solet, (etsi consuetudo interdum eam nonnihil augeat) & accipitur ex causis intrinsecis; nempe ex conditione materiæ & ponderis. Altera est extrinseca & fortuita, prouenions ex causis extrinsecis & fortuitis; ratione cuius non censetur pecunia maior pluris valere respectu minutarum in eodem loco; sed tota pecunia simul pluris vel minoris valet, tum respectu rerum venalium in eodem loco, tum respectu pecuniarum, quæ sunt in alio loco. *Duplex pecuniæ æstimatio. Intrinseca, extrinseca.*

Prouenit autem hæc æstimatio ex quatuor causis. Primò, Ratione copiæ & inopiæ pecuniæ. quo. n. in aliquo loco apud mercatores est maior copia pecuniæ, eò ipsa est minoris valoris ad res venales præsentes. & etiam ad pecunias diffitas (quæ tunc rerum venalium ratione subeũt) comparandas: & consequenter pro eisdem meretibus plus pecuniæ dandum est, quàm dum est inopia; copia. n. pecuniæ facit pretia mercium crescere: quia pecunia, quæ pro illis datur, minoris æstimatur. Pari modo, quò minor est copia pecuniæ, eò ipsa est maioris valoris respectu mercium; quia plus mercium eadem pecunia comparari potest. hinc pecuniæ inopia facit pretia mercium decrescere; quia pecunia, quæ datur, pluris æstimatur. sic ob copiã, in Indijs pecunia minoris æstimatur quàm in Hispania, etiamsi idẽ sit pretium legitimum, & in Hispania minoris quam in Belgio. sicut. n. pretia mercium ob copiam decrescunt, & ob inopiam crescunt; ita etiam valor pecuniarum omnium. Secundò, Prouenit hæc æstimatio ratione maioris vel minoris multitudinis petentium ad cambium. sicut enim multitudo emptorum facit vt crescant pretia mercium, ita etiam multitudo petentium ad cambium, facit vt crescat valor pecuniæ cambioris, siue ea sit præsens, siue absens. Tertiò, Prouenit ex multitudine vel paucitate cantium ad cambium; quò enim sunt pauciores, qui velint dare ad cambium, eò pecunia cambioris pluris æstimatur. sicut quò pauciores sunt venditores, eò merces pluris æstimantur. Quarto, Ex necessitate pecuniæ: vt si Principi ingentes summæ pro bello vel alia causa publica sint corrogandæ vel ingens copia mercium offeratur venalis. quò enim pecunia est magis necessaria ad quosdam vsus magni momenti, eò pluris æstimatur respectu aliarum rerum venalium. 35 *Pecunia æstimatio extrinseca ex 4. causis.*

His positis, Dico ratione vtriusque æstimationis posse cambiorem aliquid lucrari. Primò, Ratione æstimationis intrinsecæ: vt si det 100. aureos Antuerpiæ, vt recipiat Hispali, debet Hispali accipere plus quàm centum; quia Antuerpiæ habent maiorem æstimationem legalem: plus enim est Antuerpiæ habere 100. aureos quam Hispali. vnde vt fiat æqualitas, debet Hispali plus recipi quam 100. quòd si det Hispali vt recipiat Antuerpiæ, non poterit Antuerpiæ accipere tantundem pecuniæ, sed minùs, le posito pretio trajectionis, & carentiæ suæ pecuniæ: quia alioquin non esset dati & accepti æqualitas in æstimatione, quæ in omni cõtractu est seruanda; addito tamẽ pretio cãbij & carentiæ pecuniæ, raro fit vt minus accipiant. Secundò, Ratione æstimationis extrinsecæ seu fortuitæ lucrari posse. Patet; quia sicuti merces ratione paucitatis & necessitatis, ratione multitudinis petentium & raritatis venditorum, pluris valent & emi debent quàm alias emerentur; ita etiam pecuniæ præsentes ob hasce quatuor causas pluris valent, tum ad merces, tum ad pecunias absentes comparandas, quàm si istæ causæ abessent. nam pecuniæ absentes se habent instar mercis respecta præsentium, vt rectè docet Caietanus cap. 7. & Nauarr. num. 291. Syluest. Vsura 4. quæstione 8. §. 1. & alij. non enim habent pretium legitimum, nisi respectu monetarum eiusdem loci: 36 *Ob extrinsecam æstimationem potest lucrari.* 37 *Pecunia absens fit præsens.* 38

Princeps enim ſua lege & populus communi conſuetudine nō intendit eis imponere pretiū reſpectu monetarum, quæ ſunt in alijs locis: ſed tantum reſpectu monetarum eiuſdem loci, quare reſpectu pecuniarum cōſtitutarum, reliquitur pretium imponendum iudicio mercatorum & eorum, qui ſic negotiantur. quod cum ſit vulgare, non conſtitit in indiuiſibili; ſed habet latitudinē pretij infimi, medij & ſummi. itaque poſſunt emi & venūi ſicut aliæ merces, ſecundum hanc triplicem æſtimationem, quam periti illius negotiationis bona fide imponunt.

39 *Ratione triplicis tituli.*

Ex his patet, campſores interdum ſimul lucrari triplici titulo; videlicet traiectionis & duplicis valoris explicati: tamen potiſſimùm ſolent reſpicere ad valorem extrinſecū, & ratione huius lucrari. vnde ſemper inquirunt, vbi ſit futura penuria vel neceſſitas pecuniæ, vt ibi dare poſſint, & recipere vbi eſt vilitas & copia.

40 *An poſſit lucrari ratione vtriuſque tituli.*

Dices, Si campſor velit lucrari ratione traiectionis pecuniæ, non videtur poſſe ſimul lucrari ratione maioris valoris: & contra, ſi velit ratione valoris, non poterit propter traiectionem; cum enim dat tibi 100. aureos Antuerpiæ, recipiendos Hiſpali, traijcit pecuniam tuam Hiſpali Antuerpiam, vbi pluris incipit valere: atqui hoc incrementum eſt tuum non campſoris; ergo non debes ei aliquid ratione maioris valoris: vel ſi des ratione valoris, eò quòd pecunia, quam ipſe dat, pluris valet, quàm tua; non poterit quidquam exigere ratione traiectionis, quia non traijcit pecuniam tuam.

41 Ob hoc argumentum Sotus q. 12. art. 2. docet, campſorē dum lucratur ratione maioris valoris, non poſſe ſimul lucrari ratione traiectionis.

Sed contrarium docent reliqui Doctores, & Probatur Primò, Quia ſunt diſtincti tituli pretio æſtimabile. Secundò, Si pecuniæ vtrobique haberent æqualem valorem, nihilominus poſſet aliquid lucrari ratione traiectionis; ſeu quia pecunia abſens minoris valet quàm preſens, vt ſupra oſtenſum eſt.

Quare Reſpondeo ad argumentum, Campſorem non transferre realiter pecuniam tuam in ſpecie; (tunc enim non poſſet petere niſi pretium translationis & aſſecuratio nis, ſicut bajulus) ſed transferre illam ſecundùm æquivalentiam, dando tantumdem de ſuo. vnde debes ei reddere æquivalens alibi, & pretium translationis.

42 *3. Titulus, lucrum ceſſans.*

Tertius titulus eſt, ratione lucri ceſſantis, vt ſi pecunia, quam tradit ad cambium erat deſtinata maiori lucro, ita vt (deducta æſtimatione laboris, expenſæ, & periculi) illa ſpes lucri maioris, pluris valeret, quam commune lucrum cambij, tunc enim poſſet illud incrementum exigi. nam ſicut in alijs contractibus poteſt haberi ratio lucri ceſſantis, vt te indemnem ſerues: ita etiam in contractum cābij. Pius V. tamen vetuit, ne illud ab initio definiatur, & in pactum deducatur; ſed ſolum ex euentu ſecuto conſtituatur.

43 *4. Carentia pecuniæ.*

Quartus titulus eſſe poteſt Carentia pecuniæ ſuæ, & id, quod huic carentiæ eſt coniunctum, nempe periculum ne non reſtituatur, & priuatio commoditatis ea pecunia negotiandi: magni enim æſtimant omnes mercatores & campſores, quod ad vnum, duos, vel tres menſes cogantur carere ſua pecunia, idq; tum ob periculum, cui exponitur; tū quia interim priuantur commoditate per illam aliter negotiandi. vnde in omnibus cambijs, quo longius eſt tempus, in quod eam concedunt, eo plus exigunt lucri, & quò breuius, eò minus. Atq; hic eſt potiſſimus titulus, quē mercatores in cambijs hoc tempore ſpectant, vt ipſimet diſertè fatentur: adulentes, omnia cambia huius temporis iniqua eſſe, ſi hic titulus non ſit iuſtus, parui autem æſtimant traiectionem, quantumuis locus diſtet. qua in re non videtur prudenter facere; nam reuerà hic titulus eſt præcipuus in cambio reali; eo hanc enim cauſam ſunt cambia introducta. Secundò loco æſtimant valorem pecuniæ extrinſecum, qui ex copia & inopia pecuniæ, & ſimilibus cauſis prouenit. vtrùm autem titulus iſte quartus excuſari poſſit, dicemus dub. 6.

Quem titulum potiſſimū ſpectent campſores, & mercatores.

44 *Species facti à Soto propoſita.*

Ex dictis patet, quid dicendum ſit ad ſpeciē facti quàm Sotus l. 6. quæſt. 12. ar. 2. proponit, cuius æquitatem ſe ignorare fatetur. Tempore enim Soti, ſi campſor Metinæ accipiebat prior, reſtituturus in Flandria; lucrabatur in ſingulos aureos 10. dupondia, ſeu marauedinos: ſi verò prior dabat in Flandria, recepturus Metinæ, lucrabatur 70. vel 75. cum tamen videatur non debuiſſe lucrari niſi 50. tunc enim tanti valebant in Flandria 360. marauidini, quāti Metinæ 400. vnde prior accipiens Metinæ, vt in Flandria reſtitueret, poteret accipere 400. qui valore æquantur 360. in Flandria reddendis & præterea 10. in pretium traiectionis. & ita lucrabatur 50. Verùm non apparet ratio cur in Flandria prior dans 360. poſſit Metinæ recipere 430. cùm non poſſit Metinæ plus accipere, quàm ipſe ibidem ſolet dare pro 360. Flandricis.

Sed dicendum eſt, quòd quando accipit prior Metinæ, 45 tunc ſolùm lucratur ratione diuerſæ æſtimationis pecuniæ & ratione traiectionis. ratione diuerſæ æſtimat omis, accipit 400 marauedinos Metinæ, pro 360. in Flandria. nā hæ duæ ſummæ ſunt valore æquales, ad diuerſa iſta loca compratæ. ratione autem traiectionis accipit adhuc 10. & ſic lucratur 50. accipit enim 410. marauedinos, & reddit ſolum 360. tunc enim dicitur lucrari, quando plus materialis pecuniæ accipit, quam dederit; etiam ſi illud plus, non pluris æſtimetur illo loco, quàm illud minus hoc loco.

Si verò prior det idque in Flandria, tunc ſolum dat 360. 46 marauedinos, & Metinæ recipit poſt duos menſes 430. vel 435. ſicque lucratur 70. vel 75. 400. enim accipit ratione diuerſi valoris; cum 400. Metinæ non pluris valeant quam 360. in Flandria. præterea accipit 10. ratione traiectionis, & 20. reliquos ratione carentiæ pecuniæ, eò quòd prior det, & debeat per duos menſes ita pecunia carere: hunc enim titulum maxime æſtimant. Sed hoc lucrum re vera eſt nimium, & excedere videtur metas iuſtitiæ; nec quiſquam eſt, qui hoc tempore tantum lucretur. duobus enim menſibus lucratur 20. in centum; nam in ſingula ſcuta lucratur 75. marauedinos. Quòd ſi prior det Metinæ 410. marauedinos, non recipiet in Flandria ſolum 360 vt quidam putant; (ſic enim nemo vmquam campſor vellet pecuniam ſuam dare, nam amitteret 50 marauedinos in ſingulos aureos) ſed tanti æſtimabit carentiam pecuniæ duorum menſium, vt ei in Flandria ſint reſtituendi 410. vel circiter.

DVBITATIO V.

De praxi cambiorum, quæ hoc tempore viget.

VT hæc praxis intelligatur, tria potiſſimum ſunt conſideranda: perſonæ, quæ ad cambium concurrunt: nummi, ſecundum quos cambia ad varia loca reguntur: & variatio pretiorum, ſecundùm longius vel breuius tempus. 47

Quod ad primum attinet, regulariter quatuor perſonæ requiruntur vt contractus cambij ſit perfectus, campſor, campſarius, reſpondens campſoris, & reſpondens campſarij. dum enim campſor alicui pecuniam numerat, accipit viciſſim ab illo obligationem de pecunia illa alibi ſoluenda; & hanc tranſmittit ad ſuum reſpondentem, vt ibi eam recipiat: & campſarius ſimiliter ſcribit ad ſuum reſpondentem, vt ibidem ſoluat. ſi hic acceptet, & ſoluat reſpondenti campſoris, iam perfectum cenſetur primum cambium. ſæpè tamen fit, vt reſpondens campſarij non ſoluat reſpondenti campſoris; ſed tradit illi obligationem tamquam ab eo accepiſſet ad cambium, quàm ille remittat ad campſorem; & ſimul ſcribit ad campſarium, vt ſoluat campſori recambium. quòd ſi reſpondens campſarij 49 ſoluat reipſa; tunc reſpondens campſoris dat eandem pecuniam alicui alteri ad cambium, & acceptam ab eo obligationem mittit ad primum campſorem. & ſic ſemper redit cum lucro. campſor tamen ordinari. ſcire non poteſt quantum lucretur, niſi dum pecunia per ſecundum vel 50 tertium cambium, tandem ad ipſum redit. Interdum fit vt campſarius non habeat reſpondentem in loco, vbi pecunia eſt reſtituenda: ſed campſor aſſignat ei ſuum reſpondentem, qui acceptet debitum, & ſibi ſoluat, quatenus diuerſas perſonas repræſentat, ſeu diuerſa officia ſubit. hic rurſus obligationem ſcribit, tamquam ipſe ad cambium acceperit, eamque tranſmittit ad primum campſorem, vt à campſario ſolutionem accipiat, cum pretio cambij & recambij. quotieſcumque autem fit ſolutio, reſpondens campſoris

48 *4. Perſonæ requiſitæ.*

pſoris detrahit ex tota ſumma ſuas prouiſiones, (quas vocant) ideſt, mercedem ſui laboris, quæ ſunt bini vel terni aurei in ſingulos milenarios. Vtrùm autem hæc ſint iuſta patebit ex dub. 7. & 8.

51 *Quo genere nummorum regantur.*

De ſecundo, Vario nummorum genere cambia reguntur ad varia loca; quod vt intelligatur explicabo quo modo id fiat. Antuerpiæ ad loca præcipua Europæ. Igitur Antuerpiæ ad pleraque loca reguntur groſſis: nam campſor pecuniam Antuerpiæ numerans, certo numero groſſorum Handricorum intendit emere ducatum, qui eſt in Italia vel Hiſpania; aut coronatum, qui in Gallia; aut florenum, qui in Germania, &c. Exempli gratia, anno 1600. 7. Decembris curſus cambiorum Antuerpiæ erat talis, Antuerpia Venetias dabat campſor 91. groſſos & tres quartas, vt Venetijs reciperet vnum ducatum intra menſem à contractu inito; qui ducatus Venetijs æſtimatur in Banco, id eſt, apud trapezitas 124. ſolidis ſeu picciolis Venetis: hoc enim intelligunt Venetijs per ducatum, dum agitur de ſoluendis cambijs. Antuerpia Mediolanum dabat 105. groſſos & medium, vt Mediolani reciperet ducatum post vnum menſem. hic ducatus æſtimatur 5. libris & 16. ſolidis. Florentiam dabat 110 groſſos & medium, vt ibi reciperet ducatum intra menſem. Madritum dabat 106. groſſos, vt Madriti vnum ducatum intra duos menſes reciperet. Hiſpalim 105. groſſos & medium, vt Hiſpali intra duos menſes ducatum reciperet.

Vliſſiponem 101. groſſos, recepturus ducatum. Vbi aduerte, in Luſitania per ducatum intelligi 10. regales, quando de cambijs agitur; in Caſtella & reliquis Hiſpaniæ locis 11. regales.

Antuerpia Veſuntium, cambium agitur groſſis & coronatis. campſor enim Antuerpiæ dabat 120. groſſos & medium, recepturus Veſuntij in proximis nundinis vnum coronatum Francicum, vel eius valorem. celebrantur hic nundinæ quotannis quater, etſi exiguo concurſu; nempe circa Paſcha, in Auguſto, circa feſtum omnium Sanctorum, & circa feſtum Epiphaniæ.

Lugdunum 117. groſſis, pro coronato. Lugduni proximis nundinis recipiendo. aguntur & hic quater nundinæ, quæ 14. diebus nundinas Veſuntinas præcedunt.

Pariſios & Rotomagum 119. groſſis & medio, pro coronato illis locis intra menſem recipiendo.

Antuerpia Francofurtum regitur groſſis, & florenis Germanicis. dabantur Antuerpiæ 76 groſſi pro florено Germanico, Francofurti proximis nundinis recipiendo. aguntur hic binæ nundinæ celeberrimæ, in Septembri & circa Paſcha. Florenus Germanicus Francofurti in ſolutione cambiorum valet 65. caſtetos; ad rationem monetæ Belgicæ penè groſſos 80. Antuerpia Hamburgum agitur groſſis & daleris. Londinum ſcellingis & libris Anglicanis. Colonia in libris Flädricis. dantur enim Antuerpiæ 100. libræ vt Coloniæ recipiantur 102. libræ monetæ ibidem vſitatæ, idque intra duos, 3. 4. 6. 8. 10. vel 20. dies poſt litteras exhibitas, prout conuentum fuerit.

52 *Pretium cambiorum.*

Quod ad tertium attinet. Quandocunque mercatores cambia ſua dirigunt ſecundùm nundinas; tunc quò longiùs abſunt nundinæ, eò maius faciunt pretium cambij; ac proinde eò minus dant pro pecunia, quàm alibi ſunt accepturi: antè verò propiùs abſunt eò minus eſt pretium; ac proinde eò plus dant pro pecunia, quam alibi ſunt accepturi; ita vt ſæpè non lucrentur, ſi nundinæ ſint valdè vicinæ: quod an iuſtè fieri poſſit, dicemus dubit. ſequen. Hæc de praxi.

DVBITATIO VI.

Vtrùm cambium Francofurtenſe & ſimilia, in quibus pretium variatur pro maiore, vel minore temporis intercapedine, ſint licita.

53 *Nundinæ Francofurtenſes.*

NOTANDVM eſt, Francofurti binas quotannis agi nundinas, altera circa Paſcha, altera in Septembri: in quibus fiunt ſolutiones cambiorum. reguntur autem hæc cambia florenis Germanicis & groſſis Flandricis, vt dictum eſt. Nam qui dant Antuerpiæ ad cambium, vt recipiant Francofurti, certo numero groſſorum emunt florenum Germanicum, & contrà qui Francofurti dant, vt Antuerpiæ recipiant, florено Germanico emunt certum numerum groſſorum. In pretio autem fere ſeruatur hæc ratio. Si Antuerpiæ campſor quinto menſe ante nundinas pecuniam numerat, ſolùm dat verg. grat. 73. groſſos pro florено Germanico. ſi quarto menſe numerat, ſolùm dat 74. ſi tertio 75. ſi ſecundo 76. ſi vno domi tantùm ante nundinas 77. vel circiter. In nundinis autem recipiunt florenum Germanicum, æſtimatum ibidem 79. vel 80. groſſis; vel Antuerpię ſuas obligationes ſeu literas cambij alijs vendunt, ita vt 4. 5. vel 6. groſſos in ſingulos florenos Germanicos lucrentur. Similis fere ratio ſeruatur, quotieſcunque datur cambium ad loca, vbi celebrantur nundinæ, quo enim longiùs abſunt nundinæ, eò campſores minus dant, & plus recipiunt: & contrà quo ſunt propinquiores, eò plus dant & minus lucrantur.

54 *Ratione temporis.*

Reſpon. & dico Primò, Pretium cambij non poſſe variari ratione ſolius temporis longioris vel breuioris. ratio eſt, quia in cambio non requiritur tempus intercallum, niſi quatenus id neceſſarium ad tranſlationem litterarum, & ad præparationem ſolutionis, vt ea commodè in loco diſtincto fieri poſſit: ergo ſi plus temporis concedatur ad ſolutionem id non fiet ex vi contractus cambij ſed taciti cuiuſdam mutui: atqui in mutuo aliquid exigere ratione temporis longioris eſt vſura. ergo.

55 *Alia cauſa præcludens.*

Dico Secundo, Poſſe hoc pretium ob alias cauſas iuſtè variari, quas cum valdè probabile ſit in caſu propoſito eſſe, probabile etiam eſt hanc variationem pretij iuſtè à mercatoribus conſtitui; ac proinde talem cambium licitum eſſe. Prior pars patet ex dictis dub. 3. & 4. Altera verò, quod hæ cauſæ reperiantur in hoc cambio, probatur. Primo, 56 Quia ordinariè campſores pluris æſtimant carere pecunia ſua quinque menſibus, quàm quatuor, & carere quatuor, quam tribus; idque partim quia interim carent facultate lucrandi illa pecunia; partim quia diutiùs verſatur ſors in periculo. vnde hæc æſtimatio non eſt irrationalis; nititur enim iuſta ratione, idque ex communi mercatorum & campſorum iudicio. Secundò, Quia quò plures ſunt menſes ante nundinas, eò plures petunt pecuniam à campſoribus, vt diu pretio frui poſſint: atqui quo plures ſunt petentes, eo magis creſcunt pretia cambiorum. Hæc cauſa quibuſdam videtur ſufficiens ad inducendam tantam pretij variationem. Tertiò, Si non concederetur plus temporis, quam natura vnius cambij poſtulat; qui pluribus menſibus egent pecunia, deberent ſæpiùs ad cambium petere, cũ magno ſuo damno & incommodo. quod conſiderantes campſores concedunt longum tempus, vt in vno cambio, virtute comprehendant plura cambia, quæ ipſi interim facerent cum iiſdem campſoribus, ſi ſolùm tempus præciſè neceſſarium ad translationem concederetur: & hoc cedit in commodum campſorum, qui longè minùs ſoluunt, quàm ſi tot cambia cogerentur facere. cauſa igitur, cur quo tempus longius eſt, eò maius pretium ſtatuant, eſt, quia eò plura cambia virtute cenſentur facere. Hac ratione vir quidam doctiſſimus illam pretij variationem excuſabat; mihique probatur: præſertim accedente quam prima & ſecunda cauſa.

57 *Iuſtum pretium.*

Confirmatur, quia iuſtum pretium cenſetur in quoque foro, quod periti illius negotiationis, bona fide conſideratis omnibus circumſtantijs imponunt. & quo inter ſe contrahendo vtuntur nemine contradicente vel conquerente. atqui periti campſores & mercatores, omnibus conſideratis ſic pretia variant, & ſic inter ſe contrahunt, nemine conquerente. ergo hæc variatio non eſt cenſenda iniuſta.

Ex his patet, talia cambia non eſſe damnanda; præſertim cùm omnes paſſim illis vtantur: inter quos multi viri probi & conſcientiæ religioſæ; qui ſi iuberentur abſtinere, ſoli laxiores illis vterentur. quo fieret vt pretia cambiorum iſtorum cum magno Reipublicæ incommodo valdè increderentur. neque enim vnquam obtineri poterit, vt mercatores non pluris æſtiment conceſſionem longi temporis, quàm breuis.

18 *Species contractus miſcentur.*

Ex hoc & ſupradictis dubijs facilè intelligi poteſt, quid dicendum ſit de cambio, quando ei miſcetur alia ſpecies contractus, & nominatim de quodam contractu, quem mercatores Antuerpienſes ſæpe cum Rege inierunt, de quo abhinc 18. annos ab eis conſultus fui. Dabant Regi An-

tiam ad hunc modum contrahendi non compellitur, non obest hoc inuoluntarium. multi enim valdè inuoluntariè res suas venduut; quia tamen per iniuriam ad hoc non coguntur, venditio est valida. Idem dicendum de alijs contractibus. Pactio autem vsurarum non ideò est irrita, quia inuoluntaria: sed quia mutuatarius non intendit transferre vsuras, nisi quatenus eas iure debet pro vsu pecuniæ. vt dictum est c. 20. dub. 18.

66 Dices Secundo, Iretium in hoc cambio semper est iniustum: ergo & ipse contractus iniquus est. Antecedens probatur, quia pecunia, quam campsarius vendit, campsori pluris valet, ob sumptus, quibus eam comparare debet. sicut merces maioribus laboribus & sumptibus comparatæ, pluris valent. v.g. frumentum aduectum ex Sicilia Romam, quàm in agro Romano natum.

Resp. Quando merces secundùm se, habèt communem æstimationem, non ideò pluris valent, quòd maioribus sumptibus fint comparatæ, vt dictum est suprà c. 21. dub. 4. atqui pecunia illa habet suam æstimationem communè in illo loco, ad quem cambium mittitur, vt patet; alioqui sequeretur, si aliquis comparasset 100. vlnas panni, maiori pretio, non posset eas emi pretio infimo currente; quod est contra communem sententiam. nec est simile de frumento: quia Siculum melius est Romano. quòd si non esset melius, possem illud emere eodem pretio quo vulgò venditur Romanum.

67 Dices Tertiò, Hoc cambium videri siccum, & verù mutuum: quia litteræ remittuntur inanes: vnde eodem loco, vbi pecunia accepta est, redditur cāpsori cum lucro, quod lucrum non videtur exigi, nisi ratione dilationis.

Respondeo, Non esse siccum; nam litteræ, per quas fit, verè mittuntur, & virtute earum fit vera solutio in loco destinato; non enim est necesse pecuniam reipsa ibi numerari, sed sufficit ipsam ibi esse, & debita creditaque per chirographa transferri: (qui modus solutionis est vsitatissimus inter mercatores) ita vt sit aliquis, qui acceptet debitum, & aliquis, qui acceptet creditum; siue vnus idemque vtramque obligationem & functionem subeat, siue diuersi. hoc enim non mutat rei iustitiam. vnde verum non est litteras redire inanes: nam aliæ remittuntur, quibus fit recambium.

68 *Quid sentiendum in hac quæst.*

Vt explicem quid de hac sententia sentiam, Dico Primò, Si is, qui petit à campsore, non sit habiturus pecuniam alibi actu, vel potestate, seu in credito, idque campsor nouit; contra iustitiam peccat, si eo ad illum locum cambiat. est communis sententia Doctorum Syluestri, Vsura 4. quæstio 9. Nauarri cap. 17. nume. 289. & 299. Thom. Boninsigni, capit. septimo. Ratio est, quia dare ad cambium, vel est permutare pecuniam præsentem cum absente, vel est pecuniam absentem emere, aut transferre: atqui hic non est vlla res, quæ possit emi vel transferri à campsore, vel permutari cum pecunia præsente: est ergo emptio & permutatio ficta; ac proinde lucrum inde proueniens caret iusto titulo. sicut si quis emeret boues ab aliquo, qui nullos habet, eosque illi certo pretio locaret, lucrum illud esset iniustum; quia nulla hic est locatio, sed solùm fictio locationis.

Si alibi non habet pecuniam re ipsa vel fidem.

69 *Si bona fide dedit campsor.*

Aduerte tamen, si campsor bona fide ad cambium dederit in certum locum, putans alterum ibidem habere pecuniam, aut habiturum; potest, vbi resciuerit fraudem, illum cogere vt contractum impleat, & ibi soluat: quòd si alter nollit illic soluere, poterit campsor repetere sortem & pretium cambij in loco, vbi dedit; & interesse, quod patitur ex eo, quod loco constituto solutum non fit. ratio est, quia cùm ipse bona fide contractum ex parte sua impleuerit, tenetur alter quoque ex parte sua implere quantum potest; vel soluere quantum intererat campsoris eum impleri. alioquin contractus semper paterent fraudibus; & contrahentes possent cum magno suo incommodo eludi.

70 *Si alibi habet per amicum.*

Dico Secundò, Si is, qui petit, possit alibi habere pecuniam per amicum vel alium, qui non sit in ministerio vel societate campsoris, non peccabit contra iustitiam campsor, si nolit ei dare nisi ad cambium in talem locum. fieri tamen potest vt peccet contra charitatem proximi. Prior pars patet; quia ex iustitia non tenetur ei dare mutuum; sed potest nolle ei dare pecuniam, nisi aliquid emendo iusto pretio: atqui pecunia illa, quam ille habere potest alibi, est pretio æstimabilis; ergo etsi campsor nolit ei dare pecuniam, nisi emendo talem pecuniam absentem, non peccabit contra iustitiam. sicuti si nolit ei dare pecuniam, nisi emendo domum, vel agrum, vel equum, non facit ei iniuriam.

Altera pars patet; vt si proximus sit pauper, & in aliqua graui necessitate constitutus: nam contra charitatem est, compellere hominem tenuem hic egentem pecunia præsenti, vt alibi, vbi non egeat, cum magno suo damno eā procuret, vt enim campsarius et, qui alibi pro se respondit, satisfaciat, cogitur ibi facere recambium, & sic in loco, vbi accepit, soluere pretium cambij & recambij, grauissimo suo incommodo.

71 *Prædicta est non esse contra iustitiam.*

Dico Tertiò, Si is, qui petit a campsore, non possit habere alium, qui ipsius nomine satisfaciat in loco cōdicto, quàm ipsum campsorem, vel socium eius, cui pecunia in loco illo est numeranda; probabile est, esse contra iustitiam tunc ad cambium dare. Contraria tamen sententia non est improbabilis, & speculatiuè verior; tamen omnino dissuadenda, nec facilè permittenda. Prior pars probatur, quia ita tenent multi Doctores. videtur enim esse mutuum palliatum. intentio enim non videtur esse alia, quàm dare pecuniam cum obligatione, vt in eodem loco restituatur; cetera videntur agi non seriò, sed tegendi mutui causa. Secunda pars probatur rationibus suprà allatis, suppono autem seriò agi, ita vt si factor campsoris, qui respondet pro campsario, fugeret vel decoqueret, campsor non sit habiturus directam & nomine suo actionem in campsarium. nam hoc ipso, quo acceptata est obligatio respondentis, liberatur campsarius; ita vt campsor in illum agere saltem suo nomine non possit: quòd maximè locum habere debet, quando factor campsoris respondet, potest tamen ei competere actio indirecta, nomine sui debitoris.

72 Tertia pars patet; tum quia sæpè est contra charitatem; tum quia inducit præsumptionem Iuris & de Iure, vsurarum. vt patet ex Bulla Pij V. de cambijs. vnde talis in foro externo posset plecti tamquam vsurarius.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm prouisiones, quas solent campsores & bancarij accipere, iustè accipiantur.

73 *Prouisio.*

NOTANDVM est, nomine *prouisionum* significari mercedem & lucrum, quod campsores & bancarij detrahunt pecuniæ numerandæ, ratione operæ, quam præstant scribendo, numerando pecuniam, soluendo pro alio, litteras mittendo, pecuniam depositam custodiendo, pro alio se obligando, alterius negotia expediendo. Itaque possunt hic interuenire varij tituli, de quibus seorsim dicendum.

74 *Pro custodia.*

Dico Primò, Campsor vel nummularius, qui pecuniam mercatorum, vel aliorum accipit custodiendam, cum obligatione eam reddendi quando, & cui voluerint depositores, potest accipere nullam mercedem pro hac custodia & obligatione, si de ea ante stipulatus fuerit; vel si ex consuetudine dari soleat. Ratio est, quia tale obsequium in gratiam alterius præstitum, per se est pretio æstimabile.

Dixi *si antè stipulatus fuerit*, &c. quia alioquin non censebitur locasse operam suo pretio; sed gratis, vt vsu pecuniæ frueretur: vel accepisse eam mutuo. nam depositores ordinariè nihil dare solent, cùm bancarij libentissimè gratis hoc onus suscipiant, ob commodum, quod illis inde prouenit.

75 *Quando licitum bancario exigere, & depositori dare.*

Vbi Aduerte, fieri interdum posse, vt bancarij lucrentur; vt si nolint pecuniam suscipere custodiendam, nisi certo pretio operam suam ad hoc elocando: quod possunt facere etiamsi ex vsu pecuniæ interim magnum quæstum capiant: etsi enim permittatur illis vsus pecuniæ, tamen pretio æstimabile est, quòd obligent se ad pecuniæ custodiam, & ad eam restituendam, quando alteri placuerit: quòd autem interim quæstum vsu pecuniæ faciant, industriæ fructus est, non pecuniæ: vnde hoc non impedit, quin pro obsequio, quod præstant depositori, possint recedè paciscī. Interdum fieri potest, vt deponentes lucrentur; vt & nolint pecuniam suam tradere, nisi in societatem

negotiationis per tres contractus, de quibus infrà. Hoc modo in Hispania & Gallia fortasse accipiunt depositores 6.vel 7.in 100.à bancarijs,quamuis Nauar.cap.17.nu.293. putet eos committere vsuram,si ex pacto tacito vel expresso accipiant. Sed hoc intelligo,nisi talis, vel similis contractus interuenerit. 76 Interdum fieri potest, vt neuter lucretur:vt si depositores nolint eam tradere titulo depositi,sed mutui vel precarij: tunc enim nihil poterit exigi ratione custodiæ, quia alter custodit rem suam,non alterius; cùm ex vi mutui transferatur dominium in mutuatarium, neq; ratione obligationis soluendi,quia hæc obligatio tali mutuo est intrinsecè connexa. Deinde etiamsi non cogitent de mutuo, sed simpliciter apud bancarium deponant, tamen non tenentur soluere mercedem; quia cùm magnum bancario beneficium præstent, quod apud ipsum potius, quàm apud alium pecuniam suam deponant; vicissim interdum ab ipso beneficium accipere, (videlicet custodiam suæ pecuniæ) ad quod ex gratitudine tenetur. si enim indicaret se nolle id gratis præstare:facilè alij inuenirentur, qui id libentissimè susciperent.

77 *Quibus casu & à campsore à campsario prouisiones possit accipere.*

Dico Secundò,Campsor potest aliquid exigere nomine prouisionis seu mercedis à campsario.Primò,Si periculum sortis, volente campsario, in se suscipiat. sicut si mutuans vel emens anticipata solutione,vel credito vendens,potest exigere pignus vel fideiussorem, vt sibi cautũ sit de sorte: ita etiam cambiens;vt rectè docet Bonnsignius c.7.nu.23. vnde si campsarius nõ habeat pignus vel fideiussorem; vel si petat vt ipse campsor id periculi subeat;poterit campsor aliquid pro eo onere bona fide æstimatum accipere.Secundò,Si fideiubeat pro campsario apud eũ,cui debitũ trajicitur, id est, apud respondentem campsarij;præsertim si ille non sit famulus, seu factor campsoris. ratio est, quia obligat se pro campsario ad soluendum illi, si contigerit campsarium illi non soluere: quæ obligatio est aliquo pretio æstimabilis, quamuis exiguo; præsertim quando campsor aliunde est securus suæ sortis.est tamen alicuius momenti; quia si alius fideiussisset, campsor non posset conueniri à respondente campsarij;atque nunc conueniri potest,si campsarius tempore constituto, suo respondenti non soluat.

78 *Si famulus vel factor,sit gestor negotium.*

Quòd si ille sit famulus, vel factor campsoris; non potest campsor quidquam pro fideiussione exigere:tum quia verè non fideiubet; (non enim obligat se alteri pro campsario, nec vllum nouum periculum subit) tum quia hoc ipso securus est famulus de solutione sibi faciendã pro debito traiecto, quo dominus eius securus est de sorte & lucro sortis; (nam coniuncta,eademque persona) atqui dominus est securus,si iam antea pignus vel aliam sufficientem cautionem acceperit: ergo non potest hic esse vera fideiussio pretio æstimabilis. Dico; *si cautionem sufficientem acceperit*: quia si nullam cautionem accepit nec campsarius eam dare potuit, aut non cupit. potest æstimare periculum, cui suam pecuniã,prior numerando,exponit:non tamen fideiussionem,qua apud suum famulum videtur fideiubere.

79 *Qui pecuniã nomine alterius numerant.*

Dico Tertiò, Exigere etiam potest prouisionem is, cui debitum trajicitur, id est, respondens campsarij, vel campsoris, qui pecuniam in loco diffito numerare debet: huic tamen satisfacere debet is, cuius nomine pecunia numeratur; (ille enim operam suam locatam habet,& obsequium præstat) non autem ille,cui numeratur. vnde iniqua est cõsuetudo quorundam, qui cùm debeant v.g. 1000. aureos, mittunt chirographum ad suum respondentem,vel ad bãcarium, quo iubent solui tantùm 1000. cum sciant ipsum nomine prouisionum detracturum 5.vel 6.de tota illa summa:debent enim curare vt integra solutio fiat,vnde tenentur illud supplere, quod ille detraxit; quãuis ille detrahendo iniuriam non fecerit.

80 Dico Quartò, Campsor & respondens, nihil possunt exigere à campsario,ratione laboris numerandæ pecuniæ, vel scribendi literas & mittendi ad suos respondentes. ratio est,quia ex natura contractus hũc illi laborem debent. sicut emptor numerans pecuniam venditori, vel scribens ad amicum vt ei soluat,non potest aliquid pro eo labore à venditore petere. similiter hic amicus pecuniam ipsi numerans, quamuis huic merces debeatur ab eo,cuius nomine illam numerat.

DVBITATIO IX.

Vtrùm possit fieri pactum de eo, quod interest campsoris, vel de recambio, si campsarius fuit in mora.

81 *Pactum de interesse.*

RESPONDEO & dico Primò, Iustè posse fieri pactũ de interesse, sicut in alijs contractibus: vt si campsor ob hanc moram debuerit accipere pecuniam sub vsura, aut lucris per eam speratis exciderit. Potest autem à principio dupliciter pacisci. Primò, De incerto, vt campsarius cogatur omne damnum emergens & lucrum cessans,quod postea ratione dilationis obuenisse fuerit deprehensum, sarcire. Secundò,De certo aliquo;vt si exigat certum quid pro periculo, cui se exponit,concedendo dilationem vltra terminum ordinarium:sed hoc secundum non est licitum, vbi Bulla Pij V. de cambijs seruatur. alias verò per se non est illicitum,cum ea moderatione, qua dictum est artic.20. dub.13.posse id in mutuo permitti.hæc enim concessio dilationis,est tacitum mutuum.

82 *De recambio.*

Dico Secundò, Campsor non potest pacisci cum campsario, vt si elapso termino non soluerit,teneatur eandem summam accipere ad recambium: nisi certò constet tantum lucri illum ex illa mora amissurum,quantum ex recambio perciperet.ratio est,quia non potest plus exigere ratione moræ, quàm æstimationem lucri cessantis & periculi sortis. itaque cùm detrimenta recambiorum sæpe sint maiora, non potest illum ad hæc obligare. si tamen campsor 83 moraliter certus esset, se eandem pecuniam, si termino constituto soluta fuerit, statim ad cambium æque vel magis lucrosum dare posse; posset stipulari vt campsarius teneatur tamdiu pecuniam illam per cambia & recambia ad singulos terminos accipere,donec tãdem soluerit sortem: quia hoc nihil est aliud quam illum obligare ad interesse lucri cessantis.

84 *Prouisiones.*

Petes, Vtrùm tunc ipse campsor & eius respondens possint consuetas prouisiones exigere? Videntur enim non posse: tum quia campsarius non petit illas scriptiones & gyrationes vltrò citroque; sed illa fiunt gratia campsoris, vt videatur semper verum cambium factitare;tum quia non fit noua pecuniæ numeratio.

Respondeo, Posse in rigore exigere;(quamuis id sit satis inhumanum,ac proinde apud honestos non vsitatum) idque titulo lucri cessantis. nam ponimus campsorem, eiusque respondentem percepturos eas ab alijs, si campsarius condicto tempore soluisset. Adde has scriptiones non posse omitti; quia alioqui campsor censeretur vsurarius apud suos: inter quos vsu receptum est vt nisi litterarum missio appareat, censeatur cambium ad eumdem locum, & condemnetur tamquam vsurarium.vnde etiam ratione indemnitatis,necessaria est literarum missio.

Petes, Vtrùm id,quod campsoribus debetur ratione prouisionum & interesse,possit ab ipsis continenter adijci sorti,vt cambium augeant?

85 *An sorti possint adijci.*

Resp. Id fieri non posse nisi moraliter certi sint se illud potuisse alijs statim ad cambium dare, & per illud lucrari; tunc enim ratione lucri cessantis possunt illud sorti vnire ad cambij augmentum.

DVBITATIO X.

Vtrùm campsor, quando posit multa cambia & recambia,debitor ei soluit partem aliquem,teneatur illam acceptare in sortem, antequam sit satisfactum detrimentis cambij.

86 *Consuetudo campsorum.*

NOTANDVM est, esse consuetudinem campsorum, vt non acceptent solutionem sortis, nisi simul soluantur cambiorum detrimenta,seu lucra & interesse. Quidam putant id esse iniquum. Primò, Quia quando quis est debitor ex pluribus causis idem creditori, in potestate debitoris est, soluere priùs vtri debito maluerit; quia debitor potest legem dicere rei suæ,nempe vt fit pro debito,quod ipsi placuerit:vt habetur L.1.ff.de solutionib Secundò, Quando quis est debitor ex pluribus causis, si aliquid

quid

quid ſoluat, id cenſetur ſolutum pro debito, quod magis grauat: niſi debitor contrarium exprimat; vt habetur L.3. 4.& 5.ff.eod.tit. atqui magis grauat debitum ſortis quàm vſurarum,ſeu detrimentorum, quando hæc non ſunt vnita ſorti: ergo prima ſolutio cenſetur facta pro ſorte.

87 Reſpondeo tamen, verius eſſe, illam conſuetudinẽ non eſſe iniquam; ſed Iuri conſentaneam probatur, quia quando ex debito aliquo principali, tamquã ex radice, naſcuntur alia debita tamquam fructus; tunc ſi fiat ſolutio, primò cenſetur fieri pro fructibus illis dependentibus: deinde ſi quid ſuperſit, computatur in ſortẽ; vt expreſsè habetur L.1.C.de ſolutionibus,& L.Si vſuras.21.C.de vſuris. idque conſentaneum eſt praxi in ſimilibus debitis: vt in debito cenſuum,& in debito ex cõtractu ſocietatis. leges autem illæ in contrarium citatæ, loquuntur de debitis ex diuerſis cauſis. hæc autem non naſcuntur ex diuerſis; ſed ex vna eademque radice: nam alterum ex altero, tamquam fructus à re fructifera, pendet. Idem dicendum, quando aliquid debetur ratione intereſſe prouenientis ex mutuo; hoc enim Iura paſſim vocant vſuras, quas volunt intelligi ſolutas ante ſortem; vt patet d.L.Si vſuras, ſuprà.

Nim eſt im. qua.

DVBITATIO XI.

De conditionibus, quas requirit Pius V. in ſua Bulla de Cambijs, & an omnes obligent.

HANC Bullam refert Nauarrus c.17.nu 300.

Cambia ficta dãnantur

Reſpondeo Primò, Damnat Pontifex tamquam vſuraria omnia cambia ficta; qualia ſunt ea, in quibus ex intentione contrahentium fit ſolutio in eodem loco, eo quòd alter alibi pecuniam non habeat.

Conditiones requiſitæ à Pio V.

Secundò, Iubet ſeruari quaſdam conditiones in cambio reali.

Prima eſt, Ne campſor ratione dilationis, vltra terminum præſtitutum conceſſæ, paciſcatur de aliquo lucro; id enim eſſe vſurarium.

Secunda eſt, Ne ab initio, vel poſteà, paciſcatur de certo intereſſe, etiam in euentu, quo non fieret ſolutio debito tempore.

Vbi notandum Primo, Solùm prohiberi pactum de cer
89 to intereſſe futuro ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis. vnde non prohibetur pactum de intereſſe incerto, quod poſtea ex mora campſarij, deprehenſum fuerit. Item non prohibentur ne pœna moderata adijciatur, ſi ex negligentia tempore conuento non fuerit facta ſolutio.

Notandum Secundo, Nauarrum exiſtimare hanc prohibitionem fundari in præſumptione fraudis vſuratæ: itaque in foro conſcientiæ, vbi ceſſant præſumptiones, valere pactum de certo intereſſe, ſi moraliter conſtet illud iuſtum eſſe; idque etiã in locis, vbi hæc Bulla recepta fuit. Ita docet c.17 enchiridij num.301. verſiculo Nota quartò. quæ ſententia videtur vera. præſertim cùm Pontifex non irritet tale pactum; mens tamen ipſius eſt, abſolutè tale pactum vetare. vnde erit illicitum, vbi Bulla eſt recepta, quamuis non irritum.

90 *Pactum de certo intereſſe, non eſt irritum.*

Tertia Conditio, Ne realia cambia aliter quam ad proximas nundinas fiant; vel ſi nundinæ non agantur, proximis terminis, iuxta receptum locorum vſum. Vbi Nota Primò, Non licere ad ſecundas nundinas dare cum maiori lucro quam ad proximas; cum pari tamen licere. Nota Secundò, Si quis ratione veri intereſſe plus exigeret quando ad ſecundas nundinas concedit, vel terminum ordinarium profert, peccaret contra hanc Bullam, vbi eſt ea recepta, & puniretur in foro exteriori tamquam vſurarius; non tamen teneretur ad reſtitutionem ante ſententiam Iudicis. ratio eſt, quia in re, nulla eſt facta inæqualitas.

91 *Ad proximas nundinas.*

Quarta eſt, Vt in terminis ſolutionum conſtituendis, habeatur ratio longinquitatis & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur; ne dum longiores præfiguntur, quàm loca deſtinata ſolutioni deſiderant, fœnerandi detur occaſio.

92 *Termini ſolutionum.*

Vbi notandum eſt, non improbari hic terminos ſolutionum in nundinis, qui ſæpè triplo vel ſextuplo ſunt longiores, quàm locorum intercapedo poſtulet, quia nõ poſſunt illis locis commodè alij termini conſtitui: ſed de terminis extra nundinas. videtur autẽ tacitè improbari conſuetudo illa, qua campſores eò amplius lucrantur, quò longius eſt tempus ante nundinas. Veràm probabile eſt eam nõ improbari, quando illa variatio fit communi mercatorum iudicio; idque ob cauſas, quæ communiter ipſis videantur æquæ, vt ſuprà dictum eſt. Quòd ad obligationem eius attinet, puto paucis locis, & fortè nuſquam (ſaltem quoad omnes eius conditiones) eſſe receptam.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

De Locatione & Conductione, Emphyteuſi, & Feudo.

Conſtat Dubitationibus 11.

HI contractus ſunt inter ſe valdè ſimiles; nam in his vtilitas & fructus rei transferuntur in alterum pro aliqua penſione vel obſequio, retento domino, ſaltè directo. quare de his breuiter, vno eodẽq; capite tractabimus.

DVBITATIO I.

Quid locatio, conductio, emphyteuſis, feudum, & linellus.

Locatio.

1 RESPONDEO, *Locatio* eſt contractus, quo perſona, vel res aliqua, ad vſum, vel fructum pretio conceditur. Dico *perſona*, quia poteſt quis ſeipſum; & ſeruum ſuum locare alteri. Dico, *Res*, in genere, ſiue mobilis ſit, ſiue immobilis. *Ad vſum vel fructum*; quædam enim locantur ſolum ad vſum, vt ſeruus, equus, domus & ſimilia. quorum fructus non eſt alius quam vſus ipſorum. quædam ad fructum, vt ager, & pecora. Item Iura, vt reditus, veſtigalia. *Pretio*, id eſt, pro pecunia, ſicut enim emptio requirit pecuniam, ita etiam locatio. alioquin ſi fiat pro alia re, vel obſequio; erit contractus innominatus, do ut des, do vt facias, &c. vide Sylueſt.v.Locatio num.1.

Conductio.

2 *Conductio* eſt contractus, quo perſona vel res ad vſum vel fructum comparatur pretio. ſicut enim vnus, idemque contractus ex parte vnius vocatur emptio, ex parte alterius venditio: ita etiam vnus, idemque contractus, ex parte vnius eſt locatio, quæ ſimilis venditioni; ex parte alterius conductio, quæ eſt ſimilis emptioni: nam emit operas vel fructus rei aut perſonæ.

Emphyteuſis.

3 *Emphyteuſis*, idem eſt propriè quod ἐμφύτευσις, id eſt, implãtatio, inſitio. vnde dicitur ager dari ἐις ἐμφύτευσιν, quando datur vt conferatur arboribus, vel ſegetibus. Hinc accommodatum eſt hoc nomen ad ſignificandum contractum, quo res datur ad emphyteuſim; quo ſignificatu nũc de emphyteuſi loquimur. *Emphyteuſis* igitur ſic accepta (non rectè quidam vocant emphyteuſim) eſt conceſſio rei immobilis cum tranſlatione dominij vtilis, retento directo, ſub onere certæ penſionis proprietario ſoluendæ; idque vel in perpetuũ, vel ad vnius vel plurium vitam, vel ad certum tempus, quod decennio non ſit minus. *Emphyteuta*

tenta autem dicitur, qui dominium vtile rei immobilis sic accipit.

Differt a locatione. 4 Differt a contractu locationis. Primò, Quòd emphyteusis solum constitui possit in re immobili, quæ cultura potest effici melior. Secundò, Quod per eam transferatur dominium vtile, manente solo dominio directo apud priorẽ dominum. Tertiò, Quòd non fiat ad breuius tempus, quã decennij; quorum nullum cernitur in locatione stricte accepta: si enim res immobilis locetur alicui ad decennium aut vlterius, vel ad vitam conductoris, quæ censeatur decennio futura prolixior, transfertur iure cõmuni vtile dominium & ius in re in conductorem, ita vt ei competat actio in rem contra quemuis, vt communiter docent Iurisperiti, teste Couarruuias li.2.variar.c.16. & colligitur ex L.1 ff. de superficiebus. Qtare tunc non tam est locatio quàm contractus emphyteuticus; nam omnes definitionis partes illi conueniunt. Secus est, si locetur breuiori tempore quam decennio; aut si sit res mobilis, vel Ius aliquod in corporale; hæc enim in emphyteusim non dantur.

Res immobilis locata nõ decennium.

Feudum. 3 *Feudum* dictum est a fide seu fidelitate, vt communiter docent Doctores, & accipitur tum pro re, quæ datur in feudum, id est, pro fundo beneficiario; tum pro contractu feudali. Pro contractu sic definitur, *Feudum* est concessio rei immobilis vel æquipollentis, cum translatione vtilis dominij, proprietate retenta, sub onere fidelitatis & obsequij personalis exhibendi. vide Iulium Clarum, de feudo q.4.& 5. Differt ab emphyteusi potissimũ, quòd in puro feudo non soluatur pensio, vt in emphyteusi; sed solum obsequium personale. Interdum tamen etiam in feudo aliquid soluitur in recognitionem dominij directi; sed ea ex parte declinat a conditionem emphyteusis. In ceteris hi contractus sunt valdè similes, adeo vt sæpè nomina confundantur.

Libellus. 6 Notandum est, emphyteusim vulgò vocari *libellum* vel *libellum & contractum libellaticum*; vt notat Clarus, de emphyteusi qu.1. & alij. idem nomen tribuitur etiam feudo. vnde communiter id, quod datur in emphyteusim vel feudum, dicitur dari ad liuellũ. propriè tamen *contractus libellaticus* dicitur, quando emphyteuta vel feudatarius, rem eam, quã in feudum vel emphyteusim accepit, simili contractu tradit tertio, vt sit veluti sub feudum, & sub emphyteusis, vt docet Antonius Negulantius, de pign. parte 2. membro 2.num. 51.

DVBITATIO II.

Vtrùm si conductor impediatur ab vsu de cultura rei, absque sua culpa, teneatur soluere pensionem.

Verbi gratia, conduxit aliquis domum, & vicinium inuadit peltis: vel incipiunt ibi grassari milites, qui omnia vastant, vel est infecta spiritibus; conduxit famulum, qui incidit in morbum.

Si impedimentum proueniat ex parte rei conductæ. 7 RESPONDEO & dico Primò. Si superueniat aliquod impedimentum ex parte rei conductæ absque culpa conductoris, ob quod meritò rem deferat, vel ea nõ vtatur, aut non colat, non tenetur ad pensionem pro illo tempore; ita Nauarrus c.17.num.187. & Couarruuias lib.3.variar.c.13.num.8. de famulo ægrotante. & practic.qq. quæst.30.num.3. de pelte & quauis causa iusta. & colligitur ex L. Habitatores.27.ff. Locati. vbi dicitur, *Si causa iusta fuisset, cur, periculum timeret, quamuis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem.* ratio est, quia conductor non censetur promittere pensionem, nisi quatenus re illa poterit vti aut frui. atqui quando aliquid tale rei superuenit, vt iusto timore impediatur, non censetur posse vti vel frui: ergo, &c. Puto tamen nõ esse vsu receptum, vt si quis propter peltem domum deferat, aliquid de pensione ei debeat remitti. Itaque seruanda est in his consuetudo & Ius cuiusque loci.

Si culpa conductoris. 8 Dico Secũdò, Si illud impedimentum prouenerit culpa conductoris. vel etiam sine culpa ab illo originem traxerit, (vt si sui commodi causa vel damni vitandi cogatur alio proficisci) non potest quidquam de pensione detrahere, nisi quatenus cum domino rei conductæ conuenerit. Ita Nauarrus cap.17.num.197. de eo, qui conducto operario non est vsus eius opera, ob impedimentum ex persona sua obueniens. hic enim conductor tenetur ei de integra mercede, perinde ac si operam præstitisset: & num.198. de eo, qui alia re conducta, ob simile impedimentum, non est vsus. colligitur ex L. Qui operas 38. & L. Si vno. 16. ff. Locati.

Quid si res alteri non erat locanda. Petes, An conductor teneatur ad integram pensionem vel mercedem, si æque benè res alteri locanda non fuisset? Soluetur v. Locatio, quæst.12. sentit non teneri; quia contra æquitatem videtur, vt cogaris operario, cuius opera non potes vti, soluere mercedem; qui si a te conductus nõ fuisset, eque nihil lucraturus erat, aut integram pensionem domus, qua vti non potes, soluere, si alteri ea locanda non erat.

10 Respondeo. In eo casu non esse summo Iure agendum; sed rem ex æquitate transigendam: ita vt non tota merces soluatur; sed tamen aliquid arbitrio prudentis, prout conditio rei postulauerit: quia conductor potestatem facit locatori, vt rem vel operam suam alteri elocet; quod est pretio æstimabile. si tamen conductio illa causa est, cur alteri, qui integram mercedem soluisset, locata non sit, aut cur reliquo tempore, quod superest, locari non possit; tunc meritò integra merces soluenda est; quia conductor est causa lucri cessantis.

Si opera alteri elocata. 11 Aduerte tamen quando conductor, re, vel opera conducta non est vsus. si ea res vel opera alteri pro mercede aliqua elocata fuerit, tantundem de pretio prioris conductionis detrahendum. v.g. conduxeram operam tuam in 10.dies, postea impeditus, non sum ea vsus per 5.dies; si illis quinq; diebus eã alteri locassi eo pretio, quo a me conducta fuerat; non teneor tibi soluere pro illis quinque diebus: si minoris locassi, non teneor; nisi de incremento. Ratio est, quia opera illa, ratione conductionis mihi erat debita; vnde si illam alteri pretio eloces, mihi debetur pretium. sicut si rem eam, quam a te emi, & nondum solui, alteri vendas, mihi debetur pretium, posito quòd priorem emptionem velis esse ratam.

DVBITATIO III.

Vtrùm locator rei fructiferæ teneatur remittere de pensione conuenta, si sterilitas, vel calamitas, absque culpa conductoris obuenerit.

Si pacti sint in casum fortuitum. 12 RESPONDEO. & dico Primò, Si pacti sint a principio, vt conductor quouis euentu teneatur ad integram pensionem, non tenetur locator quidquam remittere. posse autem hoc in pactum deduci, patet; tum quia potest conductor renuntiare omnibus casibus fortuitis & dispositioni fauorabili legis vel consuetudinis, quæ in euentibus fortuitis concedunt remissionem; vt docet Gomezius tom.2.cap.3.num.19. tum etiam quia tale pactum est consentaneum naturæ contractus locati, & conducti: est enim hic contractus valde affinis emptioni & venditioni, vt habetur L.1.ff. Locati. locator enim agri videtur vendere colono fructus, quos ipse suo cultu & diligentia poterit percipere; & locator domus, vsum domus. vnde sicut rei emptæ periculum est emptoris, ita etiam ex natura huius contractus, periculum fructuum est conductoris, qui est veluti emptor illorum. Nec obstat, quòd fructus successiuè nascantur; (vt obijcit Gomezius) quia etiam id, quod successiuè fit, simul vendi potest; qua venditione facta, totum periculum est emptoris. vnde nisi Ius vel consuetudo habeat vt fiat remissio, non est necessariò facienda. hoc tamen casu pensio deberet esse minor, quàm vbi conceditur remissio, idque quanti æstimabitur illud onus, seu illa renuntiatio casus fortuiti.

Partiarius colonus. 14 Dico Secundò, Non tenetur etiam quidquam remittere, quando est partiarius. seu quando pẽsio consistit in parte aliquota fructuum, v.g. in dimidia vel tertia; Nauar. cap.17.nu.190. ratio est, quia partiarius colonus quasi societatis iure, & damnum, & lucrum cum domino fundi partitur, vt habetur L. Si merces. 25. ff. Locati.

Si nihil percipiatur. 15 Dico Tertiò, Si sterilitas vel calamitas anni sit tanta, vt conductor nihil ex re conducta percipiat, tota pensio re-

mit-

mittenda est, nisi aliter fit conuentum. est communis DD. L. Ex conducto. 15. ff. Locati, vt si clausione, vel hostium incursione, vel grandine, vel brucho vastentur segetes; si molendini elocati aditus intercipiantur, ita vt nemo amplius illud accedat molendi causa.

16 *Si parum.* Dico Quartò. Si non sit tanta vt nihil percipiatur, tamen re vera sit magna, facienda est remissio pensionis pro rata. habetur expresse cap. Propter sterilitatem. 3. de locato & conducto, vbi Gregor. IX. ait. *Propter sterilitatem efficacem magno incommodo conductori, vitio rei, siue culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ suæ pro rata, pensionis remissio est facienda: nisi cum vbertate precedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.* & colligitur ex L. Si merces. §. Vis maior. ff. locati: eaque communis sententia Doctorum refert Gomezio numero 18. Hoc autem ex quadam æquitate constitutum est, ne solus conductor sit semper in periculo damnorum, locatore securo. natura tamen huius contractus id non postulat, (etiamsi contrarium sentire videatur Gomezius) vt supra dictum est.

Quæ magna sterilitas. Sed difficultas est, quando censeatur *Sterilitas magna*, ob quam sit facienda remissio pro rata. Gomezius supra numero 18. & Couarruuias pract. quæst. cap. 30 recensent

17 multas opiniones Doctorum, quarum tres sunt maximè probabiles. Prima est, *Magnam sterilitatem*, vulgi iudicio desumendam. Secunda est, Eam censeri magnam, quando res conducta non dat dimidiam partem fructuum, quos dare consueuit. Tertia. Quando detracto semine & expensarum æstimatione, non supereit quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni. si autem id, quod supereit, sufficiat dimidiæ pensioni, tunc nulla remissio est facienda; quia non censetur sterilitas magna, sed modica. sicut si quis sit deceptus, non tamen vltra dimidium iusti pretij, non censetur læsio enormis. Hanc tertiam amplectuntur plerique Doctores, & iuxta illam facienda est remissio reliquæ partis, quæ semper maior est, quam dimidia pensio.

Notandum est, ea, quæ dicta sunt de sterilitate; etiam

18 *Si fructus collecti pereant.* intelligenda esse, quando fructus iam collecti, positi in feudo vel in area, pereunt casu fortuito, antequam commodè potuerint in domum recondi; tunc enim perinde facienda est remissio, ac si sterilitas fuisset, vt patet, d. L. Ex conducto 15. §. 1. ff. Locati. vide Gomezium supra. Idem puto dicendum, si conditis in horreo, fulmen, vel hostis ex improuiso superueniens calamitatem inferat; nam eadem videtur ratio.

19 *Si fertilitas compenset.* Dico Quintò, Si præcedentium annorum fertilitas cõpenset præsentem sterilitatem, non tenetur quidquam remittere: quòd si præcedentes anni eam non compensent, tamen sequentes id præstent, tunc id, quod remisit annis præcedentibus, potest inde repetere. est communis DD. & habetur d. L. Ex conducto. ff. Locati. & c. Propter sterilitatem, supra. Ratio est, quia æquitas id postulare videtur; si enim ob sterilitatem sit remissio, par est vt ob fertilitatem id compensetur.

Petes Primò, Quanta debet esse *fertilitas*, vt per eam censeatur compensari sterilitas?

Respond. Si anni præcedentes & sequentes simul collati, tantum attulerint colono commodi supra consuetum

20 *Quæ censeatur talis fertilitas.* modum, quantum annus sterilitatis damnificata vt omnibus inter se collatis, non censeatur esse in damno. Ita Gomezius supra.

Petes Secundò, Verùm si aliquo anno sit extraordinaria vbertas, locator possit pensionem augere.

21 *Si vbertas extraordinaria.* Resp. Posse, si ea proueniat ex casu fortuito, non autem dumtaxat ex coloni industria. Ita Gomezius supra ex cõmuni sententia DD. qui id colligunt ex L. Si merces. 25. §. Vis maior. ff. Locati, & similibus iuribus, à paritate rationis. vnde inf. Bartolus in d. §. Vis maior. numer 8. *Si quis conduxit molendinum & alia vicinia impetu aquarum sint destructa, adhuc augeri pensionem.* ratio est, quia si pensioni aliquid est detrahendum ob sterilitatem, etiam postulat æquitas, vt ob insolitam vbertatem aliquid ei addatur; vt sicut locator sentit onus ex sterilitate, ita etiam commodũ ex vbertate reportet. Sed hoc intelligendum est, quando ratione illius vbertatis, non multùm minuitur pretium; ita vt longè maiorem pecuniam tunc possit conflare quàm ordinarie soleat. si enim ratione abundantiæ pretium ita decreuit, vt magna illa fructuum copia, non multò pluris valeat, quàm consueta messis, par non est pensionem augeri. nec obstat quod dicto §. Vis maior dicitur. *Immoderatum lucrum colono non auferri*, quia id intelligendum de lucro ratione industriæ coloni, vel clementiæ cæli obuenientis. Bartolus & alij antiqui Doctores pro *immoderatum* passim legunt *moderatum*.

Quæ diximus seruanda sunt secundùm Ius commune Cæsareũ, & nisi aliud deductum fit in pactum. secùs si alicubi huius de rebus sint propriæ leges, vel consuetudines.

DVBITATIO IV.

Quodnam censeatur iustum stipendium operarij, famuli, & eius, qui aliquod officium habet.

RESPONDEO, Illud *Stipendium* censeri iustum, 23 *Stipendium iustum.* quod passim eo loco huiusmodi operarijs, officialibus & famulis, tali ministerio occupatis dari solet; ita vt non sit minus infimo nec maius summo; quod dari consueuit. sicut enim pretium rerum venalium quod non est aliqua lege taxatum non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem summi, medij & infimi; ita etiam pretium operarum, & obsequiorum. vnde si locator suæ operæ mercedẽ exigat maiorem quàm sit summa, vel si conductor det minorem, quàm sit infima dari consueta; facit iniuriam & tenetur ad restitutionem reducendo mercedem ad proximos limites pretij iusti. locator enim detrahet quod accepit supra summum: & conductor addet quod deest vsque ad infimum. sicut is, qui vendidit aliquid supra iustum, tenetur solùm restituere quod accepit supra summum pretium iustum: & qui emit aliquid infra iustum tenetur solùm restituere quod deest vsque ad pretium infimum iustum. sufficit enim ad iustitiam vt contractus multus reducatur ad proximos iustitiæ limites; qui sunt pretium summum & infimum: summum est proximus limes respectu eius, qui supra iustum accepit: infimum, respectu eius, qui infra iustum dedit.

Hinc sequitur Primò, Quando famulo, vel operario, 24 vel cuiuis alteri officiali non omnino constat stipendium, *Si dubium sit.* seu pensionem, quæ ipsi constituta est, esse infra infimum iustæ mercedis gradum, non posse vi compensationis subtrahendo de rebus domini: quia in dubio vtrùm aliquid sit iustitiæ lege debitum, non habet locum compensatio; vt dictum est c. 12. dub. 10. non esse autem infra infimum ex eo constare potest, si multi alij non deerunt, qui libenter tale munus, officium, vel obsequium pro tali stipendio sint præstituri; hoc enim manifestum est signum, talem mercedem spectatis omnibus circumstantijs non esse indignam tali functione; etsi enim functio aliqua multos labores coniunctos habeat; tamen si honores vel emolumenta alia ei coniuncta sint, stipendium poterit esse paruum; nam honor & commoda coniuncta sunt velut pars stipendij.

Si merces medius vtilitas arbitrio domini. Sequitur Secundò, Etiam si nulla facta sit conuentio de certo stipendio, & res tota relicta sit arbitrio domini; nihilominùs dominum teneri saltem ad infimum mercedis iustæ. non enim famulus mercedem ita relinquit in arbitrio domini, vt ei totum obsequium, vel partem intendat præstare gratis, si ille nihil velit dare; sed mens eius est, vt soluat quod æquum & iustum ei visum fuerit.

Aduerte tamen, in duobus casibus non esse necessariũ 25 vt stipendium attingat infimum iustæ mercedis modum. *Excipiuntur duo casus.* Primò; Si conductor non egeat opera alterius, sed solùm ex misericordia, ad preces ipsius, ipsum conducit; tunc enim satis est ei dare alimenta. si tamen opera eius multò maiorem vtilitatem conductori afferret, ita vt illa longè amplius illi valeret, quam alimenta, teneretur illam compensare, saltem in fimo iustæ mercedis modo. ratio est, quia ille non intendit operam suam donare, sed vendere. quare cùm notabiliter pluris valeat conductori, quàm alimenta, 26 aliquid amplius pro ea dare debet. Secundò, Si famulus sponte non petat iustũ stipendium, vt hac ratione alliciat animum domini ad procurandum beneficium vel officium: tunc enim censetur obsequium suum, qua parte pluris valet, donare: sicut qui munera dant alicui ad alliciendum animum ipsius ad beneuolentiam, vt ex beneuolentia & grati-

gratitudine concedat quod ab ipso sunt petituri. Si tamen tacitè intenderet dominum suum hoc pacto obligare ad procurandum beneficium ecclesiasticum, esset simonia; & dominus hanc mentem aduertens, cùm non possit talem obligationem suscipere, teneretur ei iustam obsequij mercedem rependere. non enim ille intendit obsequium suum donare gratis, sed cum eo onere, quod dominus non potest admittere. Itaque si illius obsequio velit uti, tenetur illud alia ratione iuste compensare, soluendo illi quantum meretur. Si verò intenderet illum obligare ad procurandum officium sæculare, tunc dominus id aduertens, vel teneretur obligationem illam in se suscipere, & quantum in se est facere vt id consequatur; (modo tamen sit idoneus) vel si hoc nollet, teneretur ei iustam mercedem constituere. Si dominus fecerit quantum in se est vt illi officium procuraret, videtur ad nihil amplius teneri, quamuis non sit consecutus; quia famulus non videtur ad aliud voluisse obligare, nisi id expresserit, & quamuis opera illa, quam impendit in solicitando, non tanti valeat quanti obsequium, quod famulus præstitit, tamen id non refert; nam famulus sponte & omnino liberè obsequium suum pro tali solicitatione obtulit contractu innominato, faciam vt facias; vnde qua parte obsequium eius pluris valet, censetur hoc aliter donatum. secùs esset, si a domino ad hoc compelleretur.

Simonia.

DVBITATIO V.

Vtrùm is, qui pluribus operam suam in solidum locat, possit plura integra stipendia accipere.

17 VERBI gratia, Titius locauit operam suam Sempronio ad reducendum eius equum Louanio Parisios 4. aureis, vtrùm possit Caio eandem locare pari pretio, vt illius equum reducat.

Videtur non posse. Primò, Quia si vna eademque res vendatur duobus, non potest illius rei integrum pretium exigi a singulis: atqui locatio operarum est instar venditionis: nam opera vendi censetur. ergo si duobus elocata fuerit, non potest a singulis integrum pretium exigi.

Secundò, In omni contractu iusto debet seruari æqualitas: atqui hic non videtur seruari; opera enim non valet nisi 4. aureis, & tamen accipit 8. ergo contractus ille non est iustus.

Tertiò, Quia alioquin qui pactus esset cum Titio 50. aureis obire pro illo peregrinationem sacram Lauretum, posset pacisci cum Caio pari pretio: similiter cum tertio & quarto & ita 200. vel 300. aureos acciperet pro labore istius peregrinationis, cùm solum valeat 50. aureis.

Quarto, Commissarius causarum, cui pro vnius causæ expeditione, dum foras proficiscitur, permissum est, in singulos dies accipere duos aureos ab eo, cuius negotia gerit, poterit accipere quatuor aureos si agat negotia duorũ, sex si trium: quod tamen videtur absurdum. Sic enim fieret statim valde dives exiguo labore, natu vna profectione, vnoque labore omnia illa peragit.

Pro solutione adhibendæ sunt aliquot distinctiones; vel enim ille obligat operam suam singulis in solidum, ita vt teneatur singulis, etiam si alij resilirent: vel obligat illam omnibus simul. Rursus, vel illa opera est æquè commoda singulis ac si pro vnoquoque illorum seorsim tota impenderetur: vel non æquè est commoda. Denique, quando certum stipendium constitutum est alicui functioni, vel constitutum est tanquam integra merces, ita vt non possit amplius accipere; siue vni illam impendat, siue pluribus seorsim, vel solùm, ita vt sit integra merces pro negotijs vnius, non prohibendo interim quin tantumdem accipiat ab alio, si eadem opera eius negotium agat. His positis.

Si non singulis in solidũ.

Dico Primò, Quando quis non obligat suam operam singulis in solidum, ita vt teneatur eam præstare pro vnoquoque seorsim, etiamsi alij non concurrerent; non potest tantum exigere, quantum si vni soli eam obligaret. Ratio est, quia obligatio partialis est minoris pretij, quàm totalis & integra, sicut dominium partiale est minus totali. Hinc nuntius ordinarius non potest tantum exigere a singulis pro delatione litterarum, quantum si vni soli suam operam obligaret. Idem dicendum de magistro multos docente discipulos; & alijs similibus, qui nolunt suam operam singulis addici in solidum.

28 *Si non sit æque singulis commoda.*

Dico Secundò, Quando opera multis præstita, non est tam vtilis aut commoda singulis, quam vni soli exhibita, non potest tantum exigi a singulis, quantum cum uni soli impenditur. Sic qui facit sacrum pro multis, non potest pro sustentatione sua tantum exigere a singulis, quantum posset ab vno, si pro uno solo fecisset: Quia multis applicatum, non tantum prodest singulis ex opere operato, quã uni soli attributum. Simili modo si quis pro pluribus peregrinationem piam suscipiat, non potest tantumdem accipere a singulis, quantum ab uno, si pro eo solo fecisset. quia una peregrinatio non tãtum prodest singulis per modum satisfactionis, quantum uni: unde singuli cupiunt sibi solis totum laborem & cultum illum applicari. Idem dico, quando non æquè utiliter & perfectè pro multis agitur ac pro uno.

Si æquè commoda singulis.

Dico Tertiò, Quando quis pluribus obligat operam suã singulis in solidum, & illa æque commoda est singulis ac si pro illis solis fuisset exhibita, potest a singulis tantum exigere, quantum ab uno posset, si pro eo solo præstitisset.

Probatur Primò, Quia qui proprij negotij causa debet proficisci Romam, potest tantum pacisci ab alio, qui eum suo nomine cupit ire, quantum si propria causa iturus non fuisset ut omnes concedunt, & usus quotidianus comprobat. Ergo idem dicendum de eo qui antè ex pacto cum quodam alio ire debebat. Parum enim refert, si illuc ire debebas, utrùm tua; an alterius causa: id enim nõ mutat æstimationem illius functionis. Simili modo qui quærit equũ ut negotij sui causa proficiscatur Parisios, si inueniat equũ reductitium, tantum potest exigere pro reductione equi, quantum alius qui equo non egebat, nec eo ire cogitarat. Idem patet cum quis negotia diuersi generis eadem profectione expedire potest.

Secundò, probatur allata ratione. Quia quod una eademque opera pluribus æquè possim commodare ac vni, non minuit æstimationem operæ respectu singulorum nõ enim opera mea minoris tibi ualet, quòd eadem dum tibi impenditur, simul alteri prosit: ergo si tibi soli exhibita ualet tibi duobus aureis, non minoris tibi ualebit, quod simul alteri per eam possim commodare. Sic si medicus uno eodemque sumptu pollet curare tres ægros, tantũ posset exigere a singulis, quantum ab vno: non enim opera & sumptus ille minoris valet respectu Petri eò quod simul curet Ioannem. Idem & potiore ratione dicendum est, quando functiones ipsæ, pro quibus merces exigitur, sunt diuersæ, sed requirunt per accidens aliquam actionem præuiã, quæ eadem diuersis illis subseruiat; v. g. profectionem ad locum remotum vbi diuersæ res sunt gerendæ. Vt cũ quis nomine diuersorum proficiscitur ad locũ dissitum, vt ibi illorum negotia tractet, vel testimonia & probationes in eorum causis cõquirat. non enim datur tunc principaliter merces pro itinere, sed pro functione peragenda in termino; quæ tamen pluris æstimatur ratione distantiæ loci & itineris, quod est medium quodam ad illam actionem necessarium. Porrò ad bonam fortunam vel industriam illius pertinet, quòd plura negotia concurrãt, ita vt vno medio possit ad ea conficienda uti, vel eandem functionem pluribus impendere. Neque opus est, vt qui sua negotia ipsi committunt, eiusq; opera vti cupiunt, sciant illum etiam aliorum negotia gerere, vel plura simul expediturũ: sed sufficit vt tam vtiliter & opportunè ea gerere possit, ac si alia simul gerenda non haberet, & suam operam cuique seorsim impenderet.

Limitatio.

Hæc tamẽ assertio sic limitanda est. Primò, nisi alioquin merces annua vel diurna ita sit taxata auctoritate publica, vel recepto usu, ut siue vnius siue pluriũ causam agas, non possis amplius exigere; vt fit cum salarium est constitutum ex publico, & non exigatur a priuatis: secùs cùm a priuatis, & obligatio sit singulis in solidum.

Secundò, Vt non accipiat plura stipendia nisi pro actione quã simul pluribus in solidũ impendit, idque pro tẽpore quo illa durat; non autẽ pro illis, quas singulis singulis. Vnde potest accipere pro itinere quod omnium causa facit, pro numero dierum quo profectio eundo & redeundo durat; non autẽ pro actionibus, quas pro diuersis diuersas

facit

facit in termino constitutus. v.g. si pro negotio Petri, vbi peruenit ad locum destinatum, impendat vnum diem, pro negotio Pauli duos, pro negotio Andreæ mediũ: singuli solent pro negotijs suis pro rata temporis.

Ad argumẽta. Ad Primum, Est dispar ratio. quando enim vna res venditur duobus, non venditur singulis in solidum, nec eo modo potest duobus tradi, vt singuli, tantum ex ea commodi accipiant, quãtum si cuique eorum soli traderetur. vna verò eademq; opera potest duobus in solidũ obligari, & impendi, vt ostensum est. Si tantum fingeremus eãdem rem duobus in solidum posse tradi, concederem illã bis posse vendi, & duplex pretium peo eo accipi.

Ad secundum, Negandum est non seruari hic æqualitatem, etsi enim illa actio, v.g. profectio ad illum locum, quatenus tendit ad confectionem vnius negotij sub vna obligatione, non pluris æstimetur duobus aureis; tamen si consideretur, vt tendit ad aliud negotium sub noua obligatione cũ altero in solidum incunda, valet duplum. Simili modo opera magistri eximij, etsi nõ pluris valeat 10. aureis, quatenus in vno discipulo scientiam ratæ alicuius artis parit; valet tamen duplam, si consideretur vt in duobus illam efficit: & triplum ut in tribus; modò ergo singulos in solidum se obliget.

Ad Tertiũ, Patet ex dictis. peregrinatio enim pro multis obita, non prodest singulis in solidum.

Ad Quartum, Concedo totum. modò id non putetur esse contra mentẽ Magistratus tale pretium taxantis. Vnde vbi est talis consuetudo iam olim recepta, præsertim magistratu qui mercedem taxauit, & ipso quoque populo sciente & non contradicente; censeo non esse inijcẽdum scrupulum: etsi plura stipendia diurna, dum plurium causam ex diuersa cũ singulis obligatione gerit, accipiat; modò æquè veiliter singulis ita simul conficiat, ac si seorsim pro eis ageret. Et sanè si id non esset licitũ, debuisset magistratus non solùm præscribere, quantum accipiendum sit ab vno, dũ vnius causam agit, sed etiam quantum à singulis, quando plurium: v.g. si duorum, si trium, si quatuor. Aequum enim est, vt si ab vno cùm vnius causa proficiscitur, possit in singulos dies exigere duos aureos, possit exigere amplius à duobus, si duorũ causam acturus erat; & amplius à tribus, si trium; & sic deinceps: ita vt singuli teneantur conferre amplius pro rata, quam ad conficiendos duos aureos sit opus. quò enim plurium causæ sunt agendæ, eò onus est grauius notabiliter. Non tamen hinc sequitur, quòd talis statim exiguo labore ditescet: tum quia non est paruus labor singula negotia exactè peragere; tum quia multorum causæ non semper ita concurrũt, vt simul peragi possint. Denique non est mirum hominem industrium in opimo officio breui ditescere.

DVBITATIO VI.

Ex qua culpa teneatur locator conductori, & conductor locatori.

Conductor quando teneatur. 30 RESPONDEO Teneri de dolo, de culpa lata, & de leui; non autem de leuissima, nec de casu fortuito: eò quòd contractus sit in commodum vtriusque. de quo plura diximus cap. 7. dubit. 8. conductor quidem tenetur, si res, quam conduxit ad suũ vsum, vel ad fructũ ex ea capiendum, ipsius negligentia perijt, vel deterior facta est. similiter si conduxit, vel redemit aliquod opus faciendum vel aliquam rem transferendam, aut transuehendam; eaq; res ipsius negligentia vel imperitia perijt, vel surrepta est vel aliquo modo vitiata. Numquam tamen tenetur, (nisi aliud deductum sit in pactum) si eam diligentiam & circumspectionem in re custodienda & tractanda adhibuit, quæ communiter ab huiusmodi conductoribus adhiberi solet. non enim amplius præstare tenetur, quàm passim ab alijs in huiusmodi rebus præstari solet.

Locator quando. E contrario locator tenetur conductori. si locet illi rem vitiosam, (v.g. vasa vitiosa, vel prauo liquore imbuta) indeque fiat vt conductor damnum capiat: vt si liquores infusi corrumpantur, vel effundantur. hic tamen requiritur aliqua negligentia. vel culpabilis ignorãtia in locatore. si enim præstet id, quod passim solet ab ijs, qui res huiusmodi locãt, ad nihil tenetur. pari modo, si locator operæ suæ, non præstet operam promissam (quod sæpè facilè operarij negligentes) tenetur partem mercedis, quam non est promeritus, restituere, & si quid inde damni acceperit conductor, sarcire. Domini quoque, & alij conductores, qui non permittunt suis famulis & operarijs aut non præstant ea, quæ in contractu tacitè vel expressè promiserunt, tenentur ad compensationem damni & incommodi secuti si maiorem operam exigant quàm conuentum sit, tenentur ad maius stipendium: quod est animaduersione dignum nisi forte stipendium sit ita largum, vt merito plus ab ipso exigi possit.

31 Non præst. ea res promissa

DVBITATIO VII.

Quas ob causas licitum sit conductorem expellere, vel priuare conducto.

32 1. causa expulsionis. RESPONDEO, Doctores ex Iure Cæsareo passim recensent quatuor causas, quæ etiam breuiter insinuantur & approbantur Iure Canonico. d. capit. Propter sterilitatem 3. §. Verùm de loc. & cond. Prima est, Si conductor tempore constituto pensionem non soluerit. colligunt id ex L. Aede. 3. C. de locato.

Dices, Ius Canonicum, §. Verùm. videtur requirere vt per biennium non soluerit: & tunc adhuc concedit vt possit purgare moram, celeriter offerendo satisfactionem: ergo non potest statim expelli.

Respondet Glossa in illum §. & Nauar. cap. 17. nu. 193. & multi alij, Illud esse intelligendum quando res sunt locata in decem vel plures annos. aut saltem in quinque vel sex; non autem quando in pauciores; vt tres, vel quatuor: tunc enim posse statim expelli.

33 Iste biennũ expectandus Sed verius videtur, semper esse biennium expectandũ, quando res vltra biennium est conducta. Primò. Quia Ius Canonicum aperte insinuat biẽnium esse necessariũ. Neq; verum est, Pontificem ibi loqui de re locata in decem, vel plures annos; tum quia talis locatio non est propriè locatio; sed emphyteusis, cùm transferat dominiũ vtile rei in conductorẽ, vt dictum est dub. 1. Vt autem quis possit expelli ex re emphyteutica propter pensionem nõ solutam. requiritur triennium, si emphyteusis sit secularis, vt infrà dicetur: tum quia reliquę causæ quas Pontifex ibi enumerat, conueniunt in res locatas breuiori tempore. Secundò, Quia Ius Ciuile nusquam aperte dicit posse conductorem statim expelli; sed Doctores id colligunt a contrario sensu (nempe ex eo quòd lex dicat, de non posse expelli eũ, qui soluit pensionem) quod argumentum sæpè non est firmum. Tertiò, Idem Ius Ciuile alibi insinuat requiri biennium, vt patet L. Quæro. 54. §. Inter locatorem. ff. locati. Denique quia Pontifex Gregorius IX. ita videtur Ius Ciuile interpretari; nam ponit eadem causas, quæ recensentur L. Aede. 3. C. de locato. vnde puto iuri esse conformius vt non expellatur, nisi biennio pensionem non soluerit.

34 Secunda causa. Secunda est, Casus improuisus, per quem domus, quam elocasti, tibi incipit esse necessaria ad habitandum. vt si prior, quam inhabitabas, corruat, vel comburatur; vel cogaris migrare propter hostes.

Notandum est, hanc causam tantùm locum habere in domibus causa habitandi necessarijs; non autem in prædijs rusticis, seu agris; vt rectè notat Gomezius. to. 2. ca. 3. nu. 6. quia lex hoc concedens continet priuilegium quod non debet extendi: idque meritò: tum quia in alijs locator sibi facilius potest prospicere: tum quia alioquin cum magno incommodo conductorum, sæpissimè res conductæ eis auferentur: semper enim locator posset causari rem esse sibi necessariam.

Tertia. Tertia est, Si domus vel alia res elocata necessariò egeat refectione vel instauratione quæ non possit fieri inhabitante conductore. illa tamen peracta, domus est conductori restituenda.

Quarta. Quarta est, Si conductor re conducta abutatur, siue dãnum inferendo, siue infames personas introducendo, siue alia ratione cum scandalo vtendo.

35 Insinuantur hæ causæ breuiter d. L. Aede. Codic. de locato. vbi dicitur, *Aede, quam te conductem habere dicis, si pensionem domino in solidum soluisti, inuitum te expelli non oportet, nisi prospicis ædibus dominus eam necessariam esse probauerit.*

Exuerit, aut corrigere domum malurit, aut tu malè in re locata versatus es.

36 *Prima & quarta causa.*

Circa prædicta Notandum Primò, Primam & quartam cautam habere locum non solum in ædibus & prædijs vrbanis; sed etiam in prædijs rusticis; imo etiam in mobilibus. si enim harum conductor pensionem suo tempore nõ soluat, aut re conducta abutatur, poterit ea priuari. Ratio est, quia non præstat ea, ad quæ ex vi contractus tenetur; ac proinde locator non tenetur etiam stare contractui.

37

Notandum Secundò, Si conuenerit, vt locator conductorem non expellat; si quidem locator intendit renunciare iuri suo, quod leges ei concedunt, non poterit eum expellere: nisi forte conductor ita *le*gerat, vt locator ad scandalum impediendum teneatur eum expellere. si autẽ non intendit renunciare suo iuri, poterit illum ob causas supradictas expellere, etiamsi iuramento illa conuentio fuerit confirmata, quia in pactis non censentur comprehendi casus illi, qui iure sunt exceptj; nisi contrahentes intenderint illos comprehendere.

Si iuramento confirmata.

38 *An remissio sterilitatis.*

Notandum Tertio, Quando conductor priuatur re conducta, quia locator illa eget, vel quia ipsa eget reparatione, condonandam esse pensionem pro rata temporis quando verò priuatur, cum re abutitur, si quidem possit res alteri ita elocari, vt elocator nullum damnum sentiat, faciẽda etiam est condonatio: si autem non possit sine damno, tenetur conductor illud compensare, quia censetur causa initia illius damni. Si autem priuetur ob non solutam pensionem, videtur facienda remissio pro rata: quia si quod damnum inde prouenit, censetur locatori voluntarium: nam nihil est quod ipsum cogat vt conductorem priuet.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm licitum sit locare domum vel rem aliam ei, qui putatur ea abusurus ad peccatum mortiferum.

NAVARRVS cap.17.num.195.in principio, generatim tenere videtur id esse illicitum. Sed vtendum est distinctione. vide.

39 Dico Primò, Id esse illicitum, si vel fiat elocatio in illum finem; vel elocator possit & teneatur peccatũ alterius impedire. vt si eloces domum furi, vel latroni, quem putas inde habiturum opportunitatem nocendi ciuibus: si loces, aut vendas arma ei qui contracto litigio parat inuadere. Imò in hisce duobus casibus locans censetur præbere auxilium, ac proinde tenetur ad restitutionem damni secuti: si loces domum tuam meretricibus vel vsurarijs, qui alibi domum commodam non inuenirent; idque eo loco, vbi nullo modo expediebat tales permitti.

Si elocator tea entur impedire.

Dico Secundò, Si locatio fiat ob finem indifferentem, (v.g. ad commodandum dumtaxat de habitatione) & locator non possit, aut non teneatur impedire illa peccata, quæ ibi committentur, non peccat talibus elocando, sepositio scandalo. ita tandem sentit Nauarrus suprà, citans Maiorem, & totius orbis consuetudinem. ratio est, quia illa elocatio per se est indifferens; nec vitiatur malo fine, aut vlla praua circumstantia. Vnde sequitur non esse peccatum (si aliàs absit scandalum) locare domum meretrici, si vel multæ aliæ domus æquè commodæ non sint ei defuturæ; vel si expedit vrbi ad maiora mala vitanda illas permitti: quia tũc vel nõ possũ vel nõ teneor illarũ peccatũ impedire. Idẽ dicendum de vsurarijs. Confirmatur; quia cùm hæc duo hominum genera permittantur in Repub. nullus priuatus tenetur eos ejcere, aut illorum peccata impedire; & consequenter potest quiuis eis domos elocare, & alia necessaria vendere, absque intentione aut cooperatione peccati.

40 *Si non teneatur impedire.*

41 Iure tamen Canonico vetitum est, ne quis vsurarijs alienigenis domum elocet. vt patet ca.1.de vsuris in Sexto. hoc tamen non videtur multis locis seruari; nam passim a Principibus & Reipublicis admittuntur, Episcopis minimè contradicentibus.

DVBITATIO IX.

Quænam conditiones iure communi requirantur ad contractum emphyteuticum.

RESPONDEO; Varias conditiones posse apponi huic contractui. nam pacta contrahentium huic contractui dant legem, magis quam vlli alteri; vt patet ex L.1. & 3.C.de iure emphyteut. Hinc fit, vt in varijs Prouincijs diuersæ admodum sint de hoc contractu leges & consuetudines. Iure tamen communi Cæsareo, potissimum sequentes (quæ habentur L.1.a. & 3.C.de iure emphyteut.) locum habent, nisi aliter inter contrahentes conuenerit:

42 *Emphyteuseos conditiones.*

Prima est, Vt constituatur in rebus immobilibus & fructiferis; at in agris, domibus, pascuis, siluis, stagnis, & similibus, quæ cultu & industria possunt fieri meliora. Instructus enim est initio hic contractus ad terras steriles fœcundandas. deinde successu temporis extenditur est etiam ad fœcundas, & ad alia corporalia, quæ fructum vel emolumentum annuum reddunt. 43

Secunda est, Vt dominium directum & possessio caulis huius rei maneat apud priorem dominum, cui rem dat in emphyteusim: dominium autem vtile eiusdem rei transferatur in emphyteutam. Ius enim, vtrumque dominium vocat. 44 *Præscriptio emphyteusis.*

Ex hac conditione sequitur Primò, Agros emphyteuticos, quoad dominium directum, non posse ab emphyteuta præscribi; (vt patet L. Male. 2. C. de præscriptione 30. annorum) quia prior dominus manet in possessione: cuiusetsi enim emphyteuta vellet illos incipere possidere tanquam suos; quamdiu tamen non ejcit dominum, manet dominus in possessione: atqui contra possidentem ciuiliter non est præscriptio, cùm hæc ipsa possessio ad præscriptionem sit insufficiens. vt dictum est suprà c.6.dub.2. vide Syluestrum v. Emphyteusis, numer.19. potest tamen emphyteuta contra dominum directum præscribere dominium vtile & ius emphyteuticum; quia hoc, nomine suo possidet; idq; tempore 30. annorum contra laicalem; 40. contra Ecclesiam priuatam; 100. cõtra Ecclesiam Romanam, iuxta dicta cap.6.dub.3. & 11.

Secundò Sequitur, Laicum habentem agros Ecclesiæ in emphyteusim, teneri ex illis soluere tributa, quæ laicis imponuntur; quia dominium vtile, ratione cuius tributum debetur, non est Ecclesiæ, sed laici.

Tertiò Sequitur, Emphyteutam posse rem illam alteri donare, locare, vendere, & dare in emphyteusim quãdam secundariam; quia est res ipsius quoad ius & dominium vtile. itaque potest illã secundùm illud ius in alium transferre; modò tamen id faciat absque domini directi incommodo, & vt iura præscribunt. Syluest. nu. 20. Simili modo vsusfructus quoris vendi & elocari potest. vt dictum est c.3.dub.6. emphyteusis autem est quidam vsusfructus.

Tertia conditio est, Vt emphyteuta teneatur ad certam pensionem quotannis soluendam. Vbi Notandum Primò, Hanc ordinarie minorem esse, quam fructus detractis expensis valeant. nihil tamen vetat quin possit illis esse adæquata sicut in locatione. Secundò, Eam solui posse vel in pecunia, vel in fructibus, prout fuerit conuentum. 45 *Solutio pensionis.*

Quarta est, Vt si hanc pensionem intra certum tempus non soluerit, amittat rem emphyteuticam, cum omnibus meliorationibus & emponemanibus. seu operibus, quæ in ea fecit, eaq; redeat ad priorem dominum. & dominium vtile consolidetur cum directo. est communis sententia DD. & colligitur L.2.& 3.C.de Iure emphyteut.

Vbi Notandum Primò, Si emphyteusis sit ecclesiastica, (id est, si res, quæ data est in emphyteusim, sit res Ecclesiæ, vel pij loci) tunc si per duos annos non soluerit pensionem constitutam, amittit eam. nisi celeri satisfactione sibi consulere studuerit, moramq; purgauerit. Ita habetur cap. Potuit, de locato & conducto. Si verò sit emphyteusis communis, seu sæcularis; requiritur ut triennio non soluerit; sed non conceditur moræ purgatio per celerem satisfactionem. sicut elapso biennio in emphyteusi ecclesiastica. Syluest. v. Emphyteusis. num.9. Vt autem tunc res censeatur commissa, non requiritur vt debitor fuerit interpellatus de pensione soluenda; quia dies ipsa interpellat pro creditore; aut vt sententia Iudicis intercedat; quia 46

ipso

ipso iure cadit in cõmissum. Non tamen tenetur se illa spoliare, antequam dominus directus declaret, se velle pœnam illam committi mandatæ executioni; Vt docet Clarus quæstio. nona, & Sylvester numer. 7. post tamen illam declarationem, tenetur cedere, sicut fit in pœna conuentionali; (ad hoc enim tacitè se obligant ex vi contractus) nisi iure possit excipere, opponendo aliquid, cur in commissum non videatur cecidisse. Verius autem est pœnam non esse retrotrahendam ad punctum temporis, quo res cecidit in commissum: (quia censetur solum cecidisse sub conditione si dominus directus declarauerit se ita velle) sed tantum incipiendam à tempore, quo dominus voluntatem suam declarauerit. deinde quia pœna non retrotrahitur, nisi vbi id lege est statutum, vel stylo fori receptum ex natura enim rei nulla est in pœnis retrotractio.

47 *Si alia pœna adiuncta sit.* Notandum Secundo, Si præter pœnam commissi, apposita sit alia in contractu, v. g. vt si non soluerit, teneatur ad duplum pensionum non solutarum; non potest vtraque simul exigi, sed altera tantum, prout placuerit creditori. Ita Clarus v. Emphyteusis, quæstione octaua, numero 12. & alij: quia vtraque simul iuncta, excedit iustam moderationem.

48 *Restitutio in integrum.* Notandum Tertiò, Si Ecclesia, vel pius locus rem sæcularis in emphyteusin acceperit, & Rector loci ex negligentia pensionem intra tempus conditionatum non soluerit, cadit in commissum, sicut quiuis priuatus; tamen concedetur ei restitutio in integrum, sicut minori; ne negligentia Prælati tanto sit ei detrimento; iuxta ea, quæ dicta sunt capit. 17. dubitatione vltima. Idem dicendum quando emphyteuta ex ignorantia non solsit pensionem, (vt si ignorabat rem esse emphyteuticam) aut quia legitimè fuit impeditus. Ita Sylvester numer. decimo, & Clarus quæstio. 8. numer. 9.

49 *Si res pereat.* Quinta conditio est, **Vt si res sine culpa emphyteutæ** omnino pereat, aut absque spe recuperandi occupetur à mari vel ab hoste; emphyteuta liberetur à solutione pensionis: nisi obligauerit se ad casus fortuitos. Ita habetur L. 1. C. de iure emphyteu. estque communis sententia Doctorum. ratio est; quia res emphyteutica perit proprietario. si tamen aliqua pars rei supersit, tenetur ad integram pensionem; vt ex eadem lege colligitur. ratio est; quia pensio soluitur potius in recognitionem dominij directi quàm ad compensandos fructus. vt inquit Clarus quæstio. 8. numer. 8. Si tamen pensio esset magna, ita vt ferè responderet fructibus; tunc in æquitate esset remissio facienda pro rata. similiter si pensio solueretur ad mensuram rei fructiferæ: vt si pro singulis iugeribus perirent 10. solum esset obligandus ad pensionem decem aureorum. Ita Iulius Clarus supra: idque potius ex æquitate, quàm ex rigore iuris. Ratione autem sterilitatis dicunt Doctores, nihil de pen-
50 sione minuendum, (quia emphyteuta manet in possessione rei, & saltem aliquid percipit) nisi forte pensio sit magna: tunc enim æquitatem postulare remissionem. Ratione autem belli, si res coli non potuit, dicunt esse faciendam remissionem. vide Clarum supra numero septimo, & octauo. Sed hæc omnia potius pendent ex quadam æquitate, & iudicio τῶν ἐπιεικῶν, quàm ex iuris dispositione.

51 *Si deterior efficiatur.* Sexta est, **Vt si rem notabiliter deteriorem reddat, eam amittat, eique possit auferri.** Vbi Nota, ita expresse statutum esse de emphyteusi ecclesiastica, Authen. Qui rem. C. de sacrosanctis Ecclesijs. & Doctores ob paritatem rationis illud extendere etiam ad emphyteusim sæcularem. Ratio est; quia cùm emphyteusis instituta sit ad rem melioradam, meritò ea priuari potest, si reddiderit deteriorem: vt si arbores inciderit, si vineam non putauerit, vt notat Sylvester v. Emphyteu. numero 11. & Clarus quæstione 26.

52 *Si eam vendat.* Septima est, **Vt emphyteuta fos emphyteuticum & melioramenta à se facta non vendat, nisi domino directo** antè admonito, vt ipse ante alios emere possit, si velit: quòd si contra fecerit, totum sit commissum, & redeat ad dominum directum. colligitur ex L. 3. C. de iure emphyteu. & capit. Potuit, de locato, estque communis sententia Doctorum.

53 *Requiritur traditio.* Vbi Nota Primò, Si emphyteuta hæc vendat quidem, sed non tradat, nisi domino antè interrogato an ipse eodē pretio emere velit, non cadere in commissum. vt recte notat Siluest. num 11. & Clarus quæstio. 13. num. 3. ratio est; quia ante traditionem vendito non est omnino perfecta dominium enim non est translatum. vnde res non censetur adhuc alienata, quod tamen lex requirit. Idem dicendum, si solum sub hac conditione (si dominus directus eam nere nolet) vendat & tradat: quia ipse contractus venditionis non est perfectus; vt patet ex dicta capit. 21. dubitatione prima.

Nota Secundò, Posse eum illam donare, domino non 54
interrogato; hoc enim iure non est prohibitum. non tamen potest donatarium inuestire seu in possessionem immittere; (alioquin suo iure excideret) sed debet rogare dominū directum, vt id faciat, qui non tenetur id facere, nisi sit persona idonea, (a qua facile possit obtineri soluto pensionis) & solemni stipulatione promittat, se annuam pensionem soluturum. Ita Silu. numer. 13. ex Baldo. Simili modo potest eam legare, permutare, & oppignerare, vt idē docet num. 24. ex eodem Baldo. si tamen res sit Ecclesiæ, non potest oppignerari per Authen. Hoc ius. &, Qui rem, C. de sacrosanctis Ecclesijs.

Nota Tertiò, Postquam significauerit domino directo 55
pretium, quod ab alijs pro iure emphyteuseos, & meliora- *Dies mensis ad deliberandum.*
mentis offertur, domino concedi duos menses ad deliberandum; post quos, si eo pretio nõ acceptauerit, potest emphyteuta alijs libere, eodem vel maiori pretio vendere, modò non sint personæ iure prohibitæ. patet ex L. 3. C. de iu. emphyt. & c. Potuit. Idem tempus conceditur ei, vt deliberet an teneatur donatarium vel legatarium inuestire; vt docent communiter DD.

Nota Quartò, Emphyteutam non posse rem locare alte- 56
ri ad decennium, vel vltra, domino minimè requisito; nisi alicubi sit contraria consuetudo (posse tamen ad breuius tempus.) Ita Clarus q. 19. ratio est; quia locatio ad decennium vel vltra, est vera alienatio rei, quod dominium vtile, pro pretio, vt dictum est dubit. 1. non potest autem rem alienare pretio, nisi eam domino ante eandem pretio offerant, vt patet L. 3. C. de iu. emphy. Simili modo non potest eam subemphyteuticare, seu alteri dare in emphyteusim, (quod passim dicitur *dare ad libellum*,) domino minimè requisito; idque ob eandem causam, vt docet Clarus quæstione 20. *Locatio ad decennium.*

Octaua conditio est, **Vt quoties res venditur, vel doca-** 57
tione aut permutatione alienatur, is, qui eam accipit, soluat domino directo laudemium, idque pro inuestitura, seu possessione, quam ab ipso accipit. vt patet L. 3. C. de iu. emphyt. vbi Nota Primò, *laudemium* vocari certam partem pretij, seu æstimationis rei venditæ, quæ iure communi est quinquagesima, consuetudine vero trigesima. vt docet Siluester ex Hostiensi numero 28. Nota Secundò, Hoc non deberi quando hæres necessarius accipit rem illam titulo hæreditatis, vel filia titulo dotis, vel quando res redit ad venditorem resoluto contractu, ex pacto de redimendo; vel quando plures hæredes eam inter se diuidunt: vt ostendit Siluest. supra. Hæc ferè iure communi de emphyteusi sunt sancita, de quibus plurima disputant Iurisperiti, sed inspicienda est locorum consuetudo, quæ admodum est varia. *Laudemium.*

DVBITATIO X.

Quæ conditiones requirantur ad contractum feudalem.

RESPONDEO, Ferè easdem requiri, quæ in emphy- 58
teusi, a qua non multum differt. Nam Primò. Contractui debet in re immobili: vt in regno, prouincia, vrbe, arce, pago, agro. Secundò. Dominium directum & possessio ciuilis ipsius rei manet apud dominum: vtile transfertur in vasallum illudque vasallus ciuiliter & naturaliter possidet. Tertiò, Non tenetur ad vllam pensionem; (si est feudum purum) sed loco pensionis debet obsequium, idque tantum, quando de hoc interpellabitur. Quartò, Si obsequium constitutum non præstiterit, amittit feudum, sicut emphyteuta non soluens pensionem. Quintò, Sine domini voluntate illud alienare non potest, alioquin amittitur. Sextò, A domino debet inuestiri & mitti in possessionem; *Conditiones contractus feudalis.*

& tunc iurare domino fidelitatem. Septimò, Non potest sine domini voluntate feudum donare, vel impignorare, vel aliter in feudum concedere sine domini voluntate. vide plura apud Syluestrum & Iulium Clarum v. Feudum. & alios: nam variæ sunt locorum consuetudines, & varia feudorum genera.

DVBITATIO XI.

Vtrùm res Ecclesiæ possint in feudum, vel emphyteusim à Prælatis dari, vel ad longum tempus locari, & quomodo.

59 *Si antea in feudi data.*

RESPONDEO, Et dico Primò, Si res illæ proximè ante datæ fuerant in feudum vel emphyteusin, possunt iterum fieri; idque absque solemnitate, quam Ius Canonicum præscribit: modo tamen id fiat ad Ecclesiæ euidentem vtilitatem, & antequam illius rei fructus Ecclesiæ incorporentur, id est, eius vsibus à Prælato applicentur. est communis sententia DD vt refert Clarus, de emphyteusi quæst. 6 & de feudo q. 13. & Couar. lib. 2. var. cap 17. num. 4. Ratio est, quia id non censetur noua alienatio, (quæ iure prohibetur) sed continuatio alienationis antè factæ.

60 *Si non fuerant antè data in feudū.*

Dico Secundò, Si res Ecclesiæ antea non fuerant sic traditæ, vel si post traditionem expirante contractu fuerant rursus quoad fructus, Ecclesiæ incorporatæ; non possunt de nouo dari in feudum vel emphyteusim, vel alia ratione alienari, nisi ex iusta causa, & seruatis solemnitatibus iure præscriptis. est etiam communis Doctorum Probatur Primò, Ex cap Nulli 5 de rebus Eccl. alienan. vel non alienandis, vbi dicitur: *Nulli liceat alienare rem Ecclesiæ sine immobilem, siue agrum, siue rusticum mancipium: neque speculas hypotheca, siue titulo obligare. alienationis autem verbum continet conditionem,* (aliàs conductionem, nempe ad longum tempus) *donationem, venditionem, permutationem & emphyteusim perpetuum contractum.* Secundò, Probatur Ambitiosæ Extrauagan. commun de rebus Eccl. non alienan. vbi

61 *Extr. Ambitiosa.*

Paulus II: *Prohibet omnem honorum Ecclesiasticorum, immobilium & nobilium pretiosorum, quæ seruata forma, seruari possunt, alienationem, cuiuscunque pacti, per quod dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem & conductionem vltra triennium, infeudationem & contractum emphyteuticum; etiam in casibus iure expressis. & omnem talem contractum irritum reddit, & ficta excommunicationis sententia eos, qui contra prædictam prohibitionem alienare præsumpserint.* Tertiò, Probatur ex capit. 5 3 vt Sine exceptione. 12. quæst. 2. *Statuimus & decernimus* (inquit Leo I.) *ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi forte aliquid horum faciat, vt meliora proficiant, & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum* & infra, requirit subscriptionem Clericorum. Idem habetur capit. 1. & 8. de ijs, quæ fiunt a Prælato absque consensu Capituli. Eadem habentur Authent. Hoc ius porrectum. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs, circa quos Canones.

Alienatio immobilium & mobilium pretiosorum.

62 Notandum est Primò, Non solum res immobiles Ecclesiæ non posse alienari vel impignorari absque præscripta forma; sed neque etiam mobiles, si sint pretiosæ & seruando seruari possint, vt sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casulæ pretiosæ, tapetes, item quæcumque tempore non corrumpuntur, & simul fructificant, vt ouium grex, teste Syluest. v. Alienatio, num. 7. Secus de ijs, quæ ipso vsu consumuntur, vt vinum, oleum, frumentum, pecunia: nisi hæc rei immobili comparandæ, voto, iuramento, vel præcepto Superioris sit destinata, tunc enim inter immobilia numeranda est.

Solemnitas requisita ad alienationem rei Eccl. sic.

63 Notandum Secundò, Vt valida sit alienatio rei Ecclesiæ immobilis vel mobilis pretiosæ, ex dispositione horum Canonum, duo requiri. Primò, Iustam causam: ea autem est quadruplex, vt docet Syluest. v. Alienatio, num. 2. ex Panormitano. Prima est, Necessitas, cui aliter occurri nequit. Secunda est, Vtilitas manifesta. Tertia est, Pietas, v. g. ad redimendos captiuos, ad succurrendum graui proximorum necessitati. Quarta est, Iocommoditas, vt si res sit Ecclesiæ

Quadruplex causa iusta alienandi.

Forma.

sumptuosa, & parum vtilis. Secundò, Requiritur certa forma, quæ consistit in quatuor.

Primò, Vt fiat super ea re tractatus, vt inquit Leonis est, vt in Capitulo discutiatur, allatis vtrimque rationibus, an expediat alienari. Sufficit autem vnus tractatus diligens; vt colligitur ex Canonibus citatis, & docet Syluester num. 10. ex Panormitano. Vbi autem res non tractantur capitulariter, sed tantum per Superiorem & consultores, sufficit tractatus cum consultoribus, iuxta priuilegia Instituti, vt in nostra Societate, vt rectè notant Molina, disputatio 468.

Secundò, Vt Capitulum expressè consentiat. Hic consensus sequitur tractatum, & ille eius veluti conclusio. Sufficit autem vt maior pars Capituli præsentis consentiat; vt notat Panormitan cap primum, de ijs, quæ fiunt à Prælatis, num. 5.

Tertiò, Vt Capitulum subscribat. hoc tamen non est necessarium, nisi in venditione, donatione, & permutatione; vt docet Panormit. suprà, & colligitur ex decreto Leonis, imò eam consuetudine receptum est, vt sufficiat subscriptio Notarij.

Quarto, Vt adsit auctoritas Superioris: qui in non exemptis est Episcopus; in exemptis autem Prælatus, cui Ecclesia vel Monasterium immediatè pleno iure subest, vt Abbas in Ecclesijs sibi subiectis: Generalis vel Prouincialis in Ordinibus mendicantium, & alijs, qui eorum fruuntur priuilegijs: quòd si Prælatus procul absit, & res non patiatur moram, puto sufficere consensum præsumptum; vt si sit periculum ne ab hæreticis confiscetur: ita Panormitanus in capit. finali de rebus Eccles. non alienan. & Fumus v. Alienatio, numero decimooctauo. Syluester numero 16.

64 *Ne fiat intuitu facti Roman. Pont.*

Notandum Tertiò, Præter hanc formam, in Extrauagan. Ambitiosæ, etiam præcipi sub grauibus pœnis, *vt non fiat alienatio bonorum Ecclesiasticorum, absque expressa facultate Romani Pontificis, & si facta fuerit, sit irrualida.* quę dispositio etsi non videatur recepta quoad pœnas (vt docet Nauarr. cap. 27. numer. 149.) tamen id, quod in ea ordinatur, seruatur passim ab Episcopis, & Abbatibus ijs, qui vigore litterarum Apostolicarum consecrantur: nam id ipsum in formula iuramenti fidelitatis, quod præstant Summo Pontifici, quando sunt consecrandi, insertum est. In forma enim Episcoporum sub finem hic habetur, *Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, meo salvo Romano Pontifice. & si ad aliquam alienationem deuenero, pœnam in quadam super hac edita constitutione contentus, eo ipso incurrere velim.* Formula Abbatum, qui a Pontifice confirmatur, sic habet, *Possessiones verò ad Monasterium meum pertinentes, non vendam, nec donabo, neque impignorabo,* &c. sicut in priore. Constitutio verò, cuius hic fit mentio, est illa Pauli II. quæ incipit, Ambitiosæ, vbi inter cetera dicitur, *Alienantes verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præmissæ constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali præfulgent dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus. & si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi perseuerauerit, à regimine Ecclesiæ vel Monasterij, cui præsidet in spiritualibus & temporalibus, sit eo ipso suspensus.* Deinde inferiores Prælati & Rectores Ecclesiarum sic alienantes, priuantur omnibus beneficijs & officijs, ita vt hæc vacent absque alia declaratione, & liberè possint alijs conferri. Hoc tamen postremum non videtur in eo rigore receptum, vt infrà capitulo vigesimonono dubitatione 8. dicetur. Porrò Legatus à latere non potest dare licentiam alienandi contra prædictum iuramentum, vt docet Syluester verbo Alienatio, numer. decimoseptimo in fine, ex Panormitano & Speculatore. & meritò, quia id esset in præiudicium Romani Pontificis, cui hoc iuramentum Prælatos obstringit.

Formula iuramenti Episcoporum & Abbatum.

Aduerte tamen, in rebus parui momenti non opus esse hac consultatione. idem dicendum, si alienationem contingat esse necessariam; vel si res non patiatur mora, vt docet Panormitanus in cap. Vt super. de reb. Eccl non alien. num. 25 & in capit. fin. de Ecclesijs ædific. num. octauo, sed solum in rebus maioris momenti, in quibus possit esse aliqua ambiguitas: in his enim dumtaxat locum habet consultatio.

Vbi non sit necessaria consultatio.

Pari

Pari modo, non est necessaria (sicut nec aliæ supradictæ Iuris solemnitates) in alienatione summæ pecuniariæ ad pium vsum, quantumuis ea magna sit, si ad mensam Prælati pertineat. quia non est res Ecclesiæ, sed Prælati, de qua ad causas pias liberè disponere potest, quòd si Prælatus sit Regularis, etsi non habeat dominium; habet tamen ad causas pias administrationem. vide Syluestr. v. Alienatio, numero 7.

65 *Renunciatio legat. &c.*

Peres, Verum sine prædicta solemnitate Prælatus validè repudiet legatum vel hæreditatem delatam Ecclesiæ.

Respondeo, Valde probabilem esse partem affirmantem: quia hæc repudiatio seu renuntiatio, non est alienatio rei Ecclesiæ; sed solum non acquisitio. illa enim res non pertinet ad Ecclesiam ante acceptationem Prælati. Vnde etiamsi Prelatus non possit res Ecclesiæ alienare absque forma supradicta, hinc tamen non sequitur, quin possit nolle acceptare quod Ecclesiæ offertur. non enim paria sunt, lucra non capere, & quæsita perdere. L. Si sponsus. 5. §. Si marītus. ff. de donatio. inter vir & vxor. de quo vide Syluestrū supra num. 18. Potest tamen in hoc euentu Ecclesia implorare beneficium restitutionis in integrum: id enim ei concessum est, quando negligentia vel facilitate Prælati læsa est, non solum damno accepto, sed etiam lucro amisso, vt docet Glossa cap. Auditis. v. Restituimus; de in integrum restitutio. vide supra cap. decimoseptimo, dubitatione nona. Potest etiam agere contra Prælatum; quia ex officio tenebatur rem Ecclesiæ agere, eiusque vtilitatibus consulere. cap. Quicumque, quodecima qu. 4.

Addo tamen, contrariam sententiam etiam esse valdè probabilem; nimirum talem renuntiationem non valere. etsi enim Ecclesia nondum acquisierit dominium rei; tamen acquisiuit Ius ad rem, quo Iure Prælatus per suam renuntiationem non potest eam priuare. de quo videri potest Geminianus in cap. 1. numer. 19. de rebus Eccles. non alienan. in 6.

66 *Quo modo possint dari in feudum vel emphyteusim.*

Dico Tertiò. Seruata supradicta forma, & posita iusta causa, possunt res ecclesiasticæ valide in emphyteusim & feudum dari, & specialiter oppignerari. patet ex dictis; quia licitum est eas sic vendere, permutare & donare: ergo multò magis dare in feudum vel emphyteusim. Quin imò si alicubi longa consuetudine forma supradicta seruata non sit, non est alienatio censenda inualida; modo consensus eorum, qui ex natura rei debent consentire, adfuerit. ratio est, quia cum forma illa sit iure positiuo humano introducta, potest contraria consuetudine aboleri; etsi aliqui Canonistæ contrarium sentire videantur. Adde, multorum sententia eum, qui aliquid per supradictos contractus, non seruata forma præscripta ab Ecclesia, habet, non teneri in conscientia ad restitutionem, aut rescindere contractum; modò consensus eorum, qui necessariò debebant consentire, in contractu adfuerit; vt docet Syluester ex Antonio de Butrio, & Panormitano verb. Alienatio. nu. 12. & 13. & Nauarrus comment. de alien. rerum Eccles. nn. 17. & sequentibus. & ratio illorum est; quia in foro animæ sufficit contractum tenere secundum limites Iuris naturalis seu gentium: ad quod sufficit adesse prædictum consensum. Sed quid de hoc dicendum sit vide supra cap. 19. dubit. 3.

67 *Elocatio ad vitam.*

Dico Quartò, Res Ecclesiarum non possunt etiam elocari ad vitam, aut ad longum tempus: imò neque vltra triennium. Prior pars est communis Doctorum, teste Couarruu. libr. 2. variar. cap 16. num. 1. & colligitur aperte ex Clementina 1. de rebus Eccles. non alienandis; vbi Prælato Regulari contra facienti ponitur pœna suspensionis ab officio. Idem colligitur ex capit. Nulli eodem tit. lo. Altera pars expresse habetur in constitutio. Pauli II. suprà citata.

68 *Longum tempus.*

Notandum autem est, *longum tempus* hic vocari 10. annorum. & quidquid est vltra. *modicum* seu breue, quod intra decennium, vt notant Couarruuias & Nauarr. suprà. vnde ante Pauli II. extrauagant. poterant res Ecclesiæ locari ad nouem annos, non seruata Iuris solemnitate. post tamen illam, non possunt nisi ad triennium. si ad plures annos fiat elocatio, est irrita; vt patet ex verbis illius constitut. nume. 61. adductis. Vbi intellige esse irritam non solum quoad annos illos, qui triennium superant; sed absolutè quoad omnes, vt docet Couarruuias contra multorū sententiam, suprà numero 5. Ratio est, quia ex vi contractus, contrahentes non consentiunt nisi in locationem & conductionem plurium annorum: non enim conductio triennalis ita commoda est, sicut nouennalis; imò potest esse detrimentosa. Si tamen ipsi contrahentes tacitè consentirent in triennium, tunc ex hac parte valeret; quia implicitè esset duplex contractus scilicet in nouennium, & (si hic non subsisteret) in triennium.

Elocatio vltra triennium est irrita quoad omnes.

69 *Non videri receptam.*

Aduerte tamen Primò, dict. extrauagan. loqui de rebus, quæ quotannis dant fructum: vnde si aliqua res solum alternis fructificet, poterit locari ad sexennium; si tertio quoque anno dumtaxat. poterit ad nouennium; vt notat Couar. num. 6.

Secundò, sicut pœnæ illius extrauagant. non sunt receptæ, teste Nauarro cap. 27. nume. 150. ita etiam multis locis hanc dispositionem non esse receptam, vt Couarru. n. 6. notat, & Syluest. v. Alienatio, q 13. itaque ibi poterit fieri elocatio ad nouē annos absque forma Iuris supradicta.

Non tamen est tolerabile, quod quibusdam locis fit, vbi beneficiarij prædia Ecclesiæ ad multos annos exigua pensione elocant, ea lege vt statim conductor soluat poculum vini (vt vocant) 1000. florenorum. fraudant enim hoc modo successores, (si forte interea mori contingat) percipientes partem pensionis successoribus debitam. Vnde tenentur eorum hæredes ad restitutionem ex illa pecunia anticipata, pro numero annorum, qui post mortem beneficiarij supersunt.

70 *Possunt.*

Tertiò, Non videri hic prohiberi, quin fructus beneficiorum & bonorum ecclesiasticorum possint elocari, aut vendi in plures annos; (modò ipsi fundi non elocentur) quia hi non sunt res Ecclesiæ, sed priuatorum: & locatio expirat morte locantis, & beneficij amissione. nam conductor nullum acquirit Ius in fundum, sed solum in fructus ad locatorem pertinentes. Secus est, quando fundus elocatur. hæc enim elocatio ipsum fundum immediatè attingit, & manet, etiamsi locans beneficium amittat. vide Panorm. in cap Continebatur de his, quæ fiunt à Prælatis, nume 7.

Petes, An Prælatus successor teneatur stare elocationi rei Ecclesiæ, quam eius decessor fecit?

72

Respondeo Teneri, si legitimè facta fuit; sicut tutor pupilli, qui alteri tutori succedit, tenetur stare cōtractibus à suo decessore legitimè factis. secus si non fuerit legitimè facta. Vide Couarruu. lib. 2. variarum, cap. 15. sub finem. Si tamen successor deprehendat Ecclesiam enormiter læsam ex illo contractu, poterit vt beneficio restitutionis.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM

De contractu societatis.

Complectitur Dubitationes 4.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit societas, & quibus modis contrahatur.

Societas. 1 RESPONDEO & dico Primò, *societas* in proposito, est conuentio duorum, pluriumve, ad conferendum aliquid in vsum vel quæstum communem, contracta. hic contractus perficitur solo consensu exterius expresso, absque vlla alia iuris solemnitate, vt docet Gomez [illegible] num. 1. vnde collatio bonorum vel operarũ in cõmune, nõ est cõtractus societatis, sed effectus eius.

Vt autem hæc definitio intelligatur, Notãdum est, quatuor potissimum ad hũc contractum requiri. Primum est, *Quatuor requiruntur ad societatis cõtractum.* 2 Vt singuli socij aliquid in commune conferant, siue pecuniam, siue operam & industriam, siue instrumenta, (v.g. nauem, equos) siue animalia, siue alia bona, prout conuentum fuerit. nisi enim aliquid præstent, vel cooperentur ad lucrum vel commodum, non possunt eius esse participes: vt qui titulo careant.

Secundum, Vt id quod à singulis socijs collatum fuerit eo animo vt sit commune. Ita tamen cedat in dominium singulorum, ita vt singuli efficiantur domini totius sortis partialiter, seu partiali dominio. colligitur ex L. 1. & sequ. ff. pro socio. Idem dicendum de ijs, quæ socius nomine communi comparat; non autem quę nomine proprio, vt docet Couar. lib. var. cap. 19. num. 1. Dixi, *Eo animo vt sit commune* quia alioquin non cedet in dominium sociorum; vt patet quando non fit communio in capitali, sed solum in lucro, vt quando alter pecuniam, alter industriam confert. 3

Tertium, Vt lucrum & damnum sit commune. colligitur ex ijsdem legibus supeà. & L. 1. & seqq. C. pro socio.

Quartum, Vt fiat diuisio lucri, secũdum proportionem sortis a singulis collatæ. L. Si non fuerint. 29 & L. Verũ 63. ff. pro socio. hæc tamen tertia & quarta conditio intelligẽda est, nisi aliter expresse fuerit conuentum, & onus, quod præter naturam huius contractus alteri parti imponitur, debitè compensetur. Ex his facilè intelligi potest, quomodo hic contractus differat a ceteris.

Dico Secundò, Societatem varijs modis contrahi posse. Primò, Ex parte finis, possunt enim esse varij fines proximi huius contractus. sic aliquando contrahitur ad vsũ tantum, vt quando libri. vel alia supellex, vel pecunia, in vsũ *Varijs modis contrahi potest.* 4 & victum communem conferuntur. aliquando ad lucrum tantum, vt in negotiatione. aliquando ad vtrumque, vt in matrimonio. vbi vir & mulier conferunt bona & operas ad perpetuum conuictum & lucrum.

Secundò, Ex parte materiæ, sic vel contrahitur societas omnium bonorum, vt fit ex matrimonio, quod celebratur contractu societatis bonorum. hic omnia bona, quomodocunque obuenientia, sunt communia, & facto diuortio æqualiter diuidenda similiter damna sunt communia, præter ea, quæ culpa socij obueniunt, *præsertim* lata. (hæc enim soli auctori sunt imputanda) & ea, quæ socius malè expendit, v.g. in meretrices & comessationes. Vel contrahitur societas lucrorum dumtaxat: vt quando bona hæredum manent indiuisa. huc solum communicantur lucra ex hæreditate illa prouenientia & damna circa eam absque culpa sociorum obuenientia. Vel denique contrahitur societas certæ alicuius partis bonorum, vel certæ negotiationis. vide Silu. v. Peculium. 2. n. 2. Aliquando ita contrahitur societas vt alter conferat pecuniam, vel gregem animalium, alter industriam & operam necessariam; vel vterque partim pecuniam, partim industriam.

5 Tertiò, Ex parte temporis; alia enim contrahitur ad vitam, alia ad certum tempus, alia vsque ad finem certi negotij. Ad hæredes autem hic contractus non transit, etiãsi expressè conuentum sit vt hæres in eandem societatem succedat. vt patet L. Adeo. 59. L. Verum. 63. §. Hęredem, ff. pro socio: quia in hoc contractu industria personæ eligitur, vt habetur d. L. Adeò, Si tamen socij iuramento promiserunt se continuaturos contractum cum hærede, valet pactum, & tenentur eum admittere, quidquid aliqui in contrarium tulerint. Ratio est, quia iramentum seruandum est, quando absque salutis dispendio seruari potest; imò eam vim habeat, vt contractum iure humano alias irritum, reddat in sua specie validum, vt dictum est supra c. 17. dubitatio 7. *Iuramentũ.* 6

DVBITATIO II.

Quomodo contractus societatis iniri debeat, quando alter confert sortem, alter operam; & quomodo diuisio in fine facienda.

OMISSIS sententijs Doctorum qui valdè perplexè loquuntur.

Respondeo, Varijs modis iniri posse. Primo, Vt qui operas & instrumenta, (v.g. nauem vel currum) præbet, habeat aliquotam partem lucri, quam ipsius opera merentur, & reliquum totum cum sorte pertineat ad eũ, qui sortem contulit. Verum hic potius est conductio operarum, quã contractus societatis; vt rectè Nau. c. 17. nu. 252. docet. Talem contractum plerumque ineunt mercatores cum suis factoribus. non enim volunt eos admittere in societatem, dum nullam pecuniam conferunt; sed vt diligẽtiores sint, dant eis in mercedem partem lucri: quo fit, vt si res benè succedat, longe plus accipiant, quàm opera illa mereatur; si malè, longe minus. debet enim esse talis pars aliquota, vt tanta sit illis spes accipiendi amplius quam opera præcisè meretur, quantum est periculum accipiendi minus: aliàs non est iusta merces. 7 *Primus modus in quo pars lucri est loco mercedis.*

Secundò, Vt is, qui operas confert, admittatur vt verus socius, & solum sit particeps lucri secundum æstimationẽ operarum, quasi tantum pecuniæ in societatẽ contulisset, quanti valent operæ. vt si conferas 1000. aureos, & opera socij æstimetur 100. aureis, sitque particeps lucri quasi cõtulisset solum 100. aureos. Hic contractus, etsi a quibusdã DD. probari videatur: est tamẽ omnino iniquus. ratio est; quia socius id quod confert, certo amittit: (perit enim opera illius) tu verò quod confers non amittis; sed manet tibi salvum: vnde est dispar conditio sociorum, quod repugnat contractui societatis; nisi aliunde fiat compensatio. Deinde hoc pacto, socius, qui confert operam, numquam aliquid lucrabitur, sed certo semper amittet; nisi lucrum sit plusquam 1100 aureorum, quod vix vmquam continget. cum enim solum vndecima pars lucri ei sit assignata, nisi hæc excedat 100. aureos, quibus opera eius æstimabatur, nihil habebit supra id, quod contulit. si autem vndecima pars lucri sit infra 100. aureos, necessario amittet, vt patet. Itaque talis societas fere est leonina, in qua alter sociorum solum habet damnum, alter solum lucrum; de qua vide d. L. Si non fuerint 29. §. fin. ff. pro socio. 8 *Secundus modus, in quo est particeps lucri secundum æstimationem operarum. Est iniquus.*

Tertiò; Vt is, qui operas confert, non solum sit particeps lucri, sed etiam sortis, secundum æstimationem operarum, 9

Tertius modus, cum par ceps sortis ôfert.

tarum; ita vt negotijs peractis, ex tota summa, quæ ex lucro & sorte conflata erit, tantum extrahat, quantum si loco operarum pecuniam æquivalentem contulisset: vt si tu cõferas 1000. aureos, socius autem operam valentem 100. aureis; & lucrum sit 500 aureorum, socius extrahet vndecimã partem, non totũ de lucro, sed etiam de sorte; id est, ex 1000. & 500. aureis. vnde ille habebit 136 aureos & vnam tertiã: tu vero habebis reliquas decem partes. hic contractus est iustus probatur, quia qui confert operas, non minus debet esse particeps tum lucri tum sortis, quam qui ponit tantũdem pecuniæ. non enim ipse tota opera perire debet, cum non minus conferat ad negotiationem, quam is, qui contulit tantumdem pecuniæ: atque is, qui in casu proposito cõ-
10 tulit 100. aureos, extrahit vndecimam partem non solum lucri, sed etiam sortis: ergo etiam is, qui contulit operã euidem æstimationis. Itaque in hoc contractu opera socij æstimanda est pecunia; eique æstimatio sorti addenda, vt fiat veluti vna sors communis. v.g. 1100. aureorum, in qua socius habeat partem vndecimam: perinde ac si tantumdem pecuniæ contulisset. vnde postea in diuisione competit ei vndecima pars sortis & lucri, seu totius summæ. Si opera ipsius valebat quanti sors alterius; debetur ei dimidium totius summæ: si erat æqualis tertiæ, quartæ, quintæ, vel sextæ parti pecuniæ, debetur ei tertia, quarta, quinta, vel sexta pars totius summæ, quæ reperietur suntis negotijs. Iuxta hunc modum intellige quæ habet Couarruuias lib.3. variarum, cap.2. & Nauar. cap.17. num.251. etsi non satis clarè explicent an socius operam conferens, debeat esse solum particeps lucri, an etiam sortis.

Si sors pereat.

11 Secundum est, quando hoc modo inita est societas, si sors pereat ante præfinitam totam operam, socium, qui eam conferre debebat, teneri soluere alteri (cuius sors periit) partem æstimationis operarum, quæ conferẽdæ restabant: sicut enim salua sorte & opera exhibita, debetur socio conferenti operam certa pars sortis, vt dictum est: ita pereunte sorte, & opera salua, (id est, nondum exhibita) debetur socio, qui sortem posuit, pars æstimationis operæ restantis iuxta modum suprædictum.

Quartus modus.

12 Quarto, fieri potest pactum, vt is, qui operam confert, non sit particeps sortis, sed tantum lucri; ita vt si peracta negotiatione nihil superfit præter sortem, nihil habeat. hoc potest esse iustum. Verum tunc non est comparanda pecuniæ quantitas, quam alter confert, cum pretio operarum, vt in secundo modo; neque est conflanda vna sors ex illa

Considerandum quæ vtrique pereunt.

pecunia, & pretio operarum, vt in tertio: sed cõsideranda sunt ea, quæ vtrique pereunt, & hæc inter se comparanda, vt rectè docet Petrus Nauarra lib.3.cap.2.num 451. Ei igitur, qui pecuniam confert, duo pereunt. Primo, æstimatio
13 periculi, seu pretium assecurationis capitalis, siue illud periculum in se suscipiat, siue alteri persoluat eius pretium: hæc enim pacta censentur. Secundo, perit illi æstimatio lucri illa pecunia sperati, seu pretium, quo alteri vendi poterat spes lucri illa pecunia percipiendi, detractis operis & expensis. qui enim exponit 1000. aureos negotiationi, facile inueniet multos, qui libenter pro lucro sperato dabunt 100. 200. vel 300. aureos, iuxta conditionem mercimonij, operis solutis. itaque hoc totum perit ei, qui sortem con-
14 fert. Vnde non rectè Sotus lib.6. quæst.6. art.1. docuit, solum pretium periculi sortis hic esse considerandum, quasi illud solum periret conferenti sortem: nam etiam perit pretium lucri sperati. & sanè si sententia Soti vera esset, is, qui confert decem millia aureorum ad negotiationem valdè securam, vbi periculum non æstimatur nisi centum aureis, non posset plus ex lucro accipere, quàm alter, qui posuit operam centum aureorum: etiamsi lucrum sit quatuor millium aureorum, quod omnino absurdum est, & nusquam vsurpatum. vt rectè Nauarrus supra, hanc sententiam refutans, ait: etsi enim pecunia per se sit sterilis; tamen vt subeat industriæ alicuius, fit fœcunda, eiusque fœcunditas magni æstimatur. Patet igitur hac duo operire ei, qui pecuniam confert.

15 Ei verò, qui confert operam, solum perit æstimatio operæ. hæc igitur inter se sunt comparanda, & secundum horum proportionem lucrum eis diuidendum; detracta primum sorte pro eo, qui illam posuit. vt si conferas 1000. aureos, quorum periculum æstimetur 100. spes autem lucri, detractis expensis, æstimetur 200. conferis contulisse 300. aureos, qui omnino tibi pereunt: opera verò alterius æstimetur centum: censetur itaque contulisse 100. aureos, qui ipsi pereunt. lucrum autem sit 800 qui operam posuit, habebit quadrantem lucri, nempe 200. quia quartam partem contulit respectu alterius qui pecuniam posuit, habebit 600 videlicet dodrantem lucri, seu tres quadrantes; quia tres quadrantes contulit respectu alterius. quod si lucrum sit 400. aureorum tantum, neuter quidquam lucrabitur, aut amittet; nam vterque solum accipiet quantum contulit ex eo, quod necessario periturum erat. Si lucrum sit nullum, vterque amittet, eadem proportione: is enim, qui pecuniam contulit, amittet 300. aureos, videlicet pretium periculi sortis, & pretium lucri sperati, is, qui operam, amittet 100. id est, pretium operæ.

Dices, Sæpe fit vt etiam sors pereat: ergo hoc etiam est æstimandum, ac proinde ratione huius, debebitur ei amplius ex lucro, quam dictum est: qui enim præstat operam, non potest amittere nisi æstimationem operæ, v.g. 100. aureorum: qui pecuniam confert, potest totam sortem 100. aureorum amittere. 16 *Obiectio.*

Resp. Periculum sortis incertum debet reduci ad certũ pretium, quod in casu proposito est centum aureorum, vt supponimus exempli causa; nec alia æstimatio huius periculi est facienda. Nec refert quod possit amittere 1000. quia hoc periculum non æstimatur nisi 100. quos si alteri dare velit, non poterit amittere 1000. in potestate enim ipsius est vel subire periculum amittendi mille, vel dando centum, efficere vt mille securos habeat. Itaque ratione periculi non pereunt ei nisi 100. aurei. *Responsio.*

Ex his patet, si sors pereat, perire illi, qui illam posuit, nec quidquam ei ab altero compensandum. si verò aliquid superfit, hoc idem deberi. si præter æstimationem sortis aliquid superfit, id diuidendum secundum proportionem dictam; ita vt vterque ex eo ea proportione capiat, qua contulit ad id, quod necessario vtrique periturum erat. 17 *Si sors pereat*

Petes, Quid si opera socij pluris valeat quam pecunia alterius; & tantum sors sit salua, tenebiturne is, qui illam posuit, socio aliquid compensare? Quidam putant teneri; quia socius certò amittit totam æstimationem operæ, quæ pluris valet quam sors alterius, quæ non perit necessario. Sed dicendum est, si contractus initus est secundum hunc quartum modum, nihil teneri ei compensare; quia dominia eorum, quæ conferuntur, non fuerunt communicata; sed manserunt diuisa: (in hoc enim modo contrahendi solum fit communicatio lucrorum, quæ deducta sorte supersunt) quæque autem res domino suo perit. itaque sicut quando sors longè superat operas; nihil compensare debet qui contulit operas, etsi sors pereat. (quia tota perit ei, qui illam posuit) ita vicissim quando operæ superant sortem, nihil compensare debet qui sortem posuit, etiamsi sola superfit. Nec refert quòd socius certò amittat totam æstimationem operarum, & quòd hæ operæ pluris valeant, quam sors alterius; quia ideò longè amplius lucri capiet, si extiterit. 18 *Si opera plus valeat quàm sors.*

Si autem initus fuit secundùm tertium modum, sic debet fieri compensatio; nam totum debet diuidi certa proportione, vt dictum est; eò quòd dominium eorum, quæ conferuntur, fiat commune, tanquam vnius massæ seu sortis, ex diuersorum collatione conflatæ. 19

Ex his patet, quid dicendum sit, si alter conferat solum pecuniam, alter pecuniam & operam: item si vterque conferat pecuniam & operam inæqualiter. nam iuxta tertium modum, omnia reuocãda sunt ad æstimationem pecuniariã, vnaque summa conflanda, quæ socijs sit communis. & finita negotiatione, diuisio totius, quod inuentum fuerit, facienda secundùm proportionem eorũ, quæ singuli contulerunt. Iuxta quartum modum, aliter intelligendum est periculũ sortis, & spes lucri per talem sortem obtinendi, detractis operis & expensis. Deinde æstimanda sunt operæ singulorum, & hac æstimatione iuncta cum pretio periculi sortis, & lucri sperati, duæ summæ vtrimque conflandæ, & iuxta harum proportionem faciendæ est diuisio lucri. 20 *Si alter pecuniam, alter operam conferat.*

Petes, Vtrùm hi tres modi contrahendi, etiam locum habeant in societate circa greges ouium vel similium animalium?

Respondeo Habere. De primo patet; quia potest alicui tradi grex centum ouium, vt eas pascat pro dimidia parte 21

Societas circa greges.

fructuum (id est,fœtus,lanæ,lactis)siue illi copiosi fuerint, siue exigui. Secundò,probatur;quia potest iniri æstimatio pasturæ & ipsius gregis, vt ex vtroque confletur vna res communis: & finita pastura aliquot annorum, fiat diuisio totius,iuxta æstimationem eorum,quæ singuli contulerũt. Tertiò probatur; quia periculum gregis,& ipes lucri ex eo percipiẽdi, possunt æstimari ex vna parte; (hæc enim pereunt ei,qui gregem tradit) & cura pascẽdi ex altera parte; (hæc enim perit ei qui gregem suscipit) & iuxta horum proportionem, poterit fieri diuisio fructuum.

DVBITATIO III.

Vtrùm in societate licitum sit pactum cum socijs, vt saluam præstent sortem, & reddant quotannis certum lucrum paruum, pro incerto magno.

22 *Caietanus.*

CAIETANVS tom.1. opusc.vlt.responsione vndecima putat formam hanc contractus,quam ei proposuerat Conradus,esse illicitam;*Petrus consignat cẽtum florenos apud Paulum mercatorem, vt ei pro parte lucri, capitali saluo, assignet per annum quinque florenos,residuo lucri sibi reseruato*. Primò, quia est contractus societatis, in quo socius obligatur ad assecurandum capitale, cum nihil ei pro hac assecuratione detur,& ad reddendum certum lucrum, cum tamen nemo alius pro incerto lucro vellet dare certum illud pretium, quod exigitur à socio.

Secundò, quia non est licitum illos tres contractus simul cum vno eodemque celebrare, etiamsi in singulis daretur iustum pretium:non enim licitum est in contractibus obligare & grauare alterum vltra naturam contractus: sicut cum quis dat mutuum, non est licitum obligare mutuatarium ad remutuandum. Pari ergo modo, qui contrahit societatem cum aliquo, non potest eum obligare ad contractum assecurandi capitale, & emendi lucrum incertum certo pretio,nisi id ipsum alter cupiat, sic vt fiat communi consensu & condicto. Addit tamen Caietanus posse hæc pacta cum eodem fieri successiuè,modo in singulis seruetur æqualitas.

Sotus.

Sotus verò lib.6.q.6.art.2.& quidam alij putant hæc pacta esse illicita, siue simul fiant, siue successiuè. Ratio præcipua est. quia qui ita pecuniam suam tradit, vt periculum eius transferat in accipientem, censetur eam dare mutuo, non ad societatem:atqui ex mutuo non potest peti lucrum: ergo talis cõtractus est iniustus. Maior probatur,quia dum transfert periculum in socium, amittit dominium illius pecuniæ, & transfert illud in socium. is enim est dominus, cui res perit: cuius signum est, quòd illa pecunia possit emere prædium,vel dotare filiam. Confirmatur, Quia hæc formula aperit fenestram vsuris. facilè enim fiet,vt homines hoc modo tradant suam pecuniam ijs, qui neque negotiantur, neque alium quæstum faciunt; & non curent vtrùm illi, quibus eam dederunt, negotiationi an suis vsibus impendant.

23 *Esse licitas hæc pacta.*

Verum contraria sententia est multo probabilior & verior;nimirum hæc pacta in societatis contractu esse licita, siue simul fiant cum socijs, siue successiuè,modo prudentis arbitrio seruetur æqualitas. Hanc expresè multi viri doctissimi & religiosissimi tenent;quorum verba breuiter adducam, vt maiorem fidem faciant apud eos, qui vel aliter sentiunt vel rem non perpetrant,& magis auctorum numero quàm rationum pondere mouentur.

Probatur ex DD.

Ang v.Societas,1.§.7. *Idem dicerem* (scilicet licitum esse) *quando socius accipiens ipsum capitale, conueniret liberè cum socio dante capitale, de dando sibi tale modicum de lucro.* Et infrà dicit hoc habere locum, *quando negotiatio est talis qualitatis,quòd assecuratorem inueniret soluendo tria vel quatuor pro centenario; & tum verisimiliter pro lucro societatis esset receptarus sex vel octo,& aliquando plus: & conueniret cum socio vt solum daret tres vel quatuor pro lucro. & cum de capitali assecuraret.* Vnde sequitur,si lucrum verisimiliter sit 10.12.vel amplius in centum,posse deponentem conuenire cum socio, vt socius det 5.6.vel amplius in centum.Et infra docet,nõ solum in pecunia dotali, sed etiam *in omni capitali dato ad societatem,posse reddi periculum à socio: modo duo concurrant. Alterum est,vt socius accipiens,liberè hoc velit facere. Alterum, quòd ponens cap.tale paulo amplius verisimiliter sit lucraturus supra id, quod ex lucro ipsi obuenret, nempè quantum est id, quod eiusmodi alteri pro assecuratione solueret.* Quæ omnia in nostro casu concurrunt.Non tamen est necessarium vt socius ille vellet assecurare,etiamsi non esset in illa societate;vt videtur Angelus requirere; quia satis est; vt omnino liberè assecuret.Si enim non esset socius,forte nollet illam pecuniam assecurare: quia non sciret quomodo impenderetur,& quæ fraudes possint interuenire. Cum autem est socius,ipse totum negotium dirigit; & sic minus est periculi, & tota res est ei perspecta. Vnde tunc eam libentius assecurat.

Gabriel in 4.d.15.quæst.11.dub.10.ad verbum sequitur Angelum.

Maior in 4.dist.15.quæst.27.*Si mutuatarius rogaret mutuatorem post mutuum in se suscipere periculum; vel si vltro mutuator ad hoc se offerat,potest saltem subire omnes periculas,sicut non mutuator.* Idem docet quæst.49 vbi etiam dicit hanc sententiam à doctissimo Theologo Ioanne Eckio fuisse publicæ Bononiæ defensam. Eamdem fuisse communem Theologorum Parisijs tempore Maioris: refert Ludouicus Lopez ex scholis Victoriæ libr.1. de cõtractibus c.65. Etsi Iuristæ forum externum spectantes & præsumptioni innixi contrarium tenerent.

Sylu:tit.v.Societas,1.qu.2.sub finem,etsi nonnihil confusè loquatur,hanc sententiam tamen apertè indicat: *Fallit,inquit,quod dictum est,si capitale sit saluum non ex contractu societatis, sed assecurationis facta ab aliquo,qui non sit socius, cui detur certum quid vt subeat periculum capitalis. Et idem est, si ipsa assecuratio fiat à socio;modo intentio sit recta,&c.* Rationem subdit, *Quia ibi sunt duo contractus, scilicet societatis & assecurationis, quorum quilibet per se est licitus.*

Nec refert quòd Sylvester velit aliquid certum solui pro hac assecuratione,& vt socius sit paratus assecurare;etiãsi non esset socius: quia perinde est, siue id quod soluitur sit certum & definitum reipsa,vt v.g. duo in centum. siue sit in se incertum, sed certum in æstimatione, qualis est pars aliquota, v.g. quarta vel quinta lucri sperati. Hæc enim ab intelligentibus certo pretio æstimari potest, & vendi vel commutari cum re alia, aut obligatione. Similiter non est necessarium, vt ille assecurator vellet assecurare, si non esset socius (fortè enim tunc assecuratio esset illi incommoda vel suspecta ob ignorantiam periculi & fraudum) sed sufficit vt sponte sua cupiat & malit ipse præstare securitatem socio tali pretio, quàm eam præstari ab alio, vt infrà dicetur. Nec Sylvester illa requirit vt absolutè necessaria, vt patet ex ratione quam adfert,sed solum ponit exempla, in quibus res sit clarior.

Bartholomæus Pisanus v. Societas,numer.6. *Si primò fiat contractus, vt periculum pecuniæ sit apud deponentem, post modum deponens velit assecurare deponentem de capitalis salute, recipiendo tres vel duo pro centenario, vel defricando de lucro, puta sic: Ista pecunia verisimiliter lucrabitur octo pro centum; sed quia volo te assecurare de capitale,contento te cum tantum duos quinque pro centum: hic contractus est licitus; quia etiam qui non est socius, potuisset illum hoc modo assecurare. ergo nec minus potest dum est socius,dummodo intentio sit quod hoc fiat propter assecurationem.* Concordat Sylu v. Societas,§.2.

Vbi aduerte requirere hunc auctorem,vt primò fiat contractus societatis absolutè, per quem periculum fit penes deponentem. Sed hoc ideo requirit,vt vitetur præsumptio coactionis & fraudis vsurariæ. Certum enim est, illud non esse necessarium, quando alter socionum cupit sua sponte periculum in se suscipere; & alio modo non vult contrahere:quia non cupit rationes suas alijs patefacere.

Eamdem apertissimè & distinctissimè tradunt recentiores.

Nauarrus capitul.17.numer.255. docet licitè fieri hos tres contractus cum eodem. *Primum societatis, in quo alter pecuniam, alter operam & industriam confert. Secundum assecurationis, in quo qui operam confert, assecurat alterius sortem. Tertium ut ad tollendas suspiciones, & rationum molestias, qui operam confert, lucrum incertum aliquo certo minore redimat, vel ex lucro verisimili, seu incerto, tantundem*

tundem certe retinuat. Idem docet in conſil.li.1.tit. de conſtitut.q.34.

Couarruuias libro 3.variarum reſolutio.capit.2.numero 3. *Poteſt, ait, licitè dari pecunia alteri, vt per eam adhibita induſtria, qualibuna ars exerceatur; ita contracta ſocietate, vt pecunia ſalua ſit, eiuſque periculum ad mercatorem eo pertineat; lucrum tamen, quod alioquin aquis portionibus communis foret, maiori ex parte ad ſubeuntem periculum pecunia ſpectet; quaſi ea pars lucri, quæ dimidium excedit, iuſtum ſit arbitrio boni viri pretium ſubeundi periculi; poſſuntque hi contractus vno actu & contextu fieri.*

Gregorius a Valentia diſputat. 5 quæſtio.24 puncto 2. *Licet,* inquit, *contractus ſocietatis inire, ac eum eodem ſocio contractum aſſecurationis capitalis pro parte lucri ſperati probabiliter, & aſſecurationis lucri certi minoris pro alia parte ſperati lucri.* Addit hanc ſententiam ſe præſente Romæ anno 1581. placuiſſe multis & doctiſſimis Theologis, re prius diligenter excuſſa; & pro ea citat multos DD.

Ludouicus Molina de Iuſtitia & Iure tract.3 diſputat. 417. *Poteſt quis,* inquit, *dare pecuniam ad negotiationem vt cooperetur & partias lucrum, cum pacto vt vel tertius, vel is qui eam accepit, ſecuram illi reddat: iocundo inſuper contractum lucri quod eſt in ſpe, pro certo & determinato lucro quotannis ſibi reddendo; ſine hac pacta ex intervallo ponantur, ſine à principio formaliter & expreſsè, ſine etiam virtute, & implicitè tantum.*

Franciſcus Garzia de contract.p.2.cap.17. *Poteſt in contractu ſocietatis ſocius aſſecurare ſortem ſocij ſui, & lucrum ex ea ſocietate ſperatum.*

Eamdem ſententiam apertè docet Ludouicus Lopez de contract.lib.1. capit. 65. vbi primum ponit tres conditiones. Prima eſt, vt deponens pecuniam velit obligare mercatorem ad negotiandum. Secunda, vt non nimis multum lucri ab eo exigat. Tertia, vt mercator ſponte velit capitale aſſecurare, Deinde addit: *Cum his conditionibus poteſt licitè fieri ex ſe contractus pradictus cum ſocio, ſiue eodem tempore cum contractu ſocietatis, ſi ſucceſſiuè, & non ſolum formaliter & explicitè, ſed etiam implicitè & aquiualenter, vt ait Nauarrus.* Deinde citatis aliquot auctoribus, addit: *Sed neque Victoria, neque frater Ioannes de Penna, neque Caietanus (qui videntur tenere contrarium) auſi ſunt hanc concluſionem omnino damnare.*

Eamdem tenet Bartholomæus Medina in ſua Inſtruct. §.27. vt idem Lopez refert.

Franciſcus Toletus libro 5. capit. 41. *Contractui ſocietatis poſſunt annecti alij duo. puta aſſecurationis capitalis: ſicut enim vnus poteſt aſſecurationem capitalis cum tertio facere, ita etiam poteſt cum ſocio. Poteſt etiam locare fructus & lucrum pretio conuenienti, vel aſſecurationem lucri facere. Et ita ſentit Caietanus opuſcul. 16. quæſtion. 11. & Nauarr. cap. 17. numero 255. quamuis Soto id non recipiat. Sed non videtur id negandum, dummodo vt Caietanus dicit, non obliget ſocium ad tales contractus, ſed liberum relinquat, ſicut & alium tertium.*

Eamdem tenet Ioſephus Angles in Florib. 4. ſententiarum, quæſt. de ſocietate.

Eamdem apertè indicat F.L.Benoict.lib.3.capitul.9.§. Exemplo.

Eadem nuperà doctiſſimis viris abſque vlla difficultate fuit Romæ approbata; & paſſim per Italiam eſt in vſu, vt ex formulis impreſſis mercatorum conſtat.

Denique plurimi hoc tempore per Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Galliam, S. Theologiæ profeſſores celeberrimi eamdem abſque dubitatione tradunt.

24 *Secundo probatur, ex iure.* Probant Doctores Primò, ex iure canonico cap. Per veſtras. de donat inter virum & vxorem. vbi, ſi marito vergente ad inopiam, nec valente dare ſufficientem cautionẽ pro dote vxoris conſeruandâ, dos veritur in periculo, iubetur talis dos tradi mercatori ad ſocietatem negotiationis, vt nimirum & ſecurè apud illum conteruetur, & ex eius lucris poſſint onera matrimonij ſuſtẽrari. atqui hoc fieri non poſſet, niſi cum mercatore ineantur tres ſupradicti contractus formaliter vel æquipollẽter. Hæc ratio eſt probabilis, ſed non conuincit, vt oſtendit Lopez ſup.

Secundò, ex iure ciuili. L. Si non fuerint 19 ff. pro ſocio, dicitur *ita coiri ſocietatem poſſe, vt nullam partem damni alter ferret.* quod alia ratione fieri non poteſt, niſi contractui ſocietatis addatur contractus aſſecurationis.

Tertiò Probatur ratione. Si eſſet aliqua iniquitas in hoc contractu, vel id proueniret ex eo quod non ſeruetur æqualitas inter ea quæ commutantur, vel quod mercator obligetur ad aliquid ſupra naturam contractus, vel denique ex eo quod ratione aſſecurationis præſtandæ a mercatore ſit implicitum mutuum, ex quo non licet lucrum captare. non enim ſunt alia cauſæ ob quas auctores aliqui velint hunc contractum iniuſtum. ſed ex nullo horum capitum eſt iniquitas: ergo, &c. 25 *Tertio probatur ratione.*

Non ex primò, Quia ſupponimus eſſe æqualitatem ſecundum peritorum æſtimationem inter ea quæ vtrimque præſtantur & commutantur; nimirum ex parte deponẽtis ſortem, & ex parte mercatoris. Ex parte enim deponentis tria conferuntur, quæ ipſi pereunt.

Primum eſt, æſtimatio periculi, cui pecuniam ſuam exponit. etſi enim mercator dicatur eam aſſecurare, hæc tamen ſecuritas eſt valde infida, & cum ea plurimi euertuntur. Vnde plerique libenter adhuc darent vnum in centum pro perfecta aſſecuratione, per pignus aut hypothecam ſufficientem obtinenda. Quare exponendo ſic ſortem cenſetur mercatori dare vnum in centum, cum periculum ſortis tanti æſtimetur. *Ex 1.ea. non eſſe iniuſtitiam.*

Secundum, æſtimatio commoditatis, quam habebat ex pecunia præſenti. commodum enim cuique eſt habere pecuniam ſuam expeditam ad omne lucrum, quod ſe forte offeret, hæc æſtimatio eſt facile duorum vel triũ in mille.

Tertium eſt æſtimatio lucri ſperati, quæ quando induſtrius eſt mercator facile eſt 10 vel 12. in centum, & ſæpè multo amplius, vt quotidiana experientia, & mercatorum confeſſione conſtat.

Ex parte mercatoris ſimiliter tria conferuntur. Primum eſt elocatio operarum, ſeu obligatio ad impendendam illam pecuniam negotiationi. hæc non magni a mercatoribus pecuniam accipientibus æſtimantur; quia eadem opera illam pecuniam vna cum ſua impendunt. Imò id auget illorum fidem & facit illuſtriores, quòd magnam vim pecuniæ habeant. Vnde fit vt meliori pretio emant, partim propter fidem, ſeu creditum; partim quia merces in maxima quantitate numerata pecunia comparant: quod facere abſque adminiculo illo non poſſent. 26

Secundũ eſt aſſecuratio ſortis, hæc etiam non magni pẽditur; tum quia ea ſecuritas parum eſt ſecura, & multis periculis expoſita, vtpote nulla nitens hypotheca, ſed ſola fide mercatoris. (vnde non eſt maior, quam ſit ſecuritas bonorum ipſius mercatoris, quæ omnia fortunæ ſunt expoſita) tum quia ſi mercator euertitur fortunis, nihil iuuabit alterum, pactum illud aſſecurationis. ſi non euertitur, libenter ſoluet ſortem, ne apud alios amittat fidem.

Tertium obligatio eſt ſoluendi 6. & 7. in centum. vel quantum iudicio peritorum conuentum fuerit. quæ obligatio minoris æſtimatur quam cenſuaria, propter infirmitatem fundamẽti; nimirum quia caret hypotheca, & quia omnia bona illius magis ſunt expoſita periculis, quàm eorum, à quibus cenſus emi ſolent.

Conferantur nunc hæc tria, quæ vtrimque præſtantur inter ſe; cui dubium eſſe queat, quin iudicio & æſtimatione peritorum mercatorum poſſit inter hæc ſtatui æqualitas, nihil obſtat quin hæc inter ſe poſſint commutari iuſto contractu. atqui iudicio peritorum mercatorum in forma illa eſt æqualitas, ſaltem eatenus vt non cenſeatur plus exigi a mercatore, aut ipſe plus grauari, quàm valeat id, quod ipſe præſtat pecuniæ depoſitori. ergo illa formula hac ex parte non eſt iniuſta.

Hinc patet hos tres contractus poſſe fieri per modum vnius contractus innominati, *Do & facio vt des & facias:* nimirum trado tibi hanc meam pecuniam ad negotiandũ (exponẽs eam periculo, & priuans me illius commoditate) & do tibi totum lucrũ, vt tu ea negotieris, & te obliges ad reddendam ſortẽ, & ad ſoluendum 6. ½ in cẽtũ. Vel ſic, Si velis mea pecunia negotiari, aſſecurare 4 ſortem, & obligare te ad ſoluendum 6. ½ in centum, tradam tibi meam pecuniam, & concedam 4 tibi totum lucrum. Hic non ſunt tres contractus a ſe mutuo independentes; ſed vnus ſolus inuoluens omnia, quæ vtrimque ſunt conferenda & commutanda. *Poſſunt fieri in modum vnius pacti.*

Ex his patet ex primo capite nullam eſſe iniuſtitiam in hoc contractu.

Sed neque ex ſecundò, nimirum quòd mercator obligetur

Ex 2. empir. non esse iniustitiam.

genus ad aliquid supra naturam contractus societatis, vel conductionis operarum. Primò, Quia non obligatur ad hoc ex vi contractus societatis aut conductionis: hoc enim iniquum est, eò quod grauetur supra naturam contractus ob quod grauamen nouo pretio non compensatur; vt si quis ex eo solo quòd ineat contractum societatis mercaturæ cum altero, velit sibi præstare periculum sortis, & nihilominus æqualiter particeps esse lucri; (hæc enim est societas leonina, in qua vult quis esse immunis a damno, & par vel maior in lucro) sed obligatur ex alio contractu, in quo noua datur compensatio æqualis illi grauamini. ideo enim pars aliqua lucri sperati ei conceditur.

Nec refert, quòd sine hoc contractu assecurationis nolit depositor pecuniæ inire contractum societatis, aut conductionis operarum mercatoris: cuique enim liberum, nolle inire vnum contractum sine alio v.g. contractum venditionis sine contractu redimendi; aut contractum venditionis vnius speciei, sine venditione alterius speciei &c.

Accedit quod mercatores sic malint quàm aliter, maius enim lucrum sic percipiunt. Assecurationem enim sortis sæpè non magni æstimant; quia norunt eam securè impendere; vel si exponunt eam periculis, & res male cesserit, cogitant se non fore soluendo; ac proinde depositorē fore damni participem: quòd sæpè fieri videmus. Lucrum autem incertum, quod illis offertur, libenter certo pretio redimunt, quia sperant se multo plus lucraturos: & tales venditiones & emptiones rerum non habentium certum euentum, inter eos sunt creberrimæ. Adde quòd ex tali contrahendi formula non cogantur rationes suas & computus alijs patefacere. Itaque tantum abest, vt ad contractum assecurationis & certæ pensionis annuę pro lucro sperato, adigantur mercatores inuiti, vt alia ratione plerique nolint ad societatem admittere, aut eorum negotia curare.

Denique isti tres contractus possunt iniri per modum vnius, vt antè explicatum est; modo ea, quæ commutãtur, exequentur æstimatione & iudicio peritorum mercatorū: & tunc non poterit dici, quòd ex vi vnius contractus obligetur ad alium, cum reuera tantum sit vnus contractus. Itaque ex hoc capite secundo non est iniquitas.

29 *Non ex 3. Non transire in mutuum.*

Ex tertio etiam capite non est iniquitas; Quia falsum est, quòd ratione assecurationis præstandæ a mercatore, cui datur pecunia, amittatur dominium, & fiat implicitũ mutuum, vt putat Sotus. Non enim magis amittitur dominium, aut transit in mutuum, quando cum eodem, cui pecunia traditur, & veluti locatur ad negotiandum, pactum societatis initur quam quando cum tertio initur.

Quod tripliciter probatur. Primò, Quia in locato & commodato non amittitur dominium, nec definit esse cõtractus locati aut commodati, etiamsi conductor aut commodatarius suscipiat in se periculum rei, vt colligitur ex cap. vnico de commodato. & l. 1. ff. depositi. & per ea, quæ sæpè constat ergo neque in proposito contractu; hinc consideretur vt contractus societatis, siue vt locatio pecuniæ, aut conductio operæ ad negotiandum illa pecunia; quomodo ordinarie in praxi solet exerceri. Nec refert quòd pecunia illa misceatur cum pecunia mercatoris; quia id non facit amitti dominium; sed potius facit depositorem dominum partialem totius summę, cum communi consensu misceantur, vt apertè colligitur Institut. de rerum diuisione, §. Si duorum.

Secundò, Quia mercator non potest illam in alios vsus quàm in mercimonium impendere, alioquin iniuriam tibi faceret, & teneretur quanti tua interest, non fuisse sic impensã. Vnde verum non est, illum ea pecunia posse emere prædium, aut dotare filiam: quia non est illi ad eum vsum concessa: nisi id faciat cum animo mox aliam eius loco substituendi: quo modo etiam deposito vti licet, cuius tamen dominium non amittitur.

Tertiò, Si contingat mercatorem non esse soluendo, depositor potest ante omnes creditores pecuniam suam, si ad huc inueniatur, extrahere, tamquam rem suam: & si surrepta fuerit, actione in rem, illam vindicare: quæ omnia sunt aperta signa dominij, & nullum hic esse mutuum. secus enim res se in mutuo habet. Vnde patet ex nullo illorum trium capitum supradictorum esse iniustitiam in hoc contractu; ac proinde contractum non esse iniquum.

30 Secundò, si hic contractus esset iniquus, vel id esset ratione pacti assecurationis annexi, vel ratione lucri certi pro incerto. Sed non est iniquus ratione pacti assecurationis, vt iam effectum est: neque etiam ratione lucri certi pro incerto; quia omnes DD. fatentur hoc pactum licitum esse, vt docet Lopez supra. sicut enim vendi potest actus rei, ita etiam lucrum speratum. *Secunda ratio.*

Tertiò, Illi contractus possunt iniri cum diuersis, vt omnes fatentur. possum enim cum Paulo mercatore inire cõtractum societatis, vel conductionis operæ naturalem conferendo 1000. aureos, & assignando ei pro industria sextã vel septimam partem lucri sperati. Deinde contractum assecurationis cum Petro, vt præstet periculum sortis, relicta ei quarta, vel quinta parte lucri incerti. Denique contractum venditionis lucri incerti cum Ioanne, vt pro reliquis partibus lucri sperati certum quid mihi soluat. cur non possint fieri cum eodem, præsertim cum ille id petat, & alios admittere nolit? quæ enim iuncta cum diuersis iusta sunt, etiam cum eodem iusta sunt, si ille sic contrahere sponte sua cupiat, vt Syluester, Lopez, Nauarrus, & alij DD. omnes tenent. iustitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, nõ in habitudine ad personam, seu subiectum. hoc enim ab alijs virtutibus præsertim moralibus distinguitur, vt omnes Theologi & Philosophi docent. *Tertia ratio.*

Si dicas, quando tale pactum assecurationis cum eodem contrahitur, amitti dominium pecuniæ; fierique mutuum, hoc iam ante satis refutatum est. Deinde hæc pacta possunt fieri cum eisdem successiue, vt non certum simul? Antecedẽs fatetur Caietanus, & pulsim cæteri DD. excepto Soto; & per se satis constat. sunt enim pacta iusta. Primum enim, est pactum societatis, vel conductionis operæ; secundum assecurationis; tertium venditionis lucri incerti maioris pro certo pretio minore. Consequentia patet; quia simul vel successiue fieri non nouit iustitiam pactorum, modo semper seruetur æqualitas, & utrimque libertas. *Quarta ratio.*

Ex his patet, Primò, Contractum illum supra dictum, quem Conradus proposuit Caietano ea forma qua proponitur non esse iniquum: continet enim tria pacta ab explicatum. Neque uerum est, pro assecuratione ei ab I. dari, quia datur pro ea pars lucri incerti; quæ iudicio prudentis, spectatis circumstantijs censeatur illi æquiualere. pro reliquo lucri incerti maioris, exigitur aliquid certi quod minus sit, quod iudicio prudentis spectata conditione negotiationis, & reliquis circumstantijs, censeatur spei illius æquiualens; uel certè non pluris æstimetur. *Conclusio.* *Ad rationes Caiet.*

Nec obstat quod forte tertius nollet illud lucrum incertum eo pretio certo emere; tũ quia sæpè contrarium est uerum; tum quia id prouenit ex eo, quod tertius non possit certò scire quantum lucri prouenerit. Nam potest ei fraus magna fieri; cum non sit conscius eorum quæ geruntur. secùs est de locatis, ut ex dictis constat.

Secundo, constat formulam illam, quæ in Italia & Antuerpiæ uarijs linguis circumfertur, nõ esse inuentam, continet enim tres illos contractus, estque talis: *Ego infrascriptus cõfiteor hoc meo chirographo me accepisse a Titio mille aureos, vt eos impendam legitima negotiatione: & loco incerti lucri maioris, quod ille ex hac negotiatione posset competere, promitto me illi daturum 6. & 1/2 in centum quotannis, & insuper summa periculum præstaturum.* *Formula mercatorū.*

Ad argumentum Soti abundè constat ex rationibus supra dictis. Ex quibus etiam facile soluitur aliud argumentum quod qui fam ualde urgent. De ratione contractus locus est, inquiunt, ut ficut socius est particeps lucri, ita etiam sit damni. l. 1. & seqnen. ff. & C. pro socio. atqui in prædicto contractu socius ille qui pecuniam confert est extra damnum, & solum est particeps lucri: ergo non est ibi uera societas, sed uel mutuum cum usura, uel societas leonina. Dicendum enim hinc rectè sequi non esse contractum societatis purum, de quo illæ leges loquuntur: hic enim illam paritatem in lucris & damnis requirit, sed mixtũ alio contractu. utrum autem ratione illius admixti transeat in aliam contractus speciem, ita ut non debeat amplius dici contractus societatis, parum refert, modo in re seruetur æqualitas. ut autem passim est in usu, potius est contractus conductionis operarum ad negotiandum, quàm uerę societatis. neque uerum est esse contractum mutui, ut suprà ostensum. neque dici potest societas leonina; quia quòd damni non sit particeps, cõpensatur alio contractu sponte

utrim-

vtrimque inito, si illam immunitatem iusta ratione & socio iuuto nollet compensare, esset societas leonina.

31 *An debeant fieri expressè.*

Petes Primo, verum hi contractus debeant semper expressè fieri?

Respondeo, id non esse necessarium; vt rectè Nauarrus supra ex Maiore: sufficit enim vt contrahentes implicitè illos intendant per vnicum contractum expressum, modò seruetur æqualitas; ita vt per tres expressos contractus, iustè ad id, quod ex vnico quæritur, possit perueniri. Idem enim operatur consensus implicitus & expressus. Vnde potest quis vti hac forma cum mercatore: Confero 1000. ad mercaturam, vt quotannis soluas 5. vel 6. salua sorte, eo modo, quo Doctores docent id esse licitum. satis enim per hoc inuitantur ad contractus: latisque intelligitur, pro lucro incerto exigi omnes præfandæ sortis, & soluendæ certæ pensionis. quò autem negotiatio est magis lucrosa, eo plus exigi potest. Vnde si campsori detur, vel negotianti apud Indos, non damnarem, etiam si 8. vel 10 in 100. exigantur.

32 *Debent intrinsecè.*

Notandum tamen est Primò, Necessarium esse vt hi cõtractus saltem implicitè intendantur, iuxta aliquem istorum modorum, quos supra c. 20. dubit. 11. & 12. explicuimus; quia requiritur iustus titulus exigendi certum lucrũ vltra sortem, nullus autem apparet præter contractus prædictos: (vti sorte quis intendit emere censum vtrimque redimibilem, de quo modo non agimus.) Vnde si quis intendat mutuare mercatori, & exigat partem lucri, tenetur ad restitutionem. similiter si putet mercatorem non velle vti ea pecunia, aut alia eius loco, ad negotiationem: quia nunc contractus negotiationis & venditionis lucri incerti non habent locum. itaque censetur mutuum cum obligatione reddendi aliquid supra sortem, quod est illicitum. Si tamen bona fide dedisset, putans illum velle vti ad negotiationem, posset exigere pretium conuentum, quia cõtractum ex parte sua bona fide implcuit, ac proinde potest alterum cogere vt etiam impleat, aut soluat quanti sua intererat ipsum pacta conuenta præstitisset.

Notandum Secundò, hoc pactum assecurationis etiam esse licitum in societate circa greges animalium. potest enim tradi grex 100. ouium pascendus, ea lege, vt pastor præstet eum saluum, supplendo si quid etiam fortuitò perierit: & præterea quotannis soluat aliquid certi pro fructib. Vt tamen hic contractus sit iustus, nec. sit est, vt spes fructuum ex illo grege sit tanta, vt iudicio prudentis æquiualeat oneribus, quæ pastori imponuntur; nempe obligationi præstandi integrum numerum, & soluendi quotannis certam pensionem.

An expediat Reipub.

Petes Secundò, vtrùm expediat hoc tempore in Belgio & alijs locis similiter constitutis, permittere huiusmodi formulam contrahendi?

Videri possit non permittenda. Primò, Ob periculum fraudis vsurariæ, quæ facilè sic tegi potest: vt si pecunia detur ei, qui per eam quæstum facere non cogitet; aut si non cures, vtrùm negotietur, nec ne: tunc enim erit implicitum mutuum sub specie contractus societatis. Vnde quidam ex supradictis DD. dicunt hunc contractum non esse consulendum, & posse prohiberi. & sæpe habere coniunctum scandalum.

Secundò, Quia, si talis formula contractus permittatur, homines passim negligent emptionem reddituum & prædiorum, aliorumque bonorum immobilium, ex qua Principi, vel Reipub. tributum seu vectigal aliquod pendi solet. itaque cedet hæc res in damnum Principis, & Reipub.

Tertiò, Quia contingit multos priuatos euerti fortunis, quando mercatores (quod sæpe accidit) cedunt foro: quod incommodum vitabitur, si talis contrahendi ratio fuerit prohibita.

Expedire probatur.

Nihilominus sentio esse expediens, præsertim hoc tempore, & ad salutem animarum, & ad commodum Principis, & ad compendium viduarum & pupillorum, hanc formam non prohiberi, sed permitti. Quòd ad salutem animarum expediat, probatur; Quia si hæc forma prohibeatur, subtrahetur plurimis, qui reditus non habent, nec venales inueniunt. ratio viuendi salua sorte, quam tamen omnes conseruatam volunt. Itaque conferent se ad iniquas artes, ad occultas vsuras, ad fraudes emptionum & venditionum, ad cambia sicca & ficta, ad mohatras, monopolia furta. Alij paucis annis sortem consument; sicque filiæ non poterunt honestè elocari, nec filij in statu liberalibus alijs aliaque plurima incommoda sequentur.

Quod ad commodum Principis & Reipub. attinet, patet. Si enim hic contractus prohibitus fuerit, non poterũt mercatores Principi suppeditare pecuniam, nisi sub maximis detrimentis. cogẽtur enim omnem ferè pecuniam accipere aliunde per cambia, quorum pretia in anni usum sæpè excrescunt ad 12. 14. 18. vel amplius in centum. vnde etiã multo amplius nomine cambij, vel interesse exigẽt a Principe. Cùm autem hic in patria accipiunt pecuniam tripsici illo contractu a viduis, pupillis, & alijs, qui eam aliter impendere vtiliter non possunt, ordinariè solùm soluunt 6. & ½ in centum secundum rationem redituum: & ita minus ¼ interesse exigunt à Principe. Itaque hic contractus maximè redundat in commodum Principis & Reipub.

Neque verum est, alia ratione Principi obuenire damnum, quòd negligatur emptio reddituum, & bonorum immobilium: quia hoc tempore raro offeruntur reditus boni venales, quin potius passim redimũtur refusa sorte. Nemo enim est, qui non malit reditum hinc hypothecatum, quã hunc tripsicem contractum cum mercatore. Itaque si omnes possent sortem suam impendere in reditus, nõ confugerent ad mercatores. Idem dicendum de emptione prædiorum & aliorum immobilium. hæc enim vel se non offerunt, vel si offerant, ita grauantur, vt ex fructibus parum percipiant, & non possint inde viuere. Durum autem est, cogere subditos ad emptionem earum rerum, quæ ipsis pro hoc tempore futuræ sunt parum vtiles.

Quòd etiam ad commodum viduarum, pupillorum, & plurimorum aliorum, qui alia ratione fructuose suam pecuniam non possunt impendere, expediat hunc contractũ permittere, constat ex dictis. alioquin consument sortem & tandem redigentur ad inopiam, vel ad turpia lucra se conuertent.

33 *Ad rationes.*

Nec obstat, quòd aliquos contingat vnà cum mercatoribus euerti; quia hi pauci sunt ad reliquos, qui non euertuntur. Deinde non statim euertuntur, sed plerumque post multos annos, quando iam diu fructum perceperunt. at si viuere debuissent ex capitali, nõ minus post aliquot annos ad inopiam vergere cœpissent.

Quod ad speciem vsuræ attinet, ea facilè absterget ur, si cõtractus ineatur cum industrio & sedulo mercatore, eiq; detur dumtaxat ad impendendum legitimæ negotiationi, vt formula præscribit. Quòd si quis aliter faciat, id nõ est vitium huius formulæ, sed hominis à formulę præscripto recedentis: quod in omnibus contractibus vsũ venire potest, atqui ob abusum quorumdam, id quod in se rectũ est, & expediens bono publico, non est prohibendum.

Nec obstat quòd Sixtus V. in constitutione edita anno 1586. 12. Kal. Nouemb. damnet & reprobet omnes cõtractus in posterum ineũdos, per quos cauebitur personis pecunias, animalia, aut res alias, societatis nomine tradentibus, vt sors ipsa, etsi fortuito casu pereat, semper salua sit, & integra a socio recipiente restituatur; & statuat, vt talis contractus post hac vsurarius censeatur.

Primò, Quia intelligi potest quando ex vi cõtractus societatis exigitur assecuratio. Secundò, Quia non obstante hac constitutione in Italia maximè viget & semper viguit ista forma contrahendi: & passim schedulis impressis extat, & versatur in omnium manibus. Vnde patet illam cõstitutionem vel numquam ibi fuisse receptã, vel certè non vetare hanc formulam, sed alio spectare. Multò minus fuit recepta hic in Belgio, vbi neque fuit vnquam promulgata, neque cognita.

Simili modo Pius V. anno 1569. multa statuit de censibus. v.g. vt statuantur super re immobili, fructifera, certis finibus designata; vt re pereunte pereat census pro rata; vt pecunia recipia numeretur, idq; coram Notario & testibus, & alia huiusmodi, & iubet contractum censeri vsurarium, si aliqua ex his conditionibus defuerit: tamen quia hic in Belgio illa cõstitutio non est recepta, nemo sibi facit scrupulum, etiamsi eam non seruet.

Idẽ alia constitutione de cambijs edita anno 1571. statuit, vt quando solutio differtur in secundas nundinas, nõ plus exigatur quam cùm in primas tantũ, & vt æquè multum soluatur siue nundinæ illæ sint propinquæ tempore, siue remotæ. Neutrum tamen seruatur in praxi, nec DD.

damn-

damnant,eo quòd constitutio recepta non fuerit.

Neque etiam obstat cap.*In ciuitate*, de vsuris : quia solum ibi vetatur,ne venditio creditò maiori pretio fiat,quã ea quæ agitur præsenti pecunia. alius longè est casus noster. Nihilominus non obstante illa prohibitione, sæpè venditio fit credito maiori pretio; non solùm quando res putatur pluris tempore solutionis valitura, quod permittitur illo cap.sed etiam in alijs euentis; vt ratione interesse,ratione periculi cui exponitur, & ratione multitudinis eorum,qui sic volunt emere: vt constat ex praxi mercatorum vbique receptà,& à DD.excusata & defensa.

Dices, vsuræ pupillares sunt vetitæ multis locis : ergo etiam hic triplex contractus vetandus.

Respondeo, esse magnam disparitatem: nam illæ vsuræ sunt veræ,nec habent alium titulum quàm puri mutui (depositum vocant) nisi fortè deponentes explicitè vel implicitè intendant triplicem illum contractum, & agant cum mercatore. quo casu nulla est in illo contractu iniustitia. Sed reuera plerique pecuniam suam vel pupillorum ita deponentes nihil cogitant,nec sciunt de illo modo cõtrahendi:& sæpe non agunt cum mercatore, sed cum aliquo,qui pecuniam ad suæ familiæ sustentationem, vel solutionem debitorum,expetit. Vnde meritò talis cõtractus est prohibitus. addo totã hanc deductionem à primarijs professoribus Sacræ Theologiæ huius Vniuersitatis esse examinatam.quicam in omnibus & singulis suis conclusionibus probarunt,& vsui publico permittendam esse iudicarunt. Hæc fusius præter meum morem persecutus sum, quòd videam adhuc à quibusdam propter vmbras quasdam vsuræ hunc contractum damnari;cuius prohibitionem hoc tempore cum damno publico futuram non dubitauerim.

DVBITATIO IV.

Quæ damna & expensæ ponentis operam sint communes, quæ non.

34 RESPONDEO Primò,Si quid hac de re inter eos iusta pactione est conuentum, id est, seruandum. Secundò,Si nihil est conuentum,seruanda est consuetudo loci:nam contractus censentur celebrati secundum consuetudinem loci;quando aliud non est expressum.

Tertiò, Si non constet de aliqua recepta consuetudine
35 loci,qua res possit decidi,sequenda est hæc regula; Vt impendia & damna, quæ causa negotiorũ societatis sunt accepta,sint communia; vt si ad merces coemendas profectus, in latrones incideris, pecuniamque tuam, vel res alias perdideris;si tu vel seruus tui ab ijs fuerunt vulnerati, & impensæ in medicos sint factæ. Ita habemus L. Cum duobus.52.ff.Venit.§.pro socio.Similiter si captus ab hoste,te redimeris. Vtrùm autem expensis itinerum detrahendum sit quod domi manens insumpsisses,dubium est. Sylvester numer.12. ex Baldo & alijs affirmat. Nauarrus c.17.num.283.negat;nisi contrarium sit deductum in pactum. Vtrumque est probabile. Sequentia tamen Nauarri est conformior Iuri & praxi. Ad expensas etiam pertinet si quid de suo socius impendit ad cõseruationem mercium communiũ,ne perirent vel deteriores redderentur.

Regula generalis.

Vtrùm autem ex iustitia teneatur de suo ad hoc impen- 3
dere, quærunt aliqui. Dicendum est teneri, si alia ratione non possit damnum commune auertere. ratio est;quia tenetur eam diligentiam rebus communibus adhibere, quam quisque proprijs adhibere solet: atqui ad res suas conseruandas quisque de suo impendit: ergo idem præstare debet ad conseruationem rerum communium. Confirmatur, quia talis tenetur petere mutuum, si aliter non potest damnum commune auertere; ergo si id nolit, vel non possit ab alijs petere, tenetur accipere à seipso nomine societatis. In Molina disput.418.

Aduerte tamen,si aliquid damni eueniat culpa socij, il- 37
lud non fore commune : vt si res furto sint ablatæ defectu debitæ custodiæ,vt patet L.cit.tenetur autem non ad exactissimam diligentiam; sed ad talem, qualem rebus proprijs adhibere solet.vt habetur L. Socius.72.ff.pro socio. vel potius qualem socij communiter præstare solent. Pari modo, si priuato tui odio vel amore damnum vel commodum tibi quis adferat, etiamsi societas sit eius occasio, non erit commune : vt si inimicus iouentum in via, & ad negotia communia proficiscentem vulnerauit:si absentem amicus hæredem non scripserit.vide Sylvestrum,Societas 1.num.9.

Si culpa tua vel odio tui damnum illorum.

Denique si alter sociorum prodigè administret ex lucris, tenetur alteri compensare. Vnde sequitur *in contractu societatis inter maritum & vxorem*, vbi lucra sunt cõmunia,si maritus,cui commissa est administratio,prodigè agat;soluto matrimonio, illius hæredes teneri vxori : quia prodiga administratio,non est administratio,sed profusio: & alias,hoc ipso,quo lucra aliqua extant, dimidia pars est vxoris; sicut in alio societatis contractu, ad commune lucrum inito. quare tenetur sicut socius, cui concessa administratio ad bonum commune. Vnde in hoc casu,vxor, si alia ratio sibi consulendi sibi non suppetat, poterit vti occulta compensatione,quantum ex prodigè donatis,vel consumptis a marito ad eam pertinebat: vt recte Petrus Nauar.li.3.de restitut.cap.1.num.114.

Contrarium tamen docet Nauar.cap.17.num.155.vbi dicit, maritum non teneri restituere vxori. quæ de lucris communibus malè impendit. ratio ipsius est; quia inquit, illa sola, quæ tempore diuortij inueniuntur lucrifacta, censentur lucra : reliqua enim licet pro dimidio lucrifiant vxori, lucrifiunt tamen reuocabiliter, ita vt maritus benè vel malè administrando, poterit illa sibi & vxori reuocare. Sed hæc ratio non est solida : nam re vera vxor habet dominium & possessionem talium bonorum ab initio,quo sunt acquisita,non minùs quàm maritus,etsi partiale; sicut quando res indiuisa, est communis duorum : & marius nihil præ illa iuris in eis habet, nisi administrationis : ergo ab initio ei pars dimidia debetur;& si maritus malè administret. non potest hoc Iuri vxori officere,sicut nec iu paraphernis.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

De Ludo & Sponſionibus.

Habet 5. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ludus, quid ſponſio, & vtrùm hi contractus ſint liciti.

1 LVDVS propriè accipitur pro dictis vel factis ad oblectationem animi deſtinatis. Et colligitur ex Diuo Thom. 2. 2 quæſtio. 168. artic. 2. hic verò accipimus pro *contractu, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, vt victori cedat, quod vterque depoſuit.* Itaq; ludus propriè eſt veluti certamen quotidam duorum, ad animi oblectationem pertinens. *contractus autem ludi* eſt pactum, vt victori certaminis, res ab vtroque expoſita tribuatur.

Contractus ludi.

2 *Sponſio* eſt contractus, in quo duo de veritate vel euentu alicuius rei contendentes, ſibi vicißim aliquid ſpondẽt, vt id eius ſit, qui veritatem fuerit aſſecutus.

Sponſio.

3 Vterque contractus iure naturæ eſt licitus, modò debitæ conditiones adſint. ſicut enim ex poteſtate cuiuſque eſt rem ſuam alteri donare abſolutè, ita etiam transferre in alterum ſub aliqua conditione; ſiue ea fortuita ſit, ſiue ex induſtria pendeat. Vnde non eſt verum, ex intentione lucri reddi illicitum, & mortiferum peccatum, vt vult Syluester v. Ludus. quæſt. 4. & alij, quos ibi citat; niſi affectus lucri ſit immoderatus. non tamen erit ob hanc causã peccatum mortiferum; niſi affectus ille, ex quo procedit, tantus ſit, vt quis ex illo paratus ſit facere notabilem iniuriã proximo; vel aliquod præceptum ſub peccato mortifero obligans violare, vt ſi amore lucrandi per ludum, die feſto omittat ſacrum.

Eſſe iure naturæ licitos.

Aduerte tamen Primò, Quoſdam ludos iure ciuili eſſe prohibitos. etiam laicis; vt ſunt omnes ludi, qui magis fortuna quàm arte reguntur, qui communiter nomine *aleæ* ſignificantur in iure; vt patet L. 1. & 3. C. de aleatoribus; vbi etiam quinque dumtaxat ludi permittũtur, *curſus, ſaltus, vibratio quintana* (id eſt, haſtiludium abſque ſpiculo) *luſtra & hippodromus*, & conceditur ditioribus, vt in ſingulas commiſſiones vnum ſolidum (nummus erat aureus) tantummodò poſſint deponere. *ſi in plus luſum fuerit* (inquit) *neque repetitio detur & ſolutum repetatur.* Cauſa huius prohibitionis eſt triplex. Prima, quòd ex hoc genere ludi ſæpe iræ & blaſphemiæ in Deum (cui euentus fortuiti ſolent aſſignari) concitentur. Secunda, quòd inter ludentes ſæpè oriantur lites & pugnæ. Tertia, quòd facilè tota ſubſtantia per illud exhauriatur; vnde fit vt ad furta & latrocinia ſe conferant. inſinuantur hæc d. L. Alearum, ſupra. iure Digeſtorum etiam prohibitus erat aleæ luſus; præſertim ſi quis in pecuniam luderet; vt habetur L. Solent. 2. ff. de aleatorib. vbi tamen permittuntur quinque illi ludi ſupradicti, virtutis exercendæ cauſa. verum etiam erat commodare illis locum ad ludẽdum, L. 1. ibid. Ex quibus apparet quanto meliores fuerint in hac cauſa mores illius ætui quam huius.

4 *Quidam Iure ciuili prohibiti.*

Cauſæ vetandi.

Aduerte Secundò, Iure Canonico, Clericis eſſe prohibitum ludum alearum, vt patet canon 41. Apoſtolico,

5 *Epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus alea, atque tabernis vacans, aut deſinat, aut deponatur.* & canon 24. *Subdiaconus, aut cantor, aut lector ſimilia faciens, aut deſinat, aut ſeparetur*; (id eſt communione priuetur) *ſimiliter & laicus.* Et cap. Clerici. 15. de vita & honeſtate Clericorum, ex Concilio magno Lateranenſi. *Ad aleas & tabernas non ludant, nec huiuſmodi ludis intereſſe.* Et cap Inter dilectos. 11. de exceſſibus Prælatorum, collatio beneficij facta cuidam Clerico irritatur, quia erat publicus aleator, & uſurarius. Denique Concil. Trident. ſeſſion. 22. cap. 1. de reformatio.

Clericis prohibetur.

Statuit ſancta Synodus, vt quæ aliàs a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda; ac ſimul de luxu, conuiuationibus, choreis, aleis, luſibus, nec non ſecularibus negotijs fugiendis ſancita fuerunt; eadem in poſterum ijſdem pœnis, vel maioribus, arbitrio Ordinarij imponendis obſeruentur, &c. Ex quibus ſequi videtur eſſe peccatum mortiferum; non quidem ſi ſemel, bis, terve Clericus ſic luſerit; ſed ſi huic ludo vacauerit, id eſt, crebrò & per longum tempus luſerit: his enim ſolis pœnæ imponuntur. Itaque ſi ad breue tempus recreationis cauſa, etſi crebrò, ſic luſerit, non damnandus peccati mortiferi; ſi abſit ſcandalum; præſertim cum hoc tempore illi Canones non videantur recepti; (niſi quatenus prohibent id fieri cum periculo ſcandali) neque per Superiores curentur executioni mandari. Laicis tamen non eſt peccatum mortiferum, niſi alicubi aliqua lex politica, ſub graui pœna id prohibens, ſit in vigore; quia iure Canonico non eſt illis vetitum, niſi canone illo Apoſtolorum 42. cuius hac in parte obligatio per contrariam conſuetudinem iam olim ceſſauit; ſicut & obligatio illius Auth. Iuſtiniani. vnde id per ſe in illis non eſt modò vllum peccatum, quamuis ratione circumſtantiarum plerumque cum peccato ſiat. 6

DVBITATIO II.

Quæ conditiones requirantur ad iuſtitiam huius contractus.

RESPONDEO, Tres potiſſimum requiri. Prima eſt, Vt ludentes habeant liberam diſpoſitionem rei, quã in ludum deponũt; non enim poſſunt res alienas, vel quas alienare non poſſunt, periculo exponere. 7 *Prima conditio.*

Secunda eſt, Vt alter alterum per iniuriam (vt minis, fraude, conuitijs) ad ludum non pertraxerit; quia ſi ille ſic pertractus perdat, alter eſt ei cauſa damni per iniuriam, ac proinde tenetur ad reſtitutionem. Ita Caietanus 2. 2. quæſtio. 32. art. 7 ad ſecundum. Couarru. ad Regu. Peccatum, p. 2. §. 4 num. 7. Sotus lib. 4. qu. 5. art. 2. & alij adeò vt hæc ſententia ferè ſit communis Doctorum, vt ſi ſimulet ſe parum peritum, vt alterum alliciat, qui alioquin ludere noluiſſet; ſi conuitijs laceſſat; ad quæ vitanda alter conſenſit in ludum, aliàs non conſenſurus. *Secunda.*

Aduerte tamen, quoſdam putare, dum quis minis vel conuitijs coactus luſit & perdidit, victorem non teneri ad reſtitutionem. Ita Molina diſpu. 516. & Franciſcus Garzia de contractibus. p. 2. ca. 19. Probari poteſt Primò, Quia talis abſolutè voluntariè luſit, & ſolum ſecũdum quid involuntariè: atqui tale voluntarium eſt ſufficiens ad transferendum dominium; præſertim contractu oneroſo: vt patet cum quis inuitus vendit domum ſuam iuſto pretio. ergo, &c.

Si dicas talem contractum poſſe reſcindi, & alterum teneri ad reſtitutionem: Reſpondebo id fieri poſſe, quando ea, quæ commutata ſunt, poſſunt reſtitui; non autem quando ſunt aliquid tranſiens; ſicut hic, vbi proxime ſit cõmutatio iuris lucrandi cum iure lucrandi; quæ non poſſunt reſtitui, quia ipſo actu pereunt.

Secundò. Si ille ſic inductus vincat, poterit retinere lucrum:

crum: ergo etiam inductor poterit, si lucretur: debet enim esse par vtriusque conditio.

Tertiò, Hoc ipso, quo intendis lucrari ab altero, censeris ei concedere liberè ius lucrandi à te: alioquin debebas habere animum restituendi in euentum lucri; nam aliàs non esset æqualitas: ergo non tenetur.

9 *Contrarium verius.*

Hæc sententia est probabilis, Contraria tamen, quæ est communis, videtur verior. Primò, Quia est contractus per iniuriam extortus; ergo ratione iniuriæ tenetur ad restitutionem damni ex illo secuti. Confirmatur, quia abstulit illi libertatem, & arbitrium animi per iniuriam: ergo tenetur illam ei restituere. Secundò: Si per vim cogam te ludere cum tertio & periculo dare rem tuam, tenebor ad restitutionem, si inde damnum tibi proueniat: ergo etiam collusor tenebitur, si te cogat: nam vtrobique eadem est iniuria. Tertiò, Si cogam te mecum inire cõtractum societatis mercaturæ, tenebor ad restitutionem, si nauis pereat, vel si alia damna accidant; quia sum causa sine qua damnum non incurrisset: ergo similiter hic. Quartò, Denique non est dubitandum quin collusor teneatur ad restitutionem, si tu non habebas animum lucrãdi: atqui animus lucrandi ex cõtractu, supposita coactione iniusta, non adimit ius faciendi damni, si quod forte, ex tali contractu secutum fuerit: nam in potestate ipsius est, contractum confirmare vel rescindere: ergo, &c.

10 *Ad rat. oppos. Voluntarium mixtum.*

Ad Primam, Et si tale voluntarium mixtum absolutè sufficiens sit ad validam aliquatenus efficiendã cõtractũ, & ad dominium secuta traditione transferendum; tamẽ si illud vi vel fraude fuit extortum; potes acta rescindere, & rem alienatam recuperare: nam ratione iniuriæ competit tibi actio in rem, & in personam, vt dictum est c. 17. dubitat 6. Nec refert, quod ea, quæ se pro no in contractu ludi commutantur, non possint restitui; id enim est per accidens, nempe quia non extant: satis est damnum inde secutum rependi posse; qui cum coactus luit, non sponte sua, sed metu compulsus, alteri spem lucrandi concessit, & ludum executus est: vnde illi damnum obuenit.

Quomodo debeat esse par conditio ludentium.

Ad Secundum, Neganda est consequẽtia; tenetur enim inductor ratione iniuriæ, ex qua damnum alteri obuenit; quia debet esse par conditio ludentium, si præcisè contractum ludi spectes: Secus si intercedat iniuria. si enim mihi iniuriam facis in numero pactorum, vel calculorum, non potes lucrari: eo tamen possum. Item debet esse par conditio, nisi alter citrà iure suo cedat: sicut cùm quis exponit præsentem pecuniam contra creditam: nam qui ludit credito, ei à iure datur potestas non soluendi, & solutum repetendi. Sic qui ludit cum eo, qui per iniuriam cogitur; sponte subit hoc onus: vnde sibi ipse imputare debet, si commodum non possit reportare ex ludo.

11 Ad Tertium, Qui compulsus ludit, non liberè, sed coactè dat alteri ius lucrandi; sicut qui coactus init societatẽ, vel alium contractum: vnde potest reuocare. nec est necesse vt habeat animum restituendi, si ipsum lucrari contigerit; quia quando quis coactus per iniuriam contractum fecit, est in potestate ipsius postea illum ratificare, vel in irritum reuocare: prout illi commodius fuerit, vt ostensum est cap. 17. dubitat. 6.

12 *Importuna preces.* Importunæ preces, quibus aliquis te ad luxum attraxit, non sufficiunt vt teneatur ad restitutionem nisi tãta sit importunitas, vt tu malis rem tuam periclitari, quam tantis molestijs affici; quod rarum est. Iuxta hæc intelligendum, & limitandum quod habet D. Thomas 2.2.q.32. art.7. ad secundum, detrahente ad lusum ex lucri cupiditate.

13 *Ne fraudibus utantur.* Tertia conditio est, Vt non vtantur fraudibus cõtra leges ludi; alioquin tenentur tum ad restitutionem eius, quod sic lucrati sunt; tum etiam ad reparationem damni, quod incurrit qui alioquin lucraturus erat: qui enim fraude vicit, non tantum tenetur restituere id, quod ab altero accepit, sed etiã quod alter iustè lucraturus erat, nisi fraude impeditus fuisset: quia est huius damni causa iniusta; si tamen erat dubium an esset lucraturus, non tenetur ei rem suam, quam exposuerat, dare; quia in dubio, melior est conditio possidentis. tenetur tamen rem, quam ab eo sic lucratus est, restituere, ob eamdem causam; quia in dubio non possum mihi rem alterius attribuere, eo quòd in dubio melior fit conditio prioris domini possidentis. 14 Leges autem ludi sunt, quas vel ipsi ludentes communi consensu inter se statuere, vel si nihil hac de re egerint, quę eo loco, vel apud eam gentem, cuius more ludere statuerunt, sunt receptæ: nam contractus, nihil aliud exprimatur, censentur celebrari secundum consuetudines locí; quamuis fortè alter cõtrahentium, vel vterque aliquas earum ignoret. Fraudes tamen, seu astutiæ communi consuetudine receptæ, vel in quas expresse aut tacite ludentes consentiũt, sunt licitæ; nec reddunt obnoxium restitutioni; vt si quis aduertens se certò lucraturum, roget aduersarium, velitne deponere duplum: aut si videat errantem in numerandis fignis, & non moneat: quilibet enim suas tantummodo partes agit, neque cenetur ludenti prodesse, quod per negligentiam non aduertit. hoc tamen non est vniuersè verum, sed tantùm vbi consuetudine id est receptum. 15 *Astutia.*

DVBITATIO III.

Vtrùm is, qui ludo vetito aliquid est lucratus, teneatur ad illius restitutionem.

16 *Sententia DD. antiquorum.* QVIDAM Doctores docent, acquisita ludo vetito, nullo modo retineri posse, eò quòd dominium per talem ludum non transferatur; sed esse restituenda vel pauperibus, si victus victorem induxit ad lusum; vel ipsi victo, si illum victor induxit. Ita D. Bonauent. in 4. d. 15. nu 67. expresse docet de aleatoribus, idemque sentit de omnibus ludis illicitis: nã ratio ipsius ad omnes pertinet. Idem tenent D. Thomas eadem dist. q.2. art.4. quæstiuncula vlt. ad secundum. Richard. eadem distinct. in fine. Palud. eadem dist. q.3. art.5. & alij quidam.

17 *Non est obligatio restitutionis.* Resp. & dico Primò, Omnino verius esse acquisita ludo vetito retineri posse, nec esse obnoxia restitutioni ante sententiam Iudicis iubentis restituere: Est communis sententia Doctorum aliorũ, Alexandri Halensis 4.p.q.86.m.cb.3. a 6. Adriani in 4. tract. de restit. §. Quia in superioribus. Ioannis Medinæ C. de restit. quæst 12. Castr. l. 2. de lege pœnali, c.2. Soti l.4. de Iust. quæst.5. art.2. Couar. supra n.2. & 3. & aliorum. Idem teneant passim Canonistæ in cap. penult. de vita & honest. Clericorum, teste Couarruuia. Probatur, quia cõtractus ludi iure naturæ habet vim trãsferẽdi dominij: ex eo autẽ, quòd talis ludus est prohibitus, neq; iure naturæ; neque iure positiuo impeditur dominij trãslatio: ergo acquisita tali ludo, non sũt obnoxia restitutioni. Maior patet ex dubitat. 1. Minor probatur; non enim impeditur iure naturæ; quia etsi contractus aliquis sit prohibitus, vel etiam iure naturæ illicitus, non ideo naturalis ratio dictat esse irritum; vt patet in matrimonio contracto post votum castitatis, vel post sponsalia cũ alio inita; in conditione rei, quam Deo vouisti: in promissione facta meretrici pro vsura corporis. aliud enim est, contractum esse licitum, aliud esse irritum, sed carere vi obligandi; multa enim illicite fiunt, quæ tamen facta, tenent. Sed neque iure positiuo Cæsareo: (de quo illi Doctores loquuntur) quia ius illud nusquam irritum reddit talis ludi contractum; sic enim habetur L. Alearum 2. C. de aleatoribus, de quibus maxime posset dubitari; *Nulle liceat in publicis vel priuatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie: & si contrafactum fuerit, nullo sequatur condemnatio*; (id est, victus non cogatur soluere) *sed soluendi reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum heredibus, aut his negligentibus, à patre, aut defensoribus illius ciuitatis, vel recipiat fiscus, non obstante quinquagenæ annorum præscriptione.* In Græco textu sic habetur; *Victum in alea lusu non posse conuenire, & si soluerit, habere repetitionem tam ipsum, quàm heredes eius, aduersus victorem & eius heredes; itaque perpetuo, etiamsi post triginta annos.* Hæ leges non reddunt irritum ludi contractum, nec efficiunt ludentes inhabiles ad dominiũ trãsferendum, sed solum concedunt perdenti repetitionem: 19 *Debet repeti in Iudicio.* quod Doctores passim intelligunt de repetitione in Iudicio, vt per sententiam Iudicis recuperetur amissum. vnde inferunt, non sufficere vt repetitio priuatim fiat, aut etiam vt fiat in iudicio, nisi sequatur condemnatio, qua victor iubeatur restituere; ante hanc enim victorem non teneri. Ita Couarruuias suprà numero 8. Castro libro 2. de potest. legis pœnal. cap.2. corol. 3. Medina quæst.22. & alij. Ratio est, quia hæc lex, qua parte iubet solutum reddi, est pœnalis; ac proinde non obligat ad id præstandum, quod

18 *Ius Cæsareũ.*

in pœnam ſtatutum eſt, ante ſententiam; vel ſi non eſt pœnalis, ſaltem eſt diſpoſitiua modi, quo res perdita debet recuperari: ſicut cùm conceditur reſtitutionem in integrũ contra præſcriptionem, vel contractum vtrimque impletum; iuxta ea, quæ diximus ſuprà capit. 6. dubitat. 18. & capitul. decimoſeptimo, dubitatione nona. quod etiam facis colligi poteſt ex illis verbis, *Competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint*, &c. vbi ſolùm conceditur ius repetendi per miniſterium Iudicis. Adde, non eſſe conſentaneum moribus hominum, vt victor obligetur ante ſententiam: quia rari futuri ſunt, qui ſponte reſtituent; & ita conſcientiæ hominum implicarentur abſque fructu. Denique conſuetudine receptum eſt, vt nemo putet ſe teneri hæc lucra reddere, niſi per ſententiam Iudicis compellatur.

Dices, In Græca editione dicitur, *Data ſuper aleæ luſu cautio ſit irrita & eondici poſſit*: ergo contractus ludi eſt irritus, ac proinde ſolutum debet reſtitui, etiam ante ſententiam.

20 *Cautio inter quos.*

Reſpondeo, *Cautionem* diſtingui ab ipſo contractu, ad cuius ſecuritatem datur: vnde etſi cautio ſit irrita, non ideò contractus ludi eſt irritus. dicitur autem irrita *cautio*, quia ex vi ipſius non poteſt victus cogi ad ſolutionem: & ſi quis ex ea coactus fuerit ſoluere, eo quod non potuerit probare illam eſſe datam ſuper aleæ luſu, poteſt vti occulta compenſatione; quia coactus eſt ſoluere ex vi cautionis, quæ nullam vim habebat.

21 *Si victor impediat ſententiam.*

Petes Primò, Quid ſi victor impediat ne Iudex illum condemnet ad reſtitutionem lucrorum, tenebiturne adhuc reſtituere?

Reſpondeo, Si impediat per vim vel fraudem, tenebitur; quia per iniuriam impedit ne victus poſſit recuperare id, ad quod leges ei ius tribuunt; ſi autem abſque vi vel fraude impediat, non tenebitur; quia vtitur iure ſuo, ne condemnetur. vt ſi neget ſe quidquam ludo lucratum, eo quòd res ſit omnino occulta, nec victus habeat vllum teſtem quo id probet. cùm enim hic examinetur criminaliter, vt puniatur priuatione lucri in pœnam criminis; non tenetur fateri, etiamſi ſub iuramento rogetur, antequam ſit ſemiplenè probatum per vnum teſtem omni exceptione maiorem: vt docet Molina diſputatio. 514. Hæc ſententia probabilis eſt. Contraria tamen videtur verior, ex contrario fundamento non enim illa lex videtur eſſe pœnalis, ſed diſpoſitiua æqui & boni. ne homines rebus ſuis per ludum irrecuperabiliter priuentur, cum magno Reipub. incommodo, vt dictum eſt dub. 1. ſicut illæ leges, quæ certis caſibus concedunt in integrum reſtitutionem. Confirmatur, quia ſi victor in pœnam delicti condemnaretur ad reſtitutionem lucri, non deberet fieri reſtitutio victo, qui fuit particeps delicti, ſed fiſco; ſicut cùm aliquid datum eſt pro adulterio, vel homicidio. Itaque victor non examinatur criminaliter, ſed ciuiliter; ſicut cùm petitur reſtitutio in integrum; ac proinde rogatus tenetur fateri veritatem, etiamſi res occulta ſit.

22 *Si victus non audeat repetere.*

Petes Secundo, Quid ſi victus non audeat repetere in iudicio, metu dedecoris, poterimne vti occulta compenſatione aduerſus victorem?

Reſpondeo, Non poſſe. Ita Caſtro & Medina ſuprà. Idem tenet Sotus, etſi dubitanter. in eadem ſententia eſt Adrianus quæſt. de Ludo, §. Sed oritur ex his: etſi Sotus & Medina contrariam ſententiam ei tribuant. ratio eſt, quia victus non habet ius ad recuperandum amiſſum, niſi per Iudicis ſententiam: aliud enim ei leges non concedunt. poteſt tamen minari accuſationem & repetitionem in iudicio; & ſi victor, vt hoc declinet, reſtituat ei lucrum, poterit victus illud accipere, modò tamen verè animum haberet in iudicio repetendi; quia tunc tanti valet repe-
23 tere, quanti eſt id, quod accipit vt non repetat. Secùs ſi non habebat animum repetendi, ſed ſolùm fingebat, iuxta Molinam loc. cit. Quamuis etiam in hoc caſu verius putem, poſſe accipere; quia habet Ius repetendi: quo iure cedit. vide ſuprà capitulo decimoſeptimo. dubitatione 6.

DVBITATIO IV.

Vtrùm is, qui ludo victo perdidit, teneatur ſoluere in foro conſcientiæ.

QVIDAM Doctores dicunt teneri ſoluere, quamuis ſolutum poſſit poſteà in iudicio repetere. Ita Caſtro & Medina ſuprà. ratio eſt, quia iure naturali, quiſque tenetur implere promiſſa. 24

Reſpondeo tamen, iure communi Cæſareo, non teneri ſoluere quod ſic amiſit. Ita Adrianus ſuprà, Couarruuias ad regul. Peccatum, p. 2 §. 4 nume. 8 Inſinuat Nau. cap. 20. num. 17. videtur enim probare ſententiam Adriani & Couarruuiæ. *Non tenetur ſoluere ſi victus lex.*

Probatur Primò, Quia iure Cæſareo ſancitur, *vt victus non cogatur ſoluere*: atqui parùm eſt non cogi in foro externo, ſi interim cogitur in foro conſcientiæ. deinde cur vult illum non cogi, niſi quia mens eius eſt, vt non ſoluat, & rebus ſuis ſe non exuat, & victor non fruatur lucro?

Secundò, Ibidem conceditur, vt victus & eius hæredes poſſint ſolutum repetere: atqui hoc ipſo videtur concedi, vt non teneatur ſoluere: cur enim non eximat illum obligatione ſoluendi, cui concedit ius, ſi ſoluerit, repetendi? Confirmatur; quia *qui ad agendum admittitur, eſt multò magis ad excipiendum admittendus*, vt habetur cap. Qui ad agendum. de reg. Iur. in 6. ergo cùm victo detur actio ad recuperandum pretium ſolutum, conceditur eidem etiam ius excipiendi contra victorem, vt ei non ſoluat. quorſum enim per inutiles ambages ducatur, vt rem ſuam recuperet, cùm ab initio poſſit non ſoluere?

Tertiò, In lege Græca redditur *irrita omnis cautio data ſuper aleæ luſu*. vult ergo ex aleæ luſu non naſci obligationem ſoluendi, cur enim vellet cautionem, quæ contractum confirmet, eſſe irritam, ſi ex contractu vellet aliquam obligationem naſci? Nec obſtat, quòd iure naturæ teneamur, promiſſa liberè facta implere: hoc enim verum eſt, niſi maior poteſtas reddat ea irrita, & inualida; aut niſi faciat poteſtatem non implendi; quod ob iuſtam cauſam facere poteſt. Idem dicendum de quouis alio contractu. quamuis enim lex contractum ludi non reddat proprie irritum; (victor enim poteſt exigere à victo ſolutionem rei, quam lucratus eſt; & cùm ei tradita fuerit, acquirit eius dominium, nec tenetur eam reſtituere victo ante ſententiam: quod eſt ſignum, contractum non fuiſſe irritum) tamen cõcedit victo poteſtatem liberandi ſe & excutiendi obligationem per contractum inductam, ſi velit. Itaque etſi victor poſſit ſolutionem exigere, tamen non poteſt eam extorquere, ſi victus beneficio legis vti volens, nolit ſoluere. 25 *Obiectio.* *Lex dat poteſtatem excutiendi ea ſoluta.*

Petes Primò, Quid ſi vterque renuntiarit beneficio legis, ceſſeritque iure ſuo; poterimne victus adhuc denegare ſolutionem? 26 *Renuntiare beneficio legis.*

Reſpondeo, Si ſolùm renuntiauit ſimplici verbo abſque iuramento, poterit non ſoluere; & ſi ſoluerit, repetere; ſimplex enim ceſſio non priuat hominem iure, quod lex ei tribuit, in fauorem boni communis. alioquin facillimè omnis vis legis redderetur inanis & fruſtatoria. Si verò renuntiauit cum iuramento, iurando ſe non vſurum beneficio legis, tenetur ſoluere, & ſolutum non poteſt repetere: ſi tamen de ea re liberè poterat diſponere. quia iuramentum de re licita, alteri factum, neceſſariò eſt ſeruandum, vt patet cap. Quamuis pactum. de pactis, in ſexto: Si iurauit tantùm ſe ſoluturum, tenetur quidem ſoluere, ſed poterit ſolutum repetere; quia non iurauit ſe non repetiturum: niſi forte mens eius fuerit etiam ad hoc ſe obligare; iuramentum enim ſecundùm mentem iurantis aſtringit.

Petes Secundò, Vtrùm ille in hoc euentu poſſit petere iuramenti relaxationem a Prælato, & tunc non ſoluere, vel ſi ſoluit repetere? Molina putat tale iuramentum non poſſe relaxari abſque conſenſu eius, cui factum eſt; quia factum eſt in illius commodum abſque vi & fraude ac proinde per illud acquiſitum eſt illi ius, quo non poteſt ipſo inuito. Alij verò putant, abſolutè relaxari poſſe, ſicut iuramentum de ſoluendis vſuris. Verùm dicendum eſt tale iuramentum poſſe relaxari, ſi ſolùm iurauit ſoluere, ſeu 27 *An hoc iuramentum poſſit relaxari.*

tradere rem, absque intentionem non repetendi ; quia tale iuramentum non confirmat contractum; cum nõ excludat priuilegium legis, quo conceditur repetitio. Si autem iurauit solutere, & non repetere, vel fuit ea mens eius fuit, etsi non expresserit; non potest relaxari multo eo, cui præstitum est; nisi vis aut fraus intercesserit.

Secus est de iuramento soluendi vsuras : hoc enim est per iniuriam extortum, & vsurarius per hoc nullum ius acquirit; sed solum est implendum, ne Deus videatur fuisse assumptus in testem falsi. vide capit. 17. dubitatione septima.

DVBITATIO V.

Vtrùm per ludum, & sponsiones possit lucrari is, qui non potest perdere.

28 *Si alter sit certus lucrãdi.*

NOTANDVM est, Esse potissimum dubium in tribus casibus. Primus est, Si alter sit ita peritus ludi, vt moraliter certum sit ipsum lucraturum; aut si ita sit certus de re super qua fit sponsio, vt non possit amittere. Videri possit alicui hos posse lucrari, si nihil simulate aut fraudulenter agant, quò alios ad ludum vel sponsionem pertrahant, sed simpliciter se offerant : quod expresse docet Toletus libr. 5. cap. 6. de faciente sponsionem, quod etiam docuit Decius consil. 115. & Couarruu. regula Peccatum, par. 2. §. 4. num. 6. Decij sententiam approbans. eademque videtur ratio ludentis ; quia non tenetur ex iustitia suam peritiam declarare aduersario ne ille amittat : quilque enim hinc inde partes agit, ille verò suæ temeritati imputare debet, quòd ignotum prouocarit, aut prouocatus periculo perpendi se exposuerit; non examinata eius qualitate. Nec

29 obstare videtur, quòd is, qui venuit rem aliquam, teneatur vitium eius occultum aperire, ac proinde, pari ratione eum, qui ludit, teneri suam peritiam patefacere : Responderi enim poterit. Primò, Venditorem ad hoc ex iustitia non teneri, si emptor id non postulet; sed suo iudicio rem explorare velit, iuxta ea, quæ dicta sunt supra capitul. vigesimoprimo, dubitatio 11. Secundò, Quicquid sit de venditore, aliam esse rationem in ludo, quia in venditione & emptione quæritur æqualitas rei & pretij : in ludo verò & sponsionibus, quæritur victoria, vel fortunæ, vel industriæ, vel scientiæ. vnde etiamsi tua industria vel scientia sit maior, non teneris eam aduersario patefacere. satis est, si eam non tegas aliqua simulatione, qua alter decipiatur.

30 Verùm contraria sententia est communis. vnde & nobis amplectenda. Fundamentum huius est, non quod quidam ponunt, quia debet esse par conditio ludentium; (id enim verum non est de paritate industriæ, vel notitiæ; sed de paritate in legibus seruandis, & iure lucrandi, vel perdendi; vnde ad rem non facit) sed quia error, seu dolus dat causam contractui. si enim hic alterius peritiam nosset, nollet suam cum ea committere; at quando error dat causam contractui, hic vel irritus est, vel in irritum reuocari potest, vt ostensum est cap. 17. dub. 5. num. 29. & seq. Vide si placet, quæ ibi dicta ex quibus rationi alterius sententiæ respondeas.

31 Nec obstat, quòd is, cui in ludo felicior fors aut partitio accidit, ita vt certus sit de lucro, possit ea re dissimulata augere sponsionem, & offerre duplum aut quadruplum in ludum, etiamsi alter decipiatur; vt docent Couar. & Decius supra, & Ioannes Medina C. de rest. qu. 22. & alij : quia ludi leges consuetudine receptæ id permittunt, vt ijdem auctores docent. Vnde si consuetudo simili modo permitteret excessum peritiæ in altero, non putarem cogendum ad restitutionem.

Si habet animum non soluendi.

Secundus casus est, Cum is, qui ludit, habet animum non soluendi, vel solutum repetendi. Talis non potest lucrari. Primò, Quia decipit aduersarium; (hoc ipso enim, quo exponit rem suam, significat se esse paratum soluere, & amittere, si ludo vincatur, cuius tamen contrarium mente gerit) quam deceptionem si aduersarius sciret, nollet ludere. Secundò, Quia debet esse par conditio ludentium; nempe vt vterque eodem modo paratus sit amittere rem depositam, si victus fuerit. qui tamen sincero animo lusit, non cogitans de non soluendo, vel de recuperando amisso, aut habens animum soluendi, & non recuperandi; potest peracto lusu mutare animum & nolle soluere; vel si soluit, repetere solutum : quia hoc vtrique leges concedunt, & in eo sunt pares. idque locum habet, siue vterque ludat credito, siue vterque præsenti pecunia, siue alter credito, alter præsenti pecunia. sicut enim qui ludit credito, potest postea nolle soluere, ita etiam qui præsenti pecunia ludit, potest repetere solutum. vnde verum non est quod quidam docent, eum, qui ludit credito, non posse lucrari ab eo, qui exponit præsentem pecuniam, nisi iuret se soluturum. satis enim est vt ludens credito, bona fide intendat soluere, vtque aduersarius eius fide sit contentus.

Petes, Quid si ludens credito non teneatur soluere, & ludenti pecunia numerata non detur repetitio; Vtrum tũc is, qui credito ludit, possit lucrari?

Respond. Posse, si cum luderet animum habebat soluendi : quia alter censetur cedere iure suo, hoc ipso, quo sciens & volens cum tali ludit, præsentem pecuniam exponens. Talis lex lata est à Carolo V. in Hispania, de qua Couarruu. regul. Peccatum, par. 2. § 4. nume. 8 & Castro lib. 2. de lege poen. cap. 2.

32 *Si non possit alienare Religiosus.*

Tertius est, Cum alter ludentium non potest rem depositam alienare ; vt si sit Religiosus vel filiusfamilias. Religiosus absque consensu Superioris non potest quidquam ludo acquirere ; quia sine eo non potest quidquam in ludum deponere. vnde si lucretur, tenetur ad restitutionem : sicut & ille tenetur, qui ab eo lucratus fuerit. Cum consensu tamen Superioris potest lucrari & perdere, etiam notabilem summam ; quia est contractus onerosus, qui potest

33 Monasterio esse vtilis : quamuis peccet, rem Monasterij sic exponendo : & quidem mortifere, iuxta Nauarrum cap. 20. num. 9. Si tamen contigerit Monasterium grauiter lædi ex ludo, datur ei restitutio in integrum, sicut in alijs contractibus. De pupillo & minore habente curatorem, dictum est suprà cap. 17. dub. 8. Filiusfamilias pubertatem ingressus, si habet castrensia vel quasi castrensia, vel alia à parente concessa ad animi oblectationem, vel ad liberam administrationem, potest lucrari & perdere : & qui ab eo lucratus fuerit, non tenetur ad restitutionem. si autem solum habet aduentitia, quorum vsusfructus sit apud parentem, non potest quidem ea exponere in ludum absque parentis consensu ; si tamen fecerit, & perdiderit, probabile est eum, qui lucratus fuerit, non teneri ad restitutionem parenti aut filio, vt docet Molina disp. 519. ratio est, quia etsi filius non potuerit dominium horum transferre in alterum; (eò quòd administratio pertineret ad parentem) tamen quia ad ipsum pertinet dominium directum, poterit victor hæc retinere iure retentionis, pro debito, quo filiusfamilias manet illi ex ludo, naturali iure, obstrictus. hoc tamen limitauerim ad euentum, quo parens censeri possit condonare filio vsumfructũ & cedere iure administrandi illa bona : vel quando per filium alia ratione compensari potest. Alioquin si parens id, quod amissum est, repeteret, vel constaret ipsum velle sibi restitui, deberet reddi ; sed filius teneretur de euictione ex rebus suis quam primum commodè posset. Nisi forte ludo vetito amiserit ; (tunc enim sicut non tenetur soluere, ita neq; compensare si fuerit euictum) vel nisi se possit eximere beneficio restitutionis in integrum, quod minori, si læsus fuerit, competit vsque ad 29. annum completum; vt dictum est supra c. 17. dubit. 8.

34 *Filiusfamilias.*

Aduentitia filiorum.

35

Si filiusfamilias non habet quidquam proprij, sed tantum aliena, quæ ipse non potest in alium transferre. & aduersarius id nouit, neuter potest lucrari : quia cõtractus est irritus, cum vtrimque sit mala fides. Idem dicendum si quis ludat cum eo ; quem scit deponere rem furtiuam. colligitur ex L. Si in empt. 34. §. Item si emptor. ff. de contrahenda empt. Si autem aduersarius bona fide putat esse rem ipsius, aut ipsi esse concessam liberam administrationẽ; tunc vterque potest lucrari, quia contractus est validus propter bonam fidem alterius contrahentium; vt colligi potest ex L. Rem alienam. 28. ff. de contrahenda empt. vide dicta c. 20. dub. 18. vbi tamen victor sciuerit rem, quam lucratus est, esse alienam, tenetur illam curare restitui; sed tunc filiusfamilias tenetur illi de euictione, manetque obligatus ad compensandum.

36 *Res aliena si deponatur in ludum.*

Duo tamen hic sunt Notanda : Alterum est, filiumfa-

37 milias

Dum verſatur in aula vel ſtudijs.

milias, qui à parente ſuſtentatur in aula vel Vniuerſitate, poſſe particulam aliquam ſummæ ſuſtentationi deſtinatæ, ludo honeſto inſumere, nempè quatuor, vel quinque in centum. vt docet Sotus libro quarto, quæſtione quinta, articulo ſecundo, & Nauarr. cap. vigeſimo, numero duodecimo; ratio eſt, quia ad alimenta pertinet etiam honeſta recreatio, ætati & ſtatui conueniens, & æqualibus paſſim conceſſa, ſine qua non poſſet decore & liberè cum ſocijs verſari. Idem ſentit Nauarrus de Religioſo, qui verſatur in ludijs, impenſis ſui Abbatis. vel in negotijs Monaſterij foris; modò tamen ad honeſtæ recreationis cauſa faciat.

38 Alterum eſt, Eum, qui ſolùm quatuor poteſt deponere in ludum, non poſſe ſingulis commiſſionibus ab vno eodemque lucrari pluſquam quatuor; quia deberet eſſe par conditio ludentium; niſi aliter ſciens conditionem locij cedat iure ſuo. poteſt tamen amplius lucrari. ſi plures ſint in quos ludit; vt ſi quatuor ludant, & ſingul. deponant quatuor, poterit lucrari duodecim. diuerſis etiam commiſſionibus poterit ab vno eodemque plus lucrari, quam poteſt perdere. cùm enim non poſſit perdere niſi quatuor, poteſt lucrifacere centum. ratio eſt, quia ſatis eſt ad ſingulorum ludorum lucra, vt poſſit alienare quod in quoque ludo deponit. Adde, poſſe etiam deponere quidquid lucratus fuerit; quia pareos ad id tacitam facultatem dare cenſetur. vide Nauarrum ſupra.

Poteſt quis plus lucrari quam perdere. Contrà.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

De Depoſito & commodato.

Conſtat Dubitationibus 6.

EXPOSITIS contractibus, quibus transfertur dominium, dicendum eſt de quibuſdam alijs, quibus non transfertur: inter quos primò occurrunt contractus Depoſiti & Commodati.

DVBITATIO I.

Quid ſit depoſitum, quid commodatum?

1 RESPONDEO, & dico Primò, *Depoſitum* vocatur & res ipſa, quæ alicui cuſtodienda traditur, & contractus, quo aliquid traditur cuſtodiendum, vt integrum reſtituatur; vt colligitur L. 1. ff. Depoſiti.

Perficitur re ipſa.

2 Dico Secundò, Contractus hic re ipſa perficitur: nempè dum res traditur à deponente, & ſuſcipitur à depoſitario: tradere enim vel deponere in domo non ſufficit niſi alter ſignificet ſe eius cuſtodiam ſuſcipere; niſi forte ex officio teneatur eam cuſtodire; vt ſunt caupones, ſtabularij, nautæ, & aurigæ; ſufficit enim illis videntibus rem in domo, vel naui, vel curru deponi, teſte Gomezio tomo ſecundo, capitulo 7. numero ſecundo.

Quæ res deponantur.

3 Dico Tertiò, Deponi ordinariè ſolent res mobiles aut ſe mouentes; non autem immobiles, niſi quando eſt de aliqua re immobili controuerſia; tunc enim deponi ſolet apud ſequeſtrum, vt cuſtodiatur, & vt fructus eius ſeruetur ei, qui ſuperior fuerit in lite. vide Syluſtr. v. Depoſitū, num. 1. Solet autem apud ſequeſtrum fieri depoſitum, quando oculer litigantium eſt in poſſeſſione rei; aut alter contra iuris ordinem poſſeſſionem eſt ingreſſus. Item quando timetur ne alter cum re fugiat, aut eam deualiet; & in alijs quibuſdam caſibus.

Cõmodatum.

4 Dico Quartò, *Commodatum* vocatur, tum res ipſa, cuius vſus alteri conceditur; tum contractus, qui nihil eſt aliud, quàm rei alicuius quoad ſolum vſum gratuita conceſſio; vt colligitur §. Item is. Inſtitutio. quibus modis contrahatur obligat. hinc patet eſſe contractum, qui reipſa perficiatur.

Differt à mutuo.

Dico Quintò, *Commodatum* differt à *mutuo*. quòd per illud non transferatur dominium, ſitque idem numero reſtituendum, poſſitque eſſe tam rei immobilis, quàm mobilis: nam etiam domum noſtram commodamus. mutuum verò, dominium transfert, & diuerſum numero reſtituendum eſt, ſolumque in rebus mobilibus, quæ numero, pondere, vel menſura conſtant, cernitur. à *precario* verò, quòd commodatum ſit certi temporis, expreſſi, vel impliciti, ante quod non poſſit repeti. Expreſſi, vt ſi commodem tibi librum ad menſem. Impliciti, vt ſi commodem tibi librum, vt eum tranſcribas: tunc enim implicitè tantum temporis concedo, quantum neceſſarium eſt ad deſcribendum commode; L. 3. & quarta. *Precarium* commodati vide Sylueſtrum v. Commodatum, numero primo. Si ante hoc tempus reperas, commodatarius non tenetur. Si inuito extorqueas, teneris illi de damno ſecuto. *Precarium* verò eſt reuocabile ad nutum concedentis.

A precario.

DVBITATIO II.

Vtrùm depoſitarius poſſit depoſito vti.

5 RESPONDEO Non poſſe, alioquin cenſetur furtum committere; & ſi vſus ſit pretio æſtimabilis, (vt eſt vſus equi, veſtis, mantilis) tenetur ſoluere pretium: ſi tamen putetur dominus illum velle. ratio eſt, quia vſus rei non eſt ei conceſſus, ſed tantùm res ipſa, vt eam cuſtodiat. Idem dicendum de pignore; & de commodato, ſi quis eo aliter vtatur quam conceſſum ſit; vt docet Couarruuias l. 3. variarum. capit. 15. num. ultim.

Poteſt vti in tribus caſibus.

6 Aduerte tamen, in tribus caſibus poſſe depoſito vti. Primò, Si id illi a deponente eſt conceſſum, per hanc enim conceſſionem, depoſitum tranſit in mutuum, vel in commodatum, hoc ipſo; quo vti cæperit in mutuum quidem, ſi eſt res uſu conſumptibilis, vt pecunia, triticum, oleum: in commodatum, ſi non eſt uſu conſumptibilis. uide Nauar. c. 17. nu. 181. & colligitur ex L. Certi conductio 9. §. vlt. de rebus creditis.

7 Secundò, Si depoſitarius bona fide exiſtimet domino id non diſplicere: tunc enim non peccaret utendo, nec furti actione teneretur, quamuis poſtea conſtaret domino diſplicuiſſe, & deberet uſum, domino uolente, compenſare: quia fur cenſeri non poteſt, qui putat ſe domino non inuitorem contrectare. ita Couarruu.

8 Tertiò, Quando depoſitum eſt res uſu conſumptibilis, v. g. pecunia, triticum, oleum; & depoſitarius certus eſt, ſe, quando depoſitum repetetur, paratum habiturum tantumdem eiuſdem menſuræ & bonitatis; tunc non erit peccatum, ſaltem mortale rum, uti depoſito, & illud alienare: quia nullum incommodum irrogatur deponenti, imò hoc cedit in eius commodum, quia etiamſi res caſu, vel culpa leuiſſima depoſitarij periret, maneret deponenti ſalua: aliàs ipſi peritura. Ita Molina diſpu. 524. Idem docet Syluſt. v. Depoſitum, num. 10.

Si certus eſt ſe poſſe reſtituere.

DVBITATIO III.

Ex qua culpa depoſitarius teneatur, ſi depoſitum periit, vel deterius effectum eſt.

9 *Si in commodum deponentis ſolius.* *Si in commodum vtriuſque.*

RESPONDEO & dico Primò, Si depoſitio tantùm cedit in commodum deponentis, depoſitarius ſolùm tenetur ex dolo & culpa lata; non autem ex leui vel leuiſſima.

Dico Secundò, Si verò cedit in commodum vtriuſque, tenetur etiam ex culpa leui; vt ſi pretium pro cuſtodia accipiat; vt patet L. prima, ff. depoſiti. hinc ſartores, molitores, & ſimiles artifices, quibus res aliqua traditur polienda, vel immutanda: item nautæ, aurigæ, caupones & ſimiles, apud quos res deponitur, tenentur ex culpa leui:
10 quia depoſitio etiam in ipſorum commodum cedit. Imò L. 1. citat. nautæ, ſtabularij & caupones dicuntur teneri ex culpa leuiſſima: quod ſanè probabile eſt, non ſolùm in foro externo; (vt vult Sylueſter v. Nauta, numero primo, & Angelus, eodem in principio) ſed etiam in foro conſcientiæ; præſertim ſi quis rem aliquam ipſis expreſsè tradiderit cuſtodiendam: id enim leges, ad fraudes omnes, quæ à talibus committi ſolent, excludendas, meritò potuerunt conſtituere. ſecùs tamen, ſi quis rem ſuam, ipſis tantùm videntibus, in diuerſorio vel naui depoſuerit; (quamuis illa lege id ſignificetur) quia niſi illis ſpecialis cura committatur cenſentur cuique rerum ſuarum cuſtodiam relinquere; idque ob multitudinem accedentium & recedentium, quorum fidem & factum ipſi præſtare noluut. ita ferè nunc eſt conſuetudo.

11 *Si in commodum ſolius depoſitarij.*

Dico Tertiò, Si depoſitio fiat in commodum ſolius depoſitarij, tenetur de culpa leuiſſima: vt ſi quis deponat apud aliquem pecuniam eo fine, vt poſſit illa vti, ſi opus illi fuerit. colligitur ex L. 4. ff. de rebus creditis. ſic intelle L. 1. §. Sæpe ff. depoſiti. vbi dicitur; *Si ſe quis depoſito offerret, idem iuſtum ſcribit periculo ſe depoſiti illigaſſe; ita tenetur ut non ſolùm dolum, ſed etiam culpam & cuſtodiam præſtet, non tamen caſus fortuitos.* loquitur enim de eo, qui tantum ſui commodi cauſa ſe obtulit; non autem de illo, qui cauſa vtriuſque, vel deponentis dumtaxat. hic enim non magis tenetur, quàm qui ſe non obtulit: niſi aliud expreſsè conuenerit, aut niſi diligentiſſimam cuſtodiam promiſerit. vide dicta ſuprà capit 7. dubitatio. octaua, vbi etiam diximus, non eſſe improbabile, neminem teneri in foro conſcientiæ, niſi ex culpa graui; niſi aliud expreſsè ſit conuentum.

12 Notandum eſt, ſi quid depoſitum ſit apud Abbatem, uel Religioſum cum conſenſu Abbatis; idque culpa eius perierit; Monaſterium non teneri depoſiti: quia non tenetur ex dicto Prælati, aut Religioſi. Idem dicendum de depoſito apud Epiſcopum, vel Canonicum. patet ex cap. Delictum de regul. Iuris, in 6. & cap. Epiſcopum. 16. q. 6. *quia delictum perſonæ, non eſt in damnum Eccleſiæ conuertendum*, vt ibidem dicitur. Si tamen id totum vel ex parte verſum eſſet in cõmodum Eccleſiæ vel Monaſterij, teneretur quatenus inde commodum percepit.

Petes, Quid ſi dubium ſit, Vtrùm depoſitum vel commodatum culpa depoſitarij, vel commodatarij perierit?

13 *Si dubium ſit an ſua culpa perierit.*

Reſpondeo, Si adhibita diligenti inquiſitione res dubia maneat, non tenetur, quia in dubio nemo præſumitur delictum facturus, colligitur ex L. Meritò. §. 1. ff. Pro ſocio. quod maximè verum eſt in dubio vtrimque æquali: nam ſi indicia in alteram partem magis inclinent, poteſt fieri præſumptio in contrarium: de quo Couarruuias Clemen. Si furioſus par. 2. §. 2. num. 1. vbi ex eodem principio colligit conſultorem, damno ſecuto, teneri ad reſtitutionem; quando dubium eſt, vtrùm ex vi conſilij ſecutum ſit, an verò auctor ſuopte nutu facturus fuerit, quia in dubio non præſumitur quis commiſturus delictum. Itaque auctor in illo caſu non præſumitur abſque conſilio male facturus. Confirmatur, quia in dubio æquali cenſetur indeterminatus: ergo conſilium accedens determinauit illum ad alteram partem. ſecùs verò ſi dubium eſſet an conſilium datum ſit: vel ſi conſtaret ex ignorantia inculpata datum: quia tunc non teneretur, partim ob eamdem regulam, partim quia non interceſſit culpa; iuxta ea, quæ dicta ſuprà cap. 7. dubitatione 7.

DVBITATIO IV.

Quando depoſitori repetenti depoſitum poſſit non reddi.

RESPONDEO, Quatuor caſibus. Primò, Si petat vt ſibi vel alteri noceat; vt ſi furens repetat enſem. 14 *Si depoſitum generatim confiscatum.*

Secundò, Si bona eius fiſco ſint addicta: tunc enim fiſco tradenda colligunt id DD. ex L. Bona fides. 31 ff. depoſiti. Sed ex eo loco non colligitur id eſſe neceſſarium. Vnde niſi Iudex bona fiſco addicens, vetuerit, puto illi poſſe reſtitui, quia ille adhuc ius ad eam rem habet, cùm dominiũ nondum amiſerit. Ita quidam recentiores, & Emmanuel Sá, v. Depoſitum. non tamen puto depoſitarium ad hoc obligari; ſed poſſe, ſi velit, ad fiſcum deferre, quia etiam fiſcus ius habet, vt eam rem ſibi vindicet.

Tertiò, quando dominus & fur in repetitione rei concurrunt, non eſt reſtituenda furi, qui depoſuit. Idem dicendum, ſi conſtet rem furto eſſe ſublatam per deponentem: tunc enim ipſi non eſt reſtituenda, ſed domino, niſi putetur illam repetere vt reſtituat domino. 15

Quartò, Cauſa compenſationis: probabile enim eſt, etiam in depoſito locum habere compenſationem in foro conſcientiæ, quando nulla alia ratio ſuppetit rei ſibi debitæ obtinendæ. Idem dicendum de commodato: ita tenet Nauarrus cap. 17. num. 115. Emmanuel Sá. & multi recentiores. Iure enim naturæ & gentium, poteſt quis ſibi ex qualibet re alterius ſatisfacere, quando aliter ſolutionem obtinere nequit. In foro tamen externo hæc compenſatio non admittitur, ſicut nec in commodato: imò neque in rebus diuerſæ ſpeciei: in quibus conſtat ex communi DD. ſententia poſſe fieri compenſationem in foro conſcientiæ. Sylueſt. v. Compenſatio, nu. 3. cum Panormitano admittit compenſationem indirectam in depoſito, commodato, & ceteris omnibus. Indirectam compenſationem vocant, qua res detinetur donec ſolutio fiat. 16 *Compenſatio in depoſito.*

DVBITATIO V.

Vtrùm commodatum poſſit repeti ante tempus, cum damno commodatarij, ſi commodanti ſimile damnum impendeat.

NAVARRVS cap. 17. nu. 182. negat, ratio ipſius eſt; quia commodans, ſua voluntate propriæ rei vſum conceſſit, & ſuam fidem ſeruare tenetur. confirmatur, ex cap. vnico, de commodato. & ex L. In commodato. 17. §. Sicut. ff. commodati. 17

Reſpondeo tamen, verius eſſe, ob par incommodũ vel damnum vitandum, poſſe repeti ante tempus. ita Angelus v. Commodatum, num. 4. Sylueſter ibidem num. 4. Lopez l. 2. de contractibus, cap 34. Molina diſputatio. 294. & alij. Probatur Primò, Quia commodator non cenſetur talem euentum voluiſſe comprehendere: ſi enim de eo rogatus fuiſſet, expreſsè negaſſet. Secundò, Quia locator poteſt repetere rem locatam ante tempus, ſi ſuperuenerit euentus, quo res illa ipſi ſit neceſſaria, vt ſupra cap. 24. dubitatione 6. oſtenſum eſt: ergo multo magis poterit repeti commodatum, quod gratis conceſſum eſt. Hæ rationes probant nõ ſolum tunc poſſe repeti, quando commodatarius non potuiſſet ſibi alia ratione proſpicere, quàm per commodatum, vt volunt Angelus, Sylueſter, & Lopez; ſed etiam quando potuiſſet ſibi alio modo conſulere; & quãuis ita affectus fuiſſet vt ſi ſciuiſſet fore repetendum, non voluiſſet illud acceptare, ſed alunde petere, vt rectè Molina: quia locator poteſt expellere conductorem, etiamſi conductor rem illam non fuiſſet conducturus, ſi id præſciuiſſet futurum. debet enim commodatarius ab initio, quando illud acceptat, cogitare, poſſe talem euentum ſuperuenire: ac proinde paratus eſſe tunc ea re priuari cum ſuo incommodo & damno: vel paciſci expreſsè; vt 18 *Si vtrique par incommodum, poteſt repeti.* 19

quidquid

qui ſiquid euenerit, non teneatur ante certum tempus reſtituere.

10 *Promiſſio deſinit obligare.*

Ad rationem Nauarri: Etiamſi ſua voluntate rem conceſſerit, id tamen intelligendum cum hac tacita conditione, Niſi interim contigerit eam commodanti eſſe neceſſariam. quiſque tenetur ſeruare fidem promiſſorum, quamdiu manet idem ſtatus rerum, qui erat tempore promiſſionis: ſi res notabiliter mutentur, non tenetur, vt docet Diuus Thomas quæſtione 110. articul. 3. ad quintum, & alij Doctores: vt ſi quis promiſerit alteri alimenta, & poſteà ipſemet incidat in egeſtatem. ſi promiſiſti operam tuam, & interueniat morbus vxoris, ſi promiſiſti puellæ nuptiç, quòd putares illam eſſe virginem, & poſteà deprehendis non fuiſſe. his & ſimilibus caſibus reuocatur promiſſio, eo quòd promiſſor non cenſeatur eos voluiſſe comprehendere. Idem potiori ratione dicendum, ſi quis alteri promiſerit aliquid commodandum, vel etiam commodauerit, & euentus ſuperuenerit, quem non intendebat complecti.

21 *Donatio.*

Dices, Si tibi donem librum aut veſtem, & poſteà contingat eius vſum mihi eſſe neceſſarium; non poſſum reuocare donationem: ergo neque commodatum, nam in commodato alienatur vſus rei.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia commodator retinet dominium rei & ius ad repetendum vſum: donator verò non retinet dominium, ſed rem omnino à ſe abdicat. vnde non eſt mirum ſi minus iuris habeat, quàm commodator. deinde non cenſetur res donari ſub hac tacita conditione, vt poſſit repeti, ſi donatori opus fuerit. Vbi tamen aliqua tacita conditio, vel ex mente donantis, vel ex diſpoſitione iuris intercenit, etiam donatio reuocari poteſt, vt patet ex capit. 18. dubitatione decimaquarta.

DVBITATIO VI.

Vtrùm commodatarius, & depoſitarius poſſint præferre res ſuas rebus commodatis & depoſitis, ſi Vtraſque ſaluare nequeant.

22 QVIDAM ſentiunt, depoſita apud te, vel tibi commodata, cauſa ſolius deponentis, in periculo poſſe poſtponi omnibus tuis; ſi cauſa vtriuſque, tuis æqualibus; ſi tua cauſa ſolum, tuis pretioſioribus. Ita Angelus v. Commodatum, num. 10. Sylueſt. num. 9. Fumus num. 11. & quidam alij. Sed prima pars huius ſententiæ non videtur vera. ſi quis enim in ſtabulo tuo depoſuerit equum 200. aureorum, contra omnem rationem facis, ſi certo incendio relinquas equum tanti pretij, vt ſalues tuum vitulum, vel vnam ouem.

Reſpondeo igitur cum diſtinctione; vel enim res tua, quæ cum altera confertur, eſt pretioſior re commodata, depoſita, conducta, &c. vel eſt minùs pretioſa, vel eſt æqualis pretij. Nunc.

23 *Res pretioſior præferenda.*

Dico Primò, ſi tua res eſt pretioſior, potes eam in periculo incendij, naufragij, hoſtilis irruptionis, præferre rebus tibi commodatis, depoſitis, conductis, & oppigneratis, eſt communis Doctorum. ratio eſt, quia nemo tenetur ſubire damnum maius, vt auertat alterius damnum minus.

24 *Si in tuum ſolius commodum.*

Aduerte tamen, ſi res aliena erat apud te, in tuum ſolius commodum; tunc teneris alteri interitum rei ſuæ compenſare ex rebus tuis. Primò, Quia æquitas non patitur vt alter damnum ſuſtineat, quod tua ſolius occaſione obuenit, rebus tuis ſaluis. poſtulat enim gratitudo, vt ipſum etiam cum æquali rerum tuarum iactura ſerues indemnem: quæ ratio non ſolùm de commodato, ſed etiam de precario concludit, vt rectè Molina diſputat. 296. Secundò, Ad hoc videris te tacitus obligare, dum illam rem in tuum dumtaxat commodum petis; nam tacitus te obligas ad diligentiſſimam cuſtodiam; ac proinde teneris eam ſeruare præ rebus tuis. quòd ſi res tuæ ſint magis pretioſæ, poteris quidem eas præferre, ſed cum animo compenſandi.

25 Mihi tamen non eſt improbabile, te non teneri ex iuſtitia compenſare, quia res illa abſque tua culpa periit, ac proinde periit domino. Ita Sylueſter, Angel. Fumus, ſuprà, & alij: quamuis ex decentia & quadam gratitudine tenearis. Certum tamen eſt, ſi rem alterius, periculo eripuiſti, te non teneri ad expenſas, ad eam curandam vel reparandam neceſſarias, ſi forte læſionem aliquam ex incendio vel hoſte contraxit: quia hanc impedire non potuiſti.

26 *Si in commodum alterius vel vtriuſque.*

Si verò erat in commodum alterius tantùm, vel etiam vtriuſque, vt in depoſito, pignore, & conducto; tunc non teneris compenſare. ſi enim non in tuum, ſed in alterius dumtaxat commodum conceſſa vel depoſita ſit, non teneris cum proprio damno illam conſeruare: non enim tunc tua cauſa eſt in periculo, ſed alterius. vnde par non eſt, vt tu ex ipſius conſeruatione damnum reportes. Idem dicendum, ſi in vtriuſque commodum: non enim tunc eſt ratio, cur alteri potiùs quàm tibi conſulere debeas: in communi enim periculo, ceteris paribus, quiſque poteſt ſibi conſulere præ alijs. Itaque tunc quæque res domino ſuo perit.

27 *Si res alterius eſt pretioſior.*

Dico Secundò, Si res alterius eſt pretioſior, teneris eam præferre rebus tuis vilioribus, eamque ſaluare, tuis relictis. ratio eſt; quia depoſito, commodato, pignori, locato, ea debetur cuſtodia, quam quiſque prudens ſuis rebus adhiberet: quiſque autem ſaluaret res ſuas pretioſiores, relictis vilioribus.

28 Hic tamen Aduerte, ſi res illa erat apud te, tui dumtaxat commodi cauſa, non potes exigere compenſationem pro rebus tuis: quia cum iactura rerum tuarum, quæ ſint minoris vel æqualis pretij, teneris alterum præſtare indemnem; cùm tantùm tui commodi occaſione res eius in periculum illud inciderit. Si verò cauſa ſolius alterius, vel vtriuſque, apud te erat, potes exigere compenſationem: quia tunc non teneris illam cum tuo damno præſtare incolumem. vnde etſi tenearis ſaluare rem alterius pretioſiorem, id tamen facis cum animo exigendi compenſationem in rebus tuis, quas ſiuiſti idcirco perire.

29 *Si æqualis.*

Dico Tertiò, Quando res tua & alterius ſunt æquales, potes præferre rem tuam, ſi res alterius eſt apud te in commodum ſolius alterius, vel in commodum commune. Si verò eſt in commodum tui ſolius, teneris præferre rem alienam, eamque tua relicta ſaluare. nec ille tibi debet compenſare. eſt communis ſententia: patet ex dictis. Cætera, quæ hic dici poſſent, vide ſuprà cap. 7. dubitatione octaua.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

De Fideiuſſione, Aſſecuratione, Pignore, & Hypotheca.

Complectitur Dubitationes 7.

HI contractus ſunt veluti ſubſidiarij reliquorum. inuentur enim ad alios contractus confirmandos, vel ad rem aliquã aut obligationem periclitantem ſaluandam: vnde meritò de iis poſt ceteros agendum.

DVBITATIO I.

Quid ſit fideiuſſio, & quas conditiones requirat.

Fideiuſſio. 1 RESPONDEO & dico Primò, *Fideiuſſio* eſt alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, qua ſe quis obligat ad eam implendam, ſi debitor principalis non ſoluerit. vide Gomezium tom.2.cap.13. num.11.

Perficitur hic contractus iure ciuili verbis; ſatis hæc formula ſtipulationis non pariet actionem in foro externo, tamquam pactum nudum; vt colligitur ex L.Blandiſius.12.C.de fideiuſſoribus & mandatoribus. Iure tamen Canonico, & in foro conſcientiæ non requiritur formula ſtipulationis; ſed ſufficit conſenſus verbis expreſſus. iuxta ea, quæ dicta ſunt capit.17.dubitatione 4.

Conditiones requiſitæ. Eſt obligatio acceſſoria. 2 Dico Secundò, Requiruntur in hoc contractu ordinariè quatuor conditiones, quibus natura eius continetur. Prima eſt, Vt hic contractus ſit acceſſorius, ſupponens alium debitorem & aliam obligationem principalem præſentem vel futuram. l.ſi.de fideiuſſorib.§.... & 3. inde enim dicitur *fideiuſſor*, quod alienum contractum, vel factum, vel debitum fide ſua eſſe iubeat, hanc pro eo obſtringens. Neque refert, vtrùm fideiuſſor præcedat, an ſequatur principalem obligationem; poteſt enim quis fideiubere in cõtractus amici futuros. Similiter non refert vtrùm obligatio principalis orta ſit ex contractu, an ex delicto, an ex ſententia Iudicis: item vtrùm ſit obligatio ciuilis & naturalis ſimul, an naturalis tantùm. his enim omnibus poteſt accedere fideiuſſor, l.ſi. ſup.§.1.Gomez c.13.nu.1.

3 Ex his ſequitur, non eſſe propriè fideiuſſionem, cùm quis conſtituit ſe pro alio debitorem principalem: quia nõ ſe obligat acceſſorie, ſeu in defectum alterius; ſed æque primò: vnde poteſt ſtatim conueniri.

Non in amplius obligari poteſt. Poteſt artius obligari. 4 Secunda conditio eſt, Vt fideiuſſor non poſſit in plus obligari (id eſt, vt amplius alio loco, aut tempore ſoluat) quam principalis debitor. l.ſi. ſup.§.6. Gomezius num.1. eſt communis DD.

Aduerte tamen, poſſe fideiuſſorem arctiùs obligari, vt cum iuramento, vel cum hypotheca, vel cum Inſtrumento publico, (quod Guarãtigium vocant) quod habeat paratam executionem, etiamſi principalis debitor non ſit ita obligatus; vt oſtendit Gomezius num.2. eſtque per ſe ſatis manifeſtum.

Si obligatio principalis ſit nulla. 5 Tertia eſt, Vt ſi obligatio principalis debitoris eſt omnino inualida, etiam fideiuſſoria inualida ſit, L.Cùm Lex.46. ff. de fideiuſſoribus: vt ſi quis fideiuſſit pro ſolutione vſurarum; vel pro ſolutione pretij promiſſi pro re ſacra à laico vendita.

Obligatio naturalis. 6 Aduerte tamen ſi ex contractu, vel facto aliquo debitoris principalis naſceretur ſaltem obligatio naturalis, & acceſſerit fideiuſſor; tenebitur hic non ſolùm naturaliter, ſicut principalis debitor, ſed etiam ciuiliter: poteritque conueniri hoc ipſo, quo principalis non poteſt, vel non vult ſoluere, vt docet Gomezius num.2. & colligitur inſtit. ſuprà, §.1. Vt ſi quis fideiuſſerit pro ſeruo, vel pro minore contrahente ſine auctoritate curatoris, vel pro Religioſo contrahente ſine auctoritate Superioris, vel pro muliere contrahente ſine auctoritate mariti. hi enim obligantur ad complendum contractum quantum in ipſis eſt; ac proinde ſi adhibeant fideiuſſorem, is obligatur; etiamſi ipſi obligationem, beneficio reſtitutionis in integrum, eludant, aut illi, à quibus pendet ratificatio, contractum irritum reddant. 7 Si tamen minor vendat rem immobilem, vel mobilem pretioſam abſque decreto Iudicis, & adhibeat fideiuſſorem, fideiuſſor non tenetur, quia ex hoc contractu nulla oritur obligatio nec ciuilis, nec naturalis l.2.C.de fideiuſſor.minor. Idem dicendum, ſi minor emat aliquid abſque auctoritate curatoris, ſupra dimidium iuſti pretij, aut vendat infra dimidium: quia non obligatur naturaliter aut ciuiliter ad ſeruandum contractum, vt colligitur ex d.l.2.

Notandum tamen, quando nulla eſt in contractu iniuſtitia, & fideiuſſor adhibeatur ad ſecuritatem contractus, ne reſcindatur à Superiore, aut beneficio legis, tenebitur etiamſi principalis non teneatur: quia obligauit ſe pro principali in euentum, quo ille nollet ſtare contractui. ſecùs verò ſi adhibeatur ſolùm ad ſecuritatem debiti ſoluendi. tunc enim non tenebitur, ſi contractus ſit iure irritus: quia tunc ſolùm ſe obligauit in euentum, ſi principalis deberet, & non ſolueret.

Excuſſio principalis. 8 Quarta eſt, Vt fideiuſſor non poſſit conueniri, niſi facta excuſſione principalis debitoris, conſtiterit ipſum non eſſe ſoluendo; Authen. Præſente. C. de fideiuſſoribus. Ante hanc Authenticam poterat conueniri ante excuſſionẽ principalis, vt docet Gomezius numer.14. niſi eſſet fideiuſſor, qui dicitur *indemnitatis*. Sæpè enim fit vt creditor accepto vno vel pluribus fideiuſſoribus, non putet ſe ſatis ſecurum, eo quòd neſciat, an ſatis habeant in bonis: vnde petit, vt aliquis pro his ſpondeat. hic vocatur *fideiuſſor indemnitatis*, quia ſpondet creditorem fore indemnem fideiuſſoribus illis, & ſe obligat in euentum, quo ipſi deprehenſi fuerint inſufficientes. hæc fideiuſſio natura ſua poſtulat excuſſionem omnium fideiuſſorum priorum. hoc tamẽ non poſtulat fideiuſſio communis, ſed ad habet ex diſpoſitione d.Auth. Præſente.

Euentus quidam in quibus non requiritur excuſſio. 9 Aduerte tamen eſſe aliquos caſus, in quibus poteſt conueniri fideiuſſor communis, ante excuſſionem principalis. Primus eſt, ſi renunciauit beneficio Auth. Præſente: quod facere poteſt; quia tantum eius fauore eſt conſtitutum. Secundus, Si conſtet principalem non eſſe ſoluendo aut procul abeſſe, & non habere bona in eodem territorio. Tertiò, Si fideiuſſor conuentus, negauit ſe fideiuſſorem: quia per hoc perdit beneficium excuſſionis. L. ... habitet. 10.§.1.ff. de fideiuſſ. Quidam addunt etiam poſſe conueniri ante excuſſionem, ſi iuramento confirmauit ſuam fideiuſſionem. ſed vt rectè Gomezius docet, hoc non eſt verum: nam iuramentum intelligendum eſt, ſecundùm naturam contractus, neque plus ſe extendit, quam ipſa ſimplex natura contractus, quem confirmat, ex intentione contrahentis vel Iuris diſpoſitione extenditur. Itaque ſi commuui modo intendit fideiubere poterit opponere exceptionem præuiæ excuſſionis. Si tamen intenderit ſe obligare in euentum, quo principalis nollet ſoluere, & ſolutio ab ipſo non poſſet impetrari via amicabili; (ſicut fit, dum quis fideiubet pro aliquo valde potente) tunc teneretur ante excuſſionem. ſic intellige capit. Ex reſcripto, de iureiurando. *Iuramẽtum.*

10 Si in aliquo horum caſuum, in quibus requiritur excuſſio, fideiuſſor per ignorantiam non opposuit hanc exceptionem, ideoque fuit condemnatus ſoluere, vel iam ſoluit, valet ſolutio; nec creditor tenetur ... reſtituere; quia talis exceptio non inducitur à Iure contra ſubſtantiam actionis, & obligationem; ſed ſolùm ratione ordinis procedendi. vnde oportet eam opponi ante litem conteſtatam, quia eſt exceptio dilatoria. vt docet Gomezius num.14.

DVBITATIO II.

Qui poſſint validè fideiubere, qui non.

11 RESPONDEO, Omnes eos fideiubere poſſe, qui poſſunt principaliter obligari, niſi per legem aliquam ad eis reperiatur prohibitum. Præcipua difficultas eſt de mulieribus & de minoribus.

Si mulier fideiubeat. 12 Dico Primò, Si mulier fideiubeat pro marito, eſt irrita fideiuſſio. Authent. Si qua mulier. C ad S.C.Velleianum. vnde ſequitur, ſi cauſa huius fideiuſſionis ſoluit pro marito, creditor tenetur ei ad reſtitutionem, quia ſoluit indebitum, ac proinde non tranſtulit dominium, cum non ſubeſſet titulus. ſi tamen iuramento promiſſiſſet, teneretur; quia iuramentum ſeruandum eſt, ſi eius executio non eſt ſaluti noxia. cap Quamuis p. ctum. de pact. in 6.

13 Dico Secundò, ſi fideiubeat pro aliquo abſque Inſtrumento publico; vel per Inſtrumẽtum abſque tamen tribus teſtibus, eſt irritum, nec tenetur ſoluere. Ita habetur L. Antiquæ.23.§ fin.C.ad S.C Velleianum, eſtq; communis ſententia DD. vnde creditor tenetur ei reſtituere quod ſic ſolutum, nili ipſa iuramento iuxta fideiuſſoria obligatio ẽ confirmaſſet. In duobus caſibus prædictis non opus habet beneficio

be neficio S.C. Velleiani, quia contractus per se irritus est.

14 *Requiritur Instrument. pub. & tres testes.*

Dico Tertio, Si ipsa pro aliquo fideiubeat Instrumento publico, adhibitis tribus testibus, tenetur ciuiliter & naturaliter; tamē cōpetit ei exceptio S.C. Velleiani, per quā po test elidere hanc obligationem. Prior pars habetur expressè d.L. Antiquæ. §. fi. vbi etiam requiritur vt tres isti testes Instrumento subscribant. Sed nunc passim consuetudine receptum est, vt sufficiat Notarium publicum, præsentibus tribus testibus subscribere.

15 *Elidit omnē obligationē.*

Altera habetur L. 1. & multis sequentibus C. ad S. C. Velleianum, estque communis sententia DD. vt docet Gomezius nume. 16. vbi Aduerte, quando mulier priuilegio huius S.C. vti vult, ita elidere omnem obligationem. vt etiam in foro conscientiæ non teneatur soluere quod si per ignorantiam huius soluerit, valet quidem solutio, & creditor non tenetur sponte restituere: potest tamen ipsa postea, vbi suum priuilegium cognouerit, hanc exceptionem opponere, & solutum repetere per condictionem indebiti; quia hæc exceptio est fauorabilis & minimè ad certum tempus limitata vt idem docet: & tūc creditor tenebitur restituere. Potest autem hæc exceptio a muliere opponi, etiam post sententiam definitiuam, qua iubetur soluere: modo tamen id faciat ante executionē sententiæ. quod addo, quia post executionē sententiæ definitiuæ non datur repetitio. L. Iulianus. 59. ff. de conductione indebiti. vnde tunc creditor non tenetur ei restituere, non enim illa habet amplius ius repetendi, cùm nimis diu expectauerit. Potest tamen opponere post executionē factam, si hęc facta sit non virtute sententiæ definitiuæ, sed virtute Instrumenti Guarantigij, quod ipsa creditori cōcesserat. Gomezius supra.

16 *Quando non possit vti beneficio Velleiani.*

Aduerte tamen, mulierem non posse beneficio Velleiani se iuuare. Primò, Si expressè huic priuilegio renuntrauit: quisque enim potest renuntiare ijs, quæ in suum fauorem sunt inducta. Verùm non sufficit simplex renuntiatio in Instrumento: (eadem enim facilitate, qua mulier inducitur ad fideiubendum, induci potest ad renuntiandū huic priuilegio; & sic esset nullius momenti, ut benè ostendit Gomezius num. 17.) sed requiritur ut fiat coram Magistratu: quando enim ætas uel fragilitas personæ est causa priuilegij, non sufficit simplex renuntiatio, sed requiritur ut fiat coram Magistratu, uel cum iuramento, ne priuilegium reddatur uanum. Secundò, Si iuramento suam fideiussionem confirmauit; tunc enim tenetur implere, etiāsi suum priuilegium ignorauit dum iuraret. Couarruuias tamen in ea. Quamuis pactum. p. 2. §. 3. num. 5. cum multis alijs putat eam hoc casu posse uti Velleiani S.C. beneficio quia iuramentum non se extendit ad incognita. Sed contraria sententia est communis, ut ait Gomezius. Ratio est, quia etiamsi sciuisset illud suum priuilegium, nihilominus iurasset. ideò enim iurauit, ut sibi omnes uias præcluderet non implendi promissionem: vnde implicitè renuntiat etiam huic priuilegio. Fatendum tamen etiam Couarruuiæ sententiam esse probabilem & securam in praxi; vt docet Sanches lib. 4. de matr. dispu. 9 num. 15. quia altera non est ita communis, quin hæc quoque multos auctores habeat. Tertiò, Si pretium pro fideiussione accepit. uide alios casus minoris momenti apud Syluestrum v. Fideiussor, nu. 2. & Molinam disput. 540.

17 *Si iuramento confirmauit.*

18 *Minores.*

Quod ad minores attinet. Dico Primò, Si minor 25. annis pro aliquo fideiubeat, obligatur quidem naturaliter: tamen beneficio restitutionis in integrum potest obligationem elidere; quia semper præsumitur læsus. colligitur ex L. Ait prætor 7. §. Non solū. 3. ff. de minoribus, estque communis, teste Gomezio num. 19.

Dico Secundò, Si tamen minor fideiubeat pro patre incarcerato, efficaciter obligatur. Ratio est, quia tenetur hoc facere; imò si non faceret, posset exhæredari, si sit masculus 18. annorum. colligunt DD. ex Authe. Si captiui. C. de Episcopis & Clericis, & ex alijs iuribus.

19 *Clerici.*

Quod ad Episcopos & Clericos attinet, etsi nō possint fideiubere in præiudicium Ecclesiæ, possunt tamen in dānum proprium; ita enim habet consuetudo. Nec obstat c. 1. de fideiussionibus, vbi dicitur, *Clericus fideiussionibus inseruiens obijciatur*, agit enim de eo, qui huic rei uacat; idque fortè ob quæstum. Clericus tamen non tenetur ex fideiussione, nisi quantum ex patrimonio, uel fructibus beneficij potest; sic tamen ut non remaneat in egestate cap. Odoardus. de solut.

Religiosus non potest fideiubere, aut mutuum accipere sine consensu Prælati & maioris partis Capituli; si aliter factum sit Conuentus non tenetur, nisi quatenus uersum in eius utilitatem. cap. Quod quibusdam, de fideiussorib. similiter nec Prælatus, sine consensu maioris partis Capituli; nisi in re parua, de qua per se potest disponere, Siluester v. Fideiussor, nu. 4.

20 *Religiosus.*

DVBITATIO III.

Vtrùm singuli fideiussores teneantur in solidum.

21 *Exceptio vt singuli pro sua tantum parte teneantur.*

RESPONDEO & dico Primò, Quando sunt plures fideiussores pro eodem debito, singuli tenentur in solidum: qui tamen in solidum conuenitur, potest excipere, ut quilibet conueniatur pro sua parte; v.g. tres fideiusserunt pro debitore 300. aureorum: si debitor non sit soluendo, & unus fideiussorum conueniatur a creditore. non tenetur hic soluere nisi 100. aureos, sed potest illum remittere, ut reliquas partes a ceteris exigat. Ita habetur L. Inter fideiussores. 26. ff. & L. Non recte 3. C. de fideiuss. Concessum est illis hoc beneficium rescripto Adriani Imp. ut ibidem dicitur; sine quo singuli tenerentur totum soluere ex ui contractus fideiussorij.

22 Dico Secundò, Hæc exceptio debet opponi ante sententiam definitiuam, qua iubeatur soluere; ut docet Gomezius numero 15. Post illam, (præsertim si executioni mandata sit, facta solutione) non potest opponi, iuxta supradicta de muliere. quòd si cogeretur soluere non uirtute sententiæ definitiuæ, sed ui instrumenti Guarantigij, posset adhuc opponi, ut ibidem Gomezius docet. similiter si post sententiam definitiuam fideiussor appellasset.

23 Dico Tertiò, Hæc tamen exceptio non competit fideiussori, si iam uel sponte. vel compulsus per sententiam definitiuam, soluit: uel si fideiubendo, huic priuilegio renuntiauit. Ita Gomezius suprà. unde minus est hoc priuilegium quàm mulieris, quæ post solutionem factam per ignorantiam sui priuilegij. potest solutum repetere, ex S.C. Velleiano.

Si totum solu-uit.

Aduerte tamen, fideiussorem, si totū soluerit, posse compellere creditorem, ut sibi cedat actione, quam habebat in reliquos fideiussores, exigendi ab illis partes uiriles, quas a singulis ex rescripto Adriani poterat petere, v.g. 100. aureos ab unoquoque in proposito exemplo, a debitore autem principali potest petere eam partem, quæ se propriè contingebat, v.g. 100 aureos; & sic recuperabit 300. aureos, quos soluit. reliqui uerò fideiussores solùm possunt repetere suas partes a debitore principali. potest etiam fideiussor, qui soluit pro debitore principali, & inde damnū incurrit, repetere a debitore non solùm totum, quod soluit, sed etiam compensationem damnorum, quæ incurrit ex culpa ipsius.

DVBITATIO IV.

Quid sit contractus aßecurationis, & quidnam ad eius iustitiam requiratur.

24 *Aßecuratio similis est contractui venditionis.*

RESPONDEO & dico Primò, *Aßecuratio* est periculi alieni præstatio, seu est contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit: obligando se vel gratis vel certo pretio ad eam compensandam, si perierit. si gratis hanc obligationem suscipiat, est promissio gratuita. si pretio, est contractus similis emptioni & venditioni; qui enim pretio aßecurat, videtur vendere suam obligationē, qua se obligat ad soluendum rei æstimationem, in euentū quo perierit: & alter hanc videtur emere.

Dico Secundò, ad iustitiam huius contractus requiritur æqualitas inter pretiū, quod aßecuranti datur. & obligationem, quam in se suscipit, nempe vt tanti valeat iudicio uiri intelligentis illa obligatio, quanti est pretium, quod pro ea datur. sicut enim in contractu emptionis & venditionis, debet seruari æqualitas inter pretium & rem venalem, ita hic inter pretium & illam obligationem, quę alteri venditur.

Hinc

Si sciat rem ipse saluam.

Hinc sequitur Primò, Si assecurator certus sit rem ante contractum peruenisse ad terminum, (v.g. in portum, in quem illam assecurat) non posse pretium exigere: quia obligatio, quam in se suscipit, nullius est pretij: conditio enim sub qua se obligat (nempe si pereat ante quàm perueniat in portum) est omnino impossibilis; idoneipse certò nouit confirmatur, quia nulli periculo possibili se exponit: atqui obligatio illa non est æstimabilis pretio, nisi ratione alicuius periculi possibilis: ergo, quo fit, vt in hoc casu contractus sit nullus: tum quia venditur res nullius pretij & æstimationis; tum quia dolus dat causam contractui. vnde vlterius sequitur assecuratorem teneri non solùm ad restitutionem pretij, quod accepit, sed etiam ad expensas contractus & damna secuta. si tamen nesciret certò illa esse in termino, posset exigere, quanti periculum, cui se exponit, æstimatur. quo enim periculũ putatur esse maius, eò plus potest exigere; quo minus, eò potest minus petere, etiamsi in re nullum periculum subsit: nam periculum censetur tale, quale bona fide æstimatur.

25 *Si mercator sciat eam periisse.*

Sequitur Secundò, Si mercator, qui rem suam cupit assecurari, certò sciat eam periisse, non posse pacisci de eius assecuratione: nec petere eius æstimationem sibi restituendo est, quia obligatio, quam petit, est ad id, quod ipse nouit esse impossibile; impossibile enim est præstare periculum rei, vbi iam res periit, præstatio enim periculi & assecuratio, supponit rem adhuc esse in periculo, vel certè esse posse: at si scitur periisse, scitur non posse in periculo esse; ac proinde scitur non posse assecurari. Deinde quia dolus dat causam contractui: decipit enim assecuratorem, quia dum rem, quam nouit periisse, petit assecurari, indicat eam non periisse, vel certè se putare nondum periisse. Itaque si assecurator soluit æstimationẽ rei, quæ periit, tenetur mercator ipsi eam restituere; & præterea tenetur sarcire damna, si aliqua ex eo contractu sint secuta. assecurator autem tenetur ei refundere pretium acceptum; quia cõtractus fuit nullus. Si tamen non erat omnino certum rẽ periisse, videtur mercator aliquid posse exigere ab assecuratore, vt notat Molina disput. 507. quia soluendo pretium, exponit se

26 alicui periculo amittendi illius pretij absque incommodo assecuratoris. si enim fortè non perierit, assecurator absq; vllo damno retinebit pretium: ergo si perierit poterit, ab illo aliquid repetere supra pretiũ: quia si assecurator potest lucrari, æquitas postulat vt etiã possit perdere: at non posset perdere, nisi aliquid amplius, quam sit pretium acceptum possit ab eo repeti. Tantum ergo poterit tunc repetere, quantum ipse oblaturus fuisset, si rei veritatem intellexisset; vel certè quantum prudens æstimabit in tali casu, spectatis omnibus circumstantijs, debuisse offerri.

27 *Si sciat non fore periculum.*

Aduerte tamen, si ordinarie multum detur pro assecuratione, (v.g. tria in 100.) ob magna pericula, quæ plerũque vel a tempestate, vel a piratis impendent, quamuis ego præsciam ex Astrologia vel aliunde non fore tempestatem; aut ex literis amici, non fore piratas, aut fore securum comitatum, possum nihilominus pretium ordinariũ assecurationis accipere. quia illa obligatio passim tanti æstimatur, eò quòd pericula ordinarie occurrentia sint magna. occultæ enim illæ causæ mihi dumtaxat notæ, quæ periculum minuunt, non minuunt communem æstimationem, quia sunt ignotæ. sicut merces possunt vendi pretio, quo passim a peritis æstimantur, etiamsi ea æstimatio pendeat ex raritate, quæ exterius apparet, & tamen in re non est; cum sint adhuc multæ merces occultę vel propinquę. ita etiam obligatio ista potest vendi pretio, quo communiter æstimatur à peritis, etiamsi ea æstimatio pendeat ex opinione communi periculorum, quæ hic & nunc scis esse impediẽda.

Petes Primò, Quidam nullas habẽs merces in naui; sed fingens se habere, easque valere 10. millibus aureorum, petijt illas sibi assecurari Antuerpiæ Hispalim, datis quingentis aureis: Vtrùm tunc si nauis pereat, teneatur assecurator soluere 10000.

28 *Quid si nullas habens merces.*

Respondeo breuiter, si assecurator sciebat vel suspicabatur nullas esse merces, vel non tanti valoris, tenetur soluere: quia censetur esse contractus sponsionis, vt rectè docet Sotus lib.6.quæst.7.art.1.nempè. vt si nauis salua venerit. lucretur 500. si perierit amittat 10000. Si autem bona fide putabat esse merces. vel esse tanti pretij, tunc est distinguendum, vel enim cum ea dispositione animi fecit contractum, vt etiamsi sciuisset non esse, nihilominus voluisset contrahere; & hoc casu tenetur soluere: quia tacita mens erat, etiam in eo casu se obligare, & lucro dãnoque exponere. Si autem ita erat affectus, vt si sciuisset, noluisset cõtrahere, ob metum fraudis, vel aliam causam; non tenetur soluere, sed etiam tenebitur (quam primũ sciuerit illam fictionem) pretium restituere; quia non consensit in contractum. Verùm ordinarie qui assecurant, parum curant an merces tanti valeant: sed solum curant æstimationem: hæc autem æstimatio mercibus illis, si quę sint, secundum proportionem applicari debet. vnde si tota mercium quantitas pereat, tota æstimatio soluẽda est, etsi merces illæ longè supra nullũ æstimatæ fuerint. Si media pars earum pereat, media pars illius æstimationis est soluenda: si tertia, tertia, & sic deinceps. 29 *Æstimatio ex mercibus applicanda sit.*

Petes Secundo, Quid si plures sint assecuratores, quorum singuli solum pro parte aliqua spondeant, & dimidiũ mercium pereat?

Respondeo, Si partes singulorum designatæ fuerint, illi tantum tenentur, quorum partes pereunt: si autẽ non fuerint designatæ, tunc omnes tenentur contribuere pro rata ad partem, quæ perijt. v.g. merces æstimentur 8000. aureorum, & quatuor sint assecuratores, quorum singuli quartã partem (nempè æstimationem 2000.) assecurent: si dimidium perierit, singuli tenentur conferre 1000. aureos: si quarta pars, 500. & sic deinceps. 30

DVBITATIO V.

Quid sit pignus & hypotheca.

NOTANDVM est, *Pignus* proprie dici rem, quæ traditur creditori. Hypothecam verò, quæ sine traditione, nuda conuentione cõtinetur, vt habetur Instit. de actionibus, §. Item Seruiana. dicitur enim *pignus* a pugno, quòd manu tradatur, Græce ἐν χερσὶν. vnde *pignus* proprie est rei mobilis, *hypotheca* rei immobilis. hæc tamen distinctio nõ seruatur; nam hæc nomina passim in iure idem valent; vt patet Instit. supra. 31

Vsurpantur tamen tripliciter. Primò, Pro re ipsa: & sic pignus, seu hypotheca dicitur res aliqua mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis, de qua inter debitorem & creditorem conuenit vt sit pro debito obligata, ita vt si debitor non soluerit, possit creditor ex ea solutionem petere. Secundò. Pro contractu seu conuentione illa, qua pignus constituitur. Tertio. Pro obligatione, quæ ex contractu in re nascitur. Simili modo mutuum, commodatũ, depositum vsurpantur pro re ipsa, pro contractu, & pro obligatione ex contractu orta. 32 *Vsurpantur tripliciter.*

DVBITATIO VI.

Quot modis contrahatur hypotheca.

RESPONDEO, & dico Primò, Generatim dupliciter contrahi. Primò *Expressè*. Secundò. *Tacitè*. *Expressè* autem contrahitur dupliciter. 33

Primò, Conuentione partium; hæc vocatur *hypotheca conuentionalis*. ad hanc solum opus est partium consensu; nec requiritur præsentia rei, aut traditio, vt patet L.1.ff. de pignore. de hac vide multa apud Negusantium in tract. de pignor. par.3. membro 1.

Secundò. Decreto Iudicis; hæc vocatur *pignus prætorij*. ad hoc autem requiritur, vt quis mittatur in possessionem, seu detentionem rei auctoritate Iudicis vel Magistratus; vt patet L. Non est mirũ, 26 ff. de pignorat. act. Quidam distinguunt pignus iudiciale a prætorio; sed nõ esse opus hac distinctione. colligitur ex L.1. & 2. C. de prætorio pignore, vbi omne pignus auctoritate Iudicis constitutum, vocatur prætorium, siue ante sententiam definitiuam, siue post eam sit constitutum. Idem colligitur ex d. L. Non est mirum, supra: de hoc Negusantius par.3. memb.2.

Dico Secundò, *Tacitè* contrahitur, quando legis dispositione constituta est. id autem iure communi fit multis casibus, quos enumerat Siluest. v. Pignus, q.2. & Molina disp. 526. & futilissimè Antonius Negusantius par.2. memb.4. ex quo hæc maximè decerpta. 34

Primò

Primò. Qui ratione contractus, uel tributi nomine aliquid debet fisco, seu Principi, eius bona omnia sunt tacitè illi hypothecata. Negusantius numero 113. Excipitur minor, qui si a fisco aliquid emerit, sola res empta manet hypothecata pro pretio. quando autem ratione criminis bona ipso facto sunt confiscata, non censentur hypothecata, sed debita fisco, si postea feratur sententia; de quo vide Negusantium nu. 115.

35 Secundò. Bona omnia mariti sunt hypothecata vxori pro dote. Idem dicendum de bonis fideiussorum, si aliqui pro dote restituenda fideiussores a marito sint dati. hæc hypotheca, & fisci, habent priuilegium prælationis, vt alijs tacitis hypothecis tempore prioribus simili priuilegio nõ instructis præferantur: non tamen expressis prioribus; vt dictum est cap. 15. dubit. 4. Negusantius num. 108.

Tertiò, Qui dotem promisit, eius bona manent hypothecata donec soluerit.

Quartò, Bona tutoris & curatoris sunt hypothecata minori pro administratione. Negusantius nu. 6.

Quintò, Bona Prælati & administratoris Ecclesiæ, pro administratione: quia Ecclesia fruitur priuilegio minoris & pupilli. Negusantius nu. 120.

Sextò. Bona eorum, qui administrãt res ciuitatum, pro administratione: quia ciuitas fruitur priuilegio pupilli. Negusantius num. 119.

Septimò. Bona patris administrãtis aduentitia filij, sunt tacitè hypothecata filio pro administratione. num. 13.

Octauò, Omnia bona defuncti sunt hypothecata pro legatis. Idem nu. 157.

Nonò, Si vxori aliquid a marito, vel intuitu mariti donatum est, mortuo marito, id pertinet ad liberos communes: quod si mulier illa transeat ad secundas nuptias, omnia eius bona, quæ à tempore donationis accesserunt; manent liberis prioribus oppignerata pro illa re. Idem dicendum, si marito aliquid donatum sit ab vxore, vel vxoris intuitu. Idem nu. 20 & 22.

36 Decimò. Emptum pecunia pupilli, manet ei hypothecatum pro pretio; idque cum priuilegio prælationis ante omnes alios habentes in ea re hypothecam. Idem dicendum de empto pecunia militis. nu. 163. 164.

Vndecimò. Fructus rei conductæ sunt hypothecati domino fundi pro pensione. nu. 150.

Duodecimò. Inuecta in prædium conductum sunt obligata domino prædij pro pensione soluenda, & pro damnis rei conductæ illatis; siue prædium sit vrbanum, siue rusticum. si tamen prædium rusticũ sit, debent esse illata domino sciente. si enim ipso ignorante illata sint, non sunt ipsi obligata. nu. 128. & sequentibus.

Decimotertiò, Aedificium, ad quod restituẽdum vel reparandum pecunia mutuò data est, manet hypothecatum pro illa pecunia cum Iure prælationis ante alias hypothecas etiam expressas & priores, in eodem ædificio constitutas. excipe tamen hypothecã vxoris pro dote, quæ si prior fuerit, præfertur. num. 162.

Decimoquartò, Nauis, ad quam extruendam, emendam, ornandam vel rebus necessarijs instruendam, pecunia est mutuata, manet obligata pro ea pecunia, sicut de ædificio dictum est num. 162.

37 Decimoquintò, Omnis res, ad cuius conseruationem pecunia mutuò data est, manet obligata pro ea pecunia, idque præ alijs habentibus in ea priorem hypothecam. vt si quis dedit pro reficienda naui vel ædificio, vel pro nautis necessarijs ad illam saluandam. Item si solut pretium vecturæ mercium; si mercedem constituti eas deducenti, &c. vide plura apud Molinam disput. 438 & 536 & Antonium Negusantium tractatu de pignore. Quædam tamen ex his non sunt vbique recepta, & in diuersis Prouincijs sunt diuersæ leges & consuetudines: nam in quibusdam locis, ex omni contractu venditionis, omnia bona contrahentium manent in perpetuum obligata iure specialis hypothecæ, ita vt nulla præscriptione possit hæc obligatio tolli; quæ consuetudo est valdè exorbitans à iure communi.

38 Dico Tertiò, Vtraque hypotheca, id est, *tacita* & *expressa*, est duplex; alia enim est vniuersalis, alia particularis. *Vniuersalis* est in qua omnia bona obligantur; quod intellige non solùm de præsentibus, sed de futuris, quæ pro tempore habuerit; vt patet L. fin. C. Quæ res pignori obligari possint. hæc tamen non impedit quin res possit libere vendi; quia in locum eius succedit pretium. *Particularis* est, quando res certa obligatur. hæc semper afficit rem. ad quemcumque perueniat, donec debitum fuerit solutum, vel obligatio condonata, vel præscriptione extincta.

DVBITATIO VII.

Quæ possint vel non possint esse pignori.

RESPONDEO & dico Primò, Ea non posse esse pignori, quæ non possunt vendi; vt Ecclesia, cœmeterium, sepulchrum, L. 1. §. vltimo. ff. Quæ res pign. vel hypoth. Ius etiam patronatus non potest oppignerari. capit. Bartholus de sentent. & re iudicata. Ratio est, quia non est res, per quam debitum pecuniarium possit compensari. vnde etiamsi castrum, aut villa, cui hoc ius est annexum, oppigneretur, ius tamen patronatus non censetur oppignoratum, & præsentatio manet apud priorem patronum. Si tamen res illa, cui hoc ius annexum, vendatur, simul etiã ius illud transfertur, & præsentatio incipit pertinere ad emptorem: quia accessorium sequitur principale. Mobilia pretiosa cultui diuino dicata, ut calices, casulæ: item immobilia, non possunt oppignerari, nisi ex causa necessaria, & cum debita solemnitate; vt si aliter vel debita solui nequeant, vel captiui Ecclesiæ liberari, vel fame oppressis subueniri: quia in his & similibus casibus etiam vendi possunt. vide suprà ca. 24. dub. 10. Possunt tamen obligari tit. hypothecæ generalis, vt colligitur ex capite Nulli. de rebus Ecclesiæ alienandis vel non alienandis. vide Syluest. v. Pignus, num. 3.

39 *Ius Patronatus.*

Homo liber non potest oppignerari, vt patet capit. 2. de pignor. si quis tamen sit captus, potest seipsum tradere in pignus pro pretio, quod alius nomine ipsius persoluit; idque donec pretium vel obsequio vel pecunia restituerit: potest tamen homo liber dari obses, præsertim in causa belli, vt stetur pactis. Quòd si Respublica vel Princeps qui illum tradidit, violet pactum absque culpa obsidis, non potest idcircò interfici, (iuxta illud Exodi 23. *Si forte & infirmum non interficies*) nec mutilari, nec flagellis cædi; quia hæc sine culpa directè irrogari non possunt, potest tamen spoliari bonis & detineri, & in seruitutem rapi. si Christianus non sit sicut alij innocentes in bello, de quo plura 2. 2. q. 40. art. 1. dub. 7.

40 *Homo liber.*

Obses.

Pari modo, qui fideiussit pro reo, cui periculum capitis vel mutilationis impendebat, vt à carcere ad tempus liberetur; si reus absque culpa illius fugam capessat, non potest loco rei pœna capitis, vel mutilationis, uel flagellorũ plecti: quia hæc sunt supplicia criminum, non solutiones debitorum. Deinde quia non intendit se ad hoc obligare, sed solùm ad pœnam pecuniariam, ad quam condemnaretur a Iudice. Imo nec potuit se ad illa obligare, cùm non sit dominus vitæ & membrorum. est communis sententia DD. teste Iulio Claro l. 5 sententiarum, §. fin. q. 46. nu. 18.

41 *Fideiussor reus constitutus.*

Dico Secundò, Cæteræ res oppignerari possunt abijs, qui earũ libera habẽt administrationẽ, siue sint immobiles, siue mobiles, siue incorporales, (vt cet sus, debita, vectigalia, imò etiam iuris dictio, quia hæc etiam sæpè magno pretio æstimatur) siue corporales.

42

Notandum est Primò, Si agrum tuum vel aliam rẽ fructiferam oppigneraui, etiam fructus a te satos, vel eo tempore conceptos oppigneratos esse, & manere; etiamsi interim rem illã vendideris, & fructus fint ab emptore percepti; vt patet L. Quamuis 3. C. In quibus causis pignus uel hypot. tacitè cõtrahatur. & L. Potior. 11. §. fi de fatura. ff. Qui potior in pign. Fructus tamen, qui post alienationem vel elocationem tati vel consepti sunt, non sunt oppignorati, nisi quamdiu sunt pendentes; seu quamdiu solo cohærent. tunc n. quia vnum censentur cum solo oppignerati sunt; possuntque a creditore vindicari, si opus sit, detractis tamen expensis, quas in re colenda conductor, uel emptor fecit, L. Si fundas. 16. § In vindicatione. ff. de pignor. postquam percepti sunt, desinunt esse oppignerati; nisi percepti sint ab hærede, ad quem res illa iure hæreditario deuenit. L. Paulus. 29. §. Si mancipia. ff de pignoribus. vide Molin. disput. 559 & Syluest. v. Pignus. num. 2. & 3.

43 *Fructus antequàm oppignerati.*

44 *Pignus ab oppignerati potest.*

Notandum Secundò, Creditorem, qui pignus ab aliquo accepit, posse illud alteri oppignerare, vt patet L. 1. & 2. C. Si

C. Si pignus pignori datum sit. ratio est, quia potest ius suum, quod in eo pignore habet, alteri in pignus dare: possunt enim iura & actiones oppigerari. simulatq; tamen ipse solutionem acceperit, desinit secunda oppignoratio, quia desinit prima, in qua fundabatur secunda.

Notandū tertio, Quando pignus vel hypotheca transit in dominium creditoris cui erat obligata, perire actionem hypothecariam, quam habebat prior possessor remotaq; ipsa re non est possessor, nisi velis dicere illum habere actionem in ipsum. Idem dicendum quando ipse extinguit, vel extinguit hypothecam. Sicut si census, quē Titius habet super agro Caij, erat oppignoratus Caio, & Caius illum extinguat seu redimat, relicta sorte Titio vel Sempronio, cui Titius illum vendiderat, extinguitur actio hypothecaria, quia extinguitur hypotheca. Neque dici potest, sortem succedere loco hypothecæ, sicut pretium succedit loco rei. quia obligatio realis transit cum re, & cum eadem extinguitur, neque transfertur de vna re in alteram nisi expressè ita fit conuentum. Vt patet cū venditur domus hypothecata, etiamsi vendatur ad destruendum, pretium tamen non manet obligatum Conſir Quia obligationes hypothecariæ sunt onerosæ, & odiosæ; ac proinde restringendæ ad sola expressa. Itaque cùm alicui redditus aliquis realis simpliciter est hypothecatus, non est id vllo modo extendendum ad pretium census.

Nec obstat, quòd etiam redditus subeat fideicōmissō, etiam pretium quo redimitur subsit, quia reddituſ ille non pertinet absolutè ad hæredem grauatum; vnde nec pretiū: sed solum habet veluti vsumfructum, & tenetur illa bona transmittere in fideicommissarium absque diminutione.

SECTIO QVARTA.

DE INIVRIIS IN IVDICIIS.

SEQVITVR vt dicamus de iniurijs, quæ in Iudicijs committi solent. In quibus tres personæ spectantur, Iudex, accusator, & Reus; accusatori iungitur testis, reo aduocatus. Itaque hanc sectionem diuidemus in tria Capita: Primum erit de Iudice. Secundum, de accusatore & teste. Tertium, de reo & aduocato.

CAPVT XXIX.

De Iudice.

Constat Dubitationibus 18.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm Iudicium sit actus Iustitiæ. D.*Thom.quæst.*60.*art.*1.

Iudicium quid. 1 NOTANDVM est, nomen *Iudicij* potissimùm duobus modis accipi. Primò, Generatim, pro sententia animi vera vel falsa de quacumque re ea sit. sic distinguitur contra *apprehensionem* nudam, in qua non est veritas vel falsitas. nec per se est actus virtutis, seu potentiæ intellectiuæ, componentis, vel diuidentis suos conceptus.

2 Secundò, Strictè, pro determinatione Iuris, facta per Iudicem; id est, pro sententia Iudicis externus prolata, qua in controuersijs contractuum, delictorum, aliis ve iuris quæstionibus definit quid cui sit debitum; hoc enim propriè vocatur *Iudicium*, quasi *iuris dictio*. Hinc extenditur ad significandam totam illum actum & causæ discussionem, quæ in tribunali fieri solet, per quam Iudex disponitur, per iustam sententiam ferre possit.

Est actus scientiæ Iuris, & Iustitiæ, vtq; dupliciter. 3 Hoc modo est quidem actus elicitus a scientia iuris; tamen est etiam actus Iustitiæ, idque duplici ratione. Primo, tanquam causa dispositiua; quia iustitiæ affectus inclinat Iudicem vt velit sententiam iustam ferre, ac proinde excitat eum, vt quam diligentissime causam examinet, deinde occulta quadam cōtentione facit vt ea, quæ iusta sunt, etiam iusta illi videantur. quisque enim iudicat secundum suos affectus. affectus enim facit, vt res intellectui videatur conueniens & amplectenda. Itaque affectus iustitiæ facit, vt id, quod iustum est, intellectui iudicis appareat bonum & amplectendum. Simili modo affectus temperantiæ facit opera temperata videri pulchra, & conuenientia homini; & fortitudo, opera fortia, siue illa externùs cernantur, siue sola imaginatione comprehendantur. Iuxta hunc modum, rectum iudicium de obiecto vel opere cuiuscunque virtutis procedere dicitur ex eadē virtute. vide supra lib.1.cap.. cap.1.dubit.4.

4 Secundò, Est actus iustitiæ tamquam causæ præcipientis & obligantis; Iustitia enim imperat actum iudicij, & iudicem ad eum obligat; sicut debitorem obligat ad solutionem debiti: quia ex officio debet hoc partibus; ideò enim stipendia accipit, hoc modo iudicium proprie ad iustitiam pertinet, vt quoddam obiectum iustitiæ, & actus externus necessarius, sine quo iustitia in Iudice esse nequit, sicut reddere cuique suum, est actus iustitiæ in genere.

DVBITATIO II.

Vtrùm iudicium temerarium, sit peccatum mortiferum.

D. THOM. QVÆST. 60. ART. 3.

Iudicij temerarium. 5 NOTANDVM est Primò, *Iudicium temerarium* dici, quòd de alicuius peccato, aliòve infami malo ex leuibus indicijs concipitur. quod enim ex iustis seu sufficientibus causis cōcipitur, nō est temerarium, sed rationi consonum. vt si iudices aliquem impurum, quòd in tenebris sæpiùs eum videris loca impura frequentantem; si hæreticum quòd Missæ sacrificium rideat; si iniustum, quòd vsuras exigat. Fit autem hoc iudicium vel de internis, vel de externis, quorum auctor est oculus, vel de futuris,

turis,vt hunc fore furem,vel numquam emendandum. vt colligitur ex Diuo Augustino libro 2.de sermone Domini in monte, capit. 18. & S.Basilio in regul.breuior.interrogat.164.

Notandum Secundò,D. Thom.distinguere tres gradus
6 suspicionis,vel iudicij temerarij.

Tres gradus suspicionis.

Primus est, *Cùm homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipit.*

Secundus est,*Cùm pro certo malitiam alterius æstimat ex leuibus indicijs.*

Tertius est. *Cùm aliquis Iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum.* vbi rectè Caietanus sub primo gradu comprehendit etiam *opinionem* quia D. Thomas, ex Cicerone vult *suspitionem esse opinionem mali, ex leuibus indicijs conceptam.* Propriè tamen *opinio* & *suspicio* differunt. Vnde si quis hos gradus exactè distinguere velit, erunt quinque. Primus,In dubitando 2. In suspicando.3.In opinando.4.Iudiciter iudicando.5 In ferenda sententia. *Dubitatio* proprie est, cum animus hæret in medio suspensus, neutram in partem inclinans. *Suspicio* est, quando in alteram partem inclinat;nondum tamen absolutè assentitur. non enim est assensus & determinatum iudicium, sed inclinatio vel cõcitatio animi ad assensum; quæ fit vel per motus quosdam assentiendi imperfectos & indeliberatos, vel ꝙ species aliqua veri subluceat in hac parte, quæ non in altera. Vnde & verbum Latinum *suspicari*, & Græcum ὑποτίθεσθαι luctum videtur, quasi aliquid subtus latens apparet. *Opinio* est assensus alterius partis, & iudicium determinatum,sed infirmum & vacillans, habens coniunctam formidinem de opposito. quamobrem opinantis animus quodammodo fluctuat & dicitur adhuc dubitare; quia etsi non maneat suspensus quod assensum in genere, cùm alteri parti aliqualè assensum accommodet;manet tamen suspensus quoad assensum firmum,cùm neutri parti assentiatur firmiter. Et hoc modo nomen dubitationis sæpè accipitur. vulgo enim dicimus. nos dubitare, quamdiu in neutram partem certi sumus: qua ratione tres priores gradus nomine dubitationis D. Thomas complecti videtur. *Iudicium firmum* est assensus sine formidine veritatis oppositæ. *Sententia* est iudicij interni patefactio exterior. Verùm ne sit discrepantia in vsu vocum, quæ sæpè rem obscurat, nomine *suspitionis* comprehendemus etiam *opinionem*, sicut D. Thomas. Caietanus,& alij,& nomen *dubitationis* sumemus proprie. Vide de his Nauarrum in cap.Si quis autem,de pœnit.dist.6.num.10. & sequent. & D Antonium 1.p.tit.3 cap.10.§.9.ex Alberto. vbi tamen suspicionem & scrupulum accipit pro eodem.nam in rebus agendis,scrupulus est tenuis suspicio mali circa rem bonam vel adiaphoram.

Possunt poni quinque gradus. Dubitatio. Suspitio.

Opinio.

Quomodo dicatur dubitare.

Porrò hi gradus ita se habent, vt maiora indicia requirã
7 tur ad suspicionem. quàm ad simplicem dubitationem; & maiora ad firmum iudicium quàm ad suspicionem. denique maiora ad sententiam quam ad iudicium. vnde ex ijsdem signis sententia seu iudicium extremum sæpè est temerarium,ex quibus interno non est temerarium vt enim possit ferri sententia cõdemnatoria exterius per Iudicem, requiruntur (vt dixi) duo testes, vel confessio rei,vel euidentia facti; cùm ad iudicium internum sæpè vnus testis vel indicia,abunde satis sint. His positis.

Dico Primò. Iudicium temerarium Iudicis prodiens in
8 actum externum per sententiã,semper est peccatum mortiferum contra iustitiam. est communis sententia DD. ratio est, quia grauem iniuriam & læsionem irrogat reo, idque contra obligationem sui officij, quo astringuitur non iudicare.nisi ex iustis idoneisque probationibus, vel rei cõfessione;vnde tenetur ei ad restitutionem famę,& damnorum secutorum.

Dico Secundò, Iudicium temerarium in animo tuo re-
9 sidens.non est peccatum, priusquam aliquo modo aduertas,vel dubites,te ex signis insufficientibus iudicare: postquam autem cœperis id aduertere erit saltem peccatum veniale,si in eo perseueres;numquam tamen erit mortiferum ante plenam animaduersionem.

Iudicium temer.internũ quale peccatum.

Animaduersio mali.

Prior pars probatur. quia priusquam animaduertas causas, ex quibus iudicas, non esse sufficientes, vel saltem priusquam de illis dubites,nõ est illud iudicium vllo modo voluntarium,saltẽ qua parte temerarium: sed censetur primus motus libertatem voluntatis præueniens, etiamsi longo tempore durasset. Idem dicendum de omnibus alijs motibus intellectus,voluntatis, imaginationis, & sensuum externorum: nisi enim aduertatur turpitudo, vel saltem de ea dubitetur, non potest in illis esse vlla culpa, ne venialis quidem: quia turpitudo illis annexa, non censetur vllo modo volita,cùm sit omnino ignorata. vnde ibi solũ est turpitudo obiectiua,non formalis,quæ est in libero consensu expresse vel interpretatiue adhibito, quæ sola animam coinquinat.

Altera pars probatur; quia si quis postquam aduertit a-
10 liquo modo hoc iudicium esse temerarium, vel de eo dubitare incepit,adhuc pergat,nec conetur excutere,iam turpitudo eius incipit esse voluntaria. qui enim voluntariè admittit in se aliquem motum vel actum, cui suspicatur inesse turpitudinem moralem; etiam ipsam turpitudinem velle, & in se admittere censetur, ac proinde peccat. Verum quia imperfecta est illa animaduersio malitiæ, neque pro eo tẽpore eius grauitas satis perspici potest, (eò quòd mens simul aliis rebus sit intenta, neque regulas morales possit tunc, nisi veluti per transennam, intueri) ideò est etiam imperfectus consensus in illam, ac proinde venialis tantùm. ad peccatum enim mortiferum requiritur perfectus consensus,qui ex perfecta grauitatis obiecti aduertentia procedit.perfecta autem aduertentia grauitatis est,quãdo mens sui compos,non abrepta aliis cogitationibus, reflectit se super suum actum. & considerat illum in materia notabili diuinæ legi esse contrarium,vel saltem de eo dubitat.Verùm de hoc plura 1.2.qu.74.ar.8. Hinc patet tertia pars propositionis.

Imperfecta aduertentia.

Dico Tertiò,Iudiciũ temerarium, quod cum plena ani- 11
maduersione de graui malo proximi concipitur,ordinariè est peccatum mortiferum contra iustitiam. Ita communiter DD.& D.Tho.art.3. Probari potest Primò, Ex scripturis,Matth.7.& Lucæ 6. *Nolite iudicare & non iudicabimini, vel vt non iudicemini; nolite condemnare & non condemnabimini.* Hic Dominus inter cetera prohibet iudicium temerarium, (quo quis ex leuibus signis de altero male sentit, eumque prauum & supplicio dignum æstimat)& minatur iudicium & condemnationem. Ita Basilius in regul.breuioribus,respond.164. Ambro. in hunc locum Lucæ, Augus. lib.2.de serm.Dom.in monte capit.28.29 & 30.& passim recentiores. etsi enim Dominus hanc sententiam maximè dicat propter eos, qui sua peccata grauiora dissimulant,& in minora aliorum sunt curiosi, temerarij, & seueri Iudices:sententia tamen generalis est,& ad omnes pertinet 1. Corin.4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* hic apertè vetatur iudicium de occultis,non autem de ijs,quæ per sufficientia signa manifestantur. Iacob.4 *Qui detrahit fratri suo, aut qui iudicat fratrem, detrahit legi & iudicat legem: si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex,* & infrà; *Tu autem quis es,qui iudicas proximum?* Ad Roman. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit,* &c. dicitur *detrahere legi*, eamque *iudicare*: quia facto suo illam improbat,& condemnat. vt passim Doctores exponunt.& ita gerit se erga legem, non vt illi subditus, sed vt Superior & Iudex.

Secundò,Probatur ratione, Primò,Grauis iniuria irro- 12
gatur proximo,dum sine causa habetur improbus: hoc.n. perinde est ac si falsum crimen ei impingeretur. longè.n. acerbior & grauior est falsa infamia, quàm vera. Itaque, etsi vera infamia apud vnum contracta, quorumdam sententia non sit tantum malum,vt peccet mortiferè qui eam infert;(de quo,quid sentire conueniat,dictum est sup. cap.11.dubit.11.) tamen infamia falsa omnium iudicio censetur graue malum, etsi apud vnum tantùm reluceat. cuius signum est, quòd homines molestissimè ferant, talem de se haberi existimationem.Secundò,Ex huiusmodi iudicijs grauia mala sequi solent, præsertim si in actum externum prodeant: & quamuis in animo maneant, tamen extinguunt bonam opinionem,& bonum nomen proximi,inferunt prauam,pariunt magnum contemptum,& impediũt charitatem. Tertiò. Quia vsurpatur quodammodo iudiciũ Dei,cuius solius est de occultis iudicare. hæc ratio tangitur ad Rom.14.1.Cor.4. & Iaco.4. 13

Si indicia sint probabilia.

Dixi *ordinariè*, quia interdũ fieri potest vt iudicium temerarium non sit peccatum mortale; vt si indicia non sint quidem

quidem omnino sufficientia ad certum iudicium, tamen magnam habeant probabilitatem, ita vt efficiant rem valde verisimilem & credibilem. tunc enim non erit peccatum mortale, etsi quis iudicet esse moraliter certum. nam non est tanta distantia inter moralem certitudinem & magnam probabilitatem, vt confeatur notabilis irrogari iniuria, si quod valde probabile est, iudicetur esse certum; præsertim cùm hæc certitudo non excludat omnem formidinẽ de oppoſito. exemplum ſit; ſi iuuenem inuenias ſolum cum puella in cubiculo, & inde iudices illos tractare turpia: ſi ex eo, quod vides quempiam ebrium, iudices eum esse in malo statu.

14 *Quale malum.* Dixi *de graui malo*; quia ſi quis temerè iudicet de altero in re leuis momenti; vel quam ille parui æſtimet, non erit peccatum mortiferum; ſicut ſupra cap. 11 dub. 3. de detractione dictum eſt. Idem dicendum de defectibus, qui ſunt inculpabiles; vt ſi iudices alterum eſſe ſpurium, vel filium Iudæi; quia hæc carent omni vituperio apud ſapientes, cũ non ſint in hominis potestate; vt recte Pet. Nauar. l. 2. c. 4. num. 410. Quod limitauerim, niſi forte idcircò illum contemnas aut infames, aut ab aliquo officio, aliove bono conſequendo inique impedias.

DVBITATIO III.

Vtrùm dubitatio & ſuſpicio temeraria ſit peccatum mortiferum.

15 SVNT tres ſententiæ. Prima eſt, Omnem ſuſpicionem temerariam de graui malo proximi, ſi deliberata ſit, eſſe peccatum mortiferum. Ita Barnes qu. 11. 60. artic. 3. Michael Salon. & Petr. Arragon. in hunc articulum. Secunda eſt, Nullam eſſe peccatum mortale. Ita Caietanus hoc loco, & Nauar. in Rub. de Iudicijs numero 48. & Pet. Nauar. li. 2. cap. 4. numero 454. Tertia eſt Suſpicionem temerariam plerumque eſſe peccatum veniale, fieri tamen interdum ratione grauitatis materiæ, vt ſit mortiferum, vt ſi ſuſpiceris ex leui indicio virum Religioſum eſſe hæreticum, vel inceſtaſſe matrem. Ita Sot. l. 3. q. 4. ar. 3. & multi recentiores.

16 *Duplex ſuſpicio.* Pro reſolutione Notandum eſt Primò, Dupliciter poſſe aliquem male ſuſpicari de proximo. Primò, Ex errore quodam intellectus, quo apprehendit illa ſigna, tamquam ſufficientia ad ſuſpicandum, paratus ſuam ſuſpicionem deponere, vbi rem melius cõſiderarit. Secundò, Non tam ex errore intellectus, quàm ex prauo affectu & malcuolentia erga illum de quo ſuſpicatur; qua fit vt etiamſi aduertat ſigna illa non eſſe ſufficientia, velit nihilominùs pergere in ſua ſuſpicione.

17 *Suſpicio dupliciter volũtaria.* Notandum Secundò, Suſpicionem poſſe dici dupliciter voluntariam ſeu deliberatam. Primò, Secundùm ſe, vt cùm quis aduertit ſe male ſuſpicari de proximo, & etiam aliquo modo dubitat an cauſa ſit ſufficiens ad ſic ſuſpicandum, tamen neglecto eius examine non excludit ſuſpicionem, paratus excludere ſi aduerteret cauſam non eſſe ſufficientem. Secundò, Poteſt dici voluntaria, qua parte eſt temeraria; vt cùm quis aduertens cauſam ſuſpicari non eſſe quidem ſufficientem, tamen ex malitia vult ſic de proximo ſentire. his poſitis.

18 *Si ex errore humano ſuſpiceris.* Dico Primò, Si priore modo ſuſpicetur malum de proximo, non erit peccatum mortiferum, ſed tantùm veniale. Probatur Primò, ex D. Aug. tract. 90. in Ioannem, vbi dicit, *Quod de occultis hominum aliquando, imo aſſiduè non vera ſentimus, id pertinere ad tentationem humanam, ſine qua duci iſta non poteſt vita, ac proinde eſſe ignoſcendum nobis, modo de rebus ipſis rectè ſentiamus, & amemus quod amandum eſt, & deteſtemur quod deteſtandum eſt.* & infrà; *Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, id eſt, cogitationum aliquarum, etſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus; iudicia tamen, id eſt, definitiuas, firmasque ſententias continere debemus, neque ante tempus iudicare, donec veniat Dominus & illuminet abſcondita tenebrarum,* &c.

Dices, D. Aug. videtur loqui de ſuſpicionibus non plenè deliberatis; has enim vitare non poſſumus, & ad humanam tentationem pertinent, deliberatæ enim facilè vitari poſſunt, nec pertinent ad tentationem humanam, quia conſenſum includunt.

Reſp. D. Aug. non loqui quidem de ſuſpicionibus, quæ 19
plene voluntariè ſint ſecundum rationem temeritatis, ſeu in quibus temeritas ſit plenè voluntaria; (hæ n. ex malitia procedunt) ſed tamen loquitur etiam de ijs, quæ plenè voluntariæ ſunt ſecundùm ſubſtantiam, (in quibus aduertit quis ſe malè ſuſpicari) & non plenè ſecundùm rationẽ temeritatis: duo enim ſunt conſideranda in tali ſuſpicione, nempe ipſa ſubſtantia ſuſpicionis, vt quòd ſit opinio talis de malo proximi, & hæc eſt plenè voluntaria. Secundo, Quòd ſit temeraria; (id eſt, quòd cõcipiatur ex ſignis non idoneis) & hoc non eſt plenè voluntarium, niſi quis aduerat ſigna non eſſe ſufficientia. Quòd autem D. Aug. etiam de talibus loquatur, patet ex illis verbis, *Quando ergo non erratur in rebus, vt recta ſit improbatio vitiorum, virtutumque probatio, profectò ſi erratur in hominibus, venialis eſt humana tentatio.* vbi loquitur in genere de omni ſuſpicione, quæ ex errore prouenit. Item ex hac ſuſpicione dicit ſæpè multa pio zelo fieri ab hominibus, quæ non fierent ſi veritas cognoſceretur. atqui ſuſpicio, ex qua multa fiunt, eſt voluntaria. dicit autem illas pertinere ad *humanam tentationem*, quia ex errore humano & fragilitate iudicij proueniunt, ita vt non poſſint omnino vitari. quis enim eſt qui non aliquando ſuſpicetur malum, aduertens ſe ita ſuſpicari; & dubitans an habeat iuſtam cauſam ſuſpicandi, nihilominùs pergat in ſua ſuſpicione, abique examine cauſarum?

Quo pertinet ad tentationẽ humanã. 20

Secundò, Ex D. Thoma, vbi ait, *primum gradum ſuſpicionis eſſe, cùm homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius incipit dubitare: & hoc eſſe veniale & leue peccatum*; idque probat ex D. Aug. vnde patet D. Thomam eodem modo eſſe intelligendum.

Non fit notabilis iniuria.

Tertiò, Probatur ratione, quia tali modo ſuſpicandi nõ cenſetur fieri notabilis iniuria proximo: tum quia non ex malitia, ſed ex imbecillitate iudicij & humano errore ſic ſuſpicatur, paratus corrigere, vbi melius aduerterit; vnde talis ſuſpicio non eſt perfectè voluntaria, qua parte eſt temeraria: tum quia ſigna, ex quibus ſuſpicatur, non carent omni verisimilitudine & proportione ad talem ſuſpicionem. quando enim ſuſpicio non eſt ex malcuolentia, ſed ex humano errore, indicia non carent omni ratione. longè enim pauciora indicia requiruntur ad ſuſpicandum, quam ad iudicandũ pro certo. tũ denique quia ipſa ſuſpicio eſt iudicium imbecillum & vacillans. cui coniuncta eſt notabilis formido de oppoſito. qui enim ſuſpicatur, ſimul putat actu tacito vel expreſſo ſe poſſe facilè falli. qua in re multò minus iniuriæ infertur proximo, quàm per iudicium, quo quis iudicat rem vel omnino certam, vel ferè certam, ita vt vix falli poſſit.

Si ex prauo affectu. 21

Dico Secũdò, ſi ſecundo modo, nempe ex prauo affectu & aduertens ſigna nõ eſſe ſufficientia, ſuſpicetur quis de proximo graue malum, (id eſt, quòd illi ſit magnæ infamiæ) peccat mortiferè. Probatur Primò, Quia talis ſuſpicio nõ procedit ex errore humano aut fragilitate aliqua, ſed ex malitia, qua quis vult ita ſuſpicari, vt eum contemnat, & pro vili habeat, aut ne cogatur illum in corde ſuo ſibi præponere; qua in re gratis eſt iniuria: nam præterquã quòd ſuſpicio talis proficiſcitur ex prauo affectu erga illũ, etiam eſt pertinax. etſi n. ſuſpicator ille aduertat ſe iuſtam cauſam non habere; tamen vult in ſua prava opinione perſiſtere. Sic hæretici & politici ſolent male ſuſpicari de viris probis & Religioſis, eos eſſe impuros, auaros, quæſtus & honoris cauſa omnia facere, & ſimilia; partim quia ipſi tales ſunt, & ne cogantur eos ſibi præponere, talia de ipſis pro ſua libidine ſibi confingunt: partim vt eos contemptui habeant. hinc libentiſſimè legunt & audiunt quæ ad illorum infamiam pertinent; quæ verò ad laudem, vel excuſationem & defenſionem audire nolunt.

Probatur Secundo, Quia ſi illi merentur iudicium & condemnationẽ, qui neglectis ſuis vitijs grauioribus, minora fratrum ſuorum vitia acriter inſectantur & condemnant, vt ipſi ſanctiores videantur; (contra quos expreſsè Matth. 7. & Luc. 6. agit Dominus) quanto magis merẽtur, qui ex odio & malignitate imaginantur, quæ nõ ſunt? cùm enim non poſſint illos tales efficere, quales vellent eos haberi, imaginantur illos tales eſſe, vt poſſint eos pro talib. affectu & interna æſtimatione ducere. Nec refert, quòd 22
fortaſſe non firmiter iudicent, putentque ſe poſſe falli, quia non minor iniuria eſt, pertinaciter ſuſpicari malum

lum grauius, quàm iudicare minus debitè, etsi non firmiter iudicent ex parte obiecti; dum putant fieri posse veres aliter habeat: tamen ex parte subiecti, iudicium est firmum, quia pertinaciter in eo volunt persistere; quia in re non minor est iniuria, quamsi absque tali pertinacia iudicarent.

Dices. Vtrùm suspicio temeraria ex genere suo, sit dicenda peccatum mortale, an veniale? 23

Quale peccatum sit ex genere suo.

Respondeo, Posse dici ex genere mortale: quia si sit plenè voluntaria, & de graui malo proximi, est peccatum mortale, solumque est veniale, vel quia non est de graui malo, vel quia aliquo modo procedit ex errore humani intellectus, qui error si non esset, homo nullo modo vellet ita suspicari: vnde etiam paratus est deponere suspicionem, si aduertat causam non esse sufficientem. potest etiam quodam sensu dici ex genere suo veniale, quia secundùm se & conditionem naturæ suæ habet, vt nascatur ex errore intellectus, & non sit plane voluntaria: cuius signum est, quod sublato errore euanescat, quasi error illius causa extiterit. hinc fit vt per se non cõstituat grauis iniuria, sed solum vt procedit ex maleuolentia. vnde etiam nunquam est peccatum mortale, nisi ex hac procedat.

Dices, Actus ex genere suo venialis, nõ potest fieri mortalis per hoc quòd fiat omnino voluntarie, & cum plenissima animaduersione: atqui suspicio, ex veritate potest fieri mortifera: ex eo quod accedat plena animaduersio, ipsaque fiat omnino voluntariè; vt dictum est; ergo non est venialis ex genere. 24

Actus venialis in genere.

Respondeo, Dupliciter potest actus dici venialis ex genere. Primò, Ratione materiæ, quæ toto genere suo in moralibus censetur leuis. & hic propriè dicitur talis ex genere; nam ex materia, seu obiecto sumitur genus actus. & qui tali modo dicitur ex genere suo venialis, non potest vnquam fieri mortalis, ratione solius animaduersionis. Tale est mendacium officiosum, verbum otiosum, & cæter. Suspicio autem non dicitur eo modo venialis ex genere.

Secundò, Ratione alicuius naturalis conditionis; vt si connotet errorem aliquem inuoluntarium, ex quo procedat. & hic non propriè dicitur venialis ex genere. vnde nõ est mirum, si accedente pertinacia voluntatis, possit fieri mortalis. hæc autem pertinacia accedit, quando homo aduertens fundamento carere suam suspicionem, nihilominus vult in ea peritare.

Dico Tertiò, De dubitatione ita ferè sentiendum sicut de suspicione. Si enim quis etiam aduertens non esse iustam causam, velit tamen pertinaciter dubitare de probitate proximi, erit peccatum mortiferum: si autem solum ex errore humano dubitet, erit tantum peccatum veniale. Prior pars probatur, quia talis dubitatio procedit ex maleuolentia, & contemptu alterius; ac proinde censetur grauis iniuria in materia graui. maior enim est iniuria dubitare pertinaciter de viro probo an sit proditor, an Iudæus, quàm iudicare esse concubinarium. vnde indignissimè homines ferunt ita de se dubitari. Altera pars satis patet ex supradictis; dubitare enim minus est quàm suspicari: qui enim suspicatur, iam propendet in alteram partem, vel etiam assentitur, & determinatè opinatur esse improbum, etsi assensu imbecillo & ancipiti; qui autem tantum dubitat, sustinet assensum veluti in æquilibrio, in neutram partem magis inclinando. & vtramque æquè ancipitem iudicando. 25

De dubitatione.

Dices Primò, Nõ tenemur positiuè opinari proximum esse probum; possumus enim mentem ad alia conuertere, & nolle circa res illas occupari. ergo nulla est iniuria in actu dubitandi. 26

Dubitans facit iniuriã.

Respon. negando consequentiam, qui enim dubitat non eo præcisè facit iniuriam quòd assensum sustineat seu suspendat, sed ex eo, quòd absque iusta causa iudicet huius probitatem esse ambiguam, & cum non posse prudẽter iudicari probum, aut pro tali reputari.

Dices Secundò, Si temerè iudicare, suspicari, & dubitare de proximo est contra iustitiam: ergo obligat ad restitutionem: at cui, vel quomodo fiet ita restitutio, cum nihil sit ablatum? 27

Quæ restitutio facienda.

Respondeo, Si loquamur de restitutione propriè, vel compensatione alicuius damni exterius illati; sic non obligat restitutionem, nisi processerit in opus externum per sententiam, detractionem, vel contumeliam; quia nullum damnum externum illatum est: & hoc vult D. Thom. in resp. ad 3. Si verò loquamur de restitutione generatim, sic verum est obligare ad restitutionem: nam hæ prauæ opiniones de proximo, sunt damna quædam famæ proximo illata in mente iudicantis, vbi vel bonam famam possidebat, vel saltem infamiæ malo non laborabat. itaque ex iustitia tenemur has opiniones, tanquam iniusta quædam damna famæ, depellere.

Nec obstat, quòd Iustitia dicatur versari circa actus externos; id enim pro maxima parte verum est, non vniuersè: nam actu interno, nempe temerario iudicio, iniuria inferri potest, etsi nullo modo in actum externum prodeat. Adde, posse dici illam versari circa actus externos, vt hoc nomen tribuitur omnibus actibus non elicitis à voluntate, sed ab alijs potentijs.

Ex dictis patet, quando censendus sit quispiam iudicio temerario interno peccasse mortiferè; quando venialiter tantum. Primò, Si non fuit graue malum, quod proximo temerè in mente sua impegit, non est peccatum mortale. Secundò, Si fuit graue malum, sed non perfectè aduertit se malè iudicare. Tertiò, Si aduertit quidem se male iudicare, tamen nõ aduertit signa esse insufficientia, nec occurrit ei dubium de eo. Quarto, Si signa erant sufficientia ad probabilem opinionem; tunc enim etsi quasi certo crediderit, non erit peccatum, nisi veniale. Quintò, Si tantum suspicatus est, non erit peccatum mortiferum, nisi suspicio fuerit pertinax; vt cum prouenerit ex contemptu vel ex maleuolentia, non ex humano errore; sitq; de graui malo. Vt autẽ sciatur vtrùm fuerit suspicio, an iudicium firmum, præsertim quando formido de opposito non est expressè coniuncta. Notanda est hæc regula, Dum quis ita iudicat, vt rogatus an habeat pro certo, respondurus sit, sibi certum, aut ferè certum videri; tunc est iudicium firmum. si verò ita iudicet, vt responsurus sit se non esse moraliter certum, sed facile posse ea in re falli; tunc solum est suspicio. Ita ferè Caietanus, art. 3. 28

Varijgradus iudicij temerarij.

29

DVBITATIO IV.

Vtrùm dubia in partem meliorem sint interpretanda.

D. THOM. ART. 4.

NOTANDVM est Primò, vel esse *dubium* de rebus, v. g. sitne talis contractus licitus, an illicitus; vel de personis; nempe de probitate vel improbitate earum; aut quis hoc, vel illud crimen commiserit. Rursus, si fit dubium de personis, possumus nos habere quadrupliciter. Primò, Interpretando in partem peiorem. Secundo, In partem potiorem. Tertio, Habendo rem in ancipiti, seu dubitando, Quarto, Suspendendo iudicium, seu nolendo applicare mentem ad alteram partem iudicandam. aliud enim est dubitare de alicuius probitate, aliud iudicium suspendere tamquam de re ad se non pertinente. 30

Quadruplex interpretatio de personis.

Notandum Secundo, Dupliciter nos posse aliquid in peiorem partem interpretari, speculatiuè, & practicè. *Speculatiuè* quidem, vt quando opinamur partem deteriorem esse veriorem, non tamen ideo nos aliter erga ipsum hominem gerere debere, cum res sit incerta. *Practicè* verò, quando cẽsemus illum habẽ dum interno affectu & æstimatione pro improbo. his positis.

Speculatiuè & practicè interpretari.

Dico Primò, Dubia de rebus, non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis æstimãda momentis. Ratio est, quia in iudicio rerum, tãtum agitur id unum ut attingatur veritas; nec timetur, ne cuiquam iniuria inferatur. In iudicio personarum, ita quæritur veritas, ut maximè cauẽdum sit ne proximo iniuria irrogetur, & de possessione bonæ famæ in re dubia depellatur. 31

Dubia de rebus.

Dico Secundò, Dubia de personis, ad bonam vel malam existimationem pertinentia, sunt in meliorem partẽ interpretãda. Ita D. Th. 2. 4. & communiter DD. colligit hoc D. Aug. de ser. Do. in mon. l. 2. c. 18 ex illis verbis Domini; *Nolite iudicare. Hoc loco*, inquit, *nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Idem docet Ber. serm. 40. in Cant. sub fi- 32

Dubia de personis.

nem; Et amsi, inquit, perperam quid fuerit dijudicandum, nec sit iudices proximum, magis autem excusa. excusa intentionem, si opus non potest, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum, &c. Idem docet Soto de iust. lib. 2. de iust. cap. 24. Simplicitate opus est, & benigna rerum existimatione, ut nihil, nisi quod in aperto incurrit, malum suspicemur. Confirmatur ex communi illo DD. dicto, *In dubio non esse praesumendum delictum*; quod colligitur ex L. Merito. ff. Pro socio. de quo vide Covarru. Clem. Si furiosus. part. 2. §. 3. num. 11.

Sed difficultas est, quomodo sint in potiorem partem interpretanda, vtrum negatiuè tantum; id est, vt in dubio non putemus proximum improbum, vel auctorem criminis, vel peccare mortiferè; an etiam positiuè, id est, actu positiuo, credendo illum esse probum, non peccasse, habuisse bonam intentionem, aut ex ignorantia fecisse. Respondeo, &

33 Necessario in dub. o. spectat. ad iustit. iudicare esse probum, vel non improbum.

Dico Tertiò, Certum videtur, in dubio nos non teneri iudicandum actu positiuo & speculatiuo, proximum re ipsa esse innocentem, non peccasse mortifere, habuisse bonam intentionem, & limitata Caietanus quæst. 60. art. 4. & alij recentiores, nec puto Sotum id negaturum, etsi li. 3. quæst. 4. art. 4. generatim contra Caietanum docet, dubia positiuè in bonam partem interpretanda. Probatur, quia nemo tenetur ad assensum, aut ad modum assentiendi, in quo exponit se notabili periculo errandi; talis enim assensus non est actus virtutis, n. quoad actum virtutis necessarius; sed est quiddam erroris obnoxium, quod perfecta prudentia deuitat, ex imperfectione nostri intellectus prouenies: vnde non fuisset in statu innocentiæ, neque fuit in Beatissima Virgine. Confirmatur Primò, Quia omnis modus assentiendi subiectus errori, & omnis error permittes ad aliquale malum intellectus; quod sapienti est vitandum, quantum commodè fieri potest, etiamsi non magni sit momenti. Confirmatur Secundò, Quia nulla est necessitas talis iudicij, vt enim erga proximum me geram sicut oportet, sufficit, vt iudicem probabile aut verisimile, esse probum, non peccasse, aut vt suspendam iudicium speculatiuè, nolendo in alterutram partem definire qualis ille in re sit, & hoc totum committendo Deo: cum hac enim suspensione iudicij stare potest, vt habeam illum pro viro probo, & pro tali habendum sentiam.

34 Nec semper practicè, & actu positiuo.

Dico Quartò, Non tenemur etiam semper occurrente dubio, actu positiuo practice iudicare probum; (id est, hic & nunc habendam & tractandum tanquam probum) sed possumus etiam hoc iudicium suspendere. Probatur, quia non semper, quando occurrit aliquod dubium de proximi probitate, tenemur positiuè statuere, illum habendum pro viro probo, puro à tali, vel tali crimine; sed sufficit illud iudicare, quando ratione affectus & actionis ipsum concernentis fuerit operæ pretium; vt quando cum illo tractandum, vel prauus in illum animi motus vincendus. quod maximè patet, dum de illis agitur, de quibus neutram in partem habemus positiuam opinionem, eo quòd res illorum nobis penitus sint ignotæ. hos enim in dubio facile est Deo permittere, neutram in partem aliquid statuere. Maior difficultas est, dum dubium occurrit de ijs, de quibus habemus bonam opinionem: difficile enim videtur eam non minui per hanc iudicij suspensionem. sed absolutè fieri potest vt non minuatur; vt quando quis non vult cautas duas expendere, tanquam nihil ad se pertinentes, & mentem alio deflectit.

35 Aduerte tamen, valdè esse consentaneum charitati, vt semper hoc pacto dubia in bonam partem interpretemur, iudicando illum loco viri probi habendum, eo quòd de contrario non constet. nec ideo me expono periculo erroris; quia non iudico illum in re esse probum & innocentem; (hoc enim Deo permitto, tanquam mihi incertum) sed esse pro tali habendum & æstimandum; (id est, ita affectu interno, & externo modo agendi a nobis tractandum, ac si re ipsa probus esset) quod iudicium est verum. Adde, si velimus hic & nunc statuere apud nos, quo loco habendus sit apud animum nostrum, etiam tenemur actu positiuo dubium in potiorem partem interpretari, iudicando illum loco viri probi habendum.

Tenemur semper nec

Dico Quintò, Teneamur tamen lege Iustitiæ dubia interpretari in potiorem partem negatiuè & practicè, ita vt propter dubium non habeamus proximum pro improbo vel auctore criminis. Quod verissimum intellige testimonia supra allata, (quamuis etiam aliquid, aliud ponitur habendum loco probi; præsertim si iudicare velimus.) Ratio est, quia iustitia postulat, vt *in dubio nemo condemnetur criminis*, non solum ex actibus, sed etiam ne interius quidem in animo: quilibet enim Ius habet vt sibi non inferatur certa infamia, pro incerto crimine. Confirmatur, quia censeri pro improbo est notabile malum proximi, & veluti pœna quædam criminis: ergo non potest inferri sine iusta causa, de qua constet, sicut pœna irrogari non potest, nisi constet de crimine.

grutiùs, & practicè interpretari.

Dico Sextò, Non tenemur tamen lege Iustitiæ, ea negatiuè & speculatiuè interpretari in meliorem partem, ita vt non opinemur seu suspicemur ipsum in re esse improbum, quando dubium est positiuum. Probatur; quia quando dubium est positiuum, tunc vtrimque suppetunt argumenta ad probabiliter opinandum vtramuis partem, cum formidine de opposito (hoc enim vocatur dubium positiuum) ergo si tunc attentaris parti deteriori, opinando esse improbum, non ei facis iniuriam; quia cum argumenta ad talem opinionem ancipitem animo ingenerandam sufficiant, non habet ius vt sic de ipso non suspiceris.

37 Negatiuè & speculatiuè non tenemur ex Iustitia.

Aduerte tamen, videri aliquo modo contra charitatem sic suspicari. Ratio est, quia ex charitate tenemur vitare omnem malam opinionem de proximo, etiam speculatiuam, quantum possumus, cum sit aliquod malum eius: ergo cum possimus talem opinionem vitare, dum res est dubia, tenemur. Quòd possimus vitare, patet Primò, Quia numquam cogimur ad aliquem assensum, nisi quando res est euidens. Secundò, Non magis cogimur assentiri huic parti quàm alteri, cum vtraque sit dubia. Tertiò, Quia perfectissima prudentia postulat, vt in dubijs non assentiamur absolute alteri parti, ne forte erremus: talis enim assentiendi modus est fallax. vnde non fuisset in statu innocentiæ, nec est in Angelis, vt supra diximus. expedit igitur in dubijs sustinere assensum, vel solum iudicare rem esse probabilem, verique similem.

38 Tenemur aliquo modo ex charitate.

Dices, Si non est contra Iustitiam eo casu suspicari improbum; ergo etiam non est contra charitatem; nam in hac materia, si est peccatum, est contra Iustitiam.

Respondeo negando consequentiam. Ad confirmationem: Sæpe fit vt in materia Iustitiæ peccetur in proximum non violata lege Iustitiæ, vt cum ille nullum Ius strictum habet vt aliquid fiat, aut non fiat: & res alioquin ipsi est incommoda. vt si infames eum, cuius delictum alibi est notorium iuridicè; si occidas inuasorem inculpata defensione, quando aliter te poteras subtrahere, & alijs modis. Idem dicendum in exemplo proposito, vt mihi quidem ratio allata probare videtur, quamuis putem non esse nisi veniale.

Dixi, *Quando dubium est positiuum*: quia si sit negatiuum, vbi in neutram partem suppetunt rationes, est contra iustitiam male opinari. quisque enim Ius habet, vt non habeatur de se mala opinio, nisi iudicia aliud suadeant,

39 Si dubium sit negatiuum.

Dices, Si non est contra iustitiam opinari deteriorem partem speculatiuè, dum dubium est positiuum: ergo etiam non est contra iustitiam opinari practicè: quia iudicium practicum sequitur ex speculatiuo.

40

Respondeo negando sequelam; quia iudicium practicum non sequitur necessario ex speculatiuo, præsertim quando speculatiuum est incertum. Iudicium enim practicum in proposito est, quo iudico aliquem habendum pro improbo; quod longe aliud est, quàm putare in re esse improbum, habere enim aliquem pro improbo, est æstimatione, affectu, & contemptu interno se gerere erga alterum ac si improbus esset. vnde fieri potest, vt speculatiuè opiner Petrum esse improbum, vel furem; & practicè iudicem esse probum: quia etsi verisimile mihi sit, & opiner ipsum in re & coram Deo esse improbum, tamen quia mihi id certum non est, nolo hac opinione meum affectum, & æstimationem internam erga illum regere; sed ea seposita quasi non esset vera, iudico illum habendum loco & gradu viri probi.

Iudicium practicum non sequitur necessario exspeculatiuo.

His addo, non videri contra Iustitiam, si quis propter dubium non tanti æstimet hominem, quanti antea; quia

non

non tanti debet æstimari, cuius incerta, seu dubia est virtus, quam cuius certa. *Minor æstimatio ex dubio.* non tamen ideò potes æstimare improbum. charitas tamen suadet, vt propter dubium nihil de æstimatione & interna reuerentia detrahamus.

42 *Suspitio ad cautelam.* Dico Septimò, Quando agitur de vitando aliquo damno, vel de adhibendo remedio; dubia sunt in deteriorem partem accipienda, non quidem iudicando proximum esse furem vel improbum, vel habendũ pro tali; sed iudicando ita exterius cauendum, & sibi illique consulendum, ac dubia esset eius probitas. Ita Diuus Thomas hoc loco ad 3. & alij Doctores, qui dicunt tũc dubia in deterius interpretanda, non definitiuè iudicando, sed per quamdam suppositionem concipiendo malum de proximo. Hoc modo, dum accipimus ignotum in ædes, ita cauemus rebus nostris, ac si dubia esset eius probitas; nullo tamen modo habentes illum pro improbo. Sic Superiores ob indicia quædam dubia, 43 *Superiores.* interdum obiurgant suos subditos, pœnitentias imponunt, aliaque remedia illis corrigendis adhibent, tamquam sibi pios malos putent, quamuis eos pro malis nõ habeant, & eorum facta vel intentionem apud animum suum excusent. nam Superiores quoque hanc regulam de dubijs in meliorem partem interpretandis, quoad interiorem affectionem & æstimationem seruare debent: quamuis in ordine ad emendationem, vel cautelam mali, exterius ita se gerere possint erga subditos, ac si mali aliquid perpetrassent, & merito; non enim solum ab omni malo, sed etiam ab omni mali specie abstinendum. Hic tamen cauere debent, ne vel modum excedant, vel illos alijs suspectos reddant, vel de illorum virtute diffidere videantur. Simili ferè modo dubia sunt in potiorem partẽ interpretanda, quando non agitur de vitando incommodo, sed solum de interna æstimatione & reuerentia erga proximum. tunc 44 enim etsi definitiuè non iudicemus ipsum in re bonum esse; *Dubia interpretanda in potiorem partem, per quamdam suppositionem.* tamen id iudicandum per quamdam suppositionem, supponendo esse probum, & iudicando illum æstimandum & cum illo agendum interius & exterius, ac si re vera probus sit.

DVBITATIO V.

Vtrùm liceat aliquando iudicare non secundum leges scriptas.

D. THOM. ART. 5.

45 RESPONDEO, & dico Primò, Si leges illæ scriptæ cõtineant ius naturale, semper secundum eas iudicandum est. ratio est, quia numquam licitum est à iure naturali recedere, cùm contrarium huius iuris semper sit iniquum.

Dico Secundò, Si leges scriptę contineant ius positiuũ, ordinariè secundum eas iudicandum, præsertim iudici inferiori. Ita D. Th. & alij.

46 Dixi, *præsertim inferiori*, quia supremus Princeps potest interdum dispensare in lege positiua, legisque rigorem, vel pœnam relaxare, vel mitigare, quando ita putat expedire Reip. hoc autem non potest inferior, nisi ex tacita vel expressa Superioris concessione.

Dixi *ordinariè*, quia interdum potest iudex inferior re- 47 cedere à lege scripta, iudicando contra verba legis. Pri- *Quando inferior contra verba legis facere possit.* mò, Quando constat mẽtem legislatoris esse aliam, nec voluisse hunc casum verbis legis esse comprehensum; tunc enim vtendum *interpretatione*: magis enim tenetur sequi mentem legislatoris, quæ legis est anima, quàm corticem verborum. alioquin summum ius, summa iniuria. Neque in hoc casu tenetur legislatorem vel Superiorem consulere, vt quidam volunt; quia non opus est inquirere de mente, quando de ea constat. Confirmatur ex l. Nulla ratio. ff. de legibus, & l. Non dubium. Codice de legibus.

Secundò, Quando non quidem constat, sed probabilius est aliam legislatoris esse mentem, & res non patitur moram vt Superior consulatur. tunc quoque esset contra rectam rationem verba sequi: nam semper intentio legislatoris proferẽda est verbis legis. Quòd si Superior facile consuli possit, consulendus est; quia lex infringi non debet, ne quidem quoad verba, nisi constet aliam esse mentem legislatoris, si tamen de ea constare potest: quòd si de ea constare non potest, tunc sequendum id, quod probabilius videtur.

Tertiò, Si vtrimque æquale sit dubium & Princeps consuli nequeat, tenetur inferior iudex secundum verba legis iudicare. Ita communiter DD. ratio est, quia lex est veluti in possessione suæ auctoritatis: vnde in pari dubio non potest iudex, cùm ex officio sit cultos legis, eam sua auctoritate priuare.

DVBITATIO VI.

Quinam peccent vsurpatione Iudicij.

D. THOM. QVÆST. 60. ART. 6.

48 NOTANDVM est, tria requiri ad iustum iudicium, vt colligitur ex D. Tho. q. 60. art. 2.

Primò, Certitudinem in cognitione causæ: & defectu huius, iudicium dicitur *Temerarium*, de quo dubit. 5.

Secundo, Iustitiam in ipso actu iudicij, id est, vt seruetur æqualitas in iure suo cuique reddendo. ad hoc requiritur, tum vt iudicetur secundùm leges, (de quo dub. 5.) tum vt seruetur ordo iuris, (id est, ordinata ratio procedendi à iure iudicibus præscriptà) à quo infra huius defectu, iudicium dicitur *peruersum* & iniquum.

Tertio, auctoritatem in iudicante: qui enim auctoritate caret, siue in personas iudicandas siue in causam, (vt si sit exempta) iniuriam facit, tum partibus, causæ illarum se ingerẽdo, tum legitimo iudici, cuius potestatem & officium sibi assumit. huius defectu iudicium dicitur *vsurpatum*, vel præsumptum. His positis.

49 *Vsurpatione Iudicij peccant.* Respondeo & dico Primò, Omnes eos peccare vsurpatione iudicij, qui iudicant eum, qui vel absolutè non est ipsis subditus, vel non in ijs causis, in quibus eum iudicant; ac proinde sententia illorum est irrita. Ratio est; quia in his iudicijs deest potestas in eum, qui iudicatur, quæ ante omnia requiritur: quia iudex debet habere auctoritatem & obligandi conscientiam, (sententia enim est veluti lex quædam particularis imposita alteri, qua ille tenetur subire) & cogendi ad executionem eius, ad quod obligauit; alioquin sententia esset inefficax.

Vbi notandum est, Quinque modis posse quempiam esse alteri subiectum, ita vt ab eo iudicari queat. Primò, Ra- 50 tione potestatis ordinariæ: sic fideles Pontifici, & Episcopis *Quinque modi subiectionis.* suis; & ciues suo Regi sunt subiecti. Secundò, Ratione potestatis delegatæ: sic Legato Apostolico subsunt Prouinciæ ad quas ipsius delegatio pertinet, & ciues Proregi vel Gubernatori. Sic Daniel iudicauit tenes potestate sibi a Deo *Danielis Iudicium.* delegata, c. 13. & iuxta probabiliorem sententiam, Moyses Ægyptium, Exod. 2. vt testatur D. Augustl. quæstionum in Exod. quæst. 2. & apertè colligi videtur Act. 7. vbi Stephanus ait, *Fecit vltionem eius qui iniuriam sustinebat, percusso Ægyptio.* *Moysis in Ægyptum.* exist malat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis. Tertiò, Ex consensu partium; vt quando partes ex compromisso se alicui subijciunt, siue vt Iudici, (vt si ille alias auctoritatem iudicandi habebat, etsi non in illos) siue vt arbitro, de quo vide Sylu. v. Arbiter. Quartò, Ratione delicti in alieno loco perpetrati: nam ratione delicti sortitur quis forum. cap. Postulasti. 13. & cap. fin de foro compet. vbi Glossa v. Ratione delicti. Simili modo sortitur quis forum ratione contractus, domicilij, & rei, de qua contra possessorem causa mouetur, vt eodem capit. dicitur Quintò, Ratione iniuriæ, subdito alterius Principis illatæ. si enim Superior eius, qui iniuriam fecit, interpellatus, nolit illam vindicare, poterit id facere Princeps eius, qui iniuriam accepit. Quicumque igitur iudicat aliquem, 51 qui aliquo horum quinque modorum non est ei subiectus, peccat vsurpatione iudicij: quia vsurpat sibi auctoritatem *Iudicium Pilati vsurpatum.* iudiciariam in eum, in quem non habet. Sic Pilatus iudicãdo Christum peccauit vsurpatione iudicij; (etsi contra sentiat Caietan. quæst. 67. art. 1. & Sotus lib 5. qu. 4. art. 1.) quia Christus non erat ei aut Cæsari re vera subditus, cum esset Filius Dei & omnium Dominus; (quam ob causam neque tributum debebat Cæsari, vt colligitur Matt. 17. ex illis verbis, *Ergo liberi sunt*) idque facile poterat Pilato constare. Neque subiecit se Pilato dando auctoritatem; sed

Iudicium secularium in Clericos.

soli permisit se iudicari. Simili modo peccant Iudices seculares iudicantes Clericos; quia sunt exempti ab eorum iurisdictione, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus; vt patet tota distinct.96.& 11.quæst.1.per totam & in Decretalibus de immunitate Ecclesiarum,& in Concil. Trident. sessio.25.cap.20. de reform. vbi renouantur omnes Canones,qui hac de re agunt. Idem patet Iure ciuili, Authentica, Vt Clerici proprios Iudices conueniant, collatione 6,

Non possunt renuntiare exemptioni.

52 Adde nec posse Clericos huic exemptioni renuntiare, vt à Iudice sæculari validè possint iudicari,etiam in ciuilibus; vt patet cap.41.Inolita.11.quæst.1.& cap. Placuit.41. ibidem,& capitul. Si diligenti.12. extra,de foro competenti: vbi etiam redditur hæc ratio. *quia non est beneficium hoc personale; ius renuntiari valent, sed potius toti Collegio ecclesiastico pubi cè indultum, cui priuatorum pactio derogare non potest.* Possunt tamen in ciuilibus se subijcere Iudici sæculari vt arbitrio; qui tamen nolentem stare sententia, non potest per se cogere. Item potest Clericus vt actor,laicum pertrahere ad Iudicem sæcularem, non autem vt reus pertrahi. in casu tamen reconuentionis potest à Iudice sæculari iudicari: vt si dum laicum pertrahit ad Iudicem, laicus vicissim illum in causa ciuili reconueniat; vt expresse docet Glossa communiter recepta in cap.2.de mutuis petitionibus. & colligitur tum ex illo capit. tum ex 3.quæstion.8.cap.1.

Reconuentio.

Confugiens ad Ecclesiã.

Simili modo censetur vsurpatio Iudicij, & irrita est sententia, si eum, qui ad Ecclesiam tamquam ad asylum confugit, vi vel fraude extrahat, & ad mortem vel mutilationem condemnet: quia talis exemptus est à iudicis potestate,saltem quoad hanc pœnam irrogandam, & Iudex tenetur eum Ecclesiæ restituere.vt colligitur ex c. Inter alia, de immunit. Eccles.& ex multis Canon.17.qu.4.de quo vide Clarum pract. crimin.qu.30. & Salonium quæst.60.art.4. controuersia.1.

Sententia lata in Ecclesia.

Dici etiam potest vsurpatio Iudicij si Iudex Iudicium exerceat vel sententiam ferat in Ecclesia: nam eo loco id faciendi potestatem non habet,cum quidquid ibi actii fuerit,sit irritum; vt statuitur c.Decet. §. Ordinarij,de immunit. Eccl. in 6. vbi dicitur: *Processus Iudicum secularium, ac specialiter prolata sententia in eisdem locis,* (Ecclesijs) *omni carere debent robore firmitatis.*

Exemptorum causa.

Denique vsurpatione iudicij peccant Ordinarij, dum exemptorum causas discutere præsumunt, in quibus Concil.Trid.eos non subiecit.

Est peccatum mortale.

53 Dico Secundo, Hoc peccatum vsurpationis iudicij ex genere suo est mortiferum. Ratio est, quia fit iniuria, tum partibus,in quas ille potestatem non habet, tum etiam Superiori, cuius auctoritatem sibi assumit. censetur autè hæc iniuria grauis, vt ex communi hominum sensu colligi potest; nam auctoritas publica violatur.

DVBITATIO VII.

Vtrùm Iudex excommunicatus peccet vsurpatione iudicij, si iudicia exerceat.

Sententia excommun. est valida.

54 RESPONDEO, & dico Primò,Si excommunicatio est occulta,non peccat vsurpatione iudicij, & sententia, ceteraque eius acta publica sunt valida. Ita Glossa in c.Ad probandum.§.Ionolatus,de senten.& re iudic. & est communis sententia DD.Richardi in 4.d.18. principali 7. q.1.Palud.eadem dist.q.4.& dist.17.q.6.art.2.Syl.Excommun.3.numer.3. & num.5. vbi dicit hanc esse communem opinionem: licet ipse contrariam v. Excommunicatio.2. num.1.putet veriorem.Couarru.in cap.Alma 1.p.§.7. nume.9.Soti d.22.q 2.art.1.& 4.Probatur Primò,Quia nõ est priuatus,nec suspensus ab officio:soli enim publice excommunicati suspendentur per Canones, vt colligunt DD. d. cap.Ad probandum,ex illis verbis. *Si per eo,quod vnus ex delegatis Iudicibus excommunicationis vinculo esset publicè innodatus*, vbi a contrario sensu insinuatur, secus esse si occultè. Secundò, Quia cum eius excommunicatio ignoretur, sequerentur grauissima incommoda, tum in Ecclesia, tum in Repub. quæ nullo modo possent vitari: innumeræ enim sententiæ,præsentationes,electiones & collationes beneficiorum & officiorum deberẽt rescindi, cũ magno damno,

55 & perturbatione innocentum.Tertiò, Quando excommunicatio Iudicis est occulta, ipse non est publicè vitandus sed solum occulte, vt colligitur c. Cum non absque,de senten.excommun.imo fieret ei iniuria,si quis in publico detrectaret eius communionem, propter infamiam, quæ inde sequeretur. ergo cum partes non possint ipsius Iudicium propter excommunicationem occultam recusare, (nisi forte velint suscipere onus probãdi ipsum esse excommunicatum,ad quod non tenentur) oportet vt ipsius quoque sententia valida sit, absurdum enim est vt partes teneantur sese illicere tribunali Iudicis,a quo nisi iniustam sententiam referre non possint. denique idem probari potest ex L.3.Barbarius,de offi.Iudicum,& 3.quæst.7.cap. Iniustus. vide infra num.66.

Quæ diximus intelligenda non solum in sententijs & actis fori externi,sed etiam iuxta & Sacramentalis, vt infra magis patebit;quia DD.generatim loquuntur,& rationes eædem vbique locum habent.

Excommunicatus publicès

56 Dico Secundo, Si excommunicatio Iudicis sit publica, seu notoria, ante quidem Concilium Constantiense, poterat vsurpationis iudicij,iudicando, & sententia erat irrita: potè tamen illud Concilium, verius est non sic peccare, nec sententiam, reliquaque eius acta publica esse irrita; nisi sit denunciatus nominatim,vel notorius percussor Clerici.

Prior pars est communis DD. & colligitur apertè ex ca. Ad probandum 24.de senten.& re iudi. vbi iubetur *cassari* (id est,cassa & irrita declarari, vt exponit Glossa) *sententias latas à pluribus Iudicibus delegatis, eo quod ex illis vnus erat nominatè excommunicat.aut publicè innodatus*, vt ibidem dicitur. Hoc tamen intellige, quando certus numerus Iudicum ad causæ definitionem requiritur. tunc enim vnius excommunicatio sententiam reddit inualidã: quia Iudex excommunicatus est inhabilis; ac proinde numerus Iudicum necessarius non est completus. secùs si certus numerus ad sententiam nõ requiritur,sed solum maior pars: tunc enim sententia erit valida,si maior pars Iudicum habilium consenserit.Idem probari potest ex c. Audiuimus. 24.q.1.vbi dicitur,excommunicatum excommunicare nõ posse:quod de publicè excommunicato intelligẽdum est, vt ibidem Glossa v. Non potuit.annotat: vbi illud, *non potuit*, significat carentiam potestatis: ac proinde sententia talis Iudicis est irrita.vide Glossam ibidem v. Absoluêdo. Idem confirmari potest ex cap. Decernimus.8.de sentent. excommun.in 6.iuncta Glossa.Ratio est,quia tales,etsi nõ sint priuati officio,(retinent enim illud in habitu) sunt tamen priuati eius vsu,seu suspensi ab eius executione,ex dispositione Canonũ: potestas autem suspensa & à sua executione sua impedita,perinde est ac si non esset: vnde non plus possunt,quàm si Iudices non essent.dum ergo iudicat, peccant vsurpatione iudicij, assumentes sibi potestatem iudicandi, quam non habent. etsi enim habeant potestatem in habitu,hæc tamen ita est impedita, vt in actum exire non valeat. Vnde actus ille Iudicij non ex hac procedere censetur;sed ex alia quàm temerè vsurpant. quare merito peccatum mortiferum iudicatur.

Si vnus ex Iudicibus excommunicatus.

Alteram partem, Scilicet *post Concilium Constantiense, acta talis excommunicati esse valida quamdiu ignoratur ab Ecclesia.* docet Nau.c.27.num.7 Sotus in 4.d.22.q.2.art.1. Henriquez de excommunicat.c.cap. 7. & passim recentiores, estque probabilior,etiamsi alteram quoque probabilis sit,& multorum DD. Probatur,quia Concilium Constantiense statuit tantum vitandos esse nominatim excommunicatos & notorios Clericorum percussores, & concessit vt fideles possint cum alijs in omnibus rebus tam diuinis quàm humanis, tam publicis quàm priuatis habere communicationem; vt refert D. Antoninus 3.p.tit.25.capit.2. Sotus dist.22.quæst.1.artic.4 & alij:ergo etiam tacitè voluit eorum actus esse validos. nisi enim id vellet, non deberet concedere in omnibus. quorsum enim concederet vt ab illis possimus ius,& alios actus legitimos exigere; præsentationes,electiones,collationes,& cõfirmationes petere,si tales illorum actus sunt inualidi? tanè illusoria & noxia videretur talis concessio; nam plurimi per eam deciperentur,& cum magno multorum damno omnia hæc deberent retendi vel retractari. videtur itaque Ecclesia, dum rigorem antiquorum Canonum circa communionem cum excommunicatis temperauit,tacitè etiam sustulisse illam suspensionem iurisdictionis, quam olim excommunicatio

Acta excommunicati valida esse.

57

continebat quod sanè erat expediès hoc statu rerum, quo sæpè Iudices diu in excommunicatione, vel ob hæresim, vel ob violatam libertatem ecclesiasticam, vel ob alias causas, manent.

58 Aduerte tamen, neminem teneri admittere Iudicē excommunicatum, potest enim contra illum excipere, quod sit excommunicatus; vt patet ca. Exceptionem, in fine, de exceptionibus. quod verum est, etiamsi eius excōmunicatio hoc loco non sit manifesta, modo tamen alibi sit publica, vt colligitur ex eodem ca. iuncta Glossa v. Publice, vel ipse possit illam probare. Ratio est, quia etsi Concilium concedat vt possis cum Iudice excommunicato habere communionem, & ius ab illo petere, non tamen cogit. itaque sicut olim poterat recusari, ita & nunc. Si tamen partes in illum consenserint, & sententia debito modo, lata fuerit, non potest propter excommunicationem rescindi; quia legitima potestate, cui partes se subiecerunt, lata est: sicut cum sponte se alieno Iudici, permittente iure subijciunt, sententia rescindi non potest.

Nec obstat; quòd quidam Patres affirment hæreticos & schismaticos nullam habere potestatem, nec posse soluere & ligare, quia sunt extra Ecclesiam, & excommunicati: (ita Cyprianus epist. 76. ad Magnum, de Nouatianis. Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 2. Nicolaus I. epist. ad Michaelem Imper. & alij, vt videre est 24. q. 1.) ad hoc enim responderi potest, Primò, In his esse peculiarem rationem, quia ita ab Ecclesia se segregant, vt nullam amplius cum ea communionem retineāt: alij verò excommunicati retinent fidem, & fidei confessionem, & solum ex parte sunt extra Ecclesiā. Secundò, Hæc procedere iure antiquo, quo omnes hæretici publici ita erant excommunicati, vt non amplius essent tolerati ab Ecclesia.

Petes, An talis peccet mortiferè ex alio capite, ratione videlicet communicationis, iudicando?

59 *An sit peccatum mortiferum.* Quidam recentiores putant esse solum peccatū veniale. Ratio est, quia cum Concilium non suspendat illum ab officio, nec priuet vsu istius potestatis, solum videtur illū actum prohibere, quatenus est communicatio quædam humana; non autem præcisè quatenus est actus iurisdictionis & potestatis iudicariæ, cui sententiæ fauet Caietanus v. Excommunicato vitia: vbi docet, actus iudiciales excommunicati, si absit malitia, non esse nisi peccata venialia, quia solum prohibentur secundario. quę sententia est probabilis, eamque sequitur Barta Ledesma, dub. 9 de excommunicat. Henriquez de excommunicatione, cap. 7. & quidam alij.

Esse mortiferum. Verius tamen videtur, esse peccatum mortiferum, nisi ignorantia vel inconsideratio, aut functionis breuitas excuset. est communior sententia DD. Ratio est, quia Ecclesia prohibet illam, non solum generali ratione communicationis humanæ; sed etiam vt est vsus Iurisdictionis & potestatis, dignitatem quandam continens. vnde cum illa sit res grauis & magni momenti, non video cur præceptum non obliget sub peccato mortali.

Nec obstat, quod Concilium non suspendat Iudices ab officio; quia id fit propter bonum aliorū: non tamen ideo co intendit ipsos Iudices in aliquo releuare, vt expresè idem Concilium testatur. Si tamen partes iustitiā exigant, vel ratio postulet vt in aliquo casu ex officio procedat, non peccabit; quia Concilium concedit, vt in commodum aliorum, suo munere fungi possit.

60 *Denunciati, & percussores Clericorum.* Tertia pars, scilicet *Iudicem nominatim denunciatum & manifestum Clericis percussorem peccare vsurpatione Iudicij, tenaces iniustitiam, & omnia eius acta esse irrita.* est communis sententia DD. & apertè colligitur ex cap. Ad probandum. sup. c. Audiuimus. & c. Miramur. 24. quæst. 1. hos enim excipit Concilium Constantiense. vnde manent suspensi ab officio, sicut erant ante Concilium.

Petes, Vtrùm hoc etiam locum habeat in Iudicibus sæcularibus.

64 *Locum habet etiam in sæcularib.* Respon. habere; ita enim tenent passim DD. & probatur Primò c. Exceptionem. 12. de except. vbi in fine dicitur, *excommunicatus autem publicè, etsi huiusmodi exceptio non opponatur, nihilominus est officio Iudicis repellendus:* vbi loquitur in genere de cuiuuis Iudicis officio; sicut in verbis prioribus de officio actoris & aduocati.

Secundò, Quia omnes excommunicati sunt priuati vsu Iurisdictionis in suos subditos, vt colligitur c. Nos Sanctorum. 15. q. 6. vbi dicitur, *Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus; quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Si subditi non tenentur eis obedire: ergo suspensa est eorum iurisdictio, ac proinde sententia non obligabit, sed erit irrita idem confirmatur c. fi. ibid.

Tertiò c. Decernimus. 8. de sent. excom. in 6. excluditur excommunicatus à munere actoris; patroni & testis: ergo multo magis censetur exclusus à functione Iudicis. absurdum enim esset Iudicis excommunicati acta valere, actoris verò, aduocati, & testis non valere.

Quartò, Quia non poterat commodè & efficaciter prohiberi communicatio cum tali Iudice; nisi priuando eum vsu Iurisdictionis, & reddendo irrita eius acta. alioquin si acta eius valida fuissent, subditi ad ipsum in suis causis recurrissent vt antea. Denique quia non poterat alia ratione commodius frangi talis hominis contumacia.

Iudex hæreticus vel defensor, aut fautor hæreticis. Idē peculiariter statuitur de hæreticis, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus eorum, si intra annum satisfacere contempserint, c. Excommunicamus. 1. §. Credentes, ex Concilio magno Lateranensi, vbi & alia quædam expresè in eosdem statuuntur, quæ tamen etiam alijs excommunicatis sunt communia: vt quod non possint esse aduocati, nec tabelliones, quòd sint repellendi a Sacramentis, & ab ecclesiastica sepultura, & eorum oblationes non admittendæ. Idem statuit Concilium illud, *aduersus Consules & Rectores ciuitatum, & alios, qui Ecclesias, & ecclesiasticos viros variis, seu collectis & exactionibus aliis, grauare nituntur;* quos primum excommunicat. Deinde subijcit: *Quia verò nec sic quorundam malitia contra Dei Ecclesiam conquieuit, adijcimus vt constitutiones & sententiæ, quæ à talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo vnquam tempore valituræ.* vbi Glossa. *Sententia, vel constitutio per excommunicatum prolata, est nulla; nec tractus temporis conualescit.* & quamuis hic affectus sit communis excommunicatis, tamen specialiter in his criminibus exprimitur, tum ad maiorem terrorem, tum quia propriè Iudices attingunt. *Iudex grauans Clerum exactionibus.*

Aduerte tamen, si aliquis sic excommunicatus cōferret se in aliam vrbem vel Prouinciam, vbi eius cēsura sit ignota, fieretque Iudex; vel si in loco suæ Iurisdictionis non haberetur pro denunciato, vel publico Clerici percussore, acta eius fore valida. Ratio est, quia eo loco verè est excommunicatus occultè, & ab Ecclesia censetur toleratus, eademque incommoda sequerentur, si eius acta essent irrita, quæ ex actis alterius, qui vbiq; occultus; vnde eodem modo de illo sentiendum; & ijsdem rationibus probari potest. 62 *Si alibi sit vbi ignoratur.*

Hic tamen grauius peccat, quàm alij occulti vel publici non denunciati, actus iudiciarios & alios similes obeundo, quia reuera est suspensus: & quantum est ex parte sua, vsurpat sibi potestatem, quam non habet.

Dices, Si est suspensus, quomodo eius acta nō sunt irrita?

Resp. Quia Ecclesia ob communem vtilitatem vel tacitè hanc suspensionem ad singulos actus in hoc casu ei relaxat, etsi velit ipsum secundum se manere suspensum; vel certè nouam ei potestatem ad singulos actus extraordinariè tribuit, supplendo defectum, qui ex parte ipsius erat, ne cum damno aliorum, actus sit irritus: qui duo modi parum in re differunt.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm Iudex, qui propter crimen ipso iure est priuatus titulo, Vel solum habet titulum putatiuum, peccet Vsurpatione Iudicij iudicando, ita Vt sententia eius sit irrita.

PRIOR pars huius dub. pendet ex alia, quæ 1. 2. q. 96. art. 4. dub. 6 tractanda est, Vtrùm leges humanæ, quæ statuunt priuationem beneficij, vel officij, aut bonorū confiscationem, eā vim habeant, vt commisso crimine, beneficium vel officium statim vacet, & bona ad fiscū pertineāt, ita vt reus ipse teneatur ea dimittere ante sententiam. 63

Non vacat beneficium, nec officium.

Ad quam nunc breuiter Respondeo, propriè loquendo non vacare, nec teneri dimittere ante sententiam: etiamsi in lege dicatur, *ipso facto sit priuatus*. nisi apertè constet illam fuisse legislatoris mentem; vt si addat, *teneri in conscientia dimittere*, vel *non posse absolui, nisi dimittat*, vel *beneficium eo ipso vacare, ita vt alteri liberè possit conferri*. vt in casu cap. Dudum 2. de electione; cum quis accipit secundum beneficium incompatibile, colligitur aperte ex D. Thomas 2.2. quæst 62. artic. 3. & Caietan. ibidem Soto libro 1. de Iustit. quæst. 6. ar. 3. Adriano quodlib. 6. ar. 1. Couar. de matrimon. p. 2. capit. 6. § 8. numero 9. & 13. & passim recentioribus. Verùm autem vacet quando dicitur in lege, *sit priuatus ipso facto absque alia declaratione*. dubium est. Couarru. & Dominicus Soto supra, & Henriquez de excommun. capitul. 56. multique alij recentiores tenent non vacare; sed requiri sententiam declaratoriam criminis. illam autem clausulam *absque alia declaratione*. intelligendam de declaratione, qua declaretur pœnam esse incursam, non autem qua declaretur crimen commissum. quæ expositio etsi nonnihil videatur violenta, tamen vsus ipse eam confirmat. ita enim sunt vsu receptæ leges huiusmodi, vt ante declarationem criminis, possessores non teneantur resignare. imò vsus habet, vt nisi executio fiat per sententiam, ita vt per eam non solum declaretur crimen, sed etiam reus ipse priuetur beneficio vel officio; non censeatur omnino priuatus, vt patet ex Couarruuia supra. vnde & leges illæ, quæ statuunt vt beneficium *ipso iure vacet*, vt in extrauagan. Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis. non videntur receptæ in illo rigore, vt ipsonte teneatur se reus spoliare.

64 *Quam vim habeant.*

Petes, Quam ergo vim habent huiusmodi constitutiones, quibus aliquis ipso iure priuatur officio vel beneficio, siue propter crimen, siue propter adeptionem alterius incompatibilis?

Priuant titulo, non possessione.

Respondeo, Hoc efficere, vt statim amittat titulum ipsum, ita vt non sit amplius dominus beneficij, retinet tamen possessionem, qua priuari non potest, nisi causa cognita, vt docet Glossa capit. Licet Episcopus. 28 de præbendis in 6. Et quamuis illud caput solum loquatur in casu adeptionis beneficij incompatibilis; tamen Glossa & Doctores quos ibi citat, volunt esse eamdem rationem in ceteris, vbi quis ipso iure priuatur. id enim ad publicam tranquillitatem est valde expediens. *Titulum* voco ius illud firmum, quod accepit per collationem, quo alias non poterat inuitus priuari; quo amisso, adhuc retinet possessione beneficij & totus iurisdictionis, quam ante habebat. & quidem si iure permittente illam retineat, ita vt Ius non obliget ipsum ad eam deserendam, vocatur *possessio iuris*: si verò Ius reluctat illi possessioni, obtringens reum ad illam deserendam, dicitur *possessio facti*.

Confiscatio priuat dominio.

Simili modo, quando bona ipso Iure confiscantur, vt in crimine hæresis, iuxta cap. Cùm secundum leges. 19. de hæretic. in 6. vel propter incestas nuptias, iuxta idem caput, & Authen. Incestas. C. de incestis nuptijs; vel propter speciem illicitarum transactionem, aut rerum vectarum omissam professionem; vt dict. cap. & alijs Iuribus habetur in his, inquam, & similibus casibus, statim amittitur ipsa rerum, quæ dicuntur confiscari, vel in commissum cadere, proprietas, & illarum proprietas fisco acquiritur, vt expressè dict. capit. habetur, permittitur tamen possessio & vsus donec secuta sententia declaratoria. hæc quoque auferantur.

Hinc fit, vt executio retrotrahatur vsque ad tempus cõmissi criminis: nam ex illo tempore, dominium, seu proprietas in fiscum translata est, & consequenter omnes fructus ex illo tempore percepti ad ipsum spectant. Sed de his plura 1.2. q 96. art. 4.

Sententia nõ sunt irrita.

Ex his sequitur, sententiam, aliaque acta talis Iudicis nõ esse irrita, neque iudicium vsurpatum, cum re vera adhuc iurisdictionem suam retineat, neque ab ea fit suspensus, etsi enim ius illud prius, quo illam Iurisdictionẽ obtinebat, amiserit; habet tamen adhuc Ius possidendi, & vtendi eadem, donec per sententiam auferatur. Confir. quia cum crimen sit occultum, vel certè non constet eum per legem esse priuatum, si acta essent irrita, idẽ Reip. obueniret incommodum, quod sequeretur si acta occultè excommunicati essent irrita: quod ex ijs, quę nunc dictum fuimus magis constabit. Quod ad alteram partẽ dubitationis attinet, omissis opinionibus, quas recenset Paludanus in 4. d. 17. q. 6. ar. 2.

65 *Habens titulum putatiuum de Iure valet.*

Respõdeo, Si habet titulum coloratum, & communi errore putetur legitimus Superior, eius sententiæ & alij actus iurisdictionis sunt validi. Ita passim DD. in capit Nihil. 44. de electio. & in L. Barbarius. ff. de officio Prætoris. Idem fusè docet Paludanus supra, Caietanus v. Absolutionis impedimenta. Nauar. in cap. Placuit, de pœnitentia d. 6. num. 180. Medina C. de confessione, quæstio. 22 Arragon. quæst. 60. art. 6. & alij multi recentiores, qui id docent non solum de sententia & actis fori externi; sed etiam fori sacramentalis, de quo tamen longè magis dubitari poterat. Probatur ex lege Barbarius Philippus. ff. de officio Prætorum; vbi expressè casus huius assertionis ponitur. cum enim ille Barbarius esset alibi conditione seruus, Romæ, vbi latebat eius conditio, & liber habebatur, promotus est ad præturam, cuius tamen ob illud occultum impedimentum erat incapax, nihilominus approbantur eius acta, quæ gessit quamdiu latuit: idque ob vtilitatem eorum, qui apud ipsum egerant: & ratio additur, quia *populus Romanus*, cuius auctoritate hæc dignitas collata fuerat, *permisset etiam seruo hanc potestatem decernere*. Idem probatur ex Synodo Romana 3. quæstio 7. capitul. primo, vbi dicitur, *Si seruus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret, quamuis postea in seruitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta, rei iudicatæ firmitatem tenet*. Ratio est: quia nisi huiusmodi acta essent valida, magna sequeretur in Repub. & populo Christiano perturbatio; omnes enim sententiæ, collationes officiorum & beneficiorum, præsentationes, electiones, & alia huiusmodi, deberent reiciodi tamquam inualida.

Duæ conditiones concurrere debent. Titulus & communis error.

Notandum est ex Panormitano in dict. cap. Nihil, Caietano supra, & alijs Doctoribus, duas conditiones debere concurrere, vt Iudicis putatiui acta valeant. Alteram ex parte ipsius Iudicis, nimirum: vt habeat titulum. Alteram ex parte populi, vt communi errore putetur legitimus Superior. vtrumque colligitur ex Iuribus citatis. quibus concurrentibus, Ius ipsum confert iurisdictionem extraordinariè ad singulos actus, propter bonum commune. Debet autem hunc titulum habere a vero Superiore, vel saltem ab eo, qui alias poterat illum dare, vt insinuatur dict. L. Barbarius, nam approbantur acta illius; quia populus, a quo habebat officium, potuisset ei hanc potestatem decernere. & confirmatur; quia si non accepit ab eo, qui poterat dare, tam non habet titulus ille colorem, quo verus videri possit; immo non est titulus, cum hic non nisi a Superiore dari possit. omnis enim iurisdictio a Superiore descendit. unde Caietanus collationem Superioris titulum uocat.

Titulus est collatio Superioris.

Hinc fit, vt si beneficiũ habeas ab eo, qui non poterat dare: vel si solum sis electus, aut præsentatus; non autem acceperis institutionem, aut confirmationem, (quæ sunt collatio potestatis) nihil agas, vt qui sis intrutus; vt Panormitanus, Nauar. & alij docent. sufficit tamen in collatore titulus coloratus communi errori coniunctus, vt eius collatio sit valida. sicut enim alia eius acta valida sunt, ita etiam collatio iurisdictionis.

66 *Accipiens Prælaturam in excommunicatione.*

Ex his sequitur Primò, Valida esse acta Prælati, qui accepit Prælaturam in excommunicatione, irregularitate, vel alio impedimento occulto, ratione cuius collatio sit irrita; vel interuentu simoniæ realis completæ, aut confidentiæ; si communi errore facti habeatur pro vero Prælato. Itaque valida erit sententia excommunicationis ab eo lata, & absolutionis, & collatio beneficij, & delegatio iurisdictionis, &c.

Accipiens delegationẽ ad communitatem causarum.

Secundò, Idem dicendum non solum de eo, cui collata est potestas ordinaria, sed etiam cui delegata; præsertim si ad vniuersitatem aliquarum causarum, vt bene ostendit Paludanus supra, vt sunt Commissarij, Vicarij foranei, Pœnitentiarij, & cæt. quia horum iurisdictio non minus spectat communem vtilitatem, quam Ordinarium: immo plures ad ipsos causæ deferuntur. Vtrùm verò idem sit in Delegato ad causam particularem, dubium est. Quidam negant; quia non agitur de bono communi. Sed contrarium est verius: quod tenet Paludanus supra, circa primam opinionem, & alij Doctores. Idem docent etiam de sacerdote delegato ad confessiones. Confirmatur, quia dicto capitul. Infamis, apertè agitur de Delegato; & quidem

Delegatio ad causam particularem.

quidem vt videtur, ad cauſam particularem. Et quamuis ſinguli tales non deputentur niſi ad cauſas certas, nec de quocumlibet quæſtionibus cognoſcere poſſint; tamen maximi intereſt publicæ vtilitatis, vt horum acta valeant, cũ ſæpe & variis caſibus deputentur.

Nec obſtat quod habetur L. fin. C. Si à non competente Iudice iudicatum eſſe dicatur; vbi dicitur, *Et in priuatorum cauſis huiuſmodi forma ſeruetur, ne quemquam litigatorum ſententia, non à ſuo Iudice dicta, confirmet.* quia intelligitur quando non eſt occultum nõ eſſe verum Iudicem: quod generaliter in omnibus cauſis, etiam publicis, verum eſt.

Non refert an ſuperior ſciat impedimentum.

Tertiò, Eadem locum habere, etiamſi Superior conferens officium vel iuriſdictionem, ſciat impedimentum alterius, aut collationem eſſe inualidam; modo ipſe conferat quantum in ſe eſt, ſaltem actu externo, & communi errore populi putetur eſſe validum: quia ſi ipſius ignorantia non impedit iuriſdictionem, multò minus impediet ſcientia, quæ tollit inuoluntarium. Nec opus eſt vt ipſe poſſit impedimentum auferre, vt recte Paludanus ſupra: vt patet cum Epiſcopus confert illegitimo, vel occulto homicidæ beneficium parochiale requiritur tamẽ vt ſupremus Princeps poſſit illud tollere, & perſonam efficere capacem. Vn de ſi ſit impedimentũ iuris diuini, vel naturalis, nihil fiet. vt ſi ſit femina, vel nõ ſit Sacerdos, cui poteſtas abſoluendi commiſſa eſt, communis error nihil iuuabit: quia poteſtas humana hunc defectum ſupplere nequit, nec vllo modo talibus hanc poteſtatem concedere.

Si impedimentum non poſſit auferri ab homine.

Non refert an litigatores ſciant.

Quartò Sequitur, Idem procedere, etiamſi litigatores, vel quorum cauſa agitur, impedimentum ſciant: quia hæc iuriſdictio conceſſa eſt generatim, propter errorem communem: vnde priuata ſcientia illam non impedit. Hinc abſolutio data a Parocho, quem ſcis occulte ſimoniacum, valet, vt paſſim Doctores fatentur, niſi forte tu alterius copiam haberes, vel extra neceſſitatem illum induxeris; & ita illi confitendo pecces mortifere: quia tunc, etſi non ſit irrita defectu iuriſdictionis, eſt tamen ratione indiſpoſitionis pœnitentis.

Si iuriſdictio occultè ablata. 67

Quintò, Idem dicendum eſſe, quando alicui Iuriſdictio occultè eſt ablata, & ille nihilominus ſe pro Superiore gerit, & communi errore talis habetur. Poteſt autem hoc quatuor modis contingere. Primò, Si ipſo iure beneficium vacet. Secundò, Si per ſententiam ei ſit abrogatum, vel ſi poteſtas Delegati reuocata. Tertiò. Si Delegans mortuus ſit. Quartò, Si Iuriſdictionem Delegantis contingat ſuſpendi.

Si beneficiũ ipſo iure vacet.

Quod ad primum modum attinet, ita tenet expreſsè Panormitanus in d. cap. Nihil. Nauar. in cap. Placuit. nume. 180. Arragon. quæſt. 60. artic 6. Paludanus ſuprà, Syluester v. Confeſſor, 1. quæſt. 19. & paſſim Canoniſtæ. Ratio eſt, quia hic duo illa concurrunt, titulus publici officij, (vt quia ab Epiſcopo inſtitutus) & error facti. Nec refert, quod titulus & poſſeſſio iuris ■ ſint adempta; quia ■ omnino occultum eſt; & non ita ſunt adempta, quin adhuc aliquæ reliquæ maneant. retinet enim poſſeſſionem facti, ■ Nauarrus ait.

Reſp. ad ca. Dudum.

Nec obſtat capit. Dudum. 22. de electione, vbi inſinuatur, abſolutiones datas ab eo, qui ſimul plures parochiales Eccleſias retinebat abſque diſpenſatione, fuiſſe irritas, eò quòd obtenta ſecunda, vacet prior, iuxta diſpoſitionẽ Concilij general cap. De multa, de prębendis; quia publicè notum erat, illas vacare. Si id occultum ratione communis ignorantiæ fuiſſet, non fuiſſent irritæ; vt ibidem notat Panormitanus & alij. Nec refert, quòd id proueniat ex errore iuris: modo ſit probabilis, & cauſet errorem facti.

Si per ſententiam abrogatum, vel expreſsè reuocatum.

De ſecundo modo; etſi multi aliter ſentiant, eſt tamen probabile valere. ita enim tenet Paludanus ſuprà, circa primam opinionem; vbi id affirmat in eo, cuius commiſſio eſt occulte reuocata. & Henriquez lib. 3. de pœnitentia cap. 6. vbi dicit valere abſolutionem, ſi habet titulum coloratum, & non ſcitur de reuocatione. & lib 2. cap. 4. valere confeſſiones factas virtute Bullæ, vel facultatis, quæ neſcitur eſſe reuocata. Idem tenet noſter Sancius lib. 3. de matrimonio diſput. 20. numer. 58. citans pro ea Baldum, Iaſonem, Corneum, Maſcardum, Hẽriquez & Manuelem, qui primo tomo Summæ cap. 60. nume. 3. dicit valere confeſſiones Religioſis ſemel approbatis factas, quamuis occulte facultate audiendi ſint priuati. Ratio eſt, quia duo illa ſupradicta hic etiam concurrunt, titulus & error communis; ille tituus enim fuit ab habente poteſtatem, & ideò habetur adhuc verus Iudex, cum ignoretur reuocatio.

Si morte delegantis.

De Tertiò, Verius etiam eſt valere; quia etſi morte, vel priuatione officij delegantis expiret poteſtas delegati, re adhuc integra, vt patet L. More. 5. ■. de iuriſdict. omnium iudicum, & cap. Licet 30. cap. Gratum. 20. cap. Relatum. 19 de officio delegati: tamen quamdiu hoc communiter ignoratur, & ille ſe adhuc gerit pro Delegato; eſt eadem ratio, quæ in ſupradictis. non enim hic magis eſt priuatus, quam in primo & ſecundo caſu: & tamen ibi valent acta, ob communem errorem: ergo & hic valebunt. Ita tenet Thomas Sancius, & multos pro ea citat Doctores. Et confirmatur, quia poteſtas Vicarij generalis magis dependet à iuriſdictione Epiſcopi, quàm poteſtas Delegati à Delegante: nam à Vicario ad Epiſcopum non eſt appellatio, eò quòd ſit vnum eorum tribunal, vna iuriſdictio, & veluti vna perſona, vt aperte colligitur ■ capit. 2. de conſuetud. in ſexto. Vbi per Officialem Epiſcopi intelligitur Officialis generalis, vt Gloſſa communiter recepta exponit, quem vocamus Vicarium generalem. At à Delegato ad Delegantem eſt appellatio, vt ibid. Glo affirmat; quia diuerſum tribunal habent, & diuerſi Iudices habentur. Hinc mortuo Epiſcopo expirat poteſtas Vicarij, etiam cauſa integra, vt docent Ioannes Andreas, Dominicus, & Hoſtien. in c. 1. de officio Vicarij in ſexto. & tamen valent acta Vicarij, & litteræ dimiſſoriæ ab eo datæ, ſi communiter mors Epiſcopi ignoretur, vt docet Henriquez li. 3. de pœn. cap. 13. neque deſinunt illæ litteræ valere, etiamſi poſteà, re integra, ſciatur mortem fuiſſe priorem, vt idem docet de Ordine c. 22. & conſentit Sancius ſuprà.

Si delegans ſuſpendatur.

De quarto non eſt difficultas. ſi enim ſuſpenſio primaria, quæ eſt in ipſo Delegante, non inualidat actum ipſius, dum communiter ignoratur, multò minus inualidabit acta Delegati, qui ſolum ſecundario ſuſpenſus eſt. quod intellige vt antè, ſi res vulgò ignoratur.

Sextò Sequitur, Supradicta locum habere, non ſolum in foro contentioſo, ſed etiam in ſacramentali, vt docet Paludanus circa quartam opinionem, Nauarrus ſuprà, & alij paſſim. quia eadem ratio boni communis id poſtulat; & Eccleſia defectũ iuriſdictionis non minus hic, quàm in foro externo ſupplere poteſt, & vult, concurrente titulo, colorato & communi errore. Nec obſtat, quod expreſſum ius hac de re non habeatur; quia quod iura diſpoſuerunt in vno caſu, id etiam intelligendum in alijs, vbi eſt par, vel maior ratio; vt eſt in propoſito. quod confirmatur, quia ſuppoſita poteſtate Ordinis, in reliquis, vtriuſque fori eſt paritas: nec plus requirit hoc forum quàm illud; ſufficit enim vtrique eadem iuriſdictio. vnde ſuppoſita ordinis poteſtate, quicumque poteſt ſoluere & ligare in foro externo, poteſt etiam in interno, vt recte Paludanus dixit.

Septimò, Supradicta procedere etiam in ijs, quæ geruntur ex officio publico, quamuis non ſint actus iuriſdictionis; vt in Inſtrumento tabellionis: in electione & præſentatione ad beneficia & officia: in actu Parochi, aſſiſtentis contractui matrimonij. hic enim actus non eſt iuriſdictionis, ſed exhibitionis præſentiæ ſui, tamquam teſtis iure requiſiti.

Probabilis opinio DD. 68

Adde, non ſolum errorem communem, ſed etiam probabilem DD. opinionem efficere vt Eccleſia det Iuriſdictionem; etiamſi fortè opinio illa ſit falſa. vt docet Henriquez lib. 2 de pœnit. cap. 14. num. 3. & 4. & optimè Sancius ſuprà nu. 65. vt ſi probabile ſit talem poſſe abſoluere à reſeruatis, vel cenſuris, aſſiſtere matrimonio, excommunicare, eligere confeſſorem, priuilegium non eſſe reuocatum, & ſimilia: & ille ex hac opinione operetur, validum erit, Eccleſia ſupplente defectum, ſi fortè ſubſit. cum enim licitum ſit operari ex opinione probabili, ſi omnia illa eſſent irrita, grauiſſima incommoda ſequerentur. Imò vt ait Panormit. in cap. Nihil. 44. de electione quem refert & ſequitur Roſella v. Confeſſor, 3. in fine, & Syluell. v. Confeſſor, 1. q. 19 Sancius nu 56. & ſæpè indicat Henricus, valent acta, etiamſi populus dubitet, an Superior ſit officio priuatus. Et ratio eſt, quia cum ante fuerit habitus Superior, non debent propter dubium ſuperueniens eum reijcere, cum in officio perſeueret. in dubio enim, nemo eſt ſuo iure ſpoliandus; quia melior eſt conditio poſſidentis.

Ex his patet, Etſi illi, qui ſolum habent titulum coloratum,

cum, possint generatim dici peccare vsurpatione Iudicij, quia quantum in ipsis est, vsurpant potestatem, quam non habent; non tamen sententia illorum est irrita; quia dum hoc attentant, Ecclesia iurisdictionem extraordinarie propter bonum commune, in ipso actu suppeditat.

DVBITATIO IX.

Vtrùm tyrannus peccet vsurpatione iudicij, eiusque sententiæ sint irritæ.

69 *Tyrannus duplex.*

NOTANDVM est, alium esse *tyrannum vsurpatione potestatis*, (qualis est, qui absque vllo iure Remp. inuasit & oppressam tenet) alium *vsu regiminis*, cum alias sit verus Princeps, legitimam potestatem obtinens. Nos hic loquimur de eo, qui vsurpatione potestatis tyrannus est, & iam in pace imperat, Repub. non amplius ei resistente, vitium defectus. nam de vero Principe constat eum non peccare vsurpatione iudicij, modo secundum leges iudicet, etiamsi alias tyrannicè gubernet.

Sotus lib. 3. quæst. 4. ar. 6. docet, tyrannum, qui Rempub. inuasit, non posse ferre vllam legem, nec ius dicere, quod obliget in conscientia: ac proinde sententias eius esse irritas. Contrarium docet Franciscus Victoria, relectione de potestate ciuili, num. 23. Pro solutione.

70 *Potest vsurpatione Iudicij.*

Respondeo & dico Primò, Tyrannus huiusmodi peccat vsurpatione iudicij ius dicendo: sententiæ tamen ipsius sunt validæ, & tenentur ciues illis obtemperare, donec reuocentur.

Prior pars probatur, quia iudicando vsurpat sibi potestatem Principis, & gerit se vt verus Princeps, cum tamen re vera non sit; ergo peccat vsurpatione iudicij: qui enim vsurpat sibi potestatem alienam, & intendit ea vti in iudicando, peccat vsurpatione iudicij.

Dices, Ille quidem peccauit inuadendo principatum, & illam auctoritatem sibi vsurpando, non tamen peccat postea, si ea debito modo, & vt Reipubl. expedit, vtatur: quia ea censetur esse mens Reipubl. Imò si omitteret ius dicere, peccaret.

Respondeo negando secundam partem assumpti; quia non solum peccauit Rempub. inuadendo, sed etiam postea assiduè peccat tum ipse, tum eius hæres eam oppressam, sibique subiectam seruando; donec tandem vel sponte à regno suscipiatur; (quod fieri potest, si illud sic sui iuris, nulli alteri Principi obnoxium) vel longo temporum interuallo tandem nascatur præscriptio. ratio est, quia assiduè iniuriam infert, & opprimit, sicut qui per iniuriam compingit aliquem in carcerem, non tantum peccat in principio, sed etiam postea. idque assiduè, quamdiu voluntarie hanc captiuitatem continuat. vt patet ex dictis c. 12. dubitat. 3. & 4. Cum igitur tyrannus continenter peccet Rempubl. oppressam tenendo, & sibi vsurpando principatum, etiam peccat iudicando, quia in hoc actu sibi assumit auctoritatem principalem, seque loco Principis gerit.

71 *Non est noua peccatum.*

Aduerte tamen, hoc non esse nouum peccatum, sed continuationem quandam peccati antiqui; neque addere aliquam nouam malitiam mortiferam supra vsurpationem tituli principatus; quia per hoc non fit noua iniuria, sed continuatur prior. imò magis peccaret, si, quando res postulat, ius non diceret, retento principatu; quia magis ciuibus noceret, & maiorem iniuriam irrogaret. sicut qui rem alienam detinet & ea vtitur peccat vtendo: tamen si ille vsus est rei vtilis vel necessarius, non addit nouam malitiam supra rei detentionem; & non vtendo magis peccaret.

Dices, Si peccat iudicando: ergo ciues non possunt ab eo ius petere: non enim licet petere ab aliquo, quod ipse sine peccato præstare non potest.

72 *Licitum est ab eo ius petere.*

Respondeo negando consequentiam, quia non petunt absolutè, sed sub tacita quadam conditione, Nempè si velit se gerere loco Principis; qua conditione posita, (sicut manifestum est eâ poni) petitur id, ad quod ipse tenetur. quamuis enim peccet iudicando, magis tamen peccaret iudicium negligendo. Itaque non petitur nisi ex suppositione, & tanquam minus malum; quod eo modo petere est licitum. ita Caietanus in Summa v. Tyrannus, & alij.

73 *Sententias esse validas.*

Altera pars, *Sententias esse validas*, probatur: quia eius sententiæ & iussa mandata, etsi non habeant vim à tyrannica potestate; habent tamen aliunde; primò & inchoatè a iure naturali, quod, supposito tali rerum statu, dictat esse obtemperandum propter bonum commune; alioquin omnia essent plena furtis & latrocinijs: secundò & completè a Repub. idque vel quia durante illo statu, tacito quodam consensu dat ei auctoritatem, dum vult vt ille iustitiam administret, & officio vsurpato, debito modo fungatur. vel potius quia tacitè approbat eius mandata & acta, legibus & vtilitati communi cõsentanea, & vult sententias iustas, quibus lites ciuium dirimuntur, & reos plectuntur, esse validas, & subditos obligari. nisi enim validæ essent & obligarent, nemo nisi in speciem obtemperaret; sed quisq; occultè faceret contrarium, cum magno Republ. incommodo. Potest autem Respub. hanc vim sententijs & actis tyranni dare, quia est singulorum Superior, etiamsi tyrannide sit oppressa; & iustas tyranni sententias pro suis habere.

74 Secundò, Probant quidam, quia Romani oppresserant Iudæos per tyrannidem, & tamen Dominus Matth. 22. insinuat, Cæsari reddendum tributum. Verum credo neminem in conscientia teneri tyranno tributum soluere, nisi forte causa scandali, vel maioris mali vitandi: neque enim ratio naturalis id dictat, neque Respub. censetur id velle; quia expedit illum non abundare, vt facilius eius iugum possit excuti. Sententia Domini est generalis, solum significans, Principi reddendum, quod ei debetur. non enim conueniebat, vt alterutram partem distinctè definiret.

75 *Inferiores Iudices.*

Dico Secundò, Inferiores tamen Iudices à tyranno cõstituti, si eius tyrannidem non sustentent, aut iuuent, non peccant ius dicendo, modo alioquin omnia iure agant. ratio est, quia nullam Reipub. faciunt iniuriam, & ipsa Respub. posito hoc rerum statu, tacitè in illos consentit, cum illorum administratio in bonum commune cedat. Verum raro fit vt Iudices inferiores non cogantur multa iniqua mandata & sententias dare & exequi: vnde non facile excusantur, qui huiusmodi officia suscipiunt. Hinc patet quid dicendum de ijs, qui in Hollandia tyrannidem occupant.

76 *An teneatur ad restitutionem.*

Petes, Verum tyrannus peccet peccato homicidij, & teneatur ad restitutionem, si tortes secundum ordinem iuris interficiat, aut bonis spoliet?

Respond. negatiuè; quia Respub. tacitè ad hoc tribuit illi auctoritatem dum consentit & cupit vt ita faciat. Itaque solum peccat in hoc actu, quatenus in eo se gerit vt Princeps, continuans auctoritatem antea assumptam.

Dices, Etiamsi Respubl. concedat illi tacitè ad hoc auctoritatem, tamen hac non intendit vti, sed ea tantũ, quam sibi assumpsit; quâ re vera non habet. ergo occidit illũ auctoritate priuata; ac proinde est homicida, & tenetur ad restitutionem; sicut quilibet alius priuatus, sontem occidens.

Resp. Tyrannus non excludit eam auctoritatem, quam Respublica ad huiusmodi actus illi concedit; sed intendit vti omni sua auctoritate, quam habet: & ita occidit illum auctoritate publica. vnde non est homicida, nec tenetur ad restitutionem.

DVBITATIO X.

Vtrùm Iudex possit condemnare reum, qui per testes legitime est probatus criminosus, v. g. homicida; quem tamen certò nouit innocentem.

D. THOM. QVÆST. 67. ART. 2.

77 SVPPONO, in tali casu teneri Iudicem omnes vias & rationes inire, quibus possit eum liberare; vt impediendo accusationem, si potest, sæpè, & per interualla examinando testes, ac nihil varient: extrahendo iudicium, aperiendo carcerem, si commodè & sine scandalo fieri potest. Si his rationibus non potest eum iuuare, debet Iudex inferior causam remittere ad Superiorem, & deposita iudicis persona assumere officium testis apud Superiorem, si potest cum hac ratione liberari posse; vt docet Caietanus quæst. 67. art. 2. & indicat D. Thomas quæst. 64. artic. 6. ad tertium. Sed difficultas est, si his modis non possit illum liberare, & pars aduersa vrgeat condemnationem. Multi Doctores docent Iudicem tunc posse illum condemnare secundum allegata & probata. Ita D. Thomas q. 67. art. 2. &

eius

eius discipuli, & plerique Theologi, & Couarruuias lib. 1. variar. cap. 1. n. 6. & alij multi, quos ipse citat. Fundamentum præcipuum est, quia Iudex non iudicat vt persona priuata, sed vt publica; ergo non debet sequi priuatam, sed publicam scientiam.

Dico Primò, Hæc sententia est probabilis, quia plurimos auctores, eosque doctissimos habet, quorum auctoritas sententiam probabilem & securam reddit.

78 *Innocentem non posse condemnari.*

Dico Secundò, Contraria nihilominus videtur verior, nempè Iudicem nullo modo posse talem innocentem ad mortem condemnare; sed potius debere officium dimittere, etiamsi hoc modo nihil esset reo profuturus. Tenet hoc Nicolaus Liranus in cap. 23. Exodi, explicans illud, *Innocentem & iustum.* Adrianus quodlib. 6. art. 3. Angelus v. Iudicare, num. 7. Petrus Nauarra cap. 3. num. 161. Item Hostiensis, Calderinus, & Panormitanus in c. Pastorali, 28. de officio Delegati. & multi alij, quos citat Couarruuias supra num. 3.

Probatur, quia humana auctoritate directè & ex proposito occidere innocentem est intrinsecè malum, sicut cognoscere non suam: ergo sicut non potes reddere debitum huic mulieri, quã certo nosti non esse tuam coniugem, etiamsi millies probetur esse tua vxor; ita non potes hunc morte damnare, què nosti vacare culpa. Nec obstat, quòd probetur esse in culpa; hoc enim nihil detrahit eius innocentiæ, nec facit eum digniorem pœna; ergo ob id potest puniri.

Discrimen.

Occisio innocentis per se intenditur.

Quòd autem sit intrinsecè malum, probatur. Primò, Quia per se malum est adimere alicui vitam sine auctoritate; atqui Iudex nullam habet auctoritatè in vitam innocentis, cùm hæc soli Deo sit subiecta: ergo Iudicem eam adimere, per se malum est. Secundò, Si Iudex habet hanc auctoritatem condemnandi innocentem, id ei concessum est propter bonum Reipublicæ: atqui ob nullum Reipub. bonum, etsi in proximo periculo versetur, licet directè innocentem occidere; vt ostensum est supra c. 9. dub. 7. ergo multò minus licebit ob hoc periculum remotum, & cui alia ratione potest obuiari.

79 Dices, Licitum est indirectè occidere innocentem: vt cùm in oppugnatione vrbis dirigitur tormentum in locũ vbi multi sunt innocentes: atqui hic innocens occiditur indirectè; quia non intendit illum occidere, sed procurare bonum publicum, seruando legum præceptum. Ita quidam.

Respondeo esse valdè disparem rationem: qui enim vrbem oppugnat, ius habet dirigendi tormenta in quamuis partem vrbis, quæ ei visa fuerit; quo iure non potest priuari per hoc, quòd aliqui innocẽtes ibi constituantur. Deinde datur hic actus distinctus ab occisione innocentis, quem actum ille directè intendit; cui solùm indirectè & per accidens coniuncta est occisio innocentis. qui autè cõdemnat innocentem, non habet ius ferendi sententiam in hunc hominem, cùm hoc ipsum sit directè occidere hominem innocentem, neq; intendit aliquem actum distinctum ab occisione innocentis, cui ipsa per accidẽs sit coniuncta; sed ipsammet occisionem.

Dices, Intendit seruare iudiciorum ordinem, & bonum publicum, cui per accidens coniuncta est occisio innocentis: sicut qui occidit alterum causa defensionis sui, intẽdit conseruationem sui, cui per accidens & indirectè coniungitur occisio inuasoris. Ita Caietanus.

Resp. Seruare iudiciorum ordinem, & bonum publicum in hoc casu, nõ est quid distinctum ab occisione huius hominis. nã directè per huius occisionem intenditur hęc cõseruatio; imò condemnatio & occisio huius hominis putatur esse conseruatio ordinis iudiciorum, & consequenter boni publici. Illud autem exemplum ex parte nobis fauet; qui enim seipsum defendit, directè intendit saltem læsionem alterius grauem (si aliter non possit se expedire) tamquam medium necessarium ad sui conseruationem. vnde si Iudex eodem modo intendit mortem vel mutilationem innocentis, non est dicendus eam solum per accidens & indirectè intendere. Adde, minorem esse coniunctionẽ inter occisionem inuasoris & conseruationẽ vitæ defendentis, quàm inter occisionem innocentis & conseruationem ordinis iudiciarij, quia condemnatio & occisio innocentis putatur formaliter esse conseruatio boni publici. His adde, quando Iudex interficit sontem ex allegatis & probatis, de quo nescit contrarium, directè intendit illum priuare vita, eò quòd tale crimen de illo probatum est: ergo similiter quando insontem interficit, intendit illum directè priuare vita, quia crimen de illo probatum est. Sanè non video, quo modo possit quis imaginari Iudicem, qui eum ad mortem condemnat, & iubet interfici, non intendere eius mortem, aut eum non interficere nisi per accidens. non enim refert, quòd inuitus & dolens id faciat, quia omnibus consideratis, absolutè vult & facit.

Tertiò probatur, quia ratio naturalis ideo dictat Iudicẽ debere sequi notitiam publicam per allegata & probata acceptã, ne facilè aberret aut discedat à veritate & iustitia in iudicãdo: hæc enim est ratio illius legis & obligationis: ergo quando ei est omnino euidẽs, iudicium fore iniustum si sequatur probata & allegata, non debet nec potest ex illis iudicare: nulla enim lex seruari debet, quando ex eius obseruatione sequeretur id, quod est intentioni & fini legis contrarium. 80 *Cur sequenda notitia publica.*

Quartò, Si Iudex certò sciret se non habere auctoritatẽ in reum, non posset eum iudicare, etiamsi molei tentarentur illum habere, & ei mortem minarentur nisi faceret. similiter si sciret factum non mereri pœnam iuxta legem: ergo neque etiam potest, quando certò scit reum esse penitus innocentem. Patet consequentia, quia ad condemnandum aliquem morte, non minus requiritur veritas criminis in eo, quàm vera potestas in Iudice, & vera æquitas in lege, secundum quam debet iudicari.

Quintò, Fieri potest vt multorũ cõspiratione integrum Monasterium accusetur & testibus conuincatur de proditione Reipub. de idololatria, de sodomia, & similibus grauissimis crimiuibus, & Iudex certò sciat illorum innocentiam: quis non horreat dicere, illum tunc posse & teneri viros innocentissimos equis decerpere, vel flammis tradere, ob calumnias & minas perditorum? 81

Sextò, Fieri potest vt ipse Iudex accusatorem & falsos testes apposuerit, & postea non possit illorum impetitionem impedire; poteritne etiam tunc illum condemnare?

Septimò, Si lex aliqua statueret, vt qui per calumniam oppressus est, condemnetur; etiamsi Iudex sciat illum innocentem esse, talis lex esset iniqua, & æquas aures offenderet: ergo illud ipsum opere exequi est iniquum.

Octauò, Denique hæc sententia probari potest ex illo Exodi 23. *Insontem & iustum non occides, quia auersor impium.* Respondent quidam illum, qui conuictus est per testes, non esse insontem; quia publica opinione habetur sons & improbus. Sed contra, Opinio & calumniæ aliorum non possunt me facere sontem aut dignum pœna; alioquin Susanna fuisset dicenda sons, quam tamen Scriptura, Danielis 13. vocat innocentem.

Ex his sequitur Primò, Iudicem non posse innocentem illum condemnare ad mortem, etiamsi officium suum deberet amittere: immo etiamsi ipse alioquin occidendus à populo foret: quia est intrinsece malum. Idem videtur dicendum de pœna mutilationis, vt præter alios (teste Syluestro v. Iudex 2. q. 5.) etiã docet Raymundus in sua Glossa dicens; *debere Iudicem potius omnia mala tolerare, quàm condemnare talem ad mortem, aut mutilationem, etiam ad præceptum Superioris, vel exponere condemnandum.* quia etiam in hac pœna homo non est subiectus dispositioni Reipublicæ, ita vt Respub. possit eam innocenti inferre, nisi ob veram culpam. 82 *Corollaria.*

Sequitur Secundò, Etiam ministrum iustitiæ non posse mandare executioni sententiam mortis vel mutilationis, quam certo nouit esse iniquam: sicut enim intrinsecè malum est, te iubere occidi eum, quẽ scis innocentem; ita malum est, te hæc iussa exequi. Confirmatur, quia subditus, qui certò nouit bellum esse iniquum, non potest inscribi, & militare, (quod est sententiam Principis contra hostes exequi) etiamsi Princeps iubeat: ergo similiter si sciat certo hunc inique damnatũ, nõ potest sententiam exequi. Secus tamen si non esset moraliter certus de innocentia, vel iniqua damnatione: tunc enim debet credere potius Superiori, quam sibi. Caietanus tamen qu. 67. artic. 2. in fine, & Couar. lib. 1. variar. cap. 1. num 10 putant ministrum posse exequi, si alias deberet officium suum amittere, nisi sententia sit notoriè iniqua: & probãt ex c. Pastoralis, ad quod infra respondebimus. 83 *Executor sententiæ.*

Sed difficultas est, Vtrùm hæc etiam locum habeant in causis 84

cauſis ciuilibus & in criminalibus, vbi non agitur niſi de pœna pecuniaria, vel exilij, vel priuationis officij aut beneficij? Liranus, Angelus, Panorm. & quidam Canoniſtæ putant idem in his cauſis dicendum. Sed contrarium eſt verius. vnde.

De cauſis ciuilibus.

Dico Tertiò, In cauſis ciuilibus & criminalibus minoribus, quando Iudex certo ſcit alteram partem falſis probationibus niti, tenetur quidem omni induſtria curare vt falſitas detegatur, vel vt proceſſus impediatur, tamen ſi id nõ poteſt efficere, poteſt ex illis probationibus ſententiam ferre. Ita ferè tenent ceteri DD.

Probatur Primò, Quia Reſpublica habet auctoritatem diſponendi de fortunis ſuorum ciuium, eaſque de vno in alium transferendi, prout bono publico expediẽs fuerit: vt patet ex legibus vſucapionum: atqui hic videtur eſſe iuſta cauſa; tum ne forma publicorum iudiciorum cum populi ſcandalo peruertatur; tum quia non ſuppetit ratio, in commodum huius hominis auertendi: ergo poteſt ſtatuere, vt Iudex in tali caſu formam publicam iudiciorum ſequatur, etiamſi inde fiat, vt fortunis eã ſpoliare debeat, quem priuatim innocentẽ, vel bonã cauſam habere nouit.

Secundò, Quia nemo ciuium id merito poteſt ægrè ferre, aut queri ſibi iniuriam eſſe factam à Iudice per talem ſententiam, cùm videat ſe ab illo iniuriari non poſſe; neque par eſſe vt Iudex officium potius deſerat, quàm ſententiam ferat.

Tertiò, Quia hæc bona poſſunt recuperari: nec ita per ſententiam illis priuatur vt eorum dominium amittat. vt rectè docet Arragon. quæſt. 60. art. 5. in fine, & Sotus lib. 3. de Iuſt. q. 4. ar. 5. & alij DD. non enim ea eſt mens Reipub. nec eſſe iuſtè poteſt, cùm ſententia falſis probationibus nititur; id enim eſſet abſque neceſſitate calumniatoribus fauere. Itaq; poteſt ea occultis modis recuperare ab eo, cui ſunt adiudicata. Hoc tamen intellige de re pecuniaria; nõ autem de officijs & beneficijs. cùm enim aliquis per ſententiam legitimo Iuris ordine datam, his priuatur, verè amittit dominium, & poſſunt alteri valide conferri, vt docet Sotus ſupra de beneficijs. Panorm. in cap. 1. de conceſſione præbendæ, Innocentius in cap. Quia plerique. 8. de immunit. Eccleſ. & alij, etiam de officijs: nam eadem quoad hoc eſt ratio officiorum ac beneficiorum: hæc enim ſunt bona publica, de quibus Eccleſia vel Reſpublica poteſt liberius diſponere, quàm de bonis priuatorum. Itaque quando cauſa ſubeſt, poteſt non ſolum eorum poſſeſſione, ſed etiam dominio priuare, hic autẽ iuſta cauſa ſuppetit; tum ne dominia & Iuriſdictiones ſint incerta; quæ res ſæpè perturbat hominum cœtus: tum quia is, qui ſpoliatus eſt, non poteſt ea recuperare clanculum, ſicut alia bona; ſed debet à collatore accipere; qui nihil faciet, niſi publicè de eius innocentia conſtiterit. quòd ſi contingat de ea poſtea conſtare, poteſt Eccleſia ei aliter compenſare, aliud beneficiũ ei conferendo. In bonis autem fortunæ, ſufficit vt ſpolier poſſeſſione. vide infra cap. 31. dubit. 5.

85 Ex his patet Primò, Immeritò Couarruuiam ſupra nu. 7. §. Secundum, dicere, Non poſſe dari congruã diſtinctionem in præſenti negotio inter cauſas ciuiles & criminales: cùm enim Reſpublica poſſit diſponere de rebus, de quibus ſint cauſæ ciuiles, non autem de vita & membris, de quibus ſunt potiſſimum cauſæ criminales; mirum non eſt, ſi poſſit ſtatuere in illis, vt ſeruetur forma iudiciorum contra priuatam ſcientiam; non autem id poſſit in his. Secundò, Si quis in iudicio peteret hæreditatem ex teſtamento, quòd Iudex priuatim nouit eſſe ſuppoſititium, tamen id nullis indicijs probari poteſt, Iudicem poſſe illam hæreditatem adiudicare, imò ad hoc cogetur à Principe. Tertiò, Poſſe quem condemnari ad pœnam infamiæ, ſi illa crimini ſtatuta ſit. nam hoc ipſo, quo probatus eſt criminoſus, nec vlla patet amplius ratio effugij, poſſeſſionem famæ amiſit, & cauſam infamiæ contraxit. vnde Iudex proferendo ſententiam, quam declinare non poteſt, non videtur aliquid noui irrogare, quod in cauſa non exiterit: nam potius eſt declaratio eius, quod probatum eſt, quàm nouæ pœnæ inflictio.

Obiectio.

86 Sed contra propoſitionem, Obijcitur Primò, Deut. 17. *In ore duorum aut trium teſtium peribit, qui interficietur &* Matth. 18. *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.*

Reſpondeo, Tantum vult dicere, non ſufficere vnũ teſtem, ſed requiri vt minimum duos, vt quis poſſit interfici. non tamen mens Domini eſt, vt quandocunque adſunt duo teſtes, poſſit quis occidi, etiamſi Iudex conſtet illos calumniari, & reum eſſe innocentem; ſed ſolum vult declarare, quid regulariter fieri poſſit, nempè quando Iudex non nouit contrarium.

Obijcitur Secundò, Ex D. Ambroſio ſer. 20. in Pſal. 118. *Bonus Iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed iuxta leges & Iura pronuntiat, ſtatutis Iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert, ſed ſicut audit, ita iudicat, & ſicut ſe habet negotij natura, decernit; obſequitur legibus, non aduerſatur, examinat ueritatem cauſæ, non mutat.*

Reſpondeo, Verba iſta non habere difficultatem. *Nihil facit ex arbitrio ſuo.* Non quòd non debeat vti magna induſtria, teſtes examinando ſeorſim, minando, promittendo, differendo iudicium, mittẽdo ad Superiorem, quæ omnia ex priuata ſcientia facit, ſed quia debet pronunciare ſententiam ex legum præſcripto, non contra; vt ſi lex irritat contractum, debet pronuntiare irritum: ſi iubet eſſe ratũ, debet pronuntiare eſſe ratum; ſi conſtituit crimini certam pœnam, non poteſt eam mutare, præſertim in grauiorem. *Iudicat ſicut audit*, nempè regulariter, quando non conſtat ei de contrario. Item, quia nunquam iudicat contra id, quod probatum eſt. *Nihil meditatum adfert*, quia non ſtatuit de ſententia, niſi omnibus auditis, nimis profectò rigidè interpretatur, qui hæc verba ita accipit, quaſi Iudex in omni prorſus euentu nihil debeat agere, quam iudicare ſecundum audita. Patres enim loquuntur de officio iudicis, prout regulariter exerceri debet, ſepoſitis extrinſecis circumſtantijs, quæ rariſſimè incidunt. 87

Obijcitur Tertiò, Iudex non iudicat vt perſona priuata, ſed vt publica: ergo non poteſt ſequi priuatam ſcientiã; ſed tenetur ſequi publicam.

Reſpondeo, Hinc bene ſequi, Iudicem ex priuata ſententia non poſſe auctoritate iudiciaria condemnare & abſoluere; (niſi forte in caſu aliquo, de quo dubit. ſequenti) non tamen hinc conſequens eſt eum teneri ſequi publicã ſciẽtiam in condemnando, quando certo nouit illam ſcientiam nihil eſſe aliud quàm iniquum errorem & calumniam: cũ hac enim rationabili exceptione, intelligendæ ſunt huiuſmodi generales ſententiæ, ne id, quod pro iuſtitia ſeruanda introductum eſt, detorqueatur ad iniuriam. 88

Obijcitur Quartò, Si noſtra ſententia vera eſt, facilè poterunt Iudices corrumpi pecunia, vt dicant ſe certò ſcire reum eſſe innocentem, & ita eum abſoluant, vel certè non puniant: quod cedet in magnum Reipublicæ damnum.

Reſpondeo, Rariſſimè vel numquam accidet vt Iudices velint ſubire magnum illud diſcrimen, quod illis impendet, ſi verè criminoſum, qui iuridice probatus eſt tahs, liberauerint. difficile enim eſt ſuſtinere tam apertum mendacium, quod honorem accuſatoris & teſtium tantoperè attingit, quòd ſi id aliquando contigeret, non eſſet ſanè tanti momenti, vt ad illud euitandum, etiam innocentes ſint damnandi. melius enim eſt decem nocentes abſolui, quàm vnum innocentem damnari. 89

Adde, Iudicem, præſertim inferiorem, ex priuata ſcientia non poſſe abſoluere vel damnare, vt dictum eſt. quamuis enim debeat non damnare, non tamen poteſt ex auctoritate abſoluere; ſed poteſt illum detinere in carcere, donec habeat opportunitatem emittendi, aut certè remittere ad Superiorem. Quod autem quidam obijciunt de ſcandalo populi, parum vrget; nam facilè caueri poteſt: vel certè curari vt careat iuſta ratione, ſi reus vel detineatur ad tempus in carcere, vel remittatur ad Superiorem; vel ſi Iudex ſit ſupremus Princeps, poterit interpoſito iureiurando apud populum, eius innocentiam teſtari. ferinum enim eſſet poſt tanta teſtimonia & innocentiæ ſigna, vitã miſeri hominis perſequi. 90 *Non poſſe abſoluere.* *Cautio ſcandali.*

Obijcitur Quintò, c. Paſtoralis. §. Quia verò, de officio & poteſtate Iudicis delegati, Innoc. III. ait, *Attendentes, quòd non cognitio, ſed executio tantùm, demandatur eidem, reſpondemus, quod cùm Ordinarius teneatur obſequi Delegato, etſi ſciat ſententiam illam iniuſtam, exequi nihilominus tenetur eandem.* 91 *Executio ſententiæ, quamuis iniuſtæ,*

Reſp. Pontifex ibi loquitur de eo, qui merus eſt executor, & nullam habet cauſæ cognitionem. hic tenetur

exequi

exequi sententiam Delegati, quam scit esse iniustam, si ea sit, contra Ius litigatoris, qui tacuit litigator non appellet, videtur cedere iuri suo; vel grosse crimen. si enim pu. tet sibi iniuriam fieri per sententiam Delegati, debet ab eo appellare ad Papam. Non tamen potest eam exequi, si sciat esse nullam; vel si esset lata auctoritate falsarum literarum, vel per falsa Instrumenta, vel per dolum aduersarij; tunc enim debet supersedere executioni. Ita Glossa; quæ expositio fauet nostræ sententiæ. Adde Pontificem hic loqui de causis ecclesiasticis, in quibus agitur de ijs rebus, quæ subsunt Ecclesiæ dispositioni: vt de priuatione beneficij, officij, fructuum, &c. non de supplicio capitis vel mutilatione.

DVBITATIO XI.

Vtrùm Iudex possit aliquem ex priuata scientia, aut certè non citatum & auditum condemnare.

92 *Inferior non potest.*

SVPPONO, inferiorem Iudicem nullo modo id posse: quia non potest dispensare in legibus ad ordinem Iuris pertinentibus, quarum duæ sunt præcipuæ. Prior, Vt nemo condemnetur inauditus. Altera, Vt nemo condemnetur sine testibus; iuxta illud Deut. 17. *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur.* Imò nec in alijs minoribus, etsi mere sint Iuris positiui, dispensare potest, v.g. vt accusatio non fiat in scriptis, vt non detur certus terminus reo ad respondendum. Ratio est, quia inferior non potest dispensare in legibus Superioris. Itaque tota difficultas est de supremo Principe. Quidam sentiunt, hunc posse ex priuata scientia, etiam contra fidem actorum, sententiam proferre tam condemnatoriam, quam absolutoriam. Ita Couarr. lib. 1. variar. ca. 1. numero 9. Idem docent Cynus, Bartolus, & alij in L. 1. C. Vt quæ desunt aduocatis partium, Iudex suppleat. Albericus in L. Illicitas. §. Veritas. de officio Præsidis, & Felinus in c. Pastoralis, §. Quia verò. Probatur Primò, Quia supremus Princeps potest dispensare in illo iure, quo statuitur, vt ex allegatis & probatis sententia feratur, cum non sit naturale, sed positiuum. Secundò, Quia Principi supremo non minus credendum est, quàm duobus vel tribus testibus; ac proinde ipsius iudicium & scientia æquiualet scientiæ publicæ, quæ censetur esse in duobus vel tribus testibus.

Principem ex priuata scientia posse, quidam putant.

93

Sed contrarium est verius, vnde.

94 *Contrarium verius est.*

Respondeo & dico Primò, Probabilius & verius est, supremum Principem nõ posse aliquem reum condemnare ex sola scientia sua priuata. Ita Caietan. v. Homicidium, in principio. Nauarrus cap 25. num. 9. Sotus li. 5. de Iustitia quæst. 1. art. 3. & colligitur ex D. Thoma q. 67. art. 3 ad 3. vbi dicit *eumdem hominem non posse esse simul Iudicem, accusatorem, & testem.* Probatur Primò, Quia quod solus Iudex vidit, censetur adhuc occultum in iudicijs humanis; vnde reus potest negare, (in sensu tamen verò) si de tali crimine rogetur: ad hoc enim ius habet, vt omnes passim fatentur: non enim tenetur ad mentem Iudicis respondere, nisi quando iuridicè interrogatur. Itaque grauis ei fieret iniuria si de tali crimine puniretur. Confirmatur, quia tollitur ei iusta sui defensio: potest enim se defendere, quamdiu crimen non est probatum; & maximè si probari nequeat. Deinde, quia vsurpatur in illum potestas iudicandi, cùm solus Deus sit occultorum Iudex, vt passim Canones tradunt; cap. Erubescant. d. 32. ca. Consuluisti 2. quæst. 4. & cap. Tua nos, de simonia: quibus locis est sermo de occulto, quod testibus probari nequit, etsi in opus exterum prodijt.

Secundò, Quia Iudex, sicut ex potestate publica, ita etiam ex publica scientia iudicare debet; actus enim publicus debet a potestate, voluntate & notitia publica, tamquam à causa sibi commensurata procedere, vt rectè Caiet. suprà.

Potestas Principis à Repub.

Tertiò, Princeps non habet maiorem potestatem quàm sit ea, quam Respub. in illum transtulit: nam omnis potestas Principis est à Republ. atqui Respubl. nusquam gentium, vbi non est regimen tyrannicum, hanc potestatem Principi dedit, vt pro suo iudicio reos posset absoluere tãquam innocentes, vel damnare tamquam nocentes, contra publicas probationes: id enim esset ei licentiam exercẽ di tyrannidis & omnia pro sua libidine exercendi, dare.

Quartò, Vt sententia feratur ex publicis probationibus, non est merè iuris positiui, in quo Princeps possit dispensare, sed est iuris gentium, quod apud omnes est receptum, & sub eius onere & obligatione Respublica censetur suam potestatem in Principem transtulisse; ita vt si Princeps nõ obseruet, iam manifestè videatur declinare in tyrannidẽ. nihil enim videtur magis tyrannicum, quam condemnare & absoluere contra publicas probationes iudicioru̇m. Hinc patet responsio ad priorem rationem.

Ad alteram Respondeo, Esse Principis assertio in testamentis & contractibus possit æquiualere pluribus testibus; non tamen in causis criminalibus, quãdo agitur de aliquo condemnando, maximè si probationes sunt in cõtrarium. & quamuis minus incommodi sit posse absoluere ex scientia priuata, quam posse condemnare; tamen verius puto, nec absoluere posse auctoritate publica; tum quia hæc potestas non est ei necessaria ad liberationẽ innocentis; (sufficit enim impedire progressum iudicij, vel testari apud populum sub iureiurando innocentiam accusati, eò quòd tali tempore illum viderit tali loco cum talibus, &c.) tum quia absolutio iudiciaria ex publica notitia procedere debet, secundum formam iuris apud omnes receptam. Potest tamen dici absoluere reum auctoritate priuata, quia iudicat & testatur non esse condemnandum, & habenda ei fides, vt qui fide sit dignissimus; sed hoc nihil est aliud, quàm priuata auctoritate defendere innocentem; vnde etiam cuiuis priuato, qui id posset, liceret.

95 *Principis assertio æquiualet pluribus in contractibus, & testamenti.*

Aduerte tamen, sententiam contrariam non esse improbabilem, maximè si crimen sit atrox, ita vt valdè expediat auctorem puniri, & tamen non conueniat rem vulgari ob infamiam coniunctam: vt si aliquis vim Reginæ vel filiæ Regis intulerit, solusque Rex id sciat: tali enim casu videri possit Respublica consentire: quod vt melius intelligatur.

96

Dico Secundò, Respublica posset Principi concedere auctoritatem vt ex priuata scientia absoluere & condemnare possit. Probatur, quia posset cedere iure suo, quod habet ad famam circa occultam: item iure, quod habet vt de occultis non possit ab homine puniri, & hoc totum ius cõferre in Principem: ergo tunc Princeps absque vlla iniuria poterit de occultis, de quibus ipsi certò constiterit, punire. & quamuis hæc cessio Iuris esset contra rectam gubernationem, eo quòd Princeps vel malitia vel ignorantia faciẽ posset peruersè iudicare, & hoc iure cum magno Reipdamno abuti; tamen non esset contra iustitiam; nam quiuis iure suo cedere potest. Vnde nec Princeps peccaret sic puniendo ex priuata scientia, quando causa subesset digna tali pœna. Confirmatur, quia in quibusdam Religionibus ita iure suo cessere subditi, vt à Superioribus suis ex priuata scientia puniri possint, saltem pœnis modicis: cur non idem fieri possit in Republica, absolutum ius suo Principi concedente, etiam in magnis? imò si Princeps esset eius sanctitatis & sapientiæ, vt neque fallere, neque falli facilè posset; prudenter id ei à Republ. concedi posset, vt talis esset, qualis erat Moyses, vel Apollolí.

97 *Potest Respubl. hanc potestatem dare.*

Dico Tertiò, Quando non agitur de puniendo crimine, sed de auertendo in posterum malo, quod Reipub. vel innocenti intentatur, potest Princeps ex priuata scientia, si alia ratio non suppetit, iubere interfici auctorem. Patet, quia hic non agit vt Iudex auctoritate publica puniens, sed vt quiuis priuatus, se aut rem sibi commissam defendens.

98 *Si malum auertendum.*

Dico Quartò, Princeps quantumuis sit certus de crimine, non potest ordinariè condemnare, nisi citatum & auditum. est communis DD. ratio est, quia contra facere, esset auferre arma reo, quibus se iure potest defendere, negando crimen, si est occultum: vel certe excusando eo modo, quo poterit. vnde iure gentium hoc receptum est. imò videtur esse iuris naturalis, nam Clementin. Pastoralis. versus finem dicitur; *De crimine grauis delato, facultas defensionis, quæ à iure naturali promanit, adimi non valet. cum illa tollere Imperatori non liceat, quæ iuris naturalis existunt.* Sed sæpè in vtroque iure, id quod propriè est iuris gentium, dicitur iuris naturalis, vt ostensum est cap. 3. dubit. 3.

99 *Condemnare non possit nisi auditum.*

Dixi *Ordinariè*, quia in quibusdam casibus id non est necesse seruare. Primò; Si crimen est publicum, vt rectè Nauarr. cap. 25. num. 10. sic latrones reperti in crimine, interdum è vestigio suspenduntur, sine vlla defensione aut pro-

100 *Quando possit condemnari reus nõ auditus.*

processu. Ratio est, quia factum totorum sert publicè, est loco accusatoris & testium, nec relinquit illi ius vllum defendendi sese in iudicio.

Secundò, Quando esset periculum rebellionis, vel alterius grauis turbationis, si iuridicè procederetur, vt idè Nauarrus docet & Sanct. v. Homicidium 11. qu. ex Archidiac. quod vt si esset valdè potens, tunc tamen debet esse causa priuatim discussa, nisi sit omnino euidens.

Tertio, Quando quis machinatur Reipub. vel priuatis perniciem, quæ aliter auerti nequit; vt antè dictum est; Sed hoc non tam est punire crimen commissum, quàm impedire malum impendens.

101 Quartò, Si crimen soli Principi & tribus alijs notum sit, ita vt iuridicè probari possit, quæ enim posset occultè interfici rem, sine citatione & probationibus, si publicè absque praui alicuius incommodo puniri non possit. ratio est, quia quando crimen sic est probabiliter manifestum est reum non habere iustam vllam defensionem in iudicio. Ita Petrus Nauarra n. 191. & Arrag q. 67. art. 2. qui pro eadē sententia citat Gregorium Lopez. Idem sentit Couarr. lib. 1. variar. c. 1. nu. 7. & Iurisperiti supra citati.

102 Notandum est, ea, quæ dixi nus de non condemnando ex priuata scientia, vel non auditum, potissimum intelligenda de condemnatione ad mortem vel mutilationē; eadem videntur etiam habere locum in priuatione bonorū, officiorum perpetuorum, carcere, exilio, vt notauit Nauarrus supra; nā eadem ferè rationes accommodari possunt.

DVBITATIO XII.

Quot modis Iudex iuridicè procedat aduersus crimina.

103 *Triplex via procedendi in Iudice.*

RESPONDEO, Communiter poni à DD. tres modos vel enim procedit via *accusationis*, vel *denunciationis*, vel *inquisitionis*, habetur expresè capitul. Qualiter & quando. 2. de accusationibus. *Via accusationis* procedit quando est aliquis actor, qui spondet se obiecta probaturum. *Denunciationis* verò quando aliquis detulit crimē qui non vult subire onus probandi. hoc enim differunt accusator & simplex denūciator, quod accusatori incumbat onus probandi; denuntiatori minimè. Est autem duplex *denunciatio*, quædam dicitur *euangelica*, quę tendit ad emēdationem fratris, & fit Superiori tamquam patri: de qua supra q. 3 1. de correptione fraterna. Alia *Iudicialis*, quæ spectat vel punitionem criminum, ob bonum commune, vel certe mali damnique impeditionem, & fit Superiori tamquam Iudici.

Via Inquisitionis procedit, quando Iudex seu Superior ex officio procedit ad purgandam Prouinciam, vel ad locum aliquem suæ iurisdictioni subiectum reformandum, vel ad inueltigandum criminis commissi auctorem.

104 Dices, Iudex non potest aliquem condemnare sine accusatore, vt docet D. Thom. q. 67. art. 3. ex D. Ambrosio: ergo tantum potest via accusationis procedere.

Vicem accusatoris supplemus.

Respondeo, Iudicem non posse condemnare sine accusatore generatim accepto: nam semper requiritur accusator formalis vel virtualis. Virtualis dicitur id, quod vices accusatoris supplet. vicem eius supplet in criminibus contra bonum publicum, simplex denūciatio; in priuatis si sint notoria, ipsa facti euidentia. Imò hæc in omnibus delictis supplet vicem accusatoris, testis, & totus processus iuridici, si etiam Iudici cum hac, ipsa persona sit notoria; vt docet Caietanus q. 67 art. 3. Si autem non sint notoria, & per denunciationem euangelicam procedatur, tunc ante contumaciam reus puniri non potest: vnde non opus est accusatore. post cōtumaciam potest iuridice contra illum procedi: & tunc ipsa contumacia Iudici & alijs quibusda nota, est loco accusatoris. Si autem procedatur per inquisitionem, tunc infamia, vel indicia locum illius supplent. Ita Sotus de secreto, mem. 2. q. 6.

105 *Commodius ponitur duplex via.*

Aduertendum tamen est, commodius poni tātum duos modos procedendi contra criminosos; alterum *ex officio*, alterum *ad infamiam partis*. denuntiatio. non est per se aliqua distincta via procedendi, sed est quiddam præuium vt Iudex procedat ex officio; vt recte docet Iulius Clarus lib. 5. § Practica criminalis. q. 3.

Ex officio procedit, quando præcedente aliqua infamia, vel denuntiatione, capit informationes, & formal inquisitionem contra reos, vt sic ad plenam probationem & sententiam perueniat.

Ad infamiam partis, quando pars offensa, vel alius, cui id iure spectare potest, accusationem porrigit, & Iudex ea admissa, secundum eius probationes procedit. quādo igitur Iudex agit ex officio, præcedit per inquisitionem dum admittitur ad partis per accusationem.

106 *In quibus procedatur ex officio.*

Modus procedēdi ex officio, seu per inquisitionem, extendit se ex dispositione Iuris Canonici ad omnia crimina, secundum Archidiaconum in cap. Felicis 5. § vlt. de pœnis in 6. In omni enim genere criminum possunt Iudices per inquisitionem procedere. Idem ex consuetudine seruatur in foro ciuili. vnde in quibusdam regnis, via inquisitionis adeo est ordinaria, vt altera, nempè accusationis, nō admittatur, nisi in paucis casibus. In regno enim Neapolitano, nemo admittitur ad accusandum, nisi suam vel suorum iniuriam exequatur. Et in regno Franciæ prohibita est accusatio omnis ad vindictam publicam tendens; & soluēn permittitur pro interesse ciuili. vnde in omnibus causis criminalibus proceditur per viam inquisitionis, vt docet Clarus sup. nu. 6. ex Guilelmo de Bened. & Practica Millei.

DVBITATIO XIII.

Quando procedit Iudex via inquisitionis generalis, vtrum debeat præcedere infamia personæ vel delicti.

NOTANDVM, esse triplicem inquisitionem.

107 *Triplex inquisitio.*

Prima est *Omnino generalis*, qua in genere inquiritur, an subditi seruent leges, an non committantur crimina, an de nullo sit fama vel suspicio alicuius criminis. hac vtuntur Prælati & Superiores in visitatione Prouinciæ, & locorum subiectorum.

Secunda est *Omnino specialis*, qua de certa persona & de certo crimine quæritur, v. g. an Petrus commiserit homicidium, furtum, &c.

Tertia est *Mixta*, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona: vt, quis fecerit illud homicidium, an Petrus seruet statuta vel ordinationes synodales Hrs positis.

108 *Inquisitio generalis.*

Respondeo, & dico Primò, Vt Iudex faciat inquisitionem omnino generalem, non est necesse vt aliqua infamia præcesserit. est communis DD. sententia. Probatur Primò, Quia in Iure præcipitur Prælatis, ecclesiasticis, & Superioribus, vt suo tēpore faciant visitationes & inquisitiones generales, vt patet c. Perniciosa. 1. de officio Iudicis ordinarij: *Habeant Episcopi singularum vrbium, in suis diœcesibus liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, vbicūque & iudicare.* Glossa tamen putat hic agi de inquisitione speciali, quæ fit præcedente infamia: sed potest etiam intelligi de generali. Item c. Romana. §. 1. Sanè, de censibus, in 6. *Præposito verbo Dei quærat de vita & conuersatione ministrantium in Ecclesia.* vbi apertè agitur de inquisitione generali: Probatur Secundò, Quia talis inquisitio est necessaria ad purgandam Rempub. moresque in cœtibus hominum reformandos. Tertiò, Per eam nulli fit iniuria, cùm de nemine in particulari fiat inquisitio. Nec refert, quòd hac ratione detegantur occulti peccatores; quia id per accidens & præter intentionem inquirentis contingit: & aliàs bonum commune huic incommodo anteponendum est. Denique nisi talis inquisitio fieret, multa crimina manerent impunita (quæ tamen puniri omnino expedit, ne criminosi insolescant) nemo enim ex se ponte deferret.

109 *Occulta nō debent pādi.*

Dico Secundò, In hoc tamen casu interrogati subditi, non debēt patefacere criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant. est communis sententia DD. D. Thomæ q. 69. art. 2. & Caietani in illum art. Soti de tegendo & retegendo secreto, membro 2. q. 6. Nauarri, cap. Inter verba, conclus. 6. num. 21. & in Rubr. de iudicijs nu. 87. & colligitur ex cap. Qualiter & quando. supra. ratio est, quia id, de quo nulla ad hoc est fama, censetur occultum, dum via inquisitionis proceditur: atqui Iudicis potestas non se extendit ad eliciendā occulta, maxima enim inde incommoda in Repub. sequerentur. Itaque etiamsi sub iuramento, vel sub pœna excommunicationis præcipiat vt dicas veritatem de eo, quod nosti; tamen non teneris: sed potes cum restrictione mentali dicere, te nescire quidquā: intelligendo

ligendo tacitè, te nescire eo modo vt tenearis patefacere. de quo sup. c. 11. dub. 20. & inf. c. 30. dub. 6.

110 *Si potest probari.* Sed difficultas est, Vtrum etiam obligentur non manifestare, ita vt peccent contra iustitiam, si in hoc casu crimina occulta aperuerint. Videri possit alicui, saltem quando crimen probari potest in iudicio, non peccare cõtra iustitiam eos, qui illud in huiusmodi inquisitione patefaciunt Superiori: nam eo euento ius habent accusandi vel denuntiandi auctorem. Quicumque enim vel testibus vel alijs iudicijs crimen probare potest, non peccat contra iustitiam, si illud Iudici denuntiet: expedit enim bono publico, vt omnibus hæc potestas detur. generatim enim loquendo, infamia & punitio, quæ priuato infertur, abunde compensari videtur exemplo publico, & timore, qui alijs injcitur, per quem sibi à peccãdo cauent. Idem confirmari videtur ex praxi totius orbis, vbique enim consueuerunt tales deferri, non solùm quando generalis inquisitio instituitur, & subditi interrogantur, sed etiam sponte à non rogatis; vt docet Clarus qu. 7. Nihilominùs communis ferè DD. sententia est id illicitum esse, quando ad solam punitionem tenditur. tunc enim debere præcedere infamiã, vt colligitur ex cap. Qualiter. sup. Nec obstat praxis orbis contraria: nam multi hac in re peccant per ignorantiam; multi etiam non tam punitionem spectant criminosi, quã emendationem, vel mali impeditionem & auersionem; quo casu denuntiatio est licita, etiamsi nõ præcesserit infamia, vt passim Doctores tradunt.

His addo, Quando crimen nullo modo probari potest, apertè contra iustitiam peccari, si illud aperias; quia nullum ius habes illius patefaciendi. cùm enim nõ possit probari, non potest quoque puniri, ac proinde non potest ex eius reuelatione aliud sequi quàm infamia.

112 *De occultum potest aperiri duobus exceptis.* Excipe tamen duos casus, quibus potest Superiori patefieri, etsi omnino occultum sit. Prior est, quando id putatur esse necessariũ ad ipsius emendationẽ: tunc enim apertè Superiori, nõ vt Iudici, sed vt Patri; vt sua prudentia & auctoritate illum emendet. Alter est, dũ aliquod malum spirituale vel temporale impendet ab aliquo, quod commodè auerti non potest, nisi Superioris opera: tunc enim non est habenda ratio famæ; vt dictum est *supra* ca. vndecimo, dubitatione nona.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm quando crimen est publicum, sed auctor ignoratur, Iudex possit inquirere quis fecerit.

113 *Sententia Caietan. & Soti.* MVLTI docent id non esse licitum: Caiet. qu. 69. art. 1. & 2. & Sotus de secreto, membro 2. quæst. 6. dub. 4. & quidam alij. Primò, Quia Canones vetant ne procedatur per inquisitionem, nisi de auctore sit fama, vel certè indicia. cap. Cùm oporteat. 19. de accus. *Nisi super præditis famam ipsius lapsam esse noueritis, ad inquisitionẽ illorum non fuerit processum.* Idem habetur cap. Inquisitionis. 21. & capit. Qualiter & quando. 24. eodem titul. Secundò, Si liceret in genere inquirere malefactorem, sequeretur quòd ipse malefactor, si fortè interrogaretur, teneretur seipsum prodere; quod nemo concedet. Sed contrarium videtur verius, vnde.

114 *Si crimen sit publicum.* Respondeo, & dico Primò, Quando manifestum est crimen, ius est Iudici quærere in genere quis fecerit, non tamen in particulari an Petrus fecerit; nisi de eo sit aliqua fama vel indicia. Ita Syluester v. Correctio num. 6. Nau. in c. Inter verba, conclusio. 6. nume. 15. in Enchir. cap. 18. num. 40. Innocen. in cap. Bonæ. 1. de elect. num. 5. *Item nota*, inquit, *quod sic fermat totus mundus, quòd contingente maleficio notorio, statim inquirit Iudex generaliter, non contra certam personam: & facta inquisitione, vocat nominatos in inquisitione de maleficio, vt se defendant: & quod longam interpretationem recipit ex iteratione factorum mutari non debet.* Idem tenent Panormitan. & Imola ibid. & alij. Probatur Primò, Ex praxi communi Iudicum tam ecclesiasticorum quàm sæcularium, quam durum est condemnare. Secundò, Nisi tales inquisitiones fierent, duo grauissima mala in Republ. sequerentur: nam & populus grauiter offenderetur, videns Iudicem non inquirere auctorem aperti criminis, putaret-que eum maleficio fauere, & malefici spe impunitatis inualescerent. Tertiò, Quia nemo potest queri sibi factam iniuriam per hanc generalem inquisitionem, imò tota Respub. illam desiderat.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Resp. In illis Canonibus agi de inquisitione speciali, qua inquiritur de Petro vel Paulo, non autem de ea, qua in genere quæritur, quis fecerit; vt patet ex ipso tex. 115

Dices, Inquisitio illa, qua Iudex quærit in genere quis fecerit, non minùs præbet occasionem reuelandi crimina occulta, contra ordinem charitatis & iustitiæ, quam inquisitio specialis, qua quæritur an Petrus fecerit: ergo est iniqua.

Respondeo, Quòd occulta crimina detegantur, id non prouenit ex ipsa cõditione interrogationis; sed ex imperitia eorum, qui interrogantur; qui nescientes iura, putant se teneri occulta patefacere. Verùm propter tale incommodum per accidens prouenies, non debet omitti inquisitio, tantopere bono publico necessaria; cùm hæc secundum se talis sit vt nemini iniuriam irroget. Neque Iudex inquisitionem faciens tenetur instruere rudiores ne auctorem detegant, si fortè nulla infamia laboret; id enim redderet eum suspectum corruptelæ, vel fauoris in criminosum; sed potest simpliciter inquirere sicut videt bono publico expedire. quòd si occultus auctor detegatur, poterit contra eum procedere, nec damnum secutum ei imputabitur, vt rectè Nau. in Rub. de iud. num. 87. quia iure suo vtitur. hoc ipso enim, quo criminis auctor est publicè detectus, (etiamsi id ab altero iniquè factum sit) potest contra eum informationes accipere & particularem inquisitionem facere, & conuictum punire. modò tamen ipse per iniuriam non sit causa illius detectionis. atqui hic non est causa detectionis per iniuriam; nam propter bonum commune potest talem inquisitionem instituere. nec tenetur cum offensione populi cauere, ne interrogati occultos auctores patefaciant; sed potest illud permittere: nam bonum commune præponderat priuato, præsertim hominis noxij, & supplicio digni. Itaque illa iniusta detectio nec directè nec indirectè censetur illi voluntaria; ac proinde contra talem criminosum ita iniustè detectum potest procedere. Simili modo, potest inquirere in eum, cuius crimen cùm antea esset occultum, iniustè per aliquem in sermones publicos est deductum, nisi forte per reuelationem confessionis id factum esset, tunc enim nullo modo posset procedere. vide Sotum de secr. memb. 3. q. 1.

Non refert quod occultè detegantur.

Ad secũdùm argum. Respondeo, Etsi Iudex possit interrogare, non tamen inde sequitur, reum, si fortè interrogetur, teneri seipsum patefacere; certum enim est Iudicem in crimine læsæ Maiestatis posse interrogare, seu inquirere, reum tamẽ ante infamiam vel semiplenam probationem, non teneri seipsum prodere. Nec obstat, quòd D. Thom. in Capitulo generali Parisijs, dicitur respondisse, occultum auctorem teneri se prodere ad præceptum Prælati, quando notorium est crimen, v. g. furtum esse commissum: quia tunc solùm erat Baccalaureus, & ceteri Magistri ei contra dixerunt, vt refert Silu. v. Correctio, nu. 6. vnde. 117

Dico Secundò, Etsi Superior in hoc casu, vt officio suo satisfaciat, possit sub iuramento generatim inquirere à subditis quis fecerit; subditi tamen non tenentur patefacere auctorem, si nulla laboret infamia, & nihil mali in posterum timeatur. Prior pars patet ex dictis. Altera est communis sententia DD. & colligitur ex Canonibus supradictis. Ratio est, quia Superior non potest obligare subditos vt reuelent occultos peccatores, sed solùm vt eos, qui infamia aliqua laborant. multò minùs occultus peccator tenetur se ipse prodere. Nec obstat factum D. Gregor. epist. 30. lib. 5. qui sacra communione interdixit cuidam, qui libellum famosum sparserat, nisi se proderet. & excommunicat eumdem, si se non prodens accedat sacram communionem, vt habetur 5. q. 1. c. Quidam: aliquin nam infamator ille teneretur alterius famam reparare, vel certè probare quæ in libello habebantur, quorum neutrum sine sui patefactione fieri poterat. potest enim quis obligari ad se prodendum, quando id necessarium est ad falsæ infamiæ iniquè illatæ abstersionem; quamuis non sit necesse illam detectionem fieri coram Iudice. 118 *Subditi non tenentur patefacere si sit occultum.*

Notandũ tamen, si crimen adhuc esset perpetrandum, vel continuandum, vel si ex eo graue damnum alicui impen- 119

impenderet, quod alia ratione non posset commode auerti; interrogatus, posset, & etiam deberet auctorem patefacere, etsi omnino occultum & nulla infamia laborantem, & Iudex posset opportuna remedia adhibere, vt dictum est dub. superiore.

Petes, Quid si Superior sub iuramento interroget, & absque vlla restrictione iurauerit se patefacturum quidquid noui de facto & auctore?

120 Respondeo, Eo casu non teneris patefacere, nisi quod absque iuramento licitè possis: vnde non teneris, si auctor penitus est occultus, & per occultam monitionem corrigi potest. Secus si de illo est rumor; vel si aliter nō putatur emendandus. Pari modo, etsi sub pœna excommunicationis præceperit, non teneris; nisi de illo sit aliqua fama, vel nisi damnum aliter inde impēdeat: de tali enim est hoc modo præceptum intelligendum. Ita Sylu. supr. & passim alij DD. Cui addiderim, vel nisi alia ratione non speretur emendandus; quia tunc tenetur etiam absque præcepto Superioris: ergo potest ei præcipi sub pœna excommunicationis.

DVBITATIO XV.

Vtrùm ad inquisitionem specialem necesse sit infamiam præcedere.

121 *Inquisitio specialis.* RESPONDEO, Communis sententia DD. est, Vt iudex possit contra aliquem instituere inquisitionem specialem tendentem ad punitionem criminum, debere præcedere aliquam infamiam auctoris. Dico *Tendentem ad punitionem*: quia ad malum impediendum, vt quando agitur de beneficiorum & officiorum collatione, vel de matrimonio contrahendo, licitum est inquirere de impedimētis, vel delictis personarum particularium, etsi nullus de illis sit rumor: omnia enim alioquin erunt plena incestis, sacrilegijs vel nefarijs cōiugijs, & prauis rerum sacrarum & ciuilium ministris. debent tamen tunc crimina Superioribus aperiri secreto, & quàm minima potest fieri famæ læsione. Similiter, quando inquisitio fit ad maleficia impedienda & eorum occasiones tollendas, non requiritur infamia; vt aduertenda homicidia, sacrilegia, furta, hæreses & similia. vide Nauar. in Rub. de iud. num. 92.

122 *Infamia laborare debet.* Probatur hæc sententia ex capitul. Inquisitionis, §. Tertiæ, de accusat. vbi dicitur, *Ad hæc respondemus, nullam esse pro crimine, super quo non laboret infamia, seu clamosa insinuatio non præcesserit, puniendum. quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non debere: cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores antè præcesserunt*, & c. Qualiter. 2. eodem titul. *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem charitatiua monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio præuenire.* idque probatur ibidem exemplo villici Euangelici Luc. 16. qui primò infamatus est apud dominum suum; deinde dicitur ei, *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ*. & exemplo Sodomorum Gen. 18. de quibus Dominus ait, *Descendam & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* ratio est, quia Iudex quando ad punitionem criminum procedit, debet ex scientia publica procedere: scientia autem publica est, quæ habetur per accusationem vel confessionem rei in iudicio, vel per infamiam, aut per facti euidentiam in conspectu Iudicis & aliorum. Confirmatur, quia meritò quisque potest queri sibi fieri iniuriam, si in vitam eius iuridicè inquireretur, cuius fama alioquin est integra: nam per talem inquisitionem redditur suspectus.

Scientia publica.

Petes, Quanta debeat esse ista infamia?

123 *Quanta infamia.* Respondeo, Non sufficere vt duo vel plures etiam iurati affirment se vidisse illum crimen committentem, vt expressè habetur c. Inquisitionis; quia adhuc res est occulta, ac proinde minimè per publicam inquisitionē prodenda: sed requiritur vt rumor de eo sparsus sit per maiorem partem vicinię, vel Collegij, vel Vniuersitatis in qua commoratur, vt dicatur ibidem infamia laborare, vt rectè docet Sotus de secreto, memb. 2. q. 6. §. Tertium dubium. ex Bar. idē ferè Caietan. qu. 69. ar. 2. vbi requirit vt sit vox publica & frequens, per quam apud viros probos & prudentes merito reddatur suspectus. quod si constaret a maleuolis & maledicis ortam esse infamiam, non sufficeret; vt patet ex d. c. In dubio tamen quibus auctoribus orta sit, is dicenda est purgatio, saltem propter scandalum; vt notat Glos. in d. c. Inquisitionis.

Notandum tamē est, excipi aliquot casus à DD. quibus non requiritur ad specialem inquisitionem infamia præuia de illo crimine.

124 *Quando non requiritur infamia.*

Primus est, Si quis confessus sit crimē occultum in iudicio, etiam coram paucis; vt coram solo Iudice & Notario; vt colligitur ex c. 1. de accus. in 6. nam talis confessio inducit notorium Iuris. Idem dicendum, etiamsi solum incidenter illud confessus sit, vt communiter tradunt Iuniperati cum Bar. in L. 2. §. Si publica. ff. ad L. Iuliā, de adult. Neque refert, vtrùm illud, quod sic confessus est, sit circumstantia delicti, de quo agitur, an distinctum delictum: nam etiamsi sit omnino distinctū, Iudex contra illud procedere potest, vt rectè docet Nau. in Rub. de iud. num. 86. contra Sotum. Non tamen sufficit confessio extra iudicium, etiamsi coram multis facta sit, nisi ex ea orta sit infamia, vt vult Nau. sup. etsi putem contrarium teneri in praxi. vt infra patebit dubit. 17. num. 157. Neque ea, quæ facta est metu tormentorum, si postea tanquam metu facta reuocetur. Neq; ea, quæ facta est coram Prælato incogitanter, aut in aliqua epistola secreta, quam Prælatus aperuit, vt vult Sot. de secret. memb. 2. q. 6. & consentit Nau. supr.

Si confessus in iudicio.

125 *Si patefacta in generali inquisitione.* Secundus est, Quando Iudici per generalem inquisitionem procedenti, patefactus est auctor: tunc enim potest contra eum procedere vt docet Nauar. sup. num. 87. contra Sotum: estque communis sententia iurisperitorum in L. 2. §. Si publico. ff. de adult. Nec refert, quòd testis fortè peccauerit reuelando, eo quòd nulla esset infamia: quia ex quo crimē deductum est in publicam Iudicis notitiam siue bene, siue male, ille tenetur contra illud procedere per particularem inquisitionem, & punire, vt idem contra Sotum docet, & patet ex dictis supra. Confirmatur, quia si priuatus quispiam extorsisset crimen alterius per iniuriam, & deduceret illud in publicum, vel in Iudicium, Iudex deberet contra illud procedere, vt idem Sotus fatetur, membro 3. q. 1. cur non etiam dum per iniuriam detegitur a priuato in iudicio?

126 Aduerte tamen, casus supradictos non esse propriè excipiendos à regula illa generali, qua dicitur, Absque infamia non esse specialem inquirendum; quia notorium iuris vel facti plus est quam infamia. vnde si præcedente infamia licet, etiam licet cum res est notoria.

127 *Si cōmissum publicum.* Tertius est, Quando delictū commissum est in Iudicio: vt si testis falsum deponat in iudicio, si accusator calūnie arguatur, aut præuaricetur, aut tergiuersetur. Ita Nau. nu. 88. ex Spec. Bar. & alijs. ratio est, quia hæc crimina censentur valde noxia bono publico, eò quod iustitiam iudiciorum publicorum vel euertant vel impediant. vnde meritò ex indicijs & vehementi suspicione contra ea procedi potest.

128 *Si contra bonum publicum.* Quartus est, In crimine hæresis & apostasiæ; in his enim sine accusatore vero vel ficto, (id est, qui vicem accusatoris suppleat) etiam hac infamia, inquiri potest. vt docet Nauar. num. 93. & colligitur ex cap. Excommunicamus. §. Adijcimus, de hæret. & L. Apostatarum. 4. C. de Apostatis. Ratio est, quia hæc crimina sunt maximè noxia Reipublicæ: his enim semper impendet alijs periculum euersionis. requiritur tamen aliqua suspicio orta ex indicijs non leuibus.

129 *Crimen læsæ maiestatis.* Quintus est, In omni crimine læsæ maiestatis humanæ, vt colligat per Extrauag. Frederici Imperatoris, quæ incipit. Ad reprimendum. & habetur post librum feudorum. In hoc crimine ante illam extrauagan. non poterat procedi sine infamia vel notorietate; post eam potest, vt ait Bartol. in dictam Extrauagan. v. Inquisitionis, quod Nauarr. num. 94. sic intelligit, ante illam non potuisse proceds ad inquisitionem illius criminis iam perpetrati, nisi quis de eo esset infamatus, vel manifestus: post illam, posse procedi etiam ex suspicione; vt si vnus vel plures suspicentur de aliquo, & id Iudici nuntient. tunc enim Iudicem posse procedere ad inquisitionem, seu informationem secretam, tendentem ad punitionem.

130 *Suspicio communis.* Sextus est, Quando inquiritur de morte domini contra seruos: vt si dominus inueniatur occisus & nesciatur auctor; iuxta L. 1. ff. ad S. C. Syllamanum. & contra nautas nauis submersæ, iuxta L. Quoties. 3. C. de naufrag. quia est nulla

nalia aliquorum hominum fama fit contra illos feruos vel nautas, tamen est quædam populi de illis suspicio. Idem dicendum quandocumque est suspicio populi vel communitatis contra aliquem; hæc enim supplet vicem infamiæ. vt docet Nauarr. ex Antonio de Butrio, Abbate, & Aretino num.95.

131 *Præcipua difficultas de praxi Iudicū secularium.*

Sed præcipua difficultas est, Verùm in alijs casibus licitum sit Iudici ad inquisitionem specialem procedere, & consequenter, Verùm probanda sit praxis Iudicum secularium, qui ex denunciatione publici officialis ad id munerís deputati, vel alicuius priuati, aut ad querelam partis offensæ, quæ tamen onus probãdi in se suscipere nõ vult; procedunt ad capiendas informationes & indicia; quibus habitis formant libellum inquisitionis. Ex doctrina enim communi Theologorum & Canonistarum, videri possit aliqui hæc praxis damnanda; qui docent sine præuia infamia vel æquipollenti, non posse procedi ad inquisitionem. quod probatur primo, Ex Canonibus citatis. Secundò probat Nauarr. quia lege diuina, & naturali prohibemur inordinatè detrahere proximo, aut dare causam detrahendi. Tertiò, Quia eadem lege prohibemur scandalizare proximum. at publicatio peccati occulti est proximi scandalizatio. Quartò, quia licet regulariter vtilis sit Reipub. criminum punitio, id tamen verum non est, quando crimina sunt occulta, & non est accusator verus vel fictus. tunc enim vtilior est Reipub. quieta conseruatio famæ & honoris subditorum, quàm punitio, qua turbatur Reipub. & illi priuantur maximis suis bonis, honore & fama. Hinc infert, legem de non damnando sine infamia, vel alio æquipollenti, esse naturalem & diuinam, ac proinde nulla contraria consuetudine posse abrogari.

Eam esse damnandam, argumenta.

132 *Non esse damnandam.*

Verius tamen existimo, illam praxim non esse damnandam, si circumspectè & secundùm leges vel consuetudines in Prouincijs receptas, fiat; idque in grauibus causis, (vt in furtis, homicidijs, sacrilegijs, incestibus, alijsve criminibus Rempub. turbantibus) & non ad nudam punitionem, sed quia censetur necessarium bono Reipub.

Hæc sententia sic limitata & explicata probari potest Primò, Quia est praxis Iudicum secularium Deum timentium in omnibus pene Prouincijs & maximè per Italiam recepta; vt testatur Iulius Clar. qu.3. neque tamen à Summo Pontifice vel Episcopis iduco reprehenduntur, aut censentur in malo statu.

Secundò, Quia ita sentiunt doctissimi Iurisconsul. cum Bart. in l.2.§.Si publico. ff. ad l.Iul. de adult. Card. Alcia. in cap.1. de offic. Iud. ordin. Aug. in l. Si vacantia. C. de bonis vacant. & alij.

Vt infamia præcedat. est Iurispositiui.

Tertiò, Vt non fiat inquisitio sine infamia auctoris præuia, non est iuris diuini aut naturalis: sed est iuris positiui humani, vt fatetur Sotus, de secreto, mèb. 2. quæst 6. dubit. 2. vnde infert, *Papam in Ecclesia, & Principem in suo foro posse ex causa rationabili in eo dispensare:* atqui ius humanum potest contraria consuetudine legitimè præscripta, (vel etiam absque præscriptione, Principe sciente & non contradicente) aboleri: ergo hoc ius merito potest videri abolitum in sæcularibus tribunalibus, si tamen vnquam fuit ibi receptum.

133 Quartò, Si essent frequentissimi criminosi, à quib. Respub. grauiter perturbaretur, posset fieri lex, vt quotiescumque fuerint duo vel tres testes contra aliquem, infligeretur ei pœna legis, absque alio accusatore vero vel ficto, vt docet Sotus sup & Nauar. in Rub. de Iudic. num.89. cùm ait; *Papam & Imperatorem ex iusta causa posse inducere nouos casus, in quibus possit specialiter inquiri sine accusatore vero, vel ficto:* ergo similiter potest lege vel consuetudine statui, vt Iudex possit inquirere testes, etiamsi non sit præuia infamia, & instituere fiscalem, qui accuset. nulla enim videtur ratio, cur si illud fieri potest, non possit etiam hoc, cùm vtrobique absque infamia procedatur.

Quintò, Etiamsi esset iuris naturalis vt non fiat inquisitio absque præuia infamia, id tamen est intelligendum,
134 nisi Respub. vel ipse inquirendus cesserit iure suo. quod enim illud sit illicitum, id prouenit ex iure, quod quisque habet ad famam suam, quo iure si cesserit, non erit illicitum; atqui Resp. videtur cessisse iure suo, dum probat tales inquisitiones, easq. cupit fieri: ergo non sunt illicitæ.

Sextò, Hic modus videtur necessarius ad plurimas iniu-
135 rias, maleficiaque prohibenda, & ad innocentiam illæsam præstandam. cùm enim pauci sint, qui velint accusare, & sæpe ex maleficio non sequatur infamia; sine metu, improbi, viris probis, simplicibus & Religiosis iniurias & damna inferent: quam ob causam multis locis constituuntur publici officiales, qui denuntient Iudicibus ea, quæ viderunt, vel audierunt, & indicant a quibus pleniorem informationem habere possint: quæ res multiplicè maleficos coercet. etsi enim sibi persuadeant, eos, qui iniuria affecti sunt, aut alios, qui interfuerunt, nõ accusaturos; tamen valde metuunt, ne per hunc officialem ad Iudicem res deferatur; qui deinde pleniorem informationem à testibus oculatis accipiet.

Esse necessarium bono communi.

Aduerte tamen Primò, Iudicem non posse vnquam ex
136 ipso incipere inquisitionem; sed semper debere aliquid præcedere, quod inquisitioni viam aperiat, & Iudicem cogat vt ex officio procedat: vt notitia publica, infamia, suspicio communis, querela partis, denuntiatio officialis, vel alterius, aut simile quidam; alioquin totus processus est iure nullus, vt docet Clarus q.5.nume.4. Vnde non potest procedere ex delatione facta ei non vt Iudici, sed vt priuato; vel incerto auctore, vel suppresso nomine, etiãsi incheduia nominarentur testes, qui nollent factum, vt idem docet, & exemplis declarat. quod ideo statutum est, ne Iudices possint pro arbitrio impetere quos volent; & quia illis casibus idem est accusator & Iudex, quod iure gentium reprobatur.

Iudex non potest ex se incipere.

Nec obstat c. Postquam. 1. de accus. in 6. vbi dicitur pu-
137 niendum reum ex confessione coram Delegato facta, etiãsi dicat se diffamatum non fuisse; quia ille Delegatus non processerat ad causam ex seipso, sed ad eam fuerat deputatus. vnde necesse est vt ibi præcesserint indicia. Deinde ille libere censebatur confessus coram suo Iudice; nihil enim erat, quod illum cogeret, cùm posset excipere sex libera autem confessione damnari quis potest.

Confessio facta.

Secundò, Antequam Iudex inquirat de persona priua-
138 tas informationes capiendo, debere aliquo modo constare de crimine, an sit commissum. vnde si crimen relinquat vestigium, vt incendium, homicidium, perfossio domus, debet ea prius inspicere, vel curare inspici, prout fert conditio rei. si autè nõ relinquant, sufficit denuntiatio vel querela, ad capiendam informationem de auctore.

Debet cõstare de delicto.

Tertiò, Vbi iam constat de delicto cõmisso, si nihil sciatur de auctore, potest de eo generatim inquirere; & habito aliquo indicio, vocare illum ad se defendendum, instituturus contra illum inquisitionem particularem. vt docet Clar. q.5. ex Innoc. & alijs. Neque prædictis obstat cõmunis doctrina Theologorum & Canonistarum, (à qua in re tanti momenti non facilè recedendum) qui docent non esse procedendum ad inquisitionem speciale, nisi præuia infamia. quia id intelligendum est quando solùm intenditur punitio criminis, neque inquisitio putatur necessaria ad bonum Reipub. & mali compressionem: hoc autè prædicta sententia non negat. & hoc modo illæ sententiæ videntur posse conciliari.

Ad argum.

Ad primum argumentum, qua parte prædictis aduersari videtur, Responderi potest Primò, Canones illos loqui de Iudice ecclesiastico: hic enim non debet procedere ad inquisitionem absque præuia infamia & clamosa insinuatione, qua sæpiùs ad aures ipsius res deferatur. In ca. enim Cùm oporteat, instruit Pontifex Archiepiscopum Tarraconensem, quomodo debeat procedere contra Episcopũ Vicentinum. In cap. Inquisitionis instruit Episcopum Gebenensem, quomodo in causa Episcopi & Canonicorum Valentinensium. Denique in cap. Qualiter, Concilium generale instruit Prælatos, quomodo ad subditorum excessus inquirendos & puniendos debeant procedere. vbi etiam Concilium requirit, vt non semel tantùm, sed sæpè clamor Iudici rem insinuet. vnde videri queant hæc ad Iudices seculares non extendenda. Ideò enim absque præuia infamia Prælati non debent inquisitionem instituere, præsertim contra personas ecclesiasticas. tum quia harum infamia plus scandalizat sæculares, quàm castigatio ædificet: tum quia facilius correptione fraterna emendari solent: tum denique quia Prælatorum potiùs est in spiritu lenitatis subditos quosuis, etiã sæculares corripere, quã asperitate pœnarum sæuire. vnde Canones iubent vt non ad primam famæ insinuationem inquirant, sed tum demum, quando sæpiùs eorum aures pulsauerit: quod tamen mini-

Modus Prælatorum.

mè neceſſariſi videtur in Iudicibus ſæcularibus. Rurſum iubent, vt depoſitiones contra eum, qui infamia non laborat, minimè recipiantur, etiamſi tres vel plures iurati aſſirmẽt ſe vidiſſe illum crimen committentem; vt patet cap. Inquiſitionis: quod etiam minimè locum habet in Iudice ſæculari. hic enim ſtatim per ſuum fiſcalem debet cauſam proſequi, etiamſi tantùm ſint duo teſtes iurati; alioquin à Principe punietur. Denique iubẽt vt accuſationem præcedat legitima inſcriptio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio: at ſi hoc in foro externo ſeruaretur, raro poſſent delicta puniri: rariſſimi enim ſunt, qui ſe velint inſcribere; id eſt, ſub pœna talionis ſuſcipere onus probãdi. Imò in multis regnis non permittitur, niſi in ſuis & ſuorum iniurijs vel in cauſa ciuili, vt ſuprà dictum eſt.

Reſpondeo Secundo, Canones illos etiam ad Iudices ſæculares extendi poſſe, quando inquiſitio ſolùm tendit ad punitionem delicti: tunc enim etiam prævia infamia requiritur. Quidam tamen putant illos in Iudicijs ſæcularibus, vel numquam moribus fuiſſe receptos, vel contraria conſuetudine abrogatos.

Ad Secundum. Prohibemur quidẽ iure naturæ inordi-
241 nate aliquem infamare, aut dare cauſam infamandi; ſed negamus illos Iudices inordinatè id facere. ſicut enim qui accuſat aliquem de crimine occulto; quod teſtibus vel ſufficientibus indicijs probare poteſt, non infamat illum inordinatè; ſic neque Iudex, qui ex denuntiatione informationes capit, iuſtam habet cauſam id faciendi, nempè vt criminoſi non impune maleficant, vt innocentia in Repub. tuta, vt omnes ſecurè & tranquillè degant. debet tamen Iudex vti magna prudentia, & habere rationem perſonarum, & donec videat an res probari poſſit, eo modo capere informationes, vt quàm minimùm fama lædatur. vnde ſi videt eum probari non poſſe, debet deſiſtere. Idem dicendum de fiſcali, qui grauiter peccat, ſi accuſationem ſuſcipiat, cuius probationem putat ſe defecturam.

Ad Tertium. Publicatio peccati alterius, maximè ſæcularis, non eſt ſcandalizatio, quando ſequitur punitio: ſed cedit in exemplum totì populo. ideò crimina loco celeberrimo ſolent publicari, & caſtigari.

242 Ad Quartum, Patet ex dictis: neque deeſt hic accuſator fictus, nam denuntiator iuridicè denuntians, habet vicem accuſatoris, vel illud, quod Iudici viam ad inquiſitionem aperit.

DVBITATIO XVI.

Quibus modis aperiatur via Iudici, præſertim ſæculari, ad inquiſitionem.

RESPONDEO, Multis modis, de quibus iam ex parte dictum eſt ſuprà.

143 *Modi quibus via inquiſit. aperitur.* Primus eſt, Si delictum ſit notorium & auctor occultus. ſed tunc ſolùm poteſt inquirere generatim quis fecerit, vt ſupra dictum eſt.

Secundus, Si auctor ſit notorius: Probatur autem aliquid eſſe notorium per duos teſtes; vt docet Gloſſ. in cap. Deus omnipotens. 2. q. 1.

Tertius, Si ſit fama de auctore. In hoc tamen & ſecundo caſu, Iudex primò debet capere informationes, an ſit reuerà notorius auctor vel an ſit fama de illo. Ad probandum
144 *Quo probetur fama.* famam, ſufficiunt duo teſtes, vt omnes fatentur. hi tamen non debent teſtari ſe audiuiſſe à maiori parte populi, (vt vult Gloſſ. in L. 3. §. Eiuſdem. 2. de probationibus, quàm plerique Iuriſperitorum ſequuntur) ſic enim vix vnquam poſſet fama probari, ac proinde modus ille procedendi eſſet inutilis: quis enim eſt, qui cum maiore parte oppidi aut viciniæ loquatur, aut aduertat ſe locutum? ſed ſatis eſt vt teſtentur ſe ita publicè audiuiſſe, vel ita paſſim dici; vt docet Baldus. in ca. Litteras 14. nu. 2. de præſumptionibus & alij, ſicque paſſim ſeruatur. teſte Claro quæſt. 6. debent tamen nominare à quibus audiuerint; vt ſciatur famam habuiſſe originem ab honeſtis & probis, & teſtes non fingere. vnde ſi non nominarent eos, non probarent famam in criminalibus.

Habita informatione de infamia, ſi infamatus eſt præſens, debet illum Iudex interrogare de veritate criminis, vt ſi fateatur, illũ puniat: ſin minus, vt inquiſitionem contra eum formet. ſi eſt abſens, debet illum citare, & ſignificare ſe intendere contra illum de tali crimine, de quo eſt infamatus, inquiſitionem facere.

Aduerte tamen, ſi Iudex abſque informatione de infa- 145
mia, proceſſerit ad inquiſitionem ſpecialem, nihilominùs valet proceſſus, & poteſt reus condemnari: ſi tamen reus præſens non excepit; vt colligitur ex ca. 1. & 2. de accuſ. in 6. & docet Nau. num. 91. in Rub. de Iudi. quòd ſi ſtatim excepit, & Iudice volente proſequi, appellauerit, non valet proceſſus: quia per appellationem, Iudicis poteſtas ſuſpenditur.

Quartus eſt, Si ſit communis ſuſpicio de auctore, de quo ſupra nu. 130.

Quintus, Quando de aliquo ſunt indicia iudicialiter probata. hæc enim cùm pariant quãdam iuris notorietatem, poſſunt pro infamia & ficto accuſatore haberi; vt ait Nau. vbi ſup. nu. 78. & 96.

Sextus, Quando eſt ſemiplena probatio: vt ſi crimen 146
ipſum ſit notorium, & accedat vnus teſtis omni exceptione maior, de auctore. non enim minùs hæc ſemiplena probatio inducit auctorem in publicam notitiam, quàm indicia probata, aut infamia. eſt enim plus quam infamia, cum fama non probet, vt dici ſolet, ſed tantùm accuſet. vnde mirum eſt Sotum & Navarrum concedere de indicijs, & negare de ſemiplena probatione. Confir. quia niſi Iudices habita ſemiplena probatione poſſint inquirere teſtes, bona pars maleficiorum manebit impunita, cùm teſtes non ſe ſponte offerant. *Semiplena probatio.*

Septimus, Si pars offenſa querelam offerat, & indicia 147
vel teſtes, à quibus informari poſſit, Iudici inſinuet: tunc enim Iudex poteſt ab illis informationes de plano, vt dicitur, & abſque ſtrepitu accipere; quibus vbi ſatis inſtructus fuerit poterit citare criminoſum, & contra eum inquiſitionis libellum formare. Ita Clarus q. 10. *Querela partis offenſa.*

Octauus, Si publicus officialis, vel alius denuntiet iudicialiter, & teſtes vel indicia ſignificet. de quo vide Clarum quæſtione 7.

Aduerte tamen, nihil debere denuntiare, niſi quod bona fide putat legitimè per teſtes vel indicia poſſe probari, vt ſuprà dictum eſt.

Nonus, Quando pars impinget crimen teſti, vt contra illum excipiat, & illud probet; etſi non omnino plenè; tunc enim Iudex de eo inquirere poteſt, ſi ad eius iuriſdictionem pertinet, vt docet Clar. q. 19. hoc enim eſt neceſſarium ad cauſæ progreſſum: & alias illa probatio efficeret illũ publicè ſuſpectum; vnde eſt inſtar infamiæ.

Decimus, Dum quis intentat actionem ciuilem, vt ſibi damnum ſarciatur ex delicto; vt, ex incendio, homicidio, vel furto illatum: tunc enim poteſt Iudex etiam contra illud delictum procedere, quia tam factum quàm notorium. Idem Clar. q. 19.

Vndecimus, Si delictum ſit commiſſum in iudicio, vt ſupra dictum eſt.

Duodecimus, Si reus vel teſtis incidenter confeſſus ſit in iudicio; Clar. q. 19.

Duo tamen Notanda; Primum eſt, In omnibus caſibus, 148
quibus poteſt Iudex procedere ex officio, poſſe conſtituere fiſcalem, qui partes accuſatoris accipiat, vt docet Gmm. to. 3. c. 1. nu. 10. quod intellige, ſi aduocatus fiſcalis ordinarius non ſit conſtitutus. *Fiſcalis.*

Alterum eſt, Non poſſe formari libellum inquiſitionis contra reum, niſi legitima indicia præcedant, quæ ſufficerent ad plum iuridicè interrogandum, ſi præſens eſſet: & è conuerſo, dum præſens eſt, non poteſt iuridicè interrogari, niſi adſint indicia, quę ſufficiant ad faciendam inquiſitionem contra abſentem. non enim procedendum eſt ad inquiſitionem formandam, niſi quando reus citatus vt reſpondeat, vel negat, vel non comparet, vt docet Clar. qu. 20. numero 3.

DVBITATIO XVII.

Ex quibus indicijs poſſit Iudex reum ſubijcere torturæ.

NOTANDVM Primò, *Indicia à Iuriſperitis gene-* 149
ratim vocari omnia ea, ex quibus poteſt aliquo modo col-

do colligi quis sit auctor criminis; vt fama, suspicio publica, testimonium vnius vel plurium, cõfessio rei, & similia.

Indiciorum sunt quinq. gradus.

Notandum Secundo, Distingui quoq; gradus indiciorum. In primo gradu sunt leuia, probabilia tamẽ, quæ probabilem suspicionem de auctore criminis commouent. In secundo sunt leuia probabiliora quæ faciunt præsumptionem, id est, valdè probabilem suspicionem. In tertio sunt indicia grauia, quæ & legitima & indicia iuris vocantur. In quarto est probatio semiplena: hæc enim amplius quid est, quam indicium legitimum. In quinto sunt indicia grauissima, quæ & indubitata dicuntur.

150 *Captura.* Indicia primi & secundi generis sufficiunt ad capiendas informationes, & etiam ad capturam, spectata conditione personæ & causæ, & ceteris circumstantijs. huiusmodi sunt assertio vulnerati morientis: vt si dicat se a Petro vulneratum; grauis inimicitia præcedens; assertio socij, qui locium criminis detegit. hæc tamen indicia non sufficiunt ad formandum libellum inquisitionis contra aliquem, neque ad torturam, quia ad hæc requiruntur indicia grauia, & maximè ad torturam, quę est grave malum, quod sine graui causa irrogari non potest.

151 *Tortura, seu quæstio.* Notandum Tertio. Torturam esse introductã non in pœnam criminis commissi; (hoc enim cum omnium sit plenè probatum, non potest punire) sed in subsidium probationis; vt quia sufficiens & plena probatio deest, ipse reus confitendo veritatem, suppleat quod ad plenam probationem requiritur: vt docet Conar. pract. quæst. c. 23. ex communi sententia DD. & Clarus q. 64. num. 6. Vnde sequitur, torturam adhiberi non posse, nisi quando crimen est semiprobatum, vel quando vehementia indicia vrgent, ita vt fere moraliter certum sit, plum auctorem esse. In hoc autem casu, nam adhiberi potest ad confessionem, est contentaneum rationi naturali: ne non posset, improbi audaciter & impunè peccarent, damna & iniurias alijs inferent, quando putarent se testibus, vel externis indicijs non conuincẽdos, cum verò vident ex indicijs, vel vno teste tormentis subijciendos, se continent. Accedit, quòd pleraque maleficia grauissima non possent puniri; quia paucis vel nullis conscijs cõmittuntur, cum tamen id ad bonum Reipub. sit necessarium: alioquin omnia sceleribus & sceleratis essent plena. Nec obstat, interdum fieri vt innocens torqueatur, quia in rebus humanis non omnia incommoda vitari possunt. etiam interdum sit vt innocẽs dãnetur: non ideò omne indicium tollendum. satis est ea media, caute cautiones adhiberi, quibus maiora vitentur, etsi ipsidem interdum minora præter intentionem eueniant.

Notandum Quartò, Torturam tantummodo adhibenda in criminibus grauioribus, quæ pœna corporali, vt mortis, mutilationis, triremium castigãda sunt, non autem in ijs, quæ exilio vel pecunia; vt docet Gomez. tom. 3. cap. 13. numero 2. Ratio est, quia reo nondum cõuicto non potest irrogari pœna, quæ sit maior quàm illa ad quam est condemnandus.

152 *Reus conuictus non torquetur.* Notandum Quintò, Iudicem non posse reum subijcere torturæ ad exquirendam criminis confessionem, quando legitimè est conuictus per testes, etiamsi nolit fateri crimen: vt rectè docet Nauar. cap. 18. num. 59. & Clarus quæst. 64. nume. 8. rario est, quia cum tortura adhibenda sit in subsidium, ob defectum plenæ probationis, frustra inferretur reo conuicto: qua confessio non est necessaria ad condemnandum.

Excipe duos casus. Excipe tamen duos casus. Prior est, quando reus malitiosè appellat ad superius tribunal, vt executionem iustæ sententiæ impediat: quod in Italia & regno Castellæ permittitur, si non sint confessi crimen; vt testatur Nau. tunc enim si crimen esset atrox, vt latrocinium, sacrilegiũ, &c. & expediret reum ibi puniri, posset torqueri ad eliciendam confessionem, vt iniqua appellatio impediatur.

153 *Sufficit probatio semiplena.* Alter est, quando putatur habuisse socios, vel commisisse alia crimina; tũc enim etiam per torturam potest de his interrogari, moderatè tamen, pro ratione causæ & indiciorum. Ita seruat tota Italia & Francia, teste Claro q. 64. n. 2. debet tamen de illis esse semiplena probatio, vel æquipollentia, vt ex supradictis colligitur his positis.

Dico Primò, Ad torturam sufficere semiplenã probationem, si tamen persona talis sit, vt torqueri possit. est communis sententia DD. teste Claro lib. 5. quæst. 21. num. 2. & Gomezio c. 13. nume. 7. nunc autem est *semiplena probatio*, quando vnus testis, contra quẽ nulla est exceptio, deponit se vidisse hunc talem loco & tempore occidentem, v. g. Petrũ, asportantem hoc vel illud e tali domo. quòd si non vidisset, sed audiuisset a fide signis, aut si contra illũ sit aliqua exceptio, vt si sit mulier, aut minor viginti annis, aut infamis, excommunicatus, inimicus, quis de posito non facit indicium sufficiens ad torturam. Vnde grauiter reprehendendi iudices, qui ex tali indicio absque vllo alio probationis admiculo torquent, quia ius id illis non permittit: vnde iniuriam reo faciunt, & ad restitutionem damni secuti tenentur. sufficit tamẽ tale indicium ad capiendas informationes de auctore criminis, vt habet praxis passim recepta.

Dixi, si reus possit torqueri: quia quidem iure prohibentur torqueri, atq; vel ob ætatem, vt impubes: (id est, qui nondũ implenit quatuordecim) vel ob debilitatem, vt senex; possunt tamen hi terreri & leuiter torqueri: vel ob peculiũ aduersus, vt mulier prægnans; quæ etiam post puerperium differenda est, donec vires confirmatæ. vel ob priuilegiũ, vt vir illustris: aut in dignitate constitutus, eiusq; filij: & Doctor, eiusque liberi: & miles; de quibus Gomez. c. 13. num. 3. & Clarus quæst. 64. hi ne leuiter quidem torqueri possunt, etiãsi sit semiplena probatio contra eos: nisi in hæresi, vel proditione, vel simili crimine læsæ Maiestatis. Si in alijs torti fuerint & confessi, quamuis postridie confessionem suam ratificent, non possunt tamen condemnari; quia confessio fuit vrita, vtpote per iniuriam extorta & consequenter ratificatio, quæ ex illa sequitur. colligitur ex L. pen. ff. de quæst. a paritate rationis, vbi dicitur, *confessionem factam in tormentis, non præcedentibus indicijs, esse nullam, etiamsi sequatur ratificatio.* & ex L. Non dubium. 5. C. de Legibus & ex alijs iuribus, quæ citat Gomez. nume. 4. Adde, neque ex huiusmodi confessione potest inquisitionem inditui, vt docet Naua. rub. de indicijs, nu. 86. possunt tamen secundùm Gomezium & alios Iurisperitos, terreri verbis; & si confessi fuerint, valet, tamquam confessio spontanea. Colligitur ex L. Item apud Labeonem. 15. §. Quæstionem. 47. ff. de iniurijs; *Quæstionem*, inquit, *intelligere debemus, & tormenta & corporis dolorem ad eruendam veritatem. nuda ergo interrogatio vel leuis territio non pertinet ad hoc edictum.* vbi Glossa & communiter Doctores ita tradunt.

154 *Quidam non libenter torqueri.*

Nec obstat, iure paria censeri torturam, & eius terrorem seu comminationẽ, arg. L. Nouissimè. ff. Quod falso tutore auctore: ac proinde talem confessionem huiusmodi cõminatione elicitam non esse validam censendam: illud. n. de terrore propinquo intelligendum est, vt cùm quis spoliatur & ligatur, vt patet ex d. L. Item apud Labeo. non autem de remoto, qui in solis verbis & nuda machinæ ostensione sistit vlterius nihil adhibens; quo casu iura præsumũt illam fuisse spontaneam, vt colligitur ex l. l. allatis. Si tamen ex circumstantijs moraliter constet non fuisse veram talem, sed extortam per metum, ita vt metus fuerit causa confessionis illius, non est sufficiens ad condemnandum, nisi secuta fuerit libera ratificatio.

Dico Secundò, Præter semiplenam probationem, etiam alia quædam indicia minora quàm semiplena probatio, sufficiunt ad torturam: quorum præcipua sunt hæc.

155

156 *Alia indicia ad torturã.*

Prima est, Fama publica de auctore criminis; præsertim si aliquibus alijs adminiculis iuncta sit, vt si ei accedat aliquis testis minùs idoneus: vt assertio socij, vel minoris, vel si appareat vestigium fœminis in veste, armis, &c. Quidam putant solam famã sufficere, per duos testes probatam. Ita Gomez nume. 10. Sed verius est, regulariter famam non sufficere absque alijs indicijs, vt docet Clarus q. 21. num. 1. ratio est, quia fama in criminalibus non probat, sed se habet instar accusatoris: estque indicium remotum & fallax. deinde suppeditat iudici aliam rationem cognoscendæ veritatis, nempe per inquisitionem.

Fama publica.

Aduerte tamen, si quis iam esset malæ famæ de similibus delictis ante commissis, & etiam publica fama grauaretur in præsenti delicto, hic posset torqueri; quia fama prior adiuncta posteriori, facit vehementem præsumptionem, vt ibidem Clarus docet.

Duplex fama sufficit.

Secundum est, Confessio Rei extra iudicium. vt si apud aliquos (saltem apud duos) se iactauerit de crimine vel dixerit se auctorẽ. est communis sententia DD. vt docet Felin. in c. Olim 25. de rescript. num. 5. & Gomez. sup. num. 8. debet hoc tamen probari per duos testes omni exceptio-

157 *Confessio Rei extra iudicialis.*

ne maiores,si neget se dixisse: quia debet omnino de tali indicio constare, vt docet idem Gomezius num.18. & 19. cum enim crimen ipsum non certò cõcludatur ex tali indicio,etsi de indicio constet;si ipsum quoque indicium dubium est,ita vt non constet an existat; æquitas non patitur vt quis propter illud torqueatur ad crimine eliciendam confessionem.

158 *Coram Iudice alieno.* Idem dicendum de confessione facta coram Iudice incompetente:id est,qui non habet potestatẽ cognoscendi in causa,cò quòd vel reus non sit ipsi subditus,vel causa sit exempta: etsi enim ex tali confessione reus non possit condemnari à proprio Iudice;(vt patet ex c. At si Clerici,de Iud.) potest tamen torqueri,tamquam ex indicio,quod maxima præsumptionem criminis ingerit. debet tamen illa confessio non esse extorta metu tormentorum, sed metu probationum,vel omnino esse spontanea.

159 *Confessio extraiudicialiter facta in tortura:* Quod autem multi Iurisperiti cum Bartolo in L.1.§. Diuus Seuerus.ff. de quæstionibus, docent confessionem extraiudicialem ita valere ad torturam,vt si reus in tortura idem confiteatur,possit condemnari,etiamsi postea non ratificet confessionem; verum non est,si de cõdemnatione ad pœnam ordinariam criminis intelligatur; quia confessio in tormentis, præcedentibus indicijs facta, semper requirit perseuerantiam & ratificationem, alioquin est nullius momenti, cum vi tormentorum censeatur expressa: quod confirmatur: quia confessio illa non est efficacior, quàm semiplena probatio:atqui si quis torqueatur post semiplenam probationem & in tortura confiteatur. adhuc requiritur ratificatio post torturam: ergo etiam in hoc casu posset tamen ob huiusmodi confessionem extraiudicialem imponi aliqua pœna extraordinaria; quia in iniuriam alterius visus est se de crimine iactasse, vt notat Abbas, & communiter DD. in cap. Quàm sit graue.9. de excessibus Prælatorum.

160 *Confessio facta sacerdoti.* Aduerte tamen,confessionem factam sacerdoti,tãquam locum Dei tenenti, ad obtinendam remissionem, nullum effectum operari ad torturam aut inquisitionem, aut ad vllam informationem, etiamsi iniquus sacerdos eam patefaciat, & crimen deducatur in publicum;ita vt omnibus de eo constet, vt communiter docent omnes Theologi,& Canonistæ,argumento c.Si Sacerdos.2.de officio Ordinarij.& Baldus in L.Archigerontes.C.de episcop.audient.ratio est,quia quod pœnitens confitetur,non dicit vt homini,sed tamquam Deo, ipsi, & iudicium planè diuinũ exercenti. vnde ita secretum manere par est,nec magis nocere debet, quam si soli Deo dictum esset. patet consequentia, quia reuelatio eius & quidquid ex vi illius reuelationis agitur,cedit in iniuriam Dei,cui tale secretum commissum est. Adde quòd alioqui tantum sacramentum,omnibus qui crimen occultum commiserint, suspectum redderetur,cũ magna Dei iniuria,(qui illud secretum esse voluit tamquã suum tribunal) & animarum perniciẽ. vide Sotum de secreto,memb.3.q.1.concl.5.

161 *Assertio sociorum.* Tertium indicium est, Assertio duorum vel trium sociorum. quando enim duo vel tres capti fatentur crimen, & produnt aliquẽ socium criminis, potest hic capi & torturæ subijci. Ita Clarus q.21.nume.10. dicitque ita seruari in regno Neapolitano & Gallia. Debent tamen tunc cum iuramento deponere, quia agunt vt testes. hoc tamen intelligi debet, quando non est iusta suspicio id ex maleuolentia proficisci. Dictum vnius socij, etiamsi iuramento confirmetur,non facit indicium sufficiens ad torturam, nisi alter simul infamia vel graui suspicione illius criminis laboret;quia per se est testis minus idoneus; qui tamen cum fama,potest vehementem præsumptionem parere. Ita Clarus num.4.

162 *Quæstio extorta, vt socij proderentur.* Potrò de socijs reus interrogari potest etiam per tormẽta, quando constat vel fama est socios habuisse, aut quando crimen est tale,vt regulariter sine socijs non committatur.tunc enim ob famam sociorum Iudici fas est de socijs exquirere. postulat hoc etiam bonum publicum, vt sic crimina compescantur.est communis sententia, teste Gomezio c.12.num.16.In hoc tamen casu,consultissimum esset, *Consilium.* vt reus ante condemnetur, & post sententiam disponatur per confessarium, vt reuelet sponte omnes socios,quos putat à maleficijs non abstenturos.sic enim ad socios eliciendos non erit magnis tormentis opus.

163 Assertio vulnerati perfricatis in ea vsque ad mortem, non facit indicium ad torturam: vt expressè habetur L. Si quis in graui.3.ff.ad S.C.Syllanianum. & ratio est, tũ quia *Affirmatio læsi.* non dixit iuratus, sicut debet testis dicere;tum quia præsumitur ex offensione aliqua vel errore dixisse. sufficit tamen ad capturam & ad informationes capiendas, idque non tam iure scripto,quàm consuetudine, teste Gomezio cap. 13.num.16.

164 *Fuga.* Quartum indicium est, Fuga statim patrato delicto inita.habetur expressè L.Lege Cornelia.25.ff.ad S.C.Syllanianum.si tamen citatus compareat, abstergit omnem suspicionem. Crediderim tamen cum fuga coniungendam famam & communem suspicionem,vt ordinariè fit: alioquin fugam solam non sufficere. quod notatur in additionib.ad Clarum q.21.nu.18 quòd si quis fugiat, cum videt de se capi informationes, vel dum citatur talis fuga nõ est sufficiẽs ad torturam;vt tenet communis opinio,teste Claro num.23. quia habet causam timendi,cum se peti videt, etiamsi sit innocens.

Inimicitiæ. Quintum indicium est, Inimicitia grauis, non sola, sed cum alijs indicijs ex ea penoctibus,vt si autẽ minatus est, & minas suas solitus sit exequi;si parauit arma,& visus est circa illum locum eo tempore, quo homicidium putatur commissum.tenet Bart.in L.fin.ff.de quæstionibus.& alij DD.passim.

Inconstantia Rei. Sextum est, Inconstantia & titubatio Rei, dum examinatur circa principalia causæ,iuncta alijs indicijs:vt docet Clarus num.39.sola tamen titubatio,vel solum mendacium non sufficit. Spectanda etiam est conditio personæ,& causæ: quidam enim ita perturbantur in illo examine, vt vix sciant quid dicant.

Septimum indicium est,Si quis visus sit exire ex aliqua domo vel loco cum ense ille,& ibi reperiatur aliquis interfectus.Ita Gomezius num.11.& multi Iurisperiti, quos citat.

165 *Si res apud reum reperta fit.* Octauum indicium ad torturam est,Si res sublata,reperiatur apud reum;nisi docere possit, vnde eam habeat. Ita communiter DD.teste Gomezio nu.12.& Claro num.41. hoc tamen limitant DD.Si est persona vilis, & de qua non sit bona opinio secus si sit bonæ famæ: nam interdum fieri potest vt res aliena sit apud nos, nescientibus nobis,& sine nostra culpa.

166 *Repentina ditatio.* Nonum, Si commisso aliquo magno furto, cuius nescitur auctor, aliqua vilis persona, quæ ibi crebrò versari solet,apparet repentè dives: illis enim circumstantijs concurrentibus nascitur maxima præsumptio contra eam,quæ sit sufficiens ad torturam; vt ex communi sententia DD. docet Gomezius num.13. Hæc ferè sunt præcipua indicia à DD. explicata, ex quibus cetera prudenter æstimari poterunt.nam tota ferè hæc res prudentiæ Iudicis relinquitur, qui in re tanta, magna circumspectione procedere debet, ne proximo contra ius & fas torturam inferat,aut maiorẽ quàm par sit.

167 *Emissio sanguinis à corpore occisi.* Petes primò, Vtrùm sit sufficiens indicium ad capturam,& torturam, quòd recens occisus,emittat sanguinem per vulnus ad præsentiam hunus, & non ad præsentiam aliorum. Quidam affirmant: vnde etiam aliqui Iudices eo indicio vtuntur, & deprehendunt eos culpabiles, quibus id contingit.

Sed contrarium tenendum est cum Gomez. nu.15.quia hoc indiciũ est nobis incertũ,vt pote ex causis nobis ignotis.non enim constat an id fiat operatione diuina in detestationem homicidij,& vt sic homicida occultus patefiat;an ex aliqua causa naturali, vt ex impressione aliqua effectuũ animæ in sanguinem & spiritum, quæ ad præsentiam rei inimicæ veluti ad repugnandum concitetur,an fraude aliqua diaboli.

Immersio in aquam. Idem dicendum sentio de probatione illa per aquam, qua Iudices aliqui feminas fortilegij suspectas, solent in aquam certo modo ligatas mittere:quæ si mergantur,absoluuntur:si mergi nequeant,adiudicantur torturæ,quasi hoc sit indicium sufficiens ad torturam: incertum enim est illud signum; nam si id opera dæmonis agitur, vti omnino agi videtur, incertum est an ille non permittatur aliquando hanc calumniam struere innocentibus. Itaque vltatis, & iam olim probatis indicijs vtendum est, ne in re proxi-

168 *An sæpius quæstio infligenda.* mo tam detrimentosa erretur.

Petes Secundò, Vtrùm reus possit sæpius torqueri.

Respondeo Primò,Si nihil confessus est, non potest sæpius

piùs torqueri, nisi indicia sint grauissima: quia per illâ confitentiam videntur indicia elisa. Secundò, Si tamen noua indicia superueniant, repeti quæstio potest. vt habetur L. Vnius. 18. ff. de quæstionibus, in principio. Tertiò, Si quis confessus in quæstione est, postridie reuocet, verius est rursus subijci posse, etiamsi noua indicia non superuenerint: quia per talem reuocationem indicia non sunt elisa; imò illa variatio nouum indicium videtur fecisse. Adde, si non posset repeti, totum hoc remedium esset sine vllo effectu: nam nemo ratificaret suam confessionem, si putaret in se non posse amplius quæstionem exerceri.

Aduerte tamen, ne in actu tam odioso procedatur absque termino, in hoc casu reum non debere subijci quæstionibus plusquam ter. Itaque si tertiò tortus, & in tormentis confessus, tertiò etiam ductus ad ratificandum, reuocauit, non potest condemnari, imò debet absolui, vt docet Gomezius nu. 27.

Petes Tertiò, Vtrùm reus aliquando ex indicio possit condemnari?

169 *An ex indicio possit condemnari.*

Respondeo, Verius est non posse condemnari ad pœnam ordinariam criminis; quia etsi violentissima inde capiatur præsumptio seu suspicio; (vt quando est indicium, quod Doctores vocant indubitatum) tamen non habetur certitudo; vt si quis visus sit facie pallida cũ gladio cruento egredi è domo habente vnum tantùm aditum, & ibi reperiatur aliquis recens interfectus: fieri enim potest, vt alius fecerit: vel vt ipse quidem fecerit, sed causa defensionis. Item si constet aliquem decubuisse eodem lecto; & alia huiusmodi. In criminalibus enim debent esse probationes luce meridiana clariores, vt dici solet, & colligitur ex L. Absentem. 5. ff. de pœnis & docet Bart. & alij in illam legem. Posset tamen in eiusmodi euentu condemnari ad pœnam extraordinariam minorem, prout Iudici videbitur, & causa postulabit: quod receptum esse testatur Clarus supra lib. 5. qu. 21. nu. 40. vbi etiam dicit, in arbitrio Iudicis positum esse talem vel graui quæstioni subijcere, vel pœna extraordinaria punire.

Quod probari potest. Primò, Quia iure naturæ ad puniendum reum non requiritur nisi certitudo moralis publica. atqui sæpè ex indicijs vel semiplena probatione, præsertim quibusdam alijs adminiculis suffulta, potest haberi certitudo moralis: imò tanta quanta ex testimonio duorum: ergo poterit aliqua pœna infligi, etsi non ordinaria, eo quòd desit illa probatio, quam ius positiuum ad pœnam ordinariam requirit.

Secundò, Quando quis laborat infamia criminis, & desunt aliæ probationes, nec expedit adhiberi inquisitionem propter scandalũ, vt si persona sit ecclesiastica vel grauis, potest ei indici purgatio canonica assignatis ei certis compurgatoribus, in qua ipse iuret se tale crimen non commisisse, & compurgatores iurent se credere illum verum dicere; vt habetur variis cap. fit. de purgat. canon. Et si non plenè se potuerit purgare, potest ei infligi pœna, sed minor, quam sit ordinaria, pro arbitrio iudicis, vt docet Panorm. c. Accedens. 23. num. 5. de accusatione. sed inde non habetur maior certitudo quàm ex vehementissimis indicijs, vel probatione semiplena, præsertim quibusdam indicijs adiuta. ergo poterit similis pœna irrogari.

Tertiò, Sæpè ipsa indicia culpâ secum trahunt; quia non solùm ab omni malo, sed etiam ab omni specie mali abstinendum, iuxta Apostolum: ergo vel ob culpam huiusmodi indiciorum, pœna aliqua poterit irrogari.

Atque hæc sententia non solùm apud regulares, vbi modus iuridicus non est tam strictè obseruandus, (vt cap. Qualiter & quando, sub finem insinuatur) & crimina de quibus moraliter constat, non debent relinqui omnino impunita; sed etiam in foro sæculari & ecclesiastico locum habet, vt Clarus & Panormitan. supra, & alij qui ab his citantur, docent. quia æquitate naturali nititur; nec iuri scripto repugnat, & consuetudini plerisque locis receptæ est conformis.

170 *Condemnatio ex indicijs ad pœnam ordinar. in 4. casib.*

Excipiuntur tamen à DD. aliqui casus à legibus approbati, quos refert Gome. c. 12. nu. 25. in quibus Iudex potest aliquem ex indicijs pœna ordinaria plectere.

Primus est, Si alicui testes dementiali, ne tuam vxorem alloquatur, & postea reperiatur aliquo loco cum illa colloquens; puniri potest pœna ordinaria adulterij, vt habetur in Nouel. constit. 117. Iustiniani, c. 15.

Secundus est, Si Officialis fugit tempore syndicatus: habetur enim pro confesso, L. Consiliarios. C. de assessoribus.

Tertius est, Si quis sit infamatus de simonia & non possit se purgare, debet condemnari perinde ac si crimen esset probatum c. De hoc. 11. de simon.

Quartus est, Quando aliquis Clericus deficit in purgatione hæresis, punitur vt conuictus; & depositus ab officio & beneficio, detruditur in Monasterium ad pœnitentiam, c. Inter solicitudines. 10. de purg. can. in fi.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm Iudex teneatur ad restitutionem hæredibus rei, si, postquam præter ordinem iuris crimen vel extorsit, vel deprehendit, reum condemnet.

171 *Condemnans non subditum, vel in crimine exẽpto.*

RESPONDEO, & dico Primò, Certum est Iudicem teneri ad restitutionem si condemnet non subditum, aut in crimine exempto. Probatur, quia facit ei manifestã iniuriam: etsi enim ille dignus erat morte, Iudex tamen ille non habebat auctoritatem illum puniendi: atqui ex iniuria nascitur obligatio restituendi, si ex ea damnum secutum sit: ergo, &c.

Proprius Iudex potest ratificare.

Notandum tamen, si proprius Iudex, qui legitimè poterat reum condemnare, ratum habeat seu approbet factum alterius, illum liberari obligatione restituẽdi. ratio est, quia hoc ipso, quo Iudex proprius ratum habet alterius iudicium, vult illud ex hoc tempore censeri tamquam à se factum, ac proinde liberat illum obligatione restitutionis. sicut enim Iudex poterat reum per se cõdemnare, si ad eum missus fuisset; ita poterat etiam alteri cognitionem causæ permittere, & factum alterius ratum habere, & approbare, quod ad substantiam operis attinet; & consequenter condonare obligationem restituendi, ortam ex defectu debitæ potestatis. confirmatur: quia qui habet potestatem confiscandi & auferendi omnia bona tua ob crimen à te commissum, potest liberare obligatione restituendi, eum, qui bona illa per iniuriam vastauerit: ergo similiter qui habet potestatem auferendi vitam propter crimen commissum, potest condonare obligationem restitutionis ei, qui per iniuriam illam abstulerit. hæc tamen intellige eo casu, quo Iudex proprius erat satis instructus ad illum condemnãdum, & poterat alteri cognitionem committere. si enim ipse illum condemnare non poterat, non potest etiam condonare obligationem damni sarciendi, quod ab altero per iniquam damnationem est illatum.

172 *Condemnans ex priuata scientia, vel per iniuriam extorta.*

Dico Secundò, Etiam Iudex proprius, qui condemnat reum vel ex priuata scientia, vel ex cognitione per iniuriam extorta, ad restitutionem tenetur. Ita Sotus de secr. membro 3. quæst. 1. conclusio. 5. Nauar. cap. 18. num. 59. & alij. ratio est, quia quando ex priuata scientia condemnat, facit iniuriam reo, tamquam Iudex minimè competens: nam non est ei concessa talis auctoritas, nisi fortè rarissimo casu, vt dictum est suprà dubitatione vndecima. Quando autem per iniuriam extorquet crimen, dat iniustè causam damni; vnde tenetur ad reparationem damni, quod ex illa cognitione iniustè parta sequitur. Sicut si quis occultum crimen alterius patefaceret, vnde contingeret illum condemnari, teneretur ad restitutionem, quia causam damni iniustè dedit.

173 *Crimen per iniuriã multis modis extorquetur.*

Potest autem multis modis fieri vt per iniuriam crimen à Iudice extorqueatur, & consequenter vt confessio sit nulla, nec possit sequi condemnatio.

Primò, Si Iudex à seipso inquisitionem inchoet nulla præcedente infamia, aut denunciatione iuridica, quæ viam inquisitioni aperiat, vt dictum est dub. 15.

Secundò. Si tormentis vel propinquo metu tormentorum elicuit confessionem, cùm tamen non essent indicia idonea ad torquendum. Nec refert quòd confessio fuerit postridie ratificata, quia hæc ratificatio est ex causa iniuriosa. ac proinde est nulla; L. non dubium. 5. C. de legib. & L. penult. ff. de quæstion.

Tertiò, Si erant quidam indicia ad torturam, tamen persona

sona non poterat torqueri, ob dignitatem, vel ætatem. Ratio eſt eadem; quia extorquet crimen occultum per iniuriam de quo Gomez. c. 13. nu. 4.

Quartò, Si dolo induxit ad confitendum, v. g. promittendo impunitatem. parta enim fuit confeſſionem eſſe factam dolo, & metu: vtraque enim per iniuriam facta: vt probat Gomez. cap. 12. num. 6. & Clarus quæſt. 55. v. Circa ſecundum.

Quintò, Si confugientem ad locum ſacrum abſtraxit contra Ius: tunc enim tenetur illum reſtituere in illum locum, nec poteſt vlteriùs progredi, niſi legitimè in eius poteſtatem deueniat. hoc tamen priuilegio non fruuntur latrones publici, agrorum noctarni populatores, & qui in loco ſacro enormia committunt, hauſta immunitate, vide Sylueſt. Immunitas, 3. q. 2.

174 *Si alia ratione poterat reus damnare, nō tenetur ad reſtitut.*

In his tamen & limitibus caſibus, Aduertendum eſt Primò, Si Iudici ſuppetebant aliæ rationes, ex quibus reum in iudicio damnatum erat, vel damnare poterat, non tenetur ad reſtitutionem: quia ſolùm in modo inferendi damni, iniuria commiſſa eſt, cum idem damnum alia ratione iuſtè poſſet inferre. Itaque cum ad ipſam ſubſtantiam damni inferendi Ius habeat, non tenetur iniuriam feciſſe, niſi quo ad modum; & conſequenter non tenetur ad reſtitutionem damni quoad ſubſtantiam. Confirm. quia etiamſi reſtituere illi vitam adempram, poſſet tamen illam alia ratione auferre, & ſic reſtitutio eſſet nullius momenti.

Secundò, Quando error a Iudice contra Iuris ordinem commiſſus eſt in aliquo puncto, in quo Princeps ſupremus poterat diſpenſare, ita vt ipſemet Princeps poſſet ſic procedere, ſi de cauſa illa cognouiſſet: (vt ſi tortus eſt miles, vel vir in dignitate conſtitutus) tunc poteſt Iudici remittere reſtitutionem; quia poteſt eius factum approbare, vt ſupra dictum eſt.

Tertiò, Quando Iudex contra Iuris ordinem procedendo, reum facit crimen confiteri, omni modo curare debet, ne ei inde damnum ſequatur; alioquin tenebitur ad reſtitutionem; niſi ratione ſupradicta excuſetur.

175 *Si Princeps iubeat reum plecti.*

Dices, Quid ſi Princeps patefacto tam crimine, omnino iubeat illum condemnari, poteritne Iudex inferior obedire?

Reſpondeo poſſe obedire; ratio eſt, quia hoc ipſo, quo crimen patefactum eſt in iudicio abſque iniuria, quæ à Principe procefſerit, & excepto caſu reuelatæ confeſſionis, habet Princeps Ius procedendi iuridice contra criminoſum confeſſum, maximè ſi bonũ publicum id poſtulet, vt ſi crimen ſit atrox. etſi enim ex tali confeſſione non poſſet reus immediatè condemnari, eo quod non videatur latro confitare de delicto: tamen eſt indicium ad inquirendum, ſi Princeps velit. quod confirmatur, quia ſi priuatus extorſiſſet ab aliquo confeſſionem criminis occulti, & illud patefaceret, poſſet Iudex contra talem procedere: etſi enim per iniuriam patefactum ſit, non tamen id factum eſt per ipſum Iudicem, nec ipſius conſenſu: ergo multò magis, ſi Iudex inferior extorſiſſet contra Iuris ordinem confeſſionem criminis atrocis in iudicio, poſſet Princeps, qui in hanc iniuriam non conſenſit, contra talem procedere. Si poteſt ipſe procedere, poteſt etiam alteri cauſæ cognitionem committere: ac proinde etiam illi ipſi Iudici, per quem eſt patefactum. In hoc tamen caſu, Iudex, qui illud iniquè extorſit, tenebitur ad reſtitutionem, niſi vel alia ratione potuiſſet iuſtè contra illum procedere abſque fundamento illius extortæ confeſſionis, vel Iudex ſuperior poſſit condonare, & conſenſerit. quando autem condonare poſſit, antè explicatum eſt.

Tenetur ad reſtitut.

Dices, Quomodo Iudex tenetur ad reſtitutionem, [redacted] poteſt illum condemnare mandato Principis? 176

Reſp. Quia huic neceſſitati damnandi cauſam dedit per iniuriam: ſicut [redacted] ipſe ſolus crimen ſciens eum ignoraret, peccaret contra iuſtitiam infamando occultum peccatorem: crimine tamen euulgato, poſſet ex officio vt Iudex contra illum procedere. nihilominùs teneretur de damno inde ſecuto, cui per iniuriam dedit cauſam.

CAPVT XXX.

De Accuſatore & Teſte.

Conſtat Dubitat. 8. *D. Thomas quæſt. 68. & 70.*

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit accuſatio, & quas requirat ſolemnitates.

1 RESPONDEO, & dico Primò, *Accuſatio* proprie eſt delatio Rei de crimine, ad vindictam publicam, libello facta. Ita Syluester, ex Azone. Finis accuſationis eſt vindicta publica ad exemplum populi, vt omnes ab huiuſmodi criminibus ſibi caueant.

2 *Requiſita ad accuſat.*

Dico Secundò, Ad eam Iure communi requiruntur ſex. Primò, Vt fiat in ſcriptis. Secundò, Vt exprimatur dies & annus, quo intentatur. Tertiò. Nomen accuſatoris & accuſati. Quartò. Species delicti. Quintò, Locus, & etiam tempus, nempè annus, & menſis, quo delictum commiſſum eſt. Sextò, Inſcriptio accuſantis: colligitur ex L. Libellorum 3. §. 1. ff. de accuſationibus, vbi in formula hæc omnia ponuntur, & deinde additur, *Quod ſi libelli inſcriptionem legitimè ordinatam non fuerint. Reo nomen abolebitur, & ex integro repetendi reum poteſtas erit*, quibus verbis vult hæc ita pertinere ad formam accuſationis, vt ſi omiſſa fuerint, totus proceſſus ſit irritus, & accuſator damnandus ſit in expenſas: quamuis ius habeat rurſus de nouo ſuam accuſationem inſtituendi.

Ratio cur ſingula requirantur.

Primum requiritur; tum vt conſtet quid præcisè accuſatori ſit probandum; tum vt in eo non poſſit quidquam mutare, ſi forte viderit ſe probare non poſſe. conſuetudine tamen receptum eſt, vt poſſit fieri verbaliter, modo Notarius ea ſtatim in ſcriptũ redigat; vt notat Clarus c. 12. nu. 7.

Secundum modo non eſt neceſſarium, vt teſtantur Doctores: parùm enim ad rem facere videtur.

Tertium eſt neceſſarium, quia debet conſtare quis ſit accuſator & quis accuſatur. ſi accuſati nomen ignoretur, poteſt [redacted] habitu, officio, vel alijs circumſtantijs deſcribi.

Quartum eſt etiam omnino neceſſarium, quia ſuper hoc fundatur intentio accuſantis.

Quintum etiam eſt neceſſarium, adeò vt ſi in accuſatione criminali omittatur, ipſa ſit nulla vt colligitur ex d. L. Libellorum. & docent communiter DD. in L. Edita 3. C. de edendo. ratio eſt, quia alioquin accuſatio redderetur incerta & lubrica, & reo eripitur facultas ſe defendendi, probando negatiuam, & teſtes conuincendo falſi. 3

Aduerte tamen, non teneri exprimere in libello diem 4 cõmiſſi delicti, ſed ſolùm menſem; vt expreſsè habetur d. L. Libellorũ, quia alioquin poteſtas accuſandi & probãdi nimis reſtringeretur facile. nam fieri põt, vt quis diei vel étiam hebdomadæ ſit oblitus: quia nõ ita cadit ſubſenſum, vt locus. *Non debet exprimi dies*

Petes, Quid ſi reus petat exprimi diem & horam delicti, vt probet ſe eo die fuiſſe abſentem, cogéndus ne erit accuſator vt exprimat? Gomezius c. 11. num. 4. negat. Primò. Quia d. L. Libellorum, dicitur, *Nec diem autem nec horam iniuriæ comprehendet*. Secundò, Quia alioquin reus facilè eluderet accuſationem, ſubornando teſtes, qui deponerent,

rent, illum eo die & ea hora alibi fuisse.

5 *Si velit reus, tenetur exprimere.* Sed communis sententia est, cogendum esse, vt fatetur ipse Gomezius. Idem tenet Clarus supra nu. 13. & Emmanuel Suarez in annot. in Gomezium. ratio est, quia hoc esset defensionem reo intercludere, cùm non aliter probare possit se non fecisse, quàm ostendendo se eo tempore non potuisse facere, eo quod esset alibi, vel infirmus.

Ad primum Respondeo: Tantùm ibi significatur non esse per se necessarium vt ponatur dies & hora, sicut necessarium est vt ponatur mensis. hinc tamen non sequitur non esse necessarium, si reus velit.

Ad secundum: Non est præsumendum tam facilè testes subornari, cùm id magno illorum periculo futurum sit. Si tamen accusator non meminit diei & horæ, potest iurando se non recordari, defungi; vt Clarus notat. quòd si meminit, & edat diem; non tamen tenetur probare, quia ad hoc se non obtrinxit.

6 *Vt si non possit probare diē & horam, nō refert.* Petes, Quid si sponte posuit diem & horam, & non possit probare illo tempore esse commissum, sed alio; poteritne sequi condemnatio? Communis ferè DD. sententia est, non posse; quia non est probatum id, quod est positum in libello.

Sed hæc sententia non seruatur in praxi, vt docet Clarus numer. 14. & Gomezius num 6. neque est consentanea iuri aut rationi: si enim aperte probatum est per testes omni exceptione maiores, delictum, v. g. sacrilegium vel furtum talis rei à te verè esse commissum tali tempore vel loco, quid refert quòd erratum sit in die, hora, vel loco particulari? non enim puniendum delictum, quia hoc vel illo loco, hoc vel illo die commissum est; sed quia commissum est & commissum esse constat. Nisi fortè ratio delicti ex circumstantia loci vel temporis pendeat; vt si quis loco vel tempore prohibito piscatus, venatus vel passus fuerat: tunc enim locus & tempus eatenus exprimendum in libello, & probandum in progressu, quatenus ad delicti substantiam opus est. Pari modo, si qualitas aliqua vel conditio delicti sit proposita in libello, tantùm aggrauans delictum & pœnam eius, (vt si accusetur, quòd occiderit proditoriè, vel quòd furatus sit bis, terve) etiamsi qualitas illa non possit probari; si tamen ipsum delictum simpliciter probatum fuerit, potest, & debet sequi condemnatio; quia interest boni publici, vt tale delictum etiam semel, vel absque tali conditione commissum puniatur, quando plenè in iudicio probatum fuerit. Ita docet Gomez. num 7. parùm enim refert, quòd accusator non potuerit conditionem illam delicti probare, quando probauit delicti substantiam. Accedit quòd in libellis apponi solet clausula, qua accusator testatur se non velle obligari, nisi ad probandum id, quod est necessarium & principale.

7 *Sufficit probari substantiā delicti.*

8 *Inscriptio nō est in vsu in foro seculari.* Sextum, Nempè inscriptio accusantis, qua accusator se obligat ad pœnam talionis, modò non est necessaria in foro sæculari, imò nec in vsu: tum quia id retraheret homines ab accusando; rari enim reperirentur, qui velint suscipere onus probandi sub tanto periculo: tum quia hoc tempore Iudex ex officio procedere potest, si accusator defecerit. In foro tamen ecclesiastico, vbi seruatur Ius Canonicum, necessaria est, vt colligitur ex c. Qualiter & quando. 2. de accusationibus. Verùm etiamsi in foro sæculari non addatur, tamen tacitè intelligitur ex legis dispositione, præsertim si deprehensus fuerit accusator per calumniam accusasse. Patet ex L. Mulier. 4. & L. seqq. Quæsitum. ad S. C. Turpilian. Consuetudo tamen habet, vt non puniatur pari pœna, sed minore, pro arbitrio Iudicis; ne homines ab hoc actu omnino deterreantur, vt docet Couarruuias lib. 2. variar. cap. 9. nu. 1.

9

DVBITATIO II.

Vtrùm accusationem debeat præcedere secreta monitio.

10 *Si crimen est probabile.* RESPONDEO, & dico Primò, Quandocumque crimen est probabile in iudicio, non tenetur accusator ex iustitia præmittere secretam monitionem; v. g. vt reus desistat, vt satisfaciat; sed potest sine iniuria accusationem instituere. ratio est, quia tunc propter bonum publicum concessa est accusatio, vel saltem denunciatio, vt crimina in exemplum aliorum puniantur; sicque omnes à malo absterreantur. vodereus non potest queri de iniuria sibi facta, quòd antè monitus non fuerit.

Dices, Qui denunciaturus est denunciatione Euangelica, tenetur priùs monere peccatorem, si putet eum emendatum iri, idque ex iustitia, vt multi volunt ergo etiam qui iudicialiter denunciat vel accusat.

11 *Denunciatio rem suang. præcedit monitio.* Respondeo Esse disparem rationem: quia qui vtitur denunciatione euangelica, nullam habet causam denunciandi, si proximus putetur priuatim emendandus; nam hæc non instituitur ad punitionem publicam, cùm ex ea nemo puniri possit; sed solùm ad fratris emendationē; quæ cùm fine eius infamatione possit obtineri, nullum ius habere videris ad eius famam violandam. qui autem accusat vel iuridicè denunciat, spectat punitionem ob bonum publicum. itaque etiamsi esset priuatim emendandus, tamen subest iusta ratio illum deferendi, nempè vt eius punitione alij terreantur.

Dico Secundò, Fieri tamen sæpè potest, vt priusquam accuses vel denunties iuridicè, tenearis lege charitatis proximum monere, vt desistat à crimine: vt si delictum sit occultum, & speretur priuatis monitis esse emendandus, & ad debitam satisfactionem inducendus: maxime si persona habeatur honesta; tunc enim contra charitatem esset, tantum malum illi irrogare.

12 *Interdum est contra charitatem.*

Aduerte tamen, quando crimen est contra bonum publicum, & adhuc pendet, vel continuandum putatur in futurum, charitatem ordinariè non postulare vt monitio secreta accusationē vel denunciationē præcedat, sed debere statim deferri Iudici vt malo occurrat: vt si occultè hæreticus aliquis in vrbem irreplerit, si quis cum hoste occultè tractet, vel consilia Principis significet, si quis falsam monetam cudat. ratio est, quia periculum, quod impēdet, est maioris momenti, quàm infamia & damnum omne, quod iste ex accusatione incurret. Neque hic scrupulosè examinandum an fortè emendabitur priuata monitione; quia in re tanti momenti, eligēdum est id, quod tutius est. facilè enim posset talis priuatim monitus simulare emendationem & pœnitentiam, ac interea occultè exequi quæ destinauerat. Itaque in huiusmodi, nisi certo constet periculum caueri posse priuata monitione, non est adhibenda. Secùs est in alijs delictis, ex quibus non impendet incommodum, nisi ipsi peccatori, vel alteri priuato, vt dictum est cap. 11. dubitat. 9. vide D. Thom. q. 68. art. 1.

13 *Si crimē contra bonum publicum.*

DVBITATIO III.

Vtrùm accusator possit desistere ab accusatione incepta, & quas ob causas.

RESPONDEO & dico Primò, Certum est posse, & etiam debere desistere, si deprehendit se errasse, cum putauit hunc esse auctorem criminis; vel si res incipit ei esse dubia, perseuerante dubio post diligentem inquisitionē, vel denique si videt se probare non posse. tunc enim pergere in accusatione esset calumniari. 14

Dico Secundò, Certum est posse desistere, si Iudex accusationem refutet, nolendo eam admittere, vel si rescindat admissam. hoc autem Iudex facere potest, Primò, Si uidet libellum habere aliquem defectum substantialem. Secundò, Si accusatur aliqua persona, quæ non potest sine magna Reipubl. perturbatione puniri: tunc enim supremus Iudex seu Princeps potest accusationem inchoatam abolere, etiamsi accusator priuata causa, vt suas iniurias persequatur, accuset; vt docet Caier. quæst. 68. art. 3. ratio est, quia Principis est, primariò gerere curam boni communis, ad quod refertur bonum priuatorum: ac proinde ipsius est cauere damnum publicum, etiam cum incommodo priuatorum. Iudex autem inferior, ob eamdem causam potest accusationem ab initio non admittere, & repellere, idque nō ordinario iure & potestate; sed ex tacita quadam Principis voluntate, seu ex *interuentu*, vt ait Caietanus: admissam tamen non potest ex auctoritate abolere; sed potest suspendere & dissimulare, & interim totum negotium Principi exponere. Tertiò, Si persona illa bono publico censetur necessaria; vel valdè condacibilis: tunc enim supremus Princeps potest accusationem abolere. Inferior 15 *Iudex accusationem rescindit, non abolet in tribus casibus* 16

ferior autem Iudex poteſt eam non admittere, & admiſſam impedire ἀζ ἐκπαίειν ſi non agitur de iniuria partis. Si autem agitur de iniuria partis, non poteſt, non enim adipſum ſpectat principaliter boni publici promotio, ſed officij iniuncti adminiſtratio. Itaque tenetur parti ius dicere, nec poteſt ſe prætextu maioris boni publici eximere. alioqui ſæpe hac arte Iudices liberarent quos vellent. poteſt tamen Principi ſcribere, quid iudicet expedire, & interim ſententiam ſuſtinere.

Dico Tertiò, In cauſa ciuili poteſt actor à lite recedere, ſiue per gratiam, ſiue per tranſactionem. Si tamen actio ſit famoſa, qualis eſt actio furti, non poteſt in ea tranſigere poſt litis conteſtationem; ſine Iudicis auctoritate: alioquin notatur infamia, vt patet l. Furti, 6. §. Pactus. ff. de his qui notantur infamia. vide Gloſſam in cap. 1. de collusione detegenda. 17 *In cauſa ciuili.*

Dico Quartò, In cauſa criminali, ante litem inchoatam licitum eſt deſiſtere per gratiam; (quod intellige in euentu, quo non tenetur accuſare vel denuntiare) poſt litem inchoatam, non eſt licitum ſine Iudicis auctoritate; neque etiam ſine conſenſu rei; ſi fuit ſubiectus tormentis, vel ex accuſatione infamatus; quòd ſi aliter deſiſterit, incurrit pœnam S. C. Turpiliani, quo (ſi quidem erat crimen publicum, quod accuſauerat) punitur infamia, & quinque libris auri. vt patet l. 1. C. ad Turpilianum. Si autem erat priuatum, punitur pœna extraordinaria arbitrio Iudicis. l. Si quis. 7. ff. eodem. vide Gloſſam ſupra & Sylueſtrum v. Accuſatio, num. 8. 18 *In cauſa criminali.*

19 Petes, Quod crimen dicatur publicum, quod priuatum. *Publicum crimen.*

Reſpondeo, *Publicum* crimen dicitur, cuius accuſatio cuilibet conceſſa eſt, quia ad publicam vtilitatem maximè pertinet illud puniri. vt patet ex l. 1. & ſequent. ff. de public. iudic. Tale eſt Primò, Omne illud, quod directè ſit contra Deum, vel res diuinas: hoc enim in omnium iniuriam fieri cenſetur: vnde meritò quiuis illud accuſare poteſt: vt hæreſis, blaſphemia, euerſio Templorum, & imaginum, & ſimilia ſacrilegia. Colligitur ex l. 4. C. de hæreticis. Secundò, Tale etiam eſt quod ſit contra maieſtatem Principis vel Reipub. vt omnia crimina læſæ maieſtatis. Tertiò, Quod ſit contra priuatam perſonam, ita demum cenſetur publicum ſi lege ſtatutum ſit vt publicum habeatur, vt crimen homicidij, parricidij, adulterij, peculatus falſi, vis publicæ vel priuatæ, ambitus, repetundarum, annonæ: vt patet d. l. 1. ff. de publicis Iudicijs.

Priuatum dicitur, cuius accuſatio ſolùm conceſſa eſt ei, qui iniuriam, vel damnum paſſus eſt, vt crimen furti, iniuriarum, ſtellionatus, vt patet ex d. l. Si quis. 7. ff. ad Turpilian. & l. finali. ff. de priuatis delictis. *Priuatum crimen.*

20 Dico Quintò, Licitum eſt tranſigere in crimine publico capitali, (id eſt, quod pœna capitis punitur) præterquam in crimine adulterij; quia hic tranſactio eſt turpis. ſi autem eſt crimen publicum non capitale, non eſt licitum tranſigere, niſi in crimine falſi. vtrumque habetur l. Tranſigere. 18. C. de tranſactionibus. In criminibus priuatis, generatim tranſactio eſt licita. Ita Gloſſa in cap. 1. de coluſ. inſinuat. hæc tamen intelligenda ſunt ante accuſationem, nam poſt accuſationem, non poteſt fieri ſine auctoritate Iudicis. Verùm in his videndæ ſunt leges & conſuetudines Prouinciarum: nam hæc, quæ ex Iure cõmuni allata ſunt, ſupponunt accuſationem fieri cum inſcriptione; vt patet. ff. & C. ad Turpilianum: quæ tamen iam vix eſt in vſu. Adde ſi accuſator aliter quàm par eſt deſiſtat; poſſe Iudicem procedere per inquiſitionem, vt communiter Doctores docent. *Tranſactio.*

21

DVBITATIO IV.

Quot teſtes in cauſis criminalibus requirantur, & quomodo plenè probent.

22 NOTANDVM eſt, neminem condemnari poſſe, niſi per publicam ſententiam conſtet Iudici de crimine & criminis auctore: quia cùm ex poteſtate publica iudicia exerceat, ſententia, præſertim condemnatoria, ex publica ſcientia proficiſci debet. Tribus autem modis crimen per publicam ſcientiam conſtare poteſt. Primò, Si *ipſe* Iudex cum tribus vel quatuor alijs deprehendat illum in flagranti delicto. Secundò, Si reus in iudicio confiteatur crimen. Tertiò, Si teſtibus conuincatur. hic tertius modus eſt fere ordinarius. itaque inquirendum eſt, quot & quales teſtes requirantur. *Tribus modis delictum patere poteſt.*

Dico primò, Quando per teſtes veritas inquiritur in cauſis criminalibus, requiruntur & ſufficiunt duo teſtes legitimi, fide digni, & omni exceptione maiores. eſt communis ſententia DD. vtriuſque Iuris, & Theologorum. & colligitur ex l. Vbi numerus. 12. ff. de teſtibus. & cap. Licet vnuerſis. 23. de teſtibus. & cap. Cùm eſſes. 10. de teſtam. 24

Duos requiri, ita vt vnus non ſufficiat ad condemnandũ, late gentium receptum eſt: facile enim vnus peruerti poſſet. duos autẽ peruertere & efficere vt conformiter loquantur, nec vſquam ſe falſitas prodat, eſt valdè difficile. Nec obſtat, quod quidam dicant id eſſe iuris naturæ; quia ea gentium paſſim vocatur Ius naturale, eo quòd ratio naturalis omnes gentes id docuit. proprie tamen loquendo, nõ eſt vniuerſim Iuris naturæ. poſſet enim Reſpub. Principi ſapienti & iuſto dare poteſtatem cõdemnandi ex propria ſcientia cum vno teſte, vel etiam ſine teſte: imò probabile eſt Principem in quibuſdam caſibus hanc poteſtatem habere. vt dictum eſt c. 29. dub. 11. Credo tamen Reſpub. non poſſe dare poteſtatem Principi, vt etiam quando ipſe alia ratione de crimine non eſt certus, ex dicto vnius teſtis condemnare poſſit: quia non haberet ſufficiens certitudo ex vno teſte, ad pœnam mortis, vel mutilationis inferendam; niſi forte teſtis ſit ſummæ auctoritatis, & fidei. & hac ratione eſt proprie Iuris naturæ vt ſint duo teſtes, id eſt non pauciores, quàm duo. *Duos requirit.* 25 *Quædam ratione eſt Iuris naturalis, quædam gentium.*

Duos ſufficere, ſimiliter eſt Iuris gentium; non quòd Ius gentium præcipiat vt duo ſufficiant; ſed quia non plures requirit, ſed permittit reum ex duobus teſtibus condemnari. Hoc tamen non obſtat, quin Ius Ciuile, vel Canonicum in aliqua cauſa poſſit plures requirere. ſic iure Canonico ad condemnandum Epiſcopum Cardinalem requiruntur 72. teſtes; ad Presbyterum Cardinalem 64. ad Diaconum Cardinalem 27. ad reliquos Clericos 7. vt patet ca. 3. Praxim. 2. quæſt. 5. ex Syluestro Paparello eſt, cum quia illi apud multos ſæpe ſuntum magna inuidia, eo quod alios corripere debeant: tum quia ex eorum damnatione multum derahitur exiſtimationi & reuerentiæ, quæ debetur miniſtris eccleſiæ. Notat tamen Clarus quæſt. 66. hunc numerum teſtium in praxi non ſeruari. Sic etiam Iure ciuili in teſtamentis clauſis requiruntur 7. teſtes, in apertis quinque, in conticillis quinque. In criminalibus tamen hoc Iure ſufficiant duo: quia in teſtamentis plures ſunt inſidiatores, & teſtator mortuus non poteſt ſuam mentem interpretari. 26 *Duos ſufficere.*

Petes primò, Vtrùm etiam Iure diuino poſitiuo hic numerus teſtium ſit definitus. 27 *Duos requirere, tum ad condemnandum reum, tum ad condemnandos ecclesiasticos.*

Reſpondeo, Io lege veteri ita definitum fuiſſe, vt patet Deut. 17. *In ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficitur. nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium.* & capitul. 19. *Non ſtabit unus teſtis contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris ſignet: ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* In noua tamen lege hoc nis non obligat; niſi quatenus continet id, quod eſt Iuris naturæ; quia omnia præcepta legis veteris, qua parte continent ius poſitiuum, ceſſarunt per mortem Chriſti. Nec obſtat illud Matth. 18. vbi Dominus iubet fratrem peccantem corripi coram uno uel duobus teſtibus, *vt*, inquit, *in ore duorum uel trium ſtet omne verbum.* Solum enim uult offendere id eſſe conſentaneum legi veteri, & rationi naturali; opinè enim poterit per duos uel tres teſtes conuinci, ſi neget ſe male fecisse. 28 *Non eſt modo Iuris diuini poſitiui.*

Petes Secundò, Vtrùm duo teſtes requirantur præter accuſatorem?

Reſpondeo, iure Ciuili & Canonico duos teſtes requiri præter accuſatorem, uel id, quod uicem accuſatoris ſupplet, ut patet ex dictis cap. 29. dub. 12. quia Iudex non poteſt procedere ſine accuſatore nero uel ficto. Puto tamen id neque Iure naturali, neque Iure diuino poſitiuo, neque Iure gentium eſſe neceſſarium. *Non Iure naturali uel gentium*, quia accuſator non requiritur ut ipſe ex ſe adferat ullam probationem, uel confirmationẽ delicti; ſed ſolum ut excitet & quodãmodò cogat iuſticè ad cauſam cognoſcendam, quam ipſe illi probat tantummodò per teſtes. Itaque tota cognitio & certitudo criminis cõmiſſi eſt ex teſti- 29 *Accuſator ſi lo Iure poſitiuo requireretur præter duos teſtes.*

teſtibus: atqui iure naturæ non requiritur, vt Iudex aliunde excitetur ad cauſæ cognitionem; ſed ad hoc conſtitutum eſt iure poſitiuo ad coercendam malignitatem, qua alioquin Iudices vti poſſent, ſi ſponte ſua, vel rõne alicuius priuati extraiudicialiter facta, poſſent cauſas inchoare, nulla infamia præcedente. Deinde quãdo crimen eſt manifeſtũ & auctor omnino occultus, ſi accedant duo teſtes, poteſt condẽnari, & tamẽ nullus hic eſt, qui hunc in particulari accuſet: (niſi forte fiſcalis, qui tamen non ſcit aliunde quàm ex illis duobus teſtibus) quod .n. crimen notorium dicatur vicem accuſatoris ſupplere, eatenus tantùm verũ eſt, quòd inſtar accuſatoris excitet Iudicẽ, vt procedat ex officio. *Non etiam iure diuino* requiritur accuſator à teſte diſtinctus, quia Deuter. 17. & 19. ſolùm requiruntur duo teſtes, vt quis poſſit condemnari ad mortem, & Matth. 18. is, qui corripit fratrem, & poſteà illum denuntiat Eccleſiæ, vocatur teſtis; vt patet ex verbis Domini, cùm ait, *Corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* ſi .n. vnum adhibes, iã eſtis duo teſtes: ſi duos eſtis tres. ipſe ergo, qui accuſat vel denuntiat, teſtis eſt, ſi deponat eo modo, quo teſtis debet: & ſatis vnũ huic accedere. vnde patet iure diuino non fuiſſe neceſſarios duos teſtes, præter accuſatorem vel denuntiatorem; ſed vnum fuiſſe ſatis, ſi ipſe vt teſtis poterat deponere.

31 Dices, Qui furantur fructus ex hortis, vel ligna ex ſiluis, puniri ſolent ex ſolius cuſtodis teſtimonio: ergo non requiruntur duo teſtes; imò vnus ſufficit, qui ſit accuſator pariter & teſtis.

Reſpondeo, Cuſtodis teſtimoniũ non ſufficere ad condemnationẽ abſque alijs indicijs, ſi reus neget; ſed tantùm ad inquirendum, examinandum, & minandum. Adde, ad leuem aliquam caſtigationem, quæ ſit abſque infamia, irrogandam, poſſe interdum vnum teſtem, qui ſimul ſit accuſator, ſufficere; vt ſolet fieri in ſcholis inter ſtudioſos: ad grauem autem pœnam, cui coniuncta infamia, requiruntur duo teſtes, præter id, quod ſupplet vicem accuſatoris.

Dico Secundò, Vt duo teſtes plenè probent, requiritur
32 Primò, Vt deponant iurati. Secundò, De eodem facto. Tertiò, Quòd ſenſu externo illud perceperint, (v. g. quòd viderint occidentem, furantem, audiuerint blaſphemantẽ.) Quartò, Vt ſint omni exceptione maiores.

Vt teſtes plenè probent.

Primum, Vt ſint iurati, patet capit. Nuper. 51. de teſtibus, vbi Honorius III. ait, *Nullius teſtimonio, quamuis religioſus exiſtat, niſi iuratus depoſuerit, in alterius præiudicium debet credi.* Idem patet capit. Tuis. quæſt. 39. eodem titulo vbi Panor. ait: *Ne Epiſcopo quidem, vt teſtis credi in alterius præiudicium, niſi iurato.* ratio eſt, quia abſque iuramento faciliùs eſt mentiri quàm cum iuramento; diuini enim numinis reuerentia prohibet mentiri iuratum. debet autem veritas in iudicijs certiſſimo modo inueſtigari. Porrò iurare debet ſe dicturum totam veritatem, quàm in cauſa præſenti nouit, nulla falſitate adiecta, vt patet c. 20. Hortamur. 3. quæſt. 9.

33 Secundum, Vt de eodem facto, patet; quia alioquin non erunt conteſtes, ſed teſtes ſingulares, quorum alter alterius dictum non confirmat, ſed vterque ſuũ tantùm: & ſic erit tantùm probatio per vnum teſtem. vnde debent conuenire in tempore, loco, & delicti ſpecie: nam ex diuerſo tempore & loco colligitur non eſſe idem factũ, de quo deponunt. ſi tamen alter exprimat certum diem, alter dicat ſe non meminiſſe diei, valet. Secùs tamen ſi alium diem exprimeret, tunc enim putaretur aliud factum: niſi ipſum ſit tale, vt non poſſit bis fieri. Vnde ſequitur, ſi vnus teſtis deponat de vna propoſitione hæretica aſſerta à reo, & alius de alia, non plenè probari hunc eſſe hæreticum; quia neutra hæreſis eſt plenè probata. ſicut enim nemo poteſt probari eſſe homicida, aut adulter, aut fur, aut ſacrilegus. niſi vnum idemque factum externum per duos teſtes probetur; ita etiam nemo poteſt probari hæreticus, niſi vna eademque hæreſis aſſerta, per duos teſtes probetur. Quare fallitur Gomezius & Iuriſperiti, quos ipſe citat cap. 12. num. 12. contrarium abſq; firma ratione vel textu tenentes. nã quòd ipſi dicunt hæreſim continere multas ſpecies, ac proinde ſi vnus teſtis deponat de vna hæreſi, & alius de alia, plenè probari delictum in genere, quod ex ſpeciebus reſultat; idem dici poteſt de furto, & reliquis delictis; continet enim multas ſpecies ſeu facta, ex quibus reſultat aliquem eſſe furem. Fatendum tamen eſt, huiuſmodi probationem eſſe plus quam ſemiplenam: nam vtraque eſt ſemiplena. ſed quia ſunt de factis diuerſis, non poſſunt vnam plenam conficere. Altera tamen alteri addit nouum indicium, ſeu ſuſpicionem. Quòd ſi duo de eadem hæreſi aſſerta deponant, & ſolùm in tempore diſcrepent, plene probant; quia in ſubſtantia delicti conueniunt: & quãuis non ſit idem numero actus, tamen quia eſt idem numero ſignificatum, habetur pro eodẽ actu: imò diſcrepantia temporis interdum facit ad maiorem fidem. 34

Vna tantùm hæreſis per duos probatur.

Tertium eſt, Vt ſenſu externo perceperint, L. Sola. 4. C. de teſtibus, vbi Gloſſa & communiter Doctores, & c. Si teſtes. 4. §. Solam 4. q. 3. Ratio eſt, quia non poſſunt eſſe certi de facto externo, niſi per aliquem ſenſum. vnde ſi ſolùm ab alijs audiuerint, non probant plenè, ſed ſolùm faciunt indicium ad inquirendum ab illis.

Quartum eſt, Vt ſi omni exceptione maior, de quo dubit. ſequenti.

DVBITATIO V.

Quinam ſint teſtes idonei: qui minùs idonei.

35 NOTANDVM eſt, quoſdam dici *teſtes idoneos*, ſeu omni exceptione maiores, eos nimirum, contra quos nihil poteſt iure opponi, cur minùs ſit illis fides adhibẽda, ſeu cur non ſint ad teſtificandum admittendi. Minùs idonei ſunt, quibus aliquid opponi poteſt, vel ex natura rei, vel ex iuris diſpoſitione. & quia omnes habentes perfectũ vſum rationis ſunt idonei, niſi aliquid in illis ſit, ob quod ius velit eos cenſeri minus idoneos, videndum eſt quinam iure repellantur: ſic enim intelligetur quinam ſint omni exceptione maiores.

36 *Qui iure repelluntur.*

Primùm igitur in cauſis criminalibus Iure Canonico repellitur mulier, ob fragilitatem ſexus; & ingenij mutabilitatem. Ita habetur cap. Forum. 10. ſub finem, de verbo. ſignificat. & cap. 16. Mulierem. 33. q. 5. Iure tamen ciuili in omni cauſa admittitur, L. Ex eod. 18. ff. de teſtibus. præterquam in teſtamento. L. Qui teſtamento. 20. §. Mulier. ff. Qui teſta. fac. poſſ. Ita communiter tradunt DD. vt docet Gomezius in cap. 12. num. 13.

Mulier.

37 Secundò, Repellitur minor viginti annis, L. In teſtimonium 20. ff. de teſtibus. dictum tamen eius facit indicium ſufficiens ad capiendã informationem; non tamen ad torturam; vt ibidem docet Gomezius. vnde non eſt verum; quod ait Syluſ. v. Teſtis, quæſt. 1. dictum impuberis facere indicium ad torturam. Si tamen ſit puber, (id eſt, quatuordecim annorum in maſculo, duodecim in fœmina) admittitur in ciuilibus.

Minor.

Inimicus.

Tertiò, Inimicus eius, contra quem teſtimonium dicitur. hic repellitur etiam in criminibus exceptis, in quibus alij teſtes minùs idonei admittuntur, vt in probanda ſimonia, hæreſi, & ſimilibus. vt patet cap. Per tuas. 32. de ſimonia. debet tamen eſſe inimicitia grauis; vt ſi præceſſit inter eos iniuria, vel lis ſuper cauſa capitali, vel magna parte bonorũ. ſed hoc relinquitur arbitrio Iudicis definiendũ.

Sanguine iuncti.

Quartò, Aſcendentes & deſcendentes accuſatoris; item collaterales: ſed hi tantum vſque ad quartum gradum. vt docet Gomezius nu. 15. Idem dicendum de affinibus.

Aduerte tamen, Conſanguineos & affines rei interdum admitti poſſe ad reum defendendum. eiuſq; innocentiam probandam: ſic enim habet vſus, teſtẽ Claro q. 24. num. 12.

Domeſticus.

Quintò, Domeſticus ipſius producentis.

Infamis.

Sextò, Infamis infamia Iuris; qualis eſt omnis, qui de aliquo crimine eſt damnatus. Infamis autem facto, etiam regulariter repellitur. poteſt tamen interdum admitti in ſubſidium, quando aliter veritas cognoſci nequit, ſed cum tortura, vt docet Clarus num. 13.

Periurus.

Septimò, Periurus, qui in aliqua cauſa falſum cum iuramento depoſuit: qui enim ſemel peierauit, putatur facilè ſecundo peieraturus.

39 *Socius criminis.*

Octauo, Socius criminis, L. finali, C. de accuſationibus, & capite Veniens. 20. de teſtibus. ratio eſt, hic enim facilè alium nominabit; vel quia illius priuilegio veniam ſperat, vel quia odio cupit illum eodem ſupplicio perire, vt habetur. d. L. finali. In crimin.bus tamen exceptis, admittitur locus vt idoneus teſtis; vt in hæreſi, crimine maie-

maiestatis, falsæ monetæ, maleficio seu sortilegio, sodomia, & furto famoso; Addit Gomezius nu.16. idem dicendum in delictis, quæ non possunt sine socio committi. Itaque in huiusmodi, depositio socij non solùm erit sufficiens indicium ad torturam; sed etiam erit semiplena probatio, & accedente alio socio, qui idem deponat, erit plena probatio, & poterit reus condemnari. vt docet Cynus in d. L. vlt. C. de accusat. & Panor. in cap. 1. de confessis. debet tamen hæc depositio fieri tanquam à teste, nempè cùm iuramento & citata parte: cui etiam danda est copia depositionis, vt possit se defendere.

Inopi.

Nonò, Persona vilis, & inops, de qua suspicio est, facilè posse pecunia corrumpi: secus si sit honesta. vide L. 3. & 4. ff. de testibus, vbi fere hæc omnia habentur; & Sylvest. v. Test. quæst. 1.

40 *Testis minus idoneus sæpè facit indicium.*

Circa hæc Notandum Primò, Etsi testis minùs idoneus non probet semiplenè, facit tamen aliquod indicium, quod cum alijs coniunctum sufficiat ad torturam: nisi repellatur ob subiectionem vel reuerentiam, quam debet accusatori; vt si sit seruus, vel libertus, vel filius: tunc enim nullum facit indicium; similiter si ob inimicitiam. Denique si repellatur, eo quòd sit receptus ante litem contestatam; vel parte non citata: hoc enim casu attestationes non valent; (vt habetur cap. Quoniam 5. vt lite non contest. non procedatur) præterquam in casibus ibidem, & in Glossa exceptis. Quidam tamen dicunt testes minùs idoneos non facere vllum indicium, si tempore depositionis pars opposuit exceptionem inhabilitatis; idq; approbat Gomezius num. 20. sed non puto receptum in praxi.

41 *Aliquando admittitur.*

Notandum Secundò Testes minùs idoneos, admitti tàquam idoneos, quando delictum est commissum eo loco vel tempore, vbi copia testium haberi nequit, vt in campo, sylua, cubiculo, monte, vel nocturno tempore, vt patet capite finali, de testibus. Item si alter testium sit valdè dignus fide, potest supplere defectum, qui est in altero minùs idoneo, ita vt simul efficiant plenam probationem; vt tenet Baldus in L. Si quis ex argentarijs 6. §. 1. ff. de edendo, & alij Doctores ibidem.

42 *Si alter valdè dignus fide.*

DVBITATIO VI.

Vtrùm semper teneatur quis testari vel denunciare, Iudice præcipiente, vel iuramentum deferente.

RESPONDEO & dico Primò, Subditus tenetur denuntiare & testari, posito præcepto Iudicis.

Primò, Si auctor laboret infamia delicti.

43 *Tenetur testari posito præcepto, vt in casibus.*

Secundò, Si nulla quidem laboret infamia, tamen ab eo impendet damnum bono publico in futurum, quod alia ratione quàm per Iudicem auerti nequit. hoc casu etiam absque præcepto Iudicis obligatur.

Tertiò, Si graue malum impendeat alicui priuato, quod aliter nequeat impediri. nam tunc etiam charitas obligat ad denuntiandum vel testandum. In his tribus euentis Iudex habet auctoritatem præcipiendi denuntiationem & testificationem: vnde si præceperit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; qui non obediens, incurret censurã, quia tenebatur obedire, vt rectè docet Nauar. cap. 17. num. 34. & 35. & cap. 25. nu. 46. & 47.

44 Quartò, Si de auctore delicti est semiplenè probatum. si enim vmquam testem cogere potest, certè tunc potest; vnde delato iuramento, tenetur testis iurare de veritate dicenda. Confirmatur, quia delictum iam incipit esse publicum, non minùs quàm per infamiam: ergo si posita infamia rei tenetur testari, etiam tenetur posita semiplena probatione. cessat enim ratio, cur possit excusari, nempè infamatio rei de crimine occulto.

Quintò, Si procedatur via accusationis, & delictum plenè probari possit, testis citatus tenetur testari. colligitur ex L. Inuitus. 18. & 19. ff. de testibus vbi dicitur, quinam non possint compelli ad testandum inuiti; vnde à contrario sensu intelligitur cæteros posse multos compelli, inter quos etiam est ille. Probatur, Nisi hoc casu testis possit cogi, nemo auderet accusare; quia non posset probare nolente teste; & sic videretur calumniator: hoc autem redundaret in damnum publicum. Adde quando quis accusauit vel denuntiauit, eo quòd in conscientia ad hoc obligaretur; tunc testis tenetur sponte se offerre in teste: vt docet Nau. c. 25. n. 47. quod intellige, si videt suũ testimoniũ esse necessariũ.

Sponte se offert.

Dico Secundò, Multis tamen casibus non teneris denuntiare vel testari. 45 *Quando non tenetur.*

Primò, Si notti ex confessione sacramentali: imò tunc nulla ratione potes; etiamsi inde Reipub. salus penderet: vt communiter Doctores tradunt. 1. *casus.*

Secundò, Si tibi sub secreto patefactum est, consilij vel auxilij petendi causa, ad salutem animi vel corporis miseri delinquentis; vt si sis medicus, aduocatus, obstetrix, tunc enim non potes denuntiare, nec testimonio tuo confirmare, etiamsi de auctore esset infamia, vel semiplena probatio. Ita Corduba lib. 1. qq. quæst. 43. dub 2. Nauarr. cap. 25. nu. 46. Petr. Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 222. qui multos citat pro hac sententia: qui tamen id non docent in euentu infamiæ & semiplenæ probationis. ratio est, quia non debet misero homini obesse, q̃ consilij vel auxilij petendi causa se alteri bona fide patefecerit: alioquin peccatores à consilio petendo auerterentur: vnde multa mala sequi possent. 2. *casus.* *Si causa consilij vel auxilij.*

Dices, Iudex habet ius inquirendi, dum est infamia vel semiplena probatio: ergo qui nouit, tenetur patefacere, etiamsi sub iuramento promiserit seruare secretum; tua enim promissio & tuum iuramentum non potest iuri Iudicis præiudicare. 46

Ob hoc argumentum Soto de secreto, membro 2. q. 7. concl. 4. contrarium tenet. Sed neganda est consequentia; etsi enim Iudex legitimè inquirat, vt officio suo & Reipub. satisfaciat; ego tamen, qui sic cognoui, nec teneor, nec possum aperire, ob rationem dictam. multò enim magis cedit in bonum publicum vt huiusmodi fateantur, quam vt detegantur.

Aduerte tamen, si denũciatio vel testificatio sit necessaria ad damnum aliquod publicum vel priuatum auertendum, promissionem secreti, etiam iuramento cõfirmatam, non obligare, quia nullum iuramentum promissorium cedens in damnum inultum tertij obligat: ac proinde talis tenetur illud aperire, non secus, ac si non promisisset. 47

Tertiò, Si auctor non laborat infamia, nec timetur damnum in futurum, (vt si speretur emendandus priuatis monitis) non teneris denunciare, neque testari contra eum, quando proceditur per inquisitionem, etiamsi tu cum duobus vel tribus alijs scias. est ferè communis sententia DD. qui docent, Iudicem non posse tunc inquirere; vel si potest inquirere, id non esse ex eo, quòd iurisdictionem habeat in auctorem occultũ criminis; sed vt satisfaciat Reipubl. quæ postulat, vt fiat diligens inquisitio, vt malefactores timeant & compescantur: non tamen postulat vt in hoc casu reuelentur. Ita Sylu. v. Inquisitio 1. num. 7. & v. Correptio num. 6. Fumus v. Inquisitio num. 10. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. nu. 168. vnde hic datur species quædam belli vtrimque iusti, dum Iudex iustè testem vrget, & testis iustè negat.

Putant tamen quidã in huiusmodi euentu non esse contra iustitiam, si denunties aut testeris; modo crimen non sit adeò occultum, quin aliquo modo probari possit. quia qui potest probare, ei concessum est propter bonum publicũ accusandi vel denuntiandi: hoc enim expediebat ad malefactores coercendos. verùm quousq; id licitum sit, *tertio* ostensum est suprà cap. 19. nu. 111. & 112. 48 *Si possit probari, non est contra Iustitiam denunciare.*

Addo, non esse contra iustitiam dum crimen est publicum & auctor occultus, si contra eum deponas cum iureiurando tamquam testis, etiamsi solus videris; quia efficies semiplenam probationem: qua posita, Iudex potest procedere ex officio etiam ad torturam. *Nemo enim solus nostri est Iudex.*

Quartò, Quando proceditur via accusationis, si testis videt rem probari non posse, eo quod ipse solus & accusator sciant, non tenetur testari, quia accusator non potest tunc accusare, nisi fortè id necessarium fuerit ad malum impediendum. potest tamen testari si velit; & efficiet semiplenam probationem; poteritque Iudex ex officio procedere contra reum, eum subijciendo quæstionibus. nam generali consuetudine receptum est, vt nec accusatio impediat inquisitionem, nec inquisitio accusationem, & vt hæc duo remedia possint simul concurrere in principio, medio, & fine totius causæ, & alterum alteri possit succedere, atque adminiculo; vt docet Clarus lib. 5. §. Pract. criminal. quæst. 3. & Gomezius tom 3. cap 13. 4. 49 *Aliquando potest testari, sed non tenetur.*

Quin-

50 Quintò, Quando Iudex quærit quis acceperit, non tenetur inditus patefacere eum, qui, quòd nō poſſet aliter obtinere ſolutionem, accepit cauſa iuſtæ compenſationis; vt rectè Nau.c.17.num.115 ratio eſt, quia præceptum Superioris procedit ex præſumptione alicuius iniuſtitiæ, quam ſubditus putat hic non ſubeſſe.

Sextò, Si ex denuntiatione vel teſtificatione aliquando notabile damnum mihi malitioſe imminere, non teneor. non enim hæc officia præſtare tenemur cum noſtro damno; niſi bonum publicū illud neceſſario poſtulet. Ita Nauar.c.25. num.50.& Cost.qq.præct.c.18.

Septimò, Si cognouerim ab ijs, qui fide non ſunt digni; hoc enim perinde eſt ac ſi nouerim: vnde nō teneor teſtari, aut denuntiare; vt rectè Nauar.cap 25.num.46 neque expedit reuelare eos; qui dixerunt, ſi fide digni non ſunt; quia reus exponeretur periculo iniuſtæ infamiæ & pœnæ. Iudex enim, qui neſcit fidem eorum ſuſpectam, fortaſſe eis credet & ex eorum teſtimonio pœnam inferet. Si nō poſſum probare, (vt ſi ſolus nouo) non teneor de hoc teſtificari, niſi Superior præcipiat; ita Nauar c.17. num.136. quod intellige de denuntiatione, quæ fit tanquam Iudex, & in ordine ad punitionē. ſi tamen agatur de teſtando, ſatis eſt me ſcire; quia teſtis non tenetur probare.

51 *Iuramentum teſtium.*

Iuramenti interna limitatio.

Notandum autem eſt, in omnibus caſibus, in quibus nō tenetur reuelare iuratus, non teneri etiam iuratum modo iuramentum ſuum conuenienti modo intellexerit; nempe cum interna reſtrictione, quæ caſum præſentem excludat: vt ſi dum præcepto Iudicis iuras te dicturum veritatem, quam noſti, reſtringas mente, *quatenus iure teneor*: quando enim non tenetur teſtari Iudice præcipiente; non poteſt Iudex ei imponere obligationem vt ſecundum mētem ſuam iuret: quare poteſt iurare alio ſenſu ſibi commodo; neque vllam in eo committitur mendacium, vt multis exemplis oſtendi poteſt. vide ſup.cap.11.du.20. Cauere tamen debet, ne deprehenſa veritate, à Iudice putetur periurus, & pœna falſi plectatur. quòd ſi quis abſque huiuſmodi reſtrictione iuraueris, tenetur reuelare omnia, quæ abſque peccato reuelare poteſt, vt iuramento ſatisfaciat.

DVBITATIO VII.

Vtrùm teſtis ratione falſi teſtimonij teneatur ad reſtitutionem.

52 *Si ex grani culpa dixit falſum teſtimon.*

Si reus ante erat condemnatus, non reſtituet.

RESPONDEO & dico Primò. Si vel ſciens vel ex craſſa ignorantia dixit falſum teſtimonium, ratione cuius alter iniuſtè damnum acceperit, tenetur ad reſtitutionem damnorum in ſolidum. ratio eſt, quia per iniuriam eſt cauſa efficax totius damni.

Aduerte tamen Primò, Si reus iam erat per alios teſtes conuictus; & tuum teſtimonium accedens nihil effecit, eò quòd pœna propter illud non eſt aucta, nec Iudex firmior redditus eſt ad eam irrogadam; te non teneri ad reſtitutionem: quia etſi iniurium ei facias, non tamen es cauſa efficax damni, quod ex prioribus teſtimonijs iā cenſetur illatum. vide ſup.c.13.dub.1.& 3.

53 *Tenetur reuocare, ne malum mortale.*

Secundò, Qui hoc modo falſum teſtimonium dixit, ratione cuius mors, vel mutilatio eſt inferenda, tenetur ſua dicta retractare, ſi id profuturum putet, quamuis ipſi ſimili pœnę periculum crearetur, vt communiter docent DD. quiſque enim tenetur damnum, quod alteri iniquè paraſti, auertere, etiam cum pari damno ſuo; vt patet in reſtitutione famę, pecuniæ, & honoris: nam in pari damno, melior cenſeri debet conditio innocentis. vide ſuprà capit.11. dub.20.& 22.

Dices, Quiſque magis tenetur conſulere vitæ ſuæ quàm alienæ: ergo non tenetur ſuccurrere vitæ alienæ cum periculo ſuæ.

54 Reſpondeo, Antecedens ſolum eſt verum in pari cauſa innocentiæ, vt ſi vita tua ſine mea culpa ſit in periculo, nō teneor tibi conſulere cum periculo meæ. ſecus eſt, ſi mea culpa & iniuria periclitetur. Hinc fit, vt ſi alios ad falſum teſtimonium dicendum induxeris, ex iuſtitia tenearis eos monere vt retractent: quòd ſi noluerint, debes Iudici totā tuam machinationem aperire, vt innocens liberetur; quāuis inde tibi certa mors impenderet; vt rectè docet Petrus Nau.l.2.c.3.num.253. quod intellige, modò ſpes ſit reuocationem illam profuturam.

Dico Secundo, Qui falſum teſtimonium dixit ex ignorantia vel inaduertentia non damnabili, vel ex oblitione, ſaltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquē damnari, non tenetur ad reſtitutionem. Ita Caiet.q.70.art.4.& Petr.Nau ſup. Probatur, Quia neque ratione rei acceptæ; (cum nihil inde habeat) neque ratione iniuſtæ damnificationis; quia non peccauit, ſal ē mortifere, vt ſupponimus: atqui probabile eſt non teneri ad reſtitutionem ex damno illato. eum, qui non peccauit mortifere, vt oſtenſum eſt ſupra cap.7.dub.6. cenſetur enim huiuſmodi damnum quaſi fortuitò illatum. Hinc etiam ſequitur, illum non teneri cum vitæ periculo ſuum teſtimonium retractare; vt ibidem Caietanus.

55 *Si abſq; grauis culpa dixit.*

DVBITATIO VIII.

Vtrùm teſtis teneatur ad reſtitutionem, ſi nolit teſtari, vel ſi Veritatem occultet.

SVPPONO Primò, Non teneri ad reſtitutionem ex eo, quòd ſe nō offerat; quia nō tenetur ex iuſtitia ſe offerre: quamuis interdum teneatur ad hoc ex charitate; vt ſi ſuum teſtimonium videt eſſe neceſſarium ad liberandum innocentem, vel ad accuſatorem, (qui propter bonum publicum tenebatur accuſare) eripiendum periculo pœnæ talionis, vt docet Nau.c.15.num.17.

56 *Tenetur aliquando ſe offerre.*

Secundò, Etiam non teneri ad reſtitutionem ſi nolit teſtari, quando graue damnum ei inde impenderet; quia nō tenetur tunc teſtari: nec Superior poteſt eum ad hoc obligare, niſi ratio boni publici id poſtulet. vnde poteſt vel citatus non comparere, vel ſi compareat, aliquo artificio ſe eximere; vt docet Sotus de iuſt.mēb.2.q.7. dub.3.& Nauc.25.num.50.& alij.

Non tenetur cum grani damno.

Sed difficultas eſt, ſi nullum damnū immineat. & à iudice citetur, vel iuſſus ſit citari. Multi DD. docēt, ſi hoc caſu fugiat vel ſe occultet, vel aliqua arte Iudicis interrogationem eludat, teneri ad reſtitutionem. Ita Nau. c. 25.nu. 41. Sotus l.5.de Iuſt.q.7.ar.1. Mich.Salon.q.70.ar 1. du.3. & alij. Probatur Primò. Quia hoc ipſo, quo citatus eſt, vel iuſſus citari, miſſo ad eum publico nuntio, tenetur ex iuſtitia teſtimonium dicere: ſicut quando alicui munus tutoris imponitur. Secundò, Si Iudex præciperet tibi vt proferas ſcripturam quamdam, ad cauſam pertinentem, & tu eā occultares, vel lacerares, teneteris ad reſtitutionem dāni inde ſecuti: ergo ſimiliter ſi præcipiat vt proferas tuū teſtimoniū.

57 *Si nullū impendeat dānum.*

Reſp. & dico Primò, Verius omnino videri, eum, qui ſe occultat vel fugit priuſquam Iudicis præceptum aut citatio ei legitimè denuntietur, nō teneri ad reſtitutionē damni, defectu teſtificationis ſecuti: quāuis potuerit grauiter contra charitatem proximi peccaſſe. Ita tenet Salon, addu cens pro hac ſententia Petr.Soto & Io.à Penna Probatur, quia nemo obligatur præcepto Superioris, priuſquam id ei debito modo imponatur; ſicut ſi inferior vitet cōſpectū Superioris, ne ab eo mandatū aliquod accipiat: non obligatur mandato, etſi male faciat tali vtens artificio. Simili modo qui fugit vel ſe occultat, ne inſtituatur à Magiſtratu tutor vel curator pupilli, non peccat contra Iuſtitiam, etiamſi norit ſe ad hoc quæri.

58 *Occultans ſe vel fugiens non tenetur teſtiri.*

Dico Secūdo, Non videri quoque improbabile, Si poſtquā citatio Iudicis per miniſtrum publicum ei eſt inſinuata, fuga vel fraude aliqua teſtificandi actum declinauerit: vt ſi dicat reum ſibi eſſe inimicum. Tenet Molina diſp.63. promittens ſe probaturum tract.5. & multi viri docti huius Vniuerſitatis a me conſulti. Idem aperte indicat Sylu. v. Teſtis, nu.8. vbi dicit eum qui falſum teſtatur peccare contra Iuſtitiam; eū verò qui iubente ſuperiore non vult teſtari, peccare eo quod agat contra obedientiam & charitatem proximi, non iuuando proximum vel bonū commune quando debet. Similiter alij DD. etſi teſtem falſum dicant peccare contra iuſtitiam & teneri ad reſtitutionē, id tamen non dicunt de eo qui iuſſus recuſat teſtari; ſed ſolum dicunt eum peccare mortiferè. ita Tabie.v. Teſtis, nu.10. Fumus eod.nu.10. Caiet.v. Teſtim.

59 *Si inſſus ei ini ſit.*

Probatur Primo, Quia citatio illa & præceptum non

imponit illi obligationem Iuſtitiæ ad ſe ſiſtendum & ad teſtandum, ſed ſolum obedientiæ non enim cenſetur iniuſtus ſi non comparear, ſed inobediens vel contumax: ſicut ſi quis inſtis à Magiſtratu capeſſere tutelam, nollet obedire, vel falſis prætextibus ſe excuſaret. non eſſet iniurius in Magiſtratum aut in pupillum; ſed eſſet tantum inobediens Magiſtratui, & in pupillum parum pius Secundò, Quia obligatio, qua quis lege Iuſtitiæ tenetur in gratiam proximi aliquam functionem obire, non naſcitur præcisè ex præcepto Superioris; ſed ex acceptatione eius, qui illam obit. hic enim acceptando officium vel functionem, implicitè promittit; & ita ſe ad illam obligat, & alteri ius tribuit ad illam exigendam. Nemo enim poteſt alteri dare ius ad functiones liberas alterius, niſi qui illarum eſt dominus. quare cum nemo ſit dominus mearum functionum præter me nemo abſque meo conſenſu alteri ius ad illas dare poteſt. Vnde vlterius ſequi videtur, teſtem, etiam ſi à Iudice præſente interrogetur, non teneri ex Iuſtitia reſpondere aut iurare de dicenda veritate, ſed ſolum ex obedientia: quia Iudex præcepto ſuo non poteſt imponere illi obligationē iuſtitiæ ad iurandum, vel ad reſpondendum. Quare ſi nolit iurare aut reſpondere, puniri quidem poteſt tamquam inobediens, ſed non tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti reo vel accuſatori. Secus eſt ſi agatur de ſcripto proferendo in lucem, quia eſt res externa, de qua Reſpub. poteſt diſponere, ſicut de alijs bonis, quando cauſa ſubeſt.

Obligatio Iuſtitiæ, vnde oriatur.

Petes, Quid ſi iurauerit ſe dicturum veritatem, nonne tunc tenebitur ex iuſtitia dicere veritatem? 60

Si iurauit.

Reſp. Probabile eſſe non teneri ex iuſtitia, ſed ſolum ex obedientia & virtute religionis; quia per hoc iuramentum non intendit vllum ius iuſtitię conferre in eum, cuius cauſa iurat, non enim intendit ei aliquid promittere, ſed ſolum iurare hoc futurum: nempe quòd ſit dicturus veritatem, quam nouit. Secus ſi promiſerit. Hæc dixerim non omnino aſſerendo, ſed diſputando, vt res iſta à viris doctis magis examinetur. alioquin mihi ſententia magis recepta eſt cordi.

CAPVT XXXI.

De Reo & Aduocato.

Continet Dubitationes 9. D.Thomas q.69. & 71.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm licitum ſit reo & aduocato, occulta crimina teſtium detegere ad labefactandum eorum teſtimonium.

1 *Non eſt contra iuſtitiã.*

RESPONDEO, & dico Primò, Si illa crimina valeant ad infirmandum teſtimonium, non eſt contra iuſtitiam ea aperire, maxime ſi alius modus illius repellendi ſit incommodus. eſt communis Doctorum, vide Sotum l.5. de Iuſtitia, quæſt.7.art.3. Ratio eſt, quia quiſque poteſt ſeipſum tueri cum iuſto moderamine, eodem genere armorum, quo oppugnatur: nec alter poteſt queri de iniuria, cum ſit inuaſor, & ſponte ſe huic periculo exponat, hoc ipſo, quo teſtatur vel accuſat. Talia crimina ſunt, periurium, crimen falſi, & omnia, ob quę incurritur ipſo facto excommunicatio, ſi nondum eſt abſolutus denique omnia, ob quę incurritur infamia iuris vel facti, vt alibi infamis de aliquo crimine. vide Clarum q.24.

2 *Poteſt tamen eſſe contra charitatem.*

Dico Secundò. Fieri tamen poteſt vt ſit contra charitatē talia crimina patefacere. Primo, Si teſtis non ſe ſponte ingeſſit, ſed coactus à Iudice, & crimen, quod ei obijcitur eſſet graue, ob quod capite ſit plectendus; cauſa verò Rei non ſit magni momenti. quod ſi ſponte ſe obtuliſſet ad teſtificandum, non eſſet tanta ratio habenda illius incommodi; ſibi enim imputare debet illud detrimentum, quod per alterius exceptionem incurrit. Secundò, Si alia ratione minus noxia poſſis eum repellere; vt ſi ſit conſanguineus vel affinis actoris, vel de eius familia; ſi teſtis tibi inimicus; ſi pauper, ſi mente non firma, ſi impuber; & in cauſa criminali, ſi nondum eſt viginti annorum, de quibus ſupra cap. 30. dubitat. 5.

3 Dices, Quando reus teſtem aliter repellere poteſt, videtur eſſe contra iuſtitiam, ſi occulta eius crimina pandat: quia ſi ratione minus noxia ſe poſſit tueri, non habet ius vtendi defenſione nocentiore; ſicut qui inuaſorem minore incommodo poteſt repellere, non poteſt ei grauem læſionem irrogare.

4 *Habet ius repellendi teſtē omni modo magis idoneo*

Reſpondeo, Reum habere ius repellendi teſtem quouis modo magis idoneo, cum teſtis hoc ipſo, quo vult teſtari, videatur cedere iure ſuo, & permittere reo, vt omni modo qui ipſi erit commodior, ſe tueatur. In illo tamen modo tenetur nō excedere debitam moderationem. ſicut is, qui inuaditur armis, non tenetur ex iuſtitia fugere, aut terrere inuaſorem clamoribus; præſertim quando hæc decore facere non poteſt; ſed poteſt ſe armis tueri, faciendo id; quod neceſſarium eſt ad euaſionem; quamuis aliquando ex charitate poſſit obligari vt alio modo vtatur.

DVBITATIO II.

Vtrùm reus, ſi impingat accuſatori crimen mendacij, ſeu calumniæ, peccet & teneatur ad reſtitutionem.

D. THOM. QVÆST. 69. ART. 2.

RESPONDEO, & dico Primò, Reus ſaltem ex charitate tenetur reſpondere & ſe defendere, vt quàm minimum accuſatorem lædat: vt ſi de occulto accuſetur, ſufficit vt ſimpliciter neget. quare abſtinendum eſt ab illa verborum aſperitate, qua calumniæ vel mendacij crimen accuſatori ingeritur: nam contra charitatē eſt, ſi proximo maius malum inferas, quàm ad tuā defenſionem ſit neceſſarium. 5

Debet quam minimum lædere.

Dico Secundò, Reus accuſatus de crimine, quod iuridicè probari nequit, non peccat contra iuſtitiam, etiamſi neget crimen, imò etiamſi dicat accuſatorem mentiri & calumniari. Ita Sylueſt. v. Reſtit. 3. q. 3. Nau. cap. 18. num. 49 Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 348. Colligitur ex D. Thoma q. 69. ar. 2. vbi dicit, *reum ſe poſſe tueri quacumque via, imò non dicat mendacium*: atqui dum dicit talem accuſatorem mentiri & calumniari, non dicit mendacium. Nam qui accuſat de eo, quod probare non poteſt, calumniator præſumitur; vt docet Glo. in c. 2. de calumniator. ac proinde etiam cenſetur mentiri; tum quia contra mētem, ſeu contra dictamen conſcientiæ ſibi loquitur; tum quia falſum præſumitur in iudicio, quod probari nequit. Idem dicendum eſſe docent DD. de omnico, qui etiam extra iudicium negat ſe dixiſſe aut feciſſe quippiam, quod alius illicite patefecit, vnde infamia vel offenſio naſceretur: vt ſi ſub ſecreto commiſſi quippiam, vel tāquam amico ex confi- 6

Calumniator.

fidentia

Aliquis pote factum, negari quadam ratione po- test.

fidentia tibi patefeci, & tu id alteri referas, qui inde grauiter offendetur. tunc enim si ille mecum de eo expostulet, possum negare me dixisse, conuenienti modo intelligendo, vt mendacium vitetur: negando enim vtor iure meo, quisque enim ius habet sua occulta dicta & facta, vnde nasceretur offensio tegendi quantum potest. quòd si iniquo delatori inde aliquid obueniat incommodi, id ipse sibi imputet, vt rectè Petrus Nauarr. capit. quarto, numer. 348. Secus quando aliter poterat licitè patefacere; tunc enim ei fieret iniuria; si negaretur: nam sine sua culpa infamaretur vt mendax.

DVBITATIO III.

Vtrùm reus à Iudice interrogatus teneatur fateri Veritatem.

D. THOM. QVÆST. 69. ART. 1.

Iurare de calumnia.

8 RESPONDEO & dico Primò, Reum non teneri veritatem fateri, aut iurare de calumnia, (id est, se in omni parte litis veritatem dicturum) si Iudex non interroget iuridicè, seu iuris ordine seruato. colligitur ex cap. Qualiter & quando. 17. & cap. Cum oporteat. 19. & c. inquisitionis. 21. de accusatio. estque communis sententia DD. vide Henricum quodlib. 1. q. 34. Sylu. & Angelum v. Confessio delicti, qu. 1. Petrum Nau. lib. 2. cap. 4. num. 136. Idem expressè docet D. Thomas, q. 99. art. 2. *Non tenetur*, inquit, *aliquis omnem veritatem fatteri, sed illam solum, quam ab eo potest & debet requirere Iudex secundum ordinem iuris.* Ratio est, quia quando non procedit iuridice non potest reo vllam obligationem imponere ad crimen aperiendum, aut ad iurandum, cùm Ius ei hanc potestatem non concedat. Vnde sequitur, reum non teneri ad eius mentem respondere, aut iurare, sed artificio posse eludere.

Notandum est, iuramentum de calumnia hæc quinque continere, iuxta Glos. in cap. 1. de iuram. calum. Primò, Putare se bonam causam tueri. Secundò, Se interrogatum à Iudice, veritatem non celaturum. Tertiò, Scienter falsas probationes se non adhibiturum. Quartò, Se litem fraudulenter non prorogaturum. Quintò, Se nihil promisisse, vel deinceps promissurum alicui causa litis, nisi quod iura permittunt. Sed non sunt hæc omnia semper iuranda, maximè reo in criminalibus.

Petes, Quando Iudex dicitur interrogare reum, seruato ordine Iuris, & quando non?

Tribus euentibus vtrò inquiri.

Respondeo, D. Th. suprà, quem passim sequuntur Theologi, ponit tres euentus, quibus Iudex potest inquirere secundum ordinem iuris, & etiam debet. Primus est, cùm præcessit infamia. Secundus, cum supperunt indicia expressa. Tertius, cum habetur probatio semiplena, Sub *infamia* intellige etiam *notorium*; cùm videlicet delictum cum suo auctore est publicè notum. Debet autem hæc fama esse legitimè probata per duos testes omni exceptione maiores; nimirum vt iuridicè constet esse talem famam, eamque ortam non à maleuolis, vt suprà c. 29. dub. 16. dictum est. Itaque si reus potest excipere contra testes, vel ostendere famam à maleuolis sparsam, vel ex errore aliquo natam, non tenebitur fateri, vt rectè notat Salonius q. 69. art. 2. controuersia 2. Similiter indicia debent esse legitimè probata. Se-

Semiprobatio.

miprobatio criminis fit per vnum testem iuratum omni exceptione maiorem. hæc non sufficit ad interrogandum iuridice, nisi sit coniuncta cum formali accusatione, vel cum eo quod vicem accusatoris supplet: vt sunt notorium delicti, fama de auctore, & denuntiatio iuridica; quia Iudex ex se iudicium inchoare non potest, sed aliquo horum modorum ad id debet prouocari. Itaque si nihil horum præcessit, non potest reum obligare in conscientia ad respondendum, vt docet Caiet. q. 69. ar. 2. Sotus de secr. memb. 2. q. 6. & alij. Ex his constat, quando Iudex interroget non iuridice siue reum; siue testem; nimirum id tunc facit, quando de

9 *Quando non seruatur ordo Iuris præscriptus in reo interrogando.*

crimine occulto interrogat; de quo neque est fama contra reum, neque indicia competentia, neque probatio semiplena. vt enim reo possit imponi obligatio à Iudice ad fatendũ crimen, requiritur vt iã aliquo horum modorum deductum sit ad notitiam publicam, ita vt reo nõ suppetat probabilis ratio celandi, seque defendendi. quamdiu enim delictum est ita occultum, vel incertum, vt ipse possit se probabiliter tueri & depellere obiecta: & contra omnem rationem, atque adeò contra ius naturæ est, vt ipsi imponatur obligatio in foro conscientiæ ad illud in suam perniciẽ pandendum: tale enim præceptum est nimis durum, & minus conuentaneum conditioni hominum; cum nemo, vel nisi paucissimi illud sint seruaturi. Confirm. quia nemo spohandus est armis, quibus videtur iustè se, suaque tueri.

Aduerte tamen, quàdo interrogatio iudicis vel superioris non tendit ad punitionem, sed ad impediendum peccatum, teneri subditum fateri veritatẽ etiam de occultis, etsi nulla præcessit infamia, aut semiprobatio aut indicia, vel certè debere abstinere ab eo in quo est peccati periculum. vt cum promouendus ad ordines rogatur de natalibus, de censuris, de irregularitate; cum inituri matrimonium interrogantur de impedimentis, &c. Superior enim causa impediendi peccati ius habet interrogandi, & subditus non habet iustam causam celandi, cum non possit sine graui peccato cum talibus impedimentis ita suscipere, aut illis vti; & aliàs libere possit abstinere.

Si non tendat ad pœnam.

Dico Secundo, Non teneri etiam crimen fateri, quando dubitat verum Iudex iuridicè (id est, ordine Iuris seruato) interroget. Idem dicendum de teste. Ita Caiet. q. 69. ar. 1. Sotus de secr. memb. 3. q. 2. concl. 2. Adrianus quodlib. 2. Probatur Primò, Quia nemo tenetur parere Superiori cum graui suo vel alterius incommodo, nisi cõstet eum legitimè præcipere & habere auctoritatem obligandi. cur enim tantum onus teneatur suscipere ab eo, de quo dubitat an possit imponere? Secundò, In dubio faciendum est reo, secus est, quãdo nullum inde notabile incommodum metuitur.

10 *Si dubitet an legitimè interroget.*

Hinc sequitur, Iudicem teneri aperire reo statum causæ, probationes, indicia, & testes, vt videat iuridice contra se procedi, neque interrogari posse, & vt si quid contrà habeat, possit opponere & excipere: vt docet Caietan. quæst. 69. art. 1. & alij.

Sed difficultas superest, si iuridicè procedatur, idq. reo satis constet. Sunt duæ sententiæ. Prior est, neque tunc reũ teneri suum crimen fateri, si inde pœna temporali plectẽdus foret; secus verò si pœna spirituali, vt excommunicatione; tunc enim teneretur fateri. Ita Panorm. in cap. Cum super, de confessis, col. penul. Syluester v. Cõfessio delicti, quæstio. 1. Angelus eodem, num. 1. Fumus eodem, num. 8. & alij quidam recentiores. Altera tenet contrarium. Pro resolutione.

11 *Si iuridice procedatur.*

Dico Tertiò, Si Iudex iuridicè interroget, idque reo notum sit, teneatur veritatem fateri, etiamsi capite plectendus esset; est communior sententia DD. D. Thomæ q. 69. art. 1. & Caiet. ibidem. Henrici quodlib. 1. q. 33. Palud. d. 19. q. 4. versus finem. Gab. d. 15. q. 6. ar. 2. concl. 1. 6. Soti de secret. memb. 2. q. 7. Nau. c. 25. num. 53. Cou. qq. pract. q. 23. Ant. Gomez. tom. 3. c. 12. num. 5. Hi auctores generatim loquuntur nec distinguunt inter pœnas. Probatur, quia quisque tenetur obedire Superiori legitimè præcipienti. atqui Superior legitimè præcipit, quando secundum ordinem iuris interrogat reum, aut iuramentum ei defert: ergo reus tenetur parere, dicendo veritatem. Secundò, In hoc casu Iudex habet ius eliciendi veritatem ob bonum publicum: ergo si reus eam occultet, facit contra ius & auctoritatem Superioris. Hinc colligunt Sotus & alij, reum non solum teneri quando iurauit, sed etiam absque iuramento ex vi solius præcepti Superioris.

12 *Communior sententia DD. est, illum teneri fateri.*

Aduerte tamen Primò, In re parui momenti occultare veritatem, aut mentiri in iudicio, non esse peccatum mortiferum, si absit iuramentum: vt si mentiatur circa aliquã circumstantiam facti, vnde status causæ non pendet; quia materiæ tenuitas in præceptis excusat a mortali.

13

Secundò, Si Iudex quærat de facto, quod absque culpa, saltem lethali patratum est, testem & reum non teneri respondere ad mentem Iudicis, v. g. occidisti Petrum te iniudente cum iusto moderamine, vel absq; notabili excessu. nõ teneris fateri te occidisse, etiãsi de te sparsa sit infamia, nec testis teneatur illud testari: quia Iudex quærit de occisione criminosa: & si fatereris, nec posses probare te causa necessariæ defensionis fecisse, condemnaret te homicidij, ex falsa præsumptione. pari modo si tu nõ es auctor criminis, non teneris fateri aliquas circumstantias, ex quibus oriretur vehemens suspicio te esse auctorem, v. g. hunc esse

14 *Si facto absque culpa eum sit ur-*

tuum pugionem, te eo loco fuiſſe, &c. quia ipſius interrogatio etſi iuridica ſit, tamen ex falſa præſumptione procedit, vt docet Salon.q.69.ar.2.& Sotus de iecr.memb.2.q.7. dubit.2. In his igitur euentis negare poteſt quod ſibi detrimentoſum foret, adhibita contenenti reſtrictione mẽtis: de qua vide Natar.in c.Humanæ aures.22.qu.5. vide infra cap.42.dub.10.

Si ex falſa præſumptione procedatur.

15 Notandum autem eſt, vt reo poſſit iuramentum deferri in cauſa criminali, requiri ea indicia ſeu probationes, quæ ſufficiant ad torturam; vt docet Couar.& alij DD.quia iuramentum eſt ſpiritualis quædam tortura, cùm non peſſimam mentem non minus vrgeat ad veritatem dicendam, quàm tortura. Idem dicendum videtur de obligatione cõfitendi crimínis. nam non minus eſt imponere hanc obligationem, quam imponere neceſſitatem iurandi. vnde ex ſimplici infamia, ſi nullum aliud adſit indicium, non puto poſſe imponi obligationem fatendi: & meritò, quia infamia nõ facit ſemiplenam probationem, ſed ſolum ſupplet vicem accuſatoris, vt ſup.c.29.dub.15.dictum eſt.

Quando poſſit reo iuramentum deferri.

16 Dico Quartò, Non eſt tamen improbabile, reum non peccare mortifere negando crimen, præſertim in cauſa capitali, quamdiu eſt ſpes euadendi, etiamſi iuridicè interrogetur: colligitur ex auctoribus prioris ſententiæ. Idem tenet Petrus Nau. ſup. Emmanuel Sa v.Reus, & quidam alij recentiores. Probatur Primo, Quia quamdiu eſt ſpes euadendi, eò quòd nondum ſit plene probatum, præceptum illud fatendi criminis videtur nimis difficile, neque ſatis accommodatum humanæ imbecillitati. vix enim è centum vnus reperietur, qui ſi ſperet hac ratione ſe poſſe euadere mortem, non ſit crimen negaturus: atqui præcepta vt obligent, debent eſſe conſentanea conditioni humanæ, ſicut & leges. Secundò, Lex humana non poteſt obligare cum periculo mortis, niſi magnitudo negotij aliud poſtulet, vt verior ſententia tenet, & plerique DD. docent. ergo nec præceptum humanum: eadem enim eſt vtriuſque ratio, ſi cetera ſint paria atqui ex confeſſione criminis incurrit certiſſimum periculum mortis; non confitendo autem eſt ei ſpes euadendi: ergo non tenetur confiteri. Tertio, Nemo poteſt cogi ad teſtificandum cõtra ſanguine iunctum; vt patet ex L.4.ff. de teſtib. nemo etiam tenetur teſtari, quando inde ſibi graue damnum metuit; vt ſup.c.30.dub.6. oſtenſum eſt. atqui nemo cuiquam magis eſt ſanguine iunctus, quam ipſe ſibi, nec maius poteſt eſſe damnum quam vitæ: ergo nõ tenetur contra ſe fateri. Quarto, L. Nimis graue.7. C. de teſtibus dicitur. *Neminem teneri contra ſe exhibere id, per quod ſibi negotium fiat.* ergo, &c. Confirmatur, durum enim nimis eſt, vt cogatur iudici ſubminiſtrare arma, quibus iuguletur, cum alias ſpes ſit euaſionis.

Sententia probabilis.

17 Ex dictis ſequitur Primo, non teneri iurare ad mentem iudicis, ſed poſſe vti amphibologia, vel mentali reſtrictione. Secundo, Eamdem ſententiam non videri improbabilem, etiam in cauſis non capitalibus, in quibus valde grauis pœna imponitur; vt damnatio ad triremes, vel ad perpetuum carcerem, vel confiſcatio bonorum. ſecus ſi ſolum pœna excommunicationis, quia facile tollitur.

Conſectaria.

18 Ad rationem adductam in contrarium reſpõderi poteſt fieri poſſe vt lex habeat ius interrogandi cauſa boni publici, vt officio ſuo fungatur; & tamẽ alter non teneatur reſpondere ad eius mentem; idque ob ſummum ius vitæ ſuæ tuendæ, per quod licitum eſt ei contegere, & abſcondere ea, per quæ vita ipſa eripietur. ſicut qui eſt in periculo vitæ, poteſt fugere è carcere, etiamſi iudex & leges præcipiant ne fugiat: & fugientem puniant: & citatus poteſt nõ comparere, quamuis iudex præceperit vt compareat: & ſeruus bello captus poteſt fugere, quamuis dominus præceperit ne fugiat. nihil enim repugnant, iudicem habere ius inquirendi veritatem à reo, & reum habere ius celandi. quo caſu, etſi poſſit præcipere. præceptum tamen eius non obligat, neque fit ad obligandum, ſed ad inducendum vel terrẽ tum reum vt veritatem fateatur. Ex his patet, ſententiam ſupradictam non eſſe improbabilem: ac proinde ſacerdotem non debere cogere pœnitentem vt veritatem fateatur, quãdiu eſt ſpes euadendi. quod etiam notat Emmanuel Sa, ſuprà. Quando tamen non eſt ſpes euadendi: (vt ſi videt crimen facile plene probari poſſe) tunc tenetur veritatem fateri, quia ceſſat ratio celandi, & alias tenetur ſuperiori legitimè præcepti obtemperare.

Ad rationẽ contrariã ſententiæ.

19 *Si non eſt ſpes euadendi.*

20 Dices, L.2. C. de Iureiurando propter calumniam dando dicitur *partes debere iurare de calumnia*. hoc autem iuramentum quatenus attingit reum, duo continet principalia; alterum eſt, quòd putet ſe bonam fouere cauſam: alterum, quod non negabit id, quod credit eſſe verũ, ſeu quòd interrogatus dicet id, quod putat eſſe verum. vide Gloſ. in c.1. de iura. calum.

Obiectio. Iuramentũ Rei de calũnia.

Reſpon. Primò, Quòd valdè expediret, ſi Summus Põtifex præciperet, vel Principes ſupremi legem concederent, Ne iudex in cauſis ingerentibus pœnam ſanguinis, poſſet à reo exigere iuramentum de dicenda veritate, propter euidentem occaſionem periurij. vt inquit Gom. ſuprà ſicut in c.Clericos 3. de cohabit. Cleric. & mulier. dicitur, *Clericos, qui tenent concubinas, non eſſe compellendos ad eas abiurandas, propter periculum periurij, ſed confeſtis cogendas.* maius periculum eſt in reis.

21 *Reſponſio prima.*

Expediret hoc iuramentum tolli.

Reſpon. Secundò, Per *iuramentum calumniæ* eo loco non intelligi iuramentum de dicenda veritate, ſed de non agendo calumniosè; ſeu quòd non committet calumniam in cauſa. ſi quis enim bene aduertat, in nullo paragrapho illius legis requiritur vt reus iuret ſe in omni parte litis veritatem dicturum, ſed tantum, quòd *putans ſe bona intentione ad reluctandum venerit; & quòd cauſa patrocinij Iudicibus nihil dederit vel promiſerit.*

22 *Secunda.*

Nec obſtat L.Marcellus.11.§.1.ff. de act. rerum amotarum. vbi in actione rerum amotarum facto diuortio, cogitur coniux, contra quem actio inſtituitur, iurare: quia id intelligitur de iuramento. quod parti a parte defertur ad litem terminandam, & ad recuperandum ſuum, vel ſibi debitum, quod pars ex malitia debet reſtituere. Simili modo intelligendæ quædam aliæ leges, quas adducit Gom ſuprà nos autem hic agimus de Iuramento, quod à Iudice defertur reo in cauſa criminali.

23

DVBITATIO IV.

Vtrùm reus condemnatus ſecundum allegata & probata, teneatur obtemperare ſententiæ.

RESP. & dico Primò, Quando ſententia re ipſa eſt iniqua, vt quia nititur falſa præſumptione, aut falſis probationibus, non obligat in conſcientia, quamuis ſecundum ordinem Iuris ſit lata. Eſt communior ſententia DD. Ratio eſt, quia ſententia eſt veluti lex quædam alicui priuatim impoſita. at lex non obligat, quando ex eius obſeruatione ſequeretur id, quod eſt contrarium fini legis. quare cum finis ſententiæ ſit vt cuique tribuatur quod ſuũ eſt, ſi ex eius obſeruatione contrarium eueniret, non obligat.

24 *Sententia nitens falſa præſumptione, vel falſis probationibus.*

Vnde ſequitur Primò, Eum, qui per talem ſententiam, aliqua re priuatus eſt, vt legato, vel hæreditate, vel multatus pecunia, non teneri in conſcientia ad ſolutionem; niſi non parendo ſententiæ maius malum aut ſcandalum timeretur.

25 *Non tenetur ſoluere.*

Sequitur Secũdò, Eum, cui res talis eſt applicata, ſi ſciat ſententiam falſo fundamento niti, non poſſe eam retinere, ſed obligari reſtituere; quia illa res eſt alterius. Ita Sotus l. 3.q.4.ar.5. & Innoc.in c.Quia plerique.8.de immunit. Eccleſ. & alij.

26 *Cui res applicata, tenetur reſtituere.*

Nec obſtat quòd Reſpub. & Princeps poſſit ex cauſa de bonis ſubditorum diſponere, eaque alijs tribuere, vt patet in præſcriptione; hic autem videatur eſſe ſufficiens cauſa, nempè vt publica iudiciorũ forma ſeruetur: quia etſi hæc cauſa forte ſit ſufficiens vt Iudici tribuat auctoritatem iudicandi ſecundũ allegata & probata contra priuatã ſententiam ſuam, & exequendi iudicatum; tamen non eſt ſufficiens, vt ille amittat re vera rem ſuam, ita vt in foro conſcientiæ teneatur ea alteri cedere, aut vt alter, cui applicata eſt, non teneatur eam reſtituere ſi poſſit, & ſciat ſententiam falſa præſumptione niti: hoc enim ad bonum publicũ non eſt vllo modo neceſſarium, aut expediens. quis enim dicat expedire Reip. vt ſi per calumniam probatum ſit me eſſe hæredem à Petro inſtitutum; poſſim nunc hæreditatẽ mihi arrogare, etſi certo ſciam me hæredem non eſſe? aut vt fiſcus poſſit ſibi vindicare bona eius, de quo illi certo conſtat, per falſos teſtes conuictum de hæreſi vel inceſtis nuptijs? ſane nulla æquitas hæc patitur.

27 Aduerte tamen, ſi quis eſſet priuatus beneficio vel offi-

Institutus in beneficio quo alius iniustè priuatus.

cio per ſententiam ſecundum allegata & probata latam, & illud tibi a legitimo collatore eſſet collatum; probabile eſſe te non teneri ad reſtitutionem, etiamſi ſcires ſententiam falſis probationibus niti; id enim docet Innocent. in capit. Quia plerique 8. de immunitate Eccleſ. & Panormi tan. in cap. 1. de conceſſione præbendæ, Gloſſa ibidem, & communiter Canoniſtæ, probant, quia hoc ipſo, quo condemnatus non appellauit, acquieuit ſententiæ, & ita tranſiuit in rem iudicatam iuxta capit. Quod ad conſultat. 15. de ſententia & re iudicata. & capit. Cum dilectus 32. de electione.

Verum hæc ratio non ſatisfacit: ſolum enim probat,
28 præſumendum in foro externo ſententiam fuiſſe iuſtam, eo quòd non appellauerit; & ideò poſtea illum non eſſe admittendum in iudicio, ſi repetat beneficium; non tamen probat beneficium iuſte retineri; ſi ſciatur illum iniuſtè priuatum.

Vnde aliter probatur hæc ſententia, quia Eccleſia & Reſpubl. eo caſu priuant reum abſolutè beneficio vel officio, & applicant ei, cui poſtea cõferuntur: id enim facere poſſunt, cum hæc ſint bona communia, in quibus multo maiorem habẽt poteſtatem, quam in fortunis priuatorum, & aliàs ſubeſt iuſta cauſa ſic faciendi: tum ne iuriſd. ctiones ſint incertæ, quæ res multo maioris eſt momenti, quàm vt nemo ſine culpa iure ſuo priuetur: tum quia cum conſtiterit de innocentia Rei, facilè poterit ei alia ratione conſuli, conferendo ei aliud officium vel beneficium: tum quia quamdiu non conſtat publicè fuiſſe innocentem, reſtitutio eſt impoſſibilis: nam beneficium non poteſt reſtitui, niſi per collatorem: collator autem nolet reſtituere, vel quia de Rei innocentia illi non conſtat, vel quia nolet videri feciſſe contra iudicis ſententiam, vel quia ipſemet eſt Iudex, qui reum priuauit. quare is, cui tale beneficiũ eſt collatum, poterit illud retinere, cum reſignando non poſſit alteri prodeſſe. neque etiam tenetur illi reſtituere fructus: ſi enim titulum retinere poteſt, & præſtare officium, etiam fructus poteſt ſeruare, cum hi ſequantur titulum, & debiti ſint propter officium. neque tenetur alia ratione compenſare; quia cauſa nõ eſt, cur alter ſit priuatus. vnde hic queri non poteſt, ſibi ab illo iniuriam fieri. Idem dicendum de officijs ſæcularibus.

Dico Secundò, Reus tamen in hoc caſu non poteſt per
29 vim ſe defendere contra Iudicem aut miniſtros, ne ſententiam talem exequantur. Ita Diuus Thomas quæſtio. 69 artic. 4. Sotus lib. 5. quæſtio. 6. artic. 4. eſtque fere communis ſententia Doctorum. Probatur Primò, Quia Iudex habet Ius exequendi talem ſententiam, immo auctoritate Principis & Reipubl. ad hoc compellitur. ergo reus non poteſt ei reſiſtere: alioquin daretur bellum vtrimque iuſtum, abſque ignorantia. Secundò, Quia naſceretur inde graue ſcandalum & perturbatio in Repub. nam omnes iudicarent illum committere crimen maieſtatis, & concurrerent ad eum opprimendum; & ſi benè illi cederet, nefarij homines imitarentur. Suppono Iudicem ſeruato Iuris ordine proceſſiſſe.

Non poteſt ſe per vim tueri.

Aduerte tamen, quoſdam ſentire, in hoc caſu non eſſe
30 illicitum vti mera defenſione, ſi ſcandalum abſit, & alioquin innocens plectendus eſſet morte. Ita etiam dicitur tenuiſſe Franciſcus Victoria, & docent quidam Iuriſperiti, quos citat Couarru. lib. 1. variar. cap. 2. num. 13. nempè Paris a Puteo, Lucas Penna, & Hippolytus. quæ ſententia probari poteſt, quia Iudex & miniſtri in eo caſu non habent verum ius inuadendi, cum iſte non ſit dignus pœna; ſed ſolum præſumptum, ſeu in opinione; ergo poteſt aduerſus eos vti defenſione: ſicut qui inuaditur ab innocente furioſo, poteſt ſe contra illum tueri, etiam cum ipſius lęſione & morte, ſi aliter eius vim declinare nequit: eo quòd ille Ius inuadendi non habeat. ſimiliter quando erratur in perſona malefactoris. Idem & potiori ratione dicendum, ſi Iudici de iniquitate cauſæ conſtaret. Verum ego illam ſententiã in vſum non facile admiſerim, maxime propter ſcandalũ, quod vix abeſſe poteſt. Quòd ſi Iudex non proceſſiſſet Iuris ordine ſeruato, tunc omnino poſſet reus ſe defendere, vt etiam D. Thom. fatetur.

Sententia quorundam.

DVBITATIO V.

Vtrùm reus poſſit fugere ex carcere, & vincula carceremque effringere.

RESPONDEO & dico Primò, Ante ſententiam fugere poſſe, niſi forte iurauerit ſe permanſurum. eſt communis ſententia DD. (vide Couarru. lib. 1. var. cap. 2. num. 11.) quam vſus omnium gentium cõfirmat. Ratio eſt; quia non conijcitur in carcerem vt ibi ſpõte maneat, (hoc enim nemo, vel certè perpauci facturi ſunt) ſed vt ibi detineatur interim dum cauſa eius excutitur. Nec refert, quòd ex fuga illa commentarienſi damnum obueniat; quia iure ſuo vtitur, & ille ſuæ negligentiæ id aſſignet, vt qui non melius illum cuſtodiuit. hic tamen reus conſiderare debet, vtrùm tanti ſua intereſſit fugam capeſſere, vt damnum illud proximi ſecundum charitatis legem non ſit curandũ. 31 *Ante ſententiam poteſt fugere.* 32

Dico Secundò, Etiam poſt ſententiam fugere poteſt, ſi damnatus ſit ad pœnam mortis vel mutilationis; D. Thom. quæſt. 69. art. 4. & Caietan. ibidem. Sotus lib. 5. quæſt. 6 artic. 4 Couarruu. ſupra. Ratio eſt, quia non poteſt ei præcipi cum obligatione vt cum tanto damno ſuo ibi maneat: hoc enim præceptum eſſet nimis difficile, inhumanum, & quodammodo ſuperans humanam conditionem. confirmatur ex D. Thoma ſupra, quia nemo poteſt condemnari ad faciendum aliquid, vnde ei mors ſequetur; adde, vel aliquod graue corporis damnum, atqui ſponte manere in carcere in hoc caſu eſt aliquid facere, vnde mors vel graue damnũ ſequetur: vt inquit D. Thom. ergo, &c. 33 *Etiam poſt ſententiã poteſt.*

Vbi Nota, etſi poſſit quis aliquid facere, ex quo per accidens ſeu ab alio mors inferetur, vt manere in carcere, aſcendere ſcalas, præbere iugulum & ſimilia: nemo tamen poteſt ad hæc facienda ita condemnari, vt quouis euentu ad hæc obligetur; nam ſi offenderetur ſpes euaſionis, poſſet reus etiam ſub patibulo vel ictu gladij fugam capere: tantum enim cuique Iuris eſt ad vitæ conſeruationem, vt nulla poteſtas humana obligare poſſit ad eam non conſeruandam, ſi eius conſeruandæ ſpes & copia oſtendatur: niſi bonum publicum aliud poſtulet; vt ſi vrbs in periculo verſetur; nam pars pro toto exponenda eſt. vbi autem talis cauſa non ſubeſt, nimis durum & inhumanum eſſet tale præceptum. vnde patet non poſſe lege humana ſtatui vt dãnatus ad mortem vel mutilationem, vel etiam aliam grauem pœnam corporalem, non poſſit fugere; quod eſt cõtra Caietanum, qui exiſtimat, etſi reipſa nulla talis lex ſit, poſſe tamen ſtatui, & tunc reum obligatum iri vt maneat in carcere, quamuis eſſet capite plectendus. ſed nobiſcum ſentit Sotus & alij, ob rationem allatam. 34 *Interdum ſeruãdus eſt ordo iuris.*

Sed difficultas eſt, vtrum poſſit tunc vincula rumpere & carcerem effringere. Quidam DD. negant, Henricus quodlib. 9. q. 25. Couar. l. 1. var. cap. 2. nu. 14 fauet Syl. v. Accuſatio. num. 12. Probatur Primò, quia carceris effractores grauiſſimè à legibus puniuntur, nempè pœna capitali, vt probat Couar. ex quatuor legibus Ciuilibus: ergo peccant ſic fugiendo vel fugam moliendo: ſi enim non peccarent, tam grauis punitio eſſet iniuſta. 35 *Effringere carcerem.*

Secundò, Si licuiſſet carcerem effringere, non tenerentur de damno inde ſecuto; atqui tenentur, vt etiam Caiet. & Sotus, docent: ergo. &c.

Tertiò, Quia effringere carcerem eſt vim inferre publicæ poteſtati. Hęc ſententia eſt probabilis. Contraria tamen eſt verior & probabilior, vnde.

Dico Tertiò. Eum, qui licite poteſt fugere, poſſe ẽt vincula rumpere & carcerem perfundere. Ita Caiet. & Sotus ſupra. Nau. c. 17 num 102. & paſſim recentiores. Probatur Primò, Quia cui licitus eſt finis, licita etiam ſunt media: ergo cui licita eſt fuga, licitum etiam ſe ad eam expeditum reddere, eiuſque impedimenta remouere. Neque hoc eſt vim inferre poteſtati publicæ; quia hæc non eſt in vinculis & lapidibus, ſed in Iudice & miniſtris, quibus nõ licet vim inferre, quãdo iuſta eſt condemnatio. ſecus eſt de vinculis & carcere: ſicut ſi quis obijceretur leoni deuorãdus, poſſet ſe pro viribus contra eum tueri. Secũdò, Reus non tenetur ibi manere, ſed Iudicis eſt curare vt vi maiore detineatur, ideo enim catenæ, compedes, numellæ ſunt ferrea, & carceres firmiſſimi. alioquin ſi vinculis ſtupeis conſtrictus eſſet, non poſſet ea diſrumpere, quod eſt ridiculum. Tertiò, 36 *Poteſt effringere.*

Illud præceptum oblata occasione euadẽdi, nimis esset durum, & humanis moribus minimè accommodatum.

37 *Ad 1ũm.* Vnde ad primum Respõdeo, Legislatores illos fortè fecuros fuisse alteram sententiam, quæ etiam est probabilis; vel certè illos procedere ex præsumptione, quod effractores vim custodibus intulerint, quod ipsa verba legis insinuant, præsertim lex pen. ff. de custodia & exhibit. & l. 1. ff. de effractor. bus. Vel denique, etsi culpa in tali fuga non sit, tamen ob bonum Reipub. vt facilius Rei possent detineri; posse aliquam illatam potuisse, non quidem capitis, (nisi forte vis illata esset custodibus) sed mitiorem, pro arbitrio Iudicis. non enim pœna effracturæ est supplicium capitis, sed longè clementior, & arbitraria, vt docet Gomez. tom. 3. cap. 9. num. 11.

Ad secundum: Quod teneantur ad reparationem carceris, id provenit non ratione iniuriæ illatæ, sed ratione taciti contractus. cum enim iuste detineantur, videntur tacitè consentire in compensationem damni, si quod fugiendo inferant directè: idque merito Reipub. potest ab illis exigere. non enim par est vt per fugam suam damnum Reipublic. inferant. Fato tamen hanc restitutionem vix esse in vsu.

38 *Si alij eoque fugerunt.* Notandum tamen, si occasione fugæ tuæ, carcere pertuso, etiam alij captiui fugiant, non ideo teneberis de dãno, quod inde actoribus vel Reipub. evenit; quia illorum fuga per accidens tribuitur ex tuo facto, nec tenebaris illam impedire, aut propter illam vitandam iure tuo non vti. vt rectè Michael Salon. q. 69. art. 4. Non tamen videtur verum, quod ibidem docet, minùs condemnatum, si carcerẽ perfregerit, etiam ad reparationem eius teneri; quia cum per iniuriam detineatur a Reipub. seu Reipub. ministro, potest vtrore suo & erumpere absque animo compensandi incõmodi, quod Reipubl. ex illa eruptione incurrit, eo quòd ipse non haberet ius illum sic detinendi: sicut si detineat à priuato, possim perfundere murum, nec teneor illud damnum rependere.

Ad tertium patet ex dictis.

39 *Damnatus ad carcerem.* Dico Quarto Damnatus ad pœnam carceris temporariam non potest fugere. Probabile tamen est damnatum ad carcerem perpetuam, grauem præsertim; item damnatum ad triremes, fugam capere posse.

Prior pars est communis, quia hæc pœna non est ita grauis, quin reus, qui ob sua crimina, iuste ad eam est damnatus, debeat eam sponte subire; sicut soluere mulctam pecuniariam, concedere in exilium, seruire ad tempus in hospitali, manere ad tempus conclusus intra Monasterium, & similia.

Altera pars, *de carcere perpetuo*, præsertim graui, est contra Caiet. q. 69 ar. 4. Sotum sup. & Couar. nu. 14. hi enim putant eum *non posse fugere*: quæ sententia etiam probabilis est. Crediderim tamen cum Michaele Salon, eum posse fugere, si carcer valdè grauis esset. tum quia non tam condemnatur vt ibi sponte maneat, quàm vt detineatur; tum quia nimis graue esset, obligare in conscientia ad sponte manendum, quando esset euidens spes euadendi. secus si carcer esset laxus & commodus.

Triremes. Idem, & potiori ratione dicendum de damnatis ad *triremes*: non enim damnantur vt sponte ibi maneant, sed vt detineantur.

Exilium. De *exilio* alia est ratio; nam illa pœna non potest executioni mandari, nisi spontanea actione Rei. si tamen exilium esset grauissimum, fortè non esset illicitum fugere.

Seruitus. De pœna *seruitutis*, videtur eadem ratio atque de carcere perpetuo. Itaque si seruitus esset valde dura, posset fugere. secus si esset tolerabilis. Salonius tamen generatim tenet damnatum ad seruitutem, absolute posse fugere, sicut seruos bello captos, quod non videtur improbabile; præsertim cum seruitus sit mors ciuilis.

DVBITATIO VI.

Vtrùm alij possint reo fugam è carcere consulere & auxilium ad eam præbere.

40 *Possunt qui non ministri iustitiæ.* RESPONDEO & dico Primò, Cuicumque fas est fugere, ei possunt alij fugam & vinculorum diruptionem consulere, modo non sint potestatis publicæ ministri. ita Caiet. & Sotus. & alij passim. ratio est, quia quod tibi licitum est facere, id potest tibi esse suasor & auctor vt facias; nisi ratione officij prohibeat; quo modo prohibentur ministri iustitiæ; qui cum ex officio teneantur curare, vt reus detineatur, contra iustitiam Reip. debitam facerent, si fugam suaderent.

41 *Præbere instrumenta captiuo.* Dico Secundò, Probabile etiam est, licitum esse eisdem captiuo porrigere instrumenta, quibus vincula incidat. & carcerem effringat. est contra Sotum l. 5. q. 6. art. 4. sed ita expressè docent Caiet. & Michael Salon. sup. Probatur Primo, Quia si potes alicui conferre finem, cur non etiam porrigere media necessaria ad illum consequendum, præsertim cùm consilium non videatur aliud esse quam spirituale quoddam instrumentum? Secundò, licitum est obiẽdere illi viam & modum, quo possit elabi, vt etiam Sotus fatetur, (hoc enim ad consilium pertinet) atqui hoc non est minus opitulari, quàm præbere instrumenta. Tertiò, Nulla est ratio, cur non possim præbere instrumentum ei, qui licite vteretur, nisi ob aliquam peculiarem causam id mihi sit prohibitum. Neque, id est, violare publicam custodiam, quia non nuo effringere, neque porrigo instrumenta ei, qui iniustè vsurus sit.

42 Dices, Si quis probaretur instrumenta præbuisse, grauiter puniretur; ergo est peccatum.

Resp. Etiam consultor effractionis & fugæ, & ipse reus fugiens punitur, & tamen hæc consulere licet, & fugere, etiam sententia Soti.

43 Aduerte tamen, quamuis reo non possit prohiberi ne fugiat, ita vt obligetur in conscientia, tamen alijs potest prohiberi ne aut fugam suadeant aut instrumenta præbeant. non enim alij tantum Iuris ad hæc habent, quantum ipse reus, neque illis hoc præceptum ita est durum, sicut reo.

44 *Non possunt iuuare effringendo.* Dico Tertiò, Non tamen possumus iuuare reum effringendo exterius carceres & rumpendo vincula. est communis DD. Probatur Primò, Quia solus reus ad id ius habet, propter maximum incommodum, quod ipsi imminet. Secundò, Alioquin nihil posset Iudicibus satis esse firmum & tutũ ad custodiam reorum; quod cederet in maximum Reipub. damnum.

DVBITATIO VII.

Vtrùm aduocati teneantur pauperibus patrocinari gratis.

D. THOM. QVÆST. 71. ART. 1.

45 *In extrema necessitate tenetur.* RESPONDEO & dico Primò, In extrema necessitate pauperis, quando putatur nemo alius illi patrocinium præstiturus, quiuis aduocatus tenetur ei succurrere, etiam gratis. Ita D. Thom. q. 71. ar. 1. & alij DD. dicitur autem esse *in extrema necessitate*, v. g. cum imponitur illi crimen, ob quod plectendus sit capite, vel spoliandus omnibus bonis & in extremam coniiciendus inopiam, nisi defendatur. ratio est, quia quisque tenetur extremè egenti illud impendere quo ipse instructus est, si ipse similiter non eget, vt si pauper extremè eget cibo, tenetur succurrere qui habet cibum, qui autem non habet cibum, sed pecuniam, non tenetur, nisi in defectum alterius, vt si aliter cibus obtineri non possit. si extremè eget pecunia tenentur succurrere qui pecuniam habent; si opera medici vel chirurgi, tenentur hi gratis operam suam præstare; neque diuites tenentur pro eo soluere, nisi fortè illi ex sua malitia nolent aliter opitulari: tunc enim pecunia illi esset necessaria ad vitę conseruationem. Idem dicendum de aduocato, cuius patrocinio pauper extremè eget. vide Diuum Gregorium Homilia nona in Euangelia, sub finem; *Habens*, inquit, *intellectum, cur omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, a misericordia largitate non torpescat: habens artem, qua regitur, vsum illius cum proximo partiatur; habens loquentis vsum, apud diuitem, pro pauperibus intercedat. tantum quippe ab vnoquoque nostrum venturus Iudex exiget, quantum deest.*

46 *Vtrum etiã in graui.* Sed difficultas est, vtrum idẽ dicendum sit de graui necessitate? Nauarrus cap. 25. num. 20. putat non teneri nisi in extrema necessitate pauperis, quando ex patrocinio vita ipsius vel ipsi coniunctorum, vt patris, matris, vxoris, prolis,

prolis, pendet: quod intelligi, nō teneri sub peccato mortali; nam intolerabile esset dicere hoc non esse peccato tenere. Idem sentit Caietanus in hunc articulum, dicens tunc solum obligari sub venali. Sed contrarium longe verius vide.

Etiam in graui tenetur.

Dico Secundò, In graui necessitate pauperis (vt si is iniustè damnandus putaretur ad triremes, ad publicam flagellationem, ad diurum carcerem, vel amissa lite in graue morbū incidaturus) tenetur aduocatus sub peccato mortali suum patrocinium exhibere, modo ipse aliquo modo superfluum suo statui habeat vnde eli, modo præterea non opus sit eundem operam, quæ illi necessaria est ad Rempublicam seruandum aliquid temporis vel industriæ superflue impendat. Sylu. v. Aduocatus, nu. 11. Sotus lib. 5. de Iust. & Iur. quæst. 8. art. 3. Patet ex dictis de eleemosyna q. 32. art. 5. vbi diximus, eum, qui quoquomodo superfluum habet, teneri graui necessitate proximi sub peccato mortali; quod etiam docet Caietanus vnde parum sibi constat, dum hic contrarium tradit. Communis necessitas vix locum habet in re ita materiali; quia causæ iudiciales sunt ordinarie magni momenti respectu pauperum, vel certe pauperes non sunt. vide supra c. 12. dub. 12. & cap. 16. dub. 1.

DVBITATIO VIII.

Quando aduocatus teneatur ad restitutionem parti.

47 *Negligentia imperiti aduocati.*

RESPONDEO, & dico Primò, Quando ex negligentia vel imperitia ipsius aduocati tota causa excidit, tenetur de damno, quod ipsi inde obuenit. ratio est, quia lege iustitiæ tenetur suo clienti pro cautę conditione diligentiam præstare: vt si sit difficilis, si magni momenti, teneatur magis laborare, quam si facilis vel parui momenti. similiter ex officio tenetur esse instructus conuenienti peritia, cùm pro idoneo aduocato se gerat, & vt talis stipendia exigat. vide sup. c. 7 dub. 7.

48 *Si aduertit causam esse iniquam.*

Dico Secundò, Quando tuetur causam, quam aduertit esse iniquam, tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ parti obueniunt ratione illius patrocinij; vt expensarum factarum, & eorum omnium, quæ per litem amisit: tenetur etiam suo clienti, si cum bona fide processerit, non monuit de cautę iniustitia. horum enim omnium est causa, vel committendo, vel omittendo contra debitum officij.

49 *Cliens monendus.*

Vbi Aduerte Primò, Si cliens monitus de cautę iniustitia, nolit desistere, aduocatum debere illum deserere; non tamen secreta causa prodere parti, nisi id foret necessarium ad graue aliquod damnum proximi impediendum. tunc enim deberet iudici aperire, vt occurrat, quia enim Iure charitatis tenetur proximi damna impedire, quantum sine suo damno potest. Neque tunc potest inducere partem ad transactionem, si ea cum damno eius futura esset: quia solum in causa dubia, trāsactio locum habet. vide D. Th. q. 7. art. 3. ad 2. Sylu. v. Aduocatus, num. 16. & Nauar. cap. 25 num. 28. vnde grauiter peccant aduocati & consiliarij, qui dum in lucellu litis aduertunt partem alteram tueri causam iniquam, inducunt alteram ad compositionem.

Transactio non suadenda.

Aduerte Secundo, Aduocatum Rei, qui ipsum fraudibus defendit contra fiscum, non teneri ad compensandum

50 *Fraudibus contra fiscū defendens.*

emolumentum, quod fisco ex damnatione prouenisset, si illum non defendisset, sicut nec ipse reus tenetur. quia pœna non debetur, nisi secuta sententia: ac proinde nec compensatio. & quamuis fraudibus iltis faciat iniuriam Reipublicæ quatenus peruertit iudicium publicum; hæc tamen iniuria non obligat ad restitutionem: quia non est contra Iustitiam particularem, sed legalem: qualis etiam est iniuria Rei falsum testem subornantis, vt pœnam euadat.

51 *Aduocatus fisci.*

De aduocato fisci est maior dubitatio, multi enim Doctores inter quos est Michael Salon, putant hunc teneri ad compensandum fisco emolumentum talis pœnæ, si causam eius negligenter aut non fideliter egit; nam ex officio tenetur fisci commodis consulere. Sed contrarium videtur verius ex contrario fundamento: quia officium eius non est curare vt fiscus multis & confiscationibus diuescat, sed vt leges seruentur, & legum violatores puniantur. Itaque cùm ipse ex iustitia non teneatur causam prosequi vt fiscus bona rei acquirat, non tenetur ad restitutionem, etiamsi causæ prosecutionem omittat, præsertim cùm fiscus ius proprium non habeat ad bona illa non habeat, nisi secuta damnatione vel criminis declaratione. vide supra cap. 13 dubitatione 10.

Si accusator desistat in probatione.

Aduerte Tertiò, Si clienti intenteretur actio criminalis, & aduocatus eum ita defendat vt accusator non potuerit cōuincere, & ideo damnatus fiat pœnam rationis, non tenetur aduocatus ad restitutionem illius damni, necessitet regulariter, quod etiam contra Nauar. cap. 27. num. 209 sed ita docet Couarr. in Clem. si furiosus. p. 2. §. 5. num. 5. & Salonius qu. 71. artic. 3. controuers. 1. Ratio est, quia hoc damnum per accidens & præter ipsius intentionem accusatori obuenit, cuius ipse causam non tenebatur iuuare. Idem dicendum de reo, ex cuius negatione sequitur accusatori pœna.

DVBITATIO IX.

Vtrùm aduocatus possit causam dubiam tueri.

52 *Si causa dubia.*

RESPONDEO Primò, si vtraque pars est quasi æquè probabilis, potest suscipere vtriusuis; id est, siue Rei, siue actoris patrocinium; tunc enim vterque ius habet iudicem experiundi.

Dico secundò, Si causa Rei minus quidem sit probabilis quàm actoris, absolutè tamen sit probabilis, potest aduocatus eam tueri. Sotus l. 5. qu. 8. art. 3. Patet, quia reus tunc se potest tueri ergo, &c.

53 *Si causa actoris sit minus probabilis.*

Sed difficultas est, si causa actoris sit minus probabilis, quàm rei? Sotus existimat aduocatum tunc non posse causam actoris suscipere, si inde graue damnum Reo immineret; id enim fore contra charitatem. quod tamen locum habere potest, quando causa potiri, parum interest actoris. ordinariè tamen quando causa est verè probabilis, suscipi potest, siue sit actoris, siue Rei; quia non semper id, quod videtur probabilius, est verius. imò sæpè id, quod minus videtur, verius est vnde etiamsi aduocato videtur causa Rei probabilior; potest tamen bona fide suscipere causam actoris, quæ etiam probabilis sit, & subijcere se Iudicis determinationi, allatis ijs, quæ pro illa faciunt.

54 *Obiectio 1.*

Dices Primo, Ea pars est iure potior, cuius causa est probabilior: atqui iniquum est agere contra eum, qui maius ius habet: ergo, &c.

Respondeo, Ille, cuius causa est probabilior, videtur quidem iure potior, non tamen semper est reipsa: vnde is, cuius causa est probabilis, nō tenetur eam deserere, quòd aduersæ partis videatur probabilior; sed potest adferre quæ pro sua faciūt; & totam determinationem Iudici relinquere, cui fortè aliter videbitur.

Obiectio 2.

Dices Secundò, Cuius causa est minus probabilis, non potest alteri bellum inferre; vt patet ex dictis q. 40. ar. 1. dubit. 4. ergo nec litem aduersus eum suscipere.

Alia est ratio litis, alia belli.

Resp. negando conseq. Ratio est, quia per litem fit inquisitio veritatis, vtri reipsa plus iuris cōueniat, & decisio relinquitur Iudici, cuius est vtriusque partis momenta expendere. sed belli illatio est sententiæ executio: vnde supponit sententiam esse latam, vel debere ferri in fauorem eius, qui bellum infert. cuius autem ius est minus probabile, non debet sententia pro illo, sed potius contra illum ferri; ac proinde non potest bellum mouere.

Vtrùm autem Iudex teneatur sequi sententiam probabiliorem in Iudicijs, dictum est 1-2. quæst. 19. art. 6. dubitatione 7.

SECTIO

SECTIO QVINTA.
DE OFFICIIS IVSTITIÆ
DISTRIBVTIVÆ.

HACTENVS dictum eſt de officijs Iuſtitiæ commutatiuæ, quæ potiſſimum cernuntur in tribus, nempe in reſtitutione ob varias cauſas factâ; in commutationibus contractuum; & in publicis Iudicijs, quibus puniuntur rei & abſoluuntur innocentes. Sequitur vt breuiter agamus de functionibus Iuſtitiæ diſtributiuæ & iniurijs, quæ ibi committuntur. Hæ autem functiones maximè conſiſtunt in diſtributione onerum & officiorum publicorum. Hæc onera publica potiſſimùm ſunt vectigalia, & tributa; officia autem publica ſunt vel ſæcularia vel eccleſiaſtica, quæ dicuntur beneficia, in quibus maximè committi ſolet ſimonia. Iniuria autem, quæ propriè iuſtitiæ diſtributiuæ repugnat, vocari ſolet acceptio perſonarum. quamuis hæc etiam contra Iuſtitiam commutatiuam interdum admittatur. Quare hæc ſectio conſtabit quatuor capitibus. Primum erit, De acceptione perſonarum generatim, & ſpeciatim in officiorum diſtributione. Secundum, De vectigalibus. Tertium, De beneficijs. Quartum, De ſimonia. etſi enim ſimonia propriè ſit contra virtutem religionis; tamen quia maximè in beneficijs locum habet, de ea proximè poſt beneficia diſputabimus.

CAPVT XXXII.

De acceptione perſonarum.

Habet 4. Dubitationes. D. Thomas q. 63.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit acceptio perſonarum, & quale peccatum.

1 DICO Primò, *Acceptio perſonarum*) Græcè προσωπολημψια, quod nomen non minus rectè potuiſſet verti *acceptio vultus*, vel *facies*, vt paſſim ex Hebræo conſtat noſcipotuiſſe) generatim iuxta modum loquendi Scripturæ dicitur, quando in aliqua diſtributione non reſpicitur cauſa, ſed perſona; id eſt, aliqua perſonæ conditio nihil ad prædictam diſtributionem faciens, ob quam is, qui minus dignus eſt, præfertur digniori. vt ſi quis Prælatus beneficia, officia, vel ordines ſacros, omiſſis dignioribus, conferat indignis, vel minus dignis, quia amici, conſanguinei, diuites. ſi Iudex ſententiam ferat pro amico, non pro eo, qui Ius habet. Itaque duo proprié ad hoc vitium requiruntur. Primò, Vt bona, quæ diſtribuuntur, ſint aliquo modo communia, ſaltem deſtinatione eius, qui illa diſtribuit: vt ſi quis ludos inſtitueret propoſitis præmijs, & ea diſtribueret poſtea non victoribus, ſed amicis ſuis; diceretur acceptor perſonarum. Secundò, Vt in diſtribuendo ſpectetur aliqua conditio perſonæ, nihil ad diſtributionem faciens, ob quam indignior præfertur digniori. Hinc patet, apud Deum non eſſe acceptionem perſonarum, etſi dona ſua neque omnibus, neque æqualiter inter homines diſtribuat. Primo, Quia acceptio perſonarum locum non habet, dum quis bona ſua propria, ad quæ illi, quibus fit diſtributio, nullum Ius habent, diſtribuit. Secundò, Deus in hac diſtributione non præfert indignum digno, ob aliquam conditionem in homine exiſtentem, quæ nihil ad diſtributionem faciat. etſi enim interdum minus dignos maioribus auxilijs præueniat, id facit ob iuſtiſſimas cauſas, nempe vt oſtendat ſe gratis dare, & nemini ſe eſſe debitorem horum donorum. Tertiò, Quia omnibus auxilia prima ſalutis impertit, prout fert conditio cuiuſque, & quemque iuuat ad vlteriora, ſaltem quatenus ſe ille per priora auxilia diſpoſuit & idoneum reddit. Hinc Actor. 10. cum Petrus cognouiſſet Cornelium gentilem cum familia ad fidem Chriſti vocari, dixit: *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui timet eum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*; vbi inſinuat potuiſſe videri acceptionem perſonarum apud Deum, ſi ſolis Iudæis, non etiam Gentibus eum timentibus & iuſtitiam operantibus, fidem in Chriſtum contuliſſet. cùm enim Cornelius ſe per priora auxilia idoneum & dignum feciſſet hoc dono, & Iudæi plerique eſſent indigni, debebat etiam ipſi conferri. alioquin viſus fuiſſet Deus acceptor perſonarum: nam viſus fuiſſet Iudæos minus dignos præferre Gentibus dignis, idcircò tantum quòd Iudæi eſſent; & pluris valuiſſent apud Deum in dono fidei conferendo eſſe Iudæum, quàm Deum timere & mandata eius obſeruare in Gentibus. hæc tamen acceptio perſonarum non fuiſſet contra iuſtitiam: quia Gentes ad Chriſti fidem Ius non habebant, vt probat Apoſtolus ad Rom. 15. Simili modo Apoſtolus ad Rom. 2. dicit *apud Deum non eſſe acceptionem perſonarum*; eo quòd cuique ſiue Iudæo ſiue Græco reddet ſecundum opera ſua. vnde inſinuat, ſi Iudæis malè operantibus parceret, quia Iudæi; Gentibus autem malè operantibus non parceret; vel ſi Iudæos benè operantes remuneraret, Gentes non remuneraret; fore acceptionem perſonarum: etſi ſu parcendo his, non illis, non eſſet iniuſtitia.

Duo requiruntur. 2

In Deo non eſt acceptio perſonarum. 3

Dico Secundò, Acceptio perſonarum ex genere ſuo eſt peccatum mortiferum, quia fit cum iniuria proximi: ratione tamen exiguitatis materiæ, poteſt eſſe peccatum veniale: vt ſi in re parui momenti (v.g. in loco accumbendi ad menſam) præferatur minus dignus digniori; vel ſi non ſit magnum diſcrimen inter minus dignum & digniorem. 4 *Quale peccatum.*

DV-

DVBITATIO II.

In quorum bonorum distributione potissimum locum habeat acceptio personarum.

1 RESPONDEO, Primò, In distributione Iuris, quã facit Iudex, dum partibus ius dicit; vt docet D. Thom. q. 63. art. 4. etsi enim ius dicere sit actus iustitiæ commutatiuæ, quatenus ex officio est debitum; tamen quatenus fit inter duos, habet modum iustitiæ distributiuæ. Ius enim suo modo est quoddam bonum commune distribuẽdum partibus. In huius igitur distributione, si Iudex aliquid respiciat præter causarum merita, committit hoc vitium acceptionis personarũ; quod sæpè ei prohibetur in Scripturis; Leu. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, sed iuste iudica proximo tuo.* Item Prouerb. 18. *Accipere personam in iudicio non est bonum*, id est, nihil habet boni, valdè est malum.

2. In iure dicendo.

Vbi Aduerte, non tantum esse vitium acceptionis personarum, quando Iudex in ferenda sententia cõsiderat personam potius quàm æquitatem causæ; sed etiam quando causas pauperum differt & extrahit; causas autem diuitũ expedit. Similiter quando vni parti concedit longiorem terminum ad probandum vel informandum quàm alteri, cum tamen par sit vtriusque ratio.

6 *Obiectio.* Dices, Iudicis arbitrio relinquitur vt terminos probationum constituat; ergo non facit iniuriam parti, si amico concedat longiorem.

Respondeo, Relinquitur arbitrio eius vt constituat terminos longiores vel breuiores prout expediens visum fuerit, & causa postulauerit; non autem vt pro sua libidine & gratificandi studio vni possit concedere terminum longiorem quam alteri: maximè cum notabili incommodo partis: nam hoc cõcessum est Iudicibus in gratiam vtriusque partis.

7 *2. In conferendis beneficijs.* Secundò, Locũ habet in collatione beneficiorum, & in electione & præsentatione ad illa beneficia. In iure naturali & positiuo debent conferri dignioribus, id est, qui optimè putatur officio functuri: vnde si consanguinitas, amicitia, vel humile quiddam nihil ad officium pertinens, in electione, præsentatione vel collatione spectetur, omissis dignioribus, committitur vitium acceptionis personarũ. vide D. Thomam ar. 2. Sed de hoc plura infra c. 34. dub. 13.

3. In officijs secularibus. Tertiò, In conferendis officijs sæcularibus, vt in officio Consulis, Prætoris, Senatoris, Consiliarij, Quæstoris, & similibus: hæc enim sunt bona quæ iam communia Reipub. instituta ad ipsius commodum, quorum distributio pertinet ad Principẽ. vnde tenetur iure naturæ ea maximè idoneis & Reipub. vtilibus conferre.

4. In vectigalibus. Quartò, Locum habet in oneribus distribuendis: hæc nulla proportione distribui debeat, ne pauperes magis grauentur quàm diuites; vt ca. 33. dicetur de vectigalibus.

8 *5. In honore.* Quinto, In exhibendo honore seu reuerentia: vt si quis in publico conuiuio aut in mensa alicui non assignet locũ, qui ex ratione eruditionis vel gradus debetur, debet tamen id fieri dolo vel lata culpa: alioquin non censetur iniuria.

9 *Cur honor debitus.* Notandum est, Talem, obquem alicui debetur honor, esse excellentiam naturæ rationali congruẽrem; quæ consistit in sapientia, virtute, & potentia. nullæ enim alię perfectiones reddunt naturam rationalem excellentem & honore dignam.

Vnde maximè honorandi, Primò, Homines sapiẽtia & sanctitate præditi.

Secundò, Qui potentia præstant; vt Principes, quia diuinæ potentiæ sunt participes: & parentes, quia post Deum sunt nobis principium naturæ.

Tertiò, Senes, quia senũ est signũ prudentię & virtutis.

Quartò. Diuites, quatenus diuitiæ sunt instrumentum virtutis, dum ad multa bona opera facultatem præbent. Quod si diuitiæ per se considerentur, nullo honore digniæ sunt; quia per se nullam excellẽtiam habent, qua naturam rationalem ornent, cum ex rebus infimis constent. vnde si quis diuiti propter illas (quasi illæ per se aliquid magni sint) honorem, præ aliis virtute aut sapiẽtia claris, exhibeat, committit vitium acceptionis personarum. nã in honore distribuendo non spectabitur causa, sed persona, cum iuria quadam probitatis & sapientiæ.

Aduerte tamen, dupliciter posse diuites ob diuitias præcisè consideratas honorari. Primò, Si solum exterius honorentur ob receptã consuetudinem, sine tamen interiori æstimatione & reuerentia erga diuitias; & hoc modo nõ est peccatũ, si fiat sine cuiusquam iniuria: quia externa illa cõsuetudo non est per se mala. Secundò, Si fiat ex interiori quadam æstimatione, qua diuitiæ secundum se præferãtur vel exequentur virtuti; & sic est peccatũ acceptionis personarum, quod reprehendit D. Iacobus c. 2. suæ Epistolæ, cum ait, *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. etenim si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens, in veste candida*, &c. vbi docet esse peccatum acceptionis; talem præferre fideli pauperi ob nudas diuitias. & fieri potest vt sit mortale, vt si fiat cum notabili alterius contemptu vel iniuria; alioquin est solum veniale. 10 *Dupliciter diuites honorantur.*

Dices, Videtur semper esse mortale; quia præferre diuitias virtuti, easq; pluris æstimare, videtur esse peccatum mortale; tum quia est magnus contemptus virtutis, tum quia talis videtur esse paratus deserere virtutem propter diuitias. 11 *Obiectio.*

Respondeo, Si expressè & cum plena animaduersione diuitiæ præferantur vel exæquentur virtuti, sine dubio id erit peccatum mortale, ob rationem allatam; sed regulariter non ita fit: nam hæc comparatio non fit expressè & formaliter, seu vt dici solet in actu signato; sed solum implicitè seu interpretatiuè ipso exercitio. solæ enim diuitiæ vertuntur oboculos & magni æstimantur, & relicta virtutis consideratione honorantur.

Dices Secundò, Honoris exhibitio pertinet ad obseruãtiam, non ad iustitiam distributiuam: ergo acceptio personarum in ea locum non habet. 12 *Obiectio.*

Respondeo Negando consequentiam; quia vbicumque est aliqua distributio rerum aliquo modo debitarum inter plures; ibi suo modo locum habet acceptio personarum, etiamsi talis distributio non sit propriè actus Iustitiæ distributiuæ; vt patet in Iure dicendo.

Dici etiam potest, exhibitionẽ honoris, quatenus respicit debitum singulorum virtuti seorsim, vbiq; comparatione ad virtutem aliorum, pertinere ad obseruantiam: quatenus verò immediatè respicit debitum proportioni, nimirũ vt honor exhibitus respondeat proportioni, quæ est inter virtutem multorum, sic pertinere ad iustitiã distributiuã: quia iustitiæ distributiuæ seruat formam.

DVBITATIO III.

Vtrùm illi, qui conferunt officia sæcularia, peccent mortiferè peccato acceptionis personarum, si non eligant dignissimos quosque.

13 *Assumentes indigni tenentur.* RESPONDEO & dico Primò, Eos, qui assumunt ad officia sæcularia, (v.g. ad officium Gubernatoris oppidi vel arcis, Prætoris, Capitanei, Secretarij, Commissarij, Quæstoris & similia) ineptos, aut qui malè putantur administraturi, peccare mortiferè, & teneri Reipub. ad facienda damna inde secuta est cõmunis sententia DD. Probatur Primò, Quia qui hæc officia conferunt, vel conferũt ea ex debito sui officij, vt Principes & Gubernatores; vel ex horum commissione. Si conferunt ex officij debito, tenẽtur lege iustitiæ procurare Reipub ministros idoneos: nã officium ipsorum obligat ipsos lege iustitiæ erga Rempub. cùm propter illud stipendia & tributa recipiant. sicut œconomus, cui gubernatio domus cõmissa est, tenetur ex officio (ac proinde ex iustitia) cõducere famulos & operarios idoneos. Si ex cõmissione, tenẽtur similiter ex iustitia: quia qui ex commissione facit, non minus tenetur, quam is, qui commissionem dedit: nam hoc ipso, quo commissionem seu mandatum acceptat, seipsum obligat ad ritè exequendum. Secundò, Principes & Gubernatores tenentur ex iustitia Rempub. rectè administrare, & quantum commodè possunt eius damna impedire: atqui hoc facere non possunt, nisi idoneis ministris & officialibus vtantur: nam pleraq; per hos exequenda sunt: ergo si ineptos adhibeant, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem

damni

damni secuti, qui enim causam damni dat, damnum dedisse videtur.

14 Dices, Etsi modo non sint idonei, speratur tamen aliquando valdè idoneos fore: ergo saltem poterunt talibus conferri.

Respondeo, Id posse interdum locum habere tranquillã Republica, dum officium per Vicarium administrari cõmode potest, & aliæ iustæ causæ, cur ita fiat, adsunt. Secus est quando Reipub. est turbata, & præsentem opem virorum aptissimorum, tum in politia, tum in militia flagitat.

Hinc patet, eos, qui constituunt Quæstores seu Receptores, quos sciunt malignè soluere, & tergiuersando munera extorquere a creditoribus, teneri rependere damna, quæ creditores per tales Quæstores incurrunt; si ipsimet Quæstores, qui proxima causa sunt, non restituant.

15 *Assumens minus idoneum.* Dico Secundo, Qui omissis aptioribus assumit minus idoneos, peccat quidem & sæpè mortiferè, non tamen tenetur ad restitutionem, si illi vere idonei erant. Colligitur ex Soto l.3. de Iustitia q.6.a.4. & aperte docet Michael Salon q.63. art 2. Petrus Arragonius eodem loco, qui pro eadem sententia citat Didacum Perezium.

Quòd peccet. Probatur Primò, Quia iniuriam quamdam facit digniori, præferendo ei minus dignum: maius enim ius habet, qui est aptior. hæc tamen iniuria non est contra iustitiam commutatiuam, ac proinde non obligat ad restitutionem, sed tantum contra iustitiam distributiuã, cuius ius constituit solum in maiore aptitudine & proportione ad bonum distribuendum.

Secundò, Quia plerumque nascuntur graues offensiones & alienationes animorum a Superioribus ob huiusmodi collationes, quæ interdum sunt causa multorum malorum, vt cum videant negligi eos, qui in fide & obsequio Principis perstiterunt, & exilia sint perpessi; promoueri autem, qui partis aduersæ fautores fuerunt.

Tertiò, Quia constituendo ministros minus idoneos, quando aptiores non desunt, facit contra fidelitatẽ, quam debet Reip. tenetur enim saltem ex fidelitate, procurare ministros quàm maximè idoneos, si potest: sicuti œconomus, si fideliter officium suum præstare velit, tenetur conducere operarios & ministros domino suo quàm maximè idoneos, quantum commodè potest. vnde sicut œconomus grauiter peccaret contra fidem ex officio debitam domino suo, si in conducendis operarijs solum spectaret vt suos amicos promoueret, reiectis alijs, qui longè plus prodesset domino; ita illi, qui officia, Reip. conferunt, grauiter peccãt, si promoueant eos tantum, qui sanguine vel amicitia ipsis iuncti sunt, vel munera obtulerunt, vel priuatis ipsorum intentionibus melius seruient: præteritis alijs longè aptioribus; quia peccant in Rempub. præferentes cõmoda priuata vtilitati communi, contra fidem Reip. datam.

16 *In officio duplex obligatio.* Vbi Aduerte, eum, qui aliquam administrationem suscepit, videri se tacitè ad duo obligare, Primò, Ad curandũ vt sua negligentia nullum damnum detur, & ad hoc se obligat lege iustitiæ, ita vt teneatur ad restitutionem, si non præstiterit. Secundò, Quòd promouebit commoda eius, cui per officium seruit, in omnibus, quantum commodè poterit; seu quod officiũ quàm optimè administrabit. etsi enim qui officium instituit, non obliget alterum ad diligẽtiam extraordinariam, sed solum ad communem; (qualem alij eiusdem conditionis præstare solent) tamen mens eius est, vt officium, quantum commodè fieri poterit, quã optimè administretur. & hoc ipsum censetur aliquo modo promittere qui officium acceptat. nemo enim vellet conducere operarium vel famulum, quem alia mente esse putaret. Verùm hæc obligatio, qua parte se extendit ad optimum modum, non censetur esse ex iustitia, ita vt inducat necessitatem restitutionis, si non omnia optimè præstita fuerint; (modo damnum datum non sit, nec aliquid, quod ex officio erat necessariò faciendum, prætermissum) sed solum ex fidelitate, absque obligatione restitutionis. Non enim satis fideliter dicitur officium peregisse, qui aliqua

17 *Tenentur ex fidelitate cõferre dignissimis ex iustitia, dignis.* domini sui commoda, quę facili negotio potuisset curare, prætermisit: sicut exemplo œconomi, qui prætermissis optimis operarijs, conducit mediocres, sibi amicitia deuinctos, offensum est. Principes igitur & alij, qui vel ex officio vel ex commissione conferunt minora officia Reipublicæ, tenentur ex fidelitate, quam Reipub debent, conferre ea maximè idoneis, quantum commodè poterunt; alioquin erunt infideles Reipublicæ; quæ infidelitas in re magni momenti potest esse peccatũ mortale, & mererentur puniri in subditis priuatione officij & mulcta pecuniaria.

Confirmatur, Quia mens Reip. & ipsius Principis est, vt officia conferantur dignissimis, & cum tali onere permittit quædam conferri a supremis suis officialibus, vel a Gubernatoribus oppidorum, vel a præfectis militum in militia: ergo hi omnes tenentur cõferre maximè idoneis; id est, ijs, qui optimè putantur functuri: alioquin peccant in re graui cõtra fidem, quam Principi & Reip. debent, & 18 merentur puniri. quia grauissima mala consequuntur; ex eo quod non detur opera, vt officijs publicis applicentur aptissimi: dum enim satis est collatori, illum, cui vult conferre, videri vtcumque idoneum, sæpè fit vt fallatur, sitque ineptus, vel certè prauus & malè administraturus: quo fit vt peruertatur Iustitia, & omnia per munera & extorsiones gerantur. Itaque in re tanti momenti & periculi, tenẽtur Superiores dare operam sub peccato mortali, vt quàm maxime idoneis conferantur.

Denique, si in officijs conferendis summa cura adhibeatur, sensim Respub. impletur ministris atheis, politicis, ambitiosis, auaris; qui sua, & suos duntaxat curent & promoueant, commune bonum negligant, omnia ad priuatas quasdam suas intentiones dirigant; qui ius & fas, iustitiam & religionem auro venalem habeant; ex quibus nihil aliud quàm euersio religionis & iustitiæ expectari possit.

19 Quales autem esse debeant, qui constituuntur officiales in Repub breuiter insinuat Iethro socer Moysis Exodi 18. *Prouide*, inquit, *de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas; & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios & decanos.* Vbi notantur quatuor conditiones: quas Principes in conferendis officijs debent habere præ oculis, teste Caietan. Prima est, Vt sint *potentes*, id est, sapientia, industria, & strenuitate idonei, vt rectè Caiet. explicans illum locum. Secunda, *timentes Deum*, nihil enim ita compellit hominem iustè agere, vt timor Dei, vbique præsentis & omnia intuentis. vnde alibi Scriptura ait, *Qui timet Deum, faciet bona.* &, *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* quare nec iustè agere. Tertia, In quibus sit *veritas*, id est, qui neminem decipiant, sed faciant quod promiserunt, & quod legibus præscriptum est. Quarta, *odientes auaritiam*, id est, qui non studeant opibus accumulandis, & multo minus munera accipiant. hic est enim maximus Iustitiæ scopulus. *Quatuor cõditiones requisitæ in iis, qui præsunt.*

20 Ex his patet, præcipuum munus Principis esse, curare vt quã maximè idoneos ministros habeat: hinc enim totũ Reipu. bonum dependet, cùm per hos omnia administrẽtur. Itaque peccatum mortiferum erit si id negligat. Non tamen tenebitur ad restitutionem, nisi in particulari constet aliquem ineptum adhibitum: quia alias non censetur causam damni contra obligationem iustitiæ dedisse. *Præcipuum munus Principis.*

Notandum tamen Primò, Quando Princeps aduertit, 21 sensim multos abusus irrepere, teneri lege iustitiæ obuiam ire; ac proinde eos adhibere, qui talibus incommodis possint mederi. Itaque cum ij, qui alias possent videri idonei, hoc statu rerum non sint idonei, non potest eos applicare: debent enim esse idonei pro statu præsenti. *Debent esse idonei pro statu præsenti.*

Notandum Secũ dò, Ea, quę diximus, maximè intelligẽda esse de officijs maioris momenti, vt sunt omnia, quę cõiunctam habent iurisdictionem, vel a quibus multum pendet in Repub. vt officium Præsidis, Secretarij, Consiliarij, Thesaurarij, & similia. Si autem officium non sit tale, non erit peccatum mortale, saltem in supremo Principe, conferre minus digno, modo tamen verè sit idoneus. Idem dicendũ, si non sit inter eos magnum discrimen aptitudinis, ita vt hic non putetur notabiliter minus benè functurus munere, quàm ille, cui præfertur. vnde diximus in propositione, *sæpè* peccare mortiferè, non, *semper*. Verum de his plura infra cap. 34. De beneficijs. 22 *Officia maiora & minora.*

Notandum Tertiò, Caietanum v. Electio officialis, pu- 23 tare non esse peccatum mortale prętermittere digniorem: quia, inquit, non video hic acceptionem personarum, nec video hic habere locum iustitiam distributiuam; cum officium hoc non detur ciui, vt parti communitatis. Sed hæc ratio nullius est momenti, etsi enim nõ peccetur mortiferè ob iniuriam factam digniori; (quia nullum ius strictum *Sententia Caietani.* *Refutatur.*

ad

ad illud officium habet, sicut is, qui electus est aut praesentatus) peccatur tamen ob iniuriam vel infidelitatem in Rempub. Deinde falsum est, iustitiam distributiuam hic locum non habere: quia pleraque officia non possunt dari nisi subditis. Denique etsi possint interdum dari extraneo; tamen si velit dare subdito, debet dare maximè idoneo: is enim maius ius habet in distributione; quamuis violatio huius iuris non sit semper peccatum mortale, vt supra diximus.

DVBITATIO IV.

Vtrùm officia secularia possint vendi.

24 *Quinque in officio considerande.*

NOTANDVM, In officio seculari quinque considerari posse. Primum est, Obligatio ad certas functiones, quae propriè vocatur officium, & est fundamentũ ceterorum. Secundum, Iustum stipendium, vel ius ad tale stipendium, quod ius oritur ex officio. Tertium est, Dignitas quaedam & eminentia, ob quam in Republica honoratur. Quartum, Occasio lucrandi. Quintum Excessus stipendij supra debitum. Nunc

25 *Qua ratione possint vendi, quanam.*

Respondeo & dico Primò, Officia secularia ratione primi & secundi vendi non possunt; ratione tamen reliquorum trium vendi possunt, ac proinde non est per se illicitũ talia officia vendere. Prior pars patet; quia nemo potest mihi vẽdere onus, quod mihi ipsi subeundũ est: hoc enim quisque potius optat redimere & excutere, quàm emere & accersere. neq; etiam potest mihi vendere iustum stipẽdium illi oneri annexum; quia hoc ex iustitia debitum est ei, qui onus subit. Confirmatur vtrumque, quia nemo potest operario vendere obligationem laborandi in horto suo, aut iustum stipendium labori illius debitum.

26 *Eminentia seu dignitas. & occasio lucrandi, pretio sunt aestimabiles.*

Altera pars probatur Primò, Nam eminentia illa magni aestimatur apud homines, & pecunia comparari solet. longè enim pluris veneunt dominia, quae habẽt annexos maiores titulos dignitatum. similiter occasio & commoditas lucrandi magni aestimatur. qualis est in officijs quibus cõpetit pars confiscationis vel iustae praedae, vt in quibusdam officijs curiae Romanae. Denique si stipendium excedat operam & industriam officij, ille excessus aestimari potest, maximè ab ipso Principe, qui potest eum ab officio separare: si ergo relinquatur, potest exigi compensatio.

27

Probatur Secundo, Quia haec omnia sunt res humanae, non spirituales, & pretio aestimari solent: ergo nihil obstat quin per se vendi possint. secus est de beneficijs, quae sunt res spirituales.

Tertio, Quia Barones, Comites, Marchiones & Duces possunt vendere suos titulos & status; vt recepta consuetudo probat: ergo officiorum secularium venditio per se non est illicita.

28 *Plerumque est illicitum.*

Dico Secundò, Et si per se non sit illicitum haec officia vendere, tamen ob multa incommoda, quae inde sequi solent, plerumque est illicitum & etiam perniciosum, maximè si aliquam iustitiae administrationem habeant. est cõmunis Doctorum. vide Caietanum v. Officiorum venalitas. Sotum lib. 3. quaest. 6. articul. 4. Nauarr. cap 25. num. 7. Probatur, quia hinc plerumque solent sequi haec incommoda. Primo, Quòd non conferantur dignioribus, immo neque dignis, sed indignis, qui pecunijs supplent quod meritis deest. digni enim vel tantis pecunijs carent, vel certè censent indecorũ hac via ad officia irrepere. Secundo, Quòd hoc modo magis prouocentur homines ad studiũ pecuniarum, quibus vident dignitates parari, quàm ad studium probitatis & bonarum disciplinarum, quibus in Repub. vident parum loci relictum. Tertiò, Quòd ij, qui

Incommoda subsequia.

haec officia sunt consecuti non administrent ea prout Rei pub. bonum postulat, sed pro suo compendio, vt & pretium recuperent, quod soluerunt, & praeterea ditescant. vnde fit vt multa iniustè extorqueant, iustitiam venalem habeant, diuitibus & potentioribus faueant, causas pauperum negligant. Quare merito haec venditio censenda est pestis Rerum public. vnde rectè etiam in iure prohibetur, collatione 2. titulo vt Iudices sine quoquo suffragio fiant, cap 1. vbi praecipitur, vt personae, quibus conferuntur officia publica, pro ijs nihil soluant, & apud Senenses omnia officia conferuntur gratis, & non nisi maximè idoneis per longum examen iudicatis.

Petes, Quibus circumstantijs licitè fieri possit haec venditio?

29 *Conditiones requisitae vt possint vendi.*

Respondeo & dico Tertiò, Vt licitè fiat, requirnntur hae conditiones. Primò, vt vendens habeat auctoritatem. Secundò, Vt vendantur quantum fieri potest digniori. Tertiò, Vt pretio moderato. Quarto, vt id censeatur necessarium, vel vtile bono publico. Quod ad primam attinet, auctoritas vendendi est in solo Principe supremo, vel in Republica libera. ratio est, quia haec sunt bona Reipublicae, ac proinde eorum dispensatio est supremi Principis, aut ipsius Reipubl. si sic sui iuris. Inferiores itaque, etsi Magnates sint, non possunt, nisi vel Principis concessu, vel legitima praescriptione seu vsucapione.

30 *2. conditio. Si venditum inepto.*

De secunda conditione ratio est, quia omnia officia dignioribus conferenda sunt. quare si Princeps vendiderit alicui inepto, debet rescindere contractum, & officium vẽditum resumere. & consequenter pretium pro eo acceptũ restituere. Damnum secutum primo loco sarcire tenetur emptor, secundo loco Princeps. Si tamen particularis persona ex facultate Principis vendiderit, non tenetur restituere pretium, etiamsi emptor ob indignitatem suam priuetur; quia venditor non rescindit contractum, nec priuat emptorem re vendita, sed emptor, qui suae conditionis cõscius ausus fuit emere, sibi imputet si officium amittat. neque venditor tenetur ei de euictione. quia conditionem rei non ignorauit.

3. conditio.

De tertia, Nisi pretium sit moderatum, datur occasio emptori vt multa iniquè extorqueat; vt quotidiana docet experientia.

31 *Sarcire damnum secutũ.*

Petes. Vtrùm is, qui immodico pretio dedit occasionem emptori praeter ius & fas exigendi a subditis, teneatur ad restitutionem damni Reipub. si ille non restituerit?

Respondeo non teneri, nisi talis sit vt ex officio teneretur illud damnum impedire, vt Princeps, Gubernator, Praeses, &c. ratio est, quia illa venditio solum est causa remota illius damni. non enim si tibi aliquid vendidi immodico pretio, & tu vt soluas, furtum committas, ego censeor causa furti. si tamen Princeps vendidit, tenetur illud damnum sarcire, non praecise quia occasionem dedit, sed quia cum teneretur impedire ex officio, non impediuit.

32 *4. conditio.*

Quod ad quartam, attinet, nempe hanc venditionem non posse licitè fieri nisi ob Reipubl necessitatem, vel vtilitatem; probatur: quia haec officia non sunt bona Principis propria, vt tributa, sed Reipub. communia. quorum administrationem, & collationem commisit Principi, communis vtilitatis causa: atqui Reipubl. mens non est vt haec officia vendantur nisi id videatur expediens bono communi, vt si summa esset conflanda, quae aliter commodè haberi nequiret. Nec potest alia esse iusta ratio ea vendendi; quia venditio est contra naturalem institutionem talium officiorum. Si tamen Princeps extra hunc casum venderet. non esset venditio irrita; peccaret tamen, praesertim si hoc officium haberet vllam iustitiae administrationem. Ita Sotus & Caietanus supra, & alij DD. passim.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

De Tributis & vectigalibus.

Conſtat Dubitationibus II.

NOTANDVM eſt, nomine *Tributi* generatim ſignificari id, quod Principi vel Reipublicæ à priuatis ſolui ſolet, ad onera communia ſuſtentanda: quod varijs nominibus appellari conſueuit. vt videre eſt apud Sylueſtrum v. Gabella primò. Duo tamen ſunt præcipua nomina Latina huic rei accommodata, *tributum* & *vectigal*, quæ habentur ad Roman. 13. *Reddite*, inquit Apoſtolus; *omnibus debita; cui tributũ.* (Græcè φορος) *Tributum, aut vectigal*. (Græce τέλος) *vectigal*. vbi *tributum* (φορος) accipitur ſtrictè vt diſtinguatur contra *vectigal* (τέλος) & hoc modo *Tributum* nihil eſt aliud quàm penſio, quæ ſubditis ſoluenda imponitur iuxta cuiuſque facultates, præſertim prædiales, ad Principis dignitatẽ vel communia impendia ſuſtinenda. Sed paſſim à Doctoribus accipitur generalius.

Tributum.

2 *Vectigal* autem propriè ſignificat, Primò, Penſionem, quæ ſoluitur pro rebus, quæ exportantur vel importantur in cuiuſque vel prouinciam; vt ea, quæ ſoluuntur in portubus & regnorum confinijs. & olim quidem octaua pars debita erat, vt docet Couarruuias ad regul. Peccatum. p. 2. §. 5. numero 1. & patet L. Ex præſtatione. 7. C. de vectigalibus. Sed hoc tempore illud vectigal varium eſt pro diuerſitate regnorum, ex quibus deferantur, vel in quæ importentur.

Vectigal ſeu portorium.

Portorium. Secundò. Id, quod ſoluitur pro tranſuectione mercium per pontes & flamina, quod ſolet vocari portorium; quamuis hoc nomen etiam generaliter vſurpetur pro quouis vectigali.

Pedagium. Tertiò, Quod ſoluitur a tranſeuntibus per aliquam viã ſeu locum, pro cuſtodia viarum; quod pedagium ſeu guidagium dici ſolet.

Pedagium.

3 Quartò, Quod ſoluitur ex rebus venditis aut permutatis; quod Hiſpani vocant alcauala, teſte Medina qu. 13. vt ſi vendas domum 1000. aureis, quibuſdam locis ſoluendi Principi 100. aurei, id eſt decima pars pretij. ita fit in Hiſpania, teſte Couarruu. & Medina ſupra; ſed dimidium ſoluit emptor & dimidium venditor. ſi autem domum permutes cum alia domo, vel cum agro, ex vtraque re ſoluitur decima pars, quaſi duplex ſit venditio.

Ex venditione vel permutatione.

Aliquando vectigal accipitur amplè. vt etiam tributum complectatur, & ſic agri dicuntur vectigales, quibus penditur tributum: vt notat Couarruuias.

4 Præter hæc debita, ſunt quędam onera ſubditorum, quæ à Iuriſperitis *Munera* vocantur. ea autem ſunt triplicia, realia, perſonalia, mixta. *Munera realia* ſunt obſequia, quæ Principi præſtantur rebus ſubditorum, vt iumentis, plauſtris, canibus. *Perſonalia*, quæ per ipſas perſonas exhibentur; vt ſeruire certis temporibus Principi in aula, vel foris; illum ad hæc vel illa loca, aut etiam ad bellum comitari. *Mixta* ſunt quæ vtroque exhibentur, vt cum quis ſuis ſumptibus teneatur illum ad bellum comitari. His poſitis, ſit-

Munera triplicia.

DVBITATIO I.

Quæ conditiones requirantur vt vectigal ſeu tributum generatim acceptum cenſeatur iuſtum.

5 CAietanus in Summa v. Vectigalia iniqua, requirit quinque conditiones. ne ſupè vt ſit iuſtum ex agente, ex fine, ex forma, ex materia, & ex vſu.

Quinque conditiones iuſti vectigalis iuxta Caiet.

Ex agente iuſtum eſt, quando imponitur ab eo, qui habet legitimam auctoritatem; & conſequẽter illis, qui non ſunt exempti.

Ex fine, quãdo eſt iuſta cauſa imponẽdi. hæc duplex eſt; Prima. Suſtentatio dignitatis Principis: cum enim Princeps pro Republica laboret, eam regendo, in pace conſeruando, & defendendo; Iuſtitia poſtulat vt viciſſim Reſpublica eum pro dignitate ſuſtentet: dignus enim eſt operarius mercede ſua. Hac ratione tributum eſt iuſtum Principis ſtipendium. Secunda, Neceſſitas vel certè magna vtilitas boni publici, cui alia ratione ſuccurri nequit; vt ſi miles neceſſarius pro defenſione patriæ, pro ſecuritate viarum; ſi inſtauranda opera publica. &c.

Ex forma, quando debita proportione imponitur, nempè pro ratione facultatum cuiuſque, & contractuum. quos quiſque facit; ne pauperes grauentur præ diuitibus, & non mercatores præ mercatoribus: iniquum enim eſt, vt pauperiores amplius ad Principis ſtatum vel communia impendia conferre cogantur quàm ditiores; aut non mercatores, quàm mercatores, aut hi alij præ alijs immodicè grauẽtur. 6

Ex materia, quando imponuntur illis rebus, quæ negotiationis cauſa deferuntur, & non illis, quæ ad vſus neceſſarios & inopiæ ſolatium emuntur & venduntur; vt ſunt panis, potus communis ciuium, caro, & ſimilia.

Ex vſu, quãdo infumuntur in cauſam publicam, ob quã ſunt impoſita, & non prorogantur vltra neceſſitatem.

Hæ omnes conditiones debent concurrere iuxta Caietanum. vt vectigal iuſtum cenſeatur: vnde etiam quoquo modis fieri poteſt vt ſit iniquum. Primò, *Ex auctore*: vt ſi nõ habeat auctoritatem Principis, aut imponat exemptis. Secundò, *Ex fine*: vt ſi non imponatur ob publicam neceſſitatem, aut magnam vtilitatem. Tertiò, *Ex forma*: vt ſi ſubditi onerentur abſque proportione debita; vel ſi grauamen ſit immodicum; vt ſi alicui ſpeciei (v.g. cereuiſiæ vel farinæ) tantum imponatur, vt qui illam faciunt & vendũt, non poſſint ex lucro ſe ſuſtẽtare: reſpectu enim horum eſt immodicum. Quartò *Ex materia*: vt ſi imponatur rebus ad vitam omnino neceſſarijs. Quintò, *Ex vſu*: vt ſi non impendatur ad publicam vtilitatem. 7 *Quinq; modis poteſt eſſe iniquum.*

Aduerte, illud de materia, non eſſe omnino neceſſariũ. vt infra dicemus. vnde Medina C. de reſtitutione qu. 13. ſolum requirit tres conditiones ad iuſtitiam vectigalis. Prima eſt, Vt ſit *auctoritas* in imponente. Secunda, Vt ſit *iuſta cauſa* ob quam imponitur. Tertia, Vt *conueniens forma* ſeu proportione imponatur. proportio enim eſt veluti forma vectigalium, cum debeãt imponi ſecundum rationem iuſtitiæ diſtributiuæ. His conditionibus concurrentibus vectigal iuſtum erit, & iuſtè exigetur. quòd ſi poſtea nõ impendatur vt oportet, tunc ceſſat cauſa exigendi: non enim eſt iuſta cauſa exigendi: niſi curetur vt in eam impẽdatur. 8 *Medina requirit tres hãc conditiones.*

DVBITATIO II.

In quibus exiſtit hæc poteſtas legitima vectigalis imponendi.

RESPONDEO, Exiſtere tantum in ijs Principibus & Reipublicis, quæ in ſua adminiſtratione Superiorem non agnoſcunt. Primum igitur hæc poteſtas eſt in *Summo Pontifice*, qui in locis, quæ ipſi in temporalibus ſubſunt, poteſt tributa imponere, & ea alijs concedere. in alijs autem locis directè non poteſt; quia tributa debita ſunt Principibus ſæcularibus pro regimine ciuili ſeu temporali: pro ſpiritu ſi autem non dantur tributa, vel vectigalia, ſeu gabellæ; ſed decimæ. 9 1. *In Summo Pontifice.*

Si tamen id eſſet neceſſarium ad bonum Eccleſiæ. (vt ſi Turcæ infinito numero ſe infunderent in orbem Chriſtianum, vel hæretici ſupra modum inualeſcerent, & Principes Chriſtiani eſſent negligentes, nec alia ſupperetet ratio ſuccurrendi) poſſet Papa extra ditionem ſuam temporalẽ, aliquod vectigal imponere, & ſubſidia neceſſaria imperare; quia habet plenã poteſtatem in temporalibus, prout neceſſe eſt ad defenſionem Eccleſiæ & bonorũ ſpiritualium, & omnes Chriſtiani non minus tenentur obtẽperare 10 *Poteſt vbique indirectè.*

&

& succurrere Pontifici ad defensionem Reipubl spiritalis, quàm Principi sæculari ad defensionem Reipubl. ciuilis, cùm ipsi ad vtramque Rempubl. pertineant. Posset etiam in tali casu Principem Christianum, qui nollet opitulari, deponere, & alium sufficere, qui tributa necessaria ad huiusmodi sumptus imponat, & Ecclesiam defendat. denique posset ciuitati seu Reipub. dare ius absolutum & independens se administrandi; & non agnoscendi Superiorem in temporalibus, priuando priorem Principem suo regno in pœnam illius criminis: horum enim omnium est eadem ratio: quia supremam potestatem habet in temporalibus in ordine ad spiritalia, vt communiter Theologi tradunt, de quo plura 2.2.q.1.art.10. dicenda sunt.

11 *2. In Concilio generali.*

Secundò, Hæc potestas est in *Concilio generali*, vt patet ex cap. Super quibusdam. §. Præterea, de verborum signif. vbi Innocent. III. ait, *Duximus declarandum illa esse pedagia, gudagia, salinaria, interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Concilij Lateranensis largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, à tempore, cuius non extat memoria, introducta.* Ex quibus verbis colligitur Primò, Hanc potestatem concedendi vectigalia, esse in quouis Concilio generali; quia omne Concilium generale parem auctoritatem habet. Secundò, Eam potestatem esse etiam in Pontifice; (vt rectè notat Caietanus v. Vectigalia) quia tota potestas, quæ est in Concilio, est in Pontifice, cùm totum Concilium non maiorem habeat iurisdictionem quàm Pontifex solus, vt passim Theologi tradunt. Porrò quando hæc potestas dicitur esse in Concilio, accipiendum est Concilium cum suo capite, quale fuit Concilium Lateranense: non enim est vlla ratio, cur hæc potestas debeat concedi Concilio acephalo, cum hoc dici vix possit Concilium, & iure diuino teneatur caput, si desit, eligere.

Aduerte tamen, hic non dici Concilium posse imponere, 12 sed solùm insinuari posse concedere: quod potest fieri dupliciter. Primò, Concedendo tributa ex locis Ecclesiæ subiectis quo modo regna & ducatus, Ecclesiæ temporaliter subiecta, Principibus sæcularibus conceduntur in feudum: & hæc sicut Concilium potest concedere, ita & imponere. Secundò, Tribuendo alicui domino vel communitati Ius supremi dominij, seu Imperij, quo ab alio in sua administratione non dependeat, & consequenter Ius exigendi vectigalia, quod ex illo sequitur. hæc tamen non potest ipsum Concilium immediatè & directè imponere: potest tamen indirectè, sicut dictum est de Pontifice.

3. In Imperatore.

Tertiò, Hæc potestas est in *Imperatore*, qui potest tributa imponere omnibus locis Imperio subiectis, si Principes inferiores, vel Respub. legitima vsurpatione hoc Ius contra ipsum non præscripserunt; quatenus enim præscripserunt, eatenus ipse non potest: de quo vide supra capit. 6. dubitatione 12.

4. In Regibus.

Quartò, Est in omnibus *Regibus* & in alijs potestatem quasi regalem habentibus, eò quòd in sua administratione Superiorem non recognoscant. qualis est Dux Florentinus, Mediolanensis, Brabantinus, & similes: Comes Flandriæ, Hannoniæ, Attheziæ, & similes, & multæ Respub. vt Veneta, Genuensis.

Petes, Quare hæc auctoritas solùm est in illis, qui in suo regimine Superiorem non agnoscunt?

Respondeo, Quia qui superiorem non agnoscunt, im- 13 mediatè habent auctoritatem à populo: vnde à populo accipere debent tum quę necessaria ad sustentationem status & dignitatis; (id enim est iustum stipendium functionis, quam subeunt boni publici causa) tum quæ necessaria ad rectam administrationem. multis enim opus habent, partim vt officialibus stipendia soluant, partim vt fines tueantur, hostes repellant, & iniurias vindicent. Itaque sicut operatio Iure naturæ debetur merces, & omne id, quod necessarium est ad perficiendum opus prout expressè vel tacitè conuentum fuerit; ita Principi Iure naturæ debentur à populo, tum iusta stipendia ad sustentãdam dignitatem, tum necessaria subsidia ad rectam administrationem. qui verò in sua administratione ab alio Superiore dependet, non à populo, sed ab eo, à quo constitutus est, & officium accepit, stipendia & necessarios sumptus accipere debet; nec vllum Ius habet quidquam exigendi à populo, nisi quod ei à suo Superiore concessum fuerit. ab eodem enim debetur stipendium, à quo imponitur administratio. Vnde patet Proreges, Gubernatores & quosuis alios Principum Vicarios non posse tributa exigere. Idem dico de Ducibus, Comitibus, Marchionibus, qui à Principibus absolutis constituti, acceperunt dominium aliquorum oppidorum vel pagorum cum parte aliqua vectigalium, qua statum suum sustentent: cùm enim in sua administratione Superiorem agnoscere debeant, non habent potestatem noua vectigalia imponendi.

Cur in solis supremis.

Quintò, Hæc potestas est in omnibus dominis locorum, 14 & Rebuspubl. quæ legitima præscriptione Ius illud quasi regium, seu liberæ administrationis obtinent: etsi enim Ius exigendi vectigalia, quæ à Rege imposita & concessa fuerint, præscribi seu vsucapi possit contra alium, qui prætenderet ea a Rege sibi concessa, idque sine Iure illo quasi regio; tamen Ius imponendi & suo nomine exigendi vectigalia non potest vsucapi, nisi simul Ius illud liberæ iurisdictionis vsucapiatur: ex hoc enim illud dependet. Sicut Ius decimarum non potest a laico nomine proprio vsucapi; quia essentialiter dependet ex titulo ecclesiastico. Itaque cum hoc Ius liberæ, & independentis administrationis, quod vocatur Ius meri & mixti Imperij, possit vsucapi absque titulo, tempore immemorabili, & cum titulo, tempore quadraginta annorum, vt sup. c. 16. dub 12. ostensum est, cum Couar. ad reg. Possessor, p. 2. §. 3. num. 3. etiam Ius imponendi vectigalia, quod ex illo sequitur, eodem tempore vsucapi potest. Vnde non rectè id negauit Alphonsus Castro l. 1. de lege pœn. c. 11.

5. Ius ipsi, cui præscriptione acquisierit.

Notandum Primo, Ciuitates etiam subiectas, posse suis 15 ciuibus ob publicum bonum imponere quasdam onera, quæ vocantur *collecta*, vt docet Caiet. ver. 6. Vectigalia iniqua; vt ad reparationem mœnium, pontium, viarum, modò non imponantur peregrinis, & id fiat per comitia, ad quæ omnes ciues, vel decani a ciuibus deputati, possint conuenire. ratio est, quia hæ collectæ non debent esse coactæ, sed Respubl. debet in eas liberè consentire, vel suffragijs maioris partis, vel duarum tertiarum, vel aliter pro 16 consuetudine locorum. Imò posset Episcopus cum consensu Capituli in Ecclesijs sibi pleno Iure subiectis, aliquam collectam imponere ad reparationem Ecclesiarum & necessaria ministrorum alimẽta, quando aliter his prouidere nequit; quia cùm sit Princeps sacrorum in sua diœcesi, sicut Pontifex in tota Ecclesia, habet in temporalibus eam potestatem, quæ necessaria est ad bonum spirituale in sua Ecclesia conseruandum, & promouendum, nisi à Pontifice limitetur.

Collecta.

Episcopus potest collectam inducere.

Notandum Secũdo, Eos, qui sine legitima potestate, in 17 suis terris noua pedagia seu gabellas imponunt, vel veteres augent, vel eas, quæ prohibitæ sunt imponi vel augeri, exigunt, teneri ad restitutionem; quia rapinam committunt, extorquentes alienum sine legitima potestate, & insuper esse excommunicatos in Bulla Cœnæ Domini, vt patet ex verbis Bullæ; in quam vide Nauarrum capit. vigesimoseptimo, num. 61. vbi docet, per *exigentes* intelligi etiam hæredem imponentis, qui eas continuat; & publicanum seu conductorem, & famulos, qui iussu dominorum exigunt.

Imponis sine potestate, vel sic imposita exigens.

DVBITATIO III.

An ecclesiastici à vectigalibus sint exempti.

RESPONDEO & dico Primò, Certum est Ecclesias & ecclesiasticas personas & res illarum a vectigalibus soluendis exemptas esse. Probatur Primò, Ex Iure Canonico, cap. Quamquam. 4. de censibus in 6. vbi Bonifacius VIII. inter cetera ait; *Cùm igitur Ecclesia, ecclesiasticique personæ ac res ipsarum, non solùm iure humano, quam immo & diuino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes.* &c. & infrà. *Excommunicent personas priuatas ipso facto, quæ talia ab ecclesiasticis exigunt, & communitates subijciens eisdem dicto, à quibus penas non possint absolui, nisi facta restitutione.* Ibidem contrariam consuetudinem dicit esse corruptelam. Vnde sequitur hoc Ius non posse contra ecclesiasticos vsucapi. Idem sanxit Clemens V. in Concilio Viennensi, Clem. Præsenti, de censib. vbi præcipitur Episcopis vt eiusmodi censuram excommunicationis, & interdicti, quam incurrunt ij, qui portoria vel vectigalia ab ecclesiasticis

18 *Ecclesiastici exempti.*

Exigentes excommunicati.

ſticis exigunt, publicent, & à ſuis publicari faciant. Idem ante ſtatutum fuerat in Concilio magno Lateranenſi, ſub Innoc.III vide c. Aduerſus.7 & c.Non minus.4.de immu. Eccl. vbi ſtatuitur vt poſt admonitionem, niſi deſtiterint, ipſo iure ſint excommunicati.

Secundò, Probari poteſt ex Iure Ciuili, Nouella Friderici Imperat. quæ incipit, Item nulla,de Epiſcop. & Cler. vbi ſic dicitur: *Item nulla communitas vel perſona publica vel priuata collectas vel exactiones, angarias vel parangarias Eccleſijs vel alijs pijs locis aut eccleſiaſticis perſonis imponere præſumat*, & cæter. & L. Sancimus. ſecundo. Cod. de Sacroſanctis Eccleſijs. omnibus pijs locis immunitas illa concediſur.

Petes, Verùm etiam bona patrimonialia & alia ſæcularia,quæ ad eccleſiaſticos vel ad Eccleſias, aut ad Monaſteria deueniunt, ſint immunia.

Reſpondeo,& dico Secundò,Hæc eſſe immunia à nouis tributis imponendis. eſt communis ſententia DD. vide Sylueſtrum v. Immunitas,1. num.6. Probatur ex conſtit. Bonifacij ſupra,vbi dicitur, *perſonas eccleſiaſticas,& res ipſarum exemptas eſſe*. vbi de omnibus ipſorum rebus loquitur:quas intelligo eſſe exemptas a nouis exactionibus imponendis, quam illæ ſunt eccleſiaſticorum. Dico à *nouis*, quia ſi antequam ad illos venirent,onus aliquod certum & inuariabile annexum habebant, v.g. aliquem cenſum vel ſeruitutem Principi debitam.vel onus reparandæ viæ publicæ à hiacentis,hoc etiam ab eccleſiaſtica perſona præſtandum eſt;quia res quæque cum ſuo onere tranſit. c.Cùm non ſit.33. & c. Paſtoralis.18.de decimis,vide Sylueſtrum v.Immunitas.1. nume.19 Secundò,Probatur ex Bulla Cœnæ Domini,vbi *excommunicantur omnes, qui abſque ſpeciali & expreſſa Summi Pontificis licentia imponunt collectas,decimas,ſalus,præſtantias, aut alia onera perſonis eccleſiaſticis, aut eorum bonis, ſiue Eccleſiarum aut Monaſteriorum ipſorum; aut impoſita exigunt, aut à ſponte dantibus recipiunt, aut his actibus quoquomodo cooperantur.* Vbi diſtinguit Pontifex *bona Clericorum* à *bonis Eccleſiarum*; ac proinde loquitur non tantùm de bonis eccleſiaſticis, quæ dicuntur bona Eccleſiarum; ſed de quibuſuis bonis eccleſiaſticorum:quod eſt notandum cõtra Nauar. cap. 27.nu.128.qui tamen cap.17.nu.202.nobiſcum ſentit.nam expreſsè affirmat eos, qui pedagia a Clericis exigunt, aut exigi iubent,incurrere cenſuram Bullæ Cœnæ:etſi id,quod vehunt,important, vel aſportant, ſit de eorum patrimonijs vel eccleſiaſticis prouentibus.quod autem dicitur de *ſponte dantibus*, intelligitur quando exactor recipit ab eo,qui ideò ſponte dat, quia eccleſiaſticis ſunt impoſita, ſiue ab eo, qui dat antequam exigatur.

19 *Etiam patrimonialia ipſorum ſunt exempta,etc.*

Sponte dantes.

Obiectio.

Dices, Princeps habebat Ius imponendi vectigal huic prædio antequam peruenirſet ad Eccleſiam; hoc autè Iure non debet ſpoliari ex eo quòd fiat Eccleſiæ:ergo tale prædium non eſt immune. Secundò, Si illa res ad Eccleſiam non peruenirет, ſæpè venderetur vel commutaretur cum alia re,& tunc Principi debitum eſſet certum vectigal, v.g. decima pars pretij. dum autem tranſit ad Eccleſiam vel pium locum,numquam amplius venditur; vnde Princeps nihil amplius inde commodi percipit; ac proinde meritò poteſt legibus ſuis cauere ne res immobiles ad Eccleſias vel Monaſteria transferantur. Hæc argumenta valdè mouent eos, qui rem politicè conſiderant; ideoque Principibus conſilium ſanciendi tales leges ſuggeſſerunt.

20 *An cedat in damnũ Principis.*

Reſponſio.

Reſpondeo tamen ad Primum, Principem non habere Ius imponendi vectigal prædio, niſi quamdiu illud pertinet ad perſonam carentem priuilegio immunitatis. vnde hoc ipſo,quo tranſit ad Monaſterium,vel ad Eccleſiã fruentem immunitate,amittit hoc Ius.neque hoc mirum videri debet,cum Principes Chriſtiani iam à mille & amplius annis in hoc conſenſerint,(vt patet ex L. Sancimus,quæ eſt Iuſtiniani) & tot ſæculis ſeruauerint.neque vlla cauſa eſt,cur poſſint hoc priuilegium ſemel Eccleſiæ ad honorem Dei donatũ auferre. hoc enim perinde eſſet atque ſi quis agrũ, domum vel reditum Eccleſiæ ſemel donatũ auferret.quod eſt manifeſtum ſacrilegium.Simile omnino contingit,quãdo huiuſmodi prædia transferuntur in Magnates a vectigalibus immunes.tunc enim Principes amittunt Ius imponendi vectigalis,quod antè habebant.

21 Ad Secundum Reſpondeo, Numquam Principem vllum eſſe factum pauperiorem ex eo quòd ipſe vel ſubditi eius fuerint liberales in Eccleſiam; vt patet in Conſtantino & Carolo,vtroque verò magno,& alijs plurimis. Deus enim, cuius protectione & directione regnorum adminiſtratio maxime nititur, infinitis modis exiguum illud detrimentum vectigalium,quod ipſi ſeruis eius condonant, cõpenſare poteſt;vel calamitates & ſeditiones auertendo,vel proſperos ſucceſſus bellorum; noua regna,vbertatem terræ,& alia huiuſmodi largiendo. Sæpè fit vt ob aliquam ſeditionem vel bellum, (quod fortaſſe pietas illa & Religio Principis auertiſſet)vno anno plus ipſe amittat,quam mille annis ex huiuſmodi vectigalibus percipi poſſet,quid tũc prodeſt illi politicorum iſtorum conſilium?

Aduertendum tamen,in quibuſdam caſibus Clericos non eſſe exemptos. Primò,Si negotiationem exerceant: tunc enim licitè ex eo,quod emunt,vendunt,aut deferunt negotiationis cauſa,poſſunt vectigalia exigi patet ex c. Quamquam, ſuprà,quod Eccleſia conceſſit in odium negotiationis,quæ maximè eccleſiaſticos dedecet:vnde etiam ſeuerè ipſis interdicitur.vide ſup.c.21. dub.1. & ſi ter moniti à Superiore nolint deſidere à negotiatione, perdunt priuilegium clericale, quoad bona;vt patet ex c. Ex literis. 16. de vita & honeſt. Clericorum: ex quo cap.colligit Gloſſa, Clericos ante tertiam monitionem non teneri in conſcientia ſoluere vectigal; quia gaudent priuilegio clericali vſque ad tertiam monitionem.

23 *Quibus exercitij Clerici nõ ſint exempti.*

Secundò, Si poſſeſſio aliqua habebat aliquod onus perpetuum & inuariabile annexum antequam veniret ad Ius Eccleſiæ.vel eccleſiaſtici,vt ſupra dictum eſt.

24

Tertiò,Quando contributio facienda eſt æquè primariò in vtilitatem Clericorum ac laicorum,v.g.pro reparatione aggerum. ne fluminé vicinos agros Clericorum & laicorum inundet. Non poteſt tamen poteſtas laica hoc caſu Clericos recuſantes compellere per ſe:ſed per Superiorem eccleſiaſticum. Quod ſi id commodè fieri non poſſet,putãt quidam non eſſe omnino improbãdum realem executionem; quia in tali caſu præſumi poteſt ratihabitio;ſeu tacita licentia Summi Pontificis. ſed tutius cenſeo vt hæc expreſsè ad tales caſus per Principes petatur.

25

Ad reparationem autem pontium, viarum publicarum, murorum vrbis & ſimilium, quæ primò & principaliter ſpectant ad communitatem, non tenentur Clerici contribuere, vt communiter Canoniſtæ docent; quia non tangit illos principaliter, ſed ſolùm ſecundariò vt ſunt membra communitatis. alioquin nimis anguſtum & propè nullum eſſet in oneribus publicis priuilegium Clericorum.

Neque obſtat L.Ad inſtructiones.7.C.de Sacroſ. Eccleſ. *Ad inſtructiones itinerum, pontiumque, etiam diuinas domos & venerabiles Eccleſias, libenter adſcribimus.* & cæt. quia cùm ſit contra immunitatem eccleſiaſticam, vim non habet,niſi ſpecialim ab Eccleſia approbetur,vt communiter Doctores Canonum & Theolog. docent. vide Sylueſt. v.Immunitas,1.num.20.Multi tamen Doctores,præſertim Iuris ciuilis, ob legem citatam contrarium tenent. Item Innoc. Hoſtienſis,Gl.Card.Anchar.in cap. Non minùs,de Eccl. immun. Sed prior ſententia eſt verior, propter iura ſupradicta.

Cõtraria ſententia multis placet.

26 Quartò, Quando laicorum facultates non ſufficiunt ad ſuccurrendum publicæ neceſſitati, poteſt etiam aliqua cõtributio imponi eccleſiaſticis. Ad hoc tamen olim requirebatur conſenſus Epiſcopi,& Cleri, vt patet ex capit. Non minùs, de immun. Eccleſiarum, ex Concilio Lateranenſ. nunc verò Summi Pontificis,vt patet ex Bulla Cœnæ Domini: quem conſenſum etiam requirit Innocentius III. in Concilio Lateranen. capit. Aduerſus,de immun. Eccleſiarum: niſi forte periculum eſſet in mora; tunc enim non deberet Papæ conſenſus expectari; ſed ſufficeret conſenſus Epiſcopi cum Clero; vt notat Sylueſt. ſuprà. Conſenſus tamen Epiſcopi non poteſt obligare exemptos. Vnde neceſſe eſt vt hi quoque conſentiant. poſito autem conſenſu Prælatorum, quorum eſt conſentire, tributum non exigitur auctoritate laica, ſed eccleſiaſtica; & ita omnes inferiores illorum tenentur.

Si laicorum facultates nõ ſufficiant.

27 *Exempti de iure conſentire.*

DVBITATIO IV.

Quo iure ecclesiastici sint exempti à vectigalibus.

28 *Iure diuino non sunt proprie exempti.*

RESPONDEO & dico Primò, Non ita sunt exempti iure diuino, vt absque vlla alia exemptione non sint subditi Principibus sæcularibus, sic vt Principes peccent contra Iustitiam, si de causis eorum temporalibus cognoscant, aut tributa ab illis exigant. est communis sententia Theologorum, præsertim recentiorum, Caiet. v. Excommun. cap. 31. & 37. Franc. Victor. relect. de potest. Ecclesiæ sub fin. Ioan. Medina, C. de Restitut. qu. 15. Soti in 4. d. 25. q. 2. art. 2 Couarr. qq. practic. cap. 31. nu. 2. Nauar. capit. 17. num. 119. & aliorum.

Probatur Primò, Quia neque ex Sacris litteris, neque ex traditione, neque ex naturali ratione, neque PP. testimonio talis exemptio probari potest.

Secundò, Initio nascentis Ecclesiæ erant subiecti Principibus sæcularibus, vt videtur colligi ex Apostolo ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* vbi etiam comprehenduntur Clerici; nam vt Gl. ait, cùm dicitur, *omnis anima*, nullus excipitur. & Chrysost. in illum locum, *Ostendens*, inquit, *ista omnibus imperare & sacerdotibus. & monachis, non solùm secularibus: quod declarat cùm dicit, omnis anima: etiam si Apostolus sit, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis eadem fuerit.* Theodoretus, *Siue est sacerdos aliquispiam, siue ministes, siue monachus aliquis existat, quibus sunt mandati Magistratus.* Theophylactus, *Instituens omnium animam, siue sacerdos sit, vel monachus, vel Apostolus subijci principatibus.* D. Tho. in illum locum, dicit exemptionem ecclesiasticorum a tributis, habere æquitatè, non tamen esse ex necessitate, quasi sit de iure diuino. Neque dici potest id solùm scandali vitandi causa præceptum esse: nam Apostolus causam refert in ordinationem diuinam; *Quia*, inquit, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* addit que *eos esse Dei ministros, & ideò eis debere tributa.* vnde colligitur etiam Clericos tributa debituros, nisi essent exempti.

Verùm si quis rectè consideret, locus iste Apostoli non vrget; solùm enim in genere proponit ius diuinum naturale, quo tenetur quisque obtemperare suo legitimo superiori. huius enim potestatem in subditum esse à Deo; & qui huic resistit, Dei ordinationi resistere, &c. quæ omnia generalia sunt, & respectiuè intelligenda; nimirùm de quouis homine respectu sui superioris. Simili modo etiá nunc posse exemptionem loqui possemus. omnis enim potestas superiorum est a Deo, & omnis superior minister est Dei, & vindex in iram male agenti. Vnde hinc probari non potest ecclesiasticos subesse Principi sæculari quoad vim coactiuam; etsi quoad vim directiuam in quibusdam subsint. v. g. in pretio rerum venalium, & huiusmodi.

29 Tertiò, Quia olim Ecclesia ex agris suis tributa soluit; etiam Imperatoribus Christianis, vt constat ex testimonio Ambrosij, quod habetur c. 26. Si tributum. 11. qu. 1. *Si tributum petit Imperator, non ei negamus: ergo Ecclesiæ soluere tributum.* & ex Vrbano Papa, capit. 22. Tributum. 23. quæstio 8. *quod in hoc præsens invenitur pro Petro & Domino dari iubetur; quia de exterioribus Ecclesiæ, quod constat tutum antiquitus est, pro pace & quiete, quæ nos desiderare debent; Imperatoribus persoluendum est.* hoc autem Ecclesia non fecisset, si putasset se iure diuino exemptam: sicut numquam passa est se subijci Imperatoribus in Ecclesiarũ administratione; quòd sciret se iure diuino exemptã, vt patet ex testimonio Ambrosij & Vrbani: vide cap. Conuenior. 21. & cap 22 Tributum. 23. quæst. 8. vbi agnoscunt subiectionem in temporalibus, non autem in spiritualibus.

30 *Quadam ratione sunt Iure diuino exempti. Tres causæ. 1. Quia rebus diuinis mancipati.*

Dico Secundò, Rectè tamen quadam ratione dici possunt iure diuino exempti, quadã iure Canonico & Ciuili. Prior pars probatur. Primò, Quia ius diuinũ naturale etsi non efficiat illam exemptionẽ (non enim Deus immediatè hanc exemptionem concedit) tamen dictat eam a Principibus esse concedendã & a Pontifice fieri posse; idq; ob tres causas. Primò, Ob dignitatem status; per quem ecclesiastici peculiari modo sunt diuinis reb. mancipati & consecrati; atqui cõtra reuerentiam Deo debitã est, si id, quod semel Deo cõsecratum est, tractetur tanquam prophanũ. Hinc Dauid ne defensionis quidem causa vnquam fuit ausus lædere Saulem, quia vnctus erat Domini; quæ tamen vnctio solùm erat vmbra vnctionis & sanctificationis ecclesiasticorum. Secundò, Ecclesiastici sunt Pastores & Patres sæcularium, & Iudices eorumdem loco Dei in causis summis, quæ salutem æternam cõcernunt, constituti: atqui contra decorum & reuerentiam debitam est, vt ouis iudicet suum pastorem, & filius patrem: & qui ante fuit reus, suum iudicem, qui illum auctoritate diuina iudicauit & absoluit, maxime in alia cõmoda ratio inire potest. Tertiò, Etsi Principes, Clericos ab iniuria defendant, & curent vt tranquillitate temporali fruantur; tamen Clerici vicissim Principibus longe maius & diuinius beneficiũ conferunt: ipsorum enim ministerio fiunt Christiani, accipiunt doctrinam salutis, remissionem peccatorum, animæ sanitatẽ, panem cælestem & vitam æternam, ipsorum orationibus & sacrificijs fulcitur regnum, auertuntur calamitates, conciliatur pax, tranquillitas & fœlix status rerum. Vnde Constantinus & Constans cõcedentes Clericis perpetuam securitatem, nempe abo neribus personalibus, addunt, *Scientes magis religionibus, quàm officijs ex labore corporis, vel sudore nostram Reipub. contineri.* vt refertur c. 23. In qualibet. 23. q. 8. Itaque suis muneribus ecclesiasticis abundè compensant Principi & Reipub. vt omnis æquitas polluleat eos ad alia tributa adstringi non debere.

2. *Quia patres & Iudices sæcularium.*

3. *Quia maximè beneficia reperiuntur.*

Ex his patet Principes lege religionis, obseruantiæ & 31
gratitudinis obligari, vt ecclesiasticos exemptos habeant, seu eximant: non autem ipsam exemptionem immediate à Deo factam.

Exẽplis Scripturæ probatur.

Secundò, Probatur exemplis Scripturæ sacræ; nam Ioseph Gen. 47. totam terram Ægypti subiecit Regi, fecitq. tributariam, vt penderet quintam partem fructuum, præter terram sacerdotũ; quibus etiam ex publico cibaria dabantur. vnde colligit Vrbanus Papa cap. 22. Tributum. 23. quæst. 8. *agros Ecclesiæ non esse Imperatorum exactionibus subiciendos.* & 1. Esdræ 7. Artaxerxes vult Sacerdotes, Leuitas & alios templi ministros a vectigalib. esse immunes. Quod si naturale lumen rationis dictabat illos sacerdotes eximẽdos esse, quanto magis dictat, vt sacerdotes, & ministri noui Testamenti eximantur: quorum & dignitas & functio est incõparabiliter sublimior, & Reipublicæ fructuosior?

In hunc sensum accipiendi videntur Canones, dum dicunt, Clericos & eorum res *non solùm iure humano, sed etiã diuino exemptos* esse: quod expresse habetur capit. Quamquã. 4 de censib. in 6. & intinuatur c. Non minus. 4. de immun. Eccl. c. 12. Si Imperator d. 96. & Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 20. vbi dicit *Personam ecclesiasticam immunitatem Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam esse.* quamuis dici possit, in hoc vltimo testimonio illud, *Dei ordinatione*, referendum esse ad immunitatem in spiritualibus. sed verius est, intelligendum esse generatim, de integra immunitate, iuxta modum supradictum: vt colligitur ex sequentibus verbis Concilij. hoc modo videntur Canonistæ posse cum Theologis conciliari.

32

Explicatio Canonum.

Altera pars, *Quod iure Canonico & Ciuili exempti sint reipsis*, probatur, quia quod ius diuinum naturale dictabat esse faciendum, id iure Canonico & Ciuili præstitum est, vt patet ex Canonibus citatis. Item ex c. In qualibet. 23. & duobus sequentibus 23. qu. 8. & 11. quæst. 1. per multa capita. Item cap. Et si Clerici. 4. cap. Clerici. 8. cap. Qualiter. 7. de Iudicijs. 33

Vbi aduerte, toto tempore, quo Imperatores fuerunt ethnici, Clericos in temporalibus fuisse illis subiectos sicut laicos: quia neque Principes eos eximebant, cũ eorum dignitatem non agnoscerent, neque etiam Pontifex Summus, eo quòd vel non posset, vel non expediret. Postquam autem cœperunt esse Christiani, sensim eos cœperunt eximere. Primùm quidem Constantinus lege lata eximit eos ab oneribus personalibus; vt patet dict. cap. vigesimotertio. In qualibet. 23. quæstione octaua. & a solutione publici census, vt refertur Sozomen. lib. primo, cap. octauo, histor. in cæteris tamen manserunt subiecti. Deinde a Iustiniano fuerunt exempti in causis ciuilib. pro prima instantia solùm: in criminalibus tamen reliquit eos sub iudice sæculari, vt patet ex Nouella 83. & 123. multa tamen vsurparunt sibi isti Imperatores in causis ecclesiasticis, quæ iure diuino sunt omnino exemptæ. Idem concessit immunitatem a quibusdam tributis, L. Sancimus. 21. Cod. de Sa- 34

Quomodo Clerici sunt omnes exempti.

crof. Eccl. Denique à posterioribus Principibus omnino exempti fuere; eaque exemptione multis sæculis consensu totius orbis sunt potiti.

35 *Non potest hæc exemptio reuocari.*

Vnde sequitur, eam à successoribus reuocari non posse. Primò, Quia fuit absoluta & perpetua ex mente concedentium: omnis autem donatio vel exemptio facta communi eam, in perpetuum est irreuocabilis. Secundò, Fuit facta ad remunerandà beneficia spiritualia, quæ regna percipiunt ab Ecclesia. Tertiò, Quia principaliter ad Dei honorem facta fuit; sicut donatio agrorum aut villarum, quæ offeruntur Ecclesiæ, eiusque ministris. Vnde sicut sacrilegiũ esset repetere agros Ecclesiæ donatos: ita sacrilegium erit infringere Clericorũ immunitatẽ. Quartò, Orbis Christianus, à quo Principes habent auctoritatem, consentit in hanc exemptionem. vnde non est in Principis potestate eam reuocare; sicut quod semel consensu regni est alienatum, nõ potest repeti. Quintò, Quia Concilia & Pontifices, qui sunt supra ipsos Principes, eam confirmarunt. denique quia iure diuino naturali Principes tenentur eam facere, & factam ratam habere, vt ostensum est.

36 *Pontifex potest hanc exemptionẽ facere.*

His adde, etiamsi Principes noluissent in hãc exemptionem consentire, Summi tamen Põtifices & Concilia œcumenica habebant auctoritatem eam inducendi, vt cõmuniter docent DD. & probat Couarruu. in pract. ca. 31. numero 3. & 4. ratio est, quia habent potestatem a Christo, statuendi id, quod ab bonum spirituale Ecclesiæ & Dei honorem videtur necessarium, aut valdè expediens: atqui exemptio Clericorum a Iurisdictione sæcularium, est necessaria ad bonum spirituale Ecclesiæ & Dei honorem: ergo. Minor patet tum ex causis suprà allatis; tum quia valdè vilesceret status ecclesiasticus, & res diuinæ, quas tractant, si instar laicorum ad Iudices sæculares traherentur; tum quia valde distraherentur a rebus diuinis; nam facilè à laicis possent vexari; tum quia periret libertas illa sacerdotalis, qua in laicis instruendis & corripiendis vti debet: tum denique, quia laici facilè etiam causas ecclesiasticas ad se pertraherent. Accedit quod Principes sint subditi Põtifici sicut oues Pastori: atqui Superior potest aliquem eximere a Iurisdictione sui subditi, præsertim quando recta gubernatio & honor Dei id postulat. Quod si Pontifex potuit Clericos eximere à Iurisdictione sæcularium Principum; consequens est vt etiam potuerit eximere a tributis; quia tributa ob Iurisdictionem penduntur; vt constat ex Apostolo ad Roman. 13. *Ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam, ideo enim & tributa præstatis.*

DVBITATIO V.

Quinam Clerici sint exempti.

37 *Sacris initiati, beneficiarij, Religiosi.*

RESPONDEO Primò. Omnes Clericos sacrorum ordinum, & beneficiarios & Religiosos & Religiosas exemptos esse; idque præcipuo quodam Iure. est communis sententia DD. tenet Couar. in prac. c. 31. num. 5. nam hi omnes vel firmiter ecclesiastico statui sunt addicti, vel ad Ecclesiæ deseruiunt.

38 *Clerici minores.*

Secundò. Clerici minorum ordinum, & primæ tonsuræ si non sint coniugati, secundum Canones sunt etiam à tributis liberi; etsi neque beneficiarij sint, neque in aliqua Ecclesia deseruiant. colligitur ex c. fin. de vita & honest. Cleric. c. Quamquam, suprà. & ex l. Presbyteros. 6. C. de Episcop. & Clericis.

Qui priuilegio fori fruãtur.

Nec obstat Concil. Trid. sess. 23. c. 6 de reforma. quia loquitur solum de priuilegio fori, quo non possint ad tribunal sæculare pertrahi: quod priuilegium Concilium non concedit, nisi illis Clericis primæ tonsuræ, vel minorum ordinum, qui aut beneficium ecclesiasticum habent, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruiunt, aut in Seminario Clericorum, vel in aliqua schola, vel Vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines, versantur.

Consuetudo non subijcit.

Tertiò, Longa tamen consuetudine contraria, Clerici primæ tonsuræ & minorum ordinum, qui nec beneficium habent, nec vlli Ecclesiæ deseruiunt, videntur hanc exemptionem amisisse, etiamsi coniugati non sint: quia iã à multo tempore vectigal soluunt sicut laici. ita Couar. num. 9. vbi in fine ait se vidisse litteras regias in hoc decretas, vt Clerici primæ tonsuræ etiam non coniugati, cogantur soluere decimam partem rei venditæ: quod tamen videtur esse contra ius Pontificium, in cap. Quamquam, de censibus, in sexto.

39 *Præscriptio non contra valet.*

Dices, Non potest vmquam valere præscriptio aut consuetudo contra immunitatem & libertatem ecclesiasticã, vt expresse habetur in Nouella Friderici Imperatoris, quę incipit, Cassa & irrita. & colligitur ex c. Causam, de præscript. & c. Clerici, de iud. ergo consuetudine non potuit hoc introduci.

Respondeo, Non posse quidem eam valere inuito Pontifice, seu non accedente libero eius consensu; sed præsumi posse hunc consensum propter commoda Principum interuenisse. nam hæc consuetudo non erat omnino à ratione aliena; præsertim ob multitudinem talium Clericorum, quorum plerique ideò dumtaxat Clerici fiebant, vt a tributis eximerentur, absque vllo animo ad ecclesiasticum statum conscendendi.

Quod ad priuilegium fori attinet, talibus Clericis iuxta Canones antiquos & Concilij Tridentini formam competens, si in Seminario vel studijs versentur, non est credibile Ecclesiam consentire aut consensisse vt possint eo per contrariam consuetudinem priuari: quia magis per hoc dignitas status ecclesiastici læderetur, & principibus nihil commodi accederet.

40 *Clerici coniugati.*

Quartò, Clerici coniugati non sunt exempti à vectigalibus, neque Iure Canonico neque consuetudine; vt rectè Couar. quia duo tantum priuilegia huic conceduntur, nempe fori & canonis. vt patet c. vnico, de Cler. coniug. in 6. Ad quæ tamen duo requiruntur. Primò, Vt duxerint virginem, & quidem vnicam. Secundò, Vt deferant tonsuram & vestes clericales: quibus addit Concilium Tridentin. *vt priuilegio fori non gaudeant, nisi ab Episcopo alicuius Ecclesiæ ministerio sint deputati.*

DVBITATIO VI.

Quæ sit legitima causa imponendi vectigalis.

RESPON. Causa iusta duplex est; Prior *Necessitas publica.* cui aliter commode succurri nequit; vt si necessarium sit ad stipẽdia militaria, ad reparationes vrbium, vel aliter ad bonum publicum valdè expediens. huc etiã pertinet status principalis sustentatio: nam & hæc ad bonum publicum pertinet; ratio est, quia sicut Principis est populum regere, Ius dicere, hostes arcere, denique tranquillitatem & proiperitatem temporalem totis viribus procurare; ita vicissim populus tenetur sumptus necessarios ad hæc præbere. vnde etiam potest a Principe, si opus sit, ad hoc cogi. Sed quatuor hic sunt requisitæ conditiones. Prima, Vt constet causam esse iustam; vel si de ea sint diuersæ opiniones, vt habeat probabiles rationes, ob quas possit prudenter statuere se hic & nunc posse ob talem causam tributum imponere. si tales rationes non haberet, vel certè non consideret sine iustum, quod agit, an non; sed cæco more progrederetur; non posset exigere; quia nescit an ius exigendi habeat. vnde exigendo, iniuriam populo irrogat, & ad restitutionem tenetur; nisi postea constet causam iustam fuisse; quia mala fide acquisitum est restituendum.

41 *Causa vectigalis duæ 1. Necessitas publica.*

42 *Quatuor conditiones.*

Secunda, Vt causa sit vectigali proportionata: seu, vt vectigal non sit maius, quàm causa postulet: qua parte enim excedit, est iniquum.

Tertia, Ne insumatur in alienos vsus; vt in prodigas largitiones & alias expensas inutiles publicas, vel priuatas, ad quas populus non teneatur contribuere: teste Caiet. v. Vectigalia, & Per. Nau. l. 3. c. 1. nu. 255.

43 *Si causa sit permanens.*

Quarta, Ne diutius quàm causa postulat, continuetur: nisi forte noua causa superuenerit, ob quam de nouo imponi potuisse; tunc enim licebit continuare: quia causa continuatur in simili, dum in locum prioris causæ, alia æquè iustæ succedit.

Vbi tamen Aduerte ex Alphonso Castro l. 1. de lege pœna. cap. 11. si causa immediata tributi non sit negotium aliquod transitorium, sed obligatio quædam permanẽs, (v. g. ad vindicandũ perpetuò mare à piratis, itinera a latronib.)

non

non ſtatim ceſſet tributũ, ſi aliquo anno piratæ vel latrones non grauent: quia pro ipſa obligatione exigitur, quæ continua eſt, ſemperque manet: tenetur enim Princeps ſemper eſſe paratus, & habere naues & milites expeditos. ſecùs eſt quando immediatè pro aliqua neceſſitate tranſitoria indicitur, illa enim ceſſante tributum ceſſat.

Quod ſi hæ cõditiones ſeruatæ non fuerint, tenetur Prin
44 ceps ad reſtitutionem, & ipſo non reſtituente, tenetur exactor: eſt enim furtus & rapina; vt docet Caieta. v. Vectigalia iniqua; & conſentiunt ceteri DD.

Circa tamen exactorem Notandum eſt ex Caiet. §. Occurrunt; ſi dubium ſit an vectigal ſit iuſtum, an iniuſtum,
45 alijs affirmantibus, alijs negantibus; exactor, qui eſt ſubditus Principis, & obedientia compulſus exigit, non peccat, nec tenetur reſtituere; qui obedientia in dubio excuſat. ficati ſubditus, qui compellitur ire ad bellum, quod non conſtat ei eſſe iniuſtum, excuſatur: etiamſi poſteà iniuſtum fuiſſe deprehendatur. ratio eſt, quia in dubio melior eſt cõditio Superioris, qui ius imperandi poſſidet: meritò enim inferior in dubio iudicium ſuum Superiori debet ſubmittere, & obſequium debitum non ſubtrahere. ſecùs tamen eſſet, ſi ſciret Superiorem ſuum dubitare, & dubitanter imperare; quia ſciret tunc illum non habere ius imperandi.

Exactor, ſeu vectigalium redemptor in dubio.

46 Si verò non eſt ſubditus, aut ſi non compellitur, non poteſt ſe ſponte ad talia dubia vectigalia exigenda offerre; niſi tãtam ſciat eſſe Principis probitatem & prudentiam, vt meritò in eius iudicio poſſit acquieſcere. alioquin mortifere peccat exponens ſe periculo cooperandi iniuſtitiæ; & tenetur ad reſtitutionem; niſi poſteà deprehenſum fuerit iuſta fuiſſe ratio eſt, quia malè fide exegit, & lata culpa damnum intulit. ſicut is, qui a ſuo debitore exigit aliquid, de quo ambigit an debeatur.

47 Virùm autem talis exactor ſit excommunicatus, quando dubitatio de iuſtitia vectigalis oritur ex dubitatione de poteſtate imponentis, quæri poteſt. Sed dicendum eſt non eſſe excommunicatum, niſi ex parte rei. is, qui impoſuit, deprehendatur poteſtate caruiſſe. ſi enim ille verè caruit poteſtate, exactor cum tali dubio exigens, ab initio excommunicatus cenſeri debet: quia malè fide exegit quæ imponi non poterant, & ita accommodantur ei verba Bullæ Cœnæ. & c. Quamquam de cenſib. in 6. vide Nauarrum c. 27. nu. 61. & 70.

An ſit excommunicatus.

48 Petes, Quid ſi Rex ſua culpa ærarium exhauſerit, v. g. ludis, conuiuijs, profuſis largitionibus, bellis inconſultis, poteritne vrgente neceſſitate noua tributa imponere?

Si culpa Principis exhauſtum ærarium.

Reſpon. poſſe, ſi alia ratione nõ poſſit publicum malum auertere; quia ſubditi in publica neceſſitate tenentur opem ferre. ſed hoc caſu deberet Princeps omnes ſumptus parũ neceſſarios accipere; & poſteà cum res meliori loco fuerint illud extraordinarium damnum, culpa ſua conflatum, populo ſarcire, vt rectè docet Medina q. 13.

49 Altera cauſa iuſta imponendi vectigalis eſt cõpenſatio ſumptuum & damnorum acceptorum, & iuſta vindicta. Tale tributum ſolet imponi tum ſubditis, qui iniquè rebellarunt contra ſuum Principem, eique cauſa multorum ſumptuum & damnorum fuerunt; idque partim titulo iuſtæ punitionis, partim Iure ſarciendorum damnorum: tum etiam hoſtibus externis iam deuictis, qui vel damnum intulerunt; vel iniquum bellum mouerunt; vt docet Victoria, relectio. 4. de Iure belli, nu. 57. & probat ex ca. 20. Deut. ratio ferè eſt eadem, quæ in ſubditis rebellibus. ſit enim partim iure vindictæ, quòd iniuriam irrogarint; partim iure compenſationis damnorum & ſumptuum, quorum cauſa extiterunt.

2. Compenſatio ſumptuum.

DVBITATIO VII.

Vtrùm Vectigalia conſtituta ſuper eis rebus, quæ ad vſum neceſſarium familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur, ſint iuſta.

50 CAIETANVS v. Vectigal, circa principium, §. Ex forma. & circa finem, §. Quintum eſt, condemnat huiſmodi vectigalia, & ſolùm admittit ea, quæ imponuntur rebus cauſa negotiationis aduectis. eiuſdem ferè ſententiæ eſt Driedo quoad pauperiores, lib. 2. de libertate Chriſtiana, cap. 5. Probatur Primò, Quia in illis non ſeruatur iuſta forma tributorum, quæ poſtulat vt pauperiores non magis onerẽtur quàm diuites, ſed quiſque pro portione ſuarum facultatum & lucrorum. In hoc autem genere magis grauantur pauperes, quibus parũ facultates & nihil lucri ex negotiatione: quod ſanè videtur iniquum. Minor probatur, quia quò quis eſt pauperior, pluribuſque liberis oppreſſus, eo plura de rebus ſuis debet vendere, & de rebus alienis emere ad neceſſarium vſum: diuites autem nõ cogantur ſua vendere. & poſſunt ipſi alere pecora, & reliqua neceſſaria è ſuis villis parare; poſſunt etiam obſeruare tempus, quo res ſunt viliores, & tunc magno commodo commercia ergo hoc vectigali multò magis grauantur pauperes, quam diuites. Confirmatur ex Driedone ſuprà, vbi dicit, *Iniuſta eſſe vectigalia, ſi ſic imponantur vt ipſa grauentur qui ipſa ratione minùs ſunt grauandi; vtpotè ſi magis indigentes grauentur plus aut æquè ac diuites cum ditioribus, minùſque egentibus. Iniquum eſt pauperem pro rebus, quas vſui ſuo conſumendas defert, tantumdem ad ſuſtinendum Reipub. onera ſoluere, quantum diues ſoluit pro ſimilibus rebus æqualis ponderis, ad vſum ſuum delatis*, &c. & infra dicit, *non eſſe ingrediendam ſcrupulum, huiuſmodi vectigalium fraudatores, præſertim pauperibus: quia non tenentur æqualiter diuitibus ad onera Reipubl. contribuere, ſed ſolùm ſecundum proportionem ſuarum facultatum.*

Secundò, Probatur ex Iure ciuili, nam l. Vniuerſi, Codic. de vectigalibus, ſub pœna capitis prohibetur, ne ex rebus, quæ ad vſum proprium muchuntur, vectigalia exigantur.

Tertiò. Ex capite Quamquam, de cenſibus, in 6. vbi dicitur, *Pedagium exactiones, tam iure Canonico, quàm Ciuili, regulariter merito eſſe damnatas.* quod intellige de *pedagijs*, quæ imponuntur rebus, quas ad ſuum quiſque vſum defert. Eamdem ſententiam tenet Toletus lib. 5. inſtruct. ſacerdot. capitul. 3. vbi dicit, non ſolùm peccare exactores huiuſmodi vectigalium; ſed etiam eſſe excõmunicatos in Bulla Cœnæ. nam ibi excommunicantur qui prohibita pedagia exigunt: hæc autem ſunt prohibita. vnde non minus ſunt excommunicati qui exigunt ea à laicis, quam qui à Clericis. Idem tenet Angelus v. Pedagium nume. 3. & quidam recentiores.

Reſpondeo, Hanc ſententiam ordinariè veram eſſe: ſunt 51
tamen quatuor caſus, in quibus talia vectigalia poſſunt imponi. Primò, Si publica neceſſitas vrgeat; & vectigalia, quæ alunde colligi poſſunt, non ſufficiant: tunc enim huiſce rebus imponi poſſunt; ita tamen vt non ſint maiora, quã illa grauis Reipub. neceſſitas poſtulet. Ita D. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 13. §. 9. Media q. 15. Sylu. v. Gabella. 3. q. 5. Nau. c. 17. nu. 202. Ratio eſt. Primò, Quia membra Reipub. tenentur pro bono communi omnes fortunas & etiam vitam exponere ſi neceſſe ſit: ergo multò magis ex rebus ad victum neceſſarijs aliquid ſoluere, ſi aliter communi bono prouideri nequit. Secundò, vectigal illud, quod ſoluunt mercatores pro ſuis mercibus tandem recumbit in pauperes, & eos, qui ſibi neceſſaria parant; & tamen hæc cenſentur iuſta: ergo illa alia non ſunt condemnanda, quando alia ratio commodior non ſuppetit.

Quatuor caſus, quibus poſſunt imponi.

Quòd autem non debeant hæc vectigalia eſſe maiora, quàm neceſſitas præcisè requirat, ex eo conſtat, quòd à iuſta forma nonnihil exorbitent, à qua, quàm minimum fieri poteſt, recedendum eſt: quam ob cauſam Iure Canonico & Ciuili regulariter ſunt prohibita. Addo, multò æquiora eſſe quæ rebus non ita neceſſarijs; vt ad delitias, elegantiam; vel luxum ſpectantibus imponuntur, v. g. panno pretioſo, ſerico, holoſerico, vndulato, tapetibus, vaſis argenteis, pretioſis vinis, & edulijs, & ſimilibus, ſine quibus homines viuere poſſunt: tunc enim potiſſimùm onerantur diuitiores, & qui commodè ferre poſſunt.

Secundò, Si ob aliquam cauſam publicam ex conſenſu 52
totius populi ſtatuatur, vt inquit Medina. ratio eſt, quia quiſque poteſt ſibi onus imponere eo modo, quo lubet. hic tamen conſenſus debet eſſe liber, & ſolùm conſentientes conſtringere. quare qui non conſenſerunt vel coactè conſenſerunt, non obligabuntur.

Tertiò, Si pro ſecuritate viarum, nempe perſonarum & rerum deuectarum imponatur, quando alia ratione conſuli earum ſecuritati nequit. ſatius enim eſt hoc onus ſuſtinere, quam omnia amittere vel periculo exponere: tunc tamen ratio pauperum haberi debet.

Si consuetudo memoriã hominũ excedat.

Quartò, Si sit consuetudo quę memoriam hominum excedat: hæc n. potest talia tributa excusare; modò tamen ratio pauperum habeatur. Adde, & modò non constet, causam ob quam imposita fuerunt, cessasse: tunc enim putarentur non bona fide continuata, ac proinde non legitimè præscripta.

Crediderim tamen hanc limitationem non habere locum, quando illa consuetudo tanto tempore absque murmure & oppositione plebis fuisset seruata: quia tũ potiùs præsumendum esset aliam causam legitimam in locũ prioris successisse, quam illa tributa iniquè tam longo tempore fuisse extorta. Vsus n. temporis immemorabilis vincit omnem iniustitiæ præsumptionem, iuxta ea, quę dicta sunt sup. c. 6. dub. 10. & 12.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm qui vectigal, quod rebus venditis, vel in proprium vsum comparatis impositum est, fraudant, peccent mortifere, & teneantur ad restitutionem. Item an possit res illas vendere pretio currente.

57 *Sententia multorum DD. non esse peccatum mortale fraudare.*

QVIDAM Doctores docent hos non peccare mortaliter ac proinde non teneri ad restitutionem. Ita Angelus v. Pedagium, numer. 6. Nauarr. cap 23. num. 55. & 60. Beja in suo libello casuum, casu 1. secundo Aprilis. Probari potest hæc sententia. Primò, quia hæc vectigalia ordinariè imponuntur per statutum, nullum continens verbum præceptiuum, sed tantùm verbum *statuimus* vel *ordinamus* vt quilibet soluat tale quid sub pœna cadendi in commissum, qua forma non significatur obligatio sub peccato mortali, sed tantùm rẽ posse a fisco vindicari post sententiam, si vectigal soluetum non fuerit. Confirmatur, quia lex purè pœnalis (qualis est ista) non obligat nisi ad pœnam, idque post sententiam, vt docet Henricus à Gandauo quodlib. 3. quæst. 22. Ita Angelus supra, & v. Inobedientia, numer. 1. vbi addit: 58 *statutum purè pœnale, ex forma statuti solùm obligare ad pœnam*, (nempe post sententiam) *ex intentione autem statuentis obligare ad culpam, si legem temerariè aut cum fraude violetur*. Vnde sequitur non fore peccatum, si quis semel, bis, aut ter fraudet. secùs verò si pluries vel crebrò. Secundo. Leges ciuiles, etiamsi verbo præceptiuo vtantur, non obligant ad peccatũ mortale, præsertim quando apponunt pœnam in bonis temporalibus: tunc enim videntur satis habere, si illa pœna ijs, qui deprehensi fuerint, irrogetur. Probat id fusè Nauar. citatq; pro ea sententia Matthæum Matthisium virum doctissimũ, & alios. Tertiò. Quia leges & statuta, quibus vetatur ne quis aurũ, argentum, vel simílem speciem e regno efferat sub pœna commissi, (id est, sub pœna amissionis rei) non obligat sub peccato, vt multi DD. sentiunt; (pauci enim sunt, qui sibi inde scrupulum faciant, præsertim in efferendo auro & argento) sed solùm tribuunt ius Principi ad rem, si deprehensi fuerint, fisco vindicandam. quare idem dici non potest de statutis vectigalium?

59 Ob has rationes videri possit alicui hæc sententia non improbabilis, præsertim in vectigalibus nouis & multùm onerosis; etsi enim per tales fraudationes aliquid Principi, vel redemptori decedat; mulctæ tamen & confiscationes in deprehensos facile compensant. Accedit quòd redemptores sciant talia fieri consueuisse, & ideò minoris conducant.

Respondeo tamen & dico Primò, Verius esse, quando 56 constat huiusmodi vectigal iustè impositum esse & veliter expendi, eos, qui fraudant in summa notabili, mortifere peccare, & teneri ad restitutionem. Syluester Gabella tertiò, num. 21. & 22. vbi dicit omnes Summistas ita sentire, præter Angelum, Caietan. v. Vectigalia, Fumus v. Vectigal, numer. 6. Ioannes Medina quæstione 13. Couarruuias ad regul. Peccatum, part. 2. §. 5. numer. quinto, & alij recentiores.

Contrarium verius.

Probatur. Probatur Primò, Ad Rom. 13. *Ideò & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* vbi apertè Apostolus docet, vectigal esse debitum Principi propter administrationem Reipub. & Matth. 22. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* vbi satis indicatur vectigalia iusta esse soluenda.

Secundò probatur, Quia Respublica lege iustitiæ debet 57 Principi tantum stipendium administrationis & subsidiũ necessarium ad conseruationem publicæ tranquillitatis: hoc enim tacitè promittit, dum eum sibi præponit: ergo quando hæc obligatio est in singulas Reip. partes distributa, assignata cuique suæ portioni, & determinatis rebus, ex quibus soluenda sit; singuli ex iustitia tenentur illam soluere. Eadem n. obligatione, qua Resp. tenetur in genere ad sumptus necessarios, singuli in particulari tenentur ad suã partem ipsis debito modo assignatam; quare cum singulis assignetur sua pars per tale vectigal, tenentur singuli lege iustitiæ tale vectigal soluere.

Tertiò, Facta determinatione decimæ partis soluendæ 58 ministris Ecclesiæ in stipendium sustentationis, singuli ex iustitia tenentur, decimam illam soluere: ergo similiter, facta determinatione vectigalis quantum, & ex quibus rebus sit soluendum Principi, singuli lege iustitiæ tenentur illud soluere. est enim par vbique ratio: sicut enim decimæ debentur Prælatis Ecclesiæ ob gubernationem spiritualem, ita vectigalia Principibus sæcularibus ob gubernationem temporalem. *Decima.*

Ex his solui possunt argumẽta sententiæ aduersæ. Nam 59 leges tributorum non tantùm statuunt vel præcipiũt quid fieri agendum; sed etiam determinant iustum stipendium Principis, vel iustitium ad onera publica ferenda ecclesiarum. quare sicut aliæ leges, quibus pœna rerum determinantur, obligant in conscientia: etiamsi nullum verbum præceptiuum habeant; ita etiam leges & statuta vectigalium. Adde fundamentum illud Angeli & Nauarri de lege pœnali, non esse solidum: de quo prima secundæ quæst. 96. art 4. *Leges tributorum, et vectigalium.*

Dices, Has rationes solùm probare de vectigalibus an- 60 tiquis, quæ iam olim statuta sunt Principi in stipendium, pro administratione Reipublicæ: non autem de ijs, quæ recens instituuntur ob aliquam publicam necessitatem: quia Respublica non tenetur ex iustitia talia admittere, sed solùm ex obedientia & amore boni communis: ac proinde non censentur singuli ciues in particulari obligari ex iustitia, sed solùm ex obedientia Principis, & sub pœna pecuniaria, quam ille statuerit: hoc enim sufficit ad finem propositum.

Respondeo, Cùm Respublica totam suam potestatem in Principem transtulerit, non apparet ratio, cur Princeps non possit obligare singulos, non solùm lege obedientiæ, sed etiam iustitiæ, ad vectigal soluendum: quia Respublica potuisset eos sic obstringere: quod si potest, cur non censeatur facere: cùm hæc ratio sit efficacior ad finem consequendum?

Notandum tamen est Primò, Multos viros doctos sentire, vectigal pro rebus de loco in locum transfectis, (præsertim quando est graue) nõ debere solui, nisi exigatur; imo nihil fraude actum sit: vt si non obtemperes, cum id des non deceperis: non n. tenemur ipsi exactioni quærere. ita Tabie. v. Pedagium. §. 8. Sotus l. 3. de iust. q. 6. ar. 7. in fi. Henric. de Ludouic. c. 36. Probabilius tamen est seruandam esse consuetudinem: hæc enim est optima legum & voluntatis Principis interpres. 61 *Vtrum debeat exigi.*

Notandum Secundò, Æquitati consentaneum esse multorum DD. sententiam, Eum, qui rem aliquam defert, emit, aut vendit ad solatium suæ extremę, vel magnę necessitatis, non debere in conscientia vectigal. Ita docet Petr. Nauar. l. 3. ca. 1. nu. 236. ex Caietano, Pedraza, Nauarro, D. Antonino, Soto, Fumo, Syluestro, Angelo ratio est, quia respectu talis personæ cessetur immoderatum, ac proinde carens debita forma iusti vectigalis. vnde infert Petr. Nauar. pauperes, qui aliquid vendunt ex propriis fructibus, vel ex supellectili, nihil debere; cùm id faciant ad supplenda necessaria vitæ, vltra quæ nihil vel parùm habent. Puto tamen hic etiam esse considerandam consuetudinem: si n. consuetudo habet, vt tales etiam partem aliquam soluant, ea meritò seruari potest: præsertim si Princeps aliunde necessaria habere nequeat. Si tamen aliunde sibi posset consulere, consuetudo illa, corrupteia censenda esset, recte Angelo, Caietano, Gabriele & Siluestro, vt docet Pet. Nauar. num. 237. 62 *Si ob extremã, vel grauem necessitate aliquid ematur aut vendatur.*

Sed difficultas superest, Vtrùm coram Deo sit obligatio soluendi, quando sunt probabiles rationes dubitandi 63

de

Quid si dubia sit iustitia vectigalis.

de Iustitia vectigalis. Multi DD. affirmant omnia noua vectigalia, & veterum vectigalium noua incrementa, (id est, quæ ab hominum memoria sunt instituta) nisi constet de eorum iustitia, præsumi iniusta, ac proinde in conscientia non deberi, si scandalum absit. Ita Angelus v. Pedagiũ, nu. 6. Gabr. in 4 dist. 15. quæst. 5. concl. 7. Caietanus suprà, Syluester Gabella 3. quæst. 3 vers. secundo, & q. 14. Fumus Gabella num. 18. Arragon quæst. 62. art. 3. Dicedo l. b. 2. de libert. Christiana cap. 5. §. Cæterùm.

Sententia multorum Doctorum est debere cõstare de iustitia eorum.

Fundamentum horum DD. est duplex, Primò, Quia præsumptio Iuris his vectigalibus obstat. dicitur enim capitul. Quamquam, de censibus in 6. *Pedagiorum exactiones tam iure Canonico quàm Ciuili, regulariter meritò sunt damnatæ.* cuius causa est, *quia tot conditiones requiruntur ad iustitiam vectigalis, vt difficile fortè sit iusta inuenire*, inquit Caietanus. Debent enim esse iusta ex causa efficiente, ex fine, ex forma, ex materia; & ex vsu, vt dictum dub. 1. ergo nisi moraliter certum sit esse iusta, populus non tenetur. Secundò, Quia in dubio melior est conditio possidentis. atqui populus possidet suam pecuniam & immunitatem, ergo, &c.

64 *Contrarium verum.*

Respondeo tamen & dico Secundò, Verius esse, vt subditi teneantur ad solutionem vectigalis noui, non esse necessarium vt ipsis constet esse iustum; sed satis est, vt non habeant probabiles rationes ob quas probabiliter possint iudicare esse iniustũ si tamen tales rationes habuerint, non tenebuntur in cõscientia soluere. Ita Petrus Nauarra lib. 3. cap. 1. num. 163. Prior pars probatur Primò, quia subditus in dubio negatiuo, (id est, quando dubitat ex ignorantia, quòd in neutram partem rationes habeat) tenetur se conformare iudicio Superioris; nullam enim habet causam, cur contrà sentiat. Secundo, Quia Princeps vt possit imponere vectigal, non necessariò debet esse certus speculatiuè de iustitia vectigalis; sufficit vt de ea rationes probabiles habeat. quiuis enim in actionibus suis sententiã probabilem sequi potest, adeò vt etiam in bello inferendo Princeps probabili sententiæ dicenti licitum esse inferre, se possit conformare: ergo subditus vt obligetur soluere, non debet esse certus, sed sufficit vt non habeat probabilem rationem credendi esse iniquã.

65 *Non dat esse certus speculat.*

66 *Contra quæ sit præsumptio Iuris.*

Ad primũ fundamentum sententiæ contrariæ Respondeo, Præsumptionem Iuris non obstare vectigalibus nouis, quæ a supremis Principibus constat esse imposita: nusquam n. in iure Canonico vel Ciuili hæc damnantur: imò apertè approbantur cap. Super quibusdam. 16. de verbo. significatione & L. Non solent. C. Vectigalia noua instituí non posse; ad quas tamen duas sanctiones respicit Pontifex, cùm ait: *Iure Canonico & Ciuili esse damnata*; vt notat Glossa. loquitur ergo de vectigalibus, de quibus non constat esse legitima auctoritate instituta vel concessa; vt ab Imperatore, Rege, vel Concilio generali, aut antiqua consuetudine, quæ memoriã hominum superet, introducta. & quia tempore Bonifacij pleraque quæ per Italiã vigebant, erant talia, dicit ea *regulariter* esse damnata, id est, ea, quæ regulariter sunt in vsu per Italiam: quia absque legitima auctoritate introducta. Ad secundum patet ex prima probatione. In eo casu, vt summum, habet Ius differendi solutionem donec diligenter de tota re inquisierit.

67 *Si subditus prob. abiles rationes habeat.*

Altera pars, *Subditum non teneri quando sunt probabiles rationes esse iniquum*, est communis Doctorum. D. Antoninus 2. par. tit. 1. cap. 14 §. 8. Petrus Nauarr. suprà numero 163. & ceteri DD suprà citati. ratio est, tum quia possunt se cõformare opinioni probabili: tum quia in tali dubio melior est conditio possidentis. Illud autem dictum commune, *In dubio præsumendum pro sententia Superioris*, intelligendum est quando non agitur de interesse seu damno inferioris. Nec obstat quòd Princeps iustè possit exigere; quia vtraque pars suo Iure vtitur, dum probabiles rationes sequitur. quo modo sæpè fit vt vtrumque bellum sit iustum: ignorantia enim veritatis facit, vt vterque propter rationes speciem veritatis habentes, bona fide iustitiam a se stare putet. Cauendum tamen est scandalum & maior Reip. turbatio.

68 *Ad alteram partem dubit. propositæ.*

Quod ad secundum attinet in ipsa dubitatione propositum, quidam putant eos qui non soluerunt vectigal ratione rei vendendæ debitum, non posse rem illam vendere pretio ordinario, sed minore. Ratio est; quia illud pretium est taxatum rõne oneris soluendi vectigalis, quod ille fraudator non subijt. Vnde debet detrahere de pretio, quantũ ei ratione illius oneris accreuerat. Sed contrarium est multo probabilius, vt ex ijs, quæ c. 21. de empt. & vend. dub. 5. dicta sunt, colligitur. Ratio est, quia pretiũ constitutum est cõ æstimatione vel lege magistratus, ratione oneris, quod cõstet omnes vendentes subire iussi sunt, quod pretium nõ mutatur ex eo quòd hic vel ille oneri illi nõ satisfaciat: nã qui id fecit, manet obnoxius punitioni & mulctę magistratus si detegatur: imo tenetur restituere redemptori vectigalis, vel Principi, si tale est, vt cum eo rigore censeatur obligare. Quòd si non putetur habere tam rigidam obligationem, nihil refert; non n. idcircò venditio fuit iniusta. Sin. non est iniusta, cùm obligatio restituendi est strictissima; cur sit iniusta, cùm non est stricta, sed persona solùm manet obnoxia punitioni si deprehẽ datur? Deinde si Princeps alicui cõdonaret hoc vectigal, ille posset rem vendere pretio currente; alioquin nullum esset illud Principis beneficium: ergo etiam is qui illud fraude nõ soluit. Quia sicuti condonatio Principis non mutat rei æstimationem cõem: ita nec illa fraudatio. Tertiò, quando pretium auctum est ratione sumptuum, vel periculorum, quibus passim aduectio mercium est subiecta; si aliqui sint qui absq; huiusmodi sumptibus vel periculis eas merces comparârunt, siue iure, siue iniuria. hi possunt eas vendere pretio communi, etiamsi causa ob quam illud pretium est constitutum, in ipsis locum non habeat; vt omnes fatentur: ergo similiter in præsenti casu. Denique res est æque bona, æquè commoda emptori; nec emptor expositus est, ratione fraudis quam fecit venditor, vllo periculo aut damno, vt suppono; sicut fere accidit in rebus quæ vsu ipso consumuntur. Secùs tamen foret, quando ipse ignarus fraudis exponeretur probabili periculo damni, vt si res ipsa caderet in commissum, vel ex ea deberet fieri solutio, &c. tunc enim venditor peccaret cõtra iustitiam, exponendo emptorem huic periculo, & secuto damno teneretur compensare.

An res possit vendi pretio currente.

DVBITATIO IX.

Vtrùm is, qui emit a mercatore, quem nouit vectigal debitum fraudare, teneatur ex mercibus emptis illud soluere, principali non soluente.

69 RESPONDEO, Hoc vectigal posse esse vel partem aliquotam mercium v. g. quintam, decimam, decimam quintã, vel vigesimam, vel pecuniam aliquam: & quidem si non est certa pars mercium, sed pecunia per venditorem soluenda, certum est non teneri emptorem in conscientia illud soluere, quãuis norit venditorem fraudasse; modò tamen illi causa non fuerit. Ratio est, quia illud tributum nõ est onus affixum rei, quod simul cum re transeat in emptorem, sed est onus personale mercatoris, permanens in ipso, quamuis ex mercis deportatione contractum.

70 *Res est hypothecata.*

Notandum tamẽ, cùm mercator ante venditionem, dũ adhuc res erat ipsius, vectigal deberet, rẽ illam contraxisse obligationem hypothecæ: quia omnia bona eius, qui tributum debet, sunt tacitè instar pignorum pro tributis obligata, vt expressè habetur L. 1. C. Quib. cau. pig. vel hypot. tacitè contrah. quo fit vt cũ hac obligatione ad emptorẽ trãseat; ac proinde si fraudator vectigalis nõ sit soluendo, vel effugerit, potest super eo fieri executio: alioquin si ab ipso recuperari debitũ posset, executio super re illa, postquàm in alterius dominium cessit, fieri non posset, vt colligitur ex Auth. Hoc si debitor. C. de pignor. & hypoth. vbi dicitur. *Si alius quàm debitor rem hypothecatam possident, inhibetur hypothecaria actio, donec personaliter actum sit cum reo & intercessore*, id est, cum debitore & fideiussore. Putarem tamen hæc intelligenda quando emptor nesciebat has res esse hypothecatas; si enim sciebat, videtur omnino liberũ creditori vt vel actione personali agat contra debitorem, vel hypothecaria contra possessorem. vt habemus L. Distractus. 14. C. de pign. & hypot.

71 *Si vectigal est pars mercium.*

Sed maior difficultas est, Si vectigal ex ipsis mercibus debitũ, erat certa aliqua mercium portio: videtur. n tunc emptor in cõscientia teneri, si sciat uenditorẽ non soluisse. Primò. Quia illud debitum seu onus est reale & ir hærens ipsis mercibus immediatè: atqui res transit cum suo one-

re,

re, ad quemcumque perueniat possessorem. Secundò, ex cap.it. Cùm non sit in homine.33. tit. de decimis, vbi dicitur, *Fructus nondum decimatos*, (id est, ex quibus decimæ nondum sunt extractæ) *non posse alienari absque onere decimarum*. & ratio additur, *quia res transit cum suo onere*: ergo idem censendum est de tributo, quando est aliquota pars ipsius mercis. Hæc sententia est probabilis: quam indicat Sylu.Gabella 3. num 18.

72 *Contrarium verius. Est onus venditoris.* Contraria tamen videtur verior, quam aduerto placuisse nostro Molinæ disput.675. Probatur Primò, Quia onus soluendi illius vectigalis non pertinet ad emptorem, sed ad venditorem, qui talem res adducit & vendit: nec enim iubetur quintam vel decimam partem mercium soluere, non emptor: ergo emptor non tenetur.

Secundò, Illa pars mercium antequam sit separata & tradita, nõ magis pertinet ad Principe, cui vectigal soluendũ est, quam res vendita & nondũ tradita pertinet ad emptorem. at si talis res secũ lo emptori vẽdatur & tradatur, hic acquirit eius dominiũ, & nõ tenetur priori emptori ad restitutionẽ, vt patet ex L. Quoties. 15. C. de rei vindic. & L. Traditionib. 20. C. de pactis. estque cõis sententia DD. vt sup.c.21.dub.19. ostẽsum est: ergo similiter si merces illæ, in quibus continetur hæc pars soluenda nomine vectigalis, vendantur, non tenebitur emptor ad illius restitutionẽ
73 in foro conscientiæ. Maior patet, quia Princeps non habet dominium illarum mercium, aut alicuius partis earum, antequam ea sit separata ac tradita; sed solùm habet Ius ad aliquam partem indeterminatè, vt venditor eam ipsi soluat; & præterea habet Ius hypothecæ in totas merces, vt vbicumque fuerint, possit ex illis partem suã decerpere; & in cetera omnia bona venditoris, vt ex dictis constat.

Tertiò, Emptor neque tenetur ratione acceptionis, quia emit a vero domino; & non fuit causa cur ille non soluerit, vt suppono: neque ratione rei acceptæ, quia iam acquisiuit dominium rei per electionem & apprehensionem. neque ratione oneris impositi illi rei; quia hoc onus pertinet ad venditorem, non ad emptorem, vt dictum est: ergo non tenetur.

Respondetur ad argumenta. Ad primam rationem alterius sententiæ Respondeo, illud onus soluendi tributi non esse propriè reale, sed personale, solam personam vendentis afficiens. secundariò tamen potest dici reale, quatenus solutio non pecunia, sed ex rebus ipsis per venditorem fieri debet.

74 *Alia est rõ decimarum.* Ad secundam dici posset aliam esse rationem decimarum: has enim iubetur soluere non solùm is, qui fructus colligit, sed quius ad quẽ fructus indecimati peruenerũt: vt colligitur ex d. cap. Cùm non sit, de decimis; vbi sic habetur, *Statuimus vt in prærogatiuam dominij generalis, exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum vel saltem bi ad quos census vel tributa indecimata peruenerint. (quoniã res cũ onere suo transit) ea per censuras ecclesiasticas decimare cogantur Ecclesiæ, quibus de iure debentur.* Idem infirmat D. Thom. qu.87. art.1. ad 4. Imò valdè probabile est hoc ipso, quo fructus extant, decimam partem indeterminatè ad Ecclesiam pertinere, in eiusque dominium cedere, vt inf. capit. 39. dubit. 3. dicemus. Et quamuis Ecclesia dominium non haberet; tamen facilè statuere potest, vt ad quemcumque dominium rei non decimatæ peruenerit, is hoc ipso obligationem soluendi contrahat. sicut enim hypotheca, etsi non sit vel tota vel ex parte in dominio creditoris; tamen hoc habet onus, vt apud quemcumque reperta fuerit, possit ex ea petere solutionem, si opus sit; ita etiam res non decimata potest immediate habere hoc onus vt in cuiuscumque dominio fuerit, ille teneatur ex ea decimam partem Ecclesiæ dare. Simile statui potuisset in illis tributis, vbi pars rei loco tributi soluitur, sed re ipsa non videtur ita statutum: ac propterea non eadem in vtriusque ratio.

DVBITATIO X.

Vtrùm is, cui Princeps debet, nec potest solutionem impetrare, possit fraudatione vectigalium sibi compensare.

SVPPONO non esse dubium, si vectigal non sit venditum vel locatum alteri, sed Princeps ipse per suos Questores illud immediate recipiat: tunc enim manifestum est compensationem licitam esse.

Sed difficultas est, si alteri sit locatum, qui certam summam Principi pendat, vt totum vectigalis emolumentum in se transferat.

Respondeo, Etiam in hoc casu licitam esse compensationem, vt rectè docet Sylueiter Gabella 3. quæst. 9. & Petrus Nauarra libro 3. cap. 1. numero 247. Primò, Quia Redemptores verè damnum non accipiant, cùm ob plurimas subditorum fraudes (quas ipsi norunt interuenire) longè minoris redimant, quam valeant: vide & in ipso contractu censentur esse parati talia incommoda subire. Secundò, Totum Ius, quod acquirit conductor, assiduè dependet a Iure Principis: nihil enim est aliud quàm facultas quædam exequendi illud Ius, quod ipse Princeps decursu totius anni habet: ac proinde non potest esse maius, quàm Ius illud, quod Princeps singulis momentis per annum habet: electus enim assiduè ab aliqua causa dependens non potest vllo temporis momento habere maiorem vim, quam ipsa causa illo momento habeat: ergo conductor non potest habere maius Ius ad exigendum a me vectigal, quam ipse Princeps eo tempore in me habeat. quare cùm ratione Iuris quod ego vicissim habeo in Principem, Ius principis elidatur compensatione; consequens est vt in conductorem Ius vllum exigendi a me vectigal transferre non possit.

75 *Licita est ea pensatio.*

Idem vsu venit in censibus, decimis & similibus Iuribus; quæ elocari possunt; conductor enim cùm Ius habeat assiduè pendens a Iure domini elocantis non plus potest, quam ipse dominus posset, si ipsemet suo iure exigeret. quare si is, cui ego debeo decimas vel pensionem annui census, mihi vicissim alio nomine sit debitor, nec possim obtinere solutionem, licitum mihi est vti compensatione, non soluendo decimas vel pensionem. Quòd si conductor damnum incurrat, repetat a locatore. non enim potest creditor elocare Ius, quod habet in debitorem, cum damno debitoris.

76

Secùs tamen esset, si totum Ius vectigalis seu decimarum, vel census in alterum transferretur, non retento domino directo: tunc enim si prior dominus mihi ex aliqua causa fieret debitor post illam alienationem, non possem vti compensatione, non soluendo; quia solutio census nullo modo esset debita priori domino, & ille nullum Ius ad illam haberet. Si tamen ante alienationem mihi debitor fuisset, possem vti compensatione, alia via non suppetente; quia non potuit transferre alteri Ius in me, si ipsemet erat mihi debitor: hoc enim esset vendere rem meam; vt rectè Sylueiter ait: nam Ius, quod ille habet in me per cõpensationem, fit quasi meum: ita enim extinguitur in Principe ratione debiti, quod ipse mihi debet; seu ratione Iuris, quod ego in ipsum vicissim habeo, ac si meum fieret. Pari modo, si ego debeam tibi cẽlum annuum 100. aureorum, & tu mihi intuleris damnum iniustum pluris vel minoris æstimatum, non potes illam censum ita vendere vt ego compensatione vti non possim, si aliter mihi debitum à te nequeam recipere: hoc enim iniquum foret: nam ratione Iuris, quod in te habeo, possum ius tuum, quod habes in me, secundum iustam proportionem extinguere. Sicut enim debitor non potest debitum transferre in alium sine consensu creditoris; ita creditor ius suum, quod habet in debitorem, non potest in alium transferre, quando ipse vicissim est debitor, quia id fieret cum alterius iniuria.

Si totum Ius translatum fuit: non eo modo debitum.

77

78

79

Dices, Si tu mihi sis debitor, & gratis vel pretio concedas vsumfructum agri tui Petro, non possum ex eo eam mihi compensationem facere: ergo neque ex censu, quem ego tibi debeo, si eius vsum alteri concesseris. *Obiectio.*

Respondeo neg. consequentiam; quia concesso vsufructu agri tui, fructus enati eo ipso pertinent ad vsumfructuarium vel conductorem: sed si concedas vsumfructum census, quem ego tibi debeo, fructus illius census non efficiuntur vsufructuarij, sicut nec tui antequam confignentur; sed manent in meo dominio: vnde retinendo illos non vsurpo alienum, sed retineo meum, in quod tu quidem ius habebas, sed illud ius pari iure cõpensatur & extinguitur. 80 *Responsio.*

DV-

DVBITATIO XI.

Vtrùm actores mercatorum teneantur ad reſtitutionem ſuis dominis, ſi cum Gabellarijs tranſigant, & ſibi vectigal retineant.

81 FREQVENTER id fieri in Hiſpania ab ijs, qui ibidem negotijs mercatorum alibi habitantium præſunt, narrant mercatores Antuerpienſes.

Reſpondeo itaque breuiter, id fieri poſſe quatuor modis: vel enim actor mandatum habet a domino vt tranſigat cum Gabellario pro mercibus, quas inuecturus eſt, vel non habet: ſi habet mandatum, tenetur illud exequi ſi poteſt; alioquin tenebitur de damno, ſiue ſibi retineat vectigal, ſiue nõ retineat; quia hoc ipſo quo mandatũ acceptauit, ſe obligauit ad illud implendum; imò hoc ipſo, quo ſuam operam ad negotia alterius gerenda locauit, tacite ſe obligauit ad eius mandata, quæ ad negotia illa pertinerent, & proinde ſi omiſit, tenetur.

82 Secundò, Si tamen non habet mandatum, vt quia dominus nõ cogitauit; tunc vel vna cum Gabellario conducit gabellas, & ſic poteſt accipere partem ſibi obuenientem per ſocietatẽ conductionis, tam ex mercibus ſui domini, quã ex alienis, quia eſt ſocius Gabellarij: ſicut enim alius poterat hanc ſocietatẽ cum Gabellario inire, ita etiam ipſe. Nec refert quod ſit actor mercatoris, quia ideo non eſt factus inhabilis ad alios cõtractus ſuo nomine meutuos.

Tertiò, Vel nõ inita ſocietate emit ſibi totũ ius Gabellarij, quod Gabellarius in merces domini certo temporis ſpatio habiturus erat, & hoc modo non peccabit etiã contra iuſtitiam, etiamſi totum illud vectigal ſibi retineat; quia non tenebatur ex iuſtitia illud ius in vtilitatem ſui domini redimere; cũ ad hoc mandatum non haberet: neque inhabilis erat ad illud ſibi emendum. ſicut.n. quiuis alius potuiſſet illud a Gabellario emere, ita etiã ille actor.

Quartò, Vel deniq; intendit abſolutè redimere vel extinguere obligationẽ vectigalis; & tunc non poteſt ſibi illud vectigal retinere, quia non tranſtulit in ſe ius Gabellarij, ſed illud extinxit, dominumq; ſuum illa obligatione liberauit. hoc enim ipſo quo quis intendit redimere aliquam obligationem, intendit eam extinguere, vt deſinat eſſe obligatus, qui ante erat. Vnde longè aliud eſt transferre in ſe ius Gabellarij, aliud redimere obligationem ſui domini; nam poteſt ius Gabellarij in actorem transferri, manente obligatione in domino: non tamen poteſt hæc obligatio reduni, aut ius Gabellarij extingui, niſi dominus liberetur. Itaque in hoc caſu tenetur domino ad gabellarum redemptarum & acceptarum reſtitutionem.

CAPVT XXXIV.

De Beneficijs.

Complectitur Dubitationes 38.

IN hoc capite, Primò dicendum quid beneficium, & quibus modis acquiratur. Secundò, De conditionibus requiſitis in beneficiarijs. Tertiò, De ijs, ad quæ obligantur. Quartò, De amiſſione beneficiorum. Quintò, De penſionibus, quæ beneficijs imponuntur.

DVBITATIO I.

Quid ſit beneficium.

1 OMISSIS variis definitionibus, Reſpondeo Beneficium eſſe *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis eccleſiaſticis, propter aliquod officium ſpirituale, auctoritate Eccleſiæ conſtitutum.* colligitur ex Innocentio, & Hoſtien. in c. 9. Relatũ. de præbend. Ioãne de Silua, de benefic. q. 1. & alijs.

Vbi Notandum Primò, Tria poſſe diſtingui in beneficio. Primum eſt, *Ipſum officium* ſeu obligationem, qua quis tenetur aliquam functionem ſpiritalem obire; vt legere preces Canonicas, facere Sacrum, adminiſtrare Sacramenta, prædicare verbum Dei. hoc eſt omnino ſpiritale, non tamen eſt beneficium, ſed fundamentum & cauſa beneficij. *Tria in beneficio.*

Secundum eſt, *Ius percipiendi certos reditus* ex bonis eccleſiaſticis, & hoc ius eſt proprie beneficium, naſciturque ex officio tamquam ex ſua cauſa, dicique ſolet prębenda, peculiariter in canonicatibus. vnde patet beneficium eſſe quid ſpiritale; quia oritur ex re ſpiritali, nempe ex ſpiritali officio, in quo fundatur, & cui inſeparabiliter eſt annexum; vt docent Hoſtienſis, & Ioannes à Silua, ſuprà.

Tertium, *Sunt ipſi fructus*, qui ſunt quid temporale. hi percipiẽdi ſunt ex bonis eccleſiaſticis, ideſt, ex bonis Deo dicatis & Eccleſiæ donatis; de quibus ſuprà c. 4. dub. 6. dictum eſt ea fuiſſe olim in quatuor portiones diuiſa, & ex illis auctoritate Eccleſiæ poſtea fuiſſe beneficia erecta, ſingulis titulis certa portione fructuum aſſignata.

3 *Quomodo debent eſſe perpetuum.* Notandum Secundò, Hoc ius debere eſſe *perpetuum*, quia ſi ſit temporale tantùm, non eſt beneficium. Vnde Vicaria temporalis non eſt beneficium, de quo loquuntur Canones, vt rectè docet Nauarrus lib. 3. conſil 6. de præbendis. Secùs eſt de Vicaria & capellania perpetua.

Dices, ergo Prioratus non eſt beneficium; quia pro arbitrio Abbatis tolli poteſt. Similiter Abbatiæ quibuſdam locis non obtinentur niſi triennio. Denique beneficia regularia, & omnia, quæ manualia vocantur, quæ ad nutum Superioris auferri poſſunt.

Reſpondeo Negando conſequentiã, quia etſi tolli poſſint, id non habent ex ſua inſtitutione, ſed ex eo quòd is, qui [redacted] obtinet, ſubiectus ſit Superiori quoad officia, habitationem, totamque vitæ directionem. Simili modo dicunt quidam Pontificem ex plenitudine poteſtatis poſſe etiam ſęculares priuare ſuis beneficijs pro arbitrio, & alijs conferre: quod etſi non putem eſſe verum, niſi cauſa iuſta ſubſit, (quia non eſt dominus beneficiorum, ſed ſolùm ſupremus diſpenſator ad Eccleſiæ vtilitatem; & ſæculares non ita ei ſubſunt, vt Monachi ſuo Abbati) tamen etiamſi verũ eſſet, rectè tamen beneficia dicerentur perpetua, quia ex ſua inſtitutione talia ſunt, nec poſſunt per alium, quam per Superiorẽ auferri. Adde, beneficia dici perpetua, non quia non poſſunt auferri, ſed quia inſtituta ſunt vt ſemper durent, vtque dum vni auferuntur, alij tribuantur. Secùs de penſionibus, quæ morte penſionarij extinguuntur.

4 *Auctoritate eccleſiaſtica inſtitutum.* Notandum Tertiò, hoc ius auctoritate eccleſiaſtica debere eſſe erectum vel confirmatum; alioquin non cenſebitur beneficium eccleſiaſticum, vt colligunt DD. ex cap. Nemo. 7. de conſecrat. diſt. 1. vt ſi quis inſtitueret aliquem capellanum perpetuum, vel daret prouentus Eccleſię pro inſtituendo canonicatu; niſi auctoritas Prælati accedat, non erit beneficium. Ratio eſt, quia ſolius Prælati eſt officia in Eccleſia inſtituere, eiſque prouentus eccleſiaſticos annectere; ipſius eſt diſpicere quot & qualibus miniſtris Eccleſia opus habeat; & proinde nouos admittere vel excludere: alioquin magna ſequeretur confuſio.

DVBITATIO II.

Quotuplex ſit beneficium.

5 *Sæculare beneficium.* RESPONDEO, Beneficium aliud eſt ſæculare, aliud regulare. Item aliud eſt ſimplex, aliud duplex.

Ita

Ita Rebuffus in praxi,pag.5.& 6.& alij. *Seculare* est omne illud, quod non est pro Regularibus institutum, aut illis peculiariter annexum. Hæc Regularibus sine dispensatione Papæ conferri non possunt; quia est regula generalis, *Prælati, seculares, secularibus; regulares, regularibus conferendi sunt*, quæ colligitur ex cap.Possessiones.10.de rebus Ecclesiæ non alienandis,& cap.Cùm de beneficio.5.de præbend.in 6.

6 Excipe tamen beneficia curata: hæc enim etsi sæcularia sint, possunt Regularibus conferri absque speciali dispensatione: nam vt habetur cap.Quod Dei timorem.5.de statu Monachorum, *per antiquos Canones, etiam Monach. possunt ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari*, eâque communis sententia DD. teste Panormitano in d. cap. Quod Dei timorem.

Regulare. 7 *Regulare* beneficium est, quod pro Regularibus est institutum, vt Abbatia, Prioratus, Canonicatus Regularis; vel ita annexum vt per eos debeat administrari, vt sunt quædam parœciæ. Hoc genus etiam non potest conferri sæcularibus sine dispensatione, exceptis curatis, quæ cum consensu Monasterij possunt sæcularibus conferri. hæc enim in commodum populi instituta sunt; vnde sufficitur vt detur 8 maximè idoneo.

Præsumitur secularis. Notandum autem, omne beneficium præsumi sæculare, nisi probetur esse regulare. Regulare autem esse probatur vel ex prima institutione, vel quia 40. annis possessum fuit a Regularibus absque dispensatione. nam per possessionem tanti temporis pacificam, ex regulari fit sæculare, & contra, ratione præscriptionis; vt opus. Glossa in cap. Cum de beneficio, de præbend. in 6. & colligatur apertè ex illo cap. & ex cap. De quarta, de præscriptione: tanto enim tempore completur legitima præscriptio contra Ecclesiam & Monasterium, vt patet ex dicto cap. De quarta, 9 vide Farin. cap. 6. dub. 8.

Dignitas. *Beneficia dignitatis* vocantur omnia, quæ sunt cum administratione: inter quæ maximum est Papatus, cui nomen beneficij tribuitur cap.1.de maledict. Deinde Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & Cardinalatus; ca.2. Cleros.el.21.& cap.Fœlicis.5.de pœnis in 6. Item beneficia, quæ dicuntur *Dignitates*, vt Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia sæcularis; quæ est in quibusdam Ecclesijs instar Decanatus, Abbatia regularis, Prioratus conuentualis, & claustralis. Est autem *Dignitas* præeminentia cum iurisdictione in foro externo, secundum Panormitanum capit. De multa, de præbendis. vnde etiam Episcopatus & Papatus interdum dignitates dicuntur, quamuis hoc nomen præsertim accipiatur pro beneficijs infra Episcopatum eminentiam habentibus, Præter hæc sunt beneficia, quæ dicuntur *Personatus*; hæc habent eminentiam in Ecclesia sine iurisdictione. vt honorificum locum in choro, in processionibus, in suffragijs dandis: vt Cantoriæ, & similes.

Personatus. Aduerte tamen, inspiciendum esse vsum locorum; nam quibusdam locis Dignitates & beneficia curata vocantur Personatus, vt notat Sylvester v. Beneficium. 1. nu. 2.

Huc etiam pertinent beneficia, quæ vocantur *Officia*. vt beneficium Sacristæ, seu Thesaurarij Ecclesiæ hæc habent administrationem rerum ecclesiasticarum sine iurisdictione.

Denique beneficia parochialia, seu curata hæc omnia dicuntur duplicia; quia præter recitationem precum, quæ communis est omnibus, habent etiam administrationem, vel certè aliquam eminentiam.

10 *Beneficia simplicia* dicuntur reliqua omnia, quæ neque administrationem, neque eminentiam singularem habent; sed tantùm instituta sunt ad preces Deo persoluendas, aliaque diuina officia obeunda: tales sunt Canonicatus etiam Ecclesiæ cathedralis, vt docet Nauarr. lib.3. consil. 45. de præbend. Item Canonicatus regulares, capellæ, sacella, alteria. Denique patrimonia, quæ sunt beneficia instituta vel pro studiosis, vt sua studia prosequi possint, habentq; sæpè exiguum onus, verbi gratia, quinquies Pater & Aue Maria quotidiè; vel in subsidium terræ sanctæ, vt ait Rebuffus, in praxi benef. pag.6. de quibus infrà nu.166.

Simplicia.

DVBITATIO III.

Quibus modis beneficia acquirantur.

11 OMISSIS modis illicitis, Respondeo acquiri sex modis. Primò, Præsentatione patroni præuia, & institutione subsequa. Secundò, Electione & confirmatione. Tertio, Postulatione & confirmatione. Quartò, Collatione libera. Quintò, Permutatione. Sexto, Renunciatione in fauorem, cum secuta collatione. Verum quia his duobus postremis modis beneficium prius amittitur quàm acquiratur, ideò de illis dicendum infra, sub finem capitis. *Sex modi acquirendi beneficia.*

12 *Præsentatus*, secundùm Panormitanum in cap. Ea noscitur, de his, quæ fiunt a Prælatis, est persona per patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta exhibitio. *Institutio* autem est beneficij & iuris in re in beneficio, collatio & attributio: vnde institutio solum fieri potest per ecclesiasticos; horum enim est beneficia ecclesiastica conferre, non laicorum. Præsentatio etiam per laicos fieri potest, (si ius patronatus habeant) quia per eâ non datur ius in re, datur tamen ex dispositione Canonū Ius ad rem, ita vt beneficium alteri conferri non possit. *Præsentat. Institutio.*

13 Differt *præsentatio* ab *electione*, quòd electio fiat a pluribus, vt a Capitulo, & a solis Ecclesiasticis, & per suffragia, & potissimùm in Prælaturis locum habeat; præsentatio verò etiam ab vna persona, etsi laica, & in quouis beneficij genere. *Electio.*

Similiter institutio & confirmatio differunt, quod *institutio* sit eius qui præsentatus est a patrono; *confirmatio*, eius, qui electus vel postulatus: vtrumque tamen est vera collatio beneficij, seu Iuris in re, & dominij; sed solùm connotant diuersum modum conferendi, & diuersam personæ, cui beneficium datur, præsentationem. *Postulatus* autem is, qui eligi non poterat, vel quia non erat de Capitulo, vel quia iure non erat capax. Habet tantùm locum in Prælaturis, debent in postulatum consentire saltem duæ partes Capituli. vide plura apud Rochum, tractatu de iure patron. in princ. quæst. 4.& 5.& Syluestrum v. Electio, & v. Postulatio. *Postulatus.*

14 Collatio dicitur, quando beneficium solo Iure Prælati datur, nec subest Iuri patronatus.

Institutio Canonica. Notandum est, omni beneficio commune esse, vt sine institutione canonica liberè obtineri nequeat. vt habetur regula prima de reg. Iur. in 6. vbi nomen *institutionis* accipitur latè, vt comprehendat etiam collationem & confirmationem. Dicitur *Canonica*, quæ facta est secundùm Canones, seu dispositionem Iuris Canonici, vt si facta fuit a Prælato habente potestatem, absque simonia, &c. sic electio canonica dicitur, quæ secundùm Canones facta est.

15 Tam autem canonica institutio est necessaria, vt si quis absque ea possessionem capiat, vel administrationi bonorum se immiscear, censeatur intrusus, & amittat Ius, quod per electionem canonicam erat consecutus; vt patet cap. Auaritiæ.5.de electione in 6. vnde confirmatio secuta non valebit, nisi Pontifex ius amissum ei restituat; vt docet Rebuffus, §.de missione in possessionem, num.8.9.10 & colligitur ex cap. citato. Ratio est manifesta, quia confirmatio nititur electione vt fundamento, & ex virtute illius procedit. Illud tamen non habet locum in eo, qui post præsentationem patroni, ante institutionem administrat; quia lex pœnalis non est extendenda vltra suum casum. vnde cum loquatur solùm de electione, non est extendenda ad præsentationem, vide plura infrà, nu.123. *Intrusus.*

16 Circa prædicta notandum est, præsentationem, electionem, & collationem validam esse, etiamsi patronus, electo, vel collator re vera ius non habebat, sed illud competebat alteri, modo tempore illius actus fuerit in pacifica possessione iuris illius, ita vt præsumeretur talis. ita expressè habemus de præsentatione quidem cap. Consultationi, tit. de iure patronatus, de electione verò, ca. Querelam, de electione & electi potest. de collatione, cap. Cùm olim, de causa possess. & propriet. Hoc ipso enim quo est in pacifica possessione illius iuris, & passim habetur talis, voluerunt iura actum valere. argumento in L. Barbarius. ff. de officio prætoris. *Sufficit possessio conferendi.*

DVBITATIO IV.

Quid & quotuplex est Ius patronatus.

17 NOTANDVM est, *Ius patronatus* dupliciter accipi in Iure. Primò, Pro Iure, quod habent patroni in libertos ex manumissione: & sic accipitur lib.37. ff. de iur. *Ius patronatus.*

Iure

Iure patronatus; nec pertinet ad noſtrum inſtitutum. Secundò, Accipitur pro iure præſentandi ad beneficium, competens patronis beneficiorum & Eccleſiarum, quod etiam vocatur Ius aduocationis; vt patet capit. Quia Clerici; de Iure patronatus. hoc modo accipitur in propoſito, & a DD. communiter ſic definitur. *Ius patronatus* eſt poteſtas præſentandi inſtituendum ad beneficium eccleſiaſticum vacans. Dico *vacans*, quia ſi non vacet eſt irrita præſentatio; vt docent omnes DD. & merito; quia eſt contra bonos mores vtpote præbens occaſionem captandæ mortis; cap. Nulla, de conceſſ. præbendæ.

Quid Ius patron.

18 Eſt autem hoc Ius duplex; Aliud enim eſt Ius patronatus eccleſiaſtici, aliud laici. *Ius patronatus eccleſiaſtici* iuxta Couarruuiam in qq. præct. cap. 36. nu. 2. dicitur. non quod eccleſiaſticus poſſideat, (is enim etiam laicum patronatum poſſidere poteſt) ſed quod competit alicui ex eo, quòd ex bonis eccleſiaſticis Eccleſiam fundauit, vel extruxit, vel dotauit, vel quod habetur ratione Rectoratus Eccleſiæ, aut dignitatis eccleſiaſticæ; vt ſi fundaſti Eccleſiam; id eſt ſi tribuiſti fundum in quo ædificata eſt; ſi eam extruxiſti, vel dotaſti, ſi beneficiũ pecunia ex bonis eccleſiaſticis percepta erexiſti, habes Ius patronatus eccleſiaſtici, ſeu patronatum eccleſiaſticum. Item ſi habes Ius præſentandi, quia Decanus, Præpoſitus, Abbas, vel Epiſcopus, &c. hoc Ius eſt patronatus eccleſiaſtici; Ita Gloſſa in Clement. 2. de Iure patronatus & alij.

Patron. eccleſiaſticus.

Ius patronatus laici dicitur, quod competit alicui, quia ex 19 bonis patrimonialibus, ſeu ſæcularibus Eccleſiam fundauit, vel conſtruxit, vel dotauit, aut beneficium aliquod erexit, aut quia ab aliquo horum cauſam habuit.

Patronatus laicus.

Notandum Primò, Si patronatus laicus donatione vel 20 teſtamento, vel alia ratione transferatur in Eccleſiam, Capitulum, vel Monaſterium, vel annectatur alicui beneficio, v.g. Decanatui, Præpoſituræ, &c. tunc fieri patronatum eccleſiaſticum, & de illo tanquam de eccleſiaſtico iudicandum, vt notauit Couarruuias ſuprà, & colligitur ex capit. vnico, §. Ultimo, de Iure patronatus, in 6.

Secundò, Ius illud præſentandi, quod competit confra- 21 ternitatibus vel ſodalitatibus, quæ aliquam capellam, vel beneficium collatis ſymbolis vel aliter inſtituerunt, eſſe patronatus laici; quia ipſi laici ſunt, & ex bonis ſæcularibus inſtituerunt: vnde de illo tanquam de laicorum patronatu iudicandum; quamuis ipſi in quibuſdam locis Eccleſiæ vocentur. vide Couarruuiam ſuprà, & Gloſſam. in d. cap. vnicum.

DVBITATIO V.

Quibus modis acquiritur Ius patronatus, reſpectu Eccleſiæ vel beneficij.

Quinq; modi acquirendi patronatus.

22 RESPONDEO, Primò acquiritur, ſi quis Eccleſiæ conſtruendæ fundum concedat c. Nobis, de iure patrona. & capit. Quicumque, cap. Decernimus. 16. qu. 7. Secundò, Si eam cum conſenſu Epiſcopi conſtruat. Tertiò, Si eam dotet vel beneficium aliquod erigat; colligitur ex iiſdem Canonibus, & ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. de refor. ca. 9. Quartò, Multiplicatis præſentationibus per tempus, quod memoriam hominum excedat. Ita Concilium Trident. ſuprà. Quintò, Conceſſione Pontificis, vt ſi Eccleſia

Ius patronatus principum.

23 ab initio fuerit libera, nulli patronatui ſubiecta, & melius defendatur ab aliorum iniurijs, Pontifex adoptet illi patronum. hoc modo plerumque Principes ſæculares videntur conſecuti Ius patronatus in Eccleſijs cathedralibus & dignitatibus: non enim ipſi vel eorum maiores, omnes illas Eccleſias vel dignitates fundarunt aut dotarunt: ſed plerçque fundatæ & dotatæ ſunt vel ex bonis eccleſiaſticis, vt ex decimis & fructibus bonorum iam antè Eccleſiæ donatorum, vel ex ſymbolis & eleemoſynis fidelium, vel ex opulentorum hominum patrimonijs, quæ ſe, ſuaque omnia Eccleſiæ, vel Monaſterio conſecrabant. vnde illæ Eccleſiæ & dignitates ab initio erant liberç, nulli patrono ſubiectç. Similiter beneficia pleraque libera erant: nam ex bonis cõmunibus Eccleſiæ erecta ſunt. Itaque tunc Prælati non nominabantur a Principibus, ſed eligebantur vel a clero ſimul & populo, vt primis ſæculis fieri conſueuerat; vel a clero ſolo, vt mediis ſæculis factitatum fuit. Tandem poſterioribus ſæculis, partim vſurpatione, partim Pontificũ conceſſione hoc Ius nominandi pleriſque locis obtentum eſt a Principibus, politicæ adminiſtrationis intuitu; qua in re concedenda vel permittenda Pontifices ſe faciliores præbuerunt; quòd ſperarent Eccleſias per eos diligentius fore defendendas.

Notandum Primò, Concilium Trident. circa huius Iuris acquiſitionem, poſſeſſionem & alienationem, multa conſtituiſſe: ſeſſione enim 14. cap. 12. ſtatuit *vt nemo cuiuſcunq; dignitatis eccleſiaſtica vel ſecularis, quacunque ratione, niſi Eccleſiam, beneficium, aut capellam de nouo fundauerit & conſtruxerit, ſeu iam vetuſtam, (quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit) de ſuis proprijs & patrimonialibus bonis competenter dotauerit; Ius patronatus impetrare, aut obtinere poſſit, & ea inſtitutio referatur Epiſcopo.* hæc tamen intelligenda ſunt in futurum: ſimiliter & caput ſequ. ſeſſ. verò 25. ca. 9. de reformatione, dat Epiſcopis *poteſtatem examinandi patronorum titulos*, & abrogat multorum Iura, quæ iuxta formam ibi præſcriptã probata non fuerint. Item dat iiſdem *poteſtatem examinandi præſentatos*, ſiue ab ipſis inſtituendi ſint in beneficijs, ſiue ab inferiore. Denique vetat Ius patronatus vendi, ſub pœna excommunicationis & interdicti ferenda, & ſub pœna amiſſionis illius Iuris ipſo facto incurrenda. puto tamen in hac amiſſione expectandam eſſe ſententiam Iudicis, neque ante hanc teneri quemquam ſe hoc iure ſpoliare, iuxta ea quæ dicta ſunt ſuprà capit. 29. dubit. 8. de quo plura 1. 2. quæſt. 96. art. 4. Eſt tamen ſimonia vendere illud Ius per ſe: aut propter illud vendere pluris bona, quibus annexum eſt, quia eſt res ſpiritualis, vt infrà dicetur cap. 35. dubit. 2.

24 *Conc. Trid. de Iure patronorum.*

Examinat. de præſentatis omnes.

Notandum eſt, quando plures concurrunt ad donatio- 25 nem fundi, vel dotationem Eccleſiæ vel beneficij, omnes fore patronos: ac proinde omnes debere præſentationem facere; vt colligitur ex Canonibus ſuprà. quomodo autem id fieri debeat, dicetur dubit. 8.

DVBITATIO VI.

Intra quantum temporis teneatur patronus præſentare beneficio vacante.

RESPONDEO Primò, Si patronatus ſit laicus, pa- 26 tronus intra quatuor menſes a vacatione beneficij vel Eccleſiæ tenetur præſentationem facere: ſi autem ſit eccleſiaſticus, intra ſex. Ita habetur capit. vnico de Iure patronatus in 6. ſpectanda enim eſt conditio patronatus, ſitne eccleſiaſticus an laicus. porro etiam eccleſiaſticus eſt cenſendus, quando a laicis Eccleſiæ eſt datus, vt ſuprà, numero 20. dictum eſt.

Quatuor menſ. Sex menſ.

Secundò, Si patronatus partim ſit laicus, (id eſt, laico Iure competens) partim eccleſiaſticus; (vt ſæpè fit, quando duo ſunt patroni, quorum alter eſt laicus, alter Capitulũ, Decanus, vel Paſtor) tunc laicus propter ſocietatem eccleſiaſtici, habebit ſex menſes, vt docent Ioannes Andreas & Archidiac. in d. cap. vnicum: hoc enim priuilegium ei conceditur ob communionem cum eccleſiaſtico; ſicut qui habet rem communem cum pupillo, particeps eſt priuilegij pupilli, quo res illa non poteſt præſcribi. L. Si communem. ff. Quemadmodum ſeruit.

Tertiò, Si intra tempus conſtitutum ſcientes non præ- 27 ſentauerint, in Epiſcopi poteſtate eſt conferre beneficium cui voluerit, cap. Quoniam, de Iure patronatus; vbi Panormitanus & alij: quamuis id contingat ex eo quòd patroni de Iure patronatus inter ſe contendant, vt ibidem notat Panor. nam cap. illud generatim loquitur. quod ideò conſtitutum eſt ne Eccleſia diu miniſtris careat; quod propter patronorum lites fieri par non eſt. Secùs eſt quando electio extrahitur propter cõtentionem ſuper iure eligendi: quia electio eſt maioris momenti & magis neceſſaria ad bonam collationem, vide Sylueſtrum v. Ius patronatus. quæſt. 5. patronis tamen vacationem beneficij ignorantibus non currit hoc tempus, ſed incipit a tempore ſcientiæ c. Quia, in fine, de conceſſ. præbendæ.

DV-

DVBITATIO VII.

Qualem teneatur patronus præsentare.

28 RESPONDEO Primò, Non potest seipsum præsentare, vt colligitur ex c. Per nostras, de Iure patronatus: Episcopus tamen posset ipsi motu proprio conferre beneficium, modo ipse consentiat, vt patet ex capit. citato. potest etiam pater præsentare filium si idoneus sit. Se-
29 cundò, Tenetur præsentare idoneum; quòd si ineptum præsenter, si quidem sit patronus laicus, iubendus est aliũ præsentare, qui beneficio sit dignus. si autem sit ecclesiasticus, vel Monasterium, vel Capitulum, priuatus est ea vice Iure præsentandi, & collator liberè potest conferre, vt docet Glossa in cap Cum vos. v. Minus idoneæ, de officio ordin. citans cap. Cum in cunctis. 7. de elect. Sed contrarium est valdè probabile. quia cap. Cum in cunctis solum loquitur de electoribus, & quidem Episcopis. vnde cum sit cõstitutio pœnalis, non debet extendi ad patronos, maximè in alijs beneficijs. qua parte autem punit Episcopum facientem contra dispositionem illius cap. continet pœnam ferendam. vnde puto patronum non esse ipso iure priuatũ
30 ea vice. sed priuandum. quod etiam insinuat Glossa supra. quando patronus est persona aliqua singularis, non collegium. sed quidquid sit patrono Ecclesiastico, laicus tamẽ non priuatur; quia laici non tenentur ita cognoscere qui sint digni & idonei, sicut ecclesiastici. Tertiò, Præsentato digno, Episcopus tenetur conferre, & potest compelli, cap. Pastoralis. 29. de Iure patronatus.

Episcopus tenetur instituere præsentatus si est dignus.

DVBITATIO VIII.

Si multi præsententur, quisnam ex illis sit instituendus.

31 RESPONDEO Primò, Si patronus, qui ante præsentauit Petrum, postea præsentet Ioannem, velitque hunc præferre, tunc, si quidem patronatus sit laicus, in arbitrio Prælati erit instituere vtrum maluerit, patet ex cap. Cum autem. 24. de Iure patronatus: quando enim patronatus est laicus, præsentatio secunda non reddit irritam primam, nec contrà. Quòd si patronatus sit ecclesiasticus, tunc qui prior est tempore, potior est iure; vt habetur dicto cap. vnde prior præsentatus, est instituendus.

Vter præsentandus.

Secũdò, Si vnus idemque sit præsentatus à patrono laico & ecclesiastico, non potest laicus præsentare secundũ,
32 sed collatio debet fieri priori; quia hic à duobus est præsentatus. Panorm. in d. cap Cum autem. Nec refert quòd secundus sit magis idoneus, quia sufficit priorem esse verè idoneum; modo beneficium non habeat curam animarũ, vt docet Panorm. suprà. Crediderim tamen, si secundus sit notabiliter magis idoneus, posse huic conferri omisso priore: quod tenet Ioannes Andreas in d. c. Cùm autem. Prælatus enim huic fauere potest, tum ob præsentationẽ laici, qui mutare potest; tum ob maiorem aptitudinem, quæ maximè in beneficiorum collatione est spectanda.

An secundus possit præsentari.

Tertiò, Si duo sint patroni & alter præsentet Petrum,
33 alter Ioannem, in arbitrio collatoris est conferre vtri maluerit. Addo probabile esse Episcopum tunc posse conferre alicui tertio: quia dum patroni inter se non conueniũt, Ius non cogit illum instituere alterutrum ex præsentatis. Ita Sylu supra q. 8. ex Panormitano.

Si patroni dissentiant.

Quartò, Quando multi sunt patroni, & non sunt inter se concordes, is instituendus est, in quem plures consentiunt, siue illi præsentent per modum vnius corporis, siue seorsim.

34 Vbi Aduerte, quando plures præsentant per modum Collegij, vel Capituli, debere omnes conuocari, qui commode conuocari possunt: alioquin qui vocatus nõ fuerit, potest curare illam præsentationem per Iudicem irritari, etiamsi ceteri omnes in eam consenserint, argumento cap. Cum in Ecclesijs 32. de prebendis in 6. vbi ita disponitur de electione & collatione, quę à multis est facienda. Quando autem plures præsentant seorsim, non est necesse conuocare; sed satis est vt plures seorsim in aliquem consentiant. In his tamen habenda est ratio consuetudinis receptæ. vide Syluestrum quæst. 11. & 12.

DVBITATIO IX.

Vtrùm Pontifex possit derogare Iuri patronatus, conferendo beneficia non præsentatis.

RESPONDEO & dico Primò, Pontificem posse 35
derogare, siue patronatus sit ecclesiasticus, siue laicus. est communis sententia DD. in cap. Cum dilectus. 28. de Iure patronatus; vt docet Couarr. in pract. cap. 36. nu. 1. Ratio est, quia hoc Ius cõcessum est a Pontificibus principaliter propter bonum Ecclesiæ, vt Ecclesia haberet defensores: secundariò in honorem ipsorum fundatorum. ergo quando Summus Põtifex iudicat Ecclesiæ expedire vt non expectet patronorũ præsentationem, vel vt alteri conferat, poterit libere conferre; quia semper maior debet haberi ratio finis principalis, quàm secundarij. Secundò, Quia ex eo quod alijs hoc Ius præsentandi concesserit, non censetur seipsum in omni euentu voluisse spoliare sua conferendi potestate; sed sufficit vt regulariter præsentationes aliorum admittat: quod maxime verum censuerim in Iure patronatus, quod ex nuda concessione absque fundatione ab aliquo obtinetur.

Potest derogare.

Notandum tamen ex Couar. suprà. numero 2. si patro- 36
natus sit laicus, non censeri ei derogatum, etiamsi Pontifex de facto conferat alteri beneficium, nisi id differtè in litteris per clausulam derogatoriam exprimatur. Ita communiter DD. in capit. 2. de præbendis in 6. & colligitur ex cap. Super eo. 15. de officio Delegati. Neque sufficit vt in litteris collationis dicatur, conferimus Petro hoc beneficiũ ad cuiuscumque præsentationem vel collationem pertineat; sed expresse debet derogare patronatui laico, vt habet decisio Rotæ 331. teste Couarruuia, nu. 2. Quòd si ad Regem, Ducem vel Marchionem pertineat, debet idipsum exprimi, vt habetur in regul. cancella. 43. Si autem patronatus sit ecclesiasticus, potest ei Põtifex derogare per simplicem beneficij collationem, etiamsi nulla mentio eius derogationis in litteris prouisionis fiat. vt ijdem Doctores in dictum caput 2. de præbendis, docent.

Debet apponi clausula derogatoria, si patron. sit laicus.

Ex quibus infertur, reseruationes Apostolicas beneficio- 37
rum, quæ fiunt propter crimen, vel quia contingit beneficia vacare apud Sedem Apostolicam, vel ob aliam rationem, ex Iuris communis, vel regulam cancellariæ dispositione non cõprehendere beneficia Iuris patronatus laicorum, quoad eorum præsentationem tollẽdam; bene tamen quoad institutionem, quæ Prælatis competit: hæc enim tunc petenda est a Summo Pontifice: vt docet Glossa in reg. 40. cancella. sub finem. hoc tamen Couarr. supra, num. 5. intelligit de Episcopatibus, Abbatijs, Prioratibus, Decanatibus & alijs dignitatibus, quæ Summo Pontifici per regulam 2. & 3. cancellariæ reseruantur: non autem de beneficijs minoribus, quorum præsentatio ad laicos pertinet: hæc enim eò quòd sint Iuris patronatus laicorum, ab omnibus reseruationibus esse exempta, etiam quoad institutionem a Prælatis faciendam.

Reseruationes beneficiorum quomodo intelligendæ.

Dico Secundo, Legatum a latere, & consequenter Nun- 38
tium Apostolicum cum potestate Legati de latere, posse derogare patronatui ecclesiasticorum, non tamen laicorũ: est communis sententia DD. in cap. Cum dilectus. 6. de officio Delegati & in cap. Cum dilectus. 28. de Iure patronatus, vbi vtrumque habetur.

Legatus.

Dico Tertiò, Episcopus tamen nec patroni ecclesiastici, 39
nec laici Iuri derogare potest. si tamen præueniendo præsentationem patroni conferat beneficium, collatio non est irrita: verum secuta presentatione patroni intra tempus Iure præscriptum, collatio illa resoluetur & euanescet, vt patet ca. 32 Decernimus 16. q. 7. Si autem intra illud tempus patronus neminẽ præsentauerit. vel se non opposuerit, collatio manebit valida; quia iam ad Episcopum est deuoluta; & prior collatio non fuit *irrita* nisi secuta præsentatione patroni intra tempus iure definitum: vbi ergo hæc non sequitur, confirmabitur, & manebit valida.

Episcopus.

Petes, qd si Ius patronatus partim sit laici, partim Eccl. 40
Resp. Tunc nõ cẽlebitur ei facta derogatio absq; expressa clausula, perinde ac si tantũ esset patronatus laicorũ. Ita cõmuniter DD. teste Cou. c. 36. qq pract. num. 4. ratio, est, quia par nõ est vt laicus ratione socij ecclesiastici incõmodum in re individua sentiat. Et quãuis laicus gaudeat Iure Clerici, quoad tẽpus præsentationis sex mensiũ: non tamẽ dẽt

Si patronatus sit diuersorum an valeat derogatio.

pati

pati incommodum derogationis ratione socij Clerici, ne forte laica fundatione & dotatione Ecclesiarum, & beneficiorum huiusmodi offensiunculis attocentur. vnde etiam eorum patronatus maiora sunt concessa priuilegia, quàm patronatus Clericorum, vt rectè docet Couars. Similimodo si duo patroni sint laici & totidem ecclesiastici, censebitur patronatus laicus quoad derogationem. Secus tamè si ecclesiastici sint plures, v.g. tres, & laici duo; tunc enim censebitur pro derogatione ecclesiasticum: nam Ecclesiastici, quorum contentus sufficit, cum sint maior pars, tenentur admittere derogationem. quod si omnes sint laici, v.g. quinque, non irrita derogatio, nisi maior pars consentiat, non pè tres vt communiter; horum enim contentus sufficit, etiam in præsentando.

42 *Si priuilegio acquisitum, valet derogatio.*

Dico Quarto, Si ius patronatus solum priuilegio vel præscriptione acquisitum sit, potest Pontifex ei derogare, sine expressa clausula derogatoria, etiamsi sit laicorum; modo tamen non constet a laico esse fundatum; immo etiam Legatus potest tale beneficium sine præsentatione conferre. Est communis sententia DD. vt ostendit Couars. numero quarto, quia talis patronatus cedere potius debet Ecclesiasticorum, cum originem ex Ecclesiasticis trahat. vide de hac re plura apud Couar. pertinent enim hæc ad forum externum.

DVBITATIO X.

Quibus competat Ius collationis beneficiorum.

43 *Propriè & per se Episcopus est collator.*

RESPONDEO & dico Primò, In quaque diœcesi Episcopum esse proprium collatorem omnium beneficiorum; hic enim in sua diœcesi est Princeps & moderator sacrorum; ac proinde ad ipsum pertinet omnes Ecclesiæ ministros constituere & officia sacra cõferre. quod intelligo, Nisi ex fundatione beneficij vel legitima præscriptione hoc ius alteri competat, v.g. Capitulo, Decano, Præposito, Abbati vel alteri Ecclesiastico.

44 *Pontifex per bonum orbẽ confert.*

Dico Secundò. Summus Põtifex est generalis collator, habens generalem potestatem conferẽdi omnia beneficia in quauis diœcesi. ratio est, quia est supremus dispẽsator bonorum ecclesiasticorum; & Superior omnium Episcoporũ & Ecclesiasticorum, atque adeo Ordinarius Ordinariorũ totius orbis; vt ait Glo. in c. Fœlicis. §. fi. de pœnis, in 6. & c. vlt. Per principalẽ, 9. q 3. vnde non minus quàm particularis Episcopus potest Ecclesijs ministros dare, & ecclesiastica officia conferre; sicut vbique potest sacros ordines administrare. Porrò tribus modis potest beneficia conferre, vt docet Rebuff. in sua praxi. §. de Deuolutionib. n. 46. Primò, Iure præuentionis, vt quando alicui confert gratiã expectatiuam ad beneficium primò vacaturũ; vt patet c. Dudum. 14. de præb. in 6. Secundò. Concurrendo cũ alijs collatoribus, c. Quia 1. de concess. præb. & Panor. ibid. nu. 5. quo modo semper potest conferre, quia concurrit cum quolibet Ordinario in potestate & Iurisdictione. Necesse tamen est vt in hoc casu reseruet vel conferat beneficium ante Ordinarium; alioquin collatio Ordinarij erit valida; argum. c. Si eo tempore. 44. de elec. in 6. Hac ratione etiam Legatis a latere conceditur solet vt beneficia conferant, c. Si a sede. 31. de præb. in 6. & DD. ibid. Tertiò, Confert Iure deuoluto; vt quando ratione criminis, (v.g. ob simoniam confidentiæ) vel ratione negligentiæ collatoris, Ius conferendi deuolui tur ad Pontificem ex dispositione Canonis. eodem iure semper confert Episcopus, quando inferiores collatores sunt negligentes.

45 *Tribus modis potest beneficia conferre.*

Quando fiat deuolutio. 46

Vbi Notandum est. Primò, Dignitates infra Episcopatũ & Abbatiam, & alia beneficia regulariter conferri debere intra sex menses, alioquin deuoluuntur ad Superiorem; c. Nulla. 2. de concess. præb. & alibi. Simili modo si patronus laicus non præsentet intra quatuor menses, & ecclesiasticus intra sex; beneficium efficitur liberum, eiusque dispositio deuoluitur ad eum, cuius est instituere præsentatum, vt patet ex dictis dub. 6.

Quo modo & ordine. 47

Notãdum Secundò, Quod ad Episcopatum & Abbatiã attinet, si electores per tres menses absque legitimo impedimentò neglexerint eligere, deuoluitur electio ad proximum Superiorem qui cum concilio Capituli sui Ecclesiæ prouidebit. Quòd si hic etiam per totidem menses neglexerit, puniendus est secundum Canones, & Summus Pontifex prouidebit, c. Ne pro defectu. 41. de elect. In inferioribus beneficijs, si ad Episcopum vel Capitulum spectet collatio siue coniunctim siue diuisim; tunc negligẽte Episcopo per sex menses, deuoluitur ad Capitulum, & contra. Negligentes autem ad quos fit deuolutio, habent 6. menses in vtrisque beneficijs. vide plura apud Rebuffum, §. de deuolutionibus.

48 *Cur Pontifices faciant reservationes mentis, &c.*

Notandum Tertiò, Pontificem rarius vti Iure præuentionis, & concursus, vt consulto & sires vitetur, & ideo in multis Ecclesijs reseruasse sibi certos menses, quibus conferat, reliquis relictis Ordinario. Porro causa cur sibi aliqua beneficia reseruauerit, suoque iure interdum in conferendo vtatur, est, vt Ecclesiasticorum & Ecclesiarum, quæ sunt per orbem, maior fit communicatio & communẽtio cũ Ecclesia Romana matre sua, dum non solùm in spiritualibus, (quæ sæpè parum curantur) sed etiam in temporalibus & proventibus ecclesiasticis ab ea dependent. quo. in pluribus ab ea dependent & ad eam confugere debent. eo magis eam reuerentur, amant, & in ijs, quæ ad fidem, mores & sacra ministeria pertinẽt, se illi subiiciunt. Quòd si in nullo ab ea dependerent, facile vnio Ecclesiæ per schismata dissolueretur.

49 *Episcopi non conferunt in Curia.*

Notandum Quartò, ex Couar. l. 3. var. c. 20. n. 9 consuetudine receptam esse vt Episcopi existentes in Curia Romana, non possint vlla beneficia conferre, etiãsi vacẽt in propria diœcesi; sed necessarium esse vt Curiam exeãt ad ea conferenda; possunt tamen in aliena diœcesi. Quæ autẽ in Curia vacauerint, ea pertinent ad Pontificis dispositionẽ. Talia sunt eorum, qui sunt de Curia Romana, & eorũ qui Romæ moriuntur, aut prope Romam ad duas dietas, id est, 40. milliaria Italica. denique eorum, qui ibi resignant, aut permutant; vt patet ex regulis Cancell.

50 *Capitulum, sede vacãte.*

Petes, Vtrùm sede Episcopali vacante, vel Episcopo suspenso, Capitulum possit conferre beneficia, quæ ad liberam Episcopi collationem pertinebãt.

Respondeo non posse conferre, c. Illa. 2. Ne sede vacante; nec ad ea præsentare; vt docet Io. Andr. in c. vnicũ, Ne sede vacante, in 6. potest tamen Capitulum tunc instituere præsentatos à patronis, quorum institutio ad Episcopũ pertinebat; c. 1. de instit. in 6. Item potest conferre ea, quorum collatio communiter erat Episcopi & Capituli, c. Si ad Episcopum, Ne sede vacante, in 6. Secus tamen si collatio erat solius Episcopi, etsi ex consilio Capituli. vide Rebuf. sup. §. de deuolut. nu. 70. & seqq.

DVBITATIO XI.

Si Episcopus conferat beneficium absenti per litteras aut nuntium, Vtrùm possit reuocare collationem, & alteri conferre, antequàm iste acceptauerit.

51 *Beneficium collatum absenti.*

RESPONDEO non posse. vt expressè habetur ca. Si tibi absenti, de præben. in 6. Imò si alteri conferat antequam ille recusauerit acceptare, collatio viribus non subsistet. vt ibidem dicitur. quod ideo constitutum est, nõ quòd per talem collationem acquisitum sit dominium ante acceptationem; sed quia non decet Episcopum variare. secus est de donatione rei suæ, quæ non valet ante acceptationem: vndè liberè potest reuocari. immo quãdiu res tradita non est, si alteri donetur aut vendatur, valet secunda dispositio, vt suprà cap. 18. dubitatione 6. & cap. 21. dubitatione decima non. dictum est. Potest tamen Episcopus illi præscribere tempus, intra quod teneatur acceptare. quo elapso, si non acceptauit, poterit alteri conferri. si tamen acceptes antequam alteri conferatur, tuum erit beneficium, quamuis terminus iam sit elapsus. patent hæc omnia ex dict. capit. Si tibi absenti 17. de præbendis, in 6. & apud Couarruuiam lib. 3. variarum. cap. decimosexto, numero 4.

Sequitur nunc vt dicamus de conditione & qualitate eorum, quibus beneficia conferenda.

DVBITATIO XII.

Vtrùm aliquando liceat conferre beneficium indigno.

Indignus. 52 NOTANDVM *indignum* dici, qui ad officium præstandum est ineptus ratione infamiæ, pravæ vitæ, ignorantiæ, morbi, vel similis impedimenti, vel putatur nō futurus utilis, nec satisfacturus officio. Potest enim quis censeri indignus vel ratione conditionis præsentis, quæ non tolletur, vel futuræ. Dignissimus autem censetur, non qui doctissimus est aut sanctissimus: sed qui omnibus consideratis putatur optimè officio satisfacturus, Ecclesiæque futurus utilissimus. His positis.

Tria requisita vt quis sit dignus beneficio. 53 Respondeo & dico Primò, Numquam licere beneficiū ecclesiasticum conferre indigno, modò aliqui reperiātur digni, quibus conferri possit. Probatur ex cap. Cum in cūctis 7. de electione, vbi tria requiruntur vt quis censeatur dignus beneficio habente curam animarum, ætas conueniens, probitas morum, & scientia debita: & Clerici, qui aliquem contra prædictam formam elegerint, eo ipso priuantur in ea potestate eligendi pro illa vice, & triennio a suis beneficijs suspendi. Episcopus autem si contra fecerit aut consenserit fieri, annexa similiter potestatem conferendi: vide tamen aliquas limitationes, & explicationes huius cap. in cap. Si compromissarius 9. Si verò, de elect. in 6. & cap. Graue nimis 29 de præbē. lis, vbi præcipitur, vt beneficia non conferantur indignis; qui contra post secundā correptionem fecerit, iubetur suspendi à beneficijs conferendis. ratio est, quia beneficium datur propter officium: ergo qui ineptus est ad officium præstandum, hac naturæ est arce ius a beneficio. Confirmatur, quia omnes fere hæreses & mala Ecclesiæ hinc orta sunt, quòd indigni beneficia fuerint collata: ut non. Episcopatus conferuntur hominibus indoctis vel improbis, qui nihil curant quam de manere Episcopali iure tollitur, necesse est vt etiam Parochi similes instituantur. Tales enim Episcopi parum curant quales habeat Parochos. quòd si Parochi indocti, vel etiam improbi sint, nocet ei Christiana plebem in fide & moribus non recte instrui: hæc autem non rectè instructa, & mala vita suorum Superiorum scandalizata, facilis est ad nouos Doctores, reformationem & purum verbum Dei promittentes, excipiendos; maximè cùm videat illos eloquentia, doctrina, & externa vitæ probitate suis Parochis & Episcopis præstantiores. Sic si nascente hæresi Lutheri tales fuissent vbique Episcopi & Parochi, quales esse debuissent, facilè illam in semine oppressissē. hoc optimè significatur in parabola Domini Matth. 13. *Dum dormirēt homines venit inimicus homo & superseminauit zizania:* vt explicat D. August. lib. qq. in Matth. cap. 11. & Chrysost. hom. 47. in Matth. Ex quo patet quanti momenti sit vt principes quam maximè idoneos ad Prælaturas promoueant.

Omnia pænè Ecclesiæ mala ex promotione indignorum ministrorum. 54

Quando possit conferri indigno. 55 Dixi *Modo aliqui reperiantur digni*, quia si nullus talis inueniatur, vel si inueniatur & non admittatur, (sicut interdum fit in locis septentrionalibus) poterit cōferri indigno ad maiora mala impedienda: nempe ne deueniat ad hæreticos, vel alios magis indignos: hic enim etsi absolutè non sit dignus, tamen respectu aliorum, qui haberi possunt, dignus censetur. Vbi tamen ei beneficium collatum est, tenetur se præstare dignum & satisfacere officio, tum per se, tum per alios, quantum commodè potest: alioquin tenebitur ad fructuum restitutionem. ratio est, quia lege Iustitiæ obligatur ad præstandum munus sui officij, & consequenter ad se reddendum idoneum officio, quantum potest.

Debet scire esse dignum. 56 Dico Secundo, Vt collator sit securus, non solum requiritur vt nesciat illum, cui confert, esse indignum: sed debet etiam positiuè scire esse dignū, vt rectè Adrianus in 4. tract. de restitut. q. de dispensatione beneficiorum. ratio est, quia ex officio tenetur quantum in se est curare vt conferatur digno. ergo debet positiuè iudicare esse dignū quod intellige non de certa scientia, sed de probabili iudicio, quod pro rei magnitudine, magis vel minus certū esse debet. *Idem dicendum de patronis* Idem dicendum de patronis qui habent ius præsentandi; grauiter enim peccant si aliquem præsentent, de cuius vita, moribus & doctrina non sint satis informati per viros probos & idoneos, ita vt meritò possint confidere esse idoneum: vt colligitur ex cap. Graue nimis, de præbē. lis. Tales enim patroni sunt causa cur beneficia conferantur indignis, cum maximo Ecclesiæ damno; nā Prælatus ecclesiasticus, qui institutur, non potest præsentatum repellere, nisi fere sit euidens esse indignum, capit. 32. Decernimus, decimasexta. quæstione septima, & alibi. hoc autem vt euidens fiat, valdè est difficile. deinde vix audet rem exactius discutere, præsertim quādo patronus est Princeps sæcularis.

Dico Tertiò, Etsi omnis conditio, quæ reddit hominem indignum beneficio, sufficiat ad irritandam collationem, vel electionem indigni, non tamē omnis reddit ipso facto collationem irritam, vt infrà dicetur. vide Nauarr. in cap. Si quando 5. de rescriptis, exceptione decimasexta, & decimaseptima. 57

DVBITATIO XIII.

Vtrùm prætermissis dignioribus, liceat interdum conferre dignis.

RESPONDEO, In quibusdam euentis licitum esse. Primò, si patronus præsentet dignum; huic enim debet conferri, etsi sit alij magis digni. d. 16. quæstio 7. capit. Multa iniquitatum, & capit. Decernimus. quos limita nisi sit beneficium cum cura animarum: hoc enim dandum est digniori, si patronus est ecclesiasticus, vt patet ex Cōc. Tolet. 14 c. 18. Si tamen patronus sit laicus & præsentet dignum, hic ab Episcopo instituendus est, aliis omnibus prætermissis, vt ex eodem loco Concilij constat. Pari modo, si fundator constituisset vt si quis ex sua familia idoneus repertus fuerit, is detur; seruandum esset, etiam in cura animarum aliis dignioribus prætermissis, vt docet Couar. regu. Peccatum. p. 2. §. 7. 58 *Dignior potest prætermitti quinque casibus.*

Secundò, Si beneficium ex sua institutione dandum sit alicui ex certa familia, vel oppido; (vt sunt ea, quæ dicuntur patrimonialia.) vel si decreto Canonum eligendus sit aliquis ex Clericis eiusdem Ecclesiæ; tunc apprimo inter eos dandum est, non aliis etiam aptioribus. Vide ca. Nullus. 13. & cap. 16. Obtinuit 6. & c. 19 Metropolitano d. 63. ex quibus constat, olim ministros eligi debuisse ex Clericis eiusdem Ecclesiæ, si aliquis erat idoneus. Simili modo Pontifex eligendus est ex Collegio Cardinalitū, modo aliquis inter eos sit idoneus. c. Oportebat. 3. cum seq. d. 79. ex Concilio sub Stephano Papa III. 59

Tertiò, Si aptiores reseruandi sunt beneficijs parochialibus, eo quòd pauci bene idonei ibidem reperiantur; tunc enim illis prætermissis beneficia sine cura, quamuis opima, debent cōferri minus digno, vt rectè notauit Adrian. suprà. ratio est, quia in dispensatione beneficiorum, magis spectanda est spiritualis vtilitas Ecclesiæ, quàm commodum temporale ministri.

Si suffragia non essent profuturum digniori. 60 Quartò, Si plures sint electores, & paucorum suffragia inclinent in dignissimum; tunc si meum suffragium nihil esset profuturum digno, prodesset tamen ad vitandā electionem indigni, vel minus digni, tenetur omisso digniori dignissimo, conferre illud in dignū vel digniorem. ratio est, quia in hoc casu si dem suffragiū in dignissimum, ipsi non prodero, & Ecclesiæ obero: quod Ecclesiæ incommodum vitare possum si faueam digno. Neque hic cum alijs ad opus malum concurro; quia eligere minus dignum non est malum, nisi quando spes est posse obtineri digniorem.

Resignans. 61 Quintò, Si quis resignet beneficium suum in fauorem alterius, non est necesse vt quærat dignissimum. Ita Caietanus v. Beneficium, & alij; sic enim recepta cōsuetudo habet. ratio est, quia non incumbit illi ex officio præficere Ecclesiæ ministrum: & alias confert id, quod suum est, & propter quod, cùm possideret, non tenebatur plus facere, quàm mediocriter idoneus faceret; vnde non facit iniuriā Ecclesiæ, talem sibi substituendo, quamuis si multò dignior se offerat vel in promptu sit, charitas boni communis obliget vt hic præferatur.

DVBI-

DVBITATIO XIV.

Vtrùm extra hos casus beneficia semper sint conferenda dignissimis.

62 *Dignissimi præficiendi.*

RESPONDEO, & dico Primò, Electores, Præsentatores, & Collatores semper tenentur quantum in ipsis est curare vt dignissimis beneficia conferantur. Est communis sententia in D. D. Thom. quæst. 63. artic. 2. ad 3. *Vt electio non fiat inordinata in fine inuentali, sufficit eligere bonum: nec oportet eligere melius: alioquin omnis electio esset peccatum. Sufficit habere rationem finis: sufficit eligere aptum: non autem eligere melius, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum communem.* Ibidem ad 1. docet, *Prælatum posse eligere consanguineos suos si æquè digni sint: non autem si alij sint digniores.* Idem docet infra quæst. 185. art. 3. Ioann. Maior in 4. d. 24. q. 12. 3. Nicolaus Lyranus in illud Ioannis 21. *Simon Ioannis diligis me plus his?* D. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 20. §. 1. Angel. v. Electio, numer. 20 & 21. Caietan. v. Acceptio personarum, & in locum D. Thomæ citatum. Adrian. in 4. part. citata, Syluest. v. Electio, & v. Acceptio personarum, Nauarr. in c. Si quando 5. de reser. excep. 16. num. 10. Sotus l. 3. de Iust. quæst. 6. art. 2. & al.; Theologi passim in quæstionis Alexan. Halensis par. 2. quæst. 13. §. Aduerte. Putet Iolum in Episcopatibus esse peccatum prætermittere dignorem, non autem in minoribus beneficijs: ita tamen Theologi id generatim de omnibus habentibus curam animarum, docent. Accedunt multi Iuniperenses, quos refert & sequitur Couarruu. ad reg. Peccatum, par. 2. §. 7. num. 4. vt Panormit. Rochas, Ludouicus Gomezius, Cæsar Lancerinus, & alij, & addit Couarruuias eam esse communem. Probatur Primò, Exemplis Sacræ Scripturæ; vt electione Aaronis Leuit. 8. vbi Dominus indicauit se velle præstantissimum eligi, dum omnibus Principibus ad otium tabernaculi adductis, eius solius virgam florere fecit: in quem locum Origenes hom. 6. (habetur Cano. 1. Licet. 8. quæst. 1. sic ait) *Requiritur ergo in ordinando Sacerdote etiam populi prærogatiua, vt sciant omnes, quod quis præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium.* Item electione Saulis 1. Regum 10. vbi eligitur *qui ceteris eminebat, & quo non erat melior in Israel.* quod explicans Gregorius libr. 4. capitul. 4. in libr. 1. Regum, fusè docet, *dignissimum eligendum.* Idem docet cap. 5. vbi multa pulchrè in hanc sententiam. Idem cernitur in electione Dauidis, & in electione Petri: cum enim Dominus Ioan. vigesimo primo, Petrum Ecclesiæ vellet præficere, non solum rogat an ipsum diligeret, sed an plus ceteris diligeret, & ter rogat. Apostoli etiam Actorum primo, conati sunt optimum eligere.

1. *Exemplis Scripț. probatur.*

Alexan. Halensis primo.

63 2. *Ex Iure Canon.*

Probatur Secundò, Ex Iure Canonico; nam c. vnico, tit. vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, Innoc. III. inter cetera sic ait, *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti ecclesiasticum officium in personam magis idoneam dispensare.*

3. *Ex Patribus.*

Tertiò, Probatur ex Patribus; vide Origenem sup. Hieronymus in cap. 1. epist. ad Titum: *At nunc*, inquit, *ea nimus plurimos hanc rem*, (id est, electionem) *beneficium facere, vt non quærant eos, qui possint plus Ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs delinita.* Chrysost. hom. tertio de sacerdotio, parum ante medium, *Equidem non opinor alunde tam multas in Ecclesia turbas nasci, quàm ex Episcoporum & Antistitum electionibus, casu petitis ac temerè, quàm diligenter & accuratè factis; nam caput valentissimum esse oportet,* &c. Augustinus epist. 29. ad Hieronymum, non procul à fine: *Quis ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto pauperè instructiore, ac sanctiore?* Idem docet Leo epist. 84. cap. 9. & Bern. l. 4. de consider. ad Eugenium. & in declamatione, *Ecce nos reliquimus omnia.*

4. *Ratione.*

Idem confirmatur ex quadã pragmatica sanctione Concilij Basiliensis sessio. 12. vbi decernitur, *vt electores iurent Deo & sancto Ecclesiæ patrono, in qua est præbenda, se electuros quem nouerint digniorem.* Probatur Quartò ratione; Quia beneficia primario sunt instituta ad cultum Dei & Ecclesiæ vtilitatem; secundario vt sint præmia virtutum quibus digniores in Ecclesia honorentur & iuuentur; atqui contrà vtrumque finem est si digniores & Ecclesiæ vtiliores omittantur, & in his conferendis spectetur consanguinitas, aut priuata amicitia, aut commendatio potentum.

64 *Est peccatũ. omittere dignorem in maior. ben.*

Dico Secundo, Ad beneficia habentia curam animarum vel aliam functionem magni momenti in Ecclesia, eligere, pollulare, aut præsentare dignum omisso digniore, qui in promptu est, est peccatum mortale: Idem dico de conferente, qui libere confert. *Dignorem* voco, qui notabiliter dignior & aptior videtur, speraturque multo melius functurus officio: nam si parutus vel dubius sit excessus, non erit peccatum mortale. Colligitur ex DD. supra allatis, probaturque ipsdem testimonijs, nam ea maximè agunt de talibus beneficijs. Idem colligitur ex Concil. Trident. sessio. 24. capit. 1. de reformat. vbi dicitur, *Omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quomodocunque ius habent, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis vtiles ipsis iudicauerint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambitiosis suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint.* Et quamuis ibi loquatur de Episcopatibus, tamen idem sentire de parœcijs, patet manifestè ex capitul. 18. de quo infra dubit. 16. Eadem ratio locum habet in alijs omnibus magni momenti beneficijs. Talia sunt præter Cardinalatum, Episcopatum, Archidiaconatum & Præcentiam; Decanatus, Præpositura cum iurisdictione, Canonicatus affectus onere docendi vel concionandi, aut pœnitentiariæ. Denique Abbatia, Prioratus & similia. Ratio est, quia qui omittit dignorem, facit contra fidelitatem, quam Ecclesiæ ex officio debet, (iuxta illud Matt. 24. *Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*) idque in re grauis momenti; nam inde contingit eam priuari ingenti bono, quod ipse tenebatur ei procurare eligendo dignissimum ministrum: atqui in re grauj fidem debitam violare est peccatum mortiferum, vt supra cap. 32. nume. 16. & 17. in simili diximus: ergo qui præficiunt vel eligunt vel beneficia libere conferunt, grauiter peccant, si digniores prætermittant, siue sit Papa, siue Episcopus, siue Princeps sæcularis: non enim sunt Domini beneficiorum, sed œconomi: vnde tanquam œconomi tenentur rem Domini sui, quantùm commodè possunt, promouere. Confir. quia in beneficijs est peculiaris ratio, quæ nõ in alijs. nam totùm fere Ecclesiæ bonum in fide, moribus & ritibus sacris pendet ex bona ministrorum electione: sicut è contrario totum fere malum ex mala prouisione: atqui nisi quàm maximè idoneos eligere conemur, periculum est ne sæpè parum apti præficiantur; quia tam multa requiruntur, vt non ratò qui valdè apti videntur, re ipsa parùm aptos esse, experientia & successus rerum demonstret; ergo ne in tales impingamus, tenemur in re tanta sub peccato mortali eligere aptissimos. quod nõ solùm verum est de electore & collatore libero, sed etiam de patrono, vt rectè Couar. sup. contra Caietum Lambertinum, qui sine iusta ratione id negat.

65

66 *In quibus nõ sit pec. mor.*

Dico Tertiò, In ceteris beneficijs, vt in canonicatibus, capellis, &c. nõ videtur peccatũ mortiferum semel vel bis prætermittere dignioré, modò conferantur ei, qui vere dignus sit: videtur tamen esse mortiferum si quis id passim faciat, aut si rarò curet vt digniores præferantur. Prior pars est Alexand. Halensis, & Soti supra, Gabrielis in 4 dist. 15. 7. art 3. d. 1. vbi pro eadem citat Antoninum & alios. Idem docet Angelus supra, & sentire videtur D. Thom. quodlib. 6. ar. 9. licet obscurè, citatq. illum Angelus & Gabriel. Denique multi recentiores, vt Petrus Nau. l. 2. cap. 2. nu. 148. Emmanuel Sá. verbo beneficium. Petrus Arragon. in q 63. ar 2. Ratio est, quia quòd semel vel iterum dignior prætermittatur in huiusmodi beneficijs, nõ censetur notabile incommodum, aut notabilis iniuria in Ecclesiam: paucorum enim mediocritas, aliorum virtute facilè compensatur.

Obiectio.

Dices, Fit iniuria digniori, qui postponitur; nam ei lege iustitiæ distributiuæ debetur. deinde est contra Ecclesiæ & ipsorum fundatorum intentionem; quorum mens est vt dignissimis conferantur.

Ob hæc argumenta multi DD. tenent esse peccatũ mortale, præsertim si dignior sele offerat. Ita Couarruu. ad regulam Peccatum, par. secunda, §. septimo, numero quarto. Caietan. quæstione 63. articul. secundo, Salonius ibidem. in eadem sententia videtur esse Diuus Antoninus supra: quia violationem iustitiæ distributiuæ putat esse

peccatum mortale, & Nauarr de oratione miſcellan.38.

67 *Reſpon. Non ſit proprie iniuria digniori.*

Sed reſponderi poteſt ad Primum, Non fieri propriè iniuriam digniori, quia non eſt ei debitum ſtricto iure, ſicuti debetur præſentato vel electo: ſed ſolum largo, quod conſiſtit in maiore aptitudine & proportione: hoc autem ius violare non eſt per ſe peccatū mortiferum, neq; violatio iuſtitiæ diſtributiuæ ſemper eſt peccatum mortiferum, niſi redundet in violationem iuſtitiæ commutatiuæ; vt rectè Sotus ait.

Si ſecùs fieret, eſſet peccatum.

Ad Secundum, Eſt quidem contra Eccleſiæ & fundatorum intentionem; ſed in re, quæ ad bonum Eccleſiæ non eſt tanti momenti. Fatentur tamen rationes ipſas facere illam ſententiam valde probabilem: & ex illis confirmatur altera pars noſtræ propoſitionis: quia enim ſæpe non faceret, vel non curaret præponere dignores, conferetur grauiter peccare contra fidelitatem Eccleſiæ debitam, eiuſque magnum bonum negligere: magni enim intereſt ad bonum Eccleſiæ vt diuina officia quam decentiſſimè & deuotiſſimè celebrentur, vt Canones & alij ſacrorum adminiſtri doctrina & probitate populo præluceant. Denique vt ipſe beneficij obtinendi plurimi ad probitatem vitæ & ſtudia litteratum incitentur, ſunt enim beneficia ex Eccleſiæ & fundatorum deſtinatione non ſolum ſtipendia miniſteriorum, ſed etiam præmia virtutum: atqui hic ſtatus tolleretur, ſi ſtipendijs præteritis, fauore & affectu carnali diſpenſentur.

68

Ex his patet, ſemper eſſe peccatum, ſaltem veniale *dignorem & aptiorem* prætermittere. Si autem id ſæpè fiat, eſſe peccatum mortiferum, quòd ſi ex fundatione habeat, vt debeat dari dignior, vel per oppoſitionem, tunc ſemper eſt peccatum mortale.

69 *Obiectio contra ſecundam dictā.*

Contra ſecundam propoſitionem Obijcitur Primò, Iura antiqua & noua ſolum requirunt vt beneficia conferantur *dignioribus*: Concil. Trid. ſeſſ.7.c.3.de reform. ſolum requirit, vt eorum beneficia curata *digni* conferãtur, & erat conſtitutionem Alexandri III. & Gregor. X. in quibus idipſum ſtatuitur.

Reſpond. Concilium hoc ſolum requirit; non vt collatio ſit ſine peccato, ſed vt non ſit irritanda in foro externo. vt patet ex verbis ſequentib. *vitio ſcilicet collatoris omnino careatur.* Eodem modo intelligi poſſunt quædam Canonum illæ, dũ dicunt ſatis eſſe vt eligatur idoneus; vt notat Couar. ſupra. Quod autem Concilium velit ad parœcias eligi dignißimos, patet ſeſſ.24.c.18.de refor.

Obijcitur Secundo, Extra antiquos Canones non ſolent beneficia conferri niſi presbyteris & Clericis eiuſdem Eccleſiæ, vt patet ex c.Nullus, & can.Obitum.d.61. ergo non ſunt quærendi dignißimi.

Reſpon. Ideirco hoc ſolet fieri, & in multis locis adhuc ſeruatur, quia plerumque hi ſolent eſſe vtiliores & fideliores ſuæ Eccleſiæ quam extranei; magis enim ei afficiuntur, magiſque omnia norunt, cùm ſint in ea educati: firmius quoque reſident.

Obijcitur Tertiò, Apoſt. ad Tim.3. & ad Tit.1. enumeratas conditiones Epiſcopi, ſolum requirit vt ſit *ſobrius, ſtudiosus, doctor hoſpitalis, irreprehenſibilis*, &c. nõ autem requirit vt ſit ceteris omnibus dignior.

70 Reſpon. Tot conditiones requirit Apoſt. vt rariſſimi ſint qui eas omnes habeant. vnde etiam qui dignißimus viſus fuerit, vix implebit Apoſtoli formulam.

Minus idoneus poteſt ſe offerre.

Quartò, Si collator teneretur conferre dignioriter go is, qui ſe putat minus dignum, non poterit ſe offerre, nec acceptare collationem, quia alioqui conſentiret peccato alterius: petere enim aliquid ſibi præſtari, quod alter non poteſt ſine peccato præſtare, eſt peccatum. ſimiliter in illud conſentire.

Reſpondeo negando conſequentiam. Etſi enim alius videatur aptior, potes tamen iudicium totum relinquere electori vel collatori, cuius eſt vtriuſque meritum & dotes examinare. hoc enim iudicium non eſt eius cui fit collatio; ſed eius, qui confert aut eligit. vnde bona fide potes te illi offerre, non quidẽ deſiderando & petendo abſolutè vt tibi conferat, etiamſi alterũ iudicet fore vtiliorem (hoc enim peccatum eſſet) ſed ſub conditione, ſi bona fide iudicauerit te non minus vtilem fore. & quamuis tu putes alterum eſſe magis idoneũ, potes tamen tecum ſtatuere diligentia compenſare quantũ alijs dotibus videris ſuperari. Quòd ſi certo exiſtimes collatorem non iudicio ſed fauore te prætuliſſe, hoc tibi non imputabitur, ſi hoc neque petiſti, neque animo deſideraſti, ſed bona fide ſolicitaſti, vel non ſolicitanti tibi eſt oblatum.

DVBITATIO XV.

Vtrùm is, qui ſibi vel alteri minùs digno procurat beneficium omiſſo digniore, teneatur digniori aliquid reſtituere.

71 PALVD. in 4 dub.15.q.2.ar.2 & Caiet.q.62.a.2.dub.3. affirmant. Ratio eſt, quia beneficium illud ſecundum iuſtitiam diſtributiuam debitum eſt digniori. addit tamen Caietanus non teneri qui ſibi procurat, non intendens impedire dignioremſecus vero de eo, qui ita procurat ſibi vt non curet de impedimento dignioris.

72 *Non tenetur dignori.*

Reſpondeo & dico Primò, Probabilius eſt talem beneficiarũ non teneri ad reſtitutionem, modo ſit verè idoneus, & beneficium non fuerit per oppoſitionem conferendum. eſt ſententia Scoti & Richardi in 4.d.15. vt fatetur Caiet. Idem tenet Adrianus in 4.S. Quia iam determinatum. Sotus lib.4.q.6.ar.3.ad 6 Couar. ad 1 reg. Peccatum, par.2.§.7. num 7 Nauar.cap.17. num 71. & multi alij. Probatur, quia neque Eccleſiæ, neque digniori tenetur. ergo non tenetur. *Non digniori*, quia ille non habet ius ſtrictum ad illud beneficium; ſed largum dumtaxat, conſiſtens ſolum in maiori aptitudine, vt antè dictum eſt: vnde non fit ei proprie iniuria.

Obiectio. Diſtributio communis.

Dices, Si diſtributor ex bonis communibus mihi debeat centum, & non det niſi quinquaginta, tenetur ad reſtitutionem quinquaginta; quia in illis violatur iuſtitiam commutatiuam; vt colligitur ex D.Thoma qu.62.art.1.ad 3. ergo cum beneficia ſint bona cõmunia debita dignioribus & ego ſim dignior, ſi mihi non conferam, tenebitur ad reſtitutionem. Hoc argumento potiſſimũ commoti ſunt Palud & Caiet.

73 *Reſpon.*

Reſp. Hoc tantum eſſe verum in communibus, quæ præcipuè ideo data ſunt communitati, vt pro dignitate cuiuſque, vel inopia, vel eruditione, vel meritis diſtribuantur; vt rectè Sotus & Couar. reſpondent: at beneficia non ſunt talia bona communia; non enim ſunt principaliter præmia meritorum & dignitatis cuiuſque, vt Palud. & Caiet. velle videntur; ſed ſtipendia miniſtrorum Eccleſiæ: quia potiſſimum & ferè ob vnicam hanc cauſam ſunt inſtituta, vt ſint ſtipendia eorum, qui Eccleſiæ deſeruiunt: vnde digniſſimi eligendi; nõ quod ipſis hæc propriè ſint debita, ſed quia Eccleſiæ debitum eſt, vt quàm optimi miniſtri qui pro illis quaſi ſtipendijs haberi commodè poſſint, adſciſcantur. Itaque ſi qua eſſet obligatio reſtitutionis, ea eſſet erga Eccleſiam, non erga dignorem prætermiſſum.

74 *Non obligari Eccleſia.*

Sed quòd *neque Eccleſia* obligentur reſtituere, probatur: quia Eccleſia non intendit collatores & patronos ſub onere reſtitutionis obligare ad procurãdum ſemper maius bonum, & digniores miniſtros; modo procurent eos, qui verè ſint digni & vtiles: neque collatores cenſent ſe ſub tali onere obligari, idque tum ob multas perplexitates, quæ inde quotidie orirentur; tum quia Eccleſia non videtur damno affecta, quamuis maius bonum non ſit procuratum. Idẽ dico de ęconomo Principis, qui non conduxit optimos operarios, ſed mediocres.

Si non ſit idoneus.

Dixi, *Modo beneficium vius ſit idoneus*; ſi enim non ſit idoneus, tenebitur is, qui procurauit, ad reſtitutionem, non quidem digno vel digniori; ſed Eccleſiæ, quæ debito miniſterio caruit vel etiam damnum accepit, vt rectè Couarr. ſup.num.2. & Sotus l.4 q.6 ar 3 ad 6. vel certè pauperibus vt quidam volunt, argum. c.1 ſeſſ.23. Conc. Trid. §. Si quis autem. de quo infra num.157 & ſeſſio 9. Conc. Lateranen. de quo num.175 & 177. quod intelligendum ſi beneficiarius, qui primo loco tenebatur reſtituat. Si Eccleſia nullũ damnum paſſa eſt, & officium per alios præſtitum, ad nihil tenebitur auctor.

Si officiũ per alios præſtitum.

75 *Si dandum per oppoſitionem.*

Dixi, *Modo beneficium non fuerit dandum per oppoſitionem*: quando enim per oppoſitionem datur, tunc dignior ius ſtrictum habet ex lege, vt rectè Nauar. cap.17.numer.74. Itaque ſi non admittatur ad examen, vel examinatus & inuentus verè dignior alijs repertus reijcitur, fit ei propriè iniuria: vnde collator ei tenetur ad damnum ſarciendum iudicio

cio prædentis; si tamé manifestè & notabiliter dignior sit, nam si parum tantummodo sit excellus, non tenebitur.

76 *Si putet se idoneum.*

Dico Secundo, Qui institutus est, si vere se putet idoneum, non tenetur renunciare, etiamsi alterum iudicet magis idoneū. Ratio est, quia ipsi non incūbit Ecclesiæ ministros dare: sed satis est vt pro sua virili satisfaciat officio.

Obiectio. Dices, Hunc tantum loqui, illum non teneri ex officio, seu lege Iustitiæ: poterit tamen ex charitate teneri.

Respond. Quando teneatur ex charitate. Resp. Id quidem fieri posse, sed raro fieri: vt si quis certò sibi persuaderet alterum Ecclesiæ longè fore vtiliorē, & ipse sine notabili incommodo tuo posset illo beneficio carere. Sed valde rarum est vt constet alterum longe vtiliorem fore. In dubio autem non tenetur se tanto commodo suo priuare.

77 *Si inducens collatorem.*

Dices, Quid si collatorem induxerit vt sibi conferret, cum sciret se minus idoneum altero?

Respondeo, Tunc quidem peccauit illum inducendo vt faceret contra fidelitatem; non tamen tenetur ad resignationem, modo sit verè idoneus: quia collatio fuit valida. vnde cum ipsi non incumbat optimorum ministrorum procuratio, non tenetur beneficium delerere: tenetur tamen tunc (saltem ex decentia) quàm optimè muneri suo satisfacere, & diligentia supplere defectus, ratione quorum ab altero superatur.

DVBITATIO XVI.

Quæ formula seruanda in conferendis Ecclesijs parochialibus.

RESP. Hæc describitur à Concil. Trid. sess. 24. c. 18. vbi Notandum est, Ecclesiam parochialem vacare posse ratione obitus, vel resignationis simplicis, vel permutationis, vel delicti. Item Ius patronatus esse Ecclesiasticorū vel laicorum. Nunc.

78 *1. Conuocādi multi.*

Dico Primo, Si parœcia vacet per obitum vel crimen, & Ius patronatus sit Ecclesiasticorum, Episcopus, & patronus, intra certum tempus ab Episcopo præscribendum, debent aliquot Clericos, qui videantur idonei ad Ecclesiam illam regendam, nominare. Ita Concilium. vbi Nota, posse Episcopum, etiam per publicum edictum conuocare omnes, qui volent se offerre; & quemuis posse suggerere si quos nouit idoneos: & hi omnes sunt describendi, vt ibidem dicitur.

79 *2. Examinādi.*

Dico Secundò, Transacto tempore constituto, hi omnes (nempe qui voluerint & comparuerint) debent examinari ab Episcopo, vel eius generali vicario, & tribus saltem examinatoribus à Synodo diœcesana approbatis.

Vbi notandum, Quotannis in Synodo diœcesana ab Episcopo vel eius Vicario sex debere proponi examinatores, qui à Synodo probentur, & ex his ad quodque examē tres minimum pro arbitrio Episcopi debent assumi.

Secundò, Hi debent iurare se omni affectione humana postposita, fideliter munus suum executuros.

Nihil pro examine accipiēdum. Simonia Iuris humani. Tertiò, Nihil ratione huius examinis possunt accipere, alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quàm dantes incurrent: à quo absolui nequeant, nisi dimissis beneficijs, etiam antè obtentis, & ad alia reddentur inhabiles. vbi Nota, simoniā iuris humani pœna exorbitante puniri: quam tamen puto non esse receptam in beneficijs ante obtentis, ante sententiam Iudicis.

Dico Tertio, Peracto examine, examinatores debent renuntiare quoscumque ex his idoneos iudicauerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacātem Ecclesiam regendam opportunis.

80 *Episcopus eligit. Si patronatus ecclesiasticus.*

Dico Quartò, Ex his Episcopus eum eligere debet, quē ceteris magis idoneum iudicauerit, & huic, non alteri collatio fieri ab eo, cuius est conferre. Si verò Iuspatronatus ecclesiastici erit, tunc patronatus debet ex his eligere quem digniorem iudicabit, & hic ab Episcopo debet institui, si institutio ad eum pertineat. alioquin si ad alium pertinet, Episcopus solus eligit digniorem suo iudicio, & patronus hunc præsentabit ei, ad quem pertinet instituere. vt si institutor vel collator sit Capitulū, Decanus, Archidiaconus: Episcopi enim est non solum conuocare & habere Ius examinandi cum alijs examinatoribus, sed etiam eligendi digniorem, qui a patrono præsentetur instituendus.

Dico Quintò, Si Ius patronatus est laici, non est necesse vt fiat examen per concursum: præsentatus tamen a patrono, debet examinari a deputatis examinatoribus, & si fuerit idoneus repertus, admitti. 81 *Si patronatus est laici. Collatio alio quin irrita.*

Dico Sextò, Omnis collatio seu institutio facta præter supradictam formam, censetur subreptitia & nulla; & collatio si pertinebat ad Episcopum, deuoluitur ad Sedem Apostolicam. hoc postremum statuit Pius Quintus, qui etiam clarius explicat mentem Concilij in Bulla, quæ incipit, In conferendis Ecclesijs, edita anno 1567. Kalend. Aprilis.

Vbi Notandum primò, Hoc examen adeo esse necessarium, vt etiam in Doctore Theologiæ adspirante ad parochialem Ecclesiam sit seruandum, vt respondit Congregatio Cardinalium. non tamen est necessarium in Dignitate vel Canonicatu, qui parochialem Ecclesiam accessorie, etiam perpetuò annexam habet; vt eadem Congregatio censuit. 82 *Examen quàm do necessarium.*

Notandum Secundò. Si Episcopus minus habilem postpositis magis idoneis post examen elegerit, poterunt ij, qui reiecti fuerint, a mala electione huiusmodi ad Metropolitanum, vel si electo Metropolitanus aut exemptus fuerit, ad vicariorem Ordinarium, vt Apostolicæ Sedis Delegatum; aut alias ad Sedem Apostolicam appellare, & electum ad nouum examen coram appellationis Iudice prouocare, vt dignior detur. Interea tamen electio prior executioni mandanda est, & prouisus non potest amoueri, nisi alteri debito modo collatum fuerit. Ita Pius Quintus suprà. 83 *Appellare potest apter.*

Dico Septimò, Si Ecclesia vacet ratione resignationis factæ in manibus Papæ, in fauorem certæ personæ, & à Papa fuerit admissa resignatio, non debet fieri examen per concursum; sed sufficit cum examinari à deputatis examinatoribus cum Episcopo, & dignum iudicari. Ita respōdit Congreg. Cardinalium. Ratio est, quia tunc Papa censetur in hoc decreto dispensare. Secus verò si collator sit inferior Papa, vt Metropolitanus, vel Episcopus, vel Capitulum; tunc enim resignatione in manibus eius factā, debet fieri examen per concursum, & nisi resignatarius iudicatus fuerit post examen aptior ceteris, vel certè non minus aptus, non potest ei fieri collatio; vt colligitur ex Concilio. Ratio est, quia inferior non potest in decretis Concilij œcumenici dispensare. 84 *Si vacet ratione resignationis.*

Dico Octauò, Si vacet permutationis causa, debet nihilominus fieri examen, & quidem per concursum, nisi permutatio fiat cum alia parochiali ferè paris conditionis: tunc enim non est opus nouo examine, vt declarauit Congregatio: quia per examen antiquum vterque censetur idoneus. Quod si fiat permutatio cum simplici, vel cum alia parochiali, vbi maior requiritur industria, debet fieri examen per concursum, vt colligitur ex Concilio. 85 *Si vacet permutationis.*

Aduerte tamen multa ex his passim non esse recepta; quamuis meritò omnia recipi deberent. vnde ibi non sunt irritæ collationes, quæ secundum hanc formam non sunt factæ. *Vbi hæc non recepta.*

DVBITATIO XVII.

Quæ conditiones requirantur in particulari, vt quis censeatur idoneus ad beneficium.

RESPON. Posse numerari decem. Prima. Legitimus torus. Secunda, Clericatus vel Ordo. Tertia, Aetas cōueniens. Quarta, Cœlibatus. Quinta, Non esse irretitum censura vel irregularitate. Sexta, Morum probitas. Septima, Scientia debita. Octaua, Habilitas ex parte corporis. Nona Intentio status ecclesiastici. Decima, Vt non habeat aliud beneficium incompatibile.

DVBITATIO XVIII.

Quomodo requiratur legitimus torus.

RESPONDEO, & dico Primò, Qui est ex toro illegitimo, est incapax Episcopatus, & cuiuslibet alterius beneficij habentis curam animarum, nisi per Pontificē 86

cum eo dispensetur. Est etiam incapax simplicis beneficij: potest tamen ad hoc per Episcopum dispensatio dari, etiamsi sit ex incestu, vel sacrilegio complexu natus. Ita habemus c.1.de fil.presbyt.in 6.

Episcopus dispensat cum illegitimo ad beneficii simplex.

Vbi Notandum primò, Episcopum posse cũ tali dispensare ad Canonicatum etiam Ecclesiæ cathedralis, vt ibidẽ docet Glos.ex Archidiacono. Rebuffus tamen in praxi beneficiorum, §. De dispensatione super defectu natalium, pag.269.tenet, Episcopum non posse dispensare in præbenda Ecclesiæ cathedralis cum illegitimo, dicitq; stylum Curiæ Romanæ ita seruare: cuius sententia videtur tenenda post Concilium Tridentinum, in quo statuitur, vt omnibus Canonicatibus Ecclesiæ cathedralis sit annexus ordo sacer, ad quem Episcopus non potest illegitimum habilitare, vt dict. capit. primo habetur. Ita tamen conformius videtur, Episcopum posse aliquem Canonicatum habilitare eum, qui antè à Sede Apostolica ad ordines sacros admissus esset.

Non ad Dignitatem.

Notandum Secundò, Episcopum non posse dispensare cum illegitimo ad Dignitatem vel Personatum, etiam sine cura, secundùm Glossam; quia quando Papa concedit vt alicui prouideatur de beneficio, intelligitur beneficium simplex, neque extendi debet ad Dignitatem, c.Licet. de præbendis: ergo neque hoc per beneficium sine cura intelligi poterit Dignitas sine cura, aut Personatus. Confirm. quia non est credibile Pontificem velle illegitimum talibus honorari, cùm illum à toto ordine sacro excludat. Glossa sequuntur passim DD.

87 Dices, Quid si Canonicatus habeat annexum accessoriè beneficium parochiale, poterit ne Episcopus dispensare?

Respondeo posse, vt docet Sylu.v. Beneficium, 3.q.5. ex Archid. cons. quod limita cum Lapo & Sylu. modo parœcia per Vicarium assumi soleat, alias non. Ratio est, quia accessorium sequitur suum principale. Hæc tamen omnia intelligenda sunt, nisi constet aliquod particulare alicuius Ecclesiæ in totum iuratum, vel per Papam confirmatum, quo caueatur ne quis illegitimus ad beneficia illius Ecclesiæ promoueatur.

88 Dico secundò, Illegitimus etiam cum dispensatione Episcopi, non potest habere vllam beneficium vbi pater est Præfectus; (v. g. Episcopus, Præpositus, Decanus, Parochus) nec etiam vbi Canonicus habetur c. Ad Præsentiam. 2.c.Cùm decorem. 15.c.Ad abolendam. 16.de fil.presbyt. Hoc autem idcirco Canones statuerũt, tum quia alioquin pleraque beneficia ad huiusmodi sobolem industria parentum peruenirent; tum quia fœdum est in eadem Ecclesia parentem & filium nothum residere, totoque mundo exemplum incontinentiæ paternæ, veluti cum præmio & dignitate in prole assiduè ostentari.

Notandum est, Conc. Trid. sess.25. c.15. de reformatio-
89 hisce canonibus aliqui nouum ius adiecisse, Vt illegitimi beneficium habere nequeant, non solùm in Ecclesijs vbi parentes actu obtinent, sed etiam vbi aliquando habuerunt, qualecunque illud sit, siue paruum, siue magnum, Nec possint habere pensiones saper fructibus beneficiorum, quæ parentes obtinent vel aliquando obtinuerunt: nec reciprocæ resignationes in illorum fauorem à parentibus factæ, illis prosint.

Dico Tertiò, Quod ad legitimos presbyterorum filios
90 *Filij legitimi presby.* attinet, hi possunt habere beneficia in Ecclesijs, vbi eorum parentes præsident, non tamen illud ipsum, quod proximè parens habuit. Prima pars habetur cap Ad hæc. 12. de filijs presbyt. Altera verò cap. Ex transmissa. 7. & cap Cõquerente. 4. eodem. Ratio est, *Ne beneficia fiant ferè hæreditaria in transmitti videantur: quam speciem hæreditariæ successionis. Canones semper in beneficijs valdè exosam habuerunt*, vt ait Concil. Tridentin. sessio. 25. capitul. 7. de reformatione.

91 *Si alius interuenit: filius est capax.* Aduerte tamen, Si inter patrem & filium alius intercesserit, cessabitur species illa successionis hæreditariæ abtersa, & ita filius legitimus poterit illud obtinere sine dispensatione capitul. Ex transmissa. 7. de filijs presbyterorum. Adde, patrem posse habere beneficium filij, quia hic non est illa imago hæreditariæ successionis: similiter nepotem beneficium aui; quod intellige, si adhuc pater viuit; secùs autem si pater obierit; tunc enim nepos non poterit aui beneficio frui. Ratio est, quia si pater viuit, nepos non potest succedere auo: vnde cessat imago hæreditariæ successionis. Verùm si mortuus sit pater, nepos tunc succedit auo, vt notat Sylueiter Beneficium, 3.ex Hostiensi.

Beneficium aui.

DVBITATIO XIX.

Quomodo requiratur clericatus seu ordo in singulis beneficijs.

RESPONDEO & dico Primò, Ante omne beneficium requiritur præuius clericatus, seu prima tonsura, ita vt sine hac sis inhabilis; colligitur ex capit. Cùm adeo. 17.de reser. & c. Ex litteris. 6. de transact. eiq. communis sententia. 92 *Clericatus necessarius.*

Vbi Notandum Primò, Primam tonsurã & ordines debere conferri a proprio Episcopo. *Proprius* autem *Episcopus* hoc loco est triplex, originis, domicilij, & beneficij, vt aperiè habetur cap. Cùm nullus 3 de tempor. ordin. in c. Episcopus domicilij dicitur Episcopus loci, vbi quis habet domicilium, Dicitur autem habere *domicilium vbi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, vnde rursus non sit nisi peccaturus; si nihil auocet, vnde cum profectus est, peregrinari videatur; quòd si reuersi à peregrinatione destitut:* vt habetur L. Ciues. 7.C de incolis. Vnde patet, vt quis dicatur habere alicubi domicilium, requiri vt ibidem sedem fixerit, animo perpetuò manendi, nisi quid auocet. Itaque studiosi non habent domicilium in Vniuersitatibus, etiamsi ibi ad 8. vel 10. annos manere statuerint, si retinent animum in patriam redeundi. qui verò alicuius incipiunt habitare animo perpetuò manendi, statim ibidem domicilium contrahunt; nec opus est vt multos annos habitauerint, vt patet ex die adscriptione domicilij. Porro domicilium semel acquisitum, solo animo migrandi nõ amittitur, sed opus est reali migratione, vt aperte colligitur ex l. Domicilium. 20.ff. ad municipalem. vbi dicitur, *Domicilium re & facto transfertur, non nuda contestatione:* sicut enim solo animo non acquiritur, ita nec amittitur. vide Panormitanum in c.vlt. de parœcijs, & Syl. v. Domicilium, num.2. *Primæ tonsuræ. Proprius Episcopus. Episcopus domicilij.*

Episcopus originis est Episcopus loci, cuius quis ratione originis dicitur ciuis, vel originarius. dicitur autem ciuis ratione originis, non vbi fortuitò natus est, si parentes alibi habebant domicilium, sed vbi erat illorum domicilium, vt docet Panorm. in cap Rodulphus. 35. de rescript. & Bart. in l. Filios. 3. C. de municipibus. & aperiè ex eadem l. colligitur, & ex d. l. Ciues. C. de incolis. Iure enim fingitur natus, vbi parentes habent domicilium tempore natiuitatis. Ratio est, quia etsi ad tempus alicuius negotij causa aliò recesserint, tamen censentur ibi semper mansisse, vt patet l. Retro, de captiuis, vbi dicitur, *Retro creditur in ciuitate fuisse, qui ab hostibus manent.* vide Sylueit. v. Ciuitas, q.4. & Panorm. sup. *Episcopus originis.*

Episcopus beneficij est Episcopus loci, vbi quis habet beneficium requirens residentiam: tale enim beneficium constituit domicilium. secùs si non requirat residentiam, vel si cum eo dispensatum, vt non teneatur residere; vt notant Doctores in cap. Quia in tantum, quinto de præbendis. *Episcopus beneficij.*

Ex his patet, quis dicatur proprius Episcopus in tonsura & ordinum collatione. Quod si quis tonsuram ab alieno Episcopo sine litteris dimissorijs, vel dispensatione Pontificis acceperit, non est capax beneficij; vt docet Rebuff. §. Formula dimissoriarum. colligitur ex cap. Illud. 1. & ca. 3. Si quis ausus. d. 71. vbi dicitur, *vt si quis alienum sine consensu proprij Episcopi ordinauerit, irrita sit ordinatio.* intelligo quoad vsum & priuilegium ordinis, seu gradus accepti, quia caret priuilegio & vsu illius.

Sed difficultas est, quid tali sit faciendum, vt capax fiat. 93
Glossa in dicto cap. Illud, putat sufficere vt proprius Episcopus postea ratum habuit, quod etiam tenet Decius & alij in cap. 1. de tempor. ordinatio. in 6. probat Glossa ex ca. 24. Salonitanæ, d. 63. vbi Gregorius I. cùm Episcopus Salonitanus esset ordinatus ipso nesciente, scribit *se id ei ita ex animo relaxare; ac si ipso auctore ordinatus fuisset*, vbi notat Glossa, *Episcopum posse remittere quæ ad ipsum spectant*; quam sententiam puto veram, etsi Rebuffus, §. Formula dimissoriarum, num. 12. & 29. contrarium teneat velitq; necessario opus esse dispensatione Pontificis & litteris, *Probabile est Episcopũ posse habilitare.*

litteris, quæ vocantur *perinde valere*. Nec obstat, quòd ordinatio talis dicatur *irrita*: & quod ab initio est vitiosum, non possit tractu temporis convalescere: item quòd *nemo potest ratum habere, quod suo nomine non est gestum*. dicitur enim *irrita* non quasi nihil sit actum; sed quia suspenditur quoad vsum & priuilegium: quam *suspensionem* Episcopus tollere potest, cum nusquam Summo Pontifici reseruetur. dicitur *habere ratum* talem collationem, quia consentit in illam, volendo illam valere ac si a se facta esset.

94 Fortè quispiam putauerit talem non esse beneficij incapacem: nam Concilium Tridentinum sess. 7. cap 10. de reform. cum ademisset Capitulis potestatem concedendi dimissorias intra primum annum sedis vacantis, subdit: *Capitulum contrauenions, eccles. si sit ita subiaceat interdicto; & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio clericali; præsertim in criminalibus, gaudeant.* vbi nihil illis admittit, nisi priuilegium fori in criminalibus. Sed verius est illum casum esse specialem, nec esse extendendum ad eum, qui ordinatus est ab alieno sede non vacante, aut absque vllis dimissorijs.

Notandum Secundò, Si quis acceperit tonsuram aut or-
95 dines minores in excommunicatione, suspensione, interdicto, non ideo esse incapacem beneficij post absolutionem illius censuræ obtinendi, vt recte docet Nauarrus contra quosdam l. 5. cons. 28. num. 14. pag. 608. quia accipiendo tonsuram vel ordines minores in censura, non incurritur alia censura vel irregularitas, aut inhabilitas, ad beneficia: vnde sublata priore censura, manet omnino habilis per ordinem susceptum. Secus est si quis ordinem sacrum in censura accipiat; quia incurrit suspensionem, cap. Cum illorum. 32. de sententia excommunicationis.

Dico Secundò, Si beneficium ex institutione requirit certum ordinem, qui illo ordine caret, est ea habilis ad illud
96 beneficium. Ita Panorm. & alij in cap. Dudum. 1. de elect. *Beneficium requirens certum ordinem.* talia sunt beneficia illa, quæ ex litteris fundationis debent dari sacerdotibus, vel diaconis. Ratio est, quia fundator potuit fundare cum talem modum apponere, cum ratoni & Canonibus sit conformis.

97 Aduerte tamen, longam consuetudinem potuisse illum *Consuetudo.* rigorem mitigare: sicut enim potest derogare legi, ita etiã dispositioni fundatoris, quæ est instar legis vnde si talia beneficia alicubi consueuerunt dari ijs, qui nondum sunt sacerdotes, puta valere præsertim si intra annum fiant sacerdotes, vel certè subdiaconi; vt absolutus studijs sacerdotiũ capessant: iuxta eam moderationem, quam ius cõcessit Parochis, qui tamen maximè deberent esse sacerdotes, dũ parœciam acceptant. vnde eadem conuenienter applicatur huiusmodi beneficijs. Vide Emmanuelem Sá v. Beneficium, nu. 27. vbi pro eadem sententia citat Nauar.

98 Dico Tertio, In ceteris beneficijs non requiritur certus *Dispositio Conc. Trid.* ordo præuius; sed sufficit prima tonsura, & habilitas ad suscipiendum intra annum ordinem beneficio conuenientẽ: patet ex Clement. Verũ, de ætate, qualitate, & ordine, præfic. excipio tamen Episcopatum, ad quem requiritur saltẽ Subdiaconatus, capit. A multis 9 extr. eodem. Hæc vera sunt iure antiquo. Sed quia Concilium Trident. quædam nouo iure de his disposuit, explicandum breuiter, qui ordines & intra quantum tempus ad singula beneficia requirantur.

Dico Quartò, Adeptus Episcopatum, si munus consecrationis intra tres menses nõ susceperit, ad fructuum per-
99 ceptorum restitutionem tenetur. si eosdem postea menses *Adeptus Episcopatum.* idem neglexerit, Episcopatu ipso iure est priuatus. Ita Tridentinum sess. 23. c. 2. de reformatione.

Dico Quintò, Adeptus Ecclesiam parochialem, tenetur
100 ordinari a sacerdotium intra annum; quòd si intra hoc tẽ- *Adeptus parœciam.* pus promotus non fuerit, ipso iure, nulla etiam monitione præuia, suo beneficio est priuatus. habetur ca. Licet Canon. 14 & cap. Commissa. 35 de electione in 6.

Vbi Notandum Primò. Tẽpus, a quo incipit fluere prædictus annus, este illud, ex quo pacificam possessionem habere cœpit, c. Commissa, supra.

Secundò, Hanc obligationem intelligẽdam cessante iusto impedimento: si enim illo tempore ægrotauit, vel in irregularitatem lapsus dispensationem obtinere nequiuit, vel Episcopus absens fuit; non censebitur priuatus, etiamsi intra tempus annum non fuerit ordinatus; vt colligitur ex cap. Commissa, supra. Ratio est, quia hæc priuatio constituta est in pœnam negligentiæ: pœna autem locum non habet vbi non est culpa. Item dixi, quia est de Ecclesia parochiali: cum enim actu vacat, est onus ipse beneficiarius per se obire debeat; secus vero si solum habeat curam in habitu; id est, si per Vicarium perpetuum vel temporalem sit administrandæ: hæc enim non necessariò requirit primo anno sacerdotium; vt docet Nauarr. libro 3. consil. 4. de præbendis.

Tertiò, Si promotus intra annum non fuerit, mox eo lapso esse priuatum; non vt in conscientia teneatur beneficiũ dimittere: nam in c. Licet Canon, dicitur, *Nulla etiam præmissa monitione sit priuatus.*

Dices, Pœna temporalis non debetur in foro conscientiæ ante sententiam: atqui hæc est pœna temporalis; ergo. 101 *Obiectio.*

Respondeo, Maiorem esse veram quando est pœna proprie dicta, qua quis priuatur re aliqua, quæ omnino & absolute sua erat; secus quãdo pœna se habet vt priuatio rei, quæ nondum absolutè erat sua, sed solum sub certa conditione; tunc enim ea non impleta, tenebitur rem illam restituere: quia solum conditione impleta, absolutè erat futura sua. Sic officia, beneficia, & fructus eorum possunt a legitima potestate sub hac conditione concedi, vt si hoc vel illud factum aut omissum fuerit, teneamur in cõscientia restituere: Ita Nauarr. c. 25. num. 18. Lopez par. 2. Instruct. pag. 668 qui dicit hanc esse communem DD sententiam. *Resp.*

Fortasse melius diceretur illud beneficium fuisse absolutè ipsius, cum fructus eius absolutè suos fecerit, nec teneatur eos restituere conditione non impleta: esse tamen priuatum ipso facto, si promotus non fuerit, quia resolutur contractus seu collatio ex vi conditionis, quæ censetur fuisse apposita a principio, ex Iuris dispositione. potest enim quis rem suam transferre in alium, ita vt absolute fiat ipsius, apposita tamen conditione, vt resolutur contractus, si hæc vel illa cõditio euenerit: vt patet ex c. 21. dub. 14. 15 & hoc credo velle Nauarrum. *Resolutur collatio ex vi conditionis, quæ tacite fuit apposita.*

Quarto Eandem Ecclesiam nõ posse eidem ea vice ita ratõ conferri, cap. Commissa. supra; sequitur ex vltra videretur disponi vt sit priuatus. Vide plura infra dub. 26. 102

Petes Primò, Verùm pœna imposita Episcopis, intra tres vel sex menses non consecratis, eodem modo sit intelligenda?

Respondeo, Probabile est similiter esse intelligendam, quia Concilium eodem modo loquitur. *Ad vrit tamen*, 103 inquit, *fructuum perceptorum teneantur. Ipso iure sint priuati.* Verius tamen videtur, Episcopum in conscientia non esse priuatum titulo ex dilatione confectionis, nisi post sententiam: non enim Concilium addit, *vt nulla præmissa monitione sit priuatus*, aut *vt teneatur deserere Episcopatum*, sed solum ait, *ipso iure sit Episcopus priuatus*; quam formam loquendi ita passim in Iure consuetudo recepta interpretatur & mitigat, vt nemo teneatur officium vel beneficium, quo sic priuatus dicitur, dimittere ante sententiam; nisi alia clausula, quæ hanc benignam interpretationem excludat, apponatur. Satis enim cẽsetur priuatus, si iure illo perfecto, & quasi dominio, quo Episcopatum antea obtinebat priuatus sit, retenta tamen eiusdem possessione; vt supra c. 29. dub. 8. ostensum est. *Non tenetur statim dimittere ante sententiam.*

Petes Secundò, Verùm Episcopus non possit dispensare vt Parochus, differat sacerdotium vltra annum? 104

Respondeo posse, idque ob vnicam causam studiorum, & quidem ad septennium; modò tamen intra annum, quo debebat fieri Sacerdos ordinetur subdiaconus, scilicet ne a statu ecclesiastico possit resilire. quòd si intra annum nõ fuerit factus subdiaconus, ipso facto est priuatus Ecclesia. similiter si expleto septennio studiorum non fuerit intra annum factus Sacerdos. Ita habemus cap. Cum ex eo, de electione in sexto. vbi Nota, hanc facultatem dispensandi videri Episcopis adempta n per Concil. Trident. sess. 22. capitul. 4. de reformat. vbi sic dicitur, *Nec aliis in posterum fiat prouisio, nisi iis, qui iam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit prouisio.* vnde videtur requirere præsentem eruditionem. Sed contrarium est probabile: ita tenent Nauarrus & Lopez supra, & quidam alij; quia quod ad scientiam attinet, non videtur velle inducere correctionem Iuris antiqui; (alioquia id clarius explicare debuisset) sed solum renouare id, quod Iure antiquo erat decretum. addita clausula irritante, in qua tacitè subintelligi potest exceptio iure antiquo concessa, nempè *Episcopus potest Parocho concedere 7. annos studiorum.*

nempè *Nisi Episcopus causa studiorum dispensauerit.* Itaq; nó est cur dicamus illis hanc potestatem adempram.

Dico Sextó Qui Dignitates, Personatus, Officia, Præbẽdas, Portiones acquælibet alia beneficia in ecclesijs cathedralibus vel collegiatis vel regularibus obtinent, quibus varia onera sunt annexa, (v.g. vt alij Missas, alij Euangelũ, alij Epistolam dicant) tenentur intra annum, iusto impedimento cessante, ordines suo officio conuenientes suscipere. Ita Conc. Trident. sess. 22. c. 4.

105

Qui negligunt ordinẽ suscipere.

Vbi Notandum Primò, Qui negligunt ordinem debito intra annũ suscipere, non ideo priuati sunt ipso beneficijs alia tamẽ incommoda incurrunt. Primò, Amittunt vocem in Capitulo non Chori, sed etiam actiuam. vnde electiones per tales factæ possunt irritari. Secundo, Potest & debet illis subtrahi dimidia pars distributionum chorialium. Tertio, Peccant mortaliter vbi Concilium est receptum; quia violant præceptum Ecclesiæ, vt patet ex verbo, *Teneantur*, idque in re graui, ad quam etiam iure naturæ obligantur, supposito tali beneficio; quia sine tali ordine non possunt præstare id, ad quod ex officio obligantur. per alios autẽ non possunt sine dispẽsatione, quia sunt onera personalia. Vnde patet non esse paruam abusum, quód passim altaria & capellaniæ dentur pueris vel alijs, qui non sunt Sacerdotes: neque enim hoc ius cum suis pœnis est nouum; nam idem constitutum fuit in Concil. Viennensi, vt patet Clement. Vt ij, de ætate & qualitate ordinandorum, & Concilium Tridentinus huius Concilij decretum innouat.

106

Prebenda Eccles. Cathedralis.

Notandum Secundo, in Ecclesijs cathedralibus omnes Canonicatus habere annexum ordinem sacrum presbyteratus, diaconatus, vel subdiaconatus, vt statuit Cõc. Trid. sess. 24. c. 12. de refor. Permittitur tamen Episcopis cum Capituli consilio, vt deligant quibus canonicatibus quis ordo annexus esse debeat; ita tamen vt saltem dimidia pars sint presbyteri. ex quo sequi videtur, omnes tales Canonicos, etiamsi eorum Canonicatus ex primæua institutione sacrum ordinem annexum non haberent; tamen vbi Concilium seruatur, teneri sub peccato mortali & priuatione vocis in Capitulo, intra annum ad ordinem sacrum, saltẽ sub diaconatus promoueri; quamuis forte ex negligentia Episcopi non esset facta distributio & designatio, quæ præbẽdæ quem ordinem habere debeant: nàm ipsum Cõcilium sua authoritate annectit omnibus ordinem sacrum in genere; etsi velit ab Episcopo, cum consilio Capituli designari in particulari, quis cui connecti debeat.

Notãdum Tertiò, Eos, qui post monitionem ordines debitos sumere recusant, ab Ordinario priuari debere suis beneficijs, vt Congregatio Cardinalium respondit.

His adde, Quando ius aut statutum requirit aliquẽ gradum in eo, qui eligendus, vel præficiendus est, sufficere, vt tempore electionis sit habilis ad eum statum comparandum; vt si dicatur non esse conferendum nisi Doctori vel Licentiato, qui enim tam proximè habilis est ad aliquid, ita vt possit illud statum obtinere, perinde censetur, ac si iã obtineret. Confir. Primò, Quia sacerdotium magis requiritur ad beneficium parochiale, & capellaniam, quàm gradus ad Episcopatum, Archidiaconatum, vel præbendam Theologalem; cum illud sit necessarium essentialiter ad illorum beneficiorum functionem. atqui iura explicant satis esse ad acceptandam Parochiam vt intrà annum possis fieri Sacerdos. Idem supra dictum de capellania: nec requiritur vt actu sis Sacerdos tempore collationis. ergo, &c. Confir. Secundò, quia gradus non faciunt aptum functioni beneficij, sed solum sunt testimonium publicum aptitudinis, atqui perinde est siue iam actu testimonium habeas siue mox habere possis. Denique non est credibile conditores talium iurium & statutorum ita voluisse inhærere illi conditioni, vt eum qui actu eam non habet, velint censeri inhabilem: quia id nõ solum videtur a ratione alienum, sed etiam bono Ecclesiæ noxium. Nam sæpè multi carentes gradu doctiores & aptiores sunt gradu insignitis; qui omnes excluderentur, eò quòd actu gradum non habeant; cum tam facilè possint illum capessere. idem praxis quotidiana declarat, cùm plurimi, facta electione, gradum suscipiant.

DVBITATIO XX.

Quænam ætas ad singula beneficia sit necessaria.

RESPONDEO, & dico Primò, Ad Episcopatum requiritur ætas 30. annorum exactorum, hoc iure. Cum in cunctis. 7. de elect. ex Concilio Lateranen. sub Alex. III. 107

Dico Secundò, Ad dignitatem ecclesiasticam inferiorẽ Episcopatu, habẽtem tamen curam animarum requiritur ætas 25. annorum saltem inchoatorum. hoc iure expressè dicit. Cum in cunctis. §. Inferiores. & in Concilio Trid. sess. 24. c. 12. vbi etiam id cap. dispositi præsumitur. Vnde patet, ad Abbatias, ad Prioratus conuentuales, ad Decanatus, ad Præposituras, ad Archidiaconatus & similes dignitates, quibus cura animarum connexa, requiri & sufficere ex rigore Iuris annos 25. inchoatos.

Abbatia, Prioratus, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Officium Abbatissæ.

Aduerte tamen, hic non esse sermonem de officio Abbatissæ, Priorissæ, vel Præfectæ Monialium: quia hæc non sunt beneficia ecclesiastica de quibus hic agimus; sed officia quædam cum iurisdictione. Cõcilium Trident. sess. 25. cap. 7. de Regularibus in omnibus humanorũ Præfecturis requirit vt præficienda non sit minor 40. annis. & vt octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. & si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi posse. Si hoc incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex eis, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & octo quæque talem annis post professionem recte vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligendam.

Dico Tertiò, Ad alias Dignitates vel Personatus, quibus non subest cura animarum, requiritur vt quis non sit minor annis 22. Ita Concilium Trid. sess. 24. c. 12. 108

Vbi Notandum Primò, Illa formula, *Vt sit minor* 22. annis, insinuari annos 22. debere esse completos: qui enim nondum compleuit, est eis minor ætate. Secundò, Episcopum olim potuisse dispensare, vt hæ dignitates, quibus animarum cura non incumbit, conferantur anno 20. completo, vt habetur cap. Permittimus, de ætate & qualitate præficiendorum, in 6. Quòd Sylvester v. Beneficium, 3. num 3. sub finem ex Paludano intelligit etiam de Archidiaconatu, quia non habet curam animarum in foro interiori, vt oporteat esse Sacerdotem. Verum post Concilium, certum est non posse dispensare pro anno 20. quia apertè inducit nouum ius, requirens vt minimum 22. annos expletos. Addo Archidiaconatum videri computandum inter Dignitates, quibus animarum cura connexa est; nam caput Cum in cunctis §. Inferiora, aperte numeratur inter illas cum Decanatu: & requirũ tur 25. anni. Item insinuat Concilium Trid. supra: vnde tenentia Sylvestri & Paludani non videtur vera.

Archidiaconatus.

Dico Quartò, Ad beneficium parochiale requiruntur 25. anni inchoati. cap. Licet Canon, de electio. in 6. Nec Episcopus in hoc dispensare potest: vt colligitur ex ca. Permittimus, de ætate & qualitate præficiendorum, in 6.

Dico Quintò, Ad alia beneficia, qualiacumque ea sint, requiritur vt minimum ætas 14. annorum inchoatorum. Ita statuit Concil. Tridentinum sess. 23. c. 6. *Nemo ante* 14. *annum beneficium possit obtinere.* Itaque etiamsi olim poterant quædam beneficia post annum a tatis septimum pueris dari; vt docet Sylvester v. Ætas §. 2. nunc tamen non possunt, sed irrita est collatio. 109

14. annis in cæteris.

Aduerte tamen, Canonicatus & similia, quæ maturitatem consilij requirunt, numquam pueris dari potuisse sine dispensatione, vt ibidem Sylvester. Immo Caietanus v. Beneficium. dicit esse intolerabile vt pueris ecclesiastica beneficia dentur. Potest tamen Pontifex circa filios Principum & quandocumque iudicat Ecclesiæ expedire, dispensare. Dixi *Vt minimum*, quia ætas hæc 14 annorum etsi per se sufficiat, tamen ratione ordinis & habilitatis ad ordines, quam Concilium Trident. requirit, sæpè exigitur maior ætas, vt patet ex dictis. Vnde sequitur, cum, qui accipit beneficium, quod requirit subdiaconatum, (vt sunt omnes Canonicatus Ecclesiæ cathedralis) debere inchoasse annum 21. nam debet esse habilis vt intra annũ fiat subdiaconus; subdiaconus autem fieri nequit ante 22 inchoatum. Quòd si beneficium requirat diaconatum, debebit saltem inchoasse annum 23. vt in principio anni sequentis possit 110

Canonicatus non dantur pueris.

Ætas in beneficijs ordinem requirentibus.

posſit fieri diaconus. Si sacerdotium, debebit inchoatte annum 24. alioquin irrita erit collatio, vt colligitur tess. 22. c.4 & tess 24. cap. 12.

Excusatio. In his tamen & similibus iure nouo inductis, multi poterunt excusari, vel quia ius illud non est receptũ vel quia bona fide per triennium fuerunt in possessione absq; simonia & intrusione: eaque possessi pars velut vsucapionem, & dominium, iuxta Nauarrum l.3. consil.42. de prębendis, de quo dictum supra, c.6. dubit.10.

DVBITATIO XXI.

Quomodo requiratur cælibatus ad beneficium.

111 *Beneficij collatio in coniugatum irrita.*

RESPONDEO, & dico Primò, Omnis collatio beneficij facta ei, qui matrimonio est iunctus, irrita est colligitur hoc ex c.1.2. & 8. de Clericis coniugatis, & ex Cõcil. Trident. sess.22 c.4. Aduerte tamen; eum, qui duxit virginem, si consentiente vxore castitatem voueret, posse ad beneficium admitti, vt habetur c.2. de Cleric. coniug. tunc tamen si vxor esset iuuenis, deberet ante Religionem ingredi; si prouectior; deberet saltem vouere castitatem in sæculo, vt notat Glossa ibid ex c. Cum sis. 4. & cap Ad Apostolicam 13 de conuersione coniugat.

112 *Clericus minorum ordinum.* Dico Secundo, Si Clericus minorum ordinum, habens beneficium, contrahat matrimonium, ipso iure illud amittit. Ita communiter DD. in c.1. de Clericis coniugatis; & docet Nauarrus c.25 num.120. Ratio est, quia suscepta illatum incompatibilem, imò sub hac conditione tacita censetur ei collatum.

Obiectio. Dices. Capite illo primo solum dicitur *esse compellendos vt beneficia relinquant.* & capit.3. *debere beneficia seruari*, & infra, *esse beneficijs priuandos.* Item dicitur ca.1. Respondet Glossa Canones illos loqui non de priuatione iuris, sed facti seu possessionis. Nec obstat quod capit. 5. dicitur, coniugatum nõ posse ponari beneficio per eum, qui illud ipsi contulit; sed solum per Superiorem; quia loquuntur de coniugato, cui Episcopus in coniugio existenti contulit, quem iubet priuari, non per Episcopum, (vt consulat eius honori, ne ille proprium factum rescindere cogatur) sed per Superiorem.

113 *Si matrimonium sit inualidè contractum.* Petes Primo, Quid si Clericus minorum ordinum contraxerit matrimonium inualidè, ob aliquod impedimentũ vacabitne beneficium? Panormit. putat vacare, modo non defuerit consensus: hunc sequuntur multi alij DD.

Verius tamen puto cõtrarium; quia Canones apertè loquuntur de matrimonio valido, vt patet c.1.3. 5. quia fundant se in eo, quòd non possit vxori & voluptatibus carnis dare operam, & diuinis obsequijs vacare; quę ratio cessat, si matrimonium sit irritum: idem sentiunt multi docti viri in hac Vniuersitate a me consulti. Confirm. Si enim vacaret, vel id esset in pœnam delicti; vel ob tacitam renuntiationem; vel quia capessit illatum incompossibilem. Non primum, tum quia absque culpa potuit contrahere, tum quia pœna non debetur ante sententiam. Non secundum, quia etiamsi expressè renunciasset, non vacaret; requiritur enim renuntiationis acceptatio facta per Superiorem. atqui tacitum non plus operatur quàm expressum. Non tertium, quia re vera non assumpsit illatum repugnantem. cũ actus sit inualidus. Confirmatur. Secundò ex regul. 2. de regulis, *Non prestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.*

Si vxor ingrediatur Relig. Petes Secundò, Quid si vxor ante consummationem ingrediatur Religionem?

Respondeo DD. plerique existimant beneficium nihilominus vacare, ita vt retinere non possit, adq; ex d.c.1. probant. Contrarium tamen alicui verius videri possit ob rationẽ allatam; tunc enim cessat ratio cur debeat relinquere: vnde nisi per Iudicem priuetur, non tenetur in conscẽtia. & confirmatur, quia id magis consentaneum verbis illius Canonis & sequentium, si recte ponderentur. Nihilominus non recederem facile a sententia communi DD. quæ in huiusmodi vim magnam obtinet.

114 *Sponsalia.* Dico Tertio, Si contrahat solum sponsalia, non amittit ipso iure; quamuis mereatur priuari. est communis DD. Primum patet; tum quia sponsalia solui possunt; tum quia iura nihil de hoc statuerunt. Secundum patet; tum quia non potest retinere beneficium, si velit promissioni sponsalium satisfacere; tum quia dedecorat statum Ecclesiasticum contrahendo sponsalia retento beneficio.

115 *Clericus sacrorum ordinum.* Dico Quartò, Si Clericus sacrorum ordinum cõtrahat matrimonium, non amittit ipso facto beneficium, sed est priuandus. colligitur ex dicto c.1. & ita docet ibidẽ Glossa communiter recepta. Ratio est, quia matrimonium est irritum, & compellendus est manere in ordine suscepto, vnde non conueniebat vt ipso facto esset priuatus, ne fortè cogeretur mendicare.

Prebenda Laicorum. Notandum est, hæc esse intelligenda de beneficio proprie dicto, quod competit alicui ratione spiritualis tituli: nam præbendas quasdam temporales ratione paupertatis, vel temporalis administrationis, laici coniugati habere possunt, quales dicuntur esse in Ecclesia Carnotensi S. Martini; vt refert Syluester, Beneficium, 3.q.4.

DVBITATIO XXII.

Vtrùm requiratur Vt non sit vlla censura irretitus, aut alia inhabilitate affectus.

116 *Excommunicatus.* RESPONDEO & dico Primò, Hoc adeò requiri, vt collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione maiore, aut suspenso, aut interdicto, sit nulla, iuxta communem DD. sententiam. De *excommunicato*, habetur cap. Postulastis 7. de Clerico excommunicato. De *suspenso* probant ex cap. Cum dilectus. 8. de consuetudine, c. Cum inter 8. seniorem 16. de elect & cap. Cum bonæ. 8. de ætate & qualit. De *interdicto*, colligunt ex cap. 1. de postulatione Prælatorum; quamuis ibi non dicatur inhabilis, qui est interdictus, sed qui interdictum violauit. videtur tamen contonum Canonibus, vt etiam ij, qui sua culpa interdictũ personale incurrerunt, inhabiles sint: cum qui nõ possunt præstare officium publicè, vt in Ecclesia fieri solet, par est vt non sint capaces beneficiorum; vt colligitur ex Canonibus citat. D. xi *Excommunicato excommunicatione maiore*; quia si minore tantum erat excommunicatus, collatio non est ipso facto irrita, sed irritanda: vt patet ex cap. Si celebrat. 10. de Clerico excommunicato quamuis Glossa & multi alij illud *irritanda* exponant *irritandi toleranda.* sed in pœnis mitior interpretatio facienda: & odia restringenda, vt habet regula Iuris. vnde hæc sententia videtur verior.

Excommunicatus sic inhabilis ad beneficium. Notandum Primò, Non solum *collationem*: sed etiam *electionem, præsentationem* & *confirmationem*, excommunicati, suspensi, & interdicti, & religationem in eius fauorem esse irritam; vt colligunt ex ijsdem locis, & alijs multis: & docent communiter DD. Rebuffus, § Formula dimissoriarum, nu.24. Couar. in c. Almaricus. p.§.7. nu.1. & 2. Glossa in cap. Postquam. 3. de elect. & alij.

Inhabilis. Notandum Secundò, Hæc esse intelligenda in omnibus beneficijs, quæ potestate humana cõferuntur, etiam in Episcopatu; quia Canones generatim de beneficijs loquuntur, nec vllus DD. aliquam exceptionem facit: & merito; quia qui minorum capax non est, quomodo maiorum capax erit? Dico, quæ *potestate humana conferuntur*, vt excludam Papatum, qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo Domino confertur ei, qui secundum formam in Ecclesia receptam à Cardinalibus electus fuerit; etiam si ille excommunicatus, suspensus, aut irregularis sit; vt colligunt ex cap. Licet vbi dicitur, *Ille absque vlla exceptione ab vniuersis Ecclesijs pro Romano Pontifice habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuerit & receptus.* vnde aperte sequitur, non obesse illi vllam censuram priorem, neque suam, neque eligentium. Idem de eligentibus statuitur Clemen. Ne Romani, §. Cæterum. quia statuendi fuit vt vitentur occasiones schismatum, quæ maximè sunt Ecclesiæ perniciosa; cessat autem illo casu excommunicatio per seipsam; quia electus in illam dignitatem non potest amplius lege excommunicationis, vt potè a pari constituta, constringi.

Probabilis sententia. Notandum Tertiò supradicta procedere iuxta communiorem DD. sententiam. Nihilominus satis est probabile, etsi suspensio siue ab officio, siue à beneficio faciat hominẽ inhabilem collatione noui beneficij. & Canones velint eum priuari, & hac ratione possit dici inhabilis; non tamen

Papatus.

tamen ita esse inhabilem, vt collatio sit ipso iure irrita, & ille teneatur beneficium, etiam post ablatam suspensionem, sponte dimittere. Ita enim ex Canonibus non satis potest probari. Solum enim ex illis colligitur collationem esse irritandam, ipsumque esse priuandum, vt patet singulos expendenti: quæ formulæ loquendi indicant requiri sententiam iudicis. Vnde in re tam dura & difficili, non videntur extendendæ ad priuationem latæ sententiæ, & inhabilitatem soluntari. Quam sententiam veriorem esse docet dominus Suarez tomo de censuris, partim disp. 26. sect. 3. num. 7. partim disput. 27. sect. 1. num. 25. Nec obstat cap. Cum bonæ de ætate & qualit. quod maxime videtur urgere: vbi de quibusdam suspensis Clericis dicitur, quod non licet eis beneficium in suspensione obtentū aliquatenus retinere. Facilis est responsio. Non enim ibi tam ponderat Pōtifex quòd absolute in suspensione beneficiū obtinuisset, quàm quòd in tali suspensione, nempe triennali, in qua per triennium contumaces perstiterant; quod indicant verba illa extrema: *Vnde Archiepiscopo dedimus in mandatis, vt eos pro tanta pertinacia & contemptu Apostolico, beneficijs quæ habent, non differat spoliare.* Quod confirmatur: quia non solum de beneficijs in suspensione obtentis dicit Pontifex eos non posse illa retinere, sed idem omnino dicit de illis, quæ ipsi ante suspensionem habebant. at certum videtur quod non teneantur hæc sponte dimittere. Tantum ergo dicere voluit hoc esse turpe & scandalosum, si post tantam contumaciam permitterentur suis beneficijs frui, ac proinde a Superiore priuandos. Addo credibile esse tanto tempore abstinendo officio ordinum functos, ac proinde factos irregulares, & hac ratione ad nova beneficia factos inhabiles.

Quod dicimus de suspensione, idem videtur probabile de interdicto: quia a Canonibus hic minus præfidij. Nam cap. 1. de postulat. prælat. quo maximè nituntur, loquitur expresse de violante interdictum, non de eo qui solum incurrit, vt suprà insinuatum. Quia tamē cui prohibita est functio aliqua, ei quoque prohibita censetur susceptio eius quod ordinatur ad illam functionē: adeò omnis collatio beneficij suspensis & interdictis facta, meritò est irrita, nulla, & ipso iure nulla, vt colligitur ex cap. fin. de Cleric. excommunicante. Cum enim non sint habiles ad officij functionem, non debent admitti ad beneficia, quæ propter officij functionem dantur.

117 *Si ignoret se excommunicatum.*

Petes Primo, Quid si prouisus ignoret se excommunicatum ignorantia probabili, eritne tūc electio & collatio beneficij irrita? Navarrus in cap. Fratres, de pœnit. dist. 5. num. 45. absque hæsitatione docet validam esse: pro qua sententia citat Glossam secundam in cap. Apostolicæ. de Clerico excommunicato ministrante; Felinum, & Cardinalem. Idem potiori ratione dici potest de suspenso & interdicto. Hæc sententia probabilis est.

Contrariam tamē puto veriorem cum Glossa communi, Abbate & alijs in dictum cap. Apostolicæ; & ita seruatur in praxi: nam Papa ad cautelam solet absoluere a censuris, dum alicui de beneficio prouidet; scilicet ad effectū dumtaxat præsentis collationis consequendum. Ratio est, quia etsi ignorantia excommunicationis valeat ad non incurrendam irregularitatem & alias pœnas, ijs, qui aliquid prohibitum in eo statu fecerint, statutas, non tamen ad habilitandum hominem ad ea, ad quæ per illam est inhabilis; vide Conarru. in cap. Alma mater. p. 1. §. 7. num. 3.

118 *Acceptatio in excommunicat. est valida, si eo tempore absoluat.*

Petes Secundò, Quid si alicui facta sit collatio ante excommunicationem, qui postea in excommunicatione acceptet, eritne valida acceptatio?

Respondeo, Communior sententia DD. est, illam acceptationem in excommunicatione factam valere: quam refert Conarr. l. 3. variarum cap. 16. nu. 4 & in cap. Alma, suprà num. 4 eique fauet praxis, vt ibidem ait. Ratio est, quia iam ante excommunicationem censetur illi ius quæsitum per collationem: acceptatio enim, seu cōsensus non tribuit nouum ius, cum fiat priuata auctoritate: sed solū declarat consensum beneficiarij cupientis collatū sibi ius retinere. Sed hæc ratio non videtur firma: quia etsi per talem collationem acquirat ius ad rem, non tamen in re, nec facti illud suū; ad hoc enim requiritur acceptatio, vt oftendam cap. 18. dub. 6. de promissione & donatione. & apertè colligitur ex cap. Si tibi absenti. 17. de præbendis, in 6. Itaque cum illo tēpore sit incapax noui iuris acquirendi, nō videtur acceptatio pro illo tempore esse valida, sed pro tē pore, quo desinit esse excommunicatus: tūc n. acceptatio prior, quæ ad huc censetur manere, cùm non sit reuocata, habebit effectum, nec opus erit noua acceptatione. Ita Conar. sup. fateor tamen contrarium esse probabile, præsertim cùm ei etiam consonet praxis; vt dictum est; nam vltra hæc potima moderari potest.

119 *Si electio, præsent. vel collatio facta sit excommunic. & post absol. accipiatur.*

Petes Tertiò, Vtrùm e contrario, si is, qui in excommunicatione est electus aut præsentatus, fiat capax per ablutionem, priusquam acceptet electionem vel præsentationem, acceptari possit validè? similiter si collatio facta sit existente in excommunicatione; vtrùm valida sit acceptatio facta post absolutionem? Multi DD. putant huiusmodi acceptationē validam esse, imò etiamsi acceptaueris electionem, præsentationem, collationem, aut institutionem cum impedimento excommunicationis vel irregularitatis, nihilominus sublato eo impedimento per dispensationem vel absolutionem, illum actum conualescere, & ius tribuere in foro conscientiæ, ita vt noua electione, præsentatione, aut collatione opus non sit. Ita docent Speculator, Innoc. Hostiensis, Ioannes And. Butrio, Anchar. Sepia Calderinus, Milis, Felinus, Navarrus, & Borgasius: quos refert Sanchius l. 8. de dispensationibus disp. 7. nu. 2. eorumque sententiā dicit probabilem ac tutam cū his limitationibus. Primò, Vt impedimentum sit occultum. alioquin actus nullum haberet colorem, sed esset planè irritus in foro externo. Secundò, Vt id in nullius cedat præiudicium. Si n. duo electi essent, præferendus esset qui caret impedimento; quia hic solus absolutè ius habet. Tertiò, Vt si sciens suum impedimentum, acceptaret collationem beneficij, non solùm impetret dispensationem illius impedimenti prioris, sed etiam illius quod incurrit per talem acceptationē. ita n. acceptando beneficij collationem incurrit vitium intrusionis, per quod fit inhabilis ad idem beneficium (etsi non ad alia, vt infrà dicetur) vnde etiam eget dispensatione huius impedimēti; qua obtenta poterit beneficium retinere. Quæ sententia sic probari potest. Nam electio illa fuit valida & efficax ex parte eligentium, vt supponitur, (idem dicendum de præsentatione & collatione) sed solùm requiritur capacitas in electo, ergo simulatq; fuerit capax factus sublato impedimento, ex vi prioris actus ius acquiret; sicut cùm quis acceptat in excommunicatione collationem sibi factam ante excommunicationē. sublato illo impedimento ius acquirit absolutum ex vi illius acceptationis, vt antè dictum est. Deinde, quia electores in priore voluntate manere censentur, cùm illam nō reuocarint; ergo vis electionis manet; ac proinde poterit eam sublato impedimento validè acceptare. Denique is, cuius professio fuit irrita ob aliquod impedimentum, vt ob defectum ætatis, vel quia nondum completus annus probationis, sublato impedimento potest manere in religione, & ratificare suam professionem absque noua admissione Prælati, vt inf. c. 41. dub. 7. nu. 64. dicetur. ergo similiter in nostro casu sufficit, vt impedimento sublato acceptet apud se electionem vel collationem præteritam. Eandem sententiam tenet Henriquez de excom. cap. 13.

Verius est nō esse validā.

Sed contrarium est probabilis, & tenet Nau. c. 17. num. 194. Panorm. ca. Innotuit. num. 11. de elect. & alij passim. Probatur Primò, quia canones facti absolutè irritam reddunt electionem habentis tale impedimētum, nec meminerunt acceptationis. Deinde, electus, præsentatus, vel prouisus in excommunicatione, vel alio impedimento, facile possent differre acceptationē, & interim curare se absolui; & ita nihil illis illud impedimentum obesset: quod videtur contra mentem Canonum. Tertiò, quando contractus vel consensus alicuius est irritus ob impedimentum occultū alterius partis, non satis est tolli illud impedimentum, sed opus est secundùm veriorem sententiam nouo cōsensu alterius: vt patet in cōtractu matrimonij. ergo similiter hic opus est nouo consensu electorum, quo cōfirment priorē actum, aut velint in eo peritare. Quòd si impedimentum eis fuerit notum, non opus est nouo consensu, sed sufficit eos sublato impedimento in priore consensu perseuerare. vt docet Panorm. in d. cap. Innotuit. 30. nu. 11. de elec. Ex his vtcumque soluas rationes sententiæ diuersæ. Ad Primum dici potest, id habere locum quando electores sciūt impedimentum (quando enim crimen illorum est occultum, non sunt omnino priuati iure eligendi ante sententiam,

tiam,vt multi probabiliter docent)secus quandonesciũt. tunc enim error censetur causa consensus, qui proinde illum reddit inualidum ex parte eligentium. Neque est simile quod adfertur de acceptatione electionis factæ ante impedimentum.

Ad Secundum patet ex dictis. Ad Tertium, dicendum inf.c.41.dub.7.num.64.

Præter censuras propriè dictas sunt alia quędam impedimenta acquirendi beneficij,vt Irregularitas, inhabilitas proueniens ex eo,quòd quis sit filius hęretici, vel quòd ad preces hæretici obtinuerit beneficium;vel quòd in beneficio commiserit simoniam,vel quod sit intrusus. Non enim omnis inhabilitas ad beneficia est propriè censura,vel etiã irregularitas,sed sunt quædam inhabilitates ab illis distinctæ,vt patebit ex dicendis.

120 *Irregularis.* Dico igitur Secundò, Etiam requiritur vt non sit irregularis;alioquin collatio erit nulla. Est communis sententia, quam tenet & probat Nau.c.27.num.251.& Panorm.in c. Tanta.18.de excessib.Prælatorum. Ratio est,quia inhabilis ad vnum,est inhabilis ad ei annexum: at irregularis est inhabilis ad ordines, & eorum vsum : ergo etiam ad beneficium ordini annexum. Deinde irregularis in Iure dicitur egere dispensatione,etiam ad beneficium simplex, vt patet can. Studeat d. 50. & c. fecund. de Clerico pugnante in duello. Confir.quia collator nõ intendit conferre,nisi secundum Canones;ergo cum subest irregularitas deest ei intentio conferendi,ac proinde collatio est irrita: sicut impetratio gratię est irrita,quãdo celatur illud quod impediret concessionem.

Dices has rationes non conuincere. Nã irregularis non est inhabilis ad recipiendum priuatum officium diuinum: at multa beneficia nõ requirunt amplius, vel si quid amplius oneris habeant(v.g ad quot sacra)id potest præstari per alium. ergo saltem talium beneficiorum non erit incapax. Deinde etsi irregularis sit inhabilis ad ordines,non tamen collatio ordinum ipsi facta est irrita; ergo similiter etsi dicatur inhabilis ad beneficium,collatio beneficij non erit irrita. Vt enim dicatur quis inhabilis, sufficit vt habeat tale impedimentum, cum quo non possit sine peccato obtinere. Nec refert quòd illis Canon dicatur egere dispensatione; tum quia ibi agitur de clerico homicida (homicidium autem peculari ratione impedit collationem & retentionem beneficij,non solum ob irregularitatem, sed quia Canones iubent illum priuari,vt patet c.1.de homic.in 6.): tũ quia sine dispensatione nullus irregularis potest licite beneficium obtinere aut retinere. Nec obstat quòd Canones vetent talibus dari beneficia,quia inde tantum sequitur id esse illicitum,non autem esse irritum. Imò non est censenda irrita collatio ex vi alicuius prohibitionis,nisi expressè addatur,vt si contra factum sit,censeatur irritum & inane, vt expressè habetur capit.Si Iohannes.6.de præbendis, libro 6. Atqui nullus est Canon,qui habeat clausulam irritantem: ergo. Denique non vrget confirmatio. quia error,qui non est circa causam principalem donationis vel contractus, non reddit illum irritum, vt ostensum est capit.17.dubit. 5. Itaque non desunt graues DD. qui docent hanc collationem non esse irritam, sed irritandam a Superiore. Ita expressè Innoc.in capit.Cum nostris,de concess.præbendæ: vbi dicit, *Qui a homicida & alij irregulares sine dispensatione iuste tenent dignitates suas, quousque regnant, vel deponantur,etiamsi tales essent tempore collationis vel electionis*. Et Pet.de Anchar.in reg peccati ven.in 1.opp 1ib 6. *Illud autem certum est,quod si homicida promoueatur ad beneficium, recipit istudum*. Quod confirmat ex Innocent. suprà. Idem docet Felinus in c.p.Inquisitionis,num.6.7.8. de accusat. vbi præter prædictos citat pro hac sententia Rotæ decisiones & Calderinum. Eamdem sententiam expresse docet Glossa Raymundi,& Syluester v.Excommunicatio.4.numero quarto, illam Glossam adducens. Sequuntur aliqui recentiores, & quidam expressè dicunt in rigore iuris hãc sententiam esse probabilem Et iuxta illam peccaret quidem irregularis beneficium acceptando vel retinendo,solum tamen egeret dispensatione irregularitatis ad illud licitè retinendum.

Nihilominus in praxi sentio adhærendum nostræ assertioni tamquam securiori,etsi rationes suprадictę illius nõ omnino conuincant. Primò,quia est communis;a qua nõ facile recedendum in praxi. Secũdò, quia videtur omnino consentanea praxi & stylo curiæ Romanæ: stylus autẽ seu consuetudo curiæ in iudicijs,ius facit. Tertio,quia Canones facile ita possunt intelligi, & plerique DD. ita eos intellexerunt. Non enim antiquiora illa iura ita distinctè & diserte omnia exprimunt; sed satis est vt dicant,talem non posse beneficium obtinere. Ex communi autem sententia Doctorum, facile nascitur consuetudo, quæ instar iuris habeat. *Irregularis secũdum quid.*

Notandum tamen Primò,Eum, qui sacro ordine diaconatus vel subdiaconatus est initiatus, posse fieri irregularẽ ad suscipiendum sacerdotium;ita tamen vt non sit irregularis ad functionem ordinis suscepti, v.g. ad canendum Euangelium vel Epistolam : & Sacerdotem amissis aliquot digitis fieri posse inhabilem ad celebrandum; ita tamen vt maneat idoneus ad audiendas confessiones;quo euentu poterit ei conferri beneficium, quod non requirit aliud ministerium, quàm illud, ad quod ille aptus remansit, vt rectè Nauar.sup. *Reualidatio tituli.*

Notandum Secundò, Quando titulus inualidè collatus fuit ob censuram, irregularitatem vel inhabilitatem, quæ per Episcopum tolli poterat. Episcopum,sublata illa inhabilitate,non posse titulum reualidare, si prima collatio ad Pontificem pertinebat : hæc enim reualidatio fieri debet per eum,cuius est beneficium primò conferre. Si tamen iusta causa subsit, vt si esset vir benè meritus, & pro ratione sui status indigens, & cui sine scandalo vix liceret beneficium deferre,quique ob paupertatem non posset commodè Romam confugere, posset Episcopus ei titulum reualidare ex tacito quodam S. Sanctitatis consensu, vt multi recentiores tenent, teste Henriquez cap.14.de excommunic. Idẽ dicendum putant aliqui & potiori ratione, si iusta causa subsit,& collatio ad alium pertineat, apud quem ille infamaretur si se aperiret;id enim suadere æquitatem, (præsertim cum prior quantum in se est, suam collationem iam antè in illum fecerit)& meritò posse præsumi hanc esse S. Sanctitatis mentem . quæ in hoc casu titulum reualidare potest quare si ille non potest Romam confugere, concedi Episcopo, sicut in casu priore .

121 *Hæretici & filij eorum.* Dico Tertiò, Omnes hæretici, credentes, receptatores, defensores, & fautores, iplorumque filij & nepotes per lineam masculam, sunt inhabiles ad omne beneficium ecclesiasticum & officium publicum: item qui ad preces talium ecclesiasticum beneficium scientes obtinuerunt, sunt inhabiles ad illud & ad alia omnia . Prior pars habetur capit. Quicumque,secundo,§.Hęretici,& capit.Statutum.15.de hæreticis,in 6.Altera habetur dict cap. Quicumque.§.Ad hæc; eodem . *Quorum hæreticorum filij.*

Notandum Primò, Quod hic de filijs & nepotibus hæreticorum,credentium,fautorũ,&c.dicitur,esse intelligendum de filijs eorum,quos tales adhuc esse, vel in tali statu decessisse cõstat;non autem eorum,quos constat esse emendatos;vt expressè habetur cap. Statutum. Imò quidam recentiores requirunt vt parentes sint damnati de illo crimine; quia cap. Statutum,dicitur, *Qui tales ff. vel tales etiam decessisse probantur.* vbi videtur requiri vt *id probatum sit in iudicio*. quæ sententia non displicet quibusdam in ijs locis, vbi ob multitudinem hæreticorum non censetur infamia, esse filium vel nepotem hæretici. secus verò in alijs. Sed re vera non est ea mens Canonis: si enim ageretur de probatione in Iudicio, dicendum erat qui non tales esse vel decessisse *probantur*, sed *probati legitimè fuerint*, debuisset enim probatio præcessisse:idque non in solis defunctis, sed etiam in viuentibus Vnde nec filij hæreticorum viuentium essent incapaces,nisi in Iudicio probatum sit parentes iam esse hæreticos,& fuisse tales ante filiorum procreationem. *probantur* ergo idem est quod *reperiuntur*. ita vt publicè de eorum hæresi constet. quæ forma loquendi valde frequens est B. Gregorio , quem alij Pontifices libenter sequuntur. Itaque comprehenduntur omnes illi , quos possim constat vel adhuc tales esse,vel tales decessisse. Præterea illud intelligendum de filijs post hæresim natis, vt docet Simanchas in Enchir.c.36.& alij,hi enim soli labem sui ortu,à tali parente contrahere videntur . Qui autem antè nati sunt,non cententur per hæresim parentis superuenientem inquinari. Denique de ijs, quos constat filios esse talium; si enim res sit occulta , non adfert illis infamiam . Addunt tamen quidam,etsi supradicti filij sint inhabiles ad beneficia, posse tamen ordinari; quia Iure non prohibentur . Sed credo sty- *Posse ordinari.*

ſtylum Curiæ obſtare, qui ſeruari debet. Immo ſi quis bene aduertat, deprehendet ipſum ius obſtare. Nam d. §. *hæretici*, dicitur, *ad nullum beneficium ſeu officium publicum admittendum, quod ſi ſecus factum fuerit; decernimus irritum & inane*. At nomine officij publici, etiam ordines continentur. Vide ſuſpenſus generatim ab officio, eſt ſuſpenſus ab ordinibus, etſi non ſit ſuſpenſus à beneficio. Addo nullam eſſe rationem admittendi ad ordines præſertim laicos, eos qui ab omni officio publico, vt iudicis, Notarij, Aduocati, &c. excluduntur. vide Gloſſ. ibidem.

Notandum Secundò, Si mater ſit hæretica, pater autem non ſit, tunc nepotes non ſunt inhabiles, ſed filij ſolùm capit. Statuimus, ſupra.

Notandum Tertiò, Hanc pœnam extendi ad eos, qui hoc ſimiliter incurrunt Cardinales vel Epiſcopos, & ad filios, nepotesque aliorum. cap. Felicis, de pœnis in 6. & Clem. 1. de pœnis.

122 *Inhabilitas ad omnia.*

Dico Quartò, Triplex ſimonia inducit inhabilitatem ad omnia beneficia: nimirum ſimonia confidentiæ, ſimonia in electione Papæ, & in examine ad parœcias. de quibus infrà c. 35. nu. 147. & 148. alia autem ſimonia realis in beneficijs inducit inhabilitatem ſolùm ad idem beneficium in quo admiſſa eſt, non ad alia; de quo vide infrà c. 35. nu. 139.

123 *Intruſus.*

Dico Quinto, Intruſus in beneficium adfert etiam inhabilitatem ad illud acquirendum; non tamen ad alia. Colligunt ad DD. ex variis textibus Iuris Canonici, vt videre eſt apud Felinum cap. In noſtra. 32. num 11. de reſcriptis. & cap. Veniens. 15. notabile 2. de accuſationibus. Eſt autem *Intruſus* in beneficium, (vnde quis dicatur intruſus) cum quis ſciens abſque canonico titulo beneficium accipit aut retinet: vel cum quis accipit aut retinet beneficium ſciens nullum ius (ſaltem perfectum) ſibi in eo competere, vt ex multis probat Couarr. lib. 3. variarum, cap. 16. num. 7. Hoc autem fit multis modis, vt refert Felinus locis citatis, Rebuffus in praxi beneficiorum, Reg. de ſubrogandis, Glol. 4. Ludou. Gomez. in Regul. de triennali poſſeſſore, 47.

Primus eſt, cùm quis non Superioris, ſed ſua vel parentum auctoritate occupat beneficium: vt ſunt illi, qui nullam habent titulum, iuxta Innoc. in cap. Nihil. de electione. Hos enim eſſe inhabiles ad illud colligunt ex capit. Ad aures. 3. de exceſſibus Prælatorum, vbi tales per cenſuras cuntur cogendi dimittere beneficium ſic occupatum. & c. Qua diuerſitatem. 5. de conceſſ. præbendæ dicitur, eum, qui ſine collatoris auctoritate ſe immiſcuit, cogendũ dimittere, etiamſi a Sede Apoſtolica confirmationẽ obtinuiſſet; ſcilicet non facta mentione intruſionis, vt notat Gloſ.

Secundus eſt, cùm is, contra quem eſt lata ſententia depoſitionis, a qua non eſt appellatum, retinet beneficij poſſeſſionem. ita Innoc. in c. Qualiter. 24. de accuſationibus. Hic enim propria auctoritate beneficium retinet.

Tertius modus locum habet in tribus caſibus. Primus eſt, cùm quis electus dumtaxat, ingerit ſe ante confirmationem electionis, adminiſtrationi, tanquam verus poſſeſſor. Secundus eſt, cùm quis eſt confirmatus, ſed illa confirmatione a Superiore caſſata, retinet adhuc adminiſtrationem. Tertius caſus eſt, cùm præſentatus ſeu nominatus ingerit ſe adminiſtrationi ante inſtitutionem.

In primo caſu eſt priuatus ipſo facto omni iure quod per electionem habebat; vt patet per capit. Auaritiæ. 5. de electione, in 6. quod Gloſ. v. Priuatos, cùm Ioanne And. & Ioanne Monac. intelligit de eo, qui quæſito aliquo colore adminiſtrationi ſe ingerit. v. g. ſub ficto titulo œconomi aut procuratoris. ſecùs de eo, qui abſque huiuſmodi colore id facit. Hunc enim tantum eſſe per ſententiam priuandum ſuo iure per electionem obtento.

In ſecundo & tertio caſu ſolùm videtur priuandus per ſententiam; id enim aperte inſinuat Gloſſa, & auctores citati: cùm dicunt, etiam electum adminiſtrationi ſe ingerentem ante confirmationem, iure antiquo non fuiſſe priuatum, ſed ſolum priuandum per ſententiam. ergo cum Ius nouum in cap. Auaritiæ ſolum diſponat de electo, non autem de præſentato vel confirmato, cuius confirmatio eſt caſſata, non erit pœna electi ad hos extendenda, ſed ſolum pœna iuris antiqui, quod iubet tales priuari per ſententiam, iuxta Gloſſam. Confir. Quia cap. Cum iamdudum. 17. de præbend. & dignit. cap. Bonæ. 1. de electione, quæ maximè hanc pertinent, ſolum iubent tales priuari. Rebuffus tamen ſupra nu. 8 dicit intruſum in prædictis tribus caſibus eſſe ipſo iure priuatum omni iure quod habebat, idem tenet Ancharanus conſil. 51. Sed forte ſolum volunt, talem non poſſe beneficium illud obtinere, niſi cum eo diſpenſetur ob quamdam inhabilitatem illa ſui intruſione contractã. Aliud enim eſt fieri inhabilem, aliud ius acquiſitum amittere, vt etiam docet Couar. ſupra nu. 7.

Quartus modus eſt, cum quis accipit titulum & poſſeſſionem a non habente poteſtatem; vt ſi alius erat collator; vel ſi ille a quo accepit erat nominatim denuntiatus de excommunicatione aut ſuſpenſione ab officio. Colligitur ex capit. Quia diuerſitatem. 5. de conceſſ. præbend. & cap. fi. de exceſſibus Prælatorum.

Quintus eſt, cùm quis accipit beneficium, quo alter iniuſte & præter ordinem iuris eſt priuatus, cap. fin. de exceſſibus Prælatorum.

124 *Si habebat collationem.*

Sextus eſt, cùm quis vi occupat poſſeſſionem beneficij, capit. Eum qui. 18. de præbend. in 6. Hic perdit omne ius quod in beneficium illud per electionem, præſentationem, aut collationem habebat, vt ibidem dicitur. Aduerte tamen hunc non dici proprie intruſum, ſi anteà collationem habebat, ſed violentum. vt notat Dominicus in cap. Eum qui, & Ioannes Mihs in Repertorio, v. Intruſus videtur: ſi tamen beneficium ſic occupatum retinuerit, dicetur intruſus ſecundum eoſdem, quia ius omne amiſit. Sed hoc bene refutat Couar. de ſponſal. p. 2. cap. 6. §. 8. nu. 8 quia non tenetur dimittere beneficium ante ſententiam, ſicuti nec in aliis caſibus, vbi primatio beneficij obtẽti ipſo facto ob crimen ſtatuitur. Vide ſupra cap. 29. dubit. 8 nume. 63. Quòd ſi beneficiũ à nemine poſſidebatur, & is cui collatio facta eſt poſſeſſionem vacuam propria auctoritate apprehẽdat, non incurret pœnam cap Eum qui; nec amittet ius ſuum. quia hoc capit. in illo caſu non loquitur, ſed tantum cùm alter è poſſeſſione eſt deijciendus, vt ex communi ſententia DD. tradit Couarr. libr. 3. variarum, cap. 16. num. 7. Simili modo legatarius propria auctoritate occupãs rem ſibi legatam, quam poſt aditam hæreditatem, prius tamen quàm poſſeſſio ab hærede fuerit apprehenſa, non amittit ius quod in ea re habebat, vt docet Gloſſa in L. Non eſt dubium. C. de legatis. ſecus ſi poſſeſſione iam apprehenſa, vt patet ex dicta L. Non eſt dubium. An autem qui ita beneficij poſſeſſionem accipit, poſſit puniri, & an ea poſſeſſio habeat effectus veræ poſſeſſionis. vide Cou. nu. 8. ſupra.

Septimus eſt, cum quis ſine canonico & legitimo titulo ſcienter beneficij collationem & poſſeſſionem accipit. ita Rebuffus ſupra, nu 5. & Nauar. cap. 27. num. 194. vt ſi quis in excommunicatione vel irregularitate ſciens beneficium accipiat. Hunc Nauarr. dicit fieri inhabilem ad idem beneficium impetrandum: vnde non ſolum egere diſpenſatione ratione cenſurę, ſed etiam rehabilitatione ratione illius intruſionis contractæ. nõ tamen efficitur quis intruſus, ſi electionem vel præſentationem in excommunicatione ſciens acceptet: hoc enim non eſt accepere beneficium.

Octauus eſt, cum quis electioni per abuſum laicorum de ſe factæ conſentit. Hic fit inhabilis non ſolum ad idem beneficium, ſed etiam ad alia omnia, etiamſi nec collationem nec poſſeſſionem acceperit. ita habetur. c. Quiſquis. 43. de electione. Hic tamen proprie non eſt intruſus; quia nondum occupat beneficium.

Notandum eſt, Etſi in prædictis modis non ſemper incurritur priuatio iuris acquiſiti ipſo facto, ſed ſolum vbi id à ſacris Canonibus inuenitur ſtatutum: tamen incurritur inhabilitas ad idem beneficium obtinendum, ita vt in impetratione talis beneficij debeat fieri mẽtio intruſionis, vel certe ante impetrationem curanda rehabilitatio: alioquin gratia, ſeu collatio erit irrita, vt docet Nauarr. capit. 27. num. 194. Rebuffus ſupra, num. 26. & probat Felinus in cap. Poſtulaſti. 27 numer. 14. 15. 16. de Reſcriptis: quem ſequuntur alij.

DVBITATIO XXIII.

Vtrùm requiratur morum probitas?

125 *Probitas requiſita.*

RESPONDEO & dico Primò, Iure naturæ requiri morum probitatem, ſcilicet vt non ſit deditus grauibus peccatis, nec infamis. Ratio enim dictat, miniſtros Dei

Dei & Ecclesiæ maximè debere virtutibus esse ornatos, cùm monitis, exemplis, & pijs precibus alios debeant in pietate promouere. Dominus quoque Matth. 24. requirit vt sint *prudentes & fideles*: fidelitas autem in munere ecclesiastico, potissimùm in charitate fundatur; vnde capitul. 7. Cum in cunctis, de electione, ex Concil. Lateranensi *In cūctis sacris ordinibus & ecclesiasticis ministerijs, eximia maturitas, grauitas morum, & litterarum scientiæ sint requirenda.* & Concil. Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reformat. morum, hanc probitatem strictè requirit. Et hanc huius conditionis in electionibus, præsentationibus, & collationibus potissima ratio est habenda; nam ex huius neglectu ferè pernicies Ecclesiæ manauit, vt sæpe quæritur Rebuffus. Sicuti enim is, qui improbis est moribus maximè Ecclesiæ obest, etiamsi alioquin sit eruditus; ita valdè prodest, etsi aliquid scientiæ vel habilitatis defuerit, plurimùm proderit: quod enim per se non poterit, curabit suppleri per alios. Ipse quoque cum suo exemplo plus proderit doctrina & concionandi gratia mediocri, quàm alij magna, bonis exemplis destituta.

126 *Criminosus.* Dico Secundò, Collatio tamen facta criminoso, non est ipso iure irrita, nisi illud crimen annexam habeat censuram, vel aliquam Irregularitatem. Ita Nauar. c. 27. nu. 251. & in c. Si quando. excep. 16. & 17. Est tamen irritanda ab eo, qui potestatem habet, vt patet ex cap. Inter dilectos, de excess. Prælat.

DVBITATIO XXIV.

Quænam scientia sit necessaria.

127 RESPONDEO, Eam scientiam ad quodque beneficium requiri, quæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum est necessaria; vt patet ex Conc. Lateranensi, c. Cùm in cunctis, de elect. eiusque ratione naturali per se euidens. Conc. Trid. sess. 22. c. 2. requirit, vt is, qui futurus

Episcopus. est Episcopus, *sit Doctor aut saltem vere intelligens in Theologia, vel Iure Canonico; aut saltem publico alicuius Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur.*

Vbi aduerte, ea omnia & singula, quæ Concilium Trid. constituit de Episcoporū præficiendorum vita, ætate, do-

Cardinalis. ctrina, & ceteris qualitatibus, seruanda esse in creādis Cardinalibus; vt eadem Synodus sess. 24. cap 1. de reform. decernit. vnde pari eruditione instructi esse debent, & meritò, cùm sint Summi Pontificis in cautis fidei & morum intimi Consiliarij; & summus orbis terrarum Senatus. Eam-

Archidiaconus. dem eruditionem cap. 12. requirit in Archidiaconis; quia, inquit, oculi Episcoporum dicuntur. In ceteris nihil certi præscribitur; sed quisque debet esse instructus scientia muneri suo necessaria, quæ vtrùm adsit, iudicabit Episcopus & examinatores. quia nemo sine examine ad

Examen necessarium vt benefic. possit obtineri. quodcumque demùm beneficium admitti debet, vt statuit idem Concilium sessio. 7. capitul. 13. & sessio. 25. cap. 9. vbi etiam reddit ritam institutionem factam ab eo, qui inferior est Episcopo, nisi institutus, fuerit antea ab Episcopo examinatus.

Excipiuntur tamen præsentati, & nominati ab Vniuer-

Qui eximuntur. sitatibus ad beneficia non parochialia: hi enim nō sunt examinandi, vt patet sess. 7. c 13.

Petes, Vtrùm collatio facta ei, qui non habet scientiam requisitam, sit irrita?

129 Respondeo, Si omnino est illiteratus, est irrita; vt docēt

Omnino illiteratus. plerique DD. cum Panor. in c. Dudum. 1. de elect. & Innocen. in cap. 7. Cùm in cunctis, eod. tit. quod fusè probatur a Nau. in cap. Si quando. exceptione 16. & confirmatur ex Tridentino Concilio sess. 22. cap. 4. vbi *irrita decernuntur omnis prouisio facta ei, qui ætatem, & ceteras habilitates integrè, non habuerit.* ratio est, quia planè illiteratus nullo modo officium præstare potest: de quo vide plura apud Nauarr. in d. c. Si quando. Si autem aliquam scientiam habeat, ita

Mediocris. vt aliquo modo possit satisfacere officio, non est quidem irrita, posset tamen & omnino deberet irritari, nisi breui putaretur habiturus sufficientem. colligitur ex cap. Nisi. 10. de renunt. tenet Innoc. in c. Cùm in cunctis, de elect. quem ceteri sequuntur.

DVBITATIO XXV.

Qua aptitudo ex parte corporis sit necessaria.

130 *Aptitudo corporis.* RESPONDEO, Eam aptitudinem requiri, quæ necessaria est ad decenter præstandum officium: hæc enim iure naturæ necessaria est; (vt colligitur ex cap. Nisi, de renuntiatione) ita vt collatio facta ei, qui hac aptitudine caret, sit irrita; vt colligitur ex Conc. Triden. sess. 22. c. 4.

Cæcus. Hinc cæcus est incapax; quia preces Canonicas recitare nequit.

Notandum tamen, si debilitas aliqua superueniat, per quam reddatur ineptus ad officium, non ideò priuari beneficio antè obtento, sed posse eo liberè frui. si tamen habeat curam animarum, prouidere debet vt per Vicarium benè administretur.

DVBITATIO XXVI.

Qua & qualis intentio sit necessaria.

131 *Intentio status ecclesiast.* RESPONDEO & dico Primò, Ad omne beneficiū requiri determinatam intentionem status ecclesiastici, & ordinis muneri suo necessarij. Est communis DD. nō enim par est vt ecclesiastica beneficia dentur ijs, qui nondum statuerunt se ministerio Ecclesiæ mancipare.

Sed dubium est, vtrùm quis ita absolutè debeat sibi statum ecclesiasticum præfigere, vt non possit habere propositum deserendi, si lautior conditio in sæculo se obtulerit? Respondeo, &

Intentio determinata esse debet. Dico Secundò, Satis esse, si sincerè & bona fide proponat statum ecclesiasticum, nec velit ab eo proposito resilire, nisi causa aliqua iusta inciderit, v. g. nisi frater primogenitus moriatur, vel nisi opimum matrimonium, ad conseruandā magnam familiam, vel ad lites extinguendas necessarium, oblatum fuerit. Ita Nauar. c. 25. nu. 118. ratio est, quia non est mens Ecclesiæ per beneficium ita firmiter ad statum ecclesiasticum obligare, vt nullum ob causam possis deserere; hoc enim nimis durum esset, & sæpè rationi non satis cōsentaneum: nam maiora bona impedirentur.

Dico Tertiò, Qui accipit beneficium eo tantùm animo 132 vt eius fructibus alatur donec studia absoluerit, vel opulentam vxorem inuenerit, cum animo tunc deserendi, peccat mortiferè, nec potest illud beneficium retinere. Est communis sententia DD. vide Nauar. de ora. miscell. 44. & l. 3. consil. 16. de præb.

Non tenetur fructus restituere. Aduerte tamen, hunc non teneri ad restitutionem fructuum, si muneri suo satisfecerit; quod est contra Gabr. d. 15. q. 8 art. 3. & Sylu. Beneficium 3. q. 5. nec esse ipso iure priuatum, nisi sit beneficium parochiale; vt docet Nau. sup. & Sotus l. 10. de iust qu. 5. art. 6. quia nusquam id iure statutū. Imò Sanctius nollet l. 7. de matrim. disp. 45. nu. 29. putat in supradicto casu, beneficium non haberet annexum ordinem sacrum (vt quando illius functio huiusmodi ordinem non requirit) non esse peccatum mortiferum, modò suo muneri, quamdiu illud retinet, satisfaciat: quia nullum ius requirit in eo animum perseuerandi in statu clericali. Imò Canones relinquunt illi liberum transitum ad nuptias. ca. Diuersis. 5. & c. Ioannes. 7. de cler coniug. Est tamen culpa venialis, quia aliquo modo decipit ecclesiam, quæ putat eum bona fide statum ecclesiasticum proposuisse. Hæc tamen deceptio non videtur grauis; alioqui iure alicubi statuisset, vt tale propositum adsit; nec relinqueret postea tantam libertatem. Quæ sententia mihi non improbatur; præsertim si causa studiorum, vel simili fine honesto id fiat. secùs vt si splendidè viuat; quia ecclesia tunc magis inusta, & deceptio est grauior.

Beneficium parochiale accipiens sine animo sacerdotij. 133 Dico Quartò, Qui accepit beneficium parochiale sine animo suscipiendi intra annum sacerdotij, vt fructus per annum ex eo percipiat, postea dimissurus, tenetur fructus perceptos restituere; nisi voluntate mutata, intra annum promotus fuerit; Ita expresse habetur cap. Commissa. 31. §. Ceterum, de elect. in 6.

Vbi Notandum Primò, Sufficere intentionem sinceram & seriam, quamuis iustam aliquam conditionem annexam habeat, vt rectè Nauar. sup. nam conditionalis intentio est vera intentio.

Secundò, Si voluntate mutata promotus fuerit ante finem anni, potest retinere fructus, non solùm post mutatam voluntatem, sed etiam ante illam perceptos: quod est contra Sotum, supr. concl. 1. Ita docet Glos. in dictum cap. & ipse textus ind. terminatè loquens satis indicat. ratio est, quia collatio in hoc casu ab initio valida fuit, sed pendens a conditione; quæ si non fuerit secuta, resolvitur ab initio, sicut cùm res venditur ea lege, vt si melior conditio obtigerit, sit empta; si autem secuta fuerit, maneat valida, & omnino irresolubilis. Idem dicendum de perceptione fructuum.

Tertio, Si intra præscriptum tempus promotus non fuerit, amittit ipso iure beneficium & fructus simul, resoluto contractu, & efficitur inhabilis ad illud, vt habetur eodem capit. vnde non sufficit mutatio prioris voluntatis prauæ, nisi secunda voluntas habeat effectum.

134 *Accipiens cū animo sacerdotij. Non amittit fructus.*

Dico Quintò, Qui tale beneficium cum debita intentione suscipiendi sacerdotij acceperit, si postea mutata voluntate promotus non fuerit intra tempus statutum, non tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum ante voluntatem mutatam; sed neque etiam potest illam, modò per idoneum Vicarium muneri suo satisfecerit; ita docet Glos. in cap. Commissa, Nau. cap. 25. num. 118. & Lopez p. 2. c. 105. contra Sotum. ratio est, quia per illam mutationem animi non amittit beneficium ante legitimè acceptatum; nec vllum ius statuit vt etiam fructus amittat: ergo cùm muneri suo satisfecerit, non est cur dicamus eum fructus amisisse: non enim iure naturæ amisit, cùm muneri satisfecerit, nec iure positiuo, cùm hoc non sit expressum.

135 Dices, Qui accipit curam sine intentione sacerdotij, tenetur ad restitutionem, si promotus non fuerit: ergo etiam is, qui accipit quidem cum intentione, sed postea eā bonam intentionem mutauit. Ita Sotus.

Respond. negando conseq. tum quia multò plus peccauit qui ab initio intentionem caruit; hic enim fraudulenter ad beneficium irrepsit: vnde potiori iure puniri debuit: tum quia lex illa pœnalis est, ac proinde non extendenda extra suum casum, etiamsi ibi esset par ratio, vt bene Nau. l. 3. consil. 26 de præbendis. expleto tamen anno, si promotus non fuit, statim amittit beneficium, & in posterum fructus suos non facit.

136 *Accipiens parochiam animo permutādi.*

Dico Sextò, Qui beneficium parochiale accipit animo non residendi, sed tantummodò permutandi vel renuntiandi, peccat quidem, non tamen est ipso facto priuatus, nec tenetur ad fructuum perceptorum restitutionē. *Quod peccet*, probatur; quia decipit Ecclesiam, quæ in talibus requirit animum seruiendi; & nisi putaret illum talem animum habere, nullo modo vellet ei conferre. Nauar. tamen supra. consil. 24. insinuat non esse peccatum mortiferum: quia non infertur notabile detrimentum, quod puto esse verum, nisi fortè resignet in fauorem eius, qui parùm est idoneus, cui Prælatus aliàs nullo modo voluisset conferre. *Quod non teneatur ad restitutionem fructuum*, patet, quia nullo iure hoc est statutum. modo interim officio curet satisfacere &c cetera adsint.

DVBITATIO XXVII.

Vtrùm licitum sit habere plura beneficia, & qualia.

137 *Habere plura beneficia.*

RESPONDEO & dico Primò, Habere plura beneficia non est intrinsecè malum, nec omnino indifferens, sed speciem mali præseferens; ita tamen vt adhibitis debitis circumstantijs cohonestari possit. Docet hoc D. Thom. quodlib. 9. ar. 15. quem alij sequuntur. ratio est, quia solitarie considerata ordinationem quamdam inuolut. Primò, Quia minuitur cultus diuinus: vnus. n. habens tria beneficia, non recitat ter preces Canonicas, nec tria facit Sacra. Secundò, Ecclesia destituitur suis operarijs. vnus. n. non potest in pluribus locis residere, nec plurium ministeria obire. Tertiò, Fundatores frustrantur sua pia intentione. Quartò, Quia frustrantur multi pauperes fortè magis idonei, magisque vtiles Ecclesiæ futuri. Denique multa incommoda inuehit hæc pluralitas; vt nimiam sollicitudinem temporalium, ambitionem, luxum, incontinentiam, concubinatum, lites, scandala pusillorum & similia, vt meritò Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 17. dixerit, *hanc pluralitatem esse pernitiosam omnis ordinis ecclesiastici*, & Alexander III. capitul. Quia in tantum. 7. de præbend. *Pluralitatem beneficiorum certum est tenere animarum periculum.* vide Extranagan. Ioann. XXII. quæ incipit, Execrabilis, vbi decem incommoda recensentur ex hac pluralitate promanantia. Cum certis tamen circumstantijs cohonestari poterit, quarum præcipua est, si id Ecclesiæ profuturum putetur.

Mala pluralitatis beneficiorum.

138 *Pluris Episcopatus.*

Dico Secundò, Nemo quacumque dignitate præfulgēs potest recipere & simul retinere plures Episcopatus in titulum aut commendam, aut alio quouis nomine. Ita Concil. Trident. sess. 7. cap. 2 de refor. Quod intelige, sine iusta dispensatione Papæ. huius enim potestati, decreto Concilij, etiam generalis, non potest præiudicare: & interdum potest iusta causa incidere.

Petes, Vtrùm obtento secundo Episcopatu, vacet ipso iure prior, si absit dispensatio?

Vacat prior.

Resp. vacare, c. De multa. 28. de præb. quia Episcopatus est dignitas habens curam animarum. Sed de hac re non oportet nos esse multùm sollicitos; quia Pontificis est Episcopos confirmare. qui censebitur dispensare, si habenti vnum confirmet secundum.

139 *Episcopatum consecrans amittit priora.*

Dico Tertiò, Electus ad Episcopatū, obtenta bonorum administratione & consecratione, vel saltem elapso tempore consecrationi prefixo, amittit ipso iure omnia beneficia, quæ antè obtinebat. Ita habetur c. Cùm in cunctis. 7. §. cum vero, de elect.

Vbi Notandum Primò, Hunc Canonem non loqui de Episcopo titulari, non habente vllam administrationem bonorum Ecclesiasticorum, quales sunt quidam Suffraganei.

Episcopo pauper.

Secundò, Si Episcopus est pauper, probabile est, ei beneficium simplex posse conferri, quo iuuetur; quia etsi amittat priora, non tamen extat ius, quo efficiatur inhabilis ad futura simplicia, vt docet Nau. lib. 3 consil 3. de concessione præbendæ.

140

Dico Quartò, Habens beneficium cum cura animarum, vel Dignitatem vel Personatum vel Officium, si secundum huius generis acceperit, obtenta pacifica possessione secundi vacat prius. Ita habetur cap. it. De multa, de præbendis. & multò distinctius Extrauag. Execrabilis, eodem

Vbi Notandum Primò, Hæc beneficia vocari *incompatibilia primi generis*, quia ipso iure alterum excludit alterum, posterius prius. Eiusdem etiam generis sunt præbendæ vniformes iuxta eodem tenore, vt patet cap. Litteras. 9 de concess. præbenda, vt duo Canonicatus, vel duæ dignitates in eadem Ecclesia. Vnde si habens vnum, obtineat alterum in eadem Ecclesia, vacabit prior, vbi secundæ pacificam possessionem nactus fuerit.

Beneficia incompatibilia primi generis.

Incompatibilia secundi generis sunt, quæ simul quidem licitè retineri non possunt absque dispensatione, tamen non ita pugnant vt alterum vacet obtento altero.

Secundi generis.

141 *Si secundum sit litigiosum.*

Notandum Secundò, Si beneficium secundum sit litigiosum, non vacabit prius, donec pacificus secundi possessor fueris. si autem secundum pacificè possederis, vacabit prius, etiamsi sit litigiosum. quod si obtento titulo vnius talis beneficij absque possessione, accipias secundum litigiosum, & postea antequam incipias esse pacificus possessor secundi, accipias pacificam possessionem primi, non tunc amittis secundum litigiosum, vt quidam putarunt, quia id iure statutum non est; vt docet Nau. l. 3 consil. 3. de præb. Denique non satis est habere possessionem tituli secundi beneficij, sed requiritur vt etiam fructus percipere incipias. vnde si alteri reseruati sint, non amittis prius: quia inutilis est & sine effectu talis possessio. Ita expressè habetur ca. Si tibi concesso. 26 de præb in 6.

Tertiò, Eos, qui retinent plura beneficia, de quibus Extrauag. Execrabilis, &c. De multa, scilicet Dignitates, Personatus, Officia, & non statim resignant primum, esse ipso iure priuatos etiam secundo, & inhabiles ad sacros ordines, & ad quodcumque beneficium ecclesiasticum, & ipso iure beneficia illa esse dispositioni Sedis Apostolicæ reseruata: vt apertè habetur d. Extrau.

142 *Retinens simul plura incompatibilia*

Quartò, Eum, qui vtrumque retinuerit, non ita esse priuatum secundo vt teneatur illud sponte dimittere; sed per 143 sententiam Iudicis esse priuandum; vnde si nulla sententia sequatur,

sequatur, poterit illud retinere, iuxta ea, quæ dicta sunt supra cap.29. num.8. hoc enim ita constitutum est in pœnam retentionis vtriusque. Primum verò obtento secundo ita amittitur, vt non opus sit sententia; nam expressè dicit extrauagans, *quod vacet, & possit statim alteri conferri sine vlla sententia*. non ita loquitur de secundo. ratio est, quia eius priuatio non est pœna, sed resolutio primæ collationis. Vnde puto ipsum non facere fructus suos, quos in posterum ex illo recipiet; etsi aliqui contrà sentiant.

144 *Incompatibilia secundi generis retinens.*

Dico Quarto, Reliqua beneficia residentiam postulantia, non sunt incompatibilia primi generis, ita vt habito secundo vacet prius, tamen videntur incompatibilia secundi generis, ita vt sine graui peccato simul retineri nequeant. Prior pars est Nauarri l.3.consil.19 de præben. vbi docet; Dignitatem & Canonicatum in diuersis Ecclesijs non esse etiam post Concilium Tridentinum incompatibilia primi generis, sed secundi, si requirunt residentiam. Quod si alicui ex consuetudine non requirunt, non esse incompatibilia, ne secundi quidem. In eadem autem Ecclesia dicit non esse vllo modo incompatibilia, eò quòd sint beneficia difformia, & vtrique simul ferum possit; atqui difformia eiusdem Ecclesiæ sibi non repugnantia semper fuere compatibilia, vt idem affirmat. Et consil.26. multis rationibus nititur probare *nullum beneficium simplex esse incompatibile primi generis cum altero, nisi sint vniformia sub eodem tecto*. Idem docet consil.24. Confirmantur hæc omnia, quia nullus est Canon, quo statuatur vacare prius obtento secundo; aut ipso facto induci priuationem vtrique, si simul retineantur, præterquam de beneficijs cum cura animarum, Dignitatibus, Personatibus & Officijs; ergo hoc non est ad alia beneficia extendendum.

Nec obstat Concilium Tridentinum sessio.7. capit.4.de reformatione, vbi priuantur ipso facto qui plura curata vel aliàs incompatibilia beneficia recipere & retinere præsumpserint: quia loquitur expressè de illis, de quibus capit. De multa; quod non agit nisi de Curatis, Dignitatibus & Personatibus.

145 Dices, Congregatio Illustrissimorum Cardinalium pro Concilio Tridentino deputatorum, declarauit vacare beneficium simplex eius, qui obtinuit, parœciam; eò quòd hæc duo beneficia sint incompatibilia, si vtrumq; residentiam, postulet. vnde sequi videtur, quandocumque duo beneficia sunt incompatibilia eò quòd alterum sit sufficiens, vel verumque residentiam poscat, semper adeptione secundi vacare primum.

Respondet Nauar.l.3.consil.14.de præbend. si constaret Congregationem declarasse Concil. Trid. sess.7.cap.4. ita esse intelligendum, eaque declaratio à S. Sanctitate confirmata esset, ita fore tenendum; sed quia id non constat, & alias ex verbis Concilij id non videtur efficaciter probari posse (quod ipse conatur ostendere) non est quòd ad hanc sententiam nos adstringat. Equidem hanc declarationem numquam vidi. Si tamen facta est, iudico tenendam, & omnia huiusmodi beneficia in eo conuenire cum incompatibilibus primi generis.

146 *Omnia quæ requirunt residentiã sunt incompatibilia secundi generis.*

Altera pars, *Quod sint incompatibilia saltem secundi generis*, patet ex Concilio Tridentino; nam sessio.24. capit.17. sic habetur; *Statuit sancta Synodus vt in posterum vnum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam aut honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. hæcque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad omnia alia beneficia tam secularia quàm regularia quæcumque, etiam commendata pertineant, cuiuscumque tituli aut qualitatis existant*. Vnde manifestè sequitur, omnia beneficia simplicia quæ residentiam postulant, esse aliquo modo incompatibilia, nec absque dispensatione Pontificis posse huiusmodi plura obtineri, nec Episcopum posse in hoc dispensare: quia non potest dispensare in statuto Concilij generalis. si tamen absque dispensatione alicui conferantur, collatio erit valida, poterit tamen eo priuari, nisi, quod antè habebat, dimiserit.

147 *Quæ sint beneficia quæ possint haberi plura, absque dispensat.*

Dico Sextò, Sunt tamen aliquot casus, in quibus etiam post Concilium licet habere plura beneficia, etiam sine dispensatione.

Primus est, Quando sunt beneficia simplicia, etiam Canonicatus, quorum neutrum sufficit ad honestum vitæ cultum, & alterum non requirit residentiam; siue ex sui institutione, siue ex præscripta consuetudine.

Secundus, Si Ecclesia cathedralis vel parochialis vel dignitas sit insufficiens sustentationi, poterit simul cum ea obtineri beneficium simplex non requirens residentiam. vterque casus satis colligitur ex verbis Concilij Trid. sess. 24 c.13.& 17.

Cura tenues.

Vbi aduerte, ante Concilium potuisse etiam plura curata possideri, si ita erant tenuia, vt non possent proprios Sacerdotes alere, vt patet c.Eam re, in fine, de ætate & qualit. Nunc verò id minimè licet absque dispensatione Pontificis, vt patet sess 24.c.17.vbi habens plures parœcias cogitur sub graui pœna alteram resignare etiam si neutra per se sufficiat.

Crediderim tamen, si essent valdè vicinæ, ita vt vnus 148
possit vtriq; satisfacere, & non possent facilè inueniri qui vni soli velint deseruire, posse duas eidem committi, iuxta c.1. Clericus, 21.q.1.

Parochialis annexa canonicatui.

Tertius, Si Dignitati vel Canonicatui accessoriè annexa sit parochialis, quæ per Vicarium administrari solet. ratio est, quia beneficium alteri perpetuò vnitum, censetur vnum cum illo, & illius naturam induit. vnde parochiale annexum simplici, iuxta conditionem simplicis: quod etiam post Concilium Tridentinum locum habet, vt docet Nauarrus.

Quartus. Si vnum beneficium detur in titulum, alterum in commendam ad sex menses, etiam si esset parochiale, vt patet ex c. Nemo, de electione in 6. saltem cum Ordinarij dispensatione. non tamen potest dari vnum in titulum & alterum in commendam perpetuam sine iusta causa & dispensatione Pontificis; quia commenda perpetua æquiualet titulo. vt probat Nau.c.25.nu.126.

DVBITATIO XXVIII.

Vtrùm per dispensationem Pontificis licitum sit habere plura beneficia requirentia residentiam.

RESPONDEO & dico Primò, Id licitum esse, modo adsint iustæ causæ dispensandi. ratio est quia Concilium nec potuit nec voluit impedire quin ob legitimas causas Pontifex possit dispensare; nam Pontifex est supra Concilium: & SS. Pontifices olim dispensarunt; inter quos est Greg I. vt patet l.2 epist.52. qui quemdam Episcopum Agnellum nomine ob certam Ecclesiæ necessitatem duos Episcopatus habere voluit. 149

Causæ dispensandi in pluralit. beneficior.

Causæ iustæ dispensandi præcipuæ sunt duæ, ad quas reuocantur ceteræ. Prima est, Ecclesiæ necessitas vel magna vtilitas; vt si desint alij vel idonei, vel satis potentes. sic filijs Principum dantur interdum Episcopatus, etiam ante ætatem, vt Ecclesiæ aduersus hæreticos defendantur. Item si quis putetur magis profuturus absens, quàm alius præsens.

Secunda, Si alicui viro præclaro vnum non sufficiat ad honestè viuendum iuxta suum statum, & alterum possit ei sine Ecclesiæ incommodo dari. hæc tamen causa reducitur ad primam. nam quòd personæ sublimes & litteratæ pluribus beneficijs honorandæ sint, quando vnum non est sufficiens, iuxta Concil. Lateran. capit. de Multa. id non debet fieri nisi propter Ecclesiæ vtilitatem. Quod confirmatur ex Diuo Bernardo epist.171. ad Comitem Theobaldum; *Honores & dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè & secundum Deum administrare & velint & possint; porrò eas acquiri paruulo filio vestro precibus meis vel vestris, nec vobis iustum, nec mihi tutum esse noueritis; nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesijs habere licet, nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum vtilitatem.* hæc ille.

Petes, Cur requiritur dispensatio Pontificis, si Episcopus videat Ecclesiæ suæ profuturum, vt eidem plura beneficia dentur? 150

Cur requiratur dispens. facto.

Respond. Primò, Quia lex obligat inferiorem, quamdiu ex eius custodia nihil euidenter sequitur contra legislatoris intentionem: atqui numquam aut rarissimè euenit aliquid contra intentionem Concilij ex eo quòd vni non

dentur duo beneficia, nunquam enim euidens eſt id eſſe contra malus Eccleſiæ bonum & proximorum ædificationem; quæ duo Concilium per hanc ſuæ præcepti cuſtodiam intendit.

Secundò, Quia potiſſimum Summi Pontificis eſt procurare bonum Eccleſiæ, & iudicare quid ad illud expediat.

151 *Si deſit iuſta cauſa, diſpenſatio non ſufficit.*

Dico Secundò, Si non putetur ſubeſſe legitima cauſa diſpenſandi, is, qui obtinuit plura beneficia per diſpenſationem, non eſt tutus in conſcientia, ſed tenetur alterum reſignare. Eſt ferè communis Theologorum. D. Thomæ quodlib. 9. ar. 15. Maioris in 4. d. 24. q. 4. Adriani in 4. q. de pluralitate præbendarum, quæ incipit; Quia in præmiſſis. Caietv. Beneficiorum multiplicatio, Soto l. 3. de Iuſt. quæſt. 6. a. 3. Toleti l. 5. c. 71. Eandem docent multi Iurиſperiti, & Cano nitę. Ratio eſt Primò, Quia Papa non eſt dominus beneficiorum, ſed diſpenſator: atqui diſpenſator non poteſt pro ſuo arbitrio diſtribuere bona diſpenſanda, ſed iuxta rationabilem voluntatem eorũ, qui ea diſpenſanda reliquerunt, & eorum, in quorum vtilitatem relicta ſunt, quæ in propoſito eſt Eccleſia vniuerſalis. Secundò, Quia eſt cõtra Ius diuinum naturale vt vnus habeat plura beneficia; niſi aliqua iuſta ratio id excuſet, vt docet Caietan ſup. atqui Pontifex non poteſt diſpenſare in ijs, quæ ſunt Iuris diuini naturalis, niſi interueniat iuſta cauſa, quæ turpitudinem tollat; vt patet in votis, iuramentis, & indulgentijs, de quo vide Bernardum epiſt. ad Robertum nepotem, & epiſt. 7. ad Adam monachum.

152 *Collatio tamen eſt validа.*

Aſſerte tamen, collationem ſecundi beneficij, tertij, & ceterorum eſſe validam, & conferre verum titulum, vt patet ex multis Canonibus: nam ad nullum eorum Iure naturæ eſt inhabilis. tenetur tamen reſignare aliqua ex illis, quæ vel non ſunt illi ſecundum ſuum ſtatum neceſſaria, vel in quibus legitima cauſa non interceſſit: fructus tamen interim percepros non tenetur reſtituere, ſi muneri ſuo, ſaltem per Vicarium ſatisfecit. ſi non ſatisfecit, tenetur ad fructuum reſtitutionem, vel Eccleſiæ, vel ad pias cauſas, vide inf. num. 159.

Sequitur nunc vt dicamus ad quæ beneficiarij obligentur.

DVBITATIO XXIX.

Vtrùm teneantur beneficiarij ad reſidentiam, & non reſidentes amittant fructus.

153 *Iure diuino tenentur.*

RESPONDEO & dico Primò, Omnes, qui habent beneficia, quibus incumbit cura animarum, tenentur iure diuino reſidere, & per ſe ſuum officium adminiſtrare probatur ex Con. Trident. ſeſſio. 23. capitul. 1. de reformat. *Cùm*, inquit, *præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro eis ſacrificium offerre, verbiſque Dei prædicationi, Sacramentorum adminiſtrationi, ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cetera omnia paſtoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab ijs præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non ſtudent, & aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt*, &c. Ex quibus verbis patet, Epiſcopos & alios habentes curam animarum iure diuino teneri ad perſonalem reſidentiam, ex Concilij Trident. ſententia. Ratio eſt, quia Iure diuino naturali tenentur ad præſtandum ea, quæ ſunt ſui officij.

Dices, Sufficit vt faciant per alios.

154 *Non ſufficit vt regant per alios.*

Reſpond. Non ſufficere, niſi cauſa maioris momenti cogat eos ad tempus abeſſe; nam contra rectam rationem eſt vt tu officium cum emolumentis habeas, & alius præſtet onus; niſi maior aliqua ratio cogat te abeſſe. Confirm. quia quicumque accipit aliquod officium, obligat ſuam perſonam ad proprias illius officij functiones, tacitèque promittit ſe illas obiturum quantum res feret; & niſi putaretur id factarus, non ei daretur. Numquam enim Princeps conſtituet Gubernatores vrbium, Præfectos arcium, ductores militum, qui putantur crebrò futuri abſentes & per alios adminiſtraturi.

155 *Epiſcopi tres menſes abeſſe poſſunt.*

Dico Secundò, Epiſcopi poſſunt quotannis ſine cõtinuè ſua interruptè, à ſuis Eccleſijs ex iuſta cauſa ad ſummum tres menſes abeſſe, ſine alia Superioris approbatione, non tamen amplius: habetur dicto cap. ſeſſ. 23.

Vbi Nota debere iuſtam cauſam ſubeſſe, & totum ſine vllo detrimento gregis fieri; aliquem grauiter peccare, vt colligitur ex verbis Concilij: orerat enim Concilium eorum conſcientias ea in re propoſito Dei timore.

Dico Tertiò, Si præter hos tres oporteat ob aliquas cauſas amplius abeſſe, (vt ſi Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, euidens Eccleſiæ vel Reip. vtilitas amplius abeſſe poſtulent) debebunt hæ cauſæ approbari a Pontifice, vel a Metropolitano, vel eo abiente ab antiquiore Suffraganeo (qui etiam Metropolitani abſentiam approbare debebit) *atque in ſcriptis*. Ita Conc. ibid. Vbi Nota, excipi debere vnum caſum, nempe quando Epiſcopus abeſt ob munus vel officium Reip. quod Epiſcopatui eſt annexum: ad hoc enim obligatur ex officio: ſicut quando in Belgio, & in Germania debent intereſſe comitijs ordinum, in quibus ipſi primum locum obtinent.

156 *Si amplius cauſa approbanda a Superiore, &c.*

157 *Aliquin fructus non faciunt ſuos. Applicandi fabricæ vel pauperibus.*

Dico Quarto, Si præter tres menſes ſupradictos aliquando abfuerint ſine dicta approbatione; fructus pro rata temporis abſentiæ non faciunt ſuos, ſed tenentur in conſcientia eos vel fabricæ Eccleſiæ vel pauperibus loci erogare. Ita decernitur eodem capitul. & additur, *retributa quacumque conuentione vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte eis remittereutur*. Quibus verbis prohibet omnibus Pontifice inferioribus, & hortatur ipſum Pontificem ne vllo modo eis hæc reſtituere condonetur. His addo, ſi Epiſcopus aliquis amplius annum continuè a ſua Eccleſia ſine dicta approbatione abfuerit, Metropolitanus tenetur eum, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, intra tres menſes Romano Pontifici denuntiare. Ipſum autem Metropolitanum abſentem, Suffraganeus antiquior reſidens denuntiare debet. Ita habetur ſeſſ. 6. c. 1. de reformat. quòd autem illo capit. dicitur de quarta parte fructuum vnius anni amittenda per abſentiam ſex menſium, auctum eſt ſeſſ. 23. ca. 1. vbi ſtatuitur vt fructus omnes pro rata abſentiæ amittat.

Si amplius annum abfuerit.

158 *Si non in ſcriptis approbata.*

Petes, Vtrùm ſi cauſæ ſint approbatæ, ſed non in ſcriptis iſta pœna incurratur?

Reſpondeo, Si cauſæ legitimæ fuerunt, & approbatæ ſunt ab eo à quo debebant, probabile eſt ob illam ſolemnitatem omiſſam, in foro conſcientiæ fructus non amitti. inſinuat Nau. lib. 3. conſil. de præb. conſil. 13. num. 11. Ratio eſt, quia conceſſio Iure gentium & naturæ valida fuit. In foro tamen exteriori poſſet condemnari. vide ſup. c. 9. dub. 3. Applicantur hi fructus fabricæ, vel pauperibus loci, vt patet ex Concilio ſup.

Vbi Aſſerte, non *ſtringi* fabricæ aut Eccleſiæ; fortaſſe idcirco, quia nullum damnum in temporalibus Eccleſiæ per illam abſentiam datum eſt; & alias illi fructus cenſentur quaſi ſuperflui, cum Epiſcopus illorum ſit incapax. Itaque permitti ut vt in pauperes ſicut alia ſuperflua Eccleſia ſticorum dentur, vt qui olim ſuam quartam in bonis eccleſiaſticis habere ſolent.

159 *Si Parochi vltra duos menſes abſint.*

Dico Quintò, Parochi ſi vltra duos menſes abſque legitima cauſa per Epiſcopũ cognita & approbata abſint, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus pro tempore abſentiæ amittunt. colligitur ex eodem Concilio dict. cap. 1.

Vbi Notandum Primò, Dubium eſſe, vtrùm ſine tali approbatione poſſint abeſſe continuè vel diuiſim vt Epiſcopi, ſaltem ad duos menſes. Nau. c. 25. num. 121. probabiliter exiſtimat poſſe, ſi iuſtam cauſam habeant. Ratio eſt, quia ante Concilium licebat, & Concilium hoc expreſsè non reuocauit. ſi tamen ſine iuſta cauſa abſint, peccabunt mortifere contra præceptum Concilij, & contra Ius naturale diuinum, de reſidendo.

Nec obſtat, quod Concilium dicat, vt non obtineant licentiam ab Ordinario niſi ad bimeſtre, & ex graui cauſa; quia intelligendum eſt de alio bimeſtri. Interim tamen idoneus Vicarius cum debita mercede eſt ſubſtituendus. Verius tamen puto, mentem Concilij eſſe vt nõ abſint primo bimeſtri abſque facultate Epiſcopi; quia dicit, *quandocumque eos abeſſe contigerit, deberi cauſam prius eſſe cognitam & probatam per Epiſcopum*. quod facilè fieri poteſt, cum Epiſcopus non procul abſit. Credo tamen non eſſe receptum.

160 Notandum Secundò, Quod de Parochis dictum eſt, cenſendum eſſe de alijs, qui aliquod beneficium curam anima-

Extenditur ad omnes habentes curã animarum.

animarum habens obtinent, vt inquit Concilium. vnde etiam de perpetuis Coadiutoribus est intelligendum, vt Congregatio Cardinalium dicitur explicuisse, & meritò; quia talis Coadiutoria est beneficium cum cura.

161 *Non tamen ad Abbates vel Priores.*

Petes, Vtrum prædictæ pœnæ pertineant ad Abbates & Priores habentes curã animarum suorum Religiosorum?

Respondeo Non pertinere, qui habent curam animarũ sæcularium, periculosum admodum tractandam; de tali enim cura loquitur Concilium, vt Congregatio respondit. Regulares autem, in administratione suorum subditorum Regularium relinquit suis statutis, & superiorum Regularium ordinationibus.

162 *Alij beneficiarij.*

Dico Sextò, Qui in Ecclesijs cathedralibus vel collegiatis obtinent Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel Portiones, non possunt quolibet anno abesse vltra tres menses; alioquin primo anno debent priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ suos fecerunt: secundo anno omnibus fructibus, quos illo anno lucrati fuerint. Ita disponit Concilium Tridentinum sess. 24. capitul. 12. de reforma continet autem hæc dispositio pœnam sententiæ ferendæ, non latæ.

Reuocantur contrariæ cõsuetudines.

Vbi Notandum Primò, Reuocari hic omnia statuta & consuetudines, quibus antea licitum erat vltra tres menses abesse; non tamen reuocantur priuilegia, si quæ erant a Sede Apostolica concessa. vnde quod Nauarrus cap. 25. num 121. ait consuetudinem honestam esse causam excusantem longiorem absentiam, verum quidem est iure antiquo; non autem post Concilium, vbi hoc eius decretum est receptum. secùs vero vbi non est receptum; nam vbi iure antiquo agitur. Consuetudo tamen absentandi se sine causa non valet, ex communi Doctorum sententia, teste Nauarro suprà.

163 *Causæ excusantes absentiam.*

Notandum Secundò, Esse aliquas causas excusantes à residentia.

Prima est, Audire Theologiam vel Ius Canonicum: hoc enim excusat à residentia ad quinque annos.

Secunda, Docere Theologiam vel Ius Canonicum: hoc excusat quantumuis longo tempore. In his duobus casibus non requiritur licentia Episcopi vel Prælati; nam ad Theologiam audiendam & docendam, Pontifex facit copiam in capit. Super specula, de Magist. & hoc caput DD. extendunt ad Ius Canonicum, secuti Archid. in c. 2. de priuil. l. 6. & Panorm. in d. c. Super specula. Ad litteras autem humaniores & philosophiam requiritur licentia Episcopi; nisi vbi contraria consuetudo viget, vt notat Nauarrus cap. 25. num. 21.

Tertia, Si duo Canonici sint in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ vtilitatem, capit. Ad audientiam, de Clericis non residentibus: quod Nauarrus lib. 3. consil. 11. de præbendis, extendit ad obsequium Cardinalis non Episcopi, quem dicit posse habere saltem vnum Canonicum sui tituli in obsequium.

Quarta est, Obsequium Papæ ad Ecclesiæ vtilitatem. c. Cùm dilectus, de Cler. non resid.

Quinta, Licentia legitima ex quauis alia iusta causa, iuxta Glossam in capit. Inter quatuor, de Clericis non residentibus.

Sexta, Honesta consuetudo; iuxta Innocentium, Panormitanum & alios DD. vt docet Nau. sup. sed hoc intellige vbi Concilij dispositio non est recepta. quod si quis absque iusta causa absit, peccat mortiferè: non tamen tenetur ad fructuum restitutionem, si officio satisfecit, nisi ad eam condemnetur; vt docet Nauar. ex Panorm. cap. 25. num. 121. vel nisi id iure sit expressum, iuxta ea, quæ suprà diximus de Episcopis & Parochis.

164 *Distributiones.*

Notandum Tertiò, Eos, qui etiam ex legitima causa absunt, non lucrari distributiones: quia Concilium illis solis vult eas dari, qui horis statutis interfuerint, quauis collusione & remissione exclusa. nisi aliquis cogatur abesse ad curanda Ecclesiæ negotia ex commissione Capituli, vel omnino inuoluntariè absit ob morbum, captiuitatem, excommunicationem iniustam, &c.

165 *Professio fidei.*

Notandum Quartò, Eos, qui intra duos menses adepti certi beneficij, non fecerint fidei professionem, fructus non facere suos. & quidè prouisi de beneficijs curam animarum habentibus, tenentur intra duos menses adeptæ possessionis coram Ordinario, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ fidei facere publicam professionem, & iurare se permansuros in Ecclesiæ Romanæ obedientia. Idem debent facere prouisi in Ecclesia cathedrali de Canonicatibus vel Dignitatibus, non solùm coram Ordinario, sed etiam coram Capitulo; alioquin non faciunt fructus suos, nec postulatio ipsis tu gregatur. Concil. d. sess. 24. cap. 12.

DVBITATIO XXX.

Vtrùm beneficiarij omnes teneantur ad preces canonicas.

166 *Obligantur ad preces canonicas.*

RESPONDEO, Beneficiarios regulariter ad preces canonicas obligari, est communis sententia Doctorum in cap. 1 de celebr. Missarum, & patet ex cap. Quia per ambitiosam, de rescript. in 6. vbi Pontifex reprehendit quosdam beneficiarios, quòd officium precum, propter quod beneficium datur, omitterent: & ex Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 9. §. Statuimus; vbi priuantur fructibus, qui officium diuinum non dixerint. Ratio est, quia iure naturali quisque tenetur ad officium, propter quod beneficium datur: atqui omne beneficium Ecclesiasticum datur propter officium, in quo regulariter comprehenditur preces canonicæ; vt patet ex communi sententia Doctorum, & praxi Ecclesiæ.

Dixi *regulariter*, quia sunt quædam beneficia, quæ ex sua institutione ad preces illas non adstringunt, sed ad aliquas alias, vt sunt quædam Præposituræ, & aliqui Personatus, & aliqua Præstimonia, quæ non requirunt quotidie nisi horas B. Virginis, vel 5. Pater noster & Ave Maria, vel semel psalmum Miserere. His tamen exceptis, omne beneficium iure communi annexum habet onus horarum canonicarum. vide Nauar. de orat. cap. 7. numer. 27 & 28. in Enchir. cap. 25. num. 103.

167 *Quando incipiat hæc obligatio.*

Petes, Ex quo tempore incipiunt obligari?

Respondeo, Certum est non obligari à tempore præsentationis, vel electionis, quia per hæc nondum habent dominum, seu ius in re. Nau. c. 7. de orat. nu. 29. docet eos obligari ab eo tempore quo per collationem & acceptionem, vel per institutionem, aut confirmationem incipiunt habere ius in re, & beneficium incipit esse ipsorum: ex illo enim tempore debentur illis fructus, etiamsi nondum possessionem acceperint. Ibidem refellit sententiam eorum, qui putant eos non teneri ante captam possessionem. Hæc sententia Nauarri est rationi & Iuri valdè conformis.

Altera tamen, *quod non teneantur ante captam possessionem*, est probabilis, eamque tradit Flaminius Parisius Romanus lib. 1. de resignat. benefic. quæst. 9 nu. 15. vbi dicit hanc opinionem esse veriorem, & crebriorem, & in praxi obseruari. Ratio esse videtur, quòd sæpè ante initam possessionem ius sit incertum, & multis modis possit impediri, qui primùm se prodant quando capienda est possessio. Crediderim tamen hanc sententiam non debere intelligi de ijs, qui per industriam differunt possessionem vt horas non recitent; sed solùm de ijs, per quos non stat quò minus eam capiant: quia fraus nemini debet patrocinari.

DVBITATIO XXXI.

Quæ excusent beneficiarium a precibus horarijs, & quæ non excusent.

Loquor de illis, qui non sunt in sacris ordinibus.

168 *Causæ excusantes a recitatione horarum.*

RESPONDEO Primò, Excusari eos, qui nec per se, nec per suos, vllos fructus percipiunt, nec percepturi sunt; si per eos tamen non steterit quò minus sint percepturi, vt docet Nauarrus suprà, Caietanus v. Horarum canonicarum omissio, & alij Doctores communiter. neque enim beneficiarij ex sua vel Ecclesiæ intentione se obligant ad officium, nisi persoluantur eis stipendia sustentationis, propter quæ illam obligationem susceperunt. cessante enim stipendio ministri, cessat obligatio ministerij.

169

Secundò, Probabile etiam est excusari eos, qui valdè parùm recipiunt; vt si beneficium sit adeò tenue vt non ha-

Partem recipientes.

beat ſupra octo aureos. Ita tenet Sotus l. 10.q.5.art.3.quem ſequuntur multi recentiores,& fatetur Nauar.ſupra cap.7. nume.27. multos viros pios & doctos ita ſentire. quamuis ipſe cum pleriſque contrarium teneat. Probatur Primo, Quia *qui altari deſeruit, de altari viuere debet*, iuxta Apoſtolum 1. Corinth. 9. ac proinde qui Eccleſiæ ſeruiunt, de eius prouentibus viuere debet: atqui beneficiarij Eccleſiæ ſeruiunt: ergo beneficium tribuere debet ſaltem bonam partem moderatæ ſuſtentationis; alioquin non cenſetur viuere de Eccleſia. Hoc argumento probat Pontifex cap. Cùm ſecundùm Apoſtolum. 16. de præbendis, eos, qui ordinantur, debere ali ab Eccleſia. Secundò, illi beneficiarij non obligantur ratione ordinis, vt ſuppono; ſed tantùm ratione mercedis, quam accipiunt: atqui non videtur rationabile vt is, qui ſolùm ſeptem vel octo aureos accipit pro mercedem, ad tantumdem obligetur, ad quantum qui centum. Tertio, Qui nihil accipit, ad nihil tenetur, ergo ſimiliter qui parùm, non tenebitur ad totum. Quartò, Quia vt ait Caietanus, v. Beneficiorum multiplicatio, beneficium adeò tenue vt non ſufficiat ad ſuſtentandum miniſtrum, non eſt beneficium, niſi imperfectè, cùm non poſſit tali ratione inſtitui vt vnum ſit in vſus ſtipendium. quod cõfirmatur ex capitul. Is cui. 9. de præbendis in 6. vbi beneficium inſufficiens habetur quaſi non eſſet beneficium. Vnde mihi videtur probabile, cum non teneri ad quotidianum penſum precum canonicarum, cuius beneficium eſt adeò tenue vt non ſuppeditet bonam partem tenuis ſuſtentationis, v.g. 15. vel 16. aureos. Secùs tamen, omnes, qui aliquid percipiant, aliquoties teneri per annum, v.g feſtis & Dominicis, prout ratio dictauerit. non enim par eſt vt fructus aliquos percipiant, & numquam officium recitent, neque enim vt ob tam exiguos fructus obligentur quotidie, ſed vtendum *arbitrio*, & moderandum iuxta piam Eccleſiæ mentem.

Tertiò, Non excuſari beneficiarium à precibus primo & 170
ſecundo anno, eò quòd fructus beneficij horum annorũ in
Pro anno fabricæ & domus mortuarij.
quibuſlibet Eccleſijs debeantur fabricæ vel deceſſori mortuo, vt notat Nau. cap.7. nu.30. tum quia debetur ei dimidia pars fructuum, prout Ioannes XXII. declarauit, Extrauagan. Suſcepti, Ne ſede vacante; tum quia poteſt deſeruire; & ſuſtentationem Vicario debitam percipere; tum quia alterius anni fructus recipiet poſt mortem; alterius verò recipiet per totam vitam, nempe in eo, quod alioquin cum ceteris debuiſſet in fabricam impendere; quam ex fructibus ſuorum beneficiorum tenẽtur conſeruare. nam quarta bonorum eccleſiaſticorum, quæ ex Canonum diſpoſitione fabricæ erat aſſignanda in illis Eccleſijs, Canonicorũ præbendis incorporata fuit, cum onere vt ex fructibus ſuarum præbendarum fabricam conſeruarent. vt autem ſe ab hoc onere liberarent, effecerunt vt quod tota vita per partes contribuendum erat, primo anno ſimul daretur: per quod non potuerunt efficere vt illo anno non diceretur officiũ. Neque credibile eſt eam mentem S. Sanctitatis, ſi illud inuentum confirmauit, fuiſſe: non enim par eſt vt per talia compendia diuinum officium minuatur.

Aduerte tamen, etſi hæc ſententia omnino vera videa- 171
Sententia no improbabilis
tur; non videri improbabile nouos Canonicos non teneri pro anno fabricæ, ſi non eſt in eorum poteſtate vt aliquid ex eo recipiant. Ita enim in ſimili tenet Nauar. de or. ca.7. num.30. ſicut enim à principio potuerunt beneficia cũ hoc modo inſtitui vt primo vel ſecundo anno ſint prouiſus inutilia, fructibus eorum fabricæ applicatis; ita etiam longa conſuetudine potuit id introduci: ſic enim non videtur illis refundi poſſeã quod tunc amittunt; quia numquam habuerunt obligationem pro fabrica contribuendi.

Dixi, *Situm eſt in eorum poteſtate vt aliquid recipiant.* quia ſi reſidendo poſſunt recipere ſaltem ex diſtributionibus, quantum ſufficit ad bonam partem ſuſtentationis. non video qũo poſſint excuſari: cùm per illos ſtet quo minùs recipiant. Si enim velint munere ſuo fungi, recipient aliqua, etſi non omnia. Nam diſtributiones ad fructus beneficiorũ pertinent. Niſi forte poſſint excuſari per cõſuetudinem legitimè præceptam, de qua tamen debet conſtare.

Quartò, Non video excuſandos eos, qui habent altaria 172
Adoleſcentes habentes altaria.
vel capellas & cũ non ſint Sacerdotes, expendunt maiorẽ partem prouentuum in ſubſtitutum, qui ſacra faciat: eſt enim nonnullus abuſus merito reformandus, quòd talia beneficia dentur adoleſcentibus. vnde non poteſt cenſeri

mens Eccleſiæ vt excuſentur. deinde illa beneficia per ſe ſufficiunt ad bonam partem ſuſtentationis, quod autem illi maiorem partem prouentuum cogantur alijs dare, eſt ex eo quod ipſi ſint inepti ad beneficij primariam functionem; quod non debet eos excuſare. quia tamen paſſim eſt conſuetudo vt talia dentur adoleſcentibus, ſenſerit aliquis non condemnandum, ſi quis cum illis aliqua moderatione cauſa ſtudiorum vtendum putet. ſuppoſita enim illa conſuetudine, non plus cenſetur beneficium ſuo poſſeſſori valere, quam quod deducto ſtipendio Sacerdotis ſupereſt. Sed hæc res non eſt ampliandа; nec putarim faciendum abſque expreſſo vel tacito Pontificis conſenſu.

Quinto. Eos, qui ſunt in poſſeſſione, non excuſari ex eo 173
quòd beneficium ſit litigioſum, aut quòd fructus ſint ſequeſtrati, vel ab alio percipiantur. ſi tamen probabile ſit ipſos in lite fore ſuperiores, & fructus illos obtenturos. quod ſi non ſperant ſe pro illo tempore quidquam habituros, non tenentur.

Sextò, Non excuſantur qui ideò nihil recipiunt, quòd *Non reſidentes.*
non reſideant, cum tamen poſſint: qui ſi reſiderent, eſſent recepturi ſaltem diſtributio es: quia per ipſos ſtat quòd nõ percipiant. ſecùs ſi impediantur a reſidentia vel periculis hoſtium, vel alia cauſa, quam ipſi non poſſunt tollere.

Petes, Quid dicendum de adoleſcentibus, qui magna 174
parentum auctoritate cogũtur acceptare beneficium, cũ tamen non habeant animum ſtatus eccleſiaſtici, & ſtatim dimitterent, ſi auderent?

Reſpõ. Teneri illos ad officium, ſi tamquam beneficiarij *Adoleſcentes, qui coacti receperunt benefic.*
intendunt percipere commodũ fructuum: quia tunc cenſentur ſatis conſentire in acceptationem & retentionẽ beneficij & oneris annexi. ſi vero nolunt quidquam ex fructibus, non videntur teneri. ratio eſt, quia acceptatio illa, & retentio beneficij eſt omnino coacta per metum reuerẽtialem, coniunctum cum minis, vel importunitate parentum, qui in adoleſcentibus æquiparatur iuſto & graui. hic autem ſicut excuſat a voto, etiam ſolemni explicitè vel implicitè facto, vt inf. cap. 40. dub. 2. dicetur, ita etiam ab obligatione precum Canonicarum. Confirm. quia non eſt æquitati conſentaneum vt ille cogatur ad preces illas, qui non cupit frui ſtipendio, & ſolum coactus recipit titulum beneficij. debet tamen ille habere animum reſignãdi quàm primum cõmodè poterit, & reſtituendi fructus perceptos: non tamen amplius quam ad ipſum peruenit. Imò ſi pater nomine filij percepit, vt fieri ſolet, non videtur hic filius magis obligandus ad reſtitutionẽ, quàm ceteri hæredes, quos pater ſuis bonis abſit. Sed primo loco tenebitur pater; & eo mortuo omnes hæredes pro rata. ille enim eſt cauſa iniuriæ, non filius. nec emolumentum cenſetur magis ad filium peruenire, quàm ad alios; cùm parens illum non minùs teneretur alere quàm ceteros. imò eſt ergo cur illi totum onus reſtitutionis imponatur debet tamen filius ceteris illam obligationem patefacere. *Fructus à quo reſtituendi.*

DVBITATIO XXXII.

Vtrùm beneficiarij non recitantes preces Canonicas, teneantur ad reſtitutionem fructuum.

RESPONDEO, Omnes beneficiarios ad preces Cano- 175
nicas adſtrictos, ſaltem ex diſpoſitione iuris canonici teneri ad reſtitutionem fructuum, ſi eas omiſerint, idque pro rata omiſſionis. Probatur ex Concilio Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 9. *Statuimus vt nemo beneficium curatum aut ſimplex habens, quod eo aſſis ſex menſibus ab eius conſecutione, ſine legitimo impedimento officium diuinum recitare omiſerit, pro tempore, quo non recitauit, fructus ſuos faciat; imo eos impendere tamquam rem minimè ſuam in fabricam Eccleſiæ aut eleemoſynas pauperum teneatur.* Verùm quia prædicta conſtitutio videtur quibuſdam, inter quos Sotus l. 10. quæſt. 5. art. 6. non fuiſſe recepta, vel potius quia non fuit ſatis ad praxim reducta, nec ſatis diſtinctè rem complexa. ideò a Pio V. fuit renouata, declarata & ſuppleta per quamdam Bullam, quam refert Nau. c. 25. nu. 182. ex qua.

Notandũ Primò, Eum, qui habet beneficium cum cura 176
vel ſine cura, ſi primis ſex menſibus officium non dixerit, peccare quidem grauiter, niſi legitimo impedimento excuſetur;

Primis sex mensib. non tenentur ad restitutionē, etsi peccent lethaliter. Post tenētur pro rata omissionis.

cusetur; non tamen ad restitutionem ex prædicto iure teneri; colligitur ex Concilio, & Bulla Pij V vnde tenentur beneficiarij statim accepta possessione incipere.

Secundò, Post sex primos menses elapsos, si omiserint, etiam tenentur ad restitutionem pro rata omissionis officij & téporis; quia fructus non faciunt suos. vnde qui per vnum diem officium omiserit, tenetur restituere omnes fructus illius diei: qui Matutinum tantùm omiserit, dimidiam partē: qui reliquas omnes Horas, alteram dimidiam: qui harum singulas (v.g. Laudes, vel Primam, vel Tertiam, &c.) sextam partem fructuum illi diei respondentium; cōprehensis etiam distributionibus, quas non lucrantur, etiāsi alias choro intersint; vt expresse habet d Bulla.

177 *Restitutio faciendā fabricæ vel pauperibus.*

Tertiò, Hanc restitutionem faciendam fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus, siue illius loci, vbi beneficium situm est: siue alterius: tam Concilium & Bulla in genere loquuntur. Vnde si beneficiarius est pauper, potest ipsi illa restitutio applicari: quod intellige, nisi ex consuetudine vel statuto, id quod alij amittunt, accrescat alijs, qui intersunt & recitant officium, vt distributiones, & interdum ipsum corpus fructuum; vt notat Nauarrus numero 123 Credo tamen, quando res est occulta, & restituendo distributiones vel alios fructus, sum peccatum proderent, posse in alios vsus pios expendere.

Quartò, Meritò tam seueram constitutionē esse editam, propter enormem multorum negligentiam, qui impudenter officium etiam per menses & annos omittunt: non tamen videtur passim cum eo rigore recepta. vnde in eo, qui ordinarie satis diligens est, posset fortasse aliquod moderamen adiberi. Henriquez cap. 13. de excommunicatione refert praxim cum sapientum consilio ita hunc rigorem

Moderatio quorundā.

moderari, vt Parochus & Episcopus quintam partem pro rata restituant, reliquas quatuor, ratione tituli & onerum retineant: Canonicus quartam partem restituat: alij beneficiarij tertiā. citat Barthol. Medinam, Lopezium Pisam, Cuenos, Gallo, additque cum ea moderatione Bullam Pij V. in Hispania receptam. Hæc tamen moderatio videtur iusto laxior, præsertim in Canonicis, & alijs, qui non habent aliud onus quàm precum. Vnde eam limitauerim ad eos beneficarios, qui alia onera habent, idque iuxta onerum proportionem.

178 *Quo iure teneantur ad restitut.*

Sed dubium est, Vtrùm solo Iure Canonico teneantur ad restitutionem, an etiam Iure naturali?

Sunt duæ sententiæ, Prior est, eos Iure naturali non teneri. Ita Sylvest. v. Clericus 4. num. 16. vbi pro hac sententia citat Innocent. Ioann. Andream, Antonium de Butrio, & Panorm. in ca. 1. de celebrat. Missarum. item Rosellam, Paludanum & alios multos: quam Couarru. libr. 3. variar. cap. 13. nu. 10. fatetur esse communem.

Altera est, Eos iure naturæ ad restitutionem teneri; hāc tenet Calderinus, Dominicus, Decius & alij, quos citat Couarruuias, Adrianus in 4. quæst. An Clericus teneatur restituere, & cæt. Angelus v. Horæ Canonicæ, num. 11. Sotus l. 10. qu. 5. art. 6. Couarruuias suprà & alij.

Sed videtur distinguendum; si enim loquamur de beneficijs curatis, & capellis, certum est beneficiarios non te-

179 *Beneficia, quorum alia est functio quàm precatio canonica.*

neri Iure naturæ ad restitutionem, etiamsi preces canonicas omiserint, quia hæc non sunt instituta ad illas preces, saltem vt ad finem præcipuum; sed ad alias functiones; vt ad offerendum sacrificiū, administranda Sacramenta, prædicandum verbum Dei, &c. vnde qui hæc præstiterit, Iure naturæ non tenebitur quidquam restituere, vel saltem non nisi parùm, etiamsi Horas omiserit. nam illa oratio est functio tantùm secundaria talis beneficij. Si verò loquamur

Benef. quorū præcipua functio est precatio.

de beneficijs, quorum tota vel præcipua functio est precatio canonica; habet quidem ex natura rei sufficiens ratio vt stipendium possit repeti & beneficiarij cogi ad restitutionem; tamen non tenentur sponte restituere, nisi Ecclesia significet se velle. Prior pars, *habesse sufficientem rationem* vt possint priuari, patet; quia beneficium datur propter officium, vt habetur cap. finali, de rescriptis in 6. & proinde si officium non fuerit præstitum, fructus beneficij possunt repeti: *datum enim ob causam, ea non secuta Iure repetitur.* hoc argumentum sibi obijcit Panormitanus in cap. de celebr. Missarum. quod satis probat ipsum teneri, si Ecclesia declaret se velle vt restituat.

180 Altera pars Probatur Primò, Quia ante Concilium Lateranen. sub Leone X. nullus erat Canon, quo beneficiarij qui officium omiserant, iuberentur restituere; quod signum est eos Iure non fuisse obligatos priusquam Ecclesia significaret se id velle.

Non tenentur restituere nisi Ecclesia significet se velle.

Secundò, Concilium Lateran. & Pius V. in Bulla satis aperte insinuant eos non obligari primis sex mensibus a capta possessione: nempe quia Ecclesiæ placuit indulgētius agere pro tempore, quo incipiunt: quod signum est eos Iure naturæ non obligari, nisi Ecclesia velit. si enim absolutè tenentur ad restitutionem Iure naturæ. sicut mercenarius diurnus omisso opere diurno, non minus obligantur primis sex mensibus, quam postea.

Fructus dantur non immediatè pro officio diurno vel annuo, sicut mercenario vel famulo.

Tertiò, Quia fructus beneficiorum non dantur illis immediatè pro officio quotidiano, sicut mercenarijs pro opere diurno; neque etiam vt famulis pro obsequio annuo, sicut dominus solet constituere mercedem famulo pro ministerio annuo, (quia officium diuinum non est pretio æstimabile, sicut obsequium famuli) sed dātur immediatè ad sustentationem ministri Ecclesiæ, sub onere recitandi illas preces pro fundatore & populo Christiano, Deumque per illas laudandi. Vnde tenetur quidem lege Iustitiæ preces illas recitare, sicut Parochus lege Iustitiæ tenetur Sacramenta administrare; si tamen omiserit, non tenetur Iure naturæ fructus refundere; quia non censetur aliquid pretio æstimabile omisisse vel detraxisse, quod eo modo compensari debeat. non enim illi fructus dari sunt pro obsequio aliquo temporalem vtilitatem habente, sed absolutè in sustentationem, cum obligatione orandi. Vnde patet differentia inter famulum & beneficiarum; famulus enim etsi

181 *Discrimen inter famulum & beneficiarium.*

nō teneatur ad restitutionem ob paucorum dierum negligentiam, sicut mercenarius diurnus; eo quòd stipendium ei detur immediatè pro obsequio annuo, in quo omissio paucorum dierum non censetur notabilis; tamen si multas hebdomadas omittat, tenebitur: quia subtraxit domino suo aliquid notabile, quod pretio æstimetur: ac proinde debet illud pretio vel aliquo obsequio compensare. beneficiarius autem non subtraxit aliquid pretio æstimabile, ac proinde non tenetur illud per restitutionem fructuū compensare; sed vel manet obligatus vt id quod omisit adhuc præstet per se vel per alium; (vt si omisit sacra pro fundatore dicenda) vel obligatio cum tempore euanuit, eo quòd opus annexum esset tempori, & proinde per lapsum temporis factum sit impossibile; & sic solum tenetur dolore de peccato cum proposito emendationis; vt si officium precum non soluit. quòd si illæ preces non essent singulis diebus addictæ, deberet eas postea recitare.

Quartò, Si Iure naturæ esset debita hæc restitutio, esset debita Ecclesiæ: atqui huic non est ita debita; tum quia nō tam Ecclesia censetur læsa per illā omissionem, quàm anima fundatoris: tum quia si Ecclesiæ Iure naturæ esset debita, non posset alijs pijs operibus applicari.

Quintò, Si Iure naturæ esset debita, deberetur etiam cū absque culpa officium omissum est; sicut operarius tenetur restituere mercedem, si per morbum vel simile impedimentum ex parte sua proueniens, opus non præstiterit; atqui Ecclesia numquam tales obligauit.

Hinc patet, nisi Ecclesia constituat, vt restitutio fiat, illam non esse necessariam. Potest autem id dupliciter constituere. Primò, Per modum legis pœnalis, priuando eos, qui omiserint, in vindictam peccati: hoc enim Ecclesia per absolutam potestatem suam facere potest. Verùm non fic videtur fecisse, quia ratio commodior suppetebat. Secundò, Per modū oneris, seu conditionis impositæ beneficijs: potest enim Ecclesia dare beneficia cum eo onere & sub ea lege & conditione, qua iudicat expedire. Itaque potest omnibus beneficijs, etiam curatis, imponere hanc legem, vt qui illa habet non possit fructus absolutè suos facere, si ex culpa preces omittat. Eamdem legē posset imponere fundator. Vnde propriè pœnalis non est, etsi in eos solos constituta sit, qui ex culpa omittunt, seu qui cessante legitimo impedimento non recitant.

182 *Potest Ecclesia restituere præscribere duplici modo.*

183 *Quando acquirant absolutum dominium fructuum.*

Ex dictis sequitur Primò, Beneficiarios non habere absolutum dominium fructuum, etiam antè perceptorum, nisi postquam officium tempori illi respondens dixerint; vel certè absque culpa prætermiserint: nam expressè dicit Pontifex & Concilium, *vt fructus non faciant suos, si cessante legitimo impedimento officium omiserint.*

Qui per ignorantiam omittunt.

Secundò, Eos, qui per ignorantiā inculpatam omisērūt, non teneri ad restitutionem; vt si eis persuasum fuit a viris

doctis

doctis, quibus meritò poterant credere, se non teneri pro anno domus mortuariæ; vel dum versantur in studijs.

Quę attentio sit necessaria, dicetur infrà, cap.37.dubit. 11 de oratione.

DVBITATIO XXXIII.

Vtrùm Canonici non canentes in choro officium diuinum, teneantur ad restitutionem distributionum.

184 DICO Primò, Vbi est consuetudo vt ipsi Canonici canant in choro, qui non canunt, non merentur distributiones, etiamsi domi preces recitent, aut submissè in Ecclesia dicant. Ita Sotus lib.10.quæst.5.ar.4 & Nauarrus de orat.ca.10.nu.47. Probatur Primò, Quia distributiones non sunt constitutæ ob nudam præsentiam, sed vt cum alijs psallant, & diuinum officium decantent, vt rectè Sotus ait. Canonicorum enim officium est psallere in choro, vt habet Conc. Basileense sess.21. §.3. Secundò, Quia Caietanus opusc.31. responsione 8. docet eum non satisfacere præcepto Ecclesię de decēdis horis, qui in Ecclesia alternā tibus choris, suos versiculos submissè recitat, quāuis alios attentè audiat; eò quod non communicet cum ceteris canendo, & sic per communicationem non censeatur totum recitare: quod Nauarrus sic intelligit, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, ita vt lucrari possit distributiones, quæ canentibus sunt constitutæ. Satisfacit tamen ita vt non peccet mortiferè, nec teneatur repetere; vt etiam docet Tabiena, §.vltimo. quia etsi non communicet cum eis quatenus canunt, communicat tamen quatenus recitant.

Dicens suū versiculum submissè in choro, an satisfaciat.

185 Dico Secundò, Vbi est consuetudo vt Canonici per Vicarios officium peragant, probabile est eos posse distributiones lucrifacere, etsi officium in choro vel domi recitēt; modò temporibus constitutis præsentes sint. colligitur ex Cajet. v. Horæ canonicæ, sub finem; tenet Petrus Nauarra lib.2.cap.2.nu.217. & Bernardinus Saudoualis de diuinis officijs cap. 16.

Vbi per Vicarios canunt, non tenentur, per se.

Probatur Primò, Quia etsi veteri Iure, & prima institutione teneantur Canonici per se diuina officia canere, tamen consuetudine in multis locis introductum est vt per Vicarios canant, Prælatis scientibus & non contradicentibus: quæ consuetudo non est omnino contra rationem; nā sic diuinum officium magnificentius & suauius canitur, cum Canonici sæpè voce, suauitate, vel peritia canendi careant: vnde per eam potuit Iuri antiquo derogari.

Secundò, In multis locis vtuntur cantu figurato, cui nō expedit Canonicos se admiscere: sufficiet ergo vt ipsi tam quam maiores Clerici sua præsentia omnia moderētur, & quæ alij canunt, ipsi attente meditentur, (vt suprà ait Caietanus) vel reuerenter assistant.

Tertiò, Quia Concilium Trident. sess.24.cap. 12. de reform. non videtur requirere aliud quàm decentem præsentiam; *Distributiones*, inquit, *qui statutis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quatenus collusionē aut remissione excluserint, his careant.* Idem habetur in cap. 1. de Clerico non residente, Bonifacij VIII. quod citatur a Concilio. Si Concilium vel Pontifex ille voluisset cantum esse necessarium, id expressisset.

186 Dico Tertiò, Superiores Canonicorum, vt Episcopi, Decani, Præpositi habentes Iurisdictionem in Capitula, tenentur curare vt Canonici per se & non per substitutos diuina officia obeant. colligitur ex Concilio Trid. suprà, *Omnes verò diuina per se & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire; atque in choro ad psaliendum instituto, hymnis & canticis Deo nemè reuerenter, distinctè, devotèque laudare.* quod intellige quando non adhibetur cantus figuratus, non enim illi cantui suas voces miscere tenentur.

Superiores debent Canonicos cogere, &c.

Aduertendum autem, hoc præceptum dirigi non ad Canonicos, sed ad Prælatos, vt conuenientibus Iuris remedijs Canonicos cogant. vnde peccant Prælati, si id negligant; non autem Canonici sua consuetudine vtentes, quādiu a Prælatis non vrgentur.

DVBITATIO XXXIV.

Quibus modis beneficia amittantur.

DIXIMVS de modis acquirendi beneficij, de conditionibus in beneficiario requisitis, & de ijs ad quæ beneficiarij obligantur: sequitur nunc vt dicamus de beneficiorum amissione; quod quarto loco nobis in hoc capite propositum erat. 187

Porrò amitti beneficium antè possessum potest vel ex dispositione Iuris, vel per sententiam Iudicis, vel per liberam dimissionem, seu resignationem.

Ex dispositione Iuris.

Ex dispositione Iuris amittitur, Primò, Propter crimen aliquod, cui pœna amissionis ipso facto per Ius est annexa. Secundò, Propter alterius beneficij incompatibilis consecutionem. Tertiò, Per professionem Religionis approbatæ. Quartò, Per matrimonium valide initum. de tribus postremis satis dictum est supra suis locis: de primo aliquid dicendum. Multa sunt crimina, quibus hæc pœna annexa est.

Crimi. quibus annexa est amissio beneficij.

Primò. Hæresis, cap. Ad abolendam. 9. de hæreticis, §. 1. adeò vt hæretico non prosit regula de triennali pacifica possessione, vt docet Rebuffus pagina 311.

Secundò, Schisma, cap Nos consuetudinem, d. 12. cap, Quia diligentia. 5. de electione.

Tertiò, Sodomia sæpius exercita, ex Bulla P. V. apud Nauarrum cap. 27. num. 249.

Quartò. Percussio Cardinalis vel Episcopi. cap. Felicis, de pœnis in 6.

Quintò, Homicidium qualificatum; nempè per sicariū pretio conductum. cap. 1. de homicidio, in 6. iuxta Alexandrum consil. 166.

Sextò, Falsificatio litterarum Apostolicarum; capit. Ad falsariorum. 7. de crimine falsi.

Septimò, Si quis per se vel alium occidat Rectorem vel alium Clericum suæ Ecclesiæ, in qua beneficium habet, c. In quibusdam. 12. de pœnis.

Octauò, Si examinatores ad parochialem, aliquid pro examine acceperint; de quo sup. dub. 16.

Nonò, Ob simoniam confidentiæ, ex Bulla Pij IV. & Pij V. apud Nauarr. c. 23. nu. 100. de quo infrà.

Decimò, Si obtinens Episcopatum, non accepit consecrationem intra sex menses a pacifica possessione; suprà dubit. 19.

Vndecimò, Si obtinens parochialem, non fuerit promotus ad sacerdotium intra annum; dubit. 19.

Duodecimò, Si quis duo incompatibilia primi generis simul retinere præsumpserit absque dispensatione amittit etiam secundum, de quo suprà dubit. 27.

Decimotertiò, Si Prælatus vel administrator alienet bona Ecclesiæ vel Monasterij absque forma Iure præscripta, vel inconsulto Romano Pontifice, Extrauag. Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis.

Decimoquartò, Si quis vi possessionem sit ingressus, Eum qui 18. de præbendis lib.6. vbi statuitur, vt *qui beneficium, cui animarum cura immineat, vi occupat, seu se scienter iniustè intrudit in eo, sit ipso iure primatus beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat.* Item, vt qui vi & propria auctoritate occupat aliquod beneficium, eo ipso amittat Ius, si quod ante ad illud vel in illo habebat, v g. per electionē vel præsentationem, vel collationem.

188 Notandum est, in his & similibus casibus (si tamen Iura illa quoad pœnas, non sint vsu abrogata) beneficiū impetrari posse tamquam vacans; sed crimen est probandum. Ipse tamen beneficiarius non tenetur sponte sua dimittere aute sententiam, vt suprà ca. 29. dubitat. 8. diximus, nisi in casu vndecimo & fortè decimo; quia Iura non sunt cum eo rigore recepta. Quando autem non est quis Iure priuatus, sed solùm priuandus; tunc beneficium ab alio impetrari non potest, nisi priùs feratur sententia priuatiua. Multa autem sunt crimina, ob quę quis priuandus dicitur, vt homicidium non qualificatum, cap. Clericis 5. ne Clerici vel Monachi, &c. sacrilegium, periurium, adulterium, & similia grauia delicta depositione digna, vt docent DD. in cap. Et si Clerici. 4. & cap. Cùm non ab homine. 10. de Iudicijs.

Beneficium tale potest ab alio impetrari.

Crimina ob quæ dicitur priuandus.

DVBITATIO XXXV.

Quid reſignatio in beneficijs, & quæ ad illam requirantur.

189 R*Eſignatio.* hoc loco eſt Iuris ſui libera demiſſio ſeu ceſſio *Libera*, inquam, non coacta, quia *coacta* per iniuriam, eſt nulla, vel certè annullanda. capit. Super hoc de renuntiatione, & Clem. Multorum de præb. Hæc autem fit tacitè vel expreſsè. *tacitè* fit ex Iuris diſpoſitione; abſque verborum expreſſione; vt ſi quis matrimonium contrahat; ſi lite ſuper beneficio mota cedat; ſi per tres annos eam non proſequatur; ſi in ordinibus conſtitutus militiæ adſcribatur; & alijs modis, quos vide apud Rebuffū, §. de tacita reſignatione, & Flaminium Parilium lib. 1. de reſignat. quæſt. 1.

Expreſsè fit, quando diſertis verbis agitur. hęc autem eſt duplex, alia *pura*. quæ fit ſine conditione & pacto appoſito; & tunc Ordinarius poteſt conferre beneficium cuilibet. alia eſt *conditionalis* ſeu in fauorem: & hæc vel eſt *ſimplex* in fauorem, vt quando fit abſque reſeruatione: vel eſt *qualificata* vt quando fit reſeruato ſibi iure regreſſus vel ingreſſus, vel penſione, vel aliquibus fructibus: de quibus plura infrà c. 35. de ſimonia. vide Flaminium quæſt. 2.

Circa quæ Notandum eſt, Vt *reſignatio conditionalis* &
190 id, quod ex vi illius ſecutum fuerit, ſit validum, requiri
Vt reſignatio ſit valida, quæ requirantur. Primò, Vt beneficium ſit reſignantis; quia reſignatio eſt ſui Iuris demiſſio. Vnde ſi ita ſit priuatus, vt ſponte ante ſententiam teneatur dimittere, non poteſt hoc modo reſignare. quòd ſi fecerit, collatio ex vi illius ſecuta, erit inualida. Si autem non tenetur dimittere ante ſententiam, reſignatio valida erit; quia adhuc beneficium eſt ipſius quoad Ius poſſidendi & fruendi. poteſt tamen poſtea per ſententiam irritari: ſicut contractus & alienationes eius, cuius bona ipſo Iure ſunt confiſcata ob crimen hæreſis, perduellionis, inceſtarum nuptiarum, &c. irritari poſſunt; etſi valeant donec ſententia irritationis feratur. de quo vide ſup. cap. 29. dub 8.

Secundò, Debet eſſe libera, non metu vel dolo extorta; alioquin eſt inualida, vt dictum eſt; quando enim fraus vel metus dat cauſam contractui, non obligat, præſertim ſi velitis, qui iniuriam paſſus eſt; nam ſaltem arbitrio eius poteſt reſcindi; L. 1. ff. Quod metus cauſa geſtum; de quo ſuprà cap. 17. dub. 5. quod ſi quis ſpoliatus beneficio coactus fuerit renuntiare, poteſt intentare remedium capit. 3. Redintegranda. 3. q. 1. Nec Iudex debet audire detentorē, niſi ſpoliato fuerit reſtituta poſſeſſio, cap. Super hoc. 5. de renuntia. vide Gloſſam in capit. penult. de his quæ vi, metuſve cauſa fiant.

Tertiò. Debet fieri in manibus eius, qui poteſt eam ad-
191 mittere. Hic autem eſt Summus Pontifex, reſpectu omnium beneficiorum. Deinde Ordinarius, reſpectu eorum, quæ ipſi ſubſunt. Tertiò, Collator vel inſtitutor, præſertim ſi habeat Iuriſdictionem, qua poſſit ex cauſa etiam beneficio priuare. colligitur ex capit. Admonet. 4. de renuntiatio. Quidam tamen inſinuant apertè talem Iuriſdictionem non eſſe neceſſariam: nam ſolùm dicunt non eſſe improbabile eam requiri. Ita Innocent. in capit. Quod in dubijs 8. in fine, de renuntiatio. & Gloſſa Clement. prima, de renuntiat. v. Manibus.

Vbi aduerte, quando reſignatio fit in manus Ordinarij, & collatio pertinet ad inferiorem, vt ad Decanum, Prepoſitum, vel Canonicum; non poſſe Ordinarium ſine illius conſenſu conferre: nam non debet proprius collator vel inſtitutor per hoc Iure ſuo priuari. Quod ſi fiat in manibus laici, valet quidem in præiudicium reſignantis, ita vt poſſit eo ſpoliari; non tamen ita vt vacet, niſi Superioris conſenſus acceſſerit; vt apertè colligitur ex d. ca. Quod in dubijs. Idem dicendum ſi fiat coram Notario, vel alio, qui non eſt Superior eccleſiaſticus reſignantis. c. fi. de renunt. vide Flam. Parifium lib 7 quæſt 9. & Rebuffum de reſign. expreſſa, nu. 11.

Poſtò Ordinarius non poteſt admittere reſignationem cū regreſſu vel ingreſſu, quia continet ſimoniam confidentiæ, vt infrà dicetur. Poteſt tamen Pontifex eam admittere cuius auctoritate hæc labes poteſt tolli a reſignatione, cùm ſolo Iure humano ſit inuecta. De reſignatione, cum penſione & in fauorem tertij eſt dubium: plerique enim Doctores tenent eam eſſe ſimoniacam, niſi fiat in manibus Pontificis. ſed de hoc infra cap. 35. de ſimonia, dubitatione 14. & 15. *Reſignatio cū penſione.*

Quartò, Debet acceptari a Prælato, in cuius manibus fit; alioquin reſignans non perdit Ius ſuum; c. fi. de renunt. & c. inter. 17. de præb.

Quintò, Debet conferri illi, in cuius fauorem cum clauſula conſueta eſt reſignatum; alioquin prouiſio non valebit, etiamſi à Papa ſit facta. vt docet Rebuffus, §. de reſignatione conditionali, nu. 19 & colligunt DD. ex c vnico, de rer. permutat. in 6. non enim poteſt Ius meum mihi auferri & dari alteri me inuito, niſi in pœnam. 192

Sextò Requiritur, vt is, cui conferetur ex vi reſignationis, illud accepter; alioquin reſignans non amittit ſuum beneficium, propter clauſulam *non aliter*, &c. Vbi aduerte, etiamſi beneficium iam ſit collatum reſignatario, tamē reſignans manet in adminiſtratione ſui beneficij, donec alter poſſeſſionem acceperit; quia antè non amittit poſſeſſionem. Sicut Proconſul manet in adminiſtratione, donec ſucceſſor aduenerit, & quaſi Prouinciæ poſſeſſionem ceperit; L. Meminiſſe. 10. ff. de off. Proconſ. *Quando amittat poſſeſſionem.*

Septimò, Requiritur conſenſus patroni, ſi eſt beneficiū Iuris patronatus; vel electorum, ſi eſt electiuum; alioquin reſignatio in fauorem non valebit; ſicut nec permutatio, Ita Glo. in Clem vnica, de rerum permut. Felinus in cap. Cùm Bertoldus. 18. col. 5. de ſenten. & reiudicata, Rochus de iure patronatus, v. Honorificum q. 3. Gigas de penſionibus, quæſt. 23 & 24. 193 *Conſenſus patroni.*

Si tamen reſignatio illa putaretur Eccleſiæ vtilis, poſſet eam Superior approbare; (ſicut dicemus de permutatione) & valeret abſque conſenſu patroni. Hoc tamen caſu ſi patronatus eſt laici, debet ei derogari in literis collationis. Idem dicendum in permutatione, alioquin non eſt valida, vt docet Gigas q 24. nu. 5.

Octauò, Si reſignans ſit infirmus, debet ſuperuiuere 20. dies poſt reſignationem: alioquin cenſetur beneficium vacare per obitum, non per reſignationem, ac proinde omnis collatio ex vi talis reſignationis ſecuta, eſt irrita. Ita expreſsè habet regula cancellariæ quam explicat Rebuff. §. Regula de infirmis. 194 *20. Dies ad teſtandum.*

Nonò, Si reſignatio fiat in curia Romana, debet intra 6. menſes, à die ſupplicationis oblatæ computandos, publicari in loco beneficij; ſi autem fiat extra curiam, intra menſem publicari debet: alioquin ſi contingat reſignantem mori antequam reſignatarius ceperit poſſeſſionem, beneficium cenſebitur vacare per obitum, & collatio facta reſoluetur. Ita habet regula cancellariæ, quam idem Rebuff. explicat, §. Regula de publicandis. *Publicetur reſignatus.*

DVBITATIO XXXVI.

Quid permutatio, & quæ ad eam requiſita.

195 P*Ermutatio, eſt certa rei ad alteram facta mutua præſtatio.* vt habetur L. 1. ff. de rerum permut. quæ definitio etiam beneficiorum permutationi conuenit. Ad hanc ferè omnia requiruntur, quæ ad reſignationem in fauorem. Primò enim requiritur; vt permutantes ſint domini ſuorum beneficiorum: nemo enim poteſt permutare cum alio niſi rem ſuam. Vnde qui iam accepit ſecūdum beneficium incompatibile; non poteſt permutare primum cum alio ſimplici; quia vacat, ita vt non ſit amplius ipſius. Secùs ſi in pœnam delicti dicatur vacare, vt dictum eſt ſuprà num. 190. pari modo ſi alter nihil Iuris habeat in beneficio, quod permutat, non valet permutatio, cap. Cùm venerabilis, de exceptionibus, & L. 1. ff. de rerum permu. & vterque redit ad ſuum beneficium, ſine noua collatione, vt notat Ioannes Andr. in cap. vnicum, de rerum permutatione in 6. quia nihil cenſetur actum defectu conditionis neceſſariæ. Si beneficium poſt permutationem deprehendatur ſubiectum lite, qui illud reſignauit debet litem proſequi: & ſi euictum fuerit, alter redibit ad ſuum; cap. Si beneficia. 20. de præb. in 6. *Requiſita ad permutationem.*
1. Debent eſſe domini beneficij.

Secundò, Debet eſſe libera, id eſt, non fraude vel metu extorta, vt ſup. nu. 190. *2. Libera.*

Tertiò, Requiritur vt vterque beneficium ſuum reſignet in manus Ordinarij, cui beneficium ſubeſt, ſiue is ſit 196

vnius

vnus idemque, siue alius & alius. Vbi Aduerte; inferiorem Episcopo, absque prævio illius consensu permutantibus præstito, non posse recipere resignationes causa permutationes, & ex vi illius conferre: id enim solis Episcopis concessum videtur, cùm alias sit iure prohibitum: vt patet capit. Quæsitum. 3. de rerum permutatione. vbi dicitur; *Generaliter teneas, quod commutatis nec præbendarum de iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritalia vel connexa spiritalibus, habent semper continet simonia. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas,* &c. confirmatur ex capit. Admonet. 4. de renuntiat. vbi dicitur, *Vtrum sit personis tuis Episcopatus sub distinctione prohibeas, nec Ecclesias tuæ diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsulto.* Itaque solius Episcopi est auctoritatem permutandi præbere, sine qua omnia erunt irrita. Si tamen collatio ad alios pertineat, Episcopatus non potest sine eorum consensu exequi permutationem, recipiendo resignationes & conferendo ipsa beneficia; sed permutantes ad collatores sunt remittendi, vt in manus eorum resignatio fiat, & ipsi iure suo vtantur. Non enim hi iure suo possunt. Si tamen alicubi sit consuetudo vt etiam inferior Episcopo, vt Abbas, Præpositus, Decanus, sua auctoritate permutationes admittant & exequatur, valebit, vt docet Glossa & DD. in Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Quod si Ecclesiæ sint exemptæ, earum permutatio a Summo Pontifice est approbanda.

Consuetudo.

197 *4. Collatio fiat in permutantes.*

Quærò, Requiritur vt fiat collatio in permutantes. Vbi Aduerte, beneficium causa permutationis resignatum, non posse conferri nisi permutantibus, si alteri collatum fuerit, irrita est collatio, vt expressè habetur Clem. vnica, de rer. permutatione, vnde Ordinarius, si admiserit permutationem, astringitur ipsis conferre. Neque est necesse vt resignationes aut collationes fiant eodem tempore; possunt enim sæpè multi menses intercedere: quod maximè locum habet, quando beneficia sunt in diuersis diœcesibus; tunc enim debent resignari coram diuersis Episcopis, a quibus postea debent etiam conferri. Vnde sequitur, si Petrus & Paulus permutent sua beneficia, & Paulus resignet prior, factaque resignatione & collatione moriatur antequam Petrus resignationem sui beneficij fecerit, Petrum, habitutam vtrumque, vt etiam docet Rebuffus, § de permutat.

198 *5. Consensus, patronorum, &c.*

Quintò, Requiritur consensus illorum ad quos electio vel præsentatio spectat: alioquin non valebit permutatio; Glossa, in Clem. dictam, cum Felino & Rocho supra nu. 193. citatis.

Aduerte tamen, si patronus requisitus nolit consentire, posse Episcopum (si iudicat permutationem expedientem Ecclesiæ) sua approbatione supplere consensum, & valebit permutatio. Ita iudicauit totus Senatus Parisiensis, teste Rebuffo num. 22.

Sextò & Septimò, Requiruntur duæ vltimæ conditiones, dubitatione præcedenti positæ.

199 *Ius ad rem an possit permutari.*

Petes Primò, Vtrùm Ius ad rem possit permutari. v. g. Ius præsentationis; vel gratiæ expectatiuæ cum simili iure, vel cum beneficio?

Communis sententia Doctorum est id fieri non posse. probant ex capit. fin. de rerum permutatio. Sed ibi tantum dicitur *spiritalia cum temporalibus permutari non posse*, vt Ius decimarum cum pecuniæ summa: gratia autem expectatiua, & Ius nominationis non est quid temporale, sed spirituale. Nihilominus tenenda est communis sententia, præsertim de gratia exspectatiua; quia gratiæ sunt personales, & non excedunt casum expressum, vnde nec personam, cui conceduntur. Ita Panormitan. in cap. Cum olim. 7. de rerum permutat. quod probatur ex cap. Cui de non sacerdotali. 27. de præbendis 6. vbi dicitur, *Mandata de prouidendo, seu gratias expectatiuas non debere extendi vltra casus expressos.* Puto tamen has permutationes non esse irritas, si Ordinarius illas admittat; quia nusquam hoc iure expressum: & interueniente Superioris auctoritate in huiusmodi non committitur Simonia, cum sint res spiritales, vnde si ob iustam causam, v. g. ad litem componendam fieret, non putarem damnandum. Vide cap. 35. dubitat. 4. numero 30.

Non videntur irrita ipso facto.

Petes Secundò, Si quis velit suum beneficium resignare in meum fauorem, & Ordinarius nolit talem resignatio

200 nem admittere: vt ipse possit beneficium alteri conferre; Vtrùm ergo possim vi permutationis ficta, resignando causa permutationis beneficium, quod non habeo.

Permutatio ficta.

Rebuffus, § de permutat. numero 14. & 15. putat talem permutationem validam esse. Ratio est, quia non interest nisi partis, cui nulla hic fit iniuria. vel enim est conscia, & sic consentit, vel si non est conscia, integrum illi manet aut redire ad suum beneficium, aut agere ad complementum permutationis. Confirmatur, quia si tibi dedi rem meam causa permutationis, & postea nolim tuam, eamque tibi condonem, non irritatur permutatio.

Hæc sententia aliqua vera videri queat, si tu bona fide putabas me habere beneficium, quod cum tuo permutarem, & ideò resignasti coram Ordinario, qui mihi illud contulit: tunc enim trâsfertur dominium propter bonam fidem contrahentis, iuxta ea, quæ dicta sunt suprà cap. 20. dubit. 18. & 19. Petes tamen me cogere vt impleam contractum, vel vt acceptum restituam. Si autem sciebas me non habere beneficium, res est minùs verisimilis; etenim tunc non poteras bona fide velle permutare, sed donare gratis, seu resignare in fauorem; quam resignationem Episcopus noluisset admittere. vnde videtur collatio facta per errorem, ac proinde irrita.

Dices forte non esse irritam, quia Episcopus confert absolute volente parte, cuius est beneficium: vnde hic nulli fit iniuria. Nec refert quod Episcopus conferat per errorẽ, quia hic error est extrinsecus, versatur enim circa causam collationis: putat enim se conferre causa permutationis, cum non sit permutatio.

Nihilominùs hæc sententia mihi non probatur. Primò, Quia tanquam multis fraudibus aperit. Secundò, Quia ficta permutatio non est permutatio, & consequenter nullam vim habet vnde Ludouic. Gomez. quæst. 19. in reg. Cancellar. de infirmis, dicit permutationem cum beneficio, quod vocant *de pertica*, id est cum beneficio ficto, non valere. Tertiò, Quia collatio in hac permutatione est per errorem & fraudem extorta. Nec refert quòd error sit circa aliquid extrinsecum; nam etiam talis error, quando est causa contractus vel alicuius dispositionis, reddit illam irritam, vel certè in irritum reuocabilem, vt dictum est capit. 17. dubitat. 5.

DVBITATIO XXXVII.

Quid & quotuplex sit pensio.

PEnsio hoc loco, *Ius percipiendi fructus ex alieno beneficio.* 201
Dico *Ex alieno*; quia nemo ex suo beneficio dicitur habere pensionem, cum eius habeat proprietatem & fructus omnes, sicut nemo dicitur habere, vsumfructum in suis bonis. sed solùm in alienis: est enim pensio similis vsufructui à proprietate separato.

Pensio est triplex, temporalis, spiritalis, media. *Temporalis* dicitur, quæ datur propter aliquod ministerium temporale præstitum vel præstandum; vt ea, quæ datur viro illustri vel Principi vt Ecclesiam defendat; quæ œconomo, vel alteri negotia Ecclesiæ agenti. Item quæ datur ob bonã operam Ecclesiæ nauatam, vel ob spem nauandæ. 202 *Pensio triplex.*

Spiritalis est, quæ fundatur in titulo merè spirituali, vt ea, quæ datur concionatori, vel adiutori Episcopi aut Parochi.

Media est, quæ fundatur in solo statu spirituali, non tamen in officio spirituali præstando; vt ea, quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni, vt se sustentet; & quæ datur causa resignationis vel litis componendæ. hæ duæ postrema vocantur clericales, seu ecclesiasticæ pensiones, quia solis Ecclesiasticis dantur: prima verò laica, quia laicis.

DVBITATIO XXXVIII.

Quanam requirantur vt pensio ecclesiastica possit obtineri.

PRIMO requiritur vt obtinens sit capax. vt autem sit capax, necesse est Primò, Vt sit Clericus, ac proinde vt habeat primam tonsuram, vt docet Gigas q. 22. quod intelligo si pensio reseruatur alicui tamquam Clerico: quia 203 *1. Capacitas, quæ requiratur.*

etsi

Clericatus. Ætas.

etsi Ius expressum hac de re non sit, tamen ita seruat titulus Curiæ Romanæ, qui pro lege seruatur; vt dicũt DD. Ætas autem ea sufficit, quæ ad tonsuram, vt docet Gigas qu. 13. Neque Concilium Trident. quidquam hac in re mũtauit: etsi credam magis secundùm mentem Concilij esse vt adsit ætas necessaria beneficijs. Secundò, Vt non sit illegitimus; hic enim sine dispensatione non est capax pensionũ, vti nec beneficiorum; vt probat Gigas quæst. 16 neque Episcopus cum eo dispensare potest, nisi ad pensiones, quas ipse potest reseruare. Tertiò, Vt non sit excommunicatus: hic enim sicut aliorum priuilegiorum impetrandorum est incapax, ita etiam pensionum. Vnde is cui pensio reseruatur, solet in litteris absolui ad cautelam sicut in litteris prouisionis beneficiariæ. Idem videtur dicendum de ceteris censuris & irregularitate; nam ab his omnibus ad cautelam absolui solet.

Legitimus.

Non inuadatus censura.

204 Secundò, Requiritur vt subsit *iusta causa*; qui enim sine iusta causa pensiones obtinet, non sunt tuti in conscientia, etiamsi Pontifex cum eis dispensauerit; vt docet Toletus lib. 5. c. 73. ex communi sententia Theologorum. Sicut qui accipit pecuniã ab œconomo, quem scit malè dispensare res domini sui, non potest retinere; præsertim si nullũ officium pro ea præstiterit. hæc autem causa debet cedere in vtilitatem Ecclesiæ; vt propter aliquod ministerium tẽporale vel spirituale Ecclesiæ exhibitum vel exhibendum, vel ad pauperem Clericum alendum, vel ad litem beneficiariam componendam, vel ad permutationem beneficiorum inæqualium faciendam.

2. *Causa iusta.*

Tertiò, Requiritur *potestas* in constituente seu reseruante. hæc autem est in Summo Pontifice, ad quem plenaria dispositio beneficiorum noscitur pertinere; vt habetur c. 2. de præbend. in 6. & Clemen. 1. in fine. Vt lite pendente.

3. *Potestas.*

An Episcopus pensionẽ reseruet.

Sed dubium est, Vtrùm Episcopus possit pensionem constituere?

205 Quidam docent posse, si causa iusta subsit. Ita Gigas q. 6. qui pro hac sententia citat Oldradum, Felinum, Antonium de Butrio, Innocent. Imolam, Petrum Ancharanum, Decium & Caccialupum. *Causa iusta* censetur, Primò, Si assignetur seni Parocho, non valenti amplius seruire, vt alatur. Secundò, Si causa transactionis in lite, vt patet cap. Nisi essent. 21. de præbendis, &c. Audiuimus. 3. de collusione detegenda. Tertiò, Si causa permutationis, ob inæqualitatem fructuum, cap. Ad quæstiones 6. de rerum permutatione, vbi satis apertè id videtur concedi. causa verò simplicis resignationis, Doctores Episcopo id non concedunt: nisi resignans esset senex, & ad præstandum officium ineptus; vel nisi alia rationabilis causa intercueniret. In his casibus non potest eam constituere, nisi ad vitam eius, cui

206 assignatur; vt docet Gigas ex Oldrado & Ancharano. Verùm quidam dicunt pensionum cõstitutionem per stilum Curiæ reseruari Summo Pontifici. Vnde Ordinarij non poterunt, nisi quatenus id eis priuilegio vel consuetudine est concessum. nam stilus Curiæ Ius facit: quod maximè in pensionibus verum est: quarum Ius vniuersum ferè constat consuetudine. Confirmatur quia pensionum constitutio est contra ius commune, quo statuitur vt beneficia sine imminutione conferantur, Decretal. lib. 3. tit. 12. Itaque continet in se dispensationem iuris. at Episcopus vtpotè inferior, non potest dispensare in iure, nisi quatenus id ei ipsum ius, vel consuetudo legitimè præscripta, quæ instar iuris habeat, concedit. Idem confirmari potest Extrauag. Ambitiosæ de rebus ecclesiæ non alienandis. Nam constitutio pensionis non minùs est alienatio quàm vel decẽnalis locatio, vel hypothecatio: quia est alienatio rei immobilis, nempè Iuris Ecclesiæ competentis, pars enim Iuris Ecclesiæ ad fructus alienatur. quod maximè locum habet in pensionibus perpetuis. Ius autem tale inter immobilia censeri constat. Idem crediderim de pensionibus vitalibus. quia non minus inter immobilia censeri debent, quàm reditus vitales, & vsusfructus. Addo has pensiones plerumque annexam habere aliorum bonorum obligationem, quę etiam illi Extrauag. repugnat. Requirit autem ea consuetudo de qua diximus, vt legitimè præscripta censeri debeat, secundum communiorem sententiam DD. vel 40. annos cum titulo, vel tempus immemorabile sine titulo. quia Ius commune & Iuris præscriptio ei obstat, iuxta c. 1. de præscript. in 6.

Quartò, Debet esse moderata, ita vt beneficiario relinquatur quantum satis est ad substentationem; præsertim si sit beneficium cum cura animarum. Vnde inoleuit consuetudo vt non excedat tertiam partem fructuum, testè Caccialupo, tract. de pensionib. q. 7. & regulariter Legatis Apostolicis datur potestas reseruandi pensiones super fructibus beneficiorum ex causa resignationis vsque ad tertiam partem prouentuum, vt testatur Gigas q. 6. & 9. potest tamen Pontifex maiorem constituere.

4. *Moderatio.*

Quintò, Etsi beneficium, cui pensio imponitur, sit Iuris 207
patronatus laicorum; non tamen est necessarius consensus patroni, vt quidam volunt: quia id nullo iure cauetur; & aliàs nullum fit ● per impositionem pensionis præiudicium: patroni enim non est percipere aliquos fructus, nisi in necessitate, quando ab Ecclesia deberet ali: quæ necessitas, cùm non impendeat, non est considerabilis: sed tantùm eius est præsentare instituendum; quod ei per pensionem non adimitur. secùs est in permutatione & resignatione, quæ fit in fauorem, & in vnione beneficiorum; in quibus suo Iure priuatur. Vnde debet ordinariè eius consensus intercedere, debet tamen in litteris, pensionis fieri mentio, & derogatio patronatus si sit laicorum. vt habet stilus Curiæ; teste Gigante quæst. 24. non tamen si sit Ecclesiasticorum; vt tradunt DD. in capit. Cum dilectus, de Iure patronatus. difficilius enim Pontifex onerat beneficia patronatus laicorum, quàm Ecclesiasticorum.

Consensus patroni non est necessarius.

Sextò Pensionarius etsi iure antiquo non teneatur ad 208
aliquas preces; nunc tamen post constitutionem Pij V. vbi ea est recepta, tenetur recitare officium B. Virginis; vt patet ex Bulla eiusdem. quod si omiserit, non facit fructus suos eodem prorsus modo, quo beneficiarius horas Canonicas omittens. vide Bullam eius apud Nauarrum cap. 25. num. 122.

Recitat horas B. Virg.

Septimò, Pensio non est perpetua vt beneficium, sed morte pensionarij extinguitur, sicut vsusfructus morte vsufructuarij. Posset tamen Pontifex efficere vt sit perpetua instar beneficij, vtque de vno in alium transferatur. sed hoc ex plenitudine potestatis, non ex natura & conditione pensionis.

Vtrùm pensio possit redimi, vel vendi, dicetur capite sequenti dubit. 22.

CAPVT XXXV.

De Simonia.

Constat Dubitationibus. 31. D. Thomas q. 100.

ETSI simonia sit peccatum oppositum religioni, tamẽ visum est de ea proximè post beneficia tractare, eo quòd potissimum in præsentationibus, electionibus, postulationibus, collationibus, resignationibus, & permutationibus beneficiorum locum habeat. Primum dicemus de simonia secundùm se. Deinde de præcipuis modis in particulari, quibus fieri solet. Tertiò, de pœnis eius.

DVBITATIO I.

Quid Simonia. D. Thom. art. q. 100.

NOTANDVM est *simoniæ* peccatum a *Simone* mago nomen accepisse, idque ob tres causas. 1 *Dicta simonia a Simone.*

Primò, Quòd ille primus tempore noui Testamenti legatur

ne magus ob tres causas.

gatur hoc crimine infectus fuisse, Actor.8.

Secundò, Quod grauissime inter omnes antiquos hoc genere peccati peccauerit: voluit enim emere pecunia donum illud, & potestatem admirabilem visibiliter conferẽdi Spiritum sanctum, idque eo fine vt ipsum Spiritum sanctum postea venderet; vt docet D. Augustinus tract.10.in Ioannem, *Volebat*, inquit, *emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum*; & colligi potest ex c.8. Actorum. Priores autem solum rem spiritalem creatam vendiderunt; vt Balaam suam prophetiam, Numero 22. & 23. Giezi minister Elizæi sanitatem diuinitus concessam, 4. Regum 5.

Tertiò, Quia Simon videtur etiam pertinaciter sensisse hoc ipsum esse licitum, ac proinde fuisse hæreticus hac in re: quod insinuat D. Amb. l.2. de pœnit. c.4. & habetur 1.q. 1. can. Petrus. videtur autem hoc vitium maximè cepisse vocari nomine simoniæ tempore Gregorij I. qui etiam vocat illud *hæresim sine macula*, nempe quia est exterior quædam professio hæresis seu prauæ opinionis; (sicut imaginũ deturpatio & concalcatio est professio hæresis internæ,) præsertim si publicè & sine pudore fiat, sicut fiebat in Gallijs tempore Gregorij, vbi palam pro collatione ordinum exigebatur pecunia, vt constat ex regist. epist. 110. 113. & 114. Priores tamen Patres vocant illud passim vitium Simonis vt Chrysostomus, Ambr. & Nazianzenus. vide plura testimonia 1. q. 1.

2 *Est contra religionem.*

Notandum Secundò, Simoniam esse vitium contra virtutem religionis, consistens in rerum sacrarum indigna tractatione, non qualibet; (variis enim modis indignè tractari possunt:) sed qua res sacræ tamquam prophanæ æstimantur, & in contractus deducuntur: hæc enim est magna in Deum, a quo sanctitatem habent, irreuerentia; quæ vocatur simonia. Vnde patet simoniam esse speciem sacrilegij, qua res sacra indignè tractatur, dum pretio temporali æstimatur, & in contractum deducitur. Solet autem sic definiri.

3 *Definitiõ simoniæ.*

Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. sic Glossa in ca. 11. Qui studet. 1.q. 1. passim a DD. recepta. Solum additur à DD. *pretio temporali*, maioris explicationis causa. Hæc definitio habet quatuor partes.

Explicatur definitio.

Prima, *studiosa voluntas*, id est, deliberata; vt excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpata. loquimur enim de peccato simoniæ in sua specie perfecto.

Secunda, *emendi aut vendendi*, quibus verbis significatur omnis omnino contractus non gratuitus, siue sit vera emptio, siue locatio, siue permutatio, &c.

Tertia, *Pretio temporali*, si enim detur spirituale pro spirituali, non erit proprie simonia, vt infrà dicetur. turpitudo enim huius peccati consistit in eo, quòd spiritalia æstimentur pretio humano vel re aliqua humana, quæ sit pretio æstimabilis.

4 *Triplex pretium.*

Solet autem a DD. triplex pretium distingui, ex cap. 8. Saluator 1.q.3. *Pretium muneris*, vt pecunia, equus, bos, vestis, & similia vendi consueta. *Pretium linguæ*, vt laus & vituperatio, patrocinij aduocati, commendatio apud Principem. hoc enim officium est pretio æstimabile. *Pretium obsequij*, vt ministerium aliquod in rebus temporalibus, vt est famuli, œconomi, &c.

Malitia huius peccati.

Quarta, *Aliquid spirituale, vel spirituali annexum*, quia res mere temporalis non est materia simoniæ: illius enim cõmutatio non est contra reuerentiam rebus sacris debitam. Hinc patet malitiam huius vitij in eo consistere, quod iniuria quædam & irreuerentia fiat rebus sacris, atq; adeò ipsi Deo, dum tamquam res temporales pretio æstimantur & contractibus subijciuntur.

5 *Spirituale.*

Spirituale hic vocatur non omne aut solum incorporeum sed quod est aliquo modo supernaturale, siue sit aliquid reale, siue morale tantum, siue in modum actus, siue in modum habitus. talia sunt virtutes supernaturales, gratiæ præuenientes, gratiæ gratis datæ, sacramenta, consecrationes, benedictionesque Ecclesiæ, & omnis vsus potestatis supernaturalis.

Annexi spiritali.

Spirituali autem annexum: est quod cum aliquo spirituali connexionem habet; quod triplicitèr fieri potest, antecedẽdo, consequendo, comitando. *Antecedendo*, vt ius patronatus, quia supponitur præsentationi beneficiorum. Item ecclesiastica, quia supponunt officium diuinum. *Comitando*, vt labor in ministerio Sacramentorum.

Petes, Quare sola supernaturalia censentur esse materia simoniæ?

6 *Super naturalia sunt simoniæ materia.*

Respondeo, Quia cum hæc natura sua sint talia, vt humana industria non possint comparari, sed solum diuino munere gratis concedi, magna irreuerentia est, si pretio, sicut aliæ res humanæ æstimentur, quod locum non habet in ijs, quæ naturaliter possunt haberi; etiamsi per accidens alicui supernaturaliter infusa sint, vel post amissionem restituta; vt si alicui sit infusa ars mechanica, vt Beseleel, vel oculi amissi diuinitus restituti. Non enim quia aliquid diuinitus acceptum est, ideo efficitur inuendibile: sed quia est ordinis supernaturalis, nullis causis naturalibus comparabile, & directè concessum a Deo ad animarum conuersionem & salutem supernaturalem. Vnde etsi fama & vita non sint pretio æstimabilia, tamen quia sunt bona humana ordinis naturalis, non debetur illis ea reuerentia, vt non subijciantur pactis & pretio temporali. Nam vita licitè pecunia redimitur, & homines emuntur in seruos, & fama interdum interuentu pecuniæ vel comparatur, vel recuperatur.

7 *Vendere doctrinam licitum.*

Ex his sequitur Primò, Non esse simoniam vendere doctrinam vel notitiam cuiuslibet veritatis naturali industria comparabilis: vt rectè docet Sotus l.9.q.5.art.1. Victoria, de simonia relect.1.num.5 & Adrianus quodl.b.9.art.12. Vbi id fusè probat, & citat Durandum, Richardum & Paludanum. Est contra Altisiodorensem 3.p.q. pen. de simonia, & Alexan. Halensem 2.p.q.185.num.3. qui dicunt scitè etiam vendi non posse, quia est inæstimabilis pretij, sed solum laborem, qui in docendo ponitur. Sed probatur Primò, Quia naturali industria paratur, & ex causis naturalibus illa cognitio oritur. Secundò. Quò quis est doctior, eo maius stipendium potest exigere, & tamen minus laborat: quod est signum æstimari scientiam ipsam. Tertiò, Idem patet ex eo, quòd pro sublimiori doctrina maiora solent peti stipendia; quod tamen non liceret, si vendere doctrinam esset simonia.

8 *An apud Ethnicos. Iudæos, & in statu nudæ naturæ.*

Nec refert, quòd sapientia non possit auro æstimari: quia sapientia non solum pendet ab alterius doctrina, sed etiam a lumine interno. Deinde etsi secundum naturam suam non possit auro conferri; tamen ratione quarumdam conditionum annexarum, quæ æstimantur apud homines, vt sunt voluptas cognitionis, dignitas apud homines, vtilitas temporalis inde proueniens, potest sine iniuria auro conferri. Simili modo, homo secundum naturam suam est præstantior toto mundo: tamen ratione vtilitatis temporalis ex illo prouenientis, potest pretio vendi.

Sequitur Secundò, In statu nudæ naturæ non futuram fuisse simoniam proprie dictam; quia nihil ibi fuisset supernaturale. Similiter nec apud Iudæos modò, nec apud infideles est vlla vera simonia in venditione rerum sacrarum; nisi ex conscientia erronea, qua existimant se vendere rem sacram, (sicut Ieroboam vendens sacerdotia excelsorum 3. Reg. 13.) cum nihil sit apud ipsos verè sacrũ aut supernaturale. In statu tamen nudæ naturæ potuisset esse aliquid affine simoniæ, nam fuisset ibi verus Dei cultus, veri Sacerdotes, sacrificia & sacrificandi instrumenta, quæ nonnullam habuissent sanctitatem, in morali quadam deputatione constituram, quam pecunia æstimare, nonnulla videtur futura fuisse irreuerentia. Potest etiam ethnicus committere veram simoniam in rebus Christianorum, vt si venderet baptismum, aut vasa sacra propter consecrationem.

9 *An ob amorem vel timorem.*

Sequitur Tertiò, Non esse simoniam dare alicui beneficium ob amorem humanum; vt quia sanguine vel amicitia iunctus. &c. quia nullum intercedit pactum pro pretio. Similiter nec ob timorem; vt si des alicui beneficium ne tibi noceat; modò pactum non interueniat. Quod si pactũ interuenerit, dubium est, de quo infra d. 2. Negari tamen non potest, quin nonnulla sit in sacrum officium irreuerentia, si beneficium ob amicitiam humanam vel simile causam detur: magisque spectentur causæ priuatæ, quam bonum Ecclesiæ.

10 *An ob lucrũ.*

Sequitur Quartò. Non esse simoniam quando Sacerdos præstat ministeria sacra, etiam principaliter ob lucrũ temporale;

porale; modo nullum pactum tacitum vel expressum intercedat: quia ratio simoniæ constitit in pactione & contractu secundum communem sententiam DD.

Nec obstat, quod D. Th. in quodlib. 8. art. 10. contrariũ sentire videtur in casu proposito; quia in Summa videtur mutasse sententiam, cum ad simoniam requirat pactum; vt patet ar. 1. ad 5. Potest tamen dici latè simoniam; quia qui æstimat ministerium spirituale ex vtilitate temporali, magnam irreuerentiam in illud committit, & facilè ad contractum descenderet.

11 *An si animo decipiendi pro munere temporale.*

Sequitur Quintò, Non esse simoniam si quis animo non quidem vere emendi aut soluendi, sed decipiendi dumtaxat, promittat aliquid temporale pro beneficio, vt recte Caiet. opusc. 9. q. 2. co. 2. & notat Io. 9. q. 8. ar. 1. Idem sentit Tolet. l. 5. c. 90. ratio est, quia ille non habet voluntatẽ verè emendi, sed mendacio decipiendi peccat tamen, tum quia alterum inducit ad simoniam; tum quia externum opus simoniacum facit. Potest tamen beneficium sic obtentum retinere, si à legitimo collatore sit collatum, vt idem DD. tradunt, & fatetur etiam Nau. c. 23. nu. 106. quamuis velit esse simoniam conuentionalem.

DVBITATIO II.

Vtrùm omnis venditio aut commutatio rerum spiritualium pro temporalibus, sit simonia iure diuino prohibita.

12 *Quotuplex modus vt aliquid spirituale fiat sacrum.*

NOTANDVM est, rem aliquam in proposito posse dici *spiritualem* vel *sacram* ita vt sit materia simoniæ quoquo modo. Primo, Quia id est natura sua, vt sunt omnes supernaturales virtutes, & gratiæ præuenientes, & omnes gratiæ gratis datæ, siue conferant in habitu aliquo, siue in quadam afflatione Spiritus sancti. Secundò, Dicuntur sacræ, quia sunt causa sanctificationis; siue effectiua vt Sacramenta; siue dispositiua & excitatiua, vt sacramentalia; cõcio. preces, exorcismus. Tertiò, Quia sunt effectus vel vsus sacræ potestatis. vt excommunicatio, absolutio, benedictiones, & consecrationes, quas facit Ecclesia; quamuis hæc etiam possint dici sacra secundo modo. Item prophetare, miracula facere; quia sunt operationes potestatis supernaturalis. Quartò, Dicuntur sacræ solum, quia annexæ sunt rebus sacris, idque vel propriè, vt beneficia, Ius patronatus, Ius eligendi; vel improprie, vt officium sacristiæ, officium œconomi Ecclesiæ.

13 Notandum Secundò, In quibusdam rebus spiritalibus esse aliquid temporale secundum se pretio æstimabile; vt in calice consecrato in beneficijs; in quibusdam nihil esse tale; vel si quid sit, minimi est pretij; vt in Eucharistia, in Baptismo.

14 *Simonia Iuris diuini.*

Dico Primò, Omnis venditio & commutatio rerum spiritalium cuiusuis generis pro pretio temporali, si in ea habeatur ratio consecrationis, vel eius, quod supra naturam est, est simonia iure diuino prohibita; vt si quis vendat Sacramenta, vel sacramentalia, vel functiones potestatis spiritalis: vel si pluris vendat calicem consecratum, quam nõ consecratum: globulos benedictos, quam non benedictos, idque non ratione laboris vel sumptuum, quos fecit vt curaret benedici, sed ratione benedictionis. est communis sententia Doctorum D. Thomæ q. 100. art 2. Durandi in 4. d. 25. quæst. 5. Richardi eadem distinctione circa tertium principale quæst. 1. Adriani quodlib 9 a. 1. Victoriæ relect. de simonia nu. 15. Soti l. 9. qu. 5. ar. 2. Nau. c. 23. n. 99. & 100. & aliorum.

Probatur Primò ex Scripturis, 4 Reg. 5. Giezi diuinitus punitur lepra, quod ausus fuerit pecuniam pro curatione lepræ per miraculum facta exigere. Matt. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, hic Apostoli iubentur functionem doni miraculorum & sanitatum gratis præstare; quia illud donum gratis acceperant: atqui cetera omnia supernaturalia gratis accepta sunt: ergo gratis dari debent.

Vbi Aduerte, causam cur gratis dare debeant, non esse præcisè quia gratis acceperunt: (qui enim scientiam vel artem naturalem a Deo infusam haberet, posset eius vsum vendere) sed quia res talis est vt non possit humana industria, sed solo Dei munere haberi. & hoc vult Dominus significare illis verbis *gratis accepistis*; quasi dicat, donum illud tale est, vt vestra industria non potueritis assequi; sed gratis vobis concessum est: ac proin de etiam gratis eo vti debetis. Quibus verbis etiam significat illa spiritalia dona non esse ipsis collata ad tẽporalia emolumenta, sed ad fructum Euangelij, ad conuersionem & salutem animarum, vt patet ex verbis quæ proximè antecedunt: *Euntes autem, prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum: infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date*: nempe ad hunc finem. Itaque solum ad hunc finem concessa sunt. Vide ex modo concessionis & hinc constat non esse nobis datum dominium illorum donorum, seu ius disponendi de illis vel eorum vsu pro nostro arbitrio, sed solum dispensationem in spiritalem vtilitatem proximorum: ergo vendendo iniuria fit Deo; tum quia vsurpatur dominium rei ipsius, cuius ipse solam dispensationem concessit: tum quia hoc modo impeditur finis ad quem collata sunt: hoc enim ipso quo aliquid venditur, insinuatur non esse quid diuinum supernaturale pertinens ad salutem æternam, sed rem temporalem & humanam ad commoda huius vitæ dumtaxat spectantem. talia enim sunt omnia apud omnes gentes, quæ in cõtractus veniunt. Itaq; homines non putarent illa fieri virtute diuina, & desiderio salutis ipsorum, sed arte diabolica, & totum negotium religionis putarent esse fictitium & ad quæstum comparatum. Vide patet hoc præceptum nõ esse politiuum, sed continere ius naturæ, maxime cum in nouo Testamento nulla sint præcepta diuina politiua, præter quam fidei & Sacramentorum, vt communior sententia Doctorum tenet, & D Th. 1-2. qu 100. ar. 12. in corpore & art. 1. ad 2. actor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*; (ait Petrus Simoni mago) rationem addit, *quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*, id est, quia voluisti id, quod sola Dei donatione haberi potest, acquirere pecunia; vbi aperte insinuatur esse contra legem naturæ. ratio est, quia per talem contractum fit notabilis irreuerentia rei sacræ, & consequenter Deo eius largitori, dum tamquam prophana & humanis viribus parabilis æstimatur pecunia; in qua irreuerentia constituit malignitas simoniæ. 15 *Non est positiuum præceptum illud Matth. 10. Gratis accepistis &c.*

Petes, Vtrùm hæc simonia sit ita praua, vt mendacium, adulterium, & alia intrinsecè mala. 16 *An sit intrinsecè mala.*

Resp. non esse *simoniam*, sonare id, quod intrinsecè malum est, non minus quàm nomen *mendacium*, vel *adulterium*. An autem venditio spiritualium ita sit mala, vt ne per absolutam Dei potentiam concedi possit, est dubium. Verius videtur non ita malam esse, quin aliquando per aliquas circumstantias eius malitia possit impediri. fieri enim potest vt interdum eiusmodi sint circumstantiæ, vt prudentis iudicio non censeatur vlla iniuria fieri rei sacræ, etiamsi pecunia ad eam obtinendam detur vel exigatur, vt infra dicetur dubitatione septima, modo tanti ipsa res sacra pecunia non æstimetur, quasi non pluris valeret: hoc enim nec per absolutam Dei auctoritatem videtur posse concedi. etsi enim Deus sit absolutus omnium bonorum spiritalium Dominus; tamen ipse statuere non potest vt non pluris æstimentur quàm pecunia: hoc enim intrinsecam inordinationem continet, non minus quàm loqui contra mentem, vel cognoscere alienam: ipsa enim conditio rerum, quam ex natura sua habent, postulat diuersam æstimationem. vnde id fieri non posset sine iudicio falso & effectu peruerso. Quidam tamen putant Deum tamquam absolutum omnium rerum Dominum posse per suam absolutam potentiam concedere licentiam captandi quæstum ex vsu talium donorum, verbi gratia ex vsu gratiæ sanitatũ, vel prophetiæ, & etiam ex collatione talium donorum, si quis posset ea in alterum conferre. Nam hæc omnia etiam temporalia commoda afferunt, verbi gratia sanitatem corporalem, notitiam vtilem ad negotia humana. quo casu cessaret irreuerentia. Nam ille homo vteretur iure suo sibi à supremo Domino concesso, idque secundum illius voluntatem: & tunc illa res non censeretur merè spiritalis, quia nõ ordinaretur neque concederetur solũ ad salutem supernaturalem sicut modo, (imò parũ vel nihil ad eam tunc valeret) sed potissimum ad cõmoda temporalia, itaq; ex fine cõsecretur quasi temporalis. Esset tamen huiusmodi licentia conditioni illarũ rerum quasi violenta, nec satis diuinæ sapientiæ cõsentanea. Multa enim nõ repugnat fieri sola Dei potentia & auctoritate spectata; quæ tamen, si cõsideretur ratio diuinæ sapientiæ, & quid illa maiestatem deceat, repugnan-

pugnantiam inuoluere videntur. Sic etsi ex parte potentiæ nullo modo repugnet Deum assumere in vnionem hypostaticam quamuis naturam irrationalem, tamen ex parte sapientiæ potest repugnare, quia deest iusta ratio, ob quam decore fieri possit.

Sed dubium est, Vtrùm ea in quibus est aliquid pretio æstimabile, possint ratione illius vendi? De quibusdam nulla est difficultas; vt de calicibus, vestibus sacris, chrismate & similibus, quorum materia magno constat antequã consecretur: non enim amittit suum pretium per consecrationem. Sed maxima controuersia est de beneficijs.

Ad beneficia iure naturæ finem non inuendibilia.

Sunt duæ sententiæ; Prior est ferè communis Theologorum, Beneficia iure diuino esse inuendibilia: quia ius percipiendorum fructuum est spirituale. Ita Caietan. tom. 2. tract. 9 q. 1. Victoria, de simonia num. 42. Sotus l. 9. q. 7. art. 1. & alij.

18 *Resp. concedendo, antecedens.*

Altera est Nau. cap. 23. num. 108. vbi multis rationibus probare nititur, beneficia quoad partem pecuniariam & temporalem vendi posse a Summo Pontifice, sicut vasa sacra. Eãdem tenent ferè omnes Canonistæ, secuti Glossam in cap. Ex parte. 1. de officio Delegati, & in capit. primo de simonia.

Respondeo & dico Secundò, Vtramque sententiam rectè explicatam veram videri: si enim beneficium consideretur planè formaliter, quatenus est ius fructuum, obtingens per officium sacrum, sic iure diuino est inuendibile; quia non potest vendi officium sacrum, per quod hoc ius habetur. Simili modo ius decimarum dicitur esse inuendibile, quia non potest vendi ministerium sacrum, per quod hoc ius competit: vendere enim hoc modo Ius fructuum, est vendere officium, in quo illud ius consistit. neque Nauarrus id intendit negare. Si verò beneficium cõsideretur materialiter, nempè pro iure ad illos fructus, qui officio sunt annexi; sic beneficium vendi potest per Pontificem absque simonia Iuris diuini: quia in potestate ipsius est, Ius ad illos fructus separare ab officio, & alteri dare, vel relinquere officio annexum. sicut ergo si illud separaret & alteri venderet, nullam simoniam committeret, quia non venderet aliquid spirituale; sic etiam si aliquam summam pecuniæ exigeret ab eo, qui beneficium sibi cupit conferri, vt ius illud titulo annexum reliquat, vel vt separatum illi vniat, nullam simoniam iuris diuini committeret. hæc est mens Nauarri. Idem docet Adrianus quodlibet. nono, ad 5. principal. vbi dicit, *Beneficia ratione Iuris fructuum posse vendi, si Papa intendat vendere Ius fructuum non mediante aliquo officio spirituali: secus autem si mediante tali officio.* Vnde sequitur idem posse facere Episcopos absque simonia, nisi Iure esset prohibitum: quia possunt ex causa Ius fructuum saltem secundum partem ab officio separare, & illud alteri attribuere. Immo idem aliqua ratione possent priuati, nisi iura obstarent, sepositis enim Iure positiuo, posset priuatus partem fructuum ad vitam elocare, & beneficium cum reliqua parte in alterum resignare: ac proinde posset etiam aliquid exigere vt beneficium cum integris fructibus resiguet; siue vt partem illam fructuum elocatam, sibi non reseruet. Verum quia Iure statutum est vt non possint vllo modo sine auctoritate Superioris Ius fructuum in totum vel in partem ab officio seu titulo separare, (vt patet toto titulo Vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur) necesse est vt si resignent titulum, simul etiam censeantur renuntiare omnibus fructibus. ita vt hoc ipso, quo alter accipit titulum, accipiat etiam Ius ad omnes fructus titulo annexos. Quare si exigat aliquid temporale pro Iure fructuum, censebitur illud pro ipso officio exegisse; quia Ius fructuum in alterum transferre non potest, nisi mediante titulo: & ita præsumitur commisisse simoniam Iuris diuini. In re tamen non est necesse vt sit simonia Iuris diuini; quia etsi Iure non possit Ius fructuum separare à titulo, & transferre in alium absque interuentu tituli spiritualis, tamen potest illud facere facto vel tentare facere. sicut enim elocat partem fructuum ad vitam vel etiam absque elocatione sibi seruat, & resignat titulum cum reliqua parte prouentuum, resignatario non contradicente, non committit simoniam Iuris diuini; neque etiam committet, etiamsi hoc Ius postea illi vendat: qui iam ante titulus in eum translatus erat erit tamen iniustitia, & tenebitur ad restitutionem; quia non potuit Ius fructuum à titulo separare. Vnde vna cum titulo in resignatarium est translatum; & consequenter ipsi fructus debentur, nisi eos condonet.

Ex his patet Primò, Hoc non esse verè simoniam Iuris diuini, nisi quis intendat Ius fructuum vendere mediante officio, vt bene Adrianus dixit; licet præsumatur esse. quo modo autem sit simonia Iuris humani, statim dicetur. 21

Patet Secundo, Multo minus esse simoniam Iuris diuini in venditione officij sacrilli, & œconomici Ecclesiæ; quia multo minus sunt spiritualia, quam beneficia: sunt enim officia merè temporalia, etsi aliquem ordinem habeant ad suppellectilem sacram, quam tractant, vel ad Ecclesiæ ministros cultumque diuinum; quatenus horum prouentus, qui ad cultum diuinum sunt deputati administrant.

DVBITATIO III.

Vtrùm permutatio rerum spiritualium inter se, sit simonia Iuris diuini.

RESPONDEO non esse, si nullum temporale intercedat, ratione cuius hæc permutatio fiat. Ita Victoria num. 17. qui pro hac sententia citat Inno in cap. Quæsitum, & D. Tho in 4. dub. 25. q 3. ar. 3. ad 8 Eamdem tenet Sotus l. 9. q. 8 ar. 2. & Durandus d. 25. q. 5. num. 9 & alij. Est contra Richardum in 4. d. 25. circa tertium princip q. 1. & contra Adrianum quodlib. 9 ad quartam confirmationem littera E. 22 *Contra Adrian. & Richar.*

Probatur Primò, Quia omnes Theologi & Canonistæ tenent, licere cum auctoritate Superioris permutare beneficium cum beneficio, & titulum cum titulo; idque etiam constat ex c. Ad quæstiones, de rerum permut. & ex clem. vnica, eod. tit. vbi Ecclesiarum, beneficiorum, & titulorum permutationes a Pontificibus approbantur, & tamen plerique Theologi docent beneficia Iure diuino naturali esse inuendibilia; certumque est titulos ipsos omnino inuendibiles esse pretio temporali: atqui si talis permutatio esset iure naturę prohibita, non posset fieri cum auctoritate Superioris: hic enim a Iure naturæ eximere non potest, neque facere vt liceat quod eo iure est nefas.

Secundò; Quia hæc permutatio non videtur vllam irreuerentiam continere, nihil enim indecori est; si pacisceamur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operã in audiendis confessionibus, & similibus officijs, vt Sotus ait. Similiter si globuli benedicti & rosaria inter se commutentur, etiam habita ratione sanctitatis & benedictionis: nõ enim iniuria est rei sacræ si cum alia sacra componatur, sed si cũ temporali. Vnde etiam non erit simonia, si duo adulti pacisceantur vt se mutuo baptizent, etsi contrarium doceat Richardus sup.

Sed contra obijcitur Primò, Matt. 10. dicitur, *Gratis accepistis, gratis date*; sed is, qui permutat rem sacram cum sacra, non dat gratis; ergo, &c. Ita Adrian. 23 *Obiectionis Gratis date*

Resp. negando minorem, ad sensum verborum Domini: nam *gratis dare*, est dare sine mercede, vel pretio temporali, vt colligitur ex verbis sequentib. *Nolite possidere aurum*; &c. Ita Hier. Chrysost. & Glossa in hunc locum Mat. & alij Patres.

Obijcitur Secundò, Qui permutat hoc modo rem spiritalem pro spiritali, insinuat suo facto se eius habere dominium, cum permutatio dominium transferat: ergo committit irreuerentiam in illam.

Resp. Primò. Negando antecedens: sicut enim is, qui rẽ spiritalem confert absque permutatione, non testatur per hoc se eius habere dominium, quamuis in alterũ eam conferat; sed solum se habere potestatem illam conferendi. ita neque is, qui eam commutat cum alia, indicat se habere dominium, sed solum Ius quoddam eam in alterum conferendi, & pro ea aliam exigendi, in qua nõ dominium proprié, sed simile Ius acquiritur. *Permutatio non necessario requirit dominium.*

Secundò, Concesso antecedente, nego consequentiam. certum enim est nos multarum rerum sacrarũ habere dominium; vt earum, quæ in nostris actionibus sitæ sunt, & quarum materia nostra est, vt rosariorum, iconcularũ, &c. nõ tamen idcirco illis quouis modo vti possumus, sed eo, qui non repugnet illarum sanctitati; vt cum inter se commutantur. vnde tale dominium non est vllo modo contra reuerentiam ipsis debitam.

Obijcitur

Obijcitur Tertiò, In commutatione, quæ ex pacto prævio, nascitur obligatio naturalis, quæ quatenus hominem ab aliquo temporali commodo impedire potest, & onerosa censetur, est pretio æstimabilis: ergo si liceat res spirituales interueniente pacto commutare, dabitur spirituale pro temporali.

Respondeo negando consequentiam; si enim ex pacto sit oblatio reciproca, tunc obligatio compensatur cum obligatione. si autem obligatio tolli sit ex altera parte; (vt quãdo alter in præsenti rem tradit, altero ex obligatione) tunc nõ traditur res pro obligatione, sed pro re spirituali futura, quam quis alter non potest modo exhibere, obligat se ad eam in futurum; nũc autem nihil dat. Sicut si tibi iumptus aliqui essent faciendi ad rem debitam soluendam præsentem, hi non darentur in solutionem, neque pro re alterius; ita nec obligatio illa data in solutionem. Denique & illa obligatio per se spiritalis est, etsi per accidens inco modum aliquod temporale annexum habeat. hoc enim non refert; nam solum habetur ratio rei spiritalis, quam hæc obligatio directè respicit.

DVBITATIO IV.

Vtrùm sit aliqua simonia Iuris humani, & in quibus contractibus ea cernatur.

24 *Sententia Durandi.*

DVRANDVS in 4. d. 25. qu. 3. & quidam recentiores hunc secuti, existimant nullam esse simoniam solo Iure ecclesiastico introductam. Ratio eorum est Primò, Quia circa id, quod non ex se, sed solum ex prohibitione Iuris est malum, tantum modo potest esse peccatum inobedientiæ, non autem irreligiositatis: nam tota ratio peccati est ex violatione præcepti humani atqui violatio præcepti humani solum constituit peccatum inobedientiæ. Secundo, Quia Ecclesia sua prohibitione, id quod non ex se facrum, sed nec esse etsi velit facere sacrum, non potest facere sacrum; sed necesse est, si velit facere sacrum, vt adhibeat aliquã benedictionem; & tunc venditio eius erit simoniæ Iuris diuini, non humani. Addunt tamen dici simoniam, quia tali contractui constituæ sunt pœnæ simoniacorum.

25 *Simonia Iuris humani.*

Respondeo & dico Primò, Esse aliquam veram & propriè dictam simoniam solo Iure ecclesiastico introductã. est communior sententia Theologorum & Canonistarum in cap. Quæsitum. & cap. Cum olim, de rerum permutatione. ratio est, quia Ecclesia, sola sua lege & ordinatione potest facere vt id, quod natura sua ob partem temporalem non erat inuendibile, fiat inuendibile, seu inhabile ad venditionem ob partem spiritalem, seu in reuerentiam rei spiritalis connexæ; non addendo tamen nouam aliquam sanctitatem, vel consecrationem: ergo si quis tunc rem illam pretio venderet, committeret veram simoniam, violando rei illius sanctitatem per contractum. Confirmatur a simili, quia locum sacrum ratione sanctitatis potest suo decreto reddere immunem, ita vt Iudex sæcularis non possit reum inde vi abstrahere; adeò vt si contra faciat peccet non solum contra obedientiam, sed etiam contra virtutem religionis & loci sanctitatem: & eum, qui habet ordinem aliquem vel tonsuram, potest reddere immunẽ à potestate Iudicis sæcularis, ita vt peccet contra religionem, si eum ad suum tribunal pertraxerit: ergo etiam rem sacram potest reddere immunem à venditione, ita vt si vendita pretio fuerit, peccetur contra rei sanctitatem, & non tantum contra obedientiam.

Immunitas loci & personæ est à lege positiua.

26 *In quibus locum habeat.*

Dico Secundò, Hæc simonia iuris humani, Primò, Locum habet in venditione beneficiorum secundum partem temporalem.

Secundò, In venditione quorundam minus spiritualiũ, vt officij sacristæ, œconomi Ecclesiæ, aduocati Ecclesiæ & similium; & forte etiam in venditione pensionum.

Tertiò, In permutatione beneficiorum facta sine auctoritate Superioris, in renuntiatione reciproca, in simonia confidentiæ, & similibus.

Venditio beneficiorum.

Prior pars, *de venditione beneficiorum*, probatur, quia omnium sententia constat hanc esse simoniam; id enim plurimi Canones expressè habent: atqui non est simonia iuris diuini, si non intendant aliud emere & vendere, quam ius fructuum, & ipsam dignitatem seu officium absque pretio transferant: ergo est simonia iuris humani. sicut iuris humani sacrilegium est capere rem in Ecclesia, percutere Clericum.

Venditio officiorum.

Altera pars, nempe *de venditione officiorum* illorum probatur cap. Saluator. 1. quæst. 3. vbi ad eandem rem adducitur auctoritas Concilij Chalcedonensis, quæ verbatim refertur cap. Si quis Episcopus 1. quæst. 1. his locis dicitur esse simonia vendere officium *œconomi, vicedomini, aduocati, sponsi, custodis*: atqui non est simonia iuris diuini; quia sunt officia temporalia, ordinata solum ad temporalium administrationem; nec est in illis vlla sanctitas per consecrationem vel benedictionem: nam *œconomus* est, qui res Ecclesiæ & Canonicorum gubernat. *Vicedominus*, est œconomus rerum Episcopi, *Aduocatus*, qui causis Ecclesiæ tractãdis præest. *Custodus* est, quia alias dicitur Maior domus, vt Glossa explicat: ergo solum est simonia Iure ecclesiastico.

27 *Obiectio.*

Dices vocari simoniam, quia pœna simoniæ tali venditioni constituta est. Sed hoc non satisfacit; ideo enim pœnæ simoniacorum statuuntur, quòd simonia commissa sit; non autem ideò dicitur commissa simonia, quòd pœnæ illæ sint contractæ, vt patet ex Canone Saluator, vbi sic dicitur: *Cur sancta Synodus Chalcedonensis, procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel quemlibet regulæ subiectum, adeò per pecuniam ordinari prohibet, vt usurarios quoque tanti sceleris anathematis t; nisi quid eisdem simoniaces indulserit?* Ratio est, quia in his officijs est quædam dignitas ob coniunctionem, quam habent cum supellectili sacra, vel cum rebus & ministris Ecclesiæ, ob quam dignitatem Ecclesia potuit statuere vt essent inuendibilia & immunia à contractibus humanis; quæ immunitas non potest violari absque violatione illius dignitatis, à qua mediante Ecclesiæ statuto prouenit: sicut immunitas, & Ius asyli concessum locis sacris, non potest violari absque sacrilegio & violatione sanctitatis, à qua illa immunitas mediante lege Ecclesiæ dependet. sicut enim Ecclesia per suã legem, qua prohibet à loco sacro (ob eius reuerentiam & sanctitatem) hominem auelli, constituit actum illum, quo legi obeditur in specie religionis, & contrarium, quo lex violatur, in specie sacrilegij, & ipsum locum sacrum facit materiam religionis & sacrilegij quoad hunc actum; ita hæc officia facit materiam religionis & simoniæ per suam legem; & actus venditionis & non venditionis facit actum simoniæ & religionis.

Quomodo si in his simonia.

28 *Ad argumentum Durandi.*

Hinc patet responsio ad primum argumentum Durandi; negandum enim est, Id, quod tantum est malum ex Iuris prohibitione, esse solum contra obedientiam: esse enim contra obedientiam est solum ratio generica, præter quam debet habere malitiam certæ speciei contra aliquam virtutem particularem, in cuius materia peccatur, & ex cuius motiuo præcipitur. sic vesci carne in Quadragesima, Feria sexta, vel Sabbato, non solum est contra obedientiam, sed etiam contra temperantiam vel abstinentiam Christianam, quæ temperantiæ est species; & omittere Missam die festo non solum est contra obedientiam Ecclesiæ debitam, sed etiam contra religionem, qua Deum colere tenemur: & auellere furem è loco sacro, est sacrilegium contra reuerentiam sanctitati loci debitam. Eodem modo vendere vel emere officia illa temporalia Ecclesiæ, non solum est contra obedientiam, sed etiam contra religionis virtutem. quia præceptum humanum in materia alicuius virtutis, potest intuitu motiui illius virtutis, id, quod non erat materia necessaria, facere materiam necessariam; & actum qui non erat necessarius, facere necessarium, ita vt virtus sine illo, vel certè cum eius contrario consistere nequeat, vt supra explicatum est. Ratio a priori est, quia in his concurrit duplex ratio obligandi: altera generica, altera specifica. Generica est, quæ præcisè prouenit ex præcepto Superioris, abstrahendo ab hac vel ab illa materia virtutis. Specifica est, quæ supposito præcepto resultat ex conditione materiæ, & particulari honestate obiecti formalis seu motiui, quod Superior in illa materia respicit, & ob quod præceptum imponit.

Lex facit materiam necessariam virtutis, quæ per se talis nõ erat

29

Ad secundum argumentum. Etsi Ecclesia per suam prohibitionem ex re prophana non faciat sacram, sicut per suam benedictionem, & consecrationem; tamen facit vt illa res propter ordinem quam habet ad rem sacram, fiat inuen-

uendibilis; & hoc ſufficit ad obiectum ſimoniæ.

30 *Permutatio beneficiorum.*

Tertia pars, de *beneficiorum permutatione*, probatur ex c. Quæſitum. 4. de rerum permutatione, vbi Vrbanus III. ait, *Generaliter tenetur, quòd commutationes prælatiarum de iure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia vel ſpiritualibus annexa, labem ſemper contrahit ſimoniæ*, &c. Cum olim.7. eod. tit. iubentur priuari ſuis beneficijs, qui ea propria auctoritate permutant. Ratio eſt, quia Eccleſia ob ſanctitatem ſacri miniſterij potuit ea facere impermutabilia.

Dicitur ſimonia generalis ratione.

Aduerte tamen, hanc permutationem non dici propriè ſimoniam, ſed tantum generali ratione & imitatione quadam; nam propriè ſimonia eſt, cum datur temporale pro ſpirituali, vt ſuprà dictum eſt, & docet Sot.l.9.q.5.ar.1 & q.7.ar.2. Pet.Nau.l.2.c.2.nu.436. Arrag.q.10.ar.1. & aliijque patet ex facto Simonis, vnde nomen traxit. Confirm. quia aliud genus irreuerentiæ eſt dum datur temporale pro ſpirituali, aliud dum ſpiritale pro ſpirituali contra præceptum Superioris.

31 *De permutatione aliarum rerum, an ſimoniaca.*

Dices, Cap. Quæſitum.5. dicitur, *Pactio circa ſpiritualia vel ſpiritualibus connexa labem ſemper continet ſimoniæ*; & cap. vltim. de pactis; *Pactiones facta pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis; cum in huiuſmodi omnis pactio, omniſque conuentio debeat omnino ceſſare, nullius ſunt momenti*: ergo etiam commutationes aliarum rerum ſpiritualium erunt ſimoniacæ cenſendæ.

Reſpondeo, Canones loqui vel de pactione in qua interuenit aliquod temporale, quod detur pro ſpirituali, vt c. vlt. de pactis, & c.2. Quam pio.1.q.2. vel de beneficijs, quorum permutatio propria auctoritate facta, peculiariter eſt prohibita, vt c. Quæſitum, & c. Cum olim, ſupra: aliarum enim rerum ſpiritualium commutatio nuſquam inuenitur prohibita, quod etiam Toletus fatetur lib.5.cap.78. & Sot.l.9.q.5.in fi.

Adde, in quibuſdam rebus contraria conſuetudine hiſce Canonibus eſſe derogatum, ita vt etiam temporale aliquid liceat paciſci; vt inf. dub 8. dicetur.

De renuntiatione reciproca, & ſimonia confidentiæ infra dub.14 & 16.

DVBITATIO V.

Vtrùm Papa poſſit eſſe ſimoniacus.

32 *Non contrahit pœnas Iuris.*

RESPONDEO & dico Primò, Papam non poſſe incurrere pœnas ſimoniæ iure eccleſiaſtico ſtatutas, vt excommunicationem, ſuſpenſionem, inhabilitatem, &c. eſt communis DD. Ratio eſt, quia Princeps nõ ſubeſt ſuis legibus, quoad vim cogendi per pœnas, cum nemo iuriſdictionem ſu ſeipſum habeat; ſicut nec par in parem. vnde etiam ſequi videtur, eum, qui contrahit cum Papa, non incurrere hiſce pœnas; etſi contrarium ſentiat Adrianus quo.lib.nono, & Ioannes Andreas ab ipſo citatus, & multi alij. ratio eſt, quia hoc ipſo, quo cupit aliquem ſecum ſic contrahere, cõſetur illum eximere a lege quantum poteſt: non enim credibile eſt quòd velit illum punire pro opere ad quod inuitat, vel certe in quod conſentit, ſic enim ſeipſum condemnaret. Idem dicendum de Epiſcopo, qui ludũ alicę ſub pœna excommunicationis vetuit, & poſtea alium ad ludendum ſecum inuitat. Huius ſententiæ eſt Sotus lib.9.quæſt.5.ar.2. Sylueſter v. Simonia, quæſt.4. Palud. diſt.in.25.quæſt.4.ar.1.concluſio.3. Couarruuias ad regu. Peccatum.part.2.§.8.num.9. Vnde ſequitur talem non teneri renuntiare.

Nec qui cum illo paciſcitur.

Dico Secundò, Papa poteſt contrahere culpam ſimoniæ Iuris ſtatui. ratio eſt, quia æquè ac alij ſubiectus eſt legi diuinæ & naturali.

Sed tota difficultas eſt de ſimonia Iuris humani. Sotus putat Papam non poſſe huius ſimoniæ labem contrahere: idem ſentit Syl.q.4.

33 *An labem ſimoniæ Iuris poſſint contrahat.*

Reſpondeo & dico Tertiò, Verius eſſe Papam incurrere culpam ſimoniæ Iuris humani exigendo pecuniã pro officijs Iure vendi prohibitis, vel pro beneficijs; niſi rationabilis cauſa ſubſit, ob quam illa lege cenſeatur exemptus. Patet ex ijs, quæ 1.2.q.96.ar.5.t. adi ſolent, & docet Victoria relect. de ſimonia, num.39. ratio eſt, quia obligatio, qua Princeps tenetur ſeruare legem ſuam, non oritur immediatè a voluntate & poteſtate Principis volentis ſe obligare, ſicut ea obligatio, quæ eſt in ſubdito; (nam Princeps non eſt ſibi Superior, vt ſeipſum poſſit immediatè ſuo præcepto obſtringere) ſed oritur ex ipſa rei natura, id eſt, ex conditione Principis & Reipublicæ, ex qua prouenit vt ius naturale dictet Principem debere pari legem, quam ipſe ſubditis imponit: l.1.tit. Quod quiſque Iuris, &c. Cum omnes, de conſtitutionibus: quod intelligẽ ſi ratio legis æquè in vtrumque locum habeat. Vnde ſequitur Principem non poſſe ſeipſum pro arbitrio lege ſua eximere, cum iure naturali teneatur ſe ſuis ſubditis conformare. quare ſi contra fecerit, peccabit pro conditione materiæ & virtutis præceptæ; vt ſi non ieiunet tempore Quadrageſimæ, peccabit contra temperantiam: ſi non ſeruet diem feſtum, cõtra religionem. Vnde ſi vendat officia Eccleſiæ vel beneficia, peccabit ſimonia. obligatio enim illa, qua tenetur ſe cõformare ſubditis, eſt generalis, quæ contrahitur ſecundum variã materiam, & ſpecies virtutum, ad quas ſubditi obligãtur. Quòd ſi iuſta cauſa ſubſit, quidam dicũt poſſe tunc ſecum diſpenſare, ſicut cum ſubdito. Sed verius eſt diſpenſationẽ hic locum non habere: quia non obligatur ex imperio ſuæ voluntatis, ſed iure naturali, in quo non poteſt diſpenſare. Neque vero ea eſt opus; quia poſita cauſa, ceſſat illa obligatio per ſe, eo quòd deſinat illa ratio, ob quam ſe ſubditis debebat conformare.

Obligatur Princeps ſuis legibus quomodo.

Poſita cauſa non eſt opus diſpenſatione.

34 *Non peccat mortaliter.*

Aduerte tamen, ſi abſque iuſta cauſa fecerit cõtra ſuam legem, non peccaturum mortaliter, modo ſcandalum abſit; quia non tenetur illam ſeruare, niſi illo iure, quo ſe tenetur conformare ſubditis. Sed de his plura 1.2. quæſtio.96. artic.5.

DVBITATIO VI.

Quotuplex ſit ſimonia.

35

RESPONDEO, Duæ ſunt præcipuæ diuiſiones ſimoniæ. Prior eſt, qua diuiditur *ſimonia* in eam, quæ eſt *iuris diuini*, & in eam, quæ *Iuris humani*, de qua ſatis dictum eſt dub.2.3.4.5.

Simonia triplex.

Altera eſt, qua ſimonia diuiditur *in mentalem conuentionalem, & realem*, vide Nau.cap.23.num.102. & Caiet.v. Simonia, & alios.

Mentalis.

Simoniam mentalem vocamus propriè hoc loco, non quidem internum propoſitũ, quo quis vult externus ſimoniace contrahere, (quamuis hoc etiam ſic appellari poſſit) ſed propoſitum internum, quo quis, dum confert alteri ſpiritale, intendit illum obligare ad reddendum temporale: vel contra, quando confert temporale, intendit illum obligare ad reddendum ſpiritale, ſine vllo pacto externo: vt ſi quis ſeruiat Epiſcopo hac intentione vt in mercedem cõferatur ei beneficium, & tandem beneficiũ conferatur, nulla tamen externus verbis aut nutibus facta conuentione, erit ſimoniacus mentalis.

36 *Conuentionalis.*

Simonia conuentionalis eſt, quando non ſolum eſt internum propoſitum obligandi, ſed etiam procedit ad externam conuentionem, ſine tamen executione, ſaltem vtrimque facta. Et hæc cõuentio non tantum fit verbis expreſſis & directis, ſed etiam obliquis & obſcuris, interdum nutibus, vel ſola pretij oblatione in ſpeciem donationis; tamẽ ex circumſtantijs aduerti poteſt. Eſt autem hæc cõuentionalis duplex. Alia enim eſt *puræ conuentionalis*, vtpotè neutra ex parte completa. Alia eſt *conuentionalis mixta*, quæ completa eſt ex altera tantum parte, ita vt quodammodo conſtet reali & conuentionali: vt ſi pactione inita conferatur beneficium, altera parte nondum ſoluente pretium; vel contra, ſi ſoluatur pretium nondum collato beneficio. huius ſpecies eſt ſimonia, quæ dicitur *confidentiæ*, qua quis paciſcitur cum eo, cui confert vel renuntiat beneficium, vt eo cum ſuis fructibus vel eorum portione cedat alteri, v.g. nepoti, fratri, &c.

Realis.

Realis eſt, quando pactio ex vtraque parte completa eſt, ſaltem inchoatè; vt ſi collatio beneficij facta ſit, & pretij pars ſoluta. hæc peior eſt quàm conuentionalis; excepta ea, quæ eſt confidentiæ, vt infra dicetur.

Sequitur nunc vt explicemus modos particulares, quibus ſimonia videtur poſſe committi.

DVBI-

DVBITATIO VII.

Vtrùm in graui vel extrema necessitate liceat dare pretium pro Sacramentis.

Pro baptismo.

Exemplum sit, habes infantem baptizandum morti vicinum, & sacerdos recusat eum baptizare, nisi 10. aureos numeres, nec alia tibi ratio procurandi baptismi suppetit. Item, tu ipse nondum es baptizatus, & morte vrgente, alia ratione baptismum obtinere nequis.

73 *1. Sententia.* PRIMA tententia est, In hoc casu non esse licitum dare pecuniam pro baptismo, etiamsi infans sine baptismo eliet moriturus. Ita Diuus Thomas in 4. d. 5. quæst. 2. ar. 2. & d. 25. quæst. 3. ar. 2. & insinuat quæst. 100. ar. 2. ad 1. Alexander Halensis 3. part. quæst. 187. cum 3. art. 1. §. 1. Richard. d. 25. ar. 2. q. 3. Palud. eadem distinct. quæstio. 8. & Glossa in c. 100. *Beatus*, 1. quæst. 1. vbi dicit, in hoc casu potius permittendum infantem mori: addens, ego tamẽ potius darem pecuniam, quam permitterem eum sic mori, licet non debeã sic facere: quod tane absurdè satis dictum est, etsi forte bene possit explicari. Ratio horum est, quia emere Sacramentum est intrinsecè malum, sicut & vendere: ergo nullo casu licitum, non enim sunt facienda mala vt eueniant bona.

2. Sententia. Altera sententia est, In eo casu licere dare pecuniam, non quidem pro Sacramento propriè, sed ad vexationem redimendam. Hanc tenet Gerson tract. de simonia, ad sextam rationem. Panormitan. capit. Cum in Ecclesiæ corpore, de simonia, Caietan. quæst. 100. art. 2. sed hi duo tantum id concedunt in casu infantis, non aliter; quia hic potest sibi alia ratione consulere. Eamdem tententiam probabilem esse insinuat Richar.

3. Sententia. Tertia est, Absolutè licitum esse in eo casu dare pro ipso Sacramento obtinendo. Indicat Sotus l. 9. q. 6. ar. 1. & dicitur Fran. Vict. ita sensisse, & Thomistæ dicunt esse probabile, & aperte tenet Adrian. sup.

38 Dico Primò, Non potest dari pecunia pro baptismo, tãquam pretium æquualens: id enim intrinsecè malum est, vt dictum est sup. nu. 16. & iuxta hanc sententiam prima sententia est vera.

Vt deponat prauam voluntatem. Dico Secundò, Si sacerdos aliquis nolle hoc vel aliud Sacramentum administrare nisi p. o pecunia, possem ei dare pecuniam, vt prauam illam voluntatem deponat, & debito modo conferat. Ita Adrian. sup. Ratio est, quia hoc non est emere Sacramentum, sed inducere vt malum propositum commutet, & iniuriam rebus sacris non inferat; sicut enim potest induci pecunia vt ab alijs peccatis abstineat, ita etiam vt simonia.

39 *Licitum dare pecuniam pro baptismo obtinendo in necessitate.* Dico Tertiò, Valdè probabile est, in casu prædicto licitum esse offerre pecuniam, non quidem tamquam pretium Sacramenti propriè, sed tamquam medium alliciendi animum alterius ad obtinendum Sacramentum. tenet Altisiodorensis 3. part. Summæ quæstio. 3. de simon. vbi dicit, *in illo casu possunt parentes baptizare: si non habent aquam, licet eis pecuniam dare sacerdoti, non pro baptismo*; (intellige vt pretium baptismi) *sed pro removenda furia sine obstaculo quo minus habeant quod puero debetur.* Adrianus supra, *Sicut licet Sacerdotem illum inducere muneribus & precibus, ita etiam pecunia.* Idem credo velle auctores secundæ sententiæ, dum dicunt licere ad redimendam vexationem; & Sotum loco citato.

Probatur Primò, Quia dans pecuniam eo euentu, non censetur vllam irreuerentiam irrogare Sacramento, sed potius magnam reuerentiam, dum suo facto testatur esse necessarium ad salutem. non enim æstimat illud pecunia, neque intendit pecuniam dare tamquam pretium, sed solum intendit inducere illum vt velit id, quod debet velle, & explere insanam cupiditatem, quæ illum impedit quo minus det quod alteri ad salutem necessarium.

Necessitas multa excusat. Secundò, Extrema necessitas multa alia excusat à peccato sacrilegij, homicidij, furti, inobedientiæ, intemperantiæ, & similibus, in quibus si abesset necessitas, esset malitia talis peccati, vt patet in absolutione data in extremis ob signa contritionis, in occisione ob defensionem, in surreptione rei alienæ ob famem extremam, &c. cur non etiam excuset in hoc casu hanc pecuniæ dationem ab irreuerentia? necessitas enim facit vt id, quod alias censeretur esse irreuerentia, hic & nunc non censeatur; vt patet in Dauide & socijs, cum comerent panes propositionis, quibus solis sacerdotibus vesci licebat. 1. Reg. 21. & Matth. 12. Eodem modo necessitas poterit facere vt oblatio pecuniæ, causa obtinendi Sacramenti, non censeatur irreuerentia aut sacrilegium, aut proprie emptio Sacramenti; quæ tamen alias talis haberetur.

Tertiò, Si alius sacerdotem impediret ne Sacramentum conferret, posset ei dari pecunia vt cesset impedire: cur, nõ etiam potest dari ipsi sacerdoti, vt tollat impedimentum, quod ipse sibi per auaritiam posuit?

Quartò, licitum est illum inducere minis; aut non etiam muneribus & pecunijs?

Quintò, Omnia bona temporalia sunt homini concessa vt iuuent eum ad suum finem: ergo si spiritalia ad salutem necessaria non possis ob malitiam ministrorũ, vel diuinam dispositionem aliter obtinere quàm dando pro eis tua temporalia, nihil inordinatum ea ratione committes. Confirquia si mea salus esset in potestate tua, & tu nolles me saluare nisi dem pecuniam, possem omnem meam substantiam largiri vt mihi salutem impertias.

Sextò, Simoniæ turpitudo non tã fixa est in eo, quòd per temporalia compares spiritalia tibi salutifera, quam quòd per spiritalia conquiras temporalia, ex illis quæstum faciendo. hoc enim cedit in magnam irreuerentiam spiritalium bonorum, qua ordinantur ad temporalia, tamquam media ad finem; ac proinde minoris videntur æstimari: & hoc est, quod passim in Scripturis prohibetur; vt Matth. 10. Acto. 8 Simon enim volebat emere vt vẽderet: Giezi quoque ex spiritalibus temporalia captabat. Qui autem dat temporalia pro spiritalibus, quæ gratis obtinere nequit, non destinat spiritalia ad temporalia; sed contra temporalia tamquam media destinat ad spiritualia tamquam ad finem; vnde pluris æstimat spiritalia: si tamen ex illis alia commoda temporalia (vt fit in beneficijs) non expectet. 40 *In quo sita potissimũ turpitudo simoniæ.*

Itaque in hoc opere non videtur alia esse inordinatio, quã 41 quòd dando pecuniam videaris consentire venditioni spiritualium, & pretium temporale exæquare rei spirituali, sed neutrum obstat in nostro casu: non enim magis consentit venditioni, quàm petens mutuum consentit iniquæ voluntati vsurarij: & si consentiret, solum consentiret tamquam in minus malum; minus enim malum est, vt sacerdos vendat baptismum, quàm vt infantem perire sinat: vnde si alter obtineri baptismus nequiret, posset sacerdos induci, vt saltem pro pecunia administret, vt rectè Adrianus ait, neque etiam censetur æquare pecuniam Sacramento, quia non dat illam vt pretium Sacramenti, sed vt medium necessarium ad alliciendum animum & Sacramentum obtinendum.

Obiectiones. Dices Primò, Si licet aliquid dare ad obtinendam collationem Sacramenti in eo casu: ergo licebit aliquid etiam spirituale vendere, si iniquus ille sacerdos id postulet.

Resp. negando conseq. quia præterquam quòd venditio 42 est longe deterior, vt dictum est; si vellet sibi rem spiritalẽ vendi. & non gratis dari, censeretur id velle in contemptũ religionis, & per consequens videreris eius prauitati morẽ gerere. Vnde non probo quod ait Sotus l. 9. quæst. 6. art. 1. *Si sacerdos ita esset malus vt nollet præbere, nisi tunc te dare pretium pro ipso Sacramento, te posse iurare, & dare pro ipso Sacramento*: quia cum ille petat in contemptum religionis, non potes ei morem gerere.

Dices Secundo, Ille sacerdos non censetur vexare nisi negando vel non dando Sacramentum, quod saltẽ ex charitate tenetur conferre: atqui hoc non tollitur nisi conferendo. negatio enim actus non tollitur nisi actu opposito: ergo dare pro redimenda vexatione in hoc casu, est dare pro ipsa collatione Sacramenti.

Resp. negando cõseq. proprie loquendo; collatio Sacramenti est quidem finis cur detur pecunia; non autem id, cui pecunia vt pretium respondet.

43 *Quando tẽ censetur esse redemptio vexationis.* Dicitur autem dari pro redẽptione vexationis, quia datur ad alliciendum animum vt prauam voluntatẽ non dãdi deponat, & in bonã commutet: quòd sane licitum est. Quando enim praua alicuius voluntas est mihi causa mali, possum precibus, promissis & donis inducere vt illam mutet, & in benevolentiam conuertat: & quia hoc fit ad ingens malum, quod occasione iniquitatis ipsius obueniret, auertẽdum, dicitur redemptio vexationis. Pari modo,

si non electo Petro, secuturum esset vt hæretici occuparent Ecclesiam, possem dare pecuniam, non pro electione Petri propriè; sed ad alliciendos animos electorum ad fauorem, vt sic electo Petro tantum malum auertatur.

Ex dictis sequitur, non solum pro infante, sed etiam pro adulto posse dari pecuniam ad allicendum animum facere dotis, si alioquin absque baptismo moriturus esset: quia illa necessitas sufficiens est ad tollendam irreuerentiam; & non minus censetur dari ad redimendum vexationem, quá in casu infantis; quia est iustus metus damnationis. Idem dicerem quando agitur de absolutione in extrema necessitate. Imò si esset aliqua regio, quæ non posset impetrare prædicatores Euangelij, vel sacerdotes, qui illi Sacramenta administrent, hæc posset offerre Pontifici pecuniam, vt hoc medio illum alliciat ad eos mittendos: possumus enim temporalia nostra expendere ad ea consequenda quæ saluti sunt opportuna: viderint illi, qui ea exigunt. Confirmatur, quia ad illa obtinenda ius habent, & ille denegando facit illis iniuriam, & grauiter eos lædit: atqui illum qui facit nobis iniuriam, possumus inducere siue precibus, siue minis, siue promissis & donis, vt ab iniuria cesset, ac proinde possumus his modis allicere eius voluntatem ad concedendum, quatenus illa concessio est quædam cessatio iniuriæ & vexationis iniquæ. Vnde parum interest, siue dicas pecuniam dari, vt prauum animum deponat, siue vt ad beneuolentiam alliciatur: quia non censetur dari pro re sacra tamquam eius pretium; sed vt ab iniuria seu vexatione, quam denegando facit, cesset.

44 *Pro adulti beneficio.*

Pro absolutione.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm pro spiritalibus functionibus, quibus labor aliquis coniunctus est, liceat pecuniam dare vel accipere.

D. THOMAS Art. 3.

V.g. pro administratione Sacramentorum, Sacrificij oblatione, concione, precibus canonicis, consecratione Ecclesiarum & similibus.

Notandum est, in tali functione quatuor spectari posse. Primò, Ipsam actionem, qua talis est. Secundò, Laborē intrinsecè coniunctum. Tertiò, Laborem extrinsecus annexum. Quartò, Ministri sustentationem. Nunc.

Quatuor in tali functione spectanda.

45 *Pro actione spirituali.*

RESPONDEO & dico Primò, Pro ipsis actionibus spiritalibus, quâ spirituales sunt, aliquid accipere vel dare, est simonia. Patet ex dictis d. 2. quia hoc est sanctitatem rei pretio æstimare, vt quâ do eo amplius exigitur, quò functio est sanctior. vide D. Tho. art. 3.

Pro labore per accidens connexo.

Dico Secundò, Non est simonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinsecùs, seu per accidens adiunctis, siue præcij sint actionis sacræ, siue contentur. Est communis DD ratio est, quia illi labores in se sunt quid temporale, per se pretio æstimabile; neque rei spirituali necessariò connexum. sic cantor aliquid potest exigere pro labore & artificio canendi voce aut instrumentis; hæc enim per accidens comitantur officia diuina, vt quæ sine cantu fieri possunt: nec ex coniunctione cum re sacra amittunt suam æstimationem, quam alias in re prophana haberent. similiter sacerdos pro obligatione faciendi Sacri tali loco & tempore, & pro labore præuio in eundo ad locum dissitum; nam labor ille per accidens annexus est sacræ actioni, & per se pretio æstimabilis.

Hæc eadem obligatio etiam pretio æstimari potest, quatenus hominem sua libertate & facultate aliarū actionum vtilium, vel commoditatum priuat, quas alibi eo tempore percipere potuisset, vt rectè Caietan. 2-2. q. 100 art. 3. & in Summa v. Simonia, reg. 4. Pari modo Vicarij Prælatorum, & Parochorum possunt exigere mercedem pro obligatione, qua se ad annum, mensem, hebdomadam astringunt; vt rectè Nau. c. 23. nu. 102. & Caiet. supr. Item pro laboribus subeundis in visitatione, in audiendis partibus, in examinandis causis: quia vel omnino, vel secundum præcipuam sui partem temporales sunt, vt docet Caietanus ver. Simonia, regu. 6.

Sic etiam qui procurat alteri beneficium, aliquid pro suo labore accipere potest; non tamen quatenus is ordinè habet ad beneficium; sed quanti per se in alia re non sacra, vt in causa emili. æstimaretur: vel si literas scribat, si iter conficiat, si alias expensas rationi consonas faciat, non tamen licitum est hæc pluris æstimare propter felicem successum, vel beneficij opinionem. vide communiter docent DD. esse simoniam si aliquid des alteri vt procuret tibi beneficium. Ita Nau. l. 3. consil. 54. de præbendis, & in Enchirid. cap. 23. num. 106. 9. Ad quintum, Angelus verbo Simonia 1. num. 7. Sumus eodem num. 7. & 9. Sotus li. 9 q. 7. artic. 3. Syl. v. Simonia q. 6. Ratio est, quia si labor ille procurandi (si quis sit) secundum se pretio aliquo possit æstimari, non tamen quatenus vtilis est ad obtinendum beneficium, ita vt ratione beneficij pluris æstimetur, sic enim haberet istam æstimationem, talem ex parte, a re spiritali, & ita pia res spiritalis venali cederetur. si enim medium, quatenus vtile ad finem, est venabile, etiam finis venabilis videtur. Hinc etiam est simonia si aliquid detur pro electione, præsentatione, postulatione, vel collatione, quia hæc æstimantur ex ordine ad beneficium, vt docet Nau. c. 23. num. 111. § Nonò.

46 *Procurando alteri beneficio.*

47 *Pro electione, &c.*

Dico Tertiò. Non est etiam simonia si des aliquid pro sustentatione ministri sub obligatione rei spiritalis; aut similiter aliquid pro sustentatione exigat? Ita D. Thomas ar. 3. Caiet. ibidem & v. Simonia regu. 4. clique communis Doctorum.

Ita sustentatur.

Vbi Aduerte, eis, qui ministrant populo spiritalia, deberi ex iustitia sustentationem, sicut operario debetur merces; vt patet ex Scripturis. vide caput 9 prioris ad Corinth. vbi Apollolus id fusè probat, & latis insinuatur Matt. 10. vbi Dominus ait, *Dignus est operarius cibo suo*: vnde à DD. vocatur *stipendium sustentationis*, quia verè debitum est vt stipendium. Ratio est, quia qui ministerijs spiritalibus incumbunt, priuant se facultate vacandi negotijs temporalibus, ex quibus lucrum capere & se sustentare (vt alij homines) possent; idque in commodum populi: ergo laculares ratione huius priuationis in ipsorum commodum factæ, ipsisque necessariæ, tenentur ex iustitia eos sustentare, dum illis spiritalia administrant, sicut qui vtiliter negotia alicuius gerit, ei debetur sustentatio necessaria, quam ille aliunde capisset, nisi per negotia illius impeditus fuisset: argumento L. Ex duobus. 27. ff. de negot. gestis, & L. final Cod. eodem. Accedit, quod nemo possit spiritalia decenter administrare, nisi sustentetur secundum suum statum: ergo qui aliquibus hæc administrat, potest ab eis sustentationem pro illo tempore exigere, non vt pretium rei spiritalis, sed vt adminiculum ex natura rei necessarium ad spiritalium administrationem. quod enim aliunde habeat vnde possit ali, id per accidens est; nec impedire potest quin spectata præcisè rerum natura, seu officio, quod præstat, illi debeatur sustentatio. Idque etiam ratione naturali est euidens: vnde etiam apud Ægyptios publicis sumptibus sacerdotes alebantur, vt pate. Genesis 47. Idem modò seruatur apud omnes gentes. Hoc titulo licitum est aliquid exigere pro Missis, pro concionibus, pro Ecclesiarum consecratione, pro visitatione, iuxta consuetudinem in Ecclesia receptam, & Canonum dispositionem. Eodem titulo Episcopatibus, parœcijs, canonicatibus, aliisque ministerijs ecclesiasticis annexi sunt magni prouentus? non tamquam sacrarum functionum pretium, sed tamquam stipendia necessaria sustentandis ministris, iuxta suam ipsorum dignitatem & conditionem. Et quamuis hi prouentus ante ipsam annexionem non semper integrè debeantur; quia non omnibus Ecclesiæ ministris debetur integra sustentatio; (multi enim parum præstant & minimè sunt necessarij) post annexionem tamen debentur integri; quia à legitimo dispensatore assignati sunt eorū ministerio; & ius ad eos percipiendos attributum. Cui autem prouentus sufficiunt, nihil amplius exigere potest, nisi ob iustam causam Ecclesia id permittat, quo modo Episcopis concessum vt in consecratione Ecclesiarum & in visitatione accipiant procurationes, id est, expensas seu alimenta, vt infra nu. 55. dicetur.

Ministris ex iustitia debetur sustentatio.

48 Petes Primò, Vtrùm liceat ministris rerum spiritualium pacisci de certo stipendio ad sustentationem, v.g. pro Missis & prædicationibus? Caiet. ar. 3. putat id solum ministris pauperibus licere, non autem ijs, qui aliunde se possunt sustentare.

Verùm dicendum est, Iure naturæ non esse simoniam

hinc

An pacisci liceat cum ijs qui stipendium suscipiunt.

siue sit pauper, siue diues. Primò, Quia ministris rerum spiritalium ex iustitia debetur sustentatio, siue sint diuites siue pauperes: ergo possunt de eo pacisci. quius enim potest pacisci sibi dari, quod ipsi iure naturæ debetur. Secundò, Si stipendium a Prælato sit taxatum, potest illud exigere, etiamsi diues sit, vt etiam fatetur Caietanus: ergo etiam quando non est taxatum: hoc enim non mutat nec extinguit ipsius ius.

49 *Olim fuit illicitum pacisci.*

Notandum tamen, iure antiquo fuisse simoniam sic pacisci, siue minister esset pauper, siue diues; vt patet ex capit. quæritur, de rerum permutatione, c. Tua nos, 34. de simonia, & cap. Quam pio. 1. q. 1. 2. quibus locis prohibetur omne pactum in spiritalibus. Hoc tamen ius per contrariam consuetudinem in quibusdam rebus & functionibus spiritalibus est derogatum, vt docet Sotus hic 9. qu. 6. art. 1. nam passim est ea consuetudo in Ecclesia, Prælatis scientibus & connuentibus; quæ potest facere vt id, quod olim erat simonia iuris humani, iam nō sit aut simonia, aut alias illicitum. Optandum tamen esset vt hæc consuetudo abrogaretur, quia speciē quandam negotiationis habet, præsertim apud imperitos. Qui tamen pacisci nunc volunt, debent expresse significare se non pro ipsa functione sacra sed pro necessaria sustentatione exigere tantum, vt rectè Caietanus monet; ne alij offendantur; & vbi aliquid certi consuetudine vel statuto Prælati est præscriptum, id excedi in pacto suo non debet.

50 *An gratis ministrent.*

Dices, Si Clerici possunt pacisci & exigere hoc stipendium tamquam ipsis ex iustitia debitum: ergo non gratis ministrant.

Respondeo negando consequentiam: dicūtur enim *gratis ministrare*, qui non exigunt quidquam tamquam mercedem ministerij pretium; hoc enim tamquam maius omni pretio gratis præstant: vt tamen hoc præstent gratis, requirunt necessariam sustentationem a populo.

51 *Quid si sit pro sustentatione.*

Petes Secundo, Quid si nimium exigant pro sustentatione, erit ne simonia?

Respondeo nō forte reuera, sed præsumetur in foro externo: cum enim illud stipendium necessariam sustentationem vel cōmunem taxationem superet, videbitur illud ultra id accipi non pro sustentatione, sed vt pretium operis spiritalis; vt insinuat D. Thomas ar. 3. ad 3. Tamen reuera solum erit iniustitia; cum enim lege iustitiæ solū debeatur sustentatio, si amplius exigas, erit contra iustitiam.

52 *Labor intrinsecus actioni sacræ.*

Sed difficultas superest de labore intrinsecus sacrę actioni coniuncto, v. g. de labore in faciendo Sacro, in baptizando, confirmando, ordinando, consecrando templo, orando &c. Verum pro eo aliquid pacisci vel exigere liceat?

Quidam censent id licere. Ita Arianus quodlib. 9. ar. 1. littera D. Idem expresse docet Alensis 3. p. q. penultima de simonia, Bonauentura dist. 25 qu. vltima de simonia, vbi dicit, *pro labore, qui est in celebratione Missarum & similibus posse pretium exigi.* Richardus eadem d. art. 3 quæst. 2. *dicit Episcopum recipere procurationem dum confecrat Ecclesias, tamquam debitum pro labore, & Clericos dicentes officium pro defuncto posse accipere mercedem pro suo labore.* quæstio tertia excipit laborem, qui in administratione Sacramentorum est: sed non loquitur consequenter. Armacanus libro 10. quæstionum Armen. cap. 10. probat ex Scripturis, laboranti in ministrandis Sacramentis, in officio prædicationis, & similibus, licitum esse pro labore huiusmodi per censum annuum & oblationes, aliosque modos honestos necessaria vitæ tamere. immo exigere. si aliunde non habeat; quia Numerorum 18. legitur, *Filijs Leui dedi omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* & infra *Comedetis eas vos & familia vestra, quia pretium est pro ministerio, quo seruitis in tabernaculo testimonij.* Glossa in capit. Significatum. 11. de præbendis, dicit *sacerdotem posse recipere mercedem pro suo labore, si alias ratione beneficij ad illum nō teneatur.* Idem confirmatur 1. quæst. 2. capit. finali ex Concilio Agathensi, vbi dicitur, *Clerici stipendia sanctis laboribus debita secundum seruitij sui meritum a sacerdotibus consequantur.*

Aliorum sententia.

Alij verò docent esse simoniam, si pecunia pro hoc labore exigatur. Ita D. Thomas in 4. d. 25. q. 3. art. 3. & Durandus ibidem quæst. 3. num. 10. Palud. ibidem quæst. 3. art. 3. Sylvester v. Simonia quæst 9. Caiet. in art. 3. quæst. 100. Sotus quæst 9. art. 1. Idem tenent Innocentius & Hostiensis in cap. Significatum, de præbendis, & passim Canonistæ

Probatur Primò, Quia hic labor ita coniunctus est actioni sacrę vt ipsa sine eo nullo modo fieri possit; est enim actio materialis, in qua consideratur inesse sanctitas, nempè locutio, motioq; membrorum promanans ab intellectu & voluntate. vnde nihil est aliud quam ipsa sacra actio: ergo nō potest vendi sine iniuria sanctitatis utimè coniunctæ. Secundò. Quia hic labor nullam habet æstimationem inter homines, nisi ex ipsa sanctitate actionis. labor enim, qui obitur a sacerdote in muneribus sacris, non æstimatur, nisi ob gratiam spiritalem coniunctam, vel inde manantē. Pro relotatione, Respondeo &

53 *Posse aliquid exigi pro labore, & quomodo.*

Dico Quartò, vtramque sententiam rectè intellectam veram videri. si enim loquamur de pretio vel mercede sustentationis, sic vera est sententia prior; neque id auctores secundæ sententiæ intendunt negare, sed solùm loquuntur de mercede quæ præcisè respondeat labori tamquam rei vendibili non habita ratione sustentationis, sicut fit in rebus temporalibus. Quòd igitur vere & propriè pro labore, molestia, & temporis impendio, quæ in functionibus spiritalibus subeuntur, liceat exigere mercedem ad sustentationem vitæ & status sui, patet ex illa Domini sententia Matth. 10. *dignus est operarius cibo suo.* & Luc. 10. *dignus est operarius mercede sua.* Idem repetit Apostolus 1. ad Timoth. 5. At quare dignus, nisi ratione laboris, molestiarum, fatigationum & impensæ temporis, quæ ipse subit in aliorum commodum? Confirmatur: quia non est dignus mercede temporalis sustentationis ratione bonorum spiritalium, quæ ipse alijs confert; neque rationis sacræ quam confert: si enim hæc omnia posset conferre sine labore, & absque temporis detrimento, non posset exigere sustentationis stipēdium: imo esset vera simonia iuris diuini. Nam rem temporalem, nempe sumptus alimentorum, exigeret pro re pure spiritali. Ex quo perspicuum est, esse magnum discrimen inter actionem sacrā, qua parte sacra est, & qua parte est laboriosa, requirens tēpus, & impediens alias functiones lucrosas, quibus alioquin incumbere quis posset quatenus enim sacra est, non efficit dignum mercede temporali, nec vllum ius tribuit exigēdæ compensationis: quatenus autem laboriosa & diuturna, & consequenter aliorum lucrorum impeditiua, efficit propriè dignum pretio ad sustentationem necessario, & ad illud ius tribuit nō minus quam labor in re temporali. Si enim ei qui in commodū alterius in negotio temporali vires suas impendit, labores & fatigationes sustinet, tempusque insumit, ex iustitia debetur merces; cur non etiam ei, cui eadem facit in negotio spiritali salutis? Quòd si operarius mercede dignus est certè ipsum quoq; opus modo prædicto spectatum dignū est pretio ad sustentationem necessario. nam operarius propter opus dignus est. hac igitur ratione qui facit Sacrum in gratiam alterius, qui concionatur, confessiones audit, &c. potest exigere aliquid temporale ad se alendum pro suo labore & tempore impenso, absque vitio simoniæ. Verum quia non omnis labor qui in singulis actionibus ponitur, meretur integram illius diei sustentationem, seruandū est quod vsu receptum est, & à Prælatis approbatum vel constitutum. Quod si iam habent ob talia ministeria impensas debitas quibus se alant, v. g. ex beneficio, peccabūt contra iustitiam si aliquid amplius exigant causa sustentationis. & præsumetur in foro externo simonia. vere tamen nō erit simonia iuris diuini, si solum ratione laboris, non autē ratione sanctitatis rei id exigant, vt supra numero 51. dictum est. Erit tamen simonia iuris humani, si id faciant contra prohibitionem ecclesiæ vsu receptam & vigentem. Aduerte tamē, etsi labor tam dictus dignus sit mercede & pretio ad sustentationem necessario, & pro eo merces exigi possit, quæ veræ mercedis rationem habeat; non tamen 54 *Laborem illū non esse propriè venalē.* posse dici propriè venalem aut vendibilem. Ratio est, quia illud solum censetur vendibile, quod aliquo modo in alterum transferri potest, vt ipse inde aliquid commodi percipiat: vt patet in cultore vineæ, cuius laboris commodum transit in dominum vineæ. at labor secūdum se non potest in alterum transferri, nec alteri esse vtilis, sed solū ratione actionis cui coniungitur: quæ actio vendibilis est ratione commodi quod per eam in alterum transit, si tamen hoc commodum vendibile sit. Itaq; labor non est venalibus nisi ratione actionis cum qua censetur quid vnū: actio verò non est vendibilis nisi ratione commodi seu effectus, qui ex illa alteri prouenit. Vnde si illud commodū sit spirituale

&

& inuendibile, actio quoque & labor inuendibilis est. Et hoc tantum probat ratio Durandi, cum ait: *Concedo tantùm illa maximè quæ insperabilia sunt ob admixtionem Sacramentorum (vt labor corporalis) nullo modo vendi posse siue vitio simoniæ, quia labor operantis nunquam cadit sub conditionem, sed totum opus etiam in puris corporalibus, &c.* Vnde concluditur, *cuncta quatenus alteri vtile non est vendibile nec laborem vendibilem esse.* quæ omnia sunt verissima, nec aliud videntur velle ceteri Doctores secundæ sententiæ, nec amplius probat primum argumentum ibi allatum. Verum etsi labor ille vt commodus alteri, in cuius gratiam fit, non possit vendi, nec tribuat ius ad exigendam mercedem, nec secundum eam considerationem reddat ministrum digñ cibo aut sustentatione: hinc non tamen sequitur quin secũdum aliam considerationem, nimirum vt fatigationem & molestiam ministro adfert, & tempus requirit, & vires in commodum alterius intendit & exhaurit, dignus sit mercede, & debeat compensari. Quamuis enim labor secundum hanc considerationem non sit æstimabilis vt res vendibilis; est tamen æstimabilis secundum se, vt incommodũ quoddam, quod in gratiam alterius subitur abstrahendo a conditione actionis aut vtilitatis quæ inde alteri prouenit: hac enim ratione est dignus mercede & compensatione. Quod etiam ex eo confirmari potest, quia quando ipsa actio & commodum eius vendi potest, vt cum quis excolit agrum alterius, magna habetur ratio laboris subeundi: ita vt ratione illius æstimatio crescat; imò interdum parui æstimatur actio eiusque vtilitas per se, sed ratione laboris & temporis, magni; vt si litteræ in longinquum per loca difficilia sint deferendæ. labor itaque æstimari potest præcisè secundum se, ita vt quicumque talem laborem in commodum alterius subit, siue in re temporali, siue in re spirituali, dignus sit mercede ad sustentationem necessaria; idq; pro ratione temporis, & conditione personæ, & laboris (quem actio requirit) magnitudine. Vnde negandum est quod assumitur in secunda ratione. Etsi enim verum sit illum laborem in ratione rei vendibilis & commodæ alteri non æstimari nisi ex actionis sanctitate, & sic pro eo nihil peti posse, id tamen non habet locum secundum aliam considerationem, vt ostensum est. Quare qui intuitu solius laboris modo prædicto petit mercedem ad necessariam sui sustentationem, non committit simoniam Iuris diuini: quia sepositâ alia compensatione, hac mercede est dignus, eique debetur. Posset tamen Ecclesia prohibere, ne is qui aliunde se alere potest, quidquam possit exigere: & tunc esset simonia Iuris humani. Qui verò intuitu suæ actionis sacræ, quatenus est commoda alteri, aliquid exigit, committit simoniã Iuris diuini: quia sanctitatem sui operis vendit.

55 *Procurationes Episcoporum.* Ex his patet, Episcopos & Archiepiscopos, non committere simoniam quando exigunt procurationes, seu expensas *pro consecratione Eccl. siarum & pro visitatione*: quia accipiunt in stipendium sustentationis, iure id concedente, vt patet c. Cum sit Romana. 10. de simonia, Vbi dicitur, *pro consecratione Ecclesiarum nihil posse capi præter procurationes*, & cap. Romana. 1. §. Procurationes, de censibus in 6. vbi dicitur *procurationem pro visitatione debitam non esse recipiendam in pecunia, sed in victualibus, idque moderatè.* Ibidem & capit. sequenti graues pœnæ contra facientem imponuntur, nempe vt intra mensem restituat duplum, (etiamsi muneris nomine datum sit) sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ: & vt nulla remissione vel condonatione possit hoc onere liberari: tamen capitul. Felicis, proximo, permittitur vt possit recipere procurationem in pecunia, si offerant eã visitati; sed vno die non posse recipere nisi vnam procurationem, etiamsi plura visitauerit loca: etsi nunc multis in locis consuetudo permittat tot accipi procurationes, quot loca visitantur; vt notat Glossa. Pro ordinatione, confirmatione & similibus nihil possunt exigere: quia Iure non permittitur, cum decore fieri nequeat, maximè cum largum stipendium sustentationis Episcopatui sit annexum.

Pœnæ contra excedentes.

DVBITATIO IX.

Vtrùm Prælati possint aliquid exigere pro dispensatione in votis, iuramentis, impedimentis matrimonij, aut quibusuis legibus ecclesiasticis.

56 *Est simonia.* RESPONDEO & dico Primò, Simoniam esse si pro huiusmodi dispensationibus aliquid exegerint.

Notãdum est Primò, In his actibus nihil esse laboris vel molestiæ præuiæ, aut comitantis extrinsecùs annexæ, aut intrinsecùs coniunctæ; neque etiam per eos impediuntur alij actus, ex quibus lucrum capi queat. Itaq; hi tituli hic locum non habent vt in superiori quæstione.

Secundò, Certum est nihil accipi posse in pretium seu compensationem talis dispensationis: quia est vsus spiritalis potestatis, qui vendi non potest, sicut nec vsus gratis datarum, vt dom prophetiæ, vel miraculorum.

57 *Pro dispensatione nihil possunt accipere Prælati.* Tertiò, Certum est Prælatos inferiores nullo titulo quidquam accipere pro his actibus posse. Ita D. Thom. ar. 3. ad 3. & cõmuniter DD. Probatur, quia à Iure non permittuntur quidquam exigere, nisi procurationes pro consecratione Ecclesiarum & visitatione, vt iam dictum est. Deinde quia Concilium Triden. sess 25. c. 18. de reformat. id expressè, prohibet; Si, inquit, *ergo sunt ratio, & maior quãdoque vtilitas possessoris cum aliquibus dispensationibus esse id causæ cogitet, ut primum matrimonia atque gratis a quibuscunq; ad quos dispensare pertinebit erit præstantium, vtique facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Aduerte tamen, posse Episcopum imponere onus largiendi eleemosynam pauperibus vel Monasterio: tantum enim prohibet Concilium ne ipse inde commodum temporale capiat.

58 *Pontifex potest.* Quartò, Summus Pontifex potest à simonia excusari etiam si causa dispensationis aliquid accipiat, modo illud nõ in pretium dispensationis; sed veluti in quamdã mulctam, per quam alter compensat recessum à communi lege, exigat. Probatur, quia cupienti sibi concedi exemptionem à lege licitum est imponere aliquod onus, quo compenset hanc deformitatem; v. g. vt soluat aliquam pecuniam ad piam causam, vt ieiunet, peregrinationem suscipiat: quod etiam Episcopi facere possunt decet enim hanc exorbitantiam aliquo modo compensari & farciri, & huiusmodi oneribus homines, veluti repagulis, intra leges communes coerceri. potest autem Pontifex hanc pecuniam suis necessitatibus applicare; quia nemini est debita, nisi cui ipse eã attribuit; idem possent Episcopi, nisi ipsis Iure positiuo esset prohibitum. Vnde si alicubi esset contraria consuetudo iam legitimè præscripta, vel Pontifice sciente & non contradicente per aliquot annos recepta, non esset damnandum simoniæ.

Exceptio à lege communi, alia opera cõpensanda.

59 *Obiectio.* Dices, Pontifex decreta Concilij confirmauit: ergo tenetur illorum vi directiua.

Resp. Hic tantum sequitur Pontificem non posse quidquam pro suis vsibus exigere; (nisi subsit iusta causa) alioquin peccabit, saltem venialiter, non conformans se in hoc decreto alijs Prælatis.

Fideles possũt excusari.

Notandum est, fideles obtinentes huiusmodi dispensationes, & aliquam pæcuniæ summam Prælatis exigentibus persoluentes, excusari a simonia, partim ratione ignorantiæ inculpatæ; partim quia dant in sustentationem Prælatorum & officialium; vel saltem in quandã redemptionem vexationis, (præsertim si exigatur dispensatione iam obtẽta) nullo modo volentes emere ipsam dispensationẽ. Hoc modo excusari possunt ante Concilium Tridentinum, qui soluebant aliquid Episcopo titulari in collatione Ordinũ; qui abusus iam in plerisq; locis est sublatus. quãuis & ipsi Episcopi propter consuetudinem excusari potuerint. etsi enim sit abusus eò quòd speciem mali habeat, tamen nõ est absolutè malum, sepositò Iure positiuo.

Petes, Vtrum committant simoniam, si aliquid exegerint pro ferenda excommunicatione vel alia censura. Ratio dubitandi est, quia hic non aliquid spirituale conferunt, sed auferunt; ac proinde non videtur hic esse locus simoniæ. Respondeo committere simoniã, quia excommunicare est vsus potestatis spiritalis, non minus quã absolutionem absoluere. Vnde Prælatus, si intuitu istius vsus exhi-

exhibiti in gratiam alterius, qui v. g. ſuum debitorem vel aduerſarium, a quo iniuriam patitur, hac pœna compelli petit, aliquid exigat, ſimoniam Iuris diuini committit. Cùm enim hic nullus labor vel modicus ſubeundus ſit, ratione cuius videatur aliquid ad ſuſtentationem poſſe exigi, ſolùm ſupereſt illa actio ſpiritalis, quæ vendibilis non eſt. Nec refert quòd commodum per illam proueniens ei, in cuius gratiam fit, ſit temporale, nimirum quòd alter cogatur ſoluere, vel abſtinere ab iniuria, quia ſufficit illam actionem ex parte ſui principij vnde procedit, atque adeò in reipſa ſpiritalem eſſe; ſic enim efficitur inuendibilis, etiam vt alteri vtilis: ſicut vſus gratiæ ſanitatum, qui alteri maximum commodum temporale adfert, inuendibilis eſt, nec quidquam pro eo exigi poteſt. Sicut enim hoc commodum temporale non præſtatur niſi per actionem ſpiritalem nec venditur, aut exigitur pro eo pecunia, niſi vt in illa actione tamquam in cauſa continetur.

Aduerte tamen: ſi ex vſu poteſtatis ſpiritalis graue incommodum proueniret vtenti, v.g. odia, calumniæ, pericula vitæ, famæ, fortunarum, &c. ſepoſito iure poſitiuo, non fore ſimoniam, ſi aliquid eo intuitu exigitur. Tunc enim nihil exigitur pro vſu poteſtatis ſpiritalis, ſed pro incommodo, quod ipſe patitur & fugit, vtendo illa poteſtate. Atqui honor rebus ſpiritalibus debitus non poſtulat, vt dum quis in commodum alterius illis vtitur, non ſe curet ſeruari indemnem. Simili modo ſacerdos periculo grauis incommodi ſe exponens faciendo Sacrum, poſſet illud æſtimare abſque vlla rei ſacræ iniuria.

DVBITATIO X.

Vtrùm Epiſcopi vel eorum Officiales poſſint aliquid exigere pro litteris Ordinis ſuſcepti, vel dimiſſorijs, vel ſigillo.

60 *Soli Notarij poſſunt pro litteris aliquid exigere.*

RESPONDEO & dico Primò, Nec Epiſcopos nec eorum miniſtros (excepis Notarijs) quidquã poſſe pro his, etiam ſponte oblatum accipere: ſi contra fecerint, contrahent ſimoniam, ſaltem Iuris humani.

Prior pars eſt expreſsè Concilij Trident. ſeſſ. 21. ca. 1. de refor. *Nihil* inquit, *pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſorijs, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alij Ordinum collatores, aut eorum miniſtri quouis prætextu accipiant.* vnde patet ne expenſas quidem exigere poſſe, ſicut in conſecratione Eccleſiarum & viſitatione.

61 Altera verò, *fore ſimoniam*, colligitur ex eodẽ loco Concilij: quia prohibet hæc, eo quòd prauitati ſimoniacæ faueant; & infligit pœna excõmunicationis ipſo facto, olim lare ſtatutam, idem patet ex Concilio Bracar. 2. cap. 3. vbi dicitur, *De ordinatione Clericorum Epiſcopi nulla munera accipiant, ſed ſicut ſcriptum eſt. Gratis acceptiſtis, gratis date.* &c. *quia antiqua definitio Patrum ita de eccleſiaſticis ordinationibus ſtatuit dicens; Anathema ſit dans & accipiens.* vide capitul. 22. Placuit. 1. quæſt. 1. Gregorius 1. capit. 4. Sicut Epiſcopum. 1. quæſt. 2. *Sicut Epiſcopum non decet manum, quam imponit vendere, ita miniſter vel Notarius non debet in eius ordinatione vectem ſtatum vel calamum venundare.* ibidem tamẽ permittit *ſponte oblatum* accipi: quod tamen Concilium Tridentinum prohibet, & merito; quia non conſtetur quid facile tunc ſponte dari, maximè ante ordinationem; & facilè perſuaderet ſibi cupiditas ſponte dari quod coactè offertur. Non tamen erit ſimonia, ſi vere ſponte detur, & vt tale accipiatur; quia ceſſat pactio & ratio debiti, quæ neceſſaria ad ſimoniam.

Sponte oblatum.

62 *Notarij.* Excipiuntur a Concilio Tridentino *Notarij* ſed in ijs tãtùm locis vbi eſt conſuetudo aliquid accipiẽdi, & nullum ſalarium pro exercendo officio eſt conſtitutum. hic. n. pro ſingulis dimiſſorijs & teſtimonialibus litteris poſſunt accipere decimã partem aurei, non amplius, id eſt, ſex aſſes; dummodo Epiſcopo nullum inde emolumentũ obueniat. Quòd ſi eis ſalarium ſit conſtitutum, ſimoniã committent aliquid accipiendo. Similiter ſi amplius acceperint. Nec poteſt eis ſuffragari contraria taxa, aut conſuetudo, etiam immemorabilis; quam Concilium dicit eſſe corruptelam, prauitati ſimoniacæ fauentem: addens, *Qui ſecus fecerint, tam dantes, quàm accipientes, vltra diuinam vindictam, pœnas à Iure inflictas ipſo facto incurrant.* Hæc pœna eſt excommunicatio, vt patet ex 2. Concilio Bracarenſi cap. 3. Quod de dantibus dicitur, intellige de ijs, qui ſponte dant; ſecus qui coactè, iam obtento ordine.

Aduerte tamen, his non obſtãtibus, multis locis amplius exigi: vbi ſanè dantes omnino excuſandi ſunt, non enim eſt mens Concilij vt literis illis careant. forsè etiam accipientes excuſari poſſunt conſuetudine, quæ etſi corruptela videatur ob ſpeciem mali, tamen per ſe mala non eſt; quamuis merito per Epiſcopos vt corruptela tolli deberet.

Dantes quo excuſandi.

Dico Secundo, Prælati qui habent reditus ſufficientes, 63 tenentur lege iuſtitiæ ſuis officialibus iuſta ſtipendia aſſignare, ne cogantur pro hiſce miniſterijs à ſubditis aliquid exigere. Ita docet Sotus l. 9. quæſt. 6. art. 1. Probatur, quia Prælatis non ſunt aſſignati tanti prouentus tot millium aureorum, vt ipſi ſoli inde viuant; ſed vt etiã miniſtros ſuos, qui ad paſtoralia munia ipſis ſunt neceſſarij, ſuſtentent. Porrò miniſtri, quibus ſalarium debitum eſt aſſignatum, peccant, etiam contra iuſtitiam, aliquid amplius exigendo. Verum in his omnibus magnam vim habet conſuetudo præſcripta.

Prælati tenẽtur dare ſtipendia ſuis miniſtris.

DVBITATIO XI.

Vtrùm pro omiſſione actus ſpiritalis, aliquid dare vel exigere ſit ſimonia.

64 *Dare pro omiſſione, non eſt ſimonia.*

RESPONDEO & dico Primò, Non eſſe id propriè ſimoniam. Huius ſententiæ dicitur fuiſſe Melchior Canus & Franciſcus Victoria. ratio eſt, quia nuda omiſſio actus ſpiritalis, non eſt quid ſacrum & ſupernaturale; ergo dum pro eo aliquid exigitur, non exigitur pro re ſacra: vt ſi aliquid accipias vt omittas ſacrum, vt non ordines, non confirmes, non abſoluas, non baptizes, non excommunices, non ſuſpendas, non ſubijciat interdicto. Imò interdum poteſt quis pecunia induci vt hæc omittat, v.g. ne eligat eum quem ſcit ineptum, vel hæreticum, ne abſoluat impœnitentem, ne celebret dum eſt in ſtatu peccati. quod ſi fiat vt alteri noceatur, erit quidẽ graue peccatum, non tamen propriè ſimonia.

Nec obſtat cap. Nemo presbyterorum. 14. de ſimonia, vbi dicitur *ſimoniacum eſſe pretio velle fauore celare peccatorem, vel reconciliare non pœnitentem, vel dignè pœnitentem à reconciliatione remouere.* quia nomen *ſimoniæ* ibi accipitur generatim & largè; quo modo collatio beneficij facta carnali affectu vel precibus interdum ſimoniaca dicitur; vt patet c. 1 14. Ordinationes. 1. quæſt. 1. Eodem modo collatio facta timore vocatur ſimoniaca à D. Thoma in 4. vt notauit Victoria nu. 25. certum enim eſt fauore celare peccatorem, ſeu non deferre, non eſſe propriè ſimoniam: imò neque ſi pretio fiat. quia deferre vel non deferre non ſunt actus ſpiritales, ſed ciuiles. per accidens autem eſt quod referantur ad correptionem fratris vel punitionem; modò non ideò pluris æſtimentur, vt patet ex dub 8.

Dices, Quædam omiſſiones ſunt vſus poteſtatis ſpiritalis, vt patet cum quis pœnitentem & confeſſum non vult abſoluere. ergo erit ſimonia ſi aliquid pro ea detur, vel exigatur. Reſpon. Numquam pura omiſſio, de qua nos loquimur, eſt vſus poteſtatis ſpiritalis. Vnde diximus *nudam omiſſionem actus ſpiritalis* non eſſe quid ſacrum. Vt omiſſio cenſeatur vſus ſpiritalis auctoritatis, requiritur vt quis ex auctoritate aliquem repellat, vel ſaltem vt illi omiſſioni actus ſpiritalis cẽſeatur coniunctus. v.g. Si quis audita cõfeſſione alicuius illum repellat tamquam indignum, & ſic deneget abſolutionem, eſt actus ſpiritalis, & ſic erit ſimonia iuris diuini pro tali omiſſione in fauorem alterius facta aliquid accipere. quomodo facilè intelligi poteſt d. c. Presbyterorum: & ſic *ſimonia* quo ad hunc caſum poterit ibi propriè accipi. Non tamen erit vera ſimonia, ſi Sacerdos non repellat, nec iudicet indignum, ſed diſſimulanter ſe ſubducat, vel alio actu omittat abſolutionem: ſic enim non vtetur ſua auctoritate. Similiter ſi Prælatus qui excommunicauit, pœnitentem repellat tanquam indignum nolendo abſoluere, vel etiam moras ſine cauſa nectat, erit ſimonia. Nam huic omiſſioni coniuncta eſt continuatio effectus prioris ſententiæ, & ita omittendo, aſſiduè & voluntariè

vbi illi Canones vigẽt; vbi verò longa consuetudine cõtrarium seruatur, illam simoniam desijsse Semper tamen speciem simoniæ retinet, & verum auaritiæ est signum.

Videtur non esse simonia vbi longa cõsuetudo contrarium ferat.

Dico Tertiò, Si Monasterium inopia premitur, ita vt nõ possit plures sustentare, non est simonia pacisci cum ingredientibus de sustentatione. Ita D. Thomas quæst. 100. ar. 3. ad 4. & in 4. sentent. loco citato, Sylvester supra q. 15. Idem tenent Victoria, Sotus, Caietan. Nauarrus, Ioannes Medina, & alij plerique. Ratio est, quia hic nihil spirituale vendi censetur, illa enim pecunia solum requiritur vt conditio quædam necessaria, vt alij Religiosi non grauentur. non enim par est vt maiorem inopiam subeãt causa eorum, qui petunt admitti, quando hi ipsi facilè possunt illud incommodum auertere. Nec obstat capitulo Quoniam. 40. de simonia; quia ibi agitur de Monasterio, quod falsò prætendebat paupertatem, vt notauit Sylvester. Dici etiam potest Iura antiqua in Monasterijs tenuibus per contrariam consuetudinem esse abrogata.

72 *Dispositio Conc. de numero.*

Circa prædicta Notandum Primò, Concilium Trident. sess. 25. cap. 3. de reformatione Regul. statuisse, *vt in Monasterijs & domibus tam virorum quam fœminarum, is tantum numerus constituatur & conseruetur, qui ex propijs reditibus Monasteriorum vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Vnde Superiores, & illis negligentibus Ordinarij debebunt hunc numerum constituere, & non permittere vt plures admittantur; & consequenter ne fiant pacta de alimentis, aut de dote: (sic enim in Monasterijs fœminarum vocari solet) quamuis enim Concilium hoc expressè non prohibuerit, tamen sequitur ex illius decreto, eisque iure antiquo verum.

Notandum Secundò, Nõ videri peccatum, saltem mortiferum, si plures admittantur vbi hic numerus nõdum est constitutus, aut si paciscantur de dote, quando Monasteriũ est tenue: quia decretum illud nõdum videtur receptum, & vsus contrarius non est contra rectam rationem, & Cõgregatio Cardinalium, nihil ausa est hac de re definire, sed censuit ad Summum Pontificem deferendum.

Nec obstat capitul. Periculoso vnic. §. Sanè, de stat. Regul. in 6. 73 *Districtius*, inquit Pontifex, *prohibemus, ne Monasterijs Ordinum non mendicantium aliqua recipiantur in fauores, nisi quæ poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis, siue prouentibus absque penuria sustentari: si secus actum fuerit, irritum decernentes.* quia responderi potest, Illa, quæ inferuntur, hoc ipso fieri bona Monasterij, & sic eam, quæ admittitur, ali posse de bonis Monasterij. Deinde non videtur vsu receptum; quia passim ignoratur dispositio huius Canonis.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm sit simonia exigere pretium pro doctrina theologica.

74 RESPONDEO & dico Primò, Exigere aliquid pro doctrina theologiæ naturalis seu metaphysicæ, non est simonia. est fere communis DD. Probatur, quia hæc doctrina non est res supernaturalis intellectus, voce explicatus adducens alterum ad cognitionem naturalem: ac proinde non est materia simoniæ. Vnde potest æstimari nõ solum ex labore, qui ponitur in studendo, sed etiam ex sublimitate rei & veritatis, ad quã mentem alterius eleuat; eoque amplius exigi, quò veritas illa est sublimior, magisque abdita, vt dictum est dub. 1. vnde videmus professionibus sublimioribus maiora esse constituta auctoramenta. Idem sequitur ex sententia Alexandri de Ales, qui dicunt scientia vendi non posse, laborem docendi posse; quia hic labor non habet æstimationem notabilem, nisi ex re in qua versatur.

75 *Obiectiones.*

Dices, Veritas illa est quid æternum & increatum: ergo sine iniuria vendi non potest. Secundò. Nõ est mea vel tua, sed solius Dei, teste D. Augustino in confessionibus. Denique omnis veritas seu cognitio veritatis est a Spiritu sancto, teste D. Ambrosio.

Sol.

Respondeo, Veritatem esse quid increatum & æternum vt est in obiecto æterno, & vt est in mente diuina; & hac ratione vendi non posse. Vt autem est in mente & in intelligentia docentis & discentis, est quid creatum: non tamen propriè dici potest vendi; ea enim quæ est in docẽte vel in actu intellectus illius non venditur; quia docens, tuam cognitionem & veritatem non trãsfert in discentem, sed sibi eã retinet. ex ea verò, quæ nascitur in discente, non oritur sola docentis opera, vt qui extrinsecus tantummodo obiectum proponat, sed ex vi luminis intellectus, propriè tamen dici potest vendere suum docendi laborem, industriã & vocem, quatenus vtilis est ad obiectum tam nobile proponendum; & consequenter concedi potest veritatẽ indirectè vendi, videlicet quatenus oritur ex labore & industria docentis, in mente discipuli. & vtilis est ad conuictũ humanum, ad dignitatem & nominis existimationem, ad oblectationem, ad opes, ac famam. *Vendit laborem & vocẽ formam.*

76

Nec obstat quòd veritas sit virtus intellectus, ac proinde bonum honestum, quod nullam cum bonis temporalibus habet commensionem: quia non venditur qua honestum, sed quà vtile & delectabile.

Ad Secundũ, Veritas, quæ est in obiecto, non est mea, ea tamen quæ est in meo intellectu, quo cãmodo mea est, per quam proponendo obiectum medio sermonis, aliã in mente alterius signo, pro quo actu mercedem petitulo.

Ad Tertium, Omnis veritas est a Spiritu sancto, non tamen per supernaturale donum, etiam sanitas, & vires, & artes a Spiritu sancto sunt.

77 *Pro catechismo.*

Dico Secundò, Exigere aliquid pro simplici catechismo seu doctrina & veritate fidei tradendo, tamquam pretium est simonia. Ratio est, quia hæc doctrina non æstimatur, nisi quatenus disponit ad salutem. Neque ordinariè fit solum vt res fidei memoriæ teneantur (qua ratione forte aliquid exigi posset) sed vt fideles sciant illis vti & applicare ad effectus & mores suos, tum in cultu diuino, tũ in Christiana conseruatione componendos. Potest tamẽ exigi stipendium sustentationis pro labore qui subitur, vt supra dub. 8. dictum est.

Pro vsu doni sapientiæ.

Dico Tertiò, Si theologia pro cognitione mysteriorum fidei & Scripturarum diuinitus infusa (qualis erat in Apostolis) accipiatur, exigere aliquid pro eius vsu tamquam pretium, est simonia. ratio est, quia theologia erat gratia gratis data, qualis naturæ viribus haberi nequit: per hanc enim longè clarius & certius sensus Scripturarũ & mysteria fidei penetrabant, quam vllo studio quis possit assequi, neq; solum consistebat in habitu, sed bonam partem in assistentia Spiritus sancti, pro tempore & loco illuminantis.

78 *Theologia scibat.*

Dico Quartò, Si theologia accipiatur pro scientia, quæ ex principijs fidei per industriã rationis naturalis deducit conclusiones; pro quibusdam eius actibus pretium accipi potest, pro quibusdam non potest.

Quatuor functiones theolog.

Vbi notandum, hanc theologiam habere quatuor functiones. Prima, Ex principijs fidei deducere conclusiones, siue necessariò siue probabiliter. Secunda, Ex sacris DD. interpretari Scripturas. Tertia. Docere doctrinam Christianam, seu prædicare doctrinam euangelicam. Quarta, Dare responsa ad pacandas conscientias. Pro tertio & quarto actu pretiũ exigi non potest. Ratio est quia hi duo actus immediatè referuntur ad excitandam fidem, spem, charitatem, pœnitentiam, alios; actus supernaturales, & ad consolationem Spiritus sancti percipiendam: nec aliam habẽt æstimationem apud Christianos. vnde censentur res sacræ & supernaturales; quia immediatè ad supernaturalia ordinantur, & etiam quia fiunt ab homine, vt est instrumentum Spiritus sancti.

Pro catechismo, concione responsis ad pacem conscientiæ.

79 *Pro labore præuio.*

Aduerte tamen non fore simoniã, si pro labore præuio qui in studendo scribendoq; ponitur, vt se comparet ad illos, aliquid accipiat; quia per accidens illis coniungitur: modo non pluris hunc laborem æstimet, eo quòd ad salutem vel conscientiæ tranquillitatem faciat. posset tamen eum æstimare, si idem ad commoda temporalia ualeret; vt quando de contractibus respondetur. Sicuti Iurecõsultus eo pluris æstimat suum responsum & laborem, quò maior est causa ad quam iuuat.

Verum si quis benè consideret, nihil est peculiare in illo studio præuio ad conciones vel catechesim. Si enim cõsideretur vt est utile ijs, quorum causa suscipitur, sic nihil pro eo exigi potest, sicut nec pro ipso actu concionandi: quia vtilitas hæc est omnino spiritalis; & sic æstimaretur hoc studiũ & venderetur ratione commodi spiritalis. Si autẽ spectetur ut affert molestiã & requirit magnam animi attentionẽ & longum tempus, sic pro illo potest exigi pre-

tium

rium ſuſtentationis. Sed eodem modo poteſt exigi pro labore ipſius concionis, vt patet ex dictis dubit.8.nu. 53.& 54. Itaque non eſt hic facienda diſtinctio inter concionandi actum, & laborem præuium, qui ad illum actum ordinariè requiritur, vel ſuſcipitur.

De primo & ſecundo actu.

De primo & ſecũdo actu theologię eſt difficultas. Quidam putant eſſe ſimoniam, ſi pro eis aliquid exigatur. Ita Sylueſter v.Simonia quæſt.10.& Palud.quem Sylueſter refert. Addit tamen Sylueſter duas limitationes. Prima eſt, Si doceatur ex officio magiſterij; quia ſic eſt, inquit, actus ſpiritalis ex parte principij. Secunda, Si ex pacto. Sed probabilius eſt nõ eſſe ſimoniam. Ita Adrianus quodlib.9 art.

80 1.Sotus l.9.q.5.art.1.& q.6.art.2 Caietan.in art.3.D Thom. Victoria nu 6.relect.1.& alij. Ratio eſt, quia in actu docendi theologiam vel explicandi Scripturas, non habetur ratio vtrum proueniat ille actus ex cognitione ſeu aſſenſu ſupernaturali, neque vtrum immediatè inducat ad aſſenſum ſupernaturalem, vel ad alios pios motus; ſed ſolum laboris & ſumptus, quo Doctor ad illam cognitionem peruenit, & laboris, quo illam tradit; & veritatis, honoris, oblectationis, quæ ex illa prouenire ſolent.

In primo & ſecũdo actu non eſt ſimonia.

81 Dices Primo, Hæc doctrina verſatur circa obiectum ſupernaturale, & ad eam concurrit in docente habitus ſupernaturalis, nempe fides, & ingenerat auditoribus aſſenſum ſupernaturalem, fide diuinam cooperante. Denique dirigit virtutes ſupernaturales, ſpem, charitatem, religionem, & fidem ipſam habitiorem reddit, & myſteria fidei contra infideles tuetur: ergo hæc doctrina eſt ſacra in ſe ipſa, ac proinde inuerecundus.

Obiect. 1.

Reſpon. Reſpõdeo Non nego quin multa ſacra poſſint huic actui eſſe connexa, ſed non ita coniuncta ſunt, quin ſeparari poſſint, vt patet in theologo, qui de aliquo articulo fidei voluntarie dubitat, vel eum aliquem negat. hic enim fide ſupernaturali caret; tamen erudite docere poteſt. Sicuti etiam cantui artificioſo coniunctæ ſunt preces ſacræ, quę canuntur; tamen pro ipſo cantu pretium exigi poteſt; quia per accidens coniunctæ ſunt. Itaque etſi habitus fidei concurrat in docendo, non tamen eius habetur ratio, dum aliquid pro hac doctrina exigitur: ſicut nec ratio habetur quod fidem ſupernaturalem defendat, aut virtutes ſupernaturales dirigat: ſed ſolum quòd intellectum in cognitionem rerum abditiſſimarum, quæ ſine magno labore nequit obtineri, adducat, quæque obtenta, magnam oblectationem, honorem & commoda conciliet. Ob has conſiderationes Doctor aliquid exigere poteſt in pretium ſuæ doctrinę, æſtimando pluris ſuas operas, quia in ſublimiori materia verſantur.

Reſpon. Qua ratione pro doctrina theo. aliquid poſſit exigi.

Nec obſtat quòd obiectum ſit ſupernaturale; quia non

82 habetur ratio vtrum cognitio, qua illud attingitur, ſit ſupernaturalis, an non, ſed ſolum quòd labore & induſtria naturali attingatur.

Dices Secundò, Titulo de Magiſtris, per multa capita prohibetur ne aliquid accipiatur pro licentia docendi: ergo docere eſt actus ſpiritalis.

Obiectio 2. pro licentia docendi.

Reſpondeo negando conſequentiam; etſi enim nihil poſſit accipi pro huius licentiæ conceſſione, eò quòd ex poteſtate ſpirituali procedat; (eſt enim vſus poteſtatis ſpiritalis, ſicut diſpenſatio cũ Sacerdote ad chirurgiam exercendã) tamen pro ipſo actu docendi aliquid accipi poteſt; ſicut pro actu medendi. Adde, non ſolum de licentia docendæ Theologiæ, ſed etiam Grammaticæ & Dialecticæ ibi agi. Puto tamen non fore ſimoniam Iuris diuini, ſed ſolum humani, ſi aliquid pro licentia docendæ Theologiæ vel alterius ſcientiæ exigeretur, habita ratione lucri, quod ex ea profeſſor percipiet: etſi enim conceſſio huius licentiæ ſeu facultatis docendi ſit vſus poteſtatis ſeu iuriſdictionis ſpiritalis, id non refert, quia non eſt vſus ſpiritalis ſeu ſupernaturalis, ſed politicus. Iuriſdictio enim eccleſiaſtica ad multos actus politicos ſe extendit, ad quos etiam poteſtas politica; vt cùm punit crimina ſui vel mixti fori pœnis ciuilibus, v.g. carcere, inedia, mulcta pecuniaria: cum priuilegia ad opera lucroſa, quæ ad Eccleſiæ bonum propriè non pertinẽt, concedit. Itaque cum pro huiuſmodi pecunia exigitur, etſi id poſſit eſſe iniquũ, vel turpe lucrũ, vel ſimonia Iuris humani, non tamẽ videtur ſimonia Iuris diuini. Confirmatur: quia quando ius adminiſtrationis vel negotij tẽporalis competit alicui eminenter, nimirum in altiori officio, & ad finem altiorem; transferre illud in alterum, & in eo Deri ſuas quodammodo vices committere, nõ eſt propriè & eſſentialiter vſus poteſtatis ſpiritalis, qua ſpiritalis eſt, ſed quatenus eminenter etiam eſt tẽporalis. Nec refert etiam illa poteſtas reſpiciat finem ſpiritalem, v.g. bonum ſpirituale eccleſiæ vel fidelium; quia etiam reſpicit bonum temporale, quod non amittit ſuã æſtimationem etiamſi ordinetur ad ſpirituale. Sic non eſt ſimonia Iuris diuini ſi Epiſcopus vel Rector eccleſiæ vẽdat officiũ Sacriſtæ, Oeconomi, Aduocati, defenſoris eccleſiæ: vt ſupra dub.4. dictum eſt. quia hæc iura ſunt in ſe temporalia, vtpote ad actus temporales, ac proinde pretio æſtimabilia; & eminenter competunt ipſi Prælato. Quare dum ea in alios transfert, tranſlatio illa, quoad ſuum terminum, eſt res temporalis, etſi a principio ſpirituali procedat. Sed per accidens eſt, quod a tali principio proueniat. Nam poteſt fieri abſque vlla iuriſdictione; vt patet ſi ipſe Sacriſta hoc ſuum officium vendat & in alterum transferat. Ad hoc enim ſufficit dominium rei aliunde non impeditum. Sicut per accidens eſt calori quod proueniat a ſole; vel abigne, & ad hunc vel illum a ſua cauſa deſtinetur finem. Idem dicendum de officio Magiſtri: quia eadem prorſus videtur ratio, ac proinde idem dixerim de licentia docendi, & de aliis licentijs, quę conſiſtunt in conceſſione alicuius Iuris temporalis pretio æſtimabilis: ſecus de illis quæ ſolum in diſpenſatione legis, vt licentia medendi in Sacerdote. diſpenſatio enim vendi non poteſt. Confirmatur. Nam licentia docendi ab officio magiſtri non diſtinguitur, niſi quòd officium ſit Ius docendi cum obligatione, licentia ſine obligatione. Sed obligatio non quæritur, nec pro ea pecunia exigitur, aut datur, ſed ſolùm pro ipſo Iure docendi. Vnde Canones tit. de magiſtris eodem modo de licentia & de officio docendi loquuntur, & ſub grauibus pœnis pecuniam pro illis accipi vetant. idque quia talis exactio ſordida, & contra profectum eccleſiaſticum; vt ibidem dicitur, & iubent acceptum reſtitui: eum tamen, qui licentiam ſic obtinuit, non priuant. Itaque ſatis indicant plus ibi eſſe iniuriæ & ſordium quàm veræ ſimoniæ.

Vſus politicus poteſtatis ſpiritalis.

83 Dices Tertiò, Docere ex poteſtate magiſterij, ſeu doctoratus eſt vſus poteſtatis ſpiritualis ſupernaturalis, vt ait Sylueſter: ergo eſt actus ſpiritalis. *Obiectio 3.*

Reſpondeo, Magiſterium non eſſe poteſtatem ſpiritalẽ ſeu ſupernaturalem, ſed potiùs naturalem, vt inſinuat D. Thomas quodlib.3.art.9. duo.n. continet. titulum honorificum, ſeu Ius vt tali titulo compelletur, collatum in teſtimonium ſcientiæ; & Ius docendi: vtrumque autem eſt eiuſdem ordinis, cuius eſt ipſa ſcientia. Itaque cùm ipſa ſcientia, quatenus ſtudio & labore paritur, naturalis cenſeatur, etiam teſtimonium illud humanum & poteſtas docendi naturalis eſt; id eſt, non ſupernaturalis. Nec refert, quòd a Pontifice delcendat; quia etiam poteſtas medendi in Sacerdote eſt a poteſtate ſpirituali; non tamen ipſa ideò cenſetur ſpiritalis, & poteſtas regia poteſt conferri per poteſtatem ſupernaturalem Pontificis, tamen non eſt ſupernaturalis, poteſtas enim ſupernaturalis iuriſdictionis, quæ eſt in Prælatis, & maximè in capite Eccleſiæ, extendit ſe ad multa, quæ ſunt ordinis naturalis, idque eo modo, quo poteſtas politica. nam poteſtas Eccleſiæ continet in ſe poteſtatem politicam eminenter. *Reſp. Magiſterium ſeu doctoratus.*

His explicatis, dicendum eſt de quibuſdam modis ſimoniæ circa annexa ſpiritalibus, vt circa beneficia & penſiones.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm ſit ſimonia reſignare beneficium in fauorem tertij, id eſt, cum clauſula, Non aliter nec aliàs.

84 MVLTI Doctores cenſent id eſſe ſimoniam, ſi reſignatio fiat in manus Ordinarij. ratio eſt, quia omnis pactio in ſpiritalibus ſimoniam continet, cap.fi.de pactis, & cap.Ex parte.1.de officio Delegati. itaque debere hanc reſignationem in manus Ordinarij fieri purè & abſolutè, poſſe tamen offerri preces pro aliquo, ſed illum non aſtringi huic conferre. ſecùs verò ſi fiat in manibus Pontificis, cuius præſentia poteſt ſimoniam purgare, & veluti ſol tenebras diſpellere. Ita Rebuffus, de beneficijs, 3. De *Sententia comm. DD. eſſe ſimon.*

pura

pura resignatione; addens beneficium resignatum in fauorem coram Ordinario, & ab Ordinario collatum, posse impetrari a Papa, tamquam vacans per simoniam. Idem tenet Nauar. cap. 23. num. 107. & passim Canonistæ cum Glossa in dictum capit. Ea parte. 13. quam sequuntur aliqui Theologi.

85 *Aliorum sententia. Non esse simoniam.*

Alij verò tenent, talem resignationem in manus Ordinarij factam, nullam continere simoniam Iuris diuini vel humani; nec esse illicitā, modo is, in cuius fauorem fit, verè sit dignus. Ita Sotus l. 9. q. 7. art. 2. quem sequuntur multi Thomistæ, & Couar. lib. 2. var. cap. 5. num. 5. & 6. vbi pro hac sententia citat D. Anton. & Syluestrum. Ratio est, quia qui ita renuntiat, nihil temporale dat vel accipit pro spirituali, sed solùm indicat se renuntiare, si collator velit conferre Petro; non renuntiare, si nolit. Confirmatur, quia in permutatione licitum est resignare in fauorem, etiam in manus Ordinarij, Clem. vnica de rerum permutatione: cur non etiā in simplici cessione? Neque obstat, quòd Episcopus videatur obligari. Primò, Quia etiam obligatur in permutatione, si eam admittat. Secundò, Hæc obligatio non est pretio æstimabilis, quando alter est verè dignus. Tertiò, Quia hæc obligatio solùm quæritur vt conditio, nec vllo modo confertur pretium renuntiationis: alioquin etiam conferetur pretium, quando fit cum Pontifice.

86 Respon. & dico Primò, Hic nullam esse simoniam Iuris diuini, vt patet ex rationibus allatis.

Dico Secundò; non posse etiam ex Canonibus cōuinci esse simoniam Iuris humani; quia nulla propriè hic intercedit pactio: non enim requiritur promissio Prælati, sed solum fit resignatio sub conditione, quam si Prælatus non acceptat, nihil actum est.

An Episcopus possit acceptare, reiecto modo.

Aduerte tamen, plerosque Doctores sentire, Episcopum posse acceptare talem resignationem, reiecto modo, & conferre cui voluerit: quia illa clausula habetur pro non adiecta; cùm resignatio in spiritualibus pure fieri debeat. Idem tenet Couarruuias suprà, & dicit esse sententiam communem.

Verius non esse.

Contrarium tamen puto verius cum Rebuffo, §. de resignatione conditionali, nu. 7. & seqq. Primò, Quia quando sic actus cum aliqua adiectione, non potest pars illius altera recipi, & altera reijci, sed debet totus recipi, vel totus reijci; L. Aurelius. 28. §. Idem quæsiuit. 12. ff. de liberatione legata: vbi vide Bartolum. Secundò, Quia apertè significatur resignationem esse nullam, nisi admittatur cum illo modo: vnde non potest ille modus vel conditio haberi pro non adiecta. Tertiò, Permutatio non valet, nisi beneficium conferatur compermutanti, eò quòd non aliter resignatum sit Clemen. vnica, de rerum permut. ergo nec renuntiatio simplex valebit, nisi conferatur ei, in cuius fauorem resignatum est.

Si tamen resignans sciret suam resignationem inualidā esse, eò quòd sit contra stylum Curiæ, posse Episcopum illam acceptare, reiecto modo, vt docet Flaminius lib. 1. de resignatio. quæstio 3. numer. 65. dicens ita resolutum in Rota. Credo in poenam illius conditionis contra stylum Curiæ adiectæ.

87 Dico Tertiò, Huiusmodi resignationes, ob imaginem simoniæ, iuxta stylum Curiæ non possunt fieri, nisi in manibus Summi Pontificis. Ita Nauarrus, & Rebuffus suprà, & Flaminius quæstio. tertia, vnde sequitur non posse fieri coram Ordinario, saltem eo modo vt Ordinarius se possit obligare; nisi ex priuilegio, vel consuetudine id ei sit concessum.

Cessiones reciprocæ.

Vnde sequitur, resignationes seu cessiones reciprocas non posse coram illo fieri; v. g. resigno meum beneficium in fauorem tui nepotis, vt tu resignes tuum in fauorē mei nepotis; nam præterquam quòd hæc renuntiatio fit in fauorem, continet pactum resignationis reciprocæ, quod omnino extra casum permutationis est Iure vetitum; vt patet c. Quæsitum, de rer. permut.

88 *Triangula cessio.*

Idem dicendum de resignatione triangulari, vt vocant, v. g. renūtio meo beneficio in fauorem Petri, vt Petrus suo cedat Paulo, & Paulus cedat suo mihi: fieri enim potest vt Pauli beneficium sit commodius mihi, Petri verò sit commodius Paulo, & meū Petro, quo posito cupiunt inire dictam resignationem. Esse autem in huiusmodi resignatione simoniam Iuris humani expressè docet Nauarr. in capitul. Si quando de rescriptis excepto. 4. nume. 1. & in Enchiridio cap. 23. nu. 109. §. Secundò, quòd. vbi pro eadem sententia citat Raymundum, Angelum, & Syluestrum, qui idem in simili casu, vbi tamen minor est imago pactionis simoniacæ, docent. Idem Nauar. in conf. lib. quinto, consil. vigesimosecundo, tit. de simonia. reprobat omnes resignationes triangulares & quadrangulares tamquam simoniacas, & dicit eas inducere pœnas iuris, si compleantur. Ratio est, quia notissimi iuris est, in spiritualibus omnem pactionem obligantem ad id, quod iure non inest, esse illicitū & simoniacum: vt apertè colligitur cap. fin. de Pactis. vbi dicitur, *in spiritualibus omnis pactio, omnisque conuentio debet omnino cessare.* & capit. Tua nos, de Simonia; & 1. quæstio, 1. cap. Quam pio, & alibi sæpè. atqui in permutatione triangulari est pactio obligans ad id, quod iure non inest. nam primus obligat secundum vt resignet in fauorem tertij, & secundus obligat tertium vt resignet in fauorem primi. nullo ergo colore huiusmodi resignationes & permutationes defendi possunt. vide Flaminium lib. 14. quæst. 7. num. 63. Potest tamen hæc resignatio fieri coram Summo Pontifice. quia non continet simoniam nisi Iuris humani; quam auctoritas Summi Pastoris dissipat. Coram Ordinario non potest fieri, ob causam dictam. posset tamen duplici permutatione coram ipso facta, ad eumdem terminum peruenire; vt si ego permutem simpliciter cum Petro, & habito beneficio Petri permutem cum Paulo; sic enim Paulus habebit beneficium Petri sibi commodum, & ego Pauli, quod commodum mihi, & Petrus meum, quod commodum ipsi.

DVBITATIO XV.

Vtrùm licitum sit resignare beneficium reseruata pensione.

89 *Resignatio, quæ sit reseruata pensione.*

RESPONDEO, Id licitum esse, modò pensio sit moderata, & legitima auctoritate constituatur. est communis sententia, & patet ex capitul. Ad quæstiones, de rerum permutatione Idem confirmat vsus quotidianus. Ratio est, quia sicut Pontifex potest titulo beneficij plures fructus annectere, ita eidem titulo potest fructuum portionē detrahere, & alteri Ius ad illos concedere, vel onus soluendi ex fructibus certam portionem ipsi titulo imponere, idque ad vitam resignantis; & tunc ad quem transibit beneficium, ad eumdem transibit onus soluendæ pensionis. Itaque resignare beneficium reseruata pensione, nihil est aliud quàm resignare sub ea lege & modo vt Superior partem fructuum a beneficio separet, vel vt onus pensionis illi imponat. quod cum Superior Iure facere possit, nihil exigitur, nisi quod Iure fieri potest.

Pensio potest imponi.

Dices, Prælatus hic obligatur ex pacto.

90 *An Prælatus obligetur.*

Respondeo Primò, Non obligari. non enim tenetur admittere resignationem sub tali modo. Secundò, sia admissa, non est opus vt se obliget; sufficit vt liberè constituat pensionem; quòd si nolit, iam resolutur renuntiatio. Tertiò, Etiamsi se obligaret, nihil referret; quia pensio non exigitur vt pretium beneficij aut resignationis, sed vt pars eius, quod dimittit: non enim paratus est renuntiare beneficio toti cum omnibus fructibus; sed cupit retinere partem. vnde non agit de lucro captando ex resignatione, sed de damno vitando; ac proinde non est simonia.

Sed difficultas est, qui possint pensionem causa resignationis simplicis imponere.

91 *Qui possint pensionem imponere.*

Respondeo Primò, Certum est Pontificem posse, cui plenaria dispositio beneficiorum competit. Secundò, Idem potest Legatus a latere, vt docet Rebuffus, §. de resignatione conditionali, numero duodecimo, adeò vt nisi pensionem imposuerit, facta tali resignatione, collatio sit futura irrita. huic tamen non conceditur vt possit admittere resignationes in fauorem tertij, vt idem tradit. Tertiò, Vtrùm Episcopus possit, dictum est supra capitul. 34. dubitatione trigesimaoctaua. Verius iudico & stylo Curiæ Romanæ, qui Ius facit, conformius, non posse; nisi priuilegium vel consuetudo præscripta id ei concesserit. cui apertè fauet Ius commune, quod statuit vt ecclesiastica beneficia sine imminutione conferantur. Extrauagan. cap. vnico, titulo. Vt ecclesiast. beneficia, &c. Vnde sequitur non posse

nisi vbi ius id ei concedit. Vide supra cap.34.dubitat.38. num.205.

92 *Possint transferre.*

Notandum est Primò, Quando quis vult resignare in fauorem tertij sub onere pēsionis, posse illos inter se tractare; non tamen absolute concludere, sed tantùm sub beneplacito Pontificis: si enim absolute concluderent, esset simonia; quia pensio non potest sola auctoritate partium imponi: vnde nova potest resignatarius iure esse illius debitor; & consequenter obligatur per resignantem ad aliquid temporale, quod iure non debet. Quando autem imponenda est per legitimam auctoritatem, tunc iure debebitur, ac proinde non obligatur nisi ad id, quod iure meruit.

91 *An hypotheca, & fideiussor exigi possit pro pensione.*

Notandum Secundo, Interdum fieri resignationis in fauorem sub onere pensionis, & quia resignans metuit ne resignatarius malignè soluat, vult hypothecam sæcularem, vel fideiussorem, quem quauis difficultate suborta conuenire possit. Certū autem est, huiusmodi conditiones & onera prætio æstimabilia, quæ iure non insunt, nō solere nisi auctoritate Summi Pontificis admitti; quia continent simoniam iuris humani, & habent quandam speciem contractuum ciuilium. Vnde non dubito quin talis pensio ab Ordinario constituta, possit non solui, & beneficium tamquam vacans impetrari.

94 Petes, Vtrùm si quis expensas fecerit in obtinendo beneficio litigioso, possit eas repetere, si beneficium velit resignare?

Quidam putant posse, si non petat aliquid pro ipso beneficio; sed tantùm pro expensis litis, vt se indemnem seruet: hæ enim totæ redundant in vtilitatē resignatarij quasi in eius gratiam factæ essent. Ita quidam recentiores.

Mihi placet contraria sententia, quæ est communis Doctorum, vt docet Flamin. lib. decimoquarto, quæst. septima, num. 1 quia omne pactum in spiritalibus de onere temporali, quod iure non est annexum, reprobatur, si absque auctoritate Superioris fiat; de quo vide suprà dubitatione 2. & 4. Certe in foro externo non admitteretur ista excusatio.

DVBITATIO XVI.

Vtrùm licitum sit resignare vel conferre beneficium in confidentiam.

65 RESPONDEO & dico Primò, Si resignes vel alio modo procures alicui beneficium, confidens ipsum aliquando illud nepoti vel amico tuo resignaturum: si nullam obligationem ipsi imponere intendas, non erit simonia; quamuis ob circumstantias possit esse illicitum. Docet hoc Nauar. cap 23. num. 109. Vualdus, de simonia, nu. 28. Hugolinus tabula 1. cap. 22. ratio est, quia nullum intercenit pactum, nec internum, nec externum: sine pacto autem non potest esse simonia, vt patet ex definitione. vnde quantumuis speret quis vel cōfidat, si nulla est occulta vel aperta conuentio, nulla intentio obligandi, nulla quoque est simonia.

Dico Secundò, Si resignes, conferas, vel aliter procures

91 *Simonia confidentia interna.*

alicui beneficiū cum intentione obligandi, vt post aliquod tempus nepoti vel alteri renuntiet, nullo tamen signo externus hanc tuam intentionem insinues, erit simonia mentalis. Patet ex dictis dubit. 6. Hæc tamen non infert pœnas iure constitutas.

Externa,

Dico Tertio, Si alicui beneficium aliqua ratione procures, eligendo, præsentando, postulando, resignando in fauorem, conferendo, instituendo, confirmando, vel commendando, cum pacto vt is, qui beneficium illud accepturus est, illud idem tibi vel alteri aliquando resignet, seu relinquat, aut vt pensionem ex eo vel fructus aliquos alteri præstet, erit simonia confidentiæ externa, quæ pœnas iuris infert. Patet ex Bulla Pij IV. & maximè Pij V. quam refert Nauar. c. 23. nu. 110. in qua ponuntur varij modi, quibus in foro externo præsumi potest & debeat hæc simonia esse commissa. Porrò reipsa, & in foro conscientiæ, solùm committitur duob. modis. Primò, Si procures alteri beneficiū, vt illud tibi, vel alteri aliquando renuntiet. Secundò, Si illud procures, vt fructus vel pensio ex eo alteri soluatur.

97 Petes, Quid si procures beneficium cum pacto vt tibi reseruetur pensio, vel fructus aliqui?

Respondeo, Esse quidem simoniam, non tamen confidentiæ; vt docet Hugolinus tab. 1. cap. 22. & Nau. conl 76. tert. de simonia. & colligitur ex verbis Bullæ Pij V. vbi ne dicitur, *Si quis beneficium aliquo dimittente receperit, vt illud eidem dimittenti vel alteri postea conferatur, aut vt illius fructus aliq; vel aliis conferantur, vel pensiones soluantur ex eodem confidentia censeatur.* hic cùm de conuentione beneficij agitur; dicitur; *vt eidem dimittenti vel alteri conferatur:* cùm de pensione & fructibus dicitur *alij.* vel *alys.* *Si resignans sibi reseruet fructus vel pensiones, non est confidentia simoniaca, sed simplex. Altera sententia probabilis*

Altera tamen sententia est valdè probabilis, nam in Bulla Pij V. censetur simonia confidentiæ, quando aliquis præsentat, vel beneficium resignat aut confert, vt prouisus, illius fructus, aut partem fructuum, ad vtilitatem conferentis vel cedentis relinquat; vel pensionem ei, cui idem collator vel cedens voluerit, persoluat. Idē colligitur ex Bulla Pij V. verf. *ac sibi propterea pensiones annuas.* & verf. *ac fructuum & pensionum reseruationes.* quibus locis aperte indicat esse simoniam confidentiæ, cum quis sibi absque legitima auctoritate pensionem reseruat. Crediderim tamen non esse in hac parte receptam.

98 *Retrocessiones prohibitæ.*

Ex iisdem Bullis patet in beneficiorū resignatione, præsentatione & collatione, illicitas esse & simoniacas, hac ipse cie, quasdam retrocessiones, quas vocant *accessus, regressus, & ingressus*, quibus significatur ex vna parte ius quoddam in dimittēte, repetendi pristinum beneficium; ex altera onus & velut seruitus quædam in beneficio.

Regressum dicar habere, si beneficio à me possesso cedam alteri, reseruato mihi iure regrediendi ad illud beneficium, in euentum, quo resignatarius naturaliter, vel similiter præmoriatur, aut fiat Episcopus, aut pensionem constitutam non soluerit. *Regressus.*

Ingressum, si beneficium mihi collatum, alteri, ante captam eius possessionem, resignem seruato mihi iure ingrediendi possessionem huius beneficij; si ille præmoriatur, vel fiat Episcopus, &c. *Ingressus.*

Accessum, si Prælatus mihi cupiat prouisum de beneficio; sed quia per ætatem vel alia de causa sum incapax, cōfert meo pædagogo, concesso mihi iure, vt quamprimum iustam ætatem habuero, propria auctoritate possim illud beneficium accipere vel accedere. Quicumque sibi vel alteri tale ius reseruat sine expressa Pontificis auctoritate, committit simoniam huius speciei. Adde etiam Cōc. Trid. sess. 25 c. 7. de reform. valdè improbare istas retrocessiones, *veluti imaginem quandam successionis hereditariæ referentes*, ac proinde, *vt sacris constitutionibus, Patrumque decretis contrarias.* Ob eamdem causam improbat *Coadiutorias cum futura successione, nisi urgens necessitas, aut euidens vtilitas aliud postulet: & tunc non nisi causa diligenter à Romano Pontifice cognita, concedi debere.* *Accessus.*

99 *Coadiutoriæ cum futura successione.*

DVBITATIO XVII.

Vtrùm licitum sit permutare beneficia, compensata fructuum inæqualitate.

RESPONDEO & dico Primò, Permutatio beneficiorum facta sine auctoritate Prælati, est illicita: non tamen est simonia Iuris diuini naturalis, sed ecclesiastici. patet ex dictis sup dub 4.

100 *Possint ad sua beneficia redire.*

Vbi Notandum est, Cùm ex dispositione Canonum, permutantes nullam habeant potestatem sua beneficia vicissim transferendi, actum eorum esse planè irritum; ac proinde sicut propria auctoritate sua beneficia alienarūt, ita sua auctoritate posse ad ea redire. possunt tamen a Superiore per sententiam priuari, in pœnam illius criminis; vt patet cap. Cum olim. 7. de rer. permut. non tamen amittunt ea ipso facto, nec incurrunt censuras.

Cuius auctoritate permutatio facienda sit dictum est c. 34. dub. 36.

Dico Secundò, Si alterum beneficiū sit altero dignius, & paritas fit reddituum, est simonia Iuris diuini, si pecunia vel pensione excessus ille dignitatis compensetur. Ratio est, quia illa dignitas est ōmnino spiritalis. vide dub. 2.

Dico Tertiò, Si beneficia habent prouentus inæquales, possunt nihilominus inter se commutari, excessu prouentuum alterius, pensione vel pecunia compensato. Ita Sotus

lib.

lib. 9 quæstio. septima, articul. secundo, Caietan. in artic. 4. quæstio. 100. Sylvester v. Permutatio 2. quæstio. 6. vbi citat Panormitan. Angelus v. Permutatio, num. 6. & alij. Probatur ex capit. Aliquæstiones 6. de rerum permutatione, vbi Clemens III. approbat permutationem duarum Ecclesiarum parochialium, compensato excessu opulentioris, pecuniæ.

Contrarium tenere videtur Adrianus quodlib. 9. art. 3. ad 5. quem sequitur Couarruuias libr. 1. variarum, cap 5. num. 8 & 9. Sed si quis benè aduertat, nihil aliud velle videntur, quam illum excessum non posse pecunia compensari, si consideretur vt manens annexus suo titulo; quod verum est quia sic est quid spirituale, qua ratione nihil pro eo dari potest.

102 *Compensatio hac vt fiat.*

Notandum est, hanc compensationem posse tripliciter fieri. Primò, Si beneficium copiosius, non separatis prouentibus à titulo, commutetur cum tenui, & pro excessu prouentuum exigatur compensatio: & hoc non est licitum: quia iste excessus, hoc ipso, quo manet annexus titulo, est debitus illi titulo; & hoc ipso, quo titulus in alterum transfertur, simul tranſit ille excessus: ergo pro eo nihil potest exigi, quin id etiam pro ipso titulo exigi censeatur. & hoc est quod Adrianus & Couarruuias velle videntur.

Secundò, Si compensatio exigatur, non pro excessu manente annexo, sed pro incommodo temporali, quod tubeo, spoliando me illis prouentibus: hanc enim ob causam possum petere à Pontifice, vt vel pensionem mihi reliquat ex beneficio, quod relinquo, onere pensionis impositio eidem beneficio; & sic simpliciter transferam illud beneficium, hoc onere grauatum: vel beneficiario imponat obligationem, vt ex alio beneficio, vel ex suo patrimonio aliquid mihi pro mea indemnitate soluat. Id enim Pontifex potest, cum hoc non sit pretium beneficij, aut prouentuum annexorum, sed conditio quædam necessaria vt me seruem indemnem, sine qua indemnitate nolo commutare.

Separantur prouentus à titulis.

Tertiò, Si iura prouentuum separentur a titulis, & primò ipsi tituli nudi, simpliciter permutentur: deinde alio contractu permutentur iura prouentuum, compensato excessu opulentioris: iura enim prouentuum à suis titulis hoc modo separata, cum non sint spiritalia, sed temporalia bona, possunt sub tali pacto commutari, vt incrementum alterius, pretio compensetur. iuxta hunc modum intelligo dictum cap. Aliquæstiones, de rerum permutation. Hic tamen cauendum ne hi contractus misceantur, vt ait Pontifex; quod fieret, si in permutatione titulorum apponeretur pactum de permutatione prouentuum, & compensatione.

Petes, Quo modo, qui permutant titulos suos, possunt retinere iura prouentuum, cum hæc iura tantummodo ratione titulorum competant?

103 *Fit hoc iuris dispositione.*

Respondeo, Retinere ex dispositione iuris, idque tamdiu per donec illa inter se permutent, vt sic rursus coalescant cum suis primis titulis: nam solùm ad hunc finem & cum hoc onere conceditur, vt sine omni specie simoniæ, permutatio fiat.

104 *Beneficium nullos habēs fructus potest permutari.*

Dices, Iuxta hunc modum, sequetur posse permutari beneficium nullos habens fructus cum alio fructus habente, compensatis fructibus pecuniæ, quod videtur falsum; quia fit tota præbenda, id est, totum ius fructuum annexum titulo, posset pecunia emi.

Ad hoc respondet Caietanus articul. quarto dupliciter. Sed secunda responsio est tenenda. nempè id fieri posse auctoritate Pontificis, etsi non inferioris Prælati. non tamen hinc sequitur quod tunc proprie præbenda venderetur pecunia, quia iam supponimus ius prouentuum esse à titulo legitima auctoritate separatum, factumque temporale, & desijsse esse proprie præbendam: quod per Pontificem posse fieri nō est dubitandum, modo iusta causa subsit; vt rectè Sotus loco citato, quæstione septima, art. 2. in fine; & ostensum est suprà dubitatione secunda, vbi plura de hac re diximus.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm redemptio vexationis licita sit in beneficijs, & quousque.

NOTANDVM est, Aliud esse ius ad rem, aliud ius in re. *Ad rem ius habet* in beneficijs, remotum quidem, qui dignus est: propinquum verò, qui electus, vel præsentatus, vel postulatus, sed nondum confirmatus, aut institutus. *Ius in re habet*, qui iam est confirmatus, vel institutus, vel collationem factam acceptauit, quamuis nondum possessionem ceperit. Quibus positis. 105 *Ius in re, & ius ad rem.*

Respondeo & dico Primò, Qui nōdum habet ius in re, non potest obl.to pretio vexationem redimere ab his, qui non tantum possunt obesse, sed etiam prodesse. Ita communiter Doctores, & colligitur aperte cap. Matthæus, de simonia; vbi quidam electus a maiori parte Capituli, cum pauci contradicerent, consensit vt vni ex electoribus contradicentibus daretur pecunia, vt conquiesceret; nimirum ne se opponeret eius confirmationi; in quo facto Pontifex iudicauit eum simoniam commisisse, & ideò debere beneficium dimittere, si saluus esse velit. Ratio est, quia quando datur pecunia ei, qui potest prodesse, censetur illum inducere ad non opponendum quod iure posset opponere, & ad præbendum consensum; & ita viam sibi sternere directe & proprie ad ipsum beneficium. sic si electus vel præsentatus reijcetur ab Episcopo, qui deberet illum confirmare vel instituere, non est licitum dare pecuniam vt ab hac iniuria cesset; quia hæc iniuria consistit in confirmationis negatione; negatio autem non tollitur nisi per affirmationem, quæ in proposito est ipsa confirmatio vel institutio; ac proinde dare vt cesset ab iniuria, est dare pro ipsa confirmatione. 106 *Habens Ius ad rem, non potest.*

Notandum tamen, si ille modis apertè iniquis conaretur impedire, v. g. infamando electum, vel corrumpendo alios pecunia, ne consentiant, non videri in foro conscientiæ simoniam, si electus vel alius ei pecuniam offerat, tantum vt ab huiusmodi iniquo conatu desistat. si enim alteri dari potest pecunia ne iniquè noceat, cur non etiam huic? non enim directè aut indirectè censetur dari pro electione aut confirmatione, aut vt cesset ab actu, quem iure probabili poterat opponere: quæ sola causa est, cur censeri possit simonia. Si tamen ille postea tali munere inductus, non solum cesset ab iniuria, sed etiam suffragetur; si quidem id faciat tamquam sentiens se obligatum tacito pacto, propter acceptam pecuniam, suffragium erit nullum, vtpotè simoniacè datum: non tamen retinebit electionem, si alij suffragantes sufficiunt. Si verò non det suffragium nisi ex gratitudine, non erit irritum. 107 *Si impediat modis iniquis.* *Si ob munus acceptū, dat si suffragium.*

Dixi *modis apertè iniquis*; quia si iure aliquo probabili aut dubio nitatur, non licebit oppositionem illam pecunia redimere. Ratio est, quia talis oppositio facit ius tuum infirmum & ambiguum: ergo eo ipso quo redimis illam, efficis ius tuum firmius & certius; sicque directè paras tibi viam ad obtinendum beneficium. Secus est quando alterius machinatio modis apertè iniquis nititur. Omnis enim iniusta vexatio, qua parte manifestè iniusta est, redimi potest, a quocumque inferatur.

Dico Secundò, Qui nōdum habet Ius in re, potest oblato pretio redimere vexationem ab his, qui solum possunt obesse; siue vi & fraude obsint, siue muneribus & precibus, apud electores, vel collatorem. 108 *Nondum habens Ius in re potest redimere vexationem, &c.*

Prior pars, id est, *si vi vel fraude obsint*. explicatur & probatur: detinet me quispiam per vim, ne me opponam in petitione beneficij, eius amico, vel postquam me opposui, cepit me infamare apud Episcopum, possum ei offerre pecuniam vt desinat nocere. Ita tenet Sot. in duob. illis casib. l. 9. q. 6. art. 1. in resp. ad 5. Ratio est, quia hoc non est directè aditum sibi ad beneficium parare, sed iniquam machinationem alterius impedire: datur enim pretium pro cessatione nocumenti. Confir. quia iste habet ius acquisitum in sua libertate & fama: ergo si aliquid det ne ea iniquè violetur, verè redimit vexationem.

Posterior pars, *si precibus vel muneribus obsint*, est contra Sotum. 109 *Si precibus vel muneribus obsit.*

Sed probatur Primò, Quia etsi is, qui muneribus vel precibus peruertit electores in me propensos, non faciat mu-

hi en uriam, ita vt ad reſtitutionem teneatur; tamen graue infert nocumentum abſque iuſta cauſa: ergo poſſum illi aliquid offere vt ceſſet ab hoc nocumento, præſertim cùm illa ceſſatio non ſit aliquid ſpiritale, nec directè viam ad ſpiritale ſternat.

Secundò, Quia ſi ei, qui ſolum poteſt obeſſe, licitum eſt offerre pecuniam vt ceſſet a nocumento, quod eſt contra iuſtitiam, cur non etiam vt ceſſet à nocumento, quod eſt contra charitatem? non enim huius ceſſatio eſt magis ſpiritalis, aut viam ſternens ad ſpiritale, quam ceſſatio illius. Itaque tam ante quam poſt electionem licitum eſt hanc vexationem redimere.

Dices, Illa ceſſatio à precibus vel muneribus dandis, nõ eſt æſtimabilis niſi ratione beneficij: ergo qui dat pro illa pecuniam, cenſetur dare pro beneficio. Sicut qui dat pecuniam pro labore faciendi Sacri, cenſetur dare pro ipſo Sacro; quia labor iſte non eſt æſtimabilis niſi ratione Sacri.

Reſpondeo negando conſequentiam. quia illa ceſſatio non habet æſtimationem ex beneficio niſi remotè; nimirum ratione ſpei conceptæ de benevolentia collatoris, ſi extrinſecus non impediatur. Sicut eſſe in familia Epiſcopi eſt pretio æſtimabile ratione ſpei obtinendi beneficij mediante ipſius benevolentia. Sicut ergo qui dat pecuniam œconomo Epiſcopi, vt admittatur in familiam illius, eo fine vt habeat opportunitatem obtinendi beneficij ex benevolentia Epiſcopi, quam bonis officijs poterit ſibi conciliare, non cenſetur dare pecuniam pro beneficio, ſed pro qua tam opportunitate ordinata ad obtinendum pure beneficium; ita qui pro ceſſatione illius importunitatis dat pecuniã, non cenſetur dare pro beneficio, ſed pro deſitione impedimenti illiciti: qua poſita concipit ſpem obtinendi beneficij ex collatoris benevolentia. Neque hoc eſt ſternere viam ad beneficium niſi indirectè & remotè, ſicut in exemplo allato, cuius ſignum eſt, quòd eo modo nõ magis inclinet aut determinet animum collatoris, quam per ſe erat inclinatus. Vnde non eſt ſimile, ſi alicui des pecuniam ne alium idoneum aut ſeipſum commendet; quia ius pro ſe vel alio ſollicitandi eſt ſpiritale, quo vt cedat das pecuniã, vt ſic tibi ſolitius ſollicitandi ſuppetat; quod eſt directè parare viam obtinendi beneficij. Similiter non eſt ſimile, quod allatum eſt de labore ſacrificij: quia ille labor eſt omnino intrinſecus & per ſe coniunctus ſanctitati illius rei. Ceſſatio autem impedimenti ſupradicti eſt omnino extrinſeca & remota obtentioni beneficij. Denique ſi nõ eſt ſimonia cùm do pecuniam vt ceſſes a calumnia apud collatorem, cur ſit ſimonia cùm do vt ceſſes a precibus & muneribus, quibus me illicitè impedis, cùm ceſſatio illa calumnia non æſtimetur à me hic & nunc niſi ratione ſpei quam habeo obtinendi beneficij?

110 *Habens ius an ve poteſt redimere vexationem.*

Dico Tertiò, Qui habet ius in re per confirmationem, vel inſtitutionem, vel liberam collationem, poteſt pactio redimere vexationem, ſi fortè aliquis illum à poſſeſſione capiendi impediat. Eſt communis Doctorum, Diui Thomæ artic. ſecundo, quæſtione centeſima, Caietani tract. de ſimonia cap. ſi quis tertio, Soti ſupra, Nauarri, cap. 23. nume. 101. & colligitur ex cap. Dilectus. 28. de ſimonia. Idem docent Canoniſtæ in dict. cap. Dilectus. & in c. Matthæus 23.

Sotus tamen dubitat num hic liceat redimere vexationem ab eo, cuius eſt in poſſeſſionem mittere. Ratio dubitandi eſt, quia dare aliquid tali ne impediat poſſeſſionem, eſt dare vt mittatur in poſſeſſionem. non enim aliter definit impedire poſſeſſionem, quam mittendo ſeu introducendo in eã: poſſeſſio autem eſt aliquid ſpiritale: vnde dare aliquid pro poſſeſſione, eſt aliquid dare pro re ſpirituali.

Poſſeſſio.

Sed communis ſententia eſt in contrarium. Vnde dicendum eſt, poſſeſſionem ſecundum ſe non eſſe quid ſpiritale, ſed id habere ex titulo cuius vi capitur; quem titulum cũ ille plene iam teneat, accedẽte noua poſſeſſione, non accedit noua ratio ſpiritalis; ſed poſſeſſio ipſa per ſe adiaphora, fit ſpiritalis ex coniunctione cum titulo. vnde non dat pretium pro re ſpirituali.

111 *Exigere aliquid dum capitur poſſeſſio &c. Sicuti ſint ipſo facto incurrunt.*

Notandum hic eſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 14. de reform. Capitulum aut alios nihil omnino poſſe exigere ab ijs, qui ſunt electi, præſentati, inſtituti, vel inſtituendi; confirmati, vel confirmandi, vel poſſeſſionem ingreſſuri, aut diſtributiones recepturi, &c. niſi ex antiqua conſuetudine hæc in pios vſus ſolita ſint conuerti, aliquin cenſebitur ſimonia, & incurrent pœnas ſimoniacorum; vt ibidem Concilium: quod eſt diligenter notandum contra communem abuſum. Imò Pius Quintus declarauit, Epiſcopum, qui aliquid (etſi dulciaria dumtaxat) exigit in receptione alicuius in Canonicum, eſſe ſuſpenſum à Pontificalibus; & Capitulum talia exigens ſubiacere Interdicto; priuatas autem perſonas, ſententiæ excommunicationis. Et eos, qui ſic aliquid acceperint ad reſtitutionem accepti teneri, vt patet ex Bulla Pij V. declaratoria huius decreti, edita anno 1570. prid. Kalen. Iunij. Video tamen paſſim non ſeruari, & omnino ignorari. Mãdat tamen Cõcilium Epiſcopis, vt id in executionem deducant.

DVBITATIO XIX.

Vtrùm licitum ſit pecuniam offerre electoribus, Volentibus eligere in Pontificem, Epiſcopum, Parochum, aliquem indignum ſeu ineptum, ne talem eligant, ſed quempiam idoneum.

RESPONDEO & dico Primò, Pro electione particularis perſonæ, etiam digniſſimæ, non eſt licitum pecuniam offerre: ratio eſt, quia hoc eſſet emere actionem ſpiritalem, nempe electionem, & ipſum beneficium, ſine vlla neceſſitate, neque cenſeretur eſſe redemptio vexationis. Excipio tamen caſum neceſſitatis, de quo ſtatim. 112

Dico Secundò, Licitum tamen eſt offerre pecuniam, vt non eligant ineptum. Eſt communior ſententia: ratio eſt, tum quia hæc eſt mera redemptio iniuriæ, ſeu læſionis iniuſtæ. Eccleſia enim habet ius vt non detur ei miniſter ineptus: tum quia non eligere ineptum, non eſt quid ſpiritale nec directe munit viam ad ſpiritale. *Vt non eligatur ineptus.*

Dico Tertiò, Etſi non videatur licitum offerre pretium pro electione particularis perſonæ, tamen licitum videtur offerre pro electione perſonæ idoneæ in genere. Ita Sotus lib. 9. quæſt. 6. art. 1. & Caietanus tract. de ſimonia, quæſtione 3. & alij. 113 *Vt eligatur dignus generatim.*

Probatur Primò, Quia vt rectè Caietanus. eiuſdem rationis cenſetur offerre pretium ne eligant ineptum, & vt eligant aptum: ſi enim volunt eligere, hoc ipſo, quo non eligunt ineptum, neceſſe eſt vt eligant idoneum: ergo ſi illud licet, etiam hoc.

Secundo, Eccleſia ius habet vt ei miniſter idoneus detur, & talis eſt ei maximè neceſſarius, ne videlicet multæ animæ pereant: ergo ſi non poteſt obtineri niſi electoribus pecunia detur, non cenſebitur eſſe vlla irreuerentia eam offerre, vt ſupra dubitatione 7. dictum eſt de Sacramento Baptiſmi.

Tertio. Si electores nollent eligere vllum, liceret pretio eos ad eligendum inducere, eo quod Eccleſiæ ſit pernitioſum carere miniſtro; ergo etiam vt eligant dignum in genere, quia Eccleſiæ pernitioſum eſt carere miniſtro idoneo.

Quartò, Quando datur pecunia pro re ſacra, neceſſaria ad grauiſſimum malum auertendum, cenſetur eſſe quædã redemptio vexationis: non cenſetur dari pro malo auertendo vt ſup. dub. 7. oſtenſum eſt: ergo & hic cenſebitur redemptio vexationis.

Petes. Quid ſi vnus tantum reperiatur idoneus, liceretne tunc offerre pretium vt eligatur, cùm electio eius ſit neceſſaria ad malum Eccleſiæ auertendum? 114 *Si ſolum vnus ſit idoneus.*

Reſpondeo cum Soto ſupra & Nauarro capi. vigeſimo tertio, numero centeſimo ſecundo, id licere, quando nulla alia ratio obtinendi idonei ſuppetit: idem rationes allatæ probant. Cenſetur enim redemptio vexationis. Nam non tam datur pecunia pro electione huius perſonæ, quàm vt auertatur electio indigni. Et quamuis hæc electio ſecundùm iura non profit, tamen poteſt à Pontifice peti confirmatio, & ita malo imminenti occurretur.

DVBI-

DVBITATIO XX.

Vtrùm licitum sit conferre beneficium, vel quid aliud spirituale pro munere à manu, vel à lingua, vel ab obsequio.

D. THOM. ART. 5. QVÆST. 100.

RESPONDEO non licere; quia omnia hęc sunt pretio æstimabilia. Vnde Vrbanus II. 1. qua. 3. cap. Salnator, *Quæsitus res ecclesiasticas non ad quod in statuta sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel obsequij, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est.* quod sumptum est ex hom. 4. D. Greg. in Euang.

115 *Munus à manu.* *Munus à manu*, teste Diuo Gregorio loco notato, est pecunia, & omne donum, quod datur collatori, electori, vel patrono, verbi gratia equus, torques, annulus, &c. De hoc munere.

Dico Primò, Si tale munus des ad conciliandum amici tiam dumtaxat, vt postea tui memor, tibi ex amicitia conferat, non erit simonia in dante, similiter nec in collatore accipiente, si ea tamquam gratis donata accipiat, nec propter illa, quasi pacto obligatus beneficium conferat. ratio est, quia tunc non intercedit pactum, sine quo non potest esse simonia. Dixi, *Quasi pacto obligatur*; quia etiamsi agnoscat te obligatione antidotali (quæ ex virtute gratitudinis oritur) astrictum: & conferat vt huic obligationi satisfaciat, non erit simonia; vt recte Nau. c. 23. nu. 106. & Coua. l. 1. var. c. 20. num. 4. quia simonia requirit vt ex obligatione iustitiæ, seu ex pacto detur. Vtrùm sit simonia si des vel exigas beneficium pro mutuatione dictum est sup. cap. 20. dubit. 9. num 64.

116 Aduertendum est, quamuis hæc vera sint in foro conscientiæ, tamen satis esse periculosa *in praxi*: quia sæpè est magnum periculum simoniæ, vel certe non probæ electionis, vbi munera intercedunt. vnde etiam in Scripturis & apud ethnicos auctores δωροδοκία seu munerũ acceptio passim reprehenditur. Exod. 23. *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Eccles. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Iudicum, & quasi frænum in ore auertunt correptiones eorum.* vide Platon. lib. 3. de Repub. Notum est illud Iugurthę apud Sallustium, *O venalem urbem, si emptorem inueniret?*

117 Dico Secundò, Si ea des cum intentione obligandi vt te præsentet, eligat vel instituat, erit simonia, saltem mentalis, ex parte tua; similiter ex parte alterius, si eadem mente accipiat, vel postea veluti ex pacto tacito beneficium conferat.

Quod dictũ est de munere à manu, dicendum de omni obsequio, Ecclesiæ, collatori, electori, patrono, vel amicis eorum præstito, quod *munus ab obsequio* vocari solet: si enim *Munus ab obsequio.* præstes obsequium Episcopo, cum tacito quodam pacto vt beneficio compenletur, erit simonia: si verò vt ipse tuã scientiam & dexteritatem perspectam habens, moueatur ad conferendum tibi beneficium, non erit simonia in foro conscientiæ, etiam si gratis vel exiguo pretio illi seruire velis, modò illum tacito aliquo pacto non intendas obstringere; nec ipse se obstrictum sentiat; non enim præstas obsequia vt Episcopũ obliges, sed vt talenta tua ei innotescant. *Vt innotescant industria.* Idem videtur dicendum, si obsequium præstetur ad conciliandam eius amicitiam, modò intelligat se à te non obligari. Nec refert vtrùm præstetur ipsi, an consanguineis eius; modò nihil aliud immediate intendas, quàm eius amicitiam. & per amicitiam beneficium. Ita Victo. num. 37. ex Caietan. artic. 5. quamuis hoc in praxi sit periculosum, & exterius speciem referat simoniæ. Ipse quoque collator inducitur saltem indirectè, vt in collatione, non tam dignitatem recipientis, quàm priuata commoda temporalia spectet: quam ob causam talis collatio dicitur interdum simonia, quamuis largè & impropriè. vt dictum est supra dubit. 4. Hæc de munere a manu & ab obsequio. Per *munus à lingua* intelliguntur preces, laudes, commendationes, & similia. De his. *Munus à lingua.*

118 Dico Tertiò, Si beneficium detur propter munus à lingua, (id est propter preces, laudes, commendationes) non erit simonia: nisi pactum aliquod tacitum vel expressum interueniat, vt si collator precibus flexus conferat beneficium, aut laudibus præteritis vel speratis inductus. Ita D. Th. art. 5. & Vict. nu. 30. & plerique alij: quamuis quidam, inter quos Duran. in 4. d. 25. qu. 4. & Adr. quodlib. 9. existiment esse simoniam, si hæc habeant se instar causæ motiuę principalis. Idem insinuat D. Thom. ad 3. Sed verius est, propriè non esse, nisi intercedat pactum, vt patet ex definitione simoniæ. potest tamen dici simonia latè, quo modo videtur loqui D. Tho. ad 3. *Simonia latè.*

Quod si pactum aliquod expressum vel tacitũ interueniat, iam erit simonia; quamuis Vict. nu. 35. aliquantulum dubitet. Sed est cõmunis sententia DD. ratio est, quia obligatio laudandi alterum vel commendandi apud Principẽ, vel rogandi pro illo, est pretio æstimabilis, & pro ea pretium accipi potest. quare quando deducitur in pactũ contra rem spiritalem, constituit simoniam. Deinde etiamsi non esset pretio æstimabilis (vt si esset commendatio ad Prælaturam) tamen si in pactum deduceretur pro beneficio, constitueret simoniam, vt patet ex dub. 16. Nec refert, vtrùm quis quærat laudem & commendationem propter seipsam, an propter aliquam vlteriorem vtilitatem, quam inde sperat; quia neutro modo in pactum deduci potest. *Si interueniat pactũ.*

DVBITATIO XXI.

Vtrùm sit simonia conferre beneficium propter timorem.

RESPONDEO & dico Primò, Conferre beneficium propter timorem, si nullum interueniat pactũ, non est simonia. Est communis: sicut enim non est simonia spiritualia facere ex timore, v. g. confiteri, communicare, vt vites pœnam à Prælato constitutam: ita etiam non est simonia dare ex timore. Pro quo. 119 *Non est simonia si absit pactum.*

Notandum, conferre beneficium ob timorem, est conferre ad euitandum aliquod malum: hoc autem malum potest esse, vel odium, quo alius te prosequitur; & ad hoc vitandum conferre beneficium, nihil est aliud quàm conferre vt alliciatur ad beneuolentiam: vel potest esse aliquod damnum externum in vita, fama, fortunis; & ad hoc vitandum conferre, si nulla intercedat obligatio, nihil etiam est aliud quam allicere beneuolentiam, vt ea conciliata non noceat.

Dico Secundò, Si interueniat aliquod pactũ, saltem occultum, per quod alter nouo modo in posterum censeatur manere obstrictus ad non nocendũ, videtur esse simonia. Ita Sot. l. 9. q. 7. art. 3. & Vict. nu. 25. Et quidem si alter Iure poterat mihi nocere, vt qui erat Iudex vel accusator, & ego crimen commiseram, omnino videtur simonia, si dem beneficium ne noceat; quia cessio illius Iuris est pretio digna. Si verò non poterat Iure nocere, vt si erat latro; nihilominùs videbitur simonia, si ratione beneficij, nouo modo illum obligem in posterum ad non nocendum. Primò, Quia illa obligatio est pretio æstimabilis; nam est vinculum nouum superadditum Iuri naturali, quo vinculo ille obstringitur lege Iustitiæ mihi non nocere. Secũdo, Quia propter tales obligationes quotidie dantur latronib. exactiones menstruæ, tamquam pretia securitatis. si tamen nõ tam spectetur noua illa obligatio, quam nocumenti iniqui euasio, alia est fortasse ratio. 120 *Si pactum nè nocendi intercedat.*

Dico Tertiò, Si non intercedat aliqua obligatio in posterum, sed solùm agatur de præsenti euitatione mali, inuste in eum finem intentati, non erit simonia, ad illud euadendum beneficium conferre vel renuntiare. Insinuat Victoria num. 25. & Sotus loco citato. Idem tenent multi recentiores, præsertim *in* metu admittendæ vitæ & famæ. Probatur, quia capitul. Abbas, secundo de ijs quæ vi metusque causa fiunt, iubet Alexander III. restitui Ecclesiam ei, qui ne patrimonio exueretur, eidem Ecclesiæ cum iuramento renuntiarat: ergo censet Pontifex eum non commisisse simoniam; alioquin potius priuasset eum. Simile habemus capit. Ad aures, & capit. Ad audientiam, eodem titulo, vbi Innocentius III. hoc extendit ad omnem metum cadentẽ in constantem virum, docetque eum, qui resignauit beneficium ex tali metu, posse illud repetere. Ratio est Primò, Quia talis nihil censetur accipere quod anteà non haberet; hoc ipso enim quo me non occidis, non infamas, non spolias, non das quidquam pretio æstimabile, ac proinde 121 *Si agatur solùm de præsenti euitatione, non est simonia.*

inde nihil a te accipio. Secundo, Quia beneficij resignatio vel collatio nõ quæritur tamquam pretium, cum quo cessationem iniuriæ commutet, sed vtitur minis tamquã medio ad gratis obtinendam collationem vel resignationem. Itaque tu veteris resignationi tamquam conditioni necessariæ vt malam euadas. Dixi, *In eum finem intentat*; quia si ob alium intentetur, & tu, vt euadas, offeras beneficium, maior videbitur simoniæ species Puto tamen re vera non esse; quia nihil accipis pretio æstimabile: vnde est contractus gratuitus ex tua parte: quamuis nonnulla videatur irreuerentia; nam ita veteris resignationi ad redimendam vexationem, sicut solemus vt pecunia. Neque refert vtrùm manum nunc an paulò post ei inferendum: quia æquè est redemptio vexationis; nec quidquam noui acquiritur.

Si alio fine intentetur.

DVBITATIO XXII.

Vtrùm pensio possit vendi, aut redimi pecunia.

121 DICO Primò, Pensio quæ datur ad officium aliquod spirituale, non potest pretio vendi absque vitio simoniæ; nec etiam potest redimi. Est communis DD. Talis est ea pensio, quæ datur adiutori Episcopi, vel concionatori. ratio *Cur vendi nequeat* est, quia datur propter officium ecclesiasticum, in eodue fundatur; sicut in beneficijs, præbenda fundatur in officio spirituali. nec quidquam ei deest ad rationem beneficij, nisi quòd non sit perpetua. Vnde sicut pro præbenda non potest quidquam dari, ita nec pro tali pensione. *Non potest etiam redimi*; quia redemptione extingueretur obligatio pensionarij; supponitur autem debere hanc manere, vt officium spirituale præstetur: quòd si pensionarius retineret suam obligationem, possent redimi fructus triennij, sicut & elocati. sed hoc non esset redimere pensionem, sed fructus.

122 Dico Secundò, Pensio illa, quæ fundatur in titulo merè temporali, potest redimi, & etiam hæc simonia vendi pretio; Victoria relectione 1. de simonia, num. 54. Sotus libro nono, quæstione 1. prima, artic. secundo, & alij. Ratio est, quia nec in titulo spirituali fundatur, nec refertur ad functionem spiritalem.

Quatuor pensionum species. Sed difficultas est de reliquis pensionibus, quæ sunt quadruplices. Prima, Quæ datur Parocho seni, non valenti amplius deseruire, vt se sustentet, beneficio eius alteri collato. Secunda, Quæ datur pauperi Clerico ad sustentationem. Tertia, Quæ ad litem componendam. Quarta, Quæ datur resignanti in fauorem, vel commutanti cum altero. Nunc.

124 *Licitum redimere.* Dico Tertiò, Non est simonia, si is, qui aliquam ex his pensionibus debet, eam præsenti pecunia redimat. Ita docet Toletus l. 5. c. 91. Caiet. tom 1. opusc. 31. respon. 10. & passim DD. in Clemen. vnicam, § Eadem quoque auctoritate. de supplendis negligẽtijs Prælatorum: vbi vide Guilielmum Laudunensem, Antonium de Butrio, Zabarell. & Imolam. Idem patet ex praxi recepta; qua huiusmodi pensiones solent redimi seu extingui, consentiente pensionario, quinque annatis. Neque ad hoc opus esset alia facultate, vt inquit Toletus. Ratio est, quia redimere talem pensionem non est emere aliquod Ius spirituale, sed extinguere onus temporale; scilicet debitum soluendi quotannis certam summam.

Notandum tamẽ est, dum quis resignat beneficium sub onere pensionis, non posse fieri pactum vt constituta pensio redimatur, id enim apertam continet simoniam, vt docent Caiet. & Toletus supra. eique eundem ex dictis dub. 16. illud enim onus est pretio æstimabile. Pari modo simonia est, si pensionem redimas resignando vel conferendo beneficium; quia datur beneficium pro re temporali: eiusdem enim rationis est extinguere aliquod debitũ seu onus temporale, & tantumdem acquirere.

125 *Pensio Parochi senis.* Dico Quartò, Probabilius est, si Ius antiquum spectemus, non esse simoniam, aliquam ex his pensionibus emere aut vendere. Ita tenet Caietanus, & Canonistæ supra, de pensione, quæ datur Parocho seni; quę tamen magis videtur annexa spiritalibus, quàm ceteræ. Sotus tamen l. 9. q. 7. art. 2. & Vict. nu. 49. inclinant in contrariam sententiã de pensione Parochi, etsi nobiscum sentiant de ceteris.

Sed probatur, quia illa pensio Parochi, non datur ad obeundum aliquod officium spirituale, sed solùm ad alimenta: ergo non est spiritalis, sed merè temporalis, ex gratitudine vel misericordia a dispensatore bonorum ecclesiasticorum concessa.

Dices, Datur propter officium spirituale præteritum: ergo censetur spiritalis, non minùs quam si pro futuro daretur. Ita Victoria citatus do ratio natur. *Obiectio.*

Respondeo Primò, Non datur propter officium præteritum, tamquam debita mediante officio; nam pro officio præterito mercedem sustentationis accepit; sed officium præteritum est conditio sine qua non daretur ei. datur autem ex misericordia seu gratitudine tamquam Ius merè temporale. sicut si daretur vsusfructus alicuius agri ad vitam, ob similem causam. *Resp.* 126

Respondeo Secundò, Ius ad certos prouentus non censeri spirituale, nisi quatenus habetur mediante officio spirituali præstando; non autem dum habetur mediante officio iam præstito, v.g. Parochus non habet Ius ad fructus anni sequentis, nisi ratione officij præstandi, ac proinde non habet ius immediatum, sed mediante officio spirituali; vnde non potest illud Ius vendere; nisi simul vendat officium, quod est Ius fundamentale, ex quo nasci debet Ius immediatum in fructus. officio autem præstito habet Ius immediatum in illos; quod ius tunc est merè temporale, non amplius connexum rei spirituali, vt quæ iam transierunt. ex officio enim spirituali potest nasci Ius merè temporale, sicut & dominium, & possessio. non enim est ratio cur magis Ius ad centum aureos ob officium spirituale præstitum sit spirituale, quam dominium & possessio eorundem centum aureorum iam receptorum: nam ius in re & ad rem sunt eiusdem generis: atqui certum est hoc dominium esse temporale sicut & possessionem: ergo & Ius ad illud est temporale. *Ius ad prouentus præstito officio, nõ est spirituale.*

Dices, Quomodo ergo Ius præbendarum dicitur esse spirituale. 127 *Quomodo Ius præbendæ sit merè temp. &c.*

Respondeo, Quatenus continetur in officio tamquam in fundamento, & per officium possidetur. vnde sicut officium est spirituale, ita etiam Ius præbendæ, ratione officij competens: quare sicut officium vendi non potest; ita nec illud postquam autem functio officij est præstita, manet Ius formale merè temporale ad illos prouentus, quod per se immediate & formaliter possidetur. vide supra dubitatione 2. & 4.

Quòd etiam ea pensio, quæ datur Clerico pauperi, non sit spiritalis, probatur, quia non datur propter officium spirituale, vti suppono, sed ad sola alimenta, ob paupertatem, titulus autem clericalis, solùm se habet co-constanter tãquam dispositio subiecti. sicut cum quis relinquit legatum pauperibus Clericis, Ius ad illud legatum non efficitur spirituale ratione clericatus. Confirm. quia Ius fructuum datur personæ pauperi, non autem titulo clericali, quamuis hic sit causa sine qua non: quod etiam interdum accidit in burgensibus, vt vocant, Collegiorum.

Vbi Notandum, esse magnum discrimen vtrùm Ius fructuum immediatè detur personæ, quamuis in ea requiratur certa conditio spiritalis; an verò detur ipsi spirituali titulo. si enim titulo spirituali annectatur, ita vt qui illum titulum acquirit, simul acquirat Ius prouentuum, iam hoc Ius spirituale erit, nec vendi poterit; vt si Iltani clericali in tota Ecclesia, vel in aliqua diœcesi esset annexum Ius prouentuum ecclesiasticorum ad 100. florenos. Secùs autem si immediate detur personæ. *Ius datur personæ, vel titulo.*

De reliquis probatur eadem ratione, quia non dantur ob vllum officium spirituale, nec ob vllum alium titulum spiritalem, ex quo illud ius assidue dependeat. & de hisce pensionibus nobiscum sentit Sotus quæst 7. art. 2. & confirmatur ex cap. Ad quæstiones, de rerum permutatione, si quis illud bene expendat; nam possessiones, (id est, iura possessionum) separatim ab officijs spiritalibus permittuntur redimi: eiusdem autem rationis est aliquid redimi & vendi.

Dices Primò, Beneficium potest commutari cum pensione: ergo pensio est quid spirituale. Antecedens probatur ex multorum vsu. *Obiectio 1.*

Resp. Si talis est vsus, (quem tamen alij negant) illi sequuntur alteram opinionem, quæ censet pensionem esse quid spirituale. *Resp.*

Dices

128 *Obiectio.2.* Dices Secundò, Pensio est magis spiritalis, quàm Ius patronatus; quia requirit titulum clericalem, & prouenit ex potestate spirituali, & pensionarius debet manere in statu ecclesiastico: alioquin si in minoribus constitutus init matrimonium, amittit ipso facto pensionem, sicut sup. ca. 34. dubit. 21. diximus, & docet Couarru. de sponsalib. p. 2. c. 6. §. 3. num. 6.

Resp. Ius patronatus.

Respondeo, Ius patronatus per se vendi non posse: quia suam ultimationem habet ex ordine ad officium spirituale: est enim Ius præsentandi: vnde est reuerà spirituale, sicut officium, quamuis ex Iure temporali depẽdeat, cum quo tum venditione, tum successione hæreditaria transit. pensio autem est Ius ad rem omnino temporalem. Nec refert, quòd à potestate spirituali concedatur; quia alioquin eleemosynæ a Papa concessæ dominium esset spirituale. Status verò clericalis requiritur solùm vt conditio subiecti, sicut in bursis Collegiorum fieri potest. Vnde huiusmodi pensiones solent dici spirituales ratione subiecti.

129 *Constitutio Pij V. de pensionibus.* Notandum tamen, vbi Bulla Pij V. de Pensionibus est recepta, ibi pensionem esse rem spiritualem. Statuit enim Pius V. vt omnes pensionarij ratione pensionis teneantur recitare officium B. Virginis: qua ratione pensio reuerà est quoddam beneficium; sed plerique locis hæc Bulla non videtur recepta, quia a plurimis ignoratur, vel etsi sciatur, non est in praxim vnquam deducta.

Notandum Secundò, Etsi Bulla Pij V. recepta non sit, tamen huiusmodi pensiones vendi non posse absque Pontificis facultate; quia ipso Curiæ est prohibitum, & vendens punitur vt simoniacus. permittuntur tamen redimi, teste Toleto supra.

Sequitur tertia pars huius capitis, De pœnis simoniacorum.

DVBITATIO XXIII.

Quas pœnas inducat simonia commissa circa ingressum Religionis.

130 *Pœna Iuris solum contrahitur ob simoniam in Ordine beneficijs, & Religione.* NOTANDVM Primò, Nullam simoniam inducere pœnas Iuris ipso facto, nisi in *Ordine, beneficijs, & Religionis ingressu*, vt docet Nauarrus cap. 23. num. 111. & Syluester v. Simonia quæstio. 19. Vnde si quis in alijs Sacramentis conferendis, vel accipiendis, in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, in pensione vendenda, vel emenda, vel redimenda, in vicaria temporali conferenda, simoniam committat, grauiter quidem peccabit; non tamen contrahet pœnam excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis.

Simonia mentalis. Notandum Secundò, Etiam simoniam mentalem, quæ absq; externo aliquo contractu tacito vel expresso in Ordine, beneficijs, & Religione peragitur, nullas pœnas Iuris inducere, vt communiter DD. docent: imò plerique Doctorum sentiunt, Ecclesiam nõ posse simoniam internam, quæ nullo modo in opere externo ex natura rei deprehendi potest, punire; eò quòd Iesus Iurisdictionem solùm ad opera externa præcipienda & vetanda, & consequenter ad puniendum se extendat: quod an verum sit, alibi examinãdum. Interim hinc constat mentem Ecclesiæ non esse vt hæ pœnæ ob simoniam mentalem irrogentur, vt patet Extrauag. Cùm detestabile, de simonia & cap. fin. eod. titulo in Decretalibus.

131 *Realis simonia in Religione pœnas.* His positis, Respon. Simoniam realem circa Religionis ingressum, Primo, Singularibus personis; tam dantibus, quam accipientibus inducere excommunicationem.

Secundò, Conuentui seu Capitulo, si consenserit in hanc simoniam, suspensionem: (nimirum ab officio capitulari ad iurisdictionem vel administrationem ecclesiasticam pertinente) vtrumque patet Extrauagan. Vrbani IV. quæ incipit, Sanè ne in vineæ Domini, de simonia: vbi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda præcipitur, *ne detur, vel exigatur in Religionis ingressu, seu receptione personarum, pactus, pecunia, munera, res aliæ etiam ad pium vsum danda.* &c. vnde mirum est Nauarr. & Syluest. sup. docere, solam simoniam in Ordine & beneficijs inducere excommunicationem. nisi fortè velint insinuare hanc Extrauagan. non esse receptam, quod credo esse verum.

Aduerte tamen, hanc censuram non habere locum in dote, quæ datur Monasterijs feminarum; ita enim statuit Martinus V. vt ex Archidiacono refert Syluest. v. Simonia, num. 15. Idem concessit Clemens VII. vt refert Nauc. c. 27. n. 106. Imo consuetudo illa exigendæ dotis, non pro ipso ingressu Religionis, sed pro alimentis Monialis passim permittitur tamquam licita, maximè si Monasterium sit tenue. vide sup. dub. 12.

Debent in aliud Monasterium detrudi. Tertiò, Simoniacè admissi ad Religionem, videtur Iure inhabiles ad manendum in illo Monasterio, vbi hoc recepti sunt: nam egent dispensatione Ordinarij vt in eo possint permanere; vt patet d. Extrau. Secùs est si ipsis ignorantibus simonia eorum facta est. hoc tamen non ita est intelligendum quasi professio eorum sit nulla, aut quasi per simoniacam professionem non fiant veri Religiosi. Sed quia non acquirunt Ius præbendæ regularis, seu portionis ordinariæ, & vocis actiuæ & passiuæ, quod Ius est instar præbendæ canonicæ. Ad hoc igitur egent dispensatione. Ita Nauarr. comment. 4. de Regul. nu. 25.

132 *Non tenentur se ipsos spoliare.* Aduerte tamen, cum, qui sic receptus est, posse in Monasterio illo remanere & frui ceterorum commodis, donec per Superiorem compellatur aliud ingredi; cum enim professio eius sit valida, & per eam ad professorum onera obligetur, nimis durum videtur vt seipsum professorum commodis spoliare teneatur. Dignus est enim operarius cibo suo: nec pœnæ simoniæ, quæ in beneficijs committitur, hic locum habent, cum præbenda monachalis non sit propriè beneficium ecclesiasticum, sed nudum ius alimentorum, fundatum in statu regulari & professione, &c.

DVBITATIO XXIV.

Quas pœnas inducat simonia realis in Ordinibus.

133 *Conferens Ordines simoniacè, incurrit has pœnas 1. Excommunicationem. An idem ad alia extendatur.* DICO Primò, Conferens Ordines per simoniam realem, est excommunicatus: Extrauagan. Cum detestabile, de simonia. Idem extendunt quidam ad eos, qui pro prima tonsura, vel pro litteris dimissorijs, vel testimonialibus, vel sigillo, aliquid simoniacè accipiunt; idque probant ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 1. vbi cùm Concilium prohibuisset ne pro collatione quorumcumque Ordinum etiam clericalis tonsuræ; aut pro litteris dimissorijs, vel testimonialibus, aut pro sigillo, aliave causa quidquam etiam sponte oblatum Episcopi, aut eorum ministri, quouis prætextu acciperent, tandem subijcit: *si contra fecerint, tam dantes quam accipientes pœnas à Iure inflictas incurrant.*

Sed hæc extensio ita generaliter facta non placet. Primò, Quia non videtur rationi consentaneum vt incurram excommunicationem quia soluo aliquid pro litteris testimonialibus aut sigillo, cum hoc fit mera redemptio vexationis.

Secundò, Durum videtur vt Episcopus, aut ministri eamdem censuram incurrant, si aliquid sponte oblatum acceperint.

Tertiò, nullo iure pro his est pœna excommunicationis statuta. Concilium autem non videtur velle nouas pœnas inducere; (alioquin clarius id explicasset) sed solùm renouare quod olim Iure statutum erat. vnde illa verba, *Pœnas Iuris incurrant*, solùm referenda sunt ad eos, in quos Iure sunt statutæ, nempe ad conferentes vel accipientes Ordinem simoniacè. Idem colligitur apertè ex Nauarr. c. 23. num. 111.

134 *Hæc intelligenda de re si vtrimque completa.* Notandum est, Concilium apertè loqui de simonia reali, (id est, quæ vtrimque completa est) vt patet ex verbis, *tam dantes, quàm accipientes*. de eadem loquitur Extrauagans, Cum detestabile. vt patet ex verbis, *qui dando, vel recipiendo, simoniam commiserunt*. Vnde non est excommunicatus, qui per conuentionalem simoniam Ordinem confert; nisi res promissa soluta fuerit, vt rectè docet Nauarr. c. 23. nu. 104. de quo inf. d. 27.

2. *Suspensione.* Secundò, Est suspensus à collatione cuiusuis Ordinis, etiam primæ tonsuræ. Ita habet Bulla Sixti V. edita in male promouentes & promotos verb. *Ceterum si quis antistes*. & quamuis hæc in ceteris punctis redacta sit ad terminos

Iuris

Iuris communis à Clemente VIII. tamen in hoc de simoniace prouomentibus & promotis, relicta est in suo vigore, & ab eodem confirmata.

Tertiò, Est suspensus ab executione omnium munerum Pontificalium; ita Bulla Sixtina; vt à cõsecratione templorum, altarium, calicum, Abbatum, virginum, à benedictione vestium sacrarum, &c. Vtrùm autem Iure antiquo, lepolita dicta constitutione, suspensus sit, dubium est. Quidã affirmant, ob cap. penultimum de simonia, vbi per triẽnium Episcopus ab ordinum collatione suspenditur, qui ab ordinando exigit iusiurandum vel promissionem, qua promittat se non petiturum ab illo prouisionem. Sed cùm in hoc casu sit peculiaris ratio, non debet ad alios dissimiles extendi; vnde cùm nihil Iure sit expressum, verius puto non esse iure antiquo suspensum.

Vtrùm iure antiquo sit suspensus.

3. Interdictũ à cessat. Eccl. sit.

Quartò, Interdictus est ille ingressus Ecclesiæ; ibidem.

Quinto, Si contra suspensionem vel Interdictum illud faceret, est suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ, & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, ibidem.

Sextò, Nemo potest illum absoluere præter Romanum Pontificem: etiam si delictum sit occultum; quia Pontifex id sibi reseruat cum clausula derogatoria omnium priuilegiorũ Regularibus datorum, & concessionis factæ Episcopis à Concilio Trident. sess. 24. cap. 6. Puto tamen hanc Sixtinam plerisque locis ignotam, ac proinde non esse vsu receptam.

135 *Accipiens Ordines simoniace, incurrit has pœnas*

Dico Secundò. Qui Ordinem aliquem per simoniam realem susceperit.

Primò, est excommunicatus ipso facto; Extrau. Cùm detestabile.

Secundò; Est suspensus ab executione suorum Ordinum. Nec refert, vtrùm crimen sit occultum, an publicũ, vt habetur dicta Extrau. Vtrum autem ab omnibus sit suspensus, an solùm ab eo quem simoniace suscepit, dubitari potest. Communior sententia DD. est, ab omnium Ordinum executione suspensum esse. Ita tenet Syluester v. Suspensio, nu. 7. & alij: nam supradicta Extrauagante dicitur, *simoniacè ordinati, ab executione suorum Ordinum sint suspensi*. Videri tamen queat contrarium non improbabile; quia Iure non videtur satis expressum. verba enim illa commodè posse intelligi de Ordinibus simoniacè susceptis; vt in quo quis peccauit, in eo puniatur. quare cùm pœnæ sint restringendæ, ita illa verba esse accipienda; alioquin dicendum fuisse, Ab omnium Ordinum etiam antè susceptorum executione sint suspensi. Verùm quia auctores non inuenio, placet sententia communis.

136 *Si alius te ignorante pecuniã dedit, non es suspensus.*

Quòd si alius te ignorante pro tua ordinatione pecuniam dederit, certum est te non fore suspensum ab alijs Ordinibus antè susceptis. multi tamen putant te fore suspensum ab Ordine sic suscepto, quam sententiam Felinus in cap. Per tuas de simonia nu. 3 dicit communem. eandem tenet Syluester v. suspensio, nu. 7.

Sed contrarium videtur verius; quod tenet Nauarrus cap. 25. num. 68. vbi pro hac sententia citat Bellamerum & Cardinalem. Ratio est, quia id Iure non est expressum, & alias æquum videtur, vt cùm ordinatio sit valida, nec possit ei auferri, non prohibeatur eius vsus per iniquitatem alterius. cur enim cogetur manere cœlebs vt sacerdos non concesso sacerdotij vsu? nihil enim commeruit cur ei hæc pœna irrogetur.

Addo non incurrere excõmunicationem aut suspensionẽ, etiamsi posit ordinationem, id quod se inscio datũ est ab amico pro ordinatione, eidem restituat, aut compenset: vt idem Nauarrus dicto num. 68. contra Syluestrum docet.

Tertiò, Si præsumpserit in illa suspensione ministrare, efficitur irregularis: (vt qui censuram violet) deinde per Bullam Sixtinam ipso facto priuatur omnibus dignitatibus, beneficijs, officijs, & efficitur inhabilis ad omnia.

Episcopus ab soluit.

Quartò, Nemo præter Romanum Pontificẽ potest illũ absoluere à cẽsuris, aut cum eo dispẽsare, vt patet ex Bulla Sixti, vbi reuocat concessiones omnes & facultates per quas posset quis absolui. Sepositis autem hac Bulla, potest Episcopus, si casus sit occultus, & nec dum ad forum externum deductus, Concilium Trid. sess. 24. cap. 6. quod verum est, etiam si cum ipso hæc simonia commissa esset; quia per hoc non est sua potestate priuatus aut suspensus.

Quidam addunt, eum, qui per simoniam ordinatur, fieri irregularem, eò quòd accipiat Ordines in excommunicatione. Ita Hugolinus tab 4. cap. 4.

Ordinatus simoniacè an irregularis.

Sed contrarium est verius, nam per susceptionem Ordinis incurrit excommunicationem; ac proinde per eamdem non potest incurrere irregularitatem; debent enim esse distincti actus. ideo enim incurritur irregularitas, quia in excommunicatione iam antè existens, ausus est Ordinem suscipere.

DVBITATIO XXV.

Quas pœnas inducat simonia realis in beneficijs.

DICO Primò, Qui beneficium confert vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, commendando, est ipso facto excommunicatus, Extrauag. Cùm detestabile. hoc tamen non habet locum in officijs ecclesiasticis, quæ non sunt beneficia neque in pensionibus, vel vicarijs temporalibus, quia dicta Extrauagans nõ loquitur de talibus. Vide Nauarrum c. 23. nu. 111. 137 *Procurans alteri beneficiũ per simoniã realem.*

Nomine *beneficij* etiam comprehendimus Abbatiam, & Priorati. quia secundùm Nauarrum sunt beneficia regularia, & Extrauagãs expressè de illis loquitur. Idem dixerim de similibus prælaturis Regularium, quæ non consistunt in nuda cõmissione ad nutum reuocabili, sed in munere ordinario, vt est rectoratus, Prouincialatus, Generalatus; quia eadem est ratio, & eadem incommoda imò grauiora ex simoniaca horum acquisitione sequerentur.

Dico Secundo, Qui verò beneficium per talem simoniam acquirit. *Accipiens.*

Primò, est ipso facto excommunicatus; Extrau. suprà.

Secũdò, Omnis collatio & prouisio huiusmodi est nulla, nullumque ius tribuit, dicta Extrauag. vbi decernitur vt *electiones, præsentationes, collationes, & alia prouisiones beneficiorum per simoniam realem facta, sint irritæ, & nullum ius tribuant, & ex prouisis in actus non faciant fides; sed sub periculo animæ sua ad eorum restitutionem teneantur*. Idem dicendum, si tu quidem simoniam non fecisti, sed te sciente & non contradicente facta est ab alio pro te. cap. Nobis fuit. 27. de simonia, iuncta Glossa, & ca. Sicut tuis. 33. eodem. vide Couarr. reg. Peccatum, p. 2. §. 8. nu. 7.

Petes, Quid si legitime electus, vel præsentatus committat simoniam pro confirmatione, vel institutione obtinenda, critne etiam ipsa electio & præsentatio irrita? 138 *Electio non est irrita, si simonia pro institutione committatur.*

Quidam putant esse irritam. Ita Hugolinus suprà ca. 5. ex Felino in cap. Sicut tuis, de simonia.

Sed contrarium puto verius, quia Iure non reperitur expressum: imò contrarium insinuatur cap. Si confirmationem, de electione in 6. non enim si posterior actus est irritus, etiam prior irritus censeri debet. Vnde puto sufficere vt tollatur inhabilitas contracta per actum posteriorem; nec opus esse noua electione aut præsentatione. Si vero in priore actu simonia commissa sit, omnes sequentes sunt irriti, quia vano fundamento nituntur: procedunt enim ex suppositione validitatis prioris actus.

Tertiò, Fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum, capit. Nobis fuit, de simonia. & cap. penult. de electione, vbi dicitur, Episcopum non posse dispensare vt habeas Prælaturam, quæ tibi per simoniam te ignorante commissam, collata fuit, secùs verò si sit beneficium simplex. quòd si hic eget dispensatione, multò magis is, qui sciuit, & non contradixit, vel per se commisit simoniam, dispensatione eget, ac proinde absque dispensatione inhabilis est. nemo enim eget dispensatione, id est, relaxatione Iuris, nisi qui Iure impeditur. 139 *Inhabilitas.*

Petes, Quis possit hanc inhabilitatem tollere.

Resp. Certum est, si simonia sit publica, vel deducta ad forũ externum & consentiente beneficiario commissa, inhabilitatem ex ea cõtractam nõ posse tolli per Episcopũ, sed per solum Papam. est communis sententia Doctorũ: & satis colligitur ex iuribus citatis. Si verò sit omnino occulta, quidam putant per Episcopum tolli posse, tum quia nullo iure reseruatur Summo Pontifici, tum quia etiãsi reseruata esset, videretur tamen cõcessa per Concil. Triden. sess. 24 c. 6. sub nomine suspẽtionis, vel irregularitatis, vel casus occulti. Ita Henriquez c. 56. de excommunicatione & quidam alij. Quæ sententia etsi videatur satis probabilis, 140 *Quis tollat.*

lis ; contraria tamen est communior DD. tutior & praxi conformior.

Regula de triennali possessore.

Quartò. Regula de triennali possessore non prodest simoniacè ingressis in beneficium, sicut nec intrusis, vt habetur in regul cancellariæ, de triennali possessore. vide Gomezium quæst. 12. in illam regulam. vnde etiam post triennij possessionem potest eis lis intentari, & beneficium adimi, etiamsi solum simoniam conuentionalem admiserint, vt idem Gomezius docet. Secus est de alijs, qui per tantum temporis spatium colorato aliquo titulo beneficium possederunt: hi enim, si bona fide possederint, non solum exceptione impetentes repellunt, sed etiam in foro conscientiæ beneficium retinere possunt, vt supra cap. 6. dub. 10. probabiliter ostensum est. Prodest tamen hæc regula ei, quo ignorante simonia commissa est, vt idem Gomezius supra docet: quia hic non peccauit. maximè si res sit occulta; quia tunc semper habet titulum coloratum.

141 *Mediatores.*

Quintò, Mediatores in simonia beneficij & Ordinis, incurrunt pœnam excommunicationis ipso facto, si ad executionem vtrimque ventum fuerit, vt patet dicta Extrauag. Cum detestabile; vt parentes, amici, procuratores: & omnes, qui suam operam interponunt vt beneficium simoniacè obtineatur.

Communantes sua auctoritate.

Petes Primò, Vtrùm qui sua auctoritate beneficia permutant, has pœnas incurrant?

Respondeo, Communior sententia DD. est incurrere, quia hi iure dicuntur simoniaci, & suum contractum vtrimque complent.

Non incurrunt excommunicationem.

Contraria tamen sententia est probabilis, quam tenet Petrus Naua. l. 2. c. 4. nu. 435. Aragon. in fine operis & quidam alij recentiores. fauet Cosarruuias l. 1. var. c. 5. nu. 3. in fine, & nu. 5. Ratio est, quia hæc non est propriè dicta simonia, cum non detur temporale pro spirituali; sed generaliori modo simonia vocatur, vt suprà ostensum est: ergo quando iura dicunt simoniacos esse ipso facto excommunicatos, non debet hoc extendi ad hanc simoniam; sed solam illam, quæ propriè & strictè simonia dicitur, pœnæ enim sunt restrictæ. Confirmatur, quia iura, quæ loquuntur de hac permutatione, non habent vllam pœnam ipso facto incurrendam: sed solum loquuntur de pœna ferenda, vt patet cap. Cum olim. 7. de rerum permutatione, cap. Cum pridem 4. de pactis. c. Sicut tuis 33. ca. Tanta. 7. & cap. De hoc autem 11. de simonia. Nec obstat, quod in Extrauag. Cum detestabile, dicatur, *qui quomodolibet dando vel accipiendo simoniam committerint, &c.* quia hoc intelligendum est de simonia propriè dicta.

142 *Si per ignorantiam commissa.*

Petes Secundò, Quid si per ignorantiam inculpatam simonia sit commissa?

Resp. Si ab alijs te ignorante, tua causa simonia cõmissa est, non incurres quidem pœnam excommunicationis; efficeris tamen inhabilis ad idem beneficium, ita vt absq; dispensatione non possit tibi illa vice conferri: idq. in pœnam illorum, qui simoniacè te promouere voluerunt; vt patet ex cap. Nobis fuit. & cap. Sicut tuis. iuncta Glossa, de simonia. Quòd si illi laborassent ignorantia inculpata, tũc neque inhabilis efficereris; quia nulla culpa commissa est, ob quam illa inhabilitas est constituta. vnde posset illud beneficium tibi secundò conferri absque vlla dispensatione. Idem videtur dicendum si contractus simoniacus ab ipso beneficiario per ignorantiam celebratus sit. In vtroq; tamen casu beneficium resignari debet, nisi secundò conferatur; quia prior collatio irrita fuit, vtpote per contractum irritum facta.

143 *Tres casus quibus non debes resignari.*

Notandum tamen sunt tres casus, quibus non teneris beneficium resignare, etsi illud dato pretio consecutus sis.

Primus est, Si inimicus tuus occultè per fraudem pecuniam dedit, eo fine vt collatio tibi facta, sit irrita, & tu inhabilis, vt habemus ca. Nobis fuit. & c. Sicut tuis literis, de simonia. Secus si amicus vt tibi prodesset; vt solent parentes pro filijs. Tunc enim simulatq; fueris, teneris dimittere, vt expressè habetur d. ca. Sicut tuis. Imò efficeris inhabilis ad idem beneficium, vt dictum est nu. 139.

2. Casus.

Secundus est, Si timeas ne alius pecuniam pro beneficio tibi impetrando daret, expressè contradixisti. Ita habemus c. Sicut tuis literis, eo fere quod non tantũ locum habet quando pecunia datur pro confirmatione eius, qui iam est electus, sed etiam quãdo datur pro ipsa electione, vel præsentatione, vel collocatione; vt docet Naua. in ca. fi-

de simonia, & Lopez p. 2. c. 106. & colligitur ex D. Thoma quæst. 100. art. 6. ad 3. Hæc tamen contradictio nihil proderit, si ea non obstante, ante collationem ideas pecuniam re vera datam, & nihilominùs illam acceptes. Tunc enim cùm scires collationem esse simoniacam, tenebaris eam non admittere. Vnde si admittas, peccas acceptando beneficium ex collatione simoniaca, & quamuis non incurras pœnam excommunicationis, quia non es causa simoniaci contractus, tamen teneris resignare, & efficeris inhabilis, vt patet ex dictis nu. 139. & 142.

144 *An teneatur resignare si soluerit pecuniam ab alio promissam.*

In hoc tamen casu difficultas est, Vtrùm si post obtentum beneficium consentias, soluèdo pecuniam per alium promissam, vel refundendo solutam, tenearis resignare beneficium & restituere fructus perceptos.

Non tenetur si non approbat contractum.

Ad quam respondendum, Si non consentias in factum alterius, ratum habendo contractum, seu promissionem simoniacam amici, sed solùm ex amicitia solueris id, quod ipse amore tui dedit vel promisit, ne videlicet ipse tua causa damnum sentiat: non teneris restituere, imò nec peccas, vt rectè Nauarrus lib. 5. consil. 10. de simonia, probat. illud enim soluere ex amicitia, ne amicus grauetur, non est malum, neque est approbare factum amici; sicut parens soluèndo debita filij, quæ ipse male contraxit, non approbat facta illa, quibus contraxit; sed id facit ex amore filij, ne ipse infamis habeatur. Si verò consentias approbando factum amici, iam incurris simoniam, & teneris resignare beneficium, & fructus restituere; iuxta D. Thomam art. 6. ad 3. qui id colligit ex dicto cap. Sicut tuis. Idem sentit Panormit. & insinuat Nauarrus supra.

Sententia Adriani.

Contrariũ tamen, id est, quòd non teneatur etiã in hoc casu resignare, docet Adrianus quodlib. 9. art. 3. littera C. Ratio est, quia illa ratificatio, quæ fit post legitimam collationem & ius acquisitum, non potest eam inficere, aut simoniacam efficere. *Sicut*, inquit, *si quis pro beneficio sibi gratis collato, postea animo mercimoniali pecuniam solueret, non inficeretur, nec irrita redderetur prior collatio legitimè facta.* Idem tenet Tancredus, vt refert Glossa in dictum capitul. Sicut. Nec obstat, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari.* regul. 10. in 6 quia id intelligendum in ijs, quæ pendent a consensu ratificantis, non autem quæ antea absolutè & plenè peracta. Similiter non officit dictum capit. Sicut, vbi sic habetur, *Ex eo, quòd contra prohibitionem & voluntatem tuam (a qua postmodum minimè recessisti) aliquis te penitus ignorante, pecuniam promisit, & exoluit, nihil debet tibi ad pœnam vel culpam imputari, nisi postea consenseris pecuniam soluendo promissam, aut reddendo solutam.* quia hinc nihil aliud sequitur, quàm aliquid debere tibi in culpam vel pœnam imputari, si consenseris in factum alterius. *In pœnam vel culpam*, inquit, non autem *in pœnam & culpam*. & quamuis diceret *in pœnam & culpam*, non tamen inde sequitur collationem vel confirmationem priorem fuisse irritam, aut beneficium debere dimitti: potest enim intelligi de pœna ferenda. Hæc sententia videtur mihi valde probabilis. Fateor tamen talem mereri priuari per sententiam causa cognita. Addi potest.

3. Casus.

145 *Pontifex simoniacè electus.*

Tertius casus, Si Papa ad Papatum per simoniam pertenisset, non teneretur resignare; modo a duabus partibus Cardinalium concorditer electus fuerit. Probari potest ex capit. Licet. 6. de electione, vbi Alexander III. statuit, *vt ille absque vlla exceptione ab vniuersali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus Cardinalium concordantibus electus fuerit & receptus*. Ratio est quia si talis electio esset irrita, sæpè Ecclesia posset esse sine capite; saltem esset sæpè incerta. Hæc sententia est valdè probabilis.

Contraria tamen, nempè quod talis non sit verus Pontifex & teneatur Pontificatum deponere, videtur quibusdam verior. Nam capit. Si quis pecunia. dist. 79 Nicolaus II. statuit, *Si quis pecunia vel gratia humana, sine concordi & canonica electione, & Cardinalium, & sequentium religiosorum Clericorum fuerit Apostolica sedi intronizatus; non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur*. Glossa hoc intelligit de eo, qui per simoniam electus est ab illis, qui non habent potestatem eligendi, non à Cardinalibus. Sed primo, Hæc Glossa est contra textum, inquit Maior d. 25. dubitat. 1. de pœna simoniacorum. Deinde an per simoniã electus est, etiam a Cardinalibus, nõ est canonicè electus, quod tamen requiri ille Canon. Idẽ probari potest ex Concilio Lateran. sub Iulio II. sess. 5. vbi *sacro approbante Concilio statuit*,

tur, vt electio Romani Pontificis per simoniam facta, eo ipso nulla existat, & sic electi nulla in spiritualibus vel temporalibus tribuatur facultas.

146 Aduerte tamen, etiamsi fortè ex parte rei non esset verè Pontifex ob hos vel similes Canones, tamen hoc ipso quo receptus a duabus partibus Cardinalium, esse habendum ab Ecclesia pro Pontifice, vt patet ex dicto capite Licet, & talis ratione tituli colorati, concurrente communi errore, in suis definitionibus habebit infallibilem auctoritatem, Deo illi propter commune bonum Ecclesiæ assistente. Vnde Ecclesia non erit incerta de suo capite; quia sciet quis ex parte rei vere sit caput, vel quis pro tali sit habendus. Sed vtra harum sententiarum sit verior, non est huius loci fusius examinare.

Deus illi assistet.

DVBITATIO XXVI.

Quas pœnas inducat simonia confidentiæ.

147 RESPONDEO, Infert Primò. Excommunicationem Papalem vtrique parti contrahenti.

Pœnæ, quas incurrit confidentiarij.

Secundò, Priuationem beneficij, in quo commissa est simonia.

Tertiò, Priuationem reliquorum beneficiorum antè obtentorum, & pensionum.

A fuerte tamen illam non teneri hæc beneficia vel pensiones dimittere ante sententiam: quia pœna, qua quis priuatur re sua iam possessa, non debetur ante sententiam, vt docet Glossa communiter recepta in c. 11. Fraternitas. 12. q. 2. qua de re supra cap. 34 dub. 34. & cap. 29. dubit. 8.

Quarto, Inhabilitatem ad idem beneficium, & ad cetera omnia. Hanc tamen inhabilitatem ad cetera, quidam intelligunt solùm post sententiam declaratoriam criminis: & ita puto vsu receptum, vide Sanctium lib. 9. de matrim. disput. 30.

Quintò, Omnia beneficia collata & accepta in confidentiam simoniacam, reseruata sunt Sedi Apostolicæ, ac proinde ordinarius collator non potest ea conferre.

Vnde sequitur, omnes illos, qui beneficia (in quibus ancei à decessore commissa fuit simonia confidentiæ) obtinent, ex alteriùs quàm Romani Pontificis collatione, non obtinere ea canonicè; quia non ab eo, qui poterat conferre: & consequenter posse priuari, nisi per triennium fuerint in pacifica possessione. vide tamen quæ hac de re dicta sùt sup. c. 34 dub. 9. & iuxta ea hæc limita.

Petes, Quid si solùm contractus huius simoniæ sit celebratus, & neutra ex parte completus?

148 *Debet vtrasque esse ex altera parte completus. Priuatio omnium ben. ef. in triennantis.*

Resp. Tunc dicta pœnas non contrahi, vt insinuat Nauar. suprà, & colligitur ex ipsa Bulla; nam significatur beneficium debere esse simoniacè receptum.

Notandum est, priuationem omnium beneficiorum & inhabilitatem ad omnia, incurri in tribus casibus.

Primò, In simonia confidentiæ, vt dictum est.

Secundò, In simonia commissa in electione Papæ, vt habemus in Conc. Lateran. sub Iulio II. sess. 5.

Tertiò, In simonia, quæ committitur quando examinatores ad parœcias, aliquid ab examinandis, occasione examinis accipiunt, vt statuit Concil. Tridentinum sess. 24. c. 18. vt sup cap. 34 dub. 16. diximus. In his tamen omnibus videtur vsu receptum vt non teneatur quis sua beneficia dimittere ante sententiam, vt supra dictum est.

DVBITATIO XXVII.

Verùm simonia conuentionalis inducat pœnas iuris.

149 *Conuentionalis non inducit pœnas. Si res spiritalis tradita pretio nondùm soluto.*

RESPONDEO & dico Primò, Nulla simonia conuentionalis, excepta ea, quæ confidentiæ dicitur, inducit ipso facto vllas pœnas iuris positiui. Ita Nauarrus c. 23. nu. 104. estque ferè communis DD præsertim recentiorum, si de ea conuentionali loquamur, quæ neutra ex parte completa est, vel de ea, in qua datum est quidè pretium, sed nondum tradita res spiritalis.

Verùm non consentiunt DD. de ea, in qua res spiritalis est tradita, & pretium nondum persolutum. Nam Sotus lib. 9. quæst. 8. art. 5. & Caietanus v. Simonia, existimant hanc inducere omnes pœnas iuris, perinde ac si vtrimque completa esset. Ratio est, quia emptio & venditio videtur perfecta, quandò res est tradita, etiamsi pretium nondum sit persolutum.

Sed contrarium sine scrupulo teneri potest cum Nauarro, qui id bene probat, & tollit argumenta contraria. Eandem tenet Ludouicus Gomez us, & Cassiodorus apud Nauarrum, & Couar. in Clementinam, Si furiosus, par. 1. §. 1. num. 7. & p. 2. §. 3. nu. 4. Hugolinus tabula 4. cap. 6. & alij recentiores. Probatur, quia etsi fortè ex rigore iuris videatur hæ pœnæ contrahi per simoniam conuentionalem, etiã neutra ex parte completam; (eò quòd ad substantiam contractus emptionis, & venditionis sufficiat consensus seu pactum, quia consensu perficitur) tamen iuxta stylum curiæ Romanæ non censentur incurrę nisi per simoniam realem vtrimque completam; vt testatur Nauarrus: non obstante Bulla Pij V. hac de re edita, quæ non videtur fuisse recepta. Cuius ratio esse videtur, quod pœnæ (præsertim graues & quæ ipso facto incurrunt) quantum fieri potest sunt restringendæ; ac proinde pœnæ constituæ ijs, qui spiritalia emunt aut vendunt, restringendæ sunt ad emptionem & venditionem completam; nisi expressè cõtrarium significetur. lex enim patiens aliquem actum, censenda est punire actum completum. Confirmatur Extrauag. Cùm detestabile, de simonia, vbi hæ pœnæ non statuuntur nisi in eos, *qui conuentionem factam, quomodolibet dando vel accipiendo, simoniam committerent.* vide Nauar. in cap. Si quando. de Rescriptis, exceptione 4. nu. 3. & 4.

Pœnæ restringendæ.

150 Ad rationẽ contrariæ sententiæ, Respondeo. Non magis emptionem & venditionem censeri completam, quando res est tradita nondum soluto pretio, quàm dum pretium est solutum re nondum tradita. quod confirmatur supradicta Extrauagante, vbi hæ pœnæ statuuntur in eos, *qui dando vel accipiendo pretium in Ordine vel beneficio simoniam committerent*: ergo non magis loquitur de eo casu, in quo beneficium est traditum, quam in quo pretium est traditum, imò magis de hoc loqui videtur.

151 *Pœnæ retrorsum aguntur*

Dico Secundò, Si tamen postea hæc simoniaca pactio vtrimq; in totum vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ & retrotrahuntur ad tẽpus pactionis. v.g. collator conuenit cum Petro 100. aureis de dando illi beneficio, & statim illud contulit, sed Petrus nondum soluit pecuniam promissam; nondum incurrerunt pœnas iuris, nec collatio est irrita. si tamen postea etiam post menses vel annos Petrus soluerit; iam incursa censebitur excommunicatio ab vtroque, & inhabilitas à Petro ab initio contractus, & contractus censebitur ab initio nullus, & collatio inualida, vt ostendit Nauarrus cap. 23. num. 104. Ita enim seruat stylus Curiæ Romanæ, cui in hac re standum, inquit ille.

152 *Excõicatio pendens ab euentu futuro. Collatio pendens.*

Vbi Notandus est casus, in quo excõmunicatio lata pendet ab euentu futuro, & posito euentu retrotrahitur ad præteritum, & collatio pure facta similiter est pendens ita vt neque sit absolutè valida, neque inualida: sed medio quodã & indifferenti modo se habens: posito autem euentu retrotrahitur. si enim pecunia promissa soluta fuerit, collatio resoluetur, censebiturque ab initio irrita, & excommunicatio & inhabilitas, ab initio contracta. si autem negata fuerit, collatio ab initio iudicabitur valida, nec vlla cẽsura aut inhabilitas videbitur contracta.

Explicatur exemplis. Amissio emphyteusis.

Hoc autem explicari potest aliquot exemplis, Primò, in amissione emphyteusis ipso Iure incursa; (vt si emphyteuta per triennium soluere pensionem omiserit) quæ amissio ita pẽdet, vt si dominus directus declaret se velle vt res illa sit amissa, iudicetur amissa cum omnibus fructibus, idque ab eo tempore, quo triennium completum est, quando res Iure in commissum cecidit. si autẽ non declaret se velle illam restitui, non censebitur amissa, vt dictum est 24. dub. 8.

Excõicatio.

Secundò, In excommunicatione lata contra eum qui statuto tempore pensionem beneficiariam non soluerit: hæc enim excommunicatio, etiamsi sit latæ sententiæ non censetur incursa, nisi pensionarius declaret se velle vt sit incursa. qua declaratione posita retrotrahitur, ita vt censeatur in cursa iam inde ab initio, quo cœpit esse in mora, vt docet Nauar. suprà, & Gigas q. 77. de pensionibus.

Status captiui.

Tertiò, In statu captiui. si enim is, qui captus est ab hostibus, post aliquod tẽpus mortuus fuerit, censebitur mortuus fuisse ab initio captiuitatis; si verò postliminio reuersus fuerit, perinde erit ac si semper fuisset in ciuitate. itaque status eius pendet. §. Ilius, qui apud hostes, iuncta Glossa,

Glossa, Institut. Quibus non est permissa facultas testãdi.

Venditio legati. Quartò, In venditione legati: si enim legatum venditũ fuerit ab hærede, & legatarius repudiet legatũ, valet venditio; si autem acceptet illud & velit restitui, non valet ab initio; L. Quædam sunt. ff. de rebus dubijs. Idem videre est in omnibus actibus, qui ab alterius ratihabitione pendent; iuxta ea, quæ diximus suprà c. 21. dub. 1.

153 Simili modo, in proposito pendet collatio, excommunicatio, & inhabilitas vsque ad euentum conditionis, qua posita retrotrahuntur hæc omnia.

Vnde infert DD. eum, qui per simoniã conuentionalẽ beneficium obtinuit, non teneri dimittere, quia collatio nõ est absolutè irrita, sed aliquo modo valida, dependenter tamen ab euentu futuro: quo posito, resoluetur ab initio; (sic enim habere stylum Curiæ Romanæ testatur Nauarrus nu. 104.) ac proinde tenebitur beneficium dimittere; eritque excommunicatus & inhabilis ab initio.

Dices, Si excommunicatio illa & inhabilitas retrotrahitur: ergo si quis potit contractum simoniacum ante eius impletionem celebret, erit irregularis; celebrat enim in excommunicatione.

Fictio retrotractionis nõ inducit irregularitatẽ. Respondeo negando sequelam; quia hæc fictio retrotractionis censuræ non sufficit ad inducendam irregularitatem: vt enim incurras irregularitatem ex violatione censuræ, requiritur vt tam ante censura absolutè sit incurta: alioquin non violas censuram: non. n. potest violari quod nondum est. Confirmatur, quia appellans a declaratione excommunicationis, de qua dubitari potest an valeat, celebrando non fit irregularis; etiamsi postea iudicetur illa declaratio legitimè & vere facta; vt docet Felinus in cap. Rodulphus. 35. col. vltima de rescriptis. similiter ignoras suã excommunicationem, celebrando non fit irregularis, cap. Apostolicæ 9. de Clerico excommunicato: nempe quia bona fide egit, nec voluntarie cẽsuram violauit ergo multò minùs erit irregularis in casu nostro, in quo censura nõdum est reipsa contracta. Hæc tamen retrotractio facit, vt si interim beneficium aliud collatum fuerit, collatio redda

154 tur irrita, quasi tunc fuisset excommunicatus & inhabilis. *Inhabilitas tamen.* Ratio diuersitatis est, quia irregularitas pertinet ad damnum, acquisitio beneficij ad lucrum: plus autem requiritur ad damnum incurrendum, quàm ad lucrum non captandum. Vnde etsi retrotractio illa non sufficiat ad damnum cõtrahendum; tamen ad lucrum non captandum sufficit. Simili modo ignorantia iuris excusat ad vitandam pœnã, nõ tamen ad captandum lucrum, L. Iuris ignorantia. 7. & sequent. ff. de Iuris & facti ignorantia. Vnde collatio beneficij facta excommunicato ignoranti suam excommunicationem, est inualida; vt docet Glossa in dictum capit. Apostolicæ. & Couarruuias in c. Alma. p. 1. §. 7. nu. 3. hic tamẽ celebrando nõ fit irregularis. Vide Hugolinum c. 6. tab. 4.

155 Aduerte tamẽ, videri quibusdam hanc retrotractionem *Quorundã sententia.* non habere locũ in foro conscientiæ, quia Canones id nõ statuerunt, sed solùm in foro externo: nemo. n. verè & coram Deo est excommunicatus ante cõtumaciam, verè autem non est contumax, nisi cùm fecerit illud, quod sub pœna excommunicationis ei erat prohibitum. Deinde contumacia nõ retrotrahitur: ergo nec excommunicatio, nec pœnę illam sequẽtes. Denique hæc retrotractio solùm fit per quamdam fictionem Iuris, vt sic magis puniatur is, qui deliquit; & solum per stylum Curiæ Romanæ in quibusdam causis est introducta, quod est signum pertinere dumtaxat ad forum externum. Vnde in foro conscientiæ pœnæ simoniæ non censebuntur incursæ nisi a tempore completæ simoniæ, nec retrorsum trahentur. quare non tenebitur talis beneficiarius ad restitutionem fructuum interim perceptorum, nec censebitur fuisse inhabilis ad alia beneficia quam sententiam insinuat Nauarrus cap. 23. nu. 104. § Non ignoro & docet Henriquez, de excommunicatione cap. 19. & mihi non displicet.

DVBITATIO XXVIII.

Vtrùm pretium simoniacè acceptum, Iure diuino sit restituendum.

SVPPONO, si is, qui accepit pretium pro re spirituali, tenebatur eam ex iustitia gratis conferre, illum iure diuino ad restitutionem pretij obligari; quia accipiendo pretium, non solùm virtutem religionis, sed etiam iustitiã cõmutatiuam læsit; sicut si Iudex pro iusta sententia, aut testis pro testimonio veritatis, pretium exigeret, teneretur ad restitutionem. Hinc Parochus, cui assignata est congrua sustentatio, tenetur ad restitutionem, si pro Sacramentorũ administratione mercedem contra Ecclesiæ consuetudinẽ exigat. Hoc posito sunt duæ sententiæ valdè celebres.

Prior est, Eũ, qui accipit pretiũ pro re spirituali, iure diuino non teneri ad illius restitutionem; hanc tenet Nauar. c. 23. nu. 103. & 104. & dicit eam esse communẽ Canonistarum & Theologorũ vsque ad hoc tempus. eamdem tenet Couar. ad reg. Peccatum, p. 2. § 8. nu 8. & censet esse communem, & Petrus Nauarra l. 2. c. 2. nu. 400 Sylueller v. Simonia, q. 20. in principio. Victoria de simonia p. 2. num. 4. Caiet. art. 6. & in Summa v. Simonia cap. 3. sub finem.

157 Probatur Primò, Quia accepta per simoniam mẽtalem *1. Sententia non teneri ad restitutionẽ.* non sunt iure diuino restituenda: ergo neque accepta per simoniã externã. consequentia probatur, quia eodem titulo pretium accipit simoniacus externus, quo internus. parumque refert vtrùm id verbis exprimant. an sola mente. Antecedẽs probatur ex cap. fi. de simonia, vbi Gregorius IX. a Legato suo cõsultus, Vtrùm Monachi simoniace recepti, qui pretium dederant, & Abbates, qui receperant, teneantur ad restitutionẽ, & resignationem sic acceptorũ, respondet, *Ad resignationes spiritalium & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi, vtrumque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentes sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori) eos pro simonia eiusmodi non teneri.* ex qua respõsione Pontificis euidenter colligi videtur, simoniacos internos non teneri ad restitutionem, nec temporalium acceptorum pro spiritalibus, nec spiritalium acceptorũ pro temporalibus. Ideò autem Pontifex dicit eos non teneri, quia iure diuino naturali non obligantur; ecclesiasticum enim in hoc casu locum non habet. quia non punit simoniam internam, nec irritam reddit talem conuentionem, sed solùm externam. Addit Caiet. v. Simonia c. 3. responsum Pontificis vniuersè de omni simonia intelligendum.

Cap. fin. de simonia.

Probatur Secundò. Si iure diuino deberet restitui, Pontifex non posset dispensare in retentione pretij, quod tamẽ est contra praxim, vt patet Extrauag. Sanè. in communibus de simonia, vbi Vrbanus IV. dispensat vt accepta pro Religionis ingressu retineantur.

Tertiò, Qui exigit pretium pro re spirituali, quam ex officio ei præstare non tenebatur, non facit illi iniuriam; nam res, quæ datur, digna est pretio; & is, cui datur, non habebat ius exigẽdi illã gratis a tali; sed solùm fit iniuria Deo. & rei spirituali, vti dictum est. vide Victoriam suprà.

158 Altera sententia est, Simoniacum iure diuino ad restitu- *2. Iure diuino teneri.* tionem pretij teneri. Ita tenet Henricus quolib. 6. q. Adrianus quolib 9. ar. 3. litera H. Sotus lib. 9. quæst. 8. ar. 1. Bartolom. Medina l. 2. Summæ. cap. 14. §. 21. Ioannes Medina q. 4. de vsura restitu. §. Ideò videtur. Hæc sentẽtia mihi probatur, adhibita tamen distinctione, vnde.

Accepũ pro damno non tenetur restituere. Dico Primò, Si quis in gratiam alterius priuet se aliqua re spirituali, & pro incommodo quod inde patitur cõpensationem temporalem exegerit, non tenetur iure diuino ad restitutionẽ. Et quidem si incõmodum sit temporale, vt cũ quis se spoliat suo beneficio & in alterũ resignat, res videtur clara. Hoc. n. damnum per se est pretio æstimabile, ac proinde nulla erit iniuria, si pro eo exigatur compensatio. Idem dicendum de omni alio iure vel re spirituali, cuius priuatione incommodum temporale in honore vel fortunis obuenit. Verùm si res illa spiritalis nullum commodum temporale annexum habeat: ita vt ex eius priuatione sustineas solùm incommodum spirituale, res est magis obscura. Tamen adhuc valdè probabile est te iure diuino nõ teneri ad restitutionem, si pro eo incommodo quid acceperis. Vt si reliquijs Sanctorum vel corona benedicta te priues, nec similia possint recuperari. Probatur, quia nemo in me ius habet vt sua causa tenear talia dãna gratis subire: ergo non facio illi iniuriam exigendo compensationem temporalem; maximè cùm priuare se bonis spiritualibus sit magnum damnum subire. Confirmatur, quia is, qui causa alterius subit damnum temporale, potest exigere compensationem; ergo etiam qui subit damnum spirituale. quod est maioris momenti, & magis vitandum, non peccabit, saltem contra iustitiam.

Dices,

Dices, Ergo licebit reliquias vendere.

159 Respondeo negando consequentiam, quia agitur cõtra reuerentiam sanctitati illarum debitam, dum pretio humano æstimantur: non tamen fit iniuria illi, a quo pretium exigitur; quia ius non habet vt sibi gratis donetur: quare multo magis si tibi per vim auferrentur, nec valeres recuperare, posses ibique vlla iniuria exigere aliquam compensationem pecuniariam, iudicio prudentis taxandam, pro dãno accepto: quia enim damno per iniuriam affectus est, potest exigere compensationem huiusmodi, qualem spes est posse obtinere, vel oblatam acceptare.

Vnde sequitur, Regem Burgundiæ nõ fuisse obligatum ad restituendas ea, quæ ipsi Imperator Hericus I. dedit pro lancea in qua clauus vnus Dominicæ crucis continebatur, quam precibus & minis ab eo extorserat: vt scribit Sigebertus ad annum Domini 929.

Dices. Incommodum spirituale non potest æstimari: ergo iniquum erit si aliquid temporale pro eo exigatur. Respondeo dicitur non posse æstimari, non quasi sit infra omne pretium, sed quia per se omne pretium excedit, vtpote superioris ordinis. Sicut incommodum infamiæ est inæstimabile, tamen non est contra iustitia n exigere pecuniam pro eo compensationem temporalem; si causa alterius iustineatur, vel fama n iniuste abstulit, & nolit restituere, quo casu potest absque iniustitia exigere quanti in anno sito hoc incommodum æstimat, vt si mallet amittere 100. aureos quam illud incommodum sustinere.

160 *Sirues spiritalis habet cum modum temporale.*

Dices Secundo, Conferens pretio aliquid spirituale, quod annexum habet commodum temporale, Iure diuino non tenetur ad illius pretij restitutionem: vt si quis Canonicatum, Archidiaconatum, Episcopatum vẽderet, si ad Religionem pretio admitteret; & in hoc casu sentio priorem sententiam esse veram. Et satis probari potest ex collatione: de tali enim casu loquitur Pontifex: admissio enim in Religionem, coniunctum habet commodum alimentorum per totam vitã, quod sanè magno pretio apud homines æstimatur. si tamẽ hoc pretium esset iudicio prudentis excessiuum, ille excessus Iure naturæ esset restituendus; quod eo ferè modo in beneficiorum, quo in officiorum sæcularium vẽditione definiendum esset.

161 *Obiectio. Collatores, sunt dispensatores.*

Dices, Collatores non sunt domini beneficiorum, sed solum dispensatores: atqui dispensator tenetur gratis dispensare bona domini sui; præsertim quando pro officio suo stipendia assignata habet; alioquin pro eadem re duplex stipẽdium acciperet. collatores autem beneficiorum habent amplissima stipendia, ratione quorum tenentur munia ecclesiastica (inter quæ est collatio beneficiorum) obire: ergo si aliquid amplius acceperint, Iure diuino tenentur ad restitutionem.

Respond.

Respondeo, tenetur quidem dispensator gratis dispensare vt non peccet; non tamen ita vt semper teneatur ad restitutionem, si gratis non fecerit: tum quia ordinariè stipendia illa non sunt ei assignata pro munere collationis, sed pro aliis functionibus ecclesiasticis, sicut Regi non dãtur tributa pro munere distribuendi officia Reipublic. sed pro regni administratione: tum quia non exigit illud pro illa functione, veluti mercedem illius operis: sed veluti compensationem pro emolumento, quod tibi conferre nõ tenebatur. Simile accidit in venditione officiorum. Quod enim exclusis aliis te præferat, & suum affectum ad te determinet, magno pretio est æstimabile. Vnde sæpè munera non parua offerri solent ad affectum alterius alliciendum. Deinde priuant se potestate alteri gratificandi, a quo fortè maiorem beneuolẽtiam & gratitudinem expectabat. Addo non videri dubium, quin non sit contra iustitiam, si ecclesia permittat. Sicut venditio officiorum publicorum nõ est contra iustitiam, permittente Regno vel Rege permissionem regni habẽte. Quia dominus potest permittere suo dispensatori in rebus maximi emolumenti, vt aliquam cõpensationem ab iis, quos tanto beneficio afficit, exigat. Hãc tamen assertionem intellige de supremo collatore, qui est Pontifex; & de inferioribus, hoc supposito, quòd eis per Superiorem non sit potestas alicuius compensationis & emolumenti exigendi adempta. si enim hæc adempta sit, tenebuntur iure diuino ad restitutionem. vide suprà dubit. 2. & 4.

Dico Tertiò, Si quis pretio conferat aliquid spirituale
162 absq; suo incommodo, quod non habet annexum commodum temporale, (vt sunt Sacramenta & sacramentalia) iure diuino tenebitur ad restitutionem pretij, nisi vel putetur gratis donatum, vel non excedat rationabile stipendium sustentationis. Hanc tenent auctores secundæ sententiæ. *Si res non habet commoda temporalia annexa.*

Probatur Primò, Quia tales res spirituales non habent aliquid temporale, ratione cuius iudicio communi possint conferri tanti vel tanti valere; ac proinde natura sua postulant vt gratis dispensentur: & ex altera parte fideles habẽt ad illas ius diuinitus concessum, vt à ministris Ecclesiæ possint eas petere, nec ad aliud teneantur, quàm ad ministrorum sustentationem: ergo si ministri aliquid amplius exigant, tenentur iure diuino ad restitutionem. si enim ministri illas dispensantes non habent ius nisi ad alimenta. (eo quòd non sint domini, sed dispensatores tantum) euidens est eos non tantum rei spirituali vel Deo facere iniuriam; sed etiam in proximum committere iniustitiam, si amplius exigant, & consequenter teneri ad restitutionem eius, quod supra alimenta acceperint. Rursus, si fideles pro administratione omnium Sacramentorũ & sacramentalium iure naturæ non tenentur nisi ad ministrorum congruam sustentationẽ, iniuria illis fit, si amplius ab eis exigatur, ac proinde de iure naturæ restitui debet. *Fideles sola tenentur ad sustentationẽ*

Secundò, Res spirituales superant omne pretium: ergo 163
quamtumuis magnum pretium quis exegerit, iure diuino non tenebitur ad restitutionem. non enim est ratio cur magis teneatur ad restitutionem si malum exegerit, quam si parum, si verumque superat congruentem sustentationem ministri, & vtrumque detur non liberaliter, sed quia aliter res spiritalis, qua eget, obtineri nequit. Vnde si quis exegisset decem millia aureorum pro baptismo, absolutione, vel communione, non teneretur ad restitutionem: quod sanè absurdum est. quis enim non iudicet illum iniquè extorsisse tantam summam, eamque solum datam quasi redimendæ vexationis causa? Confirmatur, quia qui illam dedit, potest eam repetere tamquam iniustè exactam, & vti occulta compensatione, si alia ratio non suppetat recuperandi. *Res spirit. superant omne pretium.*

Dices, Iste minister non tenetur hoc Sacramentum ex *Obiectio 1.*
Iustitia huic administrare, cum non sit eius Parochus vti suppono: ergo non facit huic iniuriam, si pro eo pretiũ exigat, modo non amplius exigat, quàm res valeat: sicut si nõ teneor tibi ex iustitia dare panem in extrema necessitate, non facio tibi iniuriam, si pro eo precium exigam, nisi amplius exigam quàm valeat.

Solutio.

Respondeo Negando consequentiam; etsi enim non teneatur ex iustitia conferre; si tamen conferre velit, vel si contulit, tenetur ex iustitia non amplius exigere, quàm stipendium sustentationis; ad amplius enim ius non habet. Neque simile est de pane; quia non teneor panem tibi dare gratis si habes quo soluas; est enim res natura sua & recepto hominum vsu vendibilis.

Dices Secundò, Qui soluit pretium pro Sacramento, 164
soluit illud voluntarie: ergo transfert dominium: nisi enim mallet habere gratis, tamen omnibus consideratis, absolutè vult illam pecuniam soluere: vnde cum hoc Sacramentum non sit ei ex iustitia debitum, & aliàs pluris valeat, censetur satis voluntariè dare ad dominium transferendum. *Obiectio 2.*

Respondeo Primò, Illud voluntarium esse extortum *Respond.*
per iniuriam; (ideo enim vult dare, quia exigitur; in illa autem exactione est iniuria: sicut cùm quis exigit aliquid pro eo, quod gratis facere tenebatur) ac proinde non ita transfert dominium, quin possit repetere. imò alter sponte tenebitur restituere, propter iniuriam, qua extorsit. Secundò, Negari potest transferri dominium; quia non intendit donare, sed solum soluere quatenus debet, seu quatenus alter iuste potest exigere, non enim intendit cedere iure suo quod habet, vel alteri dare amplius Iuris quam habet: sicut qui soluit vsuras, non transfert dominium: quia non intendit vsurario plus Iuris dare, quam ei debeatur: vt enim ibi deest titulus cur soluantur vsuræ, ita hic deest Ius ad pretium exigendum. *Nõ datur voluntariè, nisi voluntate per iniuriam extorta.*

Ex dictis facilè est soluere argumenta alterius sententiæ. 165
Ad Primum, Illud cap. varie a DD. explicatur. Vide Sotum l. 9 q. 8. art. 1. ad 6. vbi aliquot expositiones refert, & refutat: deinde ponit suam nihilo meliorem, quam fusè refutat Petr. Nau. & meritò, quia omnino falsa. Sed dicendum *Ad argumenta initio allata.*

dum breuiter. Pōtificem loqui de admisso ad Religionem pro pecunia,& hanc pecuniam non esse necessario restituē dam,nempe quia retineri potest à Monasterio pro alimentis Religiosi;nulla autem erat ratio vniuersè de omni simonia respondendi,quidquid Caietan.& alij dicant:quia non nisi de certa specie rogabatur; cur enim Pontifex sine vlla necessitate de re tam obscura vniuerse deliriat?

Ad Secūdum Resp. Pontificem non posse dispensare in retentione pretij, nisi quando res spiritalis aliquid temporale annexum habet pretio æstimabile,vel quando incommoda connecta eius alienationi, iuxta primam & secundam propositionem.

Ad Tertium: Satis cōstat ex dictis,eum,qui pretium exigit sustentationem superans: iniuriam facere: & quamuis aliter non habeat Ius vt sibi conferatur omnino gratis, non tenetur tamen amplius dare; quàm quod ad conuenientem sustentationem pertineat.

DVBITATIO XXIX.

Vtrum res spiritualis per simoniam acquisita, sit Iure diuino dimittenda.

166 QVIDAM DD. sentiunt esse dimittendam. Ita Adrian. quodlib.9.art.3. littera I. Armacanus l.10.qq. Armeniacarum c.23. vbi generatim docet, quoties peccatum dat causam prouisioni, prouisum teneri beneficium sic acquisitum resignare; vt si ambitione, mendacio, hypocrisi, vel adulatione adeptus est.

Non tenetur Iure diuino resignare.

Sed communis ferè sententia DD. est, non teneri Iure diuino resignare. vide Nauar.c.23.nu.103.& 104.& Couarru.Peccatum p.2.§.8. Probatur de beneficio,de quo potissimum est difficultas;huius enim collatio fuit valida: nā in collatore fuit potestas & voluntas transferendi beneficij,v.g.in Petrum,& Petrus fuit capax,& habuit voluntatem acceptandi. hæc autem in quauis re sufficiunt ad trāsferendū dominium,seu Ius in re. Nec obstat Primo, Quod aliquid pro illa translatione sit datum; quia etsi hoc sit cōtra honorem diuinum,non tamen adimit collatori potestatem conferendi, nec collatarium reddit incapacem ad acceptandum,vt patet in Sacramentis. Secundò, Per alia peccata homo non efficitur iure diuino incapax beneficij; ergo neque per peccatum simoniæ: ergo non tenetur resignare, modo pœniteat eū peccati. Tertiò, Si talis collatio esset irrita, sequeretur,eum,quo ignorante & prohibente simonia commissa est,teneri ad restitutionem,(quia obtinet per simoniam) quod tamen falsum esse constat ex c. Sicut tuis litteris,de simonia. Quartò. Professus per simoniam est verè Religiosus,vt omnes docent;ergo etiam consecutus beneficium per simoniam,est verè beneficiarius,secluso Iure positiuo. Quintò, Probatur allata ratione: Ideo tenetur vēditor rei spiritalis restituere pretium, quia per iniuriā exegit;atqui hæc ratio non habet locum in emptore,quia emptor nullam iniuriam facit vēditori, si pretium offerat pro re spirituali;ergo non tenetur eam restituere.

Obiectio 1.

Dices Primò,c.1 16.Si quis.1.q.1.Greg.I. significat,eū, qui simoniace sacerdotium vel dignitatem acceperit, nisi sponte reliquerit,in æternum perieturum.

Respon.

Resp. Inde nō sequitur eum Iure diuino teneri resignare beneficium, aut esse suspensum ab executione sacerdotij; sed Iure ecclesiastico valdē antiquo,quod iam tempore Gregorij vigebat.

167 *Obiectio 2.*

Dices Secundò. Ille accepit contra voluntatem Domini,qui, sicut iubet gratis dari, ita etiam vult gratis accipi: ergo non potest retinere.

Non retinet contra Domini voluntatem.

Resp. negando conseq. etsi enim collatio & acceptio simoniaca sit cōtra Domini voluntatem;(quia cum fit,absque debita reuerentia tractatur res spiritualis, dum instar rei prophanæ cum temporali commutatur) tamen postquam facta est, in retentione non est iniuria, nec agitur quidquam contra Domini voluntatem, modo debitè adimpleatur. sicut qui Ordinem sacrum accipit in peccato, accipit illum contra Domini voluntatem,tamen non fungitur eo contra Domini voluntatem, vbi peccatum illud pœnitentia deleuerit.

Respon.

DVBITATIO XXX.

Vtrùm omne id, quod simoniacè acceptum est, Iure ecclesiastico debeat restitui.

RESPONDEO & dico Primò. Si loquamur de re spiritali simoniacè accepta, non tenemur eam restituere, nisi sit beneficium ecclesiasticum: hoc enim debere dimitti Iure ecclesiastico,patet Extrauag. Cum detestabile,de simonia. Sub *beneficio* aliqui pensionem spiritalem comprehendunt,qua videtur eadem ratio; maximè vbi Bulla Pij V. recepta. Sed contrarium verius-quia pensio non est vere beneficium ecclesiasticum,cum non sit ius perpetuum; nā extinguitur cum pensionario, vtpote fauor personalis; vt dictum est sup.c.34.num.3. Cetera autem spiritalia vel dimitti non possunt,vt sunt Sacramenta, (nisi quoad vsum; quod solum locum habet in Ordinibus, à quibus simoniacè ordinatus suspenditur) vel non sunt dimittenda ante sēntentiam, quia Canones aliud de illis non statuerunt, sic simoniacè admissus in Monasterium, non tenetur illud ante sententiam dimittere. Idem puto dicēdum de reliquijs simoniacè comparatis,metallis benedictis, iure patronatus, licentia eligendi confessarij,&c.

168 *Solum beneficium dimittendum.*

Obiectio.

Dices, Omnis pactio in spiritalibus est irrita, & nullius momenti: vt habetur cap fin. de pactis. & cap. Praterea,de transact. & alibi.

Resp. Inde tātum sequi,rem spiritalem,quæ restitui potuit,esse restituendam,si repetatur, & pretium pro ea datū restituatur; non autem alicro non repetente, aut nolente pretium reddere: etsi enim pactum sit irritum, non tamen obligat ad mutuam restitutionem cum damno partis; nisi Superior in pœnam cogat.

169 *Pretium restituendum.*

Dico Secundò, Quod ad pretium attinet,illud Iure positiuo restituendum.

Primò, Si acceptum pro beneficio,vt patet c. De hoc,de simonia,vbi Alexander III. Toletano Archiepiscopo scribens ait, *Regem & Principes eius debes inducere, vt si quæ receperint à præfato Episcopo,vt eius electioni præstarent assensum Ecclesia Exactensi sine diminutione restituant, cum ea sine grani sua salutis periculo retinere non possint.*

Secundò, Si acceptum pro collatione Ordinum, vel aliorum Sacramentorum,aut sacramēntalium: & notabiliter excedat id, quod pro sustentatione exigi poterat, iuxta ea, quæ diximus dub.28. Sed hoc iure diuino potius quam ecclesiastico restituendum. Imò ius ecclesiasticum nihil inuenitur ea de re disposuisse.

Tertiò, Si acceptum pro admissione in Religionem, cap. Veniens.19.de simonia. vbi Pontifex mandat, vt Abbas & Monachi compellantur restituere id, quod acceperant à quodam, vt eum in Monachum admitterent. Puto tamen eos ad hoc non teneri ante sententiam, si admissus in eo Monasterio permaneat; quia ratione alimentorum videtur posse retineri. Quod confirmatur, quia restitutio ante sententiam esset facienda ei, qui admissus est, vel parentibus, quietus nomine dederunt; atqui hi consentiunt vt pro alimentis retineatur. Adde Vrbanum IV. Extrauagan. Sanè, in communibus de simonia, permittere vt sic acceptum retineatur, modo non in priuatum vsum Abbatis, vel Abbatissæ, sed in communem vsum Conuentus conuertatur.

Non tamen ante sententiam, si post admissionem ad Religionem.

DVBITATIO XXXI.

Cui debeat fieri restitutio pretij,& an ante sententiam Iudicis.

SVPPONO, si aliquid temporale acceptum sit pro conferendo beneficio, vel alia re spirituali non secuta collatione, Iure naturæ restituendum ei,a quo acceptum est. Ita Vict.relect de simon. p.2.nu.6. Caiet. v.Simonia,c.3 Sot.l. 9.8.art.1. ratio est manifesta; quia deest titulus cur possit retineri,cum illud, pro quo datum est, non præstetur, ac proinde debet reddi ei,à quo acceptum; cum iura non iubeant alteri dari. Gouar. tamen ad reg.Peccatum.p.2.§.2. nu.7.in fi. putat restituendum in pios vsus,sed solum probat non posse repeti in foro externo.

170 *Datum,ne spirituale non tradatur restituendum.*

171 Si vero beneficium ſit traditum, ita vt vtrimque ſimonia ſit completa, ſunt duæ ſententiæ DD. Quidam enim putant pretium acceptum in hoc caſu, ante ſententiam Iudicis eſſe reſtituendum ei, qui dedit: poſt ſententiam, cui Iudex addixerit. Ita Sot. l. 9. q. 8. a. 1. Bann. 2-2. q. 32. a. 7. & multi alij DD. huius ætatis. Ratio eſt, quia is, qui pretium dedit, non amiſit pretij dominium. non enim tranſtulit eius dominium in venditorem rei ſpiritualis; cum hic iure ſit factus incapax illius dominij hoc titulo capiendi. neque ille intendit a ſe abdicare dominium alia ratione, quã tranſferendo in venditorem: ergo cum in hunc non ſit trãſlatũ, verè manſit apud emptorem: ergo illi reſtituendũ. Si dicas Ecclefiam illum priuaſſe dominio; Reſpondent, talem priuationem non fieri niſi per legem pœnalem, quæ neminem ante ſententiam ita ſua priuat vt eius dominium amittat. Hæc ſententia non eſt improbabilis.

Sententia Sot. &c. Reſtituendum ei, qui dedit.

Alteravtrius eſſe reſtituendum, Eccleſiæ.

Contraria tamen, id eſt, etiam ante ſententiam Iudicis pretium illud eſſe reſtituendum Eccleſiæ, eſt multo probabilior & verior. Tenet D. Thom. 2-2. qu. 32. art. 7. vbi dicit. *pretium ſimoniacum non eſſe reſtituendum danti, ſed in eleemoſynas erogandum.* Idem expreſsè docet quæſt. 62. artic. 5. ad 2. neque intelligit poſt ſententiam Iudicis, ſed abſolutè; explicat enim de quibus poſſit fieri eleemoſyna. Syl. v. Simonia, quæſt. 20. dicit *eſſe dandum Eccleſiæ, in cuius iniuriam ſimonia eſt commiſſa; niſi Epiſcopus & Capitulum ſit particeps ſimoniæ; tunc enim dandum pauperibus vel alteri Eccleſiæ.* Couar. ad regul. Peccatum, part. 2. §. 2. num. 7. dicit hanc eſſe communem DD. ſententiam. Idem tenent Victo. & Caiet. ſuprà. Denique DD. omnes, quòd ſciam, qui fuerunt ante Sotum, Canoniſtæ in capit. De hoc & capit. Audiuimus. 41. de ſimonia. Probatur ex dicto capit. De hoc. 11. vbi Pontifex aperte dicit, *Regem & Principes inducendos vt reſtituant Eccleſiæ*; loquitur autem ante ſententiam & in foro conſcientiæ, & capit. Audiuimus, eodem titul. vbi præcipit vt Epiſcopi. *ſi aliquid exegerint vt permittant in Eccleſiis ſibi ſubiectis Clericos inſtitui. Monachos profiteri, mortuos ſepeliri, reſtituant duplum, applicandum in vtilitatem loci, in cuius diſpendium id factum.* Intelligit *ante ſententiam*, quia ordinariè non eſt Iudex, qui Epiſcopos de his condemnet, & ita parum vtilis eſſet illa conſtitutio. Tertiò, Contra mentem Eccleſiæ eſt vt reſtituatur danti; quia Eccleſia intendit vtrumque punire. Nec obſtat, quòd pœna non dicatur deberi ante ſententiam, quia quòd ille teneatur rem illam, quæ ſua non eſt, dare Eccleſiæ, vel expendere in pios vſus, non eſt pœna; ſed ſimplex præceptum: cum enim non poſſit eam retinere, graue non eſt ei quòd debeat illam taliter expendere. Similiter non obſtat, quòd non ſit vlla conſtitutio Eccleſiæ, qua dans, hoc ipſo, quo dat, amittat dominium, quia id non eſt neceſſe: fateor enim manere dominium apud datorem; & ideo ſi ei reſtituatur, poſſe retinere; quia non ipſe, ſed qui accepit, iubetur in pios vſus expendere: vnde non priuatur dominio vi legis immediate; ſed actu & reſtitutione facta per accipientem, ex præcepto legis. Lex enim poteſt iubere, vt rem alienam, quæ apud te eſt, expendas in pauperes, quando iuſta cauſa ſubeſt, & hoc ipſo, quo datur pauperibus, prior dominus amittit dominium. hæc eſt mens Canonum citatorum.

172 *Ad argumentum.*

173 Dices, c. Veniens, de ſimonia, pretium iubetur reſtitui illi, a quo acceptum, nempe Monacho ſimoniacè recepto, qui illud dederat.

Fructus rei reſtituendi.

Reſpondeo, Id ideo factum, quia ille abſque culpa dederat, (fuerat enim pecunia ab eo prætextu conſuetudinis exacta) & volebat ſe ab eo Monaſterio expedire; vt rectè Couar. ſupr. & Hugolinus cap. 2. §. 1. tabu. 4. quòd ſi ipſe peccaſſet, non fuiſſet ei reſtituta, ſed fuiſſet convertenda in vſus Eccleſiæ Monaſterij, vel potius in eleemoſynam pauperum.

Petes, cui ſunt reſtituendi fructus percepti ex beneficio ſimoniacè accepto?

174 Reſpon. Hi fructus reſtituendi ſunt, etiam ante Iudicis condemnationem; quia ex re aliena non bona fide percepti. reſtituendi autem ſunt vel ærario Apoſtolico; vnde ſuper illis poteſt fieri compoſitio cum Pontifice, vel Eccleſiæ, vel in pios vſus; vt docet D. Thom. ar. 6. ad 4. vel etiam ſucceſſori; vt docet Nauar. libro 5. conſil 62. de ſimonia. puta vbi eſt conſuetudo vt fructus beneficij vacantis dentur ſucceſſori.

SECTIO SEXTA.
DE RELIGIONE.

Religio prima pars Iuſtitiæ.

EXPLICATIS iis, quę ad Iuſtitiam *ſtrictè acceptam pertinent, ſequitur vt agamus de* Religione, *quæ inter partes Iuſtitiæ primum locum obtinet. Eſt enim* Religio, *vt hic accipitur, Iuſtitia quædam creatura ad Deum, qua ipſa ſuo creatori debitum cultum & honorem perſoluit: Vnde ipſa primum & ſummum debitum, quod in homine naſci poteſt, reſpicit, hominemque inclinat, vt illud quantum fieri poteſt ſuo auctori exſoluat. Aliquando accipitur pro ſtatu eorum, qui certis Votis obſtricti ſunt Deo, de quo infra ſuo loco. Continebit iſta ſectio capita decem. Primum erit, De Religione in genere. Secundum, De Oratione & laude Dei. Tertium, De Sacrificio & adoratione. Quartum. De Decimis. Quintum, De Voto. Sextum, De Statu Religioſo. Septimum, De Iuramento & adiuratione. Octauum, De Superſtitione, eiuſque ſpeciebus. Nonum, De Magia. Decimum, De Irreligioſitate.*

CAPVT XXXVI.

De Religione in genere.

Conſtat Dubitationibus 4.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Religio. D. Thom. quæſt. 81.

RELIGIO Græcis dicitur θρησκεία à Thracibus ducta origine, vt quidam volunt, apud quos plurimum cærimoniæ viguere, (hinc ἐθελοθρησκεία apud Apoſt. ad Coloſſ. 2. eſt, arbitrarius cultus) & θεοσέβεια. id eſt,

id eſt, cultus Dei. Nomen *Religio* ductum eſt vel à *relegendo*, quod ea, quæ ad Dei cultum pertinent, ſæpè animo ſint reuoluēda, & veluti relegenda, vt vult Iſidor. l. 10. Etymolog. cap. 17. ex Cicer. vel à *religando* quòd per eam, Deum, quem per peccatum reiecimus, religamus, vt inquit Aug. l. 10. de ciuit. c. 4. vel à *religando*, quò nos Deo nos aſtringat & alliget, ita Lactant. l. 4. diuin. inſt. c. 28. D. Aug. l. 1. retract. c. 13. & D. Hier. in c. 9. Amos, quę deriuatio maximè videtur nomini & rei conſentanea.

Religio vnde dicta.

2 *Quid ſit.*

Definitur à D. Aug. l. 83. qq. q. 31. ex Cicero. hoc modo, *Religio eſt virtus, quæ ſi prioris eiuſdem naturæ, quam diuinam vocant, cultum, cæremoniamque affert.* Ilanus ſic, *Religio eſt virtus, quæ debitum cultum Deo, tanquam primo rerum omnium principio exhibet*, vbi.

Cur debeatur cultus.

Notandum eſt, ſicut hominibus ob potentiam, ſapientiam, virtutem, & cuiuſuis perfectionis excellentiam, debetur quidam cultus, ſeu honor quo illa in eminentiam cum quadam noſtri demiſſione teſtemur; ita Deo ob ſingularem & infinitam excellentiam in omni genere perfectionis, quā habet vt Deus eſt, ſeu vt primum principium & ſupremus omnium Dominus, debetur quidam ſingularis honor, veluti tributum quoddam ab omni creatura rationali; quo illius excellentiam, & ſuam ſubiectionem & in omnibus dependentiam teſtetur. Ad hunc honorem exhibendum inclinat *religio*. Itaque obiectum religionis eſt omne teſtimonium, & ſignum ſiue internum, ſiue externum, quo diuinā excellentiam cum quadam noſtri ſubmiſſione profitemur. Dico, *cum quadam noſtri ſubmiſſione*, quia non ſolum Deo debitum eſt vt ipſius excellentiam teſtemur nudè & abſtractè; ſed etiam vt eam teſtemur reſpectu noſtri, profitendo noſtram ſubiectionē & dependentiā ab ipſo; vt ait D. Th. art. 3. & hoc ipſum, non nē *cultus* inſinuat, quod ſubmiſſionem inuoluit. vnde *religio* vtrumque profitetur: ac proinde non poteſt eſſe niſi in creatura, & reſpectu ſui principij.

3 *Obiectum religionis.*

Cui competat.

Dices, Se alteri ſubmittere, & hanc ſubmiſſionē aliquo ſigno profiteri, eſt officium humilitatis: ergo non pertinet ad religionem.

4 *Actus humilitatis.*

Reſp. negando conſeq. quia diuerſa ratione ad diuerſas virtutes ſpectare poteſt. Eſt enim actus humilitatis, ſi fiat, quia congruit noſtræ vtilitati, vt intra limites noſtræ conditionis nos contineamus, ne per elationē extra eos feramur. Eſt actus religionis, ſi fiat animo declarandi eminentiā diuinam, ſeu vt ipſam honoremus ſubmiſſione noſtri.

5 *Explicantur ſingula partes.*

Cultus.

Ex his facilè poteſt intelligi definitio aſſignata. Eſt igitur religio *virtus*, quia habētem bonum efficit, eiuſq; opus bonum reddit & laudabile; laudabile enim Deum colere. In hoc autem conſiſtit ratio virtutis, vt ſæpè docet D. Tho. ex Ariſt. 2. ethic. c. 6. *Quæ cultum exhibet, cultus* idē eſt hoc loco, quod honor, non ſimpliciter, ſed cum quadam ſubmiſſione noſtri exhibitus: quam ſubmiſſionem honor in genere nō includit. Deus enim honorat Sanctos, non tamen colit. itaque honor eſt quid communius cultu. Porrò *honor* generatim nihil eſt aliud, quàm teſtimonium excellentię alterius, ſiue id verbis fiat; vt cum aliquis laudatur, ſiue geſtu corporis; vt genuflexione, apertione capitis, ſubmiſſione corporis: ſiue rebus externis; vt erectione ſtatuæ, deſcriptione elogij, inſtitutione feſtorum, ludorum, & ſimilibus. hæc enim omnia ſunt ſigna quædam, quibus alterius excellentiam ſignificamus, ac proinde illum honoramus. *Deo debitum.* cum enim Deus, quà Deus, infinita excellentia in omni genere perfectionis ſimplicis & purę ſit præditus, peculiari honore ſupra omnes creaturas eſt dignus: cūq; idē ſit primum principium, à quo omnia habent eſſe, vita, & omnia; naſcitur in creatura rationali, quæ hoc poteſt apprehēdere, obligatio & debitum vt hunc honorem ei deferat, & in Deo ius vt illum exigat. Itaque hoc debitum fundatur in eſſentiali dependentia creaturæ rationalis, & omnium bonorum eius a Deo. ſicut enim Principi; quia ab eo quodam modo dependet trāquillitas publica, & felix ſtatus Reip. debetur honorarium quoddam tributum, quo eius poteſtatem & beneficētiam, noſtramq; ſubiectionē profiteamur: ita Deo, quia ab ipſo dependet eſſe, vita, & bonū omne noſtrum, debetur ſingularis honor, veluti quoddā tributum, quo hoc ipſum cum profūda noſtri ſubmiſſione teſtemur. Itaque illis verbis, *tanquam primo rerum omnium principio* ſignificatur ſimul cauſa cur Deus hoc cultu ſit dignus, (ratio enim primi principij includit vel ſupponit omnem excellentiam perfectionis) & cur à creatura ei ſit debitus.

Debitum religionis.

Vt hæc melius intelligantur, Notādum eſt, in officio religionis quatuor actus ſpectari poſſe, qui quo perfectiores ſunt, eò perfectior eſt huius virtutis functio. Primus eſt, Conſideratio infinitæ maieſtatis Dei, & omnia ab ipſo pēdere. Secundus eſt, Conſideratio noſtri nihilitatis, nos ex nobis nihil eſſe, nihil habere, ſed quidquid ſumus & habemus, Dei eſſe, & à Deo aſſidue pendere. Tertius, Profundamentis ſubmiſſio & inclinatio coram Deo, qua mens hæc ipſa interius teſtetur. Quartus, Eorumdem profeſſio exterior, verbis, geſtu corporis, vel alijs modis.

6 *Quatuor actus in officio religionis.*

Primus & ſecundus ſupponuntur religioni tanquam fundamentum.

Actus internus religionis.

Tertius, nempe ſubmiſſio illa, eſt actus interior religionis, qui etiam in Angelis reperitur; & continet duos actus: alterum voluntatis qui eſt affectus reuerentiæ, quo interna illa honoraria inclinatio eſt volita; alterū intellectus, quo eadem præſtatur & executioni mandatur. cū enim Angeli non habeant corpora, non colunt Deum ſignis corporalibus, ſed ſpiritalibus, quæ non videntur eſſe alia quā apprehenſiones intellectus, aut locutiones ſpirituales: nulla .n. in rebus ſpiritalibus poſſunt eſſe ſigna his meliora aut ſignificantiora. ſicut ergo homo alterum honorat, ſubmittendo ſe illi geſtu corporis, ita illi Deum honorant, ſubmittendo ſe illi ſignis ſpiritalibus, nempe profitendo ſpiritali locutione ipſius maieſtatem, & ſuum nihilum reſpectu ipſius, & omne bonum ab ipſo deſcendere, ſeque totos ad ipſius obſequium offerendo. idem facit homo interius implicitè vel explicitè dum Deum honorat.

Quartus actus, ſcilicet exterior ſubmiſſio in hominibus immediatè eſt ſignum internæ ſubmiſſionis. nam vt ait D. Aug. l. 10. de ciu. c. 5. *ſacrificium viſibile inuiſibilis ſacrificij eſt ſacramentum*, id eſt, *ſacrum ſignum*. mediatè verò eſt ſignum diuinæ excellentiæ, & dependentiæ rerum ab ipſa. Sic voces immediatè ſunt ſigna conceptuum & affectionū animi, mediatè verò ipſarum rerum.

DVBITATIO II.

Vtrùm Religio à ceteris virtutibus diſtinguatur, & quomodo.

D. THOM. QVAEST. 81. ART. 3. 4. 5.

7 *A temperantia & fortitudine.*

RESPONDEO & dico Primò, Religionem diſtingui ab ijs virtutibus, quæ hominem rectè componunt in ſeipſo, ſeu non ad alterum, vt à temperantia & fortitudine: nam religio diſponit hominem ad functiones, quæ in alterum tendunt: temperantia verò & fortitudo ad functiones, quæ tantum ipſum ſubiectum reſpiciunt.

8 *A Iuſtitia & miſericordia. Iacobi 1.*

Dico Secundò, Diſtinguitur etiā ab omnibus ijs, quę hominē diſponūt in officijs ad proximū; vt a miſericordia & Iuſtitia particulari. quia religio diſponit hominē ad Deū.

Dices, Iac. 1. dicitur, *religio munda & immaculata apud Deū & Patrē hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*. hic religio cōſtituitur in operibus miſericordię, quę ſunt ad proximū, & in cuſtodia ſui à peccatis, quæ per oēs virtutes agitur.

Reſp. eſſe locutionē cauſalē: vera enim religio hos effectus parit, ideoq, illorum nomē per metonymiam accipit, & hi effectus ſunt ſignū veræ religionis: nemo enim hæc præſtat, niſi vera religione imbutus. ſic prioris ad Cor. 13. dicitur, *Charitas patiens eſt, benigna eſt*, &c. Adde, Apoſtolum non velle explicare quid ſit religio, ſed qualis religio conſtituat hominē mundum & immaculatum ante Deū; ea nimirum, quæ habet illos effectus.

9 *A theologicis.*

Dico Tertiò, Diſtinguitur etiam à virtutib. theol. Ita D. Th. ar. 5. *A fide* quidem, quia fides eſt virtus intellectus, religio affectus. Sæpè tamen *fides* vocatur *religio*, quia eſt religionis fundamentū, & regula: ſic vera fides dicitur vera religio; falſa fides, religio falſa. Verū cū fides non ſolū ſit habitus intellectus, ſed complectatur etiā habitum quendā voluntatis, nempe piam affectionem ad credēdum Deo revelanti, quæ actū fidei imperet, ratione cuius ipſum credere eſt liberū & meritorū; difficultas eſt quomodo religio ab hoc affectu diſtinguatur. Sanè parum videtur differre, quia actus fidei pertinet ad honorem primæ veritatis. Poteſt tamen inueniri aliquod diſcrimen. Primò, quia religio verſatur circa ſuos actus externos, vt ſunt ſigna diuinę ex-

Affectio credendi, an diſtinguatur à religione.

cellentiæ: ſub ea enim ratione ſunt a religione volíti. At affectus credendi non ita verſatur circa actus fidei: non enim conſiderat actus fidei vt ſigna primæ veritatis, neque ſub ea ratione illos vult; ſed vt ſunt vitales aſſenſus, quos illud obiectum, nempe res credenda ſic propoſita, & à diuina auctoritate veluti informata, eleuata, & illuſtrata poſtulat. Secundò, quia tota ratio, cur religio ſuum actum externum imperet; eſt, vt Deo honorem deferat, eiuſque excellentiam teſtetur. At ratio cur affectio credendi imperet ipſos actus fidei, non eſt vt honorem Deo exhibeat (etiamſi ob hunc finem poſſint imperari) ſed quia materia ipſa diuina auctoritate confirmata, id poſtulat; vel (quod fere idem eſt) quia obligatio ad illam actum orta ex reuelatione ſufficienter propoſita id requirit. Et ſic eſt peculiaris virtus habens peculiarem materiam, in qua conſiderat propriam honeſti rationem. Poſſet etiam dici hunc affectum pertinere ad quamdam iuſtitiam hominis erga Deum, quia actus ille debitus eſt primæ veritati tanquam neceſſarius, vt nõ cenſeatur contemni aut vilipendi. Nolle enim credere viro grauiſſimo affirmanti, eſt quodammodo contemnere, & paruam de illo habere exiſtimationem. Quia in re eſſe iniuriam patet communi hominum iudicio qui hoc iniuriam interpretantur. & merito: nam continet quemdam contemptum & vilipenſionem alterius abſque cauſa, quę non minus eſt contra iuſtitiam quam temerarium de illo iudicium. *A ſpe & charitate* diſtinguitur, quia hæ virtutes immediatè attingunt ipſum Deum, tãquam proprium obiectum: charitas enim amat Deum vt ipſe eſt bonum ſuum: vult enim ipſam diuinitatem; & omne bonum, ipſi Deo, vt ipſi in ſe bene ſit: ſpes illum deſiderat & ſperat, vt eſt bonum noſtrum. Itaque inclinant in actum internum, qui proximè verſetur circa ipſum Deum. Religio verò non verſatur immediatè circa Deum, ſed circa cultum Dei, id eſt, circa ſigna interna vel externa, quibus Deus honoratur, & colitur.

10 *Obiectio 1.* Dices Primò, Obiectum formale religionis eſt excellentia diuina: ergo verſatur proximè circa Deum, ac proinde eſt virtus theologica. Antecedẽs probatur, quia ſicut Deus propter ſuam bonitatem diligitur *charitate*; ita propter diuinitatis excellentiam colitur *religione*: & ſicut Deo credimus per fidem, propter auctoritatem diuinam, ita ei honorem exhibemus ob excellentiam infinitam.

Reſpon. Religionis obiectum. Reſpondeo, Excellentiam diuinam propriè non eſſe obiectum religionis; ſed cultum diuinum, qui eſt actus externus religionis. Illud enim eſt obiectum virtutis, in quod ipſa virtus immediatè tendit: atqui religio tendit immediatè non in excellentiam diuinam, ſed in eius cultum: eſt enim affectus quidam erga cultum diuinum, quatenus Deo debitus eſt & congruens. Vnde ratio debiti & congruentis Deo in cultu diuino ſpectata, eſt ratio formalis obiectiua religionis cum enim religio ſit iuſtitiæ pars, neceſſario reſpicit debitum alteri. Confirmatur a ſimili; nam ita ſe habet religio ad Deum, ſicut iuſtitia particularis ad proximum: atqui proprium obiectum iuſtitiæ particularis non eſt proximus, ſed res proximo debita; ergo ſimiliter obiectum religionis non eſt Deus aut excellentia diuina, ſed cultus Deo debitus: vt ſacrificia, oblationes, ludes, oratio-

Obiectũ cultus diuini eſt excellẽtia diuina. nes, vota, imagines, & omnes cerimoniæ, quibus diuinitas honoratur, excellentia tamen diuina eſt obiectum formale cultus diuini: eſt enim ratio cur Deus ſit colendus. Quare cum cultus diuinus ſit actus externus religionis, quem religio tanquam proximum obiectum reſpicit, ſequitur Deum eſſe obiectum remotum religionis, quia eſt, id cui obſequium excellentiam religio cultum defert. Vnde Caietanus articul. 5. & paſſim DD. diſtinguunt duplex obiectum religionis propinquum, & remotum. Propinquum vocant *obiectum quod*, id eſt, quod ipſa virtus appetit & affectat; & hoc eſt cultus diuinus. Remotum, *obiectum cui*, id eſt, cui aliquid exhibet: hoc eſt ipſe Deus, propter ſuam excellentiam.

Obiectum quod, & obiectum cui.

Obiectum virt. theol. At virtutes theologicæ proximè in Deum tendunt & ipſum immediatè per ſuum actum internum attingunt, vt oſtenſum eſt. Deinde ſi in illis velimus diſtinguere *obiectum quod* & *obiectum cui*, Deus non ſolum eſt *obiectum cui*, vt in religione, ſed etiam *obiectum quod*. Id enim quod charitas Deo vult, eſt potiſſimum ipſa diuinitas, & diuinæ perfectiones: & quod fides credit, eſt Deus ipſe, conſideratus vel in ſeipſo, vel vt eſt principium & finis omnium creaturarum. Sic etiam principale *obiectum quod* ſpei, eſt ipſe Deus. Nec refert *obiectum cui* eſſe ipſum hominem; quia ſpes ad amorem concupiſcentiæ pertinet, qui ſpeciem ab *obiecto quod*, non *cui*, accipit. At totum *obiectum quod* religionis eſt creatum: quidquid enim ipſa vult, eſt opus noſtrum.

Charitas. Nec obſtat, quòd charitas etiam bona extrinſeca & creata Deo optet & velit. Primò, Quia hęc ſolum ſunt obiecta ſecundaria & materia, à quibus virtus ſpeciem non accipit. Simili modo quæ fides extra Deum credit, ſecundaria ſunt.

Deinde quia proxima ratio formalis obiectiua in virtutibus theologicis eſt ipſe Deus: charitas enim vult omne bonum Deo, immediatè ex affectu vt ipſi bene ſit. fides credit omne verum, quod ipſe reuelauit, propter ipſius auctoritatem, at proxima ratio obiectiua cur religio aliquid Deo velit, eſt ratio debiti. ideo enim vult cultum Deo exhibere, quia eſt veluti tributum, quod creatura debet ſuo creatori; ſicut ante exemplo iuſtitiæ particularis oſtenſum eſt. Neque verum eſt (ſi propriè loqui velimus) charitatem, debiti rationem in ſuo obiecto ſpectare: nam charitas non vult Deo bonum præcisè, quia illud ei eſt debitum, nihil aliud ſpectando, quam vt huic debito fiat ſatis: hoc enim potius ad quãdam iuſtitiam erga Deum, quam ad charitatem pertinet; vt exemplis humanis facile oſtendi poteſt. ſed ſolũ ſpectat ipſum bene eſſe Dei: ideo enim omne bonum illi vult, vt ipſi bene ſit; ſicut amicus vult amico bonum vt ei bene ſit, non ſpectans an hoc ſit illi debitum, an non; quamuis malit vt hꝫ ei debitum quam indebitũ, quatenus hoc in dignitatem & maius bonum amici cedit. Hęc paulo fuſius, quia res non adeo difficilis, & a plerisque non ſatis explicata.

Ad probationem antecedentis: Ex eo quòd Deus dicatur coli propter ſuam diuinitatem, non ſequitur immediatè verſari circa Deum virtutem religionis; ſed ipſum cultum, qui eſt obiectum immediatum religionis. Hinc fit vt religio ſolam immediatè circa Deum verſetur, non tamquam *obiectum quod*, ſed *cui* vt dictum eſt: religio enim non inclinat immediatè in Deum, ſed in aliquid Deo exhibendum, quo ipſius maieſtatem ſignificet & teſtetur; ſicut iuſtitia particularis non inclinat immediatè in proximum, ſed in aliquid proximo reddendum. Cum dico *Deum eſſe obiectum cultus*, non eſt ita intelligendum, quaſi colere & honorare Deum, ſit actu vitali ipſum tamquam obiectum materiale, vel formale attingere, aut circa ipſum per modum actus vitalis verſari; (ſicut Deum amare, Deo credere) ſed eſt aliũ attingere ad quo ſigno, tamquam ſignatum; vel ſicut attingitur is, cui aliquid offertur.

Quomodo Deus ſit obiectum cultus.

11 *Obiectio 2.* Dices Secundò, Oratio & laus attingunt Deũ immediatè, tamquam obiectum, & tamen ſunt actus religionis.

Reſpon. 1. Reſpondeo Primò, Non ſunt actus interni immediatè à virtute religionis eliciti, ſed externi ab ea imperati. externos voco reſpectu virtutis religionis, quæ eſt in voluntate; ſũt enim obiecta illius, in quę actus religionis immediatè tendit, & habent ſedem in intell. ctu. Obiectum autem proprium virtutis, ſpectandum eſt ex actu interno, in quem virtus immediatè inclinat, qui in propoſito eſt amor cultus diuini.

Reſpon. 2. Secũdò Reſp. Illos duos actus nõ attingere Deum, ſicut actus vitalis ſuum obiectum, ſed ſicut ſignum attingit ſignatum: ſunt enim actus religionis vt ſigna & teſtimonia diuinæ excellentiæ & noſtræ ſubiectionis. Hinc fit vt a variis virtutibus imperari poſſint. oratio enim quatenus per eam implicite teſtamur Deum eſſe auctorem omnium bonorum noſtrorum habere omnium ſcientiam, & prouidentiam, (hoc enim orando Deum, ipſo facto inſinuamus) eſt actus religionis. quatenus per eam petimus ſalutem, & ad ſalutem opportuna, eſt actus imperatus ſpei. quatenus petimus amplificari gloriam Dei eſt actus imperatus à charitate. proxime autem ſemper elicitur à ratione, mediante fide. Idem dicendum de voto & iuramẽto: quia ſũt locutiones quædam practicæ, in honorem Dei reſultantes, vt inf. c. 40. nu 28. ex mente D. Th. oſtendetur. Actus autem virtutum theologicarum longè aliter Deum attingunt, nempè vt obiectum cognitum & amatum propter ſe metipſum.

Quomodo actus externi relig. imperẽtur à variis virtutibus.

12 *Obiectio 3.* Dices Tertiò, Aug. in Enchir. c. 3. dicit *Deum coli fide, ſpe & charitate*. ergo religio eſt virtus generalis, complectens virtutes theologicas.

Reſpon-

Reſpon. 3. Deus colitur fide, ſpe, & charitate.

Reſpondetur Primò cum D. Thom. 2. 2. ad 1. dictum S. Auguſtini intelligendum cauſaliter, quia virtutes theologicæ cauſant in nobis virtutem religionis, qua Deus colitur, & actus eius imperant.

Secundo. Reſponderi poteſt & melius, religionè & cultum interdum accipi generatim pro omni virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, quodque initar ſacrificij Deo eſt acceptum. Sic poteſt intelligi illud Iacobi primo. *Religio munda & immaculata*, &c. & paſſim in Scripturis pro eodem accipiuntur *colere Deum*, & *ſeruire Deo. ſeruitus* autem. (Græci λατρείαν vel δουλείαν vocant) eſt nomen generale ad omnia bona opera, quibus Deo obedimus & placemus, vt ex plurimis locis conſtat; Pſalm 2. 21. 99. Luc. 2. Matth. 6. & alibi. Hoc modo videtur ibi accipi a D. Auguſtino & iuxta hanc rationem lib. 10. de ciuit. ca. 6 deſcribit ſacrificium, vt *ſit omne opus ſanctum, quod geritur, vt ſanctæ ſocietate Deo inhæreatur*. hoc modo paſſim accipitur in Scripturis.

13 *Actus virtut. theol. dupliciter conſiderantur.*

Tertiò, Dici poteſt actus fidei, ſpei, & charitatis dupliciter ſpectari poſſe, Primo, Vt ſunt ſigna, quibus implicitè diuinam excellentiam profitemur: nam hoc ipſo, quo credimus Deo, infinuamus illam eſſe primam veritatem: dum amamus ſupra omnia, ſignificamus eſſe ſummum bonum, & hac ratione ſpectare poſſe tamquam actus externos ſeu obiecta ad virtutem religionis. Secundò, Vt ſunt actus vitales, quibus immediatè Deo inhærenus, & tamquam obiecto vnimur; & ſic pertinere ad virtutes theologicas. Poſſe tamen ob rationem prædictam à virtute religionis imperari; & quamuis non imperentur, tamen tacitum cultum continere. Nec obſtat, quod ait D. Thomas art. 5. ad 1. virtutes theologicas, eo quod verſentur circa finem vltimum, Deum, imperare actus religionis, & aliarum virtutum, quæ verſantur circa media: quia etſi hoc virtutibus illis per ſe conueniat, eo quòd per ſe & ex natura ſua circa finem vltimum verſentur; tamen per accidens contrarium fieri poteſt; vt ſi quis velit vti actu virtutis theologicæ ad finem virtutis inferioris. omnis enim actus, qui poteſt eſſe medium ad conſequendam virtutem, aliquam vel propriũ eius finem, poteſt ab ea virtute imperari, ita vt ex affectu eius homo ſe applicet ad illum actum. Sic religio poteſt imperare actus fidei, ſpei, & charitatis; quia hi actus ſunt idonei ad finem religionis, qui eſt honorare Deum. Eoſdem imperare poteſt affectus temperantiæ, quatenus ad obtinendum à Deo huius virtutis donum ſunt idonei: eadem eſt ratio in ceteris: nam perfectio & finis intrinſecus inferioris virtutis poteſt intendi vt finis acquirendus per actus ſuperiorum virtutum. quotieſcumque hi actus per modum meriti vel diſpoſitionis aliquo modo ad illum valent.

Virtutes theol. poſſe ab aliis imperari.

Obiectio.

Dices, Actus virtutum theologicarum ne vt ſigna quidem videntur ad religionis virtutem pertinere: quia etſi illis Deum eximiè honoremus, tamen non honoramus vt Superiorem, proteſtando noſtram ſubiectionem; quod tamen virtus religionis poſtulat; vnde pater etſi honoret filium, non tamen illum colit, quia ſuperiorem in nulla re agnoſcit.

Reſpon. Quomodo iſte actus ſint notæ ſubiectionis.

Reſponden; Illos actus vt a nobis fiunt, poſſe accipi vt ſigna ſubiectionis noſtræ; quia credimus Deo tamquam Superiori & magiſtro, cui ſubijcimus omne iudicium noſtrum: & amamus illum charitate, referendo & offerendo nos ipſos & omnia noſtra ad ipſius obſequium & gloriam; & ſperamus virtute ac omnipotentia ipſius ſummum bonum noſtrum, id eſt, ipſummet. vnde patet in his actibus contineri profeſſionem excellentiæ ipſius, & noſtræ ſubiectionis ac dependentiæ ab ipſo.

14 Ex his patet religionem, etſi virtus theologica non ſit, eſſe tamen virtutibus theologicis valde affinem, & poſt eas primum locum obtinere; nam poſt fidem, ſpem, & charitatem nihil laudabilius quàm Deo debitum cultum offerre. Confirmatur, eo enim virtus quæque eſt præſtantior, quo vicinius attingit Deum: atqui poſt virtutes theologicas religio vicinius illum attingit; nempè tamquam obiectum, cui cultum defert: ergo, &c.

De pia affectione, obedientia, & pœnitentia.

Dices, Pia affectio ad credendum primæ veritati, obedientia & pœnitentia eodem modo Deum attingunt, nimirum vt *obiectum cui*. ergo religio non eſt his præſtantior. Nam illius affectionis opus eſt credere Deo, obedientiæ obedire Deo, pœnitentiæ ſatisfacere Deo.

Reſpondeo dupliciter. Primò, Cum religio præfertur ceteris virtutibus, quæ non ſunt theologicæ, eo quòd vicinius Deum attingat, accipitur paulo latius, vt omnem virtutem, qua Deo debitum reddimus, complectatur. & hoc modo prædictæ virtutes ſub religione continentur. Idque merito, quia opus illarum intrinſece honorem Dei continet. Credere enim Deo pertinet ad honorem primæ veritatis; obedire Deo ad honorem diuinæ ſuperioritatis & auctoritatis gubernandi: ſatisfacere Deo, pertinet ad honorem Dei inſtaurandum, qui peccato erat læſus: ſicut petitio veniæ pertinet ad honorem eius, qui ab altero iniuriam accepit.

Quo modo Religio ſit præſtantior iſtis.

Reſpondeo Secundò, Religionem, etiamſi ſtrictè omnino & proprie ſumatur vt ab illis virtutibus diſtinguitur, eſſe præſtantiorem & vicinius attingere Deum quàm vel obedientia vel pœnitentia. De *pia affectione* eſt alia ratio, quia eſt veluti pars virtutis theologicæ, nempe fidei, & ita ſub fide comprehenditur; ac proinde non pertinet ad hanc comparationem. De illis ergo duabus prioribus patet; quia Religio conſiderat opus ſuum vt eſt ſignum diuinæ excellentiæ, illudque non ſolum Deo exhibet, ſed ita exhibet, vt velit illud circa Deum verſari, & eius excellentiam ſignare. At obedientia etſi verſetur aliquo modo circa Deum vt *obiectum cui* obedit: tamen non conſiderat opus ſuum, vt eſt ſignum & proteſtatio quædam diuinæ excellentiæ, neque illud defert Deo vt munus quo ipſe honoretur & ornetur; ſed ſolum conſiderat illud vt debitum, & neceſſarium propter auctoritatem diuinam præcipientem, ne videlicet ſi omittat, Dei auctoritatem videatur contemnere: vel præſcindendo ab illa neceſſitate & obligatione, conſiderat opus vt habent ſpecialem honeſtatem à diuina auctoritate illud volente & imperante. Sicut enim Deus, vt eſt prima veritas, aliquid reuelando facit illud dignum creditu, & credendum ſecundum rectam rationem; ita vt eſt omnium ſuperior aliquid præcipiendo, facit: illud dignum factu, & omnino ſecundum rectam rationem faciendum, eſtque hæc dignitas propria honeſtas obiectiua, quam reſpicit obedientia. *Pœnitentia* dupliciter conſiderari poteſt. Primò; quatenus dolet de peccato, vt eſt offenſio Dei, eiuſque malum, illudque conatur tollere tamquam ei diſplicens, & vt Deo reconcilietur. quo modo non diſtinguitur a charitate; ſed eſt ipſa virtus charitatis inadæquate concepta, nimirum vt verſatur circa ablationem peccati, & reconciliationem cum Deo propter ipſum bonum Dei. Eiuſdem enim virtutis eſt gaudere de bono alterius, illudque procurare, & dolere de eius malo, illudque depellere. Secundò, quatenus dolet de peccato præcisè, vt eſt iniuria Dei, & imperat opera ſatisfactoria ad hanc iniuriam ſarciendam. hoc modo diſtinguitur a charitate, & pertinet ad quamdam iuſtitiam hominis erga Deum. Sed non conſiderat neque imperat opera ſatisfactoria, vt ſunt formaliter ſigna diuinæ excellentiæ, quibus Deum velati ornet & honoret; ſed vt ſunt vindicta peccati, qua Deo pro iniuria illata ſatisfiat, & ius eius violatum quodammodo inſtauretur: ſicut cum quis homini pro iniuria illata ſatisfacit dolendo, & ſe accuſando, affligendo, veniam petendo, non intendit per hoc formaliter illum honorare, ſed pro iniuria ſatisfacere.

Pœnitentia.

15 Dico Quartò, Religio non diſtinguitur à virtute *pietatis*, *obſeruantiæ*, & *gratitudinis* in Deum. Colligitur ex Diuo Thoma quæſtio. 106. articul. 1. ad 1. vbi dicit, *ſimul religio eſt quædam ſuperexcellens pietas; ita eſt quadam ſuperexcellens gratitudo*. & ex Caietano quæſtio. 107. articul. 3. Probatur, quia *pietas* propriè eſt quæ debitum cultum reddit parentibus: *obſeruantia* perſonis indignitate conſtitutis; *gratitudo* benefactoribus. ratio autem parentis, & perſonæ eminentis, & benefactoris continetur in Deo excellentiſſimè: ergo etiam debitum erga illum vt parentem, perſonam ſublimem, & benefactorem eſt ſummum: atqui hoc debitum non diſtinguitur à debito erga primum principium: ergo virtus, quæ reſpicit hoc debitum, non diſtinguitur a virtute religionis, quæ reſpicit cultum, primo noſtri & rerum omnium principio debitum. Vnde rectè Caietanus infra quæſtione 107. articul. 3. notat, has virtutes, pietatem, obſeruantiam, & gratitudinem dupliciter exiſtere. Primò, Formaliter in ſuis proprijs ſpeciebus. Secundò, Eminenter, in ſuperiore virtute,

Virtus religionis colit Deum vt parentem, vt Principem, & vt benefactorem.

quæ eſt religio.ratio eſt,quia obiecta earum (quibus deferunt ſuas functiones) continentur eminenter in obiecto, cui defert religio;& debita earum,ob quæ deferunt,in debito religionis.

Dupliciter exiſtunt iſtę virtutes.

Aduerte tamen eſſe valdè probabile, *Gratitudinem* per ſe eſſe virtutem diſtinctam à religione;quia formaliter reſpicit debitum ortum ex beneficio;religio autem hoc non reſpicit vt obiectum formale,ſed vt motiuum ſeu impulſiuum ad actum.vide n.5.c.47.dub.1.

Fidelitas.

Idem dixerim de *fidelitate* erga Deum. hæc enim reſpicit debitum ortum ex promiſſione, illudque ſolum non ex affectu Deum honorandi propriè,ſed ex affectu fatisfaciè di debito ex promiſſione contracto; qui duo affectus videntur omnino diſtincti; quamuis actus alterius ab altero viciſſim imperari poſſint. Nam ex affectu Deum honorandi poſſum velle ſoluere promiſſa,& gratias agere;& ex affectu ſoluendi promiſſum & referendi gratias pro beneficijs acceptis poſſum velle honorare. Recte tamen hæ virtutes referuntur ad *Religionem*. Primò, quia verſantur in materia religionis; nam quidquid promittimus Deo, vel pro beneficijs referimus, ad religionem pertinet, cum nihil præter honorem ei donare poſſimus. Virtutes autem ſecundum modum loquendi Patrum, cenſentur diſtingui vel non diſtingui ratione materiæ potius, quàm ratione interni affectus præcisè & formaliter conſiderati. Vnde iuramentum eſt actus religionis, etiamſi non fiat affectu religionis; ſimiliter oratio,ſolutio decimarum, &c. Et ieiunium eſt opus temperantiæ,etiamſi non fiat affectu temperantiæ,ſed iuſtitiæ vel pœnitentiæ. Secundò,quia debitum gratitudinis & fidelitatis erga Deum creſcit ratione excellentiæ ipſius. Vnde in praxi dum nos gratos & fideles ipſi præſtare volumus,maxime ſpectamus diuinam excellentiam cui obſtricti ſumus, ne ſi neglexerimus, illam inhonoraſſe videamur. Denique hoc ipſo quo quis rectè diſpoſitus eſt ad debitum honorem Deo exhibendum,etiam bene diſpoſitus eſt ad ſoluenda ei promiſſa, & gratiarum actionem: & neglectus horum cenſetur quædam Dei inhonoratio. Itaque videtur ratio religionis in illis quodammodo includi.

Quomodo pertineant ad religionem.

DVBITATIO III.

Vtrùm Religio diſtinguatur ab ea virtute, qua coluntur Sancti.

16 *Eadem virtus habitu coli Deum et Sanctos.*

QVIDAM putant non diſtingui. Ita Marſilius in 3 q.8. art.1.in fine. Probat tribus rationibus,ſed nullius momenti,nam vel falſum aſſumunt, vel aperta æquiuocatione laborant. Vide aliter probatur,Primò, Quia eadem virtute charitatis amatur Deus & proximus: ergo etiam eadem virtute colitur, honoraturque Deus & Sancti. Conſequentia patet, quia ſicut ſe habet bonitas ſupernaturalis,quæ eſt in proximo, ad bonitatem quæ eſt in Deo;ita excellentia, quæ eſt in Sanctis,ſe habet ad excellentiam Dei; nempe tamquam participatio illius ſupernaturalis. Antecedens probatur. quia Deus diligit hominem vt amicum ex charitate, & tamen diligit illum propter ſuam bonitatem & gloriam: ergo ex eadem virtute. Confirmatur, quia alioquin eſſent quatuor virtutes theologicæ. Nam amor proximi quo cupio illi ipſum bonum diuinum verſatur immediatè circa Deum non minus quàm virtus ſpei, qua cupio Deum mihi. itaque non minus erit virtus theologa qua ipſos ac proinde ſi diſtinguitur à charitate qua diligitur Deus,erunt quatuor theologæ virtutes contra communem ſententiam Doctorum. Secundò,Cultus Sanctorum eſt religioſus, non ciuilis. ergo pertinet ad virtutem religionis: Tertiò, Hoc ipſo,quo quis bene diſpoſitus eſt ad cultum diuinum, etiam bene eſt diſpoſitus ad cultum Sanctorum,qui ſunt dij per participationem. Hæc ſententia non eſt improbabilis.

Sed contraria eſt verior,quam tenet D.Tho.q 81.art.4. ad 3.& ſup.q.25.ar.1.ad 2.& inf.q.103.ar.3.ad 2.& paſſim DD.in 3.d.9.Pro qua

17 *Sancti tripliciter coli poſſunt.*

Notandum, dupliciter poſſe Sanctos coli. Primò, Propter excellentiam intrinſecam & participatam. Secundò, Propter excellentiam extrinſecam ipſius Dei, ad quam ipſi aliquem reſpectum habent. quod poteſt rurſus fieri dupliciter; vel enim eo modo coluntur vt ipſi ſint integer terminus cultus;vel eo modo vt Deus ſit terminus & obiectum principale illius cultus,illi verò ſecundarium.

18 *Si colantur ob excellentiam extrinſecam et terminus ſecundarius cultus.*

Dico Primo, Si Sancti colantur propter excellentiã increatam Dei, ad quam ipſi aliquem reſpectum habent; ſic eadem virtute coluntur, qua colitur Deus. Probatur Primo,de eo cultu, qui non ſiſtit in Sanctis, ſed tranſit immediatè in Deum;quia dum hoc modo coluntur,non tam ipſi coluntur quam Deus in ipſis, tamquam in ſuis templis, tabernaculis, imaginibus.tunc enim Sancti conſiderantur non vt ipſi ſunt cultus capaces, ſed ſicut res inanimæ ſpectari ſolent, per quas Deus nobis repræſentatur. vnde etſi externum ſignum cultus adipſos dirigatur, tamen ibi non ſiſtit;nam interior ſubmiſſio fit Deo, quem in ipſis ſpectamus; ac proinde exterior etiam cultus, vt ſubeſt interno, ad Deum tranſit. hic enim cultus omnino ſimilis eſt cultui crucis & imaginis Chriſti, quæ non colũtur, niſi per accidens & cultu materiali,quatenus externum ſignum cultus ipſis fit,ſed per illa colitur Deus,ſicut dum res amicis v.g. equus benè tractatur propter amicum, hic actus non eſt formaliter beneuolentia aut beneficium in equum, ſed in amicum, quamuis materialiter equo fiat; & ſic etiam reſpectu illius,beneuolentiæ actus & beneficentia, & beneficium dici poſſit. Idem cõfirmari poteſt à ſimili in charitate;nam eadem eſt virtus qua diligitur Deus propter ſe, & qua diligitur proximus & omnes creaturæ propter Deũ; vt dum proximo & omni creaturæ benè volumus, cuique pro ſua conditione & capacitate,propter Dei gloria: ergo etiam eadẽ eſt virtus, qua Deus colitur in ſeipſo propter ſuam excellentiam increatam, & qua Sancti coluntur, vt aliquid Dei,eius excellentiam nobis exhibentes:hoc enim nihil eſt aliud,quàm colere Deum in Sanctis, tamquam in ſuis templis & imaginibus. Sicut enim cum volo proximo bonum propter Deum, illa dilectio non eſt formaliter dilectio & beneuolentia in proximum, (eò quod ipſius bonum non diligatur vt eſt ipſius) ſed in Deum: ita hic honor, quo honorantur Sancti vt Deum nobis repræſentant, formaliter eſt honor Dei,& latria.

Si colantur ut terminus primarius propter excellentiam diuinã

Secundò,probatur de cultu, qui ipſis Sanctis tamquam integris terminis propter excellentiam diuinam tribuitur: quia tota ratio huius cultus eſt excellentia increata Dei, ad quam ipſi certum reſpectum & coniunctionem habẽt: ergo procedit à virtute religionis, quæ excellentiam diuinam tamquam rationem ſui cultus ſpectat. omnis enim virtus reſpiciens aliquam rationem formalem obiectiuã, ſeu motiuum principale, extendit ſe ad omne id, cui illa ratio formalis aliquo modo communicatur, vel coniungitur, vt patet inductione.

19 *Obiectio. Quomodo colatur ob excellentiam extrinſecam.*

Dices,Sancti non coluntur proximè propter excellentiã increatam Dei,ſed propter dignitatem quamdam intrinſecam,quam accipiunt ■ ordine ad Deum,vt filij, vt amici, vt hæredes,vt templa,vt imagines Dei: ergo ratio formalis obiectiua huius cultus non eſt excellentia diuina,ac proinde non procedet a virtute religionis.

Reſp. Dignitas moralis ſanctorũ habet ordinem intrinſecũ ad excellentiam diuinam.

Reſpondeo Negando conſequentiam,quia etſi ob illam moralem dignitatem colantur, tamen verè coluntur propter excellentiam Dei: eò quòd ille reſpectus,qué habent ad Deum, includat in ſua ratione formali excellentiam diuinam, ſaltem in obliquo, ita vt ſine ea concipi nequeat: ſicut ratio boni vtilis includit bonitatem finis. Vnde ſicut eadẽ virtus, & idem affectus habitualis inclinat in finem, & immediatè propter finem, eo quòd bonitas medij conſiſtat in ordine ad finem; ita eadẽ virtus, quæ nos incitat ad cultum Dei, incitat etiam ad cultum Sanctorum, quia illorum excellentia conſiſtit in coniunctione & reſpectu quodam ad Deum. vnde verè coluntur propter excellentiam diuinam,extrinſecus illis applicatam: ſicut medium amatur propter bonitatem finis ipſi extrinſecam; quamuis ille reſpectus,per quem fit illa applicatio, ſit intrinſecus. Hoc modo plerũque à nobis coluntur Sancti;quia melius hanc excellentiam quàm eorum perfectiones phyſicas & intrinſecas apprehendimus. neque ſolum Sancti cum Chriſto regnantes, ſed etiam interdum homines mortales. ſic enim colitur Pontifex dum conſideratur vt Vicarius Chriſti; & ſacerdotes vt miniſtri Chriſti;homines ſancti vt amici Dei, tabernacula Spiritus ſancti.

Imagines rẽ ſic poſſunt coli.

Imagines autem Chriſti & aliæ res inanimæ hoc modo coli nequeunt;quia non ſunt capaces honoris formalis, ſicut

cut nec contumeliæ aut iniuriæ, cum non possint hæc apprehendere, nec sint capaces vllius excellentiæ supra naturam rationalem. vnde non potest quis se illis tamquam Superioribus subijcere, vt eruditè ostendit Gabriel Vasquez, tract. de adoratione. Itaq; solum possunt coli per accidens, & actu materiali & externo honoris, qui vt ad illas terminatur nõ est honor formaliter, sed solũ materialis actus honoris: est aũt formaliter honor vt terminatur ad exemplar.

Quando honor imaginis transit ad prototypum.

Hoc modo intellige quod dictum est in Nicena secũda, *Honor imaginis transit ad prototypum*: nimirum quia signum submissionis quod fit imagini nõ est propriè & formaliter honor imaginis, sed prototypi. Sic beneficẽtia quæ fit cani vel equo inuito domini, cuius sunt res & possessio, transit in dominum; quia non est propriè beneficentia in res illas ratione carentes (etsi opus externum materialiter ad illas dirigatur) sed in dominum. huic enim intendis gratificari & beneficium conferre. Quod vt melius intelligatur, No-

Dupliciter defertur alicui obsequiũ.

tandum est duobus modis posse alicui obsequium beneuolentiæ vel beneficium conferri. Primò, si opus externũ immediatè impendatur ipsi personæ, v.g. illã excipiendo conuiuio, vel afficiendo aliquo obsequio, vel donando aliquo munere. Secundò; si opus externum immediatè impendatur rei alteri ad illam personam pertinenti; tamen illius in tuitu, nimirum vt illi benefacias. Simili modo dupliciter potest præstari alicui officium iustitiæ: vt si ex contractu tenearis alere personam, vel eius equum, vtrouis tamẽ modo fiat siue immediatè ipsi personæ, siue eius rei, solum erit formaliter actus iustitiæ, vel beneuolentiæ erga personam, & materialiter tantum respectu rei cui immediatè propter personam impenditur. Simili modo dupliciter quis potest

Dupliciter honoratur.

honorari. Primò, immediatè in sua persona, vt cum actus externus, qui est signum submissionis internæ & æstimationis animi de excellẽtia alterius, immediatè fit circa personam. Secundo, mediatè in imagine & per imaginem, cũ actus externus proximè agitur circa imaginem; qui tamen honor etsi materialiter non tendat immediatè in personã, tamen vt formaliter habet rationem honoris, immediatè illam attingit: sicut & interna submissio, & æstimatio excellentiæ, & affectus illam testandi versantur immediatè circa personam. Sic erigere alicui statuam, non est formaliter honorare statuam, sed personam, cui erigitur; etsi externi actus, v.g. collocatio in columna, impositio coronæ, & similia circa statuam fiant. Idem dicendum si statuæ aperias caput, flectas genua, apponas flores, &c. His enim omnibus dicuntur quidem coli & honorari imagines propter actum materialem qui immediatè circa illas fit; tamẽ formaliter non habent illi actus rationem honoris nisi respectu prototypi, cui se animus honorantis intendit subijcere & cuius excellentiam intendit his signis testari. Ex quibus patet eodẽ numero cultu quo coluntur imagines

Eodem cultu coluntur.

coli prototypum: quia id quod est cultus materialis respectu imaginis, est cultus formalis respectu prototypi. Nec

Quo sensu cultus imaginum dicitur minor.

obstat quòd imagines dicantur coli cultu minore quã prototypum: quia id intelligendum est non de specie cultus formalis, sed de signo externo. Lõge enim maiora sunt submissionis signa, quæ fiunt immediatè circa ipsum prototypum, quam quæ circa imaginem eius: sicut longè alia sunt officia quæ impenduntur personæ regiæ immediatè, quam quæ eius impẽduntur equis, canibus, mancipijs, intuitu ipsius. Hinc tamen non sequitur, quin illa in ratione beneficentiæ sint eiusdem speciei. Simili modo cultus quo Christus colitur immediatè in Eucharistia, & quo colitur mediãte cruce dum illa honoratur, est eiusdem rationis, nimirum cultus latriæ; etsi respectu crucis non dicatur propriè *latria*, quia hoc nomine, sicut & *dulia*, significat seruitutẽ & internam submissionem, quæ non habetur respectu crucis sed crucifixi. Sed de his plura in 3 parte.

20 *Distinguitur hic cultus a priore.*

Notãdum tamen est Primò, Hunc cultum multũ distinguj a priore, etsi ab eadem virtute procedat, & ob eamdẽ rationẽ formalem tribuatur; quia hic cultus non est Latria sicut prior; sed lõge inferior, qui dulia a DD. vocatur; nõ enim sumimus nos Sanctis tamquam dijs, sed tamquam Dei amicis & domesticis, magna apud Deum gratia & auctoritate pollentibus. Simili modo intentio & electio, etsi ab eadem virtute procedãt, multum tamen distinguũtur. deinde quia hoc cultu non colitur directè & immediatè ipse Deus, sed Sancti, altero verò colitur immediatè Deus, quamuis actus externus in Deum per Sanctos tendat.

Notandum Secundò, Etsi hic cultus physicè terminetur ad ipsos Sanctos, tamquam ad integrum obiectum, quod colitur: tamen interpretatiuè & secundum æstimationem *In hoc cultu iuxta magis moralem* redundat in ipsum Deum; ita vt Deus magis cẽ- *colitur Deus.* seatur honorari, quam Sancti. Ratio est, quia tota ratio honorandi est Deus & excellentia diuina; atqui *propter quod unumquodque illud magis.* sicut cum quis medicina appetit propter sanitatem, magis ipsam sanitatem appetere censetur. Cõfirmatur ex Patribus. Athanasius li. de virginit. sub finem, *Si homo iustus ædes tuas ingreditur, cum timore & tremore occurres ei, & adorabis humi ad pedes illius; siquidem illum non adorabis*; (intellige principaliter) *sed Deum, qui illum misit.* quãuis hoc possit intelligi de priore illo modo adorationis, quo adorantur materialiter vt res aliqua Deũ nobis repræsentans. Leontius in dialogo, qui recitatus est in Synodo 7. act. 4. *Sanctos veneramur vt Deos amicos, & honor, qui Sanctis impenditur, in Deum refertur, qui martyrem coluit, Deum ipsum colit; qui matrem illius adorat, ipsi honorem assignat.* Idem docet Damascenus libro 4. de fide cap. 16. & 17. vnde in hoc cultu virtualis quædam & implicita latria continetur: sicut in eo cultu, quo quis colit Sacerdotẽ Iouis propter Iouem, continetur tacita idololatria. Simili modo in electione continetur virtute & moraliter intrinsecè: quia ex vi illius affectus procedit, & assidue pendet, & speciem accipit.

22 *Si colantur ob perfectionem intrinsecam.*

Dico Secundò, Si Sancti colantur propter intrinsecas & absolutas perfectiones, vt propter visionem Dei, charitatem, sanctitatem, beatumque beatum; sic non coluntur virtute religionis, sed distincta, quæ a DD. *dulia* vocatur. est D. Thomæ supra & ferè communis Doctorum.

Probatur; quia religio spectat excellentiam increatam & propter eam cultum defert. vt docet D. Thomas locis citatis: ergo cultus ille, qui ob excellentiã creatam defertur, non est religionis, sed alterius virtutis. consequentia patet, quia vbi est diuersum genus excellentiæ per se honorabile, ibi est diuersum genus cultus, & consequenter diuersæ virtutes inclinantes ad illos cultus; atqui excellentia illa Sanctorum toto genere distinguitur ab excellentia diuina, estque per se honorabilis: ergo constituit obiectum diuersæ virtutis sicut bona diuersi generis per se experenda. constituunt obiecta diuersorum affectuum habitualium. Hæc au- *Dulia.*

tem virtus vocatur a Doctoribus *dulia*, quod nomen etsi generatim *seruitutem* significet, sicut & *latria*; tamen vsu scriptorum ecclesiasticorum, & Doctorum accommodatum est ad significandum omnem cultum Sanctorum, qui ipsis propriè impẽditur, siue procedat à virtute religionis, siue ab alia. Item ad peculiarem virtutem, qua Sancti propter intrinsecas perfectiones coluntur. *Latria* ad significandum cultum diuinum & virtutem religionis, vt docet D. Augustinus lib. 10. de ciui. c. 1. & Isidorus lib. 8. etymolog. cap. vltimo.

Ad argumenta initio alla ta.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Respondeo, Proximum posse amari dupliciter. Primò, Volendo illi bonum supernaturale, vt ipsi bene sit, ibique sistendo. & hic amor non est actus charitatis, quæ est virtus theologica, qua Deus amatur propter se; sed beneuolentiæ seu amicitiæ supernaturalis proximi: neque video qua ratione id negari possit: cum tota ratio amoris huius sit nõ bonum aliquod Dei, sed bonum proximi. hic amor respondet illi honori, qui exhibetur Sanctis ob intrinsecam & physicam excellentiam, absque vllo respectu ad excellentiam increatam Dei.

23 *Amor proximi duplex.*

Secundò, Potest amari proximus volendo illi bonum quoduis, siue naturale siue supernaturale, non sistendo in eo vt ipsi benè sit, sed vt Deo bene sit; nempe volendo hoc totum, quatenus est bonum quoddam Dei. sicut dum amamus mancipium, eiq; bene volumus, quatenus bonum mãcipij est bonũ domini. & hic amor est actus charitatis quia formaliter est beneuolentia erga Deum; & bonum diuinum est tota ratio amandi: bonum autem proximi solum se habet per modum obiecti materialis concupiti propter bonum Dei. est enim obiectum illius amoris vt habet rationem concupiscentiæ, non autem vt rationem amicitiæ & beneuolentiæ. Sic intellige D. Thomã qu. 81. art. 4. ad tertium, cum ait; *charitatem, qua diligitur Deus, non esse virtutẽ distinctam a charitate, qua diligitur proximus.* Huic amori respondet ille honor, quo Sancti & alia honorantur, quatenus excellentiam diuinam nobis veluti imagines repræsen-

sentãt.sicut enim charitate diligimus quidquid vllo modo cedit in bonum Dei; ita religione possumus venerari quid quid nobis excellentiam diuinam obijcit.

Ad probationem antecedentis. Ille affectus quo Deus diligit hominem vt amicum, vt ipsi bene sit, est distinctus nostro modo intelligendi ab illo actu quo diligit illũ propter suam bonitatem, totum ipsius bonum ad suam gloriã referens, & ad diuersam virtutem pertinet. Non enim solum est in Deo charitas & dilectio suę bonitatis qualiam & omnia propter illam diligat, sed sunt etiam aliæ virtutes, vt iustitia, misericordia, mansuetudo, amor amicitiæ erga creaturam rationalem, &c. quatenus ipsius affectus in obiecta illarum virtutum propter ipsorum proprium honestatem, & pulchritudinem fertur. Vnde amor, quo diligit hominem iustum vt amicum, distinguitur ratione ab amore quo diligit illum ad suam gloriam. Ad confirmat. Spes siue amor, quo quis Deum sibi cupit, est virtus theologica, quia, vnit affectum immediatè non ipsi amanti, sed Deo amato & desiderato. Ratio est, quia est amor cõcupiscentiæ, qui immediatè tẽdit in bonum amatum, affectum amantis illis cõnũgens. Neque oritur ex affectu actuali erga seipsum, sed proximè ex ipsius potentiæ inclinatione tẽdit in obiectum. Vnde non accipit speciem ab ipso amante cui bonum illud appetitur, sed ab amato quod appetitur. Amor autem quo proximo volo bonum vt ipsi benè fit, non coniungit affectum meum cum illo bono faciendo in illo, sed cum proximo, est enim amor beneuolentiæ; immo volitio illius boni oritur ex affectu erga proximum, eumq; supponit quasi per modum intentionis. Ideo enim volo illi tãtum bonum, quia cupio, vt illi sit quam optimè. hoc autem non volo ob aliam causam, sed propter se, quia id apprehendo vt per se bonum & expetendum propter affectum erga ipsam personam. Itaque in amore beneuolentiæ non inititur in bono quòd volumus, sed in eo cui volumus, & ab eo actus in ratione beneuolentiæ speciem accipit. hinc patet non esse virtutem theologicam sed amicitiam humanam supernaturalem.

Cur amor quo volo proximo esse meum deus ipsius non sit virtus theologica.

24 Ad Secundum; Cultus Sãctorum potest dici religiosus ob tres causas. Primò, Quia nõ est ciuilis & politicus, qualis defertur Principibus, Magistratibus, & viris magnis in Republica; sed est supernaturalis, ortum habens ex vera fide in Deum, quæ religio vocari solet. Secundo, Virtus, qua coluntur Sancti, vel est ipsa religio; vt quando immediate propter Deum honorantur; vel a virtute religionis oritur; vt quando coluntur, propter perfectiones absolutas intrinsecas. sicut enim excellentia Sanctorum oritur ab excellentia diuina, estque participatio quædam illius; ita etiam virtus illa, qua coluntur Sancti, oritur ex virtute religionis, eamque semper comitatur. Tertiò, Cultus Sanctorum semper in honorem Dei implicitè redundat. valdè enim Deo honorificum est, quod ministri ipsius, in quibus solũ est radius quidam ipsius excellentiæ, tantopere honorentur. quas ob causas Ecclesia cultum Sanctorum ita cultui diuino connexit, vt ipsdem rebus, quibus colere consueuit Deum, etiam honoret Sanctos. Sic templa, altaria, dies festi, ieiunia, vigiliæ, peregrinationes; instituuntur principaliter quidem ad cultum Dei, sed secundario ad honorem Sanctorum.

Cultus Sanctorum cur religiosus dicatur.

Ad Tertium. Religio non disponit hominem proximè ad cultum Sanctorum, qui ob intrinsecam illorum excellentiam impenditur, sed remote solum, & ob affinitatem & subordinationem obiectorum. sicut virtus superior actus inferioris sibi subordinatæ; quo modo charitas Dei ad amicitiam cum proximo.

DVBITATIO IV.

Vtrùm ratione diuersarum perfectionum in Deo existentium, vel ratione diuersorum beneficiorum ex ipso procedentium, debeantur ei cultus diuersæ speciei.

25 RESPONDEO & dico Primò, Ratione diuersorũ beneficiorum nõ debentur cultus diuersi: v.g. vt alius debeatur cultus ratione beneficij creationis, alius ratione redẽptionis, alius ratione beneficiorum tẽporalium, alius ratione spiritualium. ell communis sententia Doctorum.

Diuersa beneficia.

Ratio est, quia ratio formalis, ob quam Deus est colendus cultu latriæ, non est beneficiũ: sed est excellentia ipsius increata & immensa. beneficia autem tolũ sunt id per quod illa excellentia nobis applicatur, vt apprehendatur tãquam ad nos pertinens, & à nobis adoranda: nam sine beneficijs & dependentia ab ipso non essemus obligati ad eã adorandam. sicut neque ad amandam supra omnia; vt dictum est tract. de charitate. Vnde si per impossibile esset aliquod numen, à quo nobis nihil boni proueniret, vt volebat Simon magus, non essemus obligati illud honorare cultu latriæ. Indicat hoc D. Petrus apud Clementẽ lib.2. recogn. pag. 51. & 52. vbi dicit, *Ille vereque nihil vobiscum habet negotij si vendicare velit in nos*, (scilicet quòd illum non adoramus, *quo modo bonus erit?* &c. Idem colligitur ex D. Thom. q.81. art.3. vbi dicit, Religionem exhibere reuerentiam Deo vt primo principio creationis & gubernationis rerum: ergo si aliquis ab eo non penderet, non deberet ei hanc reuerentiam. Ratio est, quia omne debitum saltem strictum & legale, quo alteri obstringimur, prouenit ex dependentia quadam ab ipso, siue secundum esse, vt à Deo & parentibus; siue secundum gubernationẽ, vt à superioribus; siue secundum alia quædam beneficia, vt à benefactoribus; vel certè ratione alicuius connexionis, vt erga liberos & consanguineos; vel ratione liberæ obligationis, vt in contractibus. vbi nihil horum interuenit, nullum potest esse strictum debitum. nihil enim possum debere illi, à quo nihil accepi, qui cum nihil habeo communionis aut commercij. Confirmatur, quia *latria* significamus nostram subiectionem & & dependentiam à primo principio: ergo si illud numen non est principium nostrum, non debemus ei latriam: sicut neque tributum debetur Principi alieno.

Dependentia & beneficia in diuersa genera obligationum cultus diuidunt.

Nec obstat, quòd Sancti sæpè in Deo colendo nõ spectẽt beneficia accepta, sed solam Dei maiestatem; quia etsi ad illum honorem exhibendum non moueatur beneficiorum consideratione, tamen stricte ad hoc officium nõ obligarẽtur, nisi ab eo penderent: imò neq; latriæ cultum ei exhiberent, sed alterius rationis, vt ex D. Thoma 2.2. art.3. & alijs locis colligitur. Adde, in ratione diuinæ maiestatis quodam modo comprehẽdi essentialem dependentiam nostri esse, sicut in ratione primi principij & entis per essentiam; ac proinde etsi sola maiestas in cultu spectetur, non tamen excluditur, sed potius includitur hæc dependentia, tãquam causa sine qua talis cultus non exhiberetur.

26 Dico Secũdò, Ratione etiam diuersarum perfectionum seu attributorum non debentur adorationes diuersæ. Ita Halensis 3.p.q.30.nu.1.art.3. Gabriel in can. lect.49. Colligitur ex D. Thoma q.81.art.3.ad primum. & quæst.84.art.1.ad 2. Probatur, ratio formalis cur Deus sit adorandus cultu latriæ, est, esse principium primum rerum omnium: atqui primum principium directè includit omnes perfectiones omnium attributorum: nam id quod est fons totius esse & omnis perfectionis, debet in se omnem rationem essendi continere: ergo pro diuersitate perfectionũ non debetur diuersa latriæ adoratio: cum ratio cur sit colendus latria, sit vnica & simplex.

Diuersa attributa.

27 Dices, Glossa in illud Psalmi 7. *Domine Deus meus, in te speraui*, ait, *Domine omnium per potentiam, cui debetur doulia. Deus omnium per creationem, cui debetur latria*; quod desumptum ex August. qu. 94. in Exodum: *Doulia*, inquit, *debetur Deo tanquam Domino, latria verò non nisi Deo tanquam Deo*: ergo diuersus cultus debetur ratione diuersorum attributorum. Confirmatur, quia per sacrificium testamur illum habere vitæ & mortis potestatem; adoratione, esse Dominum omnium: oratione, esse liberalem & omniporentem; iuramento assertorio, esse veracem, promissorio, fidelem; laude, omnia attributa celebramus.

Obiectio.

Respond. Non æque expressè omnia attributa singulis colendi modis honorantur, sed quædã alijs significantius. Hinc fit, vt sit quædam materialis differentia inter hosce modos colendi. vnde quidam nulli nisi Deo conueniunt, vt sacrificia, templa, altaria. quidam etiam alijs accommodari possunt, vt adorationes, orationes, &c. omnes tamẽ hi modi, quatenus sunt cultus latriæ, exhibentur Deo, vt omnibus perfectionibus plenissimus est, omnesq; illas testantur & insinuant. nam exhibentur illi quatenus est primum principium nostri & rerum omnium. Hinc patet responsio ad argumentum.

Respon. Diuersitas in modis colendi est materialis.

Vbi tamen aduerte, *doulian* non accipi stricte, quatenus

nus eſt actus obſeruantiæ, debitus Sanctis: ſed generatim pro cultu debito alicui, tamquam domino, qualecumque ſit illud dominium. vnde ſicut dominium conuenit Deo & creaturis analogicè, ita doulia. Iatria autem accipitur pro cultu, qui conuenit Deo, quatenus Deus eſt, ſeu quatenus eſt primum principium noſtrum: vnde non poteſt communicari creaturis. Vide Gabrielem Vaſquez de adorat lib. 1. dub. 2.

Quænam autem cultu latriæ vel douliæ colenda ſint, in in tertia parte quæ. 25. exactius tractandum eſt.

CAPVT XXXVII.

De actibus internis religionis, Deuotione, & Oratione.

Complectitur Dubitationes 12.

Actus religionis interni & externi.

DIVVS Thomas enumerat varios actus religionis alios internos, alios externos. Internos ponit duos. *deuotionem, & orationem.* Externos facit reliquos, *ad orationem, ſacrificium, oblationem primitiarum & decimarum, votum, iuramentum, adorationem, laudem*; quibus infrà adiungit *gratiarum actionem.* quæ duo poſtrema commodè ſub oratione comprehendi & tractari poſſunt. nam ſecundum D. Thomam qu. 83. art. vlt. *gratiarum actio* eſt pars orationis; ſimiliter laus, quæ ferè ſemper petitioni miſcetur, ad orationem pertinet, tamquà pars vel ſpecies quædam illius.

Cur oratio inter actus internos.

Dices, *Adoratio, votum, iuramentum*, non minùs actu interno fieri poſſunt; quàm *oratio*, & *oratio* non minus actu externo quàm illa: cur ergo illa potiùs inter actus externos numeratur, quàm oratio? Rurſus, *reuerentia* non minùs eſt actus internus religionis quàm *deuotio*, cur ergo reuerentiam prætermiſit? Reſpondeo Ideò D. Thomas *orationem* inter actus internos poſuit, quia conſiſtit in eleuatione mētis ad Deum, quæ interna eſt, & maximè requirit internam attentionem ſui ſuam. *Adoratio* humana (de qua D. Thomas loquitur) conſiſtit in ſignis externis honoris & ſubmiſſionis tui. *Votum* etſi Deo fiat, tamen non requirit mentis eleuationem, nec attentionem internam, præter eā quæ neceſſaria eſt vt homo aduertat quid agat. *Iuramentum* refertur ad homines, & ideò in actu externo conſiſtit.

Reuerentia quid ſit.

Quod ad *Reuerentiam* attinet, hoc nomen dupliciter accipi ſolet. Primò, vt ſignificet omnem honorificam ſubmiſſionem. Sic dicimur alicui exhibere *reuerentiam*, dum caput aperimus, genua flectimus, corpus inclinamus; quo modo non eſt actus diſtinctus ab adoratione, & interior affectus reuerentiæ nihil eſt aliud quàm affectus adorandi. Secundò, vt denotet quemdam timorem & fugam animi, qua quis refugit in rebus diuinis nimiam libertatem & licentiam, metuitque ne nimis libere, nimis audacter, non ſatis humiliter, non ſatis congruenter tantæ Maieſtati, & ſuæ vilitati in rebus diuinis & coram Deo verſetur. Sic Seraphim duabus alis velabant pedes; & duabus faciem ex reuerentia diuinæ Maieſtatis, Iſai. 6. Sic Moyſes & Prophetæ loquentes cum Deo cadebant in faciem non audentes ex aduerſo intueri formam, in qua Deus loquebatur. Hoc modo eſt actus internus religionis: quia *Religio* non ſolùm inclinat ad cultum Deo exhibendum, ſed etiam ad conuenienti modo exhibendum. Vnde fugit omnem modum, qui indicat minorem æſtimationem Dei, & minorem ſui demiſſionem; vt eſt nimis libere, ſine cura, ſine circumſpectione, ſine attentione diuina tractare. Itaque hic actus eſt generalis, & in omni religionis opere comitari debet. Omnis enim Dei cultus poſtulat, vt cum debita reuerentia fiat. Simile cernitur in actibus obſeruantiæ erga principes, quæ etiam hi cum reuerentia illorum dignitati accommodata fieri debent. D. Thom. autem non numerat *Reuerentiam* inter actus religionis: quia agit de actibus particularibus, non de generali, qui in omnibus reperiri debet. Deinde loquitur de actibus imperatis proximè a religione, quibus Deus colitur, non de ipſo affectu elicito, quo homo inclinat & eligit diuinum cultum, aut fugit ea quæ diuino cultui non congruunt.

DVBITATIO I.

Quid ſit deuotio?

D. THOM. QVÆST. 82.

RESPONDEO, Hoc nomen dupliciter accipi. Primò, vt ſignificet ſpecialem actum religionis: & ſic *deuotio* nihil eſt aliud, quàm interna quædam ſui ad cultum diuinum oblatio & traditio. ſicut enim qui alicuius Principis obſequio totum ſe tradit & deuouet, deuotus dicitur ille Principi; ita qui ex affectu cultus & honoris diuini ſe totum mancipat Deo, facit actum peculiarè religionis, qui dicitur abſolutè deuotio, & à quo dicitur quis Deo deuotus. Poteſt autem *id* fieri vel cum voto, vel ſine voto: ſi cum voto vel iuramento fiat, naſcitur obligatio; eritque deuotio magis perfecta. ſi autem fiat abſque tali vinculo, non inducet obligationem: quia fiet ſolo propoſito & huius propoſiti explicatione: ſicut dum homo explicare volens ſuum affectum & animi propoſitum dicit Principi, Me totum trado tuo obſequio. vnde D. Thomas articul. 1. ad primum, recte dicit *deuotionem eſſe actum voluntatis hominis offerentis ſeipſum Deo ad ea ſeruiendum.* Quod intellige non de ſolo actu voluntatis elicito, ſed etiam imperato. quia oblatio ſui non fit ſola volitione, ſed neceſſarius eſt actus intellectus, veluti locutio quædam, qua quis ſeipſum Deo tradat & addicat, ſicuti in promiſſionibus, votis & donationibus, quæ non ſola volitione perficiuntur.

1 *Quo modo ſit actus peculiaris.*

Secundò, Accipitur non pro actu peculiari; ſed pro conditione quadam actus interni. ſic *deuotio* nihil eſt aliud, quàm *promptitudo* quædam, & *feruor* affectus ad cultum diuinum, v. g. ad orationem, ad laudem, ad ſacrificium, ad adorationem, ad ſoluenda vota, &c. vel affectus ad hæc promptus & feruens: quicumque enim promptè & feruēter hæc affectant & faciunt, dicuntur deuoti, idque meritò, quia oſtendunt ſe eſſe addictos & mancipatos diuino cultui. *Promptitudo* requiritur vt ſuperentur omnes difficultates, timores, & perturbationes, quæ hominem ad cultum Dei lentum faciunt: & conſiſtit in affectu abſoluto & deliberato vincente omnem timorem, fugam, & tergiuerſationem voluntatis; ita vt nihil amplius illam retardet ab executione, quando occaſio ſe offert. quòd etiam feruor (qui nihil eſt aliud quàm intenſio, & vehementia affectus) requiratur, patet: nemo enim tepidos in oratione, cultuque diuino, deuotos dixerit; ſed eos tantum, qui feruenti affectu hoc præſtāt. vnde deuotè orare nihil videtur eſſe aliud, quàm cum feruenti affectu erga Deum, orationem fundere.

2 *Quo modo ſit conditio actus religionis.*

Naſcitur vtraque deuotio ex parte noſtra, ex contemplatione, præſertim duplici. Primò, Ex conſideratione diuinæ excellentiæ & beneficiorum, quæ tamquam ex perenni fonte in nos aſſidue ab illa promanant. hinc enim videmus ipſum omni cultu & obſequio eſſe dignuſſimum, ipſiuſque beneficia a nobis hæc aſſiduè flagitare. Secundò, Ex conſideratione inopiæ & miſeriæ, quam ex nobis habemus: ex hac enim videmus nobis eſſe maximè congruum & expediens ipſi ſeruire: nam nemo præter illum nos iuuare & beare poteſt. vide D. Thom. quæſt. 82. art. 3.

3 *Vnde naſcatur.*

DV-

DVBITATIO II.

Quid ſit oratio.

Oratio quid.

RESPONDEO, Omiſſis varijs definitionibus,cõmodè ſic definiri poteſt : *oratio eſt deſiderij coram Deo exſtentis explicatio, vt aliquid nõ ipſo ignorantes*, colligitur hæc definitio ex artic.1.& 3.& ex Patribus. Baſilius orat.in Iulittam martyrem, *Oratio eſt boni cuiuſdam petitio, quæ à pijs ad Deum effunditur.* Damaſcenus lib.3. de fide orthodoxa ca. 24. *Oratio eſt aſcenſio mentis in Deum, ſiue decentium a Deo petitio.*

4 *Tres actus in oratione.*

Vbi aduerte, in oratione tres actus ſpectari poſſe. Primus eſt, Deſiderium noſtrum,quo bonum aliquod nobis, alijsve conferri, aut malum auerti deſideramus. Secundus, Huius deſiderij practica quædam explicatio, qua Deum conamur inducere & permouere vt id præſtet:quæ nihil aliud eſt quàm petitio quedam.cum enim in poteſtate voluntatis noſtræ non ſit immediatè applicare diuinam virtutem,ſeu potentiam executiuam Dei ad operandum, ſicuti vires animæ noſtræ ad operandum applicamus: neque etiam mediate & efficaciter, imponendo obligationem, ſicut inferiorem applicamus, dum ei imperamus,& imperio illi obligationem imponimus : reſtat vt ſolum id poſſimus mediatè & per modum deprecationis ſeu petitionis, quod ſit explicando deſiderium. Tertius, Collatio boni deſiderati. ex hiſce tribus oratio propriè eſt illa petitio,ſeu practica explicatio deſiderij. per hanc enim conamur Deum promouere & inducere ad benefaciendum. Hinc patres dicunt *orationem eſſe colloquium cum Deo*, vt Diuus Gregorius Nyſſenus orat.1. de orat.dominica, & D.Chryſoſt.lib.1.de orando Deum.

5 *Oratio eſt locutio quædã ex actu rationis practicæ.*

Ex his patet Primò, Orationem eſſe immediatè actum rationis: nam petitio eſt locutio quædam,qua deſiderium noſtrum explicamus; locutio autẽ interna eſt actus rationis;& conſequenter etiam externa, quæ ab interna procedit,eſt rationis actus.

Patet Secundò, Eſſe actum rationis practicæ ; quia hæc locutio non fit vt Deus noſtrum deſiderium intelligat, ſed vt ea permoueatur ad rem deſideratã præſtandam.vnde in ea conſideratur quædam vis mouendi & applicandi ad opus.Sicut enim iudicio practico & interna vel externa locutione ſeipſum homo ad aliquam functionem ordinat & dirigit,ita etiam alium: nempe imperando vel deprecando:quorum vtrumque locutio quædam practica eſt.

6 Nec obſtat, quod a Damaſceno dicatur *oratio, mentis in Deum elevatio*, & a D. Auguſtino ſermone 230. de tempore, *aſpectio animæ de terrenis ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium teſtimonium.* hæc enim cautaliter vel comcomitanter accipienda ſunt.oratio enim ex natura ſua oritur ex deſiderio inuiſibilium, & intrinſecè coniuncta eſt cum elevatione mentis ad Deum. vnde qui ſine elevatione mentis orat,ſolum verbis orat:non enim poſſumus mẽte colloqui cum Deo,niſi mentem ad eum elevemus,eumque quaſi præſentem intueamur.

7 *Eſt actus religionis.*

Patet Tertiò,Orationem eſſe actum religionis,nam per illam teſtamur ipſum eſſe auctorem bonorum noſtrorum, & nos eſſe ipſo inferiores,eoque egere; hoc enim includit petitio ſeu deprecatio. Hinc fit vt ſuperbi ægre orent. Deinde teſtamur ipſum omnia ſcire in particulari, omnium habere prouidentiam & diſpoſitionem, omnia poſſe, omnium misereri,&c.

Obiectio 1.

Dices Primò, Oratio eſt actus ſpei;ergo non religionis; nam idem actus non poteſt eſſe duarum virtutum.

8 *Reſpon.1. An ſit actus ſpei.*

Reſpond.Primò. Idem actus non poteſt eſſe elicitus immediate a duabus virtutibus diſtinctis;quia non poteſt habere duas rationes formales ſpecificas; aut duplicem ſpeciem intrinſecam eſſentialem; poteſt tamen a duabus imperari,quia in vno opere externo duplex ratio honeſti confideran & appeti poteſt. poteſt enim quis dare eleemoſynam,tum vt proximi miſeriam leuet,qua ratione erit actus miſericordiæ;tum vt votum perſoluat:& ſic erit opus religionis.Simili modo poteſt quis orare vt Deum honoret,& vt gratiam impetret.

Reſpond. Secundò, Orationem explicitè & formaliter eſſe actum ſpei, ſed implicitè & interpretatiuè eſſe actum religionis : quia non fit expreſsè ad Deum honorandum ; ſed ad impetrandum: implicitè tamen redundat in honorem Dei.Vnde ad orationem neceſſe eſt concurrere internum actum ſpei, non autem internum religionis, ſaltem explicitè;quia non eſt neceſſe habere expreſſam voluntatem Deum honorandi:quamuis debeat adeſſe voluntas faciendi id,quod in honorem Dei cedit;quæ voluntas implicitè cenſetur eſſe voluntas honorandi Deum. Vnde apud omnes gentes oratio habetur pro cultu numinis.

Obiectio 2.

Dices Secundò, Deus eſt immutabilis, ac proinde orationibus noſtris permoueri nequit,frustra ergo funditur. Confirmatur,quia ab æterno omnia iunt decreta,& immutabiliter conſtituta;ergo orationes,quæ fiunt in tempore, nihil poſſunt mutare.

Reſpond. Immutabilitas Dei orationis efficaciæ nil officit.

Reſpond. Deus non poteſt ita permoueri orationibus, quaſi nunc incipiat velle quod antè nolebat aut non volebat; hoc enim repugnat immutabilitati eius,ad quam requiritur vt omnis volitio etiam libera fuerit ab æterno in illo,ſitque immutabiliter duratura in æternum. Dicitur tamen Deus permoueri orationibus,quia præuiſis orationibus multa voluit & ſtatuit ab æterno, quæ alioquin non voluiſſet; adeò vt oratio præuiſa, ſit ſuo modo cauſa cur Deus anticipata illa voluntate ſic velit:non ſecus ac ſi modò nouam voluntatem conciperet.

Ad confirmationem ; Omnia quidem ſunt decreta ab æterno, nẽpe decreto quo velit res fieri; vel quo velit permittere res fieri; ſed hoc decretum nõ eſt factum de omnibus ante præuiſionem noſtrarum orationũ;adeò vt orationes noſtræ cauſa ſint cur pleraque ad ſaluté opportuna hoc modo Deus decreuerit.Sed de hoc plur.1.p.q.14.19.& 23.

DVBITATIO III.

Vtrùm oratio ſit ad ſalutem neceſſaria,& quando obliget.

D. THOM. ART. 2.

9 *Error Euchitarum.*

SVNT hic duo errores, Prior eſt Meſſalianorum qui dicti ſunt Euchitæ. hi volebant orationem ſolam ad ſalutem ſufficere, ita vt nec Baptiſmum, nec Euchariſtiæ ſacræ communionem neceſſariam dicerent,vt habet Theodoretus l.4.hiſtor.c.10.& Damaſc.libr. de 100.hæreſibus.

Error Pelagianorum.

Alter eſt Pelagianorum. Hi docebant, (ſaltem implicite) orationem non eſſe neceſſariam ad ſalutem.hoc ipſo enim,quo docebant gratiam diuinam non eſſe neceſſariã, & hominem ſolis naturæ viribus poſſe ſalutem promereri,cogebantur etiam fatem orationem non eſſe neceſſariã : cui enim opus non eſt auxilio, ei etiam petitione auxilij opus non eſt. vide D. Auguſtinum hæreſi 88. non tamen negabant eam eſſe vtilem;nam etiam auxilium gratiæ vtile fatebantur. Eamdem quoque non eſſe neceſſariam fateri coguntur hæretici noſtri temporis ; idque ob duas cauſas: tum quia omnia tribuunt fidei ſpeciali, ita vt nec opera bona requirant ; tum quia omnia faro euenire volunt. quòd ſi verum eſt, ſuperuacanea eſt orationis cura & ſtudium: nam etſi non ores, omnia æquè euenient. Quòd ſi Deus aliquid per orationem fieri velit ; ipſe etiam curabit vt & illa oratio fiat. vnde non oportet hominem de ea facienda eſſe ſolicitum.Vide Caſtro v.Oratio,hæreſi 3.

10 *Oratio neceſſaria ad ſalutem.*

Sed fide tenendum eſt,orationem adultis ad ſalutem eſſe neceſſariam;(niſi forte vitæ breuitas obſtet) nec tamen ſufficere.

Quod non ſufficiat, patet;requiritur enim Baptiſmus, & mandatorum obſeruatio,& pœnitentia in lapſis.

Quod ſit neceſſaria, colligitur ex multis Scripturæ locis, quibus monemur ſemper orare. Eccleſiaſtici 18. *Ne impediaris orare ſemper*. quaſi dicat,ne finas te vllo modo impediri a tam neceſſario exercitio.& Dominus Lucæ 18.*Oportet ſemper orare & nunquam deficere.* nempe quantum pro humana fragilitate fieri poteſt. vel *ſemper*, id eſt,quotidie. 1.ad Theſſalonicenſes vltimo. *Sine intermiſſione orate*,id eſt, quantum fieri poteſt, vt Chryſoſtomus exponit. Ad Coloſſenſes.4. *Orationi inſtate, vigilantes in ea*. & alibi ſæpè. Non tam crebrò & ſeriò Scriptura hoc ingeminaret, niſi res eſſet apprimè neceſſaria : non enim ita loqui ſolet de conſilijs.

Cur neceſſaria.

Ratio huius neceſſitatis eſt, quia oratio eſt medium quoddam, ſine quo auxilium ad ſalutem neceſſarium obtineri

tineri nequit. cũ enim etiam iuſtificati egeamus quotidiano auxilio ad vincendas tentationes, & ad perſeuerãdum; Deus non ſtatuit hoc auxiliũ paſſim conferre, niſi orantibus & petentibus: idq; merito: nempe vt intelligamus à quo nobis ſalus & omne bonum prouenìat, eiq; gratias agamus. vnde Dominus Matth.7. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. omnis enim, qui petit, accipit,* &c. inſinuans alios; petitione non accepturos. Idẽ inſinuat Dominus Io.6. *Nolite murmurare inuicem, nemo poteſt venire ad me; niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* quaſi dicat, nolite murmurare ob ea, quæ dixi, ſed potius orate Deum vt vos illuminet; nemo enim poteſt credere in me, niſi quem Pater traxerit. vide D. Auguſtinum tract.26. in Ioannem.

Sed dubium eſt quo tempore obliget. Durandus in 4. d.15.q.12. docet, orationem priuatam cadere ſub præcepto in genere abſque determinatione loci, temporis, & modi orandi. Iure enim naturæ nos ſolum obligari vt aliquando Deo oremus, & neceſſaria ad ſalutem ab eo petamus; idq; ſiue mente tantum, ſiue etiam voce. quæ ſententia vera eſt, ſi rectè intelligatur. nulla enim ſunt certa tempora Iure naturæ determinata ad orandum; ſicut Iure eccleſiaſtico ſunt præſcripta orationi publicæ. Verum vlterius difficultas reſtat, An non ſint certi aliqui euentus quibus teneamur orare, & quinam illi ſint. 11 *Quando obliget præceptũ orandi.*

Reſpondeo, Poſſe aſſignari aliquot euentus maximè probabiles.

Certi euẽtus, quibus tenemur orare.

Primus eſt, Quando peccator ſe ad gratiam diſponere tenetur; vt quando ipſe Sacramentũ aliquod adminiſtrare vel ſuſcipere debet: tunc enim tenetur petere veniam peccatorum & auxilium vt Deo reconcilietur. quòd potiſſimũ locum habet ſi deſit copia Sacramenti.

Secundus, In euidenti periculo mortis, præſertim ſi quis ſit in peccato mortifero. ſi enim vnquam petenda venia peccatorum & auxilium diuinum, tunc maximè.

Tertius, In vehementi tentatione, cui alia ratione putat ſe non poſſe reſiſtere. Ita Medina, C. de orat. qu. 11. ſub finem. Addit Nauarrus l. de orat. cap. 3. num. 14. alium caſum, quando quis aduertit ſe alterius exitium impedire nõ poſſe, niſi oratione; vt ſi videat duos ad duellum properare, quibus non niſi oratione prodeſſe poteſt. quod verum eſt, ſi putet ſe hac ratione malum auertere poſſe; (quod rarum eſt) alias non tenetur. His addi poteſt nos obligari vt non multo tempore oratione abſtineamus, v.g. ad menſem vnum vel alterum, quia eſt ſignum magnæ negligentiæ ſuæ ſalutis. Porrò in his caſibus, quibus oratio ad aliquod malum auertendum videtur neceſſaria, eius omiſſio non eſt peccatum, niſi quis aliquo modo aduertat ſuam obligationem: alioquin omiſſio non cenſebitur voluntaria vt ſit contra præceptum; vnde nec ad culpam imputabitur. Quando autem eſt culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam diſtinctam ab illo peccato: nam ſolum eſt mala, quia eſt interpretatiua voluntio illius peccati. 12

DVBITATIO IV.

Quænam in oratione ſint petenda.

RESPONDEO, Summam petendorum breuiter comprehenſam eſſe oratione Dominica. Nam vt rectè D. Auguſt. epiſt. 121. ad Probam ait, *Si per omnia ſanctarum precationum verba diſcurras, quantum exiſtimo nihil inuenies quod non iſta contineas & concludat oratio.* non tamen omnia diſertè continet ſed præcipua tantum, quæ maxime nobis præ oculis habenda. decebat enim Chriſtum vt ea doceret petere, quæ natura non ſuggerit, minimeq; vulgaria ſunt, ad quæ tamen reliqua facile reduci poſſint.

Hanc diuiniſſimam orationem pulchrè explicat D. Th. 2.2.q.9. poſſunt tamen quædam petitiones paulò aliter nec minus accommodatè ad mentem Domini exponi.

13 *Breuis explicatio orationis Dominicæ.*

Conſtat hæc oratio compellatione Dei, ad quem dirigitur, ſeptem petitionibus & clauſula approbationis. Compellatio eſt, *Pater noſter, qui es in cœlis.* dicimus *Pater noſter*, potiùs quàm Deus noſter, quia patris nomen magis eſt idoneum ad excitandum in nobis amorem filialem, & fiduciam impetrandi; & ad Deum, iuxtà adoptionis per Chriſtum *factæ*, ad miſericordiam flectendum. *Pater noſter.*

In cœlis, quia tantum in cœlis ſeu cœlorum ciuibus ſeipſum aperit & præſentem exhibet. alibi non videtur, ſed ita manet abſconditus, ac ſi illic non eſſet. Hoc additur vt mẽtem ſurſum erigamus, & intelligamus verum patrem, patriam & hæreditatem noſtram illic eſſe. *Quid in cœlis.*

Sequuntur petitiones, quarum tres primæ pertinent ad bonum Dei, quatuor reliquæ ad noſtrum.

Prima eſt, *Sanctificetur nomen tuum*; id eſt, quidquid tu nominaris, quidquid es, id ſanctè vbiq; celebretur: *ſanctificare* enim, phraſi Hebræa, eſt celebre facere, & colere. hæc *ſanctificatio* conſtitit in tribus. Primò, vt Deus, eiuſq; maieſtas, potentia, ſapientia, benignitas, prouidentia, iuſtitia, miſericordia ab omnibus cognoſcantur. Secundò, vt Deus, ab omnibus ſupra omnia ameatur & ametur. Tertiò, Vt ab omnibus digne colatur & prædicetur. 14 *Sãctificare.* *Conſtitit in tribus.*

Secunda, *Adueniat regnum tuum*, petimus impleri numerum ſanctorum, & inchoari beatum illud regnũ, quo Deus ſubiectis omnibus inimicis & compreſſis aduerſarijs potentatibus ſolus regnabit, eritq; omnia in omnibus, iuxta Apoſtolum 1. ad Corin. 15. Inſinuat hanc expoſitionem Tertullianus de oratione, Rupertus, & Theophylactus in hunc locum. Hoc regnum Deo maximè deſiderare debemus, quia in eo gloria ipſius completa erit, nec aliquis amplius eam obſcurabit, aut ei reſiſtet, ſicut modò fit, quando peccatores illum contemnunt. 15 *Regnum Dei*

Tertia, *Fiat voluntas tua*, &c. Petimus vt ſicut in cœlo fit omne id, quod Deo placitum eſt & gratũ, nihil quod eius voluntati repugnet; ita etiã fiat in terris. Itaq; petimus Primo, Exactam (quantũ humana fert conditio) mandatorum obſeruationem, non quidem noſtra cauſa vt eſt bonum noſtrum, ſed vt eſt quoddam bonum Dei, quo ipſe delectatur. vnde etiam implicitè petimus auxilium nobis & cæteris mortalibus ad hoc præſtandum; & vt Tertullianus ait, *Petimus ſubſtantiam & facultatem voluntatis ſuæ ſuſminiſtret nobis, vt ſalui ſimus & in cœlis & in terris.* Deinde etiam in omnibus rebus alijs, diuinum beneplacitum præponimus noſtris affectibus & commodis: vt ſi Deus velit nos eſſe pauperes, infirmos, inglorios, mori, viuere, ſi tollere vxorem, liberos, parentes, acquieſcamus in eius ſanctiſſima voluntate; & dicamus cum Chriſto, *Non mea, ſed tua voluntas fiat*, & cum Machabæo, *Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.* & cum Iob. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* 16 *Voluntas Dei.*

Cum enim verba ſint generalia, & faueat modus loquẽdi Scripturæ, non ſunt ad mandatorum obſeruationem reſtringenda: ſed generatim de omni Dei beneplacito. vnde rectè Maldonatus, explicans hunc locũ, *Petimus*, ait, *non ſolum vt voluntas Dei fiat à nobis, ſed etiam in nobis.* maioris enim momenti eſt etiam minimam volũtatem Dei impleri, quàm omne bonum creaturæ, quã eſt creaturæ. Hæc reſignatio ſui [illegible] diuinam voluntatem, eſt opus magnæ in Deum charitatis, & proinde magnæ perfectionis. nam per eam vincit omnes ſuos affectus, & perfectiſſimè conformat ſe voluntati diuinæ. indicat aperte hunc ſenſum Tertullianus.

Quarta, *Panem noſtrum*, &c. Petimus hic nobis quotidiana ſubſidia corporis & etiam animæ, vt plerique DD. explicãt, præſertim panem illum cæleſtem, quo alimur ad vitam æternam. Græcè eſt, τὸν ἄρτον τὸν ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον Hoc dupliciter verti poteſt, Primò, vt paſſim in oratione Dominica recitari ſolet, & Lucæ 11. habetur. *Panem noſtrum quotidianum.* quo modo ante D. Hieronymum verterunt paſſim Latini, Tertullianus, Cyprianus & alij. Secundò. Vt habetur Matth.6. *Panem noſtrum ſuper ſubſtantialem*, quo modo vertit S. Hieronymus. vtraque verſio bona eſt. 17 *Panis quotidianus.*

Sed aduerte, vocem *ſuper ſubſtantialem*, non eſſe ita accipiendam, vt ſolum ſignificet id quod eſt ſupra ſubſtantiam, quod Dionyſ. Areopagita paſſim ὑπερούσιον vocat; ſic enim [illegible] petitio ſolum pertineret ad panem cæleſtem, vt Euchariſtiæ & viſionis diuinæ, nec peterentur ſubſidia temporalia, quod eſt contra communem fidelium ſenſum. Deinde Apoſtoli non potuiſſent tunc temporis intelligere quid Dominus iſtis verbis ſibi vellet: nondum enim nouerant illum cæleſtem panem. quare vox iſta eſt accipienda vt planè reſpondeat voci ὑπερούσιον, & *ſuper* accipiatur non pro *ſupra*, ſed pro *ad*, ſeu *iuxta*, Græcè ἐπὶ: & ſigni-

significetur omne alimentum substantiæ nostræ congruè, hoc.n.proprie est ἐπιούσιον vt rectè Suidas interpretatur: quasi dicas ἐπὶ τὴν οὐσίαν αἰρόμενον. vnde idem rectè dicitur *quotidianus*, nam natura nostra quotidie refici debet, & alimento congruenti sustentari. quāuis ἐπιούσιον possit & deduci παρὰ τὸ ἐπιέναι, *accedere*, hinc ἐπιούσιον quod ad diem accedentem pertinet. itaque ἄρτος ἐπιούσιος, est qui diei accedenti est accommodatus & necessarius. Sic enim expetita est hæc petitio, ac si prima luce fundè ja esset. quare optimè interpres mentem Euangelistæ spectans (qui per ἐπιούσιον, non volebat significare τὸ αὔριον diem crastinū, sed instantem) vertit quotidianum. additur *hodie*, tum vt significetur cauè iam solicitudinem in crastinum; tum quia quotidie hæc oratio fundenda, & necessaria a Deo petenda; cùm assiduè ab ipsius beneficentia pendeamus.

18 Quinta, *Dimitte nobis*, &c. Petimus nobis condonari delicta nostra: *nam debitum in Scripturis delicti figura est*. vt ait Tertullianus, quia delicti effectus & germen. Nam ex delicto duplex debitum contrahitur, culpæ & pœnæ. *Debitum culpæ* est obligatio compensandæ iniuriæ per peccatum Deo illatæ. hoc debitum si ex peccato mortifero ortū sit, nullo modo ad æqualitatem solui potest a nobis, sed a solo Christo, vera 3.quæst.1. tradi solet. *Debitum pœnæ* est obligatio sustinendi pœnam æternam vel temporalem. Verumque petimus nobis ignosci.

Duplex debitum.

19 *Sicut & nos dimittimus*, &c. Illud *sicut* non significat regulam, quam Deus in condonandis peccatis sequatur, quasi petamus vt Deus nō benignius & promptius, nec maiora cōferat nobis quā nos proximis nostris, sed causā inducti, vt patet ex Luc.cap.11. vbi sic dicitur, *Dimitte nobis debita nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis*. est enim conditio quædam, quam Deus à nobis requirit, vnde apud Matth. immediatè post hanc orationem subdit Dominus, *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester ea & vestra delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Itaque allegamus hic à nobis impletam conditionem, non quod nihil aliud ad remissionem peccatorum obseruandam requiratur; sed quia est dispositio maximè congrua, sine qua non est nobis venia speranda: & qua posita, omnino speranda est; nisi aliud quid impediat, vt defectus doloris, vel propositi emendationis.

Sicut.

Quid condonandum proximo.

Petes, Quid tenemur debitoribus nostris dimittere?

Resp. Non pecuniam, non famæ & honoris restitutionem; sed iniuriam nobis illatam, ita vt propter illam non prosequamur eos odio, nec velimus vindictam priuatam, nec etiam publicam, nisi quando bonum publicum aut recta ratio aliud postulabit.

20 Sexta, *Et ne nos inducas in tentationem*. Petimus ne Deus permittat nos vlla tentatione vinci. hicq; nos semper dirigat, vt numquam succumbamus: hoc.n.est induci, seu vt Græcus textus habet, inferri in tentationem, μὴ εἰσενέγκῃς ne inferas, id est, ne finas inferri. Interdum enim dicitur Deus facere, quod permittit, quia fieri nisi ipso annuente & manum omnipotentiæ suæ laxante, non potest. Sic Matth.26. Dominus monet, *vigilate & orate ne intretis in tentationem*. id est ne tentationi cedatis. causam addit, *quia spiritus* (id est, diabolus) *promptus est*, ad tentandum & incitandum ad peccatum; *caro autem* (id est, homo) *infirma* ad resistendum, sine ope diuina.

Facere pro permittere.

Septima, *Sed libera nos à malo*. Petimus hic liberari ab omnibus diaboli, & consequenter etiam malorum hominum, qui sunt membra eius, insidijs. à malo Græce est ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quo nomine diabolus significari solet in Scripturis: vt 1.Ioan.5. *Mundus (ὁ κόσμος) non vacat eum*. &, *Totus mundus in maligno positus est*; id est, sub diaboli potestate. & 1.Ioan.2. *Vicistis malignum*. Matth.5. *Quod his abundantius est, à malo est*. & alibi.

Maligni.

Amen.

Clausula *Amen*; quā Hieronymus vocat signaculū orationis Dominicæ, est approbantis & optantis vt ita fiat Græcis γένοιτο Psal.40. *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & in sæculum, fiat, fiat*. Græcè γένοιτο, γένοιτο. Idem habetur Psal.71. versu vltimo, per se tamen idem valet, quod vere. teste Hieronymo.

21 Notandum est ex D.Thoma art.5. Inter ea, quæ à Deo peti possunt, quædam absolutè petenda esse, vt ferè sunt ea, quæ oratione Dominica continentur. alia tantū sub conditione tacita vel expressa; vt sunt diuitiæ, honores, longa vita, opulenta matrimonia, vxor speciosa, pulchræ proles, & similia. hæc.n quia sæpissimè hominibus sunt exitio, nō sunt petenda absolutè, sed sub conditione, si nobis sint futura salutaria; quod soli Deo perspectum est. Vnde in illis optima orandi forma est rogare Deum vt nobiscum agat sicut nouit expedire ad suam gloriam & salutem nostram.

Duplicitèr, quæ a Deo petuntur.

Petes, Vtrùm sit peccatum ea secundum se desiderare & petere a Deo?

Respondeo, Si quis hæc ita desideret, vt non curet, sintne ipsi futura salutaria an non, non peccat; quia illa plus amat quā suam salutem. Si tamen speret non obstatura saluti, non videtur desiderium, quo illa per se appetuntur, esse malum, modo ea mensura appetantur, quæ non sit contra rectā rationem; quia sunt bona indifferentia. vnde si quis ea sic petat a Deo, non videtur peccare; nam Iudæi talia a Deo petebant, & talium bonorum in veteri Testamento promissiones pro legis obseruatione acceperunt. Si tamen desiderium & solicitudo modum excedant, peccatum est.

Si bona a. diaphora per se petantur.

DVBITATIO V.

Quibus conueniens sit orare.

D. THOM. ART.3.

22 RESPONDEO, Conuenire soli naturæ rationali Superiorem ignoscentem, a quo aliquid boni sibi vel alteri expectare possit. Ratio est, quia oratio est petitio quædā ad Superiorem directa; petitio autē est actus rationis, quo desiderium exprimitur aliquid impetrandum.

Hinc patet primò, Orationem non conuenire personis diuinis; tum quia Superiorem non habent, a quo sibi vel alteri aliquid possint expectare; tum quia singulæ suæ auctoritate & potestate omnia possunt.

Patet Secundò, Eam conuenire tum Angelis sanctis: quia etsi nihil superest quod sibi peculiariter petant, nobis tamen bona spiritalia & salutem expetunt, & Deo aduentum regni futuri: tum animabus beatis, quæ præterea sibi petunt resurrectionem corporum: tum viatoribus, quibus & sibi & alijs multa petenda: tum defunctis, qui sunt in purgatorio, quos pro se orare vt à pœnis soluantur non videtur dubitandum: quicumq; enim in gratii afflictione cōstitutus scit esse aliqua remedia, quibus possit liberari, dubium non est quin roget ea sibi adhiberi. defuncti autem sciunt extare huiusmodi remedia, vt sacrificia, preces, ieunia, eleemosynas, fidelium indulgentias, orationes Sanctorum: cur ergo non orent hæc sibi applicari, & vt Deus fideles ad hæc excitet? Vnde meritò Ecclesia illud Iob, *miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. quia manus Domini tetigit me*, applicat defunctis in purgatorio positis. An orent pro viuis, non satis constat, credibile est etiā pro illis orare: quia dubitandum non est quin pro suis sint soliciti: ad hoc enim charitas eos impellit. cur ergo illorū salutem Deo non commendent? nos tamen eos non inuocamus, quia preces nostras ordinariè non possunt cognoscere; & sunt in eo statu vt magis egeant auxilio nostro, quam vt possint nobis auxilium adferre. vt ait D.Thom. q.83.art.11.ad 5.

23 *Conueniat Angelis, ait mā. beatis, viatoribus, & defunctis qui in purgatorio.*

Defuncti orant pro nobis in purgatorio.

Patet Tertiò, Damnatis orationem proprie non competere; tum quia carent pio affectu ex quo oratio debet procedere, vt sit actus virtutis: tum quia nihil illis boni a Deo expectandum. quamuis interdum aliqualis petitio in illis reperiatur; vt cum Saran petijt tentare S. Iob; cum diues petijt mitti Lazarum, &c.

An damnatis.

24 Sed difficultas est Vtrùm Christo secundum humanam naturam in cælo conueniat. Quidam negant, Primò, quia Christus totum negotium salutis nostræ euacuè & minutè cum Patre in via composuit. Secundò, Quia alias liceret Christum rogare vt pro nobis oret.

An humanitati Christi.

Sed verius videtur, Christi animā etiā modo rogare diuinitatē pro hominibus. Primò, Quia id nō dedecet ipsam. cum in via sæpissimè id fecerit, & statui beatitudinis nō repugnet: vt patet in alijs beatis. Secundò, Vtitur in Deum laude, gratiarū actione, adoratione. sicut enim sūma charitate

tate, ita etiam ſumma humilitate erga Deum eſt prædita. cur etiam non vtatur oratione? Tertiò, Etſi data ſit illi animæ ſanctiſſimæ omnis poteſtas in cælo & in terra, Matth. 28 tamen executio huius poteſtatis non poteſt fieri virtute animæ, ſed diuinitatis, vt patet in iuſtificatione & glorificatione: ergo decet vt id petat a diuinitate, ſaltè actu interno. Quarto, Sicut hoſtiæ veteres immolabantur in ſancto ſæculari, ita Chriſtus ſemetipſum immolauit in hoc mũdo: & ſicut Pontifex veteris legis, ſanguine hoſtiæ inferebat in ſancta ſanctorum ad deprecandum Deum pro populo ita Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum intulit in cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis, vt deducit Apoſt. ad Heb. 9. ergo Chriſtus ibi apparet vt Pontifex, ſeu vt munere Pontificis poſit hoſtiæ ſacrificium fungens, quod in eo conſiſtit vt petatur ſacrificij effectus, alioquin non eſſet apta analogia inter Chriſtum & Pontificem veteris legis, quã intendit Apoſt. Quintò, Hæc ſententia eſt magis conſentanea Scripturæ ſacræ Ioann. 14. *Si diligeris me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* quaſi dicat, nolite ob meum diſceſſum ad Patrem, eſſe mœſti; quia cùm ad Patrem venero, rogabo eum vt alium mea loco mittat qui nunquam diſcedet. 1. Io. 2. *Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum:* quod proprie dici nequit, niſi aliquid pro nobis a Patre petat. Ad Rom. 8. *Qui eſt ad dexteram Dei; qui etiam interpellat pro nobis.* Ad Hebr. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* quibus verbis ſatis inſinuatur, hanc interpellationem non ſolùm fieri exhibitione & præſentia obiectiua humanitatis & vulnerum, ſic enim non eſſet quid diſtinctum à ſeſſione ad dexteram, nec requireretur vt ſit viuens, ſed per actũ animæ, quo nobis miſericordiam & ſalutem petit, ſic enim aliquid peculiare adfertur, quod noſtram fiduciam erigat: hoc enim intendit Apoſtolus. Sextò, Eamdem ſententiam inſinuant Patres, Iuſtinus quæſt. 105. ad orthodo. *Si enim ſuperatis iam reſurrectione, carnis infirmitatibus, vt Pontifex confeſſionis noſtræ interpellat pro nobis, nonne magis cùm adhuc ſubiaceret infirmitati carnis, egebat magno validoque clamore & lachrymis, cum quibus preces offerebat?* Ambroſ. in illud ad Roman. 8. Qui etiam interpellat pro nobis, *Chriſtus reſurgens, ſemper cauſas noſtras agit apud Patrem cuius poſtulatio contemnus non poteſt, quia in dextera Dei eſt, hoc eſt, in honore quod Deus eſt.* & infrà explicat quo modo interpellet pro nobis, nempè eo modo, quo rogauit pro Petro, vt non deficeret fides eius. & infrà, *Interpellat pro nobis, ne inimicus aliquid violenter præſumat contra nos, vt arceatur inſolentia eius.* In eadem ſententia videtur eſſe Cyprianus epiſtol. 2. & Auguſtinus præfat. in Pſal. 85. Idem apertè docet Diuus Thomas in capit. 7. ad Hebr. lect. 4. D. Bonauentura, de vita Chriſti capit. 98. Toletus in cap. 16. Ioannis, annotatio. 53. & Suarez in 3. p. diſputatio. 45. ſectio. 2.

Ad argumẽ-
t.

Ad primam rationem in contrarium adductam; Chriſtus omnia cum Patre compoſuit, quia exactè pro omnibus ſatisfecit, & meruit omne bonũ, quod temporis ſucceſſu hominibus confertur. Hinc tamen non ſequitur quin modo poſſit orare vt illis bona conferantur.

obiectio.

Dices, Chriſtus adhuc in vita mortali præuidebat quidnam ſingulis hominibus expediens foret, & quid pro ſingulis eſſet petendum: ergo illud tunc poterat petere & pro ſingulis impetrare. Si poterat, credibile eſt feciſſe. cur enim expectet tempus executionis? præſertim cum hoc modo perfectius ſit opus noſtræ redemptionis; quod in hac vita eſt operatus. 25

eſt on. Chriſtus non opus habet oratione.

Reſpondeo, Hoc argumentum rectè probare non eſſe illi opus oratione, cùm iam omnia petierit & impetrauerit, quæ temporis ſucceſſu mortalibus bona conferuntur. Hinc tamen non ſequitur quin reipſa oratione vtatur; non quia id neceſſarium, ſed vt diuinitatem ſic magis honoret, & omne bonum in illum, tamquam in primum fontem referat. nam etiam ab initio conceptionis illa omnia præuidit, & vt veriſimile eſt, petijt & impetrauit; (id enim facilè ei erat) tamen ſæpius in vita eadem rogauit, & impetrauit nihil enim vetat quin idem ſæpiùs poſſit rogari ante executionem. Itaque poteſt etiam modò rogare vt fiat executio eorum, quę antè meruit & impetrauit, quamuis nihil noui petat.

26 Ad Secundum Reſpondeo, Etſi per ſe non ſit illicitum vt quis conſiderando Chriſtum quà homo eſt, qui diuinitatem omni cultu veneratur: ſic oret apud animum ſuum, Chriſte ora pro me, impetra mihi à Patre veniam & ſalutẽ. tamen abſolutè non eſt hoc modo orandum, ſaltem publicè. Primò, Quia eſt contra morẽ Eccleſiæ. Secundò, Facile inſinuaretur error Arij, facientis Filium creaturam; vel Neſtorij, conſtituentis duas in Chriſto perſonas. Tertiò, Inſinuaretur Chriſtum, ſicut alios, egere oratione, nec habere in ſua poteſtate nos ſaluare ſine oratione. nemo nim, qui per ſe poteſt dare ſalutem, rogat vt oret, ſed vt ipſe det. Quartò, Oratio dirigitur ad perſonam, quæ eſt Deus, & ſua auctoritate poteſt dare. Quintò, decet vt qui aliquid ab altero petit, præſertim publicè, ſummo titulo honoris compellet, & ſupremam illius poteſtatem agnoſcat; alioquin videbitur illum potius irridere, quàm honorare. Denique quia nihil noui impetrare poteſt, quod iã antè non impetrauerit. itaque ſolùm rogandus eſt vt illud ſua poteſtate diuina conferat. Si tamen ipſa Chriſti anima per ſe ſpectetur, non abſurdè priuatim rogari poterit, vt virtutes & ſalutem impetret, id eſt, faciat nobis per diuinitatem conferri. etſi enim ipſa non egeat oratione, tamen ex humilitate ea libentiſſimè vtitur erga diuinitatem.

An Chriſtus rogandus vt pro nobis oret

DVBITATIO VI.

Vtrùm Sancti ſint orandi ſeu inuocandi.

D. THOM. QVAEST. 83. ART. 11.

NEGARVNT hoc multi hæretici. Primò, Vigilantius; qui docebat mortuorum preces pro alijs non exaudiri, teſte Hier. Vnde aperte ſequitur inanem eſſe Sanctorum inuocationem. 27

Secundò, Quidam hæretici tempore D. Bernardi, dicti Apoſtolici, qui, vt refert Ber. ſer 66. in Cant. ridebant Catholicos quòd Sanctos inuocarent.

Tertiò, Quidam circa eadem tempora dicti Cathari & Patareni; qui nec Sanctos nec Angelos inuocandos eſſe docebant, teſte Turrecremata lib. quarto de Eccleſia par. 2. capit. 35.

Quartò, Vvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, qui paulò poſt orti, dicebant Sanctos nec audire, nec attendere ad preces noſtras, teſte Antonino quarta parte, tit. 11. cap. 7. §. ſecundo.

Quintò, Vvicleff. qui dicebat eſſe inutile Sanctos inuocare, teſte Thoma Vvaldenſi, to. 3. c. 108.

Hæretici noſtri ſæculi.

Sextò, Hæretici noſtri temporis, qui duo docent. Primò, Id eſſe inutile; eò quòd Sancti preces noſtras non cognoſcant. Secundò, Eſſe impium; quia obſcuratur officium Mediatoris. Ita Caluinus libro tertio Inſtitut. capit. vigeſimo. §. vigeſimo. & ſeq. vſq; ad vigeſimumoctauum. Idem docent ceteri.

Pro veritate Notandum eſt, Sanctos poſſe tripliciter inuocari.

Primò, Tamquam primarios auctores vitæ & ſalutis, quaſi ſua ipſi auctoritate & poteſtate poſſint remittere peccata, infundere virtutes, dare vitam æternam, &c. 28

Secundò, Tamquam adiutores ad precandum Deum.

Tertiò, Tamquam adminiſtros quorumdam beneficiorum quæ ipſi per ſe nobis conferre poſſunt, qualia ſunt ſalutaria ſuggerere, dæmonis machinationes impedire, varia mala auertere & ſimilia. Nunc.

Dico Primò, Nulla ratione licitum eſt Sanctos primo modo inuocare, nempe tamquam auctores primarios ſalutis: id enim eſſet aperta idololatria; nec quiſquam Catholicorum ita vnquam illos inuocauit, aut inuocandos cenſuit, vt falsò illis impon. Caluinus nu. 22.

Nec obſtant illæ formulæ precãdi, quas Caluinus obijcit tamquam intolerabiles, *S. Mederde, S. Eligi, reſtitue ſeruos tuos, iuua è cælo:* quia intelligendæ ſunt de auxilio precum, vel ſimili, quod ipſis congruat, illa autem, *vt S. mitta Virgo iubeat filium facere quod petimus*, nullus Catholicus vtitur: nemo enim neſcit Filium in cælo Matri ſubditum non eſſe, ac proinde nihil ei propriè iubere poſſe. Quòd ſi quis tamen pia mente ſic loqueretur, non eſſet magnopere reprehendendus: nam etiam Scriptura dicit Deum voci hominis obediuiſſe, ſaltem vocabuli ſignificatu: &

cellentiæ: ſub ea enim ratione ſunt a religione volíti. At affectus credendi non ita verſatur circa actus fidei: non enim conſiderat actus fidei vt ſigna primæ veritatis, neque ſub ea ratione illos vult; ſed vt ſunt vitales aſſenſus, quos illud obiectum, nempe res credenda ſic propoſita, & à diuina auctoritate veluti informata, elevata, & illuſtrata poſtulat. Secundò, quia tota ratio, cur religio ſuum actum externum imperet; eſt, vt Deo honorem deferat, eiuſque excellentiam teſtetur. At ratio cur affectio credendi imperet ipſos actus fidei, non eſt vt honorem Deo exhibeat (etiamſi ob hunc finem poſſint imperari) ſed quia materia ipſa diuina auctoritate confirmata, id poſtulat; vel (quod ferè idem eſt) quia obligatio ad illam actum orta ex reuelatione ſufficienter propoſita id requirit. Et ſic eſt peculiaris virtus habens peculiarem materiam, in qua conſiderat propriam honeſti rationem. Poſſet etiam dici hunc affectum pertinere ad quamdam iuſtitiam hominis erga Deum, quia actus ille debitus eſt primæ veritati tamquam neceſſarius, vt nō cenſeatur contemni aut vilipendi. Nolle enim credere viro grauiſſimo affirmanti, eſt quodammodo contemnere, & paruam de illo habere exiſtimationem. Qua in re eſſe iniuriam patet communi hominum iudicio qui hoc iniuriam interpretantur. & meritò: nam continet quemdam contemptum & vilipenſionem alterius abſque cauſa, quę non minus eſt contra iuſtitiam quam temerarium de illo iudicium. *A ſpe & charitate* diſtinguitur, quia hæ virtutes immediatè attingunt ipſum Deum, tāquam proprium obiectum: charitas enim amat Deum vt ipſe eſt bonum ſuum: vult enim ipſam diuinitatem; & omne bonum, ipſi Deo, vt ipſi in ſe benè ſit: ſpes illum deſiderat & ſperat, vt eſt bonum noſtrum. Itaque inclinant in actum internum, qui proximè verſetur circa ipſum Deum. Religio verò non verſatur immediatè circa Deum, ſed circa cultum Dei, id eſt, circa ſigna interna vel externa, quibus Deus honoratur, & colitur.

Obiectio 1. Dices Primò, Obiectum formale religionis eſt excellentia diuina: ergo verſatur proximè circa Deum, ac proinde eſt virtus theologica. Antecedēs probatur, quia ſicut Deus propter ſuam bonitatem diligitur *charitate*; ita propter diuinitatis excellentiam colitur *religione*: & ſicut Deo credimus per fidem, propter auctoritatem diuinam, ita ei honorem exhibemus ob excellentiam infinitam. 10

Reſpon. Religionis obiectum. Reſpondeo, Excellentiam diuinam propriè non eſſe obiectum religionis; ſed cultum diuinum, qui eſt actus externus religionis. illud enim eſt obiectum virtutis, in quod ipſa virtus immediatè tendit: atqui religio tendit immediatè non in excellentiam diuinam, ſed in eius cultum: eſt enim affectus quidam erga cultum diuinum, quatenus Deo debitus eſt & congruens. vnde ratio debiti & congruentis Deo in cultu diuino ſpectata, eſt ratio formalis obiectiua religionis cum enim religio ſit iuſtitiæ pars, neceſſario reſpicit debitum alteri. Confirmatur a ſimili; nam ita ſe habet religio ad Deum, ſicut iuſtitia particularis ad proximum: atqui proprium obiectum iuſtitiæ particularis non eſt proximus, ſed res proximo debita; ergo ſimiliter obiectum religionis non eſt Deus aut excellentia diuina, ſed cultus Deo debitus: vt ſacrificia, oblationes, laudes, orationes, vota, imagines, & omnes cerimoniæ, quibus diuinitas honoratur, excellentia tamen diuina eſt obiectum formale cultus diuini: eſt enim ratio cur Deus ſit colendus. Quare cum cultus diuinus ſit actus externus religionis, quem religio tamquam proximum obiectum reſpicit, ſequitur Deum eſſe obiectum remotum religionis, quia eſt, id cui ob ſuam excellentiam religio cultum defert. Vnde Caietanus articul. 5. & paſſim DD. diſtinguunt duplex obiectum religionis propinquum & remotum. Propinquum vocant *obiectum quod*, id eſt, quod ipſa virtus appetit & affectat; & hoc eſt cultus diuinus. Remotum, *obiectum cui*, id eſt, cui aliquid exhibet: hoc eſt ipſe Deus, propter ſuam excellentiam.

Obiectū cultus diuinus eſt excellētia diuina.

Obiectum quod, & obiectum cui.

Obiectum virt. theol. At virtutes theologicæ proximè in Deum tendunt & ipſum immediatè per ſuum actum internum attingunt, vt oſtenſum eſt. Deinde ſi in illis velimus diſtinguere *obiectum quod* & *obiectum cui*. Deus non ſolum eſt *obiectum cui*, vt in religione, ſed etiam *obiectum quod*. Id enim quod charitas Deo vult, eſt potiſſimum ipſa diuinitas, & diuinæ perfectiones: & quod fides credit, eſt Deus ipſe, conſideratus vel in ſeipſo, vel vt eſt principium & finis omnium creaturarum. Sic etiam principale *obiectum quod* ſpei, eſt ipſe Deus. Nec refert *obiectum cui* eſſe ipſum hominem; quia ſpes ad amorem concupiſcentiæ pertinet, qui ſpeciem ab *obiecto quod*, non *cui*, accipit. At totum *obiectum quod* religionis eſt creatum: quidquid enim ipſa vult, eſt opus noſtrum.

Charitas. Nec obſtat, quòd charitas etiam bona extrinſeca & creata Deo optet & velit. Primò. Quia hęc ſolum ſunt obiecta ſecundaria & materia, à quibus virtus ſpeciem non accipit. Simili modo quæ fides extra Deum credit, ſecundaria ſunt.

Deinde quia proxima ratio formalis obiectiua in virtutibus theologicis eſt ipſe Deus: charitas enim vult omne bonum Deo, immediatè ex affectu vt ipſi benè ſit. fides credit omne verum, quod ipſe reuelauit, propter ipſius auctoritatem, at proxima ratio obiectiua cur religio aliquid Deo velit, eſt ratio debiti. ideo enim vult cultum Deo exhibere, quia eſt veluti tributum, quod creatura debet ſuo creatori; ſicut ante exemplo iuſtitiæ particularis oſtenſum eſt. Neque verum eſt (ſi proprie loqui velimus) charitatem, debiti rationem in ſuo obiecto ſpectare: nam charitas non vult Deo bonum præcisè, quia illud ei eſt debitum, nihil aliud ſpectando, quam vt huic debito fiat ſatis: hoc enim potius ad quādam iuſtitiam erga Deum, quam ad charitatem pertinet; vt exemplis humanis facile oſtendi poteſt. ſed ſolū ſpectat ipſum benè eſſe Dei: ideo enim omne bonum illi vult, vt ipſi benè ſit; ſicut amicus vult amico bonum vt ei benè ſit, non ſpectans an hoc ſit illi debitum, an non: quamuis malit vt ſit ei debitum quam indebitū, quatenus hoc in dignitatem & maius bonum amici cedit. Hęc paulo fuſius, quia res non adhuc difficilis, & a pleriſque non ſatis explicata.

Ad probationem antecedentis: Ex eo quòd Deus dicatur coli propter ſuam diuinitatem, non ſequitur immediatè verſari circa Deum virtutem religionis; ſed ipſum cultum, qui eſt obiectum immediatum religionis. Hinc fit vt religio ſolum immediatè circa Deum verſetur, non tamquam *obiectum quod*, ſed *cui* vt dictum eſt: religio enim non inclinat immediatè in Deum, ſed in aliquid Deo exhibendum, quo ipſius maieſtatem ſignificet & teſtetur; ſicut Iuſtitia particularis non inclinat immediatè in proximum, ſed in aliquid proximo reddendum. Cum dico *Deum eſſe obiectum cultus*, non eſt ita intelligendum, quaſi colere & honorare Deum, ſit actu vitali ipſum tamquam obiectum materiale, vel formale attingere, aut circa ipſum per modum actus vitalis verſari; (ſicut Deum amare, Deo credere) ſed eſt aliū attingere ad quo ſigno, tamquam ſignatum; vel ſicut attingitur is, cui aliquid offertur.

Quomodo Deus ſit obiectum cultus.

Obiectio 2. Dices Secundò, Oratio & laus attingunt Deū immediatè, tamquam obiectum, & tamen ſunt actus religionis. 11

Reſpon. 1. Reſpondeo Primò, Non ſunt actus interni immediatè à virtute religionis elicite, ſed externi ab ea imperati. externos voco reſpectu virtutis religionis, quæ eſt in voluntate; ſūt enim obiecta illius, in quę affectus religionis immediatè tendit, & habent ſedem in intellectu. Obiectum autem proprium virtutis, ſpectandum eſt ex actu interno, in quem virtus immediatè inclinat, qui in propoſito eſt amor cultus diuini.

Reſpon. 2. Secūdo Reſp. Illos duos actus nō attingere Deum, ſicut actus vitalis ſuum obiectum, ſed ſicut ſignum attingit ſignatum: ſunt enim actus religionis vt ſigna & teſtimonia diuinæ excellentiæ & noſtræ ſubiectionis. Hinc fit vt a virtutibus imperari poſſint. oratio enim quatenus per eam implicite teſtamur Deum eſſe auctorem omnium bonorum noſtrorum habere omnium ſcientiam, & prouidentiam, (hoc enim orando Deum, ipſo facto inſinuamus) eſt actus religionis. quatenus per eam petimus ſalutem, & ad ſalutem opportuna, eſt actus imperatus ſpei. quatenus petimus amplificari gloriam Dei eſt actus imperatus à charitate. proximè autem ſemper elicitur à ratione, mediante fide. Idem dicendum de voto & iuramēto: quia ſūt locutiones quædam practicæ, in honorem Dei reſultantes, vt inf. c. 40. nu 28. ex mente D. Th. oſtendetur. Actus autem virtutum theologicarum longè aliter Deum attingunt, nempè vt obiectum cognitum & amatum propter ſemetipſum.

Quomodo actus externi relig. imperētur à cæteris virtutibus.

Obiectio 3. Dices Tertiò, Aug. in Enchir. c. 3. dicit *Deum coli fide, ſpe & charitate*. ergo religio eſt virtus generalis, complectens virtutes theologicas. 12

Reſpon-

Reſpon.3. Deus colitur fide, ſpe, & charitate.

Reſpondetur primò cum D.Th.ar.5.ad 1.dictum S.Auguſtini intelligendum cauſaliter,quia virtutes theologicæ cauſant in nobis virtutem religionis, qua Deus colitur, & actus eius imperant.

Secundo.Reſponderi poteſt & melius,religionē & cultum interdum accipi generatim pro omni virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, quodque inſtar ſacrificij Deo eſt acceptum. Sic poteſt intelligi illud Iacobi primo. *Religio munda & immaculata*, &c. & paſſim in Scripturis pro eodem accipiuntur *colere Deum*, & *ſeruire Deo. ſeruitus* autem. (Græci λατρείαν vel δουλείαν vocant) eſt nomen generale ad omnia bona opera, quibus Deo obedimus & placemus,vt ex plurimis locis conſtat; Pſalm 2.21.99.Luc 2. Matth. 6. & alibi. Hoc modo videtur ibi accipi a D. Auguſtino & iuxta hanc rationem lib.10.de ciuit.ca.6 deſcribit ſacrificium, vt *ſit omne opus ſanctum, quod geritur, vt ſanctæ ſocietate Deo inhæreatur*. hoc modo paſſim accipitur in Scripturis.

13 *Actus intrinſecè theol. dupliciter conſiderantur.*

Tertiò, Dei poteſt actus fidei, ſpei, & charitatis dupliciter ſpectari poſſe, Primò, Vt ſunt ſigna,quibus implicitè diuinam excellentiam profitemur:nam hoc ipſo, quo credimus Deo,inſinuamus illam eſſe primam veritatem:dum amamus ſupra omnia, ſignificamus eſſe ſummum bonum, & hac ratione ſpectare poſſe tanquam actus externos ſeu obiecta ad virtutem religionis. Secundò, Vt ſunt actus vitales,quibus immediatè Deo inhæremus, & tanquam obiecto vnimur;& ſic pertinere ad virtutes theologicas. Poſſe tamen ob rationem prædictam à virtute religionis imperari; & quamuis non imperentur, tamen tacitum cultum continere. Nec obſtat,quod ait D. Thomas art.5.ad 1. *Virtutes theol. poſſe ab alijs imperari.* virtutes theologicas, eo quod verſentur circa finem vltimum, Deum, imperare actus religionis, & aliarum virtutum, quæ verſantur circa media: quia etſi hoc virtutibus illis per ſe conueniat,eo quòd per ſe & ex natura ſua circa finem vltimum verſentur;tamen per accidens contrarium fieri poteſt; vt ſi quis velit vti actu virtutis theologicæ ad finem virtutis inferioris. omnis enim actus,qui poteſt eſſe medium ad conſequendam virtutem, aliquam vel propriũ eius finem, poteſt ab ea virtute imperari, ita vt ex affectu eius homo ſe applicet ad illum actum. Sic religio poteſt imperare actus fidei, ſpei, & charitatis; quia hi actus ſunt idonei ad finem religionis, qui eſt honorare Deum. Eoſdem imperare poteſt affectus temperantiæ, quatenus ad obtinendum à Deo huius virtutis donum ſunt idonei: eadem eſt ratio in ceteris: nam perfectio & finis intrinſecus inferioris virtutis poteſt intendi vt finis acquirendus per actus ſuperiorum virtutum. quotieſcumque hi actus per modum meriti vel diſpoſitionis aliquo modo ad illum valent.

Obiectio. Dices, Actus virtutum theologicarum ne vt ſigna quidem videntur ad religionis virtutem pertinere: quia etſi illis Deum eximiè honoremus, tamen non honoramus vt Superiorem, proteſtando noſtram ſubiectionem; quod tamen virtus religionis poſtulat; vnde pater etſi honoret filium, non tamen illum colit, quia ſuperiorem in nulla re agnoſcit.

Reſpon. Quomodo iſte actus ſint nota ſubiectionis. Reſponden; Illos actus vt a nobis fiunt, poſſe accipi vt ſigna ſubiectionis noſtræ; quia credimus Deo tamquam Superiori & magiſtro, cui ſubijcimus omne iudicium noſtrum: & amamus illum charitate, referendo & offerendo nos ipſos & omnia noſtra ad ipſius obſequium & gloriam; & ſperamus virtute ac omnipotentia ipſius ſummum bonum noſtrum, id eſt, ipſum nimet. vnde patet in his actibus contineri profeſſionem excellentiæ ipſius, & noſtræ ſubiectionis ac dependentiæ ab ipſo.

14 Ex his patet religionem, etſi virtus theologica non ſit, eſſe tamen virtutibus theologicis valdè affinem, & poſt eas primum locum obtinere;nam poſt fidem,ſpem,& charitatem nihil laudabilius quàm Deo debitum cultum offerre. Confirmatur,eo enim virtus quæque eſt præſtantior, quo vicinius attingit Deum: atqui poſt virtutes theologicas religio vicinius illum attingit; nempè tamquam obiectum,cui cultum defert: ergo,&c.

De pia affectione,obedientia. & pœnitentia. Dices, Pia affectio ad credendum primæ veritati, obedientia & pœnitentia eodem modo Deum attingunt, nimirum vt *obiectum cui*.ergo religio non eſt his præſtantior. Nam illius affectionis opus eſt credere Deo, obedientiæ obedire Deo,pœnitentiæ ſatisfacere Deo.

Reſpondeo dupliciter. Primò, Cum religio præferatur ceteris virtutibus, quæ non ſunt theologicæ, eo quod vicinius Deum attingat, accipitur paulo latius, vt omnem virtutem, qua Deo debitum reddimus, complectatur. & hoc modo prædictæ virtutes ſub religione continentur. Idque merito, quia opus illarum intrinſecè honorem Dei continet. Credere enim Deo pertinet ad honorem primæ veritatis; obedire Deo ad honorem diuinæ ſuperioritatis & auctoritatis gubernandi:ſatisfacere Deo,pertinet ad honorem Dei inſtaurandi,qui peccato erat læſus:ſicut petitio veniæ pertinet ad honorem eius, qui ab altero iniuriam accepit.

Quo modo Religio ſit virtute diuerſa ab iſtis. Reſpondeo Secundò,Religionem,etiamſi ſtrictè omnino & propriè ſumatur vt ab illis virtutibus diſtinguitur, eſſe præſtantiorem & vicinius attingere Deum quàm vel obedientia vel pœnitentia. De *pia affectione* eſt alia ratio, quia eſt veluti pars virtutis theologicæ,nempè fidei,& ita ſub fide comprehenditur; ac proinde non pertinet ad hanc comparationem. De illis ergo duabus prioribus patet; quia Religio conſiderat opus ſuum vt eſt ſignum diuinæ excellentiæ, illudque non ſolum Deo exhibet, ſed ita exhibet, vt velit illud circa Deum verſari, & eius excellentiam ſignare. At obedientia etſi verſetur aliquo modo circa Deum vt *obiectum cui* obedit: tamen non conſiderat opus ſuum, vt eſt ſignum & proteſtatio quædam diuinæ excellentiæ, neque illud defert Deo vt munus quo ipſe honoretur & ornetur; ſed ſolum conſiderat illud vt debitum, & neceſſarium propter auctoritatem diuinam præcipientem, ne videlicet ſi omittat, Dei auctoritatem videatur contemnere: vel præſcindendo ab illa neceſſitate & obligatione, conſiderat opus vt habent ſpecialem honeſtatem à diuina auctoritate illud volente & imperante. Sicut enim Deus, vt eſt prima veritas, aliquid reuelando facit illud dignum creditu, & credendum ſecundum rectam rationem; ita vt eſt omnium ſuperior aliquid præcipiendo, facit: illud dignum factu, & omnino ſecundum rectam rationem faciendum,eſtque hæc dignitas propria honeſtas obiectiua, quam reſpicit obedientia. *Pœnitentia* dupliciter conſiderari poteſt. Primò; quatenus dolet de peccato, vt eſt offenſio Dei, eiuſque malum, illudque conatur tollere tanquam ei diſplicens, & vt Deo reconcilietur. quo modo non diſtinguitur a charitate;ſed eſt ipſa virtus charitatis inadæquate concepta, nimirum vt verſatur circa ablationem peccati,& reconciliationem cum Deo propter ipſum bonum Dei. Eiuſdem enim virtutis eſt gaudere de bono alterius, illudque procurare, & dolere de eius malo, illudque depellere. Secundò, quatenus dolet de peccato præcisè, vt eſt iniuria Dei, & imperat opera ſatisfactoria ad hanc iniuriam ſarciendam. hoc modo diſtinguitur a charitate, & pertinet ad quamdam iuſtitiam hominis erga Deum. Sed non conſiderat neque imperat opera ſatisfactoria, vt ſunt formaliter ſigna diuinæ excellentiæ, quibus Deum veluti ornet & honoret; ſed vt ſunt vindicta peccati, qua Deo pro iniuria illata ſatisfiat,& ius eius violatum quodammodo inſtaurent: ſicut cum quis homini pro iniuria illata ſatisfacit dolendo, & ſe accuſando,affligendo,veniam petendo, non intendit per hoc formaliter illum honorare, ſed pro iniuria ſatisfacere.

Pœnitentia.

15 Dico Quartò, Religio non diſtinguitur à virtute *pietatis, obſeruantiæ, & gratitudinis* in Deum. Colligitur ex Diuo Thoma quæſtio.106. articul.1.ad 1. vbi dicit, *ſicut religio eſt quædam ſuperexcellens pietas; ita eſt quædam ſuperexcellens gratitudo*. & ex Caietano quæſtio.107.articul.3. Probatur, quia *pietas* propriè eſt quæ debitum cultum reddit parentibus: *obſeruantia* perſonis indignitate conſtitutis; *gratitudo* benefactoribus. ratio autem parentis, & perſonæ eminentis, & benefactoris continetur in Deo excellentiſſimè: ergo etiam debitum erga illum vt parentem,perſonam ſublimem, & benefactorem eſt ſummum: atqui hoc debitum non diſtinguitur à debito erga primum principium: ergo virtus, quæ reſpicit hoc debitum, non diſtinguitur a virtute religionis, quæ reſpicit cultum, primo noſtri & rerum omnium principio debitum. Vnde rectè Caietanus infra quæſtione 107.articul.3. notat, has virtutes, pietatem, obſeruantiam,& gratitudinem dupliciter exiſtere. Primò, Formaliter in ſuis proprijs ſpeciebus. Secundò,Eminenter,in ſuperiore virtute,

Virtus religionis colit Deum vt parentem, vt Principem, & vt benefactorem.

quæ eſt religio-ratio eſt,quia ob eãdẽ earum (quibus deferunt ſuas functiones) continentur eminenter in obiecto, cui defert religio;& debita earum,ob quæ deferunt,in debito religionis.

Dupliciter exiſtunt ſub virtutes.

Aduerte tamen eſſe valdè probabile, *Gratitudinem* per ſe eſſe virtutem diſtinctam à religione;quia formaliter reſpicit debitum ortum ex beneficio;religio autem hoc non reſpicit vt obiectum formale,ſed vt motiuum ſeu impulſiuum ad actum. vide tom.1.c.47.dub.1.

Fidelitas.

Idem dixerim de *fidelitate* erga Deum. hæc enim reſpicit debitum ortum ex promiſſione, illudque ſoluit non ex affectu Deum honorandi propriè,ſed ex affectu ſatisfaciẽdi debito ex promiſſione contracto; qui duo affectus videntur omnino diſtincti; quamuis actus alterius ab altero vicißim imperari poſſint. Nam ex affectu Deum honorandi poſſum velle ſoluere promiſſa,& gratias agere;& ex affectu ſoluendi promiſſum & referendi gratias pro beneficijs acceptis poſſum velle honorare. Recte tamen hæ virtutes referuntur ad *Religionem*. Primò, quia verſantur in materia religionis; nam quidquid promittimus Deo, vel pro beneficijs referimus, ad religionem pertinet, cum nihil præter honorem ei donare poſſimus. Virtutes autem ſecundum modum loquendi Patrum, cenſentur diſtingui vel non diſtingui ratione materiæ potius, quàm ratione interni affectus præcisè & formaliter conſiderati. Vnde iuramentum eſt actus religionis, etiamſi non fiat affectu religionis; ſimiliter oratio,ſolutio decimarum, &c. Et ieiunium eſt opus temperantiæ,etiamſi non fiat affectu temperantiæ,ſed auſteritatis vel pœnitentiæ. Secundò,quia debitum gratitudinis & fidelitatis erga Deum creſcit ratione excellentiæ ipſius. Vnde in praxi dum nos gratos & fideles ipſi præſtare volumus,maximè ſpectamus diuinam excellentiam cui obligati ſumus, ne ſi neglexerimus, illam inhonoraſſe videamur. Denique hoc ipſo quo quis rectè diſpoſitus eſt ad debitum honorem Deo exhibendum,etiam benè diſpoſitus eſt ad ſoluenda ei promiſſa, & gratiarum actionem; & neglectus horum cenſetur quædam Dei inhonoratio. Itaque videtur ratio religionis in illis quodammodo includi.

Quomodo pertineant ad religionem.

DVBITATIO III.

Vtrùm Religio diſtinguatur ab ea virtute, qua coluntur Sancti.

16 *Eadem virtutis habitus coli Deum et Sanctos.*

QVIDAM putant non diſtingui. Ita Marſilius in 3 q.8. art.1.in fine. Probat tribus rationibus,ſed nullius momenti,nam vel falſum aſſumunt, vel aperta æquiuocatione laborant. Vnde aliter probatur,Primo, Quia eadem virtute charitatis amatur Deus & proximus: ergo etiam eadem virtute colitur, honoraturque Deus & Sancti. Conſequentia patet, quia ſicut ſe habet bonitas ſupernaturalis,quæ eſt in proximo, ad bonitatem quæ eſt in Deo;ita excellentia, quæ eſt in Sanctis,ſe habet ad excellentiam Dei; nempe tamquam partiale obiectum illius ſupernaturalis. Antecedens probatur. quia Deus diligit hominem vt amicum ex charitate, & tamen diligit illum propter ſuam bonitatem & gloriam: ergo ex eadem virtute. Confirmatur, quia alioquin eſſent quatuor virtutes theologicæ. Nam amor proximi quo cupio illi ipſum bonum diuinum verſatur immediatè circa Deum non minus quàm virtus ſpei, qua cupio Deum mihi. itaque non minus erit virtus theologica quà ipſe: ac proinde ſi diſtinguitur à charitate qua diligitur Deus,erunt quatuor theologæ virtutes contra communem ſententiam Doctorum. Secundò, Cultus Sanctorum eſt religioſus, non ciuilis. ergo pertinet ad virtutem religionis: Tertiò, Hoc ipſo,quo quis benè diſpoſitus eſt ad cultum diuinum, etiam bene eſt diſpoſitus ad cultum Sanctorum,qui ſunt dij per participationem. Hæc ſententia non eſt improbabilis.

Sed contraria eſt verior,quam tenet D.Tho.q.81.art.4. ad 3.& ſup.q.25.ar.1.ad 2.& inf.q.103.ar.3.ad 2.& paſſim DD.in 3.d.9. Pro qua

17 *Sancti tripliciter coli poſſunt.*

Notandum, dupliciter poſſe Sanctos coli. Primò, Propter excellentiam intrinſecam & participatam. Secundò, Propter excellentiam extrinſecam ipſius Dei, ad quam ipſi aliquem reſpectum habent. quod poteſt rurſus fieri dupliciter; vel enim eo modo coluntur vt ipſi ſint integer terminus cultus;vel eo modo vt Deus ſit terminus & obiectum principale illius cultus,illi verò ſecundarium.

Dico Primo, Si Sancti colantur propter excellentiã increatam Dei, ad quam ipſi aliquem reſpectum habent; ſic eadem virtute coluntur, qua colitur Deus. Probatur Primo,de eo cultu, qui non ſiſtit in Sanctis, ſed tranſit immediatè in Deum;quia dum hoc modo coluntur,non tam ipſi coluntur quam Deus in ipſis, tamquam in ſuis templis, tabernaculis, imaginibus. tunc enim Sancti conſiderantur non vt ipſi ſunt cultus capaces, ſed ſicut res inanimæ ſpectari ſolent, per quas Deus nobis repræſentatur. vnde etſi externum ſignum cultus ad ipſos dirigatur, tamen ibi non ſiſtit;nam interior ſubmiſſio fit Deo, quem in ipſis ſpectamus; ac proinde exterior etiam cultus, vt ſubeſt interno, ad Deum tranſit. hic enim cultus omnino ſimilis eſt cultui crucis & imaginis Chriſti, quæ non colũtur, niſi per accidens & cultu materiali,quatenus externum ſignum cultus ipſis fit.ſed per illa colitur Deus,ſicut dum res amici v. g. equus benè tractatur propter amicum, hic actus non eſt formaliter beneuolentia aut beneficium in equum, ſed in amicum, quamuis materialiter equo fiat; & ſic etiam reſpectu illius,beneuolentiæ actus & beneficentia, & beneficium dici poſſit. Idem cõfirmari poteſt à ſimili in charitate; nam eadem eſt virtus qua diligitur Deus propter ſe, & qua diligitur proximus & omnes creaturæ propter Deũ; vt dum proximo & omni creaturæ benè volumus, cuique pro ſua conditione & capacitate,propter Dei gloriã: ergo etiam eadẽ eſt virtus, qua Deus colitur in ſeipſo propter ſuam excellentiam increatam, & qua Sancti coluntur, vt aliquid Dei,eius excellentiam nobis exhibentes:hoc enim nihil eſt aliud,quàm colere Deum in Sanctis, tamquam in ſuis templis & imaginibus. Sicut enim cum volo proximo bonum propter Deum, illa dilectio non eſt formaliter dilectio & beneuolentia in proximum, (eò quod ipſius bonum non diligatur vt eſt ipſius) ſed in Deum: ita hic honor, quo honorantur Sancti vt Deum nobis repræſentant, formaliter eſt honor Dei,& latria.

18 *Si colantur ob excellentiam extrinſecam vt terminus ſecundarius cultus.*

Colantur per accidens & materialiter.

Secundò,probatur de cultu, qui ipſis Sanctis tamquam integris terminis propter excellentiam diuinam tribuitur: quia tota ratio huius cultus eſt excellentia increata Dei, ad quam ipſi certum reſpectum & coniunctionem habẽt: ergo procedit à virtute religionis, quæ excellentiam diuinam tamquam rationem ſui cultus ſpectat. omnis enim virtus reſpiciens aliquam rationem formalem obiectiuã, ſeu motiuum principale, extendit ſe ad omne id, cui illa ratio formalis aliquo modo communicatur, vel coniungitur, vt patet inductione.

Si colantur vt termini primarius propter excellentiam diuinã

Dices,Sancti non coluntur proximè propter excellentiã increatam Dei,ſed propter dignitatem quamdam intrinſecam,quam accipiunt ex ordine ad Deum,vt filij, vt amici, vt hæredes,vt templa,vt imagines Dei: ergo ratio formalis obiectiua huius cultus non eſt excellentia diuina,ac proinde non procedet a virtute religionis.

19 *Obiectio. Quomodo colãtur ob excellentiam extrinſecam.*

Reſponden Negando conſequentiam,quia etſi ob illam moralem dignitatem colantur, tamen verè coluntur propter excellentiam Dei: eò quòd ille reſpectus,quẽ habent ad Deum, includat in ſua ratione formali excellentiam diuinam, ſaltem in obliquo, ita vt ſine ea concipi nequeat: ſicut ratio boni vtilis includit bonitatem finis. Vnde ſicut eadẽ virtus, & idem affectus habitualis inclinat in finem, & immediatè propter finem, eo quòd bonitas medij conſiſtat in ordine ad finem; ita eadẽ virtus, quæ nos incitat ad cultum Dei,incitat etiam ad cultum Sanctorum,quia illorum excellentia conſiſtit in coniunctione & reſpectu quodam ad Deum. vnde verè coluntur propter excellentiam diuinam,extrinſecus illis applicatam: ſicut medium amatur propter bonitatem finis ipſi extrinſecam; quamuis ille reſpectus,per quem fit iſta applicatio, ſit intrinſecus. Hoc modo plerũque à nobis coluntur Sancti;quia melius hanc excellentiam quàm eorum perfectiones phyſicas & intrinſecas apprehendimus. neque ſolum Sancti cum Chriſto regnantes, ſed etiam interdum homines mortales. ſic enim colitur Pontifex dum conſideratur vt Vicarius Chriſti; & ſacerdotes vt miniſtri Chriſti;homines ſancti vt amici Dei, tabernacula Spiritus ſancti.

Reſp. Dignitas moralis ſanctorũ habet ordinem intrinſecũ ad excellentiam diuinam.

Imagines autem Chriſti & aliæ res inanimæ hoc modo coli nequeunt;quia non ſunt capaces honoris formalis, ſicut

Imagines nõ ſic poſſunt coli.

cut nec contumeliæ aut iniuriæ, cum non possint hæc apprehendere, nec sint capaces vllius excellentiæ supra naturam rationalem. vnde non potest quis se illis tamquam Superioribus subijcere, vt erudite ostendit Gabriel Vasquez, tract. de adoratione. Itaq; solum possunt coli per accidens, & actu materiali & extremo honoris, qui vt ad illas terminatur nõ est honor formaliter, sed solũ materialis actus honoris: est aũt formaliter honor vt terminatur ad exemplar.

Quando honor imaginis manet ad prototypum.

Hoc modo intellige quod dictum est in Nicena secũda, *Honor imaginis tralatus sit ad prototypum*: nimirum quia signum submissionis quod fit imagini nõ est propriè & formaliter honor imaginis, sed prototypi. Sic beneficẽtia quæ fit cani vel equo intuitu domini, cuius sunt res & possessio, transit in dominum; quia non est propriè beneficentia in res illas ratione carentes (etsi opus externum materialiter ad illas dirigatur) sed in dominum. huic enim intendis gratificari & beneficium conferre. Quod vt melius intelligatur, No-

Dupliciter defertur alicui obsequiũ.

tandum est duobus modis posse alicui obsequium benevolentiæ vel beneficium conferri. Primò, si opus externũ immediatè impendatur ipsi personæ, v.g. illã excipiendo convivio, vel afficiendo aliquo obsequio, vel donando aliquo munere. Secundò, si opus externum immediatè impendatur rei alteri ad illam personam pertinenti; tamen illius intuitu, nimirum vt illi benefacias. Simili modo dupliciter potest præstari alicui officium iustitiæ: vt si ex contractu teneatis alere personam, vel eius equum, vtrouis tamẽ modo fiat siue immediatè ipsi personæ, siue eius rei, solum erit formaliter actus iustitiæ, vel benevolentiæ erga personam, & materialiter tantum respectu rei cui immediatè propter personam impenditur. Simili modo dupliciter quis potest

Dupliciter eius honoratur.

honorari. Primò, immediatè ■ sua persona, vt cum actus externus, qui est signum submissionis internæ & æstimationis animi de excellẽtia alterius, immediate fit circa personam. Secundo, mediate in imagine & per imaginem, cũ actus externus proximè agitur circa imaginem; qui tamen honor etsi materialiter non tendat immediatè in personã, tamen vt formaliter habet rationem honoris, immediatè illam attingit: sicut & interna submissio, & æstimatio excellentiæ, & affectus illam testandi versantur immediatè circa personam. Sic erigere alicui statuam, non est formaliter honorare statuam, sed personam, cui erigitur; etsi externi actus, v.g. collocatio in columna, impositio coronæ, & similia circa statuam fiant. Idem dicendum si statuæ aperias caput, flectas genua, apponas flores, &c. His enim omnibus dicuntur quidem coli & honorari imagines propter actum materialem qui immediatè circa illas fit; tamẽ formaliter non habent illi actus rationem honoris nisi respectu prototypi, cui se animus honorantis intendit subijcere & cuius excellentiam intendit his signis testari. Ex

Eodem cultu coluntur.

quibus patet eodẽ numero cultu quo coluntur imagines coli prototypum: quia id quod est cultus materialis respectu imaginis, est cultus formalis respectu prototypi. Nec

Quo sensu cultus imaginum dicatur minor.

obstat quod imagines dicantur coli cultu minore quã prototypum: quia ibi intelligendum est non de specie cultus formalis, sed de signo externo. Lõge enim maiora sunt submissionis signa, quæ fiunt immediatè circa ipsum prototypum, quam quæ circa imaginem eius fiunt. longè alia sunt officia quæ impendantur personæ regiæ immediatè, quam quæ eius impẽduntur equis, canibus mancipijs, intuitu ipsius. Hinc tamen non sequitur, quin illa in ratione beneficentiæ sint eiusdem speciei. Simili modo cultus quo Christus colitur immediate in Eucharistia, & quo colitur mediãte crucedum illa honoratur, est eiusdem rationis, nimirum cultus latriæ; etsi respectu crucis non dicatur propriè *Latria*, quia hoc nomine, sicut & *dulia*, significat seruitutẽ & internam submissionem, quæ non habetur respectu crucis sed crucifixi. Sed de his plura in 3 parte.

20 *Distinguitur hic cultus a priore.*

Notãdum, tamen est Primò, Hunc cultum multũ distinguia priore, etsi ab eadem virtute procedat, & ob eamdẽ rationẽ formalem tribuatur; quia hic cultus non est latria sicut prior; sed lõgè inferior, qui dicitur dulia a DD. vocatur; nõ enim sumittimus nos Sanctis tamquam dijs, sed tamquam Dei amicis & domesticis, magna apud Deum gratia & auctoritate pollentibus. Simili modo intentio & electio, etsi ab eadem virtute procedãt, multum tamen distinguũtur. deinde quia hoc cultu non colitur directè & immediatè ipse Deus, sed sancti, altero verò colitur immediatè Deus, quamuis actus externus in Deum per Sanctos tendat.

Notandum Secundò, Etsi hic cultus physicè terminetur ad ipsos Sanctos, tamquam ad integrum obiectum, quod colitur: tamen interpretatiuè & secundum aliquid magis moralem redundat in ipsum Deum; ita vt Deus magis colatur honorari, quam Sancti. Ratio est, quia tota ratio honorandi est Deus & excellentia diuina; atqui *propter quod unumquodque, illud magis.* sicut cum quis medicina appetit propter sanitatem, magis ipsam sanitatem appetere censetur. Cõfirmatur ex Patribus. Athanasius li. de virginit. ub finem, *Si homo iustus ades tuas ingredietur, cum timore & tremore occurres ei, & adorabis humi ad pedes illius, siquidem illum non adorabis*; (intellige principaliter) *sed Deum qui illum misit.* quãuis hoc possit intelligi de priore illo modo adorationis, quo adorantur materialiter vt res aliqua Deũ nobis repræsentans. Leontius in dialogo, qui recitatus est in Synodo 7. act. 4. *Sanctos veneramur vt Dei amicos, & honor, qui Sanctis impenditur, in Deum recurrit, qui martyrem colit, Deum ipsum colit*; *qui matrem illius adorat, ipsi honorem assignat.* Idem docet Damascenus libro 4. de fide cap. 16. & 17. vnde in hoc cultu virtualis quædam & implicita latria continetur: sicut in eo cultu, quo quis colit sacerdotẽ Iouis propter Iouem, continetur tacita idololatria. Simili modo in electione continetur virtute & moraliter intẽtio: quia ex vi illius affectus procedit, & assidue pendet, & speciem accipit.

In hoc cultu colitur tamen magis cultus Dei.

Dico Secundò, Si Sancti colantur propter intrinsecas & absolutas perfectiones, vt propter visionem Dei, charitatem, sanctitatem, statumque beatum; hic non coluntur virtute religionis, sed distincta, quæ a DD. *dulia* vocatur. est D. Thomæ supra, & ferè communis Doctorum. 22 *Si colantur ob perfectionem intrinsecam.*

Probatur; quia religio spectat excellentiam increatam & propter eam cultum defert. vt docet D. Thomas locis citatis: ergo cultus ille, qui ob excellentiã creatam defertur, non est religionis, sed alterius virtutis. consequentia patet, quia vbi est diuersum genus excellentiæ per se honorabile, ibi est diuersum genus cultus, & consequenter diuersæ virtutes inclinantes ad illos cultus; atqui excellentia illa Sanctorum toto genere distinguitur ab excellentia diuina, estque per se honorabilis: ergo constituit obiectum diuersæ virtutis sicut bona diuersi generis per se expetenda. constituunt obiecta diuersorum affectuum habitualium. Hæc autem virtus vocatur a Doctoribus *dulia*, quod nomen etsi generatim *seruitutem* significet, sicut & *latria*; tamen vsu scriptorum ecclesiasticorum, & Doctorum accommodatum est ad significandum omnem cultum Sanctorum, qui ipsis propriè impẽditur, siue procedat à virtute religionis, siue ab alia. Item ad peculiarem virtutem, qua Sancti propter intrinsecas perfectiones coluntur. *Latria* ad significandum cultum diuinum & virtutem religionis, vt docet D. Augustinus lib. 10. de ciui. c. 1. & Isidorus lib. 8. etymolog. cap. vltimo. *Dulia.*

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Respondeo, Proximum posse amari dupliciter. Primò. Volendo illi bonum supernaturale, vt ipsi benè fit, ibique sistendo. & hic amor non est actus charitatis, quæ est virtus theologica, qua Deus amatur propter se; sed benevolentiæ seu amicitiæ supernaturalis proximi: neque video qua ratione id negari possit: cum tota ratio amoris huius sit nõ bonum aliquod Dei, sed bonum proximi. hic amor respondet illi honori, qui exhibetur Sanctis ob intrinsecam & physicam excellentiam, absque vllo respectu ad excellentiam increatam Dei. *Ad argumenta initio allata.* 23 *Amor proximi duplex.*

Secundò, Potest amari proximus volendo illi bonum quoduis, siue naturale siue supernaturale, non sistendo in eo vt ipsi benè sit, sed vt Deo bene sit; nempe volendo hoc eorum, quatenus est bonum quoddam Dei. sicut dum amamus mancipium, eiq; bene volumus, quatenus bonum mãcipij est bonũ domini. & hic amor est actus charitatis quia formaliter est benevolentia erga Deum; & bonum diuinum est tota ratio amandi: bonum autem proximi solum se habet per modum obiecti materialis concupiti propter bonum Dei. est enim obiectum illius amoris vt habet rationem concupiscentiæ, non autem vt rationem amicitiæ & benevolentiæ. Sic intellige D. Thomã qu. 81. art. 4. ad tertium, cum ait; *charitatem, qua diligitur Deus, non esse virtutẽ distinctam a charitate, qua diligitur proximus.* Huic amori respondet ille honor, quo Sancti & alia honorantur, quatenus excellentiam diuinam nobis veluti imagines repræsen-

sentã. sicut enim charitate diligimus quidquid vllo modo cedit in bonum Dei; ita religione possumus venerari quid quid nobis excellentiam diuinam obijcit.

Ad probationem antecedentis. Ille affectus quo Deus diligit hominem vt amicum, vt ipsi benè sit, est distinctus nostro modo intelligendi ab illo actu quo diligit illũ propter suam bonitatem, totum ipsius bonum ad suam gloriã referens, & ad diuersam virtutem pertinet. Non enim solum est in Deo charitas & dilectio suę bonitatis qualiam & omnia propter illam diligat, sed sunt etiam aliæ virtutes, vt iustitia, misericordia, mansuetudo, amor amicitiæ erga creaturam rationalem, &c. quatenus ipsius affectus in obiecta istarum virtutum propter ipsorum proprium honestatem, & pulchritudinem fertur. Vnde amor, quo diligit hominem iustum vt amicum, distinguitur ratione ab amore quo diligit illum ad suam gloriam. Ad confirmat. Spes siue amor, quo quis Deum sibi cupit, est virtus theologica, quia, vult affectum immediatè non ipsi amanti, sed Deo amato & deliberato. Ratio est, quia est amor cõcupiscentiæ, qui immediatè tẽdit in bonum amatum, affectum amantis illis coniũgens. Neque oritur ex affectu actuali erga seipsum, sed proximè ex ipsius potentiæ inclinatione tẽdit in obiectum. Vnde non accipit speciem ab ipso amante cui bonum illud appetitur, sed ab amato quod appetitur. Amor autem quo proximo volo bonum vt ipsi benè sit, non coniungit affectum meum cum illo bono fruendo in illo, sed cum proximo, est enim amor benuolentiæ; immo volitio illius boni oritur ex affectu erga proximum, eumq; supponit quasi per modum intentionis. Ideo enim volo illi tãtum bonum, quia cupio, vt illi sit quam optimè. hoc autem non volo ob aliam causam, sed propter se, quia id apprehendo vt per se bonum & expetendum propter affectum erga ipsam pertinam. Itaque in amore benuolentiæ non sistitur in bono quòd volumus, sed in eo cui volumus, & ab eo actus in ratione benuolentiæ speciem accipit. hinc patet non esse virtutem theologicam sed amicitiam humanam supernaturalem.

Cur amor quo volo proximo esse suum diuinitatis non sit virtus theologica.

24 *Cultus Sanctorum cur religiosus dicatur.*

Ad Secundum; Cultus Sãctorum potest dici religiosus ob tres causas. Primò, Quia nõ est ciuilis & politicus, qualis defertur Principibus, Magistratibus, & viris magnis in Republica; sed est supernaturalis, ortum habens ex vera fide in Deum, quæ religio vocari solet. Secundo, Virtus, qua colantur Sancti, vel est ipsa religio; vt quando immediatè propter Deum honorantur; vel a virtute religionis oritur; vt quando coluntur, propter perfectiones absolutas intrinsecas. sicut enim excellentia Sanctorum oritur ab excellentia diuina, estque participatio quædam illius; ita etiam virtus illa, qua colunrur Sancti, oritur ex virtute religionis, eamque semper comitatur. Tertiò, Cultus Sanctorum semper in honorem Dei implicitè relultat. valdè enim Deo honorificum est, quod ministri ipsius, in quibus solũ est radius quidam ipsius excellentiæ, tantopere honorentur. quas ob causas Ecclesia cultum Sanctorum ita cultui diuino commiscuit, vt ipsem rebus, quibus colere consuenit Deum, etiam honoret Sanctos. Sic templa, altaria, dies festi, ieiunia, vigiliæ, peregrinationes; instituuntur principaliter quidem ad cultum Dei, sed secundario ad honorem Sanctorum.

Ad Tertium. Religio non disponit hominem proximè ad cultum Sanctorum, qui ob intrinsecam illorum excellentiam impenditur, sed remote solum, & ob affinitatem & subordinationem obiectorum. sicut virtus superior adactus inferioris sibi subordinatæ; quo modo charitas Dei ad amicitiam cum proximo.

DVBITATIO IV.

Vtrùm ratione diuersarum perfectionum in Deo existentium, vel ratione diuersorum beneficiorum ex ipso procedentium, debeantur ei cultus diuersæ speciei.

25 *Diuersa beneficia.*

RESPONDEO & dico Primò, Ratione diuersorũ beneficiorum nõ debentur cultus diuersi: v.g. vt alius debeatur cultus ratione beneficij creationis, alius ratione redẽptionis, alius ratione beneficiorum tẽporalium, alius ratione spiritualium. est communis sententia Doctorum. Ratio est, quia ratio formalis, ob quam Deus est colendus cultu latriæ, non est beneficiũ: sed est excellentia ipsius increata & immensa. beneficia autem solũ sunt id per quod illa excellentia nobis applicatur, vt apprehendatur tãquam ad nos pertinens, & a nobis adoranda: nam sine beneficijs & dependentia ab ipso non essemus obligati ad eã adorandam sicut neque ad amandam supra omnia; vt dictum est tract. de charitate. Vnde si per impossibile esset aliquod numen, à quo nobis nihil boni prouenisset, vt volebat Simon magus, non essemus obligati illud honorare cultu latriæ. Indicat hoc D. Petrus apud Clementẽ lib. 2. recogni. pag. 51. & 52. vbi dicit, *Ille verò qui nihil vobiscum habet negotij si vendicare velit in nos*, (scilicet quòd illum non adoramus, *quo modo bonus erit?* &c. Idem colligitur ex D. Thom. q. 81. art. 3. vbi dicit, Religionem exhibere reuerentiam Deo vt primo principio creationis & gubernationis rerum: ergo si aliquis abeo non penderet, non deberet ei hanc reuerentiam. Ratio est; quia omne debitum saltem strictum & legale, quo alteri obstringimur, prouenit ex dependentia quadam ab ipso, siue secundum esse, vt à Deo & parentibus; siue secundum gubernationẽ, vt à superioribus; siue secundum alia quædam beneficia, vt à benefactoribus; vel certè ratione alicuius connexionis, vt erga liberos & consanguineos; vel ratione liberæ obligationis, vt in contractibus. vbi nihil horum interuenit, nullum potest esse strictum debitum. nihil enim possum debere illi, à quo nihil accepi, qui cum nihil habeo communionis aut commercij. Confirmatur, quia *latria* significamus nostram subiectionem & & dependentiam à primo principio: ergo si illud numen non est principium nostrum, non debemus ei latriam: sicut neque tributum debetur Principi alieno.

Dependẽtia & beneficia vnde & obligatio ex eis.

Nec obstat, quòd Sancti sæpè in Deo colendo nõ spectẽt beneficia accepta, sed solam Dei maiestatem; quia etsi ad illum honorem exhibendum non moueatur beneficiorum consideratione, tamen stricte ad hoc officium nõ obligarẽtur, nisi ab eo dependerent: imo neq; latriæ cultum ei exhiberent, sed alterius rationis, vt ex D. Thoma 1. art. 3. & alijs locis colligitur. Adde, in ratione diuinæ maiestatis quodam modo comprehẽdi essentialem dependentiam nostri esse, sicut in ratione primi principij & entis per essentiam; ac proinde etsi sola maiestas in cultu spectetur, non tamen excluditur, sed potius includitur hæc dependentia, tãquam causa sine qua talis cultus non exhiberetur.

26 *Diuersa attributa.*

Dico Secũdò, Ratione etiam diuersarum perfectionum seu attributorum non debentur adorationes diuersæ. Ita Halensis 3. p. q. 30. nu. 1. art. 3. Gabriel in can lect. 49. Colligitur ex D. Thoma q. 81. art. 3. ad primum. & quæst. 84. art. 1. ad 2. Probatur, ratio formalis cur Deus sit adorandus cultu latriæ, est, esse principium primum rerum omnium: atqui primum principium directè includit omnes perfectiones omnium attributorum: nam id quod est fons totius essendi & omnis perfectionis, debet in se omnem rationem essendi continere: ergo pro diuersitate perfectionũ non debetur diuersa *latriæ* adoratio: cum ratio cur sit colendus latria, sit vnica & simplex.

27 *Obiectio.*

Dices, Glossa in illud Psalmi 7. *Domine Deus meus, in te speraui.* ait, *Domine omnium per potentiam, cui debetur doulia, Deus omnium per creationem, cui debetur latria*; quod desumptum ex August. qu. 94. in Exodum: *Doulia*, inquit, *debetur Deo tanquam Domino, latria verò non nisi Deo tanquam Deo:* ergo diuersus cultus debetur ratione diuersorum attributorum. Confirmatur, quia per sacrificium testamur illum habere vitæ & mortis potestatem; adoratione, esse Dominum omnium: oratione, esse liberalem & omnipotentem; iuramento assertorio, esse veracem, promissorio, fidelem; laude, omnia attributa celebramus.

Respon. Diuersitas in modis colendis est materialis.

Respond. Non æque expressè omnia attributa singulis colendi modis honorantur, sed quædã alijs significantius. Hinc fit, vt sit quædam materialis differentia inter hosce modos colendi. vnde quidam nulli nisi Deo conueniunt, vt sacrificia, templa, altaria. quidam etiam alijs accommodari possunt, vt adorationes, orationes, &c. omnes tamẽ hi modi, quatenus sunt cultus latriæ, exhibentur Deo, vt omnibus perfectionibus plenissimus est, omnesq; illas testantur & insinuant. nam exhibentur illi quatenus est primum principium nostri & rerum omnium. Hinc patet responsio ad argumentum.

Vbi tamen aduerte, *doulian* non accipi stricte, quatenus

nus est actus obseruantiæ, debitus Sanctis: sed generatim pro cultu debito alicui, tamquam domino, qualecumque sit illud dominium. vnde sicut dominium conuenit Deo & creaturis analogicè, ita doulia. latria autem accipitur pro cultu, qui conuenit Deo, quatenus Deus est, seu quatenus est primum principium nostrum: vnde non potest communicari creaturis. Vide Gabrielem Vasquez de adorat lib. 1. dub. 2.

Quænam autem cultu latriæ vel douliæ colenda sint, in in tertia parte quæ. 25. exactius tractandum est.

CAPVT XXXVII.

De actibus internis religionis, Deuotione, & Oratione.

Complectitur Dubitationes 12.

Actus religionis interni & externi.

DIVVS Thomas enumerat varios actus religionis alios internos, alios externos. Internos ponit duos. *deuotionem, & orationem.* Externos facit reliquos, *ad orationem, sacrificium, oblationem primitiarum & donorum, oblationem decimarum, votum, iuramentum, adiurationem, laudem*; quibus infrà adiungit *gratiarum actionem.* quæ duo postrema commodè sub oratione comprehendi & tractari possunt. nam secundum D. Thomam qu. 83. art. vlt. *gratiarum actio* est pars orationis, similiter laus, quæ ferè semper petitioni miscetur, ad orationem pertinet, tamquà pars vel species quædam illius.

Cur oratio inter actus internos.

Dices, *Adoratio, votum, iuramentum,* non minùs actu interno fieri possunt; quàm *oratio*, & *oratio* non minus actu externo quàm illa: cur ergo illa potiùs inter actus externos numeratur, quàm oratio? Rursus, *reuerentia* non minùs est actus internus religionis quàm *deuotio*, cur ergo reuerentiam prætermisit? Respondeo Ideò D. Thomas *orationem* inter actus internos posuit, quia consistit in eleuatione mētis ad Deum, quæ interna est, & maximè requirit internam attentionem assistuam. *Adoratio* humana (de qua D. Thomas loquitur) consistit in signis externis honoris & submissionis sui. *Votum* etsi Deo fiat, tamen non requirit mentis eleuationem, nec attentionem internam, præter eā quæ necessaria est vt homo aduertat quid agat. *Iuramentum* refertur ad homines, & ideò in actu externo consistit.

Reuerentia quid sit.

Quod ad *Reuerentiam* attinet, hoc nomen dupliciter accipi solet. Primò, vt significet omnem honorificam submissionem. Sic dicimur alicui exhibere *reuerentiam*, dum ei caput aperimus, genua flectimus, corpus inclinamus; quo modo non est actus distinctus ab adoratione, & interior affectus reuerentiæ nihil est aliud quàm affectus adorandi. Secundò, vt denotet quendam timorem & fugam animi, qua quis refugit in rebus diuinis nimiam libertatem & licentiam, metuitque ne nimis libere, nimis audacter, non satis humiliter, non satis congruenter tantæ Maiestati, & suæ vilitati in rebus diuinis & coram Deo versetur. Sic Seraphim duabus alis velabant pedes; & duabus faciem ex reuerentia diuinæ Maiestatis, Esai. 6. Sic Moyses & Prophetæ loquentes cum Deo cadebant in faciem non audentes ex aduerso intueri formam, in qua Deus loquebatur. Hoc modo est actus internus religionis: quia *Religio* non solùm inclinat ad cultum Deo exhibendum, sed etiam ad conueniēti modo exhibendum. Vnde fugit omnem modum, qui indicat minorem æstimationem Dei, & minorem sui demissionem; vt est nimis libere, sine cura, sine circumspectione, sine attentione diuina tractare. Itaque hic actus est generalis, & in omni religionis opere comitari debet. Omnis enim Dei cultus postulat, vt cum debita reuerētia fiat. Simile cernitur in actibus obseruantiæ erga principes, quia etiam hi cum reuerentia illorum dignitati accommodata fieri debent. D. Thom. autem non numerat *Reuerentiam* inter actus religionis: quia agit de actibus particularibus, non de generali, qui in omnibus reperiri debet. Deinde loquitur de actibus imperatis proximè a religione, quibus Deus colitur, non de ipso affectu elicito, quo homo inclinat & eligit diuinum cultum, aut fugit ea quæ diuino cultui non congruunt.

DVBITATIO I.

Quid sit deuotio?

D. THOM. QVÆST. 82.

1 Quo modo sit actus peculiaris.

RESPONDEO, Hoc nomen dupliciter accipi. Primò, vt significet specialem actum religionis: & sic *deuotio* nihil est aliud, quam interna quædam sui ad cultum diuinum oblatio & traditio. sicut enim qui alicuius Principis obsequio totum se tradit & deuouet, deotus dicitur tui Principi; ita qui ex affectu cultus & honoris diuini se totum mancipat Deo, facit actum peculiarē religionis, qui dicitur absolutè deuotio, & à quo dicitur quis Deo deuotus. Potest autem id fieri vel cum voto, vel sine voto: si cum voto vel iuramento fiat, nascitur obligatio; eritque deuotio magis perfecta. si autem fiat absque tali vinculo, non inducet obligationem: quia fiet solo proposito & huius propositi explicatione: sicut dum homo explicare volens suum affectum & animi propositum dicit Principi, Me totum trado tuo obsequio. vnde D. Thomas articul. 1. ad primum, rectè dicit *deuotionem esse actum voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum.* Quod intellige non de solo actu voluntatis elicito, sed etiam imperato. quia oblatio sui non fit sola volitione, sed necessarius est actus intellectus, veluti locutio quædam, qua quis seipsum Deo tradat & addicat, sicuti in promissionibus, votis & donationibus, quæ non sola volitione perficiuntur.

2 Quo modo sit conditio actus religionis.

Secundò, Accipitur non pro actu peculiari; sed pro conditione quadam actus interni. sic *deuotio* nihil est aliud, quàm *promptitudo* quædam, & *feruor* affectus ad cultum diuinum, v. g. ad orationem, ad laudem, ad sacrificium, ad adorationem, ad soluenda vota, &c. vel affectus ad hæc promptus & feruens: quicumque enim promptè & feruēter hæc affectant & faciunt, dicuntur deuoti, idque meritò, quia ostendunt se esse addictos & mancipatos diuino cultui. *Promptitudo* requiritur vt superentur omnes difficultates, timores, & perturbationes, quæ hominem ad cultum Dei lentum faciunt: & consistit in affectu absoluto & deliberato vincente omnem timorem, fugam, & tergiuersationem voluntatis; ita vt nihil amplius illam retardet ab executione, quando occasio se offert. quòd etiam feruor (qui nihil est aliud quàm intensio, & vehementia affectus) requiratur, patet: nemo enim tepidos in oratione, cultuque diuino, deotos dixerit; sed eos tantum, qui feruenti affectu hoc præstāt. vnde deotè orare nihil videtur esse aliud, quàm cum feruenti affectu erga Deum, orationem fundere.

3 Vnde nascatur.

Nascitur vtraque deotio ex parte nostra, ex contemplatione, præsertim duplici. Primò, Ex consideratione diuinæ excellentiæ & beneficiorum, quæ tamquam ex perenni fonte in nos assiduè ab illa promanant. hinc enim videmus ipsum omni cultu & obsequio esse dignissimum, ipsiusque beneficia a nobis hæc assiduè flagitare. Secundò, Ex consideratione inopiæ & miseriæ, quam ex nobis habemus: ex hac enim videmus nobis esse maximè congruum & expediens ipsi seruire: nam nemo præter illum nos iuuare & beare potest. vide D. Thom. quæst. 82. art. 3.

DV-

DVBITATIO II.

Quid sit oratio.

Oratio quid.

RESPONDEO, Omissis varijs definitionibus,cõmodè sic definiri potest : *oratio est desidery eorum Deo expletatio , vt aliquid ab ipso impetremus* , colligitur hæc definitio ex artic.1.& 3.& ex Patribus. Basilius orat.in Iulittam martyrem , *Oratio est boni cuiusdam petitio, quæ à pijs ad Deum effunditur.* Damascenus lib.3. de fide orthodoxa ca. 24. *Oratio est ascensio mentis in Deum , siue decentium a Deo petitio .*

4 *Tres actus in oratione.*

Vbi aduerte , in oratione tres actus spectari posse . Primus est, Desiderium nostrum,quo bonum aliquod nobis, alijsve conferri , aut malum auerti desideramus . Secundus , Huius desiderij practica quædam explicatio , qua Deum conamur inducere & permouere vt id præstet:quæ nihil aliud est quàm petitio quædam.cum enim in potestate voluntatis nostræ non sit immediatè applicare diuinam virtutem,seu potentiam executiuam Dei ad operandum , sicuti vires animæ nostræ ad operandum applicamus: neque etiam mediatè & efficaciter , imponendo obligationem, sicut inferiorem applicamus , dum ei imperamus,& imperio illi obligationem imponimus : restat vt solum id possimus mediatè & per modum deprecationis seu petitionis, quod fit explicando desiderium. Tertius, Collatio boni desiderati. ex hisce tribus oratio propriè est illa petitio,seu practica explicatio desiderij . per hanc enim conamur Deum promouere & inducere ad benefaciendum . Hinc patres dicunt *orationem esse colloquium cum Deo* , vt Diuus Gregorius Nyssenus orat. 1. de orat.dominica, & D.Chrysost.lib.1.de orando Deum.

5 *Oratio est locutio quædã ex actu rationis practicæ.*

Ex his patet Primò , Orationem esse immediatè actum rationis: nam petitio est locutio quædam,qua desiderium nostrum explicamus; locutio autè interna est actus rationis;& consequenter etiam externa , quæ ab interna procedit,est rationis actus.

Patet Secundò, Esse actum rationis practicæ ; quia hæc locutio non fit vt Deus nostrum desiderium intelligat, sed vt ea permoueatur ad rem desideratã præstandam.vnde in ea consideratur quædam vis mouendi & applicandi ad opus.Sicut enim iudicio practico & interna vel externa locutione seipsum homo ad aliquam functionem ordinat & dirigit,ita etiam alium: nempe imperando vel deprecando:quorum vtrumque locutio quædam practica est.

6

Nec obstat, quod a Damasceno dicatur *oratio, mentis in Deum elevatio,* & a D. Augustino sermone 230. de tempore, *affectio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum , inuisibilium desiderium.* hæc enim casualiter vel comcomitanter accipienda sunt.oratio enim ex natura sua oritur ex desiderio inuisibilium , & intrinsecè coniuncta est cum elevatione mentis ad Deum. vnde qui sine elevatione mentis orat,solum verbis orat:non enim possumus mêre colloqui cum Deo,nisi mentem ad eum eleuemus,eumque quasi præsentem intueamur.

7 *Est actus religionis.*

Patet Tertiò,Orationem esse actum religionis,nam per illam testamur ipsum esse auctorem bonorum nostrorum , & nos esse ipso inferiores,eosque egere; hoc enim includit petitio seu deprecatio.Hinc fit vt superbi ægre orent. Deinde testamur ipsum omnia scire in particulari , omnium habere prouidentiam & dispositionem, omnia posse, omnium misereri, &c.

Obiectio 2.

8 *Respon.1. An sit actus spei.*

Dices Primò,Oratio est actus spei;ergo non religionis; nam idem actus non potest esse duarum virtutum.

Respond.1.Primò.Idem actus non potest esse elicitus immediatè a duabus virtutibus distinctis;quia non potest habere duas rationes formales specificas; aut duplicem speciem intrinsecam essentialem; potest tamen a duabus imperari,quia in vno opere externo duplex ratio honesti confideratur & appeti potest. potest enim quis dare eleemosynam,tum vt proximi miseriam leuet,qua ratione erit actus misericordiæ;tum vt votum persoluat:& sic erit opus religionis.Simili modo potest quis orare vt Deum honoret,& vt gratiam impetret.

Respond. Secundò, Orationem explicitè & formaliter esse actum spei, sed implicitè & interpretatiuè esse actum religionis : quia non fit expressè ad Deum honorandum ; sed ad impetrandum: implicitè tamen redundat in honorem Dei.Vnde ad orationem necesse est concurrere internum actum spei , non autem internum religionis , saltem explicitè;quia non est necesse habere expressam voluntatem Deum honorandi:quamuis debeat adesse voluntas faciendi id,quod in honorem Dei cedit;quæ voluntas implicitè censetur esse voluntas honorandi Deum. Vnde apud omnes gentes oratio habetur pro cultu numinis.

Obiectio 2.

Dices Secundò, Deus est immutabilis, ac proinde orationibus nostris permoueri nequit,frustra ergo funditur. Confirmatur,quia ab æterno omnia sunt decreta,& immutabiliter constituta;ergo orationes,quæ fiunt in tempore, nihil possunt mutare.

Respond. Immutabilitas Dei orationis efficaciã nil officit.

Respond. Deus non potest ita permoueri orationibus , quasi nunc incipiat velle quod ante nolebat aut non volebat: hoc enim repugnat immutabilitati eius,ad quam requiritur vt omnis volitio etiam libera fuerit ab æterno in illo,sitque immutabiliter duratura in æternum. Dicitur tamen Deus permoueri orationibus,quia præuisis orationibus multa voluit & statuit ab æterno , quæ alioquin non voluisset; adeò vt oratio præuisa , sit suo modo causa cur Deus anticipata illa voluntate sic velit:non secus ac si modò nouam voluntatem conciperet.

Ad confirmationem ; Omnia quidem sunt decreta ab æterno , nempe decreto quo velit res fieri; vel quo velit permittere res fieri; sed hoc decretum nõ est factum de omnibus ante præuisionem nostrarum orationũ;adeò vt orationes nostræ causa sint cur pleraque ad salutẽ opportuna hoc modo Deus decreuerit. Sed de hoc plur.1.p.q.14.19.& 23.

DVBITATIO III.

Vtrùm oratio sit ad salutem necessaria,& quando obliget.

D. THOM. ART. 2.

9 *Error Euchitarum.*

SVNT hic duo errores, Prior est Messalianorum qui dicti sunt Euchitæ. hi volebant orationem solam ad salutem sufficere , ita vt nec Baptismum , nec Eucharistiæ sacræ communionem necessariam dicerent,vt habet Theodoretus l.4.histor.c.10.& Damasc.libr. de 100.hæresibus.

Error Pelagianorum.

Alter est Pelagianorum. Hi docebant, (saltem implicite) orationem non esse necessariam ad salutem.hoc ipso enim,quo docebant gratiam diuinam non esse necessariã , & hominem solis naturæ viribus posse salutem promereri,cogebantur etiam fateri orationem non esse necessariã : cui enim opus non est auxilio , ei etiam petitione auxilij opus non est. vide D. Augustinum hæresi 88. non tamen negabant eam esse vtilem;nam etiam auxilium gratiæ vtile fatebantur. Eamdem quoque non esse necessariam fateri coguntur hæretici nostri temporis ; idque ob duas causas: tum quia omnia tribuunt fidei speciali, ita vt nec opera bona requirant ; tum quia omnia fato euenire volunt . quòd si verum est, superuacanea est orationis cura & studium: nam etsi non ores, omnia æque euenient . Quòd si Deus aliquid per orationem fieri velit ; ipse etiam curabit vt & illa oratio fiat. vnde non oportet hominem de ea faciendа esse solicitum.Vide Castro v.Oratio,hæresi 3.

10 *Oratio necessaria ad salutem.*

Sed fide tenendum est,orationem adultis ad salutem esse necessariam;(nisi forte vitæ breuitas obstet) nec tamen sufficere.

Quod non sufficiat. patet;requiritur enim Baptismus , & mandatorum obseruatio,& pœnitentia in lapsis.

Quod sit necessaria, colligitur ex multis Scripturæ locis , quibus monemur semper orare. Ecclesiastici 18. *Ne impediaris orare semper.* quasi dicat,ne finas te vllo modo impediri a tam necessario exercitio.& Dominus Lucæ 18.*Oportet semper orare & numquam deficere.* nempe quantum pro humana fragilitate fieri potest. vel *semper*, id est,quotidie. 1.ad Thessalonicenses vltimo.*Sine intermissione orate,*id est, quantum fieri potest, vt Chrysostomus exponit . Ad Colossenses.4. *Orationi instate , vigilantes in ea* , & alibi sæpè . Non tam crebrò & seriò Scriptura hoc ingeminaret , nisi res esset apprimè necessaria : non enim ita loqui solet de consilijs.

Cur necessaria.

Ratio huius necessitatis est , quia oratio est medium quoddam , sine quo auxilium ad salutem necessarium obtineri

ſineri nequit. cũ enim etiam iuſtificati egeamus quotidiano auxilio ad vincendas tentationes, & ad perſeuerãdum; Deus non ſtatuit hoc auxiliũ paſſim conferre, niſi orantibus & petentibus: idq; meritò: nempe vt intelligamus à quo nobis ſalus & omne bonum proueniat, eiq; gratias agamus. vnde Dominus Matth.7. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. omnis enim, qui petit, accipit*, &c. inſinuans abſq; petitione non accepturos. Idẽ inſinuat Dominus Io.6. *Nolite murmurare inuicem, nemo poteſt venire ad me; niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. quaſi dicat, nolite murmurare ob ea, quæ dixi, ſed potius orate Deum vt vos illuminet; nemo enim poteſt credere in me, niſi quem Pater traxerit. vide D. Auguſtinum tract.26. in Ioannem.

11 *Quando obliget præceptũ orandi.*

Sed dubium eſt quo tempore obliget. Durandus in 4. d.15.q.12. docet, orationem priuatam cadere ſub præcepto in genere abſque determinatione loci, temporis, & modi orandi. Iure enim naturæ nos ſolum obligari vt aliquando Deo oremus, & neceſſaria ad ſalutem ab eo petamus; idq; ſiue mente tantum, ſiue etiam voce. quæ ſententia vera eſt, ſi rectè intelligatur. nulla enim ſunt certa tempora iure naturæ determinata ad orandum; ſicut iure eccleſiaſtico ſunt præſcripta orationi publicæ. Verum vlterius difficultas reſtat, An non ſint certi aliqui euentus quibus teneamur orare, & quinam illi ſint.

Reſpondeo, Poſſe aſſignari aliquot euentus maximè probabiles.

Certi euẽtus, quibus tenemur orare.

Primus eſt, Quando peccator ſe ad gratiam diſponere tenetur; vt quando ipſe Sacramentũ aliquod adminiſtrare vel ſuſcipere debet: tunc enim tenetur petere veniam peccatorum & auxilium vt Deo reconcilietur. quòd potiſſimũ locum habet ſi deſit copia Sacramenti.

Secundus, In euidenti periculo mortis, præſertim ſi quis ſit in peccato mortifero. ſi enim vnquam petenda venia peccatorum & auxilium diuinum, tunc maximè.

Tertius, In vehementi tentatione, cui alia ratione putat ſe non poſſe reſiſtere. Ita Medina, C. de orat. qu.11. ſub finem. Addit Nauarrus l. de orat. cap.3. num.14. alium caſum, quando quis aduertit ſe alterius exitium impedire nõ poſſe, niſi oratione; vt ſi videat duos ad duellum properare, quibus non niſi oratione prodeſſe poteſt. quod verum eſt, ſi putet ſe hac ratione malum auertere poſſe; (quod rarum eſt) alias non tenetur. His addi poteſt nos obligari
12 vt non multo tempore oratione abſtineamus, v.g. ad menſem vnum vel alterum, quia eſt ſignum magnæ negligentiæ ſuæ ſalutis. Porrò in his caſibus, quibus oratio ad aliquod malum auertendum videtur neceſſaria, eius omiſſio non eſt peccatum, niſi quis aliquo modo aduertat ſuam obligationem: alioquin omiſſio non cenſebitur voluntaria vt eſt contra præceptum; vnde nec ad culpam imputabitur. Quando autem eſt culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam diſtinctam ab illo peccato: nam ſolum eſt mala, quia eſt interpretatiua volitio illius peccati.

DVBITATIO IV.

Quænam in oratione ſint petenda.

RESPONDEO, Summam petendorum breuiter comprehenſam eſſe oratione Dominica. Nam vt rectè D. Auguſt. epiſt.121. ad Probam ait, *Si per omnia ſanctarum precationum verba diſcurras, quantum exiſtimo nihil inuenies quod non iſta contineat & concludat oratio*. non tamen omnia diſertè continet ſed præcipua tantum, quæ maxime nobis præ oculis habenda. decebat enim Chriſtum vt ea doceret petere, quæ natura non ſuggerit, minimeq; vulgaria ſunt, ad quæ tamen reliqua facile reduci poſſint.

Hanc diuiniſſimam orationem pulchrè explicat D. Th. art.9. poſſunt tamen quædam petitiones paulò aliter nec minus accommodatè ad mentem Domini exponi.

13 *Breuis explicatio orationis Dominicæ.*

Conſtat hęc oratio compellatione Dei, ad quem dirigitur, ſeptem petitionibus & clauſula approbationis. Compellatio eſt, *Pater noſter, qui es in cælis*. dicimus *Pater noſter*, potiùs quàm Deus noſter, quia patris nomen magis eſt idoneum ad excitandum in nobis amorem filialem, & fiducíam impetrandi; & ad Deum, intuitu adoptionis per Chriſtum factæ, ad miſericordiam flectendum.

Pater noſter.

In cælis, quia tantum in cælis ſeu cælorum ciuibus ſeipſum aperit & præſentem exhibet. alibi non videtur, ſed ita manet abſconditus, ac ſi illic non eſſet. Hoc additur vt mẽtem ſurſum erigamus, & intelligamus verum patrem, patriam & hæreditatem noſtram illic eſſe. *Quid in cælis.*

Sequuntur petitiones, quarum tres primæ pertinent ad bonum Dei, quatuor reliquæ ad noſtrum.

Prima eſt, *Sanctificetur nomen tuum*; id eſt, quidquid tu nominaris, quidquid es, id ſanctè vbiq; celebretur: *ſanctificare* enim, phraſi Hebræa, eſt celebre facere, & colere. hæc *ſanctificatio* conſiſtit in tribus. Primò, vt Deus, eiuſq; maieſtas, potentia, ſapientia, benignitas, prouidentia, iuſtitia, miſericordia ab omnibus cognoſcantur. Secundò, vt Deus, ab omnibus ſupra omnia timeatur & ametur. Tertiò, Vt ab omnibus digne colatur & prædicetur. 14 *Sãctificare.* *Conſiſtit in tribus.*

Secunda, *Adueniat regnum tuum*, petimus impleri numerum ſanctorum, & inchoari beatum illud regnũ, quo Deus ſubiectis omnibus inimicis & compreſſis aduerſarijs potentatibus ſolus regnabit, eritq; omnia in omnibus, iuxta Apoſtolum 1. ad Corin.15. Inſinuat hanc expoſitionem Tertullianus de oratione, Rupertus, & Theophylactus in hunc locum. Hoc regnum Deo maximè deſiderare debemus, quia in eo gloria ipſius completa erit, nec aliquis amplius eam obſcurabit, aut ei reſiſtet, ficut modò fit, quando peccatores illum contemnunt. 15 *Regnum Dei*

Tertia, *Fiat voluntas tua*, &c. Petimus vt ſicut in cœlo fit omne id, quod Deo placitum eſt & gratũ, nihil quod eius voluntati repugnet; ita etiã fiat in terris. Itaq; petimus Primo, Exactam (quantũ humana fert conditio) mandatorum obſeruationem, non quidem noſtra cauſa vt eſt bonum noſtrum, ſed vt eſt quoddam bonum Dei, quo ipſe delectatur. vnde etiam implicitè petimus auxilium nobis & cæteris mortalibus ad hoc præſtandum; & vt Tertullianus ait, *Petimus ſubſtantiam & facultatem voluntatis ſuæ ſubminiſtret nobis, vt ſalui ſimus & in cælis & in terris*. Deinde etiam in omnibus reb. alijs, diuinum beneplacitum præponimus noſtris affectibus & commodis: vt ſi Deus velit nos eſſe pauperes, infirmos, inglorios, mori, viuere, ſi tollere vxorem, liberos, parentes, acquieſcamus in eius ſanctiſſima voluntate; & dicamus cum Chriſto, *Non mea, ſed tua voluntas fiat*, & cum Machabæo, *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat*. & cum Iob. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*. 16 *Voluntas Dei.*

Cum enim verba ſint generalia, & faueat modus loquẽdi Scripturæ, non ſunt ad mandatorum obſeruationem reſtringenda: ſed generatim de omni Dei beneplacito. vnde rectè Maldonatus, explicans hunc locũ, *Petimus*, ait, *non ſolum vt voluntas Dei fiat à nobis, ſed etiam in nobis*. maioris enim momenti eſt etiam minimam volũtatem Dei impleri, quàm omne bonum creaturæ, quà eſt creaturæ. Hæc reſignatio ſui in diuinam voluntatem, eſt opus magnæ in Deum charitatis, & proinde magnæ perfectionis. nam per eam vincit omnes ſuos affectus, & perfectiſſimè conformat ſe voluntati diuinæ. indicat apertè hunc ſenſum Tertullianus.

Quarta, *Panem noſtrum*, &c. Petimus hic nobis quotidiana ſubſidia corporis & etiam animæ, vt plerique DD. explicãt, præſertim panem illum cæleſtem, quo alimur ad vitam æternam. Græcè eſt τὸν ἐπ' τὸν ἰμῶν τὸν ἐπιούσιον Hoc dupliciter verti poteſt, Primò, vt paſſim in oratione Dominica recitari ſolet, & Lucæ 11. habetur. *Panem noſtrum quotidianum*. quo modo ante D. Hieronymum verterunt paſſim Latini, Tertullianus, Cyprianus & alij. Secundò. Vt habetur Matth.6. *Panem noſtrum ſuper ſubſtantialem*. quo modo vertit S. Hieronymus. vtraque verſio bona eſt. 17 *Panis quotidianus.*

Sed aduerte, vocem *ſuper ſubſtantialem*, non eſſe ita accipiendam, vt ſolum ſignificet id quod eſt ſupra ſubſtantiam, quod Dionyſ. Areopagita paſſim ἐπιούσιον vocat; ſic enim ea petitio ſolum pertineret ad panem cæleſtem, vt Euchariſtiæ & viſionis diuinæ, nec peterentur ſubſidia temporalia, quod eſt contra communem fidelium ſenſum. Deinde Apoſtoli non potuiſſent tunc temporis intelligere quid Dominus iſtis verbis ſibi vellet: nondum enim nouerant illum cæleſtem panem. quare vox illa eſt accipienda vt planè reſpondeat voci ἐπιούσιον, & *ſuper* accipiatur non pro *ſupra*, ſed pro *ad*, ſeu *iuxta*, Græcè ἐπὶ: & ſigni-

significetur omne alimentum substantiæ nostræ congruè, hoc.n.proprie est ἐπιούσιον vt rectè Suidas interpretatur: quasi dicas ἐν τῇ οὐσίᾳ αἰμοζον. vnde idem rectè dicitur *quotidianus*, nam natura nostra quotidie refici debet, & alimento congruenti sustentari. quānis ἐπιούσιον possit & deduci παρὰ τὸ ἐπιέναι, quod non solū die crastinū, sed etiam hodiernum, qua parte nondum præsens est, significat, à verbo πάρειμι, *accedere*, hinc ἐπιούσιον quod ad diem accedentem pertinet. itaque ἀρτος ἐπιουσιος, est qui diei accedenti est accommodatus & necessarius. Sic enim expectia est hæc petitio, ac si prima luce fundēda esset. quare optime interpres mentem Euangelistæ spectans (qui per ἐπιούσιον, non volebat significare τὸ αὔριον diem crastinū, sed instantem) vertit quotidianum. additur *hodie*, tum vt significetur cauē tam solicitudinem in crastinum; tum quia quotidie hæc oratio fundenda, & necessaria a Deo petenda; cùm assidue ab ipsius beneficentia pendeamus.

18 Quinta, *Dimitte nobis*, &c. Petimus nobis condonari delicta nostra: *nam debitum in Scripturis delicti figura est*. vt ait Tertullianus, quia delicti effectus & germen. Nam ex delicto duplex debitum contrahitur, culpæ & pœnæ. *Debitum culpæ* est obligatio compensandæ iniuriæ per peccatum Deo illatæ. hoc debitum si ex peccato mortifero ortū sit, nullo modo ad æqualitatem solui potest à nobis, sed à solo Christo, vt in 3.quæst.1. tradi solet. *Debitum pœnæ* est obligatio luendi pœnam æternam vel temporalem. vtrumque petimus nobis ignosci.

Duplex debitum.

19 *Sicut & nos dimittimus*, &c. Illud *sicut* non significat regulam, quam Deus in condonandis peccatis sequatur, quasi petamus vt Deus nō benignius & promptius, nec maiora cōdonet nobis quā nos proximis nostris; sed causā inducti, vt patet ex Luc.cap.11. vbi sic dicitur, *Dimitte nobis debita nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis*. est enim conditio quædam, quam Deus à nobis requirit, vnde apud Matth. immediate post hanc orationem subdit Dominus, *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cæleſtis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Itaque allegamus hic à nobis impletam conditionem, non quod nihil aliud ad remissionem peccatorum obtinendam requiratur; sed quia est dispositio maximè congrua, sine qua non est nobis venia sperandæ: & qua posita, omnino sperandæ est; nisi aliud quid impediat, vt defectus doloris, vel propositi emendationis.

Sicut.

Quid condēnandum proximo.

Petes, Quid tenemur debitoribus nostris dimittere?

Resp. Non pecuniam, non famæ & honoris restitutionem; sed iniuriam nobis illatam, ita vt propter illam non prosequamur eos odio, nec velimus vindictam priuatam, nec etiam publicam, nisi quando bonum publicum aut recta ratio aliud postulabit.

20 Sexta, *Et ne nos inducas in tentationem*. Petimus ne Deus permittat nos vlla tentatione vinci, hoc; nos semper dirigat, vt numquam succumbamus: hoc.n.est induci, seu vt Græcus textus habet, inferri in tentationem, μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς ne inferas, id est, ne limas inferri. Interdum enim dicitur Deus facere, quod permittit, quia fieri nisi ipso annuente & manum omnipotentiæ suæ laxante, non potest. Sic Matth.26. Dominus monet, *vigilate & orate ne intretis in tentationem*, id est ne tententationi cedatis. causam addit, *quia spiritus* (id est, diabolus) *promptus est*, ad tentandum & incitandum ad peccatum; *caro autem* (id est, homo) *infirma* ad resistendum, sine ope diuina.

Facere propter impetrare.

Septima, *Sed libera nos à malo*. Petimus hic liberari ab omnibus diaboli, & consequenter etiam malorum hominum, qui sunt membra eius, insidijs. à malo Græce est ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quo nomine diabolus significari solet in Scripturis: vt 1.Ioan.5. *Maligni (ὁ πονηρὸς) non tangit eum*. &, *Totus mundus in maligno positus est*; id est, sub diaboli potestate. & 1.Ioan.2. *Victistis malignum*. Matth.5. *Quod his abundantius est, à malo est*. & alibi.

Maligni.

Amen.

Clausula *Amen*; quā Hieronymus vocat signaculū orationis Dominicæ, est approbantis & optantis vt ita fiat Græcis γένοιτο Psal. 40. *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & in sæculum. fiat, fiat*. Græce γένοιτο, γένοιτο. Idem habetur. Psal.71. versu vltimo, per le tamen idem valet, quod vere. teste Hieronymo.

21 Notandum est ex D.Thoma art.5. Inter ea, quæ à Deo peti possunt, quædam absolutè petēda esse, vt ferè sunt ea, quæ oratione Dominica continetur. alia tolū sub conditione tacita vel expressa; vt sunt diuitiæ, honores, longa vita, opulēta matrimonia, vxor speciosa, pulchræ proles, & similia. hæc.n. quia sæpissimè hominibus sunt exitio, nō sunt petenda absolute, sed sub conditione, si nobis sint futura salutaria; quod soli Deo perspectum est. Vnde in illis optima orandi forma est rogare Deum vt nobiscum agat sicut nouit expedire ad suam gloriam & salutem nostram.

Duplicia sūt, quæ a Deo petuntur.

Petes, Vtrùm sit peccatum ea secundum se desiderare & petere a Deo?

Respondeo, Si quis hæc ita desideret, vt non curet, sintne ipsi futura salutaria an non peccat; quia illa plus amat quā suam salutem. Si tamen speret non obfutura saluti, non videtur desiderium, quo illa per se appetuntur, esse malum, modo ea mensura appetantur, quæ non sit contra rectā rationem; quia sunt bona indifferentia. vnde si quis ea sic petat a Deo, non videtur peccare; nam Iudæi talia a Deo petebant, & talium bonorum in veteri Testamento promissiones pro legis obseruatione acceperunt. Si tamen desiderium & solicitudo modum excedant, peccatum est.

Si bona adiaphora per se petantur.

DVBITATIO V.

Quibus conueniens sit orare.

D. THOM. ART.3.

22 RESPONDEO, Conuenire soli naturę rationali Superiorem ignoscenti, a quo aliquid boni sibi vel alteri expectare possit. Ratio est, quia oratio est petitio quædā ad Superiorem directa; petitio autē est actus rationis, quo desiderium exprimitur aliquid impetrandum.

Hinc patet Primò, Orationem non conuenire personis diuinis; tum quia Superiorem non habent, a quo sibi vel alteri aliquid possint expectare; tum quia singulæ sua auctoritate & potestate omnia possunt.

Patet Secūdò, Eam conuenire tum Angelis sanctis: quia etsi nihil superfit quod sibi peculiariter petant, nobis tamen bona spiritalia & salutem expetunt, & Deo aduentum regni futuri: tum animabus beatis, quæ præterea sibi petunt resurrectionem corporum: tum viatoribus, quibus & sibi & alijs multa petenda: cum defunctis, qui sunt in purgatorio, quos pro se orare vt à pœnis soluantur non videtur dubitandum: quicumq; enim in gratia afflictione cōstitutus scit esse aliqua remedia, quibus possit liberari, dubium non est quin roget ea sibi adhiberi. defuncti autem sciunt extare huiusmodi remedia, vt sacrificia, preces, ieunia, eleemosynas, fidelium indulgentias, orationes Sanctorum: cur ergo non orent hæc sibi applicari, & vt Deus fideles ad hæc excitet? Vnde meritò Ecclesia illud Iob, *miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*, applicat defunctis in purgatorio positis. An orent pro viuis, non satis constat, creditule est etiā pro illis orare: quia dubitandum non est quin pro suis sint soliciti: ad hoc enim charitas eos impellit. cur ergo illorū salutem Deo non commendent? nos tamen eos non inuocamus, quia preces nostras ordinariè non possunt cognoscere; & sunt in eo statu vt magis egeant auxilio nostro, quam vt possint nobis auxilium adferre. vt ait D.Thom. q.83.art.11.ad 3.

23 *Conueniat Angelis, animabus beatis, viatoribus, & defunctis qui in purgatorio.*

Defuncti orant pro nobis in purgatorio.

Patet Tertiò, Damnatis orationem propriè non competere; tum quia carent pio affectu ex quo oratio debet procedere, vt sit actus virtutis: tum quia nihil illis boni a Deo expectandum. quamuis interdum aliqualis petitio in illis reperiatur; vt cum Satan petijt tentare S. Iob; cum diues petijt mitti Lazarum, &c.

An damnatis.

Sed difficultas est Vtrùm Christo secundum humanam naturam in cælo conueniat. Quidam negant, Primò, quia Christus totum negotium salutis nostræ exactè & minutè cum Patre in via composuit. Secundò, Quia alias liceret Christum rogare vt pro nobis oret.

24 *An conueniat Christi.*

Sed verius videtur, Christi animā etiā modo rogare diuinitatē pro hominibus. Primò, Quia id nō dedecet ipsam. cum in via sæpissimè id fecerit, & statui beatitudinis nō repugnet: vt patet in alijs beatis. Secundò, Vtitur in Deum laude, gratiarū actione, adoratione. sicut enim sūma charitate

tate, ita etiam summa humilitate erga Deum est prædita. cur etiam non vratur oratione? Tertio, Etsi data sit illi animæ sanctissimæ omnis potestas in cælo & in terra, Matth. 28 tamen executio huius potestatis non potest fieri virtute animæ, sed diuinitatis, vt patet in iustificatione & glorificatione: ergo decet vt id petat a diuinitate, saltè actu interno. Quarto, Sicut hostiæ veteres immolabantur in sancto sæculari, ita Christus semetipsum immolauit in hoc mũdo: & sicut Pontifex veteris legis, sanguine hostiæ inferebat in sancta sanctorum ad deprecandum Deum pro populo, ita Christus corpus & sanguinem suum intulit in cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis, vt deducit Apost. ad Heb. 9. ergo Christus ibi apparet vt Pontifex, seu vt munere Pontificis potè hostiæ sacrificium fungens, quod in eo consistit vt petatur sacrificij effectus, alioquin non esset apta analogia inter Christum & Pontificem veteris legis, quã intendit Apost. Quinto, Hæc sententia est magis consentanea Scripturæ sacræ Ioann. 14. *Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* quasi dicat, nolite ob meum discessum ad Patrem, esse mœsti; quia cùm ad Patrem venero, rogabo eum vt alium nico loco mittat qui nunquam discedet. 1. Io 2. *Sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum:* quod proprie dici nequit, nisi aliquid pro nobis a Patre petat. Ad Rom. 8. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ad Hebr. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* quibus verbis satis insinuatur, hanc interpellationem non solùm fieri exhibitione & præsentia obiectiua humanitatis & vulnerum, sic enim non esset quid distinctum à sessione ad dexteram, nec requireretur vt sit viuens, sed per actũ animæ, quo nobis misericordiam & salutem petit, sic enim aliquid peculiare adfertur, quod nostram fiduciam erigat: hoc enim intendit Apostolus. Sextò, Eandem sententiam insinuant Patres, Iustinus quæst. 105. ad orthodo. *Si enim superesses tam resurrectione, carnis infirmitatibus, vt Pontifex confessionis nostræ interpellat pro nobis, nonne magis cùm adhuc subiaceret infirmitati carnis, egebat magno validoque clamore & lachrymis, cum quibus preces offerebat?* Ambros. in illud ad Roman. 8. Qui etiam interpellat pro nobis, *Christus resurgens, semper causas nostras agit apud Patrem cuius postulatio contemni non potest, quia in dextera Dei est, hoc est, in honore quod Deus est.* & infrà explicat quo modo interpellet pro nobis, nempè eo modo, quo rogauit pro Petro, vt non deficeret fides eius. & infrà, *Interpellat pro nobis, ne inimicus aliquid violenter præsumat contra nos, vt arceatur insolentia eius.* In eadem sententia videtur esse Cyprianus epistol. 3. & Augustinus præfat. in Psal. 85. Idem apertè docet Diuus Thomas in capit. 7. ad Hebr. lect. 4. D. Bonauentura, de vita Christi capit. 98. Tolerus in cap. 16. Ioannis, annotatio. 35. & Suarez in 3. p. disputatio. 45. sectio. 2.

Ad argumẽta. Ad primam rationem in contrarium adductam; Christus omnia cum Patre composuit, quia exactè pro omnibus satisfecit, & meruit omne bonũ, quod temporis successu hominibus confertur. Hinc tamen non sequitur quin modo possit orare vt illis bona conferantur.

Obiectio. 25 Dices, Christus adhuc in vita mortali prouidebat quidnam singulis hominibus expediens foret, & quid pro singulis esset petendum: ergo illud tunc poterat petere & pro singulis impetrare. Si poterat, credibile est facisse. cur enim expectet tempus executionis? præsertim cum hoc modo perfectius fit opus nostræ redemptionis; quod in hac vita est operatus.

Respon. Christus non opus habet oratione. Respondeo, Hoc argumentum rectè probare non esse illi opus oratione, cùm iam omnia petierit & impetrauerit, quæ temporis successu mortalibus bona conferuntur. Hinc tamen non sequitur quin reipsa oratione vtatur; non quia id necessarium, sed vt diuinitatem sic magis honoret, & omne bonum in illum, tamquam in primum fontem referat. nam etiam ab initio conceptionis illa omnia præuidit, & vt verisimile est, petijt & impetrauit; (id enim facilè ei erat) tamen sæpius in vita eadem rogauit, & impetrauit nihil enim vetat quin idem sæpiùs possit rogari ante executionem. Itaque potest etiam modò rogare vt fiat executio eorum, quę antè meruit & impetrauit, quamuis nihil noui petat.

26 Ad secundum Respondeo, Etsi per se non sit illicitum vt quis considerando Christum quã homo est, qui diuinitatem omni cultu veneratur: sic oret apud animum suum, Christe ora pro me, impetra mihi a Patre veniam & salutẽ. tamen absolutè non est hoc modo orandum, saltem publicè. Primò, Quia est contra morẽ Ecclesiæ. Secundò, Facile insinuaretur error Arij, facientis Filium creaturam; vel Nestorij, constituentis duas in Christo personas. Tertiò, Insinuaretur Christum, sicut alios, egere oratione, nec habere in sua potestate nos saluare sine oratione. nemo enim illum, qui per se potest dare salutem, rogat vt oret, sed vt ipse det. Quartò, Oratio dirigitur ad personam, quæ est Deus, & sua auctoritate potest dare. Quintò, decet vt qui aliquid ab altero petit, præsertim publicè, summo titulo honoris compellet, & supremam illius potestatem agnoscat; alioquin videbitur illum potius irridere, quàm honorare. Denique quia nihil noui impetrare potest, quod iã antè non impetrauerit. itaque solùm rogandus est vt illud sua potestate diuina conferat. Si tamen ipsa Christi anima per se spectetur, non absurdè priuatim rogari poterit, vt virtutes & salutem impetret, id est, faciat nobis per diuinitatem conferri. etsi enim ipsa non egeat oratione, tamen ex humilitate ea libentissimè vtitur erga diuinitatem.

An Christus rogandus vt pro nobis oret

DVBITATIO VI.

Vtrùm Sancti sint orandi seu inuocandi.

D. THOM. QVAEST. 83. ART. 11.

27 NEGARVNT hoc multi hæretici. Primò, Vigilantius; qui docebat mortuorum preces pro alijs non exaudiri, teste Hier. Vnde apertè sequitur inanem esse Sanctorum inuocationem.

Secundò, Quidam hæretici tempore D. Bernardi, dicti Apostolici, qui, vt refert Ber. ser 66. in Cant. ridebant Catholicos quòd Sanctos inuocarent.

Tertiò, Quidam circa eadem tempora dicti Cathari & Patareni; qui nec Sanctos nec Angelos inuocandos esse docebant, teste Turrecremata lib. quarto de Ecclesia par. 2. capit. 35.

Quartò, Vvaldenses, seu Pauperes de Lugduno, qui paulò post orti, dicebant Sanctos nec audire, nec attendere ad preces nostras, teste Antonino quarta parte, tit. 11. cap. 7. §. secundo.

Quintò, Vvicleff, qui docebat esse inutile Sanctos inuocare, teste Thoma Vvaldensi, to. 3. c. 108.

Hæretici nostri sæculi. Sextò, Hæretici nostri temporis, qui duo docent. Primò, Id esse inutile; eò quòd Sancti preces nostras non cognoscant. Secundò, Esse impium; quia obscuratur officium Mediatoris. Ita Caluinus libro tertio Institut capit. vigesimo. §. vigesimo. & seq. vsq; ad vigesimumoctauum. Idem docent ceteri.

Pro veritate Notandum est, Sanctos posse tripliciter inuocari.

28 Primò, Tamquam primarios auctores vitæ & salutis, quasi sua ipsi auctoritate & potestate possint remittere peccata, infundere virtutes, dare vitam æternam, &c.

Secundò, Tamquam adiutores ad precandum Deum.

Tertiò, Tamquam administros quorumdam beneficiorum quæ ipsi per se nobis conferre possunt, qualia sunt salutaria suggerere, dæmonis machinationes impedire, varia mala auertere & similia. Nunc.

Dico Primò, Nulla ratione licitum est Sanctos primo modo inuocare, nempe tamquam auctores primarios salutis: id enim esset aperta idololatria; nec quisquam Catholicorum ita vnquam illos inuocauit, aut inuocandos censuit, vt falsò illis imponit Caluinus nu. 22.

Nec obstant illæ formulæ precãdi, quas Caluinus obijcit tamquam intolerabiles, *S. Medarde, S. Eligi, respice famulos tuos, iuua à cælo:* quia intelligendæ sunt de auxilio precum, vel simili, quod ipsis congruat, illa autem, *vt Sancta Virgo iubeat filium facere quod petimus*, nullus Catholicus vtitur: nemo enim nescit Filium in cælo Matri subditum non esse, ac proinde nihil ei propriè iubere posse. Quòd si quis tamen pia mente sic loqueretur, non esset magnopere reprehendendus: nam etiam Scriptura dicit Deum voci hominis obediuisse, latiore vocabuli significatu: &

amicis dicere solemus vt iubeant & imperent nobis. Similiter non obstat quod Virgini dicamus, *vita dulcedo, & spes nostra*, id enim verum est ratione Filij, quem nobis peperit, per tropum, qui metonymia dicitur, vbi nomen effectus tribuitur ei, quod aliquo modo est causa, quod in Scripturis est frequens. omitto Apostolos lucem mundi à Domino vocari Matth.5.

29 *Probatur inuocatio Sanctorum.*

Dico Secundò, Pium tamen & salutare est eos inuocare secùdo & tertio modo, tanquam amicos Dei charissimos, videlicet vt pro nobis orent, suamque nobis opem porrigant. Est fide tenèdum & definitum in Conc. Trid. sess. 25. de inuoc. Sanctorum. Probatur Primò, Ex Scripturis; Genes. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hic Iacob inuocat Angelum suum. Iob 5. *Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere*, id est, ad aliquem Angelorum. Nec obstat, quòd hæc sint verba Eliphaz Themanitæ; quia Iob ea non reprehendit, cum tamen alia minus rectè dicta refutet. Exod.32. *Recordare Abraam, Isaac, & Israel seruorum tuorum*, vbi per merita Patriarcharum postulat, & exauditur. vnde sequitur infrà, *Placatus est Dominus ne faceret malum.* &c. hic modus orandi erat frequentissimus apud Iudæos.

Obiectio. Respon.

Dices, Non orabant ipsos Patriarchas, sed Deum.

Resp. Verum est: quia nondum erãt in statu beatitudinis, vt possent preces ad se directas cognoscere, sed quia allegabant eorum merita & obsequia vt propter illa Deus misereretur, satis insinuabant, ipsos, si per se orent, multò magis impetrare posse. Falsum est autem quod ait Caluinus, solum allegari pactum, quod Deus habebat cum Patribus, vt patet Psalm.131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*: vbi merita allegantur. Idem patet cum dicitur, *Seruorum tuorum, dilecti tui, Sancti tui*, Exo.32. Dan.3. & alibi.

Secundo, Ex Scripturis constat Angelos & Sanctorum animas pro nobis orare: ergo rectè eos inuocamus, vt id crebrò & efficaciter præstent.

Orationum oblatio.

De Angelis, Tobiæ 12. Angelus dicit se obtulisse Deo orationes Tobiæ; quæ oblatio non fiebat nuda tantum exhibitione corã Deo, cum ipsi omnia sint præsentissima; sed cum deprecatione vt Deus illas exaudiret: quo modo per aulicos nobiles cupiunt homines suas preces offerri Principi. Zachar.1. Angelus orat Deum pro populo Iudaico, *Domine exercituum, vsquequo tu non miserebris Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? ille iam septuagesimus annus est.*

De alijs Sanctis patet 2.Machab.vlt. vbi Onias apparuit Iudæ Machabæo, orans pro populo, & Ierem. de quo Onias dicit, *hic est qui multum orat pro populo & sancta ciuitate Ierusalem*: & tamen nondum erant beati. quanto magis in statu beatitudinis orabunt, vbi charitas illorum longè feruentior?

30 Tertiò, Probatur ex Concilijs; Synodus 7. act. 6. *Cum primere Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ & semper Virginis Domine nostræ Mariæ. Item sanctorum Angelorum & omnium Sanctorum, salutantes venerandas illorum reliquias*, &c. Concil. Trident. sess. 25. in princip. mandat populum Christianum doceri, *eos, qui negant Sanctos æterna felicitate fruentes inuocandos esse: & qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, vt pro nobis etiam singulis orent, inuocationem esse idolatriam, vel pugnare cum verbo Dei, impiè sentire*. &c.

Quartò, Idem probari potest ex perpetuo Ecclesiæ vsu; atqui *de eo, quod tota per orbem frequentat Ecclesia disputare an ita faciendum sit, insolentissima insania est*, vt ait Augustin. epistol.118. ad Ianuarium. Idem patet ex Litanijs, quarum vsus in Ecclesia plusquam à mille annis viguit, vt patet ex Concilio Aurelianensi 1. cap.20. & Toletano quinto, cap. primo.

Disputare contra Eccles. vsum.

Locus Hier. mandatus.

Quinto, Ex patribus: solum vnum locum adferam ex Hieronymo contra Vigilantium, *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando de se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post victorias, coronas & triumphos? vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Domino veniam, & Stephanus imitator Domini sui & primus martyr in Christo persecutoribus veniam deprecatur. & postquam cum Domino esse cœperint, nunquid valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperis cum Christo, tunc ora clausurus est* &c.

Probatur ratione.

Sexto, Probatur ratione; Sancti possunt nobis multum prodesse, tum pro nobis orando, tum per se nobis opem ferendo: ergo pium est & vtile illos inuocare. Antecedens probatur Primò, Quòd orationibus suis nobis prodesse possint; quia si cum adhuc essent mortales, exules, subiecti peccatis, solicit & incerti suæ salutis, ita prodesse poterãt, vt ex multis Scripturæ locis constat, vt Iob 42. vbi Iob iussu Dei orat pro amicis & impetrat, 1.Reg.7. vbi populus rogat Samuelem vt pro ipso orare non cesset; ad Rom.15. 2.ad Corinth.1.ad Eph.6.ad Heb.13. Apostolus orationes fidelium pro suis negotijs flagitat: quanto magis nũc cum Christo regnãtes, beati, securi, perfectissima charitate prẽditi, prodesse nobis suis orationibus poterunt? præcipua enim ratio impetrandi est amicitiæ coniunctio, quæ inter Deum & ipsos nunc omnino est consummata.

Possunt eam do prodesse.

Quòd etiam per se multa nobis conferre possint, constat, Primò, ex officio Angelorum custodũ, qui multa mortalibus beneficia præstant, vt Scriptura multis locis docet; vt in historia Tobiæ, in Prophetia Danielis c.3.10.14. Geneseos 48. & alibi. Idem potest alios Sanctos post Christi mortem certissimum est: tum quia sunt similes Angelis, sapientia, charitate, potentia; neque sunt concluſi abditis quibusdam receptaculis, vt hæretici nostri cum Vigilantio somniant; sed possunt esse vbi placuerit; vt docet Hieronymus libr. contra Vigilantium in principio, vbi sic ait; *Si agnus vbique, ergo hi, qui cum agno sint, vbique.* (id est vbicunque volunt) *esse credendi sunt, & cum diabolus & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint; martyres post effusionem sanguinis sui, arcã operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Tum quia Scriptura docet, Sanctos post hanc vitam regere mortales, Apoc.2. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea.* Item *esse columnas in templo Dei*, Apocalyp.3. id est, sustinere Ecclesiam. *Sedere cum Christo in throno*, eodem capite, id est, vnà cum ipso regere orbem. Denique infinitis exemplis & miraculis constat, quantum commodi ex inuocatione Sanctorum in corpore & anima mortalibus obuenerit.

Sanctos vbi que esse posse.

Ex opem pe se ferendo.

32 *Obiectio 1.*

Sed contra Obijcitur Primò, Sancti ignorant preces nostras, *non enim eousque illis longa sunt aures vt ad voces nostras porrigantur*, inquit Caluinus supra numero vigesimoquarto.

Respon.

Resp. Non ignorant, quantumuis occultè fiant. si enim Angeli eas norunt, vt qui eas Deo exhibeant, cur non etiã Sancti? Item si Angeli, qui in cælo sunt, sciunt omnes peccatorum in terris exilientium cõuersiones, deque illis gaudent, Lucæ decimoquinto, cur non etiam Sancti, qui Angelis pares?

Petes, Quomodo cognoscunt eas?

33 *Quo modo cognoscant nostras preces.*

Respondeo, Vel in Verbo vt vult Diuus Thomas quæst. 83.art.4 ad 2. & Caietanus ibidem, vel per reuelationes, vt Cyrillus, catechesi 16 Augustinus de cura pro mortuis, capit.15. sic enim multi Sancti etiam in hac vita, occultissima cognouerunt; Elizæus factum Giezi, 4.Reg.5. Petrus fraudem Ananiæ & Saphiræ, Act 5 Benedictus Totilæ simulationem & futuros euentus, libr. 2. Dialog. Gregor. cap.15. & totum mundum veluti sub vno solis radio collectum, lib.2.dialog.capit.35. Similia multa libro eodem recenset Gregorius & plurimis Sanctorũ hoc donum collatum fuisse ex historijs constat. Denique familiare erat Prophetis occultissima nosse: quãto magis in gloria cognoscent huiusmodi secreta, quando Deus erit omnia in omnibus? ita ratiocinatur D. Augustinus libr.22. de ciuit. cap.29.

Vel denique cognoscunt nostras preces, dum ad ipsos diriguntur; eo modo, quo Angeli & animæ cognoscunt mutuas cogitationes, mediante locutione spirituali, præsertim cùm lumine supernaturali sint illustrati, nec corpus aut interuallum loci impediat. Si enim oculus corporeus tam procul intenditur, vt in cælum vsque pertingat, quanto magis oculus mentis luce diuina perfusus poterit ad remotissima, absque miraculo, vel ope extraordinaria pertingere?

Nec obstant loca Scripturæ, in quibus mortui dicuntur non cognoscere res viuentium, Ecclesiastæ 9. *Mortui nihil cognoscunt amplius*. simile insinuatur Iob 14. & 4. Regum 22. hæc enim intelligenda sunt vel de cognitione naturali,

soli, vel de cognitione, quam habebant toto tempore veteris testamenti: tunc enim erant in limbo, nec fruebantur conspectu Dei, nec habebant illud admirabile lumen, quod illis post Christi mortem communicatum, quo omnia illustrare possunt. vide Diuum Augustinum de cura pro mortuis, cap. 13.

34 *Obiectio 2.* Obijcitur Secundò, Christus est vnicus mediator noster, per quem habemus accessum ad Patrem. ergo nō est recurrendum ad Sanctos; imo id videtur Christo iniuriū, tanquam ipsius reconciliatio sit insufficiens, aut egeat auxilio Sanctorum.

Resp. Christus quo vnicus mediator Respon. Christus dicitur *vnicus mediator* noster, quia principalis, idque ob quatuor causas.

Primò, Quia non tantùm officio, sed etiam natura est mediator, seu medius inter Deū & hominē, vtpote vtriusque naturæ particeps: quam rationem adferunt Patres in illud 1. ad Timoth. 2. *vnus est Deus, vnus est mediator Dei & hominum homo Christus IESVS.* & August. lib. 9. de ciu cap. 17. Secundò, Quia nos reconciliauit; non deprecando, sed condignum pretium exhibendo & satisfaciendo. Tertiò, Quia ex propriis; habebat enim vim illam ex intrinseco, id est, ex natura sui suppositi. Quartò, Quia est mediator omnium; nam omnes, quantum ex parte ipsius, reconciliauit, & pro omnibus satisfecit. Sed hæ tres posteriores causæ pendent ex prima.

Sancti mediatores secundarij. Sancti quoquo modo sunt *mediatores secundarij*; quia nec ex propriis reconciliant nos Deo: (non enim ex ijs, quæ a seipsis habent, sed ex ijs quæ per indebitam gratiam acceperunt) neque omnes reconciliant; neque per modum solutionis, sed deprecationis. Recte tamen dicuntur *mediatores*; quia verè intercedunt pro nobis deprecando, & diuina munera nobis impetrando. Sicut Moyses dicitur sequester & medius inter Deum & populum, Deuter. 5. quia pro populo ad Deum locutus est, & pactum Dei ad populum detulit. Sic Cyrillus Apostolos & Prophetas vocat mediatores lib. 12. thesauri c. 10. quicumque enim interuenit inter duos vt alter alteri reconcilietur, vel aliquid alteri ab altero impetretur, vel vt pactum inter eos ineatur recte dicitur mediator inter illos.

35 *Non obscurari officiū mediatoris Christi illustrari.* Neque hæc intercessio vllo modo obscurat officium mediatoris Christi. Primo, Quia Angeli intercedunt pro nobis orando; imò etiam homines viui, vt ex Scriptura constat. & tamen hæc intercessio non obscurat illud. Secundo, Quia Sancti adhibentur vt comprecatores, nimirum vt suas orationes nostris iungant: quod non potest vllo modo in iniuriam Christi cedere. Tertiò, quia omnem vim interueniendi & impetrandi, quam habent, acceperunt ex meritis Christi, eiusque intercessione. vnde potiùs ad honorem ipsius cedit, quòd possint esse secundarij mediatores; sicut ad honorem primæ causæ cedit, quòd creaturæ sint causæ secundæ: nam ita efficax est Christi mediatio, vt non tantùm reconciliet, sed etiam reconciliatores sub se, qui virtute ab ipso accepta reconcilient efficiat. in omni enim reconciliatione operatur Christi meritum vt prima causa moralis, sicut Deus in omni operatione creaturę naturali quod valdè notandum est contra hæreticos. Decet id etiam ordinem diuinæ sapientiæ, quæ inferiora per media disponit & ad perfectionem perducit. vide Diuum Thomam art. 11.

Christi meritum operatur vt prima causa moralis.

Petes, Quibus meritis nituntur Sancti pro nobis orantes, seu per quæ merita orant?

36 *Quibus meritis nituntur.* Respondeo, Principaliter per merita Christi: quidquid enim nobis datur principaliter datur propter merita Christi, vt colligitur ex cap. 1. ad Ephes. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Secundariò etiam per merita sua. etsi enim ex condigno compensata sint, ita vt nihil illis debeatur ex Iustitia; tamen ex amicitia multa ijs deberi possunt: vt patet exemplis humanis. Itaque hæc merita sunt ratio secundaria beneficiorū Dei: nā Deus applicat se ad benefaciendum nobis propter merita Christi, orationibus Sanctorum inductus. etsi enim Christi merita semper sint ratio principalis ob quæ Deus sua beneficia confert; tamen merita & preces Sanctorum sunt causa cur Deus hic & nunc se applicet & determinet ad hæc vel illa beneficia danda ob Christi merita. Vnde etiam Sancti veteris Testamenti solent orare per merita Abrahæ, Isaac, Iacob, Dauid, &c. Exodi 32. *Recordare Domine Abrahæ, Isaac, & Iacob seruorum tuorum.* Dan. 3. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Psalm. 131. *Memento Domine Dauid*, &c. nempè vt propter hæc Deus hic & nunc se ad benefaciendum inclinaret. Sancti tamen in veteri Testamento inuocari non solebant vt in nouo; quia nondum erant in gloria vt possent nostras preces cognoscere, sicut neque illi, qui in purgatorio; quos ob hanc causam non solemus inuocare, vt colligitur ex D. Tho. art. 4. ad 3.

37 *Obiect. 3.* Obijcitur Tertiò, Qui confugit ad Sanctos, videtur diffidere de Dei benignitate & Christi meritis; ergo.

Respon. Respondeo minimè diffidere, sicut neque diffidit, qui hominis mortalis preces flagitat, nec Angeli diffidunt, quando pro nobis orant. etsi enim sciamus Deum per se esse propensissimum ad benefaciendum, & Christi merita esse sufficientissima; tamen iudicamus nos indignos qui soli coram tanta maiestate compareamus; & non satis dispositos ad beneficia illius excipienda. vnde confugimus ad Sanctos vt nos veluti comitentur, nostrisque precibus suas iungant, qua in re Primò, Honoramus Sanctos. Secundò, Reueremur Dei maiestatem. Tertiò, Illa submissione nos disponimus ad facilius impetrandum. etsi enim Deus sit benignissimus, & Christi merita abundantissima, vt dictum est; tamen vult suam maiestatem & beneficia agnosci, nos ad ea disponi, & suos amicos honorari. vnde etiam vult vt ipsum oremus tum per nos, tum per alios, & maximè per Sanctos, idque vt ipsos honoret, & offendat quantum eos faciat. Ex quo fit vt per diuersos Sanctos, ad illorum inuocationem, diuersa miracula operetur, & beneficia diuersa conferat. Simile cernimus in rebus humanis. gratissimum enim est etiam clementissimis Principibus, vt Rei, quibus parati sunt indulgere, vrantur interuentu eorum, qui ipsis sunt charissimi, & sæpè non aliter volunt ignoscere, & per diuersos diuersa concedunt.

Cur Deus velit nos vti Sanctorum suffragijs.

DVBITATIO VII.

Vtrùm sit orandum pro omnibus.

D. THOM. ART. 7. & 8.

38 RESPONDEO, Esse orandum pro omnibus, qui nondum sunt in termino, etiam inimicis nostris. ratio est, quia omnibus salutem desiderare, & quantum commodè possumus procurare debemus: ergo etiam à Deo petere, confirmatur ex Apostolo 1. ad Thimoth. 2. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus.* hoc tamen non ita intelligendum quasi orare debeamus vt absolutè omnes salui fiant, & nemo damnetur, hoc enim frustrà & stultè oraretur: nam constat ex Scripturis contrarium euenturum. deinde nemo potest orare quod non potest sperare, hoc autem sperari non potest, nam spes supponit fidem, vel opinionem fieri posse vt res eueniat: nemo enim sperat aliquid, quod certò nouit non euenturum. Potest tamē id affectu simplici & inefficaci optari. Alio igitur sensu orandum pro omnibus. Primò, Quia nemo ab orationibus communibus excludendus, vt si quis sic oret, Dimitte nobis debita nostra, præterquàm Ioanni vel Petro: Libera nos à malo, excepto hoc vel illo: hoc enim est contra charitatem: vnde est præcepti hoc modo pro omnibus orare. Nec obstant imprecationes, quæ habentur in Scripturis, vt Psalm. 68. *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* & 108. multæ similes habentur, & alibi frequenter. hæ enim vel propheticè intelligendæ sunt, vt sint prædictiones, non imprecationes: vel in illis significatur conformatio voluntatis cum decreto iustitiæ diuinæ circa dānationem impiorum. vide D. Tho. art. 8.

Quo modo orandum pro omnibus.

Secundò, Quia nullus est in toto genere humano, pro quo laudabile non sit specialim orare; etsi. n. in genere constet plurimos non saluandos, tamen id de nemine constat in particulari; vnde de nemine quamdiu viuit desperandū. quo fit vt etiam pro inimicis orandum sit, precando illis non quidem temporalia, vt honores, opes, vitam, (quæ sæpè rogare possumus ipsis adimi, si per ea noceant, vt multis Scripturæ exemplis constat) sed quæ ad salutem pertineant æternam. Nemo tamen ex præcepto tenetur orare in

particulari pro inimico, nisi in extrema vel graui necessitate eius spiritali; quando præter orationem non se offert aliud remedium. tùc enim si aliqua probabilis spes sit per orationem iuuandi, tenemur. secus si moraliter spes sit nulla tenemur tamè ab orationibus communibus eos non excludere.

39 Tertiò, Quia orandus Deus pro omnibus in genere, vt omnes illuminet & ad salutem perducat, quantũ ratio diuinæ prouidentiæ patitur. sicut enim Deus secundum certum prouidentiæ modum, quantum in se, vult omnes homines saluos fieri, nemine excepto, ideoque etiam secundum illam prouidentiæ mensuram procurat, & Christus est mediator omnium; qui seipsum dedit redemptionem pro omnibus, excluso, nemine; ita nos etiã omnium salutem optare, & pro omnibus orare debemus; videlicet vt neminem excludamus, & omnibus quantum statuta diuinæ prouidentiæ fert mensura, salutis auxilia conferri rogemus. etsi enim fieri nequeat vt secundum illam prouidentiæ rationem omnes simul salui fiant, hominum prauitate supposita: tamen multò plures, quàm reipsa saluentur, facile salutem consequi possunt. Itaque vt quam plurimi ex omnibus saluentur; rogandum est. & hoc sensu orandum pro omnibus. non tamen est præceptum vt sic pro omnibus oremus; præterquam in liturgia, de qua Apostolus loco notato loquitur, testibus Chrysostomo, Theophylacto, Oecumeno.

Certam prouidentiæ mẽsuram adhibet Deus ad homines saluandos.

40 Dixi *orandum pro omnibus, qui nondum sunt in termino, tam viuis quam defunctis*. quia hi omnes interdum auxilio egent, & spes est nostris orationibus iuuandos vt ad terminum perueniant: ceteri vel non egent, vt beati, pro quibus si quis oraret, iudicaret eos beatos non esse: vnde illis iniuriam faceret, iuxta illud vulgatum, *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre*; quod intelligo de eo, qui iudicio Ecclesiæ martyr habetur. Vel spes non est fore iuuandos, vt damnati. Idem dicendum si de aliquo constaret ipsum reprobum esse; non enim possemus pro illius salute vel perseuerantia rogare: vt insinuat Diuus Augustinus libr. de correptio. & gratia cap. 15. quia spes non est illum adiutum iri.

Reprobus.

Cetera, quæ hìc dici possent, vide apud Diuum Thom. articul. 7. & 8.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm forma precandi, quæ horæ canonicæ vocantur, sit vtilis & retinenda in Ecclesia.

41 *Horæ canonicæ.*

HOras *canonicas* vocamus eas preces & laudes diuinas, quæ ex præscripto Canonum ecclesiasticorum in Ecclesia certis horis die noctuque canuntur. eædem vocantur *officium ecclesiasticum*, quia Ecclesiasticorum munus est illas recitare.

Hæretici igitur huius temporis hanc formam reijciunt tamquam inutilem; sed ratione nulla, solo Ecclesiæ Romanæ odio, & cæco furore concitati. Idem olim fecerũt Vualdenses, dicti pauperes de Lugduno, teste Ænea Siluio de orig. Bohemorum c. 35. & Wicleff, teste Thoma Vualdensi tomo 3. c. 21.

Esse piam precandi formam.

Sed fide tenendum est, hanc formam precãdi esse piam & salutarem, ac proinde in Ecclesia retinendam. Probatur Primò, Quia iam inde ab exordio Ecclesiæ semper fuit aliqua publica precandi & laudandi Deum forma, quæ etsi non fuerit ita completa, & in ordinem digesta vt posteriorib. sæculis; tamen seruabat eamdem fere temporum distinctionem, & constabat ijsdem partibus principalibus. Clemens lib. 8 constit. Apostolicarum, cap. 34. inter traditiones Apostolicas, Episcopo & Clero seruandas refert hanc; *Precationes facite mane, hora tertia, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum. Mane gratias agentes quòd illuminarit nos, nocte subducta & redacta die. Tertia, quòd ea hora Pilatus iudicium aduersus Dominum pronunciauerit. Sexta, quòd ea hora in crucem actus sit. Nona, quòd tum omnia mota & tremefacta sint, Domino crucifixo: quia horrerent audaciam impiorum Iudæorum & contumeliam Domini ferre non possent. Vespe-*

Ratio singularium horarum ex D. Clemente.

re, quòd nollem dederis ad requiescendum à diurnis laboribus. Ad galli cantum, quod ea hora iumenta admonitum dici ad faciendum opera lucis. Vbi notanda ratio, quæ in singulis horis dicendis est spectanda. vide Franciscum Turrianum in hunc locum. Hier. epist. 27. *Manè, hora tertia, sexta, nona, vespere, nocti: med. oper. diurnum psalterium canabant* loquitur de Monasterio Paulæ. Cassianus lib. 2. & 3. de instit. cœnobiorum multa habet de canonico psallendi modo per distinctas horas, ostenditque per totum orientem & occidentem in vsu fuisse. Eiusdem consuetudinis meminit Basilius interrogat 37. in regulis fusius disputatis. Beda in capit. 18. Lucæ, explicans quomodo oporteat semper orare, sic ait; *dicendum eum semper orare, qui canonicis horis quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodijs, precibusque consueris Dominum rogare & laudare non desistit; & hoc est, quod Psalmista dicebat, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.*

42 *Quid contineat breuiarium.*

Secundò Probatur, quia hæc forma precandi nihil continet quod non sit summe pium & salutare. continet enim omnes Psalmos, quibus nihil potest esse diuinius, vt qui dictati sunt à Spiritu sancto, & contineant breuiter omnia Scripturæ mysteria per modum laudis, vt ait Dionys. libr. de eccles. hierar. cap. 3. p. 3. Deinde Selectissima quæq; totius veteris & noui Testamenti. Tertio, Selecta Patrum documenta. Quarto, Præcipua quæque gesta Sanctorum. Quintò, Breues precationes, quas Collectas vocant, quæ fere a Summis Pontificibus compositæ fuere. Sextò, Hymnos aliquos a Patribus compositos. vnde merito vocatur *Breuiarium*: quia est compendium omnium prædictorum admirabile. Deinde non solum singula per se pia & salutaria sunt; sed etiam tam apte inter se connexa, suisque temporibus & festis accommodata, vt magnam sua varietate legentibus animi voluptatem & spiritalem consolationem adferant; vt vel hinc perspici queat, singulari Spiritus sancti directione ita dispolita fuisse. quod verum esse deprehendet, qui singula attentè considerauerit.

43 Tertiò, Quia Ecclesia recitando horas canonicas, quodammodo semper orat, semper Deum laudat, semper memoriam diuinorum beneficiorum celebrat, semper gratias agit; & sic implet monitum illud Domini Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* & Apostol. primo ad Thessalonic. quinto, *Sine intermissione orate.* & ad Ephes. quinto, *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritalibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini IESV Christi, Deo & Patri.* Sic etiam imitatur Regium Prophetam, qui de se dicit Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* &, *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo.*

Quo modo semper oret.

Quod *semper oret*, & *Deum laudet*, patet, quia cum nox constet quatuor interuallis, quæ dicuntur *vigilia*, & dies similiter quatuor partibus, seu horis sacris, quarum crebra mentio est in Scripturis; singula interualla suas preces habent: nam pro prima, secunda, & tertia vigilia noctis, sunt preces nocturnæ. hæ vel tribus partibus constant, quæ nocturna dicuntur, vt in festis; (sicut enim quæque vigilia continet tres horas ciuiles, ita quodque nocturnum continet tres psalmos & tres lectiones: vt singulis horis singuli psalmi & singulæ lectiones respondeant) vel vno tantum nocturno, sed duodecim psalmorum, & trium lectionum, ita vt fere tribus nocturnis æquipolleat: vt in ferijs & festis simplicibus. Pro quarta vigilia sunt laudes matutinæ. Pro prima hora diei, quæ durat ab ortu solis vsque ad tertiam exclusiue, sunt preces primæ. Pro tertia, quæ durat à tertia vsque ad sextam exclusiue, sunt preces tertiæ. Pro sexta, quæ durat à sexta diei vsque ad nonam, sunt preces sextæ. Pro nona, sunt preces nonæ. Pro vespera appetente, sunt preces vespertinæ. Pro initio noctis est completorium. Non tamen est necesse vt præcisè istis temporibus illæ preces dicantur: sufficit habere respectum ad illa; & officium publicum, quatum commodè fieri potest, illis temporibus accommodari. ita enim passim nunc habet recepta consuetudo; quæ rerum huiusmodi est moderatrix. melius tamen est hæc tempora præuenire in priuato officio, quàm vlterius differre; vt passim Doctores notant. Imò si quis aduertat impedimentum occursurum, præsertim voluntarium, tenetur præuenire. si non fit voluntarium, (vt si febrim hora decima antemeridiana expectes)

expectes) quidam parum ante de necesse præuenire: quod ego puto satis probabile; modò si impedimentum cesset ante duodecim nam noctis, prætermissa recites.

DVBITATIO IX.

Quinam ad preces canonicas obligentur, & quanta sit hæc obligatio.

44 RESPONDEO & dico Primò, Tantùm tria hominum genera ad eas teneri, Clericos sacrorum ordinum, beneficiatos, & Religiosos ad horum professos. Est communis sententia Doctorum recte Nauarro, de horis canonicis cap. 7. num. 1. De Clericis sacrorum ordinum probant Doctores. Primò ex capit. 1. de celeb. Missarum, vbi dicitur, *Presbyter mane, matutinali officio expleto, peracto sacrificio, missam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persoluat*. Verùm hic tantùm agitur de presbytero, & quidem Parocho vel Rectore Ecclesiæ; vnde nihil probat de diacono vel subdiacono: præterea cùm obligationes sint stricte interpretandæ.

Clerici sacrorum ordinum teneri.

Secundò, Probant ex c. 9. Si quis presbyter. d. 92. Verùm ibi non tantùm agitur de Clericis ordinum sacrorum, sed etiã de alijs; nam loquitur de omnibus Clericis alicui Ecclesiæ deputatis, id est, qui habent beneficium aliquod Ecclesia, ratione cuius ei debent seruire. Item loquitur de officio publico; quod fit in Ecclesia; subditque *à Clero deponendum, quicunque sacrorum officia Psalmodiæ, matutinis & vespertinis horis non conuenerit*.

Tertiò. Probari potest ex capit. Dolentes. 9. de celebratione Missarum, vbi Innocent. III. cum Concilio generali præcipit, *Prælatis & maioribus Clericis in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium, in diurnum pariter & diuinum, quantum eis dederit Deus. Studiosè celebrent pariter & deuotè*. Sed hic non exprimitur qui sint illi minores Clerici; & Concilium videtur loqui de officio publico.

45 Quartò, Probatur ex antiqua & generali totius Ecclesiæ consuetudine, quia non solùm presbyteri, sed etiam diaconi & subdiaconi censentur ad horas canonicas obligati. Itaque etsi nullus Canon scriptus esset, quo hi obligentur; (vt insinuat Nauarr. suprà) tamen hæc consuetudo cùm vim legis habeat, sufficit. & merito hi obligantur; quia per ordinem sacrum accipiunt in Ecclesia statum, qui ad cultum & laudes diuinas celebrandas est institutus; vnde ratione status obligantur præ ceteris in genere. Ne autem in incertum ferrentur, determinatæ sunt illæ laudes & preces in horis canonicis: & ita accedente consuetudine inuecta est obligatio. Neque liberantur hac obligatione ratione excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut etiam realis degradationis; vt docet Nauar. cap. 7 num 17. & Syluest. verbo Hora quæst. 3. quia par non est vt ex delicto cõmodum referant, & soluantur vinculo obligationis præcedentis, præsertim cùm recitatio horarum illi pœnæ non repugnet. Idem dicunt aliqui de damnatis ad remes, sed puto vsum esse in contrarium: tum quia isti habent afflictionis, dum vitæ illi supplicio detinetur; tum quia animus rarò talibus ad obsequê Iam est comparatus; tum quia id cederet in dedecus ordinis ecclesiastici, si in illa hominũ colluuie ostenderent suum statum.

Diaconi, & subdiaconi obligantur cõsuetudine.

Excõicati & degradati.

46 Clerici verò minorum ordinum, tõne sui gradus ad horas canonicas non astringuntur, quia nondum sortiti sunt statũ inter Ecclesiæ ministros; possunt etiam matrimonio iungi. Quidam tamen putant eos teneri ad horas Beatæ Virginis, vel ad septem Psalmos, vel ad canticum graduum: sed certum est neque iure communi, neque consuetudine vniuersali eos ad aliquid horũ teneri. Si tamen in aliqua diœcesi esset generalis consuetudo, quæ per modum legis sit recepta, ibi tenerentur; vt docet Medina C. de ora. quæst. 7. in fine. an autem sit alicubi talis consuetudo non constat. Sotus lib. 10. de Iustitia, quæst. 10. 5. ar. 3. putat non esse loco nec Episcopum suo præcepto vel statuto posse introducere. Quod probari potest Primò, Quia quod Ecclesia vniuersalis reliquit liberum, non potest Episcopus particularis in sua Ecclesia facere præceptum, nisi in ea Ecclesia sit peculiaris ratio; quæ in proposito non occurrit. Aliquin facilè fieret vt nimiùm grauarentur subditi, si non soli-

Clerici minores ad quas preces obligentur.

An Episcopus possit imponere.

Pontifex, sed etiam singuli Episcopi possent onera perpetua imponere. Secundò, Quia omnes Ordines descendunt à Summo Pontifice in totam Ecclesiam: ergo ad illum solum pertinet disponere de functionibus & obligationibus, quæ ratione Ordinis imponuntur. Tertiò, Quia alioquin non posset seruari vniformitas; quæ tamen multùm facit ad Ecclesiæ decus & vtilitatem. Hinc etiam fit vt Episcopus non possit statuere de ætate vel temporibus ordinandorum, &c.

Verùm etsi non possit onus perpetuum imponere, potest tamen præcipere ordinato, vt his, terve illas preces reciter; sicut ex causa potest aliquod ieiunium his, terve in sua diœcesi imponere: hoc enim neque graue censeri potest subdito, neque per illud receditur à consuetudine vniuersali.

Petes, Verùm Clericus primæ tonsuræ vel minorum ordinum teneatur saltem ad Psalmum Miserere. 47 *An ad Psalmum Miserere.*

Respondeo, Probabile esse teneri, saltem sub peccato veniali, quia videtur esse consuetudo generalis, & Prælati vbique imponunt.

Contraria tamen sententia videtur verior; tum quia valdè pueri accipiunt tonsuram, quos non videtur Ecclesia velle sub peccato ad hoc obligare; tum quia plerique non agnoscunt hic vllam strictam obligationem, nec Doctores aut confessarij illam vrgere solent, tum denique quia si esset peccatum veniale semel omittere ob materiæ paruitatem, sequeretur esse peccatum mortale si quis semper omitteret, vel si vna volitione vellet omittere per hebdomadã, quia esset materia satis magna. quæ ratio vim habet, si obligatio nõ est alligata diei, ita vt cum die expiret, sicut in horis Canonicis. Itaque etsi sit consuetudo vt dicatur, hæc tamen non est per modum legis obligantis. sed consilij & ex decoro.

Dices, Iure naturali tenentur amplius orare, quàm laici: tum quia diuino cultui sunt addicti, tum quia fruuntur priuilegio clericali: ergo saltem tenentur ad aliquid indeterminatum. *An iure naturali teneãtur ad amplius.*

Respon. Ita sentiunt multi Doctores inter quos Paludanus in 4. d. 15. q. 5. art 1. conclu. 3. & Nau. c. 7. de orat. nu. 34. vbi dicit *innumera peccata committi ob ordinatos prima tonsura, & quatuor minoribus, quia plerique non plus laudant Deum, nec amplius orant pro populo, quàm si ordinati non essent*. quæ sententia est probabilis. Sotus tamen, quem multi sequuntur, non vult eos teneri aliquo præcepto; sed solum ex decentia, quæ non obliget ad vllum peccatum: non enim Ius naturæ dictat illos obligari, sed solum decens esse vt id faciant.

De beneficiarijs est communis sententia DD. vide Nau. c. 7. de or. nu. 27. ratio est, quia beneficium datur propter officium spirituale, quod vel totum vel magnam partẽ consistit in horis canonicis. sed de hoc dictum est sup. cap. 34. dub 30. & 32. 48 *Beneficiarij.*

De religiosis ad chorum professis, nondum ordinatis est communis sententia DD. Sed difficultas est, quo iure teneantur; non enim Iure Canonico scripto cum nullus Canon ea de re exstet, vt Caietanus ait; nec Iure naturæ, quia non pertinet ad essentiam Religionis. Neque ex vi voti, aut professionis, quia voto se ad hoc non astringunt. Nec tenentur ratione eleemosynarum, quibus viuunt; quia non dantur cum hoc onere, sed vt viuant secundum suum instituti tum. Quòd si sit aliqua talis fundatio, ea Conuentum obligat, non singulos. Itaque solum videntur teneri præscripto regulæ, vel certè consuetudine vbique recepta. Idem dicendum de Monialibus choro mancipatis: vt docet Nauar. supr. num. 21. Caiet. tamen ver. Horæ canonicæ, de consuetudine dubitat: *Nisi*, inquit, *consuetudo eas obliget, de qua nihil scio*) *non tenentur ex professione*. Idem tenet Ioannes Medina q. 7 de oratione sub finem. vnde Petrus Arragon. q. 83. art. 11. putat non esse peccatum mortale, si his terùe priuatim officium omittant: quia hæc consuetudo orta est ex statuto regulari, quod ad peccatum mortale nõ solet obligare. Certum tamen est nouitios non teneri; quia nondum firmiter diuino obsequio mancipati. neque etiam illos, qui non ad chorum, sed ad militiam vel ad alias functiones laicorum profitentur, vt sunt milites variorum Ordinum, & ij, qui dicuntur Conuersi; vt docet Nauarrus de horis canonicis, cap. 7. num. 22. & in Enchirid. cap. 25. numero 97. 49 *Professi ad chorum.*

50 *Fugitiuus.* Petes, Vtrùm Monachus fugitiuus vel eiectus teneatur cùm à Monasterio non alatur?

Eiectus. Respondeo cum Nauarro nume.20. fugitiuum teneri, quia potest redire;& par non est vt ex sua malitia, qua abest, commodum referat.eiectum tamen puto non teneri; (etsi Nauarro aliter videatur) quia suo arbitrio se non separauit, & non est in ipsius potestate redire. deinde videtur non esse consuetudo vt tales recitent horas, nisi sint in sacris. Ita Sotus.

51 Petes, Vtrùm Superior possit in hac obligatione ex causa dispensare? v.g. ratione studiorum aut negotiorum.

Dispensatio. Resp. Cùm haec tota obligatio ex consuetudine pendeat, credo posse dispensare, quando causa subest sicut in alijs statutis, etiam obligatorijs, potest. imò si in aliquo Ordine vel Monasterio est consuetudo vt professi nondum ordinati, in studijs versantes, vel alijs negotijs occupati, propter quæ choro interesse nequeunt, non recitent officium ibi non opus est dispensatione.

52 *An peccent lethaliter.* Dico Secundò, Supradicti ita obligantur, vt mortiferè peccent, si horas, vel semel absque causa prætermittant. est communis sententia Doctorum. vt docet Nauarrus cap.7. nume.5. Excipio Angelum ver. Hora.§.10 & Rycardum, quem ille citat: hi dicunt non esse peccatum mortale eas omittere, nisi quis consuetudinem habeat omittendi, vel ex contemptu id faciat: quam sententiam non audeo dicere probabilem, quia est contra torrentem Doctorum. Imò Nauarrus cap.7. de orat. num.6.& alij, docent esse peccatum mortiferum, si vel vna hora negligatur, v.g. tertia, sexta, nona, completorum. Quod autem idem Nauarrus & quidam alij volunt omissionem tertiæ partis vnius horæ, v.g. vnius Psalmi cum hymno, esse peccatum mortale, id sanè durum videtur. etsi enim vna hora sit materia grauis & sufficiens vt sub peccato mortali præcipiatur; non tamen inde sequitur tertiam eius partem talem esse; alioquin etiam tertia pars vnius Psalmi talis dicenda esset. Itaque etsi omittere sextam vel nonam integram, sit peccatum mortiferum, quia multæ preces omittuntur, non tamen sequitur mortiferum esse, si tertia pars sextæ vel nonæ omittatur. Ita tenet Angelus ver. Hora num.18. citans Palud.d.15.qu.5.

Tertia pars vnius horæ.

An duplex peccatum. Ex dictis sequi videtur beneficiarium Ordinis sacri duplex peccatũ mortiferum admittere, omittendo officium, quia contra duas virtutes diuersas peccat. nimirum contra iustitiam, & contra virtutem religionis. Ratione n. ordinis sacri, tenetur lege religionis. illæ enim preces ordinatis præcipiuntur tanquam officium religionis congruens eorum statui, & bono ecclesiæ, & hac ratione ad illas tenetur, etiam cessante quauis alia obligatione. Ratione verò beneficij tenetur lege iustitiæ, quia beneficium datur propter officium, & præbenda est veluti merces & stipendiũ illius operæ, iuxta modum suprà cap.34. dubitatione 32. explicatum.

Contrariũ tamen tenet Henriq. lib 2.de pœniten.cap.5. numer.6.littera P. Quod ita probari potest: quia officium vnius diei, etsi in se, vt est opus religionis & cultus, sit notabile quoddã ad quod sub mortali obligemur, si præcipiatur: tamen non videtur ita notabile vt sit materia iustitiæ, præsertim respectu Ecclesiæ cui est debitum. non n. videtur notabili iniuria vel damno ecclesiam afficere, si semel officium prætermittat. ergo ex hac parte non erit culpa mortifera. sicut qui pro altero tenetur ieiunare ex promisso vel contractu, quia ab eo sustentatur, non peccat mortiferè, etiamsi semel ieiunium omittat, quia non censetur notabilis læsio in illo genere. Vnde sepositio ecclesiæ præcepto beneficiarius præcisè ex contractu seu obligatione iustitiæ ad ecclesiam non peccat mortiferè semel horas omittendo. Si tamè ixpè omitteret, esset mortale, quia ex natura rei debita parua accumulantur, & efficiunt materiam magnam, sicut is qui quotidie debet facere Sacrum, non est damnandus peccati mortiferi, si semel vel bis omittat etiam absque causa. quia in illo genere nõ censetur graue damnum, aut grauis læsio. Fateor tamen beneficiarios in sacris constitutos grauiùs alijs ordinatis peccare; quamuis hic excessus non videatur mortalis.

Veritas ẽã sotto. Circa prædicta tamen aduerte, si cum socio alternatim recites, non censeri omitti quod per ipsum legitur; quia id cõmunione socij fit tuum, modò illud audias: & Ecclesia hanc rationem in officijs diuinis permittit, quia sic minore fatigatione, & attentiùs, & plerumque iucundiùs legũtur. Vnde hic modus etiam in recitanda corona B. Virginis, alijsque precibus, vbi vel plurimi sunt versiculi, vel eadem sæpissimè repetenda, adhiberi potest: etiamsi ex præcepto aut voto ad illas sis obstrictus, vt si septem Psalmos pœnitentiales vel totum Psalterium legere debeas; vt fusè probat Nauarr. tract. de ora.c.10.num.27.& ratio est, quia non minùs hic excitatur deuotio, & obtinetur finis orationis, & moraliter totum legi censetur. Hoc tamen intellige, nisi aliud expressè sit iunctum; quod est rarissimum.

Vnde hic mos manarit. Introduxit hunc modum alternatim psallendi in suam Ecclesiam, nimirum Antiochenam, primus B. Ignatius; vnde sensim in totum orientem dimanauit. Causam dedit visio quædam cælestis, in qua Angelos sanctam Trinitatẽ ἀντιφώνως, id est, alternis vocibus collaudantes audiuit, teste Socrate l.6 hist.c.8. In occidente verò primus S. Ambrosius eamdem rationem in sua Ecclesia instituit, teste Isidoro lib.1.de offi.eccle. cap.7. quem reliquæ occidentis Ecclesiæ sunt secutæ. antea omnes simul canebant, nec erat in choros distincti.

Petes, Vtrum omittere omnes horas vnius diei, sit vnũ peccatum an multa?

53 *An omissio omnium horarũ sit vnũ peccatum.* Naua.c.7.nu.6.& multi alij docent esse vnum peccatũ, quia septem horæ canonicæ vna tantùm sunt oratio, vnũ officium diuinum.

Sed hæc ratio difficilis est, Primò, Nam singulæ horæ sunt distinctæ orationes, distincta officia, distinctis temporibus Deo soluenda, ad quorum singula obligamur sub peccato mortali: ergo singulorum omissio est distinctum peccatum mortale.

Secundò, Singulorũ recitatio est impletio præcepti, saltẽ virtute distinctiua. nam præceptum de dicendis horis implicitè continet septem præcepta, quatenus septem opera distincta, & inter se minimè connexa præcipiuntur. hinc fit vt possim implere præceptum de precibus primæ, etiãsi non impleam præceptum de horis tertiæ. præcepta. n. ex diuersis operibus præceptis multiplicantur: ergo singulorum omissio est distinctum peccatum mortiferum.

Tertiò, Etiamsi sit vna volitio, qua volo omittere omnes horas; tamen virtute est septuplex, quia per eam septẽ distinctæ omissiones sunt volitæ, & ab ea procedunt: singulæ autem omissiones sunt distincta peccata externa. Vnde fit vt etiam in confessione explicandum sit quot horæ sint omissæ. Hanc sententiam insinuat Tabiena.ver. Hora quæst. 18.

54 *Causa excusantes.* Dixi, *Sine causa*, quia si causa iusta prætermittendi subsit, nullum erit peccatum, vt si absque notabili dolore capitis vel oculorum, vel simili molestia dicere nequeas; si periculum grauis mali incurreres, vt inter hæreticos; si concio vel alia functio publica prætermitti deberet, vel conueniens modo fieri nequiret, nisi horæ omittantur. Itẽ si ob cæcitatem vel debilitatem nequeas dicere saltẽ maiorem partem, ad nihil teneris. si maiorem partem potes, teneris illam recitare. Ita Nau.de ora.c.11.nu.13.& seq. si ob infirmitatem non potes nisi ope socij, nec consueueris eo vti: non teneris: secùs si consueueris. Non tamen excusatur quis, eò quod in studijs versetur, aut iter faciat. Vide Nauarrum in Enchir.cap.25. num.100. & sequentibus, & tract.de oratione, cap.11.

DVBITATIO X.

Quomodo preces horarię recitandę.

55 RESPONDEO. Recitandas esse *studiosè, & deuotè*: ita enim præcipitur in Concilio generali sub Innoc.III. *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum; quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & deuotè.* Et quamuis ibi videatur esse sermo de officio publico, idem tamen dicendum de eo, quod priuatim dicitur; quia est eadem ratio.

Quid requiratur vt studiosè. Vt *studiosè* celebretur, tria requiruntur. Primò, Vt absq; syncopa, (vt ait Glo.) id est, absque verborum omissione: vt fit, dum priora verba versiculi iunguntur vltimis, absorpus medijs. Secundò, Vt verba non mutilentur aut truncatim proferantur. abscissis quibusdam syllabis, præsertim vltimis. Tertiò, Vt absque interruptione.

Quod

56 *Syncopatio.*

Quod ad primum attinet, si sit valdè magna *syncopatio*, erit peccatum mortiferi, maxime in officio publico; quia contra strictum præceptum Concilij in re grauí: nisi enim esset res grauis, non præciperet in virtute obedientiæ. In officio priuato non facile erit mortale, nisi sit enormis excessus; quo casu tenebitur etiam repetere. Si autem non sit magnus excessus, erit peccatum veniale, modo id volũtarie fiat. Si autem inuoluntarie, v. g. ex linguæ præcipitantia, balbutie, mollica consuetudine, quæ corrigi nequeat, vel ob iustam æstimationem; non erit peccatum.

De secundo, *Aliquibus syllabis non* erit nisi peccatum veniale; manet enim integra precum substantia, ita vt intelligi possit. Si inuoluntarie fiat, nullum peccatum est.

57 *Intermissio.*

De tertio, *Interrupto quando*, si fiat absque iusta causa, est peccatum; quia aliquam irreuerentiam continet; sed non videtur nisi veniale in officio priuato; manet enim substantia precum, etsi in medio cursu fiat aliqua intermissio. Vnde etiamsi duret per vnam vel duas horas, non necessariò est repetenda quod ante recitatum est. Confirmatur, quia singuli psalmi, imò singuli pene versiculi per se suum habent pondus & completam significationem; suntque per se vel precatio quædam, vel laudatio, vel sententia non habens necessariam cum alijs connexionem. Colligitur ex Caietano in Summa v. Quando horæ, §. Quoad quartum, vbi dicit, *In huiusmodi circumstantijs non incurri peccatum mortale sine contemptu; quia non spectant ad substantialia materia præcepta.* Idem censent multi viri docti ea de re cõsulti, & Beltanus libro 3. de bonis operibus capit. 6. in fine quartæ assertionis, Læsius Zaccus in Summa cap. 83. de officio diuino numero 10. dicit esse probabile, & citat Aragon.

Interruptio non est peccatum mor.

58 Dices, Quando est magna intermissio, priora & posteriora non efficiunt vnam orationem, vnum officium diuinum, ac proinde ex illis partibus nõ constituitur officium primæ vel tertiæ, &c. Ob hoc argumentum, Nauarrus de orat. c. 16. n. 75. putat esse peccatum mortale, nisi fiat cum animo repetendi priora. Idem insinuat Ioannes Medina, C. de orat quæst. 16. art. 3.

Sed verius videtur quod diximus, quia non est de substantia singularum precũ vt continuentur. Secus est in formis Sacramentorum vbi requiritur moralis continuatio.

Ad argumentum Nauarri, Resp. Ex partibus vnius longæ orationis tempore seiunctis posse constitui, vnam orationem, vnum officium diuinum; sicut ex omnibus horis constituitur vnum officium diuinum, & ex multis confessionibus vna confessio, & ex multis disputationibus vna integra disputatio. Sicut enim declamatio, confessio, vel disputatio non definit esse vna, eo quòd diuidatur in diuersa tempora; ita nec officium primæ, vel tertiæ amittit suam necessariam vnitatem per hanc diuisionem: quia illa magis consistit in integritate, quàm in continuatione.

Dixi, *Si fiat absque iusta causa*, quia si iusta causa subsit, nullum est peccatum; vt si voceris a Superiore, si ex officio vel mandato Superioris, vel charitate proximi occurrat aliquod opus faciendum, quod non potest commodè differri. Quando tamen huiusmodi impedimenta sunt præuisa, decent vitari quantum commodè fieri potest; idque vel illa opera anticipando, vel horas alio tempore dicendo.

59 *Si animo repetendi interrumpat.*

Petes, Verùm si quis interrumpat officium animo repetendi iam lecta, satisfaciat, si postea non repetat, sed solùm sequentia adiungat? Medina qu. 16. de oratione art. 3. & Nauarrus supra nu. 73. docent illum non satisfacere, nisi priora repetat. Idem censent quicumque aliquis facit opus præceptum animo non satisfaciendi obligationi præcepti. Probatur, quia is, qui debet mihi 100. non liberatur obligatione, si donet mihi 100. gratis, & absque animo soluendi debitũ: ergo similiter qui debet aliquod opus ex præcepto, non liberatur obligatione, si faciat illud animo non implendi præceptum.

Sed verius est non teneri repetere; sufficit enim vt mutet propositum & adiungat cetera. Simili modo, qui die festo audiuit Sacrum animo non satisfaciendi præcepto, & audiendi aliud, potest mutare animum & non audire. Ratio est; quia opus præceptum, non est v. g. audire Sacrum animo implendi præceptum, sed simpliciter audire Sacrum attentè & deuotè. hoc autem fit, etiamsi fiat animo non implendi præcepti. Itaq. satisfactum est intentioni Ecclesiæ quoad rem præceptam: vnde nec incurret censuram non audienti positam. Ne tamen censeatur præceptum ipsum in animo cõtemnere, debet explicitè vel implicitè intendere ei obedire & satisfacere per hoc opus vel per aliud. vnde si expressè intendat non satisfacere per hoc opus, debet habere animum satisfaciendi per aliud: alioquin peccat contra præceptum, non quidem omissione operis externi, sed interno contemptu; quia non vult obedire præcepto, quamuis reipsa ei obediat, faciendo opus illũ autem animum debet habere, quamdiu manet in priore proposito, quo vult non esse latisfactum præcepto, opere præcedenti. Itaque si mutet hoc propositum, non est necesse vt permaneat in voluntate operis iterandi; nec tenetur iterare: quia non amplius contemnit præceptum contemnere. Idem dicendum de precum re petitione.

60 *Discrimen inter deitiũ obedientiæ & Iustitiæ.*

Alia est ratio cum aliquid debitum est ex iustitia: tunc enim is cui debetur, ius habet in suum commodum aliquid exigendi, quod ius non extinguitur gratuita donatione. at cum aliquid solum est debitum ex præcepto, non in commodum præcipientis, sed solius subditi, satisfit huic debito, si opus absolute fiat: quia eo ipso, quo præstatur, obtinetur id, quod præcepto intenditur, nimirum bonum ipsius subditi. sed de hoc plura tract. de legibus dicenda.

Deuotè.

Altera conditio est *Deuotè*. vt autem *deuotè* celebretur, duo requiruntur, *attentio*, & *reuerentia*. sola enim *attentio* non sufficit; nam oratio est actus religionis, ac proinde requirit reuerentiam; aliud enim est orare, aliud attentè aliquid legere. Verùm magna difficultas est, qualis attentio, & qualis reuerentia requiratur. Vide lit.

DVBITATIO XI.

Quæ & quanta attentio requiratur in horis canonicis.

D. THOM. ART. 13.

61 *Attentio externa.*

NOTANDVM est Primò. *Attentionem* in oratione posse esse multiplicem: alia enim est interna, alia externa. Externam voco, quæ est circa externam pronuntiationem & totius corporis cõpositionem; qua quis exterius se gerit in speciem orantis, abstinetque ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit.

Interna.

Interna est, qua quis attendit animum ad Deum vel res diuinas, excitatque in se erga Deum reuerentiam.

Attentio quadruplex.

Rursus, alia est circa verba, vt rectè pronuntientur; alia circa verborum sensum, vt mente percipiatur, & affectus illi applicetur: alia circa Deum, vt verba orationis ad ipsum dirigantur: alia ad id, quod petimus a Deo vel ad rem aliquam piam, per quam Deum laudari & affectum nostrum excitari cupimus. Denique quæuis ex his attentionibus potest esse vel actualis vel virtualis: item vel confusa vel distincta.

62 *Internum requiri.*

Notandum Secundò, In omni oratione iure diuino naturali requiri attentionem & reuerentiam internam: qui enim cum Deo colloqui, a Deo aliquid petere, Deum laudare intendit, conuenienti modo id facere debet; sicut qui hospitem aliquem recipit, eum pro sua dignitate, quantum commodè potest, tractare debet; alioquin nõ tam videtur illum honorare quàm contemnere. Itaque etsi non teneat nunc orare, si tamen velim, & orem, teneor debitam reuerentiam & attentionem adhibere. Hinc fit vt omnis voluntaria distractio in propriè dicta oratione, sit aliquod peccatum: vt rectè docet Caietanus artic. 13. & Nauarrus capit. 25. num. 105. Hoc tamen peccatum non est nisi veniale, quando oratio est libera, vel saltem non obligatoria, nisi sub veniali: quòd si quis non tam intendat orare, quàm pio exercitio, recitando precum verba, se occupare; non peccabit, etiamsi sponte alia cogitet, & sæpè orationem interpellet.

Distractio voluntaria quando peccatum veniale.

Quando iure diuino ad orationem obligamur sub peccato mortali; tunc voluntaria distractio erit peccatum mortiferum.

His positis, in quibus Doctores conueniant, quæstio est, quando solum præcepto Ecclesiæ obligamur ad orandum.

Multi

significetur omne alimentum substantiæ nostræ congruè, hoc.n.proprie est ἐπιούσιον vt rectè Suidas interpretatur: quasi dicas ἐν τῇ οὐσίᾳ ἁρμόζον. vnde idem rectè dicitur *quotidianus*, nam natura nostra quotidie refici debet, & alimento congruenti sustentari. quàmus ἐπιούσιον possit & deduci παρὰ τὸ ἐπιέναι, quod non solũ de crastinũ, sed etiam hodiernum, qua parte nondum præsens est, significat, à verbo ἐπιέναι, *accedere*, hinc ἐπιούσιον quod ad diem accedentem pertinet. itaque ἐφ' ἑκάστην ἐπιοῦσαν, est qui diei accedenti est accommodatus & necessarius. Sic enim expressa est hæc petitio, ac si prima luce fundẽda esset. quare optimè interpres mentem Euangelistæ spectans (qui per ἐπιούσιον, non volebat significare τὸ αὔριον diem crastinũ, sed instantem) vertit quotidianum. additur *hodie*, tum vt significetur cauẽ tam solicitudinem in crastinum; tum quia quotidie hæc oratio fundenda, & necessaria à Deo petenda; cùm assidue ab ipsius beneficentia pendeamus.

18 Quinta, *Dimitte nobis*, &c. Petimus nobis condonari delicta nostra: *nam debitum in Scripturis delicti figura est*, vt ait Tertullianus, quia delicti effectus & germen. Nam ex delicto duplex debitum contrahitur, culpæ & pœnæ. *Debitum culpæ* est obligatio compensandæ iniuriæ per peccatum Deo illatæ. hoc debitum fit ex peccato mortifero ortũ sit, nullo modo ad æqualitatem solui potest à nobis, sed à solo Christo, vt in 3. quæst. 1. tradi solet. *Debitum pœnæ* est obligatio luendi pœnam æternam vel temporalem. vtrumque petimus nobis ignosci.

Duplex debitum.

19 *Sicut & nos dimittimus*, &c. Illud *sicut* non significat regulam, quam Deus in condonandis peccatis sequatur, quasi petamus vt Deus nõ benignius & promptius, nec maiora cõdonet nobis quã nos proximis nostris, sed causã inducẽtiuam, vt patet ex Luc. cap. 11. vbi sic dicitur, *Dimitte nobis debita nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis*. est enim conditio quædam, quàm Deus à nobis requirit, vnde apud Matth. immediate post hanc orationem subdit Dominus, *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cæ elestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Itaque allegamus hic à nobis impletam conditionem, non quod nihil aliud ad remissionem peccatorum obtinendam requiratur; sed quia est dispositio maximè congrua, sine qua non est nobis venia sperandæ: & qua posita, omnino sperandæ est; nisi aliud quid impediat, vt defectus doloris, vel propositi emendationis.

Sicut.

Quid condẽnandum proximo.

Petes, Quid tenemur debitoribus nostris dimittere?

Resp. Non pecuniam, non famæ & honoris restitutionem; sed iniuriam nobis illatam, ita vt propter illam non prosequamur eos odio, nec velimus vindictam priuatam, nec etiam publicam, nisi quando bonum publicum aut recta ratio aliud postulabit.

20 Sexta, *Et ne nos inducas in tentationem*. Petimus ne Deus permittat nos vlla tentatione vinci. hoc; nos semper dirigat, vt numquam succumbamus: hoc.n.est induci, seu vt Græcus textus habet, inferri in tentationem, μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς ne inferas, id est, ne finas inferri. Interdum enim dicitur Deus facere, quod permittit, quia fieri nihil ipso annuente & manum omnipotentiæ suæ laxante, non potest. Sic Matth. 26. Dominus monet, *vigilate & orate ne intretis in tentationem*. id est ne tententationi cedatis. causam addit, *quia spiritus* (id est, diabolus) *promptus est*, ad tentandum & incitandum ad peccatum; *caro autem* (id est, homo) *infirma* ad resistendum, sine ope diuina.

Facere pro permittere.

Septima, *Sed libera nos à malo*. Petimus hic liberari ab omnibus diaboli, & consequenter etiam malorum hominum, qui sunt membra eius, vtpote à malo Græce est ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quo nomine diabolus significari solet in Scripturis: vt 1. Ioan. 5. *Maligno* (ὁ πονηρὸς) *non tangit eum*. &, *Totus mundus in maligno positus est*; id est, sub diaboli potestate. & 1. Ioan. 2. *Vicistis maligum*. Matth. 5. *Quod his abundantius est, à malo est*. & alibi.

Maligno.

Amen. Clausula *Amen*; quã Hieronymus vocat signaculũ orationis Dominicæ, est approbantis & optantis vt ita fiat Græcis γένοιτο Psal. 40. *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & in sæculum, fiat, fiat*. Græce γένοιτο, γένοιτο. Idem habetur. Psal. 71. versu vltimo, per se tamen idem valet, quod vere, teste Hieronymo.

21 Notandum est ex D. Thoma art. 5. Inter ea, quæ à Deo petì possunt, quædam absolutè petenda esse, vt ferè sunt ea, quæ oratione Dominica continetur. alia solũ sub conditione tacita vel expressa; vt sunt diuitiæ, honores, longa vita, opulẽta matrimonia, vxor speciosa, pulchræ proles, & similia. hæc.n. quia sæpissimè hominibus sunt exitio, nõ sunt petenda absolutè, sed sub conditione, si nobis sint futura salutaria; quod soli Deo perspectum est. Vnde in istis optima orandi forma est rogare Deum vt nobiscum agat sicut nouit expedire ad suam gloriam & salutem nostram.

Duplicitèr, quæ a Deo petantur.

Petes, Verùm sit peccatum ea secundum se desiderare & petere a Deo?

Respondeo, Si quis hec ita desideret, vt non curet, sintne ipsi futura salutaria an non peccat; quia illa plus amat quã suam salutem. Si tamen speret non obfutura saluti, non videtur desiderium, quo illa per se appetuntur, esse malum, modo ea mensura appetantur, quæ non sit contra rectã rationem; quia sunt bona indifferentia. vnde si quis ea sic petat a Deo, non videtur peccare; nam Iudæi talia a Deo petebant, & talium bonorum in veteri Testamento promissiones pro legis obseruatione acceperunt. Si tamen desiderium & solicitudo modum excedant, peccatum est.

Si bona a diaphora per se petantur.

DVBITATIO V.

Quibus conueniens sit orare.

D. THOM. ART. 3.

22 RESPONDEO, Conuenire soli naturę rationali Superiorem agnoscenti, a quo aliquid boni sibi vel alteri expectare possit. Ratio est, quia oratio est petitio quædã ad Superiorem directa; petitio autẽ est actus rationis, quo desiderium exprimitur aliquid impetrandum.

Hinc patet primò, Orationem non conuenire personis diuinis; tum quia Superiorem non habent, a quo sibi vel alteri aliquid possint expectare; tum quia singulæ sua auctoritate & potestate omnia possunt.

Patet Secũdò, Eam conuenire tum Angelis sanctis: quia etsi nihil superfit quod sibi peculiariter petant, nobis tamen bona spiritalia & salutem expetunt, & Deo aduentum regni futuri: tum animabus beatis, quæ præterea sibi petunt resurrectionem corporum: tum viatoribus, quibus & sibi & alijs multa petenda: tum defunctis, qui sunt in purgatorio, quos pro se orare vt à pœnis soluantur non videtur dubitandum; quicumq; enim in graui afflictione cõstitutus scit esse aliqua remedia, quibus possit liberari, dubium non est quin roget ea sibi adhiberi. defuncti autem sciunt extare huiusmodi remedia, vt sacrificia, preces, ieunia, eleemosynas, fidelium indulgentias, orationes Sanctorum: cur ergo non orent hæc sibi applicari, & vt Deus fideles ad hæc excitet? Vnde meritò Ecclesia illud Iob, *miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*, applicat defunctis in purgatorio positis. An orent pro viuis, non satis constat, credibile est etiã pro illis orare: quia dubitandum non est quin pro suis sint soliciti: ad hoc enim charitas eos impellit. cur ergo illorũ salutem Deo non commendent? nos tamen eos non inuocamus, quia preces nostras ordinariè non possunt cognoscere; & sunt in eo statu vt magis egeant auxilio nostro, quam vt possint nobis auxilium adferre. vt ait D. Thom. q. 83. art. 11. ad 3.

23 *Conuenit Angelis, animab. beatis, viatoribus, & defunctis qui in purgatorio.*

Defuncti orant pro nobis in purgatorio.

Patet Tertiò, Damnatis orationem propriè non competere; tum quia carent pio affectu ex quo oratio debet procedere, vt sit actus virtutis: tum quia nihil illis boni a Deo expectandum. quamuis interdum aliqualis petitio in illis reperiatur; vt cum Satan petijt tentare S. Iob; cum diues petijt mitti Lazarum, &c.

An damnatis.

24 Sed difficultas est Vtrùm Christo secundum humanam naturam in cælo conueniat. Quidam negant, Primò, quia Christus totum negotium salutis nostræ exactè & minutè cum Patre in via composuit. Secundò, Quia alias liceret Christum rogare vt pro nobis oret.

An humanitati Christi.

Sed verius videtur, Christi animã etiã modo rogare diuinitatẽ pro hominibus. Primò, Quia id nõ dedecet ipsam. cum in via sæpissimè id fecerit, & statui beatitudinis nõ repugnet: vt patet in alijs beatis. Secundò, Vtitur in Deum laude, gratiarũ actione, adoratione. sicut enim sũma charitate

tate, ita etiam ſumma humilitate erga Deum eſt præditacur etiam non vtatur oratione? Tertio, Etſi data ſit illi animæ ſanctiſſimæ omnis poteſtas in cælo & in terra, Matth. 28. tamen executio huius poteſtatis non poteſt fieri virtute animæ, ſed diuinitatis, vt patet in iuſtificatione & glorificatione: ergo decet vt id petat a diuinitate, ſaltè actu interno. Quarto, Sicut hoſtiæ veteres immolabantur in ſancto ſæculari, ita Chriſtus ſemetipſum immolauit in hoc mundo: & ſicut Pontifex veteris legis, ſanguine hoſtiæ inferebat in ſancta ſanctorum ad deprecandum Deum pro populo, ita Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum intulit in cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis, vt deducit Apoſt. ad Heb. 9. ergo Chriſtus ibi apparet vt Pontifex, ſeu vt munere Pontificis poſit hoſtiæ ſacrificium fungens, quod in eo conſiſtit vt petatur ſacrificij effectus, alioquin non eſſet apta analogia inter Chriſtum & Pontificem veteris legis, quã intendit Apoſt. Quintò, Hæc ſententia eſt magis conſentanea Scripturæ ſacræ Ioann. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrem, & aliũm paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum*, quaſi dicat, nolite ob meum diſceſſum ad Patrem, eſſe mœſti; quia cùm ad Patrem venero, rogabo eum vt alium meo loco mittat qui nunquam diſcedet. 1. Io 2. *Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum*: quod propriè dici nequit, niſi aliquid pro nobis a Patre petat. Ad Rom. 8. *Qui eſt ad dexteram Dei; qui etiam interpellat pro nobis*. Ad Hebr. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*. quibus verbis ſatis inſinuatur, hanc interpellationem non ſolùm fieri exhibitione & præſentia obiectiua humanitatis & vulnerum, ſic enim non eſſet quid diſtinctum à ſeſſione ad dexteram, nec requireretur vt ſit viuens, ſed per actũ animæ, quo nobis miſericordiam & ſalutem petit, ſic enim aliquid peculiare adfertur, quod noſtram fiduciam erigat: hoc enim intendit Apoſtolus. Sextò, Eandem ſententiam inſinuant Patres, Iuſtinus quæſt. 105. ad orthodo. *Si enim ſuperatis iam reſurrectione, carnis infirmitatibus, vt Pontifex confeſſionis noſtræ interpellat pro nobis, nonne magis cùm adhuc ſubiaceret infirmitati carnis, egebat magno validoque clamore & lachrymis, cum quibus preces offerebat?* Ambroſ. in illud ad Roman. 8. Qui etiam interpellat pro nobis, *Chriſtus reſurgens, ſemper cauſas noſtras agit apud Patrem cuius poſtulatio contemni non poteſt, quia in dextera Dei eſt, hoc eſt, in honore quod Deus eſt.* & infrà explicat quo modo interpellet pro nobis, nempè eo modo, quo rogauit pro Petro, vt non deficeret fides eius. & infrà, *Interpellat pro nobis, ne inimicus aliquid violenter præſumat contra nos, vt arceatur inſolentia eius.* In eadem ſententia videtur eſſe Cyprianus epiſtol. 3. & Auguſtinus præfat. in Pſal. 85. Idem apertè docet Diuus Thomas in capit. 7. ad Hebr. lect. 4. D. Bonauentura, de vita Chriſti capit. 98. Toletus in cap. 16. Ioannis, annotatio. 35. & Suarez in 3. p. diſputatio. 45. ſectio. 2.

Ad argumẽta. Ad primam rationem in contrarium adductam; Chriſtus omnia cum Patre compoſuit, quia exactè pro omnibus ſatisfecit, & meruit omne bonũ, quod temporis ſucceſſu hominibus conferetur. Hinc tamen non ſequitur quin modo poſſit orare vt illis bona conferantur.

Obiectio. 25 Dices, Chriſtus adhuc in vita mortali præuidebat quidnam ſingulis hominibus expediens foret, & quid pro ſingulis eſſet petendum: ergo illud tunc poterat petere & pro ſingulis impetrare. Si poterat, credibile eſt fecille. cur enim expectet tempus executionis? præſertim cum hoc modo perfectius fit opus noſtræ redemptionis; quod in hac vita eſt operatus.

Reſpon. Chriſtus non opus habet oratione. Reſpondeo, Hoc argumentum rectè probare non eſſe illi opus oratione, cùm iam omnia petierit & impetrauerit, quæ temporis ſucceſſu mortalibus bona conferuntur. Hinc tamen non ſequitur quin reipſa oratione vtatur; non quia id neceſſarium, ſed vt diuinitatem ſic magis honoret, & omne bonum in illum, tamquam in primum fontem referat. nam etiam ab initio conceptionis illa omnia præuidit, & vt veriſimile eſt, petijt & impetrauit; (id enim facilè ei erat) tamen ſæpius in vita eadem rogauit, & impetrauit nihil enim vetat quin idem ſæpiùs poſſit rogari ante executionem. Itaque poteſt etiam modò rogare vt fiat executio eorum, quę antè meruit & impetrauit, quamuis nihil noui petat.

26 Ad Secundum Reſpondeo, Etſi per ſe non ſit illicitum vt quis conſiderando Chriſtum quà homo eſt, qui diuinitatem omni cultu veneratur: ſic oret apud animum ſuum, Chriſte ora pro me, impetra mihi à Patre veniam & ſalutẽ. tamen abſolutè non eſt hoc modo orandum, ſaltem publicè. Primò, Quia eſt contra morẽ Eccleſiæ. Secundò, Facile inſinuaretur error Arij, facientis Filium creaturam; vel Neſtorij, conſtituentis duas in Chriſto perſonas. Tertiò, Inſinuaretur Chriſtum, ſicut alios, egere oratione, nec habere in ſua poteſtate nos ſaluare ſine oratione. nemo enim illum, qui per ſe poteſt dare ſalutem, rogat vt oret, ſed vt ipſe det. Quartò, Oratio dirigitur ad perſonam, quæ eſt Deus, & ſua auctoritate poteſt dare. Quintò, decet vt qui aliquid ab altero petit, præſertim publicè, ſummo titulo honoris compellet, & ſupremam illius poteſtatem agnoſcat; alioquin videbitur illum potius irridere, quàm honorare. Denique quia nihil noui impetrare poteſt, quod iã antè non impetrauerit. itaque ſolùm rogandus eſt vt illud ſua poteſtate diuina conferat. Si tamen ipſa Chriſti anima per ſe ſpectetur, non abſurdè priuatim rogari poterit, vt virtutes & ſalutem impetret, id eſt, faciat nobis per diuinitatem conferri. etſi enim ipſa non egeat oratione, tamen ex humilitate ea libentiſſimè vtitur erga diuinitatem.

An Chriſtus rogandus vt pro nobis oret

DVBITATIO VI.

Vtrùm Sancti ſint orandi ſeu inuocandi.

D. THOM. QVAEST. 83. ART. 11.

NEGARVNT hoc multi hæretici. Primò, Vigilantius; qui docebat mortuorum preces pro alijs non exaudiri, teſte Hier. Vnde aperte ſequitur inanem eſſe Sanctorum inuocationem. 27

Secundò, Quidam hæretici tempore D. Bernardi, dicti Apoſtolici, qui, vt refert Ber. ſer 66. in Cant. ridebant Catholicos quòd Sanctos inuocarent.

Tertiò, Quidam circa eadem tempora dicti Cathari & Patareni; qui nec Sanctos nec Angelos inuocandos eſſe docebant, teſte Turrecremata lib. quarto de Eccleſia par. 2. capit. 35.

Quartò, Vvaldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, qui paulò poſt orti, docebant Sanctos nec audire, nec attendere ad preces noſtras, teſte Antonino quarta parte, tit. 11. cap. 7. §. ſecundo.

Quintò, Vvicleff, qui docebat eſſe inutile Sanctos inuocare, teſte Thoma Vvaldenſi, to. 3. c. 108.

Hæretici noſtri ſæculi. Sextò, Hæretici noſtri temporis, qui duo docent. Primò, Id eſſe inutile; eò quòd Sancti preces noſtras non cognoſcant. Secundò, Eſſe impium; quia obſcuratur officium Mediatoris. Ita Caluinus libro tertio Inſtitut capit. vigeſimo §. vigeſimo. & ſeq. vſq; ad vigeſimumoctauum. Idem docent ceteri.

Pro veritate Notandum eſt, Sanctos poſſe tripliciter inuocari.

Primò, Tamquam primarios auctores vitæ & ſalutis, 28 quaſi ſua ipſi auctoritate & poteſtate poſſint remittere peccata, infundere virtutes, dare vitam æternam, &c.

Secundò, Tamquam adiutores ad precandum Deum.

Tertiò, Tamquam adminiſtros quorumdam beneficiorum quæ ipſi per ſe nobis conferre poſſunt, qualia ſunt ſalutaria ſuggerere, dæmonis machinationes impedire, varia mala auertere & ſimilia. Nunc.

Dico Primò, Nulla ratione licitum eſt Sanctos primo modo inuocare, nempe tamquam auctores primarios ſalutis: id enim eſſet aperta idololatria; nec quiſquam Catholicorum ita vnquam illos inuocauit, aut inuocandos cenſuit, vt falsò illis imponit Caluinus nu. 22.

Nec obſtant illæ formulæ precãdi, quas Caluinus obijcit tamquam intolerabiles, *S. Medarde, S. Eligi, reſpice famos tuos, tuua è cælo*: quia intelligendæ ſunt de auxilio precum, vel ſimili, quod ipſis congruat, illa autem, *vt Sancta Virgo iubeat filium facere quod petimus*, nullus Catholicus vtitur: nemo enim neſcit Filium in cælo Matri ſubditum non eſſe, ac proinde nihil ei propriè iuberi poſſe. Quòd ſi quis tamen pia mente ſic loqueretur, non eſſet magnopere reprehendendus: nam etiam Scriptura dicit Deum voci hominis obediuiſſe, latiore vocabuli ſignificatu: &

amicis dicere solemus vt iubeant & imperent nobis. Similiter non obstat quòd Virgini dicamus, *vita dulcedo, & spes nostra.* id enim verum est ratione Filij, quem nobis peperit, per tropum, qui metonymia dicitur, vbi nomen effectus tribuitur ei, quod aliquo modo est causa, quod in Scripturis est frequens. omitto Apostolos lucem mundrà Domino vocari Matth.5.

29 *Probatur inuocatio Sanctorum.*

Dico Secundò, Pium tamen & salutare est eos inuocare secùdo & tertio modo, tanquam amicos Dei charissimos, videlicet vt pro nobis orent, suamque nobis opem porrigant. Est fide tenèdum & definitum in Conc. Trid. sess. 25. de inuoc. Sanctorum. Probatur Primò, Ex Scripturis; Genes. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hic Iacob inuocat Angelum suum. Iob 5. *Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere,* id est, ad aliquem Angelorum. Nec obstat, quòd hæc sint verba Eliphaz Themanitę; quia Iob ea non reprehendit, cum tamen alia minus rectè dicta reprehenderit. Exod.32. *Recordare Abraam, Isaac, & Israel seruorum tuorum,* vbi per merita Patriarcharum postulat, & exauditur. vnde sequitur infrà, *Placatus est Dominus ne faceret malum.* &c. hic modus orandi erat frequentissimus apud Iudæos.

Obiectio.

Dices, Non orabant ipsos Patriarchas, sed Deum.

Respon.

Resp. Verum est: quia nondum erat in statu beatitudinis, vt possent preces ad se directas cognoscere, sed quia allegabant eorum merita & obsequia vt propter illa Deus misereretur, satis insinuabant, ipsos, si per se orent, multò magis impetrare posse. Falsum est autem quod ait Caluinus, solum allegari pactum, quod Deus habebat cum Patribus, vt patet Psalm.131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius:* vbi merita allegantur. Idem patet cum dicitur, *Seruorum tuorum, dilecti tui, Sancti tui,* Exo.32. Dan.3. & alibi.

Secundo, ex Scripturis constat Angelos & Sanctorum animas pro nobis orare: ergo rectè eos inuocamus, vt id crebrò & efficaciter præstent.

Orationum oblatio.

De Angelis, Tobiæ 12. Angelus dicit se obtulisse Deo orationes Tobiæ; quæ oblatio non fiebat nuda tantum exhibitione corà Deo, cum ipsi omnia sint præsentissima; sed cum deprecatione vt Deus illas exaudiret: quo modo per aulicos nobiles cupiunt homines suas preces offerri Principi. Zachar.1. Angelus orat Deum pro populo Iudaico, *Domine exercituum, vsquequo tu non miserberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est.*

De alijs Sanctis patet 2.Machab.vlt. vbi Onias apparuit Iudæ Machabæo, orans pro populo, & Ierem. de quo Onias dicit, *hic est qui multum orat pro populo & sancta ciuitate Ierusalem:* & tamen nondum erant beati. quanto magis in statu beatitudinis orabunt, vbi charitas illorum longè feruentior?

30 Tertiò, Probatur ex Concilijs; Synodus 7. act. 6. *Cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ & semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ. Item sanctorum Angelorum & omnium Sanctorum, salutantes venerandas illorum reliquias,* &c. Concil. Trident. sess. 25. in princip. mandat populum Christianum doceri, *eos qui negant Sanctos æterna felicitate fruentes inuocandos esse: & qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, vt pro nobis etiam singulis horis oremus, inuocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, impiè sentire.* &c.

Quartò, Idem probari potest ex perpetuo Ecclesiæ vsu; atqui *de eo, quod tota per orbem frequentat Ecclesia disputare an ita faciendum sit, insolentissima insania est,* vt ait Augustin. epistol.118. ad Ianuarium. Idem patet ex Litanijs, quarum vsus in Ecclesia plusquam à mille annis viguit, vt patet ex Concilio Aurelianensi 1. cap.20. & Toletano quinto, cap. primo.

Disputare contra Ecclesiæ vsum.

Locus Hier. notandus.

Quintò, Ex patribus; solum vnum locum adferam ex Hieronymo contra Vigilantium, *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando de se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post victorias, coronas & triumphos? vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Domino veniam, & Stephanus imitator Domini sui & primus martyr in Christo persecutoribus veniam deprecatur. & postquam cum Domino esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi datas in naui animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora claudetur est* &c.

Probatur ratione.

Sextò, Probatur ratione; Sancti possunt nobis multum prodesse, tum pro nobis orando, cum per se nobis opem ferendo; ergo pium est & vtile illos inuocare. Antecedens probatur Primò, Quòd orationibus suis nobis prodesse possint; quia si cum adhuc essent mortales, exules, subiecti peccatis, solicii & incerti suæ salutis, ita prodesse poterat, vt ex multis Scripturæ locis constat, vt Iob 42. vbi Iob iussu Dei orat pro amicis & impetrat, 1.Reg.7. vbi populus rogat Samuelem vt pro ipso orare non cesset; ad Rom.15. 2.ad Corinth.1.ad Eph.6.ad Heb.13. Apostolus orationes fidelium pro suis negotijs flagitat; quanto magis nùc cum Christo regnãtes, beati, securi, perfectissima charitate prędíti, prodesse nobis suis orationibus poterunt? præcipua enim ratio impetrandi est amicitiæ coniunctio, quæ inter Deum & ipsos nunc omnino est consummata.

Probatur non posse.

Sanctos vbi uis esse posse.

Possunt orando prodesse.

31 *Et opem per se ferendo.*

Quòd etiam per se multa nobis conferre possint, constat, Primò, ex officio Angelorum custodũ, qui multa mortalibus beneficia præstant, vt Scriptura multis locis docet; vt in historia Tobiæ, in Prophetia Danielis c.3.10.14. Geneseos 48. & alibi. Idem posse alios Sanctos post Christi mortem certissimum est: tum quia sunt similes Angelis, sapientia, charitate, potentia; neque sunt conclusi abditis quibusdam receptaculis, vt hæretici nostri cum Vigilantio somniant; sed possunt esse vbi placuerit; vt docet Hieronymus libr. contra Vigilantium in principio, vbi sic ait; *Si agnus vbique, ergo hi, qui cum agno sint, vbique.* (id est vbicumque volunt) *esse credendi sunt. & cum diabolus & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint; martyres post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Tum quia Scriptura docet, Sanctos posse hanc vitam regere mortales, Apoc.2. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea.* Item *esse columnas in templo Dei.* Apocalyp.3. id est, sustinere Ecclesiam. *Sedere cum Christo in throno,* eodem capite, id est, vnà cum ipso regere orbem. Denique infinitis exemplis & miraculis constat, quantum commodi ex inuocatione Sanctorum in corpore & anima mortalibus obuenerit.

32 *Obiectio 2.*

Sed contra Obijcitur Primò, Sancti ignorant preces nostras, *non enim vsque illis longæ fiunt aures vt ad voces nostras porrigantur.* inquit Caluinus suprà numero vigesimoquarto.

Respon.

Resp. Non ignorant, quantumuis occultè fiant. si enim Angeli eas norunt, vt qui eas Deo exhibeant, cur non etiã Sancti? Item si Angeli, qui in cælo sunt, sciunt omnes peccatorum in terris existentium conuersiones, deque illis gaudent, Lucæ decimoquinto, cur non etiam Sancti, qui Angelis pares?

Petes, Quomodo cognoscunt eas?

33 *Quo modo cognoscant nostras preces.*

Respondeo, Vel in Verbo vt vult Diuus Thomas quæst. 83.art.4 ad 2. & Caietanus ibidem, vel per nouas & quotidianas reuelationes, vt Cyrillus, catecheli 16. Augustinus de cura pro mortuis, capit.15. sic enim multi Sancti etiam in hac vita, occultissima cognouerunt; Elizæus factum Giezi, 4.Reg.5. Petrus fraudem Ananiæ & Saphiræ, Act.5 Benedictus Totilæ simulationem & futuros euentus, libr. 2. Dialog. Gregor. cap.15. & totum mundum veluti sub vno solis radio collectum, lib.2.dialog.capit.35. Similia multa libro eodem recenset Gregorius. & plurimis Sanctorũ hoc donum collatum fuisse ex historijs constat. Denique familiare erat Prophetis occultissima nosse: quãto magis in gloria cognoscent huiusmodi secreta, quando Deus erit omnia in omnibus? ita ratiocinatur D. Augustinus libr.22. de ciuit.cap.29.

Vel denique cognoscunt nostras preces, dum ad ipsos diriguntur; eo modo, quo Angeli & animæ cognoscunt mutuas cogitationes, mediante locutione spirituali, præsertim cùm lumine supernaturali sint illustrati, nec corpus aut interuallum loci impediat. Si enim oculus corporeus tam procul intenditur, vt in cælum vsque pertingat, quanto magis oculus mentis luce diuina perfusus poterit ad remotissima, absque miraculo, vel ope extraordinaria pertingere?

Nec obstant loca Scripturæ, in quibus mortui dicuntur non cognoscere res viuentium, Ecclesiastæ 9. *Mortui nihil cognoscunt amplius.* simile insinuatur Iob 14. & 4. Regum 22. hæc enim intelligenda sunt vel de cognitione naturali,

ſoli, vel de cognitione, quam habebant toto tempore veteris teſtamenti: tunc enim erant in limbo, nec fruebantur conſpectu Dei, nec habebant illud admirabile lumen, quod illis poſt Chriſti mortem communicatum, quo omnia luſtrare poſſunt. vide Diuum Auguſtinum de cura pro mortuis, cap. 13.

34 *Obiectio 2.* Obijcitur Secundò, Chriſtus eſt vnicus mediator noſter, per quem habemus acceſſum ad Patrem. ergo nō eſt recurrendum ad Sanctos; imo id videtur Chriſto iniuriū, tamquam ipſius reconciliatio ſit inſufficiens, aut egeat auxilio Sanctorum.

Reſp. Chriſtus qūo vnicus mediator Reſpon. Chriſtus dicitur *vnicus mediator* noſter, quia principalis, idque ob quatuor cauſas.

Primò, Quia non tantùm officio, ſed etiam natura eſt mediator, ſeu medius inter Deū & hominē, vtpote vtriuſque naturæ particeps: quam rationem adferunt Patres in illud 1. ad Timoth. 2. *vnus eſt Deus, vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus IESVS.* & Auguſt. lib. 9. de ciu. cap. 17. Secundò, Quia nos reconciliauit; non deprecando, ſed condignum pretium exhibendo & ſatisfaciendo. Tertiò, Quia ex proprijs; habebat enim vim illam ex intrinſeco, id eſt, ex natura ſui ſuppoſiti. Quartò, Quia eſt mediator omnium; nam omnes, quantum ex parte ipſius, reconciliauit, & pro omnibus ſatisfecit. Sed hæ tres poſteriores cauſæ pendent ex prima.

Sancti media tores ſecundarij. Sancti dumtaxat ſunt *mediatores ſecundarij*; quia nec ex proprijs reconciliant nos Deo: (non enim ex ijs, quæ a ſeipſis habent, ſed ex ijs quæ per indebitam gratiam acceperunt) neque omnes reconciliant; neque per modum ſolutionis, ſed deprecationis. Rectè tamen dicuntur *mediatores*; quia verè intercedunt pro nobis deprecando, & diuina manera nobis impetrando. Sicut Moyſes dicitur ſequeſter & medius inter Deum & populum, Deuter. 5. quia pro populo ad Deum locutus eſt, & pactum Dei ad populum detulit. Sic Cyrillus Apoſtolos & Prophetas vocat mediatores lib. 12. theſauri c. 10. quicumque enim interuenit inter duos vt alter alteri reconcilietur, vel aliquid alteri ab altero impetretur, vel vt pactum inter eos ineatur recte dicitur mediator inter illos.

35 *Non obſcurat vt officiū mediatoris ſed illuſtrat.* Neque hæc interceſſio vllo modo obſcurat officium mediatoris Chriſti. Primo, Quia Angeli intercedunt pro nobis orando; imò etiam homines viui, vt ex Scriptura conſtat. & tamen hæc interceſſio non obſcurat illud. Secundo, Quia Sancti adhibentur vt comprecatores, nimirum vt ſuas orationes noſtris iungant: quod non poteſt vllo modo in iniuriam Chriſti cedere. Tertiò, quia omnem vim interueniendi & impetrandi, quam habent, acceperunt ex meritis Chriſti, eiuſque interceſſione. vnde potiùs ad honorem ipſius cedit, quòd poſſint eſſe ſecundarij mediatores; ſicut ad honorem primæ cauſæ cedit, quòd creaturæ ſint cauſæ ſecundæ: nam ita efficax eſt Chriſti mediatio, vt non tantùm reconciliet, ſed etiam reconciliatores ſub ſe, qui virtute ab ipſo accepta reconcilient efficiat. in omni enim reconciliatione operatur Chriſti meritum vt prima cauſa moralis; ſicut Deus in omni operatione creaturę naturali quod valdè notandum eſt contra hæreticos. Decet id etiam ordinem diuinæ ſapientiæ, quæ inferiora per media diſponit & ad perfectionem perducit. vide Diuum Thomam art. 11.

Chriſti merita non operantur vt prima cauſa morales.

Petes, Quibus meritis nitmtur Sancti pro nobis orantes, ſeu per quæ merita orant?

36 *Quibus meritis nitmtur.* Reſponeo, Principaliter per merita Chriſti: quidquid enim nobis datur principaliter datur propter merita Chriſti, vt colligitur ex cap. 1. ad Epheſ. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.* Secundariò etiam per merita ſua. etſi enim ex condigno compenſata ſint, ita vt nihil illis debeatur ex iuſtitia; tamen ex amicitia multa eis deberi poſſunt: vt patet exemplis humanis. Itaque hæc merita ſunt ratio ſecundaria beneficiorū Dei; nā Deus applicat ſe ad benefaciendum nobis propter merita Chriſti, orationibus Sanctorum inductus. etſi enim Chriſti merita ſemper ſint ratio principalis ob quæ Deus ſua beneficia confert; tamen merita & preces Sanctorum ſunt cauſa cur Deus hic & nunc ſe applicet & determinet ad hæc vel illa beneficia danda ob Chriſti merita. Vnde etiam Sancti veteris Teſtamenti ſolent orare per merita Abrahæ, Iſaac, Iacob, Dauid, &c. Exodi 32. *Recordare Domine Abrahæ, Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum.* Dan. 3. *Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abrahæ dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* Pſalm. 131. *Memento Domine Dauid*, &c. nempè vt propter hæc Deus hic & nunc ſe ad benefaciendum inclinaret. Sancti tamen in veteri Teſtamento inuocari non ſolebant vt in nouo; quia nondum erant in gloria vt poſſent noſtras preces cognoſcere, ſicut neque illi, qui in purgatorio; quos ob hanc cauſam non ſolemus inuocare, vt colligitur ex D. Tho. art. 4. ad 3.

Obijcitur Tertiò, Qui confugit ad Sanctos, videtur diffidere de Dei benignitate & Chriſti meritis; ergo. 37 *Obiect. 3.*

Reſpondeo minimè diffidere, ſicut neque diffidit, qui hominis mortalis preces flagitat, nec Angeli diffidunt, quando pro nobis orant. etſi enim ſcianus Deum per ſe eſſe propenſiſſimum ad benefaciendum, & Chriſti merita eſſe ſufficientiſſima; tamen iudicamus nos indignos qui ſoli coram tanta maieſtate compareamus; & non ſatis diſpoſitos ad beneficia illius excipienda. vnde confugimus ad Sanctos vt nos veluti comitentur, noſtriſque precibus ſuas iungant. qua in re Primò, Honoramus Sanctos. Secundò, Reueremur Dei maieſtatem. Tertiò, Illa ſubmiſſione nos diſponimus ad facilius impetrandum. etſi enim Deus ſit benigniſſimus, & Chriſti merita abundantiſſima, vt dictum eſt; tamen vult ſuam maieſtatem & beneficia agnoſci, nos ad ea diſponi, & ſuos amicos honorari. vnde etiam vult vt ipſum oremus tum per nos, tum per alios, & maximè per Sanctos, idque vt ipſos honoret, & offendat quanti eos faciat. Ex quo fit vt per diuerſos Sanctos, ad illorum inuocationem, diuerſa miracula operetur, & beneficia diuerſa conferat. Simile cernimus in rebus humanis. gratiſſimum enim eſt etiam clementiſſimis Principibus, vt Rei, quibus parati ſunt indulgere, vtantur interuentu eorum, qui ipſis ſunt chariſſimi, & ſæpè non aliter volunt ignoſcere, & per diuerſos diuerſa concedunt. *Reſpon.*

Cur Deus velit nos vti Sanctorum ſuffragijs.

DVBITATIO VII.

Vtrùm ſit orandum pro omnibus.

D. THOM. ART. 7. & 8.

38 RESPONDEO, Eſſe orandum pro omnibus, qui nondum ſunt in termino, etiam inimicis noſtris. ratio eſt, quia omnibus ſalutem deſiderare, & quantum commodè poſſumus procurare debemus: ergo etiam à Deo petere, confirmatur ex Apoſtolo 1. ad Thimoth. 2. *Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus.* hoc tamen non ita intelligendum quaſi orare debeamus vt abſolutè omnes ſalui fiant, & nemo damnetur, hoc enim fruſtrà & ſtultè oraretur: nam conſtat ex Scripturis contrarium euenturum. deinde nemo poteſt orare quod non poteſt ſperare, hoc autem ſperari non poteſt, nam ſpes ſupponit fidem, vel opinionem fieri poſſe vt res eueniat: nemo enim ſperat aliquid, quod certò nouit non euenturum. Poteſt tamē id affectu ſimplici & inefficaci optari. Alio igitur ſenſu orandum pro omnibus. Primò, Quia nemo ab orationibus communibus excludendus, vt ſi quis ſic oret, Dimitte nobis debita noſtra, præterquàm Ioanni vel Petro: Libera nos à malo, excepto hoc vel illo: hoc enim eſt contra charitatem: vnde eſt præcepti hoc modo pro omnibus orare. Nec obſtant imprecationes, quæ habentur in Scripturis, vt Pſalm. 68. *deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* & 108. multæ ſimiles habentur, & alibi frequenter. hæ enim vel propheticè intelligendæ ſunt, vt ſint prædictiones, non imprecationes: vel in illis ſignificatur conformatio voluntatis cum decreto iuſtitiæ diuinæ circa dānationem impiorum. vide D. Tho. art. 8.

Que modo orandum pro omnibus.

Secundò, Quia nullus eſt in toto genere humano, pro quo laudabile non ſit ſpeciatim orare; etſi. in genere conſtet plurimos non ſaluandos, tamen id de nemine conſtat in particulari; vnde de nemine quamdiu viuit deſperandū. quo fit vt etiam pro inimicis orandum ſit, precando illis non quidem temporalia, vt honores, opes, vitam, (quæ ſæpè rogare poſſumus ipſis adimi, ſi per ea noceant, vt multis Scripturæ exemplis conſtat) ſed quæ ad ſalutem pertineant æternam. Nemo tamen ex præcepto tenetur orare in

particulari pro inimico, nisi in extrema vel graui necessitate eius spiritali; quando præter orationem non se offert aliud remedium. tùc enim si aliqua probabilis spes sit per orationem iuuandi, tenemur. Iccus si moraliter spes sit nulla tenemur tamé ab orationibus communibus eos non excludere.

39 Tertiò, Quia orandus Deus pro omnibus in genere, vt omnes illuminet & ad salutem perducat, quantu ratio diuinæ prouidentiæ patitur. sicut enim Deus secundum certum prouidentiæ modum, quantum in se, vult omnes homines saluos fieri, nemine excepto, idque etiam secundum illam prouidentiæ mensuram procurat, & Christus est mediator omnium: qui seipsum dedit redemptionem pro omnibus, excluso, nemine; ita nos etiá omnium salutem optare, & pro omnibus orare debemus; videlicet vt neminem excludamus, & omnibus quantum ille iuxta diuinæ prouidentiæ seruatura, salutis auxilia conferri rogemus. etsi enim fieri nequeat vt secundum illam prouidentiæ rationem omnes simul salui fiant, hominum prauitate supposita: tamen multò plures, quàm reipsa saluentur, facile salutem consequi possunt. Itaque vt quam plurimi ex omnibus saluentur; rogandum est. & hoc sensu orandum pro omnibus. non tamen est præcepti vt sic pro omnibus ores; præterquam in liturgia, de qua Apostolus loco notato loquitur, teste Chrysostomo, Theophylacto, Oecumenio.

Certum prouidentiæ modum seruare debet Deus ad homines saluandos.

40 Dixi *orandum pro omnibus, qui nondum sunt in seruitute, tam viuis quàm defunctis*, quia hi omnes interdum auxilio egent, & spes est nostris orationibus iuuandos vt ad terminum perueniant: ceteri vel non egent, vt beati, pro quibus si quis oraret, iudicaret eos beatos non esse; vnde illis iniuriam faceret, iuxta illud vulgatum, *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre*; quod intelligendum eo, qui iudicio Ecclesiæ martyr habetur. Vel spes non est fore iuuandos, vt damnati. Idem dicendum si de aliquo constaret ipsum reprobum esse; non enim possemus pro illius salute vel perseuerantia rogare: vt insinuat Diuus Augustinus libr. de correptio. & gratia cap. 13. quia spes non est illum adiutum iri.

Reprobus.

Cetera, quæ hîc dici possent, vide apud Diuum Thom. articul. 7. & 8.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm forma precandi, quæ horæ canonicæ vocatur, sit vtilis & retinenda in Ecclesia.

41 *Horæ canonicæ.*

HOras *canonicas* vocamus eas preces & laudes diuinas, quæ ex præscripto Canonum ecclesiasticorum in Ecclesia certis horis diu noctuque canuntur. eædem vocantur *officium ecclesiasticum*, quia Ecclesiasticorum munus est illas recitare.

Hæretici igitur huius temporis hanc formam reijciunt tamquam inutilem; sed ratione nulla, solo Ecclesiæ Romanæ odio, & cæco furore concitati. Idem olim fecerũt Vvaldenses, dicti pauperes de Lugduno, teste Ænea Siluio de orig. Bohemorum c. 35. & Vuicleti, teste Thoma Vualdensi tomo 3. c. 21.

Ista piam precandi formam.

Sed fide tenendum est, hanc formam precãdi esse piam & salutarem, ac proinde in Ecclesia retinendam. Probatur Primò, Quia iam inde ab exordio Ecclesiæ semper fuit aliqua publica precandi & laudandi Deum forma, quæ etsi non fuerit ita completa, & in ordinem digesta vt posterioribus sæculis; tamen seruabat eamdem fere temporum distinctionem, & constabat iisdem partibus principalibus. Clemens lib. 8 constit. Apostolicarum, cap. 34. inter traditiones Apostolicas, Episcopo & Clero seruandas refert hanc; *Precationes facite mane, hora tertia, & sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum. Mane gratias agentes quòd illuminauerit nos, nocte fublata & redacta die. Tertia, quòd ea hora Pilatus iudicium aduersus Dominum pronunciauerit. Sexta, quòd ea hora in crucem actus sit. Nona, quòd tum omnia mota & tremefacta sint, Domino crucifixo: quia horrerent audaciam impiorum Iudæorum & contumeliam Domini ferre non possent. Vesperi,*

Ratio singularum horarum ex D. Clemente.

re, quòd noctem dederit ad requiescendum à diurnis laboribus. Ad galli cantum, quod ea hora nuntiet aduentum diei ad faciendum opera lucis. Vbi notanda ratio, quæ in singulis horis dicendis est spectanda. vide Franciscum Turrianum in hunc locum. Hier. epist. 27. *Manè, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per omnem psalterium cantabant* loquitur de Monasterio Paulæ Cassianus lib. 2. & 3. de instit. cœnobiorum multa habet de canonico psallendi modo per distinctas horas, obtenditque per totum orientem & occidentem in vsu fuisse. Eiusdem consuetudinis meminit Basilius interrogat 37. in regulis fusius disputatis. Beda in capit. 18. Lucæ, explicans quomodo oportet semper orare, sic ait; *dicendum non semper orare qui canonicis horis quotidie iuxta vsum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodijs, precibusque consuetis Dominum rogare & laudare non desistit; & hoc esse, quod Psalmista dicebat, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.*

42 *Quid contineat breuiarium.*

Secundò Probatur, quia hæc forma precandi nihil continet quod non sit summe pium & salutare. continet enim omnes Psalmos, quibus nihil potest esse diuinius, vt qui dictati sunt a Spiritu sancto, & contineant breuiter omnia Scripturæ mysteria per modum laudis, vt ait Dionys. libr. de eccles. hierar. cap. 3. p. 3. Deinde Selectissima quæq; totius veteris & noui Testamenti. Tertio, Selecta Patrum documenta. Quarto, Præcipua quæque gesta Sanctorum. Quintò, Breues precationes, quas Collectas vocant, quæ fere a Summis Pontificibus compositæ fuere. Sextò, Hymnos aliquos a Patribus compositos. vnde merito vocatur *Breuiarium*: quia est compendium omnium prædictorum admirabile. Deinde non solum singula per se pia & salutaria sunt; sed etiam tam apte inter se connexa, suisque temporibus & festis accommodata, vt magnam sua varietate legentibus animi voluptatem & spiritalem consolationem adferant; vt vel hinc perspici queat, singulari Spiritus sancti directione ita disposita fuisse. quod verum esse deprehendet, qui singula attentè considerauerit.

43 Tertiò, Quia Ecclesia recitando horas canonicas, quodammodo semper orat, semper Deum laudat, semper memoriam diuinorum beneficiorum celebrat, semper gratias agit; & sic implet monitum illud Domini Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* & Apostol. primo ad Thessalonic. quinto, *Sine intermissione orate.* & ad Ephes. quinto, *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritalibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini IESV Christi, Deo & Patri.* Sic etiam imitatur Regium Prophetam, qui de se dicit Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* &, *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo.*

Quo modo semper oret.

Quod *semper oret*, & *Deum laudet*, patet, quia cum nox constet quatuor interuallis, quæ dicuntur *vigiliæ*, & dies similiter quatuor partibus, seu horis sacris, quarum crebra mentio est in Scripturis; singula interualla suas preces habent: nam pro prima, secunda, & tertia vigilia noctis, sunt preces nocturnæ. hæ vel tribus partibus constant, quæ nocturna dicuntur, vt in festis; (sicut enim quæque vigilia continet tres horas ciuiles, ita quodque nocturnum continet tres psalmos & tres lectiones: vt singulis horis singuli psalmi & singulæ lectiones respondeant) vel vno tantum nocturno, sed duodecim psalmorum, & trium lectionum, ita vt fere tribus nocturnis æquipolleat: vt in ferijs & festis simplicibus. Pro quarta vigilia sunt laudes matutinæ. Pro prima hora diei, quæ durat ab ortu solis vsque ad tertiam exclusiue, sunt preces primæ. Pro tertia, quæ durat à tertia vsque ad sextam exclusiue, sunt preces tertiæ. Pro sexta, quæ durat à sexta diei vsque ad nonam, sunt preces sextæ. Pro nona, sunt preces nonæ. Pro vespera appetente, sunt preces vespertinæ. Pro initio noctis est completorium. Non tamen est necesse vt præcisè istis temporibus illæ preces dicantur: sufficit haberi respectum ad illa; & officium publicum, quàtum commodè fieri potest, illis temporibus accommodari. ita enim passim nunc habet recepta consuetudo; quæ rerum huiusmodi est moderatrix. melius tamen est hæc tempora præuenire in priuato officio, quam vlterius differre; vt passim Doctores notant. Imò si quis aduertat impedimentum occursurum, præsertim voluntarium, tenetur præuenire. si non sit voluntarium, (vt si febrim hora decima antemeridiana expectes)

expectes) quidam parum ò ille necesse præuenire: quod ego puto fat s probabile; modò si impedimentum cesset antecedet mam noctis, prætermissa recites.

DVBITATIO IX.

Quinam ad preces canonicas obligentur, & quanta sit hæc obligatio.

44 RESPONDEO & dico Primò, Tantùm tria hominum genera ad eas teneri, Clericos sacrorum ordinum, beneficiatos, & Religiosos ad chorum professos. Clericos sacrorum ordinum teneri, communis sententia Doctorum cum Nauarro, de horis canonicis cap.7.num.1. De Clericis sacrorum ordinum probant Doctores. Primò ex capit. 1. de celebr. Missarum, vbi dicitur, *Presbyter missis, matutinali officio expleto, pensum seruitutis sue canonice primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persoluat.* Verùm hic solùm agitur de presbytero, & quidem Parocho vel Rectore Ecclesiæ; vnde nihil probat de diacono vel subdiacono; præsertim cùm obligationes sint stricte interpretandæ.

Secundò, Probari potest ex c.9. Si quis presbyter. d. 92. Verùm ibi non tantùm agitur de Clericis ordinum sacrorum, sed etiã de alijs; nam loquitur de omnibus Clericis alicui Ecclesiæ deputatis, id est, qui habent beneficium in aliqua Ecclesia, ratione cuius ei debent seruire. Item loquitur de officio publico; quod sit in Ecclesia; iubetque *à Clero deponi eum, qui ad quotidianum officium Psallendi, matutinis & vesperarum horis non conuenerit.*

Tertiò Probari potest ex capit. Dolentes. 9. de celebratione Missarum, vbi Innocen. III. cum Concilio generali præcipit, *Prælatos & maioribus Clericis in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium, noctumum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & deuotè.* Sed hic non exprimitur qui sint illi minores Clerici; & Concilium videtur loqui de officio publico.

45 Quartò, Probatur ex antiqua & generali totius Ecclesiæ consuetudine, quæ non solùm presbyteri, sed etiam diaconi & subdiaconi censentur ad horas canonicas obligati. Diacons, & subdiaconi obligantur cõsuetudine. Itaque etsi nullus Canon scriptus exret, quo hi obligentur; (vt insinuat Nauarr. suprà) tamen hæc consuetudo cùm vim legis habeat, sufficit. & merito hi obligantur; quia per ordinem sacrum accipiunt in Ecclesia statum, qui ad cultum & laudes diuinas celebrandas est institutus; vnde ratione status obligantur præ ceteris in genere. Ne autem in incertum ferrentur, determinatæ sunt illæ laudes & preces in horis canonicis: & ita accedente consuetudine inuecta est obligatio. Neque liberantur hac obligatione ratione excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut etiam realis degradationis; vt docet Nau. d. cap. 7 num 17. & Syluest. verbo Hora quæst. 3. quia par non est vt ex delicto cõmodum referant, & soluantur vinculo obligationis præcedentis, præsertim cùm recitatio horarum illi pœnæ non repugnet. Idem dicunt aliqui de damnatis ad remos, sed puto vsum esse in contrarium: tum quia satis habent afflictionis, dum vim illi supplicio detinẽtur; tum quia animus tarò talibus ad obsequẽdum est comparatus; tum quia id cederet in dedecus ordinis ecclesiastici, si in illa hominũ colluuie offenderent suum statum. Excõmunicati & degradati.

46 Clerici verò minorum ordinum, rõne sui gradus ad horas canonicas non astringuntur, quæ à nondum sortiti sunt statũ inter Ecclesiæ ministros; possunt. n. matrimonio iungi. Quidam tamen putant eos teneri ad horas Beatæ Virginis, vel ad septem Psalmos, vel ad canticum graduum: sed certum est neque iure communi, neque consuetudine vniuersali eos ad aliquid horũ teneri. Si tamen in aliqua diœcesi esset generalis consuetudo, quæ per modum legis sit recepta, ibi tenerentur: vt docet Medina C. de ora. quæst. 7. in fine. an autem sit aliqua talis consuetudo non constat. Sotus lib. 10. de Iustitia, quæst. 5. ar. 3. putat non esse. Iaxò nec Episcopum suo præcepto vel statuto posse introducere. Quod probari potest Primò, Quia quod Ecclesia vniuersalis reliquit liberum, non potest Episcopus particularis in sua Ecclesia facere præceptum, alioquin ei Ecclesia sit peculiaris ratio; quæ in proposito non occurrit: alioquin facile fieret vt nimium grauarentur subditi, si non eodem tutum. Quòd si sit aliqua talis fundatio, ea Conuentum obligat, non singulos. Itaque solum videntur teneri præscripto regulæ, vel certè consuetudine vbique recepta. Idem dicendum de Monialibus choro manc-patis: vt docet Nauar supr. num. 21. Cajet. tamen ver. Horæ canonicæ, de consuetudine dubitat; *Nisi*, inquit, *consuetudo eas obligaret, de qua nihil scio) non tenentur ex professione.* Idem tenet Ioannes Medina q. 7 de oratione sub finem. vnde Petrus Arragon. q. 83. art. 11. putat non esse peccatum mortale, si bis terùe priuatim officium omittant: quia hæc consuetudo orta est ex statuto regulari, quod ad peccatum mortale nõ solet obligare. Certum tamen est nouitios non teneri; quia nondum firmiter diuino obsequio mancipati. neque etiam illos, qui non ad chorum, sed ad militiam vel ad alias functiones laicorum profitentur, vt sunt milites variorum Ordinum, & ij, qui dicuntur Conuerti; vt docet Nauarrus de horis canonicis, cap. 7. num. 22. & in Enchirid. cap. 25. numero 97.

Clerici minores ad quas preces obligentur.

An Episcopus possit imponere.

Petes, Verùm Clericus primæ tonsuræ vel minorum ordinum teneatur saltem ad Psalmum Miserere. 47 An ad Psalmum Miserere.

Respondeo, Probabile esse teneri, saltem sub peccato veniali, quia videtur esse consuetudo generalis, & Prælati vbique imponunt.

Contraria tamen sententia videtur verior; tum quia valdè pueri accipiunt tonsuram, quos non videtur Ecclesia velle sub peccato ad hoc obligare; tum quia plerique non agnoscunt hic vllam strictam obligationem, nec Doctores aut confessarij illam vrgere soleat, tum denique quia si esset peccatum veniale semel omittere ob materiæ paruitatem, sequerentur esse peccatum mortale si quis semper omitteret, vel si vna voltione vellet omittere per hebdomadã, quia esset materia satis magna. quæ ratio vim habet, si obligatio nõ est alligata diei, ita vt cum die expiret, licat in horis Canonicis. Itaque etsi sit consuetudo vt dicatur, hæc tamen non est per modum legis obligantis. sed consilij & ex decoro.

Dices, Iure naturali tenentur amplius orare, quàm laici: tum quia diuino cultui sunt addicti, tum quia fruuntur priuilegio clericali: ergo saltem tenentur ad aliquid indeterminatum. An iure naturali teneãtur ad amplius.

Respon. Ita sentiunt multi Doctores inter quos Paludanus in 4. d. 15. q. 5. art. 1. conclu. 3. & Nau. c. 7. de orat. nu. 14. vbi dicit *innumera peccata committi ab ordinatis prima tonsura, & quatuor minoribus, quia plerique non plus laudant Deum, nec amplius orant pro populo, quàm si ordinati non essent.* quæ sententia est probabilis. Sotus tamen, quem multi sequuntur, non vult eos teneri aliquo præcepto; sed solum ex decentia, quæ non obliget ad vllum peccatum: non enim Ius naturæ dictat illos obligari, sed solum decens esse vt id faciant.

De beneficiarijs est communis sententia DD. vide Nau. c. 7. de or. nu. 27. ratio est, quia beneficium datur propter officium spiritale, quod vel totum vel magnam partẽ constituit in horis canonicis. sed de hoc dictum est sup. cap. 34. dub 30. & 32. 48 Beneficiarij.

De religiosis ad chorum professis, nondum ordinatis est communis sententia DD. Sed difficultas est, quo iure teneantur; non enim Iure Canonico scripto. cum nullus Canon ea de re exstet, vt Caietanus ait; nec Iure naturæ, quia non pertinet ad essentiam Religionis. Neque ex vi voti, aut professionis, quia voto se ad hoc non astringunt. Nec tenentur ratione eleemosynarum, quibus viuunt; quia non dantur cum hoc onere, sed vt viuant secundum suum instituti. Quòd si sit aliqua talis fundatio, ea Conuentum obligat, non singulos. Itaque solum videntur teneri præscripto regulæ, vel certè consuetudine vbique recepta. Idem dicendum de Monialibus choro mancipatis: vt docet Nauar supr. num. 21. Cajet. tamen ver. Horæ canonicæ, de consuetudine dubitat; *Nisi*, inquit, *consuetudo eas obligaret, de qua nihil scio) non tenentur ex professione.* Idem tenet Ioannes Medina q. 7 de oratione sub finem. vnde Petrus Arragon. q. 83. art. 11. putat non esse peccatum mortale, si bis terùe priuatim officium omittant; quia hæc consuetudo orta est ex statuto regulari, quod ad peccatum mortale nõ solet obligare. Certum tamen est nouitios non teneri; quia nondum firmiter diuino obsequio mancipati. neque etiam illos, qui non ad chorum, sed ad militiam vel ad alias functiones laicorum profitentur, vt sunt milites variorum Ordinum, & ij, qui dicuntur Conuerti; vt docet Nauarrus de horis canonicis, cap. 7. num. 22. & in Enchirid. cap. 25. numero 97. 49 Professi ad chorum.

50 *Fugitiuus.* Petes, Vtrùm Monachus fugitiuus vel eiectus teneatur cùm à Monaſterio non alatur?

Eiectus. Reſpondeo cum Nauarro nume.20. fugitiuum teneri, quia poteſt redire;& par non eſt vt ex ſua malitia, qua abeſt, commodum referat.eiectum tamen puto non teneri; (etſi Nauarro aliter videatur) quia ſuo arbitrio ſe non ſeparauit, & non eſt in ipſius poteſtate redire. deinde videtur non eſſe conſuetudo vt tales recitent horas, niſi ſint in ſacris.Ita Sotus.

51 *Diſpenſatio.* Petes, Vtrùm Superior poſſit in hac obligatione ex causa diſpenſare?v.g. ratione ſtudiorum aut negotiorum.

Reſp.Cùm hæc tota obligatio ex conſuetudine pendeat, credo poſſe diſpenſare, quando cauſa ſubeſt ſicut in alijs ſtatutis,etiam obligatorijs,poteſt.Imò ſi in aliquo Ordine vel Monaſterio eſt conſuetudo vt profeſſi nondum ordinati, in ſtudijs verſantes, vel alijs negotijs occupati, propter quæ choro intereſſe nequeunt, non recitent officium ibi non opus eſt diſpenſatione.

52 *An peccent lethaliter.* Dico Secundò, Supradicti ita obligantur, vt mortiferè peccent,ſi horas,vel ſemel abſque cauſa prætermittant. eſt communis ſententia Doctorum.vt docet Nauarrus cap.7. nume.5.Excipio Angelum ver. Hora.§.10 & Rycardum, quem ille citat: hi dicunt non eſſe peccatum mortale eas omittere, niſi quis conſuetudinem habeat omittendi, vel ex contemptu id faciat:quam ſententiam non audeo dicere probabilem,quia eſt contra torrentem Doctorum. Imò Nauarrus cap.7. de orat. num.6.& alij,docent eſſe peccatum mortiferum,ſi vel vna hora negligatur,v.g.tertia,ſexta,nona, completorium. Quod autem idem Nauarrus & quidam alij volant omiſſionem tertiæ partis vnius horæ, v.g. vnius Pſalmi cum hymno, eſſe peccatum mortale,id ſanè durum videtur. etſi enim vna hora ſit materia grauis & ſufficiens vt ſub peccato mortali præcipiatur; non tamen inde ſequitur tertiam eius partem talem eſſe; alioquin etiam tertia pars vnius Pſalmi talis dicenda eſſet. Itaque etſi omittere ſextam vel nonam integram, ſit peccatum mortiferum, quia multæ preces omittuntur, non tamen ſequitur mortiferum eſſe,ſi tertia pars ſextæ vel nonæ omittatur.Ita tenet Angelus ver. Hora num.18. citans Palud.d.15.qu.5.

Tertia pars vnius horæ.

An duplex peccatum. Ex dictis ſequi videtur beneficiarium Ordinis ſacri duplex peccatũ mortiferum admittere, omittendo officium, quia contra duas virtutes diuerſas peccat.nimirum contra iuſtitiam,& contra virtutem religionis.Ratione.n.ordinis ſacri, tenetur lege religionis. illæ enim preces ordinatis præcipiuntur tanquam officium religionis congruens eorum ſtatui, & bono eccleſiæ, & hac ratione ad illas tenetur, etiam ceſſante quauis alia obligatione. Ratione verò beneficij tenetur lege iuſtitiæ,quia beneficium datur propter officium, & præbenda eſt veluti merces & ſtipendiũ illius operæ, iuxta modum ſuprà cap.34. dubitatione 32. explicatum.

Contrariũ tamen tenet Henriq.lib 2.de pœniten.cap.5. numer.6.littera P. Quod ita probari poteſt:quia officium vnius diei,etſi in ſe, vt eſt opus religionis & cultus, ſit notabile quiddã ad quod ſub mortali obligemur,ſi præcipiatur;tamen non videtur ita notabile vt eſt materia iuſtitiæ, præſertim reſpectu Eccleſiæ cui eſt debitum. non.n. videtur notabili iniuria vel damno eccleſiam afficere, ſi ſemel officium prætermittat. ergo ex hac parte non erit culpa mortifera. ſicut qui pro altero tenetur ieiunare ex promiſſo vel contractu, quia ab eo ſuſtentatur, non peccat mortiferè, etiamſi ſemel ieiunium omittat, quia non cenſetur notabilis læſio in illo genere. Vnde ſepoſito eccleſiæ præcepto beneficiarius præcisè ex contractu ſeu obligatione iuſtitiæ ad eccleſiam non peccat mortiferè ſemel horas omittendo. Si tamè ſæpè omitteret,eſſet mortale,quia ex natura rei debita parua accumulantur, & efficiunt materiam magnam, ſicut is qui quotidie debet facere Sacrum, non eſt damnandus peccati mortiferi, ſi ſemel vel bis omittat etiam abſque cauſa. quia in illo genere nõ cenſetur graue damnum,aut grauis læſio.Fateor tamen beneficiarios in ſacris conſtitutos grauiùs alijs ordinatis peccare;quamuis hic exceſſus non videatur mortalis.

An duplex peccatum.

Recitans ea ſotto. Circa prædicta tamen aduerte, ſi cum ſocio alternatim recites,non cenſeri omitti quod per ipſum legitur; quia id cõmunione ſocij fit tuum,modò illud audias: & Eccleſia hanc rationem in officijs diuinis permittit,quia ſic minore fatigatione,& attentiùs,& plerumque iucundiùs legũtur. Vnde hic modus etiam in recitanda corona B. Virginis,aliiſque precibus, vbi vel plurimi ſunt verſiculi, vel eadem ſæpiſſime repetenda. adhiberi poteſt: etiamſi ex præcepto aut voto ad illas ſis obſtrictus,vt ſi teneas Pſalmos pœnitentiales vel totum Pſalterium legere debeas; vt fusè probat Nauarr.tract.de ora.c.10.num.27.& ratio eſt,quia non minùs hic excitatur deuotio, & obtinetur finis orationis, & moraliter totum legi cenſetur.Hoc tamen intellige, niſi aliud expreſsè ſit iunctum;quod eſt rariſſimum.

Vnde hic mos manauit. Introduxit hunc modum alternatim pſallendi in ſuam Eccleſiam, nimirum Antiochenam, primus B. Ignatius; vnde ſenſim in totum orientem dimanauit. Cauſam dedit viſio quædam cæleſtis, in qua Angelos ſanctam Trinitatẽ ἀντιφώνως, id eſt, alternis vocibus collaudantes audiuit, teſte Socrate l.6 hiſt.c.8.In occidente verò primus S.Ambroſius eamdem rationem in ſua Eccleſia inſtituit, teſte Iſidoro lib.1.de offi.eccle. cap.7.quem reliquæ occidentis Eccleſiæ ſunt ſecutę.antea omnes ſimul canebant,nec erãt in choros diſtincti.

Petes,Vtrum omittere omnes horas vnius diei, ſit vnũ peccatum an multa?

53 *An omiſſio omnium horarũ ſit vnũ peccatum.* Naua.c.7.nu.6.& multi alij docent eſſe vnum peccatũ, quia ſeptem horæ canonicæ vna tantùm ſunt oratio, vnũ officium diuinum.

Sed hæc ratio difficilis eſt, Primò, Nam ſingulæ horæ ſunt diſtinctæ orationes,diſtincta officia,diſtinctis temporibus Deo ſoluenda, ad quorum ſingula obligamur ſub peccato mortali: ergo ſingulorum omiſſio eſt diſtinctum peccatum mortale.

Secundò,Singulorũ recitatio eſt impletio præcepti,ſaltẽ virtute diſtinctinam præceptum de dicendis horis implicitè continet ſeptem præcepta, quatenus ſeptem opera diſtincta, & inter ſe minimè connexa præcipiuntur. hinc fit vt poſſim implere præceptum de precibus primæ,etiãſi non impleam præceptum de horis tertiæ.præcepta.n.ex diuerſis operibus præceptis multiplicantur: ergo ſingulorum omiſſio eſt diſtinctum peccatum mortiferum.

Tertiò, Etiamſi ſit vna volitio,qua volo omittere omnes horas; tamen virtute eſt ſeptuplex,quia per eam ſeptẽ diſtinctæ omiſſiones ſunt volitæ, & ab ea procedunt: ſingulæ autem omiſſiones ſunt diſtincta peccata externa. Vnde fit vt etiam in confeſſione explicandum ſit quot horæ ſint omiſſę.Hanc ſententiam inſinuat Tabiena.ver.Hora quæſt. 18.

54 *Cauſæ excuſantes.* Dixi, *Sine cauſa*, quia ſi cauſa iuſta prætermittendi ſubſit, nullum erit peccatum, vt ſi abſque notabili dolore capitis vel oculorum, vel ſimili moleſtia dicere nequeas; ſi periculum grauis mali incurreres, vt inter hæreticos; ſi concio vel alia functio publica prætermitti deberet, vel conuenienti modo fieri nequiret,niſi horæ omittantur. Itẽ ſi ob cæcitatem vel debilitatem nequeas dicere ſaltẽ maiorem partem, ad nihil teneris. ſi maiorem partem potes, teneris illam recitare. Ita Nau.de ora.c.11.nu.13.& ſeq. ſi ob infirmitatem non pores niſi ope ſocij, nec conſueueris eo vti:non teneris: ſecùs ſi conſueueris. Non tamen excuſatur quis, eò quod in ſtudijs verſetur, aut iter faciat. Vide Nauarrum in Enchir.cap.25.num.100.& ſequentibus,& tract.de oratione,cap.11.

DVBITATIO X.

Quomodo preces horarię recitandę.

55 RESPONDEO. Recitandas eſſe *ſtudiosè, & deuotè*: ita enim præcipitur in Concilio generali ſub Innoc.III. *Deſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum; quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent pariter & deuotè.* Et quamuis ibi videatur eſſe ſermo de officio publico, idem tamen dicendum de eo, quod priuatim dicitur; quia eſt eadem ratio.

Quid requiratur vt ſtudiosè. Vt *ſtudiosè* celebretur, tria requiruntur. Primò, Vt abſq; ſyncopa, (vt ait Glo.) id eſt,abſque verborum omiſſione: vt fit, dum priora verba verſiculi iunguntur vltimis, abſorpto medijs.Secundò, Vt verba non mutilentur aut truncatim proferantur.abſciſſis quibuſdam ſyllabis,præſertim vltimis. Tertiò, Vt abſque interruptione.

Quod

56 *Syncopatio.* Quod ad primum attinet, si sit valdè magna *syncopatio*, erit peccatum mortiferũ, maxime in officio publico; quia contra strictum præceptum Concilij in re graui. nisi cum esset res grauis, non præciperet in virtute obedientiæ. In officio priuato non facile erit mortale, nisi sit enormis excessus; quo casu tenebitur etiam repetere. Si autem non sit magnus excessus, erit peccatum veniale, modo id volũtarie fiat. Si autem inuoluntarie, v. g. ex linguæ præceptantia, balbutie, inolita consuetudine, quæ corrigi nequeat, vel ob iustam festinationem; non erit peccatum.

De secundo, *Abijs bene sylabis* non est nisi peccatum veniale; manet enim integra precum substantia, ita vt intelligi possit. Si inuoluntarie fiat, nullum peccatum est.

57 *Intermissio.* De tertio, *Intermissio quauis*, si fiat absque iusta causa, est peccatum; quia aliquam irreuerentiam continet; sed non videtur nisi veniale in officio priuato; manet enim substantia precum, etsi in medio curlo fiat aliqua intermissio. Vnde etiamsi duret per vnam vel duas horas, non necessariò est repetendum quod ante recitatum est. Confirmatur, quia singuli psalmi, imò singuli pene versiculi per se suum habent pondus & completam significationem; suntque per se vel precatio quędam, vel laudatio, vel sententia non habens necessariam cum alijs connexionem. Colligitur ex Caietano in Summa v. Quando horæ, §. Quoad quartum, vbi dicit, *In huiusmodi circumstantijs non incurri peccatum mortale sine contemptu; quia non spectant ad substantialia materiæ præceptæ.* Idem censent multi viri docti ea de re cõsulti, & Peltanus libro 3. de bonis operibus capit. 6. in fine quartæ assertionis, Lælius Zeccus in Summa cap. 83. de officio diuino numero 10. dicit esse probabile, & citat Aragon.

Interruptio est peccatum mor.

58 Dices, Quando est magna intermissio, priora & posteriora non efficiunt vnam orationem, vnum officium diuinum, ac proinde ex illis partibus nõ constituitur officium primæ vel tertiæ, &c. Ob hoc argumentum, Nauarrus de orat. c. 16. n. 75. putat esse peccatum mortale, nisi fiat cum animo repetendi priora. Idem insinuat Ioannes Medina, C. de orat quæst. 16. art. 3.

Sed verius videtur quod diximus, quia non est de substantia singularum precũ vt continuentur. Secus est in formis Sacramentorum vbi requiritur moralis continuatio.

Ad argumentum Nauarri, Resp. Ex partibus vnius longæ orationis tempore seiunctis posse constitui, vnam orationem, vnum officium diuinum; sicut ex omnibus horis constituitur vnum officium diuinum, & ex multis confessionibus vna confessio, & ex multis disputationibus vna integra disputatio. Sicut enim declamatio, confessio, vel disputatio non definit esse vna, eo quòd diuidatur in diuersa tempora; ita nec officium primę, vel tertiæ amittit suam necessariam veritatem per hanc diuisionem: quia illa magis constituit in integritate, quàm in continuatione.

Dixi, *Si fiat absque iusta causa*, quia si iusta causa subsit, nullum est peccatum; vt si voceris a Superiore, si ex officio vel mandato Superioris, vel charitate proximi occurrat aliquod opus faciendum, quod non potest commodè differri. Quando tamen huiusmodi impedimenta sunt præuisa, debent vitari quantum commodè fieri potest; idque vel illa opera anticipando, vel horas alio tempore dicendo.

59 *Si animo repetendi inuoluntarie omittat.* Petes, Vtrùm si quis interrumpat officium animo repetendi tam lecta, satisfaciat, si postea non repetat, sed solùm sequentia adiungat? Medina eo. 16. de oratione art. 3. & Nauarrus supra nu. 73. docent illum non satisfacere, nisi priora repetat. Idem censent quotiescumque aliquis facit opus præceptum animo non satisfaciendi obligationi præcepti. Probatur, quia is, qui debet mihi 100. non liberatur obligatione, si donet mihi 100. gratis, & absque animo soluendi debiti: ergo similiter qui debet aliquod opus ex præcepto, non liberatur obligatione, si faciat illud animo non implendi præceptum.

Sed verius est non teneri repetere; sufficit enim vt mutet propositum & adiungat cetera. Simili modo, qui die festo audiuit Sacrum animo non satisfaciendi præcepto, & audiendi aliud, potest mutare animum & non audire. Ratio est; quia opus præceptum, non est v. g. audire Sacrum animo implendi præceptum, sed simpliciter audire Sacrum attentè & deuotè. hoc autem fit, etiamsi fiat animo non implendi præcepti. Itaq. satisfactum est intentioni Ecclesiæ quoad rem præceptam; vnde nec incurret censuram non audienti posita. Nec tamen conteatur præceptum ipsum in animo cõtemnere, debet expliciè vel implicitè intendere ei obedire & satisfacere per hoc opus vel per aliud. vnde si expresè intendat non satisfacere per hoc opus, debet habere animum satisfaciendi per aliud: alioquin peccat contra præceptum, non quidem omissione operis externi, sed interno contemptu; quia non vult obedire præcepto; quamuis reipsa ei obediat, faciendo opus illũ autem animum debet habere, quamdiu manet in priore proposito, quo vult non esse satisfactum præcepto, opere præcedenti. Itaque si mutet hoc propositum, non est necesse vt permaneat in voluntate operis iterandi; nec tenetur iterare: quia non amplius censebitur præceptum contemnere. Idem dicendum de precum repetitione.

60 *Discrimen inter deuotionem & iustitiam.* Alia est ratio cum aliquid debitum est ex iustitia: tunc enim is cui debetur, ius habet in suum commodum aliquid exigendi, quod ius non extinguitur gratuita donatione. at cum aliquid solum est debitum ex præcepto, non in commodum præcipientis, sed solius subditi, satisfit huic debito, si opus absolutè fiat: quia eo ipso, quo præstatur, obtinetur id, quod præcepto intenditur, nimirum bonum ipsius subditi. sed de hoc plura tract. de legibus dicenda.

Deuotè. Altera conditio est *Deuotè*. vt autem *deuotè* celebretur, duo requiruntur, *attentio*, & *reuerentia*. sola enim *attentio* non sufficit; nam oratio est actus religionis, ac proinde requirit reuerentiam; aliud enim est orare, aliud attente aliquid legere. Verùm magna difficultas est, qualis attentio, & qualis reuerentia requiratur. Vnde fit.

DVBITATIO XI.

Quę & quanta attentio requiratur in horis canonicis.

D. THOM. ART. 13.

61 *Attentio externa.* NOTANDVM est Primò. *Attentionem* in oratione posse esse multiplicem: alia enim est interna, alia externa. Externam voco, quæ est circa externam pronuntiationem & totius corporis cõpositionem; qua quis exterius se gerit in speciem orantis, abstinetque ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit.

Interna. Interna est, qua quis attendit animum ad Deum vel res diuinas, excitatque in se erga Deum reuerentiam.

Attentio quadruplex. Rursus, alia est circa verba, vt rectè pronuntientur; alia circa verborum sensum, vt mente percipiatur, & affectus illi applicetur: alia circa Deum, vt verba orationis ad ipsum dirigantur: alia ad id, quod petimus a Deo vel ad rem aliquam piam, per quam Deum laudari & affectum nostrum excitari cupimus. Denique quæuis ex his attentionibus potest esse vel actualis vel virtualis: item vel confusa vel distincta.

62 *Internam requiri.* Notandum Secundò, In omni oratione Iure diuino naturali requiri attentionem & reuerentiam internam: qui enim cum Deo colloqui, a Deo aliquid petere, Deum laudare intendit, conuenienti modo id facere debet; sicut qui hospitem aliquem recipit, eum pro sua dignitate, quantum commodè potest, tractare debet; alioquin nõ tam videtur illum honorare quàm contemnere. Itaque etsi non teneat nunc orare, si tamen velim, & orem, teneor debitam reuerentiam & attentionem adhibere. Hinc fit vt omnis voluntaria distractio in propriè dicta oratione, sit aliquod peccatum: vt rectè docet Caietanus artic. 13. & Nauarrus capit. 25. num. 105. Hoc tamen peccatum non est nisi veniale, quando oratio est libera, vel saltem non obligatoria, nisi sub veniali: quòd si quis non tam intendat orare, quàm pio exercitio, recitando precum verba, se occupare; non peccabit, etiamsi sponte alia cogitet, & sæpè orationem interpellet.

Distractio voluntaria quando peccatum veniale.

Quando Iure diuino ad orationem obligamur sub peccato mortali; tunc voluntaria distractio erit peccatum mortiferum.

His positis, in quibus Doctores conueniunt, quæstio est, quando solum præcepto Ecclesiæ obligamur ad orandum.

Multi

63 *Sententia asserens non requiri attentionem internam.*

Multi Doctores putant non requiri ex præcepto Ecclesiæ attentionem internam. Vnde etsi quis interius sponte distrahatur; non peccare mortiferè, nec teneri repetere, modo integrè omnia pronuntiet: & externus, ijs rebus, cū quibus interna attentio consistere nequit, non se occupet. Fundamentum huius sententiæ est, quia Ecclesia non potest præcipere aut vetare actus internos, sed solum externos. Itaque non præcipit internam attentionem, nec vetat internam distractionem, sed solam externam: vt cum quis externis faciat ea, quæ non patiuntur internam attentionē, vt sedeatur, legat, pingat, &c. Ita Durand. in 4.d.15. q.ult. 12.numero 6. Sed contrà, inquit, *sit solùm secundùm actum exteriorem, breuis sit temerata & grauis, cùm sit ex proposito, vbi tunc non est peccatum mortale; vel si esset contemptus, quia Ecclesia non habet iudicare de actibus mere interioribus, & nec potest cum possit sub præcepto. Vnde monaster Ecclesiæ, si deinde hoc sciretur cogitasse aliud, non videtur transgressus præceptum Ecclesiæ, quantum est ex natura facti. Si autem cognoscatur, si ex eo, quòd occupet se in actu exteriore, qui non requiritur secundum actum orationis, tunc videtur esse culpa mortalis, & directe contra præceptum Ecclesiæ, quod habetur capit. Dolentes.* Idem ipsidem verbis docent Paludanus dist.quæst.1.artic.2. & D.Antonin. 3.p.tit.13.capit.4.§.3. Idem §.7. pro hac sententia affert Hostiensem, Vaghertam, Gloſſam, & Archidiaconum. Idem tenet Angelus verbo Horæ numero 27. Roselia, & Tabiena verbo Hora, §. 3. Sylvester vero Hora, quæst. 11. Ioannes Medina C. de orat. quæst. 15. & multi alij recentiores. Hæc sententia nō est improbabilis; tum ob rationem, qua nititur; tum ob multos & graues Doctores, qui eam tenent, tum quia sic vrgetur nonnihil asperitas, quæ videtur esse in præcepto Ecclesiæ, tam diuitas sub peccato mortali ad singulas horas obligare.

64 *Verius est requiri attentionem internam ex præcepto Ecclesiæ.*

Contraria tamen sententia videtur verior & probabilior, videlicet requiri attentionem internam, adeò vt si quis interius sponte alijs cogitationibus se occupet, non satisfaciat præcepto Ecclesiæ de horis dicendis. hanc tenet Maior in 4.d.12.qu.7. Caietan. hoc quæst.83.art.13. Sotus libro 10. de iustitia, q.5.art.5.conclus.7. Nauar. tract de orat. cap.13.num.18.19.20. & plerique recentiores. Eadem videtur esse D. Anton. in 4.d.15.quæst.4. art.2.quæstiuncula 4.ad 2. Vbi dicit, *Si ad contrarium diuersa cogitetur, etiam culpa mortalis erit.*

Probatur hæc sententia Primò, quia Ecclesia in Concilio Lateran. diuinè præcipit, *vt officium diuinum celebretur studiosè, puris mentibus & deuotè.* vt patet capit. Dolentes: atqui *deuotè* consistit in actu interno, & requirit internam attentionem ad res diuinas. Vnde Glossa, *Deuotè, quantum ad officium requisitum.*

Dices. Solum præcipi deuotionem externam, quæ sita est in eo vt quis se gerat in specie orantis.

Contra Primo, Quia deuotio externa sine interna, non est deuotio, sed simulatio deuotionis; vnde qui sic orat, non potest dici deuotè orare.

Secundò, Quia vt satisfiat præcepto Ecclesiæ, non requiritur externa deuotio, v.g. exterior habitus peccantis genuflexio, &c. præsertim cum officium priuatim recitatur: nam latuit deuotio interna.

Probatur Secundò, Quia Ecclesia præcipit Clericis verum actum orationis & laudis diuinæ: atqui ad talem actū requiritur interna attentio & reuerentia; ergo simul præcipit internam attentionem. Minor probatur, quia oratio potissimum consistit in actu interno, vt docet D. Thomas; est enim colloquium cum Deo: vnde requirit attentionem & reuerentiam erga Deum. Confirmatur, quia qui exterius profert verba orationis absque animo orandi, verè non orat: sicut ergo requiritur animus orandi, ita etiam interna mentis attentio.

65 *Ecclesia potest etiam internum præcipere actum.*

Tertiò, Probatur ex contrario fundamento; Ecclesia potest præcipere actus internos, præsertim si necessarij sunt vt actus externi sint actus virtutis; ergo potest præcipere internam attentionem & reuerentiam, sine qua actus exterior orationis non est virtutis opus.

Aduertendum præterea Primò, Quia alioquin omnibus Ecclesiæ præceptis posset satisfieri per meram simulationē & hypocrisim. Ita enim satisfaceret præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui accederet animo carpendi vel irridendi diuina mysteria: & præcepto de annua confessione, qui confiteretur omnino fictè & absque consensu in absolutionem, quod sanè videtur absurdum.

Secundò, Potestas Ecclesiæ præceptiua non extenderet se nisi ad externam disciplinam tuendam, nec posset aliquid præcipere cum ijs circumstantijs, quibus vtile est ad salutem; quod enim absurdum videtur: tum quia valde parua esset Ecclesiæ potestas, cōtra illud Domini, Matt.16. *Quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis.* tum quia omnis potestas gubernandi, si sit perfecta, potest præcipere vtilia ad suum finem: atqui finis, quem respicit potestas ecclesiastica, est salus animarum: sicut finis, quem intuetur potestas politica, est tranquillitas externa: ergo potest præcipere ea, quę ad hunc finem sunt opportuna; sicut potestas politica potest præcipere ea, quæ ad publicam tranquillitatem sunt conducibilia.

Tertiò, Sicut homo constat animo & corpore, & Christianus, qua talis, fide interna & professione externa; ita opus vtriusque vt perfectum sit, debet constare actu interno veluti forma seu anima, & externo, veluti corpore. opus enim externum quantumuis magnum, sine bona voluntate interna, est veluti cadauer seu corpus priuatum vita, & nullius momenti ad finem Christiani: atqui Ecclesia potest præcipere actum completum, & vt ita dixerim, animatum hominis Christiani: ergo potest præcipere actū internum ad hoc necessarium. Confir. quia potestas præcipiendi debet habere iustam proportionem cum conditione præcipientis, & eorum, quibus præcipitur; sed horū conditio est vt constent virtute interna, veluti anima, & professione externa veluti corpore: ergo potestas Ecclesiæ nō solum ad externos actus, sed etiam ad internos, tamquam necessarios ad cōstituendum integrū opus hominis Christiani, se extendit.

66 *Ad argumenta sententia diuersæ.*

Ad fundamentum contrariæ sententiæ. Respondetur Primò. Probabile esse, Ecclesiam posse quosdam actus internos etiam per se præcipere & vetare. tenet Adrianus quodlib. 8.quæstione prima, & Albertus Pighius libro 6. de ecclesiastica hierarchia, capit. 16. quæ sententia multis rationibus probari posset: sed id ad 12.quæstione 96. pertinet.

Quomodo possit præcipere actus internos.

Respondetur Secundò, Etiamsi Ecclesia nō possit actus internos per se & solitariè acceptos præcipere, potest tamen eosdem præcipere quatenus sunt necessarij ad externos debito modo præstandos videlicet vt sint actus virtutum & ordinati ad finem supernaturalem, siue vt sint opus completum hominis Christiani. Itaque cum possit præcipere orationem & auditionem Sacri, potest etiam præcipere eam attentionem & reuerentiam, sine qua oratio & auditio Sacri non sunt actus religionis. sic cum possit præcipere confessionem annuam, potest etiam præcipere examen conscientiæ & internam contritionem, sine quibus confessio non est legitima.

67 *Confessarius dum.*

Ex hac sententia sequitur, cum qui recitauerit non animo orandi, sed legendi tantum aut ediscendi, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, ac proinde peccare mortiferè; quia non orauit, nec laudauit Deum, quod tamen ei præceptum erat. oratio enim sine animo orandi, nō est oratio. Similiter, si sponte distractus fuit, etsi animo orandi dixerit, quia non deuotè recitauit. Vnde vlterius sequi videtur, in vtroque casu teneri repetere, & nisi repetierit, non posse fructus percipere, quia opus præceptum non præstitit: præceptum enim erat vt deuotè recitaret. Ita Sotus, Nauarrus, & multi recentiores.

Recitās absque animo orandi vel nō deuotè.

68 *Sententia quorundam probabilis.*

Aduerte tamen, quosdam DD. huius sententiæ non improbabiliter opinari, eum, qui recitauerit animo orandi, etsi sponte distractus fuerit & mortiferè peccarit, non teneri repetere; quia sufficiam operis præcepti præstitit: deuotionem enim solum præcipi vt circumstantiam vt opus conueniēti modo fiat. sicut qui communicat indignè, satisfacit præcepto Ecclesiæ de annua communione; & qui reddit debitum ex odio, satisfacit obligationi iustitiæ. multoque minus teneri ad restitutionem fructuum; quia illi solū tenentur restituere, qui officium omiserunt; non qui negligenter aut distractè dixerunt. Ita Toletus lib.2. cap.12. & Medina C. de orat. quæst. 16.

69 *Attentio ad verba an sufficiat.*

Petes, Vtrùm attentio ad verba sufficiat?

Caietanus, verbo Horæ, §. Quoad tertium, enumeratis quatuor supradictis attentionibus, ait quamuis ex illis sufficere. Idem sentiunt fere ceteri Doctores. Sed hæc sen-

sententia nisi explicetur, non videtur differre a sententia eorum, qui non requirunt attentionem, nisi externam: si enim attentio ad verba sufficit, non opus est attentione interna; nisi alias periculum sit in verbis errandi. Deinde videtur esse contra D. Thomam, qui hoc art. 13. expresse sit *maximè necessariam esse attentionem circa finem orationis, id est, circa Deum, & ea, quæ a Deo petuntur.*

Respon. Respond Attentionem ad verba sufficere, supposito animo orandi & vacandi Deo: hic enim animus includit attentionem quamdam, saltem confusam ad Deum. qui enim vult orare, hoc ipso etiam censetur velle attentionem & reuerentiam debitam adhibere. Confirmatur, quia oratio est *colloquium cum Deo, & petitio decentium a Deo.* atqui colloquium & petitio postulat attentionem saltem confusam ad eum, quicum colloqueris, & a quo peris: & vt verba ad ipsum cum reuerentia dirigas. Sic intellige prædictos Doctores. Itaque requiritur attentio, saltem confusa ad Deum, & ad verba, eaque sufficit. Vide si quis cum hac posset simul ad alia attendere, (sicut illi, qui ternas, quaternas, vel plures simul epistolas dictat) satisfaceret præcepto Ecclesiæ, nec peccaret mortifere. vt docet Nauarrus de oratione cap. 13. numero 23. peccaret tamen venialiter ob irreuerentiam.

Attentio confusa ad Deũ & ad verba.

70 *Varij modi recitandi preces.* Perfectissimus tamen modus recitandi horas est, quo ita recitas, vt sensum verum Psalmorum, & ceterorum percipias, illique affectum vbique accommodes. Proximus est, vt dum sensum non assequeris, interea aliquid pij de diuinitate vel humanitate Christi mediteris; nam vt rectè Caietanus art. 13. docet, licitum est dum sacra verba pronuntiantur aliquid pij meditari: non enim opus est circa verba attendere, nisi quantum opus vt in illis non erretur. Tertius & infimus est, quãdo nec sensum percipis, nec aliquid pij distinctè meditaris, sed solùm das operam vt sacra verba cum reuerentia in Deum pronuncies, referendo mentem in genere ad sensum Ecclesiæ; nempe intendendo singula accipere in eum sensum, quo Ecclesia intelligit, & ea à Deo petere, quę ipsa in illis petit, & ijs laudibus illum celebrare, quibus ipsa celebrat.

Facilè est præcepto Ecclesiæ satisfacere. Hinc patet facilè esse præcepto Ecclesiæ in hac re satisfacere; quia nihil aliud requirit, quam vt animo orandi & laudandi Deum illa sacra verba recitemus, ad ipsum ea dirigendo, nec quidquam prophanum sponte voluamus animo; quod attentionem necessariam ad verba & reuerentiam in Deum excludat.

Dico *Sponte*, quia si quis distrahatur inuitus, seu non aduertens se distrahi, non peccat, quod enim non est voluntarium, non potest esse peccatum.

71 *Quomodo sit virtualis attentio, dum animus distrahitur.* Nec obstat, quòd tunc in illa oratione non videatur esse attentio; quia etsi non sit actualis attentio, est tamen virtualis, quæ licet in omni alio opere, ita etiam in oratione sufficit. Censetur autem ibi esse virtualis attentio, ratione propositi, ex quo illa oratio est inchoata & continuata. cũ enim ex intentione attentè & reuerenter orandi processerit, hoc propositum cẽsetur manere per totam orationem, nisi expresse vel implicitè reuocatum fuerit. Expresse reuocatur, si expresse nolis amplius attendere. Implicitè, si aduertens tuas distractiones, negligas mentem reuocare. tũc enim quod post hunc neglectum recitas, non amplius sequitur ex primo illo proposito attentè orandi; sed alio, negligenter. Si primum propositum nullo modo reuocetur, vel si reuocatum initaretur, manet per totam orationem, quæ ex illo sequitur. quandocumque enim multæ actiones longa serie ex aliqua intentione sequuntur, illa intentio virtute per omnes illas actiones manere censetur, vt 1.2. qu. 1. ostensum est. vnde patet etiam attentionem virtute manere; si enim propositum attentè orandi manet; etiam attentio in illo proposito tamquam in sua causa manet. Vbi tamen aduertendum est, non esse necessarium vt quis semper initio officij distinctè proponat recitare attenter & reuerenter; sufficit vt in genere velit dicere officium more consueto. sicut ad alias actiones, quas ex habitu & consuetudine obimus, inchoandas sufficit confusa apprehensio & generale propositum faciẽdi opus consuetum: cum enim hęc consuetudo orta sit ex multis actibus distinctis & perfectis; id quod ex ea postea agitur, ex vi præcedentium actuum fieri videtur.

72 *Sufficit vt confusè proponat.*

DVBITATIO XII.

Quę formula in horis canonicis seruanda, & quibus temporibus recitanda.

RESPONDEO & dico Primò, Omnes, qui ad horas canonicas obligantur, teneri eas recitare iuxta præscriptum Breuiarij Romani, iussu Pij V. editi: exceptis Capitulis & Conuentibus, qui iam a ducentis annis ante editionem illius alio vsi fuerunt. habetur expresse in Bulla Breuiario prefixa, vbi id præcipitur; & additur, *eos nisi hac sola formula satisfacere non posse.* 73 *Breuiarium Romanum.*

Vbi Notandum est Primò, Eos, qui alio Breuiario a ducentis annis sunt vsi, (vt sunt multæ illustres Ecclesiæ, & Ordines Regularium, vt Dominicani, Carmelitæ, Carthusiani, Benedictini) non teneri ad acceptandum Breuiarium Pij V. qui verò minore tempore teneri; etiamsi eorum formula a Sede Apostolica fuisset approbata; quia Pontifex absolutè omnia abrogat, quæ ducentos annos non habent. *Qui non teneantur acceptare Breuiarium Pij V.*

Notandum Secundò, Permitti Capitulis, quorum Breuiarium ducentos annos antecedit, vt cum Romano illud commutent, si tamẽ Episcopus & vniuersum Capitulum consentiat. In Monasterijs tamen exemptis non requiritur consensus Episcopi, sed sufficit Capituli, & Prælati. Hinc sequi videtur, beneficiarios & Regulares illius Ecclesiæ, quæ Romanum nondum admisit; & suum legitimè retinet, non posse etiam dum priuatim extra chorum recitant, sequi Romanum: quia quilibet suæ Ecclesiæ se conformare debet. vt docet D. Thomas quodlib. 6. artic. 8. & colligitur ex capit. De his. 13. & capitulo 14. Placuit. d. 12. vbi statuitur, *vt omnes Clerici & Ecclesiæ Ireniendis eundem in psallendo modum teneant, quem Metropolitanam habere cognouerint.* Confirmatur ex Clementina Dignum, de celebrat. Missarum, vbi Concilium Viennense indulget Clericis & Religiosis habitantibus cum Episcopis & Cardinalibus, vt loco sui officij recitent officium sui Prælati: ergo sepositâ dispensatione tenentur ad officium suæ Ecclesiæ. 74 *Anprivatim licitum sit officium Pij V.*

Nihilominus contraria sententia est probabilis, videlicet posse priuatim Romanum Breuiarium ab illis recitari. Primò, Quia nulla est necessitas, nec vllum ius expressum, cur priuatim teneantur se magis conformare Ecclesiæ particulari, quàm Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum, & cui omnes conformari expedit. Secundò, Quia Pius V. etsi insinuet in Bulla, non esse mutandum officium publicum ducentorum annorum absq; consensu Episcopi, & Capituli; nihil tamen dicit de priuato: tacitè ergo permittit illud mutari. Tertiò, Quia tam passim dicitur esse talis consuetudo; idemque licitum esse docent multi recentiores. Nec obstant in contrarium adducta; nam capit. De ijs & capit. Placuit, loquuntur apertè de officio publico, non de eo, quod priuatim dicitur. Clement. Dignum, permittit non tantum vt dicant Romanum, sed etiam quoduis aliud, quod Cardinalis vel Episcopus, cui cohabitant, recitat; quod sine hac indulgentia non licuisset. *Probabile est licere.*

Tertiò, Qui nullum habent beneficium, sed titulo patrimonij sunt ordinati, secundum Nauar. cap. 25. numero 107. quoduis Breuiarium approbatum legere possunt, quia possunt se cuiuis Ecclesiæ conformare. Sed verius puto teneri ad Romanum, quia in Bulla Pij V. non videntur excepti. non enim sunt insiti alicui Ecclesiæ particulari, cuius vsus sit ducentorum annorum. 75

Quartò. Eos, qui officium nouum Pij V. legunt, non obligari diebus in rubrica præscriptis, ad horas paruas B. Virginis, nec ad officium defunctorum, nec ad Psalmos pœnitentiales, aut graduales; vt expresse habetur in Bulla. si tamen in aliqua Ecclesia tã erat consuetudo vt officiũ B. Virginis in choro diceretur, iuit Pontifex hanc consuetudinem in suo vigore permanere: quod intellige, quo ad illos dies, quibus secundum rubricas Breuiarij non est recitandum, non aliter, vt etiam notauit Petrus Arragon. quæst. 83. articul. 11. decet enim vt rubricæ proprij Breuiarij seruentur. Vnde si alicubi talis consuetudo erat recepta instar legis, sub peccato mortali obligantis, etiam nunc post nouum Breuiarium obligabit. Secùs de consuetudine officij defunctorum, &c. Quicumque tamen fidelium 76 *Horæ paruæ B. Virg. officij defunctorum &c.*

Indulgentia recitantium.

dalium diebus in Breuiario præscriptis legerit officium B. Virginis, vel defunctorum, consequetur indulgentiam 100. dierum de pœnitentijs iniunctis; qui Psalmos pœnitentiales, vel graduales; 50. dierum, idque toties, quoties id præstiterit, vt ibidem habetur quod valdè notandum. Qui verò officium Romanum vetus legunt, nisi sub peccato mortali teneantur etiam ad officium B. Virginis ex consuetudine, vt quidam Doctores affirmant. Sed non puto hanc consuetudinem apud omnes tam strictè receptam; satis enim constat plurimis locis id non fuisse seruatum. Vnde ipsa data est conciendo Ecclesiarum, & quo modo ea celebretur ibidem recepta; vt indicat Syluester v. Hora q. 5.

77 *Mortale officij non recitationem.*

Quintò, mutationem officij etiam de tota opera, non esse peccatum mortiferum; vt si loco officij de feria, dicatur de Conceptione, vel de Sanctissima Trinitate, vel de veneratione Sacramenti, vel de B. Virgine, aut contra loco officij de festo, dicatur de feria. Ita Caietanus verb Horæ cap. 2. Syluest. ver. Hora nu. 15. & alij passim. & Azorius hic. 10. Institut. moral. capit. 10. dub. 2. dicit hanc esse communem omnium sententiam. Nec refert etiamsi sit beneficiarius vel Religiosus, etsi Angelus hos excipiat. ratio est, quia id, quod Ecclesia primario præcipit, est, vt septem horæ canonicæ quotidie recitentur. vt autem dicatur de hoc vel illo festo, hac vel illa forma, solum pertinet ad modum & circumstantiam secundariam officij, quæ non est tanti momenti. Itaque substantia præcepti seruatur, quodcunque officium Breuiarij concelli dicatur. Vnde qui etiam prudès omisso proprio aliud recitauit, non tenetur repetere, vt rectè Syluester, supra. quia quæ ad substantiam legis pertinent, etsi cum peccato venali, iam impleuit. multo minus tenebitur, si per inaduertentiam mutauit.

Valde tamen laudabile est repetere vel totum officium si aliud per errorem vel *ignorantiæ* recitatum est; vel saltem ea quæ ad proprium officium pertinebant; etiamsi solùm esset hymnus, vel antiphona, vel lectio aliqua.

78 *Tempus.*

Dico Secundo, Quod ad tempus attinet, in officio publico seruanda est consuetudo recepta; in priuato, etsi laudabile sit vt singulæ horæ suis temporibus & interuallis orentur, tamen ad vitandum peccatum mortiferum sufficit vt recitentur eo interuallo, quod est inter medium noctis præcedentis & sequentis: qui enim interea temporis horas recitauerit, siue initio, siue in medio, siue in fine, satisfacit substantiæ præcepti.

79 *Preces matutinæ & laudes vesperis.*

Vbi Notandum est Primo, Ex consuetudine licitum esse recitare preces nocturnas & laudes pridie ad vesperam; vt Caietanus, Nauarrus, & alij docent. imò etiam ante solis occasum, nempe post tempus vesperarum & completorij; vt docet Diuus Thomas quodlib. 5. art. 23. vnde vbi hæc absoluta sunt in Ecclesijs hora quarta pomeridiana, licitè erit priuatim nocturnum officium sequentis diei inchoare hucque Laudes adiungi vel longè & in alterum diem differri possunt. *Parua hora, quando.* Paruæ horæ non possunt dici pridie, sed solum post mediam noctem possunt. tamen omnes vsque ad vesperas exclusiuè ob aliquam honestam causam recitari mane, teste Nauarro; imò si causa iusta adsit, etiam vesperæ adiungi possunt, teste Caieta. quod apertè habetur cap. 1. de celebratione Missarum, supra citato; vt si instaret profectio, vel alia longa occupatio, vel amicorum interpellatio, imò maior quies & deuotio, posset legitima causa cèseri, vt notat Caietanus.

Est tamen peccatum veniale, si vltra iustum tempus absque causa differantur.

80 *Mutat ordinis precum.*

Notandum Secundo, Non esse peccatum mortiferum mutare ordinem horarum, vt si prima dicatur ante Laudes, vel vesperæ ante primam; quia ordo horarum extra chorum non est sub præcepto, nisi secundariò & tamquam circumstantia minoris momenti. Vnde etiam facile datur iusta causa mutandi, vt si a viro graui inuitis ad recitandas horas posteriores; vel si in choro dicantur, & tu priores nondum persolueris. ita Toletus lib. 2. cap. 15.

81 *Sacrum ante preces matutinas.*

Notandum Tertiò, Non esse etiam peccatum mortiferum facere Sacrum ante preces nocturnas, seu matutinum, iuxta Sotum lib. 10. qu. 5. art. 4. quem æquantur multi recentiores, Victoria, Canus, Manuius, Penna, Henriquez: vide ipsum li. 9. de Missa c. 24. nu. 7. quia nihil iure de hoc præceptum, nec consuetudo contraria est recepta sub peccato mortali: non enim est vlla necessaria connexio aut dependentia sacrificij ab illis precibus, vt idcirco debeant præcedere. & sanè mirum esset inuersionem illius ordinis esse peccatum mortiferum, cum nec ipsæ horæ inter se tam necessarium ordinem habeant. Vnde ex causa rationabili poterunt interdum postponi sacrificio absque omni peccato, vt docet Fumus v. Missa numero 3. & Petrus Aragon. 2. 2. quæst. 83. art. 12.

CAPVT XXXVIII.

De Sacrificio, & Adoratione.

Constat 4. Dubitationibus.

SEQVVNTVR actus externi Religionis, inter quos primum locum obtinent *Sacrificium & adoratio* his enim manifestissimè cultus defertur: *sacrificio* per rem externam, *adoratione* per corporis gestum. *Sacrificio* affines sunt *oblationes & primitiæ*, de quibus etiam breuiter aliquid dicemus.

DVBITATIO I.

Quid sit adoratio.

NOTANDVM Primò, *Adorationem* Græcè dici προσκύνησις quasi dicas ad osculationem, a κυνέω, quod idem est quod κύω osculor, vt ex Homero constat. solent enim antiqui venerari homines & deos, osculando genua, vel caput, vel humeros. Hebræi aliquando exprimunt per verbum *schachar*, quod se incuruare significat, a verbo necar: aliquando per *schar*, quod seruire. Hinc factum est vt 70. & scriptores sacri noui Testamenti *adorationis* actum sæpè exprimant per verbum δουλεύειν. & λατρεύειν, (quæ significant idem quod seruire) iuxta Hebraismum.

1 προσκύνησις.

2 *Nomina cultum significantia sunt communia Deo & creaturis.*

Notandum Secundò, Omnia hæc nomina esse communia Deo & creaturis, & quemuis cultum honorarium, siue religiosus sit, siue politicus, significare. aliquando enim significant honorem, qui tribuitur hominibus vel Angelis: nam Genes. 18. Abraham *adorauit in terram Angelos*. & Genes. 19. Loth *adorauit Angelos* pronus in terram, 3. Reg. 1. *inclinauit se Bathsabee & adorauit Regem*. & infrà, *Nathan adorauit Regem pronus in terram*. & alibi sæpe. quibus locis apud 70. est προσκύνησις, Hebraic. ischoth. Eadem alibi significant honorem diuinum. Exo. 20. v. 5. *nõ adorabis ea*. 70. οὐ προσκυνήσεις. Hebrai. tacharin. Sic Matth. 4. *Adorabis* & προσκυνήσεις, accipiuntur pro cultu diuino. Pari modo δουλεία aliquando accipitur pro cultu diuino: ad Galat. 4. 8, *qui non sunt natura dij seruiebatis*, Græcè ἐδουλεύσατε, aliquando pro cultu & obsequio humano ad Galat. 5. *per charitatem seruite inuicem*; Græcè δουλεύσατε. sic λατρεύειν apud prophanos significat obsequia seruilia obire, famulari, & seruiliter aliquem colere; (vt ex Hesychio & Suida patet) tamen in nouo Testamento, & (exceptis duobus vel tribus locis) etiam in veteri semper accipitur pro cultu, qui Deo debetur. Vide D. Augustinum lib. 10. de ciuit. cap. 1. & Ludouicum Viuem ibidem.

δουλεία.

λατρεύειν.

Ex his patet, quando in Scripturis, vel Patribus inue

nitur

nitur nomen *adorationis* vel *cultus* vel *seruitutis*, vel aliud æquiualens, ex subiecta materia & circumstantijs iudicãdum vtrùm accipiatur pro cultu diuino, an pro inferiori: nam nomina ipsa per se generalia sunt & nunc sic, nũc aliter vsurpantur: quod est valdè notandum contra hæreticos.

His positis, *Adoratio* dupliciter accipitur, Primò, Ge-
4 neratim, vt complectatur etiam sacrificium & oblationẽ. *Adoratio generatim.* Sic Ioan. 4. *Venit hora quando neque in monte hoc neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*; nempe per sacrificium: nam de loco, vbi Deo sacrificium offerri deberet, quærebat Samaritana: de eo enim erat quæstio inter Iudæos & Samaritas: sic sæpissimè accipitur in Scripturis.

Specialim. Secundo, Propriè, & sic nihil est aliud quàm *honor externo corporis gestu exhibitus*, vt genuflexione, capitis apertione, inclinatione, osculo manus & pedum, corporis in terrã prostratione, &c. his enim & similibus modis alios honoramus; testamur enim nostram submissionem & alterius excellentiam. Itaque *adoratio* propriè consistit in externo illo gestu, quatenus est signum internæ æstimationis, reuerentiæ & submissionis erga alterum, & consequenter illius quoque excellentiæ.

Notandum est, etiam omnem externam *adorationem* se-
5 cundùm se esse adiaphoram, & posse tam creaturis quàm *Omnis externa adoratio per se adiaphora.* Deo exhiberi: nam genuflexio, & totius corporis in terrã prostratio, (quæ summæ videntur adorationes) etiam hominibus exhiberi solent; vt ex Scripturis patet, Genes. 43. & 50. 3. Reg. 1. 4. Reg. 4. Actor. 10. Itaque a sola intentione pendet, quod per hæc, illa vel illa honoris species deferatur. si enim ex erna illa submissionis nota intendas te alteri submittere tamquam Deo, & testari eius diuinitate, erit cultus latriæ; si verò amico Dei, erit douliæ; si vt viro sapienti, potenti, erit obseruantia politica. Vnde idem actus externus, quatenus successiuè potest procedere a diuersa intentione, & accipi vt signum diuersæ excellentiæ in honorato, & diuersæ æstimationis, reuerentiæ & submissionis in honorante, potest successiuè esse actus latriæ douliæ, & obseruantiæ politicæ.

DVBITATIO II.

Quid sit sacrificium propriè dictum.

6 HAERETICI vt excludant vnicum & verum Eccle-
Hæreticorũ sententia. siæ sacrificium, ita rationem sacrificij explicant, vt vel omne opus bonum, vel saltem omne id, quod Deo offertur, velint esse proprie dictum sacrificium. vnde Philippus Melanchthon in locis communibus tit. de sacrificio eucharistico, *sacrificium* dicit *esse omne opus quod Deo reddimus, vt cum honore efficiamus.* & Caluin. li. 4 Institut. cap. 18. §. 13, 16. 17. omnem oblationem, etiãsi nulla fiat circa illam immolatio, vult esse verum sacrificium. Idem ferè docent alij hæretici, vt refert Gregorius a Valentia apol. de sacrificio Missæ, & Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 2.

7 Sed certum est, & fide tenendum, neque omne opus bo-
Non omne opus bonum est propriè sacrificium. num, neque omnem oblationem esse verum & propriè dictum sacrificium.

Prior pars probatur Primò, Quia apud omnes Gentes sacrificium est aliquod opus speciale, cuius laus in eo sita est, quòd per illud colatur diuinitas. nam vt D. Augustinus lib. 10. de ciuit. cap. 4. ait; *Nemo vnquam sacrificandum censuit, nisi ei, quem aut Deum scirent, aut putarunt, aut finxerunt*, hoc autem non conuenit cuiuis operi bono, vt ieiunio, eleemosynæ; hæc enim per se nullum cultum præ se ferunt, sed solùm castigationem carnis, & beneficentiam in proximum.

Ad sacrificium requiritur sacerdos & altare. Secundò, Quia ad sacrificium requiritur sacerdos, & altare. *Sacerdos* quidem, quia offerre sacrificium est proprium munus sacerdotis, vt constat ex Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia.* Hinc Ozias Rex, cùm non esset sacerdos, & sacrificium offerre vellet, a Deo punitus fuit, quia officium sacerdotibus proprium vsurpauit, 2. Par. 14. & Saul ob eandem causam a Deo reiectus & priuatus regno, 1 Reg. 13. Idem confirmatur ex nominum affinitate; nam apud Latinos sacrificus & sacerdos idem valent; & apud Græcos ἱερεύειν sacrificare, dicitur ab ἱερεύς, quod sacerdotem significat: vnde perspicuum est, sacrificare esse proprium sacerdotum.

Altare requiri constat, tum vsu omnium Gentium: tum ex Scripturis, vbi, altaria non leguntur erecta, nisi ad vsum vel ad significationem sacrificij. nam etiam illud filiorum Rubẽ & Gad, de quo Iosue 22. erectum fuit ad sacrificium, non quidem vt in illo offerretur; sed vt per illud posteritati significarent se habere ius offerendi sacrificij cum reliquis tribubus, quæ transierant Iordanem: tum denique quia altare nomen habet a sacrificio, apud Græcos & Hebræos; Græcè enim altare dicitur θυσιαστήριον à θυσία, quod sacrificium significat: & Hebraice altare dicitur mizbæth, a nisbi, quod sacrificium denotat.

Tertiò, Si omne opus bonum esset sacrificium, omnis homo iure naturæ propriè esset sacerdos; quia iure naturæ obligatur ad opera bona; atqui id est absurdum & contra commune iudicium generis humani. sic enim nascentur sacerdotes, non consecrabuntur, & fœminæ sacerdotes erunt.

Dices, opus bonum esse sacrificium, non quidem per se, sed vt sit ad honorem Dei; sic enim est cultus Dei.

Respondeo Primò, Nihilominùs sequitur hominem 8
iure naturæ esse propriè sacerdotem; quia Deum bonis operibus colere debet. Secundò. Hinc solum conficitur, omne opus bonum a virtute Religionis imperari posse, & ad finem sacrificij (qui est honorare Deum) dirigi: esse autem imperatum a tali virtute, nihil ponit in actu externo, sed tantum insinuat ipsum ab affectu latriæ procedere; quòd non sufficit vt fiat propriè actus Religionis (sicut adoratio, laus, votum; inclinandum) cum non ideò speciem cultus præ se ferat: multò minus sufficit vt sit sacrificium quod perfectissimum cultum continet.

Nec obstat quòd cõtritio, eleemosyna & quoduis opus 9
iustitiæ, in Scripturis vocetur sacrificium; Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* & Psalm. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Ad Hebr. vlt. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur* (Græcè εὐαρεστεῖται, *placatur*) Deus: quia nomen sacrificij ibi large sumitur pro omni opere, quod instar sacrificij Deum placat & conciliat. Vide Chrysostomum in Psal. 95. vbi decem genera talium sacrificiorum enumerat. Primum, Sacrificiũ martyrij. Secundum, Deprecationis. Tertium, Iubilationis. Quartum, Iustitiæ. Quintum, Eleemosynæ. Sextum, Laudis. Septimum, Compunctionis. Octauum, Humiliationis. Nonum, Prædicationis. Decimum, Beneficentiæ in Sanctos. Quando stricte & proprie accipitur, a bonis operibus distinguitur, 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quam victima.* Ose. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Psalm. 50. *Si voluissem, sacrificium dedissem.* Vide Melchiorem Canum lib. 12. de locis, cap. 13. Rursus non obstat illud Augustini lib. 10. de ciuitat. capitulo 6. *Sacrificium verum est omne opus bonum, quod agitur, vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus*: quia accipit nomen *sacrificij* latè pro omni opere, quo assequimur sacrificij finem seu effectum, qui est adhærere Deo, eique placere. vocat tale opus *sacrificium verum*, vt distinguatur a sacrificio externo animalium; non quod perfectionem rationem sacrificij habeat; sed quia effectum sacrificij perfectius præstat: melius enim Deum placat quam externum solum. Hanc esse mentem Augustini patet ex cap præcedente. Simili modo Dominus Ioã. 15. dicit, *Ego sum vitis vera*; nimirum quia mysticè præstat excellenter ea, quæ vitis sunt. Sic tyrannus dicitur verus leo: abstinere a peccatis, verum ieiunium, &c huiusmodi formæ loquendi crebræ sunt non solum in Scripturis, sed etiam in vsu quotidiano

Obiectiones.

Decem genera sacrificiorum.

Omne opus bonum quomodo sacrificiũ dicatur.

Altera pars probatur Primò, Quia Scriptura passim 10
distinguit oblationes a sacrificijs. Psalm. 50. *Oblationes & holocausta.* Psalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti.* Ad Hebr. 5. *Vt offerat dona & sacrificia.* Secundò, Quia multa in Scripturis dicuntur offerri, quæ tamen non possunt dici sacrificari; vt primogeniti, primitiæ variarum frugum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, & similia. Vide Exod. 25. & 35. ergo sacrificia differunt ab oblationibus. Tertiò, Quia ad sacrificium requiritur aliqua rei mutatio, vt statim ostendam. hoc autem non requiritur ad oblationem. Quartò, Sacrificare est proprium

Non omnem oblationem esse sacrificiũ.

sacer-

sacerdotum, oblationes facere quinis potest. Quintò, Ad sacrificium requiritur altare: ad oblationes minimè.

11 *Quinque requisita ad perfectum sacrificium. Minister.*

His relatis, Notandum est ex Scripturis colligi, quinque ad perfectum & proprie dictum sacrificium requiri. Primum, Ex parte ministri. Secundum, Ex parte materiæ. Tertium, Ex parte formę. Quartum, Ex parte finis. Quintum, Ex parte loci.

Ex parte *ministri* requiritur vt sit sacerdos, vt ex Apostolo ad Hebræ. & ex alijs iam dictis nu. 7. constat. Sacerdos dicitur qui legitima auctoritate ad offerendum sacrificium est deputatus. Ratio est, quia cum sacrificium sit præstantissimus cultus externus, quo diuinitas ab hominibus colitur: par est vt non fiat passim a quouis, sed a personis selectis, ad hoc peculiariter deputatis, vt nomine omnium facia n, per quos & ceteri censeantur numen colere & sacrificare. Vnde apud omnes Gentes sunt aliqui peculiariter deputati, vt numen, quod sibi delegerunt, publico nomine colant & placent. Horum est offerre sacrificia. Idē patet ex veteri testamento, vbi sacrificia, non nisi a sacerdotibus offerebantur.

Confirmatur, quia sacrificium est præcipua cærimonia externa, qua populus in vnum nomen religionis conspirat. per illud enim omnes simul instar vnius corporis Deum colunt, & religionem suam testantur. oportet enim aliquas esse actiones ac cærimonias externas, quibus non solum singuli seorsim, sed etiam tota Respub. iunctim, veluti vnum corpus politicum, vna eademque religione imbutum, diuinum numen veneretur, eiusque summum principatum & suam subiectionem profiteatur, cum etiā omnes simul Deo subiecti sint, & totum bonum commune ab ipso dependeat. Itaque cum inter has primum locum teneat sacrificium, necesse est vt sint aliquæ personæ publico nomine ad hoc deputatæ, quæ sacerdotes dicuntur.

12 *Dei sacerdotes in lege naturæ fuerint.*

Nec obstat quòd in lege naturæ non videantur fuisse sacerdotes, cùm tamen fuerint sacrificia: quia tunc vel primogeniti erant sacerdotes, vt docent Hieronymus in quæst. Hebraicis, agens de Melchisedech, vbi dicit esse traditionem Hebræorum, omnes primogenitos a Noe vsque ad Aaron fuisse sacerdotes: idem etiam habebant auctoritatem quasi regiam & multas alias prærogatiuas, vt eruditè ostendit noster Pererius to. 2. in Gen. capit. vlt. In eadem sententia est Eucherius, Glossa, & Lipomanus in illud Genes. 25. *Vende mihi primogenita tua*. Vel certè quiuis pater familias sicut habebat auctoritatem quasi regiam in suos, ita etiam sacerdotalem, quod etiam est valde verisimile. illi enim optimè congruebat pro tota familia offerre. Sic Iob pro liberis suis sacrificabat, eosque sanctificabat, vt habetur capitul. 1. libro Iob. Adde, quosdam tunc etiam peculiari instinctu Dei fuisse ad sacrificandum impulsos, vt Abel, Abraham, Iacob & similes, qui hoc ipso fuere constituti sacerdotes, quo potestatem sacrificandi acceperunt.

Sacerdos in sacrificio agni paschalis.

Similiter non obstat quòd in lege veteri agnus paschalis a singulis familijs immolabatur. vt constat Exod. 12. quia singuli patres familias ad hoc sacrificium erant sacerdotes: idque vel peculiari deputatione & ordinatione Dei; vel antiqua auctoritate, quæ erat tempore legis naturæ, concessu Dei, quoad hoc sacrificium perseuerante, inteliquis abolita: cuius signum est, quòd sacrificium agni paschalis institutum fuerit ante legem veterem, & ante huius legis sacerdotium. Vnde in eo instituendo seruata est consuetudo quæ erat tempore legis naturę; nempè vt a singulis capitibus familiarum offerretur: quæ paulò post in monte Sina quoad alia sacrificia est abolita, instituto sacerdotio Aaronico.

Res sensibilis.

Secundò, Ex parte *materiæ* requiritur res aliqua sensibilis externa, viua vel inanima. omnia enim, quæ vsu gentiū, vel in Scripturis dicuntur propriè sacrificia, versantur in re huiusmodi.

13 *Mutatio.*

Tertiò, Ex parte *formæ* requiritur illius rei peremptio, vel aliqua alia conueniens mutatio. hoc enim potissimum differt sacrificium ab oblationibus. Probatur Primò, Nam omnia sacrificia legis naturæ & veteris, quantum ex Scripturis colligi potest, fiebant non simplici oblatione ad altare Domini; nec sola elevatione; sed rei destructione facta ad honorem Dei. quædam enim per occisionem sacrificabantur, vt viuentia; quædam per combustionem, vt carnes animalium occisorum, & res inanimæ solidæ, vt simila, sal, thus; quædam per effusionem, vt sanguis, vinum, aqua. vide cap. 1. & 2. Leuit. Idem patet ex sacrificijs ethnicorum. Secundò. Idem colligitur ex ipsis nominibus; nam *sacrificare* Græcis est θύειν, Hebræis nisbi, quorum vtrumque significat occidere, mactare. & nomen sacrificandi etsi dicatur a re aliqua sacra facienda, tamen sæpissimè accipitur pro occidere; quod signum est sacrificiū vel ipsa rei interemptione fieri, vel cum ea coniunctum esse. Ratio est, quia cum res permittur, eripitur vsibus humanis, & perfectius videtur, tota in honorem Dei cedere, & significare supremum eius in omnia dominatum, omnaque ab ipso pendere. Nec obstat, quòd in sacrificio panis & vini, quod obtulit Melchisedech Gen. 14. non videatur vlla facta mutatio: quia etsi Scriptura nō explicet quomodo obtulerit, non videtur tamen dubitandum, quin eo modo, quo aliæ res inanimæ sacrificari solent, id fecerit, nimirum fundendo totum in altari coram Deo, deinde aliquam partem igne consumendo, vel libando: fruges enim in sacrificijs torreri, vel incendi solent, & liquida effundi. Nec opus erat totum ita consumi quando non erat holocaustum. sed particulam aliquam; reliquis reseruatis sacerdoti, & alijs, qui sacrificij debebant esse participes; vt fieri solet in hostijs pacificis.

14 *An debeat perimi. Sufficit conuersio.*

Aduertendum tamē, non esse necessarium ad rationem sacrificij vt res permutur. sicut enim peremptione rei, ita etiam cōuersione vnius in alteram, supremum dominium & suprema potestas Dei, nostraque subiectio & seruitus designari potest: ac proinde talis conuersio, a Deo in sacrificium instituti potest; ipsius enim est constituere, quibus rebus & signis coli debeat, & supremum suum principatū significari vel. c. vnde potest quasuis res, & quasuis mutationes ad hoc idoneas assumere. Sic in noua lege sacrificiū constituit in cōuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, per verba cōsecrationis; & simul potestatem ad sic offerendum dedit sacerdotio ad hoc proportionato erecto. Simili modo potuisset instituere in conuersione aquæ in vinum, vel in sanguinem, lapidis in panem, plumbi in aurum, virgæ in serpentem, serpentis in ouem, &c. data hominibus potestate accommoda ad hęc per verba vel alia signa sensibilia efficienda.

Petes, Cùm in conuersione vnius in aliud, duo sint, id quod conuertitur (quod definit esse secundum suam speciem) & id in quod conuertitur, quod incipit esse vel absolute (vt si antè non erat) vel secundum quamdam sui replicationem; vtrum ex duobus censeatur hostia?

15 *Id in quod fit conuersio est principatus hostiæ. Oblatio thuris.*

Respondeo, Id in quod fit conuersio: id enim potissimùm intenditur per illam actionem; quia vt illud incipiat esse, alterum definit; estque hoc illius veluti materia: vnde etiam Deus magis intendit honorari per illam actionem conuersiuam, vt ponit terminum ad quem, quàm vt tollit terminum a quo. Exemplum habemus extra mysterium Eucharistiæ in oblatione thuris, quæ fit per conuersionem thuris in suffitum. hic enim potius sacrificatur suffitus, in quem thus conuertitur, quam ipsum thus, quod est suffitus materia. Idem cernitur in concremationē holocaustorum, & aliarum rerum, quæ per ignem offeruntur. Vnde non est mirandum in sacrificio Eucharistiæ hostiam esse corpus Christi, in quod fit conuersio, non panem qui conuertitur: quamuis eadem actione etiam offeratur panis secundariò & comitanter. totum enim quod ibi fit, ad diuinum principatum, nostramque subiectionem testandam agitur. Quòd si in aliqua conuersione intenderet magis honorari destitione termini a quo; tunc terminus a quo esset hostia; & ratio sacrificij consisteret in actione conuersiua, quatenus illum tollit è medio. Exemplum dari posset in occisione animalium, si illa actio non solùm esset destructiua, sed etiam productiua formæ cadaueris: (vt multi volunt) tunc enim esset vere & propriè conuersiua; & sic daretur conuersio, quæ primario haberet rationem sacrificij, quatenus est destructiua termini a quo, scilicet animalis; secundariò verò vt est productiua cadaueris; quod etiam eadem actione offerri censeretur.

16 *Ratio sacrificij in Eucharistia.*

Hinc patet, in mysterio Eucharistiæ frustrà rationem sacrificij quæri in alia actione, quam in consecratione. hæc enim abundè sufficit ad sacrificij rationem, siue sumptio dicēda sit pars illius sacrificij, vt a Christo est institutum; siue non. sicut enim sacrificium thymiamatis, & omnium eorum, quæ igne offeruntur, consistit in conuersione illorum

ultimo ſuffitum, qui primario ibi cenſetur offerri; ita ſacrificium Euchariſtiæ conſiſtit in conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, quæ ibi principaliter offeruntur. & ſicut ibi ad rationem ſacrificij non eſt opus dicere, Offero tibi hoc incenſum &c. aut materiam ſurſum eleuare; ita nec ad rationem ſacrificij altaris opus eſt vlla verborum oblatione, ſiue materiæ, ſiue rei conſecratæ, nec vlla eleuatione; ſed hæc adhibentur vt preces & cæremoniæ, quibus vel petimus exaudiri, & conſequi fructũ ſacrificij; vel nos & alios excitamus ad cõſiderationem eorum, quæ ipſa geruntur, & ad internam reuerentiam. ipſa enim ea lis conuerſio, aut honorum Deo a legitimo miniſtro facta, eſt ſufficiens oblatio.

Non opus eſt verbali oblatione.

Nec refert quod exterius non præ ſe ferat ſpeciem alicuius oblationis, quia nec ipſum ſacrificium crucis exterius præ ſe ferret formam oblationis, ſufficit vt habeat rationem oblationis, quatenus ſubeſt intentioni offerentis, legitimam ad hoc poteſtatem habentis. Sed exactior horum tractatio alium locum poſtulat.

Petes, Si ratio ſacrificij conſiſtit in perempcione vel mutatione, quomodo illa reperitur in ſacrificio Crucis, cum Chriſtus ſeipſum non interemerit?

17 *De ſacrificio crucis.*

Reſpondeo, Etiamſi Chriſtus ſeipſum propriè non interemit aut occidit (non enim plagas illas & vulnera, ex quibus mors ſecuta eſt, ſibi irrogauit; quod verbo occidendi ſignificatur) tamen vere fuit cauſa voluntaria totius illius mutationis & mortis ſuæ; nam in poteſtate ipſius erat vel tormentorum vim infringere, vel eorum ictibus ſe ſubtrahere, vel efficere vt ictus inflicti nullam læſionem aut dolorem inferrent, vel vt dolore illato anima non migraret. Itaque cum ſponte corpus flagellis & crucifixioni obiecerit & aſſiduè expoſuerit, nec vim ictuum, qui inferebantur infringere, aut ſeuitiam tormentorum impedire voluerit; hæc perpeſſio & mors prorſus ei libera erat, & ab ipſo, tamquam a cauſa paſſum applicante, procedebat. ſicut enim qui admouet thus igni, eſt cauſa ſuffitus, quem ignis naturaliter cauſat; ita qui corpus ſuũ obijcit tormentis, eſt cauſa dolorum & vulnerum, quæ per tormẽta inferuntur; quæ ratio cauſandi omnino ſufficiens eſt ad rationem ſacrificij, ſi alia adſint, vt patet in holocauſtis.

Martyrum mors nõ erat ſacrificium.

Dices, Ergo paſſiones martyrum ſunt vera ſacrificia.

Reſpondeo negando conſequentiam; Tum quia non erant inſtituti a Deo ſacerdotes ad huiuſmodi ſacrificium offerendum; tum quia perpeſſio & mors non erat in illorum poteſtate, niſi remotè; nempe quatenus poterant ſe tyrannis offerre, vel fuga eripere. Secus in Chriſto Domino; qui a Deo erat inſtitutus ſacerdos ad ſeipſum in ſacrificium offerendum, & omnem perpeſſionem in ſua poteſtate proximè conſituram habebat. Vnde Ioan. 10. ait, *Nemo tollit eam* (animam) *à me; ſed ego pono eam à meipſo. & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*

18 *Finis intrinſecus ſacrificij.*

Quartò, Ex parte *finis* requiritur vt explicitè vel implicitè referatur ad honorem Dei; ſi alio fine fiat, non erit ſacrificium. ſicut qui caput aperit non cauſa honorandi, ſed irridendi, vel captandæ auræ, non adorat. Ratio eſt, quia ſacrificium eſt in genere ſignorum, quibus æſtimationem internam excellentiæ alterius & affectum ſeruitutis erga illum exprimimus. Si ergo hæc æſtimatio & affectus deſit, non erit verum ſignum: ſed vel non erit ſignum; (vt ſi non ſiat animo ſignificãdi) vel erit falſum & mendax; vt ſi quis interius non habeat pro Deo, cui exterius adulatione vel timore ſacrificat.

Quintò, Ex parte *loci* requiritur vt locus ſit huic muneri dedicatus; qualem *altare* & *aram* vocamus. dignitas enim operis requirit locum ſpecialem, ab vſibus prophanis ſegregatum; vt mos omnium gentium confirmat; de quo ſatis dictum ſuprà num. ſeptimo. Dixi illa quinque requiri ad ſacrificium *perfectum*, prout Scriptura de eo loquitur; quia ad imperfectum quemdam ſacrificij modum non videntur hæc omnia neceſſaria. tale enim fortaſſe ſinguli homines in lege naturæ offerre poterant, priuato nomine & auctoritate, & eo loco vbi placuiſſet: nam apud ethnicos ſimile quid videmus. ſed talia non erant perfecta ſacrificia; quia perfectio oblationis maximè pendet ex conditione offerentis.

19 Ex dictis intelligi poteſt quid ſit *ſacrificium*, & poſſe hoc modo deſcribi, *Sacrificium eſt oblatio rei ſenſibilis à legitimo miniſtro facta Deo per realem immutationem, ad teſtandum ſupremum illius dominium & noſtram ſubiectionem.* Eſt *oblatio*; quia *oblatio* eſt genus ſacrificij, vt docet Diuus Tho. q. 85. ar. 3. ad 3. & communiter DD. quamuis hoc nomen aliquando ſtrictè accipiatur pro oblatione, quæ ſolum eſt oblatio, non ſacrificium. *Res ſenſibilis*, vt excludatur interna oblatio, qua mens ſe, ſuaque omnia Deo ſubijcit & offert; quæ non eſt propriè ſacrificium, etſi perfectius fructum ſacrificij præſtet, quam ſacrificia externa, & ideirco interdum ſacrificium vocetur, vt paulo antè dictũ eſt. *A legitimo miniſtro*; quia ſacrificium habet relationem ad ſacerdotem; cum enim ſit excellentiſſimus & publicus Dei cultus, par eſt vt non fiat niſi à perſona ad hoc publica auctoritate delecta. *Permutationem immutationem*; tum quia eſt perfectiſſimus cultus; tum quia alias non diſtingueretur à ſimplici oblatione. *Ad teſtandum ſupremum*, &c. duo enim ſacrificio ſignificamus & teſtamur, diuinum principatum & noſtram ſubiectionem. & hæc ſignificatio eſt ſacrificio eſſentialis. Præter hanc quædam ſacrificia habent ſignificationem acceſſoriã, quæ myſtica vel allegorica dici poteſt; vt ſacrificium Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſignificat oblationem crucis; & ſacrificium Melchiſedech præfigurabat ſacrificium Euchariſtiæ. & omnia ſacrificia veteris legis præſignabant oblationem crucis vel Euchariſtiæ. & valde credibile eſt nullum ſacrificium inſtinctu diuino fuiſſe oblatum in lege naturæ, quod talem ſignificationem allegoricã non habuerit; omnia enim erant vmbræ Chriſtum obſcurè inſinuantes, & mentes hominum ad illum excitantes. hæc tamen ſignificatio non pertinet ad rationem ſacrificij vt ſacrificium eſt. Vnde non fuiſſet, ſi Adam innocentiã conſeruaſſet. Poteſt tamen dici pertinere ad ſacrificium, vt eſt propria huius vel illius ſtatus cæremonia. ſed vberior horum tractatio alium locum poſtulat.

Deſcriptio ſacrificij.

Duo teſtamur ſacrificio.

Dices, Ethnici etiam dijs inferioribus, à quibus certa dumtaxat beneficia expectabant, quique alijs ſubiecti erant, ſacrificium offerebant, vt Cereri, Minervæ, Plutoni, & alijs huiuſmodi; ergo non ſolum ſupremum principatum ſacrificio teſtamur.

20 *Sacrificia dijs inferioribus oblata.*

Reſpondeo, Ethnici in ſua Religione, ſuoque cultu multa *deuiarent* & pugnantia inuoluebant; putabant enim diuinitatem eſſe in multa partitam, eaſque partes non eſſe eiuſdem dignitatis & gradus, in omnibus tamen ſacrificio colendam: qua in re partim errabant, partim verum iudicabant: etſi enim abſurdiſſimum ſit diuinitatem in partes ſecare, tamen generatim verum eſt omnem diuinitatem ſacrificio eſſe dignam.

DVBITATIO III.

De diuiſione ſacrificij.

21 *1. Diuiſio, ratione materiæ.*

TRIBVS modis diuidi poteſt. Primò, Ratione *materiæ*: nam *materia* vel erat animal aliquod, vel erat res inanima, eaque vel ſolida vel liquida. Sacrificium animalis dicitur *victima* vel hoſtia. Vnde hæc nomina ducta Grammaticos conſule. Oblatio rei inanimæ ſolidæ vocatur *immolatio*; quamuis hoc nomen etiam ad omne ſacrificiũ extendatur. Oblatio rei liquidæ *libamen*.

Vbi aduerte, libamina & immolationes eſſe ſacrificia imperfectiora, quàm victimas: vnde apud gentiles etiam dijs minutioribus fiebant; quibus tamen victimas nõ offerebant, ſed ordinariè tantũ duodecim dijs maioribus. Porrò in veteri lege victima ſolum conſtabat animalibus mũdis iſtis, oue, capra, hœdo, boue, vitulo, columba paſſere, turture: neque aliud genus licitum erat ſacrificare. Res autem inanimæ ſolidæ, quæ offerebantur in ſacrificium, erant panis, ſimila, ſal, thus, manipulus ſpicarum virentium, & triticum, patet Leu. 2. & 6. Hæc leuabat ſacerdos in altum, varieque conficiebat & immutabat; in qua immutatione conſiſtebat ratio ſacrificij; nam panis in fruſta diſſecabatur; ſimila ſartagine, clibano, vel craticula coquebatur; ſal vrebatur; thus adolebatur; manipulus ſpicarũ torrebatur; triticum conterebatur. Liquidæ erant ſanguis, vinum, oleũ, aqua. hæc effuſione offerebantur.

Quibus victimis conſtabat.

22 *2. Diuiſio, ratione formæ.*

Secundò, Diuidi poteſt partim ex *forma*, partim ex *fine*, in *holocauſtum*, *ſacrificium pro peccato*, & *hoſtiam pacificam*. *Holocauſtum*, erat ſacrificium perfectiſſimũ; quia in eo to-

Holocaustū. ta res in fumum reſoluta, ſurſum ad Deum aſcendebat, nihilque ex eo vlibus cedebat humanis. vnde exprethius per hoc ſignificabatur omnia ipſius eſſe, & ab ipſo prouenire. quare potiſſimum ad hunc finem fiebat, quamuis etiã interdum fieret pro peccato populi & ſacerdotum.

Pro peccato. *Sacrificium pro peccato* partim cremabatur, partim cedebat in vſum ſacerdotum, qui in atrio templi ex eo veſcebantur; offerebatur non pro peccatis internis, ſed pro externis quibuſdam, vt pro peccatis commiſſis per ignorantiam circa cęremonias; vt patet Leu. 4. & 5. Item furti, periurij, calumniæ, vt patet ex c. 6. 7.

23 Notandum autem eſt hoc genus ſacrificij ab Hebræis vocari chattat, quæ vox etiam peccatum ſignificat. Vnde Apoſtolus eleganter ad Hebręam vocem reſpiciens dixit, ad Rom. 8. *de peccato damnauit peccatum*; quaſi dicat, de chattat damnauit chattat, id eſt, per ſacrificium crucis, quod erat pro peccato, deleuit peccatum. & 2 ad Cor. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id eſt, hoſtiam peccati conſtituit.

Hoſtia pacifica partim cremabatur, partim edebatur, tum *Hoſtia pacifica.* à ſacerdotibus, tum ab ijs, qui obtulerant. Offerebatur vel in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, & tunc eodem die comedi debebat: vel ad noua beneficia impetranda, & tunc in ſequentem diem poſtponi poterat, eius conſumptio in diem poſteriorem, non tamen vlterius.

Tertiò diuidi poteſt *ex fine* in ἱλαστικὸν & ἐυχαριστικὸν, impetratorium & propitiatorium, quæ diuiſio parum differt a priore. ἱλαστικὸν dicitur, quod ſolum ſit ad Deum colendum, eiuſque principatum & noſtram ſeruitutem teſtandum. hoc potiſſimum ſit holocauſto. ἐυχαριστικὸν dicitur, quod ſit in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Impetratorium pro beneficijs accipiendis. vtrumque dicebatur in veteri lege *hoſtia pacifica*. Propitiatorium ſiue ἱλαστικὸν, eſt quod offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis ac flagellis auertendis. Hoc idem eſt quod hoſtia pro peccato.

DVBITATIO IV.

Vtrùm hoc tempore licitum ſit offerre agnum vel vitulum.

24 VIDETVR id eſſe licitum; nam offerre ſacrificium eſt legis naturæ vt docet Diuus Thomas cum Caietano articul. 1. & 4. vnde etiam in ſtatu nudæ naturæ fuiſſent ſacerdotes & ſacrificia. fuiſſet enim cultus externus, quo Deum tanquam totius naturæ conditorem & Dominum fuiſſent venerati; qui cultus potiſſimum conſiſtit in ſacrificio.

25 Reſp. & dico Primò, Fore ſuperſtitionem ſi Chriſtianus vel Iudæus huiuſmodi ſacrificium offerat.

De Iudæo patet, quia apud Iudæos hæc ſacrificia continent in ſe proteſtationem Chriſti venturi: offerunt enim illa vt à Deo in veteri lege inſtituta, ſic autem ſunt ſigna Chriſti venturi, abolita per Chriſti mortem, & ſacrificium nouæ legis.

26 De Chriſtiano probatur Primò, Quia in Eccleſia tantum eſt vnicum, verum, & propriè dictum ſacrificiũ, quod omnibus veteribus ſacrificijs ſucceſſit, vt paſſim docent Patres. Vnde in collecta Eccleſiæ dicitur, *Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum, vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti*. Sic Auguſtin. lib. 8. de ciuit. capit. vlt. probat, epulas illas, quæ à quibuſdam ſepulchris Martyrum ſolent imponi, non eſſe ſacrificia Martyrum, eo quod vnicum Eccleſiæ ſit ſacrificium; latis inſinuans non poſſe aliud auctoritate humana addi. Vide Chryſoſtomum in Pſal. 95. & Leon. ſer. 7. de paſſione cap. 1. & 3.

Non eſſe licitum Chriſtiano.

Secundò Sacrificium Eccleſiæ eſt infinitæ dignitatis, cõtinens in ſe omnium Sacrificiorum virtutẽ: ergo ſuperſtitioſũ eſſet velle aliud addere. quaſi illud non abundè ſufficiat. ideo enim plura inſtituuntur, quia vnum ad omnia non ſufficit.

Tertiò, Sacerdotium, quod eſt in Eccleſia, eſt ſupernaturale, inſtitutum a Chriſto: ergo non reſpicit ſacrificium iuris naturæ, ſed ſolum ſupernaturale ab eodem Chriſto inſtitutum: ſacerdotiũ enim & ſacrificium ſunt correlatiua eiuſdem rationis, & ordinis: vt ex cap. 8. & 9. ad Hebræos colligitur.

Quartò, Alia ſacrificia ex inſtitutione diuina fuere ſigna Chriſti venturi. ergo qui ea vtuntur parid temnunt vel aliquo modo aduersantur. Quintò, Hoc ipſo, quo Chriſtus noſtrum ſacrificium & 27
ſacerdotium inſtituit, ademit poteſtatem Eccleſiæ alterius ſacerdotij aut ſacrificij inſtituendi. ſicut in veteri lege hoc ipſo, quod illorum ſacerdotium & ſacrificia præcepit, ademit illis poteſtatem alia ſacrificia adiungendi. Eodem modo ſi in lege naturæ Reſpub. inſtitueret ſacerdotium & ſacrificia, eo ipſo cẽſeretur priuatos reſtringere, ne alia adiungerent: nam hæc res ad ſupremam poteſtatem propriè pertinet. Confirmatur, quia ſacrificium ad fundamenta religionis ſpectat, non minus quam Sacramenta: adeo vt Apoſtolus ad Heb. 7. dicat, *tranſlato ſacerdotio* (& conſequenter etiam tranſlato ſacrificio, quod eſt connexum ſacerdotio inſeparabiliter) *neceſſe eſt vt & legis tranſlatio ſiat*. Vnde ſicut Eccleſiæ non eſt relicta poteſtas inſtituendi alia Sacramenta; ita nec alia ſacrificia. Vide Concilium Trid. ſeſſ. 2. cap. 1.

Nec obſtat, quòd in Eccleſia thus offeratur; quia nõ offertur in ſacrificium (intentio enim ſacrificandi abeſt) ſed adoletur ad odorem, & ad ſignificationem: & vt mentes excitentur ad venerationem & deuotionem. vnde fit hominibus etiam vtum, & ab ijs, qui non ſunt ſacerdotes. Latèt tamen interdum ſacrificium dicitur, vt notat Caiet. 4.

Dico Secundò, Probabile tamen eſt non fore ſuperſtitio- 28
nem apud ethnicos, qui legem Chriſti ignorãt, ſi vero Deo ſacerdotes illorum talia ſacrificia offerat. ſic enim videtur ſentire D. Aug. epiſt. 49. q. 3. cum ait, *qui Chriſtianas litteras veteriſque teſtamenti ſciunt, non hoc eos putant in ſacrificijs vitijs paganorum quòd conſtruxerint templa & inſtituerint ſacerdotia, & faciant ſacrificia; ſed quòd haec idolis & demonijs exhibuerint.* ſentit ergo non fore ſuperſtitionem, ſi offerantur vero Deo, alioquin id etiam culpandum eſſet. *Non videtur illicitum ethnico.*

Probatur, Quia offerre Sacrificium eſt legis naturæ, vt docet *D. Tho. q. 85. art. 1.* quod dupliciter intelligi poteſt. Primò, Vt ſit naturalis ad hoc obligatio, vel in ſingulis, quod minus eſt veriſimile; vel ſaltem in communitate, vt D. Tho. & Caiet. indicant. Secundò, Vt nõ ſit quidem obligatio, ſed ratio dictet id eſſe conſentaneum, & laudeat. Lumen igitur naturale vel obſtringit, vel ſuadet ethnicis ſacrificiorum oblationem: atqui non apparet illis alia ratio ſacrificandi, quæ ſit conuenientior, quam ea, qua offertur aliquid ex animalibus vel frugibus terræ: ergo.

Secũdò, In ſtatu nudæ naturę huiuſmodi ſacrificia fuiſſent licita, quia non habuiſſent aptiora, aut congruentiora naturæ: cur non etiam modo ſint licita apud Indos & Iapones, cum alia diuinitus inſtituta non habeant?

Obiices, Vnde illi haberent ſacerdotes ad huiuſmodi ſa- 29
crificia idoneos?

Reſpondeo, Ex electione & dedicatione Reipublicæ. Sicut enim Reſpublica perfecta iuxtę naturæ habet auctoritatem conſtituendi Principem, qui illam iuſtis legibus regat in ijs, quæ ad politicam conſuetudinem, & contractus pertinent: ita etiam poteſt conſtituere ſacerdotem, qui eam regat in cultu diuino, & ſacra adminiſtret, iuxta modum & capacitatem illius ſtatus. Et hic eam haberet poteſtatem in ſpiritualibus illi ſtatui accommodatis, quam Princeps in temporalibus; deberetque Princeps ei ſubeſſe in ijs, quæ ad cultum diuinum pertinent: niſi fortè vnus idemque eſſet Summus Pontifex & Princeps; ſicut Imperatores Romanorum olim erant; vt ex hiſtorijs conſtat.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

De Decimis. *Habet Dubitat. 6.*

DVBITATIO PRIMA.

An populus Christianus teneatur decimas soluere, & quo iure.

D. Thom. Art. 1. Quæst. 87.

1 *Sententia Vvicleſi.*

THOMAS Vvaldẽſis lib. 2. doct. fidei antiquæ, cap. 64. & 65. refert Vvicleffum docuiſſe. Primò, Decimas nõ eſſe vllo iure ſacerdotibus debitas, ſed eſſe meras eleemoſynas. Secũdò, Populum ad libitum poſſe & debere eas negare ſacerdotibus, propter eorum peccata.

Sed fide tenendum eſt decimas non eſſe eleemoſynas, ſed ſubſidium ſacerdotibus debitum propter miniſterium ſpiritualium. Vnde ſententia illa Vvicleſi damnata eſt in Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 8.

2 *Decimæ nõ ſunt eleemoſynæ.*

Probatur, Quia, iure diuino & naturali, miniſtrantibus populo ſpiritualia debetur ſuſtentatio; vt oſtendit D. Paulus. 1. ad Cor. 9. vbi inter cetera ait, *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* & 1. ad Timoth. 5. *qui benè præſunt preſbyteri, duplici honore digni ſunt maximè qui laborant in verbo & doctrina: dicit enim Scriptura, non infrænabis os boui trituranti.* Vbi Theophylactus, *Horreum vocat, neceſſariorum ſuppeditationem. Duplici honore* dixit, *viduarum reſpectu, vel Diaconorum, vel ſimpliciter duplici, pro multo*; Haymo; *Duplici honore*, quia reuerentia & ſuſtentatione. Denique Dominus Luc. 10. *dignus eſt operarius cibo ſuo.* His, & alijs locis apertè ſignificatur eſſe debitum, non gratiam, miniſtros Eccleſiæ ſuſtentari.

3 *Decimæ deberi ex inſtitutione poſita taxatione Eccleſiæ.*

Porrò hæc ſuſtentatio præſtatur per decimas. cum enim aliquid certi a ſingulis de populo dari debeat, vt ſuſtentatio miniſtrorum ſit ſtabilis & ſufficiens, Eccleſia imitatione diuina in veteri teſtamento propoſita, conſtituit decimam partem fructuum terræ huic rei eſſe ſegregandam. qua taxatione ſemel facta, ſinguli lege iuſtitiæ decimas debent: ſicut poſita determinatione Principis, qua ſtatuit quantum a ſingulis ad ipſius ſtatum ſuſtentandum, vel ad bellum gerendum, vel ad aliud opus neceſſarium contribuendum ſit, ſinguli ex iuſtitia tenentur illam quantitatem dependere. Idem probatur iure Canonico. vide in Decreto 16. quæſtio. 1. & in Decretalibus titu. de decimis, per multos Canones. Hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 12. iubet excommunicari eos, *qui decimas ſuberubi ſunt impediunt: neque ab hac crimine*, inquit, *niſi pœna reſtitutione ſemota, abſoluantur.* quod intelligit Nauarr. capitul. 21. numer. 32. de ijs, qui reſtituere poſſunt ante mortem, vel ante tempus, quo tenentur Sacroſanctum Dominici corpus ſumere.

Excommunicantur ſub trahentes decimas.

4 Ex dictis patet, decimarum ſolutionem, ſi conſideretur ſecundum ſuam ſubſtantiam, nempe vt ſunt neceſſaria ſuſtentatio miniſtrorum rerum ſpiritualium, iure diuino & naturali eſſe debitam, nec vlla conſuetudine poſſe tolli: ſi verò ſpectentur ſecundum ſuam quotam, vt ſunt decima pars fructuum, eſſe debitum ſaltem iure eccleſiaſtico.

5 *An quota decimarum debita ſit iure diuino Canoniſtarũ ſententia.*

Sed difficultas eſt, Verum non etiam iure diuino hæc quota debeatur: in qua Canoniſtæ a Theologis diſsentiũt. Illi enim ferè omnes docent etiam iure diuino deberi. Ita Innocen. in cap. vlum. de paroecijs, Gloſſa in cap. 1. de decimis in 6. Hoſtienſis in Summa, tit. de decimis, Ioannes Andreas, Panormitanus, Antonius de Butrio, Petrus Ancharanus; & alij, quos Couarruu. lib. 1. variarum, capit. 17. recenſet.

Probant Primò, Quia in Iure Canonico dicitur, *decimas conſtitutione diuina deberi*, capitul. Tua. 25. de decimis. Secundò, *Deum præcepiſſe decimas ſibi ſolui in ſignum ſuæ ſuperioritatis dominij, ideoque non poſſe minui.* capit. Tua nobis. 16. eodem. Tertiò, *Decimas eſſe iuris diuini, ipſe Dei, debere Deo.* 16. quæſtio 1. cap. fin. Quartò, Dominus Matth. 23. cũ dixiſset, *decimatis mentham & anethum*, ſubiunxit; *oportuit hæc facere, & illam non omittere.* vbi illud *oportuit*, indicat obligationem iuris diuini. Quintò, Dominus Matth. 5. ait, *niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus, quàm Scribarum & Phariſæorum, non introibitis in regnum cælorum*: ergo ſi illi ſoluebant decimas, multò magis nos in noua lege eas ſoluere debemus.

6 *Deberi ſolo iure Eccleſiaſtico, vel præcepto Apoſtolico.*

Contraria ſententia eſt communis Theologorum, qui docent illam quoram tempore legis euangelicæ, ſolo iure eccleſiaſtico (etſi antiquiſſimo, vtpote a temporibus Apoſtolorum. vt patet ex conſtitut. Clementis lib. 2. c. 29. 38. 39. & lib. 8. cap. 36.) deberi. Ita Diuus Thomas quæſt. 87. artic. 1. Halenſis 3. par. quæſtio. 51. mu. 1. 2. & 3. Henricus quodlibet. 4. quæſtio. 28. Antoninus 2. par. tit. 4. cap. 3. §. 5. Sotus lib. 9. de Iuſtit. quæſtio. 4. articu. 1. & alij. Idem tenet Nauarr. capit. 21. Enchiridij, numero 28. & Couarruuia ſupra.

Probatur Primò, Quia in lege Euangelica nullum extat præceptum de hac quantitate fructuum ſoluenda: ſolum enim dicitur, adminiſtris rerum ſpiritualium deberi congruam ſuſtentationem, vt patet 1. Cor. 9. & Mat. 10. verum autem danda eis ſit decima pars fructuum, an vigeſima, nuſquam habetur.

Secundò. Præceptum iſtud non eſt naturale vt per ſe patet; ergo poſitiuum: atqui in lege noua non ſunt vlla præcepta poſitiua, niſi de fide & Sacramentis, vt docet D. Thomas 1. 2. quæſtio. 108. artic. ſecundo, & quodlib. 4. art. 13. ergo, &c.

Tertiò, Si eſſet iuris diuini, id eſſet maximè propter ea quæ habentur Exo. 22. Leuit. 27. & Num. 18 vbi Deus præcipit vt decimæ ſoluantur: ſed hæc præcepta non pertinẽt ad tempus noui teſtamenti: tum quia ſunt iudicialia, ad politiam illius populi ſpectãtia; quare ceſſante ſynagoga, & forma illius populi in aliam mutata, neceſſario ceſſare debuerunt; tum quia ibi ſolum præcipitur vt ſoluantur Leuitis & ſacerdotibus Aaronicis, nempe miniſtris illius legis; non autem miniſtris legis nouæ. Neque dici poteſt eſſe eandem in his rationem: quia eſt alia lex, aliud ſacerdotium, alia forma gubernandi: ac proinde præcepta pertinentia ad illam, non ſunt extendenda ad noſtram. deinde illi erant ferè decima pars populi, vtpote vna ex duodecim tribubus; nec acceperant partem ſuam in diuiſione terræ, ſicut aliæ tribus; vnde meritò fuit illis conſtituta decima pars fructuum terræ: quæ rationes ceſſant in miniſtris nouæ legis.

Quartò probatur, Hæc quota conſuetudine poteſt tolli; c. In aliquib. 32. §. ſi de decimis; & in quibuſdã locis multorum fructuum decima eſt ſublata: quod fieri non poſſet ſi iure diuino deberetur.

7 *Ad argumenta.*

Quomodo dicantur iure diuino deberi.

Ad primum argumentum Canoniſtarum Reſp. Decimæ dicuntur deberi *conſtitutione diuina*: quia quòd debeantur, id ortum habet ex cõſtitutione & lege diuina: Deus enim primitus præcepit ſolui decimas in veteri teſtamento; ad cuius imitationem Eccleſia idem præcepit in nouo. Itaque quòd decimæ nunc debeantur, eſt ex lege diuina non immediatè, ſed mediatè.

Ad Secundum, Eodem ferè modo reſpondendum: ideò non poſſunt minui, quia Deus olim hanc quotam taxauit in veteri teſtamento, quã poſtea Eccleſia confirmauit, Deũ imitata. vnde Deo irreuerentiam facere videtur, qui illam minuit, quamdiu Eccleſiæ lex viget. quia ſicut Eccleſia in

reuerentiam Dei illam fanxit, ita reuerentia Dei obligamur illam non accidere.

Ad tertium, Dicuntur esse *iuris diuini*, quia Deo consecratæ & dicatæ in ministris; sicut res sacræ dicuntur iuris diuini, quia peculiari modo ad Deum pertinent, in eiusq; sunt dominio & iure.

Ad quartum, Quia Dominus Mat.23.ait; *oportuit hæc facere*, loquitur de tempore illius legis, tunc enim iure diuino decimæ erant soluendæ.

Iustitia nostra quomodo maior.

Ad quintũ, Iustitia nostra debet esse maior iustitia Phariseorum & Scribarum, non in soluẽda decima; (alioquin deberemus plusquam decimam soluere; nam illi accuratissimè decimam ex omnibus soluebant, ut patet Mat.23.) sed in reformandis affectibus internis; illorum enim iustitia solum erat externa; nostra debet esse non tantùm externa, sed etiam interna: illi putabant sufficere si non occiderent, non mœcharentur externus; at nos etiam iram & cõcupiscentiam internam resecare debemus; ut ibidem Dominus explicat.

8 *Est actus Iustitiæ & Religionis.*

Ex dictis intelligi potest cuius uirtutis actus sit solutio decimarum: si enim cõsideretur ut est debita sacerdotibus ob sacrum ministerium, sic immediatè est actus iustitiæ, mediatè Religionis. si uerò ut per eam fouetur cultus diuinus, uel ut per eam profitemur Deum esse auctorem frugum terræ & rerum omnium, quibus uita humana sustentatur, (soluuntur enim decimæ in signum uniuersalis dominij, ut habetur 1 Tua nobis. & c. Cum non sit in homine. de decimis) sic est solum actus Religionis. utroque modo sic a fidelibus.

DVBITATIO II.

Vtrùm Ecclesia iusta ratione hanc quotam constituerit.

9 VIDERI possit excedere iustum modum. Quòd enim in veteri testamento constituta fuit decima, id factum, tum quia filij Leui erant fere decima pars populi; tum quia in distributione terræ non acceperant suam partem; tum quia habebant uxores & liberos: at in nouo testamento sacerdotes uix sunt sexagesima pars populi Christiani, & habent suas possessiones hæreditarias ut ceteri; nec habent uxores & liberos alendos. Denique non omnibus sacerdotibus debentur decimæ, sed solis Episcopis & Parochis.

10 *Rationes cur Ecclesia hanc quotam constituerit.*

Resp. Ecclesiam iustissimis rationibus ad hanc portionem iudicendam motam fuisse.

Primo, Quia audit Deum in ueteri lege decimam constituisse, & sanctos Patriarchas diuino instinctu etiam ante legem decimas dedisse; nam Genes.14. Abraham dedit Melchisedech decimas ex omnibus. & Genes.28. Iacob uouit Deo decimas cunctorum, quæ ab eo acciperet. Secũdò, Quia Synagoga, in qua erat consuetudo huius quotæ, mutata est in Ecclesiam; & sic quodammodo sua sponte hæc consuetudo est continuata, Apostolis & Ecclesiæ Prælatis eam confirmantibus. Tertiò, Quia conueniebat ut non soli Episcopi & Parochi alerentur a populo; (quamuis illis ante ceteros id debeatur) sed etiam multi alij ministri sacrorum, qui officia diuina obeant, pro populo orent, & sacrificia offerant; omnia enim horum munia in bonum populi cedunt. unde Ecclesia tantum poterat imponere, quãtum his omnibus aliquo modo posset esse satis. Quartò, In noua lege Episcopi, Parochi, & alij Ecclesiastici debent esse patres pauperum, orphanorum, & uiduarum. unde nõ solum debent habere quod ipsis sufficiat, sed etiam quo alijs subueniant. quod si non fecerint cum possint, grauiter peccant: de quo plura supra cap.4.dub.6. Hanc rationem Caietanus uult esse potissimam cur Ecclesia merito potuerit decimam imponere. Quintò, Ministri noui testamenti sunt multo digniores; unde pluribus egent ad dignitatem sui status in populo tuendam. Videmus enim sacerdotes ijs locis, ubi egestate premuntur, contemni, & nihil illis haberi abiectius; quo fit ut uilissimis ministerijs inseruire cogantur, & parum boni præstare possint. Sextò, Multo plus laborant, eorumque functiones sunt lõge grauiores & excellentiores. Septimò, Opus est illis magna eruditione, ad quam comparandam requiruntur magni sumptus; & impediuntur aliæ rationes lucrandi, ut per mercaturam, & artes mechanicas, quas etiam nõ decet ab illis factitari. Octauò, Quia in lege ueteri solum erat unum templum, idque omni suo instrumento probè instructum. in noua lege sunt innumerabilia, quorum singula suis ornamẽtis, & sacra supellectili instrui, & tecta conseruari debent. Nonò, Sacerdotibus ueteris legis maximum compendium erat ex innumeris sacrificijs, quæ offerebãtur: nihil tale habent in nouo testamento. Decimò, In ueteri lege decimæ manebãt in familijs, quia transmittebantur ad posteros; unde fiebãt admodũ diuites; secus in lege noua. Undecimò, Denarius significat perfectionem; est enim terminus numerorũ simplicium, omnes illos continens; ceteri ex ipso semel uel sæpius repetito & ex alio simplici, componuntur. Itaque qui decimam Deo in ministris soluit, sibi nouem retinet, significat se esse imperfectum, & expectare perfectionẽ à Deo per ipsius ministros. Ob hanc fortè causam in lege naturæ & apud ethnicos decimæ soluebantur. Vide Plin.l.19.c.14. Plutar.in Lucullo, & in probl.c.16. Denique hãc ipsam Ecclesiæ taxationem Deus ipse sæpe comprobauit, fertilitatẽ concedens soluentibus, non soluentibus sterilitatem inferens. Vnde D. Aug.l.50 homil.hom.48. *Maiores*, inquit, *nostri, ideo omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant; modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci, nolumus cum Deo partiri decimas; modo autem totum tollitur; hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Et serm.219.de temp. *Hæc est Domini iustissima consuetudo, ut si tibi decimam non dederis, tu ad decimam reuocaris.* uide totum illum sermonem.

Denarius symbolũ perfectionis.

Ex dictis patet responsio ad rationem obiectam; si enim spectentur omnes ministri Ecclesiæ & fideles egeni, quos Ecclesia uult ali decimis, absque prouentibus ecclesiasticis, sunt fortè plus quam decima pars populi Christiani. Etsi enim sacerdotes non habeant uxores & filios naturales, habent tamen pauperes, qui sunt illis loco filiorũ, quos ex præcepto Ecclesiæ & lege misericordiæ tenẽtur de eo, quod superest, iuuentare.

11 *Ad argumentum in oppositum.*

DVBITATIO III.

Ex quibus rebus decimæ soluendæ, & quomodo.

D. THOM. ART.2.

12a RESPONDEO. Quod ad priorem partem attinet, si ius scriptum spectemus, decimæ sunt soluendæ ex omnibus rebus, quæ nobis diuino munere prouenium: ut de fructibus, & quasi fructibus omnium rerum, quæ quodammodo nobis frugiferę sunt, ut agrorum, arborum, animalium, domorum elocatarum, molendinorum, piscinarum, aucupiorum, omniumque negotiorum lucrosorum. patet ex c.Non est 22. de decimis: ubi Cælestinus III sic ait, *sicut sancti Patres in suis traditerunt scriptis, de uino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, deque ipsa etiam militia, de uenatione, & de omnibus bonis, decima sunt ministris Ecclesia tribuenda.* Et capitul. Ex transmissa.23. idem Cælestinus ait; *fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* unde iubet solui etiam ex ijs, quæ prouenium ex molendino, quod uentro agitur. capit. Paltoralis 28. quod est Innocen.III. eodem titul. dicitur, *de molendinis, piscarijs, & lucro uenditionis dandas decimas, nequa deducendas expensas, quæ fiunt pro fructibus percipiendis.* D. Augustin. serm 219. *Quòd si decimas non habes fructuum terrenorum, quodcunque te pascit ingenium Dei est, & inde decimas expetit, unde uenis: de militia, de negotio, & de artificio redde decimas: aliud enim pro terra dependimus, aliud pro usura uitæ pensamus.*

De omni re, & opere frugifero.

Triplices decimæ.

Ex his DD. collegere triplices decimas, *Prædiales*, ut ex agris, piscinis, molendinis, ædium elocatione, & similibus. nomen enim *prædium* illa omnia comprehendit. *Personales*, ex negotiatione, artificio, militia, famulatu. *Mixtas*, ex animalibus: ut fœtus, lana, butyrum. horum enim fructus partim ex prædijs. partim ex industria hominis prouenit.

Spectanda consuetudo.

Aduerte tamen multis locis solas prædiales ex prædijs rusticis, & quasdã mixtas in usu esse; reliquis cõsuetudine & tacita cõdonatione Ecclesiæ abolitis. unde in his spectãda potius est locorum consuetudo, quam ius scriptum.

Petes

13 *Cur de omnibus.*

Petes, Cur Ecclesia in noua lege voluit dari decimas de omnibus, cum in lege veteri solum datæ fuerint de frugibus, & pomis arborum, & animalibus, quæ transeunt sub virga pastoris vt colligitur Leuit. vlt. in fi.

Respon. In veteri testamento singulæ familiæ habebant suos agros, vnde decimas soluere poterant, & ita nó erat necesse exigere personales. secus tempore noui testamenti, vbi non solum familiæ multæ, sed etiam vrbes & Respub. quædam agris carent, vt Veneta, Genuensis, & similes vnde oportuit decimas personales imperare: alioquin plerique nihil contribuissent, & vbi nulla sunt prædia rustica, Clerus sustentari non potuisset. Deinde quia singuli nunc longè plura a sacerdotibus accipiunt beneficia, quàm in veteri lege. Tertiò, Quia sacerdotes in nouo testamẽto longè pluribus egent, vt ante ostensum est. Quartò, vt agnoscamus non solum fructus terræ, sed etiam omnem alium quæstum licitum, Dei munere prouenire. *quodcunque enim in pascuis ingenium Dei est*, vt ait Augustin. *& inde decimas exigit, unde emit.*

Notandum est, etsi ex iniustè acquisitis, v. g. ex vsuris, præda, spoliis iuris, furtis, decimæ dari non debeant; tamen si quis fructus non decimatos accepisset, deberet ex eis decimas soluere. Similiter si agrum alienum iniuste occupatum coluisset. Ratio est, quia hoc ipso, quo fructus extant, decima pars eorum debetur Ecclesiæ, vt ex variis textibus constat, vt c. Commissum. 9. c. Tua nobis 26. c. Cum non sit. 33. de decimis.

14 *An Ecclesia habeat dominium decimarum.*

Vtrùm verò Ecclesia habeat dominium decimarum ante separationem, dubitari potest. Glossa in cap. Tua nobis, de decimis, & cap. 23. Moderamine. 16. quæst. 1. satis aperte indicat Ecclesiam non habere dominium. dicit enim vetus esse decimas peti per Ecclesiam condictione ex Canone, vel officio Iudicis, quàm rei vindicatione. *condictio* autem ex Canone est actio personalis, vt patet §. Sic itaque. Instit. de actionibus. Idem tenent multi DD. antiqui & Fredericus consilio 74. vt refert Panormitanus in d. cap. Tua nobis.

Panorm. verò in c. Commissum, & c. Tua nobis, de decimis, tamquam probabilius docet Ecclesiam habere dominium decimarum, etiam antè quam sint collectæ, idq; probat tribus argumentis. Primò, Quia Deus dicit decimas & primitias esse *suas*. cap. Tua nobis: atqui *suum* indicat dominium. Item cum qui eas retinet, dicit retinere *aliena* inuito domino; d. cap. Tua nobis. Secundò, Ecclesia dicitur posse decimas *vindicare*; cap. Moderamine. 16. q. 1. sed *vindicatio* datur domino in rem suam; L. In rem. ff. de rei vindic. Tertiò, Venditio fructuum non decimatorum non est valida: nam Ecclesia semper potest ex illis suam portionẽ extrahere, c. Pastoralis, de decimis: atqui huius non posset esse alia ratio, quàm quia Ecclesia habet dominium decimæ partis in confuso: ergo, &c.

Non requiritur apprehensio.

Neque obstat, quòd dominium nõ comparetur sine apprehensione, quia sicut Ecclesia habet priuilegium vt in rebus emptis, donatis, & legatis dominium acquirat sine apprehensione, vt habetur L. Vt inter Ius. C. de sacrosanct. Eccles. ita etiã in decimis habere potest, & rempta habere indicant Canones citati. Hæc sententia est valde probabilis.

15 *Habet Ius percipiendi æquale domino.*

Verum, siue dicatur habere dominium, siue non, certum est Ecclesiam habere nõ solum Ius ad rem, sed etiam in re, quod quodammodo æquiualeat dominio partiali: quod habent illi, quorum frumentum mutuo consensu est permixtum; quod ita sit commune vtrique, vt singula grana communicentur. §. Si duorum. Instit. de rerum diuisione. Probatur, quia apud quemcumque fructus non decimati extent, Ecclesia potest ex illis decimam partem detrahere; vt constat ex capitul. Cum non sit, de decimis, vbi dicitur, *Vel saltem his, ad quos census vel tributa indecimata pertinent, (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuras ecclesiasticas decimare cogantur Ecclesiis, quibus de Iure debentur.* Et capitul. Pastoralis, eodem, *Fructus autem ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarũ.* Hoc autem fere perinde est ac si habeas dominium decimæ partis pro indiuiso.

Nec obstat, quòd is, qui bello iusto incendit hostium segetes, non teneatur Ecclesiæ restituere decimam peremptam. vt docet Panor. in d. c. Commissum ex Io. And. quia idem locum haberet, etiamsi ecclesia verò dominio decimam illam pro indiuiso cum laico possideret: nã quòd peream. est per accidens, ratione cõmixtionis cum re alterius. Hostis iure suo vtitur vt victoria tandem potiatur, a quo non debet impediri propter admixtionem tantillæ portionis ad Ecclesiam pertinentis. imò non desunt DD. qui dicant non teneri Ecclesiæ decimam facere, qui agricolam a serendo, aut piscatorem a piscando iniuste impediuit. quia decima solum debetur de fructibus perceptis vel extantibus: hic autẽ nulli fructus percepti. Idem dicũt de eo qui segetes inimici sui succendit, ob eamdem causam. Ita Molina disp. 49. recedens ea in re a Con. 1. reg. Peccatum. p. 2. §. 8. nu. 12. Et sane ea restitutio non videtur esse in vsu. Sic qui fraude sententiam iudicis impediuit, non tenetur soluere pœnam. quia pœna non debetur ante cõdemnationem. Nec obstat quòd ecclesia ius habeat in fructibus adhuc crescentibus: quia illud ius adhuc pendet a collectione seu perceptione, qua non secuta euanescit, sicut ius fisci delicto non probato. quamuis hoc exemplum non sit omnino simile. Nam si quis segetes ita vastaret, vel agricolam impediret, vt ipso opere externo id odio Ecclesiæ, ne decimas inde consequatur, facere videatur, non putarem excusari posse quin teneatur eas compensare. quia actio illa directè tendit ad Ecclesiæ lesionem, & Ecclesia ius habet, vt ille tali modo non impediatur. Secus si inimicitias priuatas persequens id fecerit.

Qua actione petat decimas.

Ex his patet Ecclesiã duplici actione posse decimas collectis fructibus petere, vt docet Panorm. supr. Primò, Conditione ex Canone, id est, quia per Canones impositum est laicis onus & debitum illas soluendi. Secundò, Rei vindicatione, quæ est actio in rem, & conceditur domino. L. In rem ff. de rei vindicat. Prior actio est personalis, eaq; prius vti debet, tum ne debitores turbentur, si res apprehendatur antequam ipsi conuenti fuerint; tum quia diuitio est per debitorem facienda. Si tamen hac via non procedat, potest rem apprehendere, & sibi inde decimam separare. Hinc fit vt quando fructus nondum decimati, sunt alienati, Ecclesia habeat actionem in venditorem & emptorem, vt aperte colligitur ex cap. Cum non sit, de decimis, & D. Thoma q. 87. ar. 2. ad 4. In emptorem; quia habet rem Ecclesiæ debitam. In venditorem; quia Ecclesiam fraudauit, vt ibi Diuus Thomas ait.

16 *Quomodo soluendæ.*

Quod ad alteram partem dub. attinet, Quomodo decimæ sint soluendæ; dicendum est.

Primò Integrè & sine diminutione soluẽdas, cap. Commissum, c. Tua nobis. & alijs multis, de decimis. Qui fraudat in parte notabili, peccat mortifere peccato iniustitiæ; quia retinet alienũ, vel alteri debitum. Huic iniustitiæ annexa etiam est malitia quædam sacrilegij, quia decimæ debentur Deo, seu causa Dei; tum in signum vniuersalis dominij; tum ad cultum diuinum sustentandum. Vnde in Canonibus fraudatio decimarum vocatur *sacrilegium*. Inter fraudatores censendi, qui minores vel deteriores manipulos, vel partes fructuum assignant. sicut enim non tenentur seligere meliora pro decimis, ita nec possunt deteriora, sed mediocria, & bona fide, prout res se offerũt, vt passim Doctores tradunt.

Ex fructibus integris.

Secundo, Debent deduci ex fructibus integris, priusquã ex illis deducantur expensæ, vel tributa, vel census, aut vlla alia debita; vt habetur d. cap. Cũ non sit. & cap. Tua nobis. de decimis. Ratio est, quia decimæ debẽtur in recognitionem & professionem dominij generalis; (vt d. dictis capitibus dicitur) quod sicuti reliqua omnia dominia & iura antecedit, & ad omnes fructus enatos se extendit; ita ex omnibus fructibus, & ante reliqua iura sibi satisfieri postulat. Itaque si tributa vel census, vel alia debita antè deducta & soluta sint, Ecclesia potest agere vel in dominũ fructuum. qui ea deduxit, vt integram decimam omnium fructuum pendat; vel in eum, qui illa indecimata accepit, cõpellendo illum per censuras, vt decimam ex acceptis detrahat; vt d. c. Cum non sit, habetur. Simili modo; non possunt detrahi sumptus in colendo agro facti, nec seminis æstimatio. Et quando decimæ soluuntur ex locatio ■ ardium, ex molendinis, piscinis, aliisve rebus, nõ possunt deduci expensæ factæ in reparationem aut melioration em, habentur hæc omnia c. Non est in potestate. c. Tua nobis. & c. Pastoralis, de decimis. Quando tamen soluuntur decimæ de negotiatione, tunc sunt deducendæ expensæ, vt dicto cap. Pastoralis, habetur. Ratio est; quia tunc solum solmuntur decimæ de lucro: atqui ■ solum in lucro censetur,

quod manet deductis expensis, quæ factæ sunt in re facienda vel comparanda, conseruanda, reparanda, transferenda.

Tertio, Quo loco, vel tempore soluendæ sint, & vtrum sponte, an cum exactæ fuerint: & vtrum ad certum locum deferendæ, seruanda est consuetudo, quæ in hac vel illa specie pro loco & tempore recepta fuerit. Regulariter tamen prædiales dantur statim perceptis fructibus; idque in loco vbi natæ: personales in fine anni: mixtæ sequuntur naturam prædialium, excepto fœtu, qui fœcundus vsque ad statum vtibilem.

DVBITATIO IV.

Quibus sint decimæ soluendæ.

D. THOM. ART. 3.

17 RESPONDEO, Decimas ex prima Ecclesiæ ordinatione deberi cœtui Clericorum in genere, qui populo spiritalia administrant, vel aliquo modo in hac administratione iuuant, vel pro illo orant, sic tamen vt distributio pertineret ad Prælatum, cuius auctoritate singulis quantum opus erat, tum ex decimis, tum ex alijs fidelium oblationibus darentur; vt ex more antiquo Ecclesia patet, de quo plura capit. 4. dubitatione 6. Postquam autem Ecclesia diuitiem fecit, erectis beneficiorum titulis, singulis ea portio debetur, quæ cuiusque titulo attributa & annexa est.

Dices, D. Th. art 3. insinuat solis illis deberi decimas, qui habent curam animarum: quia ius accipiendi decimas cõsequitur illud debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia. Idem expressè docet Caiet.

Quomodo Parochis debeantur, & alijs Clericis.

Respõ. solis ijs, qui habent curam animarum deberi ex iustitia decimas, quoad sustentationem, idque sepositio omni Ecclesiæ præcepto & taxatione: non enim populus ex iustitia alios præter hos & horum necessarios adiutores alere tenetur, sepositio Ecclesiæ præcepto: quamuis lege Religionis & charitatis etiam ad aliorum Ecclesiæ ministrorum sustentationem contribuere teneatur. Posita autẽ Ecclesiæ taxatione & præcepto de decimis soluẽdis, decimæ secundum quorum debentur non solum habentibus curam animarum, sed cœtui Ecclesiasticorum in genere, vt dictum est: quia Ecclesia hos omnes initio ex decimis ali voluit; & omnium intuitu eas imperauit, eo quòd ab his omnibus multa in populum spiritualia bona proueniant. quia tamẽ multo strictiore iure alimenta debentur ijs, qui curam animarum habent, ideò his ante omnes, vel ex decimis, vel ex oblationibus, vel ex fidelium contributionibus, vel ex alijs bonis ecclesiasticis est prouidendum. Quòd si illis sufficienter prouisum non sit, & decimæ alioquin abundè sufficiant, sed alijs vsibus sunt applicatæ, v. g. alicui pio loco, vel canonicatui, non tenetur populus contribuere: quia quotannis quod abundè sufficiat ad eorum sustẽtationem per decimas soluunt. Nec refert quòd hoc ad ministros ipsorum nõ perueniat, quia id non accidit eorum culpa, sed superiorum, qui ex officio tenebantur illas rectè dispensare, & in primis ipsorum parochis & ministris prouidere. hinc sequitur Canonicos, quorum præbendis annexi sunt pastoratus, quos ipsi per Vicarios vel mercenarios (vt nũc loquuntur) administrant, ex iustitia teneri ad cõgruam sustentationem illis præbendam: alioquin iniuriam faciunt iã suis Vicarijs, qui totum laborem subeunt, tum populo, qui hac ratione cogitur ad illis subueniendum. Sed iniuria in populum maximè in eo sita est, quòd cum largas det decimas, quibus aptissimum ministrum habere posset, parum admodum Vicario assignetur. Quo fit, vt cum viri idonei nolunt tam tenui stipendio onus subire, sæpè indocti & improbi, quia alia ratione viuere nequeunt, præficiantur. Nõ enim quæruntur qui maximè populo videantur profuturi, & munus optimè administraturi, sed qui minimo stipendio velint seruire. Hinc, proh dolor! multis locis tanta animarum clades.

18 Hinc patet Primò, Ius decimarum esse spirituale; nascitur enim ex illo debito, quo omnibus ministris rerum spiritualium a populo vicissim debetur sustentatio, præsertim accedente Ecclesiæ præcepto, & populi Christiani acceptatione. quod addo, quia absq; præcepto & acceptatione nõ est debitum iustitiæ, nisi ad alendos ministros verbi & Sacramentorum necessarios: licet possit esse debitum religionis & misericordiæ respectu aliorum, vt dictum est.

Ius decimarum est spirituale.

Secundò, Causam decimarum ad iudicem ecclesiasticũ pertinere, sicut causæ beneficiariæ, & aliæ spirituales. Idem dicendum quando de aliquo iure, ex iure decimarum orto, controuersia est: nam fundamentum causæ est spirituale, & accessorium sequitur suum principale.

19 Petes, Vtrùm ius decimarum possit laicis competere?

An possit laicis competere.

Resp. Primarium ius decimarum laicis competere non posse: quia est spirituale, fundatum in titulo spirituali, nempe in ministerio ecclesiastico, vt rectè D. Tho. & alij DD. De hoc intellige Canones: dum dicunt decimas nec deberi à laicis, nec vlla vsucapione vel præscriptione ab illis possideri posse; vt c. Cautam. 7. de præscr. & c. Ad hæc. 15. de decimis, & similia. Potest tamen illis conuenire ius quoddam secundarium decimarum, ortum ab illo primario. qui enim habet proprium ius decimarum, etsi hoc ipsum non possit in laicum conferre: tamen ex eo potest illi aliud ius ad fructus tribuere, v. g. donatione fructuum, elocatione, venditione: quod ius distinctum est à primario illo & fundamentali, quod remaneat penes Clericum vel Ecclesiam: oritur enim ex cõtractu humano; vnde nec est spirituale. tale est Ius feudale in decimis. hoc modo ius decimarum à laico præscribi potest, cum titulo quidem spatio 40. annorum: sine titulo, tempore, quod memoriam hominum superet, vt patet ex dictis c. 4. dub. 10. Sic Pontifices interdum solent decimas dare Principibus viris in feudum etiã perpetuum; ob merita illorum in Ecclesiam, & vt in posterum Ecclesiam defendant. Poterant id facere ante Concil. Lateran. sub Alexan. III. celebratum, etiam Episcopi, vt DD. testantur. Verum hæc potestas illis per Concilium est sublata, vt colligitur ex c. Quamuis. 17. de decimis, vbi iubetur succidi, id est, suspendi, qui id fecerit.

Primarium non potest secundarij poterit.

Præscriptio decimarũ capiendarum. An in feudũ concedi.

Possunt tamen laici eas decimas retinere, quæ ipsis vel ante Concilium in feudum perpetuum, ab Episcopis fuere concessæ; vel post Concilium à Summo Pontifice. Possunt etiam easdem alicui Monasterio vel pio loco donare, accedente duntaxat Episcopi, ad cuius Ecclesiam pertinebant, consensu; qui consensus etsi ad hoc necessarius sit, eo quòd Ecclesia illa amittat spem recuperandi; non tamen est necessarius cõsensus Capituli, aut tractatus, vt expressè habetur c. Cũ Apostolica, de ijs, quæ fiunt a Prælato. Ratio est, quia non censetur fieri alienatio, sed reuocatio rei à laico detentæ, ad vsum ecclesiasticum, vt ibidem dicitur.

Laici possunt eas in pium locum transferre cũ consensu solius Episcopi.

20 Vtrùm autem posset eas in alium laicum transferre cũ Episcopi consensu dubium est. Gloss. in c. Prohibemus. 19. ver. Laicos, de decimis, sentit posse; Idem tenet Syl. v. Decima. q. 10. Ratio est, quia tunc non dicitur Episcopus illas dare in feudum; sed laicus, qui dat sicut eas habet. Nec obstat capit. Prohibemus; quia solum ibi prohibetur *ne laici decimas cum periculo animarum suarum possidentes, in alios laicos transferant*. vnde non prohibentur qui legitimè eas possident.

21 Contraria sententia videtur verior, quam tenet Panor. in d. c. Prohibemus, & alij DD. ibid. vt ipse testatur. Ratio est Primò, Quia id posset in maximum damnum Ecclesiæ cedere; vt si is, qui eas transferr, careat liberis: tunc enim necessariò deberent ad Ecclesiam redire. Secundò. Quia eo casu reuerà Epi. opus censetur eas dare in feudum, tantidem enim facit ac si daret in feudum; cum eius consensu fiat, sine quo nihil agi potest; & secundus in quem transferuntur, iure feudi eas accipiat; efficitur enim feudatarius seu beneficiarius Ecclesiæ, non illius prioris laici: at prohibitum est Episcopis in Concilio ne bona Ecclesiæ laicis feudi iure concedant. Tertiò, Quia c. Prohibemus, id absolutè videtur prohiberi: nam ordinariè laici, qui decimas detinent, etiamsi eas ex aliquo consensu Ecclesiæ habuerint, præsumuntur illas cum periculo animarum suarum detinere; vt colligitur ex c. Cum Apostolica, de ijs, quæ fiunt a Prælato. Ratio est, vel quia non prudenter nec in commodum Ecclesiæ sunt concessæ, aut quia in illis concedendis interuenit aliqua coactio; vel quia laici postea non ea præstant Ecclesiæ obsequia, quæ deberent.

Non in laicum.

DVBITATIO V.

Quitenεantur decimas ſoluere.

D. THOM. ART.4.

Omnes laici ſoluunt prædiales.

22 DICO Primò, Quod ad decimas prædiales attinet, omnes, qui titulo non ſpirituali habent prædia alicui Eccleſiæ ſubiecta, tenentur has decimas ſoluere; idque illi Eccleſiæ, cui prædia illa ſubiacent; niſi conſuetudo habeat vt alteri Eccleſiæ ſoluantur: in hac enim re maximè conſuetudo ſpectanda eſt; vt habet c. Ad Apoſtolicæ. 20. de decimis. Vnde Primò, Tenentur has decimas ſoluere omnes laici, etiã Iudæi & Pagani; quia eſt onus annexum rei, quã poſſident. Secundò, Etiam, Clerici, ſi illa prædia titulo patrimonij vel alio modo, non ſpirituali, poſſideant. Ita D. Thom 1. Ratio eſt, quia illa prædia per ſe illi oneri ſubiecta ſunt: res autem cum ſuo onere tranſit, præſertim cum per accidens ſit, quòd nunc a Clerico poſſideantur.

Etiam Clerici.

Obiectio.

23 Dices, Cap. Nouum genus. 21. de decimis, dicitur nouũ *genus exactionis eſſe, vt Clerico Clericus decimas exigat:* ergo Clericus non tenetur.

Reſpondeo.

Reſpondeo, Ob hoc argumentum quidam ſentiunt illam non teneri. & Sylueſter v. Decima, qu. 7. putat non teneri illi Eccleſiæ, cui inſeruit. Tamen tententia Diui Thomæ eſt verior; quam etiam tenet Gloſſa in illud c. & probatur ex c. 44. Si quis laicus. 16. qu. 1. vbi ſanè id aperte ſupponitur. Idem confirmatur capit. Quicumque, ibidem. Ad illud, quòd obijcitur, reſpondet Gloſſa, hoc intelligendum eſſe de dote Eccleſiæ, id eſt, de prædijs eccleſiaſticis: de his enim Clericos non debere decimas. Idem ſentit D. Thomas ſuprà. Sed hoc non videtur vniuerſè verum: ſi enim laicus agrum ſuum, qui pendebat decimas Eccleſiæ S. Petri, det Eccleſiæ S. Michaelis; cur ob hãc donationem Eccleſia S. Petri amittat ſuas decimas, cum nullus Canon id ſtatuat?

Verius igitur eſt prædium huius Eccleſiæ debere decimas alteri Eccleſiæ, ſi antè quam eſſet huius Eccleſiæ, eas alteri debebat. ſecus ſi non debebat alteri eccleſiæ, ſed illi, cui poſteà donatum eſt: tunc enim decimæ extinguuntur. Ita Panormitanus in c. Nouum genus, vbi in eandem ſententiam citat Innocentium. Vnde illud cap. intelligendum videtur de Clericis eiuſdem Eccleſiæ, de prædijs ad eandem Eccleſiam pertinentibus. Nec obſtat quòd in fine illius capit. dicitur, *Clericos illos, qui à Clericis ſpirituali ministerium laboris accipiunt, decimas eis debere*; quia hoc intelligendum vel de decimis perſonalibus, vel bonorum patrimonialium, vel certè de Clericis coniugatis. Ita Gloſſa.

Monaſteria.

Tertiò, Tenentur ad has decimas etiam Monaſteria & pia loca, niſi aliquo priuilegio vel præſcriptione, vel compoſitione, vel tranſactione ſint exempta. patet ex c. Nuper. 34. de decimis; vbi decernitur, vt Ciſtercienſes de terris, poſt Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum, acquirendis, ſoluant decimas Eccleſijs, quibus antea ſoluebantur; etſi eas propijs manibus colant; niſi aliter cum Eccleſijs componant. Priuilegio tamen eximi poſſe colligitur ex eodem ca. & ex multis alijs eodem titulo, vt c. Suggestum 9. & c. Ex par. 30. vbi dicit *Romanos Pontifices ante Innocentium III. ferè omnibus Religioſis decimas laborum ſuorum conceſſiſſe*; id eſt, vt non ſoluerent decimas de prædijs, quæ ipſi colerent. Idem conceditur ibidem Ciſtercienſibus, Templarijs, & Hoſpitalarijs. Idem patet ex cap. Licet, cap. Ad audientiam, eodem. Denique poſtea quibuſdam Ordinibus conceſſum eſt vt de nullis prædijs, aut alijs bonis ab ipſis poſſeſſis teneantur vllam decimam, etiã Papalem ſoluere.

Priuilegio poſſunt eximi.

Nec obſtat quòd hoc videatur cedere in damnũ Eccleſiarum, quæ antea ex illis agris decimas percipiebant; quia ſicut auctoritate ſedis Apoſtolicæ factum eſt vt tale prædium teneretur ad ſolutionem decimæ; ita eadem auctoritate ob iuſtam cauſam poteſt liberari, vel illa decima alteri attribui. ita enim hoc onus eſt impoſitum, vt aſſiduè ab illa auctoritate dependeat: & ſic non fit iniuria illi Eccleſiæ. non enim intendit hoc onus ita imponere in commodum huius vel illius Eccleſiæ, vt ſibi adimeret poteſtatem illius remittendi vel laxandi. Hinc fit vt Pontifex populum a ſoluendis decimis eximere poſſit. ſi ex alijs bonis eccleſiaſticis, vel collationibus, quibus decimæ compenſentur, clero ſit ſatis prouiſum: vt docet Couar. lib. 1. variar. cap. 17. num. 9. Præſcriptione quoque & conſuetudine tum Religioſi, tum laici a decimis eximi poſſunt: quia hæc quota non iure diuino vel naturali; ſed humano dumtaxat debita eſt: quare (ſicut alia, quæ lege humana conſtant) mutari & tolli contraria conſuetudine poteſt. Imò ſi aliunde clero ſit proſpectum, fieri poteſt vt nulla pars fructuum ei debeatur; quia iure naturali ſolum debetur ſit ſtentatio. Numquam tamen populus ita liberari a decimis poteſt, quin Summus Pontifex quando opus fuerit, poſſit eas rurſus imponere; quia hæc poteſtas ei conuenit quatenus eſt vniuerſalis Paſtor Eccleſiæ; quod ei iure diuino cõpetit; contra quod Ius nulla præſcriptio, aut lex humana valere poteſt.

Præſcriptio immunitatis decimarum.

Porrò ad præſcribendam decimarum immunitatem requiritur ſine titulo quidem tempus memoriam hominum excedens, quia Iuris præſumptio eſt in contrarium. c. 1. de præſcript. in 6. cum titulo verò, tẽpus, 40. annorum. vt ibidem inſinuatur. vt autem per conſuetudinem, non ſoluẽdi immunis fias, ſufficit conſuetudo 40. annorum: quia vt ipſa conſuetudo ſit legitimè præſcripta, ſufficit tempus 40. annorum. c fin. de conſuetudine. nec ad eam requiritur titulus, etiamſi Iuris præſumptio ei aduerſetur, imò nec bona fides ad eam inducendam requiritur. ſecus ſi agatur de Iure præſcriptionis ipſius rei, ſeu Iuris non ſoluendi. vt docet Couar. l. 1. var. c. 17. num 8. §. Decimo his. & num. 10.

Qualis debeat eſſe conſuetudo.

Aduerte tamen, vt vi conſuetudinis libereris, non ſufficere vt tu particularis non conſueueris ſoluere per annos 40. quia ſicut conſuetudo particularis non poteſt legem introducere, ita neque poteſt legem abrogare. Lex enim reſpicit communitatem. Vnde requiritur vt cõmunitas per tantum tempus conſueuerit non ſoluere. Neque requiritur titulus, aut bona fides, vt dictum eſt; ſed ſufficit ipſa cõmunitatis conſuetudo: quæ ſicut poteſt legem inducere, ita etiam poteſt legem abrogare. Vnde cenſetur lex decimarum abrogata per talem cõſuetudinem, in illo populo. Verùm autem requiratur tempus 40. annorum ad præſcriptionem talis conſuetudinis, dubium eſt: de quo vide ſup. c. 6. dub. 14. Vt autẽ ex præſcriptionis eximaris, non requiritur conſuetudo cõmunis; quia exemptio præſcriptionis non fit abrogatione legis, ſicut exemptio cõſuetudinis; ſed ſine titulo quidem ſufficit vt tu à tempore immemorabili non conſueueris ſoluere, modo non conſtet id mala fide factum. Nam ex tanti temporis vſu præſumitur bona fides & iuſtus titulus. v. g. quòd maiores tui ob iuſtam aliquam cauſam fuerint conſecuti hoc priuilegium, vel pacto aliquo illud onus redemerint, &c. Quòd ſi titulum aliquem habeas, ob quem non ſolueris, (v. g priuilegium, etſi inualidum ob excommunicationẽ, vel ſimilem cauſam) ſufficiũt anni 40. cum bona fide; vt patet ex ijs quæ dicta ſunt ſupra c. 6. dubit. 12.

Perſonales è quibus ſoluenda.

Dico Secundò, Perſonales decimæ ſoluendæ ab ijs ſolis, qui Sacramenta percipiunt, & illi Eccleſiæ à qua recipiunt; idque iuxta conſuetudinem receptam. colligitur ex cap. Ad Apoſtolicæ, de decimis. Sed aduerte, multis locis perſonales decimas eſſe ſublatas: quibuſdam eas ſolui ſolum in fine vitæ, vt Venetijs; alibi in fine anni. Simili modo multæ prædiales & mixtæ varijs locis abolitæ ſunt. factum id videtur plerumque permiſſu Eccleſiæ, cum videret homines ægrè ſoluere, nec iuditaret compellendos, ad vitandum ſcandalum: vel quia tam multa fuerunt ſenſim Eccleſiæ à viris potentibus alijſque fidelibus relicta, vt putarentur vel ſola, vel cum certo decimarum genere ſufficere poſſe.

Epiſcopi & ceteri eccleſiaſtici, Pontifici. Triplici nomine poteſt Pontifex decimas exigere.

Dico Tertiò, Clerici omnes, etiam Epiſcopi tenentur ſoluere decimas de omnibus bonis eccleſiaſticis Romano Pontifici, ſi eas exigat. Ita D. Thomas art. 4. qui id probat exemplo veteris teſtamenti; nam Num. 18. Leuitis præcipitur vt ſummo ſacerdoti decimam decimæ pendant. Ratio eſt Primò, Quia ipſe eſt Paſtor vniuerſalis omnium, etiam Epiſcoporum; huic enim in Petro dictum *paſce oues meas*, quicũque ergo eſt ouis Chriſti, huic ſubeſt Paſtori, ab eoque verbo & Sacramentis mediatè vel immediatè paſcitur. Secundò, Quia eſt ſupremus adminiſtrator omnium bonorum eccleſiaſticorum: ergo quando bonum Eccleſiæ poſtu-

postulat, potest ex omnibus hisce bonis partem aliquam prout iudicabitur conuenies, ad hunc finē applicare. neq; restringitur ad vnam decimam, sed potest plures exigere pro rei grauitate. Tertiò, Quia est supremus Princeps in spiritalibus: ergo non solum ab ecclesiasticis, sed etiam ab omnibus Christianis potest exigere eam contributionem, quæ necessaria sit ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendū: sicut supremus Princeps in temporalibus potest imponere tributa ad pacem publicam tuendam necessaria. non enim minus potestatis habet Pontifex in omnes Christianos ad tuendum bonum spirituale Ecclesiæ, quam Princeps secularis ad tuendum bonum temporale sui regni.

29 Non tolet tamen hanc decimam ab Ecclesiasticis exigere, nisi necessitas Ecclesiæ id polluleat: sed loco decimæ aliquantas pendendæ, in beneficijs maioribus solet exigere fructus vnius anni pro toto tempore vitæ; quos annatas vocant, quarum vsum esse valde antiquum affirmant Panormitanus & Ioannes Andreas, in c. Inter cetera. 13. de officio Iudicis ordinarij.

DVBITATIO VI.

De primitijs & oblationibus.

30 *Primitiæ.* Primitiæ (quas Græci ἀπαρχὰς vocant) dicuntur primi fructus agrorum & arborum, vt patet Deut. 26. vbi iubentur dare primitias, *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & ponet in cartallo*. In pecoribus primitiua vocantur primogenita, vt constat Exod. 13. vbi *omnia primogenita masculini sexus consecrantur Domino.*

Hinc patet primitias distingui à decimis: *primitiæ* enim sunt primi fructus; decimæ sunt decima pars fructuum illi immediate offerantur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ; deinde cedunt in vsum ministrorum. hæ proximè sacerdotibus dantur in stipendium sustentationis ob ministerium spirituale.

31 *An iure naturæ debeam.* Petes, Vtrùm aliquo iure teneātur fideles ad primitias? Respondeo. Iure naturali non teneri, sicut nec ad quotā in decimis, sed solū quatenus id necessariū est ad sustentationem ministrorum. Iure Canonico scripto videntur quidem teneri; vt colligi potest c. Decimam. 1. de decimis, & c. 67. Reuertimini. 16. q. 1. ex Hieronymo; quibus locis vide da Glossa. sed consuetudine passim hoc ius est abolitum.

32 *Quantitas primitiarum.* De quantitate nihil videtur vnquam fuisse constitutū, sed ea relicta fuit libera. quamuis in veteri testamento ex consuetudine vel maiorum decreto soliti fuerint dare inter quadragesimam & sexagesimam partem; ita vt maximæ primitiæ essent pars quadragesima fructuum; minimæ pars sexagesima, vt colligitur c. Decimam. supra.

Auferte tamen tollationem primitiarum iuri & rationi naturali esse valde conuenientem. ratio enim naturalis dictat decens esse vt Deo prima quæque offeramus. hinc etiam apud veteres Romanos non gustabant nouas fruges aut vina antequā sacerdotes, primitias libassent, vt ait Plinius lib. 18. c. 2. 33

Differunt primitiæ & oblationes, quòd nomine *oblationis* significentur omnia, quæ Deo & Ecclesiæ offeruntur, vt sunt agri, oppida, domus, fructus, pecuniæ, monilia, ornamenta, instrumentum sacrum, & similia; *primitiæ* dicantur soli primi fructus Deo oblati. 34 *Oblatio.*

Nemo tenetur suppositio pacto aut voto ad oblationes nisi quibusdam casibus. Primo, si sint necessariæ ad sustentationem ministrorum, vt si decimæ non sufficiant. Quia iure naturæ Populus tenetur alere eos, qui ipsis diuina administrāt, siue id fiat per oblationes in Ecclesia factas, siue per aliquam collectam, siue alio modo. Modus enim iure naturæ est indeterminatus, sed determinatur pacto vel consuetudine, vel præscripto Superioris. Vnde si determinatum fuerit, vt sustentatio siue tota, siue ex parte fiat per oblationes, populus ad eas tenebitur, & poterit ad eas cogi. Hinc fit vt multis locis teneantur aliquid offerre in benedictione nuptiarum, in funeribus, in Sacramentorum administratione. Secundò, si consuetudine sint introductæ, quamuis ad ministrorum sustentationem non sint necessariæ. Nec refert etiamsi illa consuetudo initio ex spontanea deuotione, & tamquam liberè fit inchoata absque intentione se obligandi; modò successu temporis sensim fit continuata: & vsurpata tamquam ex obligatione. sic enim ac quisiuit vim legis, ab ipsis sponte receptæ: vel spōtaneæ obligationis, qua se Ecclesiæ censentur libere obstrinxisse. Si tamen illa continuatio proueniret ex errore, quòd putarent se obligatos, vel ex iniqua coactione & extorsione, non obligarentur. Sicut enim qui ex errore, quo putat se debere, vel metu iniusto aliquid promittit, non tenetur: ita etiam qui ex simili causa in aliquam consuetudinem aliquid soluendi est inductus. Hoc tamen intellige, nisi accedat præscriptio, qua parochus vel ministri Ecclesiæ ius recipiendi & exigendi tales oblationes vel pensiones tempore iure definito bona fide possederint ac vsu ceperint. Possessio enim bona fide continuata talis iuris parit præscriptionem. continuatur autem per talem consuetudinem. Quantum autem temporis requiratur ad eiusmodi iuris præscriptionem aduersus laicos, quæri potest. Puto sufficere decennium, sicut in præscriptione immobilium aduersus præsentes. De quo vide supra cap. 6. dubit. 8. Accedit quod consuetudo præscribatur decennio, vt ibidem cap. 14. animaduersum est. *Quando populus obligetur ad oblationes.* *Consuetudo.* *Præscriptio.*

CAPVT XL.

De Voto. *Habet Dubit.* 20.

DVBITATIO I.

Quid sit votum.

D. THOM. QVAEST. 88. ART. 1.

1 RESPONDEO, *Votum esse promissionem Deo factam; vouere* enim est aliquid Deo iustè promittere; vt constat ex auctoribus Latinis; vnde votum est promissio ipsa. Aliquando *vouere* accipitur pro desiderare; & votum pro desiderio, id enim, cuius causa vouemus, valdè desideramus; sed primario significat Deo aliquid promittere. Itaq; omne votum est promissio quædam; non tamen contra; nam promissio, quæ fit hominī, non dicitur votum; sed ea tantum quæ Deo.

Quinque requisita ad validam promissionem. Vt promissio sit valida, quinque requiruntur. Primò, Vt sit deliberata. Secūdo, Vt libera. Tertiò, Vt fiat cum intentione se obligandi. Quartò, Vt sit de re grata promissatio. Quintò, Vt promissor possit se obligare.

2 *1. Deliberatio* Primò, debet esse *deliberata*, non quòd opus sit longa mentis agitatione, vt quidā volunt; sed quia requiritur perfecta quædam animaduersio eius, quod agis; *perfecta*, inquā quę talis sit, vt in materia praua sufficiat ad peccandū mortiferè, & in bona ad merendā salutem; vt communiter tradunt Doctores. Syluester v. Votum, 2. num. 13. Caietanus q. 88. art. 1. Sotus lib. 7. de Iustitia q. 1. art. 2. Nauar. c. 12. numero 26. & alij. Ratio est, quia ea consideratio, quæ satis est ad obligandos nos diabolo, eiusque seruituti dedicandos, meritò sufficiens cēseri debet ad obligandos Deo. hęc breuissimo tempore fieri potest; &, vt quidam volunt, in momento. quod etsi locum habere possit in Angelis, credo tamen vix fieri posse in mortalibus: quia vno momento rem nō satis consideratē possumus, vt eam liberè eligamus vel refutemus; vnde ordinariè aliquod tempus requiritur, etsi breuissimum. *An in momento.*

Nec refert etiamsi paulò post pœniteat; id enim non est signum defuisse sufficientem deliberationem, vt vult Angelus

gelus v.Votum 1.num 6.quia mutatis circumſtantijs facile hominem pœnitet,etiam eorum, quæ matura deliberatione fecit.quá multi contrahunt matrimoniũ, aut melius contractus;quos ſtatim pœnitet?

Ratio cur requiratur perfecta animaduerſio, eſt quia promiſſio eſt lex quæda & onus,quod ſibi quis ponte impo-
3 *Votum inde-liberatè.* nit: nemo autem cenſetur ſibi aliquod onus velle aſſumere; niſi plenè aduertat quid agat, quale onus capeſſat, quibus vinculis ſe conſtringat. Vnde ſi quis ex ſubito animi motu vel conſuetudine, lingua mentem præcurrente, voueat,non obligatur; ſicut qui ſimili impetu malum alicui imprecantur,non peccant mortifere. Idem dicendum ſi ſolum ſemiplenè aduertat.

Dices,Cum imperfecta, ſeu ſemiplena animaduerſione
4 *Imperfecta attentio.* poteſt quis contrahere peccatum veniale:ergo etiam obligatione,quæ ſub veniali alligat,videtur enim par ratio.

Reſpondeo eſſe magnam hac in re diſparitatem inter peccatum,& vinculum promiſſionis: promiſſio enim non inducit vinculum; (vel ſi inducit, facile eluditur) quando vi vel fraude extorquetur;at hæc nõ excuſant peccatum.Deinde promiſſio debet eſſe directe volita & acceptata: ad peccatum ſufficit voluntarium indirectum & interpretatiuum. Denique peccatum contrahitur ſola negligentia in debito vſu potentiarum; cum re oblata non ſatis attendimus animum; immo interdum ſola omiſſione: at hæc non ſufficiunt ad vinculum promiſſionis; ſed requiritur actus poſitiuus & directus.

Simili modo,ad opus meritorium non ſufficit imperfecta attentio: nam bonum debet eſſe directè volitum, & quia tale,malum verò minimè.Deinde modus iſte operandi eſt imperfectus,& ex peccato proueniens; vnde per ſe potius vituperationem quam laudem meretur: nã homo tenetur perfectè attendere qualis res ſit, priuſquam illam accepter,ne aliquando contingat illum decipi.Verùm plenior horum tractatio pertinet ad 1.2.

Itaque etſi ad violandam obligationem voti ſufficiat imperfecta conſideratio, non tamen ad vinculum voti inuehendum.

Imperfecta conſideratio hoc loco cenſetur, cum ſolùm confuſè & tenuiter aduertis quid agas,alteri rei intentus; ita vt res non offerat ſe qualis eſt, nec abſolutè vt grauis. Vnde ſi antequam plenius eam introſpicias,promittas,mirum non eſt te non obligari;quia videris quaſi per ignorãtiam promiſiſſe,cum rem promiſſam formaliter nõ apprehenderis;nec aliquid occurrerit,quod te ad hoc ſatis excitauerit.vnde poſtea aduertens plenius,miraris te promiſiſſe,& ſtatim reuocas.

Secundò, Debet eſſe *ſpontanea.* id eſt,non metu vel dolo
5 iniuſtè extorta.verùm de hoc fuſius dub. 2.& 3.

2. *Spõtanea.*

Tertio, Requiritur vt fiat *cum intentione ſe obligandi*. actus enim agentium ex intentione,non operantur vltra intentionem;cum ab ea omnem ſuam vim habeant. ſicut enim lex non habet vim, niſi iuxta intentionem legislatoris;ita nec votum aliàve promiſſio(quę eſt veluti lex quędam,quam quis ſibi imponit) vim habet, niſi iuxta intentionem promittentis. & ſicut poteſtas Superioris non inducit obligationem ſubdito,niſi applicetur a voluntate,ad eam mediante præcepto cauſandam; ſic ius, quod quis in ſeipſum habet,non infert obligationem mediante promiſſione,niſi quis intẽdat eam inferre. Vnde nec amplius, nec aliter, nec diutius quàm intendit. Non tamen eſt neceſſe vt formaliter hoc intendat; ſufficit vt implicitè, vt dum ſciens & volens vouet: & in dubio ſemper præſumitur intentio, quia hæc formæ promiſſoriæ naturaliter & ex vſu omnium gentium eſt coniuncta.

3. *Cum intentione ſe obligandi.*

Intendens vouere, non tamen ſe obligare. Petes Primo, Quid ſi quis intendat vouere, tamen interius nolit ſe obligare,tenebiturne voto? Sotus lib.7.q.1. art.2.putat teneri Ratio eſt,quia obligatio oritur ex voto, ſicut effectus neceſſarius a ſua cauſa: ergo poſito voto,nequit impediri.

Sententia Soti. Sed contrarium eſt longè probabilius: tenet Nauarr.c. 12.num.27.Syluester.v.Metus qu.8. & v.Pactum,num.4. Angelus v.Votum 1.quæſt.7.Gloſſa in cap. Litteraturam. 3. de voto & voti redempt.Richardus in 4.d.38.quæſt.3. circa tertium principale. Probatur Primò, Quia quando actui apponitur aliqua conditio vel clauſula, quæ eſt contra ſubſtantiam actus,ille actus eſt irritus. ſicut ſi quis dicat ſe vendere vel donare rem; ita tamen vt nolit eam a ſe alienare: ſi contrahat matrimonium, ita vt nolit obligari ad reddendum debitum. at hic apponitur talis clauſula voto,ſaltem tacitè & ipſo animo:ergo votum eſt irritum.Secundo, Qui vouet cum expreſſa intentione ſe non obligãdi,reuera non intendit vouere,ſed fingere & ſimulare votum externa ſpecie verborum,dicendo enim *voueo,promitto*,mentitur; quia contra mentem loquitur; cũ mens interius cõtradicat. Quòd ſi putet ſe poſſe vouere abſque obligatione,fallitur,quia quid nomine voti ſignificetur,non intelligit.vnde nec talis actus inducet obligationem;cum procedat ex errore circa ſubſtantiam actus:& actus agentium non operentur vltra intentionem eorum.

Ad argumentum Soti Reſpondeo,Obligationem naſci ex voto,ſi ſit verum votum; at non eſt verum votum, ſed ſimulatio voti,ſi mens interius nolit ſe obligare: ita enim interior voluntas eſt contra ſubſtantiam voti. *Verum votũ parit obligat. non fictum.*

Dices,Hoc ipſo,quo quis ſciens naturam voti vult vouere,implicitè vult ſe obligare.

Reſpondeo Primò, Id verum eſſe ſi verè velit vouere: at is,qui habet animum non ſe obligandi,non vult verè vouere, ſed ſimulat ſe vouere.

Reſpondeo Secundò, Id verũ eſſe,quando animus interius obligationi non contradicit.ſecùs quando expreſsè cõtradicit:non.n. poteſt cenſeri implicita voluntas ſe obligãdi, vbi adeſt expreſſa voluntas reſiliens obligationi.

Petes Secundò, Quid ſi volens intendat quidem vouere,non tamen implere votum? Quidam viri docti putant
7 *Quid ſi non intendat implere.* etiam in hoc caſu non teneri voto,Probãt Primò,Quia D. Thom.artic.1.dicit, *Ad votum tria ex neceſſitate requiritur, deliberatio,propoſitum voluntatis & promiſſio.* loquitur autem de propoſito non tantum ſe obligandi,vt quidam volunt, ſed de propoſito exequendi:quia dicit *promiſſionem ſequi ex propoſito faciendi.* Secundò,Promittere non ſolum eſt ſe obligare,ſed etiam ſignificare ſe facturum quod promittitur: ergo qui habet animũ nõ faciẽdi,nõ verè,ſed fictè promittit;ac proinde non obligatur. Tertiò, Si quis promitteret & adderet ſe non habere animum implendi,videretur potius alteri illudere quàm promittere:ergo idem cenſendũ ſi mente id ipſum addat. *Quorundam ſententia.*

Sed contraria ſententia eſt communis Doctorum,Soti, Caiet.Nauarri.Probatur Primò, Qui iurat ſe aliquid daturum,tenetur, etiamſi dum iurat non habeat animum dandi: ergo ſimiliter qui promittit,tenetur,etiãſi dum promitteret,non haberet animum implendi promiſſum. Conſequentia patet, quia in iuramento promiſſorio non minus ſignificas te habere animũ implendi, quã in ſimplici promiſſione:ergo ſi defectus illius animi,& mendacium in tali iuramento commiſſum non tollit vim iuramenti,nõ tollet etiam vim promiſſionis.Secũdò Quando Superior aliquid præcipit,ſignificat ſe uelle vt illa res fiat,& tamẽ contingit interdum vt nolit illam executioni mandari;nec ob id,præceptum carebit vi obligandi:ergo poteſt quis etiam ſibi ipſi imponere aliquam obligationem ad aliquid faciẽdum;etiamſi careat animo exequendi.Tertiò, Poſſum aliquid alteri validè donare uel vendere abſq; animo tradendi:cur non poſſim etiam ualidè promittere? Quartò, Denique multi ſunt fortaſſis in quibuſdã Ordinibus, præſertim militaribus,qui profitentur caſtitatem uel paupertatẽ abſque propoſito eam ſeruandi:quis tamen audeat dicere tales coram Deo nõ aſtringi ſuo uoto? Quinto,Probatur allata ratione; quia ſicut de ratione promiſſionis non eſt ut præſtetur ipſa res, ſed ſolum ut detur aliquod ius remotũ ad illam:ita neque de ratione ipſius eſt ut habeas animum rem promiſſam præſtandi, ſed ſolum ut habeas animum conferendi ius aliquod ad illam exigendam, & ad obligationem aliquam tibi imponendam. *Ad rationem.*

Ad primum Reſpondeo, Illa tria requiri ut promiſſio legitimo modo,& abſque peccato fiat.

Ad ſecundum,In promiſſione duo ſignificãtur. Primò, Quòd te ipſum obliges, ac proinde quòd habeas animum te obligandi.Secundò. Quod ſis facturus & habeas animũ faciẽdi.Prior ſignificatio pertinet ad eſſentiam promiſſionis unde ut promiſſio ſit uera,debet quoq, hæc ſignificatio eſſe uera. Altera nõ pertinet ad rationem promiſſionis, unde etiamſi uera non ſit,non ideo promiſſio erit nulla.

Ad tertium, Qui ſuę promiſſioni adderet ſe non habere animum implendi, putaretur non ſeriò, ſed ioco promittere, nec uelle obligari. alioquin ſi conſtaret illum ſeriò vo-

voluiſſe ſe obligare, poſſet cogi ad implendum quod promiſit.

8 *Conſectaria duo.*

Ex ſupradicta tertia conditione ſequitur Primò, Eum, qui aliquid vouit, ſi poſt votũ aliquid ſe aperiat, quod ante latebat, vel quid noui eueniat, quod ille ſuo voto prudẽtem iudicio non videtur voluiſſe comprehendere, ad illud non teneri ita docet Sotus lib. 7. q. 2. art. 1. ad 3. ex D. Thom. Nauarrus c. 12. nu 50. Lopez. c. 45. Fumus v. Religio, nu 9 v.g vouiſti peregrinationem, & interea viæ ſunt redditæ infeſtæ latronibus; vouiſti ingreſſum aſperæ Religionis & interuenit morbus, cum quo, medicorum iudicio, non poteris perferre; quibus euentis ſuſpenditur executio. ſed de hoc plura dubitatione ſecunda.

Votum non obligat vltra expreſſam vel tacitam intentionem vouentis.

Sequitur Secũdo, Nullum votum obligare vltra expreſſam vel tacitam intentionem vouentis. vnde qui profeſſus eſt in Religione, vbi non ſeruabantur niſi eſſentialia, non intendens, ſe vltra receptam conſuetudinem aſtringere, nõ obligatur ad arctiora, vt docent Fumus, Nau. & Lopez ſupra, & Sylu. ex Panor. Religio 3. q. 12. quod limita. Niſi forte illa ſint neceſſaria ad ſeruanda ſubſtantialia. talis tamẽ ſi nollet accedente reformatione duriora illa admittere, cogeretur aliud Monaſterium, vel etiam aliam Religionem ingredi; quia propter tales nõ debet impediri reformatio.

4. *Vt res ſit grata.*

Quarta conditio eſt, vt res promiſſa *ſit grata* promiſſario: promittere enim cuipiam, quod ei diſplicet, non eſt promittere, ſed minari.

5. *Vt poſſit ſe obligare.*

Quinta eſt. Vt promiſſor *poſſit ſe obligare*: quidam enim per leges non poſſunt ſe promiſſione aut voto obligare, vel ſaltem non ita valide quin poſſit in irritum reuocari. Sed de his infra.

DVBITATIO II.

Vtrùm votum, cui error cauſam dedit, ſit validum.

9 VIDERI poſſit votum ex errore profectum, numquam eſſe validum. Primo; quia deeſt conſenſus; qui enim errat, non videtur conſentire *L. Nihil conſenſui. 116 ff.* de regulis Iuris. Secundò, quia DD. paſſim docent, votum nõ obligare vltra intentionem vouentis: ac proinde non obſtringere in euentu, quem vouens excepiſſet, ſi cum vouereſet, ei occurriſſet: ſicut in generali conceſſione non venitur ea, quæ quis verſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus. regul. 81. de reg. Iuris in 6. Tertiò, Votum eſt promiſſio liberalis: ergo debet omnino eſſe libera: ac proinde nullo modo proficiſci ex errore: nam ex eà parte caret libertate.

Pro ſolutione notandum eſt errorem poſſe eſſe, vel circa aliquid extrinſecum, & accidentarium rei promiſſæ, vt ſi res putetur facilior, iucundior, commodior, &c. vel circa aliquid pertinens aliquo modo ad rei ſubſtantiam. Nunc.

10 *Error circa extrinſeca.*

Dico Primo, Si error ſit ſolum circa aliquid accidentarium, non tollit obligationem voti, quamuis ſine illo errore nõ voluiſſes vouere. Colligitur ex dictis c. 17. dub. 5. vbi oſtenſum eſt, errorem circa extrinſeca, iure naturæ nõ violare cõtractum. Idem docet Caiet. v. Votum. §. Ex parte. in fine. Sotus lib. 7. de Iuſtitia qu. 1. art. 2. ad 1. argumentum, Nau. in Summa c. 12. num. 39. & alij paſſim. Cor ſit. Quia ſi talis error tolleret obligationem, ſequerentur graviſſima incommoda, vt rectè docet Caiet. loco citato. pleriq. enim contractus humani poſſent diſſolui; & pleraque profeſſiones in irritũ reuocari. plurima. n. ſuperueniunt, vel latẽt, quæ ſi ab initio cognita fuiſſent, noluiſſent homines cõtrahere, aut vouere. & ita nihil in contractibus aut ſtatibus hominum eſſet firmum aut ſtabile. Sufficit igitur ad obligationem notitia eorum, quæ rei vel actui ſunt intrinſeca, & aliquo modo ad ſubſtantiã pertinent; niſi lege poſitiua in quibuſdam aliter ſtatuatur.

11 *Error circa ſubſtantiam.*

Dico Secundò, Si error ſit circa ſubſtantiam voti, aut aliquo modo in ſubſtantiam redundet, ſitque cauſa vouendi, irritum reddit votum. Eſt communis ſententia DD. Cenſetur autem eſſe circa ſubſtantiam multis modis. Primò, ſi ſit circa partem notabilem rei promiſſę: vt ſi voueas peregrinationem Lauretanam, putans illam eſſe 10. dierũ, cum ſit 20. non enim intendis niſi dimidiam operis partẽ. Secus ſi error ſit circa partem, quæ modica ſit reſpectu totius, tunc enim excelsus ignoratus non cenſetur excluſus, niſi de contraria intentione conſtet: vel ſi intendebat ſe abſolutè ad tale opus obligare, non curando quantum eſſet; tunc enim error non eſt cauſa voti. Secundo, cum erratur circa materiam operis; vt ſi voueas certum nummum, quem putas argenteum cum ſit aureus. Si voueas ingredi certum monaſterium putans eſſe ordinis Sancti Benedicti, cum ſit Canonicorum Regularium. Si putes diſciplinam eſſe integram, cum eſſentialia aut alia principalia non ſeruentur. Secus ſi deceptio ſolum ſit circa aliqua minutiora. ita Sotus ſupra. Tertiò, cum erratur circa perſonam cui opus præſtandum: vt ſi voueas dare eleemoſynã huic, quem putas eſſe Titium, cum ſit Caius. Quartò, cum erratur circa cauſam formalem; vt ſi voueas dare eleemoſynam Titio, putans eſſe pauperem, cum ſit dives. tunc enim non ſubeſt ratio formalis eleemoſynæ, quam vouiſti. Eleemoſyna enim eſt ſubleuatio miſeriæ paupertatis; quæ eſſe nõ poteſt, niſi vbi eſt paupertas quæ leuetur. Quintò, cum erratur circa cauſam finalem vouẽdi extrinſeca. hoc enim modo error etiam in ſubſtantiam voti redundat; quãuis non ſemper: verum tunc ſolum quando votum ſit ad aliquem finem à Deo impetrãdum, qui expectetur à Deo tamquam merces operis voti: vt ſi voueas peregrinationem pro ſalute patris, quem putas ægrotare, cum non ægrotet, vel iam obierit. Ratio eſt, quia peregrinatio nõ vouetur abſolutè. ſed vt medium & veluti pretium ad impetrandam depulſionem morbi paterni. atqui re vera hic & nunc non eſt medium ad illum finem, cum finis ſit impoſſibilis. non enim poteſt depelli morbus qui non eſt. ergo eſt deceptio circa ſubſtantiam eius quod formaliter vouetur. medium enim accipit rationem formalem ex fine. Cõfirmatur, quia tale votum habet hanc tacitam conditionem, ſi morbo laborat, ſi tali bono caret. & cæt. Nam vouetur peregrinatio non abſolutè, ſed cum reſtrictione ad talem finem. Non enim totum votum eſt, vouco peregrinationem, ſed vouco peregrinationem pro ſalute parentis. vbi apertè implicatur conditio votum determinans & conditionale efficiés: ergo ſi non eſſet, votum eſt irritum. Idem dicendum quãdo votum ſit ad aliquem finem principalem obtinendum, & poſteà contingit animum mutari. vt ſi vouiſti peregrinationem Lauretanam vt felix tibi obtingat matrimonium, & poſtea velis viuere cælebs. acceſſorium enim ſequitur ſuum principale. vnde ceſſante ſine ceſſat votum, quod ſe ad illum habebat acceſſoriè. Si autem finis expectetur non vt præmium voti, ſed alio modo, vt ex induſtria vel fauore hominum, error circa finem non reddet votum irritum: quia non redundat vllo modo in ſubſtantiam voti. Neque refert vtrum ſit finis principalis quem ſibi vouens proponit, an ſecundarius, quem vocant cauſam impulſiuam; nam vterque eſt prorſus extrinſecus voto, cum non ingrediatur ipſum votum, nec illud afficiat aut reſtringat; vt ſi voueas Religionem principaliter eo fine vt peruenias ad Prælaturam, falsò perſuaſus monachos ſtatuiſſe te eligere: ſi voueas peregrinationem ad limina Apoſtolorum, falsò perſuaſus hac ratione à Pontifice obtenturum te canonicatum: aut ſi id facias vt inuiſas fratrem quem ignoras obiiſſe. Non enim conſideratur quid moueat ad vouendum, ſed quid abſolutè ſciens & volens promittas. Nec refert quod ita ſis affectus animo, vt ſi ſcires te decipi circa cauſam motiuam, nolles vouere; quia ille affectus re ipſa nihil operatur contra votum, cum conditio ad hoc requiſita, nempe ſcientia veritatis, deſit, & non obſtante eo affectu habes alium affectum quo abſolutè vis vouere, & voues. ſicut ſi des eleemoſynam pauperi exiſtimans eſſe probum, cum ſit improbus: & ita ſis affectus, vt ſi ſcires eius improbitatẽ nolles dare; nihilominus valida eſt donatio. quia re ipſa das abſolutè ad leuandam inopiam, etſi probitatis opinio te ad dandum mouerit: affectus ille non daudi ex hypotheſi ſi ſcires, eſt inefficax ob defectum conditionis. vnde nihil operatur contra votum. idque verum eſt, non tantum de affectu habituali, & implicito, ſed etiam de actuali & expreſſo. Confirm. quia error circa acceſſoria & extrinſeca rei promiſſæ. non tollit conſenſum circa principale & ſubſtantiam. Idem cernitur in contractu matrimonij, & ſponſalium.

Sextò ſi ſit error circa vim voti. vt ſi perſuaſus ſis votũ nõ obligare niſi ſub peccato veniali: aut poſſe à re ipſo relaxari facili negotio. talis enim ignorat naturã actus quẽ facit.

fatit: Idem dicendum si quis putaret matrimonium solubile, sicut passim soluitur apud ethnicos: debet tamen error esse causa actus: alioquin non redderet illum irritum, cū sit error speculatiuus & impertinens ad actum, qui ceteretur fieri absolutè iuxtà conditionem suæ naturæ.

Ex his patet non esse constituendam differentiā in proposito inter votum simplex & solemne: quia sicut votum solemne non est irritum ratione erroris, nisi error redundet aliquo modo in substantiam voti: ita neque votū simplex est irritum, nisi error sit aliquo modo circa substantiam. Vnde si quis fraude alterius (v.g falsis promissis) induceretur ad nuncupandum votum simplex continentiæ, vel obedientiæ: non minus esset validum, quam si sic inducereturad professionem religionis: qui est casus ca. si. 20. q. 3. Similiter in casu cap. ex parte. 9. de conuers. coniugatorum, vbi susceptio veli seu professio ex causa falsa est valida, etiam votum simplex religionis validum esset. Idē dicendum in casu c. Veniens. 16. eod. tit. vbi professio mariti, in quam vxor dolo inducta consenserat, iudicatur valida, etiam votum simplex religionis, & castitatis validum fuisset.

13 Dices Primò, Promissio homini facta non est valida, si ex errore procedat, quamuis ille error non sit contra substantiam; vt si res hat difficilis, quæ putabatur facilis; si persona sit improba cui promisit, cum putares esse probam: ergo idem dicēdum erit de promissione facta Deo. Respondeo negando consequentiam, promissiones enim vulgares quæ inter homines fiunt, si ex aliquo errore procedant, dicuntur inualidæ, non quod sint iure naturæ irritæ, sed quia in irritum reuocari possunt arbitrio promittentis: ita enim vsu passim receptum est, ad vitandas multas difficultates (præterquam in quibusdam promissionibus, vt v.g. mutui inter mercatores) vt sicut homo homini facile aliquid promittit, ita etiā facilè possit reuocare, si deprehendat se ex errore aliquo promisisse; vel aliquid detegatur, quod si antea nosset, nō promisisset. Secus est in promissionibus quæ Deo fiunt. hæ enim hoc ipso quo semel valent, statim hunt insolubiles, ita vt non nisi superiori potestate, & iusta causa relaxari queant: sicut matrimonium si semel valeat, insolubile est. Accedit quòd in promissionibus & contractibus humanis lex positiua sæpè tollat obligationem, vel ius illius tollendæ & eludendæ tribuat, si ex errore procedant. L. Et eleganter. 7. ff. de dolo & 15. q. 6. c. 1. de quo vide supra c. 17. dub. 6. Id autem non facit in votis: idque meritò ob reuerentiam diuini numinis. Vnde Glossa in d. cap. Ex parte, v. *Falsa sit causa*. dicit, *Dolum aduersus in spiritualibus non viti iure contractum, nec considerari causam aut intentionem contrahentis*: quod maximè verum est in votis, iuramētis, matrimonij contractu, susceptione baptismi, &c.

Discrimen inter votum & promissionem hominis factā

Dices Secundò, Qui vouit ieiunium in certam diem aut peregrinationem ad certum locum, non tenetur, si inde notabile damnum referret, vt si valetudo læderetur; si iter latrones sit infestum, &c. atqui hic non est error, vel ignorantia circa substantiam, sed circa extrinseca. ergo, &c. Resp. Illa vota tali euentu non obligare, non quia ex errore, sed quia secundum legem prudentiæ, & ex communi hominum sensu, atque adeò ipso iure habent tacitam conditionem *si absque notabili damno fieret*: vt patet in præceptis Ecclesiæ de simili materia. Multæ enim difficultates extrinsecùs obuenire possunt, ob quas non expediat mandati executioni. Itaque ratione illarum conueniebat subesse tacitam conditionem. Difficultatum autem quę ex intrinseca rei natura oriuntur, non ita habetur ratio, præsertim in voto rei maximæ, vt castitatis & religionis. Debuerunt enim ante esse prægitatæ. vnde nec vsu, nec iure ratione illarum subest tacita illa conditio.

Ad rationes. Ad Primam rationem initio propositam Resp. nō deesse consensum necessarium; quia qui consentit in principale, censetur consentire in accessoria & coniuncta. qui erat non videtur consentire, si error sit circa rei substantiā. vel certe non ita consentit, quin possit resilire quando contractus est solubilis.

Ad Secundam: Votum non obligat vltra intentionē voventis; sed quando error est circa accessoria, intentio voventis etiam ad illa se extendit saltem virtualitèr, vt dictū est. Non obligat ergo ad eventum quem excepisset; verum est, si ex vi affectus quo votum fecit, illum eventū excepisset: secùs si excepisset solùm ex vi alterius affectus, quem actu vel habitu tunc habuit. Illa autem regula. In generali concessione, &c. intelligitur de concessione principis vel Superioris facta inferioribus, & de rebus quæ non solent generalibus vel obscuris terminis concedi, ad quæ iudicio prudentum intentio concedentis non se extendit.

Ad tertiam. Non requiritur vt promissio liberalis sit omnino libera. potest enim fieri vt quis promittat aliquid gratis absq; obligatione (quod est promittere liberaliter) & tamen id faciat ex metu vel errore aliquo. Aliud enim est liberè promittere, aliud liberaliter. quamuis eo casu sæpè possit reuocari, vt dictum est. Et quamuis qua parte est ex errore, non sit libera formaliter; tamen est libera virtualiter ratione scientiæ circa principale.

DVBITATIO III.

Vtrùm metus votum irritum reddat, & quo iure.

14 NOTANDVM est *metum* alium dici *grauem*, vt potè grauis mali, & qui virum constantem percellat: alium *leuem*, qui in virum constantem non cadat; de quo vide sup. c. 17. dub. 6. Rursus alium iustè incuti; alium iniustè. Item alium incuti ad extorquendum votum, alium ex alia causa prouenire.

Si metus grauis ad hoc in capite.

Quibus positis omnes DD. cōueniunt. metum grauem iniustè incussum ad extorquendum votum, tollere voti obligationem, illudq. omnino irritum reddere. Colligitur ex cap. Perlatum. 1. & cap. Abbas. 2. de his quæ vi metusve causa fiunt. Ratio est, quia in ijs quæ ad statum & votorum obligationem pertinēt, homo est sui iuris & arbitrij. vnde non potest ad illa cogi à causa extrinseca. Vnde regul. 116. ff. de regulis Iuris dicitur: *Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus; quam comprobare, contra bonos mores est.*

Iniustè incussus. Debet autem hic metus esse *iniustè incussus*, vt plerique DD tradunt. Sylvester v. Metus. quæst. 6. Sotus lib. 7. q. 2. art. 1. ad 1. Angelus v. Metus nu. 8. & 10. & alij. Ratio est, quia hic solus censetur repugnare libertati, tanquam causa extrinsecùs cogens. Quare metus iustè incussus non irritabit votum; sicut nec matrimonium, aut alios contractus irritos reddit. Vnde sequitur, si maritus vxori in adulterio deprehensæ priuata auctoritate mortem minetur, nisi profiteatur religionem, professionem inde secutā fore irritam; vtpote metu iniustè irrogato extortam. Non enim poterat illam iure priuatim occidere. Si autem minetur accusationem & mortem via iuris, professio erit valida, quia iure poterat id facere. Pari modo, si reo mortis detur potestas redimendi supplicij; professione religionis, vel matrimonio puellæ se offerentis, erit validūquod actum fuerit.

15 Aduerte tamen non deesse Doctores, qui putāt metum grauem etiam iustè incussum irritam reddere professionē Religionis, & matrimonium. Ratio est, quia hæc duo requirunt summam libertatem, quæ non minus aufertur cū iustè incutitur, quam cum iniustè. Ita Couar. in 4. p. 2. c. 3. §. 5. nu. 7. vbi citat Glossam in c. Veniens. 2. de sponsalib. & in cap. 2. de ijs quæ vi, Felinum & alios. Pro qua sententia Sanches lib. 4 disp 13. citat Goffredum, Hostiensem, Ioannem Andream, Ancharanum, Henricum, Fortunium, & alios multos, dicitq. esse probabilem. Alij existimant metum iustè intentatum irritare professionem & matrimonium, quando incutitur auctoritate priuata; non autem si incutiatur à lege vel iudice, præscriptum legis exequente: vt si lex statuat, vt violator virginis cogatur per Iudicem ad eam ducendam.

Si iustè poterat inferri. Sed verius est, quod iam diximus, metum nunquam irritare votum aut matrimonium, quando malum, quod proponitur, iustè inferri potest: ita ferè ceteri Doctores. Ratio est, quia quando metus iustè irrogatur ob crimen, non tam censetur inferri ab extrinseco, quàm prouenire ab intrinseco, nempe à propria voluntate, & natura delicti: & is qui votum proponit, potius aufert quàm infert metum, ostendens viam euadendi mali. id autem quod ex propria voluntate oritur, non censetur moraliter libertati repugnare. Confirmatur, quia talis metus non rescindit ceteros contractus, vt omnes fatentur: ergo nec votum, aut matrimonium: non enim maior libertas ad naturam

turam professionis vel matrimonij requiritur, quàm ad alios contractus; quamuis vtilia conuenienti modo fiant, maior requiratur, ob vinculi insolubilitatẽ, & graue onus quod secum adferunt. Hinc patet responsio ad primã partem rationis contrariæ sententiæ. Id autem quod subsumitur, falsum est, si res moraliter expendatur: nam metus iustus, cùm oriatur ab intrinseco, non cenſetur libertati officere. De quo vide supra c.17.dub.6.

16 *Ad verum metum incutiendum.*

Pari modo debet hic metus nõ tolum esse incussus iniuste, sed etiam aliquo modo ad votum eliciendum, ita vt is qui metum infert, nolit desistere à malo multe irrogando nisi votum emittas, quòd non ob aliã causam incutiatur, v.g. ad vltionem iniuriæ (vt si voueas religionem, vt Deus te liberet è manibus Tyranni, aut inimici persequentis) vel sic. Tunc enim votum non emittitur vt satisfiat voluntati inferioris; neq; in eius gratiam exhibetur, vt sit veluti pretium, quo cesset ab iniuria; sed exhibetur Deo, vt ab eo impetretur auxilium: sicut cum quis iniuste oppressus ab inimico, promittit aliquid alteri vt auxilium ferat; tenetur: secus si inimicus illum ad promittendum cogat. Ratio est, quia quando aliquis iniuste cogit promittere, promissio nõ est libera, nec ex spontaneo procedens affectu, sed extorta ab extrinseco: secus verò quando quis ex se promittit, vt opem ab aliquo impetret.

Non tamen est necessarium, vt metus incutiatur principaliter ad votum eliciendum, sed satis est vt incutiatur iniustè, & concedatur votum ad redemptionem mali intentati, vt colligit ex d.c. Perlatum de ijs quę vi, &c. vbi mulieri ob suspicionem adulterij intentatur mors à famulis mariti, & ex affectu misericordiæ conceditur vt redimat mortem professione religionis; quæ tamen professio ibi declaratur irrita.

Ex dictis sequi videtur, si alius, qui metum non intulit, votum postulet, vt opem ferat, votum fore validum: vt si inimico persequenter fugas ad monasterium, & Abbas nolit concedere latebras aut asylũ, nisi voueas te fore monachum. Abbas enim non infert metum, sed hic iam est illatus ab inimico, & ille proponit tibi rationem euadendi; sponteq; opẽ (quam tibi ex iustitia non debet) si velis vouere; quia in re non facit tibi iniuriam. Nihilo minus contraria sententia in hoc casu est etiam probabilis. Nam Abbas recusando asylum censetur metum continuare. tenebatur enim cõcedere, et si non ex iustitia, at certè lege charitatis, & quidem gratis, absq; tali obligatione. Vnde iniquè recusando est causa continuationis metus, idq; directè ad extorquendũ votũ. sicut si alicui extrema inopia cõfecto nolim succurrere, nisi religionem vouear, videbor metu mortis votum extorsisse. quare non obstringet.

17 *Quo iure metus irritet votum.*

Sed difficultas est, quo iure metus votum irritum reddat. Multi censent id fieri iure naturali. Insinuat Sotus lib. 7.q.2.art.1. Nauarr.c.12.num.52. Glossa in c. Abbas 2. de his quæ vi. Bonauentura in 3.dist.29.art.3.q.3. vbi dicit: *vota cadunt ex iure irrito; quia Deus vult sacrificia non coacta, sed voluntaria.* Denique idem sentire coguntur omnes, qui tenent metum iure naturæ irritum reddere matrimonium, vt D. Thomas, Scotus, Gabriel, Couarr. Turrecremata, Antonius, Richardus, & alij, quos citat Sanchez lib.4.de matrimonio disp.14. Probari potest Primo, Quia nullus est canon, qui id statuat: oẽs enim ita loquuntur, vt videantur supponere tale votum per se irritum esse; vt patet d.cap. Perlatum. 1. de his quæ vi, & alijs iuribus. Secundò, quia Deus promissionem per iniuriam extortam non acceptat, ne socius iniquorum & approbator iniuriæ esse videatur. Cõfir. quia nemo probus promissionem tali modo sibi factã acceptaret, aut aliquid ex ea iuris præsideret. Tertiò, quia talis promissio homini facta est irrita, vel saltem pro arbitrio promittentis reuocari potest; vt ostensũ est c.17.dub.6. quia non refert à quo metus illatus sit, quando constat metu factum: ergo etiã promissio Deo facta reuocari potest ob iniuriam quæ intercessit.

Probabile est irritare iure naturæ.

Hæc sententia est satis probabilis; eaq; posita sequitur non solum metum grauem, sed etiam leuem, irritũ reddere votum in foro cõscientiæ, si per iniuriam incussus sit. Ratio est, quia iuxta naturæ non est distinctio metus grauis & leuis, si eodem modo est causa cõsensus; sed hoc discrimen pertinet ad forum externum; vbi cum metus est leuis, non præsumitur fuisse causa consensus, sed libertas animi; vnde non iudicatur actus inualidus. Confir. quia metus grauis non reddit votum irritum quia grauis, (potest enim esse grauissimus, & non irritare; vt patet cũ quis metu mortis in naufragio vouet; c. Sicut nobis. 17. de Reg.) sed quia per iniuriam incussus, ad extorquendum consensum: ergo si metus leuis eodẽ modo sit incussus, & eodem modo impellat ad consensum, cur non similiter inualidũ reddat? Hãc sententiã de leui metu expressè tenet Nauarrus, non solum de voto per talẽ metum extorto, sed etiam de matrimonio, in Enchir. c.22. n.5.1.§.Septimũ, & lib.1.consil.tit.39.consil.1.n.7. Vbi pro hac sententia citat Hostiẽsem, Ioannem Andream, Adrianũ, & Sotũ. Eandem in casu matrimonij tenet Decius in c.vlt. de appellationib. n.3. & seq. & alios recentiores, quos refert Sanchez lib.4 de matrimonio disp.17. eorumque sententiam satis probabilem iudicat. Si in matrimonio est probabilis, multò magis in voto & professione; quia plurimi Doctores tenẽt professionem irritam reddi metu reuerentiali, non tamẽ matrimonium: quos citat Couar. in 4.decret.§.3.c.6.n.7. vbi dicit hanc sententiam esse communẽ. Itaq; metus, qui matrimonium reddit inualidum, etiam votum reddet.

Metus leuis.

Ex qua sequitur, votum & professionem, solo metu reuerentiali, quo quis per pudorẽ & reuerentiam non audet contradicere parenti vel Superiori, etiamsi aliud malũ non timeat, esse inualida. Idem cẽsendum eũ, qui tali metu ordinatus fuit, non teneri voto castitatis, aut ad lectionem precum canonicarum, aut ad ritum ecclesiasticum.

18 *Verius irritare iure positiuo.*

Contrarium tamen puto veriorem; nimirum metũ solo iure positiuo irritum reddere votũ. Sylvest. v. Metus q.8. Arragon. q.88. art.3. Huntiq. lib.1. de matrimonio c.9.n.1. & 3. & ferè quotquot sentiunt matrimoniũ metu contractu, solo iure positiuo irritum esse.

Probatur Primò, quia metus iure naturæ nõ reddit irritos alios contractus, ut promissiones, sed solum dat potestatem irritandi propter iniuriam, quando cõtractus natura sua est solubilis, vt ostensum est c.17.dub.6. ergo neq; votum iure naturę inualidum reddet. Neq; dici potest, ei, qui sic vouit, dari potestatem irritandi, sicut in alijs cõtractibus; quia votũ est natura sua insolubile; sicut matrimonium. quare sicut matrimonium semel valide initum non potest solui arbitrio contrahentis, etiamsi dolo vel alia iniuria extortum sit, eò quod natura sua sit insolubile; ita nec votum arbitrio vouẽtis. Confir. quia per tale votum Deo ius absolutum & ab alio independens acquiritur: hoc autem ius tolli non potest; nisi per ipsius condonationem.

Cuilie sententię non impedit.

Secundò. Deus nullam iniuriam intulit: ergo ratione iniuriæ rescindi nequit. Nec obstat quod iniuria illata sit à tertio, & alij contractus, si metus incussus sit à tertio, reuocari possint: id enim prouenit vel quia illi sunt solubiles; votum verò natura sua insolubile; vel quia homines non habent ius cogendi, Deus aũt per se cogere poterat: vnde mirum non est, si ipsi ius irreuocabile acquiratur per coactionem iniustam alterius. vel denique quia hæc reuerentia debetur diuinæ maiestati, vt quidquid illi, quouis modo pleno iudicio promissum est; insolubiliter, nisi ipse condonauerit, seruandum sit id. n. ad honorem diuinũ pertinet.

Tertiò, Matrimonium metu graui extortum; solo iure naturæ spectato, est validum, secundum veriorem sententiam; nec propria auctoritate solui potest; similiter & iura mentium: ergo etiam votum simili metu expressum, eodẽ iure validum erit.

Solus grauis irritat votũ.

Hinc sequitur, cùm Ecclesia id solum statuerit de metu graui, metum leuem non irritare; nec tribuere potestatem irritandi: quamuis in alijs cõtractibus sufficiẽs sit, vt metũ passus, in foro conscientiæ non obligetur, & metum inferens ad restitutionem teneatur; vt dictum est c.17.dub.6.

Quòd solus metus grauis hoc faciat, colligitur ex c.1. de his quæ vi. vbi requiritur *metus mortis*, vt professio censeatur irrita. *Sub metu mortis*, intellige quemuis alium grauẽ: fit enim ibi solum mentio metus mortis, quia species facti aliud non postulabat. Et c. Cum dilectus 6. eodẽ, requiritur *metus cadens in constantem virum*. c. final. Qui clerici vel vouentes, &c. insinuatur *imperium parentum* non sufficere vt votum fiat irritum. Idẽ dicit Glossa ibidem de *imperio regio*. quia etsi hæc metum aliquem causent, non tamẽ grauem. Hoc intelligendum de simplici imperio, cũ nihil aliud mali timetur, quàm breuis aliqua offensio, vt colligitur ex eodem c. Locum si timeatur perpetua offensio, vel mala tractatio, uel simul adsint preces importunæ,

sufficiet tale imperium ad votum irritandum: quia gignet metum grauem. Sic intellige cap.8 Puellæ.20.quæst.1. *Puellæ, quæ non tacita parentum imperio suorum susceperunt, si postea nuptias elegerint, præuaricantur.* vbi a contrario sensu insinuatur non præuaricari, si *tacita parentum imperio* fecerint.

19 *Ad rationes.* Ad primam rationem pro diuersa sententia: nullus canon id expressè statuit; quia forte intercidit, vel numquam scripto editus est, sed sola consuetudine seruatus. sicut etiam nullus canon extat, qui matrimonium metu contractum statuat esse irritum; cùm tamen probabilius sit hoc esse ex decreto Ecclesiæ: Idem dicendum de matrimonio fidelis cum infideli: de quo etiam non est dubitandum quin Ecclesia statuerit vt sit irritum; quamuis Canon non reperiatur.

Ad Secundam: Non ideò Deus censetur approbare iniuriam, quia acceptat tale votum; sicut nec approbat, dum acceptat iuramentum sic extortum.

Ad Tertiam: patet ex dictis.

Aduerte tamen, æquitatem naturalem postulare vt huiusmodi vota facile per Prælatos Ecclesiæ, nomine Dei, relaxentur. quamuis obreuerentiam diuinæ Maiestatis, seposito ecclesiæ decreto, soluti non possint propria auctoritate. posito tamen ecclesiæ statuto, quo talia vota reddit irrita, Deus illa non acceptat; & sic nullam obligationem inducunt.

DVBITATIO IV.

Vtrùm propositum aliquando habeat vim voti.

20 *Propositum perseuerandi.* PALVD. in 4.d.38.qu.1.concl.3. dicit *propositum* equipollere voto simplici in vno casu, nempe quando quis intrat Religionem cum proposito perseuerandi, & Deo perpetuo famulandi. Idem tenet D. Antonin. 2.p.tit.11.c.2.in princ. In eadem sententia sunt fere omnes Canonistæ: ex quibus plerique putant tale propositum cum susceptione habitus habere vim voti solemnis, vt refert Syl. v. Religio 1.q.8.& D. Anton. sup.

Probatur Primò, Ex c. Statuimus.23. de Regularib. vbi Gregorius IX. ait, *Nouitius posse liberè ad priorem statum intra annum redire, nisi euidenter appareat, quòd tales absolutè voluerint votum mutare, & in Religione perpetuo Domino seruire*, & capitul. consulti. 20. eod. titul. Innocen. III. consultus sic respondet, *Licet super hoc senserint diuersi diuersa; nos tamen credimus distinguendum, Vtrum is, qui conuertitur, professus fuerit absolutè vitam mutare, vt sic in habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famulatur: An conditionaliter experiri obseruantiam regularem, vt ita demum si intra annum ei placuerit, professionis ordinis disciplinam, aut forte si non placuerit, meritis emendatis ad statum reuertatur pristinum. In primo casu debet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem regulam pertransire.*

Secundò, Qui contra propositum tale facit, inconstans est in re magni momenti. ergo peccat, ac proinde tenebatur in proposito perseuerare.

Tertiò, Quòd habeat vim voti solemnis, probari videtur ex c. Beneficium, de Reg in 6. vbi dicitur, Beneficium eius, qui ingressus est annũ probationis, posse alteri dari, *si constet absolutè voluisse vitam mutare:* at non daretur alteri, nisi ipse putaretur professus.

21 *Præter propositum requiri promissionem* Verum contraria sententia, scilicet non sufficere propositum, sed requiri vlterius promissionem, est fere communis Theologorum, eamque tenet D. Thom. hoc loco art. 1. Bonauen. in 4.d.38.2.1.q.1. Richar. eadem distin.q.3. circa tertium prin. Abbas in c. Litteraturam, de voto & voti redemp. Angelus. Votum 1.quæst.7. Syluest. Votum 1.quæst.2.& Religio 5.quæstio.3. Nauar. cap.12.num.26.& passim recentiores.

Probatur Primò, Ex Scripturis, quæ apertè indicant obligationem votorum nasci ex promissione, Deuteron.23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. si volueris pollicere, absque peccato eris*, Et infrà: *facies sicut promisisti.* Eccl. 5. *Si quid vouisti Deo ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio*, nusquam dicit *propositum* obligare sed promissionem,

Secundò, Probatur inf. à d cetur c.41.dub 8. Denique *qui vitra propositum nunquam tenetur.* etiamsi perpetuum sit;

Tertiò, Votum importat quamdam approbatæ erga alterum: atqui homo non solet de alterum. *Expressum* 22
propositum, sed promissione; nisi enim ad propo quod con- *4. In expres-*
ferit promissio, non putat se alteri obstrictum. Confirmatũ *sum & tacit.*
quia sicut imperando obligat quis alterum tibi, & ordinat quid ab ipso erga te fieri velit; ita promittendo obligat se erga alterum & indicat quid à se alteri fieri velit.

Quartò, Nemo seipsum obligat nisi intendat seipsum obligare: quamuis nec intentio sufficiat: atqui solo proposito faciendi aliquid non me tuendo obligare: ergo non habet vim voti.

Quintò, Quia Concilium Trid. sess.25.c.15.& 16. concedit nouitijs animum probationis, & toto illo tempore vult illos manere liberos, vt si putent disciplinam sibi non conuenire, libere possint egredi: ergo solo proposito non censet hominem abstringi.

Ad primum Respondeo, Illos Canones intelligendos de proposito, quod fit animo vouendi, & se obligandi; 22
etiamsi externus verbis vel nutibus, vel nullam voti speciem *Ad argumenta.*
præ se ferentibus fuerit expressum: vt cum quis dicit, Domine, Ego hic perpetuò volo tibi seruire, intendens Deo se obligare. Colligi id potest ex illa distinctione, quæ habetur dicto cap. Consulti: nisi enim quis hoc modo proposuerit vt simul tacitè vouerit, non videtur omnino absolutè proposuisse, quia alias semper est aliqua saltem tacita conditio, nempe nisi animum mutet. Aliter respondent (& eodem recidit) agi de proposito, quod promissione, seu voto firmatum est. *Intellectus Canonum. Propositũ intentio e voti expressa.*

Dici etiam potest, Olim ex vsu Ecclesiæ susceptionem habitus cum absoluto proposito mutandæ vitæ factam, habuisse vim voti supplicis. Dupliciter enim habitus suscipiebatur. Primò, Animo experiũdi; & tunc liberè poterat resilire. Secundò, Non animo experiundi, sed perpetuo manendi; & tunc censebatur se tacitè obstringere saltem voto simplici. tale enim votum illi susceptioni habitus erat annexum: vnde non poterat redire ad sæculum, sed tenebatur regulariter viuere, ita tamen vt posset transire ad regulam laxiorem, vt colligitur ex c. Consulti. Postea tamen ille mos est abolitus, & Canones vtrisque vsque ad professionem liberum esse voluerunt, nisi votum expressum interuenisset; vt patet c. Litteraturam. 3. de Voto, & c. Qui post votum. 5. eod. in 6. habuisse id vim voti simplicis tantùm, non autem professionis, vt plurimi DD Canonum tenuere, docet egregie Panorm. in d.c. Consulti. 12. de Regul. nu. 3. citans pro eadem sententia Card. Zabar. *Aptior resipiscentia.*

Ad secundum Respondeo, Esse aliquam inconstantiam, *Inconstantia*
si absque vlla causa, sola animi leuitate propositum mutes: sed hæc inconstantia non est nisi venialis. Si autem aliqua ratione nitaris, vt quia sentis incommoda, &c. non est proprie inconstantia, nec vllum peccatum: nemo enim tenetur perstitere in bono, quantumuis illud magnum sit, ex solo proposito; sed vt teneatur, debet aliunde ad illud esse astrictus; v.g. præcepto, promissione, contractu. vide infrà lib.3. c.6.dub.6.

Ad Tertium, Ex eodem illo c. colligi potest, illud propo- 23
situm in Nouitio non habere vim professionis; quia distinguitur à professione tacita, & expressa, sic enim ait Pontifex, *Beneficium Nouitij intra annum probationis non, sic alteri conferendum nisi ipsius accedat assensus, aut constet quòd votum voluerit absolutè mutare, vel professionem expressam fecerit, vel scienter habitum receperit professionis.* Vnde dico cum Panormitan. in capit. Litteraturam, ibi agi de proposito, quod voto simplici firmatum est, vel cum susceptione habitus habet vim voti simplicis, vt dictum est. qui enim cum tali proposito habitum suscipit, cùm tacito voto se obstringat, videtur beneficio renunciare: & ita permittit Pontifex vt alteri conferatur.

Obijci etiam potest cap.4. Qui bona.17. quæstio.1. vbi 24
dicitur, *Qui bona aguntsi melioraagere deliberauerint, & post de- Mutatio be-*
liberata non faciunt; licet in bonis perseuerant, in eorum tamen *ni propositi.*
fletu Dei ceciderunt ex deliberatione. Respondeo, Inde non sequi propositum melioris boni habere vim voti, sed vt summum inducere aliquam obligationem, etsi non grauem: non enim qui tale propositum deserit, idcircò dicitur cadere coram oculis Dei, quod pec-

quod manet deductis expensis, quæ factæ sunt in re facienda vel comparanda, conseruanda, reparanda, transferenda.

Tertiò, Quo loco, vel tempore soluendæ sint, & vtrum sponte, an cum exactæ fuerint: & vtrum ad certum locum deferendæ, seruanda est consuetudo, quæ in hac vel illa specie pro loco & tempore recepta fuerit. Regulariter tamen prædiales dantur statim perceptis fructibus; idque in loco vbi natæ: personales in fine anni; mixtæ sequuntur naturam prædialium, excepto fœtu, qui fouendus vsque ad statum vtilem.

DVBITATIO IV.

Quibus sint decimæ soluendæ.

D. THOM. ART. 3.

17 RESPONDEO, Decimas ex prima Ecclesiæ ordinatione deberi cœtui Clericorum in genere, qui populo spiritalia administrant, vel aliquo modo in hac administratione iuuant, vel pro illo orant, sic tamen vt distributio pertineret ad Prælatum, cuius auctoritate singulis quantum opus erat, tum ex decimis, tum ex alijs fidelium oblationibus daretur; vt ex more antiquo Ecclesia patet, de quo plura capit. 4. dubitatione 6. Postquam autem Ecclesia diuisionem fecit, erectis beneficiorum titulis, singulis ea portio debetur, quæ cuiusque titulo attributa & annexa est.

Dices, D. Th. art 3. insinuat solis illis deberi decimas, qui habent curam animarum: quia ius accipiendi decimas consequitur illud debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia. Idem expressè docet Caiet.

Quomodo Parochis debeantur, & alijs Clericis.

Respò. solis ijs, qui habent curam animarum deberi ex iustitia decimas, quoad sustentationem, idque sepositio omni Ecclesiæ præcepto & taxatione; non enim populus ex iustitia alios præter hos & horum necessarios adiutores alere tenetur, sepositio Ecclesiæ præcepto: quamuis lege Religionis & charitatis etiam ad aliorum Ecclesiæ ministrorum sustentationem contribuere teneatur. Posita autè Ecclesiæ taxatione & præcepto de decimis soluendis; decimæ secundum quotam debeantur non solum habentibus curam animarum, sed cœtui Ecclesiasticorum in genere, vt dictum est: quia Ecclesia hos omnes initio ex decimis ali voluit; & omnium intuitu eas imperauit, eo quòd ab his omnibus multa in populum spiritualia bona proueniant. quia tamè multo strictiore iure alimenta debentur ijs, qui curam animarum habent, ideò his ante omnes, vel ex decimis, vel ex oblationibus, vel ex fidelium contributionibus, vel ex alijs bonis ecclesiasticis est prouidendum. Quòd si illis sufficienter prouisum non sit, & decimæ alioquin abundè sufficiant, sed alijs vsibus sunt applicatæ, v. g. alicui pio loco, vel canonicatui, non tenetur populus contribuere: quia quotannis quod abunde sufficiat ad eorum sustentationem per decimas soluunt. Nec refert quòd hoc ad ministros ipsorum nõ perueniat, quia id non accidit eorum culpa, sed superiorum, qui ex officio tenebantur illas rectè dispensare, & in primis ipsorum parochis & ministris prouidere. hinc sequitur Canonicos, quorum præbendis annexi sunt pastoratus, quos ipsi per Vicarios vel mercenarios (vt nũc loquuntur) administrant, ex iustitia teneri ad cõgruam sustentationẽ illis præbendam: alioquin iniuriam faciunt tũ suis Vicarijs, qui totum laborem subeunt, tum populo, qui hac ratione cogitur ad illis subueniendum. Sed iniuria in populum maximè in eo sita est, quòd cum largas det decimas, quibus aptissimum ministrum habere posset, parum admodum Vicario assignetur. Quo fit, vt cum viri idonei nolint tam tenui stipendio onus subire, sæpè indocti & improbi, quia alia ratione viuere nequeunt, præficiantur. Nõ enim quæruntur qui maximè populo videantur profuturi, & munus optimè administratum, sed qui minimo stipendio velint seruire. Hinc, proh dolor! multis locis tanta animarum clades.

18 *Ius decimarum est spirituale.*

Hinc patet Primò, Ius decimarum esse spirituale; nascitur enim ex illo debito, quo omnibus ministris rerum spiritualium a populo vicissim debetur sustentatio, præsertim accedente Ecclesiæ præcepto, & populi Christiani acceptatione. quod addo, quia absq; præcepto & acceptatione nõ est debitum iustitiæ, nisi ad alendos ministros verbi & Sacramentorum necessarios: licet possit esse debitum religionis & misericordiæ respectu aliorum, vt dictum est.

Secundò, Causam decimarum ad Iudicem ecclesiasticũ pertinere, sicut causæ beneficiariæ, & aliæ spirituales. Idem dicendum quando de aliquo iure, ex iure decimarum orto, controuersia est: nam fundamentum causæ est spirituale; & accessorium sequitur suum principale.

19 *An possit Laicis competere.*

Petes, Vtrùm ius decimarum possit laicis competere? Resp. Primarium ius decimarum laicis competere non potest: quia est spirituale, fundatum in titulo spirituali, nempe in ministerio ecclesiastico, vt rectè D. Tho. & alij DD. De hoc intellige Canones: dum dicunt decimas nec detineri à laicis, nec vlla vsucapione vel præscriptione ab illis possideri posse; vt c. Cautam. 7. de præscr. & c. Ad hæc. 15. de decimis, & similia. Potest tamen illis conuenire ius quoddam secundarium decimarum, ortum ab illo primario qui enim habet proprium ius decimarum, etsi hoc ipsum non possit in laicum conferre: tamen ex eo potest illi aliud ius ad fructus tribuere, v. g. donatione fructuum, elocatione, venditione: quod ius dum inchoatum est a primario illo & fundamentali, quod remaneat penes Clericum vel Ecclesiam: oritur enim ex cõtractu humano; vnde nec est spirituale. tale est ius feudale in decimis. hoc modo ius decimarum à laico præscribi potest, cum titulo quidem spatio 40. annorum: sine titulo, tempore, quod memoriam hominum superet, vt patet ex dictis c. 6. dub. 10. Sic Pontifices interdum solent decimas dare Principibus viris in feudum etiã perpetuum; ob merita illorum in Ecclesiam, & vt in posterum Ecclesiam defendant. Poterant id facere ante Concil. Lateran. sub Alexan. III. celebratum, etiam Episcopi, vt DD. testantur. Verum hæc potestas illis per Concilium est sublata, vt colligitur ex c. Quamuis. 17. de decimis, vbi iubetur succidi, id est, suspendi, qui id fecerit.

Primarium non potest. secundariũ potest.

Præscriptio decimarũ ex pendarum. An in feudũ concedi.

Possunt tamen laici eas decimas retinere, quæ ipsis vel ante Concilium in feudum perpetuum, ab Episcopis fuere concessæ; vel post Concilium à Summo Pontifice. Possunt etiam eisdem alicui Monasterio vel pio loco donare, accedente duntaxat Episcopi, ad cuius Ecclesiam pertinebant, consensu; qui consensus etsi ad hoc necessarius sit, eo quòd Ecclesia illa amittat spem recuperandi; non tamen est necessarius cõsensus Capituli, aut tractatus, vt expressè habetur c. Cũ Apostolica, de ijs, quæ fiunt a Prælato. Ratio est, quia non censetur fieri alienatio, sed reuocatio rei à laico detentæ, ad vsum ecclesiasticum, vt ibidem dicitur.

Laici possunt eas in pium locum transferre cũ consensu solus Episcopi.

20 Vtrùm autem posset eas in alium laicum transferre cũ Episcopi consensu dubium est. Gloss. in c. Prohibemus. 19. ver. Laicos, de decimis, sentit posse; Idem tenet Syl. v. Decima. q. 10. Ratio est, quia tunc non dicitur Episcopus illas dare in feudum; sed laicus, qui dat sicut eas habet. Nec obstat capit. Prohibemus; quia solum ibi prohibetur *ne laici decimas cum parœcia animarum fruendas possidentes, in alios laicos transferant*. vnde non prohibentur qui legitimè eas possident.

21 *Non in laicum.*

Contraria sententia videtur verior, quam tenet Panor. in d. c. Prohibemus, & alij DD. ibid. vt ipse testatur. Ratio est Primò, Quia id posset in maximum damnum Ecclesiæ cedere; vt si is, qui eas transfert, careat liberis: tunc enim necessariò deberent ad Ecclesiam redire. Secundò. Quia eo casu reuerà Episcopus censetur eas dare in feudum, tantidem enim facit ac si daret in feudum; cum eius consensu fiat, sine quo nihil agi potest; & secundus in quem transferuntur, iure feudi eas accipiat; efficitur enim feudatarius seu beneficiarius Ecclesiæ, non illius prioris laici: at prohibitum est Episcopis in Concilio ne bona Ecclesiæ laicis feudi iure concedant. Tertiò, Quia c. Prohibemus, id absolutè videtur prohiberi: nam ordinariè laici, qui decimas detinent, etiamsi eas ex aliquo consensu Ecclesiæ habuerint, præsumuntur illas cum periculo animarum suarum detinere; vt colligitur ex c. Cum Apostolica, de ijs, quæ fiunt a Prælato. Ratio est, vel quia non prudenter nec in commodum Ecclesiæ sunt concessæ, aut quia in illis concedendis interuenit aliqua coactio; vel quia laici postea non ea præstant Ecclesiæ obsequia, quæ deberent.

DVBI-

DVBITATIO V.

Qui teneantur decimas soluere.

D. THOM. ART. 4.

22 DICO Primò, Quod ad decimas prædiales attinet, omnes, qui titulo non spiritali habent prædia alicui Ecclesiæ subiecta, tenentur has decimas soluere; idque illi Ecclesiæ, cui prædia illa subiacent; nisi consuetudo habeat vt alteri Ecclesiæ soluantur: in hac enim re maximè consuetudo spectanda est; vt habet c. Ad Apostolicæ. 20. de decimis. Vnde Primò, Tenentur has decimas soluere omnes laici, etiã Iudæi & Pagani; quia est onus annexum rei, quã possident. Secundò, Etiam, Clerici, si illa prædia titulo patrimonij vel alio modo, non spiritali, possideant; Ita D. Th. ad 1. Ratio est, quia illa prædia per se illi oneri subiecta sunt: res autem cum suo onere transit; præsertim cum per accidens sit, quòd nunc à Clerico possideantur.

Omnes laici soluunt prædiales.

Etiam Clerici.

23 Dices, Cap. Nouum genus. 2. de decimis, dicitur nouũ *genus exactionis est, vt Clerici à Clericis decimas exigant*: ergo Clericus non tenetur.

Obiectio.

Respondeo.

Respondeo, Ob hoc argumentum quidam sentiunt illum non teneri. & Syluester v. Decima, qu. 7. putat non teneri illi Ecclesiæ, cui inseruit. Tamen sententia Diui Thomæ est verior; quam etiam tenet Glossa in illud c. & probat ex c. 44. Si quis laicus. 16. qu. 1. vbi sanè id apertè supponitur. Idem confirmatur capit. Quicumque, ibidem. Ad illud, quod obijcitur, respondet Glossa, hoc intelligendum esse de dote Ecclesiæ, id est, de prædijs ecclesiasticis: de his enim Clericos non debere decimas. Idem sentit D. Thomas suprà. Sed hoc non videtur vniuersè verum: si enim laicus agrum suum, qui pendebat decimas Ecclesiæ S. Petri, det Ecclesiæ S. Michaelis; cur ob hãc donationem Ecclesia S. Petri amittat suas decimas, cum nullus Canon id statuat?

Verius igitur est prædium huius Ecclesiæ debere decimas alteri Ecclesiæ, si antequàm esset huius Ecclesiæ, eas alteri debebat. secus si non debebat alteri ecclesiæ, sed illi, cui posteà donatum est; tunc enim decimæ extinguuntur. Ita Panormitanus in c. Nouum genus, vbi in eamdem sententiam citat Innocentium. Vnde illud cap. intelligendum videtur de Clericis eiusdem Ecclesiæ, & prædijs ad eamdem Ecclesiam pertinentibus. Nec obstat quòd in fine illius capit. dicitur, *Clericos illos, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debere*; quia hoc intelligendum vel de decimis personalibus, vel bonorum patrimonialium, vel certè de Clericis coniugatis. Ita Glossa.

Monasteria.

Tertiò, Tenentur ad has decimas etiam Monasteria & pia loca, nisi aliquo priuilegio vel præscriptione, vel compositione, vel transactione sint exempta. patet ex c. Nuper. 34. de decimis; vbi decernitur, vt Cistercienses de terris, post Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum, acquirendis, soluant decimas Ecclesijs, quibus anteà soluebantur; etsi eas proprijs manibus colant; nisi aliter cum Ecclesijs componant. 24 Priuilegio tamen eximi posse colligitur ex eodem ca. & ex multis alijs eodem titulo, vt c. Suggestum 9. & c. Ex par. 20. vbi dicit *Romanos Pontifices ante Innocentium III. ferè omnibus Religiosis decimas laborum suorum concessisse*, id est, vt non soluerent decimas de prædijs, quæ ipsi colerent. Idem conceditur ibidem Cisterciensibus, Templarijs, & Hospitalarijs. Idem patet ex cap. Licet, cap. Ad audientiam, eodem. Denique posteà quibusdam Ordinibus concessum est vt de nullis prædijs, aut alijs bonis ab ipsis possessis teneantur vllam decimam, etiã Papalem soluere.

Priuilegio possunt eximi.

Nec obstat quòd hoc videatur cedere in damnũ Ecclesiarum, quæ anteà ex illis agris decimas percipiebant: quia 25 sicut auctoritate sedis Apostolicæ factum est vt tale prædium teneretur ad solutionem decimæ; ita eadem auctoritate ob iustam causam potest liberari, vel illa decima alteri attribui. ita enim hoc onus est impositum, vt assiduè ab illa auctoritate dependeat: & sic non fit iniuria illi Ecclesiæ. non enim intendit hoc onus ita imponere in commodum huius vel illius Ecclesiæ, vt sibi adimeret potestatem illius remittendi vel laxandi. Hinc fit vt Pontifex populum à soluendis decimis eximere possit, si ex alijs bonis ecclesiasticis, vel collationibus, quibus decimæ compensentur, clero sit satis prouisum: vt docet Couar. lib. 1. variar. cap. 17. num. 9. Præscriptione quoque & consuetudine tum Religiosi, tum laici à decimis eximi possunt: quia hæc quota non iure diuino vel naturali; sed humano dumtaxat debita est; quare (sicut alia, quæ lege humana constant) mutari & tolli contraria consuetudine potest. Imò si aliunde clero sit prospectum, fieri potest vt nulla pars fructuum ei debeatur: quia iure naturali solum debetur sustentatio. Numquam tamen populus ita liberari à decimis potest, quin Summus Pontifex quando opus fuerit, possit eas rursus imponere; quia hæc potestas ei conuenit quatenus est vniuersalis Pastor Ecclesiæ; quod ei iure diuino cõpetit; contra quod Ius nulla præscriptio, aut lex humana valere potest.

Non fieri iniuriam.

Pontifex potest eximere à decimis.

Porrò ad præscribendam decimarum immunitatem requiritur sine titulo quidem tempus memoriam hominum excedens, quia Iuris præsumptio est in contrarium. c. 1. de præscript. in 6. cum titulo verò, tẽpus, 40. annorum. vt ibidem insinuatur. vt autem per consuetudinem, non soluẽdi immunis fias, sufficit consuetudo 40. annorum: quia vt ipsa consuetudo sit legitimè præscripta, sufficit tempus 40. annorum. c. fin. de consuetudine. nec ad eam requiritur titulus, etiamsi Iuris præsumptio ei aduersetur, imò nec bona fides ad eam inducendam requiritur. secus si agatur de Iure præscriptionis ipsius rei, seu Iuris non soluendi. vt docet Couar. l. 1. var. c. 17. num. 8. §. Decimo his. & num. 10. 26

Præscriptio immunitatis decimarum.

Aduerte tamen, vt vi consuetudinis libereris, non sufficere vt tu particularis non consueueris soluere per annos 40. quia sicuti consuetudo particularis non potest legẽ introducere, ita neque potest legem abrogare. Lex enim respicit communitatem. Vnde requiritur vt cõmunitas per tantum tempus consueuerit non soluere. Neque requiritur titulus, aut bona fides, vt dictum est; sed sufficit ipsa cõmunitatis consuetudo: quæ sicut potest legem inducere, ita etiam potest legem abrogare. Vnde censetur lex decimarum abrogata per talem cõsuetudinem, in illo populo. Vtrùm autem requiratur tempus 40. annorum ad præscriptionem talis consuetudinis, dubium est: de quo vide sup. c. 6. dub. 14. Vt autẽ vi præscriptionis eximaris, non requiritur consuetudo cõmunis; quia exemptio præscriptionis non fit abrogatione legis, sicut exemptio cõsuetudinis; sed sine titulo quidem sufficit vt tu à tempore immemorabili non consueueris soluere, modo non constet id mala fide factum. Nam ex tanti temporis vsu præsumitur bona fides & iustus titulus. v. g. quòd maiores tui ob iustam aliquam causam fuerint consecuti hoc priuilegium, vel pacto aliquo illud onus redemerint, &c. Quòd si titulum aliquem habeas, ob quem non solueris, (v. g. priuilegium, etsi inualidum ob excommunicationẽ, vel similem causam) sufficiũt anni 40. cum bona fide; vt patet ex ijs quæ dicta sunt supra c. 6. dubit. 22.

Qualis debeat esse consuetudo.

Dico Secundò, Personales decimæ soluendæ ab ijs solis, qui Sacramenta percipiunt, & illi Ecclesiæ à qua recipiunt; idque iuxta consuetudinem receptam. colligitur ex cap. Ad Apostolicæ, de decimis. Sed aduerte, multis locis personales decimas esse sublatas: quibusdam eas solui solum in fine vitæ, vt Venetijs; alibi in fine anni. Simili modo multæ prædiales & mixtæ varijs locis abolitæ sunt. factum id videtur plerumque permissu Ecclesiæ, cum videret homines ægrè soluere, nec iudicaret compellendos, ad vitandum scandalum: vel quia tam multa fuerunt sensim Ecclesiæ à viris potentibus alijsque fidelibus relicta, vt putarentur vel sola, vel cum certo decimarum genere sufficere posse. 27

Personales à quibus soluenda.

Dico Tertiò, Clerici omnes, etiam Episcopi tenentur soluere decimas de omnibus bonis ecclesiasticis Romano Pontifici, si eas exigat. Ita D. Thomas art. 4. qui id probat exemplo veteris testamenti: nam Num. 18. Leuitis præcipitur vt summo sacerdoti decimam decimæ pendant. Ratio est Primò, Quia ipse est Pastor vniuersalis omnium, etiam Episcoporum: huic enim in Petro dictum *pasce oues meas*. quicũque ergo est ouis Christi, huic subest Pastori, ab eoque verbo & Sacramentis mediatè vel immediatè pascitur. Secundò, Quia est supremus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum: ergo quando bonum Ecclesiæ postu- 28

Episcopi & cæteri ecclesiastici, Põtifici.

Triplici nomine potest Pontifex decimas exigere.

postulat, potest ex omnibus hisce bonis partem aliquam prout iudicabitur conuenientis, ad hunc finē applicare: neq. restringitur ad vnam decimam, sed potest plures exigere pro rei grauitate. Tertiò, Quia est supremus Princeps in spiritalibus: ergo non solum ab ecclesiasticis, sed etiam ab omnibus Christianis potest exigere eam contributionem, quæ necessaria sit ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendū; sicut supremus Princeps in temporalibus potest imponere tributa ad pacem publicam tuendam necessaria: non enim minus potestatis habet Pontifex in omnes Christianos ad tuendum bonum spirituale Ecclesiæ, quam Princeps secularis ad tuendum bonum temporale sui regni.

29 Non solet tamen hanc decimam ab Ecclesiasticis exigere, nisi necessitas Ecclesiæ id postulet: sed loco decimæ quotanis pendendæ, in beneficijs maioribus solet exigere fructus vnius anni pro toto tempore vitæ; quos annatas vocant, quarum vsum esse valde antiquum affirmat Panormitanus & Ioannes Andreas, in c. Inter cetera, 15. de officio Iudicis ordinarij.

DVBITATIO VI.

De primitijs & oblationibus.

Primitiæ. 30 PRimitiæ (quas Græci ἀπαρχὰς vocant) dicuntur primi fructus agrorum & arborum, vt patet Deut. 26. vbi iubentur dare primitias; *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias & pones in cartallo*. In pecoribus primitiua vocantur primogenita, vt constat Exod. 13. vbi *omnia primogenita masculini sexus consecrantur Domino.*

Hinc patet primitias distingui à decimis: *primitiæ* enim sunt primi fructus; decimæ sunt decima pars fructuum illis immediatè offerunturi Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ; deinde cedunt in vsum ministrorum. Hæ proximè sacerdotibus dantur in stipendium sustentationis ob ministerium spirituale.

An iure naturæ debeantur. 31 Petes, Vtrùm aliquo iure teneātur fideles ad primitias? Respondeo. Iure naturali non teneri, sicut nec ad quotā in decimis, sed solū quatenus id necessariū est ad sustentationem ministrorum. Iure Canonico scripto videntur quidem teneri; vt colligi potest c. Decimam. 1. de decimis, & c. 67. Reuertimini. 16. q. 1. ex Hieronymo; quibus locis vide da Glossa. sed consuetudine passim hoc ius est abolitum.

Quantitas primitiarum. 32 De quantitate nihil videtur vnquam fuisse constitutū, sed ea relicta fuit libera. quamuis in veteri testamento ex consuetudine vel maiorum decreto soliti fuerint dare inter quadragesimam & sexagesimam partem; ita vt maximæ primitiæ essent pars quadragesima fructuum; minimæ pars sexagesima, vt colligitur c. Decimam. supra.

Aduerte tamen relationem primitiarum iuri & rationi naturali esse valdè conuenientem. ratio enim naturalis dictat decens esse vt Deo prima quæque offeramus. hinc etiam apud veteres Romanos non gustabant nouas fruges aut vuas, antequā sacerdotes, primitias libassent, vt ait Plinius lib. 18. c. 2. 33

Oblatio. 34 Differunt primitiæ & oblationes, quòd nomine *oblationis* significentur omnia, quæ Deo & Ecclesiæ offeruntur, vt sunt agri, oppida, domus, fructus, pecuniæ, monilia, ornamenta, instrumentum sacrum, & similia; *primitiæ* dicantur soli primi fructus Deo oblati.

Quando populus obligetur ad oblationes. Nemo tenetur suppositio pacto aut voto ad oblationes, nisi quibusdam casibus. Primo, si sint necessariæ ad sustentationem ministrorum, vt si decimæ non sufficiant. Quia iure naturæ Populus tenetur alere eos, qui ipsis diuina administrāt, siue id fiat per oblationes in Ecclesia factas, siue per aliquam collectam, siue alio modo. Modus enim iure naturæ est indeterminatus, sed determinatur pacto vel consuetudine, vel præscripto Superioris. Vnde si determinatum fuerit, vt sustentatio sit tota, siue ex parte fiat per oblationes, populus ad eas tenebitur, & poterit ad eas cogi. Hinc fit vt multis locis teneantur aliquid offerre in benedictione nuptiarum, in funeribus, in Sacramentorum administratione. Secundò, si consuetudine sint introductæ, quamuis ad ministrorum sustentationem non sint necessariæ. Nec refert etiamsi illa consuetudo initio ex spontanea deuotione, & tamquam libere fit inchoata absque intentione se obligandi; modò successu temporis sensim fit continuata: & vsurpata tamquam ex obligatione. sic enim ac quisiuit vim legis, ab ipsis sponte receptæ: vel spōtaneæ obligationis, qua se Ecclesiæ censentur libere obstrinxisse. Si tamen illa continuatio prouenirer ex errore, quòd putarent se obligatos, uel ex iniqua coactione & extorsione, non obligarentur. Sicut enim qui ex errore, quo putat se debere, vel metu iniusto aliquid promittit, non tenetur: ita etiam qui ex simili causa in aliquam consuetudinem aliquid soluendi est inductus. Hoc tamen intelligendum, nisi accedat præscriptio, qua parochus vel ministri Ecclesiæ ius recipiendi & exigendi tales oblationes uel pensiones tempore iure definito bona fide possederint ac vsu ceperint. Possessionum bona fide continuata talis iuris parit præscriptionem. continuatur autem per talem consuetudinem. Quantum autem temporis requiratur ad eiusmodi iuris præscriptionem aduersus laicos, quæri potest. Puto sufficere decennium, sicut in præscriptione immobilium aduersus præsentes. De quo vide supra cap. 6. dubit. 8. Accedit quod consuetudo præscribatur decennio, vt ibidem cap. 14. ostensum est. *Præscriptio.*

CAPVT XL.

De Voto. *Habet Dubit.* 20.

DVBITATIO I.

Quid sit votum.

D. THOM. QVAEST. 88. ART. 1.

1 RESPONDEO, *Votum esse promissionem Deo factam; nam* enim est aliquid Deo tantè promittere; vt constat ex auctoribus Latinis; vnde votum est promissio ipsa. Aliquando *vouere* accipitur pro deliberare; & votum pro desiderio, id enim, cuius causa vouemus, valdè desideramus; sed primariò significat Deo aliquid promittere. Itaq; omne votum est promissio quædam; non tamen contra: nam promissio, quæ fit hominī, non dicitur votum; sed ea tantum quæ Deo.

Quinque requisita ad validam promissionem. Vt promissio sit valida, quinque requiruntur. Primò, Vt sit deliberata. Secundo, Vt libera. Tertiò, Vt fiat cum intentione se obligandi. Quartò, Vt sit de re grata promissatio. Quintò, Vt promissor possit se obligare.

2 1. *Deliberata* Primò, debet esse *deliberata*, non quòd opus sit longamentis agitatione, vt quidā volunt; sed quia requiritur perfecta quædam animaduersio eius, quod agis: *perfecta*, inquā quę talis sit, vt in materia praua sufficiat ad peccandū mortiferè, & in bona ad merendā salutem; vt communiter tradunt Doctores. Sylvester v. Votum, 2. num. 13. Caietanus q. 88. art. 1. Sotus lib. 7. de Iustitia q. 1. art. 2. Nau c. 12. numero 26. & alij. Ratio est, quia ea consideratio, quæ satis est ad obligandos nos diabolo, eiusque seruituti dedicandos, meritò sufficiens cēseri debet ad obligandos Deo. hęc breuissimo tempore fieri potest; &, vt quidam volunt, in momento. quod etsi locum habere possit in Angelis, credo tamen vix fieri posse in mortalibus: quia vno momento rem nō satis considerare possumus, vt eam liberè eligamus vel refutemus; vnde ordinariè aliquod tempus requiritur, etsi breuissimum. *An in momento.*

Nec refert etiamsi paulò post pœniteat; id enim non est signum defuisse sufficientem deliberationem, vt vult Angelus

gelus v. Votum 1. num 6. quia mutatis circumſtantijs facile hominem pœnitet, etiam eorum, quæ matura deliberatione fecit. quia multi contrahunt matrimonium, aut inchoat contractus; quos ſtatim pœnitet?

Ratio cur requiratur perfecta animaduerſio, eſt quia
3 promiſſio eſt lex quæda & onus, quod ſibi quis ſponte imponit: nemo autem tenetur ſibi aliquod onus velle aſſumere; niſi plenè aduertat quid agat, quale onus capeſſat, quibus vinculis ſe conſtringat. Vnde ſi quis ex ſubito animi motu vel conſuetudine, lingua mentem præcurrente, vouerit, non obligatur; ſicut qui ſimili impetu malum alicui imprecantur, non peccant mortifere. Idem dicendum ſi ſolum ſemiplene aduertat.

Vouens indeliberatè.

Dices, Cum imperfecta, ſeu ſemiplena animaduerſione
4 poteſt quis contrahere peccatum veniale: ergo etiam obligationé, quæ ſub veniali aſtringat, videtur enim par ratio.

Imperfecta attentio.

Reſpõdeo eſſe magnam hac in re diſparitatem inter peccatum, & vinculum promiſſionis: promiſſio enim non inducit vinculum; (vel ſi inducit, facile eluditur) quando vi vel fraude extorquetur; at hæc nõ excuſant peccatum. Deinde promiſſio debet eſſe directe volita & accepeata: ad peccatum ſufficit voluntarium indirectum & interpretatiuum. Denique peccatum contrahitur ſola negligentia in debito vſu potentiarum; cum re oblata non ſatis attendimus animum; immo interdum ſola omiſſione: at hæc non ſufficiunt ad vinculum promiſſionis; ſed requiritur actus poſitiuus & directus.

Simili modo, ad opus meritorium non ſufficit imperfecta attentio: nam bonum debet eſſe directè volitum, & quia tale; malum verò minimè. Deinde modus iſte operandi eſt imperfectus, & ex peccato proueniens; vnde per ſe potius vituperationem quàm laudem meretur: nã homo tenetur perfectè attendere qualis res ſit, priuſquam illam accepter, ne aliquando contingat illum decipi. Verùm plenior horum tractatio pertinet ad 1. 2.

Itaque etſi ad violandam obligationem voti ſufficiat imperfecta conſideratio, non tamen ad vinculum voti inuehendum.

Imperfecta conſideratio hoc loco cenſetur, cum ſolùm confuſè & tenuiter aduertis quid agas, alteri rei intentus; ita vt res non offerat ſe qualis eſt, nec abſolutè vt grauis. Vnde ſi antequam plenius eam introſpicias, promittas, mirum non eſt te non obligari; quia videris quaſi per ignorãtiam promiſiſſe, cum rem promiſſam formaliter nõ apprehenderis; nec aliquid occurrerit, quod te ad hoc ſatis excitauerit. vnde poſtea aduertens plenius, miraris te promiſiſſe, & ſtatim reuocas.

Secundò, Debet eſſe *ſpontanea*, id eſt, non metu vel dolo
5 iniuſtè extorta. verùm de hoc fuſius dub. 2. & 3.

2. *Spõtanea.*

Tertio, Requiritur vt fiat *cum intentione ſe obligandi*. actus enim agentium ex intentione, non operantur vltra intentionem; cum ab ea omnem ſuam vim habeant. ſicut enim lex non habet vim, niſi iuxta intentionem legislatoris; ita nec votum aliàve promiſſio (quę eſt veluti lex quędam, quam quis ſibi imponit) vim habet, niſi iuxta intentionem promittentis. & ſicut poteſtas Superioris non inducit obligationem ſubdito, niſi applicetur a voluntate, ad eam mediante præcepto cauſandam; ſic ius, quod quis in ſeipſum habet, non infert obligationem mediante promiſſione, niſi quis intẽdat eam inferre. Vnde nec amplius, nec aliter, nec diutius quàm intendit. Non tamen eſt neceſſe vt formaliter hoc intendat; ſufficit vt implicitè, vt dum ſciens & volens vouet: & in dubio ſemper præſumitur intentio, quia hæc formæ promiſſoriæ naturaliter & ex vſu omnium gentium eſt connecta.

3. *Cum intentione ſe obligandi.*

Intendens vouere, non tamen ſe obligare.

Peres Primò, Quid ſi quis intendat vouere, tamen interius nolit ſe obligare, tenebiturne voto? Sotus lib. 7. q. 1. art 2. putat teneri. Ratio eſt, quia obligatio oritur ex voto, ſicut effectus neceſſarius a ſua cauſa: ergo poſito voto, nequit impediri.

Sententia Soti.

Sed contrarium eſt longè probabilius: tenet Nauarr. c. 12. num. 27. Syluester. v. Metus qu. 8. & v. Factum, num. 4. Angelus v. Votum 1, quæſt. 7. Gloſſa in cap. Litteraturam. 3. de voto & voti redempt. Richardus in 4. d. 38. quæſt. 3. circa tertium principale. Probatur Primò, Quia quando actui apponitur aliqua conditio vel clauſula, quæ eſt contra ſubſtantiam actus, ille actus eſt irritus. ſicut ſi quis dicat ſe vendere vel donare rem; ita tamen vt nolit eam a ſe alienare: ſi contrahat matrimonium, ita vt nolit obligari ad reddendum debitum. at hic apponitur talis clauſula virtualiter, ſaltem tacitè & ipſo animo: ergo votum eſt irritum. Secundo, Qui vouet cum expreſſa intentione ſe non obligãdi, reuera non intendit vouere, ſed fingere & ſimulare votum externa ſpecie verborum, dicendo enim *vouco, promitto*, mentitur; quia contra mentem loquitur; cũ mens interius cõtradicat. Quòd ſi putet ſe poſſe vouere abſque obligatione, fallitur, quia quid nomine voti ſignificetur, non intelligit. vnde nec talis actus inducet obligationem; cum procedat ex errore circa ſubſtantiam actus: & actus agentium non operentur vltra intentionem eorum.

Ad argumentum Soti Reſpondeo, Obligationem naſci ex voto, ſi ſit verum votum: at non eſt verum votum, ſed ſimulatio voti, ſi mens interius nolit ſe obligare: ita enim interior voluntas eſt contra ſubſtantiam voti.

Verum votũ parit obligat. non fictum.

Dices, Hoc ipſo, quo quis ſciens naturam voti vult vouere, implicitè vult ſe obligare.

Reſpondeo Primò, Id verum eſſe ſi verè velit vouere: at is, qui habet animum non ſe obligandi, non vult verè vouere, ſed ſimulat ſe vouere.

Reſpondeo Secundò, Id verũ eſſe, quando animus interius obligationi non contradicit. ſecùs quando expreſsè cõtradicit: non n. poteſt cenſeri implicita voluntas ſe obligãdi, vbi adeſt expreſſa voluntas refilliens obligationi.

Petes Secundò, Quid ſi volens intendat quidem vouere, non tamen implere votum? Quidam viri docti putant
7 etiam in hoc caſu non teneri voto, Probãt Primò, Quia D. Thom. artic. 1. dicit, *Ad votum tria ex neceſſitate requiruntur, deliberatio, propoſitum voluntatis & promiſſio.* loquitur autem de proposito non tantum ſe obligandi, vt quidam volunt, ſed de proposito exequendi: quia dicit *promiſſionem ſequi ex propoſito faciendi*. Secundò, Promittere non ſolum eſt ſe obligare, ſed etiam ſignificare ſe facturum quod promittitur; ergo qui habet animũ nõ faciẽdi, nõ vere, ſed fictè promittit; ac proinde non obligatur. Tertiò, Si quis promitteret & adderet ſe non habere animum implendi, videretur potius alteri illudere quàm promittere: ergo idem cenſendũ ſi mente id ipſum addat.

Quid ſi non intendas implere. Quorundam ſententia.

Sed contraria ſententia eſt communis Doctorum, Soti, Caiet. Nauarri. Probatur Primò, Qui iurat ſe aliquid daturum, tenetur, etiamſi dum iurat non habeat animum dandi: ergo ſimiliter qui promittit, tenetur, etiãſi dum promitteret non haberet animum implendi promiſſum. Conſequentia patet, quia in iuramento promiſſorio non minus ſignificas te habere animũ implendi, quã in ſimplici promiſſione: ergo ſi defectus illius animi, & mendacium in illi iuramento commiſſum non tollit vim iuramenti, nõ tollet etiam vim promiſſionis. Secũdò Quando Superior aliquid præcipit, ſignificat ſe uelle vt iſta res fiat, & tamẽ contingit interdum vt nolit illam executioni mandari; nec ob id, præceptum carebit vi obligandi: ergo poteſt quis etiam ſibi ipſi imponere aliquam obligationem ad aliquid faciẽdum; etiamſi careat animo exequendi. Tertiò, Poſſum aliquid alteri validè donare uel vendere abſq; animo tradendi: cur non poſſim etiam ualidè promittere? Quartò, Denique multi ſunt fortaſſis in quibuſdã Ordinibus, præſertim militaribus, qui profitentur caſtitatem uel paupertatẽ abſque proposito eam ſeruandi: quis tamen audeat dicere tales coram Deo nõ aſtringi ſuo uoto? Quinto, Probatur allata ratione; quia ſicut de ratione promiſſionis non eſt ut præſtetur ipſa res, ſed ſolum ut detur aliquod ius remotũ ad illam: ita neque de ratione ipſius eſt ut habeas animum rem promiſſam præſtandi, ſed ſolum ut habeas animum conferendi ius aliquod ad illam exigendam, & ad obligationem aliquam tibi imponendam.

Contrarium verius.

Ad rationem.

Ad primum Reſpondeo, Illa tria requiri ut promiſſio legitimo modo, & abſque peccato fiat.

Ad ſecundum, In promiſſione duo ſignificãtur. Primò, Quòd te ipſum obliges, ac proinde quòd habeas animum te obligandi. Secundò. Quod ſis facturus & habeas animũ faciẽdi. Prior ſignificatio pertinet ad eſſentiam promiſſionis unde ut promiſſio ſit uera, debet quoq, hæc ſignificatio eſſe uera. Altera nõ pertinet ad rationem promiſſionis, unde etiamſi uera non ſit, non ideo promiſſio erit nulla.

Ad tertium, Qui ſuę promiſſioni adderet ſe non habere animum implendi, putaretur non ſeriò, ſed ioco promittere, nec uelle obligari. alioquin ſi conſtaret illum ſeriò vo-

voluisse se obligare, posset cogi ad implendum quod promisit.

8 *Confirmatur.* Ex supradicta tertia conditione sequitur Primò, Eum, qui aliquid vouit, si postea votũ aliquid se aperiat, quod ante latebat, vel quid noui eueniat, quod ille tuo voto prudẽtem iudicio non videtur voluisse comprehendere, ad illud non teneri. Ita docet Sotus lib.7.q.2.art.1.ad 3.ex D. Thom. Nauarrus ca.12.nu 50. Lopez, c.45. Fumus v. Religio, nu 9 v.g vouisti peregrinationem, & interea virgines redditæ infelix laeronibus; vouisti ingressum asperæ Religionis & interuenit morbus, cum quo, medicorum iudicio, non poteris perferre; quibus euentis suspenditur executio. sed de hoc plura dubitatione secunda.

Votum non obligat vltra intentionem vouentis. Sequitur Secũdo, Nullum votum obligare vltra expressam vel tacitam intentionem vouentis. vnde qui professus est in Religione, vbi non seruabantur nisi essentialia, non intendens, se vltra receptam consuetudinem astringere, nõ obligatur ad arctiora, vt docent Fumus, Nau. & Lopez supra, & Sylu. ex Panor. Religio 3.q. 12. quod limita. Nisi forte illa sint necessaria ad seruanda substantialia. talis tamẽ si nollet accedente reformatione duriora illa admittere, cogeretur aliud Monasterium, vel etiam aliam Religionem ingredi; quia propter tales nõ debet impediri reformatio.

4. *Vt res sit grata.* Quarta conditio est, vt res promissa *sit grata* promissario: promittere enim cuipiam, quod ei displicet, non est promittere, sed minari.

5. *Vt possit se obligare.* Quinta est. Vt promissor *possit se obligare*: quidam enim priuilegio non possunt se promissione aut voto obligare, vel saltem non ita valide quin possit in irritum reuocari. Sed de his infra.

DVBITATIO II.

Vtrùm votum, cui error causam dedit, sit validum.

9 VIDERI possit votum ex errore profectum, numquam esse validum. Primo, quia deest consensus; qui enim errat, non videtur consentire. L. Nihil consensui. 116 ff. de regulis Iuris. Secundò, quia DD. passim docent, votum nõ obligare vltra intentionem vouentis: ac proinde non obstringere in euentu, quem vouens excepisset, si cum voueret, ei occurrisset: sicut in generali concessione non veniũt ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus. regul. 81. de reg. Iuris in 6. Tertiò, Votum est promissio liberalis: ergo debet omnino esse libera: ac proinde nullo modo proficisci ex errore: nam ex eâ parte caret libertate.

Pro solutione notandum est errorem posse esse, vel circa aliquid extrinsecum, & accidentarium rei promissæ, vt si res putetur facilior, iucundior, commodior, &c. vel circa aliquid pertineus aliquo modo ad rei substantiam. Nunc.

10 *Error circa extrinsecum.* Dico Primò, Si error sit solum circa aliquid accidentarium, non tollit obligationem voti, quamuis sine illo errore nõ voluisses vouere. Colligitur ex dictis c.17.dub.5. vbi ostensum est, errorem circa extrinseca, iure naturæ non violare cõtractum. Idem docet Caiet. v. Votum. §. Ex parte. in fine. Sotus lib.7. de Iustitia qu.1. art.2. ad 1. argumentum, Nau. in Summa c.12. num.39. & alij passim. Confir. Quia si talis error tolleret obligationem, sequerentur grauissima incommoda, vt rectè docet Caiet. loco citato. pleriq. enim contractus humani possent dissolui; & pleræque professiones in irritũ reuocari. plurima enim superueniunt, vel latẽt, quæ si ab initio cognita fuissent, noluissent homines cõtrahere, aut vouere. & ita nihil in contractibus aut statibus hominum esset firmum aut stabile. Sufficit igitur ad obligationem notitia eorum, quæ rei vel actui sunt intrinseca, & aliquo modo ad substantiã pertinent; nisi lege positiua in quibusdam aliter statuatur.

11 *Error circa substantiam voti.* Dico Secundò, Si error sit circa substantiam voti, aut aliquo modo in substantiam redundet, sitque causa vouendi, irritum reddit votum. Est communis sententia DD. Censetur autem esse circa substantiam multis modis. Primò, si sit circa partem notabilem rei promissæ: vt si voueas peregrinationem Lauretanam, putans illam esse 10. dierũ, cum sit 20. non enim intendis nisi dimidiam operis partẽ. Secus si error sit circa partem, quæ modica sit respectu totius, tunc enim excessus ignoratus non censetur excluſus, nisi de contraria intentione constet: vel si intendebat se absolutè ad tale opus obligare, non curando quantum esset; tunc enim error non est causa voti. Secundò, cum erratur circa materiam operis; vt si voueas certum nummum, quem putas argenteum cum sit aureus. Si voueas ingredi certum monasterium putans esse ordinis Sancti Benedicti, cum sit Canonicorum Regularium. Si putes disciplinam esse integram, cum essentialia aut alia principalia non seruentur. Secus si deceptio solum sit circa aliqua minutiora. ita Sotus supra. Tertiò, cum erratur circa personam cui opus præstandum: vt si voueas dare eleemosynã huic, quem putas esse Titium, cum sit Caius. Quartò, cum erratur circa causam formalem; vt si voueas dare eleemosynam Titio, putans esse pauperem, cum sit diues. tunc enim non subest ratio formalis eleemosynæ, quam vouisti. Eleemosyna enim est subleuatio miseriæ paupertatis; quæ esse nõ posset, nisi vbi est paupertas quæ leuetur. Quintò, cum erratur circa causam finalem vouẽdi extrinsecã. hoc enim modo error etiam in substantiam voti redundat; quãuis non semper: verum tunc solum quando votum sit ad aliquem finem à Deo impetrãdum, qui expectetur à Deo tanquam merces operis voti: vt si voueas peregrinationem pro salute patris, quem putas ægrotare, cum non ægrotet, vel iam obierit. Ratio est, quia peregrinatio nõ vouetur absolutè. sed vt medium & veluti pretium ad impetrandam depulsionem morbi paterni. atqui res vera hic & nunc non est medium ad illum finem, cum finis sit impossibilis. non enim potest depelli morbus qui non est. ergo est deceptio circa substantiam eius quod formaliter vouetur. medium enim accipit rationem formalem ex fine. Cõfirmatur, quia tale votum habet hanc tacitam conditionem, si morbo laborat, si tali bono caret. & cæt. Nam vouetur peregrinatio non absolutè, sed cum restrictione ad talem finem. Non enim totum votum est, vouco peregrinationem, sed vouco peregrinationem pro salute parentis. vbi apertè implicatur conditio votum determinans & conditionale efficiẽs: ergo si non extet, votum est irritum. Idem dicendum quãdo votum fit ad aliquem finem principalem obtinendum, & posteà contingit animum mutari. vt si vouisti peregrinationem Lauretanam vt felix tibi obtingat matrimonium, & postea velis viuere cælebs. accessorium enim sequitur suum principale. vnde cessante si ne cessat votum, quod se ad illum habebat accessoriè. Si autem finis expectetur non vt præmium voti, sed alio modo, vt ex industria vel fauore hominum, error circa finem non reddet votum irritum: quia non redundat vllo modo in substantiam voti. Neque refert vtrum sit finis principalis quem sibi vouens proponit, an secundarius, quem vocant causam impulsiuam; nam vterque est prorsus extrinsecus voto, cum non ingrediatur ipsum votum, nec illud afficiat aut restringat; vt si voueas Religionem principaliter eo fine vt peruenias ad Prælaturam, falsò persuasus monachos statuisse te eligere: si voueas peregrinationem ad limina Apostolorum, falsò persuasus hac ratione à Pontifice obtenturum te canonicatum: aut si id facias vt inuisas fratrem quem ignoras obijsse. Non enim consideratur quid moueat ad vouendum, sed quid absolutè sciens & volens promittas. Nec refert quod ita sis affectus animo, vt si scires te decipi circa causam motiuam, nolles vouere; quia ille affectus re ipsa nihil operatur contra votum, cum conditio ad hoc requisita, nempe scientia veritatis, desit, & non obstante eo affectu habes alium affectum quo absolutè vis uouere, & voues. sicut si des eleemosynam pauperi existimans esse probum, cum sit improbus: & ita his affectus, vt si scires eius improbitatẽ nolles dare; nihilominus valida est donatio. quia re ipsa das absolutè ad leuandam inopiam, etsi probitatis opinio te ad dandum mouerit: affectus ille non daudi ex hypothesi si scires, est inefficax ob defectum conditionis. vnde nihil operatur contra votum. idque verum est, non tantum de affectu habituali, & implicito, sed etiam de actuali & expresso. Confirm. quia error circa accessoria & extrinseca rei promissæ. non tollit consensum circa principale & substantiam. Idem cernitur in contractu matrimonij, & sponsalium.

Sextò si sit error circa vim voti. vt si persuasus sis votũ nõ obligare nisi sub peccato veniali: aut posse à te ipso relaxari facili negotio. talis enim ignorat naturã actus quẽ

facit.

fecit. Idem dicendum si quis putaret matrimonium solubile, sicut passim soluuntur apud ethnicos. debet tamen error esse causa actus: alioquin non redderet illum irritum, cùm sit error speculatiuus & impertinens ad actum, qui censetur fieri absolutè iuxtà conditionem iuris naturæ.

Ex his patet non esse constituendam differentiâ in proposito inter votum simplex & solemne: quia sicut votum solemne non est irritum ratione erroris, nisi error redundet aliquo modo in substantiam voti: ita neque votum simplex est irritum, nisi error sit aliquo modo circa substantiam. Vnde si quis fraude alterius (v.g falsis promissis) induceretur ad nuncupandum votum simplex continentiæ, vel obedientiæ non minus esset validum, quam si sic inducetur ad professionem religionis: qui est casus ca. fi. 20. q. 3. Similiter in casu cap. Ex parte. 9. de conuers. coniugatorum, vbi susceptio velu seu professio ex causa falsa est valida, etiam votum simplex religionis valida, & castitatis validum fuisset.

13 *Discrimen inter votum & promissionem humanis factã*

Dices Primò, Promissio homini facta non est valida, si ex errore procedat, quamuis ille error non sit contra substantiam; vt si res fiat difficilis, quæ putabatur facilis; si persona sit improba cui promisisti, cùm put res esse probam: ergo idem dicẽdum erit de promissione facta Deo. Respondeo negando consequentiam, promissiones enim vulgares quæ inter homines fiunt, si ex aliquo errore procedant, dicuntur inualidæ, non quod sint iure naturæ irritæ, sed quia in irritum reuocari possunt arbitrio promittentis. ita enim vsu passim receptum est, ad vitandas multas difficultates (præterquam in quibusdam promissionibus, vt v.g. mutui inter mercatores) vt sicut homo homini facile aliquid promittit, ita etiã facilè possit reuocare, si deprehendat se ex errore aliquo promisisse; vel aliquid deteganr, quod si antea nosset, nõ promisisset. Secus est in promissionibus quæ Deo fiunt. hæ enim hoc ipso quo semel valent, statim sunt insolubiles, ita vt non nisi superiori potestate, & iusta causa relaxari queant: sicut matrimonium si semel valeat, insolubile est. Accedit quòd in promissionibus & contractibus humanis lex positiua sæpè tollat obligationem, vel ius illius tollendæ & eludendæ tribuat, si ex errore procedant. L. Et eleganter. 7. ff. de dolo & 15. q. 6. c. 1. de quo vide supra c. 17. dub 6. Id autem non facit in votis: adquo meritò ob reuerentiam diuini numinis Vnde Glossa in d. cap. Ex parte, v. *Falsa sit causa* dicit, *Dolum aduersarij in spiritualibus non vitiare contractum, nec considerari causam aut intentionem contrahentis*: quod maximè verum est in votis, iuramentis, matrimonij contractu, susceptione baptismi, &c.

Dices Secundò, Qui vouit ieiunium in certam diem aut peregrinationem ad certum locum, non tenetur, si inde notabile damnum referret, vt si valetudo lædereture; si iter latronibus sit infestum, &c. atqui hic non est error, vel ignorantia circa substantiam, sed circa extrinseca. ergo, &c. Resp. ita vota tali euentu non obligare, non quia ex errore, sed quia secundum legem prudentiæ, & ex communi hominum usu, atque adeò ipso iure habent tacitam conditionem *si aliquod notabile damnum secuturum non sit*: vt patet in præceptis Ecclesiæ de simili materia. Multæ enim difficultates extrinsecus obuenire possunt, ob quas non expediat mandati executioni. Itaque ratione illarum conueniebat subesse tacitam conditionem. Difficultatum autem quæ ex intrinseca rei natura oriuntur, non ita habetur ratio, præsertim in voto rei maximæ, vt castitatis & religionis. Debuerunt enim ante esse præcognitæ. vnde nec vsu, nec iure ratione illarum subest tacita illa conditio.

Ad rationes. Ad Primam rationem initio propositam Resp. nõ deesse consensum necessarium; quia qui consentit in principale, censetur consentire in accessoria & coniuncta. qui error non videtur consentire, si error sit circa rei substantiã. vel certè non ita consentit, quin possit resilire quando contractus est solubilis.

Ad Secundam: Votum non obligat vltra intentionẽ voentis; sed quando error est circa accessoria, intentio voentis etiam ad illa se extendit saltem virtualiter, vt dictũ est. Non obstringit vouentem in euentu quem exceperit; verum est, si ex vi affectus quo votum fecit, illum euentũ excepisset: secùs si excepisset solùm ex vi alterius affectus, quem actu vel habitu tunc habuit. Illa autem regula. In generali concessione, &c. intelligitur de concessione principis vel Superioris facta inferioribus, & de ijs quæ non solent generalibus vel obscuris terminis concedi, ad quæ iudicio prudentum intentio concedentis non se extendit.

Ad tertiam. Non requiritur vt promissio liberalis sit omnino libera potest enim fieri vt quis promittat aliquid gratis absq; obligatione (quod est promittere liberaliter) & tamen id faciat ex metu vel errore aliquo. Aliud enim est liberè promittere, aliud liberaliter. quamuis eo euentu sæpè possit reuocari, vt dictum est. Et quamuis qua parte est ex errore, non sit libera formaliter; tamen est libera virtualiter ratione scientiæ circa principale.

DVBITATIO III.

Vtrùm metus votum irritum reddat, & quo iure.

NOTANDVM est *metum* alium dici *grauem*, vt potè grauis mali, & qui virum constantem percellat: alium *leuem*, qui in virum constantem non cadat; de quo vide sup. c. 17. dub. 6. Rursus alium iustè incuti; alium iniustè. Item alium incuti ad extorquendum votum, alium ex alia causa prouenire. 14

Quibus positis omnes DD. cõueniunt metum grauem iniustè incussum ad extorquendum votum, tollere voti obligationem, iudq. omnino irritum reddere. Colligitur ex cap. Perlatum. 1. & cap. Abbas. 2. de his quæ vi metusve causa fiunt. Ratio est, quia in ijs quæ ad statum & votorum obligationem pertinẽt, homo est sui iuris & arbitrij. vnde non potest ad illa cogi à causa extrinseca. Vnde regul. 116 *. de regulis Iuris dicitur: *Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus; quem comprobare, contra bonos mores est.* *Si metus grauis ad hoc in casu.*

Debet autem hic metus esse *iniustè incussus*, vt plerique DD tradunt. Syluester v. Metus. quæst. 6. Sotus lib. 7. q. 2. art. 1. ad 1. Angelus v. Metus nu. 8. & 10. & alij. Ratio est, quia hic solus censetur repugnare libertati, tanquam causa extrinsecùs cogens. Quare metus iustè incussus non irritabit votum; sicut nec matrimonium, aut alios contractus irritos reddit. Vnde sequitur, si maritus vxorem in adulterio deprehensæ priuata auctoritate mortem minetur, nisi profiteatur religionem, professionem inde secutam fore irritam; vtpote metu iniustè irrogato extortam. Non enim poterat illam iure priuatim occidere. Si autem minetur accusationem & mortem via iuris, professio erit valida, quia iure poterat id facere. Pari modo, si reo mortis detur potestas redimendi supplicij; professione religionis, vel matrimonio puellæ se offerentis, erit validũ quod actum fuerit. *Iniustè incussi sint.*

Aduerte tamen non deesse Doctores, qui putãt metum grauem etiam iustè incussum irritam reddere professionẽ Religionis, & matrimonium. Ratio est, quia hæc duo requirunt summam libertatem, quæ non minus aufertur cũ iustè incutitur, quam cum iniustè. Ita Couar. in 4. p. 2. c. 3. §. 5. nu. 7. vbi citat Glossam in c. Veniens. 2. de sponsalib. & in cap. 2. de ijs quæ vi, Felinum & alios. Pro qua sententia Sanches lib. 4 disp 13 citat Goffredum, Hostiensem, Ioannem Andream, Ancharanum, Henricum, Fortunium, & alios multos, dicitq. esse probabilem. Alij existimant metum iustè intentatum irritare professionem & matrimonium, quando incutitur auctoritate priuata; non autem si incutiatur à lege vel iudice, præscriptum legis exequente: vt si lex statuat, vt violator virginis cogatur per Iudicem ad eam ducendam. 15

Sed verius est, quod iam diximus, metum nunquam irritare votum aut matrimonium, quando malum, quod proponitur, iustè inferri potest: ita ferè ceteri Doctores. Ratio est, quia quando metus iustè imgatur ob crimen, non tam censetur inferri ab extrinseco, quàm prouenire ab intrinseco, nempe à propria voluntate, & natura delicti: & is qui votum proponit, potius aufert quàm infert metum, offendens viam euadendi mali. id autem quod ex propria voluntate oritur, non censetur moraliter libertati repugnare. Confirmatur, quia talis metus non rescindit ceteros contractus, vt omnes fatentur: ergo nec votum, aut matrimonium: non enim maior libertas ad naturam *Si iustè poterat inferri.*

turam professionis vel matrimonij requiritur, quàm ad alios contractus; quamuis vt illa conuenienti modo fiant, maior requiratur, ob vinculi insolubilitatẽ, & graue onus quod secum adferunt. Hinc patet responsio ad primã partem rationis contrariæ sententiæ. Id autem quod subsumitur, falsum est, si res moraliter expendatur: nam metus iniustus, cùm oriatur ab intrinseco, non censetur libertati officere. De quo vide supra c.17.dub.6.

16 *Ad vtrumq; eliciendum.*

Pari modo debet hic metus nõ solum esse incussus iniuste, sed etiam aliquo modo ad votum eliciendum, ita vt is qui metum infert, nolit desistere à malo multe irrogando nisi votum emittas. quòd non ob aliã causam incutiatur, v.g. ad vltionem iniuriæ (vt si voueas religionem, vt Deus te liberet è manibus Tyranni, aut inimici persequentis) vana. Tunc enim votum non emittitur vt satisfiat voluntati inferioris; neq; in eius gratiam exhibetur, vt sit veluti pretium, quo cesset ab iniuria; sed exhibetur Deo, vt ab eo impetretur auxilium: sicut cum quis iniuste oppressus ab inimico, promittit aliquid alteri vt auxilium ferat, tenetur: secus si inimicus illum ad promittendum cogat. Ratio est, quia quando aliquis iniustè cogit promittere, promissio nõ est libera, nec ex spontaneo proueniens affectu, sed extorta ab extrinseco: secus verò quando quis ex se promittit, vt opem ab aliquo impetret.

Non tamen est necessarium, vt metus incutiatur principaliter ad votum eliciendum, sed satis est vt incutiatur iniustè, & concedatur votum ad redemptionem mali inuentati, vt constat ex d.c. Perlatum de ijs quę vi, &c. vbi mulieri ob suspicionem adulterij intentatur mors à famulis mariti, & ex affectu misericordiæ conceditur vt redimat mortem professione religionis; quæ tamen professio ibi declaratur irrita.

Ex dictis sequi videtur, si alius, qui metum non intulit, votum postulet, vt opem ferat, votum fore validum: vt si inimico persequenter fugitus ad monasterium, & Abbas nolit concedere latebras aut asylũ, nisi voueas te fore monachum. Abbas enim non infert metum, sed hic iam est illatus ab inimico, & ille proponit tibi rationem euadendi; sponteq; opẽ (quam tibi ex iustitia non debet) si velis vouere; qua in re non facit tibi iniuriam. Nihilominus contraria sententia in hoc casu est etiam probabilis. Nam Abbas recusando asylum censetur metum continuare. tenebatur enim cõcedere, etsi non ex iustitia, at certè lege charitatis, & quidem gratis, absq; tali obligatione. Vnde inique recusando est causa continuationis metus, idq; directè ad extorquendũ votũ. sicut si alicui extrema inopia cõfecto nolim succurrere, nisi religionem vouerat, videbor metu mortis votum extorsisse. quare non obstringet.

17 *Quo iure metus votum irritet vel non.*

Sed difficultas est, quo iure metus votum irritum reddat. Multi censent id fieri iure naturali. Insinuat Sotus lib.7.q.2.art.1. Nauarr.c.12.num.52. Glossa in c. Abbas 2. de his quæ vi. Bonauentura in 3.dist.29.art.3.q.3. vbi dicit: *vota coacta esse irrita; quia Deus vult sacrificia non coacta, sed voluntaria.* Denique idem sentire coguntur omnes, qui tenent metum iure naturæ irritum reddere matrimonium, vt D. Thomas, Scotus, Gabriel, Couarr. Turrecremata, Antonius, Richardus, & alij, quos citat Sanches lib.4. de matrimonio disp.14. Probari potest Primo, Quia nullus est canon, qui id statuat; oẽs enim ita loquuntur, vt videantur supponere tale votum per se irritum esse; vt patet d.cap. Perlatum. 1. de his quæ vi, & alijs iuribus. Secundò, quia Deus promissiones per iniuriam extortas non acceptat, ne socius iniquorum & approbator iniuriæ esse videatur. Cõfir. quia nemo probus promissionem tali modo sibi factã acceptaret, aut aliquid ex ea iuris præcederet. Tertiò, quia talis promissio homini facta est irrita, vel saltem pro arbitrio promittentis reuocari potest; vt ostensũ est c.17.dub.6. quia non refert à quo metus illatus sit, quando constat metu factum: ergo etiã promissio Deo facta reuocari potest ob iniuriam quæ intercessit.

Probabile est irritare iure naturæ.

Hæc sententia est satis probabilis; eaq; posita sequitur non solum metum grauem, sed etiam leuem, irritũ reddere votum in foro cõscientiæ, si per iniuriam incussus sit. Ratio est, quia iuxta naturæ non est distinctio metus grauis & leuis, si eodem modo est causa cõsensus; sed hoc discrimen pertinet ad forum externum; vbi cum metus est leuis, non præsumitur fuisse causa consensus, sed libertas animi; vnde non iudicatur actus inualidus. Confir. quia metus grauis non reddit votum irritum quia grauis, (potest enim esse grauissimus, & non irritare, vt patet cũ quis metu mortis in naufragio vouet; c. Sicut nobis. 17. de Reg.) sed quia per iniuriam incussus, ad extorquendum consensum: ergo si metus leuis eodẽ modo sit incussus, & eodem modo impellat ad consensum, cur non similiter inualidũ reddat? Hãc sententiã de leui metu expresse tenet Nauarrus, non solum de voto per talẽ metum extorto, sed etiam de matrimonio, in Enchir. c.22.n.51.§. Septimũ, & lib.2.consil.tit.39.consil.1.n.7. Vbi pro hac sententia citat Hostiẽsem, Ioannem Andream, Adrianũ, & Sotũ. Eandem in casu matrimonij tenet Decius in c.vlt. de appellationib. n.3. & seq. & alij recentiores, quos refert Sanches lib.4. de matrimonio disp.17. eorumque sententiam satis probabilem iudicat. Si in matrimonio est probabilis, multò magis in voto & professione; quia plurimi Doctores tenẽt professionem irritam reddi metu reuerentiali, non tamẽ matrimonium: quos citat Couar. in 4. decret. §.3.c.6.n.7. vbi dicit hanc sententiam esse communẽ. Itaq; metus, qui matrimonium reddit inualidum, etiam votum reddet.

Metus leuis.

Ex qua sequitur, votum & professionem, solo metu reuerentiali, quo quis per pudorẽ & reuerentiam non audet contradicere patri vel Superiori, etiamsi aliud malũ non timeat, esse inualida. Item cũ, qui tali metu ordinatus fuit, non teneri voto castitatis, aut ad lectionem precum canonicarum, aut ad statum ecclesiasticum.

18 *Verius irritare iure positiuo.*

Contrarium tamen puto veriorem; nimirum metũ solo iure positiuo irritum reddere votũ. Sylvest. v. Metus q.8. Arragon. q.88. art.3. Henriq. lib.1. de matrimonio c.9.n.1. & 3. & ferè quotquot sentiunt matrimoniũ metu contractũ, solo iure positiuo irritum esse.

Probatur Primò, quia metus iure naturæ nõ reddit irritos alios contractus, aut promissiones, sed solum dat potestatem irritandi propter iniuriam, quando cõtractus natura sua est solubilis, vt ostensum est c.17.dub.6. ergo neq; votum iure naturę inualidum reddet. Neq; dici potest, ei, qui sic vouit, dari potestatem irritandi, sicut in alijs cõtractibus: quia votũ est natura sua insolubile; sicut matrimonium. quare sicut matrimonium semel valide initum non potest solui arbitrio contrahentis, etiamsi dolo vel alia iniuria extortum sit, eò quod natura sua sit insolubilenta nec votum arbitrio voventis. Confic. quia per tale votum Deo ius absolutum & ab alio independens acquiritur: hoc autem ius tolli non potest, nisi per ipsius condonationem.

Consilio seruij non impedit.

Secundò, Deus nullam iniuriam intulit: ergo ratione iniuriæ rescindi nequit. Nec obstat quod iniuria illata sit à tertio, & alij contractus, si metus incussus sit à tertio, reuocari possint; id enim prouenit vel quia illi sunt solubiles; votum verò natura sua insolubile: vel quia homines non habent ius cogendi, Deus aũt per se cogere poterat: vnde mirum non est, si ipsi ius irreuocabile acquiratur per coactionem iniustam alterius. vel deniq; quia hæc reuerentia debetur diuinæ maiestati, vt quidquid illi, quouis modo pleno iudicio promissum est, insolubiliter, nisi ipse condonauerit, seruandum fuisse d.n. ad honorem diuinũ pertinet.

Tertiò, Matrimonium metu graui extortum; solo iure naturæ spectato, est validum, secundum veriorem sententiam; nec propria auctoritate solui potest; similiter & iura metum: ergo etiam votum simili metu expressum, eodẽ iure validum erit.

Solus grauis irritat votũ.

Hinc sequitur, cùm Ecclesia id solum statuerit de metu graui, metum leuem non irritare; nec tribuere potestatem irritandi: quamuis in alijs cõtractibus sufficiès sit, vt metũ passus, in foro conscientiæ non obligetur, & metum inferens ad restitutionem teneatur; vt dictum est c.17.dub.6.

Quòd solus metus grauis hoc faciat, colligitur ex c.1. de his quæ vi. vbi requiritur *metus mortis*, vt professio censeatur irrita. *Sub metu mortis.* intellige quemuis alium grauẽ: fit enim ibi solum mentio metus mortis, quia species facti aliud non postulabat. Et c. Cum dilectus 6. eodẽ, requiritur *metus cadens in constantem virum.* c. final. Qui clerici vel vouentes, &c. insinuatur *imperium parentum* non sufficere vt votum sit irritum. Idẽ dicit Glossa ibidem de *imperio regio.* quia etsi hæc metum aliquem causent, non tamẽ grauem. Hoc intelligendum de simplici imperio, cũ nihil aliud mali timetur, quàm breuis aliqua offensio, vt colligitur ex eodem c. si locum si timeatur perpetua offensio, vel mala tractatio, uel simul adsint preces importunæ, sus-

sufficiet tale imperium ad votum irritandum: quia gignet metum grauem. Sic intellige cap. 8 Puellæ. 20. quæst. 1. *Puellæ, quæ non contra parentum imperia virorum susceperunt, si postea nuptias elegerint, præuaricantur.* vbi a contrario sensu insinuatur non præuaricari, *si contra parentum imperia fecerint.*

19 *Ad rationes.* Ad primam rationem pro diuersa sententia: nullus canon id expressè statuit; quia forte intercidit, vel numquam scripto editus est, sed sola consuetudine seruatus. sicut etiam nullus canon extat, qui matrimonium metu contractum statuat esse irritum; cùm tamen probabilius sit hoc esse ex decreto Ecclesiæ: Idem dicendum de matrimonio fidelis cum infideli: de quo etiam non est dubitandum quin Ecclesia statuerit vt sit irritum; quamuis Canon non reperiatur.

Ad Secundam: Non ideò Deus censetur approbare iniuriam, quia acceptat tale votum; sicut nec approbat, dum acceptat iuramentum sic extortum.

Ad Tertiam: patet ex dictis.

Aduerte tamen, æquitatem naturalem postulare vt huiusmodi vota facile per Prælatos Ecclesiæ, nomine Dei, relaxentur. quamuis ob reuerentiam diuinæ Maiestatis, sepositio ecclesiæ decreto, solui non possint propria auctoritate. posito tamen ecclesiæ statuto, quo talia vota reddit irrita, Deus illa non acceptat; & sic nullam obligationem inducunt.

DVBITATIO IV.

Vtrùm propositum aliquando habeat vim Voti.

20 *Propositum perseuerandi.* PALVD. in 4. d. 38. qu. 1. concl. 3. dicit *propositum* æquipollere voto *simplici* in vno casu, nempe quando quis intrat Religionem cum proposito perseuerandi, & Deo perpetuo famulandi. Idem tenet D. Antonin. 2. p. tit. 11. c. 2. in princ. In eadem sententia sunt fere omnes Canonistæ: ex quibus plerique putant tale propositum cum susceptione habitus habere vim voti solemnis, vt refert Syl. v. Religio 1. q. 8. & D. Anton. sup.

Probatur Primò, Ex c. Statuimus. 23. de Regularib. vbi Gregorius IX. ait, *Nouitius posse liberè ad priorem statum intra annum redire, nisi euidenter appareat, quòd tales absolutè voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuo Domino seruire.* & capitul. consulti. 20. eod. titul. Innocen. III. consultus sic respondet, *Licet super hoc senserint diuersi diuersa; nos tamen credimus distinguendum. Vtrum is, qui conuertitur, professurus sit absolutè vitam mutare, vt sic in habitu regulari omnipotenti Deo de cetero famulatur: An conditionaliter experiri obseruantiam regularem, vt ita demum si intra annum ei placuerit, professionem ordinis disciplinam, aut fortè si non placuerit, moribus emendatis ad statum reuertatur pristinum. In primo casu debet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem regulam pertransire.*

Secundò, Qui contra propositum tale facit, inconstans est in re magni momenti. ergo peccat, ac proinde tenebatur in proposito perseuerare.

Tertiò, Quòd habeat vim voti solemnis, probari videtur ex c. Beneficium, de Reg in 6. vbi dicitur, Beneficium eius, qui ingressus est annũ probationis, posse alteri dari, *si constet absolutè voluisse vitam mutare:* at non daretur alteri, nisi ipse putaretur professus.

21 *Præter propositum requiri promissionem* Verum contraria sententia, scilicet non sufficere propositum, sed requiri vlterius promissionem, est fere communis Theologorum, eamque tenet D. Thom. hoc loco art. 1. Bonauen. in 4. d. 38. a. 1. q. 1. Richar. eadem distin. q. 3. circa tertium prin. Abbas in c. Litteraturam, de voto & voti redemp. Angelus. Votum 1. quæst. 7. Syluest. Votum 1. quæst. 2. & Religio 5. quæstio. 3. Nauar. cap. 12. num. 26. & passim recentiores.

Probatur Primò, Ex Scripturis, quæ apertè indicant obligationem votorum nasci ex promissione, Deuteron. 23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. si nelueris polliceri, absque peccato eris.* Et infra: *facies sicut promisisti.* Eccl. 5. *Si quid vouisti Deo ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* nusquam dicit *propositum* obligare sed promissionem.

Secundò, Probatur ex c. Litteraturam, vbi dicitur, *eum qui votum propositum in mutanda vita non est progressus in voto non tenere.*

Tertiò, Votum importat quamdam obligationem sui erga alterum: atqui homo non solet se alteri obligare solo proposito, sed promissione; nisi enim ad propositum accesserit pronuntio, non putat se alteri obstrictum. Confirmatur, quia sicut imperando obligat quis alterum sibi, & ordinat quid ab ipso erga se fieri velit; ita promittendo obligat se erga alterum & indicat quid à se alteri fieri velit.

Quarto, Nemo seipsum obligat nisi intendat seipsum obligare: quamuis nec intentio sufficiat: atqui solo proposito faciendi aliquid non intendo obligare: ergo non habet vim voti.

Quintò, Quia Concilium Trid. sess. 25. c. 15. & 16. concedit nouitijs annum probationis, & toto illo tempore vult illos manere liberos, vt si putent disciplinam sibi non conuenire, libere possint egredi: ergo solo proposito non censet hominem obstringi.

22 *Ad argumenta.* *Intellectus Canonum. Propositũ intentione voti expressum.* Ad primum Respondeo, Illos Canones intelligendos de proposito, quod sit animo vouendi, & se obligandi; etiamsi externus verbis vel nullis, vel nullam voti speciem præ se ferentibus fuerit expressum: vt cum quis dicit, Domine, Ego hic perpetuò volo tibi seruire, intendens Deo se obligare. Colligi id potest ex illa distinctione, quæ habetur dicto cap. Consulti: nisi enim quis hoc modo proposuerit vt simul tacitè vouerit, non videtur omnino absolutè proposuisse, quia aliàs semper est aliqua saltem tacita conditio, nempè nisi animum mutet contingente. Alij respondent (& eodem recidit) agi de proposito, quod promissione, seu voto firmatum est.

Aliter respon sio. Dici etiam potest, Olim ex vsu Ecclesiæ susceptionem habitus cum absoluto proposito mutandæ vitæ factam, habuisse vim voti supplicis. Dupliciter enim habitus suscipiebatur. Primò, Animo experiundi; & tunc libere poterat resilire. Secundò, Non animo experiundi, sed perpetuo manendi; & tunc censebatur se tacitè obstringere saltem voto simplici. tale enim votum illi susceptioni habitus erat annexum: vnde non poterat redire ad sæculum, sed tenebatur regulariter viuere, ita tamen vt posset transire ad regulam laxiorem, vt colligitur ex c. Consulti. Postea tamen ille mos est abolitus, & Canones vtrisque vsque ad professionem liberum esse voluerunt, nisi votum expressum interuenisset; vt patet c. Litteraturam. 3. de Voto, & c. Qui post votum. 5. eod. in 6. habuisse id vim voti simplicis tantùm, non autem professionis, vt plurimi DD Canonum tenuere, docet egregie Panorm. in d. c. Consulti. 22. de Regul. nu. 3. citans pro eadem sententia Card. Zabar.

Inconstantia Ad secundum Respondeo, Esse aliquam inconstantiam, si absque vlla causa, sola animi leuitate propositum mutes: sed hæc inconstantia non est nisi venialis. Si autem aliqua ratione mitaris, vt quia sentis incommoda, &c. non est propriè inconstantia, nec vllum peccatum: nemo enim tenetur perstitere in bono, quantumuis illud magnum sit, ex solo proposito; sed vt teneatur, debet aliunde ad illud esse astrictus; v. g. præcepto, promissione, contractu. vide infrà lib. 3. c. 6. dub. 6.

23 Ad Tertium, Ex eodem illo c. colligi potest, illud propositum in Nouitio non habere vim professionis; quia distinguitur à professione tacita, & expressa, sic enim ait Pontifex, *Beneficium Nouitij intra annum probationis non esse alteri conferendum nisi ipsius accedat offensus, aut constet quòd vitam voluerit absolutè mutare, vel professionem expressam fecerit, vel scienter habitum receperit professionis.* Vnde dico cum Panormitan. in capit. Litteraturam, ibi agi de proposito, quod voto simplici firmatum est, vel cum susceptione habitus habet vim voti simplicis, vt dictum est. qui enim cum tali proposito habitum suscipit, cùm tacito voto se obstringat, videtur beneficio renunciare: & ita permittit Pontifex vt alteri conferatur.

24 *Mutatio boni propositi.* Obijci etiam potest cap. 4. Qui bona. 17. quæstio. 1. vbi dicitur, *Qui bona agunt, si meliora agere deliberata non faciunt; licet in Dei præceptis perseuerent, in consilijs tamen Dei ceciderunt ex deliberatione.*

Respondeo, Inde non sequi propositum melioris boni habere vim voti, sed vt summum inducere aliquam obligationem, etsi non grauem: non enim qui tale propositum deserit, idcircò dicitur cadere coram oculis Dei, quòd pec-

cet mortiferè; nam etiam qui venialiter peccat, *cadere* dicitur, iuxta illud, *Septies in die cadit iustus: & iustus si ceciderit non collidetur*. Addo etiam dici *cadere* vel *retrocedere* (de quo ibi propriè agitur) qui perfectiora exercitia deserit, quamuis id fiat peccato facto. vnde ex illo loco nō potest colligi in ea re commissum esse vel peccatum veniale. vide Gregorium homil.3.in Ezech. sub finem, vbi paulò aliter habetur quàm hic à Gratiano refertur. nec dicit Gregorius tales *cadere* absolutè, sed *cadere in deliberatione*. Hi, inquit, *ante iudicia Iustorum stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione*: nimirum quia recesserunt animo a perfectioribus, quæ proposuerant: qui recessus absque peccato fieri potest, quando aliqua causa subest.

Multa in voto concurrūt.

Ex dictis patet, cum multa in voto reperiantur, videlicet deliberatio, propositum boni operis, propositum voti, promissio, obligatio, solam promissionem esse votum, propositum & deliberationem esse quid præuium; obligationem, effectum.

DVBITATIO V.

Cuius virtutis actus sit votum.

D. THOMAS ART. 5.

21 RATIO dubitandi est, quia fiunt etiam vota Sanctis. quorum cultus non procedit a virtute religionis, sed duliæ vel obseruantiæ. Deinde votum est promissio quædam: promissio autem vel est gratuita vel remuneratoria. promissio gratuita est actus liberalitatis, remuneratoria verò est actus gratitudinis.

Est actus religionis ob duas causas.

Respōdeo, & dico Primò, Votum esse actum religionis quando fit Deo. Probatur, quia non promittimus aliquid Deo, vt ipsi inde aliqua vtilitas proueniat, sicut promittimus hominiled vt ipsum honoremus, & vt nos ipsos reuerentia Dei in bono firmemus. vtrumque autem ad religionis virtutem pertinet. Cōfirmatur, quia omnis laus, quæ est in actu vouendi, ex hisce duabus causis pendet: ideo.n. laudabile est vouere, quia laudabile est Deum honorare, & eius reuerentia se in bono proposito firmare.

Quo modo Deus honoretur voto.

Sed obscurum est quomodo Deus voto honoretur, præsertim si id, quod vouetur, no sit cultus aliquis, v.g. sacrificium, hymnus, &c. sed aliquid ad alias virtutes pertinens, vt paupertas, castitas, obedientia, ieiunium, & similia, quæ nullum cultum præ se ferunt.

26 Respondeo, Honoratur Deus ipso actu vouēdi. Primò, Quia vouens, suo facto significat ipsum habere cognitionem & prouidentiam rerum humanarum. Secundò, Testatur ipsum esse ad quem in angustijs sit confugiendum, & qui solus possit opem ferre. Tertio, Quia vouens, illa ipsa re, quam vouet, intendit illum honorare, & gratum obsequium exhibere: etsi enim illa res non sit natura sua cultus aliquis, stricte accepto hoc nomine: eo quod per se non significet diuinam excellētiam, & nostram subiectionem; tamen in cultum illum a nobis potest: nam possumus eo animo facere vt testemur nostram seruitutem & diuinum principatum. Sic ieunium etsi nullum cultum præ se ferat, tamen assumi potest ad honorandum Deum vel Sanctum aliquem, & ab omnibus gentibus in hunc finem vsurpatur. Idem dicendum de paupertate, castitate, & obedientia: quidquid enim scitur esse gratum numini, potest fieri ad eius honorem, & ad suam testandam seruitutem. nam etsi facere aliquid præcisè quia gratum alteri, potius sit beneuplentiæ quàm honoris: tamen si facis hoc totum vt sic declares tuum obsequium & affectum seruitutis erga alterum, est honor & cultus. Vnde olim virgines Vestales in honorem Vestæ seruabant virginitatem, idque ea mente factum, erat idololatria. Quartò, Quia vouens intendit te reuerentia Dei in bono proposito confirmare. Inter ceteras enim causas adeò vouemus Deo paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam, vt memores cui promiserimus, eius reuerentia non deflectamus a proposito. continere autem se in bono reuerentia Dei, est religionis: eiusdem enim virtutis est facere aliquid affectu honorandi alterius, vel soluendi promissi, & abstinere à contrario, timore inhonotandi vel promissi violandi. quare cum illud fit ex virtute religionis, etiam hoc ex eadem virtute procedit.

Dico Secundò, Etiam quando votum fit Sanctis, est actus religionis. 27

Dupliciter vota Sanctis fiunt.

Vbi Nota, dupliciter intelligi posse vota fieri Sanctis, vel Prælatis. Primò, Quia fiunt coram ipsis vel tanquam tenibus ad maiorem reuerentiam, vel tanquam patronis, quibus cupimus ea corde esse, vt gratiam ad exequēda promissa nobis impetrēt. Sic intelligi potest formula illa multis Religionibus vsitata, *Promitto Deo, B. Virgini, B. Augustino*, vel *B. Francisco pauperta tem*, &c. Hoc etiam modo est actus religionis: quia principaliter ad Deum dirigitur, quamuis qua parte etiam Sancti honorantur, possit esse actus obseruantiæ, seu duliæ supernaturalis.

Quo modo Prælatis vouentur obedientia.

Secundo, Vt promissio ipsis facta cadat sub votum materialiter; ita vt vouēamus Deo, nos præstituros quod Sanctis vel Prælatis promisimus; Ita Diuus Thomas ad 3. Sic intelligendum votum, quo Prælato vouemus obedientiā: per illud enim vouemus Deo nos id præstaturos, quod Prælato promittimus. vnde tale votum respectu Prælati non habet rationem voti, sed nudæ promissionis, quę inducit erga illum obligationem fidelitatis, respectu autem Dei habet rationem voti. Simili modo accipiendum videtur votum, quo calicem vel Ecclesiam vouemus B. Virgini, B Benedicto, vel alteri Sanctorum; censemur enim vouere Deo, (quem in Sanctis agnoscimus) nos præstituros quod ipsis promittimus itaque respectu Dei est votum, respectu Sanctorum promissio honoraria pertinens ad cultum duliæ. Sic cum quis vouet Deo, B Virgini, B. Francisco, &c. paupertatem, castitatem, obedientiam; respectu Dei propriè est votum; respectu Sanctorum potest esse honoraria promissio.

Posset addi tertius modus, vt dicantur fieri Sanctis, quia fiunt Deo in Sanctis: sed hic modus non differt a secundo.

Petes, Cuius potentiæ actus est votum?

28 *Est actus intellectus practici.*

Respōdeo esse actum intellectus practici, ut rectè Diu. Thomas art.1. quia est locutio quædam practica, qua quis seipsum alteri obligat. sicut enim præceptum & oratio sunt locutiones quædam. quibus alterum obligamus, vel mouemus ad aliquid, ita votum est locutio quædam interna vel externa, qua nos ipsos obligamus alteri. Confirmatur, Quia votum est promissio quædam: atqui promissio non est solum volitio se obligandi, aut iudicium, sed locutio practica. cuius signum est, quod quantumuis velit aliquis se obligare, & iudicet id expedire, non tamen obligetur quamdiu in his actibus sistit: sed oportet vt ulterius locutione quadam in alterum directa promittat. Hæc tamen locutio supponit voluntatem se obligandi, estque veluti instrumentum voluntatis, sine quo non potest sibi obligationem imponere; sicut nec alteri absque præcepto. Simili modo non potest alteri aliquid donare absque locutione, vel simili signo practico.

DVBITATIO VI.

De Diuisione votorum.

MVLTÆ reperiuntur diuisiones voti apud Doctores. 29

1. In votum commune, et singulare.

Primò, Diuidunt in votum commune, & singulare. Ita Magister in 4.d.38. D. Thom. Durandus, Richar. & alij, eadem distinct.

Votum commune vocant actum illum, quo quis in baptismo profitetur se renuntiare Satanæ, & adhærere Christo: hic enim est omnibus communis; & quia est de rebus necessarijs ad salutem, vocāt etiam votum *necessitatis*. sed hic actus reuera non est votum, vt ijdem docent, & bene offendit Caiet. art.2. tum quia in verbis hominis baptizandi nulla continetur promissio; solum enim dicit, *abrenuntio, credo, volo*. tum quia alioquin omne peccatum Christiani esset sacrilegium, & duplicem malitiæ seu peccati speciem contineret; quod est contra communem hominum sensum. Denique verum votum de talibus rebus ne in Sacramento quidem pœnitentiæ exigendum est; esset enim pœnitenti nouus laqueus, & causa grauioris lapsus absque necessitate. multò igitur minus exigendum in baptismo.

Sponsio quæ fit in baptismo non est verum votum.

Voca-

Vocatur tamen interdum à Patribus & Doctoribus *votum, ſponſio, promiſſio*; quia ſpeciem promiſſionis habet. dum enim petitur à baptizando, Abrenuntias Satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius? reſpondet, *Abrenuntio*: vbi videtur promittere, verum quia non intendit ſibi nouam obligationem imponere, ſed ſolum declarat ſe acceptare eam, quæ iure diuino inelt, non eſt propriè votũ aut promiſſio. Sic dum rogamus pœnitentem an promittat emendationem, non exigimus votum, ſed ſimplicem promiſſionis formam, (quæ non inducit nouum vinculũ, ſaltem ſub mortali obligans) vt eo modo firmius propoſitum concipiat, & melius declaret ſe acceptare, ſibiq; cordi fore obligationem, quæ antè inerat.

Votum ſingulare vocant, quod quiſque pro ſuo arbitratu de rebus non neceſſarijs concipit: vnde etiam dicitur votum voluntatis quamuis reuera hoc genus voti etiã ad res præceptas pertinere poſſit, quatenus noſtro arbitrio ſubſunt, vt dictum eſt.

30 *2. In conditionale & abſolutum. Diſcrimẽ inter hæc vota.*

Secundò, Diuiditur votum in *conditionale*, & *abſolutum*. Differunt autem hæc vota tripliciter. Primò, quòd votum conditionale conſtet particula *ſi*, vel æquipollente, quæ habet vim conditionis, abſolutum verò minimè. quòd ſi hoc interdum continet talem particulam, ea non habet vim conditionis ſed temporis, & idem valet, quod quando, vt cum quis ita vouet, uouco me relicturum ſæculum ſi mater obierit.

Secundò, Votum conditionale ſuſpendit obligationem exequendi voti uſque ad euentum conditionis, quæ ſi non euenerit, penitus euaneſcit. parit tamen ſtatim obligationẽ expectandi euentum conditionis (ſicut omnes alij contractus conditionales) à qua inuita parte non potes liberari. Votum abſolutum non ſuſpendit, ſed ſtatim omnem ſuam obligationem imponit: quãuis interdum executionem ipſam in diem certum vel incertum differat: vt, Voueo me religionem ingreſſurum cum mater obierit.

Tertiò, In voto conditionali affectus vouentis non fertur directè in ipſum uotum, ſed in id quod mediante voto cupit obtinere, vel quod timore obligationis voti cupit vitare. In voto abſoluto affectus directè fertur in ipſum uotum, etiamſi forte ex alia cauſa ad illud emittendum moueatur.

Votum conditionale aliud eſt ſimpliciter *conditionale*, aliud *pœnale*. *Pœnale* eſt, quando quis vouet aliquid in pœnam delicti, ſi forte in illud incideritut timore oneris uoti diligentius ſibi caueat. quod poteſt fieri bifariam; Primò, Si ſolum uoueas pœnam delicti, non autem euitationem; vt, Voueo me daturum eleemoſynam, vel ingreſſurũ Religionem, &c. ſi inebriatus fuero. & hoc eſt ſimplex uotum pœnale. vnde talis non peccabit contra uotum per ebrietatem; ſed purificabitur conditio, & abſolutè ex uoto tenebitur ad pœnam, quam ſi non præſtiterit, tum demum uotum violabit. Secundò, Si non ſolum uoueat pœnam in euentum delicti, ſed etiam cautionem delicti; ut, Voueo non amplius inebriari, alioquin dabo largam eleemoſynam. hoc uotum non eſt ſimplex, ſed duplex; quia duo uota continet, alterum abſolutum de non inebriando; alterum conditionale, de erogãda eleemoſyna. unde ſi te inebries, peccabis contra uotum abſolutum, & purificabitur conditio uoti pœnalis.

Votum ſimplex *conditionale* eſt, quod non fit ſub conditione delicti futuri ueluti in pœnam, ſed ſub alia; u. g. ſub conditione mali alicuius diuina ope uitandi, quaſi per modum contractus: ut, Voueo Religionis ingreſſũ, ſi illo morbo curatus fuero. quamuis hoc uotũ poſſit accipi tamquã abſolutũ, ſi directè ex affectu Religionis ſic uoueas; & tũc illud ſi, deſignabit tempus, nõ conditionem. quo modo ſæpè accipi ſolet, dum dicimus; Voueo ingredi religionem, ſi uxor, uel mater obierit, &c.

31 *3. In ſimplex & ſolemne.*

Tertiò, In *ſimplex* & *ſolemne*. *Solemne* uocatur, quod ſuſceptioni ſtatus immutabilis coniunctum eſt. quale eſt illud, quod annexum eſt ex Eccleſiæ decreto ſuſceptioni Ordinis ſacri, per quem immutabiliter dedicatur quis ſtatui eccleſiaſtico; & illud, quod continetur profeſſione Religionis approbatæ. Ita habetur c. unico de uoto & uoti redemptione in Sexto. hęc enim duo, Ordo ſacer & profeſſio Religionis, ſunt ſolemnes quidam actus, a quibus uotũ ſolemne dicitur; & certam quamdam uim ſeu qualitatem ex decreto Eccleſiæ obtinet; nempe quòd uotum caſtitatis irritũ reddat matrimonium, ſi attentetur; paupertatis, inc. pacem faciat dominij, vt infrà dicetur c. 41. dub 8. Denique quod ægerrime poſſint laxari.

Simplex eſt omne aliud votum, etiamſi perpetuum ſit; quale eſt etiam profeſſio Religionis non approbatæ.

Quarto, Diuiditur in *expreſſum* & *tacitum*. *Expreſſum* eſt, quod verbis diſertis exprimitur. *Tacitum* eſt, quod cenſetur fieri eo ipſo, quo voluntariè aliquid agitur, cui ipsũ connexum eſt, vel ſupponitur. tale eſt quod fit ſuſceptione Ordinis ſacri; & geſtatione habitus profeſſorum expleto anno probationis; de quo infra cap. proximo, dubitatione ſeptima. 32 *4. In expreſſum & tacitum.*

Quintò. Diuiditur in *perſonale*, *reale*, & *mixtum*. *Perſonale* eſt, vbi promittitur quod perſonam ſolam attingit, vt actio aliqua vel omiſſio. *Reale*, quo res aliqua externa promittitur. *Mixtum*, quo vtrumque, v. g. peregrinatio cum oblatione. *5. In perſonale, reale, mixtum.*

Sextò, In *perpetuum*, & *temporale*. Vbi aduerte, in quibuſdam pijs congregationibus emitti votum caſtitatis & obedientiæ, appellatum perpetuum, non quòd abſolutè perpetuum ſit; ſed quia tale eſt pro tempore, quo in illa congregatione manſerint. vnde tale votum non eget diſpenſatione; nam hoc ipſo, quo egrediuntur, ceſſat. Vide de his diuiſionibus Sylueſt. Votum 1. q. 5. Angel. Votum 1. quæſt. 8. & alios. *6. In perpetuum, & temporale.*

DVBITATIO VII.

Quænam cadant ſub votum.

D. THOMAS ART. 2.

RESPONDEO, Vt aliquid ſub votum cadat, tria requiri. Primò, Vt ſit in noſtra poteſtate. Secundò, vt ſit bonum. Tertiò, Vt ſit melius quàm oppoſitum. 33 *Tria requiruntur ut aliquid materiam voti. 1. Vt ſit in noſtra poteſtate.*

Primò debet eſſe *in noſtra poteſtate*: ſtulte enim quis promittit alteri, quod in eius poteſtate non eſt vt fiat vel non fiat, vt ſi quis vouerat ſe moriturum, aut non moriturum. Hinc fit ut uotum de numquam peccando venialiter, non valeat; quia cum auxilio ordinario non eſt in noſtra poteſtate omne peccatum veniale vitare. ſi tamen intenderes te obligare ad vitanda omnia non abſolutè, ſed quantum diuina gratia conſequi poſſes, & humana infirmitas permittit, eatenus eſſet validum. ſicut dum quis vouet ieiunare totum annum; tenetur omnibus diebus, quibus poteſt, etiamſi totum annum explere nequeat. Valet tamen uotũ de non peccando mortiferè; quia cum auxilio diuino poſſumus omne peccatum mortiferum per totam vitam cauere. Ob eamdem cauſam valet uotum de non mentiendo iocoſe, de cauenda diſtractione uoluntaria, & ſimilibus, quæ auxilio diuino cauari poſſunt: quamuis ob rei difficultatem & periculum expediret huiuſmodi vota commutari. *Votum non peccandi venialiter.* *Non peccandi mortiferè.*

Petes, Quando uotum non poteſt integrè impleri, Vtrùm non teneat ad partem quæ poteſt impleri? Reſpondeo, Non ſemper teneris ad partem, ſed ſolùm in duobus euentibus. Prior eſt, quando animus fuit obligandi ad partem, in euentum quo non poſſes præſtare totum. Votum enim obligat ſecundum intentionem uouentis; vt ſi uoueris extruere templum, eo animo ut ſi non poſſes totum, ſaltem te obſtringeres ad partem prout facultates ferrent. Secundo, ſi dubium ſit de animo, conſideranda eſt conditio rei, ad quam te obligaſti. In dubio enim interpretanda eſt obligatio iuxta condictionem obiecti. Non enim poteſt eſſe certior regula, vbi non conſtat de animo uouentis. Itaque ſi res eſt talis, ut obligatio ad illam more recepto ſoleat diuidi, teneris ad partem; ſi autem non ſolet diuidi; non teneris ad partem niſi poſſis præſtare totum. ut ſi uouiſti ieiunium per totum annum; etiamſi non poſſis niſi tertia parte anni, tamen teneris pro illa parte: quia hæc obligatio ſolet diuidi, tamquam ad diuerſa opera per ſe completa ut patet in obligatione ieiunij quadrageſimalis impoſita ab Eccleſia. Si uouiſti ieiunare certo die, & tunc non potes abſtinere a carnibus, uel a ientaculo, non teneris etiam abſtinere a cœna, quia hæ obligationes in ieiunio ſunt connexæ, nec ſolent ſeparari. ſi uouiſti recitare Preces canonicas die Dominico, etſi 34 *An teneamur ad partem voti.*

tunc non possis totum ob febrim vel profectionem, teneris tamen ad partem, quam commodè potes: quia obligatio est diuidua; sic enim obligat Ecclesia. Secus tamen in officio defunctorum, & Psalmis pœnitentialibus, vt notat Sanctius lib.9. de matrimonio disput.35. Si vouisti extruere templum vel monasterium, & postea deprehendas te non posse id integrè præstare ob damna rerum tuarum, vel alia de causa, non teneris ad partem; quia est obligatio vnius operis perfecti, quæ non solet diuidi. Ita Sanctius supra. Hæc intellige quando dubius est animus; nam si constat de animo, is exequendus est. Si probabiles in vtramque partem habes rationes, potes te conformare vtrilibet parti. Prædicta doctrina applicari etiam potest illis votis, in quibus apponitur aliqua circumstantia, vel clausula mala, vel indifferens aut impossibilis. Si enim animus fuit ita adhærere illi circumstantiæ, vt sine ea non volueris te obligare, votum est irritum: si autem non constet de animo, nec probabilis de eo sit coniectura, præsumitur non voluisse inhærere, vtpotè circumstantiæ inutili, & alienæ ab obiecto voti, & sic locum habet illa regula Iuris 37. *Vtile non debet per inutile vitiari.*

35 Secundo, Debet esse *opus bonum*: nemo enim aliquid promittit alteri nisi quod ei gratum est: Deo autem nihil gratum nisi quod bonum est, seu honestum. Per *opus* intelligo etiam operis abstinentiam; vt iejunium, paupertatem, castitatem, in quibus abstinentia aliquorum operum vouetur: res enim externæ non cadunt sub votum, nisi quatenus sublunt liberis actionibus vel omissionibus nostris. itaque votum immediatè est de actionibus vel omissionibus nostris.

2. Vt sit opus bonum.

1. Confert de opere malo. Votum Iephtæ.

Hinc sequitur Primò, Opus, quod ex se malum est, non esse materiam voti, vt sacrificare hominem: tale fuit votum Iephtæ, saltem implicitè; dum vouit offerre in holocaustum quidquid primum ei fieret obviam reuerenti à victoria, vt habetur Iudicum 11. nam vi illius voti filiam obtulit in Sacrificium, vt communiter docent Patres, quamuis Lyranus & quidam recentiores velint non obtulisse occisione corporali, sed civili duntaxat, eam ab hominum commercio secluso. Idem dicendum de operibus, quæ ex aliqua circumstantia ita mala sunt, vt ea exequi sicut in voto proponuntur, sit peccatum: vt si voueas eleemosynam ad obtinendam vindictam: petere enim à Deo auxilium ad peragendam vindictam, est peccatum: item dare eleemosynã ob illum finem: est enim Deum facere fautorem & opitulatorem iniquitatis. Eadem est ratio si quis in gratiarum actionem pro humano vindicta obtenta, vel sub conditione illius obtinendæ aliquid Deo vouerat. nam non solùm ipso actu vouendi, sed etiã solutione significat Deum esse adiutorem operum iniquorum.

Simili modo si voueas dare eleemosynam ob vanam gloriam, irritum est votum; quia dare ob hunc finem, malum est. locus vero si voueas aliquid, quod non sit peccatum, eo modo, quo intendis illud exequi: quamuis enim ex prauo fine te ad illud vouendum applices, vt ita ipsum votum sit peccatum ex fine illo extrinseco; tamen validum erit votum. vt si quis ex ambitione seu cupiditate Prælaturæ vouerat Religionem; vel ex affectu vanæ gloriæ vouerat ædificare templum, Monasterium, vouet eam illa facere absolutè, non autem facere ob prauum finem; quamuis ex affectu praui finis motus fuerit ad hæc absolutè volenda & vouenda etsi enim actus vouendi sit peccatum propter finem prauum, executio tamen voti non est peccatum.

36 *Duplicitermo potest bonum opus ob malũ fieri. Si malum fit finis operis.*

Vt hæc melius intelligantur, Notandum est, duobus modis fieri posse vt quis vouerat opus bonum ob malum finem. Primò, Si ita vouerat, vt prauus ille finis fit non solum finis voti, sed etiam operis, quod vouetur: & tunc votum est irritum; vt si voueas eleemosynam ad obtinendam vindictam, aut illicitos amores. opus enim, quod vouetur, nempè datio eleemosynæ, proponitur exequendum ob prauum finem, nempè ad petendam à Deo opem ad malum; quæ petitio peccatum est, & blasphemiam continet. Idem dicendum, si voueas sub conditione mali finis obtinendi, vel in gratiarum actionem pro obtento, vt dictum est. Secundò, Si ita voueas vt malus ille finis solum sit finis voti, vel potiùs applicationis voluntatis ad vouendum: vt si profitearis in Religione vt lautè viuas: lautè enim viuere non est finis castitatis, paupertatis, & obedientiæ, vt in voto proponitur, (non enim voues te hæc seruaturum ad illum finem; sed absolutè) verùm est finis, cur hic & nunc applices te ad actum vouendi & profitendi: sicut diuitiæ puellæ, & forma sunt finis cur te applices ad matrimonium. vnde huiusmodi professio est quidem peccatum, non tamen est irrita: si enim fiat ex causa impulsiua prava, tamen id, quod vouetur, absolutè est bonum, & executio sancta. Caietanus artic.2. quæst.88. distinguit hos duos modos in tres; sed si quis bene aduertat, primus & tertius eius modus non distinguuntur, quantũ ad præsens negotium.

Si sit finis vouendi.

Ex dictis patet, quid dicendum sit de quibusdam votis habentibus turpem conditionem: si enim opus bonum vouetur tanquam medium ad obtinendum a Deo malum finem, vel in gratiarum actionem pro tali fine obtento, votum erit irritum: nam executio prava est, & blasphemiam continens. si autem vouetur non vt medium, sed vt quiddam, quod certo eventu malo posito sit consecuturus, sic erit validum, vt, Si in duello inimicum occidero, vouco me ingressurum Religionem. non solent tamen homines sic vouere, vt recte ait Caietan. sæpè tamen sic vouemus in pœnam praui operis, vt, Si fornicatus fuero, vouco me ingressurum Religionem: quod votum est ratum, & posita conditione transit in absolutum.

37 *Conditio turpis.*

Quòd si finis non sit prauus, etsi coniunctus operi prauo, votum erit validum, etiamsi voueas opus bonum tanquam medium ad illum finem impetrandum: vt si voueas eleemosynam te daturum, si ex concubina prolem suscepueris, vel si ex duello saluus euaseris: etsi enim malum sit fornicari, & duellum inire; tamen supp. sita voluntate hæc faciendi, non est malum petere a Deo prolem, & salutem; unde nec votum eo fine suscipere.

38 *Si finis coniunctus operi prauo.*

Petes, Quale peccatum sit vouere opus malum.

39 *Votum operis mali, peccatũ*

Respondeo, Si illud opus sit peccatum mortale, votum illius erit mortiferum, idque duplici ratione; tum propter affectum illius operis; tum ob irreuerentiam seu contumeliam, quæ per tale votum Deo infertur. Si opus sit veniale tantum, multi DD. sentiunt votum illius esse solum veniale. Ita Sylu. Iuramentum 2.q.7. Sotus l.7. de Iust.q.1. art.3. Nauar. c.12.num.33. Primò, Quia materiæ paruitas videtur excusare. Secundò, Quia impletio talis voti solum venialis est.

Videtur peccatum mort.

Sed contrarium videtur mihi verius cum Caiet. in Sum. ma v. Voti materia. si enim scias esse peccatum, & Deo id voueas, est grauis irreuerentia: nam vel est remissa quædam; vt si promittas alicui tanquam gratum, quod scis esse ingratum: vel implicita blasphemia; qua dum seriò promittis Deo, quod scis esse malum, insinuas Deo placere peccatum, eoq; colis & honorari. Similis irreuerentia erit, si eodem animo impleas. Confirmatur: Malach.1. grauiter reprehenduntur qui victimam claudam, cæcam, vel alio defectu notabilem offerebant: quanto magis reprehensibilis esset, qui opus malum illi offerret? Idem dicendum de voto contra consilia. si tamen non voueas vt Deo gratum; sed solùm vt te confirmes, sicut fit interdum absque plena mali animaduersione, sic erit solùm veniale; vt si dicas, Voueo Deo me numquam te alloquuturum: me numquam hanc domum ingressurum. Parum modo solùm veniale est si quis huiusmodi propositum iuramento confirmet, vt infra dicemus.

Sequitur Secundò, Opus indifferens, id est, quod neque habet rationem honesti, nec praui, non cadere sub votum; quia Deo non magis est acceptum illud fieri, quàm omitti, verbi gratia vouisti Deo te numquam ingressurum domum Petri, eo quòd ibi supperant occasiones peccandi, votum est ratum, quamdiu illæ durant; quia tamdiu abstinere domo illa est honestum, & Deo gratum. sublatis occasionibus mali, desinit obligatio voti; quia tunc abstinere cœpit esse res adiaphora; quia ratio abstinendi sublata est. si postea rursus incipiat esse bonum, ratione illa priore reuiuiscente, rursus incipiet obligatio voti. Ratio est, quia votum illud respicit totum tempus vitæ: unde incipit vel desinit eius obligatio pro mutatione materiæ.

40 2. *Confert. de opere indifferente.*

Petes, Quid si opus, quod antea, cum voueretur, erat adiaphorum, postea fiat bonum? v.g. vouisti abstinere per petuo fraternis ædibus, ob aliquam offensionem in fratrem, deinde contingat ibi habitare aliquos, quorum consuetudo ubi foret noxia.

41 *Si opus adiaphorum fiat bonum.*

Respon-

Respondeo: Tale votum numquam obligare. Ratio est, quia ab initio irritum fuit; non enim hoc promittit Deo quia bonum & ipsi gratum, sed vt se in vinculum fratris in proposito non bono confirmet. vnde est: speciem voti habeat, tamen votum non est. Confirmatur ex regula Iuris 18. *Non firmetur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Secùs esset, si boni alicuius rationem ab initio vouisses, & postea illa boni ratio mutetur in aliam. v.g. vouisti abstinere perpetuò tali domo, ob pericula impuritatis; postea sublatis illis periculis succedunt pericula societatis in furtis vel inimicitijs. hoc euentu manet obligatio voti, quia periculum peccati & offensionis diuinæ & damnationis manet: & abstinere tali domo manet semper bonum & Deo gratum. Nec refert quòd alterius speciei bonitatem accipiat; quia vouetur absolutè quatenus Deo gratum, non autem præcisè quia huius vel illius speciei bonitatem obtinet.

Quid si ratio boni mutetur.

42 Tertiò, Requiritur vt id, quod vouetur, *sit melius* quàm eius oppositum, seu contradictorium. Ratio est, quia nemo promittit alteri aliquid, cui gratius esse nouit illud non fieri; & si tale quid promitti aliquando contigerit, non est seruandum; nam & ipse promissarius cupit non seruari. cuius ratio est clara, quia omnis promissio fit vt alteri gratificemur; ac proinde debet esse de eo, quod ille est gratus.

3. Requiritur vt sit melius opposito.

43 Hinc sequitur, votum de non mutuando, de non danda eleemosyna, de non ingredienda Religione, de non suscipiendis Ordinibus sacris non valere: quia contrarium eius, quod vouetur, est ex se melius & Deo acceptius.

Idem dicendum de voto matrimonij incundi. etsi enim possit se quilquam voto astringere ad hanc paupercula m propter Deum ducendam, supposita matrimonij constanti voluntate, (eò quòd perseuerante hac voluntate melius sit hanc ducere quàm aliam) si tamen eam voluntatem deponat, definit obligatio voti, quia absolutè melius est nullam ducere. Eadem est ratio quorumdã aliorum actuum, qui etsi sint actus virtutum, tamen non cadunt absolutè sub votum; quia meliùs est propter Deum illis abstinere, & melioribus incumbere. vt sunt ea, quæ multum implicant mentem rebus inferioribus, v.g. capessere quæsturam Reipublicæ, militiam extra caulam Religionis, officium Iudicis, & similia.

Votum matrimonij.

44 Sed difficultas est de eo, qui nõ potest continere, Vtrùm votum matrimonij ad vitandam fornicationem sit validum. Quidam docent validum esse. Ita Caiet. ar. 2. Nauar. cap. 12. num. 43.

Sed verius est nõ esse validum absolutè, ita vt non possit irritum reddi; sed solum ex suppositione, nempè supposito quòd ipse nolit alia remedia aduersus carnis tentationes adhibere: tamdiu enim obligabitur ex voto ad matrimonium suscipiendum. Quod si torporem illum excutiat, & alia remedia capessere velit, iam cessabit illius voti vinculum: quia iam est ei melius non ducere vxorem, quam ducere. Nec puto auctores supradictos hoc velle negare.

45 Pari modo irritum est votum, si voueas te non ampliùs voturum: melius enim absolutè est vouere, quàm non vouere. Si tamen aliquis facilior sit ad vouendum, is validè vouere poterit se in posterum non voturum, nisi re priùs cum prudente confessario communicata; melius enim est, præsertim tali homini, vouere ex matura deliberatione cũ viro prudente, quàm vouere absque huiusmodi deliberatione: vnde hoc ipsum potest cadere sub aliud votum. quare ad huiusmodi leuitatem comprimendum, aulicis quibusdam, qui mirè se votis intricabant, auctor interdum fui talis voti faciendi, optimo sanè successu: falsi enim sunt, post huiusmodi votum numquam ampliùs aliquid leuiter vouisse; métu violandi illius voti, leuitatem animi ad vouendum, retundére. Si tamen post tale votum rursus ex animi leuitate uoueret, ualeret hoc votum; modò ea consideratio adsit, quæ in alijs rebus ad peccatum mortiferũ, uel meritum sufficeret. peccaret tamen sic uouendo; quia priùs illud uotum, quo promiserat Deo non ampliùs sic uouere, uiolaret. Forrasse tamẽ hæc uiolatio non esset mortifera; quia fæpè contingit, ut adhibere uel prætermittere illam maturam deliberationem, non censeatur res magni momenti, præsertim quando res, quæ uouetur, facilis est. Simili modo ualet votum, quo quis ad scrupulos, qui de votis ipsi solent occurrere, arcendos, vouet se non voturum, nisi verbo uel scripto expresserit se uouere; vt docet Sylueller verb. Votum 2. quæst. 7. Angelus, Votum 3. quæst. Thomas quæst. Richardus dist. 38. quæst. 3. circa secundum principale.

Votum non vouendi.

Consilium aduersus leuitatem vouẽdi.

Fateor, Virtutis opera præcepta non cadere sub votum: Quia tam Doctores communiter docent, Vel imò, Quia votum Dei definit. *Quæ opera cadant sub votum, & quæ non, refert D. Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 1.* Nomine operum supererogationis intelligunt opus consilij, seu supererogationis, vt patet ex D. Thoma art. 2. q. 88. Secundò, Quia D. Thomas ibidem & ar. 2. indicat huiusmodi opera esse solum materiam voti, vocatq; ea vota communia, quasi non propriè sint generis voti solum ratione dicantur vota, sicut ea, quæ in baptismo fiunt. Idem docet Richard. eadem distinct. circa tertium principalem quæ. 2. Tertiò, Ad opera præcepta iam ante obligamur, eaq; obligatio est sufficiens; frustra igitur homo sibi nouum uinculum supra uinculum præceptiergo etiam inducet nouum uinculum obligationi prioris uoti: & ita si homo centies idem uoueat, centuplici obligatione tenebitur, & totiens uouendo votum centuplum peccabit; quod est absurdum. Hæc sententia quibusdam tribuitur Gersoni, & Tabienæ in Summa, u. Votum.

6 Opera præcepta.

Sed contrarium est omnino certum, nempe laudabiliter 47 posse uoueri Deo aliquid ad quod præcepto naturali uel positiuo astringimur, & per tale votum nouum uinculum induci. Colligitur ex D. Thoma quæstio. 88. artic. 2. ubi dicit, *ea opera, sine quibus finalem consecutionem non possumus, cadere sub votum, quatenus voluntariè fiunt.* Idem expresse docet Durandus in 4. dist. 2 & quæstio. 1. numer. 6. ubi ait, *non enim necessarium ad quod obligamur ex alterius auctoritate, non pertinet propriè ad votum, cuius obligatio est ex mera voluntate. Verumtamen quia ad idem potest obligari pluribus obligationibus, ideò nihil prohibet quin ad illud ad quod obligamur per præceptum ex alterius auctoritate, obligemur etiam per votum ex propria voluntate, vnde similiter tenendum est quod vouens se intentatum & committens fornicationem peccat duplicater, videlicet peccato fornicationis & infractionis voti.* Idem tenet Richard. supr. & ceteri DD. Probari potest Primo, Genes. 28. ubi Iacob uouit uotum Domino, se illum solum culturum pro Deo, & nullos deos alienos; id enim significant verba illa, *erit mihi Dominus in Deum.* Secundò, Ex perpetuo usu Ecclesiæ: vbi non solum vouetur abstinentia à nuptijs, quæ non est præcepta; sed etiam abstinentia ab omnibus illicitis voluptatibus extra matrimonium, quæ omnibus est præcepta. Tertiò, Iuramento possumus nouum vinculum inducere ad seruanda ea, ad quæ aliàs tenebamur: cur non etiam voto? Quartò, Si homini debeam ex mutuo vel alio contractu, possum me rursus illi ad idem promissione obstringere: ergo similiter possum in ijs, quæ Deo debemus. Denique opera præcepta sunt Deo gratissima: ergo possunt illi promitti, & hæc promissio nouum vinculum adferet. sicut enim creditor pluribus titulis potest idem exigere a debitore; ita debitor potest se pluribus nominibus ad idem obstringere.

Opera præcepta tamen valide vouentur.

Ad primum Respondeo, Doctores facere vim in nomine voti, quasi eo significetur promissio rei liberæ, quã aliàs non tenemur præstare: concedunt tamen induci nouã obligationem: & rem præceptam cadere sub votum, si consideretur non vt est iam debita, sed vt est in nostra potestate eam facere vel omittere. 48 *Ad rationes.*

Ad secundum: D. Thomam velle dicere promissionem illam, quæ fit in baptismo esse analogicè votum. nã ipsius sententia posse rem præceptam absolutè sub verum votum cadere, patet art. 2.

Ad tertiũ Etsi obligatio præcepti sit absolutè sufficiens ad nos inducendos in eius obsequium; sæpe tamẽ expedit vinculum voti superinduci; tum vt languidam voluntatẽ nostram magis in bono firmemus, & a præcepti violatione auertamus, tum vt plus mereamur, dum duplicem causa facimus, duplicemque virtutis rationem ponimus.

Ad quartum Respondeti potest Primò, si is, qui secundò idem vouet, intẽdat se nouo modo obligare, cõcedi potest fore nouam obligationem, etsi eiusdem speciei; vel certè priorem intra eamdem speciem auctum iri, sicque fore rum vt duplum peccet, si violet. Vnde probabile est Religiosum facere totem, si peccet contra votum castitatis, duplicem malitiam contra votum committere. Si tamen nõ intendat sibi nouam obligationem inducere, sed eadem te- *Duplex obligatio quæ oritur ex voto.*

nouare priorem,ad excitandum spiritũ, sic non inducetur noua obligatio, nec crescet prior intra eamdem speciem; quia votum non operatur vltra intentionem vouentis.

Quando censeatur esse duplex obligatio.

Respondeo Secundo, Esse disparem rationem: aliud enim est vinculum præcepti, aliud voti, & diuersa ratione vtrumque nititur:sicut aliud est esse debitorem ex præcepto Iudicis, aliud ex propria promissione, vel stipulatione.vnde obligationi præcepti facile noua obligatio ex voto superuenire potest.

Cum autem aliquid ex promissione cuipiam est debitum,fidem secundo illi promittatur,non nascitur nouum vinculum,aut nouum ius; sicut neque cum idem secundo alicui donatur vel venditur; nam primus actus omnem effectum,quem habere potest,iam posuit,ac proinde secundus non potest aliquid noui causare; sed solum confirmat & approuat obligationem & ius inductum per priorem. Vnde sequitur non esse duplex peccatum, neque ita augeri intra eamdem speciem vt æquiualeat duabus voti violationibus. vide infr.l.4.c.3.dub.12.

49 *Quæ cadant sub votum.*

Ex dictis patet,omnia ea sub votum cadere,quæ gratiora sunt Deo, quam eiorum opposita; quæ sunt tam omnia opera consilij; siue consistant in actione positiua, siue in omissione aliqua. Similiter opera omnia præceptorum; quamquam hæc non dicantur ita proprie materia voti, sicut ea,quæ sunt consilij.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm sit bonum Vouere,& ex voto aliquid facere animo colendi Deum, & quantum sit bonum.

D. THOM. ART.4.5.6.

50 *Sententia hæreticorum.*

HÆRETICI huius temporis docent non esse bonum,sed impium vouere Deo,cum opinione cultus, aliquid quod non sit præceptum; posse tamen tale quid voueri ob aliam finem;v.g.ad vitandum aliquod peccatũ, vel molestiam,vel ad alia vitæ negotia. Ratio illorum est, quia nihil vsurpandum ad cultum, *nisi quod Deus præceperit*:alioquin committetur ἐθελοθρησκία,id est,voluntarius cultus & superstitio:quam reprehendit Apost. ad Coloss.2.v.vlt.Ita Caluinus l.4.Inst.cap.13.num.12.3.& sequentib.& Lutherus de libertate Christiana,&c. Vnde inferunt vota Religiosorum impia esse & irrita:& SS. Franciscum, Dominicum,Bernardum,damnatos esse,nisi fortè commoditatis causa,nempe vt liberi essent ab vxoris,filiorum, & rerum temporalium molestijs, non autem studio cultus,& sic placendi Deo,ea vota fuisse inita.Sed est ridiculus error. Vnde

51 *Vouere animo colendi.*

Dico Primò,Fide tenẽdum est,bonum esse vouere Deo etiam opus non præceptum, animo colendi eum & illi placendi. Probatur Primò, Ex Scripturis,quæ ad hoc hortantur, Psalm. 75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes,qui in circuitu eius offertis munera terribili,& ei qui aufert spiritum Principum*, &c. vbi etiam ponitur causa, cur ei meritò vouere & vota reddere debeamus; nempe quia *terribilis* est, & vitæ necisque in omnes hominum ius habet Isa.19. *cognoscent Aegyptij*, (id est, gentes conuersæ) *Dominum & colent eum in hostijs & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent*. Secundò, Probatur, quia contradictionem implicat,fieri votum,& non animo colendi, saltem implicitè: cum votum intrinsece sit quidam Dei cultus; nulla enim Deo fit promissio vel oblatio causa leuandæ inopiæ, vel vtilitatis conferendæ, sed solum causa honorandi, & gratum deferendi obsequium, vt vsus omnium gentium testatur. Tertiò, Si ob aliam causam fieri potest, cur non etiam vt Deus honoretur, vtque Deo per hoc placeamus? nam & Apostolus hortatur vt omnia ad Dei gloriam fiant,& ex Scripturis constat vota Deo placere:cur ergo non possumus ea facere animo cultus,id est, vt Deo per hoc placeamus, vt ei gratum obsequium deferamus? eo enim ipsi cultum interpretantur. Quartò, Ratio naturalis dictat bonum esse, nunquam vota facere, illudque sic honorari. vnde omnes gentes dijs suis vota faciunt, & soluunt; putantque se hoc modo illos colere; & si ea non impleuerint,grauiter in illos delinquere.

Dico Secundò, Fide quoque tenendum, non solum bonum esse vouere,sed etiã vota animo colendi soluere. Probatur Primo,Ex Scripturis allatis, vbi dicitur *Vouete & reddite,accumbunt & soluent*: & Deuteronom. 23. *Si votum voueris, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus. si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris pollicere, absque peccato eris*, vbi apertè loquitur de voto reddendæ non præceptæ. Secundo, Quia eiusdem virtutis est vouere & votum reddere;etsi enim promittere homini,& promissa soluere, non sint eiusdem virtutis, cum illud sit liberalitatis,hoc fidelitatis;tamen promittere Deo & promissa soluere ad eamdem virtutem Religionis pertinet: vtroq. enim actu Deum honoramus, & bonorum nostrorum auctorem profitemur;quamuis vouere sit voluntatis, soluere necessitatis. Tertiò, Facere aliquid vt Deo seruemus fidem datam,est cultus Dei, & bonum: sed facere ex voto est facere vt Deo seruetur fides: ergo facere ex voto est cultus Dei, & bonum. Quartò, Omne opus bonum factum vt Deo placeamus,est cultus quidam Dei,iuxta modum loquendi Scripturæ: nam *visitare viduas & pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc seculo* (vbi omnes virtutes continentur) *est vera Religio apud Deum*. Iacobi 1. *Beneficentia & eleemosyna* vocatur *hostia Deo acceptabilis*, ad Philippen.4 & ad Heb.13. Ieiunium & obsecrationes vocantur *seruitus & latria* Lucæ 2. Castitas & corporis castigatio *hostia sancta, rationabile obsequium*, seu, *rationalis latria*, ad Rom.12.atqui laudabile est hæc facere etiam dum non sunt præcepta: ergo possumus Deo cultum exhibere etiã quando non præcipit. Quinto,Iacob vouit Deo decimas, quas ipse non præceperat,Genesis 8.nec dubium quin etiã soluerit.Dauid vouit ædificare templum, Psalm.131. Denique vota omnia,de quibus agitur Leuit.27. Deuteronom. 12.23. & alibi,sunt de rebus non præceptis. Imò res præcepta non potest cadere sub votum, nisi quatenus consideratur vt iubett nostræ libertati,vt inde offendetur. Sextò, Vouere idolo & soluere est idololatria: ergo vouere Deo & soluere est cultus Dei.

52 *Soluere animo cultus.*

Probatur primo.

Probatur secundo.

Probatur tertio.

Probatur quarto.

Cultus Dei quis.

Ad argumentum hæreticorum.

Ad rationem hæreticorum Respondeo, Absurdum esse nihil posse vsurpari ad colendum Deum, nisi quod est præceptum;contrarium enim constat exemplis Scripturæ, & aperta ratione. Omne enim opus bonum fieri potest in honorem Dei.Imò quo aliquid minus est debitum,eò magis idoneum vt offeratur Deo,iuxta illud. *Remitte tibi, sed citius tibi.* Neque illud est ἐθελοθρησκία,de qua Apostolus;quia non quiuis cultus voluntarie assumptus vocatur ab Apostolo ἐθελοθρησκία,sed is tantum qui sola inuentione humana conflatur,quod fieri potest dupliciter:vel enim defertur numini falso, & ab hominibus inuento, qualis est cultus Angelorum, quem Platonici & Simon Magus eis deferebant,de quo ibi agit Apostolus,vt plerique interpretantur: vel exhibetur Deo vero,sed non est idoneus cultus materia; vt si quis abstineat a cibis,quod putet eos natura sua, vel legis veteris decreto, etiam in nouo testamento immundos: vel ponat vim in re aliqua vel circumstantia, in qua non est ponenda vt in numero,in situ,in colore, &c.

Dico Tertiò, Facere aliquid ex voto non solum est bonum,sed etiam melius quam illud idem facere sine voto. est fide tenendum.Probatur Primò.Quia Scriptura hortatur ad vouendũ; quod non faceret, nisi opus ex voto præstitum esset Deo gratius. Secundò,Quando opus alias bonum fit ex voto,habet duplicem Laudem; tum quia per se & secundum suam speciem bonum est, vt dare eleemosynam,ieunare;tum quia fit ex affectu Religionis in Deum, seu ex fide,quam Deo debemus. Tertiò.Qui vouet,& votum soluit,non solum offert Deo bonum opus, sed etiam boni operis facultatẽ; nam priuat se facultate illius omittendi. Vnde similis est illi,qui donat non solum fructus arboris,sed etiam ipsam arborem,vt ait Anselmus lib.de similitudinib.cap.84. qui autem solum opus præstat absque voto,non dat Deo operis illius facultatem. Quartò, Qui facit ex voto, operatur ex proposito firmiore, magisque immutabili: hoc autem est melius V.de D.Thom.art.6.

53 *Opus ex voto est melius, quam sine voto.*

Dices Primò, Quod fit ex necessitate minùs gratum est Deo quàm quod liberè: id autem quod fit ex voto, fit ex necessitate; ergo quod fit ex voto minùs est gratum Deo, quã quod sine voto. Maior probatur 2.ad Cor.9 *Non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Minor patet,tũ quia votum inducit vinculum; tũ quia Apo-

54 *Obiectiones*

Apostolus

stolus votum vocat *laqueum*. 1. ad Cor. 7. *Non vt laqueum vobis iniciam*. q.d. hortor ad continentiam, non ad votum, ne sit vobis in laqueum.

Ex necessitate fieri tripliciter dicitur.

Respõdeo, Tribus modis dicitur aliquid fieri ex necessitate. Primò, Quia fit ex absoluta determinatione ad vnũquomodo bestiæ ex necessitate operantur, & homo iuxta hæreticos, ex necessitate agit quidquid agit, quia ad omnia & singula motione diuina impellitur, ita vt resistere nequeat, vt docet Caluinus lib. 1. Inst. c. 18. §. 1. & 2. Secũdò, Quia fit ex aliqua coactione. dicitur autem ex *coactione* fieri, quod fit repugnante voluntate; nollet enim voluntas, nisi timor alicuius mali, aut vis aliqua vrgeret. Nec refert quale id malum sit, temporale, an æternum. Tertio, Quia fit ex obligatione, (siue ea proueniat ex præcepto, siue ex voto, siue alium de) absque vllo effectu repugnante.

Quod fit ex necessitate primo modo, non est laudabile, aut meritorium; quia non est nostri arbitrij, sed eius, qui determinationem illam impressit. Vnde si Deus hominẽ ad omnia opera sua prædeterminaret, nullum esset meritum, nullum demerit um. fieri tamen potest vt id, quod fit ex huiusmodi necessitate, sit maximũ bonum, nõ quidem bonum morale, meritorium, laudabile; sed honorabile & diuinum; vt patet in visione & amore beatifico, in productione Filij, & Spiritus sancti.

Quod fit coacte & timore seruili, nõ est malum.

Quod secundo modo fit ex necessitate, etiam non est meritorium: quia non fit ex affectu honesti, sed timore incommodi temporalis; & consequenter ex affectu commodi temporalis, vt opum, honoris, sanitatis. non est tamen quod sic agitur malum: etsi affectus ille non faciendi, qui coniungitur, malus esse possit; vt quando opus est præceptum: quia affectus ille, quo nollet facere, nisi cogeretur, non influit in opus, sed tolũm est quid comitans per accidens. Vnde etiam timor seruilis, & id, quod fit ex tali timore, malum non est: licet seruilitas eius, quæ in affectu illo coniuncto continetur, mala sit.

Tertius modus non repugnat bonitati operis, aut merito, vel laudi eius: imò quo plures sunt tales necessitates ex quibus opus agitur, eo est laudabilius & melius; modò non adsit affectus operi repugnans, nimirum quo nolles opus, nisi obligareris. Ratio est, quia quò plures spectantur obligationes, eò plures sunt rationes virtutum, quarũ affectu opus agitur, sicque opus externum affectu omniũ illarum virtutum informatur.

Applicatur distinctio.

Ex dictis patet Responsio. Ad maiorẽ igitur dicẽdum; Id, quod fit ex necessitate coactionis, esse minùs gratum Deo; (vt recte D. Thom. ar. 6. ad 1.) quia fit repugnante affectu. & de tali necessitate loquitur Apostolus, cùm ait, *non ex tristitia*: tristitia enim nascitur cùm aliquid fit affectu repugnante. *aut ex necessitate*, id est, non quasi coacti imperio aut timore dedecoris, repugnante voluntate. Et ad Philemonem; *ne velut ex necessitate bonum tuum sit, sed voluntarium*; id est, non coactum repugnante voluntate. sed ex proprio affectu. at quod fit ex voto non fit ex tali necessitate, sed ex necessitate obligationis, non inuisa, sed amata, cui non repugnat affectus, sed ipsi cõsentiat: qui modus operandi est Deo gratior; quia ex affectu plurimũ virtutũ. vt si des eleemosynam non solùm affectu misericordiæ,

Quo modo opus ex præcepto sit melius

quia pauper eget, sed etiam affectu Religionis, quia Deo id promisisti; & affectu charitatis, quia Deo id placet. vnde etiã melius est ceteris paribus facere opus bonum ex præcepto, quã suo arbitrio absque præcepto. qui enim ieiunat ex præcepto, facit ex affectu tẽperantiæ & obedientiæ; qui sine præcepto; temperantiæ tantùm. Hinc patet ad minorem: etsi enim votum inducat vinculum, tamen hoc est voluntarium, & necessitas amabilis, vtpote sponte suscepta. Neque Apost. 1. ad Cor. 7. votum vocat *laqueum*, sed præceptum inuitis impositum. quamuis votum etiã possit dici *laqueus* ijs, qui inuiti vouent, & qui post vota tepescunt, & retrò respiciunt: sed hoc modo etiam præcepta Iuris naturæ laquei sunt peccatoribus.

Petes, Quid si quis repugnante affectu faciat opus ex voto?

Implens votum affectu repugnante.

55 Resp. Id posse fieri multis modis. Vel. n. displicet opus secundùm se, vt quia asperum, molestum, verecundum; tamen quia vouit, vult facere. & hoc etiam modo opus ex voto melius est quàm sine voto. melius enim est ieiunare affectu Religionis, quàm affectu temperantiæ, vt rectè D. Thomas ad 2. Sic Religiosi faciẽs ex voto id, quod aliàs nollent facere, plus mereantur quàm illi, qui id faciunt sponte sua.

Vel displicet etiam votum, ita vt homo vellet se non vouisse; tamen quia vouit, vult facere, vt voto suo satisfaciat. & sic quoque melius est facere ex voto, nam displicentia illa non influit in opus, sed solùm comitatur; nec est per se peccatum, quia potest interdum subesse iusta ratio dolendi de voto. Quòd si iusta ratio non subsit, est quidem peccatum; (quia est quædam in Deum ingratitudo dolere de tanto beneficio, de quo gratiæ maximæ essent agendæ) non tamen est peccatum mortiferum, modò propositum exequendi perseueret.

Vel ita displicet votum, vt non sit ei curæ facere ex affectu voti; facit tamen timore peccati, ne grauiter Deum offendat. & hoc quoque modo opus factum ex voto potest esse melius quam idem opus factum sponte ex affectu suæ virtutis: quia timor peccati, vt offendit Deum, est actus charitatis: vnde tale opus fit ex affectu charitatis.

Vel denique facit opus ex voto tantummodo timore damnationis, alias non facturus. hoc modo opus non est melius, quia ex timore seruili; tamẽ nõ est malũ; quia talis timor ex virtute fidei & spei excitatur. affectus tamen ille, qui comitatur opus, Nollẽ seruare votum, nisi metuerem damnari, est peccatum; quia est affectus & amor eius, quod per se malum est, & contemptus iustitiæ & rectitudinis: imò continet implicite quẽdam contemptum Dei & diuinæ amicitiæ. secus de illo affectu, Nolle facere nisi omissio esset peccatum, vel displiceret Deo.

Obiectio.

Dices, Melius est aliquid donare gratis, quam ex obligatione; ergo melius est facere sine voto.

Resp. Obligatio ex promissione non repugnat liberalitati.

Resp. Primò, Si illa obligatio orta sit ex liberali promissione, quod ex ea datur, etiam gratis datur; non enim obligatio, quæ nascitur ex promissione liberali repugnat liberalitati, sed est eius effectus.

Secundò, etsi hominibus gratius sit vt aliquid ipsis detur gratis, quàm vt detur ex obligatione, (quia cùm gratis accipiunt, videntur aliquid lucrari) Deo tamen non est semper gratius: quia non quærit lucrum ex operibus nostris; sed id semper est ei gratius, quod ex pluribus vel melioribus affectibus procedit.

DVBITATIO IX.

Quale peccatum sit violare votum.

D. THOM. ART. 3.

Potest esse ex leui ratione paruitatis materiæ, & defectu considerationis.

RESPONDEO, Ex genere suo esse peccatum mortale, quia est contra reuerentiam Deo debitam, & notabilem quemdam contemptũ & vilipensionem Dei continere videtur: sicut qui fidẽ homini datam violat, censetur illum parui æstimare. si enim illum magni æstimaret, cõmoueretur ipsius reuerentia, ne fidem ipsi datam auferet fallere. fieri tamen potest vt ex paruitate materiæ, vel defectu animaduersionis sit veniale, sicut in ceteris peccatorũ generibus accidit, vt si vouisti recitare Psalterium, & omittas paucos versiculos, & in hoc conueniunt DD.

Si tota materia sit tenuis.

Sed difficultas est Primo, Vtrũ violatio voti fit aliquando venialis ratione tenuitatis materiæ, quando totũ violatur. vt si voueris salutationẽ Angelicam, & postea omittas. Caietanus q. 89. de iuramento art. 7. & Angelus, Votũ 3. §. vltimo, existimant semper esse mortale, quando id, quod omittitur, est tota materia voti vel iuramenti.

Probabilius esse veniale,

Sed etsi hæc sententia sit probabilis; Contrarium tamẽ est probabilius, nempe esse tolùm veniale, quando materia est valdè exigua. Ita plerique recentiores hoc tempore, Nauarrus cap. 12. num. 40. Sotus l. 8. q. 1. art. 7. vbi acriter hoc tuetur. Probatur Primò, Quia etsi bona cogitatio, breuisque precatio sit res magni meriti, tamen ad vouendum, & inter ea, quæ vouere solent, censetur humano more materia parua. Secundò, Quia inter ea, quæ homini debentur ex iustitia, datur materia magna & parua, cur non etiam inter ea, quæ debita Deo? Tertiò, In ceteris peccatis contra virtutes, quæ non versantur immediate circa Deũ, inuenitur materia magna & parua, est enim fornicatio magna & parua, omissio orationis magna & parua, item in decimis, & oblationibus fraudatio magna & parua: in

volu-

voluptatibus prohibitis,magna &parua cur non etiam in peccatis cótra votum. Idem cẽsendum de iuramento promissario,vt quidam volunt.de quo infrà,c.42.dub.5.

59 Obiectio 1. Dices Primò,Nihil,quod ad Dei honorem pertinet,cẽsendum est parui momenti, cùm vitam æternam pro.ne-reatur:ergo ratione paruitatis materiæ non excusatur.

Respon. Respódeo, Etsi nõ sit absolutè parui momenti respectu meriti,tamen ad vouendum,(id est,in ordine ad votum,& honorem Dei) paruum censetur. alioquin etiam mortale esset omittere aliquot versiculos, dum sunt pars materiæ votæ: nam recitatio illorum tamquam partis materiæ, est tam meritoria, quam recitatio illorum vt sunt tota materia,nec minùs Deum honorat,si pari affectu fiat.

Obiectio 2. Dices Secundò, Quando versiculi illi sunt pars materiæ, si omittantur, nondum violatur votum, quod per se primò respicit totam materiam, (v.g. cùm vouisti legere Psalterium)sed tantum modò cùm quadam imperfectione soluitur: dum autem sunt tota materia,violatur totum,votum ergo est dispar ratio;nam totius voti violatio videtur esse magna irreuerentia.

Resp. Respódeo nõ esse disparitatẽ notabilem.ideò.n.omittere istos versiculos est venale; quia violatur votum in re parua,siue illa res parua sit tota materia, siue pars: hoc .n. non facit illam strictiori obligatione deberi. Confirmatur, quia si quis promiserit 10. & non soluat nisi nouem,violat promissum in vno, & hæc violatio censetur esse in re parua;cur non etiam censeatur esse parua si non soluat,quando tantùm illud vnum promiserat?Nec refert quòd ille dicatur soluere votum;hic verò nullo modo:quia ille ita soluit,vt etiam ex parte violet,quæ pars tanti est, quanti tota materia alterius. Nec obstat quòd illa pars non fuerit per se primò vota; quia sufficit illam veré votam esse in toto. parùm.n.interest an aliquid sit promissum per se & solitariè, an cum multis alijs: quia non ideò plus vel minùs est debitum, vt ex communi hominum sensu constat.

Obiectio 3. *Mendacium de peccato veniali in confessione.* Dices Tertio, Mendacium de peccato veniali,si sit tota materia confessionis,est peccatum mortale: non autem si solùm sit pars materiæ,vt communiter Doctores docent; ergo similiter quando aliquid est tota materia voti; si violetur,erit peccatum mortale.

Resp. Respõdeo esse disparem rationem. ideò enim tale mendacium est peccatum mortiferum, quando est tota materia confessionis, quia reddit irritum Sacramentum, quod est peculiare opus sacerdotij Christi, ab illo singularem sanctitatem habens. votum autem non est functio sacerdotij Christi,nec vllam sanctitatem habet, nisi a vouente. nec redditur irritum, cum iam præterierit; sed solum agitur contra obligationem eius remanentem, idque solum in re parua.

Obiectio 4. Dices Quartò, Lege diuina tenemur soluere vota: sed violatio legis diuinæ est peccatum mortale.

Respon. *Violatio legis diuinæ in re magna. Exiguũ opus si frequentẽtur.* Respondeo, Violatio legis diuinæ in re magna est peccatum mortale,non autẽ in re parua; nam lex diuina præcipit nihil furari, nihil, quod proximi sit, concupiscere; tamen contrarium facere in re parua non est peccatum mortale.

Si obligatio sit diei annexa. Secundò difficultas est,cùm quis vouit aliquid minutũ singulis diebus faciendum, Vtrùm sit peccatum mortiferum illud per vnum vel plures dies omittere?

Resp.breuiter & dico Primò,Si ita intendat se obligare in singulos dies,vt obligatio sit diei affixa & vnà cum die expiret,non erit peccatum mortiferum,etiamsi per plures dies omittat,sed erunt tot peccata venialia, quot erunt omissiones,seu dies quibus omittit: vt si voueris singulis diebus Sabbati in honorem B. Virginis recitare Salue Regina, vel Aue maris stella. Ratio est,quia cùm obligatio non cõtinuetur,sed euanescat quotidiè,non accumulantur quoq; obiecta parua ad constituendum vnum magnum,sed manẽt diuisa,sicut & obligationes. Itaque cùm numquam fit obligatio ad obiectum magnum, numquam omissio erit peccatum mortale. Confirm. Quia in huiusmodi votis,nõ est vna aliqua obligatio respiciens materiam magnam, sed sunt plurimæ obligationes distinctæ respicientes distinctas materias paruas. Nam perinde se habent ac si quis singulis diebus faceret nouum votum de recitanda prece illo dumtaxat die;quo casu uiolatio plurium dierum non efficeret peccatum mortale,sed totidem venialia. Colligitur hæc doctrina ex Soto lib.7.de iust.q.2.ar.1.dub.2.

Dico Secundò, Si ita se quis obliget in singulos dies vt obligatio non sit diei affixa nec expiret cum die,sed cõtinuetur;erit peccatum mortiferum complures dies omittere. Vt si voueas quotidie dare alicui in eleemosynam, si omittas per plurimos dies, accumulatur debitum, fitque materia notabilis, ac proinde erit peccatum mortale non soluere. Similiter si vouisti recitare quotidie orationem Dominicam,aut hymnum Veni creator,non affigens orationem diei,si diu omittas,crescit debitum,fitque notabile: quare erit peccatum mortiferum illud non soluere,aut vna volitione per multos dies talia minuta debita velle omittere. Idem dicendum quando alicui imponitur in pœnitentiam, vt per mensem recitet quotidie Psalmum Miserere.non enim obligatio affigitur diei tamquam proprius illius cultus (nisi aliud intendat Confessarius) sed diuiditur onus in plures dies, & singuli dies præfiguntur tamquam termini, vltra quos non sit executio differenda. Vnde si omittatur,non ideò euanescit obligatio. 61 *Si non sit annexa diei.*

Porrò in istis & similibus casibus, non solũ est peccatum velle per plurimos dies minuta & quotidiana illa omittere,aut omittere soluere debitum cùm excreuit, sed etiam omittere minutam precationem eo die, quo hæc precatio cum reliquis omissis materiam magnam constituit, seu quo debitum esse notabile incipit. Exempli gratis,sint 20 precationes Dominicæ materia notabilis.omissio vigesimæ erit peccatum mortiferum, quia hæc primũ complet quantitatem notabilem, circa quam sit obligatio sub peccato mortali, sicut vigesimus assis v.g. in materia furti,constituit quantitatem notabilem,vnde qui antè sensim accepit vsque ad octodecim vel nouemdecim,etsi nõ peccarit mortiferè, tamen accipiendo vigesimum voluntate retinendi vna cum ceteris,peccatum mortiferum admittet. Vide suprà lib.2.cap.12.dubit.8.

Malitia violationis eiusdem speciei. His adde omnia peccata contra votũ, qua parte votum violant, esse eiusdem speciei. quia eiusdem rationis est irreuerentia & infidelitas erga Deum,siue in hac,siue in illa materia fiat. Vnde qui vouit castitatem,si contingat illum fornicari, vel pollui, & cõfessus fuerit hoc peccatum omissa per obliuionem circumstantia voti, sufficit vt postea eidem vel alteri confessori explicet se votũ in re graui violasse,vt multi DD. tradunt.

DVBITATIO X.

Vtrùm votum alterius possit alterum obstringere, vt parentis, filium; testatoris, hæredem; decessoris, successorem.

VT respondeatur huic dubitationi, adhibenda est distinctio votorum in personale, reale, & mixtum, de qua supr.dub.4. Qua posita.

62 *Vota personalia.* Dicò Primò,Si votum sit *personale*.non obligat nisi personã vouentis.tale est votum ieiunij, peregrinationis, militiæ sacræ,ingrediendæ Religionis, & similia. Ratio est, quia hæc vota solùm sunt de actionibus personalibus,quę à sola persona vouentis sunt exequendæ.hæ enim solæ promittuntur,nulla autem res externa: ergo non pertinent ad personam hæredis. itaque si huiusmodi votis nondum solutis vouens decesserit,non tenetur hæres.

An parentes obligent filios. Sed difficultas est de parentibus, Vtrũ illi voto suo non possint obligare filios. Videntur posse,nam multis Canonibus,habetur,filium,qui à parente in infantia sua Monasterio dicatus fuerit,non posse,cùm ad pubertatem venerit,egredi.Ita habetur 20.q.1.c.3. Monachum, ex Concilio Toletano 4. cap.48. *Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. proinde his ad mundum reuertendi interclusimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus.* Idem habetur expressè cap.Addidistis.2.& ca.Quicumque.4.& ca.Quem progenitores.6.Ibidem.

63 Resp. Respondeo, Nec votum,nec oblationem parentis posse obligare filium impuberem ad Religionis ingressum, vel permansionem in ea, nisi filius cũ ad annos discretionis peruenerit, consenserit, & factum parentis ratum habuerit. Ita Glossa. in cap. Addidistis, vbi sic ait, *Intelligas hæc tria capita, de illis, qui post ætatem adultam consensum accommodarunt*. vnde patet responsio ad prædictos Canones.

nes & habetur expresse ca. Cũ simus. 14. de Regularibus. quod est Cælestini III. & cap. 10. Illud autem. 20 quæst. 3. quod est Marcelli. Colligitur etiam cap. Puellæ. 8. & cap. Sicut 9. ibidem. Confirmatur ex Concil. Trident. sess. 25. c. 17. de Regularibus, vbi statuit vt professio virginũ liberrima sit, & c. 18. excommunicat eos, qui aliquo modo virgines vel alias fœminas ad ingrediendum Monasterium, ad habitum, vel professionem cogunt, &c. Ratio est primo, Quia nemo potest vouere aut promittere alteri, nisi quod habet in sua potestate; atqui arbitrium & actiones filij non sunt in potestate parentis. Vnde parens non potest aliud vouere, quàm se curaturum vt educetur dum adhuc impubes est, in Monasterio; & quantum in se est inducturum ad Religionem amplectendam: quandocunque enim aliquis promittit factum alienum ad quod cogere nõ potest, non censetur aliud promittere, quam se quantum potest, inducturum alterum vt faciat, vt omnes Iurisperiti docẽt, & colligitur L. Stipulatio ista. ff. de verb. obligat. & iuliet. de simili ff. stipul. 5. Si quis alium.

Deinde in his, quæ ad statum vitæ pertinent, quisq; est sui iuris, nec potest ad ea nisi suo consensu obligari; vt patet in matrimonio, sacerdotio, conflatu, &c. tantum enim onus, quod perpetuo homini adhæret, & in negotio salutis tantum in vtramque partem momenti habet, non est alieno arbitrio pendere, sed ipsorum sumi debet: ergo idem dicendum de statu Religionis. Denique quia Christus Dominus cõsilia sua voluit esse libera, idque tũ propter illorũ excellentiam; tum quia non sunt necessaria ad salutem. Vide nulla potestas humana potest ad ea obligare. Itaque Religio duplici nomine libertatem postulat, nimirum quia & ad totius vitæ statum pertinet, & quia est bonum supernaturale consilia Christi complectens.

Quæ parens possit præcipere.

Nec obstat, quod parens possit quædam filio præcipere: quia non potest præcipere ingressum Religionis, sed ea tãtum, quæ ad domesticam disciplinam, & obseruationem mandatorum Dei pertinent. Deinde etsi ad hæc possit filiũ obligare præcepto, non tamen voto.

64 *Si occurrat impedimentum.*

Petes, Quid si voto personali implendo occurrat impedimentum; tenebiturne vouens penitium implere?

Respond. Non tenebitur, quia sola ipsius persona obligabatur; quæ iam per impedimentum excusatur. quod si per alium fecerit, non ideo liber erit cessante impedimento; nisi commutetur votum. Excipe, nisi dum vouerei, intendisset se obligare ad implendum per alium, in euentum, quo per se non posset, tunc enim teneretur id curare, & sic liberaretur.

65 *Si reale.*

Dico secundò, si votum sit *reale*, nisi ante mortem persolutum fuerit, obligat hæredem. colligitur ex capitul. Si hæredes, de testamentis, vbi dicitur; *hæredes, quos iussa testatoris non implerunt, esse interdicendos hæreditate.* talia enim vota inter iussa ipsius censenda sunt. Idem patet ex L. 2. ff. de pollicitationibus; vbi dicitur, *si decimã quis bonorum vouit, decima non prius in bonis desijsse, quàm fuerit separata, & si forte qui decimam vouit, decesserit ante sepositionem, hæres ipsius hæreditario nomine obstrictus est decimæ: voti enim obligationem ad hæredem transire constat.* Idem docent communiter Doctores, vide Sylvestrum v. Votum 2. q. 11. Ratio est, quia sicut hæres succedit in bonis, & in actionibus ac iuribus defuncti; ita etiam in oneribus, quæ hæreditatem attingunt, etsi nulla res per se sit obligata. Vnde sicut ea, quæ testator promisit homini, tenetur soluere, id etiam quæ promisit Deo.

Votum peregrinationis.

Idem dicendum videtur, si defunctus vouerat aliquam peregrinationem, vel militiam sacram, ea intentione, vt si per se non posset exequi per alium curaret: tunc enim sub conditione videtur tacitè vouisse se daturum sumptus ad hæc præstanda; & proinde fecisse votum reale; quare tenebitur hæres, quod est notandum. idem dicendum quando testator ordinat vt hæres mittat hominem.

Simile est, si quis vouit ædificare Monasterium, vel aliã piam fundationem instituere. Ita docet Abulensis qu. 98. in cap. 30 Numerorum.

66 *Si hæres negligat.*

Petes, Quid si hæres non curet fieri, peccabitne contra votum?

Respondeo, Non peccabit propriè contra votum, nec erit voti violator; quia ipse nihil vouit, aut promisit Deo; (sicut hæres, qui tenetur promissione testatoris iuramento confirmata, non tenetur vinculo iuramenti) sed partim contra obligationem, qua defuncto obstringitur ratione hæreditatis acceptæ, seu tacitè pacti, quo eo ipso, quo hæreditatẽ addit, acceptat onera defuncti: partim contra Religionem, quia non solum quod Deo debet. etsi enim Deo non promiserit, tamen factus est Deo debitor, suscipiendo in se obligationem alterius Deo debentis. Sicut is, qui promittit se votum vtentis impleturum accepta mercede, si faciat, & ipsi & Deo iniuriam facit.

67 *Simile.*

Dico Tertio, Si votum sit *mixtum*, partim obligat, partim non obligat hæredem: obligat qua reale, non obligat qua personale. vt si vouisti peregrinationem Lauretanam, & offerre ibidem calicem; hæres tuus tenetur mittere calicem, non autem curare peregrinationem.

Sumptus itineris.

Petes, An teneatur sumptus itineris in pios vsus conferre?

Respondeo non teneri; quia sunt accessorij voto personalium non enim sub illud cadunt, nisi indirectè, & vt necessarij ad expletionem voti personalis: illo igitur euanescente desinunt deberi. secùs si ille vouendo intendisset vt per alium expleretur. Horum tamen habenda ratio in commutatione votorum, teste Navarro cap. 12. num. 77. & colligitur cap. Magnæ deuotionis. de voto. hoc tamen non videtur absolutè necessarium, sed decens.

DVBITATIO XI.

Quot modis possit quis voto solui.

68 *Quinque modi quibus obligatio voti tollitur.*

RESPONDEO, Quinque modis, vt colligitur ex DD. vide Sylvestrum, Votum 4 q. 1. Navar. c. 12. num. 63. Primò, defectione materiæ. Secundo, Ablentia conditionis. Tertiò, Irritatione. Quartò, Commutatione. Quintò, Dispensatione seu absolutione.

Defectione materiæ soluitur, si id, quod antè erat legitima materia, desinat esse materia voti, vel absolutè, vel respectu vouentis. vt si fiat impossibilis, si mala, si maioris boni impeditiua, si indifferens, si inutilis.

Defectione conditionis, vt si votum factum sit eueniente vel durante certa conditione, & illa non eueniat, vel desinat.

Irritatione, Quando materia, quam vouemus, vel voluntas vouentis, subiecta est aliquo modo alienæ potestati, & ab eius consensu dependens; talia enim habent hanc tacitam conditionem, nisi Superior, seu ille, cuius interest, contradixerit.

Commutatione, Quando obligatio voti ab vna materia transfertur in aliam. Quod si obligatio voti personalis transferatur ad opus reale, vt ad eleemosynam vel ædificationem loci pij, dicetur *redemptio.*

Dispensatione, Quando auctoritate ecclesiastica quis omnino a voto absoluitur. Differunt hi tres modi, quòd irritatio non requirat auctoritatem ecclesiasticam, commutatio verò & dispensatio requirant.

DVBITATIO XII.

Quorum vota possint irrita reddi, & quale peccatum irritatio absque causa.

69

RESPONDEO, Generatim omnia illorum vota irritari posse, qui alteri vel perfectè & in omnibus vel saltem in quoad materiam, quam vouerunt, subiecti sunt. Ratio est, quia horum vota pendent à consensu alterius: ac proinde tacitam quamdam conditionem, vel ex natura rei, vel ex iuris dispositione includunt, nempe hanc, *Nisi superior vel ille, cuius interest, contradixerit.* quare si ille intelligens votum, repugnauerit, cessabit obligatio.

Vnde sequitur, ad irritationem non requiri causam, sed sufficere irritantis voluntatem, vt docent communiter DD. quia executio pendet ab eius consensu.

An sit peccatum.

Vtrùm autem peccet qui sine causa irritum fecerit, non ita constat. Certum videtur non peccare mortiferè. Imò per se non videtur vllum peccatum, quia totum votum in ipsius arbitrium collatum est; nec vlla lege cogitur illud approbare. Denique suo iure vtitur, siue probet, siue improbet. Ita docet Paludanus in 4. d. 38. q. 4. ar. 2. Sylvester, Votum 4. q. 2. Angelus, Votum 2. nu. 10.

Di-

Dices, Irritare votum alterius sine causa, saltem est actus otiosus, quia caret fine honesto: ergo est peccatum saltem veniale. Confirmatur Numer. capitul. 3. v.16. vbi dicitur, *Si autem contradixerit, postquam rescierit, portabit ipse iniquitatem viri.*

Respondere potest non esse propriè opus otiosum, quia non caret fine honesto, eo tempore, quo tenetur illum habere. Ad Confirmat. dicitur, Ibi agi de marito, qui sciens votum vxoris, diu dissimulauit, & postea contradixit; cum tamen statim id facere debuisset: *hic portabit iniquitatem vxoris*, quia voti violatio materialis non imputabitur vxori, sed marito, qui pro illa punietur, vel quia impedruit voti validi executionem, vel quia votum in irritum reuocauit quando id ei minimè licuit; etsi valida non irritatio fuerit. Crediderim tamen non excusari a peccato veniali, si absque vlla causa solo arbitratu suo votum subditi in irritum reuocet: quia sine causa bonum opus alterius impedire velle vituperabile est & malè cùm enim alia causa non subsit, videtur ex dispicentia operis fieri quòd obligationem ad illud elidat.

71 *Non reuiuiscit.* Porro votum semel in irritum reuocatum, numquam reuiuiscit, etiamsi Superior facultatem tribuat exequendi, & suam irritationem retractet: quia obligatio per veram irritationem non suspenditur, sed extinguitur. Secùs est, quando non est vera irritatio, sed dumtaxat suspensio executionis, ut fit in votis Nouitiorum, & in votis coniugis emissis ante contractum matrimonium. Ea enim vota non possunt irritari, sed solùm suspendi: quia emissa sunt ante subiectionem, cùm persona adhuc esset sui Iuris. tunc enim cùm nec voluntas personæ uouentis, nec materia esset alteri subiecta, contracta est obligatio absolutè & independenter a consensu alterius, & ita non potest ab eo irritari. Secùs verò in ijs quæ emittuntur quando vel voluntas personę, vel materia est perfectè subiecta alteri: quia tunc non potest obligatio contrahi per actum uouendi, nisi sub tacita conditione consentis alterius, ut infrà magis constabit.

Petes, Quo scietur sitne irritatio an suspensio dumtaxat? Qui enim potest irritare, potest etiam suspendere.

Respondeo, id ex ipsis verbis colligendum esse. Si enim
72 is qui potestatem irritandi habet, dicat se irritare, uel dissoluere uotum alterius, uel nolle ut voto obstrictus sit; non est dubium, quin sit uera irritatio. Similiter si ille sciens uotum, dicat Nolo id facias. quia cùm non restringat ad tempus, absolutè denegat executionem: unde videtur simul tollere obligationem. Si autem non sit conscius uoti, etsi deneget executionem operis, non ideò censetur irritare, quia voluntas non fertur in incognitum: imò nec suspendere ob eandem causam. si enim sciret votum, fortè non prohiberet executionem. itaque teneris ei aperire ut probet, uel irriter, uel suspendat, prout ei visum fuerit. In dubio, censenda potiùs est suspensio quàm irritatio; quia votum est ueluti in possessione obligandi, unde pro uoto interpretatio facienda. Porrò quod ad irritationem attinet, difficultas est de tribus uotorum generibus Religiosorum, Impuberum, & Coniugum. de quibus sint tres dubitationes sequentes.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm Prælatus possit omnia vota Religiosorum sibi subditorum irritare.

Possint uouere. SVPPONO Religiosos validè & meritoriè posse multa uouere: nempe ea, quæ regulæ uel Superioris præcepto non repugnant: quia uouere per se est opus consilij, & aliàs non est Religiosis prohibitum. Vode obligantur etiam antequam Superior cõsentiat, aut resciscat, ut rectè Palud. in 4.d.38.q.4.ar.2. Sylvest. Votũ, 3.q.3. Caiet. q.88.ar.8. Sotus l.7. de iustitia, q.3.ar.1. Nauar. c.12.nu.67. & alij passim.

Valet ante consensum Superioris. Dices, cap.2. Monacho. 20. quæst.4. dicitur, *Monacho non licet vota vouere sine consensu abbatis sui, si autem vouerit, frangendum erit.* Confirmat. Quia Monachus non habet propriam uoluntatem, sed eam transtulit in Abbatem. Ob hoc argumentum Richardus distin. 38. circa quartũ principale q. 1. Maior eadem distin. q.4. & Angelus Votum, 2. §.3. putat Monachum non posse uouere sine Abbatis consensu, & ante illius consensum votum non habere vim. Sed quod diximus est verius.

Vnde Respondeo, Canonem illum esse dubiæ auctoritatis: non enim est alicuius Pontificis aut Concilij, neque est S. Basilij magni: (etsi Gratianus id insinuet) quia in toto Basilio non est nomen Abbatis. Dici tamè potest cũ Glossa, cap. illud intelligendum de voto abstinentię, quo scandalizantur ceteri. Ad confirmationem: Monachus non ita transtulit suam voluntatem in Superiorẽ, quin in multis, quæ superior non vetuit, sui sit arbitrij.

Si regula repugnat. Aduerte tamen, si vouisti aliquid regulæ repugnãs, (vt orare ea hora in templo, qua debes esse in cubiculo) non posse te votum exequi antequam Superior consentiat, & in regula dispenset. Vnde teneris tale votum Superiori indicare: ad hoc enim cæteris te tacitè obligasse, alioquin frustra factum esset. quòd si illud ita vouisti, vt etiã Superiore intenderis exequi, est irritum; quia materia prohibita. Si autem vouisti aliquid, quod initio non erat prohibitum, postea tamen prohibetur: non potes exequi eo tẽpore quo durat prohibitio; cessante tamen prohibitione, rursus teneris, & voti obligatio reuiuiscit. quia nõ fuit irritatum à Superiore; (cum ignorus voti, id non intẽderit) sed solum consopitum ob mutationem materiæ.

Si materia mutetur.

74 *Caiet.* His positis sunt duæ sententiæ DD. Prior est Caiet. ar. 8. omnia vota Religiosorum à Prælato irritari posse, præter ea quę sunt de rebus necessarijs; vt sunt illa quibus vouetur emtatio alicuius peccati venialis vel mortiferi contra præceptum Dei; vt non mentiri, non peierare: & præter votũ transeundi ad Religionem arctiorem. Quòd aũt hæc irritare nequeat, causa est, quia materia nullo modo est ei subiecta. neque enim potest præcipere contrarium aut materiam reddere illicitam; neque potest aliquid imperare, quod executionem materiæ impediat. Hæc sententia est valdè probabilis.

Omnia posse in irritũ reuocari, &c. Altera est, Omnia absolutè irritari posse a Prælato præter votũ Religionis arctioris. Ita Angelus Votum, 2. nu.3. Sylvest. Votum 4. quæst.2. Sotus supra. Nauar. num.65. & alij, eique ferè communis. Hæc sententia videtur verior, & colligitur ex D. Thom. art.8. ad 3. vbi docet; *Nullũ votum Religiosi esse firmum nisi de consensu Prælati*, etsi Caietanus id solum intelligat de voto, quod sit de opere consilij, non præcepti. Probatur, quia voluntas Religiosorum debet esse perfectè subiecta & dependens á voluntate Superioris, in omnibus quæ ad vitæ directionem pertinent: ergo etiam in nouis obligationibus suscipiendis. Sed hæc ratio non videtur firma; ex ea enim sequeretur Superiorem posse præcipere vel prohibere actus merè internos; quod tamen communiter negatur. Vnde non puto id valdè posse probari ex natura rei, siue professionis, siue status Religiosi; (nihil enim horum tantam subiectionem vel dependentiam voluntatis postulat) sed causa referenda est in dispositionẽ Iuris. sicut enim ex dispositione Iuris in omnibus uotis impuberum est tacita conditio, *Si parens vel tutor non contradixerit*: ita in omnibus uotis Religiosorum ex eiusdem Iuris dispositione uidetur inesse hęc tacita conditio, *Nisi Prælatus contradixerit*. ut docet D. Thomas quæst. 88. a. 8. ad 4. Habet enim Ecclesia potestatẽ ita statuendi in uotis & iuramentis, quãdo iusta causa subest. sicut potestas ciuilis potest præscribere formulas in cõtractibus. & apponere conditiones, quæ semper intelligi censeantur, etiamsi a contrahentibus additæ uel cogitatæ non fuerint. Subest autem hic iusta causa; quia ut melius Religiosi in uia spirituali à suis Prælatis dirigantur, expedit ut in omnibus á directione ipsorum pendeãt; nec possint se nouis obligationibus etiam circa materiam præceptam ita implicare, quin Prælatus possit eas tollere. Simili modo, quia expediebat eos, qui nondum annos pubertatis impleuerunt. in omnibus dirigi à parentibus, uel ijs qui ipsis loco parentum sunt, (eo quòd sæpè iudicium illius ætatis non sit satis maturum) statuit ut omnia illorum uota & iuramenta promissoria haberent tacitã conditionem. *Si parens non contradixerit*, ut infra hoc ca. nu.78. & cap.42. nu.63 dicetur.

Sed unde constat Ecclesiam ita de uotis Religiosorum statuisse?

Respondeo id colligi ex usu ipso, & praxi recepta in Religionibus; quæ non potest aliunde quam ex Ecclesiæ concessu prouenire.

Exci-

Votū arctioris Religionis.

Excipitur tamen votum arctioris Religionis; quia iura concedunt hunc trāsitum, etiam inuito Superiore, ac proinde non intendunt tale votum in illius arbitrio cōstituere. Absurdum enim videtur vt illud votum in arbitrio Superioris ponatur, per quod extra illius potestatem est constituendus. Confir. quia neque ratione materiæ subest hoc votum arbitrio Prælati, vt constat; neque ratione personæ, quia persona per executionem voti desinit esse subdita, & non amplius ad Prælatum pertinet.

76 *An post consensum possit irritare.*

Petes Primo, vtrùm postquam Prælatus consensit in votum, possit illud irritum reddere. Rich. distinct. 38. circa 4. princ. q. 3. & quidam recentiores negant. Ratio ipsorum est, Primo, quia postquam Prælatus consensit, non amplius votum est pendens, sed transit in absolutum. tacita enim conditio, quæ inerat voto, est impleta. ergo Prælatus nihil amplius habet, quod circa illud agat. Secundò, Si subditus ex consensu Prælati aliquid nomini promittat, non potest reuocare: ergo neque si Deo. Iuxta hanc sententiam dicendum est, votum Prælato vetante & impediente solùm suspendi, donec impedimentum illud tollatur: quo sublato, volentem teneri in futurum, si votum ad illud tempus se extendebat.

Contraria tamen sententia videtur communior & probabilior: quamuis si absque iusta causa id faciat, peccet. Tenet Panormitanus in c. Charissimus 4. de conuersione coniugatorum. Sylu. Votum. 4. 9. 2. Caiet art. 8. Nauarr. nu. 61. Sotus l. 7. quæst. 3. art. 1. Fumus. v. Votum nu. 12 & alij. Probatur Primò, ex D. Augustino quæst. 59. in Numeros, vbi aperte docet, Vxorem non teneri amplius voto, si vir contradixerit, etiamsi concesserat antè illud impleri. Loquitur autem D. August. de votis ieiuniorum, & similibus, in quibus vir est caput mulieris. idem ergo dicendum de omnibus Superioribus. Secundò, Quia Superior per consensum priorem non desinit esse Superior, nec cēsetur amisisse ius illud, quod habet in subditū, quoad illā actionem: si ergo Superior illam veter, inferior tenetur obedire. Tertio, Si sit iusta causa, Superior potest irritare; atqui non est inferioris discutere an talis causa subsit: ergo quandocumque Superior irritauerit, potest inferior se absolutè censere liberum. Quartò, Successor potest irritare votum religiosi, in quod Prælatus decessor consenserat, vt ipsi fatentur: ergo idem poterat ipse decessor, dum adhuc præsit; non enim minùs pendebat a priori Prælato, quam a posteriore, nec minor est potestas prioris quàm posterioris.

Si cessit suo iure.

Nec refert, Etiamsi Superior, quando consensit in votū, dixerit se ea in re cedere iure suo, se eximere subditum ea in re a sua iurisdictione; quia ineffica est ea cessio & exēptio, si alter manet verè subditus. vnde tenetur obedire si contrarium imperet. Etsi enim Superior mediatus possit subditum a potestate Superioris immediati partim eximere, & partim illi subijcere: non tamen id potest respectu potestatis suæ, quia potestatem suam non habet a se, sed ab alio; nec facultatis eius est aut arbitrij, illam partiri, minuere vel augere. Si tamen subditus in ea actione efficeretur sui iuris, & omnino independens a Superiore, tunc Superior non posset valide irritare.

Similiter non refert, etiamsi votum collatum sit in tempus quo amplius non erit subditus, quia nihilominùs manet subiectus quoad personam; nec per executionem voti est eximendus. Vnde DD. hunc casum non excipiunt, sed generatim loquuntur.

Peccabit mort.

Peccabit tamē Superior mortiferè, si absque iusta causa votū, in quod cōsenserat, irritet, vt recte docet Caiet. ar. 8. dub. 3. & Panormit. in cap. Charissimus. 11. nume. 4. de cōuers. coniugat. & alij. Idem docet D. August. supra ex illis verbis Numer. 30. *Portabit ipse iniquitatem eius*: id est, viro imputabitur violatio voti, non mulieri. Ratio est, quia etsi materia sit viro subiecta, & in eius potestate, tamen ex eius consensu est Deo obstricta. ipse autem impedit ne Deo offeratur. Itaque si materia sit talis, vt violatio voti sit mortifera; irritatio quoq; absque causa, mortifera erit.

An successor peccet.

Huius tamē successor qui in votum non consensit, non videtur peccare tale votū irritando; quia cùm non consenserit in illud, non est cur obligetur toto irritare. sicut enim iuramentum & votum prioris Superioris, quo promisit non reuocare facultatem inferiori a se concessam, non obstringit successorē; ita nec consensus in votum inferioris, quia hæc obligatio personalis, nec transit in successorem. Confir. cap. Noluit. 33. quæst. 5. ex D. Aug. quæst. 59 super Numeros. vbi D. Augustī. aperte insinuat maritum posse elidere votum quod vxor in puellari ætate cum consensu patris emiserat; & DD. ibi notant posse absque peccato.

Dices ibi agi de suspensione, non autem de irritatione. Sed si potest suspendere, cur non & irritare; quando votum tale est vt a successore irritari possit? non enim in illud consensit, si enim consensisset, ne quidem suspendere posset absque iusta causa; sicut nec parens, qui consensit, suspendere potest. Sicut ergo prior Superior, quia consensit, absque causa iusta nec irritare potest nec suspendere; ita successor, quia non consensit, vtrumque poterit pro suo arbitrio.

77 *Ad rationes.*

Ad Primam rationem pro sententia Richardi: Non ita fit illud votum absolutum vt a nulla amplius conditione dependeat, alioquin non posset irritari a Prælato successore. Itaq. manet in illo hæc tacita conditio, *Nisi aliquando Superior contradixerit*: idque meritò, quia non decet vt sit litigium inter subditum & Superiorem in ijs, in quibus alias ille Superior est.

Ad secundam, neganda consequentia: promissio enim homini facta ex consensu Superioris, valide reuocari a Superiore nō potest; vt rectè docet Sancius lib. 9. de matrim. disput. 4. contra Arragon. 2. 2. q. 88 art 8. Ratio est, quia in regendo subdito non sustinet locum illius hominis, vt quali vice illius ius illi acquisitum possit remittere: regit tamen illum loco Dei, & ita potest tollere obligationem, quam ille sibi erga Deum imposuerat. Non tamen potest subditus repugnante Superiore exequi quod homini sic promisit; quia traditio rei & executio a Superioris nutu adhuc pendent.

78 *Quando censeatur consentire.*

Petes Secundò, quando Superior censeatur consentire in votum subditi.

Respondeo, non sufficere taciturnitatem & dissimulationem, quamuis sciat votum. nam potest id facere, vt videat successum, vel vt maturiùs deliberet. & nihil est quod illum vrgeat statim consentire vel dissentire. imò etiam cum expresse petitur consensus vouendi, sæpè differt responsum. Pari modo non sufficit vt faciat subdito potestatem oneris, si votum ignorat. quia etsi consentiat vt aliquod opus facias; nō ideò consentit vt nouam tibi obligationem ad illud faciendum imponas. Si voti est cōscius, & consentit in usus, præsumitur consentire in obligationem voti; quia ideò videtur consentire vt votum impleas. si non intenderet per hoc approbare votum, non confirmaretur. Sufficit etiam cōsensus Superioris in votum, etiamsi subdito nō innotuerit. quia non requiritur acceptatio subditi, sicut in promissione, donatione & contractibus. siue enim subditus accipiet illum consensum, siue repudiet, si Superiori placet votum, verè ratificatur. Imò sufficit ad hoc consensus internus, vt rectè docet Sancius libro nono de matrimonio, disputat. 40. Ratio est, quia ille consensus primario non respicit subditum, sed Deum, cui ius acquiritur. sicut si meus subditus tibi aliquid promittat sub meo beneplacito, & ego tibi clam insinuem mihi placere, ille obligabitur, nec potero reuocare. E contrario si Superior fictè consentiat, exteriùs concedens, & interiùs contradicens, non ratificabitur; sed postea libere poterit irritare.

79 *An in prælijs talis cēdatur.*

Petes Tertiò, Vtrum sicut votis Religiosorum iure inest tacita conditio, *nisi Superior repugnauerit*; ita possit quis statuere vt suis votis similis conditio insit respectu confessarij.

Respondeo. Quadam ratione id fieri posse; vt si quis ad vouendum prochnior, protestetur coram Deo se nullum votum velle absolute esse firmum, nisi confessarius illud approbauerit. Quod confirmatur, quia potest quis ita statuere de promissionibus faciendis homini, præsertim si hanc suam ordinationem explicet illi, cui promissio faciēda est; ergo etiam de promissionibus faciendis Deo. Itaq tale votum poterit a confessario irritari: nisi vouens renūtiauerit illi conditioni, seu nisi a priore mente recesserit: quod non censetur fecisse, nisi expresse intenderit; vel nisi ita affectus sit dum vouet, vt etiamsi recordaretur illius conditionis, nollet eam in hoc voto locum habere quibus euentis votum censebitur absolutum, nec confessarius poterit irritum reddere.

Addo, Neminem posse vllo proposito vel protestatione

votis

votis futuris eam conditionem apponere, quin poſtea, ſi velit, poſſit eam reuocare, & abſoluta vota facere; niſi forte ſe alteri quoad materiam voti antea per obedientiam ſubiecerit, ita vt ea in re non amplius ſit ſui iuris: quia quàm diu manet ſui iuris, poteſt prius propoſitum mutare, & abſolute abſque vlla ad alterum dependentia ſe obſtringere.

Petes Quartò, Vtrùm vota Nouitiorum poſſint a Prælato irritari.

80 *Vota Nouitiorum.*

Reſpondeo, Non poſſe irritari; ſiue emiſſa ſint ante ingreſſum, ſiue in ipſo Nouitiatu Ratione eſt, quia nec ratione imperij in voluntatem perſonæ, nec ratione materiæ ſunt illi ſubiecta, cùm Nouitij adhuc ſint ſui iuris. Quod ſi, cùm vota fecerũt, ſuberant parentibus vel curatoribus, qui ea potuiſſent irrita reddere, poterit etiam Prælatus, qui in poteſtatem parentum & curatorum ad regendam illorum voluntatem ſuccedit, vt infrà dubitat. 15. dicetur. Poſſunt tamen vota illorum, cùm irritari nequeunt, a Prælato ſuſpendi; quia ſubeſt iuſta cauſa differendi executionem, cùm ſatis grauentur exercitijs probationis. quod intellige quando executio voti eſt impedimento probationi; alias non poſſunt vt docent Syln. Votum, 4. q. 7. ex Paludano. Vnde vota realia non poſſunt a Prælato ſuſpendi: poſſent tamen huiuſmodi vota commutari in onera Religionis a Prælato vel Cõfeſſario; & vt quibuſdam videtur, etiam ab ipſo Nouitio; quia eſt commutatio in id, quod aperte melius eſt. Hoc tamen caſu tenebitur ex voto ad ea opera, in quæ commutatio facta fuerit.

Poteſt nihilominùs Prælatus in votis Nouitiorum diſpenſare; quia in illos habet iuriſdictionem quaſi epiſcopalem. non enim decet vt in difficultatibus, quæ Nouitijs in probatione occurrunt, adeatur Epiſcopus. ita Sanctius lib. 9. diſput. 39. Imò poteſt Prælatus diſpenſare cum Nouitio vt promoueatur ad ſacros Ordines, vt docet Sylu. v. Diſpenſatio, num. 20. Et Angelus eodem. num. 8. & aperte conſtat cap. Monachus, d. 77. Vnde colligit Sanctius poſſe cum Nouitijs diſpenſare in ijs, in quibus cum profeſſis. Imò poteſt cognoſcere & iudicare eorum crimina etiam grauia, vt homicidia, adulteria tempore Nouitiatus perpetrata, vt docet Azorius lib. 12. cap. 2. quæſt. 11. ex Nauarro quia fauore Religionis exempti ſunt a ciuilibus magiſtratibus. Poteſt etiam Epiſcopus in votis Nouitiorum diſpenſare, ſicut in votis ſæcularium; quia nondum abeius iuriſdictione plane exempti.

Quando votũ fuit dumtaxat ſuſpenſum, reuiuiſcit obligatio, ſi contingat illum egredi ante profeſſionem. Si profeſſionem fecerit, omnia ex diſpoſitione iuris commutantur in votum profeſſionis, vt infrà nu. 106. dicetur.

81 *Vota laicorum.*

Ex dictis reſpõderi poteſt ad dubium illud: Vtrum Sũmus Põtifex omnia vota laicorum irritare poſſit. Videtur poſſe, quia eſt omnium Superior; ac proinde eius auctoritas vbique videtur excepta.

Sed hæc ſententia non eſt probabilis. vnde contrariã tradit D. Thom. q. 88. art. 2. ad 2. & Caiet. ibidem dub. 2. circa reſp. ad 2. & alij paſſim. Probatur, quia neq; ratione materiæ omnia vota ſunt illi ſubiecta; neq; ratione ſubiectionis perſonæ. Non ratione materiæ; quia non omnia negotia priuata & publica ſingulorum, nec omnia bona opera ſiue præcepti ſint ſiue conſilij ab ipſius arbitrij pendent, ſed ea tantùm, quæ totam Eccleſiam ſpectant. Vnde non poteſt impedire ne laicus ieiunet, ne peregrinetur, oret, humi cubet, eleemoſynam largiatur, &c. Non ratione ſubiectionis perſonæ; quia non ita ſunt illi ſubiecti vt habeat dominium in eorum voluntatem, poſſitque in omnibus illam regere, ſicut Prælatus regularis regit voluntatem ſuorum ſubditorum. alioquin laici non minùs eſſent ſubiecti Pontifici in regimine vitæ, quàm religioſi ſuis Prælatis: & pro ſuo arbitrio poſſet, etiam ſine cauſa, vota Religionis & caſtitatis in irritum reuocare. Itaque in votis illorum non inest illa tacita conditio, quæ eius conſenſum reſpiciat. Idem dicendum de votis Clericorum ſæcularium: niſi materia voti ab ipſius arbitrio & diſpoſitione pendeat. Vt ſi voueat quis reſignare beneficium tuum in fauorem monaſterij; ſi Epiſcopus voueat longam peregrinationem, aut ingredi Religionem, aut non egredi ſuam dioeceſim.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm vota impuberum poſſint irritari, & à quibus.

RESPONDEO & dico Primò; Vota omnia impuberum, (id eſt marium vſque ad annum 14. expletũ, fœminarum vſque ad 12. expletum) in irritum reuocari poſſunt a patre. Colligunt id Doctores ex cap. 14. Mulier. 32. quæſt. 2 & ex cap. 1. de Regularibus in 6. &c. Ad noſtram. 8. extendem. eſt communis ſententia. Idem dicendum de *tutore*, qui pupillo eſt loco patris. Mater tamen non poteſt, niſi mortuo patre ſit loco tutoris; quia non ipſa; ſed tutor habet patriam poteſtatem. Quidam putant idẽ poſſe magiſtrum vel herum, ſi pupillus parentibus & tutoribus careat; quia eſt loco patris: quod videtur rationi conſonum. Ratio cur Iura ſic ſtatuerunt eſt, quia ante illud tempus non præſumuntur paſſim habere ſatis iudicij vt maturè de huiuſmodi rebus ſtatuere poſſint. itaque ne imprudenter ſe votis immoluant, voluit Ius omnia illorum vota eſſe ſubiecta poteſtati eorum, quibus ſubſunt; per tacitam conditionem, quæ votis inſit. 82 *Vota impuberum. Patris & tutoris.*

Petes Primò, An hæc vota poſſit illud tempus irritari ab ijſdem poſſint? Sotus lib. 7. quæſt. 3 art. 2. putat non poſſe; quia iam non amplius illis ita ſubſunt ſicut domicus vorũ ſerui emiſſum in ſeruitute, non poteſt irritum reddere poſt ſeruitutem; eò quòd iam ſit extra ipſius poteſtatem. 83 *An poſſit tempus pubertatis.*

Sed contrarium eſt verius. Ita tenet Caietanus quæſtio. 189. art. 5. & Nauar. cap. 12. num. 71. Lopez p. 1. cap. 48. & alij. Ratio eſt, quia illud votum ex interpretatione Iuris erat conditionatum; nempe *ſi parens vel tutor non contradixerit*. quam conditionem per tractum temporis non amiſit. ſupponimus enim nullam circa ipſum votum mutationem eſſe factam, neque illud in ætate pubere fuiſſe ratificatum. Itaque cùm conditio adhuc maneat, & firmitatem voti quaſi ſuſpenſam teneat; ſi parens nolit eſſe firmũ, deſinet obligatio. *Verius eſt poſſe irritari.*

Nec obſtat quòd filius habuerit intentionem ſeruandi, aut poſtea fortè illud renouauerit; quia hæc omnia ex errore prouenerunt, quo putauit votum ſuum ab initio firmum abſolutè fuiſſe; unde non ſufficiunt ad ratificandum. Vt enim quis cenſeatur aliquid ratificare, neceſſe eſt vt ſciens eſſe inualidum, velit eſſe validum; vel ſi nihil de ea re ſciat, vt ſaltem intendat illud confirmare, etiam eo euentu, quo inualidum fuiſſet, vt rectè docet Nauarrus ex Caietano ſupra. *Ratificatio.*

Ad rationem Soti, Reſpondeo eſſe diſparem rationem: nam dominus ſolũ poteſt irritare votum ſerui, quatenus officit illius obſequijs: non quia iudicium illi non ſatis maturum vnde quando non amplius poteſt officere, non poteſt irritare. vota autẽ impuberum poſſunt irritari, quia ea ætate emiſſa, quæ ſæpè iudicij maturitate caret; quæ qualitas ſemper manet in illis votis, niſi de nouo cõfirmentur. *Ad rationẽ Soti.*

Petes Secundò, Quid dicendum de votis impuberum, quæ conferuntur in tempus pubertatis; vt ſi voueant aliquid exequendum cùm adoleuerint. 83 *Vota collata in tempus pubertatis.*

Reſpondeo, hæc eodem modo irritari poſſe. Ita ſentit Sylueſter, Votum 4. quæſt. 2 & Religio 2. num. 15. ex Panormitano in cap. Scripturæ de voto & voti redempt. Nauarrus num. 67. Sotus lib. 7. quæſt. 3. art. 1. Ratio eſt, quia omnia vota impuberum habent tacitam conditionem ex diſpoſitione iuris, ob ætatis illius imprudentiam, quæ in omnibus illorum votis locum habet. Idem dicendum de votis Religioſorum, quæ referuntur ad tempus, quo non ſuberunt Prælato, quia hæc vota in fauorem Religionis ſimilem conditionem habent, vt ante dictum eſt, & tenẽt auctores prædicti.

Dico Secundò, Vota puberum, (id eſt, quæ nuncupata ſunt poſt annum 14. impletum in mare, & 12. in fœmina) non poſſunt a parentibus irrita reddi, niſi quatenus diſciplinæ familiæ, & patriæ poteſtati obſunt. Horum enim vota ſolùm ſubſunt parentibus ratione materiæ, non ratione dominij in voluntatem. Itaque votum Religionis, caſtitatis, ſacrorum Ordinum, certarum precum, confeſſionis, communionis, & ſimilia irritari non poſſunt. Secùs de votis ieiuniorum, præſertim multorum, peregrinationum, & ſimilibus; quia hæc ad gubernationem domeſticam pertinent. Realia quoque irritari poſſunt (niſi forte habeant 85 *Vota pub. rum.*

bona

bona castrensia vel quasi castrensia) non solum à parente, sed etiam à curatore vsque ad vigesimum quintum ætatis, quia ante illud tempus non habent administrationem. Ita Sylvester, Votum 4. q. 2. Navar. num. 64. Lopez c. 47. & alij. secùs tamè est de votis realibus relatis in tempus, quo erunt sui iuris: quia non officiunt administrationi curatorum.

86 *Vota seruorum.*

Dico Tertiò, Vota seruorum seu mancipiorum irritari possunt à domino, quatenus eius obsequio possùt esse impedimento, vt votum peregrinandi, recitandi horas canonicas. Si autè seruitutem cum essent sui iuris, emisla sint, nò possunt irritari proprie, sed suspendi. Si nò impediunt non possunt; vt votum castitatis, votum se non inebriandi, signandi se cruce, commendandi se Deo, &c. & omnia illa, quæ referuntur ad tempus finitæ seruitutis.

Votum serui complectens tempus libertatis & seruitutis.

Petes; Quid si ad vtrumque tempus referatur? vt si seruus voueat toto tempore vitæ recitare officiũ diuinũ. Sylvester, votum 4. quæst. 2. §. Quintum, putat tale votum posse simpliciter à domino irritum reddi, sicut professio viri inuita vxore facta, est ita irrita, vt ne post mortem quidem illius teneatur ad Religionem redire; vt patet c. Quidam, de conuersione coniugatorum, & cap. placet nobis, eodem.

Sed verius est non posse irritari nisi pro tempore, quo domino erit subiectus; quia solum illo tempore potest dominus obesse: nihil autem ad dominum pertinet, quid postea acturus sit.

Ad argumentum Sylvestri Respondeo, Qui professus est inuita vxore, non obligatur post mortem ingredi: quia id nullo modo promisit aut intendit; non enim mens ipsius erat vt si nunc impediretur, teneretur ingredi vxore mortua, iam senex factus. Neque dici potest eũ teneri ratione professionis; quia hæc iure fuit inualida, vxore nolente cõsentire. nemo enim potest donare quod est alterius. Vnde etiam non tenetur ad paupertatem & obedientiã Prælati; quia hęc non habent locum nisi in Religione; nec alia ratione intendit se ad illa obstringere. Ad castitatem tamè tenetur ex interpretatione Iuris, quia hanc vouere poterat inuita vxore. Vnde ius præsumit illum voluisse hanc abiò iurè vouere. itaque non potest petere debitũ: & post mortem vxoris non potest aliam ducere. Secus tamen in conscientia, si non fuit animus se obstringere ad castitatem nisi in statu religioso quia promissio non obligat vltra intẽtionẽ promittentis. Tenetur tamen petenti reddere; quia contrarium promittere non poterat sine ipsius cõsensu. at iste, de quo agimus, directè vouet facere ppetuò, idest, in seruitute & post. vnde post tenebitur voto, quia nemini obest: sicut ille post mortem vxoris tenetur seruare cõtinentiam.

DVBITATIO XV.

Vtrùm coniux possit omnia Vota coniugis irrita reddere.

87 NOTANDVM est, vota coniugum, de quibus hic agitur, posse esse emissa, uel ante coniugium initũ, uel post coniugium, ante consummationem, uel matrimonio iam consummato. Rursus, uel eo tempore, quo cõiux iam est sui iuris, ut quando alter commisit adulterium, aut damnatus est hæreseos: uel quando coniugi est obnoxius: Denique uel ita sunt emissa, ut sint exequenda constante matrimonio, uel collata sunt in tempus, quo uouẽs erit sui iuris.

Maritũ posse omnia irrita re.

His positis multi DD. sentiũt maritũ posse irritare omnia uota uxoris constante matrimonio emissa, & implenda; sicut Prælatus potest irritare omnia vota Religioti, & parens omnia uota puellæ impuberis. Ita expresse uidetur tenere D. Thom. q. 88 art. 8. ad 3. *Nullum*, inquit, *votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec vxoris nisi sit de consensu viri.* Idem docent Panorm. in c. Charissimus. 11. nu. 5. de conuer. coniug. Sotus l. 7. de Iust. q. 3. art. 3. Abulensis in cap. 30. Numerorum, q. 80. Lopez p. 1. c. 47. dicit esse satis tutam. Eamdem ut probabilio tenet Sancius l. 9. disput. 39. & citat pro ea multos recentiores uiros doctissimos. Probatur Primò, quia uir est caput uxoris in omnibus præterquam in actu coniugali. ad Ephes. quinto. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino; quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. sicut Ecclesia subdita est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.*

Secundò probari potest ex D. Aug. qu. 59. super Numeros, & Scriptura ipsa c. 30. Num. Non eodem modo loquitur de voto vxoris, & puellæ quæ est in domo patrẽtum & vult neutram vllo voto teneri, si ille cui subsunt contradixerit. Tertiò, quia consentaneum erat Deum ita cõstituere ob leuitatem, inconstantiam, & imprudentiam sexus muliebris, qui se facilè votis implicat.

Hæc sententia est satis probabilis & ex ea sequitur Primo, maritum etiam irritare posse votum continentiæ vxoris suo consensu factum. excipe tamen nisi ipse expresè cesserit iure petendi; aut nisi mutuo consensu & ex pacto vtrimque sit emissum, vt infra dicetur. Confirmari potest ex loco illo Num. 30. Nec obstat, quòd ibi agatur de votis abstinentiæ, quia votum continentiæ est votum abstinentiæ, vt docet Panor. in d. c. Charissimus, num. 5. idque probat ex c. 24. Si tu abstines. 27. qu. 2. ergo cum Ius diuinum & humanum det marito plenum ius in votis abstinentiæ, etiam dat in voto continentiæ. Confir. quia vxor subiecta est viro non solum ratione materiæ, sed etiam ratione directionis voluntatis; ne nouis obligationibus sese sua imprudentia & leuitate implicet, etiam circa materiam viro non subditam.

Est probabilius.

In voto continentiæ.

Secundò, Posse etiam irritare votũ de rebus necessarijs seu præceptis, vt de non mentiendo, non fornicando, de audiendo Sacro, & similia: ob eamdem causam, quia subest illi quoad directionem voluntatis.

In voto de necessarijs.

Tertiò, Idem dicendum quando executio voti refertur in tempus, quo nec materia, nec persona erit coniugi subiecta. Sufficit enim vt eo tempore, quo votum fit, persona sit plene subiecta: tunc enim obligatio cõtrahitur, ac proinde a marito pendet eius confirmatio vel irritatio. Nec refert etiamsi sit votum castitatis vel Religionis; nam eadem est ratio, vt supradicti auctores docent.

In voto relato in tempus.

Hæc sententia, vt dixi, in praxi est probabilis. 89

Verum contraria videtur verior & probabilior, Ea tantũ vota vxoris a marito irritari posse, quæ vel ruri eius incommodant vel ad familiæ administrationem pertinent. Ita expresè docet Ang. Votum, 2. num. 8. Sylvest. Votum, 5. num. 2. & 3. Nau. cap. 12. Enchiridij num. 64. citans Angel. & Sylu. Idem docet D. Anton. p. 3. tit. 1. c. 22. in prin. & passim Canonistæ. *Contrarium verius.*

Probatur Primò, quia vxor non est subiecta viro, sicut subditus Prælato, aut impubes patri, sed sicut socia minor maiori. Nec est ea iudicij tenuitate vt in omnibus a viro dirigi debeat, sicut impubes a patre. Secundò, quia si tanta esset subiectio vxoris erga virum, id proueniret ex iure illo quod habetur Numerorum; vnde Doctores hanc sententiam maxime probare solent. sed hoc ius est cæremoniale vel iudiciale pertinens ad politiam illius populi; ac proinde cessauit per mortem Christi, nec vllã modò vim habet. Confirmatur ex alijs, quæ ibidem habentur. Non enim est lex naturæ, vt pater possit omnia vota puellæ, quandiu in eius domo manet, irrita reddere: neque vt sola taciturnitate parentis vel mariti vota firmentur; neque vt votum ratum sit, si statim non cõtradixerint. est igitur illa lex cærimonialis. Adde loco illo Numer. 30. agi tantum de votis abstinentiæ quarumdam rerum, vt colligitur ex fine capit. & ex Diu. Augustin. explicatione. Neque sub nomine *abstinentiæ* ibi videtur posse comprehendi *continentia*: quia tunc non erat tempus continendi. Idem expresè docet Gratianus 33. quæstione quinta, capitulo finali. Confirmatur secundo, quia ius naturale non dictat tantam subiectionem vxoris ad virum, cum non solum sit subdita, sed socia etiam in familiæ administratione; etsi viro subordinata. Imò nec in religiosis, nec in impuberibus, lex naturæ tantam subiectionem, nec tantum dominium in ipsorum voluntatem Prælato aut patri concedit. Vnde & illa diffinitio quæ est in votis puberum & impuberum (de qua supra dubitatione decimaquarta) non est ex lege naturæ, sed ex iure positiuo.

Nec obstat, quòd *vir sit caput mulieris*; & quòd Apostolus ad Ephesios 5. præcipiat vt *mulieres viris suis subditæ sint in omnibus, sicut Ecclesia Christo*. hæc enim commo- 90 *Adrationes.*

dè intelligenda ſunt, nimirum in ijs, quæ ad familiæ adminiſtrationem pertinent. In ijs enim quæ pertinent ad actũ coniugalem non eſt ipſa magis ſubdita viro, quàm vir ipſi; itaque eſt viro par. Simili modo Apoſtolus ad Tim. 2. monet *ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, & in omnibus bonam fidem oſtendentes*; non tamen idcirco Dominus omnia ſeruorum vota irritare poteſt, ſed ſolum quæ iuri ipſius officiunt. Deinde in multis vxor non eſt ſubdita viro, nec tenetur ei morem gerere, niſi ratione ſcandali, vt vitentur odia, lites, blaſphemiæ. Nullo enim iure poteſt ei maritus prohibere ne det eleemoſynas de ſuis paraphernis, vt inquit Ang. & Sylueſt. ſup. aut ne interdum det eleemoſynas de bonis communibus, ne moderatè corpus domet, ne veſpere & manè oret. poterit egro hæc vouere, & exequi etiam inuito marito. Cauere tamen debet ne hęc faciat cum ipſius ſcandalo; & huc maximè ſpectat Apoſtolus; cuius ſententia non habet vim præcepti, niſi ratione materiæ vel ſcandali.

Itaque vir nõ poterit irritare vota vxoris de rebus præceptis, vt de non omittendo Sacro diebus feſtis, de nõ mœchando, &c. neque ea quorum executio refertur ad tempus ſoluti matrimonij; quia nullo modo ipſius iuri incommodant; neque uota certarum precum, aut eleemoſynarum de rebus quarum integram habet adminiſtrationem. poteſt tamen vota ieiuniorum, præſertim quibus poſſet fieri ineptus ad vſum matrimonij, peregrinationum, humi cubationum, habitus ſimplicioris, &c.

Vt autem hæc omnia diſtinctius explicentur.

91 *Vota ante matrimonium edita.*

Dico Primò, Vota quæ facta ſunt a muliere ante matrimonij initum, nõ poſſunt poſtea a viro irritari propriè, ſed ſolum ſuſpendi. Ratio eſt, quia quando obligatio eſt contracta, ipſa erat ſui iuris, neque ratione materiæ, neque ratione gubernationis voluntatis viro ſubdita. vnde non habebant tacitam illam conditionem, niſi maritus contradixerit. quare non poſſunt ab eo irritari: niſi irritatio accipiatur late vt comprehendat etiam ſuſpenſionem, vt ſæpè accipitur a DD. Poſſunt autè ſuſpẽdi, vt apertè colligitur c. 15. Noluit 33. q. 5. ex D. Aug. q. 59. in Exo. Ratio eſt, quia executio poteſt eſſe viro moleſta & non decet vt ea fiat ipſo repugnante: ſoluto tamen matrimonio, vel vxore ſui iuris effecta, reuiuiſcit uis uoti, & tenebitur exequi, ſi vſq; ad illud tempus votum ſe extendebat.

92 *Si ante pubertatem.*

Dico Secundò, Si tamen mulier erat impubes cum votũ faceret vel ſi votum erat tale vt a parente vel tutore poſſet irritari; probabile eſt etiam à marito poſſe. Colligitur ex d. cap. Noluit. Nam agitur de voto puellæ facto cũ eſſet ſub poteſtate patris, in quod pater etiam conſenſerat. multo ergo magis poterit irritare votum, ſi is cui fuberat non conſenſit. Ratio eſt, quia maritus ſuccedit in locum parentis, tutoris & curatoris ad gubernandam eamdem voluntatem eiuſque leuitati & imprudentiæ ſuccurrendum. ergo ſicut votum, quod emiſit eo tempore quo parenti vel tutori erat ſubiecta, erat pendens ab eorum conſenſu; ita etiã pendet a conſenſu mariti, qui in horum poteſtatem ſuccedit. Nam poteſtas prima quaſi continuatur, etſi in diuerſis ſubiectis. Vnde ſequitur, ſi puella emiſit votum caſtitatis aut religionis ante pubertatem, vel realia poſt pubertatem adhuc minor exiſtẽs, id eſt, ante vigeſimum quintum annum expletum, abique eorum quibus ſuberat facultate; maritum poſſe ea irritare, etiam ante conſummatum matrimonium. quia ſtatim per ipſum contractum matrimonij rati ſuccedit in illorum poteſtatem. Ita Sancius l. 9 de matrim. diſp. 41. n. 4. Quæ omnia rectè procedunt ſecundum priorem ſententiam, quæ marito plenam poteſtatem in omnia vxoris vota cõcedit, quam diximus eſſe ſatis probabilem. In altera non procedunt niſi in votis quorum executio auctoritati mariti poteſt officere, in quibus vxor tenetur illi parere.

93 *Si carebat tutore & curatore.*

Dico Tertiò, Si carebat parentibus vel tutoribus cũ votum faceret, maritus contracto matrimonio adhuc poterit irritare, modo ipſa tũc temporis cum ſibi obligationem imponeret, faciet in ea ætate, in qua filiorum vota a parentibus, tutoribus, vel curatoribus irrita reddi poſſunt. Ratio eſt, quia toto illo tempore, quo ſecundum leges congruit ei habere tutorem vel curatorem, votum pendet ab illius arbitrio, ſi contingat illum conſtitui: atqui maritus ſuccedit in eamdem poteſtatem; ergo etiam ab eius arbitrio pendet. ita Sancius ſup.

Idem dicendum de alijs qui parentibus vel tutoribus carent, & alicui magiſtro, domino, vel Superiori poſtea ſubeſſe incipiunt. Hinc dominus poteſt irritare vota ſerui impuberis omnia etiam perſonalia; & omnia realia puberis. quia eſt ei loco tutoris & curatoris. ſecus ſi erat maior tunc enim ſolum ſibi præiudicauit, vt ſupra dictum eſt. Simili modo, ſi Nouitius in ſeculo vel in Nouitiatu emiſit vota in ea ætate, in qua pareus, tutor, vel curator potuiſſet ea irritare; eadè potuerunt etiam à Prælato Religionis irritari, cum in illorum poteſtatem ſuccedat, vt ibidem Sancius notat.

94 *Vota ante conſummationẽ emiſſa.*

Dico Quartò, vota vxoris emiſſa cõtracto matrimonio ante conſummationem, poſſunt eodem modo irrita reddi à marito, ſicut emiſſa conſummato matrimonio, excepto voto caſtitatis & Religionis. Ratio eſt, quia auctoritas mariti in vxorem acquiritur per ipſum cõtractũ. Itaque ſi vxor aliquod votum fecit in ijs, in quibus ipſi eſt ſuperior & caput, poteſt illud abeo in irritum reuocari.

Votum Religionis.

Excipio Primò. Votum ingrediẽdæ Religionis; tũ quia ius facit ei poteſtatem ingrediendi etia inuito marito: tũ quia per huius voti executionẽ conſtituenda eſt extra mariti poteſtatem. Vnde patet non eſt vt maritus poſſit irritare. Si neglecto voto matrimonium conſummarit, nõ poterit abſque conſenſu mariti intrare. quia cõſummato matrimonio illud ius intrandi amiſit, & tenetur marito adhęrere; eique debitum reddere. cumque non vouerit caſtitatem, poterit etiam petere. mortuo marito tenetur voto ſatisfacere: quia non fuit extinctum, ſed ſuſpenſa executio. idem dico ſi maritus adulterium committat, aut velit pariter conuerti, vt inf. c. 41. dub. 5. dicetur.

Probabile tamen eſt, matrimonio conſummato, mariti poſſe illud votum irritare. ita enim tenent DD. primæ ſententiæ initio allatæ: quo caſu non tenebitur marito mortuo intrare. Quòd ſi ante conſummatum matrimoniũ vouerat religionem in tempus ſoluti matrimonij; maritus poterit hoc votum iuxta prædictam ſententiam, irritare. quia per executionem huius voti vxor non erat conſtituenda extra illius poteſtatẽ. quòd ſi maritus non irritauerit, peccabit ipſa quidè mortifere, ſi illo mortuo ad ſecũdas nuptias tranſierit; quia faciet contra votum, hic tamen marius ſecundus poterit illud irritare: quia in ius prioris mariti, à quo illud pendebat, ſucceſſit.

Votum caſtitatis.

Secundò excepto votum caſtitatis ante cõſummatum matrimonium ab vxore emiſſum. hoc enim, ſecundum veriorem & communiorem ſententiam, à marito non poteſt irritari. Vtrum autem teneatur ingredi Religionem, vt voto faciat ſatis. dicetur inf. c. 41. dub. 6. Si matrimoniũ conſummauerit, non poteſt integram caſtitatem ſeruare, ſed tenetur reddere debitum. itaque ex hac parte non eget irritatione. non tamen poteſt petere, nec maritus votum illius quoad hoc irritare poteſt, vt plerique DD. nobiſcum ſentiunt. Iuxta tamen aliorum probabilem ſententiam ſupra nu. 87. relatam poterit maritus hoc votum abſolutè irritare ratione iuris quod habet non quidem in materiam, ſed in perſonam, ac proinde etiam obligationem nõ petẽdi tollere: quo facto poterit ipſa, etiam petendo matrimonium conſummare.

95 *Conſummato matrimonio.*

Dico Quintò. Vota ab vxore cõſummato matrimonio facta, ſecundum veriorem ſententiam; nõ poſſunt irritari à marito, niſi quatenus eius iura incommodant, vel materia eius iuriſdictioni ſubeſt: ſecundum tamen probabilem multorum opinionem poſſunt irritari omnia (vt patet ex ſupradictis) exceptis iſtis; quorum primum eſt, votum caſtitatis vxoris factum non ſolum conſenſu mariti, ſed etiam ipſo iure petendi cedente. quo caſu cùm ipſe non retineat ius petendi niſi remotum, & quaſi in radice (quatenus videlicet vinculum eſſentiale matrimonij perſeuerat) poteſt ipſa liberè negare petenti; ac proinde tenetur negare: quia tenetur ſeruare votum quantum poteſt.

Prima exceptio, votum caſtitatis vxoris.

Dices, Maritus ſemper manet ſuperior, ac proinde etſi non habeat ius in materiam, habet tamen ius in voluntatem vxoris ad eam in omnibus dirigendã. ergo poterit ad hoc irritare: ſicut Prælatus etſi iure ſuo ceſſerit apud inferiorẽ, nihilominus votum eius irritare poteſt, vt ſup. diximus. Reſp. Hoc argumentum valdè confirmat ſententiã noſtram. quia videtur cõuincere maritum non habere ius in voluntatem vxoris, quale habet Prælatus in voluntatem ſubditi, & pater in voluntatẽ filij impuberis: & conſequen-

ſequenter non poſſe omnia vxoris vota irritare, quamuis abſque conſenſu eius fint facta. Nihilominus tenendo alteram ſententiã, dici poteſt maritum poſſe reſtringere ſuam poteſtatem, quam habet in vxorem, faciendo illam ex parte ſui iuris: hoc autem non poteſt facere Prælatus erga ſubditum. Ratio eſt, quia poteſtas Prælati eſt ex regula, & ex approbatione Eccleſiæ; quorum neutrum ipſe poteſt mutare, aut vim & effectum priuato pacto impedire vel reſtringere: at poteſtas mariti in vxorem eſt ex cõtractu priuato. Vnde vel in ipſo contractu limitari, (vt ſi addatur vt vxor habeat adminiſtrationem dotis,) vel poſtea nouo pacto ſuperueniente reſtringi aut ſuſpendi poteſt.

Conſentiendo vt vxor voueat, nõ iure ſuo cedat.

Dixi: *non ſolum conſenſu*, &c. Conſentiendo enim ſimpliciter, vt vxor voueat caſtitatem, non videtur cedere iure petendi, vt illius ſententiæ auctores docent; quia non cenſetur ſibi in tantum velle præiudicare, niſi id explicet: præſertim cum ille conſenſus operetur aliquid: partim vt votum ſit firmius, cum ipſe ſine peccato mortali nõ poſſit irritare; partim vt licitè fiat. debet enim vouens ſeiungi thoro: alioquin exponeret ſe periculo violandi voti. non poteſt autem thoro ſeparari ſine conſenſu mariti: quare nec licitè abſque eius conſenſu tale votum edere. Hoc tamen votum ſolum obligabit illam ad non petendum debitum, & ad abſtinendum a fornicatione aliſque peccatis luxuriæ; tenebitur tamen marito petenti reddere debitũ; nec maritus petendo peccabit; cum nec ipſe vouerit, nec iure ſuo cedere cogitauerit. Quòd ſi maritus hoc votum poſtea irritauerit, peccabit quidem mortifere; valida tamen erit irritatio, vt docet Sotus l.7.de iuſt.q.5.ar.1. Arragon.q.88. ar.8. Sancius lib.9.de matrimonio diſput.40. num.17. vbi pro hac ſententia citat multos alios recentiores, ita vt hæc ſententia ſit ſatis probabilis: etſi contrariam putem veriorem. Secundò excipitur Votum quo uterque mutuo cõſenſu & ex pacto uouet caſtitatem tunc enim maritus non poteſt uotum uxoris irritum reddere, nec uxor uiri; ut expreſsè docet D. Auguſt. epiſt.199 ad Ediciam. Conſentiunt Doctores in 4. d.32. & Canoniſtæ. Ratio eſt, quia uterque ita ex pacto uouendo, omni iure ſuo ad actum matrimonij cedere cenſetur, vel etiam expreſsè cedit, ut patet ex cap. Dudum, de conuerſ. coniug. Ideo enim mutuum cõſenſum & uotum exigunt, vt ſe omnino tutos præſtent à mutua petitione: at non eſſent omnino tuti, niſi renuntiarent omni iuri, quod ad illum actum habent. qui enim iuri ſuo non renuntiauit, poteſt alterum cogere ad reddendum: eo autẽ renuntiato non poteſt. Ad quod etiam non parum iuuat illud uotum, quo renuntians uiri erga coniugem, obſtringit ſe Deo. Nam petendo non ſolum iniuriam faceret coniugi, ſed etiam eſſet ſacrilegus & infidelis in Deum. Conſtituit ergo alter alterum extra ius ſuum & iuriſdictionem, facitque omnino ſui iuris in actu matrimonij. vnde non retinet vllam auctoritatem irritandi aut ſuſpendendi uoti alterius.

Secunda excepto. 96

Tertia excepto.

Tertiò excipitur uotum, quo uterque ex pacto uouet ingreſſum religionis; uel maritus ſuſceptionem Ordinis ſacri, uxor caſtitatem in ſæculo ſi eſt uetula, & extra periculum incontinẽtiæ; uel ingreſſum religionis, ſi eſt iuuenis aut in periculo. Ratio eſt, quia cum hoc uotum tendat ad perfectam ſeparationem, & mutationem ſtatus in quo ſeruent perpetuam continentiam, videntur renuntiare iuri reuocandi. Ita Sancius ſupra. Confirmatur, quia uterque per tale pactum uoto firmatum acquiſiuit ius iuſtitiæ ad exemptionem a iuriſdictione & ſeruitute mutua poſſuntque ſe mutuo ad executionem urgere & cogere. ergo non uidentur ius irritandi reſeruaſſe. Secus tamen eſt, ſi mutuo conſenſu uouerent ſe ſoluto matrimonio ſeruaturos caſtitatem quo caſu docet Sancius maritum poſſe votum vxoris valide irritare; quia per executionem, ſtatus non eſt mutandus, ſed ſupponitur mutatus, quando executio fiet, & aliàs nullum ſit præiudicium uxori illa irritatione. peccaret tamen mortifere irritando: quia antè cõſenſit. Idem dicendum de alijs mutuo conſenſu factis, quæ non mutato ſtatu ſunt exequenda: quia vxor manet ſub poteſtate viri.

97 Dico Sextò, Facto diuortio ob viri adulterium, aut condemnationem hæreſeos, ſi uxor aliqua uota faciat, non poterit uir poſtea reconciliatus illa irritare, ſed tantũ ſuſpendere, ſicut ſi ante matrimonium emiſſa fuiſſent. Ita Sãcius l.9.diſp.39.nu.40. Ratio eſt, quia cum vxor uouit, erat ſui iuris, & omnino independẽs à poteſtate mariti. vnde eius vota perinde ſe habent ac ſi ante matrimonium facta fuiſſent: in quibus maritus ſolum habet ius ſuſpendendi, vt dictum eſt ſupra num.91.

98 *Quid poſſit vxor in vota viri.*

Dico Septimo, Vxor non poteſt vlla viri vota in irritum reuocare, niſi quatenus eius iuri officiunt. Eſt communis DD. Ratio eſt, quia cum ſit ſubdita, non habet vlla auctoritatem in virum, niſi quatenus hab. tus in materiam, nempe in ijs, in quibus vir ex lege matrimonij vel alterius cõtractus tenetur ſe vxori accõmodare; vt in actu matrimonij, in cõiunctione thori & domicilij, & ſimilibus, in quib. requiritur cõſenſus vxoris. Vnde ſi vouit geſtare habitum religioſum, ſi longa ieiunia, ſi cubare humi præſertim ad longum tempus, ſi longas peregrinationes abſque graui cauſa, poteſt vxor irritare. ſi tamen ſubſit voto grauis cauſa, non poteſt irritare; vt ſi vouerat aſſumere crucẽ in ſubſidium terræ ſanctæ, vel contra hæreticos aut infideles, vt paſſim docent DD.

99 *Votum mariti de non petendo debito.*

Sed quid ſi maritus vouerit non petere debitum? Reſp. Multi DD putant vxorem tale votum poſſe irritum reddere: quia ipſi onerioſum, & verecundum ſemper petere. Ita D. Tho. in 4.d.32.q.vnica, ar.4.ad 1. vbi dicit hoc eſſe probabilius. Idem ſequitur Nau.c.12.n.60. & multi alij, eſtque ſatis probabile.

Contrarium tamen videtur verius, & tenet D. Thomas quodlib.3.ar.18. Gratianus in cap. fin. 33.q.5. & multi alij. Confirmatur ex cap. Quidam.3. de conuerſione coniugatorum, vbi dicitur eum, qui ſuã vxore profeſſus fuerat, etſi profeſſio non ualuit, non poſſe petere debitum: *quia cum eſſet in eius poteſtate id promittere, votum quoad hoc tenuit*. ſecus tamen eſſe quoad non reddendum debitum: quia id non erat in eius poteſtate. Et cap. Placet, eodẽ titu. idem dicitur de muliere, quæ cum maritum putaret mortuum, profeſſionem fecit. Ratio eſt, tum quia onus petendi quod imponitur coniugi, eſt parui momenti: poteſt enim minimo indicto petere; & alter tenetur ſe tunc paratũ exhibere: tum, quia etſi eſt alteri aliquod onus, tamen iure ſuo vtitur. nõ enim lege matrimonij tenetur petere, ſed ſolum petenti reddere.

Diſtinctio quam adfert Nau. inter petere & exigere, nõ videtur hoc habere locum: quia Pontifex apertè inſinuat, ideo non poſſe exigere, quia quantum in ſe, tenetur ſeruare votum continentiæ. Vnde ſequitur nec poſſe benignè petere, aut rogarè. Qui tamen alteram ſententiam tenere vellet reſpondere poſſet eum, qui ſic vouit, non poſſe petere, niſi votum a coniuge irritetur. ſed non videtur ea mens Pontificis. ſi enim tam facile poterat votum elidi, cur tam ſeriò & abſolutè reſpondetur non poſſe petere.

Ex his patet quid dicendum ſi maritus vouerat continentiam. Cum enim non poſſit vouere continentiam abſolutè abſque facultate coniugis, hoc votum non habet vim, niſi quoad ea in quibus ipſe eſt ſui iuris, per quæ nullũ ſit præiudicium coniugi, nimirum quoad non petendum debitum, & abſtinendum ab omni actu libidinis, præter eum in quo debet morem gerere vxori. Itaque etſi hoc votum, ſecundum probabilem ſententiam iam dictam, poſſit irritum reddi ab vxore quoad non petendum debitum, non tamen quoad abſtinẽdum ab alijs libidinibus, v. g. a ſui pollutione, &c. 100 *Votum caſti. à mariti.*

Adde, votum continentiæ, & non petendi debitum ordinariè cenſeri illicitum & indiſcretum in coniugio, niſi ex cõſenſu coniugis, qui permittat uouenti ut ſeorſim cubet: tum quia exponit ſe periculo violandi uoti, ſi aſſiduè cum coniuge cubet; tum quia alteri coniugi ſæpè eſt moleſtium & odioſum tale uotũ, eo quod ſemper cogatur petere. ita D. Tho. in 4.d.32. ſup. & Durand. ibid q.2. & alij, nõ tamen ideircò deſinit obligare; quia eſt de bono conſilij, etſi abſque periculo non mandetur executioni.

DVBITATIO XVI.

Quinam poſſint Vota commutare, & quo modo.

DICO Primò, Quiſque poteſt ſua auctoritate votum ſuum commutare in id, quod conſtat eſſe melius. Eſt communior ſententia Doctorum: ita etiam ſentit Maior in 4.d.37.q.3. Angelus, Votum 4.q.2. Caietan.quæſtio.88. 101 *Quiſque poteſt in melius.*

artic 12. Sotus l.7.q.4.art.3. Couar.in cap. Quamuis pactũ. p.1 §.3.num.4. Nauar cap.12.nu.75. Probatur ex cap. Peruenit.2.de iureiurando; *Propositum seu promissum non infringit, qui in melius illud commutat*; ratio est, quia in eo, quod melius est, censetur contineri quod minus est. vnde dando melius, excellenter soluit quod promiserat. Sic inter homines optimè soluit promissum, qui dat, id, quod promissario est gratius, vt si loco canis promissi, det equum; vel loco ouis, bouem, loco nummi argentei, aureum.

Hinc fit vt votum orandi septem psalmos, possim commutare in votum faciendi Sacrum; & peregrinationem ad S. Mariam Hallensem, in peregrinationem ad S. Mariam Lauretanam; & omnia vota personalia & realia in votum Religionis; & votum ingrediendæ Religionis laxioris, in strictiorem.

Melius quid.

Melius voco, non quod ex genere suo est præstantius; sed quod omnibus expensis Deo gratius est nos facere. Etsi enim per se & ex suo genere melior sit oratio quàm ieiunium, & eleemosyna quàm carnis afflictio per cilicium; tamen qui vouit ieiunium vel cilicium, nõ potest suo arbitrio illa in orationem aliquam vel eleemosynam commutare; quia non semper Deo gratius est nos id facere, quod per se est excellentius; sed quod pro tempore, loco, & dispositione nostra magis congruit ad nostram salutem à nobis fieri. Itaque in hoc poterit fieri commutatio: abundè enim satisfacit promissioni, qui loco rei promissæ, soluit promissario id, quod ei est gratius. Nisi fortè ex alio capite ad hoc soluendum erat obstrictus, & solutio huius nõ impediat voti executionem: tunc enim non potest votum in illud commutari, sed vtrumque præstandum est. nõ enim potest fieri commutatio in id, quod alias erat debitũ, nisi quando executio vtriusque nequit constare: quamuis tunc non opus sit commutatione; cum obligatio voti cessat, si alterum omitti nequeat.

102 *Obiectiones.*

Sed contra Obijcitur Primò, Commutatio votorũ pertinet ad auctoritatem Superioris, sicut & dispẽsatio, vt patet cap.1. de voto & voti redemp. vbi dicitur *commutationem voti pendere ab arbitrio Superioris:* ergo sicut nemo priuata auctoritate pòtest in suo voto dispensare, ita nec cõmutare. Secundò, Quia debitor soluens creditori rem meliorẽ non liberatur obligatione, sed tenetur soluere quod debet; vt habetur L.2.ff. Si certum pet. Tertiò, Quia nemo potest esse Iudex in propria causa. Ob hęc argumenta quidã sentiunt vota nõ posse propria auctoritate, etiam in aperte melius commutari. Ita Syl. Votum 4.q.7. citat pro se Innocentiũ, Ioannem Andream, & Goffredum. Sed quod diximus est verius. vnde.

Respond.

Ad Primum Respondeo, Commutatio non requirit auctoritatem Superioris, nisi quando non constat id esse melius, in quod fieri debet commutatio. vel enim requiritur Prælati auctoritas in commutatione, vt in persona Dei determinet quid sit Deo acceptum, vt docet S. Thomas artic.12. ac proinde nõ erit necessaria quando id per se satis notum est: vel requiritur vt nomine Dei condonet priorem obligationem pro posteriore; & hoc necessarium non est in proposito casu, quia promissio rei minoris abundè soluitur in re maiore, ita vt non sit opus condonationis beneficio.

Ad Secundum: Lex illa intelligenda de re meliore; quæ tamen nõ est gratior creditori. sæpè enim quod melius est, non est homini gratius: secus in Deo, cui opera quò meliora, cò gratiora.

Ad Tertium: Nemo potest esse Iudex in propria causa, inuita parte, secus si pars consentiat; vt in proposito.

103 *Commutatio in Episcop.*

Petes Primò, Vtrum votum ingrediẽdę Religionis possit propria auctoritate commutari in susceptionem Episcopatus? Quidam affirmant, vt Vinaldus num.73. Ratio est, quia Episcopatus est status perfectior, vtpote perfectionis acquisitæ.

Episcopatus quo modo dicatur status perfectionis.

Sed contrarium expresse habetur cap.penultim. de voto: vbi Pontifex dicit, *eum, qui solemniter emisit votum suscipiendi habitum regularem, & postea electus fuit Episcopus; debere Ecclesiæ regimen resignare, & votum implere, si conscientiæ suæ consultum velit.* Ratio est, quia Episcopi status dicitur perfectior, non quia hominem perfectiorem Deoque gratiorem efficit quàm Religio; aut illum ad perfectionem magis adducit; sed quia secũdum rectum ordinem perfectionem supponit, est enim status postulãs perfectam charitatem, qua animam suam ponat pro ouibus suis, & eas ad perfectionem nitatur adducere. Deinde quia munus Episcopi est conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis, quibus efficimur perfecti Christiani & ministri Ecclesiæ. Vnde temeritatis & arrogantię esse videtur ad Episcopatum aspirare; quia videtur sibi perfectionem, quam ille status supponit arrogare, & se idoneũ tanto muneri iudicare. Status autem Religionis adducit ad perfectionem, Deoque magis charum efficit. Itaque etsi ille status dicatur perfectior, tamen non est Deo gratius vt illum hic & nunc amplectaris potiùs quàm statum Religionis, vel certè si gratius est in aliquo casu, id non cõstat. Idem docent passim DD. & Abulensis in c.30. Numeror. quæst.94.

Petes Secundò, Vtrùm quis sua auctoritate votum reale factum in fauorem huius Ecclesiæ, vel piæ causæ, possit commutare in votum reale melius, quod sit in commodũ alterius Ecclesiæ? vt si vouiti dare tres aureos Ecclesiæ S. Petri, an possis commutare in calicem dandum Ecclesiæ S. Martini, vel Monasterio? Quidam putant ne auctoritate quidem Episcopi id fieri posse. Ratio est, quia in causis pijs per promissionem ius acquiritur absenti vt possit rem promissam exigere, vt patet L. Illud. & L. Vt inter. Co. de sacrosanctis Ecclesijs, & ita tenent Archidiaconus & alij Canonistæ apud Syluestrum Votum 4 p. septima, §. Quartum.

104 *Votum f. Fiũ in fauorem tertij, potest in melius cõmutari.*

Respondeo, Verius esse, posse tale votum etiam ab ipso vouente in melius commutari; & ab Episcopo in æquale, vel minus, etiam alterius generis. Ratio est, quia per tale votum nullum ius acquiritur pio loco vel Ecclesiæ, sed solum Deo, cui ipsum votum fit; cui gratum est illud in melius commutari, vt eruditè ostendit Caiet. tom.2. opuscu. 11. de voto, q.3.

Si promissio ipsa dirigatur ad Eccles iam.

Sed quid si addatur promissio, qua res promittatur Ecclesiæ, vel sancto illius Ecclesiæ præsidi?

Respõdeo, Tunc esse distinguendum; si enim verba promissionis dirigantur ad Sanctum, solum acquiritur ius ipsi Sancto; cui gratum est promissionem illam in melius cõmutari, teste Caietano supra. Si autem dirigantur ad Ecclesiam vel Prælatum, Ecclesia nullum ius acquirit, nisi promissio acceptetur. Vnde ante acceptationẽ potest commutari in melius ad commodum alterius propria auctoritate. Post acceptationem non potest, nisi à Prælato vel Rectore Ecclesiæ: quia Ecclesiæ acquisitum erat ius per acceptationem Prælati. Potest autem huiusmodi promissiones absenti factas ad piam causam acceptare quiuis; modo verba promissionis ad ipsum dirigantur; aliàs minimè, vt dictum est c.18 dub.7.

Hinc patet responsio ad rationem diuersæ sententiæ.

105 *Vtrum in æquale.*

Petes Tertiò, Vtrùm propria auctoritate possit votum commutari in æquale; Quidam censent id fieri posse, si causa iusta subsit, modo constet non esse minus. Ita Sotus lib.7. q.4. art.3. & Lopez cap.49. in fine: tutius tamen est ut non fiat nisi auctoritate Superioris, uel saltem prudentis confessarij, ut docet Viualdus cap.14. §.15. ex plurium Doctorum sententia.

106 *Possint commutari in professionem.*

Dico Secũdò, Omnia uota antè emissa commutari possunt propria auctoritate in uota Religionis, quæ in professione fiunt: scilicet in uotum paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetuæ. Est communis Doctorum, ex capit. Scripturæ, de uoto, ubi Alexander III. ait, *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis obseruantiam nititur commutare.* Vbi aduerte satis hic insinuari non requiri vllam ad hoc auctoritatem, sed ex natura rei validam esse. Vnde hoc ipso, quo quis professetur, censetur hanc commutationem velle facere, vel certè ipsius iuris auctoritate ea fieri videtur; nisi explicitè contrarium intendat: quia dum totam vitam suam alterius directioni subijcit, non censetur priuatas illas obligationes retinere velle.

Hinc sequitur, Etiam votum subsidij Terræ sanctæ commutari posse in votum Religionis; quia bonum Religionis est melius, Deoque gratius. nisi fortè votum illud ab Episcopo vel Pontifice sit acceptatum, tunc enim ius acquiritur Ecclesiæ ad tale subsidium. vnde saltem sumptus præstandi erunt.

107 *Vota Nouitiorum.*

Dico Tertiò. Vota Nouitiorum personalia antè emissa, possunt durante Nouitiatu, auctoritate Prælati (& forte

tè etiam priuata ipſorum) commutari in exercitia probationis,donec vel profiteantur, vel egrediantur. Quod *auctoritate Prælati*, non eſt dubium, quia hic poteſt ea etiam ſuſpendere abſque vlla commutatione,vt melius per exercitia Ordinis probari poſſint.vt docet Sylu.Votum 4.q.7. & alij DD.idque ipſe vius confirmat: non enim ſolent cómutari,ſed ſuſpendi,donec per profeſſionem quodammodo exprent, & ceſſant in omnis Religionis. Quòd etiam *auctoritate propria* commutari poſſint, probatur, quia hæc commutatio fit in illud,quod manifeſtè eſt melius.facta tamen huiuſmodi commutatione, ſi ille egreſſus fuerit ante profeſſionem,redibit obligatio prior;ſicut quando fuit ſopita ſeu ſuſpenſa executio:quia ſolum facta eſt commutatio pro tempore Nouitiatus.

De votis realibus Nouitij eſt maior difficultas.Puto tamen poſſe cómutari in onera probationis auctoritate Prælati;quia cùm per illa nullum ius acquiſitum ſit tertio,non video cur non poſſint ſicut alia commutari.

108 Dico Quartò,Quicumque habet poteſtatem diſpenſãdi ordinariam vel delegatam, habet etiam poteſtatem cómutandi;non tamen è contrario. De habente poteſtatem *ordinariam* eſt communis ſententia DD. Sed de habente *delegatam* eſt diſſenſio. Nauar.enim cap.12.num.79.putat eum qui habet poteſtatem delegatam diſpenſandi,nó continuo habere poteſtatem commutandi: Probat,quia hæ facultates ſunt omnino diſtinctæ: ergo cui conceditur vna, non eo ipſo conceditur altera.Contra.quia maior prudẽtia requiritur ad rectè faciendam commutationem, quàm ad diſpenſationem. Nam in commutatione perpendendũ an ſit æquiualens in quod votum commutetur: quod non eſt cuiuſuis iudicare.

Qui potest dispensare, potest etiam cõmutare.

Sed contrarium eſt verius.tenet Paludanus in 4.d.38.q.4.ar.3.Syl.Votum 4.q.3. Sotus l.7.q.4.ar.3.Couar.de pact.2.p.§.3.num.10.Ratio eſt;quia commutatio eſt pars quædam diſpenſationis; eſt enim imperfecta quædam diſpenſatio, ſeu relaxatio, vt patet ex cap.1. de Voto. Quod vt intelligatur.

Notandum eſt, *diſpenſare* in voto nihil aliud eſſe, quàm nomine Dei abſolute condonare voti obligationem. *Commutare* verò eſt cõdonare cum onere, nempe vt loco prioris obligationis ſuſcipias aliam:ſecunda enim obligatio in quam fit commutatio,nõ tam naſcitur ex auctoritate Prælati commutantis(quod valdè notandum eſt)quam ex cõſenſu acceptantis, in quo conſenſu implicitè continetur votum alterius boni.Itaque in diſpenſatione Prælatus cõdonat abſolutè; in commutatione condonat ſolũ ſub conditione,nempe ſi velleas aliud.Vnde patet commutationẽ eſſe imperfectam diſpenſationem, & minus quiddam: atqui ea, cui licet quod amplius eſt, licet etiam quod minus eſt,vt qui poteſt diſpenſare in tertio gradu conſanguinitatis,poteſt etiam in tertio affinitatis:ergo,&c.

Ad rationem Nauarri Reſpondeo, Has facultates non eſſe omnino diſtinctas, ſed alteram in altera contineri; ſicut pars in toto, & minus continetur in maiore.

Ad confir.Non minor prudentia requiritur in diſpenſatione,quia expendi debet an ſubſit cauſa iuſta, vt omnino obligatio tollatur,& nihil in eius ſubſtituatur locũ; quod ſane difficilius eſt, quàm aliquid inuenire quod videatur non minus gratum Deo,& non minus utile: vt patebit infra aſſertione 6.

Hinc conſtat altera pars aſſertionis:cum enim lõgè minus ſit commutare, quàm omnino abſoluere & relaxare; non eo ipſo, quo quis poteſt commutare, poteſt diſpenſare,quod eſt abſoluere.Pari ratione,qui ex poteſtate delegata poteſt commutare uota, non eo ipſo poteſt commutare iuramenta: quia iuramentum notum uinculum addit, quamuis contrarium non ſit improbabile, vt infra cap.42. dubit.12.dicetur.

Pœna ex voti violatione debita.

Addo, Quicumque ex poteſtate ordinaria uel delegata poteſt commutare uotum,poſſe etiam commutare debitũ, ſeu obligationem ex uiolatione uoti contractam.v.g.uouit dare eleemoſynam decem aureorum,ſi peccares contra caſtitatem:peccauit deinde quinquies,& ita teneris in eleemoſynam dare quinquaginta aureos. Qui poteſt commutare votum, poteſt etiam illud debitum in alia opera convertere. Ratio eſt; quia illud debitum non debetur niſi ex vi voti: & alias materia non eſt reſeruata. Confirmatur, quia obligatio illa ſoluendi ex voto conditionali, impleta conditione,contracta, non eſt maior quàm obligatio voti, quo quis abſolutè & directè uouet dare 50. in eleemoſynam:ſed potius minor;cum non procedat ex affectu ad illud opus; vt conſtat ex dictis ſupra dub.6.num.30.& infra dub.18.nu.130. atqui hæc poteſt commutari a priuilegiatis; ergo & illa pœnalis. Confirm. Secundò, Eiuſdem rationis eſt obligatio ex voto ad ſoluendum in futurum, & ad ſoluendum præterita: vt cùm quis aliquot diebus omiſit dare eleemoſynam, quam vouit dare quotidie. ſed obligatio ad futurum poteſt commutari;ergo & illa ad præteritum. Contrarium tenet Nauarr lib.3.titul.de voto,conſ.33.& 35. vbi docet cum, qui poteſt commutare aut relaxare vota, non poſſe ideirco commutare aut relaxare pœnam,aut debitum ex fractione illius incurſum.ſed nulla firma ratione,quę ex dictis non facilè ſoluatur. Noſtram quoque ſententiam tenet Sancius lib.8. de matrim.diſput.15.num.14.

102 Dico Quintò, Quod ad modum cõmutationis attinet; qui ſolum habet poteſtatem commutãdi,debet commutare in æquale vel pene æquale: ſi enim notabiliter eſſet minus,admiſceretur diſpenſatio. Quamquam valdè probabile ſit priuilegium commutandi ita intelligendum, vt poſſit fieri in minus:nam vt fiat in æquale,multorum ſententia non requiritur priuilegium. Itaque parua diſpenſatio admiſceatur. *Æquale* voco,quod æquegratum eſt Deo a te hic & nunc præſtari. *Modus commutandi.*

Hinc ſæpe fit, vt peregrinationes, etiam longinquæ,prudẽter commutẽtur in ieiunia, largas eleemoſynas, crebras confeſſiones, & ſacræ Euchariſtiæ perceptiones: quia plerumque hæc magis ſalutaria,Deoq;magis grata.Et quamuis vota realia optime commutentur in realia,& perſonalia in perſonalia;tamen etiam cõtrarium fieri poteſt, prout videbitur magis expedire ad Dei gloriam & ſalutẽ voentis Sic votum eleemoſynæ corporalis poteſt ex cauſa commutari per Superiorem in eleemoſynam ſpiritalem, per ſacrificia, vel preces,vel bonam inſtructionem. Immo quãdo in Bulla vel Iubilæo dicitur commutatio votorum faciendi in ſubſidium certæ rei,(v.g.belli contra infideles vel hæreticos) poteſt fieri commutatio in ſubſidium ſpiritale per preces,ſacrificia,ieiunia ad intentionem & finem Bullæ,vt docet Vinald c.14.num.39.ex Deç;quæ ſententia non eſt improbabilis,quando legitima cauſa ſubeſt. Ratio eſt,tum quia ſubſidium ſpirituale non eſt minus præſtãs quàm temporale; tum quia alioquin vota pauperum tunc commutari non poſſent:nam nihil ſubſidij temporalis cõferre poſſunt,vel certè adeo modicum vt pro nihil reputetur.Securius tamen eſt,vt etiam aliquid ſubſidij temporalis conferant pro ſuo modulo: quia indulgentiæ non ſunt extendendæ vltra verborum proprietatem.

Commutatio in grauius.

Poteſt etiam fieri cõmutatio hoc modo:Commuto votum tuum in id, quod talis vir doctus præſcriberet, nec refert, etiamſi non niſi exacto Iubilæo ille præſcribat: quia commutatio ante facta eſt.ita Nauar.cap.26.num.13. Neque peccabit contra votum, etiamſi ante præſcriptionem nouæ materiæ contra prius votum fecerit: quia hõus obligatio iam eſt extincta, & translata in aliam materiam in genere.Ille enim acceptando talem commutationem,implicitè vouit id quod ille doctor præſcripturus eſt. Vbi etiam aduerte. Si quis tempore Iubilæi per oblivionem,vel alia de cauſa non curauit vota ſua commutari, vel relaxa-

Si omiſit in Iubilæo.

ri,poſſe id poſtea fieri.etiam poſt annum,ſi ipſe intra tempus Iubilæi, opera ad Iubilæi conſecutionem præſcripta præſtitit. Ratio eſt, quia hoc ipſo,quo debito tempore fecit opera ad Iubilæi conſecutionem neceſſaria, acquiſiuit priuilegium, quo poſſint eius vota laxari, quod priuilegium non eſt certo tempori adſtrictum, vt colligitur ex tenore verborum Iubilæi. Idem dicendum de abſolutione a reſeruatis, quæ tempore Iubilæi fuit oblitus. quia ius acquiſiuit cuilibet ea confitendi.Ita Sancius lib.8.tract.de diſput.15.numer.17.& Suarez de pœniten.diſputatio.3.ſectio.quarta.

110 Dico Sextò, Quod ad cauſam attinet ad commutationem minor requiritur cauſa, quam ad diſpenſationem, qp diſpenſatio omnino liberet,commutatio aliud ſubroget.Si fiat in melius, nulla alia cauſa requiritur. Si in æquale, & auctoritate Superioris; ſufficit voluntaris maior in illud propenſio. Si autem dubitetur an ſit æquale, ſi ſolum notabilis aliqua moleſtia in implendo, vel magna fragilitas cũ

Cauſa commutationis eam eſſe debet.

periculo violandi, vel repugnantia a parentis, aut mariti, vel simile quidda n, quod prudens æstimabit.

111 *Potest redire ad primum votum.*

Petes, Vtrum facta commutatione possit vouens redire ad votum prius, omisso eo in quod facta est commutatio? Respondeo posse, tum quia facta est in ipsius favorem: vnde potest ei renunciare: alioquin non tam esset favor quàm onus: tum quia solum videtur facta sub conditione; si nolit prius votum implere.

Vnde sequitur, si sæpius facta sit commutatio, posse fieri quoduis illorum in quæ facta fuit, v.g. votum peregrinationis annuæ commutatum est in mensiruam confessionem; mensiua confessio in ieiunium hebdomadarium: ieunium hebdomadariũ in certas preces quotidianas: potest vouens satisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando singulis hebdomadis, vel confitendo singulis mensibus, vel annuam peregrinationem suscipiendo.

DVBITATIO XVII.

Quinam possint in Votis dispensare, cum quibus, & quas ob causas.

112 SVPPONO primò *dispensare* in voto, (vt loquuntur Theologi & Canonistæ) non esse idem quod declarare materiam voti non esse Deo gratam; vt videtur velle D. Bonauentura d.38.ar.1.qu.3. & Paludanus ibidem quæst. 4.art.4. tum quia id potius ad Doctores pertinet quàm ad Prælatos Ecclesiæ: tum quia cum materia Deo grata non est, obligatio voti per se euanescit, nec opus est dispensatione. Tum denique quia cum multis dispensatur, qui gratissimum Deo facerent, si votum executioni mandarent. Pari modo non est idem quod dispensare in lege humana, quam homo sibi imposuit vouendo, vt vult Sotus libro septimo, quæstione quarta, artic primo, quia votum non solum est lex quædam priuata, sed etiam tribuit ius alteri; quod illi adimi non potest, nisi consentiat. Confirmatur, Quia dispensatio in lege humana fit per hoc, quod is, qui sua auctor fuit obligationem imposuit, eam in particulari tollat: hoc autem fieri non potest quando per eam alteri ius est acquisitum: id enim cederet in iniuriam tertij: ergo tali modo non potest tolli obligatio voti, alioquin ipse, qui vouit, posset sua auctoritate ab obligatione voti se eximere.

Quid dispensare in voto.

Est igitur *dispensare* in voto nihil aliud quàm relaxare voti vinculum, & tollere eius obligationem, condonando nomine Dei debitum, quod erga Deum vouendo contraxisti: vt Caietanus insinuat articu. 12. cum enim vouendo te obstrinxeris Deo, eique factus sis debitor certi operis, solui eo debito nequis, nisi ipse vel alius eius nomine & auctoritate condonet: sicut videmus in promissionibus humanis.

113 Suppono Secundò, quando dubium est vtrum votum emiseris, non opus esse dispẽsatione: quia in dubio nemo priuandus est sua libertate, nec grauandus onere incerto. Idem dicendum in dubio legis, quia id dubium est, vtrum lex sit lata. Talia enim onera non tenemur acceptare, nisi quando constat causas, quibus imponuntur, existere; ita vt non sit nobis probabile nõ existere. Vnde non solum in dubio negatiuo, quando neutram in partem habemus rationes probabiles, melior est conditio possidentis; sed etiam in positiuo, quando rationes probabiles habemus causam obligationis non existere, quamuis ex altera parte magis inclinemur ad opinandum existere; vt alibi fusiùs explicatum. Secus est quando constat de voto, sed dubitas de intentione obligandi, vel de sufficientia cõsiderationis, aut libertatis. Hæc enim cùm natura voti ea requirat, & secũ trahat, præsumuntur adfuisse, nisi de contrario tibi constet, vel probabiles rationes habeas: itaque opus est dispensatione. His positis.

114 *Hæc potestas est in Ecclesia.*

Dico Primò, In Ecclesia esse potestatem dispensandi in votis, iuramentis & similibus obligationibus & debitis erga Deum contractis. Est fide tenendum: vt patet ex perpetuo vsu Ecclesiæ. Probatur Primò, Ex scripturis, 2. ad Cor. 2. *Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* vbi Apostol. significat se condonasse debitum pœnæ contractum ex culpa, quod Ecclesia facit conferendo indulgentias. Nec dubium quin Deus hanc donationem ratam habuerit. vnde meritò colligũt Doctores etiã in alijs debitis, ortis ex voto vel iuramento, Ecclesiæ Prælatos nomine Dei condonare posse. Ita D. Tho. art. 12. colligit. Idem insinuat in diplomatibus Pontificũ, vbi potestati condonandi debita pœnarum per indulgencias, iungi solet potestas condonandi debita votorum. Mat. 16. *tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* & rursus Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis:* quæ verba sicut generalia sunt, ita intelligi debent de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest, & aliquando solui expedit. Secundò, Probatur ratione: Si Dominus Ecclesiæ suæ contulit potestatem soluẽdi à vinculo culpæ & à vinculo pœnæ, vt ex Scripturis & Ecclesiæ traditione constat: cur non etiam à vinculo votorũ & iuramentorum? præsertim cùm id sæpe ad salutem animarum, & suauem Ecclesiæ administrationem sit necessarium? Idem cõfirmari potest a simili in regno terreno. qui enim Principis locũ tenet in regno vel Prouincia, potest condonare subditis aliqua Principi debita, quando id bonum commune postulat: ergo qui in Ecclesia locum Dei tenent, possunt condonare aliqua Deo debita, cuãdo salus animarum, qui est finis spiritalis gubernationis, id poscit.

115 *Competit Prælatis.*

Dico Secundò, Hæc potestas iure ordinario competit solis Prælatis habentibus iurisdictionem in foro externo. Probatur Primò, Quia pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem; sicut potestas relaxandi leges, conferendi indulgentias, excommunicandi: ergo ijs solis competit, qui Ecclesiæ administrandæ præsunt.

Secundò, Quia hæc potestas non est Ordinis, sed iurisdictionis, vnde non competit cuiuis sacerdoti, nec ad eam requiritur sacerdotium, aut alius ordo sacer: sed solum iurisdictio ecclesiastica in foro externo, qualis est in Episcopo confirmato, ante ordinationem. Ex delegatione tamen vel priuilegio Principis sacrorum potest etiam alijs cõuenire, qui in foro externo iurisdictionem non habent: vt Ordinibus mendicantium, & alijs quibusdam, iuxta varia ipsorum priuilegia. Hinc patet in quorum votis Prælati dispensare possint, nimirum in votis suorum subditorum, in quos habent iurisdictionem; non autem in vouis eorum, qui ipsis non sunt subditi.

116 *An in suis votis.*

Sed difficultas est, An Prælati possint directè dispensare in votis proprijs.

Dico *directè*; quia non est dubium quin Prælatus possit indirectè; nimirum dãdo alicui ex subditis potestatẽ, qua in ipsius voto dispenset. Sicut enim sacerdoti subdito potest dare potestatem, qua ipsum absoluat a peccatis, etiam à casibus reseruatis: vt colligitur ex c. fi. de pœn. & remiss. vbi datur illis potestas eligendi confessorem: ita etiã qua liberet ipsum ab obligatione voti. Alioquin Superior esset deterioris conditionis quàm subditi.

Neque satisfacit, si dicas Papam tunc conferre potestatem confessori electo: quia etiam ipse potest sibi eligere, & sic idem in seipsum confert potestatem alteri.

Potest in suis.

Respondeo & dico Tertiò, Valde probabile esse posse Prælatum etiam directè in suis votis dispensare. Probatur Primò, quia sicut potest dispensare cum suis subditis in legibus etiam Superiorum, quando id ei permittitur, vt in lege ieunij, esus carnium, audiendi Sacri, recitandi officij: ita in ijsdem potest dispensare secum, quãdo iusta causa subest. Ergo sicut potest dispensare in votis subditorũ, potest etiam in votis suis. Nõ enim hic plus iurisdictionis requiritur in seipsum, quam ibi. Secundò, Potest se eximere, quando causa subest, ab obligatione, quam iure naturæ contrahit occasione legis propriæ: cur non etiam ab obligatione, quam adfert votum propriũ? Tertio, Papa potest sibi ipse conferre indulgentias, absoluendo se à debito pœnæ etiam iunctæ, vt docet Henriquez de indulgentijs, cap. trigesimosecundo, ergo etiam potest se absoluere a debito voti. Quartò, Quia si quid obstaret, cur minus posset Prælatus in voto suo dispensare, id esset defectus iurisdictionis in seipsum: nemo enim potest in seipsum iurisdictionem exercere. Vnde nemo potest seipsum à peccatis absoluere, nemo seipsum cẽsuris ligare aut soluere. Atqui hic defectus non obstat. Primò, quia non magis requiritur hæc iurisdictio in dispensatione votorum, quam dispensatione legum, collatione indulgentiarum, & obligatione per suas leges. Atqui defectus iurisdictionis in seipsum nõ impedit

impedit quo minus quis hæc poſſit in ſeipſum: vt patet ex dictis. Secundo, quia quod iuriſdictio poſtulet diſtinctionem perſonarum, eſt, vel quia eſt coactiua, quæ exercenda eſt in inuitum, vt eſt potestas inferendi cenſuram: vel quia eſt contentioſa, inter partes ius diſtribuens. non enim videtur æquum vt quis in ſua cauſa ſibi ius dicat cõtra ius aduerſarij ſe opponentis, ſic enim eſſet ſibi & iudex & reus: vel quia pertinet ad abſolutionem ſacramentalem; quæ iure diuino poſtulat diſtinctionem iudicis & rei. atqui iuriſdictio illa quæ requiritur ad diſpenſationem voti, nihil horum eſt, vt per ſe patet; ergo nõ eſt cur requirat diſtinctionem perſonæ. Confirm. Primò. ex D. Thoma in 4. d. 20. quæſt. vnica. art. 5. verſus finem ad 3. vbi dicit *neminem poſſe ſe ipſum excommunicare, quia excommunicatio fertur per modum ſententiæ, quam nemo in ſeipſum ferre poteſt, cum idem non poſſit eſſe iudex & reus, poſſe tamen ſibi dare indulgentias; quia indulgentia non datur per modum ſententiæ, ſed per modum cuiuſdam diſpenſationis.* Vnde clarè ſequitur poſſe etiã ſe eximere ab obligatione ſui voti, quia hic eſt propriè diſpenſatio. Confir. Secundò, quia ſi in diſpenſationibus requireretur diſtinctio perſonarum, ſicut in rogandis & tollendis cenſuris, non poſſet quis eſſe particeps diſpenſationis & beneficij a ſe collati communitati, ſicut nõ poteſt incurrere cenſuras a ſe conſtitutas in communitatem; quod eſt contra D. Thom. loco citato communiter ab alijs receptum. Confir. Tertio, quia diſpenſatio votorum, nihil eſt aliud quàm quædam condonatio nomine & auctoritate Dei facta: atqui condonatio non poſtulat diſtinctionem perſonarum. Qui enim habet auctoritatem condonandi omnibus Regi aliqui debentibus, poteſt etiam condonare ſibi. ſicut qui aliquid habet diſtribuendum poteſt etiã ſe numerare inter eos quibus facienda diſtributio, ſi eadem cauſa locum in ipſo habeat: & quæſtor ſibi ipſe ſoluere poteſt. Confir. Quartò, quia vt docet Panor. c. Ex litteris. nu. 11. de probationibus, in iuriſdictione voluntaria poteſt quis ſuſtinere vices plurium, dummodò exercitium vnius actus non præſtet impedimentum exercitio alterius, idque probat ex L. Si cõſul. ff. de adoptionibus, vbi dicitur, quòd filiusfamilias ſi præſes ſit, poſſit ſeipſum apud ſeipſum emancipare, vel in adoptionem dare. & L. Vna. ff. de off. conſul. vbi conſul poteſt apud ſe manumittere ſeruũ ſuũ, & ſic repræſentat perſonã conſulis, & perſonam domini. Ratio eſt, quia idem ſecundum diuerſas qualitates & officia poteſt ſeipſo eſſe ſuperior & inferior: vt patet in Pontifice Summo qui ſimul eſt princeps ſæcularis; & in Epiſcopo qui ſimul eſt canonicus, in Rege qui ſimul eſt Dux vel Comes coronæ ſubiectus ſeu vaſallus. Idem cernitur in omni Prælato & Superiore: quia in eo eſt qualitas Superioris (vt iuriſperiti loquuntur) & qualitas perſonæ priuatæ. Itaque gratias & beneficia, quę in alios inferiores diffundit per illam eminentem conditionem, qua quodammodo ſimilis eſt Deo, & veluti quoddam terrenum numen, poteſt etiã in ſeipſum, qua ſimilis eſt, alijs ſubditis, & iiſdem ſubiectus incommodis, diffundere. Nam vt ſuperior habet velut vim actiuam; vt perſona priuata, capacitatẽ ad recipiẽdum. Neque id mirum videri debet; cum etiam in naturalibus poſſit idem agere in ſeipſum, & eſſe agens & patiẽs, vt patet in actionibus vitalibus, &c.

Confirmatur hæc omnia, quia diſpenſatio hæc non requirit maiorem diſtinctionem quam actus iuſtitiæ; atqui eiuſdem in ſeipſum ſecundum diuerſas rationes & officia poteſt eſſe obligatio & actus iuſtitiæ: vt patet cũ quæſtor, vt debitor, nomine regis ſoluit ſibi vt creditori: cum Chriſtus vt homo ſatisfecit ſibi vt Deo.

117 Dices, Collator non poteſt ſibi ipſe beneficium conferre, vt habetur cap. final. de inſtitutionibus, quia, vt ibi inquit Pontifex, inter dantẽ & accipientẽ debet eſſe diſtinctio perſonalis. Similiter patronus nõ poteſt ſeipſum præſentare, vt habetur cap. Per noſtras. 16. de iure patronatus, ergo &c.

Obiectio. Collator. Patronus.

Reſpondeo, Si hoc argumentum valeret; nõ poſſet Prælatus ſui voti diſpenſationem alteri committere: ſicut nec collator poteſt committere ſuam poteſtatem alteri, qui ſibi beneficium conferat, vt docet ibidem Panor. nu. 6. Itaq; hoc peculiariter ſtatutum eſt in beneficiorum collatione & præſentatione, tam quia nemo debet ſe *ingerere eccleſiaſtica prælationis officijs, qui eiſdem non ſit ydoneus*, vt habetur d. cap. Per noſtras. tum quia eſſet perniciоſum exemplum, ſi quis ſibi prouideret, qui alijs conferre tenetur, vt ait Panorm. ſupra. Poteſt tamen quis ſeipſum eligere (niſi forte ſit ſolus electior) quia id non eſt prohibitum. non enim a ſe ſolo tunc ius accipit, ſed etiam a coelectoribus; & rariſſime vſu venit, vt ſic promoueatur. Quod autem quidam obijciunt ex L. 1. ff. de auctorit. & conſenſu Tutorum, ad rem non facit: ſolum enim dicitur, *In rem ſuam tutorem auctorem fieri non poſſe*; id eſt, non poſſe dare pupillo auctoritatem in negotio quod ad ipſum tutorẽ principaliter pertinet, non autem, vt illi citant, nemini nem poſſe præſtare auctoritatem in ſuo facto. Id enim falſum eſſe patet in exemplis allatis, & multis alijs. Eſt tamen verum, quando agitur de alterius præiudicio. Vide Panorm. loco citato.

Ex dictis patet, non ſolum Pontificem poſſe in votis propijs diſpenſare, ſed etiam Epiſcopos; idque in omnibus, in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis, quia rationes ſuprà dictæ in illis locum habent. Idem dicendum de Prælatis regularium, qui toti conuentui præſunt, vt ſunt Priores, Præpoſiti, Rectores. imò etiam Vicepriores, & Vicerectores, qui in abſentia aliorum regunt. quia hi omnes habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos, & ſunt Paſtores ordinarij ſuorum, ſicut Epiſcopi ſæcularium. ita Sãchius ſupra & Molina diſputat. 2. 8. Vbi dicit *Superiorem monaſterij quos ſaltuares & miſſionis poteſt alijs concedere, ipſum poſſe secum dispensare, ſicut cum ſubditis*, quam ſententiam dicit eſſe rationabilem. Fumus v. Monachus num. 9. Idem colligi poteſt ex Caietano 1. 2. qu. 96. art. 5. dubio vlt. Syluestro v. Lex num. 14. in fine. Soto lib. 1. de iuſtitia quæſt. 6. art. 1. & alijs, qui docent Superiorem poſſe diſpenſare ſecum in lege ieiunij, & alijs, in quibus poteſt cum ſuis inferioribus, ne ſit deterioris conditionis quàm ſubditi: quare poterit etiam in votis, cum ſit eadem ratio.

118 *Epiſcopi. Prælati regularium.*

Quod ad cauſam attinet.

Dico Quarto, Vt diſpẽſatio ſit valida, requiritur vt ſubſit iuſta cauſa. Eſt communis ſententia DD. Docet D. Thomas art. 12. ad 2. & Caiet. ibid. Sotus l. 7. quæſt. 4. art. 3. Nauarr. num. 52. & alij omnes. Ratio eſt, quia nulla auctoritas poteſt validè cõdonare quod Deo debetur, ſi iuſta cauſa condonandi non ſubſit; Deus enim huiuſmodi cõdonationem ratam non habet: vt ſi quis abſoluatur ſine legitima diſpoſitione, eſt inualida abſolutio; & ſi indulgentiæ dentur ſine cauſa. vel ſupra cauſę menſuram, eatenus vim non habent. Confirmatur, quia poteſtas diſpenſandi data eſt Eccleſiæ ad ædificationem, nõ ad deſtructionem: atqui in deſtructionẽ cederet, ſi valeret ſine cauſa. Sufficit tamen vt cauſa bona fide, adhibito cõgruo examine pro rei qualitate, a Prælato & ſubdito putetur iuſta ſeu legitima. tunc enim valebit, etiamſi forte poſtea deprehendatur non eſſe ſe omnino ſufficiens. Deus enim ab homine amplius non requirit, quàm vt faciat quod in ſe eſt: quo facto concedit ei vſum auctoritatis & poteſtatis ſuæ, quod etiam locum habet in diſpenſatione iuramenti, impedimentorum matrimonij, & matrimonij diſſolutione, vt inquit Sãchius l. 8. diſp. 17. num. 8. Secus tamen quando ſententia eſt tantum declaratoria, non diſpenſatoria.

119 *Cauſa iuſta eſt neceſſaria. Sufficit bona fide iuſta cauſa.*

Petes, Quæ ſit iuſta cauſa diſpenſationis voti?

Reſpondeo, Generatim iuſta cauſa ſunt vtilitas Eccleſiæ, & honor Dei, vt docet D. Th. ar. 12. item vtilitas vouentis, & magna fragilitas eiuſdem, per quam timetur ſæpè violaturus. Faciliorem impetrationem reddunt leuitas vouentis, (etiamſi non ſit periculum violationis) inconſideratio, inconſtantia, timor, vel alia perturbatio animi in vouendo. Vide Nauarrum num. 77. Sotum qu. 4. art. 3. Caiet. art. 12. Hoc etiam Notandum, raro videndum pura diſpenſatione ſeu relaxatione voti; quia raro iuſta cauſa ſubeſt vt ſine vllo onere condoneturi: quare plerumque videndum commutatione, quæ diſpenſationem admixtam habeat, & extendatur iuxta tempus voti: vel ſaltem opus aliquod ſemel vel ſæpius faciendum in compenſationem ſublati voti eſt imponendum.

120 *Quæ ſit in ea cauſa.*

DVBITATIO XVIII.

In quibus votis possint dispensare Episcopi & inferiores Prælati, siue seculares, siue regulares: & quo modo.

121 DICO Primò Episcopi iure ordinario possunt dispensare in omnibus votis suorum subditorum, exceptis ijs, quę summo Pontifici sunt reseruata. Est communis sententia DD. Ratio est, quia Episcopus sepositâ reseruatione Pontificis in sua diœcesi potest in ijs, quę sunt iurisdictionis, quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia: est enim Princeps sacrorum in sua Ecclesia: ac proinde habet omnẽ potestatem necessariam ad eius rectam administrationem.

Subditi. *Subditi* autem quoad hoc, sicut & quoad omnia Sacramenta (excepto Ordine) censentur omnes qui in diœcesi habent domicilium; vt docet Nauarrus in cap. Placuit. 3. de pœnit. d. 6. num. 92. & sequentibus. Neque hi tantum; (quia hi etiam ad Ordines suscipiendos subditi sunt) sed etiam qui etsi non habeant in diœcesi domicilium, tamen ibi habitant, cum animo ibidem permanendi maiore parte anni; vt docet Henriquez lib. 3. de pœnitentia c. 14. Petrus Aragon. q. 88. art. 12. Sanctius lib. 3. de matrimonio disput. 23. num. 3. & multi alij doctores. Nam etiam hoc modo valdè probabile est contrahi parœciam, & acquiri proprium Parochum non solum ad Sacramẽta, quæ Parochus confert, sed etiam ad sepulturam, vt fusè docet idem Sanctius loco citato. Denique vagi, qui nusquam domicilium aut parœciam habent. hi enim sortiuntur diœcesim in qua se pro tempore reperiunt, vnde ab illius Episcopo dispensationem accipere possunt.

Parœcia subditus.

Vagi.

122 Petes, Quænam vota sint Pontifici reseruata? D. Thomas dicit vota perpetua ei reseruari: quod Caietan. ar. 10. & Fumus v. Dispensatio, nu. 18. intelligant de voto continentiæ & Religionis, quæ natura sua perpetua sunt, cetera non item. His addit D. Thom. ar. 12. in fine, votum peregrinationis terræ sanctę. Quidam Doctor lib. 3. de confessionis c. 23. dicit, *Ex consuetudine, quæ est optima legum interpres, Episcopi in omnibus votis, exceptis tribus, castitatis, Religionis, & peregrinationis Hierosolymitanæ dispensare possunt.*

Vota Pontifici reseruata.

Quinq; reseruantur Pontifici.

Sed communis fere sententia DD. est, Hęc quinque esse illi reseruata; *castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Iacobum Compostellam, & vltramarinam, siue in terram sanctam.* Probari potest Extrauag. Etsi dominici, vbi Sixtus IV. inter cetera, sedi Apostolicę horum quinque votorum absolutionem reseruat, & excommunicat eos, qui ab his præsumpserint absoluere. Sed responderi potest, ea solum subtrahi confessarijs, qui prætextu facultatum a sede Apostolica concessarum absolabant, quos etiam ibidem excommunicat. Verum quãuis in iure non inueniatur expresse aliquod votum absolutè reseruari, nisi vltramarinum causa subsidij (de quo cap. Quod super his. 8. & cap. Ex multa, de voto) tamen illius Curiæ Romanæ etiam cetera reseruat, cui parendum est, nisi alicuius alia sit consuetudo legitime præscripta. Non desunt tamen Doctores, qui putent tria illa peregrinationum vota non reseruari Pontifici, nisi fiant in subsidium. Vnde si solum fiant causa deuotionis, posse Episcopum dispensare. Ita Panormitanus in d. cap. Ex multa. 9. Et Glossa ibidem, Fumus v. Dispensatio, nume. 16. Iosephus Angles de voto art. 8. difficult. 9. Vualdus c. de voto nume. 55. Tabiena v. Dispensatio, num. 11. & quidam recentiores. Sed & hæc consuetudo videtur esse in contrarium, etiamsi solum deuotionis causa facta sint. Idem dicendum de horum votorum commutatione, si ea in aliud opus quam Religionis ingressus fiat.

123 Ex his patet, Episcopum posse dispensare, Primò, in voto Religionis non approbatæ, & in voto paupertatis & obedientiæ perpetuæ in tali Religione: quia tale votum non est vere Religionis votum, cum Religio non approbata a Sede Apostolica non sit Religio, vt infra cap. 41. dub. 1. dicetur.

In quib. Episcopi possint habeant dispensandi.

Secundò, In voto castitatis non perpetuæ, vt 10. 15. 20. annorum, non autem 100. quia censetur perpetuum.

Tertiò, In voto non fornicandi, non petendi debitum quia non sunt vota castitatis integræ, sed partis tantum. Nec refert etiamsi communi consensu coniuges vouissent nec petere debitum, nec reddere, nec fornicari; quia adhuc non est votum integræ castitatis. Relinquitur enim libertas transeundi ad secundas nuptias.

si communi consensu.

Idem dicendum, si consummato matrimonio, alter etiã cum alterius facultate, voueat continentiam; quia nisi concedens facultatem simul cedat iure petendi, non erit votũ integrę castitatis, cùm vouens non possit se eximere ab obligatione reddendi, vt patet ex dictis dubit. 15.

Quartò, Idem dicendum de voto non nubendi: vt docent Angelus Votum 4. nu. 9. Syluest. ibidem q. 4. Nauarr. cap. 12. num. 76. (etsi Caietanus tom. 2. opusc. 11. quæst. 1. contrarium teneat) quia multum differt a voto castitatis, cum per fornicationem non violetur. Si tamen hoc votum factum sit solum in gratiam alterius, v. g. coniugis; ob ipsius honorem, vel commodum prolium, & acceptatum ab eo, in cuius fauorem factum; Episcopus non poterit inuito illo dispensare. quia non potest ius illud, per promissionem voto firmatam illi acquisitum, tollere. potest tamen ille, in cuius fauorem est factum, condonare; quia habet tacitam conditionem, *si tibi placuerit*: cupit enim illi gratificari. Quod si non solum in gratiam alterius, sed etiam intuitu pietatis factum sit, & acceptatum; adhuc Episcopus non poterit dispensare, nisi alter ius suũ condonet. sed posita illa condonatione poterit. ita Sanctius lib. 8. disput. 9. Idem dicendum de iuramento, vt docet Sotus lib. 8. de Iustitia quæst. 1. art. 9. ad 2. quia quatenus est in alterius fauorem, potest ab eo remitti, quatenus verò factum intuitu pietatis, habet vim voti: & ita cessante præiudicio tertij, potest in eo dispensare Episcopus; vt infra cap. 42. dubit. 12. num. 62. dicetur.

124

Si in gratiã alterius fiat.

Quintò, In voto suscipiendi sacros Ordines; quia non est votum castitatis, etsi hoc votum susceptioni Ordinum sit annexum.

Sextò; Potest etiam dispensare in qualitatibus quibusdam substantiæ voti reseruati adiunctis, vt si vouisti ingredi Religionẽ strictam, potest commutare in laxiorem; hoc enim non est dispensare in voto Religionis: quia dispensatio est absolutio & liberatio; ille autem non liberatur a Religione, sed solum a quadã Religionis qualitate. itaque non est dispensatio in voto vt ad substantiam Religionis obstringit, sed solum vt ad illius quamdam qualitatem. ita Syluest. Votum 4. num. 3. §. Sextum. Similiter potest dispẽsare, vt professus in arctiori transeat ad laxiorem. quod intelligo, nisi statutum aliquod peculiare a Pontifice approbatum obstet. Idem potest Abbas cum consensu tamen cõuentus, vt ibidem docet Syluest. & ijsdem uerbis D. Antoninus, p. 2. tit. 11. ca. 2. §. 9. Idcircò autẽ requiritur consensus conuentus; quia (inquit D. Antoninus) non potest Abbas absque consensu conuentus alienare personam conuẽtus, nisi hoc habeat ex priuilegio speciali.

Septimò, Si Pontifex votum sibi reseruatum commutasset in aliud non reseruatum, posset Episcopus postea in hoc dispensare; quia est nouum votum, per se non reseruatum. Nec potest dici reseruatum ratione commutationis; quia non obligaris ex vi præcepti commutantis, sed ex proprio consensu: est enim nouum votum, quod suscipitur pro absolutione prioris.

Octauò, Potest etiam dispensare in voto virginitatis; si vouens nihil aliud intenderit quam obligare se precisè ad integritatem carnis conseruandam: tunc enim amissa virginitate per primum peccatum, extinguitur obligatio uoti; quia res est impossibilis. Verum communiter non sic intelligitur, sed vt inuoluit uotum castitatis: vnde in dubio, sic interpretandum.

Petes; Verum in nullo euentu Episcopus possit in uoto integræ castitatis dispensare.

125

In voto castitatis.

Respondeo posse assignari aliquos casus. in quibus videtur hanc potestatem habere.

Primus est, Si aliquis habens votũ simplex castitatis cõtraxit matrimonium; & consummauit: Episcopus ob periculum incõtinentię potest dispensare vt petat debitum, vt plurimi recentiores docent. Imò, si nondum consummauit, ob idem periculum videtur posse dispensare vt cõsummet petendo debitum. nam valdè probabile est talem non teneri ingredi Religionem vt satisfaciat uoto castitatis: (ut Sotus distinct. 38. quæst. 2. articul. 1. & multi recentiores docent) eo quod sit res longe difficilior quam

illę

ille nullo modo vouere intendit. sed de hoc infra cap: 41. dubit. 6. quo posito potest consumare matrimonium reddendo, aoique dispensatione, (quod etiam tenet Angelus v. Impedimentum matrimonij 3. num. 2.) & cum dispensatione etiam petendo, vt ijdem auctores, & alij docent. Hic tamen mortua coniuge tenetur seruare castitatem. vnde hæc dispensatio non fuit integra, sed partialis tantum, & ad tempus.

Secundus est, Si coniuges post contractum matrimonium communi consensu vouerunt continentiam, & postea idem periculum vtrique, vel saltem alteri eorum ingruat. Ita docet Angelus, Votum 4. num. 9. & notat Doctores in ca. Rursus. 6. Qui Clerici vel vouentes. Probari possunt supradicti casus, quia Episcopus non relaxat absolutè & simpliciter hoc votum, sed solum ex parte & secundum quid, nempe vt eius executio ad tempus differatur; vnde mortua coniuge redit vis voti, & tenetur seruare castitatem; quod est signum solum fuisse sopitum, & executioné suspensam. Verum nec hoc Episcopus posset, ‖ Summus 126
Pontifex hoc votum in eo casu rigide sibi vellet reseruare; quia inferior non potest suspendere votum superiori reseruatum, nisi quatenus ipsius iuri officit. Sed credibile est nunquam fuisse mentem suæ Sanctitatis hoc votum eo casu ita strictè reseruare, vt ab Episcopo non posset prædicto modo suspendi; idque tum propter periculum incontinentiæ, quod plerumque non patitur tam longam moram obtinendæ dispensationis: tum quia hæc res est valdè frequens. Accedit, quòd, etsi ab initio reseruationis id non fuisset eis concessum, tamen longo vsu & consuetudine etiam a tempore immemorabili ab Episcopis sit vsurpatum, præsertim consummato iam matrimonio, vt ex DD. constat; quamuis esset facilis ad Regulares priuilegio instructos, vel etiam ad Summum Pontificem recursus. atqui consuetudo ius tribuit & iurisdictionem, cap. Cùm contingat de foro competenti. Et quamuis hæc consuetudo orta non habuerit ex periculo peccati incontinentiæ, cui per alios occurri non poterat, tamen sensim absolutè obtinuit, ita vt Episcopus dispenset, etiamsi alius potestatem habès adiri possit. Vnde hanc sententiam absolutè docent præter supradictos. Toletus lib. 7. Summæ c. 14. Fumus v. Matrimonium, numero 55. vbi addit, ita *communiter tenere moderni in cap. Rursus. Qui clerici vel vouentes.* Rosella v. Impedimentum, 4. numero 5. idem docet numero 6. etiam cum ambo votum continentiæ fecerunt, siue ante matrimoniũ, siue post. *Consulendum*, inquit, *est eis vt petant dispensationem ab Episcopo, maximè vbi timeretur de incontinentia amborum vel alterius*. Sotus in 4. d. 37. artic. 1. in fine, & alij.

Quomodo Episcopus ad hoc possit.

Aduerte tamen in secundo casu, Quando coniuges cõmuni consensu vouerunt continentiam, etsi probabile sit Episcopum absolutè posse dispẽsare modo supradicto, vt debitum petant & reddant; (ita enim præter Rosellam & Angelum tenet Maior in 4. d. 32. quæst. 2. colum. 2. Emanuel Sà v. Debitum coniugale, numer. 2. & quidam alij recentiores) contrarium tamen videri verius, nimirum, Episcopum non posse, nisi quando in periculo incontinentiæ, non esset facilis recursus ad summum Pontificem, vel alium habentem potestatem, vt in quarto casu dicetur. Ita Sancius l. 8. disput. 11. numero decimo. Ratio est, quia hæc res rarius occurrit, estque maioris momenti; nam passim huiusmodi vota solent esse publica: & periculo sæpè aliter potest occurri, cum neuter habeat ius petendi, possintque habitatione separari. Vnde non est ea consuetudo quę in alijs, vbi res est occulta, & alter habet ius petendi, nec possunt separari. Nec fuit ratio id concedendi Episcopis ob periculum incontinentiæ, nisi quando ad Pontificem aditus non esset facilis. Si tamen coniuges condonarent sibi mutuo remuntiationem iuris quam hc vouendo fecerant, restituendo sibi ius petendi, quo vterque in alterum cesserat (quamuis id absque sacrilegio facere non possint, cum in iniuriam voti ea condonatio, seu restitutio cedat) tunc Episcopus absolutè possit dispensare ad petendum debitum, etiamsi facilis esset ad Pontificem recursus. ita Sancius numero 15. Ratio est, quia tunc vterque, etiam absque dispensatione, tenetur reddere petenti. Vnde perinde se habent, ac si vterque ante matrimonium, vel iam constante matrimonio cum mutua facultate absque cessione iuris, seorsim continentiam vouissent: quibus eueniente nullo modo vouere intendit. Ita Sanctius l. 8. disput. 11. numero decimo. Ratio est, quia hæc res rarius occurrit, estque maioris momenti; nam passim huiusmodi vota solent esse publica: & periculo sæpè aliter potest occurri, cum neuter habeat ius petendi, possintque habitatione separari. Vnde non est ea consuetudo quę in alijs, vbi res est occulta, & alter habet ius petendi, nec possunt separari. Nec fuit ratio id concedendi Episcopis ob periculum incontinentiæ, nisi quando ad Pontificem aditus non esset facilis. Si tamen coniuges condonarent sibi mutuo remuntiationem iuris quam hc vouendo fecerant, restituendo sibi ius petendi, quo vterque in alterum cesserat (quamuis id absque sacrilegio facere non possint, cum in iniuriam voti ea condonatio, seu restitutio cedat) tunc Episcopus absolutè possit dispensare ad petendum debitum, etiamsi facilis esset ad Pontificem recursus. ita Sancius numero 15. Ratio est, quia tunc vterque, etiam absque dispensatione, tenetur reddere petenti. Vnde perinde se habent, ac si vterque ante matrimonium, vel iam constante matrimonio cum mutua facultate absque cessione iuris, seorsim continentiam vouissent: quibus eueniente

Si condonent mutuam remuntiationẽ.

tis Episcopus potest dispensare cõsuetudine id ei permittente ob periculum incontinentiæ. quando enim alter tenetur reddere, præsumitur ordinariè magnum & vrgens periculum peccati, nisi idem etiam possit petere. Vnde cõsuetudo permittit Episcopo absolutè in omni tali casu dispensare, non absolutè, sed ad petendum dumtaxat. quare talis si fornicetur, peccabit contra votum, quia hac ex parte non potuit ab Episcopo relaxari. neque etiam vt possit inire secundas nuptias; nisi sit periculum incontinentiæ, nec facilis sit ad Papam recursus, vt iá dicemus.

Tertius, Si votum castitatis sit metu emissum, licet nõ omnino iusto, seu graui, ratione cuius sit irritum, videtur Episcopus posse dispensare vt matrimonium contrahat. Ita angelus. Votum 4. num 9. & Glossa in cap. Veniens 5. Qui Clerici vel vouentes. Nauarrus cap. 12. num. 59. Fumus v. Dispensatio num. 17. reseruatio enim videtur intelligenda de libero; ne ita reseruetur coactum sicut spontaneum.

Quartus, Quandocumque est magnum periculum incontinentiæ. Ita Cardinalis & Anton. de Butrio in dicto c. Veniens, Angelus supra. Sed verius est hoc non sufficere, extra casus supradictos & similes, (maximè quãdo agitur de matrimonio contrahendo) nisi aliud occurrat, nempe vt non sit facilis aditus ad Summum Pontificem vel eius Delegatum; vt requirunt Sylueiter, Votum 4. q. 4. & 5. Dispensatio num. 15. Nauarr. cap. 12. num 59. & 66. Sotus lib. 1. de Iustit. q. vlt. art. vlt. & alij recentiores; tunc enim quia est necessitas, censetur Pontifex nõ intendere reseruare, sed permittere Episcopo, vt sua potestate ordinaria, quam deposita reseruatione habet, vtatur: non enim vult suam reseruationem esse in euersionem, sed in ædificationem animarum. Hoc tamen non censetur facere, quãdo facilis ad ipsum, vel Legatum eius, cui hanc potestatẽ commisit, est accessus. tunc enim nulla est necessitas tollendæ reseruationis. 127

Dico, *eui hanc potestatem commisit*: quia iure communi Legatus à latere non potest amplius in dispensationibus in prouincia suæ legationis, quam Ordinarius in sua diœcesi, vt docet Panormitanus in cap. Dilecto. numero 5. de præbendis, Couar. de matrimonio capit. 6. §. 10. numero 15. inde probans non posse dispensare in gradibus prohibitis. 128 *Legatus.*

Nec refert, vnde proueniat quòd nõ sit facilis ad Papã recursus, ob paupertatem, an ob aliam causam; auctores in generatim loquuntur. Idem docet Sancius lib. 8. disp. 9. nu. 12. Idem locum habet quando, etsi possit facile adire, tamen caret sumptibus necessarijs ad dispensationem impetrandam. est enim eadem ratio, quando ex mora adeundi graue incontinentiæ periculum imminet. quod etiã expresse tradit Sylueit. Votum 4. q. 4. & Sancius supra, citãs ad hoc alios DD.

Denique idem concedunt DD. non solum quando est periculũ incontinentiæ, sed etiam impendente scandalo, vel damno tertij ex mora. ita Sancius supra; ubi ponit exemplum in iuuene voto religionis adstricto, qui virginẽ defloruit, & grauidam fecit, quæ nisi ab eo ducta fuerit, infamabitur: & periculum est in mora, ne vel a suis consanguineis impediatur, uel uoluntas eius mutetur. Ad huiusmodi enim mala uitanda, multa conceduntur, quę alias minimè licerent; ut patet in Parocho celebrante in excõmunicatione uel irregularitate occulta, uitandi scandali uel infamiæ causa. in Rectore alienante rẽ Ecclesiæ, quando periculum est in mora, sine facultate Superioris, & contra iuramentum suum de non alienando sine illius licẽtia; ut probat Panormit. in cap. fin. de ecclesijs ædificandis, num. 8. in dispensationibus impedimento ad matrimonij, concurrentibus certis circumstantijs, ut DD. tradunt; & alijs multis casibus. 129 *Si scandalum immineat.*

Quintus est, Quando uotum castitatis est accessorium & dependẽs ab alio uoto principali, in quo episcopus possit dispensare; tunc enim sublato principali, cessat alterum: ut si uoueas non ludere, non inebriari, non fornicari, sub pœna seruandæ castitatis, aut ingrediendæ Religionis. Ita Nauarrus c. 12. num. 43. & 75. impleta tamen conditione putat Episcopum non posse dispensare. 130

Sextus est, Si uotum sit conditionale, & conditio nondum sit impleta. Ita Sotus lib. 7. de Iust. quæst. 4. art. 3. To-

letus

letus lib.4.c.18.vbi citat pro hac ſententia Franciſcum Victoriam. Ratio eſt, quia votum conditionale pendente conditione eſt imperfectum; Pontifici autem non cenſetur reſeruari niſi abſolutum & perfectum.

Septimus eſt, Si votum ſit non ſolum cõditionale, ſed etiam pœnale, ideſt, emiſſum ſub cõditione in pœnam delicti: tunc enim probabile eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare, non ſolum ante impletam conditionem, vt vult Sotus ſupra, ſed etiam poſt. Ita tenet Lopez. c.44. vbi pro hac ſententia citat Melchiorem Canum, & Barthol. Medinam, Couarr. in c. Quamuis pactum. p.1. §. 3. nu. 12. Petrus Arragon. q.88. art.12. Vtualdus c.14. num.50. qui addit multos Theologos Salmaticenſes conſultos ita reſpondiſſe, & doctiſſimos quoſque Hiſpaniæ Epiſcopos in praxi ſecutos. Ratio eſt, quia tale votũ non fit ex affectu illius boni, cùm animus ab illo valdè abhorreat, ſed tolùm in pœnam, vt illius metu caueat à peccato. vnde non videtur tanti momẽti, nec tam inſolubile, quàm ſi ſpontaneo affectu nuncupatum eſſet; quale cenſendũ quod Pontifici reſeruatur. Confirmatur, quia cùm iſtæ reſeruationes ſint contra poteſtatem ordinariam Epiſcoporum, ſtrictè ſunt interpretandæ, vt Sotus ait. communiter autẽ per votum calſitatis & Religionis non ſolet tale votum pœnale intelligi, ſed quod directo affectu emiſſum.

131 *Vota conditionalia.*

Sed difficultas eſt de aliis votis conditionalibus, impleta conditione; vt, Vouco religionem vel caſtitatem ſi hunc morbum euaſero; ſi hoc periculo defungar. Multi putãt, etiam tunc Epiſcopum poſſe diſpenſare. ratio eſt, quia non fit ex directo affecta ad rem votam, ſed ad beneficiũ quod a Deo expectamus. Vnde obtento beneficio, multi dolent ſe obſtrictos voto, indicantes animum peſſe à voto auerſum; ſed ſolo timore mali imminentis incitatos, qui multa cogit quæ alias nollemus.

Nec refert, quòd conditione impleta videatur abſolutũ & perfectũ; quia radix eſt imperfecta, quæ in illo voto intrinſecus imbibitur, quæ eſt affectus ille indirectus, vnde totũ votum procedit. Non intelligitur autem reſeruari niſi votum perfectum, nimirum, quod & in ſe iam perfectum eſt, non amplius pendens, & in ſua radice tanquam ex affectu directo ad rem promiſſam procedẽs, ita Sancius lib.8. diſp.10.nu.13. vbi pro ea citat aliquot recentiores; addens eam teneri à viris doctiſſimis noſtræ ætatis, eſſeq; in praxi virorum ſapientiſſimorum frequentiſſima recepta. Eamdẽ tenere videtur Toletus lib.4.c.18. citans pro ea Victoriam. *Notandum*, inquit, *quod notauit Victoria: ipſa quæcunque vota tũc reſeruari Pontifici, cum abſoluta ſunt, eũ vero conditionata vel pœnalia pertinent ad Epiſcopum.*

Verum etſi hanc ſententiam non negem eſſe probabilẽ, tamen contrariam puto veriorem; quia tale votũ impleta conditione videtur arctius obligare, quam ſimile factum abſolute. Ratio eſt: Nam factum eſt in modum contractus oneroſi, & Deus præſtitit contractũ ex ſua parte; vnde niſi ipſe etiam impleat, eſt ingratus & iniquus in Deũ. quare talis hac ex parte videtur magis reprehenſibilis, quam ſi gratis promiſiſſet. ſicut qui promittit Deo ſacrificium gratuitum & voluntarium, non videtur tantũ obligari, quantum qui promittit ad impetrandum aliquod beneficium, impetrato beneficio. Nec refert quòd affectus non ſit principaliter ad votum, quia ſaltem eſt ſecundariò. amatur enim vt medium ad obtinendum id quod volumus. Itaque ſecurius eſt in hoc caſu adire Pontificem.

132 Octauus eſt, Si votum fiat diſiunctiuè hoc modo, Vouco caſtitatẽ, vel ieiunũ perpetuum; tunc enim in poteſtate uouentis eſt eligere alteram partem, in qua Epiſcopus poteſt diſpẽſare. Iuxta regulam Iuris 70. *In alternatiuis electio eſt debitoris, & ſufficit alterum impleri.* Quòd ſi elegat partem Pontifici reſeruatam, Epiſcopus non poteſt: ſemel autem facta electione, non poteſt uouens mutare: ut docet Azorius lib.11.c.19.q.10 Sancius li 8. de matrimonio diſput.9. nu.14. Cuius Ratio eſt, quia iam obligationẽ determinauit ad materiam reſeruatam, perinde ac ſi nihil aliud vouiſſet. Hanc enim vim habet illa electio. Nam in alternatiuis vouetur id, quod poſtea re melius conſiderata vouens eſt electurus. Simile eſt in promiſſione, quæ tali modo facta eſt homini. ſicut enim vbi debitor ſemel elegit, idque creditori patefecit, non poteſt mutare illo inuito rita, cum Deus cor intueatur, ſi ſemel tacitus elegiſti, nõ poteſt retractare; quia hoc vouiſti.

133 *Prælati Regulares.*

Dico Secundò, Prælati Regularium habentes poteſtatẽ quaſi Epiſcopalem in ſuos, poſſunt diſpenſare in votis Regularium, ſicut Epiſcopus in votis ſuorum ſubditorũ. Eſt communis ſententia DD. Soti lib.7.q.4.art.3. Nauar. num. 75. Syl. Votum 4. num.3. & aliorum. quando enim aliqua Religio vel Monaſterium eximitur per Pontificem a iuriſdictione Epiſcopi, conceduntur Prælato ea, quę ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis. Hinc fit vt etiam poſſint diſpenſare in voto tranſeundi ad Religionem arctiorem, quamuis forte non poſſint illud irritare, & vt profeſſus in arctiori, trãſeat ad laxiorem; ſi tamen conſenſus communis Capituli adſit, vt inſinuat Sotus ſupra. & docet expreſsè Sylueſt. Votum 4. nu 3. §. Sextum.

In votis Nouitiorum non poſſunt diſpenſare; niſi fortè habeant in omnes domeſticos quaſi Epiſcopalem auctoritatem; vt ferè Abbates exempti habere ſolent. Prælati non exempti non habent hanc poteſtatem; ſed Epiſcopus, cui cum toto Monaſterio ſubiunt. Inſinuat Nauarrus ſupra numero 75. §. Tertiò.

Abbatiſſæ, etſi poſſint vota ſuarum Monialium irritare, non tamen poſſunt proprie in illis diſpenſare; quia iuriſdictione ſpirituali carent, vt docet Sotus in 4.d 20. quæſt. 1. art.4. Vtualdus num.95. & alij. vide Sylueſtrum v. Femina. num.4.

134 *Mendicãtes.*

Dico Tertiò, Confeſſores Ordinum mendicantium poſſunt ex priuilegio Pontificis diſpẽſare in omnibus votis in quibus poſſunt Epiſcopi, excepto voto peregrinationis vltra quas dietas, (id eſt, 100. miliaria Italica) vt patet ex compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, num.115. quorum priuilegia cum reliquis Ordinibus mendicantiũ communicantur. Imò etiam in hoc voto poſſunt, ſi ſint participes facultatis a Martino V. cõceſſæ Benedictinis. Vide Nauarrum c.12.nu.79. & Lopez c.50. Vnde etiam poſſunt diſpenſare in voto non petendi diſpenſationẽ; hoc enim non eſt reſeruatum. Immò ſæpe per ſe definit obligare, nempe quando ratio dictat expedire vt peratur. Hę tamen facultates non competunt ſingulis perſonis, niſi per Superiorem & iuxta illius moderationem. Sed quid ſinguli Ordines poſſint, ex eorum priuilegijs colligendum eſt.

Non extenditur ad obligat. hæredis.

Aduerte tamen hanc facultatem diſpenſandi & cõmutandi in votis, non extendi ad obligationem quam teſtator imponit hęredi. v.g. vemittat hominem ad B. Virginẽ Lauretanam; aut quam hæres ex voto reali ipſius defuncti cõtrahit. Nam hæc obligatio non eſt immediatè ex voto; ſed quaſi ex contractu. hoc ipſo enim quo adit quis hæreditatem, ſuſcipit omnia onera quæ defunctus imponit, vel quæ ipſe, ſi realia erant, iam contraxerat. hæc enim ad hæredem tranſeunt. Sicut ſi promittam Titio me eius votum impleturum, non poſſum à regularibus hoc onere liberari: quia teneor ex pacto, & cederet in præiudicium tertij.

Nec obſtat quòd origo ſit ex voto, & votum poſſit cõmutari: quia non poteſt cõmutari niſi ex conſenſu vouentis, qui cum non viuat non poteſt conſentire.

135 *Parochi.*

Dico Quartò, Parochi non habent poteſtatem, ne in articulo quidem mortis diſpenſandi, aut commutandi vota, præſertim in id, quod notabiliter minus eſt. Probatur, quia cum careat iuriſdictione fori externi, non habent poteſtatem ex officio: & cùm nulla extent hac de re eorũ priuilegia, non poſſunt dici habere ex priuilegio. Idem dico de Archidiaconis, & Decanis; niſi conſuetudo legitimè præſcripta aliquid illis hac in re alicubi tribuerit: quia per hanc iuſ Epiſcopale acquirere poſſunt, vt rectè Sylueſter, Votum 4. numero 3. §. Septimum, ex Archidiacono & Paludano.

136 *Seruanda in forma diſpenſationis.*

Quod ad formam in diſpenſatione ſeruandam attinet, tria requiruntur. Primò, vt præcedat cognitio cauſæ, ſi enim cauſa iuſta non ſubſit, non valet diſpenſatio. Etſi enim cum quis in ſua lege diſpenſat, non ſit neceſſaria cognitio cauſæ, (nam valet etſi cauſa non ſubſit) quando tamen inferior diſpenſat in lege Superioris, vel in ijs quæ ius Superioris concernunt. eſt neceſſaria, ob rationem allatam. Vnde etiam Summus Pontifex diligenter debet inquirere de cauſæ grauitate, priuſquam diſpenſet in votis: quia agitur de iure diuino. Si tamen ex parte rei ſubſit iuſta cauſa, diſpenſatio valet, etſi cognitio cauſæ non præceſſerit. ita Fumus v. diſpenſatio, nume.14. in fine, Sancius l.8. diſput.17. numero 11. citans pro hanc ſententia Innocent. & Ioannem And. in cap. Diuerſis. 5. de clericis coniugatis: &

Cognitio cauſæ.

Non eſt abſolutè neceſſaria.

& alios. Ratio eſt, quia cognitio iſta non eſt abſolutè neceſſaria, vt valeat diſpenſatio, ſed vt legitimè & abſque peccato fiat, nec ſe exponat periculo faciendi actum inualidũ contra ius Dei, vel Superiorũ, & inuoluendi ſubditũ multis peccatis, ſaltem materialibus.

Quòd non ſit abſolutè neceſſaria, patet: quia neque iure naturæ, cum hac in re ſufficiat poteſtas & voluntas diſpenſantis; neque iure poſitiuo, quia etſi hoc ius requirat cauſæ cognitionem, nuſquam tamen irritum reddit, ſi contrarium fiat.

Nec obſtat Concil. Triden. ſeſſ. 25. cap. 18. vbi diſpenſationem ſine cauſæ cognitione factam vult cenſeri ſubrepticiam: quia loquitur de præſumptione fori externi. Idem ſtatuit de diſpenſatione quæ non eſt gratis facta; & loquitur non tantum de ea quæ ab inferioribus Prælatis, ſed etiã quæ a Summo Pontifice facta eſt. Valet autem lex temerè indicta, ſi cauſa boni communis intercedat; cur non etiam legis diſpenſatio? Item valet electio ſine examine cauſæ, ſi re vera erat dignus: vt colligitur à contrario ſenſu, cap. Nihil. 44. de electione; ex illis verbis, *Deijciendus eſt indignè promotus*. ergo, &c.

139 *Actus externus.*

Secundò, vt fiat aliquo actu externo, qui poſſit exterius percipi. debet enim ita fieri vt poſſit alteri innoteſcere; alioquin nihil ei proderit. Confirmatur quia diſpenſatio eſt quædam condonatio & remiſſio debiti: ſed condonatio nõ poteſt fieri inter homines, niſi mediante actu externo; ſicut nec donatio, nec promiſſio. Sicut enim homines conſtant animo & corpore; ita actus, quibus inter ſe communicant, debent conſtare voluntate interna, quæ eſt veluti anima operis, & opere externo. Non eſt tamen neceſſarium, vt verbis fiat (quamuis hæc ſint maximè accõmodata) poteſt enim fieri ipſo opere. vt ſi Prælatus conſcius voti, iubeat vel concedat vt contrarium fiat: tunc enim cenſetur velle diſpenſare, præſertim ſi iuſta cauſa ſubſit; quamuis cognitio cauſæ non præceſſerit. Simili enim modo poteſt diſpenſare in legibus & in irregularitate. Neque id ſolum locum habet in Summo Pontifice, ſed etiam in Epiſcopis, & alijs poteſtatem diſpenſandi habentibus: quia iure naturæ ſatis eſt, vt quouis ſigno ſuam voluntatem declarent; & nullo iure poſitiuo ſtatuitur contrarium. Sic Epiſcopus ordinãdo eum quem ſcit eſſe irregularem, ipſo facto cum eo diſpenſat, ſi aliàs poterat. Similiter Superior mittens ſubditũ ad Ordines, ita Syluester ex Archidiacono v. Irregularitas, in fine; & v. Diſpenſatio, in fine. Idem generatim docet de diſpenſatione voti & quamuis alia Syluester Votum, 4. n. 8. citans Paludanum & Archidiaconum; & D. Antonin. par. 2. tit. 11. cap. 2. §. 9. ſequuntur paſſim recentiores. Imò ſi Superior videns votum vel impedimentum ſubditi videat illum facere contrarium, & non contradicat cùm facilè poſſit, cenſetur hac ipſa diſſimulatione diſpenſare, vt expreſsè docet Paludanus in 4. d. 38. quæſt. 4. ar 4. *In omnibus*, inquit, *in quibus Prælatis non eſt taxatus modus cum formula diſpenſandi, eo ipſo diſpenſant, quo faciunt efficax animo diſpenſandi; vel ſaltem ſi non contradicunt, quando facilè, & liberè contradicere poſſunt*. Idem iſtidem verbis docent D. Antoninus & Syluester loco citato, & multi recentiores. Ratio eſt, quia niſi tali diſſimulatione intenderent diſpenſare, grauiter peccarent non reprehendendo, cùm nullam habeant cauſam tacendi, vt ſupponimus. Confirm. quia talis diſſimulatio cenſetur ratihabitio de præſenti, quæ etiam confert iuriſdictionem ad aſſiſtendum matrimonijs & ad audiendas confeſſiones, vt multis probat Sancius lib. 3. de matrimonio diſp. 35. Vt cùm Parochus videt aliquẽ ſacerdotem aſſiſtere matrimonio, vel audire confeſſiones, nec contradicit, cùm facile poſſit, hac omni patientia & taciturnitate cenſetur ei conferre auctoritatem pro illis actibus, in quibus diſſimulat. alioquin grauiſſime peccaret non contradicendo. ergo eadem ſufficium ad diſpenſationem.

Poteſt fieri ip ſo opere.

Poteſt fieri diſſimulatione.

Ratihabitio de præſenti.

Nec obſtat, quòd ad abſolutionem ab excommunicatione non ſufficiat, vt Prælatus ipſo facto ad communionem admittat, aut cum eo communicet, vt conſtat ex cap. qui. Cùm contingat, & Panormitanus eodem numero 3. de ſententia excommunicationis; & Clement. Si Summus Pontifex, eodem. quia forma verbalis, qua ea abſolutio ſignificetur, à iure eſt præſcripta, vt ex illis locis conſtat; quamuis non certarum verborum formula ſocius in diſpenſationibus.

Tertiò, requiritur acceptatio eius qui vouit: ſicut vt cõdonatio debiti valeat, requiritur acceptatio debitoris. Cõfirm. quia Deus non remittit obligationem voti niſi volenti eo ſolui; ita nec Prælato conceſſum remittere nomine Dei niſi volenti. Secus eſt in diſpenſatione legum, impedimentorum matrimonij, irregularitatum, abſolutione cenſurarum, & ſimilium, quę à ſola voluntate Prælati pendẽt: in his enim non requiritur acceptatio nec conſenſus eius qui liberatur.

Si quis fictè acceptauit diſpenſationem, vel commutationem voti, non eſt liber; poteſt tamen ſe liberare mutando animum, & interius acceptando, vel priorem inualidã acceptationem ratificando. Idem locum habet in contractibus, quando quis fictè vel metu conſentit. poteſt enim poſtea etiam longo tempore interpoſito interius conſentire. Ratio eſt, quia nihil deſuit ad firmitatem actus præter conſenſum internum acceptantis, cum exterius acceptauerit atqui conſenſus internus ſemper præſtari poteſt, quando alter manet in priore conſenſu. De quo vide ſupra cap. 18. dub. 7. in fine.

Fictè acceptant.

DVBITATIO XIX.

Vtrùm Summus Pontifex poſſit diſpenſare in Voto ſolemni caſtitatis, præſertim Religioſorum.

D. THOM. ART. 11.

139 VOTVM ſolemne caſtitatis eſt duplex, aliud eſt annexum Ordini ſacro, aliud in profeſſione Religionis approbatæ nuncupatur.

Votum annexum Ordini ſacro.

Quod ad prius attinet, auctores ferè conſentiunt (exceptis paucis qui cõtinentiam iure diuino connexam putãt Ordini ſacro) Pontificem poſſe in hoc voto diſpenſare. hoc autem poteſt fieri dupliciter. Primò, tollendo legem cœlibatus ab ordinatione alicuius; ſeu concedendo vt ordinetur abſque obligatione vel promiſſione continentiæ. Sed hoc nõ tam eſſet diſpenſare in voto continẽtiæ, quam in lege eccleſiaſtica, per quam hoc votum Ordini ſacro eſt coniunctum. talis enim numquam vouit; ſed ſolum exemptus eſt ab obligatione vouendi & continendi, quæ obligatio eſt ſolum ex lege Eccleſiæ. Vnde valet illa diſpenſatio etiamſi facta eſſet abſque cauſa; &, ſi ille accepto Ordine matrimonium contraheret, eſſet validum: neque peccaret contrahendo matrimonium & petendo debitum, niſi ſicut is, qui vtitur diſpenſatione abſque cauſa obtẽta. Vnde ſepoſito ſcandalo non eſſet peccatũ mortale in illo contractu; quia ſolum eſſet quædam inordinatio, quæ in eo ſita eſt, quòd pars vna non ſit cõformis alijs in eodem corpore. multò minus in petitione debiti, cum ille nullo voto aut præcepto poſitiuo impediatur.

Secundò, diſpenſando propriè in voto iam facto. Sed hæc diſpenſatio non erit valida ad tollẽdam obligationem continentiæ, ſi non ſubſit iuſta cauſa: erit tamen valida ad tollendum impedimentum matrimonij. Vnde ſi contrahat matrimonium, erit validum; non tamen poterit petere debitum: quia vis voti manet, quantum patitur ſtatus. tenebitur tamen reddere ob vinculum iuſtitiæ, quo coniugi eſt obſtrictus: ſicut is qui fecit votum ſimplex caſtitatis ante matrimonium. Nam votum illius iam ſolum habebit vim voti ſimplicis.

Votum caſt. religioſorum.

140 *Sententia D. Tho. nõ poſſe.*

De altero, nimirum de voto caſtitatis Religioſorum, eſt maior difficultas. D. Thomas art. 11. docet Pontificem hoc votum non poſſe relaxare. Ratio ipſius eſt, quia votum caſtitatis ſtatui religioſo eſt eſſentialiter annexum, ac proinde non poteſt ab hoc ſtatu diuelli. ſi non poteſt diuelli à ſtatu, non poteſt etiam tolli ab homine habente illum ſtatum; quia ille ſtatus ab homine tolli non poteſt. Quod probatur, quia hic ſtatus conſiſtit in quadam conſecratione, per quam totus homo Deo conſecratur; id autem quod ſemel Deo conſecratum eſt, non poteſt amplius ad vſus humanos conuerti, nec poteſt deſinere eſſe conſecratum quamdiu integrum manet: vt patet in calice conſecrato, & in homine conſecrato in ſacerdotem: ergo qui ſemel eſt conſecratus Deo per votum ſolemne Religionis, non poteſt deſinere eſſe Religioſus. Vnde vlterius infert

infert D.Thomas,non posse dispensari in voto solẽni paupertatis, & obedientiæ: quia etiam hæc vota essentialiter statui religioso sunt annexa, vel potius innexa,& intrinsecè inclusa. Hic est totus discursus D.Thomæ, qui consistit in duabus propositionibus. Prior est. Votum castitatis,seu debitum continentiæ essentialiter est annexum, statui religioso. Hæc cũ verissima, & ab omnibus concedatur, & apertè colligitur ex cap. Cùm ad Monasterium 6. de statu Monachorum. Altera est, Status religiosus non potest tolli ab homine,quamdiu viuit. Hæc est ambigua, & à multis negatur. Eamdem sententiam de voti castitatis indissolubilitate, licet non eodem fundamento, tenet Altisiodorensis lib.3.Summæ cap.12.Glossa in d.c.Cum ad Monasterium & in cap. 1. de voto & voti redemptione, Albertus in 4.d.38.art.9. Almainus tract. de potestate Papæ cap.3.Sylvest.5.Votum 4 quæst.5 Sotus lib.7.de Justitia q.4 art.2.Petrus Arragon.quæst.88.ar.11.Armilla v.Dispensatio num. 12.

Duo fundamenta illius sententiæ.

Probatio illius.

Probatur hæc sententia Primò, Quia nihil est melius cõtinentia, quo possit proximus fieri compensatio. iuxta illud Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis*. Ita Altisiodorensis & Glossa.Secundò, In voto solemni est traditio sui;in voto simplici solum promissio; id autem quod semel est traditum non potest vnquam repeti.Tertio Apostolus Matthæus noluit dispensare cum Iphigenia Regis Aethiopum filia,vt Hirtaco nuberet, etsi ipse promitteret conuersionem sui, & regni. Quartò, Si posset dispensare in voto continentiæ solemni, fieri posset vt viuente priori vxore posset quis ducere secundam: vt si Petrus ducta vxore, ante matrimonium consummatum ingrediatur Religionem; deinde Papa dispensante egrediatur, & ducatur secundam. Quintò, Si talis voti vinculum posset tollere, posset etiam vinculũ matrimonij rati,quod soluitur professione:atqui hoc videtur absurdum:ergo.

Contrarium veritas.

Verum contrariâ sententia est multo probabilior, pro qua.

141 Dico Primò, Summus Pontifex, si iusta causa subsit,potest relaxare votum solemne castitatis Religiosorũ,& coniugere vt matrimonium contrahant. Est communis sententia Canonistarum,teste Navarro cap.12.num.77.& ferè communis Theologorum.Henrici,quodlib.5.quæst.28. D.Thomæ in 4.dist.38.quæst.1.art.4.quæstiuncula 1.ad 3. quamuis hic mutarit sententiam, ex prauo intellectu Decretalis; Cum ad Monasterium, teste Caietano, Richardi ead.dist.art.3.quæst.1.Scoti ibidem quæst.vnica. Durand. ibid.quæst.2.Palud.ibidem quæst.4 art.4.conclu.11.& 12. Anton.3.p.tit.11.cap.1.§ 9. Angeli, Votum 4.qu.5. Caiet. ar.11.Idem tenent plerique recentiores.

Probatur Primò, Pontifex potest relaxare votum simplex castitatis perpetuæ: ergo etiam solemne.Consequentia probatur, quia solemnitas voti sola Ecclesiæ cõstitutione est introducta; vt expressè habetur cap.vnico, de voto in 6. vbi Pontifex sic ait, *Quod votum debeas actu solemne, hic ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quòd voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta; matrimonij verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in suo statu innocentiæ instituente, unionem & indissolubilitatem acceperit; præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis. Illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut professionem expressam vel tacitam alicui de Religionibus per Apostolicam Sedem approbatis*. Idem expressè habetur in constit. Gregorij XIII. quæ incipit, Ascendente Domino. Si solemnitas est ex sola Ecclesiæ cõstitutione; ergo potest ipsa in ea dispensare,quia potest relaxare suam constitutionem.

Votum solemne quod sit.

Ex his aperte colligitur voti solemnitatem consistere in eo, quòd ipsum coniunctum sit professioni Religionis approbatæ,vel susceptioni Ordinis sacri, & ex coniunctione cum tam præclaro actu, solemne dici: ait enim Pontifex *votum solemnizari per susceptionem Ordinis sacri, aut professionem Religionis*. id est, *solemne* fieri. consistit ergo *solemnitas* eius formaliter in hac coniunctione. Sicut enim per Ordinẽ sacrum tradit quis se irreuocabiliter statui Ecclesiasticorum; ita per professionem tradit se irreuocabiliter statui Religionis;ita vt nec ipse vnquam possit Religionem deserere, nec Religio possit illum dimittere sic, vt omni vinculo quo se obstrinxerat, maneat solutus. talem enim traditionem ex vsu recepto nomen professio insinuat. Dicitur autem hæc *solemnitas* esse ex constitutione Ecclesiæ: tum quia Ecclesia approbat Religiones; sine qua approbatione vota illa non essent solemnia, sed simplicia; & Ordini sacro annectit votum castitatis; cũ quia statuit vt ratione huius cõiunctionis censeantur solemnia & certos effectus habeant,quos per se non haberent; nempe vt votum castitatis reddat inhabilem ad matrimonium, & votum paupertatis priuet omni dominio, & reddat illius incapacem; vt singula ex tribus inducant firmiorem,minusque solubilem obligationẽ; quæ omnia, ipsa per se non possent. Denique quia Ecclesia potest plura vel pauciora ad voti solẽnitatẽ requirere;plures vel pauciores effectus ei tribuere; sicut etiã ad solemnitatem matrimonij plura vel pauciora potest exigere.Sic olim erat votum solemne.etiamsi Religio non esset a Sede Apostolica approbata;vt infra dicetur.

Non consistit in benedictione.

Hinc patet solemnitatem voti Religiosorum non consistere in aliqua *benedictione* vel consecratione, vt innuit D. Thomas;quia nulla benedictio aut consecratio est necessaria,præter eam,quæ fit ab ipso vouente per votum,quo se Deo cõsecrat,qualis reperitur etiam in voto simplici.Nec refert quòd in aliquibus Religionibus fiat aliqua benedictio à Superiore,quia hæc non fit in omnibus; non enim in Ordinibus mendicantium:nec est cõstitutiua rei sacræ; qua res accipiat quoddam esse sacrum,maneatque immobiliter ad vsum sacrum deputata; (qualis est benedictio aquæ, salis, vestium sacrarum) sed inuocatiua tantum, vt Deus peculiariter ope sua Religioso adsistat; sicut benedictio Episcopi & Pontificis super populum, & benedictio mensæ,& cet. de quo vide Caietanum art. 11.

Non in traditione.

Neque etiam in *traditione* & acceptatione,vt volũt Sot. supra, Arragonius, & quidam alij. Quia si loquamur de traditione respectu Dei, & acceptatione ipsius Dei, hæc non magis fit in voto solemni quàm simplici. Vtrumque enim votum est promissio alicuius rei. Nam votum generatim definitur promissio. quòd si votũ solemne etiam est promissio, qua Deo aliquid promittitur soluendum: ergo non est illius traditio. Hæc enim inter se multum differũt, & se habent sicut via & terminus:& sicut contrahere debitum & soluere. Nec obstat quòd in professione homo dicatur tradere seipsum ad cultũ Dei.quia hæc traditio quatenus respicit Deum; nihil est aliud quàm deputatio vel obligatio sui ad talem cultum,nempe ad abstinentiam libidinis,& paupertatem,&c.quę deputatio non priuat dominio corporis:& non minus fieri potest voto simplici quam solemni. Acceptatio quoque ipsius Dei non minus habet locum in voto simplici quàm solemni, vtrumque enim illi gratissimum:sicut non minus accepat promissiones quã oblationes.

Si autem loquamur de traditione respectu Prælati, eiusque acceptatione,hæc non fit præcisè vi voti, sed est quid annexum voto in professione,maximè voto obedientię, vt dicetur cap.sequenti dubit.8.Sed hæc traditio potest etiam esse annexa voto simplici;vt patet in ijs qui nuncupãt tria vota substantialia in nostra societate; statim enim emissis votis post biennium probationis in Societate, manet vouens eodem modo ligatus, quo Professus,& transit in ius Religionis. Et sanè nulla fingi potest ratio cur homo non possit se tradere tum Deo,tum Prælato per votũ simplex, ita vt Prælatus in illum ius acquirat, accedente præsertim ordinatione Ecclesiæ, qua hic modus approbetur & Prælato auctoritas acceptandi detur.

Secundò Probatur, Pontifex potest dispensare in voto solemni Clericorum;vt fatetur D. Thomas,& communis sententia Doctorum,cur nõ etiam in voto Monachorum? non enim illud est minus solemne, nec minus continet sui traditionẽ, quam hoc. Nec refert quòd illud non sit essentialiter annexum Ordini sacro,sicut hoc statui Religioso; quia inde solum sequitur fieri non posse vt quis maneat Religiosus soluto voto;sicut fieri potest vt quis maneat ordinatus sublato voto.non autem sequitur votum tolli non posse vna cum statu religioso imò connincit ipsum quoq; statum religiosum auferri posse, cum hoc non constet nisi votorum obligatione.

Exemplis probatur.

Tertiò Probatur, Quia vt fide digni auctores referunt, Pontifex sæpè vsus est hac potestate.Primò. Cum Nicolao Iustiniano Monacho professo dispensauit Alexander III. vt

vt posset vxorem ducere,ne familia tã illustris extingueretur,ex qua susceptis sex filijs & tribus filiabus,ad Monasterium rediit, miraculis postea clarus. Habetur in vita S. Laurentij Iustiniani,& apud Volaterranum libro 4. historiæ. Secundò, Cum rege Arragoniæ, qui cum esset Monachus professus;& eius pater sine liberis obijsset,solutus est votis monasticis vt vxorem duceret, teste Paludano d 38. qu.4.art.4.conclus.11.& referunt annales Hispaniæ. Tertiò. Cum Constantia filia regis Siciliæ, Monialis professa,vt nuberet Henrico VI. refert Platina in Cœlestino III. Omitto alios: atqui durum est dicere Pontifices in re tanti momenti errasse.

142 *In voto paupertatis & obedientiæ.*

Dico Secundò, Potest etiam dispensare in voto solemni paupertatis & obedientiæ, si legitima causa subsit. non n. in his est maior difficultas, quàm in voto castitatis. Dixi *si subsit causa*, quia Nauar.comment.2 de Regularibus num. 17.putat non posse iustam causam subesse,præsertim vt dispensetur in voto paupertatis; quia sufficit vt ei cõcedatur plena administratio absque dominio,quæ tamen sit aliquo modo dependens ab arbitrio Pontificis; hæc enim sufficiẽs est ad omnes actus necessarios;vt ad donandum, ad acquirendum,ad contrahendum,ad condendum testamentum. Idem videtur dicendum de voto obedientiæ;non enim necesse est hoc vinculum laxari, sed satis est materiam subtrahi, tollendo subiectionem, quam habet subditus ad suũ Prælatum. & tunc manebit soli Pontifici subiectus; sicut accidit quando Monachus fit Episcopus vel Cardinalis. Hæc sententia est valde probabilis.

Contrariam tamen puto veriorem, nempe posse iustam causam subesse; vt si dispensetur vt Monachus fiat Princeps sæcularis & ducat vxorẽ:tunc enim est sufficiens causa vt votum paupertatis ei omnino laxetur,ne affectu proprietatis, largitionibus, sumptibus superfluis, aliisve modis,qui facilè in hoc statu possunt occurrere,peccet contra votum. Idem dico de voto obedientiæ.imò videtur hoc votum sponte cessare, hoc ipso quo definit esse Religiosus, quia non intelligitur nisi de ijs, quæ continentur in regula, vel ad regulæ obseruationem diriguntur. In Episcopis tamen non definit,sed mutatur in obedientiam congruentem illi statui,ipsorum tacito vel expresso consensu,vel nouo & formali voto.

Votum obedientiæ in Religioso Episcopo.

143 *De Episcoporum paupertate.*

Notandum est, Sotum lib.10. de Iustitia quæst.5.art.7. insinuare reipsa dispẽsatum esse cum Episcopis Monachis in voto paupertatis: nam quod ad prouentus ecclesiasticos attinet,Episcopi ex Monachis facti eodem modo obtinent portionem sibi assignatam, quo Episcopi sæculares suam: atqui sæculares ita suam obtinent vt eius habeant dominium, vt verior sententia tenet: ergo etiam Episcopi Monachi dominium habent portionis suæ. Idem probatur de bonis sæcularibus ex cap.1.Statutum.18 quæst.1.ubi sic dicitur, *Statutum est, vt Monachus, quem electio canonica à iugo regulæ & professionis monachalis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternum sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat.* Vbi duo dicuntur: Alterum est, Monachum per electionem canonicam (intellige confirmatam à Pontifice) *liberari a iugo regulæ*, ita vt non amplius teneatur ieiunijs, abstinentia carnium,vsu lanearum,silentio,& reliquis monasticis obseruationibus in regula præscriptis. Excipio tamen *habitum*, quem vt seruent, statutum est capite Clerici officia,de vita & honestate Clericorum: quamuis in quibusdam locis, vt in Italia,teste Soto, hoc non seruetur. Alterum est, *illum habere ius successionis hereditariæ*; quod intellige,etiamsi fortè illud fuerit quasi extinctum;vt si sit ex Ordine mendicantium:quia non fuit extinctum absolutè, sed sub conditione,nisi fieret Episcopus. Confirm.quia Põtifex huiusmodi Episcopis interdum concedit potestatem vt emant bona sæcularia, eaque relinquant quibus volunt; quod est signum dominij.

Liberatur a iugo regulæ.

Succedit in hæreditatẽ.

Sed verius est eos hoc voto non esse absolutos,sicut nec voto obedientiæ; ita D. Thom.expressè art.11.ad 4. eiusque communis sententia Doctorum, Nauarri, de redditibus qu.3.mon.12.Sylvest. Religio 6.num.10. Armillæ v.Religio, num.21.& aliorum. Ratio est,quia obligatio horum votorum est de essentia Religionis,vt aperte colligitur ex c.Cũ ad Monasterium. Vnde cum per Episcopatum non desinat esse Religiosus,non soluitur his votis.

Verum est nõ esse liberos

Deinde quia necesse non est Religiosum Episcopum factum,esse dominum suæ portionis:satis est vt habeat administrationem, qualem Canones illi permittunt,tum ad suã sustentationem;tum ad pias causas: hæc enim administratio sufficit ad tales actus. Ius autem successionis non acquirit per Episcopatum,nam illud etiam antè habebat, ex quo Monachus,vt constat ex cap.9. Si qua mulier.19.q.3.& ex L.Deo nobis.C.de Episcop.& Cleric.sed per Episcopatum fit,vt si quid in posterum acquirat, id cedat non Monasterio,sicut antè,sed ipsius Ecclesiæ: & hoc est quod disponitur capit.Statutum. Quod si ipse sit ex Ordine mendicantium, extinctum quidem aliquo modo fuit ius successionis, sed per Episcopatum reuiuiscit in commodum Ecclesiæ ipsius, ita vt Ecclesia habeat dominium rei sic acquisitæ, & ipse administrationem. Vide Sylvestrum Religio 4. quæst.10.

Ad argumentum Diui Thomæ. Negandum est statum religiosum non posse auferri ab homine: hic enim status non in aliqua consecratione distincta ab obligatione votorum consistit,vt supponit argumentum;sed in ipsa votorũm obligatione.vnde cum obligatio huius voti possit auferri ab homine, (vt patet in voto sacris Ordinibus annexo) etiam consecratio illa, quæ est per votum. Quod confirmatur exemplo aliorum,quæ sic Deo consecrantur, (vt sunt omnia, quæ ex voto offeruntur) quæ tamen ex causa ad vsus prophanos conuerti possunt. Sic etiam panes propositionis etsi Deo essent consecrati, & soli sacerdotes ijs vesci possent; tamen in necessitate Dauid & socij illis vsi fuere. Idem sæpè factum in armis, vestibus Deo oblatis,in terra consecrata,& similibus. Addo valdè probabile esse, etiam alias consecrationes ab Ecclesia institutas,a rebus cõsecratis, & benedictis tolli posse eiusdem Eccl.sic auctoritate rebus ipsis saluis manentibus,vt a templis,altaribus, calicibus,aqua benedicta,vestibus sacris, & similibus.Cur enim Ecclesia non possit constituere vt templum consecratum amittat consecrationem dum polluitur aut prophanatur? aut calix dum a fabro malleo tangitur? vel etiam vt consecratio non duret nisi ad certum tempus, & tunc per se euanescat? omnis enim talis benedictio & consecratio non videtur esse aliud quàm deputatio ad vsum sacrum, cum inuocatione diuinæ virtutis & assistentiæ vel ad debitum vsum, vel ad excitandam reuerentiam, & deuotionem, vel ad consequendum finem nostrarum precum: nam duo illa abunde sufficiunt vt res dicatur consecrata,& sacra. nec alia ratione videtur Ecclesia posse rei sanctitatem conferre extra Sacramentum: atqui illa, nimirum deputatio &inuocatio, non habent vim nec durationem, nisi secundum intentionem deputantis & inuocantis.

144 *Ad argumenta. Sensus relig. potest tolli ab homine.*

Alia consecrationes tol lipotse.

Quid consecratio & benedictio.

Ad aliorum argumenta.

Ad primum respondet D. Tho. negando nihil esse, quo continentia possit compensari: oratio enim & contemplatio multo est præstantior, cum sit finis continentiæ; & tamen votum horum potest relaxari. Adde aliam esse Scripturę mentem:non enim continentiam ceteris virtutibus, sed talentis auri præfert.

Ad argumenta aliorum.

145

Ad secundum: Etiam in voto simplici est traditio sui, non tantum promissio; quia per votum simplex castitatis homo statim tenetur ad omnia ea, ad quæ per votum castitatis solemne. Immo per vota simplicia potest quis fieri verus Religiosus, si Sedes Apostolica ad hunc finem ea acceptet; vt infrà capit. quadragesimoprimo, numero octauo ostendemus. Vnde verum non est, votum simplex se habere ad solemne sicut sponsalia ad matrimonium; nisi loquamur de certo & particulari illo voto simplici, quo quis vouet se fore Religiosum: hoc enim ad vota solemnia se habet vt sponsalia ad matrimonium, & de hoc intelligendus est Diuus Thomas articulo vndecimo.

In voto simplici etiam est traditio.

Ad tertium:Non est certum Hirtacum petijsse ab Apostolo vt cum Iphigenia dispensaret, vt Caiet.& alij tentant Deinde si petijt,non videtur sincero animo promisisse conuersionem.Denique illis initijs Ecclesiæ fortè non erat expediens.

Ad 4. Negandum est illum habiturum duas uxores uiuas: nam prior desijt esse uxor, per professionem Religionis soluto vinculo coniugali.

146 *Forsit dispensare in*

Ad quintum: Non est absurdum, sed probabilius quàm oppositum, Pontificem ex causa posse dispensare in matrimo-

Matrimonio rato non consummato.

trimonio rato non consummato. Ita tenent communiter Doctores Canonum & Legum Nauarrus cap.22.num.21. dicit Paulum III. & Pium IIII. ter vel quater se petente dispensasse. Caietanus tom.1. opusc.28. dicit Pontifices suo tempore sæpè dispensasse. Henriquez, de matrimonio cap.8.num.11. dicit Gregorium XIII. dispensasse vno die cum vndecim, sed plura de hoc dicenda tractatu de matrimonio.

DVBITATIO XX.

Vtrùm obligatio voti habentis tacitam vel expressam conditionem cesset, si conditio tollatur per vim vel fraudem Vouentis.

147 Verbi gratia, vouit aliquis Deo & Superiori perpetuò seruire in hospitali, vel Monasterio, sub hac tacita; vel expressa conditione. Si Superior me voluerit retinere; & Superior hoc votum legitimè acceptauit; Quæritur Vtrùm obligatio voti cesset, si ipse de industria male seruiendo, damna supellectili inferendo, & omnia turbando dimissionem extorserit.

Probatio partis affirmantis.

PARS affirmans probari potest, Primò, Quia si Superior talem dimitteret sponte tua; ille ad nihil amplius teneretur, etiamsi nulla causa dimissionis subesset; idque ob tacitam conditionem, quæ voto ipsius subest: ergo similiter in casu proposito liber erit, cùm absolutè dimittatur.

Secundò, Illud votum habebat tacitam conditionem, Si me retinere voluerit: ergo si retinere noluerit, & dimiserit, ero liber. Consequentia probatur, Quia non refert ex qua causa proueniat quòd nolit retinere, quando reuerà liberè dimittit.

148 *Contrarium tenendum.*

Sed contrarium videtur omnino tenendum, scilicet talè non esse votum, nisi paratus sit impedimenta per malitiam posita tollere, & rursum ad obsequium præstandum se offerat, si Superior velit eum admittere. Ita expressè docet Richardus in 4. dist.38.art.5.q.3. Syluest. Votum 2.q.2. Angelus Votum 1.num.10 & alij passim.

Probatur Primò, Si alicui elocarē operam ad decennium certo pretio, sub hac conditione si ille me velet in domo sua retinere, & postea male agerē, eo fine vt me domo sua eijciat, vel conuitijs aut minis id extorquerem; nemo censeret me liberum, nisi rursus offerrem me ad præstandum contractum promissa emendatione; quia fraus & iniuria nemini debent patrocinari: & sicut contractus debent esse liberi, ita etiam distractus, seu contractuum dissolutiones. atqui hic nolter exitus est planè similis: nam minor libertas requiritur ad condonationem voti & talis promissionis, quam ad dissolutionem alterius contractus.

Dissolutio contractuum & condonationes debent esse libera.

Secundò, Si hac forma votum conciperem, Voueo Deo & tibi Prælato perpetuum obsequium in hoc Monasterio, si me voles retinere; ita tamen vt si fraude, minis, aliòve modo dimissionem extorsero, nolim vlterius obligari; imprudenter & irreligiosè conceptum censeretur, nec Prælatus vellet acceptare: atqui hoc modo intelligi deberet, si quiuis modus tollendæ conditionis, & obtinendæ missionis ad liberationem sufficeret.

Tertiò, Qui illo modo vouet nō minùs obligatur ex parte sua, quā si nulla talis conditio subesset: non enim illa cōditio additur vt ipse vouens minus sit obstrictus, aut facilius obligationē possit excutere; sed vt Prælato sit integrū, si aliquando deprehenderit ipsius obsequium minùs esse necessarium vel vtile, illum dimittere. atqui si illa conditio abesset, & eo modo dimissionem extorqueres, nemo te cēseret liberum, nisi rursum te paratum exhibeas: ergo nec apposita tali conditione liber eris.

Quartò, Qui minis & fraudibus nititur extorquere dimissionem, facit iniuriam Prælato & Monasterio, adimendo illi libertatem, quam habere debet ad talem actū, & cogendo ad id, quod aliàs nollet: ergo tenetur illum restituere in priorem statum, reddita libertate vt faciat quod bonū illi videbitur. hoc autem fieri nō potest, nisi paratus sit rursus ad obsequium recipi, & quantum in se est, omnia reddere infecta, ea in statum priorem reuocando. Confirm. quia quicumque per iniuriam cogit alterum ad aliquem contractum vel distractum, tenetur illum restituere suæ libertati, & paratum se exhibere ad omnia reducenda in priorē statum, vt omnes DD. docent: de quo vide sup. c.17.dub.6. at in tali voto, inter Prælatum & vouentem est aliquis cōtractus, & hic cogit illum per iniuriam ad contractum dissoluēdum: ergo. Nec refert vtrùm cogat per metū grauem an leuem, modò iniuria sit causa sine qua aliter nollet dissoluere. Pari modo qui per iniuriam extorquet ab aliquo condonationem eius rei, qt à ille debet ex iustitia, vel alia iniecta obligatione, non liberatur, nisi illum restituat suæ libertati, vt liberè condonet: at ille vouens ex iustitia tenetur manere; & extorquet dimissionem per iniuriam; ergo non liberatur, &c.

Vouēs finem, vouet tacitè media.

Quinto, Qui vouet aliquem finem, cēsetur tacitè etiam vouere media ad illum finem necessaria, vt per se patet; atqui medium necessariū est non ponere directè impedimenta implendi voti, & si posueris, ea tollere quantum potes: ergo qui vouit perpetuum obsequiū in Monasterio, si directè aliqua impedimenta obiecerit, tenetur ea pro sua virili tollere; ac proinde mutatis moribus se rursus exhibere.

150 *Obiectio.*

Dices id esse verum ante dimissionem, quando votum principale adhuc obligat: secus quando sublatum est per dispensationem.

Respon.

Resp. Certum est hoc votum non posse tolli per dispensationem, quia non subest iusta causa, vt supponimus, cuius defectu omnis dispēsatio est irrita. Per irritationem tamen, vel potius desitionem conditionis sub qua factum est tolli potest; sed cū hæc per iniuriam extorta sit, non potest ita tollere votum vt cesset omnis obligatio, nec potest alterum reddere securum, nisi paratus sit omnia in priorem statum reducere. Sicut si aliquid mihi, vel tertio in meum fauorem promisisti, & cogas me ad condonationem, non liberaris: vt antè dictum est.

Sextò, Talis non videtur posse verè pœnitere coram Deo, nisi paratus sit sarcire iniuriam, quam intulit Monasterio & Prælato, vtēdo modis illis iniquis, & ita se ab obsequio promisso subtrahendo: præsertim cū ei lege iustitiæ, vel quasi iustitiæ esset obstrictus, nā fides est pars quædam iustitiæ, vt supra cap.18. dubit.8. ostensum est. Hoc enim habet omnis iniuria, vt non possimus de ea pœnitere sicut oportet ad salutem, nisi parati simus illam reparare vel tollere, si alter velit. Idem dico de iniuria facta Deo cogendo Prælatum condonare quod ipsi promiserat; sed iniuria ista non potest sarciri nisi dolendo ex animo de eo quod factum est, & paratum se exhibendo ad omnia in integrum reuocanda quantum fieri potest.

Denique omnis promissio facta alicui sub conditione posita in arbitrio tertij, ita interpretanda est, vt illi tertio debeat relinqui libertas vt conditionem ponat, vel tollat; & si promissor cogat ad tollendam cōditionē, non censebitur iniuria liber. v. g. promisisti puellæ nuptias, si parens eius consenserit; deinde cogis parentem vt non consentiat; non ideo censendus es liber: quia nō sic ab initio conditionem intellexisti. Item omnis conditio ita interpretanda est vt non det occasionem violandi voti vel contractus: atqui daretur maxima occasio violandi, si ita intelligeretur vt posset huiusmodi malis artibus euertitergo, &c.

151 *Ad argumenta.*

Ad Primum, Prælatus eo casu dimittit quidem absolutè, sed coactè, non liberè; at quæ vi vel metu facta sunt, in irritum reuocanda sunt; cap.2. de ijs, quæ vi.

Ad Secundum: Ideo illa dimissio est valida, quia sponte facta; tollitur enim illa conditio, quæ tacitè inerat, omnino liberè: hic autem extorta est per iniuriam. Ad probat. coniecq. Maximi refert à qua causa proueniat contentus in omni contractu: si enim extorqueatur per iniuriam, contractus est irritus, vel in irritum reuocabilis; & qui extorsit, tenetur reducere omnia ad priorem statum, si alter velit. Neque verū est hunc liberè dimitti ea libertate, quæ sufficiat vt actus sit omnino validus, reddatque alterum securum, vt patet in condonationibus simili modo extortis.

152 *Quid si vouit etiam continentiam.*

Petes, Quid si talis non solum vouit obsequium & famulatum, sed etiam continentiam perpetuam, sub eadem tacita, vel expressa conditione, vtrum dimissione extorta teneatur adhuc voto castitatis?

Respondeo, Probabile est non teneri immediatè hoc voto; quia mens ipsius non videtur fuisse ad hanc se obstringere, nisi maneret in monasterij obsequio; non autem si contigeret illum dimitti. Tenetur tamen mediatè, quatenus obligatur se rursus exhibere, vt recipiatur ad præstandum tertiò & bona fide famulatum, quem promi-

fit.

ſit. vbi enim receptus fuerit, rurſus tenebitur vi ꝓtioris voti.

Contrarium tamen videri poſſit probabilius; quia conditio ſub qua promiſit non fuit ſublata eo modo, quo debuit vt votum ceſſaret: mens enim vouentis erat ſe obligare, niſi ſponte ipſum Superior dimitteret, ſeu quamdiu illũ ſponte retinere vellet; atqui nunc illũ non dimiſit ſponte, ſed coactus ab ipſo per iniuriã; & adhuc cupit illũ retinere quantũ eſt ex parte ſua: ergo conditio non eſt ſublata eo modo, quo debebat tolli; ac proinde manet obligatio.

CAPVT XLI.

De ſtatu Religioſo.

Conſtat Dubitationibus 15.

EXPLICATO voto, ſequitur vt dicamus de ſtatu religioſo, de quo D. Thomas quæſt. 186. & tribus ſequentibus. Tamen quia hic ſtatus totus conſtat voto, commodiſſimè hoc loco tractabitur.

Status Epiſcoporum in tractatu de ſacramento Ordinis explicandus.

DVBITATIO I.

Quænam requirantur ad ſtatum religioſum.

1 *Quid ſtatus, eſt multiplex.*

NOTANDVM Primò, Nomen *ſtatus* in propoſito dupliciter accipi. Primò, Generatim: ſic quæuis vitæ conditio, in qua homo ad tempus vel perpetuò perſtat & permanet, *ſtatus* dicitur, vt ſtatus innocentiæ; ſtatus legis naturæ, ſtatus legis Moſaicæ & Euangelicæ; ſtatus huius vitæ, & vitæ futuræ; ſtatus beatorum, & ſtatus damnatorum; ſtatus incipientium, proficientium, perfectorum; ſtatus eccleſiaſticus, & ſtatus ſæcularis; ſtatus ſeruorum & liberorum, viduarum, & virginum, &c. Vide Caiet. q. 183. art. 1. Secundò, Strictè, pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obſtricti ſumus: hoc enim nomen quandam firmitatem denotat, vt docet D. Thomas q. 183. ar. 1. & paſſim alij Doctores. Hoc modo D. Thomas conſtituit tantùm tres ſtatus in Eccleſia, Epiſcoporum, Religioſorum, & coniugatorum; Epiſcopi enim perpetuo vinculo obſtricti ſunt obſequio ſuæ Eccleſiæ; Religioſi obſequio diuino; coniuges obſequio mutuo, ex his duo ſunt ſpirituales, & vocantur ſtatus perfectionis: tertius eſt ſæcularis.

Tres ſtatus.

2 *Religionis nomen tripliciter accipitur.*

Notandum Secundò, Nomen *religionis* tripliciter accipi. Primò, Pro virtute, qua Deus colitur. de qua ſuprà cap. 36. Secundò, Pro formula cultus diuini omnibus communi, vel pro talis formulæ profeſſione, per quam homo mancipatur obſequio diuino quantum præcisè neceſſarium eſt ad ſalutem; qualis eſt modò religio Chriſtiana, & olim religio Iudaica. Tertio pro peculiari quadam formula & profeſſione, per quam homo ex libera ſua electione penitus obſequio diuino mancipatur. hæc ſupponit omnia ad quæ obligat communis religio Chriſtiana, & propriè includit aliqua alia, quæ maximè ad perfectionẽ conducunt. vnde peculiari ratione vindicat ſibi nomen Religionis. huius profeſſores propriè dicuntur *Religioſi*; quaſi toti diuino cultui addicti. Dionyſius de eccleſiaſtica hierarch. c. 6. dicit *eos à ſuis ducibus*, id eſt, ab Apoſtolis *appellatos* θεραπευτὰς, *à puro Dei obſequio & cultu*. eodem nomine vocat illos Philo. in lib. de contemplatione, idque ob duas cauſas, vt ibi inſinuat: tum quia cultui & obſequio numinis penitus dediti; tum quia toti ſunt in animo ſuo curando & virtutibus excolendo. θεραπεύειν enim duo ſignificat, *colere & curare*, ſeu mederi, eodemque modo vſurpatur apud Græcos, quo hæc apud Latinos. Vocati ſunt etiã ab Apoſtolis *Monachi*, teſte Dion. ſuprà, *à vita indiuiſibili & ſingulari, qua in Deiformem monadem colliguntur & perficiuntur*. Dicuntur etiam *ἀσκηταὶ* à D. Baſilio & alijs, id eſt, *exercitati*, quia eorum munus eſt, ſe in virtutis palæſtra exercere. Hinc *ἀσκητικὰ* eiuſdem Baſilij, quę ad inſtructionem Monachorum pertinet. Nomen tamen *Monachi* propriè non conuenit omnibus Religioſis, ſed ſolis vitæ contemplatiuæ deditis. non enim Mendicantes propriè ſunt Monachi, cùm aſſiduè inter homines verſentur, & multò minùs qui ex inſtituto ſunt Clerici ſeu ſacerdotes, vt ſunt Canonici regulares. & Religioſi Societatis IESV. alia. n. eſt Religio Clericorum, alia Monachorum, vt cõſtat ex c. Licet. 18. de Regularibus, c. Nullus. 1. & c. 2. Mãdamus. 19. q. 3. & alijs multis Iuribus. In fauoribus tamẽ nomine Monachorum veniunt omnes Religioſi, vt docet Panormitanus in cap. Ex parte. 2. de poſtulat. Prælat. & alij Doctores.

Religioſi. *Cur dicti θεραπευταὶ.* *Monachi.* *ἀσκηταὶ.*

Vulgò in Italia, Hiſpania, & Gallia vocantur Patres; ꝙ nomen potius eſt beneuolentiæ & charitatis, quã honoris. vnde etiamſi ſæcularibus ſacerdotibus, & in primis Parochis tribui poſſit, tamen honoris cauſa hi potiùs vocantur domini q̃ Patres, ſicut & Magnatũ filij, patres ſuos dominos vocant. Itaq; Religioſis, qui in plebẽ & pauperes quoſlibet parẽtũ affectũ & officia præſtãt, & magis amoris, quo ad beneuolentiam excitentur, quam honoris, quo intumeſcãt, titulis delectari debent, hoc nomen propriè tribuitur.

Patres.

3 Notandum Tertiò, Religionem, ſeu *ſtatum religioſum*, ſicut & quoduis officium dupliciter poſſe ſpectari. Primo In actu primo, ſeu in habitu, & ſic nihil eſt aliud quam debitum religiosè viuendi. Secundò, In actu ſecundo, & ſic eſt ipſa religioſa vita voto firmata.

His poſitis, difficultas eſt de tribus votis, de ſolemnitate votorum, de regula, & de Pontificis approbatione.

Ad eſſentiã Religionis requiri tria vota.

Quod ad primũ attinet, certum eſt ad ſtatum Religionis eſſentialiter requiri tria vota, eaque perpetua, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Eſt cõis ſententia Theologorum & Canoniſtarum. Nec ſufficit ſeruari hæc tria ſine voto, quia ſic non conſtituunt ſtatum, cùm non habeant firmitatem: nec homo perfectè dedicatur Deo nuda illa obſeruatione abſque voto; quia libertatẽ reſiliendi ſibi retinet, quæ per votũ abdicatur. Hinc Nazarçi, qui erant typus noſtrorũ Religioſorum, voto conſecrabantur Domino, vt conſtat ex c. 6. Numer. Deinde ad perfectionem Religionis requiritur vt homo totã vitam ſuam Deo cõſecret. nã vt Greg. hom. 20. in Ezech. ait; *Cum quis omne quod habet omne quod vivit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum eſt*, addens illud offerri ab his, qui ſeculum deſerunt, & relicta Aegypto ſacrificiũ obtulerũt Domino in eremo, id eſt, in ſtatu Religionis: atqui nõ põt quis vitã ſuã totam ſimul Deo cõſecrare ipſo actu, quia non tota ſimul agitur, vt monet D. Tho. q. 186. art. 6 ad ſecũdum: ergo id voto fieri debet. Nec ſufficit votũ, niſi ſit perpetuũ; quia alioquin eſt imperfecta ſui mãcipatio retrò reſpiciens, & ius retrocedẽdi retinens.

4 *Nazarçi.*

Quòd hæc tria requirãtur, Probatur Primò, Quia Religio eſt forma quædã vitæ, vel obligatio ad formã vitæ ducentem ad imitationẽ Chriſti, & ad perfectionẽ charitatis: ſed hæc tria maximè ſunt cõuenientia ad imitationẽ Chriſti & perfectionẽ charitatis conſequendã: ergo &c. Maior per ſe patet. Minor prob. Ac primũ quòd *paupertas* ad hoc ſit maximè conueniens, conſtat ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* & infrà, *Amen dico vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.* Hinc Dominus Matth. 5. *pauperes ſpiritu* (id eſt, affectu & libera electione, non miſera & ingrata neceſſitate) *beatos* vocat, quia ipſis regnum cælorũ rependetur. hinc in primitiua Eccleſia omnia erant cõia, nec quiſquã aliquid ſuũ eſſe dicebat, maxime apud Iudæos conuerſos: idque voto videntur promiſiſſe: alioquin Ananias & Saphira non adeò grauiter puniti fuiſſent, quòd aliquid de pretio ſibi retinuiſſent; nec Petrus diceret illos *mentitos Deo, non hominibus. Mentiri* enim Deo eſt non ſeruare quod ei promiſeris. Ita expreſsè docent Patres, Hier. epiſt. ad Demetriadem, Auguſtinus ſermo. 12. de diuerſis, Chryſoſt. hom. 12. in Acta, & alij. Denique Apoſtoli paupertatem ſeruarunt, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia:* & Chriſtus ipſe pauperrimus fuit, Matth. 8. & Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.*

Paupertatẽ requirit. *Ananias & Saphira vouerunt.*

5 *Caſtitatem requirit.*

De caſtitate Mat. 19. *Sũt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt &c.*

regnum Dei, qui poteſt capere capiat. quaſi dicat, res iſta eſt valde ardua, hortor vt quiſque pro ſuo captu ad eam aſpiret, & qui difficultatem paratus eſt vincere; amplectatur. dicimur enim *poſſe*, quando audemus & non animus nos difficultate rei ſuperari; *nempe ſic* quando cedimus difficultati, quàuis eam poſſemus abſolutè vincere. ſic vulgò dicitur, non poſſum hanc iniuriam diutiùs ferre, non poſſum cõ ioculare, nõ poſſum tam tenuiter viuere, &c. 1. Corin. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium.* Denique eodem illo capite hortatur ad continentiam; quia hæc præbet facultatem Domino meliùs ſeruiendi. Vnde Dominus, Apoſtoli, & clariſſimi Sanctorum, continentiam coluerunt. Quòd autem voto firmari ſoleat, patet ex Apoſt. 1. ad Tim. 5. *Adoleſcentiores viduas deuita*, (Græce παραιτοῦ, recuſa, non admitte) *cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto*, (id eſt, in iniuriam Chriſti ſponſi ſui fornicatæ) *nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem* (quam Chriſto dederant vouendo continentiam) *irritam fecerunt.* Ita exponit hunc locum Concilium Carthaginenſe 4. cap. 104. & omnes Patres.

Obedientiam requiri.

De *obedientia*, ad Philippen. 2. *Chriſtus obediens fuit vſque ad mortem*: & qui Dominum vult ſequi, debet *abnegare ſemetipſum*, Matth. 16. quæ abnegatio maxime fit per obedientiam, dum iudicium & voluntatem noſtram in omnibus Superiori ſubijcimus.

6 *Probatur ratione.*

Secundò Probatur: Status religioſus poteſt conſiderari vel vt eſt quoddam *holocauſtum*, quo homo omnia ſua cõſecrat Deo, vel vt eſt *exercitium* tendens ad perfectionem, vel vt eſt *remotio impedimentorum* ſalutis. Si primo modo conſideretur requiruntur illa tria: nam per votum obedientiæ offert Deo animam, ſubijciens iudicium & voluntatẽ in rebus agendis Superiori propter Deum. Per votum caſtitatis offert corpus, abſtinens ſe cauſa Dei à voluptatibus carnis. Per votum paupertatis offert res exteriores, ſe illis propter Deum priuans. Si ſecundo modo, eadem requiruntur. vt enim homo exerceat ſe ad perfectionem, debet exuere affectum & ſolicitudinem rerum terrenarũ; (vt multis docet Dominus, Matth. 6.) quod fit paupertate voluntaria. Debet abſtinere à voluptatibus carnis, quæ mentem ad ſpiritualia reddunt maximè ineptam, (vt patet 1. ad Corinth. 7.) quod fit cultu caſtitatis. Denique debet dirigi tanquam diſcipulus, ne proprio iudicio & affectu fallatur, vt ſæpe Scriptura monet, Proverb. 19 22. Eccleſ. 6. & alibi. hoc autem ſit obedientia.

Vt holocauſtum.

Vt exercitium perfectionis.

Vt remotio impedimentorum.

Si tertio modo, eadem requiruntur. nam tria ſunt quæ maximè nè ſalutem hominis impediunt, cupiditas rerum terrenarum, oblectationes carnis, & amor propri iudicij & voluntatis; quæ tria inſinuantur 1. Ioannis 2. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.* Itaque cùm hæc tria tollantur votis Religionis, per Religionem exuitur mundus.

Vt remotio ſolicitudinis.

Denique eadem requiruntur vt mens hominis à ſolicitudine ſæculi liberetur, & tranquillitatem aſſequatur. tota enim ſæculi ſollicitudo verſatur in rebus temporalibus in vxore, & liberis, & in gubernatione vitæ propriæ. vide D. Thomam quæſt. 186. art. 7.

7 *Imperfecta Religio.*

Ex his patet, illa Inſtituta, in quibus non faciunt votum caſtitatis abſolutæ, ſed ſolùm caſtitatis coniugalis; vt ſit in quibuſdam Ordinibus militaribus, nõ eſſe propriè & perfectè Religiones, ſed ſolũ imperfectè, & ſecundùm quid: quia nõ continent primaria conſilia Chriſti: caſtitas enim coniugalis non eſt conſilij, ſed præcepti: Vnde in tali Inſtituto non fit holocauſtum perfectum; quia corpus Deo nõ offertur. Deinde mens hominis non abducitur à delectationibus carnis, quæ maximè illam ad ſpiritualia reddunt ineptam: nec à ſtudio placendi vxori, quod hominem diuidit, eſte Apoſt. 1. ad Corin. 7. nec ab alijs ſollicitudinibus innumeris, quas ſtatus matrimonij ingerit, quæ hominem à rebus diuinis maximè auocant. Denique quicumque iam inde à temporibus Apoſtolorum ſe Deo dedicare voluerunt, ante omnia caſtitatem ei vouerunt, tamquam hac vna re potiſſimùm reddantur diuino obſequio idonei. Idem docet Diuus Thomas q. 186. ar. 4. ad 3. *Ille*, inquit, *modi vouendi, ſecundùm quos homines matrimonio vtuntur, non ſunt ſimpliciter, & abſolutè loquendo Religiones, ſed ſecundum quid, in quantum ſcilicet in aliquo participant quædam, quæ ad ſtatum Religionis pertinent.* Et Sotus lib. 7. de Iuſt. q. 5. ar. 3. In eadem eſt Gloſſa in Clement. Ex eo, de ſentent. excomm. & alij. Quæ verò Nauarrus de reditibus quæſt. 1. monito 55. adducit, ſolùm probant tales poſſe dici *perſonas Eccleſiaſticas* & *Religioſas* imperfecto modo.

Obiectio.

Dices cum Nauarro, Qui vere eſt Religioſus, non deſinit eſſe talis ex eo quod Papa cum illo ſuper aliqua parte voti diſpenſet: ſed Papa diſpenſauit cum illis vt poſſint ducere vxores; ergo, &c.

Reſpon.

Reſp. Maior vera eſt, ſi illa pars voti talis ſit vt ſine ea poſſit eſſentia Religionis conſiſtere: at obligatio caſtitatis non eſt talis; vt aperte colligitur ex cap. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum vbi dicitur, *obligatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeò eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*: quod Doctores paſſim intelligunt remanente ſtatu Monachi, ſeu religioſo.

Vnde vlteriùs ſequitur, ſi eorum profeſſio ab initio fiat cum illa moderatione ad caſtitatem coniugalem, eos, non fore propriè Religioſos. Cetera, quæ Nauar. adfert, omitto, quia parùm vrgent.

8 *Solemnitas an ſit neceſſaria.*

Quod attinet ad ſecundum, non eſt neceſſarium ad eſſentiam ſtatus religioſi, vt vota illa fiant ſolemnia: ſufficit vt ab Eccleſia in eum finem acceptentur. Probatur Primò, Quia ſolemnitas votorum eſt ex inſtitutione Eccleſiæ, vt ſuprà cap. 40. dubit. penult. oſtenſum eſt: quæ ſicut in vna Religione poteſt aliquam ſolemnitatem vel conditionẽ requirere vt acceptet illã pro Religione, ita & in alia poteſt non requirere. Ea autem, quæ ipſi Religioni ſecundùm ſe eſſentialia ſunt, iure diuino ſunt conſtituta. Secundò, Quia illa ſolemnitas ſolùm inducit quamdam inhabilitatẽ ad proprietatẽ bonorũ, & ad matrimonium: quæ inhabilitas non eſt neceſſaria ad ſtatum perfectionis: nam poteſt quis eſſe verus Religioſus manente vinculo matrimonij, ſi præſcindatur facultas eo vtendi, vt patet quando coniux ex conſenſu alterius profitetur. Simili modo dominũ non magis repugnat ſtatui Religionis quàm vſus, ſi omni momento dependeat à nutu Superioris, ita vt ad omnẽ nutum illius ſis, paratus reſignare. Tertiò, Quia per vota ſimplicia in Societate IESV poſt probationem emiſſa, efficiuntur veri Religioſi, vt motu proprio & ex certa ſcientia declarauit & definiuit Gregorius XIII. in ſua conſtitutione, quæ incipit, *Aſcendente Domino*, anno 1584. edita, vbi etiam excommunicat, & inhabiles ad omnia beneficia & officia ſæcularia ac regularia reddit eos, qui contrarium auſi fuerint affirmare. Idem colligitur ex Concil. Tridentino ſeſſ. 25. c. 16. de Regularibus, vbi agẽs de profeſſione Nouitiorum, qũo in alijs Religionibus fieri debeat, approbat peculiarem modum Societatis, (quam & Religionem Clericorum vocat) quo peracto biennio probationis, emittũt vota ſimplicia, & definunt eſſe Nouitij, habenturq; Religioſi: pergò tacitè inſinuat illos fieri verè Religioſos.

Conſtitutio Greg. 13.

Probatur ex literis aliorum Pontif.

Idem aperte colligitur ex aliorum Pontificũ, Pauli III. Iulij III. Pij IV. & Pij V. diplomatibus; quibus Primò totum Societatis inſtitutum & modus procedendi approbatur & confirmatur.

Deinde declarãtur apoſtatæ & excommunicati omnes eius defertores; quæ declaratio falſa eſſet, ni ſi ipſi eſſent veri Religioſi. nemo enim in iure vocatur apoſtata niſi qui religionẽ Chriſtianã, vel Inſtitutũ religioſum ab Eccleſia approbatũ, cui inſitus erat, deſerit. neque ſententia excõicationis in iure cauſa deſertionis cuiquam niſi talibus infligitur.

Tertiò, Iſtis deſertoribus aditus ad alios Ordines etiam mendicantiũ intercluditur, & profeſſio in eis facta ſeu attentata decernitur irrita, præterquam in Religione Carthuſianorum; atqui nemini, qui non ſit in ſtatu perfectionis, aditus ad ſtatum perfectionis eſt interciprendus. ergo ſupponebant iſti Pontifices illos iam eſſe in ſtatu perfectionis. Ex quibus eſt perſpicuum illos ſenſiſſe per ita vota ſimplicia fieri verè & propriè Religioſum, & ſanè niſi ita eſſet, grauiter illi erraſſent, habendo apoſtatarum loco eos, qui egrediuntur, & excõmunicationis ſententiam etiamſi aliũ Ordinẽ ingrediantur, in eos proferendo, & profeſſionẽ irritam reddendo, quid enim hoc aliud eſſet quam impedire ſtatum perfectionis, & ſequelam conſiliorum Chriſti, & pro ea hominem ejcere extra Eccleſiam? Itaque de hac re non poteſt eſſe vlla dubitatio.

Quartò, Si per vota ſimplicia nõ poſſet quis fieri Religioſus

ſus,id eſſet vel quia per illa non fit traditio ſui, ſed ſolùm promiſſio: vel quia per illa non ſortitur ſtatum immobilem: vel quia non obligamur ad illas functiones perfectionis,ad quas obligamur per ſolemnia. Non primum, Quia per illa fit vera traditio, vt ſupra oſtenſum eſt, & Eccleſia acceptat illa,mediante Prælato,cui hanc auctoritatem dedit. Non ſecundum, Quia qui ſic ſe aſtrinxit,non poteſt ſe vllo modo illa obligatione eximere: vnde ex ſe eſt perpetua & immutabilis.

Nec obſtat quod poſſit dimitti, & votis liberari; quia etiam profeſſio auctoritate Pontificia votis ſolemnibus eximi poſſunt,vt cap.40. dubit. vlt. oſtenſum eſt. Ad ſtatum ſufficit,vt te ipſe non poſſis ab ea vitæ conditione eripere; quamuis Superioris poteſtate, præſertim ſuprema, eximi poſſis. Confir exemplo ſeruj;qui proprie eſt in ſtatu ſeruitutis,quia ſeipſum ab eo eximere non poteſt,quamuis dominus poſſit illum manumittere: & coniugum,qui mutuo conſenſu poſſunt ad Religionem tranſire, & ſolui obligatione mutuj obſequij: ſic etiam Epiſcopus poteſt auctoritate Pontificis Eccleſiam ſuam deſerere, & ſibi ſoli viuere. Non tertium, Quia vota ſimplicia poſſunt obligare ad omnia exercitia perfectionis, ſicut ſolemnia.

Nec obſtat quod DD. paſſim requirant votum ſolenne; quia loquuntur de Religione ſecundũ ius antiquum, quo iure non acceptatur votum ſimplex ad ſtatum: non tamen negant quin auctoritate Eccleſiæ acceptari poſſit.

An regula requiratur.

9 De tertio, Ad eſſentiam ſtatus religioſi abſolutè non requiritur alia regula, præter eam, quæ diuinis mandatis & ipſis votis cõtinetur. Ratio eſt, quia hæc abſolutè ſufficiũt vt ducant hominem ad perfectionem. Confirmatur, quia ad reliqua nõ eſt obligatio in ſingulis, præſertim eſſentialis: poteſt. n. quis eximi a choro, ab vſu piſcium, ab vſu laneorum, & ſimilibus, manente eſſentia Religionis. Quia tamẽ ob multas cauſas Eccleſia non conſueuit huiuſmodi ſtatum approbare pro Religione, abſque aliqua particulari regula, ea eſt neceſſaria, non per ſe, ſed per accidens.

An Eccleſiæ approbatio.

10 Quod ad quartum attinet; ad ſtatum Religionis ſaltem perfectum neceſſaria eſt Eccleſiæ approbatio; & votorum admiſſio. Vnde etiam initio Eccleſiæ, Monachi per Epiſcopos initiabantur, vt patet ex Dionyſio cap.6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ. vbi formulam huius initiationis deſcribit: & virgines ab Epiſcopis velabantur, teſte Tertulliano, Cypriano, Ambroſio, & alijs. De quo ritu extat decretum Pij 1. qui vndecimus Papa fuit, c. 15. Virgines. 20 q. 1. nec vnquam fuit perfecta Religio, niſi quæ a Prælatis Eccleſiæ approbata fuit. Ratio eſt Primo, Quia ſine hac approbatione nõ poteſt eſſe ſtatus ſpiritalis ſupra cõem ſtatum Chriſtianorum, ſed omnes mere ſunt laici ſubiecti poteſtati ſæculari; niſi forte aliqui ex illis ſint Clerici vel ſacerdotes; quod non competit illis per illam vitæ conditionem, ſed aliunde. Religio autem perfecta eſt ſtatus ſpiritualis & ſupernaturalis, diſtinctus a communi ſtatu Chriſtianorum & proinde a Chriſto peculiari modo deſcendere debet, idque mediante ipſius Vicario: ſicut omnes gradus eccleſiaſtici, & omnis iuriſdictio ſpiritalis; iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis*, &c. Secundò, Quia votum paupertatis & obedientiæ religioſæ reſpiciũt auctoritatem Prælati habentis iuriſdictionem ſpiritalem: paupertas enim religioſa non poteſt vlla re vti, niſi dependenter a voluntate Prælati; obedientia verò præceptum Prælati intuetur. Itaque requirunt in Superiore ſpiritalem poteſtatem a Chriſto deſcendentem. Confirmatur, quia Religioſus obedit Prælato tamquam Chriſto, in eoque Chriſtum intuetur; nimirum quia a Chriſto poteſtatem accepit, & Chriſti vices gerit.

Cur approbatio neceſſaria ſit.

Obiectio.

11 Dices, Poſſum me alteri ſubijcere, eligendo illum in Superiorem, eique vouendo caſtitatem, obedientiam, & paupertatem, &c.

Reſpon.

Reſpondeo, Eo caſu non habebit ille poteſtatem ſpiritalem, ſed ſolum naturalem quam tu illi dediſti. ſed hæc poteſtas non erit iuriſdictionis nec poterit imponere neceſſitatem parendi. Sicut enim nemo habet in ſe ipſum iuriſdictionem, qua ſe cogere, ſibique obligationem præcepti imponere queat, ita nec eam poteſt alteri dare. Vnde ſolùm teneberis illi præcipienti obedire ratione voti, ſicut ſi vouiſſes parere eius conſilijs.

Nec refert etiam ſi te illi ſubieceris, & promiſeris illi te eius mandatis pariturum: quia hoc totum non dat illi iuriſdictionem: neque promiſſio illa, cum tota ſit in tuum fauorem, ſtrictè obligat: quamuis ratione promiſſionis Deo factæ obligari poſſis. Denique huiuſmodi priuata obedientia, ob multa incommoda & pericula plerumque improbatur a ſapientibus. Vnde etiam in noſtra Religione confeſſarijs veritum eſt ne eam admittant.

Quòd ſi plures in vnum corpus & communitatem coirent, poſſent vni poteſtatem ad illam regendam etiam in ſpiritalibus conferre; & tunc tota illa communitas, & ſinguli quamdiu eſſent pars illius communitatis, ei tenerentur obedire. Sed hæc poteſtas non eſſet ſpiritalis, ſed politica, qualis eſt poteſtas Principum ſæcularium, qui non habent aliam iuriſdictionem, quàm quæ illis data eſt a Repub. Omnis enim Reſp. & omnis communitas libera, iure naturæ habet poteſtatem in ſingula membra, ſicut totum in ſingulas partes; & hanc poteſt conferre in vnũ vel duos, qui ipſam gubernent. itaque hæc poteſtas eſt omnino naturalis; atqui talis eſt omnis poteſtas, quam Superiores accipiunt ab inferioribus, etiamſi ad aliquos ſpiritales actus imperandos ſe extendat. Hinc fit vt talis Superior non poſſit infligere pœnam ſpiritalem excommunicationis vel alterius cenſuræ, & vt poſſit ab inferioribus ea poteſtate priuari. quare non poteſt per hanc proprie Chriſtum repræſentare, nec vices Chriſti gerere; cum ab ipſo poteſtatẽ illam non acceperit. vnde talis conditio vitæ non habebit eam connexionem aut dependentiam a Chriſto Domino, quam habet Religio approbata; nec ita ab ipſo protegetur & gubernabitur. Tertiò, Quia ſine hac approbatione non habet tantam immobilitatẽ: facilè enim talis congregatio poteſt diſſolui: vt ſi nolint eligere ſuperiorem, &c. acceptatio quoque voti non eſt omnino firma: quia hoc ipſo, quo ille renuntiabit ſuo iuri, vel eo ſpoliabitur, ſubditus deſinet obligari. Quartò, Quia ſine hac non habet ſecuritatẽ, quia facilè poteſt continere errores; vt patet in Inſtituto Vvaldenſium, qui initio formam quamdam religioſæ vitæ meditabantur, quam cùm Summus Pontifex ob varios errores, qui in illa continebantur, approbare nollet, ſe ab Eccleſia, multis hæreſibus excogitatis, ſegregarunt. de quo vide D. Anton. p. 4. tit. 11. cap. 7. §. 2.

Ex quibus patet, abſque hac approbatione magnum deeſſe Religioni ornamentum, & quamdam perfectionem non parui momenti.

An approbatio ſit de eſſentia.

Petes, Verùm pertineat ad Religionis eſſentiam? Reſpondeo, Si nomine *Religionis*, intelligamus ſtatum & formam viuendi ſecundum primaria Chriſti conſilia, omnino ſtabilem habentem perfectionem ſupradictam, quomodo paſſim accipitur in iure; ſic approbatio Eccleſiæ poteſt dici pertinere ad eſſentiam Religionis: quia ſine hac non habet tantam ſtabilitatem, nec poteſtatem ſpiritalem; neque eximit hominem iuriſdictioni ſæculari: quod maximè verum eſt poſt conſtitutionem Concil. Lateran. qua inuentio nouarum Religionum prohibetur.

Nec obſtat, quòd communiter dicatur Religio conſiſtere ſolùm in tribus votis ſubſtantialibus; quia hoc intelligẽdum eſt de ijs quæ requiruntur ex parte vouentis, ſeu Religioſi: neque negatur quin neceſſaria ſit auctoritas ex eo, in cuius manibus vota illa fiunt, & eorum acceptatio, ſed excluduntur aliæ obligationes Religioſi, v.g. ad cantum, ad carnium abſtinentiam: eſſentia enim Religionis ex parte Religioſi nihil requirit, niſi obligationem trium votorũ. Abſolutè tamen aliquid amplius requiritur, nimirum ex parte eius, in cuius manibus hæc vota fiunt, qui nomine Eccleſiæ debet ea acceptare: alioquin non inducunt obligationem ſatis firmam. nec efficiunt ſtatum ſpiritalem, & exemptum a iuriſdictione Laicorum.

A quo hæc approbatio fieri debeat.

12 Aduerte tamen non eſſe per ſe neceſſarium vt hæc approbatio fiat immediatè à Summo Pontifice: Religiones enim SS. Antonij, Baſilij, Auguſtini, Benedicti, non videntur initio fuiſſe ſic approbatæ, ſed ab Epiſcopis, quibus tũc ſuberant, ipſo vſu admiſſæ ſunt, nõ repugnante Pontifice: deinde tenſim a Concilijs & Summo Pontifice laudatę & confirmatæ. Ante admiſſionem Prælatorũ non erant perfectæ Religiones, ſed inchoatæ dumtaxat, & veluti macræ.

Pontifex ſibi reſeruat approbationẽ.

Poſtea tamen Pontifices totam hanc cauſam ſibi reſeruarunt; idque ob iuſtiſſimas rationes.

Primò, Vt compeſcerent quorumdam hominum indiſcretum ardorem, qui nouis Religionibus ſeu formulis vi-

uendi excogitandis erant intenti, quæ res magnam confuſionem, & alia incommoda in Eccleſiâ poteriſſet inuehere.

Secundò, Ne irreperet aliqua Religio errores continens, aut aliter noxia Eccleſiæ vel ſaluti animarum: qualis erat Religio Vvaldenſium.

Tertiò, Quia maiores Eccleſiæ cauſæ Sedi Apoſtolicæ reſeruandæ, cap. Maiores 3. de Baptiſmo & eius effectu; approbatio autem Religionum, ſicut & canonizatio Sanctorum ad maiores Eccleſiæ cauſas pertinet. vnde in Concilio Lateran. ſub Innoc. III. cap. vlt. Ne nimia, de religioſis domibus, ſic dicitur, *Firmiter prohibemus, ne quis de cetero nouam Religionem ingrediatur*: intellige mandando eam executioni abſque Pontificis approbatione, nã paulò poſt multę sũt inuentæ, & approbante Pontifice ſeruatæ, vt patet cap. Religionum, in Sexto. Idem conſtitutum in Concilio Lugdunenſi, ſub Gregorio X. vt habetur d. cap. Religionum; *Religionum* (inquit Concilium) *diuerſitatem nimiam ne confuſionem induceret, generale Concilium conſulta prohibita tenore veramus.* & infrà. *Repetita conſtitutione diſtrictius inhibentes, ne quis de cetero nouum Ordinem, aut Religionem adinuentet, vel habitum nouæ Religionis aſſumat.*

14 *An profeſſio ibi ſit inualida.*

Ex quibus ſequi videtur, profeſſionem in tali Religione fore inualidam; nec obligatum iri profitentem voto paupertatis, & obedientiæ. Ratio eſt, quia Eccleſia prohibet illam formulam viuendi & profitendi, nec tribuit poteſtatẽ acceptandi. hoc ipſo enim, quo prohibet nouarum Religionum inuẽtionem, & ſuſceptionem habitus in eiſdem, prohibet etiam vſum illarum; & conſequenter qui eam amplexi ſunt, poſſunt illam deſerere. imò videntur teneri, quamuis per bonã fidẽ poſſint excuſari. Si poſſunt illam deſerere, non tenentur voto paupertatis, ac obedientiæ; quia illud ad illam vitæ formulam reſtrinxerunt, non intendentes ſe obligare ad paupertatem vel obedientiam, niſi in illo Ordine, & iuxta Superiorum illius Ordinis directionem.

De caſtitate fortè eſt alia ratio, quia huius executio non dependet à Superiorum poteſtate & directione. Verius tamen puto eſſe eamdem rationem; quia cùm Eccleſia abſolute prohibeat talem Religionem, cur profeſſionem in ea factam accepter quoad caſtitatem? Accedit, quòd ille non intendat vouere caſtitatem, niſi in Religione, vt ſic vouendo fiat Religioſus: & ſi rogaretur, diceret non aliam eſſe ſuam mentem. quare cum non ſit Religio, ſitque ipſe in eo deceptus, non videtur teneri.

Habet vim votorum ſimplicium ex conſuetudine.

Aduerte tamen, cùm aliquæ ex nouis illis Religionibus in Eccleſia longiſſimo tempore ſint permiſſæ, & ipſo vſu quodãmodò cõfirmatæ, non vt Religiones, ſed vt pia Inſtituta; videri profeſſionem earum, ratione tacitæ approbationis, habere vim votorum ſimplicium: ac proinde ſubditos non poſſe redire ad ſæculum ſine diſpenſatione Epiſcopi, qui eos ex cauſa a voto paupertatis, obedientiæ, ac ſtabilitatis loci abſoluere poterit; non tamen à voto caſtitatis, vt ex dictis c. 40. nu. 105 & 106. conſtat.

15 *Quæ ad eſſentiam Religionis pertineant.*

Ex his patet, ad eſſentiam Religionis perfectæ ſeu completæ, per ſe nihil neceſſariò requiri præter tria vota ſupradicta, & Eccleſiæ approbationem ſeu acceptationem. Nec obſtat quod obſeruatio votorũ aliquando dicatur pertinere ad eſſentiam Religionis: id. n. intelligendum eſt vel quia eſſentia Religionis ad eam obligat; debitum enim & obligatio ſeruandi vota eſt Religioni eſſentiale; vel quia pertinet ad eſſentiam Religionis conſideratæ in actu ſecundo.

DVBITATIO II.

Vnde proueniat Ordinum religioſorum diuerſitas, & quis ſit inter eos perfectior.

D. THOM. q. 188. art. 1. *& ſeqq.*

16 RESPONDEO, & dico Primò, Diuerſitas Ordinum religioſorum non prouenit ex aliquo, quod Religioni eſt eſſentiale, vt ſunt tria vota eſſentialia, & approbatio Eccleſiæ. hæc enim omnibus ſunt communia. Itaque ſi eſſentialia ſpectentur, omnes ſunt eiuſdẽ ſpeciei: cõſtituit enim omnium eſſentia in obligatione trium votorum ab Eccleſia acceptatorum.

17 Dico Secundò, Hæc diuerſitas Ordinum prouenit ex duobus. Primò, ex particulari fine ſeu functione, ad quem quiſque Ordo ſpeciatim eſt inſtitutus. ita D. Thomas ſuprà art. 1. Quidam enim ſunt inſtituti, vt præter obſeruantiam votorum eſſentialium, potiſſimùm ſe exerceant in operibus vitæ contemplatiuæ. Tales fere ſunt quos antiquiores Patres inſtituerunt, Antonius, Pachomius, Baſilius, Benedictus, Bruno, Ordo Ciſtercienſium, & Cluniacenſium. Horum cultores proprie vocantur Monachi, quia vacant ſolitudini, & τῷ μονάδι, id eſt, vnitati, quæ Deus eſt, ſunt intenti. Ad hos referendi Canonici regulares, quorum præcipua functio eſt horas canonicas in choro pié decantare. Alij inſtituti ſunt ad opera vitæ actiuæ corporalia, vt ad redimendos captiuos, ad ſuſcipiendos peregrinos, ad ſeruiendum infirmis, ad defendendam Eccleſiam contra hoſtes fidei. hæc enim omnia ſunt opera charitatis, quibus tenditur ad perfectionem: vnde ad ea peculiari ſtudio obeunda poteſt aliquis Ordo Religionis inſtitui. Vide D. Thomam quæſt. 189. Alij partim ad contemplationem, partim ad opera vitę actiuæ, ſed ſpiritualia, quę contemplationem ſupponunt; vt ſunt Ordines mendicantium, & Societas noſtra, quæ etiam inter mendicantes auctoritate & iudicio Sedis Apoſtolicæ cenſenda eſt.

Diuerſitas Ordinum Regul. ex duobus.

1. *Ex fine Cõtemplatiui, Oratores.*

Actiui.

Mixti.

18 2. *Ex mediis.*

Secundò, Ex particularibus mediis & ritibus, quibus vtitur vel ad vota ſua meliùs ſeruanda, vel ad functionẽ propriam meliùs obeundam. Sic inter Ordines ad contemplationẽ inſtitutos, videmus magnam varietatẽ in habitu, victu, ieiunijs, aliiſque pijs exercitijs. Similiter inter Ordines mendicantium. Hinc fit vt diuerſæ ſint regulæ & conſtitutiones Religionum, quibus hæc omnia in particulari præſcribuntur. Et quamuis non numerentur à DD. niſi quatuor regulæ approbatæ, ſub quibus oẽs Ordines religioſi militant, (præter Carthuſianos, qui habent ſua ſtatuta, & Societatem IESV, quæ ſuas conſtitutiones) videlicet Baſilij, Auguſtini, Benedicti, & Franciſci: tamen ſinguli ſuæ regulæ proprias conſtitutiones adiunxerunt, quibus inter ſe diſcrepant, etiãſi eamdem regulã ſequantur ſub regula n. D. Baſilij viuunt penè omnes Græci Monachi: ſub regula B. Auguſtini oẽs Canonici regulares, Dominicani, Auguſtiniani, Seruitæ, Hieronymiani, Hoſpitalarij, Crucigeri, & aliqui alij: ſub regula S. Benedicti, Monachi nigri, Cluniacenſes, Ciſtercienſes, Camaldulenſes, Cæleſtini, & alij. Hi tamen oẽs proprijs conſtitutionibus regulæ ſuperadditis, & habitu multũ differunt. Vide Sylueſtrum. Religio 1. q. 7.

Regula approbata.

Hæc autem varietas Eccleſiæ eſt ornamento. ſicut enim Reipub. politicæ eſt ornamento habere omnia genera opificiorum, quæ iuuent & oblectent vitam iſtam temporalem; ita Eccleſiam, quæ eſt diuina quædam Reſpublica, exoruat tanta varietas opificiorum & exercitiorũ ſpiritualiũ ad excolendam animam & vitam ſpiritalem inuentorum. Deinde eſt etiam ſummè vtilis; ſic enim quamplurimis patet aditus ad ſtatum perfectionis: nam qui non eſt idoneus ad hoc genus exercitij, v. g. ad contemplationem; eſt idoneus ad aliud, ſcilicet ad actionem, & contra. &c.

19 *Varietas Ordinum Religioſorum eſt Eccleſiæ ornamento.*

Ex dictis facilè colligi poteſt quis Ordo Religionis ſit perfectior: perfectio enim Religionis primariò ſpectatur ex fine: ſecundario ex mediis. Illi igitur Ordines abſolutè ſunt perfectiores, qui ordinantur ad finem interinſecum, ſeu functionem perfectiorem. Itaque Ordines illi, quorum proprius finis eſt vacare operibus vitæ contemplatiuæ, ſunt perfectiores ijs, qui operibus vitæ actiuæ, & qui non tantùm contemplationi vacant, ſed etiam contẽplata in alios transfundunt, perfectiores ſunt, quàm qui ſoli contemplationi incumbũt. Tales ſunt in Eccleſia Ordines illi, qui inſtituti ſunt ad docendum, prædicandum, & Sacramenta adminiſtranda. Primò, Quia perfectius eſt illuminare, quàm lucere tantũ. Secundò, Quia illi maxime ſunt affines ſtatui Epiſcoporum, quorum eſt alios ad perfectionem adducere. Tertiò, Quia hoc fuit officium Apoſtolorum, & ipſius Chriſti Domini. Quartò, Quia nihil poteſt eſſe excellentius, vel Deo gratius, quam ſtudium ſalutis animarum: ob hanc n. Deus creauit mundũ, factus eſt homo, tanta fecit & pertulit: ob hanc inſtituta Angelorum miniſteria: ob hãc Euangelia, Sacramenta, & omnis ordo eccleſiaſticus. Quintò, Quia illi ex vtraque vita ſunt mixti, & continent excellentiſſimas functiones vtriuſque. Denique ſunt humanæ naturæ accommodatiores, quæ aliquam varietatem functionum poſtulat, & plerumque in vno genere torpeſcere ſolet. Et quãuis vacare ſoli Deo videatur eſſe quid melius quam vacare proximo; tamen non ſemper melius

20 *Quæ Religio ſit perfectior.*

enim

enim eſt humana conditione ſpectata, ſuis temporibus vacare Deo, & ſuis proximo, quàm ſemper vacare ſoli Deo; præſertim cum vacare proximo propter Deum, ſit excellens actus charitatis in Deum; & meris humana fatiscat, ſi aſſidue in diuina ſit intenta. Vnde D. Thomas q. 182. art. 6. ita ſcribit, *Sic ergo ſummum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquiſſima ſunt perfectioni Epiſcoporum. ſicut & in aliis rebus finis primorum coniunguntur principijs ſecundorum, vt Dionyſ. ait 7. cap. de diuin. nom. Secundum autem gradum tenent illa, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius eſt earum, quæ occupantur circa exteriores actiones*, &c. Rurſus inter eos Ordines, qui operibus vitæ contemplatiuæ vel actiuæ vacant, is eſt perfectior, qui pluribus vel perfectioribus vacat. Denique inter eos, qui eumdem finem habent, præſtantior eſt, qui aptioribus medijs & exercitijs ad illum finem & ad vota ſua præſtanda vtitur.

21 *Non ex auſteritate.*

Hinc ſequitur, perfectionem Religionis non eſſe auſteritate metiendam, vt rectè D. Thomas art. 6. ad 3. quia fieri poteſt vt hæc auſteritas minùs ſit conueniens ad functionem principalem, ob quam Religio eſt inſtituta; vel vt etiá impediat mentem in ſpiritualibus exercitijs, quibus præcipuè perfectio comparatur.

Vtilitas moderatæ auſteritatis.

Eſt tamen moderata corporis afflictio, præſertim per ieiunium, vtilis ad multa. Primò, Ad excutiendam mollitiem animi in rebus aſperis. Secundò, Ad domandam carnem, & ſpiritui ſubigendam. Tertiò, Ad meditationem & amorem rerum diuinarum. Quartò, Ad varia beneficia a Deo impetranda, iuxta illud. *Qui corporis ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largeris & præmia*. vide infrà lib. 4. c. 2. dub. 10.

22 *Non ex rigore paupertatis.*

Secundò, Neque etiam ex rigore paupertatis, vt quòd nihil omninò, ne communiter quidem poſſideant, vt docet D. Thomas artic. 7. tum quia fieri poteſt vt hic paupertatis modus non ſit ita commodus ad finem illius: tum quia religioſa paupertas non poſtulat vt nihil communiter poſſideant; (nam præterquam quòd Dominus & Apoſtoli loculos aliquando habuere, vt colligitur Ioannis 4. 6. & 13. ſanctiſſimi viri Religionis ſuæ bona in communi poſſidere voluerunt: vt Baſilius, Pachomius, Auguſtinus, Benedictus, Bruno, Bernardus) ſed vt ſinguli non habeant niſi neceſſaria, idque ſolum cum aſſidua dependentia ab arbitrio Superioris. Ceteris tamen paribus, quò maior eſt paupertas, eò Religio eſt perfectior.

23 *Non requiritur chorus.*

Denique ad perfectionem Religionis non eſſe neceſſarium chorum; (etſi contrarium parùm conſideratè inſinuet Sotus lib 10. de Iuſtitia quæſt. 5. artic. 3. vbi dicit Ordinem illum qui choro careat vix mereri nomen Religionis) Primò, Quia officium diuinum non minus attentè & deuotè dici poteſt ſine cantu, quam cum cantu. Secundò, Quia fieri poteſt vt chorus impediat functiones principales, ad quas potiſſimum talis Religio eſt inſtituta; vt prædicationem, adminiſtrationem Sacramentorum, inſtructionem rudium, Gentilium conuerſionem. Vnde videmus etiam in Ordine Dominicano, & alijs, primarias perſonas, quæ illis miniſterijs vacare poſſunt, paſſim à choro exemptas. Tertiò, Etiamſi Eccleſia non haberet cantum, poſſet tamen eſſe perfecta Religio. Quartò, Quia perfectio conſiſtit in officijs charitatis erga Deum & proximũ, quæ omnia poſſunt ſine cantu præſtari. Pari modo vota eſſentialia, & cetera pietatis exercitia non requirunt cãtum. Quintò, Quia, vt inquit D. Thomas quæſt. 91. artic. 2 ad 3. *Diaconi & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur.* & cap. 2. in ſancta Romana, diſt. 92. dicitur eſſe *valdè reprehenſibile vt cantui vacent, qui ad prædicationis officium ſunt deſtinati.* ergo Ordo, qui huic officio incumbit, non debet habere chorum. Vnde Caietanus quæſt. 188 artic 7. ait ad talem Religionem non debere omnes recipi ad profeſſionem; ſed ſolùm idoneos ad officium prædicandi, & confeſſiones audiendi, & miniſtros eorum neceſſarios.

DVBITATIO III.

Qui poſſint ingredi Religionem, qui non.

D. THOM. QVAEST. 188.

RESPONDEO eos poſſe abſolutè ingredi, qui ſui iuris ſunt: qui autem alteri ſunt obſtricti, non poſſunt, niſi illius conſenſu. Tales ſunt, Primò, Epiſcopi; hi enim iureiurando ſunt obſtricti obedire Romano Pontifici, vt patet ex forma iuramenti ipſorum; vnde ſine illius conſenſu non poſſunt. Idem patet ex cap. Niſi cum pridem. 10. de renuntiatione; vbi cauta ingrediendæ Religionis non permittitur Epiſcopus renuntiare Epiſcopatui, & ponuntur hæ ſolæ cauſæ ob quas renuntiatio conceditur, nimirum *confeſſanda criminis.* (videlicet quod etiam poſt pœnitentiam impediat executionem officij; vt Gloſſa notat) *debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, grane ſcandalum, & irregularitas.* Deinde quia ſunt obſtricti ſuæ Eccleſiæ ſicut maritus vxori; vnde & animam ſuam pro ea ponere tenentur, ſicut Chriſtus pro Eccleſia poſuit, d. capit. Niſi cum pridem. 10. quare ſicut maritus non poteſt deſerere vxorem abſque eius conſenſu; ita nec Epiſcopus Eccleſiam abſque conſenſu Eccleſiæ: quem conſentum Pontifex, qui omnium Eccleſiarum curam habet, ſibi reſeruauit. Denique quia ſi pro arbitrio licitum ei eſſet Religionem irritare, poſſet id in magnum damnum Eccleſiæ cedere. 24 1. *Epiſcopi.*

Aduerte tamen, ſi vouerit Religionem, votum non fore inualidum; quia fieri poteſt vt id & ipſi & Eccleſiæ ſit melius. Itaque tenetur Summo Pontifici ſuum votum aperire, & copiam exequendi petere: nam ſub hac conditione, *ſi Pontifex conſentiat*, cenſetur factum. vnde etiam implicitè vouit eidem proponere: alioquin non ſerium, ſed illuſorium votum eſſet. Vide Sylueſtrum Relig. 2. quæſt. 8. & votum 3. quæſt. 2.

Secundò, Coniuges poſt conſummatum matrimonium; cap. Quidam. 3. & capit. Placet. 12. de conuerſione coniugat. vnde ſi alter altero ignorante vel ſaltem non conſentiente profiteatur, alter poteſt coniugem repetere; & ille tenebitur redire, & debitum petenti reddere; non tamen poterit exigere, ſed quantum in ſe eſt ſeruare caſtitatem; vt ſuprà cap. 40. nu. 82 & 84 dictum eſt, & patet ex duobus cap. iam dictis. Ratio eſt, quia Eccleſia ita interpretatur ipſius profeſſionem, vt abſolutè valeat quoad ſeruandam caſtitatem, quatenus id non cedit in præiudicium alterius. 25 *Coniuges.*

Aduerte tamen, ſi ipſe ſibi conſcius ſit, ſaltem per rationes probabiles, quòd dum profiteretur, non voluerit ſe independenter a ſtatu Religioſo ad caſtitatem obligare, ſed ſolum ſuppoſito ſtatu Religioſo, non tenebitur a debiti petitione, aut à ſecundis nuptijs abſtinere: quia votum habuit tacitam conditionem; quæ cum non extet, ceſſat obligatio. non enim obligat vltra intentionem vouentis. Eccleſia tamen in dubio interpretatur illum ſe voluiſſe abſolutè, & quantum licitè poſſet, ad continentiam obſtringere; vnde in foro conſcientiæ idem in dubio præſumendum. *Si ſibi conſtet ſe ab ſe non obligare.*

Verùm autem in ceteris profeſſio illa cenſenda ſit irrita, an valida ſub conditione, ſi nimirum coniux non repugnauerit (quomodo vota Religioſorum, impuberum, & vxoris valida eſſe diximus) dubium eſt. Multi DD. inſinuant eſſe validam ſub conditione, & ſolum dici inualidam, quia eſt in irritum reuocabilis. Vnde ſi coniux illum non reuocarit ad commercium coniugale, aut adulterio commiſſo ius reuocandi perdat, profeſſionem confirmari, nec poſſe redire ad ſæculum, quamuis illa repugnante, aut dolo metuque conſentiente, ſit profeſſus. Colligitur ex d. capit. Placet. 12. de conuerſ. coniugat. vbi ſic dicitur: *Redire verò ad ſæculum in eius poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti: & ideò quantum ad ipſam, tenuit votum; quod poſt viri obitum tenere non deſijt.* &c. Idem colligitur ex capit. Conſtitutus. 14. & cap. Veniens. 16. eodem tit. Confirmatur, quia illa profeſſio videtur habere tacitam conditionem, ſi coniux non contradixerit. profitetur enim quantum in ſe eſt. *An in ceteris ſit valida.*

Verùm contraria ſententia eſt valdè probabilis, nimirum *Probabilius non eſſe validam.*

rum talem profeſſionem omnino eſſe irritam in foro conſcientiæ, excepta obligatione caſtitatis iam dicta. Vnde etiamſi vxor, qua ignorante, vel contradicente maritus profeſſus eſt, non reuocet illum, aut etiam poſtea conſentiat, non ideo conualeſcit profeſſio, vt docet Sancius lib. 7. de matrimon. Ratio eſt, quia per profeſſionem homo ſe transfert in ius & poteſtatem Religionis. atqui is qui eſt in alterius poteſtate, non poteſt abſque eius conſenſu ſe in poteſtatem Religionis transferre: id enim cederet in prioris iniuriam: ergo. Vnde nec coniux abſque conſenſu coniugis, nec ſeruus abſque conſenſu domini profiteri validè poteſt. eſt ergo profeſſio talis irrita: ſicut ſi ſeruus alteri ſe venderet, aut alterius obſequio ſe obſtringeret ignorante domino, contractus eſſet irritus. atqui, quod ab initio eſt irritum, tractu temporis non conualeſcit. regul. 18. de reg. iur. in 6.

Neque ſufficit ſi dicas talem profeſſionem eſſe conditionalem; quia ſupponimus abſolutè factam eſſe; quo modo iure & conſuetudine fieri debet. Non enim ſolet conditionalis profeſſio admitti in Eccleſia. Vnde etiam non rectè dicitur habere tacitam conditionem à iure: quia contra ius eſt, ſi aliqua conditio adiungatur; cum eius effectus non poſſit eſſe pendens. Vnde ius requirit ætatem congruam, & annum probationis, & diligentem inquiſitionem de conditione perſonæ. priuſquam admittatur ad profeſſionem nimirum, quia per illam ſtatim inducitur ſtatus immobilis. Vnde vlterius ſequitur profeſſionē non poſſe irritari ſicut alia vota: quia non habet illam tacitam conditionem, ratione cuius alia poſſunt irritari, vt docet D. Thomas qu. 88. art. 8. ad 4. & ſuprà cap. 4. dubit. 13. oſtenſum eſt. Et confirmatur. Primò, quia matrimonium carnale ſemel validum non poteſt vmquam in irritum reuocari: ergo nec profeſſio, quæ eſt matrimonium ſpirituale. Hæc enim in iure quoad firmitatem ſolent æquiparari: imo profeſſio videtur firmior; quia ſoluit matrimonium ratum. Confirm. Secundò; quia ſi profeſſio eſſet vllo modo valida, deberet redire ad Monaſterium vxore mortua, ſicuti tunc debet ſeruare caſtitatem. atqui hoc eſt contra cap. Quidam. 3. & cap. Placet. 32. de conuerſ. coniugat. vbi dicitur, *Non teneri redire*. maior patet, quia mens vxoris non fuit irritare profeſſionem, ſed ſolum vti ſuo iure quam diu ipſa viueret, cohabitando marito. itaque ſi valuit illa profeſſio, ſolum fuit ſuſpenſa ad tempus: ac proinde tenebitur redire. quare cum conſtet non teneri redire, rectè colligimus fuiſſe irritam. Neque etiam dici poteſt illam profeſſionem habere vim voti ſimplicis; quia d. cap. Quidam. dicitur, *Tale votum non tenuit; vnde ratione veri ad Monaſterium non tenetur redire*, &c. Vbi apertè inſinuatur fuiſſe irritum quoad ceteras obligationes. præter illam caſtitatis. Eadem locum habent, quando conſenſit quidem coniunx, ſed metu graui, vel dolo inducta. talis enim conſenſus non officit iuri ipſius. De metu colligitur capit. Accedens. 17. de conuerſ. coniugat. Vnde Gloſſa in cap. Veniens, eodem tit. v. Captiosè aſſeruit, ait *Licentiam profitendi minus extortam eſſe nullam*: idque probat ex capit. 2. Notificalli. 33. quæſt. 5. De dolo docet Gloſſa d. cap. Veniens, v. Sponte ſuppoſuit. vbi dicit, *quod votum ex toto non tenuit; eo quod ipſa accepta iniuriam mariti dederit*. vnde maritum poſſe egredi, & adulteram recipere in gratiam.

Si metu vel dolo inducta conſenſit.

Nec obſtat, quod dolus in ſpiritualibus non noceat, vt ibidem Gloſſa v. Captiosè: tum quia id non eſt vniuerſè verum, tum quia ceſſio iuris maritalis, non eſt quid ſpiritale.

Ad argumenta ſententiæ prioris.

Ad capit. Placet, pro ſententia contraria adductum, Reſpondeo ob illud capit. ſententiam illam eſſe valdè probabilem: eamque ſequitur Panorm. in illud cap. numero 3. Sylu. v. diuortium q. 14. & Angelus Matrimonium 4. n. 13. Verum dici poteſt illa verba ſic intelligenda, vt *Votum illud tenuerit*, non obligatione iuſtitiæ, ſeu Religionis, ſed decentiæ: quod aperte inſinuatur verbis ſequentibus, vbi dicit talem inducendam vt redeat ad Monaſterium, vbi bona intentione profeſſionem fecit, non tamen cogendam inuitam. idem ſatis inſinuat Gloſſa ibidem, v. In eius poteſtate. & v. Non cogendam. ſicque optimè conciliatur hoc cap. cum ca. Quidam, eodem. quo loco vide Innocent. num. 1. vbi, vt profeſſio illa valeat, requirit vt maritus non reuocaeus, poſt mortem vxoris illam ratam habeat. Dici etiam poteſt illud votum ex parte vxoris tenuiſſe. quia Monaſterium ratione illius ius habebat illam retinendi: vt maritus illam repeteret, quamuis ipſa ceſſante ſcandalo, poſſet occultè recedere. Sicut qui licitè contraxit; poteſt cogi vt impleat contractum, ſi poteſt. Colligitur hæc reſponſio ex Gloſſa d. cap. Veniens. v. Sponte ſuppoſuit.

Illa ſententia eſt probabilis.

Ad cap. Conſtitutus, Reſpondeo ibi ſolum dici vxorem adulteram non poſſe maritum profeſſum repetere: quod verum eſt etiam ſi ante adulterium ea inuita fuiſſet profeſſus. nam repetenti opponetur exceptio adulterij. In caſu tamen illius c. Si ordinatus & profeſſus fuerat poſt adulterium, & ita valuit profeſſio.

Hinc patet reſponſio ad cap. Veniens. Etſi enim illa dolo fuerat inducta ad præbendum conſenſum marito volenti profiteri, tamen quia poſtea commiſit adulterium, amiſit ius repetendi, etiamſi nondum eſſet profeſſus.

Aduerte tamen, quando vxor abſque dolo & metu ſponte conſenſit; valere promiſſionem; vt colligitur c. Ex parte. 3. de conuert. coniug. iuncta Gloſſa; & cap. Agathoſa. 27. q. 2. Si tamen ipſa non vouit, poterit officio iudicis illum repetere; ipſe tamen mortua coniuge tenebitur reuerti ad Monaſterium iuxta d. cap. Ex parte, de conuert. coniugatorum.

26 *Similes reſiliendi poſſunt in nouo.*

Poſſunt mutuo conſenſu.

Si ipſa non vouit reuocare.

Poſſunt tamen coniuges ingredi Religionem duplici ratione. Primò accedente mutuo conſenſu. Vxor nihilominus conſentiens in ingreſſum mariti, tenetur etiam ingredi, ſi iuuenis eſt, vel talis; vt in ſæculo manens merito timeri poſſit de incontinentia. Si autem ſit ſenex, aut certè talis vt non ſit morale periculum in ſæculo, ſufficiet votum continentiæ in manibus Epiſcopi. vtrumque habetur cap. Cum ſis. 4. cap. Vxoratus. 8. cap. Ad Apoſtolicam. 13. de conuerſ. coniugat. quòd ſi ipſius conſenſu vir profeſſus ſit, & ipſa nec continentiam, nec Religionis ingreſſum vouit, inducenda eſt vt id faciat: ſi nolit, & periculum ſit incontinentiæ, debet Epiſcopus ſuſpendere profeſſionem viri ad vitam vxoris, vel donec ipſa faciat quod ius poſtulat: & illum vxori reddere. mortua vxore redit vis profeſſionis, & tenetur redire ad Monaſterium, quia cum vxoris conſenſu facta ſit, non potuit irritari, ſed ſolum ad tempus ſuſpendi executio, cap. Conſuluit. 10. cap. Ex parte 9. de conuerſione coniugat.

Sed quid ſi ipſa iuris diſpoſitionem ſciuit cum conſentiret, videlicet ſe non poſſe conſentire niſi Religionem intrare velit?

27 *Si ſciuit Iuris diſpoſitionem.*

Reſpon. Eo caſu ſi periculum ſit incontinentiæ, poſſe cõpelli ad Religionem, vt colligunt DD. ex cap. Significauit. 18. à contrario ſenſu. Hoc tamen non ſic intelligendum puto vt poſſit cogi ad profitendum; quia nullo modo intẽdit ſe ad hoc obligare. vti ſuppono: & ſi rogata fuiſſet, reſpondiſſet non eam eſſe mentem ſuam: poterat enim cogitare ius ſibi fore relaxandum: & illud ca. non loquitur tantum de ea, quæ ſciuit Iuris diſpoſitionem; ſed in genere. Vnde illud ita intelligo, vt ſi periculum incontinentiæ ſit in ſæculo, poſſit compelli habitare in Religione, ſeu Monaſterio, vbi cuſtodiatur: nemo enim poteſt cogi ad profeſſionem, niſi qui eam promiſit, vt infrà dubit. 4. oſtendemus.

28 *Maritus tenetur etiam ingredi.*

Circa prædicta aduerte, quòd ſicut vxor conſentiens in ingreſſum mariti tenetur ingredi, vel ſaltem profiteri continentiam; ita etiam maritus conſentiens in ingreſſum vxoris; d. cap. Cum ſis. & c. Quia 25. cap. 26. Scripſit nobis, 27. q. 2. & hæc omnia debent fieri auctoritate Epiſcopi, vt habetur ca. 23. Si vir. 27. q. 2. non tamen eſt irrita profeſſio, ſi aliter facta fuerit.

29 *Poteſt alter inuito ingredi in 4. caſibus.*

Si per vim, eſt ſummouit.

Secundò, Poteſt alter inuito altero ingredi, idque potiſſimum quatuor caſibus, Primò, Antequam matrimonium ſit conſummatum. ca. Verum. 2. & cap. Ex publico. 7. de conuerſ. coniugat. Secundò, Etiam poſt conſummatum poteſt vxor ingredi, iuxta probabiliorem ſententiam, ſi vir per vim conſummauit ante expletos duos menſes, qui ei a iure d. c. Ex publico, conceduntur; quia ei grauem iniuriam intulit, ratione cuius non debet ipſa priuari ſuo iure. Paludanus in 4. d. 27. qu. 3. art. 2. Panorm. in d. cap. Verum, de conuerſ. coniug. Sylu. v. Diuortium, qu. 5. Fumus eodem num. 6. & alij multi, quos citat & ſequitur Sanchez Li. 2. de matrimonio diſput. 23. numero 6. Idem dicendum contra Sylueſtrum, ſi per metum grauem extorſit, quia eſt ſimilis iniuria. Tertiò, Si alter coniugum committat adulterium, *Adulterij.*

inuo-

innocens potest Religionem ingredi, c.21. Agathosa. 27. qu.1. Idem colligitur ex c.15. & 17. de conuers. coniugat. idem dicendum de crimine Sodomiæ: vt communiter tradunt DD. in cap. maritis. de adult. vide Couar. de matrim. p.2. cap.7 §. 9. Sed vt id ordinatè fiat, debet primò fieri separatio auctoritate Iudicis, causa cognita, cap Porro. 3. de diuortijs, tàm partium ad vitandum scandalum, partim ne possit repeti, & cogi ad redeundum. Quòd si ipse quoque adulterium occultè commisit, non potest coniugem dimittere vt Religionem ingrediatur, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, cap. fin. de adult. Idem dicendum si cognito illius peccato debitum petijt, vel reddidit; quia illi censetur reconciliatus, & ius suum condonasse. 32. q.1. cap. 1. Vide Syluestrum v. Diuortium q.8. & 9. Quartò, Si alter incidat in hæresim, & Iudicio Ecclesiæ separatio fiat. tunc enim innocens non tenetur illum admittere, sed potest ad Religionem transire, etiamsi ille conuerti voluerit; capit. final. de conuers. coniugat. Si tamen non fuit facta separatio iudicio Ecclesiæ, tenetur emendatum recipere; nec potest ingredi Religionem, cap. De illa 6. de diuortijs, & Glossa in d. capit. fin. Ratio est, quia pœnæ in hæreticos ipsarum non sunt mandandæ executioni ante sententiam, vt patet ex cap. Cùm secundum leges. 19 de hæret. in 6. hęc autem priuatio iuris in coniugem est pœna: itaque requiritur aliqua sententia. Sufficit tamen sententia declaratoria criminis vt docet Alfonsus a Castro l.2. de iusta hæret. punit. cap. 7. & Couarr. de matrimonio p.2. cap.7. §. 8. quia ad reliquarum pœnarum executionem non plus requiritur, vt constat ex d. cap. Cum secundum leges. Idem colligitur ex cap. finali, eodem tit.

Hæresis.

30 Tertiò loco inter eos, qui non possunt ingredi Religionem, est, qui virginem sub promissione matrimonij defloruit. Nec refert vtrùm serio an fictè promiserit: hic enim tenetur implere contractum, ob graue damnum, quod alioquin illa incurreret, de quo dictum est supra cap. 10. dub. 4.

3. Qui virginem decepit.

31 Quartò, Serui nõ possunt capessere statum Religiosum absque consensu dominorum, cap. Si quis. 17. quæst. 2. quia quoad actiones vtiles seruus totus est domini. vnde furtum sui faceret, si se illi subtraheret. quare etiamsi professionem fecisset, esset domino petenti restituendus. tenetur tamen tunc seruare castitatem, (si tamen intendit se ad illam absolutè & independenter a statu Religionis obligare) quia ad hanc se potuit obstringere domino inuito: non cetera; quia professio quoad illa fuit irrita. Hoc intellige de seruo, qui talis manet; non de eo, qui per fugam ad suos libertatem est consecutus.

4. Serui.

Aduerte tamen, non esse restituendum, si triennio quæsitus non est, vt habetur d. capit. Si quis; tunc tamen iusta compensatio domino facienda est, ne damnum inde capiat; vt notat Glossa in d. ca. Si quis. Hoc autem triennium numerandum est non a tempore, quo dominus resciuerit vbinam seruus exulat, vt vult Syluester Religio 2. q 3. & alij, quos ipse citat; sed ab inchoato anno probationis, vt Glossa tradit, & ex d. cap. Si quis, colligitur.

32 Quintò, Qui creditoribus non est soluendo: hic enim non potest ingredi, si intra paucos annos manens in sæculo possit satisfacere. æquitas enim nõ patitur vt cum damno aliorum ingrediatur, si illud absque graui incommodo aliquandiu in sæculo manens potest impedire. Si autem non est probabilis spes satisfaciendi intra illud tempus, vel manendo diutiùs in sæculo incurreret notabile periculum salutis, potest ingredi, relinquendo bona sua creditoribus diuidenda pro rata. vide sup. ca. 16. du. 8. D. Th. q. vlt. art. 6. ad 3. aperte docet nõ teneri in sæculo remanere vt soluat; sed sufficere si bonis præsentibus cedat creditoribus; quia persona hominis liberi non est pro pecunia obligata. Idem tenet Syluester Religio 2. qu 4. vbi pro hac sententia citat Palud. Vdericum, Archidiac. Summam confessorum, Innocentium, Raynerum, & Hostiensem. In eadem sententia sunt ceteri Summistæ, Altensis in Summa l.6. tit. 19. q.6. Angelus v. Religiosus num 6. Rosella Religio 1. nu. 5. Pamus v. Religio nu. 5. vnde hæc sententia est probabilis. Vide Medinam, C. de restitut. qu. 3. causa 8. vbi pro vtraque sententia rationes adducit. Si obstrictus debitis admissus fuerit, non tamen idcircò obligatur Monasterium, nisi quatenus ex ingressu factum est locupletius.

5. Qui non soluendo.

Sextò, Qui reddendis rationibus sunt obnoxijs quia illorum Persona est ad illam functionem obstricta; eique 33
solùm vna actio transiens, secùs si ad aliquod officium longo tempore obeundum se obstrinxit; v.g. ad docendum aliquot annos, ad seruiendum perpetuo in hospitali, ad Rempub. administrandam. In his & similibus contractibus videtur excepta status perfectionis; vnde intelligitur tacita conditio. Nisi Religionè ingressus fuero, non enim illi contractus ita interpretandi sunt vt censeatur promissor sibi aditum ad statum perfectionis voluisse intercludere: id enim magnæ esset insipientiæ. Vnde etiamsi iuramento sint confirmati, nihilominus potest intrare; quia iuramentum sequitur naturam promissionis, & actus super quem cadit vt dictum est cap. 17. dubit. 7. Vide Syluestrum Religio 2. q. 1.

6. Quæstores

Septimò, Filius non potest intrare Religionem, si parens eius graui egestate prematur, & ipse nequeat illi, nisi manendo in sæculo, prouidere. Ratio est, quia iure naturæ 34
teneturr eo casu parentem alere. Ita D. Thomas q. vlt. art. 6. & quodlib. 3. artic 16. Idem dicendum de parente, si filius simili necessitate prematur. Non tamen est ea obligatio erga fratres & sorores; quia non est inter illos vlla dependentia, sicut inter parentes & proles: parens enim proli alimenta debet iure naturæ, quia est fructus eius, cui debet esse. vnde debet ei conseruationem & educationem donec se possit iuuare; vt videmus in animalibus. Item est veluti pars ipsius, vnde debet illi alimenta sicut sibi ipsi. Filius parenti, quia est principium ipsius & radix. vnde accepit esse, quare lege gratitudinis tenetur. Sorores & fratres non habent inter se illud vinculum.

7. Filius, etc.

Non tenetur alere fratres.

Illud tamen quod dictum est, *Filium non posse Religionem intrare patre indigente egente*, limitandum est, nisi forè ita res sint constitutæ, vt non possit diutiùs in sæculo sine dispendio salutis, id est absque probabili periculo peccati mortiferi, remanere; quia non tenetur causa parentis se tali periculo exponere. Ita Syluester Religio 2. quæst. 7. ex Richardo.

Si filius parente in graui necessitate cõstituto professus fuerit, tenetur egredi, si aliter ei subuenire non potest; quia ingredi non poterat, obligatione subueniendi iam contracta. Ita Nauarrus cap. 14. num. 14. & comment. 3. de Regularibus, nume. 45 & Ioannes Maior in 4. d. 38. quæst. 2. professio tamen non est irrita, sed suspendatur executio donec parenti prouiderit. Si verò inciderit parens ex improuiso in hanc egestatem post filij professionem, non tenetur filius egredi; nec verò potest repugnante Prælato. Ita D. Thomas quodlib. 3. art. 16. & 2-2 quæst. 101. art. 4. ad 4. Caietanus ibidem. Syluester supra. Ratio est, quia iam mutauit statum, nec subest amplius patriæ potestati, sed Prælato: vnde illi obligationi superuenienti non tenetur satisfacere, nisi quantum potest saluo statu. Sicut si esset coniunctus matrimonio, non teneretur deserere vxorem, ad subueniendum patri. Hoc intellige de egestate non extrema, sed minori, in qua potest vtcumque viuere, licet multa incommoda perferat: si enim esset extrema, teneretur filius omni modo subuenire, etiam egredrendo Religionem, petita tamen priùs licentia, etsi non obtenta: quia id etiam externo in pari necessitate præstare deberet.

Si professus fuerit alium ita esse in graui egestate.

Si in extrema.

Dixi supra *non teneri egredi*, quia etsi non teneatur, tamen potest, obtenta licentia a Prælato. Hoc tamen casu non potest deserere habitum, nisi forte in habitu non posset succurrere, de quo vide Nauarrum comment. 3. numero 44.

Octauò, Pueri non possunt Religionem ingredi sine consensu parentum, vel tutorum, ante annos pubertatis: 35
quia subsunt illis quoad vitæ dispositionem. Vbi verò ad annos pubertatis peruenerint, efficiuntur sui iuris in ijs, quę ad statum vitę pertinent: Vnde possunt Religionem ingredi, etiam inuitis parentibus, etsi ante 16 annum completum non possint professionem facere. de quo vide D. Th. q. 88. art. 9. & 101. art. 4. & q. vlt. art. 4. & Hieronymum Platum de bono status Religiosi.

8. Pueri.

Supradictis exceptis, ceteri liberè possunt Religionem intrare: quia ab alterius consensu non pendent. potest 36
tamen esse aliquod impedimentum ex parte Religionis; idque, vel ratione iuris communis, vel ratione propriarum constitutionum. Ratione iuris communis; vt

Impedimentum a iure.

si Mo-

si Monasterium, vel domus non possit plures commodè alere ex suis reditibus, vel conuictis eleemosynis. Ita Concilium Trid.sess.25.c.4.Imò si Monasterium est feminarum viuens ex reditibus, receptio est irrita, si plures recipiantur, quam sine penuria possint sustentari, c.Periculoso §.Sanè, de statu Regul.in Sextò. Huic tamen inconmodo solet occurri per dotem, quàm communiter exigunt huiusmodi Monasteria, de qua suprà c.35.dubit.12.& 23.

Illegitimus quoque non potest admitti in Religionem,
37 in qua pater eius siue ante siue post natiuitatem professus
Illegitimus. fuerit, si adhuc sit superstes; vt habet Greg.XIV.in sua cõstitut.in qua ea, quæ Sixtus V.statuerat de illegitimis, reuocantur ad terminos Iuris communis.

Ratione propriarum constitutionum excluduntur a quibusdam Religionibus, homicidæ, infames, nati ex Iudæis, &c.

DVBITATIO IV.

Vtrùm aliquis possit compelli ad Religionem.

38 *Neminem posse cõpelli.* RESPONDEO neminem posse compelli, nisi qui expresse vel tacite seipsum sponte obligauit. Probatur Primò; Quia quisque in statu vitæ deligendo est sui iuris: non enim par est vt tantum onus ex alieno arbitrio pendeat. Secundò. Nemo potest compelli ad Religionem Christianam amplectendam, quam tamen Deus omnibus præcepit, tamquam necessariam ad salutem: ergo multò minùs ad statum vitæ religiosæ, quem Deus omnibus liberum esse voluit, quique ad salutem non est necessarius. vide suprà cap.40 dubitat.8. Tertiò, Quia hic status est eius conditionis vt non possit ei satisfieri nisi quis sponte sua, & ex interno affectu illum colat & seruet: magis enim pertinet ad internam reformationem affectuum, quam ad disciplinam externam. Quartò, Quia eius excellentia & sublimitas postulat vt sponte & ex amore, non compulsione externa suscipiatur. Vnde contra dignitatem eius esset, si quis aliàs non obligatus cogeretur hunc statum suscipere. Ob eamdem causam Deus noluit, aliquem compelli ad religionem Christianam; vtilitas enim & excellentia, cum interna vocatione & illuminatione, abundè sufficit ad hominem alliciendum. vnde omnibus dicitur *qui potest capere capiat*. Denique si hic status inuitis imponi posset, & obligatio ad illum extorqueri cederet in maximum animarum laqueum: quia vota Religionis non nisi a volentibus & animo benè ad illa affectis, seruari possunt.

39 *Decreta Concilij Trid. circa profess. nem & renũt. bonorũ. Renuntiatio Nouitiorum irrita.* Hinc Concilium Trid.sess.25.de Reg.c.16.17.& 18. vt libertati ingredientium consuleret, & omnem coactionem arceret, statuit sequentia.

Primò, Cap.16. *vt nulla renuntiatio, aut obligatio facta ante professionem, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque pia causa valeat; nisi facta sit cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij; idque intra duos menses proximos ante professionem; & vt etiam sic facta non sortiatur effectum suum nisi secuta professione. aliter facta, etiamsi cum expressa huius fauoris renuntiatione, etiam iurata, sit irrita & nullius effectus.*

Secundò, *Ne ante professionem, excepto victu & vestitu Nouitij, vel Nouitæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque pretextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur.* idque præcipit dantibus & recipientibus *sub pœna anathematis.*

Tertiò, *Vt abeuntibus ante professionem, omnia, quæ sua erant, restituantur.*

Nullus ingressus. Quartò, Statuit cap.17. *vt nullus suscipiat habitum nisi duodecim annis sit maior, nec emittat professionem, nisi Episcopus, vel eo absente, aut impedito eius Vicarius, aut aliquis, eorum sumptibus ab eis deputatus, diligenter explorauerit virginis voluntatem; an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Præfata autem tenetur Episcopum de tempore professionis earum monere; & antè certissimè valere; si omiserit, sit suspensa ab officio quamdiu Episcopo videbitur.*

Excõmunicantur cogentes aut terrentes ingredi Monast. Quintò, Cap.18. *Anathemati subijcit omnes quicumque dignitate fungentes, qui quemadcumque coegerint aliquem virginem vel viduam, vel aliam inuitam, (præterquam in casibus in Iure expressis) ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis; vel ad emittendam professionem. Item qui consilium, auxilium, vel fauorem dederint. Denique qui consij, eidem actui præsentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint.* *Impedientes mulierem ingredi Monast.*

Sextò, *Anathemati subijcit eos, qui sorticam virginum vel aliarum mulierum voluntatem vela accipiendi, vel vota emittendi, quoquomodo sine iusta causa impedierint.*

Circa prædicta, maximè circa primum, secundum, & tertium, Notandum est Primò, Non prohiberi testamentum: quia non est renuntiatio, vel obligatio, nec admittit libertatem egrediendi, cum nullam vim habeat ante professionem. Idem dicendum de omni alia dispositione conditionali, collata in tempus professionis. 40 *Test. inualid. Renuntiatio conditionalis. Renuntiatio facta ante nouitiatum.*

Secundò, Etsi Concilium non loquatur expresse nisi de renuntiatione & alienatione Nouitij; tamen idem intelligendum videtur de ea, quæ facta est ante nouitiatum, contemplatione Religionis ingrediendæ; nam eadem ratio locum habet, hæc enim potest non minùs cogere ad Religionem, quàm ea, quæ facta est in nouitiatu. Vnde etiam censebitur facta in fraudem huius Canonis.

Tertiò, Id non habere locum in Societate IESV; nam 41 Concilium expresse excipit Societatem, his verbis; *Per Societas I.* *Per hac tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut* *SV.* *prohibere quin Religio Clericorum Societatis IESV, iuxta pium eorum institutum a S. sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possint.* Itaque ante ingressum validè potest quius disponere in quascumque causas. Ingressus etiam potest disponere, sed iuxta formam constitutionibus præscriptam, & a sede Apostolica confirmatam, quâ Concilium hic apertè approbat. Societas tamen nullum ius ad bona suorum prætendit.

Circa Quintum, vbi dicitur, *Præterquam in casibus iure* 42 *expressis*. Notandum est Iure excipi, Primo, eos, qui sponte Religionem vouerunt: hi enim compelli possunt vt vota impleant: sicut is, qui sponsalia contraxit, potest compelli vt procedat ad matrimonium. Deinde quando coniux conscius dispositionis Iuris consensit vt alter profiteatur Religionem, vel sacros Ordines suscipiat; tunc enim com- *Ob crimen non potest ad profess. cõpelli.* pelli potest vt ingrediatur Monasterium, eo modo, quo suprà dub.3.num.27.dictum est. Tertiò, Qui crimen aliquod commiserunt, ob quod iubentur detrudi in Monasterium. hi quoque non tenentur profiteri, sed solùm pœnitentiæ opus impositum peragere, vt ex supradictis colligitur. Et Confirmatur Primo, Quia nemo potest in pœnam cogi ad matrimonium: ergo neque ad Religionem. Secundò, Quia status supernaturalis non potest habere rationem pœnæ, cum requirat liberam electionem: pœna autem sit contra voluntatem. Itaque solum ibi præcipitur inclusio & alia opera pœnitentiæ eidem imponenda.

DVBITATIO V.

Ad quid teneatur qui vouit ingredi Religionem.

NOTANDVM est posse vouere Religionem vel in genere, vel in particulari. In genere dupliciter. Primò, Indeterminatè, vt cum eo animo voues, vt si non admittaris in vno Ordine, velis ingredi alium. Secundò, Determinatè, vt si dum vouens, non determines hunc, vel illum Ordinem; sed tamen non intendas ingredi nisi vnũ, quem habita matura deliberatione eliges. 43 *Dupliciter tenetur Religio in genere.*

In particulari verò, cùm certus aliquis Ordo ab initio deligitur.

Qui primo modo vouit, hic si nõ admittitur in vno Ordine, debet tentare alium; ideque ad tres, vel quatuor, prout expresse vel tacitè intendit. ita Syluester Religio 2.q.16. Sotus lib.7.de Iustitia q.2.art.1.& ad 3.& alij. Dico tacitè; quia spectanda hic est etiam habitualis affectio, in qua erat dum voueret, & quidnam rogatus, fuisset responsurus. Si in Ordinibus suæ Prouinciæ non admittitur, non tenetur quærere extra Prouinciam, nisi fortè id intenderit. In dubio non præsumitur intendisse; quia est insolitum vt quis ita se Religioni ingrediendæ velit obstringere; vt non admissus in ordinibus suæ Prouinciæ, teneri se velit ad fortis *Si vouit in genere primo modo.*

extra

extra patriam ſolicitandum. Si talis in probatione deprehendit ſe adhuc ineptum, ideoque egreſſus fuerit; tenetur probare alium. ſi veriſimile eſt illum fore accommodatiorem. Secùs ſi bona fide non ſperatur melior ſucceſſus.

Si ſecundo modo.

Qui ſecundo modo vouit, non tenetur ingredi niſi illum, quem poſt delegit; non enim mens eius fuit ad amplius ſe obligare. vnde ſi in probatione deprehendit ſe ineptum, non tenetur alium tentare; ſed manet liber a voto. Si vno loco illius Ordinis receptus non fuit, tenetur tentare duo vel tria alia loca eiuſdem Ordinis; ſi tamen ſpes eſt admiſſionis. Secùs ſi nihil vel parùm ſperi; quia non tenetur tentare, niſi cum ſpe probabili; nec ad amplius cenſetur ſe voluiſſe aſtringere. Itaque ceſſat obligatio voti, cũ ex parte ſua fecerit totum illud, ad quod tali voto ſe intendit obligare. Nec refert quòd non ſit ingreſſus; quia non vouit ingreſſum abſolutè, ſed ſub hac tacita conditione *ſi admittar.* quæ conditio non eſt in ipſius poteſtate, niſi quatenus pendet ab ipſius ſolicitatione. vnde ſi per hanc poſita non fuerit, cenſetur impoſſibilis.

44

Si tertio modo vouit.

Qui tertio modo vouit, nempè determinando à principio particularem locum, ſi ibi non recipiatur non tenetur alia tentare, ſed abſolutè ceſſat votum, quia conditio ſub qua vouit ingredi non extat, nec eſt in ipſius poteſtate vt extet.

Quatuor obſeruanda.

Hic tamen quatuor notanda. Primò, Si impedimento aliquo temporali tenebatur, ob quod repulſus eſt, obligatur eo ceſſante ſe rurſus offerre: quia ſolùm videtur dilatus ad tempus. Secùs ſi abſolutè repulſus eſt tali impedimento non exante. quo caſu non tenetur, etiamſi poſteà illum reuocent: quia non videtur ipſius intentio fuiſſe ſe vlteriùs obligare, ſi abſolutè repelleretur; alioquin ſemper deberet manere incertus & ſuſpenſus.

Si repulſus ob impedimẽtum temporale.

Si ipſe eſt cauſa impedimenti.

Secundò, Si culpa ſua impedimentum obiecit ne reciperetur, tenetur illud quantum poteſt tollere, & ſeriò adlaborare vt recipiatur. quia qui vouet ingredi, tacitè etiam vouet opportuna media ad hoc adhibere & impedimenta quantum in ſe eſt amouere: alioquin non ſeriò, ſed deluſorie videtur Deo promiſiſſe.

Non tenetur in ſæculo ſeruare ea quæ ſunt Religionis.

Tertiò, Qui repulſam tulit, nõ tenetur in ſæculo ſeruare ea, quę ſunt Religionis, paupertatem, caſtitatẽ, obedientiam, &c. quia hæc non vouit, ſed ſolùm vouit ſe hæc voturum ſi admiſſus fuerit. Vnde nec admiſſus ad hæc tenetur, ſed ſolùm ad votum horum peracta probatione faciõdum: quo facto, tenebitur. Sic qui vouit ſuſcipere Ordinem ſacrum, non tenetur ad horas, nec ad caſtitatem, priuſquam Ordinem illum ſuſceperit. Ethnici quoque etſi teneantur ad Religionem Chriſtianam; non tamen ad Sacramenta Euchariſtiæ, vel pœnitentiæ, antequam religionem illam cum baptiſmo ſuſceperint. Hinc fit vt ſi quis poſt votum Religionis duxerit vxorem, & cõſummauerit matrimonium, non peccet petendo debitum, quia nõdum tenetur vinculo ſeruandæ caſtitatis. ita Caietanus qu. 88. art. 3. Nauar. cap 12. nu. 47. Sotus ſuprà, & alij. mortua tamẽ vxore tenetur Religionẽ ingredi, niſi fortè per ætatem, vel corporis diſpoſitionem factus ſit ineptus, aut non poſſit niſi difficillimè duriorem illam vitæ rationem perferre: quam exceptionem tenet Lopez cap 44. Idem dicitur docuiſſe Franciſcus Victoria. & Ratio eſt, quia non videtur rebus ita notabiliter mutatis, ſe voluiſſe ad hoc obligare. ad cautelam tamen expedit petere diſpenſationem; quia nemo ſecurus iudex in ſua cauſa.

An mortua vxore teneatur intrare Religionem.

Si eſſentialia non ſeruãtur.

Quartò, Qui vouit ingreſſum certi Monaſterij, vbi eſſentialia non ſeruantur, non tenetur ingredi, ſi non ſit ſpes breui futuræ reformationis: quia eſt et periculum peruerſionis. Nec refert etiam ſi habeat propoſitum omnia integrè ſeruandi; quia æſtus communis conſuetudinis facilè abripit mentem. Excipe tamen, niſi ſentiret ſe adeò firmũ, ut prudenter putet ſibi nõ eſſe probabile periculum: quia potiùs ſperet ſe alios conuerturum. vnde Nauar. c. 12. num. 46. & Maiorem in 4. d. 38 qu. 2.

45

Si non admittatur niſi vt laicus.

Petes Primò, Quid ſi non admittatur, niſi ad ſtatum laicorum?

Reſpondeo, ſpectandã eſſe tacitam, vel expreſſam mentem ipſius; ſi vn. ſolùm cogitauit de ſtatu ſacerdotum cùm voueret, vel ita erat affectus vt ſi rogatus fuiſſet, noluiſſet niſi ad illũ ſtatum in Religione ſuſcipiendum ſe obligare; non tenebitur ex voto ad ſtatum laicorum. Si dubium ſit, ſpectanda eſt conditio & curſus vitæ, & qualitates perſonæ, & ex his cõiectura facienda: nobiles enim mediocriter litterati, & ſtudioſi adoleſcentes præſumuntur intendiſſe ſtatum ſacerdotum; milites & mechanici ſtatum laicorũ.

Petes Secũdò, Quid ſi nõ ſolùm vouit intrare, ſed etiam profiteri & perſeuerare?

Si vouit perſeuerare i. Sententia, non differre.

Sunt duæ Sententiæ. Prima eſt, Hunc non obligari ad amplius quàm eum, qui ſolùm vouit ingredi: hoc eſt, ad bona fide probandum an ea vitæ norma ipſi ſit conuenies; & ſi deprehendat eam minus congruere, ob aſperitatem, vel aliam cauſam, non teneri. Ita Sotus lib. 7. qu. 11. 2. artic. 1. ad 3. & Ioannem Pẽa apud Lopezium cap. 45. & aliqui recentiores. Probatur, Primò, Qui vouet ingredi Religionem, etiam tacitè vouet perſeuerantiam; nam ingredi Religionem eſt fieri Religioſum: hoc autem perſeuerantiam includit: ergo eſt eadem ratio utriuſque voti. Secundo, Votum ingrediendæ Religionis ex diſpoſitione iuris includit hanc tacitam conditionem, *ſi bona fide deprehendero in probatione eam mihi conuenire*; ideò enim conſtitutus eſt annus probationis: atqui eamdem includit votum profitendi, quia vouens non intendit hoc votum exequi niſi ſecundum iuris diſpoſitionem, vtendo priuilegio anni probationis; alioquin fruſtra eſſet probatio. Tertio, Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. c. 15. de Regul. irritam decernit profeſſionem ante annum probationis impletum; ne videlicet adimatur Nouitio poteſtas retrocedendi, ſi intra annum deprehenderit formam illam viuendi ſibi non cõgruere. Idem confirmatur ex c. 16. vbi omnes renuntiationes ſuſpendit in tempus profeſſionis. Ex quibus videtur colligi, mentem Concilij eſſe vt nemo poſſit ſe abſolutè Religioni obſtringere ante profeſſionem; ſed omnem talis voti promiſſionem intelligendam conditionaliter, nimirũ, Si bona fide deprehendero illũ Ordinem mihi conuenire. 46

Hæc ſententia eſt probabilis, & iuxta illam qui vouit perſeuerantiam poteſt egredi, ſi bona fide in probatione putet ſibi eam non eſſe accommodam.

Contraria tamen eſt probabilior.

Contraria tamen eſt probabilior, quam expreſsè tenet D. Thom. 2. 2. qu. vlt. art. 4. in corp. Caiet. ibid. Nauarr. c. 12. num. 47. & alij.

Probatur. Primò, Qui dicit Voueo ingredi Religionem, & in ea profiteri, vel perſeuerare, amplius intendit promittere Deo, & ſe magis obligare, quàm qui more conſueto vouet ſolùm ingredi. cur enim hoc addat, niſi vt præcindat ſibi libertatem egrediendi?

Secundò, Si quis impetraret diſpenſationem in voto Religionis, & non exprimeret ſe vouiſſe non ſolùm Religionis ingreſſum, ſed etiam perſeuerantiã ſubreptitia cenſeretur diſpenſatio, vt docet Nauarrus ſuprà. ergo eſt amplius.

Tertiò, Etſi non poſſit quis ante exactum annum probationis obligari profeſſione ad perſeuerandum in ea Religione, poteſt tamen ſe obligare voto ſimplici: nuſquam enim tale votum redditur irritum, nec reſtringitur vt vim non habeat in euentum ſi aliquid in Religioni diſplicuerit.

Veniens ingredi Religionẽ.

Quartò, Qui vouet ſe ingreſſurum Religionem, ſolum duo cenſetur promittere; nempe bona fide probare. & ſi in probatione deprehenderit eam ſibi conuenire, profiteri. vnde ſi bona fide iudicet eam ſibi minùs conuenientem, ob illius aſperitatem, vel ingenium ſuum præfractius, vel quia metuit inconſtantiam, non tenetur, vt docent Caietanus & Nauar. ſuprà. Imò non tenetur, ſi modus ille viuendi diſpliceat; vt Nauarrus ait: vel ſi ob aliquam cauſam non ſit gratus, vt vult Caietanus. Quod tamen intelligendum eſt, ſi diſplicentia illa ſit ex cauſa iuſta, vel non poſſit facile ſuperari. Item niſi amplius, vouendo intendiſſet. tacita enim intentio potiſſimùm in huiuſmodi expendenda. In dubio tamẽ nõ videtur amplius intendiſſe, quam quod dictum eſt. Qui verò etiam perſeuerantiam vouit, videtur ſe ita voluiſſe obſtringere, vt non poſſit egredi vllo modo, ſi iudicaretur idoneus, & ratio viuendi eſſet tolerabilis; nam tantum ſe obligat quantum poteſt: ergo niſi tanta ſit difficultas vt cenſeatur intolerabilis; & votum per ſe ceſſet ratione impoſſibilitatis, vel ineptitudinis, obligabitur. poterit tamen in hoc voto diſpenſare Epiſcopus, vt docet Sancius libro 3. de matrim. diſput. 9 num. 18. quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis, ſed in modo exequendi.

Qui vouet ſeruare caſtitatẽ

Ad primam rationem alterius ſententiæ; Qui vouet ſolùm

solum ingredi Religionem, non censetur se obstringere ad perseuerantiam, nisi sub hac conditione, Si deprehendero Religionem illum mihi conuenire. Itaque si ob aliquam causam minùs conueniat, non tenetur. alter verò obligat se absolutè, modò sit idoneus; quamuis enim ob aliquam causam minùs conueniat, paratus est id incommodi tolerare.

Ad secundam: Qui vouet profiteri, videtur renuntiare priuilegio probationis, quantum est ex parte sua. non tamen frustra ei conceditur probatio; tum quia debet innotescere Religioni, vt sciant vtrùm ipsis conueniat; tùm quia debet experiri an possit formam illam viuendi perferre.

Ad tertium: Concilium non adimit potestatem sese obligandi voto simplici ad perseuerandum: sed solùm voto solemni.

47 *Si coniux votum Religionis habeat. Si quid ante consummationem.*

Quæ diximus pertinent in genere ad quoslibet qui Religionis votum habent. Sed peculiaris difficultas est de coniugibus voto Religionis obstrictis, quid possint, quid non possint, & ad quid teneantur.

Dico Primo, Qui ante consummatum matrimonium vouit ingressum Religionis, non potest illud consummare siue petendo, siue reddendo. Ratio est, quia consummando redderet se impotentem implendi voti: semel tamen matrimonio consummato, potest liberè reddere, & etiam petere: quia id non est contra eius votum; nec voti executioni impedimentum obijcit, cùm hæc ei facta sit impossibilis. simulatque tamen ei liberum erit exequi, tenebitur, vt si coniux simul velit conuerti; si contingat coniugem committere adulterium, si ob suum adulterium repudietur à coniuge, & licentia ingrediendi tacitè, vel expressè detur: si contingat coniugem damnari hæreseos, vel mori.

Si venit post consummationem.

Dico Secundò, Si consummato matrimonio coniux, v. g. maritus, vouit Religionem; vel id fecit absque consensu vxoris, vel cum consensu. Si absque consensu vouit, vel intendit statim implere, & sic votum est irritum; quia de re illicita: vel non restrinxit suum votum ad certum tempus, & ita præsumendum est illud referri ad tempus, quo libera erit ei executio. Non enim præsumendum peruersè factum, quod rectè fieri potuit. Si cum consensu eius vouit, valet votum: non tamen inducit obligationem exequendi absolutè, sed sub conditione, si nimirum vxor præstare voluerit quæ ius requirit, id est, ingredi Religionem, si est iuuenis, vel talis vt in eam cadere possit suspicio incontinentiæ: aut vouere castitatem in sæculo, si est vetula, & expers periculi. itaque hoc votum habet tacitam conditionem a iure. ius enim non aliter permittit huius voti executionem. Vnde si vxor postea nolit ea præstare quæ ius requirit, maritus non obligabitur; quia deest conditio iure requisita. Secùs est in professione. hæc enim semper fit absolute, vnde statim valet. vel est irrita, vt patet ex dictis dubit. 3. Quòd si maritus eo casu ingressus fuerit, & professionem fecerit, valebit professio, etsi contra ius facta sit. multa enim non rectè fiunt, quæ facta tenent. vt patet cap. Ad Apostolicam. 16. de Regular. & transl. Ita docet Glossa in cap. Ex parte 9. de conuers. coniugat. Vtrum vero eo casu sit restituendus vxori, dubium est.

Si professus fuerit.

An vxor sit restituendus.

Videtur non restituendus, sed ipsa potius compellenda ad Religionem: nam consentiendo in ipsius ingressum, videtur tacitè vouisse Religionem, & ita sentiũt multi DD. de ea quæ iuris ignara non fuit, vt suprà dubit. 3. dictum est. Valdè tamen probabile est, quando vxor quę consentit, non potest induci ad vouendam continentiam, vel Religionem ingrediendam, virum etiam professum ipsi esse restituendum. ita habetur expressè cap 1. de conuers. coniugat. *Dicimus quòd nisi vxor ad Religionem transierit, aut perpetuam castitatem seruare promiserit, vir potest & debet de Monasterio reuocari.* Nec distinguit, sicut nec alij Canones vsquam distinguunt, inter eam quæ sciuit ius, & quæ ignorauit. Vnde sequitur, etiamsi ipsa illum non repetat, tamen esse restituendum. Si tamen ipsa vouit castitatem, non debet ei restitui. vt ex d. c. 1. apertè colligitur. sed ipsa, si iuuenis sit, concludenda est in monasterio ad custodiam. si autem vouit ingressum Religionis, compellenda est vt exequatur.

48 *Si vterq; consensu vouerunt.*

Dico Tertiò, Si consummato matrimonio pari consensu & ex pacto vouerunt ingressum Religionis, valet votum. si tamen alter resiliat, alter non tenetur exequi: tum quia iure non potest alter absque altero statum mutare, vt patet ex dictis: tum quia tale votum habet tacitam conditionem, si coniux perseuerauerit in proposito. Itaque etiã si contingeret alterum qui resiliit moechari, alter tamen non obligaretur: quia conditio sub qua votum obligabat, non extat. Cùm enim sic ex pacto vouent, mens illorum non est se obstringere seorsim, & independenter ab altero, sed vtroque statum mutante, sicut ius præscribit; neque præsumuntur aliud intendisse nisi de ea intentione constet. Hoc tamen quod de mutatione status dicitur, intellige, quando vterque Religionem vouit. Si enim ex mutuo consensu vxor voueat continentiam tantùm, & maritus Religionem, vel Ordinem sacrum, adhibenda est distinctio. Si enim vxor sit vetula, id est, sexagenaria, & expers periculi, vtriusque votum erit validum, & vir poterit votum suum exequi, etiam si vxor suum seruare nolit. Ratio est, quia quando est vetula iure non requiritur aliud ab vxore, quàm vt continentiam voueat. hoc enim sufficit vt virum a suo iugo absoluat, & sui iuris efficiat. Si autem erat iuuenis, neutrius uotum obligabit: non viri, quia iure non potest ordinari secundùm veriorem sententiam, nisi vxore vouente ingressum Religionis. quamuis enim id iure non fit expressum nisi de vxore eius, qui promouendus ad Episcopatum, de qua id dicitur capit. Sanè, de conuers. coniugat. tamen de vxoribus omnium qui sacris initiandi, colligunt ad DD. ex eo quòd non minor, sed maior sit ratio, cùm vir promouetur ad Ordinem sacrum in sæculo, quàm cùm ipse ingreditur Religionem; ob maius periculum incontinentiæ ex libera conuersatione cum vxore manente in sæculo. Itaque si vxor debet ingredi Religionem, vt vir possit ingredi, potiori ratione debebit ingredi, vt vir possit ordinari. Non etiam obligat votum vxoris; quia pendet ab obligatione viri, cùm sit respectiuum: habet enim se per modum contractus, facio vt facias. Vnde si viri votum non obligat, nec vxoris.

Si vxor voueat continentiam & vir Religionem.

Aduerte tamen non esse improbabile vtriusque votum valere: quia probabile est, cùm agitur de ordinatione viri, sufficere votum continentiæ vxoris in sæculo, vt colligitur cap. Coniugatus, iuncta Glossa in fine. Secùs cùm agitur de ingressu viri in Religionem, propter expressos textus in contrarium.

An possint petere debitum.

Petes, Vtrum in prædictis casibus possint coniuges petere & reddere debitum. Respondeo non esse dubium quin possint, quando communi consensu vouerunt ingressum Religionis. tunc enim vsus coniugij nullo modo repugnat voto, nec impedit eius executionem. Nec refert etiamsi matrimonium nondum erat consummatum: quia etiam eo consummato possunt ingredi. quòd si vxor tunc nolit, peccat mortiferè, sed maritus excusatur; quia per ipsum non stat, quò minùs fiat executio. Similiter possunt, quando vxor vetula vouit continentiam. & maritus susceptionem Ordinis sacri. quia cùm votum vxoris sit respectiuum, referenda est eius executio ad tempus quo maritus ordinabitur. ita Sancius lib. 9. de matrimon. disput. 37. num. 7. præsumitur enim, etsi nunc votum faciat, vouere solùm seruare castitatem in futurum, si vir ordinatus fuerit. vnde est pendens à conditione futuri. quæ si non extiterit, euanescet votum itaque ante impletam cõditionem non obligatur. hoc intelligo, nisi ipsa expressè aliud intenderit. In prædictis tamen casibus, non tenentur reddere debitum. quia videntur renuntiasse iuri exigendi & cogendi, hoc ipso quo dederunt sibi mutuo potestatem mutandi statum ad perpetuam continentiam; imò plerumque etiam expressè hæc renuntiatio fieri solet. vide cap. Dudũ. 20. de conuers. coniugat.

49 *Si vxor continentiam, maritus Relig. voueat.*

Dico Quartò, Quando ante consummatum matrimonium communi consensu vouerunt, vxor continentiam, maritus ingressum Religionis; si vxor erat vetula, non impediuntur petere & reddere debitum. si autem sit iuuenis, vir nec potest reddere nec petere.

Prior pars patet: quia vir nondum tenetur voto castitatis, nec actu coniugali redditur impos voti: votum enim continentiæ vxoris cum renuntiatione expressa, vel tacita iuris coniugalis sufficit, vt possit ingredi Religionem, etiã consummato matrimonio. Similiter vxor non tenetur seruare castitatem ante mariti ordinationem vel professionem, vt ostensum est.

Altera pars probatur: quia maritus consummando matrimo-

timonium reddit se inhabilem ad votum suum præstandum. nam votum continentiæ vxoris iuuenis non sufficit vt cõsummato matrimonio possit maritus Religionem capessere. Imò non potest vxor eo casu debitum reddere marito petente, si nondum expletum est tempus constitutum exequendo voto. quia efficeret illum inhabilem executioni voti, & alias nullum ius habet ad illum actum, quamdiu maritus non est in mora præstandi sui voti. quòd si tempus arbitrio prudentis effluxerit, ita vt maritus incipiat esse in mora, & monitus nolit ingredi, poterit vxor reddere debitum petenti, & etiam petere: quia marito nolente ingredi iuxta conuenta, soluitur ipsa voto, nec tenetur diutius expectare, sed potest vti iure suo. ita Sancius supra nu. 8. Mora enim mariti ita illam eximit voto, vt amplius non obligetur. alioqui posset illam maritus semper suspensam tenere, & cogere sine fine expectare. Si tamen velit, potest ei negare debitum quia potest velle vt stetur cõtractu, quo maritus iuri suo renuntiauit.

Porrò consummato semel matrimonio, vir non potest ingredi vxore iuuene inuita; quia & ipsa simul ingredi deberet, ad quod cogi non potest, cum non promiserit. Simulatque tamen licitè poterit, tenebitur; vt si contingat illam adulterium committere. itaque viri votum Religionis ingrediendæ non extinguitur, sed solum consopitur, & suspenditur per matrimonij consummationem. quia posito voto continentiæ vxoris in prædicto casu, fit absolutum, nec amplius pendet ab vlla conditione, sicut in contractibus alter tenetur absolutè, cùm alter suum munus præstitit. Votum autem castitatis vxoris extinguitur absolutè per moram viri: quia pendet a conditione futuri, nempe si vir constituto tempore religionem ingressus fuerit. quòd si vir non fuerit in mora, non extinguitur. vnde etsi tunc consummet ipsa matrimonij fiue petẽdo, fiue reddendo, nihilominus manet obligata voto ad seruandam castitatem, cum illo Religionem debito modo ingressus fuerit. vt si facto diuortio ob adulterium vxoris maritus votum suum impleat. quo etiam casu non poterit, ipsa etiam petenti debitum reddere, ne rursus in eamdem inhabilitatem implẽdi voti illum coniiciat vt notauit Sancius sup.

DVBITATIO VI.

Ad quid teneatur qui obstrinxit se voto castitatis perpetuæ.

NOTANDVM est hoc votum factum esse vel ante initum matrimonium: vel post initum quidem, sed nondum consummatum: vel matrimonio iam consummato: idque vel seorsim vel ex mutuo consensu.

Dico Primò; Qui obstrinxit se voto castitatis ante matrimonium, tenetur ad multa.

50 1 *Tenetur abstinere a matrim.*

Primò, Tenetur abstinere a matrimonio: si enim contra hit; vel id facit animo consummãdi, & sic peccat cõtra votum; vel animo ingrediendi Religionem ante consummationem; & sic facit iniuriam, decipiendo coniugem; quæ si id sciuisset, noluisset contrahere: & forte damnum incurret, quia fortasse putabitur defforata, nec tam cõmodis potietur nuptijs. etsi enim coniux possit intrare Religionem ante matrimonium consummatum, si Deus illi interea hãc voluntatem inspiret: tamen quando contrahit non potest animum absolutè ingrediendi habere; neque ius id ei concedit: solum tribuit ius ingrediendi, supponens contractũ bona fide esse initum. Accedit quod contrahens matrimonium ordinarie se exponat periculo consummandi, cui is, qui voto tenetur, se obijcere potest.

An possit contrahere animo ingrediendi.

Dices, c. Ex publico. 7. de conuer. coniugat. conceduntur nouis coniugibus duos menses, vt possint ingredi Religionem: ergo qui taliter contrahit, vtitur iure suo, & c. Cõmissum. 16. de sponsalibus dicitur, eum, qui iurauerat puellæ sponsalia, & postea volebat ingredi Religionem, tutius facturum si ante cõtraheret, & post ingrederetur Religionem: ergo nulla fit iniuria per talem cõtractum. Confirm. quia alias qui tali animo contraxisset matrimonium, non posset postea Religionem intrare.

Sententia quorundam.

Ob has rationes quidam Doctores putant non esse peccatum post votum castitatis contrahere matrimonium animo firmo ingrediendi Religionem. Ita Gulielmus Altisiodoren. l. 3. Summæ tract. 2. quæst. 3. Scotus in 4. d. 38. Versus finem, Angelus, Matrimonium 3. Impedimento 5. numero 1. Caietan. ver. Matrimonium, cap. 1. Iosephus Angles 2 par. quæst. 11. de impedimen. matrimonij, quæ sententia est satis probabilis.

Sed quod diximus est verius. *Respondetur ad rationes.*

Nec obstant rationes allatæ: nam c. Ex publico, concedit quidem duos menses; (quia fieri potest vt Deus interea alteri eorum inspiret propositum Religionis) non tamen cõcedit vt animo determinato intrandi cõtrahas. c. Commissum loquitur de eo, qui non statuerat quidquam de ingrediendo Religione, sed dubitabat; & tamen iurauerat se contracturum matrimonium cum quadam ad certum diẽ: hic enim vrgente iuramento tenebatur contrahere, quia non habebat determinatum propositum Religionis, quo excusaretur.

Potest intrare Religionẽ.

Ad Confir. Quidam putant talem non posse Religionẽ ingredi, propter illam fraudem in contractu admissam. Sed verius est posse: quia non fecit iniuriam nisi in contrahendo. imò proprie non fecit iniuriam eo animo contrahẽdo. sed tolum contra charitatem peccauit. animus enim interior non facit actum externum iniustum, qui alioquin per se iustus erat. at ille contractus exterior per se erat iustus: ingrediendo quoque iniuriam non facit; quia ius id absolute concedit. sed neque in eo contra charitatẽ peccat; quia nõ tenetur se tanto bono priuare ob aliquod incommodũ, quod fortè alteri obuenit, cum suo iure vtatur. quare si votum Religionis habebat; non solum poterit, sed etiam tenebitur intrare, non obstante tali contractu. Impleto tamẽ contractu contra charitatem, si causa iusta non suppetebat, peccauit, vt dictum est.

51 *Quando liceat intrare contra tale votum castitatis.*

Aduerte tamen licitum esse eo animo contrahere, si iusta causa subsit; vt si metu compellaris, qui tamen non cadit in virum cõstantem; si id facias vt proles ante suscepta legitimetur; si non possis aliter parentum custodiam euadere, qui te continent ne Religionem ingrediaris, & c. alias graue scandalum timeretur. de quo vide Sancium lib. 1. de matrimonio disp. 43. nu. 8. & Henriquez lib. 2. de matrimonio, cap. 2.

52 2. *Tenetur abstinere vsu matrimonij.*

Secundò, Si voto castitatis obstrictus matrimonium cõtraxerit, tenetur abstinere illius vsu; ita vt non possit petere vmquam debitum; quamuis consummato matrimonio teneatur tacitè vel expressè petenti reddere. Est communis DD. vide Nau c. 16. num. 30.

An possit consummare reddendo.

Solum dubium est, An possit consummare matrimoniũ reddendo? Plerique DD. docent non posse, sed teneri ante consummationem ingredi Religionem, vt possit voto suo satisfacere: hanc enim solam rationem illius seruandi superesse. Nau c. 12. nu. 80. Sylu. Matrimonium 7 q. 5. & ferè ceteri Summistæ. Insinuat Diuus Thom. 2. 2. qu. vlt. ar 8. in 3. argum.

Posse consummare reddẽdo.

Sed contrarium vũ minus est probabile, & fortè verius, scilicet non teneri intrare Religionem vt votum castitatis seruet: & si coniugi castitatem persuadere nequit, posse reddendo consummare. ita Scotus in 4 distinct 38 quæst. 2. ar. 1. Corduba in Summa quæstio. 136. Angelus Matrimon. 3. Impedimen 5. numero secundo, & quidam alij recẽtiores. Probatur, Quia eo casu perfecta voti obseruatio censetur ei facta impossibilis; vnde nõ tenetur, nisi quatenus potest pro eo statu rerum, videlicet non petendo debitum. Antecedens probatur, quia illud censetur alicui iure impossibile, quod facere non potest per media ordinaria seu ad id ordinata: atqui ille est in eo statu vt per media ordinaria nõ possit absolutè continentiam seruare: ergo, & cæt. Nec obstat quòd possit illam seruare capessendo statum Religionis: quia hic status non est medium ordinarium eo pertinens. Secundò, Quia ille nec expressè Religionẽ vouit, vt suppono, nec etiam implicitè; non enim censetur ei fuisse animus eo euentu se ad Religionem obstringere, nisi de cõtrario constet. non enim homo rem quantumuis ardua sẽ per paratus est aggredi vt votum seruet. Tertiò, Religio est status supernaturalis, consistens maxime in interiore affectu & animi promptitudine; & obligans ad multa difficilia; ergo nemo ad eam cogendus, nisi qui sponte sciens & volens se ad illam obstrinxerit. Quartò, Quia alioquin qui vouisset ordinem sacrum, & duxisset vxorem, cogendus esset ad Religionem. Nam nõ potest hoc votũ ad executionem perduci; nisi Religionem ingrediatur: atqui id

est nimis durum,nec DD.id fatentur. Quinò probari potest efficaciter cap.vnic. Extrauagan.de voto, vbi Ioannes XXII. statuit: vt is, qui post matrimonium ratum suscepit Ordinem sacrum, moneatur vt Religionem ingrediatur. Deinde addit. *Quòd si forsan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa eius institerit, per censuras Ecclesiasticas compellendum decernimus contractum matrimonium consummare.* Vbi expressè supponit quòd possit renuere, vt inquit Gloss. ibidem v. Renuerit.alioquin deberet compelli. Itaque si is qui suscepit Ordinem sacrum, & habet solemne votum castitatis,non tenetur Religionem ingredi, vt voto suo satisfaciat, multo minus qui solum habet votum simplex castitatis. Denique si compelleretur ad Religionem,graue incommodum inferretur vxori, & malus exitus ex tali cõpulsione esset metuendus.

Idem dicẽdum,etiamsi contracto iam matrimonio rato votum fecerit:nisi fortè scierit se alia ratione continentiã seruare non posse,& nihilominus,etsi id aduerteret,voluerit se voto ad illam obstringere. Tunc enim præsumitur se etiam ad Religionẽ voluisse obligare. qui enim adstringit se ad finem, etiam adstringit se ad medium, sine quo videt finem obtineri non posse. Secus si id ácta non aduerteret. ita Sancius lib.9 de matr.disp.34.num.3.

§3 Tertiò,Si coniux adulterium committat, tenetur alter, qui votum castitatis habet, non reddere illi amplius debitum,sed perfectè seruare suum votum. Ratio est,quia tenetur illud seruare quantum potest sine iniuria coniugis; tũc autem potest sine iniuria. Idem dicendum secundum quosdam, si alter ante contractum sciebat votum alterius: tunc enim non habet ius exigendi,quia mala fide contraxit.sciebat enim se non posse rem Deo consecratam ad vsum prophanum conuertere, & alterum non posse eam tradere. vnde sibi imputet quòd matrimonio suo vti non possit.secus quando bona fide contraxit; quia absque culpa sua nõ tenetur seruare continentiam, quam non promisit.

3. Tenetur non reddere.

Secus contrarium in priore casu verius puto, quia per matrimonium transiunt in alterius potestatem. Vnde etsi coniux petendo peccet in Deum, vt ratio iusta probat; tamen alter tenetur reddere, quia sui corporis potestatem non habet,sed coniux nullo tamen modo potest petere posset tamen alter in pœnam á Iudice priuari potestate petendi; quia id meretur.

Quartò, Si coniux obierit, tenetur absolutè seruare castitatem,nec potest alteri rursus connubio iungi;quia obligatio est perpetua,id est,vsque ad mortem; estque præstanda quantum status præsens patitur.

§4 Quintò,Si votum castitatis vel Religionis præcedat spõsalia,reddit ea irrita,etsi iureiurando firmata fuerint, ratio est,quia executio est peccatum. quod enim Deo consecratum est,non potest sine sacrilegio alteri promitti vel donari. Estque communis sententia DD.

5. Si votum præcedat spõsalia.

Si verò sequatur post sponsalia, est dubium. Multi enim Doctores volunt sponsalia, etiam iurata, dissolui per votum castitatis superueniens, eò quòd intelligatur exceptus status perfectior. qualis habetur per votum castitatis. Ita tenent Richard.in 4.distinct.27.artic.3 quæst.4.Paladanus dist.38.quæst.3.artic.3. Maior dist.27.quæst.5 Sotus ibidem quæst.2.artic.5. Caiet.v. Periurium cap.2. Henriquez lib.1.de matrimonio,cap.14.numer.4.& multi Canonistæ.

Si sequatur.

Alij negant sponsalia per votum castitatis superueniens dissolui,sed esse implenda volente parte.Ratio est,quia tale votũ fieri non potuit in præiudicium sponsæ: rem enim alteri promissam non posse Deo dicari per votum castitatis. secus de voto Religionis; quia hoc votum in sponsalibus iure censetur exceptum,cum ius tribuat facultatem ingrediendę Religionis,etiam post matrimonium ratũ nondum consummatum:hoc tamen non potest ostendi de voto castitatis.Ita Hostiensis, Innoc.Ioannes Andr. Panorm. Archid.in c.Rursus,6. Qui Cler.vel volentes, &c. Palud. d.27.q.1.art.3.casu 5.Anton.3.p.tit.1.c.18 §.2.Sylvest.Matrimonium 7.q.5.dicto 5.& v. Spõsalia q.7. Tabiena eod. q.10.Pirnas eodem,num.12.Nauar.cap.22.nu.27.& multi recentiores.

Vtraque sententia probabilis.

Vtraque sententia est valdè probabilis, & secura in praxi. secunda tamen est iuri conformior: quia iure probari non potest,conditionem melioris vitæ in sponsalibus cẽseri exceptam, præter statum Religionis.imò Ecclesia talem cogere solet vel Religionem ingredi, vel sponsalia perficere. Sed hæc res non est huius loci: de qua vide pluta apud Sancium nostrum l.1.de matr.disp.46.

Dico Secundò, Si alter coniugum(v.g.vxor)post matrimonium ratum nondum cõsummatum vouit castitatem; vel id fecit animo ingrediendi Religionem,vel absque tali animo.Si animo ingrediendi Religionem,tenetur ingredi; si tamen aduertit,cùm voueret, se aliter votum suum integre implere non posse. Si autem id minime aduertit, sed cùm haberet animum ad Religionem,& supponeret se ingressurum, vouit castitatem,non tenetur ad Religionem: quia ad hanc voto se non obstrinxit:neque propositum ingrediendi illum obligat, vt ex supradictis cõstat. Teoetur tamẽ ad castitatem nõ minus quam si ante matrimonium vouisset:censetur enim integram castitatem vouisse. Vnde non solum non poterit petere debitum(quamuis teneatur reddere, nisi malit ante primum actum intrare Religionẽ) sed etiam si contingat virum mœchari, non poterit eũ sibi conciliare. quia,quantum in se est, tenetur integram castitatem seruare. Si autem non cogitauit de Religione, solum videtur vouisse castitatem partialem,quam matrimonij status permittit,nimirum,vt non possit petere debitum aut fornicari. Vnde si contingat virum fornicari,non tenetur ab eo diuertere, & potest separatum conciliare. vt docet Sancius l.9.disp.35.

§5 Si coniux vouit castitatẽ ante consummat.

Contrarium tamen in hoc casu videri possit verius. si enim non afficiebatur matrimonio,& optabat esse libera ab illo iugo,& sic vouit castitatem (vt plerumque fit) videtur vouisse absolute seruare quantum in se est, & sine iniuria coniugis posset: vnde etiam post mortem ipsius nõ posset nubere alteri.quare si contingat coniugem fornicari,tenebitur ab eo separari,si absque graui incommodo possit,nec dimissam poterit reconciliare. itaque spectanda est mens vouentis verùm intenderit vouere seruare castitatẽ quantum sine alterius iniuria posset.

Si post consummatum.

Dico Tertiò, Si consummato matrimonio alter vel vterque vouit continentiam,vel id factum absque alterius consensu; vel cum consensu,sed seorsum; vel mutuo consensu per modum pacti. Si primo modo factum sit,certũ est non esse nisi votum partiale castitatis,nimirum quantum est ex parte vouentis;quale in matrimonio seruari potest: siue vterque seorsim,siue alter tantum vouerit. Si secũdo modo, nimirum accedente consensu alterius, non tamen per modum mutui pacti: etiam erit solum votum partiale, quale matrimonij status permittit. Et quamuis neuter tunc possit petere debitum, vterque tamen tenetur petenti reddere: quia neuter censetur renuntiasse iuri petendi, nisi forte expressè aliud intenderint. Licentia enim vouendi data à cõiuge, non est renunciatio sui iuris vt sup. c.40.dub.15.nu.95.ostensum est.& cõsentiunt plerique DD.

Si tertio modo factum sit, neuter potest petere aut reddere:quia ad hunc finem vterque iure suo cessit, & coniugem a iugo coniugalis seruitutis absoluit, vt sic integram continentiam perpetuo seruare posset, vt sup. dub.15.nu.96.ostensum est. §6

Si ius reciprocum reddatur.

Aduerte tamen, coniuges alterum alteri posse hanc renunciationem valide cõdonare,& ius pristinum in corpus restituere. etsi enim ea in re committatur sacrilegium contra votum,(quia quod semel Deo consecratum est, non potest alteri dari) tamen illa condonatio, & iuris restitutio valida erit.Nam si cum femina est omnino sui iuris, valide potest ius sui corporis conferre in virum,etiamsi ipsa castitatem vouerit;multo magis tam matrimonio copulata potest valide reddere viro ius,cui vir renunciarat, cum nũquam ita renuntiare potuerit.quin apud eum habitu & in radice manserit. Ratio est, quia votum simplex quo vouit Deo castitatem non transfert dominium corporis in ius alterius (secus est in professione,cui ex parte voti obedientiæ annexa est traditio iuris Religionis.) Vnde etsi vouerit castitatem,retinet tamen dominium corporis sibi(quãuis Deo obnoxium ratione voti)ac proinde potest illud valide marito reddere.similiter maritus vxori. Itaque hoc casu etsi neuter possit petere debitum, vterque tamen tenetur petenti reddere;sicut cum seorsim castitatem vouerit. Tũc enim eorum votum ad similem statum est reductum. vide supra cap.40.dubit.18.numer.126. Si tamen contingat maritum mœchari, vxor non potest ei amplius reddere debitum. quia ille rursus ius petendi amittit: & ita re-

uetur

netur ipsa votum suum integrè seruare sicut prius, antequã restituisset viro ius illud, quo ipse vouendo cesserat.

DVBITATIO VII.

Quid requiratur vt professio sit valida, & vt invalida ratificetur, & an non ratificans possit egredi.

57 *Professio expressa. Tacita.*

NOTANDVM est professionem posse fieri vel *expressè*, vel *tacitè*. *Expressè*, cum quis vtitur aliqua formula promissionis, qua mentem suam explicet & intendat Religioni incorporari. Nec refert ex natura rei quibus verbis vtatur; modo per illa intendat se Deo & Religioni obstringere ac tradere. idque ipsis aliqua ratione exprimatur. Sicut in absolutione ab excommunicatione, non refert quibus verbis vtatur Prælatus, modo significent effectum, quem per illa intendit. Vnde in multis Religionibus non vouent expressè paupertatem, & castitatẽ, sed promittunt solum *seruare regulam.* (intelligẽdo de præceptis regulæ) vel *obedire regulæ*, vel *viuere secundum regulam*: vel promittunt *obedientiam & conuersionem morum secundum hanc vel illam regulam.* His aliqui adiungunt *stabilitatem*, vt Benedictini & Carthusiani. castitatem vero & paupertatem promittunt, tum in obedientia, tum in promissione regulæ, in qua illa exprimuntur.

Varia formula professionis expressæ.

Professio tacita triplex.

Tacite fit tripliciter. Primò, Cum exacto probationis anno defert quis habitũ professorum (vbi is aliquo signo externo distinctus est) per triduum, ca. Ad nostram. 8. de Regul. & cap Constitutionem 3. de Reg. in 6. Secundò, Si tali habitu suscepto faciat aliquod opus professis proprium; vt si in Capitulo suffragium dederit, statim fit professus, nec requiritur tri duum; c. Vidua. 4. de Reg. Tertiò, Si in ea Religione vbi nulla exterius est distinctio habitus, defertus habitum per totum annum, in termino anni censetur professus; c. Ex parte 12. de Regu. & Clemen. Eos qui, de Regul. vide Nau. commen. 4. de Regu. num. 73, & 74. Syl. Religio 3. q. 19. Debent autem hæc fieri animo saltem tacito profitendi; & consentiente illo, cuius est admittere; vt rectè ijdẽ DD. & alij docent, & ex infrà dicendis patebit. Si talis animus non adsit, non erit coram Deo professus: etsi in foro externo præsumatur.

His positis vt promissio sit valida multa requiruntur; 58 Primò, Ætas. Secundò, Annus probationis. Tertiò, Animus profitendi. Quartò, Vt non metu vel fraude impulsus faciat. Quintò, Vt fiat auctoritate eius, cuius est admittere, & cum consilio eorum, quos tenetur adhibere. Sexto, Vt fiat in Religione approbata. Septimò, Vt tria vota substantialia saltem implicitè emittantur. Octauò, Vt nulla adsit cõditio substantiæ Religionis repugnans. Nonò, Vt non habeat aliquod impedimentum, quod in ea Religione habeatur essentiale. Decimo, Vt persona non sit alteri obligata.

Requisita vt valida sit professio.

1. Ætas.

Primò, Requiritur ætas: hæc ante Concilium Trident. in fœminis erat 12. annorum, in maribus 14. completorum. ad Ordines tamen mendicantium requirebatur præterea vnus annus, qui erat probationis. Itaque in illis Ordinibus ante annum 15. completum non erat valida professio, de quo vide Syluestrum Religio 3. quæst. 2. Verum post Concilij Trident. decretum, quod habetur sess. 25. capit. 15. de Regul. requiruntur in omnibus Ordinibus anni 16. completi, *In quacumque*, ait *Religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante 16. annum completum: nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad aliquam regulæ vel Religionis vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.*

Conc. Trident. requirit 16. annos completos.

Ordinatus ante pubertatem.

Pari modò si quis ante pubertatem accipiat Ordinem sacrum, non obligatur voto continentiæ Ordini annexo, vt docet Panorm. cap. vnico, num. 3. de clerico per saltum promoto, secutus Hostiensem, Innocent. Archidiaconum, Hugonem, Goffredum. Ratio est, quia illa ætate non poterat se expressè obligare voto solemni cõtinentiæ. ergo nec tacite per susceptionẽ Ordinis. Vnde infertur, Si quis hoc tempore ordinaretur ante annum sextum decimũ ætatis, non obligatum ici voto continentiæ, quia ante illud tẽpus non valet professio; ac proinde nec teneri ad preces canonicas, & posse inire matrimonium. Idem docet Nauarr. in Enchirid. cap. 22. num 51. de ordinato metu maximo reuerentiali. Hoc ipso enim quo tenetur ad castitatem, non tenetur ad statum Ecclesiasticum, cum Ecclesia hunc nemini permittat ablique continentiæ voto. Si non tenetur ad statum ipsum, neque etiam ad ea quæ statui sunt connexa & accessoria. Hæc tamen intellige nisi completo anno sextodecimo ratificet Ordinis susceptionem. Neque sufficit antè ratificare; vt insinuat Panorm. ex Hostiensi; quia debet esse in ætate habili ad se obligandum. Censetur autem ratificare, si ordine sacro tunc vtatur; nisi fortè vtatur ex ignorantia, qua putabat se teneri. Nemo enim ratificat quod ignorat.

Secundò, Requiritur integer annus probationis post susceptum habitum. patet ex verbis Conc. 59

2. Annus probationis. Quando incheandus.

Vbi Notandum Primò, Hunc annum posse inchoari & expleri ante annum sextumdecimum, quia iure antiquo poterat, & Concilium nihil circa hoc innouauit: non enim est opus vt statim expleto illo anno ad professionẽ admittatur. Nec obstat illud, quod cap. 16. dicitur, *Finito tempore nouitiatus, Superiores Nostros, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut à Monasterio ejciant*, quia loquitur de ijs, qui sunt habiles, in quibus non est iusta causa differendi, vt declaratum est à Cardinalibus; qui decretis Concilij interpretandis præsunt. non enim Concilium vetat differri professionem, si causa aliqua iusta subsit; (vt si morbo aliquo laboret, si ætas desit, si in probatione non omnino satisfecerit) hoc enim esset contra rectam administrationem, & contra Monasterij ac ipsius Nouitij bonum.

Debet esse continua.

Secundò, Hunc annum debere esse continuum. Ita Syluester Religio 5. quæst. 4. Nauar. lib. 3 num. de Regu. consi. 34. & 37. & alij passim. Ratio est, quia quando Ius certum tempus, vt annum vel mensem requirit, intelligendum est de tempore continuo; vt docet Ioann. Andreas in cap. 1. de elect. in 6. & alij. Deinde quia annus assignatur vt experiantur austeritates Religionis: has autem melius experitur continuando, quam diuidendo. Denique ita habet consuetudo. Glossa tamen in regu. Eum qui, de reg. Iur. in 6. tenet sufficere annum interpolatum; quod Panormit. in cap. Ad Apostolicam. 16. de Regularibus, numer. 9. non reijcit, etsi contrarium putet verius. Idem tenet Barbo. Brix vt refert Panorm. & Specu. p. 4. tit. de statu monach. §. 1. q. 37. etiam si longa fuerit intermissio. crediderim sanè paucorum dierum interpellationem non impedire. Ratio est, quia nõ minus ideirco experitur austeritates Religionis, si postea totidem dies, quot intermisit, suppleat. atqui tota ratio, cur annus debeat esse continuus, est vt experiantur austeritates Religionis; vt alij DD. fatentur. accedit quòd paucorum dierum intermissio non censeatur impedire moralem continuationem.

In habitu.

Tertiò, Hanc probationẽ debere fieri in habitu (etsi Panormitanus neget) quia est pars austeritatis Ordinis. Item in ipso Monasterio, nisi à superiore ei concessum sit vt foris maneat, vt docet Syl. Religio 5. q. 5.

Quomodo computandus iste annus.

Quartò, Annum probationis & annos sexdecim ætatis, computandos esse a momento ad momentum. vt si habitũ acceperis primo Octobris post meridiẽ, non potes eodem die recurrente in termino anni profiteri ante meridiem; sed expectandum est punctum susceptæ habitus. Similiter in ætate expectandum vt recurrat punctum nativitatis. Colligitur ex l. 3 §. Minorem, ff. de minoribus, vbi dicitur, *Minorem adhuc diei vltimo die anni 25. donec hora nativitatis recurrat.* & ratio additur, *quia ante illam horam nondum complevit 25. annos.* vnde colligit, *in huiusmodi à momento in momentum tempus spectari.* quòd maximè verum est, quando certum tempus, ab aliquo die determinato incipiens, alicui constitutum est in ipsius fauorem: v. g. vt possit restitui in integrũ, vel ut non possit obligari aliquo contractu, vel lege. secus si tantum requiratur quia non putatur antea satis idoneus; vt cum requiruntur 7. anni ad sponsalia, & 14. ad matrimonium: tunc sufficit vltimum diem anni 7. vel 14. esse inchoatum. nec opus est expectare punctũ natiuitatis, vt docet Sanctius l. 1. de matr. disp. 6. nu. 2. Idẽ credo dum requiruntur anni 14. ad beneficium; quia sunt favorabilius. vide Azor. in Summa, in l. 2. C. Rub. de in integr. rest. min. num. 1. 2. 3. 4.

Biſſextus.

Hinc ſequitur, ſi ætas annorũ 16. compleatur anno biſſexto 24 Februarij, non ſufficere vigeſimumquartum prio rem; ſed addendum eſſe alterũ; (bis enim tunc vigeſimuſquartus numeratur, & bis dicitur ſexto calendas: vnde etiam annus biſſextus nomen accepit) quia hic eſt neceſſarius ad complendum quadriennium præcedens, cum ſenæ horæ ſingulis annis defuerint. Ita in ſimili docet Molina diſput. 573.

Profeſſio tacita intra annũ probationis ſublata.

Quintò, Per hoc decretum Concilij ſublatam eſſe omnem profeſſionem taciram, quæ intra annum probationis fieri poterat, per quam profitens obligabatur non huic Religioni in qua erat, ſed Religioni in genere; quamuis hæc Religio ipſi eſſet obſtricta, ſi ipſe vellet. de quo cap. Ad Apoſtolicam, de Regularibus. & capit. Conſtitutionem 3. in 6. eodem. Simliter ſublata profeſſio expreſſa intra illud tempus.

Sextò, Eum, qui in Ordinibus mendicantium aliquem admittit ad profeſſionem ante expletum annum probationis, peccare mortiferè; quia id ei ſub pœna excommunicationis ferendæ ſtrictè prohibetur: & eſſe ſuſpenſum ab officio admittendi ad profeſſionem, c. Non ſolum. 2. de Regul. in 6. In alijs Ordinibus peccare quidem mortiferè; quia contra præceptum Conc. Trid. in re grauj: non tamen eſſe ſuſpenſum: quia iure non eſt ſtatutum.

Annus probationis in coniuge.

Septimò, Annum probationis etiam habere locum, quãdo ante conſummatum matrimonium alter coniugum ingreditur Religionem. Etſi enim c. Ex publico. 7. de cõuerſ. coniug. non concedantur tunc niſi duo menſes ad profitendum, vt tenet Glo. quam communiter ſequuntur DD. teſte Panorm. in illud c. num. 11. & ipſe Panor. ibid. tamen Cõc. Trident. generaliter loquens & nihil excipiens requirit annũ integrum, irritam reddens profeſſionem, quæ ante finem anni facta fuerit. Vnde etiam in tali euentu annus requiretur. Confirm. quia ratio cur annus probationis ſit ſtatutus (nimirum, *vt conuerſus experiatur afferentes monaſterij, & monaſterium illius mores*; vt habetur cap. ad Apoſtolicam. 16. de Regul.) non minus habet locum in coniugatis quàm in ſolutis. Vnde ſequitur vxore Religionem ingrediente, marito expectandum per annum, donec probatione peracta fecerit ipſa profeſſionem. cumque profeſſio non valeat ante annum ſextumdecimum completum, ſi vxor ingrediens ſit ſolum duodecim annorum, marito expectandum per quatuor annos.

Dices, l. c. Ad Apoſtolicam, dicitur hoc tempus conſtitutum in fauorem vtriuſque, nimirum conuerſi & monaſterij; ac proinde vtriuſque conſenſu poſſe hoc tempus accidi, & profeſſionem citius fieri. quemuis enim poſſe renũtiare ei quod in ſuũm fauorem eſt introductum.

Reſpon. olim id quidem valide fieri potuiſſe: verum per Conc. Trid. hoc eſt correctum quod inſinuant generales illæ locutiones, & clauſulæ irritantes; *non admittatur, profeſſio ſit nulla, nullum effectum operetur*: & quod velit non valere renuntiationem bonorum ante factam. ita Nanar. l. 3. de Reg. con. 33. Vnde concludit, etſi olim cum quis transferebatur à Religione mendicante ad non mendicãtem, vel non mendicante ad mendicantẽ, poterat renuntiare anno probationis; tunc tamen non poſſe.

Ad rationem allatam reſpondet, etſi olim annus probationis ſolum videretur conceſſus ob fauorem priuatum, ac proinde tunc ei potuiſſe renuntiari, à Concilio tamẽ in eo ſtatuendo ſpectari fauorẽ publicum, ob graues abuſus contra bonum publicum ex illa renuntiatione prouenientes, v. g. vt quis fieret Abbas, qui vix paucis menſibus fuerat nouitius, atque adeo vt fieret Magiſter perfectionis, qui nondum aut vix fuerat diſcipulus. Nemo autem poteſt renuntiare iuri quod in fauorem publicum introductum. Vide Panor. in d. c. Ad Apoſtolicam, nu. 10.

Aduerte tamen contrariam ſententiam in vtroque caſu non eſſe improbabilem, vt docet Sancius l. 2. de matrim. diſp. 34. & inſinuat Nau. ſup. vbi argumenta varia in hanc adducit.

Aliud eſt vbi Conc. non receptum.

Octauò, Prædicta de ætate ſexdecim annorum, & anno nouitiatus integro, procedere maximè vbi Concilium Tridentinum eſt receptum: vbi enim non eſt receptum, probabile eſt valere profeſſionem ante annum nouitiatus exactũ in Ordinibus non mendicantibus; ita docet Nau. l. 3. tit. de regu. conſil. 28. num. 1. Similiter ante annum ſextum decimum ætatis: nam eadem eſt ratio: nimirum quia lex non recepta vim non habet; & ita ius antiquum manet in vigore.

3. Animus profitendi.

Tertiò, Requiritur animus profitendi. ſi enim hic abſit, ita vt nec tacitè nec expreſsè intendas profiteri, nulla eſt profeſſio, quia nec votum, nec vlla promiſſio per ſe obligat ſine voluntate obligandi: cum tota hæc obligatio a libera voluntate pendeat, vt dictum eſt c. 40. nu. 5. & 6. Dico *per ſe*; quia poteſt obligari ratione ſcandali, vel damni vitandi, quod ſequeretur ſi profeſſio externis facta non præſtaretur. vnde ſi horum periculũ abſit, qui ſic profeſſus eſt, poſſet fugere & recipere ſe ad exteras Prouincias.

4. Non fraude, de vel metu impulſus.

Quartò, Vt non fraude vel metu inductus, de quo ſup. c. 17. dub. 5. & 6. & c. 40 dub. 2. & 3.

5. Conſenſus Superioris.

Quintò, Vt fiat conſenſu eius, cuius eſt incorporare Religioni. Ita Nauar. commen. 4. de Regu. num. 74. Sylu. Religio 3. q. 19. & alij omnes. Ratio eſt, quia nulla profeſſio eſt valida, niſi duæ perſonæ concurrant, quarum altera ſe obliget Religioni, tradẽdo ſe in ſuus eius & obſtringẽdo ad manendum in ea altera Religionem obliget illa, recipiendo illum in filium, & iura reliquorum illi communicando. continet enim profeſſio obligationem reciprocam inter eum, qui illam facit, & qui recipit; iuxta cap. Ad Apoſtolicam. 16. de Regu. & cap. Porrectum, eodem. vbi optime Panor. num. 10. & 11. & Nauar. l. 3. de Regu. conſ. 4. Debet autem hic conſenſus eſſe liber, non fraude aut metu iniuſto extortus, ſicut in alijs contractibus. Vnde ſi Prælatus metu graui iniuſtè ad id incuſſo cogatur aliquem admittere ad profeſſionem, profeſſio erit inualida. quia in contractibus ex vtraque parte requiritur libertas. Confirm. quia ad valorem profeſſionis nõ minus requiritur admiſſio & receptio quã traditio: ergo ſicuti ad firmitatem profeſſionis requiritur libertas in traditione; ita etiam in receptione. Hæc poteſtas ordinariè eſt apud Prælatum: eius enim eſt incorporare cõgregationi, huiuſque priuilegia & iura communicare, qui illi præſidet. Debet hic etiam (niſi aliud conſuetudo vel regula præſcribat, aut priuilegium aliud concedat) adhibere conſilium Capituli: quia regula Monachorum præſcribit Abbatem præcipua quæque cum conſilio Capituli debere explere; admiſſio autem vnum eſt ex præcipuis. vnde ſequitur admiſſionem eſſe irritam iure communi, ſi abſque illo conſilio fiat: quia vbi a iure requiritur conſilium niſi adhibeatur, actus eſt nullus, cap. Nouit. 4. de his, quæ fiunt à Prælato, iuncta Gloſs non tamen tenetur conſilium illud ſequi, ſed ſatis eſt exquirere & intelligere. vt docet Sylueſt. v. Religio 3. quæſt. 13. Alij tamen putant non ſufficere conſilium, ſed etiam requiri conſenſum. Probari poteſt ex cap. Ea noſcitur. 6. de his, quæ fiunt à Prælatis, &c. vbi requiritur conſenſus maioris vel ſanioris partis Conuentus, vt præſentatio vel collatio per Abbatem facta, ſit valida. Vnde hæc ſententia iure communi videtur verior. Verum ſpectanda maximè eſt in huiuſmodi recepta conſuetudo, vt docet Panorm. in cap. Ad Apoſtolicam. numer. 11. de Regul. Epiſcopus etiam poteſt admittere ad profeſſionem, ſed tantum in Monaſterijs ſibi ſubiectis; Sylueſter ſupra quæſt. 14. quia eſt Superior, cui etiam Abbas ſubeſt. Si alius admittat abſque mandato Prælati, profeſſio eſt inualida; quia non poteſt Religioni incorporare. Si tamen nomine Prælati admiſerit, poteſt Prælatus ratificare. vt docet idem Syl. Religio 3. q. 18. Ang. v. Profeſſio num. 1. & alij. Antea tamen non habebit vim profeſſionis, ſed tolum voti ſimplicis, quia non obligat omnino & abſolutè ſicut profeſſio; ſed ſub conditione, Si Prælatus ratum habuerit. Si autem nomine Prælati admiſſus non ſit, non poterit Prælatus ratificare; *quia ratum nemo habere poteſt quod ſuo nomine geſtum non eſt*, vt habetur regu. 9 de regulis Iuris in Sexto. itaque niſi rurſus profiteatur, non erit profeſſus.

Conſilij Capituli.

Si non habens auctoritatem admiſerit ad profeſſionem.

Profeſſus ſine auctoritate admittentis.

Petes, Vtrùm ex huiuſmodi profeſſione maneat obligatus?

Reſp. Probabile eſſe manere obligatum voto ſimplici ad ingrediendum, ſi velint illum recipere; quia obligauit ſe quantum potuit ex parte ſua: cum hac tamen tacita conditione, ſi ipſi viciſſim illum velient recipere. vnde debet inquirere an velint; & ſi velint, rurſus profiteri. ſi nolint, erit omnino liber.

Contrarium tamen etiam probabile eſt, & fortè verius; quia in contractibus reciprocis poteſt reuocari conſenſus & obligatio, quãdiu ab altera parte non eſt acceptata, niſi

fortè

fortè tempus concessum sit ad deliberandum. atqui hic nō censetur acceptata; quia altera pars nullam potestatem ad acceptandum habuit. Idem accidit in emptionibus, venditionibus, & alijs contractibus. secus est si fiat fabratihabitione Superioris; quia tunc expectanda est illa ratihabitio, cum in illam consenserint. Vide Nauar. l.3. de Reg. cons.6. num.4. & 5.

62 *6. In Religione approbata.*

Sexto, Vt fiat in Religione approbata, cap. vnico, de voto, in 6. Non enim sufficit tria vota substantialia emittere, & regulam aliquam ab Ecclesia approbatam profiteri, sed debet etiam alicui Religioni approbatæ incorporari, eiusque membrum effici, idque ab eo qui incorporandi habet potestatem, vt dictum est. Vnde si quis in manibus Episcopi profiteretur regulam Sancti Benedicti, Augustini, vel Basilij, non ideo efficeretur verus Religiosus. Vide Nauar. lib.3. consil. tit. de Regular. cons.6. Si fiat in Religione prohibita, (qualis est ea omnis, quæ instituta est post Concil. Lateranen. & non approbata) non est vera professio qualis iure requiritur. vnde nec irritum reddit matrimonium, nec impedit dominij acquisitionem. obligat tamen talis professio ad Religionem in genere, iuxta Syluestrum Religio 3.q.10 ex Archidiacono. quod intellige, si illa fuit mēs voventis: secus si voluit se huic soli obstringere, non vlli alteri: quo casu videtur totum iure irritum, & nulla obligatio; quia actus non operantur vltra intentionem agentis. Præsumitur autem se huic soli voluisse obligare, nisi expresè aliud intenderit. Aduerte tamen si talis Religio prohibita permittatur in Ecclesia vt pium Institutum, professionem habituram vim votorum simplicium, vt supra numer. 14. dictum est.

7. Vota substantialia nuncupanda.

Septimò, Vt tria vota substantialia nuncupet: quia sine his non est perfecta Religio, vt ostensum dub. 1. sufficit tamen vt id faciat implicitè, vt sup. num. 57. dictum est. vide Panorm. c. Porrectum. nu. 3. de Reg.

8. Conditio repugnās substantiæ Religionis.

Octauò, Vt nulla adsit conditio Religionis substantiæ repugnans; vt si quis profiteatur ea lege vt possit retinere sua bona, viuere suo arbitratu, ducere vxorem moriente fratre, egredi si ferre non poterit: talis enim professio est irrita, nec vllam inducit obligationem. secus si profiteatur absolutè, quamuis antea pactus sit vt sibi concedatur aliquod peculium, vel vt maneat domi suæ, retineatq; vsum bonorum suorum, dependenter tamen ab arbitrio Superioris, vt patet cap. Insinuante, Qui Clerici vel vouent. & cap. De viduis. 27. quæstio. 1. de quo vide Nauarrum comment. 2. de Regular. num. 15. & 16. Post Concilium tamen Tridentinum talia pacta non possunt fieri sine Pontificis auctoritate.

9. Si impedimentum essentiale subsit.

Nonò, Vt non habeat aliquod impedimentum, quod in illo Ordine censeatur essentiale: hoc enim professionem redderet inualidam. Ratio est, quia per impedimentū redditur inhabilis ad professionem huius Religionis. sicut enim constituta sunt varia impedimenta dirimentia, quibus redditur quis inhabilis ad matrimonium, vel simpliciter, vel cum hac aut illa persona; ita etiam possunt constitui impedimenta, quæ reddant inhabilem ad professionem vel simpliciter, vel in hac aut illa Religione. Si tamen admittat is, qui potest dispensare, & nouit impedimentū, valebit professio: quia admittendo tacitè videtur dispensasse. Si autem ignorauit impedimentum, altero id in examine celante, non valebit; propter causam prædictam, nimirum quia manet inhabilis. Idem dicendum quando fuit impedimentum, sed non potuit in eo dispēsare. Porrò nullum impedimentum habet vim irritandi professionem, nisi à Pontifice sit constitutum vel confirmatum, vt fusè probat Nauar. lib.3. titu. de Regular. consil.5. Sicut enim ipsius solius est constituere impedimenta dirimentia matrimonij, ita etiam professionis præsertim cum Religionis & professionis ratio ab eius approbatione dependeat, vt supra dubitatione prima, nume. vndecimo ostensum est. Possent tamen Prælatus aliquem admittere cum protestatione non esse sibi animum admittendi, si habeat hæc vel illa impedimenta, & tunc professio esset irrita, si tale impedimentum foberat, non quod impedimentum subsit, sed quòd animus admittendi desit ita Nauarr. suprà. Quòd si impedimentum non reddat quidem irritam professionem; tamen fraudulenter sit suppressum in examine, eaque fretus dedit causam receptioni, poterit talis professus postea eijci a Religione, vt docet Nauarr. lib.3. titu. de Regular. consil.25.

Impedimentum à Papa solo constituitur.

quando enim dolus dedit causam contractui, vel est irritus, vel certè in irritum reuocabilis, iuxta ea quæ dicta sunt sup. cap.17. dub.5. Nec obstat quod professio semel valida, non possit irritari. quia id verum est, quoad obligationem ergo Deum, non autem quoad illam quæ est inter Religiosum & monasterium.

Decimò, Vt persona sit sui iuris, alteri nō obnoxia. hinc professio serui absque consensu domini, & viri absque consensu coniugis consummato matrimonio est inualida, vt patet ex dictis supra dubitatio. 3. Ratio est, quia per professionem traditur potestas & quasi dominium corporis Religioni. atqui isti non habent potestatem sui corporis, ergo non possunt illam tradere. nemo enim potest id quod est alterius dare alteri absque eius consensu. itaque requiritur consensus expressus: nec in re tanti momenti & præiudicij sufficit dissimulatio. Etsi enim is qui tacet consentire videatur, quando agitur ipsius commodum: non tamen quando præiudicium. Deinde vt iste consensus non sit metu graui vel dolo extortus. Si vxor absque dolo alterius & sponte consensit, valebit quidem professio viri: si tamen ipsa non vouit continentiam aut ingressum religionis, nec potest induci vt id faciat, restituendus erit maritus iuxta c. 1. de conuer. coniuga. tenebitur tamen maritus redire ad Religionem, simulatque abillius iugo liberatus fuerit. Vide sup. dubit. 3.

63 *An possit egredi.*

Petes Primò, Verum quando professio fuit irrita defectu ætatis, vel quia professus est ante exactum annum probationis, vel quia metu fraudeve impulsus; & multos annos mansit in Religione, possit egredi?

Respon. Posse, si absit scandalum: quia vt habet regula iuris: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Quod limita, nisi postea sciens esse irritam, ratificauerit, vel certè nisi expresè ita apud se statuerit, Volo illam esse validam; etiamsi fortè ob aliquam causam ab initio valida non fuisset. non enim sufficit illam ratificare ex eo quòd putet ab initio fuisse validam; quia hæc ratificatio proficiscitur ex errore, vnde non est libera, ac proinde non inducit nouam obligationem. Vide Nauar. in Summa capit. 12. numer. 71. & comment. 4. de Regul. numer. 71 & 75. Vt autem hæc res absque scandalo fiat, & ne fraus aliqua subsit, statuit Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus cap. 19. *Si quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum in Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile: velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. Quod si autem habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegationem quamcumque causæ admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur. Interim vero nullo priuilegio suæ Religionis tueatur,* hæc Conc.

Constitutio Conc. Trid.

Vbi notandum Primò, Tria requiri à Conc. vt inualidè professus reclamans possit audiri.

64 *Tria requiri vt possit reclamare.*

Primum, Vt reclamet intra quinquennium, nimirum à tempore professionis computandum.

Secundum, Vt causas nullitatis quas prætendit, coram Superiore suo & Ordinario deducat.

Tertium, Vt non dimiserit habitum ante hanc deductionem.

Si aliquid horum absit, vult Conc. vt non audiatur, nimirum ad eum finem vt iuridicè declaretur liber a vinculo Religionis.

Notandum Secundò, Quòd dicitur, *Nullatenus audiendum si habitum dimiserit*; statutum esse in pœnam, vt patet ex verbis sequentibus. vnde non habet locum, si bona fide ad tempus habitum deposuerit, item si habitum resumat. intelligendum cum ex æquo & bono, nempe si habitum dimiserit ita vt non resumpserit. Si enim resumat, est audiendus, vt probat Nauarr comment. 4. de Regular. in fine. Similiter illud, *Non esse audiendum nisi intra quinquennium*. &c. intelligendum videtur cum simili exceptione, nempe, nisi toto illo quinquennio impotentia reclamandi durauerit, vt docet in simili Glossa in cap. 2. de Regular. Vbi statuitur, vt qui post annos pubertatis per vim Clericus (id est monachus, vt Doctores communiter exponunt) factus est, permaneat in illo statu, nisi ipse, vel parentes

Impotentia reclamandi.

eius intra annum apud Principem, Epiſcopum uel Nuntium Apoſtolicum reclamauerint. ubi Gloſſa, *Intelligi*, inquit, *ſi potuit reclamare.* Idem colligitur ex c. 1. de ijs, quæ ui, &c. Vbi mulieri non obfuit quod durante metu uiri nõ reclamauerit. Confir. quia decretum Concilij mitur præſumptione ratificationis intra illud tempus factæ. atqui hæc præſumptio non habet locum, ſi impotentia reclamandi duraſſet. Ad hanc impotentiam uidetur etiam pertinere ignorantia impedimenti: quia hæc non minus reddit impotentem ad reclamandum quàm metus. Vnde Panorm. in c. Vidua. 4. nu. 7. de regul. dicit. Data ignorantia ceſſare præſumptionem. Itaque quando de impotentia cõſtaret, putarem iure ordinario abſque alia in integrũ reſtitutione audiendum. Idem dicendum quando fuerat impedimentũ perpetuum, aut temporale durans ultra quinquennium. quia tunc non poteſt præſumi ratificatio.

Ignorantia.

Verum quia regulariter de impotentia reclamandi non conſtat, opus eſt plerumque reſtitutione in integrum, ut quis audiri poſſit. Nam Concil. abſolute ſtatuit poſt quinquennium non eſſe audiendum; puta, iure ordinario. Itaq; hoc ſeruandum, niſi conſtet de impotentia reclamandi. Ratio eſt, quia Concil. intra illud tempus præſumit illum ratificaſſe profeſſionem, & vult ita à iudicibus Eccleſiaſticis præſumi, & illum pro profeſſo haberi. Vnde ſilentiũ illud quinquennij inducit præſumptionem iuris, & de iure, contra quod non admittitur probatio; idque ad tollendas inquietudines, ſollicitationes, & ſcandala quæ euenirent, ſi ſine fine liceret religioſis in iudicio ſua n profeſſionem oppugnare.

Præſumptio iuris & de iure.

Simili modo c. 2. de regu. inducitur præſumptio iuris & de iure, ex eo quòd quis intra annum à profeſſione per uim facta non reclamarit. Et cap. Vidua, eodem tit. inducitur ſimilis præſumptio ex eo quòd vidua nouitia ſe actibus profeſſionem immiſcuit, inter velatas oblationem Deo offerendo.

Simili modo inducitur præſumptio ratificationis matrimonij metu cõtracti ex habitatione ſeſquianni. ca. Ad id. 21. de ſponſalibus. Et olim ante Concilium Tridentinum ex copula carnali poſt ſponſalia habita, naſcebatur præſumptio matrimonij, cap. is qui 30. eodem. Et contra huiuſmodi præſumptionẽ non admittitur in foro externo iuramentum nec probatio per teſtes, vt habetur trib. proximè notatis c. quia ius ex huiuſmodi indicio præſumit conſenſum, (vnde vocatur præſumptio iuris) & ſtatuit vt iudices conſenſum præſumant, & ita iudicent: ideoq; dicitur præſumptio de iure; nimirum quia iure conſtituta, vt ex ea in foro externo iudicetur. Et hæc eſt cauſa cur contra illam non admittatur probatio, aut iuramentum.

Notandum Tertio, Non manere tamen tales ſine remedio: ceſſi enim contra præſumptionem iuris, & de iure non admittatur probatio in iudicio ordinario; datur tamen ex cauſa reſtitutio in integrum iure extraordinario, vt ex Menocho probat Sanctius lib 7. de matrimon pag. 243. & colligitur aperte ex L. Si mater, ff. de excep. rei iud. vbi datur reſtitutio cõtra ſententiam, quæ tranſijt in rem iudicatam (quod locum habet etiamſi tres ſententiæ conformes datæ fuerint,) & tamen pro tali ſententia eſt præſumptio iuris, & de iure, per quam omne ius agẽdi amittitur. Et c. Coràm. 7. de in integrum reſtitutione dicitur non audiendam Eccleſiam poſt terminum peremptorium; tamen ibidem per beneficium reſtitutionis conceditur eadem actio ad certũ tempus. Pari modo in præſenti caſu poteſt reſtitui ius agẽdi, quod per lapſum quinquennij amiſſum erat, minoribus quidem duplici ex cauſa. Primò, ratione minoris ætatis, etiamſi intra illud tempus ſciuerint ſuam profeſſionem eſſe irritam, & potuerint reclamare: ſicut eiſdem ſtatur reſtitutio contra præſcriptionem, etiamſi illis ſcientibus & negligentibus facta ſit. Secundò, ratione impotentiæ reclamadi, ſiue ex metu, ſiue ex ignorantia prouenerit. Maioribus autem ſolum ex vna cauſa, nimirum ratione impotentiæ reclamandi, quam prætendunt, ſiue ex metu, ſiue ex ignorantia. Ita Sanctius ſupra, & Nauar. d. comment. 4. nu. 76. dicit, *ſi metus vel impotentia reclamandi plus quinquennio duraſſet, poſſe illam audiri vel iure vel reſtitutione.* vide ſupr. c. 6. dub. 18. vbi oſtenſum eſt quando maiori, & quando minori detur reſtitutio in integrum contra præſcriptionem. eadem eſt ratio in præſenti negotio. Ignorantia tamen iuris non proderit maiori in foro externo; quia non excuſat, niſi

65

Reſtitutio in integrum.

Reſtitutio minoris.

Maioris.

ſit rusticus, minor, vel mulier: in his enim ignorantia iuris toleratur, vt dictum eſt ſup. c. 6. nu. 17. Audit Sanctius probabile eſſe in foro conſcientiæ, maiorẽ, etſi intra quinquennium ſciuit ſuam profeſſionem eſſe inualidam, & non reclamauit, poſſe nihilominus reclamare poſt quinquennũ, & negare cum iuramento ſe ſcuiſſe ſuam profeſſionẽ fuiſſe inualidam, nimirum cum hac reſtrictione tacita, *ad eam ratificandam*; ſicut innocens rogatus à iudice an illac tranſierit vbi cadauer iacebat, poteſt negare cum iuramento ſe illac tranſiuiſſe. Iudex enim rogat de tranſitu, vt ex eo ſumat indicium hominem ibi ſe non ſic tranſiuiſſe. ſimili modo qui ante Conc. Trident. cognouerat ſponſam animo fornicario, rogatus à iudice poterat negare cum iuramento ſe eam cognouiſſe. Nam iudex rogabat de actu, vt ex eo præſumeret matrimonium. at ille talem actum, qui matrimonium efficeret, non habuit. Idem dicendum quotieſcumque iudex procedit ex falſa præſumptione, interrogans aliquid, vnde ſumeret indicium falſum aut falſam præſumptionem facti. Vide ſupra cap. 31. dubit. 3. numero decimoquarto.

Poteſt negare ſe ſcisſe.

Notandum Quartò, Eum, qui non poteſt obtinere reſtitutionẽ vt audiatur, eo quòd non poſſit probare ignorantiam profeſſionis inualidæ, aut aliud impedimentum, poſſe fugere, modo ſine ſcandalo; nec teneri ad regulam, niſi ratione ſcandali, vt docent Nauar. comment. 4. nume. 77, & 78. & Sanctius ſup. quare vera non eſt profeſſus. Simile eſt in matrimonio præſumpto. Poteſt enim vir fugere non obſtante præcepto Eccleſiæ, vt paſſim tradunt Doctores. Neque ſane Concil. Trid. illum intendit obligare in conſcientia ad manendum in religione. Nam præcepta quòd procedat ex præſumptione, totum præceptum ſuum dirigit ad iudices Eccleſiaſticos, mittuens eos quid in foro externo ſeruare debeant. Imò oblata commoda occaſione tenetur fugere, vel ratificare ſuam profeſſionem, quia nõ poteſt frui commodis Religionis & ſuſtentatione, niſi velit eſſe Religioſus. aut niſi res ita ſint conſtituæ, vt non poſſit ſe ſubducere ſine ſcandalo. quamdiu autẽ non poteſt ſe ſubducere, non tenetur ratificare ſuam profeſſionem, etiamſi culpa ipſius profeſſio fuiſſet irrita; vt ſi ficte fuiſſet profeſſus, vt docet Sanctius ſup. & Henriquez lib. 1. de matrimon. cap. 11. num. 11. quia religio eſt res tanti momenti, vt non poſſit infligi in pœnam, ſed ſponte ſuſcipi debeat, vt ſuprà dub. 4. oſtenſum eſt. Simili modo qui ficte contraxit matrimonium, nõ tenetur ratificare, ſi aliud damnum quod præponderet ſecutum non eſt. Quo caſu expectando commodam occaſionem, poteſt ille quidem alimenta percipere ex monaſterio, ſed cum animo compenſandi, vel tunc ſua induſtria, vel poſtea: qui cauſam damni ſua fictione dedit. Tenetur abſtinere à Prælatura, quantum ſine nota poteſt: ſi non poteſt, accepret; & geſta per eum erunt valida ratione tituli colorati, communis erroris, & utij occulti, iuxta ea quæ diximus cap. angelimonono, dub. de cimaoctaua. Tales tamen, præſertim quando culpa interceſſit, non poterunt frui priuilegijs Religionis, ut indulgentijs, irritatione notoria a Prælato, ordinatione abſque dimiſſorijs & ſimilibus, ut notat Sanctius: niſi quando id abſq; graui nota non poſſunt declinare.

An poſſit fugere.

Petes Secundò, quid requiratur ad ratificandum huiuſmodi inualidam profeſſionem.

66

Ratificatio profeſſionis.

Reſp. Primò requiritur notitia illius inualiditatis, alioquin ratificatio non erit libera: niſi quis forte uelit expreſsè illam eſſe ratam, etiamſi ab initio fuiſſet inualida, ut ſupnum. 63. dictum eſt.

Secundò, ut intendat illam ratificare: eſt enim nouum uotum. unde requiritur formalis intentio: neque ſufficit negatiuè ſe habere; quia uoti uinculum non contrahitur niſi uoluntate poſitiua, ſicut nec matrimonij; maximè cum hæc res ſit maximi momẽti, totum uitæ ſtatum ipectans. In dubio utrum conſenſeris, uerius eſt te teneri; quia præſumptio iuris tibi aduerſatur. itaque ſi poſt lapſum quinquennij dubitas an ratificaueris intra illud tempus, teneris. Idẽ dicendum, ſi dubitas an in actu profeſſionis conſenſeris; item an liberè conſenſeris an metu. præſumitur enim conſenſus, & liber conſenſus ex ipſo actu externo profeſſionis tacitè uel expreſsè. quia naturaliter comitari ſolet. itaque teneris; niſi de contrario, talem per probabiles rationes, tibi conſtet.

In dubio teneris.

Contrarium inſinuat Henriquez lib. 1. de matrim. c. 11.

Qui

Qui æquali, inquit, dubio nescit an consenserit (sicut olim quando sponsalia per copulam affectu maritali transibant in matrimonium) potest se liberum censere ab onere matrimonij, sicut ab onere dubij voti. sed quod diximus, verius est ob rationes allatas.

Tertiò secundum probabilem quorumdam sententiam, si nouitiatus fuit inualidus, requiritur eius repetitio; vt si ante completam pubertatem factus: si cum inhabilitate ad illum Ordinem. Ita tenet Nauarr. lib 3. de regular. consil. 5. num. 19.

Non requiritur repetitio nouitiatus.

Sed contrarium est verius, vt rectè docet Sancius. Nouitiatus enim non requiritur, nisi vt ingressurus experiatur austeritates Ordinis, & Ordo ipsius mores, vt habetur capit. Ad Apostolicam. 16. de regular. atqui hoc fieri potest, etiamsi Nouitius sit inhabilis; aut aliud vitium subsit admissioni.

67 *Verum nouæ acceptatio Prælati.*

Quartò, Requiritur noua acceptatio Prælati; sicut quando matrimonium fuit irritum ob aliquod impedimentum, requiritur nouus consensus vtriusque; ita Azor. l. 14. c. 4. q. 7. Sed contrarium est verius, siue ex fictione aut metu professio fuerit irrita (vt docet Sa v. Religio, num. 23. & Nau. l. 3. tit. de regul. consil. 24.) siue ex inhabilitate aliqua temporali, ratione defectus ætatis, anni probationis, &c. vt docet Nau. consil 35. num. 3. & 46. num 2. siue ex inhabilitate perpetua, vt docet Sancius, qualis in quibusdam religionibus est esse ortum ex Iudæis, vel Mauris; commisisse homicidium, &c. Sublata enim illa inhabilitate per dispensationem sufficit ratificatio Religiosi. Ratio est; nam in primo casu cum ex fictione vel metu fuit inualida professio, cum persona esset habilis, admissio fuit valida ex parte admittentis: vnde cum maneat virtute (nam habetur a Prælato pro Religioso) solum requiritur consensus ex parte admissi, sicut in matrimonio & alijs contractibus, vt ostensum est supra, c. 17. dub. 11. In secundo & tertio, cum persona est inhabilis, fuit etiam admissio, & consensus Prælati inualidus ac proinde deberet repeti, nisi aliunde supplereturSed hic suppletur a Summo Pontifice, qui est supremus Prælatus omnium Religionum habens potestatem admittendi omnes. Colligitur ca. 1. de regul. in 6. vbi statuit Innocen. IV. vt professio, quæ erat irrita defectu ætatis, conualescat, si in legitima ætate eam expressè ratam habeat, vel professorum habitum suscipiat, & per triduum sine alia probatione gestet: vel vbi non est distinctio habitus Nouitiorum & Professorum, habitum per annum gestet. Idem de ratificatione statuitur ab Alexand. III. cap. Ad nostram 8. & cap. Significatum. 11. Extra. de regul. quibus locis non requirit aliam Prælati admissionem: sed ipsi statuentes talem ratificationem expressam vel implicitè valere, Religiosum admittunt. Confirm. quia Concil. Trident. præsumit silentio quinquennij ratificari professionem, & c. 3. de regu. præsumitur ratificari silentio vnius anni. ergo non requiritur noua admissio. Secus est in matrimonio, quando subest impedimentum. quia Pontifex non potest supplere defectum consensus coniugis, eius loco consentiendo. potest tamen supplere defectum consensus Prælati, quia est supremus Prælatus, vt dictum est.

Aduerte tamen hæc locum non habere, quando Superior, nullitate professionis intellecta, repugnat admissioni, volens ob aliquam causam illum ejicere. Non enim Pontifex intendit admittere ratificationem, Superiore positiue repugnante; quę species facti mihi nuper fuit proposita.

DVBITATIO VIII.

Quam vim habeat professio in Religione approbata.

IN professione continentur tria vota solemnia, quibus homo se totum Deo & Religioni obstringit & dedicat. Itaque ratione diuersorum votorum habet diuersos effectus.

68 *1. Transfert Religiosum in ius Ordinis.*

Primò, Trãsfert Religiosum in Ius & potestatem Ordinis & Superiorum, faciens membrum illius: ita vt Superiores possint illum, si discesserit, apprehendere sua auctoritate tanquam rem suam, & reducere ac punire; sicut dux belli militem desertorem, marius vxorẽ fugitiuam, dominus seruum fugitiuum. facit hoc professio ratione voti *obedientiæ*. non præcisè quatenus hoc votum obligat Deo, sed quatenus continet tacitam vel expressam promissionem erga Superiorem, & sui traditionẽ in corpus Religionis, coniunctam cum legitima acceptatione Superioris. Idem facit in Societate votũ obedientiæ simplex peracto biennio, Superior enim a Summo Pontifice habet omnem iurisdictionem ex parte principij agentis necessariam; sed per votum obedientiæ modo iam dicto fit applicatio materiæ, in quam hæc iurisdictio se exerat.

Hoc ius Superioris secundum quosdam non est Iustitiæ strictæ, sicut ius ducis in militem, domini in seruum, mariti in vxorem: quorum obligatio est propter mutuum, vel alterius commodum, (quia Religiosus non obligauit se Ordini vel Superiori propter commodum ipsorum, sed propter suam salutem, vt ab ipsis rectè gubernetur) sed est ius obedientiæ, quod Superiori competit in inferiorem: vnde per fugam non peccat contra iustitiam, sed contra obedientiam & fidem debitam Superiori & Ordini, & contra Religionem debitam Deo. quæ sententia probabilis est, eamque tenet Bannes quæst. 62. art. 2. dub 6. & quidam alij recentiores.

An fugiens peccet contra iustitiam.

Verius tamen puto peccare etiam contra iustitiam; quia inter Religiosum & Religionem est contractus quidam, per quem ille se tradit in potestatem Religionis ad obsequium Ordinis, & vicissim Religio se illi obstringit ad illum tractandum tamquam filiũ: vt ostensum est dub. 7. vnde in hoc contractu non solum spectatur commodum priuatum Religiosi, sed etiam publicum communitatis. vide sup. c. 8. dub. 3.

Secundò, Facit inhabilem ad matrimonium contrahendum, ita vt si tentet contrahere, sit irritum; cap. Quod votum vnic. de voto in 6. habet hoc ratione voti *castitatis*, nõ præcise, alioquin quoduis votum castitatis id efficeret; neque quia acceptatum ab Ecclesia; quia votum castitatis emissum publicè in manibus Episcopi id non facit, cum tamen ab Ecclesia sit acceptatum: sed facit ex vi constitutionis Ecclesiæ, quæ vt illud votum melius seruaretur, illi in professione hanc vim annexuit, vt colligitur apertè ex dicto cap. Quod votum, vbi dicitur, *vota solemnitatem quoad matrimonium dirimendum, ex sola Ecclesiæ constitutione esse inuectam*.

69 *2. Inhabilitat ad matrimonium.*

Dices, Homo per professionem tradit se Deo & Religioni: ergo si postea tradat coniugi, iure naturæ est inualidum: sicut quod tibi donaui & tradidi non possum alteri valide donare.

Obiectio.

Respondeo negando consequentiam, Non enim per vota tradit potestatem corporis sui ad vsum matrimonij, sed se tradit Religioni vt ab ea gubernetur; Deo verò, vt ipsi sit velut donarium consecratus; quæ traditiones non inducunt vinculum repugnans vinculo matrimonij, (nam hæc vincula simul stare possunt; vt patet quando coniuges cõmuni consensu vouent continentiam; vel etiam profitentur in Religione) sed solum repugnans vsui matrimonij. Itaq; nec professio nec votum continentiæ irritum reddit contractum matrimonij superuenientem iure naturæ; sed solum iure ecclesiastico. Hoc tamen ius antiquum esse colligitur ex Concil. Carthag. 4. c. 104. cui Diuus Augustinus interfuit; & ex multis Canonibus 27. q. 1. c. Viduas. ex Gregorio, c. Quæ autem. Innocen. I. c. Impudicas. ex Conc. Triburiensi, &c.

Respon.

70 *3. Soluit matrimonium ratum.*

Tertiò, Matrimonium ratum nondum consummatum anteà contractum dissoluit. Est fide tenendum, vt patet ex Concil. Trident. sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem non dirimi, anathema sit.* Idem patet cap. Ex parte. Innocent. III. ca. Verùm. & cap. Ex publico. Alexan. III. de conuer. coniugat.

Feres, Quo iure professio id faciat?

Quo iure. 1. Sententia.

Est triplex sententia. Prima est, iure naturæ id facere. ratio est, quia est mors quædam spiritualis; ac proinde potest dissoluere vinculum spirituale, quale est matrimonij rati, utpote ex solo consensu ortum: sicut mors naturalis soluit vinculũ matrimonij consummati, quod est carnale, ortum ex copula. Deinde quia iure naturæ licitum est transire ad statum perfectiorem; quãdo nulli per hoc fit iniuria. hic autẽ nulli fit iniuria; quia Ius cõcedit: ergo, &c. Ita videntur sentire multi DD. in 4. d. 27. D. Tho. Richar. Duran. Palud.

Paluđ. Lopez p.2.c.39. & nonnulli alij. Hæc ſententia non eſt improbabilis

Sed uerius eſt profeſſionem non habere hanc uim iure naturæ. Primò, Quia hæc uincula non repugnant, poſſunt enim ſimul ſtare Secundò, quia alioquin matrimonium iure naturæ potius dicendum eſſet ſolubile quàm inſolubile: ſuppeteret enim commune quoddam remedium, quod uotum naturale illud diſſolueret. Tertiò, Si profeſſio ideò ſolat matrimonium ratum, quia eſt ſtatus perfectior; etiá ſoluit matrimonium conſummatum, idem quando nulla eſt proles, & conjux conſentit: hoc autem conſtat eſſe falſum. Quartò, Profeſſio non eſt uera mors, ſed metaphoricè dicitur mors, quia uita mundana deſeritur. Vnde non ſequitur ſolui matrimonium ratum: ſicut nec alię obligationes priores profeſſione ſoluuntur. Quintò, Quia matrimonium eſt uinculum nõ omnino ſpirituale, cum ex mutua corporum ad uſum corporalem traditione naſcatur. quomodo ergo ex natura rei ſoluitur uinculo meré ſpirituali? Sextò, Si ratio naturalis conſulatur, profeſſio ſuperueniens matrimonio potius uidetur eſſe irrita, quam matrimonium diſſolui; quia res huic tradita, non poteſt ualide tradi alteri. Denique profeſſio iure naturæ non dirimit matrimonium contrahendum: ergo multò minus dirimit iam contractũ. Antecedens patet. Quia quatenus profeſſio reſpicit Deũ, eſt ſolum promiſſio ſicut uotum ſimplex, non autem proprié traditio: atqui promiſſio non priuat dominio rei promiſſæ. retinet ergo talis dominium ſui corporis; ac proinde poterit ualide illud tradere coniugi. Quatenus autem reſpicit Religionem, ſic continet quidem traditionem ſui, ſed non magis priuat dominio corporis quam ſeruitus. Quare ſicut ſeruitus iure naturæ non dirimit matrimonium contrahendum; ita nec profeſſio; ſed id habet ex iure eccleſiaſtico.

2. Iure diuino. Secunda ſententia eſt, Profeſſionem habere hanc uim iure diuino poſitiuo: nã concetu & ordinatione Chriſti, matrimonij contractum habere hanc tacitam conditionem. Niſi ad Religionem ante conſummationem me cõtulero. Ita multi recentiores, Victoria, Sotus uterque, Ledeſma uterque, Angelus, Corduba, Henriquez, & alij, quos citat & ſequitur Sanchez lib.2.de matrimonio.diſp.19. nu.3. Probatur, quia initium huius rei non inuenitur in iure eccleſiaſtico, ſed à principio naſcentis Eccleſiæ fuit in uſu; nam Beata Thecla contracto matrimonio, & nondum conſummato, ſponſum deſeruit, & ſe Deo conſecrauit, teſte Ambroſio lib.2.de uirg.col.3 Idem fecerunt Sanctus Alexius, teſte Metaphraſte, & S. Cæcilia, ut habetur in eius geſtis, & S. Macharius, ut refert Gratianus ex Hieronymo ca.26. Scripſit nobis.27.quæſt.2. Hæc quoque ſententia eſt ualde probabilis.

3. Iure eccleſiaſtico. Tertia eſt, Id prouenire ex iure eccleſiaſtico iam inde à temporibus Apoſtolorum inſtituto: quæ ſententia uidetur uerior, eamque docet Michael Medina lib.5 de continentia ſacrorum hominum, cap.86.& 87. Henricus quodlib.5. q.35. Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & Antonius de Butrio in cap Ex publico, de conuer.coniug. Felin.conſ.26.& multi alij. Probatur Primo, Si profeſſio iure diuino dirimeret matrimonium ratum iam contractum, non ſolum id faceret in Religione approbata, ſed etiam in non approbata; quia hæc quoque eſt ſtatus perfectionis, (etſi non habeat omnem eam excellentiam, & firmitatem, quam habet Religio approbata) & continet conſilia Chriſti, & multis ſæculis non ſolent Religiones approbari, ſed ſenſim ipſo uſu permittebantur ab Epiſcopis, nec dabatur Superioribus Iuriſdictio ſpiritualis. Confirm. quia profeſſio in Religione approbata & non approbata non differunt iure diuino, ſed ſolum eccleſiaſtico. Secundò, Idem facerent uota ſimplicia in Societate, & uota Coadiutorum formatorum præcisa omnia alia ordinatione Eccleſiæ, quia per hæc efficitur quis uerus Religioſus Religionis approbatæ, ut ſup.dub.1. oſtẽſum eſt: atqui id uerum non eſt; ergo, &c. Tertiò, Si profeſſio iure diuino id facit, ſine dubio id habet ratione uoti caſtitatis, eo quod uſus matrimonij repugnet huic uoto: ergo etiam uotum caſtitatis emiſſum in manibus Epiſcopi id faceret: quod conſtat eſſe falſum. Confirmatur, quia exempla, quæ ipſi adferunt magis probant de uoto caſtitatis, quam de profeſſione Religionis approbatæ: illi enim Sancti non ſunt profeſſi aliquam Religionem approbatam, ſed uel caſtitatem tantum, ut Sanctus Alexius, S. Cæcilia, & S. Thecla; (quamuis huius exemplum non urgeat, cum maritum ob infidelitatem relinquere poterit) uel uitam eremiticam, ut S. Macharius. Quartò, Profeſſio Religiosa nõ reddit iure diuino irritum matrimonium contrahendum, ſed ſolum ex conſtitutione Eccleſiæ, cap. Quod uotum, de uoto in Sexto. ergo multo minus illo iure dirimit iam contractum: hoc enim eſt multò difficilius. Confirmatur, quia profeſſio hoc habet ratione ſolemnitatis: ſed ſolemnitas eſt ex inſtitutione Eccleſiæ: ergo habet ex inſtitutione Eccleſiæ. Quintò, Pontifex poteſt ex cauſa graui diſſoluere matrimonium ratum, ut probabilior opinio tenet: atque hic eſt ſufficiens cauſa, nimirum tranſitus ad ſtatum perfectionis, ad Chriſti conſilia, & imitationem: ergo potuit ſtatuere ut in hoc caſu diſſolueretur: ergo non eſt recurrendum ad ius diuinum. Confirm. Quia Summus Pontifex debet habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuauem & humanæ fragilitati accommodatam Eccleſiæ gubernationẽ; iugum enim Chriſti ſuaue eſt, & humanæ conditioni attẽperatum. atqui ſuauis gubernatio Eccleſiæ, & ſaluti animarum accommodata poſtulat, ut uinculum matrimonij nõ conſummati ob grauiſſimas cauſas interdum relaxetur, ut experientia conſtat. ergo oportuit ſummum Pontificem habere hanc poteſtatem. Idem dicendum de relaxatione uotorum & profeſſionis. Confirm. Secundò, quia cũ Summus Pontifex ſit Vicarius Chriſti Domini ad Eccleſiam in eius abſentia regendam, nec ad Chriſtum in hac uita ſit recurſus, quantauis inciderit difficultas; oportet illum habere omnem poteſtatem quam decet habere Vicarium perpetuum in regno remotiſſimo, cum ad regem nullum eſt refugium, quæ poteſtas ualdè eſt affinis poteſtati ipſius regis. Vnde ſicut talis Vicarius poſſet in quibuſdam legibus ſui regis grauiſſima aliqua cauſa urgente diſpenſare: ita mirum uideri non debet ſi Pontifex in quibuſdam iuris diuini (nempe quorum obligatio non eſt à Deo immediate impoſita, ſed nititur actu humano, illumque ſuppoſit, ſicut obligatio matrimonij rati & uoti; & ſi maneret, ſaluti detrimentum uel impedimentum graue adferret) diſpenſare poſſit. Sed de hoc alibi plura.

Ad rationem contrariæ ſententiæ Reſpondeo; Id ſolum probare hoc ius eſſe antiquiſſimum, ſicut & multa alia, quę Apoſtoli, uel Pontifices primis temporibus conſtituerunt, quorum inſtitutio non inuenitur in iure ſcripto, ut ſup. dictum eſt. Exempla illa, ſi quid probant, probant non ſolum profeſſionem Religionis approbatæ ſoluere matrimonium ratum, ſed etiam profeſſionem caſtitatis, & uitæ eremiticæ, & fortaſſe ita olim fuit ex ordinatione Eccleſiæ: ſed pòſtea ſtatutum eſt ut ſola profeſſio Religionis approbatæ hanc uim habeat.

4. Priuat dominio. Quartò, Profeſſio priuat omni dominio bonorũ mobilium & immobilium, & reddit inhabilem ad illud, capit. 7. Quia ingredientibus. 19. quæſtio. 3. & cap. 9. Si qua mulier. ibidem; quod cap. ex iure Ciuili, authent. de Sanctiſſ. Epiſcopis, collat. 9. §. Si qua mulier, translatum eſt, & iure Canonico approbatum. *Dominio priuat* ratione uoti *paupertatis*, quia hoc uotum in profeſſione continet non ſolum abdicationem uſus independentis, ſed etiam omnis dominij: hoc enim perfecta paupertas requirit, eſtque ſecundum conſilium Domini, Matth. 19. *Si uis perfectus eſſe, uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis theſaurum in cœlo:* Idem ſtatuit eccleſia in Religione faciendum, ut tum ex dictis Canonibus patet, tum ex c. Monachi.2.c. Super quodam.4. & c. Cum ad Monaſt.6. de ſtatu Monachorum.

Dices, Quid ſi quiſpiam dum profitetur, intendat dominium non abdicare, ſed retinere, ſaltem ad tempus?

Si intendat non abdicare dominiũ. Reſpondeo, Eo caſu non fore ualidam profeſſionem, ac proinde talem non fore Religioſum, ſpectato iure communi. & quidem ſi ita intendat retinere dominium, ut non ſit paratus illud abdicare quando Superior iuſſerit, profeſſio erit omnino irrita: quia non intẽdit ſe obligare ad id quod eſt de ſubſtãtia ſtatus religioſi. abdicatio enim dominij ſaltem in præparatione animi & quoad uinculum abdicandi, ad ſubſtantiam Religionis pertinet. Si uerò ſolum intẽdat retinere dominium ad tempus, & poſtea quando Superiori uidebitur illud a ſe alienare, maior difficultas eſt, quia id ſtatui Religionis non repugnat. Nihilominus certum uidetur, ſtante iure communi talem actum non habere uim profeſſionis, nec conſtituere hominem in ſtatu religioſo.

Primò,

Digitized by Google

Primò, Quia professio iure communi includit actualem abdicationem; ita vt nulla fiat in Ecclesia sine tali abdicatione. vnde qui profitetur, hoc ipso priuatur dominio, proinde ac si naturaliter moreretur, & hæredes ei tamquam mortuo succedunt. Secundò, Si quis non intenderet se in omnibus secundum regulã subijcere Superiori, sed aliquid exciperet, in quo sit sui iuris & arbitrij; aut si pro certo tẽpore non vellet se obligare nisi ad castitatem coniugalem, non valeret professio: ergo etiam non valebit, si non velit abdicare dominium: Iura enim hæc omnia æquè ad professionem requirunt. Tertiò, Quia Prælatus non habet potestatem ad acceptandum talem actum tamquam sufficiẽtem ad incorporandum Religioni: nam Ius ei resistit, & est contra essentialia regulæ.

Dupliciter potest haberi intentio proprij.

Notandum tamẽ hanc intentionem retinendi proprii, posse dupliciter haberi in professione. Primò, ex errore priuato. ita tamen vt iste error non sit causa professionis, nec illam restringat, & tunc nõ irritat professionẽ; sed per accidens ei coniungitur. Ille enim intendit profiteri absolute sicut oportet, sed priuato errore putat se posse retinere proprium saltem ad tempus. qui error non vitiat professionem, cum illam non afficiat, neque limitet. Simile est in matrimonio, vt si putes te posse seruare continentiam in eo statu, vel ingredi religionem quando placebit, nihilominus absolute contrahis cũ animo te obligandi absolute, & absque limitatione; ad ea quæ ratio matrimonij requirit.

Secundò, Si error sit causa professionis; vel saltem si ita intendas, vt professionẽ restringas, nolendo te nisi hoc modo obligare: & tunc professio erit irrita. Error enim ille est circa substantiam professionis & obligationis. vnde tollit consensum necessarium, non minus quam cùm est error circa substantiam materiæ, vt patet ex dictis supra cap. 40. dubit. 2. Pari modo intentio illa restringit vim professionis, tollendo id quod iure communi ad eius substantiam pertinet, nimirum vim abdicandi dominij. & retinet ius illi repugnans. Vnde puto nullam in foro conscientiæ ex tali professione oriri obligationem, nisi fortè independenter à valore professionis intenderet se ad aliquid obligare.

Dixi, *stante Iure communi*, quia Ecclesia nouo iure vel priuilegio posset talem professionem, tamquam sufficientem ad incorporandum Religioni, & ad reliquos effectus professionis suo tempore inducendos, admittere; & tunc valida esset.

71 *Inducit inhabilitatem.*

Inhabilitatem ad dominium inducit, non ratione voti paupertatis præcisè, quia non idèo quis est incapax Iuris & dominij quòd Deo paupertatẽ promiserit: nec ratione tacitæ renuntiationis: quia aliud est se dominio spoliare, aliud inhabilẽ se ad illud reddere; sed id prouenit ex duabus alijs causis, Prima est, Traditio sui in Ius Ordinis, ita n. se tradit Ordini, vt partim mancipio, partim filiofamilias cõparetur, quorũ neuter sibi acquirit, sed ei in cuius potestate est; vt inf. dub. 11. dicetur. Secunda est, Decretũ Ecclesiæ professioni annexum. hoc enim non solum traditionem illam confirmat, ita vt ille non possit veluti manumitti aut emancipari sicut seruus, vel filius; aut sui iuris effici; sed etiam illum directè incapacem dominij acquirendi facit, sicut eiusdem Ecclesiæ decretum reddit professum inhabilem ad matrimonium. Confirmatur, quia non apparet ratio, qua quis seipsum sua auctoritate ad huiusmodi inhabilem & incapacem facere possit. quantumuis enim quis promittat, voueat aut iuret, se nunquam matrimonium cũ hac vel illa contracturum, aut rem aliquã comparaturum, non ideo efficitur inhabilis, ita vt si contra faciat, sit irritũ: Idem dicendum de dominij abdicatione: debet igitur hæc res ex lege & potestate Superioris prouenire, sicut irregularitas & inhabilitas ad beneficia, vel officia; quam nemo sine Ecclesiæ constitutione sibi arrogare potest. Qui autem huiusmodi inhabilitates constituere possint, pertinet ad 1. 2. quæst. 96. Similis inhabilitas annecti potest voto simplici, & reipsa annexa est votis Coadiutorum formatorum in nostra Societate.

5. Priuat potestate vtendi rebus suo iure.

Quintò, Priuat potestate vtendi rebus suo iure, seu absque dependentia a voluntate Superioris. facit hoc præcisè per votum paupertatis: in hoc enim paupertas Religiosi essentialiter consistit, vt quis non possit vlla re vti aut rem possidere absque Superioris arbitrio, & vt sit paratus omni momẽto omne ius à se abdicare. vt autem careat re-

ipsa omni dominio, vel vt sit incapax illius, non est de essentia paupertatis religiosæ; sicut nec de essentia castitatis religiosæ est non esse coniugatum, aut esse incapacem coniugij.

Confectaria. Non potest donare.

6. Ex dictis sequitur Primò, Religiosum si aliquid donauerit vel alienauerit absque consensu Superioris, non solùm peccare mortiferè violando votum paupertatis; sed etiam dispositionem esse irritam, & eos, qui acceperint, teneri ad restitutionem: quia caruit potestate disponendi. Idem dicendum, si fecit quidem ex consensu Superioris, sed Superior consensum dare non poterat: vt si expendit in rem turpem; vt suprà cap. 4. dubit. 5. & cap. 18. dubitatione 11. dictum est.

Non potest testari.

Sequitur Secundò, Religiosum non posse validè testari; quod etiam habetur expresè c. Quia ingredientib. 19. c. 3. & Authen. de Monachis. §. Illud quoque. Ratio est; tũ quia per professionem priuatus est omni dominio & incapax illius redditus: tum quia quidquid acquirit, Monasterio acquirit: vnde nihil habere potest de quo testetur. vide Nau. comment. 2. de Regu. nu. 44. & seqq. Potest tamen hæc facultas testandi de aliquibus rebus, quarum administrationem vel vsum habebat, ei concedi per Summum Pontificem; vt idem Nauarr. num. 57. & 58. probat, & Couarruu. cap 2. de testamen. num. 17. sicut enim potest ei fieri potestas alienandi donatione inter viuos; ita etiam donatione mortis causa, & per testamentum: ad hoc enim non requiritur dominium, sed sufficit administratio, & consensus eius, qui illum dare potest. Sic Pontifex aliquando concedit potestatem testãdi Religiosis beneficiarijs, vt extra Monasterium sua industria viuentibus; vel in Monasterio administrationem aliquarum rerum in proprium commodum habentibus. vt tamen hoc licitè fiat, debet subesse iusta aliqua causa, quia est contra Canones. vnde sõlus Pontifex hanc facultatem concedere potest, vt docet Nau. Quidam putant esse quamdam voti relaxationem & dispensationem: sed verius est non esse; sicut nec est dispensatio voti quando Pontifex alicui concedit peculium.

72 *6 Commutat vota.*

Sextò, Professio soluit vota simplicia priora, etiam Religionis strictioris ingrediendæ, eaque commutat, in vota solemnia Religionis illius in qua agitur; c. Scripturę. 4. de voto, & c. Qui post votum. 5. de Reg. in 6. Simili modo matrimonium dissoluit sponsalia etiam iurata. vide sup. c. 40. dubit. 16. num. 106.

7. Delet omnia peccata.

Septimò, Delet omnia peccata. Ita D. Thom. q. 189. ar. 3. ad 3 & Caietan. ibidem. Antoninus; 3. p. tit. 16. ca. 3. §. 3. vbi pro eadem sententia adfert Paludanum in 4. distinct. 38. q. 4. ar. 1. Thomas Waldensis de Sacram. tit. 9. cap. 80 Angelus v. Religiosus num. 47. & alij Summistæ. Vide Hieronymum Platum lib. 1. de bono statu religiosi, ca. 13. vbi hoc eleganter explicat, & confirmat. Sed hoc intelligendum de reatu pœnæ, quæ remissa culpa manet: culpa enim, præsertim mortifera, non remittitur, nisi per contritionem, vel vsum Sacramenti. Ratio est, tum quia per professionem vetus homo & veteres mores exuuntur, (saltem proposito & statu ipso) & induitur noui; vnde censetur mors quædã vitæ mundanæ: tum quia qui se suaque omnia diuino obsequio mancipat & obstringit, huiusmodi beneficio dignus est. Hinc Patres susceptionem habitus monastici solẽt comparare baptismo; Hieronymus epist. 8 & 25. Leontius in vita Simeonis Abbatis, Anselm. l. de similitudinib. c. vl. Bern. de præcepto & dispensat. quorum testimonia refert Platus. ex quibus etiam colligas professionẽ habere hanc vim quasi ex opere operato, sicut martyrium, si nullus ponatur obex.

73 *8. Irregularitatem tollit.*

Octauò, Tollit irregularitatem, quæ est ex defectu natalium, cap. 1. de fil. presbyterorum. & cap. 1. d. 56. ceteras autem iure communi non tollit; quia iure non est expressum, vt docet Abbas in cap. Ex litterarum, de apostatis: aliæ verò tolluntur specialibus variorum Ordinum priuilegijs. Vnde falluntur qui putant tolli irregularitatem, quæ est ex homicidio, vel bigamia, vt benè notat Nauar. commen. 2. de Regul. num. 60. Nec obstat Authen. de Monachis, vbi significatur, vt quidam dicunt, omnem irregularitatem Religionis ingressu tolli: quia non loquitur de irregularitate, sed de peccatis: ait enim *vitam Monachicam ita hominem Deo coniungere & appropriare, vt omnem humanam labem abradat & purum reddat:* vt patet ex textu Græco; πᾶσαν enim ἀνθρωπίνην, apud Græcos sunt peccata, & peccatorũ sordes,

ſordes,non irregularitas. Adde irregularitatem,quæ ex defectu natalium, non penitus tolli per profeſſionem ; (quia talis non poteſt eligi ad Prælaturam ; vt ad Abbatiam virorum aut feminarum , nec ad beneficium habens curam animarum) ſed ſolum ex parte , vt poſſit ordinari,& beneficium ſimplex obtinere, vt rectè Nau ſup.ex ca.1. de filijs presbyte.

DVBITATIO IX.

An quid teneatur Religioſus ex vi cuiuſque voti.

74 *Votum obedientiæ ad quid obliget.*

RESP.Ratione voti obedientiæ tenetur, Primò, Ad præcepta regulæ.

Secundò , Tenetur non agere contra regulam aut mandatum Superioris ex contemptu:nam per votum obedientiæ ſubiecit ſe regulæ & poteſtati Superioris:ac proinde ſe obligauit generatim ad viuendum ſecundum regulam , & ad obediendum Superiori præcipienti conſentaneè regulæ in qua obligatione primò omnium continetur vt regulam & mandata Superiorum non cõtemnat; ſed generale propoſitum retineat ijs ſe conformandi; contemptus enim euertit rationem formalem obiectiuam , atque adeò totum fundamentum obedientiæ. Hinc paſſim DD. tradunt Regularem peccare mortifere ſi ex contemptu regulam vel Superioris iuſſa violet de quo vide D.Th. 22.q. 186.art.9. ad 1.& Caiet.ibid.

Ex contemptu peccare.

Cenſetur autem ex contemptu violare , qui contrà facit , non ex negligentia , vel cupiditate , ſed quia non vult regulæ aut Superiori eſſe ſubiectus;vt ait Caietanus. deinde qui directè eo fine violat , vt ſuperioris mandatum , aut regulæ ordinationem oſtendat ſe nihili facere : hæc ſunt valdè grauia , nec poſſunt cadere niſi in malignum animum, Inſtituti ſui, & iudicij, auctoritatiſque Eccleſiæ, qua inſtitutum eſt confirmatum , & poteſtas Superiori tradita,contemptorem putat tamen Caietanus verb. Inobedientiâ , contemptum præcepti in re minima non eſſe peccatum mortale,de quo infra cap.46.dubitatione ſexta, num.45.

Præcepta Superioris.

Tertiò, Tenetur ad omnia , quæ Superior iuxta regulam ſeu inſtitutum præcipit . & quidem ſi præcipiat in virtute ſanctæ obedientiæ , tenetur obedire ſub peccato mortali , tunc enim Superior ex more Religionibus vſitato intendit illum obligare quantum poteſt, atque adeò ſub peccato mortali . Si autem hac forma præcipiendi non vtatur , non videtur velle obligare ſub peccato mortifero niſi id aliunde conſtet : videtur tamen obligare ſub venali , ſi aliquo modo mandet : tum quia non intendit conſulere & ſuadere dumtaxat , ſed aliquo modo præcipere, & obligare, quamuis non tantum quantum poſſet ; (valdè autem probabile eſt Superiorem poſſe ſuam poteſtatem , ſuumque præceptum ita moderari vt ſolum ad peccatum veniale obliget, etiamſi alioquin materia ſit grauis) tum quia ipſa ratio diſciplinæ religioſæ poſtulat vt inferior obtemperet ; etiamſi illi extremum præceptum non imponatur. Si tamen ita præcipiat vt non intendat abſolutè obligare pro conditione materiæ , probabile eſt ſubditum non obligari ſub aliqua culpa,ſed ſolum ſub pœna & correctione regulari,quo modo ipſæ regulæ obligant; de quo plura 1.2.qu. 96.tract.de legib.

Si contra regulam.

Quarto , Si Superior præcipiat aliqua *contra regulam* , non tenetur inferior obtemperare , niſi forte ille poſſit in ea parte regulæ diſpenſare , & legitima cauſa contrarium præcipiendi ſubſit . ita Caietanus,quæſtione 104.articulo quinto.

Si ſupra regulam , vel infrà.

Quintò , Si præcipiat aliquid ſupra regulam , non tenetur inferior. Eſt communis ſententia DD.vt oſtendit Corduba in regulam S. Francilci capit. 10. quæſt. 1. Idem dicendum ſi præcipiat *infra regulam* , id eſt laxiora quàm regula præſcribat, niſi cauſa iuſta ſubſit. Hinc D.Bernar.lib. 1. de præcepto & diſpenſat. colum.4. *Prælati ſuffio vel prohibitio non præterent terminos profeſſionis , nec vltra extendi poteſt , nec contrahi citra . Nihil ne Prælatus prohibeat eorum quæ promiſi , nec plus exigat quàm promiſi . vota mea nec augeat ſine mea voluntate , nec minuat ſine certa neceſſitate .* Et infrà; *Meminerint vos , non cogentes ad ceſſiora , conſcientiæ*

eſt, cum neceſſe fuerit , ad remiſſiora . Ratio eſt,quia Superior eſt cuſtos regulæ & inſtituti , non auctor ; eique poteſtas datur vt ſubditus ſecundum illam perficiat, non vt ad maiora obliget . quæuis enim Religio ſuam vitæ menſuram, ſuum exercitiorum modum ſibi præſcriptum habet,qui regulis & conſtitutionibus cuiuſque exprimitur,ad quem vt perducatur, inſtituuntur Superiores . Accedit quòd inferior ex vi voti ſui non intendat ſe obligare niſi ad viuendũ & obediendum ſecundum proprium inſtitutum,vt docet Diuus Thomas quodlibet.10.articulo decimo,& alij communiter.

Hinc ſequitur non ſolum Superiorem Regularem non poſſe ratione voti obedientiæ obligare ſubditum ad ea, quæ ſunt *ſupra* vel *contra* vel *infra regulam* , niſi ex cauſa , quæ tamen ſit ſecundum regulam,ſed nec Summum Pontificem: quia hic non poteſt amplius ex vi voti , quam Superior Regularis ; cum inferior non magis illi quam huic ſe intenderit per votum obedientiæ obligare . quamuis vt Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ (cui Dominus omnem poteſtatem neceſſariam ad bonam Eccleſiæ adminiſtrationem in oues contulit) plura præcipere poſſit quàm Superior Regularis, verbi gratia capeſſere Epiſcopatum , vel aliam dignitatem extra Religionem; quod tamen Prælatus Regularis præcipere non poteſt, vt ex D. Bernardi ſententia apertè conuincitur.

75 *Supra regulã quæ ſint.*

Supra regulam. iuxta Cordubam , ſunt, ire ad infideles , vbi eſt manifeſtum periculum mortis,vel ſeruitutis,ieiunare longo tempore, abſtinere a carnibus ad vnum menſem, quando regula non præſcribit ; & ſimilia.

Ob quas cauſas poſſint ea fieri vel præcipi.

Hic tamen duo Notanda ſunt. Alterum eſt, Etiamſi huiuſmodi longæ abſtinentiæ & ſimilia, quę non ſunt ſecundum regulam,non poſſint imponi ad exercitium virtutis, poſſunt tamen ob alias cauſas. Primò,In iuſtam pœnam alicuius criminis:id enim eſt ſecundum regulam.Secundò,Si putentur neceſſaria ad ſeruanda vota.Sic præcipitur clauſura Monialibus arctiſſima , etiamſi talem ante non vouerint;quia experientia docuit hanc eſſe neceſſariam ad cuſtodiam caſtitatis,quam vouerunt. Sic etiam poſſunt præcipi ieiunia , & aliæ auſteritates ad ſuperandam aliquam tentationem ſi tamen non putentur neceſſaria, non poteſt ſubditus ad ea obligari,vt docet Corduba ſup.& Sylu.Religio 6.q.6.Tertiò,Ob aliquam publicam neceſſitatem poſſunt quædam auſteriora ad tempus omnibus imponi,quia & hoc regulæ conſentaneum. Sic Eccleſia præcipit ieiunia, vigilias, &c.

Clauſura Monialium.

Quando non ſeruatur aliquid præcipi ſecundum regulam.

Alterum eſt,Regulas,& conſtitutiones in diuerſis Religionibus eſſe varias ; ac proinde poteſtatẽ præcipiendi & obligationem obediendi variam eſſe , & ad plura vel pauciora prout regula diſponit,extendi,nam in regulis Minorum cap.10.præcipitur *vt obediant in omnibus , quæ non ſunt contra regulam vel animam.* in conſtitutionibus Societatis Ieſu. *vt obediant in omnibus , in quibus non cernitur manifeſtũ peccatum.* Itaque omnia ſupradicta,quando iuſta cauſa præcipiendi ſubeſt, cenſentur ſecundum regulam præcipi , & ſubditus tenetur ex vi voti obedire. In alijs Ordinibus obligatio obediendi non tam latè pater.

Dico *quando iuſta cauſa ſubeſt* , quia nullus Superior, ne Pontifex quidem, poteſt ad aliquid obligare ſub peccato mortali , niſi ſit materia grauis , capax tantę obligationis. *grauis*, inquam , vel per ſe , vel ratione circumſtantiarum , quę iuſtam cauſam ſic præcipiendi adferant , vt docet Sylu.ſup.eſtque communis ſententia Doctorum. vnde nec præcepta diuina obligant ſub tali peccato,niſi talis materia ſubſit.

76 *An in dubio obediendum.*

Petes,Vtrùm in dubio ſit obediendum Superiori?Videtur non eſſe. Primò,quia nemo poteſt cum dubia conſcientia operari:alioquin exponit ſe periculo peccandi.Secũdò, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis . at ſubditus eſt in poſſeſſione ſuę libertatis.Tertiò, in dubio fauendum eſt reo,& illi de cuius præiudicio agitur.

Si dubium ſit de poteſtate.

Dico Primò.Si dubium ſit de poteſtate,nimirum,vtrum ſit legitimus Superior,in tali dubio non eſt neceſſe parere. Et hic locum habet ſecundum argumentum.*Melior eſt conditio poſſidentis* . ſubditus enim per ſe ab huius obedientia liber eſt:ergo non debet ei ſtare,niſi moraliter conſtet eſſe Superiorem . ſic nemo obligatur lege , de qua dubitatur an ſit lex.In dubio tamen habendus eſt Superior,ſi communis præſumptio illi fauet,argu.in L. Barbar. ff. de offi Præt.

Dico

Si dubitetur an sit licitū.

Dico Secundò, Si constat de potestate, sed dubitatur de materia, an sit licitum hoc facere, perseuerante hoc dubio, non potest obedire. Hoc probat primum argumentū. nullo enim casu licitum est facere id, de quo dubitat an sit licitum. quia exponit se periculo peccandi. Hoc modo intelligendus Adrian. quodlibet 2. art. 2. littera D. cum dicit; *Nullus dubitans de actu an sit mortalis, an non liceat eundo, ipso sic dubitante.*

Tenetur dubium deponere.

Dico Tertiò, Tenetur tamen subditus, si potest, consideratis omnibus circumstantijs & principijs practicis, hoc dubium deponere; quo facto tenetur obedire. & hoc casu communiter docent DD. subditum in dubio teneri Superiori suo obtemperare. D. Thom. 1.2. q. 96. art. 6. in corp. & ad 2. Caiet. & Medina ibidem. D. Bonauent in 2. d. 39 ar. 1. q. 3. in fine. Angelus v. Obedientia, num 6. Sylu. num. 2. Fumus num. 4. Sotus de secreto, nu. 3. q. 2. Lopez 1. p. c 56. &c. Tenen subditum *deponere dubium* si potest, perspicuum est; quia tenetur considerare actum vt hic & nunc faciendus præcipitur, id est, cum omnibus circumstantijs occurrentibus, illumque expendere non solum secundum principia intrinseca, & propria actui, sed etiam secundum extrinseca & communia: & si secundum hæc appareat esse licitū, tenetur facere. nam dubium tunc nō perseuerat practicè, sed solum speculatiuè, nimirum, an per se absque illis circumstantijs, & consideratis principijs propijs sit licitus: practice autem constat esse licitum, & prudenti iudicio talis iudicatur. Conf. Quia Superior est in possessione iuris imperandi: & in dubio nemo est spoliādus iure suo: ergo parēdum. Neque similiter dici potest, etiam subditum esse in possessione suę libertatis. quia generatim constat illum abdicasse suam libertatem in superiorem. Vnde cùm in ceteris Superiori subsit, præsumendum etiam in hoc casu subest se, nec esse sui iuris. Principia autem communia, vnde præceptum Superioris possit prudenter iudicari licitum, sunt hæc: multum deferendum auctoritati, & prudentiæ Superioris; Superiores a Deo singulari modo gubernari in subditis dirigendis. prudentis esse non suo iudicio in rebus propijs confidere, sed potius alterius, & maximè Superioris, quem loco Dei habet; ex recusatione obedientiæ, cùm causa manifesta assignari non potest, posse nasci scādalum aliorum, & ex duobus malis, quod minus est eligendum; & similia, quibus etiam doctissimi viri sese Superioris iudicio accommodare in dubio possunt.

Limitatio.

Aduerte tamen, cùm diximus in dubio obtemperandum, limitari à multis DD. vt à Soto, Medina, Lopezio, & alijs nonnullis: nisi obediendo aliquod graue incommodum in persona, honore, vel rebus, ei qui obedit, vel alteri timeatur, non obediendo verò nihil incommodi metuendum sit: tunc enim si dubium sit de bonitate operis, vel de obligatione præcepti non tenetur parere, sed vt obligetur debet moraliter constare rem esse licitam, & præceptum hic & nunc esse obligatorium: vt cùm præceptum tendit ad punitionem, sicut quando iudex reum & testes examinat criminaliter. Nam in dubio fauendum est reo, & ei de cuius damno agitur. est enim inferior non sit in possessione suæ libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis, seu iuris, quo se potest in rebus periculosis conseruare. C. cōfirm. quia in dubio non debet præsumi auctoritas Superioris valere in alterius graue præiudicium, cùm nihil incommodi notabilis ex non obediendo sequatur; vt patet in exemplo de reo & teste, nam in obedientia est occulta, & punitio ista non est necessaria. Idem dicendum in causa vectigalium, & similibus, vbi agitur de graui subditorum præiudicio. Vide supra cap. 33. dub. 1. & 6. Si tamen par vel grauius incommodum sequeretur ex non obediendo; in dubio teneretur obedire; vt si graue damnum publicè, vel priuatum impendens non possit aliter impediri, iuxta ea quæ dicta sunt c. 29 dub. 15. & c. 31. dub. 3. vbi vtrimq; incommoda sunt expendenda: & illis paribus, etiam in dubio obediendum.

Dico Quartò, Quando sepositio præcepto, ceteris omnibus circūstantijs spectatis, probabile est opus esse illicitū, non tenetur subditus parere. Ratio est, quia potest se probabili sententiæ conformare. Confirm. quia in tali casu, nec votum, nec iuramentum, nec ipsa lex diuina, aut naturalis obligat: ergo nec præceptum Superioris. Potest tamen obedire, si contrarium etiam est probabile, vel si per extrinseca principia sibi iudicū prudens de opere formare potest.

Ex voto castitatis tenetur, Primò, Abstinere à cōiugio. Deinde ab omni actu interno, & externo, qui sit contra castitatem; vt à turpibus cogitationibus, & delectatione morosa, a pollutione, ab omni actu venereo, a turpi contactu, ab impudico aspectu. Denique ab omnibus ijs, quæ aliquo modo sunt contra virtutem castitatis. Quidquid enim in secularibus extra coniugium est aliquo modo peccatum contra castitatem, est in Religioso etiam sacrilegium contra votum; ac proinde duplicem habens malitiam; ita tamen vt malitia sacrilegij sit mortalis in ijs actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis verò, in quibus illa est uenialis. 77 *Votum castitatis.*

Ex voto paupertatis tenetur. Primò, Vt nihil velit habere, possidere, uel uti tamquam proprium, id est, affectu retinendi iure suo, seu independenter à voluntate Superioris; capitulo. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum. 78 *Votum paupertatis.*

Secundò, Vt sit paratus exui possessione, & usu, omni momento, quo Superior iusserit, quia non potest hæc retinere nisi cum dependentia a uoluntate Superioris; alioquin esset proprietarius, ut constat ex d. cap. Cum ad Monasterium.

Tertiò, Non potest aliquid dare, uel alienare nisi cum facultate Superioris, & si contra fecerit, est irritum. *Dispensare, erogare.*

Quartò, Si est dispensator aliquarum rerum, non potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solum ex præcepto, & mente Superioris, ita ut non det alia, nec plura, uel pauciora, nec meliora, uel deteriora, quam scit Superiorē uelle: qua parte enim recedit a mēte Superioris, incurrit in uitium proprietatis: nam ita dispensat, ac si esset dominus, & ab alterius arbitrio non penderet.

Quintò, Non potest mutuo uel commodatò quidquam ex ijs, quę ad usum ipsi permissa sunt, dare alteri absque Superioris facultate. Ratio est quia est solum usuarius habens nudum usum facti; (ut Nicolaus IV. Extrauag. Exijt, ait) idque precario, quamdiu Superiori uidebitur, usuarius autem non potest alteri usum rei concedere; hoc enim non est usuarij, sed usufructuarij. *Institut. de usu & habitat. §. 1. & 1.* In rebus tamen paruis & crebro occurrentibus censetur esse facultas tacita, uel generalis, saltem ad breue tempus. *Commodare.*

Sextò, Nō potest ab externis, uel domesticis quidquam accipere absque Superioris consensu: sicut enim nō potest quidquam retinere sine illius consensu. ita nec aquirere, d. c Cum ad Monaster. §. Si quidquam alicui. *Ab alijs accipere.*

Septimò, Non potest ex rebus, quę domi sunt, sine illius consensu aliquid sibi vsurpare, siue sint esculenta siue poculenta, siue libri, siue alia vtēsilia; cum enim nihil istorum ipsius sit, sed communitatis, cuius loco Superior habet ad ministrationem omnium, nō potest inuito Superiore quidquam sibi vsurpare; alioquin furtum committit, vsurpans rem alienam inuito domino, seu administratore, qui est loco domini: & consequenter peccat contra votum paupertatis: omne enim furtum in Religioso est contra votum. & prout est mortale vel veniale in ratione furti; ita in ratione sacrilegij, cum eadē vtriusque sit materia. Deinde vsurpat rem tamquam proprietarius, quia absque dependentia a Superiore: ergo, &c. *Vsurpare sibi aliquid.*

Octauò, Non potest quidquam abscondere, vt illud Superioris liberę dispositioni subducat: hoc enim semper iudicatum fuit continere culpam proprietatis. Colligitur c. Super quodam. 4. & c. Cū ad Monast. 6. de statu Monachorum; vbi Ioannes Andreas, Archid. & alij Doctores notant *proprium* dici quidquid celas Prælatum, vel contra ius voluntatem tenes. *Abscondere.* *Proprium quid.*

Nonò, Non potest expendere in res illicitas, aut vanas; etiam si superior id ei permitteret. Ratio est, quia iura & Canones non concedunt administrationem Regularibus, nisi ad res necessarias, vtiles, aut honestas: prohibent autem ad vanas, & illicitas: atqui non habent maiorem facultatē quàm iura eis concedant, nec superior potest aliquid contra iura concedere. Vnde peccat Regularis conuga votum paupertatis si in huiusmodi expendat; v.g. si in turpia, si in uestes fericas, in sumptuosa cōmuia, in canes venaticos, falcones, equos generosos, in vanas picturas, lectisternia, &c. vide Clem. 1. de statu Monachorum. *Expendere in vanas.*

Decimò, Tenetur prælatus eam diligentiam in rebus ipsi permissis conseruandis, quam vsuarius, qui precariò vtitur; *Conseruare.*

vtitur; vnde tenetur vitare culpam latam; hanc enim tenetur vitare omnis, qui aliquid precario accepit; L. Quæsitum est. §. Illum quoque. ff. de precario: itaque si res ipsius negligentia pereat, vel deterior fiat, peccat contra iustitiam, & consequenter contra obligationem voti. Quod confirmatur, quia si dolo illam deteriorat, vel deteriorem redderet, peccaret contra votum: ergo etiam si ex culpa lata; nam hæc ad eamdem speciem pertinent, & culpa lata dolo æquiparatur. Quod si res concessa sit etiam in ipsius proprium commodum, videtur etiam teneri ex culpa leui, sicut in commodato, quod in veritatem commodantis. & commodatarij præbetur, iuxta L. in rebus 5. Hoc itaque. ff. Commodati. & ea. vnico, de commodato. Sed non videtur hoc ita seuere in Religione interpretandum.

Superfluum. Vndecimò, Denique tenetur cauere ne h. beat superfluu. saltem notabili quantitate, quæ religiosam mediocritatem notabiliter superent. quia nec Superior id ei concedere potest, cum sit per Canones prohibitum. Idem dicendum de pretiosis vestibus, vt docet Nauarrus commet. 4. numero 27. quia prohibentur Clement. 1. de statu Monachorum. si tamen ille paratus est omnia ad nutum Superioris relinquere, non est dicendus proprietarius, vt docet Sylueſter Religio 6. quæſt. 7. vers. Quarto, ex Archidiacono.

Facultas generalis. 79 Circa prædicta tria Notanda. Primum est. Considerandum esse in quibus rebus, & quousque contetur in singulis Ordinibus, & Monasterijs concessa facultas generalis; hæc enim sufficit, vt non peccet contra votum, dando, vel accipiendo, retinendo, vel vtendo. In Monasterijs tamen bene ordinatis non conceditur hæc facultas passim omnibus, nisi in rebus minoris momenti, & crebrò occurrentibus.

Limitata. Secundò est, Interdùm excusari inferiorè per *limitatam*, à facultate petenda; vt si res vrgeat, nec Superior presto sit; tunc enim potest agere perinde, ac si ventam expressam haberet: nam adest consensus præsumptus. non enim mens est Superioris, vt eo casu non agat quod ratio dictat, aut consensum expressum requirat. non tamen adest consensus præsumptus, quando res facile differri potest, vel Superior adiri.

Obiectio. Respon. Dices, Si peterem à Superiore, consentiret.

An sufficiat quod concederet. si peteret. Respondeo id satis non esse, alioquin omnes ferè donationes, acceptationes, & vsus, qui à Superioribus concedi solent petentibus, in Religione essent liciti absque expressa venia: quod est euertere obedientiam regularem. Ratio est quia non ex eo cessat vinculum legis quod Superior dispensaret si peteres; per hoc enim non dispensat reipsa nec ideo rem illam retinere potes, quia dominus, eam donaret si rogares; nam per hoc non donat reipsa. cum enim conditio illa non ponatur in re, non ponitur quoque id, quod ex ea sequeretur. eodem modo dicendum in nostro casu. Itaque requiritur, nò solum, vt concederet si peteres, sed etiam vt reipsa consentur concedere, quamuis non petas; & vt ipse non velit tecum illis circumstantijs petere. Sicut vt vinculum legis cesset per *è mixtum*, requiritur, vt mens legislatoris sit, hoc casu te non obligare, vt agas secundum verba legis, aut vt petas dispensationem.

Crediderim tamen non esse peccatum mortale, quando sciret, vel bona fide putaret inferior, eum ergà se esse Superioris affectum, vt libenter esset concessurus, si sciret ipsum tali re egere, vel tale quid deliberare; tunc enim censetur habere ex voluntate Superioris, saltem virtuali, quę in affectu illo latet. Peccat tamen venialiter; quia etsi illam rem habeat quodammodò ex voluntate Superioris; modus tamen illam sibi vsurpandi, est contra eius voluntatem. Pari modo, in casu non est peccatum mortiferum, quòd quis sciat affectum domini in se talem esse, aut certe, quando dominus rem parui æstimat, aut ita in aliquem est affectus, vt nollet illum graui obligatione teneri: huxta ea, quæ dicta sunt supra c. 12. dub. 8.

Peccatū Religiosi contra votum est duplex. 80 Tertium est, quando Religiosus peccat contra votum, fere semper esse duplex peccatum, cum duplici malitia diuersæ speciei contra diuersas virtutes. Idque primum manifestum est in peccatis contra votum castitatis in quibus omnibus ratione materiæ est prauitas luxuriæ contra castitatem; & ratione voti malitia sacrilegij, aut infidelitatis in Deum contra virtutem Religionis. Ea ipsa quæ sunt contra paupertatem, præter malignitatem violationis voti, ferè semper connexa est alia contra iustitiam, vt cum rem alienam inuito domino sibi vsurpat, aut res monasterij clanculum externis donat. Non tamen hæc absolutè semper adest, vt ita clam Superiore aliquid ab externis accipiat, & abscondat, quod ille externus in ius monasterij venire nolit. Tunc enim etsi peccet contra votum vsurpando sibi illius rei dominium, & vsum independenter à Superiore: non tamen contra iustitiam. Si tamen illud absolutè daretur absque tali restrictione, transiret statim per acceptationem, & traditionem in dominium monasterij. Nam quidquid Religiosus acquirit monasterio, non sibi acquirit. vnde si tunc contra voluntatem Superioris sibi vsurpet, etiam furtum committet. Denique quando contra votum obedientiæ violando præceptum Superioris in re graui agit; peccat non solum contra votum, ac promissionem Deo factam, cui promisit huic homini tamquam eius vicario obedire; sed etiam contra virtutem obedientiæ, quàm subditus omnis debet Superiori legitimæ potestate prædito. atqui Prælatus in Religione habet potestatem regendi, & imperandi communicatam sibi à Summo Pontifice, vt supra dubit. 1. numero 10. dictum: ac proinde hoc ipso quo sumus membra communitatis illius, cui ipse præest, tenemur ei obedire. sicut si quis voueret Deo obedire Episcopo, vel Principi legitimè præcipienti, duplex peccatum admitteret non obediendo. Secus si confessario, vel alteri nullam iurisdictionem in eam communitatem, cuius est membrum, habenti; vt patet ex dictis dubitatio prima, numero 10. tunc enim non obediendo solum peccaretur contra votum.

Obiectio. Dices, Quòd ego sim membrorum huius corporis, ac subditus Prælato, id totum prouenit ex voto. ergo solum peccatur contra votum. tota enim ratio obligationis ex voto pendet. sicut cum quis habens votum solemne contrahit matrimonium, solum peccat contra votum, etiam si contra legem impedimenti dirimentis faciat; quia impedimentum ex voto pendet, & propter votum inducitum est. vbi enim vnum est propter vnum, ibi tantum censetur esse vnum.

Respon. Resp. negando antecedens propriè loquendo. non enim formaliter per votum, sed per traditionem sui in ius Religionis, & acceptationem Superioris, fit membrum illius corporis, & subditus: votum autem solum est conditio. fiunt promissio seruandi statuta collegij cui conditio, vt quis fiat collegialis, non tamen per illam formaliter inseritur collegio, sed per traditionem sui in ius collegij, & acceptationem Superioris. Itaque obligatio voti, & obligatio parendi Superiori habenti iurisdictionem, sunt diuersæ obligationes. Secus si ille non haberet iurisdictionem. Quod autem adfertur de voto, ut est impedimentū matrimonij; si loquamur de Religioso professo ducente vxorem, committit duplex peccatum, vel potius triplex. primò, contra religionem voti, secundò contra castitatem, præsertim si habet animum consummandi: tertiò, contra iustitiam. facit enim iniuriam Religioni cuius est membrum, & in cuius est potestate, tradendo se in potestatem alterius. si verò de ordinato sacris non religioso, peccat contra votum, & castitatem. Neuter tamen committit peculiare peccatum contra legem matrimonij: quia tota ratio cur impediatur contrahere pendet ex voto, & ex eo quòd sit in potestate alterius: unde in contrahendo non reperitur noua deformitas distincta à prædictis.

DVBITATIO X.

Vtrum bona Religiosi transeant in Monasterium per professionem, si aliter de illis antè non disposuerit.

Monasteria habentia ius succedendi. RESPONDEO, & dico Primo, Si Monasterium habet ius successionis, omnia bona Religiosi, de quibus ipse antea non disposuit, per professionem iure communi transeunt in illud Monasterium. est communis sententia DD. vide Nauarrum comment. 2. nu. 44. & sequentib. Ius autem succedendi habent omnia Monasteria Regularium,

gularium, præter Domos & Collegia Societatis Iesu, Minorum de obseruantia, & Capucinorũ. Societas enim per suas constitutiones hoc iure caret, non solùm in Domibus professis, sed etiam in Collegijs. Minoritæ & Capucini per suas regulas. ceteris omnibus Ordinibus virorum & mulierum, etiam Mendicantibus concessit Concilium Tridentinum sessio. 25. de Regul. cap. 3. vt bona immobilia possidere possint: vnde etiam vt in eis succedant. nam ante Concilium poterant ceteri Mendicantes succedere, sed tenebantur bona immobilia vendere, vt docet Nauarrus ex alijs num. 50. nunc autem possunt retinere.

Mendicantes qui succedant.

Probatur conclusio ex Nouella Iustiniani 5. quæ est de Monachis capitul. 5. *Illud quoque decernimus, qui in Monasterium intrare voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis vti quo voluerit modo, ingredientem namque una sequentur omnino res, etiamsi non expressim dixerit se illas inuestre, & non erit dominus illarum vlteriùs alio modo:* quæ posteriora verba etiam habentur Authentic. Ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles. Additur in prædicta Nouella; *Si filios habeat, ijs solùm legitimam deberi, cetera Monasterio:* Et Nouella 123. capitul. 38. *Si quis mulier, aut vir Monasticam elegerit vitam, & intrauerit Monasterium filijs non extantibus, Monasterio, quod ingreditur, res eius competere iubemus. Si verò talis persona filios habeat, & non antè quàm intret Monasterium de suis rebus fecerit dispositionem, & legitimam partem filijs deputauerit; etiam sic licebit ei postquam Monasterium intrauit, suam substantiam in proprios filios distribuere; ita tamen vt nulli filiorum suorum minuat legitimam partem: pars verò quam filijs non dederit, Monasterio competat. Si verò omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, propria sua persona filijs connumerata, vnam sui partem omnibus modis retineat, quæ iure Monasterij competere debeat. Si verò in Monasterio degens moriatur antequam inter filios res suas distribuat, legitimam partem filij percipiant, reliqua vera substantiæ pars Monasterio competat.* eadem habentur Authent. Si qua mulier de Sacrosanct. Eccles. & c. 9. Si qua mulier. 19. quæst. 3. Idem probatur capit. 7. Quia ingredientibus. 19. quæst. 3. ex epist. 7. lib. 7. regestri Gregorij magni, vbi sic dicitur; *Quia ingredientibus Monasterium conuertendi gratia, vlteriùs nulla sit testandi licentia, sed vt res earum eiusdem Monasterij sint, aperta legis definitione decretum est.*

Est autem hæc constitutio rationi valdè consentanea. 32
Primò, Pater enim non est vt dum quis se totum mancipiat obsequio diuino, res suas faciat seruire mundo; & qui corpus suum tradit ad pœnitentiam, bona sua relinquat sæcularibus ad luxum. postulat enim ratio vt non solùm se, sed etiam omnia sua Deo seruire faciat. Secundò, Quia cùm in Monasterio viuere & ab eo alimenta percipere cupiat, par est vt illi potiùs res eius cedant, quàm alijs, quibus nihil debet, & a quibus nihil expectat. Tertiò, Quia cùm sit consilium Christi vt dentur pauperibus, nullis pauperibus conuenientiùs dari possunt, quàm ijs, qui sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cælorum; & qui possint recipere in æterna tabernacula; quales sunt Religiosi. Denique quia sic augetur cultus diuinus & numerus Deo seruientium.

Ratio constitutionis Iustiniani.

Quo modo post professionem bona distribuat.

Circa prædicta quædam sunt annotanda. Primò, Si is, qui profitetur, habet liberos, ei permitti vt distribuat eis sua bona post professionem, si id ante nõ fecit. facit autem hoc non vt dominus, sed vt administrator constitutus a iure ad hunc effectum, tellari tamen tunc non potest, quia id ei non est permissum, vt docet Nauarrus commentario secundo, numero quadragesimoquinto, & merito, quia factio testamenti maiorem præ se fert imaginem dominij, quàm nuda illa distributio.

Dices, Hæc constitutio est iuris Ciuilis, per quod non potest concedi administratio aliqua Religioso professo.

Respondeo, Eam non habere vim vt est iuris ciuilis, sed vt est recepta iure Canonico, seu approbata a Summis Pontificibus. vnde etiam relata est in corpus Decreti a Gratiano, c. Si qua mulier. 19 q. 3 de quo vide Nauar. comment. 2. nu. 44. & sequentib. vbi hanc constitutionem explicat & expendit.

Quando filijs danda legitima.

Secundò, Ex æquitate canonica legitimam filijs statim post professionem tradendam, nec esse expectandam mortem naturalem parentis vt docet Nauar. nu. 48 & Couar. ca. 2. de testam. nu. 12. & colligitur ex c. Cùm simus. 14. de Regul. nimis enim durum esset, si filij deberent alimenta petere a Monasterio.

Contraria tamen sententia non est improbabilis, quàm tenent plerique Doctores, telle Couarruuia, vsusfructus tamen, quem fortè pater habebat in bonis aduentitijs suorum liberorum, transit in Monasterium vsque ad mortem eius naturalem, vt docet Nauarrus numero quinquagesimoquinto, quia omnia transeunt, & ius nihil particulare de hoc disposuit quamuis & in hoc contrarium probabiliter teneri possit, de quo videri potest Couarruuias numero decimoquarto. Pari modo, pater in sæculo manens, vsumfructum, quem in bonis aduentitijs filij habebat, nõ amittit per filij professionem, vt idem Nauar. docet: nam professio filij non potest officere iuri paterno iam antè acquisito. secùs est quando filius egreditur patriam potestatem ob crimen paternum; tunc enim amittit pater vsumfructum vna cum patria potestate, vt rectè cum alijs docet Molina, de Iust. disp. 9.

Vsusfructus.

Tertiò, Si is, qui profitetur, non habet liberos vel nepotes, sed patrem vel matrem, auum vel auiam, iure communi illis debet legitimam: nimirum si hoc ius eo loco sit receptum. Nec obstat, quòd Monasterium habeatur pro filio, vel hærede, vt colligitur cap. In præsentia. 8. de probationibus, & Nouella 123. cap. trigesimoseptimo, ac proinde nihil videatur deberi ascendentibus; quia hoc non est verum nisi ad effectus iure expressos, qualis non est ille, qui proponitur in casu.

Quarto, Non solum bona tua libera, per professionem 34
transeunt in Monasterium, sed etiam quædam grauata: vt si tibi relictum sit fideicommissum, cum onere vt si absque liberis decesseris, restituatur alicui tertio, vt fratri. si ingrediaris Monasterium, cedit Monasterio, quia est instar filij. Ita expresse habetur d. c. In præsentia. & d. Nouella. Secus si grauatum sit vt in aliam piam causam conferatur, vt ibidem habetur.

Fideicommissum.

Quintò, Etiam feudum cedit monasterio, modò sit francum, id est, liberum ab obsequio, vel concessum feminæ, vel cum onere obsequij, quod Monasterium præstare possit, vel concessum cum facultate præstandi per alium. Ita Nauar. num. 55. & alij passim. Commoditas feudi durat solum ad vitam illius Religiosi: eo enim mortuo deuoluitur ad proximos hæredes, quibus ex sua institutione debetur, vel si desint, ad dominum directum. Ita Clarus §. Feudum. q. 78. nu. 2. ex Baldo, qui tamen Clar. num. 3. addit, sibi non placere sententiam communem, scilicet feudum transire in Monasterium: sed ratio eius solum probat, de feudis, quæ requirunt seruitium sæculare, Religiosis indecorum & prohibitum.

Feudum.

Pari modo emphyteusis in Monasterium transit. si tamen dominus directus velit, tenebitur in alium transferre, qui non sit maiori priuilegio præditus, quam prior emphyteuta. Ita Iulius Clarus, §. Emphyteusis, quæst. 22. dicitq; esse communem sententiam. Ratio est, quia conditio domini directi deterior redditur, cum amittat spem laudemij, id est, trigesimam vel quadragesimam partem pretij, quam percipere solet quotiescumque venditur. vide supra capit. 24 num. 57.

Emphyteusis.

Sextò, Non solum dominium, sed etiam possessio transit in Monasterium per professionem. Primò, Quia sicut persona transit in ius Monasterij; ita simul cum illa dominium, & possessio, quam illa habebat. Secundò, Quia Monasterium succedit non sicut hæres extraneus, qui vt comparet dominium debet adire hæreditatem, & vt possessionem capiat, debet apprehendere; sed sicut filius, seu vt hæres, qui in iure dicitur *hæres suus*, qui non comparat nouum dominium, sed continuat dominium, & possessionem eius, cui succedit. Ita Innocen. & alij in cap. In præsentia, de probationibus.

Possessio.

Dico Secundò, Si ante professionem per testamentum 85
disposuit de bonis in hæredes non necessarios, vt in fratres vel amicos, Monasterium ijs fruetur vsque ad mortem ipsius naturalem, sicut ipse testator facturus erat si in sæculo mansisset. vnde si illi moriantur ante testatorem, euanescit dispositio. & bona pertinebunt absolutè ad Monasterium, nisi alia mens testatoris fuerit. Ita Nauarr. supr. num. 54. & Couarruu. cap. 2. numer. 11. vbi dicit esse communem sententiam.

Si dispositio extraneos.

Dico Tertiò, Si Monasterium non habet ius successio- 86

nis,omnia bona Religioſi (niſi ipſe ante profeſſionem aliter de illis diſpoſuerit) ſtatim per profeſſionem deuoluuntur ad hæredes ab inteſtato,perinde ac ſi ipſe morte naturali defunctus eſſet.eſt communis ſententia DD.quia cum ipſe per profeſſionem ſe ſpoliet omni dominio & poſſeſſione, nec tranſeant hæc in Monaſterium, ſequitur ea iure deuolui ad alios hæredes.non enim debent ea bona manere adeſpota & ſuſpenſa.

Monaſterium non acquirit ius ex ſuccedendi.

DVBITATIO XI.

Cui acquirat Religioſus poſt profeſſionem.

87 SVPPONO Religioſum vel habere beneficium aliquod poſt profeſſionem, vt Prioratum, Abbatiam, Parœciã, Epiſcopatum,vel non habere.

Si non habet beneficium.

Nunc Dico Primò,Si nõ habet beneficium, acquirit ſuo Monaſterio vel Ordini,ſiue id ei ex induſtria proueniat,ſiue ex eleemoſynis, ſiue hæreditaria ſucceſſione, ſiue alio modo.Colligitur apertè ex iuribus ſuprà citatis, & ex c.16. Abbates.18.q.2. vbi dicitur, *omnia quæ Monachus acquiſierit, ab eo auferenda, & hæc Monaſterio profutura.* Dixi *ſine hereditaria ſucceſſione*; quia non minus poſt profeſſionem ſuccedit ex teſtamento & ab inteſtato, quam ſi eſſet in ſæculo: nec poſſunt eum parentes legitima priuare;vt patet L.Deo nobis.§.Hoc etiam,de Epiſc. & Cler. ex qua L.etiã patet nec ob ingratitudinis culpam in ſæculo admiſſam priuari poſſe: & merito quia hæc inſigni illa vitæ mutatione videtur abterſa. idem patet ex cap. non Liceat.19. quæſtio.3.

Poteſt Monachus iure cõmuni ſuccedere ab inteſtato.

Dices, Quomodo poteſt ſuccedere,cum ſit incapax dominij,& omne ius in Monaſterium ſit translatum?

Reſpondeo, Non habet ius vt ſum ſuum commodum ſuccedat, aut ſibi aliquid acquirat; hoc enim totum in Monaſterium translatum eſt; tetinet tamen ius ſuccedẽdi in cõmodum Monaſterij,vt illi acquirat.Hinc fit vt Monaſterium poſſit adire vel repudiare talem hæreditatem etiam ignorante vel inuito Religioſo. imò ſi hæreditas aliqua ante mortem Religioſi delata ſit & nondum adita, poteſt Monaſterium etiam poſt mortem illius eam adire, vt docet Couarruuias cap.1.de teſtamento,nume.31. ratio eſt,quia Ius adeundi ante mortem ipſius, Monaſterio erat acquiſitum, quod proinde per mortem ipſius non amittit. Religioſus autem ipſe ſine conſenſu Superioris valide illam adire non poteſt.

Religioſus cõparatur partim ſeruo,partim filiofamilias.

Hinc Religioſus in acquirendo partim comparatur ſeruo,partim filiofamilias.Seruo,in eo,cui acquiritur.quia ſicut ſeruus non acquirit ibi ſed domino, ita Religioſus acquirit nõ ſibi ſed Monaſterio.Filiofamilias,in modo acquirendi; quia ſicut hæreditas vel legatum delatum filio, poteſt acceptari à patre,ignoràte,vel inuito filio;ita Religioſo delatum poteſt acceptari a monaſterio inuito Religioſo. Hæreditas tamen delata ſeruo non acquiritur domino, inuito ſeruo vide Nauarrum comment. ſecundo, numero quarto,& trigeſimo. & Molinam diſputatione 140. vbi alios refert.

88 *Ius ſuccedendi quomodo renuntiatur.*

Circa prædicta Notandum Primò, In Ordinibus, qui non habent ius ſuccedẽdi,etſi Religioſi alijs modis poſſint acquirere Monaſterio vel Ordini, non tamen ſucceſſione ab inteſtato.nam per profeſſionem omne tale ius amittitur & quodammodo extinguitur,quamuis nõ omnino irrecuperabiliter. nam ſi contingat talem Religioſum transferri ad alium Ordinem, qui capax ſit, reuiuiſcet hoc ius in commodum illius Ordinis; & incipiet illi acquirere ſucceſſione ab inteſtato. vnde non tam fuit extinctum quàm conſopitum.Sed hoc intelligendum de hæreditatibus,quæ poſt tranſitum ad alium Ordinem deferuntur,non autem, de ijs,quæ antè obtigerunt,vt docet Couarruuias cap.primo de teſtamentis,numero vigeſimooctauo,& tribus ſeq. Idem dicendum ſi talis Religioſus fiat Epiſcopus, vt patet cap.Statutum.18.quæſtio prima, & docet Syluester Religio 4.quæſt.10.

89 *Regularis ab obedientia exemptus cui acquirit.*

Notandum Secundò, Quoſdam docere, eos regulares, qui Summi Pontificis priuilegio ſunt exempti a poteſtate Prælati, & foris viuunt,acquirere non Ordini,à cuius obedientia ſunt exempti, ſed Pontifici; idque ſine acquirant ex aliqua penſione ipſis a Pontifice conceſſa, ſiue ex eleemoſynis, ſiue ſua induſtria, ſiue ſucceſſione hæreditaria. quæ ſententia eſt ſatis rationi conſentanea. Nauarrus tamen,qui pro hac ſententia citatur,comment. quarto de regularibus, numero 68. id non docet, ſed contrarium,nempe talia acquiri Monaſterio. Sed ſpectanda eſt conſuetudo recepta.

Notandum Tertiò,Etiamſi Monachus acquirat Monaſterio, Monaſterium tamen non tenetur ex delicto Monachi, quamuis ſit Prælatus; niſi quatenus inde aliquid conuerſum eſt in Monaſterij commodum, capit.Delictum.76.de regu.lu.in 6., vbi dicitur, *Delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ non eſt conuertendum.* Ex contractu etiam Monachi non tenetur, niſi quatenus tacitè vel expreſsè ei commiſſa eſt aliqua adminiſtratio. Si ultrius ſuo vel Monaſterij nomine contrahit,probabile eſt obligari naturaliter,ac teneri dare operam quantum in ſe eſt vt Prælatus approbet. Eſt tamen in poteſtate Prælati contractum ratificare vel irritare,prout commodius ipſi fuerit,vt docet Nau.comm.2 nu.42.Vnde is cum quo contraxit,non poteſt reſilire,ſi Prælatus contractum approbet.

90 *An ex delicto Monachi teneatur Monaſterium.* *Ita & contra Ita Monachi regu.lu.in 6.*

Contraria tamen ſententia,ſcilicet ex tali contractu non naſci obligationem naturalem in Religioſo, niſi damnum intulerit,eſt etiam valdè probabilis, & plurimorũ Doctorum, quos citat Nauarr. iuxta quam dici poteſt,eum cum quo contraxit non teneri, & poſſe reſilire,niſi poſt approbationem Prælati ipſe quoque ratificet.vide ſupra cap.17. dubitatione 8.

91 *Si beneficiatus.*

Dico Secundò,Si religioſus habet beneficium extra ſuũ Monaſterium vel Ordinem, acquirit non Monaſterio, ſed beneficio.Eſt communis ſententia Doctorum,colligitur c.1.Statutum.18.q.1. vbi dicitur. *Religioſum prouectum ad Epiſcopatum acquirere non Monaſterio, ſed Epiſcopatui.* Idem dicendum ſi ad Abbatiam extra ſuum Monaſterium vel ad Prioratum aut Parœciam,etiam illi Monaſterio ſubiectam; vt docet Nauarrus comment.2.num.6.Vnde Prælatus non poteſt illi penſionem de nouo imponere,vel fructus in vtilitatem Monaſterij conuertere, quia ad beneficium pertinent, vt idem docet. Nec obſtat quòd tale beneficium ſit manuale, id eſt, quod nutu Superioris dari & auferri poſſit; quia quamdiu obtinetur, ipſi acquiritur,non Monaſterio. ſi tamen iure vel conſuetudine aliqua penſio annua monaſterio ſoluenda, tali beneficio ſit impoſita,hanc exigere poteſt.

92 *An omnia beneficio.*

Petes, Vtrum omnia,quæ promotus ad beneficium extra ſuum Monaſterium vel Ordinem quouis modo acquirit cedant beneficio?

Reſpondeo,Si ſit Epiſcopatus,omnia cedunt beneficio, etiam ea,quæ ſucceſſione vel donatione obtinet. Inſinuatur d.cap.Statutum:& meritò,quia ab Ordine ſuo eſt exẽptus. Idem dicendum ſi eſt Abbas vel Prior in alieno Monaſterio; quia tunc eſt exemptus a ſuo. De ceteris eſt diſtinguendum:ſi enim habet Parœciam vel Canonicatum, vel aliud beneficium, quod habeat corpus bonorum ſeorſim ab alijs,tunc omnia cedent beneficio. Si autem beneficiũ non habeat corpus diſtinctum: tunc ea,quæ proueniũt ex beneficio,cedent beneficio:quæ verò aliunde,Monaſterio.Ita Nauarrus commen.4.de Regu.nume.69.hoc modo cõcilians opinionem Bart.in L. Seruus communis.4.de ſtipulation.ſeruorum,(vbi dicit Bartolus Regularem beneficiarium,ea,quæ ex beneficio accipit, acquirere ipſi beneficio;ea,quæ aliunde, Monaſterio) cum opinione communi Canoniſtarum, qui dicunt omnia acquiri beneficio, nihil Monaſterio.

93 *Regularis beneficiarius an poſſit diſponere de fructibus.*

Ex prædictis infert Nauarrus commen.2.de Regul. nu.10.& 11.tract.de reditibus eccleſiaſt.quæſt.3.monito vigeſimoquinto. Regularem beneficiarium poſſe diſponere de fructibus beneficij ad honeſtam ſuſtentationem ſui, & ad pias cauſas,perinde ac ſæcularis poteſt de fructibus beneficij ſui;& addit id firmè tenendum.Primò,Quia eſt ſententia Cardin.Zabarell.a toto orbe vſu recepta & a nemine in theoria retecta. Secũdò, Quia aperte inſinuatur Clementin.2.§.Sed & tales,de vita & honeſtate Clericorum: vbi ponitur differentia inter Regularem ſimpliceem & beneficiorum, quod hic abſque facultate Superioris poſſit immediatè in opera pia impendere, ille non poſſit.Tertiò, Quia omnis titulus canonicus beneficij tribuit facultatem diſponendi reditus in ſui congruam ſuſtentationem, & ope-

& opera pia-qui enim eſt adminiſtrator beneficij,eſt etiam adminiſtrator fructuum. Quartò, Quia Prælatus non poteſt illos fructus aut eorum partem menſæ ſuæ applicare, nec impõnere nouas penſiones aut antiquas augere, vt expreſsè habetur Clemen.1.de ſuppl.negl.Præl.quod intelligẽdum de omnibus Prioratibus,adminiſtrationibus, alijſque beneficijs, quæ menſæ Abbatis non ſunt vnitæ, & à propꝛijs Rectoribus adminiſtrari ſolent,etiamſi illi ad nutum Abbatis reuocari poſſint,vt ibidem dicitur. vbi tacitè inſinuatur & ſupponitur, fructus horum adminiſtrandos eſſe ab ipſis beneficiarijs.

94 *An ſententia Nauarr. ſit certa.*

Hæc ſententia eſt certa,ſi loquamur de Regularibus,qui præſunt, & non ſubſunt Prælato Regulari a quo in alijs regantur,vel de ijs,quibus à Summo Pontifice collatio eſt facta. Verùm non eſt ita certa de alijs, qui ad nutum Prælati poſſunt amoueri. etſi enim Prælatus non poſſit imponere beneficio penſionem; tamen poſtquam ex beneficio inferior fructus aliquos percepit, quos in commodum ſuæ Eccleſiæ non erat impenſurus, non videtur a ratione alienum vt Prælatus de illis poſſit ſtatuere. vel præſcribere modum expendendi. vnde Franciſcus Sarmiento defenſionis ſuæ parte prima monito vndecimo contrarium tenet. Sed Nauarri ſententia videtur verior, niſi priuilegio vel conſuetudine memoriam hominum ſuperante contrarium alicubi ſit receptum. Idem docet Nauarrus cum limitatione & diſtinctione ſupradicta de omnibus alijs, quæ Religioſus beneficiarius alunde acquirit. vide conſilio ſeptuageſimo de Regularib. Vbi tamen Religioſus amotus fuerit, non habet amplius adminiſtrationem. vnde ſi quid pecuniæ ſecum attulerit ad Monaſterium ſubeſt diſpoſitioni Prælati.

DVBITATIO XII.

Quorum beneficiorum eccleſiaſticorum ſint capaces.

95 *Eſt capax beneficij regularis.*

DICO Primò, Regularis eſt capax beneficiorum regularium ſui Ordinis,vt ſunt Abbatia, Prioratus conuentualis,Prioratus claullralis, Præpoſitura,parœcia Monaſterio annexa.nam vt Clement.1.de ſuppl negl. Prælat. dicitur. *beneficia regularia Regularibus conferenda ſunt.* Imò ſæculari clerico beneficium, quod per ſe regulare eſt, conferri non poteſt; quia iure incapax: niſi auctoritate Summi Pontificis; qui etiam ideirco non confert ea niſi in Commendam, quo modo videmus paſſim conferri Abbatias & Prioratus. quod autem ſola annexione regulare eſt, vt ſunt quædam parœciæ,poteſt conferri ſæculari,ſi regularis non reperiatur idoneus.

Dico Secundò,Eſt etiam Iure communi capax quorumdam beneficiorum ſæcularium.

96 *Etiam quorumdam ſæcularium.*

1. *Epiſcopatus.*

Primò,Epiſcopatus, vt aperte habetur cap. Nullus Religioſus,28.de electione,in 6 vbi eſt Pontifex,vt Religioſus ſit capax Abbatiæ, requirat vt ſit expreſsè profeſſus, addit tamen id non eſſe neceſſarium vt poſſit eligi ad Epiſcopatum.

Vbi Notandum eſt verbum *Eligi*, quo ſignificatur iure communi eſſe idoneum.Si enim aliquid obſtaret,non poſſet eligi,ſed ſolùm poſtulari; cap. fin. de poſtulatione Prælatorum:de quo vide Sylueſtrum Religio 7.quæſt.6. Idem patet ex cap. Quorumdam.14. de electione, in Sexto. vbi etiam ſtatuitur vt nemo ex Ordine mendicantium aliquid iuris ſibi acquirat ex electione, poſtulatione, prouiſione, ad aliquam extra ſuum Ordinem Prælaturam, in diſcordia.

98 *Requiritur facultas Prælati.*

Aduertendum tamen, non poſſe Religioſum, qui ſub poteſtate Prælati eſt, conſentire in electionem vel promotionem ſui ad Epiſcopatum,vel ad aliud beneficium extra ſuum Monaſterium,niſi petita & obtenta licentia ſui Prælati;alioquin conſenſus eſt inualidus; & in pœnam illius præſumptionis,electio ipſo facto eſt irrita;vt habetur cap. Si Religioſus,vigeſimoſeptimo de electione,in Sexto.poſſet tamen Prælatus cogi per Superiorem ad concedendam facultatem, ſi neceſſitas vel vtilitas Eccleſiæ poſtularet, vt docet Gloſſa in illud capitul.vt Otium,referens. Tancredum & Bernardum; & Sylueſter ſuprà quæſtione tertia & quarta. Vel potiùs eo caſu recurrendum eſſet ad Summum Pontificem, vt ipſemet, qui eſt Superior omnium Prælatorum Regularium, facultatem concedat. Porrò vt Prælatus conſentium valid um ad hoc præbeat, non opus eſt conſilio aut conſenſu Conuentus,quamuis id vtum ſit ex grauioribus Monaſterij cauſis: ita enim expreſsè ſtatutum eſt d.cap. Si Religioſus.§. Quia verò: idque *ne ordinationes Eccleſiarum, ac Monaſteriorum, in quibus tales electi exiterint celeriùs & facilius valeant expediri*, vt ibidem Pontifex ait.

Secundò, Eſt capax curæ animarum, patet ex cap. Doctos.21. & multis ſequentibus, 16. quæſtione prima, ex quibus conſtat à temporibus Ambroſij conſueuiſſe Monachos ad curam animarum aſſumi. quod ſi Monachi, qui ex Inſtituto vacant tantùm contemplationi, poſſunt ad talia beneficia promoueri. etiam poſſunt Mendicantes, & alij Regulares; quorum functiones illi officio ſunt magis affines. Idem tenet Syluett. Religio 7 quæſt.4. ex Panormitan. quod intelligo, niſi aliquod particulare ſtatutum Ordinis obſtet. 98 2. *Curæ animarum.*

Vbi Notandum, Si hoc beneficium pleno iure ſubſit Monaſterio, nõ requiri auctoritatem Epiſcopi vt Religioſus promoueatur; ſed ſufficere voluntatem Prælati Regularis,qui etiam quando placuerit,poteſt illum amouere,& alium ſubſtituere. poſſet tamen inferior excipere ſi probare poſſet malo animo fieri, vt tradit Nauarrus libro tertio, conſ.cit de Regul. conſil.vigeſimo, nume. decimoquinto. Epiſcopi tamen eſt illum examinare & viſitare, vt patet ex Concilio Tridentino ſeſſione ſeptima, capit ſeptimo,& octauo,& ſeſſione vigeſimaquarta,cap 3.& 18.de reform. niſi forte Prælatus Regularis ibi iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem exerceat: nam ijs locis eſt examinare ad beneficium parochiale & approbare confeſſarios: quod & vſus ipſe confirmat, cui Epiſcopi non contradicunt; & ratio quoque probat; nam talis actus eſt Iuriſdictionis,non Ordinis: quare cùm ille Prælatus Iuriſdictionem habeat Epiſcopalem in ſuis locis ſeu terminis,ita vt ſubditi ipſius non agnoſcant vllum Superiorem illo in ſpiritualibus præter Summum Pontificem,non eſt cur illi poteſtas ad talem actum denegetur. qua de re vide noſtrum Suarem tom. ſecundo de ſacramentis, diſputat. 28. ſect. quinta. Si autem beneficium non ſubſit Monaſterio præter conſenſum Prælati requiritur & auctoritas Epiſcopi vt promoueatur; nec poteſt à Prælato deponi,quia exemptus eſt ab eius iuriſdictione,& ſubiectus Epiſcopo. Colligunt Doctores ex cap. 31. In parœcia.16. quæſt.1. vide Sylueſtrum Religio 7 q. 11. Quo caſu velut rejectus eſt à Monaſterio,nec amplius eius commodis frui poteſt,nec habet vocem actiuam,nec paſſiuam in Capitulo,vt docet Panor.in c.2 nu.3.de ſtatu monachor. translatus enim eſt à monaſterio ad beneficium ſæculare. *Si Prælatus habeat Iuriſdictio. Epiſc.*

Sed quid dicendum ſi beneficium ita ſit annexum monaſterio,vt debeat à Religioſo adminiſtrari, Abbas tamen non poſſit conferre, ſed ſolùm præſentare vnum ex ſuis Religioſis, & inſtitutio fieri debeat ab Epiſcopo; videtur enim tunc religioſus ille beneficiarius exemptus ab obedientia Abbatis,nec poſſe ab illo reuocari. Reſpondeo ita ſanè videri, quia non eſt pleno iure ſubiectus monaſterio, ſed ſolùm quo ad ius patronatus actiuum & paſſiuum, vt ita loquar,id eſt vt monaſterium præſentet & præſentetur. Vnde cùm Prælatus regularis non poſſit conferre, ſed ſolùm præſentare,non videtur poſſe auferre.& ita tenet Nauarrus in c. Non dicatis. nu 7. hoc tamen limitauerim dupliciter.Primò, niſi aliter in ipſa annexione vel inſtitutione fuerit conſtitutum; nempè vt religioſus ille non ſit omnino ab obedientia ſui Prælati exemptus, & ex cauſa reuocari ad Monaſterium poſſit: alioquin huiuſmodi annexiones eſſent valdè damnoſæ Monaſterijs,& daretur Religioſis illis beneficiarijs occaſio diſſolutionis vitæ. Secundò, niſi Prælatus ius illud iam legitimè præſcripſerit ſeu vſucceperit. ſufficit autem ad hoc poſſeſſio quadraginta annorum;ſi nimirum Abbas tanto tempore potuerit bona fide ſe hoc ius habere, gerendo ſe tanquam Superiorem erga illum Religioſum,& ille Religioſus ſe erga Abbatem tanquam ſuum Superiorem geſſerit,habueritque recurſum ad Monaſterium tanquam filius Monaſterij: vel ſi Abbas interea aliquoties vſus fuerit auctoritate reuocandi,& nemo ſe oppoſuerit. 99 3. *Dignitatis.*

Tertiò, Eſt capax dignitatis in Eccleſia ſæculari, vt

Præposituræ, & Decanatus, si propriè habent curam animarum sęcularium; quia ratione huius curæ, ad quam Religiosi in primis videntur idonei, iure illis concessum est vt possint beneficia habere.

Si verò non habent curam animarum nisi respectu Capituli, dubium est. Tamen probabile est esse capacem, quia nusquam prohibetur. Ita Sylvester, Religio septima quæst. quarta, & sexta ex Panormitano, & meritò, quia hic etiam ratio curæ & doctrinæ (ob quæ concessum est illis à Iure beneficia obtinere) locum habet. Ad hoc tamen & alia sæcularia beneficia non est Regularis promouendus, nisi necessitas, vel magna vtilitas Ecclesiæ postulet, ne & Monasteria præcipuis viris spolientur, & ambitioni porta aperiatur.

Canonicatus.

Ad Canonicatum & alia beneficia sæcularia Iure communi non sunt habiles. Ita communiter DD. & Panorm. in cap. Super eo. 9. de Regul. & in ca. Quod Dei timorem, de statu Monach. Ratio est, quia in beneficijs simplicibus cessat ratio curæ & doctrinæ, ob quam promotio Regularis ad Ecclesiam sæcularem est concessa, notat Panormitan. in dict. cap. Quod Dei timorem. 5. Vnde nec Episcopus in eo dispensare potest. Accedit, quod hæc ratione daretur occasio otij & mollioris vitæ, contra professionem regularem.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm Regularis ex suo Ordine possit ad alium transire, & qua ratione.

D. THOM. q. 189. art. 8.

100 *Possunt transire ad artiorem.*

DICO Primò, Omnibus Regularibus iure concessum est, vt possint ad Religionem arctiorem trãsire; cap. Licet. 18. de Regul. hoc tamen non est laudabile, nisi ob notabilem necessitatem vel vtilitatem. Primò, Quia monet Apost. 1. Cor. 7. *vt quisque in vocatione, in qua vocatus est, permaneat*; quod maximè locum habet in statu perfectionis. Secundò, Quia ex hoc transitu plerumque scandalizantur illi qui relinquuntur. Tertiò, Quia facilius quisque proficit in Religione in qua consuevit, quàm in alia, cuius consuetudines illi sunt peregrinæ & inolentes, vt notat D. Thomas 2. 2. q. 189. artic. 8. Quod confirmatur sententia Abbas Nesterotis apud Cassianum coll. 24. cap. 5. *Cuique vsui est*, ait ille, *vt secundum propositum, quod elegit, summo studio ac diligentia ad operis a vepte perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua, quam semel elegit, professione, discedat.*

An debeat esse absolutè perfectior.

Dico *artiorem*, non perfectiorem, quia in hoc transitu non quæritur vtra sit absolute perfectior; (etiamsi Diuus Thomas supra, Sylvester & alij quidam Doctores contrarium non improbabiliter tenere videantur) sed vtra artioris obseruantiæ, in qua tutiùs & melius possit salutem suam operari, vt colligitur ex dicto capit. Licet & tenent communiter Canonistæ. Hinc permittitur omnibus Religiosis etiam Mendicantibus, transitus ad Ordinem Carthusianorum, vt habetur Extrauag. Martini IV. quæ incipit, Viam ambitiosæ, in communibus; quamuis absolutè hic Ordo non sit omnium perfectissimus. Non est tamen necesse vt illa Religio in omnibus sit artior; nam Religio Minimorum in victu est artior quàm Carthusianorum, quia non vtitur ouis nec lacticinijs; & tamè possunt huius cultores, cùm numerentur inter Mendicantes, transire ad Carthusianos. Idem dicendum de Capucinis. Religio tamen Carthusianorum est artior in silentio, & solitudine, & Officij diuini prolixitate.

Omnes possunt transire ad Ordinem Carthusianorum.

Canonici regulares ad Ordinẽ Monachorum.

Simili modo permittitur Canonicis regularibus vt transeant ad Religionem Monachorum, vbi disciplina benè seruatur; cap. Sanè. 10 de Regular. quia Monachorum Religio est strictior, vt habetur cap. Quod Dei timorem, de statu Monachorum. Nec obstat cap. Mandamus. 2. & ca. 1. Nullus, decimanon. quæstione tertia, vbi id videtur prohiberi: quia solùm prohibetur ne transitus ille fiat cum detrimento Ecclesiæ, vel ex ira, odio, leuitate animi, aliaue perturbatione, vt ibidem notat Glossa. ex Ordine etiam Cluniacensium possunt transire ad Cistercienses, capitul. Licet, de Regularibus. Denique sicut Mendicantes possunt transire ad Carthusianos, ita vicissim Carthusiani ad Mendicantes; vt docet Nauarrus tit. de Regularibus, consil. 66. Sylvester Religio quarta, quæstione sexta. Paludanus in 4. distinct. 38. quæstione 3. art. 1. vbi probat ex omni alia Religione iure communi posse transiri ad Ordinem Prædicatorum. Idem docet Diuus Antoninus 3. part. tit. 16. cap. 4. §. quarto, citans Ioannem Dom. & Monaldum, qui dicit se vidisse Parisijs determinationem factam per doctores Vniuersitatis illius, fratrem Carthusianum posse iure communi transire ad Ordinem Prædicatorum regulariter viuentem. Idem docet Diuus Bonauentura Opusc. Determinatio quæstionum circa Regulam Sancti Francisci, c. duodecimo, vbi dicit ex quolibet Ordine posse iure communi Religiosum transire ad Ordinem Sancti Francisci. Hæc sententia est probabilis, & maximè procedit iuxta opinionem Sancti Thomæ & aliorum Theologorum, qui putant in transitu isto non tam spectandam austeritatem & solitudinem, quàm perfectionem Religionis & fructum. atqui religio Mendicantium est perfectior, vt probat Paludan. & Antonin. suprà. quia est Religio Christi & Apostolorum, nobilissimam & Deo gratissimam functionem, nimirum procurationem salutis animarum miscens contemplationi. Hæc intellige de Religione vbi disciplina viget, & transitus sine hac alio ve graui incommodo fieri potest.

Carthusiani ad Mendicantes.

Hic tamen aliqua sunt notanda, Primò, Vt hic transitus fiat matura deliberatione, & studio melioris vitæ. Secundò, Vt petatur licentia à Prælato, (ne obedientia contemni videatur) qui teneatur eam dare. Si non det, hoc ipso Ius concedit; vt habetur dicto cap. Licet. Si non petita facultate transeat, potest reduci ad prius Monasterium, vt faciat quod iure debet, iuxta Nauarrum de Regularibus, consilio quinquagesimonono. Si tamen non leuitate animi, sed matura deliberatione transiuit, non est reducendus, vt alij tradunt, & colligitur cap. Sanè, de Regularibus. Tertiò, Vt Monasterium ad quod transit, non tolùm Instituto, sed etiam vsu & obseruatione sit artius. Ideò enim fit commutatio, vt ibi sanctiùs & tutiùs viuat. Quartò, Debet explere annum probationis; vt docet Nauarr. lib. 3. consil. de Regula. consil. 3. quia Concilium Tridentinum generatim hunc annum requirit, quo expleto debet profiteri, & iuxta ordinem huius professionis obtinebit locum in Capitulo, vt idem docet cons. 60. quod intellige si transit ad Ordinẽ distinctum, vel ad Monasterium sui Ordinis in quo artior disciplina. Si transeat vt fit Prælatus, sufficit professio facta, nec requiritur annus probationis: imò non videtur requiri professio noua, quia substantialia sunt eadem: & ad cæteras latis censetur obligari ex lege & consuetudine, qua Prælati Regulares tenentur se communi regulæ & statutis loci conformare. Ita tenet Fredericus apud Nauarrum consilio tertio.

101 *Conditiones requisitæ in transitu.*

Dico Secundò, Possunt etiam Regulares, si iusta causa subsit, cum facultate Prælati transire ad Ordinem laxiorem. Ita docet Panormitanus in cap Non est. 7. & cap. Significatum. 11. de Regular. Innocent. ibidem, Hostiensis in Summa, Sylvester Religio quarta quæstione secunda. Nauar. commen. quarto, numero vndecimo, vbi prædictos citat. Idem tenet Glossa in d. cap. Non est, de Regul. & vius ipse confirmat.

102 *Ad laxiat.*

Dico, *si iusta causa subsit*, quia sine causa nec Pontifex concedere potest; nam intercedit quædam votorum relaxatio, quæ sine causa validè fieri nequit. Cum autem transitur ad strictiorem, vel illa est absolutè perfectior, & sic solùm fit commutatio in melius, in qua non est opus relaxatione; vel solùm est artior, & sic etiam fit aliqua votorum relaxatio, quia liberatur ab obligatione operum perfectiorum, eaque commutantur in obligatione operum pœnitentiæ, quæ minùs sunt perfecta, quamuis illa ob fragilitatem magis salutaria. Causæ iustæ sunt; Primò, Si collapsa disciplina in strictiore. Secundò, Si odia & simultates in ea vigeant. Tertiò, Si ipse alijs exosus. Quartò, Si ob corporis debilitatem non possit ferre rigorem.

Causa iusta.

Dico cum facultate Prælati, quia quando transitur ad Religionem laxiorem, non sufficit petijsse facultatem, sed oportet obtinuisse: nam ius non aliter hoc concedit. nõ tamen si absque facultate dimissio habitu transeat, censetur apostata. vt quidam volunt: quia non deserit absolutè statum religiosum, sed commutat.

Si absque facultate.

Vtrùm

Vtrùm verò incurrat excommunicationem, dubitari poteſt. Quidam affirmant, ob cap.2. Ne Clerici vel Monachi in 6. ita Nauarrus cap.27. Enchirid. numero 131. in fine, citans Sylueſtrum & Caietanum. Sed contrarium verius, ob ſimilem rationem: quia non tam dimittit, quàm commutat habitum Religionis, præſertim quando immediatè aſſumit alium, neque id facit cauſa euagandi, quæ fuit ratio tam ſeuere id prohibendi. vnde cum lex pœnalis ſtrictè ſit interpretanda, non videtur extendenda ad hûc caſum. Sic tenent Angelus verb. Religioſus, numero trigeſimo ſeptimo, Dominicus, & Ioannes Andreas in cap. ſecundo. Ne Clerici uel Monachi in 6. Panormitanus in capit. Sanè, de Regularibus, & colligitur capit. Ex parte, decimo de tempor. ordin.

Nō incurrit excōicat.

Petes, Quis poteſt dare hanc poteſtatem?

103 Reſpondeo, Si Monaſterium eſt ſubiectum Epiſcopo, hic dare poteſt. ſi eſt exemptum, Prælatus, qui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos habet, dare poteſt; cùm conſenſu tamen Capituli. ita Sylu. Religio 4. q. 2. & Gloſſa in c. Non eſt dubium. de Regul. Conſenſus Capituli requiritur, quia hęc res eſt una de maioribus negotijs Monaſterij, in quibus iuxta regulam & Canones requiritur Capituli conſenſus.

Quis dat hanc facultatem.

Dices, Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 19 decernit vt nemo Regularis cuiuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.

Obiectio:

Reſpondet Nau. l. 3. cōſ. 56. de Regul. mentem Concilij eſſe ſolum prohibere ne id fiat abſque iuſta cauſa, & ſine conſenſu Conuentus, aut non præmiſſa cauſæ cognitione, vt olim interdum fiebat, quibuſdam Prælatis id ſuo arbitratu concedentibus.

Reſp.

Notandum tamen eſt, Mendicantes iure cōmuni, etiam 104 cū facultate ſui Generalis non poſſe tranſire ad non Mendicantes (præterquam ad Carthuſianos) abſque facultate Pontificis: ſi contra fecerint. tam recipientes quàm recepti ſunt ipſo facto excommunicati; & profeſſio eſt irrita; vt patet Extrauagan. 1. de Reg. quæ incipit, Viam ambitioſæ; in communibus. hęc tamen non videtur recepta: nam Nauarrus conſil 56. de Regularibus abſolutè docet, Generalem Ordinis Sancti Auguſtini, poſſe facere poteſtatem tranſeundi ad Religionem laxiorem, ex iuſta cauſa, idque probat iure communi, nec meminit huius Extrau. vel certè illa Extrau. agit de ijs, qui iuſtā cauſam non habent: quod inſinuatur illis verbis, *facatis coloribus, & vt liberius degant. & beneficia monaſtica conſequi valeant.*

Dixi *Iure communi*, quia interdum Generales ex priuilegio poſſunt dare hanc licentiam.

105 Circa Mendicantes illud quoque aduertendum, ſi aliquis ex Mendicantibus tranſeat ad Carthuſianos vel ad alium Ordinem non Mendicantem, etiam cum facultate Pontificis, redditur inhabilis ad omnes dignitates & beneficia intra vel extra Ordinem obtinenda, ad curam animarum, & ad omnia officia, etiam nomine vicario, ſeu vt locum tenens; & caret loco, & voce actiua ac paſſiua in Capitulo, vt patet Clemen. 1. Vt Profeſſores, de Regu. ubi ſub nomine officij DD. intelligunt etiam officium prædicatoris, quidam & lectoris Theologiæ; hæc enim omnia dicuntur in Religione officia. Adde, generatim omnes Religioſos tranſlatos ad aliam Religionem, etiam arctiorem, eſſe incapaces beneficiorum ſæcularium, etiamſi curata ſint; & debere perpetuo manere in claustro ſub obedientia Superioris. Ita ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſio. 14. cap. undecimo.

Mendicantes tranſeuntes, inhabiles ad officia. &c.

Omnes trāſlati incapaces beneficiorum ſæcularium.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm Religioſus ob aliquas cauſas poſſit eijci, vel dimitti a Religione, & ob quas.

106 DICO Primò, Certum eſt Religioſum ob aliquas cauſas poſſe expelli è Religione. Eſt contra Card. Zabar. qui vt tradit Nauarrus, commentario 2. nume. 33. docuit ob nullum crimen expelli poſſe; ſed carceribus includendum.

Poteſt expelli.

Probatur Primò, Ex praxi omnium Religionum. Secundò, Quia Regula Sancti Auguſtini, cap. 20 & Beati Benedicti, c. 28 expreſsè tradunt poſſe eijci, ſi nolit emendari. Tertio, Regula Sancti Benedicti, c. 29. habet. Monachum tertiò fugientem, non eſſe amplius admittendum, quod perinde eſt ac ſi reuerſum expellas. Quartò, idē præſupponitur in cap vltim. de Regular. vbi Gloſſa & Panormitanus id expreſsè tradunt. Idē habetur c. Cùm ad Monaſterium. 6. de ſtatu Monachorū. Ratio eſt, quia melius eſt vt pereat vnus, quā vnitas, vt inquit Sanctus Bernardus, & c. Reſecandæ. 24. quæſtio. 3. ex Hieronymo dicitur. *Reſecanda ſunt putrida membra, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa corpus, & pecora ardeat, contaminetur, putreſcat, intereant.* Vnde in Repub. ſunt exilia, & in Eccleſia excommunicatio. Ideoque hoc ius ex naturali iure deſcendit. Carcere autem omnes tales concludere nimis graue onus Religioni, & ſæpe propter amicos fieri non poteſt; multaque alia incommoda ſecum trahit.

Cauſæ autem ſunt. Prima, Nolle corrigi ſeu emendari. hæc ſola iure communi expreſſa. Secundò, Commiſiſſe aliquod crimen, propter quod in illa Religione conſtituta eſt erectio vel ratione cuius timetur infamia Ordini: ſicut enim Ordo non tenetur retinere ſubditum cum damno diſciplinæ, quando eſt incorrigibilis; ita neque cum damno famæ, & ſuis ſceleribus factus ſit infamis. Tertiò, Tacuiſſe aliquod impedimentum, quod in illa Religione cenſetur eſſentiale, vel valdè graue. Ratio eſt, quia dolus dedit cauſam admiſſioni; ac proinde Monaſterium non tenetur eum retinere. Nec refert quòd hæ duæ cauſæ non ſint iure expreſſæ, quia ſufficit illas approbatas eſſe à iuris auctore Sede Apoſtolica, & cognitas cuilibet ante profeſſionem. accedit quòd ſint conſentaneæ Iuri Gentium & naturali.

Cauſa expulſiuæ.

Petes, Vtrum ſi Religio aliquem dimittat abſque iuſta cauſa, peccet contra iuſtitiam. 107

An ſecus ſit contra iuſtitiā.

Reſp. Si ille eſt profeſſus, & recuſat dimitti, fit ei iniuria, & Religio Iuſtitiæ lege tenetur eum recipere. Ratio eſt, quia profeſſio eſt contractus reciprocus, vt ſup. oſtenſum eſt, per quem ſicut Religioſus obſtrictus eſt Ordini ad manendum & perſeuerandum, ita Ordo viciſſim obligatur ad illum retinendum, & tractandum tanquam filiū, niſi contingat illum Ordini eſſe noxium.

Si verò nondum eſt profeſſus, factus tamen eſt Religioſus per tria vota ſubſtantialia, fieri poteſt vt abſque vlla iniuria dimitti queat, etiamſi alia cauſa non ſubſit, quàm quod temporis decurſu deprehenditur illi Ordini minùs conueniens. Ratio eſt, quia ſtatui poteſt vt vota illa, quibus efficitur Religioſus, habeant tacitè vel expreſsè hanc conditionem. Si Religio me retinere voluerit: quo poſito, etſi ipſi obſtringatur Ordini, & in ius eius tranſeat, Ordo tamen non obſtringitur illi ex vi acceptationis voti, & contractus, qui in admiſſione initur. Vnde quantum eſt ex vi huius contractus, poteſt ille abſque iniuria dimitti: quamuis ipſe ex parte ſua obligatus ſit ad perſeuerandum.

Quòd autem hoc abſque vlla iniuria ſtatui poſſit, Probatur Primò, Quia qui admittuntur, ſciunt & acceptant tale ſtatutum ab initio: at ſcienti & volenti non fit iniuria, vt habet Regu. Iuris vigeſimoſeptimo in Sexto. Secundò, In multis euentis iure fieri poteſt vt non ſit vltrò citroque obligatio in contractu, ſed ſolum ex altera parte quando cauſa ſubeſt.

Multi caſus in quib. non eſt vltrò citroque obligatio.

Primò, In contracto ſponſalium impuberis cum pubere; nam puber reſilire non poteſt; impuberi verò, vbi ad pubertatem venerit, licitum eſt à contractu recedere, vt communiter tradunt DD. & habetur c. 7 De illis. 1. de deſponſat. impuber.

Secundo, In contractu pupilli ſine auctoritate tutoris, & in contractu minoris inito cum maiore ſine auctoritate curatoris. hi enim poſſunt maiorem ſibi efficaciter obligare, etſi ipſi non poſſint obligari illi, vt expreſsè habetur Inſtitut. de auctoritate tutorum, initio, & §. Pupillus, de inutilibus ſtipulat. & l. Non eò minùs. C. de procuratoribus; de quo dictum ſupra cap. decimoſeptimo, dubitatione octaua.

Tertiò, In contractu ſæcularis cum Religioſo, teſte Nauar. comm. 2. de Regu. nu. 30. & 65. vt ibidem dictum eſt, & hoc c. nu. 90.

Quartò, In contractu ludentis credito, cum eo, qui præſenti pecunia: hic enim in regno Caſtellæ poſt conſtitu-

tionem Caroli V. si amittat, non potest repetere solutum: ille verò non tenetur soluere, nec quidem in foro conscientiæ, vt tradit Couarruuias ad regulam Peccatum, p 2.§.4. numero 8. & Alphonsus Castro libro 2. de potestate legis pœnal. capitulo 2. coroll.2. de quo supra capitulo 26. dubit.2.

Quintò, In professione tacitè facta intra annum probationis, per susceptionem habitus professorum in Ordine non mendicantium, ante Concilium Triden. qui enim ita professus erat, non erat obstrictus illi Religioni: Religio tamen ipsi obstricta erat, ita vt teneretur illum retinere, si ipse manere vellet, vt tradunt DD. in c. Constitutionem, de Regul. in Sexto.

Sextò, Multis est concessum priuilegium restitutionis in integrum, cum quibus si contrahas, non est par conditio; nam tibi hoc priuilegium non competit. de quo dictum est c.17.dubit.9.

Quòd si in fauorem minoris ætatis, & eorum, qui in aliena sunt potestate, & ob similes causas minoris momenti, iure statui potest hæc inæqualitas, & alteri parti potestas recedendi à conuentione concedi, altera manente obstricta: cur eadem statui non poterit in admissione ad Religionem ob causas maximi momenti; nempè, vt Religio magnis & difficillimis muneribus addicta in Ecclesia, non grauetur personis inutilibus, vel parùm idoneis, quique alijs possunt esse impedimento, vel scandalo? sanè longè minus incommodi est tales dimitti, & eorum loco idoneos & selectos sufficì, quàm Religionem huiusmodi hominibus grauari, cum magno præcipuarum functionum detrimento. Accedit quòd hac ratione singuli facilius contineantur in officio, & melius ad suum Institutum se applicent, dum vident se posse dimitti, si secus fecerint. Deniq. experientia satis probat quam salutare sit hoc statutum, adeò vt dubitari non possit, quin sit non solùm iustum, sed etiam diuinitus inspiratum: quod etiam satis constat per S. Sedis Apostolicæ, & Concilij Tridentini luculentam approbationem.

Dixi *posse dimitti quantum est ex vi admissionis, & illius contractus*; quia si Constitutiones spectentur, non possunt dimitti nisi ob graues causas ibidem expressas. Itaque etsi Religio non obligetur ex vi admissionis, obligatur tamen ex vi Constitutionum.

208 Dices, Si possunt dimitti: ergo non sunt verè Religiosi; quia non habent statum firmum & immobilem. Deinde iniquum videtur vt postquam renuntiauerint bonis absq; vlla spe recuperandi, ejciantur extra Religionem, & cogantur sibi quærere victum.

Respondeo ad Primum, negando consecutionem. Ad essentiam enim Religionis, aut alterius status proprie dicti non requiritur tanta firmitas, vt per Superiorem non possis solui; sed sufficit, vt teipsum non possis soluere; vt patet in statu seruorum, qui tamen à domino possunt manumitti; & in statu Religiosorum professorum, qui auctoritate Summi Pontificis liberari possunt. Itaque cum illi seipsos nullo modo possint vinculis votorum eximere, habent eam firmitatem, quæ sufficiat ad statum perpetuum, & immobilem. Fateor tamen non habere omnem firmitatem, quam habent professi; sed hæc non est ad essentiam Religionis necessaria, vt suprà dub.1. ostensum est. Vide Nauarrum comment.1.nu.19.

Ad Secundum: Ratione Constitutionum non possunt dimitti sine graui causa: vnde non plus est incommodi, quàm in dimissione professorum; & rarissimè contingit vt quis post renuntiationem dimittatur. ob hanc etiam causam interdum permittitur, vt renuntiatio ad aliquod tempus differatur.

DVBITATIO XV.

Quid interſit inter eiectum, fugitiuum, & apoſtatam, & ad quid eiectus teneatur, quidue poſſit.

209 SVPPONO, *Eiectum* non esse *Apostatam*, nec censeri fugitiuum: *Fugitiuus* enim est, qui sponte discedit, *Apostata.* idque, vel animo deserendi Institutum, & sic est *apostata*, vel certè, vt sit extra potestatem Superioris, & ad tempus liberè vagetur, cum animo redeundi. & sic solùm dicitur *fugitiuus*. Qui *ejicitur* non sponte recedit, sed iussus, vel compulsus. Itaque qui electus, vel dimissus discedit, non incurrit excommunicationem, aut alias pœnas apostatarum.

Qui verò fugit dimisso habitu, est excommunicatus; *Dimittens habitum.* etsi non animo apostatandi id faciat, cap. Vt periculosa. 2. de Clerici, vel Monachis in 6. quia habitum suæ Religionis temerè dimittit. si tamen non dimittat habitum, *Eiectus.* non est excommunicatus, etsi fugiat ex Monasterio. nisi forte animo apostatandi fugiat: quo casu secundum quosdam erit excommunicatus, etiamsi habitum retineat.

Sed verius puto Iure communi non esse excommunicatum. nam dicto cap. Vt periculosa, solùm excommunicatur is, qui temerè habitum dimittit. Vnde DD. fatentur quidem talem esse apostatam, quod per se euidens est; (*apostata* enim dicitur a defectione instituti religiosi; non autem ab habitus depositione) non tamen dicunt incurrere excommunicationem. Imò Syluester v. Apostasia, quæst.8.& Caiet. in Summa, eodem verbo, apertè insinuat non esse excommunicatum nisi habitum dimiserit. Confirmatur, quia lex pœnalis non est extendenda ultra verborum proprietatem.

Dices, Si est apostata; ergo incurrit pœnas apostatarũ, *Obiectio.* inter quas est excommunicatio.

Respondet, Posse puniri, vt apostatam, videlicet excom- *Resp.* municatione, carceris inclusione, suspensione ab Ordinibus; non tamen incurrit pœnam excommunicationis latæ sententiæ, iure communi, nisi habitum dimiserit; quod ordinariè fieri solet.

Dico *iure communi*, quia quædam Religiones habent priuilegia, quibus ipsarum apostatæ absolute excommunicantur, etiamsi habitum retineant.

Quod autem ad *eiectus* attinet, quædam hic sunt notanda. Primò, Si quis solùm eiectus sit ad tempus, vt se emendet, hunc teneri se emendare, habilemque reddere, & tunc rursus se offerre Religioni, vt denuò recipiatur. Si verò per sententiam absolutè eiectus sit, non teneri se offerre, imò, nec posse compelli per Superiorem Monasterij, vt redeat; iuxta Nauarrum consil. 51. de Regularibus, & comment. 2 num.33.& 36. Ratio ipsius est, quia per sententiam talem, Religiosus definit esse membrum illius Ordinis, ac proinde eximitur eius iurisdictioni; sicut seruus eiectus a domino, efficitur sui iuris, & definit esse sub domini potestate.

110 *Eiecti an teneantur redire.*

Sententia Nauarri.

Si dicas, Cap. vltimum de Regular. (quod est Concilij Lugdun. sub Gregorio X.) iubet vt Visitatores, vel Abbates maiores, vel Priores requirant fugitiuos, & eiectos; & cogant Monasteria, vt eos recipiant; & si nolint reuerti, eos excommunicent.

Respondet Nauarrus locis citatis, hoc esse intelligendũ de eiectis iniustè, vel inordinatè, vel saltem non per sententiam definitiuam.

Alij dicunt dispositionem illius ca. non esse amplius in vsu: nam ne fugitiuos quidem requirere solent. etsi enim eiecti possint compelli ad reditum per Summum Pontificem, qui etiam statuere potest, vt quærantur, & reducantur; si tamen hoc statutum non est receptum; vel si contraria consuetudine abolitum, non obligat.

111 *Verius est teneri redire.*

Verius tamen puto eos teneri reuerti, maximè si a suis Superioribus requisiti fuerint. Probatur Primò, Quia si nolint redire, possunt, & debent excommunicari tamquã contumaces, ut expresse habetur d. cap. vlt. de Regular. vbi supponit Concilium eos saltem tunc teneri: non enim illis nouam obligationem imponit, sed eorum Superioribus, ut eos quærant, & compellant. loquitur autem de omnibus eiectis, & fugitiuis. Secundò, Facto diuortio per sententiam definitiuam, nocens tenetur reuerti, si innocens velit eum in gratiam recipere, & sibi reconciliare; vt communiter Doctores tradunt. non enim innocens per diuortium iure suo priuatus est, cum illud in fauorem ipsius factum sit. quod autem in fauorem alicuius inductum est, non debet in eius damnum retorqueri, vt habet reg. Iuris 61. in Sexto: ergo Religiosus per sententiam eiectus tenebitur reuerti, si Ordo illum repetat. sicut enim professio est spirituale coniugium, ita eiectio spirituale diuortium. Tertiò, Quia ex vi

voto-

vororum & profeſſionis ſuæ tenetur manere in Religione ſua vſque ad mortem: ergo quantum in ſe eſt, tenetur id præſtare, & impedimenta amouere: ac proinde cùm iam facta ſit illi poteſtas redeundi, tenetur redire, vt ſoluat quod Deo promiſit. Confirmatur, Quia antea ſolùm excuſabatur per impoſſibilitatem, eò quod non eſſet in ipſius poteſtate illi manere: ergo cùm iam id non ſit factum ſit poſſibile, recurrit vis obligationis. Hanc ſententiam inſinuat Syluester Religio 6. qu. 12. cùm ait, eiectum cogi poſſe vt redeat, & D. Bonauentura qu. 2. in regulam S. Franciſci. Si tamen alium Ordinem ingreſſus fuerit, non tenebitur redire. quia Prælatus hoc ipſo quo illum expulit, & habitu priuauit, ei facultatem feciſſe cenſetur alium Ordinem ingrediendi (non enim cupit illum manere in ſæculo) quam reuocare non poteſt, quando res non eſt integra.

Non tenetur aliud intrare.

Secundò, Eiectum non teneri intrare aliud Monaſterium. Ratio eſt, quia ad hoc ſe non obſtrinxit. vel enim tenetur redire ad ſuum, cui erat obligatus; vel ad nullum.

Si vouerat Religionem in genere.

Dices, Quid ſi antea vouerat Religionem in genere? Reſpondeo; Quidam putant eo caſu illum teneri ingredi alium Ordinem, ſi in ſuo non recipitur; quia manet votũ Religionis, cui tenetur & poteſt ſatisfacere. Inſinuat hoc Sotus lib. 7. de Iuſtitia quæſt. 2. art. 1. ad 3. & quidam alij recentiores.

Sed verius eſt nõ teneri. Ratio eſt, quia hoc votum Religionis in genere, fuit extinctum per profeſſionem factã in hac Religione: omnia enim vota ſimplicia cõmutantur in ſolemnia Religionis, vt ſuprà cap. 40. nu. 92. oſtenſum eſt, Adde mentem ipſius non videri fuiſſe ſe obligare ad ingrediendã aliam Religionẽ, ſi poſt profeſſionem contingeret eijci ex ilta: niſi forte id expreſsè cogitauerit cùm voueret. quo caſu ſi de eo conſtaret, putarem debere aliam Religionem capeſſere, nec poſſe in ſæculo remanere: quia illud votum non fuit per profeſſionem commutatum, cùm nulla ratio cõmutationis ſubfuerit. Executio enim eius nõ concurrit ſimul cum executione profeſſionis, ſed ſolũ inducitur in locum huius, ſi contingat hanc impediri.

112 Tertiò, Poſſe eiectum in ſæculo vti veſte clericali: quia ſpoliatus habitu ſuæ Religionis per ſententiam, non tenetur, imò nec poteſt eo vti, vt docet Nauarrus comment. 2. num. 36. Supereſt igitur vt vtatur veſte clericali, ſtatui ſuo conueniente.

Quarto, Non poſſe acquirere ſibi alicuius rei dominiũ: quia manet vere Religioſus, obſtrictus tribus votis ſubſtantialibus. Itaque eſt dominij incapax.

Cui acquirat.

Petes, Cui ergo acquirit? Nauarrus commen. 2. num. 33. docet non acquirere Monaſterio, quia non eſt ampliùs illius membrum, nec illi ſubiectus. ſed ſi exemptus ſit, acquirere Summo Pontifici: ſi nõ exemptus, Epiſcopo loci. Hęc ſententia eſt probabilis.

Verius eſt acquirere Monaſterio.

Verius tamẽ puto cum Molina diſputat. 140. ipſum acquirere Monaſterio, vel dominium, ſi eſt capax; vel ſaltem commoditatem poſt mortem ſuam, ſi non eſt capax. Ratio eſt, quia Monaſterium per culpam & punitionem Religioſi, ius ſuum, quod in bona illius habebat amittere non debuit. Nec eſt ſimile de ſeruo; tum quia ſeruus per eiectionem à domino efficitur plaũè liber, & dominij capax; Religioſus verò minimè; tum quia hic non ita præciſus eſt a Religione ſua, quin teneatur reuerti, ſi Religio velit; & ſi ſe emendauerit, cogi poſſit Religio illum admittere, niſi iuſtas cauſas habeat recuſandi.

Infans & furiosus expoſitus.

Dices, ſi infans fuerit expoſitus à parente, eximitur à patria poteſtate, nec acquirit parenti; ſimiliter ſi ſeruus à domino, efficitur liber, vt colligitur c. vnico, de infant. & languidis. ergo pari modo Religioſus eiectus fuerit e Monaſterio, eximitur iuri illius, nec acquirit illi, ſeu Pontifici vel Epiſcopo.

Reſpondeo negando conſequentiam; quia illud ſtatutũ eſt in pœnam crudelitatis parentum & dominorum: pœna autem non debet extendi vltra ſuum caſum, præſertim cùm nulla ſit crudelitas aut culpa in expulſione Religioſi. Deinde ſi hac in re eſt culpa aliqua, vel illa eſt in ſolo Prælato, & ſic non debet nocere Monaſterio; nam delictũ perſonæ non debet in Eccleſiam redundare, vt habetur Regula 76. in Sexto. Idem dicendum ſi eſt in minore parte Capituli. Vel eſt in Capituli maiore parte, & ſic, etſi Monaſterium poſſit priuari, non tamen priuatum eſt iure ſuo ante ſententiam. Quod ſi beneficium obtinuerit, acquiret beneficio & ſuæ Eccleſiæ.

De fugitiuis & apoſtatis, dubium non eſt hos Ordini acquirere; quia Monaſterium eos a ſe non abdicauit.

113 Quintò, Religioſum eiectum eorum, quæ acquirit, habere adminiſtrationem, tum ad alimenta, tum ad pias cauſas; hæc enim tacitè conceditur dum eijcitur. non tamen poteſt teſtari, quia iure ad hoc inhabilis.

Si expendat in illicita.

Dices, Quid ſi in illicita expenderit, tenebiturne accipiens ab eo aliquid, ad reſtitutionem? Videtur teneri, quia ille non eſt dominus, ſed ſolùm adminiſtrator: atqui ob hanc cauſam obnoxius eſt reſtitutioni, quod Abbas vel alius Regularis illicitè expenderit, vt ſupra dubit. 9. dictũ eſt. Hæc ſententia eſt valde probabilis: nam DD. generatim loquuntur.

Contrariũ tamẽ magis eſt vſu receptũ, idque verius eſſe docet Molina diſput. 176. Rõ eſt quia tota commoditas interim dũ viuit ita ei relinquitur ac ſi Religioſus non eſſet; nec cuiquam curæ eſt quomodo expendatur nã Monaſterium non cenſet res illius in bonis ſuis ante eius mortem.

114 Sextò, Verius eſt non recidere in obedientiam Epiſcopi ex vi ſui voti, & profeſſionis: etſi Nauarrus multis locis (vt comment. 2. num. 34. 35. & alibi) contrarium probare nitatur; ſed ſolùm teneri illi obedire, ſicut alij de Clero. Ita Molina diſp. 140. & Azor. lib. 12. cap. 16. q. 11. ſic enim toto orbe vſu receptum; nec Epiſcopi aliquid peculiaris iuris in illos vſurpant. Ratio eſt, quia in profeſſione non intendunt ſe obſtringere Epiſcopo per votum obedientiæ, ſed ſolum ſuis Prælatis Regularibus, & Romano Põtifici, qui eſt omnium Religioſorum communis Superior, cũ ab ipſo omnis iuriſdictio ſpiritualis ad illos deſcendat. Itaque cũ promiſſio & votum non operetur vltra intentionẽ promittentis, nõ tenentur Epiſcopo ex vi voti, quod maximè locum habet in ijs, qui erant ab Epiſcoporum iuriſdictione exempti: nam in non exemptis valdè probabilis eſt ſententia Nauarri; quia ex vi voti ſubſunt Epiſcopo. nõ tamen tenentur ſe illi offerre vt ipſe eos dirigat, & ab ipſo in omnibus dependeant, vt vult Nauarrus; quia hunc modum viuendi non vouerunt: ſicut nec ad aliam Religionẽ tenentur; imò nec a Romano Põtifice compelli poſſunt vt aliã capeſſant, vt idem Nauarrus docet de Regular. conſi. 17.

An recidat in obedientiam Epiſcopi.

115 Septimò, eiectum non eſſe ſolutum ſuis votis, etſi ceſſet ex parte executio ob defectum materiæ; nempe quia caret Superiore, a quo dirigatur. debet tamen ea ſeruare in præparatione animi. A reliquis verò monaſticis obſeruantijs, vt a ieiunijs, vigilijs, delectu ciborum, ſilentio, eſt liber: quia hæ comitantur vitam monaſticam.

An ſoluatur ſuis votis.

CAPVT XLII.

De Iuramento & Adiuratione.

Conſtat Dubitationibus 14.

EXPLICATA natura voti, & ſtatus Religioſi, qui voto conſtat; ſequitur alius religionis actus, qui iuramentum, iuſiurandum, & interdum ſacramẽtum (eò quòd ſit rei ſacræ atteſtatio) à iure & ſcriptoribus vocatur. Huic affinis eſt adiuratio, quæ etiam per aliquid ſacrum fit, quam eodem capite tractabimus. de iuramẽto agit D. Thomas, quæſt. 89. de adiuratione, quæſt. 90.

DVBITATIO I.

Quid sit Iuramentum.

D. THOM. QVAEST. 89. ART. 1.

1 IVRAMENTVM dicitur à *Iure:* quia instar Iuris habendum. vnde à Latinis passim vocatur Iusiurandum. Græcis dicitur ὅρκος quasi ἕρκος, & septum firmum extra quod non liceat procedere.

Iuramentū. Est autem *Iuramentum* nihil aliud quam attestatio diuini numinis: vel inuocatio diuini testimonij ad fidem faciendam; vel promissionem firmandam.

Attestatio. Est *attestatio*, id est, actio illa seu inuocatio, qua Deus adducitur in testem; quæ actio est opus intellectus, nam est locutio interior vel exterior, supponens actum voluntatis, quo intendimus illum in testem vocare.

Obiectio. Dices, Ergo qui iurat, petit miraculum: Deum enim prębere testimonium dictis hominum, est res insolens supra naturæ ordinem. Deinde si iuramentum est inuocatio diuini testimonij: ergo est actus orationis quia inuocatur Deus vt opem ferat ad persuadendum; ac proinde Sancti, quando inuocabant Deum vt miraculis prædicationem comprobaret, iurabant.

2 Respondeo ad primum, negando conseq. Non enim iurans petit absolute vt Deus nunc testetur, sed quando ei placuerit. vel saltem *quando illuminabit abscondita tenebrarum, & reuelabit occulta cordium*, quod testimonium nulli deerit: hoc autem valet ad fidem faciendam, quia non facile putatur quis ita esse improbus, vt audeat Deum facere testem falsi.

Resp. Non petit miraculum.

Ad secundum: Qui iurat, non inuocat diuinum testimonium per modum orantis, sed per modum testantis; sicut dicitur inuocare testimonium Principis vel populi, qui dicit Testor Principem, testor populum. hoc enim non est propriè orare, deprecari, sed testem constituere, & quantum in se est ad testandum mouere. simili modo dicimus, Facio Deum meum Iudicem, meum patronum, procuratorem, vindicem, &c. exprimentes affectum, quo illum ad hæc, quantum in nobis est, mouemus, absque alia deprecatione.

3 Hinc patet Primò, Cur periurium sit graue peccatum; quia nimirum qui falsum iurat, quantũ in se est facit Deum approbare falsum pro vero, quæ est atrox iniuria. Sicut enim qui dicit, Deus sit mihi socius, adiutor, fautor huius furti, homicidij, &c. affectu ipso & quantum in se est, facit ipsum auctorem & fautorem peccatorum: sic qui in mendacio dicit, Deus sit mihi testis, facit ipsum, quantum in se est, approbatorem mendacij.

Cur periurium graue peccatum.

4 Patet Secundò, Duo requiri ad essentiam iuramenti; intentionem iurandi, seu Deum testem faciendi, & locutionem, qua in testem vocetur. vnde si alterum horum absit, non erit iuramentum. Itaque illis formulis, *Per fidem meam, Fide bona vera, Fide boni & bruti serui* vel *facerdotis*, vt ordinariè accipiuntur, non est iuramentum, vt docet Nauarrus cap. 12 num. 2. Caiet. quæst. 89. ar. 6. Sotus lib. 8. q. 1. art. 1. & alij multi nam qui sic loquuntur, non intendunt iurare, sed tolum significare se loqui ex virtute fidei vel veritatis, quam vir probus, Christianus, sacerdos, in dictis & promissis suis adhibere debet; & si fallat, vt non habeatur verax aut fidelis. Si tamen intelligant fidem Catholicam, erit iuramentum: qui enim dicit. *Per fidem Catholicam, per sanctum Euangelium*, censetur auctorem illius in testẽ adducere. Nihilominus si alio sensu & alia mente huiusmodi verbis vteretur, non esset iuramentum; vt si dicendo *Per fidem meam* feci, dixi, faciam, &c. vellet significare causam efficientem vel impulsiuam. Neque in his est iuramentum, *Per meam conscientiam*, (etsi Soto de hoc aliter videatur) *super meam conscientiam, in conscientia, in veritate*; tantum enim significant se loqui ex conscientia & veritatis notitia. & idem valent, per conscientiam, & in conscientia. neque etiam in hanc, *Amen, amen dico vobis*, iuxta probabiliorem sententiam: etsi Origenes tract. 35. in Matthæum, & quidam Patres illum secuti, & recentiores contrarium putent. Incredibile enim est Dominum tam sæpe iurasse; quin potius verisimile numquam iurasse, qui omne iuramentum, quantum fieri potuit, vitandum docuit. tantum igitur volebat illa forma loquendi insinuare, se ex certissima veritatis notitia docere. Apud Græcos idẽ ferè valet ναί, id est, certè verè vt colligitur 2. ad Corin. 1. v. 17. 18. 19.

Per fidem meam. Fide bona vera. Fide boni & bruti serui vel facerdotis. Verba formalia.

In illis verò, *Coram Deo* loquor, *Deus scit* ita esse, *Deus videt* me vera dicere, *videt meam conscientiam*. prout vulgo accipi solent, censetur esse iuramentum. Sic Apostolus ad Galat. 1. *Ecce coram Deo quia non mentior*. Si tamen quis non intendat iurare, sed solum affirmare Deum ista scire intueri, non erit iuramentum, quia deest intentio, vt rectè Caietanus art. 1. & Sotus supra.

Denique in his, *Ie renie Dieu*, vt Galli dicunt, & *Pese à Dios*, vt Hispani, & similibus potius est blasphemia, quam iuramentum, vt docet Couar. in cap. Quamuis pactum. p. 1. §. 7. nume. 12. etsi in illo secundo implicite etiam contineatur iuramentum execratorium, vt ex eodem, & ex Soto supra colligitur.

5 Dices, Quidam iurant per falsos deos, in quibus nihil est numinis, vel per creaturas: ergo non omne iuramentũ est attestatio diuini numinis.

Obiectio: Iuramentum per falsos deos.

Respondeo, Iuramentum per falsos Deos non esse verũ iuramentum, nec obligare nisi ex conscientia erronea, quia nulla reuerentia illis debetur: nec metuendum est ne illos videamur fecisse testes falsi. Vnde non est per se peccatum mortale iurare falsum per Iouem, si scias Iouem nihil esse, quia verè non iuras; sed iocaris & ludis imagine iuramẽti: perinde ac si chimæram testeris, vel rem aliquam ratione carentem; nisi fortè fiat ferìò vel ad imperium tyranni, vel cum illis circumstantijs vt videaris Ioui honorem diuinũ deferre. Infidelis tamen putans Iouem esse Deum, erit periurus, saltem affectu, & culpa, si falsum iuret vel promissa iurata non seruet. Vide Couarruuiam supra num. 24.

Resp.

Nec obstat quòd D. Augustinus serm. 30. de verbis Apostoli sub finem ait, *esse periurum, qui falsum iurat per lapidem*; id est, *per Iouem*, vt patet ex antecedentibus) *etiamsi sciat Iouem nihil esse*; quia intelligi potest esse periurum ex opinione ethnici, cui tale iuramentum præstatur, & cui fides in contractibus seruanda, vel quia externa specie periurus videtur: nam ferìò videtur iurare, sicut qui thus adolet Idolo, exterius est Idololatra, etiamsi in animo non habeat illud pro deo, nec intendat illi honorem deferre. Iuramentum autem per creaturas est verum iuramentum: quia cum sic iuramus, non volumus ipsas nobis esse testes, sed eum, qui in ipsis singulari modo præsidet & relucet; cuius ipsæ sunt templum, sedes, thronus, tabernaculum, scabellum pedũ; vt patet Matthæi 5. & 23. de quo infrà dubit. 3. accipitur enim continens pro contento, & signum pro signato. Possumus tamen etiam Sanctos secundum se in testes vocare; vt testor B. Virginem, S. Petrum; & Apostolus 1. ad Thimotheum 5. *Testor coram Deo, & Christo* IESV *& electis angelis eius*. sed tunc non erit propriè iuramentũ, aut actus religionis, sed obseruantiæ, seu dulię supernaturalis, sicut supra dictum est de oratione & voto ad Sanctos directo. Ordinariè tamen tales formulæ ita accipiuntur vt illis censeatur primariò in testem vocari Deus qui in Sanctis habitat, & secundariò ipsi Sancti, qui etiam res nostras cognoscunt, sicque idem actus externus, vt subest diuersis intentionibus, ad diuersas virtutes pertinet.

6 *Per creaturas.*

7 Additur in definitione, *ad fidem faciendam vel promissionem firmandam*, vt explicetur finis immediatus vsus iuramenti, qui duplex est, vnde etiam duplex est iuramentum, *assertorium & promissorium*. Docet id Gregor. Nyssenus in Cantica, explicans illud Adiuro vos, &c. *Iusiurandum* inquit, *est oratio per se confirmans veritatem. Est autem duplex iuramenti operatio. aut enim quispiam ei, qui audit, facit fidem veritatis; aut alius per iuramentum affert necessitatem vt minimè mentiatur; vt iurauit Dominus Dauid veritatem & non frustrabitur eam; hic fides promissis confirmatur iureiurando.*

Finis iuramenti.

Dices, Multi iurant ex ira, qui non intendunt fidem facere, aut se ad aliquid obligare.

Respondeo, Illi non intendũt propriè iurare, sed potius imprecari malum vel patefacere iram.

DV-

DVBITATIO II.

De multiplici iuramenti diuisione.

1. *Diuiſio.*

MVLTAS ſunt iuramenti diuiſiones: aliud enim verbis concipitur, aliud nutu, vel alio ſigno; vt manu iubilare. ſicut.n. votum & profeſſio fit tacitè vel expreſsè, ita & iuramentum.

2. *Diuiſio. Per conteſtationem ſimplicem.*

Deinde aliud eſt *per ſimplicem conteſtationem*, in quo Deus ſolùm vt teſtis vocatur; v g. Teſtis mihi ſit Deus, teſtor Deum, iuro per Deum, quæ omnia idem valent, vt docet D. Auguſt. ſerm. 28. de verbis Apoſtoli.

Per execrationem.

Aliud *per execrationem*, in quo etiam vocatur in vindicè; vt puniendo teſtetur, ſi fallo. Sic Apoſtolus 2. ad Corinthios 1. *Teſtem inuoco Deum in animam meam.* Item, peream, ita me Deus amet, adiuuet, ita mihi ſit propitius: nam in his non ſolùm ſignificatur vt ſit propitius, ſi eſt verum; ſed etiam vt non ſit propitius, ſi falſum. Idem illud, quod olim frequens erat apud populum Iudaicum, *hæc mihi faciat Dominus & hæc addat*, eundem ſenſum habet, ſicut & iſta *per animam meam, per caput meum, per vitam meam.* Simile videtur illud, quo Deus in veteri teſtamento aliquando vſus eſt, moribus humanis ſe accommodans, vt Pſalm. 94. *quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam* quaſi dicat *non ſim Deus.* Alij tamen dicunt, *Si* accipi pro *Non.*

Aliquando non noſtram perſonam, ſed aliam nobis coniunctam obligamus Deo, vt in me nos puniat, ſi fallimus, vt *per vitam ſ. q. vxoris, per ſalutem Regis.*

Obiectio. Reſp.

3 Dices, Hoc eſt imprecari malum; quòd eſt contra charitatem.

Reſpondeo, Eſſe contra charitatem, ſi mentiamur; ſi autem verum eſt quòd dicimus non eſt contra, ſed potiùs ſecundùm charitatem: oſtendimus enim quanti alterum faciamus, eumque ſic honoramus. Neque ſolum imprecamur malum ſi fallimus, ſed etiam bonum ſi non fallimus. Itaque *per ſalutem Regis*, idem eſt ac ſi dicas. Ita Deus ſaluet vel non ſaluet Regem; ſaluet, ſi verum dico, non ſaluet, ſi fallo; vtrumque. n. includitur. Idem dicendum de aliis. Per animam meam; per caput meum; &c.

An differãt ſpecie.

Petes, Verum *execratorium* differat ſpecie *à conteſtatorio.*

Reſpondeo, non differre ſpecie in ratione iuramenti: quia vtroque Deus vocatur in teſtem: ſed in conteſtatorio ſolum vt generali modo teſtetur, & veritatè aperiat: in execratorio, vt aperiat puniendo, ſi fallo. Periurium tamen execratorium videtur ſpecialem malitiam continere contra charitatem ſui, quatenus homo ſibi ipſi imprecatur malum, Deumque ad illud infligendum expreſsè, prouocat. vnde pro diuerſitate mali, eſt diuerſa malitia huic periurio coniuncta, vt rectè Caietanus art. 1. Hoc tamen intellige cum Caietano, ſi periculum ſit præſentis punitionis, vt ſi fiat v.g. ad altare S. Antonij, vbi peierantes ſtatim ſolent puniri. Alioquin ſi putetur non eſſe periculum, non habebit peculiarem malitiam contra charitatem ratione execrationis. Nam in omni iuramento tacitè includitur quædam execratio, quatenus ſe exponit vindictæ, ſi Deum faciat teſtem falſi. Itaque omnia periuria ſunt eiuſdem ſpeciei: quia deformitatem vnius rationis continent. Quare non eſt abſolutè neceſſarium explicare in confeſſione an fuerit per execrationem, an per ſimplicem conteſtationem, exceptio illo caſu iam dicto, niſi forte fuerit ſolemne in iudicio quod quibuſdam locis eſt reſeruatum Ordinario.

Periuria omnia ſunt eiuſdem ſpeciei.

10

3. *Creatura quadrupliciter ſpectari poteſt Quadrupliciter per creaturam poteſt iurari.*

1. *Per creaturam ſecundùm ſe ſpectatam.*

2. *Per creaturam vt continet Deum.*

Tertiò, Aliud eſt *per Deum*, aliud *per creaturam.* Poteſt autem creatura ſpectari quadrupliciter. Primò, Secundum ſe. Secundò, Vt in ea elucet vel apprehenditur numen diuinum. Tertiò, Vt eſt aliquid ad nos pertinens, quod obligamus Deo. Quartò, vt falsò putatur habere aliquid diuinitatis.

Si primò modo; Sic per creaturam non eſt verum iuramentum: quia vel ipſa per ſe teſtis eſſe non poteſt, vel non vt prima veritas. vel .n. ipſa non cognoſcit quid dicamus, & ſic ſtultum eſt illam in teſtem adducere: de quo vide Nauarr. cap. 12. Enchirid. nu. 5. vel cognoſcit; (vt Sancti) & ſic poteſt quidem vocari ſecundum ſe in teſtem, ſed nò vt ſuprema veritas. vnde non eſt proprie iuramentum ſed actus duliæ, vt antè dictum eſt.

Si ſecundò modo cõſideretur, vt continens ſingulari modo & ſimul quodammodo inuoluens diuinum numen; ſic per illam eſt iuramentum. hoc modo qui iurat per cœlum, cenſetur iurare per eum, qui in cœlo habitat: qui per terram, per illum qui terram ſuſpendit in nihilo, cui ipſa inſtar pedum ſcabelli, qui per templum, per eum, qui ibi colitur, vt patet Matth. 23. vbi Dominus corrigit errorem Iudæorum, qui putabant iuramenta per creaturas (vt per templum, per altare) non obligare, niſi eſſent tales, quæ ſeruirent eorum commodis: vt per aurum templi; per donum quod altari imponitur. Sic dum iuramus per euangelia, intelligimus ſimul eorum auctorem; dum per crucẽ, crucifixum; per reliquias Sanctorum, numen diuinum ibi ſingulari modo aſſiſtens, & in Sanctis habitans. Hoc modo ſi quis Deum in omni re mori contemplari, per omnẽ creaturam iurare poteſt, quia ipſe omnium viuentium vita, & omnium exiſtentium eſſe, & fundus eſſentialis, vt Dionyſius loquitur; omnia creans, formans, ſuſtentans, & aſſiduo influxu conſeruans. Non tamen ſolemus iurare per res viles, vel ſordidas ob ſpeciem indecentiæ; ſed ſolum per nobiliores, in quibus manifeſtius elucet, quæque abſque indecentia adhiberi poſſunt.

3. *Vt extenitur vir, dilec.*

Si tertio modo conſideretur, eſt iuramentum, *execratorium*, vt cum iuramus per animam, per vitam parentis, vel rem aliam nobis valde caram. Sic Ioſeph iurauit per ſalutem Pharaonis, (Geneſ. 42.) à qua ipſius felicitas pendebat, obligans illam Deo, ſi verum non eſſet quod dicebat. Quamuis hoc etiam poſſit intelligi per ſimplicem conteſtationem, vt docet D. Thomas art. 6.

4. *Vt itſa habet aliquid diuinitatis.*

Si quarto modo ſpectetur tamquam ipſa aliquid diuinitatis habeat, erit blaſphemia, & ſpecies idololatriæ. Similiter blaſphemia erit, ſi quis inuerecunde iuret per membra Chriſti, & Sanctorum, quaſi in illis ſit aliquid pudendum. vide Couarruuiam in cap. Quamuis pactum. §. 1. nu. 16. & 17.

An ſit eiuſdem ſpeciei.

Petes, Vtrùm iuramentum per creaturas ſit eiuſdem ſpeciei, ac per Deum?

Reſpondeo eſſe, ſi ritè fiat; quia qui iurat per creaturam in modum ſimplicis conteſtationis, implicitè teſtatur ipſũ Deum, qui per modum execrationis, etiam teſtatur Deum explicitè vel implicitè: etſi ſimul maledictionem immolat.

11

4. *Diuiſio.*

Quartò, Aliud eſt *ſimplex*, aliud *ſolemne*. Solemne eſt, quod habet aliquam notabilem circumſtantiam externam, & ſi fiat coram teſtibus vel Notario, vel in tribunali, vel tactis euangelijs, reliquijs, &c. Simplex, quod caret huiuſmodi circumſtantia. vtriuſque eadem vis coram Deo. Si tamen ſolemne violetur, eſt maius peccatum ob ſcandalum.

5. *Diuiſio. Aſſertorij, promiſſorij, comminatorium.*

Quintò, Aliud eſt *aſſertorium*, aliud *promiſſorium*, aliud *comminatorium*. *Aſſertorium* adhibetur ſolùm vt credatur aliquid, quod aliter probare non poſſumus, ſiue ſit præſens, ſiue præteritum, ſiue etiam futurum; etſi hoc rarius: vt ſi iurem Petrum cras moriturum, aut futuram pluuiam, &c.

Promiſſorium eſt, quo intendimus nos alteri obligare, ſeu quò confirmamus noſtram promiſſionem.

Comminatorium eſt, quo minamur alteri pœnam.

Differunt hęc, quòd in aſſertorio nullam intendimus nobis imponere obligationem, ſed ſolùm facere fidem, vt aliquid credatur. In promiſſorio intendimus nos obligare ei, cui promittimus. In comminatorio intendimus nos obligare non ei, cui minamur, ſed abſolutè ad infligendam alteri pœnam, nempe vt conſtricti reuerentia iuramenti non audeamus condonare.

Veritas requiſita in ſingulis.

Deinde in primo requiritur tantùm vna veritas, quę expreſsè aſſeritur: hæc ſi abſit, ſemper eſt peccatum mortiferum, quantumuis res ſit exigua: quia omnes veritates in ordine ad teſtimonium Dei eiuſdem ſunt rationis. In ſecundo & tertio requiritur duplex, nempe vna præſens, quòd habeas animum exequendi altera futura, quæ conflictu in executione. Harum prior eſt principalis, & neceſſariò requiſita; ſi enim abſit, erit periurium mortiferum. Altera eſt ſecundaria, & ſæpè abſque peccato abeſſe poteſt. Sæpè.n. expedit, quod prudenter promiſſum vel commina tum eſt non mandari executioni, mutatis circumſtantijs. Sic Dauid iuramentum comminatorium aduerſus Nabal non eſt executus, 1. Reg. 25. vel quia tacita ſubeſt conditio, vel quia calore iræ cum dixit conceptum.

12

6. *Diuiſio.*

Sexto, Aliud eſt *abſolutum*, aliud *conditionale*. hoc habet tacitam vel expreſſam conditionem. Tacita conditio ſubeſt vel ex iuris diſpoſitione vel ex iurantis intentione.

Ratio harum diuiſionum eſt: In iuramento quinque ſpe-

Ratio horum dimissorum.

spectari possunt. Primò, Id, quod iuramento confirmatur, & ratione huius est diuisio quinta & sexta. Secùdo, Id per quod iuratur, & sic est tertia. Tertiò, Modus, quo Deum testamur, & sic habetur secunda. Quartò, Circumstantia notabilis exterior, & sic habetur quarta. Quintò, Signa, quibus exprimitur, & sic habetur prima.

DVBITATIO III.

Vtrùm licitum sit iurare, siue per Deum, siue per res creatas.

D. THOM. ART. 2. & 6.

13 MVLTI hæretici olim docuerunt non esse licitum iurare, vt Messaliani, qui & Euchitæ dicti, Pelagiani, Vvaldenses; & nostro tempore idem docent Anabaptistæ, qui etiam id exactè seruant. Idem docuit Vviclef in contractibus humanis. vide Castro contra hæreses v. Iuramẽtum, & Iansenium in concor. cap. 40.

Iuramentũ esse licitum.

Sed contrariũ est fide tenendum. Primò, Quia in Scripturis legimus viros sanctissimos in contractibus iurasse, Genes. 21. Abraham fœdus init cum Abimelech, & illud iuramento confirmat; idem facit Isaac, Genes. 26. cum eodem Abimelech, vel eius successore; & Iacob, Genes. 31. cum Laban. Alijs ob alias causas sæpè iurarunt. Moyses Deuter. 4. *testes inuoco cælum & terram citò vos perituros:* & cap. 3. idem repetit. Dauid sæpè iurat, *viuit Dominus*, q. d. per vitam Dei, & Psal. 62. ait. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* id enim erat signum esse Dei veri cultores: & Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis*; Apostolus quoque in nouo testamento, ad Rom. 1. 2. ad Cor. 1. ad Philip. 1. 1. ad Tim. 5. Imò ipse Deus sæpè legitur iurasse, Psal. 94 109 &c. non quod iuramentum Dei firmius sit quam simplex assertio: (hæc enim omnem firmitatem habet, quæ à diuina auctoritate potest accedere) sed partim quia homines magis iurato credere solent, quã iniurato; partim vt illis magis inculcet & ostendat immobilitatem consilij sui, vt ait Apostolus ad Hebr. 6. ne videlicet suspicentur subesse aliquam tacitam conditionem, cuius mutatione fieri possit vt non eueniat quod Deus promisit; vt interdum in prophetijs comminatorijs accidit, Ita D. Thom. in illum locum Apostoli.

Cur Deus iuret.

Secundò, Probatur ex vsu omnium gentium, & omniũ tribunalium. omnis enim controuersiæ finis est iuramentum, teste Apostolo ad Hebræos 6.

Tertiò, Iuramentum est cultus latriæ apud omnes gentes; per hoc. n. tacitè testamur Deũ habere prouidentiã rerũ humanarũ, & omnium rerum cognitionem & potestatẽ.

Quartò, Iuramentum facit vt reuerentia & timore diuini numinis, veritatem dicamus, pacta custodiamus, fidem seruemus, pacem retineamus, ab iniurijs abstineamus, controuersias definamus; quæ omnia valde bona sunt & rebus humanis necessaria.

14 Obijcitur Primò, Matth 5. *Audistis quia dictum est antiquis, non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terrem, quia scabellum est pedum eius, neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni Regis. sit autem sermo vester, Est, est, Non, non; quod autem his abundantius est, à malo est.* Et Iacobi 5. *Nolite iurare quodcumque iuramentum.* Omissis varijs interpretationibus, quas videre est apud Iansenium, Maldonatum, & alios.

Obiectionem. 2. Locus Matth. 5. de iuramento.

Resp. Duos errores Pharisæorum circa iuramentum.

Respondeo. Christum hic corrigere duos errores Pharisæorum: quorum alter erat, Licitum esse quauis occasione iurare per creaturas. Alter Iuramentum per creaturas non obligare; vt supra dictum est, ex cap. 23. Matth. Itaque docet *non iurandum omnino*, id est nullo iuramento, nec per Deum, nec per creaturas; intellige quantum in nobis est, seu nisi necessitas compellat. Iuramentum enim non est de genere eorum, quæ per se bona sunt & frequentanda, vt ieiunium, oratio, eleemosyna; sed quæ solum bona censentur, posita necessitate, vt antidota & medicamenta, & sicut occidere hominem, capere alienum. Ratio est, quia irreuerentia est tantùm testem adducere ad confirmandã rem parui momenti, aut quando necessitas non postulat, vt optimè ostendit Chrysostomus homilia nona in Acta. Quando verò res est grauis, & alia ratio commoda non suppetit, bonum est iuramentum adhibere, si debita circumspectione & reuerentia fiat. Colligitur hæc expositio tum ex ipsa Scriptura, tum ex D. Augustino, libro 1. de serm. Domini in monte cap. 30. & 31. eodem modo intelligendus est locus Iacob. Addit Dominus, *quod his abundantius est*, (extra necessitatem) *à malo est*, id est, a diabolo, ἐκ τοῦ πονηροῦ: qua voce diabolus significari consueuit, cùm πονηρὸς proprie non quamuis, sed morum malitiam denotet; vt suprà cap. 37. nu. 20. dictum est. Ita hunc locum explicant aliqui Græci; & noster Maldonatus. Significat ergo Dominus, iuramentum extra necessitatem adhibitum, vbi simplex affirmatio vel negatio sufficit, a diabolo, non a Deo introductum esse; ideoque valdè cauendum. Vnde etiam in veteri Testamento fuit prohibitum: Ecclesiastici 23. *Iurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa.* & Paulò post, *Vir multùm iurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga*; & quæ sequuntur: quæ sanè a concionatoribus valdè sunt inculcanda. vide Chrysostomum homilia 4. 5. 6. 7 8. & 9. & 10. ad populum Antioch. vbi omnibus viribus hanc consuetudinẽ exterminare conatur.

Sillo iuramẽtum dicatur esse a malo.

15 Obijcitur Secundò, Multi Patres docent, *Iudæis tamquã parentibus esse permissum iurare per Deum, ut minus malum, ne iurarent per creaturas, sicut permissus illis fuit libellus repudij: Euangelicam autem veritatem non recipere iuramentum, cùm omnis sermo fidelis pro iureiurando sit.* Ita Hieronymus in cap. 5. Matthæi, Chrysost. homil. 15. in Genesim, & homil. 9. in Acta Basil. in illud Psalm. 14. Qui iurat proximo suo & non decipit.

Obiectio 2.

Respondeo, Patres loquuntur de iuramento per Deum passim adhibendo absque necessitate; hoc enim illis causa maioris mali vitandi permissum fuit, ne videlicet more ethnicorum iurarent per creaturas & idola: Dominus autem hanc permissionem sustulit. Itaque veritas euangelica non recipit iuramentum; intellige, absque necessitate, quo modo in vsu erat apud Iudæos. non. n. in omni euentu volunt esse illicitum iuramentum, præsertim per Deum, ut ex Hieronymo & Basilio patet; sed solùm quando res sine iuramento potest expediri. Chrysostomus maximè infecta tur iusiurandum per Deum, sed id facit vt in contrarium nitendo, consuetudinẽ praua iurandi in populo reprimat.

Resp.

16 Obijcitur Tertiò, Cap. 9. Clericum. 22. quæst. 1. Concilium Carthaginense 4. decernit *Clericum per creaturas iurantem esse acerrimè obiurgandum, & si perstiterit in vitio, excommunicandum.* Hieronymus etiam loco citato apertè docet, *Iudæos iurantes per creaturas, honore & obsequio Diuino illas venerasse fuisse.* & Innocentius III. in c. Etsi Christus, de iureiur. dicit *Dominus prohibuisse iuramentum non per Creatorem, sed per creaturas, ne per tale iuramentum transferretur ad creaturas honorificentia creatoris.*

Obiectio 3.

Respondeo, Cap. illud Clericum, loqui de iurante per creaturas more ethnico, tamquam Deos quosdam; (vt per Iouem, per Mineruam, per Solem) quamuis enim non credantur dij; tamen turpe est Christiano, & scandalosum sic iurare; quia externo actu videtur illis deferri cultus diuinus; & periculum est ne sensim putetur aliquod diuinum illis inesse. simili modo videtur intelligendum cap. Etsi Christus.

Resp.

Quòd si Iudæi hoc modo per creaturas iurauerunt, id factum more ethnico & ex praua intelligentia. hinc tamen non sequitur quin bene fieri possit a recte intelligente.

Obiectio 4.

Obijcitur Quartò, iuramentum est cultus quidam Dei: atqui non licet cultum diuinum ordinare ad res humanas: ergo non licet uti iuramento ad contractus. Omissa solutione Caietani.

Respondeo Primò, Iuramentum esse cultum diuinum, non absolutè, sed in certo negotio, quando aliter fidem facere non possumus. sicut enim in alijs angustijs ad diuinã opem confugere possumus, ita in hac re adque Deo est honorificum. Secundò, Possumus uti re diuina ad finem humanũ, quando alia ratio non suppetit, & illa res non æstimatur ex solo humano commodo. Sic ad sanitatem consequendam utimur aliquando Sacramentis, reliquijs Sanctorum, votis, &c. & Deus ad hominum salutem usus est incarnationis mysterio.

Ex his satis constat iuramentum esse licitum, etiam ad humanos contractus.

Vt

17 *Tres comites iuramenti.*

Vt tamen in vſu non peccetur, requiruntur tres comites, vt docet D. Thomas ar.3. & ceteri Doctores videlicet, *veritas, iuſtitia, & iudicium*, quæ inſinuantur Ieremiæ 4. *iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia*. quaſi dicat, non iurabis tunc amplius per idola, ſed per Deum verum, idque ſuper re vera, & iuſta, & cum debita diſcretione & reuerentia.

Si veritas deſit &c.

Si veritas deſit, vel putetur deeſſe, vel dubia ſit iuranti, eſt peccatum mortiferum. Debet enim eſſe moraliter certum id ad quod Deum in teſtem vocamus: alioquin exponimus nos periculo faciendi eum teſtem falſi. Fieri tamen poteſt vt ſit peccatum veniale, vt ſi iures ex aliqua negligentia cognoſcendæ veritatis, non tamen graui. Ita Sylueſter v. Periurium, quæſt. 1.

Si iuſtitia deſit, id eſt, ſi res non ſit licita, erit peccatum mortale, vel veniale, pro grauitate materiæ, vt infra num. 18. dicetur.

Si iudicium, vt ſi ſuper re leui, vel quæ maius bonum impediat, ferè non erit pluſquam veniale. ita communiter Doctores.

Ex quibus ſequitur, Eum, qui promiſit latroni, ſe illum non denuntiaturum iudici, ſi agitur de delictis committendis, non teneri: quia daretur licentia peccandi. Si autem de commiſſis, vel ille eſt ſtatus rerum vt denuntiatio ſit præcepti, & tunc ceſſat obligatio iuramenti: quia non obligat contra præceptum Superioris: vel ſolùm eſt conſilij, & tunc non videris poſſe denuntiare, niſi relaxetur vinculum iuramenti. quia cùm ſit in fauorem alterius & poſſit ſine peccato ſeruari, videtur obligare donec relaxetur. Niſi forte agatur de denuntiatione Euangelica neceſſaria ad emendationem. Vide Panorm. in c. Quemadmodum. 25. de iureiur. num. 7. & 14. Si tamen iuramentum de non accuſando vel denuntiando criminaliter ob crimen commiſſum eſſet metu extortum, probabile eſt non obligare; vt infrà num. 26. dicetur.

Dico Tertiò, Si quis iuret aliquid ſe facturum quod eſt indifferens, vel quod nō fieri eſt melius; non obligatur, niſi 20
forte ſit factum in fauorem alterius. Colligitur ex D. Tho- *Indifferens & minùs bonum.*
ma art. 7. Caietano ibidem, & in Summa v. Periurium Navarro c. 12. num. 12. Soto l. 7. q. 1. art. 3. circa 2. concluſ. vbi dicit eſſe in hoc eamdem rationem voti, & iuramenti.

Probatur, Quia quando iuramentum non eſt in fauorem alterius, ſolùm poteſt obligare per modum voti, cùm ſolum Deum reſpiciat: atqui votum de re tali non obligat, ergo nec iuramentum. Secundò, Quando iuramentum factum eſt in fauorem alterius, non obligat ipſo nolente, vel condonante debitum: ergo ſi factum ſit in proprium fauorem, non obligabit, ſi is, qui fecit, mutet propoſitum, & nolit impleri. Exempla ſunt, Si iures te hodie non ambulaturum, non egreſſurum domo; vel contrarium huius, nullo fine honeſto, ſed vel ex indignatione, vel ob aliquod commodum aut incommodum naturæ. Item ſi iures te initurum matrimonium abſque vlla promiſſione alteri facta, non daturum eleemoſynam, non mutuaturum, &c.

Dices, Teneris facere ne Deum adduxeris in teſtem falſi: ſi enim non facis quod iuraſti, falſum erit, Deumque falſi teſtem feceris. 21
Obiectio. Nō tenet tale falſum. Reſp.

Reſpondeo non fore falſum; quia huiuſmodi iuramenta habent tacitam conditionem, Niſi mutauero, Niſi aliter viſum fuerit. cùm enim nullius intereſſit ea impleri, præterquam iurantis; iure ſuo cedere poteſt, & ſibi ipſe condonare.

Dixi *Niſi factum ſit in fauorem alterius*: tunc enim obligat, etiamſi ſit de re indifferenti, niſi ille remittat; quia in promiſſione facta homini, ſpectatur quid gratius ſit homini: non quid in ſe melius. Secùs in promiſſione facta Deo; cui ſemper magis placet quod eſt melius.

Dico Quartò, Quando promiſſio vel propoſitum de re bona habet tacitam aliquam conditionem, vel reſtrictionem, ſiue ex mente loquentis, ſiue ex diſpoſitione iuris, vel recepta conſuetudine, iuramentum illi appoſitum cenſetur eamdem conditionem habere. eſt communis DD. de qua vide Couarruuiam in capit. Quamuis pactum. p. 2. §. 4. in princip. Probatur, quia iuramentum ſequitur naturam actus ſuper quem cadit; *acceſſorium enim ſequitur naturam principalis*, vt habet regula Iuris 42. in Sexto. Itaque ſi actus habet tacitam conditionem, etiam iuramentum habere cenſetur. Confirmatur, quia iuramentum non addit vt promiſſio, propoſitum vel contractus aliter accipiatur quam per ſe accipi ſolet, ſed vt eo modo intelligatur, quo ſolent intelligi, non poſſint reuocari. Itaque non tollit nec excludit ſolitas conditiones. Exempla ſint, Iuraſti Petro ſeruare promiſſa, ſubintelligitur tacitè, *niſi ipſe quæ tibi promiſit non ſeruet*. Facta pace cum inimico iuraſti te illi non nociturum, nimirum ex cauſa præterita, ſiue, Niſi ipſe cauſam nouis inimicitijs dederit, aut niſi ob flagitia proſcribi contigerit, &c. Iuraſti puellæ te illam ducturum, ſcilicet, Niſi ipſa fornicetur, vel in morbum incurabilem, paupertatem, infamiam, &c. incidat, vel niſi ipſe Religionem ingreſſus fueris. Iuraſti ſeruare ſecretum, ſcilicet, Niſi vergat in damnum alterius. Iuraſti te caſtigaturum filium vel famulum, ſcilicet, Niſi forte inde naſcatur maius incommodum, vel niſi veniam deprecando impetrauerint, vel ob aliquam cauſam aliud expediens viſum fuerit. Iuraſti parere Superiori, ſcilicet, Niſi excommunicetur, niſi officio priuetur. Iuraſti honoris cauſa te non præceſſurum alterum, ſcilicet. Niſi te cogat: cùm enim ſit in fauorem ipſius, cenſetur relaxare, dum non vult prior iura- 22
Tacita conditio vel reſtrictio.

Varia exempla.

DVBITATIO IV.

Quando iuramentum promiſſorium liberè factum obliget, quando non.

18 NOTANDVM eſt, 11, quod promittitur. vel eſt bonum exequi, vel eſt malum, vel indifferens. Item vel promittitur ſub aliqua conditione, vel ſub nulla.

Dico Primo, Si executio eius, quod eſt promiſſum, eſt peccatum, iuramentum promiſſioni adiectum nō obligat. inuoluit enim contradictionem obligari quempiam ad peccatum: tali iuramento dicitur deeſſe iuſtitia.

Iurans id, quod ſcit eſſe peccatum.

Petes, Quale peccatum eſt, ſi iures te facturum aliquid, quod ſcis eſſe peccatum?

Reſpondeo, Si deſit animus exequendi erit periurium, defectu veritatis primario requiſitæ; ac proinde erit peccatum mortale. Si autem adſit animus, iam ratione illius affectus, quem includit erit peccatum mortale vel veniale pro grauitate operis exequendi.

An iuramentum ſuper re illicita.

An autem per ſe, quatenus eſt teſtificatio Dei ſuper re illicita faciendā, habeat diſtinctam malitiam, dubitari poteſt. Multi Doctores ſentiunt, ſi opus quod te iuras facturum ſit peccatum mortale, iuramentum quoque mortale futurum; ſi opus ſit veniale, iuramentum fore veniale. Ita Sotus lib 8. quæſt. 1. art. 3 Caiet. art. 7. Anton. p. 2. ti. 10. c. 4. §. 1. & alij. Sed hæc ſententia difficultatem habet, vel enim Deum adducit ſolum vt teſtem propoſiti tui, & operis futuri, & ſic non videtur referre vtrùm opus ſit peccatum mortale an veniale, vel vt approbatorem & ſponſorem, & ſic vtrobique videtur eſſe peccatum mortale. nam facere Deum approbatorem peccati venialis, eſt blaſphemia. Deinde Deus non adducitur in iuramento vt approbator aut ſponſor, ſed ſolùm vt teſtis: qui enim aliquem teſtatur, non agit vt ille approbet vel ſpondeat, ſed ſolùm vt veritatem latentem aperiat, & vt idem dicat quod ipſe dicit: ergo ſi veritas ſubſit, non videtur in ratione iuramenti eſſe peccatum mortale.

Obiectio.

Dices, In eo eſt magna irreuerentia, quòd auctoritate diuina ſe velit firmare in malo propoſito quaſi Deo placeret, & ipſe vellet illud fieri.

Reſp.

Reſpondeo, Non apprehendit opus tamquam Deo placens, nec capit vt Deus illud approbet, ſed concipit confuſè, eſſe immutabile, quod iuramento confirmatum fuerit, & ſic adhibet illud vt ſuum malum propoſitum immutabile reddat. qua in re eſt quidem magna inordinatio, tamen non videtur mortifera.

Verùm cum contraria ſententia ferè ſit communis, ab ea non eſt recedendum. Itaque ſi id, quod iuramento quis proponit facere, ſit peccatum mortale, ipſum quoque iuramentum ex parte ſua malitiam mortalem haberet, niſi fortè inaduertentia excuſet.

19 Dico Secundò, Pari ratione non obligat, quando promiſſio, cui additur, tribuit licentiam peccandi, aut eſt contra legem, aut contra publicā vtilitatem. Vide ſup. cap. 17. dub. 7. nu. 54. vbi allata ſunt exemplā, & ratio ſingulorum explicata.

intrare; vel ſubintelligitur, quantum in ſe eſt, vt vult Caietanus art.7 & Nauar.nu.5. Promiſiſti aliquid abſenti cum iuramento; ſed nemo iuramentum nomine ipſius acceptauit, vel certè is, qui acceptauit, non poterat validè acceptare, non teneris; quia promiſſio habet hanc tacitam conditionem, *ſi validè acceptetur*. Hoc tamen intellige, niſi alia ſit mens iurantis, vt ſi intendat illam tacitam cõditionem excludere. tunc.n.tenebitur, ne Deum faciat teſtem falſi; niſi is in cuius fauorem factum eſt, condonet: vel niſi iuramentum habeat vim voti, aut fiat intuitu pietatis: vt ſi iures te fore Religioſum. Si enim intendas id Deo promittere habet vim voti. imò eſt tacitum verum iuramento confirmatum. itaque Deus illud acceptat, nec potes vllo colore reſilire, cum duplici vinculo tenearis. Si autem non intendas quidem promittere, ſed ſolùm proponas intuitu pietatis, & vt te in propoſito confirmes, apponis iuramentum, non habebit quidem vim voti, quia deeſt intentio promittendi; tamen neceſſariò ſeruandum iuramentum, ne Deum facias teſtem falſi: quia non habet tacitam conditionem, quæ falſitatem excludat. cùm.n. factum ſit ludio ſaluris, redundat in honorem Dei: ac proinde intereſt Dei, propoſitum illud impleri. quare accedente iuramẽto, planè confirmatur. Itaque etſi proprie non habeat vim voti, eſt tamen voto ſimile. Quod dictum eſt de tacita conditione, idem dicendum de quauis alia reſtrictione ſeu limitatione. Iuraſti ſeruare ſtatuta Capituli, ſcilicet, Quæ nunc ſunt in vigore, & maioris momenti, ſeu quę ex vi iuramenti ſunt in vſu: non enim ſe iuramẽto vult alstringere ad minima; neque ad ea, quæ non ſeruantur, vel ſi ſeruentur, non ex religione iuramenti: neque etiam ad ſtatuta futura, niſi aliud intenderit. Iuramentum enim ſtrictam habet interpretationem ob periculum animæ, vt docet Panorm. in cap. Clericus, de iureiur. Sylu. iuramentum 4.q.23. Iuraſti dicere in cauſa quidquid nosti, ſcilicet, Si ſecundùm ordinem iuris dici debet, non autem ſi occultum ſit.

Mens iurantis ſpectãda.

Hæ & ſimiles cõditiones in iuramẽto promiſſorio ſunt expendendæ, vt ſciatur eius obligatio. Inſunt autẽ hæ conditiones promiſſioni cui iuramentum apponitur, interdum ex parte rei promiſſæ, ſiue ex diſpoſitione iuris id fiat, ſiue ex natura rei, ſiue ex communi hominum intelligentia vel conſuetu line, interdum ex parte ipſius promittentis, qui talem cõditionem tacitè vel expreſsè apponit. Numquam autem iuramento appoſito huiuſmodi conditiones excluſæ cenſentur, niſi quando ipſum in eum finem apponitur, vt excludãtur, ne promiſſor ſe per illas ab executione promiſſionis poſſit eximere.

DVBITATIO V.

Vtrùm Violatio iuramenti promiſſorij, præſertim in re parua, ſit peccatum mortale.

23 *Violatio iuramẽti in re magna.*

RESPONDEO, Si promiſſio ſit rei notabilis, violatio iuramenti erit peccatum mortiferum. Eſt communis ſententia Doctorum. Probatur, Quia iurando, quantũ in te eſt facis Deum teſtari non ſolùm te habere animum faciendi, ſed etiam te facturum, niſi iuſtum impedimentũ interueniat. Itaque niſi facias, quantum in te eſt, facis vt Deus falſum teſtatus ſit.

In re parua an ſit peccatum mort. Sententia Caiet.

Sed difficultas eſt, ſi in re parua violetur. Caietanus art.7. diſtinguit. vel enim, inquit, res parua eſt tota materia promiſſionis, vel pars ſolùm: ſi ſit tota materia, violatio iuramenti in re parua erit peccatũ mortale; quia tota promiſſio violatur, vt ſi iuramento promiſeris aſtem, & nihil ſoluas. ſi autem ſolùm ſit pars materiæ, erit tantùm peccatum veniale: vt ſi promiſeris tres aureos, & vnum aſtem in ſolutione prætermittas. Idem tenet Couarruuias lib.1. variar.cap.1.nu.2. Simili modo diſtinguit in voto.

Verius eſt eſſe peccatum mort.

Alij generatim docent, ſi res promiſſa ſit parua, ſiue ea ſit tota materia ſiue pars tantùm, non fore niſi veniale; Sylueſter, Iuramentum 4.q.1. Sotus lib.8.q.1.ar.7. & q.2.art.3. Nauar.c.12. nu.10. Idem tenet Antoninus p.2. tit.10.c.4. §.1. Vtraque ſententia probabilis eſt.

Verius tamẽ videtur, violationẽ iuramenti in re parua, ſi ſeriò promiſſa ſit, nec ſit aliquid, quod excuſet eſſe peccatũ mortale, ſiue ſit tota materia, ſiue pars. Ita Gabriel in 3.d.39 q.2. concl.4 & 7. Tabiena v. Iuramẽt.nu.11. Caiet.in Summa v. Periurium, Fumus eodem, numer.12. Valentia diſp.6.qu.7.puncto 2.

Probatur Primo, Qui rei paruæ promiſſionem, quam iuramento confirmauit, non implet, is quantum in ſe eſt, facit Deum teſtem falſi: hoc autem eſt peccatum mortale, cùm ſit magna in Deum iniuria; ergo. Maior probatur, quia dum ita iuras, ipſo affectu & quantum potes, facis Deum teſtari te hoc præſtiturum: ergo ſi non præſtes, cũ poſſis, facis quantum in te eſt vt Deus falſum teſtatus ſit. Secundò, Eiuſdem rationis eſt falſum reddere id, quod Deus antea teſtatus eſt, & facere vt Deus in præſenti falſum teſtetur: atqui hoc eſt peccatum mortale, ſiue res ſit parua, ſiue magna: ergo & illud. Tertiò, Homo ſub peccato mortali tenetur curare vt ſit veritas in iuramento aſſertorio, idque ideò ne Deum faciat teſtem falſi: ergo ſub eadem obligatione tenetur curare vt etiam in promiſſorio ſit veritas. Solùm eſt differentia, quòd veritas iuramenti aſſertorij debeat eſſe præſens, & ſit ſpeculatiua: veritas promiſſorij ſit futura, pendens ab ipſo iurante. Seu hæc diuerſitas non facit vt ipſe non teneatur pari modo procurare, effeque ſolicitus vt verum ſit quod iurauit. Quartò, Iuramentum reſpicit materiam non quatenus eſt magni vel parui momenti, multùm vel parum vtilis homini, ſed quatenus vera; ergo ex magnitudine vel paruitate materiæ non debet iudicari eius obligatio, ſed ex veritate: atqui omnes veritates ſunt eiuſdem rationis in ordine ad teſtimonium diuinum: eiuſdem enim rationis eſt in re parua, & in re magna falſum teſtari: ergo eiuſdem rationis eſt in re magna & in parua Deum teſtem falſi facere.

24 *Si promiſſarius non curet.*

Aduerte tamen non eſſe peccatum mortale, ſi putet promiſſarium non curare rem paruam, & facilè condonaturũ; modò aliquin paratus ſit ſoluere, ſi ſecùs eſſet. quomodo is, qui iuraſſet dare tres aureos, & in ſolutione omitteret vnum aſſem, poſſet excuſari: vel ſi promiſſio habeat aliquam tacitam conditionem aut reſtrictionem, tunc enim iuramentum non violatur vlla ex parte, ſed integrè impletur iuxta mentem iurantis.

25 *Differentia voti & iuramenti.*

Petes, Cur iuramenti violatio in re parua potiùs eſt peccatum, quàm violatio voti in ſimili?

Reſpondeo, Quia in voto ſpectatur an res ſit parua an magna in ordine ad honorem Dei. Si parua, non cenſetur honor Dei ex violatione voti niſi parùm læſi; & ſic ſolùm eſt veniale. in iuramento hoc non ſpectatur, ſed ſolùm curatur vt ſit verum, quod iuratur; quia Deus adducitur in teſtimonium veritatis.

DVBITATIO VI.

Vtrùm iuramentum promiſſorium metu grani extortum obliget.

VIDETVR non obligare. Primò, Quia talis promiſſio eſt irrita, vel ſaltem arbitrio promittentis poteſt in irritum reuocari; vt oſtenſum eſt ſupra c.17. dubit. 6. ergo & iuramentum illi appoſitum: nam iuramentum ſequitur naturam actus ſuper quem cadit. Secundò, Votũ tali metu extortum non obligat, vt oſtenſum eſt capit. 40. dub.3. ergo nec iuramentum. Tertiò, Tali iuramento deeſt conſenſus; nihil enim tam contrarium conſenſui, quam vis & metus; vt habetur L. Nihil conſenſui. ff. de regul. Iuris. Quartò, capitulo Quamuis pactum. 2. de pactis, in 6. dicitur; *Pactum, ſi iuramento, nec vi nec dolo præſtito, firmatum fuerit, omnino ſeruari debet*. ergo a contrario ſenſu, ſi vi vel dolo præſtitum ſit, non debet ſeruari. Confirmatur, quia iuramentum dolo elicitum non obligat, vt dicemus dubitatione ſequenti. ergo neque metu extortum: quia vis & dolus æquiparantur vt patet d. capit. Quamuis pactum. Quintò, L.2. C. Si aduerſus venditionem. dicitur: *Per vim autem vel metum iuſtum extorta* (ſacramenta) *etiam à maioribus, maximè ne querimonias maleficiorum commiſſorum faciant, nullius eſſe momenti iubemus*. Vbi generatim Imperator Iuſtinianus omnia iuramenta metu extorta vult eſſe nullius momenti. Ob hæc & alia argumenta plurimi tenent huiuſmodi iuramenta eſſe inualida, nec egere relaxatione. ita ſentit Panor. in cap. Cùm contingat.28. numer.3. de iureiur. vbi docet, quando actus ſecundùm ſe eſt lege prohibitus (id eſt iure irritus,

Sententia multorũ DD. non obligare.

vel

vel in irritum reuocabilis,vt exponit Couar.d.1.var.cap.4. num.6.) iuramentum quoque metu appositum esse mitũ pro qua sententia citat Vincentium Mediolanensem insignem Canonistam;Panorm. sequitur Alciat.in d.ca. Cùm contingat, not.3. Felyn. in cap.2.de iureiurando. Francus in cap.1.de pactis,in 6.& D. Anton. 2.p.titul.10.cap.6.§. Quintus casus. Hi omnes docent non esse opus absolutione, quando iuramentum metu præstitum fuit super contractu inualido,vt refert Couar de matrim.p.2. cap.3.§.5. nu.2. Idem tenent multi alij quos citat Sancius lib.4.de matrim.disput.20.nu.3.dicitque sententiam esse probabilẽ, eamque in praxi seruari apud Iudices sæculares affirmat Couarr.lib.1.var.cap.4. nu.7. nimirum quatenus eum,qui sic iurauit admittunt ad agendum ante absolutionem à vinculo iuramenti.

Contraria secunda.

Verùm contraria sententia est multò probabilior, & meo iudicio penè certa, nempe tale iuramentum metu expressum obligare,modò factum sit animo obligandi, & de re licita.Est communis sententia Theologorum in 3.d.39. D.Thom.& Caiet.quæst.89. artic.7. Idem tenent plerique Canonistæ,quos citat Couar.de matrim.sup.& Alex.Imolensis in cap.Verùm.15. de iureiuran. dicit esse opinionem communem.

Probatur Primò,ex Canonibus c.Si verò,de iureiur.vbi de eo, qui grauissimo metu compulsus fuerat renuntiare beneficio suo, & eam renuntiationem religione iuramenti confirmare,dicitur, debere petere absolutionem & ratio additur, *Quia non est rectum quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum fœderis æterni*, & c. Verùm,eod.titul. dicitur; eos, qui inuiti pro vita aut rebus seruandis iuramenti vinculo se obstrinxerunt, esse absoluendos: ita enim consueuisse facere Romanos Pontifices.Vide plura supra capitul.17.dubitatio.7. num.51.

Probatur Secundò, ratione, quia, iure naturæ tenemur efficere vt verum sit quod iuramus, ne Deum faciamus testem falsi, hoc enim est magna iniuria in tãtam Maiestatem;quam ne committamus, antè mors nobis præoptãda. Neque refert vtrùm id,quod iuramento promissum est,sit per se actus virtutis an non; sufficit rem esse indifferẽtem, quæ sine peccato posita promissione fieri possit.Quòd cõfirm. quia soluere vsuras non est per se bonum, sed potius habet speciem mali, cùm præbeat occasionem maioris iniquitatis.& tamen si iuramento promisisti, teneris, c. Debitores.6. de Iureiur.

Dixi, *modò factum sit animo se obligandi*, quia si absque tali animo factum sit, quidam docent non obligare:de quo inf.dubit.8. Idem dicendum si addiderit restrictionem aliquam,vel clausulam tacitam.

27 *Promittens latroni 100.*

Hinc sequitur Primò,Eum,qui pro redimenda vita promisit cum iuramento latroni 100. aureos,teneri soluere. vt docet Caiet.ar.9.Sotus lib.8.q.1.art.7.& al.;etsi.n.latro ex hac promissione nihil iuris acquisierit, eique nulla iniuria fiat si non soluas; tamen Deus ius habet vt uerifices id, ad quod illum testem adduxisti. Vbi tamen soluisti, potes repetere:quia momentanea solutione satisfacis, quado iniuria causam dedit. quod si latro condonet, etiam coactus metu, non teneris. Idem dicendum si Prælatus absoluat, vel Superior latronis relaxet. Ratio est,quia hæc omnia tacitè in tali iuramento subintelliguntur.

28 *Iurans reddire ad carcerem.*

Sequitur Secũdò.Eum,qui iureiurando promisit se redditurum ad carcerem,quamuis iniuriosum, teneri, etiamsi sciat se iniustè plectendum.Ita Caiet.& Sot.sup.Syl.Iuramentum 4.q.26.Tolet.lib.4.c.22. Colligitur ex D.Thoma ar.7.ad 3.vbi dicit Iuramentum coactum in foro conscientiæ inducere obligationẽ,etiã cum damno temporali. Probatur Primò, ista promissio fuit prudens, quia absque illa nõ poterat obtinere redditum ad res suas coponendas:ergo eius executio est licita: licitum enim est exequi, quod prudenter promittitur.si licita:ergo si firmetur iuramento, est seruanda. Nec refert quòd res sint mutatæ,sublato metu & coactione; quia circa rẽ promissam non est facta mutatio:promisit.n. reddire absolutè, etiamsi coactio & metus tũc abfutura essent,& tamen prudenter promisit; ergo etiã prudenter exequi potest. executio enim nihil est aliud quam promissionis cõpletio. Secundò. Supposita promissione redeundi,iste redditus nõ solùm est licitus, sed etiam est honestus, vtpotè opus virtutis fidei veritatis & fortitudinis,vt ex sensu omnium gentium cõstat: ergo si iuramentum accedat,nascitur obligatio. Tertiò, Si quis violet tale iuramentum,cõmuni iudicio censebitur periurus, & iniurius in numen diuinum,quod in testem adduxit; nisi fortè cum aliqua restrictione animo concepta iurauerit.

Aduerte tamen, quosdam Doctores cõtrarium docere, scilicet non teneri redire,si carcer erat iniuriosus,vt tyranni uel Iudicis non competentis, vel Iudicis legitimi, sed non procedentis secundum ordinem iuris.Ita Nauar.cap. 12.nu.18.qui pro se adducit Tabienam v. Iurare. §.10. Panorm. in cap.Si verò.8. de iureiur. Glossam communiter receptam in Clemen. Paulo ralis, de senten. & re iudica. v. Per violentiam. Ioann. Andream in spec. Rub. de iureiur. Idem docet Couar.d.1.var.c.2.nume.7. ubi citat Baldum, Curtium Senio. Auch.& Maior.in 4.d.15.q.22.additq. nõ solùm non teneri redire; (de quo dicit non esse dubitandum) sed si redierit grauiter peccare. Fundamentum huius sententiæ est, quia redire in tali casu, est seipsum quodammodò occidere,& uitam suam prodigere: hoc autem est illicitum, quia tenetur homo uitam suam conseruare. Confirm. Primò, Quia detẽtus tali carcere tenetur capessere fugam si potest: ergo si liber sit, non potest redire. Confir. Secundò, Quia iuramentum non est seruandum quando uergit in deteriorem exitum, cap. Quintauallis,de iureiur. at hic uergit: ergo. Hinc sequitur non solùm non teneri,sed etiam non posse redire. Hęc sententia est probabilis & secura in praxi,propter DD.

29 *Quorundam sententia.*

Est sententia probabilis.

Sed quod diximus est verius ob rationes allatas, vnde Respondeo, Illud fundamentum non esse verum, qui enim ob iustam causam se in certum vitæ discrimẽ conjcit, non censetur seipsum occidere, aut viram prodigere. Nec homo tenetur quouis euentu vitam conseruare, sed si commodè & decorè potest, hic autem iusta causa subest, tum ne videatur mendax, & promissi violator, quod minimè decet virum grauem; tum ne censeatur periurus. Itaque exponit viram propter opus virtutis, quod Laudabile esse ostensum est sup.c.9.dub.6.

Ad rationes.

Ad Primam Confir. Non tenetur fugere, si promisit, præsertim cum iuramento, non fugere: imò etiamsi absq; iuramento promisisset.

Ad Secundam: Tunc iuramentum censetur vergere in deteriorem exitum, quando executio est illicita; vel si sit licita,quando est maioris boni impeditiua,& iuramentum non est factum in fauorem tertij; vt si iuratus non ingredi Religionem. Colligitur ex D.Th.art.7.ad 2.

30 *Quale peccatum violatio talis iuramenti.*

Petes, Quale peccatum est uiolare tale iuramentum metu extortum? Multi DD. præsertim Canonistæ putant esse solùm ueniale. Ita Panorm. in c.Si uerò 8.de iureiur. Io.Andr.& Host.& alij in c.Verũ.18 eod.Ang.u.Periurũ, nu.7.ubi citat pro se Petrum Aureolum,Card.& Io.And. Probatur ex d.c.Verùm.18.de iureiur.ubi Pont.Celestinus III.respondet eos, qui inuiti pro uita uel rebus suis seruandis iurarunt, si non seruauerint, non esse tamquam pro mortali crimine puniendos.

Est peccatum mortale.

Sed communis sententia Theologorum est,esse peccatum mortale, præsertim si materia sit grauis, & is, in cuius fauorem factum est,uel alius potestatem habens,non relaxet. Ratio est, quia facere Deum testem falsi, est grauis iniuria. Caiet.& Sot. sup. Natar.nu.14. Syluest.Iuramentum,4 qu.7 & alij.

31

Ad ca. illud Respon. Tantùm vult dicere,in foro ecclesiastico externo non esse puniendos pœna Canonibus in periuros constituta; sed mitius agendum; quia metus culpam attenuat, & venia ex parte dignos reddit. Ita Glossa; vel vt Caietan.ait,hoc pertinet ad iudicium prælatis clementiæ Pontificiæ; alioquin eodem cap. satis significatur eos esse periuros.

Ad argumenta in initio proposita.

Ad 1.arg.nu.26.positum Resp.Vt iuramentum obliget, non requiri vt promissio per se obligationem inducat; satis est vt executio eius sit licita.

32

Dicitur iuramentũ sequi naturam cõtractus,non quoad esse firmum vel irritum,vt per se notũ est; sed quoad conditiones tacitas, & alias limitationes, quas contractus ex jure,consuetudine, vel contrahentium mente habet.

Dices,promissio metu extorta habet hanc tacitam conditionem,Nisi ob iniuriam illatam reuocauero,aut obligationem eliuero: ergo ratione illius conditionis potest iuramenti vis elidi & non impleri.

Respondeo, Si talem conditionem dum iuraret expressè cogitauit, & saltem mente adiunxit, fateor non teneri. poterat enim ratione iniuriæ quam patitur, huiusmodi restrictionè facere. Si autem de ea non cogitauit, sed simpliciter iurauit, tenetur: quia iuramentum eo fine exigitur, vt talis conditio, quæ alias iure naturæ promissioni sic iniustè extortæ inerat, excludatur, & promissor non possit vti iure quod alioquin ratione illius conditionis competebat. Itaque per iuramentum censetur & præsumitur vsus istius iuris exclusus, nisi cõditio illa expressa voluntate fuerit instaurata, siue interius in animo, siue exterius voce.

Ad Secundum: Alia est ratio voti, alia iuramẽti: nam in voto spectatur solum verũ executio operis sit Deo gratior, an eius omissio. In iuramento, vtrum executio sit licita & promissario commoda.

Ad Tertium: Non deest consensus, qui iure naturæ ad subsistãtiam actus est necessarius: qui enim metu consentit, absolutè voluntariè & liberè consentit, secundum quid inuoluntarie. hinc dicitur consentire voluntarie mixtè. vide sup. c.17. num.43.

Ad Quartum: Solum inde sequitur non debere seruari omnino, id est, ita vt non possit obtineri relaxatio. Illud enim omnino excludit dispensationem, vt inquit Glos. in c. 2. de pactis, in 6. & Archidiaconus ibidem Confirm. Etsi uis & dolus in mutuis alijs æquiparentur, tamen hac in re minimè. nam metus non excludit consensum plenum sicut dolus.

Ad Quintum: Illud Auth. non videri recepetum ab Ecclesia, ne via sternatur periurijs. Imò expressè videtur ei derogatum per c. Verum 15. & c. Si verò. 8. de iureiur. & c. 2. de pactis, in 6. quibus locis dicitur iuramentum seruandum, *quando non vergit in detrimentum salutis æternæ*. Excipiendum tamen uidetur iuramentum de nõ facienda querimonia maleficij, id est, de accusando vel denuntiando; quod videtur statim irritum reddi, si metu sit extortum. Id enim bonum publicum postulare videtur. alioquin non posset hæc querimonia sine periurio fieri; quod in damnũ publicum redundaret.

DVBITATIO VII.

Vtrùm iuramentum dolo vel errore extortum obliget.

33 *Si dolus circa substantiam.*

NOTANDVM est, dolum & errorem posse versari vel circa substantiam rei vel circa qualitatem. Si circa substantiam, vt si putes vitrum esse gemmam, vel aurichalcum esse aurum; certum est, iuramentum appositum contractui, cui talis error causam dederit, irritum esse: quia deest consensus. itaque qui læsus est ex huiusmodi contractu vel promissione, non tenetur: quia mens ipsius non fuit contrahere super hac re, sed super alia.

34 *Si circa qualitatem.*

Sed difficultas est, si dolus versetur solum circa rei qualitatem, vel causam promissionis aut contractus. Doctores generatim docent, si dolus causam dederit, iuramentũ non obligare. Probatur Primò, Quia vbi dolus est, excluditur voluntas: L.1.ff de dolo. Secundò, Quia iuramentum non obligat extra mentem & intentionem iurantis, cap. Quintaallis, & c. Veniens, de iureiu. atqui intentio iurantis non est se hoc casu obligare; nam mens eius tacitè repugnat: si enim sciret rei qualitatem, nollet contrahere. Tertio, Quia Deus non acceptat iuramentum, nisi secundũ intentionem eius, qui bona fide iurat, nõ autem secundum intentionem eius qui fraude extorsit; c. Humanæ aures, 22.q.5. Ita Nau. c.12. nu.13. vbi insinuat hanc sententiam esse communem; Syl. Iuramentum 4.q.8. ex Archid. Panorm. Ioan. Andr. & Frederico. Idem qu.19. Emanuel Sà v. Iuramentum. Idem expressim docet Panorm. in c. Cum contingat. 28. nu.3. & 23. de iureiur. cuius opinionem esse cõmunem fatetur Alciat. in illud notab. 3. D. Anton. p.2. tit.10. c.6 §. Quintus casus. Vbi docet, quando dolus dat causam contractui, iuramentum non egere absolutione: vbi non dat causam (vt si voluisset contrahere, etiamsi non fuisset deceptus) tunc iuramentum requirere absolutionem: & hanc debere facile dari in odium deceptoris. Covarruu. lib.1. variarum, capit. quarto, num.6. approbat sententiam Panormitani, omitto alios.

Hæc sententia mihi omnino videtur vera, tum ob rationes allatas, tũ maximè ob has. Primò, Quia promissio, cui error vel dolus causam dedit, etiamsi (quãdo nõ fuit error circa substantiam rei vel causam principalem, & quasi formalem ipsius actus) per se obliget donec reuocetur, tamen detecto errore potest in irritum reuocari, idque vel ob tacitam conditionem, quæ huiusmodi promissioni inesse censetur, scilicet, nisi rem talem vel talem esse deprehẽdero; vel ob tacitum dissensum, & repugnãtiam animi; vel quia prudenti iudicio talis euentus censetur exceptus: etsi hæc tria parum differant. Accedente autem iuramento, hęc cõditio & exceptio non tollitur. iuramentum enim non additur vt mutet qualitatem actus; sed vt illum secundum naturam ipsius confirmet. Vnde dici solet, Iuramentum sequi naturam actus super quẽ cadit. Itaque actus retinet omnes suas conditiones & tacitas restrictiones, quas alias per se habet: nisi iurans expressè aliud intendat, volens sibi etiam in illis libertatem adimere. Secundò, Quia iuramentum promissorium interpretandum, Si res in eodem statu permanserint, si notabiliter mutatæ non fuerint, vt docet Syl. Iur 3 q.1. §. Nam tertiò, ex communi sententia DD. atqui nõ censentur manere in eodem statu, quando postea aliquid se aperit, quod antea latebat: uã paria sunt in iure, aliquid superuenire, & apparere seu incipere cognosci sicut e contrario, paria sunt non esse, & non apparere; vt colligitur L.77.ff. de contrah. emp. Denique quotiescumque post iuramentũ aliquis casus euenit, quem prudenti iudicio non censeris uoluisse tua promissione comprehendere, non obligaris ex ui iuramenti: ergo si ab initio idem casus subfuit; sed ignoretur, non censetur comprehensus promissione, ita ut obligeris quando sciueris.

Est sententia probabilis.

Explico Exemplis. Primò, Iuramento promisisti puellæ nuptias, putans esse virginem; postea intelligis occultè fornicatã; non teneris iuramento, quia error dedit causam promissioni; non enim voluisses promittere, si sciuisses, & iudicio prudentis hic euentus censetur exceptus.

35 *Exempla.*

Secundò, Iuramẽto promisisti emere domum Petri, quia putabas bonam, postea deprehendis vitium in fundamentis, vel esse subiectam lemuribus; non teneris, ob eamdem causam.

Tertiò, Puella dolo inducta à fratribus renuntiauit cum iuramento hæreditati paternæ pro certa dote; non tenetur, si hæreditas multo pluris valebat: vt docet Fredericus consilio 115.

Quartò, Vendidisti domum tuam, & iuramẽto promisisti tale contractu: postea deprehendis te grauiter læsum, potes agere ad suppletionẽ pretij: non enim iuramento intendisti cedere iure tuo, si decepius esses in pretio; omitto alia. Neque contra hãc sententiam sic explicatam sunt vlla argumenta difficilia. Secus nonnihil se res habet in votis, quia promissio fit Deo, vt patet ex dictis c.40. dub.1.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm si quis ficto animo aliquid iuramento promittat, obligetur, & quale peccatum hoc sit.

36 *Tripliciter fictè iurare potest.*

NOTANDVM est, in iuramento promissorio posse distingui tria externa, scilicet iuramentum externum, promissionem, & executionẽ: & tria interna; scilicet intentionem iurandi, intentionem promittendi seu obligandi se ipsum, & intentionem exequendi. Itaque tribus modis fieri potest vt quis animo ficto iuret. Primò, si quis exterius iuret sine animo iurandi. Secundò, Si iuret animo quidem iurandi, non tamen se obligandi. Tertiò, Si iuret animo non implendi.

Si desit animus iurãdi.

Si primo modo iures, scilicet absque animo iurandi, non obligaris ex vi iuramenti coram Deo; quia reuera non iuras, nec intẽdis iurare aut Deum testari, sed simulare & fingere te iurare. sicut qui fingit se contrahere matrimonium, exterius verba contractus pronuntians absque animo contrahendi, non obligatur contractu matrimonij. Similiter qui fictè promittit, non obligatur vi promissionis. denique omnis actus, qui essentialiter requirit intentionem agentis est inualidus, si ea intentio desit: vt patet in collatione Sacramentorũ, excõmunicatione, absolutione, &c. quod maxime

ximè locum habet in promissione,donatione,& contractibus,quorum vis tota ex intentione pendet.

Si hoc sit cum so damni.

Aduerte tamen, si occasione talis iuramenti obueniat damnum parti, teneris illud sarcire, quia causam dedisti: nisi fortè per iniuriam extortum fuisset; tunc enim iure tuo aduersus illum vti censeris sic iurando. Similiter si scandalum iuramento non seruato nasceretur, teneris ratione scandali. Denique in foro externo cogeris seruare prout sonat; nisi forte metu extortum fuisset: tunc enim est per Iudicem relaxandum.

37 *Si desit intentio obligãdi. 2. Sententia, non obligari.*

De Secundo modo est maior difficultas; suntque duæ sententiæ. Prior est, eum, qui iurat animo se non obligandi,non teneri vi iuramenti. Ita D. Bon.in 3 d.39.art.3.q.2. Scotus ibid.q.vnica,art.3. Syla Iuramentum 4.q.7.vbi citat Panorm. & alios, & quæst. 19. Angel. Iuramentum 5. num.32.vbi citat Richardum, & alios, Gabriel distin.39. quæst.1.ar.2.conclus 5.

Probari potest hæc sentẽtia, Primò, Qui in aliquo contractu apponit clausulam,quæ sit contra substantiam contractus, non obligatur; quia talis clausula irritum reddit contractum; vt si contraham matrimonium, ita vt nolim obligari ad reddendum debitum, aut ad vinculum perpetuum;si vendam domum,ea lege vt eam à me non alienẽ: si promittam alicui 100.aureos,sic tamen vt nolim teneri: atqui hic apponitur clausula, quæ sit contra substantiã iuramenti:ergo iuramentum non obligat. Nec refert quòd verbis non exprimatur, quia exprimitur mente, a qua sola contractus vim habet. Secundò, Qui ita iurat, reuerà non habet animum seriò iurandi,sed solùm exteriùs verbis; sicut qui contrahit matrimonium cum animo non se obligandi ad reddendum debitum, non censetur seriò velle contrahere: nemo enim potest simul intendere contradictoria. quòd si putet se posse sic contrahere, decipitur,nec ideò contractus vim habet. Tertiò, Deus non acceptat iuramentum,nisi secundùm hominis intentionem,c. Humanæ aures.22.q.5. vbi dicitur, *diuina iudicia talia foris nostra verba audiunt,qualia ex intimis proferuntur.*

Hæc sententia est valdè probabilis,quia ferè communis, & rationibus probabilibus nititur.

38 *Altera est verior.*

Altera est, Tale iuramentum, si seria intentione iurandi factum sit, obligare,etiamsi animus se obligandi defuerit. Ita Caietanus art.7. circa respon. ad 4. quem sequitur Sotus l.8 quæstio.1.art.7. & multi recentiores, quæ mihi videtur verior.

Probatur Primò, Qui: obligatio est omnino inseparabilis à iuramẽto promissorio; nec est in potestate hominis efficere vt sit tale iuramentum,& ex eo non nascatur obligatio. Secundò, Quicumque aliquid iurat,teneatur efficere vt verum sit quod iurat,nec vlla arte potest hãc obligationem euadere; quia cauendum ei quam maximè,vt nõ adducat vel adduxerit Deum in testem falsi: ergo teneatur exequi quod iurauit se facturum,volente eo in cuius fauorem iurauit. Tertiò,In iuramento promissorio est duplex veritas; præsens, scilicet quod habeas animum implendi, & futura; quod reipsa implebis: sed non potes efficere vt non obligeris ad veritatem præsentem. ergo neque vt non

Obligatio iuramenti non ex intentione,sed ex ipsius operis substãtia nascitur.

astringaris ad futuram. Quarto,ex iuramento nascitur obligatio, non ratione intentionis obligandi; vt in contractibus,sed ex natura operis.sicut ex damno illato nascitur obligatio restitutionis, & ex facto vnde damnum metuitur, nascitur obligatio impediendi: ergo etiamsi intentio obligandi absit,nihilominùs orietur obligatio vi iuramenti.

Ad primam rationem contrariæ sententiæ Respondeo,

39 *Respondetur ad rationes diuersæ sententiæ.*

Hoc esse verum in contractibus,quorũ obligatio tota pendet ex intentione: nam hi consistunt in eo,quod est se obligare alteri,& alterum sibi: secùs in iuramento, quod consistit in eo, quòd Deum adducat in testem veritatis præsentis vel futuræ hoc enim efficaciter facere potes, etiamsi dicas te eius reuerentia nolle teneri ad exequendum; nã nihilominùs teneberis,ne eum facias testem falsi circa executionem. Itaque talis clausula, Quod nolis obligari, non potest efficaciter alli iuramento promissorio, sicut nec contumeliæ,nec detractioni, vel alteri actui, ex quo futurum est damnum vel alterius iniuria in alterum. Addo,illam clausulam non esse contra substantiam iuramenti; quia potest Deus verè in testem adduci etiamsi nobis eius reuerẽtia obstringi; sed vt plurimum est contra effectum.

Ad Secundum: Negandum est talem non habere animũ iurandi, supponimus enim illum velle adducere Deum in testem, quamuis inde nolit obligari nam simili modo potest quis testari Regem, & nolle teneri eius reuerentia vel sponsione.

Quomodo possint intendi contradictoria.

Ad Confirm. Non potest quis intendere contradictoria expresse, & efficaci effectu: potest tamẽ implicite & inefficaciter; vt quando quis vult peccare, & tamen non vult esse reus mortis æternæ.

Ad Tertium: Deus non acceptat,&c. Hoc intelligẽdum est quoad id,quod quis iurat; non autem quoad modum obligandi, vel non obligandi.

Discrimẽ inter votum & iuramentum.

Ex quibus apparet discrimen inter votum & iuramentum:quia in re fallumur Cajet. Sotus,& quidam recentiores,putantes vtrobique esse eamdem rationem: nam obligatio promissionis pendet ex intentione, obligatio iuramenti ex ipso facto externo.

40 *Si absque animo implendi*

Si tertio modo iures, scilicet *absque animo implendi*, quidam insinuant non nasci obligationem.Sylvest. enim,Iuramentum 4.qu 26.ex Panor.dicit,eum,qui iurauit se redditurum ad carcerem iniquum, nõ teneri,si iurauit animo euadendi.secùs si animo se obligandi, & D. Bonau. in 3.d. 39. art.3.qu.2.apertè insinuat,eum,qui iurauit non animo implendi,sed euadendi periculum,non teneri. Confirm. quia quicumque habet animum non implendi, censetur etiam se nolle obligare,vt docet Valentia disp.6.qu.7 p.4.quorsum.n. vellet se obligare,si nollet implere? Sanè si rogaretur,statim diceret hanc esse mentem suam. Itaque ficut probabile est non teneri eum, qui iurat absque animo se obligandi; ita probabile erit eum non teneri,qui animo non implendi;quia in hoc,illud tacitè censetur contineri.

41 *Animus implend. nõ requiritur ad obligationẽ.*

Hæc sententia non videtur improbabilis; quando iuramentum iniquè extortum est. Contrarium tamen est verius & multò probabilius, vt patet ex ijs,quæ sup. cap.40. num.7. de voto dicta sunt. Et probari potest, Primò,Quia est verum iuramentum,factum animo iurandi & adducendi Deum in testem;ergo inducit obligationem verificandi quod iuratum est, ne facias Deum testem falsi circa executionem. Nec refert verùm metu extortum sit an non: quia hæc obligatio prouenit ex natura iuramenti. Secundò, Quia in contractibus,animus non soluendi non tollit obligationem:ergo neque in iuramento. Tertiò,Priùs est obligari quàm exequi: obligatio enim non calculatur ab executione, sed executio ab obligatione; ergo exeo quod defit animus explendi non tollitur obligatio; nec animus obligandi, quia tollato posteriore non tollitur quod priùs est. Denique hæc est communis sententia DD.

Ad Cõfirmationem. Qui facit aliquem actum vnde necessariò nascetur obligatio, non potest præsumi nolle se obligare, nisi expresso actu id nolit; nam ipso actu contrarium facit; quod maximè locum habet in casu proposito; quia obligatio iuramenti non pendet ex intentione iurantis, vt dictum est; sed ex ipso facto. Nec obstat quod diceret se nolle obligari,si rogetur;quia quilibet contrahens cum intentione non soluendi, idem diceret,si rogaretur; tamen non ideò censetur se noluisse obligare,cùm absolutè intenderit contrahere & contrahendo se obligauerit. Itaque talis præsumptio locum non habet, quando factum contrarium obstat.

42 *De culpa grauitate in 3. modo.*

Quod ad grauitatem culpæ attinet; si tertio modo fictè iures,videlicet absque animo implendi,erit periurium mortiferum: quia cùm duplex veritas requiratur in iuramento promissorio.præsens & futura,deest veritas præsens; nempè animus exequendi. quod si postea non exequaris,accedet noua culpa lethalis; quia deerit veritas executionis, Deũmque de nouo facies testem falsi.

In 2. modo.

Si secundo modo,ita vt ipsa fictio versetur circa obligationem,(vt cùm non intendis te obligare)est etiam peccatum mortale,vt rectè Sylvester Iuramentum 4.q.7. Primò, Quia deest veritas præsens, id est, animus exequendi, iurat enim se facturum quod non intendit facere. Secundò, Quia non intendit se obligare,in eo enim est peculiaris irreuerentia,quod velit Deum adducere in testem,& tamen nolit eius testimonio obstringi. vnde videtur esse grauius peccatum sic iurare, quam solùm animo non implendi. Confirm. quia si iurares animo implendi, volendo te obligare non solùm homini promissione, sed neque Deo ratione iuramenti; insignem iniuriam Deo irrogares: ergo addit peculiarẽ malitiam. quòd si solùm intenderes te non

obligare homini, aliquod ius ei tribuendo, ſed ſoli Deo ratione iuramenti, cum intentione exequendi; ergo hominem non videretur eſſe peccatum mortale, quia nihil falſi ſignificatur verbis iuramenti, & non deeſt animus obligandi, quem natura iuramenti requirit, etiamſi deſit animus promittendi homini.

In 1. modo. Si primo modo, ita vt fictio ſit circa actum iurandi, (vt cùm non intendis iurare, ſed ſimulare iuramentum) diſtinguendum eſt: vel enim id, quod iuras eſt verum, vel eſt falſum. ſi eſt verum, probabile eſt non eſſe peccatum mortale, ſiue iuramentum ſit aſſertorium, ſiue promiſſorium; quia nec homini notabilis fit iniuria, nec Deo grauis irreuerentia. Non homini; quia in opere externo idem futurum eſt, atque ſi ex animo iuraſſes; & ſi opus ſit, in foro externo ex tali iuramento cogi poteſt. Non Deo: tum quia reuerà non adducitur in teſtem, ſed ſolùm id fingitur & ſimulatur; tum quia etſi externo actu adducatur, adducitur ſolùm in teſtem veritatis.

Iurans verbis verè abſque animo iurandi.

Contrarium tamen videtur verius, ſi iures mandato Iudicis, vel in contractu magni momenti: oportet enim tunc ſincerè & ex animo iurare; alioquin cenſetur grauis deceptio, quæ etiam euertit vtilem & finem iuramenti, rebus humanis tam neceſſarium. Ita Caietan. ſup. art. 7. ad 4. Sotus art. 7. Si tamen in quę exigeretur, non eſſet peccatum mortale ſic iurare, vt Sotus docet contra Caietan. quia nulli fit iniuria.

43 *Iurans verbis falſum.* Si verò ſic falſum iures, plerique putant eſſe peccatum mortale. Ita Caietan. & Sotus ſup. Couarr. in cap. Quamuis pactum. 1 par. §. 5. num. 3. & alij paſſim. Ratio eſt, quia externo actu Deus adducitur teſtis falſi; quod perinde eſt ac ſi quis offerret illi ſacrificium Iudaicum. v. g. agnum vel vitulum, abſq; animo ſacrificandi; vel adoleret thus idolo abſq; animo venerandi. Sed hæc ratio non videtur conuincere; alioquin eſſet peccatum mortale iurare in tali caſu cum reſtrictione mentali; nam externo actu Deus adducitur in teſtem falſi; & cum ſimili reſtrictione adolere thus idolo, laudare Mahumetem, vel ſolemnia illa Turcarũ verba pronuntiare, *Vnus Deus & propheta illius Mahumet*, eſt peccatum mortale. ſatis enim eſt in honore exhibendo actum externum ita fieri, & cum illis circũſtantijs, vt meritò videri poſſit velle ſacrificare, laudare, &c. Itaque contraria ſententia videri poſſit non improbabilis, ſcilicet non eſſe id peccatum mortale, ſi per iniuriam cogaris, & falſitas ſit penitus occulta: quia neque reipſa iuras falſum, cum nõ intendas Deum in teſtem vocare, ſed ſimulare; neque ſecũdum prudentem æſtimationem poteſt cenſeri iuraſſe falſum; tum quia falſitas eſt penitus ignota; tum quia iuſta cauſa erat alia mente iurandi. & in hoc caſu locum habere poſſet ſententia Paulor. Ang. & aliorum, qui volebant iuramentum metu expreſſum non obligare ſub mortali, de quo ſuprà dub. 6.

Verùm ſatius eſt tenere cum communi, ob rationem allatam.

DVBITATIO IX.

Vtrùm ſi alio ſenſu, quàm alter intelligit, iures, obligeris, & quale peccatum hoc ſit.

NOTANDVM eſt, hoc dupliciter fieri poſſe; Primò, Si oratio ſit ambigua, & tu de induſtria alium ſenſum intendas, quàm is, qui iuramentum exigit. Secundò, Si non ſit per ſe ambigua, ſed illi tacitè aliquam reſtrictionem addas. Rurſus vel ſponte iuras vel compulſus ab alio, idque vel iure vel iniuria.

44 *Iuramentum vi ſui obligat ſecũdum mentem iurantis.* Dico Primò, Qui alio ſenſu iurauit, non tenetur præciſè ex vi iuriſiurandi niſi iuxta ſuum ſenſum. Ita Couarr. in c. Quamuis pactum. p. 1. §. 5. in princ. Caietan. & Arragon. 2. 7 Sotus l. 8. quæſt. 1. art. 7. circa 4 argumentum, & multi alij. Probatur Primò, Iuſiurandum vi ſua ſolùm obligat ad id, quod per ipſum eſt cõfirmatũ & aſſertum; quia ad hoc ſolùm is, qui iurat, Deum in teſtẽ adduxit: ſed ſolũ id aſſertum eſt, quod iurans in mente habuit: ergo ſolùm ad illud præſtãdum obſtringit. Secundo, Quia iuramentum ſequitur naturam promiſſionis, cui accedit: atqui promiſſio non obligat vltra intentionem promittentis: ergo nec iuramentum. Tertiò, *Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, quæ his foris ſonant. Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. apud homines, cor ex verbis; apud Deum vere verba penſantur ex corde*; vt ait Gregor. libr. 26. moral. cap. 7. & habetur 22 quæſt. 5. cap. 11. Humanæ aures ergo cum ex intimis alio ſenſu proferantur, Deus etiam ſic accipit, & ita illa confirmare cenſetur.

45 *Obiectio.* Dices, Reuerentia diuina obligat non ſolùm vt verifices id, quod intendiſti iurare, ſed etiam quod alijs rationabiliter viſus es iuraſſe: ſi enim id non ſerues, videberis periurus, & quantum in te, minues apud illos honorem diuinũ. Confir. ex c. 9. Quacumque arte 22. qu. 5. ex Iſidoro l. 2. de ſummo bono capit. 31. *quacunque arte verborum quis utatur, Deus tamen, qui conſcientia teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iurat, intelligit.*

Reſpon. Reſp. Ob hoc argumentum multi DD. videntur ſentire contrarium; ſed facile poſſunt conciliari: nam etſiamſi iuramentum nõ obliget per ſe & vi ſua niſi ſecundùm mẽtem iurantis, vt dictum eſt: tamen ratione damni, vel ſcandali ſecuturi, poteſt obligare iuxta mentem exigentis; & hoc ſolùm probat argumentum allatum. reuerentia. n. Diuina etiam obligat ad vitandum ſcandalum in materia religionis; & non ſolùm vt nihil agas quod contra honorem Diuinum ver. ſit; ſed neque quod videatur eſſe. Deus etiam accipit ſicut alter intelligit; quia cenſet te ad hoc obligari non præciſe vi iuramenti; ſed quia teneris alterum nõ decipere, cauſam damni & ſcandali non dare. ſepoſito tamen periculo damni & ſcandali, nulla obligatio grauis naſcitur in foro conſcientiæ: nam deceptio illa per ſe non eſt mortifera. In foro tamen externo cogendus eſt implere, quod ſecundùm verborum legitimam interpretationem vltus eſt promiſiſſe.

Quo obliget iuxta mentẽ exigentis.

Verùm autem teneatur parere ſi res ſit integra, & impletio illi valdè detrimentoſa, & ſcandalum abſit, quæri poteſt. de quo vide ſup. c. 18. nu. 61.

46 Dico Secundò, Quando quis ſe ſponte ſua offert ad iurandum, vel legitimè ad hoc compellitur, peccat mortifer rè, ſi alieno ſenſu iuret. Ita Nauar. c. 12. nu. 8. Caiet. Sot. Arrag. ſup. & alij. quod maximè verum eſt in Iudicijs & contractibus: in his enim eſt grauis deceptio partis: in illis fit contra obedientiam Superioris, & peruertitur Iudicium. Accedit. quòd quando non ſubeſt cauſa legitima vtendi illa calliditate, videatur falſum iuraſſe: præſumitur. n. iuraſſe ad mentem exigentis, vt communiter fieri conſueuit.

In Fiorett. iuuenes. Petes, An ſit peccatum mortale, quando inſtitores rurãt rem ſibi tanti vel tanti ſteriſſe, alio ſenſu, quam emptores intelligant? Ratio dubitandi eſt, quia dicunt ſe alia ratione iuſtum pretium ab emptoribus non poſſe obtinere, nec per hoc velle aliquid iniuſti committere.

Reſp. Non facilè id eſſe credendum; tamen ſi verum ſit, non videri eo caſu peccatum mortale, ſed tunc mortale cenſendum, quando hac ratione intendunt decipere, & extorquere ſupra iuſtum, vel obtinere pretium ſummum, quod alioquin emptor dare noluiſſet; vel alia ratione iniuſtè cauſa damni.

47 *Si iuſta cauſa ſubſit.* Dico Tertiò, Quandocumque aliquis iniuſtè cogitur ad iuramentum, vel alias habet iuſtam cauſam celandi mentem ſuam oratione ambigua, vel tacita reſtrictione; non peccat, etiamſi alieno ſenſu iuret. quod intellige, ſi neceſſitas vel utilitas iuramentum exigat. De *oratione ambigua* eſt fere communis ſententia Soti, Caieta. Arragon. ſuprà, & aliorum. Ratio eſt, quia cùm non teneatur loqui ad mẽtem alterius, poteſt orationem in aliam ſententiam vſurpare, & aliena a propoſito alterius reſpondere, & conſequenter ſi petitio poſtulet, poteſt illi in eo ſenſu adiungere iuramentum.

Reſtrictio occulta. De *reſtrictione occulta* negant Sotus, Caiet. Arrag. & quidam alij; quia oratio illa, quæ exterius profertur, eſt falſa: vt ſi promittas latroni 100. tacitè addendo, ſi debeo, ſi tua habes, &c. exterius mentiris; quia oratio externa id non ſignificat.

Sed Contrarium eſt probabilius, & tenet Nauar. cap. 12. nu. 8. 9 & 19. & commen. in cap. Humanæ aures. 22. quæſt. 5. Sylueſt. Iuramentum 3. quæſt. 2. Iuramentum 4. quæſt. 7. Angelus, Iuramentum 5. nume. 9. Adrianus in 4. q. de ſigil. conf. tionis. Maior in 4. d. 15 quæſt. 18. Toletus lib. 4. cap. 21. & lib. 5. cap. 58. a Valentia diſp. 5. quæſt. 13 p. 2 & diſp. 6. q 7. p. 4. & alij multi. v. g. Si reus non iudice rogetur. *Exemplo.*

poteſt

poteſt dicere, Non feci;mente addendo, in carcere: Non habui complices; puta, in alio crimine. ita Tolerus c.58. Si venis ex loco qui putatur falsò infectus pelle,potes cuſtodibus oppidorum reſpondere, te inde non venire, te illac non tranſiſſe, intelligendo vel addendo tacitè, Hoc die,vel vbi ſit infectio: ſic enim reſpondes ad intentionem eorum remotam; ita Syl.v.Iuramentum.3.quæſt.2. Tolerus lib.4.cap.21.Nauarr. ſupra. Addit Tolerus, *quamuis locus ſit infectus pelle, ſi tamen vector non ſit infectus, poteſt vti æquinocatione; quia non facit contra præcipuam intentionem illorum.* quod intellige, ſi ſit omnino certus à ſe nihil eſſe periculi.

Probatur aſſ. ſit lectum.

Probatur, Quia in his & ſimilibus euentis non tenetur homo totam mentem ſuam circa rem de qua interrogatur aperire: ergo nec tenetur omnia verba exprimere, quibus ea aperiatur. poterit igitur partem exprimere, & partem tacitus addere. Confirmatur, Quia non magis tenetur totam mentem ſuam externus declarare coram illo, quam dum ſolus agit & ſecum loquitur: cùm ille nihil ad hoc iuris habeat ſed dum ſecum loquitur,non tenetur totum exprimere;ſed poteſt partem in animo retinere: ergo etiam cum agit cum illis, ad quorum mentem non tenetur reſpondere.

Nec obſtat,quòd illud,quod exprimit, per ſe ſit falſum; quia non intendit per ſe & ſolitariè affirmare, ſed coniunctum cum eo, quod tacitus addit, cum quo eſt verũ.quod enim exprimitur,ſolùm eſt pars totius orationis, quæ conſtat partim locutione mẽtali, partim externa. quod autem talis coniunctio rectè fieri poſſit, ſi cauſa ſubſit, patet Primò,ex Gregorio hom.1. in Ezechielem,vbi dicit.Prophetam connectere orationem externam cum interna,& ideò incipere ſuam prophetiam particula copulatiua.*Et factum eſt*, &c. Secundò, Multis Scripturæ exemplis, Geneſ.27. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*; ſcilicet iure & priuilegio. Iudith 10. quædam dicit ſancta Iudith, quæ nec aliter a mendacio excuſari poſſunt, quàm aliqua conditione, vel reſtrictione tacitàs addita. Marci 13. *De die illo vel hora nemo ſcit,neque Angelus in cælo,neque Filius*;ſcilicet vt Legatus & hominum Doctor. Sic Legatus ſolet dicere ſe neſcire, quod non habet in mandatis vt aperiat. Ioann. ſeptimo. *Ego non aſcendam ad diem feſtum hunc*, ſcilicet modò, vel manifeſtè, vt ſoleo. neque etiam obſtat, quòd alter inde decipiatur, quia non directè intendis decipere, ſed tegere tuam intentionem, ne ipſe eam cum tuo incommodo cognoſcat. quòd autem ipſe falſum iudicium ſibi formet, ad hoc ſolùm permiſſiuè te habes,quia iure tuo vteris: & ipſe ſi omnino prudenter agere voluiſſet, debuiſſet iudicium ſuſpendere, & cogitare poſſe iuſtam cauſam celandæ veritatis ſubeſſe. accidit, quod nihil incommodi ex illa deceptione ei proueniat.

48 Ex his patet,quotieſcunque licitum eſt vti oratione ambigua vel tacita reſtrictione:licitum etiam eſſe vti iuramẽto, ſi neceſſitas vel notabilis cauſa poſtulet. numquam tamen licitum eſt vti hoc artificio orationis, niſi quando iuſtè poſſumus veritatem occultare: vt ſi aliquod malũ vel incommodum aliter non poſſit auerti. Si abſque iuſta cauſa fiat,eſt abuſio orationis contra virtutem veritatis, & ciuilem conſuetudinem,ac proinde eſt peccatum; etſi propriè non ſit mendacium.

Quando fas habere iuramentum.

Si ioci cauſa.

Quod ſi tali orationi,cùm iuſta cauſa non ſubeſt, addatur iuſiurandum; vt ſi iures Principem eſſe in oppido, intelligendo pictum, ioci cauſa, erit graue peccatum; quia eſt magna irreuerentia, ſuis iocis Deum teſtem adhibere. Fortè tamen non erit mortiferum,ſi ſcandalum abſit; nam reuera non eſt periurium,cùm id,quod iurare intendis, falſum non ſit. quia tamen falſum eſſe externùs videtur, in foro externo periurium eſſe præſumeretur.

Iurans quòd ſe non commendarit.

Ex dictis etiam colligitur quid dicẽdum ſit, quãdo quis electus ad magiſtratũ cogitur (vt quibuſdam locis fit) ſub graui pœna acceptare, & nihilominùs cogitur iurare ſe nihil egiſſe vt commendaretur. Eo.n. caſu ſi contrà facit, & res adhuc eſt integra, tenetur quantum in ſe eſt curare ne electores,apud quos ſe commendauit, habeant rationẽ illius commendationis, ſed purè ſpectent bonum commune,& merita perſonarum,quod ſi illi fecerint,poterit iurare quod ſe non commendauerit, intelligendo tacitè *commendatiuæ efficaci*, ex qua fit electus. De tali enim intelligendum eſt ſtatutum poſtulans iuramentum. verba enim cum effectu intelligẽda ſunt. actus enim inefficax perinde eſt ac ſi non fuerit. Non enim tenetur dictum occultum fateri quod eſt impertinens ad propoſitũ. Sic ſi aliquid promiſiſti alicui electorum vt te eligeret in Prælatum; ſi ille te non eligat, vel tuæ promiſſionis nullam rationem habeat,electio non eſt vitioſa: & ſi cogaris,potes cum debita limitatione interna iurare te nihil promiſiſſe. Ratio autem cur teneatur, re adhuc integra, reuocare ſuam commendationem, eſt, quia tenetur curare vt poſſit iurare ſecundùm mentem ſtatuti, alioquin tacitè conſentit in periurium, illius periculo ſponte ſe exponens. Si autem res non eſt integra (vt ſi electio iam facta eſt) vel non poſſis reuocare quod feciſti: adhuc ſentio te poſſe iurare cum reſtrictione mentali: nimirum,quia non feciſti publicè,vel eo modo vt ſit probabile in iudicio. quia non teneris fateri crimen occultum,cùm non eſt infamia, aut probatio ſemiplena, aut indicia æquipollentia, vt communiter Doctores tradunt. de quo ſupra cap.31.dub.3. Confirmatur ex doctrina Alexan. Imolenſis & Bartoli cõmuniter recepta in L.2. C.Si ſeruus aut libertus. num.2. Vbi docent eum qui eligendus eſt in iudicem, ſi interrogetur an habeat aliquod impedimentum, non teneri vitium occultum (v.g. infamiam ibi occultam) pandere: nimirum quando impedimentum eſt tale,vt non impediat officij adminiſtrationem; ſi non tenetur fateri, poterit etiam lato ſenſu iurare, ſe illius expertem, ſi neceſſe fuerit, vt ſic nec officium nec iuramentum detrectare poſſit.

Secùs eſt cùm quis rogatur de impedimẽto matrimonij vel Ordinum:tum quia hæc impedimenta impediunt executionem; tum quia ſponte quis ſe ad illa offert. Quòd ſi ſub graui aliqua pœna cogeretur matrimonium vel Ordinem capeſſere, non teneretur occultum impedimentum, vnde infamia gigneretur,patefacere: & ſufficeret coactione ceſſante facere quod ius præſcribit.

Addo tamen grauiter peccare eos, qui vbi huiuſmodi ſunt ſtatuta & iuramenta in vſu,ſe commendant:quia præterquam quòd faciunt contra ſtatutum in re graui, faciunt etiam contra iuramentum futurum, quod intendunt iurare; & ita conſentiunt in periurium. vnde & poſtea tenentur ſuam commendationem irritam reddere, ſi res adhuc eſt integra; & in iurando non poſſunt vti reſtrictione interna, ſi vllo modo abſque graui incommodo poſſunt illud vitare,etiam magiſtratum detrectando.

DVBITATIO X.

Vtrùm fas ſit deferre iuſiurandum ei, quem putas peieraturum.

RESPONDEO fas non eſſe,niſi iuſta cauſa ſubſit: 49 quia quantum in nobis eſt, tenemur tantam Dei iniuriam, & proximi peccatum uitare & impedire. unde D. Auguſtinus ſerm.11.de Sanctis, vbi refert exemplum de quodam Turolymeno, qui diuinitus in raptu ſtagris affectus fuit, eò quod iuramentum à proximo in tali caſu exegiſſet. *Turolymenus.*

Poteſt tamen ſæpè iuſta cauſa ſubeſſe, ob quam hoc ſit licitũ. Primò,Si ſis Iudex,& pars id poſtulet,vel alias ratio officij exigat; vt cùm adducũtur teſtes, uel proceditur via inquiſitionis. ita D.Thom.q.98.ar.4.& Caiet.ibidem. Couar.in cap. Quamuis pactum,p.1.§.5.num.3 & alij. Iudex enim non debet ſequi priuatam ſcientiam,ſed præſcriptum Iuris,adhibendo ea,quibus ſolet elici veritas: alioquin daret iuſtam occaſionem ſcandali; quod illi magis cauendũ, quàm peccatum priuati. quando tamen Iudex id commodè poteſt declinare, (vt ſi aliud remedium facilè poſſit adhibere) tenetur. ſic non poteſt exigere iuramentum à Clerico de relinquenda cõcubina, vt habetur c. Clericos.3 de cohab. Cler. & mulier. quia metuendum eſt ne periurium incurrat;& alia remedia ſuppetunt.Secũdò,Si alterius cauſam agas,& ratio officij tui poſtulet vt ab aduerſario iuſiurandum petas. ſi enim omittas,videberis prævaricari. Tertiò, Si ſperas illum reuerentia numinis non auſurum peierare,& alias magni tua interſit; D Th.ſup. quia quod exigitur per ſe licitum eſt,& finis, qui ſperatur, bonus, & iuſta neceſſitas interuenit. Quartò. Addi poteſt,ſi eius periurio poſſis vti in tuum commodũ, uerbi gratia ad tuas fraudes

Caſus quibus licitum.

Iudex eccleſiaſticus.

detegendas,& fidem ei detrahendam,vt sic iniuriam euadas, aut ius obtineas: tunc enim licitum est illius periurio permittere. Sic Deus ob bonos fines multa mala permittit: sic licitum permittere furtum famuli, vel filij, vt explores indolem, vt ipsos corrigas, vt tibi in posterum cautior sis.

Petes, Quid si norim illum iuraturum per Mahumetum vel idolum?

50 *Si per falsos Deos.* Respondeo. Nihilominùs in contractibus & alijs casibus, vbi est iusta ratio ad damnum vel iniuriam cauendam, potes exigere, vel etiam cogere vt iuret; non quidem determinate tali modo, sed absolutè & in genere: quod est quotidianum apud mercatores, qui cum infidelibus contrahunt. Sic Laban iniens fœdus cum Iacob, iurauit per Deum Abraham,& Deum Nachor, Gen.31.primo, sine tamen iusta causa non licet. Vide Augustinum epist. 154.ad Publicolam, & sermo.30. de verbis Apostoli, qui totus est de iuramento.

Petes, Vtrùm sit maius peccatum iurare per verũ Deũ fallaciter, an per falsum veraciter?

51 *Vtrũ maius peccatum.* Respondeo, Per se maius peccatum esse, iurare per falsum Deum veraciter, si ex animo iures: quia veneraris illum animo & affectu pro vero *Deo*, quod est idololatria. potest tamen minùs esse peccatum, vel ratione ignorãtiæ, per quam Gentiles multum excusantur; vel quia non iuras ex animo: & hoc modo intellige D.Aug.epist.illa 154. vbi contrarium affirmare videtur.

DVBITATIO XI.

Vtrùm sit maior obligatio iuramenti, quàm voti.

D. THOM. ART. 8.

52 *Iuramenti promissorij.* NOTANDVM est, hanc quæstionem potissimùm habere locum in iuramento promissorio, quo aliquid Deo vel homini promittitur. Ac primùm, si aliquid, iuramento promittas Deo, certum est te magis obligari, quàm si solùm voueas Deo, quia illud iuramentum etiam continet votum. vnde est duplex in eo vinculum. Nec refert vtrùm expresè an tacitè promittas; vt si iures te datum eleemosynam; quia tale iuramentum soli Deo factũ, censetur continere votum: continet enim tacitam promissionem ad ipsum directam. Sed

Sententia D. Thoma. Difficultas est, si nihil Deo promittas, sed solùm homini, vtrùm talis iuramenti maior sit obligatio, quam voti, quo simile quid Deo voues D. Thom. negat, quia magis tenemur esse fideles Deo in promissis, quàm reuerentes in verificando quod per nomen eius promisimus: qui enim est infidelis Deo, peccat contra reuerentiam & fidelitatẽ; qui autem non verificat quod per Deum iurauit; solũ contra reuerentiam Deo debitam. Hæc sententia est probabilis, eamque sequuntur Caieta. & alij Thomistæ, & multi DD. Sed contrà

Obijci potest Primò, Qui non implet quod iurauit facit Deum testem falsi; at hoc est grauius, quam ei non seruare fidem in promissis; per illud enim tribuitur Deo aliquid, quod ipsius naturæ repugnat; per hoc solũ officium debitum defertur. Secundò, Periurium contra veritatem præsentem (vt cùm quis iuramento assertorio iurat falsum, vel promissorio absque animo implendi) est grauius peccatum quam violatio voti: ergo iuramentum magis obligat, saltem ad illam ueritatem procurandam, quàm votum ad soluendum promissum. Antecedens patet, tum ex grauissimis pœnis, quæ periuris apud omnes gentes statutæ sunt: plectuntur enim uel morte, uel manus aut linguæ præcisione, uel alijs modis corporaliter; & iuris Canonici depositione: tum quia sunt infames uel ex uno actu: tum denique quia in tali periurio censetur esse maior contemptus numinis. qui autem semel uel iterum violat votum, non habetur ita sceleratus, nec infamis. Tertio, iuramentum duplicem obligationem inducit; obligat enim nõ solùm erga Deum, sed etiam erga hominem, cui fit injuria, si violetur: votum solum obligat Deo: ergo, &c.

53 *Rationes ob quas iuramenti obligatio videtur maior.*

Obiectio. Dices, Potest quis iurare nemini aliquid promittendo, vt si iures te daturum eleemosynam.

Resp. Resp. Tale iuramentum fit incultu Dei, vt illi placeas; itaque continetur in eo tacita promissio erga Deum, quæ iuramento confirmatur: vnde erit in eo duplex vinculum. Quòd si quis tale iuramentum ita faciat vt non intendat quidquam alicui promittere, sed solum affirmare quid sit facturus, nihilominus hoc vinculum per se fortius erit vt verificet quod dixit, quam uinculum voti, vt ex secundo argumento patet.

Ob has rationes hæc sententia est valdè probabilis, quã tenet Ioã. Maior in 4.d.38.q.5. Michael Medina l.5.de cõtinentia c.22. & 23. & alij quidam recentiores. Naua.c.12. nu.32. conatur has sententias cõciliare, dicitque sententiã Maioris esse veram, quando vtrumque fit principaliter in honorem Dei, vel vtrumque principaliter in commodum proximi. sententiam autem D.Thomæ esse veram, quando votum fit principaliter in honorem Dei, iuramentum in commodum proximi. vbi facis indicat Nauarrus iuramentum per se & ceteris paribus maius vinculum inducere. quod si verum est, sequitur etiam in hoc vltimo casu (quando votum fit potissimum in honorem Dei, & iuramentum in commodum proximi) magis obligare; nam in iuramento est duplex obligatio, scilicet religionis erga Deum, quæ per se est firmior. & iustitiæ erga proximum. in voto solùm est una obligatio, scilicet religionis erga Deum.

Conciliatio Nauar.

54 *Ad rationes contrarię sententię.* Ad rationem alterius sententiæ: Periurium non solũ est contra simplicem reuerentiam Deo debitã, sed etiam contra perfectionem diuinam: nam peruersa, quantum in se est, facit Deum testem falsi. In violatione voti, esse contra reuerentiam & contra fidelitatem, non sunt duæ malitiæ disparatę, sed altera pendet ex altera; ideò enim est contra reuerentiam, quia est contra fidelitatem debitam ex promissione supremo Domino: uiolare enim fidem domino suo, irreuerentia est in illum. & quamuis essent distinctæ, non tamen omnino æquarent malitiam periurij.

Ratio tamen D.Th. benè probat opus, quod ex voto fit, esse Deo gratius, & magis meritorium, quam quod ex iuramento; quia illud immediate offertur Deo, & ex affectu illum honorandi: itaque induit speciem actus religionis. hoc verò ordinariè non procedit ex tali affectu, sed ex affectu iustitiæ erga proximum, uel timore iniustitiæ, aut periurij: neque exhibetur Deo, sed proximo.

DVBITATIO XII.

Quibus modis tollatur obligatio iuramenti, & cuius auctoritate.

55 *Impeditur obligatio iuramenti per legem.* DVPLICITER tollitur obligatio a iuramẽto. Primo impediendo ne illam ab initio inducat. Secũdò, Tollendo iam inductam. Impediri potest obligatio iuramenti per legem, si lex statuat vt iuramentum contractui, vel promissioni alicui adiectum, sit irritum, & nullam inducat obligationem. Sic Concilium Trident. sess.25.c.16. de Regul. irritum reddit iuramentum adiectum renuntiationi bonorum, si fiat ante biennium, quod præcedit professionem, de quo supra cap.41. nu.39.40. Sic in regno Lusitaniæ irrita reddiuntur per legem omnes contractus, obligationes, cõuentiones, promissiones, remissiones, & dilata actus iuramento confirmati, si alioquin ad forum sæculare eorum cognitio pertinebat; nisi cum Regis facultate iuramentum appositum fuerit. Simili ferè modo in regno Castellæ; exceptis quibusdam contractibus, vt refert Molina disputatio. 149. Quod ideò factum est, ne lites super huiusmodi contractibus traherentur ad forum ecclesiasticum. iuramentum enim facit vt causa, quæ alias mere est ciuilis, fiat fori mixti. vt patet ex cap. fin. de foro competen. in 6.

56 *Quo modo fiat vt obligatio impediatur.* Sed difficultas est quomodo potestas humana hoc possit, cùm obligatio naturaliter & necessariò resultet ex iuramento; Iure enim naturæ tenemur cauere ne Deum faciamus testem falsi, vt suprà ostensum est num.38 Omissis uarijs sententijs, quæ rem non explicant, nec punctum tangunt.

1. Reddendo inhabilem ad acceptandũ. Respondeo, dupliciter intelligi posse id fieri. Primò, Eum, in cuius fauorẽ fit, reddendo inhabilem ad acceptandum. cùm enim iuramentum promissorium non obliget, nisi promissio acceptetur ab eo, in cuius fauorem factum est;

est; si hic sit inhabilis ad acceptandum, nulla potest nasci obligatio. Quod autem talis inhabilitas etiam lege ciuili induci possit, non videtur dubitandum: quia lex ciuilis potest reddere inhabilem ad officia, ad contractus, ad alienationes, ad acquisitionem bonorum, & similiter non etiã ad valide acceptandum alterius promissionem?

2. *Condonando obligationem.*

Secundò, Intelligi potest id fieri condonando seu remittendo obligationem, hoc ipso, quo iurans tentat illam inducere: cùm enim iuramentum promissorium non obliget, si ille, cui fit, statim remittat, (nam sub hac tacita conditione, *Si velis, si non remiseris*, fieri censetur) etiam non obligabit, si Superior illius ex iusta causa remittat. hæc enim remissio non est minùs efficax quàm remissio inferioris, cuius interest; & eam virtute continet: vnde non minùs resistit obligationi, quàm illa. quare etiam lex irrisans, eidem obligationi resistit; cùm talem remissionem continere censeatur.

3. *Prohibendo executionem.*

Alio modo impediri potest obligatio, quando prohibetur executio, ita vt sine peccato fieri non possit: quomodo putant multi impediri obligationem pœnæ conuentionalis sponsalibus appositæ & iuramento confirmatæ, de quo supra cap. 17. dubit. 7.

57 *Quo modo tollatur iam inducta.*

Obligatio iam inducta tolli potest quinque modis.

1. *Mutatione materiæ.*

Primo, Mutatione materiæ; vt si res iurata fiat impossibilis iuranti, aut illicita, Superiore vetante.

2. *Condonatione.*

Secundò, Condonatione; vt si is, in cuius fauorem factum est, remittat obligationem; quiuis enim potest condonare promissionem factam in suum fauorem, etiamsi facta sit in modo voti; vt si voueas Deo, & iures te ductum Catharinam pauperem, vel daturum illi dotem vt melius nubat. Contrarium tenet Sotus lib. 8. de Iustitia qu. 2. art. 9 & quidam alij.

Sed Probatur: quia qui facit tale votum vel iuramẽtum, non intendit se obligare nisi sub tacita conditione, Si ille, de cuius commodo agitur, velit acceptare. non enim intendit inuitum ad beneficium acceptandum cogere, vel nolẽti obtrudere: ergo si ille nolit, vel condonet, non obligatur, cessat enim conditio sub qua obligatio inducta est.

3. *Commutationis.*

Tertiò, Commutatione; vt si ille, cui factum est, concedat aliud opus loco illius, quod iuramento promissum est, præstari. V. Notandum est quando talis commutatio facta est, iurantem non teneri ex vi iuramenti ad illud in quod facta est; quia illud iuramento non promisit: sed ex pacto, quo illud loco alterius acceptauit. Pari modo si iurasti soluere ad certum diem, & creditor terminum proroget ad mensem, non teneris post illum diem ante finem mensis ex vi iuramenti, sed solùm ex pacto. Secùs tamẽ est in commutatione voti: quia dum acceptas commutationem, tacitè Deo promittis id in quod fit commutatio, quæ promissio cùm Deo fiat; habet vim voti. Ratio est, quia Prælatus commutans non condonat nomine Dei priorem obligationem, nisi ea lege vt loco illius aliam suscipias; nõ erga teipsum, sed erga Deum; quia non suo, sed Dei nomine agit: atqui hæc obligatio erga Deum est voti: ergo &c. Cõfirmatur, quia si creditor commutet volente debitore aliquod debitum in aliud, hoc ipso, quo debitor acceptat, censetur illud promittere & se obligare.

Discrimẽ inter commutationem voti & iuramenti.

58 *A quo fieri possit commutatio iuramẽti.*

Vt autem intelligatur à quo hæc cõmutatio fieri possit, Notandum est, omne iuramentum promissorium fieri vel in honorem Dei, & sic cõtinet votum, vel in fauorem hominis: & tunc vel acceptatur, vel non acceptatur. Si fiat in honorem Dei, (vt si iures te auditurum Sacrum, daturum alicui pauperi eleemosynam, seruaturum continentiam) commutari potest ab eo, qui simile votum potestate ordinaria commutare potest, vt communiter docent DD.

Corollaria 3.

Vnde sequitur Primò, Episcopum & alios Prælatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, posse omnia talia iuramenta, præter ea, quæ implicant votum Pontifici reseruatum, commutare. Secundò, Omnia talia iuramenta extingui professione Religionis approbatæ. Tertiò, Quemuis posse talia à se facta in melius commutare quod colligitur aperte ex cap. Peruenit. 2. de iureiurando. Nec refert etiamsi tale iuramentum cedat in commodum tertij; quia si promissionis verba ad illum directa non sint, nullum ille ius acquirit, sicut supra cap. 40. nume. 90. de voto dictum est. Si autem fiat in fauorem hominis, & valide sit acceptatũ, nõ potest commutari ab alio, ipso inuito; nisi intercesserit iniuria, vel in pœnam iustam, vel bonum commune aliud postulet, vt statim dicemus.

59 *An Regulares possint.* *Multiplex sententia ponitur.*

Petes, Vtrùm Regulares, qui ex priuilegio & potestate delegata commutant vota, possint etiam commutare iuramenta de eadem materia? Multi sentiunt posse. Primò, Quia iuramenti vinculum per se minus est, quam voti, secundùm D. Thomam & plurimos DD at cui concessum quod maius est; censetur etiam concessum quod minus. Secundò, Quia obligatio iuramenti promissorij per se euanescit, sublata promissione per condonationem vel commutationem: ergo qui potest vinculum promissionis seu voti tollere, potest etiã tollere vinculum iuramenti. Confirmatur, quia accessorium sequitur naturam principalis, reg. 42. de regulis Iuris in 6. sed iuramentum est accessoriũ voti: ergo sublato voto tollitur iuramentum. Tertiò, Quia huiusmodi iuramenta etiam sunt vota: ergo qui potest in omnibus votis, potest etiam in illis iuramentis. Hanc sententiam tenet Petrus Arragonius artic. 12. Didacus Lopez tract. de voto quæst. 5. num. 42. Viualdus cap. 14. quæst. 8. & alij multi recentiores. Idem sentire videntur, qui dicunt idem iudicandum de absolutione à voto, & à iuramento, vt Syluest. Iuram. 5. q. 3. Sotus lib. 8. q. 3. art. 9 Fumus v. Iuram. num. 19. & alij.

60 *Obiectio. Priuilegia.*

Dices, Hæc facultas commutandi & dispensandi est priuilegium: priuilegia autem sunt strictè interpretanda, c. Cùm in illis. 16. cap. Cum de non sacerdotali. 17. de præbendis, in 6. quia iuri communi derogant: vnde etiam dicuntur odia iuris: odia autem sunt restringenda, vt habetur regula 15. de regulis iuris, in 6.

Respon.

Respondeo potest talem facultatem concessam in fauorem aliquorum particularium censeri priuilegiũ, & odium Iuris; ac proinde strictè esse interpretandam: secùs verò quando concessa in fauorem publicum; etiamsi alicui particulari concessa sit, tunc enim censeri non priuilegium & odium Iuris, sed fauorem & beneficium Principis. vnde latè esse interpretandam, quantum verba patiuntur, iuxta regulam dictam *Odia restringi, fauores conuenit ampliari*. Ita Panormitanus in capit. final. de simonia, & Gloss. ibid. & alij passim. quod multò magis locum habet, quando concessa est non particulari alicui, sed integro Ordini. tunc enim non solùm non censetur odium iuris; sed etiam æquatur iuri communi, inserto corpori Iuris, adeò vt per Bullas & alias reseruationes non derogetur, nisi habeant expressam clausulam derogatoriam: quod etiam signũ est esse merum fauorem & beneficium, ac proinde latissimè interpretandum; beneficium inquam, non tàm Ordinis, quàm populi Christiani. Nec obstat si dicatur vinculum iuramenti esse fortius; hoc enim intelligendum manente vinculo promissionis, si tamen hoc per condonationem soluatur, statim per se euanescit vinculum iuramenti. Hinc videmus ijsdem causis solui sponsalia iurata quibus soluuntur simplicia, quia eamdem tacitam conditionem habent.

Contrarium tenet Nauar. c. 27. nu. 175. enchiridij, Ioannes Azorius lib. 11. cap. 10. q. 2. & quidam alij recentiores, quorum sententia est magis conformis stylo Curiæ Romanæ. solet enim tamquam speciale priuilegium concedi potestas commutandi iuramenta.

Dupliciter appenditur Iuramentum.

Sed vtendum videtur distinctione. Si enim iuramentum fiat animo promittendi Deo, ita vt includat votum; commutari potest ab ijs qui vota similia commutant. Ratio est, quia iuramentum est voto accessorium. vnde qui potest tollere obligationem voti, eo ipso potest tollere obligationem iuramenti. accessorium enim sequitur suũ principale; & sublato fundamento, ruit quod illi innititur. Simili modo qui potest tollere promissionẽ factam homini, potest etiam iuramentum tollere, quo illa promissio cõfirmata fuit. Excipio promissionẽ minoris iuramento confirmatam. quia iuramentũ dispositione legis facit ipsum quasi matorem, vt infra num. 61. dicetur. Si verò non fiat animo promittendi Deo, sed solùm firmandi se in bono proposito; vel si apponatur voto principaliter & non accessorie; non potest commutari a priuilegiatis, nisi priuilegium habeant vt possint commutare iuramenta absque præiudicio tertij. Ratio est, quia tale iuramentum, vel non includit votum, vel saltem non est voto accessorium, sed additur principaliter & immediatè ad obligãdum se ad opus. Vnde cùm vinculum iuramenti sit valdè diuersum à vinculo voti, potestas cõcessa circa vota non potest extendi ad iuramenta. Tunc autem iuramentum est voto accessorium, quan-

Quando sit accessorium voto.

quando ſolum fit ad confirmandum votũ, ne videlicet cõtra fiat quamdiu manet obligatio promiſſionis. & tunc iuramentum retinet omnes tacitas cõditiones quas habet votum. itaque cum votum habeat hanc conditionem, *niſi commutatum vel commutatum fuerit*, &c. poſita hac conditione, ceſſat vis iuramenti. Similiter ceſſat, ſi quo caſu deſinat obligatio voti. nam iuramẽtum ſolum obligat, quãdiu manet vis voti ſeu promiſſionis. Tunc verò non eſt acceſſorium ſed principale vinculum, quando apponitur non ſolum ad confirmationem voti ſed per ſe primo ad firmandum animum in bono opere ſiue ceſſet obligatio voti, ſiue non. Nam mens eſt obligare ſe ad opus, quia Deo gratum, ſalutare animæ, &c. Vnde non ceſſat obligatio talis iuramenti, niſi contingat opus non eſſe Deo gratum, vel maius bonum impediat, vel reddatur impoſſibile. Nec alias tacitas conditiones habet tale iuramentum.

Quando non ſit acceſſorium.

61 Quartò, Tolli poteſt irritatione, vt quando materia iuramenti promiſſorij ſubeſt alterius poteſtati, ſicut dictum eſt de voto. Hoc modo interdum irrita reddũtur a Conciljs & Summis Pontificibus iuramenta, quæ fiunt in Capitulis à Canonicis de ſeruandis ſtatutis & conſuetudinibus, de acceptando vel nõ acceptãdo beneficio, & ſimilia; & quæ fiunt in Vniuerſitatibus à Baccalaureis de nõ ſuſcipiendis alibi gradibus, & alia id genus, vt notat Caietanus art. 9. cenſetur enim in huiuſmodi ſemper excepta poteſtas Superioris quam inferiores per ſuum iuramentum reſtringere non poſſunt.

Hinc patet, omnes eos poſſe irritare iuramenta, qui vota eiuſdem materiæ irrita reddere poterant.

Iuramenta minorum nõ irritantur.

Hic tamen excipienda iuramenta minorum: etſi enim cũratores poſſint irrita reddere vota realia ipſorum, quatenus eorum adminiſtrationi officiunt, vt ſupra cap 40. dub. 14. dictum eſt: non tamen iuramenta, vt colligitur L. 1. & 2. C. Si aduerſus venditionem: vbi etiam non conceditur illis reſtitutio in integrum, etiamſi ex contractu læſi ſint, ſi iuramento illum confirmarunt: quia iuramentum ſupplet defectum ætatis, eoſque diſpoſitione legis efficit maiores, vt ibidem Doctores notant. Nec refert quod prædictæ leges loquantur ſolum de contractibus; quia eadem eſt ratio in votis, vt patet ex dicta L. 1. non enim minus perfidia & periurium in votis locum habere poteſt, quam in contractibus.

Impuberum tamen iuramenta irritari poſſunt à tutoribus ſicut & vota; quia nihil iura in contrarium ſtatuerunt, & aliàs non ſunt ſui iuris, ſed ſubſunt in omnibus regimini tutorum, & habetur expreſsè 22. q. 5. c. Pueri. 15.

De iuramẽtis filijfamilias dicendum ſicut de votis eiuſdem. Vnde ſicut pater poteſt *in* irritum reuocare vota filij de bonis aduentitijs, non ſolum ante vigeſimum quintum annum facta, ſed etiam in vlteriore ætate; eò quòd illa iuri ipſius officiunt, ita etiam iuramenta de ijſdem. non. n. per ætatem eximitur à patria poteſtate, vt communiter tradunt DD. in L. vlt. §. Pupillus. ff. de verb. obligat. nec ratione illius acquirit vſumfructum aut adminiſtrationem ſuorum aduentitiorum. Vide Sanchium lib. 6. de matr. diſp. 39. num. 10.

62 *5. Diſpenſatione.*

Quintò, Diſpenſatione, ſeu abſolutione. hæc fit auctoritate Superioris. Et quidem ſi iuramentum habeat ſpeciem voti abſoluere ab eo poteſt, qui poteſt à voto eiuſdem materiæ abſoluere ordinaria poteſtate. Si autem ſolum delegatam poteſtatem a voto abſoluendi habeat; multorum quidem iudicium eſt etiam poſſe a iuramento eiuſdem materiæ. ſed dicendum eſt iuxta diſtinctionem datam ſupra num. 60. Si verò factum eſt in fauorem tertij & acceptatũ, Superior abſoluere non poteſt, niſi legitima cauſa ſubſit; quia non poteſt ius alterius tollere ſine iuſta cauſa. Cauſæ iuſtæ ſunt, Primò, Si metu vel fraude extortum. Secundò, Si alia iniuſtitia interceſſit; vt cum vſurarius exigit iuramentum de ſoluendis vſuris. Item quando quis in contractu grauiter læſus eſt, & coactus eſt illum iuramento confirmare, vel non aduertens illam læſionem, ſponte confirmauit. Tertiò, In iuſtam pœnam. Quartò, Si bonum commune poſtulet; vt ſi filiusfamilias cum iuramento renuntiet Macedoniano, de quo ſupra cap. 20. num. 9. ſi cum iuramento promittas non accuſare, &c.

Cauſa diſpenſandi in iuramento præſtito in fauorem tertij.

63 *Quomodo poſſit tollere*

Sed difficultas eſt qua ratione poſſit Superior in his euẽtis iuramenti vinculum relaxare. non enim ſicut Prælatus nomine Dei condonare poteſt promiſſionem Deo factam, ita etiam condonare poteſt obligationem, qua teneris Deum non facere teſtem falſi, cum nec ipſe Deus hanc obligationem tollere poſſit: hoc enim eſſet dare licentiam periurij, ac irreuerentiæ & iniuriæ in Deum.

Iuramenti vinculum tollere.

Reſpondeo breuiter, Iuramenti vinculum non poſſe vllo modo tolli, niſi appoſitione vel ſubtractione alicuius conditionis, quæ tacite cenſebatur inclusa promiſſioni, qui enim aliquid promittit alteri, tacitè ſubintelligit has conditiones, *Si velis, Niſi remittas, Niſi Superior, cui materia ſubeſt, contradicat, Niſi ipſe ſua auctoritate condonet*, & ſimiles. Hinc dici ſoleat, in iuramento cenſeri excepeam auctoritatem Superioris. Itaque quando metu vel fraude extortum eſt, ille Superior abſoluere poteſt, qui ſua auctoritate poteſt remittere ſolutionem. Sicut enim ſi is, qui extorſit, remittat, euaneſcit obligatio iuramenti, ita etiã ſi eius Superior, qui poteſt eum cogere ad remittendum, condonet: hęc enim condonatio Superioris ſupplet vicem cõdonationis inferioris.

Subtractione conditionis ſolui.

Superior illius, qui extorſit iuramentum.

Hac ratione à talibus iuramentis abſoluere poteſt Summus Pontifex, & etiam Epiſcopus vel auctoritatem quaſi Epiſcopalẽ habens; maxime ſi ille, qui ſic exegit, eſt illi ſubiectus; quia ſubditos ſuos cogere poteſt vt ab iniuria abſtineant, eamque relaxent. continere autem alterum tali iuramento obſtrictum aſſidua iniuria eſt, aſſiduumque tormentum. quod ſi cogere illum poteſt vt relaxet, etiam ipſemet ſua auctoritate relaxare poteſt. ſicut quando inferior lege iuſtitiæ tenetur ad ſolutionem vel reſtitutionem, poteſt Superior ex bonis illius reſtituere, ſi illum ob abſentiam vel potentiam cogere ad hoc nequit.

Si autem qui extorſit non eſt ſubditus, eſt maior difficultas, nam mea condonatio non poteſt ſupplere cõdonationem alterius, qui mihi nõ ſubeſt, cum ego nullum ius in illum habeam.

Superior eius à quo extortum.

Nihilominus dicendum videtur te poſſe relaxare, ſi is, qui iniuriam paſſus eſt, ſit tuus ſubditus. tũc enim ratione iniuriæ ſubdito tuo illatæ, ius in alterum habes, quo illum ad iniuriam tollendam compellere potes, præſertim ſi Superior ipſius id facere nolit. quo caſu etiam ex bonis illius ſubdito tuo reſtitutionem facere poſſes, ſi damnum ſecutũ eſſet. Imò credo non poſſe opus vt Superior illius, qui extorſit iuramentum, interpelletur vt ſubditum compellat ad iuramentum relaxandum; quia cum tu ratione iniuriæ ſubdito tuo illatæ, ſatis iuris habeas ad illum compellendum, ſi non potes compellere ob abſentiam vel potentiam, potes ipſemet condonare.

Hinc Doctores in cap. Debitores. 6. de iureiurando, generatim docent, iuſiurandum, quo quis vſurario promiſit ſoluere vſuras, ab Epiſcopo relaxari. Poſſunt etiam huiuſmodi iuramenta relaxare illi, quibus per priuilegium Sedis Apoſtolicæ conceſſum eſt relaxare iuramenta, quorum abſolutio non eſt in præiudicium tertij. quando enim per iniuriam extortum eſt nullum ius propriè acquiritur extorquenti, aut alteri in cuius fauorem extortum; ac proinde abſolutio non cenſetur eſſe in eius præiudicium, id eſt, in damnum iniquum. Ita Petrus Ledeſma, de matrimonio q. 47. art 3. dub. 3.

Priuilegiati.

64 *In pœnam.*

In pœnam relaxari poteſt, quando is, cui præſtitum eſt, id meretur, ſiue quia inique exegit, ſiue quia commiſit aliquid, ob quod meretur bonis ſpoliari. ſiue quia contumax in Eccleſiam. Hoc modo iudex, etiam ſæcularis, ad puniendum vſurarium, qui abſque Principis permiſſu vſuras feciſſet, poſſet relaxare iuramentum ipſi præſtitum à mutuatarijs de vſuris ſoluendis. Idem dicendum de iuramentis vi extortis; vt patet ex L. 2. C. Si aduerſus vendit. vbi ſic dicitur, *Per vim autem vel per metum iuſtum extorta (iuramenta) etiam à maioribus (maximè ne querimoniam maleficiorum commiſſorum faciant) nullius eſſe momenti iubemus*; vbi generatim videntur omnia huiuſmodi iuramenta irrita reddi; ac proinde non egere relaxatione Iudicis. Verius tamen puto non eſſe irrita, neque legem illam ab Eccleſiam eo ſenſu receptam; præterquam in iuramento de non faciẽda querimonia maleficij, vt ſupra dub. 6. in fine dictum eſt.

Iuramẽtum per vim & metum. Iure irritum.

In pœnam quoque relaxatur iuramentum ſubditorum, quo obſtricti ſunt Principi, vel alteri Superiori, quando ille priuatur per Summum Pontificem vel alium Superiorẽ officio, vel dignitate, ratione cuius ei præſtitum erat iuramen. vel quando ſuſpenditur ab officij executione. Sic abſoluta

soluti sunt à debito fidelitatis dominij & obsequij; qui manifestè lapsis in hæresim, aliquo pacto quocunque tandem firmitate vallato, tenebantur astricti; vt habetur capitul. Absolutos. 16. de hæreticis: vt subditi, serui & vasalli. Idem dicendum de ijs, qui publicè excommunicatus hoc modo obstricti erant, cap. 4. Nos Sanctorum. 15. quæst 6. ex Gregorius VII.

65 *Ratione boni communis.*

Denique interdum ratione boni communis relaxari potest; vt quando quis cum iuramento promisit alicui sponte vel coactè non accusare, non denuntiare, non contra testari & similia: nisi enim talia relaxari possent, crimina detegi & puniri, iudicia exerceri, innocentia defendi, iniquitas opprimi non posset; quæ omnia sunt contra bonum publicũ. Itaque huiusmodi relaxare potest Summus Pontifex, Episcopus, & auctoritatem quasi Episcopalem habens; & etiã Princeps sæcularis; quia ratio officij ipsius postulat vt possit tollere obligationes, quæ ipsius rectam administrationẽ impedirent. Hæc tamen iuramenta per se non cessant, nisi quando est necessitas hæc officia præstandi; ita vt sub peccato ad ea teneamur; excepto eo, quod de non accusando, quando per vim vel metum iustum extortum, vt dictũ est.

66 *Ad quod fori pertinent.*

Ex dictis patet, etiamsi iuramenti cognitio, quando agitur vtrùm obliget in conscientia, an non obliget; vtrùm possit relaxari, an non possit, ad forum ecclesiasticum tantùm pertineat, vt patet c. final. de foro competen. 6. tamen quando manifestè constat de iniuria, vel iniustitia exactoris, vel quando constat tale iuramentum bono publico noxium esse; posse etiam Principem sæcularem, & aliquando Iudicem inferiorem, nõ solùm præcipere vt ille remittat, sed etiam sua auctoritate remittere & relaxare: quia hæc potestas non est per se spiritualis, sed generatim fundata est in potestate gubernandi. sine enim hac potestate, gubernatio ciuilis prorsus imperfecta esset ac manca, & plurimis incommodis occurrere nequiret. Accedit, quòd potestas ciuilis ab initio possit obligationem iuramenti impedire ne nascatur: ergo & natam potest ex iusta causa tollere: hæc enim eiusdem sunt rationis & potestatis; præsertim cùm contractus ipsi, qui iuramento confirmantur, potestati ciuili subsint.

DVBITATIO XIII.

Quid sit adiuratio, & in quæ competat.

D. THOM. QVÆST. 90.

67 *Adiuratio.*

RESPONDEO, & dico Primò, *Adiuratio est* rei sacræ contestatio ad permouendum alterũ. sicut enim *iuramentum* est contestatio rei sacræ, per quam homo alteri seipsum obligat & ordinat ad aliquid, ita *adiuratio* est quando rem sacram contestamur & veluti in rem præsentem adducimus, vt eius reuerentia permoueamus alterum ad aliquid faciendum vel non faciendum. dum enim adiuramus aliquem, Deum ipsum, eiusq; numen, quantum in nobis est adducimus, vt eius reuerentia, timore vel amore, alterum permoueamus ad id, quod petimus, idque eo modo, vt si nolit, videatur Deum quasi parui pendisse. sic enim illum adducimus, vt ipsemet nobiscum quasi petere videatur. non tamẽ idcircò alter obligatur nisi sit superior, cui possimus imperare, gratissimum tamen Deo est, si reuerentia vel amore ipsius, adiuranti obsequatur.

68 *Fit duobus modis.*

Dico Secundò, Adiuratio duobus modis fieri potest, præcipiendo, & deprecando, vt docet D. Thomas art. 1.

Exemplum prioris est 2. ad Timoth. 4 vbi Paulus adiurat Timotheum, *Testificor coram Deo & Christo* IESV, *per aduentum ipsius & regnum eius, prædica verbum*. &c. & 1. ad Thessalon. vlt. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc*. Matth. 26. Princeps sacerdotum adiurat Christum *per Deum viuum*. Genes. 24. Abraham adiurat seruum *per Dominum cæli & terræ*. Denique sic adiurantur dæmones in exorcismis Ecclesiæ.

Exemplum posterioris est in precationibus Ecclesiæ, quando per Christum petit exaudiri. Item in Litanijs, *Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ*, Per *aduentum tuum*, &c. Quamuis si propriè loqui velimus, hoc potius sit obtestatio. quã adiuratio. generatim tamen adiuratio dici potest, quando aliquid diuinum interponitur, vt eius reuerentia vel amore alterum flectamus.

69 *Solæ rationali naturæ adiuratur.*

Dico Tertiò, Sola natura rationalis est idonea, quæ per se adiuretur; quia hæc sola potest percipere diuina, eorumque reuerentia & amore impelli ad agendum. sic Deum adiuramus obsecrando per bonitatem, misericordiam, & omnes miserationes ipsius, per Christi passionem & merita B. Virginis, & Sanctorum omnium. quæ omnia allegamus, exhibemus, & veluti offerimus illi, vt horum intuitu, & amore permoueatur ad præstandum quod cupimus. Simili modo possumus adiurare Sanctos.

Vbi aduertendum est, dum Sanctos & eorum merita interponimus, tacitè etiam ipsum numen diuinum, quod illis est causa sanctitatis & meritorum, subintelligi; alioquin si solùm bonitas, quæ est in meritis & sanctitate illorum spectetur, non tam est actus religionis, quàm obseruantiæ in hac allegatione.

70 *Dæmones adiurantur non precando.*

Dæmones quoque adiurari possunt, nõ obsecrando, sed imperando, & terrorem hac Dei & rerum diuinarum contestatione incutiendo. adiuratio enim non tantùm fit vt quis amore vel affectu reuerentiæ in Deum, commoueatur, sed etiam vt timore concutiatur, & sic abscedat vel nocere desinat. Sic etiam Ecclesia per exorcismos, qui sunt adiurationes quædam solemnes ab Ecclesia institutæ, dæmones expellit tum ab hominibus, tum etiam ab alijs creaturis; estque in Ecclesia Ordo exorcistarum, ad hoc munus institutus. Imò hæc potestas est propria Ecclesiæ & veræ religionis nota: nulla enim alia religio potest dæmones eijcere. Vide Iustinum apologia 1. pro Christianis, & dialogo cum Tryphone, Tertull. in Apologet. c. 37. August. lib. 10. de ciuit. capit. 22. Fuit quidem apud Iudæos ante Christi aduentum, cùm apud ipsos erat vera religio: sed postea vnà cum religione desijt apud ipsos, & translata est ad Ecclesiam Christi, vt colligitur Act. 19.

71 *Commercium cum dæmone illicitum.*

Dixi, *non obsecrando*: quia obsecrare aliquem est se illi subijcere tamquam maiori, & illius beneuolentiã & societatem captare: vnde etiam est signum beneuolentiæ erga illum; nullo autem modo possumus nos dæmoni subijcere, aut illius fauorem expetere, aut beneuolentiam erga illum gerere. Primò, Quia est hostis Dei, omniumque Deo adhærentium; nihilque aliud nisi honorem Dei & salutem animarum impedire studet. itaque in iniuriã Dei cedit, si honor, aut alia beneuolentia ei deferatur: sicut iniurius est in Principem qui hosti proscripto beneuolentiam politicam exhibet. Secundò, Quia nihil vnquam sponte facit, nisi vt decipiat & noceat saluti: itaque omne ipsius beneficium est maleficium: Hinc Apostolus 1 ad Cor. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum*. & 2. ad Cor. 2. *vt non circumueniamur a Satana: nõ enim ignoramus cogitationes eius* & B. Petrus epist. 1. cap 5. *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*.

72 *Quæ possint peti a dæmone in obsessis.*

Vnde sequitur, non esse licitum a dæmone in obsessis posito petere, nisi ea, quæ pertinent ad eius expulsionem, vt quòd sit eius nomen, quam sint multi, quare ingressus, (hęc enim petijt Dominus Marci 5.) vel ad aliorum vtilitatem, vt docet D. Antoninus 2. p. tit. 12. c. 1. §. 5. qualia ab hoste absque vllo signo beneuolentiæ peti possunt. Si tamen aliqua solum ex curiositate petantur, non videtur peccatum mortale; vt docet Nauar. c. 11. n. 18. ex Caietano, quia quando ipse non inuocatur, sed se sponte offert in corpore assumpto, vel obsesso, non censetur talis collocutio signum societatis & beneuolentiæ, præsertim notabilis.

73 *Res inanimæ, quo modo adiurentur.*

Res inanimæ per se & directè adiurari non possunt, quia non intelligunt; sed adiuratio dirigitur ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, easque mouere potest, vt ait D. Thomas artic. 3. Sic exorcizatur aqua, sal, domus: partim enim inuocatur virtus diuina, vt in vsu harum rerum assistat, & diaboli vim coerceat: partim per virtutem diuinam præcipitur diabolo vt abscedat, & in his non noceat. Item locutæ, mures, grandines, tempestates, & similes rerum humanarum noxæ, vt Deus damna eorum auertat, & diabolus per illa non noceat. Vide Sotum lib. 8. de Iustitia q. 3. art. 3.

Huc pertinet, adiuratio illa S. Brixij, qui infantem trigintà dierũ adiurauit vt diceret si ipse esset pater eius, vt quidam sparserant: cui infans respondit, *non pater meus es tu*. vt refert Gregorius Turon. L. 2. histor. Franc. cap. 1. continebat hęc adiuratio tacitam orationem, qua Deus rogabatur vt infanti vocem daret.

DV-

DVBITATIO XIV.

Quid periurium, & quæ eius pœna.

73 *Periurium dupliciter accipitur.*

NOMEN *periurij* dupliciter accipitur. Primò, Propriè, pro iuramento, cui deest veritas, siue præsens, vt si falsum sciens confirmes; siue futura, vt si fidem datâ & iuramento confirmatam sine iusta causa non serues. Secundo, Generatim, pro omni iuramento, cui ex tribus comitibus aliquid deest, siue *iustitia*, siue *iudicium*, siue *veritas*. Si enim iustitia desit, etiam quodammodo deest veritas, quia quod promittitur, seruari non potest. Si verò iudicium, tunc etsi fortè ex parte rei non desit veritas, tamen periculum est ne desit; vt cùm quis iurat re non satis perpensa. Quando tamen iura loquuntur de periculo, intelligunt primo modo.

Periurij 4. modi.

Inter periuria primum locum tenet cui deest veritas præsens, nempè quo quis sciens & volens falsum confirmat. Deinde cùm quis fidem iuramẽto promissam violat. Tertiò, Quando iurat contra iustitiam. Quartò, Quando absque iudicio.

74 *Pœna periurij.*

Pœnæ periurij propriè dicti apud omnes nationes sunt valdè graues, vt docet Couarruuias in cap. Quamuis pactum. p. 1. § 7. nu. 2. Apud Scythas, & Ægyptios plectebantur pœna capitis. Apud Indos manuum pedumque extremorum accisione. In multis locis puniuntur præcisione manus. Iure Ciuili sunt infames, si periurium erat in nocumentum alterius; non autem si nemini nocebat, vt docet Glossa in l. si quis maior. 41. C. de transactionibus. Iure Canonico etiam sunt infames; cap. Infames. 16. & c. 17. Quicumque. 6. q. 1. quod intelligi si res est notoria. Hæc tamen infamia non adducit propriè irregularitatem, nisi irrogata sit per sententiam Iudicis: vt si quis de periurio sit condemnatus; tunc enim irregularis est & eget dispensatione, etiã post vitæ mutationem. Alia infamia tollitur bona vita, oblitione, & loci mutatione, vt Couarruuias & alij docent. Præterea in foro externo imponitur illis grauis pœnitẽtia; nam d. cap. Quicumque, dicitur, *quicumque sciens peierauerit, quadraginta dies in pane & aquâ, & septem annos ieiunet sequentes, & numquam sit sine pœnitentia; & numquam vt testimonium recipiatur, communionem tamen post hæc recipiat.*

Petes, Vtrùm periurium sit grauius homicidio? Quidã putant esse grauius. Ita Syluester v. Periurium, quæst. 2. D. Thomas quodlib. 1. ar. 18. & Sotus l. 8. de Iustitia, q. 2. art. 3. Primò, Quia hoc est contra Deum & virtutem religionis, illud contra proximum & iustitiam particularem. Secundò, Quia homicidæ interdum defertur iuramentum ad se purgandum, & ille mauult fateri homicidium, quàm incidere in periurium. Sed hæ rationes non conuincunt, vt ostendit Gabriel in 3. d. 39. q. 2. art. 3. dubit. 4.

75 *An periurium grauius homicidio.*

Itaq. Contraria sententia est Gabrielis ibidem, vbi pro eadem adfert Richar. Idem tenet Maior ibid. q. 5. & Ange. Ratio illorum est, quia homicidium est directè contra charitatem: periurium contra religionem sed neque hæc ratio conuincit, quia vt benè Syluester ait, homicidium est directè contra iustitiam particularem. Deinde non est directè contra charitatem Dei, sed proximi; quæ non est præferenda virtuti religionis.

Vtraque sententia probabilis.

Vtraq. sententia est probabilis. Puto tamen homicidium omnibus ipectatis esse grauius, & detestabilius; tum ob grauissimum & irreparabile damnum, quod proximo directè infertur, tum quia difficilius multò cõmittitur: periurium autem facile committitur; & solùm indirectè honor Dei lædituꝛ, non enim id intenditur. Accedit, quòd violatio voti non censeatur tantum peccatum, quantum homicidium, etsi honor Dei in eo lædatur. Est tamen periurium crimen valdè graue, dignum depositione: vt habetur c. Cùm non ab homine 10. de Iudicijs.

His adde omnia *periuria* propriè dicta, nimirum quæ sunt contra veritatem, esse eiusdem speciei. quia eiusdem rationis deformitas & irreuerẽtia est, Deum facere testem falsi, siue res sit magni momenti, siue parui; siue id fiat in iuramento assertorio, siue promissorio. Potest tamen accedere alia deformitas ratione nocumenti, vel peruersionis Iudicij, &c. Vide supra dubit. 2. nu. 9.

CAPVT XLIII.

De Superstitione, eiusque speciebus.

Complectitur Dubitationes 10.

EXPLICATIS fractionibus religionis, dicendum est de vitijs oppositis. Hæc duplicia sunt. quædam per excessum cultus, quæ nomine *superstitionis* comprehenduntur; quædam per defectum vel contemptu, quæ nomine *irreligiositatis*: qualia sunt periurium, tentatio Dei, sacrilegium, & simonia. periurio enim & tentatione ipsi Deo in se iniuria irrogatur, sacrilegio verò & simonia (quæ est species sacrilegij) in rebus sacris. De periurio & simonia dictum est supra; de tentatione & sacrilegio dicemus infrà cap. 44 hoc verò capite de superstitione.

DVBITATIO I.

Quid sit superstitio, & quænam eius species.

D. THOM. quæst. 92. & 93.

1 *Superstitio vnde dicta.*



Superstitio dicta est vel ex eo quòd homines nimij erant in precando & immolando vt liberos relinquerent sibi superstites, vt vult Cicero libro 2. de natura deorum: vel quòd relictis veteribus dijs colerent superstitem memoriam horum maiorum, vt placet Lactantio lib. 4. diuinarum Institut. cap. 28. vel certe quod homines nimiùm timerent iram deorum superne impendentem & quasi superstantem, vt vult Seruius in 8. Æneidos; quæ originatio videtur maximè accommoda. Porrò Lactantius reprehendit Ciceronem, quòd putarit superstitionem esse excessum in vera religione, cùm in hac excedi non possit: Deum enim non posse nimiùm coli. vnde ipse vult superstitionem tãtum esse cultum falsorum deorum, & eos solos superstitiosos, qui multos & falsos deos colũt: eos vero religiosos qui vnum & verum.

Superstitio potest esse in cultu veri Dei.

Verùm etsi maximè in cultu falsorum deorum *superstitio* committatur: tamen etiam in cultu veri Dei hoc vitium locum habere potest, non enim Iudæi hoc tempore religiosi, sed superstitiosi dicendi sunt: & hæretici, qui aquam pro vino, vel semen humanum, aut sanguinem infantum in Eucharistia offerebant, superstitiosi erant, etsi vero Deo hæc offerebant. Itaque superstitio vtrumque complectitur, cultum falsorum deorũ, & excessum in cultu veri Dei, vt rectè docet D. Thom. art. 1. & August. libro 2. de doct. Christiana, c. 18. & 20. *Excessum* dico, non quòd Deus vero cultu nimiùm coli possit, vel maiore quàm dignus sit; (omnis enim cultus, quem creatura ei exhibere potest, infinitè eius dignitate minor est) sed quia assumuntur alia quàm debent, quæ ad illum honorandum nõ sunt idonea. itaque est excessus non respectu dignitatis diuinæ, sicut cùm Comes vel Marchio afficitur honore regio; sed respectu eorum, quibus coli debet.

Excessus in cultu.

Est igitur generatim, *superstitio falsa religio*, est, vitiosus cultus veri vel falsi numinis. Si quis excedat in vero cultu nimiùm continuando, v.g. orando ita diu & continenter vt se lædat, vel necessarium officium prætermittat, non est superstitio; quia cultus iste secundùm se bonus est: sed solùm vitiatur per circumstantiam extrinsecam, quæ omni opere cauenda.

2 *Quid superstitio.*

Hinc

Duæ eius species, superstitio cultus incongrui, & superstitio ratione rei cultæ.

Hinc patet, duas esse ipsius species, in quas immediatè diuiditur, scilicet superstitionem cultus indebiti, seu incongrui, & superstitionem ratione rei cultę. illa est cultus peruersus veri numinis; hæc est cultus falsi. Dupliciter enim in cultu excedi potest; vel enim assumitur id, quod nō congruit; vel exhibetur ei, cui non congruit. Prior modus propriè dici potest δεισιδαιμονία, quasi dicas *religio voluntaria*, id est, mera voluntate, non iusta ratione assumpta. (quo nomine vtitur Apostolus ad Colossen.2.) quamuis hoc nomen etiam possit generaliter accipi, vt simul cultum falsorum deorum comprehendat; quia hic quoque voluntate humana, nō recta ratione conflat; quomodo videtur illud Apostolus accipere, vt plerique interpretantur. Alter modus propriè dicitur δαιμονοδαιμονία, quasi dicas *dæmonum timor & reuerentia*: nam omnis cultus idolorum ferè est cultus dæmonum. hoc nomine Festus appellabat religionem Iudaicam: Act.25.v.19.& Paulus Act.17.superstitionem Athenensium.

3 *Superstitio cultus incongrui.*

Rursus *superstitio cultus incōgrui* diuiditur in superstitionem cultus falsi, & superstitionem cultus superflui.

Cultus falsus.

Cultus falsus dicitur vel ratione falsæ significationis; vt quis Deum colere vellet cæremonijs Iudaicis, quæ significant Christum venturum: vel quia imitatur & simulat verum cultum, cùm non sit; vt si quis falsis miraculis; vel testimonijs doctrinam fidei confirmare vellet, vel falsas reliquias proponeret. Item si quis mutaret formam vel materiam Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, animo colendi Deum. Sic hæretici huius temporis superstitionem falsi cultus admittunt in sua cœna: profitentur enim se imitari Christum, & eius institutum sequi, cùm suas inventiones suaque somnia pertinaciter sectentur.

4 *Quale peccatum cultus falsus.*

Hæc superstitio ex genere suo est peccatum mortale, quia ex infidelitate, vel crassa ignorantia rerum fidei proficiscitur, & continet falsam significationem contra doctrinam fidei, vel certè notabilem irreuerentiam in Deum. Vide Nauar.in Enchir.c.11.nu.27.Fumum v.Superstitio, nu.2.Caiet.in Sūma v.Superstitio, & 2.2.q.93.art.2. Fieri tamen potest vt non sit mortiferum, vt si ex ignorantia excusabili proueniat. Sic multi Aethiopes excusari possunt, qui circumciduntur, putantes se per hoc Christum imitari; quia sic instituuntur a suis Episcopis & sacerdotibus, nec vmquam contrarium audiuerunt.

5 *Superfluus.*

Superstitio cultus superflui est, cùm præter Ecclesiæ morem ponitur religio in quibusdam circumstantijs vel rebus in quibus non est ponenda; vt in numero, colore, situ, v.g. vt tot sint candelæ, non plures; tot orationes dicantur, non plures; vt cera potiùs sit alba, quàm flaua, &c. Denique ad hanc speciem pertinere videtur, cùm quis in Horis dicendis, & Sacro faciendo, relictis rubricis, & directorio Ecclesiæ, aliàs cærimonias pro sua deuotione adhibet, vt docet Caiet.v.Superstitio, Toletus lib.4.cap.14. Nauarr.ca.11. nu.23. Hæc tamen ordinariè non videntur esse pluſquam venialia, vt ijdem Doctores notant; quia ex bona intentione fiunt: nec videtur in his committi grauis irreuerentia, cùm diuino cultui non repugnent. posset tamen esse tanta in cærimonijs Missæ peruersio, vt a mortali culpa non esset excusanda.

Est peccatū veniale.

6 *Superstitio ratione rei cultæ.*

Superstitio ratione rei cultæ diuiditur in tres species, iuxta Diuum Thomam, *idololatriam, diuinationem*, & *obseruantiam superstitiosam*. vel enim colitur diabolus, vt honoretur tamquā numen, & hæc est idololatria; vel vt aliquid occultum reuelet, & sic est diuinatio: vel vt iuuet & dirigat in operando, & sic est superstitio vanarum obseruationum.

Magia.

Vbi Aduerte, magiam debere referri ad superstitionem vanarum obseruationum, si omnes superstitiones his tribus speciebus complecti velimus: propriè tamen loquendo distinguitur a vanis obseruationibus, tamquam aliquid deterius. Itaque si hoc nomen vanarum obseruationum strictè sumamus, erunt quatuor species superstitionum ratione rei cultæ, & magia quartum locum obtinebit.

DVBITATIO II.

Quid sit idololatria, & quantum peccatum.

D. THOM. q.94.art.1.2.3.

NOTANDVM est Primò, *Idololatriæ* nomine significari omnem cultum falsorum deorum, vt dæmonum, solis, lunæ, siderum, hominū mortuorum, & similiū. etsi enim hęc proprie non sint *idola*; tamen à gentibus plerumque non nisi in idolis colebantur. Itaque omnis cultus quo creatura instar Dei colitur, *idololatria* dicitur, quia plerumque in idolo, & per idolum exercebatur. 1 *Idololatria.*

Est autem *idolum* imago vana & instabilis, vel rei, quæ non est; vnde Eustachius ait Homerum pro eodem accepisse εἴδωλον, σκιάν, καὶ ὄνειρον, id est, idolū, vmbram, & somnium. imò apud Homerum εἴδωλον esse quiddam vmbra imbecillius, quia est vmbra rei, quę nō est: vt eius, qui videtur in sōnio, vel hominis defuncti. sic εἴδωλα καμόντων, apud Homerum sunt defunctorum vmbræ. Vnde merito imagines falsorum deorum vocantur εἴδωλα: quia sunt similitudines numinum, quæ non sunt. Imagines autem Sanctorum & Christi Domini, idola dici nō possunt, quia sunt imagines rerum verarum, institutæ ad repręsentandum id, quod illis verè inest. Sicut nec imago Regis idolum dici potest, quia repræsentat id, quod est. *Idolum.*

Notandum Secundò, Nomen *idololatriæ* dupliciter accipi. Primò, specialiter & propriè pro cultu, quo creatura colitur loco Dei. Secundò, Generaliter & metaphoricè, pro omni peccato, quo quis mortiferè inhæret creaturæ. Sic Apostolus ad Ephes.5. *auaritiam* vocat *idolatriam*. & ad Phil.3. *quorum Deus venter est*. Et Hieronymus in c.2.Amos, explicans illud Super tribus sceleribus Iudæ, *Auaritiæ eurū, gulosus venter, libidinosus penem & Beelphegor colit. Infœmina mulier, quæ cum sit in deliciis, mortua est, adorat venereas voluptates*. Ratio est, quia id, propter quod homo recedit à Deo vt ei adhæreat, censetur pluris facere quam Deum, ac proinde illud habere loco Dei, & ita est illi instar idoli. 2 *Idololatria dupliciter accipitur.* 1. *Metaphoricè.*

Verum hoc loco accipimus *idololatriā* propriè, quo modo nihil est aliud quàm cultus, quo quis aliquid creatū colit loco Dei, seu eo cultu, qui soli Deo congruit. Hoc autem fit non tantum sacrificio, quod per se soli Deo debetur; sed etiam quouis alio signo honoris, quo illi excellentiam aliquam Deo propriam tribuere, vel te illi tanquam deo vel deæ submittere intendis. vt si aperias caput ad statuam Mineruæ, tamquam numini belli & sapientiæ; si hymno celebres, si per illam iures, si aliquid illi voueas. 2. *Propriè.*

Vbi aduerte, Sicut in cultu religionis concurrūt res vel quatuor actus; ita in idololatria. Primò, Opinio diuinitatis vel perfectionis Deo propriæ. Secundo, Affectus reuerentiæ, quo quis vult se illi tamquam numini submittere. Tertiò, Externum signum, quo interior existimatio & submissio significetur; quod signum quale sit non refert. nam omnia externa signa honoris præter sacrificium, communia sunt Deo & creaturis: sed ex intentione vtentis determinantur ad excellentiam diuinam vel creatam significandā, vt supra c.36.dub.3.dictum est. 9

Hinc patet, peccatū idololatriæ genere suo grauissimum esse, quia honorē diuinum & diuinitatem ipsam quantum in se est, transfert ad creaturā: sicut grauissimum in Repub. censetur crimen, si quis alium quàm legitimum Principem pro Rege agnoscat & habeat, eiq; honorem regiū deferat. Est itaq; crimē læsæ maiestatis diuinæ, sicut illud humanæ. 10 *Grauitas huius peccati.*

Dices, Odium Dei & blasphemia ex odio, est maius peccatum: ergo idololatria non est maximum. *Obiectio.*

Resp. esse maximum inter ea, quæ opponuntur cultui diuino & religioni. Deinde ex genere suo est maximum, quia si fiat ex perfecta notitia & libertate, includit odium & blasphemiam, vt docet D.Thom.art.3. vt si quis noscens verum Deum, vellet alium facere Deum, eique honorem diuinum tribuere, non posset id facere nisi quodammodò odisset verum Deum, & insinuaret non esse Deum; quod est summa blasphemia. *An odium sit grauius. Resp.*

Dico *quodammodo*, quia hoc peccatum, etiamsi fiat cum plena scientia, non necessariò includit odium directū Dei: sicut qui alium Regem agnoscit, non est necesse vt legitimum

mum directè oderit; quia non vult hoc vt ei malè ſit, ſed vt alteri bene, & vt ſe præſtat ab illius potentia ſecutum. Indirectum tamen odium includit, qui ex intentione malum infert, priuando Deum quantum in ſe eſt, ſuo honore ſingulari. Si quis tamen formali odio directe in Deum feratur, optando illum non eſſe, vel eſſe miſerum, &c. hoc peccatum eſt grauius idololatria: quia grauius eſt diuinitatem è medio abſolutè tollere, quàm illam alteri tribuere. vnde grauius peccatum eſt ἀθεία quam πολυθεία: item grauius eſt velle alicui malum vt ei malè ſit quam illud idem velle vt alteri benè ſit. Quòd ſi fiat ex odio directo, tunc erit abſolutè maximum peccatorum.

Odium directum Dei eſt grauius.

Sed etſi idololatria ex genere ſuo ſit tantum peccatum; tamen ratione diſpoſitionis ſubiecti, poteſt in pleriſque idololatris eſſe minus peccatum, quam ſit hæreſis in Chriſtianis: quia illa potius ex ignorantia, quam ex malo affectu erga Deum verum, aut veram religionem procedit, hæreſis verò non ex ignorantia, ſed ex malo affectu & cõtemptu veræ religionis & Eccleſiæ Dei. vide D. Auguſtinũ lib.21.de ciuit.cap.25.& Chryſoſt.homil.50.ad populum. Simili modo fieri poteſt, vt idololatria exterior ſit maius peccatum quàm ea, quæ ex interna infidelitate procedit: vt ſi fidelis cõmittat idololatriam ex metu, vel vt placeat Principi, etſi enim interiùs non agnoſcat idolum pro Deo, nec affectum reuerentiæ illi deferat, ſicut infidelis; tamen externo actu tribuit illi diuinitatem, vel ſaltem ſimulat ſe tribuere, cùm ſciat ei non competere, quod in maiorem iniuriam Dei & ſcandalum aliorum cedit.

Idololatria exterior.

Ob eamdem cauſam homicidium, adulterium, periurium, in Chriſtianis poteſt eſſe maius peccatum quàm idololatria ſit in ethnico; quia ignorantia valdè diminuit culpam. vnde Dominus Lucæ 12. *Seruus, qui cognouit voluntatem domini, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis. qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

Aduerte tamen non eſſe verum, quòd hic artic.1. docet
11 Caiet. fidelem, qui ſolo actu externo committit idololatriam eſſe excommunicatum: quia nuſquam in Iure extat tale excommunicatum, de quo vide Sylueſtrum v. Hæreſis 3.quæſt.6. & Nauarr.cap.11 num.27. Excommunicantur quidem hæretici, & apoſtatæ; ſed hic hæreticus dici non poteſt, cùm hoc vitium in pertinaci aſſenſu mentis conſiſtat: nec etiam proprie apoſtata, quia reuerà fidem Chriſti non deſerit, ſed ſolùm externam profeſſionem; quamuis ex actu externo præſumatur in foro externo fidem deſerere, & cõſequenter in excommunicationem incurrere, præſertim quando metu graui non compulſus id committit.

An excommunicatus.

DVBITATIO III.

Quæ fuerit origo idololatriæ, quis progreſſus.

D. THOMAS ART. 4.

RESPONDEO, Prima origo idololatriæ fuit deſiderium præſentiæ mortuorum: nempè quo parens
12 mortuum filium proſequebatur, ei ſtatuam erigens, in qua veluti præſentem retineret, & cerneret. Huic accedebat tyrannis, per quam iubebat eum à domeſticis coli, vt non mortuus, ſed in deos relatus videretur. Colligitur hoc Sapien.14.vbi ſic dicitur, *Initium fornicationis, exquiſitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ eſt. neque enim erant ab initio. neque erunt in perpetuum. ſuperuacuitas enim hominum hæc adinuenit in orbe terrarum. & ideò breuis illorum finis eſt inuentus. acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem; & illum qui tunc homo mortuus fuerat. nunc tanquam Deum colere cœpit; & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia. deinde intercedente tempore, conualeſcente conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt; & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* &c. Nec obſtat quod quidam dicunt, primum, qui erexit idolum, fuiſſe Ninum, qui illud ſtatuerit parenti ſuo Belo, vt pro deo coleretur; ita commentarius, qui tribuitur Ambroſ. in capit.1.epiſt. ad Romanos, Euſebius in chron. Iſidorus libro 8.etymol.cap.11. quia iſte fuit fortè primus, qui publicè erexit, conſtructo templo, & poteſtate regia populos ad illius cultum cõpulit. cum hoc tamen ſtet vt priùs parens priuatim filio idolum vt cultum conſtituerit, vt Sapiens refert. Imò ſi quis benè aduertat, vtrãque originem inſinuat, cum ait; *Hæc ſiat vota hominum deceptorum. filiũ aut Regibus ſeruientes homines incommunicabile nomen lapidibus & ligno impoſuerunt*, affectui enim ſeruierunt, quando deſiderio prolis mortuæ ſtatuam erexerunt, & colere cœperunt. Regibus verò, quando ſtatuas, vel illorum vel ab illis erectas coluerunt.

Origo idololatriæ.

Primus idololatria modus, in cultu mortuorum.

Ad hanc idololatriam pertinet genus theologiæ, quod fabuloſum vocabat Varro, vt refert D.Auguſt.l.6.de ciuit. capit.5. & a poetis tractatur. ſic cœpit coli Iupiter, Mars, Mercurius, & ſimiles; quibus poetæ tribuunt adulteria, ſtupra, præpoſteram libidinem, fraudes, bella, & alia crimina grauiſſima, magno ſanè diaboli artificio, vt homines dum ſimilia faciunt, putent ſe deos imitari. Deinde hæc conſuetudo ſenſim ſerpſit imitatione per genus humanum, accedente oblectatione, quæ capitui tum ex pulchritudine & artificio ſtatuarum: tum quòd per eas, abſentes nobis quaſi præſentes ſiſtamus, vt ibidem Sapiens ait: accedente etiam fraude diaboli, qui ſe ſtatuis immiſcebat, eiſque motum, vocem, & quaſi vitam dabat, ac reſponſa per eas edebat.

Hinc ortus eſt ſecundus idololatriæ modus, quo ipſæ ſtatuæ per ſe, tanquam numine plenæ & animatæ coli cœperunt, & quia diabolus ſtatuis illis; mox vt dicatæ erant, ſe inſinuabat; putabant ethnici ſe poſſe deos facere; quam poteſtatem miratur & extollit Mercurius Trilmegiſtus, vt refert D.Auguſt.lib.8.de ciuit.c.23. Ad hunc modum pertinet theologia ciuilis, iuxta Varronem, vt docet idem Auguſt.lib.6.cap.5.

13 *Secundus in cultu ſtatuarum.*

Poſtea capti pulchritudine & admiranda virtute corporum cæleſtium & elementorum, nec conſiderantes vnde eam haberent, etiam his cultum diuinum cœperunt exhibere, & eorum imagines dedicare. vnde Sap.13. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de iis, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eũ qui eſt: neque operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut aeris actum, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum deos putauerunt. quorum ſi ſpecie delectati deos putauerunt, ſciant quanto dominator eorum ſpecioſior eſt.* Et hic eſt tertius idololatriæ modus, ad quem pertinet theologiæ genus phyſicum, iuxta Varronem ſupra: quem non parùm confirmarunt philoſophi, præſertim Pythagorici & Platonici, qui putabant mundum eſſe animatum, ſingulaſque eius partes habere animam, quam volebant eſſe numen quoddam & quamdam diuinitatem: quãm ſententiam etiam docuit Varro, teſte Aug.lib.7.de ciuit. c.6.

3. *in cultu partium mũdi.*

Præterea creſcente praua conſuetudine eouſq. hæc idolomania inualuit, vt ſi aliquid eſſet, quòd aliquam vtilitatẽ
14 vel noxiam adferret hominibus, mox pro Deo coleretur, vt commoda ſui generis conferret, incommoda auerteret. Sic bouem, ouem, capram, canem, ſerpentem, crocodilum, murem Aegyptium, quem Ichneumonem vocant, imò febrem, & ventos coluerunt prouenichat id ex falſa imaginatione, quod putarent omnibus huiuſmodi rebus vim aliquam inuiſibilem præſidere, & connexam eſſe, a qua regerentur; quam proinde precibus & ſacrificijs conciliandam & placandam cenſebant.

4. *In cultu cuiuſuis rei vtilis vel noxiæ.*

Denique omnibus ferè rebus & operibus, quæ ad vſum humanum pertinent, deos vel deas diuerſas præficiebant vt melius ſuccederent, vt oſtendit D.Aug.l.4.c.8. de ciuit. & lib.6.cap.9.& lib.7.cap.23. Cùm enim perſuaſum haberent ad negotia huius vitæ vt rectè cedant, & aduerſitates vitentur, occulta quadam directione alicuius numinis & inuiſibilis cuiuſdam virtutis opus eſſe (hæc enim apprehenſio naturaliter omnibus eſt inſita) hoc numen cùm nescirẽt eſſe ſimplex & vnicum, in partes innumeras pro diuerſitate negotiorum vel operum ſecuere, & ſingulis negotijs ſingula numina præpoſuere. v.g. aliud rei bellicæ, aliud mercaturę, aliud agriculturę, aliud venationi, aliud nuptijs &c. Rurſus ſicut negotia alia ſunt alijs præſtantiora, magiſque vniuerſalia & latiùs patentia; ita etiam numina ſtatuerunt alia alijs maiora & præſtantiora, ſingula tamen in ſuo ordine & ad proprium negotium putarunt eſſe ſuprema, & ab alijs indepẽdẽtia. Et quia ſpiritalia apprehendere non poterant, poſuerunt hęc numina, ſeu virtutes inuiſibiles, vel in hominibus mortuis, quos putabant ob aliquam induſtriam vel beneficium mortalibus collatũ ad

hoc

hoc eleuatos, vt tali vel tali numine pleni eſſent, eoque veluti animati, vel in ſtatuis, quibus putabant numen certo modo connecti poſtquam in Deos erectæ & dedicatæ eſſent; vel in partibus mundi. v.g. ſole, luna, ſtellis, mari, fontibus, fluminibus, quas putabant huiuſmodi virtute quaſi animari aut aſſiduè poſſideri: vel in animalibus aut arboribus, quibus etiam numen ſibi accommodatum præeſſe vel adeſſe putabant.

Ex dictis patet primam idololatriam fuiſſe cultum hominum mortuorum; qualis eſt cultus Iouis, Saturni, Martis & ſimilium: ſecundam, ipſarum ſtatuarum, & dæmonum in ſtatuis. tertiam, elementorum & partium mundi, vt ſolis, lunæ, ſiderum. quartam, aliarum rerum generi humano commodarum, vel noxiarum.

15 *Omnes dij gentium dæmonia.*

Petes, Quomodo ergo Pſalm 95. dicitur, *Omnes dij gentium dæmonia?*

Reſpondeo; Quia quidquid gentes colebant, per idola & in idolis colebant. hæc autè dæmonijs plena erant quæ ſtatuas ipſas veluti animabant: & ita dæmones in ipſis colebantur. Intendebant enim gentes honorem deferri numini, quod in ſtatuis ſe manifeſtabat; quod ipſi quidem putabant eſſe numen ſolis, lunæ, Iouis, Veneris, aut alterius rei: tamen reuera erat diabolus, qui illarum rerum & perſonarum nomina aſſumebat, vt ipſe ſub illis coleretur: de quo vide Lactantium l. 2. diuinarum inſt. c. 16. & Euſeb. de præpar. euang. l. 4. c. 6. Hinc Apoſtolus 1. ad Corint. 10. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*, (id eſt, nulla eſt diuinitas in mundo, quæ per idolum repræſentetur) *ſed quæ immolant gentes, dæmonijs immolant*, (nimirum qui in ſtatuis ſe exhibent) *& non Deo: nolo vos ſocios fieri dæmoniorum*. Vide D. Auguſtinum l. 8. de ciuit. ca. 24. vbi hanc reſponſionem inſinuat.

Aduerte tamen, pro *dæmonia* in Hebræo eſſe elilim, quæ vox etſi a 70. rectè vertatur *dæmonia*, tamen etiam ſignificat *res vanas*. & conſequenter idola, quia nihil his vanius aut imbecillius: & ita ſenſus eſt, *omnes dij gentium vani*; cui benè reſpondet altera pars verſiculi per antitheſim, *Dominus autem cœlos fecit*. q. d. omnes dij gentium nullius virtutis, ſed noſter Deus eſt omnipotens, &c.

16 *Plato. etiã ſummũ Deũ colebant.*

Nec obſtat, quòd Platonici & alij Philoſophi etiã coluerint Angelos, quos appellabant minores deos, & præterea ſummum Deum, deorum minorum patrem & conditorẽ; idque abſque ſtatuis: quia Propheta loquebatur de dijs populorum, qui publicè colebantur, non autem de dijs aliquorum philoſophorum, quos ipſi colebant priuatim, quamuis etiam dum hos ſe colere exiſtimabant, diabolum, qui ſe fingebat eſſe de numero illorum, coluerint. Ita enim diabolus eſt auctor hominibus colẽdæ creaturæ loco Dei, vt hunc honorem aliqua arte ad ſe transferat, ſimque impendi, etſi ſub alieno nomine cupiat; vt tradit D. Aug. tum alibi, tum l. 8. de ciu. c. 24.

DVBITATIO IV.

Vtrùm idololatria ſit tantummodò in cultu, quo creatura inſtar Dei colitur.

17 *Sententia hæreticorum.*

QVIDAM hæretici docent, non ſolum tunc propriè *idololatriam* committi, quando creatura colitur loco Dei, ſed etiam quando Deus verus colitur aliquo cultu, quem ipſe non mandauit. vnde concludunt Catholicos idololatriam committere quando colunt Deum, vel Sanctos per imagines; quia Deus hoc non mandauit. Ita docet Herbrandus Lutheranus, vt refert nolter Gregorius à Valentia, 2. 2. diſput. 6. qu. 11. puncto 1. quem ibi Paſè refutat. Idem ante docuit Caluinus lib. 1. Inſtitu. c. 11. num. 8. & 9. vbi id etiam ex eo confirmat, quod Iudæi adorantes vitulum aureum in deſerto, non intenderint cultum deferre illi imagini, quam ſcirent nullam vim habere; (neque enim tam citò potuiſſe obliuiſci eorum, quæ Deus fecerat in Ægypto & mari rubro) ſed Deo vero per ipſam: iudicari tamen idololatras, quòd id feciſſent per imaginẽ, quod Deus ipſis non mandauerat. Idẽ centet de pagans, quorum idololatriam vult in eo conſiſtere, quòd Deum verum voluerint ſibi præſentem habere per imagines, & in illis eum coluerint. Sed hæc ſententia nõ ſolum eſt hæretica, ſed etiam abſurda & aperte falſa.

Primò, Quia nomen *idololatria* in Scriptura ſacra, & apud ſcriptores eccleſiaſticos numquam accipitur niſi pro cultu, quo creatura colitur loco Dei, vel pro affectu, quo quis adhæret creaturæ tamquam Deo, ſeu fini vltimo: ideo vt etiam quando metaphoricè capitur, (vt cùm auaritia vocatur idololatria) reſpiciat creaturam quodammodo tamquam Deum. 18 *Eſt abſurdũ.*

Secundò, Apertè falſum eſt Iudæos & paganos in idolis coluiſſe verum Deum: nam de gentibus dicitur ad Rom. 1. *ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori.* 1. ad Corinth. 10. *quæ gentes immolant, dæmonijs immolant, & non Deo*; & alia innumera. De Iudæis, Deuteronom. 32. *Immolauerunt dæmonijs & non Deo, diis quos ignorabant: noui, recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* quid dici poteſt clarius? illud figmentum Caluinij Idem habetur Pſalm. centeſimoquinto. Denique ſexcentis locis reprehenduntur quòd Deum reliquerint, & deos, qui nihil poſſunt, nihil norunt, nihil ſentiunt, adorent. *Eſtoici.* *Iudæi.*

Tertiò, Si volebant fingere ſimilitudinem veri Dei, vt per eam ipſius recordarentur, & cultum ad ipſum dirigerent, cur potius finxerunt formam vituli, quàm alterius rei, cùm Deus numquam ſub hac forma illis apparuerit? Itaq; hoc euidens ſignum eſt, voluiſſe illos colere primarium deum Ægyptiorum Apim, qui forma bouis pingebatur: idque faciebant, quia putabant illius ope ſe eductos, vt aperte Scriptura inſinuat; & fortè eo fine faciebant, vt illius auxilio in Ægyptum redire poſſent.

Quartò, Iudæi habebant Deum verum præſentẽ per ſigna externa multò expreſſiora, ſcilicet per columnã ignis nocte, & per nubem interdiu, quæ diuino nutu mouebantur & ſiſtebantur: non ergo credibile eſt eos facile ſimilitudinem vituli, vt præſentem haberent Deum verum, ſed deum Ægyptium.

Quinto, Ridiculum eſt dicere ideò aliquem cultum eſſe malum vel idololatriam, quia non eſt a Deo mandatus? multa enim ſunt bona in omni genere virtutum, quæ non ſunt mandata; vt in abſtinentia, in eleemoſyna, in oratione, in gratiarum actione, in laude, voto, &c. Nec vnquam aliquis ſapiens obſequium ſibi delatum iniuriæ loco habuit, aut repudiauit, eo ſolo nomine, quod illud non mandaſſet. quæ enim eſſet vita exotica barbaries, nullum officium admittere, niſi ſub pœna mortis præceptum? Imò ſubditus aut ſeruus, qui nullum obſequium aut cultũ vult deferre ſuo Principi vel domino, niſi præcepto cõpulſus, hoc ipſo parum obſequioſus, & parum amans honoris ſui Principis, & parum illi addictus aut vtilis cenſetur. Vnde meritò Dominus Lucæ 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* 19

Dicent fortè, non ideò malum eſſe quia Dominus non mandauit, ſed quia vetuit omnem cultum, quem non mandauit: nam Deuteronom. ver. vltim. dicitur, *quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas*. Hoc eſt antiquum eorum fundamentum, per quod, opus omne non præceptum volunt eſſe malum, ſi fiat cum opinione cultus, id eſt, animo placendi Deo. 20 *Fundamentum hæreticorum.*

Sed millies à Catholicis reſponſum eſt, ibi non excludi niſi ea, quæ diuinis præceptis aduerſantur, vt ſunt cærimoniæ gentilium, de quibus agitur ibidem; vt patet duobus verſiculis immediatè precedentibus: teſtimonia enim Scripturarum intelligenda ſunt iuxta ſubiectam materiam. vnde ea, quæ ſunt conſentanea, vel iuuant ad præcepta diuina, non excluduntur. Confirmatur; quia non obſtante hoc præcepto, Iudæi inſtituerunt aliquot dies feſtos, quos Deus non præceperat, vt patet Eſther nono, Iudith decimoquinto, & 2. Machabæorum decimo, & Apoſtolus primo ad Corinth. ſeptimo, commendat abſtinentiam coniugij tamquam Deo gratiſſimam, quam tamẽ ait non eſſe à Deo præceptam. *Aliquẽ cultum non præceptum eſſe licitum.*

Sextò, Etiãſi nullus cultus eſſet licitus, præter cũ quem Deus præcepit, non tamẽ idcirco eſſet idololatria: ſicut qui non colit Principem debita cærimonia, non eo ipſo agnoſcit alterum pro Principe, aut defert alteri honorem Principi debitum.

Confirmatur Primò, Quia alioquin Iudæi modò dum

circumciduntur, lauantur, ſeruant Sabbatum, edunt agnũ, & alias cærimonias obeunt, vt legem ſeruent & Deo placeant, dicerentur proprie committere idololatriam, quod eſt contra communem hominum ſenſum. Secundò. Is, qui orat negligenter & animo vagabundo, eſſet idololatra: ille enim cultus non ſolum eſt à Deo nõ præceptus, ſed etiam vetitus. Tertio, Miniſtri Lutherani & Caluiniſtæ obeuntes miniſterium noui euangelij, committerent idololatriam; (vt rectè colligit Valentia) quia Deus nuſquam hunc cultũ eis præcepit. quamuis fortè multo deterius in hoc peccent, quam ſi idololatriæ priuatim operam darent: tunc enim ſe ſolos perderent; nunc verò & infinitos ſecum in barathrum præcipitant, & totam Chriſti religionem ac doctrinam euertunt.

21 Argumenta illorum nullius ſunt momenti, & ſolũ egent inſpectione locorum Scripturæ vnde deſumpta: ex illis enim clare liquet, ibidem agi non de cultu veri Dei, ſed idolorum. Vide Valentiam ſupr.

Obiectio. An intendãt colere verum Deum.

Dices, Gentiles & Iudæi, quando adorabant idolum aliquod, putabant illud eſſe verum Deum; ergo ex intẽtione ipſorum cultus ille tendebat in verum Deum. Sicut ſi diabolus in perſona Chriſti loqueretur per imaginem crucifixi; & tu putans eſſe Chriſtum, adorares ipſum, honor ille tenderet in Chriſtum. Confirmatur, Propter quod vnumquodque & illud magis: ſed ipſi colebant idola propter diuinitatem: ergo magis colebant diuinitatem.

Reſpon. Reſpondeo, negando primam conſequentiã: inde enim ſolum ſequitur eos cultum ſuum direxiſſe in id, quod ipſi de facto putabant eſſe verum Deum, nõ autem in verũ Deum. Sicut ſi quis agnoſcat & honoret pro Rege aliquem Regis hoſtem, ſibi abſque ratione perſuadens illum eſſe verum Regem; non poteſt dici honorare verum Regem. Perinde enim faciunt idololatræ, ac ſi quiſpiam non facta prius diligẽti inquiſitione quis & qualis ſit Rex, deligeret aliquem ex plebe in Regem, ob aliquod commodum ab ipſo perceptum, eique honore deferret: qui ſanè non conferetur velle honorare eũ, qui vere eſt Rex, ſed alium, cui nefariè hãc dignitatem tribuit.

Ad probationem. Eſt diſparatio; idololatra enim dirigit cultum externum, & externam ſubmiſſionem ad perſonam vel rem creatam, cui diuinitatem abſque ratione attribuit; iſte verò ad perſonam increatam, nempè ad Chriſtum, non enim intendit ſe ſubmittere diabolo, nec illi putat ineſſe diuinitatem, ſed Chriſto. In eo tantùm fallitur, quòd diabolum apparentem in perſona Chriſti putet eſſe Chriſtum, & ſic tribuit illi diuinitatem ſub ratione formali perſonæ Chriſti. qui error non eſt iuris, ſed facti: poteſt tamen hic etiam eſſe graue peccatum; ſi enim facilè poſſis aduertere non eſſe Chriſtum, vel meritò dubites, & non adhibita inquiſitione, vel debita cautione adores tamquã Chriſtum, committes idololatriam, ſaltem interpretatiuè, & æſtimatione morali; ac proinde peccatum mortale: etſi enim formaliter & expreſsè non intendas colere diabolũ, ſed Chriſtum, tamen ita agis, ac ſi intenderes aut certe parum curares vtri è duobus cultum deferas. Si verò nõ poſſis id facilè aduertere, ita vt ignorantia vel inconſideratio non cenſeatur craſſa, ſed leuis tantum; non erit quidẽ peccatum mortale; quia non erit abſolutè voluntarium: à veniali tamen excuſari non poterit; quia erit voluntarium imperfectè, ſcilicet ratione illius negligentiæ in conſiderãdo. quòd ſi nulla negligentia interueniat, erit formaliter actus latriæ, & materialiter tantum idololatria; quia quòd tendat in creaturam nullo modo eſt volitum. Ad cõfirmationem: etſi gentes id, quod colebant, intendiſſent colere propter veram diuinitatem, & ipſa diuinitas fuiſſet ratio formalis obiectiua; tamen in eo peccaſſent, quòd hanc tribuerent rei creatæ, & colerent creaturam tamquam terminum integrum, & obiectũ quod adorationis. Vt ſi quis haberet veram apprehenſionem diuinitatis, & putaret eam conuenire alicui homini, vel alteri creaturæ ſicut inerat Chriſto, vel alio modo peculiari. Qua ratione Montaniſtæ qui putabant Montanum eſſe Paracletum, non poterant ſcelus idololatriæ effugere, ſi conſentaneum ſuæ opinioni cultum ei deferebant. Similiter qui Simonem magũ credebant eſſe virtutem illam magnam, quæ condidit Angelos, quam ſe eſſe iactabat. Idem dico, ſi Chriſtus non eſſet vere in Euchariſtia: nam adoraretur id quod ibi latet, ob veram diuinitatem quam non haberet: & ita latria tribueretur creaturæ, quod nihil eſt aliud quam vera idololatria. Vnde ipſe eccleſiam ſuam perniciоſiſſimè decepiſſet, dicendo, *Hoc eſt corpus meum*: nam his verbis neceſſario impoſuiſſet eam in idololatriam. Deinde tantum ſcandalum Eccleſiæ per talia verba datum debuiſſet tandem aliquando tollere, & ſuam mentem clarè explicare, vt Eccleſia errare in re tanta deſineret. ſed id non fecit, quin potius infinitis modis eam in hac ſententia & adoratione confirmauit. Quare tam abſurdum & blaſphemum eſt dicere Chriſtum in Euchariſtia verè non eſſe, quàm dicere Eccleſiam ſuam perniciоſiſſimè decepiſſe, & fraudulenter feciſſe idololatricam. Hoc obiter dixerim ob petites huius qui, ex quibus patet quomodo poſſit idololatria eſſe, cũ creatura colitur ob veram diuinitatem, ſi hæc illi verè non competit. ſed reuera Ethnici non colebant res creatas propter veram diuinitatem, ſed propter tenuem diuinitatis ſpeciem, & vmbram; quam putabant eſſe veram diuinitatem, neſcientes quid ſit vera diuinitas, & cui tribuenda: & ita non ſequitur illos coluiſſe veram diuinitatem. Poteſt tamen dici veram diuinitatem ab eis cultam remotè, nimirum quatenus conceptus illius confuſus mouet hominem ad cultum deorum; ſicut conceptus confuſus felicitatis mouet ad appetitionem tam falſæ quàm veræ felicitatis; & conceptus confuſus boni, ad appetitionem boni, tam delectabilis, quàm honeſti.

DVBITATIO V.

Quid ſit diuinatio, & quenam eius ſpecies.

22 *Diuinatio*, propriè tantum eſt futurorum, quæ ex cauſis indeterminatis prouenient, quorum prænotio eſt ſolius Dei. vnde dicitur diuinatio, quaſi actio diuina & propria diuinitatis. Græci *μαντικὴν* vocant *ἀπὸ τῆς μανίας*, à furore vt ait Cicero lib. 1. de diuinatione. fit autem vel reuelatione diuina, & ſic vocatur *prophetia*; vel ope dæmonis, & ſic propriè dicitur *diuinatio*, eiſque ſpecies ſuperſtitiones. Hoc modo paſſim accipitur in Scripturis; vbi ſolli illi vocantur diuini, qui ope dæmonis diuinant, vt notat Hieronymus in cap 3. Michææ. Hoc modo accepta *diuinatio*, nihil eſt aliud quam illicita vſurpatio nouitiæ vel prædictionis futurorum contingentium. ſumitur tamen paſſim latius, vt extendat ſe etiam ad aliorum occultorum, quæ quis humano modo cognoſcere non poteſt, illicitum ſtudium & patefactionem: nam *diuini* vocantur, qui occultum furem indicant, qui res perditas oſtendunt, qui cauſas occultas mortis, vel morbi animalium aperiunt, & cætera.

Itaque *diuinatio* eſt, quando quis ope vel diſciplina dæmonis, de aliquo occulto, quod humano modo cognoſcere 23 non poteſt, inquirit.

Generatim accepta quid ſit.

Vbi aduerte, etiamſi dæmones non poſſint certo cognoſcere futura, quæ a libero arbitrio alterius pendent, vt docent D. Aug. l. de diuin. dæmon. c. 5. & 6. & l. 12. de Gen. ad litteram, capit. 17. tamen poſſunt longè plura de rebus futuris, abſque occultis noſſe quàm homines, idque quinque modis.

Dæmones multis modis poſſunt plura de futuris noſſe quam homines.

Primò, Quia cognoſcũt exactè omnes cauſas naturales & vim earum; vt ſolis, lunæ, ſiderum, elementorum, plantarum, animalium, &c. vnde facilè colligere poſſunt qui effectus ex ijs ſecuturi ſint vel abſolutè, vel ſi certo modo applicentur. Sic facilè poſſunt prædicere ventos, tempeſtates, naufragia, mortes.

Secundo, Quia ſciunt quid ipſi & alij dæmones malorũ ſocij, Deo permittente facturi ſint. ſic poterant prædicere euerſionem familiæ Iob, & ipſius calamitates.

Tertio, Quia ſummã habent experientiam: millies enim obſeruarunt quid ex quo ſequi in cauſis liberis ſoleat, quibus rebus voluntas humana huc vel illuc impelli: vnde ſæpè fit vt de futuris liberis verè coniectent.

Quartò, Quia vident in longinquis locis cauſas iam poſitas vel effectus inchoatos, & poſſunt celeritate naturæ illos præuertere, & alibi prænuntiare. ſic prædicere ſolẽt incrementa Nili in Ægypto, viſa copia aquarum in Æthiopia, vt refert Anathalius in vita B. Antonij.

Quintò, Poſſunt interdũ aliquid de rebus futuris cognoſcere ab Angelis, Deo permittente, vel ex Scripturis, quas melius

melius intelligunt quàm homines.

24 *Diuinatio ſtdupliciter.*

Porrò diuinatio ſit bifariam; Primò, Per expreſſam dæmonis inuocationem, vt cùm quis diuinator inſidit, & eò ſine aliquid agit, vt ipſe ſe immiſceat. Secùdò, Sine expreſſa inuocatione, interueniẽte tamen quadam tacita: & hoc rurſus dupliciter: vel enim fit per ſolam inſpectionem diſpoſitionis aliquarum rerum, vt motus, ſitus, figuræ, vocis, lineamentorum: vel per conſiderationem eius, quod ex aliqua actione humana ad hoc directa prouenit; vt cùm conſideratur quæ figura in plumbo liquefacto aquæ iniecto reſultet, aut quid in ſortibus obueniat.

Tres ſpecies diuinationis.

Itaque generatim ſunt tres ſpecies diuinationis. Ad primam pertinet *necromantia:* ad ſecundam *augurium:* ad tertiam *ſortilegium:* ſingulæ autem harum rurſus habent multas ſpecies & modos.

25 *1. Fit per expreſſam inuocationem. Varijs modis inuocatur.*

Primaenim ſpecies, in qua diabolus expreſsè inuocatur, complectitur multos modos, prout diabolus varijs modis conſulitur, aut conſultus varijs modis reſpondet. Primò, Conſuli poteſt per ſacrificia animalium; & tunc reſpondere ſolet per ſigna quædam apparentia in exta animalium: hoc genus vocatur *haruſpicium.* Secundò, Per preces in idolis, & tunc reſpõdere ſolet per idola: & vocatur *oraculum.* Tertiò, In ſuis prophetis, quos ipſe poſſidet, qui vocantur *pythonici & pythoniſſa* & ἐγγαστρίμυθοι, & tunc reſpondere conſueuit per vmbilicum, vel per partes pudendas, (diguum ſane os tali numine) vt docet Origenes lib. ſeptimo contra Celſum in principio. Quartò, Inuocari ſolet certo modo, vel loco, vel cum certa vnctione, aliſque cærimonijs, cubãdo, vt reſpondeat per ſomnia: & tunc facit hominem ſomniare ea, quæ vult ipſi perſuadere, & vocatur ἐνυπνομαντεία. Quintò, Sæpè inuocari ſolet vt excitet aliquem mortuum, qui reſpondeat: hæc vocatur νεκρομαντεία. Hac vſa eſt pythoniſſa, petente Saule, cum vellet ſibi excitari Samuelem, 1. Regum 28. quamuis non illius vi Samuel apparuerit. Sextò, Aliquando petitur vt reſpondeat per caput hominis mortui; & dicitur κρανιομαντεία. Septimò, Deniq; multis alijs modis per varias adiurationes, vnctiones, figuras, ſpecula, aliaque ſigna, quæ ipſe inſtituit. inuocari ſolet a diuinis, vt occulta patefaciãt, & ipſe varijs modis reſpondet.

Primò, per ſpeciem aliquam præſtigioſam, oculis obiectam. Secundò, Per vocem in auribus formatam, quam nemo alius audire poteſt. Hi duo modi pertinẽt ad *præſtigiũ*. Tertiò. Per varia viſa in imaginatione: hæc *pſeudoprophetia* dici poteſt. Quartò. Per aliquam figuram externam, quam ipſe in re aliqua inanima efficit, & conſpici facit. quę quidẽ ſi conſpieratur in terra, vel re terreſtri, vt in metallo, lapide, planta; generatim vocatur γεωμαντεία; ſi in aqua ὑδρομαντεία, ſi in aere ἀερομαντεία, ſi in igne πυρομαντεία. Huc pertinent diuinatio per cribrum, quæ Græcis dicitur κοσκινομαντεία. Per peluim aqua plenum, quæ λεκανομαντεία; per ſpeculum, quæ κατοπτρομαντεία, & ſimiles, quibus dæmon inuocatur, & in quibus ſigna quibuſdã reſpondet. de quibus vide plura in erudito opere noſtri P. Martini Delrionis.

26 *Diabolus imitatur modos reuelationis diuinæ.*

Ex quibus patet, diabolum omnes fere modos, quibus vera religio Deum conſulit, & quibus Deus ipſe vicißim ſuis ſeruis reſpondere ſolet, eſſe imitatum, vt hac ratione ſpeciem aliquam diuinitatis capiat & oſtentet. Solet enim Deus reſpondere per propitiatoriũ, per ſacrificia, per Prophetas numine diuino plenos, per ſomnia, per mortuos viuis apparentes, per Angelum ſpecie humana indutum, per voces in auribus Prophetarum formatas, per viſa imaginaria, per varias ſpecies & affectiones in elementis procuratas, vt ex Scripturis, & hiſtoria Eccleſiaſtica facilè oſtendi poteſt.

Petes, Quale peccatum ſit in hac prima ſpecie diuinationis. 27

Quale peccatum in prima ſpecie diuinationis.

Reſpondeo, In omnibus modis huius ſpeciei eſſe graue peccatum mortiferum. Primò, Propter expreſſam ſocietatem cũ dæmone, quæ per ſe graue crimen eſt, ob duas cauſas. Prior eſt, quia eſt ſocietas & amicitia cũ profeſſo & perpetuo hoſte Dei; ac proinde redundat in iniuria & contemptum Dei; (ſicut in Reipub ſocietas & commerciũ cũ hoſte Principis, eſt crimen læſę maieſtatis) maximè cum omne ſtudium diaboli in omnibus actionibus ſit honorẽ Dei obſcurare & animas perdere. Itaque cum a diabolo opem petis, perinde facis atque ſi opem petas ab hoſte Principis & Reipub. qui in ea ipſa ope ferenda conetur te perdere, & Principi contumeliam facere. Altera eſt, quia exponit ſe periculo apoſtaſię à Deo, & damnationis æternæ. facile enim diabolus, Deo permittente, hominem, qui ſocietatẽ ipſius flagitat, iuis arubus à Deo auertit, ſibique obſtringit, ita vt raro contingat elabi, vt experiẽtia docet. tanta enim eſt ipſius potentia, tam multiplex nocendi artificiũ, vt niſi Deus ſua benignitate illum coerceret, facilè totum hũdum breui tempore ſit peruerſurus: qui autem ſocietatem cum illo petit, ingratus eſt in hãc Dei benignitatem: vnde meretur vt Deus permittat ipſum tyranni illius ſubijci. Vnde beatè dixit Caiet. q. 95. ar. 4. quòd ſicut conſuetudo cum Angelis in hac vita eſt inchoatio quædã æternæ beatitudinis; ita commercium cum dæmonibus eſt initiũ quodã æternæ dãnationis, cuius etiam ſignum eſt fœditas, miſeria, & horridus vultus eorum, qui ipſis obſtricti ſunt. Itaque omne commercium cum diabolo ſacrilegum eſt, & religioni aduerſum; quia contra fidem & honorem Deo debitum, ne. qui poſſulat ne cum hoſte tractemus. eſt etiam ex parte ſuperſtitioſum, tum quia periculum apoſtaſiæ & ſuperſtitionis, quia diabolus pro Deo colatur, continet: tum quia plerumque cum eo tamquàm cum numine quodam agitur. Hinc prohibetur hæc ſocietas multis locis in Scripturis. Leu. 19. Deuteron. 18. Eccl. 34. & alibi, & Leu. 20. iubentur interfici.

Commercium cum dæmone.

28 *2. Cauſa.*

Secundò, Eſt peccatum mortiferum in hac diuinatione, quia diabolo tribuitur id, quod Deo eſt proprium, quod intelligi cum ab illo quæritur de futuris liberis, quorum cognitio ſolus Dei eſt. Vnde Iſai. 41. dicitur, *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum & ſcimus quia dij eſtis vos.* Itaque cum de huiuſmodi conſulitur, tribuitur ei honor diuinus, & committitur tacita blaſphemia. Hoc tamen non habet locum, quando conſulitur de alijs, quæ ipſe naturaliter ſcire poteſt.

3. Cauſa.

Tertiò, Sæpè coniuncta eſt huic diuinationi infidelitas, vel hæreſis; vt ſi quis credit diabolum eſſe aliquod numen, vel nõ eſſe miſerum, aut damnatum, aut ſcire futuros mortalium euentus, &c. ſæpè etiam pactum ſubeſt cum diabolo in quo renuntiatur Chriſto, baptiſmo, & Sacramẽtis omnibus; & renuntiatos ſe tradit diabolo. aliquando idololatria & varia ſacrilegia. Itaque de his omnibus ſit diligẽtia in foro pœnitentiæ, tum in foro externo ſunt diligenter examinandi, vt inf. c. 44. dub. 4. de magis dicemus.

Quartò, Si diuinus de occultis inquirat, vt ipſe ſanctus vel Propheta habeatur, accedit malitia ſacrilegæ ambitionis & hypocriſeos. ſi ſolum vt ipſe ſciat, erit curioſitas, quæ tamen per ſe non addit malitiam mortalem diuinationi.

Petes, vtrum ſint excommunicati, qui diuinationes exercent, vel diuinos conſulant? 29

Reſpõdeo, videri excommunicatos, propter Canonem Si quis ariolos. 26. quæſt. 5. vbi dicitur ex decretis Gregorij III. *Si quis ariolos, haruſpices, vel incantatores deferuerit, vt phitonicis eorum vſus fuerit, anathema ſit.* & capitul. Sortes, ibidem, prohibet Leo IV. *Sortes diuinatorias*, ſub anathematis interdicto. Quidam tamen inter quos Sylueſter. v. Superſtitio quæſt. vlt. putant non eſſe ipſo facto excommunicatos, ſed excommunicandos, vt eadem quæſtio. in alijs Canonibus dicitur. niſi forte huic facto connecta ſit hæreſis. Nec obſtat illic Canon, quia *anathema ſit*, poteſt ſignificare excommunicationem ferendam, vt *ſit exul, ſit extorris*, id eſt, ejiciatur in exilium, &c. Vide Nauarr. cap. 27. numer. 12. Deinde hoc nomen non ſemper ſignificat excommunicationem proprie dictam; nam generatim denotat quidquid eſt valdè execrabile vel exitio deuotum. quomodo aliquando accipitur in ſacris Canonibus antiquorum Conciliorum, & apud Apoſt. 1. Cor. 12. *Nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Ieſu*; vel vt Græca habent Ieſum, id eſt; nemo Ieſum execratur. & c. 16. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſit anathema.* ad Rom. 9. v. 3. & alibi; vnde etiam in mortuos anathema dicitur, qui tamen excommunicari non poſſunt.

Altera ſpecies diuinationis, quæ continet inuocationem tacitam, & capitur ex ſola diſpoſitionis quarumdam rerum inſpectione abſque alia hominis actione, tribus generatim modis agitur. Primo, Ex conſideratione, motus, ſitus, vel numeri aliquarum rerum. Secundò, Ex obſeruatione vocis aut cantus, aut ſoni alicuius. Tertiò, Ex lineamentis, figuris, coloribus. 30 *De 2. ſpecie diuinationis*

Si primo modo fiat, vel conſideratur motus & ſitus ſiderum ad diuinandum de futuris; & hic erit *aſtrologia iudiciaria*, cuius pars *genethliologia*: vel motus, aut ſitus, aut numerus auium, & erit *auſpicium*.

Si ſecundo modo, vel capitur ex garritu auium, & vocatur *augurium*; vel ex voce humana alia intentione prolata: aut ex hominis ſternutatione, & hoc vocatur *omen*.

Si tertio modo; vel conſideratur lineamenta manus, & hæc dicitur *χειρομαντία*: vel frontis, & dicitur *μετωποσκοπία*, vel dorſi, & dicitur *νωτομαντία*: & alia huius generis.

Ad hos modos reducitur diuinatio, quæ ex motu, ſitu, voce, numero, lineamentis aliorum animalium, vel aliarum rerum capitur; omnium enim eadem eſt ratio, nec differunt niſi materialiter.

Tertia ſpecies, quæ capitur ex ijs, quæ fortuito ex actione humana ad diuinandum directa prouenunt, fit etiam varijs modis, vt rectè docet Diuus Thomas quæſtio. 95. articu. 3. ſed omnes pertinent *ad ſortes*, de quibus infra dubitatio. 8.

33 *De 3. ſpecie diuinationis.*

Notandum eſt, omnes modos diuinandi ſecundæ & tertiæ ſpeciei, ex genere ſuo eſſe peccata mortifera; vt docent omnes Doctores: cuius rationem infrà dubitatione 5. & 6. adferam. Rarò autem per ſimplicitatem excuſari poſſunt; quia qui volunt diuinare de futuris, non ſunt ſimplices, ſed verſuti, & plerumque maligni. In vanis tamen obſeruationibus ad praxim pertinentibus, eſt facilior excuſatio, hic enim non intenditur prædictio ſed cautio alicuius mali, vel proſper ſucceſſus; vt infrà dicetur; in quibus homines facile ſunt creduli, ex affectu commodi, vel incommodi timore. Quomodo in iſtis ſpeciebus ſit inuocatio implicita dæmonis & ſuperſtitio, dicetur infra nume. 36. 37. 47. 52. & 62.

DVBITATIO VI.

Vtrùm omnis prædictio ex aſtris ſit illicita.

D. THOM. ART. 5.

34 RESPONDEO breuiter, Non omnis prædictio ex aſtris per ſe illicita eſt, ſed eorum tantum euentuum, quorum aſtra cauſa eſſe non poſſunt; vt ſunt ea, quæ ex libero arbitrio, tamquam integro vel partiali principio pendent.

Duplex aſtrologia. Hinc diſtingui ſolet duplex aſtrologia, *naturalis* & *iudiciaria*.

Naturalis quæ ſit. *Naturalis* eſt, quæ ex aſtrorum, maximè planetarum, ortu, occaſu, coniunctione, oppoſitione, varioque aſpectu tũ inter ſe, tum ad ſtellas fixas, item ex colore, ſcintillatione, ſeu micatione, de futuris elementorum affectionibus coniectat: vt de ſerenitate, pluuijs, tempeſtatibus, nuibus, grãdine, æſtu, frigore, & ſimilibus, quæ a cælo pendent, de quibus multa, Virg. in Georg. & Aratus in Phænomenis. Hæc non eſt quidem prohibita, tamen magna ex parte eſt incerta & parum vtilis; excepta ea parte, quæ ſumitur ex ortu, occaſu, aſpectu, & colore ſolis ac lunæ: nam virtus reliquorum aſtrorum eſt valdè obſcura, & omnis experientia, quæ

Quia parte ſit vtilis.

35 *Cur incertæ experientiæ.* de illis haberi poteſt, incerta. Primò, Quia ſciri non poteſt an talis effectus proueniat a ſidere, v.g. Veneris, an Iouis, an aliunde. Secundò, Numquam hactenus idem aſpectus ſiderum reſtitutus eſt; idque ob motum proprium ſphæræ octauæ & nonæ: & ſic nulla certa experientia capi potuit. Tertiò, Quia ex alijs cauſis, vt a ventis, vaporibus, æſtu, frigore, aer poteſt eſſe varie affectus, vnde facilè actionem ſiderum variabit; varia enim affectio medij mutat actiones cauſarum. Quartò, Denique vt quis aliquid certi in particulari poſſit prædicere ex aſtris, multa ſcire debet, quæ humanam ſcientiam longè ſuperant. Primum enim perſpectas habere debet omnes aſtrorum proprias virtutes: ſi enim aliquæ illum latent, non poteſt ſcire an effectus non impedietur. Deinde non ſolum quid ſingula per ſe poſſunt, ſed etiam quid coniunctim, & in quouis aſpectu, verbi gratia in aſpectu trigono, tetragono, hexagono, oppoſito, &c. qui aſpectus infinitis modis variari poteſt. Præterea ſimul conſiderare debet, quid omnibus locis operentur, ne fortè alibi quid faciant, quod effectum hoc loco impediet.

Quãnam neceſſaria ad prædictiones aſtrologicas.

Sæpè videmus nubes imbrium grauidas & ad pluuiã proxime paratas, diſcuti a ventis alibi excitatis, ne hic ſe effundant. Vnde patet quàm hæc res ſit ſupra facultatem humanam; & quàm vanæ ſint prædictiones, quæ quotannis emulgantur, per ephemerides. quamuis & hoc, ex euentu, quando rò reſpondet, ſatis cognoſci poſſit. Vnde Ioannes Picus libro ſecundo contrà aſtrologos capit. nono ait, ex 30. prædictionibus nobiliſſimi cuiuſdam mathematici de mutatione cæli & auræ, ſe adhibita accurata obſeruatione, tantum ſeptem veras deprehendiſſe, idque iureiurando confirmat.

De temperamento ex aſtris, & hora natiuitatis nõ poteſt probabiliter iudicari.

Quòd ſi de pluuijs, ventis, & ſimilibus, certò aut multũ probabiliter pronuntiare non poſſunt; multò minus de inclinationibus hominum, eorumque temperamentis; vt hunc fore iracundum, melancholicum, &c. quia hora natiuitatis illius, talis vel talis erat ſiderum aſpectus, qui procreat copiam bilis, melancholiæ, &c. quod confirmari poteſt, Primò; Nam illæ inclinationes multò magis pendent ex temperamento parentum & alimentis eorum, quàm ab aſtris. Deinde quia impoſſibile eſt notare exactè aſpectum ſiderum in cælo, quem habet ipſo natiuitatis punctо quod tamen iuxta aſtrologos eſt neceſſarium: at minimus hac in re error totum iudicium reddet falſum; nam in ictu oculi omnis aſpectus ſiderum mutatur, tum inter ſe, tum reſpectu prolis. cælum enim octauum intra centeſimam unius horæ particulam pluſquam trecenta millia milliarium cõficit; vt ex doctrina aſtronomorum patet. quàm velocitatem inferiores orbes in ſuis gradibus non exæquant. Tertiò, Quia gemini ſimul editi ſæpè diuerſiſſimas habent propenſiones, temperamenta, mores, euentus; vt patuit in Eſau & Iacob.

Si dicas id fieri quia aliqua parua naſcendi mora intercedit, quæ in tanta cæli pernicitate magnam adducit mutationem: iam ſingula membra debebũt habere diuerſa temperamenta & fata; vt pulchrè contra aſtrologos ratiocinatur beatus Gregorius homilia decima in euangel. Quartò, Quia ad hæc prædicenda non erat conſiderandum punctum natiuitatis, ſed animationis in utero, quod ſciri nequit. non enim minus aſtra agunt in infantem, quando eſt in utero, quàm dum egreditur. ſi enim uis eorum ſeſe in profunda terræ penetrat, quantò magis in uterum maternum? Confirmatur, quia tunc maximè aſtra ſuos effectus imprimere debent, quando fœtus eſt tenerrimus; hoc autè eſt tempore animationis, & reliquo, quo exiſtit in utero. Itaque mera amentia eſt ex aſpectu ſiderum, qui tempore natiuitatis uiget, uelle de temperamento uel inclinationibus prolis iudicare.

Naturalis aſtrologia non eſt per ſe peccatum.

Aduerte tamen, hoc iudicium, ſi vlterius non procedat, ſed ſiſtat in naturalibus affectibus & temperamento, non eſſe damnatum per Canones aut Leges; ſed permitti, ſicut multa alia friuola, quæ per ſe noxia non ſunt, permittuntur.

Aſtrologia iudiciaria eſt, quæ aſpectu ſiderum obſeruato iudicat de futuris euentis a libero arbitrio aliqua ratione dependentibus; vt de conditione vitæ, de matrimonijs, de liberis, honoribus, opibus, de infortunijs, inimicitijs, prælijs, exilio, carcere, morte, aliiſque caſibus humanis. Interdum iudicat etiam de præteritis ex præſenti conſtellatione, vt docet Orig. apud Euſebium lib. 6. præpar. euang. c. 9. vt quis huius ſit parens, cuius fortunæ & conditionis fuerit, quis furtum vel homicidium commiſerit. huius cultores vocantur aſtrologi, genethliaci, mathematici, (quamuis alias hoc nomen honeſtum ſit) & aliquando Chaldæi, quia hi præcipuè huic vanitati erant dediti. Scriptura vocat *augures*, Iſa. 47.

35 *Aſtrologia iudiciaria.*

Eſt peccatum mortiferum. Huius aſtrologiæ vſus eſt per ſe malus, & graue peccatum mortiferum.

Probatur Primò, Ex Scriptura, Deut. 18. *Gentes iſtæ, quarum poſſidebitis terram, augures & diuinos conſulent: tu autè aliter a Domino Deo tuo inſtitutus es.* vbi per augures intelliguntur aſtrologi, vt docent Hebræi, & colligitur aperte Iſa. 47. *Stent & ſaluent te augures cæli.* (70. aſtrologi cæli) *qui contemplabantur ſidera & ſupputabant menſes, vt tibi vera prædicerent.* Vbi etiam inſinuat Propheta ex aſtris non poſſe calamitates bellorum & euerſiones regnorum prædici. Hier. 10. *à ſignis cæli noluite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.*

Secundò, Probatur ex vtroque iure: nam L. Nemo & L. Etſi.

L. Etſi. C. de maleficis & mathematicis, iubentur puniri aſtrologi iudiciarij eodem modo, quo necromantici & alij magi. Et in Conc. Toler. 1. cap. vlt. dicitur, *Si quis aſtrologiæ vel mathesi credendum esse docuerit, anathema ſit.* Vide plurima de his in decr. 26. q. 3. 4. 5.

Tertiò, Quia omnes Patres hanc damnant. Vide præ ceteris Diuum Auguſtinum lib. 2. de Geneſi ad litteram, cap. 17. & lib. 2. de doctrina Chriſt. cap. 21. 22. 23. 24. lib. 5. de ciuit. cap. 1. & ſeqq. quibus locis contra hanc vanitatem fusè diſputat, & oſtendit eam pertinere ad occulta cum dæmonibus commercia. Idem poſt expoſitionem Pſalmi 61. agit de pœnitentia cuiuſdam mathematici, quem & libros cõburere, & publicam pœnitentiam agere coegit. Vide etiam Ciceronem lib. 2. de diuinat. Et Phauorinum in diſceptatione contra Chaldæos, apud Gellium lib. 14. noct. atticarum, cap. 1. vbi hæc aſtrologia refutatur. Denique diſputationem Bardeſanis Syri & Origenis contra eoſdem apud Euſebium, de præparatione euangelica, lib. 6. capit. octauo, & nono.

Quartò, Probatur ratione Primò, Quia hæc diuinatio ſupponit actiones humanas pendere à ſtellis, quod eſt grauis error contra fidem; inducit enim fatum, & conſequenter tollit liberum arbitrium: Deumque facit auctorem peccatorum; vt eleganter oſtendit Origenes apud Euſebium, ſuprà. vnde omnes antiqui aſtrologi poſuerunt *Fatum* tamquam fundamentum ſuæ artis, quod dicebant eſſe immutabilem omnium euentuum diſpoſitionem, à ſtellis dependentem, vt teſtatur Origenes ſuprà, & Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. cap. 1.

36 *Inducit fatum.*

Regula aſtrol. à dæmone, & ita diabolus honoratur.

Secundò, Vtendo hac diuinatione ſubijcis te diſciplinæ diaboli, ex cuius traditione per homines curioſos ab ipſo deceptos regulæ huius artis & ſimilium proceſſerunt; vt docet Lactan. l. 2. diuinarum inſt. c. 17. Apuleius apud Auguſtinum l. 8. de ciu. c. 16. & ipſe D. Auguſtinus multis locis. non enim ſeria aliqua humana ingenij inquiſitione inuentas eſſe vel ex eo patet, quòd nulla in his experientia capi poſſit, vt antè oſtenſum eſt: omnis autem inuentio humana eſt per experientiam. Itaque tacitè honoras diabolũ, vtendo eius documentis, eique futurorum prænotionem, quæ ſoli Deo eſt propria, tribuis. & hac ratione eſt peccatum ſuperſtitionis.

Obiectio. Veritas illa tum eſt à dæmone. Reſp.

Dices, Si diabolus aliquid veri tradat, poſſum illa veritate vti; quia veritas non eſt ipſius, ſed Dei, & omnis notio veritatis à Deo eſt.

Reſpondeo ita eſſe, ſi id, quod traditur, per ſe verum ſit; ſecus ſi in ſe ſit falſum & vanum; nec habeat veri ſpeciem, niſi diabolo procurante. tales autem ſunt regulæ aſtrologorum, aruſpicum, chiromanticorum, & ſimilium: in ſeipſis enim ſunt vaniſſimæ, & nullam cum natura rerum affinitatem habent; ſed vt veræ videantur, diabolus effectum procurat.

37 *Allicitur diabolus.*

Tertiò, Quia per vſum huius artis allicitur diabolus vt procuret ea, quæ prædicuntur, vt docet D. Auguſt. libr. 2. de doctr. Chriſt. capit. 24. loquens enim de mathematicis & alijs curioſis diuinatoribus, ait; *Illis enim ſpiritus, qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum perſuſpitionat, & conſerſiones eius viderint.* Et paulò antè: *quæ omnia tantum valent, quantum præſumptiones animorum,* (id eſt, anticipata opinione) *quaſi cuiuſdam linguæ, cum dæmonibus fœderata ſunt. quæ tamen omnia plena ſunt peſtifera curioſitatis, cruciantis ſollicitudinis, mortifera ſeruitutis. non enim quia valebant animaduerſa ſunt; ſed animaduertendo & ſignando factum eſt vt valerent: & ideo diuerſis diuerſa procurarunt, ſecundum cogitationes & præſumptiones ſuas,* &c. cum enim diabolus videt illa credi, dat operam vt eueniant, vel videantur euenire, vt homines in hac peſtifera opinione confirmet. Vnde patet ſecundum D. Aug. in vſu aſtrologiæ ſubeſſe tacitum fœdus cum diabolo, quo ipſe promittat aſtrologis ſe illa procuraturum, ſi credantur & prædicantur, ac proinde in eodem vſu contineri etiam taciram inuocationem vt iſta procuret, & dogmata ſua verificet.

Hæ duæ rationes locum etiam habent in reliquis diuinationibus ſecundi & tertij generis, quæ fiunt abſq; expreſſa inuocatione; vnde etiam D. Aug. de omnibus loquitur, & omnes eodem modo condemnat.

38 Dicet fortè aliquis aſtrologus, ſe non facere ſtellas cauſas futurorum euentuum, ſicut faciebant antiqui, ſed ſignadumtaxat: Deum enim in cælo veluti in tabula quadam, deſcripſiſſe omnes euentus etiam liberos, ab initio ſæculi vſque in finem futuros; quo modo in membranis per Prophetas deſcripſit ea, quæ futura erant circa Chriſtum & Eccleſiam: quam ſententiam expreſsè tradit Origenes apud Euſebium ſupra, vbi cùm fusè & erudite oſtenderit ſtellas nõ eſſe cauſas futurorum euentuum, eo quòd ſic introducatur fatum, tollatur libertas, & Deus conſtituatur malorum auctor: docet tamen eſſe ſigna diuinitatis, inſtituta ad omnia futura præſignanda: ſigna enim non officere libertati, ſed cauſas. Quemadmodũ enim poteſtas arbitrij humani minimè tollitur, etſi Deus quæcunque facturi ſimus præuiderit: ita quælibet ſigna ad præſignandum diuinitus conſtituta, libertati noſtræ nequaquam obeſſe: ſtatuit igitur Origenes vniuerſum cælum quaſi volumen quoddã apertum & membranam expanſam, omnia futura in ſe deſcripta continentem. Probat Primò, Ex oratione Ioſeph, vbi Patriarcha Iacob introducitur ſic loquens; *Legi in tabulis tuis quæcunque contingent vobis, & filijs veſtris.* Secundò, Ex illo Apoc. 6. *complicabuntur cæli vt liber*; vbi declaratur, inquit, *ſignificarimus futurorum rationes adimpletas ſuo ſicut propheras adimpletas dicimus cùm iam euenerunt.* Eamdem ſententiam ſecutus eſt Albert. magnus in ſpeculo, (ſi tamen hic liber eſt illius) & Cardinalis ab Aliaco quæſtio. 30. in Geneſim, & lib. de legibus & ſectis; vbi etiã docet, totam Chriſti vitam, eiuſque miracula ex aſtris prædici potuiſſe.

Verum oſtra poſſunt omnia ſolere ſigna omnium.

39 *Reſp. Refutatur hæc ſententia. Nõ eſſe ſigna naturalia. Triplicitèr poteſt aliquid eſſe ſignum naturale.*

Reſpondeo Primò, Fundamentum huius ſententiæ eſſe abſurdum & impoſſibile. vel enim ſtellæ ſunt ſigna naturaliter ſignificantia, vel ex arbitraria Dei inſtitutione. ſi naturalia ſunt, neceſſe eſt vt ſint vel cauſæ futurorum euentuũ, vel effectus illorum; (quorum vtrumque eſt manifeſtus error contra fidem, & rationem naturalem) vel vt aliquam naturalem connexionem cum euentis futuris habeant, ratione eiuſdem cauſæ communis; ſicut Iris eſt ſignum ſerenitatis, quia cauſa, quæ facit Iridem, ſolet plerumque facere ſerenitatem: & ſol *cæruleus imbres denuntiat, igneus ventos*, teſte Virg. quia cauſa, cur hi colores in ſole appareant, ſolet imbres & ventos gignere: & hoc etiam modo ſidera nõ poſſunt eſſe ſigna futurorũ euentuum, quia Deus eſt agens liberum, vnde ex eo quòd talia ſidera fecerit, eiſque talem motum dederit, colligi non poteſt q̃ tales vel tales euentus cauſabit. Secundò, Quia Deus non eſt per ſe cauſa operum humanorum, ſed ſolum per liberum arbitrium hominis. Tertiò, Quia non poteſt dici cauſa operum malorum; quare ſaltem hæc non poterunt ſic præſignari. Quartò, Quia impoſſibile eſt tam infinitam varietatem euentuum humanorum ſignificari diſtinctè rebus tam paucis tam vniformiter ſe habentibus: nam ea, quæ ſemper eodem modo & neceſſariò fiunt, non poſſunt præſignare ea, quę liberè, & numquam ferè eodem modo fiunt: ſignum enim debet accommodari ſignato, & illud quodammodo ſequi vt ei poſſit accommodari & reſpondere. Itaque cęleſtia illa vel non ſignificant actiones humanas, vel actiones humanæ neceſſariò eueniunt.

Si dicas ea ſignificare ex diuina inſtitutione; ſicut voces inter homines, eadem obiici poſſunt: nam ea, quę neceſſario & vniformiter fiunt, non ſunt idonea ſigna rerum cõtingentium & infinitam varietatem ſubeuntium; ſed ſimilem varietatem habere debent. vnde non minor penè eſt vocum varietas quàm rerum.

40 *Non eſſe arbitraria.*

Deinde nemo, ne Angelus quidem, hanc ſignificationẽ poterit intelligere, niſi Deus eam reuelauerit. quis enim ſcire poteſt quid Deus hoc vel illo aſpectu vel concurſu ſtellarũ velit ſignificari, niſi ipſe mentem ſuam patefaciat; cùm hęc ſignificatio ſit denominatio extrinſeca ab actu diuino nihil ponens in ipſo ſigno? itaque inutilis erit tota illa deſcriptio, & ſuperuacanea; cùm abſque reuelatione nihil iuuet, & reuelatio ſola ſufficiat. Denique per ſe abſurdũ eſt & ridiculum Deum in illis ſtellis deſcribere, quis, quo loco, quibus parẽtibus naſcetur, quibus nuptijs, honoribus opibus potietur, quę ſcelera commiſsurus, qua morte obiturus, & ſimiles minutias, quæ mille modis in eodẽ variari poſsunt. Quare cùm hęc ſententia nullam probabilitatem habeat, non poſsunt aſtrologi per eam excuſari. Oratio autẽ Ioſeph, quam citat Orig. eſt apocrypha. Illud ex Apoc. c. 6. *Cælum receſſit ſicut liber involutus*, ſolùm ſignificat cælum oculis ſubductum fuiſſe & diſſipſe videri.

41 *Reſpon.4. Hæc ſententia non omnis aſtrologo.*

Reſpondeo Secundò, etiamſi ſententia iſta probabilis eſſet, tamen excuſari non poſſent aſtrologi à dæmonum cõmercio & ſuperſtitione; quia hanc ſignificationem humanum ingenium aſſequi non poteſt, vt etiam Org. fatetur. Itaque neceſſe eſt vt eam norint vel diuina reuelatione, vel diaboli traditione. quòd autem illorum regulæ non ſint ex diuina reuelatione ſatis conſtat: tum quia ſæpiſſime falſæ ſunt: tum quia ſunt eædem, quæ aliorum aſtrologorũ, qui ſtellas faciunt cauſas euentuum; niſi quod in illa loco *cauſæ* dicatur *ſigna*, v.g. vbi alij aſtrologi dicunt *ſidus mortis facere homicidam*. hi dicunt, *ſidus mortis ſignificare homicidam*, vt inquit D. Aug. lib.5. de Ciu. Dei, cap. 1. vbi hanc ſententiam refert & refutat: itaque eadem prorſus eſt prædictio. Quare cum eædem ſint regulæ, (vno dumtaxat verbo mutato) & eædem omnino prædictiones; perſpicuum eſt prouenire ab eodem magiſtro, qui hanc moderationem adhibuit ad dedecus artis & fraudes tegendas, & diſcipulos ſuos tutandos. Vnde etiam hic diabolo tribuitur præcognitio futurorum, quæ Dei eſt propria; quod ad ſuperſtitionem pertinet. Deinde tacitè inuocatur vt procuret quod prædicitur. cum enim ipſe præſcire nequeat quid euenturum ſit, niſi ſe immiſceat, neceſſe eſt ſi regulas ſuas tueri velit, manum adhibeat.

Confirmantur hæc omnia, quia abſolutè damnatur ab Eccleſia & ſanctis Patribus omnis huiuſmodi prædictio, ſiue tamquam ex cauſis, ſiue tamquam ex ſignis capiatur: nã reuera eamdem ſolicitudinem, curioſitatem, deſperationẽ, animoſitatem, præſidentiam, religionis contemptum, dæmonum ſocietatem, apoſtaſiam animis hominum inducit. non enim tam curant homines ſcire cauſas euentuum, quã præſcire ipſos euentus, quibus præſcitis nihil non audent; vt præſciant nihil nõ agunt, ſi ſpes ſit præſciendi. Denique

Iudiciaria aſtrolog. eſt fundamentũ magiæ.

hæc aſtrologia eſt fundamentum magiæ & omnis diuinationis; vt docet Agrippa magus l.1. occultæ philoſo. c.54. nam ſigna magica plerumque ſub aliquo tynalterioſino ſeu conſtellatione fabricanda ſunt; & ea per quæ quis diuinat, ſimiliter ad aliquos ſiderum aſpectus referenda ſunt & componenda.

42 *Si non certo affirmant.*

Petes, Verùm ſit peccatum mortiferum, etiamſi non prædicant tamquam certo euenturum?

Reſpondeo, Si aliquid particulare prædicant abſolutè, v.g. hunc tali vel tali morte hoc tempore, vel loco perituram; hunc futurum homicidam, furem, Epiſcopum, & ſimilia; grauiter peccant, & ſunt puniendi, etiamſi poſtea dicant ſe non certo, ſed probabiliter affirmare voluiſſe: quia alioquin omnes facile ſe excuſarent, & contra Iudices defenderent. Secundò, Si prædicunt aliquid, maximè in particulari, cum circumſtantijs, quarum non poſſunt reddere rationem niſi ex regulis aſtrologiæ iudiciariæ; v.g. quia hora natiuitatis erat talis cæli cataſtaſis, non ſunt excuſandi, etiamſi ſolum dixerint eſſe probabile aut veriſimile: quia cũ reuerà nihil tale ex aſtris colligi poſſit, omnis talis prædictio referẽda eſt ad diſciplinam malignorum ſpirituum, & occultam eorum ſocietatem. Et ſane perniciоſum eſt putare regulas illas eſſe probabiles, cum eadem fere incõmoda ſequantur: & ipſi aſtrologi, quos Eccleſia damnat, ſæpè non plus dicant. Fatentur enim ſuas prædictiones non eſſe ſemper certas, & poſſe interdũ aliter euenire. nihilominus merito reijciuntur tamquam impoſtores & occulta commercia cum diabolo habentes, fallacique eius diſciplinæ dediti. Si verò ſolum in genere pronuntient, ita vt probabilis ratio reddi poſſit ex ætate, diſpoſitione corporis, temperamento, conſuetudine vitæ aut aeris affectione, quæ ex ſiderum concurſu vel aſpectu prouenit, non ſunt condemnandi.

43 *Vnde prædicant vera.*

Petes, Vnde ergo ſit vt aſtrologi interdum etiam in particulari vera prædicant?

Reſpondeo, Id fieri ex quatuor vel quinque cauſis; vt colligi poteſt ex D. Auguſt. lib. de diuinat. dæmonum, cap. 3. & habetur c. Sciendum. 26. q. 4. & lib. 2. de Geneſi ad literam, c. 17. Primò, Id fit ex eo, quòd dæmõ ſæpè procuret quod prædictum eſt, vt pelliferam artem commendet. vnde maximè illi cauendi, qui ſæpius vera dicunt, vt monet idem Auguſt. l. 2. de Gene. cap. 17. quia certius eſt illos cum dæmone habere commercium. Secundò, Quia interdum caſu ita accidit. vt idem docet lib. 7. confeſſ. cap. 6. Tertiò, Quia animus hominis, cui bona denuntiantur, excitatur, ad audendum, omniaque tentanda vt aſſequatur, perſuadet enim ſibi fauorem cæli & numinis ſe habere: & è contrario cui mala, dejicitur in deſperationem, putans numen ſibi eſſe aduerſum; & ſic miſcum non eſt ſi vtrique quod prædictum eſt obueniat. ſic exercitus ſæpè vicerunt & victi ſunt. Quartò, Quia res ſæpe ex alijs circumſtantijs ſagaci ingenio conijci poteſt. Quintò, Quia ſæpè dæmon ſuggerit ſibi nota, præſertim cum hoc genus hominum plerumque expreſſum cum illo pactum & commercium habeat, vt docet D. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. cap. 17. in fine. His adde, eos multò ſæpius falſa prædicere quam vera, ſed illa non notari: imò Phauorinus apud Gellium lib. 14. capit. 1. ait, partem milleſimam eorum, quæ quotidie prædicunt, veram non eſſe. Vide de eadem re Ciceronem libro ſecundo de diuinatione, vbi dicit, *præmiſerunt aſtrologi Pompeo, Craſſo, & Cæſari lætiſſima omnia; nam niſi cum ſeuerdam cum ſumma gloria mortuus; ut quiſque omnia infidiatus & immaturè periit.*

DVBITATIO VII.

Quouſque diuinatio ex alijs ſignis, ad ſecundam ſpeciem pertinentibus, vt ex motu, volatu, vocibus auium vel aliorum animalium, aut hominum capi poſſit.

D. THOMAS ART. 7.

44 *Quomodo hæc ſigna ſpecificentur.*

NOTANDVM eſt Primò, Hæc ſigna non poſſe inſpici tamquam cauſas euentuum futurorum, (neque enim vllus vmquam haruſpex aut chiromanticus ita illa accepit aut intellexit) & multo minus tamquã effectus illorum euentuum, cum præcedant illos. Itaque conſiderãtur vt ſigna inſtituta & directa ab eadem cauſa, à qua euentus illi vel efficienter prouenium, vel ſaltem ut res futuræ, præuiſi ſunt: quo modo Org. dicebat aſpectus ſiderum, futuros euentus præſignare.

Notandum Secundò, Hæc ſigna poſſe prouenire vel a ſola cauſa naturali, vel ex peculiari directione diuina, vel procuratione dæmonis. His poſitis.

45 *Poſſumus illa ſigna naturalia.*

Dico Primò, Licitum eſt ex huiuſmodi ſignis prædicere omnes euentus, qui per illa, vt a cauſa naturali prouenturi, ſignificari poſſunt; ſeu illos euẽtus, qui ab eadem cauſa naturali ſequi ſolent. Sic ex volatu auium aut cantu prædici poſſunt tempeſtates, uenti, pluuiæ, ſerenitates, de quibus multa rei ruſticæ ſcriptores, & Virgil. in Georgicis, & Aratus in Phænomenis, verius hoem. tu enim motus in auibus & alijs animalibus ex eo proueniunt quòd dum mutatio auræ ingruit.

Terrentur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alacres, alias dum nubila ventus agebat
Concipiunt, hunc illa animum cum ſentiat in agris,

Quomodo motus & ſonus auium ſit ſignum tempeſtatis.

vt ait Virg. mutatio enim aeris afficit corpuſcula animũ, vel cerebrum aut ſpiritus animales, quam affectionem occulta naturę conſentione phantaſia ſtatim percipit, & pro modũ conuenientis aut diſconuenientis apprehendit, & externus volatu vel voce ſignificat. homines eò ita præſentiũt iſta, tum quia phantaſia alijs eſt intenta; non enim gubernatur à rebus externis in homine vt in belluis, ſecũdum inſtinctum & libera voluntate: tum quia inſita non eſt hominibus (niſi forte ratione morbi, debilitatæ partis, aut peculiaris temperamenti) occulta illa & peculiaris ſympathia cum mutatione cæli, quam videmus in varijs animalibus. Fatui tamẽ & stupidi, quia brutis affines, & ſenſibus non rationi regũtur, magis diuinãt de rebus naturalibus quã prudentes, & dormientes magis quã vigilantes, & morti propinqui (niſi forte doloribus vel ſtupore ſenſuum impediantur, magis quã ſani: partim quia corpora facilius afficiũtur ex externis mutationibus partim quia phantaſia facilius percipit.

Huc etiam pertinent coniecturæ medicorum de temperamento, inclinationibus, ingenio, valetudine, longa, breuique vita, quas ex habitu corporis, ex conformatione vultus & figura membrorum, ex colore & humoribus capiunt. Item prædictiones illorum de morbis, morte, ſanitate, criſi bona vel mala ex pulſu, colore, ſudore, aliiſque naturæ excretionibus, ſuppreſſionibus, morbis, conturbationibus, & alijs ſignis, de quibus Hippocrates in coacis, & Ga-

& Galenum opusculo de crisibus & alijs locis.

46 *Si dirigantur à Deo.*

Dico Secundò, Quando certum est, vel probabile aliqua signa prouenire a Deo, vel singulari eius prouidentia dirigi ad aliquid præsignandum, (quod tamen perrarum est) non est illicitum aliquam ex illis prædictionem capere de euentibus liberis. Sic columba deferens ramum oliuæ virentibus foliis, erat signum placatum esse Dominum, & aquas diluuij exhaustas, Gen. 8. Sic Iris est signum nõ amplius delẽdi mundi per aquas, Genes. 9. Verbum Rebeccæ, *Bibe domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam donec cunctì bibant*, erat signũ ipsa futura uxorem Isaac, Genes. 24. id enim pro signo petierat Eliezer famulus Abrahæ. Sic narratio somnij de pane subcinericio, Iudic. 7. erat signum Gedeoni cædendorum hostium: & verba illa Philistæorũ, 1. Reg. 14. *Ascendite ad nos*, erant signum Ionathæ ipsos forte cædendos: Deus enim hæc ita dirigebat, & instituebat vt talia significarent; idque occulta inspiratione ijs, qui inde omen caperent, significabat.

47 *Si non dirigãtur à Deo.*

Dico Tertiò, Si non constet vel non sit probabile huiusmodi ex peculiari Dei prouidentia ad certum euentum liberum præsignãdum destinari, superstitio est ex talibus diuinationem capere. Itaq; superstitio est ex volatu, garritu, situ, numero auium, aut aliorum animalium; ex lineamentis manus, vel aliarum partium corporis, secundùm regulas augurum & chiromanticorum, de futuris à causa libera pendentibus pronũtiare. Exempla complura vide apud Valerium Maximum lib. 1. c. 4 5. 6. *Ratio, cur sit superstitio.* Ratio est, quia signa ista non significant illos euentus naturali modo, cum neq; sint illorum causæ, neq; illorum effectus, neque vna cum illis ab aliqua communi causa pendeant; neq; ex directione peculiari diuinæ prouidentiæ; tum quia plerumq; sunt fallacia; tum quia sic potius à viris sanctis obseruarentur quàm à magis & incantatoribus: ergo significant illos euẽtus ex directione & institutione dæmonis, qui huiusmodi signa instituit, & euentum, quem præsignari voluit, interdũ procurat, vt mẽtes hominum superstitione & curiositate implicitas, quocumq; lubet, impellat. Confirmat id D. Augustinus lib. 2. doct. Christ. c. 24. ex augurum ritu, *qui*, vt ipse ait, *& antequam obseruent, & postrà quàm obseruata signa tenuerint, id agunt, ne videant volatus vel audiant voces auium*; quod est euidens argumentum hæc nihil valere nisi ex dæmonum pacto.

Itaque qui ex talibus diuinat, Primò, Se subijcit disciplinæ diaboli, vtens regulis ab ipso traditis, tacitumque cũ illo commercium habet. Deinde, attribuit illi futurorum liberorum prænotionẽ, quæ Deo soli est propria. Tertiò, Tacite illum inuocat vt procuret quod prædictum est, ne ars fallere videatur. *Inutilis est peccatii venialis.* Huc pertinent omnia, quæ dub. 5. nu. 37. dicta sunt ex D. Augustin. lib. 2. de doct. christ. c. 23. & 24. Fieri tamen potest vt solum sit veniale peccatum; vt si homo cogitet in hoc vel illo casu fieri posse vt talia signa sint à Deo ad aliquid ipsi insinuandum directa; & ideo aliquid faciat vel omittat vt sibi caueat vel consulat in omnem euentum: modo id per se licitum sit. hoc modo fœminæ & homines parui iudicij huiusmodi signa obseruare solent, & actiones suas ex illis moderari.

Quòd interdum vera ex huiusmodi prædicantur, prouenit ex ijsdem causis, ex quibus supra num. 43. astrologos aliquando verum diuinare diximus. Vide exempla quædam huc spectantia apud Valerium Maximum locis supra notatis.

48 *Obiectio.*

Obijcies Iob 37 *Qui in manu omnium hominum signat, vt singuli noverint opera sua*: vbi videtur commendari chiromantia; & Gen 44. Ioseph dicit fratribus, *an ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* & œconomus eius *scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet*: ergo Iosephus fuit augur, vel saltem videri voluit: non voluisset autẽ vir tam sanctus & sapiens talis esse vel videri, si id malum fuisset.

Resp.

Respondeo, illã sententiã ex lib. Iob adductã iuxta Lyranum & D. Thomam significari Deum imprimere varias inclinationes ad varia opera, in potentia operatiua vel in phantasia cuiusque, vt singuli norint quid sibi congruat. alij enim inclinationem habent ad mathesim, alij ad musicam, alij ad poesim, alij ad metaphysicam, alij ad hanc artẽ mechanicam, alij ad aliam. item pro temporum diuersitate & opportunitate ad diuersa quoq; incitantur aggrediẽda, vt in agricolis constat.

Quidam recentiores, vt Mercerus & Vatablus sic exponunt, qui *in manu* id est, per potentiam suam, qua imbres, niues & tempestates inducit, *omnes homines signat*, id est, dũ concludit, eos impediens ne possint vacare operas suas in agris. Sed 70. & noster interpres intelligunt de *manu hominis*, non Dei: Deinde minutum est illud, quòd homo non possit suos vilicos operarios.

Vnde accommodatius sic intelligeretur; *Qui in manu omnium signat*, id est, qui per tempestates, niues, imbres, manus omnium hominum claudit, & otiosas reddit, impedẽs ab operibus agriculturæ & pasturæ. *Signare in manu* dictum est more Hebræo, pro signare, & claudere manum. *Vt singuli sciant opera sua*, id est, vt singuli sibi prospiciãt quid quouis tempore agere debeant. vel vt singuli sciant opera sua pendere a Deo. vnde 70. vertunt, *vt singuli noverint infirmitatem suam*. Vide nostrum Pinedam hunc locum fusè & egregiè explicantem.

Ad locum Genesis dici potest cum D. Thoma ar. 7. ad 1. & D. Aug. qq. in Genesim c. 145. id a Iosepho loco dictum; 49 vel illum locutum ex vulgi opinione, qua summus augur habebatur. Adde, nomen *augurandi* esse generale, & extendi ad omnem diuinationem, etiam ex signis a Deo directis. Itaq; Ioseph non voluit videri *augur* vel *diuinus* talis, quales erant alij in Aegypto, sed longè excellentior; vt qui spiritu Dei diuinaret, sicut iam ante aliquoties ostenderat; & pro tali illum habebant Aegyptij.

DVBITATIO VIII.

Quousque diuinatio ex somnijs sit licita.

D. THOM. ART. 6.

50 *Somnia ex quinque cam sit.*

NOTANDVM est, *somnia* posse prouenire ex quinque causis. Primò, Ex singulari Dei prouidentia. Secundò, Ex cõstitutione cæli vel aeris. Tertiò, Ex affectione corporis humani. Quartò, Ex præuijs cogitationibus. Quintò, Ex procuratione dæmonis. Nunc

Dico Primò, Si constet vel probabile sit, somnium ex peculiari Dei prouidentia fuisse immissum, fas est homini ex eo capere futurorum prænotionem: Deus enim illa non immittit, nisi ad aliquid significandum, quo hominem moueat vel instruat.

Dupliciter in somnis aliquid significetur.

Potest autẽ id fieri duobus modis Primò, Apprehensione verborum, quando Deus per Angelum facit vt phantasia vel sensus communis concipiat per modum auditus, & veluti alio loquente, certa verba, quibus quid fieri debeat, significetur: & simul mentem reddit certam, vel interna illustratione, vel occulto quodam gustu & experimento, nõ subesse fraudem. Tale fuit somnium Ioseph de Virgine non deserenda, de fuga in Aegyptum, & de reditu ex Aegypto, Mat. 1. & 2. & somniũ Magorum, de non redeundo ad Herodem: & alia plurima in Scripturis. Sæpissimè enim Deus in somnis loquebatur; vnde Num. 12. dicitur, *Si fuerit Propheta inter vos, per somnium loquar ad eum*. hoc genus somnij vocatur χρηματισμὸς, Latinè *oraculum*, vt docet Macrob. l. 1. in somnium Scipionis.

Secundò, Apprehẽsione aliquarum rerum, quæ vel similes sint rebus euenturis, vel aliquam saltem analogiam cum illis habeant. Hoc si perspicuè rem exhibet sicut futura est, vocatur, ὅραμα, id est, *visio*. Si obscurè & ænigmaticè, dicitur ὄνειρος. Latinè *somnium*. Tale fuit somnium Iacob, Gen. 31. v. 10. de ouibus: vbi etiam prior modus admiscetur, nam loquitur ei Angelus in somnis, & somnia Ioseph, Gẽ. 37. Pincernæ & pistoris. Gen. 40. Pharaonis de 7. bobus & 7 spicis, Gen. 41. Nabuchodonosor de statua illa mystica, Daniel. 2. & alia in Scripturis & prophanis auctoribus. Tale etiam fuit somnium Theodosij, quandò adhuc priuatus per quietem vidit sibi coronam Imperij per Episcopũ Meletium imponi, cum tamen ea de re non cogitasset, nec Episcopũ illum nosset; vt refert Theodoretus li. 5. hist. c. 6. & 7. & S. Polycarpi, cui in somnis suum cervical comburi visum est, præsignatum fuit illi genus sui martyrij.

Petes, Vnde poterit cognosci vtrum sit a Deo, an a dæmone? 51 *Vnde possit discerni.*

Respondeo, id cognosci partim ex eo ad quod homo per somnium impellitur, vt si ad deferendum sæculum, ad

timo-

timorem inferni, ad dolorem peccatorum incitetur, exiſti mandũ eſſe a Deo: partim ex affectu, qui relinquitur; vt ſi inde remaneat illuſtratio animi, conſolatio ſancta, promptitudo ad obſequium Dei; partim ex intimo quodam ſapore & guſtu; aliter enim afficiunt mentem ſomnia diuinitus immiſſa, aliter aliunde prouenientia, vt docet Gregorius lib.4 dial. cap. 48. *Sancti*, inquit, *veri inter illuſiones neque reuelationes, ipſas viſionum voces aut imagines quadam intimo ſapore diſcernunt, vt ſciant vel quid a bono ſpiritu percipiant, vel quid ab illuſore patiantur.* vnde B. Monica (vt refert Auguſt. libro 6. confeſſ. capit. 13.) *dicebat ſe diſcernere intimo quodam ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter reuelantem te, & animam ſuam ſomniantem.* cùm enim ſint ſupernaturalia, ſapiunt etiam plerumque aliquid diuinum & ſupernaturale, ita vt ſi homo diligenter conſideret, facilè aduertere poſſit a Deo prouenire. Interdum tamen res eſt obſcura, & tunc opus eſt conſilio ſapientum, ne fraude dæmonis, quod multis accidit, circumueniamur. Idem dicendum quando ſignificatio eſt obſcura. quando autem eſt clara; & ſimul conſtat eſſe a Deo, nullo modo eſt dubitandum de euentu.

52 *Si non eſt probabile eſſe ſomnium ſſum a Deo.*

Dico Secundò, Si nõ eſt probabile ſomnium eſſe a Deo, non eſt licitum ex eo capere prænotionem de euentis liberis. Ratio eſt, quia ſomnia non poſſunt illa futura præſignare natura ſua, nec etiam vt proueniunt a cauſis naturalibus, vt ex dictis patet; ergo ſolum ex directione Dei vel malignorum ſpirituum: ergo quando non eſt probabile eſſe a Deo, ſi quis ex illis diuinet, ſubijcit ſe diſciplinæ dæmonis, eique tribuit futurorum prænotionem, & tacitè illum allicit vt procuret quod ipſe putat præſignatum.

Eſt peccatũ mort. ex genere ſuo.

Nec refert ſi dicas te hæc non intendere; quia ipſo facto & interpretatiue intendis: poſitis enim illis circumſtantijs, talis diuinatio ad nihil aliud valet, nec vllam habet ſpeciẽ aſſequendæ veritatis, niſi eo modo accipiatur. Itaque ex genere ſuo eſt peccatum mortiferum, vnde prohibetur Leui. 21. *Non augurabimini, neque obſeruabitis ſomnia.* & Eccl. 34. *Vana ſpes & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes* &c. & infrà, *multos enim errare fecerunt ſomnia & exciderunt ſperantes in illis.* quòd quàm verum ſit, oſtendit Gregorius lib.4 dialog. c. 49. de quodam, *qui dum ſomnia vehementer attenderet, ei per ſomnium longa vitæ ſpatia promiſſa ſunt: cumque multas pecunias pro longioris vitæ ſtipendijs collegiſſet, ita repentè defunctus eſt, vt intactas omnes relinqueret, & ipſe ſecum nihil ex bono opere portaret.*

53 *Poteſt eſſe peccatum veniale.*

Poteſt tamen eſſe veniale. Primò, Ratione ſimplicitatis, quia homo rudis facile putat eſſe a Deo. Secundò, Quia ſolum tenuiter ipſis credit. Tertiò, Si propter ſomnium metuat aliquid aduerſi, vel ſperet aliquid proſperi, cogitans ſecum (etſi nullo fundamento) illud forte a Deo immiſſum, ideoque aliqua faciat vel omittat, modò ea nõ ſint contra aliquod præceptum naturale vel poſitiuum; vt docet Caietanus in Summa v. Somniorum obſeruatio. & Nauarr. ca 11. num. 33. Si tamen quis ita deditus eſſet obſeruationi ſomniorum, vt paſſim illa in rebus agendis vteretur, non poſſet a peccato mortali excuſari. Multò maius

54 *Quærens diuinationem per ſomnia.*

peccatum eſt, quando quis per ſomnia quærit diuinationem certo modo vel ritu ſe componendo ad ſomnium: hoc enim expreſsè eſt inuocare diabolum. Sic olim ethnici præmiſſo ieiunio in pellibus cæſorum animalium dormire ſolebant, vt reſponſa in ſomnis acciperent. vnde Virgilius.

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petiuit.

de quo vide Cælium Rhodiginum l. 27. antiquarũ lectionum cap. 14. facile autem eſt diabolo ſomnia qualia lubet immittere, concitando humores & ſpiritus; ſic enim varia viſa excitantur in febribus, in atrabile, in phreneſi, aliſque morbis & affectibus.

55 *Si ſit a cauſa naturali.*

Dicit Tertiò, Si ſomnia putantur eſſe ex cauſa naturali, licitum eſt ex illis coniecturam de euentis, quæ ab illa cauſa prouenire ſolent, facere; vt de mutationibus aurę, de morbis, de corporis temperamento, de humorum redundantia; de quibus multa ſcripſere medici. Hippocrates de inſomnijs, & Galenus de præſagio ex inſomnijs. cælum enim & aer impreſſionem aliquam in corpus humanum, ſanguinem & ſpiritus faciunt, ratione cuius per ſympathiã phantaſia conſentanea viſa apprehendit, maxime per quietẽ, dum ſenſuũ externorum operatione nõ diſtrahitur, eo fere modo, quo dictum eſt fieri in auibus vigilantibus.

Sæpius tamen & certius ex ſomnijs capiuntur coniecturæ de affectionibus corporis, quam de mutationibus cæli; quia immediatè ex corporis diſpoſitione oriũtur. Hoc modo ſi quis incendia per ſomnium videat, ſi aua bile infectari iudicatur; ſi fumum, caliginem, profundas tenebras, funera & alia id genus triſtia, atra bile: ſi pluuiã, niues, grandines, glaciem, pituita vel frigido phlegmate: ſi ſomniet ſe volare aut velociſſimè currere, ſignũ eſt leuis & temperatæ cõplexionis. Si grauia onera ferre aut in anguſtis locis, vbi vix ſe mouere queat, verſari, ſignũ eſt vim animalẽ multitudine humorũ grauari; ſi ea, quæ ad libidinem pertinent, ſignum eſt redundantiæ ſpermatis: ſi verſari in cœno, ſignum eſt abundare humoribus putridis, aut inteſtinorum excrementis. Sic qui ſomniarat crus effectum ſibi lapideum, paulò poſt præter opinionem omnium factus eſt crure illo paralyticus. Sic etiam Galenus, eum, qui ſomniarat ſe in ciſterna plena ſanguine conſtitutum, coniecit plethora ſanguinis laborare. Vide hæc & plura apud illum in libello de præſagijs ſomniorum.

56 *Coniecturæ de corporis affectib. ex ſomnijs.*

Huc pertinet ſomnium illud, quo aliquod ſpectrum irruere & opprimere hominem videtur, quod ἐφιάλτην & ἐπιβούλιον medici vocant, Latini incubũ. hoc enim prouenit à craſſo tetroque vapore in cerebrũ irruente & vias ſpirituum animalium intercipiente; vt docet Galenus lib. 3. de locis malè affectis, c. 4. Itaq; ſignum eſt craſſi & melancholici ſanguinis, & eruditatum, & eſſe periculum epilepſiæ ſi quis crebrò patiatur; hoc genus vocatur *phantaſma*. Cicero *viſum* vocat.

Dico Quartò, Quando ſomnia prouenium ex præuijs curis vel cogitationibus, nihil de futuris ſignificant, ſed ſolũ inſinuant ſuam cauſam. hæc vocantur proprie ἐνύπνια id eſt, *inſomnia*.

Ex dictis conſtat quinque genera ſomniorum diſtingui poſſe, *oraculum, viſionem, ſomnium, inſomnium, phantaſma*, de quibus fusè agit Macrobius ex ſententia veterum, lib. 1. *in ſomnium Scipionis*. ſed quæ diximus ad noſtrum inſtitutum ſufficiunt.

DVBITATIO IX.

Vtrùm vſus ſortium ſit licitus?

D. THOM. art. 8.

57 *Sortes. Tres ſortium genera.*

NOTANDVM Primò, *Sortes* dici quando aliquid eo fine agitur vt eius euentu ſpectato, innoteſcat aliquid occultum, v.g. quid cui competere debeat. ad hoc autẽ neceſſarium eſt vt ſortibus ſua ſignificatio imponatur; ſiue vt præcedat aliqua conuẽtio inter partes, (ſi inter plures agantur) vel homini ſecum, quid quæque ſignificare, quam vim habere debeat.

Sunt autem tres ſortium ſpecies ex fine petitæ, *diuiſoriæ, conſultoriæ, diuinatoriæ*. *Diuiſoriæ* ſunt, quando iudicio ſortium quæritur quid cui tribuendum, ſiue illud ſit res poſſeſſa, ſiue honor, ſiue pœna, ſiue functio aliqua. *Conſultoriæ*, quando inquiritur ſortibus diuinum conſilium, vt ſciatur in negotio obſcuro quid agendum. *Diuinatoriæ* ſunt, quando per eas inquiritur de futuris euentis.

58

Notandum Secũdò, Directionẽ ſortium poſſe expectari vel à cælo, vel à caſu, vel à Deo, vel à dæmone. His poſitis.

1. *Sortes diuiſoriæ.*

Dico Primò, Sortes diuiſoriæ licitæ ſunt, ſi euentus expectetur à caſu, vel ex peculiari Dei prouidentia: non tamen in rebus omnibus licitæ ſunt, ſed in pleriſque. Primo, In rebus externis & alijs, quæ aliter commode nõ poſſunt diſtribui. Sic hæreditates, & alia bona communia ſæpiſſime ſorte diuiduntur. Huc pertinet contractus ſponſionis & ſortium, qui frequens eſt inter homines: conſentiunt enim partes vt eius ſit res vel electio, cui ſors & caſus fauerit. Secundò in functionibus, vbi de honore vel periculo agitur, vt quando oppidum inuadendum, ſorte inter milites diuerſarum nationum decidi ſolet, quæ natio prior inuadere debeat. Sic D. Auguſtinus epiſt. 180 ſcribit ſorte eligendum ſacerdotem, qui temporis peſtis & perſecutionis maneat in oppido, & fidelibus res ſacras adminiſtret. Tertiò, In dirimendis litibus, maxime de rebus ſæcularibus, L. Si cum ambo. ff. de iudicijs. Quartò, In pœnis, vt cum duo vel plures ſunt rei, mortis, & Princeps vt clementiam

In quibus hæc locum.

in ſanctienda diſciplina adhibeat, vult aliquos punire, alijs ignoſcere. Deniq; quotieſcumque non apparet ratio cur alter alteri in aliquo commodo vel incommodo debeat præferri. Vide D. Auguſt. lib. 1. de doct. Chriſtiana c. 28.

An in officijs. Officia tamen etiamſi ſæcularia ſint, regulariter nõ ſunt ſorte diſtribuenda, ſed conferenda maxime idoneis, quos diligens inquiſitio & examen rationis, non caſus & cæca ſors oſtendit. nihilominus ſi plures ſint benè idonei & pares, poterit res ſorti committi. Hoc tamen permiſſum nõ eſt in electionibus ad beneficia eccleſiaſtica, vt patet c. Eccleſia, de ſortilegijs, ſub finem. Forſaſſe tamen ad litem beneficiariam, quando ratio commodior iniri non poteſt, terminandã, ſortes non eſſent improbandæ; quia non eſt mẽs Eccleſiæ, vt lites diu protrahantur, & alias iure naturæ id non ſolum eſt licitum, ſed etiam optimum conſilium; nec Eccleſia id vſquam prohibuit.

In beneficijs.

59 *Obiectio. Saul, Matthias.* Dices, Saul ſorte electus eſt, 1. Reg. 10. & Matthias Apoſtolus, Act. 1.

Reſp. Reſpondeo, Non eſſe dubitandum quin Saul ita electus ſit inſpiratione diuina; nam electioni eius præerat Samuel, qui illum antè vnxerat iuſſu Dei. vnde etiam ſortes certiſſime a Deo ita erant dirigendæ vt ipſum eſſent confirmaturæ. Idem de Matthia Apoſtolo: quod colligi poteſt tum ex mirabili illa exhortatione Petri, quæ tota erat a Spiritu ſancto; tum ex communi oratione omnium, qua petebant vt Deus oſtenderet quem elegiſſet. Quidam tamen ex textu Græco putant Matthiam non ſortibus, ſed ſuffragijs electũ; ſed manifeſtè repugnat textus Græcus & Latinus. non enim Græcè eſt, ἔδωκαν ψήφους αὐτοῖς, *dederunt eis ſuffragia*: ſed ἔδωκαν κλῆρος αὐτοῖς, *dederunt ſortes eis*, vt interpres vertit: vnde ſequitur καὶ ἔπεσεν κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν, *& cecidit ſors ſuper Matthiam*. Nec obſtat quod ſubiungitur, καὶ συγκατεψηφίσθη quod *per ſuffragia annumeratus* indicat, quia nihil aliud ſignificatur quàm ipſum communi decreto vel conſenſu, poſtquam viderunt ſortem in illum cecidiſſe, vndecim Apoſtolis connumeratum; quod nihil aliud fuit quàm iudicium ſortium communi ſuffragio vel decreto fuiſſe approbatum. Accedit quòd ſicut alij Apoſtoli immediate a Chriſto, non ſuffragio humano, electi erant: ſic etiam decuiſſe vt eligeretur is, qui in locum Iudæ ſuccederet. Denique magna exteriùs apparebat paritas; vnde non facilè erat humano iudicio alterum alteri præferre. Dionyſius Areopagita lib. de eccleſiaſtica hierar. capit. 5. parte 3. putat ſortem appellari a Scriptura (quando dicitur, *cecidit ſors ſuper Matthiam*) *diuinum quoddam donum, inſpirans illi cœtui quem Deus elegiſſet*: fieri enim poteſt vt Deus ſortem mox approbauerit, collato dono prophetiæ vel ſapientiæ, vel vt ſortes miraculosè omnibus aduertentibus direxerit. non enim negari poteſt quin verè ſortes miſerint; cùm expreſsè dicatur, *dederunt ſortes illis*, quod de tali dono intelligi non poteſt. Item *cecidit ſors ſuper Matthiam*.

60 *2. Conſultoria.* Dico Secundò, *Conſultoriæ* ſortes regulariter ſunt illicitæ, niſi quando humanum conſilium non ſuppetit, vel niſi Deus inſpiret illis vtendum. Ratio eſt, quia ſine neceſſitate uelle vt Deus ſuam voluntatem peculiari modo manifeſtet, pertinet ad Dei tentationem, vt D. Thomas ait. Deinde Deus non promiſit ſe has ſortes temperaturum: ergo vanum eſt inducere in animum hanc Dei eſſe voluntatem, quam ſortes indicant; imò etiam eſt periculoſum; quia facilè dæmon ſe immiſcebit & hominem decipiet. vnde meritò hic vſus reprehenditur a D. Auguſtino epiſtola 119. capit. 20. & a Leone IV. ad Epiſcopos Britanniæ; habetur cap. 7 Sortes. 26. quæſt. 5 *Sortes*, inquit, *quibus cuncta vos veſtris diſerminatis Prouincijs, quas Patres damnauerunt, nihil aliud quàm diuinationes & maleficia eſſe decreuimus: quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Chriſtianos vltra nolumus nominari; & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.*

Si deſit humanum conſilium. Quando tamen humanum conſilium non ſuppetit, licitum eſt has ſortes adhibere, cum bona ſpe fore a Deo ſingulari prouidentia moderandas, iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*. Hoc tamen faciendum cum magna reuerentia, & adhibita precatione vt Deus adeſſe & eas regere dignetur. Huc referri poſſunt exempla quædam ſuperius poſita de ſortione in oppugnatione oppidi, & in deligendo ſacerdote tempore peſtis, vel perſecutionis, & ſimilia: ſi tamen eo fine ſortes iaciantur vt diuina voluntas exquiratur: ſecus ſi euentus à caſu expectetur; nemo enim caſum conſulit. itaq; tunc ad diuinatorias referuntur. Item ſi diuina inſpiratione mittantur; ſicut dictum eſt de electione Saulis, & S. Matthiæ Apoſtoli. quo etiam pertinet exemplum, quod habetur Ioſ. 7. vbi iudicio ſortium inuentus eſt Achan, qui de anathemate aliqui à ſibi vſurpauerat. Simili modo deprehenſus eſt Ionas à nautis, Ion. 1. & quamuis hi ex inſpiratione diuina id non facerent, nec euentũ à Deo, ſed à dæmonibus expectarent. Deus tamen propter Ionam eas moderatus eſt.

Dico Tertiò, Diuinatorię ſortes omnino ſunt illicitæ: vn 61 de prohibentur c. 1. de ſortilegijs. & 26. q. 5. c. Sortes, c. 3. *Diuinatorię.* Peruenit. 8. c. Si quis Clericus. 3. cap. Contra. 18. c. Epiſcopi 12. quibus locis prohibentur ſortilegia, ſicut aliæ diuinationes & incantationes.

Ratio eſt, quia vel expectatur earum moderatio à Deo, vel à cælo, vel à caſu, vel à dæmone: atqui non eſt expectanda à Deo; quia non eſt probabile Deum illas ad præſignanda futura vel occulta aperienda temperaturum: nuſquam enim id promiſit; & euentus ſæpiſſimè contrarium oſtendit. Denique nulla eſt neceſſitas ordinariè tam peculiaris concurſus; vnde vanum eſt ſine alio fundamento illũ expectare. Nec à cælo, quia hoc eſſet actiones humanas à cælo ſuſpendere, & fato ſubijcere. non enim poſſunt ſortes euentis futuris vi cælorum & aſtrorum accommodari, niſi vel vtraque à cælo neceſſariò prouenirent, vel euentus ipſi cælo ſint prœcogniti, vt ſortes ijs poſſint aptare: quo modo Deus futura præſignare vel occulta declarare per ſortes poteſt. Non etiã à caſu moderatio earum expectatur: quia vt ſortes caſu ſic vel ſic cadunt, nihil præſignare poſſunt: ergo expectatur à dæmone: ac proinde dæmoni tribuitur futurorum prænotio, & ipſe tacito quodam pacto & conſenſu inuocatur, tum vt ſortes regat, tum vt effectum præſignatum procuret. Quod autem Agrippa lib. 2. occultæ philoſophiæ cap. 54. contendit, in anima humana eſſe ſufficientem poteſtatem ad ſortes dirigendas, præſertim ſi accedat cæleſtis opportunitas, id eſt, congrua conſtellatio, vanum eſt, & vnum ex magiæ fundamentis, vt infra dicemus cap. 44. dub. 2.

DVBITATIO X.

Quæ & quotuplices ſint vanæ obſeruationes, & quale in his peccatum.

D. THOM. quæſt. 69.

Vanæ obſeruationes dicuntur, cum aliqua fiunt vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec a Deo nec à natura vllam vim habent: item cum ex conſideratione alicuius euentus fortuiti conijcit quis aliquid proſperi vel aduerſi, & inde actiones ſuas moderatur. Harum tres ſunt ſpecies; ad quas omnes reduci poſſunt, vt ex D. Thoma colligitur, *ars notoria, obſeruantia ſanitatum, & obſeruantia euentuum*. *Ars notoria* eſt ratio quædam conſequendi ſcientiam infuſam per quædam ieiunia, inſpectiones figurarum, & ſimilia adminicula vana & ineffi caci a.

62 *Vanæ obſeruationes.*

Ars notoria.

Eſſe hoc peccatũ mortale cõſtat; quia ſaltem tacitè inuocatur diabolus, cui; attribuitur poteſtas infundendi animæ ſubitò habitus ſcientiarum; quod ſolius eſſe Dei docet D. Auguſtinus lib. 10. de ciu. c. 9. ex teſtimonio ipſius Porphyrij; cum enim hæ cærimoniæ non habeant illam vim à Deo, (ſi eam haberent, Eccleſia id non ignoraret) nec à natura rerum, quæ adhibeantur, nec ab aſtris; conſequens eſt effectum non poſſe expectari niſi à diabolo; cui proinde tribuitur poteſtas ſcientias animæ infundendi.

Eſt peccatum mortiferum.

Nec obſtat quòd aliqui repentè videantur opera diaboli ſcientiam Scripturarũ conſecuti, quod experientia quotidiana cõfirmat apud Anabaptiſtas ſumpto bolo deteſtabilis illius cœnæ; quia diabolus illos occupat, & per os illorum legit, Scripturas profert, & diſputat; eoſq; ita demẽtat vt ſe hęc omnia noſſe putent; quomodo quidam mania laborantes videntur ſibi valde ſapientes, & omnia ſcire: cuius ſignum eſt quòd redeuntes ad fidem Catholicam, recedente ſpiritu neqùam, fiant rudes, vt erant ante hæreſim. 63

Obſeruatio ſuperſtitioſa eſt; quando adhibentur aliqua verba, vel alia ſigna, aut cærimoniæ inanes ad hominum 64

Cærimoniæ vanæ.

vel

vel aliorum animalium curandos morbos, fiſtendum ſanguinem, mitigandos dolores; ad conſeruandam vitam vel valetudinem; ad ſe præſtandum immunem contra læſiones hoſtium, vel caſus fortuitos, & ſimilia. Huc item pertinet cum adhibentur quidem medicamenta naturalia, tamen ips aliqua friuola adiunguntur tamquam neceſſaria.

Amuleta. Eodem etiam pertinent omnia periammata, amuleta, breuia, inuolucra, reliquiæ, verba ſacra, preces deſcriptæ, quæ geſtantur à quibuſdam ne poſſint lædi, aut ne effluat ſanguis, aut ob ſimiles alios fines; ſi contineant aliquas circumſtantias parergas, tãquam neceſſarias. omnis enim circumſtantia inutilis, ſi tamquam neceſſaria adhibetur, facit vt opus ſit ſuperſtitioſum; cum enim illa non habeat vt cauſa, neceſſe eſt vt adhibeatur noſtat ſigni; quod cum non ſit à Deo, conſequens eſt vt ad pacta occulta cum dæmonibus pertineat. Quod confirm. quia effectus non poteſt expectari à vi naturali illius rei; nec etiam à Deo; qui talia nec per ſe nec per Eccleſiam miſcuit; ergo expectatur a

Imagines aſtronomicæ. malignis ſpiritibus. Eodem referendæ ſunt imagines aſtronomicæ ſub certa conſtellatione fabricatæ; vt ſi quis ſub ſigno leonis ſculpat in auro figuram Leonis, quam dicunt valere contra phantaſmata melancholica, hydropem, peſtem, febres, de quibus multa ſcribit Cornelius Agrippa li. 2. de occulta philoſophia à c. 35. vſque ad 48. vnde mirum eſt quid Caietano hoc loco acciderit in mentem venerit vt eas defenderet. certum enim eſt figuram illam leonis, arte impreſſam, non facere aurum illud magis idoneum ad influxum & impreſſionem ſigni Zodiaci, quod leonem vocant, ſuſcipiendam; quàm faceret figura bouis vel aquilæ. Itaque pertinet illa figura ad occulta pacta cum dæmonibus; qui viſo tali charactere, tali modo & cærimonia inſculpto, alliciuntur ex pacto à ſeipſis conſtituto ad præſtanda illa, ad quæ ex ipſorum diſciplina, & regulis homines perſuaſi ſunt ea valere. de quo plura cap. ſequenti dubit. 2. Deni-

Reliquiæ eſt certa perſuaſione effectus geſtata. que huc pertinet ſi quis aliquas reliquias, vel ſchedulas ſacris verbis aut ſigno crucis inſcriptas geſtet, cũ certa perſuaſione ſe propterea non poſſe lædi ab hoſtibus, aut mori ſine confeſſione, quia etſi nihil ſuperſtitionis admiſceatur exterius, animus tamen illis rebus ſuperſtitioſè vtitur; nẽpe ad effectum, quem neque natura ſua, neque ordinatione diuina habent, ſcilicet ad certam ſalutem animi vel corporis, &c.

De Saltatoribus. Sed difficultas eſt, quid dicẽdum ſit de quibuſdam quos Hiſpani vocant Saltatores; quorum quidam hac arte aliquot mẽſes multos milites grauiter vulneratos curabat. Primò faciebat tres cruces ſuper vulnus, dicendo Hiſpanicè, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: idq; cum quadam inhalatione. Deinde prolato vino & oleo dicebat Hiſpanicè: In nocte ſanctiſſimæ Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti beata Virgo ſalua virginitate peperit Dominum noſtrum. Per myſterium illud altiſſimum ſupplico diuinæ maieſtati, vt hoc oleum & vinum benedicere dignetur ad vulnerum curationem, per illorum ſanctiſſimorum verborum virtutem. Deinde applicabat vulneri, & breui admodum tempore ſequebatur curatio.

Reſp. De qua re conſultus reſpondi cum diſtinctione: vel illa virtus putatur annexa illi formulę verborum, ita vtà quocumque adhibeatur, effectum habeat: vel cenſetur annexa

Si forma per ſe efficax. perſonæ, ſic vt ab alijs eodem modo adhibita nihil operetur. Si priore modo ſe habeat, non dubito quin ſit vitanda tamquam ſuperſtitioſa. Non enim habet hanc vim à natura, vt ſuppono, & ſatis per ſe notum eſt: nec etiam à Deo, quia Deus nulla ſigna per ſe efficacia inſtituit præter Sacramẽta; & hæc non ad curationem corporum ſed animorũ: neq; etiam ab Eccleſia, vt conſtat; quia Eccleſia talẽ modum curandi non inſtituit, imò nec inſtituere potuit: quia non poteſt ſigna per ſe efficacia inſtituere præſertim ad effectus corporales. Vode etiam ſacramentalia non habent vim niſi per modum impetrationis ad obtinendum à Deo aliquod auxilium gratiæ præuenientis, vel diuinæ protectionis aduerſus dæmonũ infeſtationes, & ſimilia incommoda. quò fit vt ſæpè non habeant effectum. Accedit quòd illa debeãt ab Eccleſiæ miniſtris, & nomine Eccleſiæ applicari.

Supereſt ergo, vt habeant vim ex inſtitutione & occulto pacto dęmonis inuiſibiliter concurrentis, & ſanantis homines remedijs naturalibus, quæ ipſe optimè nouit. Nam ſubditò vulnera curare nõ poteſt nec alijs adminiculis rerum naturalium, vt herbarum, liquorum, foſſilium & liquilium. Sed quia poteſt ipſe vim & quintam eſſentiam (vt vocant) facilè ex illis extrahere, & aptiſſimè applicare nemine aduertente, fit vt breuiori tempore, quam vlli medici curare poſſit.

Si efficacia eſt in perſona. Si verò ſecundo modo formula illa ſe habeat; nõ auſim condemnare ſuperſtitionis. Primò, quia in omnibus ſignis à dæmone inſtitutis, quæ ex pacto illius operantur, vis operandi eſt annexa ipſis ſignis immediate; ita vt à quocumq; applicentur, eumdem effectum habeant, modo applicatio cum tali animo fiat. Diabolus enim cupit cum omnibus concurrere, qui ipſius ſigna adhibent, vt omnes ſibi obliget. Quòd ſi effectus aliquando non ſequatur, id prouenit, vel quia ſigna ex præſcripto ipſius nõ applicantur, vel aliqua conditio vel pactũ ex parte perſonæ deeſt, vel quia diuinitus impeditur. Secundò, quia conſtat quibuſdam a Deo concedi gratiam curationum, eamque non auferri etiamſi malæ ſint vitæ. Itaque præſumi poteſt, iſtum de quo agitur hac gratia eſſe præditum, ſi nihil quod aperte ſit ſuperſtitioſum, in vſu illius deprehendatur. At hic nihil tale videtur adhiberi. Nam verba illa nihil continent præter inuocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, confeſſionem natiuitatis ex beata Virgine, & inuocationem diuinæ virtutis per myſterium ſanctiſſimæ Natiuitatis Domini ſuper oleum & vinum ad curationem vulnerum. Illud autem poſtremum; *per virtutem illorum ſanctiſſimorum verborum*: poteſt ſano modo intelligi, nimirum de virtute rei ſignificatæ, non autem de virtute quæ annexa ſit ſono verborum. poſſent etiam illa verba mutari in alia magis aperta. Similiter ſignum crucis non poteſt eſſe ſuſpectum, niſi aliqua parerga ei commungantur.

Inhalatio. Solum difficultas ſupereſt, de inhalatione ſuper vulnus. At hæc nõ videtur omnino damnanda, quia illa poteſt habere peculiarem vim etiam naturalem, huc naturalis ordinis ad talem effectum ratione temperamenti perſonæ, vel occultæ proprietatis quibuſdam diuino munere inſitæ: vt colligitur ex Francisco Victoria, Relectione de arte Magica, num. 16. & confirmat exemplis ex Plinio de Pſyllis & Marſis. Scribit enim Plinius lib. 28. hiſtoriæ naturalis cap. 3. ſuiſſe Pſylios in Africa, & in Italia Marſos, ex quorum familia qui deſcendebant originem, tales fuiſſe, quorum corpora tactu ipſo ſuctuque modico leuabant percuſſos à ſerpẽtibus, & manu impoſita corpori venena extrahebant. illos verò fuiſſe quorum corpora ſolo aſpectu erant terrori ſerpentibus; & quemdam in dolium conjectum experimenti cauſa circummulcentibus linguis illæſum penitus extitiſſe. alios itẽ quorum ſudor medebatur multis morbis; alios quorum ſaliua contra ictus ſerpentis valeret, &c. Idem li. 7. c. 2. docet aliquando aliquas partes humani corporis naſci ad aliqua mirabiles. ſicut, inquit, Pyrrhi regis pollex in dextro pede tactus lienoſis medebatur. Poſſem alia plura referre ex Cardano. Crediderim tamen hæc non eſſe ita naturalia, vt ex temperamento ſequantur; ſed pertinere ad occultas proprietates diuinitus inſitas, vel dona quædam quæ dicuntur gratis data, & referri aliquo modo poſſunt ad gratiam ſanitatum, conceſſa in commodum hominum quibuſdam locis, maximè vbi id erat neceſſarium: vt de Pſyllis ſcribitur, quorũ regio ſerpentibus abundat. Sic quidam habent gratiam curandi lumbricos, quam paſſim habere putatur maſculus, qui ſeptimo loco continuato ordine naſcitur. Sanè non eſt dubitandum, quin Deus poſſit quibuſdam hominibus vel familijs eam vim concedere, vt ſuo tactu vel halitu vel odore poſſint aliquos morbos curare, ſanguinem ſiſtere, ſpiritus euaneſcentes cohibere, partem læſam corroborare, venena extrahere, & ſimilia. Quare etſi gratia ſanitatum plenè alicui conceſſa, ſicut erat collata Apoſtolis, & alijs miraculorum patratoribus, non ſit alligata iſtis externis actibus: tamen collata ſolum ex parte, vel ad certum morbum, poteſt eſſe alligata externis actibus tamquam inſtrumentis neceſſarijs. Sic Reges Galliæ non curant lumbricos, niſi contactu loci affecti, & Marſi ac Pſylli non niſi contactu curabant. Omitto curationes mirabiles ad S. Hubertum. Ob has rationes videtur mihi iſtæ vſus poſſe permitti, niſi alia aliqua, quæ putentur ſuperſtitioſa, intercueniant. Idque maximè quod auctores Hiſpani, qui de illis ſcribunt, & optimè res illas norunt, vt pote apud quos ſunt vſitatæ, non audeant damnare, & dicant poſſe permitti. Ita Franciſcus a Victoria ſupra, cum diceret ſe dubitare, & aliqua attulit ſic in contrarium, nimi-

De Marſis & Pſyllis.

ſum

rum tales curatores sæpè esse malæ vitæ, vnde verendum ne sint impostores,& effectus potiùs sit a dæmone quam a Deo; statim subdit: Hæc dico non definiendo: nam gratiæ dantur propter bonum commune fieri potest vt Dominus illam misericordiam velit imperiri hominibus per illos, qualescumque illi sint. Deinde alio modo excusat exemplo Psyllorum & Marsorum. Nauarr. cap. 11. num. 36. absolutè dicit illos licite posse fungi suo munere, quia est gratia gratis data; & citat Margaritam confessorum. Idem fusè docet noster Azor. lib 9. moralium. cap. 25. quæst. 2. allatis exemplis Plinio de Psyllis & Marsis.

Petes, Quale peccatum est in huiusmodi obseruantijs?

64 Respondeo, earum vsum ex genere suo esse peccatum mortale, maximè quando opus externum superstitiosum est. Ratione tamen ignorantiæ & bonæ fidei plerique excusantur a mortali; nisi ignorantia sit valdè crassa, vel adsit dolus; vt si moniti a Parocho vel alijs, quibus tenentur credere, nolint desistere, vel suborto dubio non inquirant. vide Nauarrum cap. 11. num. 33.

65 *Obseruantia euentuum* est, quando fortuitò aliquid occurrit vel accidit homini, ex quo sibi vel alteri aliquid aduersi vel læti coniectat: & inde actiones suas moderatur. vt si quis manè domo egrediens, pedem offendat, ideòq; domum reuertatur, putans vel metuens iter infaustum fore: si calceos induës iterruret, & idcircò lectũ repetat vt omẽ auertat: si egresso foras prima occurrat virgo, & idcirco putet diem fore sterilem; prosperum verò & fœcundum, si mereatur. Vide hæc & plura exempla apud D. Augustinum lib. 2. de doctrina Christiana cap. 20. & Chrysost. hom. 11. ad populum Antiochenum. Sic occursus vulpis, & canis prægnantis, vel Aethiopis censebantur *infortunati*. Similiter quidè putant dies aliquos *infortunatos*; vnde nihil illis aggredi audent; alios fortunatos. quo pertinẽt quidã Canones superstitiosi ad rem medicã pertinentes, quales multos habet Ioannes de Indagine libro 4. vt, non abluendum caput diebus Martis: ad tubuẽtionem hypochõdriorum dies auspicatos esse Iouis, Lunæ & Solis, inauspicatos, Martis & Mercurij: natis in leone, infaustos esse die Iouis & Saturni: & similes næniæ sine iudicio confictæ. quasi verò planetæ celestes dies illos peculiariter sibi vindicent, quibus suas vires effundant, quomodocumque calendaria ab hominibus disponantur.

Obseruantia euentuum.

Notandum est hunc modum superstitionis esse valdè affinem diuinationi; differt tamen in duobus. Primò, Quòd in diuinatione homo de industria quærat signa vnde diuinet; hic verò non quæruntur, sed coniectura capitur ex ijs, quæ fortuito incidunt. Secundò, Quòd ibi quæratur principaliter notitia; hic verò directio operationum. Est autẽ hæc obseruatio peccatum mortiferum ex genere suo: sæpè tamen est veniale, ratione ignorantiæ & bonæ fidei. homines enim communiter non apprehendunt in his quidquã mali, sed vtuntur tamquam regulis a maioribus traditis, & experientia comprobatis, & ad causas sibi ignotas referunt, vt docet Caietanus ver. Superstitio obseruationum. Addit Caietanus, posse hominem quandoq; absque omni peccato ex aliquo præsagio cauere prudenter ab imminentibus, dubitando ne præiens occursus sit signum futuri, ex communi vtriusque causa, cælesti vel diuina; vt si quis cadens corporaliter, timeat aliquem casum sibi futurum in statu vel honore. Idem sentit in obseruatione somniorum, & diuinatione. Sed hoc limitandum potest fieri, quando adsunt circumstantiæ, ex quibus tale quid prudenter vel rationabiliter timeri aut suspicari possit. alioquin a peccato veniali excusari non potest: nam est gradus quidam ad superstitiones, & ad mentem curis vanis implicandam.

66 *Discrimen inter diuinationem & vanam obseruationem.*

Est peccatũ mortiferum.

CAPVT XLIV.

De Magia. *Constat Dubitationibus 6.*

DVBITATIO I.

Quid sit magia & quotuplex.

REQVITVR *Magia*, quæ est quarta species superstitionis, per quam mira quædam & insolita ab hominibus fiunt, dæmonum opera. Accipitur hoc nomen aliquando generaliter; & ita duplex distinguitur *Magia, naturalis, & superstitiosa*. *Naturalis* est ratio

1 quædam operandi mira per causas naturales, absque dæmonis opera. Huius extant multæ regulæ & exempla apud Cardanum de varietate rerum, Alexium Pedemontanum, Baptistam a Porta, & alios; qui tamen auctores quædam superstitiosa passim admiscent. Et quamuis hæc *magia* per se mala non sit, tamen est periculosa; quia ingenia humana rebus curiosis & inutilibus implicat, & magis curiosa reddit, ac sensim ad magiam superstitiosam introducit: nã sub specie occultæ operationis naturę, diabolus facilè se admiscet, & ita occultę virtuti causę naturalis attribuitur, quod ipsius prestigijs agitur. Vnde videmus maximos quosque magos velle haberi tantum professores magię naturalis, & omnia sua conari tegere imagine quadam occultę virtutis naturę. etsi enim interdum quasdam causas naturales adhibent, hę tamen vel nihil prorsus valent ad effectum intẽtum, vel insufficientes sunt, & sic necesse est quędam signa, quę ad magiam superstitiosam pertineant, adiungere. quare meritò D. August. libro 8. de ciuit. capit. 19. dicit, *omnia miracula magorum, doctrinis sunt & operibus dæmonum.* & Apuleius apud August. eodem lib. cap. 16. dicit, *ad dæmones pertinere diuinationes augurum, haruspicum, vatum atque somniorum: ab his quoque esse miracula magorum.* & Lactantius libro 2. diuin. instit. capit. 17. dicit, *inuenta dæmonum sunt astrologia, haruspicina & auguratio, & ipsa quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica*, & capit. 14. *magorum ars omnis & potentia horum adspirationibus constat.* Idem docet Ioannes Franciscus Picus lib. 7. de prænotione rerum ca. 2. Omnes itaque libri, qui magiam naturalem tradunt, suspecti habendi sunt, & tamquam periculosi vitandi iuuenuti.

Diplex magia.

Magia superstitiosa est Ratio quędam operandi mira per signa ope dæmonum. sicut enim magia naturalis vtitur causis naturalibus, ita hęc vtitur signis, quæ sunt causę morales: his enim ex pacto allicitur dæmon vt faciat quod magus petit, & sic ipsa signa facere videntur. vnde D. August. lib 21. de ciuit. capitul. 6. *Illudunt dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus creauit, non vt animalia tibi, sed vt spiritus signis, quæ cuiusque delectationi congruunt, per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum.*

2 *Magia superstitiosa.*

Instituta autẽ sunt hęc signa & tota disciplina primum a dæmonibus, vt ibi. August. docet. *Neque enim potuit*, inquit, *nisi ipsis docentibus discI, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur; vnde magica artes, earumque artifices extiterunt.* Vbi tamen aduerte, dæmones non delectari signis per se spectatis, sed quatenus illis honorantur, aut ab eorum instituto pendẽt. hoc modo intellige August. inum. Idem luculente Euseb. lib. 5. de præparatione euang. cap. 7 ex Porphyrio, & Cyprianus oratione de idolorum vanitate. Vnde parum refert quis inter homines inuentor primus, seu primum instrumentum per quod diabolus mundo hanc pestem infudit, extiterit. Gregor. Turonensis li. 1. hist. Frãcorum c. 6. scribit Cus primogenitum Cham diabolo imbuẽte fuisse totius magicę artis inuentorem, quem Persę ad se venientem vocauerũt Zoroastrem: hunc igne cęlesti consumptum, ab ipsis pro Deo habitum. D. Clemens lib. 4. recognitionum, putat etiã ante diluuium viguisse, & post diluuium a Chamo traditã filio Mizaim, a quo Aegyptij, Babylonij, & Persę genus ducunt, qui his artibus maximè dediti fuere. Hunc appellatum Zoroastrem communior opinio est, quam refert

Est a dæmonibus instituta.

fert D. Augustl. lib. 21. de ciuit. cap. 14 Zoroastrem inuentorem magicæ artis Regem Bactrianorum, vixisse temporibus Ninj Regis Assyriorum, a quo & bello superatum; hunc solum in lucem editum mox risisse.

Hæc magia duplex est, vel potius duplicem finem habet: 3 vel enim refertur ad ostentationem aliudve commodum suum vel alienum; & sic vocatur nomine communi magia vel refertur ad aliquam noxam inferendam alteri, & proxime dicitur maleficium aut veneficium qualis est, quæ vulgo dicitur fattiaria. Græci hanc vocãt φαρμακείαν, idest veneficium; illam θαυμαστὰ, quasi dicas diuinam operationem, & τερατουργίαν, id est, operationem portentorum, & rerum mirabilium. De magia & alijs superstitionibus scripserunt eruditè nostri Bened. Pererius & Mart. Delrio, ille breuiter, hic copiosissimè. nobis satis est fundamenta aperire & selectiora dumtaxat persequi. qui plura volet, ab illis petat, licet.

DVBITATIO II.

Quæ sint magiæ fundamenta.

4 DIABOLVS, vt non statim appareret ipsum esse operum magicorum auctorem, & vt facilius hominibus curiosis hanc artem commendaret, excogitauit quædam principia & fundamenta, quibus positis, hæc ars videretur licita, & in naturalium rerum concursu, cooperatione, sympathia & antipathia fundata.

1. *Fundamentum magorum.*

Primum est, Mundum & singulas mundi partes esse animatas anima intelligente, quæ & ipsis vitam tribuat, & vim intelligendi & sentiendi habeat. Secundum, Nomina deorum & dearum, vt Iouis, Iunonis, non esse nomina malorum dæmonum, sed animarum illarum naturaliũ. quatenus enim quæque animarum illarum habet vim intelligendi, eatenus vocari nomine masculino: quatenus aut animat corpus, femmino Iunonis Plutonem & Proserpinã, nihil esse aliud quam animam terræ, quatenus duplicem illam vim habet: Neptunum & Thetym, animam aquæ: Iouem fulminatorem, & Iunonem auram aeris: Phaetontem & auroram, animam ignis: Bacchum Musas & nouem Bacchos, esse animas nouem cælorum, animas septem planetarum significari nomine Saturni, Iouis, Martis, Solis, &c. quibus etiam alia nomina & epitheta tribuunt. vocant enim Saturnum patrem deorum, dominum temporis, dominum altum, magnum, sapientem, arcanæ contemplationis auctorem, absconditorem, custodem & ostentorem, auctorem vitæ & mortis. Lunam vocant Dianam, Lucinã, Proserpinam, Hecatem, reginam cæli, summam numinum, reginam manium, elementorum omnium dominam, rectricem mundi, calcantem tartarum, &c. similia plurima epitheta diuinitati propria ceteris tribuunt.

2. *Fundamentum magorum.*

Hæc duo fundamenta excogitata sunt, vt quando magi expressè inuocant dæmones, non videantur ipsos inuocare, sed animas stellarum, vel elementorum, quas dicunt esse bonas virtutes, a Deo in ministerium & vtilitatem hominis, qui illis vti nouerit, per mundum distributas.

5 *Refutatur primum fundamentum Elementa nõ esse animata.*

Sed hæc omnino vana sunt: Primò, Absurdum enim est dicere terram, aquam, aerem, ignem, esse animata anima rationali & sentiente, si enim habent animam sentientem, etiam debent habere vegetantem, quæ sentienti subseruit, & sanguinem, spiritumque illius functionibus suppeditat. debent etiam habere organa suis figuris & temperamentis distincta. non enim potest esse sensio sine organo conuenienti; vt Aristoteles libro secundo de anima probat, & omnia sententia nobis nota declarant. Item si illa anima intelligit, bruta, plantæ, saxa & metalla non solum sentient, sed etiam intelligent: erunt prædita sapientia, scientia, arte, prudentia, tenebunt logicam, physicam, metaphysicam; mathesim, theologiam, & similia, quę nullius sanæ mentis dixerit. Rursus, partes elementorum dum separantur a toto, vel retinent animam, & sic erunt innumerabiles animæ in singulis elementis; vel amittunt eam, & rursus vnitæ toti recipiunt: & sic morientur assidue, & resurgent. Denique illæ animæ cum sint intelligentes, erunt liberi arbitrij; ergo iustæ vel iniustæ, beatæ vel miseræ, in via vel in termino; quorum nihil probabiliter dici potest. Secundò, Absurdum etiam est cælum & stellas animatas ponere: est enim contra communiorem sententiam SS. Patrum & Theologorum, & numeratur à D. Hieronymo epistola ad Pammachium, & Auitum, inter errores Origenis. Nicephorus etiam lib. 17. hist. 28. inter anathematismos, quos Synodus 5. Constan. contorsit in Origenem, ponit etiam hunc, *Si quis dicat cælum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ supra cælos sunt, animatas quasi animas esse, & materiales virtutes, anathema sit.* Eadem sententia erroris damnata est à Facultate Parisiensi, tamquam occasionem idololatriæ præbens. Vnde Conradus Vuimpina lib. de superstitione cap. 7. & 8. docet, diabolum philosophis inseruisse opinionem de anima mundi, vt cultum diuinum tribuerent creaturæ & partibus mundi. Hinc ferè omnes Platonici vel magi fuere vel magiæ fauere; adeo vt etiã Marsilius Ficinus ab hac pestе non fuerit omnino immunis, vt patet ex lib. 3. de vita cælitus comparanda. 6 *Stellas non esse animatas.*

Præter rationes prædictas, quibus illud refutari potest, 7 hæc vna sufficiat, quòd sacra Scriptura & Religio Christiana nullas agnoscat creaturas rationales præter homines & Angelos. Si alię essent, non deberent ignorari, cum ad eamdem societatem pertineant.

Nec obstant quędam locutiones Scripturæ, vt docet Damascenus lib. 2. de fide orthodox. cap. 6. in fine, sic scribens. *Nullus etiam cælos aut luminaria arbitretur animata; inanima enim sunt & insensibilia; quare si Scriptura dicit. Lætentur cæli & exultet terra; Angelos qui sunt in cælo, & homines, qui in terris ad lætitiam vocat. Nouit etiam Scriptura prosopopœia uti, & de rebus inanimis tamquam animatis differre; vt. Mare vidit & fugit, &c.* *Ad rationes in contrarium.*

Similiter non obstat quòd quidam Patres cęlo animã & spiritum tribuere videantur; quia intelligunt animam assistentem, non informantem, quæ nihil est aliud, quàm intelligentiæ motrix cæli, vt Peripatetici loquuntur. Vide D. Thomam 1. p. quæst. 70. art. 3. & comment. nostrum Conimbr. in lib. 2. de cælo cap. 1. quæst. 2.

His adde, Etiamsi essent tales animæ, parum tamen iuuare posse magicas operationes; tum quia alligatæ essent suis corporibus, nec rebus humanis possent interesse, tum quia non possent iuuare nisi per virtutes aliorum, nimirum per lumen & influentias, (si tamen præter lumen & calorem sunt influentiæ) quæ minimè ad effectus magicos sufficiunt. Præterea vel illæ animæ essent bonæ vel malæ; si bonæ, non vellent iuuare ad opera vana & noxia, qualia ferè sunt magorum: si malæ, quid opus est ad illas confugere, cum dæmones ad iuuandum in huiusmodi sint paratissimi?

Ex his patet, nominibus illis non animas inuocari, quæ nullæ sunt, sed dæmones, qui se fingunt esse animas stellarum & elementorum, vt sub his nominibus ipsi colantur.

Tertium fundamentum est, Præter Angelos bonos & dæmones malos esse multa genera dæmonum bonorum, quorum alij sint cælestes, & præsint stellis, & animabus illarũ: alij elementares; ex quibus alij sint ignei, alij aerei, alij aquatici, alij terreni. Ita tradit Agrippa lib. 3. cap. 16. Eadem est sententia Platonicorum. 9 *3. Fundamentum.*

Sed est contra Scripturas, & Ecclesiæ doctrinam, quæ nullos dæmones nisi malos agnoscit. vide D. August. lib. 8. de ciuit. cap. 13. & 14. & sane si boni sunt, quomodo iuuãt ad opera vana, & curiosa, ad ostentationem, ad maleficia? quomodo homines decipiunt, & in varias fraudes impellunt? si boni, cur magia sub pœna mortis in veteri Testamento prohibita? cur damnata ab Ecclesia? cur olim proscripta a Repub. Romana? Natum enim euangelio illucescente Respub. Romana, etsi perstiterat in infidelitate & cultu idolorum, tamẽ magiam cœpit cognoscere esse perniciosam, & malorum spirituum auxilio subnixam; vt ex gestis Martyrum constat, & L. 2. C. de maleficis & mathematicis.

Quartum fundamentum est, Animam humanam, quando in magnum desiderium exardescit, habere sufficientem 10 potestatem ad imprimendam verbis, scripturis, imaginibus, & characteribus vim quandam, quæ naturaliter efficax sit & energiam habeat ad effectum desideratũ; modo illa proportionem quandam ad hunc effectum habeant; quæ in eo significando sita sit, v.g. si alicui velis inferre noxam aliquam, adhibenda sunt verba, vel alia signa, quæ noxam illã aliquo modo designent: si concitare ad amorẽ debent 4 *Fundam.*

bent ea adhiberi, quæ amorem significent, depictis duobus seſe mutuò complectentibus, vel alia ratione: ſi ad odium, duobus inter ſe pugnantibus.

5. *Fundam.* Quintum eſt, imagines & characteres ſiderum, & ſigno rum cæleſtium ſub congrua ſibi conſtellatione fabricatos; concipere vim ſiderum, ad occultos & mirabiles effectus; ad quos ipſa ſidera valent. Hæc duo fundamenta excogitata ſunt ad perſuadendum, omnes incantationes, adiurationes, characteres, & ſigilla, quæ ab ipſis adhibentur, naturaliter operari per vim, ipſis à ſideribus, vel ab ipſa anima impreſſam; atque adeò omnem operationem magorum per ſigna, eſſe naturalem.

11 *Refutantur hæc duo fundam.* Sed hæc omnino vana eſſe, nec vlla probabili ratione niti, conſtat ex philoſophiæ principijs. Primò, Quia anima imaginando uel deſiderando non poteſt res externas alterare, aut illis aliquam qualitatem imprimere: nam actiones illæ ſunt immanentes, quæ nullum effectum in rem ſeparatam producunt. poſſunt quidem cõcitari ſpiritus & humores, ſed hæc ipſi ſubſint animæ ſunt præſentiſſima, & naturalem ad illam ſubiectionem habent. quod autem magi dicunt eſſe ſimilem ſubiectionem & obedientiam rerum externarum ad animam, quando vehementi deſiderio fertur, eſt contra rationem, & omnem experientiam, & contra illud Domini, Matth. 6. *Nemo poteſt ad ſtaturam ſuam adijcere cubitum unum.* & Matth. 5. *Non potes unum capillum album facere aut nigrum.* ſi non poſſumus rem tam cõiunctam mutare; quomodo rebus externis vires effectrices imprimere?

Secundò, Verba non ſunt capacia talis virtutis; nam in ſubſtantia nihil ſunt aliud quàm voces & ſoni meri; quibus nihil magis euanidum, aut ineptum ſtellarum virtutibus, aut alijs qualitatibus excipiendis. Vnde ſicut vox non poteſt eſſe proprie alba aut nigra, (alio enim ſenſu Græci φωνὴν λευκὴν & Latini claram dicunt) lucida aut tenebrola, calida aut frigida; ita nec accipere vires a ſtellis vel anima impreſſas, quibus corpora immutet. ſed nec ſignificatio quidquam ad hoc iuuare poteſt: quia nihil in ipſis vocibus ponit, cum ſolum ſit denominatio extrinſeca ab inſtitutione hominis, quæ præterijt. Vnde ridiculum eſt in vocibus requirere ſignificationem effectus, vt poſſint virtutem phyſicam ad effectum illum producendum recipere.

Idem dicendum de aliorũ ſignorum ſignificatione cùm enim hæc nihil ſit aliud quàm extrinſeca quædam rationis ordinatio vel relatio circa vocẽ facta, non poteſt vllo modo eſſe diſpoſitio ad aliquam qualitatem realem ſuſcipiendam; nec iuuare quidquam ad phyſicam actionem, ſed ſolùm ad moralem, quæ ſit alliciendo naturam intelligentem ad aliquid ex pacto efficiendum. Itaque pertinent omnia illa ſigna & ſignificationes ad pacta quædam cum ſpiritibus malignis, vt ſæpè oſtendit D. Auguſt. libro 2. de doct. Chriſt. cap. 21. & ſequent.

Tertiò, Etſi anima aliquid imprimeret illis ſignis; id tamen ſtatim euaneſceret, nec poſſet hærere & diu operari: at ſigna magica diutiſſimè vim habent. Deniq; non poſſent operari in res valdè diſtitas; quod tñ ſigna magica præſtãt.

12 *De imaginibus & characteribus aſtronomicis.* Vaniſſimum etiam eſt quod de imaginibus & characteribus aſtronomicis docent: vt cùm dicunt imaginẽ leonis inſculptã auro, ſole exiſtente in prima facie leonis, (id eſt, in aliquo ex decem primis gradibus illius ſigni) & manè exoriente concipere vim contra phantaſmata melancholica, hydropem, peſtem & febres. Eamdem, ſi fiat ſole in corde leonis exiſtente, & medium cæli obtinente, accipere vim contra calculum & nephriticos dolores, & alia huius generis innumera, quibus eorum libri ſunt pleni.

Hæc vana eſſe, Probatur Primò, Quia ipſa altra tales vires non habent, vel ſi habent, non conſtat quænam ex omnibus illa ſint; hoc enim nulla experientia deprehendi põt. Secundò, Etiãſi conſtaret quænam altra hanc vim habeãt, tamen ea ab hominibus ſeorſim cognoſci, colligi, & veluti ſeorſim connaſari non poteſt. nam omnia agunt in omnem partem, & effectus inter ſe miſcentur; vnde nullius altri mera & ſincera virtus colligi poteſt. Tertiò, Si quam vim habent, eam potiùs imprimunt herbis, lapillis, & metallis, in quæ longo temporum tractu aſſiduè agunt; quàm rebus arte factis, quæ ad breue tempus illis obijciuntur. Item ſi quid illis imprimerent, id ſtatim euaneſceret; nec poſſet ad vſum adhiberi. Quartò, Figura arte impreſſa nõ eſt idonea diſpoſitio ad qualitatem, aut virtutẽ phyſicam excipiendam: videmus enim ignẽ, ſolem, & alia æquè agere in aurum, vitrum, & ſimilia ſubiecta, qualiſcumque demum figura in illis deſcripta ſit. vnde ſæpè Ariſt. docet, res mathematicas abſtrahere a materia ſenſibili. Itaque ſuperſtitioſum eſt inſculpere formam leonis, ſcorpij, aut alterius animalis, vt poſſit excipere vim illius altri, quod tali nomine ab hominibus vocatur. Quintò, In cælo non ſunt tales figuræ, quales ponunt mathematici, ſed illæ confictæ ſunt ex aliqua confuſa & rudi ſimilitudine diſpoſitionis aſtrorum cum tali figura, vt omnia altra 48. figuris ieu alterißmis poſſint comprehendi & exprimi. Itaque non magis eſt ibi imago leonis quàm vulpis, virginis quàm aſini, aricis quàm lupi, ſcorpij quàm catuli, & ita de ceteris. potuiſſent enim hæc alijs rebus aſſimilari, ſi mathematicis placuiſſet. Simili modo ponunt: 6. facies in Zodiaco, quas mirificè deſcribunt, & miram vim habere aſſerunt. Ex quibus perſpicuum eſt ad excipiendam virtutem leonis cæleſtis, non magis valere imaginem leonis terreni, quàm bouis vel hominis: idemque dicendum in ceteris: vt mirum ſit Caietanum quæſt. 96. art. 2. potuiſſe in mentem inducere huiuſmodi imagines aliquid valere. refutat eaſdem D. Aug. lib. 10. de ciuit. cap. 11. & D. Tho. quæſt. 96. art. 2. & lib. 3. contra gentes, cap. 105.

Adde, his imaginibus interdum adiungi alios characteres; interdum etiam illis adhiberi ſuffitus ex thure, galbano, ſtorace, aloe, & ſimilibus, vt vim habeant; quod eſt mera idololatria. *Alia carimonia adhiberi ſolita.*

Ex his patet, effectus & operationes magorũ non poſſe per hæc fundamenta reduci ad cauſas naturales. quare cùm alia non habeant, ſupereſt eas referendas ad malorum dæmonum opem, cum quibus plerique eorum etiam expreſſa pacta contrahunt.

DVBITATIO III.

Quomodo cognoſci poterit an aliqua operatio, ad magiam pertineat, & quibus indicijs ſpiritus redeuntes diſcerni.

13 *Tribus modis id cognoſcitur.* RESPONDEO, Id tribus modis cognoſci poſſe. Primò, Ex conditione cauſarum, quæ adhibentur. Secundò, Ex conditione operationis. Tertiò, Ex conditione effectus.

2. Ex conditione cauſæ. Quod ad primum attinet. Ipſa conditio & qualitas cauſa iudicat magiam; Primò, Si expreſsè inuocetur diabolus. Secundò, Si preces adhibeantur, quibus falſa permixta ſunt, vt Chriſtum habuiſſe febres, & ſpaſmum. Tertiò, Si verba exotica. Quarto, Si characteres, imagines, ſigilla. Quintò, Si ligaturæ, ſi ſpecula, vnctiones, & ſimilia, præter Eccleſiæ morem: cùm enim effectus ad quem diriguntur, non poſſit expectari ex virtute talium cauſarum, vt quæ nullam in ſe habeant: nec etiam à Deo, cùm nec ab ipſo, nec ab Eccleſia, quæ ſpiritu Dei regitur, ſint inſtituta, imò ab ipſa Eccleſia reprobentur; ſequitur eum expectari a malignis ſpiritibus, qui huiuſmodi rebus tamquam ſignis alliciuntur ad præſtandum id, ad quod ipſi ea inſtituerunt. itaque omnia illa ſunt magicæ illecebræ, & tacitæ dæmonum inuocationes. Nec obſtat, quòd interdum nihil nili verba ſacra, aut verſiculus alicuius Sacræ Scripturæ adhibeatur; quia talis verſiculus non dirigitur ad Deum, nec eo ſenſu profertur, quo ſacer eſt; ſed animo prophano, vt aliquis effectus vanus, vel alius, ad quem ex Dei vel Eccleſiæ inſtitutione non valet, prouenat. Sic illo verſiculo, *ecce fugam mam tuã*, quidam vtuntur ad luxationes equorum curandas: & illo, *in chamo, & freno*, &c. ad ſopiendos canes. Itaque implicitè diriguntur ad dæmonem, qui etiam in rebus ſacris ſua ſigna inſtituit, vt & homines facilius decipiat, & Deo maiorem contumeliam faciat. *Dæmon aliquando in re ſua ſacras ſua ſigna conſtituit.*

3. Ex conditione operationis. Secundò, Ex conditione operationis; vt cùm repentè curatur equus vel homo, abſque diuino miraculo; cùm breuiſſimo tẽpore multa miliaria conficiuntur; cùm operatio ad rem valdè diſtantem ſe extendit; vt ſi hic purgatur imago cerea Petri, & ille alibi doloribus conficiatur. 14

3. Ex conditione effectus. Tertio, Ex cõditione effectus, ſi hic induſtriam humanã ſuperet: ſunt autem huiuſmodi complura, quæ a magis operæ dæmonum, vel reipſa vel in ſpeciem fiunt, poſſuntq; reduci ad tria genera. Vel enim fiunt circa elementa; vel

circa alia corpora, præſertim hominum aut animalium; vel circa animas & ſpiritus-quæcumq. autem exhibent reipſa, poſſunt etiam exhiberi in ſpeciem per præſtigium.

Circa elementa quid poſſint.

Circa elementa excitare poſſunt tempeſtates, grandines, tonitrua, fulmina, ventos, ipſique lædere & euertere arbores, ſegetes, animalia, ædificia, & ſimilia; vt experientia quotidiana docet, & ex lib. Iob cap. primo, eurdenter colligitur. non enim difficile eſt illis ſpiritibus nubes alijs in regionibus collectas, & ventos alibi ſpirantes, huc vel illuc, quò Deus permiſerit, impellere, ibique ſiſtere, ſi ripare, collidere. Simili modo poſſunt facere inundationes, terræmotus, ruinas ædiũ, repentina incendia, & ſimilia, ſi Deus id illis permittat. poſſunt excantare ſegetes, ſeu transferre ex agro in agrum, quod olim videtur fuiſſe adeò frequens, vt legibus duodecim tabularum apud Romanos vindicari debuerit. poſſunt transferre arbores & pomeria integra; idque vel ſingula tranſplantata, vel ſuperficie terræ ad certam altitudinem ſimul abrepta & translata. Vnde Plinius lib. 17. cap. 25. dicit, *ſuo tempore Veſtij Marcelli clunetum vniuerſum cum ſubitam tranſpoſuit, & arua inde è contrario in loca oliueta profecta*. Neque hoc mirum videri debet; poſſunt enim plurimi ſimul ad huiuſmodi opus concurrere.

15 *Circa corpora hominũ, An fagæ reipſa tranſferantur.*

Circa corpora hominum & animalium: Primo; Poſſunt ea celerrimè transferre de loco ad locum; ſunt enim & ipſi celerrimi & potentiſſimi, quibus nulla potestas ſuper terram comparari valeat, Iob 41.

Hic tamen Notandum eſt, non deeſſe qui negent fagas reipſa transferri a dæmone, & eas, quæ ſe putant transferri ad conuentus, dicunt decipi. hanc enim translationem & cetera, quæ in conuentibus fagarum fieri videntur, vt conuiuia, tripudia, adorationes dæmonis, nefarios concubitus, & ſimilia, non fieri reipſa exteriùs, ſed ſolùm in imaginatione: ſopiri enim ipſas, & dæmonem hæc omnia facultati phantaſticæ ita repræſentare, ac ſi reipſa fierent, ita vt illæ mulierculæ ſibi perſuadeant ſe hæc omnia reipſa egiſſe: quo ſe confirmant exemplis quarumdam, quas conſtat ſopitas fuiſſe, quæ tamen poſtea excitatæ narrabant ſe mira feciſſe & vidiſſe.

Sententia perniciosa.

Sed hæc ſententia falſa eſt, & Reipubl. perniciosa. Falſa; Primò, Quia repugnat innumeris experientijs, & exemplis eorum, quos tranſlatos fuiſſe reipſa deprehenſum eſt; de quo vide Alphonſum Caſt. l. 1. de iuſta hæreticorum punit. cap. 16. & Malleum maleficarum Iacobi Sprengeri, & noſtrum Delrio l. 2. diſquiſit. magic. quæſtio. 16. Secundò, Repugnat innumeris reorum & non reorum confeſſionibus, non tantùm mulierculorum, ſed etiam virorum prudentum omnis ordinis, & conditionis. Tertiò, Repugnat etiam rationi: cur enim diabolus id non poſſit, cuius tanta potentia vt non ſit ei par in terra? aut cur Deus id non permittat, cùm magi & fagæ in id conſentiant, & diabolum ad hoc aduocẽt, & ipſe Dominus ſe permiſerit à diabolo ex deſerto deferri in pinnaculum templi, & inde in montem excelſum, vt ex cap. 4. Matth. colligitur, & Patres paſſim docent?

Eſt Reipub. perniciosa; Primò, Quia patrocinatur crimini grauiſſimo & nocentiſſimo Reipublicæ & Eccleſiæ: & impedit illius digitam caſtigationem; Iudices enim, quibus hæc opinio eſt perſuaſa, vel non puniunt fagas, vel non niſi leuiter; concella vita. hinc fit vt innumeri eo inficiantur, & diabolus tutò graſſetur. Secundò, Condemnat omnia pene tribunalia orbis Chriſtiani tam Eccleſiaſtica, quàm ſæcularia, non ſolùm imperitiæ & imprudentiæ, quod non poſſint diſtinguere inter ea, quæ fiunt reipſa, & quæ ſola imaginatione; ſed etiam iniuſtitiæ & crudelitatis, quòd tam ſæua morte afficiant homines ob maleficia, quæ ipſi re vera non fecerint, ſed ſolùm ſomniarunt & illuſione diabolica ſibi viſi ſunt fecisse. Itaque hæc opinio nullo modo eſt toleranda.

Nec obſtant exempla quarumdam, quæ adhibita vnctione conſopitæ fuerunt, & mira ſe interim egiſſe putarunt: quia hoc interdum diabolus facit vt idem putetur ſemper fieri, & ita perſuadeat iudicibus totam hanc rem eſſe imaginationis, & nemini exteriùs nocere.

Dices, Si interdum deludantur. ergo non poterunt tutò
16 puniri quia fortè ſunt innocentes: vnde enim conſtare poteſt hanc non deludi?

Reſpondeo negando conſequentiam: Primò, Quia rarum eſt vt a diabolo deludantur. itaque præſumi debent non deluſæ. niſi probetur contrarium: ſicut in alijs criminibus, qui fatetur, non præſumitur deluſus, ſi eſt ſanæ mentis. & ſi alij de ipſo teſtantur, non poteſt præſumi diabolum loco illius fuiſſe ſuppoſitum; ſed hoc clarè tunc probandũ; aliquin ſecundum leges iudicandum.

Secundò, Clerique optimè norunt diſtinguere vtrum ſola imaginatione, an reipſa quid actum ſit: cur ergo illis fides non adhibeatur? Tertiò, Ex indicijs & varijs circumſtantijs a prudente & perito iudice facilè deprehendi poterit quomodo res geſta ſit. Sæpè enim apparet aliquis effectus exterior, ſæpè accedant aliorum teſtimonia, ſæpè ipſæ perſonæ ſunt bonæ & integri ſenſus, & fatentur rem externus geſtam explicant cauſam, & modum, & locum, & tempus, & perſonas coram quibus, &c. Quartò, Quia etiã illæ, quæ in ſomnio deluſæ, puniri poſſunt; tum propter expreſſum pactum cum dæmone & apoſtaſiam ordinariè coniunctam; tum propter deſiderium & conatum faciẽdi ea quæ conſopitæ videntur facere, & approbationem poſtquam ad ſe redierint: ideo enim ſe inungunt & ſigna magica ponũt vt illa fiant reipſa; & poſtea cum putant facta, approbant & gaudent & proponunt rurſus facere, quæ ſe iam feciſſe putãt; inter quæ ſunt idololatria, commercium cum dæmone, renuntiatio Chriſtianiſmi, ſtudium alijs in corpore vel ſubſtantia nocendi, & ſimilia. vide plura de his apud Delrium l. 5 ſect. 16.

Similiter non obſtat capitul. 12. Epiſcopi. 26. quæſt. 5. vbi ſignificetur fagas non reipſa transferri, aut alia ſimi- 17 *Cap. Epiſcopi.*
lia perpeti; ſed ſolum imaginatione; quia non agitur illo capit. contra fagas aut maleficas, quales noſtræ ſunt; (vt docet Alphonſus Caſtro dicto lib. 1. capit. 16.) ſed contra aliquas quaſdam mulierculas, *quæ decepta à diabolo, aut ab illuſionibus, credebant ſe noctibus horis cum Diana dea paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multarum terrarum ſpatia intempeſta noctis ſilentio pertranſire; eiuſque iuſſionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius ſeruitium conuocari*; vt dicto capit. Epiſcopi, habetur. Si enim erant ſortiariæ & maleficæ, cur tam immane flagitium in illis non reprehenditur cur ſola praua credulitas damnatur. Deinde etiamſi concederemus fuiſſe ſortiarias, nihil referret; quia nõ damnatur in illis quod crederent ea, quæ noſtræ de ſe referunt; nimirum ſe a diabolo in ſpecie hirci, ad conuentum fagarũ transferri; ibidem conuiuia & tripudia cũ ipſo & veneficis agitari, diabolum adorari, nefarios cũ ipſo concubitus miſceri, &c. ſed quod crederent longè alia; nimirum hæc & ſimilia eſſe vera, Dianam & Herodiadem eſſe deas; illis honorem & obſequium eſſe exhibẽ dum: poſſe ab his naturas rerum mutari & transformari, eſſe veras beſtias a ipſis cõditas, quarum ope per aerem vectarentur. nihil horum credunt noſtræ fagæ: ſciunt enim eſſe diabolum, qui cum habent negotium. Denique ſi hic Canon aliquid contra noſtram ſententiam faceret, ſequeretur eum ſi ſem perdere. & eſſe impij ſimilem, qui crederet fagas per diabolum ſpecie hirci transferri; quod omnino abſurdum eſt.

Secundò, Poſſunt etiam corpora hominum & animalium transformare; non quidem intrinſecè figuram mutando; ſed extrinſecus ex vaporibus aliam circumponẽdo. Sic aliqui operã dæmonis conuertuntur in ſpeciem lupi & dicuntur λυκάνθρωποι, quaſi dicas lupihomines: accommodant enim ſe ad ſpeciem beſtiæ quantum poſſunt, manibus & pedibus incedẽdo; & diabolus ad ſer reliqua, circumpoſita alia figura, ita vt ſpeciem lupi exacte referant. deinde ingreditur, mutat phantaſiam, & animum ferinum inducit; quod ei perfacile eſt, commotis humoribus & venenatis ſuccis adhibitis: denique agilitate lupina corpus regit. hinc fit vt tales inuadãt, lacerent & deuorent homines, vt veri lupi ſolent. Poteſt etiam veram beſtiam, homine repentè ſublato, ſubſtituere: ita vt ipſe homo oculorum iudicio videatur in lupum conuerſus: quomodo D. Aug. l. 18. de ciu. c. 18. docet, ſocios Diomedis cõuerſos fuiſſe in aues, & Iphigeniã in ceruã. Simili modo credibile eſt virgas magorũ fuiſſe cõuerſas in ſerpẽtes: non enim diabolus cauſas naturales virgis applicãdo poterat tã breui tẽpore ex materia tã diſſimili veros ſerpentes efficere. Poteſt ẽt, homine conſopito, ipſemet formam beſtiæ aſſumere, & in ea varia miniſteria ſubire, & interim per alium dæmonem efficere vt ille homo dormiens, videatur ſibi in beſtiam mutatus

18 *An poſſint corpora tranſformare.*

tus hæc omnia præstare. Hoc modo Diuus Augustinus loco citato putat socios Vlyssis mutatos a Circe venefica in porcos, & alios quosdam suo tempore, veneno in caseo accepto à feminis stabularijs, conuectos in iumenta, quæ onera gestabant quamdiu illæ volebant, & postea videbantur sibi in formam humanam reuerti. denique potest hanc mutationem facere nudo præstigio. sicut enim melancholici & phrenetici videntur sibi mira exteriùs videre, cùm totum sit interius ex qualitate & commotione humoris; ita etiam opera dæmonis fieri potest vt mira exteriùs videantur vel audiantur sola humorum agitatione & infectione. hac ratione potest exhibere palatia, vrbes, exercitus, flumina, incendia, tempestates, fulmina, tonitrua, & similia.

Ex his patet, quatuor modis has transmutationes à magis opera dæmonis fieri posse. non tamen est negandum quin possit dæmon aliquas veras transformationes efficere, applicando actiua passiuis; quales etiam ab hominibus fieri possunt. etsi ipse plura, subtiliora, & expeditiùs possit. sic potest efficere ranas, mures, muscas, & cætera. Item quæ ex semine; sed infusis seminibus in locum naturalem genituræ.

19 *Irrogare morbos.* Tertiò, Possunt inferre morbos occultos, qui nulla arte medica valeant curari. facile enim diabolo est instillare venena ignota, eaque ita regere vt lentè operentur, vel infringere vim medicamentorum; vel si finat illa operari, potest renouare quotidie noxam, intercipere vias spirituum, & humorum, & alijs mille modis nocere: potest etiam inferre in corpus humanum pilorum villos, clauorum & vitrorum fragmenta & alia huiusmodi, quæ maleficijs affecti excernunt. quamuis etiam præstigio facere possit vt hæc videantur è corpore ejci, cùm reuerà ibi non fuerint.

20 *Curare morbos.* Quartò, Possunt curare morbos omnes, qui naturalibus remedijs curari possunt, & omnes, qui à dæmonis actuali nocumento pendent. Possunt impedire sanguinis è vulnere effluxũ. imò omnes læsiones, quæ gladio, igne, alijsque instrumentis irrogari possunt, si Deus permittat: facile enim ipsi est ictum iuxta corpus hominis excipere, & impetum frangere, & ea, quæ vim ignis impediant assiduè interponere; sed Deus raro hæc permittit.

Eruere thesauros. Quintò, Possunt eruere thesauros occultos, & opes mari abditas; sed Deus rarissimè id permittit; quia esset maxima ad malum illecebra. vnde videmus omnes penè magos & sagas esse pauperes, viles, abiectos.

21 *Reddere inuisibilem.* Sextò, Possunt etiam aliquo modo se efficere inuisibiles; idque vel efficiendo vt subitò transferantur aliò, attantibus non aduertentibus; quo modo fortè Apollonius se inuisibilem reddidit, quando à Domitiano capiendus erat; de quo Philostratus in vita ipsius: vel aliquod corpus instar veli interponendo, quod simile sit corporibus adiacentibus, v. g. parieti, tapeti, &c vt ab illis non videatur distinctum; vel alienam figuram interponendo, vt etsi videatur, non agnoscatur: vel certè subtrahendo aut impediendo spiritus visorios, qua parte ad illius obiecti visionem debent concurrere.

22 *Immittere dæmones.* Septimò, Possunt immittere dæmones in hominem, & facere vt ab ijs obsideatur, Deo permittente. huius multa exempla extant in historijs. possunt etiam eosdem expellere, idque vel ex pacto cum ipsis & volentibus ijsdem; (quamuis simulent se cogi ad egrediendum vi incantationis) vel ex pacto cum dæmone potentiore, qui etiam inuitos expellere potest: de quo vide Greg. l. 1. dial. cap. 10. hoc tamen nunquam facit ille dæmon, nisi vt magis noceat; vt exemplo Greg. docet.

Circa animam humanam coniunctam corpori, omnia
23 *Circa animam.* ea possunt opera dæmonum, quæ ex corporis dispositione & imaginatione pendent; vt inferre amentiam, incitare ad amorem, odium, libidinem erga hunc vel illum. & similia. facile enim est dæmoni efficere vt obiectum aliquod assiduè obuersetur phantasiæ in modum conuenientis vel disconuenientis, & simul concitentur humores & spiritus consentaneè affectui amoris vel odij, &c. Huc pertinent philtra, & odiorum maleficia; de quibus vide Gregor. l. 1. dialog. cap. 4.

Circa animas separatas nihil possunt magi, quia nec dæmones ipsi aliquid in has valent; præterquam quod damnatis possint irrogare supplicia secundum modum & mensuram à diuina iustitia pro meritis cuiusque constituram. Itaque non possunt illas ab inferis excitare, & vium repræsentare; sicut nec tortor potest reum ducere quò libuerit. quòd si id non possunt in animas damnatas, quantò minùs in sanctas, quæ ipsis, veluti domini & Iudices, sunt admodum formidabiles?

Nec obstat illud 1. Reg. 28. vbi cum Saul petijsset excitari Samuelem per pythonissam, ipse Samuel apparuit, vt verior sententia tenet, quæ maximè confirmatur Eccl. 46. vbi Samuel dicitur post mortem prophetasse, & Regi interitum prædixisse. non enim Samuel vi magica excitatus prodijt, sed iussu diuino in pœnam impij Regis; cuius signum est quòd magicã incantationem præuenerit: vnde & turbata fuit pythonissa; & rectus capite sursum elato, è terra emerserit, contra morem vmbrarum magicarum; quæ pedibus sursum versis, & capite deorsum prodire dicũtur. insinuare hoc videtur pythonissa cùm ait, *Deos vidi ascendentes à terra:* id est, virum instar Dei, vel similem Deo. etsi enim elohim sit numeri pluralis; tamen plerumque apud Hebr. accipitur pro vno; quo modo hic accipi patet ex verbis proximis, *qualis est forma eius?* itaque non de vmbris, sed de Samuele angusto modo apparente loquitur pythonica. Spectra autem illa, quæ ad inuocationem magorum se exhibent, sunt dæmones, qui se horum vel illorum animas fingunt. 24 *In Samuel excitatus fuit.*

Petes, Quibus indicijs poterunt spiritum apparitiones internosci, vt non decipiamur acceptantes malos pro bonis? 25

Respondeo, Indicia mali spiritus sunt ista: Primò, Si ad præsentiam vel vsum rerum sacrarum diffugiat, nimirum signi crucis, aquæ benedictæ, nominis Iesu, Beatæ Virginis aut alicuius Sancti, sacrarum reliquiarum, sacræ imaginis, agni Dei, cerei benedicti, stolæ sacræ, & similium, quibus Ecclesia vti consuevit contra diabolicas fraudes, quæque veræ Religionis sunt σημεῖα & certa signa. Item si hæc improbet aut dissuadeat. hæc enim indicia sunt manifesta dæmonem esse.

Secundò, Si falsam vel prauam causam suæ apparitioni prætendat, vt si dicat se redire imperio alicuius magi: aut vt aliqua reuelet, quæ friuola sint, curiosa, vel noxia.

Tertiò, Si aliqua dicat, quæ sunt contra fidẽ & Ecclesiæ doctrinam; vel suadeat aliquid, quod sit à moribus Sanctorum alienum. sicut puella, quæ nuper propè Louanium repente reuixit, & mira per triduum coram omnibus retulit. horum summa erat, se vidisse Sanctissimam Trinitatem, & ibi intellexisse parentib. & fratribus nullam superesse spem salutis, nisi ipsa rediret ad corpus & pro illis martyrium subiret, & illi deinde ex ordine idem martyrium paterentur. Modus Martyrij erat ille: Imponendus erat faciei puluillus, deinde valide pedibus erat conculcanda, donec fracto capite vita exprimeretur. persuasit vt sibi id fieret. inde processum ad fratres, quorum primus coeptus calcari, graiter est læsus, sed interuentu vicinorũ res impedita. Exempla vetera extant plurima.

Quartò, Si sua oratione excitet mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad præsumptionem animi, ad desperationem, vel ad alium minùs ordinatum affectum. numquam ad talia alloquium boni spiritus excitabit.

Quintò, Si blande accedat, sed postea relinquat in œrorem, desolationem, turbationem animi, tenebras. hoc enim signum esse malì spiritus docuit B. P. N. Ignatius in suis Exercitijs, & D. Macarius homilia septima, sicut enim boni spiritus est illuminare, solari, & tranquillitatem animi adferre; ita maligni est relinquere in animo tenebras, mœrorem, perplexitatem, turbationem; nam quisque sibi consentanea operatur.

Sextò, Si rem non patitur tractari cum Superiore, vel confessario: boni enim spiritus non quærunt tenebras, nec volunt ordinem, quem Sancti Patres & Sacra Scriptura tradiderunt, peruerti: facilè enim ipsis est & superiores permouere.

Septimò, Si in fumo terra aut abiecta appareat, v. g. Æthiopis, serpentis, bubonis, canis; vel cum fœtore, tumultu, horrore, clade discedat.

Octauò, Si vbi semel præsentem est quod subsidij causa petijt, rursus quæsitis alijs occasionibus friuolis redeat: animæ enim, vbi satisfecerint, vel nõ redeunt, vel semel tantùm redeunt, vt gratias agant. dæmones quia pauci con-

greſſibus conficere nequeunt quod volunt, varias occaſiones quærunt vt ſæpè appareant. vnde hæc crebritas debet eſſe ſuſpecta. vide Thyræum lib.1.de apparit.ſpirit.capit.16.Peltanum de purga.cap.quinto,& Delrium libr.2.quæſtio.26.ſectio.3.vide etiam infra dubit.5.alia quædam huc pertinentia.

DVBITATIO IV.

Quale peccatum ſit Magia.

16 *Per ſe eſt mortiferum.*

RESPONDEO, Ex genere ſuo eſſe mortale: quia continet tacitam vel expreſſam dæmonis inuocationem;ac proinde ſocietatem & benevolentiam erga illum. Fieri tamé poteſt vt aliqui actus magici excuſentur à peccato mortali ratione ignorantiæ:vt ſi quis ignoret, vel non aduertat tacitam illam inuocationem, cùm hæc ſæpè ſit valdè occulta. plerumque tamen ingeritur homini aliqua ſuſpicio latentis mali, ratione cuius tenetur abſtinere donec plenius de re cognouerit, quòd ſi non faciat, peccat ſaltem venialiter. Ratione leuitatis materiæ præcisè non videtur vnquam eſſe veniale; quia quòd in re parua vel ludicra dæmon inuocetur, per ſe non minus crimen eſt, quàm ſi id fieret in magna-ſimiliter tacita vel remota inuocatio, ſi plena conſideratio adſit, eſt eiuſdem rationis ac expreſſa. ſæpè tamen contingit vt quando res eſt modica, non apprehendatur mali magnitudo; & ſic poteſt eſſe veniale defectu animaduerſionis.

Ignorantia ſit excuſans.

27 *Crimina connexa.*

Notandum eſt,hanc criminis in ijs,qui ei ſunt addicti, ordinariè alia crimina grauiſſima eſſe coniuncta; de quibus à confeſſarijs & Iudicibus ſunt interrogandi. Primum eſt, Hæreſis: multi enim ex his non credunt diabolum ſubiturum pœnas externas,aut eſſe damnatũ & miſerum;& eos, qui ipſi adhærent eſſe damnandos,aut eum nihil poſſe niſi Dei permiſſu,& ſimilia. Denique pauci ex his ſunt firmi in fide; & plerique deprehenduntur vel hæretici, vel nullius religionis.Secundum, Apoſtaſia;abnegant enim Chriſtum & Chriſti fidem,& ſæpe ipſum Deum: renuntiant Baptiſmo & Confirmationi,eaque conantur in ſe quibuſdam cærimonijs extirpare. Tertium, Idololatria; accipiunt enim diabolum loco Dei; huic fidem ſpondent, ſe totos dedunt & mancipant, ſacrificia offerunt, alioſque deferunt honores. Quartum Blaſphemiæ in Deum, in Chriſti humanitatem, in Beatam Virginem. & Sanctos omnes. Quintum, Sacrilegium;ſæpè enim in ſuis incantationibus vtuntur rebus ſacris, & interdum ipſa Sanctiſſima Euchariſtia. Sextum, Luxuria; vt notoria cum dæmone commixtiones. Septimum, Damna proximorum;vt homicidia, præſertim infantum, è quorum corpuſculis decoctis conficiunt vnguina;pulueres,& alia magica ſymbola; varij morbi hominibus irrogati,mortes animalium,vaſtationes ſegetum,& ſimilia. Ex quibus patet magos & ſagas dignos eſſe morte, & omnino è Republ.exterminandos ob apoſtaſiam,idololatriam,nefandos concubitus,& ſimilia,etiamſi forte damna non intulerint.vnde etiam Exod.22.præcipitur, *Maleficos non patieris viuere.*

DVBITATIO V.

Quæ remedia aduerſus maleficia poſſint adhiberi.

28 *Remedia naturalia.*

REMEDIA maleficij eſſe poſſunt vel naturalia, vel ſupernaturalia, vel moralia. *Naturalia* plerumque paruam vim habent; quia diabolus facile omnem illorum actionem eludit,ſi velit. bonum tamen eſt illa initio experiri, ex præſcripto medicorum adhibendo ea, quæ ipſi ex ſymptomatibus congrua iudicabunt: vt ſi indicia ſint veneni, ſi abundet humor melancholicus, vel alius, quo diabolus in hac affectione vti videtur: ſi alicui parti intemperies illata, & ſimilia.

29 *Eccleſiaſtica Magna fides.*

Supernaturalia, ſeu Eccleſiaſtica ſunt optima. hæc decem numerari poſſunt.

Primum eſt, *Magna fides* & fiducia in diuina protectione. Colligitur hoc clarè ex Pſalmo 90. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* & quæ ſequuntur; quibus docemur diabolum nihil poſſe in eos, qui omnem ſpem in Deo locant. Idem patet multis exemplis. vide Caſſianum collatione octaua.capitulo 18. & 19. Paulinum in vita D. Ambroſij, Gregorium libr.1. Dialog. cap 4.

Baptiſmum.

Secundum eſt, *Suſceptio baptiſmi*. ſi non ſis baptizatus. Huius extat memorabile exemplum in hiſtoria Peruana Petri Chiezæ par.1.c.18.Ratio eſt,quia baptiſmo exuimus veterem hominem, quem diabolus induxit, & induimus Chriſtum,efficimur eius membra, eius filij, & domeſtici; transferimur de poteſtate tenebrarum in regnum filij Dei, vt Apoſt.ad Coloſſ.1.ait.

30 *Confeſſio.*

Tertium,*Confeſſio peccatorum*.Sæpè enim ob peccata permittitur diabolo poteſtas in hominem, quibus deletis, illa quoque euaneſcit; quibus permanentibus,fruſtrà alia remedia adhibeas;vt docet Pet.Cluniac.l.1.de mirac. c.6.de quo etiam vide l.1. vitæ Sancti Bern.cap 8. Itaque qui maleficijs infeſtantur ſiue in ſe, ſiue in rebus ſuis, exhortandi ad accuratam peccatorum confeſſionem & vitæ emendationem.

Euchariſtia.

Quartum, *Sumptio Euchariſtiæ*, vel eius præſentia: multa enim conuentio lucis ad tenebras; nec Chriſti ad Belial. hoc pacto maleficia fuiſſe curata refertur in vita S.Bern. lib.1.c.10.& D.Aug.l.22.de ciu.c.8.ſcribit domum quamdam ab infeſtatione dæmonũ liberatam oblato in ea ſacrificio. Pallad.l.1 hiſt.c.19 refert S.Macharium,cùm ei oblata eſſet femina maleficio affecta, dixiſſe, Illud propterea vim in eam habuiſſe, quòd quinque ſeptimanis à Sacra Euchariſtia abſtinuiſſet.

31 *Exorciſmi.*

Quintum, *Exorciſmi Eccleſiæ* hi varij ſunt; alij enim inſtituti ſunt ad expellendum dæmonem à corporib. hominũ,alij ab infeſtatione ædium, alij ad illum compeſcendum ne damna per tempeſtates, vel alia ratione inferat. Horum aũ maximam eſſe vim patet,tum ex vſu quotidiano tum quia in Eccleſia eſt ordinatio ſpecialiter inſtituta à Chriſto, vel (vt quidam volunt) ab Apoſtolis ad dæmones pellendos & coercendos,vt patet ex Conc.Carthag.4 c.9 & ex Cypria.epiſt.2.55.& 76. & alijs Patribus:tum quia preces illæ & adurationes fiunt nomine Eccleſiæ Chriſti ſponſæ.refert Joſephus l.8.antiqu cap.2.Salomonem quoque inſtituiſſe coniurationes, quibus dæmones figentur. nó tamen conſtat quales hę fuerint,ſanctæ an ſuperſtitioſæ:quia non extant.nec ſcitur quando inſtituerit, in cultu veri Dei, an in idololatria.

32 *Aquæ benedictæ.*

Sextum, *Aquæ benedictæ*,hæc habet vim ex precibus Eccleſiæ,per quas factũ eſt.vt diuina virtus ei aſſiſtat, ac quodammodò inſideat & cõnexa ſit ad dæmonis infeſtationes auertendas. hoc remedio plurimi vſi ſunt.vt B. Marcellus Epiſc.apud Theodor.l.5.hiſt.c.21.S.Macharius,apud Palladium l.1.ca. decimonono,Sanctus Bernardus l.2.vitæ eius ca.3. & alij innumeri;eſtque modo frequentiſſimum apud Indos.

Reliquiæ Sanctorum.

Septimum, *Reliquiæ Sanctorum*,& res aliæ ab Eccleſia benedictæ,vt agnus Dei,cerei ſacri,panis & ſal benedictum, & ſimilia.Horum exempla quotidie ſe offerunt.

33 *Signum crucis.*

Octauum, *Signum Crucis*, huius eſt vis magna contra omnes diaboli machinationes.Primò,Quia continet tacitã inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis per meritũ paſſionis Chriſti.ſicut enim voce,ſic geſtu Deũ inuocare & nomen noſtram exprimere poſſumus. Secundò,Quia continet totius doctrinæ Chriſtianæ compendiariam profeſſionem.ſignificatur enim (præſertim adiuncta formula, *In nomine Patris,&c.* qua fieri ſolet) Primò, *In* Deo eſſe vnam eſſentiam,potentiam,maieſtatem;& tres perſonas,Patrẽ.Filium & Spiritum ſanctum.deinde,Patrem eſſe principiũ,Filium procedere à Patre,Spiritũ ſanctum ab vtroque, & hũc eſſe amorem & vinculum vtriuſque.Tertiò,Filium à Patre deſcendiſſe in vterum Virginis,hominem factum, & nos per mortem ſuam tranſtuliſſe a tenebris ad dexteram,a damnatione ad gloriam.hæc omnia Eccleſia,& fideles eius intendũt hoc ſigno inſinuare & profiteri.Quartò,Quia crux eſt inſtrumentum,quo Chriſtus diabolum vicit,& eius potentiam fregit:quod etiam ipſum Chriſtum crucifixum refert & objicit. Vnde crux triplici modo vim habet.Primò, In modum inuocationis.Secundò,Tãquam opus fidei & profeſſio Religionis Chriſtianę.Tertiò,Ratione diuinæ virtutis ex ordinatione diuina aſſiſtentis; nam etiam in infidelibus vim habet, vt conſtat de Iuliano apoſtata ex hiſtorijs eccle-

ecclesiast. & de quodam Iudæo ex lib.3. dial. S. Gregorij, ca.7. His addi posset quartus, scilicet, quatenus diabolo ingerit memoriam probri & ignominiæ, quã per crucem accepit, & timorem virtutis Christi. Hæc sufficiunt ad hoc signum contra hæreticos defendendum. Simili modo reliquæ cærimoniæ ecclesiasticæ defendi possunt. nihil enim sunt aliud quàm professiones tacitæ veritatum fidei, & sacræ precationes. excitant etiam animum ad maiorem reuerentiam, & recreãt sua varietate & pulchritudine. De efficacia crucis aduersus dæmones extant infinita exempla. vide Chrysostomum hom.8. in epist. ad Colos. Lactan. l.4. cap.27. Cyprianum, vel quicumque est auctor. serm. de pass. Dom. vitam D. Bernd. 2. c.2. & 3. & nostrum Gretzerum, de cruce.

Cærimonia Ecclesiæ.

34 *Inuocatio nominis Iesu. Oratio.*

Nonum, *Inuocatio nominis Iesu, B. Virginis*, Angeli custodis, & etiam aliorum Sanctorum. exempla plurima extant apud auctores.

Decimum *Oratio*, præsertim coniuncta ieiunio. Hæc valent etiam ad pessimum quoddam genus dæmoniorum expellendum, vt patet Matth. 17. Vide Gregorium lib. 3. dialog cap.33. & Palladium lib.2. histor. cap.28. Qui plura supradictorum exempla desiderat, consulat Delrio lib. 6. capit.2.

Moralia remedia voco, quæ pertinent ad pactum cum dæmone dissoluendum, quando ex pacto nocet: quod fit amouendo signa magica, ad quorum præsentiam nocumentum irrogat; de quo dub. seq.

DVBITATIO VI.

Vtrùm liceat tollere ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa maleficia, posita à maleficis, eo fine vt diabolus desinat nocere.

35 HÆC quæstio ante complures annos ad me è longinquo missa fuit, multis argumentis pro parte negante (quam viri quidam docti & pij tenere dicebantur) instructa: quam deinde tractaui in materia de matrimonio, cap. de impedimento maleficij. verùm quia propria est huius loci, quæ ibi dicta, hùc transferenda, bona illorum, qui aliter sentiunt, venia, putaui; solius enim veritatis & proximi iuuandi amore hæc a me tractantur: & eos, qui secùs sentiant non damno, sed pietatis, doctrinæ & dignitatis causa veneror. Fundamentum partis negantis præcipuum est; quòd tollere illa signa vt diabolus nocere desinat, videatur quædam implicita illius inuocatio, vel pactionis implendæ monitio. Sed

Signa magica non posse tolli maleficia. Angeli & Aureoli sententia.

Dico Primò, Nullo modo fas esse aliquo maleficio signa magica tollere, etiamsi ad id paratum se maleficus offerret. est certa, & communis Doctorum sententia, excepto Angelo v. Superstitio, §.13. & Petro Aureolo, quem Angelus adducit. hi enim etsi concedant nõ esse licitum facere incantationes, licitum tamen putant, alterius, qui ad id paratus sit, incantatione & maleficio vti, vt a nobis vel alijs noxam maleficij tollamus. cõfirmatur hæc sententia, quia licitum est petere ad vsuram ab vsurario parato dare, & exigere iusiurandum ab eo, qui paratus est per falsos deos iurare: vt suprà ostensum. Sed horum sententia refutatur ab omnibus tamquam error. vide Caietanum tom.1. opusc.12. Sylvest. v. Maleficium quæst.8. & Castro l.1. de iusta hæreticorũ punit. c.15. Ratio est, quia illa maleficij operatio est intrinsecè mala; cùm sit vsus artis magicæ, & tacita vel expressa dæmonis inuocatio ad aliquem effectum obtinendum: ac proinde nullo modo bene fieri potest: ergo nec petere, nec consentire potes vt fiat; iuxta illud ad Roman. primo, *qui talia agunt, digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Secùs est cũ petitur iuramentum ab eo, qui paratur per falsos deos iuraturus, aut mutuum ab eo, qui tolet exigere vsuras: nam id, quod hic petitur, malum non est, & bene fieri potest, si velit is a quo petitur.

Dico Secundò, ius tamen est cuique, tollere & destruere illa signa absque maleficio, vbi inuenta fuerint. Est com-

36 *Posse amouere indefinita Naturali.*

munis sententia Doctorum, qui hanc doctrinam attingũt. Inter quos Henricus a Gandauo quodlib.5. quæst.33. Scotus in 4. distin.34. vbi dicit, *ridiculum esse quærere an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum: non enim*, inquit, *solùm licet, sed etiam est meritorium destruere opera diaboli*. Idem docet Gabr. ijsdem fere verbis in 2. dist.8. quæst.2. artic.4. dub.2. Caiet. tom.2. opusc.12. *Dicatur*, inquit, *contingit maleficium à maleficis salui. Primo, Per simplicem dissolutionem seu destructionem maleficij primi facti, puta dissoluendo ligaturam capillorum, cum annulo ligneo, &c. & hoc absque dubio licitum est, nec est opus maleficij vt maleficij est, sed hominis scientis impedimentum boni proximi sui: quia hic nulla emicit damnum inuocatio, sed sola dissolutio signi; quo durante diabolus statuerat malum alterius continuare. Secundò, Per inuocationem dæmonum, seu aliud maleficium: & hoc absque dubio peccatum est mortale.* hæc ille. Idem docet Sylvest. v. Maleficium, numer.2. Castro l.1. de iusta hæret. punit. c.15. valde fusè. Domin. Sot. d.34. q.vni. art.3. *Potest quisque eo nomine maleficium & rogare, & pecunia ab illo extorquere, vt illis ligaturas, quas habet sepultas, aut suspensas, aut alicubi asseruatas, inde dimoueat; quia illud maleficium facere cessat est*, &c. Ioseph. Angles in floribus q.6. de malefic. Nau. c.11. num.29 per Binsfeldium in tit. de malefi. & mathem. q.5. & alij. Hi omnes docent hanc sententiam vt indubitatam. incredibile autem est omnes decipi; præsertim cùm non agatur de politico aliquo dogmate, cuius ratio sola Dei sit voluntas, sed de veritate naturali ad moralem philosophiam, vbi ingenij acumen maximè valet, pertinente.

Probatur ratione. Primò, Si esset illicitum amouere huiusmodi signa vt diabolus nocumentum desinat, id esset quòd ille actus amouendi conferetur esse tacita quædam dæmonis inuocatio; sed id verum non est: ergo non est illicitum amouere. Maior est euidens, & conceditur ab auctoribus diuersæ sententiæ; nulla enim potest alia vel in speciem causa fingi; sepono enim scandalum; quod vbique vitandum est. Minor probatur, quia amotio illa signorum neque ex natura rei est inuocatio dæmonis, vt per se patet; neque ex intentione amouentis: non enim intendit dæmonem inuocare, sed inuocationem per magum illo signo factam impedire, & dissoluere. neque ex pacto aliquo antecedente, quia qui amouet signum, non est pactus cum dæmone vt ad amotionẽ signi desinat nocere. Nec refert, quòd forte magus id pactus sit; quia qui amouet signum, non intendit ex pacto ipsius magi operari, aut dæmonem inducere vt pactum cum mago initum seruet; sed solùm intendit pactum nocendi refundere: quod licitè & meritoriè potest. Confirmatur à simili; si quis cum hoste esset pactus vt dato certo signo (verbi gratia suspenso funiculo coccineo, sicut fecit Raab, Iosue 2.) accurrat, & mœnia conscendat, vel ignem vrbi injiciat, & ego tale pactum scirem, possem illud signum tollere, nec vllo modo censerer consentire illorum pactis; sed potiùs illa odisse & destruere: ergo similiter, si sciam inter magum & dæmonem esse pactum vt dato certo signo (v.g posito capillorum glomo sub limine) nocet, potero illum glomum tollere, vt euersa pacti conditione, non noceat: neque censebor vllo modo in illud pactum consentire: cur enim hic potiùs quàm ibi consentire videar?

37 *Probatur ratione.*

Secundò Probatur, Si quis verbis alliceret dæmonem vt mihi vel alteri noceat, possem omni ope impedire; similiter si per scripturam vel characteres: cur non etiam possum impedire si alijs signis illum accersat? quid enim interest, verbisne, an scriptis, an alijs quibuslibet signis dæmonem allicias ad nocendum? potium igitur illa signa remouere & destruere vt dæmon desinat allici; & consequenter vt desinat nocere.

Tertiò, Qui habet pactum cum sicario, vt posito certo signo ad fenestram vel ostium Petri, ipse vel rebus eius noxam inferat, tenetur signum, quod ad hunc finem ibi posuit, tollere, si aliter nocumentum impedire non potest, similiter & quiuis alius, qui illud nouit: ergo etiam qui tale pactum habet cum diabolo, & quicumq; nouit signum pacti, tenetur illud tollere, vt damnum impediatur.

Sed contra obijciuntur multa arg.

38 Primum: Est certum dæmoniorum genus, quod nõ ejicitur nisi in oratione & ieiunio, ut Dominus Matth.17. dixit: ergo si hoc genus ingressum esset per maleficium, non liceret eius egressum procurare per signi ablationem.

Respondeo primò, Si hoc argumentum aliquid concludit, etiam conuincit non licere exorcismus agere in

hoc casu. Secundò, Quomodo posset nobis constare an sit ex illo genere? fortasse enim est ex alio, ac proinde nihil vetat quin possim tentare per signorum amotionem. Tertiò, Dominus agit de dæmonum ejectione, qui hominem possident, quos non legimus ejici per amotionem signorum, sicut neque permittuntur ingredi opera magorum, nisi fortè rarissime, & interueniente nocumento, quod dæmon magicis signis illectus infert.

Secundum argumentum: Hieronym. in vita S. Hilarionis refert, cum quædam puella per incantationes à dæmone obsessa adducta esset ad Hilarionem, *noluisse virum Sanctum, antequam pergeret virginem vel adolescentem, signa tubere perquirere; ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermonis eius accommodasse fidem.* ergo perquirere & tollere signa vt nocumentum cesset, ad incantationem pertinet.

Respondeo Primò, Hieronymum non dicere *ne solitis incantationibus recideret*, sed *recessisse videretur*, scilicet, vulgò spectanti, cui meritò id vitam fuisset, si vir tantus ad hoc auxilium confugisset, maxime cum dæmon hoc consilium suggessisset, indicato signorum loco, & dixisset se illis ligatum teneri, neque posse egredi illis non sublatis.

Secundò, Hieron. distinctiue dicit, *ne aut solitis incantationibus recessisse videretur, aut ipse sermonis dæmonis accommodasse fidem:* verebatur enim Hilarion, ne si signa quæri iussisset, alterum horum sequeretur. Adde, prorsus indignũ fuisse tanto viro illa signa iubere inquiri, quasi ablq; illis non posset expellere, qui excellenti miraculorum dono præditus erat.

Tertium argumentum: Qui signum tollit vt cesset noxa, miscet se pacto, quod maleficio cum dæmone intercessit; quod est huiusmodi, vt signo posito dæmon nocere incipiat, ablato desinat. 39 *Non miscet se pacto magus.*

Respondeo Primò, Plerumque solum est vnum pactũ, scilicet vt posito tali signo noceat. quando enim diabolus aliquo signo debet allici vt faciat aliquid extraordinarũ, non est opus nouo pacto vt desinat facere; sed satis est vt desinat allici; quod fit sublato signo. hinc enim sequitur vt desinat operari, eò quod vis prioris pacti ex quo ad operandum est inductus, fit elisa. Secundò, Etsi forte tale pactum esset inter magum & dæmonem, is tamen, qui signum tollit, id ignorat, & potest existimare tale pactum nõ esse; ficque signum illud tamquam dæmonis illecebram submouere. Tertiò, Quamuis sciret esse tale pactum, non tamen idcirco se huic misceret, aut ei vllo modo contentiret: quia amotione signi non intendit dæmonem inducere ad pactũ seruandum, neque vtitur amotione ligaturæ veluti signo alterius pacti; sed solum intendit destruere signum prioris pacti, quo dæmon ad nocendũ alliciebatur; hæc enim multum distinguuntur: aliud enim est amouere signũ ea mente vt moneas dæmonem vt seruet pactum, & ex fide data desinat nocere: aliud amouere vt destruas dæmonis quasi realem inuocationem, & pactum cum mago initum, vt per se patet. quando enim aliquod signum ex natura sua non est ordinatum ad aliquid significandum, facile per intentionẽ aliò referri potest; vt patet in adoratione Naaman Syri, 4 Regum 5. qui adorante Rege in templo Remmon, simul flectebat genua ante idolum, vt Regi hoc innitenti se aptaret. quæ actio etsi vt tebatur esse idololatria, tamen reuerà non erat: quia non intentione adorandi idoli, sed sustentandi dominũ fiebat. Multò apertius id cernitur in proposito; cum enim amotio signorum, facta eo fine vt cesset dæmonis noxa, non sit inuocatio dæmonis ex natura rei, sed potius euersio prioris pacti: neque etiam ex intentione amouentis, vt quæ illi prorsus sit contraria; nullo modo censeri potest illicita.

Quartum argumentum; Qui signum tollit spe nocumenti cessaturi, hunc effectum non expectat à causa naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à volũtate Dei: ergo expectat à diabolo: ac proinde est opus superstitiosum; nam perinde est ac si diabolo dicat, Pactus es amoto signo te cessaturum; ecce amoueo signum; præsta quod promisisti. 40

Respondeo, Effectus, qui hic expectatur, non est aliqua actio positiua dæmonis, sed cessatio aut priuatio actionis, quem effectũ licet à dæmone expectare: multa enim quotidie facimus vt diabolus aliquid non faciat, vel cesset facere, non solum coactus diuina potestate, sed etiam quasi offensus, & abhorrens; vt dum gestamus agnos Dei, & reliquias, dum vtimur aqua benedicta, dum benedicimus domus & templa: cur non etiam possimus destruere signa magica, vt desinat nocere, tamquam non amplius ad nocendum allectus? Itaque non quouis modo illicitum est expectare effectum priuatiuum a dæmone, sed expectare illum ex fide data & accepta, seu ex vi alicuius pacti cum dæmone initi; quod hic non fit. non enim expectatur ex vi pacti, sed ex euersione pacti seu inuocationis: est enim effectus priuatiuus, qui sufficienter ex hoc sequitur, quod non amplius per signum prouocetur, seu quod prius pactum destruatur. *Effectus priuatiuus potest à dæmone expectari.*

Vnde qui sic expectat cessationem à diabolo, non perinde facit ac si dicat, Præsta quod promisisti, sed potiùs perinde facit ac si dicat, Pactum tuum cũ mago rescindo, signa tua, quæ intulisti ad nocendum, destruo; non est ergo quod noceas amplius.

Quintum argumentum: Diabolus numquam cessat sponte à nocumento corporali, nisi vt grauius noceat in 41
anima: beneficia enim illius nocentiora sunt omnibus vulneribus, vt testatur Divus Leo sermone decimonono de passione. ergo per cessationem nocumenti, quæ fit amoto signo, grauius damnum infert vel amouenti, vel maleficiato, vel vtrique.

Respondeo negando consequentiam; etsi enim diabolus id forte intendat, non tamen semper assequitur quod intendit, præsertim cum in nostra sit potestate per Dei gratiam ne in animo noceat. Neque verum est expectari cessationem tamquam beneficium etsi nisi quis dicat eum, qui amouet signum proditionis verbis, expectare cessationem proditionis tamquam beneficium proditoris.

Sextum argumentum: Diabolus non est alligatus signis; potest enim nocere sine signis, & desinere nocere etiã positis signis, & non desinere sublatis signis: ergo frustrà tolluntur signa; nisi intercedat pactum, vt illis sublatis desinat nocere. 42 *An possit nocere sine signis.*

Respondeo Primò, negando consequ. tolluntur enim signa vt euertatur pactum magicum & tacita dæmonis inuocatio, vt dictum est. Quòd autem diabolus possit continuare vel non continuare nocumentum, parum refert, modo constet semper vel fere semper desinere nocumentum sublato signo.

Secundo. Sæpè diabolus non potest nocere corporaliter, nisi humana malitia ei cooperetur: ita enim ligata est eius potestas, vt nihil fere solus possit in hominis corpus vel bona externa; vt patet ex historia Iob, nisi Deo id ei specialiter permittente: quia tanta est eius malitia vt nihil prætermitteret mali, quod posset inferre; humana tamen potestas non sic ligata est (quia homo homini resistere potest) quæ dum dæmon cooperatur, plura ei Deus permittit quam soli. Vnde Franciscus Victoria relect. de arte magic. sub finem, *Mirum*, inquit, *est & mysterium, quòd cum dæmones per se nocere non permittantur; tamen non adeò impediuntur nocere per homines; vt magos, lamias, & alias malefidas:* quòd etiam cæteri Doctores tradunt. Quare falsum est dæmonem ordinarie posse nocere sine signis magicis, sicut potest cum illis; vel posse continuare noxam sublatis signis, sicut potest positis signis. Hinc fit vt non frustrà tollantur; nam illi fortasse permissum non est sublato signo nocere. Neque hinc sequitur, Deum habere aliquod pactum cum dæmone: sicut si Rex non impediat hostem in ijs, quæ facit cooperantibus subditis, non inde sequitur Regem habere pactum cum suo hoste.

Septimum argumentum: Si licet signa maleficæ amouere, vel ad eam rem malefici opem implorare; ergo qui maleficium patitur, tenetur id procurare, si aliud remedium non occurrat. 43 *An teneat procurare amotionem.*

Respondeo posse contingere vt teneat signum amouere, si sciam, & cõmode possim: maximè autẽ ad id tenetur maleficus, qui posuit: nec video quomodo de hoc dubitari possit. neque refert quòd Doctores hoc expresè non doceant: satis est id ex eorum doctrina sequi. sicut enim maleficus, qui diabolum inuocat verbis vel scripto vt noceat cuipiam, tenetur cessare ab ista inuocatione, non solum quia superstitiosa, sed etiam quia noxia; ita quoque tenetur signa posita, quibus allicitur ad nocendum, tollere; si aliter nocumentum impediri nequit. Et confirmatur, quia

sicut

ſicut is, qui poſuit puluerem tormentarium certo loco, vbi damnum illaturus eſt, tenetur illum tollere, ſi aliter damnum nequit auertere; ita qui ſignum poſuit, ex quo nocumentum ſequitur, illud amouere debet. quid enim refert quòd puluis vi naturali ſit nocituru; ſignum vi morali, ſeu vi pacti; quàdo æque certò & efficaciter nocumentum ſequitur? Sanè perinde ſe habet illud ſignum ac ſi vis diabolica illi eſſet alligata. vnde tamquam res nocentiſſima eſt tollendum.

44 *Abradere pilos maleficarum.*

Octauum argumentum: Si licet ſigna amouere: ergo recte faciunt, qui maleficis ad quæſtiones vocatis abradunt omnes pilos corporis, ne quo maleficij ſigno corpori adhærente, reddantur inſenſibiles, & ita non poſſint cogi ad confeſſionem; atqui hoc eſt ſuperſtitioſum. Confirmatur ex Victoria relectione, de magia, num. 16. vbi dicit, *ſi ad expulſionem dæmonum radant pilos aut capillos aut aliquid huiuſmodi, eſt magia manifeſta.*

Reſpondeo, Si id faciant ne ſub capillis aliquod tale ſignũ occultatum lateat, non ſunt damnandi ſuperſtitionis. Vide Damhouderũ. An ſatis decore faciant, non diſputo.

Quod Franciſcus Victor. ait, ad propoſitum non facit: loquitur enim de expulſione dæmonum è corporibus hominum, per gratiã gratis datam, qualem habent viri ſancti, ad quã expulſionem nihil facit raſura pilorum. non enim pili ſunt ſignum maleficum, ibi poſitũ à mago; ac proinde non ſunt amouendi vt pactum aliquod magicum ceſſet.

Argumẽrum nonum. 33. q. 1. c. 4. *Si per ſortiarios.* Hincmarus Remenſis enumerat remedia contra maleficiũ concubitus coniugalis, nec meminit huius remedij, nec alij Patres memmerunt.

Reſp. Primò, Non eſt neceſſe huius remedij mentionem facere, quia vulgò ſatis notum ſemper fuit, nec decuit eos niſi remedia Eccleſiaſtica & diuina proponere. Secundò, Si illicitum putabant hoc remedium, non ſolùm debebant eius nullam facere mentionem, ſed etiam expreſsè prohibere; cum ſcirent eſſe vulgare; quod nobis argumento eſt eos non improbaſſe. Adde, eos loqui in caſibus, in quibus humana auxilia non ſuppetunt: plerumque enim ignorantur ſigna & eorum loca, niſi à magis indicentur. Vnde niſi remedia eccleſiaſtica & diuina proſint, cenſent impedimentum maleficij eſſe perpetuum, iubentque eos ſeparari: quod tamen non facerent, ſi ſigna malefica cognita eſſent, & illis ſublatis maleficium poſſet ſolui. Communis enim Doctorũ ſententia eſt, impedimentum non cenſeri perpetuũ, quando ope humana ſine nouo maleficio tolli poteſt.

45 Dico Secundò, Non ſolum fas eſt tollere ſigna magica, ſed etiam, per ſe loquendo, ponere alia, quibus poſitis expirat vel deſtruitur pactum prius, & diabolus deſinit nocere: vel certè priora ſigna vim ſuam amittunt. Colligitur ex ijſdem DD. & Probatur Primò, Quia licitum eſt aliquid facere, quo poſito finitur prauum pactum, & diabolus deſinit nocere: hoc enim non eſt ſignum pacti noui, ſed euerſio vel impedimentum antiqui. Nec refert vtrùm hoc proueniat ex eo quòd diabolus tali ſigno offendatur, an quòd ipſemet ſtatuerit vt tali re interueniente pactum non conſtet, ſi nõ fiat modo deprecatorio, aut affectu aliquo benuolẽtiæ. Exẽpla ſint; ſi venefica te tãgat, inficeris; ſi tamen illam mox repercutias, impeditur noxa; vel quia diabolus ſtatuit tunc non nocere, vel quia ſignum veneficæ non eſt tale, quale ipſe requirit. Item cùm à ſaga quis eſt infectus, dicitur ceſſare nocumentum, vel reddi inefficax, ſi infectus det illi panem & ſalem, vel ab illa panem accipiat; fortaſſe propter Euchariſtiæ myſterium. Nec refert quòd diabolus ipſi forte hoc ſtatuerit; quia ſolum ſtatuit his poſitis non nocere, & vt pactum præcedens expiret; atqui licitum eſt aliquid facere quod per ſe indifferens eſt, vt diaboli pactum expiret, & nocumentum ceſſet: hoc enim non eſt ſignum amicitiæ; quia etiam erga inimicum poteſt quis talibus ſignis vti abſque vlla ſpecie benuolentiæ.

Dices, Hic expectatur effectus à dæmone.

Reſp. Non expectatur vllus effectus poſitiuus, ſed ſolum ceſſatio à malo, qualis effectus ex pacto poteſt modò non ex amicitia. Secundò, Licitum eſt tollere ſigna vt deſinat pactum & nocumentum: ergo licitum eſt apponere alia ſigna ad eundem finem. Tertiò Licitum eſt petere verbo à diabolo vt deſinat nocere, modò id non petatur deprecando, aut ex amicitia aliqua, ſed indignando: ergo idem licitum eſt petere ſigno. Secùs eſt ſi petas vt aliquid agat; hoc enim eſt benuolentiæ. Quartò, Si diabolus haberet tale pactum cum mago, vt poſito tali ſigno noceat, donec ponatur ſignum aliud contrarium, & non eſſet aliud remedium ad deſinendum nocumentum, poſſet magus illud alterum ſignum adhibere; ſicut enim poſſet diabolo dicere, Ceſſa; ita poteſt ipſum ſigno aliquo exprimere.

Hæc tamen omnia intelligenda ſunt de pura ceſſatione; 46
non autem de aliqua actione poſitiua, aut fauore elicitè à diabolo. vnde ſi putaretur nocumentum per actionem poſitiuam eiuſdem vel alterius dæmonis definendum, non liceret: ſimiliter ſi res ſit dubia: non enim licitum eſt vti remedio ſuperſtitioſo, aut de quo dubium eſt an contineat tacitam dæmonis inuocationem: hoc enim eſt ſe exponere manifeſto periculo ſuperſtitionis; niſi forte id fiat cum expreſſa voluntatis contrariæ proteſtatione. Pari modo fas non eſt à mago petere vt maleficium diſſoluat, ſi dubitas an abſque nouo maleficio id poſſit: quia id de quo dubium eſt an ſine peccato fieri poſſit, ſicut abſolutè non eſt faciendũ, ita nec abſolutè ab alio perendũ vt faciat. ſecùs quando conſtat ſine peccato fieri poſſe, & cauſa iuſta petendi ſubeſt, vt ſuprà c. 42. dub. 10. dictum eſt. Nec refert etiamſi putem ioiquo modo id facturum: id enim eius malitiæ imputandum; non meæ petitioni, cùm petam id quod licito modo facere poteſt: ſicut cùm exigo iuramentum ab eo, quem per falſos Deos vel pſeudoprophetam Mahumetum iuraturum ſcio, non mihi imputatur illud ſacrilegium, vt loco citato oſtenſum. Hinc patet non peccaſſe militem, qui equum ſuum miſit curandum ad hippiatrum, à quo naturaliter curari poterat, quamuis multum formidaret id eum ſuperſtitioſè præſtiturum, ſicut & fecit. Si tamen miles præſens fuiſſet, & vidiſſet illum ſigna ſuperſtitioſa parantem adhibere, non potuiſſet permittere: quia permittere vt circa te, vel rem tuam, te præſente magica medicatio fiat, eſt in illam conſentire, quia ſine tuo conſenſu nemo tibi vel rebus tuis in tuo conſpectu medicamina applicare poteſt: imò eſt moraliter illis vti, & applicare. Medicus enim ſe habet inſtar inſtrumẽti reſpectu eius qui eum adhibet qui per illum curare dicitur. Vnde propriè dicimus nos vti operã medicorum.

Si iniquo modo fallerus ſit.

CAPVT XLV.

De Irreligioſitate. *Habet 5. Dubitationes.*

EXPOSITIS vitijs religioni oppoſitis per exceſſum; proximum eſt vt dicamus de ijs, quæ eidem opponuntur per defectum, quæ nomine *Irreligioſitatis* comprehenduntur, & à D. Thoma quatuor numerantur, vt dictum eſt capit. 43. in principio: *Tentatio Dei, Sacrilegium, Periurium, Simonia.* His addit *Blaſphemiam* & *Infidelitatem*, id eſt, voti violationem. Etſi enim *Blaſphemia* à D. Thoma 2. 2. quæſtio. 13. ſtatuatur vitium confeſſioni fidei oppoſitum, tamen etiam opponitur religioni per defectum cultus, vel potiùs contemptum: ſicut conuitium & contumelia in hominem opponitur obſeruantiæ. Vnde propriè ad irreligioſitatem pertinet. ſimiliter *infidelitas*, quatenus hoc nomine ſignificatur voti violatio. Alia enim deformitas eſt in eo quod fides Deo data violetur, & promiſſum non præſtetur; alia in re ſacra Deoque conſecrata indigna contrectatione. Vnde videtur ſpecies à ſacrilegio diſtincta, quamuis ſacrilegium quoddam interdum ſit coniunctum, vt infrà num. 11. dicetur. De *Periurio, Infidelitate*, & *ſimonia* ſupra ſatis dictum eſt. Itaque ſupereſt *Tentatio, Sacrilegium* & *Blaſphemia*; de quibus hoc capite nobis eſt tractandum.

DVBITATIO I.

Quid sit tentatio Dei, & quale peccatum.

D. THOM. QVÆST. 97.

Tentatio.

1 TENTATIO generatim est dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, vt sciatur qualis sit potentia, scientia, bonitate, voluntate, &c. vt cum quis examinatur in aliqua scientia, vel cùm fit alicui contumelia, vt videatur quid factuus sit: neque tantùm dicitur quis tentare dum id facit vt ipse sciat, sed etiam quando aliorum causa: quomodo Deus dicitur tentasse Abraham, Iob, Tobiam, & alios sanctos, vt mundo illorum virtutem manifestam faceret, & in exemplum proponeret. Aliquando *tentare* idem est quod ad iram excitare: inde enim capitur experimentum vitiositatis vel vitiositatis hominis: quomodo diabolus & concupiscentia dicitur hominem tentare, & Deus dicitur *intentata malorum dicitur esse; καλῶν*, & *neminem tentare*. Iacobi 1. In proposito, *tentatio Dei* est quando quis

2 *Tentatio Dei.* absque iusta causa aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentum diuinæ sapientiæ, potentiæ, iustitiæ, misericordiæ, voluntatis, aut alicuius attributi. Colligitur ex D. Thoma art. 1. & sequenti.

Dico *absque iusta causa*, quia si iustam causam habeat, non erit tentatio; vt si fiat ex diuino instinctu, vel habeat quis donũ miraculorum; aut tantatum: vel si honor Dei & Religionis defensio postulet opus ad quod tale experimentum fit necessarium. Voco autem *experimentum* diuinæ potentiæ, &c. omne extraordinarium opus vel auxiliũ Dei supra communem rerum ordinem præstitum, quo eius potentia, sapientia, iustitia quasi experiendo cognoscitur. Debet autem hoc a Deo peti vel expectari: alioquin non dicetur fieri ad capiendum experimentum. vnde non erit tentatio Dei; vt si quis se conijciat in ignem, vt se interficiat, non expectans vt a Deo conseruetur illæsus. Hic enim non committit hoc peccatum, sed solum sui homicidium. Consistit itaque huius vitij deformitas in illa irreuerentia, quę Deo fit, cùm absque iusta causa opus aliquod vel auxilium extraordinarium alicui petitur vel expectatur. Vult enim Deus ordinem naturalem seruari, & causas naturales iam institutas adhiberi quantum fieri potest, neque absque necessitate ilatuit hunc ordinem prætermittere, nisi cùm ipsi ob causas occultas aliter visum fuerit. Itaq; cùm nulla est necessitas, & nullum nobis suppetit indicium illius voluntatis; irreuerenter agimus extraordinariam opem ab eo petendo, vel expectando. Nimia est illa familiaritas, & veluti cum socio, non considerans illius maiestatem & nostram magnitatem, neque se intra suum modum continens, & veluti sedignans modis ordinarijs vti. Sicut enim reuerentia Dei in eo sita est, quòd

Malitia huius vitij in genere.

Reuerentia Dei.

considerata illius maiestate, & nostra vilitate, non audemus nos liberè & soluto curis animo rebus diuinis ingerere, diuina scrutari, cum Deo agere, ab eo quodlibet petere, sed semper metuimus & circumspicimus ne liberius, solutius, audacius quàm conueniat nostræ humilitati & illius celsitudini cũ eo agamus: sic irreuerentia nascitur ex defectu illius considerationis, & consistit in quadam audacia & libertate tractandi diuina, vel agendi cum Deo, & quidlibet ab eo petendi, nulla habita ratione illius maiestatis, & propriæ vilitatis. Vnde patet hoc vitium esse contra reuerentiam diuinam, quatenus illi reuerentiæ aduersatur petitio auxilij extraordinarij absque necessitate.

3 *Fit dupliciter: expressè, implicitè.*

Potest autem hæc tentatio fieri dupliciter. Primò expressè, quando directa intentione talis experimenti capiẽdi aliquid agitur, vt si petas miraculum, vt tu vel alius sciat Dei in aliquo negotio voluntatem, si salias in puteũ, vt experiaris an Deus te finet lædi, quomodo fecit quidam Monachus apud Cassianum collat. 2. Abbatis Moysis c. 5. Si petas miraculum ut scias utrùm Deus possit facere, quæ tentatio eò grauior est, quòd coniunctam habeat infidelitatem, & ex ea procedat.

Secundò, interpretatiuè, quando non intendis tale experimẽtum sciendi causa, facis tamen aliquid ob aliũ finem, quod ex se auxilium Dei extraordinarium requirit, illud-

que temerè à Deo expectas & experis. vt si quis vellet abstinere cibo & potu tota quadragesima, vt Christum imitetur; persuasus Deum vires præbiturum, nisi diuino instinctu id in animum inducat, vt Simeon Stylites. si alicui alteri periculo sine necessitate se committat, à quo sine extraordinaria ope Dei non possit eripi, eamque opem à Deo temerè expectet. Huc pertinent purgationes vulgares, quę fieri solent ferro candenti, vel aqua feruente, in quibus expectabatur inocolumitas ab ope diuina extraordinario modo præstanda, quæ reprobantur a Iure cap. Omnibus, & c. Consuluisti. 2. quæstio. 4. Item purgationes quæ duello, in quo expectabatur vt Deus tueretur partem innocentem, quod damnatur cap. Monomachiam. ibidem. & cap. 1. & 2. de purgatione vulgari, & à Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de reformatione.

Porrò hæc tentatio Dei, peccatum est; mortiferum quidem, Primò, Quando prouenit ex crassa ignorantia, vel dubitatione earum rerum, quas homo scire debet; vt potentiæ, sapientiæ, misericordiæ, iustitiæ, prouidentiæ, aut alicuius articuli fidei. Secundò, Quando coniunctum est cum aperto vitæ periculo, aut grauis læsionis; vt si te ex turri des præcipitem, putans Deum te excepturum, quod prohibitum est Deuter. 6. vt constat ex ca. 4. Matthæi. Item si in graui morbo remedia naturalia spernas, temeraria persuasione expectans à Deo sanitatẽ supernaturali modo. Est autem in huiusmodi peccatis duplex malitia; nimirum propria huius vitij, quæ in eo sita est, quòd homo non satis reuerenter agat cum Deo petendo vel expectando ab illo fine iusta causa opem extraordinariam, vt dictum est. quæ irreuerentia sæpè non est mortifera, sed venialis tantũ; & malitia alicuius alterius vitij, v. g. infidelitatis, vel læsionis aut occisionis sui, &c. pro rõne materiæ in qua versatur opus, aut finis qui intẽditur, vel alterius circũstantiæ.

4 *Quale peccatum.*

Nec obstat quòd Deus olim videatur sæpè purgationibus vulgaribus periculosissimis miraculo fauisse; vt ex multis historijs constat, quas commemorat noster Delrius l. 4. de magia cap. 4. quia id factum vel ob simplicitatem illius sæculi, cùm multi etiam Episcopi putarent in quibusdam euentis esse licitas, vnde etiam erant satis vsitatę: vel quia innocentes suspecti ad eas cogebantur. interdum quoque euentus non respondebat.

Tertiò, Quando est periculum scandali; vt si quis publicè absque necessitate offerat experimentum miraculosum ad confirmationem fidei; nisi forte sentiret se dono miraculorum prædiũ, vel peculiari instinctu Dei se ad hoc impelli.

Quartò, Si ex curiositate, vt videat res mirabiles, petat miracula: est enim magna in Deum irreuerentia quia agit cum illo tamquam cum ludione, & fautore curiosorum. Veniale autem erit vel ratione ignorantiæ non crassæ, aut inconsiderationis, vel ratione exiguitatis materiæ aut periculi. Vide Toletum lib. 4. cap. 16. & Caietanum in Summa v. Tentatio.

Si iusta causa suppetit, non erit peccatum, nec propriè 5
tentatio Dei. Iusta causa est Primò, Diuina inspiratio. Sic *Si iusta est.*
Abraham Genesis 15. petijt à Deo signum, vnde sciret se- *sa subsit, non*
cum meu suum possessurum terram Chanaan, quã ei Dominus *est propriè te-*
promittebat; & Gedeon, Iudicũ 6. petijt bis signum in area *ratio Dei.*
& vellere, vnde cognosceret an reuera Deus per ipsum vellet populum liberare, sicut Angelus dixerat. eodem pertinet illud Isaiæ 7. vbi Dominus videtur præcipere Achaz vt signum petat: *Pete*, inquit, *tibi signum*, (scilicet futuræ liberationis) *à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supernè*. Quamuis dici possit Dominum non præcepisse, sed obtulisse. peccauit autem Achaz recusando petere, quia ex infidelitate noluit. Secundò, Necessitas; vt si infidelis, cui alia ratio cognoscẽdæ veritatis nõ occurrit, bona mẽte petat miraculũ, vt sciat virum hęc doctrina fieri à Deo. Sic Epiphanius hæresi 30. narrat Christũ apparuisse cuidã Iudæo, & præcepisse vt peteret miraculũ; & sic crederet.

DVBITATIO II.

Quid sit sacrilegium.

D. THOM. quæst. 99.

6 *Sacrilegium vnde dicatur.*

Sacrilegium dicitur à *sacris legendis*, id est furandis: Sgræcè, ἱερόσυλία, quod idem valet, ac συλᾶν τὰ ἱερά,

quod

quod est prædari vel violare sacra; vtrumque enim συλᾶν seu συλᾶσθαι denotat: accipitur interdum generatim, vt etiã comprehendat impios cultus. Sic sacrificia idolorum vocantur ab Augustino & alijs Patribus sacrilega sacra; & pacta cũ dæmonibus, sacrilega pacta. Proprie tamen accipitur *pro violatione rei sacræ*, siue pro iniuria & irreuerentia quæ fit Deo indigna tractatione rei sacræ. Multis enim modis Deo iniuria irrogari potest, blasphemia, idololatria, magia, variis superstitionibus, periurio, & indigna rerum sacrarum tractatione: sed ea sola quæ postremo modo fit, proprie *sacrilegium* dicitur. *Res sacra* vocatur, quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata est, siue sit persona aliqua, vt sacerdos, siue res alia, vt templum, altare, calix. Hæc dicitur *violari*, quando indigne seu contra reuerentiam Deo in rebus ipsi dicatis debitam tractatur. Hinc patet *sacrilegium* distingui a *periurio & tentatione*, quòd his ipsi Deo immediatè & in se iniuria irrogetur: *sacrilegio* verò in rebus ipsi dicatis. A *simonia* vero iuxta Caietan. distinguitur, sicut furtum vel rapina ab emptione rei alienæ a latrone. sicut enim furtum & rapina ionant commutationem inuoluntariam, emptio a latrone voluntariam, ita sacrilegium dicit circa rem sacram commutationem inuoluntariam: agitur enim inter Deum & hominem, & res Deo sacra contra ipsius voluntatem malè ab homine tractatur. simonia verò agitur inter duos homines, & fit consentiente parte.

Quid sit.

Violatio.

7 *Discrimen eius à cæteris.*

8 *Simonia videtur species sacrilegij.*

Sed hoc discrimen benè probat in simonia aliquid amplius includi, quàm in ratione sacrilegij: tamen non conuincit in illa non contineri malitiam sacrilegij: nam qui vendit rem sacram, indignè eam tractat & violat eius sanctitatem contra voluntatem Dei, qui est illius dominus; ac proinde sacrilegium committit. Confirm. quia huiusmodi contractus est contra reuerentiam Deo in rebus sacris debitam, nec minùs cedit in ipsius iniuriam & cõtemptum, quàm violatio loci sacri.

Nec refert quòd id fiat consentiente parte; inde enim benè sequitur non fieri parti iniuriam, non tamen tollit iniuriam quæ fit Deo, sed potiùs auget, quia etiam ipsa sanctitatem rerum illarum, emendo violat, & contra reuerentiam Deo in rebus illis debitam agit. Itaque simonia videtur species quædam sacrilegij: consistit enim in eo, quòd speciali modo, nempè emendo & vendendo, res sacra violetur. Confirm. ex Gregor. capit. 1. Audiuimus 1, quæst. 3. *à sacrilegio hoc factum non dispar duxerim, cùm id, quod gratis fieri debuit, sub pecunia pactione constatur.* Vbi Glossa, *dicitur hic qui à sacrilegium & simoniam committunt qui Ecclesiat vel ecclesiastica beneficia per pecuniam acquirunt, vel concedunt.*

DVBITATIO III.

Quomodo species sacrilegij sint distinguendæ.

D. THOM. ART. 3.

9 *Vnde sacrilegiorum distinctio.*

RESPONDETVR Esse distinguendas secundùm diuersitatem rerum sacrarum, seu iuxta diuersam rationem sanctitatis, quæ in rebus sacris reperitur. Ita D. Thom. art. 3. tanto enim, ceteris paribus, sacrilegium est grauius, quanto maiorem sanctitatem obtinet res ea, quæ violatur. Dico *ceteris paribus*, quia non tantùm consideranda est rei sanctitas, sed etiam conditio operis, quo violatur, verum multum an parũ illi sanctitati repugnet. maius enim peccatum est confringere imagines Sanctorum, quàm indeuotè accedere ad Eucharistiam.

10 *Tria genera rerum sacrarum.*

D. Thom. ponit tria genera rerum sacrarum: tribuitur enim sanctitas *personis*, & *locis*, & *alijs rebus ad cultum Dei ordinatis*; & hoc modo statuit tres species sacrilegij. Primam, Qua violatur persona. Secundam, Qua locus. Tertiam. Qua res alia. Ad Primam speciem pertinet percussio Clerici, fornicatio ordine sacro initiati, Religiosi, & Religiosæ, & cuiuslibet voum castitatis habentis. Idem tenet Caietanus de violatione cuiuslibet voti personalis; hoc ipso enim quo aliquod opus virtutis Deo voues, te ipsum illi dedicas & consecras, vt ei cultum exhibeas. itaque si omittas, violas tuam personam vt sacra est, iuxta Caietanum.

Tres species sacrilegij.

1. *Species.*

11 *Præcipua malitia violatio voti in perfidia.*

Aduerte tamen, Præcipuam malitiam contra religionẽ in violatione votorum esse; non qua parte res Deo dicata indigne tractatur; (in qua indigna tractatione consistit sacrilegij ratio) sed qua parte non seruatur promissio Deo facta, & fides irrita redditur, vt Apost. loquitur. Votum enim promissio Deo facta, qua non tam sanctificatur aut sacra efficitur persona vouens, quam res, quæ vouetur; atqui violatio promissionis per se non est sacrilegium, sed perfidia. Itaque perfidia in Deum est præcipua in huiusmodi peccatis: quæ potest accidere, etiamsi alias proprie nulla res sacra male tractetur; vt fit quando per nudam omissionem rei votæ peccatur. Vnde peccatum cõtra votum, proprie & per se est perfidia in Deum, sicut peccatum contra iuramentum est periurium.

Est tamen etiam in omni violatione voti aliquo modo ratio sacrilegij, clariùs aut obscuriùs, perfectiùs vel minùs perfectè: quia vouet castitatem, corpus suum Deo consecrat, vt immune & purum maneat ab omni contaminatione libidinis: ex qua consecratione & dedicatione peculiarem sanctitatem contrahit; contra quam si agatur, erit proprie sacrilegium. hinc virgines Deo dicatæ dicuntur sponsæ Christi. In votis autem, quibus alios virtutum actus, vt paupertatem, obedientiam, orationem, peregrinationem, ieiunium, vouemus, non tam aperte cernitur hæc sanctificatio personæ. nihilominus quia persona aliquo modo se dedicat cultui diuino, obligando se per votum ad cultum Deo tali opere exhibendum; videtur & ipsa quodammodò sacra fieri, & ita potest ibi sacrilegium aliquo modo locum habere, dum voluntariè contra illam sanctitatem agitur, vel omittitur id, quod ipsa postulabat: quamuis, vt verum fatear, parùm proprie id sacrilegium dicatur. Aduerte tamẽ in huiusmodi, perfidiam & sacrilegium non esse duo peccata, sed vnum tantùm; quia alterum ex altero necessario sequitur, soloque respectu distinguuntur. In votis realibus, res, quæ vouetur, sanctificari censetur. Vnde si hæc postea ad prophanum vsum applicetur, sacrilegium erit: nisi forte illius fiat iusta redemptio. hoc tamen potiùs ad tertiam speciem pertinet.

12 Ad primam quoque sacrilegij speciem pertinet pertractio personarum ecclesiasticarũ ad tribunal sæculare, exactio vectigalũ ab ijsdem per Principes sæculares, contra Canones; quia Ecclesia in reuerentiã status sacri voluit illas ab his esse immunes, & hac immunitate seruãda Deum in illis per sæculares honorari: quod meritò facere potuit, vt ostensum est sup. c. 33. dub. 3.

13 Ad secundã speciem pertinent omnia, quæ fiunt contra sanctitatem loci sacri. Primò, Effractio vel incendium loci sacri, euersio altaris. Secundò, Effusio iniuriosa sanguinis, effusio seminis, excommunicati vel infidelis sepultura, extractio violenta personæ, quæ asyli causa eò se contulit: quod intellige, nisi sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel commiserit enorme maleficium in loco sacro fiducia asyli, de quib. vide Sylu. Immunitas 3. qu. 2. Ratio est, quia Ecclesia in reuerentiã loci sacri & cultus diuini voluit loca sacra ab his esse libera, & huiusmodi priuilegio illa honorari. Tertiò, huc etiã referri possunt mercatus, deambulationes, clamores, & alia huiusmodi prophana, quæ per se cultũ diuinum impediunt, c. Decet 2. de immun. Eccles. in 6. quãuis in his posterioribus non semper sit peccatũ mortale, maximè si scandalum absit, & non sit grauis excessus, nec cultus diuinus impediatur. Quartò. Furtũ in loco sacro, & quidẽ si asyli & securitatis causa res ibi sit deposita, vt reuerentia loci tuta sit, circumstantia loci sacri addit furto malitiam sacrilegij mortiferam. quia sanctitas loci sacri violatur & contemnitur, acceperat enim locus sacer, vel potiùs Deus, quatenus loco sacro præsidet, rem illam in suam veluti fidem & custodiam. Si autẽ eam ob causam ibi deposita non sit, probabile est rationem sacrilegij mortiferam non esse; quia res illa custodiæ loci sacri non erat concredita, sed per accidens ibi posita. Quare non censetur loco per tale furtum maior iniuria irrogari, quàm per confabulationes, risus, detractiones, contractus sæculares, & similia, in quibus tamẽ, si scandalum absit, & cultus diuinus nõ impediatur, non videtur malitia sacrilegij mortifera: non enim habent illa peculiarem repugnantiam cum loci sanctitate, sed solùm generale, sicut omnia peccata externa; nec Ecclesia peculiariter statuit horũ abstinentia locum sacrum honorari; sicut constituit ibi non fieri

2. *Species.*

14 *Furtum loco sacro.*

fieri actum matrimonij, effusionem sanguinis; homicidium, &c.

15 *3. Species.*

Variis modis res dicuntur sacra.

Ad Tertiam pertinent ea peccata, quibus aliæ res sacræ temerantur. Dicuntur autem aliæ *res sacræ*; vel quia sanctitatem efficiunt, vt Sacramenta: vel quia rebus sacris administrandis sunt instrumenta, vt vasa sacra, vestes sacræ, ornamenta: vel quia sacra significant, vt verba sacra; vel quia ea repræsentant, vt imagines Christi & Sanctorum. vel quia sunt particulæ aut res sacrorum, vt reliquiæ: vel quia sunt mensura actionum sacrarum, vt dies dominici & festi: vel denique quia ad sustentationem sacrorum sunt dedicata, vt bona Ecclesiarum. Hæc omnia continentur nomine *rei sacræ*; vt distinguitur a persona; iuxta D. Thomam.

16 *Violatio Sacramenti Sanctissimæ Eucharistiæ sacram.*

Inter hæc primùm locum tenent Sacramenta. Itaque ad hanc speciem sacrilegij. Primò referenda est omnis iniuria; omnisque abusio Sacramentorum: item perceptio & administratio eorundem in statu peccati mortiferi. & quia inter Sacramenta supremum locum tenet Eucharistia, quæ nõ solum sanctitatem efficit, sed etiã ipsum fontẽ sanctitatis realiter continet; violatio huius est grauissimum sacrilegium, vt rectè D. Thomas dixit. quod intellige de sacrilegijs, quæ committuntur in res sacras, non autem quæ in personas: nam grauius est sacrilegium, quod committitur in ipsam Christi humanitatem in sua specie se exhibentem, quale erat Iudæorum, Christum malè tractantium & occidentium. Nec obstat quòd in Eucharistia sit etiam persona Christi, eiusque sanctissima humanitas viua & intelligens; quia non exhibet se in modum naturæ intelligentis, sed rei inanimẽ. Vnde D. Thomas Eucharistiam refert inter res sacras, non inter personas sanctitatem habentes.

17 *Abusio S. Scripturæ. Hæretici sacrilegi.*

Secundò, Abusio & violatio vasorum sacrorum; vt si quis vtatur calice consecrato ad potandum, sicut Baltazar vasis templi: si ex vestibus sacris conficiat sibi caligas vel thoraces, sicut multi fecerunt hæretici; si res huiusmodi furripiat.

Tertiò, Abusio sententiarum sacræ Scripturæ ad superstitiones, ad facetias, ad amatoria, &c. Item ad stabiliendas hæreses, vt docet D. Thomas art. 2. vnde omnes hæretici hac ratione sunt sacrilegi; iniuriam enim faciunt verbo Dei, eo abutentes ad stabilienda pernitiosa mendacia; quæ in re etiam ipsum Deum auctorem mendacij faciũt, & sic tacitè etiam blasphemiam committunt. Item irreuerentia omnis, quę committitur in recitando vel cantando officio diuino, sacrisque cęrimonijs obeundis; hęc enim omnia reuerenter & decore, tamquam res, quę ratione significationis & institutionis suę sacrę sint, peragi debent. eodem pertinet musica lasciua vel prophana rebus diuinis adhibita: qua in re multis locis peccatur, & meritò a Summo Põtifice & Prælatis Ecclesiæ remediũ adhiberi deberet.

Quartò, Mala tractatio vel contractio imaginum sacrarum: id fiat vt Sancti per eas non colantur, vel ex contẽptu illorum; sicut fit ab hæreticis. si indecore pingantur, vel sculpantur; vt cum D. Virgo instar feminę mundanæ exprimitur. in his etiam tacita blasphemia continetur.

Quintò, Si reliquiæ Sanctorum indecorè habeantur, si dissipentur, eo animo ne colantur.

Aduerte tamen, si hęc indigna tractatio reliquiarum & imaginum spectetur vt est iniuria in ipsos Sanctos, sic non esse sacrilegium, sed peccatum contra obseruantiam & reuerentiam Sanctis debitam ob eminentiam sui status, & opponitur dulię. Sed habet rationem sacrilegij quatenus hoc ipsum redundat in iniuriam Dei, cuius sunt ministri, & filij cum ipso regnantes, & ipsius glorię consortes. Sicut enim ad honorẽ Dei pertinet, vt ipsius filij, quos ipse tantopere euexit, & tam sublimes fecit, ipsius intuitu honorentur, ita & multò magis illorum dedecoratio in ipsum refunditur Sic domestici regis & familiares honorantur maximè ob respectum & coniunctionem quam habent cum rege, & contumelia ipsis temere facta videtur ad regem pertinere.

18 *Omissio Sacri. Sanctitas diei festi.*

Sextò, Si dies sacri operibus seruilibus, vel alijs prohibitis violentur. Omissio Sacri non tam videtur esse sacrilegium quàm cultus debiti neglectus. sacrilegium enim sonat indignam rei sacræ tractationem: vnde dicit aliquem positiuũ actum circa rẽ sacrã. Itaq; in operibus seruilibus potius cernitur ratio sacrilegij, quia per ea sanctitas diei (quæ consistit in eo, quòd dies ille deputatus sit cultui diuino, per auditionem Sacri & abstinentiam operum seruilium, præstando) violatur & quasi contaminatur: quamuis & hic satis imperfectè ratio sacrilegij reperiri videatur: Confirm. quia sacrilegium est *contra* præceptum negatiuum, *Non violabis sacra*; omissio Sacri contra affirmatiuum. Itaque est contra virtutem religionis, tamquam priuatio actus debiti religionis.

Septimò, Inuasio bonorum vel iurium ecclesiasticorum, retentio Ecclesiæ legatorum, &c. hæc enim sæpè in iure sacrilegia vocantur; vt patet multis Canonibus, 17. quæstio. 4. etsi enim hæc bona nullam in se sanctitatem habeant, tamen iure naturæ & Canonico ob reuerentiam, quæ cultui diuino debetur, debent esse ab occupatione secularium immunia.

Circa prædicta aduerte, non omnia sacrilegia, quæ ad hunc tertium modum pertinent, esse eiusdem speciei proprię loquendo, sicut nec omnia, quæ ad primum, vel secundum. sicut enim longè aliter Sacramenta sunt sacra, quàm vestes sacræ vel verba sacra, vel reliquiæ Sanctorum; ita quoque indigna horum tractatio diuersæ rationis malitiam continet. Dicuntur tamen eiusdem speciei nimirum generalis & subalternæ quæ alias sub se species peculiares continet. 19

DVBITATIO IV.

Quando sacrilegium censendum sit esse peccatum mortiferum, quando Veniale.

RESPONDEO, Mortiferum esse, Primò, Quando procedit eo contemptu rei sacræ; vel cultus ad quem refertur: talia sunt sacrilegia hæreticorum, cum vasa sacra, Sacramenta, altaria, templa, imagines Sanctorum, reliquias & similia violant, prophanãt, proterunt, vastãt: cũ Sacerdotes, Religiosos, vel alios viros Ecclesiasticos, quia tales sunt male tractant, contumelijs afficiunt, &c. tunc enim ipsum sacrilegiũ, seu violatio sanctitatis rei directè est intenta. Secundò, Quando fit aliquid voluntariè in materia graui, quod peculiarem repugnantiam habet cum rei sanctitate; vt si habens votum castitatis fornicetur, si actus matrimonij fiat in loco sacro, etsi occultè, extra casum necessitatis, &c. si longum opus seruile die festo. 20 *Quale peccatum.*

Secus si materia sit parua; vt si opus sit breue, vel si non habeat repugnantiam peculiarem cum sanctitate rei, sed solùm generalem. quo modo omnia peccata repugnãt sanctitati loci & tẽporis, & personæ; vt si quis loco sacro, vel die sacro detrahat proximo, se inebriet, malum alteri imprecetur, contractum iniquum faciat, &c. tunc enim malitia sacrilegij per se non est nisi venialis, etiamsi peccatum, cui coniungitur, per se mortiferum sit. Tertiò, Quando ex ignorantia vel negligentia crassa fit aliqua notabilis iniuria rei sacræ; vt si quis malè baptizet, consecret, absoluat; si in irregularitate vel censura ordinetur vel ordinet; si in peccato mortali vel excommunicatione Sacramẽtum administret, vel accipiat, & alia huiusmodi. Si autem ignorantia, vel inaduertentia, ex qua procedit opus, sit leuis, erit solùm veniale: si inculpata, nullum.

De pœnis sacrilegiorum vide multa 17. q. 4.

Solùm Notandum est hoc loco, non omnes sacrilegos incurrere pœnam excommunicationis latæ sententię ipso facto, sed quosdam tantùm. Primò, Percussores Clericorũ: c. 27. Si quis suadente. 17. q. 4. Secundò, Incẽdiarios, qui Ecclesias vel alia loca sacra incendunt & vastant; c. Tua nos. 19. de senten. excommun. estque communis sententia Canonistarum. Verùm, ille Canon hoc nõ efficaciter probat, vt ostendit Caiet. v. Excommunicatio, c. 22. & Nau. c. 27. nu. 94. solùm enim dicitur, *etiam incendiarios, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam mittendos*: vnde Glossa dicit primum excommunicandos per Episcopum, iuxta hunc canonem, & tunc publicandus. nullus autem alius canon est, per quõ ipso facto excommunicentur, vt docent Caiet. & Nau. sup. Itaq. nisi consuetudine a Prælatis approbata (quæ ex communi sententia DD. orta esse potuit) excommunicati sint, videri possint nõ esse ipso facto excõmunicati. Suarez noster & quidam alij dicũt illos esse excommunicatos per c. 21 *Pœna sacrilegiorum.*

Con-

22 Conqueſti.22.de ſenten.excommun. vbi excommunicantur qui effringunt & ſpoliant Eccleſias: qui enim incendunt,poſſunt dici illas effringere, cum omnino deſtruant; & ſpoliare, quia hoc nomine quæuis damnificatio rebus Eccleſiæ illata continetur;vt ſi quis frangat,vel laceret vel comburat imagines, veſtes ſacras, &c. non minùs ſpoliat quàm qui hæc ſecùm aſportat. Hæc ſententia mihi probatur; cùm enim hic Canon editus ſit in Eccleſiæ fauorem, verba ample ſunt interpretanda, quantum orationis proprietas patitur.

Tertiò, Qui effringunt & ſimul ſpoliant Eccleſiam vel alium locum pium; d. cap. Conqueſti.22. de ſententia excommun. Vbi nota alterum non ſufficere, ſed vtrumque debere coniungi,effractionem & ſpoliationem,vt Caietanus cap.21. ver. Excommunicatio, & Nauar. numero 94. docent.

Quartò, Qui gabellas, collectas, & ſimilia imponũt Clericis,vel impoſita exigunt, vel exigi curant abſque Summi Pontificis conceſſu. de quo & aliis quibuſdam contra libertatem eccleſiaſticam,vide Bullam Cœnæ Domini.vide etiam Concilium Tridentinum ſeſſio.22. cap.vndecimo, de inuaſoribus bonorum & Iurium eccleſiaſticorum, & locorum piorum.

DVBITATIO V.

Quid ſit blaſphemia, quotuplex, & quàm graue peccatum?

23 B *Laſphemia* generatim ſignificat omne conuitium & maledictum in aliquem, præſertim alicuius dignitatis & excellentiæ, vt ex auctoribus prophanis conſtat, & ex Apoſt.1.ad Corin.4. *Blaſphemamur* & *obſecramus*. & ad Tit.3. *Admone illos neminem blaſphemare*: hoc eſt maledicere,cõuitiari,vt Hieronym.ibidẽ docet. Tamen ex vſu Patrum & Theologorum ordinariè accipitur pro cõtumelia in Deũ,qui eſt ſummæ excellentiæ & dignitatis: nimirum cùm aliquid dicitur, quo eius honori derogatur. Vnde D. Auguſt. lib. de morib. Manich.c.11. *Eſt autem blaſphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque tam vulgò blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere. De hominibus namque dubitari poteſt: Deus verò ſine controuerſia bonus eſt.* Quod igitur in homines eſt contumelia, hoc in Deum eſt blaſphemia. Nau.cap.12.nume.81.ſic definit; *Quid ſit.* *Blaſphemare eſt cæcitè vel expreſſe verbo vel ſcripto contra Deum vel Sanctos eius aliquid contumelioſum dicere.* Sed qua parte tendit in Sanctos,non tam videtur eſſe blaſphemia,quæ Deum impetit,& religioni opponitur; quàm peccatum contra honorẽ Sanctorum, oppoſitum douliæ. Verum tamen eſt quod Nau. dicit. Non contumelia Sanctorum in Deum redundat, & hac ratione habet rationẽ blaſphemiæ, non autem quatenus fillit & terminatur in Sanctos. Formaliter itaque definiri poteſt: *Blaſphemia eſt iniurioſa in Deum locutio, ſiue eſt locutio in Deum contumelioſa*, 24 *ſiue eſt contumelia in Deum verbo irrogata.* *Contumelia* *Contumelia.* generatim dicitur omnis inhonoratio, ſeu omne ſignum vel factum, quo honori alterius derogatur. Directè enim opponitur honori. Nam etſi potiſſimùm fiat verbis, quæ ſignificandi principatum obtinent, ſæpè tamen fit aliis ſignis,vt ex vſu probatorum auctorum conſtat, & docet D. Thom. quæſt.72.art.1. Alia enim eſt contumelia verborũ, alia factorum; vt ſi quis alteri in faciem ſpuat, ſi alapa feriat, &c. Sed ea tantùm contumelia in Deum eſt, *blaſphemia*, quæ verbis agitur: ſicut non omnis honoratio Dei eſt laus, ſed ea tola quæ verbis fit. Blaſphemia autem directè opponitur laudi diuinæ. Itaque ſicut *laus* eſt honor qui Deo verbis & ſermone defertur,cùm excellentia eius prædicatur: ita *blaſphemia* eſt contumelia quæ ſermone infertur,cùm indignè de Deo quis loquitur. Poteſt autem iſte ſermo vel eſſe interior, & ſic erit blaſphemia cordis, vel exterior, & erit blaſphemia oris. Poteſt etiam fieri inſtrumento Muſico, vel ſcriptura omnibus enim his modis vſitatum eſt inter homines loqui.

Contumeliæ quæ aliis ſignis fiunt, v.g. quas Iudæi Domino noſtro inferebant conſpuendo,velando,alapis cædendo,inter latrones crucifigendo,& ſimiles,non erãt proprè blaſphemiæ, quia non erant iniuriæ verborum, ſed factorum, neque conſiſtebant in malè loquendo, ſed in malè & iniuriosè ipſius perſonam tractando: quamuis ſimul plurimas verborum iniurias ſeu blaſphemias his adiunxerint, erantque non tam ſacrilegia quæ verſantur immediatè non circa ipſum Deum, ſed circa res ipſi dicatas & conſecratas, quam infandæ contumeliæ in ipſam perſonam diuinam ob ſuam atrocitatem proprio nomine carentes & ineloquibiles.

Ex his patet blaſphemiam propriè & formaliter eſſe 25 contra religionem, cum ſit contumelia quædam verbalis *Eſt contra Religionem.* in Deum, & eius turpitudo ſita ſit in eo, quod verbis honori diuino detrahatur.

Non obſtat quod D. Tho.2.2.quæſt.13.art.1. velit blaſphemiã opponi confeſſioni fidei; quia id verum eſt de ea quæ ex animo infideli procedit,vt cùm hæreticus (quia ſic ſentit) dicit Filium eſſe minorem Patre; Deum eſſe auctorem malorum. Hæc n. blaſphemia eſt confeſſio infidelitatis, ac proinde opponitur contrariè confeſſioni fidei; ſicut infidelitas fidei. Ea verò quæ non procedit ex animo infideli, ſed ex ira, præſertim ſi imprecando vel optando fiat, non opponitur propriè confeſſioni fidei. Non enim opponitur priuatiuè,ſicut omiſſio confeſſionis fidei vrgẽte obligatione, vt per ſe conſtat: neque etiam contrariè, quia non cenſetur confeſſio infidelitatis, aut doctrinæ fidei denegatio, ſed ſolùm contumelia quædam, & læſio honoris diuini. Confir. quia talis nihil enunciat, quod ſit contra doctrinam fidei, ſed ſolum optat, & imprecatur, non quia putat id fieri poſſe, aut eſſe conueniens,ſed vt ſe de Deo quodãmodò vindicet. Simili modo qui odit Deũ, optat illum non eſſe,aut non eſſe omnipotentem;nõ tamẽ agit contra fidem, aut eius profeſſionem, quia non iudicat nec ſignificat id ita eſſe, aut eſſe poſſibile, aut conueniens in ſe; quamuis iudicet eſſe conueniens ſuo affectui.

Addo etſi pleræque blaſphemiæ etiam aliquid contra fidem enuntient aut inſinuent, hæc tamen deformitas for- 26 maliter eſt diſtincta ab ea quæ conſtituit rationẽ blaſphe- *Eſt diſtincta malitia.* miæ. Alia n. malitia eſt nolle credere, vel repugnare doctrinæ fidei; alia repugnare honori diuino. Nam illud eſt commune multis aliis quæ non ſunt contra honorem diuinum,nec vllam blaſphemiam continet, v.g.negare purgatorium,indulgentias, Sacramẽtum matrimonij, & ſimilia, eſt contra fidei confeſſionem, non tamen eſt blaſphemia. Non n. omnes hæreſes ſunt blaſphemiæ. Itaque rõ blaſphemiæ conſiſtit in eo quòd dicatur aliquid repugnans non fidei confeſſioni, ſed honori diuino. quamuis ſemper aliquo modo implicitè vel explicitè illud ſit coniunctum. Idẽ confirmatur ex eo quòd blaſphemo in confeſſione nõ ſufficiat ſi dicat, Feci contra fidei confeſſionem, vel dixi hæreſim;ſed oportet dicere, Blaſphemaui,& tamen omnia peccata quatenus præcisè repugnant confeſſioni fidei sũt eiuſdem ſpeciei, ſicut omnes hæreſes vt ſunt contra fidem ſunt eiuſdem ſpeciei.

Blaſphemia tripliciter diuidi poteſt. Primò, ex parte 27 actus,qui vel eſt interior vel exterior, & ſic alia eſt *blaſphe-* *Diuiſio.* *mia cordis*, alia *oris*. Quidam addunt *blaſphemiam operis*, cùm ipſo opere falſum de Deo ſignificatur, v.g. per idololatriam, vel aliis in Deum factorum contumeliis: ſed hæc proprie non eſt blaſphemia, vt dictum eſt: quia blaſphemia eſt iniuria verborum, non factorum. Secundò, ex parte modi, & ſic alia eſt *enuntiatiua*, alia *imprecatiua*, alia (vt ſic dicam) *deteſtatiua*.

Enuntiatiua fit affirmando vel negando, idque tripliciter. Primò,cum Deo aliquid tribuitur,quod eius excellentiæ nõ congruit, vt ſi dicatur auctor malorũ,crudelis, iniuſtus: Si probroſo nomine compelletur. Secundò,cũ negatur id quod ipſi competit, vt cùm negatur Trinitas perſonarum, vel generatio Filij, vel æqualitas Filij cum Patre, vel proceſſio Spiritus ſancti ex Filio. eodem pertinet cùm dicitur, Renego Deum: quamuis quidã putent id dici per modũ iuramenti,vt ſenſus ſit, Niſi ita ſit, nego Deum. Sed reuera eſt blaſphemia ſaltem conditionalis. Non n. adducitur Deus in teſtem, ſed negatur exiſtere, niſi quod dicitur ſit verum. qua in re eſt maxima iniuria,quòd ex tã vili cauſa homo tam indignè de Deo loquatur, & paratus ſit illi tantam contumeliam abſolutè irrogare. Tertiò, cùm id quod proprium eſt Dei tribuitur creaturæ, vt cùm Phariſæi dicebant, *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* quibus in verbis duplex erat blaſphemia. Nam diabolo

bolo tribuebant id, quod manifestè diuina fiebat virtute, & Christo, qui erat Deus, tribuebant cõmercium cum diabolo. Similiter cùm Idolo vel creaturæ dicitur; tu es Deus meus, tu me ab hostibus meis liberasti. Sic cùm Israelitæ dicebant de vitulo conflatili, *Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti:* Exodi 32. Hi tamen tres modi non distinguuntur specie; sed sunt vnius rationis; vt docet D. Thomas quæst. 13. art. 1. ad 3. Nam attribuere Deo quod ei non conuenit, & remouere ab eo quod ei conuenit, non differunt nisi secundùm affirmationem & negationem, quæ non variant rationem iniuriæ vel contumeliæ, sicut nec rationem notitiæ vel erroris. Ea autem quæ Deo sunt propria tribuere creaturæ; nihil videtur aliud, quàm tribuere Deo quod ipsi non conuenit, & significare ipsum non distinguere à re creata, vt ibidem docet.

Imprecatiua blasphemia est, cùm quis optat siue imprecatur Deo malum. Talis est blasphemia damnatorum, & pessimorum hominum.

Deshonestatiua, est, cùm quis membra Christi, vel Sanctorum, indecore & inhonestè nominat. Vide Nauar. cap. 12. num. 85. & Caietan. in sum. v. Blasphem.

Petes, Vtrùm sit blasphemia, cùm iuratur, vel ex ira dicitur, caput Dei, corpus Dei, sanguis, mors Dei: quibus loquendi modis multi in lingua vulgari sæpè solent vti. 28

Respond. Si velint indicare Deum illa habere secundũ diuinitatem, est vera blasphemia: quia tribuitur diuinitati, quod ei non congruit: si verò loquantur in genere, & velint significare illa in Deo esse, eo modo quo in ecclesia audiuerunt illa Deo competere, non est blasphemia; quia post incarnationem Domini illa verè Deo conueniunt. ita Caietan. & Nauarrus suprà. Sunt tamen pessimi modi, & valde ad blasphemiam vergentes. quia illæ locutiones potiùs indicant illa per se conuenire diuinitati, & proferuntur modo satis indecoro.

Tertiò diuiditur ex parte termini; hoc modo alia est in Deum immediatè, alia immediatè in Sanctos, vel in creaturam, vt ad Deum pertinet, mediatè verò in Deum. Prior iam satis explicata est. Altera quæ in Sanctos; non habet rationem blasphemiæ propriè vt in ipsos terminatur, sed contumeliæ oppositæ honori Sanctorum, & obseruantiæ ipsis debitæ. quatenus tamen in Deum redundat, habet rationem blasphemiæ, vt dictum est suprà. 29

Blasphemia in Sanctos.

Dices, Cultus & latus Sanctorum non habet rationem latriæ, sed doulæ tantùm & obtemperantiæ supernaturalis: ergo neque contumeliæ Sanctorum habent rationem blasphemiæ.

Respondeo, negando consequentiam: quia minus requiritur ad rationem peccati quàm virtutis. Vt enim dicatur latria, requiritur vt directè intendatur honor Dei tamquã principale motiuum; vt autem sit iniuria Dei & contumelia, non requiritur vt ea sit directè intenta, sed sufficit vt ex opere quodammodò redundet, idque sit animaduersum. Sicut si quis diceret amicos Regis quos ipse magni facit, & honorari vult, esse homines imprudẽtes, vel mendaces, vel parùm dignos illo gradu, &c. iniurium faceret Regi: quia significaret Regẽ vel ignorare illos illorum defectus, vel talibus hominibus delectari, &c. Pari modo. cùm quis maledicit creaturæ, non est blasphemia, si id fiat absque respectu ad Deum. Vnde non est peccatum mortale, si ablit iniuria alterius: si verò id fiat in ordine ad Deum quatenus est res Dei, sic est blasphemia in Deum. nam est ipsi Deo imprecari malum in suis bonis externis; vt cùm quis maledicit rebus sui inimici, ipsi malum imprecatur. Similiter si quis aliquid in creaturis calumnietur tamquam non benè factum, vel quasi melius & perfectiùs in sua specie fieri potuerint. Maledicere autem creaturæ quatenus nobis fuit occasio peccati, vel magnarum calamitatum; per se non est peccatum. sic Iob maledixit diei natiuitatis suæ; & Dauid montibus Gelboe. secùs si molestia sit parua. Hæc enim non est iusta causa maledicendi; quomodo aurigæ maledicunt interdum suis equis, & nautæ ventis. Verùm ordinariè non est nisi peccatum veniale, vt docet Caiet. 2. 2. q. 13 art. 1. & Nauar c. 12. nu. 86. 30

Maledicere creaturæ.

Quod ad peccati huius grauitatem attinet, constat ex genere suo esse mortiferũ valdè graue. Est enim contumelia in Deum & ipsum Deum directè impetit. Cùm enim aliter Deo nocere non possit homo, lingua sua veluti fuda contumelias & verborum iacula in eum vibrat; Et quidem si fit directè volita, vt dum fit animo conuitiãdi Deo, siue ex odio in Deum, siue ex furore iracundiæ, sic est grauissimum inter ea quæ religioni opponuntur; quia intenditur malum Dei. in ceteris autem hoc nõ intenditur. Vnde etiam est grauius idololatria, periurio, violatione voti, & sacrilegio. Hoc modo Glosa in cap. 18. Isaiæ ex Hieronymo dicit; *Omne peccatum comparatum blasphemiæ, leuius est.* Imò ex hac parte videtur grauius infidelitate: quia per infidelitatem non intenditur malum Dei. Si autem non fiat animo conuitiandi Deo, sed ex ira in hominem vel impatientia, sic non est grauius idololatria, & quibusdam alijs: est tamen peccatum mortiferum valdè graue; quia grauiter lædit honorem diuinum: sicut qui proximo detrahit, vel contumeliam facit aduertens quid agat, grauiter peccat etiamsi directè non intendat illum lædere, sed ex quadam loquacitate, vel nimia libertate id fiat. Fieri tamen potest vt sit venule. Primò. Si ioco vel in modum apologi dicatur, vt subinde fit in quibusdam narratiunculis. Tunc enim non est vera blasphemia: quia non intendit aliquid significare, quod sit Deo indignum, etsi modis loquendi non satis idoneis vtatur. Secundò, Si non aduertat saltem perfectè quid dicat; siue id fiat ex passione aliqua & subita indignatione, siue ex praua consuetudine, lingua mẽtem præuertente: vt docet Nauar. num. 84. Hoc ipso enim quo deest animaduersio, deest nouum voluntarium, & noua libertas; ac proinde noua culpa lethalis. Vnde si nullo modo aduertat, vacabit omni culpa etiam venali. Cui tamen ex consuetudine id accidit, tenetur sub peccato mortali illam consuetudinem corrigere, & operam dare ne in huiusmodi actus etiam inculpatos prorumpat: quia sunt honori diuino iniuriosi. Vnde id omittendo cẽsetur honorem Dei parui pendere, & parùm curare quòd ipsi faciat contumeliam. Itaque etsi in confessione non teneatur illos actus explicare, cùm non sint voluntarij vt actus; sed vt effectus, & solùm confusè in illa omissione & negligentia; tamen tenetur explicare se habere talem consuetudinem, eamque neglexisse emendare. Idem dicendum de simili consuetudine in iurando.

Potest esse veniale.

Petes Primò, Vtrùm blasphemia possit esse venialis ex materiæ paruitate? 32

Respondeo, non posse, quia nulla in Deum contumelia potest esse parua, si cum plena animaduersione fiat. Sic neque periurium, neque idololatria venialis esse potest.

Petes Secundò, Vtrùm omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei? Caietan. quæstio. 13. artic. 1. affirmat. ait enim: *Aduerte quòd quæ species blasphemiæ non diuersificantur per Deum & Sanctos, nec per tria illa in littera numerata, nec per enarrationem & desiderium, nec per honorem, famam & huiusmodi, in vna & eadem specie est blasphemia Dei & Sanctorum, siue id fiat per modum maledictionis, siue contumeliæ, siue irrisionis, siue detractionis.* Et infrà: *Hinc habes confessor quòd varietas blasphemiarum pro diuersitate specifica non est inquirenda, sed pro maiori grauitate iudicanda.* Hæc sententia Caietan. est satis probabilis, si sola blasphemiæ malitia consideretur. Confirmatur; quia valde probabile est omnes contumelias seu apertas iniurias contra honorem alterius esse eiusdem speciei: similiter omnes detractiones siue iniurias occultas, quibus fama lædituꝛ, vt docet Emmanuel Sà in vltima editione Romana: ergo idem dicendum de contumelijs in Deum. Et quamuis detractio & contumelia in homines distinguantur, sicut furtum & rapina: quia contumelia lædituꝛ honor violentè, nimirum in præsentia hominis, vel vt ipse cognoscat & sentiat; detractione occultè, vt non sentiat: tamen in Deum hæc distinctio locum non habet. Nam omnia in eius præsentia fiunt. Vnde contumelia & detractio in Deum sunt eiusdem rationis, vt docet D. Thom. quæstio. 76. art. 4. ad 1. & Caietan. hoc loco. 31

An eiusdem speciei.

Addo tamen Primò, Si blasphemia procedat ex odio, vel desperatione, vel infidelitate, id esse necessariò in confessione explicandum, quia etiãsi ipsa malitia blasphemiæ per se sit eiusdem rationis; tamen accedit noua & distincta malitia ex motiuo a quo procedit, & cuius affectu imperatur. Vnde cùm malitia horum actuum sit planè distincta a malitia propria blasphemiæ, accedit blasphemiæ noua deformitas, quatenus ab illis procedit, & tamquã actus exterius informatur. Secundò, aperiendum quoque vtrùm procedat ex odio in Deum, vt fit in damnatis, & interdum 33

Quo confitendum.

Grauitas peccati.

in

Quando directè volitum efficiat distinctam speciē.

in pessimis hominibus, an ex iracundiæ furore. Nam & hæc peccata sunt diuersæ rationis, & consequenter ipsi actui ex terno diuersam malitiam impertiunt. Tertiò, vtrùm fuerit directe volita, vt cùm fit animo faciendi cōtumeliam Deo; an indirectè solùm, vt cùm fit ex ira erga hominem ad effē dendam animi indignationem, vel ex impatientia absque prauo motu in Deum. Etsi enim indirectè volitum censeatur absolutè voluntarium, & essē eiusdem speciei ad volitū directè; tamen id nō habet locum, quando obiectum volitū est aliqua iniuria vel deformitas honestati virtutis contraria; vt patet cùm inobedientia vel ingratitudo est volita directè. Longè enim alterius rationis peccatum est, cùm facis aliquid directa intentione vt legem vel præceptum Superioris violes; aliud cùm solum indirectè id velle cēseris: vt dum alia intentione uis & facis opus, quod cōtra legem esse nosti. Idem patet in violatione voti, iuramenti, & aliarum virtutum. Quare idem dicēdum cùm quis directa intentione blasphemat, Dei contumeliam intendens. Hæc enim est formalissima blasphemia. Ratio est, quia cū aliquid directè est volitum, est peculiaris & positiuus affectus erga illud obiectum, qui ab illo speciem accipit: qui affectus nō est in eo qui solùm indirectè & interpretatiuè illud vult. Vnde si illud obiectum sit aliqua malitia, affectus ille incōparabiliter peior est, quam is quo solum intenditur aliqua voluptas, vel aliud non per se malum. habet enim positiuā tendentiam in malum, tamquam in suum proprium obiectum: cùmque in illud tendat tamquam in finem, respicit illud sub ratione illimitata, & non solùm vt est in hoc vel illo actu. Itaque altiori modo est malitia in actu, cùm est directè volita, quàm cùm indirectè solùm. Sic incōparabiliter peius est violare legem odio legis, quàm affectu voluptatis vel commodi: & facere alicui iniuriam affectu ipsi nocendi, quàm tibi consulendi. Pari itaque modo multò peius est blasphemare Deum vt ipsi cōtumeliam irroges, quàm vt iram tuam in hominem declares. Vnde non dubium est, quin hoc in confessione tamquam peculiaris speciei, in qua ipsa malitia est directe volita, fit aperiendum. Quartò, si fuerit blasphemia in Sanctos, id etiam aperiendum: quia etsi fortè qua parte redundat in Deum est eiusdem rationis ac alię blasphemiæ; tamen additur noua malitia quatenus ipsum Sanctum in se iniuria afficit. Verius tamen puto blasphemiam in Sanctos, etiam vt in Deū redundat, esse diuersæ rationis; quia solum mediatè circa Deum versatur, nisi fortè fiat expressè in ipsos quatenus habent respectum ad Deum.

De pœnis in blasphemos vide Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, capit. 12. In veteri lege iussit Dominus lapidibus obrui Leuit. 24 *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, sive ille ciuis sive peregrinus fuerit.* Iure etiam ciuili morte plectendi Authentic. Vt non luxurientur. in fine. Sed hæc pœna his temporibus ob defectum religionis & iustitiæ non seruatur, vt ait Lucas de Penna in L. Omnes. C. de delatoribus. & Iulius Clarus § Blasphemia, numero 3. atroces tamen quibusdam locis puniuntur mortes aliæ tremendis, exilio, linguæ abscissione vel perfusione, vt refert Clarus. Iure canonico laicis blasphemantibus olim erat constituta solemnis pœnitentia, vt patet capit. 2. de maledicis. Sed hæc modò non est in vsu. Concilium Lateranense sub Leone Decimo, sessione nona, §. Ad abolendam. iubet vt non absoluantur in foro conscientiæ absque grauissima pœnitentia. Hic tamen prudentia opus & conditio ac capacitas personarum considerāda. Fumus v. Blasphemia, in fine dicit, hoc non esse vsu probatum: vnde totum relinquitur prudentiæ confessoris, sicut in alijs criminibus. Ibidem statuitur vt qui blasphemantem audierit, cum aciter obiurgare teneatur, si citrà periculum id fieri possit. Ad quod etiam tenemur, etiamsi non speretur emendatio, modò aliud malum non timeatur, v.g. ne amplius blasphemet. Ratio est, quia tenemur honorem diuinum tueri. hic tamen prudentia opus est. Sufficit plerumque rei grauitatem absque alia verborū asperitate ob oculos ponere. Nulla cēsura huic sceleri annexa. nec iure communi absolutio reseruata Episcopo. Quibusdam tamen locis Episcopi sibi reseruant; sed hoc DD. intelligunt de blasphemia publica.

34 *Pœna blasphemiæ.*

Pœnitentia

Corripiendi.

Hactenus de Religione & vitijs ei aduersis.

SECTIO SEPTIMA.

DE RELIQVIS VIRTVTIBVS IVSTITIÆ ANNEXIS,

In quibus est ratio debiti legalis, vel moralis.

ILLAS Virtutes dicuntur esse annexæ Iustitiæ, eiusque veluti partes quædam, in quibus cernitur quidem aliquod debitum ad alterum; tamen illud vel est adeò magnum vt illi non possit satisfieri ad æqualitatem: vel est ita paruum vt non inducat obligationem legalem & strictam, sed solùm moralem quæ ex quadam honestate virtutis procedit: estque talis, vt nisi illi satisfiat, honestas morum conseruari non possit, vel non commodè & decorè possit. Vide Diuum Thomam quæstione 80. articulo vnico. Prioris generis sunt. Primò, RELIGIO, *Secundò,* PIETAS. *Tertiò,* OBSERVANTIA. *Quartò,* OBEDIENTIA, *quæ est pars* OBSERVANTIAE, *Posterioris. Primò,* GRATITVDO. *Secundò,* VINDICATIO. *Tertiò,* VERITAS, *cui opponitur* MENDACIVM *&* HYPOCRISIS; IACTANTIA, *&* IRONIA. *Quartò,* AMICITIA, *cui opponitur* ADVLATIO *&* LITIGIVM. *Quintò,* LIBERALITAS, *cui opponitur* AVARITIA, *&* PROFVSIO. *Sextò,* Ἐπιείκεια, *seu* AEQVITAS. *De Religione iam dictum est, de ceteris nunc breuiter dicendum, vt singularum ratio constet. Fusior tractatio non est necessaria, quia pleræq. difficultates alijs locis sparsim sunt tractatæ. Itaque hæc Sectio continebit duo capita. Primum erit de Virtutibus prioris generis. Posterius de illis, quæ sunt generis posterioris.*

CAPVT XLVI.

De reliquis virtutibus Iuſtitiæ annexis, in quibus eſt debitum legale.

Conſtat 6. Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit pietas, & quæ eius officia.

D. Thomas quæſt. 101.

1 *Pietas pro religione.*

NOTANDVM eſt, hoc nomen accipi tripliciter, vt colligitur ex D. Auguſt. libro 10. de ciu. cap. 1. Primò, vt ſit idem quod Græcis εὐσεβεία & θεοσέβεια & ſic non diſtinguitur a *religione*, & idem eſt *eſſe pium*, quod eſſe *religioſum*, ſeu cultui diuino addictum. cumque omni opere bono Deus dicatur coli, iuxta Diuum Auguſtinum & Scripturæ phraſim, omne opus bonum dicitur opus *pietatis*. hoc modo accipitur paſſim in ſcripturis, vt 1. ad Timoth. 4. *Exerce te ipſum ad pietatem*. pietas (εὐσεβεία) *ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* vbi nomine *pietatis* videtur intelligere ſtudium internæ deuotionis & ſincerum affectum erga Deum & proximum: opponit enim illam corporali exercitationi, quæ conſiſtit in multis ieiunijs, vigilijs, labore manuum, aliiſque corporis afflictionibus, vt rectè exponit Anſelmus. Eodem modo ſæpius accipitur in eadem epiſtol. & Iſa. 11. *Spiritus ſcientiæ & pietatis*. 2. Mach. 12. *Qui cum pietate dormierunt*. & alibi ſæpè. Hinc cultores Dei paſſim vocantur *pij*. idololatræ & peccatores, *impij*: quod nomen maximè in atheos competit, qui diuinitatem & omnem θεοσέβειαν tollunt.

2 *Pro miſericordia & benignitate.*

Secundò, Accipitur pro *miſericordia*, ſeu benigno affectu præſertim erga filios opis noſtræ egentes. hoc modo *pietas* ſæpè tribuitur Deo; vt quando dicitur *pius* Pater, *pius* Saluator; Eccl. 2. *Quoniam pius & miſericors*. 2. Parali. 30. *Pius enim & Clemens eſt Dominus*, vbi Græcè eſt οἰκτίρμων, quod miſericordiam ſignificat.

3 *Quid pietas.*

Tertiò, Pro ſpeciali virtute, qua colimus parentes, tamquam vitæ & educationis nobis ſecundum Deum auctores. hoc modo accipitur hic à D. Th. & definitur à D. Aug. libr. 83 qq. q. 3. ex Cicerone hoc modo, *Pietas eſt per quam ſanguine iunctis patriæque beneuolis officium & diligens tribuitur cultus.*

Vbi notandum eſt, *pietatem* primò & principaliter reſpicere parentes, quia hi poſt Deum ſunt præcipui auctores ortus & educationis. Secundò, Patriam, quia & patria aliquo modo eſt principium ortus; tum quia parentes fouet, tum quia opportuna ad ortum & educationem ſuggerit. *patriam* voco oppidum, vicum, Prouinciam cum habitatoribus ſuis. Tertiò, Alios cõſanguineos; non quòd illi ſint ortus principium, ſed quia in illis quodammodo repræſentãtur nobis parentes, qui mediatè vel immediatè nobis ſunt ortus principium. ob eandem rationem poteſt etiam extẽdi ad liberos & ad vxorem; quia in liberis repræſentantur nobis parentes noſtri; & vxor eſt inſtrumentum per quod natura à parentibus accepta in poſteros deriuatur. raro tamen in praxi vtimur hac conſideratione: filios enim diligimus & honoramus tamquam aliquid noſtri; quia ſunt veluti pars à nobis deciſa, in qua natura noſtra conſeruetur. itaque noſipſos potius, quàm parentes noſtros in illis intuemur & curamus. vxorem verò, quia vna caro nobiſcum, & quia adiutrix ad procreationem liberorum, & ad omnia vitæ ſubſidia. nihilominus tamen, quia in his cõſideratur cõiunctio ſanguinis & naturæ, recte à Cicer. & D. Th. hi affectus ad pietatem referuntur; quæ generatim ad omnes pro pagine coniunctos pertinere dicitur.

Pietas generatim ad omnes ſanguine iunctos pertinet.

Notandum ſecundò, Rationem, quam *pietas* in ſuis obſequijs principaliter reſpicit, eſſe debitum illud, quod habemus erga parentes & erga patriam, quatenus ſunt nobis principium ortus & educationis, (quæ etiam bonam inſtitutionem complectitur) quod debitum, præſertim erga parentes, tale eſt, vt exhaurire illud nequeamus, reddendo illis æquiualens, iuxta Ariſtotelem. quod intellige in eodem rerum ordine & obſequijs ordinarijs: nam beneficium à parente & etiam a patria acceptum, obſequijs ſupernaturalibus, vel extraordinarijs compenſari & etiam vinci poteſt: vt ſi filius conuertat parentem & patriam ad fidẽ Chriſti; vel ſi vitam pro eorum liberatione exponat. qua de re vide diſputationem apud Senecam lib. 3. de beneficijs, capitul. 34. & 35. vbi oſtendit beneficium paternum à filio etiam vinci poſſe. Hoc tamen non ſoluit filium obligatione naturali, qua patri obſtringitur; quia ſemper manet filius. Adde, debitum illud, quo peculiariter patriæ noſtræ præ reliquis Prouincijs vel locis obſtricti dicimur ratione beneficij ortus, non eſſe ita magni momenti, vt pulchrè oſtendit Lipſius in ſua Conſtantia. cap. vndecimo, quia hoc beneficium potius eſt aſtrorum & elementorum quàm anguſti natalis ſoli. Hinc videmus viros ſapientes vulgarem illum patriæ affectum non magni feciſſe; quaſi non hic vel ille vicus, aut oppidulum aliquod patria ſit, ſed mundus totus quia tamen communia elementorum & cęlorum beneficia ad nos non niſi per loca, quæ incolimus, peruenit, non eſt, ceteris paribus, hic affectus patriæ omnino contemnendus.

4 *Debitũ quod pietas intuetur.*

Ex dictis colligi poteſt Primò, Quòd ſit *obiectum quod*, & *obiectum cui*, & *ratio formalis obiectiua* huius virtutis, quæ tria, ſicut in omni virtute ad iuſtitiam pertinente, ita etiam in hac reperiri debent. *Obiectum* enim *quod* huius virtutis eſt cultus, & obſequium externum, ad quod hæc virtus ordinatur. actus enim externus virtutis habet ſe per modum obiecti reſpectu actus interni, & conſequenter reſpectu ipſius habitus. Nec obſtat, quod idem actus ſit opus eiuſdem virtutis; quia virtutes operatiuæ faciunt ſuum obiectum; & in eo diſtinguuntur à ſpeculatiuis, quæ illud ſupponunt, non faciunt. Deinde non eſt opus virtutis immediatè virtute elicitum; hoc enim non poteſt eſſe obiectum; ſed imperatum & productum mediante alia potentia, cui operi non repugnat eſſe obiectum virtutis imperantis. conſiſtit autem hic cultus partim in honore parentibus ſuo tempore & loco deferendo; partim in neceſſarijs vitæ ſubſidijs præbendis, quando ea aliunde non habent; vt ſi capti ſint ab hoſtibus liberentur: ſi egeſtate laborent, ſuſtententur: ſi preſſi mœrore, recreentur; vt colligitur Matt. 15. In quem locum vide Hieronymum & Diuum Thomam articulo ſecundo, cum enim ipſi nobis ſint cauſa vitæ & educationis, tenemur viciſſim iure naturali cuiuſdam gratitudinis, illorum vitam & ſtatum, ſi in periculo verſetur quantum in nobis eſt, conſeruare. alioquin indignus eſt vita, qui vitæ ſuæ auctorem negligit: ſicut è contrario dignus; qui fouet. vnde in lege promittitur longæuitas illis, qui parentes honorant. Neque ſolum hæc naturalia obſequium continet ille cultus, ſed etiam ſupernaturalia, quibus iuuentur ad ſalutem: nam etiam hæc illis præ ceteris debentur.

Obiectum quod & cui. ratio formalis obiectiua.

Quis cultus parentibus debitus.

Obiectum

6 *Obiectum cui* ſunt parentes & conſanguinei, patria & patriæ benevoli: pietas enim cultum defert parentibus: tanquam vitæ auctoribus, & propter parentes alijs conſanguineis, quia in ipſis parentum ſanguis exiſtit. Deinde patriæ, & propter patriã ſocijs, & patriæ fœderatis: ſicut enim cõſanguinei honore & obſequio digni ſunt, quia parentes in ipſis quodammodo conſpicimus: ita benevoli patriæ, quia in ipſis fauorem & auxilium patriæ conſpicimus.

Obiectũ cui.

7 *Rationis formalis obiectiua* poteſt conſiderari vel in *obiecto quod*, vel in *obiecto cui*. In *obiecto quod* nihil eſt aliud quam ratio *debiti*: hæc enim non ſolum tenet ſe ex parte ſubiecti ſed etiã obiecti in Iuſtitiæ partibus. In *obiecto cui* eſt ratio *principij ortus noſtri*, quæ rationes ita ſe habent, vt altera alteri ſubordinata ſit. ideo enim pietas præſtat cultum & obſequium parentibus & patriæ, quia hoc illis eſt debitum: ideo autem eſt debitum, quia ipſi ſunt principium ortus. vnde hæc eſt prima ratio obiectiua, quã hæc virtus mediatè reſpicit. ab hac autem altera illa, (nempe ratio *debiti*) quam reſpicit immediatè, ſpeciem accipit vnde etiam hæc virtus ab eadem ſpeciem habet, etſi mediatè. habet igitur ſpeciem ab vtraque ratione obiectiua, ab altera mediate, ab altera proxime. Idem cernitur in alijs Iuſtitiæ partibus vt ſup.c.2. dub.1.nu.7. dictum eſt.

Ratio obiectiua.

Verùm autem filius aliquando propter officium pietatis impediatur ab ingredienda Religione, vel ſi ingreſſus ſit, teneatur egredi, dictum eſt ſup.c.41.dub 3. vide D.Thom. qu.10. art.3.

8 Colligitur Secundò, hanc virtutem meritò ſibi primum locum poſſe religionem vindicare: quia parentes ſunt veluti ſecundarij quidam dij reſpectu filiorum, tanquam ſecundaria principia eſſentiæ, vitæ & doctrinæ. vnde repræſentant filijs quodammodo ipſum Deum, qui eſt primarius, & ſummus omnium parens. Hinc fit vt poſſit præcepta primę tabulæ, quæ ad cultum Dei pertinet, primum ſecundæ tabulæ ſit de honore parentibus exhibendo. Hæc tamẽ intellige conſiderato ſtatu hominis naturali, & intra limites legis naturæ, nam in ijs, quę ad ſtatum ſupernaturalem pertinent, parentum non eſt illa auctoritas.

9 Vnde quæ dicta ſunt de *pietate* in parentes carnales, accommodari poſſunt cuidam virtuti, quæ reſpicit debitum, quod parentibus ſpiritalibus, (qui nobis ſecundum Deum ſunt auctores vitæ ſpiritalis, per quam ſumus Chriſtiani, vel Religioſi) debemus, quæ etiam *pietas* dici poteſt, ſicut illi *parentes* dicuntur: non enim his minus debetur, quã parentibus carnis; quia ab illis naturæ diuinæ communionẽ & vitam quandam ſupernaturalem accepimus, ſine qua parum proderat totum id, quod a parentibus carnis noſtræ habemus. ſed hæc virtus non diſtinguitur ab *obſeruantia* ſupernaturali.

Pietas in parentibus ſpiritalibus.

DVBITATIO II.

Quid ſit obſeruantia.

D. THOM. quæſt. 132.

10 RESPONDEO, Sicut virtus *pietatis* defert cultum parentibus, quia ſunt auctores vitæ & educationis, ita *obſeruantia* omnibus Superioribus, quia ſunt auctores noſtræ gubernationis: quicumque enim nos aliqua in re gubernant, aliquo cultu digni ſunt; & cultus eis, ratione huius eminentiæ coniunctæ cum beneficio gubernationis, eſt debitus. Sic honor & obſequium debetur magiſtro à diſcipulo, duci à milite, Magiſtratui à ciue, Principi a ſubdito, Abbati à Monacho, Epiſcopo à Clericis, domino a ſeruis. in his enim omnibus eſt excellentia quædam & auctoritas per quam gubernant alios.

Quibus deferenda.

11 Dices, Non ſolum eos, qui nos gubernant, obſeruantiæ cultu proſequimur, ſed etiam eos, qui ſapientia, ſanctitate virtute, & auctoritate ſunt inſignes; quamuis nullã in nos iuriſdictionem habeant, aut nulla in re nos dirigant: ergo hæc virtus non reſpicit debitum ex gubernatione proueniens.

Obiectio.

Reſpon. Extendit ſe primariò ad eos, qui actu gubernant? ſecundario ad idoneos gubernari.

Reſpondeo negando conſequentiam; quia etſi illi actu nulla in re nos gubernent. tamen idonei ſunt gubernare ratione excellentiæ, quam habent: & ideò cultus illis debetur. Itaque obſeruantia reſpicit tamquam *obiectum cui* id, quod eſt principium gubernationis actu vel potẽtia, vt docet D.Thom.2.2.ad 2. primario tamen id, quod actu gubernat; ſecundariò quod aptum eſt gubernare. quare cùm omnis virtus ad hoc rectè diſponat hominem, facit eum obſeruantiæ cultu dignum, vt docet Caiet.c.103 art.4.quamuis debitum erga hunc hominem non ſit tantum, quãtum erga illum, qui actu gubernat. cuius ſignum eſt, quod ſi omittas cultum debitum Superiori, poſſis puniri per leges, ſecus ſi cultum alijs debitum negligas; quamuis in hac omiſſione peccatum eſſe poſſit.

Hinc patet Primò, Quid ſit *obſeruantia*; eſt enim virtus cultum deferens Superioribus & alijs perſonis excellentibus, quę nos gubernant, vel gubernare ſunt idoneæ, vbi explicatur actus virtutis, & obiectum quod; & obiectum cui & ratio obiectiua. actus enim eſt, *exhibere cultum*, id eſt, honorem & obſequium, quando ratio poſtulat. Idem cultus, eſt *obiectum quod*, cum ſit opus externum virtutis, quod virtus intendit. *Obiectum cui* eſt Superior & quæuis perſona excellens. *ratio obiectiua* in obiecto cui eſt excellentia, vt eſt principium gubernationis actu vel poteſtate. hinc oritur *ratio obiectiua proxima* quæ cernitur in *obiecto quod*, nempe ratio debiti ob talem cauſam.

12 *Quid ſit obſeruantia. Obiecta eius.*

Ex quibus facilè intelligi poteſt definitio illa, quam ex Cice. refert D.Aug.l.83.qq. qu. 31. *Obſeruantia eſt per quam homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam & honore dignamur.*

Patet Secundò Quid interſit inter pietatem, & obſeruãtiam: *pietas* enim defert cultum debitum alicui vt principio ortus & educationis; *obſeruantia* debitum vt principio gubernationis, quæ debita ſunt diuerſæ rationis, ſicut & beneficia & cauſæ ex quibus oriuntur. vnde

13 *Diſcrimẽ pietatis & obſeruantiæ.*

Patet Tertiò *Pietatem* eſſe præſtantiorem obſeruantia, per ſe loquẽdo; & ceteris paribus magis obligare; vt docet D.Thom.2.2.3. quia maius, magiſque intimum eſt beneficium ortus & educationis, quàm gubernationis reliquæ vitæ, in eodem ordine rerum.

14

Dices, Magis obligamur erga Principem quam erga parentem: ſi enim vterque eſſet in extrema neceſſitate, Princeps eſſet parenti in ope ferenda præferendus: atqui Princeps colitur *obſeruantia*, parens *pietate*, ergo obſeruãtia magis obligat quàm pietas.

Reſpondeo Principem eſſe parenti præferendum, non præciſè vt me gubernat, quo modo illi debeo *obſeruantiam*; ſed vt patriam gubernat, & commune bonum continet, qua ratione illi debetur officium *pietatis* vel *Iuſtitiæ legalis*. *pietatis* quidem, quia hæc eſt etiam ad patriæ benevolos & benefactores; *Iuſtitiæ legalis*, quia bonum commune continet. Pari modo patria colitur officio *pietatis*, ſi ſpectetur vt principium ortus; *Iuſtitia* verò *legalis*, ſi ſpectetur vt quoddam totũ, ſeu corpus politicum, cuius ego ſum pars. reſpectus enim & debitum partis ad totum, ad Iuſtitiam legalem pertinet, vt ſup.cap.1.dubit.3.ex D.Thom. dictum eſt. Denique etiam *obſeruantia* coli poteſt patria, ſi conſideretur præciſè vt eſt mihi auctor gubernationis per ſuas leges & ſtatuta. potius tamen erga patriam, ſicut & erga parentem dicitur eſſe pietas, quàm obſeruãtia: vel quia illa virtus eſt præſtantior & præcenit alteram; vel quia parens & patria potius ſonant principium ortus, quàm gubernationis.

15 *Quomodo Princeps parente præferendus.*

Porrò Primus gradus huius virtutis, ſicut & pietatis eſt propoſitum, quo quis ſtatuit parentibus & maioribus omnibus honorem & obſequium debitum impendere.

16 *Gradus obſeruãtiæ, & pietatis.*

Secundum eſt, Aequo animo ferre eorum moleſtias, aſperitatem, moroſitatem, iniurias; nec propterea ab officio deſiſtere, iuxta monitum Sapientis, Eccleſiaſtic 3. *Fili, ſuſcipe ſenectam patris tui & noli contriſtare illum in vita illius. & ſi defecerit ſcientiam eius, da veniam illi, & ne ſpernas illum in virtute tua; elemoſyna enim patris non erit in oblivione.* ſi tamen in via Domini (vt in conſilijs Chriſti ſequendis) impedire vellent, non ſunt hac in re tolerandi; vnde Dominus Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & filios, & fratres, & ſoroses; adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* In quem locum vide Gregorium homil.37.in Euangel. Rectè Chryſoſtomus homil.84. in Ioannem: *Sicut cum ſpiritualia impedunt parentes, ne cognoſcendi quidem ſunt: ita cum nihil impediunt merità omnia illis tribuenda, & omnibus anteponenda.* Hieronymus epiſt.1. quæ eſt ad Heliodorum: *Licet parentes*

17 *Parentes ſi officiunt pietati, non ſũt audiendi.*

ex colle pendeat nepos; licuat sparso crine & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; stet in limine pater intentus; per calcatum perge patrem; siccis oculis ad vexillum crucis evola; solum pietatis genus est, in hoc te esse crudelem. vide totam illam epistolam. Idem tradunt reliqui Patres.

Tertius est, Cum voluptate illis seruire, & incommoda eorum tolerare. vide plura apud nostrum Bernardin. Rossignol. l. 4. de præfect. Christ. c. 23.

DVBITATIO III.

De diuisione obseruantiæ.

18 MVLTÆ sunt obseruantiæ species, sicut & multę dignitatum & excellentiarum. Ille tamen magis interna æstimatione & affectu reuerentiæ distinguuntur, quam opere externo, vt patet ex dictis c. 36. dub. 2. Idem enim opus externum, vt procedit a diuerso affectu interno, & ad testandam diuersam excellentiam ordinatur, est diuersæ speciei moralis & diuersæ virtutis.

Obseruantia politica. Primò igitur diuidi potest obseruantia in *politicam*, & *religiosam*. *Politica* est quæ ob dignitatem politicam vel excellentiam humanam cultum defert: talis est qua coluntur Principes, Magistratus, & alij dignitate sæculari conspicui: item magistri a discipulis, domini a seruis, patroni a clientibus.

Religiosa. 19 *Religiosa* est, quæ ob dignitatem vel perfectionem cum religione coniunctam vel diuinum numen respicientem, cultum exhibet; vt quando quis honoratur vt sacerdos, vt Propheta, vt sanctus, vt beatus. Dicitur *religiosa*, non quia actus eius est a virtute religionis, sed quia ipsi religioni affinis, & cum ea coniunctus.

Naturalis. Hæc rursus duplex est, alia enim est *naturalis*, qualis fuisset in statu nudæ naturæ, & modo esse potest vbi sacerdotium & cultus diuinus sola ratione naturali vel colitur, vel æstimatur. Alia *supernaturalis*, quæ ob ministerium supernaturale, vel ob aliquam excellentiam supernaturalem cultum defert: talis est qua honorantur sacerdotes, Episcopi, Pontifices, & alij Ecclesiæ ministri & Religiosi; si tamen eorum dignitas apprehendatur & æstimetur vt oportet: cum enim hæc non sit politica, sed supernaturalis, & ad Deum spectalem ordinem habeat; necesse etiam est vt æstimatio interna, affectus reuerentiæ, animique submissio sit alterius rationis, quam in cultu politico; & consequenter externus quoque cultus, quo hanc submissionem nostram & illorum excellentiam testamur, induit alterius virtutis rationem; signum enim accipit speciem ex ordine ad rem signatam. Multum ergo fallumur hæretici, cum putant homines in hac vita non posse nisi cultu politico coli. qui. n. ob c usam sacram & supernaturalem defertur, sacer est & supernaturalis, non politicus; etsi externa nota submissionis politico cultui accommodetur.

Supernaturalis.

Dulia. 20 *Supernaturalis obseruantia* diuiditur in *duliam* & *hyperduliam*. *Dulia* dicitur, quæ cultum exhibet beatis, ob sanctitatem vel beatitudinis statum. eamdem puto etiam extendi ad viatores, quando ob sanctitatem vel dignitatem supernaturalem honorantur: sanctitas enim huius vitæ & futuræ est eiusdem ordinis; etsi ibi sit perfectior.

Deferuntur tamen sanctis beatis quidam externi cultus quibus eorum gloria significatur; qui non consueuerunt mortalibus tribui. Ad eumdem ordinem pertinent dignitates & officia Prælatorum, & aliorum ministrorum Ecclesiæ. Meritò autem vocatur hic cultus *dulia*, quia Sanctos debemus æstimare & reuereri tamquam nostros dominos, & summa animi demissione nos erga illos veluti serui erga dominos gerere; felices nos ducendo, si in seruos recipere dignentur.

Hyperdulia. *Hyperdulia* vocatur, quæ cultum exhibet creaturæ ob singularem & præcellentem ad Deum vnionem aut respectũ; vt Beatæ Virgini, quia mater Dei, & humanitati Christi, quia Verbo diuino subsistentialiter vnita. esse enim matrem Dei, est singularis & suprema quædam dignitas, qua maior infra Deum, seu in suppposito, quod non est Deus, cogitari non potest; ratione cuius debetur ei singularis æstimatio, reuerentia, & submissio animi, ab omni creatura rationali. vnio verò hypostatica cum Verbo, est summa dignitas creaturæ cõmunicabilis, quia per eam creatura efficitur Deus. quia tamen non efficitur Deus per essentiam, sed per vnionem & communicationem idiomatum, ideò si ipsa confingeretur præcisè vt terminus integer cultus, non colitur latria sed hyperdulia. de quo plura diximus 3. p. quæstione 25.

Vtrum sit vnus habitus. 21 Vtrum autem sint habitus specie diuersi, a quibus hi cultus procedunt, non ita constat. valdè probabile est cultum hyperdulię & etiam duliæ, qui defertur ob aliquam dignitatem vel relationem supernaturalem ad Deum, posse elici ab habitu religionis; quia tota ratio colendi est Deus, seu respectus ad Deum. quamuis etiam probabile sit dari proprium habitum & distinctum, qui absque consideratione Dei, immediate possit, ob illas morales dignitates & excellentias, cultum interium & externum exhibere: sicut in habitus intellectus, etiamsi ex vi assensus principiorum possis assentiri conclusioni, tamen datur habitus scientiæ, quo immediatè possimus assentiri conclusioni, absque cõsideratione principiorum. Quod attinet ad cultum, qui defertur ob beatitudinem vel sanctitatem, hic omnino referendus est ad habitum à virtute religionis distinctum. vide sup. c. 36 dub. 3.

DVBITATIO IV.

Quid obedientia, & quænam eius functiones.

D. THOMAS Quæstion. 104.

NOTANDVM est *obedientiam* dici quasi *ob audientiam*, quod vox & præceptum Superioris audiatur & admittatur: Græci ὑπακοὴν dicunt, quasi subauditionem. accipitur autem hoc nomen tum pro *obedientia formali*, tum pro *materiali*. *Materialis obedientia* est omne opus virtutis, quo impletur præceptum, etiamsi non ea intentione expressim fiat. satis enim est illa intentione fieri potuisse; quæ intentio si adesset, illi formalem obedientiæ rationem superadderet. Hæc obedientia non est specialis virtus, sed omnes virtutes complectitur, quæ aliquē actum cadentem sub præceptum habent. 22 *Materialis obedientia.*

Formalis. *Formalis obedientia* est, quæ ideò expressè aliquid facit, quia præceptũ est. hæc est virtus specialis; quia etsi ad omnis virtus materiam se extendat, tamen suo speciali ratione honesti id facit, videlicet quatenus opus eius debitum est ratione præcepti.

Itaque *obiectum quod* huius virtutis, est omne opus præceptum. ad hoc enim volendum & faciendum hæc virtus per se & directe inclinat. *obiectum cui*, Superior; huic enim dicimur obedire. Vnde qui non habet vllum Superiorem cui possit obedire, is non habet obedientiam. quamobrem hæc virtus non conuenit Christo secundum naturam diuinam, eo quòd Superiorem non habeat: quamuis secundum naturam assumptam, quæ Superiorem habet, ei perfectissimè competat. *Ratio obiectiua in obiecto quod*, est debitum auctoritati Superioris ratione præcepti. obedientia enim vult & facit opus præceptum, quia ratione præcepti cepit certo modo esse debitum: non quidem ita quasi in commodũ vel honorem Superioris faciendum sit, sicuti opus religionis: (plerumque enim in eo spectatur commodum inferioris) sed quia ratione præcepti ita fit necessarium, vt sine aliquo contemptu interpretatiuo & vilipensione auctoritatis Superioris non possit eius executio prætermitti. Sicut cum Deus aliquid reuelat, illud obiectum ita fit necessariũ ad credendum, vt sine iniuria aliqua primæ veritatis, eius fides non possit prætermitti. Itaque quia teneor vitare illã iniuriam Superioris, teneor non omittere, sed exequi opus præceptum; & hoc debitum voco rationem formalẽ *obiecti quod*. Potest etiam dici, rationem *obiecti quod* esse specialem illam honestatem, quam accipit ex eo quòd sit præceptum auctoritate Superioris. Sicut enim ex reuelatione diuina res fit digna credita, & necessariò credenda: sic ex præcepto diuino res fit digna factu, & necessariò est facienda. Auctoritas enim diuina mediãte præcepto illam materiam veluti informat, & hanc dignitatem ac bonitatem tribuit. Sed hic modus parum differt à priore, imo prior videtur conformior praxi: quia etsi obedientia faciat opus, quia dignum est fieri ob præceptum Superioris: tamen 23

non

non ſolum dignitatem illam reſpicit, neque ea ſola mouetur, ſed potiſſimum mouetur neceſſitate; nimirum quia neceſſarium eſt factu, ne Superioris auctoritas violetur. Deinde de ratione præcepti eſt, vt non ſolum faciat opus dignum factu ob diuinam auctoritatem, ſed etiam neceſſarium: alioquin non tam erit præceptum, de cuius ratione eſt inducere obligationem, quam conſilium. *Ratio obiectiua in obiecto eius*, eſt auctoritas ſeu poteſtas Superioris. Ideo enim Superiori obediendum, quia Superior eſt, & poteſtate regendi præditus: ſicut ideo credendum Deo, quia prima veritas eſt.

Hinc patet, primam *rationem formalem obiectiuam* in
24 hac virtute eſſe *Ius & poteſtatem regendi*, ſeu imperandi.
Ius imperãdi ex triplici radice. circa quam poteſtatem conſiderandum eſt eam ex triplici radice prouenire. Primò, Ex ratione *cauſæ & effectus*: cauſa enim naturaliter habet poteſtatem in effectum. hac ratione Deus poteſt imperare omni creaturæ rationali; quia ipſe eſt auctor, & illa eſt opus & figmentum eius. Idem ſuo modo competit parentibus in filios. Secundò, Ex ratione *totius & partis*: pars enim naturaliter ſubeſt toti, & regitur à toto, hoc modo Reſpub. habet auctoritatem in ſingula membra. Tertiò, Ex ratione *agentis & patientis, vel inſtrumenti*. Agentis enim eſt mouere patiens, & cauſæ principalis ſuum inſtrumentum. Sic merito competit poteſtas in vxorem, quia naturaliter præſtantior, & in illa combinatione ſe habet inſtar agentis; & domino in ſeruum, quia ſeruus eſt inſtrumentum domini. Idem dicendum de hero & famulo conductitio. Ab his mediante commiſſione deriuatur ad alios, qui eam ex ſe non habent: ex prima enim radice deſcêdit omnis poteſtas Eccleſiaſtica, hoc eſt ea quæ gubernat in cultu diuino, & in ordine ad vitam æternam. Nã primò à diuinitate (quæ omnem poteſtatem in creaturas habet à ſeipſa ratione cauſæ) deſcendit in humanitatem, idque pleniſſimè & illimitate iuxta illud Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. A Chriſti humanitate proximè derivatur ad Summum Pontificem, ſicut ab Ordinario in Vicarium. Vnde in eo eſt tota plenitudo poteſtatis eccleſiaſticæ hominibus communicata. Ab hoc deſcendit vlterius ad omnes Rectores eccleſiarum & Religiolarum congregationum, ſecundum varias reſtrictiones locorum, perſonarum, actionum. A ſecunda radice per cõmiſſionem prouenit omnis poteſtas politica Imperatorum,
Poteſtas Politica. Regum, Principum, Magiſtratuum: & conſequẽter omniũ eorum qui ab his auctoritatem habent. Reſpub. enim libera per ſe & ex natura rei habet poteſtatem regendi ſui & omnia ſua membra: vnde eam poteſt alteri committere ſiue vni, ſiue pluribus; idque ſecundum varias limitationes & conditiones, prout ei expediens viſum fuerit. Ex tertia
Omnis ordinarius potęſt delegare. per cõmiſſionem poteſt deriuari aliqua poteſtas priuatim aliquid imperandi, & certas aliquas functiones. omnes enim cui primario aliqua poteſtas imperandi conuenit, poteſt eã alteri committere, & ſuum in ea vicem conſtituere vicarium: quia eſt ordinarius, cui vniuerſè conuenit poſſe ſuam poteſtatem delegare.

Neq; his obſtat quòd omnis poteſtas dicatur eſſe à Deo:
25 quia Deus eſt prima radix. Prouenit autem ab eo dupliciter, per poſitiuam ordinationem, & per naturalem inſtitutionem rerum. Priore modo deriuatur ab ipſo tota poteſtas Eccleſiaſtica ſeu ſupernaturalis; poſteriore tota poteſtas politica; hoc ipſo enim quo fecit ſingulos homines ſui iuris & dedit inclinationẽ ad vitam communem & politicam, cenſetur etiam dediſſe communitati, quæ ex ſingulis illis iunctis conflatur, poteſtatẽ regendi ſui, & ſingula ſua membra. Nam naturaliter ex poteſtate ſingulorum ſic in ſocietatem vitæ coeuntium reſultat poteſtas communitatis: à communitate autem vlterius per commiſſionem deriuatur ad Reges & Principes, ab his ad officiales inferiores. Hoc ſenſu dicitur poteſtas politica eſſe à Deo; non quòd poteſtas Principum aut etiam Reipubl. ſit ex immediata Dei commiſſione, ſicut poteſtas Summi Pontificis, vt quidam parũ perite voluerunt tueri: ſed ratione inſtitutionis naturæ ſocialis conficientis vnum corpus politicum. Similiter poteſtas patris in filium, & mariti in vxorẽ, eſt à Deo mediante inſtitutione, qua inſtituit procreationem liberorum, & coniugium maris & fœminæ. Domini in ſeruum eſt à Deo mediante auctoritate Reipublicę, qua ſeruitus & herilis poteſtas inſtituta; vel interueniẽte ceſſione, cum quis libertatem ſuam ſponte in ius alterius transfert, ſe illi ſeruum vel gratis vel pretio conſtituendo.

Quo modo omnis poteſtas à Deo.

Ex his perſpicuum eſt, poteſtatem imperandi eſſe quadruplicem. Alia enim eſt diuina, & alia humana: & hęc vel eſt Eccleſiaſtica, vel Politica, vel domeſtica, quibus poteſt vinculum voti vel iuramenti ſuperuenire, ita vt tenearis obedire non ſolum lege obedientiæ, ſed etiam ex voto vel iureiurando.

Dices, ſi eſt quadruplex poteſtas imperandi, ergo etiam eſt quadruplex ſpecies obedientiæ: ſicut enim poteſtates
26 ſunt diuerſæ rationis, ita etiam affectus obediendi propter illas videtur eſſe diuerſæ rationis: nam poteſtas eſt ratio formalis in *obiecto eius*: obedimus enim Superiori propter illam poteſtatem. atqui diuerſitas obiecti formalis inducit diuerſitatem ſpecificam in affectibus; ergo affectus obedienti ſunt ſpecie diuerſi. Confirmatur: quia velle facere opus, quia id debitum auctoritati diuinæ, eſt alterius rationis, quam velle idem, quia debitum auctoritati humanæ. Similimodo poſſumus ratiocinari de auctoritate Eccleſiaſtica, & Politica.
An quadruplex obedientia.

Reſponderi poſſet non eſſe magnum incommodum, ſi vbi diuerſum eſt genus poteſtatis imperandi, diuerſa quoque ſpecie ponatur virtus obediendi. Sed verius videtur virtutem obediendi, quia obeditur præcepto diuino, & qua humano, non eſſe ſpecie diſtinctam, ſed eiuſdem rationis. *Verius eſt eſſe vnius rationis.* quod indicat D. Bern. tract. de præcep. & diſpen. circa prin. *Siue Deus, inquit, ſiue homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò ad ſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum. vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Ratio eſt, quia obedientiæ non eſt operari in commodum aut honorem Superioris, ſicut facit religio: tunc enim deberet conſiderare diuerſitatem auctoritatis, & cuique congrua deferre; ſed operatur in commodum propriũ propter obligationem præcepti ſufficienti auctoritate impoſitam. Itaque reſpicit auctoritatem Superioris, non vt eſt tanta vel tanta, ſed vt eſt ſufficiens ad obligandum per præceptum. gratitas enim præcepti & obligationis in obediẽtiæ functionibus non ſequitur magnitudinẽ poteſtatis, ſed materiæ præceptæ. Cuius ratio vlterior eſt, quòd in omni poteſtate imperandi, quodammodo includatur poteſtas di- *Poteſtas diuina in omni Superiore quodammodo repetitur.* uina, à qua illa deſcendit, & omnem vim obligãdi accipit, & in omni præcepto humano (loquor de iuſto & legitima auctoritate facto) includitur præceptum diuinũ, quo præcipit Deus vt ſubditi ſuis legitimis Superioribus obtemperent, quod præceptum eſt iuris diuini naturalis. Etſi enim non teneamur iure diuino ad ea quæ ſunt iuris humani, ſi per ſe conſiderentur, ſeu in ſenſu diuiſo; tamen ſuppoſito præcepto vel iure humano, tenemur ad ea iure diuino in ſenſu compoſito, hoc eſt, ſi conſiderẽtur vt præcepto humano ſubſtant: quia iure diuino iubemur implere iuſtũ Superioris præceptum, & conſequenter ipſum opus materiale, quod ipſe præcepit. Itaque numquam obedimus præcepto humano, quin ſimul implicitè obediamus præcepto diuino: & numquam violamus præceptum humanum, quin ſimul violemus præceptum diuinum. vnde non minus violatur auctoritas diuina in tranſgreſſione præcepti humani, quam in tranſgreſſione diuini; cum in humano diuinum ſit incluſum. Confir. quia omnis poteſtas obligãdi in præcepto humano eſt ex vi præcepti diuini. Quare non eſt quòd diuerſas obediẽtię ſpecies pro diuerſitate poteſtatum conſtituamus: quod etiam docet D. Th. q. 104. ar. 2. ad 4. Quæ ibi adnotat Caiet. obſcura ſunt. Ex quibus patet, quomodo etiam in Superiore politico Deum intueri, & in eius præceptum diuinum præceptũ agnoſcere debeamus.

Ad argu. in contrarium allatum patet ex dictis. Illa enim diuerſitas poteſtatis habet ſe per accidens ad obedientiã, eſtq; ratione illius extrinſeca; quia obedientia in opere ſuo non ſpectat vt cuiq; poteſtati pro ſua dignitate ſatisfaciat quaſi honorem deferendo (hoc enim pertinet ad obſeruantiam & religionem) ſed vt præceptum Superioris impleat etiam in ſuum commodum, præſcindendo a magnitudine poteſtatis, a qua hoc præceptum eſt impoſitum. Accedit quod poteſtas ſuprema includatur implicitè etiam in infima, & hac ratione vtraque eamdem ſpecie obligationem ſuo præcepto inducit; vt oſtenſum eſt.

Ad confirmationem. Si conſideretur conditio & excellentia poteſtatis imperantis, & opus fiat affectu illi ſatisfaciendi; admiſcetur alia virtus, qua talis poteſtas honoratur: vt ſi obedias mandato diuino, quia id debitum eſt *Dupliciter poteſt quis obedire præcepto.*

tantæ maiestati, admiscetur virtus religionis: si mandato Pontificis, quia id postulat dignitas Vicarij Christi, erit actus obseruantiæ religiosæ: si mandato Principis, quia id debitum eius dignitati, erit actus obseruantiæ politicę. Itaque dum quis sic obedit, duæ virtutes concurrunt; virtus quidem obedientiæ, quatenus opus processit ex affectu satisfaciendi præcepto præcisè considerato; virtus verò religionis, vel observantiæ, quatenus simul procedit ex affectu debitum honorem & obsequium soluendi tali vel tali dignitati, seu excellentiæ. Confirm. quia dum obedio præcepto Superioris, simul honorem & obsequium ei defero: nâ tali modo operâdi tacitè insinuo internam æstimationem, quam de illius excellentia habeo; & me illi subijcio. vnde possum idipsum in obediendo expresè intendere, idque iuxta conditionem potestatis, cui obedio: atqui hæc intentio pertinet ad virtutem, qua talis potestas honoratur; ergo in tali modo obediendi illa virtus admiscetur. Insinuat hæc D. Tho. ar. 3. ad 1.

27 *An obedientia requirat præceptum.*

Diximus supra *obedientiam respicere præceptum Superioris.* Sed contra facere videtur, quod Religiosus non dicatur perfectè obediens Prælato, qui expectat præceptum, & absque eo nihil vult facere. similiter nec seruus domino nec filius patri, nec vxor marito: imò sancti Patres cõmendant maximè eam obedientiam, quæ præceptum non expectans, ad nutum obedit. vide Basil. constit. monast. cap. 23. & Bern. de præcep. & dispensa. col. 4. ergo obedientia non solum respicit præceptum, sed etiam nutum & inclinationem Superioris.

Obedientia duplicitèr accipitur.

Respondeo, *Obedientiam* sæpè accipi pro virtute, qua quis morem gerit alteri, præsertim Superiori, faciendo quod ille cupit, siue præcipiat, siue non. & hoc modo obedientia non solum respicit præceptum: (nisi hoc nomen late sumatur vt comprehendat *omne id, quod Superior fieri cupit*, etiamsi propriè non præcipiat) sed etiam inclinationem & nutum Superioris: nam huic in bonis & adiaphoris propter Deum se accommodare, per se honestum est & laudabile. Iuxta hunc modum non dicitur perfectè obediens, qui requirit præceptum proprè dictum, sed qui statim cognita propẽsione Superioris, facit opus. vide Albertus ca. 3. de virtutib. ait, *Verus obediens numquam præceptum expectat, sed solum voluntatem Prælati scitam vel credens, feruenter exequitur pro præcepto; exemplo Domini nostri Iesu Christi, cui voluntas & complacentia Patris summum præceptum fuit.* Talis obedientia maximè requiritur in Religiosis; estque necessaria, non solum ad bonam & suauem gubernationem, sed etiam ad perfectionem religiosæ vitæ. sicut enim valdè imperfectus & reprehensibilis est Christianus, qui nihil vult facere, nisi quod Deus vel Ecclesia strictè præcipit: ita valdè reprehensibilis est Religiosus, qui Superiori aut Regulis se non accommodat, nisi interueniat tale præceptum. Ratio est, quia Superior locum Dei tenet, eique loco Dei inferior se subiecit. Itaque in illo Deum intueri debet, eiusque vocem tamquam Dei vocem accipere, iuxta illud Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*; quod præclarè docet D. Bern. l. de præcep. & dispens. col. 6. Sicut ergo si à Christo visibiliter regeretur, eius voluntati morem gerere deberet, etiam absque præcepto: (id enim perfectio charitatis & religionis, ad quam Religiosus aspirat, postularet) ita morem gerere debet voluntati Superioris, qui Christi locum tenet, & eius præest nomine.

Nomen præcepti aliquãdo latè capitur.

28 *Cuius virtutis opus sit.*

Petes, Ad quam virtutem pertinet iste obediẽdi modus? nõ enim ad virtutem obedientiæ strictè acceptæ; quia non interuenit strictum præceptum.

Respõdeo, Pertinere ad virtutem illam, quæ generatim & vulgo obedientia dicitur, cuius ratio præcisè in eo consistit, quod quis se voluntati Superioris in operando accõmodet, siue præcipiat, siue non; hoc enim per se peculiarem honesti rationem & laudem habet. potest etiam esse actus imperatus religionis, charitatis & aliarum virtutum. Si enim obtemperes Superiori ex reuerentia erga Christum, cuius ille est vicarius, erit actus Religionis. Si autem quia Christo gratũ, erit actus charitatis. pari modo, si facias ex reuerentia erga Prælatum, erit actus obseruantiæ; si quia illi gratum est, erit amicitiæ seu beneuolentiæ. vide Greg. l. 4. exposi. in 1. Regum cap. 10.

DVBITATIO V.

Quæ conditiones in obedientia, præsertim religiosa, maximè commendentur.

29

RESP. Tres potissimum, *cæcitatem, promptitudinem, fortitudinem: obedientia* enim perfecta debet esse *cæca, prompta, & fortis.*

1. *Cæca obedientia.*

Cæca dupliciter, Primò, Ad imperfectiones, & vitia Superioris, vt hæc non consideret, nec ob hæc minùs ad obediendum parata sit; sed solum consideret eum, cuius locum tenet: ad hunc enim quam maximè oculatam esse decet. monet hoc Dominus, Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate & facite; secundum verò opera illorum nolite facere.* & Apostolus ad Ephesios 6. *Serui obedite dominis carnalibus cũ timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, &c.* multò ergo magis hoc requiritur in Religiosis respectu suorum prælatorum.

Secundò, Debet esse cæca ad rationes præcepti scrutandas; nempe vt non velit scire causas cur quid præcipiatur; sed satis ei sit præcipi vel proponi ab eo, qui locum Dei tenet, nec conferet per se esse illicitum. hanc conditionem maximè commendat Patres; Basil. constitut. monast. cap. 23. *Quemadmodum pastori suo oues obtemperant, & quam quamcumque quæ ille vult, ingrediuntur; sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum iussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt à peccato.* deinde docet Religiosos debere se gerere *sicut vt Homunculum tum in manu artificis*, quod sine repugnantia seruit ei ad omnia ad quæ voluerit. Cassianus de Institut. renuntiantium, libr. 4. capitul. 41. *Quarum hoc præ omnibus excole, vt stultum te seruandum Apostoli sententiam fortes in hoc mundo, vt sis sapiens; nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his quæ tibi fuerint imperata; sed cum omni simplicitate & fide obedientiam semper exhibens: illud tantum modo sanctum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel Superioris examen indixerit.* & capitul. 10. loquens de Monachis Ægypti. *Vniuersa complere quæ fuerint ab eo præcepta, tamquam si à Deo sint cuiusdam edicta, sine vlla dispositione festinant.* Diuus Gregor. lib. 2. capitul. 4. in 1. Regum. *Vera obedientia nec Præpositorum Superiorũ intentionem discutit, nec præcepta discernit; quia qui omne vtile Deo obtempe-* *randuin.* *cipitur, operatur: nefas enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.* Diuus Bernard. libr. de præcept. & dispen. col. 6. *Sine Deus, sine homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* & infra; *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus; quid enim interest, verum per se, an per suos ministros sine homines, sive Angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus;* Idem alij passim; & in primis præclare B. P. N. Ignatius in sua de obedientiæ virtute epistola.

Ratio cur hoc tantopere commendetur est Primò. Quia sine tali modo obedientiæ vix potest coalire pax & bona administratio in congregatione religiosa: erunt enim assidua disputationes & altercationes inter subditos & Superiores.

30 *Cur cæca obedientia commendetur.*

Secundò, Quia est contra humilitatem & modestiam religiosam, velle à Superioribus rationes exigere mandatorum: hoc enim non est se gerere vt subditum, sed vt parem; neque facere opus quia præcipitur, sed quia iudicatur expedire; sicut cum homo illud suo iudicio & arbitrio facit.

Tertiò, Quia debet in Superioribus agnoscere Christũ, & illis tamquam Christo obedire, vt passim docẽt Patres, & D. Bern. sup. vnde in reg. S. Benedicti dicitur, *Obedientia sua maioribus præbetur, Deo exhibetur.* Idem colligitur ex Apostol. ad Eph. 6. vbi iubet etiam seruos obedire dominis suis sicut Christo; & ex verbis Domini, Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.*

Dices, Superior non est Christus, nec infallibiliter à Christo regitur; nam & falli in Dei voluntate de rebus dubijs

bijs percipienda,& in præcipienda falliere poteſt.

Quid ſi fal-latur. Reſpondet D. Bernardus, *Quid hoc refert tua qui conſcius non es? præſertim cum teneas de Scripturis, quia labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirent; quia Angelus Domini exercituum eſt.* & infra. *A quo denique diuina potius conſilia requirantur, quam ab illo, cui credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei? Ipſum proinde quem pro Deo habemus, tamquam Deum, in his, quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus.* hæc ille. Itaque etiamſi abſolutè falli poſſit Superior; tamen id non eſt vnquam in particulari præſumendum, niſi de eo conſtet; cò quòd ſingulari modo à Deo dirigatur; vt pote ab ipſo ad alios in via ſalutis dirigendos conſtitutus.

In dubio obtemperandū. Vnde etiam quando res poſt diligentem diſcuſſionē manet dubia, & de nullius graui præiudicio agitur, debet inferior obedire, vt omnes Doctores tradūt, de quo ſupra c. 41. nu. 77. Deinde etiam ſi fortè in aliquo falleretur, id tamen inferiori non nocebit, nec quidquam de merito ipſius detrahet; quia eſt error ipſi inculpatus, qui non impedit quo minus obedientia ſit actus virtutis ex charitate vel religione proficiſcens. Sicut cum quis dat eleemoſynam homini opulento vel impio, putans eſſe pauperem vel ſanctum; actus enim ex ipſo motiuo, quo voluntas ad electionem operis impellitur, virtutis rationem accipiunt.

Certior directio ad ſalutem in obedientia. 31 His accedit quarta ratio, quòd homo in hac vita nō poſſit ſcire quid ſibi in particulari expediat ad ſalutem: ſæpe enim illa exercitia, quæ ipſi videtur maximè ſalutaria, ſunt occaſio lapſus & perditionis. vnde cuique in hac vita maximè deſiderandum eſt, vt ita à Deo in omnibus dirigatur, ſicut ipſe nouit illius ſaluti expedire: in hoc enim ſitum eſt donum perſeuerantiæ: atqui ſi hoc vllo modo à Deo obtineri poteſt, obtinetur per ſimplicem & cæcam obedientiam: ergo hæc maximi facienda. Minor probatur, quia ſi Chriſtus per ſe ipſū viſibiliter nos regeret in terris, & ad hunc finem prorſus illi nos permitteremus, & rogaremus ita ab illo regi, non eſt dubium quin nos ita regeret: ergo cum ſuo loco conſtituerit Superiores, quibus tamquam ſibijpſi voluit nos morem gerere; ſi nos illis totos permittamus propter Chriſtum. Inducia bonitatis & prouidentiæ ipſius, non videtur dubitandum quin ita nos reget, ſicut ſaluti expedire nouit: non enim minus poteſt nos regere per ſuos Vicarios, quam per ſuam præſentiam corporalem. alioquin magno nobis damno fuiſſet huius præſentiæ ſubtractio; quod tamen falſum eſſe conſtat ex Scripturis. Hæc ratio bene expenſa maxime debet mouere Religioſum vt totam vitæ ſuæ directionem Superiori pure permittat; ſibi perſuadēdo illud, quod ipſe conſtanter, meliorem exitum in ordine ad ſalutem habiturum.

2. Promptitudo. 32 Altera conditio eſt *Promptitudo* ad exequendum; nempe vt non expectet ſtrictum præceptum, non differat, non tergiuerſetur, non excuſet, non lentè & cū torpore ad opus accedat. hanc commendat Bernardus lib. de præcepto & diſpenſ. col. 4. *Perfecta obedientia legem noſcit, terminos non arctatur, neque contenta angultijs profeſſionis, largiori feruit voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne, quod mandatur, ſpontanea vigore libertatis, alacriſque animi, modum non conſiderans, in infinitum extenditur.* & tamen Superior non poteſt obligare niſi ad ea, quæ intra terminos profeſſionis continētur, vt idem docet. vnde loquitur de non obligatorijs. Idem ſermone de virtute obedientiæ; *Verus obediens mandatū non præcraſtinat, ſed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes, iuueri. & ſic ſe totum intra ſe colligit, vt mandatum peragat imperatis.* Idem commendat Baſilius c. 23. conſtit. monaſticarum.

In quib. hac promptitudo exhibenda. 33 Valdè tamen notandum eſt, non in omnibus hanc promptitudinem exhibendam; ſed in ijs tantum quæ ad Religionis exercitia, vel regularē diſciplinam, aut mortificationē pertinent. Si enim Prælatura, Epiſcopatus, vel aliud munus honorabile imponitur, non eſt ordinariè laudabile ſe promptum & alacrem exhibere; ſed expedit modeſtè deprecari, & expectare quam præceptum; præſertim ſi agatur de Prælatura extra Ordinem ſuſcipienda: ſic enim ſanctiſſimi viri fecerunt, qui quantum potuerūt huiuſmodi dignitates ſemper, detrectarunt, nec niſi compulſi acceptarunt; ita fecerūt SS. Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius magnus, Bernardus, Anſelmus, Thomas, Laurentius Iuſtinianus, & alij. Ratio eſt, quia tam multæ dotes requiruntur vt quis ſit idoneus

Digni autem non facile ac optanda.

ad Prælaturam, præſertim ad Epiſcopatum, (vt patet ex Apoſt. 1. ad Timot. 3. & ad Titum 1.) vt arrogantia ſit, putare ſe omnibus illis præditum. Accedit, quod ſtatus ille multis expoſitus ſit periculis, propter opes & honores, propter occaſiones & poteſtatem male agendi, propter onus conſcientiæ alienæ, propter defectum monitorum, propter delitias & blandimenta carnis, propter aſſiduas curas, diſtractiones, & rerum externarum tractationem, & alia id genus ſalutis turbamenta.

Confir. Teſtim. Gregorij. Confirmantur hæc omnia ex Diuo Gregorio libro 35. ſiue vltimo moralium capitulo 13. vbi docet, obedientiam in quibuſdam rebus debere nihil propriæ affectionis habere, ſed ſolo alterius imperio moueri; in alijs contra, debere multum habere de ſuo; *quia inquit, bona vnquam nobis huius mundi proſpera, non vnquam vero aduerſa ſecundum ſummopere eſt, quod obedientia aliquando ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt; aliquando autem ſi de ſuo aliquid non habeat, minima: nam cum huius mundi ſucceſſus præcipitur, cum locus ſuperior imperatur, is, qui ad peragenda hæc obedit, obedientiæ ſibi veritatem cuſtodit, ſi ad hæc etiam proprio deſiderio anhelat. vnde cum mundi deſpectus præcipitur, cum probra adipiſci & contumelia iubentur, niſi ex ipſo animus hæc appetit, obedientia ſibi meritum minuit, &c.*

Idem confirmat exemplo Moyſis et Pauli: Moyſes enim à Deo ipſo vocatus ad præfecturam populi, ex humilitate detrectat & excuſat, & alium præfici rogat. Paulus verò ex diuina reuelatione Ieroſolymam profiſcens, vbi gratia paſſurus erat, non detrectat, ſed alacriter ad omnia ſe comparat. *Moyſes itaque* (inquit Gregorius) *ad proſpera de ſuo nihil habet, quia præſidijs remittitur, ne Iſraelitica plebs præferantur. Paulus ad aduerſa etiam ex ſuo vero ducitur; quia malorum imminentium cognitionem præcipit, ſed deuotione ſic virtus etiam ad meliora ferueſcit. ille præſentis poteſtatis gloriam Deo volente iubente declinare: iſte Deo dura & aſperaa diſponente, ſe ſtuduit ad grauiora præparare. Præeunte ergo vtroque ducum inſracta virtute inſtruimur, vt ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, proſperis huius ſæculi ex ſola ceſſione, aduerſis autem etiam ex deuotione multemur.* Hæc ille.

Dices, Religioſus voluntatem Superioris ducere debet pro diuina: atqui fas non eſt diuinæ voluntati refragari: ergo. 34 *Obiectio.*

Reſpond Maior vera eſt: Primò, In præceptis. Secundò, Extra præceptum, in ijs, quæ pertinent ad vitæ directionem, & exercitia Religionis. Tertiò. In honoribus vero & Prælaturis acceptandis, non eſt voluntas diuina vt illam acceptemus; ſed vt quantum in nobis eſt declinemus, deprecemur, & expectemus præceptum. Idem placet prudēti Superiori, qui etiam huiuſmodi declinationem laudare, & celerem acceptationem vituperare conſueuit. facit enim inferior declinando huiuſmodi, conſentaneè ſuo ſtatui; ſicut & Superior imponendo: quare vterque facit laudabiliter. Itaque inferior declinando non facit contra voluntatem Superioris, niſi materialiter, donec accedat præceptum. Quod confirmatur exemplo Moyſis, qui detrectabat præfecturam populi, quam Deus illi volebat imponere; quia in re non faciebat contra voluntatem diuinam, niſi materialiter; nam Deo idipſum placebat; vt ex Gregorio dictum eſt; niſi cum nimium tergiuerſabatur; tunc enim dicitur iratus Dominus, Exodi 4. ver. 14. vt ſciamus in hac quoque re modum ſeruandum. *Reſp.* *Declinando non facit cōtra voluntatem rationabilem Superioris niſi materialiter.*

Tertia conditio eſt, *Vt ſit fortis*, ſcilicet in opere præcepto aggrediendo, & perſeuerando in illo, vt non detrectet exequi difficilia, & poſtquam inceperit, non reſiliat ob difficultates occurrentes. Huius exemplar exhibuit *Dominus factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis* ad Philipp. 3. Hanc fortitudinem commendat D Baſilius capitul 20. monaſt. conſtitut. *Oportet*, inquit, *in primis, vt is, qui ſe ad vitæ huius rationem contulerit, ſtabilis, firma, immobilisque voluntatis conſtantia ſit, indoleque talis, vt à malignis ſpiritibus neque concuti, neque loco pelli queat. Deinde animi firmitate tanta, vt ad mortem vſque conſtantiam martyrum exhibeat, tum diuinis præceptis retinendis, tum obedientia erga magiſtros ſuos confirmanda. hoc enim totius vitæ inſtituti eſt caput.* Chryſoſtom. homil. 3. in 2. ad Corinth. valdè fusè. Caſſianus de Inſtitut. renunciant. lib. 4. capit. 20. & alij. 35 *3. Fortitudo.*

Petes

36 *An ſit aliis virtutibus præſtantior.*

Petes, Vtrum obedientia ſit præſtantior ceteris virtutibus?

Reſpondeo, Poſſe id quæri, vel de obedientia omnibus Chriſtianis communi, quam *Chriſtianam* vocare poſſumus: vel de *obedientia religioſa*. Si loquamur de *Chriſtiana*, hæc eſt præſtantior ceteris virtutibus moralibus, excepta religione. Ratio eſt, Primò, quia per hanc virtutem homo ſe ſubijcit Deo, Superioribus eccleſiaſticis & temporalibus, in omnibus eorum præceptis exequendis, quæ ſubiectio valdè difficilis eſt, & ad plurima ſe extendit: hoc autem multò præſtantius eſt, quam reſtituere ablata, ſeruare modum in voluptatibus, & cetera, quę per alias virtutes morales à religione diſtinctas, præſtantur. Secundò, Quia continet actiones omnium virtutum, quatenus ſunt in præcepto, reſpicit enim debitum, ſeu obligationem ex præcepto prouenientem in omni virtutis materia. Tertiò, Quia *obedientia ſola virtus eſt, quæ ceteras mente inſerat, inſeraſque collocet*, vt S. Gregorius lib.vlt. moral capit. 12. ex motiuo enim obedientiæ homo impellitur ad officia & functiones omnium virtutum, (v.g. nunc ad ieiunium, nunc ad audiendum Sacrum, nunc ad frequentanda Sacramenta, nunc ad eleemoſynam, & ſic de ceteris) per quas functiones illæ virtutes generantur, augentur & conſeruantur.

Chriſtiana obedientia præſtantior ceteris moralibus, excepta religione.

Obedientia ceteras virtutes inſerit.

Non tamen eſt prima.

Hinc tamen non ſequitur eſſe omnibus virtutibus priorem: tum quia illa neceſſario prior eſt, qua auctoritas præcipientis innoteſcit, nempe fides: tum quia ſæpè actus aliarum virtutum ſunt abſque præcepto; tum quia infuſio gratiæ & virtutum poteſt præcedere omne opus virtutis, vt patet in paruulis. Ita D. Thomas art.3.ad 2.

Non eſt præſtantior theologicis & religione.

Similiter non ſequitur eam eſſe præſtantiorem theologicis, quia hæ immediatè cum Deo mentem coniungunt, & ad omnes alias ſe extendunt; fides dirigendo, ſpes & charitas imperando; idq; ex alteriori motiuo; nec tantum ad opera præcepta, ſed etiam ad conſulta pertinent. Idem dico de virtute religionis: hæc enim ipſum Deum colit; cùm obedientia eius præceptum dumtaxat intueatur. Deinde religio officia aliarum virtutum non minus ad ſuum finem quam obedientia refert. Nec obſtat quòd *obedientia ſola* dicatur ceteras virtutes menti inferre; quia *ſola* obligat ad actus omnium virtutum, nimirum quando ſub præceptum cadunt; & ſola omnia præcepta intuetur, quæ dum ſeruantur, omnes virtutes acquiruntur.

37 *Obedientia religioſa præſtantior.*

Si de *obedientia religioſa* agatur, hæc etiam ceteris moralibus, etiam obedientia communi (non tamen religione) eſt excellentior. Primò, Quia per illam homo non ſolum in communibus & aliàs præceptis, (vt obedientia communis) ſed etiã in totius vitæ directione ſubijcit ſe alteri propter Deum: itaque deſert propriam voluntatem & poteſtatem viuendi arbitrio ſuo & conſequenter omnia ſolatia & oblectamenta quæ homines hinc capere ſolent. quod ſanè maius eſt & difficilius, quàm relinquere opes, aut honores, aut carnis oblectationes. opes enim & honores ſunt bona externa, quæ interdum ethnici propter cognitionem rerum naturalium adipiſcendam deſeruerunt; oblectationes carnis ſolum ad corpus & ſenſus externos pertinent, & cũ turpitudine, verecundiaque coniunctæ, vnde etiam à multis ethnicis ſpretæ. At poteſtas viuendi iudicio & arbitratu ſuo eſt bonum ſpiritale, & præcipuum hominis, quâ homo eſt, quod nullus vnquam philoſophus ſibi contemnẽdum aut deſerendum duxit. Itaque hoc ipſum propter Deum relinquere, eſt maioris perfectionis & meriti, quam relinquere opes, vel honores, vel carnis illecebras.

Cõfirmatur; quia in eo deſeritur proprium iudicium & arbitrium in vitæ directione; ac proinde omnia ea, quę homo iudicio ſuo agere, pati, conſequi, habere, retinere, elargiri poteſt. Itaque per hanc obedientiam homo non minus deſerit ſponte, quàm per ſeruitutem amittit inuitè; quæ tamen morti æquiparari ſolet.

38 Secundò, Quia cum in hac obedientia ſubijciat ſe Religioſus homini propter Deum, includit ipſa non ſolùm nudam virtutem obedientiæ, quæ reſpicit debitum præcepti, ſed etiam virtutem religionis & charitatis; vt colligitur ex D. Thom. art.3.ad 1.

Tertiò, Quia obedientia religioſa eſt ex voto; hæc enim ſubiectio Deo promittitur: vnde eſt inſtar ſacrificij, quo homo ſeipſum totum, animam & corpus, intellectum & voluntatem, & totam vitæ rationem Deo offert. Itaque etiam hac ratione includit virtutem religionis.

Obedientia quomodo melior quam victima.

Hinc facilè intelligi poteſt quomodo *melior ſit obedientia quàm victima*: etſi enim oblatio victimarum ſit actus religionis; tamen ſubiectio ſuæ voluntatis ſub Deo (in qua conſiſtit obedientia) eſt etiam actus religionis, ſi fiat ex voto, aut ex reuerentia erga maieſtatem diuinam; uel charitatis, ſi ſtudio gratificandi Deo. deinde res nobilior exhibetur: nam vt ait Gregorius lib.vlt.moral.cap.12. hunc locum ad ſuum propoſitum exponens uel accomodans, *Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur*, id eſt, propter Deum deſeritur. Quamuis alium ſenſum uideantur habere uerba illa; (quæ ſunt Samuelis & Saul 1.Reg.15.) nimirum melius eſſe omiſſis victimis non præceptis, facere quod Deus præcepit; quàm omiſſo diuino præcepto offerre victimas uoluntarias, aut etiam prohibitas, ſicut fecit Saul.

Ex dictis colligi poſſunt quatuor obedientiæ gradus.

Primus eſt, Exequi externùs quòd præcipitur.

39 *Quatuor gradus obedientiæ.*

Secundus eſt, Voluntatem ſuam omnino ſubijcere voluntati Superioris, ita vt libenter facias propter Deum, quidquid ipſe mandauerit.

Tertius eſt, Subijcere iudicium ſuum iudicio Superioris credendo id melius eſſe, vel meliorem exitum habiturũ quod ipſe iuſſerit.

Quartus, Hæc obſeruare non ſolùm in ijs, quæ ſtrictè præcipit, ſed etiam quæ non præcepit, ſed ſolùm fieri deſiderat.

DVBITATIO VI.

Quid inobedientia, & quale peccatum.

D. THOM. quæſt. 105.

SICVT dictum eſt *obedientiam* duplicitèr accipi: ita quoq; *inobedientia* dupliciter vſurpatur, *materialiter*, & *formaliter*. *Materialis inobedientia* eſt cuiuſuis præuaricatio. hoc modo omne peccatũ eſt inobedientia quædã; nã per omne peccatũ violatur aliquod præceptum magnũ vel paruum, in re graui vel leui, cum perfecta vel imperfecta animaduerſione; adeò vt contradictionem implicet, eſſe peccatum, & non eſſe contra præceptum. Itaque hæc notio inobedientiæ includitur in omni peccato, tanquam rõ generica, vel vt circũſtantia quædã generalis. iuxta diuerſum modum explicandi rationem peccati. Simili modo in omni peccato eſt offenſio Dei, quatenus eſt contra amicitiam & amorem ipſi debitum; vilipenſio & quidam contemptus, vt eſt contra æſtimationem Dei; irreligioſitas, vt eſt contra reuerentiam & honorem: ingratitudo, vt eſt contra beneficiorum ipſius recognitionem. *Inobedientiæ* tamẽ ratio clariùs apparet in omni peccato, magiſque videtur intrinſeca: quia deſciſcere à lege, & regula operandi, in omni genere peccatum dicitur. vnde *peccatum* ex D. Ambroſio definiri ſolet *celeſtium inobedientia mandatorum, & diuina præuaricatio præcepti*.

40 *Omne peccatum inobedientia quædam eſt.*

Multa turpitudines & malitia generales in omni pec.

Formalis eſt, quando quis præceptum violat ea intentione vt illud violet, & ei ſuo facto aduerſetur. hac ratione eſt propria ſpecies peccati ab alijs diſtincta, per quam contemnitur præceptum, vel ipſe præcipiens.

Formalis inobedientia.

Notandum autem eſt, hanc inobedientiam eſſe contra 41 duplex præceptum, videlicet contra præceptum, quod expreſſa intentione violatur, à quo habet ſuam ſpeciem, & rationem inobedientiæ formalis & contra præceptum, quo talis violatio prohibetur. Non contemnes præceptum Superioris, non violabis ex contemptu: & hinc habet rationem generica, ſicut alia peccata: nam hoc modo eſt contra præceptum materialiter, & ſolùm materialis inobedientia; cùm hoc præceptum non contemnatur.

Petes Primò, Vtrùm ſicut datur præceptum, quo vetatur inobedientia formalis, ita quoque detur præceptum, quo obedientia formalis præcipiatur.

An obedientia formalis ſit præcepta.

Reſpondeo non dari ſi loquamur de executione bonorum operum. ratio eſt, quia nunquam eſt neceſſarium vt faciamus opus bonum præcise quia debitum ex præcepto ſufficit vt illud facianus propter intrinſecã ipſius honeſtatem, aut vt Deo placeamus: ſic enim abundè ſatisfacimus præcepto: *plenitudo enim legis eſt dilectio*. Itaque nullum inuenitur præceptũ Dei, aut Eccleſiæ, quo iubeamus

mur facere opus hac intentione: omnia enim præcepta iubent opus fieri ſimpliciter ſecũdùm propriam honeſtatẽ.

43 Nec obſtat præceptum, quo iubemur *obedire Superioribus, eiſque ſubiacere:* hunc enim ſatisfit, partim ſi ea, quæ iubent faciamus, etiamſi nõ illa intẽtione formali ſatisfaciẽdi præcepto: partim ſi velimus illis ſubeſſe, quod velle poſſumus propter amorem Dei, abſq; formali affectu obedientiæ. Dum tamen implemus aliquod præceptum, obligamur non habere intentionem impletioni contrariam: hoc enim eſſet contemnere præceptum. cum hac tamen intentione non implendi præceptu poteſt impleri præceptum re ipſa; ita vt non ſis illius prævaricator, nec tenearis rurſus opus præceptum exequi: nam per præceptum ſolam intenditur vt opus virtutis fiat, non autem vt affectu ſatisfaciendi præcepto fiat. vt tamẽ cuites internum peccatũ cõtra præceptum, requiritur vt revoces animum non implendi præcepti; & ita cupias opere illo præcepto ſatisfeciſſe obligationi. Ordinariè tamen homo non implet præceptum, niſi cum expreſſa, vel implicita intentione implendi: quia ſine intuitu præcepti vix fieri poteſt vt opportunè ſe applicet ad operis præcepti executionem. In executione tamen non tenetur hoc motivo vti, ita vt opus illo procedat, ſed ſatis eſt vt procedat ex affectu propriæ honeſtatis.

44 *An poſſit hic modus præcipi.* Petes Secundo, Vtrũ Prælatus non poſſit imperare ſubdito ſuo Religioſo, vt hoc modo operetur.

Reſp. Verius videri non poſſe, ratio eſt, quia iſte modus operandi non eſt neceſſarius vt opus ſit actus virtutis; poteſt. n. eſſe actus virtutis ratione propriæ bonitatis, vel quia ſit ex affectu charitatis aut religionis, abſq; intuitu præcepti. vnde non videtur ſubeſſe iuſta cauſa, cur talis modus operandi præcipi poſſit circa aliquod opus. Sed nec ſecundum ſe præcipi poteſt, nempe vt velis & proponas ſic operari. tùm quia ſi non poteſt præcipi vt ſic opereris: multò minus vt ſic velis operari; velle. n. eſt propter operari; tum quia actus interni ſecundum ſe præcipi humana poteſtate non poſſunt, ſed ſolum vt ſunt neceſſarij ad conſtituẽdum actum externum in aliqua ſpecie virtutis, vt plerique DD. tenent: vel poſſunt præcipi, non tamen omnes, ſed ij tantũ ad quos iure diuino vel naturali, abſq; determinatione temporis, loci, vel modi aſtringimur; in quibus poteſtas Eccleſiæ hæc poteſt determinare. de quo plura 1. 2. q. 96.

45 Petes Tertiò, Quale peccatum ſit formalis inobediẽtia.

Reſpõdeo, Ex genere ſuo eſſe peccatũ mortale poteſt tamen eſſe peccatum veniale, vel defectu perfectæ attentionis, vel ratione leuitatis materiæ. materia autem leuis hic, eſt præceptum de re leui, vel quod ſolùm obligat ſub peccato veniali. Ita Valentia diſp. 7. q. 3. puncto 3. Idem inſinuat Caiet. in Summa v. Inobedientia, dicens, *in inobedientia formali intervenire peccatum veniale, propter imperfectionem actus, vel materiæ minimæ.* & Lopez 1. p. c. 55. in fine. Verùm hoc eget limitatione & explicatione. Dicendũ igitur hanc inobedientiam naſci immediatè vel ex cõtemptu præcepti vel præcipientis. Si ex contemptu præcipientis, vel cõtemnitur expreſſè Deus ipſe; & hoc eſt directè contra æſtimationem & reuerentiam ipſi debitam, ac proinde contra virtutem religionis, quæ tota tali contẽptu euertitur; vnde eſt graue peccatum mortale. Vel cõtemnitur homo, qui eſt Superior; & tunc conſiderãdum eſt quomodo contemnatur. ſi. n. contemnas ipſam potestatem, tãquam nullius momenti; vel ipſum hominem (etiam ob aliam cauſam) ita vt abſolute nolis illi parere, erit peccatum mortale. Si autẽ non cõtemnas poteſtatem, nec recuſes parere in rebus maioris momenti; etiamſi contemnas perſonam ob defectum eruditionis, prudentiæ, nobilitatis, &c. & ex hoc contemptu aliquod præceptũ eius in re leui violes, fortè non erit mortale. Similiter ſi offenſus Superiori, quaſi in vindictã id facias: negari tamen nequit quin ſit graue peccatum veniale.

Quale peccatum.

Contemptus præcepti & præcipientis.

Si autem naſcatur ex contemptu præcepti tantum; vel 46
eſt præceptum rei grauis, & ſic eſt etiam peccatum mortale: vel eſt rei leuis, & minoris momenti: eſſque vel præceptum diuinum vel humanum. ſi ſit diuinum, & contemnas tanquam inutile aut vanũ, & ideò nolis ei parere, ſine dubio eſt peccatum mortale: continet enim tacitam blaſphemiam. Si non reputes inutile, ſed ſolum parui æſtimes, quia non obligat ſub peccato mortali; & ideò violes, forte non erit peccatum mortale: erit tamen graue veniale, quia magna eſt inordinatio, ſi ideò pecces vt offendas te peccatum veniale parui facere. Si autem non ſit præceptum diuinũ, ſed humanum, & in materia leui, facilius poteſt eius contemptus eſſe peccatum veniale: quia homo poteſt in præcipiendo errare; & cum hoc ſtare poteſt obedientia, reſpectu præceptorum maioris momenti.

Cetera, quæ de præcepto & obediẽtia dici poſſent, pertinent ad 1. 2. q. 96.

CAPVT XLVII.

De virtutibus Iuſtitiæ annexis, in quibus eſt ſolùm debitum mortale.

Conſtat Dubitationibus 9.

TALES ſunt Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia, Liberalitas, Æquitas; quibus ſua vitia oppoſita adiungemus.

DVBITATIO I.

Quid ſit gratitudo, & quod eius officium.

D. THOM. quæſt. 106.

1 *Gratitudo quid.* GRATITVDO generatim eſt virtus, quę reſpicit debitum ex beneficio accepto natum, & ut illi aliquo modo ſatisfaciat, rependit aliquid benefactori; ut actionem gratiarum, obſequium, cultum, vel aliud beneficium. Itaque extendit ſe ad omnes; à quibus aliquid beneficij accepimus: nimirum ad Deum, parentes, Superiores, & homines priuatos.

Verùm autem ſit una virtus, ut ad omnes hos ſe extẽdit, an plures, ita tamen ut idẽuficetur religioni, pietati, & obſeruantię, quatenus earum obiecta reſpicit, dubium eſt.

Videri poſſit eſſe una, Primò, Quia *obedientia* ſtatuitur una virtus, eo quòd reſpiciat debitum ortum ex præceptis; nec diuerſa eſt pro diuerſitate præcipientium, aut præceptorum: ergo ſimiliter *gratitudo* erit vna virtus reſpiciens debitum proueniens ex beneficio accepto, nec erit diuerſa pro diuerſitate beneficiorum, aut benefactorum. videtur ſiquidem vtrobique eadem ratio. 2 *An ſit una communis gratitudo.*

Secundo, Compenſare pro ſuo modulo beneficium acceptum, à quocumque demum acceptum ſit, habet peculiarem rationem boni; ſicut ſatisfacere præcepto, à quocũque demum ſit impoſitum, ſpecialem honeſtatem & laudẽ continet: ergo eſt aliqua peculiaris virtus, quæ hanc rationem honeſti præcisè & nudè conſideratam reſpiciat, nimirum virtus gratitudinis.

Tertiò, Etiamſi homo interdum ſe applicet ad colẽdum Deum ex intuitu beneficiorum; tamen ratio formalis cur Deum colat non ſunt beneficia, ſed eminentia primi principij. ideò enim cultu latriæ dignus eſt, eique hic cultus cõgruit, non quia beneficia contulit, ſed quia habet excellentiam primi principij rerum. beneficia quidem obligant nos ad

Beneficia ſint cauſa impellimand actus.

religionis, pietatis & obseruantiæ.

ad cultum; (non enim aliter possumus pro illis satisfacere, nisi reddendo cultum) ipse tamen cultus formaliter non impenditur ob beneficiorum collationé; sed beneficia sunt causa impulsiua & applicatiua animi ad cultum, sicut præceptum in omnibus virtutibus; non autè formalis ratio eo lendi. honoramus enim Regem propter beneficia, tamquã causam impulsiuam; propter dignitatem regiam, tamquã causã formalem. vnde consequens videtur, *gratitudinem* qua gratificamus erga Deum, distingui à virtute *religionis*, qua verò in parentes, à virtute *pietatis*, qua in Superiores, à virtute *obseruantiæ*, erit enim vna virtus, quæ vniformiter debitum ex beneficio natum respiciet, & pro eo satisfacere studebit, quamuis actus, quos ob hunc finem imperat, sint diuersarum virtutum. Hæc sententia est valde probabilis, & facilè defendi potest.

Valdè probabile est esse eam communem d. Bonam.

3 *Contraria magis ex mente D. Th.*

Nihilominus contraria est D. Tho. art. 1 q. 106 nimirum *gratitudinem*, si erga Deum spectetur, non esse habitum à virtute *religionis* distinct. unde si erga parentes, non distingui à *pietate*; si erga Superiores, non distingui ab *obseruantia*. Si tamen consideretur vt respicit priuatum benefactorem, & debitum ex eius beneficio prouenies, hac ratione esse virtutem specialem à supradictis distinctam; quia hac ratione respicit specialem rationem debiti, quæ non est tam tritæ, quàm in prædictis virtutibus, nimirum erga Deum, parentes, & Superiores; non enim est debitum legale, sed morale tantum. Itaque iuxta hanc sententiam *gratitudo* est specialis virtus, quæ propriè respicit solùm benefactorem particularem.

Qua ratione sit virtus specialis.

Confirmatur hæc sententia, quia virtutes annexæ iustitiæ distinguendæ sunt secundum speciales rationes debiti ad alterum: atqui Primum & principale debitum est illud quo obstringimur Deo, vt primo principio; quod debitum intuetur religio; Secundò loco est illud, quo parenti & patriæ, vt principio secundario; quod respicit pietas. Tertiò; quo Superioribus, vt principio gubernationis, & beneficiorum communium; cui respondet obseruantia. Quarto loco est illud, quo obstringimur priuatis, ratione beneficiorum particularium, & huic satisfacit gratitudo. Itaque *gratitudo* est virtus particularis distincta à supradictis: sicut quodlibet posterius distinguitur a priori tamquam deficiens ab eo. Ita D. Th. ar. 1. vbi.

4 *In religione æstimetur pietas, obseruantia, & gratitudo eminenter.*

Notãdum est, Sicut in obiecto, cui *religio* defert cultum, continentur excellenti modo obiecta, quæ reliquæ tres virtutes respiciunt, (Deus enim vt est primum principium rerum, est *pater, dominus, & benefactor per excellentiam*) ita in *religione* continentur reliquæ tres virtutes eminenter. est enim *religio* eminens *pietas, dulia & gratitudo*. Simili modo in obiecto *pietatis* continetur excellentiæ obiectum *obseruantiæ & gratitudinis*, parens enim vt est principium generationis, habet potestatem gubernandi, & est maximus benefactor. vnde *pietas* erga parentem est excellens quædam *obseruantia & gratitudo*. Denique in obiecto obseruantiæ cõtinetur obiectum gratitudinis; quia gubernatio est magnũ beneficium. vnde in virtute *obseruantiæ* quodammodò continetur *gratitudo*.

Verùm hæc omnia solùm probant actus illarum virtutum esse actus gratitudinis materialiter, sicut sunt actus obedientiæ: quia etsi illis actibus beneficia accepta compensentur, non tamen respiciunt formaliter hanc compensationem. colere enim Deum, honorare parentes, vel Superiores, non est formaliter eorum beneficia compensare, sed materialiter tantum: quia sunt actus, qui hac intentione fieri possunt, etsi in sua specie hanc intentionem non includant.

Nec obstat quòd *religio* dicatur eminens *gratitudo*, tum quia hoc non impedit quin detur aliquis actus, quo formaliter in Deum gratificamus; tum quia etiamsi religio contineat eminenter rationem gratitudinis, vt hæc respicit priuatum benefactorem, non tamen vt respicit ipsum Deum: sic enim solum est materialis gratitudo, vt patet ex dictis. Addo tamen *gratiarum actionem* erga Deum, esse actũ religionis secundùm se, (etiamsi ex affectu compensandi beneficij proueniat) quatenus in illa agnoscimus & testemur illum esse primum principium, & fontem beneficiorũ acceptorum: sicut oratio per se est actus religionis, quatenus est quædam protestatio diuinæ potentiæ, prouidentiæ & bonitatis, etiamsi ex affectu spei procedat.

Officia gratitudinis sunt quinque: Primum, Beneficij æstimatio. Secundum, Benigna acceptatio. Tertium, Gratiarum actio. Quartum, Grata commemoratio. Quintum, Responsio. Colligitur ex D. Thar. 3. q. 5.

Officia gratitudinis.

Primum est *beneficij æstimatio*: nempe vt ostendamus nos illud æstimare, si non ex rei magnitudine, saltem ex affectu & animo donantis: hic enim in beneficijs gratuitis potissimum est ponderandus. vnde conferentes aliquod beneficium, præsertim maioribus, solemus excusare & rogare, ne rem ipsam, quæ datur, sed affectum, quo datur, intueantur: vnde Seneca lib. 1. de benefic. ca. 6. *Beneficium non in eo, quod fit aut datur, consistit, sed in ipso dantis & facientis animo*: & Cic. l. 1. de Off. *Acceptorum beneficiorum sunt delectus habendi, & in primis quo quisque studio vel benuolentia fecerit, pendendum.*

Secũdum, *Benigna acceptatio*: si enim repudies, vel absque indicio, quo significes gratum esse, acceptes, videris contẽnere, vel certè parum facere beneficium & affectum donantis. Si autem benignè acceptes, ipso modo illum honoras, & affectui eius quodammodò satisfacis. vnde Seneca li. 2. de benef. c. 35. *Vis reddere beneficium? cape benignè*; & ca. 24. *Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit*: gaudio enim afficitur donator, videns beneficium tuum gratum esse, & aliquid commodi vel oblectationis afferre donatario: tunc enim censet se non frustra collocasse, & fructum, quem principaliter intendit, retulisse.

Tertium, *Gratiarum actio*: hæc nihil est aliud, quàm beneuola protestatio gratiæ acceptæ, seu beneficij gratis & absque debito dati, cum quadam sui subiectione & demissione ad ipsum benefactorẽ directa. hæc actio est quædam beneficij compensatio; quia per illam honoratur benefactor, & aliter se illi quodammodò submittit tamquam maiori; dare enim gratis est signum abundãtiæ & perfectionis; accipere gratis est signum defectus & egestatis. locus de muneribus, quæ honoris causa a subditis dantur Principibus: hæc enim non sunt beneficia; sed veluti honoraria tributa. Hinc fit vt gratiarum actio non semper sit necessaria, nec soleat vsurpari à magnatibus erga homines infimæ sortis. Vt autem conuenienter fiat, magis accommodanda est ad effectum benefactoris, quàm ad beneficij qualitatem, vt ostendit D. Tho. ar. 5. cuius ratio est, quia gratitudo respicit beneficium prout est gratis impensum, id est, absq; intuitu mercedis, vel debiti: hoc autem ex affectu pendet. huic adde aliam; quia affectus benefactoris longè maior est, quàm beneficium externum, vellet enim longè maiora donare, si facultas opportunitas adesset.

6 *Gratiarum actio quid.*

Quartum est, *Grata commemoratio*, videlicet vt primò apud nos tempore & loco simus memores beneficij accepti, vt enim ait Seneca lib. 3. capit. 1. *Ingratissimus omnium est, qui beneficij oblitus est. cui enim totum beneficium elapsum est gratus fieri nunquam potest*. Deinde vt apud alios, quando occasio se offert, libenter referamus: hoc enim ad honorem & laudem benefactoris pertinet; vnde est quædam compensatio.

Quintum est, *Beneficij relatio*, quãdo vicissim beneficium re, vel obsequio redditur circa quod

7 *Beneficij relatio.*

Notandum Primò, Si non supperit quod rependas, reddendam huius loco bonam imprecationem; vt, *Deus remuneret, compenset in centuplum*, vel pias ad Deum pro salute benefactoris preces. hæc enim nemini desunt; & hus vtiq; beneficia temporalia compensantur, & interdum etiam vincuntur.

Secundò, Si supperit aliquid; non statim referendum beneficium, sed opportunitas expectãda. ratio est, quia, vt inquit Seneca l. 4. de benef. in fin. *qui festinat reddere, non animum habet grati hominis sed debitoris*. nam non videtur æstimare id, quod in beneficio est præcipuum, scilicet gratuitum animum benefactoris; ira enim soluit, ac si ille non gratis, sed in ordine compensationis dedisset. deinde ostendit beneficium non esse gratum, & si illud animo reijcere; nam *reijciendi genus est, protinus aliud in vicem mittere, & munus munere expungere*, vt ibidem Seneca ait. Denique est ingratus in benefactorem, dum videri beneficio affectus nõ vult, aut illi ratione beneficij obstrictus. vnde Seneca suprà: *Qui nimis cito cupit soluere, inuitus debet. & qui inuitus debet, ingratus est*, nimirum quia non vult agnoscere beneficiũ. Sed hoc intellige, nisi aliter expectet statim remunerationem, vt quando intuitu illius confertur; vel nisi aliæ circumstantiæ aliud polcant.

Tertiò,

8 Tertiò, In compensando magis nobis spectandum animum benefactoris, quam rem datam, curando pro nostra facultate vt beneficiũ, quod reddimus, respondeat potius illius affectui, quam rei. Itaque si maior vel etiam æqualis potestas adsit, plus rependendum est, quàm sit acceptum. vnde Cic. 1. de Off. *In referenda gratia (si modò Hesiodo credimus) imitari debemus agros fertiles, qui plus multo adferunt, quàm acceperunt:* si enim reddis æquale, non videtur esse redditio gratiæ, sed solutio debiti; tantumdem enim accepisti. Oportet igitur reddas amplius, vt ratione excessus sit beneficium; & ita beneficium beneficio compensetur; & affectus affectui respondeat.

DVBITATIO II.

Vtrùm innocens magis teneatur ad actionem gratiarum, quàm pœnitens. & quomodo gratitudo excitanda.

D. THOM. ART. 2.

9 *Beneficium maius dupliciter: similiter & actio gratiarum.*

NOTANDVM est, hâc quæstionem supponere aliam, videlicet vter maius beneficium acceperit à Deo: qui enim maius accepit, tenetur magis ad actionem gratiarum. Dupliciter autè potest beneficium dici maius, Primò, Quia res, quæ datur, est melior, aut maioris æstimationis. Secundò; Quia magis datur gratis; vtrumque enim ratio beneficij complectitur. Similiter gratiarum actio dupliciter potest esse maior. Primò, Quia est professio maioris boni accepti. Secundò, Quia profitemur esse magis gratis datum. Vnde patet has magnitudines in beneficijs esse diuersarum rationum, similiter in actionibus gratiarum; cum ex causis diuersarum rationum proueniant; vnde etiã non possunt commode inter se comparari. His positis.

10 *Quomodo innocens tenetur ad maiorem actionem gratiarum.*

Respondeo, Innocentem teneri quodammodò ad maiorem actionem gratiarum, quatenus actio gratiarũ est professio boni accepti, est enim innocẽtia maius bonum, quia includit continuam existentia iustitiæ in homine quæ magis optabilis est: quàm iustitia interrupta per peccatum mortale. Itaque si bona data spectentur, tenetur magis, & ad maiorem gratiarum actionem, profitendo se gratis maius bonum accepisse. Pœnitens verò magis tenetur, si spectentur gratiæ; quia enim ei maior gratia facta, seu magis gratis datũ, tenetur id magis profiteri; & ita ipsius gratiarũ actio debet esse maior in confessione gratiæ: alterius verò in confessione doni in se spectati.

11 *Quomodo pœnitens magis teneatur.*

Aduerte tamen, etsi bonum innocentiæ per se maius sit & optabilius; tamen bonum, quod confertur pœnitẽti maius est respectu pœnitentis, quàm bonum collatum innocenti respectu ipsius & hac ratione pœnitens absolutè magis obligatur ad gratiarum actionem, & non solùm ex parte. Primò, Quia pœnitenti vsque ad tempus lapsus collatũ est æquale auxilium & æqualis protectio, vt supponimus. quod enim hic ceciderit, non prouenit ex defectu auxilij diuini, quasi illud minus fuerit, quàm in altero; sed ex propria libertate, qua potuit auxilio non vti, & illo præsente consentire peccato. itaque vsque ad illud tempus non debet Deo minores gratias, quàm innocens. A tempore verò lapsus vsque ad restitutionem iustitiæ inclusiuè, non accipit minus beneficium quàm alter, sed multò maius, facta comparatione ad accipientes. ipsi enim longè maius est beneficium quòd a Deo toleretur dum est in peccatis; quòd ad gratiam excitetur, quod pœnitentia inspiretur, peccata condonẽtur, iustitia restituatur, quàm alteri sit beneficium illud, quo à Deo interea in iustitia accepta conseruatur. nã vel vna remissio peccatorum præcisè considerata tanti æstimanda est a peccatore, quanti Iustitia & spes vitæ æternæ ei, qui non est peccator. Sicut maleficus, qui liberatur a pœna ignis, cui iam erat addictus, non minus gaudet, nec minoris hoc beneficium æstimat, quàm vir probus gauderet, si conferretur ei regnum: liberatio enim a summo malo est instar summi boni. Itaque hac ratione tenetur absolutè ad maiorem gratiarum actionem. Deinde quia dona, quæ peccatori dantur, magis gratis dantur: gratis enim datur, quod absque meritis datur. quò ergo quis longius abest a merito, & ab omni dignitate, qua possit videri dignus munere; eò magis gratis æstimatur: peccator autem longissimè abest ab omni dignitate, qua dignus sit venia & amicitia Dei: ergo hac ex parte summum est illius beneficiũ, & consequenter summam & humillimam debet gratiarum actionẽ. vnde etiam in compẽsationem huius beneficij tenetur ad humiliora obsequia & maiorem sui demissionem quàm innocens. Beneficium enim, qua parte datur magis indigno, cõpensatur maximè demissione sui, confessione suæ indignitatis, & obsequijs humilibus: sicut qua parte est excellentius, compensatur maximè æstimatione, laude, prædicatione illius boni, & datoris: & obsequijs maioribus.

Beneficiũ remissionis peccatorum.

12 Illa autem distinctio Caietani inter *magis obligari ad gratiarum actionem, & obligari ad maiorem actionem gratiarum*; cum ait pœnitentem magis obligari ad gratiarum actionẽ quàm innocentem; hunc tamen obligari ad maiorem gratiarum actionem, neque rem explicat, neque vera est: nam pœnitens etiam ad maiorem actionem gratiarum tenetur, quatenus debet confiteri sibi maiorem gratiam factam, magisque gratis donatum; & beneficia accepta respectu sui esse maiora. Deinde sicut obligatio crescit ex magnitudine gratiæ, ita etiam ex magnitudine boni collati; ergo qui obligatur ad maiorem gratiarum actionem, ceteris paribus etiam magis obligatur.

Ex dictis colligi potest quomodo *gratitudo* in Deum sit excitanda.

13 *Quomodo gratitudinis affectus excitandus.*

Primò enim considerãda sunt ipsius dona in seipsis, quã magna, quàm varia, quàm innumerabilia, siue quæ ad animam, siue quæ ad corpus pertinent. corporalia enim omnia facta sunt propter hominem, vt ab illis obsequium, cõmodũ, oblectationem & auxilium aliquod ad salutem caperet; vt sol, luna, sidera, cæli ipsi, & motus eorum, elementa: & omnia, quæ in eis, & ex eis: de quibus vide Senecam lib. 4. de benef. c. 5 & 6. Spiritales quoq; scribuntur ad eius ministerium deputatæ, *omnes enim sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*; ad Heb. 1. Itaque omnes creaturæ vel conditę propter hominem, vel benignitate conditoris seruiunt homini, vt eum dirigant ad salutem; & hæc omnia externa sunt. Iam interna omnem æstimationem superant, præter enim integritatem corporis, & sensuum, quorum nullum vel cũ regno amplissimo commutare velis, dedit animam immortalem & inexterminabilem, capacẽ vitæ æternæ: dedit vim intelligendi, qua totum mundum & ipsum Deum pulcherrimè in te depingas; & vim amandi, qua omnes virtutes, atque adeo Dei amicitiam, omnis boni supernaturalis fontẽ, consequaris. Ad gloriæ suæ consortiũ te supra naturæ conditionem destinauit, in filium adoptauit, spiritus sui participem fecit; media salutis obtinendæ facilia contulit, assiduè sua benignitate ad bonum excitat ac iuuat, & a malis innumeris protegit. visionem sui, qua ipsi planè similes veluti quidam dij, diuinitate fulgentes, euadamus, promittit, & omnium bonorum suorum fruitionem. Ad hæc iacentẽ in peccatis & reum æternæ mortis, gratia sua excitauit & erexit, peccata cõdonauit, Iustitiam & ius vitę beatę restituit. hoc autem beneficium remissionis peccatorum tantũ est, quantum malum est mors æterna. Constituit præterea thesaurum meritorum suorum veluti fontem gratiarũ perennem, quo a peccatis, quotiescunque opus fuerit, ablui possimus, Sacramentis inclusum. Denique quod omnẽ vincit admirationem, reliquit nobis Sanctissimum Eucharistię Sacramentum, corpus & sanguinem ipsius, cum anima doctibusque eius omnibus, cum vnione hypostatica & diuinitate perfectè continens & nobis repræsentans ac reipsa exhibens. Hæc si quis attentè consideret & expendat, abyssum beneficiorum inueniet.

Secundò, Considerandum est hæc omnia præstita indignis, ingratis & supplicio dignis.

Tertio, Consideranda maiestas & sublimitas Dei conferentis: quò enim maior est qui beneficium confert, eò pluris æstimatur beneficium; amari enim & æstimari a magnis, magnum per se est beneficium.

Quartò, Considerandus modus, quo Deus hæc præstitit, quam extraordinarijs vijs, quantis difficultatibus & laboribus: ideò enim semetipsum exinaniuit & factus est homo, ideò tot labores, tot asperitates, tot probra, tot supplicia, & mortem denique crucis sustinuit; hoc enim mirificè auget beneficij rationem. magnum est beneficiũ si rex malefico ad mortem damnato benignè condonet & illum pristinæ dignitati restituat; sed incomparabiliter maius erit, si

dum

dum aliud remedium liberandi non ſuppetit, iubeat filium ſuum è ſolio deſcendere, veſtibus regijs ſpoliari & morte plecti, vt ille liberetur.

Quintò, Conſiderandus affectus, quo Deus omnia beneficia ſua nobis contulit, nimirũ, non vt ipſi inde ſit melius, ſed vt nobis ſit quàm optimè, & per ea ad beatitudinis ſuæ communionem aptet & diſponat. vide Albertum de virtutibus, ca. 25. & noſtrum Roſignolum lib. 4. diſcipl. Chriſtianæ, cap 25. vbi ſententia quædam SS. Patrum de gratitudine adducit.

Ex his diligenter perpẽſis intelliget homo infinita quadam obligatione & immenſo debito ſe obſtringi Deo, tum ad perpetuam & humillimam gratiarum actionem; tum ad vitam ſuam diuino obſequio penitus conſecrandam, & honorem ipſius omnibus viribus promouendum. etſi enim tantum laborauerit pro gloria Dei, quantũ Apoſtolus Paulus, nondum tamen milleſimam diuinorum beneficiorum partem exæquauerit.

14 Aduerte tamen, hoc debitum ad iſta omnia præſtanda non eſſe legale, ſeu ſtrictum; nouerat enim Deus imbecillitatem & vanitatem ſenſus noſtri; ideoque noluit imperare, etſi iuſtiſſime poſſet; ſed eſt debitum morale, ſeu decentiæ: hoc enim perfecta ratio gratitudinis poſtulat; ita vt ſine eo præſtito non poſſimus, niſi imperfectè, grati audire.

DVBITATIO III.

Quid ingratitudo, & quale peccatum,

D. THOM. quæſt. 107.

15 DVPLICITER admittitur *Ingratitudo, formaliter & materialiter*; hæc enim diſtinctio non ſolum in inobedientia; ſed etiam in ſacrilegio, impietate, inobſeruantia, & ſimilibus vitijs, in quibus contra virtutem oppoſitam peccari ex contemptu & alio fine contingit, locum habet.

Formalis ingratitudo, *Formalis ingratitudo* eſt, quando beneficium, vel benefactoris animus contemnitur, vt non videaris ei obnoxius, ſeu debitor ratione beneficij: ſicut formalis inobedientia eſt, quando contemnitur præceptum, vel poteſtas Superioris, vt ei non videaris ſubeſſe aut non pareas. hoc modo ingrati ſunt, qui beneficium, vel affectum benefactoris eleuãt, aut ſiniſtrè interpretantur, ne videantur ei aliquid debere, aut ne cogantur eſſe grati, agendo gratias; aut ne impediantur à malo ei rependendo. iuxta hæc intellige quod habet D. Tho. ar. 2. ad 1. & Caiet. ibidem, & in Summa v. Ingratitudo, non enim ſatis explicant in quo hæc ingratitudo conſiſtat.

16 Hæc ingratitudo ex genere ſuo eſt peccatum mortale, *Eſt mortale ex genere.* vt docet D. Th. ar. 3. cum Caiet. ſiquidem contemptus non beneuoli affectus benefactoris, & ſiniſtra interpretatio beneficij nõ videtur minus peccatum, quàm iudicium temerarium, cum tale iudicium inuoluat: iudicat enim affectum eſſe ſimulatum, vel alio quàm beneuolo animo rem dari. hoc autem iudicium ex genere ſuo eſt peccatum mortale, vt conſtat ex communi DD ſententia; de quo ſup. c. 29. dub. 2. Accedit, quòd homines longè magis offendantur huiuſmodi contemptu, quàm iudicio temerario; vnde magis lædit charitatem. poteſt tamen eſſe veniale, vel ob imperfectum cõſenſum; vt quando ex repentino choleræ motu accidit; vel ob materiæ exiguitatem, vt ſi beneficium ſit paruum, contemptus enim parui beneficij non cenſetur notabilis iniuria benefactoris; modo abſit ſcandalum. ſi enim ita fieret vt benefactor grauiter offenderetur, poſſet eſſe peccatum mortale. Adde, quòd varij ſint gradus contemptus: cõtemnitur enim aliquis tanquam noxium, aliud vt vile & dignum probro, aliud tãquam minus vtile vel dignum quàm exterius videatur, vel gradus eius requirat. In omni autem contemptu eſt iudicium, quo res vel perſona iudicatur talis. & voluntas tractandi illam exterius vel interius pro tali. Itaque ſi contemptus non ſit grauis, ſed leuis; vt ſi beneficium aliquod temporale & affectum benefactoris reputes minoris momenti, ne illi videaris obnoxius, non erit peccatum mortale; modò occaſionem grauis offenſionis ipſi non præbeas.

Poteſt eſſe veniale aliunde.

Varijs gradus contemptus.

Materialis ingratitudo eſt, quando abſque contemptu, vel omittitur debitum gratitudinis officium, vel committitur aliquid contra benefactorem colligitur ex D. Thar. 3 & Caiet. ibidem. Officium autem gratitudinis eſt quintuplex vt ſup. num. 5. & 6. dictum eſt. D. Tho. art. 2. reducit ad tria. Primum eſt, Beneficium agnoſcere. Secundum. Laudare, & gratias agere. Tertium, Retribuere loco & tempore, pro ſua facultate. Itaque tripliciter officium gratitudinis prætermittitur: & quia id, quod eſt vltimum in generatione, eſt primum in reſolutione, ideo (inquit D. Tho.) Primus gradus ingratitudinis eſt, Beneficium non retribuere. Secũdus, Diſſimulare, non agendo gratias. Tertius, Nolle agnoſcere. Circa quæ. 17 *Materialis ingratitudo.*

Triplicitèr officium gratitudinis prætermittitur.

Tres gradus ingratitudinis in omittendo.

Aduerte, nõ retribuere beneficium, non eſſe peccatum, niſi quando benefactor eſt in neceſſitate, & tu illi opem ferre potes, vel quando ex omiſſione putatur iure offendendus. beneficium enim, cum gratis collatum ſit, non inducit ſtrictam obligationem; niſi quando benefactor eget opera noſtra; vel id neceſſarium eſt ad vitandam eius offenſionẽ. vnde non erit peccatum mortiferum, niſi quando charitas ſub peccato mortali ad tale officium obligaret. In gratiarũ actione omittenda facilius peccatur; quia hæc omnibus eſt facilis, & ita in fieri debet. ſepoſita tamen offenſione benefactoris, non videtur hæc omiſſio eſſe peccatum mortale; quia nihil inde notabilis incommodi percepit. Loquor de ea, quæ facienda homini, non Deo: eſt enim gratiarum actio cultus quidam Deo ob immenſitatem beneficiorum eius debitus, quamuis tempus reddendi non ſit determinatum; vnde de ea loquendum ſicut de obligatione dilectionis ſuper omnia. 18

Nolle agnoſcere beneficium hominis priuati (de quo nobis eſt ſermo) non videtur quoque per ſe mortale: quia parum incommodi adfert benefactori, ſepoſita ipſius offenſione. poſſet tamen ratione grauis offenſionis & turbationis, quæ inde prouentura putaretur, eſſe graue peccatum. 19 *Tres in committendo.*

Porrò ad ſupradictos tres gradus ingratitudinis, qui in omittendo conſiſtunt, addendi tres alij, qui in committendo. Itaque Quartus eſt, Retribuere mala pro bonis. Quintus. Vituperare beneficium. Sextus, Reputare beneficium loco maleficij, qui eſt ſummus ingratitudinis gradus. hi tamen gradus, præſertim ſecundus & tertius, pertinent ad ingratitudinem formalem.

Ex dictis facile intelligi poteſt qui ſint gradus ingratitudinis erga Deum.

Primus enim eſt, Non conari obſequio & cultu diuina beneficia pro ſuo modulo compenſare.

Secundus, Rarò vel numquam gratias agere.

Tertius, Rarò vel numquam de diuinis beneficijs cogitare. 20 *Sex gradus ingratitudinis in Deũ.*

Quartus eſt, Malum pro bono reddere. Ad hũc gradum pertinet omne peccatum. vnde omne peccatum eſt ingratitudo in Deum; ſicut & inobedientia. repugnat enim obligationi illi, qua ratione beneficiorum acceptorum ipſi obſtringimur, ad ea cauenda, quæ ipſum offendunt.

Quintus eſt, Extenuare, negare vel vituperare beneficia Dei. huc pertinet, ſi neges beneficium redemptionis Chriſti & gratiæ neceſſitatem. qua ratione Pelagiani a ſanctis Patribus vocabantur ingrati; contra quos D. Proſper ſcripſit opuſculum aduerſus ingratos.

Sextus, Illa loco maleficij æſtimare: quod faciũt damnati; & etiam quidam impij huius ſæculi, qui non reputãt loco beneficij, ſed potius maleficij, quòd Deus non ſinat ipſos perpetuo hoc mundo frui.

DVBITATIO IV.

Quid ſit vindicatio, & cuius virtutis opus.

D. THOMAS Quæſtion. 108.

Vindicatio. Græcè ἐκδίκησις, *eſt vltio iniuriæ*; videlicet cum pro iniuria rependitur pœna. Itaque eſt redditio mali pro malo; mali pœnalis pro malo culpabili. Ludius accipitur apud Diuum Auguſtinum lib. 83. quæſtionum, quæſtione 31. cum definitur *vindicatio, per quam res aut iniuria, & omnino omne quod obſtaturum eſt defendendo, aut vltiſcendo propulſatur*; nam defenſio priuata auctoritate 21 *Vindicta ob varias cauſas irrogari poteſt.*

tate fieri poteſt; nec in malum alterius tendit. ſecùs in vindicta: poteſt autem hæc fieri ob varias cauſas.

Primò, Ea intentione, vt ei, qui te læſit, malè ſit, nihil aliud ſpectando. illi enim malè eſſe, apprehendis tamquà tuum bonum. hoc modo eſt actus odij & contra charitatem proximi.

Secundò, Vt emendetur; quo modo pater vindicat delicta filij & magiſter diſcipuli. hoc modo eſt actus charitatis proximi; *quæ charitas* (vt inquit D. Bernardus epi. 1.) *piè ſolet ſæuire, ſine dolo mulcere, patienter nouit irasci, benigniter indignari.* & Prouerb. 3. *quem diligit Dominus, corripit.*

Pœna congruit malefactori.

Tertiò fieri poteſt, quia per ſe decens eſt malefactorem puniri, & pœna per ſe congruit & quodammodò debita eſt malefactori, ſicut laus benefactori; idque vt rectus ordo ſeruetur, & quod extra ordinem rectu prolapſum eſt, ad ordinem reuocetur. hac ratione eſt actus virtutis ſpecialis; quia rationem ſpecialem honeſti reſpicit. Sic Deus per vindictam, omnes eos, qui ab ordine pulcherrimo Iuſtitiæ & legum diuinarum prolapſi ſunt, & ordinatiſſimam diſpoſitionem fœdè perturbarunt, ad ordinem Iuſtitiæ reducet infligendo congruam pœnam; vt nihil in mundo remaneat informe, nihil mordicatum, nihil confuſum, ſed omnia pulchrè ſuis locis & gradibus ſint diſpoſita, vt ſæpè docet D. Aug. vide illum lib. 5. de ciuit. c. 9. & lib. 11. cap. 17. & 18. & lib. 1. de ordine, multis locis.

Reparatio iniuriæ.

Quartò, Vt fiat aliqua reparatio iniuriæ, & ſatisfactio: dum enim ille punitur propter iniuriam illatam, reſtituitur ex parte honor parti læſæ, eique aliqua ſatisfactio exhibetur: qui enim lædit, plus iuſto, ſuo affectui indulget, ſibique ſumit, & alteri detrahit: dum autem punitur, illud ei quodammodo adimitur, cùm contra voluntatem patiatur. Et quia id agitur in gratiam læſi, cenſetur ei donari: & ſic fit nonnulla compenſatio, vt experientia probat. tunc enim animus læſi acquieſcit & ſibi ſatisfactum putat. eſt igitur in vindicatione moralis quædam reſtitutio honoris, & iniuriæ reparatio. hic finis intimè coniunctus eſt cum tertio, & ex eo neceſſariò reſultat.

22 *Quo ſit virtus ſpecialis.*

Quintò, Vt qui læſit, & alij eius exemplo, in poſterum ab iniuria coerceantur. hic finis eſt magis extrinſecus. vnde poſt hanc vitam non ampliùs ſpectabitur, ſed ſolùm tertius & quartus. In hac tamen vita ſpectatur, tum à Deo, tum à Iudice humano, ſicut tertius & quartus.

Igitur *vindicatio* facta intuitu tertij & quarti finis, videtur eſſe ſpecialis virtus, qua inclinamur ad reddendum malefactori pœnam debitam pro iniuria; ſicut gratitudine ad reddendum benefactori obſequium debitum pro beneficio: hoc autem debitum in quadam congruitate & decentia conſiſtit. Si autem fiat intuitu quinti finis, ſcilicet vt coerceatur à maleficio, ſic eſt actus eius virtutis ad quam pertinet defenſio Reip. vel priuati, vel ſui ipſius. eſt enim hæc *vindicatio* quædam defenſio. Itaque ſicut hæc defenſio pertinere poteſt ad Iuſtitiam legalem, ad pietatem, ad amorem Reipubl. vel hominis priuati, vel ſui ipſius; ita etiam vindicatio.

23 *Debet fieri auctoritate non priuata ſed publica.*

Vt autem hæc melius percipiantur, Notandum eſt, *vindicationem*, vt ſit actus virtutis, conuenienti modo fieri debere. ſi enim fiat priuata auctoritate, non eſt actus virtutis, ſed vitij; quia eſt vſurpatio alienæ poteſtatis, nempè Superioris, ad quem ſolum executio huius actus pertinet: vnde illa multis locis in Scripturis prohibetur. Ad Romanos 12. *Non vosmetipſos defendentes.* (Græcè ἐαυτοὺς ἐκδικοῦντες, id eſt, vleiſcentes) *charissimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim, mihi vindictam, & ego retribuam.* &c.

Parua vindicta permiſſa.

Permittuntur tamen paſſim in Repub. priuatæ quædam vindictæ paruæ, ſi fiant ex incontinenti, accepta iniuria: hoc enim aliquo modo putatur neceſſarium ad publicam pacem, vt quiſque à minoribus iniurijs quæ ad tribunalia non ſolent deferri, tutus ſit. Hoc modo quidam Doctores eum, qui percutit alterum alapa, pugno, vel baculo, dicunt ſtatim poſſe repercuti, ne alter audacior in poſterum ad ſimilia euadat; eſſe enim hoc genus quoddam defenſionis. Sed de hoc dictum ſuprà c. 9. dub. 12.

24 *A publica poteſtate poteſt fieri executio virtutis.*

Eo autem ſepoſito, priuatus non poteſt per ſe actu vindictæ facere, ſed ſolùm curare fieri per publicam poteſtatem. Vt autem fiat à publica poteſtate, poteſt pertinere ad varias virtutes. Si enim Iudex vindictam faciat, quia id debet Reip. ratione officij, quod gerit, erit actus Iuſtitiæ commutatiuæ Iudicis in ordine ad Rempub. quæ illi ad Ius adminiſtrandum veluti conduxit. ſi autem quia id debet Reipub. ratione obligationis, quam habet erga illam vt pars ad totum, quatenus pars debet curare bonum totius, ſic eſt actus Iuſtitiæ legalis: ſi quia debitum patriæ, eſt actus pietatis: ſi quia leges præcipiunt, eſt actus obedientiæ: ſi quia pars poſtulat, eſt actus iuſtitiæ cõmutatiuæ reſpectu partis. Porrò in ordine ad malefactorẽ erit actus virtutis particularis, quæ *iuſtitia vindicatiua* dicitur. Si Iudex faciat illam quia congruit eius meritis, aut vt fiat aliqua reparatio iniuriæ, ob eundem finem pars læſa illam deſiderare poteſt; eritque eiuſdem virtutis actus.

Dices, Deſiderare vindictam vt reparetur iniuria, videtur eſſe actus odij, quia deſideras alteri malum, vt illi ſit male, & hoc reputas tuum bonum; quod proprium eſt *actus odij.* 25 *Cur non ſit actus odij.*

Reſpondeo eſſe magnum diſcrimen: in odio enim deſideratur alteri malum, ſolùm vt ei ſit male; idque abſque modo vel menſura: in vindicta, ſolùm ſecundùm menſurã delicti. ibi ſiſtitur in malo proximi; hic in recto ordine Iuſtitiæ. ibi non fit reparatio injuriæ eo modo, quo debet fieri, ſicut nec in damno, cùm quis propria auctoritate latronis bona inuadens, damnum acceptum ſibi farcit: hic verò ſit debito modo.

Aduerte tamen, quando pars læſa expetit vindictam ob iniuriam priuatam, hoc deſiderium eſſe actum amoris proprij: id enim petit in proprium commodum vel honorem. Itaque cùm hoc deſiderium non ſit actus virtutis, ſed quid indifferens, vindicatio, vt ex vi huius ſequitur: non eſt actus virtutis, ſed indifferens. huic tamen deſiderio coniungitur aliud, quo quis non vult vindictam mandari executioni, niſi legitimo modo, ſcilicet per poteſtatem publicã, & iuxta menſuram delicti: & hic affectus eſt Iuſtitiæ vindicatiuæ; & conſequenter ipſa vindicatio, vt ex vi huius ſequitur: proprium enim opus Iuſtitiæ vindicatricis eſt non vindicta abſolutè, ſed debitus in vindicta modus. Simili modo cùm quis petit ſolutionem debiti, vel damni reparationem, illud deſiderium eſt ex affectu proprij commodi, & ſic non eſt actus virtutis, ſed quid adiaphorum: huic tamen coniunctus eſt alius affectus, quo non vult illam reparationem fieri niſi ſecundùm regulas Iuſtitiæ, & hic eſt actus Iuſtitiæ. Id enim quod volumus affectu proprij commodi, poſſumus ex affectu Iuſtitiæ, vel alterius virtutis velle exequi ſecundùm leges illius virtutis, & ſic executio operis quoad modum eſt actus virtutis; quoad ſubſtantiam præcisè conſideratum, non eſt.

26 *Appetitio vindictæ ex quo affectu procedat.*

Quo modo vindicatio ſit actus virtutis.

Ex dictis ſequitur, multò melius eſſe propter Deum ignoſcere, quam vindictam expetere; niſi forte publicum bonum aliud poſtulet. ratio eſt, quia appetitio vindictæ ob iniuriam priuatam, per ſe non eſt virtus, cùm ex amore proprij commodi oriatur; vnde nemo propter hoc laudari ſolet. Ille autem affectus circa modum executionis, etiãſi ſit actus virtutis, tamen hæc virtus eſt valdè parua, multum habens adiunctum ex amore proprio, à quo & ipſa applicatur ad moderandum actum punitionis. eſt hic etiã periculum ne & affectus charitatis violetur, & odia excitentur. Deniq. res non eſt optimi exempli. In condonatione eſt officium charitatis in Deum & proximum, eſt imitatio Chriſti Domini & Patris cæleſtis, eſt conſilium euangelicum, eſt ædificatio proximi, eſt victoria ſui, eſt magna pax animi & tranquillitas vitæ, eſt ſingularis fiducia impetrandæ remiſſionis à Deo: remiſſio enim peccatorum ijs, qui proximis iniurias remittunt, peculiariter promiſſa eſt. Deniq. ſæpè eſt lucrum animæ malefactoris. Interdum tamen ratio poſtulat ut deſideremus vindictã, ut diximus; tum ut malefactor in poſterum coerceatur: tum ad exemplum aliorum, ne ſimilia audeant attentare. hoc tamen magis in iniurijs Dei, quàm noſtris faciẽdum. Interdum tamen etiam in noſtris, ita tamen vt pœna, quàm petimus irrogari, minor ſit iniuria accepta. vide epiſtolam D. Baſilij ad Candidianum.

27 *Melius ignoſcere iniurias.*

Aliquando vindicta extenda.

Vindicationi per exceſſum opponitur *crudelitas*; per defectum *remiſſio*, vel *nimia remiſſio* in malefactoribus caſtigandis, ex qua fit vt eorum audacia creſcat. 28 *Vitia oppoſita.*

DVBITATIO V.

Quid ſit Veritas, & quæ eius functiones.

D. THOM. Quæſt. 109.

29 *Veritas duplex.*

Veritas, propriè eſt conformitas iudicij ad rem iudicatam, vel ſigni ad rem ſignificatam: ſed hoc loco accipitur pro virtute, quæ procurat vt in ſermone, ſcripturis, geſtibus, aliiſque ſignis, quibus aliquid ſignificare intendimus, ſit veritas, ſaltem ſecundùm noſtram conſcientiã, ſeu prout eam nouimus: ſiue quæ curat vt ſit conformitas & conſenſio linguæ & mentis, ſignorum externorum & internæ conſcientiæ. vnde hæc virtus dicitur *Veritas*, quia veritatem in ſignis, quibus aliquid ſignificare volumus, affectat & procurat. facit itaque nos rectè vti ſignis, quæ nobis data ſunt ad mentem alteri patefaciendam; qui rectus vſus in eo conſiſtit vt ſigna ſint menti conformia.

30 *Eſt virtus ſpecialis.*

Ex quibus patet Primò, Veritatem eſſe virtutem ſpecialem a ceteris diſtinctam; quia ſpeciale bonũ rationis ſpectat, videlicet veritatem in dictis & factis; & ſpecialis laus eſt in oratione & vita colere veritatem.

Patet Secundò, Eſſe virtutem annexam Iuſtitiæ; tum quia verſatur circa ea, quæ diriguntur ad alterum, nimirũ circa ſigna, quibus aliquid alteri intendimus ſignificare: (ſigna enim non ſunt data homini propter ſe, ſed propter alterum, cui aliter mentem ſuam aperire nequit) tum quia ſpectat in his rationem debiti, non legalis ſeu ſtricti, ſed moralis.

31 *Obiectũ huius virtutis.*

Obiectum igitur materiale huius virtutis eſt, ſigna externa, quibus mentem noſtram patefacimus proximo. *Ratio obiectiua* eſt, eſſe verum, ſeu conforme menti, quatenus id, quodammodo debitum proximo. *debitum*, inquam, non ex parte ipſius, ſicut benefactori debetur compenſatio; ſed ex parte noſtra, ne nos turpes ſimus & parùm ad vitam ciuilem idonei. nam Primò per ſe turpe eſt linguam à mente diſſidere & cum ea veluti pugnare. Deinde ſine veritate vita ſocialis non benè & commodè conſtare poteſt. Itaq; hoc debitũ eſt ſolùm morale & ex honeſtate virtutis proueniens. quod intellige de debito veritatis per ſe conſideratæ, ſepoſito omni alio vinculo: nam in contractibus debetur ex iuſtitia, in iureiurando, ex lege religionis.

Obiectum cui eſt proximus. huic enim debetur hæc veritas; quia talis eſt, quicum conuerſatio & amicitia haberi poſſit.

32 *Functiones veritatis.*

Functiones huius virtutis ſunt, Primò, Amor veritatis in dictis & factis. hic eſt primus & intrinſecus actus huius virtutis; nam ipſa eſſentialiter in habituali amore veritatis conſiſtit.

Secundo, Cautio ne quid contra iudicium mentis dicatur, aut ſignificetur: ad hoc autem obligat lex huius virtutis pro omni tempore.

Tertiò, Patefacere iudicium mentis ad hoc non obligat pro quouis tempore: nam ſæpè expedit mentem non aperire, ſed tegere: & multis alijs circumſtantijs opus eſt vt patefacere mentem ſit opus virtutis. vnde melùs diceretur opus huius virtutis eſſe, quando mens patefaciẽda eſt, procurare vt oratio mẽti ſit conformis. hoc enim eſt quod hæc virtus ſpectat tamquam proprium bonum in debita materia. materia autem debita non eſt, niſi adſint circumſtantiæ, quæ efficiant vt mẽs honeſtè aliis patefieri poſſit.

Quartò, Inquirere veritatem rei, quando aliquid abſolutè affirmandum vel negandum eſt; qui enim affirmat vel negat aliquid, cuius eſt neſcius vel dubius, non eſt verax, quia dicit non ſunt conformia menti; aliter enim loquitur, aliter ſentit. Deinde quia omnis virtus, vt præter opus ſuum, debet adhibere conuenientem circumſpectionem & diligentiam, ne offendat.

Quintò, Exequi promiſſa: hoc enim neceſſarium vt promiſſio ſit vera; quamuis ad hoc magis ex virtute fidei obligemur; quàm eſſe diſtinctam à virtute veritatis, ſuprà ca. 18. dub. 8. oſtenſum eſt. hæc tamen intelligenda; niſi quid accidat quod excuſet, vt ibidem dictum eſt: promiſſio a multis euentus non eſt præſtanda.

DVBITATIO VI.

Quid mendacium, quotuplex, & quale peccatum.

D. THOM. quæſt. 110. 111. 112. 113.

33 *Quid ſit.*

Mendacium propriè eſt locutio contra mentem, cùm videlicet aliud loquimur externùs, aliud interius ſentimus. Nomine *locutionis* accipi poteſt omnis ſignificatio, ſiue verbis fiat, ſiue geſtu, ſiue alia ratione. poteſt mendacium fieri nutibus & geſtibus; his enim ſæpè vice verborum vtimur. vnde *ſimulatio* eſt mendacium in geſtu. Porrò ſicuti ad actum veritatis tria requiruntur, ſcilicet voluntas dicendi verum; (id eſt edendi ſignum conforme menti, ipſa locutio, & ſignificatio mentis iudicio conformis) ita tria ad mendacium requirantur, voluntas dicendi falſum, ipſa locutio, & ſignificatio mentis iudicio contraria. ex quibus conſequitur quartum, id eſt, *deceptio alterius*. ſed hoc non eſt neceſſarium ad rationem mendacij, ſicut nec intentio deceptionis, vt rectè Diuus Thomas art. 1. poteſt enim quis velle mentiri, vt nõ poſſit conuinci ex propria confeſſione, etiamſi norit alterum non crediturum. regulariter tamen qui mentitur, intendit falſum opinionẽ alterius animo ingenerare, ſeu decipere. vnde deceptio eſt affectus ordinarie conſequens mendacium.

Quid ad mendacium requiruntur.

34 *Mendacium actui veritatis opponitur formaliter.*

Ex his patet Primò, *Mendacium* formaliter & directè opponi *veritati*, ſeu veritatis actui; quia ſicut hæc procedit ex affectu veri, ſeu vt locutio ſit conformis menti, ita illud ex affectu falſi, nempè vt oratio à mentis iudicio diſſentiat; non quòd falſitas per ſe amietur; ſed quia abſolute eſt volita, etſi propter aliud. & ſicut actus veritatis eſt expreſſio veri opinione noſtra; ita mendacium eſt expreſſio falſi opinione noſtra. Dico *opinione noſtra*; quia ſi dicas verum, cùm putes falſum, mentiris, & mendacium formaliter dicis; nam ex affectu falſi & intentione ſignificandi falſum loqueris; quamuis materialiter, ſeu præter intentionẽ verum ſit quod dicis. e contrario ſi dicas falſum, cùm putes verum, ex virtute veritatis & formaliter verum dicis; quia ex affectu veri, & intentione ſignificandi veri, etſi materialiter falſum ſit.

Non ſemper opponitur materialiter.

35

Patet ſecundò, Non eſſe mendacium cùm quis vtitur amphibologia, vel reſtrictione tacita; quia non intendit dicere falſum, nec loqui contra mentem; ſed vel mentem ſuam aliter exprimere quàm alter intelligit, vt in amphibologia: vel non totam exprimere, ſed ſolùm ex parte, altera parte orationis interiùs retenta, de quo dictum eſt ſuprà capitulo 42. dubitat. 9. & cap. 31. dubitat. 3. & cap 11. dubitat. 20.

36 *Malitia mẽdacij.*

Tertiò, Malitiam huius peccati intrinſecam conſiſtere in abuſu ſignorum, quòd illis vtamur contra naturalem inſtitutionem & finem. cùm enim ſigna non ſint data niſi ad exprimendum iudicium mentis, vtimur illis contra iudicium mentis, ita vt ſit contradictio inter mentẽ & linguã. quod enim lingua affirmat, mens negat; & quod mens negat, lingua affirmat; atqui per ſe turpe eſt & vituperabile vt in vno eodemque homine inter interiora & exteriora ſit contradictio; cùm exteriora debeant interioribus cõformari. ſic ergo vti ſignis externis vt cõtradicant iudicio interno per ſe malum eſt. Ad hanc accedit alia, quòd mendacio proximus decipiatur: vnde offendit amicitiam & politicam conuerſationem. Itaque omne mendacium malum eſt. Primò, Quia in eo eſt voluntas falſi, & contradictionis, qua contradicit quis ſuæ conſcientiæ. Secundò, Quia regulariter in eo eſt voluntas deceptionis proximi, intendit enim, qui mentitur, alteri falſam opinionem ingenerare. Tertiò, Quia in eo eſt falſitas & repugnantia cum propria conſcientia. Quartò, Quia eſt deceptiuum proximi & violatiuum amicitiæ. Ex his duo priora pertinent ad malitiam mendacij formalem, ratione cuius imputatur ad culpam; duo poſteriora ad obiectiuam, ratione cuius non poteſt vllo caſu rectè appeti.

37 *Prohibetur in Scripturis.*

Hinc omne mendacium prohibetur in Scripturis; Eccleſiaſtici 7. *Noli velle mentiri omne mendacium*. hic tamen locus non omnino conuincit de omni ut oſtendit D. Auguſtinus lib. de mendacio capit. 17. Prouerb. 13. *Vir-*

Verbum mendax infim detestabitur: & capit. 30. *Vanitatem & verbum mendacij longè fac à te.* ad Coloss.3. *Nolite mentiri invicem.* hæ locutiones vim habent vniuersalis. vnde Innocentius III. c. Super eo, de vsura dicit, *diuina præcepti verbo constanter vetari, ne quis etiam pro alterius vita fermenda mentiatur.* Idem fusè docet Diuus Augustinus libris duobus ad Consentium, quorum alter est de mendacio, alter contra mendacium. Denique est communis sententia Patrum & Theologorum in 3. distinctio. 37. & 38. quam & Aristoteles probè intellexit, quando, ethicorum lib.4. capit.7. ait, *Per se autem mendacium quidem malum & vituperabile est: verum autem, & honestum & laudabile.*

38 *Qui putarint mendacium aliquando esse licitum.*

Aduerte tamen olim non defuisse qui putauerint licitū esse mendacium, quando videtur necessarium ad virādum aliquod graue incommodum, vel obtinendum maius bonum. Ita sensit Origenes in 6. Stromatum, vbi approbat sententiam Platonis, quam habet lib.3. de Repub. *Deo quidem indecens, & inutile esse mendacium; hominibus verò quandoque vtile & necessarium, vt eo tanquam medicamento vtantur.* Idem fusè tradit Abbas Ioseph apud Cassianum collat.17. cap.8. vbi inter cetera dicit, *mendacio vtendum tanquam ellebori, quod sumitur imminente à quo existali morbo.* cui videtur Cassianus consentire. Eandem sententiam videtur approbare Chrysostomus in fine lib.1. de Sacerdotio, & homil.32. & 53. in Genesim. Denique Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius & plerique Græci in cap.2. ad Galatas, dum docent obiurgationem Pauli fuisse simulatam, & factam ex composito; licitum enim esse, boni alicuius causa, vti simulationibus: atqui *simulatio est mendacium in facto.*

39 *Est contra Scripturas,*

Verùm hanc sententiam esse falsam, & contra Scripturas fusè docet D. Augustinus, præsertim lib. priore, qui est de mendacio cap.5. 6. 7. & sequentibus; & satis patet ex dictis. Eandem damnat Hieronymus apologia 1. contra Rufinum, arguens ob illam Origenistas. vide Sixtum Senensem annot. 89. & 107. Putarem plerosq; ex prædictis Patribus excusari posse, quòd *mendacium* vocent etiam orationem alio sensu dictam, vel habentem tacitam mētis limitationem, ita vt alter aliud intelligat & decipiatur, & nomine *simulationis* etiam *dissimulationem* intelligant, vt patet ex Chrysostomi & Hieronymi exemplis. poterat etiam illa obiurgatio Pauli fieri ex composito absque propriè dicto mendacio & vera simulatione: sicut aliquando ex composito obiurgamus aliquem, vt tertius, qui offensus est, placetur, vel ne audeat imitari factum ipsius, quę obiurgatio intelligenda est secundùm exteriorem speciem facti, quod malum videtur, vel videri possit. sed de hoc plura 1. 2. q.103. art.4. de cessatione legalium.

Quòd aliqui ex Patrib. possint excusari.

Exempla & Scriptura.

In exemplis alijs, quæ adferuntur ex Scripturis, vel satis clarum est non esse propriè dictum mendacium aut simulationem, sed solùm veritatis occultationem; vt quando Abraham dixit Saram esse sororem suam; quando Michol posuit statuam in lecto Dauid; quando Moyses spoliauit Aegyptum; quando Paulus circumcidit Timotheū, totondit caput in Cenchris, &c. Vel possunt excusari per restrictionem mentalem; vt cùm Iacob dixit se esse Esau primogenitum Isaac & multa, quæ dixit Iudith ad Holofernem. Vel non est opus excusare ea, quæ Dauid dixit ad Achimelech; quæ Ionatas ad Saul de Dauidis absentia; quæ Iehu ad sacerdotes Baal; quæ Raab pro exploratoribus; quæ obstetrices ad Pharaonem. hæc enim narrantur, non laudantur à Scriptura; etsi laudetur interdum bona intentio per se spectata.

40 *Mendacium per se est peccatum veniale tantum. Obiectio.*

Aduerte tamen mendacium per se non esse peccatum mortale, sed solùm veniale, quia mordinatio illa neminem grauiter lædit: & deceptio proximi, quando nihil interest sic an aliter res habeat, est parui momenti, nec euertit vitam socialem; etsi illi nonnihil incommodet.

Dices Diuus Augustinus lib. de mendacio capite 6. & sequentibus, aperte indicat omne mendacium esse peccatum mortiferum: nam vult etiam illum, qui pro vita corporali nec sua, vt aliena conseruanda mentitur, amittere æternam; unde sequitur esse mortiferum. quòd si tale mortiferum est, quod tamen inter omnia mendacia penè est leuissimum, ut constat ex c.14. eiusdem libri; consequens est cetera quoque omnia mortifera esse. Et confirmatur ex illo Psalmi 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* & Sapient. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.*

Respondeo, Bona pars eorum, quæ illo libro habentur, non dici asserendo, sed disputando: nam vt D. Augustinus libro 1. Retract. cap. vltimo scribit, *istius libri magna pars in inquisitionis disputatione versatur.* neque ipsi omnino satisfecit; vnde etiam de opusculis suis librum illum auferre decreuerat, quia obscurus & anfractuosus, & omnino molestius ei videbatur: quàm ob causam scripsit alterum contra mendacium, vt ibidem refert. Intentio ipsius solùm erat ostendere omne mendacium esse malum, adeo vt ob nullam causam sit licitum; ad quod probandum induxit quasdam Scripturæ sententias, quæ non de omni, sed de solo pernicioso contra Deum vel proximum sunt intelligendæ; quales sunt duę illæ in confirmatione allatæ: vt facilè ex antecedentibus & sequentibus ostendi potest.

Resp.

Quod ad diuisionem mendacij attinet, tripliciter diuidi potest. Primò, Secundùm propriam rationem, scilicet vt opponitur veritati. hoc modo diuiditur a D. Thoma ex Aristotele lib.4. ethic.7. in *Iactantiam & Ironiam.* Sed hoc intellige non de omni mendacio, sed de eo, quo quis in ijs, quæ ad laudem suam pertinent, mentitur.

41 1. *Diuisio mendacij.*

Iactantia (Aristoteli ἀλαζονεία) est cùm quis maiora de se prædicat, quàm insint. hic Aristoteli vocatur ἀλαζών, idest, *iactator.*

Iactantia.

Ironia est, cùm minora quàm insint, vel cùm laudabilia, quæ insunt, negat. hi Aristoteli vocantur εἴρωνες, *dissimulatores:* si parua sunt & manifesta, quæ de se negat, dicitur Aristoteli ἐμαυτοτἀρρῶν, quasi dicas *nolitanus vetustor.* Si quis se iactet de malo, quod fecit, non est propriè iactantia, quia deest mendacium; sed est vana gloriatio, similis iactantiæ; eò peior, quòd res de qua gloriatur peior est. Si autem illud non fecit; est peccatum iactantiæ, quia est mendacium, quo de se maiora prædicat quàm insint.

Ironia.

Nec obstat, quòd illud quod de se dicit, malum sit; quia accipit illud aliter boni; & laudabilis, & ita opinione ipsius bonum est.

Est autem *Iactantia* per se, seu ex genere suo peccatum veniale, continens malitiam mendacij & vanæ gloriæ. Potest tamen esse peccatum mortale quinque modis, vt colligit Caietanus q.112. ar.2. ex D. Thoma.

42 *Iactantia quale peccatum.*

Primò, Si quis se iactet cum iniuria Dei, sibi tribuendo quod Dei est, sicut rex Tyri, qui dicebat, *Deus ego sum.* Ezech. 28.

Aliquando mortifera: idque sex modis.

Secundò, Cum iniuria proximi, sicut Pharisæus Lucæ 18. qui contemnebat, se iactando, publicanum.

Tertiò, Si procedat ex superbia vel inani gloria mortifera; vt si quis glorietur de donis Dei, tanquam sit illis dignus.

Quartò, Si iactet se cum intentione nocendi proximo, aut emungendi pecunias iniustè, aut exponendi se periculo nocumenti; vt cùm quis se prædicat præclarum medicum, aduocatum, &c.

Quintò, Si ita sit addictus iactantiæ, vt paratus sit peierare vel aliud peccatum mortiferum committere. his adde.

Sextum casum, Quando quis iactat se de opere, quod est peccatum mortiferum; nam videtur illud approbare. Si tamen solùm narret vt inde appareat eius dexteritas, ingenium, virilitas, absque approbatione vel affectu ipsius operis, non videtur esse mortiferum.

Iactantia peior est quàm *Ironia*, teste Aristotele suprà; quia regulariter ex turpiori causa procedit, nimirum ex cupiditate vanæ gloriæ vel lucri. Qui verò *Ironia* vtitur minùs dicendo, vel negando quæ insunt, plerumque id facit vt fastum & iactantiam fugiat, vt Aristoteles ait; sicut Socrates faciebat, qui, vt idem testatur, gloriosa omnia de se negabat. Fieri tamen potest vt ex peiore motiuo procedat, & tunc peior erit; vt si quis minora de se diceret, animo perueriendi alios; sicut hæretici faciunt, dum sibi omnia bona detrahunt, & omnia Deo soli tribuunt, vt videātur humiliores, & gloriæ Dei studiosiores; de quibus maximè intelligenda illud Ecclesiastici 19. *Est qui requirit humiliare se, & interiora eius plena sunt dolo.* & Prouerbior. 26. *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde ipsius.*

43 *Est peior quàm ironia.*

Secundò, Diuidi potest ratione finis vel effectus, in 44 *iocosum, officiosum, & perniciosum.* *Iocosum* est, quod cau- 2. *Diuisio.*

Iocosum, *Officiosum*, *Perniciosum*. la voluptatis vel suæ vel alienæ dicitur. *Officiosum*, quod causa vtilitatis. vtrumque autem tale esse debet vt nemini noceat. *Perniciosum* est, quod alicui iniustè nocet, siue alteri prosit, siue non: seu quod est contra honorem Dei, vel bonum proximi. tale est omne mendacium in religione, in Sacramento Confessionis, in iuramentis, in detractione, in falso testimonio, in contractibus iniquis, &c. est autem hoc mendacium peccatum mortale, quia est contra charitatem Dei, vel proximi: ratione tamen materiæ, vt si nocumentū sit paruum, potest esse veniale; vt in parua detractione vel deceptione proximi. reliqua duo genera solum sunt peccata venialia; nam culpa mendacij minuitur ex eo, quod ad aliquod bonum siue delectabile, siue vtile, siue ad alicuius mali auersionem absque vllius iniuria ordinetur.

3. Diuisio. 45 Tertiò, Diuidi potest ratione signi, quo quis vtitur: hoc modo aliud consistit in verbis, aliud in factis. illud propriè vocatur *mendacium*, de quo iam satis dictum est: hoc *simulatio*, quæ nihil est aliud quàm mendacium in actionibus vitæ; nimirum cum quis per has intendit aliud significare, quàm interius in animo sentit. hoc modo mentiuntur, qui externis gestibus & actionibus præ se ferunt gaudium, dolorem, compassionem, amorem, amicitiam, & similia, cū nihil tale subsit. huius species est *hypocrisis*; quod nomen etsi proprie significet simulationem seu fictionē alienæ personæ, vt solet fieri in theatro & scena, vt docet D. Aug. l. 2. c. 3. de serm. Dom. in mon. tamen in Sacra Scriptura & apud auctores ecclesiasticos accipitur pro ea, qua quis se simulat esse iustum, cum non sit.

Simulatio.

Hypocrisis.

Quale peccatum. Est autem *hypocrisis* per se peccatum veniale, sicut mendacium & iactantia: potest tamen esse peccatum mortale. Primò, Ratione finis; vt si quis simulet se iustum, sanctum, Prophetam, doctorem veritatis, vt falsam doctrinam semineт; sicut faciunt hæretici, præsertim ministri. hi sunt verissimi hypocritæ, interius lupi, exterius oues; quos in primis cauendos Dominus monuit, Matth. 7. Item si talia simulet, vt ad ecclesiasticam dignitatem indignus irrepat, aut alio modo noceat.

Gradus mendacij. 46 Secundò, Si hoc nomē simul inuoluat contemptum sanctitatis vel religionis internæ, qui sæpè cum hypocrisi est coniunctus. Hoc modo multi politici huius ætatis sunt hypocritæ. solum enim curant vt exterius videantur iusti vel Catholici, cum internam religionem nihil faciant. talis hypocrisis est peccatum mortale, ratione illius contemptus, quem includit. hoc modo sæpè reprehenditur. in Scripturis, vt notat D. Th. q. 111. art. 4. vt Matt. 6. & 23. Luc. 12. & 16. Isa. 63. Iob 8. & 20. &c.

Gradus mendacij à D. August. lib. de mendacio, cap. 14. ponuntur octo; quorum primus & infimus est, cum quis mentitur ad impediēdum stuprum, seu castitatis violationem, sibi vel alteri inferendam. Secundò, Cum ad impediendum homicidium. Tertiò, Ad impediendam fortunarum direptionem. Quartò, Cum placēdi cupiditate. Quintò, cum sola mentiendi libidine. Sextò, Cum quis ita mentitur, vt vni prosit & alteri obsit. Septimò, Cùm ita mentitur vt nulli prosit, & obsit alicui. Octauò, Quando mentitur in doctrina religionis. hi gradus ab infimo mendacio crescunt ad summum. tres primi gradus pertinent ad mendacium officiosum; quia nemini nocent, & præterea aliquā vtilitatem adferunt, dum graue malum, vel stupri, vel mortis corporalis, vel amissionis pecuniarum vitatur.

Stuprum est morte deterius. Vbi aduerte, D. August. insinuare maius malum esse pati stuprum quàm mortem; quod facile admiserim; maximè propter periculum peccandi, quod illi voluptati coniunctum est. Vnde minus peccatum est mentiri ad vitandum stuprum, quàm ad vitandam mortem: sicut minus est ad vitādam mortem, quàm ad cauendum damnum pecuniarium. Quo enim maius est bonum propter quod mentiris, eò mendacium est minus peccatum; quia malitia & deformitas illius minus est voluntaria: qui enim nollet mentiri, nisi necessitas magni boni consequendi vel mali auertendi cogeret, satis ostendit sibi non placere per se mendacium, & se inuitum & cum displicentia illius per se considerati, ad illud descendere: idque eò magis, quo causa, qua impellitur, maior est, vel saltem iustior apparet. Hinc dici solet bonitatem intentionis minuere malitiam operis.

Intentio bona minuit peccatum. Quartus & quintus gradus pertinent ad mendacium iocosum. minus tamen culpæ est in quarto quàm in quinto; quia minus turpe est mentiri vt alterum oblectes, quàm vt libidini mentiendi satisfacias. Sextus, septimus & octauus pertinens ad mendacium perniciosum.

DVBITATIO VII.

Quid sit affabilitas, & quæ vitia illi aduersa.

D. THOM. quæst. 114. 115. & 116.

47 *Affabilitas* est virtus, quæ procurat vt conuersatio nostra cum proximis in rebus ferijs sit grata, & talis, qualem esse decet, ipsectata conditione nostra, personarum quibuscum agimus, negotiorum, & reliquis circumstantijs; ita vt neque nimis blandè neque nimis asperè in congressibus nos geramus. *Affabilitas quid.*

Dico *in rebus ferijs*, nam vt in *iocis* sit nostra conuersatio grata, præstat alia virtus, quam Aristot. l. 4. ethic. c. 9. vocat *εὐτραπελίαν*, quę nos decore facit vti iocis & ludicris, quę animi causa assumuntur, ita vt nec in illis modum excedamus, tanquam scurræ: nec ab illis abhorreamus tanquam agrestes quidam & rupicones. *Eutrapelia.*

48 *Affabilitas* apud Græcos proprio nomine caret, teste Aristotele cap. 6. non male tamen quis *ἐυπρεπείαν* vocauerit, ex Isocrate ad Dæmonicum. apud Latinos vocatur *affabilitas & comitas*; vt ex Cicerone 2. Offic. constat. etsi enim non in solo alloquio consistat, sed etiam in alijs actionibus & officijs, quibus nos accōmodamus proximo, vt ipsi nostra conuersatio grata sit; tamen potissimum in sermone & affatu sese ostendit: sicut & *adustum & iucundum*. adiit Aristoteles esse similem *amicitiæ*: nam exterius ita se ad omnes gerit tamquam ad amicos. Differt tamen 49 ab *amicitia* propriè dicta; quia hæc nihil est aliud quàm mutua benevolentia *in* peculiari quadam communione fundata, quæ communio & consociatio causa est amandi alterum sicut seipsum, & comiter cum illo tractandi. Sic inter milites est amicitia, ratione societatis & communionis militiæ: inter eruditos, ratione communionis in eruditione: inter consanguineos, ratione communionis sanguinis; inter Religiosos, ratione societatis vitæ religiosæ: inter Deum & hominem, ratione communionis bonorum supernaturalium, & maximè ratione communionis gloriæ, quam præstolamur in cælo, qua Deo erimus similium. Interdum commune est causa inimicitiæ, nō per se, sed quia impedit bonum alterius. Sic figulus figulum odit, & faber fabrum, iuxta Hesiodum. Denique quando commune ad nimis multos se extendit, fit vt sit amicitia & facile euanescit sic communio religionis Christianæ, quæ olim, cum pauciores essent Christiani, erat vinculum arctissimæ amicitiæ, postea cœpta est negligi, tamquam ad amicitiam, sine alio magis particulari nexu, sufficiēs. Sed de his plura in tractatu de charitate, & apud Aristotel. octauo ethicorum. *Differt ab amicitia.*

At *affabilitas* non requirit talem communionem, neque ideò benignè cum alio tractat, quòd illi sit amicus, aut ei benè velit, sed quia ita congruit ad vitam socialem.

Obiectum materiale. 50 *Obiectum* igitur materiale *affabilitatis* est tota conuersatio hominis cum proximo, cōsistens in colloquijs, cōuictu, & actionibus, quibus cum illo tractamus. hæc omnia nititur affabilitas ita moderari, vt proximo nostra conuersatio grata sit & delectabilis; (seruata tamē decori ratione) idq; ideò quia hoc debitum est, non quidem ex parte proximi, quasi ipse aliquo beneficio id meruerit vel ad hoc aliquod ius habeat, (quomodo aliquid est debitum parentib. Principibus, Superioribus, benefactoribus) sed ex parte nostra, quia naturæ socialis sumus, & sine hac moderatione nō sumus bene idonei ad vitam socialem. sicut dicere *veritatem* extra contractus & alia negotia, in quibus haud magni interest nosse sic an sic res habeat, debitū est nō ex parte proximi, cui loquimur; sed ex parte nostra, vt dictum est supra dub. 6. Itaque hoc *debitum* solum est morale, seu ex honestate virtutis; & minus quàm debitum gratitudinis, vel obseruantiæ.

Formale. Vnde patet, *obiectum formale*, seu rationem obiectiuam huius virtutis esse attemperationem nostræ conuersationis cum proximo, qua ita sit ei accommodata secundum normam rationis, vt ei sit grata, idque quia hoc debitum

tum vitæ sociali: hanc enim attemperationem hæc virtus in ipsa conuersatione tanquam in proxima materia intendit & procurat. Hanc tamen virtuti non repugnat, si interdum seuerius cum illo agamus, quando res postulat; non enim omni tempore tenemur nos affabiles cuiuis offerenti præstare; sed quando culpa illius vel iusta ratio aliud non postulat.

Obiectum cui est proximus; huic debemus affabilitatem, quia nos & ipse ad vitã socialem & amicitiã apti sumus.

51 *Vitia oppositæ.*

Dupliciter in hanc virtutem peccatur; excessu delectandi & defectu: id est, *blanditia & morositate*, quidam. n. nimiùm student in conuicta esse blandi & placidi: vnde in omnibus se accommodant alijs, omnia probãt, omnia laudant: qui si id faciant vtilitatis causa, vocantur *adulatores*. Aristoteli κόλακες, quibus Principes sæpe obsepti, magnarum aularum magna pestis. Si solùm vt placeant, vocatur *blandi*, Aristoteli ἀρέσκος, studio placendi. Alij nimis parùm curant placere, sed vbique sunt difficiles, vbique cõtradictores, nusquam se accommodant: hi vocantur *morosi* & asperi, Aristoteli δυσκόλοι καὶ δύσεριδες, genus hominum parùm ad societatem & amicitiam idoneum. sunt tamen in hoc varij gradus. alij enim plus, alij minùs hoc ablymthio morum sunt incommodi. D. Tho. hoc vitium vocat *litigium*, ex antiqua versione; proni enim sunt homines morosi ad contradicendum, & consequenter ad litigium: quam ob causam Arist. vocat eos δυσερίδας, id est *contentiosos*, vel *pugnaces in contentionibus*.

Adulatores.

Blandi.

Morosi.

52 *Quale peccatum adulatio.*

Adulatio per se est solùm peccatum veniale, quia est tãtùm excessus in studio placendi & oblectãdi in communi congressu: potest tamen esse peccatum mortale trifariã, vt docet D. Th. q. 115. a. 2. Primò, Ratione materiæ; si laudes alicuius peccatũ, præsertim mortiferum; iuxta illud, *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur*, & Ila. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*: vt cum quis laudatur a cõstantia in hæresi, a rebellione, &c. Sic plerumque adulatore vitia nominibus virtutum tamquam fuco nonnulli ornant & laudant: de quo pulchrè D. Basilius in illud Psal. *Cæcum in fitu*. Secundò, Ratione finis, si adulteris vt eos oblectes, vt ad libidines pertrahas, &c. Tertiò, Ratione effectus, quia per adulationem præbetur occasio alicuius grauis peccati, etiam præter intentionem. nihil enim est quod tam facilè mentem hominis corrumpat, quàm adulatio; teste Hier. epi. ad Celantiam. vide plura de hoc vitio apud D. Anton. p. 2. tit. 10. c. 2. § 2.

53 *Quale morositas & litigium.*

Morositas etiam, seu litigium per se est solùm peccatũ veniale; quia tantùm adfert proximo nonnullam molestiã & tædium in congressibus; quæ res non censetur grauis aut contra charitatem nec euertit vitam socialem, etsi ei nonnihil incommodet, eamque minùs suauem reddat. est tamen deterior quàm adulatio, si vtrumque præcisè & per se spectetur, nam peius est esse molestum in cõgressibus, quàm nonnihil excedere blanditijs: illud enim longiùs abest ab officio huius virtutis, cuius est delectabilem efficere nostram consuetudinem. ratione tamen finis, vel materiæ, vel effectus consequentis, adulatio ordinarie est multò deterior; vnde magis ab adulatoribus, quàm ab asperis ingenijs cauendum, vt etiam insinuat Propheta Psal. 140. *Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

DVBITATIO VIII.

Quid sit liberalitas, & quæ vitia ei opposita.

D. THO. QVAEST. 117. 118. 119.

54 *Quid liberalitas.*

LIBERALITAS, Aristot. ἐλευθεριότης, est virtus, quæ moderatur amorem pecuniæ, & reddit nos faciles & promptos ad eas expendendas quando ratio dictat; vt rectè docet D. Th. q. 117. 2. 1. 2. & 3. ex Arist. l. 4. eth. c. 7. *Pecuniam* vocamus non solùm nummos, sed *omnia, quorũ pretium pecuniam metitur*, vt Arist. ibidem ait. cùm enim cupiditas pecuniæ & diuitiarum in hominibus admodum sit vehemens, & grauia inducat incommoda, (*omnium enim malorum radix est cupiditas*, teste Apostolo) oportuit esse aliquam virtutem, quæ hanc cupiditatem moderaretur: hanc vocamus *liberalitatem*.

Pecunia.

Itaque *liberalitas* immediatè versatur circa æstimationem & affectum diuitiarum, vtrique modum imponendo, & faciendo eas æstimari & amari in suo gradu, non suprà nec infrà; mediatè circa earum vsum: itaque dupliciter. Primò, Tollendo impedimentum recti vsus hoc ipso enim quo temperat amorem earum, promptiores non reddit ad eas erogandas, quandocumque casus incideret quo id iudicetur conueniens: nimius enim earum amor & cupiditas promptam erogationem impediebat. Secundò, Inclinando directè ad earum elargitionem, vel potiùs ad certum in elargiendo modum. Liberales enim maximè ex eo vocantur, quòd libenter & hilariter de rebus suis largiantur alijs: idque non quia hi egent; hoc enim est *miseri. ordiæ*: nec quia amici, hoc enim amicitiæ: neque ob beneficia; quia hoc gratitudinis: nec intuitu compensationis; quia hoc amoris concupiscentiæ, qui maximè repugnat liberalitati: sed quia hic modus elargiendi, in vita politica & sociali decet hominem, & conuentaneus est vsu affectui & habitui. Itaque inclinat propriè in modum, qui in largiendo seruandus est, quatenus hic congruit illius affectui, siue vt effectus illius, siue vt signum; & vitæ sociali.

Circa quæ versetur. & quo modo.

Ex quibus patet Primo, Hanc virtutem esse magni momenti, quod ad primarium eius officium attinet, nam res est summè vtilis & necessaria in hac vita, cupiditatem diuitiarum esse compressam, & secundùm rationis regulam temperatam. & hoc munus potest habere in omnibus, etiã pauperibus, imò in nullis magis, quam in ijs, qui voluntariè pauperes sunt, qui minimè cupiditate diuitiarum tenentur: quamuis in his aliquid maius sit quàm liberalitas vulgaris: quia est diuitiarum contemptus & fuga, propter amorem bonorum cælestium & Christi imitationem: qui est gradus heroicus liberalitatis. 55

Liberalitas in gradu interiori.

Secundarium officium, scilicet elargitio & modus debitus in ea seruandus, quatenus præcise declarant hunc moderatum affectum & quamdam vilipẽsionem diuitiarum, est minoris momenti; etsi per hanc liberalitas se maximè ostendat: nec omnibus conuenit; cùm non omnes habeant quæ largiantur.

Porrò ad illam moderationem cupiditatis diuitiarum 56 considerandum est Primò, Quid ipsæ sint in se, quàm viles, quàm exiguæ, quàm incertæ & instabiles. Secundò. Ad quid valeant; nimirum ad fastum, ad oblectationes sensuum, & ad omnem mali licentiam. Tertiò, Quantas curas & molestias secum trahant. Quartò, Quam paucis natura contenta, & quàm multa illi superflua. Quintò, Denique melius & honestius esse dare, quàm accipere.

Considerationes inuitantes ad hanc virtutem.

Patet Secundò, Obiectum materiale & immediatum 57 huius virtutis, seu materiam proximam esse *cupiditatem pecuniæ*: huic enim cupiditati modũ imponere, est primarius finis huius virtutis. & cõsequenter *media* ille est obiectum formale mediatum est *erogatio pecuniæ*: nam & huic modũ imponere debet, vt libenter, hilariter & copiosè, prout ratio decori in vita ciuili postulat. fiat. vt tamen erogatio sit materia seu obiectum liberalitatis, debent adesse circumstantiæ illæ, cum quibus ipsa secundùm substantiam suam honestè fieri possit, alioquin circa illam non erit liberalitas, (cuius materia debet esse honesta) sed profusio. hæc autem erogatio, quia tendit in alium, estque quodammodò debita ex honestate huius virtutis, vt per eam affectus internus se prodat, facit vt hæc virtus ex parte sit similis iustitiæ; & enumeretur inter eas, quæ iustitiæ dicuntur annexæ. materia remotissima huius virtutis est *pecunia*: circa huius. n. elargitionem & vsum versatur. quæ intellige non de ingenti summa; hæc enim ad magnificentiam pertinet, vt inf. l. 3. c. 2. dub. 4. dicetur, sed de mediocri & ordinaria.

Obiectum & materia.

Petes, Vtrùm in Deo sit propriè liberalitas?

Respon. Si *liberalitas* accipiatur pro virtute moderante cupiditatẽ diuitiarũ, sic in Deo non est liberalitas, nisi metaphoricè, sicut nec ira: sed quia hoc nomen propriè magis ordinariè accipi solet pro affectu ad prompte, copiosè, & absque intuitu compensationis de rebus suis erogãdum alijs, siue interueniat cupiditatis moderatio, siue non; ideò absolute dicendum est in Deo propriè esse *liberalitatem*, & quidem maximã, sicut & beneficia ipsius maxima sunt & propriissimè beneficia; quorum collatio est actus liberalitatis: ipse enim est propensissimus ad erogandum, & quidem hilariter, copiosè & mere gratis, idque quia decet benignitatem & beneficam naturam. 58

An liberalitas in Deo.

59 *Vitia oppoſita.* *Auaritia.*

Liberalitati opponuntur duo vitia, *auaritia* & *profuſio*. *Auaritia* (quæ ἀνελευθερία Ariſtoteli vocatur; quia res illibera & homine maximè indigna) excedit in æſtimatione & amore diuitiarum, & conſequenter in illis nimiũ retinendis, vel nimio ſtudio quærendis, vel per quæuis media, vt per fas & nefas: vnde apud Græcos etiam dicitur φιλοκτημοσύνη à ſtudio plus habendi. opponitur tamen liberalitati per defectum; quia deficit in erogando; non enim erogat quando ratio poſtulat; ab erogatione autem poſſimũ liberalitas appellatur.

Eſt periculoſa.

Hoc vitium etſi per ſe ſit ſolum peccatũ veniale; vt pote inordinatus amor diuitiarum, tamen eſt valdè periculoſum. facilè enim hic amor ita creſcit vt propter diuitias homo paruipendat præcepta diuina, paratus quiduis ad eas aſſequendas patrare. vnde crebrò & grauiſſimè reprehenditur in Scripturis: Eccleſ. 10. *Auaro nihil eſt ſceleſtius*: nimirum, quia paratus eſt quamuis iniuriam facere propter diuitias, vt ex verſu præcedente patet: deinde ſtatim additur, *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet; quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.* Ad Eph. 5. Apoſtolus dicit *auaritiã eſſe idololatriã*; quia auarus auro afficitur præ Deo; omnia paratus propter aurum agere & pati. 1. ad Tim 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. radix enim omnium malorum eſt cupiditas*. nimirum, quia nullum eſt malum, ad quod cupiditas diuitiarum aliquando non impellat.

60 *Eſt vitium capitale.* *Filiæ auaritiæ.*

Vnde meritò auaritia inter peccata capitalia numeratur quæ ſunt veluti frontes & radices multorum aliorum. hinc Greg. l. 31. mor. c. 31. ſeptem auaritiæ filias enumerat. *De auaritia*, inquit, *proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentia, & contra miſericordiam obdurationes cordis oriuntur.* Quarum ratio ſic breuiter iuxta D. Tho. explicari poteſt. *Auaritia* enim excedit in duobus, in retinendo, & in acquirendo. vt excedit in retinendo, parit filiam *obdurationem cordis*, claudens viſcera ſua ad preces pauperis: vt verò in acquirendo, ſic in affectu quidem parit *inquietudinem*, & ſuperuacaneas curas, ſemper in craſtinum ſollicita nam vt Eccl. 5. dicitur, *Auarus non implebitur pecunia.* In effectu autem interdum impellit vt *vim* proximo inferas; (vt faciũt fures & raptores) interdum vt dolo vtaris, vt ſæpè fit in contractibus: qui dolus, ſi committatur ſimplici verbo, erit *fallacia*; ſi additum fuerit iuramentum, erit *periurium*. Si verò committatur in opere; vel id fiet circa rem aliquam, & erit *fraus*; vel contra perſonam, & dicetur *proditio*. Ex quibus etiam patet prædictas filias ex auaritia oriri ſecundum rationem cauſæ finalis: impellit enim auaritia ad iſta peccata, ſicut intentio ad electionem. omnia enim iſta fiũt ex inordinato affectu pecuniæ vel retinendæ, vel acquirendæ: vnde cum in moralibus finis habeat rationem principij, modus ille naſcendi proprie eſt moralis.

Quale peccatum.

Aduerte tamen, etſi hoc vitium dicatur capitale, non tamen idcireo putandum ſemper eſſe mortiferum; ſed tunc ſolum, cum propter diuitias conſequendas vel retinendas, paratus fuerit aliquod præceptum obligans ſub mortali, violare.

61 *Profuſio.*

Profuſio, Ariſt. ἀσωτία, aduerſatur liberalitati, tum defectu in opibus conſeruandis, tum exceſſu in erogandis: prodigus enim dat quibus non oportet; vt hiſtrionibus, adulatoribus; vel pluſquam oportet, vt cum magnis expenſis facit quæ paruis fieri poſſunt: vel in res friuolas multa expédit. hoc tamen vitium per ſe non eſt niſi veniale, quia homo eſt dominus ſuæ pecuniæ, & pecunia ex infimis bonis: eſtque minus quàm auaritia. Primò, Quia eſt vicinius liberalitati. Secũdò, Prodigus eſt vtilis multis; auarus nec ſibi nec alijs prodeſt. Tertio, Quia facilius emendatur. His accedit, quòd auaritia ſit ignominioſior, cum per eam homo ſe faciat mancipium pecuniæ, rei infimæ: vnde Cicero quodam loco ait, *nihil eſſe tam angusti, tamque parui animi, quàm amare pecuniam.*

Per ſe eſt veniale. *Eſt minus peccatum, quam auaritia.*

62 *Aliquando eſt mortiferum.*

Poteſt tamen profuſio eſſe peccatum mortale. Primò, ratione finis, ſi ad finem referatur in quo eſt peccatum mortale. Secundò, Ratione effectus, cum quis ſe reddit impotẽtem ad ſoluenda debita, vel quando, vt profuſè expendat, omittit eleemoſynas in caſu extremæ vel grauis neceſſitatis. Tertiò, Ratione offenſionis proximorũ. Quartò, Ratione peculiaris obligationis expendẽdi ſuperflua in pias cau-

Profuſio & auaritia ſe mutuo gignunt.

ſas. ſic profuſio ex bonis eccleſiaſticis eſt peccatum mortale. Deniq; ſæpè profuſio eſt cauſa auaritiæ: qui enim multa profundunt, cum opes non ſint ipſis inexhauſtæ, coguntur malis artibus, auariſque modis aliunde conquirere, vt fomenta vitio profuſionis ſuppeditẽt. hinc plerumque fit, vt qui ſunt in quibuſdam profuſi, in alijs ſint auari, parum vel nihil pauperibus erogando, & inique corrogando vt profuſionem continuẽt. Exempla habemus in multis mercatoribus & nobilibus. vide Ariſtot. 4. ethic. c. 1. ſub fin.

DVBITATIO IX.

Quid ſit ἐπιείκεια *ſeu æquitas,*

D. THOM. quæſt. 120.

63 *Quid ſit.*

EPIEIKEIA eſt quãdo aliquid agitur contra verba legis, eò quòd bonum commune, vel ratio virtutis id poſtulet. cum enim leges vniuerſaliter proponantur, & regulæ vniuerſales multas patiantur exceptiones; ſæpè caſus incidunt in quibus malum eſſet verba legis ſequi, v. g. lex ſit, *Depoſitum eſſe reddẽdum.* accidit autem vt quis gladium depoſitum repetat cauſa pugnandi cũ inimico, nõ eſt parẽdum verbis legis, ſed contra faciendum. hoc igitur eſt officium huius virtutis, quæ Græcis ἐπιείκεια, Latinis *æquitas*, dici poteſt. Item lex ſit, *Nemo mœnia tranſcendat.* incidit caſus, vbi niſi mœnia tranſcẽdero, hoſtis vrbem capiet; æquitas iubet facere contra verba legis. Idem dicendum de lege ieiunij, audiẽdi Sacri, confitẽdi & alijs innumeris. nec ſolum in poſitiuis, ſed etiam in naturalibus quibuſdã generaliter expreſſis locum habet. vt rectè Caiet. q. 120. ar. 1. docet; vt. *Non occides, depoſitum reddes*, &c. Hac ratione dicitur hæc virtus eſſe *directiua & correctiua* legum, quando ob ſuam vniuerſalem expreſſionem deficiunt a recto; quia inclinat vt contra verba legis agatur, idq; ob aliquam conſiderationem. vnde patet, quando quis eximitur per diſpenſationem a lege, hanc virtutem non habere locum; quia non eſt opus correctione legis, cum nõ ceſſet eius obligatio ob vniuerſalitatem.

Eſt directiua legum & correctiua.

64

Iudicium, quo dirigitur hæc virtus, vocatur *gnome*; ſicut iudicium, quo diriguntur ea, quæ fiunt ſecundum verba legis, vocatur *ſyneſis*. vt dictum eſt lib. 1. c. 2. de Prudentia, dub. 3. *ſyneſis* enim ſecundum D. Tho. eſt iudicium rectum de rebus agendis, ductum ex conſideratione verborũ legis & finis proximi, quẽ lex reſpicit. v. g. eſſe hodie mihi ieiunandum, quia Eccleſia præcipit, vel quia caro caſtigãda, & ſubijcienda ſpiritui. quòd ſi ieiunium grauiter læderet valetudinem, gnome ex alterius principij conſideratione iudicat verba legis non eſſe hic ſeruanda, ſed cibo comedendũ, nempe ex eo, quòd læderet valetudinem, & contra charitatem ſui, & impediat obſequium Dei vel proximi, quæ cum ſint maioris momenti, quam id, quod legislator in ſua lege intendebat, ceſſat obligatio verborum legis.

Gnome eam dirigit. *Syneſis alia virtutes.*

Peter. Vtrùm æquitas ſit vna aliqua virtus?

An ſit vna virtus.

65 *V. Idprobabile eſt non eſſe.*

Reſp. Valdè probabile eſt nõ eſſe vnam virtutem a reliquis diſtinctam, vel ſaltem talẽ virtutem non eſſe neceſſariam. ratio eſt, quia *æquitas* in omni genere legũ, & in omni materia virtutum, locum habet. & non reſpicit vnã rationem formalem; (ſicut obedientia, quæ vbique intuetur debitum præcepti; & iuſtitia legalis, quæ debitum ciuis erga Remp.) ſed diuerſas rationes honeſti (ob quas a verbis legis recedit) in diuerſis materijs, imò in diuerſis caſibus circa eamdẽ legem intuetur: quod ex prædictis exẽplis eſt perſpicuum. nam legem illam de mœnibus non tranſiliendis, non ſeruat hoſte imminẽte, ex affectu boni communis: depoſitum negat, ex affectu iuſtitiæ vel charitatis proximi: legem ieiunij non ſeruat, ex affectu charitatis ſui, vel proximi, vel obſequij diuini, quod eſt religionis: aliquando etiã ex affectu iuſtitiæ erga proximum, vt ſi nõ poſſit aliter reddere debitum uxori, aut ſoluere creditoribus. Itaque cũ iuſtus ſpeciem cõtrahat ex obiecto, cuius affectu operatur, & hoc obiectum ſit valdè varium, & diuerſorum generũ, perſpicuum eſt æquitatem quoque ad varias virtutes pertinere. Confir. quia quando lex propter ſuam generalitatem offenſura eſſet aliquam virtutem, tunc eius verba ſequentibus; illa virtus ſufficiens eſt vt contra verba legis honeſtè agamus, modo prudẽtia adſit, quæ dirigat, vt ex prædictis

exem-

exemplis colligitur: ergo non eſt opus ad hoc aliqua peculiari virtute appetitus; ſed ſolùm prudentia, quæ offendat legis verba in hoc caſu huic vel illi virtuti aduerſari; ac proinde tali modo & fine contra agendum: quæ prudentia multis deeſt, vel ob ſcrupulos, quibus impliciti, verbis legis ita præſtringuntur, vt rationes altiores, ob quas in hoc vel illo euentu ſequenda non ſint, expendere nequeãt; vel ob iudicij tenuitatem.

Singula virtutes, vt habeant rationem æquitatis.

Ex his, ſequitur ſingulas virtutes habere rationẽ æquitatis, quatenus contra verba legum ex affectu propriæ honeſtatis operantur. ac proinde non diſtingui æquitatem à ſingulis, niſi ratione.

Obiectio. 66

Dices Primò, Aequitas reſpicit correctionẽ legis: atqui hæc eſt vna quædam ratio obiectiua. Secundò, Ariſtot.5. ethic.c.10.dicit, *æquum eſſe quoddam iuſtum & melius quam iuſtum legitimum; eſſe enim correctionem iuſti legitimi.* Item *æquitatem eſſe quandam iuſtitiam, & iuſtitia legali meliorem:* hoc autem non poteſt dici de quauis virtute.

Reſp.

Reſp.ad Primum: *Correctio* legis proprie fit per prudentiam vel gnomen, quæ eſt pars prudentiæ, & regula huius virtutis. Dicitur autem fieri per hanc virtutem, tum quia fit per regulam, qua hæc virtus dirigitur: tum quia opus huius virtutis repugnat verbis legis, & ita ipſo opere lex corrigitur. vnde non eſt neceſſe hanc virtutem accipere ſpeciem ab hac correctione; quia non ideò facit opus vt legis verba non ſeruet aut vt legem corrigat, ſed propter aliam rationem honeſti, quæ cogit à verbis legis recedere; quæ ratio varia eſſe poteſt.

67 *Ad Secundum.*

Ad Secundum: *Æquum* eſt quoddam Ius ſeu iuſtum, quia eſt conforme menti legiſlatoris, quæ eſt legis anima, vel potiùs altior quædam lex, quàm ipſis verbis continetur. vnde etiam eſt melius quàm *Ius legitimum*: quia altiorem finẽ reſpicit, *legitimum* enim ius, verbis legis & proximo legis fine continetur, *æquum* verò continetur ſola mente legiſlatoris, & altiorem finem habet. vnde etiã eſt correctio iuris legitimi: nam ius legitimum prætermittitur, vt æquitatis ratio ſeruetur; hic tamen finis altior non eſt vnius rationis. vnde nec vnam conſtituit virtutem. Simili modo *æquitas eſt quædam iuſtitia*, quia ſatisfacit menti legiſlatoris; eſtque melior iuſtitia legali, ſi *iuſtitia legalis* accipiatur pro ea, quæ ſolum ſatisfacit legi ſcriptæ. melius enim eſt ſequi mentem legiſlatoris ſecundùm altiorem finem, quàm ſequi verba ſecundum finem inferiorem. Si autem *iuſtitia legalis* acciptatur generatim pro virtute, quæ ſatisfacit verbis legis, vel menti legiſlatoris; ſic æquitas eſt pars iuſtitiæ legalis, vt rectè Diuus Thomas art.2. ad 1.explicat.

Sed ex his non ſequitur eſſe vnam virtutem ſecundùm Ariſtotelem; quia neque iuſtitia legalis Ariſtoteli vna virtus eſt. ſed omnis virtus, quatenus legi ſatisfacit, vt ſup.l.2.c.1.dub.3.oſtenſum.

Quomodo poſſit vna virtus ſtatui. 68

His tamen addo, Sicut *obedientia* conſtituitur vna virtus, quæ reſpicit præceptum ſeu legem, maximè verbis expreſſam: ita *æquitatem* poſſe ſtatui vnam virtutem, quæ reſpiciat tacitam legiſlatoris mentem; quæ eſt, vt in certis euentis non agatur ſecundùm verba legis, ſed ſecundùm dictamen altioris finis: nam in omni materia virtutis pôt quis hac conſideratione legem corrigere, & contra verba legis honeſtè operari. vt menti legiſlatoris obtẽperet. ſicut enim per ſe honeſtum eſt præcepto expreſſo Superioris ſe conformare; ita etiam per ſe honeſtum eſt tacitæ menti Superioris ſe conformare, quando verba legis non ſunt ſequenda. Hoc modo videtur intelligendus D. Thomas, qui *æquitatem* vnam virtutem ſtatuit, & præfert iuſtitiæ legali, quæ uerbis legis obtemperat, ubi etiam per *iuſtitiam legalem* videtur intelligere *obedientiam*. Eodem modo poteſt explicari Ariſtoteles. Iuxta hunc modum *æquitas* definiri poteſt, virtus inclinans ad recedendum à verbis legis quando ob vniuerſale bonum deficit à recto, vt intentioni legiſlatoris nos accommodemus. Fatendum tamen eſt, 69
quando æquitate vtimur, & à verbis legis recedimus intuitu altioris conſiderationis, nos id non facere principaliter vt nos menti legiſlatoris accommodemus; (quamuis eo motiuo vti poſſimus) ſed ne aliam virtutẽ offendamus. vnde ſuprà dixi, præter virtutes particulares non eſſe diſtinctam virtutem (quæ vocetur ἐπιείκεια ſeu æquitas) neceſſariam. ſed quamuis neceſſaria non ſit, eſt tamen vtilis, ut quis etiam illo motiuo operetur.

Ex quibus patet, hanc uirtutem eodem ferè modo Iuſti- 70
tiæ annexam eſſe, quo obedientia; quia ſicut hæc ſatisfacit legi & præcepto, eius uerbis ſe conformando; ita illa ſatisfacit intentioni, à uerbis legis recedendo.

Hæc dicta ſint de Iuſtitia & Iure, & virtutibus illi annexis: & ita finis eſt Libri ſecundi.

LIBER

LIBER TERTIVS
DE
FORTITVDINE
TERTIA VIRTVTE CARDINALI.

EXPLICATA PRVDENTIA & IVSTITIA, *sequitur* FORTITVDO, *quæ est tertia virtus Cardinalis. Hæc posterior quidem est dignitate quàm Iustitia: quia Iustitia omnes vitæ nostræ actiones, quæ alium respiciunt, rectè componit, vnde latissimè patet, & sine ea nec pax humano generi, nec vlla societas aut Respub. constare potest, vitaq; hominum, ea sublata, merum erit latrocinium, qualis apud Cyclopes & Canibales: Fortitudo autem solùm in eo versatur, vt impedimenta quædam rectè operandi ex periculis & malis huius vitæ occurrentia remoueat, ne propter illa ab honesto recedamus, prior tamen quàm Temperantia; quia difficilius est timorem mortis & verberum vincere, quàm cupiditatem voluptatum refrænare. cuius signum est, teste Aristotele, quod etiam immanes belluæ à maximis voluptatibus metu verberum abstineant. deinde quia functiones fortitudinis magis ad bonum commune, defensionem patriæ, & Iustitiæ pertinent, quàm Temperantiæ.*

Constabit autem hic liber duobus capitibus. Prius erit de Fortitudine secundùm se, eius functionibus, & vitijs ei aduersantibus. Alterum de virtutibus Fortitudini affinibus, & vitijs ijsdem oppositis.

CAPVT PRIMVM.

De Fortitudine secundùm se, & eius functionibus.

Constat Dubitationibus 6.

DVBITATIO PRIMA.

Quid fortitudo, & quæ illius officia. D. Thom. Quæst. 123.

Vox simile duplicem accipitur.

NOTANDVM, hoc nomen *duplicitèr* accipi, vt docet D. Thom. art. 2.

1. Acceptio.

Primò, Pro firmitate animi in bono honesto. hoc modo vel est virtus generalis, nimirum obiecto & extensione materiæ, quamuis specialis essentia & habitu, sicut amor honesti in genere. vt enim possum habere firmum propositum sequendi in omni negotio bonum honestum, quod recta ratio dictabit; ita etiam præstandi in eo firmè, nec finendi ab eo ullis incommodis me auelli: quod propositum habitu permanens, videtur esse virtus quædam. Hoc modo accipit Ambr. lib. 1. de off. c. 36. cùm ait, *in duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primò, Vt externa corporis pro minimis habeat & quasi superflua despiciendo magis, quàm*

quem expetenda docuit. Secundò, Vt ea, quæ summa sunt, omnesque res in quibus honestas & illud καλὸν ποιεῖν cernitur, præclara animo intentione vsque ad effectum persequatur. Itaque fortitudo, iuxta Ambrosium, complectitur contemptum diuitiarum, honorum, & voluptatum, & firmum propositum inhærendi bono honesto, sic vt nullis malis a finas ab eo diuelli; vt idem fusiùs prosequitur.

Vel certè est conditio omnis virtutis; nam omnis virtus facit nos firmiter inhærere suo obiecto; si tamen perfecta sit. qui enim perfectè temperans est, ita amat bonum temperantiæ in opere suo, vt nullis malis impelli possit ad illud violandum.

Dixi, *si perfecta sit*, seu *in gradu heroico*; quia etsi omnis 2 virtus, quà habitus, aliquam firmitatem tribuat, iuxta Aristotelem; hæc tamen facilè expugnabitur, nisi alia perfectio accedat, qua bonum suum omnibus commodis & incommodis anteponat, idq; firmo & inexpugnabili proposito; quò cùm peruenerit, dicitur esse in gradu heroico.

Secundò, Pro firmitate animi in sustinendis & repellendis ijs, in quibus difficillimum est animum regere, & ita tú 3 rationis retinere; vt sunt pericula mortis. Vbi enim est peculiaris difficultas in retinendo rationis præscripto, (quod rationis bonum dicitur) ibi necesse est nos peculiari virtute dirigi & iuuari: atqui in periculis mortis est peculiaris difficultas vt quis decorè & ex rationis norma interiùs & exteriùs se gerat: in his enim vel excitatur ingens timor ad mali fugam, quem difficillimum est ita coercere vt non perturbet, & ad aliquid indecori compellat: vel excitatur motus audaciæ, ad mali repulsam; qui etiam moderandus est, ne temerè in periculum præcipitet: velut itaque affectio alternantibus animi motibus, & veluti inter se confligentibus (quod sæpissimè fit) exoriatur; & tunc vtramq; simul ad rationis præscriptum temperare oportet. Itaque opus est peculiari virtute, quę has difficultates superet, & motus illos, secundùm rationis regulam moderetur. hanc vocamus *Fortitudinem*. ex analogia ad robur corporis. sicut. n. magno robore corporis opus est, vt immotus sustineas vel etiam repellas id, quod corpus tuum valdè impedit; ita magno animi robore opus est vt pericula mortis, quæ animum mediante apprehensione vehementer concutiunt, sustineas, aut repellas, immotus in honesto permanens.

2. Acceptio.

4 Dices, Virtutes singulæ ad hoc in sua materia sufficiunt, præsertim in gradu heroico: ergo hæc non est necessaria. *Obiectio.*

Resp. Respondeo Primò, Negando consequentiam; quia paucitas habent in illo gradu: itaque altera cæteris est necessaria. Deinde aliæ virtutes non moderantur timores & audaciam, quia id per se bonum & congruum homini, sed quia necessarium ad finem ipsarum; vnde potiùs dicuntur id facere imperando quàm eliciendo: ergo debet esse aliqua virtus, quæ id faciat ex affectu illius per se boni, & eliciendo.

Vt autem penitiùs intelligatur quod sit officium huius 5 virtutis.

Officium & finis fortitudinis.

Notandum Primò, Quòd sicut Iustitia versatur circa actiones, quæ alium respicit modum & mensuram rationis, quà in se habet, illis imponendo, vt congruant habitui & deceant virum iustum; ita *Fortitudo* immediatè versatur circa passionem timoris & audaciæ in periculis mortis debitam rationis mensuram sibi inditam illis imprimendo, vt respondeant fortitudinis virtuti, & deceant virum fortem. omnis enim virtutis habitualis finis est, imprimere similitudinem sui in actionem vel passionem animi, tamquam in propriam & proximam materiã, vt colligitur ex Diuo Thoma qu. 123. art. 7. modus enim rationis primò & essentialiter existit in virtute prudentiæ, & ab habitu transit in actum prudentiæ. Ab actu autem prudentiæ transit, & velut imprimitur actui interno voluntatis, qui alioquin vt à voluntate procedens, erat indifferens, capax illius & contrarij. Ab actu voluntatis interno transit in habitum, qui per actum in voluntate generatur. habitus verò genitus hanc rectitudinem intendit immediatè imprimere, vel actioni externæ, si circa eam immediatè versetur; vt in Iustitia; vel passioni, si hæc eius proxima sit materia: mediatè tamen etiam actioni externæ; nam huius moderatio est finis principalis virtutis illius.

Modus rationis quomodo descendat in opus.

Vnde patet. Primò, Quomodo bonũ prudentiæ & rectitudo, quæ est in prudẽtia, velut in regula, descẽdat in vim appetitiuam, & ibi habeat rationem virtutis; & à vi appetitiua in actiones & passiones.

Passiones internas se habent instar materiæ circa quam.

Patet Secũdo, Actiones externas & passiones animi internas ad virtutem se habere instar materiæ: sicut lignũ & æs ad artem statuariam; sicut enim statuaria intendit ære, vel ligno sui quamdam similitudinem imprimere; ita virtus moralis actionibus externis & affectionibus animi intendit sui speciem iuxta materiæ capacitatem inferere. Rursus, sicut proprũ opus artis statuariæ non est lignum vel æs, sed forma statuæ impressa illi materiæ & ipsum cõpositum ex forma & materia; (quod etiam est proprium obiectum & proprius finis illius artis) ita proprium opus fortitudinis non est timere absolute, vel audere, vel aggredi periculum; sed quando timendum vel audendum est, ponere in his rectitudinem rationis; & consequenter opus eius est compositum ex passione & illa rectitudine, quod est timere, & audere moderatè, sicut fortem decet. Insinuat hæc Arist. 3. ethicorum cap. 7. cùm ait, *consentanea enim habitui.* (Græce κατ' ἕξιν, non κατ' ἀξίαν vt Lambinus & alij quidam interpretes non recte legunt) *& vt ratio præscribet, petitum & agat fortis: finis autem operationes omnis est congruere habitui*, &c.

7 Etiam tristitiam moderatur.

Porrò sicut moderatur *timorem & audaciam*, antequam malum euenerit, vel quando superari potest; ita postquam euenit, & superari nequit, moderatur passionem *tristitiæ*, ne quis nimiùm se affligat, aut aliquid indecori ex mœrore agat.

Patet Tertiò, Proximam fortitudinis materiam esse *timorem, audaciam, & tristitiam*, in periculis mortis; his. n. moderationem & rationis mensuram imprimere ante omnia conatur. Remotiorem, *externam actionem & compassionem*, vt fugam, permansionem, aggressionem, totumque corporis motum, & gestum: nam conatur hæc omnia moderari, vt consentaneè viro forti fiant. non enim solam aggressionem fortitudo temperat; sed etiam fugam quando ratio fugiendum esse dictat, & totam externam constitutionem. remotissimam, *ipsa pericula.*

8 Pericula sint honesta.

Notandum Secundò, Hæc pericula debere esse talia vt honestè suscipi vel sustineri possint: vt sunt ea, quæ pro salute Reipub. vel proximi, pro honore Dei, aut virtutis defensione suscipiuntur. vnde Aristoteles libr. 3. capit. 7. ait, *Qui ea, quæ oportet, & cuius causa oportet, & vt oportet, & quando, perfert, & timet similiter & confidit, fortis est*; ratio est, nam materia virtutis non potest esse inhonesta; alioquin rationi virtutis repugnaret, & eius capax non esset. sicut materia, quæ repugnat figurationi, non est capax figuræ statuæ. Vnde latrones, grassatores, duella inciuites, & iniqua bella gerentes, non sunt dicendi fortes, sed temerarij, feroces, crudeles: quia eorum audacia & aggressio est iniqua, plenaque temeritatis vel belluinæ immanitatis: ac proinde incapax honesti & decori fortitudinis: Vnde talis actus erit temeritatis & proiectæ audaciæ, non fortitudinis. Quare vt affectus interni vel actus externi sint materia fortitudinis, requiritur vt per se tales sint, vt accedente moderatione fortitudinis sint absolutè honesti, & rationi consentanei.

9 Potissimum in periculis bellicis eminet.

Notandum Tertiò, Fortitudinem potissimùm spectari in periculis bellicis, vt docet Arist. l. 3. eth c. 6. hæc. n ho: e tissima & maxima censentur, & humanam conditionem non superant. Huc pertinent non solùm illa communia, quæ ad patriæ defensionem suscipiuntur in bello publico; sed etiam priuata, quæ ab iniquis hominibus, priuata impugnatione, propter Iustitiam inferuntur; vt rectè D. Thom. art. 5. Secundariò spectatur in alijs periculis siue mortis, siue aliorum malorum, & grauium calamitatum: qui enim benè ad illa bellica comparatus est, etiam alia, præsertim minora, facilè sustinebit. Itaque se ad omnia grauia & honesta, siue pericula, siue mala, vt mortis, mutilationis, flagellorum, exilij, morborum, vinculorum, sustinenda extendit. quamuis ex eo, quòd quis in periculo minoris mali confidenter agat, non fit absolutè fortis dicendus, vt si quis flagellis cædendus confidat, vt ait Arist. sup. c. 6. quia virtus ex perfectionibus actibus suis metienda est.

10 Notandum Quartò, Hanc moderationem fieri imperio virtutis fortitudinis, mediante consideratione rationis & imaginatione phantasiæ: non enim aliter appetitus inferior à superiore moueri potest, vt ostensum est 1. 2. qu. 17. ar. 7. Considerandũ igitur est, Primò, Mortem non esse tãtùm

Quibus conſideratio. exercetur fortitudo.

tum malum, quantùm vulgò putatur, vt quæ tot malis hominem liberet, & maxima bona, ſi rectè obita fuerit, conciliet. Secundò, Melius eſſe gloriosè mori, quàm ignominiosè viuere. Tertiò, Proponenda exempla Sanctorum & Domini noſtri, &c. talibus enim cogitationibus minuitur timor, excitatur fiducia; audacia, ſi nimia ſit, comprimitur conſideratione periculi, & quòd vita non ſit ſine cauſa proijcienda.

11 *Quid fortitudo.*

Ex dictis perſpicuum eſt quid ſit fortitudo: eſt enim virtus, quæ motus animi in rebus terribilibus, præſertim periculis mortis ſuſtinendis vel repellendis, moderatur. Diuus Auguſtinus hic 83. quæſtionum, quæſtio. 3. ex Cicerone illam definit *ea conſideratam periculorum ſuſceptionem & laborum perpeſſionem.* vbi *per conſideratam* intelligo *prudentem, congruentem forti, & eo nomine amatam.* Si enim ſuſcipias periculum amore patriæ, erit actus iuſtitiæ legalis, vel pietatis: ſi amore rectæ fidei, erit confeſſio fidei: ſi amore commodi, vel honoris, non erit opus virtutis, ſed amoris ſui commodi: ſi ex audacia & timoris vacuitate, erit temeritatis. Itaq. vt ſit formaliter opus fortitudinis, debes adire periculum amore boni fortitudinis quod in illo opere obiectiuè relucet; nimirùm vt illud effectiuè in eo ponas; quod bonum ſitum eſt in congruentia illius operis cum ſtatu & conditione viri fortis, quâ fortis, id eſt, cum virtute, vnde dicitur fortis. Paſſim tamen in Scripturis & Patribus non tam ſtrictè hoc nomen vſurpatur: ſed fortes dicuntur qui ex quauis cauſa honeſta opus fortitudinis præſtant, vt infrà dicetur.

DVBITATIO II.

Vtrùm martyrium ſit opus fortitudinis.

D. THOM. quæſt. 124. art. 2.

12 *Martyrium* in genere idem eſt quod teſtimonium. Verùm hoc loco & paſſim apud Scriptores Eccleſiaſticos accipitur pro teſtimonio veritatis fidei, vel alicuius virtutis per mortis tolerantiâ, nimirum cùm quis pro veritate fidei, vel opere virtutis mortem ſubit. Hoc autem dupliciter fieri poteſt. Primò, Cũ aliquo actu, quo mors ipſa propter illum finem acceptetur; quo modo agitur in adultis ratione vtentibus. & hoc eſt martyrium perfectum & formale; quia ſequitur ex intentione teſtificandi. Secundò, Abſque vllo actu, ſicut in paruulis propter Chriſtum occiſis; *quos in honorem martyrii receptos veneratur Eccleſia*, vt ait D. Auguſt. lib. 2. de libero arbitrio, capit. 23. & Origenes homil 3. in varios Euangel. locos, vbi etiam dicit eos eſſe *primos martyres pro Domino cæſos*, & *primitias martyrum*, ſed hoc erat ſolùm *martyrium materiale*; nam intelligentia rei teſtificandæ & voluntas aberat: quia tamen illa mors propter Chriſtum inferebatur & tollerabatur, *teſtimonium quod nondum poterant fermone, ſed habebant paſſione. & ſufficiebat cauſa teſtimonio, licet non eloquio diſtinguatur*; vt pulchrè, ait auctor ſermonis de Bella & Magis apud Cyprianum. Idem ſignificat Eccleſia in Collecta, *Deus, cuius præconium Innocentes martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt*, &c. quia Deus acceptat illam mortem inſtar formalis martyrij; nimirum vt ſicut voluntas & peccatum Adami illis obfuit, vt naſcendo ex ipſo contraherent peccatum; ita voluntas & meritum Chriſti illis prodeſſet, vt renaſcendo per ipſum conſequerentur Iuſtitiam.

Duplicitèr fiebat martyrium.

Martyrium paruulorum.

Chriſti meritum ſupplet in illis defectum voluntatis propriæ.

Supplet igitur Chriſti meritum defectum propriæ voluntatis; quia dum pro ipſo patiuntur, ſingulari modo ipſi conformantur, & ad ipſum, tanquam membra ad caput pertinent. & ita voluntas Chriſti, qui eſt caput, ipſis veluti membris tribuitur, cùm ipſi aliam habere nequeant.

13 *Martyrium eſt opus virtutis, quæ oppugnatur à tyranno.*

Verùm hac ſpecie martyrij omiſſa, (cùm conſtet non eſſe opus virtutis in paruulis) quæritur eſt de martyrio adultorum; de quo Martinus apud Caietanum art. 2. contendit non eſſe opus fortitudinis, ſed virtutis, quæ impugnatur, in gradu heroico conſtitutæ, quod ſic probari poteſt. Nam quælibet virtus in eo gradu eſt ſufficiens vt amore ſui honeſti mortem contemnat: in eo enim gradus heroicus virtutis magna ex parte conſiſtit, quòd voluntatẽ ita firmè honeſto faciat inhærere, vt illud ijs anteponat. Itaque cùm quis ſolo amore Dei eligit mortis tolerantiam, erit actus charitatis; cùm amore fidei, erit actus fidei; cùm amore caſtitatis, erit actus temperantiæ.

Confir. Primò, Quia eiuſdem virtutis eſt amare finem, & medium ad finem neceſſarium: atqui amare caſtitatem eſt virtutis temperantiæ: ergo & amare mortem, eamque ſubire, quando hæc ad caſtitatem conſeruandam eſt neceſſarium medium, eſt opus virtutis temperantiæ.

Reſp. Caietan. Ad hoc reſpondet Caietanus; Maiorem non eſſe veram, quando medij & finis ſunt diuerſi generis. tunc enim amorem finis & medij non pertinere ad eamdem virtutem. quare cùm perpeſſio mortis ſit bonum alterius generis, quam caſtitas; amorem illius, & amorem caſtitatis nõ eſſe virtutis vnius, ſed diuerſarum. Sed hæc ſolutio ſolùm probat, ipſam ſecundùm ſe perpeſſionem mortis, eſſe actum materialem alterius virtutis & poſſe formaliter ab illa procedere, ſi fiat amore propriæ honeſtatis; non autem ſi fiat amore caſtitatis. ſi enim illam perpeſſionem ſolùm conſideres vt hic & nunc eſt medium ſeruandæ caſtitatis, eáque ſic eligas, haud dubiè hæc electio eſt virtutis temperantiæ; quia immediatè ex vi amoris caſtitatis procedit: & conſequenter ipſa perpeſſio externa ſequens illam electionem formaliter temperantiæ opus erit. intentio enim finis, electio medij, & executio ex vi electionis ſecuta, ad eumdem habitum pertinent; vt conſtat ex 1. 2. q. 12. ar. 4. Nec refert verùm medium per ſe ſit eiuſdem generis ac ipſe finis, an diuerſi; quia non conſideratur per ſe & ſecundum propriã honeſtatem; ſed ſolùm vt medium vtile ad finem, & propter illum expetendum.

Confirmatur Secundò, Si poſſum moderari timorem mortis, eamque velle ſuſtinere affectu boni fortitudinis, quod ſatis obſcurè ſe oſtendit, cur non etiam affectu caſtitatis, religionis & aliarum virtutum, quando cuidens eſt id eſſe medium ad earum bonum tuendum neceſſarium? nonnunquam minus efficaces ſunt affectus boni illarum virtutum, quàm boni fortitudinis; nec minùs perpeſſio mortis illo caſu eſt neceſſaria ad bonum illarum, quàm ad bonum huius.

14 *Martyrium poſſe ex affectu variarum virtutũ procedere.*

Hæ rationes conuincunt, perpeſſionẽ mortis poſſe procedere ab alijs virtutibus, abſque formali actu ſpecialis virtutis fortitudinis. non eſt tamen negandum quin aliquando & plerumque ipſa virtus fortitudinis ſe immiſceat, ita vt martyrium etiã ex proprio illius affectu procedat: quia raro virtutes eum gradum perfectionis habent, vt ſolæ ad hoc ſufficiant; vnde aliarum adminiculo opus habent: & tunc idem actus externus à diuerſis virtutibus internis (prout in actu illo externo per ſe vel in ordine ad diuerſos fines, diuerſæ rationes honeſti poſſunt conſiderari) procedit: quod vt intelligatur in re propoſita.

15 *Tria in martyrio.*

Notandum eſt, in martyrio tria conſiderari poſſe. Primum eſt, Irrogatio mortis, odio fidei vel virtutis. Secundum, Acceptatio. Tertium, Perpeſſio. Primum nõ eſt opus virtutis ſed impietatis, & Iniuſtitiæ: ſemper enim eſt contra iuſtitiã, quia fit grauis iniuria proximo, dum ſine cauſa occiditur. eſt etiam contra eam virtutem, quæ impugnatur, & cuius odio ſupplicium infligitur.

Nec obſtat quòd aliquę mulieres ſeipſas amore virtutis occiderint, quæ tamen vt martyres colũtur; de quibus Euſeb. lib. 8. hiſto. c. 12. & 17. & Ambroſius lib. 3. de virginibus, ante medium: quia etiam hæ a tyrannis occiſæ cenſentur; cùm ad hoc quodammodo ab illis compulſæ fuerint, ſupra timore incuſſo, cui compulſioni meritò potuerunt cedere, ſeipſas interficiendo, Deo id illis ſuo inſtinctu permittente. nonnunquam minus teſtimonium perhibet virtuti, qui eius retinendæ cauſa, alio mohente auferre, ſeipſum occidit, ſi id ei licitum ſit, quàm ſi ab alio ſe patiatur occidi. quod in primis locum habere poteſt in caſtitate, quæ & vi nobis inuitis eripi poteſt, (qua parte ad corpus pertinet) & in cuius ereptione eſt magnum diſcrimen ſalutis, ob voluptatem.

16 *Acceptatio & perpeſſio mortis ex affectu diuerſarum virtutum.*

Secundum & tertium ad varias virtutes pertinere poteſt. ſi enim acceptatio & perpeſſio mortis conſideretur quatenus ſit ad teſtandam fidei veritatem in ſeipſa, vel in opere virtutis elucentem; (quo modo ſemper à martyrib. mors acceptari & ſuſtineri ſolet; hinc enim martyrium dicitur) ſic eſt confeſſio fidei, procedens à virtute fidei. eiuſdem. n. virtutis eſt aliquid interiùs credere & exteriùs profiteri. Si ſpectetur vt ſit ad placendũ Deo, eſt actus charitatis: ſi vt præcepto diuino obedias, eſt, obedientiæ: ſi vt ſit conformi-

tas

tas inter signa externa & iudicium internum, est actus veritatis. Denique si fiat quia in tali rerum periculo decet virum fortem acceptare & sustinere mortē; sic proprie procedit à virtute fortitudinis: hæc enim operatur ex affectu proprij boni, quod est similitudo seu cōformitas cum habitu a quo fortis dicitur, vt suprà ex Aristotele ostensum est. Similiter moderatio timoris & tristitiæ, quæ etiam necessaria est vt mors fortiter sustineatur; & cohibitio animi intra limites patientiæ potest fieri affectu variæ virtutis; nec procedit à virtute fortitudinis, nisi fiat affectu proprij boni; nempè quia hoc per se honestum est & congruum viro forti. In praxi autem, omnes supradictæ rationes & aliæ similes considerandæ sunt, & mors propter omnes & singulas acceptanda & sustinenda, passioque timoris & tristitiæ moderanda, sicque formaliter hi actus ad varias virtutes pertinebunt.

Item moderatio affectuum.

Aduertendum tamē, siue hi actus (scilicet acceptatio & perpessio mortis causa fidei, itemque timoris & tristitiæ in illis malis moderatio) procedant ab affectu specialis virtutis; fortitudinis, siue alterius virtutis; semper tamen secundùm cōmunem modum loquendi Patrum, esse dicēdos actus fortitudinis; idque ob duas causas. Prior est, quia in his potissimùm actibus, robur & firmitas animi in bono, elucet; vnde etiam sunt propria fortitudinis materia. Altera est, quia reipsa procedunt ex summa animi in bono honesto firmitate; atqui ea firmitas, qua quis ita alicui bono honesto inhæret, vt paratus sit pro eo retinendo mortem opperire, passim à Patribus vocatur fortitudo, vt constat ex Ambrosio lib. 1. de officijs cap. 36. Augustinus libro 1. de moribus Ecclesiæ cap. 22. & 31. & alijs. nullus enim Patrum, fortitudinem ad eas angustias restringit, vt solùm id, quod decet virum fortem respiciat, eiusque solius intuitu operetur.

17 *Cur semper dicantur actus fortitudinis.*

18 *Quo modo martyrium sit actus fortitudinis.*

Ex quibus perspicuum est, martyrium verè & propriè esse actum fortitudinis, etiamsi solus charitatis & fidei affectu subeatur: non simplicem & vulgarem, sed excellentissimum, quia in nobilissima fortitudinis materia; (vt etiā ex Arist. lib. 3. ethic cap 6. colligitur) nimirum in periculis bellicis, iisque pulcherrimis versatur. In martyrio enim est bellum cōtra tyrannum pro defensione fidei & religionis, (iuxta illud Apost. ad Hebr. 11. *Fortes facti sunt in bello*, vt Diu. Tho. interpretatur) quod non inuadendo, sed tolerando conficiendum est: at multo difficilius tolerare quàm inuadere; vt docet Arist. sup. idque ob tres causas, Primò, Quia qui tolerat, veluti à fortiore inuaditur & opprimitur: qui inuadit, aggreditur tamquam fortior. difficilius autem est cum fortiore pugnare quam cum debiliore. Secundò, Qui tolerat, iam sentit malum præsens: qui inuadit, æstimat tamquam futurum. Tertiò, Tolerantia diu durat; inuasio vt motu repentino: vnde Prouerb. 16. *melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* & D. Amb. lib. 1. off. c. 41. fusè ostendit, fortitudinem plus in tolerando quàm in vincendo constare. Idem eleganter prosequitur Chrysost. hom. 85. in Mat.

Difficilius est tolerare quam inuadere.

DVBITATIO III.

Quanam ad martyrium requirantur.

19 *Martyrium parulorum.*

REspondendum cum distinctione martyrij parulorū & adultorum: nam ad *martyrium parulorum* non requiritur aliud, quàm vt in odium Christi, aut religionis Christianæ occidantur. est communis sentētia Doctorum & sensus Ecclesiæ, quæ Innocentes pueros pro martyribus colit, eò quòd occisi sunt propter Christum, de quo suprà nu. 12. Si enim hi contendi sunt martyres ob hanc causam, cùm tamen nullam aliam relationem ad Christum haberent, quàm quòd Christus putaretur inter eos esse, & posse eorum indiscreta cæde inuolui; non minori iure etiam censendi, qui maiorem coniunctionem cum illo habent; vt sunt illi, qui occiduntur qua Christiani, quia baptizati, qui sibi Christianorum, &c. hi enim occiduntur qua inest illis certa cum Christo coniunctio, vel ad illum respectus; & ita ipsa mortis perpessione dant testimonium Christo & religioni eius.

Martyrium adultorum quinque requirit.

Ad martyrium adultorum, vt fit quale oportet ad salutem, requiruntur quinque. Primo, Mortis irrogatio. Secundò, Acceptatio eiusdem ex pia causa. Tertiò. Vt non resistat tyranno. Quartò, Vt fide teneat veritatem pro qua patitur. Quintò, Status gratiæ.

20 1. *Irrogatio mortis odio Christi.*

Primò, Requiritur vt mors inferatur odio Christi, vel Religionis Christianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis. martyrium enim est testimonium externum, quod Christo vel doctrinæ eius præbetur, per hoc quod mortem pro ea subimus. hoc autem fieri non potest, nisi aliquis mortem inferat, vt Christum vel eius doctrinā nobis auferat. Hinc hæretici, etiamsi putent se pro doctrina Christi occidi, non sunt martyres; quia mors illa non infertur illis odio doctrinæ Christi, sed hæreseos, quę Christi doctrinæ repugnat. Vnde recte Diuus Augustinus concione 2. in Psalm. 34. ait: *Martyrem non facit pœna, sed causa facit: pœna enim commutat est latroni & martyri, hæretico & Catholico, sed causa differt.* Nec refert, quòd ipsi putent se iustam causam habere; tum quia est error culpabilis; tum quia supplicium non irrogatur odio veritatis, & ita moriendo non dant testimonium veritati.

Hæretici.

21 *An requiratur mors.*

Sed dubium est, vtrùm necesse sit reipsa mortem sequi. Martinus contendit id non esse necessarium, imò propositum sustinendæ mortis sufficere; quia martyrium est actus virtutis: hic autem à nostra libertate pendet; reipsa autem mortem subire non est in nostra potestate, sed pendet ab arbitrio tyranni.

Verùm hoc benè refutat Caietanus art. 4. inde enim sequeretur, omnes illos, qui tale habent propositum esse martyres: quod est contra communem sensum Ecclesiæ. neque mirum est, fieri martyrem non esse in sola nostra potestate, quia est opus externum, supponens tyrannum in nos sæuientem. Simili modo sæpè fit vt non sit in potestate hominis baptizari, confiteri, ordinari, dare eleemosynam, & cætera.

22 *Quatuor gradus martyrij.*

Dicendum igitur est quatuor gradus martyrij distingui posse.

Primus & supremus est martyrium omnino completum: hoc requirit vt mors reipsa sequatur; per hanc enim fit extrema & summa testificatio veritatis. quamdiu enim vita superest, semper restat aliquid, per quod vlterius testari possimus.

Secundus est, Cùm martyrium completum est ex parte causæ proximæ & intrinsecùs penetrantis; vt quando inflicta sunt vulnera lethalia, quæ nulla vi naturali prohiberi possunt à morte inferenda. hoc enim censendum verum martyrium, etiamsi contingat mortem diuinitus impediri: quia est proxima & necessaria ad mortem dispositio.

Tertius est, Cùm est completum ex parte tantùm causæ extrinsecùs applicatæ, etiamsi martyr nihil inde incommodi sentiat. tale fuit S. Ioannes, cùm in dolio feruētis olei positus fuit: hoc enim est subire mortem in causa per se efficaci, & naturaliter impediri nescia, vnde non est minùs efficax testimonium veritatis apud homines, quam si reuerà mors secuta fuisset. quinimò quòd mors diuinitus impediatur, auget vim testimonij, nam per hoc omnibus fit manifestum, Deum illius causam approbare.

23 *Confessores.*

Quartus est, Quando martyrium seu perpessio mortis solùm est inchoata per tormenta; vt quando quis propter confessionem fidei coram tyranno, tormentis non lethalibus afflictus est. nam & tales passim à Cypriano, Tertulliano, & alijs martyres vocantur, & distinguuntur à confessoribus; qui etsi Christum confessi essent, nondum fuerant tormentis subiecti; quamuis in carcerem conclusi, vel in exilium erecti essent. vide Cyprianum epist. 9. quæ inscribitur *martyribus & confessoribus*. & 10 *honorem martyrum, & confessorum pudorem turbare conatur.* & infrà, *hi sublato honore, quem nobis beati martyres cum confessoribus seruant, contra Dei legem, quam ipsi martyres & confessores tuendam mandant*, &c. Idem apertè colligitur ex epistol. 15. 30. 37. 81. & alijs. Tertullianus scripsit librum ad martyres, quos etiam vocat *designatos martyres*: & paulò post, *martyres*; cùm ait, *quorum pacem quidem in Ecclesia non habemus, à martyribus in carcere exorare consueuimus*. & lib. aduersus Praxeam, dicit *Praxeam de reclusione martyrij fuisse in statum, ob horrem carceris nudum*. Interdum ijdem vocantur etiam *confessores*, vt patet ex epistola 17. quæ est Luciani, & 18. Cyprian. &c nam martyrium etiam est confessio. quia tamen est eximia & qualificata, ordinariè distinguitur à nuda confessione.

Ex

Ex his patet, martyrium omnino perfectum requirere mortem; reliqua non. Posteriore tamen æuo non vocantur martyres, nisi qui mortem per tormenta, uel afflictiones pro Christo inflictas obierunt.

Secundò, Requiritur mortis acceptatio ob causam honestam & piam: de acceptatione probatur, quia sicut adultus non potest absque suo consensu contaminari peccato, ita neque consequi iustitiam. vnde nec baptismus quidē adulto prodest, nisi in illum consentiat, eumque acceptet. non tamen est necessarius consensus præsens, sufficit præcessisse, nec esse reuocatum mutatione propositi. vnde si quis ob fidem coniectus in vincula, statueret apud se, perpeti potius mortem, quam fidem negare, & ille postea in somnis odio fidei interficeretur, esset verè martyr, & haberet martyrij coronam sicut patet in simili de baptismo: nam illam mortem acceptauit; eiusque perpessio est ei voluntaria, quatenus pendet à voluntate præcedente, & in habitu perseuerante. Si tamen nihil de morte antea cogitarat, verisimilius est non esse propriè martyrem: sicut cum quis baptizatur in somnis, vel amentia, qui nihil de baptismo cogitauit, hic non est verè baptizatus: quia defuit consensus.

24 2. *Acceptatio.*

Occisus pro Christo in somnis.

Quid si ante nihil de martyrio cogitauerit.

Dices, Datur Eucharistia & Extrema vnctio in periculo mortis, et, qui repente priuatus est vsu rationis, etiamsi antea hæc non petierit: & hæc Sacramenta in illo vim habent; quia ille bona vita sua & modo viuendi Christianè, censetur petisse: ergo similiter martyrium vim habebit si homo iustus in somnis interficiatur: nam hoc ipso quòd ita sanctè vixit, videtur satis acceptasse mortem pro Christo sustinendam, si articulus necessitatis vrgeret. Hæc ratio facit hanc sententiam non improbabilem, eamque insinuat Caietanus 3. part. quæstio. 87. artic. 1. & tenent aliqui recentiores. Contraria tamen videtur verior, ob rationem allatam, vnde.

25 *Obiectio.*

Respondeo esse magnum discrimen: nam illa Sacramenta sunt remedia salutis ordinaria, quæ omnes Christiani in extremis petere solent, si ratione vtantur: & antequam incidant in morbum, habent propositum illis vtendi in eo articulo: quod propositum manet etiam dum ratione non vtuntur; qui nunquam fuit reuocatum. Ipso etiam vsu Sacramentorum per vitam, satis declarant quid sibi fieri velint in morte. At perpessio mortis pro fide non est remedium ordinarium, nec omnes ita sunt comparati vt id desiderent: neque ipso modo viuendi satis declarant se id cupere. Deinde etiamsi quis sæpè optaret mori pro Christo extra periculum positus; hoc tamen non sufficeret, tum quia qui extra periculum id optant sæpè in medijs periculis animum mutant: tum quia de hac morte, quæ ei inopinatò infertur in somnis, nihil cogitauit, nec eam acceptauit hæc enim acceptatio in eo consistit, quòd quis proposita morte & fidei negatione, vel alia impietate, eligat mortem tamquam minus malum: hoc autem ille non fecit, cum ei id propositum non fuerit.

Resp.

Debet etiam hæc acceptatio fieri ob *causam honestam*, alioquin ipsa perpessio mortis non erit opus virtutis, nec grata Deo. vt si quis statueret mortem pro fide subire ad vanam gloriam, v. g. ad famam patientiæ aut sanctitatis, vel ad nobilitandam familiam. Et quamuis per se non sit peccatum mortale, huiusmodi finem intendere in mortis discrimine subeundo, si alias causa sit iusta; (quia quando opus per se licitum est, non est peccatum mortale, si quis ad illud ob finem indifferentem aut venialem se applicet, & per illud huiusmodi finem quærat; vt patet in milite bello iusto operam dante) tamen in proposito vix sine peccato mortali fieri potest: nam in huiusmodi negotio tenetur se ad Deum conuertere, & robur ab eo flagitare, vt susceptum agonem decore decerret. quod quomodo faciet nisi opus illud tamquam Deo gratum præstare velit? Deinde in huiusmodi negotio occurrūt homini multæ rationes ob quas mors sit acceptanda; vt præceptum diuinum, præmium vitæ æternæ, euitatio damnationis, exemplum Christi & Sanctorum, dignitas religionis Christianæ, & similia: atqui moraliter fieri vix pōt vt quis omnibus illis prætermissis, sola vana gloria moueatur in illo necessitatis articulo; nisi illas causas contemnat, & hanc vnā tanti faciat, vt ob eam paratus sit mori, quamuis alia causa non subesset. loquor enim in eo euentu in quo vana gloria vel similis finis est integrum motiuum hominis.

26 *Causa honesta.*

27 Denique debet esse, *causa pia*, id est, quæ cum vera religione & fide coniuncta sit, verbi gratia. vt placeat Deo, ne Deum offendat, ne a Christi doctrina recedat, ne a vita æterna excidat, &c. vnde 1. Petri 4. dicitur, *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescet. nemo autem vestrum patiatur vt homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* quibus verbis satis explicatur causam patiendi debere esse piam. Ratio est, quia alioquin non erit martyr Christi, sed sæculi vel philosophiæ: martyr enim Christi dicitur, qui dat testimonium doctrinæ Christi, quæ doctrina, omnia, quæ ad piè viuendum pertinent, complectitur. Itaque si quis pro aliqua affectione philosophica mortem sustineat, non erit verè martyr, quia Christus eā non tradidit. Secus si pro vitando in ea re mendacio, quatenus, id est, contra doctrinam Christi, qui docuit omne mendacium esse vitandum; vel quatenus id displicet Deo. Simili modo si quis pateretur pro aliqua virtute absque vllo respectu ad Christum vel Deum, non esset martyr Christi; quia non pateretur vt Christianus, vt cultor Dei, sed vt Philosophus more stoico. vt si quis nollet mentiri: vel peierare, quia id dedecet philosophum, sectatorem Epicteri aut Zenonis: secus si quia indecens Christiano seu cultori Christi. Idem dicendum de ceteris virtutibus, vbi.

Causa pia.

Aduertendum est, hoc ipso, quo quis patitur pro opere virtutis, cum respectu ad Christum vel Religionem Christianam, pati etiam pro veritate fidei, quæ tale opus approbat vt Deo gratum, & cōtrarium improbat vt ei displicens. Itaque martyr semper dat testimonium doctrinæ fidei, & patitur pro illa, minimum in seipsa nudè, vel in opere virtutis (cuius ipsa est regula) spectata. vt recte D. Thomas art. 5. q. 124.

28 *Omnis causa patiendi in martyrio reducitur ad confessionem fidei.*

Dices. Quid si mors inferatur propter opus bonum iam factum; sicut S. Ioan. Baptistæ accidit?

Respondeo, Tunc eam ita acceptari debere, vt malis eā subire, quàm factum tuum improbare. improbare enim opus bonum est contra doctrinam fidei, quæ habet, Tale opus esse laudabile & Deo gratum: vnde nolendo improbare, pro fide pateris, eique testimonium tua morte præbes. Nec est contra rationem martyrij, etiamsi doleas te id fecisse, (si ex præcepto non teneharis) ob incommoda, quæ idcirco perfers, (quamuis id gloriam operis nonnihil obscuret) modò in eo peritas, esse opus bonum; & malis mortem oppetere; quàm id negare: quia in hoc testimonium veritatis situm est.

29 *Martyrium pro opere mal facto.*

Petes, Primò, Vtrùm actus acceptādi debeat esse supernaturalis?

30 *Acceptatio debet esse à Spiritu sancto.*

Respōdeo, Haud dubiè debere esse aliquo modo supernaturalem, seu ex motione Spiritus sancti; quia solis naturæ viribus non potest quis subire martyrium sicut oportet ad salutem; sicut nec alia pietatis opera facere: estque in martyrio peculiaris ratio ob summam difficultatē; & quia fidei Christianæ professionem continet, quàm nemo sine auxilio Dei profiteri potest: vt ex Scripturis constat: *corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: actus autem quo quis salutem consequitur, sine gratia fieri nequit.

Petes Secūdò, Vtrùm hæc acceptatio debeat procedere ex dilectione Dei super omnia? Ita videtur sentire Caietanus art. 2. vbi contra Martinum conatur ostendere, martyrium ex genere suo esse actum charitatis imperatu. Ratio ipsius est, *quia*, inquit; *qui ponit vitam pro Christo, ipso facto præponit Christum vitæ suæ, ac per hoc omnibus bonis vitæ mundanis*, & consequenter omnibus bonis exterioribus, opibus, honoribus, gloriæ, famæ.

31 *An ex dilectione Dei super omnia.*

Sed contrarium est verius. Primò, Quia multæ sunt aliæ causæ præ, ob quas mors illa acceptari potest, vt præceptum diuinum, dignitas fidei, exemplum Christi, ædificatio proximi, promissio vitæ æternæ, comminatio damnationis: multi enim Martyres elegerunt mortem pro fide Christi, ne vita æterna excideret, & æternam mortem pro momentanea incurrerent, vt ex gestis Martyrum constat. Sic Eleazarus libro secundo Machabæorum, capitul. sexto. *Etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam*: & hæc est præcipua ratio, quam Dominus ipse nobis ob oculos ponit, cum ait Marc. octauo. *Qui voluerit animam suam*

Id non esse necessarium.

saluam

Saluum facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, & euangelium, saluum faciet eam. quibus verbis efficacissimè nos deterreret, ne in tormentis; vitæ saluandæ causa; fidem negemus, proposito æterno exitio; & animat ad constanter vitam temporalem profundendam, proposito vitæ æternæ præmio. Igitur qui hæc sibi in martyrio proponit, & ex his se firmat in confessione contra tormenta, facit ex mente Christi. Idem patet ex multis alijs Scripturæ locis, quibus excitamur ad patientiam in tribulationibus per remunerationem; Luc. 21. ad Hebr. 10. Iacobi 5. &c.

Secundò, Quia quando aliquid per se piũ & religiosum est; nulla est necessitas vt id ex affectu charitatis fiat; (vt patet in actu fidei, spei, religionis) qa satis per se placet Deo: atqui eligere mortem pro fide Christi est per se pium; est enim opus fidei & fortitudinis Christianæ: ergo.

Tertiò, Mat. 10. Dominus ait; *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* vbi non requirit vt hæc confessio procedat ex dilectione Dei super omnia.

32 *Ordinariè in martyrio præcedit affectus charitatis.*

Fateor tamen, ordinariè hanc acceptationem etiam ex charitate procedere; quia fit affectu placendi Deo, eique gratum obsequium exhibendi, qui affectus est charitatis; quo modo intellige Diuum Thomam articul. secundo ad 2. *martyrium esse actum charitatis vt imperantis*: imperare enim a charitate nihil est aliud, quàm procedere ex affectu charitatis.

Hic affectus non semper est dilectio Dei supra omnia.

Hic tamen affectus non est idcircò dilectio Dei super omnia, quia non omnis affectus charitatis in Deum est dilectio super omnia: hæc enim includit propositum seruandi omnia mandata propter Deum, quod propositum non includitur in simplici affectu illi placendi per martyrium. aliud enim est velle placere Deo in illo opere, aliud velle placere in omnibus præceptis obseruandis. Vnde etiam

33 *Velle ponere vitam pro Christo non est dilectio Christi supra omnia.*

velle ponere vitam pro fide Christi, non est dilectio Christi super omnia, vt vult Caietanus. Primò, Nam ex vi huius solus voluntatis non est paratus seruare omnia præcepta: multi enim malient mori quàm fidem Christi negare; non tamen idcircò deserunt fornicationem, ebrietatem & similia peccata, quæ ipsi minoris æstimant, quam Christi negationem: quod signum est illam voluntatem non includere propositum seruandi omnia mandata; ac proinde non esse dilectionem Dei super omnia. Confirmatur, quia qui horret maiora peccata, non statim hoc ipso etiam horret minora: & qui ita detestatur abnegationem Christi vt præoptet mortem, simul potest habere propositum fornicandi. Secundò. Si iste actus esset dilectio Dei super omnia, statim per eum homo consequeretur remissionem peccatorum, nec opus ei esset contritione: quia dilectio ilia iustificat hominem, conformans eum perfectè legi diuinæ, & delet omnia peccata mortifera: atqui non est probabile eo ipso peccatorem iustificari, quo statuit secum potiùs mortem subire, quàm fidé negare: quia cum illo proposito potest consistere voluntas minoris peccati: ergo hoc propositum non est dilectio Dei super omnia. Tertiò, Esse paratũ mori pro aliquo, non est illum diligere supra omnia; tum quia vita corporalis non est maximum hominis bonum: (multi enim plus faciunt honorem, famam, posteritatis splendorem) tum quia qui pro amico vitam ponit, non diligit eum supra omnia: non enim habet illum pro vltimo fine suo.

34 *Obiectio.*

Dices, Qui paratus est vitam fundere pro Christo, paratus etiam est cetera omnia, etiam voluptates suas, quibus fruitur in vita; propter ipsum deserere. atque adeò reipsa deserit illas, mortem acceptando: ergo acceptatio illa est dilectio Christi supra omnia.

Resp.

Respondeo, Inde vt summum sequi, illum malle omnia deserere quàm Christum negare; non autem velle absolutè omnia deserere vt Christo placeat: vnde nõ est dilectio super omnia. cuius signum est, quod possit quis velle mori, ne fidem datam amico violet: hic tamen non ideo diliget amicum super omnia. Simili modo, possum affici in Christum absque dilectione super omnia. Nec obstat illud Domini, Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* quia hoc est intelligendum quando absque intuitu proprij commodi, sola dilectio amici, vt eum a malis liberes, vel bonis cumules, te ad ponendam animam impellit: tunc enim ponere animam pro amicis, est signum maximæ dilectionis; non simpliciter; (non enim ideo diligit amicum super omnia) sed quæ honestè ipsi impendi possit. quod si proprium commodum ad hoc moueat, ne talis quidem maximæ dilectionis signum erit.

Maxima charitas in proximis.

35 *Est maximum signum dilectionis.*

Hinc patet, ponere animam pro Christo non esse per se infallibile signum dilectionis Christi super omnia: quamquam fatendum sit, inter signa dilectionis diuinæ, quæ homines extrinsè dare possunt, martyrium esse vel maximũ. quia etsi per se illa mortis acceptatio non sit dilectio super omnia; hæc tamen illi ordinariè est coniuncta: tum quia Deus singulari modo hominem in illo articulo constitutum ad eam excitat: tum etiam quia homo se quantum potest disponit, & omnium virtutum præsidia ad illum agonem accersit.

Similiter non obstat illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeã, nihil mihi prodest.* quia solùm vult docere, cetera omnia nihil prodesse, nisi charitas adsit in eodem homine; non autem omnia ex charitate debere procedere. Itaque hinc solùm colligitur, martyrium non prodesse, nisi saltem circa finem, dum adhuc durat charitas adsit. Simili modo dicere potuisset baptismum sine charitate non prodesse.

Debet charitas ad esse saltem in fine.

36 3. *Non resistit.*

Tertiò, Requiritur vt non resistat tyranno. hinc milites, quamuis pro fide pugnent, & multum mereantur, si pura intentione id faciant, non tamen sunt martyres, cùm in bello occumbunt; nec Ecclesia vnquam tales pro martyribus coluit. ratio est, quia martyr Christi debet in patiendo imitari Christum, cuius passio est exemplar martyrij. Vnde sicut ille dedit testimonium veritati patiendo, non repugnando; (*cum enim pateretur non comminabatur, sed tamquam suis eram tendens se: sine vere*) ita omnes qui volunt esse martyres Christi, non debent persecutori armis repugnare, sed sinere se tranquille occidi. Confirmatur quia qui pugnans moritur, non eligit pro fide mortem perpeti, sed inferre: vnde reuerà non acceptat mortem, nisi indirectè, quatenus se periculo exponit. Deinde moriendo non dat testimonium veritatis fidei; quia non videtur mori vt Christianus, sed vt miles victus ab hoste: nec mortem eligit voluntariè, sed patitur necessitate, eò quòd non potuit illam hosti inferre. erit tamen martyr, si iam victus, odio religionis occidatur, & ille ob eam causam mortem accepiet.

37 4. *Vt fide teneat veritatem.*

Quartò, Requiritur vt fide supernaturali veritatem illam credat, pro qua potissimùm tuenda mortem eligit. Primò, Quia si proprio iudicio illam teneat, sicut hæretici, non tam tuetur doctrinam & auctoritatem Christi, quam suam. non enim quia Christus ita docuit, sic sentit; sed quia ipsi ratione aliqua infirma ita videtur. Confirmatur, quia eadem ratione, qua illam veritatem credit, etiam suas hæreses credit, & pro illis paratus est mori: quod est signum illum reuerà non moueri auctoritate Christi, aut alia pia ratione ad ita firmiter credendum & mortem pro sua fide acceptandam sufficiente, licet exteriùs ita videatur.

Obiectio.

Dices, Fieri potest vt patiatur mortem pro aliqua veritate fidei, quam ratione naturali nouit esse veram; vt pro cõfessione vnius Dei, vel detestatione idolorum, &c. quæ notitia & sufficiens est ad firmiter credendum & ad mortem subeundam.

Resp.

Respondeo, Etsi hæc notitia sit sufficiens, tamen non ideò propriè erit martyr Christi, quia non credit propter auctoritatem Christi, vel Dei; sed propter rei perspicuitatem.

38 *Hæretici non sunt martyres.*

Secundò. Probatur, quia Patres docent, hæreticos, etiamsi pro nomine Christi mortem subeant, non esse veros Christi martyres; & extra Ecclesiam martyrium nihil prodesse: idque tum quia Christo per veram fidem non sunt coniuncti: tum quia charitate (quæ sine vera fide esse non potest, & sine qua mors pro Christo, iuxta Apostolum, nihil prodest) sunt destituti. Cyprianus epistola 73. ad Iubaianum; *Numquid potest vis baptismi esse maior, aut potior quam confessio? quàm passio? vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & sanguine suo baptizetur? & tamen neque hoc baptisma Hæretico prodest, quamuis Christum confessi, & extra Ecclesiam fuerint occisi; nisi si hæreticorum parricida & aduersarii Hæreticos in falsa confessione Christi interfectos, martyres prædicent, &c.* vocat *falsam confessionem*, quia non

procedit ex vera fide, sed simulata & falsa. Idem docet epistol.52.ad Antonianum, & alibi sæpe. Idem tradunt D. Augustinus epistol.61.& 167.li.3.contra Crescon. grammat. cap.47.lib.4.contra Donatistas cap.19 Hieronym. in cap. primo ad Galatas, Chrysostomus oratione prima contra Iudæos.

39 *3. Status gratiæ, vel dispositio ad eam.*

Quintò, Requiritur status gratiæ, vel saltem legitima ad gratiam dispositio: nā vt ex Apost.1.Cor.13.& Patrib. citatis constat, martyrium sine charitate nihil prodest. Nec refert quod absque statu gratiæ possit esse actus martyrij, si solam operis substantiam spectes; quia cum hic nihil profit nec Christus tales pro suis agnoscat, merito non habentur pro veris martyribus.

Sed difficultas est, quænam sit illa dispositio; de qua sit.

DVBITATIO IV.

Quænam dispositio in peccatore sit necessaria, vt martyrium ei prosit ad salutem.

40 *1. Sententia. requiri contritionem.*

SVnt tres sententiæ. Prima est. Necessariam esse veram contritionem ex dilectione Dei super omnia profectâ: ratio est, quia putant auctores huius sententiæ martyrium non conferre gratiam per se & vi sua, sed solum ex opere & affectu patientis. quare sicut peccator extra martyrium non potest iustificari sine vera contritione (nisi Sacramentum pœnitentiæ suppleat) ita nec in martyrio. Ita sentit Palud. in 4.d.4.quæst.3.ar.1.vbi dicit, *Ad baptismum sanguinis non sufficit attritio, sed requiritur contritio. Ad baptismū aquæ sufficit attritio. & causa est, quia ille iustificat ex opere operato. iste ex opere operante.*

Nec obstat quòd paulo post dicat *martyrium æquiparari baptismo aquæ in duobus effectibus primarijs, qui sunt remissio omnis culpæ & remissio omnis pœnæ*; quia tribuit illi hos effectus ratione charitatis ex qua procedit. Bonauentura eadem dist. part.2. quæstion.2. *Baptismus sanguinis solum à veniali liberat, à mortali non; quia præsupponit charitatem; aliter nihil valeret ad salutem.* & infrà, *Gratiam non tribuit, sed confirmat.* Alexan. Halensis 4. part. quæstio. 22. membr.5. art.1. *Virtute martyrij confertur gratia, sed collata confirmatur* &c. Eandem sententiam sequitur Canus relect. de pœn. par.3. Probatur Primo, Quia non est Sacramentum: ergo non habet vim ex opere operato, sed solum ex interno motu animi. Secundò, Quia Apost.1.Cor.13. ait; *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

41 *2. Sententia. Sufficere voluntatem patiendi pro Christo.*

Secunda est, Sufficere voluntatem patiēdi pro Christo, nec opus esse alia pœnitentia; etiamsi homo recordetur tuorum peccatorum. ratio est, tum quia hæc voluntas est virtualis quædam dilectio Dei super omnia, & peccatorū detestatio, tū quia non expedit hominem tunc occupari circa peccata sua, sed totum intentum esse martyrio tuli meudo Ita Vega l.6. in Conc. Trid. c.36. sub fi. vbi addit hanc rationem: Quando duo suot remedia salutis per se sufficientia, possumus eligere vtrumlibet; sed martyrium per se est sufficiens: ergo possumus illud amplecti, omissa formali pœnitentia.

42 *3. Requiri attritionem.*

Tertia est, Requiri saltem attritionem, si homo sit conscius peccati.

Pro solutione Notandum est, contritionem posse dupliciter requiri ad fructum martyrij: Primò, Directè, tamquam necessariam dispositionem; Secundo. Indirectè, tamquam opus necessarium ad vitandum nouum peccatum, his positis.

Contritio requiritur indirectè.

Dico Primò, Si is, cui martyrium imminet, sit in peccato mortifero, necessaria est illi ad fructum martyrij contritio indirectè, (vel saltem attritio, quæ putetur esse contritio) tamquam opus necessarium ad vitandum nouum peccatum, quod fructum illius impediret.

Probatur Primo, Quia si vnquam obligat præceptum contritionis, maximè in periculo mortis: atqui is, qui subiturus est martyrium est in periculo mortis: ergo ratione illius præcepti tenetur tunc contritionem concipere. quare si id voluntariè omittat, peccat mortiferè, & consequenter manet in actuali peccato quamdiu omittit: vnde martyrū ei prodesse non potest. impossibile enim est hominem iustificari quamdiu manet in affectu peccati. Vnde patet contritionem requiri, si non per se vt dispositionem, saltem vt opus necessarium ad vitandum nouum peccatum contra præceptum contritionis; quod tunc obligat, non propter fidei confessionem, sed generatim ob periculum mortis, ex quacumque causa id impendeat. Deinde attritionem, si putetur esse attritio, non sufficere; quia per eam non satisfit præcepto contritionis. secus verò si bona fide putetur legitima contritio; quia ita ei satisfit vt contra illud non peccetur.

43 *Obiectio.*

Dices, Contritio non requiritur in periculo mortis, nisi propter iustificationem; atqui probabile est attritionem cum martyrio sufficere ad iustificationem, sicut sufficit cum baptismo & pœnitentia, vt statim dicemus ergo sufficit attritio, etiam cognita pro tali. Confirmatur, Ille error non potest iuuare ad iustificationem: ergo est impertinens.

Resp.

Respondeo, Etsi sit probabile attritionem sufficere cum martyrio ad iustificationem, tamen non est certum; quia multi Doctores tenent contrarium. in illo autem extremo æternæ salutis discrimine homo non potest sequi vias dubias relictis certis, sed tenetur eligere certam quantum fieri potest: alioquin sine causa exponit se periculo damnationis: nam si illa opinio non sit vera; eius probabilitas non supplebit defectum necessariæ dispositionis, & ita martyr ille non saluabitur. Secus est in baptismo & pœnitentia: tū quia certus est attritionem ibi sufficere: tum quia nō subest periculum præsens damnationis; loquimur enim extra casum mortis. Satis tamen probabile est, in simili discrimine, etiam in his opus esse contritione.

Tenetur homo in periculo mortis sequi viam certā quantum potest.

Ad confirmationem: Ille error iuuat ad iustificationem per accidens; quia excusat à violatione præcepti contritionis. Itaque cum non peccet contra præceptum, si alias attritio est legitima dispositio, homo per martyrium iustificatur.

Error per accidēs iuuat.

44 *Martyrium supponit bonam confirmationem in bono.*

Secundò Probatur, Martyrium non est institutum vt remedium delendi peccati, sicut baptismus & pœnitentia; sed est opus heroicum, supponens hominem bene constitutum ad mortem subeundam; est enim voluntaria mortis perpessio: ergo non tollit obligationem remediorum ordinariorum, sed potius ex se requirit vt homo quantum in se est faciat omnia, quæ Deus præscripsit ad gratiam ante mortem consequendam. vnde si non est baptizatus, tenetur quatenus ei facultas suppeditat, procurare baptismum; si non suppeditat, tenetur conuerti in Deum per dilectionem super omnia & concipere contritionem. Pari modo, si baptizatus est conscius peccati mortiferi tenetur confiteri: si non potest, tenetur concipere cōtritionem: hæc enim omni tempore fuit medium necessarium ad remissionem peccati, præsertim quando Sacramentum extrema tū ad hunc effectum institutum (quod cōtritionis vicem suppleat) adhiberi nequiuit.

45 *Non est directè necessaria.*

Dico Secundò, Contritio non est necessaria per se & directè vt dispositio ad fructum martyrij, sed sufficit attritio. Est sententia D. Tho.3.p.q.87.art.1.ad 2. *Resp.* inquit, *pro Christo susceptus martyrium habet vim baptismi, & ideo si mox abeuntis culpa venialis & mortalis, nisi actualiter voluntarium peccatum inuenerit inhærentem.* Idem docet Cajet. ibid. & pallim Thomistæ sequuntur.

Martyrium per se non habere.

Probatur prior pars; quia fundamentum contrariæ sententiæ, scilicet Martyrium per se nullam vim habere ad remissionem culpæ mortiferæ, sed solum ex interno affectu patientis, videtur omnino falsum.

Primò, Quia alioquin etiam in paruulis sanctificandis nullam vim haberet; quod etsi Alexander Halensis loco citato concedat, & Adrianus in quarta quæstione victima de baptismo ad tertiam, probabile putet; est tamen contra sensum Ecclesiæ, quę Innocentes pro Christo occisos, semper tamquam martyres sanctos coluit: & contra communem Doctorum, & Patrum sententiam, qui docent, illos, dum pro Christo occiduntur, esse factos martyres Christi; consecutos statum melioris vitæ, regnum cælorum, gloriam martyrij, esse factos consortes Agni, & cæt. vt supra ostensum est.

Neque dici potest paruulis esse factum particulare priuilegium præ adultis: quia priuilegium annexū martyrio non est concessum intuitu personæ, sed causæ; id est, non quia erat martyrium paruulorum, sed quia erat passio pro Christo & cōformatio cū Christo patiente, quæ causa perfectius

fectius cernitur in adultis, quàm in paruulis.

45 *Aequatur baptismo à SS. Patribus.*

Secundò, Quia illud fundamentum non est consentaneum doctrinæ Patrum, qui martyrium adultorum, in vi delendi peccati, æquant baptismo. Clemens lib. 5. constitutionum Apostolicarum cap. 5. *Qui martyrio habitus est dignus, id lætitiam in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus sit. & quòd propter confessionem ex hac vita exeat. & si catechumenus fuit, recedat ad Deum lætus; cruciatus, quo propter Deum afficitur, erit ei vester baptismus; quòd is quidem experientia ipsa mortis commoritur Christo, reliquus verò mystica representatione.* vbi non actum internum, sed ipsam mortem externam pro Christo obitam, præfert baptismo quoad efficaciam; quia est realis configuratio cum Christo. Tertullianus in Scorpiaco; *Martyribus nulla delicta possunt imputari quibus in lauacro vita ipsa deponitur.* & in Apologet. sub finem. *Quis non pati exoptet vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? omnia enim hæc operi delicta donantur*, quibus locis caulam remissionis peccatorum & iustificationis tribuit passioni & morti. Cyprianus epistola 73. *Numquid potest vis baptismi esse maior aut potior quàm confessio? quàm passio? vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?* Sanè si passio pro Christo non haberet vim nisi ex opere operantis, longè maior esset vis baptismi, qui per se ad salutem valet. D. Augustinus lib. 13. de ciuit. cap. 7. *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione morientur, tantum ijs valet ad dimittenda peccata, quantum si obtinerentur sacro fonte baptismatis.* quod probat, *quia qui dixit; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. etiam dixit, Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: & qui perdiderit animam suam propter me inuenies eam.* Addit, *hinc est quòd scriptum est, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. quid enim pretiosius quam mors, per quam fit vt delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?* Denique toto eo capite morti tribuit hoc priuilegium, & capit. 6. *Si propterea iustificatque perdatur.* (mors) *fit gloria renascentis. & cum sit mors peccati retributio, aliquando acceperat, vt nihil retribuatur peccato.* Idem docent alij Patres.

Vbi Notandum est, ipsam mortis perpessionem secundum se comparari cum baptismo, eique non minorem vim tribui in peccatis abluendis, quàm baptismo; neque hanc vim tribui internæ contritioni, sed operi externo: ergo licut baptismus non requirit contritionem vt gratiam conferat, ita nec martyrium.

Tertiò, Si contritio esset necessaria, numquam martyrium posset conferre primam gratiam iustificationis; nam hæc haberetur iam per ipsam dispositionem. hoc tamen est contra sententiam Patrum, qui non minus omnem culpam per martyrium deleri volunt, quàm per baptismum.

Quartò, Si solum haberet vim ex opere operantis, non magis deleret peccatum quàm exilium pro Christo, carcer, direptio bonorum, eleemosyna Christi amore data: quod est contra Patres supradictos, & communem sensum Ecclesiæ.

Quintò, Non esset certum martyrio defunctos regnare cum Christo; imò posset merito sæpè de eo dubitari: quia si quis multa commiserit peccata, opus est longa satisfactione, vel feruentissimis actibus internis, vt ex opere operantis omne debitum pœnæ tollatur. Sæpè autè fit vt martyr parum patiatur, & actus internos parum feruentes habeat. Itaque temerè faciet Ecclesia, quòd illos statim pro martyribus sine vllo discrimine habeat, & pro illis orari nolit. Neque rectè dixerit Innocentius III. c. Cum Marthæ, de celebrat. Missarum, § finali, ex D. Augustino, *Iniuriam facit martyri qui orat pro martyre.*

Dices, Martyrium in adultis habere id priuilegij, vt per
47 se tollat omnem pœnam; quia adimit tempus necessarium *Dilectio.* ad satisfactionem; non autem vt per se tollat omnem culpam: hanc enim momento temporis tolli posse per actum proprium hominis, dilectionem, vel contritionem: vnde non fuisse opus vt ipsi martyrio per se hoc priuilegium daretur. vt enim martyrium deleat omnem culpam & pœnã, statimque cælo inferat sicut facit baptismus. satis esse, si ratione actus interni, qui ordinarè adest, deleat culpam; & ratione passionis externæ, reatum pœnæ. In paruulis autem habere priuilegium delendæ culpæ originalis; tum quia hæc aliena voluntate contracta est, tum quia illi non sunt capaces actus proprij: vnde vt aliquem fructum possent ex martyrio reportare, necessarium fuit, vt id ei concederetur.

Hic modus dicendi non videtur improbabilis, & iuxta illud defendi posset sententia D. Bonauenturæ, Paludani, & aliorum, qui requirunt actum charitatis, vel contritionis. *Est probabile.*

Verum Patres citati amplius velle videntur, dum ipsam perpessionem mortis non minorem vim ad salutem habere volunt, quam baptismum: quod verum proprie non esset, nisi etiam per se haberet vim sanctificandi. Deinde non distinguunt de culpa, & pœna, & generatim docent, omnem culpam etiam originalem, per illam passionem veluti per baptismum sanguineum deleri; idque quia est realis configuratio Christi. Si enim baptismus aquæ, qui est tantum configuratio mystica, tantam vim habet, quomodo martyrium, quod est configuratio realis, non habebit? *Non satisfacit huc modus.*

Denique alioquin sæpè valdè incertum esset an martyr esset saluus; quia sæpe fit vt non tam perfectus actus internos habeat, vt per eos omnia peccata deleri queant.

Ex his facilè probari potest altera pars, nimirum sufficere attritionem. Si enim non est necessaria contritio, vt peccatori profit martyrium ad salutem: ergo sufficit attritio; nam post contritionem, & dilectionem Dei super omnia, non potest esse melior dispositio quam attritio.
48 *Sufficere attritionem ad martyrij fructum.*

Quod confirmatur Primò, Quia attritio sufficit, vt baptismus prosit: ergo etiam vt martyrium; cùm hoc non minorem vim habeat, vt patet ex dictis. Secundò, Nisi attritio sufficeret, numquam martyrium deleret peccata mortifera; hoc autem non est consentaneum sententijs Patrum: ergo. Tertiò, Martyrium per se habet vim augendæ gratiæ, ergo conferet primam iustificationis gratiam peccatori non ponenti obicem. consequentia patet à simili in Sacramentis omnibus, quæ conferunt primam gratiam non ponenti obicem, vt communiter Doctores tradunt, idque ideo quia per se & vi sua gratiam conferunt: atqui nõ ponitur obex, sed tollitur per attritionem, quia per hanc affectus absolutè recedit à peccato & conuertitur ad iustitiã: ergo sufficit attritio ad fructum martyrij. Confirmatur, quia attritio est vltima dispositio ad gratiam, inter eas, quæ per se gratiam non includunt, vel adducunt: ergo est sufficiens, vt martyrium, quod per se gratiæ est efficax, superueniens, primam iustificationis gratiam conferat. Quartò, Multi accipiunt martyrium timore damnationis æternæ, & ex eadem causa dolorem peccatorum concipiunt: hi tamen coluntur pro sanctis martyribus, cùm solum habuerint attritionem.

Neque dici potest Ecclesiam præsumere omnes, qui patiuntur pro Christo, si in peccatis sint, concipere perfectam contritionem; quia satis constat experientia, plurimos præstare metu damnationis, idque sufficere ad fructum, suprà ostensum est ex verbis Domini *Qui amat animam suam*, &c.

Notandum tamen, si martyr aduertat suum dolorem esse imperfectum, ob metum gehennæ, debere conari ad excitandum perfectiorem, quo certiori modo se disponat, vt ante dictum est. si autem non aduertat, excusatur, & attritio per se sufficit. *Si aduertat esse attritionem.*

Dico Tertiò, Etsi voluntas patiendi pro Christo. per se sufficiens sit ad fructum martyrij in multis; non tamen videtur satis esse in peccatore. & primum, si est sibi conscius peccati mortiferi, videtur certum; quia tenetur excitare in se dolorem & petere veniam, vt Deo reconcilietur. pœnitentia enim est medium per se necessarium ad reconciliationem, quando homo aduertit se esse in peccato. cuius ratio est, quia qui cupit reconciliari, debet factũ suum, quo offendit, quantum in se est, abolere & reddere infectum, quod non fit, nisi illud detestando, & de eo dolendo, cum proposito emendationis: atqui martyrium non tollit obligationem adhibendi remedia salutis ordinaria, si adhiberi possunt; sed potiùs facit, vt illa obligatio hic, & nunc vigorem habeat, cùm hominem in periculo mortis, & extremi certaminis constituat. Neque ille dolor distrahet animum, aut debiliorem reddet circa martyrium,
49 *An voluntas patiendi pro Christo sufficiat.*

Pœnitentia peccatori necessaria.

Dolor de peccatis non impedit cursitationem necessariam martyri.

rium, sed magis excitabit & confirmabit. cõsideratio enim & dolor peccatorum elicier, vt libentius mortem pro Christo feras: tum vt ingratitudinem præteritã corrigas; tum vt pro peccatis satisfacias, vt patet exemplo Bonifacij martyris & aliorum. Neque enim martyr ita debet esse intentus cogitationi mortis pro fide subeundæ, vt non cogitet varias rationes & motiua, cur eam subire & amplecti debeat.

50 *Peccator non aduertens se esse in peccato.*

Quod si non aduertat se esse in peccato, est maior difficultas. Sed vtendum distinctione; si enim voluntas patiendi pro Christo talis sit, vt ex vi illius necessario sequatur contritio vel attritio, occurrente peccato; sufficiet eum martyrio: quia est contritio vel attritio virtualis. si autem non sit talis per se, credibile est non sufficere. Exemplum hoc esse poterit: Sit catholicus aliquis feruens pro religione, sed vitio carnis vehementer deditus: hic ab hæreticis interceptus, repente iubeatur abnegare fidem Ecclesiæ Romanæ, & iurare in sectam Caluini, & ide amore fidei orthodoxæ & odio hæresis eligat potius mori; & priusquam alia cogitet, occidatur. non enim dia voluntas moriẽdi pro fide videtur esse talis vt ex ea necessario secuturus sit dolor de peccatis carnis, si illa memoriæ occurrerent.

Obiectiones. Contra obijci potest Primò, Dominus generaliter dixit, *Omnis, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; & quicunque perdiderit animam suam propter me, & propter euangelium, saluificabit eam*: atqui hic confitetur Christum, & perdit animam suam propter illum: ergo. Secundo, Quia D. Thomas 3. part. quæstio. 87. art. 1. ad 2 dicit, *passio pro Christo suscepta, purgat ab omni culpa & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem*: atqui hic non inuenit voluntatem actualiter peccato inhærentem: ergo. Tertiò, Nisi talis sit saltus, meritò potest Ecclesia de multis Martyribus dubitare, ac proinde etiam pro illis orare, quod est contra dictum Innocentij suprà allatum. Quartò, Decet diuinam bonitatem, vt illam voluntatem accepter pro dispositione ad hoc sufficiente vt per realem conformationem cũ Christo patiente gratiam consequatur. Nec refert quod ad baptismum requiratur attritio formalis vel virtualis, nec sufficiat illa voluntas; tum quia hæc voluntas non sufficit, nisi coniuncta cum opere externo, cui annexum est illud priuilegium: tum quia Patres maiorem vim tribuunt martyrio quam baptismo: tum denique quia illa acceptatio mortis pro Christo in illis terroribus & doloribus, censeri potest virtualis quædam dilectio Dei opere ipso exhibita; ex qua sequeretur actualis dolor, si peccatum memoriæ occurreret.

51 *Respon.* Respondeo, Ob has rationes est satis probabile hãc voluntatem sufficere in casu proposito, & quotiescumque nõ aduertit quis se esse in peccato. & sane ea videtur esse mẽs D. Thom. & Caietan. supra, & Soti in 4. distinct. 3. quæst. vnica artic. 11. vbi dicit martyrium in eo solum differre á baptismo flaminis, (quod sola contritione vel dilectione supra omnia cum voto baptismi coniiat) *quod illud non requirat formaliter detestationem, sed solum hunc actum, Volo mortem pro Christo perpeti: hunc enim actum cum opere exteriori sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum quoad culpam & pœnam si non opponatur obex complacentiæ vllius criminis*. Hic tamen in duobus falli videtur. Primò, Quod videatur existimare cum Vega martyrium non requirere formalem detestationem, etiamsi peccata memoriæ occurrerent; quod sine dubio falsum est. Secundò, Quòd putet illud solum operari per modum merito; vt patet ex verbis Soti, quæ paulò ante habet eodem artic. inde est sequeretur, peccatorem, dum vult pati pro Christo, mereri remissionem peccati mortalis: quod sane falsum est; nisi quis impropriè & largè de merito loquatur, vt se extẽdit etiam ad dispositionem non vltimam & aptitudinem, cum qua consistere possit peccatum. Eamdem probabilem censet notter Suarez disputatio. 39 sect. 3. de Sacr. Facilè tamen argumenta proposita solui possunt.

52 Vnde ad Primum dicendum est: Generales huiusmodi sententias habere tacitam conditionem vel limitationem, Si necessaria dispositio, & alia requisita adsint, vt multis exemplis ostendi potest. Simili modo dicitur de baptismo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*: & tamen requiritur saltem attritio.

Ad secundum: D. Thom. ibi non plus tribuit martyrio quam baptismo, aic enim, *Passio pro Christo suscepta, obtinet vim baptismi: vnde purgat ab omni culpa*. &c. itaque suppone aliquam formalem vel virtualem pœnitentiam præcessisse, sicut in baptismo est necessarium.

Ad Tertium, Ecclesia non habet aliquem pro sancto martyre, nisi constet illi quomodo in confessione & passione se gesserit.

Addo certissimum esse vt non adsit saltem virtualis attritio, quia Deus singulari modo tunc opitulatur, iuxta illud Marci 13. *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

DVBITATIO V.

Quam vim habeat martyrium, & quando conferat suum effectum.

IN martyrio duo sunt consideranda; actus interni, & externa perpessio. Interni sunt affectus varij, ex quibus passio acceptatur. potest enim hæc acceptari ex affectu charitatis, vel obedientiæ, vel religionis, vel fidei, vel spei, vel fortitudinis christianæ. quo posito. 53 *Actus interni in martyrio.*

Dico Primò, Hi affectus & acceptatio ex vi illorum proueniens in iustis, sunt meritorij vitæ æternæ; quia sunt opera pietatis christianæ: & delent omnes culpas veniales, quarum continent virtualem detestationem. debitum pœnarum per se non tollunt integrè, sed nonnihil minuunt, sicut omnia bona opera, præsertim laboriosa & pœnalia. In peccatoribus verò solum disponunt ad gratiam iustificationis, idque vel proximè, vt affectus dilectionis super omnia, vel remotè, vt ceteri.

Dico Secundò, Externa perpessio pro fide suscepta, per se & quasi ex opere operato habet vim delendi omnem culpam, & conferendi gratiam iustificationis, subiecto debitè disposito; & tollendi omnem reatum pœnæ, vt colligitur ex testimonijs Patrum & D. Thomæ supr. Idem docet Durandus in 4. d. 4. quæst. 8. nu 6. & 14. Richard. eadem dist. art. 2. quæst. 3. nu fine. Maior ibidem quæst. 3. Suarez disput. 30. & plerique alij recentiores. ratio est. quia si vis delendæ omnis culpæ & pœnæ collata est baptismo, eo quòd sit mystica quædam configuratio mortis Domini, vt ex Apostolo ad Roman. 6. constat, multo magis conueniebat hanc vim tribui martyrio, quæ est realis conformatio cum Christo moriente. hanc rationem apertè habet Clemens lib. 5. capitul. 5. & reliqui Patres; qui martyrium vocant *baptismum sanguinis*. Vnde rectè Durand. sup. nu. 6. *Non minus inquit, operatur passio Christi ad salutem in eo, qui ei conformatur secundum realem susceptionem, quàm in eo, qui conformatur ei solum secundum figuralem repræsentationem*. Et in fine; *Martyrium non solum habet efficaciam à charitate interius; (licet illa requiratur secundum aptitudinem) sed ex eo quòd passionem, & ex conformitate ad passionem Christi: propter quam vnitas passionis Christi æquè plenè vel plenius confert martyrio quàm baptismo*. vbi Nota, Durandum requirere charitatem, non ex qua martyrium procedat, sed quæ adsit vt á cum martyrio, saltem in fine; quam ipsum martyrium adducere potest. quænam autem ad hoc dispositio requiratur in peccatore, patet ex dub. 4. 54 *Externa perpessio habet vim quasi ex opere operato.*

Hinc sequitur, martyrium in homine iusto habere vim augẽdæ gratiæ, & tollendæ omnis pœnæ. si enim habet vim delendi peccati, & conferendæ gratiæ illi baptismi, vbi non inuenit impedimentum; maximè eam conferet iustis, qui nihil habent gratiæ infusioni repugnans: ac proinde in ipsis gratiæ augebitur. Confir. quia Iustitia est melior dispositio ad suscipiendũ incrementũ sanctitatis quam attritio, (quæ simul consistit cũ peccato) ad primã sanctificationẽ: ergo si homini attrito confert gratiã, multo magis iusto cõferet. Denique idipsum significant Patres suprà citati. 55 *In iusto per se habet vim augendæ gratiæ.*

Petes, Vtrùm deleat etiam culpam omnem venialem? 56 *An deleat per se culpam venialem.*

Resp. Si affectus nullo modo ei inhæret, valdè probabile est deleri; quia tunc voluntas patiendi pro Christo potest censeri sufficiens dispositio, vt accedente ipsa passione, illa peccata deleantur: quod sanè multò credibilius est de venialibus, quam de mortiferis.

Si verò affectus illi actu inhæret, quidam putant adhuc deleri, non quidem eo ipso tempore, quo inhæret; (hoc

(hoc enim contradictionem implicat) sed posteà, vel saltem post mortem; vt si affectus ille peccati venialis duret toto tempore martyrij. Ita Gregorius à Valentia disp. 8. quæst. 2. p. 2. Idem videtur tenere Caietan. 3. part. quæstio. 87. artic. 1. vbi dicit, *Si quis inflet dominum cum proposito dicendi mane mendacium efficiosum, & interim dormiens occideretur pro Christo; crediderim ego ex diuina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrium consequi; quamuis per baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatem actualiter actualitate virtuali inhærentem.*

Sed hæc sententia non videtur consentanea D. Thomæ qui eodem loco ad 2. satis insinuat martyrium non habere maiorem vim delendi peccati, quàm baptismum; nec delere peccatum veniale, si voluntatem inuenerit ei actualiter inhærentem, sicut hic inuenit, saltem actu virtuali, vt Caietan. fatetur. Neque etiam veritati, quia ad remissionem peccati actualis, cessante iam actuali vel virtuali inhæsione semper requiritur aliquis motus animi, quo peccatum illud actu vel virtute displiceat; vt apertè docet D. Th. sup. q. 87. ar. 2. ad 2. qualis est attritio, contritio, displicentia peccati, dilectio Dei supra omnia, voluntaria susceptio eius, quod peccati est remedium, v.g. susceptio baptismi, pœnitentiæ, extremę vnctionis, & aliorum Sacramẽtorum, iuxta D. Tho. eadem q. 2ri. 3. denique acceptatio martyrij, sed de hoc plura alibi.

57 *Quo momento cõferat martyrium suũ effectum. Sententia Caietani, dari in instãti vltimo terminatiuo. Refutatur illa sententia.*

Quod attinet ad momentum temporis, quo martyrium suum effectum confert: Caietan. 2. 2. q. 124. ar. 4. ad 2. argumentum Martini, insinuat conferri in instanti vitæ terminatiuo. Ratio ipsius est, quia in eo instanti martyrium terminatur, & adhuc existit veluti in termino; & homo tunc adhuc meretur veluti in termino: ergo tunc effectum suũ confert. Confirmari potest hæc sententia; quia sicut Sacramenta conferunt gratiam in instanti terminatiuo, quo perficiuntur; ita etiam martyrium: atqui hoc in martyrio est instans mortis: ergo, &c.

Sed hæc sententia non videtur probabilis, si illud momentum ponatur vitæ extrinsecum, sicut Caietan. ponit. Primò, Quia posset anima mereri & accipere gratiæ augmentum, iam separata à corpore; Secundo, Fieri posset vt ipsa toto tempore, quo vnita est corpori, fuerit in peccato, & caruerit fide, spe, charitate, & primo momento, quo definit esse in corpore, consequatur fidem, gratiam & remissionem, & immediatè post illud momẽtum videat Deum; vt patet in paruulis ante baptismum pro Christo occisis. Tertiò, Non omnes essent iudicandi secundùm statũ, quẽ habuerunt in corpore, quod non est consentaneum illi sententiæ Apostoli. 1. ad Corin. 5. *quemque retulerunt propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* nam id quod ille in corpore gessit vel passus est, non est tale vt possit delere peccatum, aut efficere dignum vita æterna; nisi accedat aliquid post vnionem corporis, quod iam non est in ipso homine, sed in partibus eius, anima & corpore, nimirum priuatio vnionis.

58 *Reiicitur eadem responsio.*

Dices, Hanc ipsam priuationem tribui homini, quia illam in vita acceptauit, & supplicia ad illam necessario ducentia sustinuit.

Sed Primò, Hoc non habet locum in paruulis. Deinde si ideò hoc dicitur gessisse in corpore, quia illud adhuc viuẽs acceptauit: ergo acceptatio illa & passio, quam sustinuit in vita, erat digna vita æterna & gratia, ante separationem animæ: ergo tunc data fuit gratia: Deus enim ne momento quidem temporis differt condignum præmium ad quod satis dispositi sumus.

Quartò, Quia iuxta hanc sententiam dabitur aliquod momentum in quo anima poterit consequi gratiam & remissionem peccatorum, non tamen peccare: & ita status merendi & demerendi non erunt pares, quæ omnia sunt parum consentanea Scripturis, & sensui Ecclesiæ & Sanctorum Patrum.

59 *Si momentum termi-nans sit intrinsecum.*

Si tamen illud momentum ponatur vitæ intrinsecum, ita vt homo definat per vltimum sui esse; (quæ sententia non est improbabilis) sic valdè probabiliter dici potest martyrium conferre gratiam in illo instanti; quia idem instans est terminus intrinsecus martyrij. consentaneum autem est vt effectum suum conferat in termino, sicut Sacramenta, quæ non in termino extrinseco, sed intrinseco complentur & gratiam conferunt. Si verò illud instans quo vita terminatur, ponatur esse extrinsecum, ita vt homo desinat per primum non esse sui, sicut communior sententia habet; dicendum est gratiam conferri non in illo instanti; tum ob rationes dictas, tum quia illud instans non est intrinsecum passioni hominis & vitæ: sed vel in aliquo instanti, quod imperceptibiliter mortem antecedit, vel certè quando homo ex passione ita est constitutus, vt sine miraculo mors impediri nequeat. Ita docet Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 37. in fine; Suarez 3. par. disp. 29. sectio 3. & passim recentiores. ratio est, quia tunc martyrium censetur consummatum: mors enim extat in causa proxima & necessaria. *Quando detur gratia.*

Dices, Tunc adhuc potest peccare & consequenter damnari. 60 *An possit postea peccare.*

Respondeo, Moraliter non posse peccare, quia credibile est corpus ita esse perturbatum, vt non possit vti ratione, vel si potest vti, adest magna gratiæ copia, quæ illum custodiat, ita vt non peccet. Accedit, quòd confecto iam penè certamine, & præsente æterno præmio, vix aliquid possit occurrere, quod hominem ad peccandum moueat. quòd si miraculo curetur & superuiuat, verisimile est singulari gratia custodiri, ne qui iam erat veluti in ianuis cæli, & præmium penè manibus tenebat, occasione miraculi excidat.

Idem probabile de iustis à mortuis excitatis. alioquin si in eodem incerto versaturi essent, magnum incommodum ex illo beneficio reportarent: nec quisquam est, qui nõ sum mopere illud deprecaretur.

DVBITATIO VI.

Quæ Vitia opponantur fortitudini, & quale in his peccatum.

D. THOM. Q. 125. 126. & 127.

RESPONDEO, Tria censeri à Diuo Thoma, & Aristotele 3. ethicorum capit. 7. *Timiditatem*, quam Aristoteles vocat δειλίαν, id est, Ignauiam: *Intimiditatem*, quam ille ἀφοβίαν, id est, timoris vacuitatem; & *Audaciam*. 61

Timiditas, seu *ignauia* est vitium excedens in timendo (timet enim quod non oportet, vel quando non oportet, vel plus quàm oportet) & deficiens in audẽdo, vt recte Arist. sup. non enim audet aggredi quando ratio dictat, aut sicut dictat; & hac cõsideratione apud Latinos vocatur *ignauia*, priore verò *timiditas*. *Ignauia.*

Hoc vitium si in seipso sistat, nec ad alium prauum affectum vel consensum impellat, est solum peccatum veniale, sicut excessus aliarum passionum, qui nullam aliam noxam infert, nisi quod mentem perturbet, & curis, cogitationibusque inutilibus impleat. Si verò impellat ad alterius peccati consensum, erit peccatum mortiferum, vel veniale, pro conditione illius ad quod impellit: vt si timore mortis (id est, vt mortem, quam times, euadas) paratus sis aliquid facere vel omittere, cuius commissio vel omissio est peccatum mortiferum, erit peccatum mortiferum: si veniale, erit veniale. Et hoc est quod vult D. Thom. art. 2. qu. 125. Hunc timorem vetuit Dominus; Matt. 10. cum ait, *nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent quod faciant*. *Quale peccatum.*

Notandum est, non omnem inordinatum timorem opponi virtuti speciali fortitudinis; sed eum tantum, qui est circa pericula mortis, vel grauium calamitatũm in his enim solis fortitudo versatur, vt sup. dub. 1. ostensum est; ac proinde etiam vitia fortitudini aduersa. Itaque alij timores mali ad alia vitia pertinent. sicut enim in omni virtute est inordinatus amor, & consequenter etiam inordinatus timor; (omnis enim timor nascitur ex amore boni amati; & omnis amor parit timorem, si bonum amatum potest amitti; vt ex 1. 2. q. 25. ar 1. & 2. constat) ita in omni vitio habituali est inordinatus amor alicuius boni creati, & cõsequẽter inordinatus timor. vnde intẽperans timet amittere suas voluptates, auarus pecunias, ambitiosus honores: solus autem timor inordinatus amittendæ vitæ in periculis mortis aduersatur fortitudini. 62 *Timor inordinatus alio rum malorum.*

Intimiditas, vel potius vacuitas iusti timoris est alterum 63

Imimiditas. rum vitium in fortitudini oppositum, deficiens in timendo; non enim timet quando timendum aut quæ timenda. Fortitudo enim non solum reprimit timorem, ne excedat, sed interdum etiam excitat, vt malum declinetur; vt quando il lud vires superat. nec est iusta ratio cur sustineatur, talis est terræmotus, fulmen, naufragium, vis hostilis longè superior. Denique omnia manifesta pericula mortis, quando deest causa fugiendi. In hac timoris ergo non timere vitiosum est; quia est causa cur malum non declinetur: timere autem laudabile, quia est causa declinandi. Huc pertinet sententia periciola eorum, qui se manifestis periculis mortis, cùm in peccato mortifero sint, exponunt, nec æternam mortem timent.

64 *Ex quo causa proueniat.* Prouenit autem hoc vitium ex triplici causa. Primò, Ex eo quod vitam suam minoris faciat, quam oportet: qui enim aliquid parui æstimat, non multum timet illud amittere, etiam si periculo sit exponitum. sicut autem vitiosum est pluris facere vitam quam oportet; (vt cùm anteponitur virtuti) ita etiam vitiosum est eam minoris facere quam oportet, vt cùm vanæ gloriæ, vel rerum temporalium causa manifesto periculo objicitur; est enim bonis temporalibus longe præstantior; tum quia res temporales sunt propter vitam humanam, ad eam fouendam, solandam, ornandam: tum quia vita illa temporalis facultatem iustitiæ & meritorum vitæ æternæ suppeditat.

Secundo, Ex superbia; hæc enim facit vt homo sibi præsumat & alios contemnat, quasi ab illis læsi non possit; & ita non timet, iuxta illud Iob 41. *Fallitur vt quisquam timeat, omne sublime videt.*

Tertio, Ex animi soliditate: vnde Aristot. 3. ethic. cap. 7. ait *famosos nihil timere*, sic quidam milites nihil timent; quia per vecordiam non concipiunt animo quid sit mors, & quæ mortem sequantur. Hoc vitium est peccatum mortale vel veniale, pro ratione mali, & periculi, cui se defectu timoris exponit: si enim sit magnum malum, (verbi gratia mors) cui sine iusta causa se obijcit, erit peccatum mortale, nisi fortè per stuporem animi excusetur. si autem malum sit paruum, vel periculum non sit notabile, erit veniale. vide Caietanum in Summa verb. Inimicitas. Hæc tamen timoris vacuitas non est distinctum peccatum ab eo, quo quis se periculo exponit: solum enim est peccatum quatenus est causa illius, continens tacitum in illud periculum consensum. *Audacia* seu temeritas hic accipitur pro excessu in audendo, & aggrediendo; cùm quis vt malum imminens repellat, aggreditur aliquid, quod non conuenit, vel quando non conuenit, vel quo modo non conuenit. Oritur hoc vitium ex iisdem causis ex quibus vacuitas timoris, quæ est maxima dispositio ad temeritatem. plerùmque tamen ex cupiditate vanæ gloriæ, sicut & *iactantia*, cui vt plurimum hoc vitium est connexum: nam audaces fere iunt iactabundi, & volunt videri fortes, cùm non sint, hinc fit vt plerique talium etiam sint timidi, quos Aristoteles ἀπροσδόκητους vocat, quasi dicas *audaces timidos*; quia audaciam cum timiditate coniunctam habent. *Insitio enim* (vt idem Aristoteles ait) *sunt præpropere: & ante quàm res urgeat, alia pericula volunt; vbi ipsis autem periculis veniunt & absistunt. at viri fortes, in ipsis ipsis sunt acres & tolerant, ante facto fiduci & quieti.* Quando verò cupiditati vanæ gloriæ timor coniunctus est vitæ contemptus, vel stultitiæ animi, mortem non apprehendentis, tunc se in pericula cæco quodam impetu proijciunt, & persistunt, etiam si parua sit spes victoriæ. hos Aristoteles vocat ἀγροικοτέρους, id est, proiectæ audaciæ homines, qui mortis periculum iudam faciunt & iocum, & instar belluarum depugnant. hoc vitium est peccatum pro ratione mali & periculi, cui se exponunt, sicut dictum est de timoris vacuitate.

65 *Audacia.*

66 *Quatuor vitia fortitudini aduersa.* Circa prædicta Aduerte, etsi solum tria vitia *fortitudini* opposita numerentur, re vera tamen esse quatuor: sicut enim fortitudo moderatur timorem, ita etiam audaciam; vnde licet peccatur contra fortitudinem excessu & defectu timoris, ita etiam excessu & defectu audendi. Verùm defectus audendi continetur sub *timiditate*, qua parte hæc conistit in eo, quòd quis refugit aggredi quando oportet: & vocatur proprie *ignauia*, sed sicut inter *timoris vacuitatem* & *timiditatem* est magna affinitas, ita etiam inter *excessum timendi* & *defectum audendi*. Hinc apud Aristotelem eodem nomine continentur; vtrumque enim δειλίαν vocat. Latini habent nomina distincta, illud vocant *Timiditatem*, hoc *Ignauiam*.

CAPVT II.

De virtutibus Fortitudini connexis, & vitijs oppositis.

Constat 6. Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

Quæ sint partes Fortitudinis.

D. THOM. Quæst. 128.

1 *Subiectiuæ partes.* NOTANDVM ex Diuo Thoma, virtuti triplices partes assignari posse, subiectiuas, integrantes, & potentiales. *Subiectiuas* fortitudo propriè, iuxta D. Thom. non habet; quia ipsa est species specialissima, cùm versetur circa pericula mortis, quæ omnia sunt eiusdem generis, etsi alia aliis maiora. Hoc tamen intellige de fortitudine vnius ordinis: nam si diuersos virtutum ordines spectemus, duplex erit fortitudinis virtus; alia enim est ordinis *naturalis*, qualis esse potest sine fide; hæc timorem mortis temperat, pericula & acerbitates sustinet, hac tantum consideratione, quia decet hominem ratione præditum, vel philosophiæ præceptis imbutum, vel illustri familia clarisque maioribus ortum.

Fortitudo naturalis.

Alia *supernaturalis*, quæ fidem & affectum supernaturalem supponit, & prudentia supernaturali vt regula vtitur. Hæc eadem sustinet; quia decet Christianum, crucis Christi cultorem, immortalitatis cândidatum, &c. etsi enim istæ fortitudines circa eadem pericula & circa eadem passiones moderandas, ac proinde circa eadem obiecta versentur; tamen non eâdem prorsus rationem formalem in illis spectant. vnde nec ob eandem causam ad suas functiones mouentur, sed ob diuersam & affectibus planè diuersis. qua ratione etiam in fortitudine naturali discrimen specificum fortasse inueniri posset.

Supernaturalis.

2 *Partes integrantes.* *Partes integrantes* vocat, non ex quibus ipse habitus intrinsecè coalescat; sed quæ necessariæ ad integrum fortitudinis officium.

Potentiales. *Potentiales* verò, quæ virtutem fortitudinis in materia minus difficili imitantur. Porrò huiusmodi partes quatuor numerantur à D. Augustino lib 83. qq. q. 31. ex Cicerone, *Fortitudo*, inquit, *est considerata periculorum susceptio*, & la-

Formiales. Esse quatuor partes fortitudinis.

& laborum perpessio, cuius partes magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia; quod D. Thomas optimè declarat q. 128. art. vnico in corp. & ad 5.

Officium enim *fortitudinis* in duobus situm est; *in aggrediendo & in sustinendo. ad aggrediendum* autem duo requiruntur. Primò, Promptitudo animi ad periculum suscipiendum: hanc præstat *fidentia*, qui enim confidit se malum imminens superaturum, facilè periculum suscipit. Secundò, Strenuitas in executione; hanc tribuit *magnificentia*, quæ teste D. Augustino, ex Ciceronе, *est rerum magnarum & excellentium cum animi amplâ quadam & splendidâ propositione, & cogitatio & administratio*. Itaque hæ duæ virtutes, quatenus versantur in periculis mortis, sunt partes integrantes fortitudinis, concurrentes ad actum aggressionis.

Similiter ad sustinendum, qui est alter fortitudinis actus duo requiruntur. Primum est. Ne animus difficultate & asperitate malorum frangatur: ad hoc valet *patientia*, quę tristitias & dolores moderatur, animumque continet ne his affectionibus victus, à recto & decoro decidat.

Alterum est, Ne diuturnitate malorum tæsus, cœpta bona abrumpat & desinat; & ad hoc est *perseverantia*: quo nomine hic intelligimus non eam, quæ est *tolerantiæ* vsque ad finem continuatio, sed propositum durantibus malis in cœpto perseverandi.

Quo modo sint integrales. Ex his patet, qua ratione hæ quatuor virtutes dicantur partes *integrantes* fortitudinis; nimirum si considerentur vt versantur in propria fortitudinis materia, id est, in periculis mortis; sic enim ad integrum illius officium concurrunt, suntque velut quædam illius membra.

Quomodo potentiales. Si verò spectentur in aliis quibuslibet materijs minus difficilibus, dicentur partes fortitudinis *potentiales*, quia fortitudinem imitantur, licet eius perfectionem non assequantur. vide supra c. 46. dub. 1. Sic *fidentia* est virtus, quæ in alijs rebus difficilibus extra pericula mortis, promptum animum præstat; *magnificentia*, quæ talia splendidè excquitur, *patientia*, quæ tales difficultates tolerat; *perseverantia*, quæ in finem in illis perdurat.

Reducuntur ad supradicta. 4 Notandum est primò, Prædictis partibus fortitudinis tres alias adijcit Macrobius libr. 1. in somnium Scipionis; *magnanimitatem, securitatem, & constantiam*. Verùm magnanimitas & securitas sub *fidentia* possunt comprehendi; *fidentia* enim continet crectulitatem mali superandi vel boni consequendi, & spem conficiendi: vtrumque parit *magnanimitas*: facit enim vt id, quod arduum est, videatur confici posse, & simul eius desiderium injcit.

Securitas est perfectio quædam *fidentiæ*, excludens timorem & anxietatem curam: tunc enim securus est animus, quando ita confidit vt non amplius timeat vinci à malo, vel excidere à bono, item quando malum est superatum.

Constantia ad perseverantiam pertinet. quid enim est aliud *perseverantia*, quam *constantia* vsque in finem? eodem pertinet *longanimitas*, quæ ob mali diuturnitatem non finit animum à recto desciscere.

Non sunt omnes distincti habitus. 5 Notandum Secundò, Non omnes prædictas partes esse virtutes distinctas, sed satis esse vt sint actus distincti: eiusdem enim habitus est præbere se magnanimum & confidentem in periculis, & securum absque anxietate. Item eiusdem virtutis est efficere patientem, constantem, longanimem & perseverantem.

Cetera vide apud D. Thomam in respons. ad 6. vbi corruptè in multis exemplaribus legitur *lenia* pro *lema*. Græcè λῆμα, quod non patientiam aut tolerantiam, sed animi confidentiam & promptam audaciam significat. Plerumque accipitur in bonum; aliquando etiam in malum; vt ex Græcis auctoribus constat. hinc ἀημονίας vir strenuus & animo confidenti, quod est virtutis; vel etiam præfidenti, quod est vitij.

DVBITATIO II.

Quid sit magnanimitas, & qui eius actus.

D. THOMAS Quæstion. 129.

Quid magnanimitas. 6 MAgnanimitas, seu magnitudo animi, Græcè μεγαλοψυχία, est virtus ad opera magna & heroica in omni virtutum genere inclinans: magnus enim dicitur animus, qui ad magna aspirat, eaque sola æstimat, & cogitat: parua negligit vel despicit. ex affectu enim & studio rerũ magnarum vel paruarum, animus magnus vel paruus dicitur. nihil autem verè magnum in rebus humanis, præter virtutem, quæ sola est hominis bonum, & ornamentũ quo homo est, animum perficiens, & æternum permanens, cæternamque vitam concilians: cetera omnia, vt diuitiæ, voluptates, honores huius mundi, parui sunt momenti, vtpote ad vitam istam corporalem duntaxat, & temporalem pertinentia. Et quamuis omnia virtutum opera ad res temporales collata magna fiat bona, tamen non omnia in suo genere sunt magna vel ardua: sunt enim minora & maiora, facilia & difficilia. propriè autem dicuntur *magna*, quæ in singulis virtutum generibus magna seu ardua censentur, magnoque honore sunt digna, vt sunt magnæ abstinentiæ, magna vitæ austeritas, magni labores pro salute animarũ, eximia patientia in magnis calamitatibus, eximium orationis studium, &c. Itaque virtus illa, quæ magnitudo animi dicitur, ad hæc inclinat. *Quid verè magnum.*

7 Nec obstat, quod omnis virtus, si perfecta sit ad opera magna sui generis incitet, (magna enim virtus abstinentiæ, ad magna ieiunia; magna religio, ad magna in Deum pietatis officia impellit) quia aliam rationem formalem, seu aliud motiuum intrinsecum aliæ virtutes in suis obiectis spectant, aliud magnitudo animi. hæc enim inclinat ad opera magna virtutum, non quia in illis elucet honestas peculiaris illius vel illius virtutis, v. g. bonum abstinentiæ, vel religionis: sed quia magna sunt & ardua; id est, quia consentanea animo magno & generoso, magnis gratiæ præsidijs adiuto, magna rerum cælestium cognitione instructo, magnis præmijs illecto, magnis exemplis prouocato. qui enim hæc perpendit, facile videt magna virtutum officia sibi congruere, & decorum esse non nisi magna cogitare, æstimare, affectare, moliri. Itaque esse *magnum* seu *animum* in operibus virtutum aliarum, est ratio formalis obiectiua huius virtutis, ob quã ad illa inclinat, & quam in illis sicce & veluti in sua materia imprimere conatur. Reliquę verò virtutes, si perfectæ sint, seu in gradu heroico, inclinant ad opera magna sui generis, non ratione magnitudinis, sed ratione peculiaris honestatis, quam habent ex sua materia, quæ honestas in magnis operibus est illustrior. Itaque magnitudo operum non se habet tamquam motiuum principale seu formale illarum virtutum, sed vt circumstantia obiecti, ratione cuius honestas obiecti magis elucet, & vt circumstantia operis, in executione respondens circumstantiæ quæ est in causa. sicut enim magnus ignis magnum calorem generat, ita magna virtus iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ, magna opera sui generis. *Quomodo hæc virtus inclinet ad magna opera virtutum.* *Ratio formalis obiectiua huius virtutis.* *Quomodo aliæ virtutes inclinent ad magna.*

8 Hinc patet, virtutem hanc, etsi ad opera illustriora aliarum virtutum inclinet; tamen ab illis distingui specie, & esse virtutem specialem; habet enim distinctum obiectũ formale, à quo suam speciem accipit: & illa opera solum sibi habent materiæ, cui suam formam inferat, quæ est, esse magnum & arduum. *Distinguitur specie ab aliis*

Hanc doctrinam expresè tradit Caietanus quæst. 129. artic. 1. & 4. & est D. Thomæ ibidem, sed clarius in 3. capite libro 4. ethicorum, exponens illa verba Aristotelis, *Etiam viri magnanimi esse videntur quod in quaque virtute magnum est*; vbi dicit, *Per hoc magnitudo est specialis virtus distincta ab aliis, quia tendit ad rationem magni in cuiuslibet virtutis opere, v. g. fortitudo in tendit fortiter agere; magnanimitas intendit magna operari in fortiter agendo.* & sic de alijs. Idem docet quæst. 134. articul. 1. ad 2. Eadem est mens Aristotelis in verbis allatis; & infrà cum ait, *videtur animus magnitudo quæ-si quoddam virtutum omnium ornamentum; nam & maiores eas ampliores que facit, & sine illis confiare nullo modo potest.*

9 Dices, Aristoteles cit. lib. 3. & D. Thom. q. 129. art. 2. 3. & 4. docent *magnanimitatem* versari circa *magnos honores*, i. ideoq; esse virtutem specialem: ergo non extendit se ad actus eximios aliarum virtutum. *Obiectio.*

Resp. Respondeo, negando consequentiam: aliter enim versatur circa honores, aliter circa actus virtutum. Circa honores enim versatur non quidem eos propter se expetendo; (hoc enim laudabile non esset) sed tamquam circa materiam remotam; moderando appetitum honorum; vt eis rectè vtamur, nec pluris, quàm par est æstimemus sicut liberalitas versatur circa diuitias, & fortitudo circa pe- *Quomodo versetur in magnis honoribus.*

pericula mortis. circa verò actus virtutum versatur tamquam circa obiectum materiale,seu materiam propinquâ; magnitudinem & excellentiam quamdam in illis appetendo,procurando & efficiendo. Sicut enim fortitudo, moderatur timorem & audaciam in periculis,vt fortiter agat; & liberalitas amorem pecuniæ,vt ea rectè vti possit, & facile donare vbi ratio dictat; ita magnitudo animi temperat appetitum magnorum honorum, vt opera magna sincero affectu deligneti; ne vel si honor abiit, delitiat; vel si adsit, eius affectu potissimum moueatur. qui enim magna præstare in aliquo virtutum genere studeut, potissimum infestantur appetitu honoris, qui illustria facta comitari solet, & vehementer affectum ad se trahit: itaque eget moderatione, quam efficit hæc virtus. eiusdem enim virtutis est bonum opus operari,& intrinseca eius impedimenta;quæ ratione materiæ proueniunt, tollere: tale autem impedimentum est honoris immodicus appetitus. neque solum in honoribus moderationem animi parit hæc virtus, sed etiam in contumelijs & omni fortunæ conditione;vt Aristoteles loco citato docet. *Maximè*, inquit, *in honoribus versatur vir magnanimus. verum tamen in diuitijs quoque & principatu, in omni denique secunda & aduersa fortuna quidquid acciderit, in eo se moderatum præbebit: neque in rebus secundis lætitia effertur, neque in aduersis mœrore contrahetur; nam ne in honorem quidem sic animatus est, qui tamen quàm maxima res est.*

Etiam in contumelijs & fortuna aduersa.

10 *Officium magnanimi.*

Ex his perspicuum est Primò,Quodnam huius virtutis sit officium:principale enim munus eius,quod ipsa potissimum intendit, est opera magna, seu quæ magno honore sint digna efficere,non propter honorem huius mundi(nõ enim est vera virtus, quæ honorem humanũ sibi propositum habet,vt docet D. Augustinus lib.5.de ciuit.c.12.quia est res caduca,fragilis,fallax,bonis & malis communis)sed propter ipsorum operum excellentiam,ratione cuius honore sunt digna.

Secundum munus eius est, appetitum honorum moderari, ita vt eos neque multum appetat, neque plusquam par est refugiat: si deferantur, ijs non extolli, non exultare lætitia,sed moderate se gerere-vnde Aristoteles ait,*Magnis honoribus ea ipsa,quæ à viris bonis deferuntur,modicè delectabitur, tanquam sibi accommodatis; qui autem à vulgo & ob res parum tribuentur, prorsus contemnet.*

Tertium,In omni prospera & aduersa fortuna moderatè agere. cùm enim nihil magni æstimet, nisi quod verè magnum est,fit vt omnia temporalia parui pendat,ac proinde non multum curet illorum secundos vel contrarios successus.

11 *Quem honorem possit magnanimus quærere.*

Quamuis autem magnanimos honorem huius mundi parui æstimet, neque propter illum operetur; maximi tamen facit honorem cælestem. vt apud Deum & Angelos magnus habeatur & sit. hic enim honor est pars nostræ felicitatis, & præmium virtutis; & inter bona nostra externa maximum. Itaque propter illum honestè operari potest,& ad ardua virtutum conniti: vnde 2 Corinth.10.dicitur, *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* & Ioannis 5.ver 38.apertè indicatur, *gloriam,quæ à solo Deo est,* esse quærendam.

12 *Quibus in sit hac virtus.*

Patet Secundò, Hanc virtutem maximè reperiri in ijs, qui spretis omnibus, quæ in mundo sunt, Christi consilia sunt secuti,& ad eius imitationem vitam componunt.magnitudo enim animi potissimum in duobus sita est;in contemptu earum rerum, quæ maximi vulgò æstimantur, & quæruntur, vt sunt diuitiæ, uoluptates; & honores; & in conatu, nisuque ad ea, quæ sunt maximè ardua & honore cælesti digna, ut sunt consilia Domini, & perfectio uitæ christianæ.

13 *Fidentia & securitas.*

Patet Tertiò, Ad hanc uirtutem pertinere *fidentiam & securitatem. fidentiam* quidem, quia non potest quis ardua generosè aggredi,nisi multum confidat se posse conficere. Deinde *fidentia* oritur ex eò quòd quis aduertat sibi suppetere uires & auxilia ad res arduas peragendas, & quòd earum perficiendarum desiderio teneatur; quorum utrumque est in hac uirtute. *Securitatem* uerò,quia *qui* res humanas non multum curat, & solis æternis est intentus,ad quas satis opus & præsidij à Deo se habere sentit;multis curis est solutus,& magna animi securitate fruitur. magna quoque confidentia securitatem parit.

14 *Mores magnanimi.*

Vt melius huius virtutis indoles intelligatur, Notãdum est, ab Aristotele assignari viginti mores, seu conditiones viri magnanimi,quæ nobis breuiter explicandæ:sunt enim notæ quædam eximiæ huius virtutis, meritò vita & moribus exprimendæ.

Prima, *Dignum se magno honore existimare*. intelligo spectato officio, quod gerit, vel donis Dei,quibus est ornatus: cum hoc tamen stare potest vt sit humillimus coram Deo, dum considerat se ex seipso nihil boni habere, nihil posse, nihil esse; sine Deo in profundum malorum,imò in nihilum ruere, &c. Sic Sancti in cælis & humillimi sunt, & tamen ab hominibus coli volunt, diuersa sui consideratione.

Secunda, *Mediocribus honoribus, etiam magnis, & à bonis viris oblatis delectari, à vulgo & ob res parvas delatos contemnere.*

Tertia, *In prosperis & aduersis moderatum se præbere.*

Quarta, *Non efferre se exilibus parvorum periculorum; nec amare pericula, eo quòd pauca res magni faciat; magnis tamen*. vbi de rebus præclaris agitur, *se exponere & suæ vitæ non parcere*. Aristoteles tribus verbis, οὐκ ἐπὶ μικροῖς κίνδυνος, μεγάλοις δὲ. Quinta, *Acceptum beneficium maiore beneficio compensare*. vnde fit vt non multum memineriit beneficiorum acceptorum; quia maioribus illa beneficijs obruit. quod intellige de beneficijs humanis & vulgaribus,quæ ipse facilè potest vincere.

Sexta, *Neminem, aut vix quemquam rogare*. vel enim parua sunt quæ ab alijs potest accipere; & ita non curat: vel certe sua industria potest consequi; & sic non vult ab alio pendere,nec alteri molestus esse.

Septima, *Libenter alteri ostentare duce atque inseruire*: hoc enim est perfectionis,& αὐταρκείας signum.

Octaua, *Cum viris Principibus & opulentis præstare se magnum & excelsum*, nimirum illis non adulando, nec finendo suam libertatem opprimi eorum auctoritate. *cum mediocribus & infimis modestum ac moderatum*. sic enim Deum quodam modo imitatur, *qui humilia respicit.*

Nona, *Non se locis aut functionibus honorarijs ingerere*: hoc enim potius ambitiosi, quàm magnanimi.

Decima, *Cunctari & quietem agere, nisi res magna sit proposita*; quia parua non moratur; vnde fit *vt pauca faciat,sed magna*.

Vndecima, *Apertè odisse & apertè amare*; puta quæ odio vel amore digna: Græce est, οὐκ ἐστι κρυπτόμισον καὶ φιλοῦντα κρυπτὸν εἶναι, *quia timentis est,fronte occultare sententiam.*

Duodecima. *Apertè omnia dicere & agere*: intellige intra limites prudentiæ. Addit Aristoteles, *amat enim orationis libertatem, quia ad alios contemnendos est propensus*. id est, cum res humanas parui faciat, facilè ita se gerit, vt etiam alios parui pendere videatur.quod intellige,quando de veritate,vel iustitia agitur: exempla habemus in martyribus, & alijs viris sanctissimis.

Decimatertia, *Vti dissimulatione in vulgus*; non enim sua patefacit omnibus, sed tegit; non enim quærit vulgi laudes.

Decimaquarta, *Non posse alterius nutu viuere nisi amici*: 15 seruile enim, id est, nec sine assentatione fieri potest; à qua ille longissimè abest. quòd si amici nutu viuere potest, multò magis nutu Superioris, qui & maximè est amicus, (cum omne bonum subito ex sincera beneuolentia velit ac procuret)& loco Dei præsidet. vnde patet religiosam obedientiam cum magnanimitate non pugnare,sed ei consentaneam esse.

Decimaquinta, *Non facilè admirari: nihil enim ei magnum* 16 *est*.inquit,Aristoteles,puta in rebus humanis.

Decimasexta, *Non meminisse iniuriarum.vir enim magnanimi non est*, ait idem, *memorem esse, præsertim iniuriarum & malorum, sed ea potius pro nihilo putare*. Itaque viles animæ sunt, Aristotelis sententia, qui iniurias priuatas sine fine persequuntur, quo modo enim non viles,quorum status,& dignitas omnis vno verbo labefactatur, nec nisi eo vindicato, constare potest? quanto generosius est statum suum extra fortunæ aleam repositum ducere; nec se à quoquam nisi à seipso lædi posse? Multum igitur errat vulgus, qui illos generosos & magnanimos putat.

Decimaseptima, *Non cupidè loqui de hominibus, quia* 17 *neque vt laudetur sollicitus est, nec vt alij reprehendantur.*

nec

nec alterum laudator eſt; nec maledicus, nec in inimicos quidem, niſi accepta contumelia. vbi Ariſtoteles permittit illis rependere *κακολογίαν*, id eſt, probrum ſeu conuitium, accepta contumelia ab inimico: tunc enim non videtur eſſe contra virtutem, ſi moderate & abſque ſcandalo fiat, vt ſic contumelia repellatur. plerumque tamen melius eſt diſſimulare, ne videamur reddere malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, contra præceptum Apoſtoli, & Domini noſtri; atque maioris animi eſt ſignum. *Ideo ad latratus canum vix lentus reſpexit.*

Decimaoctaua, *In rebus, quæ neceſſariò perferenda, vel quæ exigua ſint, non eſſe quærimandum aut ſupplicem: quas qui animi minimum rebus humanis addixit.*

Decimanona, *Malle poſſidere res honeſtas quàm fructuoſas, hoc enim magis proprium eſt hominis ſeipſo contenti.*

Vigeſima, *Habere motum tardum, vocem grauem, orationem ſtabilem ac ſedatam: quæ feſtinare non ſolet, qui paucis rebus ſtudet; nec vehementer contendere, cui nihil magnum eſſe videtur:* ita Ariſtoteles.

DVBITATIO III.

Quæ vitia magnanimitati aduerſentur.

D. THOM. quæſt. 130. & 131.

22 OPPONVNTVR magnanimitati tria vitia per exceſſum, *præſumptio, ambitio,* & *inanis gloria. Præſumptio* reſpicit propriè opus aliquod: *Ambitio* honorem: *Inanis gloria* opinionem & famam. Vnum per defectum, *Puſillanimitas*; quæ tamen illis tribus reſpondet.

Præſumptio quid ſit.

Præſumptio, quam etiam *præſidentiam* Latini vocant, eſt nimia ſuarum virium confidentia, qua fit vt quis aggrediatur aliquid, vel paratus ſit aggredi, quod eſt ſupra ipſius vires. *Vires ipſius* intellige, quas vel in ſeipſo, vel in alijs paratus habet, quod enim per amicos poſſumus; nos ipſi poſſe dicimus. conſiſtunt autem vel in facultate naturali, vel in virtute aliqua infuſa aut acquiſita, vel in arte aliqua, vel in gratia gratis data, vel in poteſtate Ordinis, vel in poteſtate iuriſdictionis: nam ratione horum omnium ſi quis aliquid ſupra ſuam facultatem tentet, erit vitium præſumptionis; vt patet ex Caietano ver. Præſumptio in Summa.

Hoc vitium in intellectu ſupponit opinionem falſam de
23 ſuis viribus, & culpabili ignorantia vel inconſideratione ortam: ſi enim hæc non eſſet culpabilis, neque opinio inde naſcens, neque affectus voluntatis conſequens culpabilis eſſet; vt cùm quis bona fide ignorans rei conditionem, aliquid ſupra ſuam facultatem tentat. In voluntate verò requirit affectum vel abſolutè exequendi tale opus: vel ſub conditione, ſi nimirum res ad ſe pertineret, ſi tempus & locus poſceret, &c.

Supponit falſam opinionem.

In quibus hoc vitium.

Hoc modo præſumptuoſi & præſidentes cenſendi hæretici, qui Scripturas audent exponere non præuio longo ſtudio, vel Sanctorum Patrum lectione: qui tentant miracula vel futurorum prædictionem, abſque dono miraculorum vel prophetiæ; qui ſolis naturæ viribus putant ſe poſſe benè viuere & legem implere. Item qui abſque debita peritia ſuſcipiunt officium medici, aduocati, Parochi, confeſſoris, &c. qui uſurpant ſibi poteſtatem, quam non habent, vel maiorem quàm habent; vt ſi diaconus uellet offerre ſacrificium, abſoluere, baptizare coram ſacerdote; ſi Iudex ſæcularis cognoſcere de cauſis eccleſiaſticis.

Eſſe peccati.

Hoc autem peccatum eſſe probat D. Thomas, quia per illud violatur lex naturæ, orta ex lege æterna, quam omnes res naturales tenent: hæ enim omnes ex diuina ordinatione hanc ſeruant legem, vt nihil conentur ſupra ſuam facultatem; ſed ſolum inclinent ad opera viribus ſuis commenſa: præſumptio verò impellit ad id, quod eſt ſupra facultatem.

Eſt peccatum mortiferum, quando fit cum periculo uel
20 iniuria alterius, ſicut præſumptio medici, Iudicis, confeſſoris: uel quando prouenit ex errore contra fidē, ſicut præſumptio hæreticorum in multis actibus extra tales euentus fere eſt peccatum veniale. Ita Caietanus ſupra.

Præſumptio de miſericordia Dei.

Præſumptio miſericordiæ.

Præſumptio de miſericordia Dei, (quæ dicitur peccatum in Spiritum ſanctum) qua quis non curat diuinam ſalutem, confidens Deum ipſi præſtiturum ueniam, etiamſi non ſit ſollicitus de conuerſione uitæ, potius opponitur ſpei quàm magnanimitati; excedit enim modum in ſperando, indebitè confidens de diuina bonitate, non de ſua virtute: ſicut deſperatio deficit non ſatis de ea confidens. niſi forte hæc præſumptio proueniat, quòd ſibi tale Dei beneficium deberi putet; tunc enim immediate præſumit & præfidit de ſua virtute, per eam volens conſequi id, quod longè illam ſuperat; & ſic erit contra magnanimitatem.

Ambitio eſt inordinatus appetitus honoris: honor autem eſt teſtimonium excellētiæ; quod multis modis deferri po- 21
teſt, vt detectione capitis, inclinatione corporis, genuflexione, conceſſione loci honorationis, erectione ſtatuæ, delatione officij, magiſtratus, principatus, &c. vt dictū eſt ſuprà c.36.dubit.3. his omnes modos reſpicit ambitio, qui n.aliquid horum ſibi inordinatè appetit deferri, eſt ambitioſus.

Ambitio.

Porro honor tripliciter inordinatè poteſt appeti. Primò,
Si appetas honorem ob rem, quæ tibi non conuenit, vel no- *Inordinatè*
tabiliter maiorem, quàm par ſit: vt quis velit honorari ob *appetitur hono*
gradum vel doctrinam, quam non habet: ſi laicus velit præ- *rificè.*
cedere ſacerdotem aut Epiſcopum: ſi adſpires ad officium honorabile, quo es indignus; aut velis præferri multò dignioribus: ſi ratione diuitiarum velis tibi magnum honorem haberi. Secundò, Si quæras honorē ex re, quæ tibi conuenit, ſed illicita, v.g. ex rebellione, quòd audeas reſiſtere ſuo Principi, ex arte magica, &c. Tertiò, Si ita ames honorē vt paratus ſis Deum offendere cauſa illius acquirendi vel conſeruandi, vt ſi Epiſcopatum compares per ſimoniam, Principatum per bella iniqua: ſi, vt officium retineas, iniquum præſtes iuſiurandum, &c.

In primo eſt peccatum veniale tantùm, niſi appetatur 22
cum iniuria alterius. In ſecundo eſt peccatum mortale vel *Quale pecca*
veniale pro ratione materiæ, ex qua honorem captat. In ter- *tum.*
tio ſimiliter pro ratione mediorum, quibus utitur vel paratus eſt vti.

Reprehenditur hoc vitium à Domino, Mat. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. vos autem nolite vocari Rabbi,* &c. & Eccleſiaſtici 7. *Noli quærere ab homine ducatum, nec à Rege cathedram honoris.*

Oritur hoc vitium ex ſuperbia. ſicut enim ſuperbia eſt *Oritur ex ſu-*
inordinatus appetitus excellentiæ, ita ambitio eſt inordi- *perbia.*
natus appetitus honoris, qui eſt teſtimonium excellentiæ: vnde omnes ambitioſi ſunt ſuperbi, & omnes ſuperbi ambitioſi. habet enim ſe ad ſuperbiam vt propria paſſio, vel vt effectus adæquatus.

Si autem honor appetatur moderatè ex re bona, nullum erit peccatum, etiamſi nullus alius finis ſpectetur, vt colligitur ex D. Thoma q.131.art.1.ad 3. quia per ſe eſt obiectū indifferens, proximè accedens ad rationem honeſti: cùm ſit teſtimonium & imago quædam virtutis.

Inanis gloria. quam Græci *κενοδοξίαν* vocant, hoc loco 23
accipitur pro vanæ gloriæ cupiditate: alioqui propriè ipſa *Inanis glo-*
non eſt peccatum, ſed peccat obiectū, in alio exiſtens. *Glo- ria.*
ria eſt clara cum laude notitia*,* inquit Cicero: puta de excellentia alicuius. Itaq; complectitur *opinionem* & *laudē*, & conſequenter *famam*; quia bona fama in laude conſiſtit; ſupponit autem excellentiam aliquam ueram his dignam, tāquam materiam & obiectum opinionis & famæ. vnde patet gloriam ab honore diſtinguī, & conſequenter ambitionem a cenodoxia ſeu vanæ gloriæ cupiditate. Gloria enim in notitia excellentiæ alterius, & laude, quæ verbis agitur, ſita eſt. Honor verò in dignitatibus, magiſtratibus, & alijs teſtimonijs excellentiæ, quæ ſignis exhibentur. quando tamen vana gloria ſtatuitur vitium capitale, etiam ambitio hoc nomine intelligenda eſt.

Poteſt autē gloria tripliciter eſſe vana in propoſito. Primò, Si deſimulata excellentia quæratur opinio uel fama; ſicut faciunt hypocritæ, & omnes, qui ſe fingūt peritos alicuius diſciplinæ, cū non ſint. Secundò, Si maior quæratur quā par ſit, aut de rebus alias indignis, ſicut faciunt iactabundi, & omnes qui de opibus & rebus friuolis gloriātur. Tertiò, Si apud eos, qui de rebus non poſſunt rectè iudicare: ſicut ſi quis coram imperitis diſputaret, vt ſapiens ab eis habeatur; niſi fortè id ad ulteriorem finem honeſtum referret.

Erit autem hæc cupiditas peccatum mortale, Primò, Si 24
hæc vana gloria appetatur ex facto quod eſt peccatū mor- *Quale pecca*
taliter; vt de magia, de adulterio, de duello, de homicidio; *tum ſit.*
nam talis gloriatio includit facti approbationem. ſi tamen

non

non de ipso facto,sed de robore corporis,audacia,ingenio, quæ tali facto patefiunt, gloria quæreretur, non esset per se peccatum mortale;quia cum eo stare potest facti praui detestatio. Secundò, Si ob illam acquirendam, vel retinendam negligat ea, quæ ad salutem sunt necessaria, vel aliter paratus sit mortifere peccare:quales erant multi ex primoribus Iudæorum, de quibus Ioannis 12. dicitur, *Dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei* & Ioannis 5. *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est non quæritis?* Extra hos casus solum est veniale,vt docet Caietanus verb. Gloria: humanæ appetitus:nam per se veniale est;neque fit mortale;nisi ratione alterius peccati, quod interdum in affectu vanæ gloriæ inuoluitur.

25 Numeratur *vana gloria* inter vitia principalia, seu capitalia,à D.Gregorio lib.31. moralium ca.31.quem sequitur D.Thom.quæst.132.art.4.& 5.& ceteri Doctores;quia *vitium capitale* dicitur ex quo tâquam radice virulenta, multa alia vitia veluti propagines venenatæ nascuntur. talia sunt quæ versantur circa obiectum valdè appetibile, cuius causa plerique mortalium parati sunt multa mala facere, & pati;vt circa gloriam,(sub qua etiam famam, & honorem intellige).diuitias,voluptates gustus, voluptates tactus. hinc vitia capitalia sunt *cupiditas vanæ gloriæ,auaritia,gula,* & *luxuria.* Item quæ versantur circa obiectum valdè molestum, saltem in imaginatione,cuius mali pellēdi,vel molestiæ sedandæ causa, etiam multa mala facere solent, vt sunt *inuidia,ira,* & *tristitia.*

Est vitium capitale.

26 Sic igitur vanæ gloriæ cupiditas est vitium capitale; ex qua nascuntur hæ septem filiæ, iuxta D. Gregorium, *inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, & nouitatum præsumptiones.* Ratio est, quia *vana gloria* consistit in manifestatione suæ excellentiæ siue veræ, siue fictæ. Dupliciter autem excellentiam tuam inordinate patefacere potes.Primò, *Directè*.idque,vel per verba;& sic est *iactantia*; vel per facta: quæ si vera sint, & aliquid admirationis habeant, erit *præsumptio nouitatum*; (has enim solent homines magis admirari) si falsa sint,erit *hypocrisis.* Secundò, *Indirectè*, quatenus videlicet vis ostendere te non esse altero minorem,idque quadrupliciter. Primò, Ratione intellectus, quod fit *pertinacia*, qua quis nimis inhæret suæ sententiæ,nolens cedere meliori.Secundò,Ratione voluntatis; quod fit *discordia* qua quis non vult alteri consentire:Tertiò.Quoad verba;sicque est *contentio.* Quartò,Quoad facta: dum quis non vult exequi præceptum Superioris, ne videatur minor, quod fit per *inobedientiam*. vide D. Thom.art.5 qu.132.

Septem filiæ vanæ gloriæ.

27 Quod autem hæc tria vitia magnanimitati aduersentur perspicuum est ex dictis. *Magnanimitas* enim versatur circa tria. Primò & principaliter circa magnũ opus, ad quod iuxta mensuram suarum virium tendit.hac ratione aduersatur ei *præsumptio*, quæ ad idem supra vires tendit. Secundò,Versatur circa honorem,tamquam materiam,cuius appetitum moderatur; sic opponitur ei *ambitio*, quæ immodicè in honorem tendit. Tertiò, Circa gloriam, laudem & famam, quorum etiam moderatur affectum, hæc enim ad eamdem virtutem,ad quam honor, pertinent. sic opponitur ei *cupiditas vanæ gloriæ*, quæ ex quibusuis rebus, etiam ex mustaceo & apud quosuis gloriolam captat. Aristoteles nõ expressit distinctè omnia vitia,quæ magnitudini per excessum opponuntur, sed solum vnũ, quod ille χαυνότητα vocat,quo is,qui est indignus,seipsum dignum magnis honoribus æstimat, splendoreque vestium, & opum ostentatione honores vbiq; captat.hos vocat χαύνους,quasi dicat, laxos, aut tumidos, vel πρὸς τὰς τιμὰς κεχυνότας, honoribus inhiantes; χαῦνος enim a χαίνειν hiare; ductum. eosdem dicit esse stolidos,& seipsos ignorare.

Aduersantur magnanimitati tria prædicta vitia.

28 *Pusillanimitas*, quam Aristoteles μικροψυχίαν vocat, est alterum extremum magnanimitati directè oppositum.hoc vitium supponit apprehensionem, qua quis omnia tamquam nimis magna, & suam facultatem, vel dignitatē excedentia concipit: vnde fit vt diffidens viribus suis refugiat officia ad quæ probè est idoneus & detrectet bona opera aliquid difficultatis habentia,quæ facilè alioquin posset præstare. Si vocetur à Deo ad religionem, imaginatur rem esse nimis grauem,tristem,intolerabilem;nec audet ea petere.Rursus considerans suam conditionem,putat se indignum honore, qui defertur, (quasi honor sit magnum quiddam) nec vult illum admittere, etiamsi recta ratio aliud postulet,seque nimium abijcit, non habita ratione officij, vel gradus, in quo est constitutus. Eodem modo se habet etiam ad gloriam,laudem,& famam; etsi his vere sit dignus. vnde perspicuum est hoc vitium respondere in altero extremo tribus illis vitijs explicatis, præsumptioni, ambitioni,& vanæ gloriæ. vt enim nimium refugit opera, & officia suis viribus commensa,repugnat præsumptioni: vt nimis honorem,ambitioni: vt veram gloriã & famam, vanæ gloriæ.

Pusillanimitas.

29 Hoc vitium est peccatum mortale,si id,quod detrectat, tale sit, vt ad illud suscipiendum sub peccato mortifero teneatur. si autem solum teneatur sub veniali, erit veniale. Idem dicendum etiamsi res sit consilij tantum; nã etsi non tenearis amplecti, tamen ex pusillanimitate animi refugere,quasi vires,quas Deus tibi dedit, vel paratus est dare,superet,malum est.

Quale peccatum.

Aduersus *pusillanimitatem* facit confideratio diuini auxilij,quod in ijs,quæ ad salutem, aut vocationem nostram pertinent,nobis præsto est;exempla Sanctorum magnitudo præmiorum,& alia,quæ fiduciam augent.

Contra pusillanimitatē.

DVBITATIO IV.

Quid magnificentia, & quod vitium ei aduersetur.

D. THOM. quæst. 134. 135.

30 NOMEN *Magnificentia* dupliciter accipi potest, vt colligitur ex D. Thoma, quæst.134.art.1. Primò in genere, pro quauis virtute, quæ faciat res magnas; siue illæ sint actiones,quas Græci πράξεις vocant; siue res effectæ, quæ ποιήματα. *facere* enim aliquando generatim sumitur, vt actiones, & effectiones comprehendat. hoc modo *magnificentia* non est virtus specialis,& conuenit etiam Deo & Christo; cerniturque in opere creationis, redemptionis,gubernationis,sanctificationis.glorificationis.hæc enim valdè magna sunt, & horũ ratione Scriptura tribuit Deo, & Christo *magnificentiam*, 1. Paralip.29. Psal.8. 110. 144. & alibi.

Dupliciter accipitur.

1. Generatim.

31 Secundò, Pro virtute humana, quæ magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficit. hoc modo est peculiaris virtus,quam explicat hic D. Thom. & Aristoteles lib. ethicorum c. 2. eamque vocat μεγαλοπρέπειαν, q. d. *magnificentiam.*

2. Specialiter.

Distinguitur à *magnanimitate*, secundùm Caietanum art.2.quod hæc intendat magnitudinem in actione virtutis;(hanc enim vult magnam, & splendidam efficere: vnde dicit Aristoteles ipsam esse omnium virtutũ ornamentum; nimirum quia earum actiones illustriores facit) illa verò intendit magnitudinem in opere externo, quatenus est opus artis, vel vibus humanis accommodatum, magnos sumptus requirens,vt in extruendis Templis, Monasterijs,Collegijs,in constituendis pijs fundationibus,in epulo publico exhibendo,quando ratio postulat.De huiusmodi intellige definitionem Ciceronis,quam refert D.August.quæst.31.tract.83.qq. *Magnificentia est rerum magnarum, & excellentium cum amplâ quadam, & splendidâ propensione cogitatio, atque administratio.* In ijsdem tamen versari etiam potest magnanimitas, si spectentur, vt sunt magna virtutum opera, vt expressè docet D.Thom.artic.2. ad 2. cum ait, *Ad magnanimitatem pertinet non solum tendere in magnum,sed etiam in omnibus virtutibus magnum operari, vel faciendo, vel quælibetcunque agendo, vt in 4. ethic. dicitur.* Itaque *magnificentia* videtur, vel pars quædam esse magnanimitatis; vel parum ab ea distingui, vt versatur in tali materia.

Quo modo distinguitur à magnanimitate.

32 Officium primarium huius uirtutis est, res magnas, ad quas magno sumptu opus est,efficere,quando ratio id postulat,vel suadet. Deinde huius rei causa affectum copiosæ pecuniæ ad id necessariæ moderari,ne per illum, vel opus non audeat suscipere quando oportet.vel susceptum relinquat,vel non decorè perficiat. tota enim difficultas in huiusmodi splendidis operibus suscipiẽdis,& perficiẽdis prouenit ex affectu pecuniæ non mediocris,sed grandis,& ingentis summæ,quæ impendẽda:hic enim affectus facit vt

Officium magnificentiæ.

homini

homini valdè difficilè sit tantam copiam profundere, quãtam opus pollulat. Itaque requiritur aliqua virtus, quæ hanc difficultatem vincat: neque ad hoc sufficit *liberalitas*; quia hæc solùm moderatur affectũ circa mediocres, & ordinarias expensas, tollitque difficultatem, quam homo in illis sentire solet, non ex affectu magnitudinis summæ; sed simpliciter ex affectu pecuniæ: at longè alia sentitur dum magnæ expensæ faciendæ; vnde oportuit maiorem quamdam esse virtutem, quæ id præstet in magnis, quod *liberalitas* in mediocribus: hanc *magnificentiam* vocamus. Simile cernitur in honoribus: affectum enim in magnis honoribus regit *magnanimitas*: in mediocribus virtus σπουδαιος, quam φιλοτιμιαν vocare possumus, hoc nomine in bona parte accepto. vide Aristot. lib. 4. ethic. c. 4. & D. Th. q. 129. ar. 2.

Duplex virtus circa honores. & duplex circa pecunias.

33 *Cur non duplex circa voluptates & eas.*

Petes, Cur non simili modo ponitur duplex virtus circa voluptates corporis, altera circa maximas, altera circa mediocres?

Respondeo, Quia illa virtus, quæ affectum moderatur in maximis voluptatibus, sufficiens est vt illum moderetur etiam in mediocribus, v. g. ciborum, vel venereorum. cuius ratio est, quia idem motiuum, seu obiectũ formale in vtrisque spectatur, siue enim cibi sint multùm delicati, siue parùm, hoc tantùm agitur, vt eorum vsus externus sit temperatus, & interna affectio sub hac ratione in eorum vsum feratur. Itaque solùm opus est vna virtute abstinentiæ, quę ficut affectum, & vsum temperat in magnis ciborum voluptatibus, ita & in paruis. Similiter in rebus venereis moderandis idem motiuum spectatur; siue magna in illis sit voluptas, siue parua: vnde eadem virtus castitatis vtrique moderandæ sufficit. Pari modo fortitudo, quæ maximos timores mortis temperat, etiam ad mediocres pertinet: & mansuetudo, quæ maximas iras domat, etiam mediocres regit. Istæ enim virtutes non spectant nisi vnum obiectum formale, siue passio magna sit, siue mediocris. Cùm enim voluptates magnæ, & timores magni, & iræ magnæ omnibus sint communes; nec in his magnitudo, & mediocritas diuersum faciant hominis statum, sufficit vna ratio honesti in quoque horum genere, quæ principaliter moderetur affectum in magnis, & secundariò se extendat ad moderandum in mediocribus.

Circa voluptates cibus. *Circa venereas.* *Circa timores.* *Circa iras.*

34 *Circa honores & opes.*

Secùs verò res habet in affectu pecuniæ & honoris: magni enim honores, & magnæ diuitiæ sunt paucorum: vnde diuersum efficiunt statum, & consequenter mutant rationẽ decori, & honesti. Hinc fit vt qui magnis honoribus sunt digni, vel magnas expẽsas facturi sunt, aliam rationem honesti in moderando affectu, & in vsu talium honorum, vel opum spectent, & adhibeant, quàm passim solent homines in mediocribus. Itaque alia est virtus circa magnos honores, alia circa mediocres. Confirmatur, quia magni honores pertinent ad eos tantùm qui magna cogitant, & moliuntur: hi enim soli magnis honoribus sunt digni: atqui magna moliretur proprium magnanimitatis: ergo moderatio affectus circa magnos honores, & rectus eorum vsus pertinet ad magnanimitatem.

Simili modo expensio magnarum opum secundùm rectam rationem nõ solet fieri nisi ad magnifica opera externa, quæ magnos sumptus requirunt: talia autem pertinent ad magnificentiam: vnde etiã ad eamdem pertinet affectũ in huiusmodi sumptibus regere. Longè autem aliud spectant homines, vt moderentur affectum in mediocribus tũ honoribus, tum sumptibus, vt per se satis constat. Non tamen negauerim, quin ex eodem motiuo, quo magnæ opes, vel magni honores contemnuntur, possint etiam contemni parui. Verùm quia plerumque aliud motiuum respicitur, quando de magnis agitur, aliud quãdo de mediocribus: ideò ad vsum humanum, & moralem diuersa virtute opus fuit. Vide D. Thom. qu. 129. art. 2. vbi tamen paulò aliter hæc explicat, etsi in re non sit discrepantia.

35 *Per excessũ sumptuositatem.*

Opponũtur magnificentiæ duo vitia, alterum per excessum, quod Aristoteles vocat βαναυσια, quasi operariam, & indecoram diligentiam in sumptu faciẽdo: vt cum quis de industria sumptus auget suprà quam res poscat, aut decorum patiatur: sicut faciebat ille, qui in filij epulo natali, omnes cibos cum patinis argenteis, cùm referrentur è mẽsa, proijciebat in Tiberim. Item qui in res paruas sumptus magnos facit, aut inconcinnè splendorem, & magnificentiam ostentat: sicut ille, qui scenæ præpositus subtegebat histrionibus purpuram, & mercator, qui conuiuis ad cœnam vocatis, cum hiems esset, faciebat ignem ex cinnamomo, &c. hos etiam ἀνεπιδεξιους vocat Aristoteles, id est, decori inexpertos, & ignaros.

Alterum per defectũ, quod Aristoteles vocat μικροπρεπειαν D. Thomas *parificentiam*, cum quis præ angustia animi, operi magno pares sumptus non exhibet: vt si templo, vel Cœnobio, quod extruendum suscepit, vellet facere parietes craticios, aut tectum stramineum, vt minus expendat. *hic* (vt Aristoteles ait) *magna pecunia consumpta, in parua honestum omne perdet, & extinguet: quidquid faciturus est, procrastinabit. & cunctabundus ens efficiet, & qua ratione quàm minimo sumptu id conficere posset considerabit, & in his lamentabitur, & ingemiscet, omnisque se efficere maiora quàm oportuit arbitrabitur.*

36 *Per defectũ μικροπρεπειαν.*

Hoc vitium per se non est nisi peccatum veniale; nisi forte ex voto, testamento, vel alia ratione ad opus illud magnificum, in quo perficiendo deficit, sit obstrictus. *Est peccatum veniale.*

DVBITATIO V.

Quid patientia, & longanimitas: & de illius incitamentis, & gradibus.

D. THOM. Q. 136.

PATIENTIA dupliciter, iuxta D. Thomam, accipitur.

Primò, Pro virtute, quæ firmat animum aduersus timores, & dolores mortis, & malorum mortem inferentium; quæ enituit maximè in Martyribus: hæc est pars fortitudinis integralis, vel ipsa virtus fortitudinis inadæquatè concepta de qua suprà c. 1. dubit. 1. huius libri tertij.

37 *Patientia quando sit pars integralis.* *Quando potentialis.*

Secundò, Pro virtute, quæ in alijs malis animum confirmat, moderando mœrores qui ex illis percipi solent, ne videlicet propter hos a præscripto rationis recedat, seu aliquid indecori agat: vt in morte parentum, filiorum, amicorum; in exilio, in damnis, in morbis, in contumelijs, alijsque id genus malis: hæc enim in magnos mœrores adferre solent, qui hominem sæpè ab arce rationis, & officio virtutis deturbant, & ad malum concitant. hoc modo est virtus annexa fortitudini, vt secundaria principali.

Proxima igitur huius virtutis materia est tristitia, & afflictio animi ob mala prædicta incidere solita: hanc enim, vel planè comprimit; vel moderatur, ei quamdam sui similitudinem veluti formam imprimẽs, & ita eam temperãs, vt recta ratio præscribit, & virum patientem decet nimirum, vt rationem plenè sui compotem relinquat, nec virtutes alias in suis officijs impediat. Remota sunt actiones, verba, & gestus externi, quæ ita regit, vt interna moderatio in eis eluceat; ita vt per tristitiam nihil indecori foris agat: sed mala se æquo animo ferre ostendat. Remotissima autem sunt ipsa mala: hæc enim dicuntur materia patientiæ; non quòd patientia illis formam, seu modum virtutis imprimat; (hanc enim solis affectibus internis, & actionibus externis communicat) sed quia sunt obiectum, & causa tristitiæ, quæ proxima patientiæ est materia. Simili modo pericula mortis dicuntur materia fortitudinis. *Materia.*

Sed Notandum est hanc moderationem posse fieri dupliciter. 38 *Ex vario affectu possumus moderari tristitiã.*

Primò Ex affectu solius honestatis, quæ in illa relucet. moderari enim tristitiam, & mentem in quadam æquanimitate conseruare, statumque externum corporis huic conformem reddere, per se bonum est & honestum. & hoc modo patientia est virtus specialis, a ceteris distincta.

Secundò, Ex affectu alicuius peculiaris virtutis, quæ per tristitiam, & afflictiones oppugnatur. & hoc modo, quod ad internum affectum actualem, vel habitualem attinet, non est virtus distincta à ceteris: nam quæuis virtus sicut amat honestum sui generis: ita ea vi huius amoris resistit ijs, quæ illi directè, vel indirectè repugnãt, animumque aduersus ea firmat. hoc modo passim accipitur in Scripturis, & Patrum scriptis, & in sermone vulgari. quicumque enim affectu alicuius virtutis moderate fert afflictiones, patiens dicitur. *Definitio Ciceronis.*

Hoc modo definitur à D. August. q. illa 31. ex Cicerone, cum

cùm ait, *Patientia eſt honeſtatis aut utilitatis cauſa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio.* vbi illud *honeſtatis* intellige generatim de omni honeſto, quod propter ſe expetitur. *Vtilitatis*, de eo, quod ad aliud bonestum vtile eſt; vt ſi patiaris pecuniæ conſequendæ cauſa; qua ſolutis creditori: nam ſolius vtilitatis cauſa, ſi vtile ab honeſto diſtinctum ſit, pati non eſt virtutis patientiæ. *Voluntaria*, non quod ſemper ſit in poteſtate non pati; ſed quia in poteſtate eſt malle pati quam ab officio rationis deſciſcere, quàm improbè vel indecore agere. *Diuturna*, intellige vel in re vel in animi præparatione: debet enim patiens eſſe animo comparatus ad patiendum longo tempore, ſi opus ſit. Eodem pertinet deſcriptio D. Auguſtini, quam habet libro de patientia (quem ex indiculo conſtat eſſe ipſius, etſi Eraſmus reclamet) capit. ſecundo *Patientia hominis eſt, quo mala æquo animo toleramus, ne animo iniqua bona deſeramus, per quæ ad meliora perueniamus.*

Ex his perſpicuum eſt quàm patientia ſit neceſſaria: tã
39 enim eſt neceſſaria ad ſalutem, quàm eſt neceſſarium, ho-
Neceſſitas huius virtutis. minẽ per huius vitæ mala, quæ vel noſtra mortalitas inuehit, vel ab alijs irrogantur, a bono non abſtrahi, aut ad malum non impelli. & quia huiuſmodi mala maximè oppugnant Chriſtianos vt rectum religionem deleant, aut iuxta eius præſcriptum non viuant; ideò his maximè neceſſaria eſt, iuxta illud Domini, *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, quo ſignificatur ſalutem animæ non niſi per patientiam, acquiri poſſe. *Poſſidere*, phraſi Hebræa accipitur pro acquirere: ſicut ibi, *Poſſeſſa hominem per Deum* Gen. 4. &, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. Prouerb. 8. Parum aptè hunc locum explicat Martinus, de perfecto animæ dominio per patientiam; non tamen refert vtrùm hæc tolerantia malorum affectu ſolius honeſtatis, quę propriè ad hanc virtutem pertinet, an illius, quæ oppugnatur, an vtriuſque fiat. nihil enim horum peculiariter eſt præceptum. expedit tamen quam plurimas rationes ſibi propoſitas habere, ob quas mala fortiter ſint perferenda: efficacius enim multa bona, quàm vnum mouent.

Longanimitas, quam Græci μακροθυμίαν vocant, potius eſt pars patientiæ, vel ipſa virtus patientiæ inadequatè concepta, (vt ex D. Thoma artic. 5. colligitur) quàm virtus diſtincta: nam inter mala, quæ patiens æquanimiter tolerat; vnum eſt moleſtia, quæ percipitur ex rei expectatæ dilatione; huius autem mali, ſeu incommodi tolerantia vocatur longanimitas. Itaque *longanimitas*, nihil eſt aliud, quam patientia, vt circa tale malum verſatur, ſpectata. Sic Deus longanimis dicitur, quatenus dum nos ad pœnitentiam inuitat & expectat, moras noſtras & tergiuerſationes tolerat. quæ illi quodammodò moleſtiam afferunt.
40 *Longanimitas.*

Vitia patientiæ aduerſa, ſunt *Inſenſibilitas*, & *Impatientia*. illud perfectum: non enim eſt laudabile, nec naturæ conſentaneum, nullis malis neque tuis, neque proximorũ tangi: id enim ſignum eſt vel brutæ ſtoliditatis, vel inhumanæ duritiei; nec congruit animitiæ & vitæ politicæ. Hoc verò per exceſſum: vt cum quis nimium dolet, aut etiam ex dolore a recto diſcedit. Quicumque enim ob dolorem vel merorem, vt illum vitet, pellat, aut ſoletur, animoque ſuo ſic affecto indulgeat, aliquid mali faciat, *impatiens* eſt; iuſtum dolendi modum, quem patientia præſcribit, exuperans. *Impatiens* etiam dici ſolet, qui ira vel indignatione excedit, præſertim ſi hunc motum animi iuſtus offendat: nam ira etiam triſtitiam & afflictionem includit. è contrario, qui non facilè iraſcitur, patiens quamuis hic potius manſuetus ſit dicendus, alter iracundus, vt infrà libro 4. cap. 4. oſtendetur.
41 *Vitia patientiæ aduerſa. Inſenſibilitas.* *Impatientia.*

Eſt autem hoc vitium per ſe peccatum veniale tantum, quia ſolũ eſt exceſſus in dolore, vel iracundiæ motu, ſigno externo expreſſus. poteſt tamen eſſe mortiferum vel ratione ſcandali, vel ratione mali, quod quis ex impatientia facit. *Inſenſibilitas* ſeu durities raro eſt peccatum mortale: certè per ſe non poteſt eſſe niſi veniale.
Quale peccatum ſit.

Quia verò patientiæ vitreus maximè eſt homini Chriſtiano neceſſaria, notanda duxi ex Scripturis & Patribus quædam præcipua eius incitamenta, quæ ad eius cultum & exercitationem vehementer poſſint commouere. Primum ſit patientia ipſius Dei: in qua duo potiſſimum conſideranda; Alterum, quòd tanta beneficia aſſiduè in peccatores conferat. Alterum, quòd eorum iniurias tam benigne toleret. Vtrumque elegantèr expreſſit Tertullianus libro de patientia, cum ait. *Nobis exemplum patientiæ auctoritatem, &c. diuina diſpoſitio delegat. Deum ipſum offendens patientiæ exemplum: tam perennium qui florem lucis huius ſuper iuſtos & iniuſtos æqualiter ſpargit: qui temporum officia, elementorum ſeruitia, totius genituræ tributa dignis ſimul & indignis pariter ſimiliter exſeruere; ſuſtinens ingratiſſimas nationes, luciferia artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen & familiam ipſius perſequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſolescentem. ex ſua ſibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia ſæculo tantum tam diu nesciunt.* Eandem locum pulcherrimè proſequitur Cyprianus libro de bono patientiæ, in principio. *Si Dominus*, inquit, *nobis pater & Deus eſt, ſectemur patientiam Domini pariter & patris: quia & ſeruos oportet eſſe obſequentes: & filios non decet eſſe degeneres. Qualis vero in Deo & quanta patientia, quod in contumeliam ſuæ maieſtatis & honoris inferenda ab hominibus profana templa & terrena figmenta, & ſacra ſacrilega patientiſſime ſuſtinens ſuper bonos & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen ſolis oriri: & enim imbribus terras rigat, nemo à beneficijs eius excluditur, quo minus iuſtis ſimul & iniuſtis indifferentes pluuias largiatur. videmus inſeparabili æqualitate patientiæ nocentibus & innoxijs, religioſis & impijs, gratias agentibus & ingratis, Dei nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſſium, fructus miteſcere vinearum; exuberare pomis arboſta, nemora frondeſcere, prata florere: & cum trebrit, immo continuò exacerbatur offenſis Deus, indignationem ſuam temperat, & præfixatum ſemel turbinibus diem patienter expectat*, &c.

Dices, Hanc patientiam eſſe alterius rationis: Deum
45 enim non eſſe capacem mœroris aut moleſtiæ, quam pa-
Obiectio. tientia ſuſtineat: ac proinde non debere nobis in exemplum proponi.

Reſpondeo, In patientia duo poſſe conſiderari. Primò, Compreſſionem triſtitiæ ex iniuria, vel malo, quod nobis accidit, obortæ. Secundò, Compreſſionem vindictæ, cum affectu quodam benigno coniunctam. Primum non inuenitur in patientia Dei; quia in illum triſtitia non cadit, quã patientia ſolétur. vnde neque hac ratione ipſius patientia proponitur nobis imitanda. Alterum verò maximè in patientia Dei relucet; quo enim ipſius Maieſtas eſt maior, & creatura indignior, magiſque ipſi obnoxia, eò iniuria in ipſum eſt grauior; ac proinde magis ipſum prouocat ad indignationem & vindictam: vt nihil ſit admirabilius quàm Deum cohibere manus, iramque in peccatores non effundere, & beneficia ſua protelare. & hac ratione proponitur nobis patientia Dei imitanda: nimirum vt ad exemplum ipſius cohibeamus vindictam, continuemus beneficia & benignum retineamus affectum in eos, qui iniuria nos afficerint: *vt ſitis*, inquit, *filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*; Matth. 5.
Reſp. Quamodo patientia Dei ſeruibus exhibita.

Secundum, Patientia Chriſti, *in qua Deus*, vt inquit Ter-
Patientia Chriſti. tullianus, *ſpiritum ſuum cum tota patientia tollocauit*, cuius tota vita eximium fuit patientiæ ſpeculum; paſſio verò ſupremum exemplar. *Saginari enim*, vt idem Tertullianus ait, *voluntate patientiæ diſpoſitum voluit*. Proſequitur hoc pulcherrimè Cyprianus loco citato. Hic conſiderandum quis patiatur, & quantus, quid, à quibus, pro quibus, cur, vbi & quando.

Tertium, Patientia Sanctorum veteris teſtamenti, Abe-
Patientia Sanctorum. lis, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſis, Dauid, Tobiæ, & in primis S. Iob, *qui*, vt Tertullianus loquitur, *omnem patientiam ſpeciem aduerſus omnem diaboli vim exprimit, quem non abnihi greges, non illa in pecore diuitia, non filij vna ruina impetu auferri, non ipſius denique corporis in vulnera cruciatus à patientia ſibi Domino dedita excluſit*. & infrà; *Quale in illo vitæ ſpectaculum Deus de diabolo exhibuit, quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ exultat, cum ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias*, &c.

Quod ſi illi rudi illo ſæculo, ante Chriſti doctrinam & exemplum, tantam in aduerſis patientiam præſtitere; quantum nos perpetrare oportet (vt Tertulliani verbo vtar)

in

in luce euangelij, in schola Christi, in hac copia gratiæ inter infinita exempla Sanctorum noui testamenti?

Patientiæ fructus.

Quartum, Maximus patientiæ fructus, cùm in hac vita, tum in futura. in hac enim vita. Primo. Parit satisfactionem pro peccatis: exigua enim tolerantia maximas futuri sæculi pœnas redimimus. facile toleratur iactura decem aureorum, qua redimitur confiscatio decem millium. vide Concilium Tridentinum sessione decimaquarta, capit. nono, & Gratianum de pœnitentia distinctio. 3. Secundò, iuuat omnes virtutes, easque reddit habiles & perficit; qui enim virtutis bonum in aduersis retinet, ostendit affectũ suum illi perfectè & firmiter inhærere, & quouis alio casu inhæsurum. declarat hoc Tertullianus, *Patientia*, inquit, *fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, impatientiæ infirmat, pœnitentiam expeditat, exomologesin assignat, carnem regit, sponsum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes subiicit, scandala pellit, martyria consummat, &c.*

Simulia habet Cyprianus libro de bono patientiæ hinc Iacobi primo, dicitur; *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet: vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.*

In futura vita maximam adducet gloriam; nam vt Apostolus 2. ad Corinth. 4. ait, *Id, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis quæ videntur; sed quæ non videntur.* vbi in verbis illis, *momentaneum & æternum, leue & pondus tribulationis & gloriæ, in præsenti & sublimitate*, emphasin & antithesin considera.

Eodem pertinet illud Domini, Matth. 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Omitto alia Scripturæ testimonia. pulchrè in hanc sententiam dixit Tertullianus; *Adeò satis idoneus patientiæ sequester Deus, si iniuriam depositeris penes eum, victor es: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus es: si mortem, resuscitator est. Quantum patientia licet, vt Deum habeas debitorem?*

Tormenta inferni.

Quintum, Tormenta inferorum, quibus sæpè digni fuimus, & tamen euasimus; qui enim hæc attentè considerat, omnia huius vitæ incommoda nihil æstimabit; sed veluti in delicijs ponet. Sicut qui considerat maximam calamitatem quæ plurimi sunt oppressi, se cum paucis euasisse, modicam iacturam nihili facit; sed se cum illa felicem reputat sibique gratulatur, quòd licuerit tam paruo incommodo elabi. vide Albert. de virt. c. 4.

Impatientiæ incommoda.

Sextum, Impatientiæ incommoda. Nam Primò, Amittis meritum patientiæ. Secundò, afflictio nõ minuitur per impatientiam, sed exasperatur: maius enim ipsa tormentum, & diriùs animum excrucians quàm ipsum originale malum, vnde impatientia excitatur. e contrario per patientiam dolor valde mitescit. Tertio, Impellit ad omne genus peccati: ad blasphemiam, contumeliam, homicidium, adulterium, furtum, &c. Vnde Tertullianus; *Vt compendio dictum sit, omne peccatum impatientiæ ascribendum: malum impatientia est boni*, hic tamen nomen illud paulò latiùs vsurpatur. Idem prosequitur Cyprianus. Hæc de patientiæ incitamentis, nam minutiora præteruntio. vide infrà libro quarto, capit. quarto, dubitatione tertia, de mansuetudine.

44 *Gradus pœnitentiæ.*

Quod ad gradus patientiæ attinet, varijs modis assigna ri possunt. Primò, Ex parte malorum quæ quis patitur: & sic Primus gradus est, Cùm patientiam retinemus in damnis fortunarum. Secundus, In detrimentis famæ. Tertius, In detrimentis corporis & vitæ; quò pertinet patientia Iob, & Sanctorum martyrum, & in primis Christi Domini.

Secundò, Ex parte modi perferendi: sic Primus gradus est, Tolerare sine murmuratione. Secundus, sine lamentatione & querimonijs apud alios. Tertius, cum gaudio; sicut Apostoli *qui ibant gaudentes a conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Ad hunc hortatur Apost. Iac. 1. suæ epist. *Omne gaudium existimate, fratres, &c.*

Tertiò, Ex parte causæ ipsius mali, quod patimur. Hoc modo. Primus gradus est, Si patienter feramus mala, quæ pro culpis nostris, siue a Deo, siue ab hominibus irrogantur. Secundus, Si absque nostra culpa ab inimicis, vel alijs, qui nobis obstricti non sunt, illa patiamur. Tertius, Si inferantur ab ijs, qui multis beneficijs a nobis affecti fuerunt: illa enim ingratitudo maximè auget iniuriæ atrocitatem & prouocat iram. vnde difficillimum est erga tales retinere patientiam. Quartus est, Huiusmodi iniurias non solùm æquo, sed etiam libenti animo perferre, & etiam defiderare; vt sic aliquo modo Dominũ nostrum imitemur: qui omnia iniuriarum & afflictionum genera ab ijs quos summis beneficijs affecerat, patientissimè sustinuit & pro ipsis etiam Patrem rogauit. vide Cyprianum & Tertull. locis citatis.

DVBITATIO VI. 55

De perseuerantia, & constantia, vitijsque oppositis.

D. THO. QVAEST. 137. 138.

45 *Perseuerantiæ duplex est accipitur.*

PErseuerantia dupliciter accipitur. Primò, Pro continuatione iustitiæ vsque ad mortem; & sic non est peculiaris virtus, sed cõditio quædam, seu circumstantia virtutis, in eo consistens, quòd iustitia adhæreat homini vsq; ad mortem. hanc perseuerantiam nemo habet completè & in actu secundo, nisi in termino vitæ: estque magnum illud donum proprium electorum, de quo D. Aug. lib. de bono perseuer.

1. *Continuatio Iustitiæ.*

2. *Propositũ perstiendi in opere.*

Secundò. Pro proposito perseuerandi in bono opere, quamdiu ratio dictabit. hoc autem dupliciter fieri potest. Primo, Ex affectu peculiaris honestatis, quæ in illo opere spectari potest; vt cùm quis vult perseuerare in ieiunio quadragesimæ vsque ad finem, vel vt carnem domet, vel vt pro peccatis satisfaciat, vel vt obediat Ecclesiæ, & cætera, aut in aliquo alio pro exercitio, bonaque consuetudine, ob peculiare bonum illius. hac ratione etiã nõ est vna aliqua virtus, sed omnis; nam omnis virtus ex affectu proprij boni potest velle operis sui continuationem & durationem vsque ad finem: omnis autem volitio, quæ ex affectu peculiaris boni alicuius virtutis oritur, ad illam virtutem pertinet: electio enim & intentio eiusdem sunt virtutis.

46 *Quo modo sit virtus peculiaris.*

Secundò, præcisè, ex affectu ipsius perseuerantiæ & cõtinuationis nam vsque ad finem constitutum in bono opere perseuerare & continuare, per se honestum est, peculiaremque laudem meretur. hoc modo *perseuerantia* est virtus peculiaris, de qua hoc loco Diuus Thomas. sicut enim *magnanimitas* est peculiaris virtus, quia in opere virtutis peculiarem rationem honesti intendit, & efficit, (nimirum vt magnum sit, & animo generoso congruens) & impedimentum ex honoris immodico affectu prouenions tollit: ita *perseuerantia*, cùm in opere virtutis intendat, & efficiat peculiarem rationem honesti, nimirum diuturnitatem & continuationem vsque in finem, vincatq; tædium & molestiam, quæ ex diuturnitate obrepere solet, est virtus peculiaris.

47 *Materia huius virtutis.*

Huius igitur virtutis principalis materia est opus bonũ cuiusuis virtutis forma, quam huic inferere intẽdit, est illius continuatio vsque in finem, quem ratio præscripserit; siue ille sit finis vitæ, siue certi negotij, vel temporis præfiniti. *Continuationem* voco, non qua opus nunquam interpelletur (hæc enim homini ad longam tempus non est possibilis) sed qua suis temporibus repetatur; & non omittatur, dum statæ vices recurrunt.

Secundaria autem materia est molestia animi, quæ ex illa diuturnitate rei laboriosæ & difficilis capitur; hanc enim moderate fert & vincit hæc virtus: sicut patientia vincit molestias aliorum malorum. Dixi *materiam secundariam*, quia præcipuum officium huius virtutis versatur circa opera bona; vnde & nomen ab his contraxit, non à molestijs, quas sustinet secùs in patiẽtia, cuius cùm præcipuum

puum munus ſit mala æquanimiter ferre, ab illorum perpetſione etiam nomen ſortitur. Quæ autem hic Martinus apud Caietanum contra Diuum Thomam diſputat, parui ſunt momenti, ſicut & alia pleraque eiuſdem auctoris, cùm Diuum Thomam oppugnat: eſt enim in illis vt plurimum vel mera logomachia, vel aliena intelligentia.

48 *Conſtantia* — *Conſtantia* putàm à perſeuerantia differre videtur, in eaque includo. quid enim eſt aliud *perſeuerare*, quam vſque in finem *conſtanter eſſe*, ſibique in bono conſtare? niſi forte quis ita uelit diſtinguere, quòd *conſtantia* vincat difficultatem continuandi homoque prouenit ex naturali quadam animi mutabilitate, & impedimentis extrinſecis incidentibus: vt ſunt blanditiæ, promiſſiones, diſplicendi timor, placendi cupiditas, &c. *Perſeuerantia* verò difficultatem, quæ ex diuturnitate rei molleſtiæ & laborioſæ oritur. Sed hæc diſtinctio, neque ab auctoribus, neque vulgò ſeruari ſolet; eſtque in re morali ſatis minuta: nam propriè ille etiam conſtans dicitur, qui in re ardua vſque ad finem perſtat: & perſeuerans, qui ab externis impedimentis non vincitur: diſtinguuntur tamen ratione & conceptibus; ratio enim *conſtantiæ* in eo ſita eſt, quòd homo ſibi in bono propoſito conſtet, ſibique ſimilis permaneat cõtra omnes difficultates occurrentes, idque quamdiu ratio dictabit. *Perſeuerantia* verò in eo, quòd in cœptis pergat, eaque vſque ad finem continuet.

49 *Vitia extrema.* His virtutibus duo extrema aduerſantur, *pertinacia* & *mollities* animi, vel *inconſtantia*: hæc per defectum, illa per exceſſum, qui enim perſeuerat & firmus manet in propoſito ſiue ſentiendi, ſiue agendi vbi non oportet, vel plus quàm oportet, *pertinax* dicitur; Ariſtoteli 7. ethicor. cap. 9. *ἰσχυρογνώμων*, quòd fortius æquo ſuæ ſententiæ inhæreat & *ἰδιογνώμων*, quia ſuæ ſententiæ amantior; eſtque hoc veniale, uel mortale, pro materiæ grauitate; vt cùm quis non uult mutare fidem aut religionem falſam, quam ſemel ſuſcepit, ne uideatur inconſtans; cùm Princeps non uult reuocare legem, quam uſus deprehendit pernicioſam. &c. *Pertinacia.*

Qui uerò facilè mutat propoſitum, uocatur *inconſtans*. ſi id faciat tædio diuturnitatis, vel ſimilis incommodi, *mollis*. Eſt peccatum mortiferum, ſi tenebaris ex voto, vel præcepto. & materia ſit grauis; vt cùm quis deſerit Inſtitutũ religioſum, &c. Si uero ſit leuis, veniale. ſi nullo modo tenebaris, non erit peccatum mutare propoſitum, & relinquere primum exercitium: niſi fortè id fiat ex inordinata aliqua paſſione; tunc enim inordinatè à bono propoſito deſilis; vt rectè Caietanus ver. Inconſtantia; de quo uide Gregorium homilia tertia in Ezechielem, ſub finem. *Inconſtãtia.* *Quale peccatum.*

Hactenus de Fortitudine.

LIBER

LIBER QVARTVS
DE
QVARTA VIRTVTE
CARDINALI
TEMPERANTIA.

HIC *Liber conſtabit quatuor capitibus. Primum erit de Temperantia, eiusque partibus in genere. Secundum, De ſpeciebus Temperantiæ, ſeu partibus illis ſubiectis, Abſtinentia, Sobrietate, Caſtitate, & Virginitate. Tertium, De vitijs, quæ Temperantiæ ſpeciebus aduerſantur: ſcilicet Gula, Ebrietate, Luxuria. Quartum, De virtutibus Temperantiæ annexis, Continentia, Clementia, Modeſtia, vitijſque oppoſitis.*

CAPVT PRIMVM.

De Temperantia, eiuſque partibus in genere.

Conſtat 4. Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Temperantia, & quod eius officium.

D. THOM. Quæſt. 141.

Temperantia dupliciter accipitur.

TEMPERANTIA, Græcè σωφροσύνη, dupliciter accipitur, vt notat Diuus Thomas ar. 2. *in corp.* Primò Secundùm amplitudinem ſuæ ſignificationis, pro virtute, quæ re frænat affectũ ab his, quæ ipſum contra præſcriptum rationis alliciunt. *Temperantia* enim inſinuat quãdam *temperiem* & moderationem, quam ratio actionibus & affectibus humanis imponit. quo modo non eſt virtus ſpecialis; nam omnis virtus moralis id præſtat. Iuſtitia enim retrahit affectum à furtis, à rapinis, ab iniquis contractibus, & ſimilibus, quæ ipſum ratione lucri ad ſe trahunt: fortitudo, à fuga: magnanimitas, a ſectandis rebus caducis, & honoribus humanis, & cætera.

2 Secundò, Strictè, & κατ' ἐξοχὴν, pro virtute, quæ refrænat appetitum in his quæ maximè allicunt: & ſic eſt virtus magis ſpecialis, & cardinalis, de qua hic agendum.

Materia. Huius virtutis materia ſunt delectationes corporales, non omnes, ſed quæ tactu percipiuntur ex eſculentis, & poculentis, & rebus venereis.

3 *Delectationes duplices.* Vbi Notandum eſt ex Ariſtotele tertio ethicorum capite decimo, quaſdam delectationes eſſe *ſpirituales*, quaſdam *corporales*. *Spirituales* dicuntur, quæ ſequuntur operationem mentis, vel phantaſiæ; vt ſunt omnes, quæ ex contemplatione rerum diuinarum, vel naturalium, vel cuiuſuis veritatis naſcuntur. Item in honoribus, & fabularum narratione, &c circa huiuſmodi non eſt propriè temperantia: nemo enim dicitur temperans, aut intemperans, q̃ huiuſmodi oblectationes moderatè, vel præter modum quærat; ſed vel curioſus, vel ambitioſus, vel alio nomine impropriè tamen & metaphoricè poſſunt dici intemperantes, qui in rebus ſpiritualibus ſenſibilem quamdam ſuauitatem nimium ſectantur; quaſi hæc ſit præcipuus illius fructus, non quòd talis delectatio ſit mala, vel prohibita; ſed quia pluris, quam oportet, æſtimatur, & ſolidæ virtuti præponitur.

Delectationes corporales. *Corporales* ſunt, quæ capiuntur per ſenſus externos. ſed neque circa has omnes verſatur hæc virtus: quia nemo nidicatur temperans, aut intemperans, quòd aſpectu colorũ & figurarum, aut cantu, aut odoribus moderate aut immoderatè delectetur: nec etiam quatenus hæc incitant ad delectationes guſtatus, vel tactus. reſtant igitur horum duorum ſenſuũ voluptates; inter quas & illas hæc eſt differentia, quòd hæ ſint homini cum reliquis animalibus communes, reliquorum verò ſenſuum homini propriæ ſolus enim homo delectatur coloribus, & vocibus, & odoribus, propter ipſa obiectorum ſuauitatem, & perfectionem, abſq; vllo reſpectu ad voluptates tactus, aut guſtatus: cetera verò animalia nequaquã; ſed ſolùm vt hæc imaginationẽ cibi, aut cõmixtionis ingerunt. horumq; ſimul cupiditatem excitant. nõ enim lupus delectatur figura ouis per ſe, aut balatu, aut odore; ſed eſca; & illis per accidens tantũ, quatenus apprehenſio-

eſt,quia cibus & potus, & omnis voluptas, quæ eſt in illis, à natura, ſeu à Deo naturæ conditore ordinata eſt ad corporis aſſiduas,quas calor efficit, ruinas ſarciendas, illudq. quantum ista mortalitas patitur,in ſua integritate,& vigore conſeruandum. corporis autē bona conſtitutio eſt propter animæ functiones: nam ſi *corpus corruptibile aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*; multò magis id faciet ſi mala affectio acceſſerit. quare mēſura in appetitione, delectatione & vſu ciborum ſeruanda, ex hoc fine ſumenda eſt. Itaq. qui plus comedit aut bibit,vel ſæpiùs,vel alio modo,vel res alias,quam conuenit valetudini, aut mentis functionibus, non ſeruat temperantiæ regulam. Idem dicendum de eo, qui ſolius voluptatis cauſa; vt ex teſtimonio D. Aug. colligitur. appetere enim vel facere aliquid ſolius voluptatis cauſa, etiamſi ea licita ſit,non eſt opus virtutis, aut vlla laude dignum;quia hoc motiuum non eſt per ſe honeſtum, ſed inferioris ordinis; quale etiam in brutis locum habeat.

Qua verò parte verſatur in re veneréa; temperantiæ re- 12
gula extra coniugium eſt ab his penitus abſtinere; in coniugio catenus vti,quatenus expedit prolis cauſa, non voluptatis. vide Diuum Auguſtinum lib. de bono coniugali, cap.6.&7.

DVBITATIO III.

Quæ vitia Temperantiæ in genere aduerſentur.

D. THOM. quæſt.142.

11 RESP. Hæc duo ei aduerſari, *Intemperantiam*, & *Stuporem*. hoc D. Tho. vocat *Inſenſibilitatem*; id enim ſonat ἀναισθησία, quod Latinè vſitatiùs *ſtupor* dicitur. *Stupidi* enim dicuntur, qui parùm ſentiunt. Illud opponitur temperantiæ per exceſſum, hoc per defectum. *Stupor* enim eſt, cū quis ita auerſatur & fugit delectationes tactus & guſtus, vt nolit eis vti,quando,vel vbi, vel quātum ſecundùm rectam rationem oportet,quod vitium ratum eſt. pauc. n. in voluptatibus ideò peccant q; parùm eas expetant, vt Ariſt. ait l.2.eth.c.7. Erit peccatum mortiferum, ſi ex eo prætermittat quis id, ad quod ſub peccato mortifero obligatur; quale eſt reddere debitum cōiugi exigenti, ſumere cibum ad vitam neceſſarium. Veniale,ſi ad illud obligetur ſub veniali. vide Caiet. ver. Inſenſibilitas. Denique peccatum erit,ſaltem veniale, quamuis non obligetur, ſi omnem delectationem guſtatus fugere velit, tamquam per ſe malam & peccatum; niſi ignorantia excuſet: quia hoc iudicium eſt contra rectam rationem, & ex falſo fundamento procedit;eſt enim delectatio illa per ſe bonum indifferens; nō autem bonum vel malum morale. Secùs, ſi ob aliquam iuſtam cauſam, v.g. cauſa caſtigandi corporis, ſatisfaciendi pro peccatis,&c. ſicut multi Sanctorum fecere.

Stupor.

Quale peccatum.

13 *Intemperantia*, (Ariſt. ἀκολασία) eſt exceſſus in concupiſcendis vel fruendis delectationibus guſtus vel tactus; vt cùm appetuntur, uel uſurpantur, quando, uel vbi non oportet,vel pluſquam oportet,uel non eo modo, quo oportet, uel quas non oportet. eſtque peccatum mortiferum, aut veniale,pro conditione materiæ in qua uerſatur, vt infrà ex ſpeciebus eius conſtabit.

Intemperantia.

14 Notandum autem Primò, hoc vitium inter omnia vitia humana eſſe maximè probroſū & infame; ut docet Ariſt. 3.eth.c.12. ratio eſt, tum quia homo uincitur à delectationibus infimis,quas cum brutis habet communes; & ita ſimilis fit brutis,& in eorum ordinem redigitur, humanę naturæ dignitate, & rationis luce veluti extincta, fit mancipium uentris & gulæ, & rerum uilißimarum ſeruus: *à quo enim quis victus eſt, huius & ſeruus efficitur*. Apoſtolo teſte. tum quia in illis uoluptatibus fruendis, nihil, ſicut in alijs uitijs, elucet ingenij, nihil induſtriæ, nihil generoſitatis, nihil quod hominem deceat; ſed brutus ſine ratione impetus,& cæca ad ſui paſſum & uenerem abiectio. Dixi, *inter vitia humana*, id eſt, quæ hominis naturæ aliquo modo ſunt conformia; quia magis probroſa ſunt quæ à natura humana prorſus abhorrent; ut delectari eſca carnis humanæ, uel brutorum aut maſculorum concubitu: quæ uitia Ariſt. l.7.eth.cap.5. non ſunt humana, ſed ferina, uel mor-

Eſt vitium probroſum.

boſa, (quia ex praua diſpoſitione, & corrupta phantaſia fit vt videatur delectabilia, à quibus natura alias maxime abhorret) & ideò ſunt peiora quàm ſimplex intemperantia. non tamen negat ea ad intemperantiam pertinere; ſed potiùs vultjn illis ſummam intemperantiam eſſe, vt quę modum humanum excedat.

Notandum Secundò, Idem vitium ab Ariſt. l.3.eth.c.12. ad puerilia vitia referri, quia concupiſcentia eſt ſimilis pueritiæ, ideoque ob quatuor cauſas, quas ibi attingit. Primò, Quia ſicut puer impetu fertur ad ea, quæ oblectant, abſque rationis directione; ita concupiſcentia. Secundò, Puer ſi ſuo arbitrio permitteretur, creſceret in propria voluntate, magiſque fit in dies rebellis,iuxta illud Eccleſ 30. *Equus indomitus euadit durus, & filius remißus euadit protervus*: concupiſcentia, ſi ſuis motibus ſinatur, augetur in dies, magiſque fit rationi refractaria. Tertiò, Puer emendatur, ſi coerceatur: concupiſcentia, ſi coerceatur & comprimatur, ad debitum honeſtatis modum peruducitur. Quartò, Puer debet viuere ex præſcripto pædagogi; concupiſcens animæ facultas, ex imperio rationis.

15 *Eſt vitium puerile.*

DVBITATIO IV.

Quæ ſint partes temperantiæ.

D. THOMAS Quæſt. 143.

16 D. Thomas partes triplices ſtatuit huius virtutis, ſicut ſuprà fortitudinis; integrantes,ſubiectiuas, & potentiales. *Integrantes* duas, *verecundiam* & *honeſtatem*: nam integrum officium temperantiæ duabus partibus conſtat; fuga turpitudinis intemperantiæ. & amore decoris temperantiæ; ad fugam turpitudinis iuuat verecundia; ad amorem decoris, honeſtas.

Integrantes.

Vbi aduerte, *verecundiam* non eſſe propriè virtutem, ſed paſſionem; dici tamen latè virtutem, quatenus laudabile eſt fugere turpia & probro digna; quod facit hæc paſſio. eſt enim timor probri ex conſideratione rei vel facti turpis ſeu probroſi. itaque cùm probrum fugiat, facit etiam vt vitemus ea, quæ probro ſunt digna; qualia maxime ſunt peccata intemperantiæ: & hac ratione iuuat virtutem temperantiæ; eſtque aliqualis ad eam diſpoſitio.

Verecundia.

Honeſtum in moralibus dupliciter accipitur. Primò, Generatim, & ſic conuenit omni operi virtutis: nam ratio honeſti moralis conſiſtit in conformitate cū iudicio rectæ rationis, tamquam regula operationis naturæ rationalis, & cùm ipſa natura rationali vt fundamento illius regulæ: hæc autem conformitas rationem virtutis conſtituit in operibus humanis; ac proinde reperitur in omni actu virtutis. differt autem à ratione delectabilis, quæ eſt in eodem opere, cōſideratione ratio enim delectabilis, in eo ſita eſt, quòd aptum ſit parere delectationem. ratio honeſti, in conformitate cum iudicio recto. Verùm hæc eſt cauſa & fundamentum illius in opere virtutis: quia delectatio ſequitur ex eo, quòd obiectum ſit conforme. Itaq. honeſtum, cum ſit conforme rationi, erit etiam delectabile rationali parti. ſicut ea, quæ ſenſibus ſunt conſentanea, ſunt delectabilia parti ſenſitiuæ: omnis enim delectabilitas naſcitur ex conformitate & cōſenſione vel cum ratione, vel cum ſenſu, vel cum natura, vel cum aliqua diſpoſitione ingenita, aut acquiſita naturæ ſentientis, aut intelligentis.

17 *Honeſtum.*

Delectabile.

Honeſtum eſt fundamentum delectabilis.

Secundò, Capitur honeſtū ſtrictè, pro eo in quo peculiariter elucet decor temperātiæ; hic ꝑ ſe decor elucet, Primò In operibus tēperantiæ: hæc enim habent peculiarem pulchritudinē, quatenus excludunt ea, quæ hominem maximè dedecorant, vt ſunt voluptates brutorum. Secundò, In ipſo habitu virtutis, quatenus ad opera tēperantię inclinat. Tertiò, In quadā inclinatione ſpeciali, quā quidā habent ad caſtitatē, & alia temperantiæ opera: videntur n. quidā natura caſti & ſobrij. Si primo modo ſpectetur, eſt cōditio quædā operum temperantiæ. Si ſecundò modo, ſic poteſt dici pars tēperantiæ; quia reipſa non videtur diſtingui ab habitu, ſed eſſe ipſemet habitus tēperantiæ inadæquatè cōceptus; quatenus nimirū inclinat ad honeſtum ſui generis. ſicut n. ſunt duo officia huius virtutis, fugere turpia, & ſectari honeſta; ita & poſſunt duæ eius partes ſtatui vt ad hæc ſe extēdit. Si tertiò modo ſic etiam pōt dici pars tēperantiæ; quia iuuat ad ſectandū tēperantiæ decus; ſicut verecūdia iuuat ad fugien-

18 *Honeſtum ſtrictum.*

gicodam eius turpitudinem. vide Diuum Thomam quæſtio. 143. artic. 4. vbi ſatis breuiter & obſcurè hanc rem expedit.

19 *Partes ſubiectiuæ quæ ſint.*

Partes ſubiectiuæ, ſeu ſpecies temperantiæ ſunt, *Abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, & pudicitia*: quod ex Diuo Thoma ſic colligi poteſt. Species enim virtutum, diſtinctionem accipiunt, ex ordine ad diuerſa obiecta vel materias; materia autem temperantiæ ſunt delectationes tactus, quarum duo ſunt genera: quædam enim pertinent ad alimentum, quod conſtat cibo & potu; & in his quoad cibum, eſt *abſtinentia*; quoad potum, *ſobrietas*. Aliæ delectationes pertinent ad vim gignendi; quarum alia eſt principalis ex ipſo actu coniunctionis; & circa hanc verſatur *Caſtitas*. Aliæ ſecundariæ, ex oſculis, tactibus, amplexibus: circa has eſt *pudicitia*.

Ex quibus patet, temperantiam, ſecundùm Diuum Thomam, non ſic eſſe virtutem ſpecialem, quaſi ſit ſpecies ſpecialiſſima; (cùm alias ſpecies ſub ſe complectatur) ſed quia non eſt communis, ſicut quando ſignificat communem virtutis conditionem; nec ad materiam alterius generis ſe extendit.

20 *Partes potentiales ſint.*

Partes potentiales temperantiæ ſunt virtutes quædam ſecundariæ, quæ modum illum, quem temperantia ſeruat in fræna ſa cupiditate circa maximas & primarias voluptates, retinent circa materias ſecundarias. Itaque omnis virtus refrænans appetitum in aliquid inordinatè tendentem, & efficiens in aliqua materia moderationem, poteſt dici pars temperantiæ, ſeu virtus ei adiuncta. Tribus autem modis poteſt fieri hæc moderatio. Primò, in motibus animi internis. Secundò, In motibus externis. Tertiò, in rebus externis. Motus interni, quibus anima proſequitur aliquid, (præter concupiſcentiam, quam moderatur temperantia) ſunt tres. Primus eſt, Motus voluntatis concitatæ impetu paſſionis; & hunc refrænat *continentia*, qua fit vt licet pars inferior patiatur magnos impetus concupiſcentiæ, ſuperior tamen non vincatur. Secundus eſt, Motus ſpei, tendentis inordinatè in excellentiam aliquam: hunc refrænat *humilitas*. Tertius eſt, Motus iræ tendens in vindictam: hunc coercet *manſuetudo*, cui affinis eſt *clementia*. Externa autem quæ moderatione indigent, ſunt duo, motus externi, & cultus externus. Motus externos (ſub quibus etiam verba intelligo) temperat virtus quædam, quæ *modeſtia morum* dici poteſt. Cultum autem externum & omnem apparatum exteriorum regit alia virtus, quam *modeſtiam cultus* vocare poſſumus. Itaque partes potentiales temperantiæ ſunt *continentia*, *humilitas*, *manſuetudo*, *clementia*, & *modeſtia* duplex. Interdum tamen *modeſtia* accipitur generalius, vt contineat etiam humilitatem, & ſtudioſitatem, vt patet ex D. Th. q. 143. & 160. artic. 2. vbi quatuor ponit ſpecies modeſtiæ.

CAPVT II.

De ſpeciebns Temperantiæ, Abſtinentia, Sobrietate, Caſtitate, Pudicitia.

Conſtat Dubitationibus 16.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Abſtinentia.

D. THOM. Quæſt. 146.

1 *Abſtinentia.*

ABSTINENTIA in materia temperantiæ ſignificat propriè alimentorum ſubtractionem, quæ maior ſit, quam ratio temperantiæ per ſe poſtulet. non enim qui temperatè bis veſcitur carnibus per diem, ſumpto fortè mane ientaculo, dicitur abſtinere, vel eſſe abſtinens, ſed temperans. vnde propriè ſignificat maiorem quendam & ſuligniorē virtutis temperantiæ, circa cibos verſantis, actum, & hanc ipſam virtutem, qua parte ad talem actum ſe extendit. hoc modo paſſim accipitur à Patribus, qui de abſtinentia loquuntur, & 2. Petri primo. *Miniſtrate in ſcientia abſtinentiam.* Tamen Diuus Thomas hoc loco accipit hoc nomen vt ſignificet integram virtutem temperantiæ circa cibos; quæ alioquin nomine ſpecifico caret, & ſolet nomine communi temperantiæ appellari.

2 *Quid ſit.*

Abſtinentia igitur hoc modo accepta, eſt virtus, cupiditates & delectationes ciculentorum mordinatas refrænás, & in ipſo vſu debitam moderationem conſtituens. *Inordinatæ* autem illæ eſſe poſſunt, vel quia trahunt ad id, quod eſt illicitum, (v.g. ad veſcendum cibo vetito) vel loco, aut tempore incongruo; vel ad nimiá quantitatem; vel ad modum indecorum; vel quia nimis ſunt vehementes & importunæ, non ſinentes hominem aliud quàm de cibo & venere cogitare. Hæc igitur omnia reſecat & tollit virtus abſtinentiæ. facit autem hoc eo modo, quo ratio & appetitus ſuperior rationi conformis, appetitum inferiorem regere & coercere ſolet, de quo ſuprà l. 3. cap. 2. numero 5. & 6. & 1-2. quæſtione nona, articulo ſecundo.

Debita moderatio in ipſo vſu requiſita eſt, quæ valetudini & officijs mentis congruit. unde D. Aug. l. 10. conf. c. 31. 3
Hoc me docuiſti, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accederem, vel certè quæ congruit caſtigationi corporis & carnis ſubiugandæ ſpiritui, abſque notabili valetudinis læſione. etſi enim delectationes ciborum non ſint appetendæ aut vſurpandæ, niſi quatenus valetudini corporis & idoneæ diſpoſitioni mentis ad ſuas functiones obeundas congruit; (niſi forte in caſu aliquo particulari, ob cautam extrinſecam ratio aliud poſcat) tamen hæc mēſura non ſemper eſt ſeruanda in illis ſubtrahendis: poſſunt enim occurrere circumſtantiæ & iuſtæ cauſæ, ob quas expediat abſtinere etiam plus quam valetudini cōgruit, v.g. vt caro caſtigetur & ſpiritui ſubijciatur; ut pro peccatis ſatisfiat &c. etiamſi vires corporis minuantur: modò tamē non grauiter breui tempore valetudo frangatur, ita ut mēs reddatur ad ſuas functiones ineptior; ea enim bona eſt corporis valetudo, quæ optimè menti ſeruit; nam corpus eſt propter animæ functiones.

Notandum tamen eſt, quando abſtinentia eſt maior, quā ratio temperantiæ per ſe poſtulat, non ſemper illam fieri 4
ex affectu virtutis, quę ſit ſpecies temperantiæ; ac proinde *Ex vario virtutis affectu fieri poteſt.*
nec eſſe ſemper actum talis ſpeciei formaliter: ſi enim fiat tantùm affectu placendi Deo, erit formaliter opus charitatis; ſi ut ſatisfacias pro peccatis, erit opus pœnitentiæ; ſi ut carnē ſubijcias ſpiritui, erit opus caſtitatis, huius enim eſt frangere libidinē, ac motus carnis inde ſequentes, & facere illam rationi parere; ſi autem quia congruit tibi ad hoc ut

mens

mens sit magis idonea ad suas functiones, sic erit propriè actus huius virtutis. Ex cuiuscumque tamen virtutis affectu procedat, semper dicetur actus temperantiæ & abstinentiæ; quia est actus virtutis in materia abstinentiæ.

3 Porrò qui abstinentiæ sunt dediti, his duo vitia potissimùm vitanda sunt, *Impatientia, & superbia*; vt eleganter docet D.Grego.3.parte pastoralis, admon.20. *Impatientia* quidem, quia abstinentia exiccat corpus, humores accendit, & biliosos efficit. *Superbia* verò, quia magni æstimantur ab hominibus: est enim res vulgo ardua, foris apparès, & speciem eximiæ sanctitatis præ se ferens. vide plura hac de re loco notato, & apud D. Augustinum lib.10. confessionum cap.30.

DVBITATIO II.

Quid sit ieiunium, & quænam ad eius legitimam obseruationem requirantur.

D. THOMAS Quæstion. 147.

NOMEN *ieiunij* abstinentiam ciborum importat: vnde per metaphoram transfertur ad abstinentiam vitiorum. Sic D Basil.hom.1.de ieiunio. dixit, *Verum ieiunium est ab omnibus vitijs esse alienum*. D.August.tract.17.in Ioan. *Ieiunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi*.

Ieiunium quid.

Propriè autem significat maiorem quamdã victus parsimoniam & abstinentiam, quàm communis temperantiæ regula postulet; *maiorem* inquam, tum temporis diuturnitate, tum ciborum qualitate: vt enim quis propriè dicatur ieiunare, aut ieiunium colere iuxta modum loquendi Scripturæ, & SS. Patrum; requiruntur hæc duo, abstinentia longior, & victus ratio durior. vnde Daniel 10. de tali ieiunio dicitur; *Panem desiderabilem non comedi; & caro & vinum non introierunt in os meum*.

7 Potest hoc variis modis fieri, vt patet ex gestis Eremitarum & Monachorum; quorum plerique solo pane & sale ad cibum, & aqua ad potum vtebantur: alij etiam pane abstinebant, radicibus, herbis, vel leguminibus contenti: alij semel in die, idque ad vesperam reficiebantur: alij altetnis: alij duobus, tribus, quatuor, aut pluribus interpositis; sicut Simeon Stylites, qui extra tempus Quadragesimæ. solùm octauo die cibum sumebat, lupinos nimirum aqua maceratos; per totum tempus quadragesimæ nihil omnino; vt refert Theodo. in vita ipsius. Quod si fiat eo modo quo ecclesia omnibus fidelibus præscribit, dicetur propriè *ieiunium ecclesiasticum*.

Ieiunium ecclesiasticum.

8 *Tria requirit.*

Vt autem eo modo fiat, tria requiruntur. Primò, Abstinentia ciborum certi generis. Secundò, Abstinentia plurũ refectionum. Tertiò, Certa refectionis hora.

Cibi à quibus abstinendum.

Quod ad primum attinet; cibi à quibus abstinendum, sunt in primis carnes vulgò dictæ; nempè vt carnes distinguuntur à piscibus. nam & pisces suam carnem habent, sed vulgò caro non vocatur. Secundo loco, oua; sed tempore Quadragesimæ; nam extra hoc tempus iure communi nõ sunt vetita, sed solæ carnes, teste D.Thom.art.vlt. quibusdã tamen locis, consuetudo ea non permittit in ieiunijs, etiã extra quadragesimam, vt in Hispania, & quibusdam partibus Galliæ, teste Nau.cap.21. nu.15. vnde ibi ab illis abstinendum. Tertio, lacticinia: sed iure communi solùm tempore quadragesimæ vetantur, extra illud permittuntur. quibusdam tamen locis consuetudo permittit lacticinia, etiam in quadragesima, exceptis paucis diebus, vt in Belgio; alijs non permittit; etiam extra quadragesimam, sicut de ouis dictum est.

Porrò hæc tria genera prohiberi tempore quadragesimæ, patet capitul.7. Denique.distinct.quarta, ex Gregorio I. *Par est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ femoralium trahunt originem carnis, ieiunemus; à lacte videlicet, caseo & ouis*. Verùm consuetudo hæc mitigare, sicut & alia Iura humana, potuit; cuius quanta sit auctoritas in Ecclesia, docet Diuus Augustinus epist.86.ad Casulanum, & 119.ad Ianuarium. Itaque generatim dicendum est, ab illis cibis abstinendum tempore ieiunij, quorum vsum consuetudo loci non permittit. secùs de ijs, quos permittit. Neque requiritur vt cõsuetudo ius commune relaxans quadraginta annorum spatio bona fide fuerit obseruata, sed sufficit aliquot annorum spatium, si Prælati, præsertim Summus Pontifex sciat & non contradicat; de quo suprà capit.6. dub.14 vide Medinam, de Ieiunio quæst.8. Olim etiam à vino abstinebant, vt colligitur ex Cyrillo catechesi 3. Theophilo Alex. epist.3. de cyclo Paschali, & Chrysostom.hom.6.ad populum. Verum modo non est obligatio talis abstinentiæ saltem in Ecclesia Latina.

Secundò, Requiritur abstinentia plurium refectionum, 9 ita vt intra spatium diei naturalis non nisi semel corpus cibo reficias. hoc etsi iure non videatur expressum, vsus tamen Ecclesiæ antiquissimus, & ratio ipsa docet: ita enim Ecclesia vult per ieiunium corpus caligari & concupiscentiam coerceri, vt tamen natura ipsa non notabiliter lædatur: læderetur autem, nisi vna refectio permitteretur: & corpus non caligaretur, si permitterentur duæ. Refectionem intelligo sumptionem cibi ad alendum corpus.

Vna refectio.

Ex his infertur Primò, Potus sumptionem crebriorem 10 non vetari vt notat D.Thom. art.6. ad secundum: quia potus ordinatur potius ad cibi per corpus distributionem, & sanguinis refrigerium, quàm vt per se corpus alat. quòd si interdum alat, id per accidens est; & non tantum alit, quantum cibus. vnde Ecclesia eius rationem non habuit. quare etiamsi quis eo fine vtatur, etiam immoderatè, non violabit præceptum Ecclesiæ de ieiunio; etsi contra temperantiam peccet.

Sumptio potus.

Petes, Vtrùm immoderato potus vel cibi vsu amittatur meritum ieiunij, sicut insinuat Diuus Thomas artic. 1. ex to, ad secundum.

Respondeo, Si tantus sit excessus vt peccet mortiferè, amittit meritum ieiunij, sicut & aliorum bonorum operum. si autem non peccet mortiferè; non amittit absolutè, sed solum ex parte: quia qua parte voluntariè abstinet à cibis vetitis, & à secunda refectione propter Ecclesiæ præceptũ, meretur; quod meritum non elidirur, etiamsi in vsu cibi vel potus non seruet debitam moderationem. qua tamen parte excedit, non meretur. Idem videre est in plurimis alijs operibus externis, quæ multis partibus constant, vt in oratione, Sacro audiendo, distribuenda eleemosyna, concionando, studendo, &c.

An meritũ perdatur ieiunij.

Infertur Secundò, Non prohiberi etiam vsum electuariorum, & conditorum; quia nõ sumuntur vt alimenta, sed vt medicamenta. nisi quis hæc sumat magna copia in fraudem ieiunij, vt D.Tho.art.6. ad 3. ait.

Infertur Tertiò, Excusari lectores; & ministros mensæ in 11 Monasterijs, aliquid præsumentes, secundum Caietanum ver. Ieiunium, & Nauarr.cap.21. num 13. tum quia id faciunt ne vires notabiliter debilitentur: tum quia illud est inchoatio quædam prandij; & illa diuisio seu interpositio temporis fit ex iusta causa.

Lectores.

Item sumentes collatiunculam vespertinam, etiamsi id faciant non solum ne potus noceat, vt olim; sed etiam lædi causa, & absque potu: quia consuetudo permittit. Ita Nauarrus & Caietanus suprà, & Medina C.de ieiunio q.8. mensura autem huius est, quam pro varietate locorum & personarum, consuetudo recepta tenet non tamen permissum est vt collatiuncula illa sumatur manè, aut meridie, cœna in vesperam dilata; iuxta Caietanum & Nauarrum suprà: quia est contra Ius, & consuetudo id non concedit, nisi fortè aliqua causa iusta subsit; vt ratione debilitatis, negotiorum per diem agendorum, studiorum, &c. Si tamen absque causa fiat, non erit nisi veniale, iuxta Toletum li 6. cap. 2. quia non violatur ieiunij substantia, sed solum circumstantia illius cœnulæ mutatur.

Cœnula.

Infertur Quartò, Qui ante iustam refectionem auocatur, potest negotio illo absoluto perficere, donec satis habeat: nam ex intentione censetur vna solum refectio. secus si satis sumpserat, & surrexerit animo non redeundi: nisi fortè prandium adhuc duraret, tunc enim, si mutata intentione rediret ad conuiuas à quibus recesserat, non censeretur bis prandere; quia est vnicum prandium.

Interruptio refectionis.

Infertur Quintò, Etsi semel vel iterũ comedere paucas buccellas extra tempus prandij non sit peccatum mortiferum, si tamen id sæpius fiat eodem die, v.g. septies vel octies, poterit esse peccatum mortiferum. Ratio est, quia crebræ illæ comestiunculæ æquiualent notabili refectioni.

Nam

Nam effectus singularum manet, & ita corroborant naturam, & tollunt ieiunij difficultatem, perinde ac si simul fierent. Secus etsi furtum vnius vel duorum assium, non sit nisi veniale, tamen si quis sæpè furtum vnius assis committeret, tandem peccaret mortiferè, quia multi efficiunt quantitatem notabilem, cuius retentio est peccatum mortale.

12 *Hora refectionis.* De tertio, Requiritur certa refectionis hora. hæc ex consuetudine iam passim recepta, est circa meridiè. olim erat circa nonam diei, id est, tertiam pomeridianam; vt colligitur cap. Solent, de consecr. dist. 1. ex Concilio Cabilonensi: quæ consuetudo adhuc tempore D. Thomæ durabat, vt ex art. septimo. Hanc horam dico requiri, non positiuè, quasi necesse sit ea hora cibum capere; quia possumus toto die abstinere, si velimus: sed negatiuè, ne videlicet ante illam sumamus, notabili temporis spatio illam præuertentes.

13 Potes; Vtrùm notabilis anticipatio, v. g. per vnam vel duas horas, sit peccatum mortiferum? Plerique Doctores putant esse peccatum mortale, si absq; iusta causa fiat. Ita Couarruuias lib. 4. variar. ca. 10. nu. 16. & Nau. cap. 21. nu. 27. citant hi duo auctores glossam in cap. Vnum. dist. 25. v. Ieiunantibus. Sed vt notat Archidiaconus, Glossa quærit, non asserit. Idem sentire videtur Paludanus dictum. 15. quæst. 4. art. 4. vbi dicit, notabili anticipatione sine causa facta, frangi ieiunium; & Caietanus in Summa, horâ conuenientem tamquam vnam ex principalibus conditionibus requirit. Ratio esse potest; quia terminus ille præscriptus est tamquam notabiliter faciens ad mortificationem carnis, & augens ieiunij difficultatem, & meritum; hoc autem tollitur illa præuentione.

Contraria tamen sententia, id esse tantum veniale peccatum, est probabilis; quam tenet Angelus verb. Ieiunium nu. 3. & Innocentius in Rubricam de obseruat. ieiuniorum nu. 3. Alexander Halensis pagin. quæst. 103. m. 3. Palacius in Summam Caietani verb. Ieiunium; Toletus libro 6. Instruct. c. 3. & alij quidam recentiores. Ratio est, quia non violatur substantia ieiunij; (quæ solùm in duobus sita est; in abstinentia ciborum vetitorum, & abstinentia secundæ refectionis) sed circumstantia quædam accidentalis: quæ manente ieiunij substantia variari potest: & successu temporis magnam varietatem in Ecclesia habuit. Nec obstat quòd dilatio prandij multùm videatur facere ad ieiunij difficultatem & carnis mortificationem: quia sicut anticipatio minuit difficultatem, quæ ante meridiem sentiri solet; ita auget eam quæ percipitur ad vesperam: & sic omnibus consideratis non notabiliter impedit mortificationem, quæ per ieiunium intenditur.

Quod si iusta aliqua causa subsit, (verbi gratia, si iter iucundum, si hospites dimittendi) non erit peccatum, vt Nauarrus suprà & alij notarunt; addentes quamuis honestam causam ad hoc sufficere. In multis Monasteriis ex priuilegio vel consuetudine receptum est, vt sesquihora vel amplius ante meridiem in ieiunio prandeant.

Potrò ius est cuique pro arbitrio tempus refectionis pro
14 rogare, vt Caietanus notat; id enim ieiunij difficultatè auget, & conformius est moribus veteris Ecclesiæ: nam ex indulgentia hora vicinior concessa est.

DVBITATIO III.

Vtrùm in ieiunio ita Vetentur plures refectiones, vt in singulis peccetur mortiferè.

D. THOM. Q. 147. ART 6.

15 *Singulis peccari refectionibus.* QVIDAM docent toties peccari mortiferè, quoties plus quam semel comeditur. Ita Ioannes à Neapoli, tenente Angelo ver. Ieiunium numero 22. quam sententiam Medina quæst. 5 de ieiunio, & Couarruuias lib 4. varia ca. 20. num. 13. putant probabiliorem. Probatur hæc sententia; nam in alijs omnibus rebus, quando vetamur aliquid sæpius quàm semel, vno eodemque die, vel intra certum tempus facere, nõ solùm vetamur facere secundò, sed etiam tertiò & quartò, sicut cùm sacerdos vetatur sæpiùs quàm semel eodem die celebrare, aut fidelis sæpiùs communicare; aut sæpiùs in vita baptizari, confirmari aut ordinari; sæpiùs quam semel in eodem morbi statu iungi. his enim & similibus euentis, non solù secundo, sed etiam tertiò & quartò actu peccatur contra præceptũ. Accedit, quod etsi ieiunium non possit perfectè seruari post secundã refectionem, potest tamen imperfectè, scilicet reliqua diei parte.

Contrarium probabilius. Contraria tamen sententia est probabilior, Non peccari, saltem mortiferè, nisi in secunda. hanc tenet Durandus in 4. d. 15. quæst. 11. num. 9 Gabr. in 4. dist. 16. quæst. 3. dubitat. 5. Angelus ver. Ieiunium num. 22. vbi dicit hanc esse communiorem, Sylvest. eodem, num. 22. Caiet. in Summa, eodem, & quæst. 147. art. 8. Nauar. c. 21. num. 14. quam passim sequuntur recentiores.

16 Probatur Primò, Quia nemo obligatur ad impossibile: at post secundam comestionem ieiunium est impossibile illo die: ergo. Ita Angelus. Sed hæc ratio videri possit parùm firma; quia qui semel comedit carnes, non potest eo die seruare ieiunium, vt ab Ecclesia præscribitur? non tamen ideo potest fecũ iò comedere siue carnes, siue pisces. deinde etiamsi non possit seruare præceptum ieiunij quatenus vetat secundam comestionem, potest tamen seruare quatenus reliquas; sicut patet in simili de sacerdote, qui sine necessitate bis celebrans etsi enim hic non possit seruare præceptum Ecclesiæ, quo prohibetur pluriquã semel sacrificium offerre, potest tamen illud seruare vt vetat tertiam, quartam, quintam oblationem.

Secundò probatur, Non vetantur plures comestiones absolutè; sed solùm vt per eas transgrediamur limitem in ieiunio præfixum, qui est vnica refectio: at qui per solam secundam hunc limitem transilimus: ergo solùm secunda prohibetur. Confirmatur à simili: si certus limes constituatur, vltra quem veteris progredi, eò quod oporteat intra illum consistere, parùm interest (si illum transilias) vtrùm decem, 20. an 100. passus vlteriùs procedas. ita parùm refert, si limitem ieiunij per secundam refectionem transeas, vtrùm bis, ter, an quater comedas. Ita fere Durandus & alij. Sed non satis explicant cur per solam secundam illum limitem transeamus.

17 *Solidior pro batio.* Tertiò, igitur probari potest, & clariùs, Plures refectiones non prohibentur in ieiunio, nisi quatenus earum abstinentia videtur pertinere ad mortificationem carnis: sed solùm abstinentia à secunda videtur ad hoc aliquid valere: non autem à tertia, vel quarta, nisi fortè valdè parùm: passim enim homines extra tempus ieiunij (exceptis mechanicis) non nisi bis comedunt: & qui bis comedit, non potest, abstinendo a tertia, videri aliquid notabile facere, quod ad mortificationem carnis pertineat. Itaque sola secunda principaliter subtrahenda erat, vt ieiunij ratio constaret, non tertia, vel quarta. Confirmatur Primò, Quia in confessione non solet explicari, nec rogari numerus refectionum; (quod tamen erat necessarium, si singulæ refectiones sunt peccata mortifera) sed simpliciter dici solet non seruatum ieiunium. Confirmatur Secundò, Qui ratione debilitatis vel ætatis excusatur à lege ieiunij, ita vt bis possit comedere, potest etiam ter vel quater comedere, vt Doctores notant: quod signum est in præcepto ieiunij non haberi rationem nisi secundæ refectionis. hic tamen non excusatur à ciborum vetitorum abstinentia; sed toties peccat, quoties illis vtitur. harum enim abstinentia absolutè præcipitur: quia siue vna, siue duabus aut tribus refectionibus vtaris, semper abstinentia carnium ad mortificationè pertinet. Denique Ecclesia potuit hoc modo ieiunium instituere, & expediens erat ita fieri propter hominum fragilitatem.

Credibile tamen est, in tertia & quarta refectione esse aliquod peccatum, saltem ueniale: etsi enim hæ non fiant primariò prohibitæ, quasi earum abstinentia magnum ad corporis calligationem momentum habeat; tamen uidentur prohibitæ secundariò: tum quia per eas longiùs itur ultra ieiunij limitem, & magis receditur à fine intrinseco ieiunij, quàm per secundam solam; (unde etiam communi hominum iudicio magis censetur uiolare ieiunij legem qui quater comedit, quam qui bis tantùm) tum etiam quia illa abstinentia est nonnulla corporis calligatio, præsertim gula incitante.

18 *Summum ieiunium.* Ex dictis inferunt aliqui Doctores, eum, qui die ieiunij sciens sumpsit ientaculum, siue id cum culpa fecerit, siue absque culpa, (ut causa profectionis) non teneri eo die ieiunare, etiamsi contingat non proficisci. ratio est, quia ieiunium iam est uoluntarie uiolatum; uel certè causa uiolandi

landi data, nec poteſt illud reparari. Ita Nauarrus cap. 21. num. 27. Paludanus in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 5. Vivaldus, de ieiunio, nu. 60. Syluester, ver. Ieiunium, nu. 21. quæ ſententia eſt probabilis; maxime ſi ponamus illum non poſſe reliquum diei ſine cibo tranſigere, ſi enim id ſine incommodo poſſet, videretur teneri; quia ieiunium adhuc quoad vnicam refectionem ſeruari poſſet.

Quod autem Paludanus addit; talem teneri alio die ieiunare; paſſim ab omnibus reijcitur: nam omnia Eccleſiæ ieiunia ſunt certis diebus affixa, tamquam proprij illorum cultus, ſicut & feſtorum celebratio.

19 *Suſtinens ieiunaculum neſciens eſſe ieiunium.*

Qui verò neſciens eſſe ieiunium, manè comedit, tenetur reliquo tempore ſeruare ieiunium, eo modo, quo alij, perinde ac ſi nihil ſumpſiſſet; vnde poteſt cum alijs prandere. ratio eſt; quia illa prior comeſtio, cùm prorſus fuerit inuoluntaria reſpectu violationis ieiunij, non computatur: non enim violatur præceptum niſi per actum aliquo modo voluntarium. Ita Nauarrus, Palud. Syluestr. Vivaldus, ſuprà.

Putarem tamen illum non poſſe prãdere cum alijs, aut cœnare, ſi commodè poſſit abſtinere; quia tunc abſolutè poſſet ſeruare ieiunium, quoad vnicam refectionem. deinde ſi poteſt prandere, cur non poteſt etiam cœnare, ſicut ille, qui abſque culpa ſumpſit ientaculum cauſa profectionis, & poſtea non eſt profectus? qui enim bonum ientaculum & prandium ſumpſit, non poteſt ſeruare præceptum de vnica refectione: & parùm videtur referre vtrùm addat tertiam. Nihilominùs DD. ſententia, quam attulimus, probabilis eſt.

20 *An amicus poſſit inuitare.*

Petes, Verùm ſi tibi ratione laboris vel debilitatis ſit licita cœna die ieiunij poſſis inuitare amicũ ad cœnam, quẽ ſcis ſolere violare ieiunium domi cœnando?

Nauarrus capit. 21. num. 24. ex Caietano docet, licitum eſſe, eum, qui paratus eſt cœnare, inuitare cauſa vrbanitatis, vel hoſpitalitatis, ad cœnam, quatenus cœna eſt actus ſecundùm ſe indifferens. id probat Primò: Licitum eſt inuitare ad actum per ſe bonum, vel indifferentem, quando juſta cauſa ſubeſt. Secundò, Quia Deus inuitat & iuuat ad agendum aliqua, quatenus ſunt entia, quæ aliàs etiam ſunt peccata. Tertiò, Quia licitum eſt gaudere de occiſione Chriſti, qua parte eſt noſtra redemptio; etſi de illa doleamus vt fuit peccatum. Quartò, Licitum eſt egenti petere mutuum ab vſurario; & parochiano Sacramenta à ſuo Parocho, quem putat peccaturum, &c.

21 *Non pòt ſerio inuitare.*

Nihilominùs dicendum eſt non poſſe talem ſeriò & abſolutè inuitari vt tecum cœnet, nec in menſa vrgeri vt comedat. ratio eſt; quia nemo poteſt inuitari, aut incitari ad id, quod ſine peccato præſtare non poteſt: atqui hic nõ poteſt ſine peccato comedere. vt ſupponitur.

Ad rationes.

Vnde patet reſponſio ad Primum; quia etſi cœnare in genere ſit actus per ſe indifferens, non tamen eſt indifferẽs vt hic & nunc à tali agitur; ſed ſolùm malus.

Ad Secundum: Deus nũquam inuitat ad aliquid, quod ſine peccato fieri nequit, ne vt ens quidem eſt: nec ad illud iuuat, niſi auxilio generali, & per ſe indifferente; vt alibi fuſiùs oſtenſum eſt.

Ad Tertium: Licitum eſt quidem gaudere de occiſione Chriſti, ſub illa rõne; non tamen hoc tum fuit ad illa incitare, aut inuitare Iudæos: gaudium enim poteſt eſſe de bono præciſè & per ſe conſiderato, abſq; approbatione cauſæ vel circumſtantiæ pravæ: non autem incitatio, & inuitatio.

Ad Quartum: Id quod ibi petitur, ſine peccato præſtari poteſt. Idem dicendum de elocatione domus facta meretrici, & alijs, quæ ibi adfert Nauarrus.

DVBITATIO IV.

Vtrùm caupo peccet, ſi die ieiunij cœnam apponat, aut cibos vetitos.

Res eſt frequentiſſima per Germaniam & in locis hæreticorum.

22 *Apponere cibos vetitos.*

RESPONDEO. Quod ad cibos vetitos attinet, In locis Catholicorum eos apponere, præſertim carnes, eſt graue peccatum; & grauiter punirentur ſi qui id facerent, quia ibi cenſetur hæreſeos quædam tacita profeſſio. niſi forte in caſu aliquo particulari ratione euidentis neceſſitatis, vel ſi nihil aliud ſuppeteret, vel ſi aliquis hoſpitum, qui videretur fide dignus, diceret id ſibi à Superioribus indultum.

In locis vero hæreticorum, vbi paſſim ab alijs ſolent apponi, credo id eſſe licitũ cauponi catholico; 23 ſi tamen duabus conditionibus. Prima, Si hoſpites petant: non enim ingeri poſſunt non petentibus; hoc enim eſſet illos ad illicita inuitare. niſi forte tunc apponat carnes & pisces, vt plerique illis locis, maximè catholici faciunt, vt vtrique parti faciant ſatis, quemque ſua conſcientiæ relinquentes.

Secunda, Si non poteſt recuſare ſine ſuo notabili incõmodo: vt ſi alioquin ab hoſpitibus eſſet deferẽdus, vel aliquid incommodi paſſurus à Magiſtratu. Ratio eſt, quia id per ſe malum non eſt, ſed quiddam indifferens: ergo ſuppoſita legitima cauſa fieri poteſt ſine peccato. hęc enim facit vt non cenſeatur eſſe profeſſio hæreſeos, aut cooperatio ad malũ. Confirmatur, quia hac ratione excuſantur à DD. ancillæ dominorum hæreticorum, quæ diebus ieiuniorum carnes coquunt, & cœnam apponunt; quia id ſine notabili incõmodo ſuo non poſſunt detrectare; & auriga vehens dominum ſuum ad locum adulterij: & Naaman Syrus comitans dominum ſuum ad locum idoli, eumque in adoratione ſuſtentans & veluti iuuans: de quo alibi dictum eſt. etſi enim hæc & ſimilia ſpeciem mali habeant, & reuerà mala ſint, quando commodè vitari poſſunt; quia cenſentur fieri affectu cooperationis ad malum: tamen quando abſque notabili incommodo non poſſunt detrectari, non ſunt mala; non enim tunc cenſentur fieri cauſa cooperationis, ſed vitandi incommodi, & inuoluntariè. Huc pertinent rationes, quas congerit Nauarrus cap. 21. nu. 25. vide ſuprà lib. 2. cap. 13. nu. 29. & ſeq. & cap. 9. nu. 122.

De cœna apponenda eſt diſtinguendum; vel enim conſtat illos non teneri ad ieiunium, vel conſtat teneri, vel eſt dubium. Si primum, poteſt eis cœna dari; modo ſcandalum abſit; quod vbiq; exceptum volo. Si ſecundum, non poteſt; ſi tamen abſq; incommodo poſſit negari. hoc ſuſtinẽt probat Gabriel in 4. d. 16. quæſt. 3. dub. 6. & ratio eſt, quia tenetur impedire offenſionem Dei & lapſum proximorum, quantum commodè poteſt: atqui in hoc caſu non ſolùm nõ impedit, ſed etiã cooperatur, præbẽs illis inſtrumentum peccandi, quod facilè potuiſſet negare. hoc tamẽ maximè locum habet quando illi alibi habere nõ poſſunt; ſi enim alibi iturі, & ibi cœnaturi erant, non eſt neceſſe recuſare; quia peccatum non poteſt ſic impediri; iuxta ea, quæ ſcribit Nauarrus cap. 21. num 24. & Caietanus c. 147. art. 4. Idem dicendum ſi grauius offenſuri eſſent Deum murmurando, cõuitiando, maledicendo, cœna negata. quo modo excuſantur interdum patres familias famulis & domeſticis cœnam permittentes; vt Gabriel notat.

24 *Cœnam apponere.*

Si tertium; vel decorè poſſunt interrogari an excuſentur a ieiunio; vel non poſſunt: ſi poſſunt, ſunt interrogandi, & iuxta quod reſponderint, faciendum. Si non poſſunt, propter auctoritatem, præſumendum excuſari. ratio eſt, quia in dubio nemo præſumitur velle peccare, L. Marcian. ff. Pro ſocio; & dubia in meliorem partem ſunt interpretanda: de quo ſuprà lib. 2. cap. 29. dub. 4.

DVBITATIO V.

Quo iure obligemur ieiunare, & quanta ſit hæc obligatio.

D. THOM. quæſt. 47. art. 3.

25 *1. Sententia eſt hæreticorum.*

SVNT tres ſententiæ. Prima eſt hæreticorum noſtri temporis, qui docent, fideles nullo iure ad ieiunia adſtringi; ſed omnia eſſe libera. ratio ipſorum eſt, quia obligatio ieiuniorum pertinet ad iugum & ſeruitutem legis veteris, à qua per Chriſtum liberati ſumus; cui Eccleſia non poteſt nos rurſus ſubijcere. Vnde inferunt eſſe ſuperſtitionem, ſi veluti ex obligatione ieiunes: quia id eſt profeſſio quędam ſeruituris legalis. Ita Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 12. & Confeſſio Auguſtana art. 26. Idem ob eamdem rationem docuit olim Aerius, vt referunt S. Epiphanius hæreſi 75. & S. Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 53.

26 *Refutatur.*

Sed hæc ſententia eſt aperta hæreſis, olim a Patribus in Aerio

Aerio damnata, quam etiam conſentius & vſus omniũ ſæculorum iam inde à temporibus Apoſtolorum refutat: nã ab eo tempore ſemper in Eccleſia multa ieunia vt obligatoria ſeruata fuere; non ad ſatisfaciendum præcepto legis veteris; (nulquam enim in lege veteri quadrageſimale ieiunium, aut vigiliarum præceptum fuit) ſed ad obediendum præcepto Prælatorum Eccleſiæ, quibus dictum eſt à Domino, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* & Matthæi 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo* & Ioan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* id eſt, ſimilitudinem potestatis ad Eccleſiam gubernandam. quibus locis aperte ſignificatur potestas præcipiendi, & præceptis obligãdi, vt Patres omnes explicant.

Ieiunia legis veteris habet aliquid cæremoniale.

Non pertinet ad iugum legis veteris.

27 Nec obſtat, quòd ieiunia in veteri lege præcepta fuere: ſi enim bona ſunt & ſalutaris, cur non poſſit Eccleſia illa præcipere etiam in noua lege? aliquin non poterit etiam præcipere orationem, aut eleemolynam; quia hæc in veteri lege præcepta fuere. Nec refert, quòd ieunia illa vetera aliquid cæremoniale habuerint illi legi proprium, quia cũ tali circumſtantia ab Eccleſia non præcipiuntur; & ipſa ſecundùm ſe illam non requirunt, cùm ad ius naturæ pertineant, & apud omnes gentes vſurpentur.

Neque hęc obligatio dici poteſt pertinere ad iugum legis veteris, ſicut nec obligatio, qua potestatibus ſæcularibus in varijs rebus, ſolùm ad diſciplinam externam & cõmodum temporale pertinentibus, obedire tenemur, ad ſeruitutem illius legis pertinet. Quod ſi hæc obligatio, quæ etiam conſcientiam vinctam tenet; vt Apoſtolus expreſsè ad Rom. 13. ait, ad illam ſeruitutem non pertinet; multò minus ea, qua tenemur obedire Prælatis Eccleſiæ, quorum potestas à recte deſcendit à Chriſto, & dirigit nos ad ſalutẽ.

Reſponſio ad argumenti hæreticorum.

28 Hinc patet reſponſio ad fundamentum hæreticorũ: nã libertas Euangelica, qua Chriſtus nos liberauit, non ſoluit nos à lege ieiunij, neque ab alijs, quæ ab Eccleſiæ Prælatis imponuntur; (ſicut neque à legibus ciuilibus, & Principũ ſubiectione) hæc enim obligationes non ſunt fugiendæ; neque ab his liberandi eramus, cùm ad iuſtitiæ ſeruitutem pertineant. ſed ab alijs quibuſdam vinculis: nimirũ à quintuplici ſeruitute. Primò, A ſeruitute peccati, quod duplici vinculo nos firmiter contrictos tenebat, vinculo culpæ & vinculo pœnæ ſeu reatu: à neutro nos eripere poterat. muſt ab vtroque liberauit nos per mortem ſuam Chriſtus. Secundò, A tyrannide diaboli, cui propter peccatum eramus ſubiecti. iuxta illud 2. ad Timoth. 2. *A quo captiui tenemur ad ipſius voluntatem.* Tertiò, A ſeruitute concupiſcentiæ, cui gratia deſtituti ſeruiebamus: & conſequenter à neceſſitate peccandi. Hæc tria inſinuantur ab Apoſtolo, ad Rom. 6. *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Liberatio enim à peccato ſecum trahit, vel includit liberationem à tyrannide dæmonis, & à ſeruitute concupiſcentiæ, quam etiam Apoſtolus paſſim nomine peccati comprehendit. Quartò, A ſeruitute legis moralis, partim quatenus nos ſuæ pœnæ vinctos tenebat; de quo Apoſtolus ad Galatas 3. *Chriſtus redemit nos de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* partim quatenus ſolo timore (quod ſeruile eſt) nos obediebatur vnde Apoſtolus ad Galat. 5. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, nimirum ſeruili modo, ſicut mancipium ſubeſt domino amara neceſſitate; ſed ſicut filius patri ſponteneo amore. Idem *non eſtis ſub lege*, quoad vim puniendi: quia non dominatur iuſtis infligendo pœnam. & ad Roman. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Quintò, A ſeruitute legis veteris, præſertim cæremonialis, cuius iugum erat valdè graue & quaſi importabile, vt conſtat ex verbis D. Petri, Actorum 15. præſertim cũ abſque gratia eſſet inutile ad ſalutem. De hac ſæpiſſimè loquitur Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas & alibi. In his igitur Chriſtiana conſiſtit libertas; non in libertate à ieuniis & præceptis Prælatorum, quibus libertas ſpiritus iuuatur, & conſeruatur.

Libertas euãgelica à quintuplici ſeruitute nos ſolui.

29 Secunda ſententia eſt quorundam, qui etſi cõcedant cetera ieiunia eſſe iuris humani; tamen ieiunium quadrageſimæ putant eſſe iuris diuini. Primò, Quia nuſquam inuenitur eius inſtituto: imò iura quæ illius meminerunt, inſinuant & ſupponunt iam anteà inſtitutum. Secundò, Quia aliqui Patres ad aperte indicant. D. Auguſtinus in Pſalm. 210. dicit *quadrageſimam nobis præcipi ex lege, & ex Prophetis, & ex ipſo Euangelio.* D. Ambroſius Serm. 23. dicit *quadrageſimam à Domino conſecratam.* Serm. 25. *Non leue peccatum eſt fidelibus, ut diebus quadrageſimam à Domino, non ieiunare; & ieiunia conſecrata ventris voracitate diſſoluere.* & Serm. 27 *iſtud autem præceptum eius eſt primum, ut his quadraginta diebus, ieiunijs, orationibus, vigilijs operam commodemus.* D. Leo. Serm. 12. de quadrageſima, vocat illam *ieiunia diuinitus inſtituta.* Sed hæc ſententia eſt parùm probabilis, vt ſtatim patebit.

3. Sent. eſſe iuris humani.

probatur.

Tertia ſententia eſt communis DD. & nobis amplectenda; Omnia Eccleſiæ ieiunia, etiam quadrageſimæ eſſe iure humano inſtituta, eoque ſolo obligare. Sub *iure humano* comprehendo etiam ordinationes Apoſtolorum, quas ipſi vt Eccleſiarum Rectores fecere. Probatur Primò, Quia Patres paſſim docent ieiunium quadrageſimæ eſſe ab Apoſtolis inſtitutum, & Eccleſiæ traditũ: S. Hieronymus epiſt. 56. ad Marcellam, de erroribus Montani, *Nos veram quadrageſimam, ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore congruo celebramus.* D. Leo, Serm. 6. de quadrageſima. *Apoſtolicæ inſtitutionis quadraginta dierum ieiunia impleatur.* Idem indicat Epiphanius hæreſi 75. in fine. Eiuſdem meminit S. Ignatius epiſtol. ad Philadelphios, & Clemens lib. 5. Conſt. Apoſt. cap. 12.

Secundò, Si eſſet à Domino inſtitutum, non poſſet in illud incidere tanta variatio quoad tempus, modum, cibos, ætatem ieiunantium, exemptiones plurimorum, quantam cõſuetudine varijs temporibus & locis videmus inductã; ſed ab omnibus eodem modo ſeruari deberet: nam ius diuinum non poteſt conſuetudine mutari.

Tertiò, Si Chriſtus inſtituit, id fecit ſolùm exemplo, vt Patres indicant: nullum enim aliud in Euangelio huius rei habemus veſtigium; ſed exemplo non inſtituit; quia illud nimiùm à noſtro ieiunio diſcrepat: ille enim nullam diſcretionem ciborum habuit; ſed per 40. dies & noctes omni cibo & potu abſtinuit; nos delectum ciborum habemus, & quotidie ſemel comedimus, & ſæpiùs bibere poſſumus: ille nullum diem excepit; nos dominico non ieiunamus: ille ſtatim poſt baptiſmum & in deſerto ieiunauit, nos ante Paſcha inter homines verſantes. Itaque etſi hoc exẽplo nos prouocauerit ad ieiunium totidem dierum pro modulo noſtro ſuſcipiendum; (vt aperte tradit Ambroſius) non tamen percepit, nec inſtituit noſtrum; ſed id Apoſtolis, & Rectoribus Eccleſiæ reliquit, ſicut & cetera, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam pertinent. ſatis enim erat Domino fundamenta Religionis; quæ inconcuſſa manere debebant, per ſe inſtituta.

Reſponderur ad Patrum dicta.

31 Nec obſtant dicta Patrum: Dicitur n. *præcipi ex lege*, &c. tum quia ad imitationem Moyſis Heliæ & Chriſti præcipitur; tum quia occaſio præcipiendi, ex lege, Prophetis, & Euangelio accepta eſt. Dicitur à *Domino conſecrata*: quia hunc dierum numerum ſuo facto ſacrum & Religioſum fecit, & hunc exemplo, imitamur & colimus Chriſtum. Dicitur *indicta* à Domino & ab eo *præcepta*; quia exemplo ſuo eam nobis commendauit; quod exemplum nobis debet eſſe inſtar præcepti, præſertim accedente mandato Apoſtolico. Item, quia Apoſtoli inſtinctu diuino præceperunt. Dicitur etiam non eſſe *humana conſtitutione* inuenta; quia numerus ille dierum primitus à Deo conſtitutus fuit in ieiunio Moyſis, Eliæ, & Domini noſtri. Denique Patres interdum indicant ieiunium eſſe *à Deo inſtitutum*, quia iure diuino eſt nobis præceptum in genere abſque determinatione temporis, & modi, quæ relicta eſt Eccleſiæ diſpoſitioni. Sepoſita autem hac determinatione tenemur iure diuino ieiunare, quando id putatur neceſſarium ad aliquas tentationes, præſertim carnis, ſuperandas, & eam ſpiritui ſubijciendam, vel ad flagella impendentia auertenda.

Quantum obliget.

32 Quod ad alteram dubitationis partem attinet; *Quanta ſit huius præcepti obligatio*: Quidam putant non obligare ad mortale, niſi vt non agatur contrà ex contemptu. Idem dicũt de omnibus præceptis humanis, vnde ſi quis ea violet abſque contemptu, non peccare mortifere; ſed ſolùm venialiter. *Ex contemptu* autem violare dicunt non ſolùm illum, qui eo fine id facit ut Eccleſiæ poteſtatem, vel ieiunij opus contemnat; ſed etiam qui facit ex conſuetudine: quia cõſuetudo peccandi eſt quidam interpretatiuus contemptus præcepti. Ita Angelus v. Ieiunium num. 14. vbi citat pro hac ſententia Cardinalem: Zabar. & v. Inobedien-

Sententia quorundam.

tia, vbi citat pro ea D. Thomam, Ricard. Archidiac. Gemmianum, & alios. Confirmatur, quia qui habet propositum seruandi ieunij præcepti, & ordinariè seruat, sed ex infirmitate, dum superuenit tentatio, labitur, & statim cõcepto dolore rursus proponit, & conatur implere, multò magis venia dignus est, quàm is, cui nullo modo præceptum est cordi, & libere illud violat: nec videtur mens legislatoris illi laqueum culpæ mortalis injecere, præsertim cùm finem principalem sui præcepti in illo magna ex parte assequatur, qui est, vt subditus quantum fert communis fragilitas, bene agat.

33 *Refutatur obligat sub mortali.*

Verùm communis & recepta DD. sententia est hoc præceptum ita obligare ad mortale, vt si absque causa violes, mortaliter pecces, quamuis id non ex consuetudine, sed ex aliqua tentatione, & semel tantùm facias. ratio est, quia res præcepta capax est huius obligationis; (est enim opus virtutis, homini ad salutem necessarium, aut valdè expediens, & in suo genere graue) & Ecclesia absolute præcipit, nec temperat obligationem secundùm hunc vel illum modum violandi: ergo imponit obligationem sub mortali. Consequentia patet ex communi regula, Præcepta obligare pro materiæ capacitate & grauitate: quæ nisi admittatur, nulla alia superest norma discernendæ obligationis: nam confugere ad intentionem legislatoris: est diuinare; præsertim cùm hæc se accommodet materiæ, nisi distinctè aliud in lege exprimatur. Confirmatur, quia præcepta diuina obligant absolutè in re graui, sub mortali, etiamsi vel semel violentur, nec admittunt illam distinctionem, *ex consuetudine & ex infirmitate*: ergo etiam humana. consequentia patet, quia præcepta humana debent imitari diuina, & Deus non est minùs in præcipiendo suauis, nec minùs se infirmitati humanæ accommodat, quàm Ecclesia. Hinc patet responsio ad fundamentum sententiæ aduersæ.

34 *Probatur ex sensu veteris Ecclesiæ.*

Idem confirmatur ex sensu veteris Ecclesiæ: nam Canone 68. Apostolorum dicitur, *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor sacram quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut parasceuen non ieiunauerit, deponitur: præterquam si imbecillitate impeditur corporis. si laicus sit communione priuatur.* Vbi nota, tunc temporis & aliquot sæculis post, etiam feria quarta & sexta solitum ieiunari per annum. vide Epiphanium, hæresi 75. Sexta Synodus Œconomica can. 56. *Visum est, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat,* (quadragesimale) *& abstineat sicut ab omni mactabili, sic ab ouis & caseo: quæ quidem sunt fructus eorum, à quibus abstinemus. Qui autem hoc non seruauerint, si quidem sint Clerici, deponantur. si autem Laici, segregentur.* Hic violatores ieiunij iubet deponi, vel excommunicari. Concilium Gangrense ante annos 1200. can. 19. *Si quis ieiunia, quæ communiter ab Ecclesia custodiuntur, dissoluat, anathema sit.* Ambrosius serm. 25. *Si ignorans Ismaelitam indictum à patre ieiunium, quia reso'uerit, morti addictitur; qui sciens à Christo indictum resoluit, quid meretur?* Eodem pertinent testimonia, supram secunda sententia allata.

Si quis tamen putaret subesse iustam causam non ieiunandi, & ita bona fide comederet, non peccaret, saltè mortifere: quamuis in ea re fallatur, luæque sensualitati indulgeat, vt notauit Caietanus in artic. 3. & Nauarrus cap. 21. numer. 20. quod intelligo, modò non sit ignorantia crassa, quæ dolo æquiparari possit. In dubio an causa sit iusta, tenetur inquirere veritatem, & manente dubio debet seruare ieiunium, nisi petat à Superiore, potestatem habente, dispensationem, quia in dubio tenetur legem seruare; cùm illa sit veluti in possessione libertatis subditi, vt constat ex dictis lib. 1. cap. 41. dub. 9

35 *Vsus carnium.*

Grauissimum autem semper in Ecclesia iudicatum fuit, tempore ieiunij vesci carnibus, vt constat ex Concilio Toletano 8. can. 9. & ex d. can. Apostolorum 68. & sexta Synodo, can. 56. Vnde non facile Catholicus eas comedet, etiam inter hæreticos; quia ad facere non possunt, si absque graui periculo possint vitare, & alij cibi suppetant. Quare grauiter reprehendendi mercatores Belgæ, qui dum in quadragesima ad nundinas Francfurtenses proficiscuntur, carnibus liberè cum alijs vescuntur, cùm alij cibi suppetant, modo petant. Numquam enim quouis periculo posito comedi possunt in contemptum Religionis, aut cum eius præiudicio, vt alias sæpè in similibus monuimus.

DVBITATIO VI.

Qui teneantur ieunij ecclesiastici præcepto, & qui excusentur.

D. THOMAS Art. 4.

QVIDAM hæretici, circa annũ Domini 1310. tempore Clementis V. ex Begardis & Beguinis, docuerunt posse hominem in hac vita ad eam perfectionem conscendere, vt sit impeccabilis & non amplius proficere possit; quo cùm peruenerit, non teneri amplius ieiunare, vel orare, sed posse cõcedere corpori quidquid lubet. Vnde solos imperfectos ad ieiunia obligari volebant. Ita refert Turrecremata l. 4 de Ecclesia p. 2. cap. 36. & D. Antonin. p. 4. tit. 11. cap. 7. §. 4. 36 *Sententia Beguardorum, &c.*

Sed hæc doctrina tamquam hæretica damnata est in Concilio Vienensi a Clemẽte V. vt habetur Clement. Ad nostrum, de hæreticis. Et facile refutari potest. Primo, Quia fundamentum eius falsum est, & hæreticum, quamdiu enim in hac vita sumus, peccare possumus, & proficere, vt ex multis scripturis constat. vnde Apostolus 1. ad Corin 9. qui tamen perfectus erat, si quis alius in hac vita, *Castigo,* inquit, *corpus meum & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* & Apocalyp. 22. *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc; & qui iustus est, iustificetur adhuc.* 37 *Ist hæresis.*

Secundò, Etiamsi quis ratione suæ perfectionis & tranquillitatis carnis, non egeret ieunio, non tamen ideircò a præcepto esset exemptus; quamuis enim ratio præcepti in aliquibus cesset, non tamen ideircò definit illos abstringere. nisi ex eius obseruatione aliquod, quod sit contra intentionem legislatoris, sequatur; vel certè nisi ratio præcepti vniuersè vel in plerisque ita cesset, vt lex censeatur inutilis; de quo plura 1. 2. q. 96.

Tertiò, Quia qui maximè in hac vita perfecti fuerunt, maximè ieiunarunt, vt Ioannes Baptista, Apostoli, SS. Patres, Eremitæ, Fundatores Ordinum. Denique hanc hæresim cum suo fundamẽto refutat. D. Leo ser. 11. de quadragesima; *Adest,* inquit, *maximum sacratissimi itaque ieiunium, quod obseruantiam sui vniuersis fidelibus sine exceptione denuntiat: quia nemo tam sanctus est, vt non sanctior, nemo tam actutus est, vt non debeat esse deuotior,* &c.

38 *Omnes obligati.*

Hoc igitur error refutato, Respondeo, Omnes Christianos, cuiuscumque sint perfectionis aut dignitatis, præcepto ieiunij obstringi, nisi iusta aliqua causa excusentur. Ita communiter DD. D. Thomas hic, art 4. & ceteri in 4. d. 15. vel 16. Innocentius & Canonistæ in Rub. de obseru. ieiuniorum, Summistæ v. Ieiunium, & colligitur apertè ex testimonijs supra allatis; maximè ex can. 68. Apostolorũ, & Synodo sexta, can 56. & dict serm. S Leonis. Ratio est, quia causa huius præcepti in omnibus locum habet, vt benè ostendit Caietanus, omnes enim egẽt castigatione carnis, vt spiritui sit subiecta, satisfactione pro peccatis, & aptitudine mentis ad orandum & quamuis aliqui interdum pro aliquo tempore his omnibus non egeant; tamen vt plurimùm egent, & semper sunt valde vtilia. Itaque Ecclesia potuit omnibus præcipere id, quod ad illos fines iudicabat maximè opportunum, quod est ieiunium, vt dubit. 8. dicemus.

39

Dixi, *nisi iusta causa excusemur*: quia etsi in præceptis diuinis non facilè cadat excusatio, cùm sint de necessarijs ad salutem; vt patet in præcepto fidei, baptismi pœnitentiæ, Eucharistiæ: tamen in humanis, quæ versantur circa vtilia dumtaxat, vel circa determinationem præceptorum diuinorum, sæpè multæ causæ possunt incidere, ob quas cesset obligatio.

Causæ excusantes a ieiunio.

Reduci autem possunt ad tria capita, *impotentiam, laborem, & pietatem.*

40 1. *Impotentia.*

Ob *impotentiam* excusantur quotquot sine notabili noxa non possunt ieiunare, vt sunt infirmi, conualescentes, & debiles, præsertim medicorum accedente iudicio; quia crebriore refectione opus habent: prægnantes, & lactentes; quia pro se & pro fœtu egent. Denique pauperes, qui iustam refectionem nõ habent; non enim mens Ecclesiæ est, cum graui dolore vel læsione naturæ ad ieiunium obstringere; cùm ad medendum non solum animis, sed etiam corporibus illud instituerit.

Ob

Adoleſcentes.

Ob eamdem cauſam, D. Thomas ad 2. & communiter DD. excuſant pueros & adoleſcentes vſque ad hoem tertium ſeptenium; quia cùm vſque ad illud tempus magnus incrementis augeatur corpus, eget copioſo alimento: vnde ſæpiùs capere cibum debent, ne accretio & perfectio naturæ intercipiatur. Et quamuis valde conueniat vt interdum ieiunent, præſertim cùm ætas illa vitijs carnis ſæpè ſit valde ſubiecta, quibus ieiunium eſt optimum remedium: tamen Eccleſia non voluit generatim aliquid ſtatuere; ſed hanc rem prudentiæ confeſſariorum, & rectorum reliquit, vt quibus, & quando videbitur eſſe opus, præciperent.

41 *Senes.*

Excalantur etiam ſenes, iuxta communem DD. ſententiam, quia ſenectus *ipſa* eſt morbus, & quidem incurabilis, & opus habet refectione crebra & modica. Ætas autem qua incipit hæc ſenectus non eſt determinata, vt multi DD. notant: quia, vt inquit Caietanus, alij trigeſimo anno ſeneſcunt, alij quadrageſimo, alij quinquageſimo. Secundùm medicos prima ſenectus incipit circa annum quinquageſimum, & in quibuſdam circa quadrageſimumquintum, nimirum quando vires & calor naturalis notabiliter incipiunt minui, & humor primæuus abſumi. Vnde puto paucos excuſari anno, o. vel 40. ob ſenium. Omnes autem conueniunt, excuſari ordinarie ſexagenarios: hac enim ætate eſt media ſenectus, iuxta medicos: in qua natura facilè media & repletione grauiter læditur, & præcipitatur. Vnde niſi conſtet euidenter (teſte Caietano) alicuius naturam adeò tunc eſſe viridem & vegetam vt non ſit lædenda ieiunio, non tenetur, neque in dubio tenetur tentare iuxta eumdem auctorem; quia in illa ætate *præſumitur* non poſſe, niſi de contrario conſtet, præſertim cùm experimentum ſit periculoſum.

42 *3. Labor.*

Ob *laborem* eximuntur, Primo. Quotquot labore ſuo victitant, cum quo probè ieiunium conſiſtere nequit; quales ſunt agricolæ, & fere mechanici omnes. Nec refert verùm diuites ſint an pauperes: quia hoc ipſo, quòd ex officio laborant, poſſunt æquè diebus ieiunij ac alijs laborare; ac proinde a ieiunio excuſantur, ſi reipſa laborem ſubeant. Ita declarauit Eugenius IV. (teſte Sylueſtro, v. Ieiunium, q. 2. & Roſella, quem citat ibidem) quia multi DD. antea putabant non excuſari, niſi qui neceſſitate aliqua cõpulſi, diebus illis laborarent. Vnde famuli & ancillæ ſolita miniſteria, etiam diebus ieiunij præſtare debent, volentibus dominis; etiamſi cum illis ieiunium cõſtare nequeat.

43

Dixi *ferè omnes*; quia ſi qui ſint mechanici, vel alij, quorum labor ſit exiguus, hi non ſunt excuſandi; vt ſunt pictores, quorum opus eſt ingenij potiùs quàm virium, & ars ferè liberalis; ſculptores, cõſores, ſartores; quibus Toletus addit etiam ſutores; quorum tamen ars videtur laborioſa.

Deinde eximuntur, qui damni vitandi, vel notabilis lucri (cuius occaſio non ſemper datur) captandi cauſa laborant, etiamſi ex officio non ſoleant. vt qui ad nundinas proficiſcuntur, præſertim pedites; vel ad alia negotia, quæ commodè differri nequeunt. Denique omnes, qui officio ſuo fungi nequeunt cum ieiunio, etiamſi labor non ſit niſi ingenij: quia parùm refert qualis ſit labor, ſi non patitur ſecum ieiunij vlum.

44 *3. Pietas.*

Ob *pietatem* excuſantur omnes, qui operibus præſtantioribus vel maioris momenti incumbunt, quæ ipſi vnà cũ ieiunio perficere non poſſunt: qualia ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia & corporalia, & opera Religionis; vt concionari, docere, viſitare infirmos, adminiſtrare Sacramenta, ornare templa, peregrinari ad loca ſancta: ſi tamen hæc non poſſint commodè differri. Ratio eſt; quia Eccleſia ita præcipit ieiunia, vt alia officia pietatis, quæ pro tempore & loco ſe offerunt, nolit impedire. vnde non eſt neceſſe vt hæc fiant ex voto, aut præcepto Superioris, vt docet Nauarrus nu. 18. Malè tamen facit, qui peregrinationem, quàm commodè poterat differre, potiùs inſtante ieiunio, quàm alio tempore ſuſcipit, vt ieiunio non teneatur. Excuſatur etiam coniux, qui cum ieiunio debitum reddere coniugi non poteſt: & vxor, quam maritus ieiunare non permittit, eò quòd metuat eius valetudini, vel formæ, aut quia putat eſſe nimis debilem, &c. vt notat Tabiena, v. Ieiunium, nu. 20. & Sylueſter nu. 15. Nauar. nu. 16. ſecus ſi forte maritus id faciat in contemptum Eccleſiæ; vt ſi hæreticus vellet vxorem cœnare, vt hac ratione oſtendat vxoris facto ſe poteſtatẽ Eccleſiæ aſpernari; tunc enim potiùs mors oppetenda quàm parendum.

Circa prædicta Notandum eſt, cùm ieiunium Eccleſiæ duo contineat, abſtinentiam a cibis vetitis, & abſtinentiam à ſecunda refectione, vt dubit. 3. dictum eſt; quæ de exemptione ab ieiunij præcepto dicta ſunt, intelligenda potiſſimùm de exemptione à præcepto, qua parte vetat abſtinentiam à ſecunda refectione; non autem quia abſtinentia à carnibus & cibis vetitis: *hæc* enim ſunt diſtincta præcepta. pauci enim ſunt quibus concedatur vſus ciborum vetitorum, plurimi quibus ſecunda refectio. Vbi tamen eſt euidens neceſſitas, etiam cibi vetiti conceduntur, abſque vlla Superioris diſpenſatione. In dubio opus eſt diſpenſatione Superioris, qui reſpectu ſæcularium eſt Ordinarius, & illo abſente, Parochus: nam & huic ob creberrimos & quotidianus caſus, poteſtas, in hac lege Eccleſiæ diſpenſandi conceſſa eſt, vt paſſim DD. notant: reſpectu Religioſorum, Prælatus Regularis. Quibus tamen conceſſus vſus carnium, his etiam cenſetur permiſſa ſecunda refectio, vt docet Toletus lib. 6. cap. 3. quod tamen ex tententia Caietani & Nauarri limitauerim habere locum, ſi ratione debilitatis naturæ, vel corroborationis id conceſſum ſit: non autem ſi quia à piſcibus abhorret, vel putantur nocere temperamento: tunc enim cauſa non ſubeſt cur gemina refectio concedatur.

41 *Exemptio à ieiunio quomodo intelligenda.*

In dubio.

Si conceſſus vſus carnium.

DVBITATIO VII.

Vtrùm peregrini teneantur ſpeciali ieiunio loci in quo verſantur.

HAEC quæſtio pendet ex illa generali, Vtrùm peregrinatione tranſitus vel hoſpitij teneantur conſuetudinibus loci, vbi verſantur, quam fuſe tractat noſter Sanctius lib. 3. de matrimonio diſput. 18.

Reſpondeo breuiter & dico Primò, Si peregrinus venerit eò vt ibidem conſtituat domicilium, ſtatim contracto domicilio tenetur ſeruare ieiunia, feſta, & alias loci illius conſuetudines, ſicut alij ciues. In hoc conueniunt omnes DD. nam hoc ipſo, quo ibi conſtituit vel contrahit domicilium, deſinit eſſe peregrinus, & fit incola, & pars illius Reipub. ac proinde *incipit* obligari illius legibus & conſuetudinibus.

46 *Confirmant domicilium.*

Ad contrahendum autem alicubi nouum *domicilium*, requiritur vt incipias ibi habitare cum animo perpetuò manendi, vt ex communi ſententia DD. docet Sylueſter v. Domicilium num. 2. & Sanctius l. 3. de matrim diſpu. 23. Vnde ſi venias cum animo manendi ſolùm ad tempus aliquot annorum, ſicut ſtudioſi ad Academias, non contrahis domicilium. In dubio tamen an ſtatuerit quis manere perpetuò, præſumitur voluiſſe (ac proinde habere domicilium) ex habitatione decennali, vt idem tradunt. Quòd ſi quis duobus locis vicißim habitet cum animo ita perpetuò faciendi, in vtroque domicilium habebit, vt Sylueſter nu. 2. & alij docent. Vnde cõſuetudinibus loci, vbi præſens fuerit, tenebitur. Domicilium autem ſemel contractum non amittitur animo recedendi; ſed requiritur vt reipſa deſerat, ita vt non dicatur ibi amplius habere. vnde non deſinet obligari, donec reipſa recedat.

47 *Manens per maiorem anni partem.*

Dico Secundò, Etiamſi non conſtituat ibi domicilium, ſed ſolùm cogitet manere per maiorem anni partem, tenetur ſimiliter ieiunijs loci & alijs conſuetudinibus. Hanc etiam credo eſſe communem ſententiam, quia plerique DD. etiam ſtrictiùs loquuntur. Probatur, quia etſi talis habitatio non eſt ſufficiens ad contrahendum domicilium abſolutè; ſufficit tamen ad domicilium parochiale, & ad contrahendam paræciam quoad omnia Sacramenta neceſſaria, vt docet Sylueſter v. Domicilium num. 2. & Angelus eodem, & vterque v. Parochia. nam hoc ipſo, quo quis cum tali animo incipit habitare alicubi, fit parochianus illius loci, & ſubiectus illi paræciæ. quod non ſolùm verum eſt quoad Sacramenta neceſſaria, ſed ſimpliciter quoad omnia eccleſiaſtica, vt Confirmationem, Matrimonium, ſepulturam, diſpenſationem votorum, &c. præter Sacramentum Ordinis; (ſub quo intellige etiam primam tonſuram) vt benè oſtendit Sanctius diſpu. 23. & tenent plerique recentiores, vſuſque confirmat: ergo etiam talis habitatio eſt ſufficiens ad contrahendam obligationem ſtatutorum & conſuetudinum loci.

Sed

Sed difficultas eſt, Vtrùm obligetur, ſi non ſtatuerit ibi tanto tẽpore manere; ſed minore anni parte? Sanctius probabiliùs cenſet non teneri, ſi ſcandalum abſit, & illa ▪ loco domicilij non obligent. Primò, Quia tali manſione non contrahitur parœcia, ſeu obligatio Sacramentorum in illo loco percipiendorum; ergo nec conſuetudinem loci: nõ enim videtur eſſe maior ratio in his, quàm in illis. Secundò, Quia illæ conſuetudines ſolùm obligant ibi habitantes; ſed qui ſolùm minore parte anni ibi verſatur, non cenſetur ibi habitare: ergo. Maiorem docet Io. Medina. C. de ieiunio, q. 10. dicens non obligari eos, qui illuc, alunde cõueniunt non animo habitandi. Idem aperte inſinuat Paludanus diſt. 15. q. 4. ar. 3 D Anton. p. 2. tit. 6. c. 2. §. 2. Sylueſt. v. Ieiunium, nu. 7 & multi alij. Quod confirmatur, quia Epiſcopus loci & Magiſtratus non poſſunt obligare niſi ſuos ſubditos, qui ſunt ſoli incolæ. Minor probatur, quia à minore parte non fit denominatio; ſed ſolùm à maiore. Tertiò, Quia hæc ſententia eſt media inter eam, quę requirit domicilium; quę eſt nimis laxa, & inter eam, quæ ſolũ trãſitum, vel vnius d ei præſentiam; quę eſt nimis ſtricta: nec commodior terminus videtur poſſe aſſignari, quàm is, qui à DD. aſſignatur ad contrahendum parœciam. Nec obſtat verſiculus ille vulgatus,

Si fueris Romæ, Romano viuito more.

Et ſi ſis alibi, viuito ſicut ibi. nec illud D. Ambroſij, quod refert D. Auguſtinus epiſt. 118. cap. 2. *Ad quamcunque Eccleſiam veneris, eius morem ſerua.* quia hæc continent non præceptum, ſed bonum conſilium ſepoſito ſcandalo, vt ex toto Auguſtini diſcurſu, & ex Gloſſ. in cap. Illa. diſtin. 12. colligitur.

48 *Si minore anni parte.* *Sententia quorundam non obligari eos.*

Hęc ſententia eſt probabilis; eaque non ſolùm de peregrinis, qui alibi fixum domicilium habent, ſed etiam de vagis, qui nuſquam firmam ſedem obtinent, intelligi poteſt. Nam eadem ratio in illis locum habet, nimirum quia non ſunt incolę aut inhabitantes; & DD. generaliter loquuntur, nec diſtinguunt hoc loco inter peregrinos & vagos; ſed volunt omnes alienigenas, qui veniunt animo nõ manendi, non teneri. Ita Paludanus, Diuus Antoninus, Sylueſter, & Medina ſuprà. Nec obſtat quòd poſſint percipere Sacramenta vbicunque ſe inueniunt; quia illud eſt priuilegium non obligatio: ad nullam enim in particulari aſtringuntur parœciam, niſi per maiorem anni partem aliquo loco conſiſtere decreuerint. neque abſurdum videri debet, eum, qui nuſquam ſiſtit, nullis ſtatutis particularium locorum teneri. Verùm etſi hęc probabilia ſint, tamen.

49 *Eſt probabilis.*

Dico Tertiò, Contrariam videri veriorem, ſpectata cõſuetudine fidelium paſſim recepta. Probatur Primò, Quia fideles nõ ſolùm rudes, ſed etiam doctiores paſſim vbique putant ſe obligari ad ieiunia & feſta locorum, vbi ipſos verſari contigerit, ſi conſtituerint ibi ad aliquot dies manere: adeò vt ſi quis deprehenderetur veſci carnibus die ieiunij, vel violare feſta, puniretur ab Ordinario tamquam tranſgreſſor: maximè ſi duos vel tres menſes ibi manſiſſet: atqui conſuetudo ex tali opinione orta inducit obligationem, non minus quàm lex vniuerſalis; non enim alio modo id, quod antè non obligabat, incipit per conſuetudinem eſſe obligatorium, quàm quòd homines putent ſe obligari, & incipiant illud paſſim tamquam obligatorium ſeruare, vt communiter DD. tradunt. Itaque cùm conſuetudo ſeruandi aliquod ſtatutum, vel conſuetudinem, etiam liberam, ex opinione obligationis inducat obligationem; & hęc conſuetudo talis ſit; videtur omnino inducere obligationem. Nec refert, quòd hęc conſuetudo orta ſit ad ſcandalum vitandum; quia non reſpicitur ex qua occaſione, vel cauſa impulſiua inducta ſit, quando tamquam abſolutè obligatoria eſt inducta: ſicut enim vitatio ſcandali eſt ſufficiens ratio ad aliquid abſolutè vetandum per legẽ; ita etiam ad abſolutè vetandum per conſuetudinem.

50 *Contraria videtur verior.*

Dices, Conſuetudo populi non poteſt inducere obligationem legis eccleſiaſticæ; quia populus non poteſt ferre legem eccleſiaſticam. Eiuſdem autem poteſtatis eſt obligare cõſuetudine & obligare lege. Reſpondeo, Conſuetudinẽ talem non habere vim legis directè ex voluntate populi, ſed ex tacito vel expreſſo cõſenſu Ordinarij loci; qui hoc ipſo quo ſcit illam obſeruari tamquam obligatoriam, & nõ contradicit, cenſetur eam approbare, eique vim legis dare, & poteſt populum cogere vt eam ſeruet. Nec obſtat quòd Ordinarius non videatur peregrinos poſſe obligare, ſed ſolùm incolas; quia quamdiu in loco ipſius iuriſdictionis verſantur, poteſt eos communibus ſtatutis, quatenus id ad bonam adminiſtrationem ſui populi eſt neceſſarium aut expediens, obſtringere. Imò iure gentium id videtur receptum, vt omnis princeps poſſit in ſua ditione exteros, quamdiu ibi verſantur, legibus ſuis conſtringere, & delinquentes punire. Id enim eſt neceſſarium ad bonum commune, ne illi ſuis moribus vel actibus populo ſint damno vel ſcandalo. Sic conſtituuntur à magiſtratibus in diuerſis locis pretia rerum, quæ etiam externi in vendendis ſuis mercibus ſeruare tenentur. Sic prohibetur armorum certi generis delatio, rerum quarumdam exportatio, importatio, diſtractio, & ſimilia, quæ etiam ad externos tranſeuntes pertinent. Simili modo prohibentur vina ſub grauibus pœnis, quæ etiam externis ea committentibus infligantur, etiamſi inter ſe abſque iniuria alicuius incolæ peccauerint. Ex quibus fit vt etiam ſtatuta particularia ieiuniorum & feſtorum externos obſtringere poſſint, qui eo tempore intra diœceſim vel oppidum, vbi ſeruanda ſunt, verſantur. *An ordinarius poſſit obligare peregrinos.*

Secundo, Quia id eſt magis conſentaneum rationi, & moraliter neceſſarium, vt alij præceptum ſeruent: ſi enim peregrini poſſent veſci carnibus & cœnare, magna daretur occaſio ijs, apud quos verſantur, ſe illis cauſa hoſpitalitatis & amicitiæ adiungendi, & violandi præcepti; idque probat quotidiana experientia, quando aliquis tempore ieiunij accedit foris, vel recedit; nam ſub prætextu tractãdi amici, qui cauſa itineris non obligatur, hoſpes & domeſtici ſimul comedunt, & præceptum ieiunij violant. Vnde ob hanc cauſam puto Epiſcopum loci poſſe etiam peregrinos ibidem per aliquot dies ſubſiſtentes obligare vt ſe alijs accommodent.

Tertiò, Quando quis eſt extra ſuum oppidum, nõ obligatur amplius ieiunijs & feſtis oppidi, vt ſtatim dicemus: ergo par eſt vt ſubeat obligationem loci, in quo verſatur: qui enim ſentit commodum, debet etiam ſentire onus, iuxta 55 regulam Iuris.

Hanc ſententiam tenet Driedo libro primo de libertate Chriſtiana c. 17. circa medium, vbi probat illam ex Diuo Auguſtino. Couarruuias libro quarto variarum, capit. 20. nume. 8. vbi pro ea adducit Imolam, Bonifacium & Zabarel. in Clementina ſecunda de celebratione Miſſarum. & Maiorem diſtinctio 15 quæſtione 5. eamque probat ex cap. Illa. d. 12. vbi referuntur verba D. Auguſtini ex epiſt. 118. cap. 2. Nauarr. cap. 13. num. 5. in fine. & cap. 23. num. 120. vbi præter dictos adducit Panormitanum, addens communi conſuetudine ita ſeruari. Lopez. 1. par. cap. 52. & alij multi.

Non tamen ita ſtrictè intelligendum puto, vt ratione ſimplici tranſitus obligetur: non enim conſuetudo id tam ſtrictè obſeruat. Vnde ſi eodem die, quo venit, vel poſtridie cogitet diſcedere, non tenetur. Iecùs ſi integro die, vel pluribus ibi manere ſtatuerit: multoque magis, ſi aliquot hebdomadis, vel menſibus; tunc enim poſtridie quàm venit, debet ſe conformare: quia talis dicitur ibi manere, & habitare pro tempore. quòd ſi ab initio non ſtatuit ibi manere, & ſingulis diebus capiat occaſionem redeundi, non puto teneri; etiamſi forte non proficiſcatur: quia non cenſetur ibi vllo die manere, ſed eſſe aſſiduè veluti in tranſitu. Quod intelligo ſi putet ſe eo die profecturum. alioquin ſi putat ſe manſurum, videtur teneri ad ieiunium illius diei; quia pro illo die non ſe habet per modum tranſeuntis, ſed manet ibi toto tempore quo præceptum obligat. Similiter videtur teneri in dubio an ſit profecturus: quia certus eſt ſe iam eſſe in loco vbi præceptum ieiunij obligat, & non conſtat ei de profectione, per quam eſſet excuſandus. Idem dixerim de Sacro, ſi die feſto particulari illius loci maneat ibi toto tempore, quo hoc præceptum implendum eſt, hoc eſt, vſque ad meridiem. alioquin ſi durante illo tempore exuerit terminos loci, extra quos non extendit ſe illud feſtum, non videtur teneri. 51 *Non ſufficit ſimplex tranſitus.*

Petes, Vtrùm is, qui expleuit ieiunium quadrageſimæ, vel aliud, ſi venerit ad locum vbi nondum illud eſt peractum, (vt ſæpè modo fit ratione noui calendarij, non vbique recepti) teneatur ibidem rurſus ieiunare & à carnibus abſtinere? 52 *Qui ieiunium uno loco explenit.*

Reſpondeo non teneri; quia præceptum illud iam impleuit in ſua Eccleſia. vnde etiamſi conſtitueret ibi domi-

micilium,non tenerentur: quia etiamsi per hoc domicilium dicatur contrahere omnes obligationis ciuium illius loci; id tamen solùm est intelligendum de obligationibus particularium statutorum & consuetudinum loci, non autem præceptorum communium toti populo Christiano, quibus iam satisfecit. Cauendum tamen ne alij inde scandalizentur. Idem dicendum de celebratione festorum & communione paschali.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm ciuis teneatur peculiari ieiunio sui oppidi, dum absens est.

53 PALVDANVS d.15.q.4.art.3. putat eum teneri, donec alibi incipiat habitare,& statutis illius loci obligari. Ratio ipsius est, quia par est quemque obligari statutis sui loci,donec incipiat astringi statutis loci alterius: sicut Iudæi tenebantur ad legalia, donec post Christi mortẽ cœperunt obligari ad euangelica Sacramenta: atqui non incipit obligari statutis loci alterius, nisi incipiat ibi esse animo habitandi;ergo si solùm transeat, vel maneat ad breue tempus, manet obstrictus legibus & consuetudinibus sui loci.Idem ex Palud.docet D.Anton.p.2.tit.7.c.2. §.2.in fi. & Syl.v.Ieiun.nu.7.

54 *Probabilius est peregrinũ non teneri statutis sui loci.*

Sed contraria sententia est multò probabilior & ferè cõmunis,quam tenent Driedo, Nauarrus, Couarr. & Lopez sup. & alij, quos isti citant. Denique Sancius libro 3. disp. 8.vbi complures adducit. Probant DD.communiter ex capit.illa.d. 12. desumpto ex Duo Augustino epist.118. capit. 2. vbi adducit Ambrosium respondentem sibi in hæc verba: *Cùm Romam venio, sabbato ieiuno; cùm Mediolani sum, non ieiuno: sic & tu ad quamcumque forte Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi.* Vbi aperte indicat licitum fuisse B. Monicæ,exulanti Mediolani, non seruare ieiunium suæ patriæ, eò quòd in loco, vbi tunc præsens erat, non ieiunaretur. Idem confirmatur ex illo versiculo, *Si fueris Romæ*, &c. Ratio est,quia statuta & consuetudines locales sunt veluti affixa loco,& ligant ratione existentiæ in loco. vnde statuta Episcopi non ligant extra territorium; & excommunicatio ab eo lata in fures. non incurritur à subditis furtum extra territorium committentibus, vt habetur cap.2. de cõst. in 6.quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè, vt ibidem dicitur.

55 *Possunt se accommodare incolæ in ciuitate.*

Hinc sequitur Primò, Vbi incolę, vel parochiani possunt vesci carnibus,vel ouis, certis diebus, ibidem id posse etiã peregrinos,etsi illo tẽpore in oppido, vel parœcia illorum non liceat, & illi eodem die domum sint reuersuri, vel ab ea discesserint. Vnde Lusitani & Nauarri per Castellã iter agẽtes,possunt diebus sabbati comedere extrema & viscera animalium; quamuis id in patria eorum sit illicitum, vt Nau.cap.13.nu.5. Couarruuias suprà & alij DD. Hispani tradunt.

In festis celebrandis.

Secundò, Quando est festum in vna parœcia oppidi,in altera autem non est, vt interdum fit, possunt subditi parœciæ in qua est festum, extra limites suæ parœciæ laborare.Hi tamen manè debent audire Sacrum, iuxta Nauarrum suprà, quia præceptum, in loco vbi vim habet, ipsum deprehendit. Confir. quia præscius impedimenti superuẽturi,quod ab implendo præcepto impediet,tenetur præuenire: vt si tempore paschali posterioribus septem diebus à communione ex impediendus, teneris prioribus communicare, vt præceptum impleas.

56 *An teneatur audire Sacrum.*

Aduerte tamẽ,etsi hæc sentẽtia Nauarri sit tutior, alterã tamen esse valdè probabilem, vt Sancius ex quibusdã doctis recentioribus tellatur, nimirum tales non teneri ad Sacrum, si durante adhuc commoditate implendi præcepti sint futuri extra limites loci: nam quamdiu adhuc superest illa cõmoditas,non peccant contra præceptum non audiendo;dum verò sunt extra limites loci,desinunt obligari. Neque tenentur præuenire, audiendo ante abitum, quia tunc solùm tenemur præuenire, quando manente vi præcepti,seu nostra subiectione, impediẽdi sumus;vt cum quis manens in loco, vbi viget præceptum, videt se horis posterioribus impeditum fu. secùs verò quando intra tempus implẽdi desinet esse subditus præcepto. Ratio est,quia quando præcipitur vt intra tale tempus hoc vel illud facias,intelligitur tacita conditio, Si toto illo tempore subditus præcepto manseris. vnde si te contigerit interea eximi à subiectione præcepti; siue per dispensationem, siue alio modo, non teneberis tempus exemptionis præuenire. Ex quibus patet responsio ad arg.

57 *Discedens ex oppido vbi non est ieiunium.*

Tertiò, qui manè discedit ex oppido, vbi non est ieiunium,potest comedere,etiam carnes vel alij,etiamsi vesperi, vel meridie peruenturus sit ad oppidum domicilij vbi abstinetur. hoc tamen loco non poterit carnibus vesci; quia in loco domicilij statim eius legibus tenetur. Poterit tamen cœnare, quia ieiunio semel violato non tenetur à cœna abstinere. quòd si nondum violatum est, tenetur illud seruare,& à secunda refectione abstinere.

58 Quartò, Qui discedit manè ex oppido domicilij vbi est ieiunium,peruenturus ad locum,vbi non est ieiunium,non potest quidem in loco domicilij vesci carnibus; quia quãdiu ibi est,obligatur præcepto abstinendi a carnibus, sicut alij; potest tamen sumere ientaculum,vt rectè docet Sancius, si certus sit se peruenturum ad locum illi præcepto non subiectum. Ratio est, quia non tenetur illo die abstinere à secunda refectione, cum in loco, quò peruenturus est,possit secundò & tertiò comedere: ergo potest primã refectionem sumere manè antequam discedat. quicumque enim potest intra diem bis comedere, non tenetur illo die præcepto ieiunij quoad vltimam refectionem, vt suprà dubit.3.ostensum est.

59 *Qui recedit à loco vbi adhuc durat quadragesima in alium vbi trãsacta. Non obligari.*

Petes, Vtrùm is, qui durante quadragesima in oppido vbi versabatur,recedit aliò,vbi illa iam est transacta,teneatur ibi eam perficere. res est,quæ quotannis accidit ob mutationem calẽdarij,quibusdam locis non recepti. videntur teneri;quia hoc præceptum est generale; ergo obligat vbique, & vbique impleri debet.

Contrarium verus forsasse alicui videri posset, ob rationem illam generalem, quòd possit se moribus eorum, quibuscum viuit, accommodare. Confirmatur; quia qui primis quatuor diebus Quadragesimæ veniunt Mediolanum,non tenentur ieiunare,vt communis in Italia est opinio; eò quòd ieiunium illud ibi nondum sit inchoatum: ergo etiam qui ueniunt aliquo,ubi iam est transactum,non tenentur;sed possunt se incolis accommodare.Idem dicendum de festorum celebratione.

De confessione annua, & communione, alia est ratio: nam qui in Paschate non impleuit, tenetur postea ad primam opportunitatem, iuxta ueriorem sententiam: hoc enim onus absolutè personam, absque respectu ad locum, afficit.

60 *Ad rationẽ.*

Ad rationem Respondeo, Etsi ieiunium quadragesimæ obliget omnes,& vbique;non tamen omnino absolutè,sed sub tacita conditione; si sit in loco ubi nondum est expletum, sicut festa communia. Hæc sententia uidetur satis probabilis, si loquamur de ijs, qui non in fraudem ieiunij, sed bona fide negotiorum causa locum mutant;præsertim cùm ualdè difficile sit in conuictu humano seorsim ab alijs seruare ieiunium, ceteris omnibus a ieiunij lege solutis, & minimè ieiunantibus.

Contrariam tamen sententiam etiam ualdè probabilem sentio,& in praxi suadendam: neque dubium est quin Ecclesia sic possit obligare.

DVBITATIO IX.

Vtrùm tempora ieiunij ab Ecclesia sint rectè determinata.

D. THOM. ART.5.

61 RESP. affirmatiuè: cùm enim ieiunium usurpetur ad expiationem peccatorum, & eleuationem mentis in Deum, illis maximè temporibus indicitur ab Ecclesia, quibus in hæc præcipuo quodam studio est incumbendũ; nimirum ante solemnitatem paschalem,quatuor anni temporibus, quibus Ecclesiæ ministri ordinandi, & in uigilijs maiorum Ecclesiæ festorum.

62 *Ieiunium quadragesimæ.*

Ac Primo quidẽ, ieiunium quadragesimæ indicitur tẽpore uerno ante solemnitatem Paschæ,ob quatuor potissimũ causas.Primo, Quia maximè illo tẽporè uacandũ fidelibus

Ieiunij vsus tempore veteris.

libus orationi & recolendis ijs, quæ Dominus pro nobis gessit præsertim passione, morte, & resurrectione, ad hoc autem præstandum aptissima dispositio est ieiunium. Secundo, Quia tunc debent se parare ad confessionem, & Eucharistiam, agendo pœnitentiam, castigando carnem, & gratiam à Domino vitæ emendandæ impetrando; ad quæ omnia nihil accommodatius ieiunio: vnde in Collecta dicitur *Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimalis obseruatione purificas*. Tertiò, Illud tempus est ieiunio accommodatissimum, ratione castitatis, & vt caro non dominetur spiritui. nam vetno tempore natura maximè incitari solet ad libidinem, ob sanguinis & spirituum augmentum, ac feruorem. Itaque parsimonia victus & vsu ciborum refrigerantium, minusque alentium comprimenda. Quartò, Est aptissimum ratione valetudinis, vt nuper Clar. medicus D. Viringus edito libello eruditè ostendit: tunc enim humores augeri, & efferuescere incipiunt: vnde opus est detractione, & temperatione per medicamenta cathartica, & sanguinis missionem; quorum locum saluberrimè supplet ieiunium, vt inquit Diuus Basilius oratione secunda de ieiunio.

Cur ea dierum numero.

63 Porrò hic numerus dierum potiùs quàm alius est definitus, Primò, Vt Domino aliquo modo imitemur, qui vnico solido ieiunio hunc numerum impleuit. Secundò, Ob varia mysteria huius numeri, quibus designatur tempus huius vitæ esse tempus pœnitentiæ. vnde & Moyses 40. dies in deserto ieiunauit, vt legè acciperet: & Elias totidè dies, per desertum fugiens Iezabel, & ad mõtem Dei Oreb profiscens: Filij Israel 40. annos in deserto peregrinati sunt, & 42. mansionibus ad terram promissionis peruenerunt. Denique diluuium 40. dierum pluuia totum mũdum inundauit, eumque peccatis expiauit. vide Ambrosium sermo. 23. 24. & 34. Chrysostom. hom. 1. in Genesim, Cyprianum, serm. de ieiunio Christi. Tertiò, Quia sic Domino, cui de omnibus decimas dari lex iubet, soluimus decimas dierum anni; vt pulchrè tradit Gregor. homil. 16. in Euang. constat enim annus diebus 365. huius numeri decima pars sunt 36. Primis Ecclesiæ temporibus, Quadragesimæ ieiunium propriè solùm constabat sex hebdomadibus, seu 36. diebus, & inchoabatur à Dominica Quadragesimæ, vt habetur cap. Quadragesima distinctio. 5. dicebatur tamen ieiunium Quadragesimæ includendo Dominicas; etsi illis non ieiunabatur. Postea Telesphorus, qui fuit nonus Pontifex addidit septimam hebdomadam pro Clericis, nimirum eam, quæ est à Dominica Quinquagesimæ, vt patet cap. Statuimus. distinctio. 5. Verùm quia hæc lex moribus vtentium non est approbata. (vt Gratianus ad cap. In illis, ait) vel certè contraria consuetudine est abolita, præterquam in quibusdam Monasterijs, modò non obligat. Multi tamen pij viri abstinentiam carnium à Quinquagesima incipiunt.

64 Mansit autem in Ecclesia consuetudo inchoandi hoc ieiunium à feria quarta quinquagesimæ; tum vt 40. dies ieiunij expleantur; tum quia olim per totum annum extra tempus paschale, feria quarta & sabbato ieiunabatur: & ita etiamsi solum 36. dies propriè ad quadragesimam dicerentur pertinere: tamen reipsa erant 39. assumptis tribus ex hebdomade quinquagesimæ.

Ieiunium feriæ 4. & 6.

De ieiunio feriæ quartæ & sextæ constat ex Epiphanio hæresi 75. vbi dicit hoc ab Apostolis institutum, & toto orbe receptum.

Sabbati ieiunium.

Sabbati ieiunium etsi non vbique, tamen in Ecclesia Romana & in Africa receptum erat; vt constat ex D. August. epist. 118. c. 2.

65 *Quatuor tempora.*

Ieiunium quatuor temporum respondet quatuor anni quadrantibus, quibus insignes exsiliunt aeris & corporum mutationes; nimirum veri, æstati, autumno, hiemi. Olim solùm ter celebrabatur; sed Calixtus I. epistol. 1. constituit quater fieri, vt habetur c. 1. Ieiunium, d. 76. Quibus autem temporibus fieri debeat, statuit Vrbanus I. ca. 4. Statuimus. d. 76. vbi multa alia de hoc videre licet; & apud Couar. l. 4. var. c. 20. nu. 9.

Ex his colligi videtur, ieiunium feriæ quartæ, sextæ, & sabbati per annum non ita stricte obligasse, nisi ad abstinentiam carnium: alioquin superfluum fuisset instituere

66 ieiunium quatuor temporum.

Ieiunia vigiliarum.

Ieiunia vigiliarũ sunt illa, vigilia natiuitatis Domini, & assumptionis B. Virginis: vtrumque habetur cap. 1. de obseruat. ieiun. Vigiliæ omnium Apostolorum, excepta vigilia Philippi & Iacobi, & Ioannis Euangelistæ. Ita habemus capit. 2. eodem, vbi Innocentius III. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd omnium Apostolorum vigiliæ sunt in obseruatione ieiunij celebrandæ, præter vigilias Apostolorum Philippi & Iacobi, & B. Ioannis Euangelistæ: quoniam ipsorum solemnitas intra solemnitatem paschalem, festus autem intra natalem Domini celebratur*. Vnde patet Concilium Prouinciale non posse ieiunium vigiliæ SS. Bartholomæi, Matthiæ, Iacobi, vel Thomæ tollere; quia non potest tollere legem aut consuetudinem Ecclesiæ vniuersalis. Si tamen in aliquo loco longa consuetudine receptum esset vt illis diebus non ieiunetur, excusaret à peccato: sicut enim consuetudo potest tollere obligationem seruandi festi S. Bartholomæi, vt habetur d. cap. 2. ita etiam obligationem ieiunij. eadem est ratio aliorum festorum & ieiuniorum; quamquam difficilius fit consuetudinè contra illustriora mualescere, quàm contra minùs illustria.

Quatuor ieiunia ex consuetudine.

Præter hæc sunt quatuor ieiunia, quæ etsi iure scripto non contineantur; tamen generali Ecclesiæ consuetudine seruantur; Vigilia S. Ioannis Baptistæ, Sancti Laurentij, omnium Sanctorum, & Pentecostes, vt communiter tradunt Doctores.

67 Ex his patet, ieiunia, ad quæ iure scripto obligamur, esse quinquaginta sex, nimirum quadraginta in quadragesima, nouem ratione quatuor temporum, (nam tria incidunt in quadragesimam) & septem vigiliarum. His adde quatuor vigiliarum ex consuetudine, & præterea quæ cuique loco sunt peculiaria.

Ieiunia 60.

An die dominico.

Petes, Verùm Dominico die fas sit ieiunare?

68 Respondeo, Si non fiat ex aliquo errore, vt fiebat à Manichæis; nec ex contemptu moris ecclesiastici, & scandalum absit, posse ex aliquo honesto motiuo fieri. vnde & multi Eremitæ diebus Dominicis ieiunabant, vt ex vitis Patrum constat.

DVBITATIO X.

De ieiunij commodis.

69 MAXIMA commoda adfert ieiunium, sed potissimum quinque. Primò. Præstat corpori bonã valetudinem, & agilitatem; arcendo omne penè genus morborum: nam ferè omnes morbi ex eo proueniunt, quòd homo plus ingerat quàm natura possit rectè conficere ac dispensare, & superflua discutere. Hinc vertigines, apoplexia, paralysis, & varij capitis dolores: hinc tussis, ali humota, & phthisis, & pectoris mala: hinc variæ cruditates & lancinationes in stomacho: Ileus, colica, dysenteria, diarrhœa in intestinis: obstructiones in mesenterio, in hepate, in splene; calculi in renibus; hinc omnes morbi articulares; hinc crudis humoribus corruptis multa febrium species. vnde meritò dixit Demetrius Epagomenus ἀδηφαγία καὶ ἀκρασία πλείστων νοσημάτων αἰτία. Satietas & larga potio plurimorum morborum causa, & vulgò dici solet, *Plures occidit gula, quàm gladius*.

1. Bona valetudo.

Ieiunium verò causas morborum tollit: nam facit vt perfecta fit concoctio, & facile consumit & discutit quidquid ex prima, secunda, vel tertia concoctione est superfluum; quod alioquin illorum morborum est causa. Hinc Cypr. vel quicumque est auctor serm. de ieiun. Christi, *Ieiunium carnes azymas nouo dat, & solidat, & putredines, quæ ex cibis prodierant, consumit & siccat.*

70 Secundò, Longæuitatem præstat: dum enim arcet vel consumit humores naturam grauãtes & calorem natiuum opprimentes, vis naturæ manet integra & sui iuris, vitamque extendit quamdiu naturaliter produci potest; ita vt homo non nisi mero senio, & naturæ defectu viuere desinat. Confirmatur, quia plerique ante illam ætatem morbis oppressi decedunt; quos morbos ieiunium excludit. Denique exemplo sunt Eremitæ, & multi SS. Patrum, qui vitam per ieiunium in extremam ætatem extenderunt, vt Paulus, Antonius, Hilarion, Hieronymus, Romualdus, Franciscus à Paula, & alij innumeri.

2. Longæuitas.

Nec est quòd hic recurrat quis ad miraculum; quia ferè oẽs ieiunio dediti, qui alijs laboribus fracti non fuere, longæui fuere. Nouæ Monialium seminarum; nouissimo vicia

vrentium, vbi etiam ſexagenariæ & ſeptuagenariæ nondũ inter ſenores cenſentur: vt meritò dixerit Sapiẽs, Eccl.37. *Qui abſtinens eſt, adijciet vitam.*

71 *3. Tentationes carnis ſedat.*

Tertiò, carnis tentationes extinguit, eamq; ſpiritui ſubijcit: hæ enim ferè proueniunt ex copia humidi & calidi redundantis: ieiunium autem ſiccat & refrigerat. Cyprian. ſermo. de ieiunio; *Ieiunijs vitiorum ſentina ſiccatur, ſentiantia marcet, concupiſcentia languet, fugitiua olea voluptates, extinguitur ardentis Aetna incendium, & flammiuomus fornax Vulcani extincta intrinſecus, montes conterminos non adurit. ieiunium ſi diſcretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat; & tyrannidem gulæ ſubiat & exarmat. ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos diſtringit & ligat.* Baſil. orat. 1. de ieiunio. *An ignoras quòd perinde atque in acie hinc atque hinc inſtructa ad conflictum, qui alteri parti ſert ſuppetias, facit vt altera vincatur? Ita qui carni ſe adiungit, expugnat ſpiritum: & qui ſtat à ſpiritu, carnem in ſeruitutem redigit. proinde ſi cupis mentem reddere validam fac vt carnem domes ieiunio.* Auguſt. libr. de vtil. ieiun tom. 9. (videtur eſſe ſermo ad plebem) cum dixiſſet non eſſe audiendum tentatorem ſuggerentem, *Quid facis, quia ieiunas? defraudas animam tuam, tibi ipſe ingeris pœnam, tuus ipſe tortor es,* &c. ſubijcit, *Reſponde ei per hanc ſimilitudinem; Si turrenta forte inſideret, ſi equo veherere, qui te geſtando poſſet præcipitare, nonne vt ſecurius iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares quem frano non poſſes? caro mea iumentum eſt: iter ago in Ieruſalem: plerumque me rapit, & de via conatur excludere: vis autem mea Chriſtus eſt, ita exhiberem non cohibebo ieiunio?* Denique omnes Sancti hoc præcipuè remedio ad carnem domandam vſi ſunt

72 *4. Senſus exacuit.*

Quartò, Senſus externos & internos exacuit, ac proinde etiam intellectum ſerenat, & ad omnes tuas functiones apteriorem reddit; conſumptis enim humoribus, & vaporibus caput opplentibus, magna ſerenitas oboritur menti, & facilitas ad ſtudia pulcherrimarum diſciplinarum, ad orationem, meditationem, & rerum diuinarum contemplationẽ, vt quotidiana experientia docet. Idem teſtantur Patres, Chryſ. homil. 1. in Gen. *Ieiunium lunes pennas animæ producit, vt in ſublime feratur, & ſummæ contemplari queat. voluptatibuſque & omnibus, quæ in hoc mundo habentur ſuauia, ipſa ſit ſuperior. & ſicut leuiores naues maria facilius tranſeunt; contra multis oneribus grauata ſubmerguntur: ita ieiunium leuiorem reddens mentem: efficit vt facilius huius vitæ pelagus tranſmittat, & in cœlum, ac ea, quæ in cœlis ſunt, reſpiciat, & nihil faciat præſentia; ſed vt umbras & ſomnia, & ſi quid mundo, diffugere ſentiat,* &c. Leo ſerm. 2. de ieiunio decimi menſis, *Semper virtutis cibus ieiunium fuit, de abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubria conſilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus inuouatur.* Vbi aduerte, vocari *cibum virtutis*, quia virtus alitur & creſcit ieiunio. Sic ieiunium eſt alimentum animæ: ſicut enim cibus ille corporalis impinguat corpus; ita ieiunium animam habilorem & valentiorem reddit.

73 *5. Illuſtrationibus animum aptat.*

Quintò, Animam ad diuinas illuſtrationes, aliaque chariſmata præparat: idque duplici ratione. Primò, Quia mẽs in ſereno verſans, aptior eſt à Deo tangi, & cæleſtia ſentire. etſi enim Deo volenti illuminare nullum impedimentum, aut ineptitudo hominis poſſit obſiſtere, ordinariè tamẽ requirit vt homo ſe diſponat, & quantũ poteſt idoneum reddat. Secundò, Qui ſe à carnis ſolatijs auocant, merentur ſolatia ſpiritus: Cyprianus ſuprà, *Quotquot viros virtutum vidimus, ſine ieiunio non legimus aſcendiſſe: nec aliquid magnum moliti ſunt, niſi prius abſtinentia præceſſiſſet.* & paulò ante, *Ieiunium Scripturarum delitijs præſcitur, contemplatione reficitur, gratia ſtabilitur, cæleſti pane nutritur. Danielis interpretatio ſomniorum reuelatur ieiunio, & tres pueri de Babylonio egrediuntur incendio.* Baſilius orat. de ieiunio, fuſè hunc locum proſequitur, allatis exemplis Scripturæ. Primum de Moyſe, qui 40. dierum ieiunio cùm animum præparaſſet, admiſſus eſt ad colloquium Dei. & legem accepit: idque tabulis ob peccatum populi fractis, ſecundò factum eſt. Deinde de Helia, *Heliam*, inquit, *magni illius miraculi ſpectatorem ieiunium fecit*, &c. De Daniele ſic ait, *At ne Daniel quidem ille ſapiens viſiones videre merus ſſet, niſi ieiunio reddidiſſet animam lumpidiorem. ſiquidem è corpore paſſu, ceu fumoſi quidam vapores exhalantur, qui lucem S. Spiritus in hominis mentem irradiantem, quaſi denſa nubes interueniens, intercipiunt.* Eadem habet Chryſ. homil. 1. in Gen. Adde, donum prophetiæ & miraculorum vix vlli conceſſum, qui non eximius ieiunij cultor fuerit.

74 *6. Flagella auertit.*

Sexto, flagella impendentia auertit, & pro peccati reatu ſatisfacit. conſtat exemplo Niniuitarum. Ionæ 3. & Regis Achab, 3. Reg. 21. qui flagellum impendens ieiunio redemerunt. Denique Prophetæ paſſim ad hunc finem ieiunij prædicabant; Ioel 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu, & ſcindite corda veſtra,* &c. Matth. 3. *Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Inter fructus, ſeu opera pœnitentiæ, maximè ſemper habitum eſt ieiunium, vt conſtat exemplis allatis, & aliorum, qui pœnitentiæ ſe dederunt.

75 *7. Impetrandi vim habet.*

Septimò, Quæuis beneficia impetrat, præſertim orationi coniunctum. Cyprian. id ſuſè declarat; *Quoties* (viri ſancti) *aliquid à Deo obtinere conati ſunt, ieiunijs inſtruere & lactymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carni horridis, ſupplices beneficia poſtularunt, nec deſuit promissus,* &c. Dan. 10. *Nolis meruere Daniel; quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum vt te afflingeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua.* Illa autem afflictio erat per ieiunium, vt ex verbis præcedentibus conſtat. Matth. 13. de peſſimo genere dæmoniorum dicitur, *Hoc genus in nullo ejicitur, niſi in oratione, & ieiunio.* Diuus Thomas in difficultatibus Sacræ Scripturæ orationi iungebat ieiunium, vt à Domino intelligentiam impetraret, vt refertur in vitæ ipſius hiſtoria.

76 *8. Eſt meritorium.*

Octauò, Eſt meritorium mercedis apud Deum, etiam vitæ æternæ, Matth. 6. *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lauа, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: & Pater tuus, qui eſt in abſcondito, reddet tibi;* nimirum mercedem cæleſtem, de qua mox ſubdit; *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo,* &c. Ierem. 35. Rechabitis, quòd obediuiſſent patri in abſtinentia vini, & mansione in tabernaculis, promittitur luculenta merces; nimirum vt non deficiat ex ſtirpe eorum ſtãs in conſpectu Domini cunctis diebus. Denique, eſſe meritorium, eſt commune omnibus operibus bonis, in ſtatu gratiæ factis; vt orationi, & eleemoſynæ, vt ex Scripturis conſtat quibus virtus orationis, & eleemoſynæ commendatur: ergo etiam ieiunio; eſt enim opus bonum & commẽdatus cum ceteris. Tob. 12. *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere.*

Ex his patet quantum bonum ſit ieiunium.

Porrò has, & alias commoditates quidam Patres confingunt expreſſere, vt ſimul mentẽ propoſitæ magis alliciant. Baſil. ora. 1. *Ieiunium Prophetas generat, parentibus robur addit. Ieiunium legumlatoribus ſubminiſtrat ſapientiam, bonæ animæ cuſtodia, corpori tutus comitator, armatura fortiter bellantibus, athletis exercitatio. hoc tentationes depellit, hoc ducit ad pietatem, vigilia familiaris comes, ſobrietatis architectus, in bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem. Nauem ſanctificat, ſacerdotem reddit ſacris idoneum,* &c. Chryſoſtomus homil. 1. de ieiunio, tom. 5. *Ieiunium Angelorum imitatio eſt pro noſtra virili, contemptus præſentium, ſchola precum, alimentum animæ, ſtramen vris: & mitigat concupiſcentias; ſciunt qui ieiunant: & mitigat voluptates, non ignorant qui tentarunt; mollit furorem, comprimit iram, ſudat ſluctus naturæ, excitat rationem, claram facit animam, alleuiat corpus, figit nocturnas ſedatores, ab ebrietate liberat, capitis dolores tollit, claros aſſert & colores & aſpectus,* & alia, quæ ſequuntur. Vide plura apud prædictos Patres, & Amb. l. de Elia & ieiun.

DVBITATIO XI.

Quid hæretici in ieiunio Catholicorum reprehendant, & eorum breuis refutatio.

77 *Hæretici in noſtro ieiunio ſex conditiones calumniantur.*

HÆRETICI huius temporis, ſex quaſdam conditiones vel circumſtantias in noſtro ieiunio calumniatur. Primò, Quòd in eo ſeruemus delectum ciborum, abſtinentes à carnibus, & etiam ab ouis & lacticinijs in Quadrageſima, eſſe enim doctrinam dæmoniorum *abſtinere à cibis, quos*

1. *Delectum ciborum.*

quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his, qui cognouerunt veritatem. vt inquit, Apoſtol. 1. ad Timoth. 4. quod confirmant, *quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* vnde Matth 15. *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.* Deinde delectum ciborum pertinere ad ſeruitutem legis veteris & Iudaicas cęrimonias. Ad Colo. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, & potu, & parte diei feſti.* &c.

98 Ad hoc reſpondendum eſt, Nos non abſtinere a carnibus, aut aliis cibis tamquam immundis, ſicut ab illis abſtinebant Iudæi, & quidam hæretici; (alioquin nunquam illis veſceremur, ſicut nec illi veſcebantur) verùm cauſa domandi corporis, & vacandi melius orationi; & ob alios fines ſuprà dictos: vt docet D. Auguſt. contra Adimantũ, cap. 14. & contra Faustum lib. 30. cap. 5. & Theodoretus, de diuinis decretis cap. vlt. quo modo Daniel à carne, vino & pane delicatiore per tres hebdomadas abſtinuit. Dan. 10. & Rechabitæ a vino, Ieremiæ 35. & Nazaræi ab omni eo, quod inebriare poſſet, Num. 6. & Ioannes Baptiſta ab omnibus delicijs, ſolo melle ſilueſtri & locuſtis contentus; quomodo ab initio naſcentis Eccleſiæ viri ſancti, & ſi leles omnes, in ieiunio, a carnibus, & alijs quibuſcum cibis abſtinuerunt, vt ex ſupradictis conſtat.

Reſp.

77 Ad teſtimonium Apoſtoli Reſpondeo, Ipſum loqui de abſtinentia, quæ ſit a cibis tamquam natura ſua immundis. prædicit enim ſpiritu prophetico fore hæreticos, qui inſtinctu dæmonum iuberent abſtinere à nuptijs, tamquam malis, & à cibis quibuſdam, tamquam immundis. Tales fuerunt poſtea Tatiani, qui & nuptias damnabant, (vnde dicti Encratitæ, quaſi continentes) & a carnibus, tamquã immundis abſtinendum docebant, teſte D. Auguſt. hæreſi 25. Tales Manichęi, qui ſimiliter damnabant nuptias, & *vinum* dicebant eſſe *fel Principum tenebrarum*; vnde ab eo prorſus abſtinendum. Item *à carnibus, tamquam de mortuis, vel occiſis fugerit diuina ſubſtantia, tantumque ac tale inde remanſerit, quod non dignum non ſit in electorum ventre purgari*, vt inquit D. Auguſt. hæreſi 46 & alibi; *quæſi & ipſa cum fructibus, reperiat*; vt ibidem ait. Tales etiam Priſcillianiſtæ quoque, qui & nuptias deteſtabantur, & *carnes tamquam immundas eſcas vitabant*, teſte eodem hæreſi 70. De his & ſimilibus loquitur Apoſtolus; & contra eos valet eius ratio. Ita paſſim hunc locum exponunt Patres, Auguſt. contra Adimantum, c. 14. Chryſoſtomus homil. 12. in 1. ad Timoth. Ambroſius, Theodoretus, & alij in hunc locum.

Locus Apoſtoli explicatur.

80 Ad confirmationem: Illo loco Matthęi ſolùm ſignificatur hominem non coinquinari ex eo, quòd non lotis manibus manducet, ſicut Phariſęi putabant: non enim agitur ibi de ciborum delectu; neque Phariſæi reprehendebant diſcipulos quòd cibis lege veteris vterentur. Poteſt tamen illa ſententia etiam generaliter accommodari; etſi enim durante lege veteri eſſent aliqui cibi, qui cenſerentur immundi, non natura, ſed myſterio, & ſignificatione, ex illius legis decreto; tamen poſt mortem Chriſti omnis hęc immunditia eſt ſublata; vnde Actorum 10. dicitur Petro, *quæ Deus purificauit, tu ne communes dixeris*. & Apoſtolus ad Titum 1. *Omnia munda mundis*. Itaque modo a nullo cibo tamquam immundo abſtinendum eſt: quia neque natura immundus eſt vt hæretici volebant, neque ſignificatione, vt tempore legis veteris. Quare *nihil, quod intrat in os, coinquinat hominem*: nimirum per ſe, & vi ſua, ſicut Iudęi putabant. poteſt tamen coinquinare ratione inobedientię, qua ſumitur; ſicut poteſt ratione ſcandali, cũ quo ſumitur: quo modo vetici carnibus die ieiunij coinquinat animam.

Ad locum Matthæi.

81 Ad alterum Reſpondeo, Iudaicum eſſe abſtinere à certis cibis tamquam ex lege immundis: hæreticum autem, tamquam natura immundis: Chriſtianum & Catholicũ, tamquam per ſe bonis; ſed mortificationi carnis non ſatis accommodis, & ob eam cauſam ab Eccleſia certis diebus vetitis. Apoſt. autem loco illo ad Colo. 2. loquitur de primo & ſecundo modo abſtinendi; non de tertio.

82 Secundò, Reprehendunt quod certis diebus ieiunia ſint dicata more Iudaico. Idem olim criminatus eſt Aerius, vt patet ex Epiph. hæreſi 75. & Aug. hæreſi 53.

2. Delectus dierum.

Ad quod Reſpondeo, Nos neque iiſdem diebus, quibus Iudæi, neque ob eaſdem cauſas ieiunare; itaque nihil hic Iudaicum. Quinam vero ſint illi dies, & quas ob cauſas delecti, ſuprà dub. 9. dictum eſt.

Tertio, Quod ex præcepto ieiunemus: hoc enim pertinere ad iugum legis veteris, non ſolùm noſtri hæretici, ſed etiam olim Aeriani docuerunt: vt ex Epiphanio & Auguſtino locis notatis conſtat. Sed hoc ſatis ſuprà refutatum eſt dubitatione quinta, & ſanè ſi ieiunium liberè obitum bonum eſt, nulla eſt ratio cur reddatur malum ratione præcepti: præceptum enim operi bono non auferet bonitatem, quam per ſe habet, ſed potiùs nouam adducit: dum facit vt agatur non ſolùm ex affectu boni proprij, ſed etiam ex affectu obedientiæ.

83 *3. Quid ex obligatione.*

Dices, Si quis ieiunet ex præcepto legis veteris, peccat ſuperſtitione: ergo præceptum poteſt opus alias bonum efficere malum.

Obiectio.

Reſpondeo negando conſequentiam, ſi loquamur de vero præcepto; præceptum enim legis veteris non eſt præceptum huius temporis, ſed ſolùm valet pro tempore veteris teſtamenti. vnde ex affectu illius nunc ieiunare eſt ſuperſtitio; quia eſt profeſſio doctrinæ perniciosæ, nimirũ legem veterem adhuc durare. Secus autem cùm ex præcepto Eccleſiæ, quia tali modo nullum errorem profitemur, ſed agnoſcimus Eccleſiæ poteſtatem ad huiuſmodi opera bona & ſalutaria præcipienda, quam poteſtatem, illam habere conſtat ex Scripturis, vt ſupra dubit. 5. dictum eſt.

Reſp.

Neque per hoc præceptum Eccleſia nos ſeruituti legis ſubijcit; quia non præcipit tamquam cærimoniam legis; ſed tamquam opus morale, pertinens ad legem naturæ, & ſimul tamquam cultum quemdam nouæ legi accommodatum; ſicut nec per cultum diei dominicæ, & aliorum feſtorum; nec per ſolutionem decimarum, vel primitiarum legi veteri ſubijcimur.

Quartò, Quòd ieiunemus cum opinione cultus, putantes per hoc nos Deo placere: hoc enim putant eſſe ſuperſtitioſum; nihil enim ad cultum adhibendum, niſi quod Deus præceperit.

84 *4. Quid ex opinione cultus.*

Sed reſpondendũ eſt, Id fundamentum eſſe vaniſſimũ; non enim ideò opus eſt bonum, & Deo placens, quia præceptum; ſed ideò præcipitur, quia bonum, & quia placet. Deinde quis vmquam Princeps noluit ſibi deferri vllum obſequium, niſi quod ipſe præcepiſſet? vel repudiauit ſpontè oblatum, eò quòd ipſe non mandaſſet? quinimò gratiora ſolent eſſe obſequia ſpontè oblata, quàm quæ ſolius præcepti auctoritate exprimuntur. Verùm de hoc plura ſup. l. 2. cap. 40. dub. 6.

Itaque etſi ieiunium non ſit à Deo præceptum, tamen optimè fit ad eius cultum; Primò, Quia in Scripturis commandatur, ſicut oratio, & eleemoſyna, quibus Deus colitur, Tob. 12. Dan. 10. Ioel. 2. Matth. 6. Actor. 13. Secundò, Quia Luc. 2. expreſsè dicitur de Anna Propheteſſa. *Non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte & die.* quibus verbis apertè ſignificatur ieiunium eſſe cultum & ſeruitutem Dei: nam Græcè eſt, λατρευουσα, quod cultum latriæ ſignificat. Idem inſinuatur Actor. 13. & 1. ad Corinth. 6. Tertiò, Idem comprobat vſus omnium gentium, quæ ieiunijs numen ſe colere putant. Quartò, Quia omne opus bonum, quod fit ſtudio honorandi Deũ, vel illi placendi, vocatur cultus & ſeruitus in Scripturis; vt ſuprà oſtenſum eſt, & ipſi hæretici fatentur: tale autem eſt ieiunium.

Quinto, Quòd vſurpemus ieiunium ad ſatisfaciendum pro peccatis. Sed ad hoc valere colligitur Ioel. 2. Ionæ 3. & ex alijs locis. vide dub. 10.

85 *5. Quòd pro peccatis.*

Sextò, Quòd illo vtamur ad aliquid à Deo promerendum vel impetrandum. de quo ſup. dub. 10. Hæ duæ poſtremæ criminationes, non ad ſolum ieiunium; ſed generatim ad omnia bona opera pertinent: de quibus plura 1. 2. quæſtione 114. & tertia parte tractatu de ſatisfactione.

6. Quòd ad promerendi.

DVBITATIO XII.

Quid ſobrietas, & quod eius officium.

D. THOM. Quæſt. 149.

Accipitur tripliciter.

86 HOC nomen tripliciter accipitur. Primò, Generatim pro virtute temperantiæ: Sapien. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet.* vbi Græcè eſt σωφροσυνην id eſt, temperantiam. Simili modo accipitur ad Titum 2. *Sobriè, & iuſtè, & piè viuamus*, Græcè σωφρόνως. Secundò, Magis ſtrictè, pro temperantia cibi & potus. ita vulgò dicuntur *ſobrij* non ſolum qui parcè bibunt, ſed etiam qui parũ comedũt. Tertiò, Strictiſſimè & propriè pro moderatione potus valentis inebriare. propriè enim *ſobrij* dicuntur, (Græcè νηφάλιοι) qui in potu inebriante ita ſibi temperant, vt iudicij ſerenitatem conſeruent. ſicut è contrario *ebrij*, qui debitam menſuram excedunt; ita vt iudicium notabiliter offuſcetur; ſic accipitur crebrò in ſcripturis; Eccl. 31. ad Tit. 2. 1. Petri 5. & alibi.

Hoc modo accepta *ſobrietas eſt virtus, quæ affectum &* 87 *vſum potionis inebriare valentis, debitè moderatur. Affectum:* quia cùm ſit ſpecies temperantiæ, verſatur immediatè circa paſſiones. *Vſum:* quia in vſu externo materiæ perficitur opus virtutis moralis: nimirum quando formam ſuam, hoc eſt, rationis regulam non ſolùm affectui interno; ſed etiam operi externo imprimit, vt ſuprà ſæpiùs oſtenſum eſt. Imò ideo formantur affectus interni ad virtutis normam, vt illorum moderatio in opera externa redundet.

Materia ſobrietatis.

Potus inebriare valentis. hæc enim eſt propria materia, etſi remota, huius virtutis. ſi non poſſit inebriare, non pertinebit ad hanc virtutem: neque exceſſus erit contra *ſobrietatem*; ſed contra virtutem *abſtinentiæ*, vt rectè D. Thomas art. 2 ad 1. vt ſi quis excedat in potu aquæ ob voluptatem, quam percipit vel ex refrigerio, vel ex eius dulcedine, ſi ſit ſaccarata.

Officium ſobrietatis.

Debitè moderatur. Vt hæc moderatio debito modo fiat, debet congruere ſerenitati mentis & iudicij, ita vt ea nullo modo lædat, aut notabiliter obtenebret. hoc enim propriè eſt officium huius virtutis, ea menſura vti potu inebriante, quando eo vtendum eſt, quæ mentis functiones non impediat, vel offendat.

Dices, Ergo hæc virtus non diſtinguitur à virtute abſti- 88 nentiæ; quia etiam huius officium eſt uti moderatè cibo & potu, ut congruit ualetudini & functionibus mentis.

Obiectio.

Reſp.

Reſpondeo, Si nomen abſtinentiæ ſumatur ut uulgo ſolet, & ſicut à SS. Patribꝰ paſſim uſurpatur, *ſobrietas* eſt pars abſtinentiæ; nemo enim dicitur habere uirtutem abſtinentiæ, qui eſt intemperans vini, vel alterius potus inebriantis, quantumuis alioquin ſit moderatus in vſu cibi & potus imbecillioris.

Si vero hoc nomen ſtrictiſſimè ſumatur, vt accipit D. Thomas, ſic poteſt inueniri aliqua diſtinctio: nam congrua moderatio in vſu vini (ſub uino intellige omnem potum vinoſum, & inebriantem) habet peculiarem difficultatem, quæ non eſt in moderatione cibi & potus alterius: tũ quia homines paſſim ſunt magis procliues ad exceſſum in vino, quam in cibo: tum quia exceſſus in illo eſt multo facilior: tum denique quia eſt grauior & maiorem noxam infert: vt Prou. 23. dicitur, *Ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit vt coluber.* Hinc fit ut in eius uſu requiratur peculiaris uirtus, quæ hæc præſtet; quam proprié uocamus *ſobrietatem*, à ſeruanda bria; (quæ uox menſuram uini ſignificat, iuxta Donatum) eò quod maximè in uſu uini, moderatio ſeu menſura ſit adhibenda. Quæ uero moderationem adhibet in uſu cibi & potus alterius, (v.g. aquæ, uel lactis) in qua non eſt tanta difficultas nec tantum periculi, communi nomine dicetur *abſtinentia.*

Petes, In quibus maximè hæc virtus requiratur.

Reſpondeo, Eſſe quidem aliquo modo neceſſariam om- 89 nibus, peculiari tamen ratione Epiſcopis, Principibus, & ſenibus; præterea feminis, & adoleſcentibus, vt rectè D. Thomas art. 4. Prima pars patet; tum quia omnes debent reſiſtere tentationibus carnis, quas abſque hac uirtute moraliter impoſſibile eſt uincere: *Luxurioſa* enim *res vinum*, ut ait Sapiens, Prouerbiorum 20. (nimirum ſi immoderatè ſumatur) & Apoſtolus ad Eph. 5. *nolite inebriari, vino in quo eſt luxuria:* tum quia omnes debent eſſe vigilantes, & excubare animo aduerſus inſidias diaboli; quod abſque hac virtute fieri nequit. vnde Apoſtol. Petrus epiſtol. 1. capitul. quintò. *Sobrij eſtote,* (Græcè νήψατε) *& vigilate quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* & 1. ad Theſſalon. 5. *Nos qui dies ſumus, ſobrij ſimus*; Græcè νήφωμεν: tum denique quia *ebrij ſi regnum Dei non poſſidebunt*, primo ad Corinth. 6.

Quibus hæc virtus maximè neceſſaria.

Secunda Pars probatur: Epiſcopi enim, Principes, & ſe- 90 nes præ ceteris ad functiones ſibi proprias requirunt mentis ſerenitatem, quam præſtat ſobrietas.

Epiſcopi quidem, (ſub quibus intelligendi ceteri Eccleſiæ miniſtri; vt notat D. Tho.) quia ipſorum eſt vacare orationi, lectioni ſacræ, erudiendo populo, & Sacramentorum adminiſtrationi; quæ omnia mentem puram, ſerenam, & peruigilem requirunt. Vnde Apoſt. inter cetera, quæ in Epiſcopis requirit, ponit ſobrietatem.

Principes, quia debent populum ſibi ſubditum iuſtè gubernare: ad quod ſumma vigilantia opus eſt, tum vt idoneos miniſtros conſtituant; tum vt iam conſtitutis inuigilent, vt hi officium præſtent, ne priuatis potiùs commodis, quam bono publico ſtudeant. tum denique vt peculiariter curent ne cauſæ pauperum negligantur, vel peruertantur. vnde Prouerb. 31. *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum; quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas.* & *Ne forte bibant & obliniſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.* Vide de hoc plura apud Alexandrum ab Ale. lib. 3. c. 11.

Denique ſenes, quia in his ratio vigere debet ad aliorum eruditionem: nihil enim turpius ebrioſo & fatuo ſene. vnde Apoſtolus ad Titum ſecundo, iubet muneri *ſenes ſobrij ſint.*

Tertia pars patet; adoleſcentibus enim eſt neceſſaria 91 ſobrietas, ob feruorem illius ætatis. vnde ante annum trigeſimum vinum bibere, etiam viris, apud Romanos criminoſum erat, vt Alexander ab Alexandro loco citato refert.

Feminis verò ob iudicij debilitatem, quod facilè vſu vini perturbatur: eo verò perturbato, facile aliquid indecori committunt. vnde olim apud Romanos mulieribus vinum bibere non licebat, teſte Plin. lib. 14. cap. 13. & Valerio Maximo lib. 2. c. 1.

DVBITATIO XIII.

Quid caſtitas, & in quibus rebus verſetur.

D. THOM. QVAEST. 151.

92 CASTITAS propriè ſignificat puritatem quamdam, a voluptatibus & actibus carnalibus, in quibus eſt peculiaris quædam turpitudo & impuritas, alienam. Generatim verò, vel potiùs per metaphoram, puritatem animi ab omni amore & delectatione inordinata creaturarũ, atque adeò ab omni labe peccati, quæ in amore creaturarum male ordinato conſiſtit. quo modo dixit Apoſtolus 2. ad Cor. 11. *Deſponderi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Sic D. Auguſtinus lib. de mendacio, cap. 20. *Caſtitas animi eſt amor ordinatus, non ſubdens mentem metui.* & hanc dicit pudicitiæ corporis anteferendam. Verùm nos hic de *caſtitate* propriè loquimur, quæ circa voluptates carnis verſatur.

Caſtitas generalis.

Igitur ſicut abſtinentia moderatur affectum & vſum in eſculentis, ſobrietas in poculentis; ita *caſtitas* in venereis, ne plus, alio tempore, loco, modo illis delectemur, vel vtamur, quàm rectæ rationis præſcripto ſecundùm præſentem ſtatum congruit. 93

Officium caſtitatis.

Eſt autem *caſtitas* alia perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* eſt quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis quàm illicitis, perpetuò abſtinere proponit: vnde etiam affectum nuptiarum excludit.

Caſtitas perfecta.

Imperfecta eſt, quæ vel ſolum ad tempus id proponit, vel ſolum ab illicitis abſtinere, & licitis moderatè vti, vt in matrimonio. Hæc autè moderatio conſiſtit in debito loco, tẽpore, modo, & fine. qui enim cum hiſce circumſtantijs ma-

Imperfecta.

trimonio

Caſtitas coniugalis.

trimonio vtitur,ab alijs abſtinet,caſtitate coniugali prædi-tus eſt.

94 *Obiectio.*

Dices,Etſi abſtinere à voluptatibus illicitis, & in licitis adhibere debitam moderationem ſit per ſe honeſtum, ac proinde virtutis obiectum,tamen non videtur per ſe hone ſtum abſtinere licitis & moderatis:cum quia nemo in ſtatu innocentiæ ab illis abſtinuiſſet, cùm pertineant ad ſpeciei humanæ propagationem; tum quia vſus illarum eſt actus virtutis;ac proinde abſtinentia illarum non poteſt eſſe vir tutis opus;quia virtus virtuti non eſt contraria.

Reſpon.

Reſpondeo, Si *per ſe honeſtum* dicatur id, quod in omni ſtatu, & cum quibuſuis circumſtantijs honeſtum eſt; ſic abſtinere ab illis voluptatibus nõ eſt per ſe honeſtum; quia initio mundi, genere humano nondum ſatis propagato ho neſtum non fuiſſet:ſicut neque ieiunia,alizque afflictiones honeſtæ fuiſſent in ſtatu innocentiæ. Si verò per ſe honeſtum dicatur, quod in præſenti ſtatu cum circumſtantijs nunc paſſim occurrentibus, abſque relatione ad finem extrinſecum,honeſtum eſt;ſic abſtinere à licitis voluptatibus matrimonij eſt per ſe honeſtum;quia non ſolùm quatenus ſit propter Deum eſt honeſtum,ſed etiam ex propria ratione,quatenus id per ſe hominem liberat multis rerum ſæcularium curis, & reddit magis idoneum & expeditum ad

Caſtitas coniugalis ſpecie diſtinguitur à perfecta

functiones mentis, facitque ſimiliorem ſpiritibus Angelicis.& hac ratione eſt obiectum virtutis caſtitatis. Vnde caſtitas perfecta videtur ſpecie diſtingui à caſtitate coniugali;(quod etiam inſinuat D.Thom.quæſt.152.art.3.) quia alia ratio honeſti & laudabilis reperitur in abſoluta abſtinentia, alia in moderato vſu.

95 *Materia caſtitatis.*

Ex dictis facilè intelligas quæ ſit caſtitatis materia, & quod officium. Proxima enim materia ſunt interni concupiſcentiæ motus; hos enim vel comprimit, vel ſecundum rationis normam componit.

Remotior ſunt actus externi, qui vel ſunt prævij coniunctioni,vt aſpectus, oſcula, tactus; vel ſunt ipſa coniunctio. Et quidem vt hæc virtus circa ipſam coniunctionem verſatur, affectum ab ea auocando, vel debito modo ea vtendo, vocatur *caſtitas*, vt verò circa actus prævios ſimili modo ſe habet, *pudicitia*: vt. Diuus Thomas annotauit. eſt tamen vna eademque virtus circa prævia,& circa principale. Vel certè dicitur *caſtitas*, quatenus inordinatum affectum & vſum venereorum refugat; *pudicitia* quatenus pudori, qui in vſu illorum eſſe ſolet, eſt conformis. De laude caſtitatis vide Diuum Auguſtinum ſermone 269. de tempore.

Pudicitia.

DVBITATIO XIV.

Quid ſit Virginitas.

D. THOMAS QVÆST. 152.

Virginitas à virore dicta putatur,quia denotat immunitatem à concupiſcentiæ aduſtione, quæ aduſtio fit cũ homo illius motibus conſentit.

96 *Dupliciter accipitur.*

Dupliciter hoc nomen accipitur. Primò, Pro carnis integritate,libidinoſæ contagionis expertè:& ſic non eſt virtus, ſed quid naturale, cum quo naſcimur, quod etiam inuiti perdere poſſumus.

Secundò, Pro voluntate & propoſito illius integritatis, & puritatis ſeruandæ, vel perpetuò, vel ſaltem vſque ad tempus coniugij:& hoc modo virtus eſt.& quidem ſi vſque ad tempus coniugij dumtaxat,non eſt proprié virginitatis virtus; (nam ſimul conſiſtit cum propoſito virginitatis & integritatis violandæ) ſed ſtatus quidã caſtitatis, vt inquit Caietanus art.1 §. Ad euidentiam:vbi ad virginitatem, vt denotat ſtatum caſtitatis, duo requirit: Ex parte quidem corporis, non eſſe voluntariè pollutum: Ex parte animi, propoſitum ita ſe ſeruandi,niſi matrimonio iungatur.

97 *Definitio virginitatis.*

At virtus *virginitatis* prorſus tale propoſitum excludit: quia neque in re, neque in affectu cum violatione ſtare poteſt. Hanc D. Auguſtinus libr.de ſancta virginitate capitul. 23. ſic definit: *Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio*. Itaque hæc virtus in ſubiecto ſupponit & connotat *integritatem carnis.& immunitatem* à contagio libidinis, & formaliter in eo ſita eſt, quòd hanc perpetuò tueri intendat,omnia illi contraria vitando.

Meditationem vocat, quia eſt propoſitum multam curam & meditationem poſtulans, vt illum theſaurum conſeruet.

98 *Obiectio. Integritas carnis.*

Dices, Illa integritas,& puritas eſt quid naturale: ergo eius conſeruatio non eſt virtus; ſed quiddam per ſe indifferens. Confirmatur, quia habere illam non eſt obiectum per ſe honeſtum: ergo circa illam per ſe non verſatur aliqua virtus;omnis enim virtus eſt amor & affectus boni per ſe honeſti.

Reſp.

Reſpon. Illam integritatẽ carnis dupliciter ſpectari poſſe. Primò Vt eſt à natura, vel vt eius conſeruatio non eſt in noſtra poteſtate: & hoc modo non eſt obiectum huius virtutis, quia non eſt laude aut vituperio digna. & hac ratione rectè dixit D.Tho.ar.1.Integritatem carnis per accidens ſe habere ad virtutem virginitatis;nam ſine huius virtutis amiſſione poteſt amitti.

Quo modo ſit obiectum virtutis.

Secundo,Vt ſubeſt noſtræ poteſtati: & ſic eſt obiectum virtutis;quia laudabile eſt, cùm in poteſtate tua fuerit libidinis contagione inquinari,non eſſe tamen inquinatum: ſicut laudabile eſt cùm poſſis tranſgredi, non eſſe tranſgreſſum & ſeruaſſe innocentiam: nam illud ipſum per ſe eſt dignitas quædam & ornamentum naturæ rationalis, per quod & longiùs recedit à conditione brutorum, & propiùs accedit ad ſimilitudinem Angelorum, vt dictum eſt de caſtitate.

99 *Obiectio. Innocentia quid.*

Dices, Innocentia, quæ conſiſtit in numquam peccaſſe mortifere, eſt res laudabilis, & magnum ornamentum naturæ; non tamen requirit aliquam peculiarem virtutem, ſed ſufficiunt illæ virtutes,quæ impediunt peccata, quibus amittitur innocentia. ergo ſimiliter integritas illa non requirit aliquam virtutem,præter eam,quę impedit actus carnales,quibus illa amittitur,quæ eſt caſtitas.

Reſpon. Virginitas ſũpta a caſtitate diſtinguitur.

Reſpondeo, Hoc argumento rectè probari, virtutem *virginitatis* non diſtingui a *caſtitate*, niſi connotato; ſed eſſe ipſam virtutẽ caſtitatis in ſubiecto incorrupto: virtus quę enim officium eſt vitare omnem libidinis contagionem,& ſubiectum ſeruare immune in poſterum à tali labe. Sed virginitas ulteriùs connotat hoc ſubiectum numquam anteà fuiſſe libidine contaminatum:quod non includit ratio caſtitatis. Itaque *virginitas*, vt eſt virtus, nihil eſt aliud quàm caritas perfecta, integritati & puritati carnis coniuncta. *Perfectam* voco,quæ conſiſtit in propoſito abſtinendi perpetuò ab omni voluptate carnali tam licita quam illicita. Imperfecta enim eſt,quę ſolùm ab illicita,vel ad tempus abſtinere proponit.

100 *Ad caſtitatem coniugalem ſe habet vt magnificentia ad liberalitatem*

Nec obſtat,quòd D.Thom. art.3.in corp. dicat virginitatem ſe habere ad caſtitatem ſicut magnificentia ad liberalitatem; quia loquitur de caſtitate *imperfecta*, quatenus dicit propoſitum abſtinendi à voluptatibus illicitis, ſeu *ab inordinatione veneree voluptatis*, vt ipſe inquit: reſpectu enim huius virginitas habet quamdam excellentiam, ſicut magnificentia ad liberalitatem: quia ſicut liberalitas verſatur circa ſumptus, & opera mediocria, magnificentia circa magna; ita caſtitas illa ſolum mediocre aliquid præſtat; dum illicitas dumtaxat voluptates abdicat: virginitas verò magnum quiddam & arduum, etiam conceſſas, perpetuò repudians. Proportio tamen non tenet in omnibus; quia virginitas non reſpicit ſuum obiectum ſub ratione magni & ardui, ſicut magnificentia: neque hoc D. Thomas intendit, vtrectè Caietanus articulo tertio contra Martinum.

101 *Obiectã virginitatis.*

Notandum eſt, etiamſi obiectum virginitatis, nempè conſeruatio integritatis & puritatis carnis, per ſe honeſtũ ſit;tamen quia eſt valdè difficile, & nuda ratio honeſtatis, quæ illi per ſe ineſt, nõ ſatis virũ habet ad animos hominũ abſque maioris boni ſpe alliciendos, raros vel forte nullos in mundo eſſe, qui ſolo intuitu honeſtatis illius, rem tam difficilẽ amplectantur. Itaque plura motiua,& conſequenter plures virtutum rationes concurrunt ad animum permouendum, verbi gratia,quia Deo gratum; quia ipſi, voto dicatum; quia præbet facultatem meliùs Deo ſeruiendi; quia liberat à multis inutilibus & ſuperfluis curis. Vnde ad diuerſas virtutes eſſe integritatis affectus pertinere poteſt. Et hac ratione Diuus Thomas indicat virginitatem, vt eſt virtus, importare propoſitum integritatis perpetuæ voto firmatum; (ſub hac enim conſideratione paſſim colitur) quo modo formaliter ad Religionem, & ratione ſolum materiæ ad temperantiam pertinet. Non tamen negat D.Tho.

quin

quia virginitas etiam sit virtus absque voto, ratione propriæ honestatis, & pulchritudinis sui obiecti.

DVBITATIO XV.

Vtrùm virginitas sit præstantior matrimonio.

D. THOM. quæst. 152. art. 4.

102 COMPARATIO sit non inter Sacramentum matrimonij (quod consistit in ipso contractu) & virginitatem, sed inter statum matrimonij & statum virginitatis, vt diuersas viuendi formas continent. In statu virginitatis generatim cœlibatum intellige.

Sententia Iouiniani. Iouinianus, etsi fateretur propter huius vitæ necessitatem, ne coniugales patiamur molestias, virginitatem esse præferendam; vnde nec ipse vxorem habere volebat, vt refert D. Augustinus hæresi 82. tamen apud Deum hos status pares fecit, affirmans non maioris esse meriti cultum virginitatis, quàm matrimonij. *Dicit*, inquit Hieronymus libro primo contra Iouinianum, *virgines, viduas, & maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent ceteris operibus, eiusdem esse meriti.* Eadem docent hæretici nostri temporis, quibus addunt etiam deteriora. Primò, Virginitatem non solùm non esse maioris meriti apud Deum; sed esse impiam superstitionem, si cum opinione cultus, id est, veluti obsequium Deo gratum seruetur: quia, inquiunt, omnis cultus à Deo non præceptus est superstitio. Secundò, Si seruetur ob huius vitæ commoditatem, vel ob Euangelij prædicationem commodiùs obeundam, non esse quidem per se malam; tutiorem tamen esse se ad illam obligare, aut illam velle seruare, nisi quis habeat singulare quod dam donum continentiæ, quod paucissimis detur, & scias te illud habere. Ita Lutherus in libello, quem inscripsit Epithalamium. Et Caluinus libro quarto Institutionum, capite 13. §. 17. 18. & 19.

Sententia no strorum hæreticorum.

103 Sed hîc tenendum est statum virginitatis coniugio esse præferendum, non solùm ratione commoditatis huius vitæ, sed etiam propter fructum spiritalem & maius meritum apud Deum, atque adeò propter vitam æternam. Probat id fusè D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & Diuus Augustinus libro de bono coniugali, & libro de sancta virginitate. Nos præcipua duntaxat argumenta adducemus.

Sententia Catholica.

1. Probatur ex Scripturis.

Probatur ergo Primò, Ex Scripturis. Matth. 19. cum discipuli dixissent; *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere;* Dominus dixit illis, *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum; qui potest capere, capiat.*

Ex hoc loco tria perspicuè colliguntur. Primò, Virginitatem esse coniugio præferendam; approbat enim Dominus quod dixerant discipuli, Non expedit nubere. Si non expedit nubere, ergo expedit non nubere, vt Hier. inquit, melior ergo virginitas nuptijs.

Quid sit propter regnum cælorum.

Secundò, Virginitatem esse præferendam propter regnũ cælorum, id est, viram æternam, & non tantùm propter vitæ huius commoditatem. Hæretici per *regnum cælorum* intelligunt prædicationem Euangelij. Sed contrà. Quia sic castratio illa, quam Christus commendat, non pertineret ad feminas; (his enim non competit Euangelij prædicatio) sed ad solos viros, eosque paucissimos, nimirũ verbi diuini prædicatores. quod repugnat ipsi Caluino, qui supra num. 18. & 19. professionem cœlibatus etiam feminis, sed seruoribus permittit. Deinde est contra communem sententiam Patrum, qui hic præmium vitæ æternæ intelligunt. Hieronymus libro primo contra Iouinianum exponens hæc verba. *Proponit*, inquit, *de voluptate premium, inuitat ad certamen, tenet in manu virginitatis brauium, offendit puritatem fortem, & clamat: Qui potest, capiat & habeat.* D. August. libro de sancta virginit. capitul. 23. *Quid verius, quid lucidius dici potest? Christus dicit, verius dicit, eos, qui sic proposuerunt vxore ducenda se continuerint, castrare seipsos propter regnum cælorum.* & contrà, *humana vanitas impia temeritate contendat,* (notent hoc hæretici) *eos, qui hoc fecerunt, præstantem tantum-*

Omnes inuitantur.

Merces virginitatis.

modò necessitatem molestiarum coniugalium deuitare, in regno cælorum amplius quidquam ceteris non habere. Chrysostomus homil. 63. in Matth. *Hi omnibus adgrediendum diligendamque virginitatem induxit. Possibile namque id esse hominibus, hæc ferè modo confirmat: Cogita tecum, si aut à natura eunuchus esses, aut vltima hominum sic effectus: quid faceres cùm ea huiusmodi voluptate careres, & nullam cauendo molestiam contingeret? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia, vtilesque coronas habebis. si ita vivas: quemadmodum sine aliquo præmio illi, &c.* Diuus Basilius libro de vera virginitate, de illis spadonibus loquens. *Ipsi semet propter regna cælorum ad virginitatis præclarum certamen exercent: coniugiumque & familiæ omne sæculum, eius seruanda causa, contemnunt, regnum cæleste cum fiducia & gloriosis laboribus capessunt.* Omitto ceteros; omnes enim idem docent.

Tertiò, Colligitur virginitatem proponi omnibus, illamque seruare, per gratiam Dei esse in nostra potestate; omnes enim ad illam inuitat, cùm ait: *qui potest capere capiat:* sicut omnes inuitat ad fidem & doctrinæ suæ considerationem, cùm ait: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Ita docent Patres omnes, Hieronymus & Chrysostomus in verbis allatis, & idem Chrysostom. homil. illa 63. explicans illa verba *Qui potest, capere, capiat.* Ita, inquit, *magis animas atque intendat; vel quia magnitudinem præmiorum ostendit; vel quia inæstimabili miseriarum sua natura vera immortalitatem legis concludere. Et ad hoc possibile id esse monstrat, vt eligendi cupiditas excitare possit.* Deinde obijcit: *Si electionis opus id est, inquies, quomodo dixit; Non omnes capiunt, sed quibus datum est?* Respondet, *Vt singulare id esse certamen per dixerit, non vt forte donum necessitatem suspicere, hoc enim donum est, quæ sponte id eligunt. quod ideo dixit, vt ostenderet superiore auxilio nobis opus esse, quod quidem omnibus paratum est, si voluerimus inde huius superiora cognoscere. solemus quippe dicere, quando res ardua proponimus, sic hoc modo dicimus:* similia habet Cyprian. libro de habitu virg. Basil. libro de vera virg. & alij, qui docent generatim omnes ad continentiam inuitari.

Virginitas omnibus esse possibilem.

104

Quibus datum sit capere.

Obiectio.

Dices, Si omnes id possunt capere, quo modo dicit Dominus: *Qui potest capere, capiat?*

Quo modo omnes possint vel non possint capere.

Respondeo, *Capere* hoc loco est practicè intelligere id est iudicare hoc sibi expediens esse ad salutem, ita vt affectus quoque in id trahatur. Itaque non omnes possunt capere, quorum potentia proxima & sufficiens: quia non omnes satis sunt instructi vt tantum bonum intelligat, nec diuinitus excitati vt illud ament. omnes tamen possunt capere potentia remotâ, quæ in actum reduci valeat, si velint. omnes enim (de Christianis loquor) cùm audiunt virginitatis fructus prædicari, possunt petere à Deo vt illuminentur, & illam valeant ampiecti. Simili modo, omnes qui audiunt fidei prædicationem possunt credere, quamuis fides non minus sit donum Dei quàm continentia. cur autem tali modo loquendi vtatur, suprà explicatum ex Chrysostomo.

Eadem veritas probari potest ex cap. septimo prioris ad Corinth. vbi multa in hanc sententiam habentur. Apostolus enim quæstionibus Corinthiorum respondens dicit: Primò, *Bonum est homini mulierem non tangere.* vnde infert Hieronymus: ergo malum est tangere, id est, minus bonum. Nec obstat quod subdit Apostolus: *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.* Non enim vult dicere vt quisque propter fornicationem ducat vxorem: alioquin vt recte Hieronymus ait, *hæc excusationis habenda fuit, non præcepti, vt quæritis cuncta nubant, ducenda sit alienæ feminæ: sed suam,* inquit, *habeat, id est, suæ vrbis, quam habebat antequam crederet,* quod sequentibus verbis subiùngit, *Vxori vir debitum reddat,* &c.

105 Secundò dicit, *Volo omnes vos esse sicut meipsum.* id est, opto vos omnes esse cuilibet; præfert ergo cœlibatum coniugio.

Probatur ex c. 7. prioris ad Cor.

Tertiò, *Dico autem non nuptis & viduis; bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego.* Hic rursus cœlibatum præfert.

Quartò, *De virginibus præceptum Domini non habeo;* (nimirum vt maneant in virginitate) *consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Nec obstat quod subdit; *Existimo enim hoc bonum esse pro-*

propter inſtantem neceſſitatem: quaſi virginitatem præferat propter neceſſitates huius vitę nam per *inſtantem neceſſitatem* intelligit neceſſitatem moriendi quotidie impendentem, & vitę huius breuitatem; vt ipſemet paulò poſt explicat, cùm ait, *Hoc itaque dico, fratres, tempus breue eſt reliquum eſt, vt & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint*, &c. vt ergo tempus reuocemus, & breue illud incertumque ſpatium vitæ, quod nobis ſupereſt, ſaluberrimè expendamus, nobis vtiliſſima eſt virginitas. *Inſtans neceſſitas.*

Quintò, *Soluatus es ab uxore, noli quærere uxorem*, & cætera.

Sextò, *Qui in matrimonio iungit virginem ſuam, bonè facit, & qui non iungit, melius facit.*

Septimò, *Beatior erit ſi ſic permanſerit*. (nimirum libera à viro) *ſecundum meum conſilium: puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam.*

Denique probat idipſum Apoſtolus hac ratione; *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, quæ autem nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*, &c. vbi rationem adfert cur virginitas matrimonio ſit præſtantior; nimirum quia illa liberat hominem vinculis ſæculi & præbet facultatem perfectè ſeruiendi & vacandi Deo: hoc verò ſæculi vinculis alligat, & illam facultatem eripit.

Idem probatur Apocalypſis 14. *Nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. hi ſequuntur agnum quocunque ierit.* Vbi inſinuatur eximium quoddam præmium præparatum virginibus, quod alijs non dabitur. quem locum eleganter tractat Auguſt. lib. de ſancta virgin. cap. 27. 28. & 29. & Hieronym. ſup.

1. *Ex Patribus.* Secundò. Probari poteſt ex Patribus, quorum teſtimonia ſunt infinita, nec hæretici diſtentur. Vide Auguſtinum & Hieronymum locis citatis, Cyprianum de habitu virginum, Ambroſium libro 1. de virginibus. Baſil. de vera virginitate.

106 2. *Probatio ex ratione.* Tertiò. Probatur ratione. Primò, Coniugium per ſe non eſt bonum virtutis, ſed naturæ, & indifferens, per ſe nulla laude dignum. Vnde Hieronymus *Non peccat*, inquit, *ſi ducit uxorem; non tamen bene facit, ſi duxerit*: intellige *non benè facere* per ſe loquendo; nempe ſi nihil aliud quam ipſum matrimonium, eiuſque commoda, voluptates & ſobolem ſpectauerit, vt paſſim homines ſolent: nam nec amor ſobolis & poſteritatis per ſe eſt virtutis ſed naturæ tantùm affectus. vnde omnibus communis; & nemo inde præcisè laudem meretur. Idem colligitur ex lib. 3. hypognoſt. vbi inter cetera, quæ de bono naturæ oriuntur, & adiaphora cenſentur, numeratur *velle ducere uxorem*. Virginitas verò eſt bonum honeſtum, eximiæ virtutis obiectum, adeò vt apud omnes gentes ſemper in admiratione fuerit habitum, quaſi humanam conditionem ſuperans, & ſoli numini dicandum, vt conſtat de Veſtalibus Romanorum, de Bonzijs Iaponenſium & Sinenſium, de Monachis Turcorum, &c.

Secundò, Matrimonium quoad vſum & inclinationem conuenit homini ſecundùm portionem inferiorem, qua ſimilis eſt brutis: virginitas autem conuenit homini magis ſecundùm portionem ſuperiorem, qua ſimilis eſt Angelis. Etſi enim integritas incorruptionis ſit in carne, inclinatio tamen ad illam & affectus non inest carni, ſed ſpiritui; neque eſt naturalis, ſed ſupernaturalis, & cæleſtis, vt pulchrè explicat Ambroſius libro 1. de virginibus. Vnde ſimiles facit Angelis, iuxta illud Domini, Matthæi 22. *In reſurrectione non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo*. Et Diuus Auguſtinus libro de ſancta virginitate capitul. 13. *Habeant coniugia bonum ſuum, non quia filios procreant, ſed quia honeſtè, quia licitè, quia pudicè, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant, quia thori fidem inuicem ſeruant, quia ſacramentum connubij non violant: hæc tamen omnia humanæ officij ſunt munera. Virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio eſt; & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis*, &c. Et angelica portio.

Tertiò; Actus proprius & præcipuus matrimonij habet coniunctam maximam verecundiam: vnde etiam requirit ſecretum; nec quiſquam eſt tam impudens, quin teſtes omnes, famulos, cognatos, paranymphos, etiam ſuos liberos, qui tunc ipſius matrimonij fructus, abeſſe velit, quando illi actui dat operam: vt docet Diuus Auguſtinus libro 14. de ciuitate, c. 18. & 20. quod eſt euidens ſignum in hoc opere ineſſe turpitudinem & dedecus, illudque minùs decere hominem, qua homo eſt: non enim niſi de re turpi & dedecoroſa erubeſcimus. Ratio eſt. Tum quia præterquam quod ille actus conuenit homini, qua parte ſimilis eſt brutis, membra in illo non obediunt rationi: de qua inobedientia, cùm ſit pœna peccati, inflicta propter inobedientiam mentis erga Deum, erubeſcit animus; vt docet D. Auguſtinus dicto libro 14. capite 17. & ſequentibus. Quamquam non dubitauerim etiam in ſtatu naturæ nudæ talem verecundiam fuiſſe futuram. Turpe enim eſt animo carnem ſuam regere non poſſe: tunc tamen non fuiſſet pœna peccati, ſed naturæ imperfectio. Deinde quia in actu illo *penè omnis actus & quaſi vigilia cogitationis obruitur*, vt Auguſtinus ait. Indecorum autem eſt menti ita a carnis voluptate vicini, vt quaſi ſui compos, ſuique iuris non ſit. Duplex eſt erubeſcendi.

Quartò, Matrimonium implicat hominem voluptatibus carnis, quæ maximè mentem à ſtudio orationis & rebus ſpiritualibus impediunt. vt enim D. Auguſtinus libro 14. de ciuitate, capite 16. docet, illa voluptas hominem intrinſecùs & extrinſecùs ſibi vindicat, totumque commouet animi ſimul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto: vnde animus efficitur carnalis, plenus cogitationibus & affectibus carnalibus. Itaque Apoſtolus 1. ad Corinthios 7. monet abſtinere ab vſu coniugij, quando orationi vacandum. Et Hieronymus, *Ora te*, inquit, *quale illud bonum eſt, quod orare prohibet? quod corpus Chriſti accipi non permittit? quamdiu impleo mariti officium, non impleo Chriſtiani*. &c.

Quintò, Implicat ſolicitudinibus huius ſæculi. Primò, Vt alter alteri placeat. Secundò, Vt ipſi cum familia honoratè inter ſuos viuant. Tertiò, Vt proles decenter educent. Quartò, Vt amplam hæreditatem illis relinquant: quibus in rebus videmus coniuges paſſim adeò occupari, vt vix dimidiam horam per hebdomadam ſeruitio diuino impendere queant. Colligitur ex Apoſtolo ſuprà. Declarat hoc Diuus Baſilius libro de vera virginitate: *Quæ*, inquit, *mortali connubio coniuncta eſt, ad ſuam ipſius curam, vti quæque altera adiecta, geminam in vna anima ex coniuncto ſibi corpore ſolicitudinem neceſſariò ſuſtinet; nec ea mens tantùm corporis cauſa laborat; ſed in vna anima, & ad ſuum, & ad viri corpus curandum ingiter intenta diuiditur. Vbi verò filios peperit cubicula ſolamnia, & ſecreta commercia parturiunt, ac in lucem edere cœperit, per vnumquemque naſcentem animo fœx ditur, & præſentibus miſcrijs, naſcituri curæ ſemper adijcitur*, &c. 107

Sextò. Adfert intolerabile onus viuendi ſemper cum eodem coniuge, & ei in officio coniugali obſequendi. Niſi enim ſumma ſit morum cõſenſio, diuturna illa cohabitatio parit mutuum fatidium: & multæ intercurrunt offenſiones quæ animos diuellunt, & veluti antipathiam quamdã ingenerant, vt ſæpè mutuum conſpectum vix ferre poſſint; nihilominus matrimonij nexu tamquam compedibus vinci, non poſſunt ſe inuicem effugere, ſed coguntur ſemper vna manere, comedere, bibere, dormire, & vel inuiti in actu cõiugali ſibi mutuò obſequi; vt meritò dixerit Sapiẽs, Eccleſiaſticæ 7. *Inueni amariorem morte mulierem.*

Ex his diſcriminibus poſſumus ſic ratiocinari. Id eſt melius & Deo gratius, per quod homo magis auocatur à voluptatibus carnis & curis huius ſæculi: ſed virginitas eſt talis: ergo eſt præſtantior & gratior Deo quàm cõiugium. Secundo, Id eſt melius & Deo charius, quod maximè præbet facultatem orandi, & Deo ſeruiendi: ſed virginitas talem facultatem maximè præbet, & matrimonium eamdẽ impedit, vt patet ex dictis, & docet expreſsè Apoſtolus 1. ad Corinthios 7. ergo, &c. Tertiò, Id eſt melius, & Deo charius, per quod homo propter Deum abſtinet à maximis carnis voluptatibus, & ſe totum Deo conſecrat, quàm id per quod ſe totum rebus ſæculi & voluptatibus immergit: atqui talis eſt virginitas: ergo, &c. Denique id eſt melius, quod Dominus noſter, quòd Apoſtoli, & præcipui Sanctorum complexi ſunt: ſed hi complexi ſunt virginitatem, vel ſi aliqui eorum iuncti erant matrimonio, abſtinuerunt ab vſu cõiugij, vt Hier. de Apoſtolis ait: ergo, &c. 108 *Rationes in firma.*

Sed

Sed contrà obijcitur Primò, Geneſis 1. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Hic Dominus videtur dare
109 præceptum coniugij, ac proinde vetare virginitatem. Cõfirmatur ex Apoſtolo 1.ad Timotheum 5. *Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe.*
Obiectiones.

Reſp. 1. Reſpondeo Primo, Præceptum illo Geneſeos non imponi obligationem ſingulis, ſed primò & per ſe ipſi multitudini, ſeu generi humano, vnde non tenetur ſinguli illud exequi, ſed ſufficit ſatis multos eſſe in genere humano, qui hunc officium non deſint, quantũ nimirum opus eſt ad generis humani propagationem. Ita D.Tho.ar.4.ad 1. Et ſanè ſi hoc argumentũ aliquam vim haberet, ſequeretur Chriſtum Dominum, vtrumque ſanctum Ioannem, & præcipuos Sanctorum contra præceptum diuinum feciſſe.

Reſp 2. Eſt benedictio, non præceptum. Reſpõdeo Secundò, Illis verbis nõ tam ſignificari præceptum, quàm benedictionem, per quam tribuit eis generandi facultatem & fœcunditatem; quod aperte indicant illa verba: *Benedixitque illis Deus & ait, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini piſcibus maris.* &c. Sunt ergo verba benedicentis, fœcunditatem & dominũ tribuentis, non præcipientis. Simili modo paulo ante benedixit pilcibus & auibus, dicens; *Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur ſuper terram.* vide D.Auguſt.li.14.de ciuitate Dei cap.21. Fateor tamen initio mundi non vi illius præcepti, ſed iure naturali obnecceſſitatem propagandæ naturæ ſingulos ad matrimonium contrahendum fuiſſe obſtrictos: qua neceſſitate, propagato iam ſatis humano genere, ceſſante, ceſſauit etiam obligatio illius præcepti; ſicut ceſſante neceſſitate & inopia pauperis, definit obligatio præcepti naturalis eleemoſynæ. *Definit*, inquam, non in actu primo: (manet enim ſemper habitualis obligatio pro tempore, quo poſſet incidere neceſſitas) ſed in actu ſecundo; quia hic & nũc non tenemur ad opus. Pari modo non tenemur hic & nunc ad matrimonium, niſi forte poſita tali neceſſitate, qualis erat initio mundi, & ſtatim poſt diluuium.

Ad locum Apoſtoli Reſpondeo, Illum loqui de iunioribus feminis, maximè viduis, quæ ſe non continebant; vt patet ex illis verbis: *nullam occaſionem detrahendi pro male dicti gratia.* id eſt, ne malè viuendo & fornicando dent occaſionem gentilibus male loquendi de Chriſtianis, & eorum religionem calumniandi. hasexpedit nubere, quia id melius eſt, quàm ſub ſpecie cœlibatus mala vita religionẽ Chriſtianam infamare.

Obijcitur Secundo, Id eſt melius, quod plus boni con-
110 fert mundo: ſed matrimonium plus boni in mundũ adducit, quàm virginitas; parit enim multas proles, quæ poſteà pie inſtituræ multa ad gloriam Dei actura ſunt, & Deum perpetuò in beatitudine laudaturæ. Confirmatur, quia totum bonum generis humani eſt ex matrimonio: ſublato enim matrimonij officio periret mundus, & omnia bona opera concideren.
2. *Obiectio.*

Reſp. Reſpondeo, Si hoc argumentum valeret, probaret etiã opus matrimonij omnibus aliis operibus bonis eſſe præferendum: quia ſine illo cetera omnia concidunt; priùs enim quiſque debet naſci, quod fit per vſum matrimonij, quàm poſſit aliquid boni operari. vnde etiam expediet ducere
An coniugia plus boni conferat mundo. quàm plurimas vxores, vt plurimæ proles ſuſcipi poſſint, quæ poſteà ſaluæ fiant. Vide D.Auguſtinum de ſancta virginitate capit.9. vbi hoc argumentum ſoluit. Primùm igitur negari poteſt maior in ſenſu ad noſtrum propoſitum accommodato. *Melius* enim hic vocamus, quod eſt magis ſalutare, magiſque expediens homini ad ſalutem: quomodo non ſemper eſt melius, quod plus boni confert mundo, vt patet in cura paſtorali, in adminiſtratione regni, aliiſque functionibus publicis, per quas etſi multum boni poſſit fieri in mundo; tamen melius & perfectius eſt ſeruire Deo in Religione. Sic qui pecunia ſua emit multos ſeruos ethnicos vt eos faciat Chriſtianos, non audebit pecuniam ſuam comparare munere ſacræ virginitatis, vt Auguſtinus ait. Id enim melius, quod hominem magis cum Deo coniungit, eique magis gratum efficit; quale non eſt matrimonium, ſed virginitas. Secundò. Negari poteſt minor: matrimonium enim non plus boni confert mundo, quàm virginitas, ſed multò minus. matrimonium enim per ſe ſolùm producit peccatores & filios iræ, virginitas autem producit eoſdem in eſſe Chriſtiani & filij Dei; ſanctificatio enim illorum per Sacramenta, & pia inſtitutio fit per miniſtros Eccleſiæ, qui virginitatem ſeu cœlibatum colunt. Deinde plus boni eſt vacare Deo, eiuſque obſequio totum eſſe addictum, quod facit virginitas, quam vacare liberorum procreationi. minimum enim bonum diuinum maioris eſt momenti, quàm totum bonum creaturarum. Denique Deus, mundo iam ſatis repleto, non quærit qui filios hominum & peccatores procreent, quorum ſatis magnus eſt numerus; ſed qui illos conuertant & regenerẽt in filios Dei: ad quod aptiſſima diſpoſitio eſt virginitas, nõ matrimonium. ſicut enim matrimonium eſt inſtitutum ad replendam terram, ita virginitas ad replendum cælum, vt Hieronymus ait lib.1.contra Iouinianum, & Tertullianus lib.de monogamia.

Ad confirmationem. Bonum virtutis eſt ex matrimonio ſolùm remote, quatenus natura ſupponitur gratiæ. vnde non poteſt ex hoc colligi eius perfectio: ſicut nec perfectio carnis aut ſenſuum externorum, ex eo quòd ſine his concideret mundus, & non poſſemus mereri. Addo virginitatem eſſe præferendam per ſe, & quamdiu non eſt periculum defectu coniugij periturum mundum.

Obijcitur Tertiò, Nihil aſſumendum in cultum, niſi 3. *Obiectio.*
quod Deus præcepit; iuxta illud Deuteronomij 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas:* ſed Deus virginitatem non præcepit ergo non poteſt aſſumi ad colendum, & gratum obſequium Deo exhibendum, quinimò eſt ſuperſtitio & ἐθελοθρησκία.

Reſponſio. Reſp. Maiorem eſſe non ſolùm falſam, ſed etiã fatuam, & omni ſpecie veritatis deſtitutam; vt ſupra lib.2. cap.40. dub.6. oſtenſum eſt.

Obijcitur Quartò, Nemo poteſt continere, niſi habeat
111 donum continentiæ; Matth.19. *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* & Sapientiæ 8. *Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det;* ſed hoc donum non omnibus datur; ergo ſtultè facit, qui continentiæ ſe addicit, neſciens an hoc donum habeat. ſtultum enim eſt ſe obſtringere ad id, quod neſcit an poſſit implere.
4. *Obiectio.*

Reſp. Reſpondeo Primò, Si hoc argumentum valeret, nemo etiam poſſet amplecti fidem Chriſti, niſi ante ſciret ſe donum fidei & perſeuerantiæ habere: nec quiſquam poſſet iungi matrimonio, niſi ſciret ſe donum continentiæ coniugalis habere, quæ non minus eſt donum Dei, quàm continentia virginalis, iuxta illud Apoſtoli 1.ad Corinth.7. *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.*

Duplicitèr habere poteſt donum continentiæ. Reſpondeo Secundò, Sicut auxilium amici dupliciter habere poteſt, nimirum in actu primo, cùm amicus eſt paratus ferre opem, ſi rogetur; & in actu ſecundo, cũ re ipſa iuuat: ita donum continentiæ dupliciter habere poteſt; in actu primo, ſeu in præparatione diuina, & in actu ſecundo. Omnes igitur qui cupiunt continere, habent donum continentiæ in actu primo: Deus enim ex parte ſua paratus eſt illos iuuare, vt reipſa continentiam præſtent; ac proinde in poteſtate illorum eſt habere donum continentiæ in actu ſecundo, ſi ex parte ſua collaborent, & idonea remedia adhibere voluerint; vt docet D.Chryſoſtomus ſupra homilia 63.in Matthæum, Hieronymus in caput 5. Matthæi, Auguſtinus lib.6.confeſſionum, cap.11.in fine.

Remedia contra tentationes carnis ex parte noſtra. Remedia autem quæ ex parte ſua adhibere debent, potiſſimùm ſunt tria; *oratio, ieiunium, & ſimilium denique fugatio.* cùm enim tentationes carnis oriantur vel ex ſuggeſtione diaboli, vel ex redundantia cibi & potus, vel ex feminarum aſpectu & conſuetudine; contra primum adhibenda oratio, (ſub qua comprehẽdimus etiam Sacramentorum, præſertim Sanctiſſimæ Eucharitiæ, vſum: hoc enim eſt *firmamentum electorum, & vinum germinans virgines.* Zachariæ.9.) Contra ſecundum, ieiunium. Contra tertium, vitatio aſpectus, & omnia familiaritatis feminarum. quibus ex parte noſtra adhibitis, non deerit donum continentiæ in actu ſecundo, quo facili negotio continentiam præſtemus.

DVBITATIO XVI.

Quibus modis virginitas amittatur.

DICO Primò, Virginitatis virtutem amitti omnibus illis modis, quibus amittitur caſtitas: quia reipſa 112
ab hac non diſtinguitur, ſed ſolum ratione & connotato,

vt

vt dictum eſt. vnde etiam deſiderijs turpibus perditur: quod confirmatur ex D. Auguſtino libr. 1. de ciuitat. cap. 18. vbi docet etiam corporis ſanctitatem amitti per conſenſum in opus turpe. Idem dicendum de moroſa delectatione.

113 *Virginitatis virtus non ſtatus nullo conſenſu amittitur.*

Petes, An etiam voluntate nubendi?

Reſpon. Ipſam virtutem virginitatis amitti; quia hæc in propoſito abſtinendi perpetuò etiam à conceſſa voluptate conſiſtit. *Virginitas* tamen amitti vulgò non dicitur; quia manet corporis integritas, atque adeò ipſe ſtatus, qui communiter nominatur virginitas.

114

Dico Secundò, Non amitti violatione carnis, ſi hæc nullo modo eſt voluntaria, eſt communis ſententia DD. quam pulchrè docet D. Auguſtinus ſuprà, *Quis*, inquit, *ſana mente putauerit ſe perdere pudicitiam ſi fortè in apprehenſa, vel oppreſſa carne ſua exercentur & explentur libido non ſua? ſi enim hoc modo pudicitia perit, perfecto pudicitia virtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona, quibus recte viuitur, ſed in bonis corporis numerabitur: qualia ſunt vires, pulchritudo, &c. Si autem animi bonum eſt etiam oppreſſi corporis non amittitur.* & infra: *Et ideò eis* (concupiſcentijs) *non cedere inconcuſſa intentione perſiſtit, nec de ipſo corpore ferit caſtitas, quia eo ſanctè vtendi perſeuerat voluntas: & quantum in ipſo eſt, etiam facultas.*

115 *An poſſit reſtitui.*

Petes: An ergo talis virgo, quæ vi oppreſſa fuit, poſſit accipere velum conſecrationis.

Reſpondeo, Si ipſa eſt certa ſe nullo modo delectationi iſti conſenſiſſe, & res eſt occulta, videtur poſſe conſecrari: nam vt ait D. Thomas art. 1. ad 3. ſi contingat præter animi propoſitum aliquo caſu membri integritatem corrumpi; non magis præiudicat virginitati, quàm ſi manus, vel pes corrumpatur. vnde talis poteſt dicere ſe incorruptam, nimirum corruptione voluntaria. Confirmatur ex D. Auguſtin. ſuprà, vbi dicit, tali virgini *nihil de corporis ſanctitate periiſſe:* eamque parem facit illi, *cuius integritatem obſtetrix; ex inita cauſa: manum volut explorans, caſu, dum inſpicit, perdidit.* atqui non eſt dubitandum hanc poſſe velari: ergo & illi poterit.

Nec obſtat decretum Leonis, quod refertur capite Illæ autem. 32. qu. 5. quia loquitur quando res erat notoria: tunc enim ob ſuſpicionem conſentiis, & indecentiam externam non ſunt velandæ. Deinde non tam videtur eſſe præceptum, quàm conſilium: ſic enim ait, *Illa autem feminæ Dei, quæ integritatem pudoris oppreſſione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate, ac verecundia, ſi ſe incontaminatis non audeant comparare virginibus. quamuis enim omne peccatum ex voluntate naſcatur. & potuerit corruptione carnis mens inuita non pollui; minùs tamen hoc illis obeſt, ſi quod potuerunt animo non amittere, ſe doleant vel corpore perdidiſſe.*

116 *Amiſſio irrecuperabilis.*

Dico Tertiò, Si violatio integritatis, vel puritatis carnis fuit voluntaria, amittitur virginitas irrecuperabiliter. eſt communis ſententia DD. D. Thomæ art. 3. ad 3. Caietani ibidem. & colligitur ex D. Hieronymo, epiſt. 22. quæ eſt ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis, *Audenter loquar; etiam omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam: valet quidem liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam.* Idem docet D. Baſilius libro de vera virginitate; *Cæterùm*, inquit, *ſi hoc amiſeris patrimonium integerrimæ caſtitatis, quamuis illa omnia facias quæ dixi, cœlumque ac terras, maria & abyſſos, immenſumque aerem peruagata fuerit, nulla omnino ratione hoc recuperare iam poteris. Quo enim pacto quæ corruptum ſemel incorruptum fiet? qua ratione quæ cognouit virum, quaſi vnus agnouerit, exiſtimabitur?* Et infrà: *Pœnitentia quidem peccatum relaxauit certum eſt: verùm quæ corrupta eſt, quaſi inuiolata perſiſtere, redintegrari omnino non valens, dum vixit lugebit.*

Cur non poſſit recuperari

Ratio eſt, quia ſicut innocentia denotat animam nunquam peccato mortifero fuiſſe contaminatam: ita virginitas includit, vel connotat carnem numquam voluntariè eſſe violatam aut libidine pollutam. vnde ſicut vno peccato mortifero, irrecuperabiliter perit innocentia; ita virginitas vno actu libidinis, licet tamen omnes virtutes, quæ cum innocentia erant, & quidquid eſt poſitiuæ perfectionis, recuperari poſſunt; ita etiam quidquid eſt poſitiuæ perfectionis in virtute virginitatis, recuperari poteſt; non tamen dicetur virginitas: quia hoc nomen negationem experientiæ voluntariæ libidinis donat. tota enim ratio cur innocentia & virginitas recuperari nequeant, eſt, quia negationē connotant, quæ ſemel ablata nequit reſtitui: quia ad actum præteritum, quo ablata eſt, tollendum, non eſt vlla potentia: qui enim ſemel ruit, fieri nequit vt numquam ruerit.

Petes, Quibus modis ita amittitur, vt non poſſit abſolutè recuperari?

117 *Quibus modis amittitur.*

Reſpondeo, Primò, Ex parte viri, per copulam carnalem: ex parte fœminæ, per voluntariam clauſtri virginalis violationem, ſiue in matrimonio, ſiue extra: idque ſiue per copulam, ſiue per aliam turpitudinem. Hic modus eſt maximè notus, adeo vt etiam vulgò ſciatur hac ratione virginitatem in perpetuum amitti.

1. *Per copulam.*

Vode tali modo corrupta nē poteſt vnquam velari; nimirum velo conſecrationis, quod ab Epiſcopo anno 25. ætatis accipitur; de quo eſt Canon Pij Papæ cap. Virgines. 25. & Gelaſij cap. Deuotis. 21. & Concilij Africani 3. c. 14. Placuit. 20. quæſt. 1. Huius conſecrationis forma habetur in Pontificali Romano pag. 186. & ſequentibus. Secùs de velo profeſſionis. Nec refert etiam ſi res ſit occulta, & paſſim habeatur virgo, ſitque pro virgine admiſſa & profeſſa; & ſcandalum naſcetur, ſi reijceretur; ut multi DD. tradunt, D. Thomas in 4. d. 14. quæſt. 1. artic. 5. & Caietanus in Summa, v. virginum conſecratio. Fumus eodem, nu. 3. Sylueſter v. Conſecratio virginum, numer. 2. quia iidem aiunt, in ſacramentalibus Eccleſiæ actionibus non debet intereuenire fictio, ſicut nec in Sacramēris; atqui fictio eſſet, ſi ea, quæ verè non eſt virgo, vocaretur virgo. Deinde illa conſecratio eſt propria virginum: ergo nullo modo poteſt non virginibus applicari; ſicut conſecratio aquæ non poteſt applicari vino.

Talis non poteſt velari.

Addunt tamen, hoc caſu, quando eſſet periculum ſcandali, poſſe illas benedici omiſſis ijs, quæ ſunt de ſubſtantia conſecrationis, & mutato nomine virginitatis, in nomen caſtitatis, vel continentiæ.

Dices, Quid ſi Epiſcopus rem norit ex ſola confeſſione? Quid ſi illa cautela nihil profit ad virginis famam tuendam, & re detecta impendeant grauiſſima incommoda? Deinde ſi nomina, quæ ponuntur in forma, ſic commutari poſſunt, cur non etiam eorum ſignificatio abſque commutatione poteſt extendi. vt per virginitatem etiam intelligatur virginitas putatiua; & appelletur virgo, quæ paſſim talis putatur & vocatur; ſicuti dicitur Doctor, Prætor, Comes, qui talis paſſim habetur, & ſicut Ioſeph in Scriptura vocatur pater Chriſti?

118 *Obiectio. Si res ſolum ex confeſſione emittet.*

Reſpondeo, In priore caſu Epiſcopum, ſi illi perſuadere non poteſt vt ſponte abſtineat, poſſe & debere illam more aliarum conſecrare, nihil mutando, vel omittendo; quia alioquin illam apud eos, qui adſunt periculo ſuſpicionum exponeret, & ſecreta confeſſionis facto ſuo panderet: quod nullo caſu eſt licitum.

Idem videri poſſit dicendum in ſecundo caſu; quando ſcandalum impendens eſſet graue, & nulla alia ratio illius euitandi ſuppeteret; quod tamen rarum eſt. Hoc probari videtur ratione adducta; & confirmari poteſt; quia preces, & cetera, quæ in conſecratione virginum adhibentur, ſolùm habent vim per modum deprecationis factæ in perſona Eccleſiæ, concurrente ad hoc ipſo ordine Epiſcopali; & tota ſignificatio cærimoniarum eſt ex inſtitutione Eccleſiæ: ergo in poteſtate Eccleſiæ eſt, hanc formam conſecrandi, quando periculum grauiſſimi incommodi ita poſtulat, etiam illis accommodare, quæ publicè virgines habentur; nam & hæ quoque ſuo modo poſſunt eſſe ſponſæ Chriſti; & ſunt omnium gratiarum, quæ ibi poſtulantur, capaces. Hanc ſententiam tenent aliqui antiqui, ut patet ex Syluestro, & quidam recentiores.

Secundus modus eſt per voluntariā pollutionem, etiāſi fiat abſque copula. hac enim virginitatem perire abſque ſpe recuperandi, docet D. Thomas ar. 1. ad 7. & ar. 3. ad 3. Caietanus ibidem, & paſſim alij Doctores. Probatur, quia præcipua uoluptas carnalis in hac conſiſtit, & omnes alij actus, etiam copula, & uiolatio clauſtri, ob illius uoluptatem fiunt: ergo ſi ullo acta amittitur maximè illo, qui eſt ceterorum finis. Neque ad hoc requiritur alius actus exterior, quo hic excitetur, ut putat Martinus, quem refutat Caietanus art. 1. in 3. quæſtione: quia alioquin qui ſola imaginatione huiuſmodi fœditatem ſponte in ſe procuraret, etiāſi millies id feciſſet, eſſet uirgo. & habiturus eſſet laureolam uirginitatis poſt pœnitentiam; quod eſt abſurdū: etſi enim cum mulieribus non ſit coinquinatus, non minùs

119 *2. Voluntaria pollutione amittitur.*

tamen

tamen fœdè, imò turpiùs, & magis contra virtutem castitatis; vt infrà cap.3. dicemus.

Si in somnis accidat.

Nec refert, etiamsi in somno contingat modò in vigilia procurata fuerit; vt si quis eo fine certo genere cibi vel potionis sit vsus. Secùs tamen [illegible] non fuit procurata; sed præter intentionem atque culpa, saltem lethali euenerit: etiamsi forte postea placeat; quia approbatio illa superueniens, non facit actum illum præteritum esse voluntarium, vt rectè Caietanus art.1. dub.8.

120 *Pollutapotest velari.*

Aduerte tamen, puellam, quæ hoc modo, vel etiam accedente contactu externo polluta fuit, si carnis integritatem retinet, posse velari; vt rectè docet Caietanus in Summa, v. Virginum consecratio, Sylvester, & Fumus, vt suprà. Ratio est, quia etsi coram Deo non sit virgo, nec habitura sit laureolam; tamen apud homines censetur virgo. omnes enim vocant virginem, quæ claustrum virginale retinet illæsum, etiamsi læpiùs intra se spermatis effusione sit contaminata: quamuis enim non sit virgo virtute; est tamen virgo statu, vt inquit Caietanus. vnde Ecclesia, quæ vtitur nominibus vt plurès, idem per nomen *virgo & virginitas* intelligit, quod vulgò intelligi solet: cuius signum est, quod in Pontificali Romano, vbi de hac consecratione agitur, non dicatur roganda de aliqua contaminatione, sed *de vita, conscientia, & carnis integritate*, vt notat Caietanus. Itaque non requirit Ecclesia nisi carnis integritatem.

121 *3. Per contactus impudicos.*

Tertius modus est per turpes contactus, animo libidinoso factos, vel admissos; nimirum si tales sint, & eo modò fiant, vt in natura sana necessariò pollutionem excitarent; quamuis forte reipsa in hoc homine ob naturæ debilitatem, vel morbum id non faciant: id enim per accidens est. Confirmatur, Quia non videtur dubium quin per sodomiam amittatur illa carnis puritas, quã postulat virginitas, etiam si fortasse non adsit pollutio, quia actus ille ob eam causam sit, & ex se est ad hoc sufficiens in tali ætate. Idem dicendum de alijs turpibus contactibus. Ita sentit Rosella v. Virginitas, citans Vdericum & insinuat Caietanus art.1. versus finem; ad 3. quamuis paulò post dubitet de viro. In puero tamen, cui ratione ætatis deest potestas seminandi, sentit nullo actu turpi virginitatem ex parte corporis amitti. Contrarium forte verius; si adsit perfectus rationis vsus. Ex his patet, qua ratione virginitas sit recuperabilis, qua non sit.

Obiectio. An virtus possit recuperari.

Dices, Etiam ipsa virtutis species non videtur posse recuperari: nam hæc consistit in proposito seruandæ integritatis; hoc autem propositum amissa integritate est impossibile; quia conseruari non potest quod non potest recuperari. Ob hoc argumentum Martinus, etiam ipsam virtutem, qua talis est species, irrecuperabilem esse tradit contra D. Thomam.

Resp. 1.

Respondeo Primò, Hoc argumento solùm probari, non posse hanc virtutem recuperari actibus efficacibus; non autem non posse inefficacibus, qui in simplici affectu & bonis desiderijs consistunt: hi enim sufficiunt ad virtutem comparandam, & suo modo exercendam. sic pauper potest comparare virtutem magnificentiæ, etiamsi illi materia ad opus externum necessaria desit.

Resp. 2.

Respondeo Secundò, Etiam posse recuperari efficacibus actibus, non quibus velit conseruare integritatem; sed quibus velit in posterũ abstinere ab omni actu quo posset violari integritas, si esset. Virtus enim virginitatis non aliter conseruat integritatem carnis, quàm cauendo omnia, quæ illam possent lædere. quare cùm eadem omnia, etiam amissa integritate cauere possint, potest habere omnes actus, quos ante habebat. Non tamen dicetur *virginitas*, quia hoc nomen connotat integritatem.

CAPVT TERTIVM.

De Gula, Ebrietate, & Luxuria.

Habet Dubitationes 15.

HÆC vitia virtutibus superiore capite expositis opponuntur: gula abstinentiæ; ebrietas sobrietati; luxuria castitati.

DVBITATIO I.

Quid gula, & quale peccatum.

D. THOMAS QVÆST. 148.

1 *Comessatio.*

HOC nomen dupliciter accipitur, Primò, Generalissimè, vt etiam comprehendat inordinationem, quæ contingit in potu; & hoc modo diuiditur à quibusdam in *comessationem & ebrietatem*, tanquam in species; quarum meminit Apostolus ad Roman. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus*. puto tamen *comessationem* ibi amplius inuoluere: κῶμος enim (qua voce ibi vtitur Apostolus) significat lasciuam compotationem cum impuro cantu, aliisque temulentis dictis & factis: vt ex scholijs Photij, Theophylacto, & alijs auctoribus Græcis constat. hoc apud Latinos vocatur comessatio, non tam à comedendo, quàm à κωμάζειν, quod est compotationi lasciuæ deditum esse.

Secundò, Strictè, vt opponitur virtuti *abstinentiæ* strictè acceptæ: & hoc modo sicut abstinentia est virtus, quæ facit nos moderate appetere & vti cibo, & potu non inebriante; ita *gula* est vitium in appetitione & vsu delectationis cibi & potus debitum modum, id est, perscriptum rationis, excedens.

2 Hoc autem fieri potest quinque modis, vt pulchrè ostendit D. Thomas ar.4. ex D. Gregorio lib.30. moralium c.27. qui hoc versiculo continentur, *Præpropèrè, lautè, nimis ardenter, studiosè*. nam excessus spectari potest vel circa ipsum cibum, qui huic hominì non congruit, vel circa illius sumptionem. circa cibum, vel ratione substantiæ, vel qualitatis, vel quantitatis. *Quinque modi excedentur.*

Ratione *substantiæ* est excessus, cum appetuntur cibi pretiosiores, quàm conueniat statui, vt si Religiosus contemptis alijs cibis, nolit comedere nisi perdices, phasianos, ficedulas. hoc insinuatur per *lautè*.

Ratione *qualitatis*; vt cùm in condimentis & studio præparandi est excessus, vt si nolit comedere, nisi multo saccaro, vel succis varijs sit conditum. hoc indicat *studiosè*.

Ratione *quantitatis*, cum nimiùm comeditur, id est, plus quàm natura requirat. qui modus est frequentissimus.

Circa ipsam *sumptionem* potest esse excessus, vel ratione *modi*; vt si quis voraciter comedat, cibos non mansos deuorando, sicut canes, & leones. hoc significat *ardenter*.

Vel ratione *temporis*, debitum tempus præueniendo, vel etiam sæpiùs quàm deceat comedendo. quod indicat *præpropèrè*.

3 *Discrimen illorum modorum.*

Differunt autem hæ inordinationes specie, secundùm D. Thomam; vnde etiam diuersæ in diuersis reperiuntur: alij enim solùm peccant in pretiositate ciborum, quia nihil illis sapit, nisi peregrinum & sumptuosum: alij in qualitate, & palati teneritudine: alij in quantitate: alij in voracitate: alij in crebritate sumendi: alij in pluribus horum: alij in paucioribus. Expressit hos quinque modos D. Gregorius loco cit. his verbis: *Quinque modis nos gula vitium tentat: aliquando namque indigentia tempora præuenit: aliquando lautiores cibos quærit: aliquando quæ sumenda sunt, accuratiùs præparari appetit. aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit; aliquando in ipso æstu immensi desiderij aliquis peccat.*

Potest

4 *Obiectio.* *An omnes species contineantur.* Petis, Vtrùm his modis omnes gulæ species contineantur; videntur enim esse aliquæ aliæ: nam qui comedit carnes tempore vetito, peccat peccato gulæ; similiter qui comedit ante communionem: & tamen nullo horum modorum peccant. Idem videtur de illo, qui loco indebito, v.g. in templo, vel in foro comedit. Item qui cibis noxijs vtitur. Denique qui carne humana, vel carbonibus, alijsque cibis execrandis delectatur.

Resp. *Quæ dicantur propriè vitij alicuius species.* Resp. Illas solas esse gulę species, quæ constituuntur per circumstantias inducentes diuersas inordinationes, oppositas virtuti abstinentiæ. tales autem videntur esse solùm quinque supradictæ; quia inordinatio, quàm inducunt, non repugnat propriè alteri virtuti quàm abstinentiæ. Circumstantiæ verò, quæ inducunt inordinationem repugnantem alteri virtuti, non constituunt speciem gulæ, sed alterius vitij, ad quod illa inordinatio per se pertinet. v.g. ex eo quod cibus, sit noxius non constituitur species gulę: quia nocere naturæ suæ non est contra virtutem abstinentiæ, sed contra charitatem sui. Vnde in vsu talis cibi non est alia inordinatio propria gulæ, quàm quòd cibus nimis ardenter appetatur; ita vt ex eius affectu homo velit nocere valetudini. Itaque in casibus propositis nō constituitur distincta species gulæ, sed inordinatio gulæ, quæ in illis reperitur, pertinet ad aliquem ex modis prædictis; etsi in quibusdam, alterius speciei malitia sit coniuncta.

5 *Quomodo in prædictis casibus sit species gulæ.* Itaque in primo casu est species gulæ, quatenus comeditur *præproperè*, seu quia conueniens tempus vtendi tali cibo præuenitur. Caietanus respondens Martino refert ad primum modum, vbi cibus ratione substantiæ non congruit homini: sed hic in vera congruit ratione substantiæ, sed solùm ratione temporis non congruit; sicuti cum debitum tempus præuenitur.

In secundo similiter præuenitur tempus conueniēs, vel dicito potius esse peccatum sacrilegij quàm gulę; quia non tam peccat tunc comedendo, quam volendo post cibum communicare.

In tertio casu, cum in loco incōgruo, si id fiat affectu gulę; vt quia non potest differre donec venerit domum, reducitur ad præproperè, vel nimis ardenter. Circumstantia autem loci illius non constituit speciem propriam gulæ, quia non inducit inordinationem contra abstinentiam; sed contra religionem, vel modestiam.

De quarto, cum quis cibo notabiliter noxio vtitur, iam dictum est.

In quinto non tam est vitium gulę humanum, quàm feritas belluina, praua consuetudine contracta, vel affectio morbida, aut belluinæ naturæ constitutio. Ex his ferè soluas multas minutias, quas contra istos quinque modos obijcit Martinus.

Vtrùm verò istæ inordinationes sint species vltimæ, vt vult Caiet. an alias sub se habeant, vt contendit Martinus, parui est momenti, & nihil facit ad negotium morale.

6 *Quale peccatum sit gula.* *Potest tripliciter finis vltimus poni in delectatione gulæ.* Quod ad alteram partem dubitationis attinet, Quale peccatum sit gula; Dicendum est esse peccatum mortiferum, si quis in illa delectatione vltimum finem constituat. Hoc autem fieri potest tripliciter. Primò, expresse, vt cum quis expresse, seu in actu signato illam voluptatem summum esse bonum iudicat; sicut olim Epicurei. Secundò, Implicitè; cum id quidem expressè non iudicat: tamen erga illam sic afficitur, vt paratus sit propter illam omnia humana & diuina iura violare. Tales sunt multi hoc tempore hæreseos ministri, qui sanam doctrinam & Religionem propter ventrem adulterāt, cauponantes verbum Dei: de quaibus dicit Apostolus ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est*. Tertiò Interpretatiuè; vt cum quis affectu gulæ paratus est non quidem quoduis, sed aliquod peccatum mortiferum admittere. hic enim etsi minus perfectè & propriè ponat vltimum finem in voluptate ciborum, quàm secundus, qui omnia ad illam refert; tamen aliquo modo id conuincitur facere: nam hoc ipso, quo mortiferè peccat, Deum propter voluptatem deserit, & hanc illi suo facto præponit: vnde etiam de talibus dici potest: *Quorum Deus venter est*. Sed de

7 hoc plura 1. 2. q. 1. art. 5.

Varij casus in quibus gula est peccatum mortiferum. Porrò tertius iste modus in multis casibus locum habet. Primò, Quando propter gulæ voluptates furatur, vel iniquos cōtractus facit. Secundò, Cum omittit id, ad quod ex præcepto diuino tenebatur; vt si non soluat creditoribus vt opiparè victitet. Tertiò, Quando violat ieiunia Ecclesiæ, vescendo carnibus, vel sæpius comedendo. Quartò, Quando ex gula grauem noxam infert valetudini, id aduertens, vel saltem suspicans euenturum. Si nocumentum non sit graue, erit solum peccatum veniale. Quintò, Si cum scandalo proximi: vnde Apost. 1. Corint. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum, ne fratrem meum scandalizem*. Sextò, Quando probabiliter timetur aliquod peccatum mortiferum ex quantitate vel qualitate cibi sumpti committendum: vt si experientia nosses te inde ad turpia solere concitari & consentire. Si tamen omnino putares te satis firmum ad resistendum, & solius gulæ affectu vescereris, non esset mortiferum. Imò quando quis ex certo genere cibi, aut potus putat se nocturnam pollutionem passurum, non peccat mortiferè, si non eo fine vtatur, nec sit ei periculum consensus in delectationem, vt post Nau. & alios docet Tolet. de 7. peccatis mortal. cap. 60. Sed de hoc infrà dubit. 14.

Septimò, Si quis vesceretur carnibus humanis. verum quia hoc habet peculiarem difficultatem, instituemus de eo alteram dubitationem.

Numeratur etiam gula inter peccata capitalia, quia ex hoc vitio, tamquam radice, multa alia velut rami pullulāt, quæ gulæ filiæ appellantur. Cibus enim & potus circa quæ gula versatur, duplici ex causa trahunt affectum hominis, & maximi æstimantur. Primò, Per se; quatenus sunt media necessaria conseruandæ vitæ, quæ homini præ ceteris rebus est chara. Secundò, Ratione voluptatis, quæ quia est quædam felicitatis proprietas, etiam maximè appetitur. Hinc fit, vt horum causa homines plurima & facere & pati soleant; adeò vt totus ferè labor humanæ vitæ ad cibum & potum referatur, iuxta illud Eccl. 6. *Omnis labor hominis in ore eius*. 8 *Est vitium capitale.*

D. Gregorius lib. 31. quinque gulæ filias recenset; quarum ratio sic accipi potest. Gula consistit in eo, quòd immoderato vsu cibi & potus superflua delectatio quæratur. Ergo ea vitia inter filias gulæ numeranda sunt, quæ ex tali immodico vsu nascuntur. Porrò ex immodico vsu cibi & potus & superflua delectatione coniuncta, primum in intellectu nascitur *hebetudo mentis*; idque tum ratione vaporum, quibus cerebrum oppletur: tum quia affectus & imaginatio est tota in ollis & patinis, nec de alijs mentem cogitare sinit. Deinde in appetitu nascitur *inepta lætitia*, & alij motus animi, qui ad hanc referuntur. Cum enim mens hebetata non percipit altiora, & in voluptate illa magnum bonum imaginatur, exultat animus, tamquā partem quandam felicitatis in cibo & potu adeptus, & exterius per risum & alia signa lætitiæ se effundit. Tertiò, In ore parit *stultiloquium & scurrilitatem*. *Stultiloquium*, quia ratio, cibi & potus suffusa vaporibus & voluptati intēta non considerat quid dicat, sed facilè quidquid videtur iucundum effutit. *Scurrilitatem*, quia inepta lætitia excitat ad indecora vel turpia agenda vel dicenda, risus mouendi causa. Denique in corpore parit *immunditiam*, tum quia ex saturitate nascuntur vitia carnis; tum quia gula sæpe parit vomitus, & alias superfluorum foedas excretiones. Vide D. Tho. qu. 148. art. 6. Nec obstat quòd idem art. 5. dicat ista vitia oriri ex gula secundum rationem finis, cum potius videantur nasci ex ea secundum rationem causæ efficientis: quia etsi ista vitia per se non fiant propter gulam tamquam propter finem; ac proinde neque vt media, neque vt electiones mediorum ex ipsa sequantur; tamen eorum acceptatio & permissio, ex affectu gulæ sequitur: nam ex affectu voluptatis gulæ fit, vt quis paratus sit illa vitia in se permittere, eaque acceptare, vt rectè explicat Caiet. *Quinque filiæ gulæ.* *Quomodo nascantur secundum rationem finis.*

DVBITATIO II.

Vtrùm aliquando licitum sit vesci carne humana.

RESPONDEO & dico Primò, Extra grauissimam necessitatem vesci carne humana est peccatum mortiferum. Ita passim DD. qui hoc attingunt, Caietanus quæstio 148. art. 2. ad 2. Victoria relect. de temperantia, num. 5. Nauarrus cap. 23. nu. 122. Valentia disputatione nona, quæstio. 1. puncto 1. Toletus de peccatis mortalibus, capit. 60. & alij. 9 *Extra necessitatem.*

Probant id aliqui ex ſententia illa Domini, Gen.9. *Omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in eſcam, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum ſanguine non comederis.* niſi enim hic prohiberetur vſus carnis humanæ, id, quod ſequitur, non rectè cohæreret: *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis: de manu viri & fratris eius requiram animam hominis: quicunque effuderit ſanguinem hominum ſuper terrã, fundetur ſanguis illius.* Ita locum illum intelligunt Lyranus & Burgenſis. Sed verius eſt loco illo prohiberi non eſum carnis alicuius coctæ, ſed eſum ſanguinis, non ſolum humani, ſed etiam pecorini, ſicut prohibitum poſtea fuit Leuit. 7. & 17. & Acto. 15. Vnde Caietanus putat non prioribus, ſed ſequentibus verbis, *ſanguinem enim*, &c. vſum carnis humanæ prohiberi. Et ſane ex illis poteſt vtcunque colligi: (etſi non putem Scripturam eò ipectare) ſi enim per ſe licitum eſſet humana carne veſci, etiam fas eſſet viuam occidere: quidquid enim in cibum conceſſum eſt, licitum eſt occidere & præparare. Vnde Petr. Act. 10. dicebatur, *occide & manducа*. at nullo modo licitum occidere viuam, ergo nec mortuam comædere.

Secundo, Alimentum debet eſſe ignobilius alito, ſecundum rectum ordinem, vt ex inferiore gradu ad ſuperiorem euehatur, plantæ enim aluntur ex ſucco terræ; animalia ex plantis: perfectiora & robuſtiora animalia, ex ſpeciebus animalium debiliorum & imperfectiorum: homo ex plantarum & animalium genere. Quod ſi aliquando animalia hominem deuorent, id ex peccato eſt: ergo ſimiliter eſt contra naturæ ordinem, ſi homo veſcatur carne humana.

Tertiò, Confunderetur magna ex parte diſtinctio corporum in reſurrectione.

Quartò. Quia omnes gentes, apud quas aliquid ciuilitatis fuit, κατ' ἐξοχὴν rem extremę barbariei & feritatis ſemper cenſuerunt; vt colligitur ex Homero, & Virgil. de Cyclopibus & Ariſt. lib. 7. eth. c. 5.

Denique eſt contra naturalem pietatem corporibus defunctorum debitam, quibus impendendum eſt officium ſepulturæ.

10 Sed difficultas eſt, Vtrum ſaltem in extrema neceſſitate id fieri poſſit?

An in extrema neceſſitate.

Dico Secundò, Vtraque pars eſt probabilis: Affirmãs tamen videtur omnino verior. Negantem tenet Victo. nu. 6. & probat multis rationibus. Affirmãs placet. Caiet. q. 148. ar. 2. ad 2. Martini. Eandem inſinuat Martinus q. 2. de gula, & Nau. ſup. Eandem docet Abulen. in 4. Reg. c. 6. & Toled. de pec. mort. cap. 60. mihique probatur præ altera. Primò, Quia licitum eſt cauſa morbi vti carne humana in medicamentis, vt vſus receptus declarat in mumia, quæ nihil eſt aliud quàm caro corporis humani, cum pretioſis vnguẽtis ſepulti: cur non etiã in extrema neceſſitate famis, quę morbi maximi eſt inſtar, licitum ſit vti non condita?

Secundò, Licitum eſt haurire ſanguinem humanum ex vena adoleſcentis detractum, cauſa concihandi vigoris corpori ſenili, & ſenectutis prorogandæ: vnde quidam medici (inter quos Marſil. Ficin. lib. de ſanitat. tuenda) hoc tamquam ſingulare remedium ad illum finem præcribunt; etſi forte in ratione medica decipiantur: cur non etiam ob ſimilem cauſam liceret vti carne humana, ſi ars medica præſcriberet?

Tertiò, Quia caro mortua eſt res inferior, & licitum eſt eam exponere feris, & auibus dilaniãdam, quando viui ob crimina ſunt commeriti: cur eo caſu non poſſit homo ex ea ſumere, extrema vrgente fame? ceſſat enim hic ratio iniuriæ, & aliunde ſuccurritur extremæ neceſſitati.

Quartò, In extrema neceſſitate ludæi potuiſſent veſci carne immunda, v.g. ſuilla, equina, coruina, (vt docet Victo. ſup. nu. 10.) quod tamẽ extra illam fuiſſet nefas; ergo etiam hic extrema neceſſitas excuſabit.

11 *Obiectiones.* Dices Primò, Ergo licebit etiam hominem eo fine occidere. Secundò, Si barbari compellant, licebit veſci. Tertiò, Cur in obſidione Hieroſolymitana non ſunt vſi, vbi erant tot corpora mortuorum? Cur tam horribile viſum quòd mater comederit filium? vt refert Ioſeph. li. 7. de bello Iudaico. 8. Denique ſi tunc fas eſt vti: ergo quiſque tenetur; quia tenemur omni modo vitam conſeruare.

Reſpon. Ad 1. Ad primũ Reſpondeo negando conſeq. quia homo non eſt deſtinatus homini in cibum, ſicut cetera animalia. Vnde etſi medicamenti cauſa ſit opus carne vel adipe humano, non tamen idcirco licitum occidere; niſi aliàs ſit meritus mortem, & executio debito modo fiat.

Ad 2. Ad Secundũ: Negatur; quia illa compulſio fieret in odiũ noſtri moris, & illius virtutis, per quam ab huiuſmodi extra neceſſitatem abſtinemus. Simili modo ſi cogerent veſci idolothytis, non liceret obſequi.

Ad 3. Ad Tertium; In illa obſidione non ſunt vſi niſi pauciſſimi; quia reputabant huiuſmodi cadauera maximè immunda. Deinde quia res videtur belluina, & natura abhorret ob inſolentiam, & anticipatas opiniones. Factum illius mulieris viſum valdè horribile, non quia cadauer hominis per ſe mortui comederet; ſed quia oblita maternæ pietatis, proprium filium, vt comederet, occiderat, & reipſa iam medium deuorauerat.

12 *Ad 4. Non tenemur quouis modo vitam conſeruare.* Ad vltimum: Neganda conſeq. non enim tenemur omni modo licito vitam conſeruare; ſed poſſumus illam negligere, vel exponere, quando honeſta ratio ſuppetit; vt bene docet Vict. d. relect. de temper. nu. 9 ratio eſt, quia bonum virtutis eſt præſtantius vita: vnde propter illud poteſt vita deſeri. deinde cum vita nõ ſit ex bonis ſupremis, & ſemel neceſſario deſerenda, non tenemur eam niſi mediis ordinarijs ſecundum proportionem noſtrę conditionis fouere & prorogare. Explicatur & probatur exemplis. v.g. non tenemur in obſidione veſci canibus, felibus, muribus, calceorum ſegmentis, &c. nec tenemur pretioſiſſimis vti medicamentis, vel cibis, ad morbi, aliàs lethalis, curationem. non teneor me tueri contra inuaſorem, ſi non poſſum ſine ipſius interitu. non teneor mutare ſolum patrium, etiamſi medici id dicant neceſſarium ad vitam conſeruandam, teſte Victo ſupr. poteſt vxor miniſtrare marito in pelle, ad coniugalem amorem demonſtrandum, etiamſi eius opera non ſit marito neceſſaria.

Carthuſianus an in neceſſitate teneatur veſci carne. Denique poteſt Carthuſianus, etiam in extrema neceſſitate abſtinere à carnibus, (etſi poſſit ijſdem etiam veſci) propter exemplum virtutis & decus abſtinentiæ in ſuo Ordine tuendum; ne videlicet aperiatur aditus diſpenſationibus & interpretationibus; ſicque ſenſim relaxetur ille communis abſtinentiæ rigor, vt docet Victor. ſup. num. 10. Idque verum puto, etiamſi illa neceſſitas proueniat ex fame, & nullus alius cibus ſuppeteret. ſicut enim ſi à morbo proueniret, non cenſeretur à ſe, ſed à morbo perimi, vt ibidem rectè ait Vict. ita etiã cum prouenit a fame, cenſetur fame vel calore interno abſumi; non enim magis tenetur famem tali eſca pellere, quàm morbum, ceteris paribus. Confirmatur, quia vt idem docet, Iudæi tempore Machabæorũ in ſolitudine verſantes, non tenebantur veſci cibis legę vetitis, etiamſi fame alioquin fuiſſent morituri; tamen potuiſſent ijs veſci: poterãt enim veſci ob neceſſitatem extremã, & poterant abſtinere ob reuerentiam diuinæ legis; ergo idem dici poterit de Carthuſiano in ſimili caſu; maximè cum non nudo ſtatuto humano, ſed etiam voto videatur obſtrictus; dum vouet obedientiam ſecundum ſtatuta. Itaque ob reuerentiam ſtatuti, quod ſtrictiſſimè abſtinentiam præcipit, & etiam in extremis morbis in Ordine ſeruatur; & ob reuerentiam Dei, cui ſe per votum obſtrinxit, & ob commune decus Religionis tuendum poterit abſtinere.

Dixi obiter Carthuſianum poſſe veſci carnibus in extrema neceſſitate; ſiue ea neceſſitas prouenirat ex morbo (quã quidam putant non dari, ſi alij cibi ſuppetant) ſiue ex aliorum ciborum inopia. Quia ſtatutum humanum non obligat cum periculo mortis vt communiter DD. tradunt; niſi vel neceſſitas boni communis poſtulet (quod hic non ſit) vt cum præcipitur militi ne ſtationem deſerat, ne fugam capeſſat: vel niſi ſcandalum graue impendeat, cui aliter occurri non poſſit; quod etiam hic locum non habet. nec refert etiamſi illud ſtatutum voto aut iuramento firmatum ſit; quia periculum mortis cenſetur exceptum. vt patet in voto ieiunij, peregrinationis, obedientiæ, non docendæ vxoris, &c. Si tamen expreſsè vouiſſet ſe nullo euentu, etiãſi mors impenderet, carnes eſurum, puto non poſſe comedere; quia votum meo iudicio eſt validum, vt ex ſupradictis colligitur; ac proinde ſeruandum in tali periculo. exiſtimo tamen nullum huiuſmodi votum in ordine illo fieri; quia multi DD. cenſent inualidum & illicitum.

DVBITATIO III.

Quid ebrietas, & quale peccatum.

D. THOM. QVÆST. 150.

13 EBrietas dupliciter accipitur, vt notat D. Thom. art. primo Primò. Pro defectu vſus rationis, nimio potu inducto, vnde dicitur quis *ebrius*, & ſic non eſt peccatum propriè, ſed peccati effectus: Secundò, Pro ipſa potatione, quæ hunc defectum efficit. ſic eſt peccatum, & definiri poteſt hoc modo.

Ebrietas pro peccato quid.

Ebrietas eſt exceſſus in potando, cauſa voluptatis, vſque ad violentam vſus rationis privationem. vel ſic; Eſt violenta rationis interceptio per nimium potum, cauſa voluptatis aſſumptum.

Hæc definitio habet tres partes. Prima, *Eſt exceſſus in potando*: ſicut enim gula conſiſtit in exceſſu in cibo & potu non inebriante; ita ebrietas in exceſſu vini, vel cuiuſuis alterius potus inebriantis. Hinc *ebrietas*, iuxta Diuum Thomam, dicta eſt, quaſi *extra brium*, quòd debitam vini menſuram excedat. Vnde dum quis odore lupuli, ſalictarij, vel ſuffitu tabaci, vel opio, aliſque narcoticis privatur vſu rationis. non eſt ebrietas; quia hoc non fit exceſſu potandi.

Si cauſa medicinæ.

Secundò, *Cauſa voluptatis*: ſi enim cauſa medicinæ, ex præſcripto medicorum, non eſſet ebrietas, etiamſi vſque ad interceptam mentem ſumeretur, vt rectè docet Caiet. art. 2. ad 3. & in Summa v. Ebrietas, Sylueſter v. Ieiunium, q. 3. Nauarrus, cap. 23. numer. 119 vtſi in ſubito pauoris terrore, aliis remedijs æquè commodis non ſuppetentibus, magnus haurtus vini generoſi ſumatur: vel aduerſus venenum frigidum (vt opium, ſolanum, cicutam, hyoſcyamum) aut contra cantharides magna vini copia bibenda, ex qua rationis vſus ſit impediendus, præſcribatur. non enim eſt exceſſus reſpectu talis ſubiecti, & ad talem finem: neque cauſa delectationis guſtus vel tactus, palati, vel œſophagi ſumitur: vnde non repugnat temperantiæ, quæ circa tales delectationes verſatur.

Ob eamdem non peccat peccato gulæ, qui iudicio medicorum varia edulia inordinatè & copioſè ingerit, ad vomitionem mouendam: quia neque ob delectationem id agitur, neque modus rationis reſpectu talis ſubiecti excedetur.

14 *Duplex vſus rationis privatio.*

Tertiò, *Vſque ad violentam*, &c. Dupliciter auferitur rationis vſus, modo naturali, & violento. *naturali* per ſomnum, ſpiritibus animalibus in centrum retractis, & neruis ſenſoriis, qui in ſenſuum externorum organa terminantur, vapore quodam frigido occupatis. Hic modus à natura eſt inſtitutus ad ſpirituum, & conſequenter ad virium inſtaurationem; nam per quietem nulla fit diſſipatio, & copioſa nouorum ſpirituum generatio: *violentè* auferitur, quando tanta vaporum copia cerebrum implet, vt etiam in vigilia, ratione vti non poſſit. Idem interdum accidit vel ex nimio ſpirituum feruore, vt in phrenitide; vel ex humore maligno, cerebrum per idiopathiam aſſiduè occupante, vt in melancholia primaria, vel ex vapore noxio, cerebrum per interualla petente. vt in melancholia hypochondriaca.

15 *Eſt peccatum mortiferum.*

Quod ad alteram partem attinet, dicendum eſt talem ebrietatem, ſi voluntaria ſit, eſſe peccatum mortiferum. Ita Diuus Thomas articulo ſecundo, quem omnes alij ſequuntur. Eſt autem voluntaria. Primò, Directè, quando quis ebrietatem intendit. Secundò, indirectè, vt quando quidem expreſsè non cupit inebriari, ſed tantum bibit, quantum poteſt, non curans an ſequatur ebrietas, an non. Item quando aduertit ſe inebriandum, ſi pergat potare, nihilominus non deſiſtit.

Probatur ex Scripturis.

Nunc probatur id eſſe peccatum mortiferum. Primò, ex Scripturis, Prouerb. 23. *Cui væ cuius patri? cui væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnerati? cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* vbi breuiter attinguntur mala, quæ ebrietas, etiam in hac vita infert. Eſt igitur & ipſa graue malum in moribus Ibidem, *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius; ingreditur blandè; ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet:* nimirum quia ſicut illa venena ſunt corpori lethifera, ita vinum in fine mortem æternam affert animæ & corpori. Sequitur, *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa:* Vbi ſignificatur, ex multo vino ſequi fornicationes & adulteria, maledicta, & blaſphemias, Eccleſ. 19. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos*, id eſt, facient reprehenſioni obnoxios. Et capit. 31. *Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit*, vide plura ibidem. Iſaiæ 5. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & ad potandum vſque ad veſperam*, & infrà, *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*, q. d. qui ſtrenuè incumbitis comporationibus. ea autem in Scripturis paſſim commination em damnationis æternæ ſignificat. 1. ad Corinth 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* hic *ebrietatem* connumerat alijs vitijs mortiferis, & pari modo à regno excludere affirmat.

Nec obſtat, quòd *ebrioſus*, non ebrium, ſed deditum ebrietati deſignet; ac proinde requirat conſuetudinem: *ebrioſus* enim dicitur non qui ſemel aut bis ebrius eſt, ſed qui ebrietati eſt deditus: hoc, inquam, non obſtat, quia Græcè eſt *μέθυσος*, quod ebrium ſignificat, & idem valet ac *μεθύων*, vnde ſicut is, qui alia illa vitia vel ſemel commiſerit, excluditur à regno, niſi pœnitentiam egerit, ita etiam qui vel ſemel ebrius fuerit. Ad Gal. quinto, *ebrietates* ponuntur inter opera carnis, quæ à regno Dei alienum reddunt.

16 *Ex patribus.*

Secundò, Probatur ex Patribus D. Auguſt. ſerm. 231. de temp. ſæpius dicit, per ebrietatem *perire animam, hominem Deo fieri inimicum, & reum in dei iudicij*. Similia habent alij Patres, vt S. Baſilius hom. in ebrietatem, D. Ambroſ. de Elia & ieiunio, capit. 14. S. Chryſoſtom. in homil. contra luxum & crapulam, & alij. Præterea D. Auguſtin. ſermone illo citato ſic ait, *Qui contra conſuetudinem & animam ſuam ebrietatem loquentibus tranſeuntur, libera à nobis voce audiunt; quia quicunque ebrioſus pœnitentiam de ipſa non egerit, ſed vſque ad mortem ſuam in ipſa ebrietate permanſerit, in æternum profectò peribit; quia non mentitur Spiritus ſanctus per Apoſtolum dicens, Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* Deinde docet quomodo auxilium diuinum ſit ebrioſo implorandum, vt eripiatur de luto fæcis, & cloaca ebrietatis, nimirum dicendo totis animæ viribus cum Propheta; *Eripe me de luto fæcis, vt non inhærem*, & *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum*. & rationem ſubdens, cur ita illam vocet, addit, *Ebrietas enim quaſi infernus puteus, quoſcunque ſuſceperit, niſi digna ſubuenerit pœnitentia, & emendatio fuerit ſubſecuta, ita fortiter ſibi vendicat, vt eoſdem ipſos de inferni tenebroſo puteo, ad charitatis vel ſobrietatis lucem redire ſine pœnitentia non permittat.* Idem ſermon. 232. *Qui credit ebrietatem eſſe paruum peccatum: ſi ſe non emendauerit, & pro ipſa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna illum pœna cruciabit.* idque probat ex Apoſt. 1. Cor. 9. & ad Eph. 5.

Obiectio.

Dices, D. Auguſtinus ſerm. 41. de Sanctis, crimina enumerans capitalia, non ponit ebrietatem abſolutè; ſed cum reſtrictione, *Ebrietas*, inquit, *ſi aſſidua ſit*, &c. vbi videtur inſinuare ſi non ſit aſſidua, ſed rara, non eſſe peccatum mortiferum.

Reſp.

Reſpondeo, D. Auguſtinum ſolum enumerare ibi aliqua crimina capitalia, de quibus non poterat eſſe controuerſia apud populum: nam ſimili modo ponit iracundiam; *ſi longo tempore*, inquit, *teneatur iracundia*; & tamen certum eſt etiam brevem iracundiam, ſi plenè ſit voluntaria, & graue malum imprecetur, eſſe crimen capitale, ſeu mortiferum. vel certè, vt Diuus Thomas art. ſecundo ait, addit illam reſtrictionem, vt indicet ſe loqui de ebrietate plenè voluntaria. qui enim rarò inebriantur, non videntur id voluntariè, ſed præter mentem pati, nimirum ex eo quòd ignorét vim potus, vel debitam menſuram, aut non aduertant ebrietatis periculum.

17 *Probatur ratione.*

Tertiò Probatur ratione, Primò. Quia ſe inebrians primat ſe violentè non ſolum vſu rationis; ſed etiam potelta- 1. *Ratio.*
te propinqua vtendi; impedimentum & veluti vinculum menti ſuæ injiciendo, vt etiam vigilans ratione vti ne-

queat, idque causa voluptatis: vnde propter voluptatem se ad brutorum abijcit soliditatem. hoc autem censetur maximum malum & grauis inordinatio: quia præcipuum bonum hominis, & quo à brutis distinguitur, est posse vti ratione, & sua omnia hac regula dirigere: quod valdè ponderat Diuus Basilius & alij Patres; vt infra dicemus. Confirmatur, quia si quis alteri hanc potestatem eriam ad aliquot horas eriperet, grauem inferret illi iniuriam, & peccaret mortifere: ergo etiam qui sibi ipse illam adimit.

Obiectio 1. Dices Primò, Est dispar ratio, quia quisque cedere potest iure suo, & nemo sibi ipse facit iniuriam: sed non potest cedere iure alterius.

18 *Respon.* Respondeo, Etsi quisque possit cedere iure, quod habet ad vsum rationis hic & nunc adhibendum; & ita possit se illo vsu priuare, dormiendo, vel nolendo mentem applicare; tamen non potest cedere iure, quod habet ad potestatem vtendi: huius enim non est Dominus; sicut nec integritatis membrorum, aut sensuum. Vnde non minùs peccat dum sibi hanc potestatem eripit, quàm dum alteri id facit. etsi enim non sit propriè iniuria, dum sibi hanc potestatem adimit, cùm non fiat nolenti; est tamen contra charitatem, & debitum custodiendi sui, & suæ naturalis integritatis.

Alia est ratio somni. Hinc patet responsio ad obiectionem de somno: etsi enim somnus priuet vsu rationis; non tamen potestate propinqua vtendi; quia relinquit organa expedita, vt statim secuta vigilia mens possit ratione vti: ebrietas verò ita ligat & obsidet, vt etiam secuta vigilia, ratione vti nequeat. Accedit, quòd somnus est institutus in bonum naturæ; vt illa quiete vires tum sensitiuæ, tum motiuæ reficiantur, corpus roboretur, & officijs mentis instrumentum debitum, id est, spiritus animalis reparetur. Vnde etiamsi vsus rationis in somno tollatur; tamen hoc detrimentum multis commodis compensatur.

19 *Obiectio 2.* Dices Secundò, Suffitu peti seu tabaci tollitur violentè potestas vtendi ratione; similiter odore lupuli, si quis in eo cubet; & tamen in his non est peccatum mortiferum.

Respon. Respondeo, illo suffitu non tolli potestatem vtendi extra somnum, sicut per ebrietatem; sed solùm in somno (qui modus est naturalis) sua facultate refrigerante & constringente inducendo soporem: est enim ex genere narcoticorum, sicut & hyoscyamus. vnde etiamsi suffitus ille hauriatur causa voluptatis, quâ Indi dicuntur in illo sapore percipere, non erit mortiferum. Odor lupuli turbat quidem caput, non tamen puto planè inebriare. si re vera inebriaret, sicut ipse potus, putarem eodem modo vitandum; maximè quando nulla est in eo cubandi necessitas.

20 *3. Ratio Malæ ebrietatis.* Secundò Probatur: Ebrietas multa alia grauia mala secum trahit, ob quæ merito graue crimen conferi debeat. Primò, Facultates exhaurit, Prouerb. 23. *Qui amat vinum & pinguia non ditabitur.* & capitul. 25. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus earum, qui carnes ad vescendum conferunt; quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Hinc sequitur grauis familiæ afflictio, liberorum neglectus, creditorum fraudatio, furta, latrocinia, &c. vt quotidiana experientia docet.

1. Exhaurit facultates.

2. Enervat & fœdat corpus. Secundò, Corpus fœdum, imbecillum & morbidum efficit: hinc enim est oculorum lippitudo, narium coryza, oris graueolentia, anima fœtida, membra tremula. hinc capitis destillationes, tusses, fœdique screatus. hinc apoplexia, & paralysis membrorum, & articulares morbi. Diuus Chrysostomus homilia contra crapulam tomo quinto. *Oculi, nares, & os, cerebrum, muco & putredine, & his, quæ intus generantur cæcosis & impuris affectibus sunt plena: & ipsa carnis substantia laxior fit, quàm natura proportio requirat, & fœtida, ac inutilis; atque ad omne opus bonum inepta.* confirmat similitudine. *Etenim & terra aquarum abundantia oppressa, innatum perdit calorem, perdit & suos vires, neque ad fructum opus vel procreationem est idonea. hinc & incurabilibus & difficillimis implicantur morbis, tremoribus, palloribus, podagra, chiragra, & alijs pluribus, &c.* addens tanta esse illa mala, vt etiamsi nulla esset gehenna, nullumve aliud incommodum, merito propter illa ebrietas sit fugienda. Diuus Augustinus sermone 231. *Est in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio, & dolor capitis, suffusio vultus, membrorum omnium tremor, anima ac mentis stupor. In talibus impletur quod scriptum est, Cui væ, cui tumultus, cui æs, cui rixæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum, nonne his, qui morantur in vino, & studeut calicibus eperandis?* Similia habet Diuus Basilius homil. in ebrietatem, circa medium, & Sanctus Ambrosius de Elia & ieiunio cap 16.

Ebrietij mor bis.

Incommoda corporis ex ebrietate.

21 Tertiò, Reddit hominem ad bonum inutilem, nimirum non solum ad opera pietatis; sed etiam ad studia litterarũ, ad politica, ad mechanica: denique ad omnem vitæ vsum. Docet hoc pulcherrimè Diuus Augustin. supra, Quæ, inquit, *corpora nostra terrena sunt; quo modo planta nimium grandis & diuturna si fuerit, terra infunditur, & in lutum resoluitur, vt nulla in ea cultura fieri possit: sic & caro nostra quando abundantiore potu fuerit inebriata, nec spiritalem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere.* Vnde infert, *Si volumus vt ager corporis nostri bonos fructus proferat, non plus bibendum quam oportet, ne per numium*; inquit, *ebrietatem ipsa corporis terra volet in paludem conuersa, magis vermes & serpentes generare, quàm fructus bonorum possit afferre.* Deinde subdit, *Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes ipse videntur: quod enim in paludibus nascitur, nullum fructum habere cognoscitur. nascuntur ibi serpentes, fungus fuge: nascuntur ibi rana & diuersa genera vermium; qua magis horrorem possint generare, quàm aliquid ad victum exhibere. ipsa enim herba, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus, aut circa ripas nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantum vt annis singulis incendio consumantur. Videte, quod de ebrietate nascitur, igni præparatur.* Eamdem similitudinem attingit Diuus Chrysostomus loco citato, Diuus Basilius homilia in ebrietatem, *Periculum. ò miser, est, ne pro homine vanum lutumque fias: sic penitus vino deditus marcescis, ac quasi animam crapulæ haud aliter quàm vasa putida oles.*

Simile ab agris.

Sunt similes stagnis.

22 Quartò, Facit hominem bestijs similem, & etiam viliorem. Diuus Augustinus suprà. *Considerent ebriosi, si non pecorea animalibus iudicanda sunt. cum enim animalia amplius quàm ea æquum est, bibere nolunt: illi & duplum, & triplum, quæ ea escepedit, potum accipiunt. & vnde etiam vel quatuor dierum satisfactionem poterant habere, vno die cum grandi peccato consumendam perdere potius quàm expendere, & vtinam potum tantummodo perderent, & non etiam ipsi perirent.* Diuus Basilius suprà, *Quæ in te, dic homo miser, à brutis differt? nonne rationis munere quam à Deo omnium conditore accepisti, reliqua creatura factus dominus, & Imperator? hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuans, inter bestias ratione carentes numerare potueris, & illis similes videri.* Hæc sanè est præcipua iniuria, quam ebrietas per se & proximè dignitati naturæ rationalis, qua parte est imago Dei, infert; ob quam maximè diximus esse peccatum mortiferum. Addit Sanctus Basilius, *Imò & bestijs longè pejores existimauerim eos, qui ad ebrietatem superantur; cum illa certos status habeant leges & horas; hi verò nullius temporis & horæ rationem habentes, nequissimas complantibus & amentibus inter se conuiuijs.* Idem ostendit ex vsu sensuum, *Nec solum eò peiores brutis, quòd mente ei sint, sed etiam quòd sensibus longè infra illa deficere videantur. an non vmbras sæpenumerò tanquam fossas, vel loca præcipua transilimus? aures veri sicò sonitu, tanquam fluctuantis maris relatas habent; terra in terdum insurgere & in vitium erigi, montes verò circumagi videntur?* &c. *his somnus sunt graues, ac veterno mortis vicini: vigil. à verò somnis stupidiores. In somnium quoddam est vita istorum.* & Cl. D. Chrysost. homil. 18. in Matth. *Quanto melius esset vinum ebrioso esse? quanto canis præstantior? omnes certè animantes, quæ rationis expertes sunt, eũ habent aut comedunt, vltra quàm satis est, etiamsi mille homines cogerent, nunquam elaborant. peiores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini*; quod fusius inde prosequitur.

Brutis peiores.

4. Assimilat brutis.

Quintò, Secreta prodit, Prouerb. 31. *Nullum secretum vbi regnat ebrietas.* Huius rei multæ extant historiæ: hinc Horatius,

5. Secreta prodit.

> *Reges dicuntur multis vrgere culullis*
> *Et torquere mero, quos perspexisse laborant,*

D. Ambros. de Elia & ieiunio. capitul. 17. *Plerique etiam vino vruntur vt equuleo; & quibus tormenta non elicuerunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ statum, salutem ciuium, defensionis suæ prodant consilia, quos inter epulas tecte quòd latet vo cupabat?*

Sextò, Ad mores absurdos & grauia crimina excitat. 23

hos

6. Eſt cauſa multarū criminum.

Fugna ex ebrietate.

Expditas ebrioſorum.

lios exprimit ex parte Diuus Baſilius ſuprà. D. Hieronym. in cap. 1. epiſt. ad Titum, explicans illud, Non vinolentum, *Longum eſt ire per ſingula, & inſanias, quas ebrietas ſuggerit, explicare. Videns alios pecula ut tela vertentes, ſyphum in faciem iacere communem; alios ſciſſis veſtibus in vultum alienum prorumpere, alios clamare, alios dormire. quæ plus liberis fortior computatur: accuſationis occaſio eſt adiuratum per Regem, frequentius non bibiſſe. vomunt ut bibant, bibunt ut vomant, digeſto ventre & gentur uno occupantur officio.* Deinde addit, *Hoc tunc dixiſſe ſufficiat, quòd ſecundum Apoſtolum, in vino luxuria eſt, & vbicunque ſeruitus atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Spectra ventrem & genitalia, pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. numquam ego ebrium caſtum putabo.* Nota grauiſſima verba tanti Doctoris. Diuus Ambroſius de Elia & ieiun. cap. 16. *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum inſaniæ, ebrietas vehemens inſipientia. hæc ſenſus hominum mutat & formas; per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. ſi quidem naturali vapore corporis calidi & præter naturam, uino calore flammati calorem ſe non quiuere, & in beſtiales libidines excitantur:* &c. quæ elegantiſſimè proſequitur. Similia habes capit. 12. & apud D. Chryſoſtom homil. 58. in Matth. ſub fi. S. Baſilius homil. in ebrietatem; *Ebrietas dæmon eſt omnium grauiſſimus, ex voluptate animabus noſtris inditus. Ebrietas malitiæ mater eſt, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum, ex temperato laſciuum, iuſtitiam ignorat, prudentiam extinguit,* &c.

Ebrioſus nil-quam caſtus. Libidines.

7. Difficillimè curatur.

Septimo, Difficillimè curatur. ratio eſt, quia vinum corporis habitum immutat, hepar accendit, fauces exſiccat, & ſiticuloſos reddit; quo fit vt ſitis bibendo augeatur, faucibus magis & magis areſcentibus. D. Baſilius. *Denique huius mali finis eſt nullus: ipſum namque inexplebilem continuo ſitim addit, nec neceſſarium quærit vſum, ſed ad alium irrefragabiliter paruo mouetur, cum ardentes ebrios & ſemper bibendi cupidiores reddit.* D. Ambr. cap. 14. *Meritò Deus per Moyſen non ſolum vinum, ſed etiam draconum venena vinum comparauit, dicens, Furor draconum vinum eorum, & ira aſpidum inſanabilis. & pulchrè additur, inſanabilis: multi enim reliquorum ſerpentum quamuis curantur, nemo ebrietate.*

Vbi aduerte, locum illum Deuteronom. 32. poſitum ab Ambroſio iuxta editionem Septuaginta. Noſtra lectio ſic habet, *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.*

24 Quo modo poſſit curari.

Quomodo autem his curatio adhiberi poſſit docet pulchrè Diuus Auguſtinus ſermon. 231. *Qui ſe de hoc modo deſiderat liberare, quo modo ſibi interuallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenacias peruenit; ita paulatim ſubtrahendo ad ſobrietatis locum redeat. qui ſi ſimul totum, quod amplius accipiebat, ſubtraxerit, vbi nimia ſiti cœperit exardeſcere, cum grandi amaritudine clamet & dicat, malle ſe mori, quàm ſibi bibendi & inebriandi conſuetudinem tollere: nec attendat quòd tolerabilius grauiſſi carne mori, quàm in anima per ebrietatem interfici. Et ſi deo vt nec ardorem vinum patiatur, & de tam graui malo liberetur, per interualla dierum, ſicut diximus, aliquid de mixturæ potus ſubtrahat, quouſque ad rationabilem bibendi conſuetudinem redeat.*

Hæc paulo fuſius ex Patribus dixerim, propter fœdam Patrius ævi apud multas gentes ſeſe inebriandi conſuetudinem. plura licet videre apud citatos, maximè Ambroſium & Baſilium.

25 An commiſſa in ebrietate ſint peccata?

Petes Primò, Verùm ea, quæ homines in ebrietate committunt, ſint peccata, ita vt imputentur ad culpam?

Si nullo modo voluntaria.

Reſpondeo, Vel ebrietas eſt voluntaria, ſeu culpabilis, vel non eſt voluntaria. Rurſus, vel malum inde ſecuturum poterat præuideri, vel non poterat. Si non eſt vllo modo voluntaria, ita vt ſit prorſus inculpata, quidquid ex ea ſecutum fuerit, etiam culpa vacat; non minus quàm id, quod committitur ab amente. ratio eſt, quia nullo modo eſt liberum. nec enim per ſe liberum eſt; nam cum agitur, deeſt vſus rationis. nec etiam in cauſa; quia ſupponimus cauſam non eſſe voluntariam. talis erat nuditas Noe, ex ebrietate inculpata, conſecuta: ignorabat enim vini efficacitatem, vt Patres docent. Ita communiter D. Thom. q. 150. ar. 4. Caietan. ibidem, D. Bonauentura in 2. d. 22. art. 2. quæſt. 3. ad vltimum, & alij.

26 Si ſit aliquo modo voluntaria.

Si verò ebrietas ſit aliquo modo culpabilis, & mali præuideri poterat, (vt ſi aliàs erat expertus, in ſimili diſpoſitione tale quid à ſe commiſſum; vel ſi dubitans non adhibuit ſibi cuſtodem, vel aliam cautionem) etiam ipſum ad culpam imputabitur. Et quidem ſi ſolum venialiter peccauit ſe inebriando, malum inde ſecutum ſolum erit veniale. Si verò mortaliter, mortale. Ratio eſt, quia illud malum (v.g. homicidium in ebrietate commiſſum) non eſt in ſeipſo voluntarium, ſeu liberum, cum ab eo patretur, qui iam vſu rationis caret: ſicuti quod ſit à dormiente; ſed ſolum eſt voluntarium in cauſa, quæ eſt ebrietas: ergo non poterit contrahere culpam, quàm ipſa cauſa hic & nunc habeat, atque adeo quam voluntas illa, à qua ebrietas illa dicitur voluntaria: ergo ſi hæc voluntas ſolum eſt venialis, illud malum, etiamſi fortè ſit homicidium, non imputabitur niſi ad culpam venialem. Confirmatur, quia tota culpa eſt in illa voluntate: & ſolum per denominationem extrinſecam tribuitur ebrietati & effectui ſecuto: nam ebrietas, & opus ſecutum ſolum imputatur ad culpam, quatenus ab illa voluntate pendet. Vnde euidens eſt, non poſſe eſſe maiorem culpam in opere ſecuto, quàm in voluntate illa præuia ebrietati. Vnde patet fieri non poſſe vt ebrietas ſit peccatum veniale; & opus ex illa ſecutum imputetur vt mortiferum.

Si ebrietas ſit venialis, eſſe voluntarium in cauſa, non poteſt niſi veniale conſequi.

27 Si malum nõ poterat præuideri, non imputatur.

Fieri tamen poteſt vt ebrietas ſit mortifera, & malum ex ea ſecutum, etiam aliàs per ſe grauiſſimum, non imputetur ad culpam, vel ſaltem non niſi ad venialem. ad nullam culpam, ſi malum nulla ratione præuideri poterat: quod enim nullo modo eſt cognitum, nullo modo cenſetur volitum, aut voluntarium, vt ſi nihil ei occurrit quod excitaret dubitationem vel timorem talis mali euenturi: quod facile accidit ei, qui nihil tale eſt antea expertus: vel ſi occurrit, humano modo ſufficientem cautionem adhibuit: quo modo inceſtus Loth videtur fuiſſe inculpatus, etſi fortè ebrietas eius excuſari non poſſit. Vnde D. Auguſt. li. 22. contra Fauſtum cap. 44. dicit; *Inebriauerunt eum, & ſe neſciens miſcuerunt quapropter culpandus eſt quidem, non quantum ille inceſtus, ſed quantum illa merebatur ebrietas.* Idem docet S. Chryſoſt. homil. 44. in Gen.

28 Si præuiſum imperfectè, erit veniale.

Ad venialem imputabitur, ſi aliquo modo præuideri poterat, (vt ſi aliqua leuis de eo dubitatio inceſſit animum) & per uenialem negligentiam maior conſideratio fuit prætermiſſa. Ratio eſt, quia etſi tenebatur ebrietatem ſub peccato mortifero uitare, ob intrinſecam ipſius malitiam, eius periculo ſatis animaduerſo; non tamè pari obligatione tenebatur illam uitare, ob malum, v.g. homicidij, eò quòd nõ ſatis eius periculum aduerterit; ſed ſolum leuiter: & in eo neglectu non peccauerit niſi uenialiter, uti ſuppono. Confirmatur, quia in homicidio caſuali poteſt eſſe peccatum ueniale, ob defectum conſiderationis neceſſariæ ad culpam lethalem: atqui tale homicidium eſt caſuale reſpectu illius hominis & uoluntatis præcedentis: ergo, & cætera.

Si perfectè animaduerſum.

Quando autem perfectè quis aduertit periculum mali; ſi hoc malum graue ſit, tenetur ſub peccato mortali uitare periculum. Vnde ſi hoc etiam per ſe ſit peccatum mortiferum, ſicut eſt ebrietas, in uoluntate illa præuia, qua periculum acceptat uel non uitat, erit duplex malitia mortalis; altera quatenus terminatur expreſsè uel implicitè ad ebrietatem. altera ut reſpicit malum inde ſecuturum: quarum alteram habet ab ebrietate, ut per ſe ſpectatur; alteram ab eadem ut eſt cauſa continens periculum alterius mali.

29 An rationis defectus & mala ſecuta ſint peccata.

Vtrùm autem ebrietas, ut rationis defectum denotat, & mala ſecuta dicenda ſint peccata, potius ad modum loquèdi, quàm ad rem ipſam pertinet, quia conſtat totam malitiam moralem & culpam eſſe in uolũtate, quæ ebrietatem anteceſſit. Si tamen propriè loqui uelimus, potius dicenda ſunt effectus peccatorum, quàm formaliter peccata. Ratio eſt; quia non dependẽt a uoluntate ut actiones liberæ, ſed ut effectus conſequentes, qui poſita ſemel cauſa, non ſunt amplius in noſtra poteſtate. poſito enim potu largiore uini, eoque in ſtomachum infuſo, non eſt in noſtra poteſtate ut non ſequatur mentis defectus; & poſito tali defectu non ſunt in noſtra poteſtate opera, quæ inde ſequuntur: atqui de ratione peccati eſt eſſe liberũ & in noſtra poteſtate. Cõfirmatur, quia aliter actiones externæ peccatorum dependent a uoluntate libera, aliter hæc opera. illæ enim ita dependent, ut omni momento ſit in noſtra poteſtate eas inchoare, uel non inchoare, & inchoatas abrumpere, uel continuare. Vnde ipſæ per ſe ſunt propriè uoluntariæ, laudabiles

biles vel vituperabiles, peccata, vel merita; quia secundum ea assidue à voluntate pendent, & conseruantur; & consequenter ab ea informantur, & veluti animantur ad vnum perfectum opus morale constituendum. Hęc verò non sic; sed remotè solum à voluntate libera pendent, nimirū quatenus liberè facta est applicatio causæ: qua posita, necessariò sunt secutura; nec amplius est in potestate nostra ea inchoare vel differre. Vnde per se non sunt peccata, sed solū vt considerantur in libera applicatione causæ inebriantis, in qua dicuntur voluntaria.

Quatuor actus considerandi.

Quod vt melius intelligatur, notandi sunt in proposito quatuor actus. Primus est; Voluntas illa, qua quis expressè vel implicitè vult se inebriare; etiamsi videat periculum ex ebrietate impendere. Secundus, Actus potandi. Tertius est, Operatio vini, qua tollitur vsus rationis. Quartus est, Homicidium ex ebrietate commissum. Primus est fons totius mali, & in eo sedet tota culpa. Secundus est actio libera, assidue pendens ex illa voluntate: vnde cum illa constituit integrum & completum opus morale. Tertius est effectus secundi, qui posito secundo naturaliter & necessariò sequitur. Quartus sequitur ex tertio. Itaque cum tertius & quartus per se non pendeant à voluntate libera, sed solum ratione secundi; non sunt etiam per se peccata, sed solum vt cōtinentur in secundò, vt in causa.

Idem dicendum de omissione, quando ex aliqua causa libera sequitur necessariò, ita vt non maneat amplius libera; vt cum ex ebrietate omittitur Sacrum, vel lectio precū; vel abiecto sponte Breuiario lectio facta est impossibilis. Verum de his fusius agendum 1.2.q.20.

Petes Secundò, Quibus signis cognosci poterit an quis fuerit ebrius?

3° Signa pridianæ ebrietatis.

Respondeo Primò, Quando quis postridie non meminit quid dixerit, egerit; quomodo domum venerit, aut cubi tum concesserit, a quo deductus, vel adiutus; alias autem id probè meminisse solet, magnum signum habet hesternæ ebrietatis. Ratio est; quia dum quis ratione vtitur, reflectit mentem super suos actus, & ita retinet gestorum memoriā. Vnde si non retinuit memoriam, non videtur rationis compos fuisse.

Secundò, Si commisit quæ nunquam integra mente solet, vt si locutus aut fecit turpia & absurda, cum alias sit castus & prudens; si iurauit, blasphemauit, vxorem & familiam turbauit, cùm alias sit modestus & benignus; indicia enim hæc sunt rationem & prudentiam fuisse cōsopitam, & hos insolitos motus, ex vino perturbata imaginatione processisse.

Tertiò, Qui nouit discernere inter bonum & malum, licitum & illicitum, vitare mala, ac eligere bona, non videtur esse ebrius; etiamsi non possit rectè incedere, & omnes domus ei vertī videantur; talis enim discretio non potest cum defectu rationis consistere. Pari modo si adhuc solita officia possit vtcumque exequi, etsi cum vertigine & difficultate. Vide Caietanum verb. Ebrietas, & alios Summistas.

DVBITATIO IV.

Verùm sit peccatum prouocare ad æquales calices, & an fas respondere.

31 Est contra rationem.

RESPONDEO, & dico Primò, Prouocationem illam sonare per se quid alienum à ratione, & in moribus turpe; nam regula bibendi statuitur non ratio, non necessitas naturæ, non bona valetudo, non animi vigor, aut sensuum alacritas, sed uenter alterius, uel tota uentris, uiscerum, & uenarum capacitas. *vrnes* uel *lagenas* (ut eos uocat D. Basil.) rectius hos dixeris, aut certe *tubos*, uel potius *cloacas*, quàm homines; solum ad hoc idoneos ut plurimū uini tamquam lagenæ capiāt, uel per corpus tamquam per tubum aut cloacam transfundant & perdant. Et mirū non similī modo institui certamina comedendi, dormiendi, & aliorum naturæ officiorum.

32 Est peccatū mortiferum.

Dico Secundò, Prouocationem illam esse peccatū mortiferum, si eam facias animo ■ uel alterum inebriandi, uel ■ aduertas aut facilè aduertere possis inde in te uel altero ebrietatem secuturam; etiamsi non eo animo facias: nisi fortè causa aliqua iusta excuset. Sequitur ex dictis dubitatione tertia, ti enim inebriare seipsum directa uel indirecta uoluntate est peccatum mortiferum, etiam inebriare alterum. & quia plerumque ubi tales prouocationes & certamina potandi fiunt, sequitur ebrietas, & alia peccata non leuia, ideo grauissimè hæc consuetudo à Sanctis Patribus reprehenditur.

Diuus Basilius homilia in ebrietatem; *Deinde potationes protedente eò veniunt, vt de augenda hac infamia certent, & de ebrietate per ambitionem contendant: cuius auctorem legis, diabolum habent; victoria verò præmium, peccatum. nemo qui post hanc fuit merū, is pro ceteris laudatur, si victoriam refert: atque ita gloriam in ignominia captant. Inter se namque contendunt, & velut in ludicro aliquo desipiunt. Quis nam furor, rerum quæ hic fiunt turpitudinem vnquam satis explicet?* &c.

D. Ambrosius de Elia & ieiunio cap. 13. eadem elegantissimè prosequitur, & morem nostri sæculi ad amussim describit in conuiuiorum apparatu, ministrorum obsequijs, vasorum ordine & ostentatione, certamine potandi & alijs infanijs. *Primò*, inquit, *miscentur pocula, velut veluti pugna præluditur. Verùm hæc non sobrietatis est species, sed disciplina bibendi, vt irritentur sitim. &c. ergo vbi recalere cœperint, poscunt maioribus poculis, fermor inardescit.* Et infrà; *Deinde procedente pene longiùs, contentiones diuersæ & magna certamina, quis liberè do præcellat. nota grauis, si quis se excusat, si quis temperandum fortè vinum putet. & hæc donec ad mensas perueniatur secundas. At vbi consummata fuerint epula, putes tum esse surgendum: tunc de integro potum inflammans furor, & cum consummauerint, tunc incipere se dicunt, tunc deformitur ebrietas, tunc maximus crescit, quasi instrumenta bellorum. ac ne immoderatum hoc obtineris, mos sacra protenitur, certatur sub Iudice, sub lege decernitur. agonotheta illis furor est. si prædium debilitas, victoria præmium culpa. pendet anceps dies & dubius belli euentus, &c.* Idem capitul. 14. *Nec vos exemplum, qui vocatis vt amicos, & emittitis vt inimicos, quæ cùm molliùs in terram tuam vina fudisset quid te delectant damna fine gratia? rogas ad iocum diuersum, cogis ad mortem; inuitas ad prandium, offerre vos ad sepulchrum; cibos promittis, tormenta irrogas; vina præstendis, venena suffundis.* &c.

Certamina potatorum.

Reiicitur exemplo.

Diuus Augustinus sermon. 231. *Maiora pocula præsidentur, certa bibendi lege contenditur; qui potuit vincere, laudem meretur ex crimine.* Et infrà, adfert illorum excusationem; *Sed illi, qui tales esse volunt, miserabiliter se excusare conantur dicentes; Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad conuiuium vocauero, potum ei quantum voluerit, non dedero.* quam sic refutat; *Et non sit tibi inimicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus. si & te & alium inebriaueris, habebis communem amicum, habebis Deum inimicum? & ideò sapienter cauendum, si fieri potest vt te à Deo separes, dum te ebrioso coniungis; cùm extremum, tu eum vis adiuuare, nolit cogere: sed in potestate illius dimitte, vt quantum sibi placuerit, bibat, & si se inebriare voluerit, vel solus pereat, & non cum illo pereatis. ò infelicitas generis humani.* &c. Et in fine sermonis; *Ergo fratres carissimi, dum hæc suggero, me obsecro apud Deum, qui cumque me audire contempserit, & ad bibendum prouocauerit, vel in conuiuio suo alios adiuuare, vel cogere voluerit, & pro se & pro illis in die Iudicij reus erit.* Itaque, quod primo est, aliqui etiam Clerici, qui hoc deberent prohibere, cogunt alios bibere plus quàm expedit; *amodò incipiant & ipsos corrigere & alios castigare, vt cùm ante Christi tribunal venerint, nec de sua, nec de alienorum ebrietate incurrant supplicium.* Idem sermon. 232. *Solent ebrioſi ita se excusare vt dicant, Persona potens me coegit vt amplius biberem, & in conuiuio Regis non potui aliud facere. ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere volumus, non potuisse nos dicimus. nulla in culpa est nostra & non posse prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur, vt aut biberes, aut moreris, melius erat vt cum tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem animæ morerentur.* &c.

Excusatio quorundam.

Reiicitur.

Esse peccatū mortiferum.

Petes, Quid si grande aliquod malum impendens non possit alia ratione impediri, nisi inebriando auctorem, qui illud machinatur; vtrùm tunc licitum sit illum inebriare? verbi gratia aliqui meditantur proditionem oppidi in certam horam, vel impedient ne oppidum quod est in rebellium hæreticorum potestate, suo Principi, condicto tempore tradatur; nec suppetit mihi vlla facultas id auertendi, nisi eos lautè excipiendo & sopiendo per potum,

Excusatio quorundam.

33 Vtrùm ad grave malū impediendū, possit quis alterum inebriare.

lenta

Item captus a volonibus dedecor ad tabernam, & ſpes eſt euadendi, ſi eos inebriauero.

Reſpondeo & Dico Tertiò, Hoc caſu, videri licitũ prouocare ad æquales hauſtus, & alterum inebriare, hoc eſt potu conſopire; ideoq; in ſecunda aſſertione dixi, *Niſi iuſta cauſa excuſet*. Probatur, quia licitum eſt ſuadere & inducere ad minus malum vt impediatur maius, vt communiter DD. tradunt: atqui hic nihil aliud fit: ergo, &c.

Obiectio. 34 Dices, Tunc ſolùm fas eſt ſuadere minus, quando hoc fit vt mens alterius auocetur ab eo, quod eſt maius; illa enim eſt bona commutatio: hic verò non auocatur.

Reſpon. Reſpondeo, Non ſolùm id eſſe licitum ad mutandam ipſius mentem; ſed etiam ad impediendum maius malum, quamuis mens eius non ſit mutanda: volenti enim occidere Petrum, poſſum ſuadere vt primùm ſpoliet eius domũ, vel abigat pecora; vt interea illum ſubducam; ſi copia liberandi aliter non datur. Et parenti prodere vrbem, poſſum ſuadere vt expilet ærarium, vt interim proditio impediatur. Et captus à latronibus poteſt eis ſuadere vt alium quemdam inſequantur: (quem certo ſcit euaſurum ratione celeritatis, vel ob inſidias eo loco poſitas) vt ipſe interim poſſit fugere, vel vt illi incidentes in occultatos capiãtur. Sic Iudas fratribus occidere Ioſeph volentibus auctor fuit vt demitterent in ciſternam veterem, ibiq; fame emori ſinerent, Gen. 37. Vbi non minus, ſed æquale peccatum ſuaſit, vt etiamſi in illa voluntate mortis per famem inferendæ præſtarent, effectum tamen ipſe impediret. Denique quando non poteſt quis in ſeipſo impedire quin faciat id, quod per ſe eſt peccatum, licitum ei amplecti id, quod re prudenter expenſa videtur minus; vt colligitur ex cap. Dominus 2. de ſecundis nuptijs. & cap. Inquiſitionis. 44. de ſententia excomm. Ergo quando non poteſt impedire in altero quin è duobus peccatis alterum comittat, poteſt illi ſuadere quod eſt minus.

Nec refert, quòd minus malum in illo caſu videatur abſolutè ſuaderi, cum ſolum cõparatiuè id facere liceat; v.g. fac hoc potiùs quàm illud: quia nõ eſt opus id exprimere, quando nihil ad malum impediendum prodeſſet; vt cùm vides planè obfirmatum: ſed ſufficit vt mens tua ſit, illud minùs obijcere velut illecebram, vt dum circa illud occupatur, poſſit impediri maius. Itaque non ſuades illud eo animo vt abſolutè faciat, ſed vt potiùs faciat, quàm illud maius; quamuis ob multas cauſas id non exprimas. Et ſanè ſi poſſum ei dicere, Fac hoc potiùs quã illud; & vt faciat, rogare; cur non poſſum, non expreſſa comparatione tali, rogare vt hoc, quod minus eſt, faciat, vt interea impediam maius, quando video nõ poſſe à propoſito abduci? Sic medici in morbis quibuſdam deſperatis, vt mortem auertant, venena quædam minorem noxam inferentia adhibent.

Dices, Non ſunt facienda mala vt eueniant bona: ergo neque vt vitentur mala.

Reſpondeo, Nemini quidem fas eſſe vt ipſe malum faciat, vt aliud malum à ſe vel alio faciendum impediat: poteſt tamen alteri ſuadere minùs malum, vt impediat in illo maius, quod alia ratione impedire nequit: illa enim ſuaſio mala non eſt, ſed bona, quia non tendit ad hoc vt minus malum fiat abſolutè, ſed vt præferatur malo maiori; licet id non ſemper exprimatur: imo ſi quis benè aduertat, talis ſuaſor ſolùm permiſſiuè ad illius conſenſum in minus malum ſe habet: vtitur enim ſuaſione vt propoſitione obiecti, vt alter à maiore malo abducatur; non intendens vt conſentiat in minus, ſed id permittens, ut relinquat maius. unde etiam minus diſſuaderet & impediret, ſi poſſet abſque maiori uel pari incommodo uide ſupra libr. 2. cap. 23. dubitat. 3.

Iuxta hæc excuſari poterit quidam, qui ante aliquot annos captus à uolonibus hæreticis & ductus ad tabernã, cœpit ſtrenuè cum illis potitare, ut eos inebriaret: & ſe fuga proriperet: quod ita eſt conſecutum.

Vtrùm aliquando liceat ſe inebriare. 36 Sed hinc alia dubitatio naſcitur, Vtrùm cauſa uitæ ſalutandæ poſſit quis ſeipſum inebriare, uel potando, ſe periculo ebrietatis expoñere; ut in caſu propoſito, uel cum quis cogitur ab altero. quibuſdam enim locis dicuntur eſſe adeò barbari, ut ni ſi æquali cyatho reſpondeas, prouocent ad duellum, uel inuadant gladio.

Videtur ſanè id nõ eſſe licitum; nam ob nullam cauſam fas eſt facere peccatum: atqui ſe inebriare peccatum eſt, & quidem mortiferum, ut dictum eſt. Confirmatur ex D. Auguſtino ſermon. 232. *Etiamſi*, inquit, *ad hoc veniretur, vt tibi diceretur, Aut bibas, aut morieris; melius erat vt cum tua ſobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* vbi aperte dicit hoc non eſſe licitum, & indicat eſſe peccatum moriferum. Idem docet Caietanus artic. 2. in reſponſ. ad 3.

Contrarium tamen videtur verius, loquendo de ebrietate vt ſolum dicit priuationem vſus rationis ex potu, quę per ſe non eſt peccatum. Ita mecum tenent multi viri docti in hac Vniuerſitate conſulti. Probatur Primò, Quia licitum eſt cauſa medicinæ (vt ſuprà ex Caietano & aliis oſtenſum eſt) ad pellendum vel arcendum morbum: cur non etiam ad vitandam mortem ab alio intentatam? 37

Reſpondet Caietanus, quia non eſt medium per ſe ordinatum ad hoc, ſicut ad illud: vnde ibi ille potus non cenſetur immoderatus; hic verò cenſetur. Sed hoc non ſatisfacit: nam licitum eſt ad vitandam mortẽ multa facere, quæ per ſe ad hoc non ſunt ordinata, ſed ſolum ex malitia alterius. Sic ſuprà lib. 2. cap. 9. dub. 14. oſtenſum eſt, probabile eſſe licere ſibi amputare manum vel digitum iubente tyranno ad mortem redimendam; & tamen hoc nullo modo per ſe eſt ad iſtud idoneum, & extra illud periculum, eſt etiam graue peccatum. Secundò, Ob ſimilem cauſam poſſum ieiunare plus quàm valetudo ferat, aut ratio virtutis abſtinentiæ extra illum caſum: cur non ſimiliter ampliùs comedere & bibere? Tertiò, Poſſum veſci fungis aut alijs rebus noxijs, bibere copiam vini eliquati, etiam cum periculo febris; poſſum haurire medicamentum valetudini noxium & ſimilia; quæ tamen extra illam neceſſitatem nullo modo eſſent licita ſicut ergo iſta non ſunt contra virtutem, quando ſunt neceſſaria ad mortem vitandam; ita nec immoderatus potus contra virtutem erit; quia cum omnibus illis circumſtantijs, in ordine ad ſalutem corporis reuera immoderatus non eſt. ſicut enim licitum eſt lędere ſanitatem, & corporis integritatem ad vitandam mortem ex alterius malignitate impendentem; ita etiam licitum eſt lædere rationis vſum ad breue tempus, ob eamdem cauſam. etſi enim dominium illorum non habeat, tamen habet cuſtodiam in ordine ad bonum totiùs; ac proinde poteſt de illis diſponere prout neceſſarium ad ſalutem totius. denique priuatio rationis hic non eſt intenta, ſed ſolùm permiſſa; quam non tenetur cum tanto ſuo malo impedire.

Ad rationem contrariæ ſententiæ Reſpondeo, In eo caſu non eſſe peccatum, ſaltem mortiferum ſicut nec quando fit cauſa medicinæ.

Ad teſtimonium D. Auguſtini Reſpondeo, Illud eſſe intelligendum quando quis cogit bibere in contemptum virtutis, vt ſobrietatem & modeſtiam fugillet: non autem cũ id ſolùm facit quod putet ſe contemni, aut ſibi fieri iniuriam, niſi tantumdem bibatur quantum ipſe propinauit: vel certè quando is, qui initio coactus bibit poſteà cauſa delectationis ſponte pergit in potando, vt ſæpè fieri ſolet: vel quando facilè poteſt ſe ſubducere vt ad ebrietatem nõ perueniat. talis enim ſi inebrietur, non poteſt excuſari. 38 *Ad rationẽ contrariæ ſententiæ.*

DVBITATIO V.

Quid luxuria, & quale peccatum.

D. THOM. Quæſt. 153.

LVxuria vel luxuries à *luxu* dicitur, & ab auctoribus æquè generatim accipitur: quo modo ſignificat omnem exceſſum non ſolùm in re veneréa; ſed etiam in veſtitu, epulis, vnctionibus, & ſimilibus delitijs. Græci ἀσωτίαν vocant. 39 *Luxuria duplicitèr accipitur.*

Strictè autem, pro exceſſu in re veneréa accipitur. nam luxurioſus dicitur, teſte D. Thoma, quaſi luxatus & ſolutus in voluptates: maximè autem animum hominis diſſoluũt voluptates veneréæ. Hoc modo paſſim vſurpatur à Theologis, & opponitur caſtitati, & vocatur ab Apoſtolo ad Galatas 5. ἀσέλγεια, quod intẽperantiam libidinis ſignificat.

Porro hoc vitium genere ſuo eſt peccatum mortiferũ, & præterea vitium capitale. Eſſe peccatum mortiferum colligitur ex Apoſtolo ad Galatas 5. vbi *luxuria* ponitur inter *opera carnis*, de quibus ibidem affirmat Apoſtolus, *quod qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Et probatur ratione: Vſus rei veneréæ ex natura ſua eſt opus neceſſarium 40 *Eſt peccatũ mortiferum.*

rium

rium ad naturam propagandam & perennandã, ſicut vſus ciborum ad conſeruandum individuum.nam vt inquit D. Auguſtinus de bono coniugali ca. 6. *Quod eſt tibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis*: ergo hic vſus cenſetur res grauis & magni momenti in rebus humanis: ergo inordinatio in hoc vſu, eſt in re grauj; ac proinde ex genere ſuo eſt mortifera. Cõfirmatur, quò enim bonum eſt excellentius, quòd ex opere prouenit, eò maioris momẽti cenſetur illud opus, & maius peccatum & grauior error, qui in opere committitur: atqui propagatio naturæ & conſeruatio generis eſt bonum excellentius quàm conſeruatio individui: ergo inordinatio, quæ committitur circa opus illud, eſt grauior, quàm quæ circa cibum & potum. Sed de hoc plura infrà, cùm de ſpeciebus agetur.

41 *Eſt vitium capitale.*

Eſſe autem luxuriam vitium capitale, docet Diuus Gregorius lib. 31. moral. cap. 31. & ratio eſt, quia ex hac, tanquam ex fonte, plura alia vitia manant: nam ex affectu delectationis veneree homo multa alia peccata facit, vel certè ſinit ſe in illa incidere, vt rectè hic explicat Caietanus articul. 4. non enim eſt neceſſe vt omnes filiæ alicuius vitij capitalis oriãtur ex affectu illius, ſicut electiones mediorum ex affectu finis, vt obijcit Martinus; quia quædam vitia non ſunt media ad conſequendam v. g. delectationem luxuriæ, vel gulæ, quæ tamen ponuntur illarum filiæ: ſed ſufficit vt homo ex affectu illius paratus ſit alia illa vitia incurrere. Si tamen mentem B. Gregorij ſpectemus, non eſt opus filias vitiorum capitalium reſtringere ad modum naſcendi ſecundùm rationem finis. nam quædam multò euidentiùs naſcuntur ſecundùm rationem cauſæ efficientis, aut diſpoſitiuæ, vt cæcitas mentis, & ſimilia, ex luxuria: mentis hebetudo & ſcurrilitas, &c. ex gula. Sed hæc res eſt parui momenti.

42 *Filiæ luxuriæ octo.*

Numerantur filiæ luxuriæ octo à D. Gregorio ſuprà, quarum rationem reddit eleganter Diuus Thomas articulo quinto, nimirum *cæcitas mentis, præcipitatio, inconſiderantia, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, & horror futuri.* Ratio horum ſic accipi poteſt: quatuor priora pertinent ad intellectum: quatuor poſteriora ad voluntatem. In intellectu enim ſunt quatuor operationes. Prima eſt, Simplex conſideratio, v.g. boni ſpiritalis, per quam homo dicitur hoc apprehendere & intelligere quam bonum ſit rectè viuere, ſeruire Deo, relinquere ſæculum, & ſimilia. Secunda eſt, Bona conſultatio de mediis ad hoc exequendum. Tertia. Examen & iudicium de modis & mediis occurrentibus. Quarta, Imperium, quo ratio dat operam vt mandentur executioni. Hæ quatuor functiones turbantur & impediuntur per luxuriam, tum quia voluptas illa eſt vehementiſſima, & conſequenter impedit conſiderationem & attentionem circa ſpiritalia, vt potè totam animam & omnes eius vires ad ſe violentè rapiens: tum quia eſt infima, & ſecundùm infimum ſenſum, & communis cum brutis: vnde etiam mentem maximè deprimit, & in brutalem indolem format, peruerſa phantaſia, & affectu hominis. Et quidem vt mentem reddit ineptam ad conſiderationem rerum ſpiritalium, earumque dignitatem apprehendendam, generat *cæcitatem mentis*: vt ad conſultandum de mediis, *præcipitationem*; immerſus enim rebus carnalibus, ineptus redditur ad conſultandum non ſolùm de modo rectè viuendi, ſed etiam de alijs rebus: & ita præcipitanter omnia agit. Vt autem reddit ineptum ad rectè iudicandum de mediis ſalutis, eaque expendenda, *inconſiderationẽ*. Vt verò mollem & debilem ad exequenda bona propoſita, ob ſpeciem quamdam difficultatis, *inconſtantiam*. etſi enim ſæpè aliquid boni proponant, tamen quando animus imperare debet executionem, ſtatim retrocedunt, aſperitatis ſpecie territi; vt pulchrè D. Auguſt. ſui exemplo oſtendit lib. 8. confeſſ. c. 5. & 11.

Ratiocinium.

Luxuria totam prudentiam euertit.

Hinc patet, hoc vitio maximè euerti *prudentiam*: nam actus ſupradicti ad prudentiam pertinẽt, & totam eius vim & functionem comprehendunt. quod confirmatur ex Ariſtotele lib. 7. ethic. cap. 11. *Prudens indolentiam perſequitur, non voluptatem. Deinde prudentiam impediunt voluptates, eoque magis, quò quiſque magis delectatur: qualis eſt ea, quæ ex rebus veneris percipitur: in hac enim nemiuem poſſe quid intelligere*. Hinc patet quàm perniciosum ſit hoc vitium omnibus, qui prudentia vel ſapientia ceteris antecellere debent; vt ſunt Prælati, Principes, Gubernatores, Iudices, Conſiliarij, Doctores, Parochi, & ſimiles.

In voluntate ſunt operationes duæ, Intentio finis, & Electio mediorum. Intentionem peruertit hoc vitium, voluntatem trahendo ad delectationes carnis, & ſic ingenerando *amorem ſui*: quod intellige, non tantùm quia homo hoc ipſo, quo appetit voluptates venereas, inordinatè ſe amat; ſed etiam quia ita ſenſim æſtimat carnem ſuam, eiuſque voluptates, vt in eis finem ultimum collocet, omnes ſuas cogitationes & curas ad eas conſequendas referendo. Hinc mox ſequitur *odium Dei*, qui voluptates illas grauiter prohibet, & punit. Electionem peruertit, ingenerando *amorem huius ſæculi*, id eſt, vitæ præſentis, & rerum hãc vitam oblectantium, quo ita illis inhærent, vt hic perpetuò manere exoptent. vnde ſtatim naſcitur *horror & deſperatio futuri*. *Horror* quidem, quia norunt ſe ibi his voluptatibus priuandos, & earum loco pœnas grauiſſimas ſubituros. Hinc nemo magis horret mortem, quàm homines voluptarij; iuxta illud Eccleſiaſtici 41. *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis: viro quieto, & cuius vie directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.* 43

Deſperatio. quia vinculis concupiſcentiæ conſtricti, deſperant ſe poſſe eripere & ſalutem conſequi.

Præter has luxuriæ filias, quæ internæ ſunt, ponuntur ab Iſidoro quatuor externa, *turpiloquium, ſcurrilitas, iudicra, ſtultiloquium*. 44

Turpiloquium, quia *ex abundantia cordis, os loquitur*, vt Dominus ait Matth. 12. cor autem hominis luxurioſi (id eſt, cogitatio & affectus) turpitudine plenum eſt. *Turpiloquiũ.*

Scurrilitas ſunt verba aut facta parùm honeſta, riſum mouentia: hæc ex eodem naſcũtur fonte: ſicut enim ſordidi homines delectantur verbis turpibus, quibus actus veneri exprimantur; ita etiam alijs, eodem etſi remotius, pertinentibus, ipſique riſum mouere ſtudent. *Scurrilitas.*

Nec ſolùm parùm honeſtis, ſed etiam *ludicris*, aliàs indifferentibus quæ ad locos pertinent, impenſiùs delectantur. vnde videmus quoſdã libidini addictos ex varijs libris colligere turpes, ſcurriles, & ludicras narrationes & facta, vt ea in promptu habeant, cùm in conſortio ſunt aliorum. *Ludicra.* *Stultiloquiũ.*

Stultiloquium ſequitur ex cæcitate mentis; mens enim libidine cæca, multa ſtulta, ſeu ratione carentia effutit. Vide diuum Thomam art 5. ad 4. & D. Hieronymum in ca. 5. ad Epheſios, vbi explicat quid ſit ſtultiloquiũ, & ſcurrilitas.

DVBITATIO VI.

Quæ ſint luxuriæ ſpecies.

D. THOM. Q. 154. ART. 1.

DIVVS Thomas ex Gratiano 36. quæſt. 1. cap. Lex illa, ſex ſpecies luxuriæ aſſignat; *fornicationem, adulterium, inceſtum, ſtuprum, raptum, & vitium contra naturam*, cuius numeri ratio vt intelligatur, Notandum eſt, principalem actum venereum, ad quem reliqui referuntur, eſſe ſpermatiſin, ſeu ſeminationem: in quo dupliciter poteſt committi inordinatio. Primò, Quoad ſubſtantiam illius actus, vt cùm non fit in organo naturali, vel cum perſona legitima. Secundò, Quoad modum, vel alias circumſtantias: vt cùm inter coniuges in eo tantùm peccatur, quòd debitus modus in congreſſu, aut debita moderatio, vel congruum tempus, aut locus non ſeruetur, &c. Luxuria generatim veram que inordinationem complectitur; ſed hic accipitur, & aſſignantur ei ſpecies vt dicit inordinationem quoad ſubſtãtiam actus: hæc enim abſolutè vocatur luxuria, eſſque peccatum ſecundùm ſpeciem ſuam lethale. Inordinatio quoad modum, per ſe eſt ſolùm luxuria ſecundùm quid, & peccatum veniale in ratione luxuriæ; quamuis ratione ſacrilegij annexi, vel ſcandali, vel praui affectus poſſit eſſe mortifera, vt benè oſtendit Caietanus in articu. primum. Hinc ſoluas plurima, quæ hic obijcit Martinus. 45 *Species luxuriæ.*

Ratio autem harum ſpecierum ſic accipi poteſt: vel enim eſt inordinatio circa actum principalẽ, quod ita fiat vt non poſſit ſequi generatio; & ſic eſt peccatũ *contra naturam*: aut quia ita fit vt non poſſit ſequi commoda inſtitutio & promotio prolis vſque ad ſtatum perfectum, & ita eſt *ſimplex fornicatio*, quæ eſt ſoluti cum ſoluta: aut quia fit cùm perſona incongruã: idq; quadruplicitèr, Primò, Quia nimium propinqua; & ita eſt *inceſtus*. Secundò, Quia alteri iuncta, *Ratio iſtarũ ſpecierum.*

An sit aliqua species ratione diſcrepantiæ.

Qui dicuntur ſpeciei.

Sunt ſub duplici genere.

Cur dicuntur ſpeciei luxuriæ.

Malitia luxuriæ in ſpecibus naturalibus.

Fornicarium eſſe peccatum mortiferum.

Sicut vis generandi, ita etiam matrimonium à Deo.

Probatur ratione.

Extrinſeca promiſſio non ſufficit.

Ita; & ſic adulterium. Tertiò, Quia ſub poteſtate parentis; & ita eſt *ſtuprum.* Quartò, Quia non conſentit, & ſic eſt *raptus.* Simili ferè modo D. Thomas art. 1.

Vtrùm tamen ſtuprum ſit ſpecies diſtincta à ſimplici fornicatione, quando puella conſentit, dictum eſt ſupra c. 10. dubit. 1.

Sacrilegium concubitum refert Diuus Thomas ad adulterium, quia perſonæ ſacræ, connubio quodam ſpirituali Deo ſunt connectæ.

Inordinatio, quæ in tactibus & oſculis impuris fita eſt, & *impudicitia* dici ſolet, refertur ad illam ſpeciem, ad quam diſponit; vt ſi fiat cum alterius coniuge, refertur ad adulterium; ſi cum conſanguinea, ad inceſtum.

Dices, Sicuti propinquitas facit vt perſona ſit incongrua, ita etiã nimia diſtantia: vt ſi diſcrepet religione. malius.n. peccatum eſt habere commercium cum Iudæa, quàm cum meretrice Chriſtiana: ergo eſt ſtatuenda aliqua ſpecies ratione diſcrepantiæ, ſicut ratione propinquitatis.

Reſp. Hoc peccatum pertinere ad ſacrilegium; quia illa cõiunctio eſt prohibita in honorem Chriſtianiſmi ab Eccleſia. Simili modo, quando ex aliqua alia cauſa eſt inhabilitas ſeu impedimentum dirimens conſtitutum ratione peculiaris inordinationis, quæ reperitur in copula, ad aliquã ex prædictis ſpeciebus reducitur. v.g. ſi eſt inhabilitas ratione publicæ honeſtatis, ad inceſtum; ob ſpeciem quam dam affinitatis: ſi ratione cognationis ſpiritalis; ad inceſtũ vel ad ſacrilegium: ſi ratione cognationis legalis, quæ ex adoptione, ad inceſtum: ſi ratione impotentiæ, ad peccatum contra naturam. Vbi autem inhabilitas illa non eſt inducta ob peculiarem inordinationem in copula, ſed ob aliã cauſam, v.g. ob crimen, ignorantiam, metum; eſt ſimplex fornicatio: vt cùm eſt impedimentum criminis, vel metus, vel erroris perſonæ, aut conditionis ſeruilis, vel raptus. Circa prædicta.

Notandum ex Caietan. art. 1. *adulterium, inceſtum, raptus, ſtuprum, & ſacrilegium* non eſſe propriè & metaphyſicè ſpecies luxuriæ, ſed ſolùm morali & vulgata rõne loquendi, qua minùs communia ſpecies dicuntur, etiamſi ſolùm per accidens communem aliquam rationem contrahant. Nam deformitas, quã addit circumſtantia illa perſonæ vel loci luxuriã contrahens, non eſt contra caſtitatẽ, ſed contra aliam virtutẽ: in *adulterio, raptu,* & *ſtupro,* contra Iuſtitiam: in *ſacrilegio* contra Religionem: in *inceſtu* contra pietatem, quæ parentibus & ſanguine iunctis debitam reuerentiam defert. Fieri autem nequit vt circumſtantia vel deformitas, quę eſt cõtra aliud genus virtutis, ita cõtrahat malitiã luxurię, vt ſimul cum ea propriè dictam ſpeciẽ conſtituat. vnã enim ſpecies non poteſt eſſe in diuerſis generibus: nec vnum genus poteſt contrahi per differentiam alterius generis. itaque circumſtantia propriam luxurię ſpeciem conſtituens debet addere deformitatem, quę ſolùm ſit contra caſtitatem; qualis eſt circumſtantia valis indebiti, & perſonarum debito vinculo non connexarum. Hinc infert Caietan. huiuſmodi actus propriè eſſe ſub duplici genere: adulterium enim ratione iniuriæ, quæ fit coniugi, eſſe ſpeciem Iniuſtitię: ratione carentię vinculi coniugalis inter perſonas, eſſe ſpeciem luxurię, idem dicendum in ceteris. Dicuntur tamen ſpecies luxurię potiùs quàm iniuſtitię, vel ſacrilegij, ob duas cauſas. Prior eſt quam adfert Diuus Thomas, quia luxuria magis eſt formalis, cùm ſe habeat in illis peccatis per modum finis: Iniuſtitia verò & ſacrilegium magis ſe habet materialiter & per accidens. adulterium enim committitur non vt fiat iniuria, ſed propter voluptatem carnalem: ſimiliter ſacrilegium, & alę ſpecies. Quòd ſi quis adulterium committeret eo fine vt contumeliam inferat marito; vel ſacrilegum cõcubitum, vt iniuriam Deo vel rebus ſacris, &c. tunc potiùs dicerentur ſpecies Iniuſtitię, vel Irreligioſitatis, quàm luxurię: quia finis non eſſet luxuria; ſed iniuria & violatio rei ſacrę: luxurię autem peccatum ſe haberet inſtar medij. Altera cauſa eſt, quia illa peccata committuntur in materia luxurię, & per actum eius, & ita potiùs dicuntur ſpecies luxurię, quam Iniuſtitię, &c. luxuria enim magis ibi eluceat. In raptu tamen res paulò aliter ſe habet; nam iniuria præcedit, & luxuria ſequitur.

Ex dictis ſequitur, malitiam luxurię in prædictis ſpeciebus naturalibus, quę aliis virtutibus opponuntur, ſi præcisè conſideretur qua caſtitati repugnat, eſſe eandem ratione, & pertinere ad fornicationem: quamuis ex parte affectus humani diuerſam grauitatem ſortiatur, vt ex Diuus Thoma art. 1. colligitur. nam quò quis plura vel grauiora peccata in ſe admittere paratus eſt affectu venereę voluptatis, eò affectus ille eſt peior. nam in illo tamquam in cauſa continentur. vnde infert, illas circumſtantias, etſi ſint contra alias virtutes, non tamen omnino per accidens ſe ad luxuriam habere. vide Caietanum.

DVBITATIO VII.

Vtrùm fornicatio ſit peccatum mortiferum.

47

QVIDAM hæretici docuerunt fornicationem non eſſe peccatum. Ita Nicolaitæ, & mulier illa, quæ ſe Propheten dicebat temporibus Apoſtolorum: de quibus Apocalyp. 2. & Gnoſtici, qui etiam alias impuritates admittebant: vnde dicti Borboritæ; de quibus Epiphanius hæreſi 26. Et Græci ſchiſmatici, teſte Guidone in catalogo. Denique noſtri temporis Anabaptiſtæ, qui non ſolũ fornicationem, ſed etiam promiſcuum concubitum, ſpiritu inſtigante, permittunt, & patrant.

Sed fide tenendum eſt, eſſe peccatum mortiferum. Probatur Primò, Ex Scripturis. 1. ad Corinth. 6. *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei poſſidebunt.* Ad Galat. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Ad Epheſ. 5. *Hoc autem ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. nemo vos ſeducat inanibus verbis, &c.*

Idem docent omnes Patres, & DD. Scholaſtici.

Nec obſtat, quòd aliqui Iuriſperiti concubinatum dicant eſſe *rectum legitimum:* ita Bartolus in l. penult. C. de concubinis, & quidam alij; quia ſolùm volunt dicere, legibus permitti, & non puniri: vt enim in d. l. penult. dicitur, *quia concubinatus per legem nomen aſſumpſit, extra legis ſaeptum eſt.* vnde melius dicerent eſſe lege permiſſum, quàm legitimum; vt notat Couarru. de ſponſalibus, p. 1. caput. 4. num. 8.

48

Vt autem ratione probetur, Notandum eſt, ſicut Deus inſtituit, id quod erat neceſſarium ad prolem concipiendã & pariendam, nimirum vim generandi & organa opportuna; ita etiam inſtituit id, quod erat neceſſarium ad prolem rectè educandam & promouendam ad perfectum ſtatum hominis. nam finis generationis humanæ eſt proles perfecta: hoc autem eſt vinculum inſolubile maris & fœminæ, poſito mutuo conſenſu, quod matrimonium vocamus. ſine enim tali vinculo, humano more fieri non poterat vt proles rectè educaretur; cùm ad hoc non ſolùm materna, ſed etiam paterna cura ſit neceſſaria. vnde etiam in aliis animantibus, vbi vtriuſque parentis cura ad ſobolis educationem requiritur, (vt in feris quibuſdam, & in auiũ genere) videmus quamdam matrimonij ſpeciem in maris & fœminæ ſocietate, nec eas vti vago concubitu. Et ſanè niſi hunc inſtinctum & inclinationem accepiſſent, non fuiſſet illis in neceſſarijs ad ſpeciem propagandam & conſeruandam ſatis proſpectum: nam ferè ſemper ſoboles moreretur, cùm mater illi educandæ & fouendæ ſola nõ ſufficeret. Simili modo niſi in genere humano eſſet illud vinculum, proles raro benè poſſet educari, & ad ſtatum hominis perfectum adduci; nam cura paterna plerumque abeſſet: vt experientia docet.

49

His poſitis, ſic poſſumus ratiocinari: In fornicatione prę permittitur illa conditio, quam naturæ lex in generatione humana ad eius finem, qui eſt bona prolis inſtitutio, obſeruandum requirit: ac proinde ipſa repugnat illi fini: atqui hęc inordinatio eſt grauis & in re grauí: ergo eſt peccatum mortiferum.

Nec refert quòd incommodo prolis educandæ alia ratione poſſit occurri; vt ſi cum certa penſione conſtituatur vir probus, qui curam prolis ſuſcipiat: tum quia in paucioribus id locum habet, nimirum in diuitibus: & ita his ſolis, non autem pauperibus licita, vel non mortifera erit fornicatio; & quò quis erit ditior, eò cum pluribus fornicari

poterit;quæ sunt absurda. tum quia id non tollit inordinationem, quam actus per se habet, quatenus in eo prætermittitur illa conditio personarum, quam ipsa natura instituit,& requirit in illo actu ad prolis suscipiendę perfectionem. Confirmatur, quia sicuti esset grauis inordinatio in natura rerum,si animantes, quæ habent instinctum vt certis vtantur coniugijs, inciperent vago modo coniungi.ita etiam censenda est grauis inordinatio, si homines vago concubitu vtãtur. sicut enim natura humana est sublimior quàm brutorum, & eius conueniens propagatio, institutio & perfectio est maximi momenti: ita etiam vinculum coniugij est sublimius,& magis necessarium ad actum generationis: ac proinde maior erit peruersio recti ordinis,si ille actus sine eo fiat.

Hinc sequitur,fornicationem iure naturæ non solum esse malam; sed etiam esse graue malum, & consequenter peccatum mortiferum: quia caret conuenienti ordine & habitudine, quam natura requirit ad prolis educationem & perfectionem; quæ habitudo est magis momenti, sicut & prolis bona instructio.

Opinio Durandi. Non esse iure naturæ peccatũ mortiferum.

Durandus in 4.dist.33.quæst.2.numero 10.fatetur fornicationem iure naturæ esse quidem malam & inordinatam: non tamen esse malam, quod sit peccatum mortiferum; sed hoc habere à lege positiua Dei. Ratio ipsius est; *Nam fornicatio simplex non meretur mortem æternam secundum legem naturalem; quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat aliquid de morte æterna. & ideò quòd fornicatio simplex sit peccatum mortale hoc processit ex iure diuino pluribus locis expresse.* Eiusdem sententiæ est Martinus a Magistris apud Caietan.articulo secundo, licet non ob rationem Durandi; sed quia quando educationi prolis aliunde prospicitur,non videtur grauis inordinatio. Confirmatur,quia neque est contra dilectionem Dei, neque proximi, neque sui ipsius.

Refutatur.

Sed satis ostensum est hanc inordinationem esse grauẽ, cum sit omissio debiti ordinis, quæ iure & instituto naturę est necessaria in illo actu ad prolis complementum. Et sane si leuis esset iure naturæ,ius diuinum superueniens non efficeret grauem; sed relinqueret eam in suo gradu: nam Deus prohibens aliquid iure naturæ illicitum,non facit illud peius, sed eius malitiam inculcat,& expressius proponit: nõ enim ideo malum est quia prohibetur, sed quia malum ideo prohibetur; vt patet in mendacio, verbo otioso; & similia,quæ ex genere suo leuia sunt.

Soluitur ratio Durandi.

Ratio autem Durandi nullius est momenti: ex ea enim sequeretur nec homicidium,nec adulterium, nec Sodomiã fore peccata mortifera,nisi iure diuino positiuo essent prohibita. Imò sepposito iure positiuo nullum esse peccatum mortale: quod omnino absurdum est.

Nec est necesse vt ratione naturali non constet tale peccatum mereri mortem æternam; sufficit vt illa dictet esse graue peccatum, & Deo grauiter displicere. inde enim ratione naturali est conijcere graues pœnas,& quæ offensioni tantæ maiestatis respondeant, mereri.

Ad confirmationem:Reducitur ad ea peccata,quæ sunt contra charitatem proximi; cùm sit contra bonum prolis nascituræ,vt inquit D.Tho.art.4.

Nec refert,quòd illi, qui conueniunt, forte sint steriles, idque sciant:quia actus ex se talis est vt careat ordine debito,quem natura propter bonum prolis requirit, siue reipsa sit secutura proles siue non.

Obiectio 1.

Dices, Melius est proli sic esse,quàm nõ esse:atqui in potestate parentum erat vt non esset,abstinendo ab illo actu: ergo non videntur ei nocuisse. Deinde possunt impedire ne id nocumentum reipsa sequatur, sicut non magnam infert iniuriam, qui accendit domum, sed statim cauet ne comburatur incendio extincto.

Respon.

Respondeo,Etsi melius sit proli sic esse quàm non esse: tamen si parentes velint dare operam generationi, debent id ita facere, vt opus habeat conuenientem ordinem non solum ad prolem suscipiendam, sed etiam ad educandam & instruendam: vnde si careat illo ordine,priuant quãtum est ex vi actus prolem hoc bono: nam hoc ex tali actu non est natum sequi sed contrarium.

Nec obstat quòd illud nocumentum possit aliquãdo impediri;quia id per accidens est, nec impedit quin illi quantum est ex vi operis censeantur proli nocuisse, præterm.ttendo in eo illam conditionem,quam propter bonum prolis nascituræ,vt inquit D.Tho.art.4. lis tenebantur adhibere. quando enim aliquid ob certum finem est absolutè præceptum,qui illud omittit, facit contra illum finem, etiamsi alia ratione illum procurare putatur. Alia argumenta obijcit Martinus, quæ vide apud Caietanus art.3.

Obiectio 2.

Dices Secundò, Dominus Oseæ 1. præcipit Propheta his verbis, *Sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum:* ergo non est semper illicita.

Respon.

Respondeo Primò, Inde vt iumnum sequi, diuina dispensatione posse fieri licita; vt inquit Diuus Thomas articul.2.ad 2. Secundò, & melius,Ibi solum præcipi vt sumat meretricem, seu mulierem, quæ valdè dedita fuerat fornicationi, in vxorem. (id enim Hebraismo illo significatur) & ex ea procreet filios qui suis nominibus & ordine nascendi repræsentaturi sint, filios Israel, (qui erant verè filij fornicationum,per assiduam & multiplicem idololatriam fornicantes à Deo) & vltionem diuinam illis impendentem. vnde hic non agitur de actu carnali fornicationis permittendo.

53 Fornicatio Christianorũ est grauior quam ethnicorum.

Porrò præter ea,quæ diximus, quatuor hic sunt Notanda: Primò,Fornicationem in Christianis habere peculiarẽ deformitatem,ratione Baptismi & Confirmationis,quibus corpora nostra facta sunt membra Christi; & in templum Spiritui sancto consecrata. Vnde Apostolus 1.ad Corin.6. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi facimus membra meretricis? absit.* &c. & infrà, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti,qui in vobis est,quem habetis à Deo,& non estis vestri?empti enim estis pretio magno.* vbi tribus argumentis deterret à fornicatione. Ex quibus colligitur,in hoc actu,dum à Christianis fit,esse peculiarem ingratitudinem, & irreuerẽtiam in Deum; & consequenter speciem quamdam sacrilegij, (latius accepto hoc nomine) vnde est multo grauius peccatum in illis quàm in ethnicis.

54 An sit grauius peccatũ cæteris contra proximum.

Secundò,Fornicationem nõ esse grauius peccatũ,quàm cætera, quæ sunt contra Deum vel proximum, vt rectè ostendit D.Tho.art.3.grauitas enim peccati per se spectatur ex magnitudine boni,cui ipsum opponitur: maius autem est bonum diuinum quàm humanum. vnde peccata, quibus bonum diuinum contemnitur, vt ea quæ repugnant directe virtutibus theologicis, vel religioni, sunt deteriora secundum suam speciem, quàm fornicatio, quæ bono humano repugnat. Rursus inter ea quæ bonum humanum violant,peiora sunt quæ tendunt in nocumentum vitæ hominis, quàm quæ in damnum fortunarum, & quæ contra vitam hominis nati,quàm quæ contra vitam nascituri.vnde infert D. Thomas. Cum fornicatio ex se tendat ad læsionem vitæ,& quidem certæ prolis,nimirum quæ ex hoc actu nasci potest,est deterior furto,quo solum fortunæ læduntur: minor tamen est homicidio; quia per hoc læditur vita hominis iam nati:per illam nascituri.Hæc tamen comparatio furti & fornicationis non parum habet difficultatis. Primò, Quia furtum est contra iustitiam.fornicatio solum contra castitatem: atqui peccatum est eo grauius,quo præstantiori virtuti opponitur,vt constat ex 1.2.q.72.art.4. Secundò,Per furtum læditur homo iam existens in re actu possessa: per fornicationem nemo propriè læditur: nã proles non est, & nihil ei detrahitur, imò melius est ei sic esse quàm non esse. Solum in eo peccatur, quòd actus ille careat conuenienti ordine ad prolis futuræ educationem, cuius ordinis carentia est contra castitatem,non contra iustitiam:quod signum est non esse propriè læsionẽ. Ob hęc & alia argumenta Martinus apud Caietanum tenet cõtrarium;cuius sententia est etiam valdè probabilis.

Quomodo censetur ex maximis peccatis.

Nec obstat quòd fornicatio in Christianis præ se ferat speciem sacrilegij;quia simile quid etiam in reliquis illorũ peccatis inuenitur,etiamsi spiritalia sint: sicut enim membra nostra sunt membra Christi,& templum Spiritus sancti;ita etiam spiritus noster est vnum cum Christo, (*qui enim adhæret Deo vnus spiritus est.* 1.ad Corin.6.) & est templum Spiritus sancti.

Tertiò,Etsi fornicatio non sit ex maximis peccatis mortalibus,tamen quadam ratione posse dici maximum; quia hominem maximè detinet,& difficillimè superatur, idque propter concupiscentiam homini congenitam, cuius motus sunt maximè importuni. Vnde D. Isidorus libro 2. de summo bono capitul.39. dicit, *Magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per aliquod aliud peccatum.*

ratum. Et Diuus Augustinus, de honestate mulierum, capitul secundo, *Inter omnia Christianorum certamina, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana pugna, & rara victoria.* vnde præcipua industria in eo collocanda vt hoc vitium superetur.

Quartò, Eum, qui versatur in ipso actu huius flagitij, tenere se retrahere ante ipsum spermatismum, etiamsi complex iam seminarit: imò etiamsi ex vi prioris cõmotionis, post retractionem esset futura seminatio extra vas. Ratio est, quia omni momento tenetur opus prauum abrumpere. Nec refert quòd inde sequatur aliud incommodum, quod sit contra naturam generationis: quia illud per accidens & præter intentionem obuenit. nullo enim modo erat intenta effusio illa extra vas, sed solùm abruptio operis mali; ex qua illud præter intentionem sequitur. Simili modo tenetur abstinere a copula, etiamsi dum se ad illam præparauit, ita esset concitatus, vt nisi pergat, sit futura effusio extrà. Confirmatur, quia ante spermatismum actus est solùm inchoatus & imperfectus in genere luxuriæ: ergo voluntate cõtinuando committit nouam culpam. nam finis & consummatio operis illius est in semination e. quod confirmatur, quia iniuria prolis est in semination e: ex hac enim sequuntur incommoda supradicta. Aliqui tamen in supradicto casu contrariũ tenent; quia retrahere se est contra naturam generationis; quorum sententiam esse probabilem affirmat noster Sanctus libro nono de matrimonio, disput. 19. nu. 7. Sed quod diximus est verius, & ipsi quoque placet. nam quod directè ibi fit, non est contra naturam generationis positiuè, sed negatiuè, quia actus inchoatus non completur: sed huius rei subest iusta causa. imò nec maritus semper actum inchoatum complere tenetur, vt statim dicemus.

55 *Tertio.*

In actu coniugali huiusmodi retractio fieri non potest; nisi forte in mora sit periculum vitæ (vt si hostis repentè irruat;) vel insignis verecundiæ, vt si amici vel alij ex improuiso superueniant: tunc enim incommoda inde secuta non sunt voluntaria; vnde nec imputantur ad culpam. Potest tamen fieri absque peccato mortali in duobus euentis, extra predicta pericula. Primò, Si mulier viri susceptæ genitura se retrahat, priusquam ipsa suam conferat. Ratio est, tum quia secundùm veriorem & probabiliorem sentẽtiam, sperma muliebre, etsi sit valdè conueniens, non tamen est necessarium ad generationem. tum quia si ipsa in actu nihil effecit, potest statim se ad illud excitare, cùm hoc nihil sit aliud quàm actum coniugalem complere, vt infrà dubit. 14. dicetur.

Secundò, Si vir se retrahat muliere consentiente. nam absque eius assensu fieri non posse certum est, cùm ius habeat maximè ad genituram viri & ad talem actum vnde posset sequi procreatio liberorum. Hic tamen duæ debent adesse circumstantiæ. Prior, vt in muliere seminatio non sit facta, neque sit periculum illius, ex vi concitationis præuiæ. Altera, vt marito post retractionem non impendeat periculum effusionis extrà. His concurrentibus cùm ob paupertatem non possint plures alere proles, dicunt multi Doctores non damnandos coniuges peccati mortalis si se in opere retraxerint. ita Angelus verb. Debitum, numero vigesimo sexto, citans Paludanum, qui id docet in quarta distinctione trigesimaprima, quæstione tertia, conclusione quinta. Syluest. verb. Debitum, numero nono. Fumus eodem, numero nono. Fauet Caietanus quæstione centesimaquinquagesimaquarta, articulo vndecimo, versus finem. Hæc breuiter in materia verecunda verecundè dicerim ob confessarios, qui ob crebros euentus hæc non debent ignorare. Vide Sanctium libro nono de matrimonio, disputatione decimanona, qui rem hanc fusè & doctè persequitur.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm in osculis, tactibus & aspectibus sit peccatum mortiferum.

D. THOM. Q. 154. ART. 4.

56 *Osculum tripliciter fieri potest.*

NOTANDVM est, osculum posse fieri tripliciter, Primò, In signum amicitiæ. Secundò, Causa delectationis concubitus. Tertiò, Causa delectationis ipsius osculi secundùm se considerati. Idem dicendum de contactu partis honestæ.

Contactus etiam partis verendæ potest fieri totidem modis. Primò, Causa medicandi, vel alia necessaria. Secundò, Causa voluptatis concubitus. Tertiò, Causa voluptatis illius contactus per se spectati. His positis.

Osculi causa amicitiæ.

Dico Primò. Osculum causa amicitiæ, secundùm consuetudinem patriæ, per se est licitũ; similiter & delectatio inde consequens. Est communis sententia Doctorum, & patet ex Scripturis & vsu generis humani. Ratio est, quia hoc ipsum est aliud, quàm tactari signo externo beneuolentiam, & vnionem animorum, (cuius osculum est symbolũ) fundatam in coniunctione sanguinis, vel professionis; vt olim inter Christianos; vel in alia causa honesta. vnde etiã delectatio hunc consequens, licita est. Sicut enim licitum est delectari amicitia & coniunctione, ex qua amicitia est orta, & præsentia amici; ita etiam tactificatione & vsu signi illius amicitiæ seruandum tamen hic decorum, & consuetudo recepta, cauendumque scandalum: non enim decet viros Ecclesiasticos, maximè Religiosos hoc modo testari amicitiam erga feminas; etiamsi aliquo modo sanguine iunctæ essent; vel pueros, ex quibus aliquid periculi vel scandali nasci posset.

57 *Causa delectationis concubitus.*

Dico Secundò. Oscula, si fiant causa delectationis concubitus, extra matrimonium; sunt peccata mortifera, & pertinent ad speciem illius actus, ad cuius delectationem referuntur. Ita Diuus Thomas hoc art. 4. & alij Doctores omnes. Potest autem id fieri dupliciter. Primò, Si quis vtatur osculo tamquam dispositione ad concubitum; nimirum cum animo per illas blanditias ad concubitum excitandi: & de hoc est res manifesta; nam ordinatur ad finẽ mortiferum: vnde pertinebit ad speciem illius actus ad quẽ ordinatur, & disponit; siue ille sit fornicatio simplex, siue adulterium, siue incestus, siue alterius speciei.

Secundò, Si vtatur tamquam signo, quo phantasiæ repræsentetur ipse concubitus, vt sic voluptate concubitus in signo fruatur. Hoc modo constat etiam esse mortale: quia exhibet voluptatem actus illiciti tamquam præsentis, simili modo corpus commouens, & ad seminationem spiritus concitans.

Nec refert quòd ille non cupiat vlteriùs progredi; quia etsi non cupiat opus ipsum facere exteriùs, tamen vult illud habere præsens in imaginatione, eoque sic frui: quo modo fit in delectatione morosa absque signo externo, vt inf. dubit. 15. dicemus.

58 *De osculo per se spectato.*

Sed difficultas est de osculo, quatenus ipsum per se est actus delectabilis carni, & remotè disponens ad seminationem. Vtrùm si quis hac ratione illo vtatur, non intendens vlteriorem voluptatem, quàm quæ præcisè ex ipso osculo nascitur, peccet mortiferè, sepositio periculo pollutionis, & vlterioris consensus.

Videtur enim non tam grauiter peccare. Primò, Quia non intendit frui voluptate concubitus, aut seminationis; neque alia, quæ ad hanc propinquè excitet, (qualis est in cõtactu turpi) sed longè minore, & quæ solùm remotè ad illam disponat: ergo cõ pertinet ad eamdem speciem, nec est peccatum mortiferum: sicuti nec ea, quę ad alia peccata longinquè dirigunt, vt ad ebrietatem, furtum, homicidium, sunt peccata mortifera: vnde nec denegatur absolutio sacramentalis ijs, qui ab huiusmodi nolunt abstinere.

Secundò, In alijs peccatorum generibus dantur non solùm peccata grauia, sed etiam leuia ratione paruitatis materiæ; vt patet in furto, in detractione, in contumelia, in læsione corporali, in timiditate, seu ignauia, in impatientia, in gula, in sacrilegio, in nocorum & iuramentorum violatione, & alijs peccatis; exceptis illis, quæ directè opponuntur virtutibus theologicis, quarum materia vel obiectum est

est Deus: cur non etiam in peccatis luxuriæ detur paruum ratione materiæ, quod non sit nisi veniale, etiamsi cum plena deliberatione fiat? Sanè non videtur posse dari ratio cur ✠ sit peculiare in hoc genere peccati; præsertim cum in materia eius sint diuersi gradus, tum actuum, tum voluptatum, ordine quodam secundùm magis & minus se habentium.

Tertiò, Sponsis de futuro conceditur ea voluptas, quæ præcisè ex osculo & cõtactu manus vel faciei percipitur; ita vt nec venialiter quidem in ea peccent, vt docet Nauar. cap. 16. num. 12. Toletus lib. 3. cap. 14. Valentia disputat. 9. quæstione 3. par. 3. (quamuis Caietan. artic. 4. insinuet esse peccatum veniale:) quia cùm sponsalia sint dispositio ad matrimonium, sponsi ius habent ad id, quod est dispositio & præparatio ad actum matrimonij. vt ijdem docent: atque id nullo modo eis esset licitum, nisi esset dispositio & voluptas remota, & parua in hoc genere, & ex se insufficiens ad excitandum actum principalem. Itaque hoc signum est non esse peccatum mortiferum inter non sponsos.

Obiectio. Dices, Osculum tale, natura sua ordinatur ad concubitum; vt etiam patet ex vsu & instinctu quorumdam animantium, in quibus huiusmodi signa solent præcedere: ergo qui consentit in illud, censetur consentire in voluptatẽ concubitus; ac proinde peccat mortiferè.

Resp. Remotè tendunt ad concubitum. Respondeo negando consequentiam: etsi enim natura sua eò tendat; tamen hæc tendentia est remota, & ab agente non eò refertur, sed sistitur in voluptate, quam actus ipse per se habet: quæ multum distinguitur a voluptate concubitus. Vnde non est necesse vt qui in illam consentit, etiam videatur in hanc consentire. sicut qui consentit in litigium non ideò consentit in homicidium; aut qui in potum largiorem quàm necessitas postulet, in ebrietatem. Confirmatur, quia alioquin etiam inter sponsos essent illiciti; cùm hi non possint consentire in voluptatem concubitus præsentem.

Hæc sententia videri possit alicui probabilis: vnde in eã
59 valdè inclinat Naua. de pœnit. d. 1. c. Si cui. 30. in fin. eamq; tenet Martinus de Magistris, & aliqui recentiores, quibus idem videtur de visu; eò quòd hic sensus sit magis spiritalis, nec ita moueat aut alteret naturam ad carnalia, vt contactus turpis.

Sententia vera & communior. Verùm communior sententia est, in illis esse peccatum mortiferum: quæ & mihi probatur: tum quia communior; tum quia tutius est vt omnia ita quam maximè vitentur: tum quia sæpe est periculum vlterioris consensus, vel morosæ delectationis, vel etiam pollutionis, ratione temperamenti, aut peculiaris dispositionis corporis, quam ob causam expedit in huiusmodi non esse laxum. Vnde etiam inter sponsos censeo planè dissuadenda, si causa voluptatis fiant. Confirmatur hæc sententia; Primò, Ratione suprà indicata: quia osculum vt est delectabile carni, natura sua est signum copulæ vel instantis vel futuræ: vt etiam ex vsu animalium constat. sicut enim osculum amicitiæ, signum est vnionis animorum; ita carnale, coniunctionis corporum. explicatur enim hoc signo interior affectus, & prius quodammodò fit in signo, quod posteà implendum in opere. itaque in eo contineri videtur tacitus quidam consensus in copulam. Secundò, Quia materia non debet censeri remota, quæ tantam vim habet ad libidinis ignem excitandum, & ciendum spermatismum. Alia tamen est ratio adspectus, vt rectè Caiet. verb. Impudicitia, sub finẽ: quia natura sua eò nõ tendit, vnde nec habet tã sensibilem voluptatem, nec corpus ita commouet. Tertiò, Quia talis contactus est impudicitia quædam. Nam fit causa voluptatis impuræ. atqui impudicitia excludit à regno cælorũ; vt infrà ex Apostolo dicetur: ita Caiet. suprà. Itaque sententiam illam non dixerim probabilem. idem sentiendum de amplexibus.

Ad Primam rationem pro ea adductam, negandum est esse dispositionem remotam in natura sanguinea, aut feruente. Ad Secundam, etiam hic fortè potest dari materia parua, vt si contactus sit adeò leuis & breuis, vt non sit aptus notabilem commotionem excitare. dici etiam potest, etsi in contactu non sit materia leuis, posse tamen eam dari in visu; & hoc sufficere. Ad Tertiam, Sponsis conceditur: quia est signum copulæ futuræ, in quam ratione matrimonij inchoati consentire possunt.

Dico tertiò, Contactus partium verendarum, si fiat causa medicandi, vel alia, quæ censeatur necessaria, aut iusta, nullum est peccatum. est communis sententia DD. talis enim contactus est honestus moraliter, quia consentaneus rectæ rationi. 60 *Contactus partium inhonestarum ex causa iusta.*

Nec refert quòd interim aliqua delectatio vel motus turpis subrepat; quia id est, plane inuoluntarium.

Aduerte tamen, mulieres, præsertim virgines, non teneri huiusmodi genus medicandi in locis secretioribus a viris admittere, vt rectè docet Nauar. d. cap. Si cui. num 13. Ratio est, quia nemo tenetur admittere curationem, à qua nõ minus abhorret quàm ab ipso morbo, vel morte: at multæ virgines pudicæ malunt tolerare morbum, vel mortem, quàm à viris contingi. Deinde nemo tenetur admittere id, cui coniunctum est periculum turpis motus, aut delectationis carnalis: imò ad heroicum castitatis gradum pertinet malle mori, quam permittere in se turpes imagines, aut sensum vllum libidinis.

Dico Quartò, Si talis contactus fiat causa voluptatis eius, quæ præcisè ex ipso nascitur, est peccatum mortiferũ, etiamsi desit vlterior intentio. est communis DD. D. Thomæ & Caietani art. 4. Nauarri suprà, & in Enchiridio, cap. 16. num. 13. *Si causa voluptatis, est peccatum mortiferum.*

Probatur Primò, Ex Scripturis: ad Galatas 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,* &c. vbi *impudicitia* ponitur inter peccata quæ excludunt à regno, atqui *impudicitia* propriè consistit in turpibus contactibus, vt Diuus Thomas docet. Aduerte tamen in Græco non haberi *impudicitiam*; sic enim vbi legimus, ἄτιμα ἐστι μοιχεία, πορνεία ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια: Latinè, *quæ sunt adulterium, fornicatio, immunditia, luxuria.* sed rectè hoc genus impudicitiæ per ἀσέλγειαν, significatur, quod generatim omnem luxuriæ intemperantiam complectitur, vel per ἀκαθαρσίαν, quæ omnem turpitudinem, & impuritatem designat. Vnde etiam alibi sub hoc nomine ista turpitudo damnari intelligenda est: vt ad Eph. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis,* &c. & infrà; *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus,* &c. *non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* non enim Apostolo est curæ, omnes libidinum species à fornicatione & adulterio distinctas propriis nominibus exprimere: sed latis ei est verbis generalibus indicare; vt notat Diuus Hieronymus in cap. 5. ad Galatas, explicans illud, *Manifesta autem sunt opera carnis.* 61 1. *Ex Scripturis.*

Secundo, Probatur ex Patribus: Diuus Cyprianus epist. 12. ad Pomponium, *Certè ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, & osculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis admittunt?* quibus verbis docet esse graue crimen virgini, dormire cum masculo, etiamsi ab eo non corrumpatur; propter complexus, oscula, & fœdam corporum nudorum vicissitudinem, quibus voluptas carnalis quæritur. 2. *Expenditur.*

Diuus Basilius libro de vera virginitate, *Tantum vim vt sensuum omnium pernicies obtinuerit, & sanctissimè blandimentum sensusque reliquos in suas illecebras pellexerit, vt nonnulla latum quàm maxima peperit mala fœmina.* loquitur de virgine. Vide sequentia. Vbi etiam ostendit, aspectum non allicere ad voluptatem, nisi per tactum quendam; *tactus enim* inquit, *luminum radijs, veluti quibusdam incorporeis manibus, quemcunque voluerit eminus illigat, & quæ corporeis manibus attingere non potest, oculorum tactibus pulchrum complectitur,* &c.

Tertiò, Ratione: Primò, Quia huiusmodi contactus non solent fieri nisi propter voluptatem resolutionis seminis, atqui intendere hanc voluptatem extra matrimonium, est peccatum mortiferum, ergo, &c. 62 3. *Ratione.*

Secundò, Quia per se & proximè ad hanc disponunt, & hæc ordinariè ex illis sequitur, vt passim DD. tradunt. ergo pertinent ad eamdem speciem moralem, tamquam occasio & causa propinqua.

Aduerte tamen, secundum quosdã, si talis contactus nõ fiat causa voluptatis carnalis, sed solius curiositatis, per se nõ esse peccatum mortiferum; præsertim si periculum pollutionis absit: quia tunc sub alia ratione magis spirituali, & elevata apprehenditur, quæ tantam vim ad naturam concitandam non habet, & affectus non quærit in eo voluptatẽ carnalem, sed curiosæ cognitionis. Videntur id insinuare. *Si causa curiositatis fiat.*

DD.

DD. cum dicunt illa esse peccata mortifera, si causa voluptatis fiant: quam restrictionem non adderent, si idem putarent, dum cauta curiositatis. Verum talis curiositas est periculosa. vnde non solum vt peccatum veniale, sed etiã ob periculum mortalis cauenda.

63 Petes Primò, Vtrùm in turpiloquio sit peccatum mortiferum.

Vtrum turpiloquium sit peccatũ mortiferum.

Respondeo, Si fiat animo se obiectandi rebus ipsis narratis, & imaginationi obiectis tamquam præsentibus, est peccatum mortiferum; sicut & ipsa delectatio morosa, cuius causa fit. Similiter si animo excitandi se, vel alios ad turpia, vel cum periculo in illa consentiendi, etiamsi animus ille desit. Si verò solum fiat ob voluptatem, quæ præcisè ex ipsa narratione capitur absque vlteriore intentione, est peccatum veniale; vt docet Toletus libro quinto, capit. decimoquarto. Ratio est, quia est solum voluptas remota, ex confusa apprehensione rerum narratarum, tamquam absentium proueniens, solum remotè ad turpia disponens. non enim narrata & audita leuiter, ita mouent vt visa; & multo minus quàm contacta. Nec refert etsi fortè talia dicens vel audiens rideat, videaturque illis affici, modo re vera non delectationis venereæ, sed ioci causa id faciat, & vrbanitatis. Non tamè excusandi, qui volunt videri turpibus dediti, & inde æstimari: nam de lethali peccato gloriam quærere, est lethale, ob illius complacentiam. Si complacentia in turpitudinem absit, & solum velit apud socios videri fuisse huiusmodi deditus, vt æstimetur ingenium, dexteritas, vrbitas, experientia, sepolito scandalo non videtur damnandus peccati mortiferi, vt dictum est supra libro secundo, cap. 47. num. quadragesimosecundo. Numquam tamen castus animus huiusmodi narrationibus & iocis sciès & volens delectabitur.

64 Petes Secundò, Vtrùm femina aduertès se tangi ab alio affectu libidinoso, teneatur sub peccato mortali se retrahere, vel impedire talem contactum.

Si contactus per se honestus, ex affectu turpi pravus.

Resp. Si talis contactus sit exterius honestus, & iuxta receptum patriæ morem fiat; vt cum in aduentu, vel recessu amicorum, osculum figitur, vel dextera apprehenditur; nõ tenetur illum refugere, etiamsi impurum alterius animum nouerit, vt rectè Caiet. hoc loco docet. Ratio est, quia hic actus per se est licitus.

Nec refert, quòd ille praua intentione faciat; quia quando duo ad vnum opus concurrunt, potest alter facere. vel pati bona intentione, quòd alter facit malam: vt multis exemplis ostendi potest. Quod generaliter verum est, quotiescumque ille iustam causam habet non detrectandi; qualis in proposito est patriæ consuetudo, & amicitia, vel consanguinitas. Idem dicendum de contactu locorum secretorum, cum medicamenta applicanda, vel alia causa iusta intercedit; quia actus externus cum illis circumstantijs est honestus. Hæc intellige, quantum est ex lege virtutis temperantiæ: nam lege charitatis, ne videlicet alter peccet, tenetur huiusmodi contactus, si commodè potest, declinare.

Vitare se inhonestum.

Si autem contactus per se, & spectatis externis circumstantijs sit inhonestus, tenetur sub peccato mortali illum vitare, si potest. Ratio est, quia sicuti lege castitatis tenemur vitare pollutionem, ita etiam id, quod ad eam proximè excitat: atqui non minus ad eam excitat talis contactus passiuus quàm actiuus, id est, non minus ita tangi, quam tangere; ergo sicuti tenemur vitare actiuum sub mortali, ita etiam passiuum. Dicitur autem non posse vitare, quando sine graui incommodo non potest: quod incommodum debet esse tale vt perpessioni istius contactus, vel violationis præponderet, vel saltem sit æquale: vt si periculum mortis, infamiæ, vel amissionis bonorũ non permittenti impendeat. vide Caiet. art. 4. sub fi.

65 Quod ad aspectum attinet, si versetur circa partes honestas, nullum in eo per se præcisè est peccatum, nisi fortè actus otiosi, aut ñ ad concupiscendum fiat; vt docet Caiet. verb. impudicitia. Et ratio est, quia cum aspectus sit sensus magis eleuatus & spiritalis, per se non mouet ad voluptatem carnalem. Potest tamen esse peccatum ratione periculi, maximè si sit diuturnus, verbi gratia circa feminam pulchram. Nam aspectus facit vt phantasia apprehendat rem illam non solum vt delectabilem visui, sed etiam vt delectabilem tactui, & carni: ex qua imaginatione naturaliter sequitur in affectu complacentia & delectatio, in spiritibus & sanguine commotio, & hinc in membris rebellio. Itaq; curiosi aspectus sunt valdè vitandi; nam innumeri ex illis sunt perducti ad lapsum. Hinc Psal. 118. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.* & Ecclesiastici 31. *Nequius oculo quid creatum est?* Iob 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne vnquam cogitarem de virgine.* Admiscet se plerumque diabolus, & facit vt species visa assiduè obuersetur phantasiæ, quę sensum affectum allicit, & naturam commouet.

Aspectus.

Periculũ ex aspectu.

Si autem versetur circa partes inhonestas, etsi non tantam vim habet, quantã contactus, nec tam directè moueat: tamen plerumque naturam concitat, & voluptatem carnalem excitat, quam sine peccato mortifero intendere nõ potes, vt docet Sylvest. v. delectatio, quæst. 4. Si autem ob causam necessariam vel vtilem fiat, & nulla talis voluptas intendatur, non erit peccatum, etsi ea præter intentionem subrepat.

Ex curiositate.

Si autem ex curiositate fiat, non potest excusari à peccato venialis, imò nec a mortali, si circa diuersum sexum: quia est res valdè fœda contra naturalem honestatem, & valdè libidinem prouocans. Idem ob eamdem rationem dicendum, si fiat specie mortificationis; vt docet D. Anton. 2. p. tit. 5. cap. primo, §. De quibusdam qui huiusmodi prætextu feminam coram se nudari faciebant. adeo enim id repugnat naturali honestati, vt primi parentes statim post trãsgressionem non fuerint passi se nudos videri, vt idem ait. Circa eumdem sexum, si ex curiositate fiat, est minor indecentia; tamen potest esse peccatum mortale ratione periculi consensus in voluptatem, vel in actum turpem, aut ratione scandali.

DVBITATIO IX.

Quale peccatum sit Stuprum & raptus.

D. THOM. ART. 6. & 7.

66 *Stuprum generatim.*

Stuprum generatim significat omnem concubitum legibus vetitum. vnde passim apud auctores *adulterium, incestus, & libido prapostera* stuprum vocantur: vt ex Plauto, Cic. & alijs constat.

Strictè.

Strictè verò accipitur pro virginis violatione, maximè si per vim fiat; quo modo addit malitiam mortiferam contra iustitiam, actui fornicationis; estque graue crimẽ, quod etiam morte per leges punitur, siue virgo sit, cui vis illata est, siue corrupta. Grauius tamen est in virgine, propter florem pudicitiæ vi ereptum.

Si verò non fiat per vim, sed ipsa sponte consentiente, probabilius est circumstantiam virginitatis non addere malitiam mortiferam, vt ostensum est li. 2. c. 10. dub. 1. quo cap. de hoc vitio & obligatione iustitiæ ex eo orta sat multa diximus.

Raptus.

Raptus propriè dicitur, cum persona aliqua libidinis causa, vi illata abducitur, siue sit masculus, siue femina; siue nupta, siue innupta; siue vis inferatur soli abductæ, siue ijs; quorum potestati subest, siue vtriusque: vt colligit Gratianus ex capit. tertio, De raptoribus, trigesimasexta quæstione prima. Ad raptum enim tria requiruntur: nimirum vis illata, abductio, & vt fiat causa concubitus, aut alterius libidinis.

Si non abducatur, sed in loco violetur, nõ propriè dicetur *rapta*, sed vim, seu *stuprum* passa: quamuis generatim id etiam raptus vocetur, iuxta Diuum Thomam articulo septimo, & Nauarr. cap. 16. nume. 3. & Gratianum dict. capit. 3. De raptoribus. 36. quæstio prima, quem sequuntur alij. vnde & pœnæ raptorum ad tales pertineat. Similiter si nulla vis inferatur, sed ipsa sponte discedat cum amasio, parentibus nescientibus, non erit propriè raptus, sed voluntaria fuga. Itaque requiritur vt vis inferatur vel ipsi, vel saltem ijs, ad quos pertinet, verbi gratia parenti, marito, sponso, curatori, abducendo illam ipsis contradicentibus, & repugnantibus.

Si abducatur non causa libidinis, sed redigendi in seruitutem, & vindicãdi dominij, dicetur *plagium*, non raptus; est enim furtum hominis, nõ luxuria. non tamen requiritur ad raptum vt reipsa concubitus sit secutus; sufficit vt eo fine rapta sit, vt ex variis textibus iuris colligitur.

67 *Quomodo pertinent ad luxuriam,*

Petes, Quomodo ergo *raptus* ponitur ſpecies luxuriæ, cum potiùs ſit ſpecies iniuriæ?

Reſpondeo, Ratione intentionis pertinere ad luxuriam; quia libidinis cauſa fit: ipſe tamen actus exterior ſecundum ſe, ſolum eſt contra iuſtitiam, niſi ei coniungatur violatio. Vel certè dicendum eſt raptum completum eſſe ſpeciem luxuriæ; completur enim per concubitum, ad quem proximè tendit; & ſic ratione ſui termini pertinet illud opus externum ad luxuriam, veluti quædam ſpecies eius; non tamen eſt propriè, ſeu metaphyſicè loquendo ſpecies; quia circumſtantia illa, per quam contrahitur communis ratio luxuriæ in raptu, non eſt propriè contra caſtitatem, ſed contra iuſtitiam.

In raptu eſt duplex malitia.

Ex his patet, duplicem malitiam in hoc actu includi; alteram contra iuſtitiam, alteram contra caſtitatem: ac proinde ad vtrumque vitium pertinere; quamuis ratione finis inter ſpecies luxuriæ numeretur.

68 *Pœnæ in raptores.*

Notandum eſt; graues pœnas vtroque iure in raptores eſſe conſtitutas. L. vnica, C. de raptu virginum, &c. pro raptu puellæ, vel mulieris honeſtæ, ſiue nuptæ, ſiue innuptæ ſtatuitur ſupplicium capitis tum raptori, tum iis, qui ipſi auxilio fuerint; & bona eorum addicenda per Iudicem mulieri raptæ. Deprehenſus in flagranti crimine, poteſt a coniunctis perſonis, & a tutoribus, vel curatoribus *raptæ* impune interfici. Si rapta ſit ſerua, etiam ſupplicium capitis decernitur, abſque tamen bonorum addictione. Hic ſub raptu DD. etiam vim illatam libidinis cauſa, etſi perſona nõ ſit abducta, intelligunt.

Iure vero Canonico c. Raptor 33 & ca. 34. Statutũ 27. q. 2. ſtatuitur, Primò, Vt raptor alienæ ſponſæ publica pœnitentia mulctetur.

Eſt impedimentum impediens.

Secundò, Vt ſine ſpe coniugij maneat. Itaque eſt impedimentum non quidem dirimens, ſed impediens ab omni coniugio. Poteſt tamen Epiſcopus in eo diſpenſare. Imò quibuſdam locis non eſt hoc impedimentum in vſu; vt Navarrus notauit capit. vigeſimoſecundo, numero ſeptuageſimoquarto.

Sunt excommunicati.

Tertiò, Raptor alicuius puellæ, vel mulieris cuiuſcumque, & omnes illi conſilium, auxilium & fauorem præbentes ſunt ipſo iure excommunicati, & perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu deijciendi. Ita Concilium Tridentinum ſeſſione vigeſimaquarta de reformatione matrimon. capit. 6.

Quartò, Inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in eius poteſtate manſerit, nullum poteſt conſiſtere matrimonium; etiamſi ipſa liberè conſenſerit: vnde pro eo tempore eſt impedimentum dirimens. Vbi tamen à raptore fuerit ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, poteſt illi nubere, ſi velit. Ita Concilium ſuprà. quo caſu putat quidam tolli infamiam, & incapacitatem ad dignitates, per raptũ contractam: alioquin rapta cogeretur nubere viro infami; quod eſſet in ipſius grauamen, contra fauorem, quem Concilium intendit dare matrimonio. vide Henriqu. libro 2, de matrim. c. vlt.

69 *Eſt impedimentum pro tempore dirimens.*

An per nuptias cum rapta, tollatur infamia.

Contrarium puto verius: nam Concilium id apertè videtur excludere; ſic enim ait; *Quòd ſi rapta, à raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, fauorem prabentes, ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuo infames*, &c. quaſi dicat, etiamſi illam duxerit, incurrat in has pœnas.

Ad rationem.

Ad rationem in contrarium dico non cogi illam nubere infami, ſed poſſe abſtinere, ſi velit. imo iure ciuili non poterit ei nubere, vt patet C. de raptu virginum; quod fuit confirmatum iure Canonico antiquo, cap. Raptores. 2. & cap. 11. Placuit. 36. quæſtione ſecunda, quamuis id poſtea reuocatum fuerit, vt conſtat ex cap. fin. de raptoribus. vnde Concilium non cupit illi matrimonio fauorem præſtare, ſed reſtringit conceſſionem dict. cap. finalis, vbi non requiritur vt conſtituatur in loco tuto, ſed ſolum vt liberè conſentiat.

70 Circa prædictum decretum tria notanda. Primum, Valde probabile videri, illud non habere locum in raptu, qui ſit tantum cauſa libidinis explendæ; de quo iam dictũ eſt; ſed duntaxat in eo qui dirigitur ad contrahendum matrimonium. ita docet Sanctius libro ſeptimo de matrimonio, diſput. 13. num. 4. Congruum enim erat, vt ille raptus eſſet matrimonij impedimentum, qui propter matrimonium attentatur, nimirum; vt nemo audeat attentare per quod ſe ſuo fine videt fruſtrandum. quæ ratio non habet locum in raptu cauſa libidinis facto. Accedit quòd rarius ex tali ſequatur matrimonium: nam plerumque raptam, vbi libidinem expleuerint, repellunt. Confirmatur, quia verba intelligenda iuxta præſentem materiam. alioqui dicendum erit, etiam ex raptu ſeruiendi cauſa facto, impedimentum naſci.

Secundum, Non habere etiam locum, cum puella ſponte conſentit abductioni, etiamſi parentibus repugnantibus fiat. Ratio eſt, tum quia proprié non eſt raptus; quamuis ratione violentiæ quæ fit parentibus, ſub quorum cura eſt, raptus dicatur, & iure ciuili putetur; tum quia ille raptus non repugnat vllo modo libertati matrimonij, cui Concilium eo decreto ſolum voluit conſulere; cuius ſignum eſt, quòd ſemper permittat matrimonium, quando puella ſuæ libertati eſt reſtituta, nec requirat conſenſum parentum.

Si ſponſus rapiat ſponſam.

Tertium, Non habere locum in raptu, quo ſponſus rapit propriam ſponſam; quia id in iure non vocatur crimen *raptus*; eo quòd ex deſponſatione aliquid iuris in eam habeat; vt rectè notat Diuus Thomas articul. 6. ad quartum, & reliqui Doctores. Vnde Gelaſius Papa (vt habetur 36. quæſtione prima, capitul. Lex illa. 2.) dicit, *Lex illa præteritorum Principum, vbi raptum dicit eſſe commiſſum, vbi puella, de cuius nuptijs antè nihil actum fuerat, videbatur abduci.*

DVBITATIO X.

Quid adulterium, & quale peccatum.

D. THOM. ART. 8.

71 AAdulterium iuxta Diuum Thomam, dictum eſt quaſi *ad alienum thorum* acceſſio: nihil enim eſt aliud quam alieni thori violatio. vnde requiritur vt vterque vel alter ſit iunctus matrimonio; nam circumſtantia coniugij in viro vel in femina facit vt actus luxuriæ dicatur adulterium.

Eſt peccatum mortale.

Porrò hunc actum eſſe peccatum mortiferum, cõſtat ex plurimis Sacræ Scripturæ locis: Exodi 20. *Non mœchaberis.* Leuit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui, morte morientur & mœchus & adultera.* Idem habetur Deuteronom. 22. & 27. *Maledictus qui dormierit cum vxore proximi ſui.* Iob 31. *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum: ſortiatur alterius ſit vxor mea, & ſuper illam incuruentur alij: hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima. Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina.*

Brutæ nonnulla adulteria plectũt.

Vide pulcherrima in hanc ſententiam Eccleſiaſtici 23. Prouerb. 6. Ieremiæ 5. 1. ad Corinth 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt.* Addo etiam animalia quædam adulterium deteſtari & vindicare, vt Guilielmus Pariſienſis primæ partis de vniuerſo, part. 3. capitul. 8. de ciconijs teſtatur: *Tempore*, inquit, *meo, ciconia tanquam de adulterio conuicta per oſſa cõtum maſculi ſui, congregata multitudine circumcirca neſcio qualiter accuſante maſculo, vel detegente eius crimen à tota illa multitudine deplumata atque diſlacerata eſt, tanquam conſilio, aut indicio omnium eſſet adulterij iudicata.*

72 *Cur ſit peccatum mortale.*

Ratio eſt manifeſta, quia continet totam malignitatem fornicationis, quam oſtendimus eſſe mortiferam, & præterea iniuriam in coniugem. quatenus enim eſt inter perſonas nullo vinculo coniugali copulatas, habet deformitatem & omnia incommoda fornicationis: quatenus verò eſt contra ius coniugis in re graui, eſt grauis iniuria contra iuſtitiam admiſſa; nam *vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vxor*; & contra *vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir*; vt docet Apoſtol. primo ad Corinth. ſeptimo. Conſiſtit autem hæc poteſtas, ſeu hoc ius in duobus. Primò, Quòd alter teneatur alteri volenti debitum coniugale perſoluere. Secundò, Quòd teneatur a perſona extranea abſtinere. Itaq; duobus modis ſit coniugi grauis iniuria in cauſa

Ius coniugis.

Dupliciter ſit coniugi iniuria.

matri-

matrimonij. Primò, Si nolit petenti debitum reddere; cuna enim ei denegat vſum rei ſuæ. Secundò, Si ſe alteri copulet; tunc enim id, quod eſt coniugis quoad vſum, tribuit alteri: immo cum ſit vna caro cum cõiuge, carnem coniugis miſcet & vnit carni extraneæ. quanta autem ſit hæc iniuria, patet ex communi hominum æſtimatione, qui illam tanti faciunt, vt putent vix poſſe arrogari maiorem: vnde etiam morte vel perpetuo diuortio illam vindicare ſolent.

Dices, Quid ſi coniux cedat iure ſuo, vel etiam ſit leno ſuæ vxoris vt ſit particeps pretij, vel alterius commodi? 73

Si coniux cedat iure ſuo.

Reſpondeo, Eo quidem caſu non fore propriè iniuriam in perſonam coniugis, vt conſtat ex dictis ſup. cap. 7. dub. 3. *Sciendi enim & conſentiendo non fit iniuria*; vt habet regula Iuris 27 li. 6. de Reg. Iuris. nihilominus erit iniuria in ipſũ matrimonij ſtatum & ordinem coniugatorum: ſicut ſi Clericus cedat iuri ſuæ exemptionis, quo non poteſt conueniri coram Iudice ſæculari, & ſponte ſinat ſe ad tribunal ſæculare pertrahi, non fiet ei propriè iniuria, ſed ſtatui clericali & ordini eccleſiaſtico. Simili modo qui occidit hominem volentem, non facit illi propriè iniuriam: ſed peccat in naturam humanam. Vnde patet, in illo actu adhuc remanere duplicem malitiam, alteram contra caſtitatem, alteram contra matrimonij ſtatum; etſi non dicatur propriè iniuria in perſonam coniugis, v. g. in Petrum: eo quod non fiat ipſo nolente & inuito, (quod tamen propriè hoc nomen connotat) nec obliget ad reſtitutionem vel ſatisfactionem, ob præuiam condonationem: tamen verè eſt contra iuſtitiam; quia eſt contra ius coniugij, & coniugis vt coniux eſt, quo ille cedere efficaciter non poteſt: eo quòd competat ipſi non ad bonum priuatum, ſed ratione ſtatus, qui eſt communis: vnde cum ceſſio ſit nulla ius manet; & ita contra illud peccatur.

Notandum eſt, adulterium triplici modo poſſe commit ti. Primò, Ex parte viri tantum. Secundò, Ex parte fœminæ tantum. Tertiò, Ex parte vtriuſque. 74

Adulterium triplicuter patratur.

Si primo modo fiat, (vt ſi coniugatus ſoluræ copuleatur) erit quidem graue peccatum mortiferum, vt ex dictis patet; minus tamen, quàm ſi coniugata ſoluto. Ratio eſt, quia longè magis repugnat iuri naturæ, vt vna fœmina iungatur duobus viris, quàm vt vnus vir duabus fœminis. vnde etiamſi hoc aliquando fuerit conceſſum (vt patet in Patribus veteris teſtamenti, qui habebant plures vxores) illud tamen numquam. Cauſa cur magis repugnet, eſt Primò, Quia vna mulier pluribus viris ſatisfacere nequit, quin ordinariè impediatur generatio, quæ eſt finis illius coniunctionis. Secundò. Quia etſi forte interdum generatio non impediatur; tamen erit contra certitudinem prolis: nam incertum erit veri viro proles ſit aſſignanda, marito an adultero: quod eſt contra bonam prolis educationem, quæ maximè paterna opera indiget. Tertiò, Quia fit peculiaris iniuria marito, dum ei aliena proles ſupponitur; vel ſaltem ipſa ſe conſtituit in periculo id faciendi. Quartò, Fit iniuria proli legitimæ, adducto a matre in partitionem hæreditatis extraneo. Hæc incommoda non ſequuntur ex adulterio viri cum ſoluta. Hinc fit vt adulterium coniugatæ vindicetur morte, ſi maritus illam iure proſequatur; coniugati verò nequaquam. quamquam in veteri lege vterque morti addicebatur, vt patet Leuitici 20. & Deuteron. 22.

Cur vna non poſſit vngi pluribus.

Grauiſſimum autem erit, ſi tertio modo fiat, nimirum vtroque coniugij vinculis adſtricto. tunc enim in illo actu eſt duplex iniuria mortifera; nam duorum matrimoniorũ iura violantur, & duobus coniugibus iniuria irrogatur. Vnde eo caſu in confeſſione non ſufficit accuſatio ſui de adulterio in genere, ſed explicanda eſt illa circumſtantia, ratione cuius iniuria duplicatur.

Si vterque matrimonio ſtudeat.

Nec refert, etiamſi illæ iniuriæ ſint eiuſdem ſpeciei; quia non ſolum ſpecies peccati, ſed etiam numerus explicandus; non tantum numerus actuum materialium, ſed etiam numerus malitiarum, quæ ſunt in vno actu; vt ſi quis vno ictu occidat duos homines, vel duobus maledicat, detrahat, committat.

Adulterium ex parte fœminæ.

Pari modo, quando eſt adulterium ratione ſolius fœminæ, puta ad explicandum, propter peculiarem deformitatem & mala coniuncta; ob quæ hoc videtur longè grauius.

Nec obſtat, quòd vir in hoc actu nihil agat contra fidem à ſe datam. cum nulli fidem coniugalem dederit: quia ſatis eſt quòd fœminæ cooperetur in violanda fide, quam ipſa ſuo dedit marito; & ad alia damna, quæ inde ſequuntur.

DVBITATIO XI.

Quid inceſtus & quale peccatum.

D. THOM. ART. 9.

Inceſtus.

INceſtus eſt congreſſus cum conſanguinea, vel affine intra gradus prohibitos: quales ſunt omnes gradus conſanguinitatis & affinitatis ex matrimonio contractæ, vſq; ad quartum gradum, vt communiter DD. tradunt: ex fornicatione verò vſque ad ſecundum: vt conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap 4. 75

Gradus autem cognationis legalis, quæ naſcitur ex adoptione, & cognationis ſpiritalis, quæ ex Baptiſmo & Confirmatione, propriè ad hoc vitium non pertinent; quia ſunt vincula magis ſpiritalia, nec faciunt coniunctionem carnis & ſanguinis, ſicut conſanguinitas & affinitas negari tamen non poteſt quin violatio talis cognationis per actum luxuriæ habeat ſpecialem deformitatem; cum illa cognatio conſtituat impedimentum dirimens: vnde talis actus poterit etiam dici *inceſtus*; paulò latius extenſa hac voce: quia fit cum perſona, cui ratione illius coniunctionis ſpecialis debebatur reuerentia in illa materia: nec eſt aliud nomen, quod ei melius conueniat, ſi cognatio ſit ex adoptione. ſi verò ſit ex ſacramento, rectius referretur ad ſacrilegium.

Eſt peccatum tale mortale.

Porrò *inceſtum* eſſe graue peccatum conſtat ex Scriptu- 76
ris. 1. ad Corinth. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes: ita vt vxorem patris aliquis habeat. & vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis: vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit*, &c. vbi etiam Apoſtolus illum tradit ſatanæ ejiciendo extra Eccleſiam: & vult totam Eccleſiam ob tale factinus eſſe in luctu Leuit. 18. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius: ego Dominus Deus veſter*. Deinde recenſentur omnes gradus, iure diuino pro illo tempore vetiti, & prohibetur coniunctio: & c. 20. conſtituitur pœna mortis in tranſgreſſores; additur cauſa, *quia rem illicitam, rem nefariam operati ſunt.*

Qui gradus vetebantur in Leuitico.

Verabatur autem illo tempore inter conſanguineos qui- 77
dem primus & ſecundus gradus; præterquam inter neptẽ & patruum, vel auunculum: & inter conſobrinos. Inter affines, primus & ſecundus lineæ rectæ, vt inter nouercam & priuignum, eiuſq; filium: inter vitricum & priuignam; eiuſque vel priuigni filiam. Item primus gradus lineæ trãſuerſæ; vt inter maritum & ſororem vxoris: inter vxorem & fratrem mariti. mortuo tamen marito ſine liberis, poterat frater eius accipere vxorem defuncti, vt patet Deuter. 25. Similiter mortua vxore, videtur maritus defunctæ poſſe accipere ſororem illius; vnde d. c. 18. ſignatè dicitur, *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc ea viuente:* indicando, *poſt mortem* non eſſe impedimentum.

Eſt contra reuerentiam in ſanguinis debitam.

Ratio cur hoc tantum peccatum ſit, eſt: quia eſt con- 78
tra reuerentiam & honorem debitum, in hoc genere actuum, conſanguinitati; quam cauſam paſſim indicat Scriptura, cum ait, *Nè diſcooperias, ne reueles turpitudinem matris ſanguinis* tuis, ſororis, &c. cum enim in conſanguineis & affinibus principium ortus noſtri intueamur, vt ſuprà lib. 2. cap. 46. dubitat. 1. dictum eſt, debetur illis certa quædam reuerentia, quoad ea, quæ ad actum gignendi pertinent. Hinc filij Noe, Sem, & Iaphet, cum tanta cautione & culabia virilia patris texerunt; & Cham maledictionem patris ob irreuerentiam & irriſionem incurrit; Gen. 9. Immo etiam quibuſdam animantibus ſimilis quidam reuerentiæ inſtinctus erga parentes eſt ingenitus; vt Ariſtoteles, lib. 9. hiſtoriæ animalium. capit. 47. docet: vbi refert camelos nec vi adigi poſſe vt matribus congrediantur: cumque fraude camelarij pullus quidam correctam matrem, ne poſſet agnoſci, inſcendiſſet, & poſtea detracto tegumento eam cognouiſſet, morſu interfeciſſe auctorem. Ibidem narrat equum quemdam generoſiſſimum regis Scytharum cum

matri congredi nollet, simili artificio deceptum, postea re detecta fugisse, & ex alto se præcipitem datum elisisse. Simile refert Guilielmus Parisiensis primæ partis de Vniuerso parte 3. cap. 8. de quodam equo, qui pari modo admissus in matrem, sibi genitalia morditus præcidit; natura ipsa testante quàm id sit graue piaculum.

Accedit, quòd per illum actum ex duobus fiat vna caro, & veluti vnus homo completus. vnde natura quærit eos, inter quos ante non erat coniunctio carnalis & refugit, qui iam antè ratione consanguinitatis vel affinitatis erant vna caro. Denique ad illud opus requiruntur mas & femina, tamquam duo principia partialia distincta; at per consanguinitatem & affinitatem duo sunt veluti vnum quid, tenens se ex parte alterius principij; vel potius abstrahens ab hoc vel illo sexu; nam frater & soror non aliter sunt vnum, quàm duo fratres, vel duæ sorores, &c.

Grauior tamen multo est incestus cum consanguinea, quàm cum affina in eodem gradu, v.g. cum sorore sua, quàm cum sorore vxoris; quia illud vinculum est multo arctius; nam plus est esse coniunctum alijs ratione proprij sanguinis, quàm ratione sanguinis vxoris; maior enim est vnio ad suam carnem quàm ad carnem vxoris; vnde etiam hoc vinculum est magis naturale.

79 *An diuersitas graduum faciat diuersitatem specificam in incestu.*

Dubium tamen est, Vtrum id faciat diuersitatem specificam in incestu.

Caietanus in art. 9 negat, & vult solum esse circumstantiam aggrauantem: sicut maior quantitas rei ablatæ in furto. Idem docet de diuersitate graduum vtriusque: addens non oportere esse sollicitum in ea explicanda in confessione. Idem sentiunt aliqui recentiores.

Sed verius est esse diuersitatem specificam. Primò, Ratione consanguinitatis, & affinitatis; hæc enim vincula specie differunt, sicut vnio mediata & immediata, naturalis & voluntaria. Confirmatur, quia multo immanior censetur incestus cum matre, quàm cum nouerca, cum sorore, quam cum vxore fratris. Secundò, Ratione lineæ rectæ & lateralis; nam nullo vnquam casu fuit licitus concubitus inter consanguineos in linea recta. Et confirmatur, quia longè alia reuerentia debita est matri, alia sorori, & longè fœdior illius, quàm huius violatio. Tertiò, Ratione primi gradus consanguinitatis lineæ lateralis & reliquorum item ratione primi gradus affinitatis lineæ rectæ, & reliquorum, præsertim lineæ transuersæ; vt colligitur ex Apostolo 1. Corinth. 5. Ratio est, quia illi iure naturæ prohibiti; & matrimonium dirimunt, hi solum iure positiuo.

Quod ad gradus reliquos attinet, qui solo iure positiuo
80 prohibiti sunt, etsi probabilis sit sententia Nauarri cap. 16. numer. 13. & multorum aliorum, omnes specie differre, & efficere incestum specie diuersum; tamen contrarium est probabile, nimirum illos gradus in consanguinitate esse eiusdem inter se speciei, similiter in affinitate. Ratio est, quia nullus horum iure naturæ matrimonio repugnat, & omnis repugnantia, quam habent ad illum actum, est solum ex iure positiuo; quod ob easdem causas, eademque moriua illos vetuit. quorum præcipuum est, vt propinquis in illis gradibus reuerentia deferatur; accessoria, vt affinitates ac amicitiæ multiplicentur, occasiones libidinis inter propinquos (qui sæpè cohabitare solent) vitentur, & amor carnalis vinculis multiplicaris non nimium increscat; vt ex D. Th. art. 9. & Caietano ibidem colligitur. Et quamuis hæ rationes eo magis appareant & locum habeant, quo gradus est propinquior; vt in secundo, plus quàm in tertio, & in tertio quàm in quarto; hoc tamen non conuincit diuersitatem specificam, sed solum differentiam secundùm magis & minus intra eamdem speciem.

81 *Impedimentum ex incestu cum consanguinea vxoris.*

Notandum est, etsi incestus cum sua consanguinea sit grauior quàm cum affine, consanguinea vxoris, ceteris paribus; tamen hic habet peculiarem affectum, eumque duplicem. Prior est, quod impediat petitionem debiti; eò quod cognoscendo consanguineam vxoris factus sit vxoris affinis eo gradu, quo ipso vxori erat sanguine iuncta. Hoc tamen intelligendum, nisi forte ignorabas esse affinem: tunc enim non esset formaliter incestus: sed simplex fornicatio; vnde nec pœnam incestui constituram, vt est non posse petere debitum, induceret.

Vbi tamen aduerte petitionem debiti post Concil. Tridentinum non impediri, nisi sit consanguinea vxori in primo vel secundo gradu; non autem si in tertio vel quarto. Concil. enim sess. 24. capitul. 4. de reform. matrim. constituit vt affinitas ex illicita copula non dirimat matrimonium vltra secundum gradum; & Pius V. Extrauag. Ad Romanam anno 1566. declarauit vltra illum gradum ne impedire quidem. Vnde sequitur nec petitionem debiti, qui est vsus matrimonij, impedire. cui enim conceditur quod maius est, conceditur etiam quod minus est, & in illo maiore inclusum.

Alter est, quòd mortua vxore non possit aliam ducere, & si duxerit, non poterit exigere debitum absque dispensatione, inducit enim hoc peccatum impedimentum, non quidem dirimens, sed impediens. vtrumque colligitur cap. Transmissæ. 4. de eo qui cognou. consang. vxoris, & 32. qu. 7. multis capitulis.

82 *Incestus cum consanguinea propria.*

Vtrùm verò simile impedimentum inducat incestus cù consanguinea, disputatur inter DD. D. Thomas in 4. d. 34. quæst. 1. artic. vltimo, negat, quem communiter sequuntur Theologi, teste Nauarro cap. 22. numero 74. & Couarruuias in epitome 4. decret. capit. 7. in princ. numero 4. Idem tenet Toletus libro 5. capit. 12. & Syluester, Matrimonium 7. numero 6 cum Rosella & Archidiacono. Nauarrus verò & plerique Canonistæ cum Panormitano in capit. 1. & 2. de eo, qui cogno. consang. vxoris, affirmant. Sed certum est incestum cum sua consanguinea non inducere affinitatem cum vxore, nisi forte illa etiam sit consanguinea vxoris in primo vel secundo gradu: ac proinde nec impedire debiti petitionem. Itaque si impedit secundas nuptias, id aliundè, nimirum ex vi peculiaris ordinationis ecclesiæ prouenit. & quamuis canonistarum sententia sit probabilis, mihi placet sententia Theologorum: nam capit. 8. de incestis. 35. quæst. 3. imposita pro tanto crimine satisfactione, additur in fine, *Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt inuenda meliores coniugij libertatem.* Vbi generatim omnibus id conceditur, & cap. 4. Si duo 35. quæst. 6. de incestuosis iam separatis dicitur, *Qui inuenti sunt alia matrimonia contrahere non prohibeantur.* Vbi, vt benè notat Caietanus contra Glossam, non disponitur vt si non sint iuuenes prohibeantur; sed determinatur causa, cur in futurum illi non sint prohibendi. Olim tamen aliquando in pœnam prohibebantur contrahere secundas nuptias, sicut & alij, qui pœnitentiam publicam egerant; quod videtur adhuc seruari in curia Romana: nam quando dispensatur inter consanguineos vt possint contrahere; si præcesserit copula, additur clausula, vt mortuo coniuge, alter maneat cœlebs. Quidam tamen dicunt id non obstare in foro conscientiæ: esse enim clausulam ordinariam. Immo omnia impedimenta iure humano impedientia, vsu contrario esse abrogata, ita vt non necessario petenda sit dispensatio.

DVBITATIO XII.

Quid sacrilegium in materia luxuriæ & quale peccatum.

D. THOM. ART. 10.

83 *Res sacra.*

Violatio.

Sacrilegium hoc loco nihil est aliud, quàm violatio rei sacræ per actum venereum, *Rem sacram* voco personam Deo per votum castitatis dicatam, & locũ, vel aliam rem consecratam. *Violatio* est cum aliquid agitur, quod peculiariter sanctitati illius vel reuerentiæ illi vel potius diuino in illa numini debitæ, repugnat. tunc enim illa res, quantum est ex facto hominis quodammodo contaminatur, polluitur, & veluti prophana efficitur. Potest autem res sacra dupliciter violari.

Dupliciter res sacra violatur.

Primò, Actione, quæ sit contra aliam virtutem, v.g. contra iustitiam, vel castitatem; vt si persona sacra verberetur, vel occidatur, si res consecrata furto surripiatur, si reus ad locum sacrum confugiens, vi inde contra ius abstrahatur, si persona sacra se polluat; & tunc opus habet duplicẽ malitiam & duplicem speciem, & sub duobus vitiorum generibus ponitur, iuxta ea, quæ dub. 4. diximus.

Secundò, Actione, quæ non sit contra aliam virtutem, sed solum inde malitiam contrahat, quod rem sacram indignè tractet; vt si opus matrimonij in loco sacro absque necessita-

cestrate fiat. Nos hic solum de violatione illa rei sacræ agimus, quæ fit per *actum ventreum* internum, vel externum, siue ille simul fit directè contra castitatem, vel iustitiam, siue non fit. De alijs sacrilegijs dictum est lib.2.cap.45.

14 *Quinque modi dari fit hoc sacrilegium.*

Hoc autem fieri potest quinque modis. Primò, Si persona sacra in turpe opus externum, vel etiam in delectationem internam consentiat: violat enim sanctitatem suæ personæ, quæ in eo sita est, quòd Deo per votum castitatis sit consecrata.

Secundò, Si persona non sacra consentiat in turpe opus circa personam sacram.

Tertiò, Si vtraque sit sacra: tunc enim duplex est sacrilegium; sicuti est duplex adulterium, cum vterque est coniugio copulatus.

Quartò, Cùm fit in loco sacro absque necessitate, etiam si sint coniuges.

Quintò, Cùm fit circa aliam rem sacram: vel eius interuentu: vt olim fecerunt quidam hæretici excipientes sperma calice, horrendo prorsus sacrilegio.

15 *Si coniuges longo tempore in loco sacro concluſi.*

Dixi in quarto modo, *absque necessitate*, quia si longo tempore maneant concluſi in loco sacro, ratione belli vel concussionis militaris, & immineat alteri periculum incontinentiæ, non erit peccatum reddere, aut etiam petere debitum in loco sacro, si alibi non est opportunitas: vt docet Sylueſter v. Debitum, numero 5. & v. Consecratio, 2. numero 5. Richardus in 4.d.32.art.3.quæst.2. Alphonsus à Castro libro 1.de potest. legis pœnal.ca.7.docum.2 Conarruuias, de sponsalib.p.2.capit.7. §.2.numero 3. Toletus libro 5. cap.12. (quamuis Paludanus in 4.dist.32. quæstione quarta, & quidam alij, putent esse peccatum mortiferum.) Ratio est, quia in eo casu id non conſetur ab Ecclesia vetitum, hoc enim nimis esset durum, nec satis congruum indulgentiæ Apostoli, 1.ad Corinth.7. *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram:* quando ergo est periculum incontinentiæ, non est id prohibendum. Vnde etiam Ecclesia tunc non polluitur, vt rectè docet Castro suprà, & alij: sicut nec cũ sanguis licitè in sui, vel rerum sacrarum defensionem effunditur, aut semen per pollutionem nocturnam; quia vbi nulla est culpa contra loci sanctitatem, nulla est violatio. Danda tamen est opera vt quàm occultissimè fiat, propter scandalum.

16 *Si non sit periculum incontinentiæ.*

Si tamen nullum sit periculum incontinentiæ, non videtur licitum: quia in eo loco tenentur abstinere quantum commodè possunt. Vnde passim DD. requirunt vt actus ille sit necessarius ad vitandam incontinentiam. Hinc infert Toletus cum Sylueſt. fore peccatum mortiferum, si sobolis vel delectationis causa conueniant, quod intellige de petente: nam reddens facilius excusari potest, cum nesciat alterius dispositionem.

Contrarium tamen non videtur improbabile, quod docet Angelus v. Debitum, num.vi. citans pro se Richardum & Alexandrum. hominibus enim plebeijs maior quædam licentia est necessaria, vix enim possunt definire quando sit periculum sufficiens incontinentiæ, ad petendum. Deinde alter non potest scire an in petente sit re vera periculum, an fingat; nec petens id facilè fatebitur. præterea niſi interdum conueniant, facilè incident in tale periculum. vnde Apostolus insinuat vt reuertantur in idipsum, ne in periculum incidant. Denique res illa satis est in praxi intricata & perplexa. Quare quando diu sunt concluſi, v.g. per 15. vel 20. dies, puto illos non solùm liberè posse reddere, sed etiam petere, idque non tantum in fine illius temporis, sed etiam in medio; imò etiam in principio, quando putatur concluſio tam diuturna futura: secus si paucorum dierum.

Adde quosdam DD. existimare copulam coniugalem in loco sacro si occultè fiat, etiam cum non sunt concluſi, non esse peculiare peccatum sacrilegij. quam sententiam facis videri probabilem affirmat Gabriel Vasquez 1.2. disput.98.cap.3 num.6. Idem dicit de occulta effusione sanguinis. quia, inquit, secundum communem sententiam solum violatur locus sacer pollutione & sanguinis effusione notoria; ergo cum in his solum sit sacrilegium, quia locus sacer per hæc prophanatur, solum erit peccatum sacrilegij, cum sint notoria. Vnde sequitur etiam fornicationem & pollutionem in loco sacro, si omnino occultè fiat, non fore sacrilegium mortiferum: vt expressè ibidem tradit. Eandem sententiam insinuat Sotus in 4.distinctio.32. colum.penultima, & Angles in Floribus de matrimonio, pagina 313.

Sed contraria sententia mihi probatur cum alijs DD. quia etsi occulto actu non ita polluatur locus sacer, vt teneamur eo abstinere; tamen re vera polluitur, id est, sanctitas eius violatur; adeò vt simul atque res in notitiam, aut famam publicam venerit, egeat reconciliatione; vt colligitur ca.Significasti, de adult. Confir. quia notitia hominum non polluit locum, sed factum præcedens. licet cum occultum esset, non teneamur tamquam à polluto loco abstinere. Simile est in peccato occulto, cui annexa excommunicatio. Hoc enim verè inducit excommunicationem, etiam si non teneamur illum vitare, nisi res deueniat in publicam hominum notitiam. Confir. quia Ecclesia ob reuerentiam loci sacri non solum tales actus ibi publicè fieri, sed absolutè ibi fieri vetuit. voluit enim immunitate talium operum loci sanctitatem honorari. quamuis ad vitandos scrupulos & molestias noluit expiationem esse necessariam, nisi res in publicum deueniret. Quamdiu enim res manet occulta, etsi quàm maximè contra sanctitatem & reuerentiam loci actum sit, tamen eius sanctitas non est læsa in mentibus hominum, vnde non eget reconciliatione, quæ propter hominum apprehensionem est introducta.

17 *Si sacerdos monachus fornicetur.*

Petes, Vtrum si is, qui peccat luxuriæ peccato, sit sacerdos simul & Religiosus, committat duplex sacrilegium, alterum contra sanctitatem, quæ est ex voto castitatis, alterum contra sanctitatem Ordinis? Videtur enim esse duplex, quia illæ rationes sunt specie diuersæ: aliter enim Religiosus ratione voti dicitur persona sacra, aliter ratione sacerdotij: ergo etiam erit diuersa obligatio vitandi actum venereum. Confirmatur, quia constitutio illa, qua Ecclesia ob honorem Ordinis sacri iuerat illum actum, constituit illum in specie sacrilegij, & imponit obligationem Religionis: atqui hæc obligatio est specie diuersa ab ea, quæ inducitur per votum castitatis in Religione: sicut obligatio audiendi Sacri ex voto, & ex præcepto Ecclesiæ est diuersa: ergo sicut hic est duplex sacrilegium, si Sacrum omittatur; ita ibi, si contra illam duplicem obligationem peccetur.

Ob hoc argumentum hæc sententia videtur mihi valdè probabilis, & iuxta eam vtraque circumstantia distinctè in confessione explicanda.

Probabile est esse duplex sacrilegium. Contrarium etiam probabile.

Multi tamen recentiores tenent esse solum, simplex sacrilegium: etsi altera circumstantia alteram nonnihil iuuet ad augendum peccatum intra eamdem speciem. Ratio est, quia illæ obligationes sunt eiusdem rationis, vel potius nõ sunt niſi vna obligatio: sicut cum idem bis eidem diuersis occasionibus promittitur, si postea fides violetur, non est duplex iniustitia, aut duplex peccatũ contra fidem, sed simplex: quia secunda promissio non inducit nouam obligationem promittenti, nec tribuit nouum ius promissario, cùm omnis obligatio, & ius omne, quod tali actu induci potest, iam priore actu sit inductum; sed confertur idem quod ante, repetito eodem titulo. Simile est, cum idem bis donatur: secundus enim actus est inefficax respectu noui iuris, cum iam totus effectus eius sit productus. Vnde sequitur, votum castitatis Ordini sacro annexum, non inducere nouam obligationem distinctam ab ea, quam induxit professio Religionis: sed eandem per illud confirmatam, & veluti repetitam.

Hæc sententia est valdè probabilis, si ponamus non esse peculiare præceptum Ecclesiæ, quo ordinati teneantur cõtinere sine voto; sed totam obligationem esse ex voto, sacris Ordinibus constitutione Ecclesiæ annexo. Sed hæc pertinent ad disputationem de Ordinibus sacris.

18 *Pœnæ in sollicitatores & corruptores virginum sacrarum.*

Notandum, graues pœnas in sollicitatores & corruptores sacrarum virginum, & in eos, qui consilium, vel auxilium præbuerint, esse constitutas, vt patet 27.q.1.c.Si quis rapuerit: nimirum supplicium capitis, & bonorum priuationem Monasterio addicendorum. Acceptum est hoc caput ex Nouellis Iustiniani.

DVBITATIO XIII.

Quæ peccata luxuriæ dicantur esse contra naturam.

89 *Dupliciter dicitur peccatum contra naturam.*

DVPLICITER peccatum dicitur esse *contra naturam*. Primò, Generatim, quia est contra dictamen rationis naturalis: & hoc modo, etiam fornicatio, incestus, adulterium, raptus & sacrilegium dicuntur esse contra naturam. Secundò, Strictè, quia est contra ordinem, quem natura, etiam in ceteris animantibus requirit, seu quem natura illius actus postulat, vt possit sequi conceptus. Cum enim hic ordo ita peruertitur vt conceptio fieri nequeat, dicitur propriè peccatum *contra naturam*. natura autem actus venerei, vt ex eo possit conceptio fieri prolis eiusdem speciei, postulat quinque. Primo, Coniunctionem duorum. Secundò, Eamdem in vtroque naturam. Tertiò, Sexum diuersum. Quartò, Organa, seu vasa congrua. Quintò, Debitum modum. Hinc fit vt quinque modis possit esse peccatum contra naturam in hac materia.

Quinq. modis potest peccatum esse contra naturam.

Primò, Si quæratur voluptas carnalis per sui corruptionem absque coniunctione, hoc vocatur *mollities*, vel *pollutio*:

Secundò, Si quæratur in coniunctione cum re alterius naturæ, verbi gratia cum bruto, vel dæmone. quod rursus diuersis modis fieri potest; vt dæmone comparente in forma bruti (verbi gratia hirci) vel hominis, vel alicuius Dei gentilium, Iouis, Martis, Saturni; vt olim quibusdam feminis. Item vel in vase naturali, vel contra naturam. Vnde possunt hic plures turpitudines ratione diuersarum circũstantiarum concurrere.

Tertio, Si in eodem sexo: vt si mas cum mare, femina cũ femina. cum enim est idem sexus, coniunctio non totum repugnat naturæ generationis, ratione vasorum, seu organorum: sed etiam ratione personarum, quę secundum se sunt prorsus ineptæ.

Si modus sit contra naturam.

Quartò, Si in diuerso sexu eiusdem speciei, sed non in congruo vase, vel instrumento. Hi duo posteriores modi ad Sodomiam pertinent, tertius tamen est grauior, & iuxta D. Th. & Caiet. continet deformitatem alterius speciei, ratione circumstantiæ eiusdem sexus.

Quintò, Si coniunctio quoad cetera sit naturalis, sed inordinatio sit in modo, (vt si auersè fiat, vel viro succumbente) ita vt non possit sequi generatio, nimirum quia genitura non potest recipi vel attrahi. eodem pertinet si vir de industria, in congressu, genituræ emissionem impediat: vel ante illam factam se retrahat. est enim contra naturam generationis. secus tamen si mulier susceptam genituram se retrahat, modo id fiat absque periculo viri; vt suprà dubitatione septima in fine dictum est. Si autem non fit tanta peruersio in modo, quin possit sequi conceptus, non erit per se peccatum mortiferum, neque dicetur peccatum contra naturam, sed præter naturam. Quòd si ratione constitutionis corporis coniuges non possint seruare modum vsitatum, non peccabunt vtendo altero, modo fieri possit conceptio, genitura in matricem attracta: quia tunc iste modus non erit incongruus; sed conueniens illorum dispositioni. Imò etiamsi possent facilè vsitatum modum seruare, non erit culpa mortifera in peruersione modi, si conceptio fieri possit. Ita multi Doctores, Diuus Antoninus 3. parte, titulo primo, cap. 20. §. 3. vbi pro hac sententia citat Albertum Magnum, qui in 4. dist. 31. dicit, *nihil eorum quæ facit maritus cum vxore seruato debito vase esse de se peccatum mortiferum.* Angelus verb. Debitum, numero 24. Syluest. verb. Debitum, numero 7. Caietan. quæst. 154. articul. 1. §. ad 1. de modo. Nauar. capitul. 16. numero 41. Omnes tamen iudicant esse valdè reprehensibile, & culpam venialem; cum etiam bestiæ naturalem modum seruent. Vnde credo vxorem non teneri reddere sic petenti; quia non tenetur quouis modo soluere debitum, sicut nec alius quiuis debitor, sed modo congruo & rationabili. Neque Caietan. loco citato contrarium docet, vt quidam volunt. cum enim dicit vxorem esse ad omnem modum, ex quo potest sequi generatio: solum vult dicere, talem modum non egredi limites vsus matrimonialis, & solutionis debiti. Inde tamè non sequitur, vxorem ad talem modum posse cogi, niti subsit rationabilis causa, vt cum aliter commodè fieri nequit.

90 *Distinguuntur species.*

Notandum est, suprà dictos modos specie distingui, quia singuli continent peculiarem & distinctam turpitudinem repugnantem castitati, vt ex dictis colligitur: cui turpitudini coniungi possunt aliæ deformitates, quibus constituuntur species luxuriæ naturalis: nempe *adulterium, stuprum, raptus, incestus, sacrilegium*, vt benè declarat Caietanus. si enim vxor alterius cognoscatur in vase non naturali, erit non solum peccatum sodomiæ, sed etiam adulterij; quia per luxuriam fit iniuria thoro coniugali. quamuis non proprie dicatur adulterium, eo quòd hoc nomen violationem thori per luxuriam naturalem denotet. continet tamen similem iniuriam; etsi nõ parem, secundum Caietanum; quia proprium vas coniugale non violatur. Idem dicendum proportione in *raptu, stupro*, & *incestu*: nam circumstantia personæ, & vis illata talem malitiam addent luxuriæ contra naturam, qualem naturalis: etsi non omnino parem, & nomina illa non soleant tribui nisi naturali. Similiter in *sacrilegio*: nisi quòd hoc nomen æquè propriè dicitur de luxuria contra naturam, si per eam locus sacer, vel persona Deo dicata violetur, atque de naturali.

61 *Esse peccata mortifera.*

Quòd autem omnes istæ species sint peccata mortifera, est communis sententia Doctorum, & colligitur manifestè ex Scripturis: nam de tertia & quarta specie, quæ Sodomia dicitur, multa habentur Leuitici 18. & 20. & constituitur illi pœna mortis; & Apostolus ad Romanos primo, valdè exaggerat grauitatem illius peccati; docetque Deum permisisse gentilium Sapientes in tantam turpitudinem & ignominiam labi, in pœnam idololatriæ. ad Galat. 5. *Opera carnis sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.* vbi sub *immunditia* hoc peccatum comprehenditur; nam ita vocat illud ad Romanos primo. Similia de *immundis* habet ad Eph. quinto. Idem patet ex vindicta qua Deus olim hoc peccatum persecutus est, igne sulphureo in Pentapolim cælitus immisso, & oppidis illis cum omnibus habitatoribus suis momento deletis, Genes. decimonono. In historijs Peruanis legimus nationem quamdam robustam, & giganteæ staturæ ob idem flagitium, simili ferè modo deletam; immisso de cælo iuuene quodam instar Solis splendido, qui fulminibus in eos vibratis omnes exusserit; & huius facti multa adhuc extare vestigia. Hinc passim receptum apud Christianos vt hoc crimine flammis expietur. & iam olim à temporibus Constantini, vel Constantij, morte plecti consueuit, vt patet ex ad L. Iuliam, de adulterijs, libro 3. *Cum vir nubet in feminam viris perfecturam, quid expectatur, vbi sexus perdidit locum? vbi scelus est, id quod non proficit scire? vbi Venus tentatur in alterum formam? vbi amor quæritur non videtur? iubemus insurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel futuri sunt rei.* Imò non ita multo post edita est constitutio ab Imperatoribus qua plectuntur pœna ignis, vt constat ex C. Theodosiano libro nono. tit. 7. vbi sic habetur: *Imperatores Valentinianus, Theodosius & Arcadius A. A. A. Ornato Vicario vrbis Rom. Omnes, quibus flagitij vsus est, virile corpus muliebriter cum stuprum alieni sexus damnare patientia (nihil enim discretum videtur habere cum feminis) huiusmodi scelus spectante populo flammæ vindices expiabunt.*

Vltio diuina in sodomitas.

Eidem flagitio iure communi constituta est ipso facto confiscatio bonorum, iuxta Glossam in capit. Cum secundum. 19. v. Naturæ contrarias. de hæret. in 6. quam communiter a DD. approbari ait Bermon. de concubitu folio 123. numero 27. Denique est sufficiens causa diuortij perpetui sicut adulterium, c. septimo Omnes causationes, 32. quæstio. septima, estque communis sententia Doctorum, idque siue agendo siue patiendo commissum sit, quia violatur fides matrimonij, per quam coniux coniugi totum corpus suum tenetur castum seruare, ita saltem vt illud alteri aliquo genere concubitus non misceat, nec carnẽ suam in alterum diuidat.

Ex quibus patet, etiam secundam speciem, quæ duas infra se comprehendit, concubitum cum bruto, & cum dæmone, esse peccatum mortiferum; quia hæc sunt grauiora, quàm sodomia, cum diuersitas speciei magis repugnet illi con-

li cõgressui. Complectitur ista Apostolus generali nomine *immunditiæ* vel *luxuriæ*. Concubitus cum bruto prohibetur expresse Leu.18. & 20. sub pœna mortis, & iubetur quoque brutum interfici: quod etiamnum vlu receptum apud Christianos.

De quinta specie est etiam communis DD. sententia: quia ille modus repugnat conceptui, & naturæ generationis: vnde non est minùs peccatum, quàm pollutio. Confir. ex Scriptura Gen.38. Vbi Dominus ob simile peccatum puniuit morte Onam filium Iudæ: quamuis ibi aliud quoque crimen accesserit, nimirum inuidia in fratrem, ne illi nasceretur semen.

De mollitie dicemus dub. seq.

92 Ex his facilè potest intelligi quis sit ordo inter hæc peccata; nam grauissimum est *congressus cum damone:* tum quia cùm sit spiritus, longissimè abest à debita proportione, quæ requiritur inter congredientes, tum propter commercium & societatem cum ipso, quæ est contra virtutem religionis. Deinde *bestialitas*. Tertio, *Sodomia* cum eodem sexu. Quartò, *Cum diuerso sexu*. Quintò, Quando *modus est contra naturam*. Sextò, *Pollutio simplex*. *Quod ex his sit grauissimum.*

93 Porrò omnes hæ species sunt peiores quàm reliquæ suprædictæ, si considerentur qua parte sunt cõtra castitatem: non autem si spectentur absolutè vt inuoluunt malitiam alterius speciei, contra iustitiam, pietatem vel religionem: simplex enim pollutio, vel inordinatus concubitus cum vxore, non est absolutè maius peccatum, quàm concubitus cum matre, vel cum moniali: est tamen maius in ratione luxuriæ; quia per se magis est contra naturam generationis; cùm illa non sint contra naturam illius actus, sed solùm contra conuenientem ordinem requisitum ad prolis educationem, & contra alias virtutes. Hoc modo intellige DD. qui omnia peccata contra naturam videntur ceteris facere maiora. alia tamen ratione in illis videri possit esse maior luxuria; nimirum ex parte affectus: qui enim voluptatis causa paratus est adulterium & incestum admittere, non abstinebit etiam à sui pollutione. pronitas quoque & facilitas ad pollutionem nonnihil minuit in ea luxuriæ culpam.

DVBITATIO XIV.

Quale peccatum sit pollutio voluntaria, & quibus casibus possit excusari.

94 *Pollutio est peccatum mortiferum.* RESPONDEO, Esse, si plenè voluntaria sit, esse peccatum mortiferum: si autem non sit plenè voluntaria, solum veniale, vel nullum. Est communis sententia Doctorum.

Probatur prior pars ex Scripturis; primo ad Corinth.6. *Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt.* Vbi DD. passim per *molles* intelligunt huic peccato deditos; quod etiam inde vocant *molitiem*. Verum Græci per *molles* (μαλακοὶ) intelligunt pathicos, seu turpia patientes, quibus respondent masculorum concubitores (ἀρσενοκοῖται). Neque vsquam alibi in Scriptura hoc nomen pro crimine libidinis ponitur. nihilominùs satis probabile est etiam illud peccatum significari: nam est signum peculiare mollitiei animi. Deinde probari potest ex ijs locis, vbi *immunditia* damnatur, vt ad Galat.5. & ad Ephes.5. nam hoc nomine omnes anonymæ libidines significantur, vt Diuus Hieronymus notat: & alioquin est quoque specialis quædam impuritas in hoc actu.

Denique ratione probatur, quia iste actus est contra primarium finem, ob quem à natura est institutus; qui est generatio, vel conceptio hominis. vnde caret principali ordine, & habitudine quam natura in eo requirit: ac proinde grauem inordinationem continet. Confirm. quia si fornicatio est peccatum mortiferum, quæ tamen solùm caret debito ordine ad prolis educationem; multò magis hic actus qui repugnat conceptioni.

Hinc patet mulierem non admittere hoc peccatum, aut aliud præsertim mortiferum, quando in actu coniugali suscepto virili spermate, ipsa non seminauit, si immediatè post ad hoc se concitet: quia id nullo modo est contra naturam generationis, sed illi maximè consentaneum. Est enim complementum actus coniugalis, & multùm iuuat ad perfectionem prolis, vt medici tradunt. Confirmatur, quia alioquin grauissimo periculo peccati mortalis fœminæ per actum coniugalem exponerentur. Sæpè enim fit vt vel ratione tardioris naturæ, vel quia voluptatem parum sentiunt, in actu illo non semineni, & tamen inde maneant plurimum incitatæ. ita Sancius libro nono de matrimonio, disputatione decimaseptima, & aliqui alij Doctores.

Potest autem hic actus dupliciter esse voluntarius. Primò, Per se. Secundò, In causa. *Per se*, vt cùm directè est volitus & procuratus. Dico *& procuratus*; quia vt actus dicatur voluntarius, non sufficit esse volitum, sed etiam requiritur vt ab illa volũtate procedat. Hoc modo est peccatum mortiferum, etsi non voluptatis, sed solius sanitatis, vel tentationis mitigandæ causa procuretur; vt communiter Doctores tradunt. Confirmatur, quòd enim tentationis causa non liceat, patet; tum quia sic non vincitur tentatio, sed ei ceditur & succumbitur; tum quia si id licitum esset, cur Sancti tantam inediam & alias asperitates carnis domandæ causa subierunt? Cur hoc certamen durissimum & præcipuum hominis Christiani à Sanctis Patribus est habitum? tum denique, quia si quis alijs præsidijs vti nolit, hoc opus concessum est quidem in remedium concupiscentiæ; sed in legitimo coniugio, non extra. non enim naturalis institutio peruertenda est ob finem extrinsecum & accidentarium. Vnde si quis hoc opere in hunc finem vti velit, debet capessere matrimonium. Confirmatur, quia finis primarius illius operis est proles: ac proinde postulat eum statum in quo proles suscipi & rectè educari possit, qui est matrimonium. 95 *Dupl. citer est voluntarius.* *1. Per se.* *Si causa sanitatis vel molestiæ carnis mitiganda.*

Ob eandem causam non est etiam licitus sanitatis ergo, nisi in legitimo coniugio.

Nec obstat, quòd fas sit detrahere sanguinem ob hunc finem, & etiam secare membrum; quia hæc solùm sunt instituta propter bonum indiuidui: partes enim sunt propter bonum totius: vnde de illis disponere possumus prout expedit salutì indiuidui. genitura autem solùm propter naturæ propagationem: vnde illa vti non possumus, nisi eo modo vt possit sequi generatio. *Licitè amittere sanguinem, non item semen.*

Dices, Ipsa vasa spermatica sunt instituta ad propagationem, tamen propter salutem corporis possunt exscindi, vel intercipi: cur non etiam emitti quod illis continetur, si corporis saluti officere incipiat. 96 *Obiectio.*

Respondeo, Est dispar ratio: quia illa vasa etiam sunt pars corporis: vnde de illis, sicut de alijs partibus statuere possumus: at semen non est pars corporis, nec propter illius bonum est institutum, sed sobolis causa, tamquam eius rudimentum. Deinde etsi fortè semen in illo casu detrahi posset medicamento cathartico; (si tamen eo modo, quo bilis, pituita, & melancholia absque libidinis sensu subduci potest, quod ego non puto) tamen non posset pelli eo actu & impetu, quem natura fecit illi proprium; quia hic solius sobolis causa institutus est: vnde nec à medicis præscribi pharmacum eo fine vt naturam ad illum impetum concitet. *Resp.*

In causa voluntarius est, quando præuidetur ex aliqua causa secuturus; & illam ideirco tenemur vitare, nec tamen vitamus. 97 *2. In causa.* *Vt peccatum sit voluntarium in causa requiri.*

Vbi Aduerte, tria requiri vt aliquod peccatum sit voluntarium in causa. Primò, Vt aliquo modo præuisum sit illud secuturum: quod enim nullo modo est cognitum, non potest censeri voluntarium, seu liberum; ac proinde nec potest imputari: atqui hic non esse præuisum, est non esse cognitum; agitur enim de effectu secuturo ex aliqua causa, qui non cognoscitur nisi præuidendo. Itaque etiamsi causa sit culpabilis; si tamen nullo modo suspicabaris inde talem effectum secuturum, non imputabitur tibi ad culpam; quia non erit voluntarius: etsi enim erat in tua potestate vitare causam & non vitare, & consequenter pecces in ea quantum ipsa secundùm se peccatum est; non tamen erat in tua potestate illam vitare vt est causa talis effectus; quia sic non erat tibi cognita. *3. Vt sit præuisum.*

Secundò, Vt causam, propter illum effectum, tenearis vitare. si enim causam vitare non teneris, iam effectus ille non potest tibi imputari ad culpam; vnde non censebitur tibi voluntarius, sed solùm permissus maioris boni causa. 98 *3. Vt causam tenearis vitare.*

Non

Non teneor cauſam vitare, quando ipſa ſecundum ſe eſt licita, præſertim ſi ſit conſentanea officio vel pietati, vel habeat notabilem commoditatem, vel finem honeſtum. Sic Doctores paſſim tradunt, confeſſarium non teneri vitare ſuam functionem, nec ſtudioſum ſua ſtudia, etiamſi inde tale quid patiantur: de quo vide Nauarrum cap. decimoſexto, numero ſeptimo, vbi idem docet de veredario, cui id ex equitatione obuenire ſolebat; & alibi de medicis, chirurgis, & alijs, qui infirmos tractant. Et meritò; quia hæc omnia non ſunt ex natura rei diſpoſitiones ad illum effectum, ſicut nec ad turpem vllum motum; ſed ſolum ex miſeria naturæ, per peccatum originale contracta, quæ non eſt culpa, ſed pœna; cui interdum accedit peculiare corporis temperamentum, vel praua conſuetudo olim contracta, eodem iuuans. Itaque hic effectus planè per accidens ſe habet ad illam cauſam; ſicut defectus proueniens ex conditione materiæ, ad operationem artificis in ea materia operantis, verbi gratia vt rubigo obueniens cultro ad intentionem & actionem cultrarij, vt rectè dixit Caietan. opuſc. 22. Vnde ſicut artifex non debet relinquere opus ob defectum, quem contrahet ex neceſſitate materiæ: ita nec homo tenetur honeſtas actiones vitare ob turpem motum, vel pollutionem ex conditione naturæ corruptæ, illarum occaſione obuenientem.

Si abſit periculum conſenſus.

Hoc tamen intelligendum ſi abſit morale periculũ conſenſus; vt cum quis ſe ſatis firmum credit vt huiuſmodi illecebra non ſit voluntas rationalis permouenda. Si ſubſit morale periculum, ita vt non confidat ſe fore ſatis firmum, tenetur cauſam vitare, non enim ob vllam rem poteſt ſe formali periculo peccandi exponere, iuxta illud Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

99 *Si cauſa arbitrando ſit illicita.*

Petes, Quid ſi ob alium finem tenear vitare cauſam & non vitem; cenſebiturne tunc pollutio inde ſecuta voluntaria & mortifera? Exemplum ſit in eſu copioſo bulborum, vel aliorum ciborum calidorum, & flatulentorum, & in largiore potu vini affectu gulæ; in ſtudio rerum medicarum, vel anatomicarum, ex affectu curioſæ cognitionis.

Videri poſſit hoc caſu non eſſe voluntaria, etiamſi putetur ſecutura. Primò, Quia illæ cauſæ vt hic fiunt, non ſunt natura ſua diſpoſitiones propinquæ aut remotæ ad illam; ſed ſolum per accidens ex naturæ imbecillitate, vel peculiari temperamento; non enim fiunt eo modo, vel eo fine quo ad venerem fieri ſolent: vnde motus, qui inde ſequuntur, potius veluti neceſſitate materiæ, quam ex illis cauſis ſequuntur: ergo non eo ipſo, quo quis illas vult, cenſetur velle illum effectum.

Secundò, Si illæ actiones per ſe eſſent licitæ, non eſſent vitandæ ob effectum illum euenturum, eò quòd per accidens ſequi cenſeatur: atqui non minus per accidens ſequitur, dum illæ ponuntur ob cauſam alterius generis illicitæ, cum illarum deformitas non repugnet caſtitati, & planè per accidens ſe ad hũc effectum habeat. ergo etiamſi ſint vitandæ ob propriam malitiam, non tamen ob illum effectum,

100 *Effectus cenſetur aliquo modo voluntarius.*

Reſpondeo breuiter, ■ hoc euentu pollutionem cenſeri aliquo modo voluntariam, nimirum in ſua cauſa, etſi remota, ac proinde in illa eſſe peccatum quod non tantum verum eſſe puto quando cauſa ex alio capite eſt illicita; ſed etiam quando eſt honeſta, & ſine vllo incommodo omitti, vel differri poteſt. Ratio eſt, quia etſi ille effectus non ſit ita per ſe malus vt adulterium, homicidium, furtum; tamen habet indecentiam, & mentem ad malum allicit: ergo quantum commodè poſſumus, vitare tenemur: at qui in præſenti caſu poſſumus ſine notabili incommodo cauſam vitare: ergo, &c. quod confirmatur communi ſenſu & vſu omnium caſtitatem amantium, qui ſemper ab eo multum abhorrent.

Non videri peccatum mortiferum.

Crediderim tamẽ ex hac parte non eſſe peccatum mortiferum in cauſa, niſi ipſa ex intentione eo dirigatur, vel niſi per ſe ſit propinqua diſpoſitio; vt contactus turpis. quod aperte docet Nauarrus capit. decimoſexto, numero octauo, vbi dicit non eſſe peccatum mortale comedere nimis, aut edulia calida, vnde pollutio euenit: dummodò non comedat eo fine vt eueniat, ſed vt ſuæ gulæ ſatisfaciat. Idem ante illum iiſdem penè verbis docuit Diuus Antoninus parte ſecunda, titu. 6. cap. quinto. Angelus ver. Pollutio, numero ſecundo. Sylueſter, eodem verbo. Idem tenet Toletus libro quinto, cap. 13. Lopez parte prima, capit. 74. & alij multi. Et quamuis aliqua ex his Doctores requirant vt dubium ſit an ille effectus ſequetur, an non, vt Angelus, Sylueſter, Toletus; alij tamen id non requirunt: vnde Lopez ſupponit illum ſolitum ex tali cauſa ſequi. idem indicat Nauarrus; & meritò; ſi enim in cauſa eſt peccatum mortale, dum valdè probabile eſt talem effectum ſecuturum; etiam erit dum eſt dubium; vt patet in periculo homicidij, vel adulterij: quia ſicut non licet ſe exponere periculo manifeſto, ita nec dubio, in quo non poteſt hic & nunc prudenter confidere ſe vitaturum incommodum.

Ratio cur non videatur mortiferum, eſt quia illa cauſa 101
non eſt propinqua diſpoſitio, ſed remota ex natura rei; & effectus ex illa per accidens & præter intentionem prouenit, nimirum ratione diſpoſitionis corporis, & veluti neceſſitate materiæ: vnde valdè imperfectè cenſetur voluntus in cauſa. Deinde quia effectum illum hoc modo proueniens veluti neceſſitate materiæ abſque vlla intentione vel diſpoſitione ad illam directa, non cenſetur graue incommodum; imò per ſe non eſt obiectiuè malum, etſi ad malum alliciat, vt ſtatim dicetur: ergo nec permittere, vel non impedire ne ſic eueniat, non cenſetur grauis culpa. Confirmatur; quia ſi id per ſe eſſet malum, non liceret, etiam dum cauſa eſt honeſta, permittere; ſicut non licet in ſe permittere homicidium, vel adulterium; & ſi timeas tale quid à te committendum in ſomnis, teneris omni ratione euitare: ſecus tamen in hoc effectu. Ratio huius diſcriminis eſt, quia hic effectus prouenit neceſſitate materiæ, vt dictum eſt: nam in natura eſt cauſa ad illum ſufficiens abſque vlla cooperatione voluntatis: & alias etiam habet ſua commoda, ob quæ natura ſic eſt inſtituta. Homicidium verò, adulterium, & ſimilia, nõ habent ſimilem cauſam in natura, nec ſimilia commoda: quamuis etiam hęc ob grande aliquod bonum permitti aliquando poſſint, vt infra dicetur.

Tertium, quod requiritur ad voluntarium in cauſa, eſt 102
vt cauſa non vitetur. Hæc cauſa poteſt eſſe vel poſitiua, vel priuatiua. *Poſitiua*, vt cum quis libere vocat alicui actioni v.g. cogitationi vel operi, ex quo ſequitur talis naturæ concitatio. *3. Vnum ſubdi-tur. Cauſa poſitiua. Priuatiua.*

Priuatiua, cũ præter voluntatem incidit vehemens imaginatio naturam incitans, quam neque fouet, neque conatur diuertere; ſed negatiuè ſe habet. In priore modo tenetur abſtinere ab illa actione: & ſi in illa pergat, effectus ſecutus cenſebitur ■ illa volitus & voluntarius: volitio enim, qua vult continuare illam actionem cum tali periculo, virtute eſt etiam volitio effectus; & eo ipſo, quo illa actio ab iſta volitione procedit, cenſetur effectus; vt in cauſa exiſtens, voluntarie fieri.

Vbi ad clariorem horum omnium intelligentiam aduer- *Propinqua di-ſpoſitio.*
te, Si actio illa, ſeu cauſa ſit per ſe propinqua diſpoſitio ad pollutionem (qualis eſt contactus & aſpectus partium inhoneſtarum, &c.) tenemur illam ratione pollutionis ſub peccato mortali vitare, niſi aliqua neceſſitas ad illam actionem nos cogat. Ratio eſt, quia eiuſdem moris eſt, per ſe loquendo, conſentire in effectum & in cauſam eius propinquam. quando tamen ſubeſt alia iuſta cauſa illius actionis, tunc effectus ille non cenſetur volitus, ſed ſolum permiſſus, vtpote præter intentionem obueniens. Confirmatur in propoſito, nam contactus ille non mouet niſi vt apprehenſus à phantaſia; ſed apprehenſus à phantaſia, verbi gratia vt medium neceſſarium ad curandum, non habet vim concitandi libidinem. quòd ſi cum ea apprehenſione ſimul ſubrepat alia vt rei delectabilis; eaque moueat; per accidẽs eſt, ex miſeria naturæ & præter intentionem agentis; non ex natura obiecti ſub ratione medij ad ſanitatem conſiderati. vnde ob talem effectum non tenemur nos eo commodo priuare. Dicitur autem per ſe diſpoſitio ſeu cauſa propinqua; quia quando ſecundum ſe, non vt mediũ ad alium finem apprehenditur, talis eſt.

Si verò cauſa illa ſit diſpoſitio remota, non tenemur il- *Remota.*
lam ratione huius effectus ſub peccato mortali vitare; etiamſi fortè ob aliam cauſam vitare teneamur. Tales ſunt omnes actiones, quæ per ſe ad luxuriam non pertinent, vt nimium, aut nimis calida comedere, bibere; nimium dormire, equitare? Idem dicendum quando actio illa per ſe pertinet quidem ad luxuriam, tamen non eſt niſi peccatum

tum veniale, vel ratione tenuitatis materiæ, vel ratione ſimplenæ attentionis, vt rectè Caietan. 2.2. quæſtio.64. articulo octauo, vbi dicit: *Actus materialiter mortalis, quando non eſt voluntarius niſi indirectè & in cauſa, iudicandus eſt ſecundum illam cauſam & ideo effuſio.em ſeminis humana vt extra matrimonij actum poſſe eſſe ſolum veniale definitum eſt, quando actus in cauſa ſolum fuit peccatum veniale; vt patet in pollutione nocturna ex delectatione veniali per diem habita conſequente.* Emmanuel Sá, Verb. Luxuria, numero nono. *Si pollutionis inuoluntariæ cauſa, quæ vitari debuit, eſt peccatum veniale ſolum, vt adſpectus curioſus fœmina, aut lectio turpis; & ipſa ſolum venialis eſt, etiamſi quis transierit inde ſeminarium, ſed contra voluntatem.* Idem expreſsè docet Henriquez libro primo de matrimonio, capit. 16. numero 6. Et fusè Sancius libro nono de matrimonio, diſputatione quadrageſimaquinta, numero decimonono, & DD. qui culpam pollutionis non intentæ, ex cauſa mereendam tradunt. vt Sotus in quarta diſtinctio.12. quæſtio.1. art.7. Ledeſma in 4.part.1.quæſtio.11.art.1. D.Thom.3.par.quæſt 80.art.7. Nauarr. ſupr. & alij: quod intellige, ſi cauſa ad genus luxuriæ pertinet. Si enim non pertinet ad genus luxuriæ, fieri poteſt, vt cauſa (ratione alterius deformitatis) ſit peccatum mortale: & pollu io ſit ſolum venialis, eo quòd illam cauſam ratione pollutionis non teneamur, niſi ſub veniali vitare, cum ſit cauſa remota, & per accidens, vt ſupra dictum eſt.

In altero modo cum cauſa eſt priuatiua, nempe negligentia amoliendi cauſam poſitiuam inuoluntariam, verbi gratia turpem cogitationem, tenetur homo illam apprehenſionem excutere, mentemque alio transferre quantum poteſt; quòd ſi omittat, illa omiſſio erit cauſa voluntaria effectus. ſicut negligentia nauarchi eſt cauſa ſubmerſionis nauis. quæ quidè in genere phyſico eſt cauſa per accidens; tamen in moralibus cenſetur quaſi per ſe, quia ſubeſt intentio interpretatiua.

Hic tamen aduerte, Si opus illud, vnde præter intentionem oritur illa imaginatio turpis, ſit licitum, non teneris illud ad eam vitandam prætermittere, modò abſit periculum conſenſus; vt ex ſupradictis conſtat. Si autem non ſit licitum, tenemur illud omittere etiam propter illum effectum per accidens prouenientem, non tamen ſub mortali (niſi opus ſit mortale, & ſecundum ſe ad luxuriam pertinens) ſed ſub veniali; vt cum opus per ſe ad luxuriam non pertinet; vel, ſi pertinet, ſolum eſt veniale, iuxta ſupradicta. Non enim magis teneris vitare talem imaginationem, quam pollutionem; cùm illa ſolùm ſit medium & via, hæc verò finis, & terminus. Vnde ſicuti illas actiones non tenetur ſub peccato mortali vitare ob periculum pollutionis præter intentionem ſecuturæ; ita nec propter imaginationem & voluptatem inde præter intentionem conſurgentem; ſepoſito tamen in omnibus periculo conſenſus.

Si opere non intermiſſo poſſis depellere.

Si tamen alia ratione, opere priore non intermiſſo, facilè potes huiuſmodi imaginationem & voluptatem partis ſenſitiuæ depellere, teneris, & quidem ſub peccato mortali. Vnde non potes tunc habere te negatiuè, id eſt, medio modo abſque conſenſu & poſitiua diſplicentia. Ratio eſt, quia non depellendo cùm commodè potes, interpretatiuè in eam conſentis. quare cùm obiectum per ſe ſit graue, erit peccatum mortiferum. Neque hic eſt conſenſus dumtaxat in cauſam, ſicut cùm cauſa non amouetur; ſed eſt conſenſus immediatus in ipſam delectationem. quia etiam manente cauſa, facilè poteſt eam tollere, vel impedire.

An negatiuè ſe habere poſſit.

Idem dicendum de pollutione. Verùm autem quando tolli non poteſt niſi amonitione cauſæ, & cauſam non tenemur tollere ſub peccato mortali, eò quòd ſit cauſa remota, aut per accidens, poſſimus nos negatiuè circa illam delectationem habere; ita vt per hoc non peccetur nouo peccato, aut ſaltem non mortaliter, dubitari poteſt.

Reſpondeo breuiter non fore peccatum mortale, ſi abſit periculum conſenſus. Ratio eſt, quia tunc negatiuè ſe habere, non eſt vllo modo conſentire niſi in cauſa, quem conſenſum ponimus ex dictis non eſſe mortiferum. Confirmatur, quia non poteſt depelli niſi amotione cauſæ ut ſupponitur; ergo non teneor conari illam aliter depellere. non enim teneor conari quod mihi moraliter impoſſibile; ergo neque teneor poſitiuam illius habere diſplicentiam. Hæc enim erit inefficax ad depellendum, & ex alia parte minimè eſt neceſſaria ad impedicndum conſenſum. In praxi tamen, quia magna eſt hominis fragilitas, & facile durante diu delectatione trahitur in conſenſum, vitanda eſt hæc ſubtilitas, & excitanda quàm primum detestatio illius voluptatis.

Altera pars aſſertionis initio poſitæ, nimirum *Pollutionem non eſſe peccatum mortale, quando non eſt plenè voluntaria*, eſt etiam certa & communis Doctorum, id enim commune eſt omnibus peccatis. Poteſt autem id fieri tripliciter. 103 *Altera pars aſſertionis.*

Primò, Si nullo modo aduertas, ex actione in qua verſaris, ſiue ea ſit externa ſiue cogitatio, periculum illius impendere; vel illam actionem ratione periculi eſſe illicitam: & tunc ſi ſequatur, nullum omnino erit peccatũ; quia quod non eſt cognitum, non eſt voluntarium; vt antè dictũ eſt. Hoc maximè locum habet in ea, quæ fit in ſomnis, in cibo, potu, vel cogitationibus præuijs in vigilia. Interdum etiam in ea, quę accidit vigilanti; præſertim antequam ille habeat rerum ſuarum experientiam. *Dupliciter non plenè voluntaria.*

Secundò. Si aliquo modo aduertas periculum, & actionem idcirco eſſe illicitam; tamen confusè & imperfectè, animo ad alia intento: & tunc eſt quidem peccatum, ſed veniale: imperfecta enim conſideratio facit vt res vel obligatio non appareat grauis.

Duobus enim modis fit vt res non offerat ſe tamquam grauis. Primò, ratione ignorantiæ, quæ grauitatem ita occultat, vt etiamſi mens plenè attendat, non tamen aduerret. Secundò, Ratione imperfectæ conſiderationis, ſeu attentionis animi: dum enim imperfectè & obiter, & quaſi eminus aliquid videtur, eius magnitudo non percipitur. *Dupliciter res non apprehenditur vt grauis.*

Poteſt hæc imperfectio eſſe vel in conſideratione periculi, vt cum parum apprehenditur periculum euentus: vel in apprehenſione illiciti in actione; vt cum parum conſideratur, actionem, ex qua periculum, eſſe ob hanc cauſam illicitam; quod interdum accidit inexpertis. Vtrouis modo fiat, effectus non erit niſi venialis; quia effectus non habet vllam culpam, niſi in cauſa, cum in illa ſolum ſit voluntarius, at cauſa hic ſolum eſt peccatũ veniale: ergo, &c. Poteſt tamen effectus interdum imputari vt veniale, quamuis cauſa ſit mortifera: quamuis tunc hæc culpa in cauſa, prouenial non ex ordine cauſæ ad illum effectum, ſed aliunde, nimirum ratione materiæ vel finis, aut alterius circumſtantiæ: vt conſtat ex ijs, quæ de admiſſis in ebrietate dicta ſunt ſup.dub.3 num.26. *Imperfectio attentionis.*

Tertiò, Si ſolum ſit voluntarium in cauſa remota, quo caſu eſt imperfectè voluntarium, & potius permiſſum, quàm volitum. quia tamen tenemur (etſi imperfecta obligatione) cauſam vitare, propter periculum talis effectus, ideò ſi non vitetur cauſa, cenſetur effectus aliquo modo voluntarius in cauſa, vt ſuprà explicuimus. Notandum tamen cum effectus ille non ſit ſecundum ſe voluntarius (cum enim ſit, non pendet vllo modo à voluntate libera) ſolum cenſetur voluntarius in cauſa; quatenus continetur in cauſa, quæ à libera voluntate dependet. Vnde ſequitur. Primò, Eſſe valdè imperfectè voluntarium; quia in cauſa illa valdè imperfectè continetur, ac proinde conſenſus in cauſam valdè imperfectè ad illum effectum extenditur; & ratione huius imperfecti conſenſus dicitur peccatum veniale, cum tamen ipſa cauſa ex ordine ad talem effectum potius ſit dicenda peccatum veniale. *Effectus.*

Sequitur Secundò, Totam culpã eſſe in conſenſu in cauſam; ita vt effectus ſuperueniens nihil culpæ addat. vbi enim non eſt noua libertas, ibi non poteſt eſſe noua culpa: atqui tota libertas hic eſt in conſenſu in cauſam.

Sequitur Tertiò, illam pollutionem non poſſe dici proprie peccatũ, quia non pendet à voluntate libera, vt actio, ſed vt effectus: vnde non conſtituit vnum opus morale cũ interna voluntate á qua proficiſcitur, ſicut conſenſus internus & opus externum; ſed ſolum eſt effectus quidam per accidens operis moralis; & dicitur peccatum, quia eſt effectus peccati, & obiectum aliquo modo volitum. vnde propriè dicitur peccatum in cauſa tantum: in ſe verò peccati effectus; vt docet D.Th.q 154.art.5.

Petes, Vtrùm licitum ſit aliquando deſiderare vt tibi vel alteri eueniat pollutio, vel quòd euenerit, gaudere?

Qui-

An licitum desiderare, gaudere.

Quidam negant. Ita Sotus in 4.d.32.q.2.art.7. & Lopez sup.c.64.putat hanc sententiam esse probabiliorem, citans pro ea Cordubam, Adrian. & Medin. sed Adrianum aliter sentire constabit infrà.

Probatur Primò, Quod licet desiderare, fas etiam est procurare vt fiat, saltem per alios: atqui nullo modo possumus procurare vt fiat pollutio: ergo non licet eam desiderare. Secundò, Id, quod per se est illicitum, non potest desiderari propter bonum finem, vt patet in adulterio, mendacio, homicidio: sed pollutio per se est illicita: ergo. Tertiò, Quando id, quod per se malum est, ita fit per somnum, furiam, vel ignorantiam, vt excusemur à culpa, non est licitum in illud consentire, aut de eo postea gaudere, vt passim Doctores tradunt, & patet in alijs peccatis; ergo.

Contraria tamen sententia videtur verior, pro qua.

Dico Primò, Causa voluptatis nullo modo licitum est illam desiderare, aut de ea iam facta gaudere, etiamsi sine culpa accideret: consensus enim in illam delectationem, secundum omnes DD. est peccatum mortale.

Non est fas ad eam iuuare.

Dico Secundò, Nullo etiam modo fas est illam procurare, aut aliquo modo ad illam iuuare, aut aliquid eo fine vt eueniat, facere. patet ex dictis. Vnde medicus non potest aliquid eo fine præscribere, aut infirmo suadere. nec vlla ratione potest quis eam ita sibi desiderare, vt ex vi illius desiderij disponatur aut incitetur ad illam. vnde debet hoc desiderium esse omnino inefficax: sicut earum rerum, quæ nec ipsæ sunt in nostra potestate, nec vlla ad eas dispositio.

105 *Potest desiderari simplici affectu.*

Dico Tertiò, Probabile est licitum esse illam desiderare simplici affectu, causa alicuius boni effectus cum ea coniuncti; verbi gratia, causa sanitatis, sedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animi, &c. Ita docet Nauarrus cap. decimosexto, numero septimo. Toletus libro quinto, cap. 13. Angelus ver. Pollutio, numero secundo. Diuus Antoninus par. secunda, titul. 6. capit. quinto. Adrianus in quarto tractatu de Eucharist. quæstio. de consensu in opus prauum in furia, vel somno committendum, sub finem, & alij. Ratio est, quia id, quòd hic desideratur, non est peccatum, sed per se indifferens: desideratur enim vt fiat via naturali per causas à natura constitutas, sine omni libera cooperatione: & finis, ob quem desideratur, est bonus & verè optabilis; ergo in tali desiderio nullum est peccatum. Ego tamen huiusmodi desideria admitti cuipiam non sum auctor: tum quia etsi per se mala nõ sint, tamen imperfectum indicant caritatis affectum: tum quia sanctiora remedia, & à sanctis viris vsurpata non desunt. idem dixerim de gaudio de quo in 4. assertio. cauenda quoque in omnibus huiusmodi, vt iam sæpè monuimus, omnis cooperatio, & periculum consensus.

Gaudere de facto.

Dico Quartò, Simili modo licitum gaudere de illa iam facta: docent ijdem Doctores, & Paludanus in quarta distinctio. nona, quæstio. 3. art. 1. (qui tamen non admittit de desiderio) & Diuus Thomas ibidem artic. quarto ad quintum. Probatur, quia quod licitum est desiderare vt fiat, licitum etiam est de eo gaudere quòd factum sit: & contrà, si fas gaudere de facto, etiam licitum desiderare vt fiat. hæc enim sunt eiusdem moris; nam gaudium necessariò resultat ex bono desiderato obtento, & supponit, vel implicitè desiderium includit. Confirmatur, quia obiectum materiale huius gaudij non est malum, & formale est bonum: ergo gaudium de eo conceptum non est malum. Neque solum licitum est gaudere de ipso effectu bono, vt quidam volunt; verbi gratia quòd molestia illa, seu tentatio cesset; (quamuis hic sit ratio formalis obiectiua, seu totum motiuum desiderij & gaudij, consideratus cum conditione futuri uel præsentis) sed etiam de ipsamet causa propter effectum: sicut gaudemus non solum de tranquillitate publica, sed etiam de morte illius, qui eam turbabat, & de facto illius, qui eam intulit, si innocenter fecit; etsi tota ratio gaudendi sit bonum publicum. Quòd ut melius intelligatur, notandum est, Obiectum gaudij (sicut & desiderij, & aliarum affectionum voluntatis) esse quid complexum. includit enim coniunctionem boni & remotionem mali. Gaudemus enim quòd illa res sit, uel non sit; sit talis, aut non talis; quod mihi uel alteri insit, uel quòd abiit; quod aliquid efficiat, uel non efficiat; &c. Itaque cum quis dicitur gaudere de opere malo quatenus illud est causa boni, dupliciter potest intelligi. Primò, Quòd ob bonum effectum gaudeat illud opus esse, vel fuisse, vel à se factum esse: & hoc omnino est illicitum, si illud opus erat intrinsecè peccatum. quia hoc est approbare peccatum, & illius habere complacentiam propter bonum finem. Sic nullo modo licitum est gaudere de peccato Adami, quantumuis magnum inde bonum sit secutum. Sicut enim effectus ille, vel respectus ad illum effectum non potest efficare, vt illud opus, quod est intrinsecè peccatum, sit licitum aut bonum: ita neque vt sit dignum gaudio aut complacentia. possumus tamen ob huiusmodi effectum gaudere de permissione peccati: hæc enim bona est, & Deus illam vult ob bonos effectus inde resultantes. Item si opus non sit peccatum, vel absque peccatum sit factum; possumus ob multas causas de eo sic facto gaudere. Si autem cum peccato per accidens tantum factum sit, possumus de eo gaudere secũdum se & præciso peccato, quia secundum se peccatum nõ est. Secundò potest intelligi, quòd gaudeat illud opus prauum talem effectum bonum habuisse vel habere: & sic est licitum gaudere de opere malo. Non enim gaudemus illud opus malum factum esse; sed supposito quòd factum sit, gaudemus quòd boni effectus causam dederit. verè enim gaudio dignũ est, quòd diuina bonitas etiam ex pessimis operibus maxima bona proueniant: sed hoc est potius gaudere de effectu quàm de opere, etsi etiam gaudeamus de causatione boni, quæ tali operi competit.

Obiectum gaudij.

Ad rationes.

Ad primam rationem sententiæ contrariæ: Non semper qui potest aliquid desiderare vt fiat, potest etiam procurare vt fiat: vt patet in passione Christi: & in morte multorum. quando enim nemo est qui ius habeat faciendi, procurari non potest. eum tamen est aliquis, qui talc ius habet, fas est illum inducere vt faciat.

106 *Potest res per se illicita desiderari vt fiat inculpatè.*

Ad secundam. Primò, Concessa maiore potest negari minor; pollutionem enim sic fieri non est quid per se malum, sed indifferens, vt antè dictum est. Secundò, Potest negari maior. etsi enim aliquid per se sit illicitum si cum iudicio rationis fiat, ac proinde non possit desiderari ob bonum finem vt ita fiat, tamen si fiat absque iudicio seu culpa, poterit aliquando desiderari causa alicuius magni boni, quod inde proueniet, verbi gratia vt tyrannus pereat manu furiosi: vt matrimonium inter duos Principes inculpatè contrahatur, quamuis inualidè, & proles suscipiatur, si inde pax regni secutura putetur. Docet hoc Adrianus supra, *Nullo*, inquit, *modo licet consentire consensu, qui sit causa actus, in aliquid, quod de se esset mortale, si in vigilia fieret, vt homicidium pro tempore furiæ, vel somni perpetrandum, aut in fornicationem virginis, vel pollutionem in somno committendum. sed consensu nuda complacentia licet in tale præteritum vel futurum consentire propter bonum inde secutum vel secuturum.* Idem sequitur ex sententia eorum, qui id admittunt in pollutione, quia eadem est ratio: tota enim ratio cur hæc ob bonum finem possit appeti sic fieri, est, quia eam sic fieri non est peccatum, & subest aliquod commodum, quod illud materiale incommodum compenset: atqui idem locum habet in exemplis prædictis. Idem expressè docet noster Vasquez 3.2. disp. 115. c. 2.

Ad tertiam, Quando id, quod per se malum est, ita fit, vt per somnum, furiam, vel ignorantiam excusetur, non est licitum antè vel post liberè in illud consentire: Respondeo, Hoc esse intelligendum de consensu, quo illud placeat per se & absolutè, vt docet Adrianus supra: sic enim consentires in illud prout est obiectiue malum, & consequenter consensus traheret inde malitiam formalem. Hoc modo fas non est gaudere de pollutione vel homicidio secundum se considerato; sed solum ob aliquod bonum, quo illud incommodum rependatur.

DVBI-

DVBITATIO XV.

Vtrùm delectatio, quæ ex imaginatione operis Veneri percipitur, ſit peccatum mortiferum.

107 *In imaginatione operis illiciti duo ſpectari.*

NOTANDVM Primò, In imaginatione (ſub qua intellige quamuis aliam apprehenſionem & notitiã per intellectum vel ſenſum) operis illiciti duo conſiderari poſſe: nimirum ipſam imaginationem, quæ eſt actus vitalis, ac notitia quædam; & opus illicitum, cuius obiectum. vnde duobus modis percipi poteſt delectatio.

Delectatio ex ipſa imaginatione.

Primò, Ex ipſa imaginatione, quatenus eſt notitia ſeu apprehenſio veritatis, aut rei pulchræ, ſubtilis, raræ, exoticæ, admirandæ: talis enim notitia delectat, & magni inter homines æſtimatur; vnde magno ſtudio ad huiuſmodi ſpectacula ſolent concurrere.

Delectatio ex re imaginata. Diſcrimen horum.

Secundò, ex ipſa re, ſeu obiecto imaginato. Inter hos modos eſt hoc diſcrimen, quòd in priore ipſa imaginatio vel perceptio rei per intellectum aut ſenſum ſit immediatum obiectum delectationis; vt apertè indicant Diuus Thomas 1.2. quæſt. 74. art. 8. Gabriel in 4. diſtinct. 15. quæſt. 13. art. 3. dubit. 3. & alij Doctores. Delectamur enim huiuſmodi res intelligere, videre, vel audire narrari; etiamſi ipſas deteſtemur, ac triſtiſſimas iudicemus. vnde ſola notitia talis rei apprehenditur vt bonum delectabile; non autem res ipſa ſecundum ſe, niſi quatenus ſubit rationem veri, rari, admirandi: quo modo eſt obiectum notitiæ, & mediante notitia oblectat. ſed hoc nihil aliud eſt quàm ipſam notitiam delectare, & eſſe immediatum talis delectationis obiectum.

In altero modo, immediatum obiectum delectationis eſt ipſa res imaginata, (hæc enim concipitur vt bonum delectabile, & imaginatio ſolum ſe habet applicans & proponens obiectum.) nulla enim res poteſt ciere delectationem, niſi per ſenſum vel intellectum fuerit apprehenſa, & affectui applicata.

Hæc eſt ſimilis illi, quæ ex rei præſentia.

Vnde vlterius fit, vt hæc delectatio ſit planè ſimilis illi quæ ex rei præſentia & actuali fruitione percipitur; & ſequatur ex affectu & amore erga ipſam rem. Nam dupliciter poteſt à nobis aliquid fieri, vel eſſe præſens: Primò, Reipſa. Secundò, Vi phantaſtica per imaginationem; & vterq; modus eamdem delectationem parit; vt conſtat ex ijs, quæ nobis in ſomnis accidunt; cùm videmur nobis comedere, bibere, loqui cum amicis, &c. quod etiam docet D. Auguſtin. libro 12. de Trinit. cap. 9. Ratio eſt, quia phantaſia habet vim ſenſuum exteriorum, vt apertè etiam ſomnia teſtantur. Vnde ſicut res, dum actu ſit, vel præſens eſt, percepta ſenſibus externis, delectationem cauſat; ita etiam dum vi phantaſiæ percipitur vt præſens, etiamſi re vera non exiſtat.

Altera verò delectatio, cuius obiectum eſt ipſa imaginatio vel notitia, longè alterius eſt generis, vtpote magis ſpiritalis, & ſequens ex affectu non erga rem, ſed erga rei cognitionem. His poſitis.

108 *Delectatio de ipſa imaginatione.*

Dico Primò, Si priore modo delectatio percipiatur, non eſt per ſe peccatum. Eſt communis ſententia Doctorum. Ratio eſt, quia delectatio ſequitur conditionem operis ex quo naſcitur: talis enim eſt delectatio, quale eſt opus vnde oritur; iuxta Ariſtotelem 10. ethic. capit. 4. eſt enim quiddam neceſſario ex operatione nobis congrua reſultans: atqui opus, ex quo naſcitur, non eſt malum, ſed bonum, vel quid indifferens; nimirum notitia veritatis, vel rei raræ aut admirandæ viſio; quam notitiam & viſionem homines magni æſtimant, etiamſi obiectum, circa quod verſatur, maximè execrentur; ergo talis delectatio non eſt per ſe mala. Hoc modo delectantur homines lectione, vel narratione præliorum, duellorum, & rerum admirandarum, quæ per artem magicam fiunt: vel eorum, quæ pertinent ad opus generationis, & conceptum prolis, abſque tamen vllo affectu ad res ipſas.

Dixi *per ſe*, quia poteſt eſſe peccatum ratione curioſitatis, vel etiam periculi vlterioris: vt ſi quis talium rerum cognitione tantopere delectaretur, vt deſideraret eaſdem in ſe experiri, vel ab alijs fieri, vel eſſet periculum ne ipſe per ſe placere incipiant. talia enim ex nimia curioſitate ſequi ſolent.

109 Dico Secundò, Si altero modo delectatio percipiatur, & voluntas in eam conſentiat; erit peccatum mortiferum vel veniale pro ratione obiecti mortiferi vel venialis. Eſt communis ſententia Doctorum, quam docet D. Thomas 1.2. quæſtione 74 articulo octauo, & ibidem Caietanus, Conradus, & Medina. Idem docet Magiſter in 2. diſtinction. 24. ex D. Auguſtino, quem ſequuntur ibidem Doctores Scholaſtici, Bonauentura, Richardus, Durandus, & Scotus, in 2. diſt. 42. quæſt. 4. §. Sequitur. vbi dicit: *Quando voluntas imperat cognitionem alicuius illiciti, quæ talis vt obiectum ſit ſibi præſens ad continuandam delectationem & complacentiam in illo; ſi illud cogitatum ſit illicitum, in complacentia plena illius eſt peccatum mortale. Et hoc non ſolum de carnalibus, vt cogitare luxuriam, ſed etiam in actibus intellectus, reſpectu aliorum obiectorum, vt imaginari & morari cum delectatione & cogitatione mortis inimicorum.* &c. Angelus v. Cogitatio, num. 2. vbi pro hac ſententia citat Bonauenturam, Richardum, Alexandrum & D. Thomam. Caietanus v. Delectatio, & paſſim Summiſtæ eodem verbo, & ceteri recentiores; vnde contraria ſententia non eſt probabilis.

Delectatio ex re imaginata.

Et probabitur clarè ex D. Auguſtino libro duodecimo de Trinitate ca. 12. quem etiam adducit Magiſter in 2. diſt. 24. *Nec ſunt*, inquit, *cum ſola cogitatione mens oblectatur illicita, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen & volens libenter, quæ ſtatim vt attigerunt animum reſpui debuerunt. negandum eſt eſſe peccatum; ſed longè minus quàm ſi & opere ſtatuatur implendum, & ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectoraque percutienda & dicenda: dimitte nobis debita noſtra.* &c.

Probatur ex D. Aug.

Dices, Illis verbis inſinuat D. Auguſtinus hoc eſſe peccatum veniale.

Reſpondeo negando aſſumptum: nam vt Diuus Thomas ait, oratio dominica etiam valet contra mortifera. Tantum vult dicere eſſe minus peccatum, & facilius veniam impetrare, quatu propoſitum operis exequendi. nam eſſe mortiferum manifeſtè indicat verbis ſequentibus, cũ ait; *Neque enim ſicut in illis duobus primum hominibus perſonam ſuam quiſque portabat; & ideo ſi ſola mulier cibum ediſſet illicitum, ſola vtique mortis ſupplicio plecteretur: ita dici poteſt in vno homine, ſi delectationibus illicitis, à quibus continuò ſe deberet auertere, cogitatio libenter ſola paſcatur, nec faciendo decernat mala, ſed tamen ſuauiter in recordatione teneantur, quaſi mulierem ſine vero poſſe damnari. abſit hoc credere. Hic quippe vna perſona eſt, vnus homo eſt, totuſque damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per mediatoris gratiã remittantur.* Quibus verbis (quod etiã loco notato aduertit Scotus) apertè docet conſenſum in delectationem eſſe peccatum mortiferum: nam dicit *totum hominem propter illud damnandum*, niſi per gratiam mediatoris fuerit remiſſum: ſicut mulier etiamſi ſola pomum illicitum ediſſet, morte fuiſſet plectenda. Idem probari poteſt ex Gregorio in paſtorali part. 1. cap. 11. vbi docet cum, qui huiuſmodi delectationibus, etiam abſque propoſito operis inquinatur, non eſſe idoneũ ad offerendum Deo ſacrificium, aut ad aliena peccata diluenda; *cum ipſum veſtiens ſua*; apertè ſignificans eſſe peccatum mortiferum.

110 *Probatur ratione.*

Idem probatur ratione. Primò, Illa delectatio, quæ hoc modo ex imaginatione rei turpis exiſtit, eſt planè ſimilis ei, quæ ex rei ipſius præſentia & vſu naſcitur: cuius ſignum eſt, quòd ſimili modo corpus immutet, & ad illicita concitet: atqui delectatio, quæ ex vſu talis rei percipitur, eſt mortifera; ergo etiam illa, quæ ex imaginatione.

Excitat ad pollutionem.

Secundò, Contactus turpis, & opera venerea externa ſunt peccata mortifera; quia ſunt propinqua diſpoſitio ad illicitam genituræ profuſionem, vt ſupra dubit. 3. oſtenſum eſt: atqui turpis imaginatio, & delectatio ſubſequa etiam diſponunt naturam ad eumdem effectum: nam delectatio non ſequitur ex opere imaginario, niſi quatenus ipſum eſt diſpoſitio naturam commouens & ad ſeminationem excitans: ergo, &c.

Tertiò, Qui ex imaginatione occiſionis inimici vel crudelis tractationis ita delectatur & interius afficitur, ſicut affici ſolet is, qui inimicum reipſa in poteſtate habet, & malè tractat, peccat mortifere contra charitatem, quia placet illi malum inimici: illa enim delectatio oritur ex effectu odij, ſeu complacentia erga malum inimici: ergo ſimiliter

liter qui cogitatione turpi ita ſenſibiliter delectatur, ſicut is,qui ipſi operi incumbit,peccat mortiferè contra caſtitatem; quia habet complacentiam circa opus, quod caſtitati repugnat. Neque dici poteſt hoc eſſe peccatum veniale; quia verſatur in materia graui contra caſtitatem; verbi gratia circa turpem contactum, vel copulam: vnde ſi eſt peccatum, (ſicuti manifeſtè conſtat eſſe) eſt mortiferum, non veniale.

111 Quartò, Probant aliqui hac ratione: delectatio ſequitur ipſum opus: ergo hoc ipſo, quo conſentis in delectationem conſentis tacitè in opus, eiuſq; executionem, etiamſi ob aliam cauſam nolis exequi.

Verùm conſentiens in delectationē, conſentiat in opus.

Verùm hæc ratio non videtur firma. Primò, Quia conſtat interdum aliquos delectari imaginatione operis, qui tamen nullo modo vellent opus explere: ac proinde non conſentiunt in opus. Secundò, Quia alioqui Carthuſianus oblectans ſe imaginarijs carnium epulis, vel per ſomnium tali voluptate frui deſiderans, conſentiret in opus externum comeſtionis, & ita peccaret mortiferè contra votum, vel contra regulæ præceptum. Similiter qui die ieiunij tali imaginatione delectaretur, peccaret contra præceptum Eccleſiæ. Hoc autem etſi quidam concedant, parùm tamen videtur verisimile; quia non eſt illius veritum frui delectatione carnium per ſomnium, vel imaginationem; ſed ſolùm externùs veſci, & velle veſci. Tertiò, Alioqui ſacerdos fingens ſe eſſe ludicem, [redacted] plectere ſontes, qui turbant Rempub. eoque figmento ſe oblectans, cōſentiret in opus externum ipſi vetitum, & peccaret mortiferè. Idem dicendum eſſet de ijs, qui imaginario regno, ludo, prælio, vel alio opere ipſis ratione ſtatus illicito, delectarentur.

Conſentit in opus re vel imaginatione præſens.

Hæc argumenta benè probant ex conſenſu in delectationem non neceſſariò inferri determinatè conſenſum in opus vt reipſa exequendum; ſed ſolùm ſub diſiunctione, vt re vel imaginatione præſens.

112 *Requiritur effectus in opus ſeu ſimplex operis cō placentia.*

Verùm quia opus imaginatione propoſitum non poteſt placere, ac proinde nec oblectare, niſi ipſum ſecundùm ſe ſit conforme affectui voluntatis, vel appetitus inferioris, vt rectè docet Diuus Thomas prima ſecundæ quæſtione ſeptuageſimaquarta articulo octauo, (ideò enim res per imaginationem præſens delectat, quia ipſe per ſe eſt conformis affectui, & apprehenditur vt bonum hominis) hinc fit vt eo ipſo, quo conſentis in delectationem, etiam conſentias in affectum & complacentiam operis externi, qua illud opus, qua parte eſt obiectum delectabile, placet affectui. Vnde ſi talis complacentia ſit illicita, neceſſe eſt etiam conſenſum in illam illicitum eſſe; idque pro grauitate vel leuitate illius complacentiæ, quæ pendet ex conditione obiecti, ſeu operis externi, quod placet. Itaque cùm affectio & complacentia circa res venereas in materia graui ſit illicita, & cenſeatur grauis, conſenſus in illam erit peccatum mortale. Idem dicendum de complacentia occiſionis inimici, & aliorum operū, quæ lege naturæ ſunt prohibita. Vnde manifeſtè ſequitur etiam delectationem, quæ ex horum imaginatione percipitur, ſi materia grauis ſit, mortiferam eſſe.

113 *Diſtinctio delectationis ueneréæ, & eius carnium.*

Ex his intelligi poteſt, cur is, qui imaginatione rei veneræ delectatur, potiùs mortiferè peccet quàm Carthuſianus imaginario carnium eſu; ſuppoſito neutrum velle ad opus externum procedere. Ratio enim eſt, quia ille conſentit in venerem imaginariam, & phantaſticam fornicationem, (vt Diuus Auguſtinus libro duodecimo de Trinitate, cap. nono loquitur) & conſequenter in corporis commotionem, ac libidinoſam prurigínem, quæ ex tali imaginatione naturaliter ſequi ſolet, & ex qua immediatè illa ſenſibilis voluptas fluit: atqui phantaſtica illa actio, ſicut & corporalis immutatio inde conſequens, eſt illicita; cùm ad pollutionem diſponat; ac proinde etiam voluptas inde reſultans illicita eſt. Item conſentit in complacentiam operis externi, qua parte eſt delectabile; ſine qua complacētia non apprehenderetur illud opus vt delectabile; atqui hæc complacentia etiā eſt obiectū ſufficiens peccati mortalis: nam affectum habere conformem operi, quod per ſe eſt peccatum mortale eſt graue malum: & conſequenter conſenſus in illud, mortalis.

Carthuſianus autem ille ſolùm conſentit in imaginarias carnium epulas, & in corporalem commotionem, (ſi qua fortè in ſpiritibus, humoribus, aut corde ſequatur) & in voluptatem hinc reſultantem; quorum nihil illi eſt prohibitum. ſola enim actio externa illi vetita: idque non tam cauſa vitandæ voluptatis, quàm mortificandæ carnis per externam abſtinentiam. Itaque ſatisfacit præcepto exteriùs abſtinendo, & volendo abſtinere; quantumuis imaginario eſu & ſapore delectetur.

Nec obſtat quòd videatur conſentire in affectum erga carnes: quia hic affectus malus non eſt: ſicut nec affectus comedendi tempore ieiunij. Sepono omne periculum vlterioris conſenſus in opus externum. eſt tamen in huiuſmodi ferè peccatum veniale; quia ſuperflua delectatio quæritur.

Confirmari hæc poſſunt ex ijs, quæ tradit Gabriel in quarta diſtinctione decimaquinta, quæſtione decimatertia, articulo tertio, dubitatione tertia, vbi ex Roſella verb. Ludus. §. ſecundo, docet non eſſe peccatum mortiferum delectari opere cogitato vel viſo, ſi illud non iure naturæ: ſed ſolo poſitiuo eſt prohibitum; vt cum quis imaginatione vel aſpectione ludi vetiti recreatur. Quod intellige, etiamſi illa recreatio talis ſit, qualem ipſi ludentes percipiunt. Secùs eſſe cùm opus iure naturæ eſt illicitum. Ex qua doctrina ſequitur, delectationem illam ex imaginario carnium eſu nō eſſe peccatum mortiferum, cum realis earum eſus iure naturæ non ſit illicitus.

114 *Si opus ſolo iure poſitiuo vetitum.*

Petes, Quæ ſit ratio huius diſcriminis.

Reſpondeo, Quia id, quod per ſe malum eſt, non ſolùm exterius & re ipſa facere non licet; ſed neque interiùs vi phantaſtica per imaginationem; neutro enim modo licitum illud appetere, aut voluntatem ei habere conformem. Non vt ſit exteriùs, quia per ſe malum eſt: non etiam vt faciendum per imaginationem, quia affectus in opus imaginarium includit affectum operis in ſe conſiderati. Non enim poteſt placere opus in imaginatione; niſi etiam placeat in ſeipſo: atqui omnis affectus & ſimplex complacentia obiecti per ſe mali, eſt mala, & tentatio, quæ non eſt à Deo; iuxta illud Iacob. 1. *Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*: eamque oportet à ſe depellere, & nullo modo ei conſentire. Quod autem ſolo iure poſitiuo eſt illicitum, id non eſt vetitum practicari per imaginationem, cùm ſolùm externum exercitium operis prohibeatur. Suppono enim iure poſitiuo non prohiberi reipſa actus mere internos. Neque affectus ille [redacted] opus externum in ſe ſpectatum malus eſt, quando ſolùm eſt ſimplex complacentia appetitus inferioris, non mouens ad externam executionem prohibitam. Affectus enim naturales ad bona adiaphora, per ſe mali non ſunt, etiamſi voto vel præcepto poſitiuo veteris illa ſectari, vt affectus cibi uel potus tempore ieiunij, affectus opum, honorum, dignitatum, affectus uitæ, longæuitatis, &c. unde tales affectus interdum ſine peccato directè appeti, & excitari poſſunt, ut ſi quis appetat famem vel ſitim, vt difficultate ieiunij plus mereatur. Sic Dominus in ſeipſo naturalem affectum vitæ & horrorem mortis excitauit, quamuis præceptum de morte ſubeunda haberet. Quando autem obiectum per ſe eſt illicitum, eius affectus ſeu complacentia nullo modo appeti poteſt aut voluntariè excitari.

115 *Ratio diſcriminis.*

His adde, cùm opus ſolo iure poſitiuo vetitum eſt, facilè poſſe à ratione illiciti præſcindi, & ſolitariè tamquam licitum menti obijci; quæ præciſio in opere per ſe malo fieri nequit.

Ex quibus infertur, eum, qui uouit abſtinere ab uſu feminæ, ſolùm intendens ſe voto illo obſtringere ad abſtinentiam actus externi, non peccare peccato ſacrilegij contra votum, etiamſi interiùs morosè delectetur: quia per uotū hanc delectationem ſibi non præſcidit, ſed ſolum opus externum. Idem dicendum in alijs ſimilibus. Secùs ſi abſolutè vouit continentiam, non intendens uotum ſuum ad actum externum reſtringere.

116 *Qualis debeat eſſe conſenſus.*

Dixi, *Si voluntas in eam conſentiat*, quia abſque conſenſu peccatum eſſe nequit. Debet autem iſte conſenſus eſſe ex plena deliberatione, ſeu animaduerſione intellectus. Si enim nullo modo aduertas illam cogitationem, aut delectationem eſſe illicitam, nullum erit peccatum, etiamſi per diem in ea verſeris: vt paſſim Doctores tradunt. quia vt illicita, nullo modo eſt voluntaria. quod enim nullo modo eſt cognitum, non poteſt eſſe volitum. Si imperfectè aduertas, erit ſolùm veniale. Imperfectus enim rationis vſus in opere aliquo non poteſt niſi imperfectum

fectum conſenſum, & conſequenter imperfectum peccatum cauſare. talis autem animaduerſio eſt cum res confuſè ſe offerat, inſtar mali certi vel dubij, ſed mens aliis intenta & vix ſui compos, tenuiter id apprehendit, ita vt ad pleniorem conſiderationem remitſe & languidè excitetur. Si plenè aduertas quid agas, & opus eſſe illicitum, etiamſi ſub dubio ſe offerat, tamen & voluntas conſentiat, & poſtea illa delectatio placeat; erit peccatum mortiferum, & tunc propriè dicetur delectatio *moroſa*. eò quòd homo illi poſt plenam conſiderationem immoretur, quamuis breuiſſimo tempore id fiat.

117 *Si voluntas ſi haberet negatiuè.* *Caietani ſententia.*

Sed dubium eſt, Si voluntas non conſentiat poſitiuè, nec etiam poſitiuè diſſentiat, ſed permiſſiuè, ſe habeat; an ſit peccatum mortale? Quidam Doctores negant, putantes neceſſariam eſſe poſitiuam complacentiam. Ita Caietanus verb. Delectatio moroſa, vbi dicit: *Si ex complacentia illius delectationis prouenit, quòd negligat prohibere illius continuationem, voluntariaſit delectatio, & verè moroſa. Si autem non ex complacentia, ſed ex non attentatione commotæ cogitationis & delectationis, negligentia prouenit, (puta quia ſcit voluntatem ſuam conſtantem, & confidit quòd propter huiuſmodi commotionem placentia & conſentientia non ruet in conſenſum malum) peccat quidem, non tamen mortaliter*, &c. Idem docet Angelus verb. Cogitatio, numer. 2. *Quando*, inquit, *non timetur periculum caſus, non eſt mortale peccatum ſi non repellat; eſt tamen periculoſum*. Eamdem refert Diuus Bonauentura in 2. diſt. ind. 24 par. 2. arti. 2. quæſt. 2. nec omnino reijcit, quamuis contrariam dicat iuriorem.

Probabilius eſt teneri repellere.

Verum probabilius eſt hominem teneri poſitiuè diſſentire, & etiam tenari repellere. Ita docet Diuus Thomas 3. 2. quæſtione 74. artic. 6. vbi dicit rationem in directione paſſionum dupliciter deficere. Primò, Imperando illicitas paſſiones. Secundò, illas non reprimendo. vnde concludit peccatum moroſæ delectationis eſſe dupliciter in ratione: ſentit igitur eſſe peccatum moroſæ delectationis, quando voluntas negatiuè ſe habet. Idem docet Diuus Bonauentura ſuprà; vbi dicit talem *interpretatiuè conſentire*. & Diuus Antoninus par. 2. tit. 5. §. 5. in fine. & paſſim recentiores. Probatur, Quia talis delectatio eſt illicita & contra caſtitatem: ergo tenetur homo illam in ſe non permittere: & conſequenter tenetur excitare in ſe illius diſplicentiam, & illam expellere. Confirm. quia ob hanc cauſam tenetur impedire in ſe contactus turpes ab alio illatos, etiamſi ipſe nullo modo poſitiuè ad illos concurrat; nimirum quia iſti contactus caſtitati repugnant, & ad luxuriam excitant; ergo cum talis delectatio etiam ad luxuriam excitet, imò ipſamet eſſentialiter ſit luxurioſa, repelli debet. Neque dici poteſt hanc obligationem eſſe leuem; cum in materia graui & ſufficiente ad peccatum mortale verſetur. Confirm. Quia expreſſus conſenſus in talem delectationem eſt peccatum mortale: ergo etiam interpretatiuus, quo quis negligit eam reprimere: hi enim conſenſus ſunt eiuſdem moris: nam indirectum & interpretatiuum in moralibus reducuntur ad ſpeciem expreſſi; cum idem habeant obiectũ. Neque verum eſt quod ait Caietan. *talem in veritate diſſentire vtrumuiter ſaltem*. quia cum non habeat illius poſitiuam diſplicentiam, nullus in eo poteſt aſſignari actus, qui hunc virtualem diſſenſum contineat. Nec refert quòd parui illam æſtimet, & non metuat ab illa ſuperari: quia illam interim ſponte in ſe permittit, & locum ei in animo ſuo tribuit. vnde etiamſi non conſentiat in id ad quod ipſa ſollicitat, conſentit tamen vt ſecum moretur: cumq; nullam cauſam extrinſecam habeat illius in ſe permittendæ, cenſetur ex affectu erga illam id facere, ac proinde interpretatiuè conſentit.

118 *Si cauſa ſubſit.*

Aduerte tamen, ſi cauſa iuſta ſubſit inſiſtendi alicui operi vel cogitationi, vnde talis delectatio præter intentionem naſcatur, non fore peccatum eam non repellere: vt paſſim Doctores tradunt, & dubitatione ſuperiore dictum eſt. Quòd ſi cauſa non ſit quidem iuſta, tamen aliquid commodi, vel humanæ vtilitatis habeat, ratione cuius illi actioni incumbitur, erit quidem peccatum: probabile tamen eſt non fore mortale, modò affectu illam deteſteris, & prudenter confidere poſſis te non conſenſurum. ratio eſt, quia tunc nec expreſsè, nec etiam interpretatiuè videris in illam conſentire, cum aliunde cauſam habeas, cuius affectu operi incumbis, tibique diſpliceat quòd talis delectatio, vel commotio in parte inferiore exurgat. Exemplum ſit in ſtudio curioſo artis medicæ vel anatomicæ. Vide ſup. dub. 14 vbi id probauimus in ſimili multis auctoribus adductis, & in tali euentu ſententia Caietani locum habere poſſet.

Dico Tertiò, Quod ad rationem peccati attinet, talis 119
cuique eſt delectatio venerea imaginatione percepta, qua- *Quale peccatum reſpectu cuiuſque ſit illa delectatio.*
le eſt ipſum opus ſecundum ſe in præſentia: vnde cui ipſum opus in præſenti eſt mortale, ei quoque delectatio eſt mortifera: cui veniale, venialis. Eſt communis ſententia Doctorum, & ſequitur ex dictis. Ratio eſt, quia præciſo iure poſitiuo, delectatio ſequitur conditionem operis, cuius præſentia reali, vel imaginaria reluſtat. eſt enim veluti paſſio quædam appetitus neceſſariò ex opere apprehenſo tamquam præſenti, & adamato efflorescens, ac proinde eiuſdem moris. Confirmatur Primò, Quia talis eſt delectatio, qualis eſt amor ſeu complacentia operis: talis eſt autem complacentia operis, quale eſt ipſum opus; ſepoſito iure poſitiuo, quo ſolum opus externum vetatur: ergo talis eſt delectatio, quale eſt ipſum opus vt præſens ſpectatum. Confirmatur Secundò, Quia delectatio operis vt reipſa præſentis, & delectatio eiuſdem vt præſentis per imaginationem, ſunt eiuſdem rationis. eodem enim ferè modo corpus & ſenſualitatem afficiunt: atqui delectatio operis vt reipſa præſentis talis eſt, quale eſt ipſum opus: ergo etiam delectatio operis vt præſentis per imaginationem.

Ex his infertur Primò; Sponſus de futuro non poſſe ſe 120
oblectare imaginatione copulæ futuræ, eam tamquam pre- *Sponſi de futuro.*
ſentem fingendo. Ratio eſt, quia cum hoc opus, & corporis immutatio, quæ inde ſequitur, illis ſit illicita in hoc ſtatu; etiam illicita eſt voluptas, quæ inde proximè reſultat. Si tamen illam apprehendant ſolum tamquam futuram, poſſunt de ea gaudere. Hoc enim nihil eſt aliud, quàm gaudere ſpe & expectatione boni futuri; quæ ſpes modo præſens eſt, & per ſe licita.

Secundò, Viduam non poſſe delectari actu coniugij præ- *Vidua.*
teriti, ſi illum tamquam præſentem & nunc exercitum per imaginationem conſtituat; quia ille actus, & corporis immutatio; quæ inde ſequitur, in hoc ſtatu illi non ſunt conceſſa. Secus ſi ſolum gaudeat de illo tamquam de re præterita: hoc enim nihil eſt aliud, quàm conſentire in rem licitam, ſeu approbare actum præteritum, & gaudere de cognitione, experientia, vel ſimili effectu bono, ex tali actu conſecuto: nam de præterito non poteſt eſſe gaudium, vel delectatio, niſi vel illud vi apprehenſiua ſtatuatur tamquam præſens, in quo modo verſeris; (qua ratione ſimilem parit voluptatem ac ſi reipſa præſens eſſet) & hoc modo diximus illam non poſſe delectari vel ratione alicuius effectus, verbi gratia experientiæ, famæ, honoris, vel ſimilis rei inde relictæ, quæ mala non eſt. Et hoc modo intellige auctores, qui dicunt viduam de copula præterita gaudere poſſe, vt Angelum verb. Cogitatio, numero ſecundo. Nauarrum cap. 16. numer. 10. Caietanum tomo 1. opuſ. 14. quæſt. 1. & 2. & in Summa verb. Delectatio moroſa, & alios.

Tertiò, Coniugem in abſentia coniugis, non peccare 121
mortiferè, etiamſi imaginaria copula oblectetur; modo ab- *Coniuges.*
ſit omne periculum pollutionis. Nam qui eſt in eo ſtatu, vt ei opus externum reipſa præſtitum ſit permiſſum, ei quoque permiſſum eſt opus imaginarium, ſeu vi phantaſtica præſtandum, aliis incommodis ſecluſis. Ita docet Caietanus ſuprà verb. Delectatio moroſa. §. Rurſus Fumus, eodem verb. numer. 4. Idem indicat Paludanus in quartum d. 9. quæſt. 3.

Quia tamen periculoſum eſt huiuſmodi cogitationibus immorari abſente coniuge, ſæpè poteſt eſſe mortale; & ideo quidem Doctores ſtrictius hac de re loquuntur, nec facilè eſt permittendum. In præſentia tamen coniugis, vbi periculum illicitæ pollutionis abeſt, non eſt vmquam peccatum mortale: vt colligitur ex Diuo Chryſoſtomo homilia decimaſeptima in Matthæum explicante illud. *Qui viderit mulierem*, &c. *Neque propterea*, inquit, *tibi Deus oculos effinxit, vt per illas ad animum adulteria tranſmittas; ſed vt creaturas eius aſpiciens mireris auctorem. Sicut ergo eſt temerè iraſci; ita etiam temerè videre, ſi id ad libidinem faciat.* Deinde addit: *Si enim vis videre, atque ex viſu capere voluptatem, aſpice proprium coniugem.*

ingem, & illius ejusque amore perfruere: hoc enim nulla lex prohibet omnino. Si verò alterius vxoribus intuebere, etiam tuam iniuria afficis, à qua in alienos oculos auertis; & illam quoque quam contueris, nefariè tam tangens; Ipse enim illam non attrectasti manu, at oculis tamen & voluntate palpasti. & cætera. Vbi Chrysostomus apertè insinuat delectationem ex aspectu coniugis non esse peccatum; (saltem mortale) eam tamen quæ ex aspectu capitur alienæ, mortiferam esse. Videri tamen posset Chrysostomus loqui de consensu in opus, cùm ait, *voluntate palpasti*, Sed hoc intelligi potest de voluntate tangendi per oculos, tamquam per longas quasdam manus. Vasqu. pro *voluntate* legit *voluptate*. sed voluptate potiùs dicimur tangi quàm tangere.

112 *An peccatum delectationis & operis sint eiusdem speciei.*

Petes, Vtrùm peccatum delectationis pertineat ad eamdem speciem, ad quam peccatum operis?

Respondeo, Si delectatio talis sit, qualis ex ipso opere præsente ab eius auctore percipi solet, ad eamdem speciem pertinere, ad quam ipsum opus, vt est obiectum formale illius delectationis, pertinet, est communis sententia DD. Ratio est, quam suprà attigimus; quia delectatio sequitur complacentiam operis, estque eiusdem moris: complacentia autè operis pertinet ad speciem operis, qua parte opus est illius obiectum: ergo etiam delectatio ad illam speciem pertinebit. Et confirmatur, quia in consensu delectationis est tacita approbatio operis; quod proxima delectationis est causa.

Hinc sequitur, delectationem ex cogitatione fornicationis pertinere ad speciem fornicationis; & quæ ex cogitatione peccati contra naturam ad speciem peccati cõtra naturam; quæ ex imaginaria occisione inimici, ad speciem homicidij; quæ ex phantasia indebitæ excellentiæ, ad speciem superbiæ; & sic de ceteris.

113 *An duplicem habeat malitiam.*

Dubium tamen est; Vtrùm si opus duplicem malitiam habeat, etiam delectatio vtramque contrahat, quamuis circa illud solùm sub vna ratione versetur? vt si quis delectetur cogitatione coniugis alienæ absque desiderio operis explendi, verum illa delectatio habeat non solum deformitatem contra castitatem, sed etiam contra iustitiã, sicut ipsum opus adulterij. Idem quæri potest de reliquis luxuriæ naturalis speciebus, vt de stupro, raptu, incestu, & sacrilegio quæ vt sup. dub. 6. ostensum est, in ratione luxuriæ sunt eiusdem speciei.

Argumenta pro parte negante.

Videri possit non habere duplicem speciem malitiæ, sed vnicam tantum; nimirum luxuriæ. Primò, Quia non versatur circa illud obiectum quatenus est iniuriosum alteri; (nõ enim delectatur quòd persona sit iuncta matrimonio, aut quòd marito fiat iniuria) sed solum quatenus est delectabile secundùm tactum, nimirum quia mulier pulchra: ergo non contrahit deformitatem ab illa circumstantia. Consequentia patet, Quia in illa delectatione neque expressè, neque interpretatiuè approbatur iniuria in maritum; cùm nullo modo consentiatur in opus externum, vt reipsa exequendum, quo solo iniuria irrogatur. Idem videtur dicendum si persona sit affinis, vel Religiosa: præscindi tur enim ab hac circumstantia, nec ea quidquam confert ad illam delectationem.

Secundò, Qui videt inimicum suum malè tractari & vulnerari in loco sacro, & delectatur illa inimici calamita, ac absque consideratione loci sacri, peccat solùm peccato odij inimici, & non sacrilegij, quamuis sacrilegium sit circumstantia obiecti: ergo similiter qui delectatur circa vxorem alterius peccat solùm peccato luxuriæ, non autem iniustitiæ.

Tertiò, Qui delectatur verbis contumeliosis in alterum dictis, non vt contumeliæ sunt, sed vt facetiæ, non peccat contra iustitiam; similiter si illa verba sint impura, & ex illis voluptatem capiat, vt impura sunt, non vt contumeliosa, vel detractoria; ergo similiter qui cogitatione vel narratione adulterij delectatur, non vt est adulterium, sed precisè vt est opus libidinosum, non peccabit contra iustitiam sicut adulter, sed solùm contra castitatem. Simile argumentum fieri potest de eo, qui videt personam sacram fornicantem, eoque aspectu delectatur.

Denique; ideò consensus in executionem operis sive efficax sit, sive inefficax per modum desiderij, contrahit duplicem operis malitiam; quia in executione neutra potest ab altera separari: vnde qui vult executionem, consentit in vtramque executioni necessariò coniunctam. At hæc ratio non habet locum quando quis consentit in delectationem. facilè enim mens potest diuersis illas rationes (verbi gratia luxuriæ & iniuriæ, delectabilis secundùm tactum, & iniurioti in proximum) in opere distinguere, & alteram sine altera sibi proponere, & circa eam absque vllo affectu ad alteram, per complacentiam & delectationem versari.

Hæc sententia ob has rationes mihi semper visa est valdè probabilis, eamque docet Angelus verb. Luxuria, numero secundo, quamuis ibi etiam amplius videatur velle, nimirũ consensum in opus in omni luxuria naturali esse eiusdem speciei. Eamdem eruditè tradit Vasquez 1.2. disput. 211. Ex qua sequitur in confessione delectationis morosæ circa species luxuriæ naturalis non esse necessarium explicare circumstantiã personæ imaginationi obiectæ: eò quòd hæc non mutet speciem illius delectationis, quamuis absit consensus in executionem operis.

Verùm quia altera est magis recepta, & ferè communis Doctorum, ac proinde tutior in praxi, mihi quoque placet; maximè quia huiusmodi delectationibus morosis dediti plerumque etiam optatã operis executionem, & sibi abstinent ob periculum infamiæ vel alterius incommodi. Itaque in confessione talium delectationum explicanda est etiam conditio personæ, quæ animo fuit proposita; verbi gratia, An fuerit coniugata, consanguinea, affinis, Religiosa. quæ sententia confirmari potest ex Diuo Chrysostomo suprà homilia decimaseptima in Matthæum, vbi insinuat *eum, qui ad hoc aspexit mulierem vt abstineret affectum, iam in corde esse machatum.* Sic enim illa verba, *Qui viderit mulierem*, &c, interpretatur. & hac modo intellecta illa communiori sententia, argumenta prædicta contra illam vim non haberent.

CAPVT

CAPVT IV.

De partibus Temperantiæ potentialibus, Continentia, Manſuetudine, Clementia, Modeſtia, & vitijs oppoſitis.

Conſtat Dubitationibus 14.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit continentia.

D. THOM. Quæſt. 155.

1 *Continentia dupliciter accipitur.*

NOMEN *continentiæ* dupliciter accipitur. Primò, Vt ſignificet virtutem quamdam, qua quis ſeſe abomni delectatione veneréa cohibet: quomodo paſſim accipitur in Scriptura Sacra, & apud Sanctos Patres: nec differt à caſtitate, & hac ratione tres continentiæ gradus à DD. ponuntur virginalis, vidualis, & coniugalis; de quibus ſuprà capitul. 2. dub. 13. & 14.

Secundò, Vt ſignificet firmitatem animi contra impetus paſſionum. Hanc Ariſtot. 7. ethic. vocat ἐγκρατειαν, & de ea ſicut & de eius oppoſito fusè toto eò libro diſputat. Hoc modo accipitur in hac quæſtione: & nihil eſt aliud, quam firmum propoſitum animi, quo quis ſe continet in bono rationis contra impulſus concupiſcentiæ, quibus ad voluptates tactus; & præſertim venereas impellitur. *Eſt propoſitum*, quia omnis virtus & bona diſpoſitio voluntatis conſiſtit in propoſito ſeu affectu honeſti: in hoc enim ſita eſt huius potentiæ perfectio; atqui continentia eſt virtus vel diſpoſitio voluntatis, & in ea ſedem ſuam habet, vt docet D. Th. art. 3. Debet autem hoc propoſitum eſſe *firmum*: quia alioquin facile concupiſcentiæ motibus expugnabitur; ſicut in eo, qui eſt incontinens, qui etiam bonum propoſitum habet, ſed infirmum: unde facile ſuis cupiditatibus cedit.

Continet in bona rationis

Illo propoſito *ſe continet voluntas in bono rationis*; quatenus vult inhærere ei, quod ratio dictat, nec ſinere ſe impetu concupiſcentiæ abripi ad illicita; quorum alterum ex altero ſequitur. Ex eo enim quòd quis firmè alicui rei inhæret, conſequens eſt vt à contrarijs non ſinat ſe aliorſum abduci. *Contra impetus concupiſcentiæ*, &c. Quia hi motus maximè voluntatem ad bona ſenſibilia contra rationis præſcriptum allicunt; & propenſioni naturali, quæ homini ad conſeruationem individui & ſpeciei infita eſt, ſunt maximè conformes. Itaque in ijs, qui nondum virtutem moralem, qua iſti motus comprimantur, adepti ſunt, præcipuè opus fuit quadam diſpoſitione animi, qua voluntas ſe in bono contineret, ne ab illis ad illicita abriperetur; quam *continentiam* vocamus.

Obiectio. An circa alias paſſiones ſit continentia.

Dices, Etiam aliæ paſſiones magnam vim habent voluntatem à rationis præſcripto abducendi; vt cupiditas honorum, opum, vindictæ, & ſimiles; ergo in quibus per virtutes morales illæ paſſiones nondum ſunt compreſſæ, ijs etiam opus eſt *continentia*, quæ illis reſiſtat, & voluntatem à recto diſcedere non ſinat.

3 *Reſpon.*

Reſpond. Hoc argumento rectè probari ſimilem quamdam animi diſpoſitionem contra illos affectus ponendam: hæc tamen non vocatur abſolutè *continentia*, neque ab ea dicitur quis ſimpliciter *continens*, ſed ſecundùm quid, ſeu cum reſtrictione; vt continens iræ, continens cupiditatis honorum, opum, &c. Ratio eſt, quia iſtæ paſſiones neque ſunt ita conſentaneæ naturali propenſioni ut concupiſcentiæ delectabilium tactus: (unde etiam nō ſunt tam importunæ & aſſiduæ) neque hominem ita ad turpia trahunt. Quare in continendo ſe ab iſtis non eſt illa peculiaris laus & difficultas, quæ eſt in reſiſtendo gulæ, & veneris cupiditatibus.

An diſtinguatur à temperantia.

4 Petes, Vtrùm continentia diſtinguatur à temperantia, & qua ratione? Videtur enim non diſtingui, quia verſatur circa eadem, circa quæ temperantia, vt docet Ariſtot. libr. 7. eth. c. 4. & idem officium præſtat: nam etiam temperantiæ eſt voluntatem in bono honeſto continere aduerſus voluptates.

Reſpondeo. Continentiam abſolutè dictam non diſtingui à temperantia, niſi vt imperfectum; & inchoatum à perfecto & completo; & ſicut diſpoſitio diſtinguitur ab habitu; ut docet D. Thom. 2. 2. 4. in corpore, & Caietan. in art. 3. *Temperantia* enim conſiſtit in firmo propoſito continendi ſe in bono rationis, per quod paſſiones tam ſunt domitæ & rationi ſubiectæ, vnde includit (ſaltem in obliquo) habitum illum appetitus inferioris, quo motus huius appetitus rationi conformantur. *Continentia* verò eſt propoſitum ſimile, ſed quod nondum eò peruenit vt paſſiones edomuerit, & rationi ſubiecerit; vnde adhuc pugnat cum hoſte, cū temperantia de illo victoriam obtinuerit, & ſubiecerit ſeruituti. Quare continens ſimilis eſt illi, qui feras agreſtes circandas accepit: temperans ei, qui iam eicurauit. Per temperantiam bonum rationis deſcendit non ſolùm in voluntatem, ſed etiam in appetitum inferiorem: per continentiam in ſolam voluntatem. Vnde patet continentiam eſſe inchoatam quamdam temperantiam. quod maximè locum habet in ſententia eorum, qui ſedem temperantiæ & fortitudinis faciunt ipſam voluntatem, & has virtutes non pertinere ad appetitum inferiorem, niſi per quamdam extenſionem, & veluti ramum ſui.

5 Hæc tamen non ſic intelligenda ſunt, quaſi temperans nullos ampliùs concupiſcentiæ motus patiatur; (hoc enim non eſt huius mortalitatis) ſed quòd rariùs patiatur, & ordinariè non tam vehementes: eſt enim intrinſecus multò melius compoſitus quàm continens, tum quia habitus voluntatis eſt firmior, tum quia præter hūc includit habitum appetitus inferioris, per quem compreſſis paſſionibus, appetitus ille rationi ſubijcitur. Hinc fit vt ab intrinſeco non poſſint magnæ paſſiones exurgere. Hę tamen interdum excitari poſſunt a cauſa extrinſeca; vt à dæmone, humores & ſpiritus commouente, & obiectum delectabile aſſiduè phātaſię proponente: quo caſu virtus temperantiæ ſeſe exeret, & munus continentiæ præſtabit, perfectiori tamen modo quàm ipſa.

Continentia ſecundùm quid.

6 Quod attinet ad continentiam ſecundùm quid, quæ circa alias paſſiones verſatur, hæc eodem modo ſe habet ad virtutes illarum paſſionum moderatrices, ſicut ſe habet continentia ſimpliciter dicta ad temperantiam. Itaque continentia iræ nihil eſt aliud quam inchoatio manſuetudinis: continentia cupiditatis honorum, vel opum nihil eſt aliud quàm inchoatio magnanimitatis, magnificentiæ, liberalitatis; vt apertè colligitur ex D. Thoma, & Caietano, ar. 2. Eædem enim virtutes, quæ vbi completæ fuerint appetitum inferiorem rationi ſubiectum & paſſiones cōpreſſas tenent, iam primùm inchoatæ & quaſi in cunabulis cōſtitutę paſſionibus nondum edomitis reſiſtunt, & voluntatem in bono rationis aduerſus illas continent, idq; eiuſdem honeſti amore.

Ex dictis intelligi poteſt. Vtrùm continēcia ſit dicenda 7

An ſit virtus.

virtus. Si enim virtus dicatur habitus completè potentiam circa aliquam materiam (v.g. circa paſſiones) perficiens, continentia non tam eſt virtus, quàm virtutis inchoatio & rudimentum. Vnde Ariſtot. 4. ethic. cap. vltimo in fine dicit, *continentiam non eſſe virtutem, ſed quiddam virtutis habens admixtum*. nimirum quia voluntatem quidem rationi conformat, ſed appetitum inferiorem, contra quem pugnat, rationi non ſubijcit, & ita à perfectione virtutis moralis deficit. Si tamen nomen virtutis accipiatur communiùs (vt paſſim ſolet) pro diſpoſitione animi ad opus rectæ rationi conſonum, ſeu pro principio laudabilium operum, vt inquit D. Thomas, ſic continentia eſt virtus; diſponit enim voluntatem ad rationis dictamen ſectandum, & paſſionibus repugnandum, quod eſt honeſtum & laude dignum.

Quomodo poſſit eſſe virtus generalis.

2 Notandum tamen eſt, *Continentiam* poſſe conſtitui virtutem quamdam generalem, (non eſſentia & attributione, ſed obiecto & extenſione) qua voluntas bono rationis in genere contra quaslibet paſſiones inhærere decernit: illud enim obiectum habet quamdam communem rationem honeſti per ſe expetendam, ac proinde poteſt conſtituere virtutem, atque adeò certam virtutis ſpeciem: affectus enim & propoſitum voluntatis ex ordine ad tale obiectum certam ſpeciem contrahit: & hæc virtus ex eo quòd voluntatem in bono honeſto contra paſſionum illecebras & impetus continet, rectè continentia dicetur. quamuis hoc nomen præcipuè ei conueniat, quatenus delectationibus tactus reſiſtit. Hoc modo videtur explicari continentiæ ratio à Martino; ſed non ex mente Ariſtotelis, vt rectè oſtendit Caietanus art. 2.

Neque hic modus eſt conſentaneus praxi: non enim ſolent homines ex nudo illo & generali motiuo honeſti paſſionibus reſiſtere; ſed ob particularem aliquam boni honeſti rationem, quæ pro diuerſitate materiæ ſe offert.

Incitamenta continentiæ.

9 Quæ ad continentiæ cultum poſſint nos incitare, multa ſunt, vt videre eſt apud D. Antonin. part. 4. tit. 4. cap. 2. §. 4. & Guil. Peraldum in Summa tit. de Beatitudinibus, parte 6. è quibus ſex præcipua recenſebimus. *Continentiam* accipio generatim pro refrænatione animi à voluptatibus.

1. Exemplū Chriſti.

Primum ſit exemplum Chriſti & Sanctorum. *Chriſtus enim qui falli non poteſt, vtpote ipſa Dei Sapientia, voluptatis contempſit, & quod carni moleſtius eſt, elegit. Id ergo eſt melius, id vtilius, id potiùs eligendum & quiſquis aliud docet vel ſuadet, ab eo tamquam à ſeductore cauendum*; vt ſermone 3. de natali Domini D. Bernardus ait.

2. Pœna voluptatis.

Secundum, Exemplum eorum, quibus voluptas noxam attulit: vt exemplum Euæ, de qua Gen. 3. dicitur; *Vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum*, &c. quæ voluptati conſentiens mundum perdidit; marito ſimul in prævaricatione pertracto. Exemplum generis humani diluuio propter voluptates delecti: Sodomitarum, qui cœleſti igne propter voluptates conſumpti: Salomonis, qui per voluptates infatuatus, & cultor idolorum affectus eſt: denique quæ maior pars mundi per voluptates perit.

3. Locus.

Tertium, Conſideratio loci in quo degimus, nempe nos eſſe in loco exilij, in valle lachrymarum, non deliciarum; qualis erat Gehennom, id eſt, vallis Ennom, à qua putatur dicta gehenna: & meritò, nam delitias tormentum gehennæ ſequitur.

4. Tempus.

Quartum, Conſideratio præſentis temporis: vniuerſum enim vitæ noſtræ ſpatium eſt tempus pœnitentiæ, & tamquam priuilegium quoddam magnæ illius ſolemnitatis, & æterni ſabbati, quod præſtolamur: vigilia autem non eſt tempus voluptatis, ſed ieunij, & afflictionis carnis. Huc referri poteſt illud Apoſtoli, *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*.

5. Conditio voluptatum.

10 Quintum, Conſideratio conditionis ipſius voluptatis, quàm ſit vilis, quàm breuis, quàm permixta doloribus, quàm inutilis. Vtilitas eius ex eo conſpicitur, quòd in ea nihil ſit magnificum, nihil generoſum, nihil maſculum; & brutis nos ſimiles efficiat, carni dumtaxat & ſenſibus externis lenocinans, vnde etiam pudorem & dedecus homini inijt. Breuitas, quia ſequitur operationem tranſeuntem; & quò auidiùs hauritur, eò citius in contrarium recidit. Doloris permixtio; tum quia magno labore comparatur? tum quia omnis voluptas corporis nihil eſt aliud quàm mitigatio quædam & ſolatium moleſtiarum, vt rectè Ariſtoteles dixit; tum, quia relinquit quandam amaritudinem & veluti aculeum in animo, ac tacitum quoddam conſcientiæ flagellum. vnde rectè Geneſ. 1. Dominus in typo *congregationes aquarum appellauit maria*; quia tota delectationum huius mūdi congeries, quę inſtar aquarū diffluit, multam habet admixtam amaritudinem. Et Eccleſiaſtæ 7 dicitur, *Inueni amariorem morte mulierem, quia laqueus venatorum eſt*. &c. nimirum ratione voluptatis. Inutilitas, ſeu vanitas; quia deſiderium non ſatiat, ſed magis accendit & animi inquietudinem relinquit. Vnde Eccleſiaſtæ 2. *Dixi in corde meo, Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis: & vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem, & gaudio aixi. Quid fruſtrà deciperis?*

6. Malæ commixtionis.

Sextum, Conſideratio malorum, quæ ipſa ſecum trahit; nam corpus enecuat, & effeminatum reddit; ſpiritum carni ſubijcit; obliuionem ſalutis inducit; mētem obtenebrat, & ſapientiæ percipiendæ inepeam reddit; vt meritò dictū ſit Iob 28. *Sapientiam in terra ſuauiter viuentium non inuenit*: bonorū operū ſterilē reddit; diuinis conſolationibus priuat; æternam afflictionem adducit. Momentaneum enim eſt quod delectat, ſed æternum quod cruciat, vt quodam loco dixit Gregorius.

DVBITATIO II.

Quid ſit incontinentia, & quale peccatum.

D. THOM. Quæſt. 156.

11 IN *incontinentia*, vt opponitur continentiæ ſupra explicatæ, eſt, quando paſſio, præſertim ea, quæ verſatur circa delectationes tactus, vincit rationem, vſu rationis manente. Dico *Rationis vſu manente*; Dupliciter enim paſſio rationem vincere poteſt. Primò, vt adeò ſit vehemens, vt iudicium rationis impediat, & conſequenter moralem libertatem adimat: ſicut fit in ijs, qui amore fiunt amantes, quo caſu non eſt propriè incontinentia. Sicut enim beſtiæ non dicuntur *incontinentes*: ita nec illi, qui rationis vſum amiſerunt, quantumuis turpia committant. Confirmatur, quia *incontinens* eſt, qui non continet ſe in bono rationis, cùm poſſit & debeat; atqui talis non poteſt: ergo, &c. Dicitur enim incontinentia quaſi per priuationem continentiæ: priuatio autem locum non habet, niſi vbi & quando habitus adeſſe deberet.

Manere debet vſus rationis.

Secundò, Si rationis vſum non tollat; & tunc locum habet *incontinentia*, ſi voluntas paſſionem ſequatur. Ratio eſt, quia manēte rationis vſu ſemper poteſt homo paſſionibus reſiſtere, & in rationis præſcripto ſe continere, quātumuis illæ vehementes fuerint; vt rectè docet D. Thomas q. 156. articul. 1. Si poteſt, ergo debet: ſi debet continere & non facit, iam eſt incontinens; deeſt enim continentia, vbi & quando debebat ineſſe.

Manente vſu rationis poteſt reſiſtere.

12 Porrò dupliciter paſſio rationem vincit, manente rationis vſu; vt colligitur ex Ariſtotele lib. 7. ethicorum cap. 2. & D. Thoma ar. 1. Primò, Si impetu ſuo rapiat ad ſe voluntatem, priuſquam ratio conſulat, aut exactiùs deliberet; & hæc vocatur effrænata concupiſcentia, & incontinentia. Accidit autem hoc, vel ob paſſionis celeritatem, vt in cholericis; quia humor ille ob tenuitatem & calorem facilis eſt moueri & accendi; vel ob illius vehementiam; vt fit in melancholicis, qui ob ſiccam & terreſtrem conſtitutionem vehementem accenduntur. In huiuſmodi igitur voluntas non diu cunctatur, neque finit negotium ratione expendi, ſed ſtatim cedit: ſatis tamen in confuſo aduertens malum eſſe quod proponitur.

Secundò, Si voluntas tenuiter bono rationis inhæreat: tunc enim etſi paſſio magnum impetum non habeat, facilè tamen voluntatem ad ſe trahit; vt fit in mulieribus, & ijs quorum conſtitutio mollior eſt, & feminea: vt ſunt phlegmatici, teſte D. Thoma art. 1. ad 2. & Ariſtot. ſuprà.

13 Petes, Quomodo paſſio poteſt vincere rationem, manēte rationis vſu, quò res iudicatur eſſe illicita?

Reſpondeo, Rationem non ita vinci quin poſſit reſiſtere; & ideò meritò illi imputari, quòd ſe vinci ſinat, vel potiùs quod ſponte cedat & conſentiat. Paſſio enim ſolùm allicit, blanditur, & ſuadet per modum propoſitionis obiectu facit enim vt obiectū appareat valde ſuaue & conueni-

uenient homini. Hinc per ſympathiam potentiarum intellectus ſimili modo illud apprehendit, & voluntati proponit. Et quamuis ex altera parte iudicet illud eſſe illicitum, nihilominùs quia apprehenſio delectabilis eſt vehementior magisque ſenſibilis, ac naturalis, & ex ratione illiciti non cernitur præſens periculum, vincit illa apprehenſio, & voluntati perſuadet vt delectabile hic & nùc honeſto præponat, paſſionique conſentiat. In poteſtate tamen voluntatis erat ſe continere & illam delectationem contemnere; tũ quia ſatis per rationem aduertit eſſe illicitam, tum quia minimè ſibi neceſſariam.

14 *Incontinentia eſt peccatum.*

Ex his colligitur Primò, Incontinentiam eſſe peccatum; tum quia turpe eſt rationem vinci à paſſione, & volũtatem deſerere bonum rationis, vt inhæreat bono delectabili: tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quæ homini cum brutis ſunt communes. vnde etiam hoc vitium peculiarem turpitudinem continet; vt docet D. Th. ar. 2. & Ariſt. l. 7. eth. c. 8. eſt autem mortale vel veniale pro ratione materiæ.

15 *Eſt minus malum, quàm intemperantia vitium.*

Secundò, Incontinentiam ceteris paribus eſſe minus malum quàm intemperantiam. Primò, Quia *Intemperans* non peccat ex paſſione, ſed ſpontanea electione, & propriæ voluntatis malitia: *incontinens* verò ex impulſu paſſionis, tamquam ab intrinſeco contra ſuam volũtatem incitatus; nam & ante & poſt paſſionem voluntati diſplicet opus, eoque commiſſo ſtatim pœnitentia ducitur. Secundo, *Intemperans* habet intellectum prauè diſpoſitum quoad iudicium obiecti, (non enim reputat illud inhoneſtum, vel certè parui æſtimat, tamquam exiguum malum) & voluntatem prauè diſpoſitam habitu vitioſo, & appetitum inferiorem ſimiliter: *incontinens* verò iudicium habet rectum & voluntatem rectam extra paſſionem, & appetitus inferior non eſt adeò corruptus. Nec refert quòd incontinens ſæpè vincatur; ex actibus autem frequentatis naſcatur habitus: quia etſi dum labitur, aliqua praua diſpoſitio voluntati & appetitui inferiori per actus prauos veluti afficeretur; hoc tamen paulò poſt diſplicentia & dolore commiſſi abſtergitur, vt in habitum ſolidum non faceſſat. Denique intemperans multo difficilius emendatur quã incontinens, propter iudicij & voluntatis inolitam longa conſuetudine peruerſitatem.

16 *Incontinentia ira minùs dedecoroſa.*

Tertiò, Incontinentiã concupiſcentiæ plus habere probri & dedecoris, quàm incontinentiam iræ; turpius enim eſt à voluptatibus quàm ab ira ſuperari; idque propter quatuor rationes, quas profert Ariſtio. l. 7. eth. c. 6. & D. Thom. art. 4. Prima eſt, Quia motus iræ habet aliquam ſpeciem & imaginem rationis; (offert enim ſe vindicta menti ſpecie iuſtitiæ) ſed in eo deficit, quòd modũ, qui à ratione præſcribitur non attendat. ſicut veloces famuli, qui ſimul atque dominum aliquid imperantem audiunt, anticipant, & priuſquam totum imperium perceperint, ruunt ad executionem. Motus autem concupiſcentiæ nullam habet rationis ſpeciem, ſed totus eſt ſecundùm ſenſum, totus mollis, femineus, carnalis, ad hoc ſolùm tendens vt carni & ſenſualitati ſeruiatur.

17 Secunda, Quia motus iræ magis ſequitur corporis temperamentum, & humoris conditionem, propter choleræ, (quæ huic paſſioni ſeruit) tenuitatem & calorẽ. hinc enim fit vt poſita apprehenſione iniuriæ humor bilioſus ſtatim efferueſcat, & concitetur ad vindictam: concupiſcentiæ verò deſeruit ſanguis & pituita, quorum motus lentior; nec ita accenduntur. Itaque motus iræ magis eſt venia dignus quàm concupiſcentiæ, qui non ita ratione corporalis diſpoſitionis concitatur.

Tertia, Quia ira quærit manifeſtè operari, quaſi in opere nihil ſit dedecoris: concupiſcentia verò quærit latebras veluti conſcia ſuæ turpitudinis.

Quarta, Quia concupiſcentia quærit voluptatem ſuperfluam; ira verò repellit malum immeritum. Plus autem habet excuſationis qui in malo à ſe depellendo modum rationis excedit, quàm qui in voluptate ſuperflua adſciſcenda.

Incontinentia ira periculoſior.

Incontinentia tamen iræ plus habet periculi; propter malum proximi, ad quod irrogãdum ira profilit. hinc enim ſeditiones, bella, cædes, incendia, & tota ferè generis humani turbatio. vnde vt plurimùm incontinentia iræ abſolutè eſt grauior.

DVBITATIO III.

De Manſuetudine.

D. THOM. Quæſt. 157.

18 *Materia proxima manſuetudinis.*

Manſuetudo (quæ Græcis πραότης & ἠθότης dicitur) *eſt virtus iram moderatrix*; vel vt Gloſſ. in capit. 5. Matth. explicans illud, Beati mites, ait: *Manſuetudo eſt dulcedo animi, quam non vincit amaritudo.* Sicut .n. temperantia moderatur cupiditates delectationũ gulæ & veneris, appetitum inferiorem ita rationi ſubijciens, vt etiam oblatis occaſionibus non plus quàm par eſt concupiſcat: ita *manſuetudo* moderatur iram, ſubijciens rationi appetitum inferiorem, ita vt oblatis irritantibus, in motum iræ non prorumpat, vel ſaltem iuſtum modum in eo teneat. Proxima igitur materia huius virtutis eſt ira, cui modum à ratione præſcriptum veluti formam quandam imponit: nimirum, vt iraſcamur quando, & cui oportet quam ob cauſam, quantum, & quo modo oportet: & cum non iraſcendum, iram omnino comprimamus.

Hæc virtus multis locis commendatur in Scripturis, vt Eccl. 10. *Fili in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum.* Pſalm. 36. *Manſueti autem hereditabunt terram, & delectabitur in multitudine pacis.* & Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.*

19 *Incitamenta manſuetudinis.*

Ad hanc colendam ſex potiſſimùm conſiderationes poſſunt nos impellere. Primò, Conſideratio mãſuetudinis diuinæ, quę infinitis mortalium peccatis prouocata irã cohibet, & ſolita beneficia largiſſimè effundere non ceſſat; iuxta illud Matth. 5. *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.*

1. *Manſuetudo Dei.*

Secundò, Conſideratio manſuetudinis Chriſti, *Qui cum malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur; tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè*, vt ait B. Petrus epiſt. 1. c. 2. Qui etiam Matt. 11. de ſe inquit, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Hæc eius manſuetudo tota vita in cõuerſatione cum peccatoribus & rudibus enituit, ſed maximè in iniurijs & contumelijs atrociſſimis quas toto tempore prædicationis, & præſertim in paſſione ſuſtinuit, cùm tamen facillimè ſe vindicare poſſet.

2. *Manſuetudo Chriſti.*

20 3. *Nocumentum iniurij*

Tertium eſt, Conſideratio nocumenti, quod ſibi ipſe infert, qui iniuriam facit. Hic enim ſe ante grauiſſimè lædit, quàm alteri nocere poſſit. nam ipſa nocendi voluntate coram Deo occidit ſuam animam, perdidit æternam vitam, & reum ſe æternæ mortis conſtituit: *Coram hominibus verò dedecore & infamia ſe affecit, & multorum aduerſus ſeipſum aperit ora, vbique maneat texit coronas, & multos patientia ac magnanimitatis tuæ confitentes facit*; vt pulchrè docet Chryſ. hom. 61. Matth. Vnde rectè Pſal. 10. dicitur, *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam* nimirum, quia ante omnia illam prauiſſimè lædit. itaque magis commiſeratione quàm ira dignus eſt: ſicut ſi quis vt tibi talitrum inferat, vel pomum eripiat, per medios mittet enſes, & in ſpicula ſe indueret, potiùs miſerandus quàm plectendus eſſet.

21 4. *Natura iracundientis.*

Quartum, Conſideratio nocumenti, quod accipies, ſi illi iraſcaris, quod longè maius eſt quàm quidquid aduerſarius inferre potuit. pulchrè enim a Chryſo. demonſtratum eſt; neminem lædi niſi a ſeipſo. Itaque ſi iraſceris, aduerſarium iuuas, & crudelior tibi ipſe es, quàm ille fuerit: ſi iram contines, irritum ipſius conatum reddideris, & illæſum te cuſtodieris, & præclarè illam non ſolùm viceris, ſed etiam vltus eris. Docet hoc pulcherrimè Chryſ. hom. 85. in Matt. *Illa*, inquit, *fulgentiſſima victoria eſt, qua inimicum ſi ferentem, patiendo ſuperaſti. Sic fruſtulis ſtudijs caſti facile ipſis diſſolutis ſic Sanctis omnes præclaro coronati præmio, trophæa præclara ſtatuerunt, hanc victoriam laboris expertem conſecuti; non enim lætari te mus laborare oportet. Deus eas tibi vires conceſſit, vt non manuum conſertione, ſed patientia vincas, &c.*

5. *Conſideratio Beati Thomæ Mori.*

Quintum eſt, Conſideratio illa Beati Thomæ Mori: Vel bonus eſt, cui iraſceris, vel malus. Si bonus, immeritò illi iraſceris, vt quem Deus amet, qui Dei ſit amicus & filius. Si malus eſt, vel talis erit in æternitate, vel mutabitur & erit bonus: ſi ſemper erit malus, fat habebit miſeriarum æternis incendijs addictus, vnde magis commiſera-

tione quàm ira dignus: si verò in æternitate futurus est bonus, iniquum est illi irasci, qui æterna amicitia tibi futurus sit deuinctus, Deoq; charissimus.

22 *§. Bona manſuetudinis.*

Sextum, Consideratio bonorum, quæ manſuetudo secum adfert. Primò enim, facit similem Deo & Christo Domino, qui infinitam manſuetudinem erga peccatores præstant. Secundò, Meretur remissionem peccatorum, (iuxta illud Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis peccata vestra*) & beatæ patriæ possessionem. vnde Matth. 5. dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. nimirum terram viuentium, de qua pelli non poterunt, vt Diuus Augustinus & alij communiter explicant. Tertiò, Reddit vitam in hoc mundo tranquillam & pacatam; quod insinuatur Psalm. 36. *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*. quod etsi potissimum in futura vita impleatur, tamen etiam in illa locum habet. Et Ecclesiastic. 3. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris*. quasi dicat, consequeris gloriam & amicitiam apud homines. Denique omnes penè mortalium turbæ, dissensiones & bella ex ira procedunt, quàm manſuetudo præcidit. Quartò, Reddit animam serenam, & idoneam percipiendæ veritati, quam ira maximè perturbat & impedit. vnde Iacobi 1. dicitur, *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras*. Manſuetudo enim facit vt homo non contradicat doctrinæ veritatis, quod plerique ex commotione iræ faciunt. vnde Diuus Augustinus libr. 2. de doctrina Christi capitul. 7. ait: *Opus est mitescere, neque contradicere diuinæ Scripturæ, siue intellecta, si aliqua vitia nostra peruerit; siue non intellecta, quasi nos melius sapere, verius que percipere possimus: sed cogitare potius & credere id esse melius & verius, quod ibi scriptum est, etiamsi lateat; quàm id, quod per nosmet ipsos sapere possumus*. Vide Diuus Thom. artic. 4. ad 1. Idipsum confirmat experientia: nihil enim adeo impedit hæreticos quo minus conuertantur ad fidem, quàm iracundia in Ecclesiam Romanam, qua fit vt tranquillo animo eius doctrinam audire vel expendere nequeant.

DVBITATIO IV.

De ira, & iracundia.

D. THOM. Quæst. 158.

23 *Ira est quid indifferens. Vitium ira,*

MANSVETVDINI, sicut & alijs virtutibus, quæ passiones moderantur, duo vitia opponuntur; *ira* vel potius *iracundia* (quæ actum & habitum vitiosum irascendi designat) per excessum, & lentitudo per defectum. Ira per se nec bona est, nec etiam mala, sed quiddam indifferens, quo bene & malè vti possumus; sicut & reliquæ passiones. Malam non esse vel ex eo constat, quia naturæ est apprimè vtilis ad ardua facta, & ad sui conseruationem. Sicut enim passio amoris data est homini ad boni prosecutionem; ita passio iræ ad repulsionem malorum & nocentium; ne ea in re natura sit torpida, & languida. Itaque habet eum locum in homine, quem miles in Republica. Vnde pulchrè Nemesius lib. de natura hominis cap. 21. dixit ὅτι ὁ θυμὸς τὸ ὑπερφορικὸν ἐστι τῆ λογικῆ, *Iram esse satellitium rationis*. Nec obstat quod rationem turbet, & sanum consilium ac iudicium de rebus impediat; quia non debet excitari nec adhiberi nisi post consilium; nimirum quando veniendum est ad executionem; sicut miles non adhibetur nisi post Senatus vel Principis decretum; sed iubetur quiescere, donec accersatur ad opus. Deinde ira nihil est aliud quàm appetitio vindictæ: atqui vindicta bona est, si debito modo fiat.

24 *Quale peccatum sit.*

Erit peccatum, si modum à ratione præscriptum nõ seruet, & tunc dicetur propriè *iracundia*, quam Aristot. vocat ὀργιλότητα, distinguens eam à simplici ira, quæ ὀργὴ dicitur. Dupliciter autem fieri potest vt ira præscriptum rationis non seruet. Primò, Ex parte obiecti, si iniustam vindictam appetas; vt ob causam nõ legitimam, vel maiorem quàm oportet, vel absque publica auctoritate exequẽdam. Et hoc modo ex genere suo est peccatum mortiferum; quia contra proximi charitatem & iustitiam. Potest tamen esse veniale ob imperfectionem actus; quæ spectatur vel ex parte voluntarij, vt cùm motus iræ perfectum rationis iudicium præuertit; vel ex parte obiecti seu materiæ; vt cùm quis modicam vindictam appetit: v.g. si parum trahas puerũ per capillos, vt inquit D. Tho. modicum enim instar nihili reputatur. Nec obstat quod ex genere suo dicatur mortifera; quia hoc intelligendum de actu perfecto tam ex parte voluntarij quam ex parte obiecti, vt rectè explicat Caietanus: nimirum vt actus sit ex pleno iudicio rationis & obiectum sit notabilis quantitatis: hoc enim modo accipiendus est actus, cum ex genere suo dicitur mortalis vel venialis.

25

Secundò, Potest præscriptum rationis non seruari ex parte ipsius motus; vt si animum interius ira exardescas; vel exterius eam per signa nimium patefacias. Hoc modo non est quidem ex genere suo mortale: potest tamen esse mortale, vel ratione affectus & præparationis animi, quàm inducit; vt si tantum ira accendaris, vt paratus sis aliquid facere quod sit peccatum mortale: vel ratione scandali: vt interdum accidere potest in Prælatis, vel ijs, qui in Infidelibus conuertendis occupantur.

26 *Obiectio.*

Dices, Omnis ira videtur esse peccatum mortiferũ: nam Dominus, Matth. 5. generatim dicit, *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*. Quibus verbis significatur illum mereri condemnationem mortis, nimirum æternæ: nam *reus iudicio* Hebræis dicitur, qui dignus est condemnatione, puta mortis: illa enim est præcipua, & absolute dicatur condemnatio, & iudicium: vnde translata ad tribunal Dei designat damnationem æternam.

Resp.

Respondeo, Dominum ibi loqui non de omni ira; sed de ea, quæ tendit ad homicidium: complet enim illud præceptum, *Non occides*, addens, non solum externum homicidium esse peccatum mortiferum in iudicio diuino, sed etiam occultam iram, qua quis proximi mortem optat: vt rectè D. Thom. ar. 3. ad 2.

De eadem ira intelligendum id, quod sequitur, *Qui dixerit fratri suo raca, qui auxerit fatue*, &c. nimirum ex ira, qua mortem illius desiderat. vt idem D. Thom. aduertit artic. 5. ad 3. ponit enim Dominus tres gradus ad homicidiũ. Primus est, Ira interna optans mortem proximi. Secundus, Eadem ira prorumpens in cõtumeliam sed leuiorem. Tertius, Eadem erumpens in contumeliam grauem. In quarto est ipsum homicidium, & quodlibet aliud graue nocumentum.

27 *Discrimen inter odium & inuidiam.*

Vt autem quale sit peccatum iræ melius intelligatur, notandum est, Illud per se minus esse peccatum, quàm odium vel inuidiam: vt docet Diuus Thomas articulo quarto. *Odium* enim appetit malum proximi, quia malum; & eo dumtaxat fine vt ei sit malè. illi enim malè esse apprehendit tamquam suum bonum. Hinc fit vt nulla mali mensura latietur. quia quæ per se appetuntur, sine mensura & termino appetuntur; sicut auarus appetit diuitias, & voluptuarius delectationes sine termino. *Ira* verò appetit malum alterius sub ratione iustæ vindictæ; nimirum, vt qui offendit, sentiat & doleat se malè fecisse, & ita fiat compensatio. Vnde non appetit malum alterius nisi secundum certam mensuram; nimirum ad æqualitatem iniuriæ, vt pœna sit commensa culpæ. cuius signum est, quòd si vindicta hanc mensuram excesserit, ira vertatur in misericordiam. Itaque spectat in obiecto imaginem quamdam iustitiæ, vt iustitiam vindicatiuam imitari videatur. Sicut enim hæc appetit malum proximi sub ratione iustæ vindictæ; sic ira sub specie & imagine iustæ vindictæ. sed in eo est discrimen, quòd iustitia illa regatur vera prudentia: ira non vera, sed imagine dumtaxat prudentiæ. vnde etiam in obiecto non spectat veram rationem iustæ vindictæ, sicut iustitia vindicatiua: sed speciem tantum iustæ vindictæ. *Inuidia* dolet de bono alterius, quatenus id aliquo modo propriam excellentiam videtur obscurare. Vnde desiderat illi malum, nempè illius boni priuationem, vt suam existimationem & excellentiam illi bonam conseruet; ac proinde affectu proprij boni mouetur. Vnde patet *inuidiam*, quæ non appetit alteri malum vt ei sit male, sed vt tibi sit benè, esse minus quidem malum quàm *odium*, quod solum appetit vt alter sit malè: maius tamen quàm *iram*: nam ira spectat imaginem iustitiæ: & omnis irascens iustam causam iræ suæ prætendit, qua se excuset. vnde etiam iudicio generis humani minus probrosa aut inhonesta quàm inuidia, quæ nullam iustitiæ vel honesti speciem præfert. Ob eandem causam ira censetur honestior, seu minus

Ira inimicorum Instrumentum.

Inuidia.

minus dedecorosa quam concupiscentia, vt suprà dub.1. num. 16. dictum est.

Aduerte tamen, etsi ira ex parte obiecti formalis sit minùs mala vel minùs dedecorosa quàm odium, inuidia, & concupiscentia; tamen ex parte modi, cùm quo fit, habet præ rel quis passionibus peculiarem quamdam inordinationem. Primò, quia maximè rationem perturbat. Secundò, quia maximum in agendo habet impetum. Tertiò quia corpus maximè immutat, adeò vt hominem furiosæ belluæ similem efficiat. Vnde Prouerbio. 27. *Iram habet misericordiam, nec erumpens furor; & impetum contrarij spiritus ferre quis poterit?* Et Gregorius libro 5. moralium capitul. 31. *Per iram sapientia perditur, vt quid, quòve ordine agendum sit, omnino nesciatur, sicut scriptum est. Ira in sinu stulti requiescit, quia nimirum intelligentia lucem subtrahit, cùm mentem permouendo confundit.* Et infrà: *Nam ira sua stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se prapedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti: lingua quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur, ignorat. In quo itaque ille ab arreptitijs longè est, qui actionis sua conscius non sit? &c.* Ratio est, quia sicut amori, desiderio & gaudio deseruit sanguis; odio, timori, tristitiæ melancholia ita bilis deseruit iræ. Hæc enim, motu iræ insurgente, statim efferuescit, & concitatur, tamquam in malum præsens factura impetum. Motus enim spirituum & humorũ respondent motibus animorum: propter mutuam corporis & animæ consensionem, & illius ad hanc naturalẽ subordinationem. Rationem igitur perturbat, non solùm, vt aliæ passiones, faciendo obiectum aliter quàm in se sit, apprehendi, sed etiam, quia suo calore spiritus accendit, & commouet: qui tamen vt functionibus mentis sint idonei, debent esse temperati & tranquilli; deinde nimiùm calefactis humoribus fumi excitantur, qui caput opplent & offuscant. Dat impetum passioni, ratione caloris & incitationis: sicut enim passio bilem concitat, ita vicissim bilis concitata passionem auget per quamdam sympathiam, mediante tamen imaginatione, qua res vehementius apprehendatur. denique corpus immutat, quia calidissima: vnde accendit spiritus & sanguinem, & simul cum illis veluti foras contra malum ruitura, exterùs, in vultu præsertim, & oculis, sese prodit.

Ratione modi ira habet peculiarem rationem.

Cur ira maximè perturbet mentem.

29 Notandum Secundò, ab Aristotele 4. ethic. c. 5 poni quatuor species seu modos iræ: etsi D. Thomas art. 5. tres solũ enumeret, secutus in eo Gregorium Nyssenum, vel potiùs Nemesium lib. de natura hominis cap. 21. & Damascenum lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 16.

Species iræ apud Aristot.

Prima est eorum, qui simpliciter dicuntur *iracundi*. Aristoteli ὀργίλοι, qui celeriter irascuntur, & quibus non oportet, & quàm ob causam non oportet, & vehementius quàm oportet; sed paulò post placantur.

Secunda est eorum, qui dicuntur ἀκρόχολοι, id est, *summè iracundi*, qui celerrimè, ad omnia, & ob quamuis causam iracundia exardescunt. Hi duo modi fundamentum habent in temperamento bilioso, & in copia humoris biliosi, eiusque feruore, & tenuitate. Hinc enim prouenit illa celeritas irascendi ad minimas quaslibet occasiones. *Hi*, iuxta Gregorium li. 5. moralium capite 32. *accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ ignes reddunt, & citiùs quidem flammam faciunt, sed protinus in fumilla frigescunt.*

Tertia est eorum, qui dicuntur μικρόχολοι, quasi dicas, *amarobilarij*, qui postquam excanduerint, propemodum sunt implacabiles. cuius ratio est, quia cùm laborent humore melancholico, diu tristitiam ex offensione conceptam retinent; & consequenter retinent iram, quæ tristitiæ quærit medicinam: tollitur autem illa tristitia, vel temporis tractu concocta & euanescens; vel vindicta obtenta: vtrumque enim, & tempus & vltio est tristitiæ illius medicina. De his intelligi potest quod ait Gregorius suprà: *Alij lignis grauioribus durioribusque non dispares, accensionem tardè suscipiunt; sed tamen accensi semel, difficilùs extinguuntur: & quia se tardius in asperitatem concitant, furoris sui diutiùs ignem seruant.*

μικρόχολοι.

Quarta est eorum, qui χαλεποὶ, id est, *fœui & difficiles*, qui numquam placantur, nisi iniuriam vlti sint: non propter tristitiam, vt illi priores; sed quia imaginationem in vltionem defixam habent. His rectè aptaueris illud Gregorij; *Alij, quod nequius est, & citiùs iracundia flammas accipiunt, & tardiùs deponunt.* quamuis & hoc interdum in prioribus, nimirùm μικροχόλοις, locum habeat.

χαλεποὶ.

In prima igitur & secunda specie est inordinatio, ratione nimiæ celeritatis qua fit, vt rationis præscriptum nõ expectetur: quæ celeritas in prima est maior quàm oportet, sed non summa: in secunda est summa, seu in summo gradu. In tertia & quarta specie est inordinatio ratione diuturnitatis; quæ in tertia quidem prouenit ex tristitia; in quarta ex vehementi imaginatione vindictæ.

30 Nemesius loco citato tres iræ species constituit. Primam vocat ὀργὴν & χόλον, quam *exacerbescentiam* vocare possumus: estque nihil aliud quàm ira, principium, & motum habens. Hæc primam & secundam speciem Aristotelis complectitur. Secundam vocat μῆνιν παρὰ τὸ μένειν, quòd diu manet; quæ nihil aliud est quàm ira inueterascens, & *simultas* dici potest. Hæc pertinet ad tertiam Aristotelis. Tertiam vocat κότον ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι, quòd vindictam repositam habeat: quæ est ira obseruans occasionem vlciscendi. hæc *Inimicitia* vocari potest; & pertinet ad quartam Aristotelis.

Diuisio Nemesij & Damasceni.

Possunt supradicti modi considerari vel vt habent initium, & veluti fundamentum in naturæ dispositione: & sic sunt passiones, quæ per se moraliter nec malæ sunt. vel vt proueniunt ex dispositione voluntaria, aut aliquo modo a consensu voluntatis pendent: & sic sunt distincta peccata, habentia inordinationes specie distinctas, vt rectè ostendit Caietanus, & satis colligitur ex dictis. quod intellige de secundo, tertio, & quarto modo; nam primus & secundus non videntur specie, sed solùm secundùm magis & minùs distincti.

31 *Quæ rationis sint passiones & quæ vitia.*

Notandum Tertiò, Iram seu iracundiam poni à DD. vitium capitale; quia ordinariè plura alia ex eo nasci consueuerunt: idque duplici ratione. Primò, ex parte obiecti, quod est vindicta, habens speciẽ iustitiæ: ratione cuius homines multa facere consueuerunt. nam & appetitui naturali, vt est depulsio mali; & rationali, vt habet specimen iustitiæ, est valdè conformis. Secundò, Ratione illius impetus, quo mentem ad multa inordinatè agẽda, & ad quidquis audendum vindictæ desiderio præcipitat. Huius vitij D. Gregorius lib. 13. moralium ca. 31. recenset has sex filias: *De ira*, inquit, *rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia proferuntur.* Quarum ratio, iuxta D. Thomam, sic accipi potest: Ira potest tripliciter considerari. Primò, Vt est in corde: ibi parit *indignationem & tumorem mentis*. *Indignatio* est, qua is, cui irascimur, contemnitur, & vilipenditur tamquam indignus à quo tale quid patiamur: *Tumor mentis* est quo seipsum irascens extollit, & alteri præfert. Facit enim ira vt ille, qui offensus est, se apprehendat vt magnum, & extollat; eum verò qui offendit, vt vilem, & contemnat. sic animalia in ira intumescunt, & se extollunt.

32 *Ipse vitium capitale.*

Filiæ iræ sex.

Secundò, Vt est in ore; & sic parit *clamorem, contumeliam & blasphemiam*. *Clamorem*, faciendo vt vocem extollamus, multa inordinatè & confusè iactantes: *contumeliã*, iactando conuitia verborum in proximum: *blasphemiam* contra Deum.

Tertiò, Vt procedit ad factum; & sic parit *rixas*, seu *pugnas*, & quæ ex rixis sequuntur, vulnera, homicidia, & cetera.

Notandum Quartò, remedia iræ esse eadem, quæ sunt adminicula ad mansuetudinem, de quibus dubit. 3. Inter omnia autem meritò Primum locum tenet consideratio illa, qua perpendimus nobiscum, quoties & quàm grauiter ipsi Deum post infinita ab eo percepta beneficia offenderimus, & tamen quòd exigua vel nulla satisfactione oblata cupiamus nobis ignosci, & Deus prompte ignoscat. Quantæ igitur impudentiæ erit, si fratri, qui nihil vel parùm beneficij à nobis accepit, exigua in nos peccanti non condonauerimus? Deus decem millia talentorum ad primam petitionem statim nobis condonat: nos fratri pauca minuta nobis debenti non ignoscemus? hanc considerationem proponit Dominus, Matth. 18. Secundum locum tenet exemplum Christi, qui tot & tantas iniurias abijt, in quos tanta beneficia contulerat, sustinuit: & ijsdem etiã veniam & pacem à Patre rogauit. Gregorius libro 5. moral. cap. 32. duos modos frangendæ iræ recensет. *Primus*, inquit,

33 *Remedia iræ.*

inquit. *est, vt mens sollicita ex toquam quidlibet agere incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat, quatenus redemptarit sui probra cogitans, ad aduersa se præparet, &c. Secundus est, vt cùm alienos excessus aspicimus, nostros, quibus in alios excessimus, delicta cogitemus, considerata quippe infirmitate propria, mala nobis exuisse aliena, &c.*

Quod ad alterum extremum mansuetudini oppositum
34 attinet, id proprio nomine caret; sed dici potest *lentitudo.* vel *stupor*; vitium non ita frequens. Aristo. vocat ἀφροσύνην, quasi dicas, *Insanientiam*, vel *iræ* vacuitatem; mirum cùm quis ita insensilis est mali & iniuriarum, vt non excitetur ad iram, quando etiam secundùm rectam rationem oportet. Est autem id signum stoliditatis, iuxta Arist. quia tales non videntur habere sensum mali, aut apprehendere iniuriam. quod intellige, si id à stupore quodá naturæ prouenia; secùs, si philosophica consideratione, & exercitio comparatum; vt in aliquo fortasse è Stoica disciplina, quæ omnem iram vult excidam, & ἀπάθειαν profitetur.

Alterum extremum per defectum. Lentitudo.

Hæc tamen iræ vacuitas non est per se vitiosa. Sicut e-
35 nim irasci non est per se bonum: ita nec iræ motu vacare, aut esse ad irascendum stupidum, est malum. Potest tamen esse vitiosum, quatenus est causa, vt quis defectu iræ, & animositatis prætermittat aliquod officium iustitiæ, vel charitatis, ad quod erat obstrictus; vt monere, corripere, castigare, retundere contumaces, occurrere malis, &c. In quibus etiam Dominus interdum ira vsus legitur; vt Matt. *Circumspiciens eos cum ira & Io. 2.* cùm eiecit vendentes è templo. Quando enim ad tale quid obligamur, si per se fieret animus, & detrectat tamquam rem arduam, excitanda est ira, quæ addat calorem & audaciam, torpore illo excusso. Ea enim est humana conditio, vt sine huiusmodi stimulo & præsidio, ad ardua exequenda vix excitemur; nam ira est satellitium rationis; sine satellite in Rempub. mala non impediuntur: nec sine ira ratio in homine contra malum strenuè insurgit. Vnde in eiusmodi euentis non excitare iram est vitiosum, & contrarium mansuetudini per defectum. mansuetudinis enim est non solùm iram comprimere, sed etiam cùm opus est, excitare & assumere: quamuis hoc nomen magis compressionem insinuet. Illa tamen iræ vacuitas non habet distinctum malitiam a malitia, quæ est in omissione officij debiti, cuius est causa: nam solùm est mala, quatenus in ea omissio debitæ actionis consetur volita.

Non est per se vitiosa.

DVBITATIO V.

De clementia & crudelitate.

D. THOM. Q. 157. & 159.

CLEMENTIA est virtus mansuetudini affinis; non
36 tamen eadem, iuxta D. Tho. Distinguitur enim obiectè formali, & materia proxima. Mansuetudo enim proximo versatur circa iram: clementia circa vindictam externam. Illius officium est iræ imponere moderationem, & cum recta ratione conformitatem: huius verò diminuere, seu mitigare externam punitionem, quantum iustitiæ ratio patitur. Illa pertinet non minùs ad subditos & infimos quàm ad Superiores: hæc propria est virtus Superiorum & maximè Principum.

Diffinitio clementiæ, & mansuetudinis.

Dices, Eiusdem virtutis est moderari affectum interni, &
37 opus externum, ad quod ille affectus inclinabat. Eadem enim virtus temperantiæ, quæ cõcupiscentias voluptatum carnis refrænat, etiam vlum externum temperat: & eadem fortitudinis virtus, quæ timorem & audaciam moderatur, etiam fugam & aggressionem dirigit. Similiter liberalitas, quæ diuitiarum cupiditatem, etiam externam largitionem moderatur. Idem cernitur in φιλοτιμίᾳ, (prout est virtus circa honores mediocres occupata (magnanimitate, & magnificentia: ergo etiam virtus illa, quæ moderatur iram, nempè mãsuetudo, etiam moderabitur externam punitionem, minuendo eam consentaneè suo affectui, ac proinde non distinguetur à clementia. Confir. quia ira est cupiditas vindictæ & punitionis: atqui minuit cupiditatem vindictæ, hoc ipso etiam externam vindictam, quæ ex illa cupiditate sequitur, minuit.

Obiectio.

Ob hoc argumentum videri posset alicui idem habitus virtutis, qui quatenus temperat iram, dicatur *mansuetudo*, quatenus vero externam punitionem; *clementia*. Quæ sententia confirmari potest; quia vterque, nimirum mansuetus & clemens, videtur quærere in seipso benignitatem quamdam & suauitatem affectus in proximum, (vnde exrã vocantur lenes, & habitus eorum lenitas) & ex eodem affectu operari.

Nihilominus placet sententia D. Tho. Vnde respondeo, *Respons. Videri distinctos habitus.*
Dupliciter fieri posse vt quis incitetur ad maiorem vindictam quàm conueniat.

Primò, Ex impetu iræ. Et hoc modo vindictam minuit mansuetudo; aut rectè probat argumentũ. imminuta enim vindictæ cupiditate, sequitur imminutio vindictæ. sicuti imminuta concupiscentia delectationum; sequitur moraliter imminutio in ipsarum vsu externo.

Secundò, Ex consideratione suæ potestatis, qua inclinatur ad intemperanter ea vtendum: ita enim est humanum ingenium, vt delectetur ostentatione potestatis, & aliorum subiectæ depressione, & miseria. Hoc modo mitigat punitionem clementia, quæ retinet animum ne tota potestate in vindicta inferenda vtatur.

Spectant diuersa obiecta formalia.

Vnde patet has virtutes diuersas rationes formales spectare. *Mansuetudo* enim vindictam mitigat ne obtemperet iræ, & quia id consentaneum animo iræ dominanti; *clementia* verò, quia id consentaneum & decorum homini, potestate in alium prædito. Decet enim in malis, pœnisque inferendis non vti tota potestate, sed aliquid remittere, & infra meritum punire: sicut è contrario in præmijs conferendis honestum est etiam suprá merita remunerare: vt benignitas præmio aliquid adijciat, & supplicio aliquid detrahat. Sic Deus dicitur punire citra cõdignum, & vltra condignum præmiare. Cùm enim pœna sit malũ, & præter Dei primæuam institutionem, decet eam minui quantum ratio boni patitur. Et è contrario cùm præmium sit bonum, & ex primo Dei instituto ac intentione, decet illud augeri quantum iusta proportio & bona gubernatio permittit.

Mala minuenda, quia contra naturam.

Ex his facilè intelligas quid sit clementia. Seneca libro
39 2. de clementia, capit. 3. sic definit; *Clementia est temperantia animi in potestate vlciscendi: vel lenitas Superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis.* Et infrà: *Clementia*, inquit, *est moderatio, aliquid ex merita ac debita pœna remittens.*

Definitiones clementiæ.

Quæ definitiones idoneæ sunt, & insinuant tria ad clementiam, vt in actum externum exire possit, requiri. Primò, Potestatem puniendi; quæ tantùm reperitur in Superioribus: vnde hæc virtus est propria Superiorum, & maximè Principum, qui pœnas legibus definitas possunt mitigare.

Tria ad clementiam requisita.

Secundò, Vt mitior pœna irrogetur, quàm iure irrogari posset. Est enim clementia quædam gratia, & condonatio; non perfecta, (distinguitur enim a venia) sed ex parte. ita vt iustitiæ vindicatiuæ officium non excludat, sed solum asperitatem nonnihil mitiget.

Tertiò, Vt id proueniat ex animi lenitate; quæ fit vt quis proximo benignè afficiatur; eiusque commodis faueat, incommoda abhorreat. Itaque si quis pœnam sonti mitiget inductus pecunia, vel amicitia, vel timore; non erit formale officium clementiæ: quia non ex affectu huius virtutis, sed ex alio motiuo id facit. dicetur tamen actus clemẽtiæ, quia ratione materiæ ad hanc virtutem pertinet.

Porrò quę ad clementiam mouent, præcipua sunt ista
40 Primum, Exemplum Dei, in quo maximè hæc virtus elucet. quàm exigua pœna finit in hac vita innumerabilia peccata Iui, quorum singula æternos cruciatus merebantur? vnde meritò Psalm. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* & Sapient. 11. *Parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine: qui amas animas. O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus!* In futura vita etsi summam seueritatem exerceat, quatenus de pœna statuta nihil remittit; in eo tamen est aliquid clementiæ, quòd minorem statura quàm iure potuisset, non continens in ira misericordiam suam; vt communiter Theologi aiunt.

Motiua clementiæ.
1. Exemplar Dei.

Secundum est, Consideratio modi, quo peccatum com-
2. Miseria delinquentis.
missum est; vt si perpetratum ex aliqua ignorantia, vel passione, quò pertinet, si ex paupertate, ex praua institutione,

ne, ex grani tentatione, si iniuria prouocatus, si ex ebrietate vel inconsideratione. hæc enim omnia apta sunt flectere animum ad clementiam, & ad mitiora in pœna statuenda.

Tertiò, Cogitatio illa, qua quisque apud se statuere debet, similia vel graviora facturum se perpetraturum fuisse, si diuina gratia destitutus, & in similibus occasionibus deprehensus fuisset. nullum enim peccatum facit homo, quod non faceret alius homo, nisi iuuaretur ab eo, per quem factus est homo, vt quodam loco D. Aug. ait.

Quartum est, Clementiæ fructus: conciliat enim Principi amorem subditorum, præstat ei securitatem, & confirmat regnum. Vnde Prouer. 28. dicitur *Misericordia & veritas custodiunt regem, & clementia roboratur thronus eius.* E contrario crudelitas alienat animos, parit odia, & inimicos plurimos, à quibus assidua pericula & euersio status impendent. *Sicut enim præcisa arbores plurimos ramos pullulant; ita Principis crudelitas auget numerum inimicorum.* vt rectè quodam loco dixit Seneca.

Aduertetamen, quibusdam euentis bono publico magis expedire *seueritatem* quàm clementiam. Est autem *seueritas* inflexilis animi rigor, nihil de merita vel statuta pœna remittens. Hæc vitiosa, Primò, *In militia:* hic enim omne erratum capitale est, propter publicum periculum. vnde exactè disciplina seruanda, vt si semel peccatum fuerit, saltem non contingat secundò; vt quidam ait: quod absque rigore fieri non potest. Accedit, quòd illa hominum colluuies, nisi seueritate & præfractis imperijs regi nó possit. Refert in hanc sententiam nonnulla Valerius Maxim. lib. 2. cap. 2. & li. 6. cap. 3. & Lampridius in Alexandro Seuero. sed in primis memorabilis fuit seueritas disciplinæ militaris in Aureliano Imperatore, quæ ita militi formidolosa erat, vt post vnam cattrensem animaduersionem nemo sub eo deliquerit amplius. Illius epistola ad Tribunum militum, quem præsidio præfecerat, talis extat: *Si vis Tribunus esse, summo sis vir oportet. manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, unum nemo attingat, vnam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, salem, ligna nemo exigat: suo quilibet sit annona contentus. Hostili præda, non provincialium lacrymis ditescant: arma detersa sint, calceamenta fortia: nemo vestis veterem excludat, stipendium habent in baltheo, non in pompa.*

Secundò, In præfectos & ministros iustitiæ, præsertim qui muneribus corrupti iustitiam peruertunt, & ius omne venale habent. Hi enim potestate publica, qua, tamquã sacrosancta, caltissimè vti deberent, abutuntur ad oppressionem innocentum, & priuatum compendium. Huius seueritatis præclarum exemplum refert Herodotus in Terpsichore, seu lib. 5. & Valerius Maximus lib. 6. c. 3. attingit: *Otanem*, inquit Herodotus, *Darius Rex, ex maximis præfecerat. Huius patrem Sisamnem vnum è regijs Iudicibus, quod iniustè ob pecuniam iudicasset, Rex Cambyses, qui ante Darium fuit, interemit, interruptoque detractum corium in lora concidit, quibus tribunal, in quo ille sedens iudicarat, intendit, ibidemque filium eius Otanem sedere Iudicem iussit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret.*

Tertiò, Cum populi ingenium est malignum & refractarium, ita vt in officio aliter contineri nequeat. ob hanc causam tota lex vetus, cuius ipse Deus erat auctor, & qua populum Iudaicum regi volebat, erat seuera, & acres pœnas infligebat, vt pro adulterio, pro violatione Sabbati, pro esu panis fermentati tempore paschatis, &c. pœnam mortis: quia populus ille duræ ceruicis erat, ut Scriptura loquitur. Item quando crimẽ ex pura malitia commissum: tunc enim clementiam non meretur. Denique seueritate vtendum, quando ill magis iudicatur expediens vel ad emendationem delinquentis, vel certè ad publicam disciplinam sanciendam. hic enim est finis punitionis: ac proinde mensura vindictæ hinc capienda. finis enim est mensura eorum, quæ sunt ad finem. alioquin decet vt animus ex se propensior sit ad clementiam, eamque adhibeat, quando bonum publicum, vel correctio delinquentis aliud non postulat.

Clementia opponuntur duo extrema, *Crudelitas*, per excessum, & *Nimia lenitas*, per defectum. *Crudelitas* nihil est aliud quàm atrocitas animi in exigendi pœnis. Sicut enim clementia minuit pœnam quantum ratio permittit: ita crudelitas illam supra iustum modum exaggeratque ex animi quadam asperitate, malo alterius minime compatientis.

Supponit hoc vitium in opere suo potestatem puniendi, siue legitimam, siue vsurpatam: nam in eo consistit q̃ in vsu illius potestatis modus excedatur, dum pœna maior infligitur quàm culpa meretur. Secundò, Supponit etiam causam, nimirum iniuriam, quæ vindicetur, aut delictum quod puniatur. Vnde Seneca libro 2. de clementia capit. 4 *Illos*, inquit, *crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent. Sicut in Phalari, quem nimis, non quidem in homines innocentes sed super humanum ac probabilem modum sæuisse.*

Crudelitas enim est excessus in pœnis exigendis. pœna autem delictum vel speciem delicti supponit. ita crudelitas propriè respicit ad aliquam culpam, & prætendit speciem quamdam iustitiæ.

Dices, Quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen videntur, tamquam qui ignotos homines & obuios non in compendium, sed occidendi causa occidunt; nec interficere contenti, sæuiunt, vt Busiris ille, & Procrustes, & piratæ, qui captos verberant, & in ignem viuos imponunt: ita Seneca obijcit. 43 *Obiectio.*

Respondeo cum eodem Seneca, Tales non tam esse *crudeles* quàm *feros*, & vitium eorum *feritatem*, cui voluptati est sæuitia. Sicut enim immanes belluæ dilaniant homines, & ea re delectantur, nullam iustitiæ aut rationis speciem attendentes, sed solam voluptatem pastus: ita qui nõ vindictæ causa (quæ aliquam iustitiæ imaginem præfert) cruciatus inferunt, sed quia tormentis & sanguine humano delectantur, meritò dicũtur *feri*, & sæui, vtpote belluis quàm hominibus affectu & truculentia morum similiores. tales se præstant quidam hæretici in catholicos, præsertim sacerdotes, inusitatis supplicijs eos afficientes, non vt puniant aut vindicent aliquam iniuriam, (quæ enim iniuria est antiquam religionem toto orbe diffusam, & tot sæculis florentem colere:) sed vt animum tormentis & sanguine eorum expleant. Laronum sæuitia, qui propter cõpendium homines torquent & occidunt magis ad feritatem, quàm ad crudelitatem referenda est: quia non vindictæ aut punitionis causa id faciunt, sed sui commodi, sicut immanes feræ, quæ ob pastum occidunt. *Resp. Feritas.*

Alterum extremum clementiæ oppositum est *nimia lenitas*. Hæc inconsultè pœnam mitigat, vel omnino remittit, etiam cùm bonum delinquentis, & exemplum aliorum aliud requirit: vitium non minus Reip. perniciosum quam crudelitas. Iode enim criminosi, & turbatores pacis publicæ inualescunt. vulgo tamen *clementia* vocatur, cũ potius crudelitas sit in Remp. quàm clementia in priuatos. Prouenit hoc vitium ex nimia alieni mali compassione; cũ fortuna & calamitas, quam patitur, non causa spectatur. hanc Seneca vocat *misericordiam*. nomine non satis in eum sensum, præterquam apud Stoicos, vsitato. potest etiam prouenire ex naturæ quadam lentitudine & stupore, culpæ magnitudinem non percipiente, de quo sup. dub. 4. demq; ex amore alicuius commodi vel timore incommodi. vt cũ Iudex muneribus corruptus, vel metu officij amittẽdi impulsus fontibus parcit, quamuis hic non tam sit vitium nimiæ lenitatis, quàm auaritiæ vel ambitionis. 44 *Nimia lenitas.*

1. *Quando vtendum seueritate.*
1. *In militia.*
Disciplina militaris.
2. *In præfectos.*
42 *Vitia opposita clementiæ.*

DVBITATIO VI.

Quid modestia, & quæ eius species.

D. THOM. Q. 160.

MODESTVS vocari solet, qui intra modum & limites sui status, ingenij, & fortunæ se continet, suo modulo contentus. Vnde *modestia* est virtus, qua quis hanc mediocritatem in se amat & præstat, motus suos internos & externos, & omnem rerum suarum apparatum, intra mensuram sibi congruam coercens. Hinc patet modestiam esse affinem & annexam temperantiæ. Sicut enim temperantia moderationem adhibet in ijs in quibus difficillimũ est adhibere, nimirum in delectationibus tactus, ita modestia in alijs quibusdam modum ponit, vbi id minus quidem est difficile, tamen ad rectè præstandum opus est virtute. Diuus Thom. huius virtutis quatuor statuit species *humilitatem*, *studiositatem*, *modestiam motuum exterio-* 45 *Modestia.*

rum, & modestiam externi apparatus. Moderatis enim delectationibus carnis per *temperantiam*. & impetu iræ per *mansuetudinem*; quatuor supererant, quæ potissimum moderatione quadam, & intra certos limites restrictione egere videbantur. inter quæ Primum est, motus animi ad excelsa, ad quem coercendum est *humilitas*. Secundum, nimium desiderium cognitionis, præsertim curiosæ: hoc refrænat *studiositas*. Tertium: Motus & gestus externi corporis; hos componit *modestia morum*. Quartum, Externus cultus & apparatus in vestibus, conuiuijs, supellectili: hunc moderatur alia quædam modestiæ species quæ *modestia cultus* dici potest.

DVBITATIO VII.

Quid sit humilitas, & quod eius officium.

D. THOM. Q. 161.

Humilitas duplex.

46 HVMILITAS ab humo dicitur, quia per illam ad ima & veluti ad humum vsque deprimimur. Dupliciter autem id fieri potest.

Primò, Si contra voluntatem ab alio depressus sit: & hoc modo humilitas est pœna; sicque dictum est, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*.

Secundò, Si quis sua sponte ex consideratione suorum defectuum se deprimat; & hoc modo est virtus, quæ variis modis definiri potest. D. Tho. artic. 1. ad 3. *Humilitas*, inquit, *est virtus, qua quis defectum suum considerans, se in infima secundum modum suum continet*. Idem ad 2. *Est laudabilis sui ad ima deiectio*. Ioannes Rusbrochius li. de præcipuis virt. cap. 1. *Humilitas est animi demissio, id est, interna quædam & profunda cordis & animi coram celsissimo Dei maiestate inclinatio & submissio*. Aptissimè D. Bernardus lib. de gradibus humilitatis in principio, *Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit*.

Humilitatis definitio.

47 Ex quibus patet, humilitatem supponere cognitionem sui, id est, suæ imperfectionis suique defectus. Hæc *sui cognitio* comparatur, dum quis se coram Deo & Angelis constituens, considerat qualis sit tum animo, tum corpore: quàm ignorans, quàm ad malum pronus, ad bonum lentus & infirmus, quàm rebus infimis addictus, quàm leuis & instabilis: quantis peccatis obnoxius, quantis miserijs subiectus, quàm in Deum ingratus: præterea se ex se nihil boni habere nihil posse, nihil esse: sua omnia assiduè à diuina bonitate pendere, sicut imago in speculo pendet ab obiecto: sicut pondus suspensum in aere a manu tenentis, sicut lumen à sole: & sicut vmbra à corpore; denique sine assiduo Dei influxu se in nihilum ruere.

Suppone notitiam sui. Quo modo illa notitia habeatur.

Dixi, Coram Deo hanc considerationem faciendam; *quia ad illud lumen veritatis constitutus homo, seipsum, & sine dissimulatione inspicit, & sine palpatione dijudicat*, vt inquit D. Bernardus serm. 42. in Cantica. Sicut, vt quis nævos omnes sui corporis perspectos habeat, seipsum soli exponit, vt in eius lumine omnia detegantur.

Actus humilitatis.

48 Hac cognitione posita in intellectu, sequuntur in voluntate multi affectus & motus, qui sunt humilitatis actus & functiones.

Primò, Vilipensio & contemptus sui, per quem se, quoad ea, quæ ex seipso habet, nihil æstimet.

Secundò, Reputat se omnibus Dei donis indignum, & ad omnia ineptum: idque sine falsitate, vt docet D. Thom. art. 6. ad 1. Talis enim reuerà est secundum ea, quæ ex seipso habet.

Tertiò, Hinc sequitur, vt veritatis amore impulsus, non cupiat ab alijs magni æstimari, honorari, vel laudari: quia videt id sibi non congruere; sed ei à quo omne bonum accepit. Vnde cum Apostolo dicit, *Regi sæculorum immortali & inuisibili soli Deo honor & gloria*. non enim imago vel pictura laudem meretur, sed pictor: nec colla; sed plastes.

Quartò, Quantum in ipso est, desiderat etiam vilis haberi, & sub alijs contemni. talem enim cupit se ab alijs iudicari & [illegible] qualem se veritatis sententia, & in oculis D. Bernardus serm. 16. in Cantica *vult reputari, non humilis prædicari*.

gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quòd laudes contemnat. Dixi; *quantum in ipso est*, quia non semper expedit vt alij nostros defectus nouerint, aut nihil nos æstiment; propter ædificationem, & fructuum aliorum vt D. Bernardus serm. 42. in Cantica notat.

Quintò, Cum videt se magni fieri vel honorari, dolet; nec illum honorem in animo sibi attrahit, imò nec admittit, nisi fortè ratione officij aut doni, quod habet; & ita illum in Deum, *talem* implicitè, refert.

Sextò, Conferendo se alijs, censet se omnibus viliorem & deteriorem: considerat enim se iuxta ea, quæ ex se ipso habet, alios verò secundum ea, quæ ipsi ex Deo; & sic illos sibi præponit; vt bene D. Tho. art. 3. declarat. Hoc enim est ingenium humilitatis, in se intueri sua mala, in alijs, eorum bona. Sicut è contrario superbiæ indoles est, intendere in sua bona, & in aliorum mala. quisque autem secundum sua est deterior quàm sint alij secundum ea, quæ sunt Dei; vt benè docet Anselmus lib. de similitudinibus cap. 109. & D. Thomas art. 6. ad primum, & Caietanus ibidem contra Martinum.

Septimò, Subijcit se Deo veluti infimum mancipium, vel potius, sicut tela figulo, & opus suo factori, vt de se disponat pro suo beneplacito in omnibus. præsertim quæ ad hanc vitam pertinent: verbi gratia, quod ad paupertatem vel diuitias, sanitatem vel morbum, infamiam vel gloriam; mortem vel vitam attinet. vnde 1. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis*.

Octauò, Subijcit se hominibus propter Deum, finens se ab illis tamquam instrumentis Dei gubernari. Vnde 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, tanquam præcellenti &c.*

Nonò, Denique in externis rebus & functionibus, quantum in se est, amplectitur semper id, quod est abiectius, & minus honoratum, v. g. locum inferiorem in consessibus, latus sinistrum in congressibus, socios simpliciores, officia vulgò minus honorata, vestes, supellectilem, &c. In vsu tamen externo debet habere rationem decoris & officij, quod gerit, vt antè dictum est. Hæ sunt actiones humilitatis, & hoc ferè ordine ad ipsam virtutem comparantur, ab eaque procedunt.

Duplex humilitas. Iudicij.

49 Notandum est, à D. Bernardo sermone 42. in Cant. duplicem humilitatem distingui, alteram iudicij, quæ adhuc imperfecta est: alteram affectus, quæ perfecta. Iudicij humilitas est, qua quis seipsum ad lumen veritatis intuens agnoscit suam vilitatem, & se coram Deo demittit; non tamen vult ab alijs vilis haberi aut contemni, sed potius magni æstimari & honorari. dicitur *iudicij*. non quòd nullo modo transeat ad affectum: (demittit enim se in abscondito coram Deo) sed quia non ita efficaciter transit, vt sicut se vilem iudicat, sic quoque ab alijs vilis haberi cupiat. vnde potissimum in iudicio remanet. Affectus humilitas est, qua quis etiam ab alijs talem se haberi cupit, qualem se coram Deo cognoscit. De his ita Bernardus loco citato: *Est humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem, & est humilitas, quam charitas format & inflammat; atque hæc quidem in affectu illa in cognitione consistit. Exemplum tu, si temetipsum intres ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias & sine palpatione dijudices, non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus velut tibi ex hac vera cognitione tui; quamuis necdum fortasse id esse patueris in oculis alienis. Eris igitur humilis, sed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris confusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter atque salubriter demonstrauit, sicut splendore illuminatus, ita amore affectus fuisses: voluisses procul dubio, quòd in te est, eandem de te omnes tenere sententiam quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis*. Et infrà, reprehendit eos, qui solam iudicij seu veritatis humilitatem habent. *Pondus*, inquit, *& pondus, abominatio est apud Deum. Quid enim? Tu te detrectaueris in secreto apud teipsum, veritatis trutina ponderatus: & foris alterius pretij mentiens, maiori te pondere vendis nobis, quàm ab ipso accepisti? Time Deum; & noli hanc rem pessimam facere, vt quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum, &c.*

Humilitas de opere veritatis & de charitate veritatis.

Dices Primò, Humilitatis est cohibere affectum, ne feratur ad excelsa supra conditionem & proportionem hominis: atqui idem præstat magnanimitas; ergo non videtur di-

50

Obiectio 1. An diſtinguatur a magnanimitate. Reſp.

diſtingui à magnanimitate. Ob hoc argumentum Martinus ponit humilitatem virtutem re ipſa non diſcrepantem à magnanimitate. ſed fallitur; vt recte oſtendit Caietanus. Primò, Quia virtutes ex principalibus functionibus ſuis diſtinguendæ ſunt: atqui principalis functio *magnanimitatis* eſt, non coercere affectum, ſed impellere ad ardua & magna, quibus homo eſt dignus; ſecundariò autem retrahit ab his, quæ dignitatem ipſius ſuperant. *Humilitatis* autem primarium munus eſt nõ impellere, ſed retrahere animò inordinatè ad excelſa tendentem, & intra ſuam menſuram coercere, vt ijs, quæ hominis vilitati congruſit, acquieſcat. Itaque hæ virtutes contrario modo procedunt; magnanimitas impellendo ad ardua, quæ ſua difficultate animum abterrent, & deſperationem injiciunt: humilitas retrahendo à magnis, quę ſplendore & excellentia ſua animum alliciunt. Itaque ad quod magnanimitas affectum impellit, ab eo humilitas retrahit, licet ſub diuerſa ratione. Deinde etiamſi magnanimitas ſecũdariò à quibuſdam animum retrahit, à quibus retrahit etiam humilitas, ſub alia tamen ratione formali id facit. Illa enim retrahit animum à quibuſdam excelſis, quatenus ſuperant proportionem, quam habet homo ad illa ex parte donorum Dei: (non enim vult magnanimus maiora quàm ipſi ratione donorum, quibus prædituſ eſt, congruant) hæc verò retrahit animum ab omnibus excelſis, quatenus ſuperant proportionem, quam habet homo ex parte ſui. Ratio itaque coercendi & trahendi animi eſt diuerſa, nimirum exceſſus obiecti reſpectu eius, quod homo habet à Deo: & exceſſus obiecti reſpectu eius, quod homo habet ex ſeipſo. Hunc reſpicit humilitas, illum magnanimitas. Vide Caietanum artic. 1. ad ſecundum.

Obiectio. 2. An humilitas impediat magnanimitatem. Reſp.

51 Dices Secundò, Si humilitas coerceat affectum ne feratur ad aliquid, quod eſt ſupra proportionem & menſuram hominis, quàm ex ſeipſo habet: ergo non permittet hominem quidquam magni agere, conari, vel appetere: quia omne bonum ſuperat hanc proportionem: ac proinde impediet præcipuam functionem magnanimitatis.

Reſpondeo, Non poſſe hominem quidquam appetere, vel conari, tamquam ipſe per ea, quæ præcisè ex ſe habet, eo ſit dignus, aut illud poſſit efficere: poteſt tamen, quatenus per id, quod accepit à Deo, ſufficientem ad illud proportionem habet. Hinc fit vt is, qui ex ſe eſt humillimus, ex dono Dei ſit ſummè magnanimus. Etſi enim ex ſe nihil poſſit, nulloque bono aut honore dignus ſit; tamen ex dono & auxilio Dei plurima poteſt, (iuxta illud Apoſtoli: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*) & maximis bonis, honoribuſque dignus eſt & ſe dignum iudicat. Declarat hoc Gregorius libro 6. in 1. Regum capit. 3. explicans illa verba capit. 16. *Adhuc reliquus eſt parvulus & paſcit oues. Meritò*, inquit, *parvulus iſte dicitur oues paſcere; quia electus quiſque humilis eſt, & ſterilis non eſt: quia quotidie magna agit, ſed de ſe magna non ſentit. Meritò ergo non ſolùm parvulus, ſed paſtor aſſeritur; quia qui verè humiles ſunt, foris ſe deijciunt, ſed per internam ſocietatem in ſummis & æternis paſcuis nutriuntur; nam ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quæ autem gratia, niſi vt ſumma videant & cognoſcant, cognoſcant & diligant, atque ad ipſa dilecta quaſi fortes & pingues currant.* Idem cernitur in omnibus beatis. ſunt enim & ex ſe humillimi, & ex donis Dei ſummè magnanimi. Imò nulli ſunt magis magnanimi quàm illi, qui verè ſunt humiles. Cùm enim non ſuis viribus, ſed Dei tantùm auxilio, cui ſe penitus ſubiecere, nitantur, eiusque omnipotentiam & bonitatem aſſiduè cogitent; nihil eſt quod hac ratione illis poſſibile aut valdè arduum appareat; ac proinde etiam quiduis aggredi, cùm honor Dei poſtulat, non dubitant. Exemplo nobis ſunt maximi quique Sanctorũ, & in primis Apoſtoli, qui ſtupenda, Deo confiſi, ſunt aggreſſi, & perfecerunt. Itaque humilitas nõ reddit ſegnem, aut timidum, aut puſillanimem, ſed ad veram animi magnitudinem diſponit. mundi magnanimitas, quia ſuis viribus nititur, ſuperbia potiùs eſt, quam magnanimitas.

Summè humilis eſt ſummè magnanimus.

Fundamentum humilitatis.

Ex dictis colligi poteſt, Primò, Fundamentum humilitatis eſſe notitiam ſui, quæ vt ſit perfecta, poſtulat etiam cognitionem Dei; vnde fit vt coniunctiſſimæ ſint humilitas & charitas: ſicut cognitio ſui & cognitio Dei non poſſunt à ſe inuicem ſeparari. humilitas enim ſequitur cognitionem ſui; charitas cognitionem Dei. Itaque rectè dicitur à D. Auguſtino: *Noverim te, noverim me; vt amem te, & contemnam me.* 43 3

Secundò, Hanc virtutẽ eſſe non in intellectu ſed in voluntate. Inclinat enim voluntatem vt ſe intra menſuram ſui ſuppoſiti contineat, nec ad aliquid per motum ſpei vel deſiderij ſupra illam feratur.

Obiectum huius virtutis.

Tertiò, Obiectum huius virtutis eſſe id, quod congruit noſtræ vilitati. hoc enim eſt quod per humilitatem & interiùs appetitur, & exteriùs agitur.

Obiectio.

53 Dices hoc non eſſe appetibile. eſſe enim vile probroſum, non eſt bonum neque laudabile, ac proinde non poteſt eſſe obiectum virtutis; quod debet eſſe honeſtum & honore dignum. Hæc res non videtur ſatis a Doctoribus explicata.

Reſp. Quo modo id quod obiectum ſit expetendũ & honeſtũ.

Reſpondeo tamen, Id, quod vile eſt, nõ eſſe quidem per ſe expetendum, aut honeſtum; poſſe tamen ſub alia conſideratione, honeſti rationem induere. Primò, Si ſpectetur ut eſt congruens noſtræ conditioni: honeſtum enim eſt amplecti ſibi congruentia. At hæc tamen congruentia non conſiſtit totum bonum & honeſtum humilitatis. non enim per ſe eſt magnę laudis vilem vilia amplecti, quòd hæc ipſi cõgruant. Itaque adhuc vlterior ratio formalis requiritur, reſpectu cuius prior illa ſe habeat inſtar fundamẽti quaſi materialiter. Secundò igitur, Id, quod vile eſt, ſeu amplecti vilia, poteſt honeſti rationem induere vt eſt profeſſio quædam ſeu teſtificatio noſtri nihili, qua profitemur nos ex nobis nihil boni habere, nihil poſſe, nihil eſſe: & conſequenter omne bonum noſtrum eſſe ex Deo, ad ipſum veluti auctorem omnia referenda, in ipſum omnem laudem & honorem, qui nobis tribuitur, refundendum. Hoc ipſo enim quo noſtram vilitatem profitemur, tacitè etiam ſignificamus omne bonum noſtrum Deo aſſignandum. Sub hac igitur ratione vilia & probroſa ſunt obiectum humilitatis, quatenus nimirum per illa noſtram ſortem, & tacitè diuinam in nos benignitatem teſtamur: quod ſane honeſtum eſt, & valdè laudabile; tum quia eſt profeſſio veritatis, maximè in vita neceſſaria: iuxta illud, *Noſce teipſum.* tum quia ſe redundat in honorem Dei, vt dictum eſt.

54 Quartò, Hinc patet, humilitatem ſic rectè definiri: *Humilitas eſt virtus inclinans nos, ad noſtram vilitatem ſignis vel factis profitendam. Signis* ſiue internis, ſiue externis, vt locutione ſpirituali, vel corporali, ſubmiſſione corporis, proſtratione humi, genuflexione, &c. Factis, vt humilibus obſequijs, humili loco, humili ſodalitio, &c.

Nec obſtat, quòd humilitas non ſolùm inclinet in hanc profeſſionem, vt procedit ab ipſius ſuppoſito, ſed etiam amet illam vt procedit ab alio, & auerſetur quod illi eſt contrarium. (humilis enim non ſolùm ſe vilipendit, & variis modis ſuam vilitatem teſtatur, ſed etiã gaudet & amat contemni ab alijs, & laudari dolet) Hoc, inquam, non obſtat: quia virtus bonum ſui obiecti amat non ſolùm in ſuo ſuppoſito, ſed etiam in quouis alio, vbicumque illud inuenerit, quamuis primariò in illud inclinet, vt à proprio ſubiecto procedit.

Iuxta hanc definitionem facilè eſt omnes ſuperdictos actus humilitati aſſignare, & oſtendere quomodo ab ea procedant. in omnibus enim illis eſt profeſſio ſuæ vilitatis, vel certè inclinatio & amor in illam, iuxta modum nũc applicatum.

Excellentia humilitatis.

55 Quintò, Colligitur humilitatem & virtutem valdè excellentem. Primò, Quia inclinat ad ſubijciendum nos Deo in omnibus, & noſtris ſuperioribus tamquam Dei inſtrumentis. Cùm enim inclinet generatim ad omnia, quibus noſtram vilitatem teſtamur, maximè inclinat in hanc ſubiectionem, per quam vniuerſalitèr noſtrum gradum profitemur. Hoc modo intelligendus eſt D. Thomas artic. 4. cùm excellentiam humilitatis in eo conſtituit, *quòd ordinationi inſtitiæ legalis faciat hominem bonè ſubiectum in vniverſali quantum ad omnia; cum qualibet alia virtus moralis id faciat ſolùm quantum ad aliquam materiam ſpecialem.* Secundò, Quia, vt dictum eſt, eo ipſo, quo profitemur noſtram vilitatem, & nihil boni nos habere ex nobis, implicitè teſtamur omne bonum noſtrum eſſe à Deo; & ita Deum honoramus.

Itaque humilitas inclinat ad quoſdam actus, qui tacitam continent religionem, cùm implicitè Deum honorent; etſi non ex formali affectu religionis procedant. ſicut enim actus Religionis primariò & formaliter continẽt profeſ-

fessionem diuinæ excellentiæ, secundariò verò & quasi materialiter professionem nostræ vilitatis, & vt ita dixerim, infirmitatis: ita è contrario præcipuus actus humilitatis (qui est vilipensio sui & veluti annihilatio coram diuina maiestate) continet formaliter & primariò professionem nostræ vilitatis, secundariò verò & ex consequenti, professionem diuinæ excellentiæ. Tertiò, Denique signum excellentiæ virtutis huius est, quòd Philosophi eam non agnouerint. Non enim intellexerunt, nisi forte perpauci, quo modo homo nihil ex se boni, sed solùm defectum & malum habeat: & quo modo omne bonum ex liberali Dei munere dependeat.

Aduerte tamen, hanc virtutem non esse præstantiorem
56 theologicis; quia hæ proximè nos Deo coniungunt, neque religione; quia præstantius est Deum colere, eique honorem & reuerentiam exhibere, quàm suam abiectionem profiteri, & cohibere se ab inordinato affectu excellentiæ. *Comparatio eius cum aliis virtutibus.* Ob eamdem causam non est præstantior obedientia, quia hæc bene ordinat affectum ad totam legem, illum legi cõformans. neque iustitia legali, quia vel hæc non distinguitur ab obedientia, vt supra lib. 2. cap. 1. dubit. 3. ostensum est: vel si distinguitur, respicit bonum commune, & ad omnia, quæ ad bonum commune pertinent, recte nos ordinat. Humilitas verò non conformat nos formaliter legi; neque intendit bonum commune, sed facit hominem bene subiectum Superiori, & ordinationi tum legis tum iustitiæ legalis, vt D. Thomas articul. 5. in corp. indicat. Est tamen præstantior fortitudine & temperantia, vt docet Caietan. artic. 5. sub finem. ex sententia D. Thomæ; quia in illa maius bonum rationis cernitur. reddit enim humilitas hominem subditum & patulum bono rationis, non in hac vel illa materia, sed vniuersè: quod est præstantius quàm recte se habere circa pericula mortis vel voluptates tactus. Ob eandem rationem videtur etiam præstantior iustitia particulari. etsi Caietanus dissentiat. Notandum tamen has virtutes non posse exactè inter se comparari, cùm habeant proprias excellentias diuersorum generum, quibus se inuicem excedant, & excedantur. vnde quæ vna ratione videtur præstantior, altera est inferior.

Incitamenta humilitatis præcipua sunt tria. Primum,
57 Ratio veritatis. hæc enim ad eius libellam nos appendere- *Incitamenta humilitatis.* rimus, quodammodò ad humilitatem nos cogit. Quis enim sibi suam vilitatẽ, prauitatem, imbecillitatem, finem que nihilum intuetur, se magni æstimare queat? vt supra ex D. Bernardo ostensum est. *1. Professio veritatis.*

Secundum, Exemplum Christi, qui etsi omnium esset summus, tamen in natura humana fuit humillimus; Matthæi 11. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Vbi allicit omnes ad suam capessendam disciplinam; ex eo quòd cum ipse sit mitis & humilis, cõsequens etiam est, vt eius disciplina, eiusque iugum suaue sit & onus leue: mitis enim & humilis aspera & intolerabilia non imponit. D. August. libro 14. de ciuit. cap. 13. *Nunc in ciuitate Dei & ciuitati Dei in hoc sæculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in eius rege, qui est Christus, maximè prædicatur: contrariumque huic virtuti elationis vitium in eius aduersario, qui est diabolus, maximè dominari Sanctis litteris edocetur.* Hæc humilitas mirificè elucet in tota eius vita & passione, tamquam in absoluto quodam exemplari. Vnde meritò Ecclesia in Collecta dicit, *Deus, qui ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere & crucem subire fecisti, &c.* *2. Exemplũ Christi.*

Obiectio. An Dominus fuerit humilis interno iudicio. Dices, Non videtur Dominus verè humilis fuisse interno iudicio, sed solùm externa conuersatione. humilitas enim supponit iudicium vilitatis & imperfectionis sui: atqui Dominus non poterat se vilem aut imperfectum iudicare. Confirmatur ex D. Bernardo sermone 42. in Cantic. *Ipse*, inquit, *se exinaniuit, ipse se humiliauit non necessitate iudicij, sed nostri charitate. poterat namirum vilem se & contemptibilem demonstrare, sed planè non reputare, quoniam sciebat seipsum. Voluntate proinde humilis fuit & non iudicio, qui talem se obtulit, qualem esse nescit; magis autem placuit minimum reputari, qui se summum non ignorabat.*

Respondeo, Dupliciter posse quempiam se vilem & cõtemptibilem iudicare. Primò, Absolutè; vt cùm quis iudicat se esse peccatorem; posse peccare, esse dignum probro & supplicio. Secundò, Ex parte, & secundum quid, nimirũ consideratis ijs, quæ præcise à se, & non à Deo habet. Priore modo humanitas Christi non iudicabat seipsam vilem, quia sciebat suam excellentiam, quam ex vnione Verbi habebat, & ratione illius se omni honore esse dignam. Hoc modo intelligendus est Bernardus cum ait, Dominum non fuisse humilem iudicio, sed affectu. Vnde paulò post subdit: *Non enim quo modo ego vel tu inuenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & inferioritate, dignos etiam supplicijs, dignos plagis. non, inquam, ita & ille; qui tamen omnia expertus est quia voluit, tamquam humilis corde.* *Dupliciter potest quis se vilem existimare.*

Altero modo poterat se vili, imò nihili reputare. Sciebat enim illa illuminatissima humanitas se nihil ex se boni habere, sed omne suum bonum à diuinitate prouenire: imò si à diuinitate, eiusq; donis defereretur, se relapsuram repentè in ignorantiam, prontitatem peccandi, atque adeò in peccatum, & posse damnari: subtracto quoque influxu illo subsistentifico, quo conseruatur, se in suum nihilum redituram. Itaque hac ratione diuinitati se profundissimè submittit, eique omne suum bonum acceptum refert, in eam omnem honorem & gloriam sibi exhibitam refundens. Ex simili consideratione est humilitas in sanctis Angelis, & Beatis: Vnde & coronas suas mittunt ante thronum, dicentes, *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriã, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*; vt Apocalyp. 4. dicitur. Verùm sicut Christi humanitas antecellit omnibus cognitione diuinitatis, & consequenter charitate: ita etiam cognitione sui, & dependentiæ quâ ipsa cum omnibus donis suis, a Deo dependet; ac proinde etiam vera humilitate, quam etiam præ omnibus declarauit, humiliando se vsque ad mortem crucis, & ad omnes illas indignitates quas Iudæi intulerunt.

Tertium, Quia humilitas est fundamentum virtutum. *Virtutum*, inquit D. Bernardus libro 5. de consideratione in fine; *horum quoddam & stabile fundamentum est humilitas.* Diuus Augustinus libro 1. de verbis Domini sermon. 10. *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Et infrà: *Fac in te fodi fundamentum humilitatis, & peruenies ad fastigium charitatis.* Diuus Basilius Constitut. monastic. capitul. 17. dicit *humilitatem esse θυρωρὸν virtutum* quo virtutes tutissimè custodiantur. Est fundamentum virtutum non quidem directè & principaliter; (sic enim sola fides est supernaturalium virtutum fundamentum, iuxta illud Apostoli ad Hebræos 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*) sed indirectè & dispositiuè. Indirectè quidem, quatenus remouet virtutum impedimentum, quod est superbia. Dispositiuè verò, quatenus facit hominem Deo subditum, ac paratum ad eius gratiæ influxum recipiẽdum, qui est virtutum semen, origo, & conseruatio. *58 3. Quia virtutum fundamentum.*

Vtrumque insinuat D. Iacobus in sua Epistola capitul. 4. *Deus*, inquit *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Si Deus illis resistit non ergo dat illis gratiam. Impedit igitur superbia influxum diuinæ gratiæ: & consequenter, virtutum studium, quod sine auxilio gratiæ comitare nequit. Humilitas verò influxum illum attrahit, excipit & colligit. Vnde D. August. sermon. 27. de verbis Domini: *Conflauit aquæ ad humilitatem vallis, denatat de montibus collis.* & serm. 175. de tempore. *Videte magnum miraculum, altus est Deus, erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te. quare hoc? quia excelsus Dominus, & humilia respicit vt attollat: alta, id est superba de longè cognoscit vt deprimat.* vide eumdem de S. virginitate, c. 39. Præterea humilitas sicut facit vt homo seipsum vilipendat, ita etiam omnia terrena parui facit æstimari, atque æstimatio terrenorum maximè impedit studium virtutis: tollit igitur humilitas virtutum impedimentum. Denique sola humilitas euadit omnes diaboli laqueos, quibus totum mundum plenum vidit B. Antonius, per quos virtutes eliduntur & perimuntur. habet autem hoc, partim quia subijcit hominem Deo, facitque illum niti in omnibus diuino auxilio; partim quia affectum auocat ab omnibus illis, quorum obiectu diabolus tentationes solet excitare.

DVBI-

DVBITATIO VIII.

Quid ſit ſuperbia, & quomodo ab alijs vitijs diſtinguatur. Item de nimia ſui abiectione.

D. THOM. QVÆST. 162.

59 HVMILITATI opponuntur duo extrema vitia; *ſuperbia*, per exceſſum; & nimia *ſui abiectio*, per defectum.

Superbia dicitur à *ſuper*, & *eo*: quòd ſupra ſuam menſuram eat iuxta illud Pſal. 130. *Neque ambulauit in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.*

Definitio. Definitur à D. Aug. lib 14. de ciu. ca. 3. *Quid eſt*, inquit, *ſuperbia, niſi peruerſa celſitudinis appetitus?* & à Proſpero ſententia 292. *Superbia eſt amor excellentia propria*, nempe inordinatus.

Peruerſam celſitudinem vocat, nō quæ in ſeipſa, ſed quæ reſpectu appetentis peruerſa ſit; eò quod ipſi non congruat. Vnde cū dicitur, *peruerſa celſitudinis appetitus*, idem valet ac ſi diceretur, *appetitus peruersè excellendi*. ſuperbus enim appetit excellere, ſed peruerſo modo, id eſt, qui ſit contra rectam rationem. vnde & ipſe appetitus peruerſus eſt. Si enim obiectum eſt paruum, etiam appetitio eius praua eſt.

60 *Qualis excellentia.* Sed difficultas eſt quo modo excellētia hic accipiatur, abſolutè an relatè; id eſt, vtrum ſuperbia ſit appetitus excellendi abſolutè, an ſolum præcellendi alijs. Martinus, vt refert Caietanus, putat ſuperbum ſolum appetere præcellere alijs; vnde definit ſuperbiam *amorem excellentiæ deſpectiuæ*, id eſt, quo ita amat excellere, vt alios præ ſe contemnat. Sed verius eſt ſuperbiam ad hoc non eſſe reſtringendam, vt rectè oſtendit Caietan. Poteſt enim quis eſſe ſuperbus, etſi nemini explicitè ſe præferat. Superbia enim eſt æquare ſe maioribus, & non ſolum illis ſe præferre; quamuis implicite in actu ſuperbiæ ſemper aliqua contineatur prælatio. Effert enim ſe ſupra ſe, ac conſequenter ſupra alios eiuſdem ſortis: vndę fit vt quotieſcumque ſecum æqualibus, confert, ſe illis etiam expreſsè præferat. ſed de implicita illa prælatione hic non eſt quæſtio. explicata verò nō habet locum niſi in quibuſdam actibus. Itaque obiectum ſuperbiæ adæquatum eſt *excellentia in genere*, vt extendit ſe ad excellentiam abſolutam & relatiuam, ab vtraque tamen per ſe abſtrahens; ſicut obiectum Metaphyſicæ eſt ens cōmuniter ſe habens ad abſolutum & relatiuum, vt inquit Caiet.

Excellentia in genere eſt obiectum ſuperbiæ.

Quo modo ab alijs vitijs diſtinguatur. Dices, Etiam quædam alia vitia ſpectant excellentiam tamquam obiectum. *Præſumptio*, in functionibus: inclinat enim ad functiones, quæ proprias vires ſuperant: *Ambitio*, in dignitatibus & honoribus, tendens ad dignitates proportionem ſubiecti excedentes: Denique *eudoxia* in fama & gloria. Virtus quoque *magnanimitatis* in iſdem rebus magnitudinem & excellētiā ſpectat: inclinat enim ad excellētes functiones; ad excellentes dignitates & honores, ad excellentem famam & gloriam; vt patet ex dictis ſup. lib. 3. c. 2. dub. 3. Quo modo ergo ab his diſtinguitur ſuperbia; cū hæc quoque excellentiā ſpectent & pro obiecto habeant?

Reſp. Reſpondeo, Superbiam ab iſtis vitijs diſtingui, quòd ipſius obiectū ſit in genere excellentia perſonæ: illorum verò, excellentia nō perſonæ, ſed functionis, vel dignitatis, vel famæ, applicata nimirum ratione excellentiæ & magnitudinis ad certam materiam. Quod vt melius intelligatur.

61 *Tripliciter ſuppoſitum comparatur ad virtutē & vitium.* Notandum eſt, perſonam poſſe tripliciter ad virtutes, & vitia comparari. Primò, vt ſubiectum. Secundò, vt obiectum. Tertiò, vt menſuram obiecti, ſiue vt terminum cōmenſurationis illius, quæ in obiecto ſpectatur. Primus modus eſt communis omnibus virtutibus & vitijs. Perſona enim, ſeu ſuppoſitum ſe habet ad omnia tamquam ſubiectum, cum ipſa nihil ſint aliud quàm bona vel mala diſpoſitio ſuppoſiti ad ſuum opus. Tertius modus eſt communis reſpectu omnium virtutum & vitiorum, in quibus medium conſtituitur in obiecto ex ordine ad *proprium ſuppoſitum*, vt in temperantia, quæ inclinat ad cibum & potum ſecundum eam menſuram, quæ congruit ſuppoſito: & in magnanimitate, quæ inclinat ad magnas virtutum functiones; tamen *iuxta menſuram propriæ perſonæ*. *præſumptio* verò inclinat ad magnas functiones. ſed ſupra perſonæ menſuram. *intemperantia* ad cibum & potum, ſed ſuppoſito non commenſum. Secundus modus eſt proprius ſuperbiæ & humilitatis, hęc enim reſpiciunt ſuum ſuppoſitum per modum obiecti: ſuperbia enim intendit alius exaltationem, humilitas depreſſionē. Vnde in definitione ſuperbiæ ſignatè dicitur. *Excellentiæ propriæ*, id eſt, quæ primò & per ſe circa perſonam conſideretur. Confirmatur, quia per ſuperbiam ipſa perſona ſeſe inflat & extollit; & ſi quid in operibus externis magni vel ſplendidi faciat, huc refert, nimirum vt ipſa magni fiat. Itaque generatim excellentia perſonę eſt obiectum ſuperbiæ: præſumptionis verò obiectum eſt excellentia operis: ambitionis excellentia in dignitate: & inanis gloriæ, in fama & opinione.

Negantur eſſe ſuperbia. Aduerte tamen hæc vitia non ita diſtingui a ſuperbia quin ipſius ſint fructus, qui ex ipſa naſcantur, eamque ſupponant. Nam ex inordinato appetitu excellentię perſonę fit vt quis aggrediatur opera præſumptuoſa & ad magnas dignitates, honoreſque ſupra ſuam proportionem adipiret. Ideò enim hæc appetuntur vt ipſum ſuppoſitum excellens videatur. itaque ex affectu ſuperbiæ proceduntur, & ad illius finem ordinantur: & ſic ad ſuperbiā pertinent, ſaltem tanquā actus imperati, ex natura rei illi maxime coniuncti. Magnanimitas manifeſtè a ſuperbia diſtinguitur: tū quia non appetit principaliter magnitudinem perſonæ; ſed operis, tum quia magnitudinem illam non appetit, niſi ſecundum præſcriptum rectæ rationis, & commenſionem ad proprium ſubiectum; quorum vtrumque contrario modo ſe habet in ſuperbia.

62 *Fundamentū ſ. perbiæ.* Porrò vt natura & functiones ſuperbiæ melius intelligantur, Notandū eſt, quòd ſicut humilitas ſupponit conſiderationem ſuæ imperfectionis, & ex ea oritur: ita ſuperbia conſiderationem ſuæ perfectionis (ſub qua intellige quidquid vllo modo ad excellentiam facit) & ex hac conſideratione naſcitur. Dum enim quis ſuam perfectionem conſiderat diſſimulatis imperfectionibus, & non aduertit ſe illam a Deo habere, videtur ſibi multò excellentior, quàm reuerā ſit. ſicut & merces præſtantiores videntur emptoribus, quando vitia non conſiderant. Nam purum bonum multò eſt excellentius, quàm imperfectionibus permixtum. Hinc naſcitur amor illius excellentiæ apprehenſæ. quo illa placet homini, & homo propter illam ſibi plus quam oportet: ex his verò æſtimatio ſui, qua pluris ſe facit quàm oportet. Atque hic eſt primus ſuperbiæ actus in animo completus. Sicut enim primus actus humilitatis eſt vilipenſio ſui: ita primus ſuperbiæ eſt magnipenſio ſui, qua quis ſeipſum æſtimat ſupra id quod eſt, qui actus non conſiſtit in ſolo iudicio vel apprehenſione, ſed etiam in affectu, quo erga ſe tamquam quid magnum afficitur, & talem quodammodo ſe facit, qualem apprehendit. Vnde ſuperbus dicitur ſeipſum inflare, tumefacere, exaltare: quia quantum in ſe eſt, affectu & apprehenſione, vt affectui ſeruit, maiorem ſe facit & celſioreut quàm reipſa ſit. Dixi eſſe *primum actum completum*, quia affectio illa voluntatis, quæ præcedit hanc æſtimationem, non eſt actus completus, a quo quis dicitur ſuperbire & ſe eleuare; ſed eſt inclinatio interna ad actum completum. ſicut inclinatio religionis ad cultum Dei non eſt actus completus Religionis, ſed ipſe actus colendi. eſt igitur hic ordo actuum animi. Primò, Eſt conſideratio perfectionum coniuncta cum defectu conſiderationis imperfectionum, & dependentiæ a Deo. Secundò, Apprehenſio maioris excellentiæ quàm inſit. Tertiò, Amor illius, ſeu ſimplex complacentia. Quartò, Aeſtimatio ſui ex illa apprehenſione & amore orta. amor enim accedens illi apprehenſioni facit excellentiam maiorem videri & pluris æſtimari.

Primus actus completus ſuperbiæ.

Hæc igitur æſtimatio ſui eſt Primus actus ſuperbiæ completus, & fundamentum ceterorum qui ſuperbiæ tribuuntur.

Secundò, Hinc ſequitur, vt æſtimet ſe dignum & idoneum rebus magnis, ſuamque menſuram excedentibus.

Tertiò, Vt inordinatè appetat dignitates, & alia, quę ad excellentiam pertinent, tamquam ſibi congruentia.

Quartò, Vt ab alijs quoque velit magni fieri, honorari & laudari.

Quintò, Si videat id ſe non obtinere, indignatur, iraſcitur, dolet.

Sexto, Conferendo ſe alijs, cenſet ſe meliorem, doctiorem, potentiorem, &c. vnde & alios contemnit, & quę ab alijs fiunt paruipendit. Ad ſuos enim defectus clauſos habet oculos, & ad ſuas perfectiones apertos; contrario verò modo gerit ſe in rjs, quæ ſunt proximi. Hinc fit vt ſua pluris æſtimet, & præferat rebus proximorum, & ſeipſum perſonæ proximi.

Septimò, Recuſat ſe ſubijcere Superioribus, quaſi id ipſo ſit indignum: perſuadēs ſibi, ſe illis eſſe prudentiorem, & melius ſeipſum gubernaturum.

Octauò, Recuſat etiam ſe Deo ſubijcere, apprehendēs illud tanquam ſit contra ſuam dignitatem: &c. volēs ſuo arbitratu viuere, quaſi Deo opus nō habeat. hi ſunt actus huius vitij & hoc ferè ordine ab illo procedunt.

63 *Eſt vitium ſpeciale.*

Ex dictis colligitur hoc vitiū eſſe ſpeciale. habet enim ſpeciale obiectū per quod a ceteris diſtinguitur, vt oſtenſum eſt; & ſpeciales functiones, quas modo recenſuimus. quadam tamen ratione poteſt dici vitium generale, nimirū poteſt ate cauſandi; quatenus ex ſuperbia quoduis peccatum naſci poteſt. Id autem fieri poteſt dupliciter, vt explicat D. Th. art. 2 Primò. Directè, vt ſi quis peccet eo fine vt videatur excellens & nominem curare, neminem time re. tunc enim directè ex affectu ſuperbiæ illud peccatum imperatur. Secundò, Indirectè, & quaſi per accidens, ſcilicet remouendo prohibens, quatenus ſemel per ſuperbiam diuina lege, qua a peccando prohibebatur, abiecta, veluti remoto freno, facilis eſt homo in quoduis peccatum ruere, iuxta illud Ier. 2. *Confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti Non ſeruiam*. priore modo peccatum eſt ex contemptu. hoc verò ex affectu voluptatis, commodi, honoris, &c. His adde quadam ratione poſſe dici generale eſſentia, & attributione; quia omne peccatum tacitam quamdam ſuperbiam cōtinet ipſo opere. magna enim eſt præſumptio audere Deum offendere, & veluti contra ſe laceſſere, non timere fulmen maledictionis, non curare præſentem maieſtatem. Simili modo omne peccatum eſt quidam Dei contemptus interpretatiuus.

Directè.

Indirectè.

64 Alterum vitium humilitati oppoſitū eſt *inordinata ſui abiectio*. Humilitas enim etſi inclinet ad ſui abiectionem, non tamen quouis modo, ſed prudēter; nimirum, cum ijs circumſtantijs, quibus decet. debet enim ita fieri vt nō redundet in iniuriam ſtatus, vel officij quod geris, vel talēti quo prędītus es, aut in eorum incommodum, quibus prodeſſe potes vel debes. Si ergo aliqua talis circumſtātia deſit, erit vitium humilitati oppoſitum per defectum; quatenus nimis parum tuam dignitatem & excellentiam curas: vt ſi ſacerdos ſubijciat ſe iudicio ſæculari: ſi Superior flexis genibus petat veniā ab inferiore: ſi Epiſcopus præponat ſibi ſacerdotem vel diaconum, &c.

Quo modo opponatur humilitati.

Dices Talis abiectio ſui videtur opponi humilitati per exceſſum; nimium enim ſe humiliat.

Reſpondeo, Humilitatem dupliciter poſſe conſiderari. Primò, Quatenus refrænat appetitum excellentię; & hoc modo *ſuperbiæ* ei oppunitur per exceſſum; nimia verò *abiectio*. per defectum. Sicut enim ſuperbia nimium appetit ea, quæ ad excellentiam pertinent; ita nimia ſui abiectio nimis parum. Humilitas verò inter hæc extrema medium rationis tenet. Secundò, Quatenus inclinat ad ea, quibus ſuam vtilitatem profitetur. hoc modo nimia ſui abiectio opponitur humilitati per exceſſum, ſuperbia verò per defectum. quamuis deformitas ſuperbiæ magis conſiſtat in nimio excellentiæ appetitu, quam in humilitatis defectu.

An pertineat ad puſillanimitatem.

Nec obſtat quòd nimia ſui abiectio videatur pertinere ad puſillanimitatem, quę opponitur non proprie humilitati, ſed magnanimitati: quia ſi fiat ex nimio affectu ad ſe dimittendum, opponitur humilitati. ſi verò ex nimia honoris, tamquam rei nimis magnę, fuga; opponitur magnanimitati, & pertinet ad puſillanimitatem. quale autē hoc ſit peccatum. patet ex dictis lib. 3. c. 2. dub. 3 æſtimandum enim eſt ex iniuria quę fit ſtatui, & incommodo quod ſequitur, &c.

DVBITATIO IX.

De ſpeciebus ſuperbiæ, & quale peccatum ſit ſuperbia.

D. THOM. Art. 4. & ſeqq. q. 162.

DIVVS Gregorius libr. 23. moralium capit. 7. quatuor ſpecies ſuperbiæ conſtituit. *Quatuor*, inquit, *ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur, cum bonum aut à ſemetipſis habere ſe æſtimant: aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant: aut certè cum iactant ſe habere quod non habent: aut deſpectis ceteris ſingulariter videri appetunt habere quod habent*. Ratio harum ſpecierum eſt. Superbia conſiſtit in eo quòd homo ſe æſtimet excellentiorem quàm reuera ſit: hoc autem fieri poteſt tripliciter. Primò. Si putet ſe eſſe cauſam ſui boni: magni enim refert ad excellentiam, ſi ſua induſtria vel meritis bonum illud ſit conſecutus. Secundò. Si putet ſe habere bonum, quod non habet. Tertiò, Si putet ſe habere tam excellenti gradu, vt id, quod eſt in ceteris quaſi nihili reputet reſpectu boni ſui. Et quidem ſi putet ſe cauſam ſui boni; vel cēſet ſe cauſam illius phyſicam, (v.g. ſe induſtria, ingenio & labore ſuo id comparaſſe, cum alium de acceperit) & ſic erit prima ſpecies: vel cauſam meritoriam, & ſic erit ſecūda ſpecies. Si putet ſe habere bonum, quod non habet, vel in eo ſitam excellentiam quæ nō eſt, & inde ſe extollat erit tertia ſpecies. Denique ſi putet ſe illud habere tam excellenti gradu, reſpectu aliorum, vt illorum bona non videantur ipſi cum ſuo poſſe conferri, erit quarta ſpecies.

65 *Ratio iſtarum ſpecierum.*

An ſemper debeat iudicare.

Vbi aduerte, non eſſe neceſſariū ad iſtas ſpecies, vt quis apud animum ſuum ſeriò iudicet ſe bona à ſe habere, aut ſuis meritis abſque Dei gratia obtinuiſſe: (ſic enim deberet eſſe hæreticus) ſed ſatis eſt vt apprehendat illa tamquam ſua & à ſe dependentia, abſque formali iudicio, & ſimul non conſideret quo modo illa acceperit. tunc enim poterit ſe ita gerere, & in animo ſe extollere, ac ſi ſola ſua induſtria haberet: vt patet in paupere, qui alienis opibus affatim fruens, non aliter ſe effert, quā ſi eſſent ſuæ, vel ſua induſtria partæ. quia non meminit, vel certè non aduertit eſſe beneficium alterius; quamuis expreſsè id non neget, nec contrarium iudicet.

66 *Obiectio.*

Dices, Si indignus affectet Doctoratum vel Epiſcopatum propter dignitatem, committit peccatum ſuperbiæ, & tamen in nulla dictarum ſpecierum; ſimiliter ſi tāti Doctoratum iam obtentum faciat, vt malit peccare mortifere quam illum gradum perdere.

Reſpondeo, Priorem modum pertinere ad tertiam ſpeciem. Dum enim aſpirat ad gradum, quo eſt indignus, intumeſcit de bono, quod non habet, quia effert & gerit ſe tamquā idoneum, cum ſit ineptus. De altero modo reſpōdet Caiet. eum non comprehendi ſpeciębus enumeratis; eò quòd in illo nō ſit inordinatio ex parte obiecti, ſed ſolum ex parte appetentis. ſpecies autem iſtæ ſunt aſſignatę ex parte obiecti. Poſſet tamen referri ad tertiam ſpeciem: quia qui tanti facit gradum, tribuit illi excellentiam, quā reuerā non habet. Sicuti cum dines ſeſe effert propter diuitias, & parem facit alijs ſapientia vel ſanctitate conſpicuis, tribuit ſibi per diuitias ſuaæſtimatione quod nō habet in veritate.

67 *Poſſunt ſingula quatuor modis exerceri.*

Notandum eſt ſupradictas ſpecies ſingulas poſſe quatuor modis exercerī. Primò, Si æſtimes bonum tuū iuxta aliquam iſtarum ſpecierum in animo tuo. & ibi te extollas, v.g. te illud induſtria tua paraſſe, vel ex meritis habere, vel illud maius eſſe quàm ſit, vel ceteris te per hoc longè præſtare.

Secundò, Si velis vt ita etiam æſtimetur in animo alterius.

Tertiò, Si coneris illud ipſum opere declarare: vt ſi ita te opere externo geras, ita loquaris, ac ſi illud bonū tali modo, tali gradu ac perfectione haberes.

Quartò, Si aduertens te tali modo non habere, optes ſaltem ita habere vt inde te poſſis extollere & gloriari: item ſi deſideres id alijs eſſe perſuaſum. vide aliqua in hāc ſententiam apud Toletum lib. de ſeptem peccatis mortalibus, cap. 4.

68 *Quale peccatum ſit.*

Quod

Quod ad alteram partẽ dubitationis attinet, quale peccatum ſit ſuperbia. D. Thom. ar. 5. docet ex genere ſuo eſſe peccatum mortale; & ar. 6. docet eſſe grauiſſimum peccatorum. Sed hoc intelligendum eſt de ſuperbia in gradu completo, quæ omnem humilitatem & ſubiectionem excludit; vt cùm quis tantùm ſeſe effert, vt nolit etiam Deo & legi diuinæ eſſe ſubiectus, qualis eſt in diabolo, & in hominibus quibuſdam peſſimis. Hæc ſola eſt ſuperbia cõpleta: quia quãdiu homo vult manere Deo ſubiectus, adhuc habet aliquid humilitatis, ac proinde ſuperbia eius eſt adhuc imperfecta.

Superbia cõpleta.

Grauiſſimũ peccatorum.

Dicitur grauiſſimum peccatorum, non quòd inter omnes peccatorum ſpecies ſit grauiſſimum, cùm odium Dei ſit grauius: ſed quia ad genus grauiſſimorum pertinet, nempe eorum in quibus auerſio à Deo eſt directè volita. Itaque dicitur grauiſſimum reſpectu eorum in quibus auerſio ſolùm conſeruè volita interpretatiuè; vt ſunt quæ ex ignorantia, infirmitate, vel alicuius boni temporalis amore committuntur: vt rectè Diuus Thomas articulo ſexto docet. Quod autem auerſio directè ſit volita in ſuperbia, patet: quia nolle ſubijci Deo eſt directè auertere voluntatem ab eius ſubiectione; & conſequenter ab eius obedientia & regimine, ac nolle illum habere ſuperiorem, ac rectorem. Prouenit autem hæc auerſio ex amore peruerſæ excellentiæ, quam affectat per hoc, quod eſt eſſe plane liberum & ſui iuris: cui libertati repugnat omnis ſubiectio. itaque recuſat ſubiectionem, quatenus hæc repugnat excellentiæ libertatis, quam quærit. Poteſt etiam illa auerſio prouenire ex ira in Deum, vel odio; ſicut ex iiſdem cauſis poteſt quis recuſare ſubiectionem alicuius Principis terreni.

Si verò loquamur de ſuperbia imcomplera, hæc non ſemper eſt peccatum mortale, niſi quatenus nobis eſt cauſa alicuius peccati mortalis: verbi gratia violandi alicuius alterius præcepti diuini, vel ſubtrahendi ſe ab obedientia Eccleſiæ aut alterius Superioris, vel in integrum, vel ex parte; quoad aliquod præceptum obligans ſub mortali: vel ſi fiat cum notabili iniuria aut cõtemptu proximi. Extra hos caſus ſuperbia ſolùm eſt peccatum veniale; vt docet Nauarr. cap. 23. nume. 6. Toletus de peccatis mortal. cap 4. Caietan. verb. Superbia. & paſſim alij. nam in genere pluris ſe facere quàm oporteat, per ſe non eſt grauis inordinatio. Eſt tamen hoc peccatum valdè periculoſum: quia facilè parit contemptum aliorum & inobedientiam erga Superiores: reddit; hominem ineptum ad bonam inſtructionem capeſſendam, & ad functiones aliarum virtutum, quę abſque humilitate vix fiunt.

69 Notandum eſt, Superbiam eſſe Primum mundi peccatum: Eccleſ. 10 *Initium omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem.* Et Tob. 4. *Superbiam numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* nam primum peccatum fuit Luciferi, qui peccauit ſuperbia, diuinam ſimilitudinem peruersè appetendo. Colligitur Iſa. 14. & Ezec. 28. a peccato autem Luciferi reliqua manarunt tum in alios Angelos, qui etiam primò ſuperbia creduntur peccaſſe, tum in genus humanum, cuius etiam primum peccatum ſuperbia fuit, vt communiter Theologi tradunt.

Nec obſtat quòd 1. ad Timotheum 6 *Cupiditas omnium malorum radix* dicatur: Non enim vult Apoſtolus cupiditatem opum, de qua ibi loquitur, eſſe primum peccatum generis humani; ſed ex hac cupiditate omne genus peccati committi poſſe, & pleraque in genere humano reipſa committi: vt ſuprà lib. 2. cap. 47. dubitatione octaua, oſtenſum eſt.

70 Notandum Secundò, Superbiam a D. Gregorio libro 31. moralium capitul. 31. non annumerari alijs vitijs capitalibus, ſed poni reginam & matrem omnium vitiorũ, propter vniuerſalem eius influentiam, quam habet in omnia vitia; & quia interpretatiuè in omni vitio includitur; vt ſuperiori dubitatione oſtenſum eſt. Vnde Gregorius loco citato, *Tentantia*, inquit, *vitia, qua inuiſibiles contra nos prælio regnanti ſuper ſe ſuperbia militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus ſequuntur.* Et infra. *Ipſa namque vitiorum regina ſuperbia, cum deuictum plenè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitijs, quaſi quibuſdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit.* Rurſum infra. *Radix cunctis malis ſuperbia; prima autem eius ſuboles, ſeptem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur.* A quibuſdam tamen, vt à Caſſiano lib. 5. cap. 2. numeratur inter vitia capitalia, eaque octo ſtatuuntur: ſed modus Gregorij eſt magis receptus.

Notandum Tertiò, Eadem eſſe ex parte noſtra ſuperbiæ remedia, quæ humilitatis adiumenta; præcipua tamen ſunt hæc ſeptem. *Primum* eſt, Conſideratio ſuæ vilitatis & miſeriæ tum in anima, tum in corpore; quæ tanta eſt, vt vtrumque nihil videatur aliud quàm omnis miſeriæ & mali lacuna: in corpus enim influit omnis miſeria corporalis; in animum, omnis ſpiritalis. Vnde merito quiſque ſibi dicat illud Eccleſiaſtici decimo. *Quid ſuperbit terra & cinis?* 71

Secundum, Conſideratio magnitudinis diuinę, ad quam omnia ſunt inſtar nihili: Item perfectionis Angelicæ, & quàm modica ſint omnia noſtra ad illorum excellentiam.

Tertium, Quàm imperfecta ſint & vilia ex quibus ſuperbimus; Quid enim ſunt diuitiæ? lutum, mixtura terræ & aquæ. Quid ſcientia? opinio. Fama? ventus. Gloria? fumus. Vita vniuerſa? vapor ad modicum parẽs: modica ſcilicet illa ad commouendum cor noſtrum. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.* Iſa. 40. Hæc tria inſinuat D. Tho. ar. 5. ad 2.

Quartum, Omnia bona, quæ habemus, eſſe Dei, gratis ab eo accepta, & præcario poſſeſſa; vnde & aufert illa quãdo placet.

Quintum, Superbiam eſſe vitium diabolicum, & notam eorum, qui ad ipſum pertinent, id eſt, ciuitatis diaboli, qui dicitur, *rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Iob 41. Vnde Apoſtol. 1. ad Timotheum 3. vetat ordinari neophytum: *ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli*: apertè inſinuans ſuperbiam eſſe diaboli vitium. E contrario humilitas eſt propria virtus Chriſti, & eorum, qui ad Chriſtum pertinent: de qua re vide D. Auguſtinum libro 14. de ciu. c. 31. vbi docet duas illas ciuitates, ſocietatem nimirũ iuſtorum & impiorum, & duos ipſarum duces Chriſtum & diabolum, his notis potiſſimùm, ſuperbia & humilitate diſtingui.

Sextum, Superbiæ nocumenta; vt quòd Deus ſuperbis reſiſtat, ſuperbos diſperdat, & humiliet: vt bene explicatur Eccl. 10 & plurimis conſtat Scripturæ exemplis: vt in Lucifero & ſocijs, in primis parentibus, in Pharaone, in Dathan & Abiron, in Saule, in Roboam, in Sennacherib, in Nabuchodonoſor, in Holoferne, in Aman, in Antiocho, in Herode, &c. Item quòd diuinas inſpirationes impediat & cetera, quæ ſuprà inſinuauimus, de quibus videri poteſt Caſſianus libro 12. capitul. 27. Tantum enim malum eſt ſuperbia, vt Deus ad illam curandam permittat interdum hominem cadere in alia peccata, vt agnita ſua miſeria humilietur. Vnde D. Auguſtinus loco citato: *Audeo*, inquit, *dicere, ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, vnde ſibi diſplicerent, qui iam ſibi placendo ceciderant. ſalubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit; quàm ſibi placuit quando præſumpſit. Hoc dixit & fecit Pſalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomẽ tuum Domine.*

Septimum, Exercitium operum humilium: contrarijs enim contrarijs optimè curantur. vide Caſſianum ſuprà cap. 32. & 33.

DVBITATIO X.

De gradibus humilitatis, & ſuperbiæ.

D. THOM. Q. 161. ART. 6.

GRADVS humilitatis varijs modis aſſignari poſſunt. Primò, Ex parte obiecti, cui ipſa ſe ſubijcit: ſic Gloſſa in illud Matth. 3. *Sine modo; ſic enim decet nos implere.* &c. conſtituit tres gradus. Primus eſt, Subdere ſe maiori, & non præferre ſe æquali. Secundus eſt, Subdere ſe æquali, nec præferre ſe minori. Tertius eſt, Subijcere ſe minori. Primus, inquit, eſt ſufficiens; ſecundus abundans, in tertio eſt omnis iuſtitia. Per primum ſubijcimus nos omnibus Superioribus tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis, debitam obedientiam illis præſtãtes. cũ æqualibus verò

72 Tres gradus humilitatis ex parte obiecti.

rò ſocialiter & æquabiliter viuimus, nolentes illis præferri aut maiores videri, nec ad noſtrum ſenſum aut modum eos pertrahere.

Per ſecundum ita nos æqualibus ſubijcimus, vt eos nobis in animo præferamus, eos honoremus, honoratiorem locum libenter cõcedamus, & facilè in rebus honeſtis nos ipſis accommodemus.

Per tertium præponimus nobis inferiores, tum interiùs in animo, tum etiam exterius, quando id decore fieri poteſt, libenter profitendo illos nobis doctiores, ſanctiores, & cætera.

Tres gradus ſuperbiæ his oppoſiti.

His opponuntur tres gradus ſuperbiæ. Primus eſt, Præferre ſe minoribus, non ſimpliciter, ſed cum ſupercilio & contemptu, quaſi nihil ſint reſpectu noſtri, vel indigni quibuſcum agamus. Secundus eſt, Præferre ſe æqualibus, nec poſſe cum eis pacificè viuere, niſi ipſe ſe nobis in omnibus accommodent. Tertius eſt, Præferre ſe etiam maioribus, vel ſaltem illis ſe æquare; vt ſi diaconus velit præcedere presbyterum, presbyter Epiſcopum, diſcipulus magiſtrũ.

Septem gradus humilitatis ex parte ſanctitatis.

73 Secundò, aſſignari poſſunt humilitatis gradus iuxta naturalem ordinem actionum, quibus ad perfectiſſimum humilitatis actum aſcenditur. Hoc modo a D Anſelmo lib. de ſimilitud. a c. 99. vſq; ad 108. ponuntur ſeptem gradus, quos ſigillatim ibidem explicat.

Primus eſt, cognitio ſui, nimirum quoad peccata & defectus culpabiles. Hæc cognitio eſt humilitatis fundamentum, vt ſup. oſtenſum eſt. Secundus eſt, Dolor de ſuis peccatis & imperfectionibus. Tertius, confeſſio illorum; nempe non ſolùm in Sacramento, ſed etiam cùm rogatur a Superiore, & aliàs quando ratio dictat. Nolle enim culpam fateri, ſignum eſt arrogantiæ. Quartus, vt non ſolum fateamur nos peccaſſe, ſed vt etiam velimus id ab alijs credi. Quintus eſt, Vt patienter feramus hoc de nobis dici. quidam enim ſemetipſos latis iudicant, inquit Anſelmus, & culpam fatentur; ſed ferre nequeunt vt tale quid ab alijs dicatur, vel ab alijs vituperentur. Sextus, Patienter ferre ſe pro ſua culpa contemptim tractari, vel puniri. Septimus eſt, Deſiderare culpam in nobis vindicari, & de eo gaudere. Ille enim perfectiſſimè pro culpa ſe humiliat, qui non ſolùm ſe culpabilem & dignum punitione fatetur, & pœnam ſine murmuratione ſuſtinet, ſed etiam ipſam punitionem amat.

Septem gradus ſuperbiæ illis reſpondentes.

Gradus ſuperbiæ his aduerſi, contrario modo ſunt ſtatuendi. Sicut enim bonum procedit conſtruendo: ita malũ deſtruendo: id autem quod in conſtructione eſt vltimum, in deſtructione eſt primum: vt quia domo conſtruẽda, a fundamento proceditur ad culmen, in deſtruenda a culmine ad fundamentum. Itaque primus gradus eſt, Etiamſi conſtet de peccato, nolle tamen ob id puniri. Secundus, Impatienter ferre punitionem. Tertius, Impatienter ferre ſi ab alijs dicatur te deliquiſſe. Quartus, Agere vt alij non credant te peccaſſe. Quintus, Si nolis fateri, præſertim Superiori, tuam culpam. Sextus, Nullum ſignum doloris oſtendere. Septimus, Si peccatum tuum defendas tanquam bonum factum.

22. Ratione exercitiorum quibus acquiritur.

74 Tertiò, Statui poſſunt ſecundùm ordinem, quo humilitas ab interioribus ad exteriora progrediens primò moderatur animum in maioribus; deinde in minoribus, donec ad minima quæque pertingat. Hoc modo D. Benedictus in Regula cap. 7. duodecim gradus diſponit. Primus eſt. Dei timorem habere præ oculis, & memorem eſſe omnium, quæ ipſe præcepit. Secundus eſt, Delectari implere non ſuam voluntatem, ſed diuinam. Tertius eſt, Pro Dei amore, omni obedientia ſe ſubdere maiori. Quartus eſt, In duris & aſperis non recedere ab obedientia, ſed amplecti præſidium patientiæ. Quintus eſt, Prauas cogitationes & mala a ſe in occulto commiſſa, humiliter Superiori confiteri. Sextus eſt, Ad omnia ſe indignum & inutilem iudicare. Septimus eſt, Omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolùm lingua pronuntiare, ſed etiam intimo cordis affectu credere. Octauus, Accommodate ſe communi regulæ, ſingularitate vitata. Nonus eſt, Seruare taciturnitatem vſque ad interrogationem. Decimus, Non eſſe facilem, aut promptum ad riſum. Vndecimus, Pauca verba & rationabilia loqui, non clamoſa voce. Duodecimus eſt, Non ſolum corde, ſed etiam corpore humilitatem vbique præſeferre, inclinato in terram aſpectu.

Ratio horum graduum eſt: ad perfectam humilitatem, præſertim Religioſorum; de qua in regula D. Benedicti eſt ſermo, tria requiruntur. 1. Vt hominem bene ſubijciat Deo; quod fit. 1. Per Dei timorem, qui eſt primus humilitatis Chriſtianæ gradus, omnibus maximè neceſſarius, vtpote totius vitæ Chriſtianæ fundamentum. 2. Per ſtudium implendæ non ſuæ, ſed diuinæ voluntatis: quod fit gradu ſecundo. 2. Vt hominem faciat bene ſubditum ſuis Superioribus; quod fit quatuor gradibus ſequentibus. Primum enim oportet vt Superiori ſuam voluntatem per obedientiam ſubijciat, quod fit tertio gradu. 2. Vt in hoc, quod ſemel Deo & Superiori promiſit, ſit firmus; ita vt propter duram & aſperam ab obedientia non recedat; quod fit gradu quarto. 3. Vt etiam in ceteris, quæ ad conſcientiam pertinent, à Superiore, tamquam Dei locum tenente, dirigi velit. ad hoc eſt gradus quintus, quo quis arcana conſcientiæ ſuæ illi vult patefacere. 4. Vt medicinam à Superiore adhibitam humiliter excipiat, & ſeruet, nec ſua prudentia aut induſtria in via ſpirituali vllo modo ſidat. quod fiet, ſi defectibus ſuis bene expenſis ſe ad omnia indignum & inutilem judicet; qui eſt gradus ſextus. 3. Requiritur vt bene illum ordinet ad proximos, tum quoad internam æſtimationem; quod fit gradu ſeptimo, dum quis ſe omnibus viliorem ex animo credit; tum quoad externam conuerſationem. quod fit quinque gradibus ſequentibus, quibus exteriora noſtra ad humilitatem formantur. 1. In accommodando ſe in ijs, quæ vitam communem attingunt, ceteris, & vitanda ſingularitate. 2. In taciturnitate & ſeruando ſilentio. 3. In vitando riſu & alijs ineptæ lætitiæ ſignis. 4. In vitando multiloquio, & elatiori voce in loquendo. 5. In modeſtia aſpectus, Paulò aliter hæc explicat Diuus Thomas, ſed nonnihil intricate. noſtra explicatio conſentit omnino cum ea, quam inſinuat Diuus Bernardus gradu decimo.

Ratio iſtorũ gradũm.

Idem Diuus Bernardus, tractatu de gradibus humilitatis, conſtituit duodecim gradus ſuperbiæ, prædictis humilitatis gradibus directè oppoſitos, quos etiam pulcherrimè explicat. 1. eſt Curioſitas. 2. Leuitas animi. 3. Inepta lætitia. 4. Iactantia. 5. Singularitas. 6. Arrogantia. 7. Præſumptio. 8. Defenſio peccatorum. 9. Simulata confeſſio. 10. Rebellio. 11. Libertas peccandi. 12. Conſuetudo peccãdi. Procedunt autem hi gradus contrario ordine, nimirum humilitatis ædificium deſtruendo, ob cauſam ſupradictã. vnde primus opponitur duodecimo, eumque euertit; ſecundus vndecimo; tertius decimo; quartus nono; & ſic deinceps.

76 *Gradus ſuperbiæ 12. illis oppoſiti.*

Primus eſt, *Curioſitas*; quæ conſiſtit in hoc, quòd quis huc illuc vago adſpectu circumſpiciat, cupidus omnia videndi & audiendi. *Si videres*, inquit Bernardus, *monachum, de quo prius bene confidebas, vbicumque ſtat, ambulat, ſedet, oculos incipientem vagari, caput erectum, aures portare ſuſpenſas; è motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoſcas.* Adfert exemplum Dinæ, quæ ſua curioſitate perdidit virginitatem.

1. *Curioſitas.*

Secundus eſt, *Leuitas animi.* Hæc in eo conſiſtit quòd quis ſit facilis ad iudicandum de aliorum factis & ad ſuam ſententiam de illis proferendam; ad quiduis effutiendum, ad facilè alijs contradicendum, ad ſua ſine fine tuenda. Vide de hoc pulcherrima apud D. Ber.

2. *Leuitas animi.*

Tertius eſt, *Inepta lætitia.* Naſcitur ex proſperis ſucceſſibus, & ex eo quòd homo non conſideret ſua mala, ſed ſolùm bona, læta, & ſuæ vanitati conſentanea. *Illum*, inquit Bern. *qui eiuſmodi eſt, aut numquam, aut raro gementem audies aut lacrymantem videbis, in ſignis ſcurrilitas; in fronte hilaritas: vanitas apparet in inceſſu. Pronus ad iocum, facilis ac promptus in riſum.* &c. Deinde dicit eum eſſe ſimilem veſicæ vẽtu inflatæ, quæ puncto perforata dum ſubinde ſtringitur, varios crepitus emittit, &c.

3. *Inepta lætitia.*

Quartus eſt, *Iactantia*. Qui ad hunc gradum conſcendit, *plenus eſt ſermonibus*, inquit Bernard. *& coarctat eum ſpiritus veteri ſui. Eſurit & ſitit auditores, quibus ſuas iactitet vanitates, quibus omne quod ſentit, effundat, quibus, qualis & quantus ſit innoteſcat. Inuenta autem occaſione loquendi, ſi de ſcripturis ſermo exoritur, vetera proferuntur & noua, volant ſententiæ, verba reſonant ampulloſa. Preuenit interrogantem, non quærenti reſpondet; ipſe quærit, ipſe ſoluit, & verba collocutoris imperfecta præſcindit*, &c. Eodem pertinet libenter de ſuis rebus, quæ aliquam admirationem vel commendationem habere videntur, loqui vel audire.

4. *Iactantia.*

Quintus

5. *Singularitas.* Quintus eſt, *Singularitas*, cum ſcilicet aliquis agit aliqua vltra communia, vt præ ceteris æſtimetur. Huc pertinet, teſte Antonino p.2.tit.3.ca.3.§.8. ſi in ſermone vtaris verbis peregrinis & obſcuris;in diſputatione nouas ſecteris opiniones;in tractatione cum alijs de rebus agendis,diſcrepes à communi iudicio aliorum,vt alijs doctior, ſubtilior,prudentior videare.

6. *Arrogantia.* Sextus eſt, *Arrogantia*, qua quis ſibi plura tribuens quã habet,alijs ſe præſtantiorem æſtimat ſcientia,virtute,nobilitate,aliaue re,quæ inter homines ſit in pretio. Hic quidquid de ſe laudatum agnouerit, non ignorantiæ aut beneuolentiæ laudatoris,ſed ſuis meritis adſcribit.

7. *Præſumptio.* Septimus eſt, *Præſumptio*, qua quis ad omnia ſe paratum æſtimat,& multa ſupra vires audet. *qui enim* inquit Diuus Bernardus, *alijs ſe præcellere putat, quo modo non plus de ſe quã de alijs præſumat? Primus in conuentibus reſidet, in tenebris primus reſpondet, non vocatus accedit, non miſſus ſe intromittit, verba dat ordinata, referit facta. Quidquid ipſe non fecerit aut ordinauerit, nec velle factum,nec pulchrè exiſtimat ordinatum, iudicat iudicantes, præſidet præſidentibus.*

8. *Defenſio peccati.* Octauus eſt, *Defenſio peccatorum*: ſub qua etiam friuolas excuſationes,quas procaciter quis prætendit,intellige. *Multis verò modis*, vt inquit Bernard. *ſiunt excuſationes in peccatis, aut enim dicit,qui ſe excuſat,Non feci: aut feci quidem, ſed benè feci: aut ſi male, non multum male: aut ſi multum male, non mala intentione.*

9. *Simulata confeſſio.* Nonus eſt, *Simulata confeſſio*, nempe cum quis manifeſtus peccati vel conuictus & videns excuſationi non eſſe locum,fatetur delictum, & etiam fortaſſe exaggerat,præ ſe ferens magna ſigna doloris & emendationis, vt hac ratione exiſtimetur humilis & verè pœnitens. Gloriosa enim res humilitas, qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit,ne vileſcat. Hæc hypocriſis ſic detegitur: *Cuius ſimulata confeſſio eſt*, inquit Bernar. *vna vel leui contumelia, vel exigua pœna interrogatus, iam humilitatem ſimulare, iam ſimulationem diſſimulare non poteſt: murmurat, frendet, iraſcitur: nec in quarto ſtare humilitatis, ſed in nonum ſuperbiæ gradum corruiſſe probatur.*

10. *Rebellio.* Decimus eſt, *Rebellio*, id eſt, nolle Superioribus obedire, mandata eorum parui pendere. Oritur hic gradus ex priore: vbi enim ſimulatio pœnitentiæ retecta fuerit,videns ſe hac ratione non poſſe honorem ſuum tueri, ad impudentiam ſe conuertit, & tanto deterius quanto deſperatius in decimum gradum Rebellionem corruit: quiq; prius latenter arrogans fratres contempſerat, iam patenter inobediés etiam magiſtrum contemnit.

11. *Libertas peccandi.* Vndecimus eſt, *Libertas peccandi*, excuſſio enim Superiotis,quem timebat,iugo, & fratribus, quos reuerebatur, remotis,quanto ſecurius,tanto liberius ſua deſideria implet.

12. *Conſuetudo peccandi.* Duodecimus eſt, *Conſuetudo peccandi*, cum quis reiecto penitus Dei timore, in omne genus peccati ſe præcipitat, & in eo continuat, donec eum praua conſuetudo penitus conſtringat. *Poſt iuum*, inquit Bernard. *terribili Dei iudicio, prima ſtoltitia impunitas ſequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur, concupiſcentia reuiuiſcit, ſopitur ratio, ligat conſuetudo, trahitur miſer in profundum malorum, tradatur captiuus tyrannidi vitiorum; ita vt carnalium vanagine deſideriorum abſorptus, fuæ rationis diuinique timoris oblitus dicat inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.* Qui plura de his deſiderat,videat D. Bernard.Hoc ſolum addam, illos duodecim gradus poſſe ad tres reuocari.nam in ſex primis eſt contemptus fratrum, in quatuor ſequentibus contemptus Superioris. in duobus poſtremis contemptus Dei, vt notat idem Bern.gradu 10.

DVBITATIO XI.

De ſtudioſitate,& curioſitate.

D. THOM. Q. 166. 167.

77 *Studioſitas. Materia eius.* *Studioſitas* eſt virtus ſecundum Diuum Thomam, quæ affectum & ſtudium cognoſcendi iuxta rectæ rationis normam temperat. Proxima huius materia non eſt ipſa per ſe cognitio,(hæc enim non eſt libera,nec eget vlla moderatione vt in ſe ſit qualis eſſe debet)ſed ſtudium cognoſcendi: hoc enim eſt actus liber, elicitus vel imperatus à voluntate,& rationis moderatione indigens vt ſit actus virtutis. Nam *ſtudium* cognoſcendi nihil eſt aliud quam vehemens animi applicatio ad aliquid cognoſcendum; quæ applicatio fit per voluntatem. huius enim eſt reliquas potentias,quarum liberum eſt exercitium,ad ſuas functiones applicare,ijque ad ſuum finem vti.In hac autem applicatione duo actus continentur; affectus ſcirendi, & conatus. Affectus eſt in voluntate, & vocatur vſus actiuus;nam per ipſum velle,potentiæ actiuè applicantur. Conatus, in ipſis potentijs cognitiuis,& dicitur vſus paſſiuus,vel formalis; quò ipſæ potentiæ intrinsecè & formaliter applicantur ad ſuum opus.Nihil enim eſt aliud quam ipſe actus cognitionis,vel certe productio eius,vt voluntati ſubeſt:vt colligitur ex 1.2 quæſtione decimaſexta, articulo primo. Itaque ſtudium hoc loco continet & vſum actiuum, quo volũtas actiuè potentias cognitiuas ad ſuas functiones applicat; nimirum oculos ad legendum,aures ad audiendum, phantaſiam ad imaginandum, & apprehendendum, intellectum ad conſiderandum & iudicandum:& vſum paſſiuum, nimirum actus iſtarum potentiarum vel actuum productiones, vt vſus actiuo ſubſint,ab eoque depẽdent, & moraliter informantur; hi enim proprie ſtudium dicuntur. *Studioſitas.*

78 *Officium huius virtutis.* Officium igitur huius virtutis eſt. Primò, Moderari appetitum ſciendi, vt quis non velit plura aut altiora ſcire, quàm ipſius conditioni & capacitati conueniat; nec pluris faciat ſcientiam,quam oportet, præponendo illam virtuti aut rebus ad ſalutem neceſſarijs; ſed vt illam æſtimet & amet in ſuo gradu.

Secundò, Moderari *ipſum* ſtudium, & conatum animi in acquirenda ſcientia,vel ea vtenda, rectæ rationis regulã illi imponendo; nimirum vt ſtudeamus ea diligentia, qua oportet,& eo fine,quo oportet, & illis rebus, quibus oportet,illis adminiculis,illis etiam locis & temporibus,quibus oportet.

Tertiò,Non ſolùm refrænare affectum & moderari ſtudium; ſed etiam interdum vtrũque impellere & incitare: nempe quando quis ob laborem coniunctum,ſtudium ſibi neceſſarium vel cõgruum refugit, vel in eo languide ſe gerit,vel ſi congrua adminicula nõ adhibeat. Et quia hoc plerisque accidit, (plures enim in rebus neceſſarijs vel utilibus addiſcendis deficiunt quam excedunt)ideo hæc virtus potius ab impellendo quàm à refrænando dicitur.

79 *Eſt annexa temperantiæ, & quodammodo fortitudini.* Ex his colligitur, hanc virtutem, qua parte refrænat affectum ne nimium in ſcientiarum ſtudium feratur, annexa eſſe temperantiæ; cuius munus eſt moderari affectum ne nimium in voluptates corporis ſe effundat: magna enim eſt voluptas cognitionis; unde & *omnes homines natura aliter ſcire deſiderant.* Ariſtotele teſte,itaque oportuit hunc affectum aliqua virtute temperari & veluti cohiberi,ne modum excedat.qua verò contra laborem impellit, poſſe reduci ad fortitudinem. Opus enim eſt aliquo animi robore ad difficultates ſtudiorum ſuperandas; quod robur nõ debet alteri virtuti aſſignari quàm huic: quia ordinatus ſcientiæ affectus ad illud ſufficit.

80 *Studioſitati* duo vitia opponuntur, *Curioſitas* & *Negligentia*; illa per exceſſum,hæc per defectum.

Curioſus generatim dicitur, qui maiorem curam circa rẽ aliquam inutilem cognoſcendam,vel efficiendam,vel comparandam adhibet, quàm ratio poſtulet. ſic dicimus aliquem curioſum in veſtibus,in ſupellectile, in ſermone, in renus peregrinis conquirendis,in arte ſua,& ſimilibus. Itaque *curioſitas* generatim denotat ſuperfluam diligentiam circa res inutiles,vel qualitatẽ earum, minimè neceſſariã. Proprie verò locum habet in ſtudio & amore cognitionis nihil ad nos pertinentis;nimirum cùm quis ſuperfluam diligentiam adhibet vt aliquid ſciat, quod nihil ad ipſum ſcire attinet, vel quod captum ipſius ſuperat; idque affectu ſolius cognitionis.tales enim proprie curioſi dicuntur; vt ſunt qui res alienas ſcire cupiunt & inueſtigant, tantum vt illas ſciant. Quòd ſi non affectu cognitionis, ſed operationis ſcire conentur; verbi gratia vt alijs noceant, vel ſibi conſulant,non erit proprie curioſitas, nec illi dicentur curioſi. Vnde patet,non omnem inordinatum affectum ſciendi,nec omnem exceſſum in ſtudijs eſſe curioſitatem: ſed illum,qui tendit in ipſam ſcientiam propter ſe, maximè in eam quæ eſt homini inutilis. *Curioſi Ariſtot.*

Et quia omnis ferè noſtra cognitio parui eſt momenti, ſi in ſola ſpeculatione maneat, nec ad vſum vitæ, vel ad rectè viuendum, Deumque cognoſcẽdum adhibeatur; ideò curioſi etiam dicuntur, qui cognitionem aliquam philoſophicam, vel etiam theologicam quærunt, vt in ſola ſterili ſpeculatione ſiſtant. Vnde Diuus Auguſtinus libro de vera religione, capit. vigeſimonono ait: *Non fruſtra & inaniter intueri oportet pulchritudinem cæli, ordinem ſiderum, candorem lucis, dierum & noctium viciſſitudines, luna menſtrua, curricula, anni quadriformem temperationem quadripertitis elementis congruentem, tantam vim ſeminum, ſpecies numeroſque genitorum, & omnia in ſuo genere modum proprium naturamque ſeruantia. in quorum conſideratione non vana & peritura curioſitas exercenda eſt; ſed gradus ad immortalia & ſemper permanentia faciendus.* Vbi apertè D. Auguſt. talem cognitionem curioſam vocat.

Obiectio.

Dices, Talis cognitio, v.g. Phyſica vel Matheſis, eſt virtus intellectus: ergo per ſe appeti poteſt: ergo illam per ſe appetere, & in illa ſiſtere non eſt curioſitas.

An cognitio philoſophica ſit per ſe appetenda.

Reſpondeo, Non eſſe curioſitatem, ſaltem vitioſam, illam per ſe appetere, modò æſtimetur in ſuo gradu, ſeu non pluris quàm oportet: ſecus verò ſi ita appetatur & quæratur quaſi in ▪ magna quædam felicitatis portio conſiſtat; ſicut fit a vanis hominibus & philoſophis ethnicis. Item ſi ſic quæratur vt Dei vel rerum ad ſalutem pertinentium cognitio vel cura negligatur. Hoc igitur modo in illa ſiſtere curioſitatis eſt.

Addo etiamſi æſtimetur in ſuo gradu, nec ita quæratur vt neceſſaria ad ſalutem prætermittatur, tamen appetitum & ſtudium ſciendi propter nudum ſcire non eſſe laude dignum; ac proinde neque opus virtutis: ſed pertinere ad quamdam curioſitatem, ▪ non malam, ac certè adiaphoram. Nec refert quod ſcientiæ dicantur virtutes; quia non ſunt virtutes ſimpliciter quæ hominem reddant probum, ſicut iuſtitia, temperantia, fortitudo: ſed ſecundum quid; quia perficiunt intellectum ad ſuas operationes, & in ordine ad proprium obiectum. alioquin inter bona naturalia & adiaphora cenſendæ ſunt, ſicut viuere, ſentire, intelligere, propter quæ nemo laude, vel vituperio dignus eſt, etſi hæc per ſe ſint expetenda. Vnde patet, curioſitatem eſſe, ſi quis maiorem partem cogitationum & curarum ſuarum in hac tanta vitæ breuitate, & incertitudine, in illas expendere velit, niſi ad meliorem vſum referantur: quia re vera tanta temporis & induſtriæ iactura non ſunt per ſe dignæ. & hæc videtur mens D. Aug.

Curioſitas ſenſuum.

Neque ſolum in cognitione intellectus, ſed etiam in notitia ſenſuum curioſitas locum habet; nimirum, cum quis appetit videre, audire, olfacere, guſtare, tangere, ſciendi, iudicandi, vel diſcernendi cauſa, ea, quorum notitia ad ipſum nihil attinet.

Si cupias ſenſu percipere non cauſa notitiæ, ſed voluptatis, vel actionis.

Dico *ſciendi* vel *iudicandi cauſa*, quia ſi non cauſa notitiæ, ſed voluptatis, quæ ex ipſa re percipitur, vel actionis, videre vel alio ſenſu apprehendere quid velis, non erit propriè curioſitas, ſed poterit eſſe alterius generis peccatum, vel etiam quid adiaphorum: vt ſi muſicam audire velis, non vt iudices de vocibus, ſymphonia vel alia re ſimili, ſed vt voluptatem auribus captes. Simile eſt in alijs ſenſibus, etiam in tactu; aliud enim eſt tangere cauſa nocendi, vt diſcernas inter calidum & frigidum, humidum & ſiccum, durum & molle, elatum & depreſſum, aliaſque qualitates tactiles & figuras; aliud voluptatis cauſa. Itaque ſenſuum vſus pertinet ad curioſitatem, quatenus ordinatur ad nudã notitiam, & diſcretionem ſenſibilium; nec per illum quæritur voluptas illa, quam ipſa res per ſe affert. cuius ſignum eſt, quòd ex curioſitate non minus ea, quæ offendũt, quàm quæ delectant ſentire velimus. Vnde facilè eſt diſtinguere vtrùm aſpectus vel contactus ad libidinem, an ad curioſitatem pertineat.

Quale peccatum.

Petes, Quale peccatum ſit curioſitas.

Reſp. Per ſe ſolum eſſe veniale: quia non eſt magna inordinatio quod homo appetat ſcire quæ ad ſe non pertinent, aut ſuperfluam in huiuſmodi rebus operam ponat, modo neceſſaria non negligat. Ratione tamen circumſtantiarum poteſt eſſe mortale.

Quando ſit mortiferum.

1. Ratione prohibitionis.

Primò, Ratione prohibitionis; vt ſi tale quid legere, audire, ſpectare ſit prohibitum. vt ſi quis legat libros vetitos: ſi ſpectet duella, vel ludos ſpectari vetitos: ſi velit audire vel cognoſcere quæ dicuntur in confeſſione, abſque conſenſu pœnitentis: ſi Religioſus exeat Monaſterium vt audiat ius ciuile, vel medicinam: ſimiliter ſi ſacerdos, vel beneficiarius habens Dignitatem vel Perſonatum, eaſdem diſciplinas publicè audiat; & ſunt hi tres ipſo facto excommunicati, ſi per duos menſes continuent; vt patet ex cap. Non magnopere. 3. & cap. Super ſpecula. 10. Ne Clerici vel Monachi negot. ſæcul. & c. 1. eod. in 6. Non tamen peccant ſi illi priuatim ob bonum finem huiuſmodi diſciplinis vacent. Crediderim quoque aſpectum duelli, vel alterius ſpectaculi prohibiti non eſſe mortale peccatum, ſi quis caſu aliquo ex occulto ſpectet; ac proinde talem non eſſe excommunicatum per Concilium Tridentinum ſeſſio. 25 capit. 19. vbi ſpectatores duellorum excommunicantur: quia talis inter ſpectatores non cenſetur: nam ſpectatores vocari non ſolent, niſi qui in publico ſe exhibent, & ſua præſentia ſpectaculum cohonestant: & alias pœnæ ſunt reſtringendæ.

2. Ratione materiæ.

Secundò, Ratione materiæ, idque tripliciter: vel enim materia eſt per ſe illicita, vt ſi contineat occultum pactum cum dæmone, vt ſunt omnia magica, & pleraque aſtrologica, chiromantica, hydromantica, & ſimilia ad prædictiones futurorum, vel patefactionem occultorum pertinẽtia: hæc enim proprijſſimè dicuntur *curioſa*: quia omnino ſuperuacanea, plena ſuperfluis curis, & vanis imaginationibus; de quibus Actorum 19. *Multi ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt eos coram omnibus.* Vel materia eſt periculoſa, vtpotè inductiua in peccatũ: hoc modo lectio curioſa de rebus amatorijs poteſt eſſe peccatum mortiferum, ob probabile periculum conſenſus. Similiter viſus & contactus curioſus. Vel eſt intellectui improportionata; vt ſunt myſteria fidei, quæ ſi quis ingenio ſuo ſcrutari velit, & de illis iudicium ferre, erit mortifera curioſitas: qualis eſt in hæreticis, qui nihil volunt credere, niſi prius à ſe examinatum deprehenderint ſuis phantaſijs conforme. Hanc curioſitatem vitare monemur Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris:* nempè animo illa perfectè capiendi, aut de illis iudicandi, aut nimio ſtudio & conatu. *ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Et infrà. *Multos quoque ſupplantauit ſuſpicio eorum, & in vanitate detinuit ſenſus eorum*, id eſt, multi decepti ſunt, & vani effecti, cum putarent ſe capere quæ non intelligebant. Græca hic paulo aliter habent, ſed ſenſus eodem redit. Huc etiam pertinet illud Prouerb. 25. *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* & illud Apoſt. ad Rom. cap. 12. *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.*

3. Ratione mediorum.

Tertiò, Ratione mediorum; vt ▪ quis illicitis medijs notitiam aliquam parare velit: verbi gratia arte notoria, vel magiſterio dæmonis. Item ſi non poſſis ſcire niſi alterum ad malum inducas: vt ſi velis ſcire arcanum alteri commiſſum, vel quod ipſe patefacere non poteſt, præſertim ſi iuramento prohibeatur. Si, vt ſpectes mira, alterum inducas vt magia vtatur, vel deſideres. vel conſentias vt vtatur. ſecus ſi tibi non placeat ipſum illa facere; nec poſſis impedire.

4. Ratione finis.

Quartò, Ratione praui finis, vt ſi intentione decipiẽdi, vel alicui notabiliter nocendi aliquid ſcire velis. quamuis propriè tunc non ſit curioſitas, niſi materialiter; quia non affectu ſciendi quæritur notitia, ſed operandi.

5. Ratione incommodi connexi.

Quintò, ratione incommodi connexi, vt ſi ita alicui ſtudio minus vtili incumberet, vt ea quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem diſcere vel exequi prætermitteret, vel ſi cum ſcandalo aliorum ſtudium aliquod tractaret.

Denique, Quandocumque appetitus ſciendi eſt illi cauſa committendi alicuius peccati mortiferi; quacumque ratione id fiat, eſt peccatum mortiferum.

Alterum extremum negligentia.

Alterum extremum eſt negligentia ſtudiorum, quæ nihil eſt aliud quàm voluntaria omiſſio diſcendi illius, quod diſcere vel ſcire tenetur; vt ſi quis negligat diſcere articulos fidei, & alia ad ſalutem neceſſaria: ſi Medicus, Aduocatus, Parochus, Epiſcopus, negligant ▪ diſcere, quæ ſuum cuiuſque officium attingunt; ſi ſtudioſus negligat ſua ſtudia.

Quale peccatum.

Eſt autem hæc negligentia per ſe, quatenus procedit ex tædio laboris, & defectu amoris ad cognitionem ſibi coo-

congruentem, peccatum veniale, sæpè tamen potest esse mortale ratione materiæ, nimirum si sub peccato mortali ad eam discendam, iure diuino vel humano erat obstrictus. quòd si solum sub veniali tenebatur, erit veniale.

DVBITATIO XII.

De Modestia in motibus externis.

D. THOM. QVÆST. 168.

86 MOdestia, à modo scientiæ quid deceret hominem, appellata est, teste Diuo Ambrosio lib. 1. offic. cap. 18. vel a modo nostris motibus imponendo. Græci vocant εὐταξίαν. 2 Stoicis apud Ciceronem libr. 1 officior. sic definitur. *Modestia est scientia eorum rerum, quæ agentur aut dicentur loco suo collocandarum*. dicùt esse *scientiam* quia virtutes omnes scientias esse putant, eò quod prudentia est omnium bonarum actionum regula. Melius sic definietur: *Modestia est virtus, externos motus & gestus corporis ex præscripto rectæ rationis temperans*; vel sic: *Est virtus decorum in externis moribus & gestibus seruans*.

87 Materia. Materia ergo huius virtutis est motus corporis & gestus exterior sensibus obuius; vt incessus, statio, sessio, motus capitis, contractio & explanatio vultus, membrorum iactatio, vox, risus, aspectus. Vnde Cicero libr. primo offic. *ex eorum obitu, superciliorum aut contractione aut remissione, ex mœstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex commutatione vocis, & submissione: ex ceteris, similibus facilè iudicabimus quid aptè eorum fiat, quid ab officio naturaque discrepet*.

Ratio est, quia motus externi membrorum sunt liberi: ac proinde subsunt rationis ordinationi. id autem quod subest rationis ordinationi, cum rectè & prauè ordinari possit, est materia virtutis & vitij.

88 Forma. Forma verò quam huic materiæ modestia imprimit, est congruentia ad personam spectatam tum absolutè, tum in ordine ad eos, cum quibus, vel coram quibus agitur; & ad locum, tempus & negotia, de quibus agitur.

Primum enim debent ij motus & gestus ita fieri, vt congruant personæ, cuius sunt. Decorum enim est, quod congruit naturæ rationali in eo, cui inest: seu quòd secundum rectam rationem congruit ei, cui decorum dicitur: Vnde Ambrosius libr. 1. capitul. 19 *Hoc est*, inquit, *pulchritudinem tuendi tenere, conuenientia cuique sexui & personæ reddere*. Debet etiam congruenter fieri ad alios; quia pro diuersitate personarum, quibuscum agitur, diuerso quoque modo tota conuersatio, & ratio agendi est moderanda. Similiter pro diuersitate temporis & loci. Vnde Stoici modestiam in eo constituebant, vt omnia suis temporibus & locis agantur & dicantur; quod Cicero explicans; *Tanta*, inquit, *vis est & temporis & loci, vt si quis cum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur, non reprehendatur: at hæc idem si in contione faciat, inhumanus videatur, in scientia temporis*.

89 Officium. Officium igitur huius virtutis est ista omnia sic moderari, vt congruant personæ tum in se consideratæ; tum vt habet ordinem & respectum ad circumstantes, ad locum, tempus, & negotium præsens.

Moderatio gressus. Et quidem quod ad gressum, qualis esse debeat in viro graui, docet luculentè Amb. lib. 1. offic. c. 18. vbi inter cetera ait: *Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium: ita tamen si studium desit, atque affectatio: sed motus sit purus ac simplex. (nihil enim fucatum placet) motum natura conformet. Si quid fortè in natura vitij est, industria emendet, ne aut desit, aut non desit correctio*. quod postremum in ceteris externis formandis tamquam regula est adhibendum.

Moderatio vocis. De voce capitul. 19. sic ait: *Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi grauitatis specie simulare vel confutuerunt; sed formam quandam & regulam, ac succum virilem referamus*. Et infra: *Vt molliculum & infractum aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo: ita neque agrestem aut rusticum naturam imitemur, etsi effigies formula disciplinæ, forma honestatis est*.

Oratio qualis esse debeat, siue in colloquijs, siue in statu seu concione, docet capitul. 22. his verbis. *In vtroque* *Moderatio orationis.* *formandum ne sit aliqua perturbatio, sed tamquam mitis & placidus, benevolentia plenus & gratia, sine vlla fermo ducatur contumelia: absit pertinax in familiari sermone contentio*. Et infrà: *Disceptatio sine ira, suauitas sine amaritudine, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione*. Et infrà, qualis esse debeat oratio concionatoris: *Oratio sit pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia*. Vide plura apud eundem ad huius virtutis officium pertinentia.

Ex quibus constat quanti hæc virtus sit momenti, vt pote necessaria ad bonum nomen, ad proximi ædificationem & ad amicitiam, vitamque communem. Nam vt idem Ambrosius capitul. 18. ait, *Habitus mentis in corporis statu cernitur. hinc homo cordis nostri abscondita, aut lenior, aut iactantior, aut turbidior: aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus*. Idem insinuat illud Eccles. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus*. Denique in hac totum ferè externum decorum, & pulchritudo vitæ consistit. 90

Notandum tamen hanc externam moderationem ex diuersarum virtutum affectu præstari posse, eaque ratione ad diuersas pertinere virtutes. Si enim externam modestiam præfles, vt talem te foris exhibeas, qualem te intus esse putas pertinebit ad virtutem veritatis: sicuti hypocrisis est aliud foris simulare, aliud animo gerere. Si id facias vt te alijs commodum, & suauem in conuersatione exhibeas; erit officium amicitiæ, seu affabilitatis: si vt reverentiam rebus sacris habeas, erit officium religionis. Ratione tamen materiæ semper dicetur modestia: ad quâ etiam formaliter pertinebit, si fiat affectu congruentiæ, quam habet ad ipsam personam, cui inest, cum circumstantijs occurrentibus spectatam. 91 *Potest à diuersis virtutibus imperari.*

Contra hanc virtutem peccatur per excessum & defectum. Per excessum, cum plus agitur, quàm præscriptum rationis habeat. Primò, si externi motus vel gestus communem modum excedant. hoc vocatur vulgò *petulantia*, vel *insolentia*. Secundò, Si alienum modum tibi non congruentem assumas; vt si Religiosus vtatur moribus aulicis. quò pertinet mollities quædam in voce, gressu, gestibus, quàm Diuus Ambrosius sæpè reprehendit. Tertiò, si ficto animo modum aliquem assumas; quod est hypocrisis. Ceterum in his non est peccatum mortale, nisi ratione praui finis, vel scandali, vel alterius grauis nocumenti. 92 *Vitia modestiæ opposita. Per excessum.*

Per defectum peccatur contra hanc virtutem, morum ruditate & rusticitate; hæc per se non est peccatum nisi veniale; per accidens tamen mortale esse potest: v. g. ob scandalum vel offensionem, cum alij putant se tali ratione contemni. *Per defectum.*

DVBITATIO XIII.

De Eutrapelia.

D. THOM. Q. 168. & art. 1. 3. 4.

OMnes motus gestusque externi vel seriò fiunt, vel ludi ocive causa. *Seria* fieri dicuntur, cum non ad ludum vel iocum. *Ludus* propriè in factis, iocus in verbis est. Generatim tamen *ludi* nomine etiam *iocum* intelligimus. nam verbis quoque ludere dicmur, & ludere hominem, & in hominem. 93 *Ludus.*

Moderatio eorum, quæ seriò aguntur. Si seriò agantur, eorum moderatio ad virtutem, quæ communi nomine dicitur modestia, pertinet. Si ludi causa, moderatio quidem ad modestiam pertinet; tamen vt sit distinctio inter hanc modestiam, quæ est in ludicris, & illam, quæ in seriis, hæc proprio nomine vocari solet εὐτραπελία, & qui ea præditi, εὐτράπελοι, quasi ἔυτροποι. (vt Aristotel. lib. 4. Eth. cap. 8. ait) id est, flexibili ac versatili ingenio: quia dicta & facta quædam, dextrè ad recreationem animi conuertere norunt. Est igitur eutrapelia species modestiæ. Vnde definiri potest, vt sit *modestia in ludicris*. vel hoc modo: *eutrapelia est virtus, quæ ludis & iocis* *Quid eutrapelia.*

rationis

rationis modum imponit: vel ſic, *quæ in ludicris decorum ſeruat*. aliter hoc nomine vtitur Apoſtolus ad Epheſ.5. nimirum pro ſcurrilitate. facilis enim in iocis ad ſcurrilitatem lapſus.

Materia eutrapelia. 94 Itaque materia huius virtutis ſunt *actiones ludicræ*, ſiue in factis, ſiue in dictis ſitæ: ſunt enim illæ actiones liberæ, vt conſtat, & per ſe non illicitæ, ſed indifferentes; ac proinde capaces ordinis recti, vel prauiratione imponendi, in quo ratio virtutis & vitij conſiſtit. Quod autem etiam viris grauibus tales actiones interdum illicitæ non ſint, patet: quia ſicut corpus fatigatur corporali labore, propter conſumptionem ſpirituum, & membrorum exſiccationem: ita anima rebus ſeriis intenta fatigatur labore ſpirituali. cogitando enim attentè, conſumuntur ſpiritus animales, quibus ipſa vtitur ad functiones, non quidem ipſius per ſe intellectus, ſed phantaſiæ, cui quibus omnis functio intellectus dependet. Ipſum quoque cerebrum incalefcit & exſiccatur, vnde ſicut corpus eget quiete ad refectionem ſpirituum, & virium inſtaurationem: ita etiam anima ſua quiete opus habet: quies autem animæ propria eſt ludus & iocus, quia in his non laborat, cum magnam attentionem non requirant, & voluptate quadam ſenſus internos afficiant: & interea dum animus ita recreatur, natura nouos ſpiritus ſuppeditat, & organa ad temperiem priorem reducit. Hinc Cicero libr.1. officiorum: *Ludo*, inquit, *& ioco, vti quidem alio loco; ſed ſicut ſomno, & quiete, tum, cum grauibus ſeriiſque rebus ſatisfecerimus*. Vnde ſequitur, eos, qui grauibus ſtudijs, & rebus ſpiritualibus multum intendunt, hoc ſolatio ſubinde vti poſſe. quod etiam docet Caſſianus collatione vigeſimaquarta, ſeu vltima capitu.20. idque confirmat cap 21. exemplo ex reſponſo Beati Ioannis Euangeliſtæ, qui ſimilitudine arcus aſſidue intenti & numquam laxati hanc rem declarabat. Idem inſinuat Diuus Auguſtinus libr.1. de muſica, in fine, cum ait: *Volo tamen tibi parcas; ſpectem enim interdum remittere aciem rebus agendis intentam, decet*. Conſtat igitur materiam iſtam licitam eſſe.

Forma. 95 Forma, quam hæc virtus ludo inſerit, eſt *congruentia*, ad perſonam ludentem, tum in ſe ſpectatam, nimirum vt eius dignitati non repugnet; tum in ordine ad alios, & ad locum, tempus ac negotium præſens. Facit enim vt ludus ſit congruens perſonæ cum illis circumſtantijs ſpectatæ: ſicut modeſtia reliquos motus & geſtus conuenienter perſonæ diſponit.

Tria cauenda circa materiam & formam. 96 Porrò tria hic ſunt maximè cauenda. Primò, Vt abſit omnis iniuria, obſcœnitas, & illiberalitas. Vnde Cicero ſupra *Vt pueris non omnem licentiam ludendi damus, ſed eam, quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena; ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat*. Deinde explicans quales ioci vitandi, addit. *Duplex omnino eſt iocandi genus: alterum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans, vrbanum, ingenioſum, facetum*. *Illiberale* vocat, quod homine ingenuo eſt indignum; quale aurigarum, nautarum, & ſimilium, ex hominũ face, qui ſordibus & nugis delectantur. *Petulans*, quod habet contumeliam. *Flagitioſum* quod blaſphemiam, vel aliud graue crimen implicat. *Obſcœnum*, quod impuritatem.

Secundò, Ne nimium in ludicra ſimus profuſi. Vnde Ambroſius lib.1. offic. capitul.20. *Cauendum ne dum relaxare animum velimus, ſolutum in omnem luxuriem & quaſi concentum quendam bonorum operum*. Et Cic. *Ipſum genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet*.

Tertiò, Ne iſta adhibeantur in rebus ſacris; verbi gratia in concionibus, neque per ſacra exerceantur. quod iuxta Diuum Thomam, inſinuat Ambroſius libr.1. offic. capitul. 23. cum ait: *Nam licet interdum honeſta loca ne ſeuitia ſint, tamen ab Eccleſiaſtica abhorrent regula*. Et ſanè graue peccatum eſt in ſacris concionibus iocos adhibere: eſt enim contra reuerentiam & attentionem verbo diuino debitam; nam in ioco eſt remiſſio attentionis, & reuerentiæ, in eoque aſſumitur quædam libertas, & tãquam ſi cum æqualibus de nullo ſerio negotio ageretur. eſt etiam contra fructum & ædificationem; quia vis verbi diuini in animis auditorum veluti retunditur, & impreſſio mentibus eorum facta euaneſcit. Denique concionator exiſtimationem ſuam amittit, & vanitatis a populo damnatur. Similiter graue peccatum eſt verbis ſacris ad iocos & facetias vti. vnde Concilium Tridentinum ſeſſione quarta in fine *mandat & præcipiens dicat ſero quiſquis eiſdem ſacra Scripturæ loci tractentur ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias & diabolicas inuocationes, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos*: & iubet eos puniri per Epiſcopos. ſæpè tamen ex leuitate materiæ, vel ratione conſiderationis, huiuſmodi ioci ſunt peccata venialia.

Vitia oppoſita eutrapelia. 97 Porro ſicut in ludis & iocis poteſt eſſe moderatio: ita exceſſus & defectus. Exceſſus eſt, cum quis amplius in iſtis ſibi indulget quàm ratio recta permittit. Defectus, cùm minus.

Exceſſus dupliciter. Dupliciter autem poteſt eſſe exceſſus, vt docet Diuus Thomas art.3. Primò, *ex ipſa ſpecie actionum*, quæ ad ludum aſſumuntur, nec tamen ad hoc ſunt idoneæ: idque vel quia per ſe ſunt peccata: (vt cum ludi iocive cauſa quis vtitur verbis, vel factis obſcœnis, vel proximo nocuis) vel quia ſunt ſacra: & maiorem reuerentiam poſtulant. Quod ſi verba illa vel facta per ſe ſint peccata mortifera, exceſſus erit lethalis; quia non ideò propriam malitiam amittunt, quòd ad ludum & recreationem ordinentur. Si autem illa per ſe tantum ſint venialia: erit exceſſus venialis: quia ordinatio ad ludum ſuperueniens, non addit culpam lethalem. Vnde ſimplex turpiloquium ex ioco profectum non eſt peccatum mortale, vt rectè Caiet.ar.3. Secus ſi animo trahendi ad libidinem. Si verba ſint ſacra, & abſit ſcurrilitas, contumelia, infamatio iocus plerumque eſt venialis; niſi forte eſſet magnus exceſſus, ita vt grauis videatur irreuerentia.

Ex circumſtantijs. 98 Secundò, Poteſt eſſe exceſſus ex circumſtantijs, ſcilicet perſonæ, loci, temporis, finis, qualitatis ludi, & modi ludendi. Primo, Ratione circumſtantiæ perſonæ; vt ſi propter dignitatem dedeceat perſonam ſic ludere. ſic aleæ luſus vetatur Clericis ob dignitatem perſonæ. Non tamen eſt peccatum mortiferum, ſi abſque ſcandalo, recreationis cauſa interdum fiat, quia vſus permittit. neque etiam ſi ob pecuniam; modò ſcandalum abſit, & de ea liberè poſſint diſponere. Secus tamen ſi aleæ ſint dediti. de quo vide ſupra libr.2. capit.16. dubitatione prima, & Nauarrum in Enchiridio capit.20. nume.3. Ob eandem cauſam illicitus eſt illis lacuarum vſus, quamuis non videatur peccatum mortale, ſi ſcandalum & prauus finis abſit, vt indicat Caietanus in Summa verb. Lacuarum vſus. Secundò, Ratione loci, vt ſi fiat in loco ſacro: non tamen erit peccatum mortiferum, niſi vel ratione ſcandali, vel quia diuina officia impediuntur, vel quia ſpeciatim prohibitum eſt talem ludum ibi fieri, ſicut vetitum eſt de ludis theatralibus, vt patet capit. Cum decorem. 12. de vita & honeſtate Clericorum. Tertiò, Ratione temporis; vt ſi quis bonam diei feſti partem ludis abſumat. Hoc tamen non erit mortiferum, ſi Sacrum & ſi quod aliud officium diuinum præceptum ſit, non omittat: vt docet Nauarrus cap.20. num.3. & Caietanus ar.3. Ludus enim, etſi operoſus ſit & laborioſus, vt ludus pilæ, prædij vmbratilis, & ſimiles, tamen non eſt opus ſeruile, aut aliàs ſpeciatim ob cultum feſti prohibitum. Quarto, Ratione finis, Vt ſi quis ludat animo ad malum pertrahendi. Si finis principalis ſit lucrum, erit peccatum, iuxta Caietanum artic.3. Sylueſt. verb. Ludus quæſtio quarta, & alios quoſdam. quorum ratio eſt, quia cum ludus natura ſua ad recreationem & animi quietem referatur, abuſio eſt illum ordinare ad lucrum. vnde etiam huiuſmodi lucrum volũt eſſe ſordidum, & illiberale, vtpote acquiſitum per id, quod natura alio deſtinauit. Fatentur tamen non eſſe peccatum mortiferum. Contrarium tamen eſt verius; vt ſuprà lib.2. cap.26. dub.1. oſtenſum eſt. nam ludus etiam includit vel ſupponit contractum, eſtque illius executio. Itaque poſſunt eo ſic vti, qui rerum ſuarum liberam habent adminiſtrationem. quare nullum per ſe eſt peccatum illo ad lucrum vti. plerumque tamen quando quis ad talem finem vtitur, eſt aliquod peccatum, ratione immodicæ cupiditatis, ex qua ordinariè tunc procedit. Quinto, Ratione qualitatis materiæ prohibitæ ad ludum vſurpari. Sic olim ludus alearum (quo nomine omnes fortuitum euentum habentes continentur) prohibitus erat ob varia incommoda, quæ inde ſequebantur. illa tamen lex iam pridem contrario vſu eſt abrogata. Tales enim ludi maximè rationem ludi habent. quia animum attentione non fatigant, & incerto euentu excitant ac recreant. Qui autem multa attentione opus habent, vt eſt ludus latunculorum, peſſimi

pessimi sunt ad finem ludi, vt Caietanus ait: ad vitandum tamen otium optimi. Vnde huiusmodi numquam vetiti: quia vitatio otij maximè necessaria. Sextò, Ratione modi; vt si quis vtatur fraude contra leges ludendi; de quo suprà lib 2. c. 26. d. 2.

99 *Peccatur defectu.* Defectu quoque in his peccari potest. Primò, Quando quis eget hac animi remissione, & eam præ austeritate animi non vult admittere. Secundò, Quando alijs sua austeritate molestum se exhibet honestos eorum ludos & iocos non admittens: hoc tamen vitium minus est peccatum quã excessus: sicuti minus malum est nimis alipernari voluptates, quam nimis eisdem sectari. Tales vocat Aristot. libr. 4. ethic. ca. 8. σκληρούς ἢ αὐστηρούς, duros & agrestes: & qui iocis excedunt, βωμολόχους, scurriles.

DVBITATIO XIV.

De modestia circa res externas, & præsertim ornatum corporis.

D. THOM. QVÆST. 169.

SICVT circa motus & gestus externos tum in sertijs, tum in ludicris versatur quædam virtus & vitium, eò quòd secundùm normã rationis, vel contra temperari possunt: ita circa exteriorem apparatum & cultum (quatenus hic nostris actionibus, & consequenter dispositioni rationis subest) est virtus quædam, quæ est species modestiæ, & vocari potest *modestia cultus*. Ea sic definiri potest; *Modestia cultus est, quæ in rerum externarum apparatu, rationis moderationem adhibet.* vel sic: *quæ decorum in cultu corporis; & alio rerum externarum apparatu seruat.*

100 *Materia.* Materia huius virtutis est, remota quidem externus apparatus, consistens maximè in cultu, ornatuque corporis, domus, supellectilis, & complurium: proxima verò sunt nostræ actiones, quibus ita procuramus & vtimur. *Forma.* Forma verò, quam huic materiæ imprimit, est congruentia ad personam, ad receptam cõsuetudinem, ad tempus, locum, negotium præsens, &c. Facit enim hæc virtus, vt exterior apparatus talis sit vt congruat personæ, spectatæ in ordine ad consuetudinem, locum, tempus, & reliquas circumstãtias, idque ex affectu honestatis, quæ in ea re elucet. si enim alio affectu fieret, non esset actus huius virtutis, nisi ratione materiæ.

Peccatur dupliciter. Peccari contra hanc virtutem circa eamdem materiam potest per excessum, & defectum.

101 *1. Per excessum.* Per excessum dupliciter. Primò, Ratione ipsius cultus, nimirum quando per se talis est, vt non congruat receptæ consuetudini proborum in tali loco. Quò pertinet omnis insolentia apparatus inconsueti, in vestibus, & similibus, a peregrinis gentibus mutuata, & a consuetudine patriæ abhorrens: & quidquid in loco vbi viuit, censetur suprà conditionem status: vtrumque enim est inordinatum, & vanitatem vel delicias redolens. Accedit etiam *quod turpis sit omnis pars suo vniuerso non congruens*, vt dicit D. Augustinus lib 3. confess. c. 8.

Contra consuetudinem vel supra statum.

102 *Duplex affectus inordinatus.* Secundò, Ratione affectus ipsius hominis, qui illis rebus immoderatè, vel luxuriosè vtitur. vnde D. Augustinus l. 3. de doct. Christ. c. 12. ait; *In vestibus talibus* (scilicet externis) *non vsus rerum, sed libido vanitatis in culpa est:* Et infrà: *In omnibus rebus non ex earum rerum natura, quibus vtimur, sed ex causa vsurpandis modus adhibendus vel probandum est vel improbandum quod facimus.* Potest autem ille affectus esse inordinatus, vel ex parte finis, vel ex parte agentis. Ex parte finis, vel propinqui & quasi intrinseci; vt si in cultu corporis quærat vanam gloriam apud homines; vel delicias apud se. (ad vtrumque enim horum cultus corporis referri potest. quia est corporis & ornamentum & fomentum: vt ornamentum, ad vanam gloriam, vt fomentum, ad delicias) Vel ex parte finis remoti & extrinseci; vt scilicet per talem cultum intendat pellicere ad impuros amores.

103 Ex parte agentis affectus est inordinatus, quando nimium studium in huiusmodi rebus ponitur; vt sæpe faciunt feminæ, aliquot horas in se ornandis ponentes; & molliculi iuuenes vt femina computi. hoc ad quamdam curiositatem pertinet. sed hæc inordinatio rarò est sola; quia ferè semper ad vanam gloriam, vel delicias, vel ad libidinẽ, vel ad hæc omnia simul ordinatur.

Per defectum quoque dupliciter hic peccatur. Primò, ex parte agentis, ratione negligentiæ; cum quis præter decorum, in cultu corporis & rerum suarum est negligentior. Secundò, Ex parte finis, vt si ex vilitate cultus quærat vanam gloria, quod ad hypocrisin pertinet. De quo Diuus Augustinus lib. 2. de sermon. Domini in monte capitul. 19 *In hoc*, inquit, *capitulo maximè aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis fundibus luctuosis esse posse iactantiam; & eò periculosiorem, quò sub nomine seruitutis Dei decipit.* Idem lib. 3. de doctrina Christiana capitul. 12. *Quisquis*, inquit, *rebus prætereuntibus restrictiùs vtitur quàm se habent mores eorum, cum quibus vsus est, aut temperans, aut superstitiosus est.* *Superstitiosum* vocat, quod putet huiusmodi re externa numen coli, qua ille ad vanam gloriam abutitur.

104 *2. Per defectum.*

105 *De ornatu feminarum.* Quod ad rationem peccati attinet, Aduertendum est esse peculiarem difficultatem de excessu ornatus feminarum per pigmenta & comam appositiam, per intortos capillos, per pectoris nuditatem, per ornamenta aurea & gemmata, per nouas vestium formas; præsertim si his vtantur supra statum, vel præter receptam consuetudinem. Videtur enim talis excessus per se esse lethalis, etiamsi nullus malus finis extrinsecus intẽdatur. Primo, Propter scandalum quia talis ornatus allicit intuentes ad libidinem, & istarum concupiscentiam. Secundò, Quia adulterant opus Dei, & illud emendare volunt; quod in iniuriam cedit auctoris. Tertiò, Quia Scriptura & Patres hunc excessum grauiter reprehendunt: nam 1. Petr. 3. sic dicitur: *Quarum non sit extrinsecus capillatura: aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorumve cultus.* Vbi prohibetur cultus, id est, ornatus (Græcè κόσμος) capillaturæ, monilium aureorum, & indumentorum. In quẽ locum Glossa ex Cypriano, *Serico & purpura indutæ, Christum sincerè induere non possunt: auro & margaritis adornatæ & monilibus, ornamenta mentis & corporis perdiderũt.* Et 1. ad Timoth. 2. *Similiter & mulieres in habitu ornato,* (id est, decoro) *cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Cyprianus lib. de disciplina & habitu virginum: *Cæterùm*, inquit, *si tu te sumptuosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis allicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas: vt etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te ac venenum videntibus præbeas: excusare non potes quasi mente casta sis, & pudica.* vbi agit contra illas, quæ etiam nullo malo fine se ornant, & vult id esse non solùm scandalum, sed etiam contra castitatem. Idem docet artẽ fucandi a diabolo mortalibus traditam, *Illa* scilicet dæmones, *& oculos circumducto nigrore ficare, & genas mendacio rubore inficere, & mutare aduersus naturam decentes colores crinem, & expugnare omnem oris & capitis verecundiam, corruptela sua impugnatione docuerunt.* Deinde ostendens per hoc Deo fieri iniuriam ait: *Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes quia Dei opus est omne quod nascitur; diabolus quodcunque mutatur.* Declarat id exemplo periti pictoris, qui iure indignatur, si quis imperitus opus eius iam perfectum emendare velit. deinde addit: *Tu te existimas impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Vt enim impudica circa homines, & meretrix fucis lenocinantibus non fis: corruptis violatisque quæ Dei sunt, peior adultera deteneris,* & infra: *Audaci conatu, & sacrilego contemptu crines tuos infices, malo præsagio futurorum capillos tibi flammeos assicueris.* & paulò post: *Deum videre non poteres, quando oculi tibi non sunt quos Deus fecit; sed quos diabolus infecit. Illum tu sectaris, vitiles atque depictos oculos serpentis imitatores, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arsura.* Quæ omnia indicant esse peccatum mortale. Denique mortale esse videtur commutatio vestium inter virum & feminam, vt colligitur Deuteronomij 22. *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste femineа: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc:* atqui non minor est inordinatio in excessu ornamentorum: ergo, &c.

Ars fucandi inuentum diabolum.

Fit iniuria Deo.

Peior adultera.

Non potest videre Deũ.

Ob hæc argumenta quidam Doctores putant in tali excessu

106 *Sanctio quo tendum.*

ceſſu eſſe peccatum mortale. Primò, Quando pulchritudo quæritur apertione pectoris & mammillarum. Secundò. Quando per fucos. Tertiò, Quando curioſis, pretioſis & ſuperfluis veſtibus ſupra conditionem ſtatus. Ita Angelus v. Ornatus, nume. 3. 4. & 6. citatque Alexandrum Halenſem.

Contraria vetus.

Sed contraria ſententia eſt communior Doctorum. Pro qua Notandum eſt, Cultum corporis poſſe ordinari ad quatuor fines. Primus eſt, Fouere corpus, & contra iniurias aeris defendere. Secundus, Tegere verecunda naturæ. Ex his duobus illud eſt neceſſitatis, hoc communis honeſtatis. Tertius eſt, Ornare hominem ſecundùm ſuum ſtatum. Quartus, Efficere pulchrum, & delectabilem aſpectu. His poſitis.

Quadruplex finis veſtitū.

107 *Ornatus deceni.*

Dico Primò, Quiuis poteſt petere & procurare cultum corporis non ſolùm neceſſarium ad corporis fomentum & tegumentum; ſed etiam ad ſui ſtatus decorum nimirum vt pro conditione ſui ſtatus decorè compareat. Ratio eſt, quia hoc eſt laudabile: contrarium verò dedecoroſum. Dictat enim ratio vt in vita politica membra ſingula in ſuo ordine ſe alijs accommodent, vt aptè ſibi mutuò reſpondeant & decorè inter ſe verſari poſſint. Item vt ſuum ſtatum in Republ. ornent. Hinc viri nobiles & Magiſtratus vtuntur ſplendidioribus veſtibus quàm alij, vt ſuam nobilitatem, vel officij dignitatem declarent. Sic in rebus diuinis adhibent ſacerdotes pretioſum apparatum, ad declarandam officij illius excellentiam, & maieſtatem eius, cui ſeruiunt.

108 *Ornatus pulchritudinis.*

Dico Secundò, Præter hos fines poſſunt mulieres matrimonio iunctæ, vel ad id aſpirantes, in cultu corporis intendere etiam ornatum pulchritudinis. Ita D. Thomas art. 2. ad 4. vbi dicit: *Mulieres licitè poſſe ſe ornare, vt conſeruent decentem ſui ſtatus*; (quod pertinet ad finem tertium) *vel etiam aliquid ſuper addere vt placeant viris*. Vbi apertè præter ornatum neceſſarium ad decorum ſtatus permittit ornatum, qui fit ob ſolam pulchritudinem. Idem docet Caietanus in illum locum, Nauarrus cap. 23. nu. 18. & ſequentibus, & alijs paſſim.

Probatur Primò, Quia ſicut in viris commendatur robur corporis, & forma maſculanita in feminis pulchritudo, vt a viris ſuis amentur, eosque ab extraneis auertant, & ad opus coniugale aſpectu ſui alliciant: vnde natura pulchritudinem in feminis poſuit, tamquam propriam illius ſexus dotem, & veluti illecebram amoris & officij coniugalis, & delectabilioris conuerſationis: ergo femina poteſt eam deſiderare ac procurare, & ſi minor ſit arte iuuare, & augere; ita tamen vt ea in re modum non excedat.

Secundò, Quia vxor poteſt appetere viro ſuo placere, & ea de re eſſe ſolicita. Vnde Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*: atqui inter cetera, quibus maximè viro placere ſolet mulier, eſt pulchritudo. Vnde ſequitur etiam eas, quæ nondum nuptæ ſunt, ſed nubere cogitant, ornamenta pulchritudinis ſibi poſſe adſciſcere, vt virorum adſpectibus placeant, ad commodas nuptias conſequendas, nam iuſta ratio ſubeſt: ſecùs eſt in ijs, quæ nubere nolunt, præſertim ſi votum non nubendi habeant: hæ enim non poſſunt ſe, vt viris placeant, ornare, quia cauſam ad hoc non habent. imò hoc eſſet illis dare incentiuum peccandi, vt D. Tho. ait.

Confirmatur vtrumque ex D. Auguſtino epi. 73. ad Poſſidium: *Nolo*, inquit, *de ornamentis auri, vel veſtis præpreparam habeas in prohibendo ſententiam, niſi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo*. Vbi non vult huiuſmodi ornamenta facilè prohiberi coniugatis, aut ad coniugium aſpirantibus, quòd ſine peccato his vti poſſint; ſed ijs tantùm, qui coniugium nolùt; quia in his non ſubeſt iuſta ratio vtendi.

109 Si tamen iſtæ ſeſe ornent non vt à viris concupiſcantur, ſed vt cenſeantur inter pulchras, & laudentur vt pulchræ, non peccant mortiferè: vt apertè docent D. Thomas & Caietanus locis citatis, Syluester v. Ornatus, quæſt. 4. Roſella nu. 12. Fumus nu. 1. Nauarrus cap. 23. nu. 18. quamuis in eo notabiliter modum excedant, vt Caietanus & Nauarrus notant. Ratio eſt, quia id per ſe non continet grauem inordinationem, ſed ſolùm iactantiam & vanam quâdam gloriam. Pari ratione non eſt peccatum mortiferum in adoleſcentibus & viris, pulchritudinis eſſe ſtudioſum, ſi nullo alio malo fine, ſed ſolùm ex ſimili vanitate fiat. Eſt tamen in his magis reprehenſibile; quia feminarum eſt, non virorum, pulchritudinem affectare: vnde etiam ethnici id turpe iudicabant, iuxta illud.

Sint procul à nobis iuuenes vt femina compti.

Dico Tertiò. Exceſſus in hoc ornatu per ſe non eſt pec- 110
catum mortale, ſed ſolùm veniale. Ita expreſsè D. Thomas, & Caietanus ſupra; & reliqui locis citatis.

Probatur Primò, Quia quando aliquid non eſt per ſe malum, ſed indifferens, exceſſus in appetitu vel vſu illius, (ſepoſita omni alia malitia extrinſeca) non eſt niſi peccatum veniale: vt patet in appetitu & vſu diuitiarum, honorum, voluptatum. vnde & exceſſus in potu non eſt peccatum mortale, niſi ratione nocumenti, quod infert, priuando vſu rationis, &c. atqui eſſe pulchrum, lautum, ſplendidum in cultu corporis per ſe non eſt malum, ſed indifferes: ergo inordinatio, quæ eſt in nudo exceſſu illorum non eſt mortifera: ſed pertinet ad quotidiana peccata, quæ homines in amandis, vtendiſque temporalibus plerumque ſolèt committere: difficile enim eſt in huiuſmodi menſuram rationis ſeruare.

Secundò, Quia talis exceſſus neque eſt contra charitatem Dei, neque proximi, neque ipſius vtentis; neque enim honor Dei læditur, nec proximus, nec ipſe vtens: & poteſt quis cum tali exceſſu ſeruare præcepta Dei & Eccleſiæ, & ſuæ ſalutis curam gerere: ergo non eſt peccatum mortiferum.

Nec refert quòd adhibeatur fucus & varia pigmenta, 111
& ita interueniat quædam fictio, qua intuentes decipiuntur; quia fictio, quando in nullius cedit detrimentum, non eſt mortifera. Deinde non eſt propriè fictio, niſi id fiat eo fine vt intuentes putent hunc colorem eſſe natiuum: at plerumque non eo fine id faciunt, ſed ſolùm vt ſint & appareant pulchræ, abſtrahendo à cauſa vnde id prouenit. vnde etiam fieri poteſt vt ſine peccato vtantur. Primò, Cauſa tegendæ alicuius maculæ. Secundò, Si maritus iubeat, nimirum vt vxor inter alias magis decora appareat: etſi enim mariti non cupiant adulterina illa fallacia decipi, vt D. Auguſtinus loquitur, ſæpè tamen vxores ſuas cupiunt ſic ornari. Tertiò, Si aliqua alia rationabilis cauſa ſubſit: ſicut Iudith & Heſter omni genere ornamentorum ſibi pulchritudinem conciliarunt, quam & ipſe Dominus adauxit. Et quamuis fortè aliqui decipiantur, putantes illam pulchritudinem adſcititiam eſſe natiuam; parùm id refert: tum quia deceptio non eſt intenta, ſed permiſſa; & uſus iſtorum eſt adeò frequens vt intuentes facilè illud artis mangonium poſſint ſuſpicari: tum quia etiamſi deceptio eſſet intenta, parùm intereſſet, cùm ſit innoxia, nec limites mendacij officioſi excedat. Denique pingere faciem ſeque varios colores inducere non eſt per ſe malum, ſed indifferens: ſimiliter per hoc intendere pulchritudinem, & artificio iuuare ac exornare opus naturæ: ergo nihil hic eſt mali, niſi ratione exceſſus in affectu & uſu rei indifferentis: qua in re non eſt peccatum mortiferum; ut oſtenſum eſt. Idem dicendum de uſu comæ adoptiuæ, ſutiliſque capillamenti, vt Tertullianus loquitur. Sicut enim pellibus & crinibus animantium ad ornatum uti licet; ita etiam capillis humanis arte compoſitis.

De pigmentis.

De uſu veſtis pretioſæ, annulorum, catenarum, & aliorum monilium, horumque multitudine & varietate, eadē fere eſt ratio: exceſſus enim in his ſolùm eſt peccatum ratione profuſionis opum, & inordinati affectus erga pulchritudinem. Itaque ſicut in his non eſt per ſe peccatum mortale; ita nec in illorum uſu. Nec refert etiamſi forma ſit noua, & non uſitata eo loco: quia etiamſi maius nunc ſit peccatum, eo quòd alijs detur exemplum nouitatis: non tamen eſt per ſe mortale; ob rationem ſupradictam. Vnde nec inuentores nouarum formarum mortifere peccant: quia illæ formæ per ſe malæ nō ſunt, & bonum uſum habere poſſunt, etiamſi multi abutantur ad uanam gloriam uel alium prauum finem.

Dico Quartò, Poteſt tamen in exceſſu iſtius ornatus eſſe 112
peccatum mortiferum per accidens, ratione alicuius prauitatis connexæ.

Quando ſit peccatū mortiferum.

Primò, Ratione mali finis: ut ſi fiat animo perurrahendi libidinem.

Secundò, Ratione præcepti poſitiui; ut ſi talis exceſſus eſſet

esset vetitus aliqua lege sub pœna excommunicationis, eaque seruaretur. Quod si lex non habeat annexam pœnam, vel saltem non grauem, non erit plus quàm veniale, imò credibile est plerasque leges ciuiles de huiusmodi, quæ passim variis locis habentur, esse solum pœnales, & obligare tantùm ad mulctam.

Tertiò, Ratione scandali; vt si quis vteretur veste adeò tenui vel ita conformata, vt per eã pudenda non latis tegerentur: idem enim iudicio morali non tã esset, pulchritudinem ostentare, quàm homines directe ad libidinem alicere. Secus est in nudando pectore, vt Caietanus, Fumus & Nauarrus notant: præsertim vbi est ea consuetudo: nam pars illa honesta censetur, nec natura aut pudor humanus postulat illam absolute tegi. Graue tamen peccatum esset huiusmodi morẽ introducere vbi id non est consuetum: insolita enim magis mouent; & res ipsa meritò ob periculum, etiam vbi est recepta, tamquam illicitum libidinis esset abroganda. vt Doctores monent.

113 *Ornatus scã dalosus.*

Notandum tamen, non ex eo censeri ornatum scandalosũ, quòd multi occasione illius putentur ad praua desideria prouocandi, vt rectè prædicti DD. tradũt: alioquin etiam pulchritudo naturalis scandalosa esset: nã multò magis prouocat quàm artificiosa; cùm natura longè superet artem. Itaq; etiam si femina putet aliquos peccaturos, non tamen idcircò sub peccato mortali tenetur talẽ ornatum dimittere: sicut is, qui à multis odio habetur nõ tenetur à publico abstinere vt inimicis nõ detur occasio odij. Ratio est, quia ornatus ille solum remotè ad malum prouocat: ergo nõ tenetur ab eo abstinere ne alij peccẽt: alioquin perpetuo abstinere deberet, (cum illa occasio sit perpetua & vniuersalis) quod nimis graue esset humanæ conditioni. sufficit igitur vt ei peccatum proximi displiceat; & illius salutem non contemnat.

Et confirmatur. quia quod illi peccent, ex eorum prouenit malitia, non ex conditione ornatus: sicut enim circa hanc peccant, ita etiam circa alias eximiæ pulchritudinis: atqui id, quod ex aliorum malitia prouenit, non tenemur cum tanto grauamine nostro impedire. secus si aliquo casu ad breue solum tempus ob peculiare periculũ alicuius abstinendum esset: tunc enim charitas postularet vt pro eo tempore talem ornatum superfluum omittam, ne proximus, qui alioquin putatur non peccaturus, inde peccandi occasionem habeat.

Quartò, Ratione contemptus proximi; vt si quis ita propter ornatum se extollat, vt proximos despiciat, vel affectu ornatus proximi salutem nihili pendat, non curãt an scandalizetur, an non.

Quintò, Ratione effectus; vt si ornatus esset illi causa furandi, non soluendi debita, non dandi eleemosynam, quando sub peccato mortali tenetur.

Sextò. Ratione affectus; si nimirum ita afficiatur ornatui: vt in eo vltimum finem collocet; siue vt paratus sit propterea mortiferè peccare: qui modus ceteros ferè complectitur.

114 *Respondetur ad rationes.*

Nunc ad rationes respondendum. Ad primam: Patet responsio ex dictis; ostensum enim est id per se non esse scandalosum. Ad secundam: Non propriè dicitur adulterare opus Dei, quia non facit illud deterius, sed solum facit videri pulchrius. neque id facit intentione emendandæ artis diuinæ, vel operis Dei, quà Dei est, sed supplendi defectus naturæ, vel iuuandi opus naturæ, quà naturæ est. Potest enim naturali pulchritudini aliquid ab arte apponi, & natura per artem iuuari. Ad Tertiam: Scripturæ illæ vel continent e_ hortationem, cum nullum verbum præceptiuum habeant; vel si continent præceptum, agitur de illis; quæ se ornabant vt alijs placerent, vt notat D. Th. ex Glo. vel certè propter ædificationem ethnicorum expediebat illo tempore præcipi. Cypr. verò loquitur de illis, quæ ornabant se propter lasciuiam, vel in contemptum Dei, vt D. Th. ad secundum ait: vel quæ id faciebant cum contemptu salutis proximi, quo modo primum eius testimonium videtur intelligendum. Addo: illis temporibus propter exẽplum ethnicorum, huiusmodi moderationẽ fuisse magis necessariam, ideoque potuisse à Prælatis Ecclesiæ præcipi. Ad Quartam: Vsus vestis alieni sexus non est intrinsecè malus: vnde ob causam iustam fieri potest, v.g. si alia desit, vel opus sit se occultare ab hoste, vel causa repræsentationis, vt in comœdijs; si ex leuitate fiat, erit peccatum veniale. Nec obstat locus Deuteronomij: quia pertinet ad cærimonias vel politiã illius populi. vide D. Tho. ad 3. & Caiet. ibid.

Ex his patet quomodo confessarij se in huiusmodi gerere debeant: etsi enim omnes sint hortandi ad moderandum cultum corporis, totumque externum apparatum iuxta conditionem sui status: (*nam verus ornatus Christianorum & Christianarum non fucus mendax, non auri vestisque pompa, sed mores boni sunt*; vt ait D. August. epist. 73.) non tamen aliquis cogendus est superfluum ornatum deponere. denegata ei absolutione: nisi constet aliunde connexum esse peccatum mortale: quod ex prædictis causis est iudicandum.

Hactenus de temperantia. Atque hic esto finis totius de virtutibus cardinalibus tractationis, ad gloriam eius, qui virtutis omnis largitor est, cõseruator, adiutor, actor, & merces.

FINIS.

Digitized by Google

2

R. P. D.

LEONARDI LESSII

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

ET SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

OPVSCVLA VARIA,

Quæ ab ipso, dum in celeberrima Academia Louaniensi publici Professoris munus summa cum laude, eximio eruditorum applausu, & mirifico studiosorum concursu obiret, in diuersis scientiarum articulis conscripta, & superiori tempore sparsim edita fuerunt.

In gratiam, & pro singulari curiosorum ingeniorum vtilitate in vnum fasciculum collecta, & hac omnium nouissima, & secunda nostra editione diligenter reuisa, & extirpatis erroribus in publicum emissa.

Digitized by Google

2

DE SVMMO BONO ET ÆTERNA BEATITVDINE HOMINIS LIBRI QVATVOR.

AVTHORE LEONARDO LESSIO E' SOCIETATE IESV,
Sacræ Theologiæ Profeſſore.

AD 1. 2. SANCTI THOMÆ.

In quibus de illius natura, ſede, cauſis, & medijs acquirendi accurata, & tam ex Sacris Literis, quàm ſaniorum Philoſophorum ſcriptis conquiſita inſtituitur diſceptatio.

Superioribus annis in Germania ter typis excuſi, & venundati, nunc autem temporis ſecunda vice in Typographia noſtra, propter aſpirantes ad Summum Bonum, poſt diligentem correctionem prælo ſubmiſſi, & in publicum emiſſi.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, MDCXXV.

APVD ANDREAM BABA.

Digitized by Google

DE
SVMMO BONO
ET BEATITVDINE
SEMPITERNA,
PRÆFATIO.

INTER omnia quæ homini cognitu ſunt neceſſaria, primum locum tenent Summum bonum, & Summum malum. Horum enim notitia maximè eſt neceſſaria, tum vt vitam rectè inſtituamus, tum vt exitium ſempiternum declinemus, & finem noſtrum, ad quem conditi ſumus, aſſequamur Quid eſt, *inquit Cicero*, in vita tantopere quærendũ, quàm quid ſit finis, quod extremum, quòd vltimum, quò ſint omnia benè viuendi, rectèq; faciendi conſilia referẽda? *Et Seneca:* Quoties quid fugiendum ſit, aut quid petendum ſcire voles, ad Summum bonum, & propoſitũ totius vitæ reſpice. Illi enim conſentire debet quidquid agimus *Omnis.n. directio vitæ humanæ ex fine, quem quiſque ſibi propoſitum habet, pendet. Nam ſicut in ſcientijs omnis cognitio ducitur ex certis principijs, quibus illa ſcientia tamquam fundamentis nititur: ita in moribus & rebus agendis omnis actio & forma viuendi ducitur ex intentione finis Itaque finis (vt Philoſophi docent) habet rationem principij, & termini ſeu ſcopi, & regulæ* Principij, *quia eius notitia & amor debet antecedere actionem, & animum ad actionem impellere.* Scopi, *quia ad illum tanquam ſcopum omnes noſtræ actiones dirigendæ. Vnde ſicut is qui ſcopum, quò ſagitta eſt dirigenda, non videt, non poteſt eam rectè iacere, ſed in incertum mittit, & laborem perdit: ita qui finem ignorat ad quem vita dirigenda, non poteſt rectè viuere, ſed neceſſariò ſuo fine excidet, & à Summo bono aberrabit. Denique eſt vitæ & actionum noſtrarum* Regula, *quia omnis noſtra actio talis eſſe debet, vt vltimo fini noſtro ſit conformis. Ex fine omnis lex, & forma viuendi deducitur. Sicut nullus artifex abſque regula & certa menſura domum, vel nauem, vel aliud opus inſigne perficere poteſt: ita nemo turrim virtutis & probitatis ſine norma vltimi finis. Ex quibus perſpicuum eſt, nihil in hac vita homini æquè neceſſarium, atque ſui finis, Summi inquam ſui boni notitiam, & mali, vt actiones ſuas dirigat, & rectè viuendo illud aſſequatur. Intellexerunt id quoque antiqui Philoſophi; ideoque omnium penè ingenia in huius rei acquiſitione deſudarunt.*

Lib 1. De Finibus.

Epiſt. 71.

Finis eſt principiũ in moribus.

Scopus.

Regula.

Verùm res eſt adeò ſublimis & occulta, vt nemo eorum veritatem aſſequi potuerint, etſi in omnem ſe partem verſarent, omneſque ingenij nervos intenderent. Solo Dei Spiritu hoc arcanum hominibus eſt patefactum, ſicut & media, per quæ ad illud aſſequendum tenditur, vt Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. docet. Nemo enim poteſt inueſtigare conſilium Dei, quod ipſe de ſua creatura apud ſe ſtatuit, niſi Spiri-

tus Dei. Oculus, *inquit*, non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis *(id est, quæ hominis consilia, & interna decreta)* nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quę Dei sunt *(Dei consilia)* nemo cognouit nisi Spiritus Dei. *Quibus verbis apertè declarat, nullum Philosophorum potuisse cognoscere, in quo consistat Summũ hominis bonum, & quibus adminiculis illud ostinendum (de vtroque enim ibi Apostolus loquitur) sed solo Dei Spiritu id hominibus reuelatum: primùm quidem per viros sanctos, & Prophetas in veteri Testamento, licet obscuriùs, deinde clariùs, & vberiùs per Filium Dei, & Spiritum Sanctum, quem ipse Apostolis est largitus.*

Itaque hæc res Christi doctrinam, & Religionem sectantibus deberet esse manifesta; præsertim cùm Scriptura vtriusque Testamenti, ad illam nobis declarandam, inculcandam, & oculis mentis obijciendam, ferè tota occupetur. Verùm quia res ista valdè sublimis est, & à sensibus carnis, quibus plerique mortalium in vita ducuntur, valdè remota, fit vt pauci eam considerent, & maxima pars ita viuat, ac si, quid summum bonum, & malum sit, ignorarent, vel illud in rebus huius vitæ constitutum esset. Itaque statui vtriusque rationes, & momenta breuiter & dilucidè explicare, primùm in hoc tractatu Summi boni, posteà in alio Summi mali. Omnis enim error in hac vita ex eo prouenit, quòd ista vel ignorentur, vel non vt par est expendantur. Fieri nequit vt is qui assiduè ista duo, vel saltem alterum habet ob oculos, graue aliquod delictum perpetret. Memorare, *inquit*, nouissima tua, *(Summum bonum, & Summum malum, in quorum altero hæc vita necessariò terminanda)* & in æternum non peccabis. *Neque solùm non peccabis, sed etiam ad omnia virtutis officia magna cum alacritate præstanda accenderis.*

DISTRI-

DISTRIBVTIO OPERIS.

VT autem certa methodo procedamus, partiemur hanc tractationem De Summo bono in Quatuor libros.

PRIMO LIBRO OSTENDITVR,

SVmmum hominis bonum in nulla re creata esse constitutum, sed in solo Deo, bono increato, & immenso.

SECVNDO LIBRO AGITVR

DE admirabili mentis cum Summo bono vnione, per quam anima beata efficitur.

TERTIO.

DE beatitudine, & gloria corporis, nempe quam anima in suo corpore possidebit.

QVARTO.

De medijs quibus Beatitudo certissimè comparatur.

LIBER PRIMVS
CONTINET CAPITA IX.

CAPVT I. Quid Summi boni nomine designetur? Pag. 1.

II. Omnes homines Beatitudinem, & Summum ſuum bonum appetere. 1

III. Qua in re conſiſtat hominis Beatitudo, quodq; ſit ſummum eius bonum, varia Philoſophorum ſententia. 2

IV. Summum hominis bonum non conſiſtere in voluptatibus corporis. 2

V. Summum hominis bonum non eſſe ſitum in honoribus. 4

VI. Summum hominis bonum non eſſe ſitum in diuitijs. 6

VII. Summum hominis bonum non eſſe ſitum in functionibus virtutum moralium. 7

VIII. Summum hominis bonum non conſiſtere in ſcientia, & cognitione rerum creatarum ſiue corporalium, ſiue ſpiritualium. 8

IX. Vtrùm in hac Vita beatitudo obtineri poſſit? 9

LIBER SECVNDVS
CONTINET CAPITA XXIII.

CAPVT I. Summum hominis bonum in vnione ſolius Dei conſtituendum, & qualis ſit iſta vnio. 13

II. Vtrùm noſtra beatitudo conſiſtat in viſione Dei increata, menti noſtræ certo modo communicata & vnita? 14

III. Vtrùm beatitudo noſtra conſiſtat in quodam illapſu diuinæ eſſentiæ in eſſentiam animæ? 15

IV. Beatitudinem noſtram ſitam eſſe in clara Viſione Dei. 16

V. Non ſolam viſionem ad rationem beatitudinis ſufficere, ſed requiri etiam amorem & gaudium. 17

VI. Quis horum actuum in beatitudine ſit potior, viſio, an amor, an gaudium? 19

VII. Vtrùm Viſio Dei procedat à mente Beati: an extrinſecus a Deo infundatur? 20

VIII. Vtrùm ad viſionem Dei requiratur lumen gloriæ, & qua ratione? 21

IX. Quanam videantur a Beatis in Deo, vel cum Deo? 24

X. De modo, quo iſta a Beatis videntur. 25

XI. De Amore Beatorum, Quid ſit, Quanam eius cauſæ. 29

XII. Quos effectus amor beatificus habeat. 30

XIII. Ad quæ bona ſe amor Beatorum extendit, & quo ordine? 32

XIV. Vtrùm amor beatificus patriæ ſit eiuſdem rationis ac ſpeciei, cuius eſt amor Dei in via? 34

XV. De gaudio Beatorum, Quid & quale ſit, & ad quæ ſe extendat? 37

XVI. De beatorum ſpirituum pulchritudine. 39

XVII. Vtrùm Beati delectentur & gaudeant immediatè de ipſo Deo, an ſolùm de eius Viſione? 40

XVIII. Vtrùm in Beatis poſſit eſſe triſtitia? 42

XIX. De alijs perfectionibus intellectus & voluntatis Beatorum. 43

XX. De dotibus animæ beatæ. 46

XXI. De Aureolis Beatorum. 46

XXII. Beatos nulla ratione poſſe aliquod peccatũ committere; & vnde id proueniat. 47

XXIII. Explicantur duæ difficultates circa potentiam peccandi in Beatis. 49

LIBER TERTIVS
CONTINET CAPITA IX.

CAP. I. Vtrùm animæ Sanctorum ſint beatæ ante communem corporum reſurrectionem? 53

II. An corpore reſumpto animæ clariùs ſint viſuræ Deum, quam antè? 57

III. De dotibus corporis glorioſi, quæ, & quot ſint? 58

IV. De impaſſibilitate, qualis ſit, & in quo conſiſtat? 60

V. De claritate corporis glorioſi; quid ſit, & quomodo illa corpora afficiat? 67

VI. De agilitate corporis glorioſi; quid ſit, & quanta ſit futura; deq; potentia & robore Beatorum. 69

VII. In quo conſiſtat ſubtilitas corporum Beatorum? 71

VIII. De functionibus ſenſuum in Beatis, & de eorum obiectamentis. 74

IX. Beatitudinem non poſſe amitti. 76

LIBER

LIBER QVARTVS

CONTINET CAPITA XI.

CAP. I. De Oratione, & optimo orandi modo. 80

II. Qua ratione excitanda ſit fides? 82

III. Quo modo excitanda ſpes remiſſionis peccatorum, & ſalutis obtinendæ? 83

IV. Quo modo excitanda charitas in Deum? 83

V. Quo modo excitanda contritio de peccatis? 84

VI. Quo modo excitandus humilitatis affectus? 84

VII. Quo modo excitanda patientia? 84

VIII. Quo modo excitandum temperantiæ ſtudium? 85

IX. Ad contemptum mundi. 85

X. Vt Deum ſemper habeamus præſentem. 86

XI. Ad excitandum deſiderium cæleſtis patriæ. 87

INDEX RERVM
TOTO HOC OPERE
CONTENTARVM.

A

ABYSSVM diuinitatis quomodo dicantur Beati intrare. 32. in ea quomodo se perdant & inueniant. 32. declaratur ex rerum inferiorum analogia. ibid.
Accidens in sui conseruatione quomodo dependeat à subiecto. 65
Accidentis entitas an prius producatur, quàm modus vnionis. 65
Accidentis entitati subiectum quid præstet. 65
Accidentis conseruatio extra subiectum quomodo sit illi supernaturalis. 65
Accidentia in Eucharistia eadem actione secundùm substantiam conseruantur in fuisecto & extra. 64. & seqq.
Actio Dei conseruatiua an sit sufficiens vt faciat rem incorruptibilem. 63. quidam id negant, 63. alij melius affirmant. 64
Actiones in contrarium quomodo fiant. 64
Actiones internæ cur non impediant externas. 31
Actus liber & necessarius quid sint. 35
Actus liber & necessarius itaque pleno rationis iudicio differunt specie. 35
Actus voluntatis quomodo possit ex libero fieri necessarius, & contrà. 35
Ad actus supernaturales vires innatæ sunt insufficientes. 22.
Adami in statu innocentiæ immortalitas qualis. 60
Adulator Principi nocentior quàm hostis. 5
in Adulatores prius est incidere, quàm in coruos. ibidem.
Aeris inferior regio cœlum vocatur in Scriptura. 75
Aeternitas tam bonum quàm malum auget in finitè. 38
in Aeternis idem est non esse, & non posse esse. 77
Affectus excitatur in diligenti consideratione. 82
Afflictionis vtilitates. 85
Agilitas dos corporis glorioſi. 59
Agilitas Beatorum quanta. 56
Agilitas est vis supernaturalis communicata Beatis. 69
Agilitatis dotem varij variè explicant. 69
Agilitatis vis non erit in corpore, sed in anima. 69
Ambitiosus maximè laudabilis. 86
Amor quid. 32
Amor est pondus spirituum. 29
Amor quomodo sit teneat primatum inter actus Beatorũ. 20
Amor maximum donum. 20
Amor quomodo dicatur intrare, & cognitio stare foris. 36
Amori magis conuenit tendere in obiectum vt est in intellectu, quàm cognitioni. 36
Amor in hac vita quomodo præstantior cognitione. 4
Amor & cognitio quomodo tendant in obiectum. 36
in Amore est perpetuus circulus. 32
Amor beatificus non potest esse liber. 48
Amoris beatifici causæ quatuor, & quomodo singulæ hæ concurrant. 30
Amor viæ & patriæ differunt specie 34
Amor viæ numquam exæquari potest amori patriæ. 36
Amor Dei in Beatis quomodo extendat se ad omnes creaturas. 36
Amor Dei in beatis qua parte stabilis sit. 33
ex Amore Sanctorum iugis Dei benedictio oritur. 33
Amor & gaudium amicitiæ intrinsecè ad beatitudinem necessaria. 18. concupiscentiæ non tantopere, & cur. ibid. Hanc tamen perfectè complent. ibic.
Amore beatifico beati necessariò amant Deum. 51. possunt tamen eumdem amare liberè alio actu. ibid.
ordo in Amore Dei dupliciter spectari potest. 33
Amoris diuini vis non impedit alias actiones in Beatis. 31
Amoris diuini effectus, extasis, & vnio. 30
Amor Dei erga nos amorem nostrum prouocat. 75
Amor Dei ad quintuplicem vnionem impellit. 31
Amant se inuicem Beati. 34
Angeli diuersę speciei habent circa idem obiectum cognitiones specie diuersas. 35
Angeli statum in termino merendi beatitudinem acceperunt. 46
Angeli & Adam non habuerunt beatitudinem naturalem. 12
Angeli quando cognoscant nostras cogitationes, & quomodo. 26
Angeli fortè in iudicio comparebunt cum corporibus ex aere lucidissimis. 74
Angeli interdùm ignorant quæ à Deo ipsis agenda sunt. 26
Anima hominis infinitæ capax solo Dei tactu beatur. 13
Animæ in beatitudinem propensio. 2
Anima hominis corporalibus gaudijs velut partibus. 12 hinc habet appetitus repugnantes. 12
Anima hominis cur vnita corpori. 12
Anima rationalis cur immortalis, brutorum mortalis? 66
Anima semper est primaria vis motrix. 70
Anima separata non acquirit nouum modum subsistendi per se. 65
Animæ naturaliter beatæ status. 12
Animæ beatæ non habebunt perfectius esse in corpore. 58
Anima beata naturali desiderio corporis non impeditur. 58
Animæ beatæ non videbunt perfectiùs Deum post resurrectionem. 57. contrarium senserunt DD. Augustinus & Bernardus. ibid.
Animas Beatorum in cælis esse ante resurrectionem, docet D. Bernardus variis locis. 57
Animas iustorum plenè expiatas in cælum statim migrare probatur ex Conciliis & Scripturis. 53 ex communi Ecclesiæ sensu. 55. ex Patribus. ibid. Ratione 56. ex refutatione argumentorum contrariorum. 55. Ioannes XXII. contrarium non definiuit. 57
Animæ aliæ alijs perfectius Deum vident. 53
Animæ impiorum statim à morte damnantur. 56
Animæ miseria describitur. 84
Animæ similitudo cum Beatissima Trinitate. 39
Appetitus sensitiuus in cælo maximè oblectabitur. 76. & quomodo. ibid.
Appetitus subiectio in Beatis vnde proueniat. 71
Appetitus inferior cùm superiorem impedit, expedit nõ expleri. 12
Appetitus hominis insatiabilis. 2
Appetendi facultas cur homini tributa. 1
Athei in diuitijs summum bonum statuunt. 6
Auditus summè in cælo oblectabitur. 75
S Augustini de eo sententia. 75
D. Augustinus videtur aliquando dubitasse de loco Iustorum ante resurrectionem. 56. post mutauit sententiam. ibid.
D. Augustinus verè sensit animas ante resurrectionem videre Deum, etsi minùs perfectè. 57
Aura, seu corpus spirabile, in cælo instar aeris erit. 46
Aureolę Beatorum vnde dictæ. 46. tres sunt numero. ibid. cur tres. 47
Aureolæ hæ quid sint variæ sententiæ; res incerta. 47

Beati

INDEX RERVM.

B

Beati in cælo nil propriè credent. 44
Beati non possunt irritari, & quare. 41
Beati peccata detestantur, sed de ijs non dolent. 41
Beatis si reuelaretur sua damnatio, summe dolerent. 43
Beati quomodo apprehendent res alias. 71
Beati non dolent de damnatione amicorum. 92
Beati amant se inuicem. 34
Beati quomodo dicantur omnia videre in Verbo. 29
Beati an videant oculis corporeis in quauis distantia alia Beatorum corpora. 68
Beati volunt Deo omne bonum intrinsecum, & gloriam extrinsecam. 33
Beati erunt robusti & potentes. cui rei seruiet illud robur. 70
Beati corpora aliena celerrimè mouere poterunt. 59
Beatus quilibet per se totam terram mouere non poterit. 59
Beati conuexam cæli superficiem pedibus non calcabunt. 74. rationes cur non. ibid.
Beati habent scientiam infusam & supernaturalem. 43 ea probabiliter non distinguitur lumine gloriæ. ibid.
Beati habent etiam scientiam naturalem distinctam & claram, non confusam vt nos. ibid.
Beatorum consortium maximè oblectabit. 87
Beatitudo alia obiectiua, alia formalis. 1. eam omnes appetunt. 1. & cur. ibid.
Beatitudinem an quidam refugiant. ibid.
Beatitudinis speciem quidam sibi fingunt. 2
Beatitudo quomodo in omni re appetatur. ibid. an in singulis quæ appetuntur de ea cogitetur. ibid. in Beatitudinem propendet anima. ibid.
Beatitudo in quo consistat secundum Philosophos. ibi de ea decem eorum sententiæ. ibid. opiniones ducentæ octoginta octo. ibid. sententiæ tres de ea celebriores. ibid.
beatitudo non consistit in voluptatibus corporis. ibid. in quo eam Mahometani ponant. ibid.
beatitudo non consistit in diuitijs. 6. nec in honoribus. 4. nec in illapsu diuinæ essentiæ in animam. 16
beatitudo perfecta in hac vita obtineri nequit. 10. & cur. ibid.
beatitudo non consistit in sola boni adeptione. 19
beatitudo nostra debet esse cognitio perfectissima. 17 obscura non sufficit. ibid. nec abstractiua. ibid.
beatitudo consistit in clara Dei visione. 16. probatur ex Scriptura. 16. ex Patribus. 16. Ratione. 17. quo sensu id verum sit. 18
beatitudo completa amorem & gaudium requirit. 17. probatur ex Scriptura. ibid. definitione Ecclesiæ & Patrũ. ibid. Ratione. ibid.
beatitudo completa requirit quinque actus. 18
beatitudo an sit incorruptibilis. 78. cur amitti non possit. 78. 77
beatitudo Iustorum æterna. 77
beatitudinem differri vsque ad resurrectionem qui senserint. 53
beatitudinis essentialis ratio postulat vt de se sit apta sua re appetitum. 78. & excludere mœrorem. ibid.
beatitudo naturalis hominis quatuor rebus constat. 10. perfectissima naturali Dei cognitione & amore. ibid. carentia peccati. ibid. carentia doloris. ibid. firma horum possessione. ibid.
Beatitudo naturalis veriùs in solo animo constituisset. 11
beatitudinem hanc naturalem homo, prout subest præsenti prouidentiæ ordine, viribus naturæ obtinere nequit. 10 & cur. 11. potuisset Deus ordinem prouidentiæ naturalis instituere quo potuisset obtinere. ibid.
beatitudinem animæ Christi constitisse in visione increata putauit Hugo à S. Victore. 14 rationes cur. ibid.
beatitudo neque nostra, neque Christi Domini consistere potuit in visione increata, & cur. 14
Beneficiorum Dei consideratio maximè spem excitat. 83 & charitatem. ibi.
beneficium vocationis ad fidem & gratiam quantum. ibid.

Bonitas diuina includitur in obliquo in omni obiecto appetibili a beatis. 49
bonum quod alteri volumus ex amore, quale esse debeat. 33
bonum & eius possessio quomodo se habeant. 41
bonum omne hominis a Deo est. 84
bonum Dei duplex. 33
bonum quò maius eò magis voluntatem trahit. 48
bonum infinitum trahit quodammodò infinitè. 48

C

Cælum empyreum tribus partibus constat. 75. non est solidum instar adamantis. 75
Cælum empyreum aura seu corpore spirabili suauissimo plenum est. 83
Cælum tamquam ciuitas ornatissima. 74
Caluinistæ absurdè, vt limbum tollant, animas Iustorum absque Dei visione in cælo statuunt. 39
Causæ secundæ influxus in rei productione non est inutilis. 63
Causa secunda vt aliquid naturaliter producat quid requiratur. 66
Charitas quomodo numquam excidat. 36
Charitas actualis patriæ pertinet ad dotem comprehensionis. 46
Charitas non inclinat vt cum proprio detrimento spirituali alteri consulam. 34
Charitatis habitus in hac vita non potest habere suprem um suum actum 35. & cur. ibid.
Christus Dominus conuexam cæli superficiem non calcat. 74
Christus quomodo dicatur ascendisse super omnes cælos. 75
Christus latroni non promisit paradisum terrestrem Adæ; sed spiritualem, id est gaudia beatorum. 54
Claritas dos corporis glorioſi. 59
Claritas corporis glorioſi est triplex. 67
Claritas illa lux est intrinseca. 67
Claritatem corporis sui possunt beati oculis hominum exhibere & subtrahere. 67
Cognitio ab obiecto formatur. 23
Cognitio quomodo dicatur tendere in obiectum prout est in intellectu. 36
Cognitio matutina & vespertina quid sint. 25
Cognitio rerum corporalium in nobis quàm imperfecta. 8. & cur ibidem rerum spiritualium longè imperfectior. 9
Cognitio beatorum quanta extra Deum. 29
Cognitione abstractiua res cognoscatur immediatè, non in idolo. 39
Cognitione abstractiua beati cognoscunt omnia possibilia in essentia diuina. 16
Cognoscunt beati res creatas in Deo non vt in causa. 25. qui contrà sentiant. ibid.
Cognoscunt beati multa futura. 25
Cognoscent beati in cælo omnia clarè quæ hic crediderunt. 45
Cognoscere Deum vt in se est quomodo hic possimus, & quomodo non. 36
Comprehensio beatorum addit aliquid visioni. 46
Communicatio formalis est pleniſſima. 15
Concursus generalis Dei attingit totam rei entitatem. 62. cessante causa secunda supplet Deus eius vicem influxu speciali. 63
Concursus seu influxus Dei est nouus, & specialis post primum instans totalis productionis. 63
Concursus Dei indeterminatus sine concursu creaturę determinato nihil potest producere. 49
Concursus voluntati liberæ alias debiti subtractio, naturæ aliquo modo violenta. 49
Concursum cõseruatiuum cur aliquando retrahat Deus. 78
Conseruatio rei an distinguatur a prima eius productione. 61. explicatur sententia negatiua. 62
Conseruatur eadem actione res a solo Deo producta qua producta est. 63. secùs quando producitur a Deo & causa creata, & a solo Deo conseruatur. ibid.
Conseruare se subsistentifice nulla res creata potest. 62
Contemptus mundi quomodo excitandus. 85

Con-

Contritio duo poſtulat. 84
Corporis beatorum dos in quatuor dotibus conſiſtit. 58
Corpus propriè per ſe non eſt beatitudinis capax. 58
Corpus feminæ comparatur ab Apoſtolo. 58
Corpus per ſe potiùs impedit quam iuuet ad viſionem. 57
Corpus glorioſum cuius alterationis capax ſit. 61
Corpus glorioſum erit ab intrinſeco impaſſibile. 61
Corpus glorioſum qua ratione reſiſtet inciſioni 61
Corpora beatorum retinebunt colorem naturalem. 68
Corpora aliena celeritate Beati mouere poterunt. 59
Corpora Beatorum tota erunt lucida. 67. & pellucida. 68. hoc poſterius incertum eſt. ibid.
Corpora lucida an poſſint ſimul eſſe diaphana. 68
Corporum glorioſorum structuram internam non eſt neceſſe Beatos videre oculis. 68
Corporum glorioſorum incorruptibilitas quomodo ſit ſupernaturalis. 68
Corporibus Beatis an pondus ſit detrahendum. 70
Credenda ſunt multa quæ videntur humano iudicio impoſſibilia. 83

D

DÆMONES & Angeli quando cognoſcant noſtras cogitationes, & quomodo. 26
Dæmones ex inſpectione rerum pulcherrimarum nullo delectationis captiuo; & cur. 37
Dæmones terribilibus formis damnatorum pœnas interna augebunt. 74
Damnati triſtantur de Deo amiſſo. 41
Damnatorum pœnæ æterna. 77. probatur variis Scripturis. ibid.
Debita noſtra erga Deum duplicia, pœnæ, & culpæ. 82
Deſiderium cœleſtis patriæ quomodo excitandum. 87
Deus cur vocetur noſter Pater. 82
Deus cur dicatur eſſe in cœlis. 82
Deus quomodo bonum noſtrum. 41
Deus quot modis in oratione ob oculos poni poſſit. 81
Deus clarè viſus & obſcurè cognitus habet rationem diuerſam obiecti formalis. 36
Deus dicitur amari prout in ſe eſt. quomodo id intelligendum. 36
Deus vbique per eſſentiâ, potentiam, & inſpectionem. 86
Deus ſi omnes circumſtantias mortis & paſſionis Chriſti determinaſſet, neceſſariò hæc omnia primo inſtanti conceptionis accepiſſet. 51
Deus ſi omnes circumſtantias paſſionis determinaſſet, extrema perpaſſio non fuiſſet Chriſto vllo modo libera. 52 nec meritoria. ibid.
In Deo cognoſci omnia vt in cauſa, qui docuerint. 25
Difficultates medij accerunt à beatitudine. 2
Dignitas Beatorum quanta. 87
Dignitas regia non eſt ſummum bonum. 4
Diuerſitas proponendi Dei bonitatem mutat eius rationem formalem. 36
Diligere quisque ſeipſum magis debet quam alterum, quomodo, & quando. 33
Diuitiæ quid ſint. 6
Diuitiarum vilis materia. ibid.
Diuitiæ ad corpus tantum ſpectant. 6
Diuitiæ non ſunt ſummum noſtrum bonum. 6. in ijs ſumma miſeria. 6
Diuitiæ quantis incommodis comparentur. 6
Diuitiarum effectus. 6. voluptates. ibid. honores. 6. copia adulatorum & inſidiatorum. ibid. pericula ſaluris. 6. facultas malefaciendi & benefaciendi. 7
Diuitiæ inſtrumenta omnis nequitiæ. 5
Diuitiarum vnicum bonum facultas benefaciendi, & quanti id æſtimandum. 7
Dominus Deus minatur. 86
Dos proprie quid ſit. 46
Dotes corporis glorioſi quatuor. 58
Dotes quatuor ad corporis ſupernaturalem perfectionem ſufficiunt. 59
Dotes corporis non phyſicè ſed moraliter ex animæ beatitudine emanant. 59
Dotes animæ beatæ tres. 46

E

ECTASIS qualis ſit Beatæ viamoris. 36
Electorum in futuro ſæculo erunt immutabilia. 61
Epiſcopi Angeli. 48
Eſſentia diuina quomodo vniatur intellectui creato ad modum ſpeciei intelligibilis. 15
SS Euchariſtiæ ſpecies quamdiu conſeruentur. 64
Extrauagante Benedicti XI. multa definiuntur. 53

F

FElicſſimi plerumque miſerrimi. 10
Fides in cœlo non erit 43. 44. erit tamen affectio pia credendi. 45
Fides noſtra in genere cognitionis ſupernaturalis eſt imperfectiſſima. 45
Fidei & ſpei actus in Beatis euacuantur. 53
Fides quomodo circa SS. Euchariſtiam excitanda. 81
Finis vltimus an idem quod ſummum bonum. 1
Forma hominis inſtar floris marceſcit. 84
Formæ ſingulæ corporales habent ſuam extenſionem. 73
S. Franciſcus cenſebat ſe omnibus mortalibus peiorem, & quomodo. 84
S. Franciſcus quomodo Orationem Dominicam recitare ſolebat. 81

G

GAudium formaliter quid ſit. 37
Gaudij quatuor cauſæ. 37
Gaudij & oblectationis diſtinctio. 37
Gaudij Beatorum magnitudo dupliciter conſideratur. 37
Gaudium beatificum tam admirabile quam viſio eſſentiæ & amor beatificus. 37
Gaudium Beatorum amori commenſuratur. 35
Gaudij magnitudo ex tribus æſtimanda. ibid.
Gaudium patriæ quantum ſuperet omnia gaudia huius vitæ. 38
Gaudium beatorum de quibus bonis ſit. ibid.
Gaudium beatorum de bonis proprijs quantum. 38
Gaudium beatorum de dotibus corporis, de ſocietate SS. & de pulchritudine habitaculi quantum. 38
Gaudium beatorum de bonis proximorum quantum. 38. de alijs rebus externis. ibid.
Gaudium quomodo prævaleat ceteris actibus beatorum. 10
Gaudium ingens expellit triſtitiam. In Chriſto miraculoſè ſimul fuerunt. 42
Gaudium & dolor tripliciter inter ſe pugnant. 42. habent ſe vt dulcedo & amaritudo vitalis. 43
Gaudeamne Beati de ipſo Deo, an ſolùm de eius viſione. 40. ſententia Durandi. ibid. vera ſententia ibid.
Gaudent Beati de ipſo Deo ex amore beneuolentiæ. ibid. etiam ex amore concupiſcentiæ. ibid.
Gloria Dei externa in quibus conſiſtat. 33. ſeptem eius gradus. 38
Gloria Dei extrinſeca ex ſeptem rerum generibus prouenit. 33. 33
Gloriam Dei extrinſecam Sancti indies augeri ardentiſſimè cupiunt, & procurant. 33
Gratia iuſtificans quomodo filios Dei conſtituat. 13
Gratia quomodo in cœlo conſummanda ſit. 16
Grauitas, nutus, & motus quomodo diſtinguantur. 70
Guſtus ſuam in cœlo habebit voluptatem. 76
Guſtus imbuetur humore quodam ſuauiſſimo. ibid. humore hic vnde oriatur. ibid. ad Guſtus delectationem quatuor concurrunt. 37

H

HAbitationis cœleſtis dignitas. 87
Habitus charitatis in hac vita non poteſt habere ſupremum ſuum actum. 33. & cur. ibid.
Homo extenſiue beatior erit Angelis. 59
Honor quid. 4
Honor quid complectatur exterius. 4
Honores mentem offuſcant. 5
Honor quomodo coniungatur honorato. 4. in Honore duo ſunt, opinio hominis, & eius teſtimonium. 4
Honoris quaſi anima opinio eſt, teſtimonium quaſi corpus ibid.
Honorare ſuperior inferiorem poteſt. & quomodo. 4
Honorem virtutis præmium Politici ſtatuunt. 4

INDEX RERVM.

Humanitatis Christi conseruatio in Verbo non fit per nouum influxum productorum. 66
Humanarum rerum incommoda & mala. 86
Humilitatis affectus quomodo excitandus. 84
Humor suauissimus guttas Beatorum afficiet. 76. humor hic vnde oriatur. ibid.

I

BEatus P. N. Ignatius orationem Dominicam quo modo recitare solebat. 82
Illapsus in essentiam animæ non potest esse quid vitale. 16
Imaginatrix potentia in cœlo maximè oblectabitur. 76 & quo modo. ibid.
Immortalitas Beatorum perfecta. 58
Immortalitas damnatorum imperfecta. 58
Immortalitas Beatorum eadem cum impassibilitate. 58
Immortalitas Beatorum longè perfectior immortalitate Adami in statu innocentiæ. 60
Impassibilitas dos corporis glorioſi. 58
Impassibilitatem quomodo Durandus & Scotus explicent. 60
Impassibilitatis varij modi & gradus. 60. per extrinsecam custodiam. ibi I. per subtractionem concursus. 60. per qualitatem supernaturalem. 60
Impassibilitatem quidam constituunt in perfecto dominio animæ supra corpus. 60 melius dicitur esse continuatio influxus substantifici. 61
Impatientia sensum mali non mitigat, sed exasperat. 85
Impeccabiles Beati vi visionis beatificæ. 48
Impenetrabilitas quomodo vnum corpus excludat aliud. 73 quid faciat Deus vt hanc tollat. 73
Impetus duo contrarij possunt esse in eodem. 67
Impudentia quanta in conspectu summæ Maiestatis peccare. 86. & 87.
Incorruptibile aliquid potest esse tribus modis. 67
Incorruptibilia omnia sunt æqualiter respectu diuinæ potentiæ. 66
Influxus Dei quomodo sit generalis. 62. & seqq.
Influxus, potentia, & debilitas, vnde æstimanda. 67
Influxus diuini continuatio quibus debita, quibus non, & quare. 66
Intellectio omnis fit per assimilationem intellectus cum obiecto. 19
Intellectus an concurrat ad lumen gloriæ vt instrumentum. 23
Intellectus cum solo concursu generali & lumine gloriæ potest visionem in se producere. 24
Intellectus creatus an possit cum solo concursu generali tendere in visionem. 23
Intellectus concurrit ad visionem Dei vt causa principalis & partialis 24
Intellectus nostri infirmitas. 83
Intellectus omnis concipit res iuxta suum modum. 22
Ioannes XXII numquam defecit, animas iustorum non statim à morte ad cœlum migrare. 57. sensit id tamen. ibid. tractauit ante mortem. ibi eius hostis Occam. ibid.
Iustificationem quinque effectus sequuntur. 14
Iustorum animæ perfectè expiatæ statim essentialiter beantur. 53. probatur ex Scripturis. 54. Conciliis & communi sensu Ecclesiæ. 55

L

LAboris temporanei ad æternam mercedem nulla proportio. 85
Laudes Dei Beati vocibus decantabunt. 87
Liber esse nequit simul & necessarius vnus idémque actus eodem instanti. 51
Liber actus & necessarius in eodé simul respectu eiusdem esse possunt. 51
Libertas peccandi est imperfectio. 51. ad Libertatem satis est, non esse alligatam ad aliquid in particulari. 51. explicatur exemplis. ibid.
Libertas Christi vt saluetur, non est opus corroboratione voluntatis. 23
Liquefactio per amorem fieri potest dupliciter. 32
Locutio æterna quomodo fiat idiomate visato. 40
Luminis gloriæ officium multiplex. 21
Lumen gloriæ non est necessarium vt supplear vicem speciei intelligibilis. 22
Lumen gloriæ etiam se extendit ad res creatas & corporales. 17
Lumen gloriæ eleuat intellectum ad eliciendam & recipiendam visionem. 22
Lumen gloriæ tria præstat, quæ ista. 23
Lumen gloriæ non extendit se solùm ad Deum, sed etiam ad creaturas in seipsis cognoscendas. 45
Lumen gloriæ expellit omnem errorem. 78
Lumini gloriæ debita est conseruatio. 78
Lumine gloriæ spoliari posset Beati sepositio decreto Dei. 49
Lux & calor analoga sunt cognitioni & amori. 19
Lux corporis glorioſi an eiusdem sit rationis cum luce solis. 69

M

MAhumeti sententia de beatitudine refutatur. 3
Mahumetanorum impietas & spurcities. 2
Mediorum difficilium apprehensio à beatitudine auertit. 1
Merces maxima quam Turcæ expectant. 2
Misericordia Dei infinities maior omnibus peccatis. 83
Monitionis fructus. 5
Mouere se non possunt Beati in momento, nec sine transitu per medium. 71
Motu simplici animæ beatæ se mouebunt sicut Angeli. 70
Motu progressiuo mouebuntur per accidens. ibid.
Mundi contemptus quomodo excitandus. 85
Mundus totus Beatis est instar aulæ. 29
Mundus exigua sua amatoribus spondet. 85
Musica vocalis in cœlis. 75
Musica honestissima voluptas. 75
Musicæ voluptas quanta. 75

N

NAturalis perfectio corporis non pertinet ad dotes. 59
Nobilitas tantum in apprehensione hominum consistit. 84
Nomen Dei quomodo sanctificetur. 82
Notitia Dei quò maior, eò maior dilectio. 34

O

OBiectum rei amatæ duplicem concursum præbet amori. 30
Obiectum rei quomodo ad amorem concurrat. 30
Oculi Dei omnia intuentur. 86
Odor sine euaporatione diffundi potest. 76
Odoratus in cœlo suam habebit oblectationem. 76
Onus regium grauissimum, & quare. 5. de eo Caroli V. sententia. 6
Origenis de vicissitudine felicitatis & miseriæ in cœlo sententia. 76
Orationis tres species. 80
Oratio tribus de causis salutaris. 80
Oratio ad quæ impetranda sit necessaria. 82
Orationis præparatio tria requirit. 81
Orare cur nos velit Deus. 81
Orationi tempus commodissimum eligendum. 81
Oraturus cogitet quid cum Deo tractaturus. 81
Oraturus auxilium à Deo petat. ibid.
Oratio vt benè fiat tria postulat: attentionem ad Deum, ad sensum verborum, & excitationem affectus accommodati. 81
Oratio perfunctoria animæ palato non sapit. 81
Orationem facilem reddit vsus. 81
Oratio Dominica explicata. 82
Oratio Dominica paradigma optimæ orationis. 82
Orationem Dominicam quomodo B. Franciscus recitare solebat. 82
Orationem Dominicam quomodo B. P. N. Ignatius recitare solebat. 82

P

PAnis noster duplex, corporalis & spiritalis. 82
Patientia quomodo excitanda. 84. ad hoc multum iuuant exempla Sanctorum. ibid.
Peccator quàm parum Dei beneficijs respondeat, & quibus modis id fiat. 84
Peccatores quomodo à Beatis amentur. 34
Peccatores omnes miseri. 10. è Peccatis Deus magnum bo-

bonum elicit. 42
Peccata detestatur Deus, non dolet. ibid.
Peccata omnium hominum ad misericordiam Dei sicut aquæ gutta ad ignem. 83
Peccatum non solum mortale sed etiam veniale omnino repugnat statui beatorum. 47
Peccata Principum graviora; & cur, 5. ratione officij, ibid. ratione exempli. ibid. ratione reddendæ rationis. ibid. ratione honorum. ibid. ratione opum, ibid. ratione voluptatum, ibid. ratione copiæ adulatorum, ibid. ratione inopiæ monitorum, ibid. ratione licentiæ peccandi. ibid. ratione potestatis benefaciendi. ibid.
Peccare non posse Beatos, fide tenendum contra Origenem. 47
Peccare per inconsiderationem non cadit in Beatos. 49
Penetrandi vis in quo consistat. 71
Penetrandi vis in Beatis non ponit aliquid Physicum, sed morale. 73
Penetrationem mutuam cur fugiat natura. 73
ad Penetrationem non sufficit continuatio actionis consecutiuæ. ibid.
Perfectio animi consistit in assimilatione cum Deo. 18
Pericula in sæculo quanta. 86
Perpetuitas pertinet ad rationem beatitudinis. 78
Platonicorum de subtilitate corporum mens. 59
Politicorum de summo bono sententia. 4
Possessio perfecta quid requirat. 19
Potentia ad illicitum non est a Deo. 50
Prædeterminatio ad actum alias liberum repugnat naturæ voluntatis. 48
Præmium Beatorum aliud essentiale, aliud accidentale. 46
Præsentia Dei. 86
Princeps baiulo similis. 5
Prosperitas facit nos obliuisci Dei. 95
Pulchritudo animæ in tribus consistit. 39
Pulchritudo cuiusque rei est velut sapor & dulcedo eius. 37.
Pulchritudinis in genere tres gradus. 39
Pulchritudo animæ vegetantis in herbis, floribus, &c. qualis. 39
Pulchritudo animæ sentientis & rationalis quanta. 39. naturæ Angelicæ & diuinæ. ibid.

R

REgnum Dei quod sit. 67
Regnum Dei est regnum fidei, spei, & charitatis. 67
Res creatæ dupliciter Deo gloriam adferunt. 33
Res spirituales ex analogia corporalium cognoscimus. 9
Res nulla agit vt agat, sed aliud spectat. 8. illustratur exemplis. ibid.
Res cur modo corruptibiles sint, mox incorruptibiles. 64
Res aliqua vt desinat esse quid requiratur. 61
Resurrectio corporum nulla vi naturæ fieri potest. 11. qua ratione tamen dicatur naturalis. 11
Reuelatio rerum præteritarum, aut futurarum; quo modo Beatis fiat. 28
Robur Beatorum quantum. 59. possunt aliena corpora celerrimè mouere. ibid. non potest tamen quilibet eorum per se totam terram mouere. 59
Rusbrochius ab errore vindicatur. 14

S

SAlus nostra & aliorum dupliciter spectari potest. 33
Sancti extra vniuersum ire poterunt. 75
Sanctos inuocandos, de fide est. 53
Scientiæ in hac vita comparatæ non manent in cælo. 43 desinent in nobis subtractione diuini concursus, vti & fides. 44
Scientiam infusam & supernaturalem habent Beati. 43. probabiliter non distinguitur à lumine gloriæ. ibid.
Scientiam naturalem diuinctam & claram, non confusam vti nos, habent Beati. 43
Securitas beatorum quid sit. 78
Sensus externi beatorum habebunt suas oblectationes. 74
de Sensuum oblectatione Laurentij Iustiniani sententia. 76. D. Anselmi. ibid.
Sensuum vsus in cælo perfectissimus erit. 73
Similitudo duplex, per conformitatem naturæ, & repræsentationem. 20
Similitudo repræsentationis est triplex. 20
Sol quomodo agat in omnia hæc inferiora. 69
Somnus quomodo in cælo esse poterit. 75
Species impressa, non est necessaria vt Deus vniatur intellectui in actu primo. 22
Speculum in quo Deum hic cognoscimus, duplex est, Scriptura, & natura. 44
Spes est actus amoris concupiscentiæ. 45
Spes quomodo excitanda. 83
Subsistentia increata potest creaturæ communicari, non tamen visio increata, & cur. 15
Subtilitas quid sit. 71
Subtilitas dos corporis glorioſi. 59
Subtilitatis nomine quid intelligatur. ibid.
Summus honor, summum onus. 86
Summum bonum quid sit. 1
Summum bonum quale esse debeat. 3
Summum bonum nō consistit in voluptatibus corporis. 2
Summum bonum non consistit in dignitate Regia. 4. in ea decem res considerandæ. ibid.
Summum bonum non consistit in diuitijs, & quare. 16. cur multis in his videatur constitutum. ibid.
Summum bonum non consistit in scientia & notitia rerū creatarum. 8. non rerum corporalium. 8. non rerum spiritualium. 9
Summum bonum non consistit in functione virtutum moralium. 4. & cur. 8
Summum bonum in vnione cum Deo consistit. 13
Summum bonum est quid solidum & firmum. 4
Summum hominis bonum debet esse quid intrinsecum. 4.
Summum bonum propter se debet esse appetibile. 6
Summi boni appetentia non potest esse nimia. 4
Superiorum onus & obligatio. 86

T

TActus in cælo suam oblectationem habebit. 76. ex attactu corporis beati & auræ cælestis. ibid.
Terram Beatus quilibet totam per se commouere non poterit. 59
Temperantiæ studium quomodo excitandum. 85
Temperantiæ bona quæ. 85
Tribulatio probat hominem. 85
Tribulatio facit nos Christo similes. ibid.
Tribulatio est signum diuini amoris. 85
Tribulatio mentem ad Deum excitat. 85
Tribulatio facit hominem in hac vita beatum. 85
Turcæ mercedem maximam in quo constituant. 2
Turcarum sententia de beatitudine refellitur. 4
Turcæ porci & canes possunt vocari. 5

V

VEnter quorumdam Deus est. 43
Verbum mentis quid sit. 40. ipsa cogitatio est verbum mentis. ibid.
Vident Beati in Deo essentiam diuinam, eius perfectiones, & personarum processiones. 24. vident hæc omnia simplici visione. 24
Vident Beati mysteria fidei & Scripturæ arcana. 24. cælestem curiam. 24. carcerem damnatorum. 25. prouidentiæ ordinem qua Deus mundum gubernat. 25. structuram mundi. ibid. horum visio non erit intuitiua, sed ei similis. ibid.
nil Vident Beati intuitiuè in Verbo. 26. quomodo quæ non existunt videant. 28. quænam cognitaner in Deo videant. 29
an Videant Beati individua rerum corporearum, & quomodo. 29. quomodo videant res creatas. 27. an eas videant in dies. 27. quomodo id explicet Augustinus. 27
Vident Beati triplici modo res pendere à Deo. 28
Visio beatifica duo requirit. 21. à quo producatur. ibid. in visione tria spectanda. 20
Visio Dei est perfecta Dei similitudo. 20
ad Visionem tria principia concurrunt. 23. ab his singulis quid visio accipiat. ibid.
Visio potest à Deo produci in mente hominis, ipsa non cooperante. 21
Visionem Dei à Deo extrinsecùs Beatis infundi qui doceant. 20
Visio Dei non potest esse extrinsecùs infusa. 20. de qua potest quis dupliciter delectari. 41
Visio Dei est etiam imago Dei obiectiua. 20

Visio

INDEX RERVM.

Visio & lumen gloriæ distinguuntur. 11
Dicere, ad Visionem non requiri lumen gloriæ, erroneum est. 11
Visio cum pari lumine in impari intellectu erit impar. 24
sententia Molinæ & aliorum. 24
Visio Dei apprehensioni corporali comparatur. 19
Visio an concurrat effectiuè ad amorem. 20
Visio sola non est apta tollere omnem inquietudinem. 18
imò potiùs inquietat. ibid.
Visio Dei creata est comparatiuè infinita. 15. posita Visione Dei, voluntas ex natura sua inclinatur ad amorē 52. incompletè tamen. ibid.
Visio Beatorum propriè est Verbum. 39. aliæ de ea in sententiæ. 39
Visio Dei est merces bonorum operum. 56
Visio beata physicè perfectior est amore. 19
Visio Dei est radix totius beatitudinis. 19
Visio Dei est velut pictura diuinitatis. 19
Visio Dei est expressa similitudo Dei. ibi.
Visio Dei temporanea nō sufficeret ad excludendum omnem mœrorem. 78
Visio quomodo teneat primatum inter actus Beatorū. 20.
Visio hominis præstantior in ratione entis visione aquilę. 24.
Visus maximè delectabitur in cælo aspectu Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & aliorum Beatorum corporum. 74
Visus obiecta in cælo pulcherrima. 74
Virtus non potest sibi esse merces. 8
Virtutes tum naturales tum supernaturales manent in Beatis. 45
Virtutum habitus quomodo in Beatis nascantur. 45
Virtutis functio ardua & aspera. 8
Virtutis pulchritudo non sufficit ad affectus hominum permouendos. 7
Voluntas Dei triplex, consilium, præceptum, & beneplacitum. 82
Voluntas corroborari nequit contra tractum summi boni clarè visi, nec per interiorecum quid. 49. nec per assistentiam Dei. 50
Voluntatis robur in quo consistat. 50
Voluntas in Beatis non minùs debet eleuari quàm intellectus. 34
Voluptas pestis hominis. 3
Voluptas spiritus quanto purior uoluptate corporis. 11
Voluptatis effectus 17. de ea sententia Architæ. 3
Voluptates corporis beatum non faciunt. 2
Voluptas quid mali efficiat in homine. 3
Voluptas ad quid insita. 3
Voluptas sapienti fugienda. 3
Voluptates quàm uiles. 86
Voluptates sensuales communes cum brutis. 86
Voluptas magis affectum allicit quàm uirtus. 7
Voluptatem cur Deus miscuerit actionibus quibus natura conseruatur. 8
Voluptas maxima in aspectu corporum Beatorum. 60
Voluptas quanta in cognitione rerum creatarum. 8
Vnionis cum Deo uarij modi. 13. unio dependentiæ. ibid. per intimam præsentiam. ibid. per gratiam iustificantē. ibid. per transformationem in ideam. 14. per communionem visionis increatæ. ibid. per illapsum diuinæ essentiæ. ibid. per visionem & amorem creatum. ibid.
Vnionem cum corpore animæ beatæ actu elicito non vehementer expetunt. 58
Vnio qualis in omni amore intercurrat. 31

FINIS.

DE SVMMO BONO ET ÆTERNA BEATITVDINE HOMINIS

LIBER PRIMVS.

Summum hominis bonum, cuius adeptione beatus efficitur, non esse quid creatum & finitum, sed increatum & immensum.

CAPVT PRIMVM.

Quid summi boni nomine designetur.

1 SVMMVM *hominis bonum* vocatur, cuius possessione homo dicitur beatus, seu cuius causa cetera appetenda & persequenda: ipsum vero non propter aliud, sed propter se solum. Hinc etiam *extremum & finis bonorum* dicitur, & ἔσχατον ὁρεκτόν, *extremum appetibilium*. Itaque hæc tria idem fere valent, *summum bonum, beatitudo, vltimus finis*. Hoc sensu Cicero scripsit quinque libros De finibus bonorum & malorum, hoc est, de summo hominis bono & malo. Quod enim est summum bonum hominis, necessariò est vltimus eius finis; quia propter ipsum cetera appetenda, ipsum vero propter se: quia in re consistit ratio vltimi finis. Rursum quod est summum hominis bonum, in eo necesse est consistere eius beatitudinem, (quam εὐδαιμονίαν Græci vocant) quæ nihil est aliud, quàm summi boni possessio. Itaque tribus hisce vocibus passim, tanquam ijsdem & eandem rem designantibus, prout locus postulabit, vtemur.

2 Aduertendum tamen eas dupliciter accipi, nempe pro ipsa re extrinseca, in qua constitit summum bonum: & pro eius possessione, seu vnione qua nobis coniungitur. Summum enim bonum & vltimus finis, dicitur & res ipsa cuius possessione & fruitione beati sumus, & ipsa huius rei possessio & fruitio. Simili modo *beatitudo* accipitur pro ipsa re cuius vnione beati efficimur, & pro ipsa vnione: illa a Doctoribus vocatur beatitudo obiectiua, hæc formalis. Cum enim nulla res extrinseca nostrum bonum esse, aut nos beatos efficere possit, nisi nobis vniatur, & nos quodammodo afficiat: vtrumque necessariò requiritur: nimirum ipsa res, & illius rei nobiscum vnio; & vtrumque nostra beatitudo, & summum bonum nostrum dicitur. Quamuis magis proprie nomen *summi boni* in rem ipsam quadret; nomen *beatitudinis* in rei vnionem & possessionem.

Beatitudo obiectiua & formalis. Ratio huius distinctionis.

CAPVT II.

Omnes homines beatitudinem & summum suum bonum appetere.

3 OMnes appetere se esse beatos & frui summo bono, experientia & ratione constat. *Omnium*, inquit S. Augustinus, *iudicium est, qua ratione quoquo modo vti & frui,*

Lib. 10. De Ciuit. ca. 1.

beatos esse omnes homines velle. Mimus quidam in theatro promisit se proximis ludis dicturum quid quisque vellet; cumque ad diem constitutum conuenissent plurimi, omniumque mira esset expectatio, prodijt mimus, iussitque esse attentos. Deinde dixit: *Hoc omnes vultis, vili emere, & caro vendere*. Alius quidam dixit: *Omnes mortales se laudari exoptant*. Reprehendit hos S. Augustinus; quia multi inueniuntur viri iusti qui neutrum velint: vtrumque enim vitio sum esse, illud contra iustitiam, hoc contra veritatem. *At si dixissent*, inquit, *Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis; dixissent aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate qua omnibus hominibus satis nota est, non recedit*.

Lib 13. De Trinit. ca. 3. & 4.

Ratio cur omnes beatitudinem apperant, est: quia tota ratio cur aliquid appetatur, est, quia appreheditur vt bonum, & conueniens appetenti. Ideò enim facultas appetendi naturæ rationali data est, vt feratur in suum bonum, & consequatur suam perfectionem. Vnde quo aliquid apprehenditur vt maius bonum, eo magis appetitur. Itaque cum beatitudo ab omnibus concipiatur vt maximum bonum (vepote omne nostrum bonum, omnemque perfectionem in se complectens) oportet eam quoque maximè ab omnibus appeti, etsi nesciant quibus in rebus sita sit, aut quo modo ad eam perueniendum.

4 *Cur omnes appetant beatitudinem.*

Neque solum omnes eam appetunt, sed etiam *necessario* appetunt; ita vt non possint illam, si per se spectetur, nolle aut odisse. Nihil enim in illa concipitur, quod possit vllo modo displicere. Itaque amatur ab omnibus necessario quoad specificationem actus, non tamen quoad actus exercitium, vt Philosophi loquuntur. Neque enim omnes semper de beatitudine cogitant; neque si cogitent, necessario actum amoris erga illam eliciunt, cum voluntas sit libera, & se possit ab actu circa quoduis obiectum in hac vita cohibere. Si tamen circa illam versari velit, non potest nisi amore & desiderio id efficere. Nemo potest vere & ex animo dicere: Nolo esse beatus; volo esse miser.

5 *Necessario appetitur, non quoad exercitium actus, sed quoad specificationem.*

Hæc dixerim de beatitudine per se spectata, & præcisa à difficultatibus illis quas experimur in medijs ad eam obtinendam. Plurimi enim etsi sciant qua in re beatitudo vera sit quærenda, & quibus vijs ad eam sit perueniendum: tamen mollitie quadam animi refugiunt laborem & molestiam, quam sibi in ea persequenda imaginantur; & propter illam veræ beatitudini summoque bono renuntiant, temporali voluptate contenti. Malunt enim tempore huius vitæ indulgere suis cupiditatibus, & aleam futurorum subire, quàm eas hic coercere, & postea vitam præstolari beatam. Qua in re infinitam falcinatæ mentis insaniam demireris: præsertim cum non solum omni beatitudine sint carituri, sed etiam summis miserijs in-

6 *Dupliciter beatitudo specificari potest; secundum se, & vt coniuncta cum difficultatib. mediorum. Multi nõ appetunt eam, considerantes difficultates præsentes.*

uoluendi. Nemo tamen etiam ex iſtis eſt, qui non appetat beatitudinem ſaltem actu inefficaci, optando ſe beatũ: etſi media opportuna adhibere nolit. Vnde nec illi ita renuntiat, quin ſaltem eius aliquam partem vel vmbram ſectetur. Etſi enim deſperet ſe perfectam beatitudinem vmquam aſſecuturum, quæ eſt *ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus*, vt Boetius ait: nititur tamen quantum commodè poteſt, vt ad eam proximè accedat, accumulando omnia huius vitæ bona, diuitias, honores, voluptates, & omnes moleſtias ſtudioſè declinando, ex horum congerie fingens ſibi quamdam beatitudinis ſpeciem. In quibus enim hæc omnia ſimul iuncta reperiuntur, ij vulgò beati iudicantur, iuxta illud Pſalm. 143. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*; nempe quæ antè commemorarat, liberi pulchri, pretioſa ſupellex, cellaria plena, ſucceſſus proſperi, opes, honores. Tale eſt iudicium vulgi, quod quia ſpiritalia bona non percipit, ſola corporalia æſtimat.

Lib. 3. De conſol. philoſ. proſa 2.

7 *In omni re quodammodo appetitur beatitudo.*

Quo fit vt omnes non ſolum beatitudinem appetant, ſed etiam in omni re tam mala quàm bona appetant. Omnes enim cum aliquid appetunt; particulam aliquam integri boni, quo appetitus ſatietur, appetunt, ſibique appetendo & conquirendo ſenſim congeriem illam bonorum ſtruunt, qua imaginantur ſe beatos fore. Cuius etiam ſignum eſt, quod nemo in hac vita ſuas appetitiones ſiſtat, ſed ſemper ad alia & alia extendat, & obtenta augeri exoptet. Vnde qui congeſſit diuitias, quærit honores; quibus obtentis, quærit voluptates, & omnium moleſtiarum vacuitatem. Deinde in ſingulis eorum appetit creſcere & confirmari: hac enim bonorum congerie ſibi beatus videtur. Confirmat hoc S. Auguſtinus in Pſalm. 118. Sermon. 1. ita ſcribens: *Si vis eſſe beatus, eſto immaculatus. Illud enim omnes, hoc pauci volunt, ſine quo non peruenitur ad illud quod omnes volunt.* Et infra; *Beatum quippe eſſe tam magnũ eſt bonum, vt hoc & boni velint & mali. Nec mirum eſt quòd boni propterea ſunt boni: ſed illud eſt mirum quòd etiam mali propterea ſunt mali, vt ſint boni.* nempe beati. *Nam quiſquis libidinibus deditus, luxuria ſtupriſque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit, & ſe miſerum facit, cum ad ſua concupiſcentia voluptatem non peruenerit: Et quiſquis auaritia faciẽs inardeſcit, ad hoc congregat quouis modo diuitias, vt beatus ſit. Quicunque molitur inimicorum ſanguinem fundere, quicunque deſiderat dominationem, quiſquis effectus crudelitatem ſuam explet, quiſquis alienis cladibus paſcitur, in omnibus ſceleribus beatitudinem quærit. Hos igitur errantes, & vera miſeria falſam beatitudinem requirentes, reuocat ad viam vox illa diuina: Beati immaculati in via, &c.*

8 *Non eſt neceſſe vt in ſingulis rebus cogitetur beatitudo.*

Non tamen neceſſe eſt, vt in ſingulis rebus appetendis de beatitudine cogitent. Sicut enim qui exſtruit domum, non eſt neceſſe vt in ſingulis lapidibus ponendis, vel lignis aptandis, de domo cogitet: ita qui ſibi bonorum congericm ſtruit, qua appetitus ſatietur, non opus habet ſemper de ea congerie cogitare. Eſt ergo hæc appetitio beatitudinis non expreſſa & formalis, ſed tacita & virtualis, ratione innati ponderis noſtræ voluntatis, quo anima noſtra in ſuam perfectionem completam ac beatitudinem propendet: ex cuius propenſionis ac ponderis vi omnis appetitio cuiuſuis particularis boni ſequitur. Itaque quia omnis appetitio ſequitur ex illo pondere voluntatis, quo anima in beatitudinem inclinat, eoque tendit vt appetitus aliquando ſatietur; rectè in eo pondere tacita quædam beatitudinis appetitio contineri, & per illud ipſa beatitudo in genere appeti dicitur, ſicut appetitio finis continetur in appetitione mediorum: & dum media appetuntur ex affectu finis, ipſe quoque finis virtute & tacitè appeti cenſetur.

Quomodo in ſingulis appetatur beatitudo.

Omnis appetitio boni particularis prouenit ex pondere animæ ad bonũ completum hominis.

CAPVT III.

Qua in re conſiſtat hominis beatitudo, quodque ſit ſummum eius bonum, Variæ Philoſophorum ſententiæ.

MAximæ olim hac de re Philoſophorum exſtitere concertationes. Lactantius lib. 3. Diuinarum inſtitutionum capit. 7. decem ſententias cum ſuis auctoribus refert. *Epicurus*, inquit, *ſummum bonum in voluptate animi eſſe cẽſet: Ariſtippus in voluptate corporis. Calliphon & Dinomachus Cyrenaici honeſtatem cum voluptate iunxerunt. Diodorus in priuatione doloris ſummum bonum poſuit*, id eſt, in dolore mitigando, & ſenſim extinguendo. *Hieronymus in non dolendo; Peripatetici autem in bonis animi & corporis & fortunæ. Herillus ſummum bonum eſt ſcientia: Zenonis autem natura congruenter viuere: quorum ſum Stoicorum, virtutem ſequi. Ariſtoteles in honeſtate ac virtute ſummum bonum collocauit. Ha ſunt ferè omnium ſententiæ.* Hæc ille.

Decem Philoſophorum ſententiæ de beatitudine.

Sequenti capite oſtendit omnes illas erraſſe, & luculentè refutat. Marcus Varro apud S. Auguſtinus lib. 19. de Ciuit. capit. 1. oſtendit ſectas Philoſophorum de ſummo bono ita poſſe permiſceri, vt ex ea permixtione CCLXXXVIII. ſententiæ ſeu ſectæ exiſtant, non quæ aliquando fuerint, ſed quæ eſſe potuerint. Quomodo autem illa permixtio facienda, & quibus differentijs additis tantus ſententiarum numerus emergat, oſtenditur clarè apud Auguſtinum loco notato.

Ex permixtione ſententiarum naſcuntur 288 opiniones de beatitudine.

10 *Tres ſententiæ celebriores.*

Tres autem hac de re ſunt ſententiæ celebriores. Prima eſt, Summum hominis bonum conſiſtere in voluptatibus corporis. Hæc paſſim tribuitur Epicuro, & eius ſectatoribus, quam Torquatus lib. 1. De finibus apud Ciceronem multis rationibus confirmare nititur. Et quamuis Lactantius putet Epicurum locutum de voluptate animi, tamen aperte colligitur ex Cicerone, libro 2. De finibus, eum etiam complexum voluptatem corporis: in qua poſtea Ariſtippus & alij Epicurei maximè ſummum bonum collocarunt. Epicurus tamen vtraſque volebat eſſe moderatas.

Secunda eſt, Summum hominis bonum conſiſtere in virtute, ſiue in eo quod eſt *viuere conuenienter naturæ ac rationi*. Ita Stoici, quorum ſententiam fusè expreſſit Iuſtus Lipſius in ſua Manuductione lib. 2. cap. 14. & ſequentibus.

Tertia eſt Ariſtotelis, qui conſtituit beatitudinem potiſſimum in perfectiſſima operatione præſtantiſſimæ facultatis circa præſtantiſſimum obiectum: hoc eſt in contemplatione Dei, & rerum diuinarum, quantum fas eſt homini. Requirit tamen ſecundariò functiones virtutum moralium, & tertio loco bona corporis, vt ſanitatem, pulchritudinem, robur: & bona externa, opes, honores, nobilitatem, liberos. Ita docet lib. 1. Ethicorum, cap. 7. & ſequentibus, & lib. 10. cap. 6. 7. 8. quæ ſententia omnia bona humana ad beatitudinem requirit, eamque in horum omnium collectione conſtituit, etſi diuerſo ordine & gradu ea ad beatitudinem conſtituendam concurrant.

CAPVT IV.

Summum hominis bonum non conſiſtere in voluptatibus corporis.

11 *Mahumetani.*

NOn ſolum Epicurei, ſed etiam Mahumetani ſummũ bonum hominis in voluptatibus corporis ſtatuunt. De Epicureis id mirum non eſt, cùm non agnouerint animorum immortalitatem, & putarint eos ſimul cum corporibus interire. Qua ſententia poſita, non omnino abſurdè beatitudo in voluptatibus corporis ponitur. Nihil enim maius aut optabilius tunc exſpectandum. Mahumetani vero agnoſcunt corporum reſurrectionem, & poſt reſurrectionem animorum immortalitatem, & vitam numquam deſituram. Quo magis mirandum eſt, eos in corporis voluptate ſummum bonum etiã futuræ vitæ collocare potuiſſe. Sed hoc manifeſtè indicat maximam illius ſpurciſſimæ gentis cæcitatem, vt quæ nullum bonum ſpiritale animo concipere poſſit: adeo vt ipſum quoque Deum (ſicut & Angelos) immenſa mole & figura corporeum ſtatuat. Hanc doctrinam de futuræ vitæ beatitudine illorum propheta Mahumetus in ſuo Alcorano multis locis tradit. Azoara 2. *Beatos*, inquit, *Dominus in paradiſum inducet, vbi dulciſſimas aquas, tenuiq; multimoda, fructus varios, & decentiſſimas ac mundiſſimas mulieres, omniq; bonum in æternum poſſidebunt.* Rurſus Azoara 22. *Credentes & benefacientes ſua non amittent opera. Illi namq; paradiſum fontibus amœnum, & illic annulos & torques aureos, & ornatus ſericos viridesq; & decoras mulieres poſſidebunt, & in lectis aulæatis accumbent. Et hæc eſt maxima merces & interminabilis.* Eo maximam mercedem &

Sententia Mahumetica de futura beatitudine. Maxima merces quã exſpectanda Turcæ.

gaudi-

æternam iustorum. Azoara 47.48. & 62. rursus paradisi bona enumerat, nempe *mulieres mundas, fructus dulcissimos, aquas limpidissimas, lectos sericos, aulæa, pulvinaria, scyphos, pinceruas, hortos, viridaria, fontes.* &cæt. Neque hæc mystice (vt nonnulla similia in sacra Scriptura) sed propriè & corporaliter intelligi voluit, & omnes intelligunt.

Verum hæc sententia etsi magnam orbis partem occuper, prorsus absurda est, & porco magis quàm homine digna; multisque modis refutari potest.

12 Primò, Summum bonum hominis debet esse tale, vt hominem faciat meliorem & perfectiorem: imò debet efficere optimum & perfectissimum. ideò enim dicitur summum bonum, quia summè perficit, & in summo dignitatis & perfectionis gradu constituit. At voluptas corporis hominem non solum non facit optimum & perfectissimum, sed etiam reddit deteriorem. Nihil enim est quod æquè lumen rationis offuscet, ac mores corrumpat atque voluptas, vt videre est in illis qui ventri & libidini iunt dediti. Nihil enim his stupidius, nihil ad sapientiam & diuina percipienda ineptius, nihil moribus & vita inquinatius. Idem testantur etiam Ethnici scriptores: Cicero in Catone: *Diuinè Plato escam malorum appellat voluptatem, quid-ea videlicet homines capiantur, vt homo pisces.* Et Seneca Epist. 121. *Indulgere voluptati initium omnium malorum est.*

Ratio est, quia cum voluptas mentem excæcet, vt virtutis pulchritudinem, & vitiorum fœditatem non consideret, & ex altera parte suis blanditijs affectum hominis vehementer alliciat; fit vt nullum sit peccatum, nullum crimen adeò detestabile, in quod hominem non præcipitet.

13 Secundò, Summum bonum potiorem hominis partem, nempe mentem perficere & ornare debet. At voluptas hanc non solum non perficit, sed illius perfectionem & functiones maximè impedit, ipsamque brutam & stupidam reddit.

Tertiò, Summum bonum facit honore & veneratione dignum: quia summam homini excellentiam confert, & in summo dignitatis gradu constituit; ita vt altius conscendere, aut aliquid quod sublimius sit obtinere nequeat. Si enim aliquid sublimius posset consequi, hoc ipsum potius esset summum, non illud. Denique maximè eleuat hominem supra se, facitque Deo simillimum. At voluptas facit hominem vilem, abiectum, & despicabilem. Qui enim voluptatibus dediti, passim contemnuntur tamquam inepti, & gulæ Veneriſque mancipia. Hinc illud Poetæ:

..... Epicuri de grege porcus.

Facit enim similem porcis, qui ad pastum & libidines abiecti: non Deo, qui longissimè ab omni corporali voluptate & contagione segregatus, contemplatione veritatis, hoc est sui ipsius, delectatur. Itaque voluptas hominem maximè dedecorat. *Quis bestis*, inquit Seneca, *in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates sua sunt: quorum impotenti & insanæ libidini ob hoc vnum possis ignoscere, quòd quæ fecere patiuntur.* Epist. 19.

14 Quartò, Si voluptas esset summum bonum, fas esset illam quærere in omni re in qua reperitur, & ad eam obtinendam adhiberi possent quæcunque ad hoc opportuna. Itaque licita esset omnis libidinum turpitudo, licitæ comessationes & ebrietates, licita furta, rapinæ, homicidia, & omnia scelera per quæ ad voluptates peruenitur: summum enim bonum in omni re in qua reperiri potest, & omnibus mediis per quæ obtineri potest, quærere licet. Idem suis moribus confirmant ij, qui in voluptate summum bonum constituunt: nullum enim scelus, nullam turpitudinem, si absit metus legum, recusant. Nihil illicitum aut recusandum quod summo bono est consentaneum, vel aliquid opis commodive adferre potest ad illud obtinendum.

Quintò, Rursus si voluptas esset summum bonum, vita ista esset expetenda propter cibum, potum, & venerea, in quibus consistit illa voluptas: & hæc non propter vitæ conseruationem, aut naturæ propagationem, sed propter voluptatem, ordine planè peruerso, & naturæ contrario; quæ statuit vt cibo & potu vtamur ad vitæ conseruationem, re venerea ad naturæ propagationem. Adiunxit autem his functionibus voluptatem tamquam condimentum & illecebram, ne propter molestiam negligantur. Itaque voluptas est propter has functiones, functiones propter vitæ & speciei conseruationem.

Sextò denique, qui voluptatem statuit summum bonum, eo ipso suum ventrem statuit sibi Deum, iuxta illud Apostoli: *quorum Deus venter est.* Ratio est, quia illud cuique est Deus, in cuius obsequio & cultu summum bonum suum constituit. Nihil enim agnoscit præstantius, aut quod huic sit præferendum. Atqui ille summum bonum suum constituit in obsequio & cultu ventris. Seruire enim ventri & libidini est illi summum bonum. Ergo venter est illi Deus. Confirmatur; quia illud cuique est Deus, ad quod omnia sua, etiam suam beatitudinem vltimò refert & dirigit. Ad Deum enim vltimò omnia referenda. Atqui hic omnia sua dirigit, etiam cibum & potum, &c. quorum fruitione se putat beatum, ad bonum ventris, ibique sistit. Ergo, &c. Talis erat ille Cyclops apud Euripidem in Cyclope, qui dicebat se Iouem non curare, sed maximum deorum sibi esse suum ventrem: huic se assiduè sacrificare, &c.

15 *Venter est Deus eorum, qui voluptatem corporis statuunt summum bonum.*

Ex his manifestum est, voluptatem corporis non solum 16
non esse censendam summum bonum, sed potius numeraudam in malis, ac proinde sapienti fugiendam, quantum eius commodè fieri potest. Etsi enim per se sit quiddam adiaphorum, tamen tanta mala secum trahit, vt potius in malis quàm in adiaphoris sit numeranda: nam mentem excæcat, virtutem elidit, in vitia præcipitat, corpus & animum enervat, naturam humanam dedecorat, molles, inglorios, viles & despicabiles efficit, brutis assimilat. Denique omnes huius vitæ voluptates sunt valdè imperfectæ, multis sordibus & fœtoribus inquinatæ, multis doloribus permixtæ, & pleræque dolorum & molestiarum dumtaxat solatia. Voluptas enim edendi solatium est molestiæ quam adfert fames: bibendi, quam sitis; veneris, quam incitatio libidinis: ac proinde pares illæ voluptates sunt voluptati, quam leprosi & scabiosi, dum scabuntur, sentiunt. Præclarè hæc omnia confirmat Architas Tarentinus apud Ciceronem in Catone, cum ait, *Nullam capitaliorem pestem quàm corporis voluptatem hominibus à natura datam. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum euersiones, hinc cum omnibus clandestina colloquia nascuntur. Nullum denique scelus, nullum facinus esse ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat. Stupra verò, adulteria, & omne tale flagitium nullis alijs illecebris excitari, nisi voluptatis. Cumque mente nihil sit præstabilius homini à Deo datum, huic diuino muneri nihil esse tam inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quò magis intelligi posset, fingere iubebat animo quempiam maxima voluptate incitatum: nemini censebat fore dubium, quin tam diu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quo circa nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quàm voluptatem. Siquidem ea cum maior esset atque longinquior, omne animi lumen extingueret.* Hæc ille: qua sententia optimè ostendit tantum abesse vt voluptas sit summum bonum, vt potius sit dicenda summum malum, ac pestis quædam naturæ humanæ, cùm id quod optimum est in homine, nempe lumen rationis extinguat, & ad omne malum animos incitet. Sententia Architæ de voluptate.

Denique Mahumetanorum sententia etiam multis a- 17
lijs nominibus est absurda. Vel enim beati post hanc vitam egebunt cibo & potu ad corporis & vitæ sustentationem, vel non egebunt. Si egebunt non sunt beati, nec immortales, sed corpore sunt labili, quod fame & siti cruciari possit & dissolui, sicut in hac vita: illicque edendum & bibendum erit vitæ potius conseruandæ causa, quàm captandæ voluptatis. Si non egebunt, cur illis vtentur? An ideo, ne videlicet careant hac voluptate? Ita planè illi sentiunt, quia nihil maius aut dulcius gulæ ventrisque voluptate, animo concipere possunt. Sed comedere, & corpus purū sordibus implere solius voluptatis causa, natura id minimè postulante, res est absurda, rationi & naturæ aduersa. Necesse enim est hoc totum, cum natura non polluler, verti in sordes & excrementa, & locum beatorum immani fœtore compleri. Pari modo vel erit procreatio post hanc vitam, vel non erit. Si erit, vel *Refutatur sententia Mahometi & Turcarum.*

proles erunt beatæ & immortales, & sic crescet numerus beatorum in infinitum; vel non erunt beatæ, sed mortales, ac proinde cælo exturbandæ, donec beatitudinem mereantur. Si non erit procreatio, quorsum vsus veneris? Solus enim voluptatis causa vti venere, brutorum potius est animantium (quæ cum non possint intelligere in quem finem vsus veneris sit institutus, solam voluptatem apprehendunt, & in illam cæco feruntur impetu) quàm hominum luce rationis præditorum, qui scopum cuique operi præfixum spectare, & opus ad eum dirigere debent. Solent Turci Christianos per conuitium vocare *Canes*, sed nullo fundamento, cum Religio & institutum Christianorum potius sit angelicum vel diuinum, quàm canium. Longe verius & iustius ipsi vocari possent *Porci & Canes*, quorum summum bonum, sicut porcorum & canum, in ventre est & iis quæ sub ventrem, nihilque spirituale continet.

CAPVT V.

Summum hominis bonum non esse situm in honoribus,

18 *Quid honor.*

HOnores vocantur tum ipsæ dignitates, & munia publica ob quę mortalibus honores exhibentur, vt sunt Maiestas Imperatoria, & Regia, & quilibet Principatus ac magistratus; tũ externa omnia reuerentiæ & cultus signa, quibus homines suam submissionem, & Superiorum excellentiam testantur, vt detectio, incuruatio, genuflexio, erectio statuæ, ludi, festa, sacrificia. Eodem pertinent laudes, hymni, panegyrici, omniaque illa quibus homines ad aliorum honorem vel laudem vti possunt, hæc enim omnia ad honorem pertinent.

Sententia Politicorum. Ora. pro Archia Poeta.

Non defuerunt olim, nec modo desunt, qui summum bonum in honore diuitijsque suffulto constituant, qui vulgo *Politici* vocantur. hi cum Cicerone maximum virtutis præmium censent honorem, nec posse hominis aliquid magnus obtingere. Vnde & Religionem ipsam, & omnem Religionis ac virtutis quem præ se ferunt cultum eo dirigunt, vt Principatus vel acquiratur, vel retineatur, vel amplificetur: quibus illud est assidue in ore, vel in mente; *si iusiurandum violandum, Regni causa violandum*. Horum antesignanus superiori sæculo Nicolaus Machiauellus.

Verum in his beatitudinem non consistere, facilè demonstrari potest. Primò, Quia summum hominis bonum, cuius possessione beatus efficitur, debet esse quiddam ipsi intrinsecum, & intimè vnitum; alioquin eum non afficiet. Atqui honores omnes sunt bona extrinseca seiuncta ab eo qui honoratur: honor enim est in honorante, non in honorato: nam nihil est aliud quàm testimonium eminentiæ alterius cum sui quadam submissione. Duo enim facit qui alterum honorat. Primò, Signo externo testatur quanti eum æstimet. Secundò, Eodem signo indicat, se illi tamquam aliqua ratione eminentiori submittere.

19 *Beatitudine non consistere in honoribus.*

Honor est bonum extrinsecum.

Quid honor complectatur externus.

Quo modo inferior possit honorare à se superiorem.

Nec refert quod honorans sæpè sit excellentior virtute, sapientia, dignitate, quam sit is quem honorat; quia tunc considerat seipsum nudè, quatenus ex se nihil præclari habet; alterum verò considerat vt præditum aliqua excellentia, ob quam illi honorem defert. Hoc modo etiam Princeps honorare potest hominem priuatum: omnis enim homo vt imago Dei, vt capax æternæ beatitudinis, vt virtute vel sapientia præditus, est honore dignus, habetque quandam eminentiam supra alium sine tali excellentia spectatum, ratione cuius illi honor exhiberi cum quadam sui submissione potest; multoque magis si sit Christianus, si iustus, si Religiosus, si Sacerdos, si Episcopus, si Papa.

Cum ergo honor nihil aliud sit quàm signum quoddam externum alterius eminentiæ & nostræ submissionis, manifestum est eum esse planè extrinsecum ei qui honoratur; ac proinde non posse esse eius summum bonum, cum illum non afficiat.

20 *Quomodo honor coniungatur honorato.*

Dices, Afficit eum interueniente mentis apprehensione. Cum enim videt aut cogitat se ab omnibus honorari, laudari, celebrari, & se vndique honore & gloria tamquam luce quadam circumfusum, coniungitur ei hoc bonum vi mentis, magnoque eum gaudio perfundit, & sic ipse beatum sese iudicat.

Respondeo, Si ita est, valdè fluxum & instabile est hoc bonum, quod solum habetur dum cogitatur; & subito cum desinit cogitari, euanescit. At beatitudo & summum bonum debet esse quid firmum & stabile. Deinde si illud bonum nobis vnitur per cogitationem, semper de eo cogitandum erit, vt semper vnitum maneat, eoque semper fruamur, eiusque dulcedinem percipiamus. Immo ipsa formalis beatitudo sita erit in illa sui & suorum honorum contemplatione. Atqui turpe est, & animi fœminè ambitiosi, nihil nisi suos honores animo voluere, nihil nisi seipsum mirari & æstimare, & se suaque instar pauonis assidue circumspicere.

21 *Summum bonum est quid solidũ & firmum.*

Duo sunt in honore.

Opinio hominis, & eius testimonium.

Secundò, Summum hominis bonum debet esse quid solidum, quod non sit positum in hominum opinione & arbitrio. Atqui honor nihil est solidi, sed res imaginaria, posita in hominum opinione & arbitrio. Duo enim sunt in honore, nimirum opinio hominum de alterius eminentia, & externum eius testimonium. Opinio illa est præcipua honoris pars, & veluti anima, quam homines ambitiosi maximi faciunt; quia imaginantur se per illam vinere illustres in mentibus hominum. Sed quid vanius quàm ponere summum bonum in hominum opinione, quæ & maximè mutabilis est, & plerumque falla: pauci enim suis momentis virtutem, aliaque bona æstimare norunt: nam fluxa & infima plerique maximi æstimant; solida & sempiterna parui. Vnde Apostolus: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: qui autem iudicat me, Dominus est. Dies humanus* fallax est; quem in hac vita omnia occulta manent: *dies Domini* verum de singulis dabit iudicium: quia omnia abscondita proferet in lucem, & ostendet orbi clarè qualis & quantus quisque sit, & fuerit. Quòd si illud quod in honore est præcipuum, & tamquam honoris vita, vanum est, vtpote mutabile & fallax, & in arbitrio alieno positum; multo magis vanum erit externum eius testimonium ac signum, quod est honoris veluti corpus. Si enim res ipsa vana est, multo magis eius signum & testimonium.

1. Cor. 4.

22 *Summi boni appetitio non potest esse nimia.*

Tertiò, Summum bonum debet esse tale, vt eius appetitio non possit esse vitiosa aut nimia; quia summè appetendum est, & omnes cogitationes & conatus ad illud dirigendi. Atqui appetitio honoris potest esse nimia & vitiosa: si enim non fuerit moderata, fiet *ambitio & cenodoxia*, quæ vbique gentium est detestabilis. Pari modo omnes vitæ suæ rationes ad suos honores dirigere, detestabile est; cum id ingenij sit tyrannici, quod omnia ad sua emolumenta, suumque honorem cum publico detrimento disponit ac refert.

23

Quartò, Si in honore situm esset summum bonum, maximè in dignitate Regia; hæc enim & maximo splendore exterius fulget, & maximas opes ac voluptates coniunctas habet, & maximis honoribus ab omnibus colitur: vnde vulgo Regibus nihil videtur beatius, & apud Barbaros olim tamquam numina colebantur; sunt enim in rerum humanarum fastigio collocati, & omnibus huius sæculi bonis circumfluere videntur.

24 *Decem res in dignitate Regia considerande.*

Verum si quis rem attentius introspiciat, videbit complures in hoc splendore miserias. Decem enim res in hac dignitate considerari possunt. 1. Vinculum illud iustitiæ, quo Princeps obstringitur ad benè regendum suum populum. 2. Quòd peccata in illo statu sint grauiora, ratione exempli, vel damni ad plurimos pertinentis. 3. Obligatio reddendæ rationis Deo, cuius est minister, de sua administratione. 4. Honores. 5. Opes. 6. Voluptates. 7. Copia adulatorum, quibus plerumque septus. 8. Monitorum inopia. 9. Licentia malefaciendi. 10. Potestas benefaciendi.

Vinculum officij.

Primum non est magnopere expetendum. Nemo enim expetit onera, vincula, labores; sed malet sine illis frui bonis suo muneri annexis. Nullum onus regio grauius aut laboriosius: tenetur enim omnibus & singulis iustitiam administrare, & omnes ab hostibus defendere. Vt iustitiam administret; Primò, Debet nosse omnium suorum Iudicum & Officialium qualitatem, aptitudinem, & mores; nec quemquam in officio constituere, cuius aptitudo & probitas ei perspecta non fuerit. Secundò, Debet curare & excubare animo, vt omnes officium præstent,

Duæ functiones maximæ regij.

Onera maxima regij.

ſtent, vbiuſtitiam non vendant, vt muneribus non corrumpantur, vt cauſſas non extrahant, vt pauperibus ius dicant. Vnde danda ei eſt opera, vt cognoſcat quomodo vbique Iudices & miniſtri ſe gerant, & an ſuo munere probè fungantur. Tertiò, Debet præbere aures ſuis ſubditis eorumque preces & querimonias benignè audire, libellos ſupplices excipere, eiſque quàm citiſſimè fieri poteſt reſpondere. Quartò, Debet curare vt omnes tranquillè & honeſtè viuant, & omnes religionis & morum corruptelæ, quoad eius fieri poterit, è medio tollantur. Vt Regnum ſuum defendat, infinitis rebus opus eſt, quæ non ſine maximis curis & laboribus colligi, diſponi, adhiberi, & adminiſtrari poſſunt; vt Regum manus omnium munerum & officiorum laboriоſiſſimum meritò cenſeri debeat. In nullo enim munere occurrunt plura, vel difficiliora, vel maioris momenti negotia: in quibus ſi quid peccetur a Rege, ſi minùs attendit, ſi aliquid negligit, grauia ſequuntur incommoda, quę omnia in ipſius caput refunduntur. Intellexit hoc præclarè gloriоſæ memoriæ Carolus V. ideòque vt ſe hoc onere leuaret, & moleſtijs innumeris exiret, & ſaluti animæ conſuleret, maturè, nempe anno ætatis ſuæ LV. & Imperium depoſuit, & omnia ſua Regna in filium tranſtulit: quod cùm faceret, ex commiſeratione illacrymans, hiſce verbis vſus eſt: *Miſeret me, proceres, filij caríſſimi, cuius humeris tam graue onus impoſitum, quod dum geſturus eſt, vita ei tot ſummis laboribus & moleſtijs eſt tranſigenda.* Hæc ille magnus Monarcha, tot victorijs clarus, tanta gloria toti orbi conſpicuus. Quo facto, duodecim famulis, vnoque equo contentus, in ſolitudinem Deo ſibique vacaturus abdidit. *Magna ſeruitus eſt*, inquit Seneca, *ex magna fortuna. Omnium ſomnos vigilia principis defendit, omnium otium illius labor, omnium deliciæ illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.*

Regium munus laboriоſiſſimum.

Seneca ad Polyb. conſol. cap. 26.

25 Secundò, *Obligatio exempli* non parum quoque grauat Regiam dignitatem, eamque ſuadet fugiendam. Sicut enim nihil æquè fugiendum ſapienti atque peccatum, quod omnium miſeriarum eſt fons & origo: ita etiam id quod peccatum ipſum in ſe maius & enormius effecit, fugiendum eſt.

Obligatio exempli.

Ex duplici verò capite peccata Regum, & aliorum in eminenti ſtatu poſitorum grauiora euadunt. Primò, Ratione exempli: quia omnium oculi in ipſos conuerſi; & quod ipſi faciunt, alij libenter imitantur. *Regis* enim *ad exemplum totum componitur orbis.* Secundo, Ratione latiſſimæ extenſionis, quia fit vt lædant plurimos. Sunt enim Reges in Republica, quod ſol in mundo. Sicut enim ſi ſol in ſuo curſu erraret, grauiſſimè mundus læderetur; ita Reſpub. grauiter læditur, dum Rex officio ſuo non probè fungitur: vt ſi iniquas condat leges, ſi ordini Eccleſiaſtico faciat iniuriam, ſi Religionem euerti aut labefactari ſinat, ſi iura prouinciarum aut ciuitatum temerè violet, ſi in iudicibus & miniſtris conſtituendis delectum non habeat, ſi latrones, fures, hæreticos, alioſque maleficos non coerceat, ſi aliquam muneris ſui, quod infinitè multiplex eſt, partem non expleat: quo fit ſæpenumero vt vnum peccatum Principis ſit grauius quàm centum peccata hominis priuati. Atqui *pro menſura peccati, erit & plagarum modus.* Culpa enim & pœna debent exæquari.

Potentia Regum cur grauiora.

Deut. 25.

Tertium valdè horrendum eſt. Si enim priuato cuilibet, qui ſuæ tantùm ſalutis curam geſſit, ſtrictum illud 26 examen æterni Iudicis eſt formidandum: quanto magis formidandum illi, qui infinitorum hominum vitam & mores rexit, qui tot tantiſque negotijs ita ſemper fuit implicatus, & animo diſtractus, vt vix vnquam integrum ei fuerit, ſeriò de ſua ſalute cogitare. Si *de quolibet verbo otioſo reddituri ſunt homines rationem* in ſupremo illo tribunali, quanto magis de omnibus actis & neglectis, & permiſſis in tanta adminiſtratione? Grauiſſimis verbis hoc monet Spiritus ſanctus Sapient. 6. his verbis: *Audite Reges & intelligite, diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis & virtus ab Altiſſimo, qui* * *interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cùm eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur mi-*

Obligatio reddendæ rationis.

Vertite ad vos.

ſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Vbi notandæ maximè duæ vltimæ ſententiæ: quas quicumque expenderit, non conſtituet in Regno & Principatu magnam felicitatem.

Quartò, *Honores* qui ab alijs nobis deferuntur, præter quam quòd in ſe ſint res vanæ, & vacua ſigna, & bona imaginaria, qualia ſomniantium; hoc etiam habent incommodi, quod lumen mentis ita præſtinguant, vt homo ſeipſum non cognoſcat, & longè ſe maiorem quàm reuerà ſit exiſtimet: itaque admittit ei & ſui notitiam, quæ tantopere à Sapientibus celebri elogio Γνῶθι σεαυτὸν commendatur: & eius loco inſerit perniciоſum errorem, quo animus in ſuperbiam omnium malorum fontem, intumeſcit. *Quid ſunt*, inquit S. Auguſtinus, *honores ſæculi, niſi typhus, & vanitas, & ruina periculum?*

27 *Honores.*

Honores miſeram offuſcant.

Lib. de catech. rud. c. 16.

Quintò, *Opes* cùm habentur, ſunt inſtrumentum omnis nequitiæ: cùm deſiderantur, incitamentum omnis iniquitatis. De quibus plura capite ſequenti.

28 *Opes.*

Sextò, *Voluptates* peſtes ſunt animorum, & venena ſapientiæ ac probitatis, in quarum regno virtuti nullus locus relinquitur, vt ſuprà num. 12. & 16. oſtenſum eſt.

Voluptates.

Septimò, *Copia adulatorum*. Hi Principibus ſæpè nocentiores quàm hoſtes. Nam & veritatem illis plerumque occultant, & falſis laudibus dementant, & facta iniqua probant, & ſuis artibus eos circumueniunt, ac in fraudem, dedecus & perniciem ſæpenumero impellunt. *Malum, hominem blandè loquentem*, inquit Seneca, *agnoſce tuum laqueum eſſe. habet enim ſimum venenum blanda oratio.* Vnde quidam prouerbium illud, Εἰς κόρακας, *Ad coruos*, commutauit in Εἰς κόλακας, *Ad adulatores*, quaſi peius ſit in adulatores incidere, quam coruos paſcere. Hi enim corpus lacerant, illi animam perdunt.

Copia adulatorum.

Octauo, *Monitorum inopia* non paruum eſt malum, præſertim in Principatu, vbi tot ſunt lapſuum occaſiones, tot ſalutis pericula. Vnde Rex Dauid, perpetrato adulterio & homicidio, nouem pænè menſes permanſit in ſcelere, monitorum defectu. Tandem a Prophetа Nathan reprehenſus, culpam agnouit, eamque pœnitentia delectauit. Simile accidit Theodoſio poſt cædem Theſſalonicæ factam, cùm eſſet caſtigatus ab Ambroſio. Pauci ſunt qui potentes audeant monere, quia omnes timent offenſionem. Alti ſpiritus non ferunt reprehẽſiones, & numquam deſunt qui factum excuſent, vel extenuent.

29 *Monitorum inopia.*

Nonò, *Licentia peccandi* Hæc in Principibus eſt maxima, tum quia neminem timent, tum quia peccandi inſtrumenta illis ad nutum ſuppetunt. Magna ſanè illud eſt pars infelicitatis, in hoc dignitatis faſtigio. Nihil enim felicius, quàm non poſſe peccare; vel ſaltem ita vndique ſeptum eſſe, vt non facile poſſis & liberè.

30 *Licentia peccandi.*

Decimò, *Poteſtas benefaciendi*. Hæc ſimiliter in Principibus eſt maxima. Quòd ſi ob aliquam cauſſam Principatus eſt expetendus, ob hanc ſolam expetendus eſt; ob hanc enim ſolam omnis Principatus eſt inſtitutus; nimirum, vt Princeps ſubditos ſuos defendat a malo, & dirigat ad bonum: vt hoſtes & vitia exterminet, & Religionem, Iuſtitiam, probitatem florere faciat. Hoc ſi benè præſtiterit, magna illi manent apud Deum præmia: ſi neglexerit, magna impendent ſupplicia. Qui ob alias cauſſas, ob opes, honores, voluptates, familiæ ſplendorem, & ſimiles fumus, Principatum aliaſque dignitates ambiunt, multum falluntur. Quia res iſtæ tanto onere, tantiſque laboribus & periculis non ſunt dignæ. Miſerrimum eſt, in temporalia negotia omnes animi vires, nullo alio quàm temporario fructu expendere. Stultum eſt, ea quibus ſolidum & ſempiternum honorem parare poteras, in vmbratilem & momentaneum effundere.

Poteſtas benefaciendi.

Ex his perſpicuum eſt, non eſſe magnam felicitatem in 31 Principatu, ſed plurimam in eo eſſe miſeriarum ſegetem: nam & ipſe Principatus per ſe eſt grauiſſimum onus, & circumſeptus eſt omnibus illis rebus, quæ ad ruinam & exitium allicere vel impellere ſolent; & caret plerique adminiculis, quibus homo vel ſuſtentetur ne cadat, vel a lapſu reuocetur, ſi cecidit. Vnde ſimilis eſt Princeps baiulo cuidam grauiſſimum pondus per lubricam & angustam viam geſtanti, quem antè & retrò plurimi varijs modis ad lapſum impellunt, & nemo ſuſtinet, ne in præcipitium ruat. Confirmat hæc omnia S. Chryſoſtomus in cap. 12. Matthæi, homilia 41. *Non cogitare*, inquit, *quam-*

Princeps ſimilis baiulo.

tam honores pernicie̅m ſolent adferre? facilè enim ad inanem gloriam extollunt, & in rumorem, ſuperbiam, & alicrum contemptum impellunt: deſidiam augent. & ipſi quoque leui aura commoti deflorescunt; quodq; acerbius eſt, malorum præcipitia, in quæ honores detrudunt, perpetua ſunt atque propria. Hęc ille

CAPVT VI.

Summum bonum non eſſe ſitum in diuitijs.

31 NON deſunt hoc tempore qui audeant dicere, regnum cælorum nihil eſſe aliud quàm diuitias; infernum, paupertatem. Ratio eſt: Quia nihil in hoc mundo ſplendidius, nihil beatius videtur diuitibus, nihilque abiectius & miſerius pauperibus. Omnis autem ſplendor in cultu, in famulitio, in domicilio; in ſupellectile, in epulis, in hortis, in rhedis & equis, prouenit ex diuitijs. Eædem ſecum deferunt honores, & facultatem præbent omnium voluptatum. Itaque qui futura bona non credunt, & ſpiritalia non capiunt, putant ſummum bonum in diuitijs collocatum: quia in his omne bonum quod homines exoptant, quodammodò contineri videtur.

Cur ſummũ bonum videatur multis ſitum in diuitijs.

33 Hæc ſententia ad atheiſmum pertinet, ſicut & aliæ ſuprà refutatæ: & facilè conuinci poteſt. Primò, Summum bonum tale eſſe debet, vt propter ſe appetendum ſit, & alia omnia propter ipſum, vt omnes Philoſophi conſentiunt. Atqui diuitiæ numquam propter ſe appetuntur, ſed propter alia. Pecuniæ enim appetuntur, quia ſunt inſtrumentum ad omnes res venales, & pecunia parabiles. Agri & pecora appetuntur propter fructus, fructus propter vſum, domicilium ad habitationem; ſupellex ad commoditatem vel ſplendorem, horti ad fructum vel amœnitatem, epulæ ad voluptatem. Itaque cùm diuitiæ ſolùm ſint inſtrumẽta & media ad alia bona obtinenda, & nõ propter ſe, ſed propter illa expetendæ ſint, perſpicuum eſt in illis ſummum bonum non reſidere.

Secundò, Diuitiæ conſiſtunt in pecunijs, in agris, in pecoribus, in domibus, in hortis, in ſuppellectili pretioſa. Atqui hæc omnia vel terra ſunt (quæ eſt infimum elementorum, & veluti mundi ſentina) vel ex terra ortum habent, & ex terra conſtant, & in terram reſoluuntur. Quomodo ergo hominem, qui ſummum dignitatis gradum in mundo obtinet, beare poſſunt? Quomodo quod infimum & viliſſimum eſt, beare & perficere poteſt id, quod ſummum & digniſſimum? Nihil enim fit melius aut perfectius coniunctione deterioris. ſed potius imperfectius & deterius, præſertim ſi affectu illi inhæreat.

34 Tertio, Omnes diuitiæ ad corpus pertinent, eique commoda quædam, etſi pauca, conferunt (non enim poſſunt ei dare ſanitatem; robur, pulchritudinem, ſenſuum integritatem, longæuitatem;) animo verò nihil boni tribuunt. Sapientiam enim & virtutem, quæ propria animi bona ſunt, conferre nequeunt. Atqui ſummum bonum maximè ſuperiorem & præſtantiorem hominis partem perficere & beare debet.

Quartò, Summum bonum non poteſt nimium appeti: quò enim ardentius id deſideras, & ad illud conſequẽdum omnes tuas cogitationes & conatus refers, eò melius & laudabilius agis. Atqui diuitiæ nimium appeti poſſunt, & nimius ad eas acquirendas adhiberi conatus; taliſque affectus auaritia eſt, vitium in primis deteſtabile. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas,* φιλαργυρία, teſte Apoſtolo.

1. ad Timoth. 6.

35 Quintò, Si ea quæ in diuitijs reperiuntur penitus inſpiciantur, liquidò conſtabit in illis non ſolum nullam eſſe beatitudinis partem, ſed etiam plurimas miſerias, & beatæ vitæ impedimenta, ſiue de ea beatitudine loquamur quę in hac vita obtineri poteſt, ſiue de futura. Conſideremus itaque hæc tria: quid ſint diuitiæ in ſe, quomodo comparentur, & quinam earum effectus.

Quid ſint diuitiæ.

Diuitiæ ipſæ, vt iam monuimus, quid aliud ſunt quàm vel terra mera, vel terræ miſcella & terrena concretio? Aurum gleba rubra, argentum candida, gemmæ vitrata, & inſtar vitri à natura decocta. Fictitiæ enim ex vitro gemmæ naturales pulchritudine æquant, magnitudine etiam longè ſuperant. Cetera notum eſt plane ex terra & putredine nata & conflata, & in putredinem reſoluenda: vt animum, pecorum, iumentorum corpora, arborum & agrorum fructus. Veſtes pretioſæ quibus ſuperbit mundus, qui aliud ſunt quàm ſanies vermiũ, vel excretiones cutis animalium? Cinis itaque ſuperbit de cinere, ſanies de ſanie. Nam homo ipſe ſecundum corpus nihil aliud quam ſanies & cinis, vt eius reſolutio demonſtrat. Omitto quòd hæc omnia nobis ſint extranea.

36 *Quantis incommodis comparentur.*

Iam verò quantis curis, moleſtijs, laboribus, periculis animorum & corporum res illæ vilißimæ comparentur & conſeruentur, ſuo exemplo oſtendunt omnes qui ad eas adſpirant. Hi enim ſemper ſunt ſolliciti, ſemper intenti vt aliquid lucelli capiant, ſemper anxij ne damnum incurrant; mille curas & negotia animo ſemper voluentes: vt merito Dominus in parabola Matthæi 13. diuitias *ſpinas* appellarit, quia earum ſollicitudo aſſiduè animum pungit, non ſecùs ac ſpinæ corpora eorum qui ſemper in medio ſpinarũ verſantur. Denique hiſce curis & cogitationibus adeò ſunt occupati, vt vix vnquam de ſua ſalute cogitare poſſint. Quo fit vt omnia animi bona, quibus æternas & cæleſtes opes comparare poterant, in quiſquilias abſumant.

47 *Quinam effectus diuitiarum.*

Conſideremus nunc diuitiarum effectus. Hi ſunt voluptates, honores, adulatores, inſidiatores, periculi ſalutis, ſaculeas malefactoris, poteſtas benefaciendi.

Voluptates diuitum plerumque magnis compenſantur incommodis, dolonibus, fœtoribus, faſtidijs, cruditatibus, inſomnijs, morbis; ſuplerumque ex epulis decuplo plus habeant moleſtiarum, quàm habuerint oblectationis: præterquam quòd vita plerumque illis ex repletione & cruditate, obtingat breuior. Longè plus voluptatis capiunt agricolæ & opifices ex pane cibario, & victu communi, quàm illi ex pretioſis ferculis ſtomachi optimum condimentum fames, hoc omnes cibos ſapidiores reddit, quam omnia cocorum codimenta. Hinc pauperibus corpora ſaniora, vires firmiores, ſomni placidiores, appetentia maior, ſenſus cibi & potus iucundior, animus tranquillior. Parum itaque ad voluptatem conferunt diuitiæ.

Voluptates diuitiarum.

38 *Honores.*

Honores qui ratione opum deferuntur, vulgares ſunt, & plerumque fucati. Non enim exhibentur, quod opes hominem honore dignum reddant, ſed vt gratia à diuitibus ineatur, vel eorum offenſio vitetur. Itaque hic adulatio potius eſt quàm verus honor.

Quæ rationi nititur honorandi.

Si tamen conſiderentur vt ſunt inſtrumentum virtutis, & multiplicis boni quod per eas fieri poteſt, ſic propter eas aliquis honorari poteſt. Talis enim honor vel eſt teſtimonium boni vſus, qui eſt actus virtutis, ac proinde honore dignus; vel eſt prouocatio & incitamentũ ad bonum vſum. Longe maiores honores meretur virtus & ſapientia.

Adulatores diuitum.

Adulatores, quibus diuites ſæpè ſtipantur, valdè pernicioſi, & multorum malorũ cauſſa. Vnde Sapiens: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis.* Et Pſalmiſta: *Corripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Hoc oleum adulatio eſt, qua diuitum capita blandè ſed noxiè perfunduntur; quia vitijs omnibus fomentum & vires ſubminiſtrat.

Prou. 27. Pſalm. 140.

39 *Inſidiatores diuitum.*

Inſidiatores, quos ipſæ diuitiæ excitant, numquam diuitibus deſunt. Qua de cauſſa ſemper ſunt anxij, ſemperque ſuis pecunijs, ſuæque vitæ metuunt. Neque ſolùm fures externos & latrones, ſed etiam domeſticos formidant. Sæpè enim frater fratri, & filius parenti mortem machinatur, vt eius opes poſſideat. Miſerrimum eſt, ſemper in metu & anxietate viuere: maius eſt hoc incommodum, quàm vt omnibus commodis, quæ diuitiæ adferunt, compenſari queat.

Pericula ſalutis in diuitijs.

Neque ſolum in periculis vitæ corporalis & bonorum opum verſantur diuites, ſed etiam in periculis vitæ ſpiritualis, æternæque ſalutis. Inſinuat hoc Dominus Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Quibus verbis ingens periculum damnationis, & magnam difficultatem conſequendæ ſalutis, diuitibus denuntiat. Idem periculum explicat Apoſtolus 1. ad Timoth 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* &c. Et Lucæ 6. *Væ vobis divitibus qui habetis conſolationem veſtram.* Hæ ſententiæ ſi benè expenderentur, abunde ſufficerẽt ad omnem opum illuſionem fluita-

suitatem tamquam noxiam repudiandam.

Ratio cur opes tantum periculi adferant saluti, est: quia vt acquirantur, ad infinita peccata hominem impellunt, & iam acquisitæ commoditatem & audaciam omnium scelerum præbent, & tota vita mentem ita occupatam tenet, vt vix de sua salute cogitare queat. Itaque meritò miseri & infelices cẽsendi, qui in diuitijs magnam se felicitatem obtinere putant. Magnum hoc cęcitatis mentis est indicium.

Facultas malefaciendi quam diuitiæ suppeditant, valdè noxia est. Si enim facultas deesset exequendi, infinitæ hominum malæ voluntates vel non conciperentur, vel conceptæ comprimerentur, vt non exirent in opus, & mundus viueret in tranquillitate. Nunc verò quia diuitibus facilè est opum adminiculo exequi quidquid ira vel libido suggesserit, res humanæ miserè turbantur. 40 *Facultas malefaciendi.*

Facultas benefaciendi. Denique diuitiæ præbent *facultatem benefaciendi*. Per eas enim & Religio propagari, & salus animorum promoueri, & Respublica defendi, & pauperibus succurri, & peccata redimi, & æterni in cęlis thesauri recondi possunt. Hinc expedit Principes, & viros illustres opibus esse instructos, non vt ipsi inde splendidius viuant, aut luxu, vel alea, vel profusis largitionibus eas effundant; sed vt Religionem & Rempublicam defendant, vt egestatem inopum leuent, vt præclara opera ad plurimorum commodum & salutem instituant.

Ex quibus patet, hoc solum in opibus esse boni, & ob 41 hoc solum eas esse expetendas, quod facultatem benefaciendi suppeditent. Cetera ferè omnia quæ in illis reperiuntur, potiùs esse fugienda quàm amplectenda; ac proinde ipsas quoque opes, quæ tantis incommodis sunt obsessę & implicitæ, non esse expetendas, sed fugiendas, iuxta illud Sapientis: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.* quam salubertimam doctrinam passim tradit Seneca Epist. 20. *Multum est non corrumpi diuitiarum contubernio: magnus est ille qui in diuitijs pauper est, sed securus qui caret diuitijs. Nemo nascitur dives. Quisquis exit in lucem, iussus est lucle & panno esse contentus.* vide eumdem Epist. 16. 17. 18. 21. 22. Magni quidem æstimanda videtur potestas illa benefaciendi, tamen incommoda longè præponderant; vt sapientissimi quique non solùm doctrina & monitis, sed etiam suo exemplo nobis testatum reliquerunt. Deinde qui opibus carent, etsi opera illa externa præstare nequeant, quæ possunt diuites; non tamen idcircò fraudantur apud Deum mercede quæ talibus operibus est constituta. Quia apud Deum seria voluntas pro facto reputatur, & magnum desiderium est instar operis. *Hinc solum in diuitijs est boni.* *Prou. 30.* *Quanti ista sint æstimandum.*

42 Denique diuitiæ plerumque ita excęcant mentes hominum, vel peruertunt affectus, vt vel non intelligant quas in res conueniat eas expendere; vel etsi intelligant, affectu tamen ab eis rebus sint alieni, & alio se conuertant. Quo fit vt opes diuitum plerumque absque fructu in res friuolas vel noxias effundantur, in ambitionem, in luxum, in lusum, in substructiones inutiles, in picturas obscœnas, in hortos curiosos, aliasque vanitates. Non modica hæc est diuitum infelicitas, quòd nesciant benè vti. Raro hæc duo coniunguntur, potestas benefaciendi ex diuitijs orta, & voluntas. Quibus adest potestas, plerumque deest voluntas; & quibus suppetit voluntas, vt plurimùm deest potestas: sicque hominum amentia fit, vt ea quæ ad redimenda peccata, & salutem procurandam concessa sunt, cumulũ peccatorum augeant, & perniciem accersant.

Ex quibus perspicuum est, quàm parũ vel nihil habeant momenti diuitię ad felicitatem, non solùm eam quæ in futuro sæculo expectatur, sed etiam imperfectam illam, qualis in hac vita obtineri potest. Bene in eam sententiam Seneca: *Isti quos pro felicibus aspexisti, si non quæ occurrunt, sed quæ, latent videris, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem paricti sui extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas; crusta est, & quidem tenuis.* *Lib. De prouident. sub finem.*

CAPVT VII.

Summum bonum hominis non esse situm in functionibus virtutum moralium.

43 Seneca cum suis Stoicis plurimis locis tradit summum hominis bonum in virtute consistere. Loquitur autem de virtutibus humanis seu moralibus, nempe iustitia, temperantia, fortitudine, patientia, constantia, rerum contemptu, &c. Nam diuinas virtutes, fidem, spem, charitatem Ethnici non nouerunt. Itaque hominis beatitudinem ponit in illarum virtutum possessione, ita vt homo per illas fiat beatus, etiamsi Phalaridis tauro sit inclusus, & extremis doloribus corpus expositum.

Hæc sententia continet multa generosè dicta, propiusque ad veritatem accedit quam superiores. Eam tamen non assequitur. Primo, Quia si summum bonum in virtutis functione ponendum est, par est vt in præstantissimæ virtutis præstantissima functione circa præstantissimum obiectum ponatur, vt rectè Aristoteles lib. 10. Ethicorum cap. 7. colligit. Atqui virtutes morales non sunt præstantissimæ, cùm versentur circa res humanas & infimas, neque nos Deo cõiungant. Ergo in illis non est situm summum bonum.

Secũdò, Si virtute dicatur consistere summum bonum, 44
vel id intelligendum de habitu virtutis, vel de functione. Atqui neutro modo verum est. Non enim potest dici consistere in habitibus virtutum: quia habitus non sunt propter se expetendi, sed propter operationes. Sunt enim secundùm se res imperfectæ & veluti mortuæ, & natura sua destinatæ ad functiones. Summum autem bonum debet esse quid completum & vltimum, non destinatum ad aliquid vlterius. Neque etiam dici potest consistere in functionibus virtutum. Vel enim consistit in omnibus simul iunctis, vel in singulis. Non in omnibus simul: quia numquam vel rarissimè simul in eodem omnes virtutum functiones conueniunt, & ita nemo vmquam vel rarissimè erit beatus. Non in singulis, tum quia singulæ functiones sunt solùm veluti partes summi boni, & perfectionis humanæ, non integra perfectio, aut integrum bonum; alioquin tot essent summa bona, quot sunt virtutum diuersarum genera: tum quia sic homo non deberet vmquam cessare a virtutum functione, alioquin summum bonum amitteret.

Tertiò, Omnes gentes, & omnes religiones cẽsent sum- 45
mum hominis bonum esse præmium virtutis & bonæ vitæ, hominibus à Numine conferendum. Hinc Ethnici à suis dijs felicitatem petebant, & eam præclaris factis & probitate promerendam putabant; statuebantque illam in campis Elisijs post hanc vitam, vel in stellis. Simili modo de ea sentiunt Turcæ, Iapones, Chinenses, & quotquot immortalitatem animorum concipiunt. Nemo autem ex his omnibus constituit summum bonum in ipsis functionibus virtutum, sed has requirunt vt media & viam ad illud perueniendi. Itaque hæc Stoicorum sententia omnium gentium iudicio & religione refutatur. Simili modo summum hominis malum nemo statuit in operibus prauis, sed in supplicio talibus operibus à Numine constituto.

Quartò, Summum bonum debet esse tale, vt eius spe 46
homines excitentur ad benè viuendum, & auocentur ab improbitate. Atqui pulchritudo virtutis non ita splendet in oculis hominum, nec ita æstimatur, vt eius solius desiderio excitentur ad benè viuendum: est enim res valdè abdita, & à paucis apprehenditur, vnde animos hominum commouere nequit: imò etiam in animis eorum, quibus vtcumque nota est, parum virium habet. Quotus enim quisque est, qui voluptates fugiat eo dumtaxat nomine quòd turpes sint, seu legi rationis aduersæ; & arduum virtutis iter amplectatur, quia pulchrum & rationi consonum, nullo alio commodo vel incommodo sibi propositò? Cuius rei vel hoc est perspicuum argumentum, quòd ipsi quoque Stoici, qui hanc doctrinam venditabant, non tam virtutis pulchritudine, & vitij deformitate ducti fuerint, etsi id præ se ferrent & iactarent, sed potissimum laude & probro. Sicut & alij, qui apud Romanos vel Græcos clari extitere. Omnes enim ardebant gloriæ cupiditate. Testatur hoc multis locis Cicero; *Trahimur*, inquit, *omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur, ipsi Philosophi etiam in illis libellis quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in quo prædicationem & nobilitatem despiciunt, prædicari se ac nominari volunt.* Ratio verò cur pulchritudo virtutis & vitiorum turpitudo non sufficiat ad animos hominum permouendos, est, quia blanditiæ & lenocinia voluptatum, quæ sensibus sunt obuia, longè plus virium habent ad affectum alliciendum, ad *Pro Archia poeta.*

ipsas

ipſas voluptates ſectandas, quàm turpitudo earum (quæ valdè ſubtilis eſt, & vix mente concipitur) ad affectum ab illis auertendum. Senſibus enim accommoda vehementiùs mouent. Pari modo aſperitas virtutis carni & innatæ cupiditati repugnans, maiorem vim habet ad animam carni amicam à virtutum itinere abſterrendam, quàm pulchritudo virtutis ad alliciendam. Opus ergo eſt alio & maiore bono, cuius ſpes magis ad benè viuendum impellat; & maiore malo, cuius metus à vitijs abſterreat.

Quintò, Nulla res agit ſolùm vt agat, & in pulchritudine atque excellentia ſuæ actionis acquieſcat, ſed vlteriùs aliquid intendit, quod per ſuam actionem conſequatur; vt perſpicuum eſt tam in ijs quæ natura, quàm quæ arte operantur. Non enim cæli mouentur propter pulchritudinem & harmoniam illorum motuum, ſed propter commodum mundi inferioris, præſertim humani generis. Neque vis quæ ineſt ſeminibus, plantis, animalibus, operatur ſolum vt extet bonum illius operationis, ſed vt res formentur, nafcantur, alantur, creſcant, perficiantur, & fructus proferat. Neque animantia ſe mouent & operantur propter ipſum motum, ſed vt ea quæ ipſis ſunt commoda conquirant; quæ incommoda, declinent.

47 *Nulla res agit ſolùm vt agat.*

Pari modo omnes artifices aliquid vltra ſuæ artis functionem ſpectant, cuius cauſſa illam ſuſcipiunt. Idem ergo dicendum de functionibus virtutum, eas non ſuſcipi ob ſolum bonum & pulchrum, quod in ipſis cernitur, ſed referri vlterius ad aliquid aliud quod ſit præſtantius, & animo maximè expetendum. Etſi enim ſingulæ virtutes nõ ſe extendant vltra proprium honeſti, quod cuique propoſitum eſt, limitem, tamen animus qui illas poſſidet, & tanquam inſtrumentis vtitur, eo bono non eſt contentus, ſed vlterius aliquid ſpectat, ſiue honor illud ſit & gloria apud homines, ſiue futuræ felicitatis gaudium à Deo poſt hanc vitam refundendum. Ita planè eſt humanum ingenium, & ſic natura comparatum, vt in virtutum officijs obeundis aliquid amplius ſpectet quàm pulchrum & bonũ ipſarum functionum. Debet ergo eſſe aliquod aliud bonum, quod affectum potentius ad ſe trahat, & ■ virtutum functiones impellat. Quod etiam hac conſideratione fiet magis perſpicuum.

48 *Cur Deus ad ſuſcipienda ſuprarum actionum quibus natura conſeruatur.*

Sextò, Deus auctor naturæ ijs functionibus quæ ad vitam propriam tuendam, vel ad ſpeciem propagandam pertinent (nimirum ſumptioni alimenti, & procreationi ſobolis) magnas admiſcuit voluptates, ne fortè animalia pertæſa laboris & moleſtiæ, quæ ſæpè interuenit, eas functiones negligerent, vel minus ſtudioſè ſectarentur, quàm conſeruationi ſui, & naturæ propagationi conueniat. At pleriſque functionibus virtutis, nulla fere, vel exigua voluptas coniuncta, ſed ingentes ſæpè labores, curæ, moleſtiæ, aſperitates. Difficillima enim res eſt mortalibus frenare cupiditates, frangere impetus animorum, deſideria moderari, extinguere inuidiam; affectus omnes intra rationis gyrum coercere. Triſte & moleſtum iniurias perferre, odium & iram continere: patientiam in aduerſis præſtare, ſua in extranos effundere, nomina debitorum inducere. Itaque cùm in functionibus ipſis virtutum nulla vel exigua ſit illecebra quæ animos alliciat, ſed contra multæ aſperitates quæ auertant: opus omnino fuit extra illas conſtitui aliquas cauſſas quæ efficacius & ad virtutem impellant, & à vitijs abſterreant, nempe præmia & ſupplicia poſt hanc vitam inferenda, ſine quibus arduum virtutis tramitem nemo vel ingredi, vel ingreſſum tenere, & vitiorum lenocinia contemnere vellet. Si enim functionibus illis infimis, quibus corporalis vita conſeruatur vel propagatur, tantas Prouidentia admiſcuit illecebras, ne omitterentur: quis credat illam neglexiſſe ſummas & nobiliſſimas, quæ virtutum ſunt propriæ, nec vllos alios ſtimulos, quibus ad eas excitaremur, appoſuiſſe? Itaque etſi virtus eat ni ſit aſpera, & vitia ſint blanda: tamen conſideratio præmij quod virtuti propoſitum (in quo eſt ſumma & æterna voluptas) tẽperat moleſtiam, facitque illam ſuauem ac expetendam: & conſideratio ſupplicij in quod vitia præcipitant, voluptatem illorum reddit amaram & deteſtabilem.

49 *Merces debetur operanti in gratiam alterius.*

Septimò, His accedit, quòd is qui alteri ſeruit, & in gratiam eius operatur, mercedem ab opere ſuo diſtinctam meretur. Non enim bonum operis ſui ſibi ſeruat, vt ipſe eo fruatur, & ſuæ voluntati in eo obſequatur; ſed alterius honori vel commodis impendit, ac proinde iuſtam ab eo præſtolatur mercedem. Atqui homo qui ex virtute vitam inſtituit, ea in re alteri quodammodò ſeruit; nimirum Deo omnis iuſtitiæ & rectitudinis præceptori ac præſidi. Facit enim illud vt legem diuinam cuſtodiat, Dei voluntati pareat, eique honorem habeat. Ergo debetur ei merces diſtincta à ſuo obſequio. Confirmatur; Quia ſi virtus eſſet ſibi merces ſufficiens, nemo vlteriorem expectare deberet. Hoc ipſo enim quo ex virtute eſſet præſtitum opus, iuſtam mercedem ſui laboris accepiſſet, & ita ipſi eſſet ſatisfactum. Itaque nemo militi qui ſtrenuè pugnaſſet pro Repub. neque famulo qui fideliter domino inſeruiſſet, nec vlli alteri qui opus iuxta virtutis regulam confeciſſet; vlla alia merces eſſet perſoluenda. Iniquum enim eſt vltra iuſtam mercedem alia ſtipendia exigere.

Denique abſurdum eſt, & communi hominum iudicio repugnans, ſtatuere quempiam beatum, qui tota vita in magnis afflictionibus abſque vlla ſpe futurorum bonorum & gaudiorum verſetur, quantumuis ipſe virtuti det operam. Hic enim verè miſer eſt & calamitoſus: quod confirmat Apoſtolus 1. Corinth. 15. cum ait: *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus:* nimirum ratione laborum & afflictionum, quas Apoſtoli aſſiduè ſuſtinebant. Itaque ſi nulla eſſet alia merces, virtus non poſſet hominem huius vitæ malis conflictatum, beatum facere; ſed ille verè eſſet miſer; imò alij qui bonis huius vitæ iucundè & tranquillè fruuntur, miſerior.

Ex quibus perſpicuum eſt, hanc Scoicorum ſententiam communi generis humani ſenſui, & etiam iudicio Apollinis, eſſe damnatam.

CAPVT VIII.

Summum hominis bonum non conſiſtere in ſcientia & cognitione rerum creatarum ſiue corporalium ſiue ſpiritalium.

QVanta ſit voluptas in rerum cognitione, teſtati ſuo exemplo ſunt multi Philoſophi, qui vel diuitias, vel honores & magiſtratus vel patriam contempſerunt, & maximos ſubiere labores, vt Philoſophiæ & rerum contemplationi liberius poſſent incumbere. Vnde Anaxagoras rogatus cuius rei cauſſa natus eſſet, reſpondit, *Solis ac cæli videndi*; vt refert Laertius in eius vita, & Lactantius libro 3. cap. 9. Sicut enim nulla eſt functio in homine præſtantior cognitione: ita nulla maiores habet voluptates, teſte Ariſtotele libro 10. Ethicorum cap. 7. In hac tamen, ſi verſetur circa res creatas, non conſiſtit ſummum hominis bonum, nec per eam poteſt eſſe homo beatus. Vel enim hæc verſatur circa res homine inferiores; vel circa ſuperiores, vel circa ipſam naturam humanam. Atqui cognitio rerum inferiorum (quales ſunt omnes res corporeæ, vt cæli elementa, animalia, plantæ, metalla, & alia inanima) non poteſt eſſe ſummum hominis bonum. 51

Summum hominis bonum non conſiſtere in cognitione rerum corporalium mundi; non tamen

Primò, Quia cognitio rerum ſpiritalium, nempè Angelorum, eſt longè præſtantior & optabilior.

Secundò, Quia etiam cognitio quam habemus de corporalibus, eſt adeò imperfecta, vt nullius rei eſſentiam clarè & diſtinctè poſſimus aſſequi. Cuius ratio eſt iſta, quia omnis noſtra cognitio oritur ex ſenſibus; vnde non poteſt ſe vlterius proferre, aut penitius & clarius rei eſſentiam penetrare, quàm externæ qualitates & accidentia ſenſilia eam demonſtrant, & ex illis colligi poſſit. Atqui externæ qualitates & accidentia ſenſilia non poſſunt nobis eſſentias rerum perfectè repræſentare: Primò, quia illæ ipſæ qualitates etſi ſenſibus percipiantur, tamen ſecundum ſuas naturas ſpecificas ſunt intellectui obſcuræ, & quid propriè ſit quælibet illarum, ignoramus: vt patet in luce, lumine, colore, calore, frigore, ſapore, odore, ſono. Quis mortalium harum qualitatum naturam & propriam rationem perfectè vnquam concepit? Itaque cùm ipſæ niſi imperfectè cognoſcantur, fieri nequit vt ex illarum notitia perueniamus in perfectam notitiam naturæ ſubſtantialis cui inhærent, cum hæc longè ſit occultior. Deinde quia non omnia accidentia & proprietates rerum ſub ſenſum cadunt: ſunt enim innumeræ in rebus vires & qualitates, quæ nullo ſenſu percipiuntur, de quibus ſolum ex effectu vel operatione coniectamus. Itaque cum has ignoremus, vel non niſi valdè obſcurè

non conſiſtere in cognitione rerum corporalium mundi; non tamen.

52 *Nullius rei eſſentiam poſſumus perfectè aſſequi.*

scirè cognoscamus, fieri nequit vt essentiam propriam rei assequamur. Denique essentia rei est longè perfectior & sublimior & mirabilior quàm sint qualitates & proprietates quæ ab illa dimanant; ac proinde est causa earum æquivoca, vt Philosophi loquuntur, id est diuersæ rationis, & eminenti modo effectus suos continens: talis autem causa nõ potest perfectè ex suis effectis cognosci. Ex quibus perspicuum est, non posse nos vllius substantiæ corporalis naturam perfectè comprehendere.

53 Idem patet experientia. Nemo enim hactenus inuentus est, qui postquam plurimos annos rerum cognitioni incubuit, posset vel vnius muscæ naturam perfectè explicare, aut etiam animo concipere. Quàm enim admirabilis illius corpusculi structura? quanta partium varietas: quanta in omnibus proportio? quàm apta ad vsus proprios in singulis conformatio? quanta celeritas motus? quantum acumen & viuacitas sensuum? Horum omnium ratio & causa simplici & stupendo modo continetur in paruula illa animula. Hanc si quis perfectè nosset, etiam sciret qualis debeat esse & totius corpusculi, & singulorum membrorum structura, mensura, proportio, figura, color, temperies: & omnium horum posset adferre rationes. Hinc meritò dixit Sapiens: *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub sole: & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minùs inueniat.* Itaque cùm nostra notitia qua res corporales cognoscimus, adeò sit confusa, obscura, & imperfecta; perspicuum est, non posse in ea nostram beatitudinem consistere. Idem quoque hac ratione probari potest. Nemo fit beatus coniunctione cum eo quod est deterius: neque summum bonum alicuius cõsistere potest in eo quod est ipso inferius, vilius & imperfectius; *Nihil enim beat mentem, nisi quod est supra mentem*, iuxta Platonicorum sententiam. Atqui omnia corporalia sunt inferiora & deteriora homine. Anima enim rationalis qua homo constat, omnibus rebus corporalibus, quantumuis ea sint præstantes, longè est præstantior. Itaque summum bonum animæ rationalis non potest esse situm in cognitione rerum corporalium.

Eccles. 8.

54 Dices, Si hæc ratio aliquid valeret, etiam probaret, hominem non perfici cognitione rerum corporalium, etiamsi omnes eas exactè cognosceret: quia nihil euadit perfectius coniunctione rei deterioris. Illud tamen falsum est. Ergo hæc ratio non valet. Respondeo, negando maiorem. Potest enim id quod deterius est, seu minus bonum, aliquâ perfectionem conferre præstantiori (nam etiam accidentia substantiam perficiunt) maximè quando illud deterius spiritali modo vnitur præstantiori, nempe per cognitionem sensus vel intellectus. Pertinet enim ad magnam animæ perfectionem, quòd ipsa spirituali modo in se formet omnia ista corporalia, & omnes illorum formas miro modo induat. Hæc tamen non possunt ei adferre beatitudinẽ: quia hæc consistit in coniunctione cum summo bono, cuius mens humana est capax.

Aliter responderi potest ex D. Thom. 1 2. qu. 3. ar. 6. Res corporales non perficere intellectum humanum, nisi quatenus est in illis participatio quædam lucis intelligibilis, seu veritatis diuinæ, quæ est supra intellectum humanum: ac proinde non in illis situm esse beatitudinem hominis, sed in cognitione illius lucis & veritatis, cuius in rebus corporalibus est tenuis quædam participatio & similitudo. Si enim res inferiores perficiunt intellectum ratione tenuis illius participationis ex luce diuina deriuatæ, multò magis ipsa lux diuina per se illum perficiet. Perspicuum ergo est, summum hominis bonum non consistere in cognitione rerum corporalium.

Summum hominis bonum non consistere in cognitione Angelorum.

55 Sed neque etiam in cognitione rerum spiritalium quæ homine sunt superiores, quales sunt Angeli, eius summum bonum consistit. Primò, Quia hæc cognitio longè est imperfectior quam ea quæ est de rebus corporalibus, adeò vt imperfectior vix fingi possit. Vbi enim sensuum lumen non præit, ibi veluti cæci sumus, & quasi in tenebris palpamus. Nam omnis nostra cognitio ducitur ex sẽsibus. Vbi ergo nihil est quod sub sensum cadat, ibi nihil possumus propriè & distinctè cognoscere. Atqui res spiritales nihil habent quod sub sensum cadat (sicut res corporales) quod illarum conditionem nobis insinuet. Quare sicut cæcus se habet ad colores, ita fere noster intellectus ad substãtias spiritales: & sicut ille non potest formas & distinctiones colorũ cõcipere, ita neq; mens nostra species & discrimẽ rerum spiritalium. Hinc fit vt solùm generalia quædam ex analogia rerum corporalium quæ sub sensum cadũt, vel talium amotione de ipsis cognoscere possimus, idque confuso & obscuro modo: nimirum quòd partibus & membris, figura & colore careant; quòd sint res aere multò tenuiores, quod omnia instar luminis peruadant, quòd ventis leuiores & celeriores, quòd abomni corporea concretione segregatæ, quòd instar fulminis impetum habeant, quòd nulla vis corporea illis sit comparanda, quòd maxima vi intelligendi prædite, quòd anima nostra multò sint præstantiores, quòd puræ sine corpore mentes, vigiles, acres, alacres, lucidæ, ardentes, expeditæ, infatigabiles; quòd immortales, nullo vel cibo, vel potu, vel somno, vel veste, vel lecto egentes, nullis morbis obnoxiæ, nullis armis vulnerabiles, nullo æuo senescentes. Pulchrum quidem est & delectabile ista cognoscere, & coniecturam de admirabili earum natura facere; verùm quia nulla ratione possumus ex istis propriam illarum speciem & substantiam imaginari nullo modo hæc cognitio appetitum satiat, sed potiùs illum excitat ad perfectiorem notitiam quærendam; quæ non nisi diuino munere obtineri potest.

Ex analogia vel amotione corporalium cognoscimus spiritalia.

Ex quibus manifestum est, in hac adeò imperfecta notitia, quæ in hac vita acquiri potest, summum hominis bonum non consistere.

56 Quòd si alicui perfecta illarum mentium notitia diuinitus daretur (quòd nemini fortè puro homini fuit concessum) magnum perfectè ille obtineret bonum, ex eoque illi incredibile gaudium proueniret; nihilominùs tamen per illam cognitionem non esset perfectè beatus, nec illa esset eius summum bonum. Ratio est, quia etsi illæ mentes sint admodum pulchræ & sublimes, habent tamen esse participatum, & limitatum, saltemque terminis clausum & circumscriptum. Vnde non continent totam boni & veri plenitudinem, solùm eius quamdam imaginem & imitationem. Itaque cùm mens humana sit capax illius boni, in quo est tota essendi plenitudo, & fons omnis boni & veri, in hoc eius summum bonum, non in Angelicis spiritibus statuendum est, quantumuis illi perfectè intelligantur aut videantur. Confirmatur; Quia illi non sunt fons & origo mentis humanæ, neque mens humana vllo modo ab illis secundùm suam substantiam pendet. Atqui summum bonum consistit in coniunctione mentis cum suo principio & origine; vt cui debet esse, eidem debeat optimè esse. Eiusdem enim est dare esse, & summè illud perficere. Confirm. secundò; Quia spiritus Angelici sunt socij & conserui spiritus humani sub vno communi Principe. Sicut enim in aula Principis terreni sunt varij ordines ministrorum, quorum alij alijs superiores; ita in magna supremi Principis Dei aula, quæ est mundus iste corporeus, sunt varij ministrorum ordines, quorum alij alijs superiores. Vnde sicut in aula Regia nullus superiorum ministrorum potest inferiorem ministrum ad supremum dignitatis gradum, cuius ipse est capax, euehere, sed hoc solius est Regis: ita nullus spiritus superior inferiorem beare potest. Quod si Angelorum notitia & contemplatio mentem humanam beare non potest: multo minùs ipsa sui ipsius notitia beata erit.

Neque perfectum bonum hominis summũ bonum.

Ex his perspicuum est, summum hominis bonum non esse situm in alicuius rei creatæ cognitione.

CAPVT IX.

Vtrùm in hac Vita beatitudo obtineri possit.

57 REspondeo Primò: Perfecta beatitudo, quæ omne malum omnemque molestiam & miseriam excludat, in hac vita obtineri nequit. Hoc satis ipsa experientia comprobat. Nemo enim post peccatum Adæ adeò vnquam felix fuit in hac vita, quin multis doloribus & molestijs tum interius tum exterius fuerit subiectus. Testatur idipsum S. Scriptura Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Teneat quis orbis totius Imperium, & omnes bonis vitæ præsto sint ei voluptates, multis tamen modis affligetur. Nam & agmen curarum, quæ illi quotidie è tot regnis obuenient, & assiduæ supplicantium interpellationes, & tristes euentus, & crebræ

bræ ſeditiones, & multiplices indignationes, & infinitæ ſuſpiciones animum exulcerabunt, & lancinabunt, vt nullam vel quietem vel ſolidam voluptatem capere poſſit. Vnde qui exteriùs ita ſplendent, & vulgò videntur felicissimi, plerumque interiùs ſunt miſerrimi, infinitis aculeis confixum habentes animum. Quis vnquã Regum felicior Salomone, qui & ſapientia & opibus, & pace, & gloria, & voluptatibus huius vitæ præ omnibus abundauit: & tamen ipſe poſtquam hæc omnia experius, clamat: *Vanitas vanitatum, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.* Itaque vbi ſumma videtur eſſe felicitas, ibi nihil niſi vanitas & afflictio ſpiritus.

Qui videntur felicissimi, plerumque interiùs miſerrimi.

Eccle. 1.

Sed neque quiſquam eorum, qui ſanctitate illuſtres extitere in hac vita, perfectè beatus fuit; quia per multas afflictiones omnibus ad ſuum terminum perueniendum. Si enim *Chriſtum*, qui eſt caput, Dominus & exemplar Sanctorum, *oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam*; cur non patiantur, & aduerſa multa ſuſtineant eius ſequi, qui veſtigia illius ſectari conantur?

Luc. 24.

58 Ratio verò cur nemo in hac vita perfectam beatitudinem conſequi poſſit, eſt: quia hæc viribus humanis, ſicut opes & honores, obtineri nequit, ſed à ſolo Deo tamquam præmium & merces beatarum operum expectanda. Deus verò tamquam agonotheta & munerarius ſtatuit vt tempus huius vitæ ſit deſtinatum certamini, vt quilibet quamdiu in huius vitæ ſtadio verſatur, vſque ad extremum momentum poſſit illud præmium promereri: ac proinde etiã ab eo excidere. Quo poſito decreto (quod ſanè æquiſſimũ eſt, & homini commodiſſimum) fieri non potuit vt beatitudinis præmium in hac vita mortali cuiquam daretur. Præmium enim certaminis non datur niſi finito certamine: atqui certamen non finitur niſi cum vita: ergo præmium obtineri non poteſt niſi finita hac mortali vita, ſicut & terminus vitæ teneri non poteſt niſi decurſa via. Adde quod hoc præmium tale ſit, vt excludat omne malum, & reddat hominem immortalem, & cœleſti gloria fulgentem. Vnde nõ poterat conſiſtere cum ſtatu vitæ mortalis.

59 D.co ſecundò, Si loquamur de beatitudine imperfecta, hæc dupliciter conſiderari poteſt. Primò, ſecundum ſe & bona ſua quæ continet, abſque vllo ordine vel ſpe ad aliquid maius: & hoc modo nullum bonum, nulla bonorum complexio in hac vita obtineri poteſt, quæ beatitudinis nomen mereatur. Ratio eſt, quia miſeriæ longè præponderant. Vnde ſicut illud in quo plus eſt amaritudinis quàm dulcedinis, dulce dici non poteſt (niſi forte dulce vocetur quod minus eſt amarum quàm fel merum aut abſynthũ) ita nec illa bonorum collectio, cui plus malorum & miſeriarum eſt admixtum, beatitudo dici poteſt. Quare vana ſunt omnia quæ Philoſophi de beatitudine huius vitæ diſſeruere.

Beatitudo imperfecta dupliciter ſpectari poteſt.

Secundò, Poſſunt bona quædam ſpectari quatenus ſunt certiſſima via & diſpoſitiue infallibilis ad perfectam beatitatem. Et hoc modo illa bona nomen beatitudinis merentur. Talem beatitudinem poteſt homo in hac vita conſequi, & ab ea verè beatus eſt dicendus, etſi in multis afflictionibus verſetur. Ratio eſt, quia vera & perfecta beatitudo in illis bonis tamquam in ſemine, vel radice, vel diſpoſitione continetur, & per illa ius datur ad illam.

Beatitudo huius vitæ conſiſtit in iure complendæ beatitud.

Petes. In quibus bonis conſiſtit iſta beatitudo? Reſpondeo, Primariò in virtutibus diuinis ſeu Theologicis, nempè in fide, ſpe, charitate: ſecundariò in ceteris virtutibus Chriſtianis, quæ ex illis dependent. Quod primariò in virtutibus Theologicis, patet: quia per has virtutes immediatè & ſummo modo vnimur Deo, quantum fas eſt in hac vita. Fide enim illud apprehendimus & cognoſcimus; & ita illi coniungimur intellectu. Spe verò & charitate illum diligimus; & ita coniungimur ei affectu. Nullus autem modus vnionis in hac vita datur perfectior. Deinde quia per has virtutes & maximè per charitatem habemus ius ad ſummum bonum: per hanc enim efficimur iuſti, & filij Dei, & heredes regni. Vnde ſicut filius a Rege adoptatus habet ius ad regnum, & ratione illius iuris dicitur diues & felix: ita qui charitate præditus eſt, cum ſit filius Dei adoptiuus, habet ius ad completam beatitudinem, quæ erit in cœlo: & ratione huius iuris, verè poteſt dici diues & beatus.

Hoc ius primò datur per fidē, ſpē, charitatem.

Denique quia per has maximè beatitudinem meremur, & nos ad illam diſponimus. In alijs virtutibus non conſiſtit hæc beatitudo primariò: quia neque per ſe nos Deo coniungunt ſicut charitas, neque per ſe & vi ſua nos iuſtos, amicos Dei & filios conſtituunt. Quia tamen earum functiones in homine iuſto plurimùm iuuant ad charitatis augmentum, & ad incrementum illius iuris, quod iuſtus habet ad æternam beatitudinem, merito in illis ſtatuitur beatitudo ſecundariò.

Confirmantur hæc omnia ex Scriptura, quæ paſſim omnes iuſtos vocat beatos. *Beatus vir cuius voluntas in lege Domini. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Beati immaculati in via.* &c. Eſſe enim iuſtum, amare legem Domini, ambulare in vijs Domini, timere Dominum, eſſe immaculatum in via, remiſſa alicui eſſe peccata, eſſe præditum charitate, & ſimilia, idem valent: nam ſola charitas hæc omnia præſtat; vnde ipſa ſola per ſe beatos efficit. Simili modo Scriptura vocat beatos omnes illos, qui virtute aliqua prædicti ſunt, quæ ex charitate naſcitur, vel eam ſuppoſitiue; quamuis mundo talis virtus abiecta videatur. Sic Dominus *pauperes ſpiritu, & lugentes, & mites, & ſuſtinentes fames, & miſericordes, & mundos corde, & pacificos, & perſecutionem patientes propter iuſtitiam*, beatos vocat: non quòd hæ virtutes, aut virtutum actus per ſe ad hoc ſufficientes ſint; ſed quia ex charitate naſcuntur, eamque ſupponunt.

60 *Pſal. 1.* *Pſal. 111.* *Pſal. 31.* *Pſalm. 118.* *Matth. 5.*

Vocantur autem hi omnes à Spiritu ſancto beati, non præciſè propter excellentiam illarum virtutum aut charitatis, ſicut Stoici ob virtutes humanas hominem beatum eſſe volebant; ſed propter certiſſimum ordinem & ſequelam beatitudinis futuræ, quæ in charitate tamquam fructus in ſemine latet, & infallibiliter aliquando erumpet. Itaque beati dicuntur non tam propter beatitudinem imperfectam, quam propter beatitudinem perfectam imperfecto modo (nempe in ſpe, non in re; in ſemine, non in fructu) habitam & poſſeſſam. Qui tamen imperfectus poſſidendi modus, beatitudo imperfecta non perfecta dicenda eſt.

Cur veriùs illi beati.

Ex his patet, ſolos iuſtos eſſe in hac vita dicendos beatos: & quò quiſque eſt iuſtior & ſanctior, eò quoque eſſe beatiorem: quia ſolis iuſtis completa illa beatitudo maiori vel minori mẽſura pro cuiuſque merito eſt præparata. Omnes verò peccatores, quantumuis omnibus huius vitæ bonis circumfluant, eſſe miſeros & ter miſeros: quia extrema & æterna illis impendet miſeria.

Soli iuſti beati.

Omnes peccatores miſeri.

Dices, Sicut datur aliqua beatitudo ſupernaturalis, quã per gratiam Dei conſequi poſſumus: ita etiam ſtatuenda eſt quædam beatitudo naturalis, quàm viribus naturæ poſſimus adipiſci. Confirmatur; Quia cuilibet rei intra limites naturæ reſpondet ſua completa perfectio, cuius naturaliter eſt capax, ad quam viribus naturæ poteſt peruenire: alioquin numquam poſſet intra limites naturæ perfici. Hinc apud Doctores illa diſtinctio beatitudinis & vltimi finis in naturalem & ſupernaturalem: & duplex illa conſideratio Dei, quatenus finis naturalis & ſupernaturalis hominis. Quæ diſtinctiones etiam locum habent reſpectu Angelorum.

61

An ſit aliqua beatitudo naturalis.

Huic argumento vt ſatisfiat, notandum eſt, ad beatitudinem hominis naturalem hæc quatuor requiri. Primò & principaliter, Vt cognoſcat Deum primam rerum omnium cauſam, & amet ſuper omnia, quantum viribus naturæ cognoſci & amari poteſt. In hoc enim conſiſtit ſumma hominis perfectio naturalis. Ariſtoteles 10. Ethic. capit. 7. ſolùm contemplationis Dei meminit, & in ea conſtituit felicitatem, quia amorem amicitiæ erga Deum ignorauit. Sed hic planè neceſſarius eſt, vt voluntas optimo modo perficiatur, & de ipſis bonis diuinis gaudeamus. Secũdò, Vt ſecundùm virtutem ita perfectè viuat, vt abſtineat ab omni peccato; nam peccatum cùm ſit ingens miſeria, magnumque luctum adferat, præſertim mortiferum, ſtatui beatitudinis omnino repugnat. Tertiò, Vt corpore etiam benè ſit conſtitutus: morbi enim & dolores non paruæ ſunt miſeriæ. Quartò, Vt hæc omnia firmiter teneat. Si enim facilè poſſit amittere, ſemper eſſet anxius, nec vllum ſolidum gaudium percipere poſſet expectatione impendentis mali. Quibus poſitis tamquam perſpicuis.

Quatuor ad beatitudinē hominis naturalem requiruntur.

Reſpondeo, Dupliciter hominem ſpectari poſſe. Primò, Prout ſubeſt præſenti Prouidentiæ ordini, ſub quo nunc à

Deo

Duplex ordo prouidentiæ in quo homo potest constitui.

Deo est constitutus. Secundò, Vt subest alteri ordini, quem Deus intra limites prouidentiæ naturalis, vt auctor naturæ, potuisset instituere. Si primo modo spectetur, manifestum est, illum non posse vllo modo viribus naturæ beatitudinem naturalem obtinere. Primò, Quia non potest ita viuere, quin multis peccatis, & morbis, & doloribus sit subiectus, quæ longè à statu vitæ beatæ abesse debent. Plus enim illa continent amaritudinis, quàm bona omnia naturalia dulcedinis. Secundò, Quia illa bona firmiter teneri non possunt. Nam breuissimum illud tempus est, quo continenter contemplationi primæ causæ possumus intendere; & statim ad corporalia quæ sensibus sunt familiaria, relabimur. Vnde necesse est illud in quo potissimum beatitudo collocanda erat, mox euanescere. Hoc tamen debebat esse maximè stabile & perpetuum. Pari modo gaudium animi, & bona corporis firmiter teneri non possunt, præsertim in tot aduersis, tantaque huius vitæ breuitate & fragilitate.

Addo, non solum viribus naturæ non posse felicitatem naturalem in hac vita cõparari, sed nec etiam auxilio gratiæ quæ modo datur: quia hæc non est eiusmodi, vt per eã continuò rerum diuinarum contemplationi vacare, & omnia peccata, & omnes morbos, dolores & mœrores possimus cauere. Quòd si loquamur de hac obtinenda, via meritorum, sic etiam illam consequi non possumus: quia nulla sunt merita, quibus beatitudo naturalis per se & separatim à beatitudine supernaturali obtineatur; sed omnia merita tendunt ad beatitudinem supernaturalem, in qua naturalis eminenter includitur.

63 Si verò spectetur homo secundo modo, nempe sub certo ordine prouidentiæ naturalis quem Deus potuisset instituere: sic posset aliquo modo suam beatitudinem naturalem obtinere. Potuisset enim Deus hominem condere ad aliquem finem, qui limites naturæ non excedit, & tali prouidentia eum regere, vt hunc finem possit promereri & simul cauere omne peccatum: vel si peccaret, pœnitentia quadam naturali resurgere, condonatione peccati gratis ad talem pœnitudinem obtenta. Quibus positis, si homo illam felicitatem, eo modo quo poterat, benè operando meruisset, debita ei fuisset ex ordinatione diuina. Et hoc sensu concedi potest hominem viribus naturæ posse suam beatitudinem naturalem consequi, & distinctio illa duplicis finis & duplicis beatitudinis admitti.

64 *Vtrùm in statu nudæ naturæ totus homo fuerit beandus.*

Sed dubium est, Vtrùm in eo statu totus homo esset futurus beatus, an solus animus? Occurrunt hic duæ sententiæ. Prior est, ipsum hominem fore beatum: hic enim est qui bonis operibus id promeritus est: Ergo ipsius debet esse præmium: postulat enim iustitia vt præmium detur illi qui meruit. Hac ratione sancti Patres probant resurrectionem corporum, nimirum, quia alioqui totus homo non acciperet mercedem; & corpus quod fuit consors laboris, non esset consors præmij: quod videtur alienum à iustitia & prouidentia diuina. Chrysostomus hom. 65. in Ioannem, & alibi sæpe, Theodoretus Diuinorum decretorum lib. 5. cap. De iudicio, Damascenus lib. 4. De fide, cap. 28. Deinde, quia animæ naturaliter debitum est corpus. Cùm enim natura sua sit substantia incompleta, & instituta vt sit pars hominis, naturaliter exigit corpus tamquam compartem, vt se mutuò compleant, & hominem constituant.

65 *Resurrectio qua ratione dicatur naturalis.*

Nec obstat quòd resurrectio dicatur esse supernaturalis: quia id intelligendum de resurrectione in corpore glorioso, quam modò postulamus, non autem de ea quæ statui naturæ accommodata. hæc enim nullum postulat donum in substantia supernaturale, sicut nec immortalitas corporum, vt libro tertio ostendetur. Nec refert quòd viribus naturæ creatæ resurrectio fieri non possit, nec immortalitas donari corpori: quia etiam animus rationalis viribus creatis produci non potest, & tamen eius productio naturalis est, vt pote à Deo, qua naturæ est auctor, procedens. Sicut ergo corpori infantis naturæ viribus in vtero matris præparato, secundùm legem prouidentiæ naturalis debetur anima, quæ non nisi virtute Dei dari potest: ita existenti iam animę immortali debitum est corpus immortale: vel si ob aliquam causam permissum sit mori, debita est illi corporis illius resurrectio & instauratio, ne in æternum opus Dei præstantissimũ, maneat in sua natura imperfectum, diffusum, & suis functionibus, naturalique modo operandi destitutum: quidquid autem naturali inclinationi est debitum, hoc ad ordinem naturæ pertinet, & prouidentiæ auctoris naturæ incumbit illud præstare. Hæc sententia est probabilis. Satis enim congruit testimonijs Patrum & rationi naturali.

Altera sententia est, In statu naturæ nudę ipsum compositum, nempe hominem, non fore beatum, sed solùm animum. Ratio est, quia compositum est mortale, neque vi naturæ à morte potest preseruari: & semel mortuum nulla vi naturæ potest restitui; quia nulla est vis naturæ, qua possit fieri resurrectio corporum. Vide passim Doctores dicunt eam non posse fieri nisi virtute Dei supernaturali, & eam ex parte causæ efficientis esse supernaturalem. Ita D. Tho. lib. 4. contra gentes capit. 81. Scotus in 4. d. 43. quæst. 2. & 3. Sotus eadem dist. quæst. 1. artic. 3. & alij. Manifestum enim est, nulla vi creata fieri posse, vt omnes corporum particulæ post innumerabiles transmutationes & dissipationes in vnum coeant, & formentur in eadem corpora quæ antè fuerunt, & inserantur singulis suæ animæ. Neque etiam id fieri potest à Deo, quatenus dicitur auctor naturæ, id est, quatenus solum naturali modo & ordine operatur: opus enim hic est actione extraordinaria & miraculosa. Si enim illuminare cæcum est opus supernaturale & miraculosum, multò magis excitare mortuos, & omnium maximè excitare eos corporibus planè in auras dissipatis. Confirmatur ex Patribus, qui dicunt resurrectionem esse supra naturam, esse opus diuinæ virtutis, sola virtute diuina fieri posse, esse mysterium seu arcanum nostræ fidei. S. Augustinus libro 13. de Trinitate capit. 9. *Fides totum hominem immortalem futurum, qui vtique constat ex anima & corpore, non argumentatione humana, sed auctoritate diuina promittit.* Et in Psalm. 88. explicans illum versiculum, *Qui sedes super Cherubim*, dicit, *nihil esse quod tantam contradictionem à Philosophis huius sæculi patiatur sit, sicut resurrectio mortuorum.* Gregorius homilia 20. in Ezechielem dicit *resurrectionem esse mysterium diuinæ virtutis, quod ratione comprehendi non potest.* Similiter Apostolus 1. Corint. 15. vocat resurrectionem *mysterium*. vnde etiam ponitur inter articulos fidei. Quæ omnia indicant non pertinere ad ordinem rerum naturalem, nec esse naturis rerum debitam, sed ad ordinem supernaturalem. Denique si totus homo foret beatus, deberet habere corpus immortale: alioquin infinities deberet mori, & infinities resurgere; quod repugnat statui beato, & superat vim naturæ.

67 *Animæ habenti beatitudinem naturalem non expedit redire ad corpus.*

Hæc sententia mihi videtur verior, siue resurrectio dicenda sit naturalis, siue supernaturalis. Ratio est, quia animo in illo statu suam beatitudinem assecuto, nullo modo expediret reuerti ad corpus. Primò, Quia vinculum corporis adimeret illi suam libertatem, qua solutus corpore fruitur, dum vbius esse potest, & cum Angelis in cælo versari; quæ libertas maximè est optabilis. Secundò, Grauaret animam, & motus eius celeritatem impediret. Tertiò, Deprimeret eius cogitationes ad res corporales, & impediret puritatem contemplationis Dei auctoris naturæ, & substantiarum spiritualium: quia hoc ipso quo animus est in corpore, nihil potest naturaliter, nisi corporali modo, & sub corporali imagine intelligere. Quartò, Impediret continuationem contemplandi. Vnde etiamsi corpus esset immortale per assistentiam Dei extrinsecam, vel per intrinsecam conseruationem temperamenti, animus horreret illi coniungi, & eius vnionem duceret infelicitati. Itaque qui in statu nudæ naturæ vult animum facere beatum ea beatitudine cuius in tali statu capax est, non debet eum religare ad corpus.

68 *Obiectio de naturali appetitu animæ ad corpus. Anima conflat tribus gradibus veluti partibus.*

Dices, Anima habet naturalem inclinationem ad corpus, & vnio corporis est illi naturaliter debita; hæc autem inclinatio non debet in æternum frustrari suo fine. Valdè in hoc nodo dissoluendo, in quo cardo rei vertitur, laborant Theologi. Quare vt respondeamus, notandum est, animam rationalem esse mirabile opus Dei. Etsi enim sit substantia simplex, sicut Angelus; tamen tres gradus diuersi animarum in ea mirò modo continentur, ita vt virtute sit triplex, & triplicis generis habeat functiones, nempe gradus animæ vegetantis, sentientis, & intelligentis. Habet igitur inclinationem ad corpus primariò quidem secũdùm gradum vegetandi, secundariò secũdùm gradum sentiendi. Sed sicut secundùm hos gradus inferiores inclinatur ad corpus; ita secundùm gradum intelligendi, qui est supre-

supremus, & à quo omnem suam excellentiam habet, abhorret à corpore, nisi corpus tale sit, quod libertati & functioni intelligentiæ non officiat, quale non potest esse, nisi in statu supernaturali gloriæ.

Hinc fit vt habeat appetitus repugnantes.

Neque mirum videri debet in re tam multiplici constitui appetitus & inclinationes naturales quasi repugnates, cum contineat in se naturas & veluti partes repugnantes. Nihil itaque incommodi, etiamsi illi ad corpus inclinationi numquam in posterum, vbi semel superatus fuerit, satisfiat. Primò, Quia iam semel illi abunde satisfactum est, quando animus primò fuit corpori vnitus: nam in hunc solum finem ab auctore naturæ eo statu conferetur datus ille appetitus. Vnde expleto eo appetitu per primam vnionẽ, conferetur quasi extinctus, nec amplius postulare corporis vnionem. Secundò, Quia quando inferior inclinatio vel appetitus impedit superiorem, expedit inferiorem numquã expleri: sicut si homo posset viuere in æternum, nihil foret incommodi, etiamsi causa contemplationis semper abstineret ab officio generandi, ad quod tamen ei est appetitus naturalis, & quidem multo maior, quàm animę ad corpus: eoque casu expediret appetitum naturalem numquam expleri. Tertiò, Omnibus cautis creatis inest appetitus naturalis ad suas functiones: tamen in plurimis suspendetur vt numquam amplius exeat in actum, quia status gloriæ id postulabit. Ex his patet solutio illius argumenti. Etiamsi enim in eo statu post mortem corporis anima habeat aliquam inclinationem ad corpus, quatenus secundum se est apta vniri corpori; huic tamen non conuenit amplius satisfieri, tum quia illis satisfactum secundum auctoris naturæ intentionem & institutionem, tum quia id repugnaret alteri appetitui longè præstantiori, & cederet in magnum animi incommodum. Neque tamen ille appetitus frustratur suo fine: quia illum finem iam consecutus est per primam vnionem.

69 *Cur initio coniungitur corpori.*

Dices, Si in statu nudæ naturæ melius est animam esse sine corpore: cur ergo auctor naturæ illam primò alligat corpori? Respondeo, Ob multas causas. Primò, Quia continet gradum vegetantem & sentientem, qui postulant fieri in corpore. Secundò, Quia alioquin illi gradus fuissent frustra in anima, cum numquam haberent vllum vsum; nam sine corpore omnibus suis functionibus destituerentur. Tertiò, Quia debebat esse propagatio in genere humano, quæ naturali modo fieri non poterat nisi anima coniungeretur corpori. Denique debebat ipsa se perficere in hac vita, vt corpore naturæ necessitate dissoluto, ab auctore naturę acciperet complementum & præmium bonorum operum, nimirum maiorem notitiam ipsius, & substantiarum spiritalium. Debebat itaque incipere in corpore, sed eo dissoluto, non debuisset amplius reuerti ad corpus, sed totam vim suam conferre ad intelligibilia.

70 Nec refert quòd non habuisset vsum sensuum extra corpus: quia libenter tulisset hãc iacturam; imò eam posuisset in lucro, propter incommoda connexa huic vsui: abundè illi suffecisset intelligẽtia, sicut Angelis, per quam etiam corporalia percipere potuisset; quamuis non tam perfectè, quàm Angeli. Longè tamen perfectius cognouisset anima extra corpus quàm in corpore: quia hoc ipso quo habuisset modum existendi angelicum, debebat etiam ab Auctore naturæ accipere similem modum cognoscendi; præsertim meritis id exigẽtibus, quibus beatitudinem natur. lem meruisset: vnde pure ipsas rerũ essentias concepisset (quod in corpore non potest facere) quamuis minus clarè & distinctè quam Angeli.

Nunc ad ea, quæ pro altera sententia producta sunt, respondendum.

71 *Ad argumenta alterius sententiæ.*

Ad Primum, Homo non meretur nisi per animum: tota enim ratio meriti est in animo; & ipsum opus quatenus est in corpore nõ dicitur meritorium nisi denominatione extrinseca ab opere quod est in animo. Itaque satis est ipsum animum accipere præmium: nec vlla iustitia postulat, vt corpori aliquid detur nisi rursum vniatur animæ; quod in statu nudæ naturæ fieri non posset: & si fieri posset, animę non expediret. Itaque cum corpori nihil debeatur nisi propter animam, nimirum quia debitum animæ in suo corpore; si id cederet in animæ incommodum, nullo modo debitum corpori.

Quod ad sanctos Patres attinet, Hi loquuntur supposito statu præsenti, quo expedit animabus vt corpora resumant: quia hæc erunt spiritalia & cælestia, quæ non solum animo in suis functionibus non officient; sed etiam magnam gloriam & voluptatem addent.

72 Ad Secundum, In eo statu etsi animus esset aptus coniugi corpori, non tamen esset ei debitum, vt postquam semel corpus reliquit, ei rursum iungatur; sed potius esset debitum vt non iungatur, ne præstantiora bona in eo impediantur. Nec refert quod sit substantia incompleta, quæ ordinatur ad compositionem vnius substantiæ completæ, quia in eo statu posit separationem à corpore esset quasi substantia completa; tum quia à natura non esset amplius ordinata ad compositionem, tum quia haberet modum existendi & operãdi substantiæ completæ multò nobiliorem quam possit habere in corpore. Denique non est substantia incompleta nisi quoad partem inferiorem, ratione cuius est apta vniri corpori. Longè autem melius est (cum vtraque à natura compleri nequeat) inferiorem manere incompletam; & superiorem perfici, quàm inferiorem compleri, & superiorem manere imperfectam.

Quod autem de resurrectione dicebatur, etsi resurrectio quadam ratione possit dici naturalis, nimirum quatenus est animæ naturale habere corpus, & etiam debitum, suppositã præsenti ordinatione (quo sensu interdum Patres eam naturalem vocant) tamen absolutè dicenda est supernaturalis: tum quia sola virtute Dei & supernaturali modo fieri potest: tum quia non est debita à Deo vt auctore naturæ, vt ostensum est: eò quòd cederet in detrimentum naturæ, seu beatitudinis naturalis; sed solum est debita, vt auctor est ordinis supernaturalis.

73 *S. Th. 1. p. q. 62 art. 1. & passim Theologi. Durandus in 2. d. 4 q. 1. Adam & Angeli non habuerunt beatitudinẽ naturalem.*

Petes, Vtrùm Adam in paradiso, & Angeli in via positi dicendi sint habuisse beatitudinem naturalem.

Respõdeo, Id quidem aliquo modo dici posse: sic enim quidam Doctores loquuntur, verum satis impropriè: quia omnis beatitudo, quæ in suo ordine est completa, seu quæ ob perfectionem suorum bonorum absque respectu ad vlteriorem beatitudinem hoc nomen meretur, postulat perpetuitatem & inamissibilem firmitatem, quam nec Adamus nec Angeli habuerunt. Vnde potius illa propositio neganda est, quàm asserenda, vt rectè docet Vasquez in 1. p. tom. 2. disput. 216.

DE SVMMO BONO ET ÆTERNA BEATITVDINE HOMINIS LIBER SECVNDVS.

De admirabili mentis cum Summo bono vnione, per quam beata efficitur.

CAPVT PRIMVM.

Summum hominis bonum in vnione ſolius Dei conſtituendum, & qualis ſit illa vnio.

HACTENVS oſtenſum eſt ſummum hominis bonum in nulla re creata conſtitui poſſe; idque tum ob alijs cauſas, tum propter infinitam humanæ mentis capacitatem, quę nulla re niſi infinita, in qua ſit plenitudo veritatis & bonitatis, expleri poteſt. Talis autem res eſt ſolus Deus. Deus itaque eſt ſummum bonum noſtrum, & beatitudo obiectiua: vnio verò cum Deo, quæ neceſſaria eſt, vt ipſe nobis coniungatur, noſque afficiat, eſt beatitudo formalis. Nulla enim res à nobis diſtincta poteſt eſſe ſummum bonum noſtrum, aut nos beatos reddere, niſi nobis applicetur, aut cõiungatur: vt per ſe notum eſt, & ſuprà declaratum. Sed difficultas eſt, quæ & qualis ſit hæc vnio, & quomodo fiat.

Ipſe Deus eſt ſummum bonum noſtrũ. Vnio eſt neceſſaria, vt nobis hoc bonum communicetur, noſq; efficiat.

2 *Explicantur tres modi vnionis cum Deo.*

1. Vnio dependentiæ.

Multis enim modis concipi poteſt Deum menti noſtræ vniri, ſeu coniungi. Primò, Vnione dependentiæ, qua aſſiduè mens noſtra ab illo dependet. Sicut enim lumen dependet à ſole, & ideò certo modo ei connecti debet: ita totus mundus & vniuerſa creatura pendet à Deo, eique miro quodam modo cohæret & connectitur: quia aſſiduè ab ipſo & eſſe, & ſpeciem, & pulchritudinem, & vim omnem accipit. Si inter ſolem & lumen aliquid interponeretur quod illam connexionem luminis cum ſuo fonte interciperet, mox totum lumen euaneſceret, & eſſent tenebræ. Pari modo ſi inter creaturam & Deum aliquid poſſet interponi, quod illius coniunctionem & cohærentiam cum Deo impediret, ſtatim creatura inſtar luminis extingueretur, & euaneſceret in antiquum nihilum, eſſentq; tenebræ per abſentiam luminis ſubſtantialis. Eſſe enim rerum eſt inſtar luminis vario modo rebus à Deo prima luce, fonte omnis lucis & luminis, participati. Hunc modum inſinuat Apoſtolus ad Hebr. 1. cum ait: *portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Verùm in hoc modo vnionis non poteſt beatitudo conſiſtere: quia hæc vnio omnibus rebus creatis eſt cõmunis, vt oſtenſum eſt. Vnde etiam in peſſimis & ſceleratiſſimis reperitur: nam neque dæmones ſine hac vnione cum Deo vel ad momentum ſubſiſtere poſſunt, vt benè docet S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 27. Niſi enim ille aſſiduè omnia portet, & teneat, & ſuſtineat, neceſſe eſt illa in nihilum recidere.

3 *1. Per intimam præſentiam.*

Secundus modus vnionis eſt per intimam penetrationem, qua Deus ratione ſuæ immenſitatis & ſubtilitatis omnibus corporibus & ſpiritibus eſt intimè præſens, multoque penitius quam lumen aeri, vel anima corpori. Hic modus differt à ſuperiore: quia etiamſi creatura non dependeret à Deo, nihilominus Deus ratione ſuæ immenſitatis & ſubtilitatis omnibus eſſet intimè præſens, omniaque penetraret & impleret. Inſinuatur hic modus & ſuperior Actor. 17. illis verbis Apoſtoli: *In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus. Ipſius enim & genus ſumus.* Sed neque hæc vnio ad beatitudinem ſufficit, quia omnibus rebus communis eſt: neque propriè aliquam vnionem continet, ſed ſolum præſentiam localem & indiſtantiam.

4 *3. Per gratiã iuſtificationis.*

Quomodo gratia iuſtificans conſtituat filios Dei.

Tertius modus vnionis eſt per gratiam iuſtificationis: per hanc enim ita nobis communicatur & vnitur Spiritus ſanctus, ſeu ipſa diuinitas, vt ex hac vnione efficiamur filij Dei, tamquã participes effecti diuinæ naturæ. Quòd enim gratia iuſtificationis non efficiat filios Dei, non habet ex nuda ſua phyſica perfectione; hæc enim etiam cum peccato mortifero abſolutè conſiſtere poſſet, ſi Deus illam cõſeruare vellet: ſed ex eo quòd vnat nobis Spiritum ſanctum, ſeu diuinam naturam, cuius eſt veluti vinculum. Filius enim quis conſtituitur nõ ex collatione doni alicuius, ſed ex communione eiuſdem naturæ ab altero acceptę. Vnde ſicut Verbum diuinum eſt Filius, quia accepit diuinam naturam à Patre per æternam generationem; & humanitas Chriſti, vel (vt magis propriè loquar) ille homo qui dicitur Chriſtus, eſt Filius Dei, quia accepit naturam diuinã per vnionem hypoſtaticam: ita homo iuſtus dicitur filius, quia naturam eamdem accepit per vnionem gratiæ. In modo tamen habendi illam naturam eſt maximum diſcrimen: nam Verbum diuinum ita illam accepit, vt ſit illi vnita eſſentialiter, & per identitatem: humanitas verò eam accipit, vt vniatur ei ſubſtantialiter per coniunctionem in eadem hypoſtaſi; iuſtis verò ſolum per accidens quoddam coniungitur, nempe per vnionem gratiæ iuſtificantis. Vnde gratia iuſtificans conſtituit nos filios Dei, non vt forma principalis à qua dicamur filij (hæc enim eſt ipſa diuinitas nobis communicata) ſed vt vinculum & vnio illius formæ: quo modo ab vnione hypoſtatica ille homo dicitur filius Dei. Sicut enim ibi vnio hypoſtatica ſe habet inſtar vinculi non formæ principalis, ita hic gratia iuſtificationis. Habet autem gratia iuſtificans hanc vim non ex nuda ſua entitate phyſica, ſed ex ordinatione diuina rerum naturis conſentanea. Nulla enim erat qualitas creata magis conueniens ad hunc effectum: vnde Deus illam ad hoc aſſumpſit, eique ſuo decreto hanc vim ſtabiliter annexuit.

Differunt eſſe iuſtũ & filium Dei.

Differunt enim hæ duæ rationales formales, *eſſe iuſtum* & *eſſe filium Dei*. Eſſe enim iuſtum, eſt denominatio intrinſeca à iuſtitia inhærente, per quam quis fit conformis legi diuinæ: quæ iuſtitia eſt donum creatum, animam interius renouans, ſiue hoc donum diſtinguatur à charitate, ſiue non. Habet enim hoc donum ex natura ſua, quòd animam iuſtam, ſeu legi conformem faciat. Eſſe autem filium

est denominatio partim intrinseca ab eodē dono iustitię, partim extrinseca à diuinitate nobis communicata & inhabitante, quæ per hoc donum nobis vnitur. Filius enim Dei est, cui spiritus Dei communicatur: vt colligitur ex Apostolo ad Roman. 8. & multis alijs Scripturæ locis. Communicatur autem per charitatem qobis intrinsecam. Itaque quod charitas faciat filium Dei, habet partim ex natura sua, quatenus filiatio supponit iustitiam: partim ex diuina ordinatione, quatenus vlterius nobis vnit ipsam diuinitatem, vt in nobis sit. & nos ex illa viuamus vita spirituali: & illa tamquam anima quædam supernaturalis nos in omnibus motibus nostris regat. Itaque est vnio motoris & mobilis.

3. Effectus sequuntur iustificationis gratiam.

Hinc fit vt in ijs qui iustificantur, sequantur isti quinque effectus. Primò, Remissio peccatorum. Hæc enim fit per gratiam illam non ratione perfectionis physicæ, seu qua præcisè est donum creatum (ea enim ratione non repugnat peccatum cum hoc dono consistere) sed quatenus vnit nobis Spiritum sanctum, seu naturam diuinam. Secundò, Constituit filios Dei tamquam naturæ diuinæ participes. Tertiò, Ita secum trahit naturam diuinam, eamque nobis præsentem & inhabitantem facit, vt etiamsi ipsa non esset immensa, & vbique, tamen eam nobis intimè præsentem sisteret. Ratio est, quia vnio Dei quæ fit per gratiam, non est solum vnio per affectum & amorem, vt quidam imaginantur, sed est vnio per naturæ communicationem, & inhabitationem Spiritus. Atqui non possumus dici filij Dei, & participes diuinæ naturæ, si ipsa non sint in nobis, sed procul à nobis sint separata. Hinc Spiritus sanctus dicitur nobis dari in iustificatione, & ipse Deus ad nos venire, & in nobis manere. Quartò, Tribuit ius ad vitam æternam, eaque nos reddit dignos. Quinto, Opera nostra bona efficit digna vita æterna. Non enim opera nostra quantūuis dicantur supernaturalia, per se & secundùm physicam suam entitatem sunt digna vita æterna (cum *non sint condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, iuxta Apostolum) sunt tamen condigna ratione moralis æstimationis, quam accipiunt à diuinitate inhabitante, & constituente filios Dei, seu quatenus sunt opera filiorum & Deificatorum. Verùm hac de re fusius in opere De diuinis perfectionibus.

Ioann. 14.

Rom. 8.

In hac quoque vnione non potest nostra beatitudo completa consistere, quia vnio ista communis est omnibus iustis etiam in hac vita mortali, & ordinatur ad vlteriorem vnionem & maiorem, quæ erit per visionem & amorem. In ea tamen rectè diceretur consistere beatitudo huius vitæ, de qua Scripturæ passim loquuntur, vt suprà ostensum: quia hæc vnio ius perfectæ, & completæ beatitudinis tribuit.

4. Per vnionem hypostaticam.

Quartus modus coniunctionis Dei cum homine est per vnionem hypostaticam. Hæc duo requirit. Primò, vt diuinitas tota intimè præsens sit humanæ naturæ, & singulis eius partibus. Secundò, vt nulla qualitate intercedente, vniatur naturæ humanæ ita arctè immediatè, vt ex vi huius vnionis homo sit Deus, & Deus homo. Verum etiam in hac vnione non cōsistit beatitudo. Primo, quia alioquin sola Christi humanitas beata esset. Secundò, quia hæc vnio non minus est cum corpore Christi, quàm cum anima: atqui corpus per se non est capax beatitudinis. Denique omnes concipiunt beatitudinem tamquam quid vitale, positum in sensu quodam suauissimo, & gaudio de summo bono. Atqui vnio illa non est quid vitale, nec per illam sentitur suauitas summi boni.

5. Per transformationem in idem.

Quintus modus est per transformationem in nostrum principium, & transitum in ideam à qua profluximus. Docent enim quidam contemplatiui, beatitudinem nostram in eo consistere, vt toti à nobis & ab esse nostro creato deficiamus, & transeamus in nostrum esse increatum & supereſſentiale, quod in nostra idea habuimus ab æterno, vbi vnum sumus cum Deo, vna essentia, vna vita, vna lux, vna beatitudo, vnus spiritus. Quæ sententia dupliciter intelligi potest: Primò, Vt secundum rem definat nostrum esse creatum, & conuertatur in esse increatum: quæ fuit hæresis quorumdam tempore sanctissimi & admirabilis viri Ioannis Rusbrochij, qui floruit circa annum Domini M.CCC.LXX. Gerson impingit eam ipsi Rusbrochio, sed immeritò, vt benè ostendit Dionysius Carthusianus libro 3. De contemplatione, capit. vlt. mot & ipse Rusbrochius eam tamquam impiissimam hæresim damnat lib. De septem custodijs cap. 14. & lib. 2. De ornata spiritalium nuptiarum cap. 76. & sequentibus, & Opusculo quod inscripsit Samuel, seu De vera contemplatione.

Secundò, Vt ipsum esse creatum non definat secundum rem, sed solum quoad sensum & affectum contemplantis, qui ita ad Deum rapitur, vt seipsum amplius non sentiat, sed solum Deum, in quem sibi videtur transformatus. Et hoc sensu illa sententia intelligitur à Rusbrochio, Dionysio Carthusiano, & alijs contemplatiuis; neque quidquam incommodi continet. Verum hic non requiritur alia vnio quam ea quæ fit per visionem & amorem, vt infrà ostendetur.

6. Per communicationem visionis increatæ.

Sextus modus vnionis sit qui à quibusdam ponitur, per quem nobis communicetur ipsa visio Dei increata, & amor increatus, quibus seipsum Deus videt & amat. Verum in tali vnione beatitudinem nostram non consistere, immo hunc modum impossibilem esse, infrà cap. 4. ostendemus.

7. Per illapsum essentiæ diuinæ.

Septimus est per quemdam illapsum, quo essentia diuina immediatè & primariò illabatur in essentiam animæ beati, & secundariò in potentias, quem modum ponit Henricus quodlibeto 12. q. 11. de quo infrà.

8. Per visionem & amorem creatum.

Octauus est per visionem & amorem creatum. Hic solus nos formaliter beatos efficit. Itaque cum reliqui modi satis fint refutati, soli tres vltimi supersunt examinandi.

CAPVT II.

Verùm nostra beatitudo consistat in visione Dei increata, menti nostræ vero modo communicata & vnita.

9. Hugonis Victorini de scientia animæ Christi mira sententia.

PArtem aientem docuere quidam Doctores tempore Gregorij Ariminensis, vt ipse refert in 2. d. 7. quæst. 2. contra 3. conclus. & multi Doctores putarunt hunc modum esse possibilem, teste Caietano 3. p. quæst. 9. artic. 1. Immò Hugo Victorinus tom. 3. tract. De sapientia animæ Christi, ad quemdam concionatorem multis rationibus ostendere nititur, animæ Christi non fuisse scientiam creatam, sed ei communicatam esse ipsam Dei scientiam increatam; ita vt per illam ipsa cognoscat infinita, atque adeò omnia quæ cognoscit diuinitas: *Indubitanter*, inquit, *affirmo, in anima Christi creatam scientiam non fuisse, nam quis creatam scientiam admittat in Christo, carnaliter potiùs quam spiritualiter loquatur*. Hanc tamen sententiam non putauit omnino certam: vnde in fine addit, *Si quis in eo persistere voluerit, quod aliud fuerit illa sapientia, quæ anima Christi sapiens extitit, alia quæ anima Christi vnita fuit, ego nemini præiudicium facere volo &c.*

Hæc sententia confirmari potest his rationibus. Primò, Subsistentia Verbi increata ita potuit naturæ humanæ cōmunicari, vt ipsa per illam formaliter subsisteret: ergo eiā visio increata potest ita communicari animæ, vt per illam anima videat. Si enim vna perfectio diuina ita potest communicari, cur non omnes? Secundò. Essentia diuina reipsa vnitur intellectui beato in modum speciei intelligibilis, vt passim Doctores admittunt, præsertim sanctus Thomas cum suis discipulis: cur non possit eidem vniri per modum visionis? Si vt species impressa, & tamquam actus primus: cur non vt species expressa, quæ est actus secundus & operatio? Hæ duę rationes videntur probare, non esse impossibile quod hac sententia asseritur.

Tertiò, Si beati viderent Deum visione creata, illa esset finitę perfectionis, ac proinde non posset repręsentare Deū qui est infinitus. Ergo oportet illam esse infinitam, vt obiecto sit commensa. Si infinita, ergo & increata; quia nihil creatum potest esse infinitum.

10. Refutatio.

Verum hæc sententia etsi fortè de Christo Domino propter vnionem hypostaticam tolerari posset, nullo tamen modo in alijs admitti potest: Primò, quia in illis cessat ratio talis communicationis, nempe vnio hypostatica naturæ humanæ cum persona diuina, quæ Hugonem mouit ad ita sentiendum. Secundò, Quia si beatitudo

forma

formalis consisteret in actu visionis increato, omnes beati viderent in Deo infinita, atque adeò omnia quę videt ipse Deus: imò essẽt æquè sapientes, & æquè beati ac ipse Deus, nec vlli inter ipsos essent præmiorum gradus aut inæqualitas: quæ omnia absurda sunt & erronea. Vbi enim est eadem forma, ibi effectus formalis est par; quia forma seipsâ communicat, quantum communicari potest: vt si eadem lux, vel idem calor sit in duobus, illa duo erunt æquè lucida, æquè calida. Ergo si visio increata qua Deus seipsum comprehendit, & infinita in se videt, communicatur animæ, ipsa Deum comprehendit, & omnia videt quæ ipse Deus, imò ipsi Deo sapientia est par ac æqualis. Quæ omnia admittit Hugo in anima Christi, etsi in concedenda paritate nõnihil tergiuersetur. Sed res est manifesta. Etsi enim sit disparitas in modo habendi illam formam, nempe quòd diuinitas illam habeat per essentiam, anima verò per gratiam vnionis: ipsa tamen forma est eadem & æquè efficax in vtroque, & ad eadem omnia se extendit. Sicut si calor qui igni sit essentialis, ponatur in ferro, erit quidem ferro accidentarius, non minus tamen ferrum erit calidum, nec minus calefaciet: quam ignis. Ergo si tota sapientia quæ est in Deo ponatur in anima, eaque ita communicetur, vt anima per illam sit sapiens; non minus erit sapiens quàm ipse Deus. Idem dicendum erit de amore. Si enim visio increata communicatur animæ, etiam amor increatus, & gaudium; quia hæc debent esse inter se commensa, & paria. Absurdum enim est, si visio est increata & infinita, vt amor sequens visionem sit creatus & finitus. Eadem enim horũ erit ratio: nec maior est difficultas in amore & gaudio, quàm in visione.

11 Tertiò, Si visio increata ita potest communicari animæ, vt anima per illam formaliter fiat videns: etiam reliquæ perfectiones diuinæ, vt potentia, sapientia, charitas, misericordia, iustitia, imo & ipsa Deitas eidem communicari poterunt: ita vt anima sit omnipotens formaliter per omnipotentiam Dei, sapiens per sapientiam Dei, amans per charitatem Dei, misericors & iusta per Dei misericordiam & iustitiam: imò vt ipsa sit Deus per immediatam vnionem Deitatis cum natura anima. Quæ omnia sunt absurda. Sic enim creatura esset infinite sapiens, infinitè amans, infinitè misericors, infinitè iusta. Etsi enim in modo habendi istas perfectiones esset discrimen, eo quòd Deus illas habeat per essentiam, anima per gratuitam donationem: tamen non esset discrimen in ipsis perfectionibus, ac vtrobique essent prorsus eædem, & consequenter haberent effectum formalem infinitum.

12 Dices, Etiamsi perfectiones istę in se sint infinitæ, tamen non haberent effectum formalem infinitum, quia non infinitè communicarentur, sed perfectius vel imperfectius pro varia ratione vnionis. Potest enim eadẽ forma diuersis modis vniri. Idem dicetur de visione.

Communicatio formalis est planissima.

Sed contrà, Quando aliqua perfectio, manens eadem & inuariata, communicatur alteri formaliter, ita vt illum denominet, communicatur non solum tota, sed etiam totaliter & plenissimè, ita vt pleniori modo non possit; vt patet ex ijs quę supradiximus. Confirm. à simili; Quia vt humana natura subsistat subsistentia Verbi, debet hæc subsistentia illi naturæ perfectissimo & arctissimo modo vniri, ita vt non possit dari maior vel minor vnio hypostatica. Ergo similiter vt anima videat per visionem Dei increatam, vel amet per amorem Dei increatũ, necesse est hos actus perfectissimè & plenissimè vniri animæ, ita vt maior vel minor ad hunc effectum dari nequeat. Vnio enim formans non recipit magis & minus, si forma quæ vnitur maneat inuariata, sed semper est integra & plena. Quare sicut ille homo Christus est æqualis Patri, & Verbo, & Spiritui sancto secundum subsistentiam & personæ dignitatem, quia per æqualem subsistẽtiam subsistit; ita si anima videret per visionem increatam, esset æqualis Deo in sapientia, quia per eamdem sapientiam formaliter esset sapiens. Idem dicendum de ceteris perfectionibus.

Quartò, Hæc vnio esset magis sublimis & admirabilis, quàm vnio hypostatica: quia non solum per communica-
13 tionem idiomatum diuinæ perfectiones tribuerentur homini, sicut fit in vnione hypostatica, sed immediatè conuenirent naturæ humanæ, eamque denominarent, vt ostensum est.

Quintò, Ratio cur anima non possit vllo modo videre per visionem Dei increatam, est, quia videre est quoddam viuere; & visio est vita seu vitalis motio & operatio videntis: atqui implicat contradictionem, vt aliquid viuat, aut vitaliter moueatur aut operetur per aliquid sibi extrinsecum, vt per se constat. Ergo cum visio Dei increata nullo modo sit intrinseca animæ (neque enim est illi intrinseca per identitatem sicut Deo, neque per informitatem sicut intellectio creata) implicat vt anima per illam videat. Item visio est vitalis motio in obiectum visum: atqui vitalis motio debet procedere à principio intrinseco, nempe à forma viuentis cuius est veluti germen & partus. Hinc omnia quæ se mouent ad aliquid, viuere iudicantur: atqui visio increata nullo modo à nobis procedit; ergo per illam in obiectum ferri non possumus. Prior ratio etiam locum habet in reliquis perfectionibus; quia vt formaliter aliquod subiectum ab illis denominetur, debent illi esse intrinsecæ, vel per identitatem, sicut in Deo; vel per informationem, sicut iustitia creata inest animæ: posterior in solis actibus vitalibus.

Ex his perspicuum est, sententiam illam, quæ nostram beatitudinem constituit in visione Dei increata, implicare contradictionem, ac proinde nec in anima Christi admittendam.

Ad Primam rationem pro cõtraria sententia adductam respondeo, Esse magnum discrimen inter subsistentiam & visionem in præsenti negotio. Visio enim intrinsecè includit duplicem ordinem ad videntem, nempe procedentis & informantis. Debet enim tamquam vitalis motio à vidente procedere, & in eo tamquam forma recipi & manere, vt ostensum: quorum neutrum visioni increatæ respectu animæ conuenire potest. At subsistentia neutrum postulat: non enim debet procedere à natura quæ per illam subsistit; neque etiam illi debet inhærere, sed sufficit vt extrinsecè illam terminet, ac sustentet, sicut cum magnes sibi copulat ferrum, & arbor ramum *insitum*: quo fit vt inter omnes diuinas perfectiones sola subsistentia possit creaturæ communicari.

14 *Respondetur ad argumenta. Cur subsistentia increata possit communicari creaturæ, non autem visio increata.*

Ad Secundam, Caietanus & quidam Thomistæ misè philosophantur, vt explicent quomodo efficotia diuina vniatur intellectui creato in modum speciei intelligibilis. Sed dicendum est, Non requiri ad hoc aliquam informationem, vel peculiarem vnionem, sed sufficere intimam præsentiam. Ratio est, quia essentia diuina non est vere species intelligibilis, sed est ipsum obiectum intimè præsens intellectui: quando autem obiectum præsens est, non requiritur species intelligibilis (hæc enim solum requiritur propter absentiam obiecti, vt eius vicem iubeat, & eius loco cum potentia concurrat) quia ipsum per se concurrit cum intellectu ad visionem: idque vel per modum causæ partialis efficientis, vel per modum termini specificantis. Sicut vt Angelus suam essentiam videat, non eget aliqua specie intelligibili, quia ipsa essentia per se præsens est eius intellectui.

15 *In 1. p. q. 12. art. 2. & 3. p. q. 9. art. 1. Quando essentia diuina vniatur intellectui creato.*

Ad Tertiam, Visio qua Deus videtur à beatis, est absolutè finitæ perfectionis, vtpote res creata. Comparatiuè tamen est infinita, quatenus melior est infinitis visionibus naturalibus hominum pariter & Angelorum, etiamsi gradus angelici sine termino excurrerent. Ratio est, quia hæc visio est ordinis supremi, nempe diuini. Vnde mirum videri non debet si obiectum infinitum repræsentet, cum infinitis visionibus inferioris ordinis æquipolleat. Confirmatur: Quia notio illa qua Angeli vi naturali mentis suæ Deum concipiunt, repræsentat obiectum infinitum, & tamen non est infinita. Ergo nihil vetat idem obiectum repręsentari visione creata: quę etsi absolutè infinita non sit, infinitè tamen est perfectior quàm omnis cognitio naturalis angelica.

16 *Visio Dei creata est cõparatiuè infinita.*

CAPVT III.

Vtrùm beatitudo nostra consistat in quodam illapsu diuinæ essentiæ in essentiam animæ.

17 HEnricus Quodlibeto 13. quæst. 12. videtur primario constituere beatitudinem nostram in quodam illapsu, quo diuina essentia ita illabatur in animam, vt ipsa tota transformetur in Deum, sic vt non videatur esse di-

distincta à diuinitate, sed esse quid vnum cum illa; sicut ferrum trasformatur in ignem, ita vt nihil appareat nisi ignis. Ex essentia verò animæ vult diuinitatem deriuari seu dimanare ad potentias, nimirum ad intellectum, vt clarius Deum videat, & voluntatem, vt ardentius amet: vnde in visione & amore videtur solùm secundario beatitudinem constituere. Hoc modo passim à Doctoribus explicatur sententia Henrici: quidam tamen aliter Henricum intelligunt. verùm quidquid sit de eius mente, quæ obscura satis est, hæc sententia hic intellecta non est admittenda.

18 *Beatitudo non consistit in illapsu diuinæ essentiæ in animam. Cyril lib. 1. in Isaiam cap. 4. Dam. fc. lib. 3. ca. 15. 17. 19. & li. 4. c. 3. Nyssen. in orationem 51. Gregor. Nazianzeni, quæ est epist. 1. ad Cledonium.*

Primò, Quia ille illapsus non est præstantior quàm illapsus per vnionem hypostaticam, sed hic est longe eminentior & perfectior quouis alio qui fingi queat. Per hunc enim natura humana maximè fit Deiformis, & tota inundatur diuinitate, sicut ferrum candens igne, vt Patres docent. In hoc tamen non constitit beatitudo: ergo minus in illo altero.

Non potest esse illapsus nouus nisi ratione noui doni.

Secundò, Nullus potest esse nouus illapsus Deo in creaturam, nisi ratione noui alicuius doni. Cum enim Deus omnibus creaturis sit intimè præsens ratione immensitatis suæ essentiæ, qua omnia occupat, & ratione sustantifici influxus, quo illas assiduè in esse conseruat & continet, non potest nouo modo illis fieri præsens, nisi ratione noui alicuius effectus & doni. Atqui beatis non infunditur nouum aliquod donum in essentiam animæ, quod non habuerint in via; sed solum lumen gloriæ, quod non pertinet ad essentiam animæ quâ essentia est, sed quâ intellectus est. Ergo non datur nouus illapsus in essentiam qui prior sit quàm illapsus in intellectum, vt vult Henricus.

19 *In quo consistat gratiæ consummatio.*

Dices, Gratia est in essentia animæ, hæc autem gratia accipit in patria consummationem; ergo ratione illius consummationis, erit nouum donum, & nouus illapsus in ipsam essentiam.

Respondeo, Incertum esse an sit aliquod donum in essentia animæ distinctum a charitate, quo anima fiat Deo grata. Sed ponamus esse distinctum, adhuc argumentum nihil euincit. Quia hæc gratia non dicitur consummari quasi aliquid ei addatur intrinsecus in ipsa animæ essentia, vbi illa residere dicitur: sed quia assequitur finem suum ob quem ab initio collata fuit, qui finis est visio & amor beatificus; totum enim opus gratiæ diuinæ completur & consummatur in visione, amore ac gaudio; nec aliquid vlterius est expectandum. Itaque consummatio gratiæ consistit in lumine gloriæ, & maximè in visione & amore beatifico; ac proinde ratione illius consummationis non est ponendus nouus illapsus in ipsam essentiam, sed solum in potentias.

Tertiò, Ponamus beatis infundi nouum donum quo ornetur essentia animæ, & ex quo in intellectum dimanet lumen gloriæ, & in voluntatem abundantia charitatis, vt videtur velle Henricus. Eo posito fatendus est quidem nouus illapsus Dei in essentiam, & ex essentia in potentias; nullo tamen modo fatendum, beatitudinem consistere in illo illapsu, qui est in essentiam: quia etiamsi hic illapsus qua parte est in essentiam, sit radix & principium beatitudinis, non tamen est ipsa formalis beatitudo.

Illapsus in essentiã animæ non potest esse quid vitale.

Ratio est, quia beatitudo est aliquid vitale, vtpote vitalis quidam sensus & gustus bonorum diuinorum: atqui illapsus ille non est quid vitale, nec à nobis procedit, sed à solo Deo. Confirmatur; Quia beatitudo est vltima perfectio hominis, & complementum omnis boni, cuius homo capax est. Atqui vltima perfectio consistit in actuali operatione, non in habituali dispositione, omnis enim habitus ordinatur ad actum; actus autem non ordinatur ad vlteriorem perfectionem intrinsecam, sed ad obiectum, cui per se coniungit mentem, in quo est status. Denique nullum bonum, quantumuis sit magnum, quantumuis menti vnitum, potest illam facere beatam, nisi sentiatur, eiusque bonitas & dulcedo quodam modo gustetur. Ergo formalis beatitudo consistit in tali sensu ac gustu; ac proinde in vitali operatione.

CAPVT IV.

Beatitudinem nostram sitam esse in clara visione Dei.

OStensum est, in nulla ceterarum vnionum, quibus creatura Deo coniungitur, beatitudinem consistere: superest ergo vt consistat in vnione quæ est per cognitionem & amorem; hæc enim tota est vitalis, & per hanc solam summum bonum sentitur & gustatur. Debet autem hæc cognitio esse perfecta: imò perfectissima inter omnes eas quarum homo capax est: perfectissima inquam, non intensione, sed specie & gradu cognitionis, ac modo cognoscendi. Beatitudo enim est extrema & summa mentis perfectio, qua mens perfectissimè Deo vnitur, ipsumque perfectissime sentit & gustat, eiusque dulcedine perfruitur: ac proinde cognitionem perfectissimam postulat. Perfectissima autem cognitio est clara visio, qua res ipsa in se clare & distincte absque medio cernitur tamquam præsens. Itaque beatitudo consistit in clara Dei visione. Hoc ita esse probari manifeste potest ex diuina Scriptura, quæ id passim non obscurè insinuat. Psalmo 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* id est, Manifestatio seu manifesta visio gloriæ tuæ implebit omne meum desiderium: ac proinde in ea consistit beatitudo. *Gloria Dei* est ipsemet Deus; ipse enim est gloria sua, id est, pulchritudo, splendor, maiestas sua. Fit autem huius gloriæ manifestatio effectiuè per lumen gloriæ, formaliter per claram visionem. Psalm. 79. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Ostendere faciem est efficere vt facies clarè videatur: quamdiu enim non videtur, manet tamquam velata, & in abscondito delitescens. Psalm. 90. dicitur de iusto: *Eripiam eum, & glorificabo eum.* deinde explicatur, quæ sit illa gloria: *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* vbi æterna Dei visio insinuatur. Psalm. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (id est, ostensione & visione vultus tui) *delectationes in dextera tua vsque in finem.* Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* quasi dicat, Tues fons vitæ æternæ. Nam per lumen quod a te tamquam fonte vberrimo in animas nostras copiosè effunditur, te primæuam lucem intuebimur; atque hinc fiet vt bonorum tuorum copia & dulcedine inebriemur, & veluti torrente voluptatis copiosissimè potemur. Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ioann. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* vbi manifestationem sui indicat esse summum præmium dilectionis. Et capitul. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et quamuis ibi Dominus potissimum loquatur de cognitione per fidem, quæ phrasi Hebraica dicitur vita æterna, quia ducit ad illam, eiusque causa; sicut & *mandatum Patris*, dicitur *vita æterna:* Ioannis 12. v. vltimo: tamen etiam insinuatur ipsam vitam æternam consistere in visione Dei; quia fidei respondet visio, & cognitio imperfecta ducit ad perfectam. 1. Ioann. 3. *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Hic summum bonum quod expectamus in vita futura collocatur in clara visione Dei. *Cum apparuerit*, id est, cum manifestatus fuerit, nempe Deus: Græcè ὅτι ἐὰν φανερωθῇ. vbi est ecliptis, & subintelligitur αὐτὸς. Etsi aliqui aliter hoc accipiant, de quo infrà lib. 3. capit. 1. num. 13. Sed in idem redit. 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ex quibus patet, diuinam Scripturam collocare nostram beatitudinem in clara Dei visione.

Beatitudo consistit in clara Dei visione.

Probatur ex Scripturis.

Eadem est sanctorum Patrum sententia. Irenæus lib. 4. contra hæreses, cap. 37. circa medium docet, *æternam vitam vnicuique euenire ex eo quòd videat Deum.* Deinde id sic declarat: *Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem eius recipiunt: sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes eius claritatem; vnificat autem eos claritas: percipiunt ergo vitam, qui vident Deum.* Claritatem vocat ipsam Dei increatam lucem, hanc percipimus

21 *Probatur ex Patribus.*

pimus per ipſam viſionem, & in hac per viſionem ſumus, in eamque transformamur, & ab ea mediante viſione vi-uificamur. Pergit Iræneus: *Propter hoc incapabilis viſibilem ſe & comprehenſibilem hominibus præſtat, vt vniſicet percipientes & videntes ſe. Sicut enim magnitudo eius inueſtigabilis eſt, ſic & benignitas eius inenarrabilis eſt, per quam vitam præſtat his qui videre eum.* quaſi dicat: Etſi eſſentiæ eius ſublimitas ſit naturaliter inuiſibilis & incomprehenſibilis; tamen bonitas eius, quæ non minus infinita eſt, per donum gratiæ fecit illam viſibilem & comprehenſibilem, vt per ſui viſionem vitam æternam iuſtis conferret. Deinde ſic ratiocinatur: *Quoniam viuere ſine vita impoſſibile eſt, ſubſiſtentia autem vitæ da participatione Dei euenit, participatio autem Dei eſt videre Deum, & frui benignitate eius; homines ergo videbunt Deum, & viuent per viſionem immortales facti, & pertingentes vſque in Deum.* Subſiſtentiam vitæ vocat firmitatem & æternitatem vitæ, ſiue ipſam vitam æternam & conſiſtentem.

Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Cæſarij, dicit contemplationem ſummi boni eſſe mercedem noſtrorum laborum, & finem religionis Chriſtianæ: *Etenim*, inquit, *ad ipſum fontem poſtea peruenturi, pura mente puram veritatem obtuentes, ac laboris in virtutis ſtudio exantlati mercedem hanc inuenientes, vt plenius illic ſummo bono, eiuſque contemplatione perfruamur: quem quidem ſacra noſtra diſciplina finem, animæ Theologiæ ſtudioſæ tanæ futurum vaticinatur.* Idem in plagam grandinis pag. 4. *Illos lux omni oratione maior exceptura eſt, & ſanctæ regiæq; Trinitatis pariter ſemper clariuſq; collustrantis, totamq; ſe cum tota mente miſcentis contemplatio; quam quidem ego vel ſolam regnum cælorum puriſſimum eſſe arbitror.*

Gregorius Nyſſenus libr. De beatitudinibus, explicans ſextam beatitudinem, *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. Promiſſio certè tamen eſt, vt ſuperet extremum beatitudinis terminum. Quid enim aliud poſt huiuſmodi bonum quiſpiam deſiderauerit, cum habeat omnia in eo quem videt. Nam videre vſu Scripturæ idem ſignificat quod habere; ſicut illud, Videte bona Ieruſalem, idem eſt quod immutemini. &, Tollatur impius ne videat gloriam Dei: per non videre non participem eſſe Propheta ſignificat. Ergo qui Deum videt, omne bonum, per hoc quod videt, adeptus eſt: vitam interminabilem, incorruptibilem, æternam, beatitudinem immortalem, regnum ſine fine, lætitiam continuam, verum lumen, gloriam inacceſſam, perpetuam exultationem, omne denique bonum.*

Pſal. 127. Iſaiæ 26.

S. Auguſtinus libr. 1. de Trin. capitul 9. *In viſione meres tota promittitur delectationis & deſiderij noſtri.* Et cap. 10. *Tunc des regnum Deo & Patri Chriſtus, quando perducet credentes ad eam implationem Dei, vbi eſt finis omnium bonarum actionum, & requies ſempiterna, gaudium quod numquam auferetur a nobis.* Et cap. 13. *Ipſa viſio qua eſt facie ad faciem, ſine quam præmium promittitur iuſtis.*

Damaſcenus lib. 4. De fide, in fine: *Qui bona egerint, fulgebunt ſicut ſol cum Angelis in vitam æternam cum Domino noſtro Ieſu Chriſto: videntes eum ſemper, & ab eo viſi, & ineffabili lætitia, qua ab ipſo proueniet, perfruentes.* Omitto cæteros.

22 Probatur Ratione.

Eadem probatur Ratione. Cum enim beatitudo ſit actus non in habituali aliqua diſpoſitione, ſed in actuali & vitali operatione, vt benè docet Ariſtoteles 10. Ethicorum capit. 7. oportet vt ea operatio ſit perfectiſſimæ facultatis, & perfectiſſimo modo fiat, & circa perfectiſſimum obiectum, vt ibidem Ariſtoteles docet. Talis autem eſt clara Dei viſio: hæc enim eſt operatio perfectiſſimæ facultatis, & perfectiſſimo modo circa perfectiſſimum obiectum verſatur, nimirum clarè & intuitiue. Obſcura cognitio non ſufficit, quia imperfecta: vnde nec appetitum ſatiat, ſed inquietum relinquit, ac ſuſpirantem ad claritatem. Similiter nec abſtractiua, qua res non vt præſens, ſed tamquam abſens, vel non exiſtens cognoſcitur, quantumuis ea ſit perfecta. Ratio eſt, quia eſt imperfecta ſi comparetur cum intuitiua, ac proinde non eſt perfectiſſima inter eas, quarum homo eſt capax, nec perfectiſſimo modo vnit. Omnis enim cognitio quæ rem ipſam exiſtentem & præſentem non oſtendit vt præſentem, imperfecta eſt, quia hic defectus circa obiectum, non ex parte obiecti vtpote præſentis oritur; ſed ex parte ipſius cognitionis non talem illud vt in ſe eſt exhibere. Hinc vlterius ſequitur, vt non ſatiet appetitum, ſed relinquit afflictum & ſuſpirantem ad viſionem & præſentiam obiecti. Sicut enim ipſa quæ in imagine ſponſi ſui pulchritudinem contemplatur, eo magis ipſius præſentiam deſiderat, & illum coram intueri, quò perfectius illum imaginatur: ita anima quò perfectius nouit Deum abſtractiue, eò vehementius ſuſpirat ad eius viſionem. Amor enim non quieſcit, niſi dilecti fruatur præſentia. Vnde in viſione eſt peculiaris vnio cum dilecto, quæ nullo modo reperitur in cognitione abſtractiua. Ex quibus conuincitur, in ſola clara viſione, non in alia, quantumuis perfecta notitia, beatitudinem formalem collocandam.

23 *Viſio Dei eſt apprehenſio ſummi boni.*

Idem confirmatur ex eo quòd beatitudo nihil ſit aliud quàm ſummi boni apprehenſio & poſſeſſio. Atqui viſio Dei eſt apprehenſio & poſſeſſio ſummi boni. Nam viſione veluti manus complexu apprehendimus, firmiter tenemus, & poſſidemus ipſum Deum tamquam bonum noſtrum nobis ad fruendum datum: ita vt in noſtra poteſtate ſit eius dulcedine frui, & omnes voluptates, quæ ex ipſo hauriri poſſunt, ſine fine percipere. Sicuti ſi ſummum bonum eſſet pecunia, poſſidere pecuniam, eamque videre & contrectare eo modo, vt inde ſumma voluptate afficiatur, eſſet hominis beatitudo. Ergo formalis beatitudo conſiſtit in viſione Dei.

CAPVT V.

Non ſolam Viſionem ad rationem beatitudinis ſufficere, ſed requiri etiam amorem & gaudium.

24 *Fruitio.*

QVidam ex Doctoribus Scholaſticis contendunt, totam beatitudinis eſſentiam conſiſtere in ſola viſione: amorem verò & gaudium ſolum eſſe veluti proprietates ex beatitudine reſultantes. Hanc ſententiam paſſim ſequuntur Thomiſtæ, eamque putant eſſe S. Thomæ: ſed S. Thomas variè hac de re loquitur, & ſatis obſcurè. Alij conſtituunt illam in ſolo amore: hanc ſequitur Scotus, & quidam eius ſectatores. Alij vtrumque requirunt, & inſuper addunt gaudium, conſtituentes beatitudinem in viſione, amore & gaudio: vel, quod idem eſt, in viſione & fruitione. *Fruitio* enim complectitur amorem & gaudium. Ita S. Bonauentura, Richardus, Occamus, Marſilius, Dionyſius Carthuſianus, Ludouicus Molina, Gregorius à Valentia, & alij. quæ ſententia mihi maximè probatur: idque ob varias cauſſas. Primò, Quia maximè eſt conſentanea Scripturis, quæ beatitudinem explicant non ſolum nomine viſionis, ſed etiam nomine delectationis, gaudij & voluptatis. Pſalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* &c. Matth. 25. præmium bonorum operum vocatur gaudium: *Intra in gaudium domini tui.* Lucæ 22. inſinuatur per voluptatem cibi & potus: *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Secundò, Quia eſt magis conſentanea definitioni Eccleſiæ in Extrauag. Benedict. XII. quam refert Alphonſus à Caſtro verbo Beatitudo, hæreſ. 6. vbi definitur, *quod animæ iuſtorum bene decedentes, ſi non egent purgatione, vident diuinam eſſentiam immediatè, ſe benè & clarè & apertè illa aſſidentem: quodque ſic videntes, eadem diuina eſſentia perfruantur: nec non quod tali viſione & fruitione earum animæ ſunt verè beatæ, & habent vitam æternam & requiem.* Vbi cum ait, *tali viſione & fruitione*, &c. præter viſionem videtur ad beatitudinem requirere etiam fruitionem, quæ complectitur amorem & delectationem ſeu gaudium. *Frui* enim eſt ex re amata & præſenti capere fructum, ſeu oblectationem.

Ad rationē beatitudinis requiri tum amorem & gaudium.

Tertiò, Quia eſt magis conſentanea ſanctis Patribus. Vide Irenæum, Nazianzenum & Damaſcenum ſuprà. S. Auguſtinus libro 8. De Ciuit. capitul. 9. *Nemo beatus eſt, qui eo quod amat, non fruitur: nam & ii qui res non amandas amãt, non ſe beatos amando putant, ſed fruendo: Quiſquis ergo fruitur eo quod amat, veramque & ſummum bonum amat, quis eum beatum niſi miſerrimus neget?* Hic Auguſtinus præter amorem ad beatitudinem maximè requirit fruitionem, quæ includit præſentiam rei, & voluptatem ex eius præſentia manantem. Vnde manifeſtum eſt, illum tres actus requirere;

nimirum visionem, qua res habetur præsens; amorem, quo diligitur vt summum bonum; & oblectationem, sine qua non est fruitio.

Idem libro 1. De moribus Ecclesiæ capitul. 3. ita ait: *Beatus, quantum existimo, nec ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecunque illud sit; nec qui habet quod amat, si maximum sit: nec qui non amat quod habet, etsi optimum sit.* Hic requirit *amorem*, ita vt sine illo præsentia summi boni non possit beare. Vnde concludit ad vitam beatam requiri, vt optimum hominis (quod est Deus) ametur & habeatur. Habeatur, inquam, ita vt eo fruaris. Sic enim Augustinum intelligere illud *habeatur*, manifestum est ex ratione quam subijcit: *Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis?* hoc enim verum non est, nisi sub illo *præsto habere* intelligatur voluptas, quæ naturaliter ex præsentia rei amatæ oritur. Deinde addit Augustinus: *Nec quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod hominis est optimum.* Ex quibus planè constat S. Augustinum illos tres actus requirere; vt si vel vnus desit, non possit homo dici beatus.

Augustinus requirit tres actus.

Denique huic sententiæ varijs locis fauere videtur S. Thomas. nam 1.2.q.4.art.3. ad 3. dicit *perfectionem charitatis esse beatitudinem essentialem quantum ad dilectionem Dei*, & 1.2. q.27.ar.6. ad 3. *vltimum bonum hominis esse inhærere Deo per charitatem.*

Quo modo beatitudo dicatur consistere in visione.

Nec obstat quòd S. Augustinus, & S. Thomas, & ipsa sacra Scriptura interdum insinuent beatitudinem consistere in visione Dei: quia non intendunt excludere amorem & gaudium, sed potiùs includere, vt quæ necessariò ex visione resultent; sed solum excludunt cognitionem imperfectã huius vitæ, quæ cum visione clara non consistit. Hoc modo intelligit S. Thomam Dominicus Soto in 4.d.49.q.1.art.4. sub finem, vbi fatetur eum qui Deum videret, si per absolutam Dei potentiam impediretur ab amore vel oblectatione, non fore beatum. Simili modo explicat S. Thomã Dionysius Carthusianus in 4.d.49. q.1. & lib. De lumine Theologiæ Christianæ art.45. & 46.

Neque hæc ratio loquendi insolens videri debet, cùm passim Scriptura & Patres dicant *hominem iustificari per fidem*: vbi non excluduntur, sed includuntur multi actus, vt timor, spes, pœnitentia, amor, qui tamen non necessariò sequuntur ex fide, sicut amor & gaudium ex visione. Tales loquendi formulæ in Scripturis, & vsu familiari, sunt plurimæ.

26 *Probatur Ratione tres actus requiri.*

Quartò, Probatur Ratione. Primò, Ex communi omnium gentium apprehensione. Omnes enim beatitudinem concipiunt, quasi sit omnium gaudiorum & oblectationum complexio. Vnde S. Augustinus libro 10. Confess. capitul. 21. *Omnes ipsum gaudium, vitam beatam vocant.* Et capit. 22. *Ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, & propter te: ipsa est, & non altera.* Ergo sine gaudio non potest esse vita beata.

Visio sola nõ est apta tollere omnem inquietudinẽ.

Secundò, Beatitudo tollit omnem animi inquietudinem, & saliat appetitum, iuxta illud Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Atqui visio sine amore & gaudio non satiabit appetitum, sed relinquet planè inquietum & afflictum. Quis enim videns tantum bonum, tantamque pulchritudinem, non magnopere crucietur animo, si non possit illud amare, si nihil ex illo suauitatis aut oblectationis percipere? si non possit Deo tanta bona, quæ in ipso videt, gratulari, & ei congaudere? Confirmatur; Ex illa enim visione Dei nasceretur maximum desiderium illius amandi, & gustandi eius suauitatem. Hoc autem desiderium, cùm violenter impediatur eius implectio, non potest non affligere animum. Vnde cùm talis visio nihil afferat solatij aut voluptatis, & ex altera parte afferat multum afflictionis ac doloris: non videtur rectè dici, integram beatitudinis essentiam in ea sola fitam esse. Si dicas nullum ex ea visione nasci desiderium amãdi aut fruendi; iam nihil erit aliud quàm anima sine vllo affectu contemplatio; tamquam rei alienæ, & nihil ad nos pertinentis: vnde nec poterit dici possessio, aut tentio summi boni nostri. Ad hoc enim requiritur, vt æstimetur tamquam summum bonum, & affectus ad illud prout tale aspiret & anhelet: alioquin visio illius non erit comprehensio & possessio summi boni formaliter, sed solùm per accidens & valdè materialiter. Æstimatio enim affectus facit, vt res per modum summi boni possideatur; vt patet in beatitudine falsa. Ideò enim auarus possessione pecuniæ se putat beatum, quia illas æstimat instar summi boni, & eo loco illas habet & amat, ac si re vera summum bonum in illis situm esset.

Tertiò, *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus:* vt docet Boetius lib. 3 De consolatione philosophiæ prosa 2. Atqui si desit amor vel gaudium, non poterit dici status omnium bonorum aggregatione perfectus, cum sit valdè imperfectus, vt cui maxima animi bona violenter sint ablata, vel intercepta.

Quartò, Perfectio animi consistit in assimilatione cum Deo: ac proinde summa perfectio in summa assimilatione. Vnde cùm beatitudo sit summa perfectio, postulat summam assimilationem, iuxta illud 1. Ioann. 3. *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Atqui sola nuda aridaque visio non facit animum perfectè similem Deo, sed solum ex parte quasi dimidia, nempe secundùm intellectum, non secundùm affectum. Ergo visio non est tota nostra beatitudo, sed solum pars.

Quintò, Rursus beatitudo consistit in perfecta vnione vitali cum Deo: perfecta autem vnio non solum postulat coniunctionem per intellectum, sed etiam per affectum: quia non minùs voluntas immediatè attingit Deum quàm intellectus; sunt enim hæ duæ facultates instar duorum brachiorum, quibus animus Deum complectitur, eumque sibi astringit & tenet. Ergo etiam vnio voluntatis ad rationem beatitudinis pertinet.

Sextò, Denique nemo beatus est, qui eo quod amat non fruitur: vt suprà ex S. Augustino ostensum. Atqui is qui non delectatur, non fruitur. ergo qui caret delectatione, non est beatus. Idem dicendum de eo qui bonum quod possidet, non amat, quantumuis illud sit magnum: hic enim beatus dici non potest, vt idem Augustinus affirmat.

Ex quibus perspicuum videtur, ad rationem beatitudinis 27
hosce tres actus requiri, visionem, amorem, & gaudium seu delectationem: quæ duo modò pro eodem accipimus. Sic enim animus complete vnitur Deo, eoque vt summo bono fiuo perfectè fruitur.

Qualis amor, & quale gaudium requiratur.

Verùm cùm duplex sit amor Dei, nimirum amor concupiscentiæ, & amor amicitiæ, vt Scholastici Doctores loquuntur, similiter duplex gaudium: dubium est vter actus amoris & gaudij ad beatitudinis rationem pertineat, an vterque potiùs. *Amor concupiscentiæ* dicitur quo Deum nobis amamus, cupientes eo frui in nostrum commodum. *Gaudium concupiscentiæ* est quo gaudemus de Deo obtento & possesso, sicut auarus gaudet obtenta pecunia. *Amor amicitiæ* in Deum est affectus quo cupimus ipsi Deo omne bonum tam intrinsecum, quàm extrinsecum, nulla commodi nostri habita ratione, sed solum vt ipsi Deo bene sit. *Gaudium amicitiæ*, quo gaudemus videntes Deum tantis bonis extrinsecus & intrinsecus affluere.

Quibus positis, Respondeo Primò, Amorem & gaudium amicitiæ ita ad rationem beatitudinis pertinere, vt 28
sine illis animus non possit dici absolutè beatus. Hoc satis probant rationes suprà allatæ: visio enim sine amore vel gaudio de bonis Dei relinquet animum valdè inquietum & afflictum, & vnio cum Deo erit solùm dimidiata, *Amor & gaudium amicitiæ maximè necessaria.* vt ostensum est.

Non tantopere amor & gaudium concupiscentiæ.

Secundò, Amor tamen & gaudium concupiscentiæ non videntur tantopere necessaria ad beatitudinis rationem. Ratio est, Quia si quis ita in Deum visione, amore, & gaudio amicitiæ esset absorptus, vt nihil de suis commodis cogitaret, nec de illis gauderet, sed solum de bonis Dei, quæ Dei sunt; hic verè posset dici beatus: quia videret Deum, eoque frueretur, ineffabiliter de ipsius bonis gaudens. Neque ex eo quòd non gauderet de suis commodis, nasceretur inquietudo & molestia; quia beati de seipsis non sunt solliciti, sed omnia sua ad Deum referunt.

Ad completam rationem beatitudinis requiruntur quinque actus.

Tertiò, Ad completam tamen beatitudinis rationem etiam illi duo actus videtur requiri, & ita in vniuersum quinque actus circa Deum sunt necessarij: Visio clara, amor amicitiæ, gaudium amicitiæ, amor concupiscentiæ, & gaudium concupiscentiæ.

Probatur Primò, Quia omnes hi actus versantur immediatè circa Deum, & sunt necessarij ad perfectam mentis vnionem cũ Deo: ergo omnes pertinẽt aliquo modo ad beatitudinis

titudinis completam rationem, quæ postulat completam vnionem cum Deo. Quòd autem sint necessarij ad perfectam vnionem cum Deo, patet: quia singuli nouo modo mentem Deo coniungunt. Visio facit Deum menti præsentem, eumque intus in animo detinet. Amor concupiscentiæ inclinat animum in Deum vt est bonum nostrum, vt illum per intellectum veluti per manum apprehendat, & præsentem teneat, nec dimittat. Gaudium concupiscentiæ est vitalis suauitas & quies in Deo iam obtento, quatenus est bonum nostrum. Amor amicitiæ est complacentia de bonis diuinis, quatenus Dei bona sunt. Gaudium amicitiæ est vitalis suauitas & quies in bonis diuinis, quatenus Dei bona sunt. Itaque singuli actus nouo & peculiari modo nos Deo coniungunt: neque coniunctio mentis cum Deo erit completa, nisi omnes illi actus adsint. Quòd verò sufficiant, manifestum est: quia non est alius modus quo mens immediatè vitali modo vniatur Deo.

29 *Beatitudo non consistit in sola boni adeptione.*

Dices, Beatitudo formalis consistit in adeptione vltimi finis; sed hæc adeptio fit per solum actum intellectus, vt probat diuus Thomas q. 3. a. 4. Ergo beatitudo formalis consistit in solo actu intellectus. Respondeo, Non in sola & nuda adeptione seu possessione summi boni consistit beatitudo, sed in possessione, & alijs perfectionibus, quæ naturaliter ex illo actu resultant. Parum enim iuuat quod sim adeptus aliquod magnum, illudq; possideam, & præsens habeam, si illud non amo, nec vllam ex eo voluptatem capere possim. Sicut si diuitiæ essent summum bonum, formalis beatitas non esset sita in nuda possessione vel præsentia pecuniæ, sed in possessione & fruitione. Addo, non esse perfectam boni adeptionem, nisi illud bonum ita sit in tua potestate, vt possis eo frui, & capere oblectationem. Imò ipsa visio Dei non haberet rationem adeptionis summi boni, & vltimi finis, nisi adsit amor, quo sic ametur & æstimetur.

Nec obstat quòd amor & maximè gaudium se habeant instar passionis ex visione resultantis; quia etsi respectu visionis ita se habeant, non tamen respectu beatitudinis. Ad hanc enim se habent non vt affectiones beatitudinem consequentes, sed vt partes ex quibus integra beatitudo consurgit. Non enim imaginandum est, beatitudinem mentis creatæ esse simplicem aliquam qualitatem, vel simplicem actum; cùm sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, vt passim definitur, & ab omnibus concipitur. Itaque est complexio multorum bonorum, & multorum actuum, quibus summo bono perfectè coniungimur, illudque completè possidemus ac fruimur: etsi inter illos actus sit ordo, & alius ex alio dependeat.

CAPVT VI.

Quis horum actuum in beatitudine sit potior, visio, an amor, an gaudium?

30 SAnctus Thomas potiorem sensit *visionem*: Scotus *amorem*; Cardinalis Aureolus *gaudium*. Omnes hæ sententiæ suo modo, certaque consideratione veræ sunt. Possunt enim hi actus tripliciter spectari. Primò, Secundùm suam physicam perfectionem. Secundò, Prout sunt quædam bona Dei, & in eius honorem cedunt. Tertiò, Vt sunt bonum hominis, quod homo sibi apperit.

Vnde dico Primò, Si perfectio physica horum actuum consideretur, visio videtur præstantior, & plus momenti ad beatitudinem conferre. Primò, Quia se habet in beatitudine sicut radix in arbore, & cor in animali, & fundamentum in domo, & fons in flumine. In visione enim tamquam in fonte & radice amor & gaudium continentur, & ex illa necessariò emanant, illique ita innituntur, vt ex extincta nec per absolutam Dei potentiam possint conseruari, sic vt vitalem effectum tribuant: hoc est, vt animus per illum amorem amet, & per illud gaudium gaudeat. Cuius ratio est, quia voluntas non potest ferri in incognitum, sed solùm in id quod ei ab intellectu proponitur; hoc enim est conditio quædam ad rationem obiecti voluntatis essentialiter requisita. Vnde inter actus intellectus & voluntatis est essentialis ordo & dependentia. Quare cùm amor & gaudium contineantur in visione tamquam in radice & fundamento essentiali, & visio nullo modo dependeat ab illis; manifestum videtur visionem esse perfectiorem. Semper enim causa diuersæ rationis est perfectior suo effectu.

Visio est radix totius beatitudinis.

Secundò, Quia per visionem apprehendimus, & intus in nobis tenemus summum bonum nostrum, sicut manu tenemus pecuniam, vitu pulchritudinem, auditu symphoniam, gustu dulcedinem, & ita tenemus, vt omni eius suauitate & pulchritudine frui possimus. Atqui talis apprehensio & possessio rei, per quam pro voto possumus illa frui, maximi in omni bono æstimatur, quia est fundamentum totius fructus & dulcedinis, quæ ex illo percipi potest. Itaque cum per visionem: non per amorem vel gaudium, apprehendamus summum bonum, & intus in nobis detineamus; perspicuum videtur visioni primas partes tribuendas. Incitat quidem amor, vt Deum per visionem teneamus, omnique conatu illum contemplemur; idem facit oblectatio, licet non eodem modo: neuter tamen actus formaliter est apprehensio vel detentio Dei, neuter illum formaliter præsentem facit. Nam oblectatio seu gaudium iam præsentem supponit, cum gaudium sit de bono obtento: amor verò à præsentia & absentia abstrahit: quia nihil est aliud quàm complacentia boni, aut velle alicui bonum; quod non includit, nec requirit rei præsentiam. Desiderium absentiam supponit.

31 *Visione apprehenditur & tenetur summum bonum.*

32 Dices, Quomodo verum est visione Dei ipsum Deum apprehendi & possideri? Non enim visione domus possideo & habeo domum: nec visione agri possideo agrum, nec videndo pecuniam possideo pecuniam.

Ratio perfectæ possessionis quid requirat.

Respondeo, Ad rationem perfectæ possessionis nihil aliud requiritur, quam vt res ita habeatur præsens, & in potestate possidentis, vt possit ea vti & frui pro suo desiderio, & omne commodum & oblectamentum ex ea percipere, quod ex ea capi potest. Itaque cum per visionem Deus ita habeatur præsens & teneatur, vt videns eo frui, & omnem oblectationem, prout desiderat, ex eo haurire possit; visio Dei est vera eius possessio. Simili modo auditus symphoniæ, est possessio symphoniæ; quia ita per auditum tenetur, vt omnem oblectationem, & omne commodum eius percipere queas. Secùs est de visione pecuniæ vel domus: non enim videndo domum vel pecuniam ita habes illam in tua potestate, vt ex ea omne commodum illius capere possis; hoc enim non videndo sed inhabitando percipitur. Prouenit id ex diuersis rerum naturis, quæ vt sua commoda præbeant, vario modo nobis aptari & vniri debent, secundùm propriam cuiusque conditionem.

33 *Visio Dei est expressa similitudo & veluti pictura diuinitatis.*

Tertiò, Visio Dei est quædam expressa similitudo & imago essentiæ diuinæ, & diuinarum personarum, per quam Deo simillimi tamquam dij quidam vel filij Dei efficimur. quod apertè insinuat sanctus Ioannes 1. Epist. cap. 3. cum ait: *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Vbi rationem similitudinis ponit in ipsa visione, quasi per hanc similes futuri. Idem passim tradunt non solùm Theologi, sed etiam Philosophi, qui docent intellectionem fieri per assimilationem intellectus cum re intellecta: imò ipsum intellectum per intellectionem transformari, & fieri ipsam rem intellectam, nimirum quia eius similitudinem induit, eique similis efficitur non naturæ conformitate, sed repræsentatione; sicut imago picta suo prototypo. Quòd si omnis intellectio fit per assimilationem intellectus cum obiecto, necesse est perfectissimam intellectionem, qualis est clara visio Dei, fieri perfectissima assimilatione cum Deo: & cõsequenter visionem Dei esse perfectissimam imaginem, & veluti picturam diuinitatis, qua mens nostra simillima Deo & Deiformis efficitur. Idem apertè docet D. Augustinus multis locis. Libro 9. de Trinitate cap. 10. *Omnis secundùm speciem notitia, similis est rei quam nouit.* Et capite 11. *Habet ergo animus notitiam, cùm speciem notæ simultudinem, sine cùm ea placet, sine cùm eius primitio displicet. Quæritur in quantum Deum nouimus similes simus: sed non ad æqualitatem: quia non tantum cum nouimus, quantum ipse est.* Et infrà dicit; *Cùm animus se nouit, cum habere in se similitudinem sibi æqualem.* Et Libro 14. capite 17. dicit: *In anima tunc perfectam fore Dei similitudinem, quando Dei perfecta erit visio.* Idque probat ex Apostolo 1. Corinthior. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* & illud 1. Ioann. 3. *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Deinde subdit: *Hinc apparet,*

parat, nunc in imagine Dei (nempe anima nostra) *fieri cum plenam similitudinem, quando eius plenam perceperit visionem*. Ex quibus patet, visionem Dei esse perfectam Dei similitudinem, ex sententia S. Augustini.

34 *Duplex genus similitudinis, per conformitatem naturæ, & per repræsentationem.*

Verùm vt hæc melius intelligantur, Notandum est, generatim loquendo duplex esse similitudinis genus. Primum est per quamdam naturæ conformitatem, siue perfectam: qualis est inter ea quæ sunt eiusdem speciei; siue imperfectam & analogicam; qualis est inter sapientiam creatam & increatam. Alterum est per repræsentationem, qualis reperitur in eo quod institutum est ad repræsentandum & exhibendum menti alterum.

Similitudo repræsentationis è triplex, obiectiua, formalis, & effectiua.

Rursum similitudo repræsentationis triplex est; nimirum *obiectiua, formalis, & effectiua*. Quædam enim repræsentant solum obiectiuè: nempè ex quorum inspectione colligimus quale sit obiectum seu prototypum: vt sunt omnes imagines arte factæ. Alia repræsentant obiectum formaliter per se immediate illud menti obijciendo: talis est visio oculorum, & imaginatio, & omnis cognitio ac visio intellectualis, quæ idcircò etiam Verbum dicitur; vt docet Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 16. Inter quos duos repræsentandi modos magnum est discrimen. Quod enim obiectiuè repræsentat, vt muneri suo fungatur, primò menti obiici debet & cognosci, vt ex eo mens sibi colligat & formet similitudinem prototypi. Quod verò formaliter, non debet cognosci, sed per se immediatè exhibet menti obiectum. Vnde hic modus repræsentandi est longè perfectior. Cuius etiam signum est, quòd omnis repræsentatio obiectiua procedat à formali; omnis enim imago externa obiectiuè repræsentans procedit ab exemplari mediante conceptione & verbo mentis, eiusque opus illius.

35 Denique quædam repræsentant effectiuè, quę nimirum effectiuè concurrunt cum potentia cognoscente ad producendam cognitionem, vel eam ad certam obiecti speciem determinant; vt species quæ vocantur intelligibiles, si aliquæ tales dentur; & species visibiles & habituales notitiæ, & lumen gloriæ, &c. Hæc enim omnia dicuntur esse similitudines rerum, & repræsentare sua obiecta, potissimũ quia sunt veluti semen notiuæ, & conceptus vitaliter repræsentantis.

36 *Visio Dei est etiam imago Dei obiectiua.*

Petes, Verùm visio Dei sit etiam similitudo seu imago Dei obiectiua? Respondeo esse etiam similitudinem obiectiuam: quia visio Dei talis est formæ ac speciei, vt illa probè inspecta & cognita, cognosci possit qualis & quantus sit Deus; sicut ex imaginis inspectione colligimus quale sit prototypum. Imò quidam putant, in illa posse cognosci diuinam essentiam clarè & distinctè, non quidem intuitiue, sed abstractiuè. Denique ea quæ suprà ex Augustino & Scriptura adduximus, probant visionem etiam esse similitudinem obiectiuam: alioquin per eam non efficeremur Deiformes, & Deo similes; hoc enim similitudinem obiectiuam denotat. Habet ergo se visio ad Deum sicut expressa & vitalis Dei imago, quæ ipsam eius essentiam perfectè repræsentat: sicut si daretur aliqua pictura, quæ non solum colorem & figuram externam rei, sed etiã essentiam prototypi referret.

Si physica perfectio spectetur, visio tenet primatũ.

Ex his perspicuum est, inter istos actus, si eorum physica perfectio consideretur, visionem tenere primatum. Primò, quia est expressa Dei similitudo, quod amori & gaudio non competit. Amor enim non habet rationem assimilationis, sed impetus & inclinationis; gaudium verò est instar dulcissimæ quietis. Secundò, quia Deum præsentem sistit & tenet. Tertiò, quia est radix & causa ceterorum actuum.

37 *Si consideretur vt sunt bonum Dei, amor tenet principatum.*

Secundò spectari possunt ijdem actus, vt sunt quoddam bonum Dei. In hac consideratione amor videtur tenere principatum. Amare enim nihil est aliud, quàm velle alteri bonum eo fine vt ipsi bene sit. Itaque per amorem beati Deo cupiunt, imprecantur, & toto affectu quantum in ipsis est, conferunt omne bonum. Primùm quidem omne bonum intrinsecum & increatum; nempè iustitiam, potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam, iustitiam, denique infinitam. Maiestatem & gloriam: & gaudent Deum hisce bonis affluentissimè præditum. Deinde cupiunt illi etiam omne bonum extrinsecum, & omnem creaturam seruire ipsius gloriæ, &c. Omne hoc bonum amor offert Deo, eo quantaxat fine vt ipsi sit per omnia quàm optimè; quo actu nullus potest cogitari qui magis ad Dei bonum spectet. Sicut enim si actio aliqua esset, qua omnia hæc bona reipsa producerentur, & Deo conferrentur, ea maximum esset Dei bonum, quia per illam omne bonum acquireret; ita cùm talis actio non sit possibilis, sed illa tantùm qua hæc omnia affectu & voto offeruntur, cõsequens est hanc maximè ad Dei bonum pertinere, & à Deo potissimum æstimari. Vbi enim potestas deficit, ibi affectus acceptatur. Confirmatur ex rebus humanis. Nullus enim est Princeps, qui non pluris faciat se à subditis amari quàm videri. Et idem cernitur in priuatis: amor enim est primum & maximum donum, quo nihil magis donari potest, cùm per ipsum cetera omnia donentur.

Amor est maximũ donũ.

Nec obstat quòd visio sit summa quædam Dei gloria, cùm per eam infinita ipsius Maiestas in mentibus beatorum clarè resplendeat: quia amor totam hanc gloriam, & cetera omnia Deo offert, eiusque quantum fas est, causa est & auctor.

38 *Si spectentur vt bonum hominis, gaudiũ præstat.*

Tertiò spectari possunt illi actus quatenus sunt bonum hominis, quod homo sibi maximè appetit: hoc modo gaudium videtur esse potissimum. Quod enim quisque sibi maximè appetit, est gaudium. Hoc bonorum omnium est extremum, quo obtento nihil amplius restat quod homo sibi expetat. Hinc sacra Scriptura beatitudinem passim per gaudium & exuberantem voluptatem explicat, & nobis proponit. Matthæi 25. *Intra in gaudium Domini tui*. Psalmo 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Apocal. 2. *Vincenti dabo mannam absconditũ*, &c. vbi dulcedo præmij insinuatur. Et S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 21. *Omnes*, inquit, *ipsum gaudium beatam vitam vocant*. Denique absque gaudio & voluptate nullius boni possessio magni æstimatur.

Ex his patet qua ratione singuli actus suo modo principatum teneant.

CAPVT VII.

Verùm visio Dei procedat à mente beati, an extrinsecùs à Deo infundatur?

39 QVidam Doctores considerantes eminentiam & immutabilem firmitatem illius visionis, putarunt illam non elici, nec procedere a mente nostra, sed infundi extrinsecùs immediatè à Deo, mente nostra solùm passiuè se habente. Idem sentiunt de amore & gaudio. Confirmatur Primò, Quia beatitudo est summum bonum, quod à Deo homini confertur: ergo non à nobis, sed a solo Deo procedere debet. Confirmatur secũdò, quia alioquin visio ista non erit stabilis & perpetua: poterit enim se mens aliò conuertere, & ita desinet Deum videre. Hanc sententiam tenent Guilielmus Occamus [a], Scotus [b], Durandus [c], Richardus [d], & alij quidam.

Verùm hæc sententia minimè est probanda. Constat enim ex Scripturis [e], vitam æternam consistere in hac visione. *Vita* autem omnis debet procedere ab intrinseco, & quasi ex imis visceribus eius, quod viuere dicitur, vt patet in omnibus viuentibus. Imò hac potissimùm nota viuentia a non viuentibus distinguimus, quod viuentia se ipsa moueant, & ex se in se motum causient, quem idcircò vitalem vocamus; non viuentia se ipsa mouere valeant, sed ab extrinseco motum accipiant: ergo vt *Visio* sit vita animæ, requiritur vt ab ea procedat, & veluti germen pullulet. Confirmatur, quia alioquin modo mortuo in ea reciperetur, sicut habitus & aliæ qualitas extrinsecus expressæ.

Quod vt melius intelligatur, Notandum in visione tria spectari posse. Primò, est ipsa visionis substantia. Secundò, ipsius productio seu processio, & assidua dependentia à substantia viua, qualis est anima. Tertiò, eius receptio in eadem anima. Substantia visionis est non modus aliquis tenuis, sicut in corporibus figura, sed solida qualitas & veluti pictura & imago obiecti, quæ ab Augustino *verbum* mentis dicitur. Hæc totam animam penetrat, ac pingit, eamque obiecto assimilat; sicut species colorum ope luminis ab obiectis in aerem diffusæ ipsum varijs coloribus & figuris pingunt, & viridem, flauum, cæruleũ, rubeũ, &c. miro modo efficiunt, etsi ob tenuitatem non videantur, nisi cùm certa ratione corpore denso & candido è regione

a *Occam. in 1. d. 1. q. 2. & in 4. q. 12. a. 3*
b *Scotus in 3. d. 14. q. 1. & in 4. d. 49 q. 11.*
c *Dur. in 3. d. 14. q. 1. & 4. d. 46. q. 2.*
d *Richard. in 3. d. 14. & 4. d. 49*
e *Ioann. 17. Psal. 35*

Visionẽ Dei non posse esse extrinsecùs infusam.

40 *Tria in visione spectanda: ipsius substantia, productio, receptio.*

glone oppoſito excipiuntur. hoc tamen exemplum rem nō exæquat: quia viſio longè excellentiori modo obiectum refert, quàm illæ ſpecies, quæ etiam maiorem affinitatem habent cùm ſpecie intelligibili, quàm cum ipſo actu intellectionis, ſeu viſionis. Verùm in rebus illis inferioribus non habemus aliquid cui aptiùs illàm comparemus.

Productio viſionis fit a ſubſtantia viuente, a quo ita procedit, vt ab illa aſſidue dependeat; ſicut lumen ſolis in aere ita procedit a ſole, vt continenter ab eo dependeat, & conſeruari debeat. Recepto fit in eadem ſubſtantia a qua procedit. Idem cernitur in alijs omnibus actibus vitalibus qui idcircò immanentes dicuntur. Itaque viſio vt ſit actus vitalis, ſuumque effectum formalem tribuat, id eſt, vt per eam anima verè & propriè dicatur viuere & videre, duo requirit. Primò, Vt procedat & pullulet ab ipſa anima tamquam eius germen. Secundò, Vt in eadem recipiatur: vita enim rei non poteſt eſſe quid extrinſecum, ſed debet viuenti eſſe intrinſecum, & intimè ipſum afficere. Itaque duplicem habitudinem includit ad ipſum viuens, nimirum procedentis, & informantis, ſiue effectus, & formæ.

41 *Poteſt produci à ſolo Deo, non tamen tunc erit vita anima.*

Ex quibus patet, illam imaginem ſpiritalem obiecti, quæ viſio dicitur, poſſe a Deo ſolo produci in mente hominis, ipſa mente non cooperante; quia ipſe omnem influxum cauſæ creatæ in effectum ſupplere poteſt. Verùm per talem imaginem anima non videbit, nec viuere dicetur; quia modo mortuo illam excipiet, ſicut excipit habitus infuſos, & ſicut aliæ res mortuæ ſeminanimæ qualitates impreſſas excipiunt. Videre enim non eſt tantùm illa imagine, quæ Viſio dicitur, informari: ſed eſt vitaliter informari, id eſt, cum productione ac proceſſione illius ex intimis quaſi viſceribus. Pari modo Deus per ſuam abſolutam potentiam conſeruare poteſt illam imaginem extra animam & omne ſubiectum ſicut & alias qualitates ſolidam entitatem habentes: & tunc etiam nemo per illam videbit, nullius erit vita, aut vitalis operatio, quia nihil viuere poteſt vita ſibi extrinſeca.

Ad rationem ſententiæ contrariæ reſpondeo, Sicut ipſa viſio Dei eſt eminentiſſima vita & vitalis operatio, ita etiam ab eminentiſſimo principio procedit, vt infrà oſtendetur. Ad Primam Confirmationem. Beatitudo non poteſt procedere a nobis, neque produci ſolis naturæ viribus; poteſt tamen ſi vires illæ diuino munere roborentur, elementur, & adiuuentur: & quatenus excellentia illius actus prouenit ex Dei dono, & neceſſariò ex illo emanat, meritò ipſa Dei donum, & a ſolo Deo dari dicitur. Ad Secundam Confirmationem. Non eſt metuendum ne beati aliquando a viſione ceſſent. Sicut enim in media luce oculis aperris & obiecto præſente viſio neceſſariò emanat ex oculo; ita, & multò magis, viſio beata neceſſariò emanat ab intellectu lumine gloriæ collustrato, cùm obiectum ſemper ſit præſentiſſimum, neque vllis palpebris poſſit obtegi, ſicut oculi corporales.

CAPVT VIII.

Vtrùm ad Viſionem Dei requiratur lumen gloriæ, & qua ratione?

42 *Error quorundam.*

NOn defuerunt olim quidam contemplationi perperàm dediti, qui dicerent tale lumen non eſſe neceſſarium: hominem enim viribus naturæ poſſe ſuam beatitudinem aſſequi: nimirum ſi aſſueſcat ſe introuertere, & ab omnibus imaginibus creaturarum expedire, & in fundum animæ ſe recipere. Ibi illum inuenturum Deum, & fruiturum in otio quodam & vacuitate omnium actionum: & in hoc otio conſtituebant omnem perfectionem & beatitudinem; per illud enim otium putabant ſe elevari in ipſam diuinitatem, & vnum fieri cum Deo.

Deſcribit hoc genus hominum ſuè ſanctiſſimus & illuminatiſſimus vir Ioannes Rusbrochius libr. 2. De ornatu ſpiritalium nuptiarum cap. 77. & 78. & in libello De vera contemplatione. Videntur hi planè fuiſſe illi ipſi quos Clemens V. in Concilio Viennenſi ſub nomine Begardorum & Beguinarum damnauit; vbi octo eorum errores narrantur, qui planè conſentiunt cum illis quos refert Rusbrochius. Porrò inter errores quos condemnat Concilium, quinto loco ponitur ille, *Quod quilibet intellectua-*

lis creatura in ſe ipſo naturaliter eſt beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſum eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. habentur iſta Clementina Ad noſtrum, De hæreticis. Vbi aduertendum, Concilium eo ipſo quòd damnat partem negantem, definire aientem; nimirum *quòd anima indiget lumine gloriæ ipſum eleuante ad Deum videndum.* Itaque hæc propoſitio abſque errore negari non poteſt. Quia tamen Concilium non explicat, quale illud lumen ſit, & quomodo animam eleuet, nō eſt Fide certum hoc lumen eſſe quid diſtinctum ab ipſa viſione, vel ab influxu ſupernaturali ipſius Dei quo viſio producitur: & ita opinio eorum qui putant viſionem a ſolo Deo infundi, animam ſe merè paſſiuè habente, ab errore vindicatur. Nihilominùs huic definitioni maximè conſentaneum eſt, vt hoc lumen ſtatuatur donū omnino diſtinctum ab ipſa viſione, quod ad ipſam viſionem eliciendam ſit neceſſarium. Nam Concilium ait, *Animam per lumen gloriæ eleuari ad videndum Deum*: ac proinde diſtinguit lumen a viſione. Lumen enim datur ad viſionem, & animam ad viſionem eleuat; viſio autem non dicitur dari ad viſionem, nec animam ad viſionem eleuare. Pari modo ineptè ipſe influxus Dei, quo viſio producitur, lumen diceretur. Confirmatur, Quia non eſt dubium quin illi hæretici eo modo negarint luminis gloriæ neceſſitatem, quo paſſim a Doctoribus ſtatuitur. Atqui Doctores paſſim per lumen gloriæ intelligunt donū a viſione diſtinctum, quo anima dicitur illuſtrari, vt poſſit Deum intueri: vt patet ex D. Thoma 1. par. qu. 12. art. 5. & alijs qui de hoc lumine diſputarunt. Tale itaque lumen ex mente Concilij omnino ſtatuendum videtur.

Concilij Vidnenſis definitio.

Qua ſit mens Concilij.

Sed quidnam eſt iſtud lumen, & quodnam eius officiū, & quomodo animam ad videndum Deum eleuat? Lumen illud eſt ſuprema quædam irradiatio, & participatio lucis illius, qua Deus ſeipſum videt, per quam intellectus ad ſtatum diuinum eleuatur, & fit Deiformis. Si enim ſol mundi iſtius corporei poteſt nubes aptè diſpoſitas ita illuſtrare, vt ipſæ inſtar ſolis luceant, & ſoles quidam, quos parelios vocant, eſſe videantur: multò magis poterit Deus, qui eſt ſol mundi incorporei, mentes rationales veluti nubes ſpiritales ſuo fulgore illuſtrare, vt ipſi omnino ſimiles ſint, & tamquam dij quidam diuino lumine fulgeant. Idem ex illis intelligere licet, quæ à ſole iſtum viſibilem fulgorem; quo pulcherrimè lucent. Nam vt Gregor. Nazianzenus ait: Ὅπερ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἥλιος, τοῦτο ἐν τοῖς νοητοῖς ὁ Θεός. *Quod in ſenſibilibus ſol, hoc in intelligibilibus Deus.* Itaque ex analogia rerum corporalium ſpiritalia nobis concipienda ſunt & explicanda.

44 *Quid ſit lumen gloriæ.*

Vt autem intelligatur officium huius luminis, & cur ſit neceſſarium; Notandum eſt, quadruplici ratione poſſe hoc lumen ſtatui neceſſarium eſſe ad viſionem Dei. Primò, Vt intellectum ritè diſponat ad viſionem illam à Deo impreſſam excipiendam. Verùm hæc ſententia ſupponit viſionem beatam à Deo extrinſecus infundi, & intellectū noſtrum ſe habere tantùm paſſiuè, quod ſuprà refutatum eſt. Secundò, Vt ipſum lumen ſolùm vi ſua viſionem beatificam producat, intellectu noſtro minimè cooperante. Inſinuat Scotus in 4. d. 49 q. 2. a. 4. Verùm hac ratione viſio non erit actus vitalis: nec vita animæ, quia non procederet ab anima, ſed a lumine extrinſecùs animæ impreſſo: ſicut quando aquæ vel ferro impreſſus eſt calor, ille calor ſolus operatur, & producit alium calorem aqua & ferro minimè cooperante, ſed ſolum in illa ſubiecti ſuſtentante. Simili modo anima ſe habebit ſolùm per modum ſubiecti ſuſtentantis illuti lumen & viſionem ab illo productam. Deinde ſi lumen illud ſolum producit viſionem, ipſum potiùs dicetur videre Deum & eſſe beatum quàm anima. Videre enim eſt vitaliter operari: atqui anima hic non operatur, ſed ſolum lumen, anima ſe merè paſſiuè habente.

Officium luminis gloriæ multiplex ſtatui poteſt, & maximè quadruplex.

Dices, Intellectus eſt potentia & qualitas quædam ſolida, reipſa ab anima diſtincta, & in anima tamquam ſubiecto recumbens: & tamen ſolus producit intellectiones naturales, quæ ſunt actus vitales per quos anima dicitur viuere & intelligere: ergo pari modo dici poterit de lumine gloriæ & viſione. Illud enim lumen eſt veluti intellectus quidam ſupernaturalis, per quem anima producit viſionem ſupernaturalem: ſicut per potentiam intellectiuam naturalem producit intellectiones naturales.

Reſponderi poteſt, Eſſe diſparem rationem; nam intellectus eſt ponitur qualitas ab eſſentia animæ ſeiunctim diſtincta,

BIBLIOTECA PAL. ROMA

ſtincta, nihilominùs manat ab illa, & aſſiduè ab ea dependet. Vnde per ipſum anima dicitur vitaliter operari & viuere: lumen autem gloriæ venit ab extrinſeco; & ita ipſius actus (ſi a ſolo lumine procedit) non tribuitur animæ tanquam ſubiecto ſuſtentanti.

Verius tamen puto negandum antecedens, & potentias animæ non eſſe ſtatuendas qualitates ab eſſentia animæ diſtinctas: ſed ipſam animæ eſſentiam, quatenus per ſe habet vim in ſe producendi varios actus, ſubire rationem multiplicis potentiæ, vt bene Scotus in d. 16. qua de re alibi dicendum.

46 *Lumen gloriæ non eſſe neceſſarium vt ſuppleat vicem ſpeciei intelligibilis.*

Tertiò, Poteſt hoc lumen cenſeri neceſſarium, non vt intellectum ex parte potentiæ eleuet, aut iuuet; ſed ſolùm ex parte obiecti, vt illud inſtar ſpeciei & ſimilitudinis cum obiecto coniungat, eiuſque vicem ſuppleat concurrendo cum potentia ad actum viſionis. Ita quidam recentiores. In qua ſententia multa continentur, quæ non ſunt probanda. Primo, Intellectum humanum & angelicum ex parte potentiæ habere ſufficientes vires innatas ad viſionem Dei, neque requiri ex parte potentiæ aliquod donum, quo ipſa completur & eleuetur. Secundò, Ad hanc viſionem ex parte obiecti requiri quamdam ſimilitudinem, per quam obiectum vniatur potentiæ in actu primo. Tertiò, Hanc ſimilitudinem eſſe inſtar ſpeciei impreſſæ (quam Philoſophi ſpeciem intelligibilem vocant) eamque loco obiecti concurrere cum potentia ad producendam viſionem. Quæ rò, Hanc ſpeciem eſſe lumen gloriæ. Quintò, Si Deus per ſe concurreret ad viſionem per modum obiecti, non fore opus lumine gloriæ.

47 *Vires innatæ ad actus ſupernaturales debent compleri ex parte potentiæ.*

Primum quod in hac ſententia ſupponitur, admitti non poteſt: quia certum eſt, vires innatas ad actus ſupernaturales eſſe ex parte ſua inſufficientes (quantumuis obiectum ex parte ſua perfectè ſit propoſitum) ac proinde eas debere ex parte ſua compleri, aliquo dono vel auxilio ſupernaturali; vt poſſint actum ſupernaturalem elicere. Hinc fit vt quantumuis res fidei perfectè proponantur, explicentur, & concipiantur animo, non poſſumus illis aſſentiri vt oportet ad ſalutem, niſi potentia ipſa habitu fidei, vel auxilio ſupernaturali eleuetur & iuuetur ad talem aſſenſum eliciendum. Simili modo quantumuis voluntati perfectè proponatur Deum eſſe amandum ſuper omnia, non poteſt tamen illum amare amore ſupernaturali, niſi iuuetur ex parte ſua dono charitatis. Quòd ſi ad tales actus qui multò minùs ſunt excellentes & ſupernaturales, ipſæ potentiæ ex parte ſua compleri & iuuari debent: perſpicuum eſt, id multò magis eſſe neceſſarium ad viſionem beatificam, quæ eſt in ſupremo gradu rei ſupernaturalis, & adeò ſublimis vt vix intelligi poſſit quo modo mens creata illius ſit capax. Confirmatur, Quia in actibus intellectus & voluntatis vel potentia ſola totum efficit (vt quidam volunt) & ſic neceſſariò debet compleri vt ſit ſufficiens principium actus ſupernaturalis: vel ſi obiectum, aut ſpecies vice obiecti debet concurrere cum potentia; ita concurrit, vt non augeat vel ſuppleat vim neceſſariam ex parte potentiæ, nec facit vt actus ſit ſupernaturalis, aut clarus, & obiecto quodammodò commenſus, ſed hoc totum prouenit ex virtute potentiæ: & obiectum ſolum concurrit terminando & formando actum. Sicut cùm quis ceram applicat & imprimit ſigillo, tota vis & impreſſio prouenit ab applicante ceram, & ſigillum ſolum concurrit formando. Obiecta ſunt inſtar ſigillorum, aut formarum platticarum, quibus noſtra intelligentia veluti cera aliqua materia idonea formatur, vt ſimilitudinem obiectorum accipiat.

Denique ſi illa ſententia vera eſt, angelicus intellectus non minùs ex parte ſua ſufficiens erit per ſolas vires innatas ad clarè Deum intuendum poſita ſpecie ipſius Dei, quæ ſufficiens eſt ad inquirendam eſſentiam Angeli alterius, præſertim ſuperioris, ſi eius ſpeciem habeat; quod nemo facilè conceſſerit.

48 Secundum quoque probandum non eſt, quia nulla opus eſt ſpecie impreſſa, qua Deus vniatur intellectui in actu primo, vt paſſim S. Thomas & alii docent; qui dicunt Deum non videri per ſpeciem. Ratio eſt, Quia ſi ſpecies aliqua obiecti ad intelligendum requiretur, id accidit propter abſentiam obiecti, nimirum vt quia obiectum per ſe abiens eſt, & intellectui minimè coniungatur, & per eandem veluti per ſemen ſuum concurrat ad actum intellectus formandum, & obiecto aſſimilandum. Quæ ratio hic locum non habet, quia Deus eſt intimè præſens intellectui noſtro, eique ſemper coniunctus & vnitus ratione eſſentialis dependentiæ, qua noſter intellectus ab ipſo aſſiduè pendet. Vnde ſuperflua hic eſſet ſpecies media: quia multo melius & dignius eſt, vt eſſentia diuina per ſe concurrat cum intellectu noſtro ad formandam viſionem, quàm vt concurrat per creatam quamdam ſui imaginem. Hinc angelicus intellectus non opus habet vlla ſpecie vt videat eſſentiam ſuam, quia ipſa per ſe intimè illi præſens eſt.

Species impreſſas non eſſe neceſſarias in cognitione intuitiua.

Hinc patet etiam tertium & quartum non eſſe proban- 49
da, tum quia tali ſpecie hic opus nō eſt, cùm obiectum per ſe adſit, & per ſe concurrere poſſit; tum quia lumen gloriæ ex communi Doctorum ſententia non ſe habet inſtar ſpeciei intelligibilis, quæ ſe tenet ex parte obiecti, ſed inſtar habitus eleuantis & corroborantis potentiam intellectuam. Adde, valdè probabile eſſe, nullam ſpeciem impreſſam in cognitione intellectuali, præſertim intuitiua, eſſe neceſſariam: quia ſiue ſpecies adſit ſiue abſit, potentia ſemper ab obiecto debet determinari. vnde ſuperflua videtur ſpecies. Confirmatur, Quia ſi tales ſpecies eſſent neceſſariæ, omnes Angeli per ſe eſſent cæci, nec quiſquam alterum, aut quidquam rerum quæ in mundo ſunt, cernere poſſet. Vnde deberent illa dari ſpecies tamquam conſpicilia per quæ cernerent: vel potiùs tamquam noui oculi quibus efficerentur videntes. Omitto alias rationes.

Denique nec quintum probatur; Quia obiecti concurſus non ſupplet defectum, qui eſt ex parte potentiæ, vt oſtenſum eſt. Vnde etiamſi eſſentia diuina ponatur concurrere cum intellectu inſtar obiecti vel ſpeciei intelligibilis, tamen nihilominùs intellectus ex parte ſua debet eſſe perfectus & completus, vt poſſit viſionem elicere.

Quartò, Poteſt hoc lumen ſtatui neceſſarium vt potentiam intellectiuam eleuet tum ad eliciendam ipſam viſionem, tum ad illam excipiendam. Et hoc eſt verum munus huius lumini. Quod vt intelligatur, Notandum eſt, ſecundùm veram ſancti Thomæ doctrinam, omnem naturam intelligentem res omnes concipere iuxta modū ſuum: quod intellige, quando modo naturali concipit. Hinc anima quamdiu eſt in corpore, concipit omnia, etiam ſpiritalia, per modum rerum corporalium, & ſua phantaſmate & ſpectro quodam corporali. Spiritus angelici quia puri & a corporis commercio liberi, res ſpirituales ſibi ſimiles purè concipiunt prout ſunt in ſeipſis: quia tamen ſunt naturæ limitatæ, non poſſunt clarè & diſtinctè concipere naturam immenſam, ſed confuſè tantùm vel diuiſim, & per conceptus limitatos. Quidquid enim (vt idem Sanctus Thomas docet) in aliquo recipitur, iuxta modum & capacitatem recipientis recipitur, eique certo modo debet aptari. Vt ergo mens humana poſſit clarè & perfectè concipere naturam diuinam (quæ non ſolùm incorporea eſt, ſed eũ immenſa & illimitata) opus habet aliquo dono ſupernaturali, quo ad hoc eleuetur & iuuetur. Idem dicendum eſt de mente angelica. Donum hoc vocamus lumen gloriæ; tum quia ſolùm in ſtatu gloriæ datur, tum quia tota gloria beatorum ex illo tamquam ex radice procedit.

Idem explicari poteſt ex analogia rerum corporalium. Sicut enim vt materia capax fiat nobiliſſimæ formæ, quæ eſt anima rationalis, debet diſponi & eleuari nobiliſſima diſpoſitione quæ dignitati animæ reſpondeat; ita mens humana quæ ad formas intelligibiles ſe habet inſtar materiæ, vt fiat capax nobiliſſimæ formæ quæ eſt Dei eſſentia, debet eleuari nobiliſſima diſpoſitione. Quod eò magis hic neceſſarium eſt, quòd mens humana non ſolùm debeat ſuſcipere illam formam, ſed etiam in ſeipſa producere expreſſam imaginem illius formæ per quam illa forma ipſi vniatur, nempe viſionem. Nam per viſionem ipſum obiectum, eſſentia ioquam diuina, tamquam forma intelligibilis in mente exiſtet, eique vnitur.

Vera ſententia.

Mentis humanæ gloria eſt eleuari ad eliciendam & recipiendam viſionem.

Natura intelligens res omnes naturaliter intelligit iuxta ſuum modum.

51 Sic igitur philoſophandum eſt, mentem noſtram eſſe quidem naturaliter capacem diuinitatis, ſed valdè tenuiter & confuſè. poſſumus enim ex rebus creatis multa de Deo cognoſcere: vt eſſe naturam quamdam incorpoream & immenſam, eſſe mentem purißimam infinitæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis; eſſe omnium auctorem, & gubernatorem, & ſimilia: quæ cognitio ſatis indicat eſſe in nobis vires inchoatas & imperfectas diuinæ cognitionis, per quas illum aliquo modo concipere poſſumus. Vnde conſequens videtur, illas dono ſupernaturali, & auxilio diui-

S. Thom. 1. p. q. 12. ar. 5.

Eſſe in mente noſtra vires inchoatas ad viſionem.

Ac proinde eſſe dono diuino compleri.

no posse compleri, & ita eleuari ac iuuari, vt perfectè illum possimus cognoscere. Quod enim naturaliter est inchoatum & incompletum, seu tale vt imperfectè aliquid possit præstare, potest virtute diuina ita perfici & compleri, vt possit illud præstare perfectè. Sic oculi vespertilionis, qui non nisi valdè imperfectè solem intueri possunt, diuinitus ita corroborari possunt, vt clarè & perfectè, minuendo conniuendo ipsum aspiciant. Quidquid enim ita sub obiecto alicuius potentiæ continetur, vt potentia vel cognoscendo, vel efficiendo illud aliquo modo, etsi imperfectè, attingere valeat, potest etiam perfectè ab illa attingi diuinitus ipsa iuuetur. Pari modo omnis vis creata certam habet sphæram seu limitem suæ actionis, quem naturaliter non potest excedere: nec enim ignis in quauis distantia lignum vrere, aut oculus obiectum visibile cernere potest. Si tamen diuina virtute iuuentur, nullum habent limitem quem non possunt excedere: nec vlla obstacula in medio posita possunt actionem impedire.

Potest ignis vi sua naturali spiritum corpori vnitum grauissimo dolore affligere: poterit ergo, si diuinitus iuuetur, affligere simili dolore eumdem spiritum etiam à corpore separatum; & consequenter etiam alios spiritus incorporeos. qua de re plura suo loco. Omitto alia exempla, quibus hic modus eleuationis causæ per se imperfectæ ad producendum excellentissimum effectum posset declarari.

52 *Tria præstat lumen gloriæ.*

Itaque cùm habeamus vim imperfectam & inchoatam ad cognitionem Dei, qua illum imperfectè cognoscere possimus, rationi consentaneum est, vt hæc vis possit diuina virtute ita compleri & iuuari, vt illum iam perfectè & clarè possimus intueri. Hoc autem fit per lumen gloriæ; quod est suprema quædam participata lucis illius increatæ & sui peressentialis, qua diuina mens seipsam videt. Vnde hoc lumen est vis quædam intelligendi supernaturalis omni vi naturali eminentior, superaddita intellectui beatorum, & habens pro obiecto suo primario ipsam Dei essentiam.

Itaque vt breuiter & clarè hanc rem, quantum fas est, explicem, tria præstat hoc mirandum lumen. Primò, Eleuat mentem ad statum diuinum, eamque efficit deiformem (vt Sanctus Dionysius loquitur) & similem Patri. Mens enim sic illustrata & eleuata constituitur in actu primo, & vires accipit ad productionem visionis essentiæ diuinæ: ac proinde respondet intellectui secundo, seu memoriæ secundæ (vt Scholastici loquuntur) in Patre. Secundò, Expandit mentis capacitatem in immensum, vt sit capax immensi & illimitati boni: sicut si vter qui se tantùm sit capax vnius amphoræ, ita interiùs extendatur & dilatetur, vt possit intra se complecti totum Oceanum. Sicut enim lumen illud corporale facit vt oculus corporis se extendat ad huius mundi vastitatem, eamque intra se miro quodammodo complectatur; ita lumen illud spirituale & diuinum facit, vt mens cui infederit se possit extendere, & intra se quodammodò complecti totam Dei immensitatem. Hic tamen aduerte, hos duos effectus luminis gloriæ, quos per se ipsum formaliter præstat, non esse omnino distinctos, sed necessariò coniunctos: nam hoc ipso quo mentem eleuat, eique vires ad producendam visionem tribuit, eamdem etiam expandere debet ad illam visionem capiendam: quia illa visio non alibi quàm in ipsa, ab ipsa mente, ope luminis, est producenda. Tertiò, Mentem sic eleuatam & expansam determinat & rapit in visionem, eam eminenti modo iuuando, & simul concurrendo ad illius visionis productionem: & simul essentia diuina intime præsens intellectui, concurrit instar sigilli ad eam visionem formandam & sibi assimilandam. Ea primarium officium huius eminentissimi luminis; & modum quo producitur illa beatissima visio. Vt enim sicut obiectum & fons istius luminis menti nostræ intime præsens est, ita modicam illius luminis scintillam in eam infunderet: omnibus repentè malis essemus liberi; omnes tenebræ & ignorantiæ nebulæ discuterentur; & in æternam lucem statim beati respiraremus.

53 *Tria principia ad visionem concurrūt, intellectus, lumen gloriæ, essentia diuina.*

Ex his patet tria principia ad hanc visionem eliciendam concurrere, nimirum intellectum, lumen gloriæ intellectui infusum, & essentiam diuinam. Ab intellectu habet, quòd sit actio vitalis & vita animæ: à lumine gloriæ, quòd sit supernaturalis & diuini ordinis, & clara ac distincta contemplatio: ab essentia diuina, quòd sit illius imago & visio potiùs quàm alterius rei. Quandocumque enim plures causæ partiales, vel quasi partiales, diuersæ rationis, vnam causam integram constantes ad vnum effectum concurrunt; necesse est vt in effectu sint diuersæ rationes & conditiones formaliter vel ratione distinctæ, quæ diuersis illis causis partialibus per se & directè respondeant. Si enim esset aliqua causa, cui nulla peculiaris ratio in effectu respondeat, frustra illa adhiberetur, vt quæ nihil peculiare effectui præstaret. Vnde fit vt ex diuersis rationibus quæ in effectu reperiuntur, colligere possimus, quæ causæ in illum debeant concurrere. Quare cùm in visione illæ rationes diuersæ reperiantur (esse vitam & vitalem intellectionem, esse opus supernaturalis & diuini ordinis cum diuina claritate, esse imaginem & visionem Dei) necesse est vt ab illis causis procedat, quæ has conditiones & excellentias rationes possint ei conferre. *lumen gloriæ, essentia diuina. Quid visio à singulis suis principijs accipiat. In omni effectu debet aliquid singulis causis partialibus respondere.*

Itaque necesse est, Primùm, vt procedat ab intellectu, seu à substantia intelligente: quia alioquin non erit vitalis intellectio, nec vita; ac proinde nec animam poterit beare, vt suprà ostensum est. Deinde etiam debet procedere effectiuè à lumine gloriæ, vel auxilio supernaturali, quod vices illius luminis suppleat (hæc enim in præsenti negotio non distinguo) alioquin non erit supernaturalis nec diuinæ indolis, neque clarè obiectū repræsentabit. Non enim intellectus vi sua natiua potest talem excellentiam actui suo imprimere, sed opus habet dono aliquo diuino, cuius ope id præstet. Itaque illa excellentia per se & propriè prouenit ab hoc dono, & hoc donum per se primo & directè est illius excellentiæ causa. 54

Denique debet etiam aliquo modo procedere ab essentia diuina cuius est visio & ad quam tamquam ad obiectum suum primarium terminatur: quia huius est similitudo & imago, & hanc clarè distinctèque repræsentat; quare ad eam formandam essentia debet concurrere. Sine enim tali cōcursu non facilè concipi potest quomodo ipsi essentiæ efficiatur similis. Cur enim conceptus quē mens in se formar, est potiùs imago huius obiecti, quàm alterius, si obiectum nullo modo concurrit? sicut vt cera formetur à sigillo, necesse est sigillum aliquo modo cooperari. Adde, hanc esse sententiam S. Augustini, qui passim docet cognitionem formam ab obiecto, hoc est, accipere suam formam & speciem, per quam obiecto assimilatur. lib. 15. de Trinit. c. 15. ita ait: *Tunc verbum fit verum, quando illud quod diximus volubili cogitatione inquirebamus, ad id quod scimus peruenerit, atque inde formatur, eius omnimodam similitudinem capiens*, &c. Et cap. 16. *Cogitatio nostra perueniens ad id quod scimus* (attingens obiectum) *atque inde formata verbum nostrum verum est*. Et infrà: *Verbum Dei nihil habet formabile, quod esse etiam possit informe. Formabile verbum* vocat conceptum confusum, vel cogitationem volubilem & incertam, vt cum veritatem inquirimus. Vide totum illud caput. Ex quibus manifestum est, ex sententia sancti Augustini cognitionem formari ab obiecto cognito, & ab eo similitudinem eius contrahere; quod fine aliquo concursu obiecti per se vel saltem per sui speciem (vt quidam volunt) intellectui cooperantis fieri non posse videtur. *Actum ab obiecto formari.*

55 *An concurrat intellectus vt instrumentum.*

Vna hic superest dubitatio, Vtrùm intellectus humanus vel angelicus vi sua natiua possit cooperari lumini gloriæ & influere in visionem beatam cum solo concursu generali; an verò egeat peculiari concursu Dei, quo veluti instrumentum ad hoc eleuetur. Quidam putant ad hoc debere peculiari concursu eleuari. Ratio est, quia etsi ex intellectu & lumine gloriæ vna causa integra & completa ex parte potentiæ constituatur: tamen quia tanta est eminentia illius luminis supra conditionem intellectus creati, opus est hunc nouo modo eleuari & iuuari, vt illi quasi ex æquo possit cooperari: sicut vt debilis cum robustissimo velociter trahat nauem, debet iuuari & impelli, vt alterum possit assequi, & ex æquo nauem cum illo trahere. Hæc sententia, si eminentissima illius visionis & luminis conditio spectetur, non videtur à ratione aliena, & alias quasdam perplexas quæstiones facilè dissoluit.

Nihilominus non videtur probanda. Si enim intellectus postquam lumine gloriæ tam eminenter eleuatus est & corroboratus, adhuc opus habet alia peculiari eleuatione, vt lumini illi cooperetur, nulla videtur necessitas constituendi illius luminis, cùm intellectus cum solo concursu speciali possit ita eleuari, vt Deum clarè videat. Quid enim opus

opus eſt lumine & illo ſpeciali concurſu, cùm ſpecialis concurſus etiam ſine lumine ſufficiat?

Nec refert quòd ille concurſus tunc deberet eſſe paulò maior & fortior, vt etiam vim luminis ſuppleat: quia illud incrementum eſſet eiuſdem rationis: & minus incommodi videtur ponere illum paulò fortiorem, quàm introducere tam diſformem operandi modum. Deinde ex illa ſententia ſequitur, intellectum lumine gloriæ collustratum, non eſſe ſufficiens principium viſionis ex parte potentiæ; imò nec poſſe per diuinam potentiam dari aliquod donum creatum, quod ſufficiens principium illius actus conſtituatur: ſemper enim adhuc opus erit peculiari eleuatione & concurſu ex parte potentiæ, nec ſufficiet concurſus generalis; & hic defectus nullo dono creato poterit ſupplere aut emendari: quod ſanè non videtur dicendum.

56 *Concurrit vt cauſſa principalis, ſed partialis.* Vnde verius puto, non eſſe opus alia eleuatione, aliòve peculiari concurſu, ſed ſufficere illam quam intellectus intrinſecè accipit à lumine gloriæ, quo ita eleuatur & corroboratur, ac ſi eſſet illi non donum gratiæ, ſed naturæ (ſicut ferrum non minùs vrit, quàm ſi calor foret illi naturalis) adeò vt cum ſolo concurſu generali tum ſibi, tum lumini debito, poſſit viſionem illam ex ſuis qualibus viribus in ſeipſo parere. hoc enim eſt longè perfectius, & illi beatiſſimo ſtatui accommodatius, & diuina potentia dignius. Sic enim intellectus lumine gloriæ collustratus, erit cauſſa ſufficiens illius viſionis, nec habebit ſe tantùm vt inſtrumentum à Deo eleuatum, ſed vt cauſſa principalis & connaturalis.

57 *Obiectio.* Dices, Si intellectus per ſuas natiuas vires concurrit cũ lumine gloriæ; ergo quò intellectus erit perfectior, eò quoque viſio erit perfectior, quia cauſſa integra viſionis erit perfectior. Ergo ſi Angelus & homo habeant paria merita, Angelus habebit maius præmium quàm homo: præmium enim eſt ipſa viſio. hæc in Angelo etiam cum pari lumine erit perfectior.

Reſponſio. Ad hoc multis modis reſponderi poteſt, ſed duobus maximè probabiliter. Primò, Concedendo viſionem cum pari lumine in Angelo fore perfectiorem & clariorem quàm in homine, ſi homo aliunde non iuuetur. quam ſententiam tenent plurimi Doctores, Scotus in 3. d. 13. §. Ad tertiam loquens de actu fruitionis; & d. 14. q. 4. agens de cognitione animæ Chriſti, qua cognoſcebat omnia in proprio genere. & in 4. d. 50. q. vltima. Durandus in 3. d. 14. q. 1. in fine. vbi dicit, ſi Angelo daretur tantum luminis gloriæ, quantum habet anima Chriſti, Angelum fore beatiorem anima Chriſti, ratione maioris perfectionis naturalis intellectus. Idem docet Paludanus eadem diſt. Richardus in 4. d. 49. a. 2. q. 8. & 2. 3. q. 2. Ioannes Maior, & Supplementum Gabrielis eadem diſtinctione, Caietanus in 3. p. q. 10. a. 4. & alij complures, inter quos Ludouicus Molina in 1. p. q. 12. a. 6. diſp. 2. vbi optimè eam probat. Ratio præcipua eſt, quia quando duæ cauſſæ partiales totis viribus ad eumdem effectum tamquam vna integra & adæquata cauſſa concurrunt, animo concipi nequit quo modo effectus non fiat perfectior, ſi altera ex cauſis partialibus ſit perfectior. Si enim eſt perfectior, perfectiùs influit in effectum, eiuſque influxus eſt perfectior. Niſi confugiamus ad potentiam obedientialem, & dicamus alteram illarum non operari viribus naturæ, ſed agere peculiari eleuatione & concurſu ſupernaturali Dei: quod paulò antè improbatum eſt.

Viſio cũ pari lumine in impari intellectu erit impar. Ad caſum illum parium meritorum, & paris luminis in homine & in Angelo, reſpondet Molina, Hominis intellectum natura ſua imbecilliorem peculiari concurſu Dei adiuuandum, vt tam perfectè cooperetur lumini, quã intellectus angelicus. Alij verò Doctores non grauatè concederent, eo caſu angelicam viſionem fore perfectiorem, & Angelum per idem lumen fore magis beatum, quia producet meliorem viſionem: immediatum enim præmium non eſſe viſionem, ſed lumen gloriæ: ſicut in hac vita præmium meritorum eſt augmentum gratiæ, non vſus gratiæ. Præmium enim propriè eſt id, quod à ſolo Deo datur, ad quod recipiens ſe paſſiuè habet; vt patet in omnibus præmijs, quæ pro opere rependuntur. Viſio verò habet rationem præmij mediatè: quia ex præmio dato & natura recipiente ſtatim neceſſariò reſultat. Neque hinc ſequitur, viſionem non fore præmium ſecundum ſe totam, ſed ſolùm ex parte: quia ſecundùm ſe totam & omnes ſuos gradus eſt a lumine, neque illum exceſſum perfectionis habere poſſet ſine lumine. Hæc ſententia videtur rationi & principijs Philoſophiæ ſatis conſentanea.

Secundò, Dici poteſt, illam perfectionem maiorem non efficere magis beatum, nec pertinere ad incrementum præmij, eò quòd non addat maiorem claritatem aut perſpicaciam viſioni, ſed ſolum ſit veluti perfectio materialis. Tota enim claritas prouenit non a perfectione naturali intellectus, ſed a lumine ſolo: nec poteſt ipſo lumine eſſe intenſior, quod ſecundùm ſupremum potentiæ operatur. Vnde vbi par lumen, ibi par claritas, etiamſi vis intellectiua ſit impar. Imò fieri poteſt, vt viſio quæ in ratione entis & naturaliter eſt præſtantior, ſit obſcurior vel minùs clara quam ea quæ in ratione entis eſt imperfectior: vt patet in viſione hominis & aquilæ. Viſio enim hominis cùm ſit res immaterialis, & ſedem habeat in ipſa anima rationali ſecundùm probabiliſſimam ſententiam, eſt multò præſtantior in ratione entis, quàm viſio aquilæ quæ eſt materialis: tamen hæc eſt longè clarior & penetrantior. Si id accidit in viſione corporali, nihil mirum ſi ſimile quiddam poſſit reperiri in viſione ſpirituali præſertim cùm naturam horum actuum non ſatis aſſequamur.

CAPVT IX.

Quænam videantur à beatis in Deo, vel cum Deo?

QVi hominem videt, quantumuis potentem & ſapientem, externam ſpeciem videt, animi verò pulchritudinem & perfectiones non videt: qui verò Deum videt, omnes quoque ipſius perfectiones & opes tum internas tũ externas videt. Itaque beati vident fontem vitæ, fontem lucis & ſapientiæ, fontem bonitatis & veritatis, pulchritudinis & dulcedinis, gaudij & beatitudinis. Vident ipſius eſſentiæ infinitatem, magnitudinis immenſitatem, æternitatis longitudinem, iudiciorum abyſſum, maieſtatis altitudinem, & immutabilem throni eius firmitatem. Vident eius omnipotentiã qua omnia condidit, ſapientiam qua omnia excogitauit & formauit, bonitatẽ qua omnia perficit, & ad ſe trahit. Vident ipſius miſericordiã qua peccata condonat, & iuſtitiã qua non condonata caſtigat. Deniqs vident diuinas perſonas, & earũ æternas ac eminentiſſimas proceſſiones. Quomodo Filius a Patre gignatur vt Verbũ & ſapiẽtia Patris, & maneat in Patre. Quomodo Spiritus ſanctus ab vtroque procedat vt amor, & in vtroque permaneat. Quomodo hi tres perſonali diſtinguantur proprietate, ita vt ſint tres hypoſtaſes, tres perſonæ per ſe ſubſiſtentes, & tamẽ ſimul vna numero ſint eſſentia, vna ſimplex diuinitas, vna potentia, vna ſapientia, vna bonitas, vna maieſtas, vna lux, vna immenſitas, vna æternitas. 58 *Videant beati eſſentiam diuinam, & omnes eius perfectiones. & perſonarũ diuinarum proceſſiones.*

Qui Deum vident, hæc omnia ſimul clarè, firmiter, immutabiliter, & diſtinctè vident, non diuerſis notionibus & viſionibus, ſicut nos illa concipimus, ſed vna ſimplici & lucidiſſima viſione: vident enim illa omnia in Deo ſicut re vera in ipſo ſunt. Sunt autem in ipſo non diuiſim, & per diſtinctas formas, ſicut ſunt in rebus creatis, & ſicut a nobis concipiuntur; ſed per vnam ſimpliciſſimam & eminentiſſimam rationem Deitatis, per quam ipſe ſtupendo & incomprehenſibili modo eſt omnia, quæ ipſi formaliter ineſſe dicuntur. 59 *Videns hæc omnia ſimplici viſione.*

Secundò, Vident altiſſima fidei myſteria, nempe Trinitatis (de quo iam dictum eſt) & Incarnationis, quomodo natura humana in infinitam altitudinem ſupra omnem creatam naturam ſit eleuata, & diuinitati in Verbo hypoſtaticè & ſubſtantialiter copulata: ita vt Deus verè & proprie ſit homo, & homo verè & propriè ſit Deus, quod omni intellectui creato naturaliter eſt incomprehenſibile. Myſterium quoque Euchariſtiæ, quomodo totum Chriſti corpus cum toto ſanguine, cum anima, vnione hypoſtatica & diuinitate, cum omnibus animæ & corporis glorioſi dotibus ſit ſub ſpecie panis & vini facta conſecratione, itaque toties quot ſunt iſtarum ſpecierum particulæ. Denique vident myſterium iuſtificationis & glorificationis, & cognoſcunt clarè omnia Scripturarum arcana, omnes prophetias, omnes figuras, omnes ſymbolicas adumbrationes, omnes 60 *Secundò, Vident myſteria fidei, & omnia ſacræ Scripturæ arcana.*

nes myſticos ſenſus. Hæc enim omnia vel expreſſum, vel implicitè & generatim crediderunt in via: fidei autē meroes eſt viſio, & clara cognitio. Idem inſinuat S. Auguſtinus libro 20. De Ciuit. cap. 21. *Quid*, inquit, *videbimus niſi Deum, & omnia illa quæ nunc non videmus credentes?*

61 *Videntcælestem curiā.*

Tertiò, Vident ſplendorem & pulchritudinem cæleſtis curiæ, & ciuitatis filiorum Dei: ad quam omnes huius mundi ciuitates & palatia lutum ſunt, & nullius pretij mapalia. Vident omnes beatorum Angelorum & hominū ordines, numerum, merita, dignitatem, gloriam: & omnes exactiſſimè cognoſcunt. Par enim eſt vt ciuitatem ſuam, & domum patris ſui, & fratres ſuos ac ciues optimè norint, & bonitatem Dei ac miſericordiam in ſingulis admirentur & laudent.

62 *Cæterā damnatorum.*

Quartò, Vident etiam horrendum damnatorum carcerem, ſeu abyſſum infernalem, & omnia tormenta illic impijs & peccatoribus à diuinā iuſtitia diſpoſita. Vident impiorum numerum, demerita, ſupplicia, & ſuppliciorum in ſingulis menſuram. Indicat hoc Scriptura ſtatim vltimo, vbi de impijs dicitur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt viſque ad ſatietatem viſionis omni carni*: id eſt, omnibus qui ſalui fuerint erunt ſempiternum ſpectaculum. Apocal. 14. de ijs qui Antichriſto adhæſerint dicitur: *Cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, nec habent requiem die ac nocte*. Congruit enim vt tam illuſtre opus iuſtitiæ diuinæ beatis aſſiduè ob oculos verſetur: tum vt gaudeant ſe tantis malis ereptos, & Deo gratias eo nomine agant; tum vt eius iuſtitiam magis admirentur & laudent.

63 *Prouidentiæ ordinem quo mundum ad finem adminiſtrat.*

Quintò, Vident diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem, ordinem & curſum, qua Deus ab initio mundi vſque ad finem vtitur cum genere humano, cum ſingulis Regnis, & ſingulis hominibus: ac proinde norunt omnia quæ in mundo geſta, perinde ac ſi ea coram oculis ſuis ſpectaſſent cùm gererentur. Ratio eſt, quia facta ſingulorum patere debēt ſingulis etiam reprobis, vt appareat quàm iuſtè pro meritis quiſque mercedem recipiat, quàm iuſtè huic detur gloria, & tanta gloriæ menſura; alii ſupplicium, & tanta ſupplicij menſura. Apertè id colligitur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. Vt autem opera ſingulorum ſic pateant, opus eſt & facta eorum externa patere, & conſilia ſeu intentiones, & quid diuina prouidentia cum ſingulis egerit, quoties bonas inſpirationes immiſerit, quot occaſiones ſalutis obtulerit, quoties ad pœnitentiam vocauerit, quoties mala impendentia auerterit, quanta patientia ſuſtinuerit. Horū enim omnium cognitio eſt neceſſaria, vt fiat iuſta æſtimatio ſtatus & meritorum cuiuſque. Quod ſi reprobi & damnati hæc vtcumque cognoſcent per diuinam illuſtrationem; multo clariùs, altiori ac ampliori modo id cognoſcent beati, lumine gloriæ colluſtrati.

Hæc cognitio totius decurſus mundi erit ſimilis in tuitiua.

Aduertendum tamen hanc cognitionem, etſi futura ſit clariſſima, & rerum actionumque particularium, non tamen fore propriè intuitiuam; quia hæc in creaturis requirit obiectorum præſentiam, vti modò ſuppono, illa verò obiecta omnia præterierunt. Erit tamen ſimilis intuitiuæ; quia cum circumſtantijs temporis, & loci, & modi, & inſtrumentorum, & perſonarum: ſicut cùm aliquid oculis cernimus, aut cùm eorum quæ curioſè vidimus, optimè recordamur, ponendo illa ob oculos cum omnibus circumſtantijs. Hoc modo ea quæ à ſingulis per totum mundum decurſu totius temporis geſta, & quæ à diuina prouidentia circa ſingulos acta, beatis ob oculos verſabuntur, perinde ac ſi ea præſentia intuerentur. Itaque ſcient totius mundi hiſtorias, nec opus illis erit ad hiſtoricos recurrere, quorum libri plerumq; multis erroribus vel odio, vel gratia, vel ignoratione veritatis ſcatent.

64 *Vident ſtructurā mūdi.*

Sextò, Vident totum vniuerſum, & omnes eius partes, & partium ſingularum naturas, vires, magnitudines, menſuras, proportiones, intercapedines, actiones, paſſiones, & motus. Denique nulla erit ſpecies rerum vel corporalis vel ſpiritalis, quam non perfectè cognoſcant. Colligitur hoc manifeſtè ex S. Auguſtino, qui multis locis docet vniuerſam creaturam a Deo primitus conditam duplici ratione à beatis Angelis cognoſci, nimirum cognitione matutina & veſpertina. *Matutinam* vocat eam, qua cognoſcuntur in Verbo ſecundùm eſſe increatum, incommutabile, & æternum, quod in ipſo habent, id eſt, ſecundùm ſuas conceptioſes & ideas. *Veſpertinam*, qua cognoſcuntur ſecundùm ſuum eſſe creatū, & mutabile, quod in ſeipſis habent. Ita lib. 4. De Geneſi ad litteram, multis capitibus; & lib. 5. cap. 34. & alijs multis locis, vt infra oſtendetur. Idem inſinuat Diuus Thomas 1. p. q. 12. ar. 8. & alij paſſim Doctores; eſtque maximè rationi conſentaneum, vt hæc omnia ſaltem ſecundùm ſuum eſſe creatum clarè videat. Ideò enim hæc ſunt condita, & tam multiplici ſpecie exornata, tantoque ordine diſpoſita, vt cognoſcantur, & cognoſcendo opus, miremur & laudemus opificem. Nihil itaque debet manere occultum. Beati ex omnibus debent laudare ſuum conditorem, qui eorum cauſa hæc omnia fecit. Accedit quòd ad hæc cognoſcenda ſit in nobis naturale deſiderium, quod decet ibi expleri. Neque verò hoc ob multitudinem, varietatem & diſtantiam rerum videri debet impoſſibile. Si enim oculus corporeus res innumeras, & longiſſimo interuallo diſſitas ſimul comprehēdere poteſt; & is vndique lucidus foret ac liber, totum ſimul mundum poſſet intueri: quanto facilius & perfectius id poterit oculus mentis lumine gloriæ illuſtratus?

65

Imò valdè probabile eſt, totum hoc vniuerſum, omneſque eius partes ab Angelis & dæmonibus ſimul videri, etſi non ita diſtinctè & perfectè in hoc generali intuitu videantur ſingula, ac ſi per ſe & ſeorſim inſpicerentur: ſicut exemplo oculi rotundi & acutiſſimi viſus declarari poteſt.

Neque ſolùm hoc vniuerſum eiuſque partes intuentur, ſed ſimul vident earum dependentiam, qua aſſiduè dependent à Deo, & ab eo ſuum eſſe & ſpeciem accipiant, & firmiſſimè in eo conſeruantur, alioquin in nihilum mox ruituræ. Vident enim Deum in rebus omnibus, tamquam lucem omnia penetrantem & formantem; & res omnes in Deo tamquam in formante, ambiente, & conſeruante. Cū enim ipſa extrema, nimirum creatorem & creaturam clarè videant, non poſſunt non ſimul videre connexionem & dependentiam alterius ab altero, creaturæ à creatore, præſertim cùm hæc ipſi creaturæ ſit eſſentialis, nec ſine ea pleniſſimè queat ipſa cognoſci.

66 *Cognoſcunt multa futura.*

Septimo, Cognoſcunt etiam multa futura quæ ad ipſorum familiam, vel ad amicos aut inimicos pertinent; item orationes viuorum, quæ ad ipſos diriguntur, & honores ac contumelias quæ ipſis hic fiunt. Denique omnia quæ hic exterius geruntur, vel actu cognoſcunt, vel facilè cognoſcere poſſunt. Ita ferè ſentiunt communiter Doctores, etſi multùm diſſentiant in modo quo hæc cognoſcantur: de quo proximo capite dicendum.

Vt igitur in ſummam colligam quæ diximus, vident beati eſſentiam diuinam, & omnem eius perfectionem, perſonarum proceſſiones, omnia fidei myſteria, omnia Scripturarum arcana, omnem Sanctorum gloriam, omnia impiorum ſupplicia, totum diuinæ prouidentiæ ordinem, & humani generis curſum, totius vniuerſi ſtructuram; & à Deo dependentiam; denique ea quæ in mundo geruntur, & in primis quæ ad eos quoquo modo pertinent.

CAPVT X.

De modo quo iſta à beatis videntur.

67

EXplicimus breuiter quàm multa & mirabilia videātur a beatis; nunc oſtendendum quibus modis hæc omnia videantur: in eſſentia diuina, an ſolum in proprio genere. Multi modi ſtatuuntur à Doctoribus.

Oia cognoſci in Deo vt in cauſa.

Primus eſt, quo pleraq; omnia iam cōmemorata videantur in eſſentia diuina tamquā in cauſa; ita vt ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ cernantur, dum viſio non ſiſtit in diuina eſſentia, ſed vlteriùs trāſit, & terminatur ad ipſas creaturas, nō ſolùm vt ſunt poſſibiles, ſed etiā vt actu exiſtūt: ſicut cū cauſa aliqua ita perfectè penetratur, vt ex vi illius cognitionis, cognoſcantur diſtinctè effectus, quos poteſt producere. Quæ ſententia probari poteſt: quia Deus ſic oia cognoſcit, vt expreſsè docet & probat S. Dionyſius Areopagita. c. 7. De diuinis nominibus, vt dicit: *Deus ex ſe & in ſe ſecūdū cauſam omnium notionem & ſcientiam rerum habere accipitur, & comprehenſam, & ſecundùm unicam cauſæ complexionem*

ſeu comprehet ſinem omnia ſcire,&c. Atqui beatorum cognitio eſt participatio cognitionis diuinæ; ergo ipſi ſimiliter res cognoſcunt. Hunc modum amplectitur D. Thomas 1. p. q. 12. art. 8. & multi alij Doctores, eſtque valde mirabilis, ſi eſt verus; nullus enim fingi poteſt ſublimior.

68 *Non cognoſcit res creatas in Deo vt in cauſa.*

Sed hic modus non paruas habet difficultates. Primò, Si illa videntur ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, neceſſe eſt vt à primo momento beatitudinis videantur, quia viſio illa eſt omnino immutabilis; neque fieri poteſt vt ex vi illius aliquid noui videatur, quod ab initio viſum non fuit, niſi ipſa mutetur. Atqui parum videtur probabile, beatos ab initio ſuæ beatitudinis videre omnes preces, omnia vota, omnia feſta, omnes honores, omnes ſtatuas, omnia ſacrificia, omnes oblationes, omnes peregrinationes, omnia ieiunia, quæ ad ipſos honorandos, & aliquid ab ipſis impetrandum à viuentibus fient, & omnia miracula quæ ipſi facturi ſunt; quæ tamen omnia ad eorum ſtatum pertinere dicuntur, ac proinde in Verbo videri debent, vt illi auctores volunt. Quid enim opus eſt illa ab initio videre, cùm abunde ſatis ſit ea videant ſuis temporibus dum fiunt, & ad illos diriguntur, vel cùm aliquid ab ipſis petitur. Tunc enim ſat tempeſtiuè nos exaudire & ſuccurrere poſſunt.

Vt autem cognoſcantur cùm fiunt, non eſt opus ea videri in diuina eſſentia tamquam in cauſa; quia poſſunt in ſeipſis directè & immediatè cognoſci, maxime a beatis. Si enim Angeli & dæmones naturaliter poſſunt cognoſcere ea quæ hic ad eorum honorem vel contumeliam fiunt, & preces ac inuocationes quæ ad ipſos diriguntur (præſertim ſi ſigno externo prodantur) multò magis id poterunt beati per lumen gloriæ. Imo valdè probabile eſt, Angelos & dæmones etiam internas noſtras cogitationes, cũ eas ad ipſos dirigimus, cognoſcere: ſicut mutuas inter ſe cogitationes & deſideria polita ſimili directione norunt, vt recte Sanctus Thomas docet 1. p. q. 107. art. 1. & 5. Neque corporis noſtri craſſities, vel diſtantia locorum obſtat quo minus beati e cœlo hoc intueri queant, cùm viſio ſpiritalis omnia penetret, neque a locorum interuallo, vel medij interiecti diſpoſitione pendeat. Ex quibus patet, ſuperuacaneum videri, illa à principio, & in diuina eſſentia videri.

Angeli & dæmones quando cognoſcunt noſtras cogitationes, & quo modo.

Secundò, Quæcumque videntur vi beatæ viſionis, firmiter & immutabiliter videntur in omnem æternitatem: quia non poſſunt deſinere videri, niſi illa viſio mutetur, quod nullo modo fieri poteſt. Atqui parum credibile eſt omnia illa, nempè hominum preces, vota, feſta, honores & ſimilia, quæ ad eorum ſtatum pertinere dicuntur, firmiter & immutabiliter non ſecus ac ipſam eſſentiam diuinam à beatis in omne æuum eſſe intuenda: quia hæc parui ſunt momenti, & parum ad eorum beatitudinem refert, ſiue actu cogitentur, ſiue non cogitentur, præſertim poſtquam trâſierunt. Denique nec inter mortales honorificum eſt vel laudabile, aſſiduè honores tibi exhibitos, vel beneficia alijs præſtita ob oculos habere.

69

Idem dixerim de ijs quæ ad familiam pertinent, vt ſunt ſucceſſus proſperitatis, ſiue carnalis (qualis Abrahamo & Iacobo reuelatus) vel ſpiritalis (qualis eſt ordinis Religioſi) propagatio, illuſtria facta, ſanctitas, vigor inſtituti, diſciplinæ eneruatio, lapſus Religionis, plurimorum ſcandala, & apoſtaſia. Satis enim eſt hæc videri dum fiunt, vel a Domino ijs quorum intereſt opportunè reuelari. Nec opus eſt vt ab initio beatitudinis, & in omne ęuum hęc mente beatorum obuerſentur.

70 *Angeli interdum ignorãt quæ ipſis agenda.*

Tertiò, Angeli ſancti ſæpè ignorant ea quæ ab ipſis agenda ſunt, quę tamen maximè ad eorum ſtatum pertinent, ſed de his Deum conſulunt, & nouas accipiunt reuelationes, vt ex capit. 10. Danielis colligitur, & communiter Doctores tradunt. Ergo non cognoſcunt illa in diuina eſſentia. Multo ergo minus Fundatores Religionum cognoſcunt in eſſentia diuina ea quæ pertinent ad ipſarum Religionum ſucceſſum, &c.

Quartò, Quia vix concipi poteſt, quomodo iſta facta particularia ab hominum libertate pendentia, & nullum ordinem ad rerum naturas, vel ad diuinã eſſentiam vt cauſam habentia, videantur a beatis ex vi intuitionis, & penetrationis ipſius eſſentiæ. Ergo ſine magna aliqua ratione vel auctoritate non eſt ſtatuendum.

Quintò, Si loquamur de natura ſpiritali & corporali, nempe de ipſo vniuerſo & partibus eius, maior videri poterat ratio. Verùm nec illa quidem videri in eſſentia diuina vt in cauſa, ex eo probari poteſt, quòd nihil ſit in eſſentia diuina, ratione cuius hæc potiùs creatura quàm illa repræſentetur. Omnes enim res tam quæ actu creatæ, quàm quæ poſſunt creari, æquè & eodem modo in illa continentur tamquam in cauſa: nec illa maiorem propenſionem aut connexionem habet cum his rebus quæ actu creatæ ſunt, quàm cum ijs quæ creari poſſunt, & numquam creabuntur, neque cum hoc mundo, quàm cum mille alijs, qui fieri per eius omnipotentiam poſſunt.

Nec obſtat quòd iſte mundus iam actu a Deo dependeat, alius vero non dependeat: quia id non prouenit ex ratione eſſentiæ, quaſi eſſentia diuina ex ſe hunc magis reſpiciat quàm alium, ſed ex libera voluntate. Itaque cùm eſſentia diuina ex ſe eodem modo ſe habeat ad omnia poſſibilia, & actu exiſtentia, nulla eſt ratio, cur ex vi intuitionis eſſentiæ hæc potiùs quàm alia creatura cernatur. Quare neceſſariò dicendum videtur, vel omnes creaturas a beatis in eſſentia diuina videri, vel nullas diſtinctè. Omnes autem videri non poſſunt, quia ſunt infinitæ: nullus enim creatus intellectus ſimul eſt capax diſtinctæ cognitionis infinitorum, quia opus eſt infinito lumine & infinita attentione; vnde ſoli Deo conuenit ſimul cognoſcere infinita, vt Scriptura inſinuat, cum ait: *Et ſapientiæ eius non eſt numerus*. Conſequens ergo eſt, vt nulla hoc modo diſtinctè videntur. Quod in primis verum eſſe iudico, ſi loquamur de viſione propriè dicta; ſeu cognitione intuitiua, qua res ipſæ videntur in ſe vt exiſtunt cum circumſtantijs loci, temporis, ordinis, operationis, &c. Cognitio enim in cauſa non terminatur ad effectus in individuo vt exiſtunt, ſed in ſpecie vt abſtrahunt ab hoc vel illo individuo: ex cepta cognitione Dei, qua ipſe in ſua eſſentia omnia videt propter infinitam efficaciam, quę ſe ad omnia in particulari extendit, vt ſtatim dicemus. *Pſalm. 146*

Si verò loquamur de cognitione abſtractiua, concedi poteſt, omnia poſſibilia generali quadam ratione a beatis in eſſentia diuina cognoſci, quatenus vident illam infinitam eſſe, omnipotentem, & infinitis modis imitabilem. Credibile tamen eſt, eos ex vi huius cognitionis non poſſe formare proprios conceptus creaturarum, & concipere quo modo ſingulæ ſunt formandæ & creandæ.

Præterea, ſi vident aliqua intuitiuè in Verbo, maximè decet vt videant ſocietatem Sanctorum, & cæleſtem Ieruſalem. Atqui hanc non vident in Verbo. Si enim illam viderent, cernerent illam completam, qualis futura eſt poſt iudicium, non qualis eſt modò, quando adhuc eſt imperfecta, & ædificatur in dies; ac proinde viderent numerum prædeſtinatorum: imò in particulari viderent omnes prædeſtinatos, eorumque coronas, & ſedes, & menſuram gloriæ cuiuſque; quod non eſt conſentaneum doctrinæ ſanctorum Patrum, & Eccleſiæ, quæ ita orat: *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus, &c.*

Denique, ſi vident totum vniuerſum in Deo tamquam in cauſa, vel vident illud ſolùm ſecundùm ſtatum quem habet eo tempore quo primò vident Deum; reliquos verò eius ſtatus non vident: vel vident illud ſecundùm omnem ſtatum, quem ab initio vſque ad finem habebit.

Neutrum rectè dici poteſt. Non prius: nulla enim eſt ratio cur in omnem æternitatem debeant videre vniuerſum ſecundùm ſtatum illius temporis dumtaxat, & non ſecundùm alios ſtatus; præſertim cùm alij ſint magis admirabiles, & magis digni viſione. Neque etiam poſterius dici poteſt: quia ſic cognoſcerent omnia præterita & futura, & in primis diem iudicij, qui maximè eſt admirabilis, quod Scripturis & Patribus non eſt conſentaneum.

Si dicas, Non videri ſecundùm hos vel illos ſtatus, ſed vt abſtrahit ab illis: hoc eſt contra rationem Viſionis intuitiuæ, quæ fertur in rem conſideratam cum circumſtantijs loci, temporis, modi, &c.

Ob has rationes multi Doctores hunc modum videndi res in Deo non admittunt, quos refert & ſequitur Gabriel Vaſquez in p. 1. diſp. 50. vt ſanctos Bonauentura, Scotus, Occam, Gabriel, Marſilius, Paludanus, Almainus, Petrus Alliacenſis, Ioannes Maior, & multi recentiores.

Nec obſtat quod Deus hoc pacto res videat; longè enim eſt diſpar ratio intellectus diuini, & intellectus creati. Ille enim quia plenißimè eſſentiam & omnipotentiã diuinam com-

comprehendit, distinctissimè concipit omnia possibilia, & omnium possibilium complexiones: quæ cognitio hoc ipso quo aliquid ex istis aliquando actu existet, se ad illud extendit, absque vlla sui mutatione vel additione; & ita ex simplici intelligentia transit in visionem. Nullus autem intellectus creatus potest essentiam diuinam comprehendere, sed quantumuis perfectè illam videat, hæc tamen visio in infinitum a comprehensione distat. Deinde cognitio rei, vt est possibilis, non potest in intellectu creato fieri visio rei actu existentis, nec potest se ad illam rem extendere, nullo facto additamento; quia est limitatæ perfectionis.

72 Secundus modus est, quo videantur res creatæ in Verbo diuino, non ex vi visionis diuinæ essentiæ, vt nunc explicatum est: sed in ideis, seu exemplaribus suis: quæ Verbo peculiari modo tribuuntur, sicut potentia Patri: quia Verbum per intellectum procedit, & sapientia dicitur. Hunc modum multis locis statuit sanctus Augustinus. Docet enim sanctos Angelos, cum res crearentur, duplici modo eas cognouisse: nimirum in Verbo, & hanc vocat cognitionē Matutinam, & in proprio genere, hanc vocat Vespertinam: & ex istis duabus cognitionibus constituit ipse sex illos dies (quibus Genesis 1. creatus dicitur mundus) secundum sex genera rerum, quæ singulis diebus vel creata, vel distincta, & digesta ibidem narrantur. Quòd si Angeli hoc modo res cognoscunt in Verbo, dubitandum etiam non est, quin animæ beatæ, quæ sunt Angelis æquales, simili modo cognoscant. Hanc doctrinam tradit S. Augustinus lib. 4. De Genesi ad litteram, pluribus capitibus, præsertim a capit. 21. vsque ad finem libri, libr. 83 quæst. q. 46. & libr. 65. quæst. q. 26. & lib. 11. De ciu. Dei cap. 7. & alibi.

Res creatæ videantur in ideis.

73 Verum hæc doctrina dupliciter intelligi potest. Primò, Vt cognitio creaturarum in Verbo, nullo modo se extendat ad illas vt sunt in seipsis, sed solum ad illud esse quod habent in Verbo. Secundò, Vt hæc cognitio primario quidem terminetur ad esse quod habent in Verbo; secundario tamē se extendat ad ipsas creaturas vt sunt in seipsis. Priorem modum amplectuntur quidam Doctores: qui vt intelligantur, Notandum est, creaturas habere duplex esse secundum Augustini doctrinam, nempe creatum & increatum. Creatum habent in seipsis: increatum in Verbo diuino, in quo sunt omnes rerum ideæ, seu rationes secundum quas ipsæ res sunt conditæ. Simili modo domus arte facta habet duplex esse: in seipsa, quatenus fortis ex lapidibus & lignis sic compositus constat; & in mente artificis, quatenus ab illo concipitur. Nam conceptus ille est similitudo domus, & quoddam eius esse intellectuale, seu spirituale, per quod ipsa est in mente artificis. Itaque conceptus diuinæ mentis, quo distinctissimè & lucidissimè concipit creaturam, & quando vult eam producit ac format, est quoddam esse ipsius creaturæ, per quod ipsa dicitur esse & viuere in Deo & Verbo diuino. Et hoc modo omnis creatura in Deo est vita iuxta Augustinum, etiamsi in se sit inanima, vt saxum, terra, & cetera elementa: quia conceptio illius per quam in Verbo existit, quæque illius esse intellectuale censetur, vita est.

Dupliciter hæc sententia potest intelligi.

Lib. 9. quæs. q. 26. & tra. 1. in Ioan.

Vult igitur S. Augustinus (vt illi Doctores ipsum exponunt) creaturas videri a beatis Angelis in Verbo non secundum esse creatum, quod habent in seipsis, sed secundum esse increatum, quod habent in Verbo: quia beati vident clarè ipsam Dei sapientiam, quæ est idea, conceptio & ratio, qua creaturas in se ab æterno concepit, & secundum quam in tempore foris produxit.

74 Verum si verba S. Augustini variis locis expendantur, plus omnino velle videtur; nimirum cognitionem illam, qua cognoscuntur in Verbo secundum suum esse increatum, seu ideam, non ibi sistere, sed etiam ad ipsas creaturas, vt in seipsis sunt, extendi: nam ipse secundum sex genera rerum distinguit sex cognitiones Angelorum in Verbo; & sex extra Verbum: ex quibus tamquam ex mane & vesperè putat constare sex illos dies, quibus Genesis 1. conditus legitur mundus. Sic enim ait libro 65. quæst. q. 26. *Sit ergo in cognitione spirituum dies primus; in cognitione firmamenti secundus; in cognitione diuersorum terræ ac maris tertius: in cognitione solis ac lunæ & stellarum quartus; in cognitione reptilium & volatilium quintus; in cognitione iumentorum & ferarum, vel ipsius hominis, sextus.* Itaque distinguit sex cognitiones Angelicas in Verbo, secundum sex genera rerum. Atqui nisi cognitio istarum rerum in Verbo terminetur ad res ipsas vt sunt in seipsis, sed sistat in contemplatione Verbi, non poterunt distingui cognitiones in Verbo iuxta rerum genera: quia res secundum illud esse quod habent in Verbo, nullam habent distinctionem: neque illud esse potest concipi vt multiplex, nisi in ordine ad res creatas: nulla enim est distinctio inter ipsas ideas nisi concipiantur in ordine ad creaturas existentes, vel possibiles. Ergo non possunt statui sex cognitiones in Verbo, quibus cognoscantur ideæ repræsentantes sex genera rerum creatarum, nisi & ipsæ res creatæ cognoscantur. Deinde S. Augustinus ibidem ait: *Omnis creatura antequam tempore suo fieret, in ipso Dei Verbo prius ab Angelis cognoscenda, & sic suo tempore facienda.* Atqui creatura non potest dici prius cognita in Verbo, si solum Verbum & sapientia diuina sunt cognita. Rursus ibidem Augustinus: *Creatura plus videtur in arte qua facta est, quàm ipsa in seipsa qua facta est.* Atqui si cognitio qua cognoscitur in arte, nullo modo se extendit ad ipsam rem creatam, ipsa non plus ibi cognoscitur; quia penitus quid & qualis sit ignoratur. Idem lib. 83. quæst. q. 46. dicit, *Ideas videri ab anima pura, quatenus sunt propriæ rationes rerum singularum*, ac proinde vt sunt aliquo modo distinctæ; quod ipse apertè insinuat, cum ait: *Non eadem ratione conditus est homo, qua equus; hoc enim absurdum est existimare: singula igitur propijs condita sunt rationibus.* Per rationem intelligit ideam, vt patet ex antecedentibus. Atqui vt sunt propriæ rationes rerum singularum, & inter se aliquo modo distinctæ, non possunt cognosci, nisi etiam ipsæ in se cognoscantur: quia nullam inter se habent distinctionē, nisi in ordine ad res ipsas. Idem lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 22. docet, Angelos cum conderetur mundus, prius in Verbo vidisse rem quamlibet, quæ condenda erat, quàm ipsa res in se conderetur. Item à Verbo accepisse cognitionem rei condendæ. Vbi clarissimè significat ipsos non solum vidisse generali modo rerum ideas, seu Dei sapientiam; sed ita distinctè, vt ex vi illius visionis etiam viderent res ipsas creandas.

Quomodo videantur in ideis secundū Augustinū.

Itaque non videtur dubitandum, quin hæc sit S. Augustini sententia; & hoc modo illum intelligit S. Thomas, & plerique Doctores. Hic modus est etiam valde mirabilis. Si in Deo essent diuersæ rerum notiones ac conceptiones, sicut in mente artificis creati, facilè esset intelligere, quomodo in Verbo videantur ideæ, vt sunt rerum propriæ notiones & exemplaria; & ex vi earum cognoscatur quales sint res quæ secundum illas creatæ vel creandæ: sed nullæ in Deo sunt distinctæ rerum conceptiones, sed vna simplicissima conceptio essentiæ ipsius, est omnium rerum creandarum notio, conceptio, & idea; nullam habens cum rebus creandis similitudinem, aut conuenientiam formalem, sed solum virtualem, & eminentem. Vnde non apparet ratio, cur huius rei potius idea quàm illius videatur; cur rerum potius creatarum, quàm non creatarum, &c. Nihilominus propter S. Augustini & Scholasticorum auctoritatem hæc sententia si rectè explicetur, est valdè probabilis; quomodo autem explicari possit, infrà ostendetur.

Tertius modus est facilior, quo res creatæ statuuntur cognosci directè in se ipsis dum existunt: vel in causis suis necessarijs & determinatis, si tales causas habent; vel diuina reuelatione, si nec actu existunt, nec causas necessarias; sed liberas habent: qualia sunt futura & præterita quæ a libero arbitrio Dei, Angeli, vel hominis pendent.

75 *Quomodo videantur res creatæ.*

Itaque mysteria Fidei videntur immediatè in seipsis dum existunt: vt mysterium vnionis hypostaticæ, & Eucharistiæ, sanctificatio peccatorum, & omnia quæ sunt in cælesti patria, & quæ apud inferos. Item totius mundi ex suis partibus constitutio: vt rectè docet Scotus in 4. dist. 10. quæst. 9. & alij Doctores passim; omnes enim hunc modum admittunt. Ratio est, quia ad hæc omnia clarè & perfectè intuenda sufficit lumen gloriæ. Quò enim lumen est superius, eo perfectius & ad plura se extendit: & quod sufficiens est ad clarè intuenda superiora, etiam sufficiens est ad clarè intuenda inferiora, vt patet ex lumine naturali intellectus angelici, quod per se quidem & directè respicit obiecta spiritalia tamquam sibi commensa & proportionata; nihilominus etiam extendit se ad omnia corporalia, etsi inferioris ordinis. Pari modo lumen

Lumen gloriæ etiam se extendit ad res creatas & corporales.

gloriæ etsi directè respiciat diuinam essentiam tamquam obiectum primarium & eiusdem ordinis ; tamen etiam se extendit ad res creatas tam corporales quàm spiritales, quas longè clariùs facit videri, quàm lumen naturale intellectus angelici: idque sub altiori quadam ratione, nimirum vt intimè sunt connexæ Deo, & habent dependentiam ab essentia diuina omnia creante, formante & conseruante: quæ dependentia & connexio absque lumine gloriæ clarè & distinctè cognosci nequit. Vident quidem Angeli & dæmones lumine naturali res creatas, & earum essentiam; non tamen sublimi illo modo, ita vt videant eorum cum Deo intimam connexionem. Vt enim dependentia alicuius effectus a sua causa perfectè cognoscatur, necesse est ipsam quoque causam perfectè cognosci. Cùm ergo omnium causa sit essentia diuina, a qua omnia essentialiter dependent, vt hæc dependentia perfectè cognoscatur, debet quoque essentia diuina perfectè cognosci: quod fieri nequit nisi per lumen gloriæ.

Idem confirmatur ex D. Gregor. lib. 2. Dialogorum c. 35. vbi docet, animæ suum per lumen diuinum ita expandi in Deo, vt superior fiat mundo, & totum mundum tamquam rem exiguam sub se per idem lumen videat.

76 *Triplex rerum dependẽtia à Deo: vt à causa efficiente exemplari, & finali.*

Sed vt melius hæc res intelligatur, considerandum est: totum hoc vniuersum, & res creatas singulas, triplicem à Deo habere dependentiam. Primò, tamquam à causa efficiente & conseruante. Secundò, vt a causa exemplari. Tertiò, vt à causa finali. Vt prima dependentia perfectè cognoscatur, necesse est perfectè cognosci Dei omnipotentiam, qua omnia ex nihilo ad esse eleuantur & creantur. Vt secunda videatur, necesse est videri clarè ipsum exemplar secundùm quod & per quod res formantur, & hanc vel illam speciem accipiunt: & hac ratione concedendum est, videri ideas a beatis, & res creatas videri in Verbo; nimirum quia vident conceptionem diuinæ mentis & rem creatam, & quomodo res illa secundùm illam conceptionem sit formata, & ab illa tamquam exemplari, & quasi sigillo, assiduè dependeat. Conceptio enim diuinæ mentis omnia instar sigilli signat & formar, & speciem singulis imprimit.

Neque ob rerum diuersitatem fingendæ sunt in Deo diuersæ conceptiones, quæ diuersis rebus respondeant; sed vna simplicissima notio, qua omnia perfectissimè concipit, sufficiens est vt ratione suæ eminentiæ, qua omnes distinctas conceptiones eminentissimè continet, & omnibus illis æquiualet, & infinitè antecellit, omnia repræsentare, omniumque exemplar esse possit. Quomodo tamen in particulari sit singularum rerum exemplar, non perfectè cognoscitur, nisi visis rebus quæ ab ea formantur. Sicut qui videt aliquod exemplar, non cognoscit statim quarum rerum sit exemplar, nisi visis rebus. Neque ad hoc opus est vt fiat variatio in visione beatifica; sicut vt cognoscam exemplar quod intuer, esse huius rei exemplar, & hanc rem ad illius imitationem esse factam, non est opus vt fiat aliqua variatio in visione exemplaris, & aliquid de nouo in illo videam quod antea non videbam; sed sufficit vt videam hanc rem ad illius similitudinem esse formatam, quod antea nó videbam. Vt autem hoc videam, opus est quodammodo triplici visione: nimirum visione exemplaris, & visione rei ad exemplar formatæ, & visione conformitatis rei cum suo exemplari, ac dependentiæ ab illo. Idem vsu venit in contemplatione omnis proportionis. Visio exemplaris manere potest firma & inuariata. Visio rei ad exemplar formatæ potest de nouo incipere, & desinere, cùm sit rei creatæ. Similiter visio conformitatis incipere & desinere potest: omnis enim conformitas, similitudo & proportio videri desinit altero extremo desinente videri; nam vtriusque extremi cognitio concurrere debet. Simili modo dependentia rei a Deo tamquam causa efficiente videri desinit, re ipsa desinente, etiamsi circa visionem Dei nulla fiat variatio.

Tertia dependentia est, vt a causa finali. Hæc cognosci perfectè non potest, nisi cognoscatur dignitas & excellẽtia diuinæ Maiestatis, quæ est omnium rerum finis, & ad cuius gloriam omnia sunt condita. Non enim extrinseca aliqua relatione ac destinatione omnia sunt propter ipsum, & seruiunt gloriæ ipsius; sed ex natura sua, & intima essentiæ ratione: neque aliqua res creari potest, quæ ex natura sua ipsius seruituti non sit addicta. Seruiunt autem ipsi vel mente (vt Angeli & homines) vel sua specie (vt cætera omnia) ipsum laudando, eiusque potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, misericordiam repræsentando, vel admirando, & laudando, &c.

77 *Beati triplici modo videns res pendere à Deo.*

His positis non est difficile concipere animo quomodo beati res creatas a Deo triplici modo pendere, & in Deo tamquam in causa contineri videant. Vident enim essentiã diuinam tamquam lucem in immensum diffusam & infinitè perfectam. Vident totum vniuersum ab illa luce funditus penetratum & circumfusum: vident totius vniuersi ab illa luce triplicem dependentiam, ac intimam cum illa cõiunctionem, nimirum quomodo ab illa ex nihilo creetur: quomodo arte diuinæ mentis formetur, & notioni diuinæ seu ideæ conformetur: quomodo ipsius gloriæ natura sua seruiat, & totum sit ad ipsum. Hoc sensu verissimè dici potest, omnia videri in Deo tamquam in causa; præsertim cùm omnia etiam intra illum tamquam intimum spatium contineantur, & omnia in illo tamquam omnipotente & omniteuente fundo (vt Dionysius ait) recumbant; & ipse penetret & ambiat omnia, sicut immensum pelagus penetrat & circumfundit spongiam, & lumen solis globum vitreum in aere pendentem. Vnde si spongia in mari existens rectè dicitur videri in mari, & globus vitreus in aere pendens, in aere ac lumine solis: multo magis & perfectiùs res dicentur videri in Deo, a quo triplicem habent naturæ suæ dependentiam, & cui intime sunt cõnexæ. Neque ad hoc opus est, vt eadem prorsus visione videantur qua ipse Deus; sufficit vt eodem lumine & impetu: sicut cùm plura simul videntur, quę eodem loco, & inter se connexa sunt. *Quomodo res creatæ videntur in Deo.*

78 *Quomodo quæ non existunt, videntur.*

Quod verò attinet ad ea quæ non existunt, sed vel iam olim præterierunt, vel aliquando futura sunt; si causas creatas habent a quibus necessario rerum cursu & ordine pendent, ea cognosci possunt a beatis ex vi ipsarum causarum, quas comprehensas animo tenent: vt sunt eclipses omnes præteritæ & futuræ, & reliquæ astrorum coniunctiones, oppositiones, aspectus: & omnia quæ ita ex vi astrorum fiunt, vt nulla causa libera interueniat.

Si verò pendent a libertate arbitrij, qualia sunt facta hominum, dæmonum, Angelorum, & diuinæ prouidentiæ multiplex gubernatio: ea si præterita vel futura sint, nec in seipsis inspici intuitiuè possunt à beatis, cùm in se non sint nec in causis suis certo cognosci, vt quæ sint liberæ & indeterminatæ; nec in decretis diuinis, quia hæc cùm libera sint, nec vllam necessariam cum essentia connexionem habeant, ex vi diuinæ essentiæ videri non possunt. Quod confirmari potest ex Apostolo 1. Corint. 2. *Quæ sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei.* Loquitur Apostolus de diuinis decretis & consilijs. Restat igitur vt hæc videantur diuina reuelatione, vt Apostolus ibidem ait. Non tamen negauerim quin Deus possit ipsa decreta in se ostendere, ita vt intuitiuè videantur & immediatè: tunc tamen non esset necesse vt videantur ex vi essentiæ. modus autem per reuelationem videtur accommodatior.

79 *Qualis reuelatio fiat beatis.* *Totus mundi cursus ponitur illis ob oculos.*

Sed quomodo fit beatis hæc reuelatio? Respondeo, Modo clarissimo & eminentissimo. Quia in re duo sunt considerandà. Primò, Quod ea quę toto sæculorum decursu peracta sunt in mundo, ita clare illis ponuntur ob oculos cum omnibus suis circumstantijs, ac si ea oculis spectassent, & optima memoria conseruassent. Sicut enim per memoriam ita recordamur rerum præteritarum, & ita obijciuntur animo, ac si eas videremus: sic per illam reuelationem clarissimè ea quæ numquam vidimus vel audiuimus, obijciẽtur oculis mentis, perinde ac si ea videremus. Et sicut qui memoria benè retinet ea quæ vidit, non potest vllo modo de veritate rerum dubitare: ita & multo minùs ipsi dubitare poterunt. Fiet itaque hæc reuelatio infusione cuiusdam notitiæ habitualis rerum gestarum, quæ similis sit notitiæ memoratiuæ, sed multò perfectior & certior. Manifestum enim ipsis erit, hanc notitiam à Deo infundi. Simili modo (etsi longè inferiore gradu) credendum Moysem fuisse illuminatum de rebus ab exordio mundi transactis, vt eas certissimè posset describere.

Quod ad futura attinet, longè ex his pauciora reuelantur, quia ordinariè non opus est ea cognosci priusquam fiant: & cùm fient, absque noua reuelatione cognoscentur. Quando tamen ratione officij circa homines, vel auxilij ferendi

ferendi (vt fit in Angelis) vel aliter iuxta diuinæ prouidentiæ ordinem, opus est aliqua horum præsciri, vel diuinam voluntatem de rebus agendis cognosci: tunc simili ferè modo, quo præterita, reuelantur (etsi non semper cum tot circumstantijs) sed quantum opus est ad executionem, vel alium finem a Deo intentum. Prophetis hæc futura interdum satis clarè & distinctè, interdum valdè inuolutè reuelabantur. Beatis verò semper clarè, & absque inuolucris imaginum & visionum.

Secundò, Considerandum hanc reuelationem beatis fieri eminentissimo modo, nempe accommodatè lumini gloriæ, & iuxta illius proportionem. Prophetis fiebant reuelationes accommodatè lumini cognitionis humanæ sub figuris & symbolis corporalibus. Angelis in via accommodatè lumini angelico, & modo spiritali. Beatis longè altiori modo, accommodatè nimirum lumini gloriæ, ita vt per hoc lumen reuelata quodammodo videant, & vera esse cognoscant.

80 *Fit hoc eminentissimo modo, nempe ac commodatè lumini gloriæ*

Vt preces & vota quæ ad eos diriguntur, cognoscant non opus est reuelatione: multo enim clarius talia cognoscere possunt lumine gloriæ, quam Angeli lumine naturali mutuas inter se allocutiones.

81 *Vtrùm simul & constanter illa omnia videant.*

Petes, Verùm beati hæc omnia simul & constanter videant? Respondeo, Sanctus Augustinus lib.4. De Genesi capitul.16. hac de re dubitat: *Fortassis*, inquit, *volubiles nostræ sunt nostræ cogitationes, ab alijs in alios transeuntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram* (id est, quid quid scimus) *uno simul conspectu videbimus.* Sed puto distinguendum. Si enim loquamur de rebus primarijs vniuersi, quæ semper existent, qualis est vnio hypostatica, ciuitas & congregatio beatorum, carcer infernalis cum damnatis ibidem conclusis, & mundi fabrica; valdè credibile est, hæc omnia simul & perfectè & constanter videri: hæc enim constanter existunt, & in his maximè relucet potentia, sapientia, misericordia & iustitia diuina. Et ipsum lumen gloriæ est sufficiens ad hæc omnia simul & constanter, vt sunt in seipsis, cernenda. Idem planè videtur dicendum de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quàm diu in mundo existet. Idem valdè probabile est de omnibus rerum mixtarum speciebus, quæ in terra, aqua, vel aere reperiuntur, vt sunt species metallorum, lapidum, plantarum, & animalium; nam in his quoque sapientia & potentia Conditoris mirè relucet. Non tamen has species rerum nudè & ab individuis abstractas (vt quidam Doctores imaginari videntur) contemplantur: hic enim modus cognoscendi est incompletus: sed in individuis aliquibus, in quibus voluerint.

Principia videnda constanter:

82 *Quomodo in diuidua rerū corporearum.*

Si verò loquamur de rebus secundarijs, nempe de tota individuorum multitudine, quæ in singulis rerum speciebus reperiuntur, non est necesse illa omnia semper distinctè videri; sufficit ea videri generali quodam modo; sicut cum oppidum ingens è sublimi conspicimus, videmus omnes domos non exactè, sed generali quadam ratione; ita tamen vt ad singulas considerandas possimus nos applicare. Simili modo putandum beatos videre omnes res singulares, & earum actiones, cùm existunt: habent enim oculum mentis semper apertum, & non solùm in Deum, sed etiam in ipsum vniuersum, intra Deum quodammodò conclusum, & ab ipso assiduè dependens, intentum, & tot tantarumque rerum capacem.

Tota mundi vastitas est illis instar vnius aulæ vel basilicæ.

Neque vlla locorum spatia aut corpora interposita possunt obstare: quia tota mundi vastitas illis est instar vnius basilicæ vel aulæ, vt ex celeritate illorum colligi potest. Et omnis corporum densitas est instar vitri illorum aciei pellucida: quod pulchrè insinuatur Apocal.4. & 15. per *Mare vitreum* quod erat ante conspectum throni. *Mare* enim istud designat multitudinem generis humani in terra; passim enim mare in Scripturis populos significat. *Vitreum* erat mare illud, quia pellucidum, sic vt omnia interiora tâquam per vitrum conspicua essent ijs qui iuxta thronum stabant. Vide Riberam in capit.4. v.6. Apocal. Si oculus corporis maximam rerum multitudinem, & maximo interuallo, simul videre potest: quanto magis oculus mentis, & quidem diuino lumine plenus? Denique Angeli & dæmones lumine naturali mentis suæ simul totum vniuersum qua parte rebus naturalibus constat, & omnia quæ in eo fiunt, simul generali & confuso quodam modo intueri possunt, sicut cùm quis è turri spectat vrbem vel exercitum; cuius signum est, quòd dæmones signis quibusdam inuocati, illatum adsint. Multò perfectiùs nostra omnia vident beati.

Pari modo non est necesse, vt distinctè semper considerent totum cursum rerum ab initio mundi, vsque ad hoc tempus protensum. Sufficit generalis horum consideratio, cum facultate se applicandi ad hanc vel illam partem seu periodum temporum exactiùs considerandam.

83 *Quanta beatorum cognitio extra Deū*

Ex his patet, quanta sit beatorum etiam extra Dei visionem (quæ omnem aliam contemplationem incomparabiliter superat) sapientia, quanta cognitio & contemplatio. Norunt enim perfectissimè res omnes creatas tam spiritales quàm corporales; norunt omnium causas, omnium vires & facultates, omnium mensuras & proportiones, omnium operationes & effectus, omnium sympathias, antipathias, & idiopathias. Comprehensiuè enim cognoscunt totam creatæ naturæ essentiam. Denique norunt omnes omnium gentium historia.

Quomodo dicitur omnia videre in Verbo.

Addo, hæc omnia posse dici cognosci à beatis in Deo, & in Verbo. Nam quod ad res existentes attinet, quomodo in Verbo videantur, iam ostensum est: si verò de præteritis & futuris sermo sit, ea dicuntur videri in Verbo; tum quia eorum visio visioni Verbi est connexa, tum quia videntur eminentissima Verbi reuelatione. *Videri* enim *in Verbo* phrasi Scripturæ vsitata, est videri Verbi reuelatione. Hoc sensu iuxta Caietan dictum est a Sanctus Thoma 1.p. quæst.57.art.5. *Angelos etiam ex mysteria, quæ illis successu temporis reuelantur, videre in Verbo.* Notat enim ibidem Caietan non solùm dici *videri in Verbo*, quæ in eo videntur formaliter, id est ex vi ipsius visionis Verbi, sed etiam quæ causaliter in eo videntur, hoc est, Verbo reuelante. Simili modo dixisse videtur Sanctus Bernardus homilia 17. in Cantica: *Si Lucifer præscisset homines futuros, & in parem gloriam profecturos, id absque dubio in Dei Verbo vidit.* hoc est; Verbi diuini reuelatione. Certum enim est Luciferum nonquam vidisse diuinitatem Verbi. Denique hunc modum videndi res in Verbo amplectuntur multi Doctores, vt S. Bonauentura in 3.dist.14.artic.2.quæst.3. Scotus ibidem quæst.2. Marsilius in 3.quæst.10. artic.2. & alij quos citat & sequitur Gabriel Vasquez 1.p. disp.50.cap.7.

CAPVT XI.

De Amore beatorum, Quid sit, Quenam eius causa.

84 EX clara diuinæ essentiæ contemplatione statim nascitur in beatis amor, qui potentissimè ipsos in Deum trahit, ita vt nullo modo possint se cohibere. Quò enim bonum quod proponitur, est maius, eò trahit ad se affectum potentiùs, præsertim si clarè cernatur. Atqui Deus est bonum infinitæ excellentiæ, continens omnia quæ quis desiderare potest, & clarè ab illis cernitur. Ergo potentissimè trahit, sic vt nullo modo vis creata illi possit resistere, aut impetum quem animo imprimit, continere. Hic autem impetus nihil est aliud quàm amor, quem bonum propositum per visionē miro modo affectui imprimit. Sicut enim magnes impetum quendam imprimit ferro quo illud ad magnetem trahitur, & et se arctè coniungit: ita Deus clarè conspectus impetum quendam imprimit animæ, quo ipsa potentissimè in illum trahitur. Quod enim impetus vel pondus in corporibus, hoc amor in spiritibus. Amor ergo Dei est pondus & impetus & tractus naturæ spiritali accommodatus, quo in Deum tamquam centrū æternæ quietis fertur.

Amor est pondus spirituū.

Idem locum habet in cuiusuis rei amore: omnis enim amor est pondus quoddam & impetus, & tractus animæ in bonum adamatum: neque melius quàm ex hac analogia ratio amoris potest concipi. Cū enim sit res spiritalis, non potest a nobis nisi ex corporalium analogia intelligi, qualis hic pulcherrima cernitur: vnde Sanctus Augustinus lib.11. De Ciuit.cap.28. *Omnes res quasi locorum & ordinis proprij habent appetitus. Nam velut amores corporum sunt momenta ponderum, sive deorsum grauitate, sive sursum leuitate nitantur. Itaq. corpus ponderi sicut animus amore fertur quocunq; fertur.* hæc ille. Pari modo amor est analogum calori sicut visio & intellectio luci. Sicut enim visio, & omnis formata intellectio est lux

Lux & calor analoga luci & amori.

quædam ſpiritalis, ita amor eſt calor ſpiritalis: & ſicut lux corporalis gignit calorem corporalem, quo corpora incalescunt; ita lux ſpiritalis, nempe cognitio boni, gignit calorē ſpiritalem quo ſpiritus efferuescunt. Vnde in illa ſuperna patria, vbi omnia lucis diuinæ ſunt pleniſſima, etiam diuini caloris pleniſſima ſunt. Viſio Dei eſt ſicut lux ſolis. Si enim corpora fulgebunt vt ſol iſte corporeus Domino teſte, animorum fulgor in ſuo genere huic erit par. Si ergo viſio Dei erit inſtar ſolis, amor Dei erit inſtar feruoris ſolaris; qui quantus ſit, ex eo, quod tanto interuallo terras exurat, penſari poteſt. *Matth. 13.*

85 Ex his animo concipi vtcumque poteſt, quid & quantus ſit iſte amor: nunc dicendum quæ cauſſæ ad eius productionem concurrant. Hæ generatim ſunt quatuor, voluntas ſeu anima, quatenus vi volendi prædita; habituale donum charitatis; viſio; & eſſentia diuina. Voluntas & charitas concurrunt ad amorem ex parte potentiæ, ſic vt intellectus & lumen gloriæ ad viſionem; viſio & eſſentia diuina ex parte obiecti. Niſi voluntas concurreret, amor non eſſet actus vitalis, nec vita animæ, ac proinde nec illam beatam redderet. Niſi charitas concurreret, non eſſet actus ſupernaturalis, ac proinde nec Deo dignus. Niſi viſio & eſſentia diuina per viſionem concurreret, non eſſet talis ſpeciei ac formæ, non eſſet pondus & impetus in Deum: obiectum enim tribuit ſpeciem & veluti formam actui. *Cauſſæ amoris beatifici quatuor.* *Quo modo ſingulæ cauſſæ concurrāt.*

Voluntas per ſe inſufficiens eſt ad tam eximium motum in Deum; habet tamen vires imperfectas & veluti inchoatas. Poſſumus enim vi nativa voluntatis Deum vtcumque amare, ſicut vi nativa intellectus vtcumque cognoſcere. Ergo diuina virtute poteſt hæc poteſtas perfici dono aliquo permanenti quo poſſit illum perfectè amare; nimirum tam perfectè, quàm ipſum videt; ita vt amor ſit æqualis viſioni. Hoc autem donum eſt charitas: itaque charitas eleuat voluntatem & complet eam in actu primo ex parte potentiæ ad eliciendum amorem beatificum.

Hunc tamen nullo modo reipſa & abſolutè poteſt elicere niſi interueniat viſio, cuius præſentia adeò eſt neceſſaria ad productionem vitalem amoris, vt nec per potentiam Dei abſolutam ſuppleri poſſit. Eſt enim prorſus impoſſibile amare incognitum. Habet ergo viſio concurſum quēdam valdè mirabilem in modum cauſſæ formalis, ſpeciem tribuentis, vel potiùs tamquam applicatio illius quod inſtar cauſſæ formalis ſe habet, quod eſt obiectum, ſeu bonum illud quod amatur. Vnde paſſim Philoſophi & Theologi tradunt, cognitionem obiecti concurrere ad amorem eliciendum per modum neceſſariæ conditionis, nimirum tāquam applicationem obiecti, ſeu boni quod amatur. quæ applicatio cùm vitalis eſſe debeat, & per vitalem actum cognitionis fieri, nulla vi extrinſeca ſuppleri poteſt. Nulla boni ſufficit præſentia, nulla coniunctio & vnio: niſi per cognitionem & contemplationem intellectus præſens ſit animæ, amari non poteſt. Idem cernitur in amore partis inferioris, quæ nullum bonum ſenſibile amare poteſt, niſi illud imaginatione præſens & coniunctum habeat. Hæc coniunctio in beatis fit per viſionem.

86 Sed difficultas eſt, Vtrùm viſio etiam effectiuè concurrat, & influxum phyſicum in amorem habeat? Res eſt incerta: ſatis tamen probabile eſt, ita etiam cōcurrere. Quod probari poteſt, Primò, Exemplo ex Diuinis ſumpto, vbi Verbum diuinum concurrit phyſicè & reali influxu ad productionem Spiritus ſancti, qui eſt amor productus: cur non idem fiat ſuo modo in rebus creatis, præſertim cùm in anima per viſionem & amorem fit perfectiſſima imago ſanctiſſimæ Trinitatis, & proceſſionis diuinarum perſonarum, vt infra oſtendemus. *An viſio concurrat effectiuè ad amorem.*

Secundò, Quia experimur fortem alicuius boni vel mali apprehenſionem, tantam habere vim ad concitandum amorem, dolorem, timorem, vt non poſſimus reſiſtere, niſi apprehenſionem tollamus. Sanè ſi apprehenſio nihil reale in affectu efficit, nullum influxum ad amorem vel timorem producendum habet, ſed ſolum obiectum oſtēdit, ſicut qui exteriùs oculis imaginem obijcit: vnde tanta in anima turbatio, tantus impetus ad rem complectendam, vel fugiendam, vt noſtri vix compotes ſimus?

Denique ſi lux corporalis eſt cauſſa efficiens caloris corporalis: cur cognitio quæ eſt lux ſpiritalis non cooperetur effectiuè ad calorem ſpiritalem? Anima itaque viſione diuinæ eſſentiæ illuſtrata, vi illius lucis, eaque cooperante in ſeipſa parit amorem tamquam calorem ſpiritalem lucī illi ſupparem. Simile etiam fit in hac vita iuxta illud Prophetæ Pſalm. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* En calor & ignis amoris ex vi contemplationis. Vnde niſi tanta eſſet amplitudo mentis humanæ, vt cùm apprehendit aliquid ſpecie boni, poſſet ſimul conſiderare in illo eſſe aliquem defectum, vel certè non eſſe neceſſarium illud amplecti: omnis apprehenſio boni affectum eius determinaret, & raperet in amorem rei propoſitæ, ſicut fit in brutis: quia apprehenſio boni neceſſariò amorem excitaret. Itaque hæc ſententia eſt ſatis rationi conſentanea.

Obiectum etiam ad amorem concurrit: quia illum mediante cognitione in anima excitat, eique formam & ſpeciem tribuit. Itaque duplicem concurſum præbet. Primum, in modum cauſſæ efficientis, mediante cognitione tamquam ſui imagine, vel ſemine, excitando amorem, vt dictum eſt. Secundum, in modum obiecti tribuentis ſpeciem amori: obiectum enim tribuit ſpeciem vt cauſſa principalis, cognitio verò vt conditio ſeu applicatio cauſſæ principalis. 87

Ex his patet dignitas & excellentia amoris beatifici, ad quem producendum & formandum tam miris modis & donum charitatis, & viſio diuinæ eſſentiæ, & ipſa diuina eſſentia concurrit.

CAPVT XII.

Quos effectus amor beatificus habeat.

EXplicuimus breuiter cauſſas amoris: nunc declaremus quantum aſſequi licet, eius effectus, quos in anima beata operatur. S. Dionyſius Areopagita libr. De diuinis nominibus, multas diuini amoris vel proprietates vel effectus recenſet. Ex quibus duo præcipui nobis explicandi: quorum alter eſt ecſtaſis, alter vnio cum dilecto. Priorem effectum amori diuino tribuit lib. De diuinis nominibus ca. 4. parte 1. *Amor*, inquit, *diuinus ecſtaſin facit, non ſinens amatores eſſe ſui iuris, ſed in ea eorum quæ amantur, & penitùs transferens.* Hoc autem dupliciter fieri poteſt; Primò, Cùm ita affectus & cogitatio amantis transfertur in dilectum, vt ſui & rerum ſuarum obliuiſcatur, ſuaque omnia negligat. Tunc enim anima cogitatione & affectu quaſi extra ſe egreſſa, tota in rebus dilecti verſatur, vt iam non in ſuo corpore, & in ſe viuere videatur; ſed in dilecto, & dilectus in ipſa. Hoc modo (teſte Dionyſio) *diuinè dictum ab Apoſtolo: Viuo ego, iam non ego; viuit vero in me Chriſtus.* Ita enim cogitatione & affectu erat in Chriſto & Chriſti cauſſa, vt eorum quæ ad ſua commoda, honorem, vitam pertinerent, prorſus videretur oblitus. Simili quodam modo, vt idem Dionyſius ait, Deus ipſe ecſtaſin quamdam paſſus eſt, cùm præ amoris in genus humanum magnitudine, qui honoris quodammodò oblitus, noſtram naturam & miſerias ſuſcepit, & tam indigna ac acerba in ea pertulit. *Duplicitur amor facit ecſtaſin.* *Primò, cùm ſui inducat obliuionem & neglectū.* *Galat. 2.*

Hic effectus excellenti modo reperitur in beatis: ſic enim cogitatione & affectu trahuntur in Deum, vt à ſe ipſis planè excant, nihil de rebus ſuis cogitantes, nihil ſibi appetentes, niſi quatenus ad Deum id pertinet, eiuſque gloriæ ſeruire poteſt. Itaque omnibus cogitationibus, curis, & motibus proprij amoris penitus extinctis, ſibi quaſi mortui ſunt, & ſoli viuunt Deo. Exuerunt vitam humanam, quæ ſua dumtaxat cogitat, & curat; & induerunt vitam diuinam, quæ eſt Deum contemplari, & ſuper omnia, & in omnibus amare & laudare. Non ſunt ampliùs ſolicīti vt filij adoptiui ad opes & honores (in quibus omnis penè mortalium cogitatio & cura conſumitur) promoueantur; neque de huiuſmodi gaudent, cùm familiæ obueniunt: neque cùm auferuntur mœrorem concipiunt: imò neque dolore tanguntur, cùm ſuos damnari vident: ſed laudant diuinam iuſtitiam, eamque ſeruari cupiunt. Hāc ecſtaſin operatur in illis amor diuinus. *Qualis ecſtaſis ſit in beatis vi amoris.*

Alter modus quo fit ecſtaſis vi amoris, eſt, cum ita mens in Deum per contemplationem & amorem trahitur, vt functiones virium inferiorum, præſertim ſenſuum, ceſſent; ſic vt homo non videat, nec audiat, nec ſentiat quidquam: & interdum etiam facultatis vitalis operatio ita intercipitur, 88 *Alter modus ecſtaſeos cum virium inferiorū defectu.*

vt

vt vix discerni possit an adhuc viuat. Hoc modo multi Sanctorum vi contemplationis & amoris ecstasin passi sunt. Quin immo etiam absque amore vi contemplationis talis ecstasis fieri potest. Verum talis ecstasis in beatis locum non habet; quia ex imperfectione quadam & imbecillitate prouenit: nimirum ex eo quòd anima dum per vires superiores intentissimè circa aliquod obiectum versatur, nõ possit naturaliter simul vti viribus inferioribus, vt quotidiana experientia docet. Cuius rei causa est, vel quia tota eius vis expenditur & veluti exhauritur circa illud obiectum; vel quia vires inferiores destituuntur spiritibus ad functiones earum necessarias, dum hi omnes sursum trahuntur, vt imaginationi & contemplationi illius obiecti seruiant. At in beatis etsi anima potentissimè trahatur in Deum, & tota in eius contemplationem & amorem impendatur; nihilominus diuino munere ita corroboratur, vt simul perfectissimè viribus inferioribus vti possit: neque spiritibus & alijs instrumentis ad functiones inferiores necessarijs vehementia contemplationis destituitur, præsertim cum ad eam rem nullis instrumẽtis opus sit, vt quæ absque ope imaginationis puriſſimè peragatur. Itaque vsus virium inferiorum, collocutio, actio multiplex, & procuratio rerum a Domino ipsis commissarum, nullo modo impediet aut imminuet attentionem contemplationis, aut amoris feruorem, sed vtraque perfectissimo modo præstabunt. *Angeli eorum*, inquit Dominus, *semper videnti faciem Patris.* Quòd si rerum externarum procuratio minueret vel impediret attentionem vel dulcedinem diuinę contemplationis vel amoris, detrimentosa illis foret mortalium cura, præsertim cùm per hanc nulla fiat eorum meritis accessio, sicut nobis in hac vita contingit. Etsi enim contemplatio & spiritalis dulcedo in nobis per externam operationem detrimentum patiatur in hac vita, nihil tamen nobis perit; quia actio externa ad honorem Dei obita, est valdè meritoria, & nobis hanc modicam iacturam consolationis sarciet in æternitate, insigni visionis & amoris & gaudij incremento. Hęc verò ratio locum non habet in beatis, vt qui iam in termino sint constituti.

Vis contemplationis & amoris diuinus non impedit alias functiones in beatis.

Matth. 18

Peret aliquis, Quod sit illud donum quo beati sic corroborantur, vt actiones externæ non impediant internas, & 90
internæ non impediant externas? Respondeo, Causa cur *Quo modo corroborentur.*
externæ non impediant contemplationem & amorem beatificum, perspicua est: quia illa contemplatio & dilectio necessaria est, nec minus firma & stabilis, quàm ipsa animę essentia, cùm iuxta S. Thomam æternitate participata mensuretur. Itaque nulla vis creata illam intercipere vel minuere potest. Causa verò cur illæ internæ functiones non impediant externas actiones, & sensuum functiones, cum totam vim animæ absorbere videantur, obscurior est. Ex duplici capite id videtur posse prouenire: Primo, Ex vi luminis gloriæ, quo anima ita eleuatur & corroboratur, vt illa visio sit illi quasi naturalis; ac proinde illius vim circa alias operationes non absorbeat, sed potius corroboret. Secundò, Ex eo quod Deus peculiari virtute animam ad illas functiones corroboret, vt conuenienter illi statui possit eas obire. Par enim est, vt non solum intellectu & voluntate in eo statu anima eleuetur, sed etiam ipsa per se tota ad omnes functiones suas corroboretur, ne alia aliam impedire queat, sicut in hac vita cõtingit. Qui enim intentissimè aliquid inspicit, non potest simul attentè audire, nec odorari, nec gustare, nec tactu discernere. Idem in alijs sensibus vsu venit. Ibi verò hæc imperfectio & infirmitas esse non debet.

Alter effectus amoris est Vnio amantis cum dilecto, & 91
transformatio in dilectum: hunc ponit S. Dionysius lib. De *Alter effectus vnio amãtis cum amato.*
diuinis nominibus c. 4. p. 2. ex hymnis amatorijs S. Hierothei. vbi S. Hierotheus ait, omnem amorem, siue carnalem siue spiritalem, esse δυωποιητικὸν καὶ συγκριτικὸν: *vnientem & commiscentem*: nimirũ, quia amanté cum amato vnit & commiscet in vnum, vt ex vtroq; vnum fiat.

Sed quomodo fit hæc vnio? Non solum affectu, sed etiã re ipsa, quantum fas est: amor enim impellit amantem vt re ipsa adsit amato, eique, quantum fieri potest, arctissimè se coniungat. Id patet in omni genere amoris. Ac primum in amore carnali, qui ad copulam qua coniuges fiunt vna caro, incitat. Secundò, in amore parentum, qui liberos suos optant semper habere præsentes, & eorum præsentia frui, eos amplecti & osculari. Amplexus enim & oscula sunt effectus, & consequenter signa amoris tum casti & spiritalis, tum impuri & carnalis, quia vnionem quamdam amantis cum amato, ad quam amor impellit, continent. Quòd si re ipsa amans amato adesse nequeat, saltem adest cogitatione & imaginatione, & hoc modo illi vnitur. Tertiò, in amore honestæ amicitiæ. Amici enim libentissimè simul sunt, & mutuo fruuntur aspectu & colloquio, amore eos vtrumque ad hoc impellente; & vterque alterius negotia sua reputat, quasi vterque in alterum transierit. Vnde amicus Alter ego dici solet.

Explicatur hæc vnio in omni genere amoris.

Quartò, in amore Deithic enim ad quintuplicem vnio- 92
nem ordine quodam impellit. Primò, Ad vnionem per cre- *Amor Dei ad quintuplicem vnionem impellit.*
bram cogitationem: cum enim illum præsentem habere nequeat, assiduè, quantum fieri potest, cogitatione illi adest. Vnde qui rarò de Deo cogitant, neque eum vbique præsentem considerant, eo ipso ostendunt, se in amore eius parũ esse feruentes; feruens enim amor totam cogitationem in dilectum trahit, vt etiam in ijs qui carnaliter amant, manifestum. His enim species personæ dilectæ semper ob oculos versatur, ac cogitatione semper illi adsunt; vt verè dictum sit, animam magis esse vbi amat, quàm vbi animat: magis, inquam, quia nobiliori modo, nimirum per vnionẽ intellectualem, & maiori sensu ac gustu.

Secundò, Impellit ad vnionem per obsequiũ. Qui enim alteri seruit, est eius veluti instrumentum, ac proinde ei cõiungitur vt motori, ac fini ob quem agit. Hinc ardẽtes Dei amatores semper in negotijs Dei versantur; & suis commodis ac honoribus neglectis, solum quærunt honorem Dei, suasque omnes functiones ad illum dirigunt, & sic per eas se illi connectunt.

Tertiò, Impellit ad vnionem quæ fit per vitæ similitudinem, & morum imitationem: similitudo enim est quædam vnio rerum quæ similes dicuntur, cũ sit vna forma in duobus. Hinc Dei amatores charitatis impulsu diuinos mores imitari student: Dei inquam charitatem, patientiam, beneficentiam in inimicos, misericordiam, clementiam; iuxta monitum Domini Matth. 5. v. vlt. quo priorem partem suæ exhortationis concludit: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Deinde totam Christi vitam (in qua omnis perfectio continetur) in sua vita exprimere conantur, vt in hac tamquã in imagine ipsa resplendeat. Ad quod passim nos hortatur Apostolus, cum hortatur vt *Christum induamus*: vt *portemus imaginem hominis cælestis*, nempe Christi: vt *Christi passiones imitemur*: vt *carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifigamus*, &c. *Rom. 13. 1. Cor. 15. 1. Pet. 4. Gal. 5.*

Quartò, Impellit ad vnionem per sublimem contem- 93
plationem, per quam, quantũ fas est vitæ mortali, Deo maximè coniungimur. Ad hanc hortatur S. Dionysius Timotheum capitul. 1. mysticæ Theologiæ his verbis: *Tu vero, ô chare Timothee, circa mystica spectacula contenta exercitatione & sensus relinque, & intellectuales operationes, & omnia sensibilia & intelligibilia; & omnia quæ sunt & quæ non sunt; & ad vnionem eius qui super omnem essentiam & notionem est, quantum fas est, ignoto modo attollere.* Dicit hanc vnionem fieri ἀγνώστως, *ignoto modo*; quia non fit contemplando aliquam formam, vel rationem à nobis conceptibilem, vt vitam, sapientiam, potentiam, bonitatem, & æternitatem, &c. sed fit ablatione omnis formæ, considerando. Deum omni forma, quæ à nobis animo concipi queat, esse eminentiorem. Illam eminentiam, quia nullo modo à nobis sub aliqua forma concipi potest, vocat ipsam *diuinam caliginem*, & *lucem inaccessibilem*: nobis enim caligo est, quia per negationem omnis formæ intelligibilis concipitur, sed in se est lux omni luce eminentior.

Quintò, Impellit ad vnionem per quamdã liquefactio- 94
nem, & demersionẽ in abyssum diuinitatis. Feruentes enim Dei amatores, ita subinde in contemplatione per amorem in Deum efferuescunt; vt sibi toti liquescere, & à suo esse creato deficere videãtur, & in abyssum diuinitatis demergi ac absorberi, ibique se amittere; ita vt se amplius non sentiant, tamquam suum esse suamque naturam exuerint; sed solum sentiunt Deum tamquam in illum transformati, & illius essentiam, vitam, lucem, & sensum induti; immo tamquam eadem essentia, vita, & lux cum illo effecti.

Hunc modum interdum experiuntur viri sancti contemplationi dediti, qui etiam vt sensum suum exprimant, vtuntur subinde quibusdam loquendi formulis, quæ benignè sunt intelligendæ. Vt quòd amatorij spiritus in Deum altissi-

altiſſimè ſublenati liqueſcant, & deſinant in cognitam cali ginem, amittant ſeipſos, & perdant in abyſſo diuinitatis; tranſeant in eſſe increatum, ac ideale, in quo fuerunt ab æterno; fiant vna ſimplex beatitudo, vnum æternum amoris incendium cum Deo. Non enim hæc ita accipienda ſunt, quaſi per amorem re ipſa amittant ſuum eſſe creatum, & mutentur in diuinitatem, ſed alio modo, idque dupliciter: Primò, Quòd illa fiant, quantum eſt ex vi affectus. Summus enim amor ad ſummam nititur vnionẽ, &, ſi fieri poſſet, ipſam amantem conuerteret in amatum, vt ipſe ſe totum illi perfectiſſimè impendat & deuiat. Simili modo conſiderando infinitam Dei perfectionem, deſideraret ipſum infinitè contemplari, infinitè amare, & laudare, ſi fieri poſſet. Neque mirum videri debet, ſi ineffacibus votis amantes impoſſibilia affectant; quia amor cæcus eſt, nec menſuram nouit, præſertim vbi bonum quod amatur, menſuram non habet. Secundò, Quòd illa fiant iuxta ſenſum & perceptionem contemplantium, præſertim in hac vita. Ita enim amore accenduntur, vt ſibi quaſi deficere & liqueſcere videantur; & ita potenter trahuntur in abyſſum diuinitatis, vt in illam veluti demergi & abſorberi videantur, & ſeipſos in illa perdant, adeò vt ſuum eſſe creatum ibi non ſentiant, ſed ſolam Dei eſſentiam.

95 *Liqueſactio per amorem fieri poteſt dupliciter.*

Liquefactio ſeu defectio per amorem dupliciter fieri poteſt. Primò, Ratione conſumptionis ſpirituum per intenſiſſimam & aſſiduam cogitationem, vel contemplationem rei dilectæ, & vehemens deſiderium, quo aſſidue ad illius præſentiam adſpirat: contemplatio enim exhaurit ſpiritus animales, vehemens amor & deſiderium cordis, vitales. Hinc ſequitur maxima corporis debilitas, & virium defectus: & ſæpè amor poteſt eſſe tam vehemens, vt ſequatur mors, omni ſpiritu vitali nimia cordis dilatatione diffluente. Sic multi putant B. Virginem vi amoris mortuam. Hinc ſponſa Cantic. 2. *Fulcite me floribus ſtipate me malis* (quibus ſpiritus exhauſti & laſſi recreentur) *quia amore langueo*. Et cap. 5. *Anima mea liquefacta eſt, ex* (dilectus meus) *locutus eſt.* Et Pſalm. 118. *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Nempe exhauſtis viribus aſſiduè cogitando, & ſuſpirando ad ſalutem, vel Saluatorem, quem promiſit. Neque hoc mirum videri debet, cum etiam amor carnalis vires exhauriat, & tabeſcere interdum faciat, cum is qui vehementer amat, re optata frui nequit. Verum hic modus & defectus in beatis locum non habet.

Secundò, Ratione immenſitatis boni quod amandum & contemplandum proponitur; quod cum videant ſe amando exæquare non poſſe, quodammodo deficiunt. Illud enim bonum, infinitum amorem poſtulat, ſed illi tantum præſtare non poſſunt; allicit interſum infinitè, ſed illi nec contemplatione nec amore infinitè ſequi poſſunt. Et quia vellent ſi poſſent, quodammodo in conatu, ſine defectu deficiunt. Hoc tamen ipſum quòd videant bonum ſuum eſſe tantum, vt illud ſuo amore, ſuaque contemplatione nõ poſſint exæquare, non eos affligit, ſed miro gaudio perfundit. Sicut in hac vita, quod myſteria diuina vincant omnem humanum eloquium, & omnem intelligendi ſubtilitatem; no bis gaudendum, & gratulandum Deo noſtro potiùs, quàm dolendum, vt S. Leo monet.

96 *Quomodo beati dicantur intrare abyſſum diuinitatis.*

Dicuntur *intrare abyſſum diuinitatis*; quia per contemplationem & amorem illam intrant. Qui Deum non videt, foris ſtat, imò procul ab illo diſtat, quia Deus ſe habet ad illum inſtar procul abſentis. Qui illum clarè videt, præſens illi eſt, neque hæret quaſi exterius in ſuperficie, ſed intrò ingreditur, & in illam abyſſum ſe immergit, quantum poteſt. Amor enim intra dilectum commorari vult, quia hic ipſi eſt locus, & domus, & requies, & ſecuritas, & omnia. Eo autem plus vel minus quiſque abyſſum illam penetrat, eò profundius vel minus profundè in eam ſe immergit, quò plus vel minus luminis & charitatis habuerit.

Quomodo in Deo ſe perdant & inueniant. Oratione in Natalitia.

Dicuntur *ſe perdere in illa abyſſo* ſecundum ſuum eſſe creatum; & rurſum ſe inuenire ſecundum ſuum eſſe increatum & ſupereſſentiale (ita enim paſſim loquuntur cõtemplatiui) ob duas cauſſas. Primò, Quia ibi primum vident ſe eſſe inſtar nihili ad illud immenſum pelagus eſſentiæ (vt Gregorius Nazianzenus loquitur) neque in illius comparatione ſe habere quidquam amore dignum. Secundò, Quia in eſſentia diuina (cum ſupra omnia ſit infinitè eleuata) ceſſat omne eſſe creatum, & omnis formarum diſtinctio; ac proinde in eſſentia diuina nulla cernitur creatura. quia tamen omnis natura creata ibi eſt ſecundum ſui eſſe increatum, cauſale, & exemplare, omnia ibi inueniuntur præſtantiori modo, quàm ſint in ſeipſis, vt ſupra declaratum. Et hoc modo dicitur quis redire ad ſuum exemplar, ſuumque eſſe ideale, & in illud transformari vi amoris & contemplationis.

97 *Ex rerum inferiorum analogia declaratur.*

Quæ omnia poſſunt etiam declarari ex ijs quæ in rebus inferioribus cernuntur, & cum amore analogiam habent, vt ſunt pondus, impetus, calor. Sicut enim pondus & impetus lapidi impreſſus ita illum impellit ad ſuum locum (nempe ad terram) vt ei ſe arctè conũgat, & affigat; & ſi poſſet, faceret lapidem ſubire & penetrare intra terram, & in imas eius viſceribus illum conſtituere: ita amor, qui eſt pondus ſpirituum, impreſſus animæ illam trahit in rem amatam, eique eam affigit, & ſi poteſt, intra eam conſtituit. Pari modo ſicut vehemens calor rem liquefacit, & facit eam diffluere, & imbibi à terra, eique commiſceri: ita vehemens amor, qui eſt calor ſpirituum, facit ipſos veluti liqueſcere, & à ſe diffluere ac deficere, & penitus veluti imbibi ab amato, eique commiſceri, vt vnum ex duobus effectum videatur. Rurſus ſicut ingens calor rem incẽdit, & conſumit priorem ſpeciem, & conuertit in ſpeciem ignis: ita vehemens amor tamquam ignis conſumit omnes alias cogitationes & affectus, & conuertit amantem in ſpeciem & formam rei amatæ, ita vt nullam aliam imaginẽ mente gerat.

Denique ſicut ſol illuſtrat inferiora, & per lumen excitat in illis calorem, qui eas ſurſum verſus ſolẽ trahit: ita Deus, qui eſt ſol mundi ſpiritalis, in mentes ſubiectas infundit lumen ſapientiæ, & per hoc lumen excitat calorem amoris, quo mentes ſurſum trahuntur, & Deo conjunguntur.

98 *De diuinis nominibus cap. 4. p. 1.*

Hoc modo iuxta S. Dionyſium in amore eſt perpetuus circulus, & motus circularis. Ex diuina enim luce procedit lumen gloriæ in mentem creatam; ex lumine procedit amor, qui illic rurſus mentem in Deum trahit, eamque illi vnire, & in illum transformare conatur, quaſi volens creaturam reuehere in ſuum principium, vnde proceſſit.

Poteſt etiam hic circulus ſeorſim in vtroque actu conſiderari. Ex Deo enim procedit lumen gloriæ; ex lumine viſio, qua rurſus mens in Deum veluti reflectitur. Simili modo ex ſummo bono & pulchro viſo procedit amor in mentem, qui eam rurſus in Deum trahit. Itaque eſt ibi perpetua à Deo ingreſſio, & perpetua in illum ingreſſio. Videat beati, ſe perpetuò ſecundum eſſe ſuum creatum, & omnem ſuam perfectionem à Deo tamquam fecundiſſimo principio procedere, & ſummis viribus conantur in illum vi cõtemplationis & amoris reuerti.

Ex his patet, amorem beatificum ſummam vnionem, quæ inter amantem & amatum eſſe queat, efficere. Nulla enim poteſt eſſe maior vnio quàm ea, qua amans non exterius iungitur amato, ſed intimè & inſeparabiliter in eo commoratur, & in illud transformatur, illius imaginem induens, vt vnus cum illo fiat ſpiritus. Quæ omnia excellenter præſtat amor beatus.

CAPVT XIII.

Ad quæ bona ſe amor beatorum extendit, & quo ordine?

99 *Quid amor?*

AMare eſt velle alicui bonum, eo tantum fine vt ipſi bene ſit; hoc eſt, vt ipſe inde commodum, honorem, aut voluptatem percipiat. Dico, *vt ipſi bene ſit*. Si enim alicui velim bonum, vt mihi inde benè ſit, non tam illum amo quàm meipſum; quia bonum alterius ad meum commodum refero: quomodo plerique mortalium amare ſolent. Quotus enim quiſque eſt, qui ſum principem, dominum, herum, ciuem amet, eluſque bonum curet, non proprij commodi intuitu? Tales ferè ſunt hominum amicitiæ ſordidæ, fucatæ, quæſtuariæ, proprij amoris plenę, qui omnia ad proprium commodum refert, & ex eo omnia æſtimat. Huius commodi ſpes vbi euanuerit, nihili æſtimatur amicus. Verus amor vult alteri bonum, vt ipſi inde benè ſit, etiamſi amans nihil inde commodi percipiat: & ſi malum illi obuenerit, dolet; etiamſi nihil ipſe inde ſentiat incommodi. Commodum enim & incommodum amici ſuum cenſet propter amoris vinculum, quo veluti vnum effecti ſunt.

100 Bonum quod amans alteri vult, tale eſſe debet, vt ei ſit bonum

bonum non noxium. Non enim omne quod in se bonum est, cuilibet bonum est. Tale est omne illud, ex quo plerumque plus damni; quàm cõmodi aut solidi fructus percipitur. Vnde talis amor quo tale bonum alteri expetitur & procuratur, non est verus amor, sed fucatus; quia nec verum bonum, sed fucatum, quod alteri cupit. Huiusmodi est amor parentum, qui parum soliciti de æterna salute filiorum, omnem industriam in eo ponunt, vt opus & honoribus suos ditescere eos cumulent, quæ sæpenumero illis adferunt perniciem. Vnde hic amor verius odium dicendus est, quàm amor: sicut *qui amat iniquitatem, odit animam suam:* Veri amoris est vera bona velle & curare: & quo maiora sunt, eo maiori studio illa velle & procurare: vnumquodque nimirum in suo ordine, & pro sua dignitate.

Quale bonũ esse debeat quod amore expetitur.

Psalm. 10

101 Porrò bonum quod beati Deo expetunt, duplex est, internum & externum. Internum consistit in eius essentia (quæ omnem perfectionem eminentissimè continet) & personarum ineffabili processione. Externum constitit in eius gloria externa, quæ illi á rebus creatis provenit. Cum enim ex rebus creatis ei nihil commodi vel voluptatis accedere possit, sola gloria est omne bonum, quod ex illis ipsi possit provenire & competere. Dupliciter autem res creatæ illi gloriam adferunt Primò, Sua specie, eius potentiam, sapientiam, bonitatem, providentiam, iustitiam, misericordiam assiduè prædicando. Sicut enim cæli enarrant gloriã Dei, ita etiam quælibet res minima; sed surdi voces illas creaturarum, etsi toto personant orbe, non audiunt. Secundò, Illum cognoscendo, amando, laudando, benedicendo, gratias agendo; quo modo sola natura ratione prædita illi gloriam adfert. In hisce duobus consistit eius gloria externa.

Duplex bonũ Dei: intrinsecũ, extrinsecum.

Dupliciter gloria à rebus creatis illi obuenit.

102 Beati igitur primò & super omnia volunt Deo omne bonum intrinsecum, & omnem gloriam intrinsecam, quam de se apud se supra omnem creaturæ capum plenissimè, infinitè, & supereſſentialiter possidet. Et hic amor quatenus ad hoc bonum se extendit, propriè beatificus est: quia solum hoc bonum est increatum & immensum. Secundo loco volunt illi omnem gloriam extrinsecam: ac Primum quidem eam, quæ provenit ex vnione hypostatica, & humanitate Christi Domini, in qua maximè omnium ipsius potentia, sapientia, misericordia, & iustitia resplendent. Secundò, Eam quæ illi provenit ex cognitione, amore, laude, & gratiarum actione omnium beatorum. Tertiò, Eam quæ ex ipso beatorum statu, donis, & ornamentis. Quartò, Eã quæ ex conuersione peccatorum, & operibus iustorum, & vniuersa Ecclesia militante Quintò, Eam quę ex iustissimis impiorum supplicijs, in quibus eius & maiestatis magnitudo, & iustitiæ severitas mirè relucet. Sextò, Eam quæ ex vniuersi, & singularum partiũ specie, ordine & structura. Septimo, Eam quæ ex totius providentiæ, qua mundum regit, ordine. Hanc omnem gloriam illi ardentissimè cupiũt, & gratulantur, & eam augeri in dies, quantum fieri potest, cupiunt; & vt augeatur, quantum ordo diuinæ prouidentiæ permittit, procurant. Denique propter hanc Dei gloriã cupiunt omnia ista existere & permanere tanquam bona Dei gloriæ eius seruientia.

Volunt beati Deo omne bonum intrinsecum.

Et omnẽ gloriam extrinsecam quæ provenit Deo ex septem generibus rerũ.

Ex his patet, ad quàm multa se amor Dei in beatis protendat. Extendit enim se ad Deum, & ad omnes creaturas. Ad Deum propter se; ad creaturas, propter Deum, quatenus videlicet res eius sunt, eique gloriam adferunt. Itaq; hoc amore non ipsæ amantur, sed Deus: quia non vt ipsis benè sit, sed vt ex ipsis Deo bene sit: hoc est, vt ipse ex illis gloriam & honorem capiat.

103

Sitne hic amor continuus.

Petes, Vtrum hic amor sit stabilis, ita vt numquam ab eo in totum vel ex parte cesset? Respondeo, Certum est, stabilem prorsus & immutabilem esse, qua parte versatur circa bonum Dei intrinsecum, sicut & visio Dei immutabilis est, quia hic amor est prorsus necessarius, nec arbitrij subest libertati. Valdè etiam credibile est, stabilem esse circa gloriam externam, quatenus ea ex variis rerũ gradibus iam enumeratis capitur: non autem vt ex his vel illis individuis, cùm non sit opus singula semper actu considerari. Cum enim illi constanter gradus illos, & gloriam quæ ex illis Deo provenit, videant; nulla videtur ratio, cur eam nõ

104 constanter etiam ament, cupiant, & Deo gratulentur.

Ex amore perpetua benedictio.

Ex hoc amore sequitur perpetua benedictio, qua Deo omne bonum vouent & imprecantur, qualem Apoc. 7 audiuit Ioannes in cælo: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Item: *Regi sæculorum potestas & imperium: Regi sæculorum honor & gloria. Regi sæculorum laus & iubilatio, confessio & pulchritudo, sanctitas & magnificentia, benedictio & gratiarum actio.* Item *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum*, &c. Rursus omnem creaturam in laudem Dei prouocabant, sicut tres pueri in camino ignis, Danielis 3 *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula, Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cæli Domino*, &c. Huiusmodi benedictiones, & laudes, & cantica diuina amor Dei in beatis cum incredibili dulcedine & consolatione in omne æuum eructabit.

105 Ex his facilè intelligi potest, quo ordine amor Dei ad ista omnia se extendat: dupliciter enim ordo in amore spectari potest; Primò, Ex parte bonorum quæ alicui cupimus adesse. Secundò, Ex parte eorum qui amantur, seu quibus illa bona expetuntur. Si priore modo spectetur, eò magis à beatis aliquid amatur, quò magis ad Dei gloriam pertinet, eamque magis illustrat; quia illis tota ratio amandi, seu appetendi talis boni, est gloria Dei. Hoc modo, inter bona Dei externa. Primo loco amãda vnio hypostatica, & Christi humanitas, totumque opus nostræ redemptionis. Secundò, Sanctorum societas, & in hac maximè beatissima Virgo, & quilibet Sanctorum in suo ordine: quiuis enim pro mensura suæ sanctitatis gloriam Dei illustrat. Tertiò, Ecclesia Christi in terris, & peccatorum conuersio. Quartò, Liberatio defunctorum à pœnis purgatorijs, vt Deum modo excellentissimo videant, ament, & laudent. Quintò, Conflictutio vniuersi, eiusque renouatio. Sextò, Supplicia impiorum. Posset tamen de duobus illis dubitari, vtrum magis ad Dei gloriam faciat. Verum nihil attinet minutius id discutere.

Ordo in amore Dei dupliciter spectari potest.

106 Si secundo modo consideretur hic ordo, sic Primo loco amandus Deus, vtpote fons omnium bonorum, quo sublato, neque nos, neque quidquam boni posset esse. Vnde quisque Deum magis amare debet quàm se ipsum; quia in ipso tamquam fonte omnis boni præstantius esse habet quàm in seipso. Secundo loco Christi Domini humanitas, quia etiam hæc est causa vniuersalis nostræ salutis, sine qua nemo saluus esse potest. Tertio loco, * Quilibet in ijs quæ ad salutem pertinent, seipsum amare debet: quisque enim est sibi proximus, & sui cura ante omnia cuique est commissa & ipse amor, cum sit vis vnions, amantem inclinat, vt ante omnia se dilecto vniat, eique se impendat, priusquam de alijs cogitet. Vnde quisque sibi magis æternum salutis bonũ expetere debet, quàm cuiuis alteri. Magis inquam, appretiatiuè & æstimatione: vt si fingamus necessarium esse me excidere vel Petrum, malim Petrum excidere quàm me: & pluris æstimem salutem meam, quàm alterius cuiuslibet. Alij tamen qui me sanctiores & beatiores, magis diligendi obiectiuè, seu ex parte boni quod appetitur: quia amorem illis gloriam appetere debeo, quam mihi: cum mea mensura, quam iustissima Dei sanxit ordinatio, debeam esse contentus, & alijs velle quod eadem lege ipsis est debitũ: alioquin mea voluntas iustitiæ regulæ, & voluntati diuinæ non esset conformis, quod à statu beatorum est alienum.

Posse Deum & Christum quilibet seipsum maximè amare debet in ijs quæ ad salutem pertinent.

Dices, Apostolus ex abundantia charitatis paratus fuit carere sempiterna gloria pro salute Iudæorum, vt multi Patres & Doctores ipsum exponunt ad Romanos 9 ac proinde salutem aliorum suæ saluti prætulit. Ergo amor non postulat, vt quis in ijs quæ ad salutem pertinent, seipsum magis appretiatiuè amet, quàm alios.

107

Respondeo, Salutem nostram & aliorum dupliciter spectari posse. Primò, Vt est bonum Dei, & ad eius gloriam illustrãdam accommodatum. Et hoc modo salus vnius multitudinis præferri potest saluti propriæ (salua tamen charitate & amicitia cum Deo) quia longè magis Dei gloriam illustrat, quàm salus vnius. Secũdò, Vt est bonum ipsorum hominum: quo modo salus propria omnium aliorum saluti est præferenda: & quisque se ipsum magis amare debet, & de se esse magis solicitus, quàm de alijs. Ratio est, Quia quando salus sic amatur, sistitur in ipso homine, cui salus expetitur, solumque spectatur vt ipsi benè sit. Itaque hic non est amor Dei, sed proximi; & agitur non de bono Dei,

Salus nostra & aliorum dupliciter spectari potest.

sed

ſed de bono proximi;quiſque autem ſibi eſt maximè proximus;ac proinde ſuum bonum maximè quærere debet. Cõfirmatur, Quia ratio cur proximus ſit à nobis amore amicitiæ amandus, & ex tali amore beatitudo illi ſit imprecanda, eſt coniunctio in natura rationali, per quam eſt capax tanti boni. Sed quiſque ſibi hac in re eſt maximè coniũctus, vtpote in hac natura vnus numero, & à ſe indiuiſus. Si enim amare debeo proximum, quia mihi ſimilis in natura; multo magis amare debeo me ipſum, quia ego non mihi ſimilis, ſed idem in natura rationali, &c.

Quãdo vero ſalus proximorum amatur vt bonum Dei, ille amor non eſt proprie amor proximorum: quia non amantur vt ipſis benè ſit, ſiſtendo in illorum bono; ſed eſt amor Dei, cuius bonum & gloria in tali amore quæritur. Mirum autem non eſt, neque inordinatum, quòd Dei gloriam, & ea quæ illam magis illuſtrant, noſtræ ſaluti anteponamus; modo tamen alieni ſimus ab omni peccato, & planè ſalua nobis ſit eius amicitia.

108 *Charitas non inclinat vt cum detrimẽto boni ſpiritalis proprij conſulam alteri.*

Aduerte tamen, neminem ad talem amorem teneri: quia etſi ſecundum ordinem charitatis regulariter magis debeam velle quod magis ad gloriam Dei facit; id tamen non in omni euentu locum habet, ſed ſolum quando id ſine meo damno ſpiritali fieri poteſt. Non enim charitas obligat quemquam, immo nec inclinat aut ſuadet, vt cum detrimento boni ſui ſpiritualis Dei gloriam augeri aut promoueri cupiat: numquam enim charitas ad ſui imminutionem inclinare poteſt.

Nec obſtat quòd votum Apoſtoli fuerit ex inclinatione charitatis: quia Apoſtolus non volebat excidere à charitate Dei, aut hanc in ſe imminui pro ſalute Iudæorum, ſed ſolum videbat carere conſortio Chriſti in cælo, & beatitudine, quatenus eſt bonum proprium, gloriam & gaudium afferens ipſi homini: idque ſub hac volebat conditione, ſi nimirum id fieri poſſet abſque vllo amoris diuini detrimento: quæ conditio erat impoſſibilis. Fieri enim non poteſt, vt quis Deum non videns tantum amet, quantum videns. Verum amor in ſuo exceſſu multa ſæpè impoſſibilia proponit, vt ardorem ſuum declaret.

109 Quarto loco amandi ſunt beatitudinis ſocij; cum his enim cuilibet beatorum eſt maxima coniunctio & ſocietas: quilibet autem qui nobiſcum peculiarem ſocietatem & communionem habet, magis amandus eſt & præferendus, in bonis quæ ad illam communionem pertinent, alijs qui non habent. Deinde quia hi maximè amore & bonus illius ſtatus digni. Quintò loco iuſti nondum beati: quia hi poſſ beatos amore & bonis diuinis digniſſimi. Sextò, Peccatores, qui nihil habent in ſe amore & bono ſupernaturali dignum, niſi ratione naturæ rationalis, per quã ſunt imago Dei: & quia Deus dilexit illos, & ſanguinem ſuum pro illis fudit.

CAPVT V.

Vtrùm amor beatificus patriæ ſit eiuſdem rationis ac ſpeciei, cuius eſt amor Dei in viâ?

210 QVidam putant hos amores eſſe eiuſdem ſpeciei ac naturæ, ſolum differre quibuſdam accidentarijs conditionibus, nempe quòd amor in patria ſit in eodem homine paulo intenſior, quàm in via, & quòd numquam ceſſet aut intermittat, ſicut amor viæ.

Amorem viæ & patriæ differre ſpecie.

Alij verò docent, hos amores ſpecie eſſe diſtinctos; ita vt amor patriæ ſit non ſolum intenſione, ſed etiam natura & ſpecifica ratione perfectior quàm amor viæ. Ita clarè & ex profeſſo docet Scotus in 4.diſt.49.q.5. & obiter in 2.d.16.quæſt.vnica. Inſinuat D. Thomas 2.2.quæſt.24.articul.7.ad 3. vbi docet charitatem viæ, quantumuis creſcat, nũquam poſſe pertingere ad magnitudinem charitatis patriæ; quia hæ duæ dilectiones habent quantitatem diuerſæ rationis, eo quòd altera ſequatur apertam viſionem, altera cognitionem obſcuram fidei. Sicut, inquit, linea, quantumuis augeatur, non poteſt vnquam exæquari ſuperficiei, quia hæc duo habent quantitates diuerſarum rationum. At quænam eſt illa quantitas dilectionis patriæ, cui dilectio viæ non poteſt vllis incrementis exæquari, niſi eminentia & celſitudo naturę? quod infra magis declarabitur. Eamdem doctrinam apertè indicat Caietanus 1.pa. quæſt.82.art.2. vbi dicit, quòd Deus viſus & non viſus ſe habent vt obiecta diuerſarum rationum reſpectu amoris. *Falſum eſt*, inquit, *quòd viſum & non viſum differant ſicut magis & minus in eadem ſpecie: imò differunt ſicut res diuerſarum rationum obiectiuarum: ita vt Deus viſus ſit obiectum diuerſæ rationis obiectiuæ, à ſeipſo cognito citra viſionem.* Idem docet Sylueſter Ferrarienſis lib.3.contra Gentes cap.62 §.Proſolutione, & Capreolus in 1.d.1.q.3. Gabriel in 3.diſt.31.qu. vnica, dub.2.

Hanc ſententiam ego omnino veram eſſe ſentio, eamq; S. Auguſtinus varijs locis inſinuat. Libro enim De ſpir. & littera capitul.30.ſic ait: *Quis exiſtimare audeat, cum eo perueniſum fuerit quod ait, Vt cognoſcam ſicut & cognitus ſum, tantam Dei dilectionem fore contemplatoribus eius, quanta fidelibus nunc eſt, aut vllo modo hanc illi tanquam de præſenti comparandam?* Vbi inſinuat, illam dilectionem incomparabiliter fore maiorem & præſtantiorem. Sequitur: *Furiſi quanto maior notitia, tanto maior erit dilectio, profectò nunc quantum deeſt dilectioni, tantum tunc perficienda iuſtitiæ deeſſe credendum eſt.* vbi aperte aſſerit dilectionem patriæ tantum ſuperare dilectionem viæ, & iuſtitiam quæ in patria perficienda eſt, tantum ſuperare iuſtitiam viæ (loquitur de actuali iuſtitia) quantum notitia patriæ ſuperat notitiam viæ. Et infrà: *Cum peruentum fuerit ad ſpeciem, proculdubiò & ipſa dilectio non ſolum ſupra quam hîc habemus, ſed longè ſupra quam putamus, & ſupra quam intelligimus erit.* vbi rurſus indicat illam incomparabiliter fore maiorem. Et infrà dicit, *Illa ſupereminentiſſima perfectione charitatis Dei, omnes motus terrena libidinis abſorberi & conſumi.*

111 *Probatur ex S. Auguſt.*

Item libro De corrept. & gratia cap.10. dicit, *Summæ beatitudinis plenitudinem eſſe præmium perſeuerantiæ*; Eamque in eo conſiſtere, *Vt magnæ per Spiritum ſanctum datæ abundantia charitatis Dei, cadere vlterius omnino non poſſint.* Sanè ſi dilectio patriæ eſt eiuſdem rationis cum dilectione huius vitæ, ſolumque differt continuatione; quomodo illa dicitur eſſe longè maior & ſublimior quàm poſſimus petere aut intelligere? quomodo eius perfectio eſt ſupereminentiſſima? quomodo abundantia dilectionis, quæ ibi datur, eſt præmium perſeuerantiæ, facit beatum, & immunem ab omni lapſu?

112 *Probatur ratione. Voluntas æquè minus debet eleuari quàm intellectus. Lib.De ſpiritu & littera c.36.*

Eadem ſententia probatur ratione. Primò, In ſtatu beatitudinis non minus debet eleuari voluntas in Deum quàm intellectus, ſed pari modo & æquè eminenter & admirabiliter: ſed intellectus eminentiſſimo modo eleuatur, ita vt mens humana non poſſit capere, qua ratione talis modus ſit poſſibilis; ergo pari modo debet eleuari voluntas. Atqui dilectio huius vitæ non videtur valdè mirabilis, nec adeò ſubmiter in Deum eleuat, vt magnam admirationem mouere queat, nec eſt ſublimior quàm poſſimus petere aut intelligere. Ergo dilectio patriæ reſpondens viſioni longè eſt ſublimior dilectione viæ.

Secundò, Quanto maior eſt notitia, tantò maior erit dilectio, vt S. Auguſtinus ait. Atqui notitia patriæ incompàrabiliter ſuperat omnem cognitionem viæ: ergo etiam dilectio patriæ ſuperat incomparabiliter dilectionem viæ. Hęc enim pari paſſu procedere debent.

Tertiò, Si illæ dilectiones eſſent eiuſdem rationis ac naturæ, ſequeretur plurimos viatores (ſaltem ad tempus aliquod, dum ſunt in contemplatione rerum diuinarum) habere æquè perfectam dilectionem, ac habent beati; imò longe perfectiorem, quia longè intenſiorem. Perfectio enim in qualitatibus eiuſdem ſpeciei ſpectatur maximè ex intenſione graduali, ita vt illa iudicetur abſolutè perfectior, quæ eſt intenſior. Duratio & continuatio nihil addit perfectionis. Illud ſequi manifeſtum eſt. Sunt enim innumeri beati (quales ſunt pueri poſt Baptiſmum defuncti, & alij qui parum boni fecerunt) quibus habitus charitatis eſt exiguus, verbi gratia decem graduum; & plurimi viatores, quibus habitus charitatis eſt decuplo vel centuplo maior, nempè centum vel mille graduum. Vtrique autem poſſunt operari ſecundum totam latitudinem habitus: beati tamen non poſſunt illam excedere. Itaque amor beatorum erit vt decem, amor viatorum erit vt centum vel mille, ac proinde decuplo vel centuplo perfectior intrinſecè & ſubſtancialiter, quam amor beatificus. Nec refert quòd amor beatorũ ſemper perſeueret; quia hoc non facit illum intrinſecè perfectiorem: ſicut calor vt decem non ideo intrinſecè eſt perfectior,

fectior, quia firmiter alicui corpori inhæret, nec ideo comparari potest in perfectione cum calore vt centum infirmè inhærente. Atqui valdè absurdum videtur, beatos imperfectione dilectionis superari à viatoribus. Absit, absit, vt ita tam miserè summum illud bonum clarè visum diligatur. Si enim ita est, quomodo abundantia dilectionis illos ibi reddit beatos, & ab omni lapsu tutos? quomodo perfectio illius dilectionis iuxta Augustinum est supereminentissima, cum longè perfectior sit dilectio viatorum, saltem pro eo tempore quo dediti sunt contemplationi?

113 *Habitus charitatis in hac vita non potest habere supremum suum actum, quia non habet statum connaturalem.*

Nec obstat quòd habituale donum charitatis in plurimis viatoribus longè perfectius & intensiùs sit, quam in plurimis beatis (quamuis hi non possint illud amittere, illi possint) quia hoc donum in hac vita non potest habere supremum suum actum, eò quòd sit coniunctum cognitioni obscuræ, quæ nō proponit obiectum condignè & adæquatè illi habitui, sed longè inferiori modo, vnde etiam actum inferiorem elicit. In patria habet actum sublimissimum sibi commensum & adæquatum, quia hoc donum coniunctum visioni clarę, qua obiectum illi condignè proponitur: vnde in hac vita non habet suum statum connaturalem, sed est veluti planta in solo alieno depacta, quæ in fructibus suis degenerat: nec potest excellentissimos fructus proferre ob soli ineptitudinem & indispositionem. Tale solum est anima per fidem ambulans, & in ænigmate, seu obscura similitudine Deum cognoscens. Solum eius natiuum est mens diuino lumine illustrata, & clarè Deū contemplans, quia lumen gloriæ est illi connaturale. Hinc fit vt vnus gradus huius doni coniunctus lumini gloriæ possit perfectiorem & sublimiorem actum producere, quam mille gradus coniuncti notitiæ fidei: neque possit vlla dilectio huius vitæ, etiamsi in infinitum crescat, pertingere ad perfectionē infimæ dilectionis patriæ, vt rectè docet Scotus in 4. d. 49. q. 5. Quia, vt inquit S. Thomas, hæ dilectiones habent quātitates seu perfectiones diuersi generis. Simili modo scientia humana, quantumuis crescat in suo genere, numquam poterit pertingere ad æqualitatem scientiæ angelicæ, quia hæc est superioris ordinis.

114 Neque mirum videri debet, si dicamus habitum charitatis posse producere actus diuersi ordinis circa idem obiectum: quia se habet instar potentiæ, quæ pro diuersa applicatione obiecti, vel etiam pro sua libertate, potest circa idem obiectum diuersos specie actus producere. Potest enim voluntas circa Deum naturali ratione propositum elicere actum amoris absolutum, quo diligat illum super omnia; & alium inferiorem, quo diligat illum non super omnia; qui actus sunt diuersæ rationis & speciei.

Quartò, Amor Dei per fidem cogniti est diuersæ speciei, & superioris ordinis, quàm sit amor eiusdem Dei cogniti per rationem & doctrinam humanam; alius enim speciei amor illi cognitioni respondet, alius huic. Ergo multò magis amor Dei clarè visi erit superioris ordinis, & diuersæ speciei, quàm amor eiusdem obscurè cogniti. Longè enim magis visio superat fidem in ordine ad proponendum obiectum, & excitandum amorem, quàm fides notitiam naturalem. Non enim videtur magna discrepantia inter apprehensionem Dei per rationem naturalem, & instructionem humanam, & apprehēsionem eiusdem per fidem diuinam. Nec refert quòd amor ex fide sit supernaturalis, sicut est amor ex visione, ac proinde videantur eiusdē speciei; quia amor ex visione est longè magis supernaturalis, vtpote ordinis diuini. Inter enim supernaturalia sunt varij gradus, cùm aliud alio magis minusve naturæ vires superet. Amor ex fide est in infimo actuum supernaturalium ordine, amor ex visione in summo.

Quintò, iuxta S. Thomæ doctrinam Angeli diuersæ spe-
115 ciei habent etiam cognitiones circa idem obiectum diuersæ speciei: ac proinde etiam amores his cognitionibus adæquati, sunt diuersæ speciei. Quæ enim est proportio inter naturam & naturam, eadem est inter potentiam & potentiam, & inter actus potentiæ adæquatos. Atqui multo maior est discrepantia inter visionem & fidei notitiam, quàm inter cognitionem Angeli superioris & inferioris: ergo etiam inter amorem qui est ex visione, & qui ex fide est maior discrepantia quàm inter amores Angeli superioris & inferioris; ac proinde specifica.

Sextò, Gaudium de bonis Dei in patria, longè est excellentius, quàm possit esse in via. Incredibile enim est ibi beatos non magis gaudere de bonis Dei & ipsius gloria, quam viatores in terris. Si enim non ita est, quomodo gaudium ibi excludit omnem tristitiæ motum? quomodo dicitur seruo fideli, *Intra in gaudium Domini tui*? Si verò gaudium erit ibi incomparabiliter maius, etiam amor maior erit: quia tantum gaudebunt, quantum amabunt; gaudium enim ex amore resultat, eique commensuratur. Tantum quisque gaudet de bono obtento, quantum illud amat.

Septimò, Aliter afficit bonum obscurè & sub aliena spe- 116
cie propositum; aliter clarè ac in propria specie ostensum. Longè enim pluris æstimatur, & maiorem mouet admirationem, quando clarè & in propria specie cernitur: ergo magis etiam & dignius amatur, ita vt amor appretiatiuè & æstimatione sit maior. Sicut si quis solem numquam vidisset, & de eius pulchritudine tantum audisset, longè pluris illum æstimaret, & magis amaret, quando eum videret, quam ante fecerat. Non possumus in hac vita Deum apprehendere, prout est in se; sicut neque is, qui ab ortu cæcus est solem; sed tantum ex creaturis rudem eius speciem concipimus. Vnde totum quodammodo nouimus, & totum ignoramus. Nouimus obscurè, confusè & sub aliena specie: sicut cæcus nouit solem. Ignoramus qualis in seipso sit: nec vllo modo possumus id concipere. Sicut ergo Deus ita confusè & sub aliena specie cognitus valdè imperfectè format nostrum conceptum quo illum apprehendimus, eique imperfectam speciem in ratione cognitionis & imaginis tribuit, ita valdè imperfectè format nostrum amorem eique speciem imperfectam tribuit.

Octauò, Amor patriæ est præmium & merces, vt ex Augustino ostensum; ac proinde se habet instar termini. Amor viæ est meritum, & via qua ad terminum tenditur. Atqui præmium & meritum, via & terminus sunt diuersæ rationis. Præmium enim debet esse longè perfectius quàm meritum, & terminus quàm motus ad terminum.

Nonò, Probabile est, essentiam beatitudinis consistere potissimum in amore Dei: si ergo amor Dei in via est eiusdem speciei ac in patria, sequitur, hominem in via habere essentialem beatitudinem, ac proinde reuerā esse beatum, quod non est dicendum.

Decimò, Denique amor in patria est omnino necessa- 117
rius, & totum exhaurit appetitum, ita vt homo nihil nisi ex vi illius, aut illi consentaneè appetere vel amare possit. In via est omninò liber, multosque secum admittit inordinatos affectus. Atqui actus liber & actus necessarius stante pleno rationis iudicio sunt diuersæ speciei. Liber enim talis est naturæ, vt potentia ad eum maneat indeterminata, & secundum se indifferens, ita vt tam facilè possit se flectere ad contrarium, quàm se flexit ad illum. Quod ex eo prouenit, quòd non impleat capacitatem voluntatis, nec eam plenè actuet tamquam quid imperfectum ac potentię insufficiens; vnde ipse aliorum actuum manet capax, & potest illum relinquere. Actus verò necessarius eius est naturæ & conditionis, vt potentia ad illum sit determinata, tāquam ad integrum & plenum suum bonum intrinsecum. Vnde implet eius capacitatem, ita vt ad nullum alium amorem inclinet, nisi qui huic sit subordinatus. Quod sanè indicat, esse ingens discrimen naturæ in ipsius actibus. Confirmatur a simili in actibus intellectus. Actus enim intellectus qui totam ipsius capacitatem circa aliquid obiectum implet & exhaurit, plurimum distinguitur specie ab eo qui non implet. Ergo similiter actus voluntatis qui totam capacitatem voluntatis implet, specie distinguitur ab eo qui non implet.

Actus liber & necessarius, stante pleno rationis iudicio, differunt specie.

Nec obstat quòd affectio quæ initio est necessaria, pos- 118
sit eadem manens fieri libera, & contrà: quia id fieri non potest stante pleno rationis iudicio vtroque tempore. Affectio enim seu amor qui ab initio est liber, non potest fieri necessarius, nisi iudicium rationis impediatur; ita vt non possit considerare in obiecto rationem cur possit non appeti, saltem hic & nunc, sicut antea poterat. Quando enim id non potest considerare, tunc apprehenditur obiectum vt hic & nunc necessarium, ac proinde voluntas ad eius amorem determinatur & constringitur. Arctatur enim tunc amplitudo & capacitas voluntatis per angustias intellectus, ad obiectum illud particulare, eiusque amorem, contra naturæ suæ conditionem. Simili modo quando affectio, quę prius erat necessaria, fit libera, iudicium rationis (quod ante erat impeditum) soluitur vt possit considerare in obie

Idem actus voluntatis quo modo possit ex libero fieri necessarius, & contra.

cto

ctio rationem cur possit non appeti. At nullo modo fieri potest constante pleno rationis iudicio, vt idem actus ex libero fiat necessarius, vel contra; quia idem actus non potest amplitudinem voluntatis implere, & non implere. Hæc tamen intelligenda sunt reposito impulso physicè prædeterminante, de quo modò non disputamus.

Id fieri nequit constante pleno rationis iudicio.

119 Ex his concludo, amorem Dei in patria esse incomparabiliter excellentiorem, quam possit esse vllus amor in via: neque hunc amorem, etiamsi crescat finè fine, posse vnquam exæquari amori patriæ, qui tam sublimis, diuinus, & admirabilis est, quàm ipsa visio; & tantum superat omnem amorem viæ, quantum visio omnem viæ cognitionem. Nunc respondeamus ad ea quæ contrà obijci possunt.

Primò obijci potest ex Apostolo 1. Corinth. 13. *Charitas numquam excidit*. Ibidem tamen docet, fidem euacuandam propter imperfectionem. Atqui si charitas hic esset in perfectioris naturæ quam in patria, excideret; quia mutaretur in aliam, sicut cognitio fidei excidit, dum mutatur in visionem.

Quo modo charitas nunquam excidat.

Respondeo negando minorem. Dicitur enim charitas *numquam excidere*, non quòd non mutetur in perfectiorem (de actu loquor cum Apostolo, non de habitu) sed quia semper etiam in illo statu beato, vere & propriè diligemus Deum & proximum, eritque verissima & propriissima dilectio & charitas: quamuis longè perfectior quam in hac vita. Non tamen ibi cognoscemus obscurè per fidem, nec erit ibi cognitio fidei obscurè. Hoc sensu dicitur fides euacuanda, non charitas. Neque ad hoc vt charitas dicatur numquam excidere, opus est vt maneat eadem numero vel specie: sed abunde satis est, vt maneat aliquis actus charitatis in Deum & proximum, qui propriè dicatur dilectio, siue ille sit eiusdem speciei ac dilectio viæ, siue diuersæ.

120 Secundò obijcitur: Amor tendit in obiectum vt est in seipso extra intellectum: sed cognitio tendit in illud vt recipitur quodammodò in intellectu, vt sæpè docet diuus Thomas; ergo nihil refert ad amorem an obiectum cognoscatur perfectè, an imperfectè, quia tendit semper in obiectum, vt in se est perfectum. Confirmatur Primò, Quia etsi non possimus Deum cognoscere, vt est in se; possumus tamen illum amare, vt est in se. Ergo etiamsi cognitiones viæ & patriæ multum distinguantur, non tamen amores. Confirmatur Secundò, Quia eadem bonitas est vtriusque amoris obiectum formale. Ergo eandem tribuit speciem. Confirmatur Tertiò, Quia cognitio non est ratio formalis, sed solum conditio & veluti applicatio obiecti. Atqui diuersa applicatio non mutat speciem. Ergo, &c.

Sicut amor ita etiam cognitio tendit in obiectum vt est in se. Amori magis conuenit tendere in obiectum, vt est in intellectu, quàm cognitioni.

Respondeo, Eodem sensu quo amor dicitur tendere in obiectum prout est in se extra intellectum, etiam cognitio tendit in illud vt est in se extra intellectum. Omnes enim quicumque conantur rem intelligere, cupiunt scire quid & qualis sit res in seipsa vt est extra intellectum, non qualis sit in intellectu, aut quale esse ibi habeat. Imò amor magis videtur tendere in rem prout est in intellectu, quàm cognitio; quia amor nullo modo potest in rem amatam tendere, nisi res illa iam sit in intellectu, & ab intellectu voluntati proponatur: neque voluntas potest illam sub altiori ratione amare, quam intellectus ei ostendat. Itaque obiectum amoris ab intellectu quodammodo vel contrahitur, vt cum illud infrà suam dignitatem apprehendit, & sic apprehensum proponit voluntati; vel extollitur & amplificatur, vt cum illud supra suam dignitatem concipit. Hinc fit vt bona spiritalia, vt virtutes Christianæ, & cælestis gloria, parum amentur; bona temporalia, vt honores, diuitiæ, voluptates, plurimum: quia res amantur prout ab intellectu apprehenduntur. Magis itaque competit amori ferri in rem vt est in intellectu, quàm cognitioni, quia ante cognitionem res non debet esse in intellectu; sed extra & in seipsa.

Nec obstat ille modus loquendi S. Thomæ: tantum enim illo significatur, cognitionem fieri per quamdam assimilationem intellectus cum obiecto, seu per hoc quòd in intellectu formatur quædam imago rei intellectæ; amorem verò non per imaginem rei, sed per impulsum in rem illam foris existentem. Quæ omnia vera sunt: sed nullo modo probant cognitionem non tendere in rem vt est in seipsa, aut amoris obiectum non modificari ab intellectu.

121 *Quo sensu cognitio dicatur tendere in obiectum prout est in intellectu.*

Etsi enim cognitio fiat per quamdam rei imaginem; illa tamen imago non repræsentat rem, vt est in intellectu, sed vt est in seipsa. Quanti autem referat ad rationem amoris, sitne perfecta an imperfecta cognitio obiecti, supra satis ostensum.

Ad Primam confirmationem, Nego antecedens. Sicut enim illum amamus vt in se est, ita etiam cognoscimus vt in se est. Vbi aduerte, illum loquendi modum dupliciter posse intelligi. Primò, Vt dicatur amari vt in se est, quia amatur ratione bonitatis & perfectionis, quam in se habet: & hoc modo etiam cognoscitur vt in se est; quia cognoscuntur de illo (etsi confusè & obscurè) eæ perfectiones, quæ re vera illi insunt: alioquin si ex parte rei non inessent, illa cognitio non esset cognitio Dei, sed error. Secundò, Dicitur amari vt est in se: quia condignè & proportionatè suæ bonitati, quam ex parte rei habet. Et hoc sensu non potest amari in hac vita vt est in se; sed longè inferiore modo, prout est in intellectu. Eodem sensu non potest in hac vita cognosci vt est in se, quia nulla cognitio potest illum digne (id est conceptu proprio, distincto & claro) repræsentare, & menti ostendere. Cum dico, illum condignè repræsentari, cognosci, amari; loquor de condignitate non æqualitatis, sed summæ proportionis, quæ inter Deum & creaturam dari potest. Itaque sicut cognitio Dei huius vitæ longissimè est infra eius dignitatem, & ideo non dicitur cognosci vt in se est: ita etiam amor.

122 *Sicut amamus Deum vt in se est, ita & cognoscimus.*

Ad Secundam confirmationem. Eadem quidem bonitas est vtriusque amoris obiectum, sed hæc alio modo proponitur in via, alio in patria. In via obscurè, & sub conceptu quodam generali: in patria clarè, & sub propria specie. Vnde in via tota quodammodò scitur & tota ignoratur. Scitur confusè & obscurè; ignoratur qualis sit in propria specie: quæ diuersitas proponendi mutat rationem formalem obiecti. Dum enim ostenditur clarè qualis sit in propria specie, perinde æstimatur, & afficit voluntatem, ac si noua bonitas, quæ antea ignorata fuit, ostenderetur.

Diuersitas proponendi mutat rationem formalem.

Ad Tertiam confirmationem. Etsi cognitio non sit ratio formalis obiecti; tamen redundat in illam, ita vt ex diuerso modo cognoscendi, diuersum obiectum formale resultet: hinc Deus clarè visus, & obscurè confuseque cognitus habet rationem diuersam obiecti formalis, vt rectè docet Caietanus suprà. Nec refert quòd cognitio dicatur conditio tamquam applicatio obiecti; quia est talis conditio & applicatio, vt essentialiter ad amorem sit requisita, non minus quam ipsum amoris obiectum. Vnde non minus variat rationem formalem obiecti, quàm diuersa bonitas obiecti.

Obijcitur Tertiò, Contemplatiui docent, amorem esse sublimiorem cognitione in hac vita, & altius in Deum assurgere quàm cognitionem, & ingredi in abdita & arcana Dei, cognitione foris manente. 123

Respondeo, Amorem quidem esse in hac vita præstantiorem cognitione, non physica entitate, sed morali æstimatione; quia amor facit iustos & amicos Dei, & tribuit ius vitæ æternæ, & hac ratione potest dici sublimior: non autem quòd magis in Deum eleuet voluntatem, quam cognitio intellectum. Dicitur amor intrare cognitione foris stante, quando Deum contemplamur per omnium rerum negationem, tamquam omni perfectione conceptibili eminentiorem, de quo modo cognoscendi tractat Dionysius ex professo libro de mystica Theologia. Tunc enim cognitio dicitur foris manere, quia non concipit Deum sub aliqua forma, vel specie positiua, prout est in se: sed per omnis speciei conceptibilis negationem, ac proinde occupatur circa ea quæ foris sunt, ea negando de Deo, tamquã omnibus eminentiore. Amor dicitur intrare, quia penetrat ad amandum id quod sub propria specie concipere nõ possumus, eique se immergit, & fruitur eius dulcedine. Idipsum tamen concipitur cõfuso modo per negationem, tamquam nihil eorum quæ cõcipi a nobis possunt, sed omnibus infinitè excellentius. Et sic amor non intrat profundius, quàm cognitio absolutè, sed solum quam cognitio per affirmationem. Etsi enim possimus Deum excellentius amare, quàm eum cognoscimus per affirmationem, non tamen quàm per negationem.

Quo modo amor dicatur intrare, & cognitio foris stare.

CAPVT

CAPVT XV.

De gaudio Beatorum, quid & quale sit: & ad quæ se extendat?

124 EX amore sequitur gaudium, tamquam complementum motuum animi, & vltima perfectio. Eo enim obtento, quiescit animus, nec amplius quid desiderat. Sicut in corporibus est impetus ad proprium locum, quò cùm peruentum fuerit, est quies in loco, nec vlteriùs tenditur: ita in spiritibus, & animabus cognitione præditis, est amor proprij boni & desiderium; & obtento illo bono est quies vitalis in eo, nec vlteriùs tenditur. Sicut tamen impetus detinet corpus in loco tamquam in proprio bono, ne facilè possit ab eo diuelli: ita amor detinet animum in bono obtento, ne illud amittat, & dulcedine præsentiæ eius priuetur. Aduerte tamen, gaudium non proprie dici quietem in bono, aut quieti comparari: quies enim est cessatio à motu, ac proinde priuationem motus insinuat; gaudium verò non consistit in cessatione a motu, vel in motus priuatione. Dicitur tamen esse quies in bono, non quòd formaliter quies sit; sed quia ex eo quies sequitur, eique est coniuncta: nam obtento bono & gaudio, cessat motus desiderij & prosecutionis, nec vlteriùs tenditur. Itaque cõcomitanter quies dicitur.

Gaudij formaliter non est motus præsentiæ, sed vitalis suauitas ex amore ad præsentiam boni resultans.

Formaliter autem consistit in quadam vitali suauitate, quæ ex amore ad præsentiam boni amati per modum passionis resultat. Sicut enim corpora, cum ad suum locum naturalem peruenerint, ex eius coniunctione benè afficiuntur; ita spiritus obtento bono amato, ex eius præsentia & coniunctione (quæ fit per sensum, vel intellectum) bene afficiuntur. Sed illa corporum affectio non est vitalis, nec ab illis sentitur: hæc spirituum vitalis est, & sentitur. Itaque gaudium non est appetitio aliqua, vel prosecutio boni, sed est vitalis quædam suauitas ex amore ad præsentiam boni amati in anima resultans; ac proinde se habet in modũ passionis; quia posito amore & præsentia seu coniunctione boni amati, gaudium non est liberum, sed necessariò emicat; neque potest tolli, nisi sublato amore: qui tamen facilè tollitur in hac vita, mutatur cõsideratione. Verùm vt hæc meliùs intelligantur, Notandum est, sicut diuersis cibis corporis sunt diuersi sapores, quibus sensus gustãdi variè delectatur; ita diuersis rebus quæ sub cognitionem cadunt (quibus intellectus tamquam cibis suis pascitur) esse diuersas pulchritudines, & veluti sapores spirituales & intellectiles, quibus perceptis mens variè delectatur. Singulæ enim habent speciem seu pulchritudinem intelligibilem, quæ cuique est veluti proprius sapor ac dulcedo, qua, dum intelliguntur & veluti gustantur, mentem ac palatum animæ oblectant: intellectus enim est animæ oculus, quo omnium rerum species & pulchritudines cernit; & palatum, quo omnium dulcedinem degustat.

Pulchritudo rei cuiusque est veluti sapor & dulcedo eius.

125 *In delectatione quatuor concurrunt.*

In delectatione gustus quatuor concurrunt, nempe sapor seu dulcedo cibi, facultas gustandi qua cibi dulcedo percipitur amor illius dulcedinis, seu propẽsio affectus in illam, & oblectatio quæ ex sensu seu perceptione dulcedinis & eius affectu oritur. Pari modo in delectatione mentis quatuor concurrunt: pulchritudo rei, facultas intelligendi qua illa pulchritudo cognoscitur, affectus & complacentia qua illa amatur, & oblectatio quæ ex illa cognitione & affectu erga illam oritur. Quod enim affectus seu amor sit necessarius, patet; quia dulcedo cibi gustu percepta non delectat, si affectus abhorreat. Simili modo nec pulchritudo rei intellectu percepta pariet gaudium, si affectui sit exosa. Hinc dæmones, etsi maximam cognitionem rerum habeant, & rerum pulchritudinem videant; nihil tamẽ inde gaudij vel oblectationis capiunt: quia illam oderunt, & penitus extinctam vellent. Sicut enim Deum oderunt pessimè, ita omne id in quo gloria Dei quoquo modo relucet.

Ex his vtcumque intelligi potest, quid sit gaudium, & quænam eius causæ. Est enim vitalis quædam dulcedo, ex vitali perceptione dulcedinis seu bonitatis rei amatæ in anima resultans. Vnde gaudium & delectatio non sunt concipienda per modum appetitionis vel prosecutionis obiecti, sicut amor & desiderium: sed in modum passionis ex amore & apprehensione obiecti præsentis vitaliter in anima resultantis. Est enim gaudium dulcedo vitalis animæ seipsa formaliter animam obiectans, & miro dulcedinis sensu perfundens. Porrò gaudium & oblectatio in proposito nõ distinguuntur, nisi vt magis & minùs commune, vt docet S. Thomas 1.2.q.31.art.3. Nomen enim oblectationis latiùs patet: cùm etiam in sensibus locũ habeat, sicut & voluptas. Gaudium solùm est partis rationalis.

Distinctio gaudij & oblectationis.

Eius causæ sunt quatuor: Boni præsentia, amor huius boni, cognitio illius præsentiæ, & ipsa anima. Præsentia boni requiritur, quia gaudium est de bono quatenus aliquo modo apprehenditur vt præsens, seu obtentum, siue in re, siue in spe. Si enim consideretur vt absens & nondum habitũ, oritur non gaudium, sed desiderium. Bonum præsens dicitur esse obiectum gaudij, non quòd gaudium per se circa illud occupetur sicut cognitio, amor, desiderium; sed quia cognitio & amor, quæ essentialiter in gaudio includuntur, vel illi supponuntur, circa illud occupantur. Gaudium enim est vitalis dulcedo orta ex bono præsenti cognito & adamato, seu ex amore & cognitione illius boni. Itaque sicut illud bonum tribuit speciem amori & cognitioni; ita etiam gaudium ab eo suam speciem trahit, licet nõ eodem prorsus modo. Secundò, Etiam amor illius boni, & præsentiæ eius requiritur, vt patet ex dictis; quia sine amore non reputatur esse bonum, ac proinde non potest esse causa gaudendi. Vnde etiamsi quis possideret totum mundum, idque clarè cerneret; si tamen huic possessioni non afficeretur amore, nihil inde perciperet gaudij. Tertiò, Cognitio quoque boni & illius præsentiæ est necessaria. Sicut enim nil incognitum amari potest: ita nihil incognitum oblectare. Quartò, Denique ipsa anima tamquam vitale subiectum gaudij reuiritur, ex quo & in quo vitaliter excitatur. Ex quibus constat singulas hasce causas adeò necessariò ad gaudium concurrere, vt si vel vna desit, gaudium nullo modo constare possit. Hæc de gaudio in genere.

Causa gaudij quatuor. præsentia boni, amor illius, cognitio præsentiæ, & ipsa anima.

Nunc trancamus ad gaudium Beatorum, illiusque eminentiam & magnitudinem consideremus. hæc duplici ratione expendi potest. Primò, Considerando eminentiam & sublimitatem causarum huius gaudij. Secundò, Considerando excellentiam & multitudinem bonorum de quibus simul gaudent.

127 *Magnitudo gaudij Beatorum duplici ratione explicatur. Primò ex sublimitate causarum; Secundò ex multitudine & præstantia bonorum.*

Gaudium beatificum tam est sublime, supernaturale, & admirabile, quàm visio diuinæ essentiæ, & ipse amor beatificus. Hæc enim omnino paria sunt, & inter se commensurata, tum perfectione intensiua, tum eminentia naturæ, seu perfectione specifica. Tantum amant, quantum vident, & tantum gaudent, quantum amant. Confirmatur, Quia magnitudo delectationis & gaudij ex tribus pensanda est. Primo ex magnitudine boni quod obtinetur; ex perfectione potentiæ qua percipitur: ex magnitudine amoris quo amatur: nam eò maior est delectatio, quò maius est bonũ quod delectat, & potentia quę illud percipit, & amor quo illi inhęremus. Atqui hæc omnia in gaudio beatifico sunt summa. Obiectum enim quod delectat est infinita bonitatis, pulchritudinis & dulcedinis; omnem in se bonitatem, pulchritudinem, & dulcedinem rerum omniũ in se complectens. Potentia quæ illud percipit & gustat, est suprema; nempe intellectiua; supremo modo per lumen gloriæ elcuata & corroborata. Amor quoque quo illi inhæretur, summus est & sublimissimus. Ergo ex omni parte gaudiũ beatificũ est summum & eminentissimum; tantumque superat omnia huius mundi gaudia, quæ vel per sensum, vel intellectum capiuntur, quantum visio patriæ cognitionem vitæ, & sensuum apprehensionem: & quantum bonum infinitum superat bonum finitum. Est enim gaudium illud infinitè maius & suauius quam omnia gaudia huius vitæ. Infinitè inquam, non intensione graduum, sed comparatiuè & æstimatione: adeò vt, etiamsi omnia gaudia mundi, omnesque sensuum oblectationes, quæ in hac vita possunt haberi; simul in vnum confluerent, & augerentur sine fine; nũquam tamen gaudio Beatorũ exæquari possent: quia hoc gaudiũ est superioris ordinis, vtpote diuini, ac proinde eius dulcedo est longè alterius ordinis, quã dulcedo gaudiorũ huius vitę: nec vllo modo potest hęc illi exæquari; sicut cognitio huius vitæ quantumuis in suo ordine excrescat, numquam potest exæquari cognitioni patriæ, sed infinitè semper manet inferior. Itaque gaudium patriæ magis superat omne gaudium huius mundi, quam totus Oceanus modicam

Gaudium parium and omnia gaudia huius vitæ eſt inſtar Oceani ad vnam guttam

lacunam, imò quàm vnicam guttam. Gutta enim multiplicatione ita creſcere poteſt, vt exæquet Oceanum: quia hæc ſunt eiuſdem rationis, & ſolum differunt quantitate. Atqui gaudia huius vitæ, etiamſi infinities congeminentur, ac multiplicentur, numquam poſſunt exæquare gaudium patriæ: quia diuerſæ rationis ac dulcedinis: ſicut diuerſæ rationis eſt gaudium quod quis percipit ex eo quòd ſuſtineat perſonam regiam in ſcena, & quod percipitur ex dono veri Regni.

128 *De quibus bonis gaudebit.*

Idem clarius adhuc patebit, ſi conſideremus eminentiam, multitudinem, & firmitatem bonorum de quibus gaudent. Primum enim & ſuper omnia gaudent de bonis Dei intrinſecis, quibus ipſe infinitè cumulatus eſt: nimirum quia vident illum eſſe infinitæ potentiæ, & ſapientiæ, & bonitatis, & pulchritudinis: vident eſſe immenſum & æternum; eſſe omnium conditorem, omnium finem, omnium exemplar, omnium conſeruatorem: vident omne bonum, omnem pulchritudinem, dulcedinem, gloriam, beatitudinem in ipſo affluentiſſimè contineri: eoque magis gaudent, quòd videant illum hæc omnia poſſidere eminentiſſimo modo, nempe ſub vnica ſimpliciſſima Deitatis forma. Ex horum conſideratione, quæ fit viſione beatifica, incomprehenſibile gaudium concipiunt. Sicut enim Deum incomparabiliter amplius amant, quàm ſeipſos: ita incomparabiliter magis & dulcius gaudent de ipſius bonis, quàm de tota ſua ipſorum beatitudine. Hoc tamen gaudium quòd ex conſideratione ſuæ beatitudinis percipiunt, incomparabiliter maius eſt, quàm omnia gaudia huius mundi: quia bona illius ſtatus ſunt infinitè præſtantiora, quàm bona huius vitæ; neque ſunt temporalia, ſed æterna. Quòd ſi gaudium quod Sancti de ſua beatitudine habebunt, ſine comparatione, & quaſi infinities maius eſt, quàm omne gaudium huius vitæ; quàm ingens & incomprehenſibile erit illud gaudium, quod incomparabiliter gaudio propriæ beatitudinis maius erit? Vnde meritò dicitur illis: *Intra in gaudium Domini tui*: quia veluti in abyſſum & pelagus quoddam gaudiorum intrabunt, eoque cingentur vndique, & æternum in eo habitabunt. *Matth. 25.*

129 *2. De bonis Dei extrinſecis.*

Secundò, Gaudebunt de omnibus bonis Dei extrinſecis; eo ordine & gradu de ſingulis, quo gloria Dei in ipſis obſcurius vel illuſtrius relucet. Gaudium itaque Primò loco eis erit de gloria Dei, quâ percipit in humanitate Chriſti, & vnione hypoſtatica. Secundò, de gloria quam habet ex perpetua laude, & benedictione, & gratiarum actione Sanctorum omnium. Tertiò, de gloria, quæ illi prouenit ex ipſo ſtatu Beatorum, & ſplendore illius ciuitatis. Quartò, de gloria quę illi obuenit ab Eccleſia in terris militante, eiuſque admirabili ſtructura & gubernatione. Quintò, de gloria quæ ab ijs qui expiantur ſub terra igne purgatorio. Sextò, de gloria ex ſtructura vniuerſi, & pulchritudine rerum ſingularum. Septimò, de gloria quæ ex pœnis impiorum, quas in carcere diuinæ iuſtitiæ ſuſtinent, & in omnem æternitatem ſuſtinebunt. De hac multiplici Dei gloria multiplex & ineffabile eſt illis gaudium, & oblectatio talis, qualem nemo in hac vita ſentire poteſt. Atque totum hoc gaudium, tota hęc oblectatio & dulcedo ex amore erga Deum prouenit. Nihil hic habet amor ſui vel proximorum: totum diuinum eſt, & charitatis diuinæ. Sicut cum filius regis gaudet de potétia, ſapientia, opibus, & gloria ſui patris, abſque vllo intuitu ſui commodi vel honoris: ſed ſolus patris cauſa: hoc gaudium ex ſolius patris amore prouenit, neque vllo modo interuenit amor proprius.

Septem gradus gloriæ Dei extrinſecæ.

De hoc gaudio ita Sanctus Anſelmus Proſologij capit. 25. *Et quoniam quantum quiſque diligit alterum tantum de bono eius gaudet, ſicut in illa perfecta felicitate vnuſquiſque ſine cõparatione plus amabit Deum, quàm ſe, & omnes alios ſecum: ita plus gaudebit abſque æſtimatione de felicitate Dei, quàm de ſua & omnium aliorum ſecum. Sed ſi Deum ſic diligent toto corde, tota mente, tota anima: tamen totum cor, tota mens, tota anima non ſufficiat dignitati dilectionis: profectò ſic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, vt totum cor, tota mens, tota anima nõ ſufficiat plenitudini gaudij.* Et capit. 26. explicans illud Ioannis 16. *Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Inuenies*, inquit, *gaudium quoddam plenum & plusquam plenum. Pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine gaudeo ille; adhuc ſupra modum ſuperetis gaudium, non ergo totum ei-*

lium gaudium intrabit in gaudentes, ſed toti gaudentes intrabunt in gaudium Domini.

Verũ præter hæc gaudia charitatis diuinæ, ſunt alia quæ ex dilectione ſui & proximorum naſcuntur, quæ etiam ineffabilia ſunt, eth gaudijs, quę ex bonis Dei oriuntur, inferiora. Tertiò itaque loco gaudebunt de bonis propriis: quæ, vt maxima ſunt & multiplicia, ita quoque gaudia maxima & multiplicia erunt. Ac primum & præcipuè gaudebunt, quòd Deum videant & poſſideant, eiuſque gloriæ, ipſis dotis, ac beatitudinis ſint participes. Si enim mortales in hac vita reperto ingenti thesauro, vel ampla hereditate delata, vel obtento ex inſperato regno, aliove bono terreno & caduco (quod tamen mille curas ſecum trahit, & ſæpè perniciem adfert, & ad momentum durat) tanto ſæpe gaudio afficiuntur, vt vix ſe capiant, aut compotes ſint ſui: quanto gaudio par eſt affici Sanctos obtento bono infinito, quod omnem ſollicitudinem excludit, & in quo omnes diuitiæ, omnes honores, omnes dignitates, omnis pulchritudo, omnis dulcedo, & quicquid animus deſiderare poteſt, affluentiſſimè cõtinetur? Ad cuius gaudij cumulum accedit, quòd videãt huius boni poſſeſſionem eſſe firmiſſimam, & in omne æuum ſine vlla imminutione permanſuram. Sicut enim æternitas malo accedens facit illud infinitè peius, magiſque exoſum; ita eadem bono accedens facit illud infinitè melius & amabilius. Vnde ſicut impios nihil æquè cruciabit, ac conſideratio æternitatis mali in quod inciderunt: ita Sãctos in ſuo ipſorum bono nihil æquè gaudio implebit, atque conſideratio æternitatis illius boni quod obtinuerunt. Itaque eorum gaudium duplici ratione erit incomparabiliter, & quaſi infinitè maius, quam omnia gaudia mundi: nimirum quia bonum quod poſſidebunt, erit infinitè maius & ſublimius quàm omnia bona huius ſæculi; & duratio quia hoc bono fruentur, erit infinitè longior, quàm omne tempus huius vitæ. 130 *3. De bonis propriis.* *Æternitas tam boni quàm mali auget infinitè.*

Deinde etiam de alijs animi bonis gaudebunt, præſertim de omnium virtutum perfectione, & clara rerum omnium notitia: ex quarum ſpecie & mirabili ſtructura mirum capient voluptatem. Quidquid enim eſt dulcedinis, pulchritudinis, & oblectamenti in omnibus rebus creatis, hoc ipſi ſuauiſſimè & puriſſimè haurient & degustabunt. Item gaudium ſingulare percipient ex conſideratione periculorum & malorum tum temporalium, tum æternorũ, quæ videbunt ſe euaſiſſe, a quibus ſe in perpetuum cernẽt eſſe ſecutos. Cernent etiam pœnas peccatorum ſempiternas, & horrenda inferorum incendia, & infinitam multitudinem eorum qui illis inuoluentur, & pericula quibus ipſi fuere expoſiti, & miſericordiam Domini, per quã erepti; & in illum æternæ beatitudinis portum deducti: quæ res illos incredibili gaudio, vt par eſt, perfundet. 131 *De alijs animi bonis etiam mirè gaudebunt.*

Præterea gaudebunt de corporis dotibus, cùm illud inſtar ſolis fulgidum, inſtar luminis penetrabile, inſtar fulminis velox, inſtar ſpiritus immortale & impaſſibile conſpicient. Gaudebunt etiam de ſocietate Sanctorum pulcherrima, nobiliſſima, & amabiliſſima, cũ qua in æternum ſuauiſſimè verſabuntur. Denique gaudebunt de pulchritudine habitaculi, videntes ſe eſſe tranſlatos in regnum cælorum, in paradiſum voluptatis, in regionem lucis, in viſionem pacis in terram viuentium, in cæleſtem Ieruſalem, in Beatorum locum omnibus bonis & gaudijs affluentem, & omni incommodo ac mœrore carentem. Ex ſingulis huiſce bonis ſuis ineffabili gaudio perfundentur. 132 *Gaudiũ Beatorum de dotibus corporis.* *De ſocietate Sanctorum.* *De pulchritudine habitaculi.*

Quartò. Gaudebunt ſinguli etiam de bonis proximorũ, & ſociorum ſuorum. Singulos enim ciues illius beatæ ciuitatis tam Angelos, quàm homines diſtinctè noſcent, & videbunt. Singulos tamquam Dei filios, & ſuos fratres ac coheredes diligent ardentiſſimè: ac proinde de eorum gloria, ſplendore, beatitudine, excellentia, ſapiẽtia, virtutibus, aliiſque bonis gaudebũt tamquam de ſuis: idque multo magis quam vel parens de bonis filiorum, vel amicus de bonis amici in hac vita gaudere poſſit. Legimus quoſdam vel ex honore filiorum, vel ex eorum incolumitate, quos putabãt mortuos, tantum percepiſſe gaudij, vt in eo anima efflauerint, omni vitali ſpiritu nimia cordis dilatatione effuſo. At longè maius ac dulcius erit gaudium quod Beati de ſingulorum aliorum beatitudine & immortali gloria habebunt: quia & dilectio erit longè maior, & bonum longè excellentius, & cognitio longè clarior. Quòd ſi ex ſingulo- 133 *4. De bonis proximorũ.* *Plurimi viſerunt in Theatro vitæ humanæ, ſe in Gaudio mori.*

rùm bonis tantum capient gaudij, quantum erit gaudium quod ex omnium bonis nascetur? Quanto enim omnium simul iunctorum, totiusque illius ciuitatis beatitudo & gloria maior est beatitudine & gloria singulorum; tanto quoque maius erit gaudium & voluptas animi, quæ ex totius ciuitatis consideratione nascetur, quàm sit ea quæ ex intuitu singulorum. De hoc ita scribit S Anselmus in Prosologio cap.25. *Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum beatorum, & hominum, vbi nullus minus diliget alium quàm seipsum, nec alterus gaudebit quisque pro singulis aliis, quàm pro se ipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum; quo modo capax erit tot & tantorum gaudiorum?* In eandem sententiam multa habet Auctor de spiritu & anima apud Augustinum tomo 3. ex quo hæc & alia Anselmus.

Ex quibus perspicuum est, hoc gaudium, quod ex bonis
134 sociorum percipient, per se spectatum incomparabiliter maius ac suauius esse, quàm omnia gaudia, quæ in hac vita sentiri possunt. Considerentur nunc omnia illa bona, quæ à nobis commemorata sunt, & iungantur simul (nimirum omnia bona Dei intrinseca & extrinseca; omnia bona propria, & omnia bona omnium Beatorum) considerentur etiam omnia gaudia, quæ ex omnium & singulorum istorum bonorum consideratione & præsentia sempiterna nascentur; & apparebit pelagus quoddam tum bonorum, tum gaudiorum, quibus simul fruentur, & ineffabiliter perfundentur. Omnem enim dulcedinem, quæ est in Deo, & omnem quæ est in rebus creatis, simul & perfectissimè percipient ac degustabunt in omnem æternitatem.

CAPVT XVI.

De beatorum spirituum pulchritudinem.

135 *Sunt gradus pulchritudinis & perfectionis.*

PVlchritudinis multi sunt gradus, sicut & perfectionum. In infimo gradu est pulchritudo corporum, quæ tamen tanta est in plurimis rebus, vt stuporem considerantibus injiciat. In Secundò, est pulchritudo animæ vegetantis in herbis, floribus, arboribus, quæ haud dubiè incomparabiliter maior est, quàm omnis pulchritudo corporum: quia tota pulchritudo externa, quæ in hoc rerum genere cernitur, pendet ex pulchritudine interna illius animæ, in qua etiam eminenti simplicique modo continetur. Tota enim illa structura & species, quæ in quauis planta vel flore cernitur, & omnes illæ partium internarum & externarum figuræ, colores, odores, proportiones, situs, temperamenta, vires, miro & incomprehensibili modo continentur in anima, vitaque illa inuisibili, quæ intus latet, & corpus illud vegetat, tamquam in caussa propria: ita vt hac anima perfectè cognita, possit singulorum quæ exterius apparent, ex ea reddi ratio. In Tertio gradu est pulchritudo animæ sentientis animantium, quæ sine vlla comparatione maior est, quàm pulchritudo animæ vegetantis: quia longè sublimior, præstantior, & admirabilior est anima sentiens, quàm vegetans: cum eius operationes, quas sentiendo, imaginando, & appetendo obit, longè superent functiones animæ vegetantis; adeò vt quasi infinita videatur distantia.

In Quarto gradu est pulchritudo animæ rationalis, quæ tanta est, vt quasi infinitè superet omnem pulchritudinem animæ sentientis. Est enim lux quædam pura, incorporea, per se subsistens, totius vniuersi capax: cuius veluti imaginem ac picturam viuam in se exprimere potest.

In Quinto gradu est pulchritudo naturæ angelicæ. Hæc tamen, etsi maior sit quàm animæ rationalis; non tamen eo excessu eam superat, quo hæc animam sentientem: sed sunt similia tamquam res eiusdem generis, sicut lux clarior & obscurior, vel sicut stellæ nebulosæ & lucidæ, aut speculum vitreum & crystallinum.

In Sexto est pulchritudo diuina, quæ infinitè omnem angelicam superat. Ipsa enim est fons omnis pulchritudinis, quæ in rebus creatis reperitur: & tota rerum creatarum pulchritudo, nihil est aliud quàm tenuis quædam adumbratio, & veluti rudis delineatio pulchritudinis diuinæ.

136 Ad diuinam pulchritudinem & speciem, quæ prorsus inæstimabilis & infinita est, proximè accedit pulchritudo animæ beatæ, quæ Deo adeo est similis, vt nulla maior cū Deo similitudo vel animo concipi, vel etiam per potentiam Dei absolutam (vt valde probabile est) dari possit; vt meritò dictum sit à S. Ioanne: *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* 1.Ioan.3. Ratio est, quia in statu beatitudinis erit suprema participatio diuinorum perfectionum: imò ipsa beatitudo in tali communicatione consistit. Si enim esset altior modus participationis bonorum diuinorum, & coniunctionis vitalis cum Deo, in eo potius consisteret nostra beatitudo, quàm in visione & amore. Beatitudo enim est summa & perfectissima communicatio diuinitatis, cuius mens est capax. Itaque cum anima beata adeò sit similis Deo, vt nulla maior vel sublimior similitudo ad Deum concipi possit: consequens est, ipsius quoque pulchritudinem inæstimabilem esse, & ipsam instar cuiusdam diuinitatis fulgere.

137 *Consistit hæc pulchritudo in tribus.*

Consistit autem hæc pulchritudo potissimum in tribus, per quæ etiam expressa imago sanctissimæ Trinitatis in anima relucet: nimirum in lumine gloriæ, in visione, & in amore. Intellectus enim lumine gloriæ illustratus, & ad statum diuinum eleuatus, similis est Patri æterno; quatenus hic est prior ratione vel origine Filio, habetque rationem memoriæ fecundæ. Sicut enim Pater æternus vi luminis quo essentiam diuinam intelligit, producit Verbum: ita intellectus creatus vi luminis gloriæ (quod diuini luminis est suprema participatio) producit visionem, quæ verè & propriè est verbum mentis beatæ. Sicut enim Verbum diuinum repræsentat essentiam diuinam, & tres personas: ita visio Beatorum essentiam diuinam & personas clarè repræsentat. Rursus sicut Verbum diuinum producit Spiritum sanctum, qui est amor diuinitatis: ita visio beatifica in Beatis excitat amorem diuinitatis. Itaque per lumen gloriæ anima est similis Patri, per visionem Filio siue Verbo, per amorem Spiritui sancto. Nulla maior similitudo ad Patrem esse potest in rebus creatis, quàm per lumen gloriæ; nulla maior ad Filium, quàm per visionem; nulla maior ad Spiritum sanctum, quàm per amorem. Sicut enim nulla processio in rebus creatis esse potest, quæ magis imitetur processionem diuinarum personarum, quā processio intellectionis & amoris. Anima ergo beata per hæc tria est summa & perfectissima sanctissimæ Trinitatis imago: ac proinde habet summam pulchritudinem, cuius natura creata est capax. Singula horum ipsam animam implent, & totam penetrant, absque vlla inter se confusione vel permixtione, eamque in immensum extendunt, & diuinis personis quodammodò adæquant. Lumen in immensum animam dilatat, vt fiat capax diuinitatis, eamque simul fecundat, vt in se pariat imaginem diuinitatem. Visio est expressa diuinitatis imago, eam quodammodò adæquans. Amor est impetus quidam, animam in diuinitatem immergens.

Visio Beatorum verè & propriè est Verbum.

Nulla potest esse maior similitudo cū sanctissima Trinitate.

138 *Opinio quorundam de verbo.*

Quidam sentiunt visionem in Beatis non habere rationem verbi mentalis: quia existimant verbum esse quid realiter distinctum ab actu cognitionis, & veluti idolū quoddam ac simulacrum rei, in quo res ipsa cognoscatur, solumque requiri in duobus euentis. Primò, Quando res est absens, & abstractiuè cognoscitur: tunc enim formari verbum quod supplcat vicem obiecti absentis, in quo cognoscatur tamquam præsens. Secundò, Quando res per se non est intelligibilis actu, quales putant esse res omnes corporales: tunc verbum repræsentans speciem abstractam ab individuis, & in eo speciem illam cognosci. Neutrum verò locum habere in visione beatifica: quia obiectum summè est intelligibile, & per se intimè præsens: ac proinde ibi non formari verbum.

Refutatur. In cognitione abstractiua res cognoscitur immediatè, non in idolo.

Verùm hæc sententia multa inuoluit à veritate aliena; & in primis istud, In cognitione abstractiua numquam cognosci rem immediatè, sed solum inquodam idolo ab intellectu ad similitudinem rei formato, & per hoc idolum tamquam per medium cognitum rem tandem cognosci: sicut cùm quis intuendo imaginem Regis, ex ea cognoscit qualis formæ sit Rex. quod est contra experientiam. Cum enim de aliquo cogitamus, non intuemur aliquod eius simulacrum, sed ipsummet immediatè cognoscimus. Nec refert quòd obiectum sit absens; quia vicem eius abundè supplet, vel species intelligibilis, si talis est necessaria; vel si hæc non est necessaria, notitia habitualis & ima-

ginatio. Deinde omnia cognitio eſt ſimilitudo quædam obiecti,& veluti imago vitalis formaliter ipſum repræſentas mentiergo ſuperfluè ponitur alia ſimilitudo,per quam,tãquam per medium cognitum,cognoſcatur obiectum. Antecedens docet expreſsè S. Auguſtinus multis locis,vt ſuprà oſtenſum eſt. Idem docet S. Anſelmus in Monolog. capit. 31. *Nulla*, inquit, *ratione negari poteſt, cum mens rationalis ſeipſam cogitando intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione: imò ipſam cogitationem ſui, eſſe imaginem ad ſui ſimilitudinem, tanquam ex eius impreſſione formatam. Quamcunque enim rem mens ſeu per corporis imaginationem, ſeu per rationem capit veraciter cognoſcere, eius vtique ſimilitudinem quantum valet in ipſa ſua cogitatione conatur exprimere: quod quanto verius facit, tanto rem ipſam verius cogitat.* Vbi apertè docet,omnem veram notitiam ſiue per intellectum, ſiue per imaginationem eſſe ſimilitudinem rei cognitæ: & quo perfectior eſt notitia,eo perfectiorem eſſe ſimilitudinem. Pari modo etiam viſio corporalis eſt ſimilitudo obiecti.

Sup. capis 4. nu. 33.

Ipſa cogitatio eſt verbũ mentis.

Quid ſit verbum mentis.

Hinc ſequitur, ipſam cogitationem rei, eſſe verbum mentis. Verbum enim mentis eſt illud, quo mens ſibi interius rem exprimit,& veluti eloquitur. Sicut enim verbum externum dicitur vox aliqua, qua exterius alteri ſignificamus & repræſentamus rem aliquam:ita verbum internum eſt illud,quo mens ſibi rem propoſitam exprimit & repræſentat. Hoc autem facit formaliter per ipſum rei conceptum,qui nihil eſt aliud, quàm rei notitia ſeu cognitio. Ita omnis cognitio ſeu conceptus rei eſt verbum mentis: neque aliud verbum eſt quærendum, quo res ipſa immediatè interius menti exprimatur, & ſignificetur.

139 *Quo modo fiat locutio interna in ideo mate vſitato*

Neque obſtat quod interius etiam loquamur, & exprimamus rem lingua aliqua vſitata;quia hoc fit per imaginationem vel conceptionem verborum, quibus exterius vti ſolemus: vnde tale verbum immediatè repræſentat verbũ externum,cuius eſt imago, & ſolum mediatè rem ipſam, cum qua nullam etiam habet ſimilitudinem. Nos autem hic loquimur de verbo interno, quo res ipſa interna vera & reali repræſentatione oſtendatur. Idem docet S. Anſelmus ſuprà:cum enim oſtendiſſet,omnem cognitionem eſſe ſimilitudinem rei cognitæ,ab ea formatam & veluti impreſſam,addit, hanc ſimilitudinem eſſe verbum mentis. *Cũ cogito*, inquit, *notum mihi hominem abſentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illum per viſũ oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cogitatione verbum eſt eiuſdem hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cum ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam, id eſt, cogitationem ſui ad ſuam ſimilitudinem quaſi ſua impreſſione formatam.* Vbi Nota, iuxta Anſelmum ipſam cogitationem formari in imaginem rei cognitæ, per ipſius rei cognitæ veluti impreſſionem (ſicut cera dicitur formari in ſimilitudinem, & imaginem rei cui imprimitur) quia fit imago rei cognitæ; & hæc imago eſt verbum mentis. Itaque ipſa cogitatio eſt verbum mentis. Idem docet S. Auguſtinus lib. 9 De Trinitate cap. 7. *Atque inde* (ab æterna veritate) *conceptam rerum veracem notitiam tanquam Verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus, nec à nobis naſcendo diſcedit.* Ex his perſpicuum eſt,ſententia Anſelmi & Auguſtini omnem notitiam eſſe imaginem rei cognitæ,& verbum mentis. Quare cum viſio beata ſit perfectiſſima cognitio Diuinitatis, neceſſe eſt,vt ſit perfectiſſima eius imago,& perfectiſſimum verbum. Neque video qua ratione id negari queat,niſi dicamus Beatos videre Deum non viſione creata,ſed increata: tunc enim non formarent verbum. Sed illa ſententia ſuprà eſt reiecta.

Hinc vlterius ſequitur, viſionem pulcherrimè reſpondere Verbo diuino, quod eſt ſecunda in Diuinitate perſona,& amorem beatificum Spiritui ſancto; ac proinde animam beatam habere in ſe perfectiſſimam & ſplendidiſſimam imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, & proceſſionis diuinarum perſonarum.

CAPVT XVII.

Vtrùm Beati delectentur & gaudent immediatè de ipſo Deo, an ſolùm de eius viſione?

140

NOtandum eſt, *gaudium, delectationem*, & *fruitionem* nõ diſtingui reipſa,ſed ſolum vt magis & minus commune. Delectatio enim etiam in beſtijs locum habet. Gaudiũ eſt ſolius partis rationalis. Fruitio eſt gaudiũ ſeu delectatio de aliquo bono tanquam de vltimo fine, Quo poſito

Sententia Durandi, Beatos non frui Deo immediatè, ſed ſolã Dei viſione.

Durandus in 1.d.1.q.2.& in 4.diſt.49 q. 5. fuſè conatur probare, Beatos immediatè non frui ipſo Deo, nec de eo propriè delectari:ac proinde Deum non eſſe immediatum fruitionis aut delectationis obiectũ. ſed viſionem Dei. hac enim eos frui immediatè,Deo ſolùm mediatè,quatenus eſt obiectum & materia,vel cauſa viſionis. Sicut,inquit,qui friget,dicitur delectari ſole, quia calore eius delectatur.

Fundamentum Durandi eſt, Quia Deus cum ſit ſubſtantia a nobis plane diſtincta, non poteſt per ſe & immediatè eſſe bonum noſtrum,ſed ſolum mediante aliquo effectu, per quem nobis coniungatur: ſicut ſol non eſt bonum frigentis,niſi ratione caloris,quem homini communicat. Vnde cõſequens eſt, Beatos non poſſe illo immediatè frui, vel delectari tanquam proprio bono,ſed ſolum mediatè,quatenus eius effectu vel viſione delectantur.

Confirmatur Primò, Quia deſiderare ſibi Deum, nihil eſt aliud,quàm deſiderare Dei viſionem. Ergo ſimiliter frui Deo,eſt frui Dei viſione: & Deum eſſe bonum noſtrum,nihil aliud eſt, quàm Dei viſionem eſſe bonum noſtrum; ac proinde neque ipſe immediatè eſt bonum noſtrum, neque ipſe immediatè delectat,ſed ſola eius viſio.

Confirmatur Secundò, Quia damnati ſummè miſtantur non de Deo ſecundum ſe, ſed de carentia viſionis eius. Ergo Beati ſummè gaudent non de Deo ſecundum ſe, ſed immediatè de eius viſione. Conſequentia probatur, quia ſicut Deus non eſt malum damnatorum, niſi ratione pœnæ quam irrogat:ita non eſt bonum Beatorũ niſi ratione præmij quod confert: quod præmium eſt viſio beata.

Confirmatur Tertiò, Quia delectationes diſtinguuntur ſecundum operationes quas conſequuntur, & ex his iudicantur bonæ,malæ, vel adiaphoræ. Ergo operationes ſunt cauſæ delectationum. Atqui non ſunt cauſæ niſi obiectiuè. Ergo proximum obiectum delectationis eſt operatio: ac proinde in præſenti negotio, viſio. His argumentis nititur ſententia Durandi.

141 *Explicatur vera ſententia.*

Sed contraria eſt ferè communis aliorum Doctorum. Pro qua dico Primò. Certum eſt,ſi loquamur de gaudio et amore beneuolentiæ,Beatos maximè gaudere de ipſo Deo, eiuſque bonis immediatè delectari, abſque vllo ordine ad commodum proprium. Hoc ſuprà ſatis oſtenſum eſt. Cum enim Deum incomparabiliter plus ament, quàm ſe ipſos, incomparabiliter quoque amplius gaudẽt de bonis ipſius, quam de proprijs: & ex diis immediatè dulcedinem & obiectionẽ incredibilem percipiunt. Gaudent enim & exultant hoc gaudio,non quia illum vident,ſed quia ipſe tantis bonis eſt præditus. Amor eos quaſi extra ſe, in ipſo Deo conſtituit,& in ipſo de bonis ipſius,qua ipſius ſunt,gaudere facit. Neque id Durandus vllo modo negare intendit. Hoc gaudium in beatitudine eſt præcipuum,& dulcedine omnia alia gaudia longe ſuperat.

Gaudent de ipſo Deo ex amore beneuolentiæ.

142 *Etiam ex amore concupiſcentiæ.*

Dico Secundò, Si loquamur de gaudio quod ex amore concupiſcentiæ procedit, ſic etiam immediatè gaudent, delectantur, & fruuntur Deo,non ſolum viſione Dei. Ratio eſt, Quia Deus eſt ſummum bonum noſtrum, non ſolũ ratione alicuius effectus,vel viſionis (ſicut ſol nobis eſt bonus ratione luminis & caloris) ſed etiam immediatè & per ſe. Ergo immediatè & per ſe delectat, eoque fruimur immediatè. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens probatur: Quia viſio non ſe habet veluti bonum quoddam ſolitarium a Deo diſtinctum, ſicut calor reſpectu ſolis, vt imaginatur Durandus; ſed habet ſe tanquam coniunctio Dei,eiuſque apprehenſio & poſſeſſio: ſicut poſſeſſio pecuniæ & pecunia non cenſentur duo bona diſtincta,ſed vnũ integrum bonum. Vnde ſicut auarus delectatur immediatè non ſolum poſſeſſione pecuniæ, ſed etiam ipſa pecunia poſſeſ-

possessa : ita beatus delectatur immediatè Deo viso, tamquam integro obiecto, & bono suo; non autem prius visione, & consequenter Deo. Quod vt melius intelligatur, Notandum est Primò, Integrum amoris obiectum esse quid complexum, nempe Bonum esse coniunctum, vel possessum, & obtentum. Hoc enim est quod quilibet amando, sibi vel alteri cupit. Amare enim est, sibi vel alteri bonum velle, nempe vt sit coniunctum. Vnde in obiecto amoris duo continentur; bonum, & eius coniunctio seu possessio. Itaque non sola possessio boni amatur immediatè, sed etiam ipsum bonum: imò ipsa possessio non amatur, nisi propter illud bonum quod possideur. Integrum ergo amoris obiectum est bonum esse possessum. Simili modo obiectum integrum gaudij & delectationis (hoc est id quo gaudemus & delectamur) est quid complexum, includens ipsum bonum, & eius præsentiam vel possessionem. Gaudemus enim nos habere tale bonum, & delectamur, considerantes illud à nobis esse obtentum & possessum.

Integrum obiectum amoris quale sit.

143 Notandum Secundò, Bonum & eius possessionem vel coniunctionem non se habere propriè vt duo partialia obiecta, sed vt obiectum, & necessariam conditionem. Non enim possessio delectat per se, sed ratione rei possessæ. Ipsa ergo res quæ possidetur, est id quod principaliter & immediatè delectat; possessio verò secundario tamquam necessaria conditio. Confirmatur, Quia si esset partiale, deberet actu esse cognita: atqui vt visio rei dicatur delectare, non debet esse cognita; ergo nō se habet vt partiale obiectum, sed vt conditio necessario requisita.

Bonum, & eius possessio non se habet vt obiecta partialia, sed vt res & eius necessaria conditio.

144 Dices, Illa visio per se est ingens bonum distinctum ab ipso Deo viso: ergo de illa est distinctum gaudium. Respondeo, Visionem dupliciter spectari posse. Primò, Quatenus Deum nobis ostendit, & præsentem sistit. Secundò, Quatenus in se est qualitas quædam & lux supernaturalis ac vitalis miræ pulchritudinis, reddens nos Deo similes. Si priore modo spectetur, non est distinctum de illa gaudium, quia non spectatur vt res distincta a Deo, sed vt conditio, quæ formaliter dicitur haberi & possideri Deus. Vnde gaudio quo gaudemus & delectamur Deo, eiusque pulchritudine, gaudemus & dilectamur eius visione tamquam conditione per quam Deus nobis est præsens; ac proinde secundario & minus principaliter: quia secundum illam considerationem non delectamur visione, nisi propter Deum. Sicut auarus delectatur possessione pecuniæ propter pecuniam, quam possidendo habet in sua potestate, vt ea possit frui & vti: non autem quia ipsa possessio per se est res pulchra vel excellens, vel amore digna. Pari modo qui delectatur visione pulchritudinis, delectatur principaliter & immediatè ipsa pulchritudine, quæ fons in obiecto residet: secundario verò ipso videndi actu, tamquam conditione quadam necessaria, vt pulchritudo obiectare possit. Quod si primario & immediatè delectaretur ipsa visione, deberet eam videre, & cognoscere eius naturam & pulchritudinem. Nihil enim per se potest delectare, nisi in se sit cognitum. Atqui videns pulchritudinem, non videt nec cognoscit suam visionem, sed per visionem cognoscit solum pulchritudinem obiecti. Hæc ergo sola immediatè, & vt causa principalis delectat: visio verò non per se, sed solum ratione obiecti quod manifestat, nempe tamquam conditio necessario requisita, vt obiectum talem effectum habere queat. Idem patet in eo qui delectatur symphonia, vel odoribus, vel ciborum saporibus: hic enim ipsis obiectis delectatur: sensus verò quo illa percipiuntur, est necessaria conditio applicans obiectum animæ.

De visione dupliciter potest quis delectari: vt est per se bonum quoddam, & vt est boni communicatio.

Si verò Dei visio secundo modo spectetur, sic per se immediatè, & vt causa principalis obiectare potest; quia res est in se pulcherrima: ac proinde si distincte sit cognita, excitabit obiectationem. Verum talis obiectatio est omnino distincta ab illa qua delectamur visione considerata vt Deū nobis præsentem sistit: neque de tali est quæstio. Illa enim est de re creata, & finitæ pulchritudinis ac bonitatis: vnde non pertinet ad essentiam beatitudinis. Hæc verò est de re increata infinitæ pulchritudinis & bonitatis; ac proinde est incomparabiliter maior, & pertinet aliquo modo ad beatitudinis essentiam: vt supra ostensum est.

Ex his perspicuum est, Durandi sententiam alienam
145 esse a veritate, ipsumque hanc rem non satis penetrasse. Omitto quòd si eius sententia vera foret, Spem non foret virtutem Theologicam, quia non immediatè versabitur circa Deum, sed totum circa Dei visionem, & mediatè ac secundario circa Deum. Idem enim est obiectum Spei, & fruitionis seu delectationis patriæ: nam idem bonum quod in via sperabatur, in patria, vbi obtentum fuerit, delectat. Si ergo bonum quod immediate & principaliter delectat in patria, quoque Beati fruentur, est ipsa visio Dei, non ipse Deus; etiam bonum principale quod spetatur in via, non erit ipse Deus, sed visio Dei: ac proinde Spes non magis erit virtus Theologica quàm Religio; quia Deus non erit illius obiectum, nisi mediatè, sicut est obiectum Religionis.

Sequitur vt respondeamus argumentis Durandi. Ad fundamentum eius quod supra nu. 140. allatum est, Respondeo, Falsum esse, Deum secundum se non esse immediatè bonum nostrum. Dupliciter enim Deus dicitur bonum nostrum. Primò, causaliter seu effectiuè, quatenus ab ipso tamquam fonte omne bonum nobis obueniens dimanat: quo modo etiam sol dicitur bonum nostrum, ratione effectuū, qui nobis commodi sunt. Secundò dicitur bonum nostrum quasi formaliter, & per se ipsum. Neque ad hoc requiritur vt ipse tamquam forma nobis inhæreat; sufficit vt nobis iungatur mediante visione. Immo pecuniæ, agri, domus, & reliquæ opes, & amici, & liberi censentur bonum hominis, etiamsi nulla reali vnione ipsi iungantur, & magno interuallo ab ipso sint separata. Vt enim aliquid censeatur bonū meum, sufficit vt apprehendatur tamquam aliquid ad me pertinens per modum rei à me possessę, cuius vsus vel fruitio sit in mea potestate. Et hoc modo Deus ipse per se formaliter est bonum nostrum, nempe vt res à nobis possessa, qua semper possumus eo frui & delectari: præsertim cum vitali vnione perfectissimè, & perpetuo nobis in beatitudine copuletur. Sol verò non dicitur bonum nostrum per se, sed ratione effectuum, qui nobis sunt delectabiles.

146 *Ad argumenta Durandi. Deus non solum causaliter, sed etiam formaliter est bonum nostrum.*

Ad primam Confirmationem, Desiderare Deum, est desiderare eius visionem, non quatenus visio est quædam res & perfectio distincta à Deo (sic enim falsum est) sed quatenus includit ipsum Deum: sicut possessio pecuniæ includit ipsam pecuniam. Sic enim tota ratio desiderandi est ipse Deus, eiusque bonitas & pulchritudo, visio verò solum est applicatio Dei. Simili modo frui Deo, est frui visione Dei, non tamquam re distincta a Deo, sed vt re includente Deū: nam frui visione Dei, nihil est aliud quàm frui ipso Deo viso: vbi Deus est obiectum visionis, visio solum conditio & veluti applicatio necessaria, vt possimus ex eo oblectationem capere. Itaque ex talibus locutionibus non sequitur, Deum non esse per se bonum nostrum, vel causam delectationis & gaudij; sicut sol per se nō est bonum nostrum, sed solum ratione effectuum; longè enim aliter se habet visio ad Deum, & calor ad solem, vt ex dictis constat.

Ad secundam Confirmationem. Damnati non tantum tristantur de carentia visionis, sed etiam, & maximè, de carentia ipsius Dei: nimirum quia illum non ita possident, vt ex illo immediatè gaudium & oblectationem capere possint. Sicut enim Deus est per se summum bonum Beatorū; ita priuatum esse Deo est summum malum damnatorum.

Ad Probationem, neganda est illa comparatio. Deus e- 147
nim cum in se sit summum bonum, & per se possit vnici *Damnati tristitiam habent de Deo amisso.*
Beatis, & ab illis possideri, meritò dicitur illorum summum bonum. Reproborum tamen non potest per se esse summū malum: quia in se est summa dulcedo, nec vllo modo potest illis sic vniri, vt per se illorum malum censeatur; sed solum ratione effectuum illis malus censetur.

Ad Tertiam confirmationem Respondeo, Etsi omnis delectatio sequatur aliquam operationem, & operatio sit causa delectationis, non tamen semper est causa per modum obiecti: quia non semper est cognita saltem distincte, vt patet cum quis delectatur visione picturæ. Non enim ille delectatur visione vt obiecto, quia illam non apprehendit, neque illius pulchritudinem cognoscit, sed solum per eam cognoscit picturam. Vnde solam picturam delectatur, vt obiecto pulchro: visione autem dicitur delectari, quatenus hæc est conditio necessaria vt pictura delectet, & veluti applicatio picturam præsentem sistens.

CAPVT XVIII.

Vtràm in Beatis possit esse tristitia?

148 SAnè id videri possit rationi consentaneum, Quo quis enim vehementius amat amicum, eiusque opibus, & gloria gaudet ac delectatur; eo magis tristatur de malis & iniurijs, quæ illi irrogantur. Tristitia enim omnis ex amore nascitur. Nisi enim amares bonum siue tuum, siue amici, non posses tristari de malo contrario. Atqui Beati clarè intuentur omnes iniurias, quæ Deo summè dilecto, tot blasphemijs, sacrilegijs, periurijs, idololatrijs, alijsque peccatis innumeris quotidie ab hominibus & dæmonibus irrogantur, quæ merito infinitis lacrymis essent deflendæ: ergo ex his dolorem concipiunt. Confirmatur Primò, Quia hæ affectiones non sunt contrariæ, cum ex eodem amoris fonte oriantur. Confirmatur Secundò, Quia si alicui Beatorũ reuelaretur sua futura damnatio, iuxta sententiam Origenis, necessariò ille tristitiam inde conciperet. Atqui maius malum est tota peccatorum colluuies, quàm vnius damnatio. Ergo ‖ hæc tristitiam inferret, multo magis illa inferet.

149 *Beati nulla affici possunt tristitia.*

Verum certum est, res nunc ita à Deo esse dispositas, vt nulla tristitia affici possint. Colligitur id ex Scripturis, quibus significatur, eos summa gaudiorum & voluptatum abundantia cumulatum iri. Psalm. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.* Vbi autem lætitiæ plenitudo, non potest esse mœror & dolor. Psal 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos:* vbi rursus indicatur summa plenitudo, & immensa quædam gaudiorum redundantia. Apoc. 21. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Hic expressè omnis dolor, omnisque animi & corporis molestia penitus excluditur: quia ad statum huius vitæ, qui iam transactus est, pertinent. Isaiæ 25. *Auferet Dominus omnem lacrymam ab omni facie.* id est, omnem dolorem & molestiam. Et capite 35. *Venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.*

Non possunt tristari cum ipsa Dei.

Ratio est, Quia si possent tristari, vel id esset Dei causa, quia ipse iniurijs afficitur; vel sua causa, quòd ipsis aliquid mali accidat, vel causa amicorum, quos vident damnari. Atqui Dei causa tristari non possunt: tum quia omnia hominum peccata Deo nocere non possunt: tum quia etsi gloriam Dei externam peccata videantur obscurare, tamen Deus magnum inde bonum eliciet: cum enim peccatores in hac vna finit male agere, clarius elucet ipsius benignitas & patientia; cum eos post hanc vitam punit, elucet eius iustitia: itaque malum quod irrogatur Dei gloriæ per peccata, abundè alia ratione compensatur, vt Beati non possint meritò propter illa mœrere, & molestia afficiri: tum quia vident Deum tam immensis & innumeris bonis affluentem, vt illorum cõparatione iactura reproborum videatur nullius, vel parui momenti. Sicut si Monarcha orbis incendio amitteret vnum pagum, vel vnum oppidulum, aulicis non videretur tantilla iactura dolore suo digna: immo si incolæ id essent commeriti, etiam gauderẽt. Scimus etiam Deum, si absolutè vellet, facilè posse omnia peccata impedire, & omnes saluare; sed ob iustas causas noluisse hac potestate vti. Denique in thesauris sapientiæ & potentiæ ipsius infinitos alios homines, & Angelos longè præstantiores continet, quos solo nutu creare, & beatos efficere posset. Ob has & alias considerationes Beati de reproborum peccatis & perditione Dei causa tristari non possunt.

150 *Non tristantur de peccatis commissis.*

Nec obstat quòd peccata illa summopere ipsis displiceant, eaque detestentur: quia aliud est dolor seu tristitia animi, aliud detestatio & odium. Potest enim esse detestatio & odium mali, sine vllo dolore & tristitia animi; vt patet in Deo, qui etsi infinitè detestetur peccatum, tamen ex eo nullum mœrorem concipit. Hic enim nihil est aliud, quàm molestia quædam & afflictio ex consideratione mali concepta. Afflictio autem animi in Deum non cadit. Simili modo Beati, qui sunt filij Dei, & participes status diuini, etsi peccata detestentur, nullam tamen inde molestiam animi concipiunt.

Dices, Deum ideo tristari non posse, quia natura sua est immutabilis, quæ ratio in Beatis locum non habet. *Respondeo,* habere locum seruata proportione; quia beatitudo illorum cum sit participatio suprema & perfectissima beatitudinis diuinæ, etiam immutabilis est (etsi inferiore modo) ita vt nihil mali admittere possit: tristitia autem aliquod malum est, & imperfectio quædam dulcedini & perfectioni illius status repugnans. Deinde non ea solum ex causa Deus tristitiæ est incapax, quod ipse natura sua sit immutabilis; sed ideo propriè quia tantis bonis intrinsecis abundat, vt nulla extrinseca ei ad summam beatitudinem sint necessaria, nullumque malum extrinsecum ei possit vllo modo nocere. Cui accedit, quòd nihil sine illius permissu possit fieri: & ipse solo nutu possit omnia in ordinem redigere, & veluti in integrum restituere. Itaq; nulla est ratio cur internum dolorem ob illa externa concipiat. Vnde solum metaphoricè dicitur dolere, tristari, pœnitere.

151 *Non possunt sua causa contristari. Non tristantur causa amicorum.*

Neque etiam sua causa Beati dolere possunt: quia nihil mali ipsis potest accidere, cum infinitis & sempiternis bonis vndique septi sint & circumfluant.

Neque causa amicorum, vel parentum: quia omne vinculum & coniunctio sanguinis in futura vita parui est momenti. Parum refert ad amorem in illo statu, quòd ab isto homine originem secundum corpus traxeris: cum non illius consilio & voluntate, sed Dei dispositione fiat, quòd tu potiùs quàm alius ex ipso natus sis; & ipsa vis formatrix corporis non à parente, sed à Deo sit instituta & indita. Sæpe etiam illi non prolis bonum, sed suam voluptatem quærunt. Deus tamen illis vt instrumẽtis vtitur ad corpus formandum: quam ob causam tenentur parentes curã prolium gerere, & proles illis obedire, & in rebus huius vitæ succurrere. Denique amor Beatorum non fundatur in communione sanguinis, sed in communione diuini spiritus, & diuinæ adoptionis.

Et quamuis etiam in Beatis aliqua affectio peculiaris erga parentes & filios maneat, qua illorum salutem peculiariter desiderent; tamen si peccent, eos instar hostium habent, quia per peccatum fiunt hostes Dei: itaque illos damnatione dignos censent, eorumque supplicijs, quatenus in illis resplendet iustitia diuina, lætantur, iuxta illud: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, lauabit manus suas in sanguine peccatoris.* Itaque pater in cælo non dolebit de damnatione filiorum, neque filius de damnatione parentum: sed vnà cum Iudice in illos sententiam damnationis proferent. *Psal. 57.*

152 *Respondet ad argumenta.*

Ad argumentum initio allatum Respondeo, Antecedẽs non esse verum, nisi quando malum cedit in graue nocumentum amici; tunc enim quo magis illum amas, & de eius bonis gaudes, eo magis doles de eius malis. Secus verò si tanta sint bona amici, vt illud malum censeatur parui momenti, nec vllo modo possit illi nocere: & ipse facilè possit illud compensare.

Ingens gaudium de bonis amici extinguit tristitiam de malis eius.

Ad primam Confirmationem Respondeo, gaudium & dolorem tripliciter posse comparari. Primò, vt versantur circa idem obiectum, seu vt habent eamdem causam: & hoc modo ita inter se pugnant, vt nulla ratione fieri possit, vt simul in eodem consistant. Etsi enim diuersis temporibus quispiam de eadem prorsus re, & ob eamdem causam possit gaudere & tristari: fieri tamen nulla ratione potest, vt eodem tempore simul verumque patiatur. Ratio est, quia naturæ viribus fieri nequit, vt idem iudicem esse absolute bonum, & simul iudicem esse absolutè malum. Vtrumque enim iudicium alterius obiectum destruit & euertit. Similiter fieri nequit vt idem amem, & odio habeam; idem placeat & displiceat. Neque etiam id fieri potest virtute diuina: quia est peruertere naturam rationalem, eiusque vsum; & mentẽ implicare iudicio falso, & affectu peruerso, quod Deo nulla ratione conuenit facere.

Secundo comparari possunt, vt versentur circa obiecta contraria: hoc modo non est tanta inter illa repugnantia; nam ex eodem amoris fonte vtrumque nascitur: vnde qui gaudet de bonis amici, dolet de illius malis. Sed etiam hoc modo gaudium & tristitia inter se pugnant, ita vt simul in eodem consistere non possint, saltem in gradibus intensis, vt experientia docet. Quantum enim crescit tristitia de malis amici, tantum decrescit & restinguitur gaudium de bonis illius, & contrà. Itaque si gaudium sit valdè ingens, extinguet penitus omnem tristitiam. Vnde magnum fuit miraculum diuinæ potentiæ in Domino nostro, qui simul

mul summo gaudio de bonis diuinis affectus fuit; & summo acerbissimoque mœrore de peccatis hominum, & iniurijs diuinæ Maiestatis, vt passim Theologi docent cum Scoto & Gabriele dist. 15. in 4.

Dices, Simul possumus amare bonum, & detestari malum contrarium; ergo etiam simul gaudere de bono, & tristari de malo contrario. Respondeo negando consequentiam. Ratio est, Quia detestatio mali oritur ex amore boni: vnde quò magis augetur amor boni, eò quoque magis crescit detestatio & odium mali. Tristitia verò non oritur ex gaudio, etsi nascatur ex amore: non enim hi duo affectus se habent sicuti prosecutio boni, & fuga mali; sed sicut dulcedo & amaritudo vitalis resultans in anima ex præsentia boni & mali. Sicut autem fieri nequit vt lingua simul percipiat magnam dulcedinem & amaritudinem; ita etiam fieri nequit sine miraculo, vt anima simul repleatur dulcedine gaudij, & amaritudine tristitiæ. Quod confirmatur ex Aristotele lib. 7. Ethicorum cap. vltimo, vbi dicit: *Voluptas dolorem propulsat & eijcit, tum ea quæ contraria est, tum quælibet alia, si valida sit & vehemens.*

Gaudium & tristitia non se habent vt prosecutio & fuga propriè, sed vt dulcedo & amaritudo vitalis.

Tertio, Comparari possunt inter se gaudium & tristitia de rebus planè diuersis; vt cùm quis gaudet de suo honore, & dolet de damnis amici. Hæc etsi contraria propriè non sint ratione causarum seu obiectorum, tamen simul gradibus intensis esse nequeunt, vt aperte ait Aristoteles, & ipsa docet experientia. Habent enim contrarietatem quamdam per se, sicut dulcedo & amaritudo.

153 Ad Secundam Confirmationem, Si sententia Origenis vera esset, non esset gaudium Beatorum perfectum; ac proinde tristari possent, & multò magis, si alicui reuelaretur sua damnatio. Amissio enim infiniti boni & expectatio infiniti mali, non posset non grauissime eos affligere: vnde eo casu gaudium beatitudinis maxima ex parte extingueretur. Neque mirum videri debet, quòd posita tali suppositione quæ naturis rerum, & ordini diuinitus instituto tantopere repugnat, sequatur aliquid naturæ repugnans. Nec obstat quòd gaudium maximum necessariò sequatur ex visione Dei. Id enim verum est re per se considerata, non autem si simul malum æqualis momenti impendere cernatur. Cur autem de peccatis hominum non tristemur, iam dictum est.

Gaudium beatitudinis fortè extingueretur, si alicui reuelaretur sua damnatio futura.

CAPVT XIX.

De alijs perfectionibus intellectus & Voluntatis Beatorum.

154 PRæter lumen gloriæ, Doctores in Beatis statuunt duplicem scientiam, nempe infusam, & naturalem. Fidem verò non ponunt. In voluntate, præter charitatem ponunt etiam alios habitus infusos, & acquisitos. De quibus omnibus breuiter aliquid dicendum.

Est in Beatis scientia infusa & supernaturalis.

Ac primùm certum est, in Beatis esse scientiam *infusam* & supernaturalem, qua res supernaturales clarè cognoscant: vt mysterium Eucharistiæ, & omnia mirabilia quæ ibi concurrunt; mysterium Incarnationis, actus & habitus supernaturales, gloriam Beatorum, & similia. Hoc enim perfectio illius status requirit, & fidei meritum postulat, vt ea quæ hic humiliter crediderunt, captiuantes intellectum in obsequium fidei, in patria clarè cernant. Meritū enim fidei, visio. Et sanè si essentiam diuinam, & mysterium Trinitatis clarè visuri sunt, nulla est ratio cur alia quæ inferiora sunt, non clarè sint cognituri.

155 Verùm dubium esse potest, an hæc cognitio fiat per lumen distinctum a lumine gloriæ. Hoc enim ad omnia ista abunde videtur sufficere, vt suprà ostensum est: quid opus ergo est alio lumine supernaturali, quo eadem videantur? Respondent aliqui, per lumen gloriæ solùm cognosci essentiam diuinam, & mysteria supernaturalia, resque alias, vt sunt in Deo: itaque opus esse alio lumine supernaturali, vt cognoscantur vt sunt extra Deum in seipsis. Verùm hæc responsio difficilis est creditu. Quomodo enim fieri potest, vt lumen quod est sufficiens ad intuendam causam, & ex vi causæ ipsos effectus, non sit sufficiens ad intuendos effectus in seipsis? Longè enim difficilius & sublimius est, intueri effectus in causa, quam eos intueri in seipsis iam existentes. Confirmatur, Quia dum videntur in causa, cognoscuntur etiam secundùm suam propriam naturam & speciem; ac proinde secundùm illud esse quod habent in se. Cur ergo illud esse non potest cognosci per se, sic vt non ex vi cognitionis causæ? Confirmatur Secundò, Quia lumen gloriæ non est inditar habitus orti ex actibus, qui solùm extendit se ad obiectum illorū actuum; sed est instar potentiæ supernaturalis, quæ extendit se ad totum obiectum intellectus, & perficit intellectum sublimissimo modo ad omne intelligibile. Vnde non solùm debet se extendere ad Deum, sed etiam ad omnia creata vt sunt in seipsis. Confirmatur Tertiò; Quia alioquin videntes Deum, cæci quodammodò essent ad creaturas, & cetera diuina mysteria, nisi aliud lumen infusum ipsis detur; quia lumen gloriæ illos solùm illuminaret ad videndum Deum: præsertim cùm valdè probabile sit, nullam creaturam videri in Deo ex vi visionis beatæ.

An scientia infusa distinguatur à lumine gloriæ.

Lumen gloriæ non extendit se ad solum Deum, sed etiam ad creaturas vt sunt in seipsis.

Itaque satis rationi consentaneum videtur, vt præter lumen gloriæ in Beatis non requiratur aliud lumen in substantia supernaturale, ad alias res supernaturales in proprio suo genere intuendas: sed idem lumen quatenus per illud videtur ipse Deus, vocari lumen gloriæ; quatenus verò per illud cognoscuntur res aliæ, tum naturales tum supernaturales, vocari scientiam infusam. Quam sententiam video non displicuisse doctissimo viro Francisco Suarez in 3. par.

Secundò, Quod ad scientiam naturalem attinet, valdè credibile est, non fore eam talem, qualis est in hac vita: hæc enim constat conceptibus confusis & alienis, qui longissimè à rerum naturis absunt. Nullius rei naturam propriam qualis in se est, concipere possumus; sed tantùm concipimus formam externam, figuram, & colores, & sub illis imaginamur latere naturam, quæ qualis sit in se, nullo modo possumus imaginari. Non est credibile, in Beatis tales fore conceptus: quia in ratione cognitionis sunt essentialiter imperfecti, adeò vt imperfectior ratio cognoscendi dari nequeat. Confirmatur, quia ibi omnes rerum essentias clarè, distinctè, & propriis conceptibus, sicut Angeli cognoscemus & intuebimur: ac proinde inutilis prorsus esset cognitio rerum per conceptus illos confusos, qui incomparabiliter distant à proprio illarum conceptu. Atqui tota scientia quam hic comparamus, nihil est aliud quàm vestigium quoddam relictum ex huiusmodi conceptibus confusis, ad similes conceptus & notiones inclinās. Itaque si in patria, vbi omnia perfectissimè concipientur & intelligentur, nullus erit locus conceptibus illis confusis, perspicuum videtur, etiam non fore locum habituali cognitioni, ex talibus conceptibus hic instar vestigij relictæ. Confirmatur Secundò. Quia ex communi sententia ibi non erit locus fidei obscuræ, qualis est in hac vita, eò quòd hic modus cognitionis sit essentialiter imperfectus, & ibi esset inutilis. Ergo pari ratione excludenda quoque est cognitio actualis & habitualis rerum aliarum, quam in hac vita studio comparamus; quia essentialiter est imperfecta, vtpote confusa, & per conceptus alienos.

156 *Qualis in Beatis sit scientia naturalis.*

Denique idem consentaneum est Apostolo, qui ait, scientiam in patria destruendam, eò quòd sit *imperfecta*: 157 1. Cor. 13.
sine, inquit, *scientia destruetur*. Vbi per scientiam, Græcè γνῶσις, intelligit cognitionem naturalem, sicut per *prophetiam*, omnem supernaturalem, qua Scripturam & diuina mysteria Doctores in Ecclesia exponunt, vt benè exponit Anselmus in hunc locum. γνῶσις enim apud Paulum significat notitiam naturalem, vt patet ad Rom. 1. v. 19. vbi τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, significat id quod naturaliter de Deo cognosci potest. Nolter vertit, *Quod notum est Dei*, *Prophetia* verò non solùm denotat prædictionem futurorum, sed etiam expositionem Scripturarum, & aliorū mysteriorum, vt patet ex cap. 14. prioris ad Corinthios. Vult ergo Apostolus omnem cognitionem tam naturalē, quàm supernaturalem huius vitæ, ibi fore otiosam & abolendam ob suam imperfectionem.

Respondent quidam, scientiam huius vitæ destruēdam non per se & in sua substantia, sed quo ad modum cognoscendi per conuersionem ad phantasmata. Sed contrà, ideò non erit ibi opus conuersione ad phantasmata, quia ipsas rerum essentias purè, clarè, distinctè, vt sunt in seipsis, concipiemus, quo modo non possunt à phantasia comprehendi. Tales autem conceptiones planè distinctæ sunt ab illis conceptibus, quos de iisdem rebus habere possumus in

hac

hac vita; ac proinde est notitia specie diuersa. Ideò enim in hac vita non possumus quidquam concipere nisi conuersione ad phantasmata; quia phantasia debet intellectui quodammodò præire, eique obiectum ostendere, vt valeat illud concipere: vnde non aliter concipit, quàm imaginatio ei ostendit, etsi non iudicet tale esse. Deinde, etiãsi scientia hic parta ibi maneret, & possemus ea vti absque conuersione ad phantasmata: non tamen idcirco in se esset magis perfecta, & distincta, neque rei essentiam per suos actus attingeret: quia cum ex conceptibus confusis & imperfectis orta sit, non potest habere actus essentialiter illis conceptibus perfectiores, aut distinctiores, habitus enim nõ potest producere actus perfectiores, quàm sint illi ex quibus ortus est. Itaque etiamsi non fieret ibi conuersio ad phantasmata, tamen notitia illa esset ex natura sua prorsus imperfecta, confusa, & per conceptus alienos & accidentarios.

Ex quibus sequi videtur, habitus illos scientiarum, quos hic acquisiuimus, abolendos tanquam essentialiter imperfectos: & loco illorum nouos nobis inferendos, per quos totam naturam corporalem & spiritalem, seu omnium rerum naturalium species clarè, distinctè, & perfectè sicut Angeli intelligemus, & intellectuali visione etiam intuebimur. Etenim, maximè quod ad mentem attinet, sicut Angeli Dei.

Porrò hæc notitia etsi spectata huius vitæ cõditione nobis quodammodo supernaturalis sit; tamen absolute & in sua substantia est ordinis naturalis, vtpote connaturalis angelicæ naturæ: vnde appetitum naturalem sciendi ex celleter in nobis satiabit. Neque mirum videri debet, quòd aboleatur habitus illa scientiæ imperfectus: quia multa alia, quæ imperfectionis sunt, abolebuntur, vt fides, & multiplex vsus variorum membrorum, & partium corporis, qui illum statum non decet.

158 *Quomodo illa scientia pereat.*

Dices, Scientia non potest perire, nisi vel per contrarium errorem, vel per oblitionem & non-vsum (vt multi putant) vel per interitum subiecti. Nihil autem horum hic locum habet: quia subiectum est vis intellectiua, quæ est immortalis; & ibi nec error, nec obliuio esse potest. Ob hoc argumentum D. Thomas 1. p. q. 89. art. 5. & 1. 2. q. 67. art. 2. ad 1. sentit, habitus & species intelligibiles hic acquisitas manere in anima separata. Sed facile responderi potest, Scientiam illam perire defectione influxus diuini illam conseruantis: quomodo habitus fidei succedente visione perit. Cùm enim talis modus cognoscendi non deceat illum statum; Deus illum desinit conseruare, & infundit multò præstantiorem. Quorsum enim habitus, quorum nullus est vsus?

Petes, Quid opus est tali scientia infusa, cum lumen gloriæ ad eadem omnia se extendat, & perfectissimè cognoscere faciat? Respondeo, Vt anima etiam in ordine naturæ sit perfecta, & naturalibus donibus ad functiones naturalis ordinis perfectè instructa. Hæc dixerim de scientia naturali hic acquisita disputando potius quàm asserendo, vt res penitus inspiciatur & examinetur. Nolo enim propter reuerentiam Diui Thomæ, & multorum aliorum Scholasticorum, quidquam certi statuere. Satis mihi est, non esse dubitandum quin Beati sint habituri notitiam quamdam claram & distinctam rerum omnium, angelicæ cognitioni persimilem: siue ea quæ hic acquisita est, maneat, siue aboleatur.

159 *Fides non manet actu respectu primariorum obiectorum.*

Tertiò, Quod ad fidem attinet, certum est, eam non manere actu respectu eorum obiectorum, quæ ibi clarè per gloriæ vel aliud supernaturale lumen sumus visuri. Ratio est, Quia talis actus esset superuacaneus. Frustra enim quis credere vellet ibi diuinæ essentiæ immensitatem, æternitatem, omnipotentiam, sapientiam, mysterium Trinitatis, Sanctorum gloriam, & similia, cum illa clarissimè videat. Longè enim præstantior est clara Dei visio, & cognitio supernaturalis, quàm fides. Aperte id insinuat Apostolus 1. ad Corinth. 13. cùm ait, prophetiam & scientiam abolendam propter imperfectionem: quam imperfectionem indicat his verbis: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Sensus enim est, Imperfectè cognoscimus, quidquid naturaliter nouimus; & imperfectè mysteria diuina apprehendimus, & aliis exponimus. *Cùm autem venerit quod perfectum est:* nempe status gloriæ, *euacuabitur quod ex parte est:* omnis illa notitia imperfecta, obscura, confusa abolebitur, eiusque loco dabitur clara & distincta. Declarat id Apostolus exemplo paruulorum, quorum conceptus & iudicia de rebus tenuia per ætatem & experientiam emendantur & abolentur. Idem confirmat ex eo quòd omnis nostra cognitio, præsertim de rebus diuinis, *sit per speculum in ænigmate. Speculum* vocat illud, ex quo seu per quod Deum cognoscimus: vnde generatim duplex est speculum, nempe Scriptura, & creatura. Quidquid enim de Deo cognoscimus, vel ex Scripturis, vel ex creaturis cognoscimus. In creaturis enim potentia, sapientia, bonitas, prouidentia, misericordia & iustitia Creatoris vtcunque relucet; similiter in Scripturis. Verum per vtrumque speculum cognoscimus tanquam in ænigmate: quia neutrum potest menti nostræ eius speciem, qualis in se est, repræsentare; sed solum confusum quiddam, ex quo de ipsius natura veluti coniectamus: sicut in ænigmate fieri solet, vbi signa quidem apprehenduntur, sed res signata coniectando cognoscitur. Quod non solum in Deo, sed etiam in omnibus rerum essentijs cognoscendis locum habet. Solum enim concipimus externam formam, figuram, colorem, motum cuticis, formicæ, vermiculi, ex quibus coniectamus de natura rei, quam nullo modo possumus concipere.

Itaque certum est ex Apostoli doctrina, fidem earum rerum, quas clarè visuri sumus, ibi locum non habituram. Idem apertè videtur definitum à Benedicto XI. in Extrauag. quæ incipit, Benedictus Deus. vbi definit, *quod visio Dei, eiusque fruitio, actum fidei & spei in Beatis euacuet, postquam fides & spes propriè sunt Theologica virtutes:* id est quatenus versantur circa Deum. Quibus verbis restringit suam definitionem, ne extendatur ad actus fidei & spei, quatenus circa alia obiecta versantur.

160 *Vtrum sint habituri actus fidei circa ea quæ non videant.*

Vnde dubium superest, Vtrum Beati non sint habituri actus fidei circa ea quæ non sunt visuri, sed sola auctoritate diuina reuelante cognituri? Respondeo, Vel illa reuelatio erit eis per lumen supernaturale manifesta, vel non erit. Si per tale lumen erit manifesta, sic ex ea non elicient actum fidei nostræ, quæ sequitur reuelationem obscuram, ac proinde est obscura: sed elicient actum fidei alterius rationis, ac longè præstantioris, quæ ex clara reuelatione nascitur; ac proinde caret illa obscuritate. Fides nostra postulat vt reuelatio diuina per lumen supernaturale nobis non sit manifesta: sed hanc reuelationem colligimus ex fidei notis & motiuis. Quòd si clarè in nobis vel in alijs per lumen infusum cernecremus diuinam operationem, qua illam tam reuelat & testatur: ex tali reuelatione sequeretur credulitas rei non visæ, sed longè præstantior fide nostra: & talis fides ac res credita diceretur esse euidens & manifesta in attestante.

Si verò illa reuelatio non sit illis perspicua per lumen supernaturale, sed ea ex signis quibusdam sit colligenda, sicut in hac vita; sic non video, cur Beati ea quæ sic reuelata sunt, non credant fide nostra: quia neque rem ipsam in se cognoscunt, neque clarè vident eam a Deo assertam; sed solum ex quibusdam indicijs id colligunt. Et quamuis non putem, in statu beatitudinis fieri ipsis tales reuelationes, vel aliquid ipsis nomine Dei proponi, quod ipsis non sit perspicuum a Deo esse reuelatum; tamen fieri potest, vt hic aliquid crediderint, de quo ibi non habebunt claram cognitionem: nihilominus tamen scient se in hac vita illud credidisse propter diuinam auctoritatem in Scriptura propositam. Verbi gratia, quòd Tobiam comitatus sit canis: quod hic in reditu præcurrit, & cauda sit blanditus domesticis. Cur ergo talia ob eamdem auctoritatem non possint credere? Nihil enim in eo vel superflui vel incommodi, præsertim cum talia non possint meliore modo cognoscere. Itaque hanc sententiam valdè probabilem sentio: qua posita dicendum est, etiam habitum fidei respectu talium actuum manere.

161 *Nullum ibi erit actus fidei nostra: quia saltem in attestante cognoscent clarè.*

Verum contrariam ex contrario fundamento puto veriorem; nimirum nullum ibi fore actum fidei nostræ. Ratio est, Quia quidquid hic crediderunt, ibi vel clare intuebuntur, vel saltem clarè cognoscent in attestante per manifestam reuelationem. Hoc enim meritum fidei postulat, vt quod hic humiliter crediderunt, ibi gloriosè & perspicuè cognoscant. Itaque ibi illis manifestum erit, totam Scripturam esse diuinitus inspiratam; & quidquid in ea continetur, id omne esse veritissimum: imò, vt suprà ostensum est, valdè credibile est, eos totam rerum præ-

terita-

teritarum seriem & decursum intuitivè, vel quasi intuitivè visuros: quia cernent illum cum circumstantijs loci, temporis, causarum antecedentium, & effectuum sequentium, eo modo & ordine, quo res intuitivè videri solent. Confirmatur; Quia Deo facillimè est in mente hominis posti centum annos circa rem præteritam formare totam illam notionem, quam habuit in qui eamdem rem præsentem est intuitus: quæ notio immediate terminabitur ad rem eâdem sub omnibus ijsdem circumstantijs spectatam, etsi nùc præteritam. Atqui talis notio erit intuitiva rei præteritæ. Idem dicendum de rebus futuris.

Dices, Cognitionem intuitivam requirere præsentiam obiecti; ita vt simul existat & concurrat ad cognitionem. Ergo præterita & futura intuitivè videri non possunt. Respondeo, Id non esse verum vniuerse, sed solùm in cognitione naturali. Certum enim est, Deum omnia præterita & futura intuitivè videre. Poterit ergo diuina virtute talis cognitionis quædam participatio & imago, creaturæ respectu præteritorum & futurorum communicari.

Addo, si talis cognitio non sit dicenda propriè intuitiua, eò quòd obiectum non existat; at certè est quasi intuitiua, vtpote intuitiuæ proxima: qualis est ea quæ in Angelis (& ex parte in nobis, licet imperfectè,) remanet ex intuitione rerum præsentium. Per hanc enim vident res præteritas, cum omnibus circumstantijs, tanquam existentes. Talis cognitio præteritorum & futurorum maximè decet statum beatitatis.

Petes, Quare Beati non possint habere actum fidei ex
161 obscura reuelatione huius vitæ, cuius ibi optimè meminerunt; præsertim cùm in illis maneat pia affectio voluntatis ad credendum Deo, quam habuerunt in hac vita? Si causæ spectentur, quæ ad actum fidei concurrunt, nihil repugnat, quin talem fidei actum elicere possint: tamen quia actus ille in genere cognitionis supernaturalis est imperfectissimus, & habent alium longè perfectiorem, censeretur supernaneus & inutilis; præsertim cùm per eum nihil mereantur; & ideò non decet eos tali cognitione vti. Secùs est de notitia naturali, quæ in suo genere est perfecta.

Quartò, Quod ad perfectiones voluntatis attinet, sunt
163 in Beatis omnes virtutes tum infusæ, tum naturales, non solùm habitu, sed etiam subinde actu, si imperfectionem illi statui dissonam non includant. Est enim in illis charitas erga Deum, qua ipsi omne bonum ardentissimè volunt, & gratulantur, vt supra explicatum. Est virtus amoris concupiscentiæ, quo illum amant sibi, semper volentes eum videre & complecti, & gustare eius dulcedinem. Estque hæc virtus supernaturalis, quia naturæ viribus non possunt cùm digne & tam sublimi modo quam oportet, amare & amplecti. Vnde non probatur eorum sententia, qui putant, ad amandum Deum amore concupiscentiæ non esse opus virtute aliqua supernaturali. Etsi enim anima per alias virtutes bene disposita, possit vi sua nativa Deum amore concupiscentiæ amare, cupiendo eius visionem & fruitionem: tamen sine habitu supernaturali non potest id facere condigne, seu tam sublimi modo, quàm excellentia obiecti postulat. Sicuti enim, posita visione beata, potest quidem voluntas vi sua nativa Deum amare amore beneuolentiæ super omnia; non tamen condignè & commensuratè obiectum: & ideirco opus est habitu charitatis, quo ad hoc eleuetur quia vi sua nativa non potest illum amare concupiscentiæ amore, secundùm dignitatem obiecti, opus est habitu supernaturali amoris concupiscentiæ, quo ad hoc eleuetur. Vt enim amores debent esse æquè sublimes, & æquè suis obiectis commensi, & visioni æquè proportionati, & eiusdem planè ordinis. Vnde non videtur dubitandum, quin talis habitus amoris ibi sit futurus. Confirmatur, Quia in hac vita talis virtus est necessaria, vt Deum nobis condignè (prout statui viatoris conuenit) amemus, & ad præsentiam eius nos complectum suspiremus: non enim naturæ viribus id possumus præstare. Quis enim dicat omnia illa desideria vitæ æternæ, & visionis beatæ, quibus Sancti hic flagrarunt, & omnes illos affectus amoris, quibus sponsa in Canticis erga sponsum ardet, ex solis naturæ viribus ex parte voluntatis prodijsse? Non minùs difficile est Deum amare super omnia amore concupiscentiæ, quàm amicitiæ, seruata in vtroque amore condignitatis ad obiectum proportione. Quod si in hac vita talis habitus ponendus est, cur non etiam in futura, cùm actus eius sit perfectissimus & sublimissimus, nihilque imperfectionis includat?

De perfectionibus voluntatis. Charitas. Amor concupiscentiæ.

Opus est habitu supernaturali ad amandũ Deũ amore concupiscentiæ condignè.

Huius virtutis actus est amor Dei tanquam sponsi ani
Actus huius virtutis.
mæ; ad cuius suspiramus complexum; desiderium præsentiæ eius, optare illius pulchritudinis aspectum, & illius dulcedinis gustum, &c. Ex eadem virtute in hac vita sequitur actus spei, quem non puto ad aliquam aliam virtutem voluntatis referendum. quam etiam sententiam tradit Suarez in 3. p. tom. 1. q. 7. 2. 4. in Commentario. Ratio est, Quia hic actus nihil est aliud quàm efficax desiderium tanti boni, nempe visionis diuinæ, ope gratiæ ipsius, & nostra cooperatione aliquando consequendi. Solùm autem supra rationem desiderij connotat rationem ardui in obiecto, & credulitatem obtinendi. Quod confirmatur, Quia vt dicat spe rare, nihil aliud requiritur, quàm vt obiectum sit arduum seu difficile obtentu, & desiderem illud consequi, & velim adhibere omnia media necessaria; & putem me obtenturũ. Vbi manifestum est, ex parte voluntatis nihil esse nisi desiderium finis, seu boni obtinendi, & volitionem efficacem mediorum, & ex parte intellectus credulitatem obtinendi; quę in omni desiderio efficaci supponitur. Atqui hoc totum desiderium finis, & tota volitio mediorum est ex habitu amoris cõcupiscentię illius finis. Ergo actus spei procedit ex habitu illius amoris, nec opus est alio habitu. Obtento autem illo bono cessat actus spei, quia cessat desiderium, quod non est nisi boni absentis, & cessat ratio ardui in obiecto. Non tamen cessat illa virtus habitualis, sed alios actus habet, nempe amorem sublimissimum, quo Beatus Deum sibi amat, vt eius pulchritudinem videat, eiusq; præsentia fruatur; & sublimissimam oblectationem, qua de illo obtento gaudet.

Manet etiam in Beatis virtus fidei, qua parte ad voluntatem pertinet, nempe *pia affectio* ad credendum Deo, si quid obscure reuelaret: hęc enim nullam continet imperfectionem, quæ illi statui sit incongrua: non tamen manet qua parte ad intellectum pertinet, sed eius loco datur lumen gloriæ. Erit etiam virtus *religionis*, qua illum vt omnium rerum principium venerabuntur, eique perpetuum laudum sacrificium, & se suaque omnia offerent. Erit virtus *humilitatis*; qua agnoscent & profitebuntur se ex se nihil esse, nihil boni habere; sed omnia ex ipsius immensa bonitate prouenire; sicque ad ipsius laudem & gloriam omnia referent. Erit virtus *gratitudinis*, qua perpetuam illi gratiarum actionem, cum æterna beneficiorum omnium commemoratione referent. Erunt etiam virtutes morales cetere, vt *iustitia, temperantia, fortitudo*, & his affines; quia nihil imperfectionis continet. Ratio est, Quia sicut illorum intellectus propria & distincta notitia erit perfectus ad cognitionem veri; ita voluntas debet esse perfecta & benè disposita ad amorem omnis boni honesti, siue sit ordinis naturalis, siue supernaturalis.

Pia affectio credendi.

Religio.

Humilitas.

Gratitudo.

Iustitia. Temperantia. Fortitudo.

Petes, Quomodo omnes hę virtutes in Beatis orientur,
164 præsertim si hic eas non habuerint, vel non nisi imperfecto gradu? Respondeo, Statim in primo instanti visionis diuinę per lumen gloriæ, vel scientiâ infusam, obijcientur mentibus illorum omnia virtutum obiecta, eorumque pulchritudo & dignitas; & in eodem instanti illa propter se amabunt, illisque actu afficientur: ex quo affectu, vel naturali ordine, vel diuina infusione, sequetur habitus virtutis vel naturalis, vel supernaturalis, iuxta proportionem illius affectus. Hoc dixerim de illis qui statim a morte sũt Beati: qui enim detinentur in Purgatorio, ibi facilè omnes suos affectus brevissimo tempore corrigere, & consequenter omnes virtutum habitus comparare possunt. Hinc tamen non sequitur, ibi esse locum meritis: quia vt habitus infundatur, non est necesse vt actus sit meritorius illius habitus; sufficit vt sit vltima dispositio, naturę ordine, vel Dei dispositione requisita: vt patet in peccatore, qui potest crescere in fide, spe, temperantia Christiana, etsi nihil mereatur: immo ei qui primò credit, infunditur habitus fidei, etsi sit in peccatis. Idem dico de habitu spei, & aliarum virtutum, excepta charitate, quę sola simul excludit peccatum.

Quomodo infusi habitus virtutum manifestentur in Beatis.

C A-

CAPVT XX.

De dotibus animæ beatæ.

165 D. Thomas 1.2.q.3. art. 3. & in 4. d. 49. qu. 4. Soto ibid. qu. 4. a. 3. Vasquez 1. 2. disp. 17. & passim recentiores.

TRes assignantur dotes animæ beatæ a Doctoribus, *Visio, comprehensio, fruitio*: sumpta metaphora huius appellationis ab eo quod ■ nuptijs humanis fieri consueuit. Sicut enim ibi *dos* dicitur, quod dari solet sponsæ dum eam in domum suam sponsus solemniter traducit, vt constat ex L. Dotis, ff. De iure dotium: ita in matrimonio spirituali animæ cum Christo dos dicitur, quod à Sponso Christo datur animæ, dum eam in domum suam, nempe in cælum traducit. Quando enim sponsa est paupercula, & sponsus Rex opulentissimus, non requirit vt parentes illi dotē assignent, sed ipsemet eam pro regali magnificentia dotat.

Pari modo dotes corporis vocantur ornamenta illa, quę corpori conferentur, quando in cælum transferetur. Quare cum animæ tunc hæc tria donentur, rectè dicuntur animæ dotes. In Angelis illi actus dotes non appellantur: quia illi non sunt sponsæ Christi. *Non enim vsquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. neque suas ipsi opes ex Christi meritis habent. Multò minùs appellantur dotes in Christo, in quo tamen sunt excellentissimę; quia ipse est Sponsus qui dat dotem, non accipit. Pari modo gratiæ & ornamenta quæ dantur in hac vita, non dicuntur dotes, sed sunt veluti donationes propter nuptias. Visio respondet & succedit fidei, comprehensio spei, fruitio seu delectatio charitati: quod intelige de charitate vię, qua propter absentiam dilecti anima languebat & mœrebat. Hic enim actus non manet in patria, quia per præsentiam dilecti cessat omnis mœror. Constituuntur dotes in actibus potiùs quàm in habitibus: quia habitus sunt communes Beatis & viatoribus, excepto lumine gloriæ. Actus autem proprij sunt animæ beatæ, & sunt præcipua illius bona.

166 Quid comprehensio. Visio & comprehensio ratione formali distinguuntur.

Sed difficultas est, quis actus nomine *comprehensionis* significetur. Variè enim Doctores id explicant. Pro qua ■ Notandum est, Visionem per se solùm dicere claram cognitionem rei visæ, nec esse formaliter boni desiderati consecutionem & possessionem. Qui enim desiderat pecunias, agros, domos, oppida, regna, licet ea omnia clarè videat, non tamen ideo ea consequitur aut possidet. Vnde visio generatim non habet vim comprehensionis vel possessionis, sed solùm clarè cognitionis. E contrario comprehensio per se non dicit visionem, sed solùm boni desiderati adeptionem, eo modo quo apta est obineri & haberi. Aliter enim habentur honores, aliter diuitiæ, aliter voluptates.

Etsi ergo ratio visionis & comprehensionis in visione Dei concurrant; tamen aliquo modo distinguuntur, nempe ratione formali, vel consideratione & cōnotato. Quibus positis, Respondeo, Nomine *comprehensionis* non significari aliquem actum distinctum a visione, & amore concupiscentiæ; sed vtrumque hunc actum habere rationem comprehensionis, connotando tamen cōcomitantiam alterius. Visio enim habet rationem comprehensionis immediatæ: nam per visionem immediatè apprehenditur, tenetur & possidetur Deus. Intellectus enim est veluti manus animę, visio veluti manualis apprehensio, qua formaliter Deus apprehenditur, tenetur, stringitur. Vt tamen hæc visio habeat rationem formalis apprehensionis, requirit concomitantiam amoris concupiscentiæ, eumque supponit. Ratio est, Quia comprehensio dicit apprehensionem boni desiderati. Illud enim dicitur comprehendi, quod antè sumus prosecuti, & etiamnum amamus, & ex amore tenemus & possidemus. Itaque vt visio habeat rationem comprehensionis, supponit amorem.

Ipse quoque amor rationem comprehensionis habet, sed mediatè. Quia sicuti voluntatis est prosequi bonum, dum est absens, & ad illud tendere: ita eiusdem voluntatis est illud tenere, cùm fuerit præsens. Tenet autem non per se immediatè, sed per manum suam, qui est intellectus, quem applicat, & quantum in se est, mouet, ac veluti manum quamdam stringit, vt fortiter teneat, summo conatu ipsum contuendo. Itaque per voluntatem fit comprehensio tamquam per causam applicantem, per intellectum proximè.

Hinc patet, visionem, vt est prior amore, non habere 167 rationem perfectæ comprehensionis: quia non consideratur vt terminus prosecutionis voluntatis. Verùm quia ex visione eodem temporis instanti sequitur amor, qui fertur in Deum visum, & in visionem; & quantum in se est, necessitat intellectum, vt totis viribus Deum præsentem teneat: fit vt eodem temporis instanti visio incipiat habere rationem comprehensionis. *Visio prior amore non est comprehensio*

Ex quibus etiam intelligitur, quomodo verum sit, quod ait S. Thomas 1.2.qu.4.ar.2.ad 3. vbi dicit, etiam visionem esse obiectum comprehensionis. Id enim verum est qua parte comprehensio pertinet ad voluntatem, cuius est Deū comprehendere per intellectum: voluntas enim vult visionem esse & manere, vt per eam Deum comprehendat & possideat. *Visio quo modo est obiectum comprehensionis.*

Petes, Quid nomine delectationis vel fruitionis intelligi debet? Respondeo, Totum gaudium, totaque delectatio beatifica, tam ea quę sequitur ex amore amicitię, quàm quę ex amore concupiscentiæ. Vtraque enim est nouum donū, & ex præsentia dilecti consequitur.

Petes Secundò, Cur charitas non numeretur inter dotes, cùm Beatis detur noua quædam charitas actualis longè perfectior quàm sit charitas viæ? Respondeo, Charitatem contineri sub nomine comprehensionis: sicut enim amor concupiscentiæ mouet vt Deum comprehendamus visione, vt eius dulcedine fruamur, ita charitas ad idem mouet alio fine, nempe vt Deum perfectissimè semper amemus, & laudemus, eique omnia sua bona gratulemur, & de illis, qua ipsius bona sunt, semper gaudeamus. Alij dicunt, Charitatem non numerari inter dotes, quia pertinet ad ipsum essentiale vinculum spiritalis matrimonij inter Christum & animam, quod in hac vita contrahitur. Dos autem dicitur id, quod non datur in hac vita, sed tunc primùm, quando sponsa in domum sponsi traducitur. Verùm hoc rectè dicitur de habitu charitatis; non autem de eximio illo actu patriæ, quem puto ad dotem comprehensionis pertinere. Charitatis enim est tenere & complecti dilectum.

CAPVT XXI.

De Aureolis Beatorum.

168 DVplex constituitur præmium Beatorum à Doctoribus. Essentiale & Accidentale, Primarium & Accessorium. Ad primarium pertinet visio beatifica, & omnes reliqui actus & ornamenta, quę ex visione proximè vel remotè consequuntur, & quæ ratione visionis omnibus debentur. Accessorium præmium est, quod extra primarium peculiari Dei munere, quibusdam operibus excellentibus constitutum est. Hoc non omnibus datur, sed ijs solis, qui opera illa præstiterunt. Huius generis sunt præmia illa, quæ Aureolæ dicuntur, quasi paruæ coronę aureæ. *Corona*, quia præmia victoriæ. *Aureola*, quia pretiosæ & excellentes; paruæ tamen, respectu coronæ primariæ. *Vnde dicantur Aureolæ.*

Hunc modum loquendi videntur accepisse Doctores ex capitul. 25. Exodi. vbi Dominus in circuitu mensæ propositionis, ■ oram eius iubet *fieri coronam auream interrasilem, altam quatuor digitis: & super illam alteram coronam aureolam.* Per *coronam auream* volunt designari præmium primarium, per *Aureolam* secundarium: nam in Scripturis passim per *coronam* signatur præmium Beatorum; tum quia victoribus corona dari solet honoris causa, tum quia est signum dignitatis regiæ. Omnes enim Beati erunt Reges, & cum Christo Rege Regum iudicabunt & regnabunt. *Psal. 20. 1. Cor. 9. 2. Tim. 2. 1. Pet. 5. Apoc. 3. Coronantur tres numero.*

Porrò Aureolæ tres statuuntur: vna Martyribus, altera Virginibus, tertia Doctoribus. Aureolam Martyrum colligunt ex illis verbis Apoc. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Sed locus iste non de solis Martyribus, sed de omnibus in fide & dilectione perseuerantibus, & de primaria corona intelligendus videtur.

Probabilius forte ex illo Apocalyp. 7. *Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* quod multi de Martyribus intelligunt; quia mox de illis dicitur: *Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna*, &c. Item ex illo Matth. 10. *Qui me confes-*

sus

ſeſſus fuerit eorum hominibus, eor fitebor & ego eum coram Patre meo. Aureola Virginum ex illo Apoc. 14 vbi de Virginibus dicitur, *Et cantabant canticum quaſi nouum ante ſedem, & ante quatuor animalia & ſeniores: & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia*, &c. vbi peculiare quoddam præmium tribuitur Virginibus. Aureola Doctorum inſinuatur Danielis 12. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.* Et Matthæi 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

169 Curtius. Cur autem tres ſtatuantur Aureolæ, non plures nec pauciores, rationem adfert Diuus Thomas in 4. d. 49. q. 5. Aureola cùm ſit corona, eſt præmium inſignis victoriæ. Tres autem ſunt victoriæ inſignes, ſicut ſunt tres præcipui hoſtes Chriſti & ſalutis noſtræ; nempe Caro, Mundus, & Diabolus. De carne triumphat Virgo: de mundo triumphat Martyr: de diabolo Doctor, qui populum ab eius tyrannide per doctrinam, & Sacramentorum adminiſtrationem liberat. Ergo hiſce tribus debentur Aureolæ.

Dices, etiam Apoſtolis & alijs Chriſti conſilia ſequentibus promittitur ſpeciale præmium, nempe poteſtas iudiciaria, Matthæi 19. Ergo ſunt plures Aureolæ. Reſpondeo, Abſolute eſſe plura præmia accidentaria, ſed nomen Aureolæ non tribui niſi tribus præcipuis hominis Chriſtiani victorijs.

Quid ſint Aureolæ. Sed difficultas eſt, quidnam ſint hæ Aureolæ. Multi putant, nihil fore aliud quàm ſingulare gaudium, quod Beati habituri ſunt de huiuſmodi victorijs. Ita D. Thomas ſuprà. Sed contra obijci poteſt. Primò, Quòd hoc gaudium non ſit ſpeciale præmium, ſed neceſſario ſequatur in Beatis, ſuppoſitis illis victorijs. Non enim poſſunt non gaudere de præclaris operibus à ſe in via ad honorem Dei, ſuamque ſalutem præſtitis: Aureola autem debet eſſe ſpeciale præmium, ſpeciali beneficio Dei remunerantis conſtitutũ. Deinde etiam ſingulare gaudium ex alijs præclaris operibus concipiuntur: vt quòd quotidie celebrarint Sacrum, quòd reliquerint mũdũ, & ſectati ſint conſilia Chriſti, &c. Et tamen hæc gaudia non dicuntur Aureolæ. Vnde alij dicunt, *Aureolam* eſſe ſpecialem quamdam dignitatem & eminentiam, quæ tribus illis victoribus tribuetur: quatenus hi præ ceteris erunt conformes Chriſto, in quo perfectiſſimè fuit totius virginitatis, & martyrij, & doctrinæ excellentia & victoria: quam ſententiam veram exiſtimo. Quidam exiſtimant, in animis beatis fore qualitates quaſdam ſpirituales, repræſentantes illas victorias: & in his conſiſtere rationem Aureolæ: imò in corporibus glorioſis eaſdem victorias ornamento ſpeciali figuandas, quæ omnia ſunt ſatis probabilia. Verum quia de his nihil certi habemus, non cenſui immorandum; nobis ſatis ſit peculiarem quamdam dignitatem & honorem hiſce victoribus Dei munere tribuendum: ſicut in aulis Principum quamdam peculiarem dignitatem obtinent, qui in bellis Regem proximè ſunt ſecuti, eique in omnibus periculis adfuerunt. Habet enim plurima præmiorum genera, plurima ornamentorum & dignitatum, quæ nobis incognita.

CAPVT XXII.

Beatos nulla ratione poſſe aliquod peccatum committere; & vnde id proueniat.

170 NOn defuerunt olim qui ſenſerint eos peccare poſſe. Ita docuit Origenes homilia 20. ſuper Numeros, vbi dicit, Angelos cuſtodes adducendos in iudicium, vt conſtet, vtrum forte aliquid ex ipſis cauſæ fuerit, quòd homines deliquerint: *Niſi enim*, inquit, *eſſet etiam aliquid in ipſis quod in cauſa noſtri culpandum videretur, numquam diceret ſermo Scripturæ ad Angelum alium vel illius Eccleſiæ: Quia dereliquiſti charitatem priſtinam, vel patientiam tuam.* & ſimilia. Et homilia 24. *Sæpè diximus animarum, quæ in Eccleſia Dei ſunt, curam & procurationem haberi per Angelos, quos etiam ad iudicium venire cum hominibus oſtendimus, vt in illo diuino conſeſſu examine, vtrum ſua deſidia peccauerint homines, an monitorum cuiuſdamque negligentia.*

Origenes docuit poſſe Beatos peccare.

Idem ſentire videtur Hieronymus in caput 6. Micheæ in principio: *Sicut*, inquit, *interdum Epiſcopi culpa eſt, interdum plebis*, &c. *ita in iudicio Dei vel ad Angelos crimen refertur, ſi non egerint cuncta, quæ ad ſuum officium pertinebant; vel ad populum, ſi aliis vitæ ſua facientibus, ipſi audire contempſerint*, Confirmatur ex Scripturis Iob 4. *Qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* Apoc. 2 & 3. reprehenduntur Angeli quarumdam Eccleſiarum negligenti officij.

Sed fide tenendum eſt, Eos qui faciem Dei vident, peccare non poſſe. Hinc Fulgentius De fide ad Petrum: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam; nec tamen poſſe quemlibet ſanctorum Angelorum in deterius mutari: quia ſic acceperunt æternam beatitudinem quæ Deo ſtabiliter fruuntur, vt ea carere non poſſint.* Quibus verbis apertè indicat, hanc eſſe communem Patrum doctrinam, & Eccleſiæ fidem firmiſſimè ab omnibus tenendam. Idem multis locis tradit S. Auguſtinus, & alij Patres.

Fides tenendum. Beatos peccare non poſſe.

Probatur Primò, Quia ſi vllo modo peccarent, amitterent beatitudinem. Non enim poteſt illa cum tanto malo conſiſtere: nam etiam peccatum veniale ingens malum eſt, maximè in tali ſtatu. Quo enim ſtatus eſt ſublimior, & vitatio peccati facilior, eò offenſio grauior. Si ſanè ſi peccare poſſunt venialiter, nulla eſt ratio cur non etiam mortiferè: imò omne peccatum ibi eſſet mortiferum ob ingratitudinem erga Deum, & grauiſſimam læſionem illius ſtatus. Itaque priuandi erunt beatitudine. Atqui beatitudo amitti nõ poteſt, vt ex Scripturis conſtat. Ex quibus hic vnum tãtum locum adferam. 1. Petri 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem conſeruatam in cælis in vobis:* Vbi aduerte, hereditatem cæleſtem dici *incorruptibilem*, quia non poteſt vmquã perire vel definere. *Immarceſcibilem*, quia non poteſt minui, nec vigorem & pulchritudinem ſuam vlla ex parte amittere, ſicut flores & herbæ cum incipiunt langueſcere. Hæc enim propriè dicuntur μαραίνεσθαι, quo verbo ibi Scriptura vtitur. *Incontaminatam*, quia nihil immundi aut contaminationis ſiue corporalis ſiue ſpiritalis ſecum admittit. Sanè ſi aliqua peccata poſſet admittere, non eſſet incontaminata, nec immarceſcibilis.

171

Secundò, Si poſſet peccare, falſum eſſet illud Apocal. 21. *Non introibit in eam quidquam coinquinatum.* & illud cap. 22. *Omne maledictum non erit amplius.*

Tertiò, Falſum eſſet, non eſſe ibi luctum & dolorem contrà illud Apoc. 21. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Quomodo enim ibi non erit luctus aut dolor, ſi ſit peccatum, cum hæc neceſſario ex peccato ſequantur: Verùm indigna eſt hæc ſententia in qua refutanda diutius immoremur.

172 *Angeli Eccleſiarum ſunt Epiſcopi.*

Nec obſtat illud ex Apoc. cap 2. & 3. de Angelis Eccleſiarum, qui locus mouit Origenem: quia certum eſt, ibi per Angelos non intelligi cæleſtes ſpiritus, ſed Epiſcopos qui illis Eccleſijs præerant. Non enim iuſſus eſt Ioannes ſcribere ad Angelos inuiſibiles, qui opus non habent litteris, nec debent doceri per homines: ſed ad Angelos viſibiles ſibi ſubditos. Neque Angelorum cæleſtium eſt ſuſtinere laborem, mitti in carcerem, eſſe fidelem vſque ad mortem, eſſe tepidum & euomendum, & alia huiuſmodi, quæ ibi in Angelos Eccleſiarum dicuntur. Vocantur Epiſcopi Angeli quia officio angelico funguntur, tamquam medij inter Deũ & homines. Hominum enim vota & pia opera Deo offerunt, & diuinam voluntatem hominibus denuntiant, muneraque diuina illis cælitus referunt. Omnis enim ſanctificatio à Deo per Epiſcopos in alios deſcendit, quia hæc fit per verbum Dei & Sacramentorum adminiſtrationẽ Prædicatio verbi Dei fit per Epiſcopos vel miniſtros inferiores ab ipſo conſtitutos. Similiter Sacrorum adminiſtratio: & ipſe omnes Sacerdotes & inferiores miniſtros conſecrat, & per eos populum ſanctificat.

Ad locum illum Iob 4. quidam reſpondent, illum intelligi de hominibus, nempe Prophetis: ſed verius eſt intelligendum de Angelis: nam opponit illos *ijs domos habitant luteas.* nempe hominibus lutea corpora habentibus, vt patet ex verbo ſequenti. & ſenſus eſt: Si Angeli incorporei, qui illi proximè in cælo ſeruiunt, non ſunt ſtabiles & fideles in eius obſequio, & in illis reperit prauitatem; quanto magis homines lutea corpora circumferentes, obnoxij erunt peccatis, &c. Vbi loquitur de Angelis nondum beatis, & adhuc in via conſtitutis, quorum pars cecidit.

Ad

Ad locum Hieronymi respondetur posse, illum loqui ex sententia aliorum. Familiare enim ei fuit in Commentarijs, præsertim in Epist. ad Ephesios, & ad Galatas (vt ipsemet testatur apologia contra Rufinum) aliorum sententias simpliciter transcribere, & Lectori relinquere iudicium.

137 *Cur beati nō possint peccare.*

Sed difficultas est, Vnde proueniat quòd illi qui vident Deum peccare non possint. Quidam putant, id non prouenire ex vi visionis diuinæ. Hæc enim stante, voluntatem adhuc se posse flectere ad peccatum, nisi aliunde impediatur: volunt autem eam impediri per hoc quòd Deus infundat illi continuo amorem actualem, cum quo amore peccatum consistere non potest. Fieri enim nequit vt quis actu Deum perfectè amet, & simul peccet. Ita sentiunt *a* Guilielmus Occam, *b* Gregorius Ariminensis, & *c* Gabriel. Putant enim hi Doctores, amorem beatificum non esse actum elicitum, sed extrinsecùs infusum. Ab his non multum discrepat Scotus, qui etsi putet esse actum elicitum, existimat tamen per se esse liberum, & videntes Deum posse ab amore cessare, & tunc peccare. Verum ne id fiat, Deum sua virtute determinare voluntatem ad amorem, ne vnquam possit cessare: vel statuisse non concurrere ad actum peccati. Vtraque sententia falso fundamento nititur. Prior enim supponit, visionem & amorem non esse actum elicitum, sed extrinsecùs à Deo infusum, animam se passiue tum habere: quasi alioquin periculum sit, ne aliquando velimus a visione vel amore cessare; quòd supra capit. 16. refutatum est. Indignum est existimare Deo non suppetere modum animam sic interius corroborandi, & suis donis disponendi, vt ipsa ad istos actus eliciendos sit determinata & astricta. Hoc tamen fundamento etiam Scoti sententia nititur.

a Occam in 1.d.1.q.1.& in 2.q.19
b Greg. in 2. d.7 q.2.art.2
c Gab. in 1.d. 2.q 2.& in 2 d.7.
Scot. in 1. d. 1.q. 4.& in 4. d.49 q.6.

Itaque longè verius est, ex vi visionis beatificæ prouenire, vt Beati nullo modo peccare possint. Ita communiter ceteri Doctores sentiunt: D. Thomas, Durandus, Richardus, Paludanus, Maior, Caietanus, Sotus, & passim recentiores viri longè doctissimi, Vasquez, Suarez, Salas, Valentia, & alij.

174 *D.Tho.1.2. q.4 ar.4. Cajet.ibid. Durand.in 2.d.7.q.1 Richard. in 2.d.7 Palud. in 4. d.49 q.7. Maior ib q.8 Sotus ibid. q. 3.ar.4 Id prouenire ex vi visionis beatæ.*

Probatur Primò, Quia ex vi diuinæ visionis prouenit, vt voluntas sit determinata ad amandum Deum super omnia, & quantum fieri potest, perfectissimè. Atqui cum perfectissimo amore actuali nullo modo potest consistere vllus actus peccati, ne venialis quidem, vt omnes fatentur. Qui enim Deum perfectissimè amat, eo ipso cupit illi in omnibus placere, & vitare quidquid illi displicet. Quò enim amor est perfectior, eò ad plura se extendit in gratiam dilecti. Vnde perfectissimus amor toto conatu se extendit ad omnia facienda quæ nouit dilecto placere, & ad omnia vitanda, quæ scit illi displicere. Ergo ex vi visionis, prouenit, vt nullum peccatum committere possint. Maior probatur, Quia visio ita proponit voluntati summum bonum, vt nulla possit ei occurrere ratio, cur velit non amare, aut ab eius amore cessare. Ostendit enim illud esse infinito amore dignum, & omnis boni plenitudinem in eo eminentissimè contineri. Facit ergo vt voluntas necessario amet. Nemo enim potest voluntariè cessare ab aliquo opere, nisi occurrat aliqua ratio cessandi; quia cessatio, cum sit priuatio, non est per se appetibilis. Quod autem hic nulla possit occurrere ratio cessandi ab amore, patet: quia amor ille nihil continet laboris vel incommodi, neque impedit vllum aliud bonum; deinde in se est quid præstantissimum, & fons ineffabilis gaudij; & summo impetu fertur in dilectum: nec absque ingenti vi & naturæ incommodo posset comprimi. Magna profecto fatuitas esset, vel ad breue tempus tanto bono velle carere. Quare cum Beati sint sapientissimi, impossibile est, vt ob aliquam causam velint hunc amorem interrumpere.

175 Dices, Cur nō poterit menti se obijcere aliqua voluptas, vel aliquis honor expetendus, qui Deo displiceat, propter quem velint ab amore cessare?

Respondeo id fieri non posse; Primò, quia omnis voluptas & omnis honor in illo statu eminentissimè continetur. Est enim ibi pelagus voluptatum, vt suprà ostensum est: & omnis honor in honore filiorum Dei continetur. Deinde, quia comparatione illius boni omne aliud bonum, quantumuis magnum & splendidum, censetur nullius momenti; ac proinde non potest sapientis animum cum iactura tanti boni ad se allicere. Denique si Deo displicet se tale bonum appetere, illa appetitio non solum censetur non bona, sed etiam iudicatur ingens malum, quam Deo summe dilecto, & ipsi beatitudini repugnans; ac proinde non potest esse ratio cessandi à tanto bono. Hinc fit vt Beatus inferior non possit appetere honorem debitum Christo, vel B. Virgini, vel etiam æqualitatem Beati superiori, tum quia clarè nouit id esse iniquum, vel contra iustissimam legem à Deo statutam: tum quia nouit talem appetitionem & affectum esse inefficacem ac inutilem: vnde eam detestatur vt ingens malum, nihil boni secum adferens: tantum abest, vt possit ei esse causa priuandi se tanto bono.

Bonum infinitum trahit voluntatem ad illud quodammodo infinitè.

Secundò, Idem probatur alia ratione. Bonum quò maius est, eò magis trahit voluntatem in sui amorem, si clarè cognoscatur, vt experientia docet. Qui enim amat honores, longè aliter trahitur proposita dignitate regia, quàm magistratu vnius oppiduli: qui opes, longè aliter afficitur lucro centum millium, quàm decem assium. Imò bonum terrenum; quando videtur ingens, tamentem trahit, vt vix sui sit compos, nec possit se ab eius amore cohibere. Si ergo bonum sit infinitum, in quo tota boni plenitudo continetur, ei fortiter illam trahet; ita vt nullo modo possit resistere, quantumuis sit perfecta & sublimis, hoc (quod idem est) vt non possit impetum amoris, quo in illud fertur, cohibere. Confirmatur; Bonum diuinum, quia est infinitum, ita trahit ad se diuinam voluntatem (quæ tamen liberrima est & omnipotens) vt necessario amet; cur nō trahat etiam voluntatem creatam eo modo vt amet necessario? Bonum diuinum ita implet & satiat voluntatem diuinam, vt nihil extra illud nisi propter illud possit velle aut amare; cur non potest etiam simili modo implere voluntatem creatam? Voluntas enim creata, lumine gloriæ & charitatis dono instructa, est suprema imago voluntatis increatæ, & amor beatificus amoris increati. Obiectum vtrobique idem.

176 *Incommoda quæ sequūtur ex sententia Scoti.*

Tertiò, Si beatorum amor in Deum non esset necessarius sed liber, vt vult Scotus, sequerentur hæc incommoda. Primò, Quòd amor beatificus sit valde imperfectus & debilis; quia libertas voluntatis posset ei resistere, & eius impetum cohibere. Vnde natura esset fortior amore beato: imò esset fortior in resistendo & se cohibendo, quàm obiectum infinitum in alliciendo & trahendo.

Duo modi fiendi voluntatem in actu libero, iuxta Scoti. ref.antur. Determinationem ad actum per se liberum esse alienam à natura voluntatis.

Secundò sequitur, Nullum superesse Deo modum fiendi amorem beatorum, eosque in tuto collocandi, quā vel impulsu quodam determinando eorum voluntatem ad amorem qui per se est liber: vel nolendo concurrere, quando videret eos velle flectere ad aliquid illicitum; quorum vtrumque alienum est à naturis rerum. Nam quod ad determinationem attinet, contra naturam voluntatis est, vt ad actum per se liberum determinetur per impulsum extrinsecus immissum. Si enim actus per se, seu ex modo propositionis obiecti liber est, postulat vt voluntas relinquatur in natiua sua indifferentia, quam posita tali cognitione obiecti obtinet. Confirmatur, Quia natiua libertas & necessitas voluntatis in operando pendet ab intellectu proponente obiectum; vnde radix libertatis & necessitatis passim à Philosophis & Theologis ponitur in intellectu. Si enim intellectus proponat obiectum eo modo vt non solum appareat ratio hic & nunc amandi, sed etiam non amandi; amor natura sua, seu ex vi propositionis obiecti erit liber: si verò ita proponat vt nulla appareat ratio non amandi, erit necessarius. Si ergo, cum ex vi propositionis obiecti est liber, voluntas ab extrinseco ad illum determinetur, & alligetur, ita vt non possit illum dimittere; vis infertur naturæ, & rerum natiua conditio euertitur: monstrum enim est voluntas ad actum liberum determinata. Talem determinationem per impulsum extrinsecus à Deo immissum, ad actum qui ex parte intellectus sit liber, ponunt hæretici nostri temporis, vt persuadeant nos absolutè in operibus nostris siue bonis siue malis non esse liberos, & omnia necessariò à nobis fieri. Fatentur enim ex parte intellectus nullam esse necessitatem, nullum errorem, nullam brutalem vel angustam apprehensionem, qua omnia quæ occurrunt agenda, tamquam necessaria concipiantur; scire mentem nostram rem illam, & actionem nō esse ad finem necessariam; vnde necessitatem operum non prouenire ex apprehensione intellectus, sed ex impulsu voluntatis à Deo extrinsecus immisso. Hæc est ipsissima eorum sententia, vt alibi fusè à nobis & ab alijs Scriptoribus

ubus Catholicis demonſtratum. Itaque qui imaginantur, amorem beatum eſſe ex vi propoſitionis obiecti liberum, & voluntatem alio quodam impulſu à Deo ad illum determinari & neceſſitari, plane videntur in modum illum incidere, quem hæretici in omnibus operibus ſtatuunt: qui ſanè alienus eſt a natiua conditione voluntatis.

Subtractionē concurſus nō conuenire, quia ſanam patitur voluntas.

Alter quoque modus qui eſt per negationem concurſus, non eſt conueniens. Primò, Quia vt quis ceſſet ab aliquo actu, non eſt opus concurſu Dei. Ergo quod Beati nō poſſint deponere amorem per ſe liberum, non prouenit ex concurſus diuini ſubtractione. Deinde etiamſi ſubtractio concurſus poſſit impedire ne peccent commiſſione peractum poſitiuum; non tamen efficiet quin poſſint peccare omiſſione, ad quam nullus requiritur concurſus. Denique cuique rei debitus eſt concurſus, qui neceſſarius eſt, vt operetur conſentanee ſuæ naturæ: atqui modus operandi conſentaneus naturę liberę in ijs actibus, in quibus liberè agit, eſt ita operari, vt poſſit abilis ceſſare, & poſſit facere illud ad quod eſt indeterminata & indifferens. Ergo talis concurſus ſubtractio conditioni naturali repugnat: imo violentā quamdiu patitur natura, quando proxime diſpoſita ad operandum concurſus ei ſubtrahitur.

177 *Duo alij modi neceſſitandi voluntatē ad actum liberum.*

Præter hos duos modos neceſſitandi voluntatem ad actum per ſe liberum, poſſent poni duo alij. Prior eſt, impediendo intellectum, ne conſideret ea quæ poſſent voluntatem allicere ad ceſſandum ab amore. Non enim voluntas poteſt velle ceſſare, niſi occurrat aliqua ratio cur velit, vel ſaltem ni ſi conſideret, hic & nunc non eſſe neceſſarium talem actum elicere. Itaque ſi Deus in Beatis impedirat intellectum ne conſideret aliquid quod poſſit voluntati eſſe ratio ceſſandi ab amore, amor ille ſemper continuabitur; nec poterunt illum deponere. Alter eſt, continuando ſuum influxum in actum amoris: quo continuato, amor non poteſt ceſſare; quia ab illo re non diſtinguitur, ſed vt ſummum ratione tantum formali.

Reſpuuntur.

Verum prior modus ad rem eam de qua modo diſputamus, non pertinet. Nos enim hic agimus de amore qui ſecundum ſe, & ex modo propoſitionis obiecti eſt liber: ille verò amor ex modo propoſitionis obiecti non eſſet liber, ſed neceſſarius. Obiectum enim ita proponitur amandum, vt nulla occurrere poſſit ratio, cur velit ceſſare, Deo id ſpeciali prouidentia & directione procurante. Deinde abſurdum eſt, Beatorum mētes impediri & ligari debere, ne poſſint omnia circumſpicere, & expendere, ne forte tententur ad peccandum.

Alter modus vel eſt impoſſibilis, vel incidit in primum. Cùm enim Deus dicatur continuare concurſum ſuum in actum amoris beati, vel id ita facit, vt nihil omnino operetur circa voluntatem elicientem illum amorem, & relinquat illam in ſua indifferenti poteſtate: & hoc modo non poteſt ille amor reddi firmus, ſed poterit voluntas ab eo ceſſare non influendo: neque tunc poterit influxus diuinus quo prius influebat, continuari; quia hic effectu aliter ſimul requirit influxum voluntatis in eumdem amoris actum, cū influxus vniuerſalis & indeterminatus poſtulet ſimul concurſum cauſę particularis, qui per ſe eſt determinatus, cum quo in vnum integrum & totalem influxum coaleſcat: vel id ita facit, vt ſimul voluntatem trahat & neceſſitet ad ſuū influxum continuandum; & tunc relabimus ad primum modum, qui ſtatuebat impulſum vel tractum determinatiuum, & neceſſitantem.

Ex quibus patet, verum eſſe quod antè diximus, Non eſſe niſi duos modos firmandi amorem per ſe liberum, quorum neuter naturæ rerum eſt conſentaneus; nec minus alienos eſſe reliquos duos, qui fingi poſſent.

Tertiò ſequitur, Beatos ab intrinſeco non minus poſſe peccare, quàm viatores: & ipſos viatores eodē modo poſſe fieri impeccabiles in hac vita, quo ſunt Beati: nempe ſingulari Dei cuſtodia, & auxilio partim ad bonum incitante, partim à malo deterrente, & concurſum ad malum ſubtrahente. Hoc autem eſt contra S. Auguſtinum, qui lib. De correptione, & gratia capite 10. cauſam impeccabilitatis Beatorum refert, non in protectionem Dei & cuſtodiam extrinſecam; *ſed in abundantiam charitatis, quam accipient in premium perſeuerantiæ, per quam fiet, vnquid, vt cadere amplius omnino non poſſint.* vbi planè ab intrinſeco vult illos peccati incapaces, & contra Iſidorum lib. 1. Sententiarum c. 12. vbi dicit: *Angeli licet ſint natura ſua mutabiles, non ſunt tamen ex contemplatio muneris diuini.* vbi cauſam refert in ipſam viſionem tanquam in primam radicem.

Quarto Probatur, Voluntas videntis Deum ita ſe habet ad Deum, ſicut voluntas viatoris ſe habet ad rationem boni in communi. Atqui viator nihil poteſt appetere niſi ſub ratione boni. Ergo Beatus nihil poteſt appetere niſi ſub ordine ad Deum: ac proinde nihil poteſt velle quod ſit peccatum. 178

Dices eſſe diſparem rationem; Quia ratio boni generica in omni re includitur, etiam in peccatis. Peccatum enim eſt bonum delectabile, vel vtile ad opes & honores acquirendos: at bonitas diuina non includitur in omni re particulari, quam Beati poterunt appetere.

Bonitas diuina includitur in obliquo in omni obiecto appetibili à Beatis.

Reſpondeo, Eth bonitas diuina in omni re particulari, quam Beati poſſunt appetere, non includatur intrinſecè, ſeu in recto, vt dici ſolet; includitur tamen in obliquo, nempe ratione cuiuſdam ordinis, quem illa res ad Deum habet, quatenus eſt conformis eius voluntati, vel pertinet ad eius gloriam, &c. Ita enim Beati Deum æſtimant, & erga illum afficiuntur, vt alia omnia nihil æſtiment, niſi illa talem habitudinem ad Deum haberent, id eſt, niſi diuinæ voluntati ſint conformia. Vnde impoſſib le eſt illos aliquid appetere, in quo talis habitudo, ſeu conformitas ad diuinam voluntatem non reperitur; ſicut impoſſibile eſt viatorem aliquid appetere, in quo non reperitur aliqua ratio boni in genere.

Non poſſunt per inconſiderationem peccare.

Dices, Cur ſaltem per inconſiderationem non poſſunt aliquid appetere, in quo non ſit hic ordo?

Reſpondeo, id fieri non poſſe tum quia lumine gloriæ ita ſunt illuſtrati, vt omnes circumſtantias in omni opere & re occurrente perſpiciant; tum quia charitas Dei eos impellit & determinat ad ſummam circumſpectionem adhibendam.

CAPVT XXIII.

Explicantur duæ difficultates circa potentiam peccandi in Beatis.

179 OCcaſione eorum quæ ſuperiore capite explicata ſunt, duo ſuperſunt hic dubia. Primum, Vtrùm ſaltem per potentiam Dei abſolutam fieri poſſit, vt Beati Deum videntes poſſint peccare?

Secundum, Vtrùm ipſa viſio per ſe, etiam ſublato amore, reddat animam impeccabilem?

Poſſet Deus ſpoliare Beatos omnibus donis ſupernaturalibus, &c.

Quod ad prius attinet, Certum eſt, ſi ſola potentia diuina, eiuſque ſupremum dominium ſpectetur, Beatos poſſe priuari lumine gloriæ, ex qua priuatione neceſſario etiam extinguetur viſio beatifica, & inſuper amor & gaudium, quæ duo ex viſione conſequuntur. Poteſt enim Deus definere influere in lumen gloriæ liberahendo influxum ſuum (ſubſtantificum) vt Dionyſius loquitur) quo lumen gloriæ producit & conſeruat: ceſſante autem illo lumine tanquā fundamento, ſtatim euaneſcet tota beatitudo, quæ huic innititur. Nihil autem eſt quod Deum cogat hunc influxum continuare, præter proprium decretum. Illo autem poſito, Beati redirent ad ſtatum priſtinum, eſſentque ſubiecti omnibus caſibus quibus antea: vnde non ſolum poſſent peccare, ſed etiam damnari, ſicut ſtatuit Origenes reipſa accidere. Verum ex alio capite impoſſibile eſt id fieri, quia repugnat diuinæ bonitati, & veritati. Hæc tamen conſideratio eſt valde vtilis, quia etiam in Beatis eſt occaſio ſummæ humilitatis & gratitudinis: dum vident omnia ſua bona ex eius libero influxu pendere.

Vtrùm voluntas poſſit corroborari contractum ſummi boni clarè viſi.

Sed difficultas eſt. Vtrùm Deo non ſubtrahente influxum ſuum, poſſit voluntas Beati ita corroborari, vt non neceſſariò trahatur à ſummo bono clarè viſo; ſed poſſit reſiſtere, ſic vt vel non amet, vel ab amore inchoato ceſſet. vbi autem ceſſant amare, poterit ſe ad peccatum flectere. Quidam putant hunc modum non ſolum eſſe poſſibilem, ſed etiam reipſa fuiſſe in Chriſto: idque eo fine, vt in operibus præceptis, & maxime in acceptatione mortis eſſet liber, non obſtante viſione beatifica. 180

Illa corroboratio non poteſt fieri per aliquid intrinſecum actuale vel habituale,

Sed hic modus mihi videtur valdè difficilis. Primò, Quia illa corroboratio voluntatis ad reſiſtendum, vel eſt aliquid intrinſecum voluntati, ſicut voluntas corroboratur per habitus ſupernaturales, vel gratiam præuenientem; vel ſolum eſt aſſiſtentia Dei extrinſeca; ex eo quòd Deus pa-

ratus sit extraordinario modo iuuare voluntatem, si velit amorem cohibere. Neutrum autem dici potest. Non enim est aliquis habitus naturalis, aut supernaturalis voluntatis: quia omnis habitus natura sua ordinatur ad actus, non ad cessandum, vel ad abstrahendam potentiam ab actu; haec autem corroboratio dicitur fieri, vt voluntas possit cessare ab actu. Neque etiam dici potest esse habitum, quo corroboretur voluntas, vt immediate se possit flectere ad illicitum, seu ad id quod præcepto occurrenti est contrarium. Sicut enim Deus non potest velle actum peccati, ita etiam non potest infundere habitū, qui ad talem actum inclinet. Deinde ille habitus non posset esse potentior amore beatifico: neque potēnùs inclinare voluntatē ad opus illicitū, quàm amor ab illo reuocet. Neque ét dici potest esse actū aliquem diuinitùs immissum, vt est gratia præueniens: quia neque est actus naturalis, vt patet; hic enim nō posset vincere amorem beatum; neque etiam supernaturalis, quia non dantur inspirationes supernaturales ad hoc, vt quis cesset ab amore diuino, & conuertat se ad illicitum, sed solum ad opera sancta & supernaturalia.

181 *Nec per assistentiā Dei.*

Neque etiam dici potest hāc corroborationem fieri per assistentiam externam, qualis est in patrandis miraculis, & consecrando sanctissimo Sacramento, & in conferendis Sacramentorum effectis. Primò, Quia talis assistentia non corroborat hominem. Non enim dicitur homo ita corroborari à Deo, vt possit excitare mortuos, transubstantiare panem in Corpus Christi, sanctificare animas, &c. Atqui voluntas Christi iuxtà hanc sententiam dicitur ita corroborari, vt non necessariò amet, sed liberè, & possit cessare. Deinde absurdum videtur, Deum assistere alicui miraculoso modo, vt possit cessare ab amore illo excellentissimo, aut vt possit se flectere ad aliquid aliud quod sit illicitum. Sicut enim non potest velle aliquid illicitum, ita neque ad hoc directè dare vires vt faciat, aut etiam vt possit facere: posse enim facere malum, non est appetibile, nec creatura id habet à Deo. Tertiò, Ipsum cessare ab amore in statu illo, ingens malum est; ac proinde si sit liberum, erit graue peccatum. Ergo Deus non potest ad hoc dare peculiarem assistentiam. Denique Deus assistebat animæ Christi in hac vita sic, vt nullatenus posset peccare, etiam secluſa visione beata. Ipsa enim vnio cum Verbo diuino id omnino postulabat. Ergo si illi etiam assistebat vt posset cessare a visione, & flectere se ad id quod præcepto diuino aduersatur, habebat anima illa assistentias planè repugnantes, & ad repugnantia: nimirum ad hoc, vt posset velle illicitum, & vt non posset velle illicitum: vt posset cessare ab amore diuino, & non posset cessare.

182 Dices, Hæc assistentia solum erat, vt posset in actu primo, & quoad intrinsecam dispositionem voluntatis; cui non repugnat assistentia alia ad hoc vt non possit in actu secundo. Sicut enim non pugnant, posse in actu primo velle illicitum, & non posse in actu secundo: ita etiam non pugnant, assistere vt possis velle in actu primo, & assistere vt non possis in actu secundo. Deus itaque poterat assistere animæ Christi vt haberet potentiam in actu primo, & velut in habitu ad cessandum ab amore diuino, & ad amplectendum illicitum: & simul etiam assistere vt non posset in actu secundo.

Sed contra, Primò, Quia alienum videtur à ratione; vt alicui stupendo miraculo contra rerum naturam procuretur aut detur aliquod posse in actu primo, quod numquam debet exire in actum secundum: imò quod perniciosissimè exiret in actum secundum: & cui summa cura Deus debet inuigilare & assistere ne vnquam exeat in actum secundū. Quis sapiens alicui tribuat aliquam facultatem, quæ si vnquam exiret in actum, adferret extremam perniciem? ad quam ipse noctes & dies excubare debet, vt numquam in actum exeat? Itaque hæc duo non consistunt, Deum assistere, & miraculose dare aliquod posse, & tamen debere assistere, ne vnquam exeat in actum.

Potentia ad illicitum nō est à Deo.

Nec obstat quòd possit dari potentia ad illicitum in actu primo, quæ singulari assistentia Dei non potest exire in actum secundum; sicut in Christi anima, secluſa visione beatifica, & aliquo modo in B. Virgine, cum ageret hanc vitam mortalem: quia illa potentia non est intenta à Deo, multo minus supernaturaliter inserta; sed prouenit ex imperfectione naturæ, seu ex eo quòd anima sit creata ex nihilo: ideò enim habet facultatem declinandi ad illicitum, vt sancti Patres docent. Vnde merito per peculiarem Dei assistentiam impeditur ne exeat in actum, qua parte talis est, seu quatenus illicita respicit. Quod si talis potentia non sequeretur ex imperfectione & conditione naturæ, Deus non posset eam inferre: quia bonitati ipsius repugnat, vt opus suum, quod per se ad bonum determinatum est, ad malum inclinet, vel capax mali efficiat.

August. lib. 12. De Ciu. c. 1. Damasc. lib. 2. c. 27. Athan. libr. de Pass. & Cruce Domini in princ. Greg. lib. 25. Moralium in Iob. c. 5 183

Secundo, Hæc assistentia non efficiet vt voluntas maneat libera quoad intrinsecam dispositionem, quæ tamen ad libertatem est necessaria. Cùm enim hæc assistentia non ponat aliquid in ipsa voluntate, sed sit extrinseca, nec mutet intrinsecam voluntatis dispositionem, non potest efficere, vt ipsa voluntas intrinsecè maneat libera. Ratio est, quia ipsa intrinsece determinata est ad amorem beatificū, & consequenter ad omne illud quod ad illum amorem cōseruandum est necessarium; ac proinde ad implendū præceptum, & vitandum omne illicitum. Itaque implectio præcepti non potest esse libera, quia neque est libera absolutè, cùm non possit absolutè omitti, alioquin Christus potuisset absolutè peccare; quod dici non potest: neque etiam est libera libertate intrinseca, id est, spectata voluntatis intrinseca dispositione, quia voluntas ab intrinseco est determinata ad amorē diuinum, & ad omne quod amor ille postulat, quale est implere præceptum diuinum. Ad quid ergo seruit ista mirabilis assistentia?

Non datur assistentia directè ad priuationem actus.

Tertiò, Numquam datur assistentia directè ad priuationem, vel cessationem ab actu, sed solùm ad aliquid positiuum: quia priuatio non inducitur directè per influxum positiuum. Peto ergo quod sit illum positiuum, ad quod directè illa assistentia datur?

Dices, esse actum positiuum quo velit anima cessare ab amore, vel amplecti illicitum. Contrà, Quia impossibile est, Deum dare aliquam peculiarem assistentiam ad eliciendam volitionem intrinsecè malam, qualis est illa, de qua agitur. Sic enim Deus esset propriè auctor peccati, quia daret auxilium speciale ad peccandum. Item fieri nequit vt Deus det aliquam assistentiam in actu primo, cuius vsus in actu secundo non potest esse nisi peccatum. Atqui vsus talis assistentiæ in actu secundo non potest esse nisi peccatū: velle enim cessare ab amore beato, aut velle præceptum non implere, est peccatum. Ergo ad hoc non potest dari peculiaris assistentia in actu primo.

Ex quibus patet, per assistentiam extrinsecam fieri non posse, vt, stante clara visione Dei, voluntas sit libera & indifferens ad amorem Dei, aut ad aliquid amplectendum quod sit illicitum. Posita enim visione Dei, ipsa ex natura sua est determinata ad eius amorem, & ad omne id quod ille amor postulat, vt infrà ostendemus.

184 *Robur voluntatis in quo consistat.*

Secundò probatur hęc sententia: Ad robur & perfectionem voluntatis pertinet, quòd non possit ei absoluta necessitas inferri ab aliquo bono finito quantumuis magno. Hoc enim indicat, ipsius amplitudinem, capacitatem & perfectionem, & eius summum bonum in nulla re creata consistere; non autem quòd non possit ei necessitas inferri à bono infinito clarè & perfectè ostenso: sed hoc potius esset signum imperfectionis & debilitatis, quasi ipsa tanti boni non sit capax, nec possit eo impetu in illud ferri, eique affigi, quo dignum est.

Confirmatur Primò, Quia omnis voluntas quo nobilior & robustior est, eo maiori impetu à summo bono trahitur, & firmius ei per amorem adhæret. Vnde diuina voluntas, quæ tamen est omnipotens, summa & excellentissima trahitur necessitate. Similiter Angeli quo perfectiores & maiore charitate prædit, eo trahuntur potentius, & omnium potentissimè anima Christi.

Confirmatur Secundo, Quia robur voluntatis non consistit in eo quod possit se ab amore summi boni subtrahere, aut ad illicitum declinare: hoc enim debilitatis & imperfectionis est, non roboris (sicut posse amittere vitam, iustitiam, sapientiam) sed in eo, quòd possit in illud condigne ferri, eique indolubiliter coniungi. Sicut si pondus & inclinatio corporalis esset corroboranda, non deberet aliqua qualitas imprimi corpori, quo impetus illius posset cohiberi; hoc enim potius ad debilitationem pertineret; sed deberet aliquid addi, quo maiori vi impelleretur, & arctiùs postea queat duelli.

Confirmatur Tertiò, Quia sicut perfectius est esse in illum,

ſum, beatum, amantem ſummi boni, ſapientem: per eſſentiam, quàm per qualitatem ſuperadditam: ita etiam perfectius eſt, hæc omnia habere neceſſario, quam non neceſſario, & neceſſario ab intrinſeco, quã neceſſitate extrinſeca. Pari modo perfectius eſt, nullo modo poſſe peccare, quàm aliquo modo poſſe peccare; eſſe coniunctum ſuæ regulæ neceſſario, quàm non neceſſario. Poſſeſſio enim boni quo firmior, eo perfectior; illa vero quæ amitti poteſt, hoc ipſo eſt imperfecta.

185 *Non requiritur talis corroboratio ad ſaluandam Chriſti libertatem.*

Neque verò hic modus corroborationis, vel potius debilitationis, neceſſarius eſt ad ſaluandam libertatem operum in Chriſto; ob quam cauſam eſt excogitatus; quia multis aliis modis hæc a Doctoribus ſaluari conſueuit. Ac primum ad libertatem operum bonorum non eſt vllo modo neceſſaria potentia peccandi, vel intrinſeca diſpoſitio voluntatis ad liberè amplectendum aliquid quod ſit illicitũ. Libertas enim ad opera bona eſt ingens perfectio, quæ etiã in ſtatu beatitudinis manſura eſt: libertas verò peccandi, ſeu indifferentia illa voluntatis, qua parte poteſt ad malum declinare, eſt ingens imperfectio. Itaq; in Chriſto laus illa iuſti; *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit*, locum non habuit ſide vera & intrinſeca potentiæ peccandi intelligatur: quia ingentem imperfectionem includit, vel ſupponit: ſed multo eminentior, quam Scriptura verbis præcedentibus & ſequentibus inſinuat, & poteſſimum illis: *Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*, &c. Multo enim excellentius eſt, in Deo eſſe ſtabilitum vt malum facere non poſſis, quàm cum poteſtate malefaciendi à malo abſtinere. Duplici autem modo humana Chriſti voluntas in Domino erat ſtabilita, & ad bonum honeſtum determinata. Primò, Per affiſeotum extrinſecam, quę illi debita erat ratione vnionis hypoſtaticæ, etiamſi viſione Dei & dilectione ſupernaturali caruiſſet. Secundò, Per intrinſecam voluntatis diſpoſitionem, quę ex viſione & amore beatifico prouenichat. Itaque manifeſtum eſt, illam Scripturæ ſententiam in Chriſto locum non habuiſſe. Addo, ſolum ibi laudari nullum, qui inſtrumenta peccatorum, nempe opes habuit, & impunè peccare potuit, tamen ſolo Dei timore abſtinuit; præ illo qui abſtinuit vel inſtrumentorum defectu, vel pœnæ metu. Sat eſt ad libertatem bonorũ operum, vt ad illorum exercitium in particulari non ſis adſtrictus, etiamſi in genere adſtrictus ſis, vt aliquando facias. Simile in peccatis venialibus accidit, ad quæ in genere quodammodo determinati ſumus; non tamen ideo non liberè in particulari illa facimus. Cum enim ſolum in genere determinatus es, ſemper in particulari opere tibi libertas eſt, & liberè eligis quemlibet actum particularem, eumque liberè exequeris. Ira enim hic & nunc illum eligis, & ex vi electionis exequeris, vt poſſis hic & nunc non eligere, non exequi. Verbi gratia, incumbit tibi neceſſitas dandi eleemoſynam, tamen non eſt tibi præſcriptum quantum, cui, quando dare debeas. Vnde etiamſi tibi non ſit liberum non dare abſolutè & in genere; tamen eſt tibi liberum dare hodie, cras, perendie, vel alio quouis tempore, in quo præceptum non vrget. Item liberum eſt dare tantum vel tantum, hunc vel illi: ac proinde actus ille in particulari tibi eſt liberrimus, quia ſic illum facis, vt poſſis omittere. Incumbit omnibus neceſſitas moriendi, ipſa tamè mors in particulari poteſt nobis eſſe liberrima; quia poſſumus tempus præuenire etiam licitè acceptãdo mortem, quando facilè poſſemus euadere, & permittendo nos hoſtium voluntati. Vnde Martyres acceptando & ſuſtinendo mortem pro Chriſto, maximè ſunt promeriti. Simili modo dicendum de Chriſto Domino: hic enim etſi in primo inſtanti conceptionis, quãdo voluntas Patris ei fuit propoſita, planè fuerit determinatus ad acceptandam mortem in genere, & ad redimendum genus humanum, ita vt nullo modo id potuerit omittere, aut recuſare: tamen non fuit determinatus, ſeu adſtrictus ad eligendam talem mortem, tali tempore, loco, & modo: quia Patris præcepto hoc non fuit præſcriptum. Vnde liberrimè potuit eligere hanc mortem qua reipſa nos redemit; vel hanc recuſare, & aliam amplecti. Sed reipſa hanc elegit, & ex vi huius liberrimæ electionis eam poſtea ſubijt: non ex aliqua electione neceſſaria. Quod ipſe quoque inſinuat illis verbis Ioannis 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. & poteſtatem habeo ponendi eam. & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Vbi aperte indicat, mortem ſuam eſſe planè liberam, nulla neceſſitate coactam, etiamſi mandatum moriendi a Patre acceperit: nimirum quia in electione particulari & in executione coacta non fuit, licet in genere fuerit adſtrictus.

Ad libertatem ſatis eſt, non eſſe determinatum ad aliquid in particulari.

Eccl. 31.

In reliquis Chriſti operibus non eſt difficultas. Illa enim vel non fuerunt mandata, ſed libera relicta; vel ſi fuere mandata, non tamen in particulari, ſed ſolum in genere. Vnde executio in particulari fuit liberrima.

186 *Mors Chriſti fuit libera ſecundum ſubſtantiam operis.*

Dices, Hinc ſequitur, mortem Chriſti ſecundum ſubſtantiam operis non fuiſſe liberam, ſed ſolum ſecundum circumſtantiam temporis, & ita illam non fuiſſe meritoriã niſi ratione circumſtantiæ. Reſpondeo, Negando id ſequi; quia ſubſtantia operis non eſt facta in genere (quò modo ad eam fuit determinatus) ſed in particulari. Itaque perpeſſio mortis Chriſti fuit meritoria, non ſecundum ſubſtantiam operis in genere (quia ſic non potuit executioni mandari) ſed ſecundum ſubſtantiam operis particularis, quod reipſa eſt præſtitum.

An tale opus tanti ſit æſtimandũ, quãto cum nulla eſt neceſſitas.

Dices, Saltem non poterit illud opus tanti æſtimari, quanti ſi in genere non fuiſſet neceſſarium: quia eleemoſyna ad quam in genere quis eſt obſtrictus, non tanti æſtimatur, quanti ſi eſſet planè libera, & poſſet omnino omitti. Reſpondeo, Qui obſtrictus eſt ad eleemoſynam in genere, duplici modo poteſt ad executionem in particulari moueri: nimirum vel conſideratione neceſſitatis ſibi impoſitæ, vel conſideratione ſolius miſeriæ pauperis, & affectu miſericordiæ. Si priore modo moueatur, concedo, ordinariè tale beneficium non æſtimari tanti, quanti ſi nulla datori fuiſſet impoſita neceſſitas: quia hoc opus, vt hic & nunc fit, non procedit ex affectu miſericordiæ, & charitate proximi, ſed ex affectu liberandi ſe ab obligatione. Si poſteriore modo, nego plane non tanti æſtimandum; quia in tali eleemoſyna, vt hic & nunc fit, nulla habetur ratio neceſſitatis impoſitæ, ſed ſolius miſeriæ & ſubuentionis proximi: vnde non minus daretur, ſi in genere eſſet omnino libera. Tale planè eſt beneficium Chriſti ipſe enim mortem pro nobis ſuſcepit non conſideratione neceſſitatis ſibi impoſitæ, quòd non poſſet illam euadere; ſed mero affectu obedientiæ & charitatis in Patrem, & miſericordiæ in genus humanum. Vnde etiamſi nulla neceſſitate intrinſecus aut extrinſecus adſtrictus fuiſſet, nihilominus voluntatem Patris implere, noſque redimere voluiſſet.

Ex quibus perſpicuum eſt, electionem huius paſſionis & mortis, eiuſque executionem planè fuiſſe liberam, abſque vllo miraculo circa liberam Chriſti voluntatem, aut peculiarem corroborationem. Idem modus libertatis locum habet in omnibus Beatis.

187 *Quid ſi Deus omnes circũſtantias determinaſſet?*

Petes, Quid ſi Deus acceptationem huius paſſionis & mortis in particulari cũ omnibus circumſtantijs determinaſſet, & mãdaſſet, fuiſſetne tunc Chriſto libertas acceptãdi? Reſp. Eo poſito, Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis neceſſariò hæc omnia acceptaſſet, quia per amorẽ beatificum ad talẽ acceptationẽ fuiſſet determinatus; nec ea ſine miraculo ingenti potuiſſet impediri, aut ſuſpendi. Sed nec opus fuiſſet tali ſuſpenſione, præſertim cùm ea neceſſitas non ſit imperfectio, ſed magna perfectio. Verũ cùm illo actu quo neceſſariò acceptaſſet, potuiſſet coniungi alius actus re diſtinctus, quo eadem omnia acceptaret liberè. Etſi enim impoſſibile ſit, vt vnus idemque actus voluntatis ſit neceſſarius ſimul & liber, eò quòd voluntas non poſſit ſimul eſſe determinata & indeterminata ad eumdem actum: nihil tamen prohibet, quin duo actus, quorum alter ſit neceſſarius, alter liber, ſimul ſint in voluntate reſpectu eiuſdem obiecti; & idem obiectum ametur ſimul actu neceſſario & libero. Sic Beati etſi actu neceſſario ament ſemper Deum, poſſunt tamen eumdem amare actu libero, & ab eodem actu ceſſare, quando volunt. Cùm enim Deum ardentiſſimè ament, optant ei pluribus modis, & ſi fieri poſſet, infinitis, placere, gratificari, honorem & beneuolentiam exhibere. Itaque non eſt dubitandum, quin etiam in Chriſto Domino noſtro amor liber cum amore neceſſario, & acceptatio libera rei præceptæ cum acceptatione neceſſaria eſſe potuerit. Et ita potuiſſet interior ille actus acceptationis, qua parte liber, eſſe meritorius. Exterior tamen mortis perpeſſio eo caſu non videtur futura

fuisse libera; quia nullo modo potuisset omitti, cum per acceptationem necessariam ad illam fuisset determinatus.

An externa perpessio tunc fuisset libera.

Neque dici potest quòd simul fuisset libera & necessaria quatenus procederet simul ab acceptatione necessaria & libera: quia hę denominationes circa idem involuunt contradictionem. Libere enim fieri, includit posse absolute omitti, saltem spectata intrinseca voluntatis dispositione: Necessariò fieri, includit non posse omitti: quæ duo sunt contradictoria. Vnde etiamsi fingamus, externum opus procedere in solidum ex vtroque actu interno: tamen non poterit dici absolutè liberum; ac proinde nec absolutè meritorium, sed solum erit liberum & meritorium secundum quid, quatenus consideratur vt procedens ex actu libero. Verius tamen est, ipsa non processurum ex actu libero, sed solum ex necessario: & ita nullo modo meritoria erit externa illa perpessio, cum ab actu interno libero non informetur, nec vnum opus morale cum eo constituat. Neque mirum videri debet, si tali suppositione præcepti posita, sequatur opus quod non sit meritorium. Quare cum constet externam perpessionem fuisse summè meritoriam, non est admittenda talis suppositio. Hæc de dubio priore.

Alterum erat de nuda visione Dei, Vtrum per diuinam potentiam, semoto amore, ipsa per se reddat animam impeccabilem?

188 *An nuda visio reddat animam impeccabilem.*

Suppono per absolutam Dei potentiam fieri posse, vt quis clarè videat Deum, & tamè illum non amet actu, Deo nolente concurrere ad amorem. Hoc tamen nunquam factum est, neque vnquam fiet, esseque res violentissima, & maximè contraria naturali inclinationi, & impetui voluntatis. Non enim solum res vim patitur cum per aliquid positiuum impeditur a suo motu, ad quem pondus vel impetum habet: sed etiam cum per subtractionem alicuius, quod ei naturaliter erat debitum. Itaque cum posita visione concursus Dei ad amorem naturali ordine sit debitus voluntati, illo subtracto voluntas violentè impediretur ab illo motu, ad quem in actu primo summum habet impetum. Nihilominus vt magis explicetur vnde in Beatis proueniat impeccabilitas, quam Græci ἀναμαρτησίαν vocant; quæritur, Vtrum posito tali casu, visio redderet animam omnis peccati incapacem?

Respondeo breuiter, Omnino redderet. Ratio est; Quia ipsa visio constituit animam & voluntatem in eo statu, vt sit determinata ad amorem perfectum Dei; & consequenter ad fugiendum omne id quod Deo displicet: quam fugā perfectus amor includit. Vnde eadem determinatio extendit se ad vtrumque: sicut etiam eadem determinatio & inclinatio, quæ est *in finem*, extendit se ad media fini illi obtinendo vel conseruando necessaria. Et quamuis hæc determinatio non exeat in actum amoris, ob defectum concursus; tamen manet in actu primo, ac proinde impossibile est vt voluntas exeat in actum amori repugnantem, quale est omne peccatum: quia voluntas non potest se mouere contra vim & inclinationem determinationis. Quidquid enim repugnat amori Dei, etiam repugnat determinationi ad amorem, ita vt cum illa simul stare nequeat. Confirmatur: Nam hoc ipso quo aliquid ad aliquam formam vel qualitatem determinatum est, eo ipso est etiam determinatum ad negationem omnis formæ, & qualitatis illi repugnantis, vt patet in materia vltimò ad formam disposita.

189 Dices, Si voluntas posita visione determinetur intrinsecè ad amorem, vnde habet hanc determinationem? Non enim habet eam formaliter per visionem: quia visio non est in anima qua voluntas est, hoc est, qua inclinatio & pondus in bonum, sed qua intellectus est: neque etiam habet illam ab habitu charitatis; quia habitus voluntatis subsunt libertati voluntatis; neque etiam à seipsa, quia per se est libera.

Hæc determinatio est ex natura voluntatis, posita visione.

Respondeo, Voluntatem, posita visione, habere hanc determinationem, seu inclinationem necessitantem ad amorē Dei, ex natura sua. Ita enim natura eius instituta est, vt clarè ostenso summo bono (in quo omnis boni plenitudo) statim sit determinata & expedita in actu primo, vt toto impetu per amorem in illud feratur, eique inseparabiliter adhæreat: qui impetus tantus est, vt nec ab ipsa, nec vlla vi creata cohiberi possit, quin exeat in actū, nisi Deus concursum suum actui neget, vt dictum est. Itaque hæc determinatio non est aliquid additum naturæ voluntatis; sed est ipsa natura, seu naturale pondus voluntatis in suum bonum, ad quod fruendum ipsa est instituta. Sicut enim in bellis propositio & apprehenso bono aliquo sensibili, præsertim magno, appetitus earum per se determinatus est ad illius cupiditatem; ita clarè proposito summo bono, voluntas humana per se determinata est ad illius amorem. Sit hoc maximè ostendit illius excellentiam, vt quæ adeò sit sublimis & capax, vt nihil illi necessitatem adferre, nihil implere, nihil satiare possit præter bonum infinitum: & ipsa ad illud solum determinata sit, & necessariam inclinationem habeat.

190 *Voluntas est incompletè determinata ad amorem beatificū per naturam.*

Dices, Amor beatificus est supernaturalis: ergo voluntas non potest ad illum esse determinata per suam naturam, sed debet determinari per charitatem. Respondeo, Non dicimus, posita visione voluntatem ex natura sua esse determinatam completè ad amorem beatificum, sed ad amorem Dei in genere: hoc ipso enim quo videt Deum, determinata est ad illum amandum totis viribus quas habet, siue illas habeat per naturam, siue per habitum charitatis infusum, siue per auxilium supernaturale illi assistens. Per naturam itaque suam, posita visione, est determinata completè ad excellentissimum amorem Dei naturalē. Quia etsi destituta omni alio auxilio supernaturali, non posset illum tam sublimi amore complecti, quàm sit amor beatificus, necessario tamen illum amaret excellentissimo quodam amore naturali, in quem omnem suam vim expenderet.

Bonum supernaturale potest amore naturali amari, sed non condignè.

Nec refert quòd Deus visus sit bonum supernaturale: quia hoc nullo modo impedit, quin possit amari amore naturali; imò quo bonum est excellentius, eò magis idoneum vt viribus naturæ ametur: etsi eo modo non condignè & cōmensuratè obiecto (quia in re supernaturalitas actus constituit) amari queat. Itaque cum Deus sit bonum infinitæ excellentiæ, etiam infinitè quodammodò naturam voluntatis ad se trahet: ac proinde necessitatem amandi illi adferet. Ad amorem verò beatificum non est completè determinata, quia non habet completam inclinationem ad illum, etiam posita visione, sed incompletam, quæ debet compleri per habitum charitatis, vel per auxilium supernaturale assistens. Itaque posito habitu charitatis in voluntate, iam ipsa completè est determinata in actu primo ad amorem beatum, etiamsi desit concursus ad actum secundum.

DE

DE SVMMO BONO ET ÆTERNA BEATITVDINE HOMINIS.

LIBER TERTIVS.

De Beatitudine ſeu gloria corporis Beatorum.

LIBRO ſuperiore diximus de vnione mentis cum Deo, in quo conſiſtit animæ beatitudo, quibus actibus, & quomodo fiat: ſequitur vt hoc libro agamus de beatitudine, quam Beati obtinebunt in corpore. Ac primum occurrit hic quæſtio olim ſatis controuerſa, Vtrùm corpus, eiusque beatitudo ita ſit neceſſaria, vt ſine illa, animæ non ſint futuræ beatæ per vnionem cum Deo.

CAPVT I.

Vtrum animæ Sanctorum ſint beatæ ante communem corporum reſurrectionem?

Qui putarũt beatitudinẽ differri vſq; ad reſurrectionem.

IVSE hanc rem tractarunt Cardinalis Bellarminus, Gregorius Valentia, & Ioannes Salas; itaque præcipua tantum breuiter attingam. Quidam ex veteribus putarunt, beatitudinem animarum differri vſque ad tempus reſurrectionis, & interea eas detineri in abditis quibuſdam receptaculis & promptuarijs, donec reſumptis corporibus, ſimul coronam accipiant, & in cælum transferantur. Hanc ſententiam inſinuat Iuſtinus quæſt. 60. Ad gentes; & quæſt. 76. Ille tamen libellus non eſt S. Iuſtini martyris: Origenes homilia 7. In Leuiticum, & lib. 2. Περὶ ἀρχῶν ſub finem: & clarè tradit multis locis Tertullianus, vt oſtendit Pamelius in Prolegomenis, num. 9. Nuſquam tamen dicit Tertullianus animas illas non videre Deum, ſed ſolùm in loco amœno ſub terra detineri (quem Paradiſum & Sinum Abrahæ vocat), ibique refrigerium & conſolationem accipere, ſed reſumpto corpore plenius remunerandas. In eadem ſententia eſt Lactantius libro 7. Diuinarum inſtitutionum capit. 21. Euthymius in capit. 16. & 23 Lucæ, & multi alij Patres eamdem videntur inſinuare: pauciſſimi tamen dicunt eas non videre Deum. Hoc tamen apertè docuerunt Græci ſchiſmatici, vt conſtat ex Concilio Florentino ſeſſ. 1. & Armeni, vt refert Alfonſus à Caſtro De hæreſibus v. Beatitudo, hæreſi 6. & Anabaptiſtæ huius ſæculi, teſte Caniſio tomo 2. De corruptelis Verbi Dei, & Caluinus lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 6. vbi dicit ſtultum eſſe definire an animæ ſint in cælo, & gloria fruantur. Et mox poſt duos verſus definit, eas gloria non frui, ſeipſum ſtultitiæ condemnans. Hi omnes clarè docent, animas non videre Deum ante reſurrectionem. Denique in eadem ſententia fuit Vigilantius, quem refutat Hieronymus libro contra Vigilantium, pag. 2.

Anima Iuſtorum corporibus exutæ, ſi nihil purgandum habuerint, recipiãt eſſentialem beatitudinẽ.

2 Sed fide certiſſima tenendum eſt, Animas Iuſtorum corporibus exutas, ſi nihil purgandum habuerint; vel ſi quid tale habuerint, ſimul atque perfectè fuerint expiatæ, recipere eſſentialem beatitudinem, quæ in viſione & fruitione Dei conſiſtit, & in cælum admitti. Definitum eſt hoc dogma poſt longam diſcuſſionem habitam cum Cardinalibus, Prælatis, & viris doctis, à Benedicto 11. quem aliqui numerant Duodecimum anno Domini M.CCC.XXXVI. in Extrauag. quæ incipit, Benedictus Deus, vbi multa definit. Primò, *Quòd ſecundùm ordinationem Dei communem animæ Iuſtorum eorumdem quæ penitus purgatæ fuerint, poſt Aſcenſionem Chriſti recipiantur in Cælum, & conſortio Angelorum aggregantur.* Secundò, *Quòd omnes animæ talis videant diuinam eſſentiam immediatè, ſe benè, & clarè; & apertè illis oſtendente, idque à tempore mortis Chriſti.* Tertiò, *Quòd ſic videntes diuina eſſentia perfruantur.* Quartò, *Quòd tali viſione & fruitione illæ animæ ſint verè beatæ, & habeant vitam æternam & requiem.* Quintò, *Quòd viſio hæc infinita, eiuſque fruitus actum fidei & ſpei in eis euacuet.* Sextò, *Quòd poſtquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiua & facialis viſio & fruitio in eiſdem animabus, eadem viſio & fruitio ſine aliqua interruptione continuata exiſtet, & continuabitur vſque ad finale iudicium, & ex tunc in ſempiternum.* Septimò definit, *Quòd ſecundum ordinationem Dei communem animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox poſt mortem ſuam ad inferna deſcendunt, vbi pœnis infernalibus cruciantur.* Poſtremò ſtatuit, *Vt ſi quis contra aliquam ex hiſce determinationibus ſcienter & pertinaciter tenere, confouere, prædicare, docere, aut defendere verbo vel ſcripto præſumpſerit, contra eum ſicut contra hæreticum debito modo procedatur.* Vnde manifeſtum eſt, iſta omnia ad fidem pertinere.

Extrauag. Benedict. 12

Idem definitum in Concilio Oecumenico Florentino (cui Græci interfuerunt, & errorem ſuum correxerunt) ſeſſ. vltim. *Definimus* inquit Concilium, *illorum animas, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel ipſis exutæ corporibus ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & vnum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius.*

Idem tradit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. in decreto De veneratione Sanctorum, vbi docet, Sanctos, quorum reliquiæ ſunt in terra, *cum Chriſto regnare, & æterna felicitate in cælo frui;* & idcircò ipſos inuocandos, & eorum reliquias ac imagines venerandas: & hanc doctrinam mandat proponi populo per Epiſcopos.

Eamdem doctrinam tradit Innocentius Tertius capitul.

Apoſtolicam, de Presbytero non baptizato.

Probatur hæc doctrina Primò, Ex Scripturis Lucæ 23. 3 Dominus latroni ait: *Hodie mecum eris in paradiſo*, id eſt, in gloria & gaudio regni cælestis, vt passim exponunt Patres, Cyrillus catech. 13. Chryſoſtomus homil. 1. De Cruce & latrone, Ambroſius, & passim interpretes in hunc locum. Quòd enim *paradiſus* non possit ibi locum corporalem designare, videtur probari Primò, Quia Christus non ad locum aliquem amœnum, sed horridum mox descendit, nempe ad inferos, ibique triduo mansit: ibi tamen latro simul cum Domino in paradiso fuit. Secundò, Quia parum solatij animæ separatæ a corpore ex loco etiam amœnissimo accessisset. Tertiò, Quia latro petit vt Dominus ipsius recordetur, dum venerit in regnum suum, id est, cum regnum capesset (tunc enim solent Reges absoluere reos) vel cum accepto regno, veniet ad Iudicium: quod Græca videntur insinuare, vbi nõ habetur εἰς τὴν βασιλείαν σου sed ἐν τῇ βασιλείᾳ σου quasi dicas, Cum veneris accepto iam regno. Atqui Dominus multo præstitit amplius, vt inquit Ambroſius in hunc locum: non enim distulit in diem Iudicij, sed eodem die regnum promittit. Vtitur nomine paradisi potius quàm regni, vt insinuet per mortem suam nobis restitui, quod Adam amiserat. Denique Dominus promittit latroni perpetuam secum mansionem. Parum enim fuisset, vnum vel alterum diem esse cum Christo. Semper ergo ex eo tempore cum Christo fuit, ac proinde etiam cum illo cælum ascendit: cælum autem est Beatorum Deumque videntium sedes. Ideo enim Deus peculiari modo dicitur esse in cælo (cùm tamen sit vbique) quia in cælo se præsentem & conspicuum omnibus cæli ciuibus & habitatoribus exhibet, alijs verò non exhibet: hoc ipso igitur quo quis sit cæli ciuis, conspectus diuinæ faciei ei indulgetur. Vnde absurdè Caluiniſtæ, vt tollant limbum, statuunt animas Iustorum in cælo, quibus tamen negant visionem Dei. Ex quibus patet, *Paradiſum* ibi non accipi pro loco corporali, sed spirituali, nempe pro gaudijs cœlestibus, vel consortio Beatorum, vel pro ipso Deo, in quo omnes mentes beatæ per visionem & amorem habitant, & ineffabilem suauitatem & oblectationem hauriunt. Ipse enim est optimum & suauissimum Beatorum domicilium, ipse illis locus & mundus, & omnia. Mens enim magis est vbi amat, quàm vbi animat, vt quodam loco ait Augustinus: intelligentiæ & amoris locus est bonum & pulchrũ. Idem Augustinus libro 12. De Geneſi capit. 28. visionem Dei ait esse paradisum, in quem raptus Paulus. & cap. 34. Verbum Dei, in quo est lætitia Beatorum, esse *paradiſum paradiſorum*.

Probatur ex Scripturis.

Paradiſus.

2. ad Corinthios 5. *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis* τοῦ σκήνους (id est, tabernaculi) *diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cælis.* quasi dicat, Non conturbet nos, quod terrenum corpus nostrum, in quo tamquam in tabernaculo ad tempus hic degimus, dissoluatur: quia scimus nos habere firmum ædificium non manufactum & æternum ex Deo, in cælis. *Domum terreſtrem* (quam & tabernaculum vocat ob temporariam mansionem) opponit *ædificationi*, id est, firmo ædificio, & domui æternæ non manufactæ. vbi per *domum æternam* videtur intelligere mansionem cælestem, vel gloriam illam & claritatem, in quam veluti in domum lucidissimam ingrediemur: nam paulò ante videtur hanc domum vocare *æternum gloriæ pondus*. Vult ergo Apostolus statim dissoluta domo terrestri nos hanc gloriæ domum ingredi. Cui sententiæ faret, quod Apostolus dicat, habemus, quasi statim dissoluto corpore habeatur, nec sit diutius expectandum, sicut in veteri Testamento. Hæc expositio est probabilis, eamque sequitur S. Anselmus, S. Thomas, Lyranus, & quidam alij. Verum probabilius est, per domum æternam intelligi corpus immortale & gloriosum. Primo, Quia hoc magis pertinebat ad propositum. Hortatur enim fideles ad mortificationem carnis, & tolerantiam passionis corporalis, consideratione corporis immortalis & gloriosi, quod ipsis in cælis à Deo est præparatum. Nec obstat verbum habemus in præsenti; quia habemus in præparatione diuina suo tempore nobis reipsa donandum. Secundò, Quia hæc duo aptius inter se respondent, nempe corpus terrestre, in quo veluti tabernaculo ad breue tempus degimus; & corpus cæleste, in quo tamquam firmo ædificio æternum manebimus. Tertiò, Quia est magis consentaneum versiculis proximè sequentibus, vbi manifestè loquitur de gloria corporis, seu corpore glorioso. Hunc sensum amplectitur Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Valquez, Pineda, & P. Cornelius. quo posito hic locus non est efficax. Magis vrget id quod sequitur versu 6. eiusdem capit.: *Audentes igitur ſemper (ſcimus) ſcientes quoniam dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Sensus est, Audeamus nos exponere omnibus vitæ periculis, quia multo magis desideramus peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum, quam peregrinari a Domino, & manere in corpore. Vbi Apostolus hæc duo tanquam connexa, nempe peregrinari a corpore, & esse præsentem ad Dominum; item esse in corpore, & peregrinari à Domino: loquitur enim de iustis, in quibus nihil restat purgandum, quales sunt Martyres: agit enim de martyrio. Itaque apertè insinuat, iustos simul atque à corpore discesserint, esse præsentes ad Dominum: nisi enim statim præsentes essent, sed deberent expectare vsque ad communem resurrectionem, etiam peregrinarentur à Domino aliquot sæculis post mortem, simulque essent peregrini à corpore & à Domino, etiamsi pro Christo, morti se exposuissent: & ita cessaret illa ratio, cur hic se morti exponunt, quæ est vt statim sint præsentes ad Dominum. Non enim essent præsentes vsque ad communem resurrectionem.

Ad Philippenses 3. *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*, vbi insinuat, statim post dissolutionem iustos esse cum Christo: & hæc duo esse connexa, & necessario coniuncta. Indicat enim causam cur cupiat dissolui, nempe vt cum Christo sit. Porrò esse cum Christo, est Christo in gloria consociari iuxta illud Christi: *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Quibus verbis (vt rectè S. Augustinus) significatur, quòd *præmium* seu merces *operis quo Chriſto miniſtratur, ſit eſſe cum Chriſto*: atqui merces ministerij Christi est visio Dei, & summa beatitudo. Ergo esse cum Christo, est consociari Christo in visione Dei, & summa beatitudine: vt ibidem colligit Augustinus: *Quem*, inquit, *maiorem honorem accipere poterat adiuuatus, quàm vt ſit ei eſſe unitus, non æqualis factus diuinitati, ſed conformatus æternitati?*

5 *Eſſe cum Chriſto, eſt Chriſto in gloria conſociari. Ioan. 12. Tract. 51. in Ioan.*

Ad Ephesios 4. *Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem*, id est, duxit secum in cælum animas Sanctorum, quas e limbo liberarat, vt passim sancti Patres exponunt.

Actorum 7. Stephanus morte imminente ait: *Ecce video Cælos apertos*, insinuans cælum sibi patere, vnde addit: *Domine Ieſu accipe ſpiritum meum*, nempe vt tecum sim in cælo.

Ad Hebræos 9. docet Apostolus per Christi mortem nobis patefactum esse cælum anteà clausum. *Significante*, inquit, *Spiritu ſancto nondum patefactam* (id est, patefactam) *ſuiſſe viam Sanctorum* (id est, viam in cælum) *adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*: sed hanc patefactam, quando *Chriſtus per proprium ſanguinem in ſancta introiuit*. id est, quando Christus peracto sacrificio proprij corporis per crucem cælum ascendit. Hæc apertio per Christi mortem facta, velì scissione, quod sancta sanctorum occultabat, signata fuit, vt passim Patres docent.

Ad Hebræos 12. *Acceſiſtis ad Eccleſiam primitiuorum; qui conſcripti ſunt in cælis, & ſpiritus Iuſtorum perfectorum, & multorum millium Angelorum.* Hic aperte significat, congregationem *primitiuorum*, id est, Patriarcharum & Prophetarum, & *ſpiritus Iuſtorum perfectorum* esse in cælis cum frequentia innumerorum millium Angelorum.

Apocalyps. 6. Martyrum animabus dantur singulæ stolæ albæ, quibus gloria animæ designatur: vt communi consensu docent Patres. Augustinus serm. 11. De Sanctis: *Has ſtolas albas debemus intelligere mercedem Baptiſmi, præmium martyrij, mercedem æternorum, gaudium cæleſtis patriæ. Habent ergo ante reſurrectionem Sancti ſingulas ſtolas; quia in ſola anima æternis beatitudinibus adhuc perfruuntur. Veſtes autem accipiunt ſuas binas: quando receptis corporibus immutabiles erunt in anima, & incorruptibiles in corpore. De hoc Iſaias, In terra ſua duplicia poſſidebunt*, &c.

Gregorius in Psalm. *Miſerere*, in versic. *Auditui meo dabis*

gau-

gandium? Quidnam eſt, ſingulas illas ſtolas albas tribuere, niſi animabus earum æternæ beatitudinis immortalitatem reſtituere? Quid verò eſt, donec electorum numerus impleatur, requieſcere; niſi futuræ reſurrectionis gloriam expectare, in qua nimirum ſingulæ ſtolis albis accipient, quia immortalia & incorruptibilia corporum ſuorum veſtimenta reſumunt? Eodem modo hunc locum intelligunt ceteri.

Denique Apocalyp. 7. dicitur de his qui *amicti ſunt ſtolis albis* (de quibus ante cap. 6.) *quòd ſint ante thronum Dei, ſeruiantque die ac nocte in templo eius.* Atqui templum in quo thronus Dei eſt, cælum, Matth. 23. *Qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper illum.* Hæc breuiter ex Scripturis.

Secundo probari poteſt ex Concilio Florentino, & Tridentino, & ex definitione Benedicti XII. & Innocentij III. vt ſuprà oſtenſum.

Tertiò, Ex communi ſenſu Eccleſiæ, & omnium fidelium. 6 Eccleſia enim ſemper & vbique tempore noui Teſtamenti coluit Sanctorum feſta, quibus congaudet & gratulatur eorum triumphis & gloriæ, quam credit eos iam eſſe conſecutos in cælo: vnde & diem mortis eorum vocat Natalem, tamquam qui natum per mortem in veram & æternam ſint renati vitam, eumque lætitiæ ſignis celebrat. Præterea ad honorem illorum (etſi fine ſecundario) dedicat templa & altaria, dedicat ſtatuas cum diademate radiato, accendit lumina, quæ omnia ſunt ſigna gloriæ. Nihil enim horum fiebat Sanctis in veteri Teſtamento, eò quòd nondum eſſent in ſtatu gloriæ; ſed adhuc detinerentur veluti in carcere tamquam captiui, quibus non debentur tales honores: vnde etiam eorum obitus magno luctu celebrabatur, Geneſis 50. Rurſus eos inuocat, & ſuas preces ad illos dirigit: vnde ſupponit, eos preces noſtras audire, & tantæ apud Deum eſſe auctoritatis, vt poſſint nos iuuare. Atqui ſi nondum eſſent beati, nec fruerentur diuino conſpectu, non poſſent noſtras preces ordinarie cognoſcere: & quamuis cognoſcerent, non poſſent multùm iuuare, cùm adhuc tam longè a ſummi Imperatoris aula, & ab intima eius amicitia & familiaritate abſint, & quodammodo in exilio detineantur: quam ob cauſam animæ Sanctorum in veteri Teſtamento non inuocabantur.

Probatur ex communi ſenſu Eccleſiæ.

His accedit, quòd Eccleſia in multis ſacræ Liturgiæ precibus apertè cõfiteatur, eas æterna beatitudine frui, & cum Chriſto in cælis regnare, vt eo nomine beneficia ab illis impetret: vt patet in Miſſa ſancti Gregorij, 12. Martij, Sancti Leonis, 28. Iunij, Sancti Franciſci de Paula, 2. Aprilis, & cetera.

Quartò probari poteſt ex Patribus tum Græcis tum Latinis, qui omnes, exceptis paucis, ſunt in hac ſententia. 7

Ex Patribus.

S. Clemens Romanus lib. 8. Conſtitut. Apoſtol. capit 41. in Oratione pro defunctis: *Collocatum* (defunctum) *in ſinu Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum; vbi non eſt trè ſtitia, neque dolor, neque gemitus, ſed cætus piorum & lætantium, & terra beata veliorum videntium gloriam Chriſti tui, &c. Videre gloriam Chriſti*, eſt videre eius diuinitatem: & *terra beatorum* eſt cælum.

S. Dionyſius Areopagita de Eccleſ. hierarchia capit. 7. part. 3. de eadem re ſic ſcribit: *Diuinarum precum ſymnica & lectiones* (quæ nimirum ſuper defunctum fiunt) *explicant beatiſſimas ſedes, in quas ſuo ordine conſtituentur, qui ſuæ ſortis obtinent*; Sic enim vertendum illud μακαρίων τὸν λῆξιν. Λῆξις enim ſedem & hæreditatem, quæ alicui ſorte accidit, deſignat. Idem infrà indicat cùm ait Pontificem rogare, vt Deus conſtituat defunctum *in luce, in regione viuentium, in ſinu Abraham, Iſaac & Iacob, vnde fugit dolor, & mœror, & gemitus*. Itaque ex ſententia Dionyſij, anima defuncti, ſi pura fuerit, ſtatim conſtituitur in ſedibus beatiſſimis & ſempiternis, & in regione viuorum: & conſequenter in cælo: nullæ enim ſunt alibi ſedes beatiſſimæ & ſempiternæ. Idem Dionyſius paulò infrà: *Iſta ſunt beatiſſima Sanctorum præmia. Quid enim immortalitati eius inferiora valeat, plenæque lucis conferre queat?* Deinde addit, illa præmia ſuperare omne eloquium, omnemque noſtram intelligentiam, & de illis dictum, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe*. Ex quibus patet, illum loqui de ſuprema beatitudine, quæ in viſione Dei conſiſtit. Vbi aduertendum, Dionyſium & Clementem loqui de Oratione iam tũ pro defunctis fieri ſolita, quæ Oratio habetur in Liturgia S. Iacobi. *Sinum Abrahæ*, Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum vocant locum, in quo nunc illi Sancti, qui eſt ipſum cælum. Olim tempore veteris Teſtamenti alibi erat *Abrahæ ſinus*. Lucæ 16. Vide Hieronym. epiſtol. 3. cap. 3. *Sinus Abrahæ.*

S. Ignatius epiſtol. ad Romanos: *Nihil deſiderem viſibile, vt mihi non fruibile, vt Ipſum Chriſtum conſequar*: Græcè ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω, id eſt, vt Chriſti conſpectu & præſentia fruar. Et infrà optat omnia tyrannorum & diabolt tormenta in ſe venire, *vt Chriſtum conſequatur*. Et infrà: *Sinite me purum lucem percipere; cùm venero, homo Dei ero. Lucem purum* vocat lucem alterius ſæculi, quæ nullis vnquam nebulis intercipitur, quam lucem gloriæ vocamus; vel certè ipſam lucem increatam. Rurſus paulò inferiùs: *Meus amor crucifixus eſt, nec eſt in me ignis qui quæpiam amet: ſed aqua viua quæ exiit, mihique intus ſecum dicit: Veni ad Patrem*. Ego per martyrium ſtatim erat ad Patris conſpectum venturus.

Iuſtinus Martyr. quæſt. 75. ad Orthodoxos, vel quiſquis eſt auctor illius operis; *Poſt exitum animarum è corpore illico iuſtè ab iniquis ſeparantur: adiacentia enim ab Angelis ad condigna ſibi loca. Ac iuſtorum quidem animæ in paradiſum, vbi conſuetudine & aſpectu fruuntur Angelorum & Archangelorum; viſione quoque ipſius Saluatoris Chriſti, iuxta illud: Peregrè abſumus a corpore, & præſentes abſumus ad Dominum.* Vbi aperte indicat, *paradiſum*, in quo ſunt animæ iuſtorum, eſſe in cælo: ibi enim ſunt Angeli & Archangeli, ibi Saluator noſter, & Domini præſentia. Vnde quod ait quæſtione 76. operum mercedem non obtingere ante reſurrectionem, intelligendum de plena mercede, qua etiam corpus gloria donabitur. 2. Cor. 5.

Irenæus lib. 1. contra hæreſes cap. 2. dicit, *Iuſtis quibuſdam* (nempe qui nihil purgandum habent) *ab initio inceptalem loco muneris conferri, & eſſe mansionem eorum qui ſe deum ſequuntur: aliis ex pœnitentia.* Hic manifeſtè cenſet, animas perfectorum ſtatim à morte eſſe beatiſſimas, perfectorum, vbi plenè purgatæ fuerint per dolores purgatorij. Nec obſtat quòd libro 5. capit. 31. dicat animas abire in *locum inuiſibilem* definitum à Deo, & ibi manſuras vſque ad reſurrectionem: non enim per locum inuiſibilem intelligit locum inferiorum, cùm ibidem dicat Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, vt animas Iuſtorum inde extraheret & ſaluaret, ſed partem aliquam regionis cæleſtis nobis ignotam: valliſſimæ enim ſunt cæli regiones. 8

Cyprianus De mortalitate fusè & eleganter oſtendit, Iuſtos hinc excedentes *ſtatim paradiſo & regno cæleſti reſtitui*. illic Iuſtorum cœtus triumphare, & nos expectare: idcircò illuc properandum, & alacriter hinc diſcedendum.

Euſebius Cæſarienſis: *Sanctli Martyres in ipſo cælo & paradiſo diuinis deliciis perfruuntur.*

S. Athanaſius in Vita S. Antonij; refert Antonium vidiſſe Ammonis animam Angelis comitatam ad cælum pergere. Idem refert Sozomenus lib. 1. cap. 14.

Hilarius in Pſal. 124. *Super terrenam naturam glorioſi ſumus in cœleſtibus Dei exultantes.* Loquitur de Apoſtolis. Vide eumdem in Pſalmum 64.

Ambroſius Epiſtol. 59 de S. Acholio: *Eſt igitur Acholius iam ſuperiorum incola, poſſidet ciuitatis illius æterna Ieruſalem, quæ in cælo eſt. Videt illic vrbis eius muri ſummum ſummum; panum aurum, lapidem pretioſum, lumen ſine ſole perpetuum.* Epiſtol. 85. dicit, *Protaſium & Gerualium eſſe plenos luminis & fulgoris æterni:* eorum corpora in terra, animas eſſe in cælo.

Hieronymus epiſtol. 24. De obitu Lex: *Nunc probrem Libere æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris, Abrahæ ſinibus conſeritur, Chriſtum ſequitur, & dicit: Quæcumque audiuimus, vidimus in ciuitate Domini virtutum.* Vbi notandum, cælum vocari *Abrahæ ſinum*; quomodo etiam Clementem & Dionyſium locutos diximus: quibus adde Gregorium Nazianzenum Orat. 10. in Cæſarium. 9

Baſilius homil. 20. in XL. Martyres: *Vos non terra contexit, ſed cælum excepit*, &c.

Gregorius Nazianzenus Orat. 11. in laudem Gorgoniæ: *Equidem non dubito, quin ijs quæ oculis cernuntur, multò præſtantiora ſint ea quibus nunc frueris, nempe Angelorum chorus, cœleſtis ordo, gloria contemplatio, ſuprema Trinitatis pa-*

rior

sior & perfectior illuminatio, totam se toti menti contemplandam & tenendam præbentis. omnino, inquam, his fruetur. Vide eumdem Oratio.

Epiphanius hæres. 78. *Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio hæc in perfectione, fors ipsorum in beatitudine, tripudium cum Angelis, diæta in cælo, conuersatio in diuinis Scripturis, gloria in honore incomparabili ac perpetuo, brauium in Christo Iesu Domino nostro.*

Gregorius Nyssenus Orat. in magnum Meletium: *Non amplius per speculum & ænigma, sed facie cum facie collata inter eadem apud Deum.*

Chrysostomus ad capitul. 12. Ioannis: *Vbi ego sum, inquit Christus, illic & minister meus erit. Vbi Christus in cælis. Ergo ante resurrectionem illuc anima & mente transferimur.* Idē sermon. 3. in Epistol. ad Philippenses in morali digressione: *Peccatores vbi sunt? procul à Rege sunt. Iusti autem sunt hic, sine vbi, cum Rege sunt: atque ibi multò magis ac propius, non quasi interiecto quodam vestibulo; non per fidem, sed facie*, inquit, *ad faciem.*

S. Augustinus libro 26. De Ciuitate, capit. 13. *Animæ victrices gloriosissimorum Martyrum, postquam mortalia membra posuerunt, cum Christo vtique regnauerunt, & regnant, donec finiantur mille anni, vt posteà receptis etiam corporibus iam immortalibus regnant.* Idem sermon. 11. de Sanctis. Vide supra num. 5.

Idem docent omnes Doctores posteriorum sæculorum, quos breuitatis causa omitto.

Quinto probatur Ratione. Primò, Anima corpore soluta capax est diuinæ visionis non minùs quàm erit posteà corpore resumpto. Non enim corpus vllo modo iuuat ad Dei visionem, cùm hæc non fiat conuersione ad phantasmata, sed maximè mentem ab illis abstrahat. Ergo completo huius vitæ cursu si anima sit omnino pura, nihilque restet expiandum, nulla est ratio cur differatur. Confirmatur, Quia visio Dei proposita est, & tamquam merces laborantibus, iuxta parabolam Domini Matth. 20. & tamquam brauium currentibus in stadio, iuxta illud Apostoli: *Sic currite vt comprehendatis.* Atqui merces statim completo labore debetur laborantibus, adeò vt Dominus Leuit. 19. præcipiat ne in posterum quidem diem illam differri, dicens: *Non morabitur opus mercenarij* (id est, merces operis) *apud te vsque manè.* Similiter corona seu brauium statim debetur completo cursu, vel certamine. Ergo similiter visio Dei statim debetur post mortem, in qua labor, & cursus, & certamen huius vitæ completur. Accedit quòd sit tot sæculis differretur, & animæ interim in aliquo loco amœno detinerentur, magnam ex ea dilatione sentirent molestiā. *Spes enim qua differtur, affligit animam.* Obtenta verò Dei visione, facilè ferunt differri gloriā corporis: quia in illa summum bonum possident.

Secundo, Angeli statim in termino merendi beatitudinem acceperunt. Atqui in hominibus terminus merendi est mors; ergo statim post mortem, si nihil restet expiandū, beatitudinem animarum accipiūt, postquam eius solutum est pretium, & cælum Christi morte est reseratum; est eadem vtrobique ratio.

Tertiò, Animæ impiorum statim recipiunt mercedem malorum operum, iuxta illud Iob 19. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Lucæ 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Ergo etiam animæ piorum statim accipiunt mercedem operum bonorum. Deus enim est promior ad beneficentiam, quàm ad vindictam, & ad conferendum præmium, quàm ad inferendum supplicium.

Supersunt nunc aliquot obiectiones dissoluendæ.

Obijcitur ex lib. 4. Esdræ cap. 4. vbi dicitur: *Animas Infernum interrogasse in promptuarijs suis, dicentes: Vsquequo spero sic? Et quando veniet fructus aræ mercedis nostræ?* Et respōsum est eis: *Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis*, id est, numerus Sanctorum. Simile quid insinuatur Apocalyp. 6. vbi Ioannes vidit illas sub altari, & iubentur quiescere donec impleatur numerus fratrum.

Respondeo, Locum illum Esdræ intelligendum esse de Sanctis veteris Testamenti, qui eo tempore quo ista sunt scripta, vsque ad Christi mortem fuerunt extra cælum in promptuarijs à Deo præparatis sub terra. Quærunt de tempore resurrectionis & plenę mercedis, vt patet ex metapho ra aræ. Addo, hunc librum non esse canonicum.

Locus Apocalypsis apertè agit de animabus Martyrum, quæ sunt in cælo, & acceperunt singulas stolas: nam & altare illud erat in cælo. Et cap. 7. dicuntur *esse ante thronum Dei, & seruire in templo eius die ac nocte.* Quomodo Ioannes ea viderit sub altari, pulchrè explicat Ribera in cap. 6. Apocalyps.

Obijcitur Secundò Matth. 20. Omnes operarij simul mercedem accipiunt, idque ad vesperam tantùm, id est, in fine sæculi. Et Scriptura passim indicat, coronam iustorum seruari in diem Iudicij 2. ad Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex*, 1. Petri 5. *Cùm apparuerit Princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

Respondeo, Illis locis significari, in fine sæculi vltimam mercedem conferendam, itaque publicè coram toto mundo cum summa solennitate, sicut solent coronæ distribui ijs qui certaminibus fuere victores. De hac remuneratione passim loquitur Scriptura, tum vt sæpe nobis inculcet illum diem nouissimum, eumque semper habeamus ob oculos; tum quia occulta illa & spiritalis remuneratio quæ fit singulis in morte, non ita apprehenditur ab hominibus. Vide Chrysost. hom. 18. in Epist. ad Hebræos.

Obijcitur Tertiò, ad Hebræos 11. dicitur, Sanctos veteris Testamenti *non accepisse repromissiones, vt non sine nobis consummarentur.* Confirmatur, 1. Ioannis 3. dicitur: *Cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo antequam appareat, eum non videbimus.

Respondeo Paulus tantum vult significare, illos non accepisse gloriam animæ ante tempus noui Testamenti; & gloriam corporis ac plenam mercedem nobis promissam non accepturos ante communem resurrectionem, & ita non habituros consummatam beatitudinem sine nobis. Ad confirmationem: Quidam illum locum sic explicant: *Cùm apparuerit*, nempe quid erimus, hoc est, cùm gloria quam habituri sumus, quæque modò abscondita est, apparuerit, id est, nobis collata fuerit; tunc erimus similes Deo, quia videbimus eum sicuti est: hoc autem fiet statim post mortem si anima sit pura. Sed contrà: Quia illa gloria, quæ tunc animæ confertur, *non apparet*, id est, non fit manifesta cuiquam alteri nisi Angelis, sed est occultissima: Apostolus autem loquitur de gloria, quæ toti mundo (quā modò filios Dei non agnoscit, vt versu præcedente dixerat) fit manifesta: itaque loquitur de apparitione Christi in Iudicio, de qua paulò ante mentionem fecerat. Sensus ergo est: Nunc quidem sumus filij Dei, sed nondum apparuit gloria, quam habitum sumus. Hæc verò apparebit, cum Christus apparuerit. Tunc enim apparebimus illi similes gloria, quæ nobis ratione visionis beatæ præstabitur. Similis locus est ad Colossenses 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos cum Christo apparebitis in gloria.* Itaque visio beata est ratio cur Christo erimus similes in gloria tum animæ tum corporis; sed hæc similitudo non erit mundo manifesta, priùs quam Christus manifestetur. Hinc tamen non sequitur, nos antecà non visuros Deum, aut non futuros similes quoad animam.

Obijcitur Quartò Sanctus Chrysostomus homilia 39. in 1. Epistol. ad Corinth. *Quamuis decies millies anima sit immortalis, tamen sine carne admirandis illis bonis non fruetur.* & Sanctus Ambrosius libr. 2. de Cain & Abel, capitul. 2. *Soluitur à corpore anima, & post finem huius vitæ adhuc futuri Iudicij ambiguo suspenditur.* Hilarius in Psalm. 138. in illum versiculum: *Si descendero in infernum, ades. Humana illa lex necessitatis effecit sepultis corporibus, ad inferos animas descendāt, quam descensionem Dominos ad consummationem veri hominis non recusauit.*

Respondeo, Chrysostomum ibi probare carnis resurrectionem, & animam non esse coronandam in æternum sine carne. Cùm enim caro fuerit consors laboris, debere eam suo tempore etiam mercedis consortem esse. Ambrosius indicat animam ambiguo Iudicij suspendi, quia tempus ignorat, & quamuis habeat finem viuendi in corpore, non tamen habet finem expectandi resurrectionem. Hilarius loquitur de tempore veteris Testamenti; nam alibi satis apertè docet, animas Sanctorum esse in cælo: vt in Psalm. 60. 64. 124. vt suprà ostensum.

Obijcitur Quintò ex D. Augustino libro 9. Confessionum

10 *Ratione probatur.*

Prob. 13.

11 *Ad rationes obiectiones ex Scripturis.*

12 *Obiectio ex Patribus.*

num, capitul. 3. *Vinit Nebridium in ſinu Abrahæ, quidquid illud eſt, quod ille ſignificatur ſinu.* Et in Enchiridio capitul. 103 *Tempus quod inter hominis mortem & vltimam reſurrectionem repoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut quæque digna eſt requie vel æruinna.* Et libro 12. de Ciuit. capit. 9. *Pars illa Ciuitatis Dei, quæ coniungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc vt multi alibi peregrinatur in terris, vel in eis qui mortem obierunt ſecretis animarum receptaculis, ſedibuſque requieſcit.* Et in Pſalm. 36. *Poſt vitam iſtam nondum eris, vbi erunt Sancti, quibus dicetur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum non vbi eris, quis neſcit? Sed tam poteris eſſe vbi quoddam illum vlceroſum pauperem diues ille ſuperbus vidit requieſcentem. In illa requie ſecurè expectabis Iudicij diem, quando recipies corpus: quando immortale, vt Angelis æquaris.*

Reſpondeo, Ex iſtis locis, præſertim ex vltimo, manifeſtum eſt, Auguſtinum aliquando fuiſſe dubium de loco animarum, & aliquando putaſſe eas non recipi in cælum ante reſurrectionem, ſed manere alicubi extra cælum. Poſtea tamen mutauit ſententiam, & ſtatuit eas in cælo. Nam libro 20. De Ciuitat. capit. 13. dicit *eas regnare cum Chriſto.* Atqui Chriſtus eſt in cælo. Et eodem libro capitul. 15. dicit *bonas fidelas inferos neſcire, ex quo ſanguis Chriſti animas ſanctos ex inferis eruit.* & libro 2. Quæſt. Euang. capit. 38. *Sinus Abrahæ requies eſt beatorum pauperum, quorum eſt regnum cælorum, in quo poſt hanc vitam recipiuntur.* Et ſerm. 11. de Sanctis dicit *eas frui cæleſtibus gaudijs.* Et capitul. 13. Meditationum: *Felix anima, quæ terreno reſoluta corpore, libera cælum petit habet præſentem, cernitque indeſinenter pulcherrimum Dominum, cui ſeruit, hanc tanta beatitudinis gloriam nulla dies minuet.*

Quamdiu Auguſtinus de loco dubius fuit, prudenter ei viſum eſt vti voce generali, dicendo eas eſſe in *abditis receptaculis*, qua etiam cælum poſſet comprehendi. De viſione autem Dei numquam dubitauit. Qui enim Moyſi eam tribuit & Paulo in vita mortali, etſi ad breue tempus, vt patet epiſt. 57. & 112. quomodo illam deneget Sanctis corpore ſolutis? Putauit tamen eas non tam perfectè videre Deum, quàm Angeli modo vident, idque propter corporis deſiderium. Qua de re infrà dicemus.

Sexto obijcitur ex S. Bernardo ſerm. 3. de omnibus Sanctis: *In illam beatiſſimam Dei domum anima nec ſine nobis introibunt, nec ſine corporibus ſuis.* Et ſerm. 4 de omnibus Sanctis dicit, Chriſtum animas Sanctorum è ſinu Abrahæ eductas collocaſſe ſub altari, id eſt, ſub humanitatis ſuæ contemplatione, & in die Iudicij eas collocaturum ſuper altare, quia videbunt aliquid ſuperius humanitate, nempe diuinitatem cuius aſpectu beatæ erunt.

Reſpondeo, Per *beatiſſimam Dei domum* intelligit Bernardus conſummatum beatitudinis ſtatum, vt patet expendenti præcedentia & ſequentia. Putat enim Bernardus, animas Sanctorum ante reſurrectionem videre quidem Deum, ſed non perfectè: impediri enim deſiderio corporum, & quaſi corrugari, ne omnino ſe in diuinitatis contemplationem explicent. Qua in re pulchrius quàm verius ludit, accommodans Scripturas ad ſuam ſpeculationem. Itaque dicit eas nondum eſſe in beatiſſima illa Dei domo, ſed in atrijs, hoc eſt, in contemplatione & ſtatu non omnino perfecto, donec reſumant corpora. Alter locus Bernardi eſt difficilior. Dici poteſt, illum ſic loqui, quia putat diuinitatem ante reſurrectionem non videndam omnino clarè, ſicut videtur humanitas. Locus ille Apocalypſis nullo modo fauet ſententiæ Bernardi, vt benè oſtendit Ribera. Quòd autem animæ Sanctorum in cælo ſint, & Deum aliquo modo videant, multis locis docet Bernardus ſermon. in Vigilia ſanctorum Petri & Pauli: *Quàm potentiores ſunt Petrus & Paulus in cælis, qui tam potentes fuerunt in terris?* Et infra: *Felici martyrio regna cæleſtia conſcenderunt.* Et ſermon. 2. in feſto Petri & Pauli: *Quid non poterunt venientes hodie in æternum ſaluante cum ipſo?* Sermon. 2. de S. Victore: *Anima eius in bonis demorabitur. Quæris vbi? Cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cælorum.* &c. Item ſerm. de obitu Vmberti, ſerm. de S. Malachia, epiſt. 266.

13 *Ioannes Papa ſimus ſecundus non definiuit.*

Poſtremo obijcitur, quod Ioannes XXII contrarium dicatur definiuiſſe, & Pariſienſibus mandaſſe vt ita docerèt, nec vllum admitterent ad gradum Theologiæ, niſi iuraret in eam ſententiam. Ita refert Occam in Opere nonaginta dierum, & Ioannes Gerſon in ſerm. de Paſchate, & Adrianus in 4. de Sacramento Confirmationis, pag. vlt.

Reſpondeo, Falſum eſſe, Ioannem id definiuiſſe: nam Benedictus XI. ſucceſſor Ioannis aperte teſtatur in Bulla ſupra citata, *Quòd cum eſſet magna concertatio de hac re. & Ioannes XXII. ad deriſionem conſertationum huiuſmodi ſe poneret, in ſuo Conſiſtorio publicè mandando, & ſtrictius iniungendo Cardinalibus & Prælatis, & Magiſtris in Theologia, qui plurimi aderant, vt ſuper materia De viſione prædicta quando requirerentur ab eo, deliberatè quiſque diceret, quid ſentiret: tamen morte præuentus perficere non potuit.* Vnde patet; non ſolum falſum eſſe quod ait Occam, Ioannem id definiuiſſe, ſed etiam quod præceperit Pariſienſibus vt ita docerent. Si enim ſtrictius omnibus iniunxit, vt dicerent quod ſentirèt; ergo neminem ante definitionem coegit ita docere. Neque mirum id ab Occamo Ioanni impoſitum, quia erat hoſtis Ioannis, & defenſor Ludouici Bauari quem Ioannes depoſuerat. Ab Occamo deceptus Gerſon & aliquot alij. Dederat Ioannes occaſionem huic figmento: quia in illam ſententiam propendebat, & illam veriorem exiſtimabat. Verum ſcribitur ipſe quoque ante mortem ſuam ſententiam retractaſſe. Id enim teſtatur Marſilius in 4. quæſt. 13. art. 3. & Ioannes Villanus lib. 11. de rebus Florentinorum, capit. 19. quòd ex fratre ſuo, qui in palatio Pontificis Auinione morabatur, ſcribi ſe acceperit.

Ex his patet, certiſſima fide tenendum, animas Iuſtorũ, in quibus nihil expiandum, ſtatim à morte cælum conſcendere, & clarè diuinam eſſentiam intueri: & hanc ſemper fuiſſe Eccleſiæ Catholicæ doctrinam.

CAPVT II.

An corpore reſumpto animæ clarius ſint viſura Deum, quàm antè?

14 SVpereſt nonnullum dubium inter Doctores, An æquè clarè & perfectè Deum videant & ament ante reſurrectionem, atque poſtea viſuræ & amaturæ ſunt? Quidam negant, eo quod putent eas deſiderio corporis retardari, ne tota intentione ferantur in Deum. Ita S. Auguſtinus li. 12. De Geneſi ad litteram, cap. 35. *Dubium*, inquit, *non eſt & raptum à carnis ſenſibus hominis mentem, & poſt mortem ipſa carne depoſita, non ſic vtcunque poſſe incommutabilem ſubſtantiam, id eſt, Deum, ſicut ſanctis Angelis videri: ſine alia tertiani cauſa, ſine ideo, quia ineſt ei naturalis quidam appetitus corpus adminiſtrandi, quo retardetur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud ſummum cælum, quamdiu non ſubeſt corpus, cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.* Hic putat hanc ſuam ſententiam eſſe certam, & aſſignat rationem ex deſiderio corporis.

Idem planè ſenſit S. Bernardus ſerm. 3. de Sanctis, vt ſupra diximus. Eadem ſententia placuit Magiſtro in 4. d. 49. & quibuſdam Scholaſticis ibidem, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Richardo, præterea Marſilio in 4. q. 13. ar. 3. & Henrico Quodl. 7. q. 6.

15 *Animæ Sanctorum non videbunt Deum clarius poſt reſurrectionem corporum.*

Sed longè probabilius eſt contrarium, nimirum animas Sanctorum nec clariùs aut expeditius viſuras, nec perfectiùs amaturas Deum poſt reſurrectionem corporũ, quàm antè. Ita S. Thomas re melius expenſa 1. 2. q. 4. art. 5. cum Caietano, & tota ſua ſchola, Durandus, Paludanus, Maior, & alij in 4. d. 49. eſtque communis hoc tempore.

Probatur primo, Quia hæc ſententia eſt magis conformis definitioni Benedicti XII. vbi dicitur, *Viſionem Dei quam accipiunt anima ſtatim poſt mortem, continuari vſque ad finale Iudicium, & inde in æternum.* Quod ſolum continuatur, non creſcit.

Secundò, Quia viſio illa debet eſſe commenſa lumini gloriæ: atqui lumen gloriæ non creſcit per reſumptionem corporum, ergo nec viſio.

Corpus per ſe potiùs impedit quàm iuuet ad viſionem.

Tertiò, Si anima corpore exuta non tam perfectè videre poteſt Deum, quàm coniuncta, vel id prouenit ex eo quòd corpus aliquid conferat ad illam viſionem; vel ex eo quòd eius deſiderio diſtrahatur; vel ex eo quòd habeat imperfectius eſſe extra corpus quàm in corpore, vt quidam dixerunt. Sed nihil horum hic locum habet. Non primum. Tantùm enim abeſt, vt corpus poſſit aliquid conferre ad viſionem Dei, vt eam maximè videatur impedire, ſi res humano iudicio æſtimetur. Ratio eſt, Quia viſio illa eſt ſublimiſſima

missima & maximè spiritalis, nec ad eam vllo modo phantasmata seu idola corporalia iuuare possunt. Atqui experimur animam corpori coniunctam nihil posse apprehendere nisi adminiculo idoli corporalis. Sicut enim per coniunctionem cum corpore quodammodo corporatur & crassescit; ita nihil nisi per modum rei corporalis potest apprehendere. Hinc Platonici senserunt, omne corpus fugiendum; vt refert S. Augustinus lib. 22. De Ciuit cap. 26. Vnde quando rapitur ad sublimem cognitionem spiritalium, debet abstrahi à sensibus & commercio corporis, & patitur extasim, vt etiam sanctus Augustinus fatetur lib. 12. De Genesi cap. 35. quo fit vt nec angelicam naturam cognoscere possit, nisi abstrahatur à sensibus.

Non impeditur desiderio corporis.

Non secundum. Vel enim hoc desiderium est actus elicitus, vel solùm est naturalis inclinatio, & aptitudo ad corpus. Si solùm est naturæ inclinatio: hæc non potest impedire operationes animæ, cùm non sit aliquis actus distrahens mentem, sicut cogitatio & amor rerum terrenarum: sed aliquid potentiale; sicut inclinatio accidentis ad subiectum, non impedit eius operationem, etiamsi ipsum à subiecto sit separatum, vt patet in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento. Si verò sit actus elicitus, vt volunt Augustinus & Bernardus, vel hoc desiderium est in animarum sanctarum potestate, ita vt possint illud comprimere, vel non est in potestate. Si possunt comprimere, sanè magnâ reprehensione dignæ sunt, & grauiter peccant, quòd illud non comprimant; sub lita inordinatè afficiantur suis corporibus, vt malint pati dispendium magnæ partis suæ beatitudinis, & videre, amare, ac frui Deo imperfectè, quam amorem corporum in se compescere? Quod si in hac vita, vbi tanta est naturæ infirmitas, reprehensibile est ita alicui rei creatæ, quantumuis excellenti, voluntariè inhærere, vt non possis perfectè contemplari & amare Conditorem: quantò magis id est reprehensibile in altera vita, vbi tanta facilitas & donorum diuinorum abundantia? Deinde quid animas illas mouet, vt tantopere corpora sua desiderent? An fortè quòd ex eorum absentia graue incommodum sentiant? sicut nudus desiderat vestem, quia eius inopia patitur frigus. Quòdnam ergo est illud incommodum quod animæ per absentiam corporum sentiunt? An quòd commodum & bonum maius desiderent? Magnum enim accedet illis lucrum per corpus gloriosum. Esto, desiderent corpus gloriosum: Sed cur tanto ardore, & tam impatienter in illud ferantur, vt non possint tota libertate ferri in Deum? Cur non acquiescunt iustissimæ Dei ordinationi, quæ statuit resurrectionem ad breue tempus differri? Si acquiescunt, cur desideria sua non moderantur vt hæc illis non sint impedimento in contemplatione & amore Dei? præsertim cùm incomparabiliter melior sit contemplationis & amoris perfectio quam amittunt, dum ea non moderantur; quàm corpus gloriosum quod desiderant?

Si dicas, hoc desiderium esse ita vehemens, vt non possit comprimi: id etiam est incredibile. Nihil enim est quod necessariò trahat voluntatem, præter summum bonum clarè visum. Deinde in hac vita omnis amor boni creati, per gratiam Dei potest impugnari, vel ita comprimi, vt nobis in amore boni increati non sit impedimento. Ergo multò magis in altera, vbi maxima gratiæ abundantia. Præterea si ille amor corporum est necessarius, ita vt non possit cohiberi; vel patiuntur illum inuiti, vel libenter. Si inuiti, sunt miseri, vt qui patiantur affectus rerum creatarum contra suam voluntatem. Si libenter, sunt reprehensibiles, quòd placeant eis impedimenta tanti boni; suntque mancipia suorum affectuum, &c. Denique lumen gloriæ vehementissimè mentem in Deum, vt pote bonum infinitum, trahit; & consequenter cessare facit omnes affectus aliquo modo repugnantes perfectissimæ visioni, & amori. Hinc fit vt nullo modo peccare possint, aut vlli rei inordinatè affici, nec quidquam possit eas detinere, quò minùs toto impetu in Deum ferantur: immo tantum boni in Deo inuenient, & sic in eius fruitione acquiescunt, vt cetera omnia quæ ad commodum ipsorum pertinere videntur, ipsius comparatione nihili ducant. Itaque moderatissimè ferunt hanc separationem; & si Deo placeret, paratæ essent eam ferre in æternum, nec inde aliqua molestia afficerentur. Pluris enim faciunt sanctissimam ipsius voluntatem, quam omne suum commodum, præsertim cùm ipse Deus ad omne gaudium illis sufficiat.

Ex quibus perspicuum est, desiderium corporum nullo modo obstare, neque efficere vt vel minùs clarè, vel minus expeditè Deum contemplentur. Quod enim nihil affert impedimenti, non potest facere actionem minùs expeditam.

17 Non habet perfectius esse in corpore.

Sed neque tertium obstat. Falsum enim est, animam in corpore habere perfectius esse, quàm extra corpus. Semper enim æquè perfectum est in se, siue communicetur corpori, siue non; licet in corpore magis sit extensum, vtpote alteri communicatum: & habet in corpore nouum modũ, qui est inexistentia, quo caret cùm est extra corpus. Verùm ille modus nihil iuuat ad visionem Dei, sicut nec corpus ipsum, sed potiùs impedit, vt suprà ostensum. Quod declarari potest exemplo formarum accidentalium in Eucharistia, quæ non minus sunt efficaces separatæ à subiecto, quã in subiecto: & exemplo naturæ humanæ vnitæ Verbo, cuius operationes non sunt idcircò physicè perfectiores. Multò minùs operationes animæ purè spiritales erunt perfectiores ratione vnionis cum corpore.

Ex his perspicuum est animas post resurrectionem non fore beatiores, quoad beatitudinem essentialem, quæ in visione & fruitione Dei consistit: & sententiam aduersam nullo fundamento subnixam. Erunt tamen beatiores extensiue: quia earum beatitudo in corpus redundabit. Qua de re modò dicendum.

CAPVT III.

De dotibus corporis glorioſi: quæ, & quot sint?

18

HActenus de beatitudine animæ, quam Sancti in anima possessuri sunt, cuius capax non est corpus. Sequitur nunc vt dicamus de beatitudine corporis, hoc est quam in corpore obtinebunt: nam alioquin corpus ipsum per se propriè non est beatitudinis capax, quia beatitudo est vitalis quidam sensus summi boni & delectatio. Verùm anima, & homo per animam sentiet hoc bonum corporis, eoque delectabitur. Consistit autem hæc corporis beatitudo seu gloria in quatuor dotibus seu perfectionibus iuxta communem Doctorum sententiam, quas corpus in resurrectione, vt animæ beatæ sit accommodatum, accipiet: nempe in impassibilitate, claritate, agilitate, & subtilitate, quas Apostolus insinuat 1. ad Corinth. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Comparat corpus semini. Sicut enim semen terræ committitur, & quodammodò moritur, ac dissoluitur, vt ex eo nascatur herba, culmus, spica, granum: ita corpus nostrum, vbi anima excesserit terræ mandatur & dissoluitur, & Deus sua virtute faciet illud surgere in alia qualitate.

Gloria corporis in quatuor dotibus consistit.

Impassibilitas.

Prima dos est *Impassibilitas*, seu immortalitas, quam ipse insinuat his verbis: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione:* Græcè, *ἐν φθορᾷ*. Sensus est, Corpus quod terræ committitur, erat corruptibile & mortale, sed surget in longè alia qualitate, vtpote immortale, & ab omni corruptione immune. Idem insinuat Apostolus infrà, cùm ait: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt:* nempe prout nunc sunt, in qualitate corruptibili. quod explicans addit: *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Et infrà: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionẽ, & mortale hoc induere immortalitatem.*

Immortalitas perfecta.

Vbi notandum, hæc & similia loca, vbi de immortalitate Sanctorum agitur, intelligenda esse de immortalitate perfecta, quæ non solùm dissolutionem subitantiæ excludit, sed etiam omnem impressionem & perpessionem molestam, quæ ab vlla causa extrinseca inferri queat: adeo vt neque ferro, neque igne, neque alia vi creata lædi, aut dolore vel molestia affici possint. Et hoc modo non conuenit corporibus damnatorum, sed est dos propria Beatorum. Etsi enim corpora damnatorum sint futura immortalia quoad hoc vt non dissoluantur; tamen erunt subiecta grauissimis causarum externarum impressionibus & doloribus,

Imperfecta.

ribus, qui mortem inferrent, niſi Deus illa ſua potentia ad æternitatem pœnarum conſeruaret. Vnde non ſunt immortalia niſi imperfectè: ita enim ſemper viuunt, vt ſemper moriantur; mors enim paſtor eorum, vel vt noſter Interpres, *mors depaſcet eos*. Quare rectè Doctores hanc dotem
Pſal. 48. vocant *impaſſibilitatem*: quia non ſolùm facit vt corpora non poſſint mori, ſed etiam vt non poſſint lædi, aut vllo dolore affici. Eadem dos inſinuatur multis alijs Scripturæ locis. Iſaiæ 49. *Non eſurient, neque ſitient, neque percutiet eos æſtus*. Idem ijſdem verbis habetur Apocal. 7. rurſus Apocalyps. 21. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quia prima abierũt*. quaſi dicat, Quia mala illa ad prius ſæculum pertinent, quod iam præterijt. Ioannis 5. *Procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala, in reſurrectionem Iudicij*.

19 Secunda eſt *Claritas*, quam indicat his verbis: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*. Eadem multis locis traditur. Sapientiæ 3. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*. Danielis 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt tanquam ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates*. Matth. 13. *Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum*. Tunc, nimirum quando *Angeli colligent de regno eius omnia ſcandala, & mittent in caminum ignis*, vt antè dixerat. Ad Philippenſes 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*.

S. Anſelmus lib. De ſimilitud. cap. 50. *In illa vita pulchritudo Iuſtorum ſolis pulchritudinem, qui ſeptuplo quàm modò ſplendidior erit, adæquabitur*.

Tertia eſt *Agilitas*. hanc inſinuat Apoſtolus cùm ait: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute*. Hæc etiam inſinuatur Sapientiæ 3. *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*. Ardente enim arundineto, ſcintillæ ſurſum celerrimè feruntur. In ſcintillis indicatur claritas & fulgor corporum: in diſcurſu velocitas. Iſaiæ 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient*. Quem locum de corporibus glorioſis exponit Hieronymus. Neque enim in hac vita niſi metaphoricè id impleri poteſt: perfectè & propriè
Agilitas. alterà.

Sanctus Auguſtinus libr. 13. De Ciuitat. capitul. 18. *Si Angeli poſſunt ſine labore rapere corpora animalium, & conſtituere vbi voluerint: cur Sanctorum ſpiritus ſine vlla difficultate poſſe ferre quò voluerint, & ſiſtere corpora ſua non credamus?* Et lib. 22. capitul. vltimo. *Certè vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit & corpus*.

S. Anſelmus lib. De ſimilitud. cap. 51. *Ipſi Angelis Dei æquè celeres erimus, qui dicto citiùs de cælo ad terras, & è contrario delabuntur*.

Neque ſolùm ſua corpora ſumma celeritate mouere poterunt, ſed etiam aliena. Erunt enim non imbecilles vt in hac vita, ſed robuſtiſſimi inſtar naturæ Angelicæ; cùm Angelis ſint futuri æquales, quod indicat Apoſtolus, cùm ait: *Surget in virtute*. ἐν δυνάμει, id eſt, in magno robore & potentia. Vnde ſicut Angeli poſſunt impetu ſuo euertere arbores, diſſipare turres, & ingentes moles transferre: ita etiã Sancti poſſunt tam nunc, quàm poſteà reſumptis corporibus, vt docet Sanctus Anſelmus cap 52. cuius rei habemus exempla in hiſtorijs Sanctorum. Addit Anſelmus: *In futuro Iuſtus ſic fortis erit, vt ſi velit, terram commouere poſſit*. Difficile tamen eſt creditu, quemlibet per ſe ſolum tantum habere virium. Præcipuas enim partes vniuerſi ſoli Conditori ſubiectas eſſe conuenit, quod ad motum, ordinem, & diſpoſitionem attinet.

20 Quarta eſt *Subtilitas*, per quam non intelligitur tenuitas
Subtilitas. Platonici & Euthychius Conſtantinop. Patriarcha. ſuſtantiæ, quaſi corpus ſit futurum aereum, ſicut quondam aliqui putarunt: ſed vis quædam inſtar ſpiritus omnia penetrandi. Hæc videtur indicari iſtis verbis: *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*. Vbi per *corpus animale* (ψυχικὸν) intelligitur corpus craſſum, impetuum, graue, corruptibile, egens cibo, potu, quiete, ſomno. Per *corpus ſpirituale* corpus conueniens ſpiritui, nempe his imperfectionibus carens. Vt autem ſpiritui ſit conueniens, inter cetera requiritur, vt in motu & celeritate ei non obſtet: vnde opus eſt quadam facultate penetrandi alia corpora vnà cum ſpiritu, abſque vlla ſui vel alterius læſione, aut figuræ mutatione: quæ facultas à Doctoribus vocatur dos ſubtilitatis. Vnde inter ceteras dos ſubtilitatis his verbis Apoſtoli indicatur. Quod etiam docet Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. vlt. *Non ergo per incorpoream naturam, ſed per reſurrectionis corpora qualitatem imperuia viſu, clauſa tranſeuntes. Nam quod tangitur, corpus eſt, quod palpatur, corpus eſt: in corpore autem reſurgemus. Seminatur autem corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*. Hic Ambroſius exponit locum Apoſtoli de dote ſubtilitatis, eamque non ſolùm Chriſto, ſed omnibus iuſtis tribuit per reſurrectionem. Eodem modo Apoſtolum intelligit Damaſcenus lib. 4. De Fide cap. vlt. *Seminatur*, inquit, *corpus animale, id eſt, craſſum, & mortale: ſuſcitatur corpus ſpirituale, immutabile, impaſſibile, ſubtile* (λεπτὸν) *hoc enim deſignat ſpirituale; quale Domini corpus poſt reſurrectionem clauſis portis ingrediens, infatigabile, cibo, ſomno, potu non indigens*. Itaque iuxta Damaſcenum etiam dos ſubtilitatis continetur illis verbis Apoſtoli.

Porrò hæ quatuor dotes ad plenam corporis humani ſu 21
pernaturalem perfectionem, qualem ſtatus completæ b. *Quatuor hæ* tudinis requirit, ſufficiunt. Dico *ſupernaturalem*: quia na- *ſiue dotes ſuffi-* turalis perfectio illius corporis non pertinet ad dotes, ſed *cient.* illis ſuppponitur, ſicut natura gratiæ: qualis eſt perfecta ſanitas, membrorum optima conformatio, partium integritas. Cùm enim corpora in reſurrectione, diuina virtute ſint formãda, dubium non eſt, quin formabuntur perfectiſſima intra naturæ limites, maximè corpora Beatorum. Sed his perfectionibus, quæ ſunt ordinis naturæ, accedent dotes ſupernaturales. *Impaſſibilitas*, vt in æternum in optima diſpoſitione conſeruentur, & à nulla re creata lædi, aut moleſtia affici queant. *Claritas*, ad complementum pulchritudinis, nimirum vt ſicut anima fulgebit lumine gloriæ, & claritate viſionis beatæ: ita corpus fulgeat luce quadam corporali, vt dignum ſit habitaculum & inſtrumentum tali animæ. *Agilitas* & *ſubtilitas*, vt perfectè ſpiritui ad omnes motus, non ſecùs ac ſi ſpiritus eſſet, obediat. His dotibus inſtructo corpore, nihil erit quod anima de illo cõqueri poſſit, aut cur illam corporis debeat pœnitere; quia corpus illi nec in functionibus intellectus, nec in facilitate aut celeritate motus, nec in permeandis alijs corporibus, vllo modo erit impedimento: ſed ipſa, vt totus homo eadem libertate, qua puri ſpiritus, in omnibus fruetur. Immo homo aliquid habebit amplius, & quodammodò erit beatior ſpiritibus. Par enim illis erit impaſſibilitate, celeritate, vi penetrandi, potentia mouendi, viſione, amore, & fruitione beata, & cognitione rerum omnium, tam ſpiritalium, quàm corporalium. Et præter hæc habebit gloriam corporis, & multiplices in corpore & per corporis ſenſus voluptates, quibus Angeli carent. Vnde homo erit beatior extenſiuè: quia eius beatitudo non continebit ſe in anima, ſed effundet ſe in corpus, iuxta ſententiam ſancti Auguſtini epiſtol. 56. *Tam potenti naturæ Deus fecit animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine, quæ in ſæculo temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus: non beatitudo qua fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor*. Vbi ſolùm loquitur de impaſſibilitate (quam vocat *plenitudinem ſanitatis*; quia nullum poteſt admittere morbum,) ſed eadem etiam eſt ratio ceterarum dotium: omnes enim ex animæ beatitudine redundant in corpus. Hoc tamen non ita accipiendum eſt, quaſi phyſico quodam impetu illæ dotes ex animæ beatitudine producantur, & effundantur in corpus: quia cùm viſio & amor Dei ſint actus omnino ſpirituales & vitales, non poſſunt qualitates corporeas, qualis eſt lux, ſanitas, vigor, &c. aut etiam ſpirituales ad mouendum corpus, aut ad alia corpora penetranda, producere. Itaque ſolùm morali quadam cauſalitate à beatitudine promanã animarum quia beatitudo animæ, ſeu ipſa anima beata poſtulat tales qualitates in corpore. Sicut enim in natura animæ eſt tota ratio diſpoſitionis & conformationis naturalis ipſius corporis; ita in beatitudine animæ eſt tota ratio, cur corpus debeat eſſe inſtructum talibus dotibus. Vnde cum anima beata priùs natura vniatur corpori, quàm corpus habeat illas dotes, & ſtatim eodem inſtanti propter animæ coniunctionem eas accipiat, ceſſentur ex ipſa anima beata in corpus redundare.

In quibus erit homo par Angelis, & in quo beatior.

CA-

CAPVT IV.

De impassibilitate, qualis sit, & in quo consistat?

22 *Primus gradus impassibilitatis est per extrinsecam custodiam.*

MVlti sunt gradus & modi impassibilitatis, qui corpori glorioso possunt tribui. Primus est Per prouidentiam extrinsecam, qua Deus res omnes ita disponit, vt non sinat illa corpora dissolui vel lædi. Verùm hic modus non sufficit: sic enim corpora Beatorum non forent magis impassibilia, quàm corpus Adami in statu innocentiæ, quod est contra S. Augustinum epistola 56. ad Dioscorum: & cõtra rationem. Debet enim esse longè alia immortalitas viæ & patriæ. Adam ita erat immortalis, vt posset non mori, & non affligi, permanente illo statu: sed etiam poterat affligi & mori, quia poterat peccare & perdere illum statum. Deinde etiamsi numquam peccasset, corpus egebat cibo, potu, somno, & sensim in se actione caloris resoluebatur & diffluebat, vnde egebat instauratione; hoc autem nullo modo conuenit corpori glorioso.

Secundus, Per subtract. oue concursus.

Secundus est Per prouidentiam extrinsecam, accedente simul subtractione concursus in causis externis & internis, ne possint lædere aut molestia afficere. Hic modus est multò perfectior priore: estque probabile in eo consistere impassibilitatem corporis glorioli. Sic enim expresse docet Scotus in 4. dist. 49. quæst. 13. *Causa*, inquit, *impassibilitatis est voluntas diuina non cogens causa secundæ corruptiua: & ita corpus est impassibile à causa non intrinseca, sed extrinseca impedente.* Itaque explicat exemplo ignis Babylonici, cùm in illum conjecti essent tres pueri, qui illis nihil attulit molestiæ: non quia ipsi per aliquam qualitatem erant effecti impatibiles, sed quia Deus suspendit actionem ignis, ei suum denegando concursum. Ita Scotus. In eadem ferè sententia est Durandus dist. 44. quæst. 4. numer. 13. Etsi enim non ponat subtractionem concursus, quem ipse non agnoscit: tamen *dicit fore impassibilia non per aliquam formam inhærentem, sed per virtutem diuinam assistentem Beatis ad nutum, & prohibentem actionem causæ extrinsecæ, quæ passionem inferret.* Itaque horum Doctorum sententia *dos impassibilitatis* consistit in assistentia diuina, prohibente omnem læsionem & noxiam alterationem (vel potiùs in iure & debito habendi talem assistentiam) siue id fiat subtractione concursus, vt vult Scotus; siue alia ratione, vt Durandus.

Scotus.

Durandus.

23 Probat hanc sententiam Durandus tribus rationibus. Prima est, Quod Beati non possint suscipere impressionem, qua moueantur loco contra voluntatem, non habent à qualitate intrinseca, sed solùm ab assistentia extrinseca: alioquin minimus Beatorum foret tam validus quàm supremus. Ergo etiam quod non possit suscipere impressiones aliarum mutationum, vt caloris frigoris, prouenit solùm ab assistentia diuina, non à qualitate intrinseca.

Secunda est, Corpus humanum per idem redditur impassibile, per quod redditur incorruptibile, seu insolubile: atqui non redditur incorruptibile per qualitatem intrinsecam, sed per assistentiam diuinam conseruantem vnionem animæ & corporis, vt patet in damnatis, quorum corpora non erunt incorruptibilia per aliquam qualitatem. Qualitas enim quæ impediret corruptionem, etiam impediret passionem ab igne inferendam, cum talis passio sit via ad corruptionem. Ergo per similem assistentiam, non per qualitatem redditur impassibile. Tertiam rationem addit ex Sancto Augustino Epist. 146. ad Consentium, vbi insinuat, corpora Beatorũ ita seruari illæsa, sicut corpora puerorum in fornace Babylonica.

Hæc sententia, vt dixi, probabilis est; talis enim impassibilitatis modus videtur sufficiens, etsi non addat aliquam intrinsecam perfectionem: tamen secundùm æstimationẽ moralem illi æquualet, cùm æquè contra omnes iniurias tueatur. Neque putarim alium modum quærendum, si

24 *Tertius gradus per qualitatẽ supernaturalem.*

intrinseca impassibilitas haberi non posset.

Tertius gradus impassibilitatis sit Per qualitatem supernaturalem corpori communicatam, quæ vi sua excludat omnes læsiones, & noxias alterationes. Hunc gradum in corporibus Beatorum statuit Richardus in 4. dist. 49. ar. 4. quæstio. 2. & quidam alij. Et videtur insinuare D. Thomas 1. part. quæstion. 97. articul. 1. vbi ponit tres modos, quibus aliquid possit dici incorruptibile. Primus, *Ex parte materiæ: nempe quia vel non habet materiam sicut Angelus, vel habet materiam quæ non est in potentia nisi ad vnam formam, sicut corpus cœleste: & hoc dicitur secundum naturam incorruptibile.* Secundus, *Ex parte formæ, quia scilicet res corruptibilis per naturam inhæret alicui dispositioni per quam eximitur à corruptione prohibetur, & hoc dicitur incorruptibile secundum gloriam.* pro quo modo adducit locum sancti Augustini ex Epistol. ad Dioscorum: *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt eius plenissima beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, & incorruptionis vigor.* Tertiò *dicitur aliquid incorruptibile ex parte causæ efficientis. Et hoc modo fuisset homo incorruptibilis & immortalis in statu innocentiæ. Inerat enim animæ vis quædam supernaturalis diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare. Quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ, conueniens fuit, vt in principio ei virtus daretur, per quam corpus conseruare posset supra naturam corporalis materiæ.* Hæc D. Thomas. Vbi manifestè corpora Beatorum vult fieri impassibilia per aliquam dispositionem ipsis inhærentem, quæ vim habeat impediendi omnes noxias impressiones. Qualis verò sit dispositio illa, & quo modo prohibeat corporis mutationes, non explicat. In 4. Sentent. dist. 44. quæst. 2. artic. 1. ad 2. quæstiunculam docet, impassibilitatem consistere in perfecto dominio animæ super corpus. In eadem sententia de qualitate est Guilelmus Altisiodorensis parte 4. Summæ, tract. 12. quæst. 2. vbi dicit, dotem impassibilitatis esse potentiam quamdam collatam corporibus gloriosis ad resistendum omni læsioni.

Richardus. Tres modi incorruptibilitatis secundùm S. Thomam.

Probatur hæc sententia Primò, Quia non impleat, dari talem qualitatem, quæ hanc vim habeat: ergo credibile est dari. Secundò, Quia corpora cœlestia ita sunt firma, vt nec perimi nec dividi queant, nec vllas noxias impressiones excipere: cur idem non possit communicari corpori humano? Tertiò, Datur aliqua qualitas vna, vel plures conuncta, quæ diuersissimas qualitates & impressiones potest afferre, vt patet in sole & astris: cur non possit dari vna vel plures conuncta, quæ impressionibus omnibus externis possit resistere. Sicut enim dantur qualitates ad agendum, ita dari possunt ad resistendum. Quartò, Quia alia ratione non videtur posse saluari perfecta & intrinseca corporum impassibilitas.

Hæc sententia est probabilis, non tamen facilis est intellectu, Primò, Quia mente concipi potest, quænam qualitas possit efficere, vt corpus nulla vi possit ferro incidi, nec pars vlla per impulsum introrsum agi, nisi fortè sit plusquam adamantina duritiei: quæ tamen in illis corporibus non erit, cùm sint futura mollia, flexilia, tractabilia sicut nostra hîc sunt, vt patet ex corpore Domini post resurrectionem. Quod autem defertur de cælis, parum vrget: quia hi *non sunt molles & flexiles, sed solidissimi tanquam æs fusi sunt.* Et quamuis non dicantur habere duritiem, habent tamen quiddam analogum, ratione cuius ita partes cohærent firmiter, ac si summa duritie essent præditi. Secundò, Illa qualitas optimè consistit cum magno calore in vna parte, nempe in corde; cur non etiam potest consistere cum tanto calore in alia parte, verbi gratia, in cerebro aut ossibus? ac proinde non impediet quò minùs hæc possint incalescere ad æqualitatem cordis. Rursus illa qualitas consistit cum partibus frigidis; ergo non impediet, quò minùs partes calidiores possint frigescere, & reduci ad æqualitatem partium frigidarum.

25

Iob 37.

Dices, Non vnam qualitatem id præstare in omnibus partibus, sed diuersas. Si ita est, opus erit maxima talium qualitatum multitudine; quia temperamenta partium sunt diuersissima, & læsiones quæ possunt inferri, etiam sunt diuersissimæ & plurimæ: & contra singula læsionum genera in singulis partibus corporis, opus erit noua qualitate. Quæ omnia videntur satis incredibilia.

Illud verò argumentum, quod quidam adferunt de qualitatibus actiuis, facilè soluitur. Nam Primò, nulla videtur esse qualitas actiua, quæ tantam rerum diuersitatem possit producere. Nec obstat id quod adfertur de sole: quia rerum diuersitas, quæ hic in mundo inferiore cernitur, non est directe à sole, vel solis qualitate; sed à diuersa

ſa vi ſeminali, quæ eſt in ſeminibus, vel elementis, & potiſſimum in terra & aqua. Sol autem ſolum agit in omnia vno modo, nempe tuo calore fouendo & excitando vim ſeminalem & vitalem, quæ rebus inest. Deinde etiamſi daretur vna qualitas, quæ multas alias ratione eminentiæ poſſit producere: non tamen inde ſequeretur, poſſe dari vnam vel plures, quæ omnibus impreſſionibus poſſint reſiſtere, præſertim in corpore retinēte ſuam mollitiem, & omnes qualitates mutabiles. Omitto alia quæ contra hanc qualitatem adferri poſſent. quare cùm alia ratio commodior & facilior ſuppetat, nihil nos cogit illam amplecti.

26 *Quartus gradus impoſſibilitatis, Per intimi influxus cōtinuationem.*

Itaque quartus gradus quo corpus humanum poſſit fieri impaſſibile, ſit Per intimam & potentiſſimam conſeruationem totius diſpoſitionis naturalis. hoc ipſo enim quo Deus ſtatuit continuare influxum illum, quo intime operādo conſeruat corpus humanum, eiuſq; temperamentum, & totam qualitatum omnium ſymmetriam nulla cauſa creata poteſt illud alterare, aut aliquam impreſſionem illi molestam inferre. Quod vt intelligatur & probetur, ſuppono Primò, Quòd ſicut nulla res creata, ſiue ſubſtantia ſit ſiue accidēs, ſiue corporea ſiue incorporea, poteſt incipere eſſe abſque influxu Dei; ita neque poteſt abſque eiuſdem influxu conſeruari aut permanere. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus: & omnia in ipſo conſtant: & ipſe verbo virtutis ſuæ portat omnia:* qua de re plura diximus in opere De diuinis perfectionibus.

Act. 17. Coloſſ. 1. Hebr. 1.

Suppono Secundò, Perſeuerante Dei influxu, quo res intime conſeruatur, fieri nulla ratione poſſe, vt illa res pereat aut pereat. Sicut enim implicat contradictionem, vt primo momento quo res à Deo producitur, non ſit: ita contradictionem inuoluit, vt toto reliquo tempore, quo Deus continuat ſuum influxum conſeruatiuum, res illa nō ſit. Vnde vt res aliqua poſſit deſinere eſſe, neceſſe eſt vt Deus influxum conſeruatiuum ſubtrahat, idq; vel repentè & ſimul, vel ſēſim, pro modo deſitionis rei. Ratio eſt, Quia ille influxus conſeruatiuus non diſtinguitur ab ipſa re, ſed eſt ipſa res conſiderata vt in fieri, ſeu vt actu dependens à Deo: ſicut illuminatio non eſt res diſtincta à lumine, ſed eſt ipſum lumen cōſideratum vt pendens à ſua cauſa. Quare ſicut nulla ratione fieri poteſt, vt perſeuerante illuminatione pereat lumen; ita fieri nequit, vt perſeuerante influxu conſeruatiuo, res pereat. Vnde cùm Deus ſit omnipotens, & intimè præſens rei, nihilque inter ipſum & rem poſſit interponi, quo influxus eius intercipiatur; ſi ipſe velit ſuum influxum continuare, nulla alia res creata poterit illā rem perimere, aut mutare: adeò vt etiam gutta aquæ in medio fornacis ardentis ſit illæſa cum ſuo frigore, & orbiculari forma permanſura.

Ex his manifeſtè ſequitur, Deum hoc modo poſſe corpus humanum reddere impaſſibile abſque vllius alterius qualitatis ope, ſuo potenti influxu cōſeruando totum temperamentum in ſuo ſtatu: qua conſeruatione poſita, corpus illud erit incapax omnis externæ impreſſionis, quæ tēperamento repugnet, niſi ipſum temperamentum de ſuo ſtatu & conuenientiſſima proportione deturbetur. Cumque ratione potentiſſimi influxus quo conſeruatur, nō poſſit deturbari: conſequens eſt, vt corpus ſit omnino incapax omnis talis impreſſionis. Dico fore incapax omnis impreſſionis quæ temperamento repugnet, aut molestiam adferre queat: quia ſolum aduerſus huiuſmodi alterationes & mutationes conſeruabitur, nō autē contra eas quæ voluptatem aut perfectionē adferrent; quales ſunt blandæ ſenſuum immutationes per lucem, colores, ſonos, odores, blandum calorem, & frigus. Hoc autem per qualitatem ſuperadditā fieri nequit; quia non vtitur ratione, vt impreſſionis gradum noxium excludat, non noxium admittat, cum hi ſint eiuſdem rationis.

Addo, hac ratione corpus reddi impaſſibile ab intrinſeco; idque lōgè perfectiore modo, quam qualitate ſupernaturali acceſſoria: influxus enim ille eſt intimus ipſi temperamento, & omnibus corporis diſpoſitionibus. Vnde non minus reddit omnia illa firma & inuiolabilia, quàm ſit ipſa cælorum ſubſtantia: nam & hæc omnem ſuam firmitatem ab influxu diuino habet.

Dices, Illæ qualitates, & totum corporis temperamentum, cum ipſo corpore natura ſua ſunt corruptibilia: ergo non poſſunt ab intrinſeco fieri incorruptibilia, niſi eorum natura mutetur, vel ſuperueniat alia qualitas, quæ id præſtet.

Reſpondeo, Illa nō ita dici natura ſua corruptibilia, quaſi id pertineat ad eorum eſſentiam vel naturam: ſed ſolum quia ea eſt conditio eorum naturalis pro ſtatu huius ſæculi, qui eſt ſtatus mutabilitatis, vt rectè ait Scotus diſt. 49. q. 13. Hæc autem conditio illis auferetur in ſtatu ſæculi futuri, qui eſt ſtatus immutabilis & perennis; & accipient alium ſtatum & conditionem incorruptibilem, manente eadem prorſus eſſentia. Simili modo elementa quæ hoc rerum ſtatu ſunt mutabilia, poſtea fient immutabilia, nec amplius ſol ex illis excitabit vapores, nubes, pluuias, tonitrua, fulmina, niues, grandines; ſed omnia in æquabili ſtatu firmiter conſiſtent: idque vel Deo interius omnia ſic potenter cōſeruante, vel ſoli aliſque cauſis, quæ mutationem inferre poſſent, concurſum ſuum ad hoc denegante, vel vtroque modo. Vnde etſi tunc ſol lumen ſuum diffundet, & orbem inferiorem illuminabit (hoc enim ad magnum ornamentum rerum pertinet) non tamen calefaciet, turbabit, miſcebitque elementa. 27

Ex his patet, hunc modum non ſolum eſſe poſſibilem, ſed etiam facilem intellectu, & perfectiſſimè ſaluare corporum intrinſecam impaſſibilitatem abſque aliqua qualitate ſupernaturali. Vnde videtur mihi maximè probabilis.

Dices, Facile intelligi qua ratione per hunc modum corpus efficiatur incapax noxiarum impreſſionum ab igne, frigore, aliiſque qualitatibus: non tamen quomodo fiat inuiolabile ferro, nec poſſit incidi. Hoc enim non videtur fieri poſſe niſi per pluſquam adamantinam duritiem. 29 *Qua ratione reſiſtet inciſioni.*

Reſpondeo, Facile eſſe Deo, partes rei continuæ ita ſeruare coniunctas, vt incidi nequeant. Inciſio enim fieri nequit; niſi inſtrumento penetrante in corpus, & expellente partes proximas ſuis locis, & in eorum loca ſubeunte. Deus autem cum ſit omnipotens, & intime præſens ſingulis corporis partibus, facile poteſt illas per ſuum influxum ita continere, vt ſuis locis & ſitibus extrudi nequeāt: ac proinde nec diuidi, nec vllo, quantumuis magno impulſu, introrſum agi pluſquam conueniat. Neque video quomodo ea de re poſſit dubitari. Si enim homo robuſtus poteſt duo corpora diuiſa ita tenere coniuncta, vt infirmior non poſſit illa ſeparare: quanto magis Deus, qui eſt omnipotens, & omnes partes continui intimè magis ſua tenet & connectit, poteſt illas ita continere connectas, vt nulla vis creata poſſit illas ſeparare? Hoc modo videtur Dominus continuiſſe partes aquarum, quando ſuper aquas ambulauit. Non enim naturam aquarum liquidam & ceſſilem, ſolidam duramque inſtar marmoris effecit, cùm fluctibus agitaretur; ſed partes continuit ne pedibus diuidi poſſint. *Matth. 14. Marci 6.*

Eſt & alter modus quo corpus humanū ferro aliiſq; armis corporalibus inuiolabile redditur, nēpe per dotē ſubtilitatis, qua fit vt alia corpora poſſit penetrare, & peruadere inſtar ſpiritus. Quo poſito, nō magis poteſt lapſi gladio ferreo, quàm radius ſolis gladio vitreo. Verum de hoc latius infra. Vterque modus impaſſibilitatis erit in corporibus gloriosis. *Alter modus impaſſibilitatis & conſeruationis corporū.*

Petes, Qualis actus eſt iſta conſeruatio: & an diſtinguatur à prima rei productione? 30 *Quid ſit illa conſeruatio.*

Reſponderi poteſt, Parum referre vtrum diſtinguatur à prima rei productione, vel abordinaria eius conſeruatione, an non: ſatis eſſe ad noſtrū inſtitutum, quod Deus rem alioquin corruptibilē, poſſit per intimum influxū, & occultam (vt ita loquar) manutentiam reddere incorruptibilē: quod non videtur poſſe vlla ratione negari. Nihilominus tamen quia hæc res eſt valdè pulchra & Theologo dignissima, paulò accuratius nobis eſt diſcutienda.

Quidam igitur ſentiunt, ordinariam rerum à Deo conſeruationem multum diſtingui ab illa actione, qua primò ab eodem ſunt productæ. Vt enim producantur, opus eſt validiore influxu, quàm cum productæ conſeruantur in eſſe: difficilius enim eſt, rem ex non eſſe trahere & eleuare ad eſſe, quàm modo extractam, in eſſe conſeruare. Deinde vt res aliqua primò producatur, opus eſt influxu particulari & determinato ad ſpeciem rei, ſiue Deus ſe ſolo illā producat, vt patet in creatione; ſiue vnā cum cauſa ſecunda. Etſi enim tunc quando cum cauſa ſecunda producat, actio Dei ſecundum ſe ſit indeterminata; tamen actio cauſæ *Sententia quorundam de conſeruatione rerum*

sæ secundæ est omnino determinata ad hunc terminum productum. Vt verò res producta conseruetur, non est opus tali influxu determinato, sed sufficit influxus Dei ex se indeterminatus: qui etsi nullo modo sufficiens sit ad rem se solo producendam; sufficiens tamen est ad eam productam se solo conseruandam in esse. Cuius rei signum est, quod quando res à Deo simul & à causa secunda producitur, statim re producta, cessat influxus determinatus causæ secundæ; res tamen manet & conseruetur solo Dei influxu generali.

Verùm hæc sententia est difficilis. Primò, Quia Patres expressè docent, non minus esse mundum conseruare, seu continere (συνέχειν) quam illum primitus ex nihilo creare. Chrysostomus homil. 2. in Epistol. ad Hebræos: *Portetque omnia, id est, gubernet omnia, siquidem cadentia & ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est continere mundum quàm fecisse. Sed si oporteat aliquid admirandi dici, adhuc amplius est: nam in faciendo, rerum quidem essentia producta sunt; in continendo verò, ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Similia planè habet Ambrosij comment. in hunc locum. Idem Chrysostomus homil. 3. in Epistol. ad Coloss. *Ne putes Filium esse ministrum, dicit eum omnia conservare, quod non minus est, quàm omnia creare.* Si non minus, ergo conseruatio non est facilior: neque est veluti dimidiata operatio, quæ ad creandum non sufficeret.

Non esse facilius rem eò seruare, quàm producere.

Sanctus Augustinus libro 4. De Genesi ad litteram, capit. 12. inter cetera sic scribit: *Cùm Dominus ait, Pater meus usque modò operatur, continuationem quandam operis eius, quo vniuersa creaturam continet, & administrat, ostendit.* Si conseruatio est continuatio operis, id est, operationis diuinæ: ergo non distinguitur à prima operatione, qua creatura est producta.

Secundò, Creatura post primum instans quo est, non minus pendet à Deo, quam in primo instanti: ergo non minus eò eget eius influxu completo & determinato, quàm in primo instanti.

Dices, Creaturam non minus pendere à Deo post primum instans, quàm in primo instanti: pendere tamen per minorem influxum & operationem Dei. Contrà, Quando eadem causa nunc maiorem, nunc minorem influxum habet in effectum; perspicuum est, tunc effectum minus ab illa pendere, quando minorem ab illa influxum accipit, quàm dum maiorem. Sicut cùm res producitur à causa secunda Deo solùm generali influxu concurrente, minus à Deo pendet in illa productione, quàm quando ab ipso solo producitur.

Tertiò, Nulla videtur ratio, cur Deus, cùm aliquid per se creauit influxu completo & determinato, non continuet suum influxum, sed statim post primum instans illum mutet, relaxet, & ex speciali generalem, ex completo quasi partialem efficiat, qui non sufficeret ad rei productionem, nisi adiutus ope causæ secundæ. Sanè magis rationi consentaneum est, vt sicut continuat opus inuariatum, ita etiam continuet suum influxum sine vlla variatione; & tam firmiter teneat aliquo tempore, quàm primo instanti.

32 Dices, Non opus esse tam potenti & speciali influxu post primum instans. quia præcipua difficultas iam est superata, cum res ex nihilo vel non esse est producta: sed sufficit multò minor, quia facilius est productam conseruare, quàm producere. Confirmatur, Quia quælibet res habet aliquam vim conseruandi sui in particulari, quæ coniuncta cum generali influxu Dei, sufficit ad sui plenam conseruationem; sicut vis productiua causæ creatæ coniuncta cum generali concursu Dei, sufficit ad rei completam productionem.

Respondeo negando quod assumitur. Non enim plus est rem ex nihilo trahere ad esse, quàm illam retinere in esse, ne in nihilum recidat, vt supra ex Patribus ostensum. Ratio est, Quia nihilum non magis refugit cùm res est producenda, quàm quando est conseruanda. Quòd si res è nihilo tamquam è cœno glutinoso extrahenda foret, tunc difficilius esset, & maior vis adhibenda in producendo, quàm in conseruando. Sicut cùm aliquid ex denso cœno extrahitur, maior vis adhibenda est, quàm cùm extractum tenetur ne relabatur. Quod autem dicitur facilius esse rem conseruare quàm producere, verum non est, si loquamur de interna conseruatione per intimum influxum; neque id vlla ratione vel experientia probari potest: sed solum verum est de conseruatione externa, quæ fit amotione nocentium, & appositione iuuantium.

Ad Confirmationem. Nulla res habet vim ad se ipsam conseruandam intrinseco influxu in suum esse, non magis quàm ad seipsam producendam ex nihilo, sed solum externa operatione, defendendo se à contrarijs, & interdum suas qualitates intendendo. Quamuis enim in quibusdam causis creatis sit vis ad conseruandum influxo interno effectum suum, cum solo concursu generali, vt patet in luce, & potentijs vitalibus; nulla tamen res habet vim ad conseruandam hoc modo seipsam; quia hæc conseruatio nihil est aliud, quam continuata productio essentiæ rei: nihil autem suam essentiam producere potest, aut in eam substantifico influxu operari.

Nulla res habet vim ad se conseruandam per intrinsecum influxum in suum esse.

Quartò, Denique contradictionem implicat, concursum Dei generalem permanere, aut continuari, vel existere sine concursu speciali: sicut contradictionem implicat, gradum genericum vel entis existere sine gradu specifico. Sicut enim gradus rerum inter se habent, ita se habent inter se illi concursus, cum ab ipsis rebus, vtpote suis terminis intrinsecis non distinguantur. Concursus enim generalis per se primò non terminatur ad rem, prout est huius speciei: sed solum prout habet rationem entis, quę in omni gradu inferiori includitur. Concursus verò specialis per se primò terminatur ad rem prout est huius speciei: & ideò quòd effectus sit huius speciei potiùs quàm illius, non prouenit à concursu generali, sed à speciali.

33 *Contradictionem implicat, concursum generalem continuari cessante speciali concurrente.*

Hinc patet vlterius, cur concursus dicatur generalis. Nō enim dicitur generalis quòd ad omnia rerum genera se extendat: hoc enim modo etiam creatio generalis influxus dici posset, quę tamen respectu sui termini est maximè determinata & particularis: sed idcircò dicitur generalis, quod per se primò non tendat ad gradum specialem, sed generalem in effectu: seu quia vt procedit à Deo, non est determinatus ad hanc vel illam speciem effectus: sed solum ad rationem communem in re existentem.

Cur dicatur influxus generalis.

Dices, Ergo Deus per influxum generalem non est totius rei causa, sed solum cuiusdam rationis communis, & res solum secundum rationem communem entis pendebit à Deo. Respondeo negando sequelam. Res enim secundum se totam & omnes suos gradus causatur & pendet à Deo: quia ratio entis in quouis gradu inferiore intimè includitur, & sola ratione ab eo distinguitur. Vnde etiamsi concursus Dei præcisè consideratus vt est à Deo, non terminetur directè & per se primo nisi ad rationem entis in effectu existentem; tamen secundario & concomitanter terminatur etiam ad omnes gradus inferiores, tum quia omnes gradus inferiores ex parte rei identificantur gradui entis, tum quia ipse Dei influxus generalis identificatur, & in vnum coalescit cum influxu particulari causæ secundæ.

34 *Deus per concursum generalem est causa totius entitatis.*

Exempla habemus in causis creatis, quarum aliæ aliis magis sunt generales vel speciales, & simul ad eumdem effectum concurrunt, & singulæ totum effectum, etsi non nisi partiali influxu producunt. Ex quibus manifestum videtur, concursum, seu influxum Dei generalem, nec in prima rei productione, nec in eiusdem conseruatione posse existere sine speciali, qui ex se sit determinatus ad rationem specificam actus. Quod etiam ex eo confirmari potest: quia alioquin in causis creatis idem dicere poterimus: nimirum quòd sol maiorem debeat præbere influxum, vt lumen in aliquo loco tenebroso producat, quam vt productum conseruet: & illud lumen ibi conseruari influxu solis generali, non speciali. Item visionem & intellectionem semel productam per potentias animæ, & species impressas (iuxta sententiam eorum qui species tales necessario requirunt, vt effectiuè concurrant) posse conseruari solo influxu potentiæ viuæ & intellectiuæ, cessantibus speciebus. Item actum supernaturalem fidei, spei, & charitatis semel productum per potentiam naturalem & habitum supernaturalem, posse conseruari solo influxu potentiæ, cessante habitu. In omnibus enim valet eadem ratio; Facilius est rem conseruare, quàm primò producere.

Dices,

Dices, videmus effectus omnes cauſarum inferiorum (paucis exceptis, vt lumine, ſpeciebus, & actibus vitalibus) permanere cauſis inferioribus ceſſantibus, & ſolùm ab his pendere in ſui productione, ac proinde poſtea à ſolo Deo conſeruari: atqui Deus generali tantum influxu concurrit ad eorum effectuum productionum: ergo eodem influxu illos conſeruat in eſſe. Reſpondeo, negando conſequentiam. In productione enim talium effectuum ſufficit concurſus generalis ex parte Dei, quia particularem præſtat cauſa ſecunda: in conſeruatione verò non ſufficit concurſus Dei generalis, tum quia hic non poteſt per ſe conſiſtere abſque ſpeciali, vt oſtenſum eſt; tum quia influxus cauſæ ſecundæ iam ceſſat, ac proinde debet ab aliquo ſuppleri. Sicut enim ratio ſpecifica rei vt produceretur, egurt determinato & particulari concurſu: ita etiam eget vt conſeruetur, quia conſeruatio nihil eſt aliud quàm continuata productio. Itaque Deus poſt primum inſtans productionis rei; ceſſante iam cauſa ſecunda, ſupplet eius vicem influendo in effectum influxu determinato & completo, non ſecus ac ſi illum effectum ſolus produxiſſet.

Deus, ceſſante cauſa ſecunda ſupplet eius vicem influxu ſpeciali.

36 *Cauſa ſecunda ſi influxum non eſſet inutilis, quia ſine illo res non fieret.*

Dices, Hinc ſequi inutilem fuiſſe cauſæ ſecundæ operam, vt quæ ſolum ad momentum ſeruiat: nam Deus ſtatim poſt illud momentum totum facere debet. Incipiat ipſe vno momento citiùs, & faciat primo momento quod facit immediatè poſt, cauſæ ſecundæ erunt inutiles. Reſpondeo, negando id ſequi. Nam ſæpè durat actio cauſæ ſecundæ ad longum tempus, vt patet in omnibus quæ naſcuntur ex elementis aut viuentibus, & creſcunt, & ſenſim perficiuntur. Deinde in omnibus qui ſubitò fiunt, etſi actio cauſæ ſecundæ poſt primum inſtãs ceſſet, tamen effectus manet; qui tamen nunquam à Deo influxu generali produci potuiſſet, ſicut modò concurrente cauſa ſecunda productus eſt. Vnde ſuum eſſe debet cauſæ ſecundæ, etiamſi ipſa iam non amplius influat.

Neque refert, quòd ſi Deus in primo inſtanti tam completum influxum præbuiſſet, cauſæ ſecundæ opera fuiſſet inutilis: quia ſatis eſt de facto, & prout res iam ſunt conſtitutæ a ſummo naturæ moderatore, non eſſe inutilè. Placuit enim Deo in talium effectuum productione non adhibere tam plenum influxum, neque ex ſe veluti inchoare actionem: ſed permittere id cauſæ ſecundæ ad talem effectum ſatis inſtructæ, & hanc veluti ſequi accommodando ſe eius conditioni: non quòd cauſa ſecunda prius tempore vel natura influat in effectum, quàm Deus: ſed quia ratio cur hic & nunc talis effectus producatur, in cauſam ſecundam, non in Deũ referenda eſt. Quia tamen cauſa ſecũda ob ſuã limitationem nõ poterat illud eſſe determinatũ, quod ſemel contulerat, conſeruare, continuando ſuum influxum in illud: idcircò Deus, ne effectus cauſæ ſecundæ ſubitò euaneſceret, & tota actio cauſæ ſecundæ redderetur inutilis, ſtatuit eius actionem per ſe ſupplere, præbendo influxum determinatum ad ſpeciem rei productæ.

37 *Poſt partium inſtans totus influxus eſt communis & ſpecialis.*

Quæres, Virùm tunc Deus continuet influxum generalem, quem primo inſtanti præbuit concurrendo cum cauſa creata, determinando illum additione concurſus ſpecialis, & veluti complendo, vt ex æquo reſpondeat termino: an verò ille tranſeat, & ſuccedat in eius locum influxus ſpecialis? Reſpondeo, Verius videri, illum influxum generalem definere vnà cum influxu determinato cauſæ ſecundæ: quia ab hoc non diſtinguitur niſi ratione. Coaleſcunt enim illi duo influxus tamquam duæ rationales formales in vnum ſimplicem & totalem influxum, qui totus perire debet vel totus manere: eique ſuccedit influxus determinatus ſimilis creationi. Ita deprehendo docuiſſe etiam P. Suarez in Metaphyſ. diſp. 21. ſect. 2. num. 10. Hæc de prima ſententia ſufficiant.

38 *Secunda ſententia. Quando res à ſolo Deo producitur & conſeruatur, influxus conſeruationis non differt à productione, niſi ratione & connotato.*

Secunda ſententia vtitur diſtinctione. Quando res à ſolo Deo producitur & conſeruatur, influxum productiuum & conſeruatiuum non diſtingui niſi ratione, ſeu connotato: quia productio connotat rem antea non fuiſſe, conſeruatio eam immediatè antea fuiſſe. Eſt itaque tunc vna eademque ſimplex actio inuariabiliter continuata, ſingulis momentis totam ſuam vim oixtinens. Hoc modo Deus conſeruat omnes Angelos, & animas rationales, & cælos cum aſtris omnibus, & elementis mundi: nempe eadem actione qua illa primò ex nihilo creauit, eodemque influxu & impetu, qui ſingulis momentis tantam vim habet, vt rem produceret ex nihilo ſi non extaret: quia hic influxus reuera nihil eſt aliud, quàm continuata rei ex nihilo productio. Illa enim actio quæ in primo inſtanti dicebatur productio, eadem & tota ſimul, ſine vlla acceſſione vel immutatione per totum tempus continuum, quo res illa exiſtit, ſtabiliter permanet. Etſi enim dicatur actio, influxus, productio, quæ inſinuant aliquid tranſiens; eſt tamen res permanens, & tota ſimul non minùs quàm eius terminus intrinſecus, ſeu res ipſa creata: diciturque continuari non ſucceſſione aliqua partium, ſed quia tempori continuo inuariabiliter coexiſtit. Hæc ſententia eſt verò digna maieſtate diuina, quia iuxta illam Deus non minus mundo & rebus conditis præſtat ſingulis momentis totius temporis, quàm præſtitit olim cùm eas primum conderet. Idem enim impetus, idem influxus immobiliter perſeuerat.

39 *Secus quando producitur à Deo & cauſa creata, & à ſolo Deo conſeruatur.*

Quando verò producitur non à ſolo Deo, ſed ſimul à cauſa creata, tunc vel illa res manet ceſſante cauſa creata, vel non manet. Si manet, neceſſariò diſtinguitur influxus quo conſeruatur ab influxu quo producitur. Cùm enim influxus cauſæ creatæ ſtatim poſt primum inſtans ceſſet, non relinquitur niſi influxus Dei generalis, qui per ſe nec eſt ſufficiens ad rem conſeruandam, vt ſuprà oſtenſum eſt; nec vllo modo poteſt permanere vel exiſtere, concurſu cauſæ creatæ, cui identificatur, ceſſante. Itaque cum totus ille influxus qui erat in inſtanti productionis, tranſeat, neceſſe eſt ſtatim poſt illud inſtans dari alium influxum, quo talis res ſolide conſeruetur: qui cùm planè determinatus ſit & completus, ſimilis omnino eſt influxui productiuo; immo tam perfectus eſt vt per illum res à Deo produceretur, ſi non exiſteret. Si verò res producta talis ſit naturæ, vt ceſſante cauſa ſecunda non poſſit naturaliter permanere: tunc actio conſeruatiua etiam non diſtinguitur à productiua: ſed eadem actione qua à Deo ſimul & cauſa creata producitur, etiam conſeruatur, vt patet in lumine, ſpecie bus obiectorum, & actibus vitalibus. Hanc ſententiam præclarè tradit Suarez in Metaphyſ. diſput. 21. eamque ſemper veriſſimam cenſui; quam etiam tenet Gabriel Vaſquez in 1. par. diſput. 172. nu. 11. & diſput. 174. nu. 17. & puto ferè hoc tempore communem.

40 *An actio conſeruatiua ſit ſufficiens ut res faciat incorruptibilem.*

Verùm nunc quæſtio ſuper, Vtrum hæc actio conſeruatiua, qua Deus ordinariè res conſeruat, ſufficiens ſit ad illas ita conſeruandas, vt reddantur incorruptibiles & impatibiles, Deo volente illam actionem continuare: an opus ſit potentiore influxu, vel ſuperioris rationis.

Quidam requirunt aliam actionem, & potentiorem, Primò, Quia actio qua Deus modo res corruptibiles conſeruat, non reddit eas incorruptibiles: ergo illa qua reddentur incorruptibiles erit longe alia, ſicut longè aliud eſt eſſe corruptibile, & eſſe incorruptibile. Secundò, Illa actio qua modo conſeruantur, facile impeditur, & quodammodo ſuperatur à cauſis creatis, vt patet in omnibus mutationibus, deſtructionibus, & corruptionibus tum ſubſtantiarum, tum qualitatum. Illa autem qua omnia reddentur incorruptibilia, nulla vi creata impediri aut ſuperari poterit. Erit ergo fortior. Tertio, Naturalis conditio rerum iſtarum inferiorum eſt poſſe corrumpi ac proinde fieri incorruptibile, eſt ſupra illarum naturam: ergo etiam illa actio Dei erit ſupernaturalis & alterius rationis. Quartò Probatur à ſimili. Sicut enim quia ſupernaturale eſt accidentibus in myſterio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ per ſe exiſtere: & idcircò opus eſt actione & influxu ſupernaturali, nec poſſunt eodem influxu quo antè, cùm inhærerent ſubiecto, conſeruari; ita quia eſſe incorruptibile eſt conditio ſupernaturalis rerum, quæ antè erant corruptibiles, opus erit noua conſeruatione, quæ ſit ſupernaturalis.

41 *Non requiri influxum potentiorem, ut fiat incorruptibilis.*

Sed contrarium ſentio omnino eſſe verius, Non requiri influxum potentiorem aut ſupernaturalem proprie loquẽdo, ſed ſufficere influxum ordinis naturalis, quo Deus res ordinariè conſeruat, cum decreto illum ſemper continuandi, & nunquam imminuendi.

Probatur Primò, Quia hæc actio & hic influxus quo Deus res ſe ſolo conſeruat, ita potens eſt, vt per illum eas è nihilo producere poſſet, ſi non exiſterent: vel ſi ſint formæ aut qualitates exiſtentes in materia vel ſubiecto; per illum influxum, quo ibi conſeruantur, poſſent ibi produci, vt ſuprà

prà oſtenſum. Fruſtra ergo quæritur potentior influxus. Quænam enim actio poteſt eſſe potentior in effectù, quam ea quæ ipſum ex non eſſe ad eſſe produceret, ſi ipſe non exiſteret? Etſi enim actio poſſit dici potentior, quæ maiorem effectum producit: tamen reſpectu eiuſdem effectus non video cur in ſe & phyſicè poſſit eſſe potentior. Si per qualitatem ſupernaturalem impatibilitas conferretur; tunc ſanè opus eſſet potentiore influxu ad illam qualitatem producendam & conſeruandam, non tamen opus foret influxu intrinſeco fortiore ad conſeruandum corpus humanù, eiuſque naturales diſpoſitiones. Hæc enim immediatè conſeruarentur per illam qualitatem, quæ ad hunc finem daretur. Verùm ſuprà oſtenſum eſt, talem qualitatem non eſſe neceſſariam, & proinde ex ea parte non requiri potentiorem influxum.

42 Secundo, Si eſſet potentior influxus & diuerſæ rationis ab eo quo res antè conſeruabatur, deberet in ipſo effectu reſpondere aliqua noua ratio formalis poſitiua, quæ anteà non inſuit: potentior enim influxus debet habere terminù per ſe meliorem, alioquin fruſtrà diceretur potentior. Atqui nulla talis ratio formalis poſitiua in effectu reperitur. Nec obſtat quòd res iam dicatur incorruptibilis, cùm ante eſſet corruptibilis; quia quòd dicatur incorruptibilis, non prouenit ab aliqua forma vel qualitate poſitiua; ſed ex eo quòd tota diſpoſitio naturalis conſeruetur immutabiliter in eodem ſtatu; quod fieri poteſt ſine vlla qualitate aut forma noua. Simili modo probare poſſemus illum influxum non eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia, cùm nullus terminus ſupernaturalis in effectu ei reſpondeat: ſupponimus enim, non requiri qualitatem ſupernaturalem.

43 *Deus ita firmiter omnia intrinſecum continet, vt niſi ipſe annuente & laxante manù nihil poſſit perimi.*

Denique hæc ſententia videtur dignior diuina maieſtate, magiſque conſentanea perfectiſſimo eius dominio, & perfectiſſimæ manuteneatiæ, qua continet omnia, & influit entitatem actionum, influxuum, & qualitatum multiplicitatem, quæ ſine neceſſitate non eſt ponenda. Per hæc enim ſententiam facile explicamus, qua ratione Deus poſſit hominem illæſum in medijs ignibus præſtare, neque qualitatem nouam quæ igni reſiſtat imprimendo, neque concurſum ſuum igni ſubtrahendo; nimirum continuando influxum, quo qualitates & temperamentum corporis illius cõſeruat. Et hoc modo videtur feciſſe in fornace Babyloniea: nam ignis iſte non erat deſtitutus concurſu diuino, cùm miniſtros incenderet, pueris tamen nihil moleſtiæ intulit; ergo ex parte ſua mumri erant, & velut incorruptibile, vt etiam S. Auguſtinus epiſtola 146. ad Conſentium notauit. Item facile oſtendimus qua ratione poſſit omnia corruptibilia repente facere incorruptibilia abſque vlla phyſica rerum mutatione, ſolo decreto ſuæ voluntatis ſtatuendo influxum conſeruatiuum numquam remittere, ſed in eodem tenore continuare.

44 Denique qua ratione fiant rerum mutationes, & alia ab aliis corrumpatur. Nihil enim, ſiue forma ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis, quod ſemel eſſe accepit, & à ſolo Deo effectiuo influxu conſeruatur, permittitur extingui, aut perire poteſt, niſi Deo influxum ſuum conſeruatiuum ſenſim vel ſubitò ſubducente. Non enim directè & propriè interitus rei eſt ab actione contrarij, ſed vt detur locus actioni & paſſioni, ſiue mutatio in rebus, Deus influxum conſeruatiuum ad præſentiam agentis relaxare incipit. Explico exẽplo. Deſitio frigoris in aqua non fit directe actione ignis, vt quæ tendat ad aliquid poſitiuum, nempe ad calorem producendum. Similiter nec propriè eſt a calore producto; quaſi calor ingreſſus in aquam pugnet cum frigore, & extrudat frigus. Nam eodem momento quo primus gradus caloris intrat in aquam, gradus frigoris illi repugnans deſijt eſſe, & ſolum fuit cùm alter non eſſet: vnde non potuit alter alterum propriè expellere. Dicitur tamen calor expellere frigus, quia dato locus ignis actioni, Deus ſenſim ſubtrahit frigori concurſum conſeruatiuum, vt ſenſim deſinat, & impreſſio caloris, quam ignis facit, poſſit recipi. Hinc calor dicitur expellere frigus formaliter: quia ſimul cum illo nequit in eodem ſubiecto conſiſtere; non quia aliquid in frigus agit. Quòd ſi Deus vellet ſuum influxum in frigus æquabiliter continuare, calor maneret foris, nec vllam poſſet intrare in aquam, aut eam afficere.

Quomodo fiat conflictus cauſarum, & actio in contrarium.

45 Neque magis mirum videri debet res non poſſe deſinere, niſi Deo ſubtrahente concurſum; quàm eas non poſſe agere, niſi Deo illis præbente concurſum. Sicut ergo ad actionem eſt neceſſarius concurſus, ita ad deſitionem neceſſaria eſt influxus conſeruatiui ſubtractio. Sic Deus in omni actione, qua datur aliquod eſſe, multipliciter dominatur. Ipſe enim rebus omnibus vires dedit, ipſe eaſdem conſeruat, ipſe ad omnem earum operationem præbet cõcurſum, ipſe locum in ſubiecto parat in quo effectus productus excipiatur, ſubtrahendo influxum illi formæ, cum qua ſimul effectus producendus non potuiſſet conſiſtere: denique actione creaturæ ceſſante, ipſe rurſus accurrit, & nouo influxu eam conſeruat in eſſe. tanti eſt quodlibet eſſe. Loquor de omnibus illis quæ à ſolo Deo conſeruantur: nam eorum quæ ſimul à creatura conſeruantur, ratio nonnihil eſt diuerſa.

Ex his facile eſt reſpondere ad ea quæ contra hanc ſententiam numero 40. ſunt allata. Nam ad Primum neganda eſt conſequentia. Etſi enim actio conſeruatiua non reddat modo res incorruptibiles, id non prouenit ex imbecillitate vel tenuitate actionis; ſed ex eo quòd Deus illam, durante hoc mutabilitatis ſtatu non decreuit continuare, ſed remittere & ſubtrahere cauſis actiuis præſentibus, vt poſſint eſſe rerum mutationes. Porrò eſſe corruptibile & incorruptibile reſpectu eiuſdem rei comparatæ ad diuerſos ſtatus, non dicunt diuerſas qualitates phyſicas, ſed ſolum diuerſas denominationes, prouenientes ex eo quòd Deus ſuum influxum decreuit continuare, vel non continuare, ſicut explicatum eſt.

46 *Ad argumenta in contrarium. Cur modo res ſint corruptibiles.*

Ad Secundum, Quòd actio conſeruatiua in hoc rerum ſtatu facilè impediatur, & quaſi vincatur, non prouenit ex eius debilitate vel imperfectione intrinſeca (ſicut cùm res debilior vincitur à fortiori) ſed ex eo quòd Deus admoto agente contrario, ſtatuerit illam ſponte ſubtrahere. Quòd ſi quis illam hac ratione velit appellare debiliorem, & alteram fortiorem; per me licet: modò tamen ſciat, hanc quæ dicitur fortior, nihil phyſicum habere præ illa, quo ſit fortior; ſed ſolùm videri fortiorem, quia vinci non poteſt.

Ad Tertium, Fateor illam cõditionem incorruptibilem, rebus illis corruptibilibus fore quodammodo ſupernaturalem, quia eſt indebita eorum naturæ conſideratæ ſecundum ſtatum præſentem qui vocatur naturalis. Et hac ratione poteſt etiam illa actio conſeruatiua, qua reddentur incorruptibiles, dici ſupernaturalis: quia eodem modo eſt indebita cum tali continuatione. Nec refert quòd ſit debita ſtatui futuro, quia totus ille ſtatus erit ſupernaturalis. Itaque erit quidem actio illa connaturalis illi ſtatui, & rebus quatenus ſub tali ſtatu ſpectantur; ipſis tamen rebus in ſtatu naturali conſideratis, erit ſupernaturalis. Hinc tamen non ſequitur, fore ſupernaturalem in ſubſtantia, ita vt habeat terminum ſupernaturalem diſtinctum ab ipſa rerum natura, vt argumentum intendit. 47

Ad Quartum, Quidam putant illam actionem, qua ſpecies in myſterio Euchariſtiæ extra ſubiectum ita conſeruantur, vt per ſe exiſtant, eſſe plane diuerſam ab ea, qua conſeruabantur in ſubiecto. Primò, Quia in ſubiecto conſeruabantur ſolo influxu generali, qui non ſufficit vt exiſtant extra ſubiectum. Secundò, Quia in ſubiecto habebant dependentiam à ſubiecto, ita vt ſine eo non poſſent eſſe: quę dependentia debet à Deo per ſpecialem influxum ſuppleri. Non enim poteſt ſuppleri per priorem, alioquin etiam ante ſuppleta fuiſſet, & ita à ſubiecto non dependiſſent, quod implicat. Tertiò, illa actio qua in ſubiecto conſeruabantur, erat naturalis: ergo ſi eadem conſeruantur extra ſubiectũ, naturaliter poſſunt exiſtere ſine ſubiecto. Quo ſemel poſito, ſequetur, animas brutorum non minus poſſe naturaliter exiſtere & conſeruari extra ſubiectum, quàm animam rationalem. 48 *Quæ actiones conſeruentur ſpecies in SS. Euchariſtia.*

Humanitas Chriſti non conſeruatur eadem actione dũ eſt vnita Verbo, qua conſeruaretur ſi per ſe exiſteret ſeparata: quia dũ eſt vnita, habet eſſe dependens à Verbo, & quodammodo debilius; ergo idem ſeruata proportione, dicendum de accidentibus.

Verum, ſaluo meliori iudicio, ſentio verius eſſe eadem actione & eodem influxu quo Deus conſeruabat illa accidentia (albedinem & ſaporẽ) in ſubiecto, etiam conſeruari extra ſubiectum; Deo eumdem influxum, dum ſubiectum ſubtrahitur, circa accidentia continuante. 49 *Eadẽ actione ſecũdum ſubſtantiam conſeruantur in ſubiecto & extra.*

Probatur hæc ſentẽtia, Quia ſi vt hæc accidentia cõſeruentur, opus eſt nouo Dei influxu, id vel ex eo prouenit, quia

ali

alicuius cauſæ creatæ influxus debeat ſuppleri; vel ex eo quod aliquid noui in ea ſit producendum, ratione cuius opus ſit noua actione. Sed neutra ratio hic locum habet: ergo non requiritur nouus influxus. Maior patet, Quia frustra quæritur nouus & fortior influxus, vbi nec noui quidpiam producitur, nec aliqua cauſa, quæ influere debeat, eſt ſupplenda. Minor probatur, Quia nulla hic cauſa effectiuè conſeruans deeſt, cum ſolus Deus illas ſpecies effectiuo influxu in ſubiecto conſeruet: ſuppono enim, albedinem illam non pendere effectiuè à ſubſtantia panis, ſed à ſolo Deo. Quod ſi quis poneret, illam dependere etiam à pane per intimum influxum ſubſtantiæ panis in entitatem albedinis: tunc neceſſariò dicendum foret, opus eſſe nouo influxu, quo influxus panis ſupplereturpane deſinente. Eo tamen poſito, totus influxus Dei, quo actio panis ſupplereturnon eſſet alterius rationis, neque maior aut fortior quàm ſit modo, cùm ſolus rem conſeruet: neque ea poſitio vllo modo officeret noſtræ ſententiæ, quam hic probare contendimus. Verùm ſuppoſito eo quod longè verius eſt, illa accidentia à ſolo Deo conſeruari in ſubiecto: perſpicuum eſt, pane deſinente, non eſſe vllam actionem ſupplendam, vt albedo conſeruetur in ſua entitate, cùm tota eius entitas à ſolo Deo effectiuè pendeat. Itaque conſtat, non requiri nouum concurſum ad ſupplendam actionem cauſæ conſeruantis.

50 *Nullus modus poſitiuus requiritur vt per ſe exiſtat.*

Sed neque altera etiam ratio hic locum habet: quia in accidentibus nihil poſitiui noui producendum vt extra ſubiectum conſeruentur, ſed ſolùm aliquid amittunt, nempe vnionem cum ſubiecto quam antè habebant; & loco illius nihil acquirunt poſitiui, vt fusè docet Scotus in 4. diſt. 12. qu. 1. Et ratio eſt ſatis manifeſta, quia nulla eſt neceſſitas, imò nullus vſus illius poſitiui. Sic etiam anima rationalis cùm ſeparatur à corpore, non acquirit modum poſitiuum ſubſiſtendi per ſe, qui repugnet vnioni corporis: quia amitteret propinquam aptitudinem ad corpus, & horreret potiùs corporis vnionem quàm appeteret, cùm haberet in ſe modum ſubſtantialè vnioni corporis prorſus repugnantem. Idem & potiore ratione dicendum de accidentibus. Addo, quòd etiamſi quis poneret talem modum poſitiuum exiſtendi per ſe in accidentibus, non neceſſariò tamen ponere deberet nouum influxum, quo ille modus produceretur: etſi forte hoc paſſim ſit fundamentum eorum, qui requirunt nouum & ſupernaturalem influxum, vt accidens per ſe ponatur. Ratio eſt, quia modus ille per quamdam reſultantiam produci poterit abſque nouo influxu in ipſâ entitatem rei; ſicut aiunt quidam produci relationes, & rationem hypoſtaticam, & ipſum vbi, & ſuperficies, & puncta. Quæ omnia ſi ſint modi poſitiui ex natura rei diſtincti à rebus, reſultant ex vi illius influxus, quo res ipſa ponitur. Verùm quidquid ſit de tali productionis modo, nos contrario fundamento nitimur cum Scoto & alijs viris doctiſſimis, qui nullum talem modum poſitiuum in illis accidentibus agnoſcunt: & ita non requirimus maiorem aut nouum influxum.

Quomodo accidens pendeat à ſubiecto.

Dices, Accidens in ſui conſeruatione, ſicut & in productione, non ſolùm pender à cauſa effectiua, ſed etiam à materia, ſeu ſubiecto: atqui hæc dependentia debet ſuppleri; ergo opus eſt fortiori concurſu.

Reſpondeo, In accidenti duo ſpectari poſſe, nempe entitatem ipſius, & modum exiſtendi naturalem, ſeu naturaliter debitum, qui conſiſtit in vnione cum ſubiecto. Si loquamur de iſto modo, hic dependet è ſubiecto eſſentialiter, & ita nulla ratione ſuppleri poteſt: implicat enim vt accidens habeat illum modum vnionis extra ſubiectum. Itaque neceſſariò hic modus perit ſubiecto pereunte, nec quidquam ratione illius hic ſupplendum. Si verò loquamur de ipſa accidentis entitate, ea non pendet eſſentialiter à ſubiecto: non enim talis modus exiſtendi eſt eſſentialis illi entitati, ſed accidentalis, vt probat Scotus d. 12. qu. 1. ac proinde entitas accidentis conſeruari poteſt à Deo ſine illo modo; idque eodem influxu, quo anteà conſeruabatur. Omne enim prius natura, poteſt conſeruari in ſuo eſſe per ineuitum Dei influxum, quem accipit, deſinente eo quod eſt poſterius, & ipſi quaſi accidentale; quod per ſe notum videtur ex terminis. Nam prius natura dicitur id, à quo aliud ita dependet, vt ipſum ſine illo diuinitus ſeruari poſſit, etſi non contrà. Sic eſſentia cuiuſlibet rei eſt prior ſuis accidentibus & modis qui ipſi inſunt, & ab illa dependent: quia Deo continuante ſuum influxum in eſſentiam, ipſa perſtabit, etiam accidentibus & modis omnibus prioribus euaneſcentibus. Neque vlla eſt ratio cur nouus requiratur influxus; cùm nihil illorũ habeat influxum in ipſam eſſentiam, ſed omnia ſint poſteriora. Quo poſito tamquam perſpicuo, ſubſumo, atqui entitas accidentis eſt prior natura quàm modus ille exiſtendi in ſubiecto, ſeu vnio cum ſubiecto, cùm modus pendeat à re quam afficit, vt per ſe notum eſt, & patet in omnibus alijs modis: ergo poteſt conſeruari in eſſe, deſinente illo modo, nec opus eſt maiore influxu. Confirmatur, Quia ſi non eſt opus nouo aut maiore influxu vt eſſentiæ rerum cõſeruentur à Deo, exinctis accidentibus, ſed poteſt Deus priorem influxum in eſſentiam cõtinuare, cùm hic ab illis accidentibus, vtpote natura poſterioribus non pendeat, cur opus erit nouo & maiore influxu vt entitas accidentis conſeruetur ſine illo modo, qui ſimiliter eſt natura poſterior?

53 *An entitas accidentis ſint natura prius quã modus vnionis.*

Dices, Quando accidens in ſubiecto producitur, non priùs natura producitur eius entitas, quã modus vnionis, ſed ſimul natura hæc duo producuntur; quia cum mutua dependentia: ergo entitas accidentis non eſt prior natura propriè, quàm ſit vnio cum ſubiecto; ac proinde non poterit abſque nouo influxu conſeruari extra ſubiectum. Confirmatur, Quia accidens educitur de potentia ſubiecti, ſicut forma de potentia materiæ. Ergo non priùs natura eſt eius entitas, quàm ſit vnio.

Accidens ſecundum ſe eſt prius natura, quàm vnio eius: licet non vt ſubeſt tali modo producendi.

Reſpondeo, Aliud eſt, entitatem accidentis ſecundùm ſe eſſe priorem naturam ipſius vnione cum ſubiecto: aliud illam eſſe priorem vt ſubeſt modo naturali producẽdi, ſeu illam priùs natura tali productione produci. Prius aſſeruimus, poſterius minimè. Cùm enim modo ſibi naturali, ſeu naturæ ſuæ conſentaneo producitur, producitur dependenter à ſubiecto, ita vt ſine illo nihil fieret. Vnde entitas accidentis in illo modo productionis, non concipitur producta priùs quàm vnita, & productio entitatis depẽdet à productione vnionis non abſolutè, ſed in illo dumtaxat producẽdi modo. Etſi enim entitas accidentis ſecundùm ſe ſit prior natura ſua vnione: tamen quia omnis talis entitas natura ſua inſtituta eſt ad perficiendas & ornandas ſubſtantias, naturalis illius conditio poſtulat vt non producatur niſi in ſubſtantijs, ita vt niſi adſit ſubſtantia in qua producatur, agens naturale nihil poteſt efficere. Itaque entitas accidentis, vt ſubeſt naturali modo productionis, non concipitur priùs natura produci, quàm vnio eius, ſed cum mutua dependentia, ac proinde ſimul natura. Longe tamen eſt maior dependentia illius modi ab entitate accidentis, quam entitatis à modo; modus enim eſſentialiter dependet non ſolum à ſubiecto tamquam termino, ſed etiam ab entitate accidentis tamquam à re modificata. Entitas verò accidentis pendet à modo ſolum per accidens, quatenus illa entitas conſideratur vt ſubeſt naturali modo producendi vel exiſtendi. Secundum ſe autem præſcindit à tali modo, & ſic eſt independens, & prior natura. Simili modo eſſentia rerum ſpectata vt ſubeſt naturali modo exiſtendi, depẽdet à ſuis accidentibus; vt eſſentia leonis à talibus diſpoſitionibus, nimirũ quæ in corpore leonis; nec ea ratione eſt prior natura, abſolutè tamen & ſecundum ſe eſt prior & independens. Petes, Quid ergo ſubiectum præſtat entitati accidentis? Reſpondeo, nihil aliud propriè, quàm vt habeat ſummo modum naturalem exiſtendi: qui modus etſi naturæ ſit poſterior entitate accidentis, non poteſt tamen hæc entitas naturaliter ſine illo produci aut exiſtere; ſicut nec eſſentiæ rerum ſine accidentibus, quæ tamen ipſis eſſentijs natura ſunt poſteriora.

54 *Ad argumenta allata num. 48.*

Ex his perſpicuum videtur, eodem influxu quo accidẽs conſeruabatur à Deo in ſubiecto, poſſe conſeruari extra ſubiectum; nec opus eſſe ad hoc aliquo influxu, qui intrinſece & phyſicè ſit maior. Nec obſtant quæ contra num. 48. aliata ſunt. Nam quod primò adfertur de conſeruatione in ſubiecto per concurſum generalem, ante refutatum eſt. Ad ſecundum iam reſponſum eſt, & oſtenſum, dependentiam entitatis accidentis a ſubiecto non egere alia ſupplctione quàm continuatione concurſus diuini in illam entitatem. Ad tertium, Conſeruatio accidentis in ſubiecto eſt naturalis & ratione modi agendi, & ratione termini: conſeruatio autem eiuſdem extra ſubiectum non eſt naturalis, ſed abſolutè ſupernaturalis; non quo ad ſubſtantiam actus, vel termini poſitiui; ſed quo ad modum, &

Conſeruatio extra ſubiectũ eſt ſupernaturalis ratione termini priuatiui.

terminum quemdam primatiuum. Modus enim ita conseruandi est extraordinarius, & indebitus naturis rerum: & terminus quem ponit, est etiam rebus indebitus, earumque naturalem conditionem superat. Etsi enim existentia illius accedentis, eiusque entitas sit naturalis: tamen sic existere, nempe sine vnione cum subiecto, est illi supernaturale, & prorsus indebitum. Vnde dicendum est, illa accidentia supernaturaliter existere extra subiectum, non naturaliter. Itaque vanum est quod obijcitur de animabus brutorum. Si enim extra corpus à Deo conseruarentur (quod illi facillimum esset) planè supernaturaliter existerent: nam esti eodem influxu conseruarentur, & haberent eamdem existentiam, quam ante; tamen haberent modum quemdam existendi sibi indebitum, & solis substantijs intelligentibus congruentem, quem nulla causa naturalis modo & lege naturali operans posset dare. Ille tamen modus existendi debitus est animæ rationali, adeoque non est illi supernaturalis.

55 Petes, Quare corpore dissoluto potius animæ rationali debitus sit ille modus existendi per se, & influxus conservatiuus, quàm animabus brutorũ, cùm eodem influxu quo conseruabantur in corpore, possint in æternum permanere, si ille continuetur.

Respondeo, Omnium rerum conseruationem à libero Dei influxu pendere, multo magis quàm conseruationem lumiois in aere à sole: itaque comparatione potentiæ diuinæ omnia æquè sunt corruptibilia, vt expresse sancti Patres tradunt. Athanasius oratione contra idola, versus finem: *Creaturarum rerum natura quia ex nihilo constat, fluxa, imbecillis, morti obnoxia est, si ex se in æsum earum veniat:* Et Damascenus libro 2. De Fide cap. 3. *Immortalis Angelus est non natura, sed gratia: nam omne quod corpus, desinere suapte natura potest.* *Gratiam* vocat graturam Conditoris benignitatem, qua continuando suum influxum eas conseruat. Verùm etsi omnia æque egeant diuino influxu ad immortalitatem, & æquè illius subtractione in nihilum recidant; tamen quia quibusdam continuatio influxus naturali lege est debita, aliis minimè: hinc fit vt quædam non possint interire, quædam possint.

Omnia respectu potentiæ diuinæ æquè corruptibilia.

56 Porrò debita est continuatio diuini influxus, vel ratione excellentiæ naturæ, nimirum quia sunt imago Dei: hinc enim fit vt habeant functiones a corpore independentes & sublimissimas (nulla enim functio vitalis est passibilis, quæ sit præstantior cognitione & amore) ac proinde vt sint capaces diuinitatis, & sint locatæ in supremo rerum gradu: tales sunt Angeli, & animi rationales. Vel debita est, quia sunt veluti fundamenta, aut primariæ partes huius vniuersi corporei: vt cæli, & prima rerum aliarum materia, siue hæc distincta sit ab elementis, siue non, vt quibusdam magnis rationibus persuasum, & à veteribus Philosophis traditum. His omnibus debetur continuatio diuini concursus, ac proinde numquam interibunt, nec interire possunt; & dicuntur incorruptibilia, nimirum respectu causarum creatarum, quia ab his corrumpi non possunt. Hæc enim nomina, corruptibile & incorruptibile, sunt respectiua, & dicunt ordinem ad causam efficientem, sicut generabile & ingenerabile: quod etiam notauit Gabriel Vasquez 3. part. disput. 162.

Continuatio influxus diuini quibus debita, quibus non: & quare.

Dicuntur incorruptibilia respectu causarum creatarum.

Alijs verò rebus continuatio diuini influxus non est vllo modo debita; qualia sunt omnia corpora mixta, & omnia viuentia, vt plantæ & animalia, eorumque animæ: quia non habent operationem nisi à corpore dependentem, & tolùm ad tempus vt homini seruiant, sunt instituta.

Ex his patet, cur animæ rationali potiùs debitus sit influxus conseruatiuus corpore dissoluto, quàm animabus brutorum; & cur illæ sint immortales, non illæ. Vnde non probatur ratio illa quam quidam adferunt, ideò animas brutorum esse mortales, quia eo influxu quo conseruantur in corpore, nõ possent extra corpus conseruari, etiamsi Deus vellet illam continuare; sed opus esse nouo & longè potentiore influxu. Argumenta enim à nobis allata videntur contrarium euincere.

Ad quartum, Quidam existimant vt humanitas Christi vniatur Verbo, & in illa vnione conseruetur, supra illud esse quod suapte natura habet, & supra influxum illum quo esse suum naturale accipit, requiri nouum & longè excellentiorem influxum, quo illud idem esse conseruatur dependens ad Verbum diuinum: quo influxu continuato conseruetur illa humanitas vnita, ita vt sine illo non possit vnita conseruari.

Verùm hæc sententia non placet: quia ponit esse humanitatis Christi in scipso quasi replicatũ, & virtute duplex, & inducit duos distinctos influxus productiuos, & conseruatiuos illius humanitatis; alterum ordinis naturalis, alterum planè supernaturalem: quæ multis modis refutari possent. Vnde dico, eamdem actionem, qua humanitati Christi confertur esse naturale, sufficere ad eam conseruandam vnitam Verbo, posito influxu quo producitur & conseruatur modus ille supernaturalis, quo ipsa formaliter vnitur Verbo. Eadem actio etiam est sufficiens ad conseruandam humanitatem, etiamsi vno cum Verbo solueretur. Vnde hinc argumentum sumi potest pro nostra sententia. Sicut enim non requiritur noua vel fortior actio conseruatiua, vt humanitas ita conseruetur separata, quàm coniuncta, vel contrà, ita non requiritur fortior actio, vt species seruentur separatæ, quàm coniunctæ.

Humanitatis Christi ità seruatio in Verbo non fit per nouum influxum productiuum.

Sed duo adhuc superstant argumenta contra sententiam à nobis explicatam. Primum est, Si eodem influxu quo accidens conseruatur in subiecto, potest conseruari extra subiectum; ergo causa creata cum solo concursu Dei generali, ac proinde naturaliter poterit accidens producere extra subiectum. Cùm enim habeat vires naturales sufficientes vt producat illud in subiecto, etiam habebit sufficientes vt illud producat extra subiectum; & consequenter vt creet. Respondeo negando vtranque consequentiam. Etsi enim cum concursu generali habeat ignis sufficientes vires naturales vt producat calorem in subiecto, non tamen vt cum concursu generali (propriè loquendo) producat illum extra subiectum. Concursus enim generalis vocatur, qui non solùm ex se generalem gradum in effectu respicit, sed etiam rebus ad suas ordinarias functiones esse debitus: vtrumque enim ad rationem concursus generalis Dei requiritur. Itaque concursus qui daretur igni ad producendum calorem extra subiectum, non esset proprie concursus generalis, aut naturalis (quia nullo modo debitus est igni concursus aliquis, nisi præsente subiecto quod effectum excipiat) sed specialis & supernaturalis: quia specialissimo & extraordinario modo datur, & est naturæ ignis prorsus indebitus. Itaque est supernaturalis tum ratione modi conferẽdi, tum ratione termini priuatiui quem ponit. Existere enim eum illo modo negatiuo, nempe sine vnione cum subiecto, est supra naturam caloris producti. Quare etsi ignis habeat sufficientes vires naturales respectu entitatis accidentis secundum se consideratæ, non tamen vt habet talem modum existendi, ac proinde non potest naturaliter illum sic producere. Vt enim causa secunda *naturaliter aut natura sua* dicatur posse affectum aliquem producere, requiritur vt vires eius naturales naturali & ordinario modo cum solo concursu generali operantes sufficiant; alioquin non dicetur naturaliter, neque naturæ viribus, sed supernaturaliter, & per potentiam obedientialem producere; quo modo causam secundam posse aliquid creare (si productio formæ accidentalis sine subiecto, creatio dicenda sit) nihil vetat.

Quid requiratur vt aliquid dicatur naturaliter posse produci.

Alterum argumentum.

Alterum argumentum est, Vt causa efficiens producat quatuor gradus caloris vel luminis in loco distante, requiritur fortior influxus, quàm vt producat totidem gradus in loco propinquo, & tamen effectus est idem. Ergo simili modo requiretur fortior influxus, vt calor quatuor graduum conseruetur extra subiectum, quam in subiecto: & vt conseruetur contra impugnationem magni frigoris, quam parui. Confirmatur: Quia si quis se velit firmare in certo loco, maior vis requiritur vt se firmet contra validum impulsum, quàm vt se firmet contra debilem. Vnde si se firmiter solùm roboret vt sex, non poterit resistere impulsui vt decem. Ergo simili modo, si Deus conseruet calorem in aqua per influxum qui sit instar sex, non poterit resistere frigori vt decem, nisi influxum suum augeat, & intrinsecè reddat potentiorem.

Respondetur. Non requiritur fortior influxus intrinsecus ad effectum producendum extra locum remotiorem.

Respondeo, negando requiri fortiorem influxum, qui sit intrinsecus effectui, quando producitur in loco remoto. Etsi enim requiratur maior vis in causa, non tamen requiritur maior vel intensior influxus in ipso effectu producto, nisi effectus quoque sit maior; quia cùm termini intrinsecus illius influxus vel actionis, sit ipse effectus pro-

sed maior vis in causa.

productus, non poteſt influxus vel actio eſſe in ſe maior, niſi quoque effectus in ſe creſcat. Quia tamen cauſa non poteſt producere in loco remoto, niſi producat aliquid in medio vicino, requirit fortiorem influxum vt aliquid producatur in remoto, quàm in vicino. Quòd ſi nihil ſit producendum in medio, propriè non dicetur requiri maior influxus, ſed maior vis: maioris enim virtutis eſt, effectum producere in longinquo, quàm in vicino. Itaque ſicut eadem influxus quo res producitur in propinquo, ſufficiens eſt ad eam producendam in loco remoto, modo vis agentis ſit maior, ita vt poſſit talem influxum in loco tam remoto ponere; ita eadem influxus quo res conſeruatur in ſubiecto, ſufficiens eſt ad conſeruandam eam extra ſubiectum, modo vis agentis tanta ſit, vt poſſit illam extra ſubiectum producere. Pari modo vt calor quo quis gradum conſeruetur contra impugnationem magni frigoris, non eſt opus vt fortior vel intentior ſit influxus quo calor intrinſecè conſeruatur; ſed opus eſt, vt vis conſeruantis ſit fortior quam vis impugnantis, ita vt non cogatur remittere ſuam actionem, qua non conſeruat.

Duo impetus contrary poſſunt eſſe in eodem.

Ad confirmationem, conceſſo antecedente, neganda conſequentia. Alia enim eſt ratio impetus quo quis ſe firmat in loco; alia aliarum formarum, vt caloris, frigoris, & ſimilium. Impetus enim etſi conteruetur in ſubiecto, ſecum tamen contrarium impetum admittit, qui, ſi fortior ſit, rem e loco ſuo expellet: vt ſi terra cota moueretur impetu ſurſum, retineret nihilominus impetum deorſum, & ſimul ad contraria loca impetum haberet. At calor, frigus, & ſimiles qualitates non poſſunt ſimul eidem ſubiecto ineſſe, ſaltem in gradibus qui poſſint notabiliter ſentiri. Vnde conſeruato calore ſex graduum, fieri nequit vt frigus decem graduum in illud ſubiectum agat. Quare cum Deus poſſit continuare ſuum influxum, quo calorem illum conſeruat; ſi id faciat, frigus vt decem nihil poterit, nec vim vllam ſubiecto inferet, cum ſubiectum, perſeuerante illo calore, non ſit capax talis impreſſionis.

Potentia & debilitas influxus vnde æſtimanda.

Nec refert quòd Deus conſeruet illum calorem influxu remiſſiore: quia potentia vel debilitas influxus conſeruatiui reſpectu ſui termini, non eſt æſtimanda ex graduum multitudine vel paucitate; ſed ex potentia vel imbecillitate cauſæ conſeruantis. Si enim cauſa eſt debilis, facilè eius influxus vincitur à contrario potentiore, quia non poteſt illum continuare. Si eſt omnipotens, nullo modo vinci poteſt, ſed contra omnes cauſarum creaturam impreſſiones poteſt ſuum influxum conſeruare & continuare. Ideo faceret ignis, ſi eſſet omnipotens, quamuis influxus eius eſſet ſolum quatuor graduum. Addo, omnem influxum Dei, quo ſolus ram nunc conſeruat, eſſe ita potentem, vt reſpectu illius termini non poſſit eſſe potentior, ſiue ſit intenſus, ſiue remiſſus.

Causis influxus quo Deus ſolus rem cõſeruat, eſt potentiſſimus, qui eſſe poteſt reſpectu illius termini.

58 Hæc de pulcherrima & difficillima quæſtione paulò fuſiùs dicta ſint, quia parcius ab aliis tractata. Dicet forte aliquis, hanc ſententiam eſſe nouam. Sed noua dicenda non eſt, quæ tam antiquis & ſolidis fundamentis, ab omnibus fere Doctoribus & Sanctis Patribus ſuppoſitis, innititur; præſertim cum ad Dei potentiam & creaturæ dependentiam declarandam maximè pertineat.

Ex quibus patet Primo, Qua ratione Deus corpora Beatorum poterit impatibilia efficere, abſque qualitate ſuperaddita: omnium per intimum & potentiſſimum influxum, quo omnia conſeruat i illum immutabiliter continuando. Secundo, Qua ratione poſſit omnes rerum corporalium eſſentias in nihilum redigere, conſeruatis omnibus accidentibus abſolutis, & realiter ab eſſentia diſtinctis, nullaque in illis poſitiua facta mutatione. Tertiò, Qua ratione poſſit eo nihilum permittere euaneſcere omnia accidentia, conſeruatis omnibus rerum eſſentiis.

CAPVT V.

De claritate corporis glorioſi: quid ſit, & quomodo illa corpora afficiat?

Tres modi quibus corpora poſſunt dici clara.

59 DVrandus in 4. d. 44. q. 3. ponit tres modos quibus corpora Beatorum poſſunt dici clara.

Primo, Quia habent purum & optimum colorem, & figuram perfectiſſimam ac diſtinctiſſimam, quibus ſe oculis intuentium perfectè manifeſtant. Hoc modo dicimus aliquem eſſe ſplendido habitu, vultu, colore, forma, ratione enim & perfectis coloris ac figuræ.

Secundo poſſunt dici clara, quia cum ſint terſa & polita, inſtar gladij, inquit Durandus, ex incidentia radiorum ſolis vel alterius corporis luminoſi fulgent: ſicut ſpeculum cryſtallinum vel calibeum ſoli expoſitum.

Tertio poſſunt dici clara ratione lucis æternæ, ſicut ſol & ſtellæ.

Primus modus placet maximè Scoto d. 49. q. 15. non tamen negat tertium, ſed videtur dubitare an ſit poſſibilis. Secundus placet Durando; ita tamen, vt dicat ſe nolle negare tertium, quem etiam benè probat.

Verum dicendum eſt, Claritatem illam nõ eſſe colorem eximium ſe clarè manifeſtantem, aut polituram corporum extrinſeca luce incidente; ſed veram lucem corporalem intrinſecam corporibus Beatorum. Ita communiter omnes Theologi in 4. d. 49. Probatur, Quia Scriptura aperte dicit, quòd, *Iuſti in regno caloris fulgebunt ſicut ſol, & ſicut ſtellæ*, quod ſanè nimis improprie & hyperbolicè dicerent, ſi ſolum haberent eximium colorem ſe benè manifeſtantem, vel ſolum eſſent polita inſtar ſpeculorum, nec haberent lucem intrinſecam. Deinde abſurdum videtur, ea non habere claritatem, niſi dum ſunt expoſita ſoli vel alicui lucernæ, & debere ab illis hanc pulchritudinem mendicare: nec poſſe vt ſua illuminare cubiculum, & tenebras noctis diſpellere. Nimis ſita ſunt humilia, & ſtatui illi indigna, & multis Sanctorum apparitionibus repugnat, qui cum magno ſplendore etiam nocturno tempore ſe conſpicuos hominibus exhibuerunt. Non enim putandum eſt, illos maiore tunc gloria apparuiſſe, quam reipſa in ſuis corporibus ſunt habituri. Non enim deceret falſam gloriam ſibi vindicent, aut mortalibus tali ſpecie imponant. His accedit, quòd Domini facies in Transfiguratione, cum ſpecimen gloriæ futuræ diſcipulis, & toti Eccleſiæ ſuæ vellet exhibere, reſplenduit ſicut ſol, non luce aliena, vel extrinſecus à ſole veluti in ſpeculum politum incidente: ſed luce propria & intrinſeca. Vnde S. Ephræm Homilia de Transfiguratione. *Chriſtus tunc ſuo corpore tanquam ſol ſuis radijs reſplenduit gloria ſuæ diuinitatis.* Et Euthymius in capit. 17. Matthæi: *Transformatus eſt corpore quidem in propria figura manente, diuino autem ſplendore modicum quiddam in eo detegente, ac faciem eius illuſtrante, ſpeciemque illius ad maiorem Dei ſimilitudinem immutante.* Proueniebat itaque ille ſplendor ab intrinſeco.

dici clara iuxta Durandum.

60 *Non eſt color eximiè ſe manifeſtans, ſed vera lux corporalis, & intrinſeca corporibus Beatorum. Matth. 13. Daniel 12.*

Pari modo Dominus & Angeli in viſione apparent Ioãni facie inſtar ſolis fulgida: vt ſciamus quanta ſit ciuium illius regni gloria. Apoc. cap. 1. 10. & 18.

Matth. 17.

Neque dici poteſt, reliquorum Sanctorum gloriam tandem non fore: tum quia *erunt ſicut Angeli Dei*, quorum gloria nunc ſub tanto ſplendore declaratur, tum quia Dominus transfiguratus fuit, vt, ſicut ſanctus Leo, ait, *totũ corpus Eccleſiæ agnoſceret quale eſſet commutatione donandum: vt eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, quæ in capite præfulſiſſet.* Idem docent reliqui Patres. Itaque certum ſit, omnes Sanctos tali luce in ſuis corporibus donandos.

Matth. 13.

61 Dices, Si corpora illa ſunt intrinſecè lucida inſtar ſolis, quomodo illa lux non conſpicitur, dum apparent hominibus. Nec enim Apoſtoli lucem talem in Domini corpore poſt reſurrectionem viderunt?

Reſpondeo, Quia in poteſtate illorum eſt, lucem illam cohibere, ne ſe foras effundat, neve aerem illuminet, vel oculos intuentium verberet. Simili modo poſſunt cohibere natiuum colorem & figuram, ne ſpecies diffundat, ſicque reddere ſe inuiſibiles mortalibus: non quòd in illis ſit vis aliqua realis & phyſica, qua id impediant, aut quòd vſus illarum qualitatum ad effundendas ſpecies, vel cohibendas, ita ſubſit eorum libertati, ſicut vſus membrorum, vt quidam videntur ſenſiſſe: ſed quia Deus ita illis inſtituit, vt ipſis volentibus ſuum concurſum præbeat, vel eumdem ſuſpendat: ſine quo concurſu neque lux diffunderet lumẽ, neque color ſpecies, vt rectè docet Scotus d. 49. quæſt. 15. Et hoc modo intelligi poteſt, quod dicit S. Thomas, & quidam alij Doctores, omnia quæ Beatis ſuppoſita ſunt coniuncta, eſſe ſubiecta quoad operationem imperio voluntatis ipſorum.

Dico Secundò, Hæc lux non ſolum erit in extima ſuper- 62
ficie

Tota enim lucida, etiã interius.

ficie corporis, sed etiam in intimis partibus; neque solum in facie, sed etiam in toto corpore.

Prior pars huius assertionis patet ex sole, stellis, igne, aliisque lucidis corporibus, quæ tota interius & exterius lucida sunt: immo fieri nequit vt color aut lux sit in sola superficie; quia cum superficies solum sit modus quidam corporis (si tamen est aliquid positiuum à corpore distinctũ) nihil habens solidæ entitatis, non potest esse subiectũ qualitatis solidam qualitatem habentis, qualis est lux & color. Idem confirmatur ex eo quòd totum corpus futurum sit pellucidum, vt infrà ex Patribus dicetur.

Altera etiam pars certa videtur: quia sicut anima lumine gloriæ plena, erit diffusa per totum corpus, omnesque eius partes; ita decet vt totum corpus lucidum sit, quo dignitati animæ inhabitantis respondeat. Nec obstat quòd Dominus in Transfiguratione solum facie instar solis dicatur fulsisse: quia vestes in Domino tegebant lucem corporis: ad quam tamen indicandam dicit Scriptura, *Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*, non enim decebat Dominum vel Angelos nudis corporibus apparere. Vnde vt gloriam internam declarent, satis erit faciem gloriosam ostendere. Quod autem Dominus toto corpore instar solis lucidus fuerit, docet clarè S. Ephræm Homilia De Transfiguratione, & Card. Cajetanus in cap. 17. Matthæi, multique alij.

Matth. 17.

Et quamuis Abulensis Episcopus q. 42. in cap. 17. Matthæi putet, Dominum in Transfiguratione non fuisse lucidum toto corpore, sed solum facie, eo quòd lux illa non posset esse conspicua Apostolis, quorum causa illa fiebant: tamen contrarium est probabilius. Et quamuis ita esset, non ideo tamen putandum, Beatos quoque in cælo non fore lucidos per totum: quia in cælo non erit vsus vestiũ. Vnde nec Abulensis, nec quisquam Doctorum dubitat, quin lux illa sit futura in toto corpore, non in sola facie. Sicut enim corpus nunc vniformem habet colorem per totum; & turpe foret si vultus esset candidus, reliquum corpus alterius foret coloris; ita decet vt nunc totum lucidum sit, & gloria illa per totum sit diffusa; minusque decès foret, si solus vultus splenderet, reliquo corpore splendore destituto. Denique hoc ipsum satis insinuant Scripturæ, dum non vultus Beatorum, sed ipsos totos comparant soli & stellis in fulgore: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum*. Et alibi: *Fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates*.

Matth. 13. Dan. 12.

64 *Probabile est, fore pellucida.*

Dico Tertiò, Valde etiam probabile est, corpora Beatorum non solum fore lucida, sed etiam pellucida & transparentia, ita vt totum artificium Conditoris in structura illorum corporum omnibus sit conspicuum: apparentibus omnibus visceribus, venis, arterijs, neruis, ossibus, iuncturis, cum suis coloribus, figuris, processibus, mensuris & proportionibus. Ita expressè docet S. Augustinus lib. 22. De Ciuit. cap. 30. *Omnes*, inquit, *illi, de quibus iam locutus sum, qui nunc latent harmonia corporalis nostri, non latebunt extrinsecus & extrinsecus per corporis cuncta dispositi; & cum ceteris rebus quæ ibi magna & mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti Artificis laudem rationalis pulchritudinis detectatione succendent*, vbi etiam causam exprimit cur id conueniat. Idem Augustinus lib. 2. De Genesi contra Manichæos cap. 21. docet, omnia viscera ita fore conspicua in corporibus beatis, vt ex eorum motibus possint cognosci motus animorum, sicut modò ex vultu & oculis cognoscitur lætitia animi, vel tristitia: *Neque*, inquit, *in illis corporibus cælestibus* (id est, cælesti qualitate & sorte præditis) *non latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in hoc corporibus latent, sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis, sic in illa perspicuitate & simplicitate cælestium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror*. Eamdem doctrinam de visceribus conspicuis docet Gregorius lib. 18. Moralium cap. 3. *Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, & sic quisque erit conspicabilis alteri, sicut nunc non potest esse conspicabilis sibi*. Idem tenent plerique Doctores scholastici, & passim recentiores. Quæ sententia posita, cogitandum est, corpora Beatorum cum omnibus suis partibus interioribus & exterioribus fore instar crystalli purissimæ & coloratæ, singulis partibus suis coloribus & figuris distinctis, & summa luce perfusis.

64 Dices, Id quod est lucidum, non potest esse diaphanum & transparens, vt patet in sole, luna, stellis, igne, in quibus intimæ partes cerni nequeunt. Quod enim in se est lucidũ sic vt lumen diffundat, debet esse densum, & constipatum vt peruideri nequeat. Hinc crystallus, aqua, aer, & cetera diaphana non sunt ex se lucida, nec lumen emittunt, sed solum aliunde recipiunt lumen.

An lucidum possit esse diaphanum seu pellucidum.

Respondeo, hoc argumentum esse difficile. Nullo enim exemplo ostendere possumus, aliquid simul esse lucidum & diaphanum, ita vt visu penetrari possit. Verum dici potest, etsi id naturaliter fieri nequeat, tamen diuina virtute fieri posse. Conuenire autem vt ita fiat, tum vt summum Creatoris artificium, quod non minus est admirandum in structura corporis humani, quàm in fabrica mundi, omnium oculis sit conspicuum, & ex eius pulchritudine mèt in laudem Conditoris excitetur; quæ ratio sanctum Augustinum in eam sententiam impulit: tum quia non decet vt corpora Beatorum se mutuo occultent, & propinquiora conspectum remotiorum intercipiant, impediendo ne visus ad ea penetrare valeat. Sic enim in cælesti patria non posset illa beata multitudo simul videri, etiamsi simul in eodem loco consisteret, sed solum viderentur propinquiores, sicut cum hic in planitie videmus exercitum: ceteri omnes qui post illos starent, non viderentur. Neque Christi Domini gloriosissimum corpus videri à Beatis posset, si alius interueniret; quod non videtur decere illum statum: nam ex tali impedimento etiam in hac vita non prauæ incommoda & offensiones animorum accidunt: vt cum multi accurrunt ad videndum Principem, vel spectaculum quod publicè exhibetur.

Potest fieri diuina virtute.

Nihilominus tamen hæc sententia S. Augustini non est certa. Vnde non desunt Doctores, qui doceant, corpora Beatorum non fore ita perspicua, vt res aliæ per illa tamquam per vitrum vel medium diaphanum videri queant. Ita Durandus & Scotus locis suprà allatis, S. Bonauentura, & Richardus dist. 49. & quidam recentiores. Nihil enim hac de re habemus ex Scripturis, & rationibus allatis facilè responderi potest. Nam quod ad structuram internam corporis humani attinet, non est necesse eam oculis cerni, qui de arte iudicare non possunt: satis est eam mente videri, quo modo videbitur ab Angelis. Poterit enim mens nostra res omnes naturales intuitiuè & clarè intueri, sicut Angeli eas intuentur. Immo duplici inspectione mentali omnium rerum naturalium species & structuras intueri poterunt, nimirum per lumen gloriæ, quatenus nimirum habet rationem scientiæ infusæ; & per lumen ordinis naturalis, quo cognoscent vt Angeli, vt ex ijs quæ suprà lib. 2. cap. 9. dicta sunt, manifestum est. Itaque non est necesse cum Scoto & Durando confugere ad poros corporis, per quos interna omnia videantur oculis: vt omittam, poros illos angustissimos esse, & innumeris modis implicitos propter musculos directos, obliquos, & transuersos.

Non est necesse structuram internã corporis, videri oculis.

Quod verò ad occultationem attinet, dici potest, Non esse necesse vt corpora Beatorum in quouis situ ab oculis corporis videri possint: satis esse, si vbique possint videri oculis mentis, quo modo videbuntur distinctè & clarè ab Angelis, nec vlla aliorum corporum interpositio id poterit impedire. Quòd si Deus velit, vt Beati etiam oculis corporis omnes alios Beatos quouis loco & situ videant, facilè id poterit efficere tribuendo oculis vim supernaturalem, vt etiam ea quæ post parietem posita sunt videant; quale quiddam legitur in vno vel altero actu concessisse S. Anselmo Cantuariensi Episcopo. Itaque sententia illa de corporum perspicuitate non est plane certa, quia non videtur niti satis firmo fundamento.

Non est certum, corpora fore pellucida.

Dico Quartò, Certum tamen videtur, corpora Beatorũ non solùm fore lucida, sed etiam suum nativum colorem retentura. Patet ex corpore Domini, in quo mansit nativus color, quem Apostoli post resurrectionem viderunt claritate occultata. Ratio est, Quia donum supernaturale claritatis non destruet perfectionem naturalem: coloris autem suauitas magna est perfectio corporis humani, nullam habens repugnantiam cum luce; vt videre est in quibusdam vermiculis, qui & colorem suum nativum habent, quem interdiu ostendunt, & noctu lucent: vnde à Latinis noctilucæ & nitedulæ, a Græcis φωσφόρα vocantur: quales apud Indos Occidentales inueniuntur longè maiore corpore, & luce abundantiore, ita vt facis vsum in tenebris præbeant. Item in oculis felinis, & multorum aliorum animalium, quæ in tenebris videnr. Quòd si

Retinebunt colorem nativum, qui in resurrectione confertur.

parua

parua lux poteſt naturaliter cum colore conſiſtere, cur cũ magna non poſſit virtute diuina? Quia de re benè Cyrillus Ieroſolymitanus Catechet. 18. ita ſcribit: *Iuſti fulgebunt vt ſol, & tanquam luna, & velut ſplendor firmamenti: & præuidens iſtam hominum incredulitatem Deus, dedit vermiculo paruulis lucidum corpus, vt eo ſplenderent: & vt ex ijs quæ apparent crederetur quod expectamus. Qui enim partem potuit præſtare, poterit & totum: & qui fecit vermem lumine ſplendere, multò magis faciet hominem ſuſtum.* Hæc ille.

69 *Lux in corpore glorioſo an ſit eiuſdem rationis cum luce ſolis.*

Vtrùm autem lux illa ſit futura eiuſdem rationis cuius eſt lux ſolis, an diuerſæ & ordinis ſupernaturalis, ita vt nulli rei ſit naturalis, incertum eſt. Fore ſupernaturalem, eſt valdè probabile; & ita docet Richardus diſt. 49. circa quæſtum principale q. 6. & Suarez p. 3. tom. 2. q. 54. ar. 4. & Ioannes Salas t. 2. tract. 2. diſp. 14 ſect. 16. Cuius ſignum eſt Primò, Quòd hæc lux non calefaciat nec accendat ſicut lux ſolis. Secundò, Quòd maior ſit luce ſolis ſaltem in corpore Chriſti, B. Virginis, & magnorum Sanctorum. Tertio, Quòd pertineat non ad ordinem naturæ, ſed ad ſtatum gloriæ. Quartò, Quòd facilè conſiſtat cum colore natiuo, & forte etiam cum perſpicuitate. Quintò, Denique Deo non eſt difficile, talem lucem ſupernaturalem, quæ tamen oculis corporeis vel naturaliter conſtitutis, vel eleuatis & diuinitùs adiutis, videri queat, ex theſauris ſuæ potentiæ & ſapientiæ proferre.

D. Thomas in q. d. 44 q. 2. ar 4. putat, fore eiuſdem rationis cum luce ſolis; cui puto fauere reliquos Doctores; quæ etiam valdè probabilis eſt. Cum enim Scriptura dicat, faciem Domini in Transfiguratione reſplenduiſſe ſicut ſolé, & talem ſe oculis Diſcipulorum exhibuiſſe; videtur planè fuiſſe ſimilis luci ſolis, ita vt oculus non poſſet diſtinguere. Si oculus diſtinguere non potuit, cur dicemus ſpecie diſtinctum? Ad hanc tamen rationem dici poteſt, Scripturam comparare illam lucem ſoli, non quòd planè eſſet ſimilis, ſed quia nihil in rebus erat notum mortalibus, quod magis ad illam accederet. Quòd enim non omnino fuerit ſimilis, hinc colligi poteſt, quòd Diſcipuli illam fixè intueri potuerint, & ſimul videre figuram vultus Domini, & ſummam inde ceperint voluptatem; quæ in adſpectu lucis ſolaris locum non habent.

CAPVT VI.

De agilitate corporis glorioſi: quid ſit, & quanta ſit futura; deque potentia & robore Beatorum.

70 *Sententia Durandi.*

TRes potiſſimum de hac agilitate ſunt ſententiæ. Prima eſt Durandi in 4 d. 44. q. 7. Vbi docet, hanc agilitatem nihil eſſe aliud, quàm habilitatem quandam corporis ad facilè ſe mouendum motu progreſſiuo: & ad eam ſolum duo requirit. Primò, Vt grauitas à corpore tollatur, vel certè impediatur eius inclinatio & impetus, qua deorſum tendit. Secundò, Vt ſpiritus vitales, quibus anima in mouendo vtitur, & organa motus non poſſint diſſolui, nec ab optimo ſtatu dimoueri. Sed hæc ſententia, qua parte ſtatuit, Beatos ſolum ad motum progreſſiuum fore agiles, abſurda videtur. Quomodo enim hoc motu aſcendent & deſcendent per aerem orbeſque cæleſtes? quomodo pares erunt Angelis velocitate, & breuiſſimo tempore ſe a terra in cælum vibrabunt? Cum enim paſſus hominis ſint breues, opus erit innumerabili paſſuum alternatione breuiſſimo tempore peragenda: opus etiam erit auxilio corporis tamquam ſcalæ, quo ſingula veſtigia ponãtur. In motu enim progreſſiuo neceſſe eſt alterum pedem figi in corpore ſolido & cedere neſcio, dum alter leuatur & viterius tranſponitur. Denique hæc ſententia aperte repugnat doctrinæ S. Auguſtini & Anſelmi, nec eſt conſentanea Scripturis ſupra allatis.

Refutatur.

Abſurdum eſt, Beatos ſolum ad motum progreſſiuum fore agiles.

Addo, Durandum falſis niti fundamentis. Putat enim, idem non poſſe eſſe mouens & motum, ſeu non poſſe aliquid ſeipſum primò, ſiue per totum mouere. Item, ſpiritum non poſſe ſe mouere, nec eſſe in loco, niſi circa illum operetur. Quæ omnia ſunt à veritate aliena, & veræ Philoſophiæ aduerſa.

71 Secunda ſententia eſt Scoti d. 49. qu. 14. qui cum ceteris omnibus Doctoribus ponit in Beatis non ſolum motum progreſſiuum, ſicut Durandus, de quo nullum poteſt eſſe dubium: ſed etiam ſimplicem, quo totũ corpus ſimul vno impetu inſtar ſagittæ feratur. Putat tamen ad eum motum ſufficere vim naturalem animæ, pondere à corpore detracto. Ratio ipſius eſt: quia ſi anima ſeparata poteſt ſeipſam in omnem partem maxima celeritate mouere, etiam vnicorpori poterit ſe mouere, & ſimul ſecum rapere ſuum corpus, ſi illud non reſiſtat: non reſiſtet autem, ſi pondere ſuo priuetur.

Sententia Scoti. Sufficere vim naturalem animæ, detracto pondere.

Sed contra hanc ſententiam vrget, quòd ex ea ſequantur hæc incommoda. Primò, Beatos non poſſe ſurſum mouere aliquod pondus, quòd exæquat grauitatem proprij corporis: nam anima ſuis viribus non poteſt pondus ſui corporis ſurſum attollere. Hoc autem abſurdum videtur. Secundò, Beatos non fore fortiores quàm viatores, nec poſſe moles maiores mouere aut diſturbare, quàm poterant in hac vita. Tertio, Beatos non poſſe ſe firmiter collocare in aliquo loco, quin facilè vi humana poſſent inde diuelli. Quartò, Non habere parem Angelis celeritatem, nec poſſe cum illis pariter ambulare. Sicut enim Angeli naturaliter longè ſunt animabus fortiores, & ita celeriores. Denique falſum videtur quod Scotus ſupponit. Etſi enim anima à corpore ſeparata, poſſit ſe in omnem mundi partem mouere: non tamen hinc ſequitur eam id etiam poſſe in corpore, etſi corpus non reſiſtat. Ratio eſt, quia quando eſt ſeparata, debitus eſt ei modus ſe mouendi, qui conueniens eſt ſpiritibus, ſicut & modus cognoſcendi & loquendi. Vnde ſicut nunc cognoſcit ſubſtantias ſpirituales, & more illarum loquitur, & cum illis habet commercium: ita etiam poteſt illarum more ſe mouere. Corpori tamen vnita non poteſt naturaliter ita cognoſcere: ſed debet vti adminiculo phantaſmatum, quæ ſunt ſimilitudines rerum corporalium: ac proinde non poterit ſe ita mouere, ſed ſolo motu progreſſiuo, mediantibus ſpiritibus, neruis, & muſculis. Siue enim corpus ſit graue, ſiue leue, non poteſt naturaliter illud regere, niſi ſpirituum & neruorum interuentu.

Refutatur.

72 *Agilitas eſt vis ſupernaturalis communicata Beatis.*

Tertia ſententia eſt, vim naturalem animæ non ſufficere: pro qua Dico Primò, Hanc agilitatem eſſe vim quamdam ſupernaturalem Beatis collatam, per quam poſſunt repente mouere corpora ſua ſimplici impetu in quamuis mundi partem incomprehenſibili celeritate. Vt enim ait S. Anſelmus libro De ſimilitudinibus capit. 51. *Velocitas, quæ pulchritudine non minus amatur, tanta nos comitabitur, vt Angelis Dei æquè celeres ſimus, qui è cælo ad terras, & è contra ſe, dicto citius delabuntur.* Et Guilielmus Altiſiodorenſis in ſua Summa part. 4. tract. 12. capit. De dotibus reſurgentium dicit eos, *quaſi in momento ab Oriente in Occidentem, & ab Aquilone in Meridiem moueri poſſe.* Itaque cum vis naturalis animæ non ſufficiat ad talem motum, opus eſt alia vi, quæ ſit ſupra eius naturam: quamuis non ſit opus vt ſit ſupernaturalis in ſubſtantia: cum talis vis Angelis ſit naturalis. Quidam putant, hanc vim non fore intrinſecam, ſed ſolum extrinſecam Dei aſſiſtentiam, qui volente anima celerrimè corpus transferet, vtendo eius vi motiua vt inſtrumẽto. Verum cum poſſit dari vis intrinſeca, non eſt confugiendum ad extrinſecum illud auxilium. Eſt enim longè perfectius, & naturis rerum accommodatius, vt motus fiat à vi intrinſeca.

73 *Vim motiuam non eſſe in corpore, ſed in anima.*

Dico Secundò, Hæc vis non erit in corpore, ſed in anima, cuius eſt mouere corpus. Eſt contra quoſdam, qui hanc dotem ponunt in qualitate ſupernaturali corporibus tribuenda, eo quòd dicatur eſſe dos corporis. Sed hoc facilè refutatur, Primo, Quia qualitas corporalis ſolum in vnam partem impellit, ut ſurſum vel deorſum, & motui in contrariam partem reſiſtit: Beati autem in omnem partẽ abſque vlla repugnantia ſe mouere poterunt. Deinde talis qualitas ſemper impellit, etiam cum corpus quieſcit extra locum ſuum naturalem, vt patet in elementis, quæ ſemper in ſua loca propendent. Tertiò. Si qualitas motiua ſit in corpore, non in anima, motus illorum corporum non erit vitalis: quia non procedet ex vi animæ, ſed ex vi illius qualitatis corporalis: ſicut diffuſio ſpecierum viſibilium non eſt actus vitalis: quia vis reflectiua, nempe color, non eſt in anima, ſed in corpore. Quartò, Si hæc qualitas motiua eſſet in corpore, non operaretur naturaliter ad imperium animæ. Anima enim non habet imperium in operationes qualitatum corporearum, ita vt anima volente illæ qualitates operentur, non volente non operentur. Denique non eſt

corpo-

corporis, mouere seipsum, sed animæ est mouere corpus. Itaque vis mouendi non est ponenda in corpore, sed in anima.

Quæ etiam est expressa sententia S. Augustini libr. 13. De ciuit. cap. 18. Vbi dicit *Deum præstare posse animis perfectissimè beatis, vt corpora sua vbi volunt ponant, & quo volunt agant, situ motuque facillimo.* Deinde addit: *An si hoc Angeli faciunt, vt quamus terrestria animalia rapiunt vnde libet, aut constituunt vbi libet (aut eos sine labore non posse, aut omnia sentire credendum est?) Cur ergo Sanctorum perfectos atque beatos diuino munere spiritus sine vlla difficultate posse ferre quo voluerint, & sistere vbi voluerint sua corpora non credamus?* Quibus locis manifestum est, ab Augustino hanc vim non in corpore, sed in anima collocari, sicut in Angelis; eumque diuino munere animæ tribui.

c

74 *Sicut Angeli primò se mouent, ita anima beata in motu simplici.*

Itaque sicut Angeli primò & immediatè seipsos mouẽt, & eodem impetu secum rapiunt corpora quæ apprehenderint: ita anima beata primò se mouet, & eodem impetu corpus suum vnà secum defert. Quòd si corpus primò moueretur, siue ab ipsa anima, siue à qualitate corporea, tunc anima solum moueretur per accidens; quia simul impetu corporis raperetur: quod non decet eius excellentiam, & dominium supra corpus itaque prius natura in tali motu mouetur anima à seipsa, quàm moueat corpus. Secus est in motu progressiuo naturali. Nam primò imprimit impetum in spiritus, qui statim mouent musculos, & per musculos membrum, verbi gratia pedem, & ita pes alter transfertur in alium locum, & simul cum illo anima pedem & tibiam informans: idem mox fit in altero pede, qui dum mouetur, alter figi debet in re immobili, vt sic alternante impetu & motu pedum fiat progressio, & simul cum corpore transferatur anima. Nihilominus tamen primaria vis motrix est in anima, non in pede, nec in spiritibus, qui non mouẽt nisi impetu ab anima accepto. Vnde anima dicitur mouere corpus, non corpus animam, quia vis motrix est in anima, & totus impetus ac motus ab anima. Denique omnes motus vitales qui cernuntur in viuentibus, veniunt à virtute motrice, quæ est in anima, vt motus cordis & arteriarum; ateractio alimenti, distributio eiusdem, & expulsio excrementorum. In corpore verò eiusque partibus non est vis motiua propriè distincta à vi animæ, præter bonam dispositionem musculorum, neruorum, spirituum, ad impetum & motum ab anima excipiendum. Hæc enim abundè sufficit ad motum anima præsente & motum imperante.

In motu progressiuo anima mouetur per accidens.

Semper primaria vis motrix est in anima.

Dices, Si hæc vis est in anima, quomodo numeratur inter dotes corporis? Respondeo, Quia eius effectus, nempe motus, ad corpus pertinet, & in corpore perficitur ac cernitur.

Numeratur inter dotes corporis ratione effectus.

75 *An pondus sit tollendũ.*

Petes, Vtrùm corporibus beatis detrahendum sit pondus quo deorsum tendant, & dicuntur grauia, ponderosa? Ita planè videtur sentire D. Augustinus lib. 13. De ciuit. ca. 18. Ideo enim vult corpora illa posse esse in cælo, & non ruere deorsum, *Quia Deus potest mollibus præstare terrenis, vt nullo in ima pondere detrahantur.* Et infrà; *Concedat dum Deo, vt de carne hominis cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat: congruentiam figuræ membrorumque detineat, detrahat ponderis grauitatem.* Et capit. 20. eiusdem libri dicit, corpus dici spirituale, non quia verteretur in spiritum, *sed quia spiritui summa & admirabili obtemperandi facilitate subderetur, vsque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem; omni molestia sensu, omni corruptibilitate & grauitate detracta.* Et lib. 22. c. 11. agens contra Platonicos, qui dicebant, terrenum corpus non posse esse in cælo propter eius pondus: *Itane Deus omnipotens, qui ipsa creauit elementa, terreno corpori grauem pondus auferre nõ poterit, vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, in quo volluerit viuificans spiritus?*

Dices, Sicut ossium durities, & carnis mollitiès, & neruorum lentor, & ceterorum viscerum nativa qualitas ac proprium temperamentum pertinet ad constitutionem corporis humani, ita etiam ponderositas; ergo non debet auferri. Secus est de corruptibilitate. Respondeo, Ob hoc argumentum verius videtur hanc qualitatem absolute nõ auferẽdam, sed eius actum, seu nutum actualem, quo deorsum trahit, & vim infert corpori impedienti, suspendẽdum diuinitus; nisi quãdo Beatus eo voluet vti, vt cum volet descendere, aut in loco solido ambulare, vel vestigia figere: in talibus enim functionibus pondus iuuat. Eo verò nutu suspenso, nulla sentietur ponderositas, nulla erit ad motum resistentia, perinde ac si ipsa qualitate priuatum foret; sicut suspensa actione ignis, nullus in contrectando igne sentietur calor; & hoc modo intelligi potest Augustinus. Quidã putant, hunc nutum esse effectum formalem grauitatis, sed secundarium, qui tolli possit saluo effectu primario.

76 *Verius est, ipsam qualitatem quæ dicitur grauitas, non auferendã: sed eius impetum suspendendũ.*

Sed verius puto, nutum actualem, quo corpus graue actu mouetur deorsum, vel si impeditur à motu, premit & vim infert corpori impedienti, esse effectum causæ efficientis. Ipse enim motus deorsum est à grauitate non formaliter, sed effectiuè: similiter vis illa & compressio quæ infertur corpori impedienti. Subtracto ergo concursu diuino, pondus illud non poterit corpus deorsum impellere, nec vim inferre volenti illud mouere. Quod vt melius intelligatur, tria sunt distinguẽda; grauitas, nutus actualis, & motus. Grauitas tribuit corpori formaliter, non vt actu moueatur, aut actu inclinet ad motum (quia cum est in loco naturali, neutrum facit) sed vt in aptum se mouere ad locum, & quando extra illum fuerit. Nutus actualis est effectus grauitatis, quem in corpore causat, cum est extra locum; aliàs minimè. Vnde apparet, non esse effectum formalem grauitatis; hic enim semper comitatur ipsam formam: sed tamquam causæ efficientis. nec aliud videtur esse hæc actualis inclinatio, quàm impetus actualis. Sicut enim ea quæ proijciuntur, accipiunt impetum ad motum ab extrinseco mouente, ita grauia & leuia cum sunt extra sua loca, accipiunt impetum ab intrinseco mouente, nempe ab ipsa qualitate insita. Cuius etiam signum est, quòd hic impetus in motu naturali assiduè crescat, adeo vt pondus quod ex propinquo leuem ictum infert, è sublimi loco inferat grauissimum. Hic autem impetus non potest esse aliunde quã à grauitate, non formaliter (alioquin semper adesset) sed effectiuè. Itaque impetus quo formaliter deorsum inclinat corpus distinguitur ab ipsa grauitate, tamquam effectus à causa sua efficiente. Tertiò loco est motus qui immediatè sequitur ex impetu, nisi aliquid interueniat quod impetum inhibeat.

77 *Ille nutus seu impetus est effectus grauitatis vt causæ efficientis.*

Quibus positis, facile est intelligere, quo modo manente ipso corporis naturali pondere fieri possit, vt non ponderet, hoc est, vt deorsum non trahat, sed perinde se habeat ad motum ab anima accipiendum, ac si pondere careret: suspenso nimirum ponderis impetu per concursus diuini subtractionem. Hoc tamen non fiet nisi ipsis volentibus, sicut etiam non redduntur inuisibiles, nisi dum volent; quod simili subtractione circa lucem & colores corporis peragitur.

78 *Beati erunt potentes.*

Dico Tertiò, Beati non solum erunt agiles, sed etiam potentes & robusti ad ingentes moles loco mouendas & disturbandas; idque eadem vi & qualitate animæ.

Prior pars patet Isaiæ 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquila, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Hic robur & agilitatem coniungit. Et Apostolus: *seminatur in infirmitate: surget in virtute.* Ἐν δυνάμει, in potentia. Idem probatur ratione: Sancti erunt æquales Angelis in omnibus illis, quæ ad beatissimum illum statum pertinent. Angeli autem possunt ingentes moles loco mouere. Qua ratione passim vtitur Anselmus. Deinde etiam dæmones naturaliter sunt robustissimi. *Non enim est potestas super terram, quæ valeat ei comparari.* Iob 41. & possunt maxima pondera transferre, & turres euertere. At quis credat, Beatos fore imbecilliores dæmonibus? Sanè nisi dæmonibus longè sint fortiores, possent ab illis detineri etiam inuiti, deberentque illos fugere ne capiantur. Idem expressè docet Anselmus libro De similitudinibus, capit. 52. *Præstabunt viribus quicumque supernis nunquam cuiquam associari; in tantum vt nullatenus illis quisquam obsistere valeat: vel si mouendo quid aut euertendo voluerint, à suo statu quin illicò cedat. Nec in eo quod dicimus maiori laborabunt conatu, quàm nos modo in oculorum nostrorum motu.* Et infrà: *Ne quæso similitudo illa Angelorum nostro excidat ab animo, quàm adepturi sumus in futuro,* & cetera. *Cum igitur similes eis fuerimus, numquam imbecilliores illis erimus.*

79 *Cui rei sint illud robur.*

Petes, cui vsui feruiet illud robur, cum nihil erit euertendum, nihil mutandum, rebus omnibus conuenientissimè dispositis? Respondet Anselmus, Multarum rerum possessione nos gaudere, quibus actu non vtimur: vt possessione vsus, potestatis aliquid faciendi, scientiæ quarumdam

rerum

serùm. Itaque inquit, *Etsi actus illius fortitudinis non sit necessarius, sola tamen eius passio nobis grata erit, & exultatio grandis.* Adde eius visum fore post resurrectionem, ad motum proprij corporis, ante vero, ad castigandos impios in hac vita, & ad fugando; dæmones; denique vt dæmonibus & rebus omnibus inferioribus dominentur.

80 *Hæc vis supernaturalis recipitur in facultate motrice.*

Peres, in qua facultate animæ locanda sit vis ista? Respõ deo, In facultate motrice. Cum enim anima naturaliter habeat vim intelligendi, amandi, & mouẽdi, & hæc vis in ipsa sit imperfecta potest accessione donorum diuinorũ perfici, ita vt & intellectus Deum perfectè cognoscat, & voluntas perfectè amet, & vis motiua perfectè corpus moueat. Sicut enim vis intelligendi & amandi additione luminis gloriæ & charitatis perfici possunt, vt perfectissimas in suo genere functiones habeant, ita etiam vis motrix animæ. Itaque ex vi motrice animæ naturali, & vi supernaturali ■ superaddita, cõstituitur vna integra vis motiua perfecta, qua anima & se ipsam, & corpus suum velocissimè potest mouere. Eadem vis est robur & potentia animæ, qua alia corpora mouere potest: quia eadem vi, qua anima corpus suum mouet, etiam alia mouere potest; nec opus est aliam vim quærere, cum vna sufficiat. Idem cernitur in omnibus animantibus; quamuis interdum ea dicantur fortiora, quæ magis instructa ad lædendũm, etsi re vera tantum roboris non habeant: quo modo lupus & loco dicuntur fortiores equo vel camelo: qui tamen si æquè tum indole tum armis instructi forent, longè illis essent superiores.

81 *Possunt tres apprehendere more angelico.*

Peres, Verùm animæ beatæ resumptis corporibus, solum per membra sua res alias mouere possint, verbi gratia apprehendendo eas manibus; an etiam immediatè se illis applicando, & more angelico apprehendendo. Respondeo, Valdè credibile est, etiam hoc modo animam beatam res apprehendere posse, & impetu simili eas transferre. Sicut enim Angelus potest subire corpus & illi intimè se applicare, & applicando illud firmissimè apprehendere, & eodẽ impetu quo se mouet, illud secum rapere: ita anima beata etiam corpore induta, potest subire aliud corpus, verbi gratia saxum, & illi se immediatè coniungere, non vt forma subiecto, sed ut motor mobili, vi sua apprehendẽdo, & eodem impetu quo se mouet, illud secum rapere. Proprium enim corpus propter dotem subtilitatis non impedit hanc penetrationem: neque informatio corporis impedit illam immediatam cum alio corpore, tamquam motoris spiritalis cum mobili vnionem, seu apprehensionem. Hæ enim duæ uniones sunt diuersæ rationis, nec altera alteram impedit, præsertim cum altera sit naturalis, vtpote formæ cũ materia; altera libera, & vi supernaturali peragatur. Confirmatur; Quia anima beata corpore exuta, potest hoc modo, nempe per immediatam vnionem, aliud corpus apprehendere & firmissimè tenere, & secum rapere: cur non possit corpore induta, cum hoc corpus, vt dictum est, non impediat intimam animæ cum alio corpore præsentiam, & hic modus apprehendendi sit longè perfectior, quàm apprehensio manualis? Sanè si id quod perfectius est, tribuitur animæ separatæ, non debet negari animæ coniunctę, cum anima coniuncta sit futura perfectissimè beata.

82 *Non possunt se mouere in locum distantem sine vi & situ, per medium: nec in momento.*

Dico Quartò, Per hanc dotem Beati non possunt se transferre ab extremo in extremum sine medio, neque etiã possunt in instanti se mouere ab extremo in extremum per medium.

Prior pars, etsi à quibusdam negetur, videtur manifesta, quia animo concipi nequit, vt aliquid modo sit Louanij, & subito relicto Louanio, incipiat esse Bruxellæ non transito spatio medio, nisi subitò desinat conseruari Louanij, & eodem momento restituatur Bruxellæ, per subitantialem quamdam reproductionem; quomodo solus Creator tua omnipotentia creaturam transferre potest.

Altera pars probatur; Quia hic motus per medium postulat vt eodem instanti mobile sit in medio, omnibusque medij spatijs, & in extremo. Atqui Beati non habent vim vt simul in diuersis locis se collocare possint: itaque hæc duo genera motus ad hanc dotem non pertinent. Nec obstat, quòd Anselmus & alij Sancti comparent eorum celeritatem celeritati radij solaris, qui in instanti ab Oriente transit in Occidentem, & celeritati visus, qui momento temporis à terra in cælum protenditur; quia solum indicare volunt, incomprehensibilem esse eorum celeritatem. Valdè tamen credibile est, dotem hanc non fore aqualem in omnibus, sed diuersam, pro meritorum & gloriæ diuersitate. Hæc tamen diuersitas non erit valdè notabilis, quia omnes breuissimo tempore se vbius sistere poterunt.

CAPVT VII.

In quo consistat subtilitas corporum Beatorum?

83 *Sententia Durandi.*

DVrandus in 4. dist. 44. q. 5. dotem subtilitatis ponit in duobus. Primò, In acumine sensuum proueniente ex perfecta organorum dispositione, & spirituum præstantia. Secũdò, In subiectione appetitus inferioris sub imperio rationis: illis enim duobus *præsentibus*, corpus recte dici spirituale, quia perfectè spiritui obedit. Hanc sententiam, qua parte constituit hanc dotem in subiectione appetitus, sequuntur quidam Doctores, & videtur esse S. Thomæ in 4. d. 44. qu. 1. art. 2. eamque amplectitur Catechismus Romanus, explicans articulum resurrectionis. Verum etsi tale corpus possit dici spiritale, quia subiectum spiritui, &c. non tamen proprie dicetur subtile. *Subtilitas* enim vim quamdam penetrandi designat, quæ etiam nomine corporis spiritalis apud Apostolum comprehenditur, vt suprà ex Patribus ostensum, & hoc modo illud accipimus, quando de dote subtilitatis tractamus. Porrò illa subiectio corporis, quoad motus appetitus inferioris & imaginationis, aliũde in Beatis prouenit: non à sublitia originali, nec ab assistentia diuina, vt quidam volunt; sed à visione & amore beatifico; quibus animus sic vegetabitur, vt omnes motus appetitus inferioris, & phantasiç, & spirituum animalium, & membrorum sit habiturus in sua potestate, vt ad nihil possit moueri, nisi voluntatis imperio vel permissu; sicut nec ipsa voluntas poterit ab obiecto motibus indeliberatis pulsari. vt ex ijs quæ de potentia peccandi lib. 2. cap. 22. dicta sunt, constat. Secus erat in Adamo in statu innocentiæ, in quo hæc subiectio fiebat partim per habitus internos appetitus inferioris, partim per rationis vigilantiam, partim per diuinam assistentiam. Eius tamen corpus non erat spirituale, sed animale, iuxta Apostolum 1. Cor. 15.

Subtilitas quid.

Vnde proueniat subiectio appetitus in Beatis.

Itaque per dotem subtilitatis hic intelligimus vim penetrandi alia corpora, ita vt duo corpora fiat simul.

84 *Durandi sententia penetratio est impossibilis. Repugnat multis fidei mysterijs. Iob 37.*

Durandus putauit, penetrationem corporum esse impossibilem, & consequenter talem dotem esse impossibilẽ. Sed hæc sententia non potest consistere cum multis fidei mysterijs, vt fusè ostendit Suarez in 3. p. tom. 2. disput. 44. Credimus enim Dominum natum clauso vtero, resurrexisse clauso sepulchro, ingressum ad Discipulos clausis ianuis, & penetrasse cęlos, qui *solidissimi tamquam aere firmati.* Respõdet Durandus, Vel corpus Christi tunc fuisse ita extenuatum, vt posset transire per poros aut rimas alterius corporis: vel transisse ab extremo ad extremum sine medio. Sed vtrumque absurdè dicitur; & magis est per se incredibile, quam dimensionum penetratio. Alterum enim destruit totius humani corporis, & omnium partium interiorum & exteriorum figuram, & tribuit corpori Christi figuram indecentissimam. omitto quòd cæli poris careant. Alterum euertit Christi natiuitatem. Si enim ipse immediatè ■ vtero potuit se foris non transeundo per medium, beata Virgo illum non edit enixa, neque vi natiua sui vteri cooperata est ad eius egressum, quod tamen requiritur ad rationem pariendi. Parere enim est actus vitalis & naturalis, quo infans vi vteri effectiue effunditur.

Itaque communis sententia Patrum & Doctorum est, diuina virtute fieri posse corporum penetrationem, sed de modo est difficultas, hic enim est valde occultus.

85 *In quo consistat vis penetrandi.*

Primum, Certum est, hanc vim penetrandi non consistere in eo quod corpora Beatorum sint vertenda in spiritum, sicut olim docuerunt quidam hæretici, contra quos agit S. Augustinus lib. 13. De ciuit. capit. 23. Nec etiam in eo quòd sint extenuanda in aeream subtilitatem, sicut docuit Eutychius Episcopus Constantinopolitanus, vt refert S. Gregorius libr. 13. Moralium cap. 31. vbi hunc errorem refutat ex capitul. 19. Iob, vbi dicitur, *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.*

Secun-

Secundò, Certum videtur, non consistere in aliqua qualitate naturali vel supernaturali corporibus illis infusa. Nulla enim qualitas tollere potest intrinsecam repugnantiam quæ est inter duo corpora respectu eiusdem spatij: sicut nulla qualitas tollere potest repugnantiam, quam inter se habent duæ formæ respectu eiusdem subiecti. Neque fingi potest, quam mutationem illa qualitas possit inducere, per quam corpus fiat aptum ad penetrandum, nisi forte illud summè extenuet, vt sit instar aeris. Sed hoc & conditioni corporis humani repugnat, quod totam suam formam & spissitudinem seruare debet; & nihil ad veram penetrationem iuuat. Nam nec aer, etsi vehementissimè impulsus, aliud corpus penetrare potest, nisi forte poros subeundo, quæ non est vera penetratio, sed veluti per fistulã transitus: parum enim refert, an fistula per quam transit, sit laxa an stricta. Quod enim intra fistulam est, alium spatium occupat quàm ipsa fistula, ac proinde illa duo non sunt in eodem spatio, sed in diuersis. Talis itaque penetratio, quæ per extenuationem fieri potest, nihil facit ad propositum. Denique penetratio mutua corporum nõ est aliqua actio, sed coexistentia corporum in eodem spatio, ad quam qua ratione iuuare possit aliqua qualitas superaddita, intelligi non potest.

86 Quibus positis, supersunt duæ sententiæ maximè verisimiles. Prima est, Hanc dotem consistere in eo quòd auferatur corporibus Beatis quædam imperfectio, qua sublata, possint quæuis alia corpora penetrare. Quod vt intelligatur, notandum est, illam repugnantiam duorum corporum respectu eiusdem spatij non prouenire præcisè ex ratione quantitatis siue extensionis, sed ex modo quodam existendi, qui inest materiæ, vel quantitati, eamque naturaliter comitatur, ratione cuius sit vt res ita repleat spatium, vt aliam in eodem spatio secum non admittat. Qui modus cum nõ sit de essentia rei, vtpote posterior, facile per diuinam potentiam tolli potest vel in ipso actu, vel stabiliter: eo autem sublato, nullum amplius videtur impedimentum, quin vnum corpus vi sua naturali possit subire aliud, & simul cũ eo idem spatium occupare.

Subtilitatẽ conferri ablatione cuiusdam modi existendi.

Hanc sententiam insinuat Epiphanius hæresi 64. vbi dicit Christi corpus antea fuisse crassarum partium, sed per resurrectionem fuisse mutatum in spiritualem subtilitatem absque carnis & ossium iniuria. Verba Epiphanij sunt: *Dominus noster Iesus Christus resurrexit ex mortuis non aliud corpus suscitans, sed ipsum quod erat, in spiritualem subtilitatem transmutans, & spirituale totum constans, ingressus per fores conclusas; quod fieri nequit hic in nostris corporibus per crassitudinem, & quod nondum in spiritualem subtilitatem sint commixta.* Et infrà: *Erat verum corpus spirituale subtilium partium, quod aliquando crassarum partium fuerat.* Similia habet hæresi 20. vbi per *spiritualem tenuitatem*, & ablationem *crassitudinis* non potest intelligi extenuatio aliqua, vel rarefactio corporis, quia id conditioni carnis & ossium repugnat. Vnde non videtur aliud posse intelligi illis verbis, quam ablatio illius imperfectionis, quæ impediebat vt non posset aliud subire: quæ imperfectio crassitudo dici potest; desunt enim propria nomina, quibus illæ conditiones rerum exprimantur. Corpus itaque illo imperfectionis modo priuatum dicetur spirituale & tenue, quia tamquam spiritus poterit alia penetrare.

87 Dices, Illam crassitiem, seu conditionem, qua vnum corpus excludit aliud, non esse imperfectionem corporis, sed perfectionem: sicut quòd vna forma non admittat aliam in eodem subiecto, ad eius perfectionem pertinet, non ad imperfectionem. Ideo enim excludit aliam à subiecto, quia capacitatem subiecti sua perfectione implet. Pari modo vnum corpus excludit aliud ab eodem spatio, quia implet spatij capacitatem, quod perfectionis est.

Respondeo, Id non esse quidem imperfectionem corporis quà corpus est, sicut nec actualem ponderositatem; esse tamen imperfectionem eius quà est instrumentum animæ rationalis, & idcirco meritò auferendam, sicut & ponderositatem, vt suprà dictum est. Hac imperfectione sublata, corpus instar luminis poterit se per omnia alia siue sui vel aliorum læsione trajicere.

88 Confirmatur hæc sententia: Quia Deus potest dare corpori perfectum & integrum modum existendi spiritaliter, illæsa totius corporis intrinseca qualitate & constitutione, vt patet in Eucharistiæ mysterio, vbi corpus Christi non solum existit simul cum alia re corporali, nempe quantitate extensa, sed etiam existit indiuisibiliter, quod proprium est spirituum. Ergo multo facilius poterit corpori dare modum imperfectum & partialem existendi spiritaliter (quõ semispiritalem appellare possumus) quo retenta extẽsione respectu spatij, accipiat aptitudinem subeundi aliud corpus. Itaque nulla est hac in re difficultas respectu diuinæ potentiæ. Tollitur itaque à corporibus Beatorum modus ille existendi imperfectus corporibus naturalis, ratione cuius non possunt alia penetrare: & dabitur modus existendi supernaturalis, permanente totius corporis in reliquis omnibus dispositione salua. Hunc modum existendi semispiritaliter (vt ita dicam) planè videtur intelligere S. Epiphanius per *tenuitatem spiritalem*, sicut & alterum existendi planè corporaliter, per *crassitudinem*. Per hunc itaque modum existendi fiet, vt corpus Beati possit omnibus alijs corporibus dominari, eaque instar spiritus peruadere. Alia tamen corpora Beati corpus penetrare non poterunt, sed solum se passiue habebunt vt penetrentur, ita vt actiua penetratio solum sit à Beatis. Credibile quoque est, corpora Beatorum se mutuo numquam penetrare, vt passim Doctores notarunt: tum quia non decet, tum quia nulla vnquam poterit occurrere necessitas. Conuenit vt singula propriam sedem, non alienam in illo Regno occupent, & cælestem ciuitatem sua specie exornent.

Modus existendi semi spiritalis, & semicorporalis.

89 Petes, Vtrùm hic modus existendi firmiter insit corporibus Beatorum; an solum detur in ipso actu penetrandi, quando eo opus est, & statim redeat modus existendi naturalis? Respondeo, Vtrumque probabiliter dici posse. Quòd enim non insit firmiter, ex eo videtur probari, quòd Beati non videantur vti penetratione dum quiescunt, sed solum quando ad motum celerrimum est necessarium: ad hoc autem sufficit vt Deus illis assistat, & hũc modum existendi instar passionis fluentis tribuat, quo cessante, per naturalem resultantiam prior redibit.

An hic modus existendi in se firmiter.

Alterum tamen videtur verius; quia perfectius est, aliquod donum supernaturale habere firmiter, quam solum per modum transeuntis. Non tamen idcirco Beati semper debent cum alijs corporibus penetratiuè existere: quia cũ sint extensi & quanti, & per se existant, sunt idonei proprium locum occupare: sicuti patet in speciebus Eucharistiæ, quæ quia extensæ sunt, & per se existunt, proprium spatium occupant, & alia omnia corpora ab eo excludunt. Nihilominus tamen per se aptæ sunt vt simul cum corpore aliquo in eodem spatio existant.

90 Hæc sententia visa mihi semper est valdè probabilis, & rationi consona, eamque docui publicè ante annos viginti quinque. Satisfacit enim aliquo modo imaginationi, quæ nullo modo concipere potest, quomodo vnum corpus possit penetrare & subire aliud, nisi in altero vel vtroque fiat aliqua mutatio, & fiat quodammodo spirituale, ne in occursu mutuo fit collisio. Deinde, Quia pertinet ad dignitatem illius status, vt corpus quantum fieri potest absque violatione formę & temperamenti, eleuetur ad statum spirituum, vt sit quàm maximè accommodatum animo glorioso. Tertiò, Quia ex alijs mysterijs fidei satis colligitur id Deo esse facile: est enim hic modus existendi medius, inter mere spiritalem & merè corporalem, vt ostensum est.

Si tamen aliquis in hac sententia non acquiescat, proponam aliam quæ talis est, Hanc penetrationem non fieri per ablationem alicuius modi vel imperfectionis positiuæ corpori inhærentis, aut collationem modi spiritaliter existendi; sed per solum concursum Dei supernaturalem ad hunc effectum assistentis. Quod vt intelligatur, notandum est, Res corporales quæ sunt in mundo, duplicis esse generis. *Corporales* dico, non corporeas: vt non solum omnia corpore constantia, sed etiam omnes formas & accidentia per corpus extensa comprehendam; hæc enim omnia corporalia dicũtur. Corporalia itaque duplicis sunt generis: quædam natura sua sunt ordinata ad perficiendum aliud; alia verò non sunt ordinata ad perfectionem alterius, sed per se constituunt. Quæ ad perfectionem alterius sunt instituta, ea omnia postulant esse simul, & se mutuo in eodem compositio penetrare. Nec refert quod singula suam propriam & intrinsecam extensionem habeant, (cuius signum est, quòd in sua extensione, ceteris omnibus annihilatis, diuinitus possint conseruari, vt ex mysterio sanctissimæ Eucharistiæ colli-

91 *Alia ratio explicandi hanc penetrationem.*

Res corporales duplicis generis.

Singula forma corporalis suam propriam habet extensionem in longum, latum, & profundum.

colligitur) hæc enim per se non impedit penetrationē, sed potius eam postulat, non cū re qualibet, sed cum ea ad cuius perfectionem ordinatur. Itaque cùm materia, forma, & omnia accidentia ordinentur ad constituendum vnum cōpositum, postulant esse in eodem spatio, & se mutuo penetrare. Immo forma & accidentia non possunt naturaliter foris venire, & sic inferi, sed postulant in eodem subiecto & spatio etiam nasci.

Quæ verò non ordinantur ad aliud, sed perfecta sunt, ea postulant natura sua esse extra alia in proprio spatio, vt sunt omnia corpora respectu aliorum corporum. Sicut enim omnis forma postulat esse in proprio subiecto, & ita illud implet, vt naturaliter omnem aliam eiusdem speciei excludat: ita omne corpus postulat proprium spatiū, quod ita implet, vt aliud corpus secum in eodem spatio non admittat. Sicut ergo duę formæ eiusdem speciei comparantur ad idem subiectum simul occupandum, ita duo corpora ad idem spatium simul occupandum.

Ex quibus patet, hanc repugnantiam, quòd vna res excludat aliam ab eodem spatio, non prouenire præcisè ex ratione quantitatis; sed ex eo, quòd cum sit quanta, non ordinetur ad alterius perfectionem, sed per se subsistat. Hinc enim fit, vt naturaliter ei debitum sit proprium spatium in vniuerso, quod ita implet, vt aliud per se subsistens non admittat. Sicut enim ea quę ordinantur ad perfectionem vnius, naturaliter postulant esse in eodem spatio, etiamsi singula suam extensionem habeant: ita quæ non ordinantur ad perfectionem vnius sed diuersorum, vel quæ ita sunt perfecta vt per se existant, postulant natura sua esse extra se mutuo in spatijs diuersis. Res enim per se consistentes nolunt confundi, & alijs misceri, sed singulæ suam sedem in mundo obtinere. Rursus, sicut omne accidens, & omnis forma corporalis immediatè postulat esse in subiecto, vel materia; ita subiectum vel potius materia, quia primo per se existit, estque imum rerum corporalium fundamentum, postulat immediatè esse in spatio, vbi tota creatura corporalis infernè terminatur, veluti termino extrinseco.

91 *Non esse Deo impossibilem.*

His positis, facilè intelligi potest, hanc penetrationem non esse Deo impossibilem factu. Excludere enim aliud corpus, non est de essentia quantitatis aut materiæ, nec etiam est effectus formalis propriè; sed est negatio naturaliter comitans materiam, eique naturaliter debita, ne rerum fiat confusio. Atqui id quod non est de essentia rei, sed solum naturaliter debitum, facilè à Deo tolli potest salua essentia, siue illud sit positiuum, siue negatiuum. Positiuum tollitur subtrahendo influxum; vt si velit annihilare accidentia, conseruata rei subsistantia. Negatiuum verò tollitur ponendo rem oppositam. Confirmatur. Longè magis debita est accidenti vnio cum subiecto, quàm corpori hæc negatio, seu exclusio alterius corporis a spatio; & tamen Deus potest illam vnionem tollere saluo accidente, vt patet ex mysterio Eucharistiæ. Ergo facilius poterit tollere illam negationem, ponendo duo corpora simul. Rursus, Deus potest ponere duas animas in eodem corpore, item duo accidentia etiam contraria in eodem subiecto: & constat, in Christo de facto fuisse summum gaudium cum summo mœrore, quæ duo nullo modo naturaliter simul esse possunt. Nihil enim horum implicat contradictionem: immo nihil per se requirit aliquam actionem supernaturalem in substantia. Hæc tamen multo magis videntur repugnare conditioni naturali rerum, quàm duo corpora esse in eodem spatio.

Nec obstat quòd hæc exclusio naturaliter sit debita corpori quanto, & hoc debitum ita fundetur in essentia, vt nulla ratione tolli possit: quia etsi debitum seu ordo ad aliquid tolli nequeat, tamen id quod debitum est, & quod ille ordo respicit, facilè tolli potest. Infinita enim sunt accidentia, quæ substantijs debita sunt naturaliter; & hoc debitum ita est intrinsecum substantijs, vt nullo modo tolli queat: tamen accidentia illa diuina virtute tolli possunt. Idem est de materia respectu formarum. Solum hinc sequitur, quòd res illa, cui sic aliquid debitum est, non habebit modum suum naturalem existendi, si eo quod debitum erat, careat: sed Deus potest dare modum existendi alium & supernaturalem.

93 Petes, Quid facit Deus circa corpora quando se penetrant? Nullus enim apparet terminus productus præter essе simul in eodem spatio: quod nihil est aliud quàm denominatio extrinseca a mutua præsentia, ad quod sufficit motus localis.

Quid facit Deus circa corpus ne penetret aliud.

Responderi potest Primò, Non esse opus vt Deus nouam aliquam actionem habeat circa illa corpora, quia non immutat illa, nec quidquam illis positiui detrahit vel addit vt possint esse simul, sed solum continuat suum influxum conseruatiuum, qui secundum naturæ legem non erat debitus, nisi in proprio spatio. Sicut enim accidenti & formæ cuilibet corporali non est debita conseruatio, nisi in proprio subiecto, vel materia; ita materiæ & corpori materia constanti non est debita conseruatio, nisi in proprio spatio: quia sicut formæ & accidentia natura sua ordinata sunt ad implendam capacitatem sui susceptiui, & ad illud perficiendum: ita corpora natura sua ordinata sunt ad implendam capacitatem spatij quod intra mundum Deus voluit comprehendi. Vnde extra mundum, & extra proprium spatium non est illis debitus concursus conseruatiuus, sicut nec formæ extra suum subiectum. Et hæc videtur esse causa, cur tantopere natura fugiat mutuam penetrationem, vt nulla vi creata fieri possit. Quo posito, hoc ipso quo Deus volet res corporeas etiam extra proprium spatium sub se mutuo conseruare, cessabit omnis repugnantia actualis, & sola vi natura mouendi poterunt se mutuo subire, & esse in eodem spatio. Similiter duo accidentia contraria non possunt naturaliter esse in eodem subiecto, quia illis ibi non est debita conseruatio: si tamen Deus velit ibi conseruare influxum conseruatiuum vtriusque, fiet pax, & in eodem subiecto sicut amici in eodem cubili recumbent. Auctore enim naturæ manum admonente, omnis creatura obedit, omnemque indolis natiuæ duritiem & ferociam deponit. Nec mirum: cum ipse intra illam lateat, & omnipotenti dextera sua omnis entitatis creatæ radices contineat, ipsaque rei entitas nihil sit aliud, quàm eius operatio assidua & productio. Sicut ergo suas operationes potest ponere in eodem spatio, ita etiam eorum terminos intrinsecos.

94 *Continuatio actionis conseruatiuæ nō sufficit ad penetrationem.*

Verum hæc responsio non satisfacit: quia etiamsi actio conseruatiua continuata sit sufficiens ad conseruanda corpora, dum simul sunt in eodem spatio; non tamen est sufficiens ad ea simul ponenda. Aliud enim est rem conseruare, aliud alteri coniungere. Hæc ergo coniunctio cum sit effectus valdè supernaturalis, quem tota vis creata non potest efficere, postulat propriam actionem qua producatur. Nec refert quòd talis coniunctio non sit aliquid positiuum distinctum à rebus coniunctis, & sibi mutuo præsentibus: quia cum natura rerum à tali præsentia & coniunctione abhorreat, eique prorsus repugnet, opus est vi & actione supernaturali, distincta ab actione conseruatiua: sicut elementum terræ esse coniunctum cælo lunæ, nihil est nisi denominatio extrinseca, tamen opus esset maxima vi ad hoc præstandum, eo quòd natura terræ repugnet. Vnde etiamsi Deus statuerit, illa corpora, vbicumque fuerint, etiam extra cælum vbi conseruatio non est debita, conseruare: non ideo tamen vis creata poterit illa simul ponere. Itaque voluntas continuandi influxum conseruatiuum non sufficit; vt simul esse possint per potentiam creatam: sed requiritur vlterius vt Deus speciali vi & actione illam coniunctionem efficiat.

Itaque volentibus Beatis penetrare alia corpora (quod fiet cum celerrimo motu è cælo ad terras descendēt) Deus sua virtute assistet illis, & faciet vt inter lat spiritus vel radij solaris illa peruadant, absque vlla illorum commotione, vel proprij corporis læsione.

95 *Vis penetrādi in Beatis non ponit aliquid physicū intrinsecum, sed morale.*

Ex quibus patet, Hanc vim penetrandi iuxta hanc sententiam in ipsis Beatis nihil ponere, nisi potentiam quamdam moralem, quæ in eo consistit, quòd Deus statuerit ipsis volentibus sua omnipotentia assistere ad hunc effectum causandum. Itaque dicuntur habere dotem subtilitatis, quia habent potentiam moralem, qua non minùs facilè consequuntur effectum & finem huius dotis, quàm si qualitate intrinseca essent prædicti. Etsi enim non habeant vim physicam inhærentem, habent tamen vim assistentem longè præstantiorem, cuius vsus non minus est in eorum potestate, quàm si inhæreret. Simili modo Sacramenta nouæ legis dicuntur habere vim sanctificandi, & causandi gratiam, quia Deus assistit illis eo ipso à quo ministro debito modo applicantur. Hæc sententia etiā est probabi-

habilis,sed difficilius quàm altera concipitur. Volui vtramque proponere, quia parum inuenio apud Doctores quotes ista explicetur. Suarez tamẽ,qui vbique exactus & perspicax,hanc secundam attingit: vult tamen Beatos concurrere per modum instrumenti physici,quo modo etiam ipsa Sacramenta sanctificare existimat,quod propter auctoritatem eorum qui eam tenent,est probabile.

CAPVT VIII.

De functionibus sensuum in Beatis, & de eorum oblectamentis.

96 Sensus externi habebunt suas oblectationes.

NOn est dubitandum, quin sensus quoque externi suas functiones, & congruas delectationes post resurrectionem habituri sint. Certum enim est, Beatorum corpora non fore sensibus destituta, sed perfectissimè instructa, cum perfectissimis organis & spiritibus ad vsum eorum opportunis: ac proinde habitura sensuum vsum, eumque perfectissimum. Et sanè frustra resumeretur corpus, si non foret ibi sensuum vsus & oblectatio; cum corpus humanum non sit necessarium aut vtile animæ, nisi propter sensuũ vsum. Neque etiam dicas futura sunt obiecta quæ percipiantur & oblectent sensus. Confirmatur Primò, Quia singuli sensus capaces sunt summæ cuiusdam perfectionis sui ordinis, quæ singulorum est beatitudo, & vita beata, quam facile & sine incommodo vel indecoro possunt in patria habere: cur ergo ipsa non habeant? Confirmatur Secundò, Quia anima non solum est rationalis, sed etiam sentiens; & in vtraque parte capax est obligationum, & vitæ cuiusdam beatæ: ergo non solum in parte rationali beari debet (quod fiet per visionem & fruitionem Dei) sed etiam in parte sentiente, quod fiet per perceptionem præstantissimorum obiectorum sensibilium, singulis sensibus accommodatorum. Confirmatur Tertiò, Sancti in sensibus habuerunt multas afflictiones & mortificationes propter Christum: maxima enim pars tormentorum quæ sustinuerunt Martyres, fuit in sensibus externis, & maxima pars austeritatis vitæ Religiosorum, in sensuum mortificatione. Ergo par est, vt in ipsdem recipiãt quoque consolationes & præmia singulis accommodata, vt sicut superiori parti socij fuerunt afflictionis, sic etiam sint socij consolationis. Quartò Confirmatur a contrario. Damnati enim in omnibus sensibus recipient maxima tormenta: ergo Beati in ipsdem maxima solatia. Non enim Deus seuerior in puniendo, quàm benignior in remunerando.

97 Beatitudo visus.

Nunc singulorum sensuum oblectamenta consideremus. Ac primum visus habiturus est suam beatitudinem in aspectu corporum beatorum, maximè Christi Domini, & beatissimæ Virginis. Horum enim pulchritudo maxima est, quæ sub illum sensum cadere possit: & ipse actus aspiciendi erit clarissimus & perfectissimus. Non enim splendor corporum turbabit spiritus oculorum, sicut splendor solis in hac vita; sed suauissime corroborabit. Et in florum & gemmarum aspectu magna voluptas est, quanta erit in aspectu innumerabilium Beatorum, quorum singuli instar solis toti fulgebunt; præsertim cum singuli omnibus parentibus & filijs sint nobis futuri cariores? Quanto enim quis nobis est carior, tanto eius pulchritudine plus delectamur.

His accedet aspectus aliarum rerum pulcherrimarum, quæ ibi erunt. Si enim in hoc exilio & lacrymarum valle tanta est multitudo & pulchritudo rerum, & colorum, & formarum ad oblectandos oculos; quanta erit in patria? Quantum enim cælum terra, & status illius vitæ, statu huius vitæ est præstantior, tanto ibi omnia decet esse præstantiora & pulchriora.

Putant aliqui, etiam Angelos ibi habituros corpora aerea lucidissima, vt se hominibus accommodent, & eorum oculos sua specie oblectent. Sed quamuis verisimile sit, Angelos in huiusmodi specie comparituros in Iudicio ad maiorem Iudicis manifestationem, quæ etiam ab impijs est conspicienda: tamen in patria non est opus tali specie, cũ Beati eorum essentiam clarè videant. Talis enim species externa solum exhibetur, vt ij qui eorum essentiam vt in se est cognoscere nequeunt, saltem ex tali forma eorum excellentiam vtcunq; apprehendant. Valdè tamen probabile est, dæmones in inferno formas terribiles assumpturos ad maiorem damnatorum pœnam, qui nisi sub forma corporea eos cognoscere non poterunt.

98 Dices, Beati erunt cum Christo supra cælum empyreũ, ita vt pedibus insistant superficiei ipsius connexæ, totoque corpore sint extra mundum. Ergo non poterunt se mutuò videre. Nõ enim poterunt diffundi species visibiles per vacuum. Eodem modo probari posset, ibi non fore cãtus, voces, sonos; quia illa aerem vel simile corpus postulãt, quod ibi non erit: vnde nec etiam auditus ibi esse poterit. Antecedens probatur ex S. Thoma 3.p.q.57.ar.4.vbi id docet de Christo Domino, & probat ex Apostolo ad Ephes.4. *Qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.* Sequitur Caietanus, & alij passim Thomistæ. Quod si ibi est Christus, etiam Sancti ibi esse debent, quia Sancti debent esse cum Christo. Et ratio D. Thomæ est cõmunis. Quanto enim aliqua corpora perfectius participãt bonitate diuina, tanto sunt superiore locati ordine: corpora autem Beatorum propter gloriam magis participant bonitate diuina, quàm ipsum cælum empyreum: ergo debent esse supra cælum corporeum.

Parum credibile, Beatos habitare extra mundũ.

Respondeo, Antecedẽs videri parum credibile, Primò, Quia sic Beatorum locus & regnum, ac sedes Dei tõ esset in cælo, sed extra cælum in vacuo immenso, vbi nihil est, quod nõ est consentaneum modo loquendi Scripturæ, quæ passim thronum ac sedem Dei, & regnum eius (quod est sanctorum Angelorum & hominum societas) statuit in cælo, non extra cælum. Psalm. 10. *Dominus in cælo sedes eius*, Psalmo 102. *Dominus in cælo paravit sedem suam, & regnum eius omnibus dominabitur.* Psalmo 2. *Qui habitat in cælis, irridebit eos.* Psal. 88. *Misericordia ædificabitur in cælis.* Denique alijs plurimis locis Deus & Angeli dicuntur esse in cælo: ergo non extra cælum.

Dices, Deus & sedes Dei dicitur esse in cælo, non tanquam in continente, sed tanquam in contento; ac proinde non oportet vt sit intra cælum, sed potius conuenit vt sit extra. Respondeo, Non est illa mens Scripturæ: non enim ideo dicitur esse in cælo, quia continet cælum, ne in nihilũ euanescat; quia sic etiam est in terra, & in inferno. Deinde etsi Deus contineat cælum, sedes tamen Dei proprie non continet, sed potius continetur; quia sedes Dei nihil aliud est quàm multitudo Sanctorum, qui etiam dicuntur Regnũ eius. Itaque Deum esse in cælo, iuxta Scripturæ phrasim nihil est aliud, quàm illic se præsentem exhibere, & gloriam suam ostendere: alibi enim ita adest, vt non possit videri; ac proinde videtur procul abesse. In cælo clare se præsentem ostendit, vnde peculiari modo dicitur ibi esse.

Deinde Scriptura describit cælum tanquam ciuitatem ornatissimam plenam lucis & amœnitatis, vt patet Apoc. 21. & 22. Supra cælum nihil lucis, nihil amœnitatis, nulla rerum varietas, nihil boni, nihil pulchri; sed omnis boni & pulchri absentia. Vide longè melius esset habitare in terris, vbi montes & valles, fontes & flumina, sylua, & prata, horti & flores, & multiplex rerum pulchritudo sensus omnes oblectans, quam in horrido & vasto illo spatio, vbi nihil est quod oblectare queat: Neque satis est quòd cælũ pedibus tangant, eique insistant; quia hoc non est proprie esse in cælo, sed super cælum; sicut qui pedibus insistit superficiei terræ, non proprie dicitur esse in terra, sed super terrã. Deinde tota cæli pulchritudo esset in pauimento. Tertiò, Præterea cælum dicitur domicilium beatorum, & templũ Dei in quo Sancti ei seruiunt die ac nocte, Apoc. 7. Sunt ergo intra cælum non supra. Confirmatur, Quia dicere illos esse supra cælum, perinde est ac si dicas Principem cũ tota curia habitare non intra palatium, sed extra, super tectum palatij, & Deum coli non intra templum suum, sed super tectum templi: quod absurdè diceretur. Quarto, His accedit, quòd spatium illud inane non sit vllo modo accommodatum habitationi Beatorum, cum natura rerum maximè à vacuo abhorreat. Si enim intra mundum ita abhorret à vacuo, vt nulla vi creata possit vel ex modica parte in vacuo constitui: quo modo non horrebit tota esse in vacuo, idque extra mundum? Confirmatur, Quia extra mundum nulli rei corporeæ debita est conseruatio: sicut extra hominem nulli parti hominis (qui est paruus mundus) debita est conseruatio; sed si abscissa fuerit, naturaliter debet perire. Omnis autem res corporea est pars & velut

veluti membrum huius magni mundi, qui idcircò etiam τὸ πᾶν & vniuersum dicitur. Vnde si extra mundum fuerit, non deberetur ei conseruatio. Quod etiam aperte insinuat D. Thomas loco citato, cùm ait, *Nullum corpus in naturalibus constitutum ibi esse posse*. Quòd si natura rerum abhorret aueller a mundo cuius est pars, & collocari extra mundum, credibile est, Deum non posuisse ibi beatitudinis sedem.

Quinto, Si omnes Beati erunt extra mundum, vel alij alijs loco erunt superiores, vel non erunt. Si aliqui habebunt sedem sublimiorem, vt Christus Dominus, beatissima Virgo, & Sanctorum illustrissimi; non contingent pedibus conuexum cæli, sed erunt subleuati & suspensi in spatio illo vacuo, alij plus, alij minus, & soli infimi in cæli conuexo consistent. Si nemo habebit sedem sublimiorem, sed omnes in eadem superficie consistent; ergo concidit illa ratio de corporum locatione, nimirum quodlibet quò magis participat bonitate diuina, eò debere esse sublimius locali ordinatione. Denique hæc sententia abhorret à modo concipiendi omnium fidelium: omnes enim concipiunt regnum Dei, & gloriam Sanctorum in cælo, nõ extra in vacuo. Nec parum offenderet pias aures, qui contrarium expressis verbis assereret.

99 *Respondetur ad locum Apostoli ad Ephes. 4.*

Neq; vrget locus ille Apostoli ad Ephesios 4. Quia non eo rigore explicandus, sed eo modo vt consentiat cum alijs locis, vbi Sancti, & regnum, & sedes Dei dicuntur esse in cælo; & cælum esse domus, habitaculum, templum Dei, &c. Itaque dici potest Christum *ascendisse super omnes cælos*, quia excellit omnes cælos nobis notos, ne quis putet eum in sole vel in stellis sedem collocasse: vel quia absolute omnes cælos excellit etiam supremum, non quoad extremam partem qua omnia continentur, sed quoad partem inferiorem, quæ se habet instar soli cui Sancti insistent, qui modus loquendi Synecdoche dicitur. Sicut si in aliquo ædificio disposita sint ordine sex cœnacula, aliud super aliud, qui ascendit in sextum, & intra illud exiit, verè & propriè dicitur ascendisse & consistere supra omnia cœnacula, etiã si non consistat super tectum sexti. Simili modo aquæ dicuntur esse *super cælos*, non quòd sint super totum aliquod cœlum, sed quia sunt supra inferiorem aeris regionem, quæ etiam cælum dicitur. Eo eundem modum intelligo illud Psal. 67. *Qui ascendis super cælum cæli ad Orientem*, id est, supersummum cælum.

Nec obstat vox ὑπεράνω, quæ videtur significare *longè supra*, vt Beza & quidam volunt, quia Scriptura vsurpat pro ἐπάνω, id est *super*. vnde & aquæ dicuntur esse ὑπεράνω τοῦ στερεοῦ *super cælum*. Dan. 3. Simili modo vsurpatur à prophanis: vnde etiam noster Interpres vertit *super*, nõ *supra*. Quidam obijciunt Chrysostomum, sed eius testimonio fauet nostræ expositioni. Verba eius in illum locum ad Ephesios sunt hæc: *Descendit ad inferiores partes terræ, post quas non sunt alias: & ascendit super omnes cælos, vltra quos non sunt alia*. Christus enim non descendit in ipsum terræ centrũ, sed in limbum Patrum, & forte in Purgatorium; infra quæ vsque ad centrum est ingens interuallum. Sed quia infra totum inferorum spatium (ad quorum aliquam partem Dominus descendit) nihil est, ideò Chrysostomus dicit, post illum locum nihil esse aliud. Simili modo ascendit supra cælum empyreum, nempe secundùm partem eius, vltra quod cælum nihil est. Ex his patet, negandum antecedens in argumento supra proposito.

Notandum tamen, Etiamsi spatium illud extra mũdum non sit accommodatum habitationi Sanctorum, nec ipsi vmquam eò sint ituri, posse tamen diuina potentia ibi esse, & habere sensuum operationes. Potest enim Deus efficere, vt vel oculus sine specie videat; vel vt species immediatè ab obiecto imprimatur. Hæc de beatitudine visus.

100 *Sensus audiendi.*

Sensus audiendi beatitudinem suam obtinebit in perceptione suauissimi cantus, quo Beati omnes Deum laudabunt, iuxta illud Psalm. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in gutture eorum*. *Exaltationes Dei* vocat laudes quibus Deum extollent, omnem eius excellentiam, omniaque opera magnifica cõmemorando, sicut fieri solet in hymnis & laudatorijs canticis. Has ait fore in *gutture eorum*, non ergo tantùm in animo: nec solùm cogitatione Deum laudabunt, sed etiam voce. Fore enim cantum vocalem, dubitandum non est. Ratio est, Quia cùm homo corpore & animo constet, vt oporteat vt non solùm animo, sed etiam corpore Deo seruiat. Seruitus autem Dei consistit in laude & gratiarum actione, præsertim in patria, vbi omnia opera pœnitentiæ & misericordiæ cessabunt, & omnes soli Deo intendent. Atqui nullum est opus externum, quo Deus magis honoretur, aut quod maiorem honestioremque voluptatem contineat, quàm canticum laudis & gratiarum actionis. Vnde sæpè in Psalmis & Apocal. Ioannis mentio fit cantici noui, quod Sancti in cælo Domino canabunt. Et hoc est sacrificium laudis, quod illi in æternum offerent. Accedit, quod ex magno amore & gaudio homo naturaliter incitetur ad cantandum, vt experientia constat. Interna enim suauitas mentis dum ex parte superiore redundat in inferiorem, etiam per corporis instrumenta se prodit foris. Quare cùm Sancti tot sint amore diuino accensi, & gaudio plenissimi, summè ab intrinseco ad diuinas laudes cantu celebrandas incitantur. Vnde S. Gregorius libro 8. Moralium cap 39 explicans versiculum illum cap. 8. Iob, *Donec implentur os tuum*, &c. *Benè*, inquit, *os risu impleri dicitur, & labia iubilo; quia in illa æterna patria cùm lustrorum mens in exultationem rapitur, lingua in cantum laudis elevatur*. De eadem re S. Augustinus capit. 25. Meditationum sic scribit: *Omne opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ego & verè in perpetuum felix, si post resurrectionem huius corpusculi audire meruero illa cantica cælestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis superna patria ciuibus, beatorumque spirituum agminibus. Fortunatus ego nimirumque beatus, si & ego ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo, Deo meo, Duci meo, & cernere eum in gloria sua.*

Quisque ibi canit laudes diuinas modo sibi accommodato, Angeli voce spirituali, homines etiam corporali. Quanta verò sit futura voluptas cælestis illius musicæ, ex terreni cantus dulcedine coniectari potest, quæ interdum tanta est (vt cùm excellentissima vox iungitur citharæ, vel alteri congruo instrumento) vt animũ quasi à corpore abducat, & natura mortalis vix ferre queat, ob animæ condis dilatationem.

101 *Quomodo possit esse cantus si in cælo.*

Petes, Quomodo poterit ibi esse cantus, cùm ibi non sit aer, qui ad vocem & sonum est necessarius? Si enim Beati ponantur esse extra cælum, ibi nihil est quod sonum excipiat. Si verò in cælo, hic nullum est corpus spirabile, cùm cæli, iuxta Philosophos, sint sphæræ solidæ instar marmoris vel æris. Vnde Iob 37. *Cæli solidissimi quasi ære fusi sunt.*

Refutatio quorundam.

Respondent, quidam Beatos habituros pulmonem, stomachum, hypochondria aere plena, quem hinc secum in cælum deferent. Hunc, cùm volent loqui aut canere, sursum attrahent, & allident palato ac dentibus, sicque vocem formabunt: ita tamen vt nullam huius aeris particulam foras emittant, sed per corporis poros, vel penetrationem dimensionum ad priores cauitates reduci faciant, idque assiduo quodam circulo, & in orbem conuersione. *Refutatur.* Verùm hæc tenentia duo supponit quæ ego falsa existimo. Alterum, Beatorum sedem fore extra mundum, quod iam refutatum est. Alterum, *In cælo empyreo non fore aliquod corpus spirabile*, sed ipsum esse plane solidum instar adamantis. Sed hoc quoque est parum credibile: sic enim non esset vllo modo accommodatum habitationi ho-

In cælo erit corpus aliquod spirabile, & aura quædam cælestis. *Psal. 26. & 30. &c.*

minum. Quis enim habitet in solido marmore? Nec haberet illas amœnitates & commoditates, quas communis fidelium sensus, & sanctorum Patrum descriptio, & sacra Scriptura ei tribuit. Et quamuis per dotem subtilitatis possint in solido corpore existere, hoc tamen est omnino supra naturam, & concessum potius ob motum, ne ab aliquo occurrente possint impediri aut retardari, quam ad commorationem.

Itaque longè verius existimo, fore ibi aliquod corpus spirabile instar aeris, & auram quandam cælestem, in qua sint commoraturi, quam possint attrahere & expirare si velint, alioquin locus ille non esset aptus habitationi. Credibile enim est, cælum empyreum constare tribus partibus, quarum infima sit solida, & præbeat beatis veluti solum cui insistant, sicut terræ superficies mortalibus. Vide cælum in Scripturis vocari terra viuentium: quia ibi degent tamquam super suam terram, suo statui accommodatam. Media verò sit spirabilis circumquaque diffusa per amplissima spatia, sicut aer circa terram. Suprema rursum sit solida, includens & coercens intra se auram illã

ſpirabilem, totumque mũdum inferiorem; ſicut cælum lunæ totum vndique coercet aerem. Quæ ſententia eſt conſentanea Scripturis & ſanctis Patribus, qui paſſim loquuntur de cælo, tamquam de ciuitate quadam amœniſſima & commodiſſima ad vitam & habitationem, vt ſupra oſtenſum eſt. Quanta verò ſit diſtantia inter partem infimam & ſupremam, nobis prorſus ignotum eſt: credibile tamen eſt, fore longe maiorem, quam ſit interualluin inter ſuperficiẽ terræ & cælum lunæ, quod Aſtronomi ſtatuunt eſſe pluſquam centum & ſedecim millium milliarium: maximè cũ ſpiſſitudini ſphæræ octauæ tribuant centum octoginta mil liones milliarium.

102 *Senſus odorandi.*

Senſus odorandi ſuam habebit felicitatem in ſuauitate odoris, quem corpora Beatorum, & fortaſſis etiam locus ipſe diffundet. Si enim in inferno futurus eſt odor teterrimus, & ipſa corpora damnatorum fœtidiſſima: cur non credamus in cælo fore odorem ſuauiſſimum, iuxta illud: *Sanctis tuis Domine florebunt ſicut lilium. & ſicut odor balſami erunt ante te?*

Neque ad hoc opus eſt vt corpora illa aſſiduè vapores de ſe emittant: poteſt enim odor ſine huiuſmodi euaporatione diffundi. Non enim credibile eſt, odorem illum, qui in veſtigijs animantium relinquitur, & poſt aliquot horas à canibus deprehenditur, in vaporibus conſiſtere; quia vapores ſtatim diſſipantur: & ſi res odoratæ ſemper vapores emitterent, ſtatim conſumerentur. Denique verſimile eſt, hunc odorem fore alterius rationis, quam ſint noſtri.

103 *Guſtus & Tactus.*

Poſtremò etiam ſenſus guſtandi & tangendi ſuam felicitatẽ obtinebunt, etſi quidam dubitent. Sed non video cur dubitari debeat. Si enim damnati acerrimè in his ſenſibus punientur, vt luant illicitas voluptates, quas per hoſce ſenſus in hac vita perceperũt, vt patet in Epulone illo qui cruciabatur in lingua: cur Sancti qui multa acerba in his pro Chriſto pertulerunt, non recipiant in illis conſolationem & voluptatem? *Luca 16.*

Senſus guſtandi ſuam habebit voluptatem, non in perceptione cibi & potus, ſed humoris cuiuſdam ſuauiſſimi, qui linguam, palatum, & interiora imbuet. Hic proueniet partim ex optimo temperamento. Si enim homo boni temperamenti, & planè ſanus, ſuauiter afficitur lingua & palato etiam ieiunus: quanto ſuauius ibi afficietur, vbi temperamentum erit perfectiſſimum? Partim ex aliquo forte cælesti liquore diuinitus infuſo, quem credibile eſt etiam per ſtomachum ceteraque interiora diffundendum. Nam illæ partes poſtulant aliquem humorem externum, quo lubricæ & humidæ ſeruentur.

Senſus tangendi ſuam voluptatem percipiet tum ex aura cælesti, & cælestis corporis attactu. Si enim hic magna voluptas percipitur ex aura ſuaui, & aquarum contactu, quanto magis ibi ex aura cælesti, & cælestium corporum contactu? Tum ex intimo ſenſu optimi temperamenti: homo enim perfectè ſanus ipſam corporis bonam conſtitutionem in ſe ſuauiter ſentit. Vnde Anſelmus cap. 54. De ſimiliturdinibus. *Inuenirentur, vt mea quidem fert opinio, æſtimare licet, ſanitatem vitæ futuræ ita vigere & immutabilem ac inuiolabilem fore, vt neſſ. ſibi quadam dulcedine ſuauitatis totum repleat hominem, & omne quod alicuius in ſe viciſſitudinis, mutabilitatis ac læſionis ſuſpicionem prætendere queat, procul arceat & repellat.* Hæc de ſingulis ſenſuum exteriorum functionibus & obiectationibus.

104 *De omnium ſenſuum obiectatione.*

De quibus omnibus ita ſcribit Sanctus Laurentius Iuſtinianus lib. De diſciplina monaſticæ conuerſationis capit. 23. *Cano ſpiritualis efficta per omnes ſenſus ſuos multimodis exuberabit deliciis. Delectabitur oculus in amabili Redemptoris aſpectu, tum videbit Regem in decore ſuo gloria ornatum, & diademate redimitum, quo coronauit eum mater ſua. Melodica cantica ciuium ſupernorum non mediocriter mulcebunt auditum. Fragrans quoque ſuauitas cæleſtium odoramentorum mira liquefactione reſpirget odoratum. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium melliflua quadam & iucunda ſuauitate oris ſaginabit palatum. Ipſe demum tactus ſibi congruis abundabit deliciis, quas experti narrant. Fas enim non eſt, vt in illa cæleſti gloria quidquam tacet à Dei laude: quin potius ſuſtum, vt cuncta corporis membra ſuum proprio modo efferant Conditorem, quatenus ſicut ab ipſo ſumſerint principium, ita & in illum deducant ſui beatitudinis finem, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Hæc ille.

5 Anſelmus lib De ſimilitud. cap. 57. cum diſſeret quod damnati in omnibus ſenſibus & membris habebunt maximos dolores, addit: *Etiam mens ſi de contrario in conſideratione, in illa futura vera delectatione quam ineffabilis bonus inebriabit, & inæſtimabili dulcedine ſui, tot & tam enarrabile abundantia ſatiabit? Quid dixi totos? Cum ipſa caro, os meum, guttur, cor, uenæ, pulmo, oſſa, medulla, exta etiam mea, & tota conſigillatim membra eorum in commixti, tam mirabili delectationis & dulcedinis fonte reflebuntur, vt verè totus homo torrente voluptatis Dei poteſtur, & ab vbertate domus eius inebrietur.* Similia paſſim apud alios ſanctos Scriptores reperiuntur de ſenſuum obiectamentis.

107 *Pars inferior animæ, nempe imaginatio & appetitus ſenſitiuus.*

His adde vim quoque imaginatricem, & appetitum ſenſitiuum, quatenus imaginationi reſpondet, ſuam quoque beatitudinem habituram: idque dupliciter. Primò; Secundum ſe, quatenus mouetur ab obiectis ſibi commenſis & proportionatis. Sic imaginatricis bonum conſiſtit in imaginatione præſtantiſſimorum obiectorum, quæ ſenſibus externis percipientur: appetitus verò ſenſitiui, in delectatione quæ ex tali imaginatione ſequitur. Et ſicut operatio imaginatricis ſublimior eſt quam operatio ſenſuum exteriorum; ita quoque delectatio, quæ ex imaginatione ſequitur, ſublimior eſt quàm ea quæ ſequitur ex perceptione ſenſuum externorum. Secundò, Quatenus hæ potentiæ mouentur per quamdam ſympathiam ab intellectu & voluntate. Sicut enim naturaliter nihil poſſumus intellectu percipere, niſi id ipſum per vim imaginatricem corporali ſpecie in nobis depinxerimus; ita viciſſim quod intellectum purè & ſpiritaliter abſque vlla phantaſmatis ope perceptum eſt, poteſt imaginatrix modo corporali ſibi accommodato in ſe formare, & per huiuſmodi formam appetitum ſenſitiuum commouere. Itaque cum Beati reſumptis corporibus videbunt eſſentiam diuinam, ex vi huius viſionis imaginatrix applicabitur & determinabitur ad apprehendendum Deum modo ſibi congruenti, nimirum tãquam infinitam lucem & dulcedinem animæ: & conſequẽter appetitus inferior maximam delectationem ex Deo ſic apprehenſo percipiet. Confirmatur, Si enim etiam in hac vita ex contemplatione intellectus, & gaudio voluntatis interdum tanta ſuauitas in vires inferiores redundat, vt natura mortalis vix ſit ferendo, iuxta illud Pſalm. 72. *Defecit caro mea & cor meum; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* & Pſal. 83 *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum:* quantã ibi ex viſione clara & fruitione Dei præſentis in vires inferiores refundendam par eſt exiſtimare? præſertim cum omnis contemplatio huius vitæ ad claritatem viſionis ſit inſtar lucis nocturnæ ad claritatem meridianam. Hac ratione Deus non ſolum erit beatitudo ſeu ſummum bonum virium ſuperiorum, ſed etiam inferiorum, nimirum imaginatricis, & appetitus ſenſitiui, *vt ipſe ſit omnia in omnibus.* Ipſi gloria in ſæcula. 1. Cor. 15.

CAPVT IX.

Beatitudinem non poſſe amitti.

106 *Sententia Origenis de viciſſitudine perpetua felicitatis & miſeriæ.*

ORigenes non ſolum ſenſit, beatitudinem amitti poſſe, ſed etiam fore perpetuum quendam circulum trium ſtatuum, nempe felicitatis Angelicæ, miſeriæ humanæ, & miſeriæ dæmonum: & quandibet creaturam rationalem variis ſæculi ex vno in alium transferendam pro meritorũ ratione. Omnes enim creaturas rationales, nempe Angelos, animas, & dæmones, eſſe vnius naturæ, & ſolum differre voluntate & ſtatu. Eas enim quæ in cæleſtibus perſeuerant in ſanctitate, dici Angelos: quæ verò ex illis negligentiùs agunt & peccant, relegari quotidie ad corpora veluti carcerem, & vocari animas, Græcè ψυχὰς, quòd charitas in illis refrixerit, ψῦχος enim frigus dicitur. Si grauiora peccauerint, fieri dæmones, & maioribus inuolui pœnis. Rurſus dæmones ſi probi eſſe velint, & ſe ad virtutem conuerterint, iterum ad dignitatem Angelicam, & beatam vitam euadendos, ſicut & animas. Et quia putabat infinitos fore mundos, non ſimul ſed ſucceſſiuè; exiſtimabat etiam horum ſtatuum perpetuam fore viciſſitudinẽ. Hanc ſententiam tribuit Origeni S. Hieronymus (qui in ſcriptis Origenis erat verſatiſſimus) Epiſt. 59 ad Auitum, eaque iuculentè explicat. Et S. Epiph. Epiſt. ad Ioannẽ Ieroſolymitanum, quæ proximè in Hieronymo ſequitur, & S. Auguſt. lib.

lib. De hæresibus, hæresi 43. & lib 21. De ciuitate, cap. 17.

Non tamen hæc tradidit Origenes vt certa, sed tamquã verosimilia, iudicium lectori permittens, vt Hieronymus refert. Hinc alijs locis aliter sentire videtur, & multi conãtur illum excusare: verum magis credendum Hieronymo & ceteris Patribus: nam Apologia, quæ nomine Pamphili extat pro Origene, non est Pamphili Martyris, sed Eusebij Cæsariensis hominis Arriani, vt bene ostendit Hieronymus Epist. 65. & alijs locis.

Verum hæc sententia multos inuoluit errores, non solum Scripturis diuinis, sed etiam rationali naturali, & veræ Philosophiæ contrarios, quos huius loci non est refutare. Solum hic ostendendum, beatitudinem Iustorum pariter ac miseriam iniquorum post hanc vitam fore sempiternam, quo posito euanescunt omnes mundi, & circuli illanum, quos imaginatus est Origenes. Probatur ex Scripturis Psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et Psalmo 144. *Laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi*, id est, in omnem æternitatem. Dixit hoc ex magna fiducia obtinendę beatitudinis. Sapientiæ 5. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum*, itaque in perpetuum mercede sua fruentur. Isaiæ 35. *Et redempti a Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Caput animæ, intellectus seu mens; hæc enim suprema animæ portio. Hic erit fons gaudij & lætitiæ, nempe visio diuinæ essentiæ. Et cap 65. *Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor: sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum in his quæ ego creo.* &c. Hæc de præmijs iustorum.

Beatitudinẽ Iustorum, & damnationẽ iniquorum fore sempiternam.

107 De supplicijs verò impiorum idem Isaias cap. vlt. *Egredientur* (iusti) *& videbunt cadauera virorum qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Daniel. 12. de vtrisque ita loquitur Angelus: *Multi qui dormierunt in puluere terræ euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper.* Itaque eodem modo æterna erit vita & præmium iustorum, sicut æternum erit opprobrium impiorum. *Vt videant semper*, id est, sentiant & sustineant opprobrium æternum.

Matthæi 3. S. Ioannes Baptista ita loquitur de Christo: *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hic vtrobique indicatur æternitas: nam & horreum Domini, in quod omne electum triticum congregabitur, æternum est: & ignis, in quem palea conijcietur, cum numquam sit extinguendus, æternus est.

Marci 9. Dominus æternitatem pœnarum bis eadem sententia inculcat: *Si scandalizauerit te manus tua, abscinde eam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Hanc sententiam ter ibidem Dominus repetit, vt eam altissimè cordibus hominum infigat. Non satis ei erat dicere, *ire in gehennam*; sed explicationis & emphaseos causa addere voluit, *in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum*, &c. vt talibus loquendi formulis æternitatem supplicij nobis inculcaret. Vocat *ignem inextinguibilem*, non quia extingui non potest (Deus enim potest illum extinguere) sed quia numquam extinguetur, vt ipsemet Dominus explicat, cum ait: *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Matthæi 25. *Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.*

S. Paulus 2. ad Corinth. 4. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et c. 5. *Ædificationem habemus a Deo domum non manufactam, æternam in cælis.* 1. ad Thessal. 4. *Et sic semper cum Domino erimus.* 2. ad Thessal. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.*

S. Petrus Epist. 1. c. 1. *Qui regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem*, duobus verbis clarè æternitatem præmiorum insinuat. Apocal. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, & requiem non habebunt die ac nocte.*

Ex quibus patet, quàm varijs modis æterna duratio præmiorum & suppliciorum in Scripturis indicetur.

Denique vitam æternam iustis in futuro sæculo præparatam, est articulus Fidei, vt patet ex Symbolo Apostolico. Vnde omnes qui id negarunt, vel in dubium vocarunt (qui sanè pauci fuere) pro hæreticis habiti. Verum profectò est, Origenem in tanta Scripturarum luce ea de re dubitare potuisse. Sed id ei accidit, quia Platonicis figmentis imbutus, Scripturam non simpliciter & iuxta mentem Ecclesiæ interpretatus est, sed per allegorias ad suas imaginationes, vt solent hæretici, detorquere studuit, vt S. Epiphanius in Epistol. ad Ioannem Ierosolymitanum Episcopum Origenistam multis exemplis ostendit.

Ex his constat, Beatitudinem veram & perfectam, qualem expectamus, semel obtentam amitti non posse. Non enim hæc duo simul possunt consistere, posse amitti, & esse æternum. 108 *Non posse amitti.*

Dices. Vt aliquid verè sit æternum, satis est vt numquam sit amittendum; ac proinde non est opus, vt non possit amitti.

Respondeo, Nobis satis est quòd numquam sit amittenda: hoc enim desiderio hominis sufficit, qui nihil aliud desiderat, quàm vt bonum suum reipsa numquam amittat, siue dicatur posse amitti; siue non posse. Quamuis hinc etiam rectè colligamus, eam amitti non posse, si loquamur de potentia propinqua. Sicut enim iuxta Philosophos in æternis idem est esse, & posse esse; ita non esse, & non posse esse. Fieri enim nequit, vt æterno tempore sit aliquid in potẽtia propinqua & ad actum expedita, quod numquam exeat in actum. *In æternis idem est, non esse, & non posse esse.*

Eadem veritas probari potest hac ratione, qua vtitur ẽt S. Thomas q. 5. art. 4. Si bonum illud in quo ponitur beatitudo, amitti potest; vel Beatus id nouit, vel ignorat, & putat non posse amitti. Si nouit posse amitti, & se aliquando amissurum, non potest esse beatus, quia semper erit anxius, & ingenti mœrore afficietur, quòd amissurus sit tantum bonum. Quò enim plus amat bonum sum quod possidet, eo plus dolet quando cogitat se illud amissurum: sicut patet in illis qui bonum suum collocant in rebus huius vitæ, qui magno mœrore afficiuntur dum cogitant de morte, qua omnia illa perdent: vnde multis modis conantur hãc cogitationem amoliri. Verum id fieri non poterit in illa luce futuræ vitæ, vbi clarè omnia conspicientur, maximè quæ proprio statui adeo sunt intrinseca. Itaque versabuntur in assiduo mœrore, quòd infiniti illius boni, quod modo possident, iacturam sint passuri. 109

Vel putat non posse amitti, & sic etiam non est beatus. Cuius ratio secundum Diuum Thomam est: quia beatitudo omne malum excludere debet: error autem est malum intellectus, sicut verum est bonum ipsius. Hæc quidem ratio bona est, sed præcipua causa cur talis non possit esse beatus, est, quia gaudium eius principale falso fundamento nititur. Præcipuum enim gaudium Beatorum nascitur ex eo, quòd possessio boni credatur fore sempiterna; sicut præcipua afflictio damnatorum est, quòd videant mala sua fore perpetua. Quare si hoc falsum est, fundamẽtum gaudij falsum est, ac proinde non potest hominem verè beatum efficere: error enim circa ipsum beatitudinis fundamentum maximè repugnat beatitudini.

Si dicas, illum se habere negatiuè, neutrum iudicando. In primis id fieri non potest tanto tempore. Magnus enim esset stupor, numquam cogitare an possessio summi boni sit futura æterna, an temporalis. Deinde eo etiam tempore, quo de neutro cogitaret, non esset perfectè beatus: tum quia non apprehenderet suum bonum vt æternum; ex qua tamen apprehensione nascitur præcipuum gaudium: tum quia etiamsi animus eius actu non sit inquietus, eo quòd non cogitet de amissione futura: tamen inquietudinis & mœroris radicem in se habet, quam simul atque animaduerterit, necessario tristabitur, nempe se posse suum bonũ amittere. 110

His addo, quòd possessio illa, quæ aliquando amittenda, de se non sit apta omnem inquietudinem & mœrorem expellere; quod tamen ad beatitudinis rationem requiritur. Etsi enim ad eius rationem non sit necessarium vt actu omnem mœrorem expellat, & omne desiderium satiet (vt patet in Christo Domino:) tamen necessarium est, vt ex ipsius conditione spectata, ex se sit apta omnẽ mœrorem

expellere,idque vel per ſe, vel per bona alia,quæ ipſa ſecũ defert. Et hoc ſenſu dicitur eſſe de ratione beatitudinis, vt excludat omne malum,& tamet appetitum.

Perpetuitas pertinet ad Beat. rationem.

Ex his ſequitur, Ad rationem perfectæ beatitudinis nõ ſolum pertinere viſionem, amorem,& fruitionem,ſed etiã horum perpetuitatem, & cognitionem huius perpetuitatis,& conſequenter *ſecuritatem*, quæ ex hac cognitione reſultat: quia nihil eſt aliud quàm vacuitas timoris, prouenies ex certa cognitione boni non amittendi.

Securitas quid ſit.

Obiectiones.

Contra hanc doctrinam, quæ veriſſima eſt, obijci poſſunt aliquot argumenta. Primum, Si perpetuitas requiritur ad rationem beatitudinis, ergo viſio, amor & gaudium non ſufficiunt: quod non eſt conſentaneum communi Doctorum ſententiæ,& doctrinæ ſuprà lib.2. cap.5. traditæ.

Secundò, Iſti actus ſiue perpetuo ſint duraturi, ſiue per diem tantum,ſunt eiuſdem rationis & ſpeciei: ergo ſi efficiunt beatum dum perpetuo ſunt duraturi, etiam efficiẽt, quamuis ſolum per diem durarent.

Tertium, Ad rationem beatitudinis non requiritur excluſio omnis triſtitiæ, vt patet in Chriſto Domino: ergo etiam non requiritur, vt omnis mœror vel timor amittendæ beatitudinis excludatur.

Quartum, Beatitudo non conſiſtit in cognitione alicuius rei creatæ: atqui viſio & eius perpetuitas eſt aliquid creatum; ergo, &c.

Soluuntur.

Ad Primum reſpõdeo,Illos tres actus ſufficere ad eſſentiam beatitudinis,non quomodolibet conſideratos,ſed cũ ſua naturali conditione, quæ eſt perpetuitas, ſine qua non poſſunt homini deſiderium ſatiare,ac proinde nec beatitudinis perfectæ rationem obtinere.

Ad Secundum,Etſi duratio maior vel minor nõ variet ſpeciem naturalem rerum,tamen variat illas in ratione boni vel mali appetẽdi & fugiendi. Infinita enim duratio accedens poſſeſſioni alicuius boni,facit illam infinitè meliorem,magiſque expetendam: & accedens perpeſſioni alicuius mali,facit illam infinitè deteriorem. Itaque poſſeſſio ſummi boni cum infinita duratione eſt infinitè optabilior, quàm ſimilis poſſeſſio, quæ ſolum durat per diem vel annum,quia talibus infinitis æquiualet. Hinc fit vt illa ſatiet appetitum,hęc verò non ſatiet,ſed reliquat mentem plenam mœrore.

Ratio beatitudinis eſſentialis poſtulat vt de ſe apta ſit ſatiare appetitũ, & excludere omnem mœrorem.

Ad Tertium negãda eſt conſequentia. Etſi enim ratio beatitudinis non poſtulet vt actu omnem mœrorem excludat, tamen poſtulat vt bonum illud in quo conſiſtit, ex ſe ſit ſufficiens excludere omnem mœrorem, adeo vt reipſa id præſtiturum ſit, niſi aliunde impediatur. Tantum enim eſt illud bonum,vt carentia aliorum bonorum nihili æſtimetur modo ipſum ſaluũ remaneat. Viſio verò Dei quæ ſolum ad tempus eſt duratura, vel quam ipſe videns timet amittere, non eſt ſufficiens vt excludat omnem mœrorem: quia non poteſt excludere mœrorem,qui ex impendente amiſſione ipſiuſmet viſionis concipitur. Tantum enim mali exiſtimatur rei amiſſio, quantum boni putatur eius poſſeſſio. Quare cum poſſeſſionem Dei æſtimet Beatus eſſe ſummum bonum,eius amiſſionem neceſſario conſet ſummum malum; ac proinde neceſſario eſt anxius & mœſtus.

Ad Quartum, Beatitudo non conſiſtit primario in cognitione rei creatæ;ſed diuinæ eſſentiæ:ſecundario tamen conſiſtit in cognitione rei creatæ,non quà pure creata eſt, & diſtincta a Deo, ſed quatenus includit ipſum Deum tamquam eius poſſeſſio & coniunctio. Et hoc modo cognitio viſionis & perpetuitatis eius, & ipſius videntis eſt neceſſaria ad perfectam beatitudinem. Debet enim Beatus cognoſcere, ſe perpetuo poſſeſſurum illud bonum per viſionem, &c. Vnde debet videre Deum,& viſionem Dei,& ſeipſum Deum videntem, & horum omnium perpetuitatem. Hæc autem omnia videt per lumen gloriæ,idque vno impetu: quamuis forte hæ viſiones in ſua entitate ſint diſtinctæ, vtpote diuerſorum obiectorum imagines. Quidã tamen volunt hæc omnia videri vno ſimplici actu viſionis ad plura obiecta ſe extendentis.

Petes, Vnde prouenit, quòd bonum illud, in quo beatitudo formaliter conſiſtit, nempe viſio & fruitio Dei, amitti non poſſit? 113

Reſpondeo, Id prouenire ex eo, quòd Deus ſtatuit lumen gloriæ, quod totius beatitudinis eſt fundamentum, perpetuo conſeruare: poſito autem lumine gloriæ,& concurſu diuino lumini & intellectui debito,neceſſario ſequitur viſio diuinæ eſſentiæ, & ex viſione amor & gaudium. Itaque cum lumen gloriæ extingui non poſſit,conſequens eſt,vt beatitudo,quæ neceſſario ex lumine ſequitur,amitti nequeat.

Cauſa cur beatitudo nõ poſſit amitti.

Lumini gloriæ debita eſt conſeruatio duplici ratione.

Porrò hæc conſeruatio lumini eſt debita duplici ratione. Primum propter ſuam excellentiam: quia eſt ſuprema quædam participatio, & imago luminis increati quo Deus ſeipſum videt. Vnde ſi Angelicæ ſubſtantiæ, & animæ rationali propter ſuam excellentiam, quia ſunt imago Dei, perpetua debetur conſeruatio; multo magis debetur lumini gloriæ, quo mens Angelica & anima eleuantur ad perfectiſſimam Dei ſimilitudinem,& ad vnionem Dei per viſionem & amorem. Itaque præter naturam illius luminis foret, ſi Deus influxum ſuum ſubtraheret, & ſineret illud in nihilum euaneſcere: ſimili modo ſi daretur alicui per modum qualitatis fluentis, quo modo quidam putant datum Paulo & Moyſi. Poſtulat enim eius excellentia, vt non detur niſi in modum rei firmæ & permanentis: ſicut etiam gratia iuſtificans & alij habitus ſupernaturales non dantur in modum rei fluentis, ſed permanentis. Secus eſt de gratia præueniente, quæ conſiſtit in actibus vitalibus tranſitorijs.

113 Cur Deus aliquando retrahat influxum conſeruatiuum.

Confirmatur. Quia Deus cum ſit ſumma bonitas,& cupiat omnia,quantum ordo naturæ patitur,ſuum eſſe,quod illis contulit,retinere;nulli rei etiam naturali ſubtrahit influxum ſuum conſeruatiuum, niſi vel actio contrarij id poſtulet; vt in pugna caloris & frigoris, & aliorum accidit: vel diſpoſitiones neceſſariæ per actionem contrariorum ſint euerſæ, vt cum animantia & plantæ eorumque animæ pereunt: vel denique niſi ſubiectum per peccatum ſe reddat indignum,& mereatur bono ſuo ſpoliari,ſicut contingit in donis ſupernaturalibus naturæ rationali collatis. Hæc enim etſi ratione ſuæ excellentiæ ita ſint eleuata, vt nihil illis phyſicè repugnet,& poſtulent per ſe perpetuam cõſeruationem;tamen quia per peccatum reddit ſe homo illis indignum, Deus ſubtrahit ſuum influxum conſeruatiuum,& ſinit illa perire.

Porrò nihil horum locum habet in lumine gloriæ. Non enim habet contrarium à quo poſſit interimi. Etſi enim error ei aliquo modo repugnet, maximè qui in actu iudicij conſiſtit: tamen hic non poteſt obeſſe; quia mens eo ipſo quo lumine gloriæ illuſtrata eſt, nullius erroris eſt capax. Neque etiam hoc lumen pendet a diſpoſitionibus ſubiecti contrarium habentibus,a quo euerti poſſint: quia in intellectu nulla requiritur diſpoſitio vt lumen gloriæ in eo conſeruetur. Denique nec per peccatum hoc donum amitti poteſt, ſicut amittitur gratia iuſtificationis, & alij habitus ſupernaturales in hac vita: quia is qui lumine gloriæ colluſtratus eſt, nullo modo peccare poteſt, vt ſuprà lib.3. cap.22. oſtenſum eſt. Itaque ex parte ipſius nulla poteſt dari cauſa huius ſubtractionis. Quod ſi Beati peccare poſſent, tunc dicendum eſſet, beatitudinem amitti poſſe: ſicut in hac vita gratia iuſtificationis amitti poteſt, Deo propter peccatum, influxum ſuum conſeruatiuum (quo cæleſte illud donum in anima aſſiduè conſeruabat) ſubtrahente. His accedit, quòd ſi alicui rei debita eſſet perpetua conſeruatio,maximè illi per quam coniungimur vltimo fini & ſummo bono, ſine qua ſummum bonũ conuenienter poſſideri non poteſt. Tale autem eſt lumen gloriæ. Altera ratio eſt, Quia lumen gloriæ pertinet ad ſtatum futuræ vitæ,qui eſt ſtatus immutabilitatis & æternitatis: omnis autem perfectio illius ſtatus poſtulat perpetuam conſeruationem.

114 An beatitudo ſit incorruptibilis.

Petes, Vtrùm beatitudo, nempe viſio & fruitio Dei, natura ſua ſit incorruptibilis,an ſolum per gratiam Dei?

Vide Cyrillũ lib.8. Theſauri ca. 2. Damaſ. li.2. De fide,c.3. Iuſtinum q. 13. Athanaſium Orationc cõtra Idolat. verſus finẽ.

Reſpondeo, Corruptibile & incorruptibile dici reſpectu cauſæ,quæ poſſit corrumpere,vel non poſſit: ſicut generabile, producibile, & ſimilia. Hæc cauſa poteſt eſſe vel Deus, vel creatura aliqua. Quo poſito, Dico, Si beatitudo hominis vel Angeli comparetur ad Deum,ſic haud dubiè natura ſua eſt corruptibilis; ſicut & omnis creatura, etiam cæli & Angeli. Talis enim eſt naturæ vt à Deo corrumpi & deſtrui poſſit: eſtque hęc corruptibilitas illi intrinſeca. Hoc modo ſancti Patres paſſim dicunt nullam creaturam natura ſua eſſe incorruptibilem, ſed ſola Dei voluntate & gratia, qui dignatur illam conſeruare.

Ratio

Ratio eſt, Quia cùm ſit ex nihilo, & ex ſe, nihil, aſſiduè pẽdet ex libero Dei influxu, quo datur illi totum ſuum eſſe; & illud aſſiduè conſeruat: ſicut pondus quod quis à terra ſurſum attraxit, & tenet in aere, aſſiduè pendet à manu tenentis: & ſicut imago in ſpeculo pendet ab obiecto. Suppoſita tamen diuina ordinatione, qua ſtatuit beatitudinem fore ſempiternã, etiam a Deo nequit interimi vel auferri, quia ſeipſum negare non poteſt.

215 Si vero comparetur ad res creatas, ſic natura ſua eſt incorruptibilis; quia talis eſt naturæ vt a nulla creatura poſſit impediri vel aboleri. Hinc beatus Petrus Epiſt. 1. cap. 1. vocat eam *hereditatem incorruptibilem & immarceſcibilem*. Poſito enim lumine gloriæ & concurſu diuino huic lumini & intellectui debito, neceſſariò ſequitur viſio. Nam eſſentia diuina eſt intime præſens menti: vnde mens non poteſt ſe ab illa auertere. Poſita autem viſione, neceſſariò ſequuntur reliqui actus, nempe amor & gaudium, quæ duo nomine fruitionis intelligi ſolent. Tam ergo incorruptibilis & ſolida erit noſtra beatitudo, quam ſubſtantia cælorum & Angelorum. Verùm incorruptibilitas gaudij & amoris pendet ex incorruptibilitate viſionis. Hæc vero pendet ex firmitate luminis & cõcurſus diuini, in quibus duobus eſt totum fundamentum æternitatis vitæ beatæ.

Ex his perſpicuum, eſſe in futura beatitudinis ſtatu fore omnia bona corporis & animi quæ quis deſiderare poſſit, eaque omnia fore ſempiterna, omnique ſocietate munita. *Quid ergo*, inquit S. Anſelmus, *per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corpori tuo? ſi delectat pulchritudo, fulgebunt Iuſti ſicut ſol in regno Patris ſui. Si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis cui nihil poſſit obſiſtere, erunt ſimiles Angelis Dei, quia ſeminatur corpus animale, & ſurget corpus ſpirituale, poteſtate vtique, non natura. Si longa & ſalubris vita, ibi ſana eſt æternitas, & æterna ſanitas; quia Iuſti in perpetuum viuent, & ſalus Iuſtorum à Domino. Si ſatietas, ſatiabuntur cùm apparuerit gloria Dei. Si ebrietas, inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Si melodia, ibi Angelorum chori concinunt ſine fine Deo. Si qualiscunque non immunda ſed munda voluptas, torrente voluptatis tuæ potabis eos Deus. Si ſapientia, ipſa Dei ſapientia oſtendet eis ſeipſam. Si amicitia, diligent Deum plus quàm ſeipſos, & inuicem tanquam ſeipſos, & Deus illos plus quàm illi ſeipſos: quia illi illum, & ſe, & inuicem per illum; & ille ſe & illos per ſeipſum. Si concordia, omnibus illis erit vna voluntas; quia nulla illis erit, niſi ſola Dei voluntas. Si poteſtas, omnipotens erunt voluntatis ſuæ, ſicut Deus ſuæ: nam ſicut poterit Deus quod volet, per ſeipſum; ita poterunt illi quod volent, per Deum. Si honor & diuitiæ, Deus ſeruos ſuos bonos & fideles ſuper multa conſtituet: immo filij Dei & dij vocabuntur: & vbi erit Filius eius, ibi erunt & illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Si vera ſecuritas, ita certi erunt, nunquam illud bonum ſibi defuturum; ſicut certi erunt; ſe ſua ſponte id non amiſſuros, nec delectorem Deum illud dilectoribus ſuis inuitis abiaturum; nec aliquid Deo potentius ipſos inuitos à Deo ſeparaturum. Gaudium verò quale & quantum, vbi tantum bonum?* & capitul. 26. *Vtique tantum gaudebunt quantum amabunt, & tantum amabunt quantum cognoſcent. Quantum te cognoſcent Domine tunc, & quantum te amabunt? Certè nec oculis vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit in hac vita, quantum te cognoſcent & amabunt in illa vita.* Eadem & multo plura habet Auctor de ſpiritu & anima, tom. 3. apud Auguſtinum; & ipſe ſanctus Auguſtinus libr. 22. De ciuitate cap. vltimo multa habet in hanc ſententiam. vide etiam Chryſoſtomum Homilia 6. in capit. 4. Epiſt. ad Hebræos, & Epiſtola quinta quæ eſt ad Theodor. lapſum; Gregorium Homilia 37. in Euangelia, & Bernardum Serm. 2. in Feſto omnium Sanctorum.

Pſal. 5. Pſal. 36. Pſal. 16. Pſal. 35. Pſal. 35. Luc. 12. Rom. 8.

Profeſsio cap. 25. Matth. 13. 1. Cor. 15.

DE

DE SVMMO BONO ET ÆTERNA BEATITVDINE HOMINIS.

LIBER QVARTVS.

De medijs & adminiculis beatitudinis obtinendæ.

SICVT Philosophi veram beatitudinem ignorarunt, ita etiam ignorarunt viam qua ad illam perueniatur. Nec mirum: cùm vtrumque sit planè supernaturale, ac proinde ratione humana nequeat inuestigari Hinc fit vt viribus naturæ obtineri nequeat, sed opus sit singulari Dei auxilio, quod Gratiam vocamus. Gratia itaq; diuina est generale adminiculum, sine quo nihil præstare possumus quod ad beatitudinem prosit, & per quod facilè eam possumus adipisci. Itaque ex parte Dei maximè necessaria est gratia, tum ad Deum cognoscendum, tum ad ea præstanda, quæ ipse à nobis requirit.

Ex parte verò nostra, necessaria est sedula cooperatio per diuinorum mandatorum obseruationem. Porrò ad gratiam obtinendam præstantissimum medium est oratio. Ad sedulã verò gratiæ cooperationem nihil præstantius quàm consideratio certorum capitum, quibus ad singularum virtutum Christianarum affectum & exercitium mirificè excitamur. Totum enim bonum hominis, totaque perfectio vitæ prouenit ex attenta consideratione rerum diuinarum, & earum quę virtutum amorẽ, & odium vitiorum excitant: sicut è contrario tota vitæ imperfectio, & totum malum nascitur ex neglectu considerationis. Si enim in ijs rebus considerandis, quæ fides Christiana nobis proponit, ita attentè & studiosè versaremur, sicuti earum dignitas postulat, numquam graue aliquod peccatum admitteremus: sed è contrario pulcherrimarum virtutum functionibus assiduè mens redundaret.

Quare de duobus istis adminiculis, nimirum Oratione & Virtutum excitatione, visum est breuiter hic tractare, accedente præsertim monitione præclari cuiusdam viri, qui tale quid à me scribi desiderauit.

CAPVT I.

De oratione & optimo orandi modo.

Tres species Orationis.

ORatio generatim complectitur laudem, gratiarum actionem, & petitionem. Est enim insigne Religionis opus, quo Deum honoramus vel laudando, vel gratias pro beneficijs acceptis agendo, vel noua ab ipso beneficia, tamquam omnium bonorum fonte, postulando. *Obsecratio*, seu obtestatio per sacra, nempe per Dei misericordiam, per Christum, per Christi merita, &c. ad Petitionem pertinet, neque distinctam orationis speciem constituit, sed dumtaxat causas concedendi allegat.

Tribus de causis oratio valdè salutaris.

Quàm autem hoc opus, si debito modo fiat, sit salutare, constat ex tribus causis. Primò, Quia est summi meriti, cùm ad illud præstantissimarũ virtutũ functiones concurrãt; vt fides, spes, charitatis, religionis, humilitatis, gratitudinis; Ad laudem enim cõcurrit fides, charitas, & religio: ad gratiarũ actionẽ fides, charitas, & gratitudo: ad petitionẽ, fides, spes, religio, & humilitas. Itaque excepta Sacramẽtorum perceptione, nihil salubrius aut præstãtius in hac vita, quàm incũbere sedulo orationi. Secũdò, Quia est veluti generali quoddã instrumentum ad omnia saluti opportuna à Deo facilè obtinẽda. Est enim, vt S. Ioannes Chrisostomus ait, instar clauis cuiusdam, per quam omnes Dei thesauros possumus aperire, & ex illis accipere quidquid nobis commodum

Lib. 1. De orando Deo.

modum videtur ad æternam salutem consequendam. Omnia enim illa oratione certissimè possumus impetrare. Quod vt diligenter consideremus, & verissimum esse sciamus, Scriptura plurimis locis inculcat. Matth. 7. & Lucæ 11. Dominus ait: *Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* vbi sexies diuersis verbis idem repetit, vt nos certissimos reddat: & confirmat duobus exemplis pulcherrimis, nimirum amici nocte importunè petentis panem ab amico, & filij petentis panem, vel piscem, vel ouum a parente. Deinde sic concludit: *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data* (quæ à vobis non habetis, sed aliundè accepistis) *dare filijs vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se?* Idem Ioann. 14. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.* Et statim addit, idem ferè repetens: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Marci 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.*

Hisce toties repetitis sententijs vult nos Dominus reddere certos, nos omnia ad salutem accommodata accepturos, si prout decet ipsum per orationem adierimus.

Tertiò, Quæ sit medium ordinariè ad salutem necessarium. Nam pleraque auxilia ad salutem opportuna, per orationem nobis sunt impetranda: nempe quæ ad superandas tentationes, & ad perseuerandum in finem ordinariè sunt necessaria. Etsi enim Deus ex sua ineffabili benignitate etiam non orantibus multa sæpè auxilia præstet; tamen auxilia maiora, & singularem illam protectionem ac directionem, qua quis perseverat in finem, & consequitur salutem, nec promisit, nec ordinariè confert nisi orantibus. Vnde Scriptura sæpè monet vt semper oremus, nimirum quantum humana conditio patitur. Ecclesiastici 18. *Non impedieris orare semper.* quasi dicat, Nullam rem, nullum officium admittas quod te impediat quò minùs possis semper orare; nimirum quantum ferit humana fragilitas. Marci 13. *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.* quo stricti estis supremo Iudici. Luc. 18. Dominus parabola ostendit, *quòd oporteat semper orare, & non deficere.* Et cap 21. *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere omnia ista* (pericula salutis) *quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* 2. ad Thess. 5. *Sine intermissione orate.* Ratio est, Quia Dominus vult se & sua beneficia agnosci: & nos confiteri sine eius gratia & auxilio non posse pericula salutis euadere, tentationes superare, aut salutem consequi. Itaque vult nos assiduè ad se recurrere per orationem, & hoc modo omnia salutifera impetrare.

Ad quæ impetranda oratio sit necessaria.

Cur Dominus velit nos orare.

Itaque qui oratione, prout oportet, est deditus, certissimus sit, nihil enim quæ ad salutem sunt opportuna, ex parte Dei ipsi defuturum: ac proinde certus sit se fore saluum, si ex parte sua diuinæ gratiæ per socordiam & cessatam negligentiam non defuerit.

Porrò vt debito & conuenienti modo oremus, quædam sunt obseruanda, tum ante orationem, tum in ipsa oratione. Ante enim orationem opus est quadam præparatione, de qua Sapiens Ecclesiastici 18. *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Tentare enim Deum censetur, qui modo ad impetrandum inepto, & qui potius iram, quam beneficium meretur, impetrare contendit.

Vt recte oremus duo seruanda.

Hæc præparatio tria requirit. Primò, vt Deum cum quo agendum est, ante oculos nobis ponamus, & nos in conspectu eius sistamus. Hoc autem multis modis fieri potest. Primò. Si concipiamus illum tamquam spiritum per omnia diffusum, omnia implentem & continentem, nostrasque omnia clarissimè intuentem & sentientem. Ipse enim vbique præsens est, *& oculi eius decies millies sole lucidiores, intuentur omnes vias hominum, & cordium arcana.* Quo sic oboculos proposito & considerato, tamquam cum præsente, & nos intuente ac audiente, tota oratione agendum.

Præparatio tria postulat.
1. Vt Deus ponatur ob oculos.
Fit hoc multis modis.
Eccli. 23

Secundò, Si concipiatur tamquam lux immensa intimè nobis præsens, & in corde nostro cum omnibus thesauris & donis suis; cum tota potentia, sapientia, sanctitate & bonitate sua (quibus in momento nos sanctos & beatos efficere potest) residens. Et hoc modo dirigimus totam orationem ad eum tamquam intra nos constitutum, & in fundo animæ nostræ abscónditum.

Tertiò, Concipi potest sub angustâ formâ humanâ sedens in solio cæleti, circumfusus luce infinita, & infinitis Angelorum myriadibus: quo modo apparuit Danieli, & Ioanni in Apocalypsi, & Isaiæ, & alijs. *Daniel 7. Apoc. 5. Isaiæ 6.*

Quartò, Propon potest ob oculos Christus Dominus in natura assumpta, vel vt pendens in cruce in monte Caluariæ, vel vt sedens ad dexteram Patris, circumfusus Angelorum & beatorum spirituum immenso exercitu; vel vt sedens in nubibus Iudex viuorum & mortuorum. His vel similibus modis Deum concipere debemus, quando seriò orare volumus, & ei sic proposito, nos animo in cælo vel in terra humillimè prosternere, vt tota nostra oratio ad eum tamquam præsentem, & nos videntem & audientem dirigatur. Qui enim cum aliquo vult colloqui, debet cum habere præsentem, & tamquam cum præsente agere; alioquin sermonem ad illum non dirigit, sed in aerem loquitur. Vnde hæc consideratio præsentiæ diuinæ, in oratione est maximè necessaria, & diligentissimè procuranda. Qui in ea probè est exercitatus, non solùm magno fructu, sed etiam magna facilitate & suauitate orare potest.

2. Vt cogitemus quid cum Deo tractaturi.

Secundo loco præparatio requirit, vt cogitemus quidnam cum Deo tractaturi simus. Sicut qui cum magno aliquo Principe acturus est, priùs cogitat quidnam debeat tractare; ita multo magis qui acturus cum Deo, antè expendere debet quid agere velit: nimirum an illum laudare, an gratias agere, an beneficia aliqua ab eo petere; & quænam ea sint.

3. Petendum auxilium.

Tertiò loco petendum à Domino auxilium, quo dignè tantum munus præstare possimus: nimirum ea mentis elevatione & attentione, ea reuerentia & eo affectu, quo par est creaturam cum suo Creatore colloqui. Vnde commodissimum tempus, quo maximè est mens serena & apta cõtemplationi, diligendum, omnesque alix cogitationes & curæ penitus excludendæ, perinde ac si cum rebus humanis tibi nihil sit commercij & solus cum Deo & Angelis eius sis in mundo.

In ipsa oratione seruanda.
1. Attentio ad Deum.

Hac præparatione præmissa accedendum ad ipsam orationem, quæ vt optimo modo fiat, tria postulat. Primò, Magnam attentionem ad Deum cui loquimur, quem nobis in præparatione ob oculos posuimus; quia tota oratio ad ipsum tamquam ad præsentem dirigi debet. Ex hac attentione fit, vt cum magna reuerentia preces nostras faciamus.

2. Attentio ad sensum verborum.

Secundò requirit magnam attentionem circa sensum verborum quæ pronuntiamus, præsertim cùm Psalmos, vel alias orationes iam compositas recitamus. Itaque danda est opera, vt anteà probè illa intelligamus, vel prius aliquam illorum intelligentiam percepiam habeamus. Etsi enim qui recitant Preces Canonicas, præcepto Ecclesiæ satisfaciant, & etiam opus pium ac meritorium præstent, si saltem ad Deum, cui loquuntur, attenti sint, & cum reuerentia sacra illa verba profetant, quamuis ea non intelligant: longè tamen præstantior foret oratio, si sensum illorum percíperent, & eo spiritu quo primò concepta & scripta, Deoque à Prophetis sunt decantata, proferrent.

3. Excitetur affectus accommodati.

Tertiò, Vt conemur in nobis excitare, & induere illos affectus, quos oratio in singulis suis partibus exigit, quosque ipsi Auctores sacri, & viri sancti ac illuminati in decantando sentire consueuerunt. Quod vt assequamur, expedit non valdè multa oratione legere, aut recitare, nec celeriter: fieri enim non potest vt oratio multùm sapiat animæ palato, dum curbm transitur. Opus est aliqua mora in considerando, vt affectus excitetur, præsertim varius pro varietate materiæ, quæ occurrit. Difficile est hoc exactè præstare in longa oratione, quia opus est multo tempore, & mens tam longo conatu non parum fatigatur. Itaque in breuiore oratione, verbi gratia in Oratione Dominica, Salutatione Angelica, in Symbolo, in vno vel altero Psalmo, in paucis Hymnis, & similibus, id omni ope conandum. Etsi quamuis in principio sit aliqua difficultas, vsus tamen iterum rem reddit facilem & delectabilem. Porrò singuli versiculi, immo singula pæne verba sunt attentissimè consideranda, & eorum vis expendenda allatis variis cõceptibus, causis, effectis, modis, &c. Ideoque expedit singulos versiculos bis terve repetere, nec transire vlteriùs, donec eos voluri degustaueris. Quæ vt melius intelligantur, statuam exemplum in Oratione Dominica.

PATER

Explicatur paradigmate Orationis Dominicæ.

PATER NOSTER QVI ES IN CÆLIS. Vere *Pater noster:* tu enim nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem tuam benignissimè condidisti, tu lapsos in peccatum ab æterna morte redemisti, tu nos in filios adoptasti, tu Spiritu tuo sanctificasti, tu ad cælestem hereditatem vocasti, & prouidentia paterna nos ad illam dirigis. Tu Pater noster, Creator noster, Redemptor noster, Sanctificator noster, director noster, & largitor bonorum omnium. Hæc omnia hac Patris appellatione comprehenduntur. Conuenit hoc nomen Deo respectu nostri prout complectitur totam sanctissimam Trinitatem; omnia enim opera paternitatis in nos sunt communia toti Trinitati.

Varia rationes cur dicatur Pater noster.

Cur dicatur esse in cælis.

QVI ES IN CÆLIS. Ibi te aperis, ibi te manifestas, ibi cognosceris & amaris, benedicteris & laudaris in sæcula sæculorum. *In cælis*; in beatissimorum spirituum mentibus, quæ omnibus cælis corporeis capaciores. Ibi fulget maiestas tua, ibi regnas & triumphas in æternum.

Quid sanctificari nomen Dei.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM. Sanctificetur nomen tuum (quidquid tu es & diceris) in hac extrema Regni tui parte, sanctificetur in hominibus. Omnes mortales te cognoscant, te timeant, te ament, te laudent & benedicant in sæcula. In hoc nominis tui sanctificatio est sita; hæc semper vigeat, efflorescat, & crescat vsque in finem mundi.

Regnum Dei quod sit.

ADVENIAT REGNVM TVVM. Exscindatur regnum impietatis, regnum peccati & diaboli: Regnũ tuum adueniat, & omnibus dominetur. Primùm quidem Regnum fidei, spei, & charitatis, per quæ in cordibus omnium nationum regnes: deinde æternum illud Regnum beatæ visionis, in quo tu eris omnia in omnibus. Hoc Regnum non diu differatur, sed completo mox Sanctorum numero, se aperiat.

Voluntas Dei triplex.

FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN CÆLO, ET IN TERRA. *Voluntas tua*; consilia tua, præcepta tua, beneplacitum tuum. Hæc triplex voluntas tua sic impleatur in terra, sicut impletur in cælo. Omnes obediant præceptis tuis, omnes pareant sanctissimis inspirationibus tuis, omnes probent beneplacitum tuum.

Panis duplex.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE. Panem corporalem & spiritualem, alimenta corporum & animorum. Sicut corpus cibis visibilibus, ita anima verbo tuo, doctrina & illustratione tua, & in primis pane illo diuino, *qui de cælo descendit, qui spiritus est & vita*, qui mundo vitam tribuit; corpore inquam & sanguine Filij tui. Omnem hunc panem da nobis quotidie.

Ioan. 6.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS. Ecce, Pater, ignosco omnibus qui me iniuria affecerunt, vel quouis modo in me peccauerunt: nihil illis mali exopto, sed benedictionem tuam & Spiritum sanctum tuum illis imprecor. Ignosce itaque & mihi quidquid in te peccaui: relaxa culpas & supplicia, debita culparum & pœnarum, quarum tibi reus sum & debitor. Hæc omnia debita remitte mihi per infinitam bonitatem & misericordiam tuam, per sanguinem & merita Christi filij tui Domini nostri.

Duplicia debita.

Petitur auxilium ad vincendas tentationes.

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM. Semper nobis adsis auxilio & protectione tua, vt nulla nos tentatio vincat, nullæ mundi vel carnis illecebræ in peccatum trahant.

SED LIBERA NOS A MALO. A malo culpæ & pœnæ, ab omnibus diaboli insidijs, & tandem ab omnibus huius vitæ malis, & transfer in Regnum tuum, vbi te summo bono æternum fruamur. AMEN. Ita fiat Domine Pater, Rex cæli & terræ: ita fiat, exaudi hæc mea vota, & imple illa secundum bonitatem & misericordiam tuam.

En specimen accuratioris modi orandi, qui mirificè & mentem illustrat, & affectum excitat, & dulcedinem in singulis partibus latentem gustare facit: multòque fortasse melius est, hoc modo semel Orationem Dominicam recitare, quam centies cursim cum parua attentione. Quod si alicui sit inuectum, vt ter vel quinquies reciter Orationem Dominicam, facile id præstare potest toties repetendo singulos versiculos, illique mharrando meditationem, iuxta modum nunc explicatum. Hoc ferè modo B. Franciscus Orationem Dominicam recitare solebat, & B. Pater noster Ignatius eum modum valde commendat in libello Exercitiorum. Nec video quæ ratio orandi possit esse præstantior. Facilè autem quibuuis alijs precationum & laudum formulis, & Psalmis & Hymnis & versiculis accommodari potest.

CAPVT II.

Qua ratione excitanda sit fides.

OMnis commotio voluntatis sequitur ex considerationem intellectus. Vnde quò attentiùs ac perspicacius intellectus considerat virtutum motiua, seu rationes quibus mouetur ad operandum, eò maior excitatur affectus in voluntate. Ostendendum itaque, quænam motiua in singulis virtutibus sint consideranda. Ac primùm qua ratione excitanda sit fides.

1 Proponendum id circa quod fidem excitare volumus. Vt si velim excitare fidem circa mysterium Eucharistiæ, nimirum ibi vere, propriè, realiter & substantialiter præsens esse corpus & sanguinem Domini cum anima & diuinitate, atque adeò totum Christum ibi sub speciebus panis & vini delitescere.

2 Considerandæ motiua & rationes, quę persuadent id esse credendum.

Primo, Quia ipse Dominus accepto pane cùm gratias egisset, & benedixisset panem, expressè affirmauit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*. Et accepto calice similiter dixit, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*: adeò vt clarioribus verbis id exprimi non potuerit. Neque vllũ est aliud fidei mysterium, quod clarius in Scripturis habeatur expressum. Vnde si decepti sumus, ipse decepit nos; quod blasphemum est vel cogitare.

Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Secundò, Quia idipsum tenet & docet & semper docuit Ecclesia, quæ est *columna & firmamentum veritatis*: quę est *sponsa Christi*, eius *corpus mysticum* & *Regnum*: quæ regitur spiritu Christi: quæ semper stabit, nec vllis infernorum & hæreticorum machinis euertetur: quæ si vel in vno articulo erraret, corrueret penitus, nec quidquam amplius ei credendum.

1. Tim. 3. Ioan. 3. Apoc. 12. & 21. 1. Cor. 12. Matth. 16.

Tertiò, Quia id omnibus sæculis ab initio nascentis Ecclesiæ Christi ab omnibus Catholicis creditum, & a Patribus traditum, & in Ecclesia pro tali vsurpatum & sumptũ, vt facilè ex testimonijs Patrum & Doctorum, qui singulis sæculis vixerunt & scripserunt, ostendi potest.

Quartò, Quia hanc doctrinam tenuerũt omnes qui sanctitate & miraculis in Ecclesia illustres extiterunt: vt patet singula sæcula percurrenti. Immo quò quisque sanctior, & miraculis clarior, eò maiore deuotione hoc Sacramentum est prosecutus: vt sanctus Dominicus, Franciscus, Bernardus, Cæletinus, Norbertus, Xauerius, Ignatius, Vincentius Ferrerius, Franciscus à Paula, & alij innumeri. Si illi errarunt, consequẽs est vt sanctitate & miraculis clarissimi fuerint idololatræ. Si idololatræ, quomodo sancti? quomodo Deus illos miraculis claros, & omnibus immensos proposuit?

Quintò, Quod hæc ipsa doctrina innumeris miraculis sit confirmata, quæ occasione huius Sacramenti contigerunt. Fieri autem nulla ratione potest, vt in confirmationem doctrinæ falsæ & pernicosæ vera miracula fiant; quia Deus non potest falsitatem & impietatem confirmare.

Sextò, Quia hæc doctrina ita per decem prima sæcula, nempe vsque ad annum 1050. fuerit ab omnibus ita recepta, vt nullus etiam hæreticus publicè illam oppugnare ausus fuerit. Et cùm Berengarius circa id tempus contrarium tradere cœpisset, mox eius sententia ipso viuo in quinque Concilijs fuit damnata: & ipsemet eam ter abiurauit, & tandem in fide Catholica cum magna pœnitudine sui erroris obijt.

Septimò, Considerandum quales sint qui hanc doctrinam oppugnant: nempe homines vita infames, superbi, contumeliosi, impuri, multis alijs nefandis erroribus obnoxij. Quis credat, Deum illis potiùs quàm viris sanctissimis, humillimis, castissimis, modestissimis veritatem

tem patefeciſſe? Inſanum eſt hoc exiſtimare.

Octauò, Quòd præcipua ratio, qua hæretici hoc myſterium oppugnant, ſit, quòd hoc videatur impoſſibile. Sed multa alia nobis credenda ſunt, quæ humano iudicio videri poſſint impoſſibilia. Alioquin explicent nobis, quomodo Deus ex nihilo fecit mundum, quomodo Deus eſt trinus perſonis, eſſentia vnus. Quomodo Filius factus eſt homo. Quomodo Filius verè eſt Deus & homo, non etiam Pater, & Spiritus ſanctus ſit homo. Quomodo Chriſtus natus eſt clauſo vtero, & quomodo reſurrexit clauſo ſepulchro: quomodo fiet reſurrectio carnis. Quomodo impij in ſuis corporibus æterno cruciabuntur igne, nec conſumentur: & alia huius generis, quæ ſi humana ratione expendantur, planè videbuntur impoſſibilia.

Nonò, Conſideranda debilitas noſtri intellectus, qui eſt infimus inter omnes intellectus creatos; & ita debilis, vt nullam rem corporalem, quantumuis familiarem, clarè & diſtinctè, qualis ſecundùm ſpeciem ſuam ſit, cognoſcere poſſit. Immo nullus eſt ſapientum huius mundi, qui vel centeſimam partem ſecretorum, quæ latent in vna formica, vel muſca (vt mihi facilè eſſet oſtendere) poſſit inueſtigare. Quòd ſi in rebus infimis ita cæcutimus: quanto magis in ſummis, & diuinis noſtram cæcitatem & ignorantiam fateri debemus, & omne iudicium noſtrum Deo & Eccleſiæ humiliter ſubijcere?

His omnibus conſideratis, perſpicuum eſt, hanc doctrinam firmiter credendam tamquam à Deo traditam & confirmatam, idque ea firmitate qua par eſt ſupremæ & diuinæ auctoritati credi. Itaque ſi tuam mecum illam firmiſſimè credere, & potiùs mortem oppetere, quàm vllo modo de ea velle dubitare, ne diuinæ auctoritati ſim iniurius. Digna quidem eſt diuina auctoritas cui infinita firmitate credatur: verùm quia id præſtare non poſſumus, poſtulat vt omni qua poſſumus firmitate, diuina gratia adiuti, ei credamus, omnem ſenſum & intelligentiam noſtram in obſequium fidei captiuantes.

Simili modo poterimus excitare fidem circa reliquos fidei noſtræ articulos, conſiderando rationes & motiua, quæ illos creditu dignos faciunt: & diuinæ auctoritatis magnitudinem, propter quam firmiſſimè credi debent.

CAPVT III.

Quo modo excitanda ſpes remiſſionis peccatorum, & ſalutis obtinendæ?

COnſiderandum Primò, Quòd Deus ex nihilo nos ad imaginem ſuam creauerit, non vt damnaret, ſed vt ſaluaret, & gloriæ ſuæ participes faceret. Bonum enim eſt ſui communicatiuum, & ſummi boni eſt, ſummè ſe communicare.

Secundò, Quòd cùm lapſi eſſemus in peccatum & perditionem, Filium ſuum miſerit, vt natura noſtra aſſumptâ pro nobis ſatisfaceret, nos redimeret, & ex inimicis amicos Dei, & filios, & Regni cælestis heredes efficeret. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ioann. 3.

Tertiò, Si Deus cùm adhuc eſsemus inimici, nos ita dilexit, vt voluerit pro nobis mortem ſubire: quanto magis nunc, cùm ei ſeruire & placere cupimus, nos ſaluare deſiderat, cùm ad hoc morte non ſit amplius opus? *Si enim*, inquit Apoſtolus, *cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius: multò magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius.* Rom. 5.

Quartò, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri*, vt expreſsè Apoſtolus affirmat. Immo certum eſt, omnibus hominibus, præſertim fidelibus, ex parte Dei dari auxilium ſufficiens, quo ſalutem conſequi poſſint, ſi velint cooperari, vt ex Concilio Araulicano can. 25. & ex Tridentino ſeſſ. 6. c. 13. colligitur. 1. Tim. 2.

Quintò, Miſericordiam Dei & meritum Chriſti eſſe infinities maiora quàm ſit grauitas peccatorum totius mundi: omniaque omnium hominum peccata ad miſericordiam Dei, & meritum Chriſti, eſſe inſtar guttæ aquæ ad immenſum ignem. Quàm facilè immenſus ignis conſumit guttam aquæ tam facilè Dei miſericordia & Chriſti meritum abſumerent omnia mundi peccata, ſi homines ex parte ſua ſe diſponerent, & de illis dolerent. Vnde etiamſi tu tam multa & grauia peccata commiſiſſes, quàm omnes ſimul homines commiſerunt; ſi ex animo dolores quòd diuinam Maieſtatem per illa offenderis, & ſeriò ſtatuentes in poſterum abſtinere, in momento per Chriſti meritum omnia delerentur, & filius Dei, hæreique Regni cælestis conſtituereris.

Sextò, Conſiderandum quàm innumerabiles, & quàm graues peccatores ſint miſericordiam & ſalutem omnibus ſæculis conſecuti: quare non dubites te etiam conſequi poſſe.

Ex his & ſimilibus conſiderationibus magnam in me ſpem ſalutis excitabo.

CAPVT IV.

Quo modo excitanda charitas in Deum.

COnſideranda hic Dei in nos charitas, & beneficia prima maximaque.

Primò, Quòd nos ex nihilo ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauerit, ac proinde capaces beatitudinis ſuæ, omniumque bonorum ſuorum fecerit. Gen. 1.

Secundò, Quòd cælum & terram, ſolem, lunam, ſtellas, & elementa, & omnem naturam corpoream noſtra cauſa condiderit, & noſtra cauſa conſeruet, gubernet ac moueat: & omnia naſci & creſcere faciat. Et quòd beatiſſimos illos ſpiritus ad noſtram cuſtodiam, directionem & opem deputauerit. Gen. 1. Heb. 1.

Tertiò, Quòd perditos ab æterna morte & incendijs inferorum ſempiternis redemerit, & immicos in gratiam receperit. Ioan. 3. Rom. 8.

Quartò, Quòd non ſolùm redemerit, ſed etiam in filios adoptauerit, & Spiritu ſancto donauerit, & cæleſtis regni heredes fecerit. Rom. 8.

Quintò, Quòd corpus & ſanguinem ſuum nobis in alimentum vitæ æternæ reliquerit. Ioan. 6. Matth. 26. Mar. 14. 1. Cor. 11.

Sextò, Conſiderandum quàm miris modis, quantis laboribus, cruciatibus, noſtra natura aſſumpta, hæc perfecerit: quàm multa indigna & acerba ſit paſſus noſtra cauſa.

Septimò, Quòd infinitum meritorum ſuorum theſaurum nobis in Sacramentis reliquerit, per quem quoties cõtingeret labi, poſſemus reſtitui & reconciliari, & auxilium ad rectè viuendum obtinere. Ioan. 5.

Octauò, Conſideranda mihi ſunt beneficia, quæ in mè peculiariter contulit: vt quòd non fecerit naſci inter Turcas vel hæreticos, neque eo tempore, quo lux Euangelica nondum erat patefacta: ſed tempore gratiæ, & inter Chriſtianos, vt in vera Religione & pietate poſſem inſtitui. Quòd ab innumeris peccatorum & æternæ damnationis periculis eripuerit, quibus alij perierunt: quòd ab hæreſi & ſeductoribus, quibus plenus eſt mundus, ſeruauerit: quòd toties peccantem benignè ſuſtinuerit, & in gratiam receperit. Quis vnquam Princeps, quantumuis clemens, ſubditum ſepties reum, ſepties in gratiam recepit? At Deus non ſepties, ſed centies & millies peccantes, toties rurſum in gratiam recipit, & amicos ac filios, & heredes efficit. Matth. 18.

Nonò denique, Quòd tota Dei cura, cogitatio & moliti circa nos & circa creaturas omnes non alio tendat, quã vt nos & æternam ſalutem conſequamur.

Itaque ſi Deus, ſi ſumma illa Maieſtas ita me dilexit, tam multa, tam magna, tam mirabilia in me beneficia contulit, tam indigna & acerba pro me pertulit, tanta benignitate aſſidue erga me vtitur; perpendam quantum ego viciſſim illi amorem, quantum obſequium & obedientiam debeam. Sanè etiamſi millies pro eius gloria poſſem ſanguinem fundere, & mille annis maximos labores ſubire, ne milleſimam quidem partẽ vel vnius beneficij poſſem compenſare; quia ſingula eius beneficia ſunt infinitæ æſtimationis, & infinitum amorem & obſequium à nobis poſtularent, ſi præſtare poſſemus. Verum quia id poſſumus, ſtatuam firmiter præſtare id quod facile poſſum, & quo diuina bonitas eſt contenta: nempe omnia eius præcepta omni cura ſeruare, ita vt potiùs mortem velim ſubire, quàm 1. Ioan. 4.

aliquod

aliquod ex illis violare. Deinde totam vitam meam ipſius obſequio addicere, vt omnes meæ cogitationes & actiones ad ipſius gloriam dirigantur.

CAPVT V.

Quo modo excitanda contritio de peccatis?

Concil. Trident. Seſſ. 14.c.4.

COntritio duo poſtulat; nempe dolorem de peccatis, quòd diuinam Maieſtatem offenderimus; & propoſitum ſerium emendationis, vt ei placeamus. Itaque conſideranda hic ſunt beneficia diuina in nos collata, & noſtra viciſſim in Deum ingratitudo.

Ioan. 3.

Beneficia conſiderari poterunt modo ſuprà declarato. Sed in primis expendendus eſt admirabilis ille amor, quo me ita dilexit, vt naturam meam aſſumere, & in ea tantos labores & dolores ſuſtinere, tam acerba & indigna perpeti voluerit, idque eo tantùm fine, vt me à peccatis & morte æterna liberaret, Deique filium, & regni hæredem conſtitueret. Hæc vbi benè perpenſa fuerint, conſideandum è contrario, quàm parum tanto amori tantiſque beneficijs reſponderim.

Quòd gratias ei, vt par eſt, non egerim.

1 Quod raro de eius in me amore & immenſis beneficijs cogitauerim, quod magnæ ingratitudinis eſt ſignum.

Quòd eius amorem & amicitiam, omnia eius beneficia,
3 omnia promiſſa, omnes labores, ſanguinem, paſſionem, & crucem nihili penderim, contempſerim, & proculcarim, malens pro re caduca & viliſſima adhærere eius hoſti, quã ipſi, ſequi conſilia hoſtis, quàm parere illius mãdatis; quod infinitæ ingratitudinis & amentiæ eſt.

4 Quod non ſoldm amorem eius & beneficia nihili fecerim & contempſerim, ſed etiam eius Maieſtatem plurimis modis grauiſſimè offenderim, & innumera illi mala pro infinitis bonis in me collatis rependerim.

5 Denique quòd nullus vnquam hominum tam ingratus extiterit ſuo Regi & benefactori, quàm ego ingratus extiti meo Conditori & Redemptori.

Quibus omnibus ante oculos poſitis, & probè ponderatis, ſuffundar pudore, & excitabo in me maximum dolorem propter tantam ingratitudinem, & iniuriam in tantam Maieſtatem & benefactorem. Deinde proponam ſeriam vitæ emendationem, peccata mea confiteri, pœnitentiam agere, omnia eius præcepta accurate ſeruare, & omnes meas cogitationes, ſtudia, conatus, vitamque totam eius obſequio & gloriæ impendere.

CAPVT VI.

Quomodo excitandus humilitatis affectus.

1 COnſidera corporis tui conditionem, quàm vile, quàm fragile, quàm luteum, quot morbis & doloribus obnoxium, quot fruſtulis compactum, quantis ſordibus inſtar latrinarum oppletum. Denique vbi anima receſſerit, nihil humano corpore fœdius, nihil horribilius.

Iob 14.

Conditionem animæ, quæ ſtatim vt corpore inſeritur,
2 peccato inquinatur, & diaboli ſerua efficitur. Cuius intellectus ad ea quæ ſunt ſalutis, per ſe eſt cæcus; ad res naturales adeò debilis & obſcurus, vt nullam earum perfectè cognoſcere poſſit. Et quamuis mille annis ad hoc incumberet, ne centeſimam quidem partem latentis in ea veritatis aſſequeretur. Cuius memoria anguſta, infida: labilis, confuſa: cuius voluntas à cæleſtibus auerſa, ad terrena inclinata, corporis voluptatibus dedita, denique ad omne malum propenſa, ad omne bonum languida: & ita fragilis, vt minima occaſione millies labatur. Tanta quoque eſt debilitas harum trium facultatum, vt modico vapore vel humore cerebri poſſit earum vſus impedri, vel planè peruerti: vt in amentibus, phreneticis, maniacis, ebrijs cernimus.

Iob 14. Epheſ. 2.

Rom. 1.

3 Conſidera quot quantiſque peccatis ſis vel fueris obnoxius: quorum quodlibet te fecit inimicum Dei, mancipium diaboli, & hæredem inferni, denique omnibus ſup-

plicijs & contumelijs dignißimum. Itaque cogita te coram Deo & Angelis ſanctis dignum, quem nemo amet, nemo honoret, nemo iuuet, aut humaniter tractet; ſed quem omnes contemnant, conſpuant, exterminent, & omnibus contumelijs afficiant: imò contra quem omnis creatura inſurgat, iniuriam ſui Conditoris vindicatura. Hæc omnia meretur omnis qui mortifero peccato ſe contaminat, & inſuper æternum ignem, & æternam ignominiam. Cogita, nihil poſſe eſſe vel cogitari vilius, ignobilius, contemptibilius, magiſque dignum omni contemptu, dedecore, probro, ſupplicio, quam ſit peccator.

Conſidera te ex te nihil boni habere, ſed omne bonum, 4
quod in te eſt, ſiue naturale ſiue ſupernaturale, eſſe Dei, & *1. Cor. 4.*
ex Deo: & ideircò ob illa bona non tibi, ſed Deo gloriam, laudem & honorem deberi.

Conſidera quanta vanitas ſit, extollere ſe ratione formæ 5
corporis, quæ & res infima eſt, & inſtar floris marceſcit: *Eccl. 1.*
vel ratione roboris, quod in tauris & equis longè maius; vel ratione opum, quæ fluxæ, infirmæ, extra nos; terra nempe rubra vel candida: vel ratione nobilitatis, quæ in hominum apprehenſione conſiſtit, nec quidquam boni in homine ponit; nec apud Deum & Angelos eius æſtimatur, & peccato penitus obruitur, omniq. ignominia digna efficitur: vel ratione poteſtatis Regiæ, quæ nihil boni in homine ſtatuit, ſed infinitas curas & moleſtias ſecum trahit, magiſq. onerat quàm ornat; præſertim cùm obnoxium reddendæ rationi apud ſupremum Iudicem de ſubditorum factis, & innumeris negotijs conſtituat: vel de ſapientia, quæ in mortalibus adeo exigua; in dæmonibus milleplo maior: vel de perfectione virtutis, cùm ſimus adeò imperfecti in omni virtutum officio, & adeò fragiles, vt vel ſponte noſtra, vel minimo tentationis impulſu ſæpè labamur. *Sup. 6.*

Quibus omnibus benè perpenſis, ſtatues tecum, Primò, Vt in poſterum te non magnipendas, nec magnis honoribus dignum ducas, ſed agnoſcas vilitatem & indignitatem tuam. Secundò, Vt non appetas videri & magni æſtimari ab hominibus. Tertiò, Vt ſi aliquod dedecus obuenerit, aliqua ignominia irrogata fuerit, accipias id de manu Domini peccata tua caſtigantis, & cogites te multo maiore ignominia & infamia dignum, vt qui toties æternam extremamq. ignominiam & afflictionem merueris. Quartò, Vt optes ipſe contumeliam pati, tum quia propter peccata tua dignus es, tum quia Dominus tua cauſa contumelias maximas ſuſtinuit, cui te conuenit aſſimilari, ſi aliquando cum illo cupis regnare. *Si enim compatimur, & conglorificabimur.* Quintò, Vt ſemper in me conſiderem meas imperfectiones, & qualis ſim ex me; in proximis verò ea quæ ſunt perfectionis, & quales ſint in Deo: vt hac ratione in animo meo me omnibus poſtponam, & deteriorem æſtimem, & omnes me præſtantiores ducam. Hoc modo S. Franciſcus cenſebat ſe omnibus mortalibus peiorem. *Rom. 8.*

CAPVT VII.

Quo modo excitanda patientia?

1 COnſiderãdum exemplum Domini noſtri, quem Deus Pater, vt daret nobis patientiæ & humilitatis exemplum, crucem ſumere, & crucem ſubire voluit. Cogita, ſi ipſe Dei Filius tam multa acerba, indigna, & ignominioſa tuæ ſalutis cauſſa perpeſſus eſt; quid pro tua ſalute perferre non debeat. *Si Chriſtum oportebat noſtra cauſa pati, & ita intrare in gloriam ſuam:* cur nos quoque non patiamur, ſi in eamdem gloriam intrare volumus? *Luc. 24.*

Conſidera exempla Sanctorum. Nullus enim eſt qui mul- 2
ta & grauia non ſit perpeſſus: plurimi enim ſuſtinuerunt *Hebr. 11.*
carceres, exilia, bonorum direptionem, ſeruitutem, damnationem in metalla, famem, ſitim, nuditatem, morbos; plurimi etiam fidiculas, catenas, flagella, ſcorpiones, vngulas ferreas, candentes laminas, craticulas, ſartagines, lentos ignes, ictus lapidum, laniatus ferarum, diſtractiones membrorum, & mille alia tormentorum genera toleraruntt: ad quæ omnia quæ nos patimur, ludus ſunt & iocus. Perpende etiam labores & auſteritatem vitæ plurimorũ Monachorum & Eremitarum, vt Pauli, Antonij, Hilarionis, Hieronymi,

Hieronymi, Simeonis Stylitæ, Danielis Stylitæ, Benedicti, Dominici Loricati, Romualdi, Bernardi, Guilielmi, Brunonis, Dominici, Francisci Assisij, Francisci a Paula, Francisci Xauerij, & aliorum innumerabilium. Omnibus infixum animo manebat illud Apostoli, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Act.14. Rom.8. Perpende illam Apostoli sententiam: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Etiamsi mille annis pro vita æterna nobis esset laborandum, & omnia Martyrum tormenta sustinenda, hoc totum ad illam gloriam, & ad illa sempiterna gaudia perinde esset, ac si quis pro Monarchia orbis obtinenda offerret vnum quadrantem, vel modicum vnius horæ laborem. Immo illud esset longè minus; quia temporanei laboris ad æternam mercedem nulla est proportio.

Conc. Trid. sess.14.c.9. 4 Considera quantas vtilitates afflictio secum adferat. Primò, Satisfacit pro peccatis, seu pœnis grauissimis, quæ peccatis debentur, & igne purgatorio essent luendæ. Modica paucorum dierum tribulatio patienter tolerata, fit pè est tanti apud Deum, quanti perpessio ignis purgatorij multorum annorum. Secundò, Purgat animam à peccatorum sordibus, nempè à maculis & affectibus peccatorum. Sicut enim aurum purgatur igne, & probatissimum redditur: ita iustus in camino tribulationis. Tribulatio enim mentem excitat, vt ad Deum confugiat, & abeo opem flagitet: quam vt impetret, dolet de peccatis, ob quæ plerumque afflictiones immittuntur, proponit vitæ emendationem, deserit pristinas nugas, & serio se ad Deum conuertit. Denique sensim cognoscit vanitatem huius mundi, & incipit suspirare ad cælestia. Contrà prosperitas facit nos obliuisci Dei & rerum cælestium, & plurimis peccatis inuoluit: iuxta illud Moysis Deuteron. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo saluatori suo.* Tertiò, Tribulatio probat hominem, tum quia ostendit qualis sit, tum quia dat occasionem perfectæ virtutis. Si enim in afflictione constitutus perseueres firmus in obsequio Dei, omnia patienter de manu eius accipiens; signum est te solida virtute præditum, & perfectum esse Christianum. Hoc sensu Iacobi 1. dicitur: *Patientia opus perfectum habet.* Si verò fueris impatiens, proximis mala imprecando, contra Deum murmurando, viam iustitiæ deserendo, voluptatibus & vitijs te addicendo, ad hæreticorum & atheorum castra transeundo; signum est te antea quoque parum in virtute solidum extitisse. Hoc sensu dicitur Prouerb. 17. *Sicut igne probatur argentum & aurum in camino, ita corda probat Dominus.* Quartò, Facit nos Christo similes, qui in hac vita maximas omnis generis afflictiones sustinuit. Quòd si Christo similes fuerimus in afflictionibus, similes quoque erimus in gloria. *Si compatimur, & conregnabimus. Si Christi passionibus communicamus, in reuelatione gloriæ eius gaudebimus exultantes.* Etsi tribulatio per se non sit amabilis, tamen quia nos configurat & similes facit Christo, valdè amabilis redditur, præsertim accedente tanto fructu. Quintò, Facit hominem beatum in hac vita propter certissimam spem vitæ æternæ. Vnde Iacobus Apostolus ait: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes* (id est tribulationes) *incideritis.* Et infrà: *Beatus vir qui sustinet tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Rom.8. 2.Tim.2. Iac.1.

Considera illam sententiam Apostoli: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Expende singulas antitheses. Tribulatio est momentanea, sed gloria qua compensatur est æterna; tribulatio est leue, sed gloriæ pondus immensum: tribulatio in terris, sed gloria in sublimitate inter Angelos. Quis non amplectatur amariusculam potionem, quæ æternam confert sanitatem & vigorem?

2.Cor.4. 5

6 Considera, non posse tibi tot obuenire afflictionis vel hominum malignitate, vel alia ratione, quin millecuplo amplius merearis. Cum enim vel vnicum peccatum mortiferum mereatur pœnam ignis sempiternam; multo magis meretur omnes huius vitæ afflictiones. Quòd si putes te nunquam mortifere peccasse (quamquam id nō facilè tibi quis persuadere debeat) scias tamen quotidiana peccata huiusmodi afflictiones, & longe maiores mereri. Itaque quidquid tibi acciderit calamitatum, accipe de manu Domini cum gratiarū actione; & cogita te longè maiora promeritum, ac proinde benignè & clementer tecum agi, vt leui & breui afflictione redimas æternam.

7 Considera, tribulationem esse signum diuini amoris. Quia enim te Deus amat, vult te hic purgare & expolire, & tamquam lapidē viuum aptare supernæ ciuitati. *Quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem suscepit.* Inimicos verò suos, qui æterno reseruantur igni, permittit hic prosperis rebus vti & abuti. Prou.3.

Hebr.12. 8 Considera, si impatiens fueris, te omnem fructum quem ex tribulatione capere poteras, perdere, & sensum mali per impatientiam non mitigari, sed exasperari: per patientiam verò non solùm mitigari, sed tantam sæpè consolationem infundi, vt malum vix sentiatur, vel etiam penitus obruatur.

His perpensis, statues tecum omnia quæ tibi acciderint, accipere de manu Domini, cogitando millecuplo plura & grauiora te promeritum. Secundò statues, non solùm illa patienter, sed etiam cum gaudio ferre, cum tanta bona per tribulationem tibi sint obuentura.

CAPVT VIII.

Quomodo excitandum temperantiæ studium.

1 COnsidera quanta bona secum temperantia ferat: & quanta mala intemperantia.

Temperantia præstat corpus sanum, vegetum, agile, ad omnes suos motus expeditum, & omnia pænè morborum genera pellit. Nam omnes ferè morbi ex intemperantia prouenjunt.

2 Præstat longæuitatem, vt innumeris exemplis eorū, qui in summa abstinentia diutissimè vixerunt, ostendi potest: Cum enim excludat morbos, quibus vita plerumque ante tempus succidi solet, facit vt vita producatur, donec exhausto calore natiuo, & humore primigenio, per se instar lucernæ extinguatur. Hinc Scriptura Ecclesiastici 37. *Qui abstinens est, adijciet vitam.*

3 Præstat vigorem sensibus externis, qui abundantia cibi potusque obtundi solent.

4 Mitigat animi passiones, præsertim iracundiam & melancholiam, sed super omnia tentationes carnis, nec vllum potest gratiam diuinam est efficacius aduersus eas remedium. Vnde illustres quique Sanctorum maximè prædicto temperantiæ & ieiunij in hoc præsertim vsi sunt, & victores extiterunt.

5 Mentem reddit expeditam & alacrem ad omnes suas functiones; ad orationem, meditationem, studia, cōciones, ad danda consilia, & quæuis negotia tractanda: denique, facit idoneam diuinis illustrationibus excipiendis.

Intemperantia horum omnium præstat contraria. Perpende itaque, quàm turpe sit, quantæque fatuitatis, ob modicam gulæ voluptatem tanta bona perdere; & tantis malis se exponere; & itaque tecum sanctam sobrietatem perpetuo colere.

CAPVT IX.

Ad contemptum mundi.

1.Ioan.2. PErpende illam sententiam Sancti Ioannis: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Caue ergo ne diligas mundum: quia si illum diligas, charitas Patris te deseret. & concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, vel hæc tria simul te apprehendent & occupabunt.

Considera quàm parua sint & momentanea, quæ mundus suis amatoribus promittit, & quàm magna & solida quæ Christus Dominus. Promittit mundus diuitias, honores, voluptates. Diuitiæ consistunt in auro & argento, in fundis, in pecoribus, in domibus & varia suppellectile. Hæc omnia terra sunt, vel è terra orta, & in terram re-

folliendas: hæpio eorum abundantia ad corporis vel animi bonam conſtitutionem iuuat. Honores conſiſtent in magnis officijs, dignitatibus, titulis, præfecturis, Magiſtratibus, quæ nec corpus bene afficiunt, nec animum meliorem reddunt. Voluptates ſunt blandæ quædam ſenſuum titillationes nobis cum brutis animantibus communes, ipſam tranſeuntes.

3 Conſidera quanta mala & incommoda hæc ſecum ferant. Ac primum quantis laboribus, curis, moleſtijs diuitiæ acquirantur, & acquiſitæ conſeruentur. Semper animus eſt ſollicitus & meticulus, ſemper anxius & inquietus. Quantis animæ & corporis periculis ſtudioſi opum expoſiti. Quàm innumera peccata in acquirendo committantur; quam innumera in eorum vſu. Nullum enim eſt flagitium quod homines diteſcere volentes non committant: nullum eſt cuius perpetrandi diuitiæ iam obtentæ non præbeant facultatem & auſum.

4 Perpende illam Domini ſententiam: *Væ vobis diuitibus, qui hic habetis conſolationem veſtram.* Et alibi: *Amen dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Quibus verbis ingens periculum damnationis ex diuitijs denuntiat. Item illam ſententiam Apoſtoli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Quæ ſententiæ ſi rectè expendantur, abundè ſufficiunt ad diuitiarum contemptum.

Luc. 6. Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18. 1. Tim. 6.

5 Conſidera quod ad honores attinet, Primò, Quantas curas ſecum deferunt, quantas anxietates, indignationes, æmulationes, tum vt acquirantur, tum vt conſeruentur. Numquam animus eſt quietus: ſemper enim nouæ occurrunt occaſiones vel timendi, vel indignandi, vel vindicandi, vel appetendi & ſollicitandi; vt nullum mare ſit magis inſtabile, aut maioribus agitetur motibus, quam animus hominis ambitioſi. Secundò, Quòd magni honores magnis quoque oneribus ſint coniuncti, ac proinde magnas etiam & aſſiduos labores poſtulent, vt muneri ſatisfiat. Nullum munus laborioſius, quàm munus Regum & Principum. Tertiò, Quòd quò honores ſunt maiores, eo grauiorem eſſe culpam, ſi quid peccetur, tum propter exemplum, tum quia ſi quid iniqui ſtatuatur, latiùs ad plures pertingit. Hinc Sapientiæ 6. dicitur: *Potentes potenter tormenta patientur.* Quartò, Quòd Superiores non ſolum de factis ſuis, ſed etiam de factis ſuorum ſubditorum reddituri ſint rationem apud magnum Dei tribunal. Quintò, Quòd in magnis honoribus magna ſit peccandi licentia & impunitas, magna poteſtas & facilitas exequendi, magna monitorum inopia, magna adulatorum copia; quo fit ſæpè vt & grauiter peccetur, & rarius ſequatur emendatio, niſi magnus Dei timor animum poſſideat. Sextò, Quòd multiplex cura quæ magnos honores comitatur, ita omnes cogitationes hominis ſibi vindicet, vt vix vnquam ſerio de ijs, quæ ad ſuam ſalutem & ſtatum futuræ vitæ pertinent, cogitare poſſit. Quo fit vt totus æternitatis fructus, ob quem nobis tres illæ nobiliſſimæ facultates, intellectus, memoria, voluntas datæ ſunt à Deo, vel maxima pars nobis pereat. Quidquid enim ad vitam æternam non conducit, quantumuis videatur magnum & ſplendidum, nullius eſt momenti.

6 Quod ad voluptates attinet, conſidera Primò, Quàm viles ſint res, de quibus homines gaudent, & ex quibus voluptatem capiunt; qualia ſunt conuiuia, ſympoſia, ſpectacula, venerea, pulchræ veſtes, ludus, ioci, turpiloquia, & ſimilia; quæ omnia indigna animo generoſo, nedum Chriſtiano & æternitatis candidato. Secundò, Quanta incommoda & damna inferat voluptas. Nam corpus eneruat, & plurimis morbis ſubijcit: animum bruteſcere facit, rationis lumen extinguit, totum hominem vilem & contemptibilem reddit, & ad innumera peccata impellit. Nullum enim eſt flagitium, nulla turpitudo, quæ voluptatis cauſa non ſuſcipiatur. Denique *nullus virtuti locus eſt in voluptatis regno.* Præterea quantis mœroribus & aculeis animorum, voluptates ſæculi permixtæ: quia inter voluptates ſæpè conſcientia pungit, & ijs tranſactis mœrorem infert, & ſurdo flagello miſeram animam affligit.

7 Conſidera quanto excellentiores & puriores ſint voluptates ſeruorum Dei. Semper enim ſunt læti, ſemper alacres: nihil eſt quod animum interius excruciet. Immo ipſe dolor de peccatis & imperfectionibus cæleſti conſolatione plenus. Centuplo maiorem voluptatem percipiunt ex rerum cæleſtium conſideratione, & ſpe certiſſima bonorum futurorum, quàm ſæculares & homines ex conuiuijs & rebus venereis, &c.

Conſidera quantain ſæculo ſint pericula ſaluris ratione ſociorum, & hominum quibuſcum verſandum; ratione conuiuiorum, ſympoſiorum, amicitiarum, inimicitiarum, rixarum fortuitarum, & aliorum euentuum, quibus infinita multitudo hominum perit, & æternæ ſalutis damnum facit.

Perpende, ſi à Domino conſilium peteres, vtrùm tibi ſæculum ſit deſerendum, an ſequendum? quid tibi conſilij eſſet daturus, quidoam ipſe Spiritus ſanctus in Scripturis ſuaderet? quid Apoſtoli, & omnes verè Spiritu Dei pleni? Rurſus cogita quid te velles feciſſe, ſi nunc tibi moriendum eſſet; & coram ſupremo tribunali (æternam ſententiam excepturus) comparendum. Magnæ inſipientiæ eſt, modo non amplecti, quod nunc omnibus votis optabimus nos amplexos.

CAPVT X.

Vt Deum ſemper habeamus præſentem.

COgita Deum eſſe ſpiritum ſubtiliſſimum, potentiſſimum, viuaciſſimum, per omnia diffuſum, omnia penetrantem, omnibus intimè præſentem. 1 *Ioan. 1. Sap. 1.*

Cogita, hunc immenſum ſpiritum eſſe intimè præſentè cordi tuo, & ibi in fundo animæ deliteſcere cum tota potentia, ſapientia, ſanctitate, maieſtate & beatitudine ſua, & cum infinitis opibus & bonis, quæ in theſauris ſapientiæ & potentiæ illius ſunt recondita. Ipſum poſſe in momento te beatum facere, vnam ſcintillam luminis glorioſi communicando. Poſſe quoque, ſi ipſum offenderis, ſubitò perdere, & æternis ignibus tradere. 2 *Ieremi. 23. Epheſ. 4.*

Cogita, eius oculos millecuplò lucidiores ſole intueri omnes tuas cogitationes, omnes intentiones, omnes affectus, omnia opera interna & externa: denique omnia nuda & aperta eſſe oculis eius. 3 *Sap. 1. Eccl. 23. Hebr. 4.*

Perpende quomodo ſit in rebus omnibus; & in primis in teipſo per eſſentiam, per potentiam, & per inſpectionem. *Per eſſentiam*: quia eius eſſentia ratione ſuæ immenſitatis, cum omnibus bonis ſuis vbique eſt præſens, tamquam intimum fundamentum & ſuſtentaculum rerum. *Per potentiam*: quia vbique & in omnibus operatur, omnia creando, formando, conſeruando, ſuſtentando, regendo: quæ operatio ſi ceſſaret, omnia in nihilum euaneſcerent. *Per inſpectionem*: quia omnia clariſſimè intuetur, & peruidet omnes hominum cogitationes, affectus, conſilia, & omnia cordium arcana. 4 *Ieremi. 23. Sap. 1. Act. 17. Ioan. 5. Hebr. 4. Eccl. 23.*

Conſidera, naturam tuam & omnia bona tua ab ipſo aſſiduè pendere, & quaſi aſſiduè creari; & ſingulis momentis totum quod es, & quod habes, te ab ipſo debere accipere: ita vt ſingulis momentis totum ſit veluti nouum beneficium. Non enim ſufficit ſemel accepiſſe, ſicut in beneficijs quæ ab hominibus dantur: ſed continuo accipere debemus, & ipſe aſſiduè donare: alioquin ſi ipſe vel ad momentum ceſſet à donando, beneficium euaneſceret. Sicut enim ſi ſol non aſſiduè lumen ſuum nobis communicaret, ſed vel ad momentum vim ſuam cohiberet, omnia repentè eſſent in tenebris: ita ſi ipſe vel ad momentum beneficium influxum ſuum retraheret, omnia in nihilum conciderent. 5 *Hebr. 1. Coloſſ. 1.*

Cum ſemper in conſpectu tantæ Maieſtatis verſemur, perpende quanta reuerentia & humilitate in omnibus nos gerere debeamus; & quanta cura nobis adhibenda, ne quid à nobis interius in corde, vel exterius in opere concomittatur, quod ipſum poſſit offendere. Si enim, cum in conſpectu alicuius Principis, cui tamen naturæ conditione pares ſumus, verſamur, reuerenter nos gerimus, & ſedulò cauemus, ne quid agamus quod ipſi diſpliceat: multo magis id nobis curandum eſt in cõſpectu tantæ Maieſtatis, ad quam comparati ſumus inſtar nihili. 6 *Heb. 4. Gen. 18. Pſal. 2.*

Perpende quanta impudentia & audacia, ſi aude- 7

rein

re in conſpectu tantæ Maieſtatis peccare. Si enim in conſpectu Principis minitantis mortẽ alicuius præceptũ Principis violaret, ceuſeretur illum contemnere & grauem iniuriam illi irrogare; ac proinde morte dignißimus: multo magis qui in præſentia & conſpectu infinitæ illius Maieſtatis fulmen æternæ damnationis comminantis audet peccare, cenſetur eius Maieſtatem & minas omnes contemnere, & æterna morte dignus eſt.

Sap.1. Pſal.9. Rom.2.

Statue te quotidie ſingulari ſtudio in conſpectu illius
8 Maieſtatis, omnibus alijs cogitationibus ſemotis, perinde ac ſi præter te & Deum nihil eſſet in mundo. Reuela illi viam tuam, allega tuas miſerias, & pericula ſalutis, quibus in hac vita expoſitus: & poſce ſupplici ter opem, protectionem, & directionem in omnibus vijs & operibus tuis, vt in omnibus ita te regat, & dirigat, ſicut nouit expedire ſaluti tuæ & gloriæ ſuæ.

CAPVT XI.

Ad excitandum deſiderium cæleſtis patriæ.

1 COnſidera loci amœnitatem & pulchritudinem in quo iuſti ſemper erunt; qui tantum omnia huius mundi palatia ſuperat, quantũ cæleſtia terrenis præſtantiora ſunt. Maximi faciunt Principes & diuites ſæculi habitationem ſplendidam & magnificam, aulas & cubilia auratis & picturatis peritromatis ornata, & omnis generis pretioſa ſuppellectili inſtructa: quanti igitur ſuperna illa palatia facienda ſunt, ad quæ omnia Regum huius mundi domicilia, quantumuis ſplendida & ornata, ſunt inſtar tugurij ruſticani, vel potius ſtabuli equorum & muforum? Si ex auro & ſolidis gemmis vrbes & domicilia fingas, parua ſunt hæc omnia ad ſupernæ ciuitatis pulchritudinem & excellentiam. Illa enim omnia adhuc terrena ſunt, & ex terra confecta: hæc cæleſtia & ſupercæleſtia incomparabiliter mundiora & pulchriora. Cùm ergo Beati videant ſe tam excellenti habitatione in omne æuum vſuros, ingenti inde gaudio perfundantur.

Apoc.21. Pſal.83.

2 Conſidera ciuium illius beatę Ciuitatis multitudinem, pulchritudinem, & excellentiam, & eorum inter ſe ſuauiſſimam familiaritatem. Multitudo eorum erit innumerabilis, vt totam illam ſupercæleſtem regionem, ad quã terra vniuerſa eſt inſtar puncti, quodammodo repleat. Totum enim cælum habitari debet. Nulla ibi deſerta, nulla loca incolis vacua: vbique diuinæ laudes perſonabunt, & Alleluia cantabitur. Pulchritudo ſingulorum admirabilis: corpore enim fulgebunt inſtar ſolis, animo inſtar diuinitatis. Omnes enim beati ſpiritus & animæ erunt ſimiles diuinitati; vtpote filij Dei, & excellentiſſimę Dei imagines. Quãta voluptas erit talis ſpectaculi, in quo innumerabilis ciuium ſupernorum multitudo inſtar Deorum refulgẽs ſuis locis & ordinibus pulcherrimè diſpoſita cernetur. Dignitate omnes ſunt ciues cæli & filij Dei, omnes ſunt Reges & triumphatores, vt qui de mundo, carne & diabolo victoriam reportarint. Omnes Sacerdotes Deo ſacrificium laudis perpetuo offerentes. Denique minimus in cælo maior eſt dignitate & gloria omnibus Regibus huius mundi. Alij tamen ſunt alijs maiores: ſicut enim inter ſtellas magna eſt diuerſitas claritatis & excellẽtię, ita inter cęlicolas.

Matth.13. Rom.8. 1.Pet.1. Apoc.1. 1.Cor.14.

Neque ſolum ex horum omnium conſpectu & præſentia ſinguli voluptatem capient, ſed etiam ex familiari vſu & conſuetudine. Singuli enim norunt ſingulos nominatim, cum ſingulis quando placet poſſunt colloqui, & familiariter tractare. Singuli ſingulorum benęuolentiã & amicitiam ſentiunt. Omnes enim ſinceriſſimo amore ſe mutuo proſequuntur, nec minùs de aliorũ quã de ſuis bonis gaudent. Si magnæ voluptatis eſt, in aula alicuius Principis omnũ benęuolentiam & gratiam obtinere: quantę voluptatis erit, in immenſa illa infiniti Principis aula tam innumerabilium procerum amicitia & familiaritate frui?

Pſal.149.

3 Conſidera quibus functionibus ſint dediti. Tota eorum vita eſt contemplari, cantare, frui, delectari, exultare, laudare, benedicere, gratias agere, gratulari. Omnes ex vi contemplationis, & præardenti in Deum (qui ipſos tantis bonis cumulauit) amore & gaudio, in laudes & gratiarum actiones erumpent. Laudabunt illum ex omnibus eius operibus, & beneficijs; ex opere creationis & gubernationis, ex opere redemptionis & iuſtificationis, ex operibus miſericordiæ & iuſtitiæ, ex præmijs iuſtorum & pœnis impiorum, ex omnibus occultis eius & manifeſtis iudicijs, denique ex tota rerum creatarum diſpoſitione. Hæc omnia menti eorum obuerſabuntur, & clarè conſilium Dei in ſingulis intelligent, & incredibili conſolatione perfundentur; & præ magnitudine gaudij illum de omnibus ſigillatim laudabunt, & benedicent, & glorificabunt, & gratias agent immortales. Itaque materia ſempiternæ laudi non deerit.

3 Pſal. 83. & 149. Aſor 7.

Credibile eſt, haſce laudes, ſicut in Angelis ſpiritali voce, & ſpiritalis cantici more peragentur, ita in hominibus etiam corporali voce perficiendas: vt ſicut animo & corpore conſtabunt, ita non ſolum animo, ſed etiam corpore Deum laudent. Itaque erit ibi excellentiſſima vocum harmonia, omnem muſicam huius mundi incomparabiliter ſuperans.

Pſal. 149.

4 Conſidera quantum gaudij percepturi ſint ex eo quòd videant ſe ex maximis malis liberatos, & de ſuis bonis in omnem æternitatem ſecuros. Videbunt ſub ſe inferorum incẽdia, & infinitam impiorum coluuiem illis inuolutam, & inſtar ſtruis lignorum ardentem. Videbunt pericula eorumdem malorum, in quibus ipſi quoque ſæpè conſtituti fuerunt: videbunt ſe diuina miſericordia ereptos, & in æternum redditos ſecuros. Comparabunt ſuam felicitatem cum illorum miſeria, ſicque duplici nomine gaudebunt, & Deo gratias agent. Infiniti enim beneficij loco ducent, & quòd ex infinito malo, quod periculoſiſſimè illis impendebat, ſint exempti; & quòd æternis bonis ſint affluentiſſimè cumulati.

Iſaiæ 11. 2.Theſſ.1.

5 Conſidera quoque gaudia quę ex dotibus corporis percipient. Fulgebunt enim corpora inſtar ſolis: erunt immortalia, inuolabilia, & omnis perpeſſionis experta. Pari modo erunt agilia & velocia inſtar fulminis, & penetrantia inſtar radij ſolaris, vel naturæ ſpiritalis. Tota cælorum vaſtitas ad illam velocitatem erit inſtar vnius aulæ vel cubiculi: momento temporis in quauis mundi plaga ſiſtere ſe poterunt.

Matth.13. 1.Cor.15.

6 Conſiderandum, quòd etſi hæc magna ſint, & ingentiũ gaudiorum cauſa; incomparabiliter tamen maius eſſe videre Deum & contemplari infinitum illud bonum & pulchrum, omnis boni & pulchri fontem, illud complecti & amare, illius dulcedinem guſtare, & torrente voluptatis ipſius potari, eius gloriæ & beatitudinis eſſe participem, & omnibus eius bonis perfrui. Sicut enim ipſe infinitè præſtantior eſt omnibus bonis creatis, ita quoque gaudia quæ de ipſo & ex ipſo capientur, incomparabiliter maiora ſunt & ſuauiora, quàm omnia gaudia quæ ex bonis creatis percipi poſſunt. Denique his omnibus gaudijs immenſus quidam gaudij cumulus accedet ex eo, quòd clarè videãt ſe his omnibus bonis firmiſſimè & ſecuriſſimè in omne æuum fruituros.

Matth.5. & 18. Ioan.17. 1.Ioan.3.

FINIS.

Digitized by Google

3

QVÆ FIDES ET RELIGIO SIT CAPESSENDA, CONSVLTATIO.

AVTHORE LEONARDO LESSIO E' SOCIETATE IESV,
Sacræ Theologiæ Profeſſore.

Cui acceſſit vtiliſſima eiuſdem Auctoris appendix, qua quæſtionibus quibuſdam, ipſam in diuerſis materijs conſultationem ſpectantibus, reſpondetur, & veritas enucleatur.

Iampridem tribus vicibus in Germania impreſſa, & diuulgata, nunc temporis accuratè noſtris typis denuò excuſa, curioſis ingenijs iterum communicata, & debito modo ſummaq. cum diligentia correcta.

CVM PRIVILEGIO.



BIBLIOTECA CAV.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M.D.C.X.X.V.

APVD ANDREAM BABA.

Digitized by Google

INDEX CONSIDERATIONVM.

PRIMA *Consideratio, ex studio perfectionis, ad quod Christi Religio inducit.* pag. 92

Secunda Consideratio, ex eo quòd licentiam peccandi excludit. 93

Tertia Consideratio, ex Sanctitate cultorum. 94

Quarta Consideratio, ex Miraculis cultorum. 95

Quinta Consideratio, ex Gentium conuersione. 97

Sexta Consideratio, ex nomine Catholica, & re ipsa hoc nomine signata. 97

Septima Consideratio, ex Successione. 98

Octaua Consideratio, ex consensu Doctorum veterum, & controuersiarum decisione: & quia extra nulla soliditas. 98

Nona Consideratio, ex variis causis ob quas noua sint suspecta, & declinanda. 99

Prima Ratio, ex Nouitate. 99

Secunda, ex Defectu successionis. 101

Tertia, ex Defectu missionis. 101

Quarta, ex Defectu miraculorum. 103

Quinta, ex vitæ & morum conditione. 104

Sexta, ab Erroribus, & inconstantia doctrinæ. 105

Septima, ex Dolo malo, & fraudibus quibus vtuntur. 106

Octaua, ex Euersione bonorum operum. 108

Nona, ex Licentia vitæ quam tribuunt. 108

Decima, ex eo quòd Hæreses antiquas renouent. 109

Vndecima, ex Defectu regulæ credendi. 109

Duodecima, ex Absurdo. 111

Decima Consideratio, & conclusio totius Deliberationis. 111

APPENDICIS AD CONSVLTATIONEM

Caput Primum.

Vtrùm quinis in sua Fide ac Religione saluari possit. 117

Caput Secundum.

Vtrum Caluinus docuerit Deum esse auctorem omnium scelerum. 120

Caput Tertium.

Vtrùm Caluinus fuerit conuictus Sodomiæ, & ob eam causam stigmate inustus. 112

QVÆ FIDES ET RELIGIO SIT CAPESSENDA, CONSVLTATIO.

MAgna est hoc nostro quo Religionum varietas, magna de vera Religione disceptatio. Multi in hac re perpetò fluctuant, nec quidquã certi statuere possunt, ex vna in aliam Religionem, veluti domum, experiundi causa transmigrantes, vt meritis tranquillitatem assequãtur. Alij inconsulto ausu amplectuntur aliquam, quam fors obtulerit, sine examine, sine luce; qui dum rogantur, cur istam ceteris præferant, nihil aliud respondere possunt, nisi quòd ipsis videatur melior; vel (quod singuli de sua iactãt) quia sequitur purum putum verbum Dei.

Negotium tamen illud dignissimum est summa deliberatione & discussione, vt pote in quo totius salutis nostræ cardo versetur. Non parua res est æterna salus, & æterna damnatio; sed tanta, vt cetera omnia siue bona, siue mala, ad hæc sint instar nihili. Hæc autem pendent ex bona, vel mala Religione. Si bonam Religionem habueris facilis tibi erit salutem consequi: si malam, impossibile est te saluari. a Per malam enim seu falsam Religionem Deo placere non potes; ac proinde neque veniam peccatorum, neque verãq; iustitiam adipisci, neque vllo modo redemptionis Christi particeps effici. Itaque manes in morte, & ira Dei super te manet. b Omnes enim siue Christi redemptiõne & viuificatione manẽt in morte peccati, & filij iræ quicumque autẽ non habet veram Religionem, est expers redẽptionis & viuificationis Christi; quarẽ necesse est illũ manere in morte, esseque filium iræ, & pabulũ ignis æterni.

a *Ad Hebr. 11.*

b *Ad Rom. 3. & 4. &c.*

c *Ad Eph. 4.*

Porrò vera Religio est vnica, non multiplex. Vna enim tantùm est veritas: e vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Dominus omnium. Vnde consequens est, Primò, Omnes Religiones, omnes fides & fidei confessiones, præter vnam esse falsas, noxias, pestiferas; & auctore diabolo, qui est pater mendacij, introductas.

Secundo, Neminem, qui hanc vnicam non habuerit, salutem æternam consequi posse: & omnes qui huius expertes fuerit, quantumuis alioquin laudabiliter vixerint, in æternum perituros. Quod enim Apostolus ait de charitate; Si linguis hominum loquar & Angelorum, si nouerim mysteria omnia; si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: potiori ratione dicendum est de vera fide, seu Religione, quæ charitatis & reliquarum virtutum Christianarum est fundamentum.

1. *Cor. 13.*

Tertiò, Stupidum esse errorem quorumdam plebeiorũ existimantium satis esse ad salutem si credas in Christum, & ipsum mortuum esse pro peccatis nostris, quamuis multa alia, verbi gratia, quæ ad Sacramenta, ad sacrificium Ecclesiæ, & fundia fidei capita pertinent non credas. Sic enim omnes pænè sectæ hæreticorum saluarentur. Omnes enim retinent Christum (alioquin non essent hæretici sed apostatæ) & credunt, paucis exceptis, illum esse mortuum pro peccatis nostris. Salui itaq; erunt Montanistæ & Nouatiani, Donatistæ & Sabelliani, Ariani, Macedoniani, Aeriani, Eutychiani, Monothelitę, & similes Ecclesię pestes. Cur ergo Ecclesia omnibus sæculis se tam acriter hæresibus opposuit? Cur Apostolus *Hæreticum hominem post vnam vel alteram correptionem vitari* iubet? Cur sermonem eorum cauendum vt carcinoma quoddam? Frustra hæc omnia dicũtur & fiunt, si cum hæresi salus obtineri potest. Sanè cõtra omnium sæculorum consensum est illud figmentum. *Confitemini aliquem*, inquit D. Augustinus, *castũ, continentem, non auarum, non idolis seruientem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cuiusquam inimicum, non contentiosum, patientem, querulum, nullum oneriosum, nulli inuidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum; nulli vtique dubium est, præter hoc solum quòd hæreticus est, regnum Dei non possidere.*

1. *Ad Tim. 3.*

2. *ad Tim. 2.*

L. 4. contra Donat. c. 8.

Sicut enim, teste D. Iacobo, qui in vno mandato delinquit, factus est omnium reus, & totam iustitiam amittit, etiamsi reliqua seruet, quia legislatorem ipsum, qui totam legem tulit contemnit: ita qui vnum fidei caput pertinaciter negat, etiamsi reliqua retineat, factus est reus totius Religionis, & totam fidem ac Religionem perdit; quia eius auctorem contemnit. Eadem enim est prima supremaque veritas, quæ omnia fidei capita reuelauit, & nobis per Ecclesiam sponsam suam (*quæ est columna & firmamentum veritatis*) credenda proposuit. Quicrgo vel vnum articulum obstinatè reiecerit, nolens acquiescere Ecclesiæ testimonio, eo ipso primæ veritatis, cuius Ecclesia est præco, interpres, & organum, auctoritatem floccipendere censetur; ac proinde totam fidem diuinam, quæ ad salutem est necessaria, amittit.

Cap. 2.

1. *Ad Tim. 3.*

Nec refert, quod adhuc aliqua, nimirum primaria fidei capita, fides credere putet; quia non credit illa fide diuina, quæ soli auctoritati diuinæ nobis infallibili modo proposita innititur; alioquin cetera quoque eodẽ modo ipsi proposita crederet; sed credit illa fide quadam humana, nimirum, quia priuato suo iudicio ita iudicat credendũ, sumens sibi auctoritatem iudicandi & discernendi quæ sint credenda, quæ reijcienda. Itaque vltima ratio credendi est iudicium priuatum; ac proinde tota illa fides est humana & inutilis.

Certissimum itaque sit, sicut vera iustitia se extendit ad omnia mandata: ita veram fidem, quæ ad salutem requiritur, se extendere ad omnia diuinitùs reuelata, ita vt illa omnia vel expressè credamus; vel parati simus credere, si nobis congruo modo fuerint proposita.

Ex his perspicuum est, quanta cura emendum sit, vt veram fidem & Religionem assequamur, cùm hæc sit totius salutis fundamentum, & absque ea nos certissima maneat damnatio. Vnde statui aliquas vel considerationes vel rationes per se notas cuilibet ratione vtenti proponere, ex quibus certa possit hac in re institui deliberatio.

Prima Consideratio, ex studio perfectionis ad quod Christi Religio inducit.

EA Religio præferenda quæ sanctæ puritati & sanctitati vitæ, quæ ab effectu terrenorum mentes auocat, & ad cælestium amorem traducit. Hic enim est potissimus finis Religionis, mentes hominum à rebus istis temporalibus ac infimis abducere, & ad cælestia ac sempiterna cogitanda, amanda, persequenda eleuare. At talis est sola Religio Catholica. Hæc enim suadet abstinere à voluptatibus carnis & illecebris huius vitæ: hæc docet diuitias & honores contemnere, & ijs, cùm possidentur, propter Christum renuntiare. Hæc suadet ieiunia, cilicia, chameuniam, & alias corporis afflictiones, quibus caro dometur, & spiritui subijciatur.

Sola enim ea Religio perfectionem vitæ docet.

Hinc innumeri sunt in Ecclesia Catholica, qui contemptis diuitijs, honoribus & voluptatibus, quibus vel fruebantur, vel frui poterant, sæculo nuntium remisere, carnem macerantes, & toti Deo rebusque cælestibus intenti. Inter hos multi magnates, & magnatum filij ac filiæ, plurimi nobiles, plurimi qui in sæculo fuerant opulentissimi, plurima

plurima nobiliſſima ingenia, plurima eloquentia & omni literatura celeberrimi. Clariſſimam hoc eſt diuini ſpiritus, & veræ Religionis τεκμήριον. Non enim poteſt illa Religio non eſſe cæleſtis, quæ naturam humanam infimis illis affixam auellit, & ad cæleſtia erigit, quæ amorem temporalia expugnat, & æternorum dilectionem inſerit; denique tam mirabiles in hominibus mutationes efficit. Ex fructibus ſuis arbor cognoſcitur.

Cetera tollunt ſtudiũ perfectionis & bonorum operum.

Cæteræ Religiones, præſertim Lutherana, Caluiniana, & Anabaptiſtica, de quibus hic potiſſimùm agimus, & contubernionem hanc tollit animus, nihil tale præſtant. Tantum enim abeſt vt doceant carnem macerare, terrena contemnere, voluptates carnis reſecare, vt *ieiunium* vocent *traditionem humanam, qua Deus fruſtrà colatur; abſtinentiam carnium, ſuperſtitionem*; *vota monaſtica* dicant *eſſe impia, irrita, & omnino non ſeruanda*; *caſtitatem impoſſibilem, omnibus eſſe vxores ducendas, & rei vxoriæ operam dandam*: quod Lutherus dicebat *eſſe tam neceſſarium, quàm edere, bibere, dormire*. Ex qua doctrina conſecutum eſt, vt nemo eorum, qui aliquam ex illis nouis Religionibus ſectantur, vel ieunio carnem maceret, vel continentiam ſeruet, vel a coniugio, & voluptatibus venereis abſtineat, vel ſuis facultatibus repudiatis, paupertatem pro Chriſti amore colat; ſed omnes amplectantur vitam commodam, vulgarem, ſæcularibus rebus inhærentem, & carnis naturæque corruptæ inclinationi conſentaneam. Nemo hic animum concipere poteſt vt Angelicam vitam imitetur in terris, ſicut multi Sanctorum fecere, & multi adhuc in Eccleſia Catholica faciunt: nemo vt curas & ſollicitudines huius vitæ exuat, & ſæculi vincula abrumpat, vt liber & expeditus Chriſtum Dominum ſequatur, eiuſque vitam ſanctiſſimam imitetur, & in carne ſua mortali exprimat. Nam quidquid eſt ſupra communem & popularem viuendi rationem, hæ Religiones improbant. Quis ergo non videat, nullam ex his eſſe Religionem Chriſti? Etſi enim Chriſtus paupertatem, caſtitatem, vitam cælibem, abnegationem ſui, & ſi nihil, hominum infirmitati conſulens non imperet; ſuadet tamen, & magnis præmijs ad hæc inuitat, & ad ea amplectenda in ſeipſo nobis exempla præbuit. Hoc conſilio & mandato Chriſti permoti innumerabiles homines, ex omni ordine, ætate, ſexu, natione, conditione, ad ſummam ſanctitatem peruenere, totique mundo eo nomine admirabiles fuere. At illæ Religiones hoc perfectionis ſtudium plane improbant, tanquam vel impoſſibile, vel ſuperfluum.

Lib. de vita coniugali.

Neque ſolùm eximiam illam ſanctitatem impediunt, ſed etiam omne ſtudium bonorum operum. Docent enim [a] *hominem in omnibus ſuis operibus peccare, quamuis hoc peccatum credentibus non imputetur.* Deinde *hominem* [b] *per omnia ſua bona opera nihil apud Deum mereri: nihilo fieri ipſi gratiorem; nihilo inferiorem, nihil amplius præmij habiturum, ſiue plurima, ſiue pauca, ſiue nulla bona opera fecerit, ſolam* [c] *fidem apud Deum æſtimari & coronari.*

a *Luther. tom. 3 1. & tom. 36. & lib. de libertate Chriſtiana.*

Calu. lib. 3. Inſtit. cap. 11 §. 2. & c. 14. §. 9.

b *Luthernus & Caluinus locis citat.*

c *Luthernus in Aſſert. art. 1. Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 11 §. 13. & 14. & c. 19. §. 4. & 7.*

Quis hac doctrina poſita excitetur ad bona opera, ad orationem, ad eleemoſynam, ad ieunium, ad proximorũ ſubſidium? Si enim in his omnibus eſt labes peccati, & nihil meriti vel præmij, nihil vtilitatis, quid me ad illa præſtanda permoueat? Quis fruſtrà, nulloque fructu laborem & opes ſuas impendere, & commoda tua differre velit? Itaque hæ Religiones omnia bona opera è medio tollunt; ſolamque fidem relinquunt hominibus, quam inter omnium eſſe ſtatuunt. Non eſt credibile, Dominum per tot labores & ſudores, per tam multiplicem doctrinam, & tot cœleſtia monita per ſanguinem, crucem & mortem ſuam, tam ſeueris Religionis nobis eſſe auctorem.

Obiectio ſolutur.

Neque dum noſtris operibus vim merendi vitam æternam tribuimus, obſcuramus meritum Chriſti, vt ipſi obijciunt, ſed illa illuſtramus & extollimus. Statuimus enim illud adeò eſſe efficax & vniuerſale, vt ipſe non ſolùm vitam æternam nobis per illud meruerit, ſed etiam vires & facultatem merendi contulerit. Sicut omnipotentiæ Dei iniuriam non facit, ſed eam extollit, qui dicit eam non ſolùm omnia operari & producere, ſed etiam rebus creatis vim operandi & producendi ſimilia contuliſſe. Nihil enim eſt quod magis declaret excellentiam & perfectionẽ cauſæ, quàm ſi non ſolùm ipſa poſſit operari, ſed etiam aliis vires ad operandum tribuere. Itaque cùm dicimus Chriſtum non ſolùm nobis meruiſſe vitam æternam, ſed etiam vires merendi contuliſſe; longè magis extollimus vim meritorum eius, quàm illi qui docent illum ſolum meruiſſe totum, & nobis nullas vires ad cooperandum meritis ipſius tribuiſſe: Immo hi magnam Chriſto iniuriam faciunt; quia hanc vim & efficaciam ipſi detrahunt. Sicut quidam philoſophi qui docuerunt res creatas non habere vim operandi ſibi inſitam, ſed ſolam Dei potentiam increatam omnia facere, iniuriam omnipotentiæ Dei irrogarunt; quaſi ipſa non poſſit rebus creatis vim operandi, & cooperandi Deo, conferre. Iniuriam autem Chriſto faceret, hominiſ quam vim merendi ex Chriſti meritis non acceptam tribueret: ſicut iniuriam faceret Deo, qui in rebus creatis, aliquam vim operandi a Dei omnipotentia non deriuatam ſtatuere vellet. Porrò ſicut operationes rerum creatarum referuntur in Deum tamquam auctorem omnium: quia ipſe vires ad eas contulit, & ſimul cum rebus creatis vt cauſa vniuerſalis efficiens concurrit: ita omnia merita hominum iuſtorum referuntur in Chriſtum tamquam auctorẽ omnium illorum: quia ipſe vires ad illa contulit, & ſimul cum illis vt cauſa vniuerſalis meritoria concurrit. Omitto alia multa, quæ in hanc ſententiam dici poſſent.

Efficacitas meriti Chriſti.

Secunda Conſideratio, ex eo quod licentiam peccandi excludat.

Illa quoque Religio eſt præferenda, vt Deo gratiſſima, quæ nullam tribuit licentiam peccandi, ſed multis modis hanc excludit. Sicut enim Religio, quæ ex Deo eſt, animos hominum ad ſtudium bonorũ operum, & vitæ Chriſtianæ perfectionem, excitare & allicere debet: ita etiam deterrere a peccatis, incutere Dei timorem, & quantum in ipſa eſt, peccata omnia impedire.

Talis planè eſt Religio Catholica. hæc enim multis modis omnem peccandi licentiam remouet.

Primò, Per Sacramentum pœnitentiæ. Valdè enim deterrentur plerique a peccatis, quòd videant ea ſigillatim in confeſſione aperienda, & pro illis pœnitentiam ſubeundã. & ſi quid ſublatum ſit, vel ſi quid damni irrogatum, id omnino compenſandum. Deinde in illo Sacramento requiritur dolor de peccatis, & propoſitum emendandæ vitæ: cõfertur etiam gratia & auxilium ad id præſtandum. Denique dantur ſalutaria monita rectè viuendi. Vnde hoc Sacramẽtum mirè licentiam peccandi coercet.

Secundò, Per doctrinam de ſatisfactione & purgatorio. Docet enim, remiſſa culpa & pœna æterna, remanere plerumque obligationem ingentis pœnæ temporalis: quam niſi in hac vita per bona opera, nimirum per orationem, eleemoſynam, ieunium, & ſimilia, redemeris, luendam deſe res poſt hanc vitam acerrimis tormentis purgatorij. Nullum malum apud Deum manere inultum.

Tertiò, Cùm docet, ad æternam damnationem ſatis eſſe vel vnum peccatum mortiferum, niſi pœnitentia in hac vita deletum fuerit, nec quidquam fidem abſque vera pœnitentia ad peccatorum remiſſionem prodeſſe.

Quartò, Cùm multis modis incutit homini Dei timorem, varijs eius iudicijs propoſitis: cum nunquam vult illum eſſe ſecurum ſuæ ſalutis, ſed ſemper vigilare, ſemper orare, ſemper eſſe ſobrium, ſemper bonis operibus intentum, ne fortè aliquando vel tẽtationi ſuccumbat, vel fraude diabolica ſupplantetur, vel per inconſiderantiam labatur, vel imparatus morte improuiſa opprimatur. Hinc ■ bonis Catholicis, qui ſecundum ſuam Religionem viuere ſtudent, videmus miram ſollicitudinem vt peccata deuitent; & ſi quæ per fragilitatem humanam commiſerint, continuo ea expient & emendent.

Tollunt timorem diuinum; & omnem licentiã tribuunt peccandi.

Nihil horum præſtant aliæ Religiones, ſed timorem diuinum excutiunt, & magnam ad omnem peccandi licentiam portam aperiunt.

Primò, Quia *tollunt confeſſionis Sacramentum*, quo, vti diximus, homines mirè a peccatis auocantur. Nam dicunt eſſe inuentum humanum, carnificinam conſcientiarum, & meram ſuperſtitionem. Mirum ſi aliqua ſuperſtitio & figmentum cordis humani poſſit habere vim tantam ad vitæ emendationem & conſcientiæ tranquillitatem: Hanc vim etiam ipſi Lutherani aliquando teſtati ſunt experientia docti. Nam vt refert Sotus qui interfuit, cum Cæſar eſſet in Germania, miſſa eſt ab inclyta ciuitate Norimber-

In 4. d. 18. q. 1. a. 1.

ga legatio ad ipsum, per quam Senatus petebat, vt Cæsar Imperatorio iure confessionem auricularem indiceret. Aiebant enim se vsu & experientia comperisse, Rempublicã suam post sublatam confessionem occultis criminibus cõtra iustitiam aliasque virtutes scatere, quæ illis antea fuissent incognita. Ritum tamẽ, vt inquit Sotus, ea legatio mouit. Si enim iure diuino ad occulta sua alicui pandenda homines non tenentur, nec sacerdos a peccatis absoluere posset, vt ipsi sentiebant, quomodo præcepto humano abliq; fructu remissionis ad id cogi poterunt?

Secundò, Quia non solùm confessionem, sed etiam *tertiam partem* [a] *partem tollunt*: quatenus negant esse necessariam contritionem, seu dolorem de præteritis. vt enim habet articulus Lutheri, a *contritio facit magis peccatorem*: & b Calvinus, Quod, inquit, *Hieronymus ait pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, cùm planè impium sit, excusari non potest.*

[a] *Artic. 6.* [b] *Lib. 4. cap. 19 §. 17.*

Tertiò, Quia [c] negant *satisfactionis necessitatem: & dicunt hanc redundare in iniuriam satisfactionis Christi*, quasi si nostra aliquid valet, Christi non sit sufficiens.

[c] *Calvinus lib. 3. c. 4. §. 38. Lutherus in Assert. artic. 5. & 6.*

Quartò, Quia [d] negant *purgatorium, & omnem castigationem temporalem animarum, post hanc vitam.*

[d] *Lutherus epistol. ad Vuittenbergenses de Euchar. Calvinus li. 3. c. 5. §. 6.*

Quintò, Quia negant [e] *remanere vllam obligationem pœnæ temporalis remissa culpa. Semper enim cum culpæ remittitur tota pœna.*

[e] *Lutherus supra, & in Assert. art. 5. Calvinus supra, & lib. 3. c. 4. §. 30*

Sextò, Quia [f] docent *solam fidem sufficere ad remissionem omnis culpæ & pœnæ; nec aliud omnino requiri.*

[f] *Lutherus in Assert. ar. 1. Calvinus li. 3. cap. 11. §. 23. & 14. & cap. 12. §. 2. 4. 7.*

Septimò, Quia [g] tradunt *habenti fidem specialem nullum peccatum imputari*. Hac ratione Lutherus docebat Decalogum non magis ad nos pertinere, quàm cærimonias Legis veteris, sed omnem eius obligationem paritèr esse sublatam per Christum; nimirum quia non magis imputatur ere sentibus illius violatio, quam violatio Legis cærimonialis. Hæc omnia ab illis doceri patet ex locis in margine adscriptis, & norunt omnes mediocriter in illis lectis versati.

[g] *Lutherus de libert. Christiana. Calvinus li. 3. c. 4. §. 28. & lib. 2. ca. 8. §. 58. Psal. 13.*

His positis clarissimum est, tolli penitus a cordibus hominum omnem Dei timorem, & laxari habenas ad omnia genera peccatorum: immò tantam dari licentiam per has Religiones, quantam per Atheismum, vel etiam maiorem. Si enim habenti fidem illam specialem, nullum peccatum imputatur ad culpam, vel ad pœnam, cur non audiet quantumuis grauia scelera? Quid enim timeat? An gehennam, vel purgatorios ignes? At fides facit, vt quantumuis in se peccatum sit graue & fœdum, tamen tali homini nullo modo imputetur. An iram diuinam, & gratiæ diuinæ subtractionem? At Deus non imputat, & propter Christi satisfactionem, non potest illi irasci. An satisfactionem temporalem aut confessionem? At ista iam sunt sublata tamquam superstitiosa. Quid ergo ille magis timeat, quã quiuis Atheus? Aut quomodo non æque laxam portã habeat ad omnia scelera, omnesque impuritates? Quid Atheismus efficiat, testatur Scriptura cum ait: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Facit autem hoc Atheismus, quatenus aufert timorem diuinæ castigationis, quo tamquam fræno mortales a peccatis coercentur. At istæ Religiones non minus tollunt timorem diuinæ vindictæ & castigationis, dum docent nullum peccatum credenti imputari ad culpam vel pœnam, nec vnquam pro eo fore puniendum.

Addo etiam, magis hunc salutarem timorem per istas Religiones, quàm per Atheismum tolli. Nam pauci Athei certo statuunt, non esse vllum Numen; sed plerique dubitant, & reformidant oppositum. itaque non sunt absque metu vindictæ, qui illos in multis compescat. At istæ Religiones certò & indubitanter statuunt peccata credentibus non imputari, idque firmissimè credi iubent. itaque nihil formidinis relinquunt, sed omnem penitus metum & suspicionem vindictæ abstergunt: ac proinde longè magis habenas mentibus humanis ad omnia flagitia laxant quàm Atheismus. Neque id vno tantùm modo faciunt, sed quadruplici.

Quatuor modis tollunt omnem timorem Dei.

Primò, Dum docent per fidem peccata non imputari: quantumuis ea sunt multa vel magna. de quo iam satis dictum est.

Secundò, Cùm dicunt *omnes qui habent veram fidem esse prædestinatos, & id firmissimè debere credere*. Si enim omnes *Calvinus*

harum sectarum cultores sunt prædestinati, & id firmissimè credere tenentur; cur sint solliciti, vt vel benè agant, vel opera carnis, quæ Apostolus enumerat, deuitent? Non enim possunt metuere ne salute excidant, & in gehennam deturbentur, quia prædestinatio Dei est efficax & immutabilis; & prædestinati nullo modo perire possunt. Neque purgatorij pœnas, quas credunt nullas esse; neque huius vitæ flagella, cùm illis peccata à Deo non imputentur. *lib. 3. cap. 2. §. 6. 7. 11. 12. 15. 16. & 38.*

Tertiò, Cùm *tollunt libertatem arbitrij, & docent omnia immutabili necessitate fieri hominemque non posse vias suas bonas facere aut malas.* Si enim nulla est libertas, nullum est proprie peccatum: sicut leo dum hominem deuorat, etsi malum inferat, non tamen peccat; quia id nõ liberè sed impulsu naturæ facit, nec est in potestate ipsius hunc impulsum moderari. Nemo erit pœna dignus; quia quod necessitate agitur, pœnam non meretur: quare nec vllus erit infernus, nec vindicta post hanc vitam vlla. Magna enim & intolerabilis esset crudelitas homines æternis supplicijs afficere propter ea quæ ipsi nullo modo vitare poterant. Cur ergo metuant sequi desideria cordis sui, & patrare quidquid animo libitum fuerit? *Lutherus in Assert. artic. 36. Calvinus lib. 2. c. 16. §. 8.*

Quartò, Cùm tradunt *omnia hominum opera tam mala, quam bona ab æterno esse à Deo prædefinita; & vt in tempore fiant, voluntates hominum ad omnia illa à Deo inclinari, incitari, impelli, determinari.* Si enim Deus æquè mala ac bona operatur in nobis, non est quòd conemur mala deuitare, neque cur timeamus eorum vltionem. Deus enim non est vltor eius, cuius est auctor; nec punire potest, quod ipse à nobis fieri vult, & faciat vt faciamus. Hæc enim esset plusquam tyrannica immanitas, quam constat longè abesse à Deo. *Lutherus supra. Calvinus li. 2. c. 17. §. 5. & c. 18. §. 1.*

Ex his luce meridiana clarius est, Religiones illas quatuor modis omnem diuini numinis timorem ex animis hominum tollere, & tantam omnium scelerum tribuere licentiam, quantam vllus vnquam Atheismus: idque eò perniciosius, quòd non sub aperta impietatis forma, sed sub specie Religionis & honoris diuini, nimirum sub speciosis titulis fidei specialis, satisfactionis Christi, libertatis noui Testamenti, prouidentiæ prædestinationisque diuinæ. Sub his tegitur & propinatur tantum venenum, quod mentes moresque hominum penitus corrumpit. Quis ergo, cui vel scintilla sit recti iudicij, credat huiusmodi Religiones esse à Deo?

Tertia Consideratio, ex sanctitate cultorum.

ILla Religio præferenda, in qua plurimi sanctitate conspicui: fieri enim nequit, vt praua Religio ad sanctitatem perducat, aut vt vera sanctitas cum praua Religione consistat. At Religio Catholica plurimos omnibus sæculis habuit qui communi omnium Christianorum cõfessione sanctissimi fuere. E quorum numero, vt alios innumeros omittam, est magnus Antonius, Hilarion, Gregorius Thaumaturgus, Nicolaus Myræ Episcopus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Simeon Stylites, Cyprianus, Hilarius, Martinus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Benedictus, Gregorius Magnus, Venastus, Amandus, VVinocus, Bertinus, Rumoldus, VVillebrordus, Bonifacius, Bruno, Bernardus, Romualdus, Norbertus, Dominicus, Franciscus, Thomas Aquinas, Bonauentura, Franciscus à Paula, & multi nostro sæculo. Quòd enim hi omnes Catholicã Religionem sectati sint, dubitari non potest; tum quia Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, eiusque fidem professi sunt, & etiam grauiter propagarunt: tum quia ferè omnes isti Monachi fuere, & votis obstricti monasticam vitam coluere. Immo omnes regulæ & professiones monasticæ ab illis fluxere. Eos sanctissimos fuisse, est communis confessio totius populi Christiani per tot sæcula, quot à singulorum ætate fluxere. Nec vnquam ea de re fuit dubitatum. Id ipsum de plerisque istorum, & in primis de Bernardo, Dominico, Francisco, fatentur etiam hæretici. Magna esset impudentia, ea negare vel in dubium reuocare, in quæ consensus orbis conspirat.

Si isti sancti fuere & Catholici, sicut toti orbi persuasum est, necesse est, Catholicam & Romanam Religionem, quam

eam ipsi tenuere, veram esse, & à Spiritu sancto profectam.

Primò, Quia impossibile est, vt Religio falsa ad sanctitatem veram perducat. Religio enim est sanctitatis fundamentum. Non potest illud cæleste ædificium extrui super re vana, super mendacio & pernicioso & sacrilego, quale est omne mendacium in Religione. Fieri nequit, vt Religio falsa animum a terrenis auocet, & ad cælestia traducat; vt diuino amore mentem accendat, & ad proximorum salutem per tot labores & sudores curandam impellat. Hæc tamen omnia Religio quam sequebantur, in ipsis perfecit. Itaque fieri nequit, vt ipsorum Religio falsa fuerit.

Act. Hist. 31. Secundò, Sine vera Religione impossibile est placere Deo. At omnium consensu illi placuerunt Deo, & magni eius amici fuere: ergo vera fuit eorum Religio. quomodo enim per falsam Religionem placeant Deo, qui est veritas?

Tertiò, Si eorum Religio vera non fuit, ergo fuit à diabolo. Hic enim mendax est ab initio, & mendacij pater: hic veram Religionem suis mendacijs & fraudibus semper studuit corrumpere, vt animas perderet. Si fuit a diabolo, quomodo potuit illos ad sanctitatem perducere; diaboli aduersarios, & Dei amicos efficere? *Quæ enim* (*ait*) *societas lucis ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial?* *2. Cor. 6.*

Quartò, Prorsus incredibile est Deum viros tam innocentes, tam sui & rerum terrenarum despicientes, tam studiosos diuinæ gloriæ, & ardentes Dei amatores, tot seculis permisisse decipi in re tanta, nimirum in negotio Religionis, & fundamento totius pietatis. Quis tam impiè de diuina bonitate sentiat? Ni hil illi ex parte sua prætermisere, quò Deo placere possent, eiusque gloriam promouere, maximis laboribus pro ea susceptis, & tota vita illi consecrata & impensa. Quinam fieri potest, vt illa bonitas infinita, illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, tam eximijs seruis & amatoribus suis veritatem & lucem suam non ostenderit, eosque in tenebris & pestiferis erroribus reliquerit? Falsum est ergo illud quod Dominus toties ingeminans & repetens promisit: *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, & accipit. & qui quærit inuenit. & pulsanti aperietur.* *Matth. 7 Luca 11.* Franciscus enim, Dominicus, Bernardus, Benedictus, & similia orbis lumina ac miracula, per totam vitam summo studio petierunt, quæsierunt, & pulsarunt, vt saluti necessaria à Domino impetrarent, & voluntatem ipsius in omnibus cognoscerent, & implere possent; & tamen nihil sunt consecuti. Falsum erit & illud: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* *Luca 11.* Hi enim assiduè hunc spiritum flagitarunt, & tamen non obtinuerunt. Spiritus enim bonus absque bona Religione esse non potest. Omitto alia quæ in hanc sententiam possent adferri.

Quòd si blasphemũ est dicere diuinas promissiones falsas esse; necesse est fateri viros illos veram fidem & Religionem a Domino accepisse. Quare cùm constet, eos tenuisse Religionem Catholicam, & Ecclesiæ Romanæ fuisse addictissimos, & omnem fidem seu Religionem huic aduersantem fuisse detestatos: dubitari non potest, quin Catholica & Romana sit vera & diuinitus inspirata Religio; reliquæ verò omnes falsæ, & à diabolo inuentæ.

Denique si Religio illorum vera non fuit, sed aduersariorum aliqua vera est; necesse est fateri, supradictos omnes, quos orbis semper vt Sanctos suspexit, non solùm non fuisse sanctos, aut Dei amicos, sed fuisse impios & Dei inimicos, ac proinde damnatos & æternis supplicijs addictos. Nam sine vera Religione impossibile est placere Deo. Neque dici potest fuisse excusatos per ignorantiam: quia ignorantia non excusat nisi in quibusdam secundarijs & minùs necessarijs, quæ solùm ratione alicuius præcepti positiui necessaria sunt; non autem in fundamentis & primarijs capitibus. Alioqui possit quis sine omni notitia Dei aut Christi salutem consequi, quod vniuersæ Scripturæ repugnat. At illi si errarunt (vt volunt aduersarij) errarunt in primis capitibus. Primò, Quia non agnouerunt fidem specialem, per quam solam iustificamur, & sumus participes redemptionis & iustitiæ Christi, & peccata non imputantur, vt auctores aliarum Religionum docent. Itaque pro manserunt in peccatis, exortes cultus Christi, & cõsequenter filij gehennæ. Secundò, Quia eorum iudicio fuerunt extra Ecclesiam Christi (extra quam omnium consensu non est salus) & adhæserunt meretrici Babylonicæ (sic enim vocant illi Ecclesiam Romanam) & fuerunt ministri & instrumenta primaria Antichristi. Tertiò Quia fuerunt idololatræ, colentes creaturam pro creatore; nimirum panem & vinum loco Christi in Eucharistia, honorantes Sãctos & eorum imagines, &c. Nulla est ignorantia qua valeant ista excusari. Fuerunt ergo omnes illi impij, & sunt gehennæ tormentis addicti. At hæc omnia quàm sunt improbabilia, quàm incredibilia, & contra communem sensum omnium Christianorũ, qui hactenus extitere? Quòd autem in alijs Religionibus nulli extiterint eximiæ sanctitatis, quorum vita mundo fuerit admirationi, satis constat. Neminem enim nominare possunt: nam etiam primi Auctores terrenis addicti, & voluptatum sectatores fuere, nihil suprà vulgum in vita habuere; quinimò maximis vitijs fuere obnoxij. Sed de hac re plura inferius dicemus.

Neque his obstat, quòd etiam inter Catholicos multi sint, qui non solùm sanctè non viuunt, sed etiam varijs sceleribus mentem & corpus inquinent. Id enim non faciant concessu vel indulgentia huius Religionis, sed illa prohibente, & supplicia comminante, & promissis auocante, & omni ratione impediente. Itaque illa vitæ prauitas nullo modo in Religionem est referenda, nec eam imperfectã arguit. Cùm enim tria sint, quæ hominem à malo auocare, & ad bonum incitare queant, timor supplicij, spes præmij, & pulchritudo ipsa operis boni; hæc tria excellentissimè proponit, & vsque recolat suis cultoribus Religio Catholica. Itaque nihil omittit eorum quæ ad peccata vitanda, & sanctitatem sectandam incitare possunt. Vnde si aliqui ad eam non aspirant, nostræ Religioni Catholicæ, sed libertati arbitrij, quæ contra omnia illa incitamenta niti potest, est imputandum. Quòd si ipsa timorem supplicij, & spem præmij tollerent, & omnia opera bona peccati labe inquinata statuerent; tunc meritò in ipsam prauæ mortalium vitæ, & neglectus bonorum operum referẽdus esset. Sicut enim qui subtrahit antecides & fulcra quæ ruinam domus impediebant, est causa ruinæ domus: ita qui subtrahit timorem diuinum, seu futuræ vindictæ, quo mortales coercentur ne in peccatorum suorum profundum, est causa ruinarum illarum. Simili modo, qui tollit omne illud quod ad studium bonorum operum incitare solet, est causa neglectus & contemptus bonorum operum.

Ex quibus perspicuum est, neglectum bonorum operum, & prauam vitam, quæ cernitur in quibusdam Catholicis, non esse referendam in eorum religionem, sed in libertatem dumtaxat arbitrij: quæ vesò in Lutheranis, Caluinistis, & alijs nouarum Religionum cultoribus, est ipsa imputandam propriè eorum Religioni, quæ omnia illa quæ malum impedire, & ad bonum excitare solent, è medio tollit: & libertati arbitrij, quatenus huiusmodi Religionem sua sponte delegit, eique inhæret. *Refellitur obiectio.*

Quarta Confideratio, ex miraculis eiusdem.

ILla Religio, in qua plurima miracula omnibus sæculis edita, est præferenda alijs, quæ miraculis sunt destituta. Miracula enim sunt velut sigilla quædam & testimonia diuina, quibus Religio comprobatur. Cùm enim pleraque in Religione sint supra naturam & captum mentis humanæ, non possunt rationibus naturalibus persuaderi; sed opus est quibusdam argumentis supernaturalibus, quibus mentes hominum conuincantur. Hæc autem sunt miracula. At sola Religio Catholica miraculorum gloria fulget: sola ergo est vera religio, omnibus præferenda; vtpote sola à Deo testimonium habens. Quòd autem in illa iam inde à temporibus Apostolorum miracula plurima sæculis singulis sint edita, & etiamnum edantur, omnibus Christianis est persuasissimum, & ex variis historijs, ex Annalibus regnorum, & ex vitis rebusque gestis Sanctorum constat. *Caluinus præfat. in Institut.*

Sed inquiunt aduersarij, hæc miracula non esse vera, sed partim ficta, partim diabolica. Verum si omni spe-

cie

ere probabilitatis esset. Est enim contra iudicium orbis, & tot seculorum. Omnes enim gentes tam inde à tot annorum centenis ex absque vlla dubitatione pro veris miraculis habuere. Quis enim vnquam dubitauit de miraculis Gregorij Thaumaturgi, Antonij Magni, Hilarionis, Martini, Nicolai, Benedicti, Malachiæ, Bernardi, Dominici, Francisci Assisij, Francisci à Paula, Francisci Xauerij vt alios innumeros omittam?

Miracula nõ sic conficta. Præterea non esse conficta multis rationibus conuinci potest. Primo, Quia à grauissimis Auctoribus conscripta sunt. Nam miracula Gregorij, qui idcirco Thaumaturgus (hoc est miraculorum patrator) dictus est, conscripta sunt à Gregorio Nysseno in illius vita, & Basilio libro de Spiritu sancto capitul 29. Antonij, ab Athanasio, & Hieronymo; Martini, à Seuero Sulpitio; Nicolai, à variis Scriptoribus Græcis, Benedicti, a Gregorio Magno, & alijs, Malachiæ, a Bernardo, Bernardi, a diuersis auctoribus grauissimis illius ætatis; Francisci, a Bonauentura; Dominici, ab ijs qui ea a fide digna acceperant; Francisci à Paula recensentur in diplomate canonizationis; Francisci Xauerij, post summam inquisitionem & testes iuratos, comprobata sunt publico testimonio Prouincie Indiæ. Quis credat istos viros sanctitate, doctrina, auctoritate illustres, voluisse in perniciem animæ, & æternum sui nominis probrum, ista confingere, & mundo imponere? Nam mendacium in ijs quæ ad Religionem pertinent, est perniciosum & grauissimum peccatum. Deinde si essent conficta, facilè potuissent conuinci vanitatis ab illius ætui hominibus apud quos scribuntur patrata. At nemo vnquam illa reiecit nisi Paganus, vel Iudæus, vel hæreticus. Accedit, quod plurima ex illis, publicis testimonijs Episcoporum vel Magistratuum, & prævia causæ cognitione sunt confirmata. Denique dicere illa esse conficta, est tollere omnem fidem historiarum, & euertere omnem notitiam superiorum temporum. De omnibus enim gestis antiquis dici poterit esse conficta, cùm nisi ex scriptis auctorum, probari non possint.

Non ipso dia bolica. Pari modo, non esse ope dæmonum perfecta, constat multis modis. Primò, Quia edita à viris sanctissimis, Deoque addictissimis. Quis credat Franciscum, Dominicum, Bernardum, Benedictum, Martinum, & similes commercium cum diabolo habuisse? Deinde, quia opera illa longè diaboli vim superabant. Non enim potest diabolus illuminare cæcos, corrigere claudos, excitare mortuos, subitò roborare paralyticos, fideratà aridaque repentè vegetare membra, & similia, quæ omnem naturæ vim excedunt, præstare. Vnde nec magi talia vnquam ope dæmonum efficere potuere. Talia tamen plurima & pœnè innumerabilia nostri Sancti perfecerunt, idque repentè ex solum contactum, ad signum Crucis, ad breues preces, & sæpè ex solum imperium. Tertiò, Quia ea quæ dæmonum artificio fiunt, vel parum durant, tamquam præstigiæ & delusiones oculorum, vt constat ex ijs quæ faciunt magi: vel si durant, fiunt per causas naturales, earumque vim non excedunt. Deinde illa mortalibus plerumque non sunt vtilia, sed vel noxia, vel inutilia & vana; qualia sunt, ignem descendere de cælo, statuam loqui, & similia, quæ facturus est Antichristus eiusque pseudopropheta nouissimis tẽporibus, vt ex Apocalypsi colligitur: ne adducunt ad emendationem. At miracula Sanctorum habent effectum permanentem & solidum, & mortalibus sunt vtilissima, eosque ad Dei timorem & vitæ emendationem excitant. Quartò, Noua miracula numquam approbata fuere in Ecclesia, nisi prævia magna discussione, examinantur enim testes & plerumque iuburciurando, inspicitur ipsum factum, an naturæ viribus, an ope dæmonum fieri possit; considerantur omnes circumstantiæ, quo modo, quo ordine, qua occasione, quo loco & tempore, quo fine, coram quibus, & circa quos miraculum patratum. Et sæpè non desunt æmuli, qui libenter rem eleuarent, vel suspectam redderent, si possent; & idcirco nihil intentatum aut indiscussum prætermittunt. Itaque impossibile est, diu latere fraudem, si qua subsit: & ad diuinam prouidentiam pertinet, non permittere homines tam misere deludi, præsertim post tantam diligentiam ab illis adhibitam, ad veritatẽ rei indagandam. Quintò, Si miracula Ecclesiæ fiunt à diabolo ad retinendos homines in falsa Religione: cur non facit similia in alijs falsis Religionibus; nimirum inter Turcas, Arrianos, Anabaptistas, Lutheranos, & similes? Cur has omnes miraculis suis destituit, & solam Catholicam illustrat? An forte hæc illi magis est cordi, quàm reliquæ omnes? At non debebat etiam alias negligere, ex quibus illi tam ampli prouentus. Delectatur varietate falsi cultus, vt omnium ingenijs & affectibus accommodet. Itaque cùm sola Religio Catholica miracula habeat, nulla autem Religio falsa; perspicuum id signum est, miracula Ecclesiæ Catholicæ à Diabolo non esse. Denique quænam tubest ratio, cur dicentur conficta, vel dæmonis ope patrata? An quia fieri non poterant? At Deus est omnipotens; & ipse similia multa per Apostolos fecit, vt ex Scripturis constat. An quia Scripturis repugnant? At Dominus aperte promisit hanc miraculorum & sanitatum gratiam, cùm ait: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado, & quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.* Quibus verbis insinuat, semper in Ecclesia gratiam miraculorum futuram; nec solos Apostolos, sed etiam multos Apostolicos & eximiæ sanctitatis viros, pro loco & tempore miracula patraturos. hanc ergo Domini promissionem videmus impleri dum sancti viri miracula faciunt. An quia teste carent? præter Scriptores fide dignissimos, habemus fidem & consensum populorum; habemus in multis testimonia Episcoporum vel Magistratuum, post accuratum rei examen & iuratos testes confecta. Denique plurima publicè in multorum præsentia sunt gesta. Nullæ sunt historiæ antiquæ, (præter eas quæ S. Scriptura continentur) quæ tot ac tantos testes habeant. Accedit quòd singulis ætatibus, immo singulis fere annis, in diuersis locis miracula ingentia per Sanctos cum Christo regnantes, & maximè per beatissimam Virginem fiant: quæ illis locis sunt omnibus manifesta, & ab omnibus cerni oculis, & manibus palpari possunt: quæ etiã post magnam discussionem testibus iuratis & publicis testimonijs sunt confirmata.

Caluinus præfat. in Instit. Sed inquiunt aduersarij: Vera miracula confirmant Euangelium, Marci vltimo. Ista autem euertunt Euangelium & statuunt idololatriam, hoc est cultum reliquiarum & imaginum, inuocationem Sanctorum, Missam, & similia: ergo sunt a diabolo. Verùm hic est manifestum sophisma, quod vocatur Petitio principij. Sumitur enim vt certum id quod erat probandum, & de quo est controuersia. Supponitur enim vt certum & indubitatum, Religionem Catholicam esse falsam; & ex eo colligitur, miracula, quibus illa confirmatur falsa esse & diaboli præstigias. Simili modo Scribæ & Pharisæi supponebant doctrinam Christi falsam esse, & Moysi aduersariam, & inde colligebant miracula ipsius falta esse, & ipsum in Belzebub principe dæmoniorum ejcere dæmonia. *Matth. 12.* Sic quoque Pagani calumniabantur miracula Martyrum, artibus magicis ea tribuentes; & Arriani, Eunomiani, ac Vigilantiani, miracula Catholicorum; vt testatur Victor Vticensis lib. 2. de persecut. Vandal. & Ambrosius sermone de sanctis Gerualio & Prothasio; Hieronymus contra Vigilantium. At nos contra ex veritate miraculorum, quæ ab omnibus perspicuè cognosci, oculis cerni, & manibus palpari potest, colligimus veritatem Religionis Catholicæ, de qua est controuersia. Numquam enim ad confirmationem falsæ doctrinæ miracula facta legimus, qualia Sancti plurima fecerint. Numquam mortui ab hæreticis excitati, aut cæci illuminati, aut claudi erecti, aut paralytici curati, aut dæmones è corporibus hominum fugati. Numquam talia à Luthero, vel Caluino, vel horum sectatoribus perfecta. Tentauit Lutherus aliquando de quadam sua discipula diabolum ejcere, sed periculum adijt, neque aberat carcer; vt scribit *Cochlæus in Actis Lutheri, anno 1532.* Fredericus Staphylus, qui interfuit. Rursus tentauit quendam Nescium in Albi Saxonum quibusdam immurmurationibus in vitam reuocare; sed irrito conatu. Tentauit similiter Caluinus, volens excitare ad vitam eum, qui ipsius fraude se simulabat mortuum; sed eo successu, vt ex viuo fecerit mortuum. Nam iusto Dei iudicio simulatori illi vita subtracta est, cùm illum Caluinus ad vitam reuocare conatur. Historiam luculenté cum suis adiunctis narrat Hieronymus Bolsecus. Quare cùm neque vera neque simulata miracula eis succedant, conantur hoc firmamentum miraculorum, quod sanè potentissimum est, & mentem omnino conuincit, Ecclesiæ Catholicæ subtrahere; *In vita Calu. cap. 13.*

traheret: sed nulla probabilitate, vt ostensum est.

Sicut igitur qui miracula Domini vel Apostolorum cõsiderabunt, & animo tranquillo, semoto odio, alijsque prauis affectibus perpendebant, dubitare non poterant, quin doctrina ipsorum esset à Deo, qui eis tam illustribus signis suffragabatur; ita qui modò, depositò parumper odio & passionibus, diligenter considerant miracula, quæ in Ecclesia à sanctis hominibus, vel adhuc viuentibus vel vita functis, singulis sæculis fiunt, dubitare nequeunt, quin illorum doctrina & Religio à Deo sit, & Ecclesia, cui adhærent, sit vera Dei Ecclesia.

Quinta Consideratio, ex Gentium conuersione.

Isa. & al. Osee 1. Matth. Marci & Luce vlt.

ILla censenda est vera Christi Religio, ac proinde amplectenda, ad quam semper facta est Gentium conuersio. Dominus enim passim in Scripturis hanc Gentiũ ad fidem & verum Dei cultum conuersionem promisit: quę promissio debet impleri. Atqui Religio ad quam Gẽtes omnibus sæculis sunt conuersæ, & etiamnum hoc sæculo conuertũtur, est Religio Catholica & Romana: nullum ergo dubiũ esse debet, quin hæc sit vera Christi Religio.

Quòd autem illa Religio, ad quam semper facta est, & etiamnum fit Gentium cõuersio, sit Religio Catholica & Romana; perspicuum est ex ijs, quæ tum hoc sæculo tum superioribus gesta sunt. Hoc sæculo innumerabiles cõuersi sunt, & assiduè cõuertuntur, in India Orientali, in Iaponia, in maximo Chinarum regno, & in insulis plurimis Indici maris. Similiter in nouo orbe, vbi plurima & amplissima regna. Hi omnes ad Catholicam Religionem transeunt, & Ecclesiæ Romanæ adiunguntur; idque per religiosos viros auctoritate Romani Pontificis ad hoc missos.

Sæculo 14. vnus S. Vincentius Ferrerius ordinis Prædicatorum conuertit ad fidem Catholicam ad vigintiquinque millia, partim Iudæos, partim Saracenos; vt testatur Diuus Antoninus eiusdem ætatis scriptor, 3. pa. Histor. tit. 23. cap. 8 §. 4.

Sæculo 13. plurimi in Tartaria fuere conuersi ad Religionem Catholicam per duos Dominicanos à Summo Pontifice missos, petente id illorum Imperatore, quem Magnum Cam vocant; sicut scribit Paulus Venetus, cuius opera ille Imperator in ea re est vsus.

Sæculo 12. cõuersi fuere Noruegi per Adrianum Quartum, priusquam Pontifex esset, vt scribit Platina in vita Adriani Quarti.

Sæculo 11. conuersi magna ex parte Hungari, & Episcopi illis à Romano Pontifice dati, petente id eorum Rege S. Stephano nuper conuerso: ita scribunt Centuriatores cent. 11. cap. 2.

Sæculo 10. conuersa multa regna opera Henrici 1. Imperatoris, & Adalberti Boemorum & Methodij Moranorum Archipræsulum; vt scribunt Centuriatores centur. 10. cap. 2.

Sæculo 9. conuersi VVandali, Bulgari, Sclaui, Poloni, Dani, Moraui, & Ecclesiæ Romanæ adiuncti; ita cent. 9. capit. 2.

Sæculo 8. conuersa est magna ex parte Germania per S. Bonifacium à Gregorio II. ad hoc missum; centur. 8. capit. 2.

Sæculo 7. conuersi Francones à S. Kiliano, quem ad hoc Romanus Pontifex miserat; cent 7. cap. 2.

Sæculo 6. conuersi ad fidem Angli per monachos a S. Gregorio ad hoc destinatos; cent. 6. cap. 2.

Denique Brabanti, Flandri, Hollandi, Frisij, VVestphali, Franci, & reliquæ gentes vicinæ à quibus conuersi? Nonne à filijs Ecclesiæ Romanæ; nimirum à Seruatio, Eligio, Rumoldo, Amando, Vedasto, Liuino, Remigio, VVillebrordo, Svvitberto, VVulfranno, & alijs, qui omnes Ecclesiæ Romanæ fuere addictissimi? Ex omnibus constat, omnes gentes quæ ex Paganismo vel Iudaismo à mille retrò annis ad Christum conuersæ sunt, conuersas esse ad fidem Catholicam Romanam, & adiunctas Ecclesiæ Romanæ.

Quod etiam præter cetera apertè indicant sacerdotes, altaria, sacrificium Missæ, cultus reliquiarum & imaginum, peregrinationes, inuocatio Sanctorum, monasteria, monachi, obedientia summi Pontificis, & alia Catholicæ Religionis propria, quæ post conuersionem apud omnes illas gentes viguerunt; donec nuperrimè per nouitias illas Religiones fuere sublata. Quis hæc considerans dubitare queat, quin Religio Catholica sit vera Christi Religio? In hac enim videt impleri illam de gentium conuersione diuinam promissionem: ad hanc relictis idolis, relicta vitæ impuritate, vxorum multitudine, morum feritate & barbarie, abdicata pristina viuendi licentia, conuolare tot populos, tot nationes remotissimas, tot regna potentissima; & in ea mansuescere sub iugo Christi, imbibere timorem Dei, formari ad omnem vitæ honestatem, accendi ad contemptum temporalium, & amorem cælestium. Qui fieri potest, vt ea Religio falsa & impia sit, quæ tantam in animis barbarorum efficit mutationem? Denique qui fieri potest, vt diuina prouidentia, tot iam sæculis omnes gentes, cùm idololatriam deserere, veritatem totis animis amplecti, & ad Ecclesiam Christi se aggregare voluerunt, permiserit decipi, & in alios errores funestos nouamque idololatriam impelli, idque per eos, qui in Ecclesia habebantur ab omnibus legitimi ministri; qui sanctitate vitæ, sapientia & miraculis clari? Absit vt de diuina bonitate, eiusque prouidentia, qua saluti hominum consulit, ita sentiamus.

Porrò ad Lutheranam, Caluinisticam, & Anabaptisticam, nulla est vnquam facta Gentium conuersio, nulla Paganorum regnorum accessio; sed eorum dumtaxat, qui Christianum nomen præferentes, pristinæ Religionis & disciplinæ pertæsi, libertatem carnis & nouitatem sectabãtur, defectio: quod est perspicuum hæreseos argumentum. Hæresis enim nihil est aliud quàm Catholicæ doctrinæ corruptio, & Christianorum à pristina Religione, retento nomine Christiano, defectio. Et hæreticorum doctorum studium est, non conuertere Ethnicos, sed peruertere Christianos. Vnde rectè Tertullianus libro de præscriptionibus: *De verbi administratione quid dicam? Cùm hoc sit negotium illis, non Ethnicos conuertendi; sed nostros euertendi: hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus elevationem operentur; quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent. Ita fit vt ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quàm extructiones iacentium ruinarum.*

Sexta Consideratio, ex nomine Catholica, & re ipsa hoc nomine signata.

RVrsus illa Religio censenda est vera Christi Religio; quæ semper habita & dicta fuit Catholica: iuxta illud Symboli Apostolici: *Credo sanctã Ecclesiam Catholicam.* Atqui sola Romana dicta est *Catholica*, eiusque cultores *Catholici*: ergo sola Religio Romana est vera Christi Religio. Hanc solam *Catholicam* nuncupari, & semper ita nuncupatam esse, Primò ex ipso vsu per orbem recepto constat. Vnde etiam sæpè hæretici in suis scriptis illam Catholicam vocant, & eius sectatores Catholicos; nec vnquam vlla secta hoc nomen meruit. Numquam enim vel Marcionitæ, vel Montanistæ, vel Manichęi, vel Donatistę, vel Pelagiani, vel Vigilantiani, vel VValdenses, vel Lutherani, vel Caluinistæ; vel Anabaptistæ Catholici passim vocati sunt, aut eorum doctrina Religio Catholica. Sola Ecclesia Romana, eique adhærens multitudo, Ecclesia Catholica: & huius Ecclesiæ Religio, fides, doctrina, Religio Catholica, fides Catholica, & doctrina Catholica dicitur: & eius sectatores Catholici.

Vide Patricium epist. de nomine Catholicum. & D. Augustinum ca. 4. cont. epistol. fundamenti.

Secundò, Quia Catholicum idem est quod vniuersale, latissimè patens, & ad omnia se extendens. Talis autem est Religio Romana; quia per totum orbem diffusa extendit se ad omnes gentes, & ad omnia regna. Nullum enim regnum, nulla gens nobis cognita, quæ hanc Religionem vel non habeat adhuc, vel aliquando non habuerit, vel modò non incipiat habere. Immo hoc tempore pęnè apud omnes gentes est publica Religionis nostræ professio. Nimirum apud Iapones, Chinas, Indos, Persas, Tartaros, Turcas, Afros, Brasilios, Perianos, Mexicanos, &c. Omnibus enim his locis reperiuntur Catholici, reperiuntur templa, altaria, imagines Christi & Sãctorum: celebra-

Catholica ad omnes nationes se extendit.

ne Miſſa, adminiſtrantur noſtra Sacramenta, ſeruantur feſta & ieunia; denique ſeruatur publicè Religio Romana. Cui dubium eſſe poſſit, eam eſſe veram Religionem, & veram ſalutis viam, quam Dominus omnibus regnis proponi & prædari voluit; quam in omnibus regnis tempore congruo creſcere, & fructificare fecit; & quam etiammum vbique aliquo modo conſeruat; efficiens vt Catholici per totum orbem ſint diſperſi, vt infideles per illos ad veræ Religionis notitiam peruenire poſſint.

Ad omnia tempora.

Extendit etiam ſe ad omnia tempora, quæ quidem ab Apoſtolorum ætate fluxere. Nulla enim ætas, nullum ſæculum eo tempore aſſignari poteſt, quo hæc Religio nó fuerit. Omnibus ſæculis celebrata Miſſa pro viuis & defunctis, celebrata feſta; ſeruata ieunia, frequentata vota monaſtica, inuocati Sancti, honoratæ Sanctorum reliquiæ, & alia noſtræ Religioni propria in vſu fuere; vt ex omnium ætatum ſcriptoribus conſtat.

Nulla ſecta vocata præſtim Religio Catholica. Nulla diffuſa toto orbe. Ad Rom. 10 & ad Col. 1.

E contrario ſi ſectas omnes conſideremus, nulla ex his vnquam *Catholica* Religio nuncupata eſt, aut ſectatores eaſum *Catholici*, vt dictum eſt: ſed à ſuis auctoribus nomé acceperé; vt Simoniani, Valentiniani, Pelagiani, Lutherani, Caluiniſtæ, &c. Nulla toto orbe diffuſa eſt. Olim cùm Religio Catholica mundo illuxit, breui tempore per totũ orbem diffuſa eſt, & in omnibus pœnè regnis fructificare & creſcere cœpit, vt ex Apoſtolo conſtat. At Religio Lutherana, Caluiniſtica, & Anabaptiſtica, iam poſt 70. vel 80. annos angulis adhuc finibus continentur, & magis deficiunt in alias ſectas abeundo, vel ad Catholicam Religionem redeundo, quàm proficiunt. Nulla etiam ex his tam inde à temporibus Apoſtolorum duranit, ſed omnes à 70. vel 80. annis ingentæ ſunt. Ieaque neque ratione temporis, neque ratione locorum, neque ratione nationum Catholicæ dici poſſunt. Adde, Catholicam Religionem vnicam eſſe, & eamdem vbique. At illæ Religiones ſunt inter ſe diuerſæ admodum, & in primarijs capitibus diſcrepantes; & altera alteram hæreſeos damnat. Quomodo ergo Catholicæ dici poſſunt?

Septima Conſideratio, ex Succeſſione.

PRæterea illa Religio vera Chriſti Religio cenſenda eſt, cuius miniſtri omnes ab Apoſtolis deſcendunt, ſuntque Apoſtolorum ſucceſſores, vel ab eorum ſucceſſoribus ordinationem & auctoritatem acceperunt. Hac enim ratione conſtabit, Religionem illam, & Eccleſiam quæ illam Religionem colit, Apoſtolicam eſſe. Atqui talis eſt Religio Catholica: ergo, &c.

Miniſtros omnes Catholicæ Religionis ab Apoſtolis deſcendere, ſine poteſtatem Ordinis ſpectes, ſiue Iuriſdictionis, perſpicuum eſt. Omnes enim inferiores miniſtri, præſertim Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, ordinantur ab Epiſcopis. Epiſcopi ſuum Ordinem ab alijs Epiſcopis acceperunt: & hi rurſus ab alijs, & ſic deinceps ſurſum verſus vſque ad Apoſtolos; qui hanc poteſtatem proximè à Chriſto accepere. Sicut ergo omnes homines, ſecundùm vitam & potentiam naturalem, longo generationum tractu deſcendunt ab Adamo: ita omnes Eccleſiæ miniſtri, ſecundùm poteſtatem ſupernaturalem, longa ordinat onum & ſanctificationum ſerie deſcendunt à Chriſto Domino, qui eſt ſecundus Adam. Nullus itaque eſt miniſter in Eccleſia, qui poteſtatem ſuam qua conſecrat, qua ſacrificat, qua abſoluit à peccatis, & alia Sacramenta conficit, & populum Chriſtianum ſanctificat, non poſſit ad Chriſtum tamquam primum fontem & auctorem reducere. Vnde etiam omnia illa opera, quæ per hanc poteſtatem perficit, tribuuntur Chriſto tamquam primario auctori, qui hanc poteſtatem inſtituit, eique inuiſibiliter præſidet & aſſiſtit: cuius homo ſolùm eſt inſtrumentum, per quod ipſe omnia illa facit; vt optimè D. Auguſtinus & alij Patres docent.

Tract 5. in Ioan Chry. hom. 60. ad populum. Ambr. lib. 4. de Sacr. mẽ. tit. c. 4. & 5.

Pari modo omnis poteſtas Iuriſdictionis miniſtrorum, qua populum Chriſtianum regere, verbum Dei prædicare, & omnia munia paſtoralia obire poſſunt, à Chriſto deſcendit, & ad ipſum perſpicuè reduci poteſt. Parochi enim habét ſuam iuriſdictionem ab Epiſcopis, Epiſcopi a Summo Pontifice, Summus Pontifex, cùm B. Petri in eamdem cathedram & in idem munus regendæ Eccleſiæ Catholicæ ſit ſucceſſor, neceſſariò quoque ſuccedit in eamdem Iuriſdictionem, quæ immediatè à Domino, beato Petro, & in ipſo omnibus eius legitimis ſucceſſoribus collata eſt. Qui autem in Eccleſia non habent poteſtatem ordinariam, ſed delegatam tantùm, eam a Parochis, vel Epiſcopis, vel Summo Pontifice acceperunt. Itaque nullius eſt miniſterij in Eccleſia Catholica, nullus concionator verbi Dei, aut Catechiſta, qui ſuam miſſionem perſpicuè oſtendere non poſſit, & demonſtrare eam a Chriſto deriuari. Et ſanè niſi id poſſent, non eſſent vllo modo audiendi, ſed ſuſpecti habendi tamquam lupi, cùm non per oſtium in ouile intrent, ſed aliunde occulte irrepant.

a Irenæus li. 3 c. 3. Tertull. de præſcripe. Auguſt. Epiſt. 165. Optatus libr. 2. cõt. Parm. b Cap. 4. contra Epiſt. fundam.

Hoc argumentum ſemper maximi fecere a Patres antiqui, ad omnes hæreſes conuincendas. Nam per illud oſtendebant continuatio Religionis noſtræ per ſingula ſæcula, vſque ad tempora Apoſtolorum. *Tenet me*, inquit b S. Auguſtinus, *in Eccleſia, ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatũ ſucceſſio Sacerdotum.* His ſimilia D. Hieronymus dialogo contra Luciferianos, quæ mox dabo.

Nullus ex Nouarum Religionum miniſtris id oſtendere poterit. Et quidem poteſtatem Ordinis, qua Sacramenta conficiant, & populum ſanctificent, ad Apoſtolos & Chriſtum reducere nequeunt: quia omnem illam ſuſtulerunt. Nec vllus inter eos eſt aut Epiſcopali aut Sacerdotali ordine ſeu gradu inſignitus (qui forte Apoſtata à Religione Catholica, cui gradus ille ad nihil amplius apud eos ſeruit) cùm tamen Chriſti Eccleſia ſemper hos gradus habuerit, & ab illis gubernata fuerit. Similiter nec poteſtatem Iuriſdictionis, qua verbum Dei tamquam veri paſtores prædicent, Baptiſmum adminiſtrent, & populum in ſpiritalibus cultuque diuino regant. Quæro enim à quo Lutherus, à quo Caluinus hanc poteſtatem habuit? A quo miſſus eſt vterque ad prædicandum nouum Euangelium, & populũ reformandum? Non enim fuerunt miſſi ab Ordinarijs Eccleſiæ Paſtoribus, vt ſatis conſtat: ex ſe ergo venerunt, à nullo miſſi. At quod poteſt eſſe certius ſignum non eſſe audiendos, ſed cauendos? c *Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur?* d *Qui enim non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro: qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium.* Per *oſtium* non intrant, quicumque abſque ordinaria vel legitima auctoritate officiũ paſtoris vſurpãt.

c Ad Rom. 10.
d Ioan. 10.

Sed fortè dicent ſe à Chriſto miſſos, & auctoritatem reformandi Eccleſiam accepiſſe. Verùm non ſatis eſt id dicere; omnes enim hæreſiarchæ id de ſe affirmant. Vnde oportet vt proferant patentes, quibus fidem faciant, & nos conuincant ſe a Chriſto miſſos eſſe; ſicut Apoſtoli maximis miraculis ſuam miſſionem confirmabant. Alioquin non debebimus eorum reformationem acceptare: imo tenebimur eos tamquam impoſtores reijcere. Deinde quomodo miſſi à Chriſto, cùm tam diuerſa & inter ſe pugnantia tradant? Si Lutherus miſſus à Chriſto, non poteſt ab eodem miſſus eſſe Caluinus, qui eius doctrinam in multis labefactet, & tamquam hæreticam damnat. Et è contrario, ſi Caluinus à Chriſto miſſus, nó poteſt ab eodem miſſus eſſe Lutherus. Deus enim ſibi non eſt contrarius, neque ſpiritus Prophetarum ſe mutuò deſtruunt. Omitto alia, quæ in hanc ſententiam dici poſſent.

Sectarij non à Chriſto miſſi.

Octaua Conſideratio, ex conſenſu Doctorum Veterum & controuerſiarum deciſione: & quia extrà nulla ſoliditas.

ILla Religio eſt Chriſto imputanda, & ceteris omnibus præferenda, in qua eſt ſumma Doctorum omnis ætatis & regionis circa fidei capita conſenſio, in qua controuerſiarum omnium facilis terminatio; a qua ſi receſſeris nihil certi habeas, quò te conferas. Atqui talis eſt ſola Religio Catholica: ergo hæc ſola eſt vera Chriſti Religio.

Ac primùm de conſenſione DD. circa capita noſtræ Religionis, conſtat ex eorum ſcriptis. Quotquot enim antiqui Doctores ſcripſerunt in Græcia, in Aſia, in Ægypto, in Africa, in Hiſpania, in Italia, in Gallia, in Germania, in Anglia de myſterijs noſtræ Religionis, omnes conſentiunt circa libertatem arbitrij, circa merita bonorum operum, circa ſacrificiũ Miſſę pro viuis & defunctis, circa vota monaſtica, ieunia, feſta, inuocationem Sanctorum, & ſimilia, quæ à nouis illis Religionibus improbantur; nec diffitentur

Caluinus li. 2. c. 2. 3. 14. & 16. lib. 3. c. 4. & 5. lib. 4. c. 2. 12. Centuriatores cent. 2. 3. 4. 5. c. 4.

tur Lutherani & Caluiniſtæ. Sed dicunt illos eſſe nouos antiquorum, iam ad ſuperſtitionem & humanas traditiones inclinantium. Vnde ipſi ad verbum Dei prouocant, ipſorum nempe ſenſu intellectum. Verum, quàm hoc eſt improbabile, veteres omnes, tam diuerſis locis de iiſdem rebus ſcribentes tanto conſenſu, potuiſſe errare? Conſenſus enim plurimorum, præſertim qui ante inter ſe nõ communicarunt, in idem dogma, eſt maximum ſignum veritatis, mentes diuinitus illuſtratas ad ſe trahentis, & in vnitatem colligentis. Veritatis enim, cum vnica ſit, eſt congregare in conſenſum; falſitatis, quia multiplex, diſſipare in varias ſententias & errores. Vnde hæretici diuerſis locis de eadem re ſcribentes vix vnquam conſentiunt, ſed in plurimas ſententias diſtrahuntur; quia ſemel à veritate receſſerunt. Deinde nullũ eſt dogma Religionis Catholicæ, de quo oſtendi poſſit, eſſe de nouo introductum ab aliquo in Eccleſia: quod eſt ſignum manifeſtum, illud ſemper in Eccleſia exiſtiſſe, & ab Apoſtolis deſcendere. Si enim de nouo poſt Apoſtolos contra doctrinam Apoſtolicam eſſet introductum, oſtendi poſſet quo ſæculo, qua ætate id factum eſſet, quo loco & auctore, quinam ſe huic nouo dogmati oppoſuerint. Nullum enim nouum dogma ſine magna commotione & contradictione introduci poteſt. Sic enim de ſingulis hæreſibus oſtendere poſſumus, quo tempore & loco, & quo auctore introductæ primùm ſint; quinam ſe illis oppoſuerint: quas commotiones concitarint; denique à quo Pontifice & Concilio ſint cõdemnatæ. Quòd ſi de ſingulis hæreſibus id oſtendi poteſt, quanto magis id oſtendi poſſet de maximis Religionis capitibus, ſi aliqua innouatio in illis eſſet facta? Perſpicuum igitur eſt, Religionem Catholicã noſtram, nõ ſolum miniſtrorum ſucceſſione, ſed etiam doctrinæ conſanguinitate, vt Tertullianus loquitur, cum antiqua & Apoſtolica congruere, & continuari.

Quòd autem nouarum Religionum dogmata cum veteribus non conſentiant, & ipſimet ſatis fatentur; cum in ſupradictis capitibus veteres reprehendant ſuperſtitionis, & aſſirment eos aberrore exulari non poſſe; & infra fuſius oſtendemus.

Controuerſia facile in eccleſia Catholica ſopiũtur. Iudex controuerſiarum.

Secundò. De controuerſijs quæ in Eccleſia interdũ ſuboriuntur, has facilè expediri teſtatur perpetuus Eccleſiæ vſus. Habet enim Eccleſia Catholica infallibilem iudicem controuerſiarum, ſummum Pontificem cum Concilio; quo iudice hactenus facilè omnes controuerſiæ diremptæ: omnes hæreſes variis ſæculis exortæ ſunt profligatæ, & populus Catholicus in vna fide, in vna Religione & doctrina per totum orbem retẽtus. Hoc modo damnata hæreſis Ariana per Nicenam ſynodum ſub Syluestro: Macedoniana per Cõſtantinopolitanam primam ſub Damaſo: Neſtoriana per Epheſinam ſub Cæleſtino: Eutychiana per Chalcedonenſem ſub Leone I. Iconomachorum à Nicena ſecũda ſub Adriano I. Et vt alias omittam, Berengariana de Euchariſtia per ſynodum Romanam & Vercellenſem ſub Leone IX. per Turonenſem ſub Victore II. per Romanam ſub Nicolao II. denique per aliam Romanam ſub Gregorio VII.

Omnis enim ratio poſtulat vt cauſa Religionis, cum ſit cõmunis toti Eccleſiæ, non iudicetur à priuatis; qui nullam in Eccleſia dignitatem obtinent: ſed ab ipſo vniuerſalis Eccleſiæ paſtore, vnà cum alijs particularium præſulibus, quibus regimen Eccleſiæ eſt commiſſum, & ipſam Eccleſiam vniuerſalem, vt capita, vniti repræſentant. Sic controuerſiæ de legibus & priuilegijs regni, non ab alio quàm à Rege, & Regni primoribus, qui totum Regnum repræſentant, ſunt decidendæ. Quorum enim eſt regere aliquam communitatem, ſiue in temporalibus, ſiue in ſpiritalibus, eorundem eſt ſopire lites, & controuerſias circa materiam proprij regiminis incidentes decidere, omni in poſterũ contradictione ſublata. Et ſanè niſi Eccleſia hanc poteſtatẽ haberet, valdè eſſet imperfecta & mutilè inſtituta, & miſerabilior quouis regno tẽporali, quauis republica politica. Nullus enim vmquam contentionum de maximis fidei capitibus eſſet finis, nullus diſſenſionum & cõtradictionum terminus; & neceſſariò breui illam in mille ſectas oporteret diſcindi: ſicut hæreticorum conuenticulis cernere videmus.

Nihil certi extra Catholicam.

Hinc fit vt in Eccleſia Catholica omnia fidei capita ſint certa & definita, nullaque circa ea fiat variatio, & ſummus in illa ſit omnium conſenſus. Ex quibus conſequens eſt certum, ſi à Catholica Religione receſſeris, nihil certi reſtare quò te conferas, cuique tuto ſalutem tuam poſſis commit-

tere. Quam enim Religionem in tanta varietate capeſſas? An Lutheranam? Cur non Caluiniſticam, aut Anabaptiſticam? Cur Lutheranam ceteris præfers? Non enim minus Caluiniſtæ & Anabaptiſtæ Scripturam ate ſtare affirmat, quàm Lutherani. Rurſus, ſi Lutheranam amplecti velis, vtram quæſo eliges, Mollem an Rigidam? Puram illam quam tradidit propheta Germanicus Lutherus; an eam quam Philippus Melanchthon interpolauit? Sed & hæc multiplex eſt: nam ſæpius Augustana confeſſio eſt mutata. Si Caluiniſticam: cur non Lutheranam, cùm Lutherus ſit omnium parens, & primus orbi hanc lucem noui Euangelij extulerit? Rurſus, ſi Caluiniſticam, vtram tandem, Puritanam an Proteſtantium? Hæ enim non parum diſſident, vt Angli probè norunt. Omitto plurimas differentias, in quas ſingulæ hæ ſectæ ſunt diſſectæ; ſicut & Anabaptiſtæ. Nulla ſubeſt ratio ſolida, cur vnam ex his, ceteris omnibus vt certam præferas. Omnes enim æquè fortiter affirmant, verbum Dei à ſe ſtare, ſe ſpiritum Dei habere, Scripturæ ſenſum pro ſua doctrina eſſe perſpicuum: contraria omnia falſa eſſe, & Scripturis manifeſtis aduerſari. Nec aliter id probant, quàm hoc eſſe manifeſtum habenti ſpiritum. Itaque omnes eandem ſuæ doctrinæ rationem afferunt, eodemque fundamento nituntur. Omnes ergo amplecti oportet, vel nullam.

Longè aliter Religio Catholica ſua dogmata probat: nimirum ex S. Scriptora ſecundùm intellectum communem Patrum expoſita, ex omnium ſæculorum Doctoribus, ex ſanctitate, miraculis, ſpiritu prophetico eorum, qui hanc Religionem coluerunt: ex conſtantia & vniformitate doctrinæ per tot ætates, ex puritate vitæ, quàm hæc doctrina induxit, ex Gentium ad hanc doctrinam conuerſione, &c.

Nona conſideratio, ex varijs cauſis ob quas nouæ ſint ſuſpectæ, & declinandæ.

OMnes aliæ Religiones præter Catholicam, & nominatim Lutherana, Caluiniana, & Anabaptiſtica (de quibus hic nobis potiſſimum eſt ſermo) merito ſuſpectæ haberi debent, & tanquam ſectæ hæreticæ ſunt repudiandæ, ob multas cauſas, quas hic breuiter commemorabo & expendam.

TERTIA RATIO, *Ex nouitate.*

OMnis nouitas & καινοτομία, vt Gregorius Nazianzenus loquitur, in omni Republica, ſed maximè in negotio Religionis vitanda. Religio Chriſtiana eſt res antiqua, ſolida, immutabilis, duratura vſque ad finem ſæculi. Eſt enim Eccleſiæ Chriſti forma, vigor, & veluti anima. Nam ſicut per animam caro animatur in hominem viuentem: ita per Religionem cœtus hominum, qui alioquin per ſe totus eſt caro, formatur in Chriſti Eccleſiam, in ſpiritale regnum. Sicut ergo Eccleſia & regnum Chriſti eſt res antiqua & inexterminabilis, aduerſus quam portæ inferorum non præualebunt, & cui Chriſtus promiſit ſe adfuturum vſque ad conſummationem ſæculi: ita etiam Religio, per quam Eccleſia & regnum Chriſti ſubſiſtit. Nouitas ergo repugnat Chriſti Religioni. *Matth. 16.* *Matth. vlt.*

Nouas autem eſſe illas Religiones, conſtat Primò, Quia poſſumus aſſignare earum primos auctores, & locum, & tempus, & modum quo ſunt introductæ, & oſtendere quinam ſe illis oppoſuerint; quantæ propter illas vbique commotiones & turbæ ſint excitatæ: denique quomodo & à quibus damnatæ. At quæ poſſunt eſſe clariora ſigna nouitatis? Eodem modo omnes hæreſes nouitatis contra doctrinam Apoſtolicam introductæ conuincuntur: quia de ſingulis oſtendere poſſumus, quo tempore inceperint, quo loco, quo auctore, quibus ſe opponentibus, & à quibus condemnatæ.

Secundò, Ante annum Domini 1517. Religio Lutherana non erat in mundo; ſimiliter nec Caluiniana, nec Anabaptiſtica, quæ duæ ſunt ſoboles Lutheranæ. Conſtat enim ex Scriptoribus, eo tempore quo Lutherus caput extulit, præter Iudaicam, Mahometicam, & Paganam, nouã fuiſſe niſi Catholicam & Huſſiticam.

Tertiò, Si dicas illarum aliquam, v g. Lutheranam, semper fuisse, sed latuisse; peto in quo loco fuerit, in quibus regnis & oppidis: qui fuerint eius defensores? Deinde, vnde nobis, illam antea extitisse; cum id non nisi ex Scriptoribus constare possit, qui nihil tale insinuant, sed contrarium. Præterea cum vbique fuerint Inquisitores hæreticæ pravitatis, quo pacto ita latere potuit hæc Religio per tot centurias annorum, vt numquam detegeretur: numquam aliquis eius sectator incideret in illorum manus & caligaretur? Numquam aliqua secta hæretica ita se occulere potuit, quin sæpius deprehenderetur, & in examen ac quæstionem publicè vocaretur. Ad hæc, si ante Lutherum illa Religio erat in mundo, quomodo eius cultores, qui hactenus latuerant, Luthero prædicante nõ se prodiderunt, agnoscentes suæ fidei Doctorem, & suæ Religionis confessionem? Quomodo tunc non emerserunt in publicum, complectentes socium & patronum, qui Religionem ipsorum iam ante oppressam vindicabat in libertatem? At nulli tales comparuerunt, qui iam ante illa Religione essent imbuti; sed omnes qui Luthero se adiunxere, antea Catholicam Religionem fuerant professi: sicut & ipse Lutherus antea Catholicus & monachus fuerat, & Missas per 15. annos celebrarat serio & deuote, vt ipsemet fatetur.

Lib. de Miss. angulari, & lib. 2. contra Sacramentarios.

Sed obijciunt aliqui, tempore Eliæ Ecclesiam Dei fuisse occultam, adeo vt Elias putaret se solum relictum fidelem: vt patet 3. Reg. 19. & ad Rom. 11. Cum enim Elias dixisset Domino: *Altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, & ego derelictus sum solus, & quærunt animam meam.* responsum ei à Domino: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Simili ergo modo fieri potuit, vt Ecclesia Lutherana, vel Caluinistica, olim ratione persecutionis fuerit occulta.

Respondeo Primò, Si solum ageretur de exiguo aliquo tempore, quo sæuit persecutio (sicut tempore Iesabel in Samaria) aliquid fortasse hæc obiectio coloris haberet: verum vt tot sæculis occulta manserit, nulla ratione fieri potuit: neque vllum huius rei in tota antiquitate potest adferri exemplum. Nulla enim potest esse tanta hypocrisis, tantum artificium simulandi, & tegendi sensa animi in causa Religionis, in aliquo notabili hominum cœtu, quin successu temporis detegatur. Vnde Religio Christiana quocumque penetrauit inter Ethnicos, non diu latuit, sed mox se aperuit, quantumuis magna impenderentur pericula. Pari modo detectæ hæreses & hæretici, quantumuis niterentur suam fidem occultare; vt patet in Pelagianis, Manichæis, & alijs.

Secundò, Etiamsi concedamus pro aliquo tempore veram Dei Ecclesiam in Samaria fuisse occultam ob persecutionem Iesabelis: absolutè tamen, & vniuersè occulta non fuit. In Iuda enim publicè verus Deus legitimè colebatur. Ibi erat templum Domini, & veri sacerdotes, & publica sacrificia, & concursus fidelium, & verbi diuini sincera expositio. Mirum non est in aliquo particulari loco, vel regione quapiam, Ecclesiam ad tempus aliquod occultari; id enim quotidianum est: sed vt absolute, & toto orbe occulta sit, fieri non potest; cum lex *Ciuitas supra montem posita*, *Isaiæ 2.* vt omnes gentes eam videant, & ad eam accurrant, iuxta vaticinium Isaiæ: *Venite & ascendamus ad montem Domini*, &c. Immo etiam in locis, quibus subinde causa persecutionis ad tempus se occultat, numquam ita latet, quin multis indicijs se prodat, & famam sui excitet, etiamsi asperrima vigeat persecutio. Nemo nescit in Anglia plurimos esse Sacerdotes, etiamsi studiosissimè in eos inquiratur. At quæ vnquam fama, quæ suspicio, quis sermo ante Lutherum fuit de Religione Lutherana, vel Caluinistica? Nullus historicus, nullus scriptor vel talis religionis, vel aliquorum qui tale doctrinæ corpus tenuerint, meminit. Mera ergo desperatio est, ad hoc præsidium occultationis confugere.

Ex quibus luce meridiana clarius est, Lutheri Religionem nouam omnino esse, & ante illius tempora mundo incognitam: neque vllum hominum cœtum, aut etiam fortè personam particularem ante illum extitisse, qui eandem Religionẽ, hoc est, eadem fidei capita omnia, eadem corpus doctrinæ fidei tenuerit. Etsi enim aliqua dogmata à veteribus hæreticis acceperit, non tamen idcirco eadem est Religio Lutherana & veterum hæreticorum, nisi secundum partem. Nam Religio est complexio omnium capitum, quæ ad fidem pertinere statuuntur. At nemo ante ipsum eadem dogmatum complexionem docuit.

Idem conuincitur alia ratione. Nam constat, veteres Patres & Doctores, qui singulis sæculis floruerunt, Lutheranæ Religionis non fuisse. Confitentur enim libertatem arbitrij; & necessitatem bonorum operum, & merita vitæ æternæ, & legis diuinæ possibilitatem: probant inuocationẽ Sanctorum, cultum reliquiarum & imaginum, sacrificium Missæ pro viuis & defunctis, ordinationem ministrorum, votorum monasticorum Euangelica consilia, Quadragesimalis ieiunij vsum, & similia; quæ illa Religio tanquam superstitiosa, Deo inuriosa & impia reijcit. Quòd autem veteres omnia illa fateantur & probẽt, perspicuum est ex eorum scriptis, nec ipsi Lutherani & Caluinistæ negare possunt: sed dicunt hæc esse veterum nævos. Pulchri tanæ nævi, superstitio, idololatria, impietas. Quòd si superiorum sæculorum Doctores hanc Religionem non tenuerunt, sed eius placita passim improbarunt, perspicuum est eam non esse antiquam, sed nouam. Nam in Ecclesia non fuit aliqua Religio habita pro vera Christi Religione, præter eam quã Patres & Ecclesiæ Doctores tenuerunt.

Ex his clarè sequitur, Lutheranam Religionem non esse Religionem Christi. Christi enim Religio nõ est nova, sed antiqua: at Lutheri Religio est nova, vt ostensum est, non antiqua Christi Religio iam inde à temporibus Apostolorum semper fuit in mundo: at Lutheri Religio non semper fuit, sed cœpit iam ab annis 90. Ante annos 90 non erat, vt ostensum est. Rursus; Si Lutheri Religio est vera Christi Religio, cœtus hominum eam tenentium est vera Christi Ecclesia; ergo Christi Ecclesia ante Lutherum non fuit: quia nec Religio Lutherana, quæ Ecclesiam constituit, ante Lutherum fuit, vt ostensum est. Si dicas eam fuisse temporibus Apostolorum, & prioribus aliquot sæculis; probãdum tibi est, aliquos tunc fuisse, qui illam dogmatum complexionem tenuerint. Nos certè contrarium facilè probamus. Nam cõstat, sacrificium Missæ pro viuis & defunctis, ordinationes ministrorum, vota monastica, & similia quæ Lutheranæ Religioni repugnant, temporibus Apostolorum & proximis sæculis in Ecclesia fuisse.

Deinde, Esto, temporibus Apostolorum, & aliquamdiu postea fuerit, tamen tertio saltem & quarto sæculo cœpit omnino deficere. Quod etiam ipsi Lutherani Doctores fatentur, vt patet ex opere centuriarum ab ipsis edito, centuria 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. cap. 4. Ergo saltem per 1300. annos Ecclesia Christi collapta est & intercidit. Nam ad minimum tam diu constat Lutheranam Religionem non fuisse, sed huic planè contrariam viguisse. Extincta itaque fuit tot sæculis vera Religio, obscuratum Euangelium, eversa Christi Ecclesia: donec Propheta Germanicus Lutherus emersit, qui tantas tenebras depelleret, orbi lucẽ Euangelij inferret, & Ecclesiæ ruinas instauraret. Indicant hoc passim Lutherani in quibusdam Germaniæ oppidis, cum prægrandibus litteris in frontispicijs domorum scribunt in hæc vel similia verba: *Anno tali illuxit hunc orbi lumen verum Euangelij Christi, superstitione depulsa*, &c. At si Ecclesia Christi tot sæculis intercidit; quomodo verum est, ipsam ædificatam esse supra petram, & non potius super arenam? Quomodo [a] portæ inferi aduersus eam non [b] præualuere? Quomodo ipsa est domus Dei, [c] firmamẽtum & columna veritatis? Quomodo [d] regnum Christi (quod est Ecclesia) est stabile, firmum, æternum, quod numquam dissipabitur?

a *Matth. 16.*
b *1. Tim. 3.*
c *Daniel. 2.*

Si dicas, Ecclesiam & Religionem Lutheranam omnibus retrò sæculis vsq; ad Apostolorum tempora fuisse, sed occultam; præterquam quod id absque auctore assertus, omni probabilitate caret, vt ostensum est. Sed demitis, occultam fuisse: ergo illa non erat Ecclesia Christi. Hæc enim est [d] ciuitas supra montem posita, quæ abscondi non potest: hæc est [e] mons domus Domini præparatus in vertice montium, & elevatus super colles, omnibus conspicuus, ad quem fluent omnes gentes: *hæc est regnum Christi dilatatum à [f] mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ*: hæc est [g] mons ille magnus, replens vniuersam terram. Ecclesia enim Christi mundo debet esse cõspicua, tum vt suo cultu & decore, suisque moribus, & externa specie gentes ad se alliciat; tum vt qui volunt fieri Christiani, sciant quò se debeant conferre, quos adire, à quibus

Ecclesia Christi non potest esse occulta.
d *Matth. 5.*
e *Isaiæ 2.*
f *Psalm. 71.*
g *Daniel. 2.*

bus inſtructionem petere. Similiter eius doctrina & fides manifeſta eſſet debet; alioquin mũdo eſſet inutilis, nec poſſet gentes conuertere. Vnde etiam in maximis perſecutionibus numquam ita latuit, quin paſſim cognoſceretur; vt ex hiſtorijs Eccleſiaſticis conſtat hinc tanta Martyrũ multitudo. Deinde ſi tot ſæculis latuit, indigna prorſus fuit hoc nomine. Quomodo enim dici poteſt Eccleſia Chriſti, quæ Chriſti ſinceram doctrinam non audet confiteri? quæ tam puſilli eſt animi, & ita mortem timet, vt ſe abdat in tenebras, & tot ſæculis non audeat prodire in lucem? Denique quæ tot ſæculis non tolùm ſe occuluit, & ſinceram fidei profeſſionem ſuppreſſit, ſed etiam profeſſa eſt fidem falſam, nempe Papiſticam, adorauit idola, contaminauit ſe mille ſuperſtitionibus & ſacrilegijs? Nam ante Lutherum omnes Chriſtiani exteriùs in omnibus gerere ſe debebant vt Catholici: alioquin mox ab Inquiſitoribus & Epiſcopis deprehenſi fuiſſent, & tamquam hæretici puniti. Miſerabilior itaque & deformior fuiſſet Eccleſia Chriſti ruinis ſynagogæ, ſeu ſecta Iudaica, quæ ſemper ſuas ſynagogas, & liberam ſuæ Religionis profeſſionem quibuſdam locis habuit; nec coacta eſt, falcem generatim, ad idolorum cultum; Miſerabilior & deterior ſectis omnibus hæreticis. Nulla enim vnquam ſecta fuit alicuius nominis, quę non ſua templa, vel domos religioſas, ſuos conuentus, ſuos Epiſcopos, ſuæ Religionis formam & profeſſionem habuerit, ita vt paſſim cognoſci poſſet.

Ex his perſpicuum eſt, nihil abſurdius dici poſſe, quàm Eccleſiam Chriſti tot ſæculis latuiſſe. Itaque concludo hoc dilemmate: Vel Religio Lutherana & Calumniatica ante ſuos auctores extitit, vel non extitit: ſi non extitit, ergo eſt planè nouitia; ac proinde non poteſt eſſe Religio Chriſti, quæ eſt antiqua: ſi extitit, ergo fuit occulta; ac proinde non potuit eſſe Chriſti Religio, quæ ſæpe fuit manifeſta. Quæ de Lutherana Religione in illo diſcurſu dicta & probata ſunt, eadem probata intelligo de Calumniatica & Anabaptiſtica. Nam eadem harum trium eſt nouitas, eadem ratio: ſed claritatis cauſa, & ne ſæpiùs tria illa nomina faſtidioſè repetantur, vnam tantùm nominauimus.

Dialogo contra Luciferi. in fine.

Concludo itaque verbis ſancti Hieronymi, qui ſic ſcribit: *Breuia tibi aperiamq; animi mei ſententiam proferam; in illa Eccleſia eſſe permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad diem hunc durat. Si ubi audieris eos qui dicuntur Chriſti, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed quopiam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campitas, ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. Ex hoc enim ipſo, quòd poſtrèmi inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiauit. Nec ſibi blandiantur ſe de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare quod dicunt: cùm & diabolus de Scripturis aliquid ſit locutus; & Scripturæ non in legendo conſiſtunt, ſed in intelligendo.* Nouitas itaque eſt ſignum hæreſeos ab Apoſtolo prænuntiatæ: appellatio, ſignum nouitatis; vſurpatio Scripturæ diabolo & omnibus hæreſibus communis.

SECVNDA RATIO,
Ex defectu ſucceſſionis.

Carent ſucceſſione.

ALtera Ratio, cur illæ Religiones non ſint probandæ, eſt, quia carent ſucceſſione miniſtrorum ab Apoſtolis continuato ordine deducta: quæ ſucceſſio eſt neceſſaria vt aliqua Religio vel Eccleſiæ cenſeatur Apoſtolica. Nam ſine hac ſucceſſione nõ poteſt cum Apoſtolica continuari. Vnde paſſi docent Patres, eos qui apud ſe veram Chriſti Eccleſiam eſſe dicunt, debere ſucceſſionem ſuorum Epiſcoporum oſtendere, eamque ſurſum verſus vſque ad Apoſtolum aliquem continuata ſerie reducere. Quòd ſi non poſſunt efficere clarè conuinci veram Chriſti Eccleſiam apud eos non eſſe. Sic Optatus Mileuitanus libro 2. contra Parmenianum, volens conuincere Donatiſtas, apud eos Eccleſiam non eſſe, ait: *Veſtra cathedra originem oſtendat, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Tertullianus de præſcription. aduerſus hæreticos: *Cedant hæreſes origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit auctorem & antecceſſorem.* Eodem argumento vtuntur paſſim alij Patres, a Irenæus, b Epiphanius, c Hieronymus, d Auguſtin. &c.

a *Lib. 3. c. 3.*
b *Hereſ 27.*
c *Contra Luciferianos.*
d *Cap. 4. contra epiſt. fundamenti.*

Conſtat autem, nec Lutheranos, nec Caluiniſtas, nec Anabaptiſtas id vel in ſpeciem facere poſſe. Cui enim obſecro Lutherus, qui harum Religionum maxima ex parte eſt auctor & parens, ſucceſſit? Cuius cathedram & auctoritatem occupauit? Quis ante eum Lutheranæ Religionis antiſtes fuit? Quis ante Caluinum vel Zwinglium Caluinianæ? Quòd ſi nemo aſſignari poteſt, perſpicuum eſt eos carere illa ſucceſſione, quàm Patres requirunt, vt Eccleſia aliqua cum Apoſtolis copuletur.

Carent ordinatione.

Rurſus, Non ſolum carent ſucceſſione cathedræ & auctoritatis, ſed etiam ordinatione gradus, ab Apoſtolis deſcendente. Duplex enim in miniſtris Eccleſiæ poteſtas ſemper fuit requiſita, vtraque ab Apoſtolis continuato ordine deriuanda, vt ſupra Conſideratione ſeptima dictum eſt: nimirum *poteſtas Ordinis*, per quam offertur ſacrificium, & conficiuntur Sacramenta ad ſanctificandos fideles; & *poteſtas Iuriſdictionis*, per quam datur ius regendi & paſcendi Eccleſiam verbo Dei, &c. At neutram ipſi ad Apoſtolos referre poſſunt. Non enim *poteſtatem Iuriſdictionis*, cum careant ſucceſſione, vt oſtenſum eſt. Neque etiam Ordinis. Quis enim ordinauit Lutherum vel Caluinum Epiſcopũ Eccleſiæ ſuæ? Si dicant ordinationem non requiri; contradicunt toti antiquitati, & perpetuo Eccleſiæ vſui. Numquam enim in Eccleſia habitus fuit Epiſcopus, ita vt munia omnia Epiſcopalia obire poſſet, niſi ab alio Epiſcopo ordinatus; cui ex Apoſtolorum conſtitutione duo alij Epiſcopi debent coniungi, vt expreſsè præcipitur can. 1. Apoſtolorum, & can. 4. Synodi Nicenæ; & inſinuat Apoſtolus ſcribens Epiſcopo Timotheo, & monens: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum preſbyterij:* hoc eſt, cœtus Epiſcoporum qui ſimul cum ordinante manus ordinando imponebant, vt Patres exponunt.

1. *Tim. 4.*

Ex quibus clarè conſtat, Lutheranos & Caluiniſtas neutram poteſtatem ab Apoſtolis habere, ſecundùm neutram ab Apoſtolis deſcendere, neutram in Apoſtolos poſſe reducere; ac proinde veram Chriſti Religionem & Eccleſiam non habere. Hæc enim, quoad vtramque poteſtatem, ab Apoſtolis deriuari, ipſiſque continuari debet; vt oſtenſum eſt. Omnis enim poteſtas ſpiritalis à Chriſto per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, continua quadam ſucceſſione & communicatione, in reliquos miniſtros deriuari debet: ſicut vita corporalis continua quadam ſucceſſione à primo homine per medios deriuatur ad extremos. Sicut enim in veteri Teſtamento nulli erant ſacerdotes, niſi qui deſcendebant ex Leui per Aaronitica in nouo nulli ſunt ſacerdotes vel Epiſcopi, niſi qui gradu Ordinis & Iuriſdictionis poteſtate a Chriſto ſummo ſacerdote per Apoſtolos eorumque ſucceſſores deſcendunt. Sicut ergo ſynagoga non poterat eſſe ſine ſacerdotibus, continuata ſerie deſcendentibus ex Aaron: ita Eccleſia Chriſti non poteſt eſſe ſine ſacerdotibus, ſeu Epiſcopis, continuata ſerie deſcendentibus ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus. At Lutheranorum & Caluiniſtarum cœtus numquam tales miniſtros habuerũt, numquam apud eos fuerunt Epiſcopi legitimè ordinati, & Iuriſdictionis poteſtate ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus deſcendentes, qui populo præeſſent. Perſpicuum eſt ergo, apud eos Eccleſiam Chriſti non eſſe.

TERTIA RATIO,
Ex defectu miſſionis.

TErtia Ratio: quia hæ Religiones inductæ ab ijs, qui nulla legitima auctoritate miſſi, ſed à ſeipſis venerunt. Hoc autem meritò illas ſuſpectas reddere debet erroris, & auctores earũ, ne fortè ſint lupi & ſeductores. Nemo enim in Eccleſia prædicare poteſt, niſi legitima auctoritate fuerit miſſus, iuxta illud Apoſtoli: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Alioquin maxima naſceretur in Eccleſia cõfuſio. Quiuis enim officiũ prædicandi, & Eccleſiã regẽdi, ſibi aſſumere poſſet, & quoſuis errores diſſeminare. Si enim in Repub. temporali, & politia humana, nemo ſeipſum poteſt intrudere, & aſſumere magiſtratũ ad regendum populũ in rebus terrenis ad hanc vitã dumtaxat pertinẽtibus, ſed debet à Principe ad hoc cõſtitui: quãto minus in Eccleſia, in regno Chriſti ſpirituali, põt quis ſibi arrogare officiũ Paſtoris ad regendũ populũ in ijs quæ ſaluti ſpectant æternam?

Ad Rom.

sed ab Ecclesiæ supremo Rectore, & sacrorum Principe, constitui debet? Multo enim magis vitanda est confusio regiminis in Ecclesia quam in politia; cum illa in perniciē cedat animarum, hæc solum in damna fortunarum vel corporum.

Ioan. 10. Deinde, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* inquit Dominus. At is qui absque legitima missione & auctoritate assumit sibi officium Pastoris in Ecclesia, is non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, vt Patres passim exponunt, & per se satis constat. Quid enim aliud est, *Intrare per ostium*, quam intrare legitima via, legitima auctoritate? Ostium enim est via ordinaria, ad hoc instituta vt per eam intretur in ouile. Vnde designat illam auctoritatem, per quam ministri debent admitti in ouile Christi, ad oues Christi regendas & pascendas.

Ioann. 7. Rursus, Dominus apud Ioannem ait: *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Quibus verbis significat, non esse credendum ijs qui legitimè missi non sunt, sed a seipsis veniunt, quia gloriam propriam quærunt: ac proinde non ad veritatem, sed ad honorem & compendium loquuntur, & doctrinam suam omnē eo dirigunt.

Denique Apostolus in Epistol. ad Hebræos adeo hanc missionem necessariam ducit, vt etiam in Christo Domino eam requirat: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui*
Ad Hebr. 5. *vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vnde Dominus toties inculcat Iudæis suam missionem, nimirum quod à se non venerit, sed à Patre missus; idemque multis modis confirmat.

Ex his clarè deducitur, Lutherum, Caluinum, & similes nouos doctores audiendos non esse, & eorum doctrinam vitandam. Quia constat, eos aliqua legitima auctoritate missos non esse, sed à seipsis venisse: constat eos sibi magistratum & officium pastorum & ius reformandi in Ecclesia vsurpasse: constat non intrasse per ostium, & via legitima, sed aliunde adscendisse in ouile; ac proinde, iuxta Domini sententiam, pro furibus & latronibus habendos.

Non missi sunt à Christo. Dicent fortè, se esse missos à Christo immediatè, sicut olim Prophetæ mittebantur extraordinario modo à Deo ad reformandum populum: & sicut Apostoli missi fuere à Christo Domino ad mundum conuertendum: & post adscensionem Domini Paulus, qui non ab hominibus missus est, nec ab hominibus Euangelium accepit, sed proximè ab ipso Domino.

Verùm Primò, non satis est hoc dicere & fortiter affirmare, sed oportet probare, & conuincere esse verum, ne legitima causa populo & pastoribus ordinarijs relinquatur, eos tanquam impostores reijciendi: sicut Prophetæ & Apostoli non solum dixerunt se missos à Deo, sed id etiam abundè signis diuinis demonstrarunt.

Secundo, Omnes hæresiarchæ, & omnes pseudoprophetæ, omnibus sæculis idem dixerunt: nempe se à Deo missos esse, & suam auctoritatem ab eo accepisse. Vel ergo omnes acceptandi sunt, vel nulli. Cur enim potiùs credā, v.g. Caluinum missum à Deo quàm Lutherum, vel Mennonem, vel Munzerum, vel Arrium, vel alium hæresiarchām, cum ille maiora suæ missionis argumenta, quàm alij, non proferat.

Tertiò, Si Caluinus missus est à Deo: ergo Lutherus à Deo missus non est: & è contrario. Quia si duo contraria prophetant, & vterque alterius prophetiam seu doctrinam erroris & hæresis damnat, vterque alterius Religionem destruit: quare si vterque à Deo missus est, spiritus Dei sibi ipsi aduersatur, seipsum pernegat & euertit, destruens per alium quæ per hunc ædificauit. Inter Prophetas à Deo missos semper fuit summa doctrinę consensio.

Quartò. Si Lutherus vel Caluinus à Deo missus est ad Ecclesiam reformandam, peto quo tempore, quo loco Deus illis hoc ministerium imposuit? quibus verbis siue interius siue exterius ad eos vsus est? Quomodo capita reformationis eis declarauit, quem ordinem & modum præscripsit? Quomodo, quave forma illis apparuit? Exteriusne modo visibili, sicut Paulo; an interius per visionem imaginariam in extasi aliqua, sicut Prophetis, & Ioanni Euangelistæ in Apocalypsi? Hæc enim omnia Deus, cum ijs quos ipse mittebat, obseruare solet; & ipsi Prophetæ statim initio suæ prædicationis hæc omnia explicabant, vt populus intelligeret, a quo missi essent, quidve illis mandati datum: vt constat ex Prophetia Isaiæ, cap. 1. 6 & plurimis alijs, Ieremiæ cap. 1. 2. 3. & sequentibus pænè omnibus, Ezechielis 1. & sequentibus, Danielis 2. & 9 Denique omnes Prophetæ illi hæc ante omnia præmittere consueuerunt, vt in eorum Prophetijs est videre. Similiter notum est, quo tempore, quibus verbis Dominus Apostolos miserit, quidve illis iniunxerit, &c.

At illi noui Prophetæ tam parum considerati fuere, vt non aduerterint simile quid esse fingendum, si à Deo missi immediatè volebant videri. Vnde nulla huius rei apud eos mentio. Quod est certissimum signum, mendacium esse necessitate cogente confictum, cum dicūt se à Deo missos: Cui enim dubium esse potest, si minimam huius missionis diuinæ speciem sensissent, id eos non fuisse in suis scriptis prætermissuros, sed statim toti mundo patefacturos, expresso tempore, loco, modo, præcepto Domini, & cæteris huc pertinentibus circumstantijs?

Quintò, Accedit, quòd si illi missi à Deo fuere, non solum fuisse missos vt reformatores morum, sicut Prophetæ mittebantur; sed vt reformatores totius doctrinæ & Religionis. Itaque maximè necessaria erat exacta huius missionis descriptio; & expressio capitum quæ Deus reformari volebat, eaque verbis ipsius Dei eiusque nomine Ecclesiæ erant proponenda, sicut Prophetæ facere consueuerunt, cum nomine Dei populo mādata diuina proponebant. At non ita processerunt isti noui Prophetæ, sed casu, & prout res ferebat, ex vno dogmate in aliud sunt deuoluti; sicut in contentionibus, cum animi magis magisque exacerbantur, fieri solet; & sicut experientia discebant, se rebus suis maxime posse commodare, & summi Pontificis auctoritati, qua condemnabantur, incommodare. Quod enim pontificijs rebus maximè putabatur obfuturum, vel ipsorum auctoritati profuturū, id tuebatur dogma fidei, & nucleus verbi Dei, vt infrà ostendemus.

Sextò, In politia humana, ad auctoritatem regendi, non satis est dicere, se à Principe qui procul abfit, & conueniri non possit, ad hoc missum; sed patentes idoneas exhibere debet, sigillo Principis munitas, quæ deinde diligenter examinantur, ne qua fraus subsit: & si aliquod indicium impostūræ deprehensum fuerit, non admittitur, donec plenam fidem faciat. Idem videmus in Legatis & Nuntijs Apostolicis, qui omnes suas patentes authenticas, quibus eorum missio & cōmissio contineatur, ostendere debent: alioquin non recipiuntur, nec habent auctoritatem. Quænam ergo fatuitas est, in Ecclesia & regno Christi admittere nouos non solum pastores, sed etiam reformatores totius Religionis qua constat Ecclesia, eo solo nomine, quòd dicant se à Christo missos, se spiritum Dei habere, nullis ostensis patentibus, nullis exhibitis signis, quibus id probent?

Septimò, Ipsa quoque ratio temporis vehementer illis aduersatur. Si enim Ecclesia iam ab anno sexcentesimo plānè concidit, & facta est synagoga Antichristi, vt ipsi docent; cur vsque ad hæc tempora dilata est horum reformatorum remissio? Cur Deus solidis nouem sæculis Ecclesiam in suis ruinis, in superstitionibus & idololatria, tamquam nihil ad se pertinentem, reliquit; & tantis temporum spatijs expletis, primùm ei hosce vel reformatores, vel nouos architectos misit? Hiccine est amor Christi in suam Ecclesiam, quam sanguine suo lauit, quam spiritu suo viuificauit, quam sibi in sponsam adoptauit? Longè benignius se gessit erga ancillam, Synagogam inquam, ad quam tot Prophetas misit; quam in idololatriam vel impietatem declinantem vsq; ad excidium non deseruit, sed assiduè missis seruis suis reuocare studuit. Itaque si volebant isti homines videri reformatores, debebant fingere, Ecclesiam paulo ante concidisse, non tot sæculis in suis ruinis computruisse: alioquin ipsum temporis interuallum eorum missionem confutat, & imprudenter confictam esse ostendit.

Octauò, His accedūt alia signa certissima, missos à Christo non esse; vt praua vita, superbia, contemptus sanctorum Patrum, errores, & mendacia in quibus deprehensi, inconstantia doctrinæ, de quibus sequētibus Rationibus dicetur.

Denique

Denique docent ipſi, nihil eſſe credendum niſi quod habetur in Scripturis. Oſtendant ergo ex Scripturis ſe à Deo ad reformandam Eccleſiam miſſos eſſe: quo loco, quibus verbis Scriptura dicat hanc à Domino auctoritatem Luthero vel Caluino eſſe conceſſam: alioqui vel ipſis iudicibus non poſſumus eis fidem adhibere, nec vt Eccleſiæ reformatores acceptare.

Lutherani miſſionem ſui prophetæ conantur ſtabilire quadam propheria SS. Ambroſij & Auguſtini, inſinuata chronographicè hoc verſiculo: *Tibi Cherubin & Seraphin inceſſabili voce proclamant*. Nam ante aliquot annos ediderunt effigiem Lutheri, ære inciſam, cum hac inſcriptione:

Diuinum atque admirabile Vaticinium D. Ambroſij & Auguſtini, de tempore & aduentu S. Lutheri, quo contra Antichriſtum Romanum ſcribere cœpit, Vt in litteris huius Verſiculi numerum anni repræſentantibus continetur, quod eſt apud Chriſti fideles admiratione & notam dignum.

TIbI CherVbIn & seraphIn InCeſſabILI VoCe proCLaMant.

Huius verſiculi litteræ numerales conficiunt 1517. quo primum Domini anno Lutherus prædicare cœpit.

Verum hic verſiculus parum cauſæ Lutheri fauet. Nam primò ex huiuſmodi numeris, nihil certi colligi poteſt; vt multis exemplis ſuperioribus annis de ſucceſſu rerum apparuit. Deinde, vt concedamus eſſe prophetiam per numeros litterarum de Luthero inſinuatam, per eam non ſignificaretur exultatio & gratulatio cœlestium ſpirituum ob Lutheri prædicationem, ſicut volunt Lutherani; ſed potius excæcatio Lutheri, & omnium eorum qui illius ſectam eſſent amplexuri. Sicut Iſaiæ 6. vbi Seraphin ſimili modo clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; plena eſt omnis terra gloria eius*. Ex quo loco illi verſiculi in Hymno ſunt poſiti) deſignatur excæcatio Iudæorum, vt ex ſequentibus colligitur. Prouocatur enim Deus, vt aſpectu ſuæ ſanctitatis, qua illi omne peccatum ſummopere diſplicet, tanta ſcelera & impietatem merito ſupplicio vindicet. ſimili modo vindictam clamabunt ſub mundi finem, Apocal. 4. 8. Denique, ſi ſcribamus illa nomina iuxta rationem Hebræam per M, non per N, nempe CherubiM & SeraphiM, vti ſcribenda ſunt; ſic exurgent anni tres mille quingenti 17. quibus expletis adhuc clamabunt quidem Cherubim, & Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus; ſed hic clamor non erit exultatio de fructu Euangelij Lutheri, ſed approbatio iuſti ſupplicij, quo ipſe cum omnibus ſuis affectis in omnem æternitatem torquebitur.

QVARTA RATIO,
Ex defectu miraculorum.

Miracula neceſſaria.

SVſpectæ habendæ Religiones illæ nouæ cum auctoribus, quia abſque vllis miraculis aut ſignis diuinis introductæ. Hæc tamen maximè erant neceſſaria.

Primò, Vt ſic oſtenderent, ſe non eſſe impoſtores, ſed veros paſtores à Deo miſſos; & conuincerent Eccleſiam ſe debere recipi. Cum enim ex a Scripturis conſtet, nouiſſimis temporibus multos pſeudoprophetas venturos, qui iactent ſe à Deo miſſos, eoſque b Dominus attentè cauendos iuſſerit, nemo nouus admittendus eſt qui ſuæ miſſionis πληροφοριαν, & plenam fidem non fecerit, ſed omnes ſuſpecti habendi. Atqui non poſſunt vllo modo hanc πληροφοριαν facere, niſi diuinis ſignis; vt ſunt miracula, prædictio futurorum, reuelatio abſconditorum, &c. Hæc enim cum rerum creatarum vim ſuperent, manifeſtum eſt eſſe à Deo. Vnde ſunt veluti patentes, Dei ſigillo obſignatæ, quibus miſſio diuina probatur. Hinc quotquot à Deo vnquã immediatè miſſi ſunt ad populum docẽdum, miraculis vel alijs ſupernaturalibus ſignis inſtructi venere, quibus eorum miſſio populo eſt manifeſtata. Sic Moyſes filios Iſrael eduſturus ex Ægypto, eiſque Legem daturus, cum maxima miraculorum poteſtate venit; & innumera vel ipſe fecit, vel Deus circa ipſum, toties ei ſub viſibili ſpecie apparendo, exhibuit. Sic omnes Prophetæ vel miraculis vel occultorum reuelatione ſuam miſſionem probarunt. Idem fecit ipſe Dominus Prophetarũ: qui etſi clare ex Scripturis conuincere poſſet ſe Meſſiã eſſe, idque etiam teſtimonio Ioannis Baptiſtæ ſatis poſſet conſtare; tamen plurimis miraculis ſtatim initio prædicationis ſe a Patre miſſum ad hominum ſalutem oſtendit; & Phariſæis odio ipſius credere nolentibus dixit, vt ſi ipſi propter ſe credere nollent, ſaltem operum magnitudine conuicti crederent. Parimodo omnes Apoſtoli apud Iudæos & Ethnicos multis miraculis ſuam miſſionem probarunt. Denique idem fecere variarum gentium primi Doctores, qui illos ex paganiſmo ad fidem noſtram traduxere. Quare cum iſti noui Prophetæ dicant ſe miſſos immediatè a Deo, & id miraculis & ſignis ſupernaturalibus nõ cõfirment, ſicut omnes alij proximè à Deo miſſi fecere, non ſunt vllo modo audiendi.

Nec obſtat quòd Ioannes Baptiſta miracula non fecerit: quia Deus circa ipſum multa mira & ſupernaturalia operatus eſt, quibus ſatis conſtare poterat de eius miſſione. Ipſa quoque vitæ auſteritas, & morum ſanctitas non paruum miraculum erat. Itaque nemo dubitare poterat, ipſum à Deo miſſum.

Secundò, Miracula maximè erant neceſſaria, vt probarent ſe non tantum mitti vt correctores morum, ſed etiam vt reformatores & correctores totius Religionis, qui Eccleſiam collapſam reædificarent, & regnum Chriſti extinctum ſuſcitarent; nouaque omnia facerent. Quantis opus erat miraculis, vt mundus conuinceretur, ſe teneri ad hæc tam mira & paradoxa credenda, eoſque pro talibus acceptandos? Etiam ſi mille mortuos excitaſſent, & centena millia claudorum, cæcorum, paralyticorum curaſſent, vix ſatis fuiſſet, ad tantæ rei fidem faciendam. Primò, quia Apoſtolus ait: *Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit*. Et idem repetens; maioris confirmationis cauſa addit: *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Si Angelo aliquid contrarium receptæ fidei doctrinæ annunuanti nõ eſſet credendum: quantis miraculis opus eſſet vt homini alicui de rebus tantis certa fides haberetur; nimirum Chriſtum Eccleſiam eſſe penitus collapſam, idololatriam inuectam, fidem extinctam; omnes eſſe in ſtatu damnationis; maxima Religionis capita eſſe reformanda, & Lutherum vel Caluinum ad hanc reformationem à Deo eſſe miſſum? Nonne dignum erat vt omnia miracula Apoſtolorum & Chriſti Domini in hoc reformatore reuiuiſcerent? Deinde, quia Religio Catholica, quæ nunc viget, pluſquam à mille annis eſt in poſſeſſione (quod etiam aduerſarij fatentur) vt à toto mundo habeatur pro vera Chriſti Religione; & qui ab ea recedunt, habeantur hæretici. Ergo ſine maximis & euidentiſſimis ſignis diuinis, quibus clarè conſtet poſſeſſionem iniquam eſſe, non poteſt deturbari. Debent autem hæc ſigna adeo eſſe perſpicua, & ita conuincere mentes hominum, vt nullus amplius relinquatur tergiuerſandi locus: alioquin non tenentur credere, ſed potius tenentur tam diuturnæ poſſeſſioni fauere, & Religionem Catholicam non deſerere. Accedit, quòd Religio Catholica omnibus illis ſæculis maxima miraculorum gloria, & ſapientia, & ſanctitate ſectatorum fulſerit, & etiamnum fulgeat. Pluribus ergo & maioribus & clarioribus miraculis opus eſt, vt legitimè deturbare & reijci poſſit: maiori item ſapientia & ſanctitate, & horum publica fama in ſectatoribus illarum Religionum nouarum, quàm in ſectatoribus Eccleſiæ vnquam fuerit.

Denique, quando Religio veteris Teſtamenti apud Iudæos mutanda erat, & ex vmbra ad veritatem, ex typo ad exemplar tranſeundum, etſi Dominus clariſſime ex Scripturis conuinceret illam mutationem eſſe faciendam, & ſe à Deo ad hoc miſſum; tamen idem maximis & plurimis miraculis confirmandum cenſuit, vt nulla relinqueretur illis occaſio tergiuerſandi; quantis ergo opus eſſe putabimus miraculis, cùm agitur de ipſa Religione noui Teſtamenti mutanda, quam Scripturæ clarè pronuntiant nunquam amplius mutandam, ſed & Deum illi aſſuturum vſque ad ſæculi conſummationem, & portas inferi aduerſus eam non prævalituras? Quis enim prudenter rem tantam, tam

a *Matth. 24. Marci 13. 1. ad Ti. 4. 2. ad Ti. 3. 2. Petr. 3.*
b *Matth. 7. & 24.*

tam nouam, tam paradoxam, tam Scripturis & iudicio Patrum omnium aduersam, credat sine maximis miraculis? Immo, quæ miracula ad hoc vel probabiliter credendum satis esse queant?

Ex his patet, merito nos ab illis miracula exigere; & eos iniquissimè nobiscum agere, cum sibi absque miraculis in rebus tantis fidem haberi postulant; & nisi omnia credamus, grauissimas persecutiones commouent.

An sua probent ex scripturis.

Seu inquiunt, Probamus nostra ex Scripturis. Ita est, sed sensu vestro, non iuxta consensum sanctorum Patrum, & receptorum Ecclesiæ Doctorum, qui ante nostras controuersias extitere, ac proinde partiales esse non poterant, intellectis.

Deinde, Argumenta vestra facillimè instar telæ aranearum à Catholicis Doctoribus dissoluuntur. Præterea, tot iam ab 80. vel 90. annis orti sunt noui reformatores, tot Ecclesiæ collapsæ instauratores, tot Religionis extinctæ suscitatores; qui etsi quam maximè inter se sint contrarij, & se mutuo euertant, destruentes singuli quod alius ædificauit: tamen omnes sua confirmant ex Scripturis, omnes huius solius testimonio nituntur, omnes Scripturam suis subiructionibus fundamentum vnicum faciunt. Itaque vel omnium vel nullius probatio admittenda.

Denique, cum nihil sit credendum nisi quod Scriptura dicit; vbinam quæso dicit, te à Deo missum ad Religionis & Ecclesiæ collapsæ instaurationem?

An sit miraculum quod multos habeant fautores.

Dicent forte, se miraculis non carere: maximum enim esse miraculum, quod tam breui tempore, tam multi hoc nouum Euangelium sint complexi. Fortasse id aliquem colorem haberet, si illorum Religio esset seuerior & carni asperior quàm Religio Catholica. Verùm cum omnem Catholicæ Religionis seueritatem abroget, & carni omnem licentiam tribuat, quid mirum, si multi eam sequantur? Quid mirum si grauia amotis impedimentis deorsum ruant, & flumina sublatis obicibus ad mare properent? Corrupta natura nostra maximè ad licentiam viuendi propendet, quam in istis Religionibus inuenit. Itaque eas amplectuntur, nō quia, vi rationum persuasi, credunt eas esse sanctiores; sed quia inueniunt in illis quod quærebant; & illo nunc absque metu, & sub specie honestæ Religionis & pietatis possunt frui.

Addo, hoc miraculum ab omnibus istis nouis Religionibus adferri posse. Nam non solum ad Caluinistas, sed etiam ad Lutheranos & Anabaptistas multi confluxere. Omnes itaque erunt sanctæ, & Deo auctore eductæ. Sed Deus seipsum negare non potest, nec à se stabilita destruere: ac proinde nec tam contrariarum & se mutuo damnantium Religionum esse auctor.

QVINTA RATIO, ex vitæ, & morum conditione.

QVinta Ratio: Quia hæ Religiones introductæ ab hominibus malæ vitæ, & infamia notatis, superbia, inuidia, & maledicentia singulari; & nihil minus quàm spiritum Apostolicum præ se ferentibus. Nam quod ad Lutheri vitam attinet, scimus illum Monachum professū fuisse, & quindecim circiter annis sacerdotem; ac proinde duplici voto continentiæ obstrictum. Scimus eumdem, relicto monasterio, habitu & professione sua, ad vitam sæcularem reuersum, & monialem professam e monasterio abductam sibi copulasse, & cum ea assiduè vixisse: qua in re totius orbis Christiani iudicio duplex sacrilegium cōmisit; & toties id repetiuit, quoties ea est vsus. Quæ ratio viuendi potest esse magis scandalosa? Scimus illum adeo fuisse ventri & libidini addictū, vt assiduè in conuiuijs & compotationibus versaretur; & *a* diceret vsum feminæ magis esse necessarium, quam edere, bibere, & dormire & *b* licitū esse vti ancilla, si vxor debitum recusaret.

a Lib. de vita cōiugali.
b Sermon. de matrimonio.

Vitam Caluini descripserunt Hieronymus Bolsecus, Iulius Brigerus, & alijs pessimis facinoribus plenam: nimirum, fallis criminationibus, homicidijs, furtis, impuritatibus. Eadem plures alij scribunt, nec vmquam vidi ea à quoquam refutata.

De infamia Lutheri constat ex facto memorato toti orbi notissimo, cùm Monachus professus & sacerdos sanctimonialem professam sibi copulauit. Hoc enim omnium DD. iudicio infamiam parit. Si enim iurè Cæsareo infamis est qui in adulterio deprehensus est, L. Palàm. §. Qui in adulterio. ff. De ritu nuptiarum; quanto magis qui nuptias bis sacrilegas contrahit, & sacrilego concubitu assiduè vtitur? fœdius enim est esse adulterum Christi, quam vxoris vel mariti.

De infamia Caluini constat ex actis Iudicialibus Novioduni illum conuictum & per sententiam damnatum de nefando crimine, & publicè exurendum fuisse, nisi ad preces Episcopi pœna ignis fuisset commutata in supplicium virgarum, & ferri candentis in tergo vstulationem. Vnde patet illum quoque iure & facto fuisse infamem. L. 1. ff. De his qui notantur infamia. & L. Quid ergo. §. Ex compromisso. ff. De his qui notantur infamia.

Bolsecus in vit. Calu. c. 5 Iulius Brigerus, pag. 59

De superbia ac maledicentia Lutheri constat. Primò, Quia omnis ipsius doctrina hinc exordium sumpsit. Cùm enim quædā Indulgentiæ per Germaniam essent promulgandæ; hoc munus, prætermissis Augustinianis, quibus id antea ex pijs commissum fuerat, delatum est Fratribus Dominicanis. Id indignissimè ferens Lutherus, primum contra Indulgentias declamare cœpit: qua de re cum reprehenderetur, sensim plura & maiora contra auctoritatem summi Pontificis & alia fidei capita adiunxit, & ingentes turbas per totam Germaniā excitauit, vt fusè scribit Ioannes Cochlæus, horum omnium spectator, in Actis Lutheri anni 1517. Hæc superbia & indignatio fons est totius Lutheranæ doctrinæ: absque illa fuisset, Lutherana Religio non esset; quare nec tot aliæ, quarum illa parens.

Secundò, Lutherus in Epistola ad Argentinenses scribit se libenter negaturum fuisse realem præsentiam Christi in Eucharistia, vt Papam non commodaret, nisi Scripturæ in contrarium tam essent claræ.

Lib. de formula missæ.

Alio loco sic ait; *Si quod Concilium statueret aut primitetur veramque speciem, nos nequaquam vtraque vti vellemus; sed in despectum Concilij eiusque statuti, aut vna aut neutra vti vellemus, maledictum omnes, qui ex statuto Concilij vtraque venerentur.* Hic in despectum Concilij etiam re ad salutem necessaria abstinendum docet: cùm tamen etiam Tyranno licita præcipienti parere possimus, & sæpe debeamus: vnde constat quo spiritu actus fuerit: quid enim huic furori possit comparari? Idem lib. contra Regem Angliæ scribit, Reges, Principes, Pontifices non esse dignos qui soleas ipsius corrigiarū calceamenti: se pro sancto viro haberi velle, velint nolint homines. Ibidem ait, se non magnifacere mille Cyprianos, mille Augustinos. Item Principes, Reges & Imperatores Christianos vocat Tyrannos, morliones, illuitos, fatuos, feras, bestias, carnifices, lendes capitis, bullas, Dei inimicos; nequissimos nebulones; & scurrilia cantica in eos commiscitur.

De Caluini superbia & maledicentia fat multa Bolsecus: fat etiam ex libris * Caluini est conspicua: contemnit enim passim omnes veteres & sanctos Patres, & audacter erroris accusat, Doctores Scholasticos vocat Sophistas. Sæpè pro concione in has voces erumpebat: *Ego prophetæ sum; ego Dei spiritum habeo: ego si erro, tu es Deus qui me propter peccata populi in errorem mittis & decipis*, &c. Litteras & opuscula quædam sua, in quibus suas laudes, dignitates, & in Ecclesiam merita decantabat, alieno vel mendacio nomine edebat in lucem, vt Bolsecus & alij scribunt. Plurima alia huius generis possem adferre, tum contra istos, tum contra alios nouarum Religionum huius sæculi auctores & propugnatores: sed inutius in hoc genere versor. Qui plura voler, legat vitam Bezæ per Bolsecū, & Iulij Brigeri flores, Surij commentarios, & alios.

* *Li. 2. Inst. cap. 14. §. 3. Lib. 3. c. 4. §. 38. & c. 5. §. 10. Lib. 4. c. 12. §. 20. & alibi.*

Quis nunc illis perpensis in animum inducat, Deum huiusmodi hominibus, qui & omni iure & orbis iudicio erant infames, quorum vita turpissima, lingua effræna & maledica, animus tumidus, ambitiosus, iracundus, & inuidia plenus, ad reformationem Ecclesiæ suæ vti voluisse? Quis vmquam huiusmodi mores vel in Apostolis, vel Prophetis notauit? Erant quidem Apostoli plerique conditione humiles; nulli tamen ob flagitia infames. Et quamuis essent indocti & simplices, repente tamen facti sunt sapientia, vitæ sanctitate, & miraculorum gloria admirabiles. Mira in illis animi demissio, mira mansuetudo, mirus gloriæ, rerum terrenarum & voluptatum huius vitæ contemptus, mira in proximum charitas, mira in verbis modestia & circumspectio. Similes mores cernimus in omnibus qui-

bus

bus Deus vsus est vel ad Gentium conuersionem, vel ad morum populi Christiani reformationem verbi gratia in S. Augustino Anglorum Apostolo, in S. Bonifacio Germanorum, in SS. Adelberto, Othone, V Villebrordo, Eligio, & in aliis aliarum gentium: in S. Benedicto, Bernardo, Romualdo, Dominico, Francisco, & aliis, quorum exemplo & doctrina plurimi ad contemptum terrenorum & amorem cælestium sunt excitati.

Si in alicuius prouinciæ conuersionem, si ad morum nonnullâ in populo correctionem, Deus talibus viris, quorum vita mundo erat admirabilis, vsus est, qui tamen non immediatè à Deo, sed à summo Pontifice suam missionem accepere; quales obsecro par erat esse eos qui mittebantur immediatè à Deo, idque ad reformationem præcipuorum capitum Religionis, immo ad totius Ecclesiæ regni Christi collapsi instaurationem? Etiamsi tota sanctitas & excellentia, omnes virtutes, & omnia dona spiritalia quæ fuerũt in S. Ioanne Baptista, & in omnibus Apostolis, simul in vnum conflata ipsis infusa fuissent: hoc tamen totum haud satis fuisset ad sufficientem illis auctoritatem tantæ molitionis cõciliandam. Et nos tam fungi erimus, vt credamus diuinam sapientiam, ad rem adeo stupendam, vsam fuisse hominibus non solùm nulla vitæ sanctitate commendatis, sed etiam infamibus, impuris, ambitiosis, vindictæ cupidis, & maledicis? Quid enim hoc aliud erat, quàm omnibus inicam prudentię habentibus iustam dare occasionem eos non admittendi, sed vt impostores aduersandi? Nam qui per infamiam non possunt admitti ad vllam dignitatem, ad vllum officium, siue ecclesiasticum, siue sæculare, imò nec ad accusandum, nec ad postulandum: quomodo admitterentur vt reformatores Religionis, vt architecti Ecclesiæ, vt iudices Episcoporum, Pontificum, & Conciliorum Oecumenicorum?

Cap. Infamibus lib. 6. L. Qui accusare. ff. de accusat. L. 1. ff. de postulando.

SEXTA RATIO,
ab Erroribus, & inconstantia doctrinæ.

SEXTA Ratio est Quia auctores harum Religionum apertos habent errores, & sunt in sua doctrina valdè inconstantes: quod est clarum signum, eorum infallibilem Spiritus sancti directionem non habere; ac proinde à Deo immediatè missos non esse, nec eis fidem adhibendam.

Nam quotquot à Deo fuere missi ad populum docendum, ita ab eo regebantur vt in sua prædicatione, suisque scriptis, falli nulla in re possent. Vnde nullus vnquam vel minimus error in doctrina Prophetarum aut Apostolorũ repertus est: quod etiam insinuat Dominus, cùm ait: *Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant:* Idem fusè docet D. Augustinus Epist. ad Hieronymum: vbi dicit si in aliquo Scriptore sacro vel vnum mendacium inueniretur, nullam totam illius Scripturis auctoritatem. Qui enim in vno deceptus est, in alijs quoque decipi potuit; vnde firmiter eo niti non possumus. Idem multis locis docet Lutherus, cuius hęc sunt verba: a *Si semel deprehenderem eum mentitum, falsis & vanis fabulis tam tota mea doctrina & tamen & fidelissimus finem penitus haberet; vnusquisque me pro nequam & infami nebulone (vt aiunt est) habiturus esset.* Et alibi: b *Qui semel mentitus, hic certissimè ex Deo non est, & suspectus in omnibus habetur.* Quod lex alijs locis in suis operibus inculcat. Immo ipse Dominus in Scripturis hoc nobis indicium dedit, vt si deprehenderimus Prophetam in aliqua re falsum pronunciasse, certò sciamus, illum à Deo missum non esse.

Matth. 5.

Epist. 19.

a *Lib. contra Euseb.*

b *In assert. Articul. art. 25.*

Hoc tanquam certissimo fundamento posito, conficio hanc ratiocinationem: Quicumque vel in vno erat in sua doctrina, hic non est missus à Deo; at Caluinus & Lutherus in plurimis errant in sua doctrina; ergo certum est non esse missos à Deo. Maior iam satis probata est, quam & ipsi aduersarij confitentur. Minor probatur: Vt enim omittam ea quæ falsò Catholicis imponunt: & quæ falsò affirmant in nostra doctrina esse noua, & veteribus ignota: vt præteream errores historicos & chronographicos, adferam duos tantùm maximi momenti vtrique communes. Prior est, *Nullam esse arbitrij nostri libertatem, sed omnia immutabili necessitate euenire.* Alter est, *Deum non minus esse auctorem & impulsorem operum malorum quam bonorum.*

Illos errores esse manifestarios & exitiales, constat: quia tollunt omnem politiam, omnes exhortationes, omnes leges & præcepta, omnes iudices & tribunalia. Hæc enim omnia sunt vana, si non est arbitrij libertas. Iniusta quoque erit omnis flagitiorum punitio: nam quod non est liberum, & quod Deo impulsore agitur, nullam pœnam meretur. Denique tollunt inferorum, & vitæ futuræ pœnam omnem. Omnium quoque criminum effusam licentiam ingerunt; vt supra Consideratione secunda ostensum est.

Hæc duo dogmata multis occasionem dedere, vt ex Caluinismo ad Turcismum vel etiam ad Atheismum transirent. Satius enim est, nullum habere Deum, quàm habere illum qui omnium scelerum sit impulsor. *Flores Cal. pag. 69.*

Iam verò inconstantia doctrinę etiam in rebus maximis est incredibilis. A condito orbe non extitit scriptor ita inconstans, ita sui immemor, sibi contrarius & suæ doctrinæ euersor, vt Lutherus. Non enim minùs sibi ipse, quàm sanctis Patribus & Conciljs repugnat, vt fusè ostendit inter ceteros D. a Cochlæus, idque in omnibus pœnè fidei capitibus. De sola communione Eucharistiæ ex ipsius operibus ipso vivo notatæ sunt 36. contradictiones à Gaspare b Querhamer laico Saxone, & in lucem editæ cum maxima Lutheri confusione, & auctoritatis ipsius imminutione. Et de communione sub vtraque specie, notata sunt à D. Cochlæo contradictoria capita septem. Denique totus liber Cochlæi inscriptus Lutherus septiceps, nihil aliud continet quam eius contradictiones & contrarias de omnibus pœnè controuersis articulis sententias, ipsius verbis expressas. In omni autem contradictione necesse est alteram partem falsam esse.

a *In opere inscripto Lutherus septiceps.*

b *In tabula contradictionum Lutheri.*

Caluini antilogias refert Coccius ipsius verbis 14. mihi satis erudita ponere. De omnipotentia Dei vno c loco dicit: *Verbo Dei nulla est impossibilitas deijcienda.* Alibi d dicit: *Illud frustaneum de potestate absoluta in Deo, quam Scholastici introduxerunt, exterminanda blasphemia est.* Item: e *Ego detestor hanc doctrinam quæ Papistæ Theologi sibi placent, fingentes in Deo potestatem quandam absolutam.* De Christi diuinitate vno loco f scribit: *Christum esse verum Deum, eiusdem cum Patre essentiæ.* Alibi g dicit: *Nomen Dei per excellentiam ad solum Patrem pertinere; hunc solum ac propriè cæli ac terræ creatorem esse; immo & Patri subiectum Filium etiam secundùm diuinitatem:* Ibidem: *Improprium & durum loquendi modum vsus Symboli Nicæni, Deum de Deo, lumen de lumine.* Epistola 2. ad Polonos asserit *Christum secundùm humanam etiam diuinam Patre esse minorem.* Ecce quò nouitas illa deuoluitur?

c *Ad cap. 1. Luc.*

d *Ad cap. 23. Isaiæ.*

e *De prædest. natione.*

f *Ad cap. 1. Ioan. v. 1.*

g *Contra Gentilem refutatione 10.*

His positis, quis sapiens in animum inducat credere, istos à Deo missos ad Ecclesiæ instaurationem? Quomodo enim Ecclesiam collaptam instaurent, qui propriam doctrinam tam fœdè destruunt? Quibus tam parum est vel doctrinæ, vel prudentiæ & circumspectionis, vt antilogias in rebus maximis vitare non possint? Sanè quicumque sibi contrarius est, & quæ nunc statuit, mox destruit, eum ex spiritu Dei non loqui luce meridiana clarius est. *Si enim quæ destruxi, inquit Apostolus, iterùm hæc ædifico, prævaricatorem me constituo.* Non potest spiritus Dei sibi esse contrarius, non potest seipsum negare. *Ad Cal. 2.*

Accedit, quòd etsi in multis sibi ipsi contradicant & sua placita euertant, audeant tamen decere, se esse certos de sua doctrina; se scire suam doctrinam esse verissimam, esse ipsissimam Christi doctrinam. Si enim ait Lutherus: *Certus sum quòd doctrinam meam de eâdem habeam.* Item: *Certissimus sum quòd doctrina mea non sit mea, sed Christi; & quod doctrina mea non possit sibi esse contraria, cùm sit doctrina Christi.* Et alio loco dicit, *Se ita esse certum, vt doctrinam suam à nemine, ne ab angelis quidem iudicari velit. & neminem salutem esse posse, qui doctrinam ipsius non receperit.* *Contra Regem Angliæ.*

Contra statutum Ecclesiasticum.

Pari modo Caluinus sæpè pro concione dicebat, *se prophetam esse, se decipi non posse, nisi Deus ipsum decipere;* vt suprà in quinta Ratione commemorauimus.

Ex quibus manifestè colligas, hos non solùm spiritus Dei non esse locutos, cùm apertos errores & antilogias habeant, sed etiam impostores videri, & populum voluisse decipere. Qui enim dicit se esse certum, doctrinam suam, in qua sunt errores & antilogiæ, esse à Deo; præsumitur non agere bona fide, sed loqui contra mentem, ac proinde velle imponere populo. Constat enim, illum qui talis

talis est, nullam interim illustrationem habere à Deo, qui illum de doctrinæ suæ veritate aut Dei testimonio certum reddat. Nam Deus contraria testari aut reuelare nō potest. Qua fronte ergo tam audacter affirmant, se certos esse, doctrinam suam esse a Deo, esse Christi doctrinam? Itaque non bona fide in hoc negotio versati sunt, sed imponere mundo voluerunt.

Quorundam responsio.

Dicunt aliqui, eos errasse subinde in principio cum nōdum spiritum Dei plenè haberent: posteà verò non errasse, nec dogmata sua mutasse. Sed hoc nullum habet veri simile, nec colorem. Quicumque enim à Deo immediatè missi fuere ad populum docendum, statim ab initio missionis suæ infallibilem Dei assistentiam & directionem habuere, ita vt numquam in doctrina sua vel minimum errauerint; vt de Prophetis & Apostolis constat: Imò maximè initio opus erat illa directione: quia tunc maximè omnia & singula diligenter discutiuntur, & auctoritas Doctoribus & doctrinæ est conciliāda. Si enim in aliquo errore vel antilogia fuissent deprehensi, omnis eorum auctoritas perijsset, & meritò tanquam impostores, qui se finxissēt à Deo missos, repudiari potuissent. Pari modo, si Caluinus & Lutherus missi sunt à Deo ad Ecclesiam reparandam, maximè opus erat vt statim ab initio doctrina eorum esset solidissima, omni carens antilogia, omni errore, ne velut impostores meritò repelli posset.

Deinde peto quando tandem hanc plenitudinem Spiritus assecuti sunt, vt non amplius errare potuerint? Quomodo in mundo constare potuit, vt homines scirent in posterioribus illis fidem habendam esse, in prioribus minimè? Nisi enim id constet, meritò præsumentur etiam in posterum errare posse, quos liquet hactenus errasse.

Denique tota vita varios fuisse, suaque mutasse, correxisse, & in diuersis opusculis, vel eiusdem operis diuersis locis cōtraria scripsisse, perspicuum est ex paucis illis quæ suprà adduximus, & ex plurimis quæ Cochlæus, Cocleus, & alij verbis illorum commemorant. Quo enim progressi fuere longius; eo ferè acerbiores euaserunt, & quæ initio mitius erant dicta, vel exasperarunt, vel in contrarium mutarunt.

SEPTIMA RATIO, ex Dolo malo, & Fraudibus, quibus vtuntur.

EA Religio suspecta habenda, cuius auctores & propugnatores vtuntur dolo malo, fraudibus & mēdacijs ad eam propagātam. Vera enim Religio huiusmodi subsidijs non eget, sed falsa; quæ cum veris solidisque rationibus stare destituta, necesse est vt ponat mendacium spem suam. Atqui auctores & propugnatores Religionis Lutheranæ & Caluinisticæ multum vtuntur fraudibus & mendacijs ad suæ sectæ propagationem: ergo suspecta meritò habenda est.

Falsa dogmata imponunt Catholicis.

Fraudibus eos vti constat, Primò, Quia Catholicis multa falsò imponunt, vt eos facilius oppugnent, & eorum Religionem infament. 1. *Papistas adorare statuas, ligna, trunca, saxa, sicut Ethnicos faciebant*; sicque quidquid in Scripturis est contra cultum idolorum, adducūt contra veneratiōnem imaginum. Qua in re non agunt bona fide. Norunt enim, vel facilè nosse possunt si velint, numquam in Ecclesia adoratas statuas Sanctorum tamquam Deos, aut cultu soli Deo debito sicut ab Ethnicis colunt idola: neque eo modo vt cultus fiat in imaginibus, quasi illis aliquid excellentiæ insit; sed ita vt transeat ad prototypum, seu ad ipsos Sanctos cum Christo regnātes. Nam illa externa adorationis nota, quæ fit corā imagine, est veneratio prototypi. Sicut erigere statuā Regi, vel illi statuæ caput aperire, nō est honor statuæ nisi materialiter, sed est honor ipsius Regis.

Quòd autem honor ille qui Sanctis defertur, non sit cultus latriæ, qui Deo proprius, perspicuum est: quia non colimus aliquem Sanctum vt supremum Dominum & auctorem rerum; sed solū vt amicum eius qui supremus est Dominus. Tanti enim facimus Deum, vt etiam eos quos ipse sublimes fecit, dignos aliquo honore putemus. Quod sanè non in iniuriam, sed in honorem Dei cedit, sicut in honorē Regis cedit, quòd aulici eius honorentur propter respectum quem habent ad Regem: nimirum quia sunt eius domestici, eius ministri, eius amici, &c. Hæc dixerim, quia hic multi simplices impinguntur.

2. Papistas adorare panem tamquam Deum, ac proinde dicere ἀρτολάτρας, quasi dicas, *panicolas*, quo modo sæpè Caluinus Catholicos vocat. Verum & hic malā fide vtuntur. Nam sciunt Catholicos credere non remanere panem in Eucharistia, sed esse ibi vere, realiter, & substantialiter Corpus Christi, vnā cum anima & diuinitate: & sic non velle adorare panem, sed totum Christum ibi præsentem.

3. Papistas suam fiduciam ponere non in Christi meritis, sed in suis meritis, & in sanctis.

4. Papistas docere, hominem iustificari non per fidem Christi, sed propriis meritis; & his similia; quæ nihil sunt aliud quàm meræ imposturæ, ad infamandam doctrinam Catholicam excogitatæ. Possem adferre huiusmodi plusquam centum capita, falsò vel toti Ecclesiæ vel Catholicis Doctoribus imposita. Quis dicat in huiusmodi hominibus esse spiritum Christi, aut eos sincere in hoc negotio procedere, & veritatem stabilire velle?

Falsa crimina.

5. Secundò, non solum dogmata, sed etiā crimina falsa imponunt, præsertim ijs quos maximè putant suis successibus obstare, mendacia cædes, proditiones Principum, & varia turpitudinum genera. Quot, Deus bone, superioribus annis libelli à Calumnijs & Lutheranis prodiere, & quotānis adhuc prodeunt in vulgus, quibus sceleratissima & turpissima facta viris religiosis, ab huiusmodi sceleribus alienissimis, impinguntur? Sed facilè detecta sunt hę strophæ. Partim enim litteris publicis Magistratuum testimonium innocentiæ redditum, & falsitas patefacta est: partim ex ipsa narrationis serie & circumstantijs clarissimè sunt refutatæ. In quibusdam enim supra 50. perta mendacia notata sunt, in alijs ad 12. 15. 20. &c. Adeo enim cæcum est feruens odium, vt non curet qua probabilitate fingat, modo se posse nocere speret. Sed momentaneum est hoc nocumentum, & paullò post, detecta calumniæ impudentia, in magnam cedit cōmendationem eorum qui calumniam passi, & in detestationem eorum qui eius architecti fuere.

Corrumpunt sententias eorum.

Denique dolo malo vtuntur in suis dogmatibus confirmandis, Scripturarum & Patrum sententijs aliquid addendo, vel detrahendo, vel immutando, vel omissis perspicuis proferendo quibusdam obscuris, vt illorum doctrinæ fauere existimentur: Lutherus enim vt suam, de iustificatione per solam fidem, stabiliret sententiam, ad Rom. 3. vbi Apostolus ait: *Arbitramur hominem iustificari per fidem*, addit *sola*. Cumque rogaretur cur id fecisset, respondit in hæc verba: *Satanas Papista morosum & difficilem se præbere volens de voce (sola) statim dic; Papista & asinus eadem res est: sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum esse discipuli, sed præceptores. Semel enim superbiendo gloriabimur aduersus huiusmodi asinos.* Et infrà: *Rogo te, ne quid aliud huiusmodi asellus respondeas de voce (sola), sed tantum dicas: Lutherus sic vult, ille Doctor est omnium Doctorum in Papatu, &c.* En modestiam huius Prophetæ in fraude illa excusanda.

Epist. ad amicum de voce sola.

Idem Lutherus 2. Pet. 1. vertens illam sententiam: *Quapropter fratres, magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Omittit illa verba, *per bona opera*, quia aperte obstabant eius sententiæ, quæ bona opera nihil ad salutem conferre censebat.

Psalm. 75. ver. 12. *Vouete & reddite Domino Deo vestro*: Lutherus in margine apponit hoc glossema triplicem fraudem continens: *Quòd pro Deo vestro alium habere velitis, quemadmodum requirit primum præceptum: & nolite vouere Sanctis vel alia vota.* Prouerbior. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* Lutherus rhythmum amatorium Germanicè apponit ad marginem, hoc sensu: Nihil amabilius in terra mulierum amore, cui is obtingere potest.

1. Corinth. 9. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* Lutherus de suo addit *in vxorem*. Quasi Apostoli circumduxerint suas vxores, idque ad opus coniugale.

Zvvinglius loco illorum verborum, *Hoc est corpus meum*: contra omnium exemplarium Græcorum & Latinorū fidē, in editione Germanica posuit: *Hoc significat corpus meum.*

Actorum 2. ver. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Græce, Οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην. Beza vertit: *Non relinques cadauer meum in sepulchro.* ψυχὴν *animam* vertit in *cadauer*, & ᾅδην *orcum*, in *sepulchrum*. An non hoc est corrumpere Scripturas?

Cal-

Caluinus omnia pænè Scripturæ loca, ex quibus ſancti Patres probant Trinitatem perſonarum, diuinitatem Filij aut Spiritus ſancti, ita exponit, vt omnem eorum vim eludat: qua in re non parum Iudæis, Sabellianis, Arrianis, & Macedonianis gratificatur.

Totum caput 53. Iſaiæ, quod de Chriſti paſſione, morte, & ſatisfactione manifeſtè loquitur, exponit metaphoricè de moleſtijs quas populus Iudaicus peccando exhibuit Deo. Quid violentius aut abſurdius dici poteſt? quid Iudaicæ perfidiæ accommodatius?

Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Caluinus vult hoc dictum ironicè.

Ad Hebr. 5. v. 7. *Exauditus eſt pro ſua reuerentia*; Græcè, Εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας: Caluinus εὐλάβειαν exponit metum & dubitationem; dicitque ſignificari Chriſtum adeo terribili mortis terrore concuſſum, vt quaſi in deſperationem incideret ſalutis æternæ. Omitto alia plurima.

D. de Pleſſis Caluiniſta, in quodam ſuo libro de cœna Domini, pluſquam centum teſtimonia Patrum & Doctorum, parcendo mutilando, partim addendo, corrupit; & quædam argumenta quæ à Doctoribus contra veritatem adſumuntur, vt poſtea ſoluantur (ſicut D. Thomæ, & alijs Doctoribus Scholaſticis familiare eſt) tamquam ex propria illorum ſententia ſcripta eſſent, produxit. Qua de re publicè convictus fuit coram Rege Chriſtianiſſimo à Du Perreux, qui nunc Illuſtriſſ. Cardinalis. Nota ſunt ista toti Galliæ. Eodem artificio vtuntur omnes illorum ſcriptores, cum ex Patribus aliquid ſuorum dogmatum probãdum ſuſcipere.

Cæcutire lucem ajunt. Præterea omiſſis locis perſpicuis, vbi Scripturæ vel Patres aperte & de induſtria rem explicant, mé emque ſuam aperiunt, captant obſcuros, vbi obiter & aliud agentes rem attingunt. Quo modo plurima teſtimonia adferuntur non ſolum contra præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia, ſed etiam contra alios fidei Catholicæ articulos apertiſſimos, vt contra arbitrij libertatem, contra iuſtitiã interiorem, contra merita bonorum operum, contra auctoritatem Conciliorum. &c. Nihil enim eſt adeo perſpicuum in fide noſtra, quod non locis aliquibus obſcuris Scripturæ vel Patrum, in ſpeciem oppugnari poſſit, nihil adeo abſurdum, quod non defendi. Quid enim abſurdius dici poſſit, quàm Chriſti corpus eſſe vbique, ſicut & diuinitas? Et tamen hoc plurimis teſtimonis Scripturarum & Patrum confirmare nituntur. Quid abſurdius, quàm Deum eſſe auctorem omnium malorum? hominem non eſſe liberi arbitrij? Et tamen multa loca obſcura ex Scripturis & Patribus ad hæc ſtabilienda adducunt.

Si veritas quæritur, cur omiſſis locis perſpicuis confugiunt ad obſcura, & in his explicandis non acquieſcunt iudicio Patrum & veterum Doctorum, qui ante noſtra tempora fuere, ſed ſuo ſenſu dumtaxat niti volunt? Cum aliqua Patrum obſcura dicta in ſpeciem faueãt, ea ſedulò producunt, & ſuam doctrinam Patrum auctoritate communire nituntur. Cum verò Catholici contrà ex Patribus adferunt; quæ illorum doctrinam clarè euertunt, reſpondent, Patres fuiſſe homines errori obnoxios, ſe niti verbo Dei quod errare nequeat.

Reijciunt patres. Si dicas, etiam Patres verbo Dei niti: reſpondent Patres mentem verbi diuini non eſſe aſſecutos, ac proinde deceptos. Si petas, quomodo ſciant ipſi Patres non eſſe aſſecutos verum ſenſum verbi Dei, ſe verò eſſe aſſecutos: reſpondent id eſſe euidens ex verbo Dei. At quomodo euidens, cum tam diuerſæ ſint interpretationes, & omnes Patres aliter interpretẽtur quàm ipſi; & Lutherani aliter quàm Caluiniſtæ vel Anabaptiſtæ? Euidens, inquiunt, eſt habenti ſpiritum, alijs non eſt euidens. Sic ſingularum ſectarum patroni reſpondent, & vltimum iudicium de ſingulis dogmatibus in ſpiritum priuatum reducunt.

Vltimũ iudicium referunt ad ſpiritum priuatum. Dicunt igitur Caluiniſtæ, omnes Patres, omnes Doctores Eccleſiæ, omnia Concilia Oecumenica caruiſſe ſpiritu intelligendi Scripturas; eodem carere Lutheranos & Anabaptiſtas; ſed ſe hunc poſſidere; ſoliſque Caluiniſtis hunc diuinitus conceſſum, & idcirco ſibi manifeſtum eſſe, quidquid docent, eſſe purum putum verbum Dei. Idem dicunt Lutherani de Concilijs, Patribus, & Doctoribus Catholicis, & de Caluiniſtis ac Anabaptiſtis, nimirum eos carere ſpiritu; ſibi verò ſolis hunc datum: & idcirco ſibi manifeſtum eſſe, ſuam doctrinam verbo Dei eſſe conſentaneam. Denique Anabaptiſtæ hunc ſpiritum ceteris omnibus abrogant, & ſibi ſolis vendicant proprium.

Verum quàm hæc omnia ſunt abſurda, & ab omni ratione aliena? Quàm incredibile eſt, omnes Doctores Catholicos & Patres caruiſſe ſpiritu intelligendi Scripturas; & hunc ſpiritum ſolis Caluiniſtis datum, vel ſolis Lutheranis, aut Anabaptiſtis? Quam vanum & friuolum eſt, vt quæque ſecta hunc ſpiritum ſolis ſuis cultoribus proprium aſſerat, nec id aliter probet, quam id eſſe manifeſtum habenti ſpiritum, & cum cui id manifeſtum non ſit, non habere ſpiritum? Nonne hoc eſt ambulare in circuitu, & principium petere, & omnem controuerſiam in id quod maximè obſcurum eſt, & nemini alteri conſtare poteſt, reſoluere? Vnde enim ſciam te habere ſpiritum? Quando vnquam Doctores Eccleſiæ Catholicæ hoc modo ſua dogmata probarunt? Omnis enim probatio debet fieri per id quod aduerſario eſt manifeſtius, & facilius ab eo conceditur. At illa probatio ſuper qua omnia illorum dogmata ſunt fundata, procedit ex eo quod maximè eſt obſcurum, & ſolo nititur teſtimonio priuati hominis, qui in cauſa eſt pars & accuſator. Non enim potes mihi probare, te habere illum ſpiritum, niſi ſolo tuo teſtimonio, quod de teipſo perhibes. At qui de ſeipſo teſtimonium perhibet, teſtimonium eius non eſt verum, hoc eſt, non eſt habendum verum niſi alijs modis probetur. At illi, v.g. Caluiniſtæ, alijs modis probare non poſſunt, ſe hunc ſpiritum priuatum habere, ſed volunt ſibi credi ad nudam ſuam aſſeuerationem, qua dicunt id ſe certò ſcire. Itaque nulla ratio eſt, cur illis fideles ſit adhibenda; quin potius maxima ratio ſuppeditat, cur omnibus fides ſit abroganda. Spiritus enim Dei non poteſt ſibi eſſe contrarius; illi autem & inter ſe, & ſibi ipſis contrarij ſunt: ergo ſpiritu Dei non reguntur. Iſam. 8.

His adde, & hoc quoque ad fraudem & doloſam machinationem pertinere. Receſſerunt illi à fide antea, quæ tot ſæculis viguit, & nouitias Religiones ſũt amplexi. Iam cipes, iuxta morem Eccleſiæ iam inde a Conſtantini temporibus receptum, eos compellere volunt, vt ad antiquam Religionem, quam profeſſi aliquando fuere, redeant, & nouitates illas deſerant: quam ob cauſam conquerũtur ipſi de Principibus Catholicis, eoſque tyrannidis accuſant, & inimicos Euangelij vocant, totoque orbe illis inuidiam cõcitant, tamquam qui conſcientijs contra ſalutem æternam vim inferant: denique prætextu huius libertatis bella & ſeditiones aduerſus eos concitant. At verò, cum ipſi, Deo ob peccata noſtra permittente, rerum potiti fuerint, nullam libertatem Catholicis concedunt, ſed aſperrimas perſecutiones aduerſus eos excitant, & cogunt variis tormentis, & bonorum confiſcatione deſerere Religionem antiquam, & capeſſere nouam, quam ipſi numquam didicere, cui numquam nomen dedere, cui nihil omnino debent, quam nullis idoneis argumentis confirmatam vident, quã maximis & grauiſſimis rationibus ab Eccleſia in toto orbe Chriſtiano vident damnatam. Hoccine eſt agere bona fide, animo ſincero, æquo iure? Nonne hæc eſt ſocietas leonina, cui omne ius in armis & potentia, quæ figit & refigit leges pro ſuo commodo? Et quænam poſſit eſſe maior tyrannis in conſcientias, quàm iſta?

Numquam in Eccleſia coacti ad fidem Catholicam, niſi qui illam aliquando profeſſi fuerant, idque non niſi poſt idoneam & plenam probationem, cui reſpondere deſertores non poterant. At illi noſtri Nouatores cogunt eos qui numquam ipſorum nouitates fuere profeſſi; idque priuſquam eos conuincant erroris. Qua in re etiam contra ſuam doctrinam faciunt. Docent enim hominem non eſſe liberi arbitrij, ſed omnia de creto & impulſu diuino agere, cui reſiſtere nequeat, & Deum ſolis electis ſuis fidem infundere. Quo iure ergo Catholicos ad fidem cogunt, quæ non eſt in ipſorum poteſtate? Deinde cum tota credendi ratio iuxta eorum placita ad ſpiritus interni teſtimonium reuocetur, inique faciunt compellendo Catholicos vt credant, non ſolum contra teſtimonium ſpiritus interi priuati, ſed etiam contra teſtimonium publicum ſpiritus Eccleſiæ vniuerſalis. Certum enim eſt ex Scripturis, Eccleſiam ſpiritu Dei regi, & ideo errare non poſſe: hoc tamen non eſt vllo modo certum de priuatis hominibus.

OCTAVA RATIO,
ex Euerſione bonorum Operum.

ILla Religio quæ omne ſtudium bonorum operum tollit, Chriſto non eſt deputanda, qui vbique bona opera, & obſeruationem mandatorum Dei commendat: atqui Religio Lutherana & Caluiniſtica omne ſtudium bonorū operum tollit: ergo neutra cenſenda eſt Chriſti Religio. Quòd illæ duæ Religiones tollant ſtudium bonorum operum, conſtat. Primò, Quia vtraque docet hominem omnibus ſuis operibus bonis nihilo fieri iuſtiorē coram Deo, nihil promereri mercedis æternæ, nihil minus vel ampliùs in cælo habiturum præmij, ſiue pauca, ſiue plurima, ſiue nulla bona opera fecerit: ſolam enim fidem æſtimari apud Deum, ſola fide omnem iuſtitiam contineri. Sic enim ait Lutherus: *Ego pro meritis ſanctiſſimi Petri ne vnum quidem obolum darem, vt me adiuuaret; quia ſeipſum iuuare non poteſt, ſed quidquid habet, à Deo habet per fidem in Chriſtum.* Hic apertè docet, S. Petrum propter ſua opera non fuiſſe iuſtiorem, aut plus accepiſſe boni in cælis; ſed ſolam fidem eius coronatam. Et alibi: *Ita videt quàm dives ſit homo Chriſtianus, ſiue baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam quamcunque peccaris, niſi nolit credere. Nulla enim peccata poſſunt eum damnare niſi ſola incredulitas; cætera omnia, ſi redeat vel ſtet fides in promiſſionem diuinam, in momento abſorbentur per eandem fidem.* Rurſus alio loco: *Opus bonum non poteſt docerj, niſi ledas fidem. cùm fides & opera in re iuſtificationis extremò aduerſentur; ita fit vt doctrina operum neceſſariò ſit doctrina damnatorum, & diſceſſio à fide.*

De x. præceptis, c. 1.

De captiuitate Babyl. cap. de Baptiſmo.

De votis monaſticis.

Eadem eſt ſententia Caluini, vt patet ex Inſtitut. vbi dicit, *cum iuſtitia fidei nullo modo ſociari poſſe operum iuſtitiam: nec ſolùm opera quæ fiunt ſolis naturæ viribus, ſed omnia alia, quamuis ornentur titulo, excludi per inſtitiam fidei.* Idem docet multis alijs locis.

Lib. 3. c. 11. §. 13.

Si nihil eſt meriti in operibus bonis; ſi illa non reddunt nos Deo gratiores, nec propter illa aliquid præmij in cælis capiemus; cur nos in illis fatigemus? cur fortunas noſtras in opera miſericordiæ, in ſubuentiones pauperum expendamus? cur orationi inſiſtamus? cur ieiunemus, aut corpus affligamus? Stultum eſt in ijs ſe fatigare, & de illis eſſe ſollicitum, quæ nullum fructum nobis parient. Quis non videat, per hanc doctrinam omne ſtudium bonorum operum extingui?

Lib. 3. c. 15. §. 1. & ſeq. & c. 19. §. 2. 3. & 7.

Secundò, Quia vtraque Religio docet, omnia noſtra bona opera, non ſolùm nihil boni mereri apud Deum, ſed etiam eſſe peccata, & quidem per ſe mortifera, etſi ob fidem non imputentur credentibus. Multis locis hoc docet Lutherus: a *Iuſtus*, inquit, *in omni bono opere peccat.* Rurſus: b *Opus bonum optimè factum veniale peccatum eſt ſecundùm miſericordiam Dei, ſed mortale peccatum, ſecundùm iudicium.* Rurſus alio loco: *Optimum opus noſtrum, quo à Deo gratiam, auxilium & conſolationem obtinere nitimur, nobis in peccatum reputatum eſt, ſicut ait Propheta Pſalm. 108. Et oratio eius fiat in peccatum.* Idem multis alijs locis inculcat.

a In reſolut. contra Ecc. Xiſm. & in Aſſert. a. 31. b In Aſſert. art. 32. In Aſſert. art. 29.

Eamdem doctrinam tradit Caluinus lib. 3. Inſtitut. ait: *Omnia opera hominum ſi ſua dignitate cenſeantur, nihil niſi inquinamenta & ſordes ſunt; nec vllum à ſanctis exire poteſt, opus, quod non mereatur iuſtam opprobrij mercedem.* Idem docet capit. 14. & alibi.

Lib. 3. capit. 14. §. 4.

Lib. 3. capit. 14. §. 9.

Si omnia opera noſtra bona ſunt verè peccata, ſunt inquinamenta & ſordes, quæ iram diuinam mereantur, quis non videat multo ſatius eſſe ab ijs abſtinere, quàm facere? Abſtinendo enim non peccamus, faciendo peccamus: ſatius autem eſt non peccare quam peccare. Abſtinendum itaque ab eleemoſynis, alijſque miſericordiæ operibus, imò ab omni oratione, quia hæc omnia, vt à nobis fiunt, peccata ſunt. Qua ratione efficaciùs poſſit omne ſtudium bonorum operum euerti, quàm ſi doceatur, ea non ſolùm nihilo nos facere iuſtiores aut meliores coram Deo, ſed etiam eſſe ſordes, inquinamenta, peccata?

Bona opera an requirantur vt fidei ſigna.

Nec refert quòd ſubinde dicant Deum requirere bona opera in teſtimoniū fidei, ſeu vt fidei ſigna; id enim dicunt, ne populo videantur omnia bona opera penitus è medio tollere. Sed fruſtrà hoc colore vtuntur. Nam quomodo Deus ea requirit, ſi ſunt peccata, quæ ipſe niſi miſericorditer non imputaret, æterna pœna vindicare deberet? An requirit vt in fidei ſignum & teſtimonium peccemus? Quomodo requirit in fidei teſtimonium ea quæ potiùs teſtatur fidei defectum? Nam qui de bonis operibus ſunt ſolliciti, eo ipſo teſtantur, fidem non ſufficere. Si enim fides ſufficit, vt illi volunt, & bona opera nihil iuuant; quomodo bona opera ſunt ſignum fidei? Itaque ſtudium bonorum operum non eſt ſignum fidei ſpecialis, de qua ipſi loquuntur, & cui ipſi omnia tribuunt; ſed fidei Catholicæ, qua credimus fidem non ſufficere, ſed inſuper requiri opera, quæ vitæ æternæ ſint meritoria: quàm fidem ipſi reijciunt.

Ex his clariſſimū eſt, per illas Religiones omne ſtudium bonorum operum elidi.

NONA RATIO,
ex Licentia Vitæ quam tribuunt.

ILlæ Religiones non ſunt Chriſto auctori aſſignandæ, quæ mentibus hominum timorem Dei penitus eximūt, & latiſſimam portam ad omnia ſcelera omnemque vitæ impuritatem aperiunt. Vbique enim Scriptura nobis timorem diuinum injicit: nec quidquam eſt quod magis ingeminet & commendet, cùm inde omnis vitæ probitas potiſſimùm pendeat. Atqui Religio Lutherana & Caluiniſtica timorem Dei mentibus hominum penitus excutiunt, & non minùs omnem ſcelerum licentiam probent quam Atheiſmus: ergo non ſunt auctore Chriſto natæ. Quòd iſtæ hoc faciant, & quidem quatuor diuerſis modis, clariſſimè oſtenſum eſt ſuprà Conſideratione ſecūda. Idem nunc breuiter oſtendo his rationibus. Primo, Quia Lutherana Religio docet Decalogum non pertinere ad fideles Chriſti, ſicut nec leges cærimoniales & iudiciales. Sic enim ait Sermone de Moyſe: *Ex textu clarè patet quòd etiam decem præcepta ad nos non pertineant; non enim nos, ſed ſolùm Iudæos Dominus ex Ægypto eduxit. In nouo Teſtamento Moyſes non tenet: ſi eum in vno articulo obſeruarem, debitor fierem vniuerſa legis obſeruandæ.* Idem fusè docet in capit. 4. Epiſtol. ad Gal. & in ca. 20. Exodi. Si Decalogus non magis nos obligat quàm leges cærimoniales, vt expreſsè docet in capit. 4. Epiſt. ad Gal. ergo ſicut non teneor ſeruare legem cærimonialē, v. g. circumcidere carnem, comedere agnum paſchalem, ſeruare ſabbata, &c. ita nec moralem ſeu Decalogum. Si ſolutus ſum Decalogo, quid mihi non liceat? poſſum itaque idola exteriùs colere, parentes & magiſtratus contemnere, committere homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia. & ſimilia quæ Decalogo vetantur: ſicut poſſum facere ea quæ legi cærimoniali repugnant.

Et quamuis Caluinus eamdem doctrinam de Decalogo non apertè tradat, occultè tamen eam ſatis inſinuat. Primò, cùm docet, *legem Dei etiam Sanctis eſſe impoſſibilem.* Si eſt impoſſibilis, ergo non obligat: nemo enim obligatur ad impoſſibile. Nullus vnquam Tyrannus ſubditos ſuos ad impoſſibilia obſtrinxit; & Deus id faceret? Abſit abeo tam barbara inmanitas. Hoc ergo ipſo quo Decalogus cœpit eſſe impoſſibilis, deſijt eius obligatio: ac proinde nihil ad nos pertinet. Deinde, quia Caluinus docet, omnia opera noſtra eſſe inquinamenta, ſordes, & peccata, coram Deo: at nemo poteſt obligari ad peccatum: ergo non obligamur vt vel conemur quidem Decalogum vel aliquam eius partem implere. Idem alijs rationibus poſſem confirmare, ſed hæ ſufficiant. Ex quibus conſtat, eum iuxta Caluini placita, Decalogum nihil ad nos pertinere.

Lib. 2. Inſtit. c. 7. §. 51.

Secundò, Hæ duæ Religiones nullum faciunt diſcrimē operum bonorum & malorum coram Deo, ſed ſolùm coram hominibus. Sicut enim opera quæ dicūtur mala, apertam malitiam habent, ita operibus bonis iuſtorum tribuūt malitiam occultam propter concupiſcentiam internam, ratione cuius malitiæ volunt hæc eſſe peccata mortifera coram Deo. Si ita eſt, cur potiùs incumbam operibus bonis cum naturę afflictione, & diſpendio fortunarum, quā prauis, quibus magna voluptas & vtilitas ſæpè eſt coniuncta? Cùm enim vtraque ſint mala coram Deo, cur non potiùs præferam illa in quibus voluptas vel vtilitas temporalis, ijs in quibus moleſtia, fatigatio, diſpendium?

Tertiò, Quia vtraque Religio docet, hominem per ſolam

solam fidem specialem esse iustum coram Deo absque vllis bonis operibus: & illi qui fidem hanc habet, nullum peccatum imputari. Ita docet Lutherus plurimis locis, vt supra ostensum est. Ex qua doctrina infert, a *solam incredulitatem esse peccatum, & solos incredulos damnandos: eum autem qui fidem retineat, damnari non posse.* Idem docet Calvinus, cùm ait: b *Omnia peccata sunt mortalia infidelibus, fidelibus enim venialia. Venialia* vocat, quia Deus ea illis non imputat, sed hoc ipso quo fiunt condonat, & veniam tribuit. Quæ doctrina clare sequitur ex illo principio, quo ipsi statuunt solam fidem specialem esse causam iustificationis, hoc est, hominem esse iustum coram Deo, eo solo quo firmiter credit, Christum plenè satisfecisse pro ipsius peccatis: per hanc enim fidem applicari ipsi Christi satisfactionem, & fieri ipsi quasi propriam, ita vt per eam iustus reputetur coram Deo, etiamsi voluntas interius non mutetur. Itaque manente hac fide, nullum peccatum ipsi nocere potest; quia manet in iustitia Christi, eamque per fidem retinet firmiter. Qua doctrina posita, non est quòd vereamur quodvis scelus patrare. Nulla enim ideirco punitio, nulla vindicta à Deo metuenda est; cum Deus illud nõ imputet ad culpam, ob satisfactionem Christi nobis per fidem communicatam.

a *Lib. de libertate Christiana, & de certitudine Salvt.*
b *Libr. 2. Instit. cap. 8. §. 58. & Libr. 3. c. 4. §. 28.*

Potestne Antichristus maiorem licentiam ad omne flagitium, omnemque vitæ turpitudinem, præbere? Fatentur id satis inimici quidam Calvinistæ in Anglia, qui ex illa de Iustificatione fidei Calvini sententia, inter cæteras has deducunt & tuentur conclusiones 1. *Omnes illi errant, qui putant se salvandos, cum multa bona opera fecerint.* 2. *Non est necesse laborare quo bonis operibus vitam eternam sequamur æternam; iam nunc enim eam tenemus.* 3. *Ut hic vanis ex præceptis erroribus qui versantur in orbe Christiano, arbitrum quid bona opera quidquam prosint ad salutem.* 4. *Peccata nostra nihil minuunt de gloria Dei, totum damnum peccati positum est in scandalo proximi.* 5. *Christus suo sanguine redemit & liberavit nos ab omnibus peccatis & legibus, vt deinceps nulla lex nos obliget in conscientia.* Hic aperte liberamur a Decalogo & ab omnibus præceptis Sacramentorum. 6. *Nihil debet Deo nisi fidem, vt confitearis Christum Iesum, & credas eum surrexisse à mortuis; sic enim salvus eris; in reliquis omnibus Deus liberum tibi facit vt sequaris voluntatem tuam. Omnia enim facere potes absque scrupulo conscientiæ. Neque enim perire vel damnari potes quidquid externè vel feceris vel infectum reliqueris.* Hæc omnia illi deducunt (& quidem rectissimè) ex illo de Iustificatione per fidem specialem fundamento a Luthero & Calvino posito: in quorum etiam scriptis pœnè hæc omnia expressè habentur. Quis maiorem licentiam optare vel fingere posset ad omne flagitium?

Refert ex Foxo Card. Reginaldus l. 4. fig. 1020.

His adde quæ suprà Consideratione secunda dicta sunt; vbi tres alios modos posuimus; quibus hæc licentia conceditur. Omitto etiam fenestram illam quam Calvinus aperuit, cum docuit lib. 3. cap. 25. §. 12 *pœnam damnatorum nihil esse aliud, quam sentire Deum adversum, & ab eo terreri, etsi nobis per res corporeas ea pœna figuretur; vt per tenebras, fletum, stridorem dentium, ignem inextinguibilem.* Quibus verbis satis aperte indicat, infernum nihil aliud esse quàm vanos terrores. Si enim Deus nihil mali infert, sed solum terret damnatos; profectò vanus est ille terror ac ridiculus, vanæ inferorum pœnæ, ac nihil pendendæ.

DECIMA RATIO, *ex eo quòd Hæreses antiquas renoncent.*

OMnis Religio vitanda, quæ continet hæreses olim ab Ecclesia Catholica damnatas, quæ semper pro hæresibus habitæ fuere. Atqui Religiones istæ novæ continent tales hæreses; imo nihil videntur esse aliud, quàm diuersarum hæresum a diuersis hæresiarchis diuersis sæculis traditarum, & olim per Ecclesiam Catholicam proscriptarum colluvies: ergo sunt vitandæ. Minor nobis probanda. Consideremus ergo præcipua harum Religionum dogmata.

1. Vterque, nimirum Lutherus & Calvinus, docet, *nullam esse arbitrij libertatem.* Et Lutherus artic. 36. affirmat, hoc esse præcipuum suæ Religionis fundamentum. At illa fuit olim hæresis Simonis c Magi & Valentini, teste Augustino hæresi 11. & d Manichæorum. & e Vvicleff. &c.

2. Vterque docet Deum *esse impulsorem omnium scelerum, & omnia mala fieri ex vi decreti divini.* At olim fuit ista hæresis Simonis f Magi, & g Plotini.

3. Vterque docet, *non esse necessaria ad salutem bona opera, sed sufficere fidem.* At hæc fuit olim hæresis Simonis h Magi, i Eunomianorum circa annum Domini 360.

4. Vterque docet, *habenti fidem nihil obesse peccata quantumlibet multa & magna; horum enim malitiam non imputari credenti.* Quæ olim etiam fuit hæresis k Eunomianorum; & Basilidis & Carpocratis, teste Irenæo lib. 1. c. 23. & 24.

5. Calvinus *negat præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia.* At hæc olim fuit hæresis Berengarij circa annum Domini 1051. Vbi notandum Primo, Etsi aliqui priùs ante Berengarium ea de re dubitauerint, & quæstionem mouerint, neminem tamen fuisse ausum, hoc publicè profiteri, vt testantur Hugo Lingonensis & Adelmannus Brixiensis in Epistolis suis ad Berengarium, & Paschasius lib. de verbis institut. huius Sacramenti. Itaque fuit hæc cõstans Ecclesiæ doctrina, omnibus hæresiarchis intacta vsque ad tempora Berengarij. Secundò, Sententiam Berengarij ipso viuo fuisse in quinque Conciliis damnatam, & ipsum Berengarium ter suam sententiam abiurasse, & tandem in fide Catholica cum magna pœnitentia mortuum. Quo mortuo extincta fuit illa hæresis ferè per ducentos annos vsque ad Lollardos, qui eam renouarunt, vt colligitur ex Trithemio in Chronico. Hirsaugiensi ad annum 1315. Eamdem postea tenuit Vvicleff, vt patet ex art. eius 3. Quo mortuo rursus extincta fuit per centum circiter annos, vsque dum Svvinglius eam restituit; quem Caluinus & aliquot alij sunt secuti. Ex quo manifestè apparet, hanc sententiam semper in Ecclesia pro manifesta hæresi habitam. Itaque vel Ecclesia semper in primario fidei articulo erravit, & sic numquam Ecclesia Christi fuit; vel sententia illa, quæ realem corporis Christi præsentiam Eucharistiæ abrogat, reverà hæresis est.

c *Clemen. li. 3. recognitionum.*
d *August. hæresi 46. Hieronym. Prologo contra Pelagianos.*
e *In Concilio Constant. sess. 8*
f *Vincentius Lirin.*
g *Euseb. hist. l. 5. c. 20.*
h *Irenæus li. 1. c. 20.*
i *August. hæresi 54.*
k *August. hæresi 54.*

6. Vterque tollit *omnes traditiones, & solis Scripturis omnia vult contineri.* Eadem fuit hæresis Arrianorum; vt constat ex D. Augustino; item Nestorij, Dioscori, & Eutychetis: vt habetur in septima Synodo Act. 1.

Lib. 1. contra Maximū ca. 2. & alt.

7. Vterque negat *Sacramentum Pœnitentiæ & Confirmationis.* Eamdem hæresim olim docuere Nouatiani, teste l Cypriano, & m Theodoreto.

8. Vterque docet *Ecclesiam solis bonis constare: & Ecclesiam olim visibilem, multis sæculis periisse: hoc verò tempore in suo tantum cœtu existere.* Similis planè fuit hæresis Donatistarum; vt testatur D. August. lib. de vnitate Ecclesiæ c. 12.

l *Libr. 4. Epist. 2.*
m *Lib. 3. hæretic. fabularum.*

9. Vterque docet *non esse orandum pro defunctis: non esse seruandum ieiunium Quadragesimæ, aut alia statuta ieiunia; sed cum cuique visum fuerit, ieiunandum.* Idem olim docuere Aeriani, teste Epiphanio hæresi 75. & Augustino lib. de hæresib. cap. 33.

10. Vterque negat *venerationem sacrarum Reliquiarũ, Imaginum Christi ac Sanctorum, & vocat idololatriam.* Idem olim fecit Vigilantius, teste Hieronymo: fecere & Iconomachi, teste Zonara, Cedreno, Nicephoro, de Iconomachis.

Ex his luce meridiana clarius est, præcipua dogmata, quibus Lutherana & Caluinistica Religiones constant, esse hæreses antiquas, iam olim ab Ecclesia damnatas; eaque semper pro hæresibus in Ecclesia habita fuisse. Idem facile de cæteris n ostendi potest. Vnde sequitur, has Religiones nihil esse aliud: quàm veterum & iam olim profligatarum hæresum colluuiem.

n *Vide Bellarminum de notis Ecclesiæ c. 9. et Coccium de signis Eccles. lib. 8. art. 3.*

VNDECIMA RATIO, *ex Defectu regulæ credendi.*

IStæ Religiones nouæ nullam habent certam credendi regulam, quam sequantur: ergo non sunt admittendæ. Capita enim Religionis debent esse definita, certa & immutabilia.

Quòd nullam certam credẽdi regulam habeant, ex qua statui possit, quid sit necessario credendum, quid minime; constat Primò: Quia neque traditiones Ecclesiæ, neque Conciliorum Oecumenicorum auctoritatem, neque

veterum Eccleſię Doctorum, & eorum qui ante noſtras lites extiterunt, iudicium admittunt.

Lib. 4. cap. 8. §. 6. 7. 8. & in antidoto ad 4. ſeſſ. Conc. Trident. In art. 115. & ſequentibus.

Traditiones omnes reiecit Lutherus in capit. 1. ad Galatas, & Caluinus lib. 4 Inſtitut. docentque, nihil credendum, nihil recipiendum, quod in Scriptura Sacra nõ contineatur.

Concilia Oecumenica, quæ hactenus in Eccleſia ſummam auctoritatẽ habuere (tunc enim veluti comitia principum & magnatum in regno Chriſti) *ita contemnit* Lutherus, *vt quidquid illa definierint, id omne cuiuſuis priuati hominis iudicio ſubiectum eſſe velit.* Immo dicit *eſſe rem inſanam; qui de Concilii vim iudicare velint quid ſit credendum.* Ibidem docet; *quid credendum ſit, quid non, ad relinquendum iudicio cuiuſuis vere ſpiritalis.*

Lib. 1. cap. 7. §. 1. 2. 4.

Idem inſinuat Caluinus cum ait, *non eſſe Eccleſiæ iudicare qui libri ſint Canonici, ſed hoc ad ſpiritum internum pertinere.*

Lib. contra Regem Angl. &.

Denique quod ad Patres attinet, Lutherus *non curat mille Auguſtinos, mille Cyprianos.* Caluinus etiam plurimis locis *eos contemnit, & errare affirmat,*

Nihil igitur horum eſt illis credendi regula.

An Scriptura ſit ſufficiens regula fidei.

Sed inquiunt: Ipſa Scriptura eſt nobis regula credendi: hæc enim errare non poteſt. Verum facile eſt oſtendere hãc regulam non ſufficere. Primo, Quia per hanc regulam, non poſſumus iudicare de ipſamet Scriptura; & ita ipſa regula nobis incerta manebit, quæ tamen ante omnia debebat eſſe certiſſima. Ex Scriptura enim conſtare non poteſt hunc librum eſſe verè Scripturam, non eſſe ſuppoſititium, non eſſe confictum ab aliquo impoſtore: hanc vel illam ſententiam non eſſe peruerſam, non eſſe infertam: denique nihil eſſe additum vel detractum quod ad doctrinæ ſubſtantiam pertineat. Hoc totum ex Scriptura conſtare non poteſt, ſed ſolum coniecturis quibuſdam humanis parum firmis probari, ſemota Eccleſiæ traditione: & ſic totum fidei noſtræ fundamentum coniecturis incertis nitetur. Deinde Scripturæ vis non conſiſtit in ſono verborum, ſed in ſenſu, qui eſt vita & anima Scripturæ. At poſſunt eſſe mille controuerſiæ de ſenſu; quæ etiam ex ipſa Scriptura, ſemota traditione & Patrum expoſitione, non poſſunt dirimi, vt experientia conſtat. Nam de ſenſu illorũ verborum, *Hoc eſt corpus meum*, & multorum aliorum, acerrime diputatur inter Lutheranos & Caluiniſtas, &c.

An iudicio de ſcripturis ad ſpiritum internum pertineat.

Si dicas cum Caluino, iudicium de Scripturis & earum ſenſu pertinere ad ſpiritum internum; hoc nihil eſt aliud, quam dictamen ſpiritus interni, id eſt, iudicium priuatum cuiuſque, primam credendi regulam conſtituere. Quiſque enim dicere poteſt ſe ſpiritum habere, & huius inſpiratione iudicare hanc partem eſſe S. Scripturam, non illam: hunc eſſe ſenſum, non illum. Sic Lutheranus ex ſuo ſpiritu iudicat Epiſtolam Iacobi eſſe ſtrammeam, & Apocalypſim Ioannis dubiæ auctoritatis: Caluiniſta vero ex ſuo ſpiritu iudicat vtrumque eſſe verbum Dei. Sic Lutherus ex ſuo ſpiritu iudicat *abolendam eſſe ſanctam opinionem quod ſint quatuor Euangelia; nam Euangelium Ioannis eſſe vnicum ſanctum, verum, ac principale, eiſque tribus longè anteponendum. Similiter Pauli Epiſtolæ ac Petri longè præcedant*, inquit, *tria Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ.* Libenter illa reieciſſet; quia aperte ſtatuunt meritum, & neceſſitatem bonorum operum, & obſeruationis mandatorum, & commẽdant caſtitatem & paupertatem: ſed cum non auderet prorſus reijcere, voluit eleuare auctoritatem, & inſinuare non eſſe ſpiritu diuino conſcripta.

In prologo noui Teſtamenti.

Pari modo Caluinus ex ſuo ſenſu iudicat illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, nunc habere ſenſum; Hic panis eſt figura corporis mei. Lutherus verò; Hic panis eſt vere corpus meum. Omitto alia innumera. Ex quibus patet, iudicium priuatum cuiuſque conſtitui Regulam credendi; vel quod idem eſt, ipſam Scripturam ſecundum priuatum cuiuſque iudicium expoſitam.

Secundò. Illa non eſt idonea credendi regula quæ contrarijs dogmatibus æque accommodatur. Atqui Scriptura contrarijs Religionibus & dogmatibus accommodatur. Omnes enim ſectæ huius temporis, etſi in plurimis & maximis capitibus hoſtiliter diſſideant, hanc ibi regulam adoptant, eamque ſuis placitis accommodant. Lutherani enim dicunt ſe Scriptura niti: ſimiliter Caluiniſtæ: tantumdem & Anabaptiſtæ. Neque mirum, quia ſinguli Scripturam accipiunt non iuxta communem intellectum Eccleſiæ, aut Patrum communem expoſitionem, ſicut Catholici; ſed ſecundum priuati ſpiritus cuiuſque ſenſum. Quo modo facilè omnibus hæreſibus accommodari poteſt. Vnde liquet, hanc regulam ſic acceptam eſſe nullius momenti, & totam reduci in iudicium priuatum cuiuſque.

Tertiò, Si eſſet aliquis Iudex qui ita ferret ſententiam in quauis lite, vt non poſſet liquido conſtare vtri parti cauſam adiudicaret; ſed vtraque pars cõtenderet eam ſibi adiudicatam, & ſententiam Iudicis clarè à ſe ſtare; ille omnium mortalium iudicio non eſſet idoneus Iudex: nã nulla lis poſſet terminari per eius ſententiam. Tanta enim poſt ſententiam eſſet controuerſia de ipſa ſententia vtri faueat, quanta fuerat ante de iure partium. Atqui talis iudex eſt Sacra Scriptura, ſepoſita Eccleſiæ & Patrum expoſitione. Semper enim ita fert ſententiam, vt non poſſit liquido conſtare vtrique parti, vtri faueat; ſed vtraque pertinaciter affirmat, perſpicuum eſſe, eam à ſe ſtare. Hinc fit vt numquam finiantur controuerſiæ. Ridiculum itaque eſt ſolam Scripturam conſtituere iudicem. Talis enim in omni controuerſia debet conſtitui Iudex, qui ita poſſit ferre ſententiam, vt omnibus, & maximè vtrique parti clarè conſtet, vtri faueat alioquin numquam illa controuerſia finiri poterit. Qui ergo Scripturam ſolam Iudicem faciunt, eo ipſo apertè indicant, ſe nullum Iudicem, quo cauſa poſſit decidi, admittere, præter iudicium ſuum priuatum. Perinde enim fiunt, atque ſi Titius & Caius litem ciuilem habentes, nollent alium Iudicem quam Codicem Iuſtiniani cum Pandectis, ſepoſita Doctorum interpretatione; & Titius pro ſuo iure producta aliqua lege affirmaret, per eam manifeſtè cauſam ſibi adiudicari, Caius verò negaret: ſimiliter Caius allegata alia lege diceret clarum eſſe, eam legem ſibi fauere, Titius verò negaret: & ita ambo cauſa indeciſa diſcederent: nonne res eſſet ridicula, & omnes dicerent, neutrum velle cauſam definiri? neutrum admittere alium Iudicem quam proprium iudicium? Simili planè modo hoc ipſo quo illi nolunt alium Iudicem quam Scripturam, & quiſque ſuo ſpiritui reſeruat eius interpretationem, oſtendunt ſe nolle cauſam legitimo modo definiri, nec alium Iudicem quam proprium iudicium admittere.

Quartò, Quàm non ſufficiat iſta credendi regula, indicat ipſa experientia. Nam videmus, nullum apud eos eſſe finem controuerſiarum etiam de grauiſſimis fidei capitibus. Diſſentiunt enim Lutherani, Caluiniſtæ, & Anabaptiſtæ in multis hoc tempore acerbiſſimè, & ſe mutuo damnant hæreſeos. Diſſentiunt ipſi Lutherani tum inter ſe in plurimis, tum a Luthero parente & apoſtolo ſuo: adeo vt hoc tempore numerentur tredecim præcipuæ Lutheranorum ſectæ nominibus & dogmatibus quibuſdam diſcrepantes. Diſſentiunt inter ſe Caluiniſtæ maximè in articulo de capite Eccleſię. Magna enim illorum pars hanc poteſtatem tribuit Principi ſæculari, etſi mulier ſit: vocantur hi Proteſtantes. Alij id nefas ducunt & blaſphemiam: hos vocant Puritanos. Diſſentiunt inter ſe Anabaptiſtæ in plurimis, ita vt 14. eorum ſectæ diuerſæ numerentur nominibus & dogmatibus diſtinctæ.

Denique nunc eo ventum, vt cum ſe quiſque hanc regulam ſequi, eaque niti putat, tot pæne ſint hæreſes, quot hæretici. Plerique enim, præſertim ſimpliciores, dicunt ſe parum curare quid docuerit Lutherus vel Caluinus, ſe enim adhærere S. Scripturę, & verbo Dei, in quo nullus error eſſe poteſt, & ita ſe putant valde ſecuros. Scripturam autem quiſque pro ſuo captu & iudicio intelligit. Vnde cũ ſe putant Scripturam habere regulam credendi, loco Scripturæ habent imaginationem propriam. Quod enim imaginantur ſignificari verbis Scripturæ, pro verò ſenſu Scripturæ accipiunt: ſicque quot ſunt diuerſæ hominum imaginationes, tot ſunt regulæ credendi.

Sed vnde fit, vt ſua cuique imaginatio, pura veritas, & ipſiſſimus Scripturæ ſenſus videatur? Prouenit hoc partim ex immenſa quadam phantaſia, & æſtimatione ſui: qui enim ſe magni facit, facilè ſibi perſuadet, omnes ſuas mentiones, & animi conceptiones præclaras eſſe: partim ex diabolica operatione, qui interius phantaſiam hominum peruertit, vt id quod apprehendunt, ſtatim ob leuiſſimam aliquam ratiunculam, perſpicuam veritatem putent. Cum enim homines tædio Religionis antiquę veritatem

tem anerſantur, & pruriunt auribus ad nouitates, iuſto Dei iudicio ſinuntur decipi à diabolo. Hic ergo dum interius in ſenſibus eorum operatur, putant ſe diuino ſpiritu illuſtrari, & omne de fidei dogmatibus iudicium ad hunc ſpiritum referunt. Hinc fit vt cuilibet lectæ, & fere cuilibet hominis priuato ſua apprehenſio purum Dei verbum videatur, nec curet omnes rationes, quæ in contrarium adferuntur. Significat hoc Apoſtolus cum ait: 2. Theſſ. 2. *Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* *Mittet* non imperando, ſed diabolo vires laxando, vt eos qui veritatem ſeu antiquam Religionem contempſerunt, poſſit decipere, & in mille errores agere tranſuerſos.

Sed inquiunt plerique, præſertim ſimplices: Deus non ſinet decipi eos qui humili corde ſcrutantur veritatem: ipſe enim promiſit ſe daturum ſpiritum bonum petentibus ſe: ego autem ita facio: rogo Deum vt me illuminet, & Scripturarum verum ſenſum aperiat, & ipſas Scripturas aſſiduè perlegutor.

Magna hæc eſt diaboli illuſio. Quomodo enim humili corde veritatem inquirunt, qui iudicium Doctorum Eccleſiæ, iudicium ſanctorum Patrum, & iudicium Conciliorum Oeconomicorum contemnunt? qui via a Domino cõſtituta & oblatâ vti nolunt, ſed reuelationes non neceſſarias poſtulant? A illis enim poſſent veritatem intelligere, & omni ſe errore liberare; ſed nolunt ſe illis ſubmittere, & putant certius ſua induſtria, ſuo ingenio & ſuo ſpiritu ex Scripturis nudis ſe veritatem indagaturos. Quaſi verò ſancti Patres, Eccleſiæ Doctores & Præſules, aut Scripturas ſcrutati non fuerint, aut ſpiritu Dei ſanoque iudicio fuerint deſtituti, non potuerint eas aſſequi? Quæ maior ſuperbia cogitari queat, quàm hominem priuatum, & plerumque idiotam, omnis antiquitatis, omnis diſciplinæ liberalis ignarum, ſe anteponere tantæ ſapientiæ, tantæ authoritati & ſanctitati, tantæ Doctorum numeroſitati? Non igitur putent ſe, quamdiu hac mente ſunt, aliquid à Domino impetraturos, quia male petunt, ſuperbè petunt, ſed potius a ſpiritu ſuperbiæ & mendacij, cui iuſtè Dei iudicio ob tantum crimen traduntur, decipiendos. Hic eſt ſpiritus ille quem omnes hæretici, etſi dogmatibus maximè contrarij, ſentiunt & iactant, & à quo veritatem ſibi quiſque reuelari exiſtimat. Quod certè, qui cæcus non eſt, facilè aduertere poteſt: quia ſpiritus Dei contraria non reuelat.

Accedit, quòd Scriptura ſacra nuſquam homines priuatos in dubijs fidei ad ſcrutandas Scripturas remittat, ſed ad Eccleſiam, & eos qui in Eccleſia præſident. Sic Deuteronomij 17. remittuntur in ambiguis ad ſacerdotes, qui pro tempore præſunt; quibus qui obedire noluerit, iubetur morte plecti. Ideo in Eccleſia poſuit Deus Paſtores & Doctores, ideo voluit illam toti mundo eſſe conſpicuam columnam & firmamentum veritatis: vt omnes eam facilè conſulere poſſent, & in eius ſententia ſecuriſſimè acquieſcere. Non omnibus datur ſpiritus intelligendi Scripturas, vt ex Apoſtolo conſtat: 1. Cor. 12. 1. Ioan. 4. *Noli omni ſpiritui credere, ſed probandi ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* Itaque etſi ſpiritus tibi aliquid ſuggerat, nondum es ſecurus: non enim certus es illum à Deo eſſe. Conſtat enim innumerabiles eſſe deceptos: nam omnes hæretici hunc ſpiritum iactant. 2. Cor. 11. *Transfigurat ſe ſæpenumero angelus ſatanæ in angelum lucis.* Ex his conſtat, ſpiritum priuatum regulam credendi eſſe non poſſe.

DVODECIMA RATIO, ex Abſurdo.

SI aliqua ex iſtis nouis, verbi gratia, Caluiniſtica Religio, eſſet vera Chriſti Religio; præter cetera abſurda ſuprà inſinuata, hoc quoque ſequeretur, omnes Catholicos, qui à temporibus Apoſtolorum hactenus exiterunt, damnatos eſſe, & æternis ignibus addictos: quia iuxta huius Religionis primarium dogma caruerunt fide iuſtificante; ac proinde iuſtitia coram Deo. Vnde permanſerunt in peccatis ſuis, & in illis ſunt mortui. Fides enim neceſſaria ad iuſtificationem, vt hæc Religio tradit, eſt illa qua homo firmiter credit ſe eſſe iuſtum coram Deo propter Chriſti ſatisfactionem, quæ ipſi per hanc fidem applicetur & imputetur.

Hanc autem fidem conſtat orbi ignoram vſque ad Luthen tempora fuiſſe. Neque ipſe diſſimulat, ſed potius gloriatur quòd veram rationem iuſtificationis à veteribus obſcuratam mundo patefecerit. Idem conſtat ex omnium veterum ſcriptis: tum quia præter fidem Chriſti requirunt internam voluntatis mutationem, & propoſitum ſeruandi totam legem: tum quia damnant illam ſecuritatem ſalutis, & volunt nos cum timore & tremore ſalutem ſuam operari, & ſemper eſſe ſollicitum. Vnde fidem illam ſpecialem, qua quis certo credat ſe eſſe iuſtum, omnes reijciunt vt meram præſumptionem. Etſi enim credendum ſit, Chriſtum ex parte ſua pro nobis plenißime ſatisfeciſſe; non tamen conſtat nobis vtrum nos fecerimus ea omnia, quæ ex parte noſtra ſunt neceſſaria, vt huius ſatisfactionis ſimus participes; & vtrum ea aliquando non excidemus.

Perſpicuum igitur eſt, omnes veteres hac fide caruiſſe. Damnati ſunt igitur tot ſancti Patres, tot Martyres, tot Virgines. Damnati Irenæus, Iuſtinus, Gregorius Thaumaturgus, Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Damaſcenus, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Martinus, Nicolaus, Antonius, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus. Damnati Laurentius, Vincentius, Sebaſtianus, Catharina, Cæcilia, Agnes, & alij innumerabiles, qui vel ſanctitate & miraculis, vel martyrij gloria mundo admirabiles fuere. Denique damnati ſunt omnes maiores noſtri, qui retro vſque ad tempora Apoſtolorum extiterunt. Et vt Tertulliani verbis vtar: *Perperam tot ſæculis euangelizatum, perperam creditum, tot millia multarum perperam tinctæ, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.* *Lib. de præſcript. aduerſus hæreticos.*

At quàm hæc omnia ſunt incredibilia, abſurda & blaſphema? quàm totius orbis & omnium ſæculorum iudicio contraria?

Neque dici poteſt eos fuiſſe excuſatos per ignorantiam: quia nemo ſine fide, ſine iuſtitia Chriſti, ſine redemptionis Chriſti participatione, ſine remiſſione peccatorum, ſaluus eſſe poteſt; vt vbique Scriptura, præſertim noui Teſtamenti, docet. Nulla ignorantia efficere poteſt, vt abſque illis ſalutem aliquis conſequatur. Nullum itaque hic eſt effugium, vel illi omnes damnati ſunt, vel Religio Lutheri & Caluini in primario ſuo dogmate de Iuſtificatione falſa & impia.

En duodecim Rationes, quibus clarè demonſtratur Religiones iſtas nouas eſſe vitandas tam quam falſas & perniciosas. Sequitur nunc vltima Conſideratio.

Conſideratio decima, & concluſio totius Deliberationis.

POſtremò illa Religio amplectenda in vita, quam in hora mortis nos tenuiſſe volemus, & cuius iuſtam rationem, cum ante tribunal Chriſti ſtabimus, reddere poterimus. De rebus enim agendis non poteſt melior inſtitui deliberatio, quàm ex mortis & iudicij æterni conſideratione: nimirũ vt illud hic deligamus, quod in illo articulo nobis maximè poſſit prodeſſe; illud vitemus, quod nobis tũc certam perniciem, vel ſaltem periculum adferre poſſit. Atqui talis eſt Religio Catholica. Quòd enim iuſtante morte hanc præferemus, patet.

Primò, Plurimorum exemplo, qui etſi hæreticè vixerint, quando tamen moriendum eſt, cupiunt mori Catholici: iudicant enim id eſſe ſecurius.

Secundò, Quia quiſque tunc optat ſe plurima opera bona feciſſe, & magno ſtudio omnia peccata vitaſſe; ad quorum vtrumque inducit efficaciter Religio Catholica: ad neutrum Lutherana vel Caluiniana, ſed potius ad bonorũ operum contemptum, & licentiam vitæ.

Tertiò, Quia Religio Catholica habet multa remedia, quæ in tremendo illo tranſitu non ſunt contemnenda, vt pœnitentiam peccatorum, abſolutionem ſacerdotum, Sacramentum extremæ Vnctionis & Euchariſtiæ, quæ magnam conſolationem & fiduciam fidelibus adferunt. his enim ſatisfactio Chriſti nobis communicatur. Nuda illa fi-

des res est valdè frigida & imbecilla in illo articulo. Quomodo enim semo tibi persuadere poteris Christum tibi esse propitium, te esse iustum & saluandū per Christum, qui remedia ab ipso instituta contemnis, & extra communionem Ecclesiæ Catholicæ mori constituis? Omnes sectæ huius temporis hanc fidem iactant, & tamen non omnes saluæ fiunt. Vnica enim est vera Christi Religio, extra quam nemini est salus; vt non solum omnes Catholici, sed etiam Lutherani, Caluinistæ, & Anabaptistæ docent. Nihil ergo proderit illa tua fides specialis, nisi Christi veram Religionem tenens.

Quid Catholicus in extremo iudicio respondeat.

Quòd etiam facilè rationem sui facti supremo Iudici reddituri sint, qui Catholicam sunt sectati, neque hac ex parte aliquid eis periculi impendeat, perspicuum est. Faciamus enim me stare ante tribunal illud tremendum, & interrogari, cur Religionem Catholicam, seu Papisticam, vt illi vocant, sectatus sim, & non potiùs ea deserta ad nouam illam ex Caluini reformatione creatam transierim. Respondebo cum summa securitate: Ideò Catholicam tenui, quia hæc docet à rebus terrenis auocare animum, & transferre ad amorem cælestium: docet carnem domare, & de timore configere, bonis operibus insistere, Superioribus obedire, vacare orationi, & omnem peccandi licentiam præscindere. Ideò Catholicam tenui; quia in hac video plurimos, sapientia, sanctitate, miraculis, & prophetiæ spiritu toti mundo admirabiles; quos impossibile est in tanto negotio fuisse deceptos: quia huic video singulis fœcialis à Deo per miracula plurima testimonium perhiberi: quia in hac video diuinas promissiones impleri: est enim hæc diffusa per totum orbem. Ad hanc facta est hactenus, & fit assiduè Gentium conuersio: in hac summa Doctorum omnibus sæculis in capitibus fidei concordia: in hac successio perpetua cathedræ, & nunquam omnino cum Apostolis connexio: in hac omnium controuersiarum velox decisio. Hæc per tot sæcula contra omnes hæreses & persecutiones Tyrannorum stetit immobilis, nec quidquam portæ inferi aduersus eam præualere potuerunt. Contraria omnia in illis nouis Religionibus deprehendi. Nulla itaque fuit mihi ratio ab hac Religione discedendi, aut vllo modo de ea dubitandi.

Verùm vt cetera quæ commemorauī omittam; nonne satis est ad omnem securitatē, quòd conscius mihi sim, eamdem Religionem me secutum, quam video secutos viros sanctissimos, & miraculis clarissimos, Malachiam, Bernardum, Dominicum, Franciscum, & alios omnes qui iam à quingentis annis cœlesti conuersatione & stupendis operibus orbi fuerunt admirationi? Clarè enim constat, fieri non potuisse vt illæ cœlestes animæ, Deo adeò deuotæ & addictæ; adeò charæ & familiares, in re tanta fuerint deceptæ. Secure itaque hos duces in negotio Religionis sequor.

Quid hæreticus respondeat.

Tu verò qui aliam aliquam sectatus es Religionem: quā obsecro facti tui rationem reddere poteris, quando in illo tremendo iudicio interrogaberis? Respondebis fortè Iudici: Ideò Catholicam deserui, quia putabam illam plenā idololatria, & superstitionibus, & traditionibus humanis; putabam in ea præsidere Antichristum; putabam Catholicos niti suis meritis, non tui sanguinis pretio.

Sed quid si tunc detersa fascinatione diabolica, quæ iam mentem occupat, videas clare te deceptum, quid consilij capies? non enim erit amplius pœnitentiæ & resipiscentiæ locus. An forte ignorantiam allegabis? At hæc non excusabit: quia facile veritatem cognoscere potuisses, si eam diligentiam quam res postulabat, præstitisses. Nec vnquam tibi defuit iusta ratio dubitandi, quæ te ad hoc stimulare debebat. Sicut ergo Iudæos non excusabit, quòd per ignorantiam erraverint, quia veritatem cognoscere potuerunt; ita nec te excusabit. Vt enim absque flagitio posses à Catholica recedere, oportebat non solum putare, & obscuras aliquas suspiciones opinari, sed certissimè scire, & omni affectu sepositō exploratissimum habere, illa mala Catholicæ Religioni inesse, ita vt nullus amplius in animo relinqueretur scrupulus, nulla iusta dubitandi ratio. Tantùm verò abest, vt huiusmodi certitudinem de erroribus Ecclesiæ habueris, vt nulla vel probabilis ratio tibi suppeditarit.

Quia enim probabilitate & specie veritatis in animum inducere potuisti, eam Religionem idololatriæ & tantis erroribus esse obnoxiam, quam videbas à tot sapientia & sanctitate vitæ illustrissimis viris, tot annorum centurijs cultam? quam tot miraculis & martyrijs confirmatam? quam toto orbe diffusam? in qua & summa Doctorum concordia, & perpetua successio, & clara cum Apostolis continuatio & connexio? Quomodo fieri potest, vt tot sæculis nemo Doctorum, nemo Sanctorum hanc idololatriam, has superstitiones & errores notauerit?

Rursum, quomodo in animum inducere potuisti, eam esse veram Christi Religionem, quæ Deum auctorem & impulsorem omnium scelerum statuit? quæ hominibus arbitrij libertatem eripit? quæ studium bonorum operum è medio tollit? quæ portam latissimam omnibus sceleribus non minùs quàm Atheismus aperit? quæ subditos legibus & obedientiæ Principum sub specie libertatis Christianæ eximit? quæ antiquas & damnatas hæreses plurimas ab Orco reuocat? cuius auctores nulla vitæ austeritate, nulla morum sanctimonia commendati, nullis miraculis clarui sed homines voluptatibus carnis addicti, terrenarum rerum cupidi, ambitiosi, maledici, seditiosi, apostatæ & sacrilegijs nuptijs, vel præpostera libidine infames, inconstantia doctrinæ incredibili?

Denique si aliqua ex his nouitijs Religionibus est vera: ergo concidit per tot sæcula Christi Ecclesia, euersum est Christi regnum, euacuatæ sunt diuinæ promissiones de Ecclesiæ firmitate; præualuerunt aduersus eam portæ inferorum. Ergo tot sæculis Euangelium frustrà prædicatum, frustrà creditum, frustrà tot gentes à paganismo conuersæ, frustrà Baptismus & alia Sacramenta administrata, frustrà suscepta ieunia & carnis macerationes, frustrà obita martyria, & tot millium sanguis pro Christi confessione effusus. Ergo perierunt omnes Maiores nostri: perierunt sancti Patres, perierunt tot Martyrum, tot Confessorum myriades, tot Deo deuotæ animæ, sanctitate, miraculis, prophetiæ spiritu illustres. Omnes enim veræ Religionis veræque iustitiæ expertes fuere, omnes idololatriæ addicti.

Quod si hæc falsa, blasphema, & vel cogitatu horrenda sunt, qui fieri potuit vt non aduerteres Religiones illas, ex quibus tam atrocia clarè deducuntur, falsas esse; aut saltem de illis non dubitares? Si dubitasti, cur non dedisti operam cognoscendæ veritati, ex qua tota salus tua suspensa est?

Monuit Dominus vt *attentè nobis caueamus à falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Quomodo non venit tibi aliquando in mentem cogitare & vereri, ne forte Lutherus Caluinus, Menno, & similes ex numero sint illorū, à quibus Dominus cauendum monuit? Hi enim pulchra specie verbi Dei & puri Euangelij obtecti prodierunt, quasi à Deo missi ad ouium salutem; & interim ipsas oues venenato doctrinæ suæ pabulo perdiderunt. *A fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos.* Qui verò hic fructus? Seditiones, bella, expilatio & euersio Ecclesiarum ac Monasteriorum, vastatio vrbiū, extinctio antiquæ pietatis, omnium licentia scelerum. *Matth. 7.*

Scimus ex Apostolica informatione multas hæreses nouissimis temporibus exorituras, multos pseudoprophetas & seductores Satana obstetricante prodituros in lucem. Quotes ergo noua aliqua doctrina Ecclesiæ aduersa emergit, ea nobis vt minimùm suspecta cum suo auctore habenda est.

Omnes igitur, qui extra Catholicam sunt per Dei bonitatē qua conditi, & Christi sanguinē quo redempti sumus, per æternā hæreditatem quam in cœlis præstolamur, & torrentem voluptatis diuinæ, quo ibi, qui veritatē & iustitiam tenuerint, potabūtur, rogo & obtestor, vt negotiū illud quā maximè cordi habeant; vt perpēdant an solido fundamento nitātur; an securi de sua Religione sint futuri in hora mortis, & cùm ante Christi tribunal, in illo articulo, cū æterna & immutabilis sententia erit excipiēda. Examinent hanc nostram Consultationem, quā ad eum finem cōscripsimus. Nusquam acquiescant, donec omnia rite excusserint, & πληροφορίαν in negotio tanti momenti sint assecuti. *Conclusio operis.*

Cogitent quanta pœna eos maneat, si Religio quam tenent hæresis est, & ipsi sunt hæretici. Hæresim esse, & quidem pestilentissimam, omnes Doctores Catholici, omnes Academiæ, & totus orbis Christianus (exceptis ijs, qui eam sequuntur, quorum numerus ad alios est exiguus, & eruditio non magna) pro certissimo habent, & prorsus

prorſus indubitato: ita vt innumeri ſint, qui pro ea confeſſione mortem oppetere, & æternam animæ ſalutem exponere ſint parati.

Quantum peccatum hæreſis.

Maximum ſane peccatum eſt hæreſis. Primò, Quia facit vt homo iudicium ſuum præferat iudicio omnium Patrum, omnium Eccleſiæ Doctorum, omnium Conciliorũ, & totius orbis Epiſcoporum. Contemnit enim omnes illos tanquam homines ſpiritu Dei deſtitutos, & ſibi ſoli ſuiſque ſodalibus hunc ſpiritum arrogat: qua in re immane quantum eſt ſuperbiæ. Secundò ſponſam Chriſti, quæ eſt Eccleſia, conſert adulteram ſatanæ & filiam perditionis. Tertiò, Impingit illi crimen idololatriæ, & varias ſuperſtitiones. Quartò, Ingerit multas blaſphemias in ſanctiſſimam Euchariſtiam & omnes Sanctos. Quintò, Omnia ſacra indignis tractat modis. Sextò, Vicarium Chriſti vocat Antichriſtum, & mille in illum probra & maledicta iactat abſque vllo veritatis colore. Idem facit in omnes Eccleſiæ gradus & ordines. Denique omnis hæreticus optat euertere vniuerſam Eccleſiam, & totam extinguere Catholicam Religionem.

Continet itaque noſtri æui hæreſis ſummam ſuperbiã, multas atroces blaſphemias, multa maledicta & conuitia, multa ſacrilegia, & maximum nocentiſſimumque odium in Chriſti Eccleſiam. Hæc enim quaſi intrinſecè hæreſi inſunt, & habitualiter hæreſis ad hæc omnia inclinat, & quotidie actu excitat & impellit.

Ita omnes Catholici Doctores de hæreſi ſentiunt, & res ipſa per ſe ſatis eſt perſpicua. Maius itaque peccatum eſt hæreſis cum ſuo fœtu, quàm innumera peccata Catholicorum.

Quanta pœna meretur.
Ad Gal. 5.
Coloſſ. 3.
1. Cor. 6.
1. Tim. 1. &c.

Nunc perpendant, obſecro, quantum erit huius peccati ſupplicium. Si enim vel ob vnum furtum, ob vnam fornicationem, niſi pœnitentiæ hic remedium ſubuenerit, ignem æternum homo ſuſtinebit, vt Scriptura apertè docet: quantam pœnam ſuſtinebit propter hæreſeos peccatum, quod mille furtis, mille fornicationibus eſt grauius? Si pœna quam ignis noſter naturæ vi infert millecuplum augeretur, & ita creſceret vt millecuplo grauior fieret; quã horrenda, quàm impatibilis & incomprehenſibilis illa pœna foret? Nemo ſibi blandiatur, non fore ibi pœnam ignis, ſed ſolum neſcio quos terrores irati Dei, vt Caluinus fingit. Nimis id apertè Scripturis aduerſatur. *Ite*, inquit, *in ignem æternum. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Fones eos vt cliboanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Miſſus eſt pſeudopropheta in ſtagnum ignis & ſulphuris.* & alia huiuſmodi. Eadem eſt omnium veterum & Eccleſiæ DD. ſententia.

Matth. 25.
Marci 9.
Pſal. 10.
Pſal. 20.
Apoc. 20.

Certiſſimum itaque ſit, fore ibi ignem verum, omnibus noſtris ignibus maiorem & acriorem, quo omnes hæretici ardebunt, & die ac nocte in omnem æternitatem cruciabuntur, quamdiu erit infernus, quamdiu ſtabit cœlum, quãdiu viuet Diuinitas. Et aſcendet fumus tormentorum ipſorum a conſpectu Domini in ſæcula ſæculorum. Hæc verba fideliſſima ſunt & vera.

Tunc maledicent deceptoribus ſuis, & magiſtris à quibus in hanc miſeriam deducti ſunt. Maledicent diabolo, qui eos excæcauit, & variis illuſionibus ſub ſpecie pietatis faſcinauit. Maledicent & ſibi ipſi, quòd eis aures præbuere, quòd doctrinam nouitiam tam ſtolidè abſque diligenti examine ſuſcepere; quod in re tanta explorauda tam cæci, tam ſocordes fuerint.

Ne ergo in illud miſeriarum pelagus præcipites ruant, totum hoc Religionis negotium omni ſtudio ac diligentia diſcutiant, peritiſſimis ad eam rem conſultoribus adhibitis.

Requiſita ad inquiſitionem veritatis.

Vnum autem eſt, quod maximè ſinceræ huic deliberationi officere ſolet: nimirũ anticipata quædam opinio, qua plurimi tenentur, de idololatria, ſuperſtitionibus, & abuſibus Eccleſiæ Catholicæ. Primum ergo ſe ponãt parumper hoc præiudiciũ, & cogitent ſe hac in re falli poſſe. Incredibile enim videtur, viros ſanctiſſimos & doctiſſimos, quales Eccleſia plurimos ſemper habuit, hanc idololatriam, ſi quæ ſit, vel non vidiſſe, vel viſam non ſolum non abieciſſe, ſed ſedulò retinuiſſe & coluiſſe. Antiqua eſt illa Mahumetanorum & Iconomachorũ calumnia. Et nulla vmquã fuit hæreticorum ſecta, quæ infeſtis animis ab Eccleſia non diſ-

I

ſederit, atq; errores graues non impoſuerit. Hoc enim prætextu vti debent, vt iure videantur ab Eccleſia receſſiſſe.

Deinde lumen à Deo aſſidue flagitent, quo liquidò poſſint cognoſcere, quæ ſit vera Chriſti Religio, verag; Eccleſia, paratoſque ſe exhibeant ad eam amplectendam. Fides enim eſt donum Dei. *Nemo*, inquit, *poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*. Nemo ſine Patris cæleſtis illuſtratione ad Chriſtum per veram fidem venire poteſt. Hanc ergo illuſtrationem, & hunc tractum precibus aſſiduis obtinere ſatagant. Dicant cum Propheta: *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne, quando* ex hac vita diſcedam, *dicat inimicus meus; Preualui aduerſus eum. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis ſalutis mea, Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es.* & ſimilia.

2

Ioan. 6.
Matth. 11. & 16.
Luce 10.
Pſal. 12.
Pſal. 42.
Pſalm. 142.

Orationi iungant eleemoſynam & beneficentiã in pauperes. Quantum enim hæc duo valeant ad lumen veræ Religionis a Deo impetrandum, oſtendit exemplum Cornelij Centurionis, cui ab Angelo dicitur: *Cornelj, orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Huius ergo exemplum imitentur, qui a Deo in hoc negotio veræ Religionis dirigi exoptant.

3

Actor. 10.

Interea diligenter, & magno cognoſcendæ veritatis deſiderio, perpendant ea quæ in hac Confutatione proponuntur, & ſi quæ dubia, vel non ſatis intellecta remaneant, adeant Doctores Catholicos, qui facilè ipſis in omnibus ita ſatisfacient, vt tandem mens ipſorum plenam quietem in luce veræ Religionis aſſequatur.

4

Hoc vouemus, hoc precamur, hoc te omnibus votis, omnibus precum ſupplicijs obſecramus, ô Lux vera, Lux æterna, omnium illuminatrix hominum pariter & Angelorũ. Etſi enim diabolica fraude ſeducti, à te & Eccleſia tua receſſerunt; tuæ tamen ſunt creaturæ, ad imaginem & ſimilitudinem tuam efformatæ, pretio Sanguinis tui redemptæ, ad cæleſtem hæreditatem & conſortium tui regni conditæ & vocatæ. Non pereat tam præclarum opus tuum, quod tibi tanto ſtetit, quod æternas tibi referet laudes agnita veritate, quod ad gloriam tuam ſplendebit in omnem æternitatem. Diſcute terram caliginem quæ nunc mentem obſidet; amoue faſcinum diaboli, quo mentis oculi tenentur, & phantaſia peruertitur: incute metum aeremi ignis inextinguibilis & incendij æterni, omnibus vera Religione deſtitutis præparati: injice ardentem veritatis cognoſcendæ & ſalutis conſequendæ amorem: oſtende illis lucem miſerationum tuarum, vt cognoſcant ouile tuum, & intelligãt ouile in quo antè fuerunt, non eſſe ouile tuum, ſed diaboli: in quo quicumque manent, tamquam oues reſeruantur nõ ad vitam, ſed ad perditionẽ, vt ſint pabulũ igni, eſca morti. *Mors depaſcet eos.* Reduc illos ad ouile tuum, vt in eo ſalutari pabulo doctrinæ tuæ & mirabilium Sacramentorum tuorum refecti, ſanentur ab antiquis ſatanæ plagis, & creſcant in tuo ſpiritu, ſpiritu humilitatis & timoris Domini, ſpiritu manſuetudinis & charitatis; & vegetentur ad æternam vitam, in qua nobiſcum, poſt momentum vitæ huius, conſortes effecti gloriæ & beatitudinis tuæ, te laudent, te benedicant & glorificent æuo ſempiterno.

Pſal. 48.

Monitio ad catholicos.

Nunc mihi breuiter monẽdi Catholici, vt apud ſe perpendant, quantum ſit hoc veræ Religionis, quod ipſis præ innumeris alijs diuino fauore obtigit beneficium; quãtoq; nexu illius cauſa diuinæ Maieſtati ſint obſtricti. Paucorum hoc donum eſt, ſi infinitũ vel errantium vel dubitantiũ numerum ſpectes, eoq; etiam nomine pluris æſtimandũ. Cogitent in rebus humanis nihil huic comparendũ; non voluptates, non honores, non auri argentique myriades, nõ ſceptra & Imperia. His omnibus veræ Religionis margaritũ infinitis partibus eſſe præſtantius & pretioſius. Qui illud poſſideat, hunc verè diuitem eſſe, etſi à rebus terrenis ſit inops; vtpote ciuem Sanctorũ, filium Dei, hæredẽ regni, & coheredem Chriſti; ſi tamen illi conſentaneè viuere velit. Qui illo careat, eum ter miſerũ eſſe, etſi omnibus bonis huius vitæ circumfluat; Hãc eſſe certiſſimam & vnicã ad æternã beatitudinẽ viam, à qua quicumq; deflexerit, in ſempiternum exitium certiſſimè ruiturũ. Atheiſmi dogma eſſe, quemquin ſua Religione ſaluari poſſe. Sicut n. vnus eſt

Deus, vnus Chriſtus, vna veritas, vna rectitudo, vna iuſtitia: ita eſt vna fides, & vna Religio; & vna Dei Chriſtique Eccleſia, ſeu congregatio, extra quam ſalus eſſe nó poteſt. Cauentiæ vel legendi audiendiue curioſitate, vel hæreticorum inculta conſuetudine, vel placendi cuipiam mortalium ſtudio, vel minore damnorum, aut vitæ temporalis, vel ſpe lucrorum, vel ambitu honorum, vel etiam ob cauſam, tantum bonum prodigant. (*Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*) At qui Religionis damnum facit, detrimentum pariter animæ ſuſtinet. Non ergo verentur omnia huius retinendæ cauſa exponere, cuius amiſſio, perditio eſt vitæ æternæ. Infelices animas illas, & nomine Chriſtiano indignas, quæ parui faciunt Catholicæ Religionis exidium, modo pace temporali, ad tenues & quiſquilias huius vitæ congregandas, vel retinendas, frui poſſint. Magno ſtabit illis hæc amentia, & vilipenſo tanti boni, poſtquam breue huius vitæ momentum præterfluxerit, & ad interminabilem æternitatem repente deuolutæ fuerint.

Multi ſeductores exierunt in mundum: multi ſub veſte ouina: ſub blanda verbi Dei ſpecie contegunt lupinam rabiem, in perniciem omnium Chriſti. Monuit Dominus non ſemel, vt ab his attente caueamus; monuerunt crebro Apoſtoli, & ſancti Patres. (*Qui tetigerit eum, inquinabitur manus eius: qui amat periculum, peribit in illo.*) Numquam tempora fuere magis periculoſa, & inſidioſa ſaluti; numquam maior diaboli faſcinatio, maior ſpiritus vertiginis tenuit hominem: numquam erroris operatio efficacior, & mentium excæcatio tetrior. Quæ omnia merito occupant animos eorum, qui magnum illud Catholicæ & Orthodoxæ Religionis donum parui æſtimant, & rebus temporalibus poſtponunt.

Eccleſ. 13.
Eccleſ. 3.

Quibus ergo ſua ſalus eſt cordi, conferunt hanc cæleſtem gemmam, eamque omni ſtudio cuſtodiant: quia ex ea vita proceſſit. Et quia donum eſt ſupernaturale, quod hinc ope diuina nec obtineri nec conſeruari poteſt, tantis vndique periculis & hoſtibus nos cingentibus; auxilium à Deo & ſibi, & liberis ſuis, & toti familiæ ad hunc ſcopum aſſidue implorent, eleemoſynis, & aliis pietatis officijs diuinum numen propitient. (*Bona eſt enim oratio cum ieiunio & eleemoſyna, magis quam theſauros auri recondere.*) Vitam ſuæ Religioni congruentem inſtituant, & rerum terrenarum finis expectatione cæleſtium & æternorum bonorum reſtinguant; memores illius ſententiæ Apoſtolicæ: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* His præſidijs inter diſcrimina horum temporum tuti incedere, & veræ vnicæq; Religionis donum factum tectumque præſtare, & per illud vitam æternam adipiſci facilè poterunt.

Tobiæ 12.

1. ad Tim. 6.

Regi ſæculorum immortali & inuiſibili ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

CON-

CONSVLTATIONIS DE RELIGIONE APPENDIX.

Qua quæstionibus quibusdam, quæ ipsam Consultationem spectant respondetur:

Auctore LEONARDO LESSIO è Societate IESV, Theologo.

CONSVLTATIONIS DE RELIGIONE APPENDIX.

TRia nobis in hac Appendice præſtanda ſunt.

Primò diſcutiendum, Vtrùm quiuis in ſua Fide & Religione ſaluari poſſit.

Secundò, Vtrùm Caluinus docuerit Deum eſſe auctorem omnium ſcelerum.

Tertiò, Vtrùm Caluinus fuerit conuictus libidinis præpoſteræ, & ob eam cauſam ſtigmate inuſtus.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm quiuis in ſua Fide ac Religione ſalutem poſſit.

QVod ad primum attinet, diximus in Præfatione, eſſe ſtupidi erroris quorundam, qui ita ad ſalutem arbitrantur, ſi credant in Chriſtum, eumque pro peccatis totius mundi perfectiſſimam ſatisfactionem attulerit, cæremonias cæteras negligamus. Verum quia hic error latè patet, & plerorumque mentes peruaſit, rogatus ſum vt eorum hic explicem. Tres quæſtiones de ea re ſeparatim quæſtionabo, argumenta vtrimque allata.

Prior eſt, Vtrùm ſatis ſit ad ſalutem, credere in Deum, & nomine ſuo facere iniuriam? hoc eſt, Vtrùm quiuis in ſua ſalutari religione quouis modo ſentiat, & viuat ſalutem conſequi poſſit?

Alter aiet, Vtrùm ſi fides Chriſti eſt neceſſaria, ipſi per ſe iuſtificet, an vero aliquid aliud credere oporteat?

PRIOR QVAESTIO.

Fundamentum ſententiæ aduerſorum.

QVod ad priorem Quæſtionem attinet, multi hoc tempore ſentiunt, quemlibet in ſua fide ſaluari poſſe. Ratio qua potiſſimùm mouentur, eſt; quia incredibile videtur, omnes Iudæos & Turcas, quorum plurimi Deum pie colunt, & cum proximis iuſtitiam ſeruant, in æternum perire, ſolùm eo nomine quòd in Chriſtum non crediderint; cùm in hoc non videantur magnopere culpandi, eo quòd ab incunte ætate aliter inſtituti non fuerint. Cur enim Deus, qui vult omnes ſaluos fieri, adeò angustam ſalutis viam fecerit? Cur miſero, illos, qui iuxta ſuum captum ipſi placere ſtudent, nemini iniuriam faciunt, iuſtitiam & probitatem vitæ ſectantur, æternis ſupplicijs, ob ignorantiam rei de qua non ſatis edocti fuere, addixerit?

Quatuor rationibus refutatur.

1. Ratio.

Verùm hæc ſententia, etſi ſola ratione naturali conſulta, aliquam ſpeciem æqui & veri habere videatur: tamen conſideratis ijs quæ nobis diuinitus in Scripturis ſunt reuelata, eſt omnino paradoxa. Si enim quilibet, etiam Turca vel Iudæus, in ſua fide ſaluari poteſt: ergo frustrà Apoſtoli & ſancti Patres tantopere in fide Chriſti aſſerenda laborarũt: frustrà tot Martyres per omnia tormentorum genera ſanguinem & vitam pro ea profuderunt. Poterant enim ab hac doctrina & profeſſione abſque ſalutis diſpendio abſtinere, & confeſſione vnius Dei cum Iudæis eſſe contenti. Addo: Ergo frustrà Chriſtus factus eſt homo; frustrà tot miracula patrauit, vt Meſſias & Saluator mundi crederetur; frustrà crucifixus & mortuus eſt. Nihil enim horum ad ſalutem hominum erat neceſſarium. Satis erat mittere per orbem prædicatores, qui fidem vnius Dei mortalibus perſuaderent. Hoc modo ratiocinatur Apoſtolus ad Galatas 2. cùm ait: *Si per legem iuſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*, hoc eſt, ſi iuſtitia poteſt obtineri per cognitionem vnius Dei, & legis obſeruationem; ſuſtra Chriſtus mortuus eſt mirum, quia naturalis ſalutis notitia mortuo Chriſto erat neceſſaria.

2. Ratio. Rom. 3. Apoc. 1. & 7. Act. 4.

Deinde ſalutis & ipſa Scripturæ vocabula quæ Chriſtum nobis ſolum Iudicem, Redemptorem & Saluatorem docent, quæ illum nobis propitiatorem per fidem in ſanguine eius proponunt: cuius ſacrificio nos Deo reconciliari, quæque per eius ſolum, cuius fide nos iuſtificari paſſim oſtendunt, & effectualem nomen ſalutis datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hæc omnia vana & fruſtranea fuerint, ſi quilibet in ſua fide ſaluari poſſit.

Obiectio.

Dicet mecum aliquis, Chriſtum eſſe quidem verum Redemptorem, & omne bonum nobis ab ipſo obtineri: rationem tamen fieri non poſſe, vt ſolùm neceſſarium ſufficere eum vt credamus omne bonum nobis à Deo benignitate procedere, nec opus eſſe vt cognoſcamus quibus meritis illud conferatur.

Reſponſio. Lex ante data.

Verùm id & Scripturæ diuinæ repugnat & rationi. Scripturæ, cum hæc apertè docet, Chriſtum redemptionem nobis non applicari nec per eius fidem, ac proinde omnes, qui fide Chriſti carent, eſſe expertes iuſtificationis, manere ſub peccato, eſſe filios iræ, eſſe damnationi addictos. Rationi, ſiquidem vt efficiamur participes alicuius magni & inſoliti beneficij, omnis ratio poſtulat vt agnoſcamus beneficium & benefactorem, eumque, vt par eſt, cum omni gratiarum actione honoremus. Hæc enim gratitudinem in ſua conditio beneficij & benefactoris poſtulat. Itaque cùm beneficium redemptionis ſit adeò magnum & exoticum; & ipſe qui illud contulit, adeò ſublimis & eximius; & modus quo contulit, adeò mirabilis: operæpretium erat hæc omnia à nobis cognoſci, ne prorſus ingrati in tantum benefactorem viueremus & moremur; neve pro amore odium, pro benedictione maledicta, pro gratiarum actione blaſphemias ei more Iudæorum rependeremus. Abſurdum itaque eſt, eos, qui in Chriſtum non credunt, ſalutis per Chriſtum nobis paratæ ponere participes. Quod etiam ex eo confirmari poteſt, quòd nemo poſſit ſaluus fieri, qui ignorat Deum, & beneficium creationis: alioquin omnes Idololatræ ſaluari poſſent: ergo neque is, qui redemptionis beneficium ignorat, ſaluari poteſt. quia beneficium redemptionis eſt longè maius & mirabilius, magisque ad gloriam Dei & Chriſti pertinet, & ampliorem à nobis honorem, ſeruitutem, & gratiarum actionem poſtulat.

Cur Fides Chriſti ad ſalutem ſit neceſſaria.

Beneficium diuinum redemptionis ſpecialiter cognoſcendum.

Neque ſatis eſt generatim cognoſcere omnia bona nobis à Deo prouenire; hoc enim ad gratitudinem & honorem ipſi debitum non ſufficit: ſed oportet cognoſcere quale & quantum ſit ipſius beneficium, & quo modo, qua via & ratione illud contulerit; nimirum quòd à peccato & æterna morte nos liberauerit, quòd ad æternam vitam nobis aditum referarit, idque ſuo ſupendo prorſus modo, nimirum noſtram ſibi naturam copulando, & in ea mortem pro nobis ſuſtinendo. hoc enim potiſſimùm ipſius charitatem, miſericordiam & iuſtitiam commendat; hoc omne à nobis

bis obſequium, omnem laudem, benedictionem & gratiarum actionem reponit. Hæc igitur maximè ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria.

3. Rat. Si quilibet in ſua fide ſalvari poteſt: ergo ad ſalutem ſufficit ea fides quæ non eſt donum diuinitus infusum, ſed humana perfidia, priuato iudicio concepta, humana auctoritate ſubnixa, falſaci fundamento innixa. Turca enim eſt credens vnum Deum cæli & terræ conditorem, bonorum & malorum operum remuneratorem; ea tamen fides non eſt a Spiritu ſancto, ſed a iudicio priuato, vel potius a diabolo. Non enim ita credunt, quia Deus id per aliquem verum Prophetam nobis propoſuit; ſed quia Mahometus, quem Dei Prophetam & organum fuiſſe in docendis mortalibus putant, in eo Alcorano ita tradidit. Itaque etſi illud quod credunt verum ſit: tamen quia fundamentum & tota ratio credendi falſa eſt & peſtifera, omnium Mahometum eſſe Dei Prophetam; fides ipſa qua credunt falſa eſt, & ſpectato fundamento qua nituntur, noxia ſalutis, in omnes poſtiferos illius ſectæ errores mentem inclinans & neceſſario impellens. Quomodo ergo dari poteſt, illam fidem poſſe ipſis ad ſalutem, aut eos ea fide poſſe ſalvari poſſe? Quomodo id quod eſt incertum, falſum, peſtiferum, poteſt eſſe vllum fundamentum iuſtitiæ coram Deo, & ſalutis conſequendæ?

Fundamentum fidei in mulos & errores falſum eſt.

Pari modo Iudæi, etſi eadem & plura credant veritati conſentanea; tamen fides, qua illa credunt, falſa eſt, & à Spiritu Dei aliena. Tota enim ratio credendi eſt, quia eorum Rabbini & Synagogæ Doctores ita Scripturas interpretantur. Hi enim ſunt illis credendæ regula; hæc (quod idem valet) Scriptura ſacra, quatenus horum interpretationi ſubeſt. Atqui tota hæc ratio credendi falſa eſt, nec minus noxia quam illa Turcarum. Non enim minus noxium eſt credere Rabbinos ad interpretationem Scripturarum eſſe præditos Spiritu Dei, quàm Mahometum eſſe prophetam Dei: neque ad minora abſurda ex vi illius principij impelluntur. Quomodo ergo talis fides poteſt eſſe ſalutis fundamentum?

4. Ratio. Denique hæc ſententia nullum facit diſcrimen inter Turciſmum, Iudaiſmum, & Chriſtianiſmum, niſi in quibuſdam adiaphoris, & minime ad ſalutem neceſſarijs: ita vt perinde ſit, in qua Religione vnus, cum in omnibus æquè ſalutem poſſis adipiſci: quod nihil eſt aliud quam viam aperire Alcorano, & Mahometum æquare Chriſto; vel potius atheiſmum non obſcurè inducere. Probatæ enim omnem Religionem, eſt tollere omnem Religionem, & nullam cenſere neceſſariam: cum vera Religio non niſi vnica eſſe poſſit.

Reſpondetur ad fundamentum alterius ſententiæ.

Ratio fundamentalis, qua hæc ſententia potiſſimum nititur, nullius eſt momenti.

Primò enim, ſi nò eſt incredibile Deum per aliquot annorum millia totum mundum (excepta gente Iudaica, orbis exigua portiuncula) reliquiſſe ſub idololatria, & permiſiſſe ruere in exitium, etſi inter eos tot eſſent præclara ingenia, tot numinum, & humanæ iuſtitiæ probatæque ſeruj cultores; non debet etiam incredibile videri, ſi Turcas & Iudæos modo perire dicamus.

Secundò, hoc tempore minus eſſe excuſabiles Turcas & Iudæos quòd non credant in Chriſtum, quàm olim fuerint Ethnici, non agnoſcentes vnum Deum cæli & terræ conditorem. Ratio eſt, quia cum totus pæne mundus eſſet ſub idololatria, æſtus communis conſuetudinis abripiebat omnes, neque priuatis hominibus offerebat ſe ratio magopere de ſua Religione dubitandi; neque ſi obſtra fuiſſet aliqua dubitatio, ſuppetebat facilis modus cognoſcendæ veritatis. At modo poſtquam Fides & Religio Chriſti peruaſit orbem, & vbique terrarum reperiuntur Chriſtiani, fieri non poteſt quin multiplex ſe offerat Iudæis & Turcis de ſua Religione dubitandi occaſio. Itaque tenentur rem diſcutere, & cõferre cum Chriſtianis, quos ad manum habent: quod ſi non faciant, ſed mentem ab huiuſmodi cogitationibus odio Religionis Chriſtianæ, vel alia ex cauſa auertant, ipſos reddunt coram Deo inexcuſabiles. Tantus enim momenti eſt negotium Religionis & ſalutis, vt omnibus alijs rebus anteponi, & ſummo ſtudio, cum vlla ratio dubitandi ingeritur, debeat perueſtigari, etiamſi in remotas regiones eſſet abeundum.

Poſtremò, ſi aliqui ſunt, qui nihil de Chriſti Religione audierunt, vel quibus nihil quo meritò ad vlteriorem inquiſitionem commoueantur, in mentem incidit, hi non damnabuntur ob peccatum infidelitatis, quòd nimirum in Chriſtum non crediderint; ſed propter alia contra legem naturæ commiſſa, quæ ipſi etiamſi ope vitare poterant. Nõ enim Deus illos ita ſua prouidentia & auxilio deſtituit, quin poſſint vitare peccata quæ faciunt, ſi, prout valent & debent, diuinis inſpirationibus cooperari, & rem tantam corde habere velint. Itaque nemo Deo ſuam damnationem imputare poterit, quamuis arcta ſit via ſalutis; ſed ſibi, ſuæ ingratæ negligentiæ & malignitati, qua diuinas inſpirationes neglexit, ſalutaria monita contemſit, & ſciens ac volens, conſcientia propria reclamante, in peccatum & exitium ſe præcipitauit.

ALTERA QVÆSTIO.

Opinio plebeia.

ALtera quæſtio eſt, Verùm ſufficiat ad ſalutem credere in Chriſtum, eumque pro peccatis noſtris eſſe mortuum, etiamſi multa alia nolimus credere?

Plurimi, præſertim ex plebe, id ſatis eſſe exiſtimant, modo ea quæ de Deo & Chriſto habentur in Symbolo Apoſtolorum credantur; cetera omnia putant aliquando, & quemlibet de illis poſſe credere probabiliter videri credendum: Symbolum autem a quouis credi volunt iuxta ſenſum qui cuilibet videtur optimus. Itaque ſtatuunt, quemlibet qui Chriſtum confitetur, in ſua fide ſalvari poſſe; ſiue ſit Papiſta, ſiue Lutheriſta, ſiue Caluinianus, ſiue Anabaptiſta, ſiue alterius ſectæ. Omnes enim hi tenent id caput, quod eſt Chriſtus; omnes eidem innituntur fundamẽto, quod eſt Chriſtus IESVS. Itaque a fide excidere non poſſunt, etiamſi in alijs diſſentiant. Hinc aliqui potentes, qui illis nouis Religionibus vtuntur ad ſtabiliendum & amplificandum ſuum Imperium, plurimum laborant, vt ex Lutheranis & Caluiniſtis vnam eccleſiam conficiant; & perſuadere nituntur, inter eos non eſſe diſcrimen, niſi in nescio quibus apicibus & rebus adiaphoris.

Coloſ. 2. 19. 1. Io. 3. 11.

Refutatur 1. ratio.

Verum hæc ſententia multa ſecum trahit incommoda. Primò, Quia ſaluat pæne omnes antiquos hæreticos. Plerique enim confitentur Chriſtum, & huc vſque tenent Symbolum. Saluari itaque poterant in ſua hæreſi Arriani, qui Filium Patri negabant conſubſtantialem: Macedoniani, qui Spiritum ſanctum Filio faciebant minorem: Neſtoriani, qui duas in Chriſto ſtatuebant perſonas: Eutychiani, qui carnem Chriſti in diuinitatem conuerſam aſſerebant: Apollinariſtæ, qui Verbum diuinum loco animæ rationalis carni vnitum in Chriſto docebant: Monothelitæ, qui vnicam tantum voluntatem & operationem in Chriſto ſtatuebant: Pelagiani, qui peccatum originale negabãt, & hominem viribus naturæ poſſe gratiam Dei & ſalutem promereri docebant: Donatiſtæ, qui Chriſti Eccleſiam vbique periiſſe præterquam in parte Donati affirmabant: Nouatiani, qui ipſis pœnitentiam negabant: Montaniſtæ, qui Montanum Paracletum putabant. Hi omnes iuxta hanc ſententiam, ſinguli in ſua fide ac hæreſi ſaluati ſunt, quia in Chriſtum crediderunt, & non minus Symbolum Apoſtolicum quàm modo Lutherani & Caluiniſtæ tenuerunt. Atquid abſurdius magiſque paradoxum in Eccleſia dici poteſt? Si enim cum hac tanta facilitate fide ſalus obtineri poteſt, cur tot Concilia, tanto labore & ſumptu conuocatis ex toto orbe Epiſcopis, aduerſus illas hæreſes celebrata? Cur toties anathemate fuere damnatæ? Cur ſancti Patres tantopere in illis extirpandis laborarunt? Cur Catholici hæreticorum illorum conſuetudinem, & conuictum tantopere exhorruerant? Cur plurimi exilia, mortem, & omnia tormentorum genera perferre maluerunt, quàm alicui ex illis hæreſibus ſubſcribere? Sanè hæc omnia frustrà facta, & iniuriosè facta ſunt, ſi in illis ſectis ſalus obtineri poterat. quod cum nemo ſapiens dicere poſſit, fatendum eſt, hæreſes illas eſſe animorum peſtes, nec poſſe vllo modo ſalutem cum illis conſiſtere.

2. Ratio. Secundò, Quia condemnat erroris totam antiquitatem, quæ ſemper exiſtimauit hæreticum non poſſe ſalutem cõſequi; & idcirco tam acriter ſe illis oppoſuit, tantoque ſtudio ſemper eas confutauit.

3. Ratio. Tertiò, Quia condemnat ipſum Apoſtolum, qui ad Titum 3. ſic præcipit: *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus.*

Cur

Cur iubet illum vitari, ſi error eius non officit ſaluti? Cur dicit illum ſubuerſum & condemnatum? Idem 2. ad Timoth. 2. *Sermo eorum vt cancer ſerpit*. Sicut ergo cancer eſt letalis corpori humano niſi exſcindatur: ita hæreticus cœtui fidelium.

Dicet fortè aliquis, neminem eſſe cenſendum hæreticum niſi qui reijcit Chriſtum, aut negat aliquid pertinens ad Symbolum. Verùm hoc prorſus imperitè & abſurdè dicitur. Sic enim non eſſet hæreticus qui vetus & nouum Teſtamentum è medio tolleret, diceretque illa eſſe vel cõficta, vel humano ſpiritu conſcripta, multiſque erroribus, vt ſcripta profanorum auctorum, obnoxia. Non eſſet hæreticus qui negaret infernum, vel pœnarum æternitatem: qui dæmones omnes aliquando poneret ſaluandos; cùm nihil hiſce de rebus in Symbolo Apoſtolorum habeatur. Non eſſet hæreticus qui vetaret nubere, qui nuptias diceret eſſe a diabolo; qui eſcas nonnullas ſua natura ſtatueret immundas: quos tamen inter hæreticos cenſet Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. Non eſſet hæreticus, qui in Chriſto duplicem aſſereret perſonam: quem tamen hæreticum eſſe, & Antichriſtum, ait S. Ioannes Epiſt. 1. cap. 4. Non eſſet hæreticus qui negaret Baptiſmum, & omnia Sacramenta. Denique nullus eorum quos ſuprà commemorauimus, inter hæreticos eſſet numerandus. quod toti antiquitati, & omnibus Doctoribus qui iam a decem vel duodecim ſæculis extiterunt, repugnat.

4. Ratio. Quartò, Hæc ſententia omnes hæreſes & ſectas ſupradictas fidei Orthodoxæ exæquat, ſtatuendo, non minùs per illas quàm per hanc ſalutem obtineri poſſe. Itaque Orthodoxa Religio nihil erit melior Arrianiſmo, Pelagianiſmo, Neſtorianiſmo, Eutychianiſmo, aliiſque fallis Religionibus: quod per ſe eſt abſurdiſſimum, & nihil eſt aliud quã inducere merum Atheiſmum. Statuere enim, omnes Religiones eſſe bonas, nihilque ad negotium ſalutis intereſſe quam profiteatis, eſt nullam curare Religionem. Si enim eſt aliqua Religio, hæc non poteſt eſſe niſi vnica, ſicut vnica eſt veritas, vnica iuſtitia, vnica fides, vnica beatitudo, vnus Deus & Dominus omnium, vnus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſu.

5. Ratio. de fide ſymbol. Quintò, Ridiculum eſt dicere ſat eſſe credere Symbolum iuxta ſuum ſenſum; cùm vna tantùm ſit veritas: quæ ſi non attingitur, iam falſum creditur. at fides falſa quid poteſt iuuare ad ſalutem? Itaque perinde eſt, ſine tali modo Symbolum credas, ſiue nullo modo credas. Poterit ergo quis ſaluus eſſe, etiamſi multos articulos abſolutè non credat. Idem dixerim de Scripturis. Si enim ſufficit credere Scripturis ſuo ſenſu intellectis, cùm hic ſenſus ſæpe poſſit eſſe erroneus; etiam ſatis erit, etiamſi nullo modo illis fidem adhibeas. Non enim fides falſa magis poteſt eſſe neceſſaria ad ſalutem quam fides nulla, qua nimirum quis abſolutè non credit.

Si dicas Symbolum debere credi in vero ſenſu, iam dãnas ſectas huius temporis, quarum nulla eſt quæ omnes Symboli articulos credat eodem ſenſu quo Catholici; aut in Symboli explicatione non differat ab alia. Vnde cùm non ſit niſi vnica veritas, neceſſe eſt omnes Religiones huius temporis præter vnam à veritate aberrare? ac proinde ad ſalutem non ſufficere.

Diſcrepantia ſectarum in ſenſu ſymboli. Quòd autem multum diſcrepent in Symboli ſenſu, patet. Illum enim articulum, *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum*, aliter explicant Arriani, Tritheitæ, & multi Caluiniſtæ, qui Filium Patre ſtatuunt minorem: aliter Lutherani & Catholici, qui æqualẽ & conſubſtantialẽ. Articulũ *de deſcenſu Chriſti ad inferos*, aliter intelligunt Caluiniſtæ, qui putant ibi ſignificari Chriſtum ſuſtinuiſſe tormenta damnatorum, dubitaſſe de ſua ſalute, & timuiſſe ne ab æterna morte penitus abſorberetur: aliter Catholici & Lutherani, qui talem expoſitionem non ſenſum articuli Symboli, ſed blaſphemiam dicunt eſſe Caluini. Articulum *de aſcenſu Chriſti ad cælos*, &c. aliter intelligunt Lutherani Vbiquiſtę, qui Chriſti corpus ponunt vbique & omnibus locis eſſe præſens, ſicut vbique præſens eſt eius Diuinitas: aliter Caluiniſtæ & Catholici, qui non dubitant per huiuſmodi expoſitionem totum pœnè Symbolum euerti, Chriſtique incarnationem, natiuitatem, paſſionem, mortem, aſcenſum ad cælos, aduentum ad iudicium è medio tolli. Articulum *de iudicandis viuis & mortuis* aliter exponunt Catholici, qui dicunt Deum ita iudicaturum, vt opera bona remuneret cælo, opera prauа inferno: aliter Caluiniſtæ & Lutherani, qui operibus bonis omnem mercedem denegant, & ſolius fidei ſpecialis in iudicio diuino habitũ iri rationem cenſent. Articulum *de Spiritu ſancto* aliter intelligunt Catholici & Lutherani, aliter Arriani & multi Caluiniſtæ. Articulum *de Eccleſia* Lutherani & Caluiniſtæ intelligunt de congregatione inuiſibili prædeſtinatorum: Catholici de congregatione viſibili Catholicorum, in qua multi ſunt prædeſtinati, multi reprobi. Articulum *de communione Sanctorum* ita extenuant Lutherani & Caluiniſtæ, vt omnem pœne communionem, quæ à Catholicis ponitur tollant. Articulum *de remiſſione peccatorum*, explicant de ſola non imputatione, non agnoſcentes internam vllam renouationem per iuſtitiam inhærẽtem & dona infuſa: quo modo Catholici peccata remitti ſtatuunt.

Ex his patet, quanta ſit diſcrepantia in ipſius Symboli intellectu. Itaque cùm non ſit niſi vna veritas, & hanc oſtenderimus in Conſultatione noſtra, eſſe apud Catholicos; neceſſe eſt reliquas ſectas falſam Symboli doctrinam & fidem tenere. Si ergo vera requiritur Symboli fides, fieri nequit, vt quilibet in ſua fide ſaluari poſſit. Si falſa ſufficit, quomodo fides falſa poteſt iuuare ad ſalutem?

Sextò, Scriptura diuina non eſt minoris auctoritatis quã Symbolum Apoſtolicum; nec minorem Deo iniuriam irrogat, qui aliquid in Scripturis clarè expreſſum negat, quã is qui aliquem Symboli articulum reijcit. Ergo nulla eſt ratio cur fides reſtringatur ad Symbolum, & in reliquis ſentiendi ſit libertas; cum non minùs teneamur credere omnia quæ ſunt in Scripturis, quàm quæ in Symbolo. Etſi enim non obligemur omnia, quæ in Scripturis continentur diſtinctè noſſe; tenemur tamen omnia generatim credere: adeò vt ſine ſcelere hæreſeos non poſſimus aliquid eorum vt falſum vel ambiguum reijcere. Quo ergo colore, qua probabili ſpecie dici poteſt, non referre quomodo in ceteris credas, modò Chriſtum & Symbolum retineas? Cur Symbolum potiùs quàm vniuerſa Scriptura teneri debet, cùm eius non ſit maior quàm Scripturæ auctoritas? Nimis profectò eſt rudis & impopolita hæc phantaſia, omni fundamento deſtituta. *6. Ratio.*

Septimò, In omni fide non ſolùm ſpectandum eſt quid credatur, ſed etiam, & in primis, quo fundamento credatur, quæve ſit tota hic credendi ratio. Ex hac enim tota fidei natura & conditio pendet. Nam qualis eſt ipſa credendi ratio, quam fidei fundamentum vocamus, talis eſt ipſa fides. Si illa eſt certa, & falli neſcia; fides quoque certa eſt, & infallibilis: ſi illa eſt fallax, fides etiam incerta erit, & errori obnoxia. Exempli gratia: Turca credit eſſe vnũ Deum omnium cõditorem, quia ita docet Alcoranus, quẽ ſpiritu diuino conſcriptum putat: fides eius, etſi verũ credat, falſo tamen & fallaci nititur fundamento, cuius vi ad multa falſa & blaſphema credenda impellitur: vt non eſſe plures perſonas in Diuinitate, Chriſtum non eſſe Deũ, Chriſtum eſſe minorem Mahometo, tenendam eſſe circũciſionem, & ſimilia. Itaque illa fides ex vi ſui fundamenti fallax eſt & noxia. Idem accidit omnibus hæreticis. Quo poſito, ſic vrgeo. *7. Ratio. Tota fides pẽdet ex fundamento propter quod creditur.*

Fides quæ fallaci nititur fundamento, etſi aliqua vera credat, tamen non poteſt eſſe ſufficiens ad ſalutem: atqui fides omnium ſectarum huius temporis nititur fallaci fundamento: ergo non poteſt ſufficere ad ſalutem. Propoſitio videtur per ſe nota. Quomodo enim id quod fallax & mẽdax eſt, poteſt eſſe baſis & fundamentum ſaluris æternæ? Quomodo vera Religio qua Deo placemus, poteſt eſſe fundata in fallaci fide? Sanè id non minùs a ratione alienũ, quam ſi dixeris veritatem niti mendacio, ſapientiam errore, virtutem imprudentia.

Fidem omniũ ſectarum fallaci niti fundamẽto. Reſtat probanda Aſſumptio. Quòd ergo omnes ſectæ fallaci nitantur fundamento, ſic oſtendo. Vel enim credũt ſua dogmata propter auctoritatem ſuorum apoſtolorum. (Lutheri, iuquam, Caluini, Melãchthonis, Zvvinglij, &c.) quos diuino ſpiritu præditos exiſtimant: vel quia ſinguli proprio iudicio ea in Scripturis contineri iudicant: vel denique quia ſpiritus priuatus interiùs teſtatur ■ eſſe vera, vel hanc eſſe Scripturæ diuinæ mentem. Quidquid enim ſectæ huius temporis credunt, ob aliquid horum triũ credunt: & vnum horum trium, fundamentum ſuæ fidei, & credendi rationem ſtatuunt. Atqui hæc fundamenta, & hę rationes credendi ſunt omnino fallaces. *Triplex fundamentum credendi.*

Quòd

Auctoritas nouorum Apostolorum.

Quòd enim primum fundamentum, nimirum auctoritas Lutheri, Caluini, & aliorum, qui nouas illas Religiones protuderunt, fallax sit, patet: quia experientia constat potuisse illos falli, & reipsa in plurimis lapsos esse. Nã multa reuocarunt, multa correxerunt, in multis ipsi sibi contradixerunt, vt in Consultatione de Religione capessenda, Consideratione ix. Ratione vj. abunde ostensum est. Hinc pauci modo sunt qui illorum auctoritate niti velint; quòd homines, ac proinde errori obnoxios fuisse dicant. Vnde & illorum sectatores pro libito abillis recedunt, vbi quid melius se inuenisse putant. Auctoritas itaque illorum fallax est, etiam discipulorum & sectatorum iudicio.

Iudicium priuatum.

Nec minùs fallax est alterum, nempe iudicium priuatum, quo Scripturas exponunt. Multa enim falsa iudicio priuato videntur vera: & quæ antea videbantur vera, postea iudicantur falsa. hinc tanta multorum in credendo variatio, tanta fluctuatio: nempe quia imbecillium est humanum iudicium, præsertim in mysterijs fidei, & Scripturarum intellectu, quæ omnem humanæ rationis captum superant.

Veram nitũtur scripturã.

Respondent plerique se in credendo non niti suo iudicio, sed Scripturis diuinis, quæ non possunt errare. Qua in re quàm miserè decipiantur, vel ex eo constat, quòd omnes pœnæ sectæ affirment se niti Scripturis, cùm tamen in plurimis inter se dissentiant & contraria doceant: quod fieri nulla ratione posset, si non suo priuato iudicio, sed legitimo Scripturæ intellectu niterentur. Scriptura enim nusquam sibi est contraria, nusquam a se dissentit. Itaque quod ipsi tantopere dissentiant, ex eo prouenit, quod suo priuato iudicio Scripturæ sensum fabricent, qui pro diuersitate iudicij ac ingenij cuiusque est diuersus. Nituntur ergo Scriptura, non vt iubet interpretationi Ecclesiæ Catholicæ, & SS. Patrum; sed vt iubet interpretationi iudicij priuati. Nam vis Scripturæ non in verbis nudis, sed in sensu & interpretatione consistit. hunc autem sensum iudicium priuatum excogitat, & verbis Scripturæ tamquam corpori vitam inserit. Itaque totum fundamentum est iudicium priuatum: quod quàm fallax sit, dissensiones tot sectatorum aperte demonstrant. Perinde enim est, siue dicas te niti Scriptura vt subest interpretationi proprij iudicij, siue priuato iudicio.

Spiritus priuatus.

Denique tertium credendi fundamentum, quo plurimi hoc tempore nituntur, maximè omnium fallax est & illusorium. Cuius signum, quod inter Anabaptistas, qui præ ceteris instinctu spiritus ducuntur, maxima sectarum sit varietas, & dissensio fidei. quod fieri non posset, nisi spiritus, quo reguntur & nutuntur, fallax esset & varius. Idem cernitur inter Caluinistas & Lutheranos, & inter diuersas siue Lutheranorum siue Caluinistarum sectas & factiones. Singulis enim sua sententia certa est & euidens testimonio priuati spiritus, qui singulos interius docet, singulis testimonium veritatis perhibet. Ex quibus manifestum est hunc spiritum non esse Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, qui contraria docere & sibi ipse aduersari non potest: sed spiritum nequam, spiritum erroris, qui mendax est ab initio, & pater mendacij, qui operatur in filijs incredulitatis, de quo Apostolus: *Quia charitatem veritatis non receperunt, ideircò mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio.* Et alibi: *In nouissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Omnis enim hæresis doctrina dæmoniorum est. Et S. Ioannes: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quia multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.*

2. *Thess.* 2.

1. *Tim.* 4.

Epist. 1. c. 4.

Hic igitur spiritus est, qui in cordibus hæreticorum dominatur, cuius testimonium & operationem interius inseri sentiunt, & putant esse operationem Spiritus sancti: qui eorum phantasiam & mentem ita fascinat & peruertit, vt lucem putent esse tenebras, & tenebras lucem: vt clarissimam fidei Catholicæ veritatem putent esse errorem, & tetros errores perspicuam veritatem. Et iam nisi prorsus fascinati essent & excæcati, facilè possent aduertere, spiritum illum quem interius sentiunt, non esse spiritum Dei; vel saltem de eo dubitare inciperent, cùm omnes sectæ, inter quas tanta dogmatum maximorum dissensio, huius spiritus testimonium æquè sentiant, iactent, & sequantur eoque in asserendis dogmatibus maximè repugnantibus nitantur. Sed iusto Dei iudicio id accidit. Sicut enim Iudæi qui Christum recipere noluerũt, permissi sunt diabolo excæcandi, vt aperte colligitur ex Apostolo 2. ad Thess. 2. ita hæretici, quia Catholicam fidem deseruerunt (quæ non est minor culpa quàm Iudæorum) eidem permissi sunt, vt mẽtes eorum tamquam fascino deliniat, & in omne genus errorum impellat.

Maior fascinatio diaboli in nostris hæret. quam in Iudæis.

Quòd si quis attentè consideret, aduertet etiã potentiorem in nostris hæreticis quàm in Iudæis vel Mahumetanis esse diabolicam operationem, mentisque fascinationẽ, idque duplici ratione. Primò, Quia Iudæi in eadem fide conueniunt, nec apud illos sunt variæ sectæ: apud Mahumetanos vero tantùm sunt duæ, eæque non adeò discrepantes. At apud nostri temporis hæreticos sunt sectæ plurimæ, aliæ ex aliis nouorum accessione dogmatũ propagatæ, quæ se mutuò hæreticos damnant: & hæ omnes ex vna intra 90. annos enatæ. quod est indicium, diabolum mirificè interiùs illorum hominum possidere mentes, turbare phantasias, peruertere imaginationes & iudicia, vt nusquam possint consistere, nusquam acquiescere.

Secundò, Quia plebeij homines apud Iudæos & Turcas non nituntur suo iudicio, neque spiritus priuati instinctu & testimonio; sed iudicio suorum Doctorum, vel (quod idem est) Scriptura sua, quatenus expositioni Doctorum suę Religionis subest. Itaque habent aliquam regulam credendi, & fundamentum suæ fidei, rationi naturali quodammodo consentaneum, nimirum maiorum suorum consensum, seu Scripturam suæ Religionis maiorum sensu expositam. At plerique hæretici huius temporis non curant amplius suos maiores & Apostolos, à quibus hoc nouum Euangelium primò acceperunt; sed eos tamquam homines errori obnoxios deserunt, & toti nituntur proprio iudicio, vel testimonio spiritus priuati, siue (quod prorsus idem est) Scriptura diuina iuxta sensum proprij iudicij vel spiritus priuati intellecta. Quod est euidens signum, sathanam ita in eis efficaciter operari, & eorum mentes infatuare, vt non solùm quisque sibi nouas hæreses vel opiniones fingat, sed etiam in ipso, suoque sensu interno & gustu, fidei suæ fundamentum, & credendi regulam statuat: quisque enim se doctum a Domino, & spiritus magisterio instructum putat (etiam mulierculæ & puellæ) ac proinde ab omni errore immunem; Patres omnes homines fuisse errori obnoxios. Idem de suis Apostolis & ministris censent. At quæ maior fascinatio & illusio possit esse? Hinc fit vt nulla certa & rata dogmata habeant, nullum corpus doctrinæ & Religionis statuant, sed in incertum vagentur, prout spiritus ille priuatus eos impellit: nec possit cum illis de plerisque dogmatibus vlla disputatio institui, cùm nulli sententiæ sint addicti, & ipsi per imperitiam maiorum suorum doctrinam nesciant. Verùm de hoc spiritu vertiginis plura diximus in Consult. Considerat. 9. Ratione 11.

Ex his manifestè concluditur, omne fundamentum credendi, quo sectæ huius temporis nituntur, fallax esse ac deceptorium; & subinde fidem earum, quæ illi innixa est, inutilem esse ad salutem.

8. *Ratio.*

Octauò, Si in sua fide singuli qui Christum agnoscunt, salui esse possunt, cur tanta inter Religiones dissensio? cur se mutuò hæreticos damnant, & anathemate perstringunt? Cur Lutherani Caluinistas pro fratribus agnoscere recusant, & eos impios ac blasphemos esse publice pro concione clamant, & scriptis libris affirmant? Cur pari modo proceres Caluinistarum, in quibus Theodorus Beza pater omnium & veluti Papa post Caluinum, tractant Lutheranos? Cur Anabaptistæ solos suos fideles & Christianos vocant, reliquos pro infidelibus habent? Ex quibus patet, hoc nouũ commentũ non solùm doctrinę Catholicæ, sed etiam omnibus sectis, quæ aliquem Religionis & pietatis zelum præ se ferunt, aduersari, & ad solos Atheistas relegandum.

9. *Ratio.*

Nonò, Vt quis possit saluus fieri, non sufficit vnius, duorum vel trium mandatorum obseruatio, sed necesse est seruare omnia iuxta illud Domini Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Vt si quis sit adulter aut fur, etiamsi reliqua mandata seruet, tamen saluus esse non poterit; vt passim Scriptura docet. Ergo pari modo non sufficit ad salutem, duos, tres, vel quatuor articulos credere; sed necesse est omnia credere quæ Deus reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit. Non enim minùs fides, quam obedientia mandatorum Decalogi ad salutem est necessaria: nec minùs debet fides esse perfecta ac integra, quam obe-

obedientia & obſeruatio Decalogi. Sicut ergo obedientia ſe debet extendere ad omnia mandata: ita fides ſe debet extendere ad omnia reuelata. Confirmatur, quia teſte S. Iacobo capite 2. *Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit & Non occides.* q.d. factus eſt omnium reus, & punietur quaſi totius legis violator, quia contempſit ipſum legiſlatorem, qui totius legis eſt auctor. Ergo ſimili modo, qui vnum articulum negauerit, etiamſi reliqua omnia credat, factus eſt reus totius fidei & Religionis, nimirum quia contemnit primam Veritatem Deum, qui nó minus illum quam alios reuelauit: contemnit Eccleſiam Catholicam Chriſti ſponſam (quæ eſt *columna & firmamentum veritatis*) per quam nobis non minùs illum quàm alios propoſuit. Et hæc eſt ratio, cur non minus ſit hæreticus qui vnũ fidei dogma pertinaciter negat, quàm qui centum. Quia hoc ipſo quo vel vnum negat, contemnit primam Veritatem Deum, qui illud reuelauit; contemnit auctoritatem Eccleſiæ, quæ illud propoſuit: facit Eccleſiam ſubiectam errori, & mendacem. Vnde etiam de ceteris omnibus incertus redditur, & totam fidem diuinam perdit. Sublato enim fidei diuinæ fundamento, totam fidem ruere neceſſe eſt, & ſolam opinionem vel fidem humanam errori obnoxiam, quæ reliqua credat, remanere.

1. *Tim. 3.*

10. *Ratio.*

Decimo & poſtremò, Hæc ſententia eſt maximè periculoſa in praxi. Facit enim vt homo non curet quam Religionem teneat, quid credat, vel non credat. itaque non inquirit veritatẽ; & tam facilè ac ſecurè ſuſcipit falſa quàm vera. Omnes tamen non ſolùm Catholici, ſed etiam nobiliores ſectæ, & quicumque aliqua doctrinæ vel ſapientiæ laude ſunt celebres, pro certo ſtatuunt, abſque vera Religione & vera fide non poſſe ſalutem obtineri; & quotquot vera Religione caruerint, in æternum perituros. Itaque ſectatores huius ſententiæ damnantur ab omnibus, & ipſi ſoli pollicentur ſibi ſalutem nullo auctore, nullo Scripturæ teſtimonio, nulla ratione ſuffulti, ſola cerebri ſui vana & ſtolida imaginatione confiſi. Audiant igitur ex S. Fulgentio, quid ſemper tenuerit antiquitas, quid omnibus ſæculis docuerit Eccleſia. Sic igitur communis fidei regulas tradens ſcribit lib. de Fide ad Petrum Diaconum, capitul. 38. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm omnes Paganos, ſed etiam omnes Iudæos, Hæreticos, atque Schiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Et cap. 39.

Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum ſiue Schiſmaticum in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcumque elemoſynas fecerit, etſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. Omnis enim homini qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque Baptiſmus, neque eleemoſyna quælibet capioſe, neque mors pro Chriſti nomine ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in eo hæretica vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortem.

Hæc ſemper fuit Eccleſiæ fides, & omnium Patrum indubitata doctrina: quam omnes qui extra Eccleſiam verſantur, vtinam accuratè perpenderent! Viderent profectò quàm periculoſo in ſtatu verſentur. Tu Chriſte, Lux mundi, mentibus eorum affulge.

CAPVT SECVNDVM.

Vtràm Caluinus docuerit Deum eſſe auctorem omnium ſcelerum.

QVidam miniſtri Caluiniſtæ in Hollandia conſultationi meæ apud ſimpliciores eo nomine detrahere conati ſunt, quòd dicerent Auctorem duplici manifeſta calumnia in Caluinum vti. Altera, cùm ait: *Caluinum ſtatuere Deum eſſe auctorem omnium ſcelerum*. id enim Caluinum numquam docuiſſe. Altera, cùm refert *illum inuectiua inſamiam Iuris ratione ſententiæ, qua Nouendiali criminis nefandi damnatus fuerit, & ferro candenti vſtulatus*. Sed abſit a me, vt alicui etiam hæretico aliquid falsò ſciens imponam, ſiue de doctrina agatur, ſiue de moribus. Ita mihi Chriſtus inſpector cordis mei, qui me iudicaturus eſt ſecundùm opera mea, propitius ſit. Scio huiuſmodi mendacium perniciosum eſſe, & de eo ſcriptum: *Os quod mentitur, occidit animam*. Non opus habent Catholici mendacij & calumniæ præſidio, vt hæreticorum doctrinam oppugnent. Hæc illorum arma ſunt, quibus hactenus nifi, & in quibus ſpem ſuam omnem poſuere, iuxta illud: *Poſuimus mendacium ſpem noſtram: mendacio protecti ſumus.*

Sap. 1.

Iſaiæ 28.

Calumnum clarè docuiſſe, omnia ſcelera & opera nefaria omnium hominum & dæmonum, tam interna quam externa, fuiſſe ab æterno a Deo prædeſtinata, ordinata, decreta, diſpoſita; & tempore homines ad illa à Deo excitari, moueri, impelli, cogi, ita vt ipſi ſe habeant in modum inſtrumenti, Deus verò in modum cauſæ principalis, facile ex ipſius ſcriptis demonſtrari poteſt. Nullum enim dogma ab illo traditur vel luculentiùs vel diligentiùs. Idem ſæpiùs à Doctoribus Catholicis & Lutheranis oſtenſum eſt, vt iam pœne frontis ſit, qui id auſit negare. Et vt alios omittam, fusè & clariſſimè demonſtrarunt ex Catholicis Cardinalis Bellarminus lib. 2. De amiſſione gratiæ & ſtatu peccati, cap. 3. & 4. Guilielmus Reginaldus lib 3. Caluino turciſmi, c. 23. & Martinus Becanus in opuſculo De auctore peccati. Ex Lutheranis, Conradus Schluſſelburgius in ſua Theologia Caluiniſtica, & Sebaſtianus Caſtalio De prædeſtinatione ad Calumnum.

Doctrina Caluini.

Nos idem breuiter demõſtremus. Caluinus igitur lib. 1. Inſtitut. cap. 18. §. 1. ita ſcribit: *Abſurdum videtur* (ſenſui carnis) *volente ac iubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ dabitur eſt pœnas. Tergiuerſando itaque effugiunt, Dei tantùm permiſſu non etiam voluntate hoc fieri: ipſe verò paliam ſe facere pronuntians effugium illud repudiat.* Hic aperte docet Deum non ſolum permittere, ſed etiam velle, & iubere, & facere vt homo excæcetur; etſi id ſenſui carnis abſurdum videatur. Sequitur: *Quòd autem nihil efficiant homines niſi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitent, niſi quod ipſe iam apud ſe decreuerit, & arcana ſua directione conſtituit, innumeris & claris teſtimonijs probatur.* Hic omnia hominum opera, tam mala quàm bona, aſſerit effici arcano Dei nutu, decreto, & directione. Itaque omnia hominum ſcelera iam ab æterno à Deo ſunt decreta, vt ſic fierent: & homines nutu diuino ad illa excitantur, & diriguntur. & paulò poſt: *Vult Deus perfidum regem Achab decipi: operam ſuam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mandato vt ſit ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarũ.* Hic docet Deum velle & præcipere vt diabolus mentiatur, & decipiat hominem; & reijcit ſententiam de permiſſione. Et infrà: *Abſalon inceſto coetu patris thorum pollunit, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronuntiat. Clamat Deus, ſuo ſibilo, tuba ſua clangore, imperio & iuſſu excitari impios ad bellum.* Ibidem docet, quidquid Satan operatus eſt contra Iob, quidquid Iudæi contra Chriſtum, quidquid Chaldæi contra Iudeos, quidquid Semei contra Dauid; id totum fuiſſe opus Dei: nec ſolùm permiſſu, ſed decreto, nutu, directione, iuſſu & imperio Dei factum. His enim vocibus ad mentem ſuam melius explicandam vtitur. At qua ratione poteſt Deus clarius, aut magis propriè ſtatui omnium ſcelerum auctor?

Caluini ſententia, Deus omnium ſcelerum auctor primarius.

§. 2. *Quantum ad arcanos motus ſpectat, quod de corde Regis prædicat Salomon, flecti huc atque illuc prout Deo viſum eſt; ad totum certè humanum genus extendatur, tantumdem valet, ac ſi diceret: Quidquid animis concipimus, arcana Dei inſpiratione ad ſuum finem dirigi.* Si omnes interni motus ex inſpiratione & impulſu Dei concipiuntur, & in fines ſuos tendunt: Deus non minus eſt auctor proditionis Iudæ, quam conuerſionis Pauli: non minus odij in Chriſtum, quam amoris, &c. Et infra: *Sed nihil poteſt clarius deſiderari, quàm vbi toties pronuntiat ſe excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, ſpiritum ſoporis inebriare, immittere amentiam, obdurare corda. Hæc enim ad permiſſionem multi reijciunt, ac ſi deſerendo reprobos, a ſatana excæcari ſineret. Sed quam diſertè exprimat ſpiritus, iuſſu Dei iudicio infligi cæcitatem, & amentiam, nimis friuola eſt illa ſolutio.* Itaque Deus iuxta Caluinum propriè eſt auctor primarius cæcitatis, infidelitatis, amentiæ, & obdurationis ſeu obſtinationis animi in malo. Ipſe hæc omnia directè vult, decernit, infligit, & operatur in homine. Idem paulo poſt dicit: *Deum præcipere impijs vt faciant quæ facturi ſunt, non quid eos docere velit ad ſponte parendum; ſed quia eos ſtrictat ad exequenda ſua iudicia, perinde ac ſi iuſſa eius animis inſultãs geſtarent.* Vnde, inquit,

inquit, *apparet certa deſtinatione Dei fuiſſe impulſos*. Itaque impij ad omnia quæ agunt, flectuntur a Deo, & certa deſtinatione Dei impelluntur. Addit: *Fatetur quidem interpoſita ſatanæ opera ſæpè Deum agere in reprobis, ſed vt eius impulſu ſatan ipſe ſuos partes agat, & perficiat quantum datum eſt*. Ecce quidquid facit ſatan, facit impulſu Dei. *Dicitur ſatan excæcare infidelium mentes; ſed vt de hoc, niſi quòd a Deo ipſe manat efficacia erroris, vt mendacijs credant, qui renuunt parere veritati.* q. d. Satan quidem interiùs & exteriùs proponit errores, ſed hoc totum non ſufficit ad excæcandas hominum mentes, niſi Deus eas flectat, & efficaciter moueat, vt illis fidem adhibeant. *Deus dicitur homines dare in reprobum ſenſum, & præcipere in ſordes cupiditates: quia iuſta vindicta ſua præcipuus eſt auctor, Satan vero ſolùm miniſter.* Denique ita concludit: *Summa hæc ſit, cùm Dei voluntas dicitur omnium rerum eſſe cauſa, prouidentiam eius ſtatui moderatricem in cunctis hominum conſilijs & operibus, vt non tantùm vim ſuam exerat in electis, qui Spiritu ſancto reguntur; ſed etiam reprobos in obſequium cogat*. Vbi Dei voluntatem non permiſſiuè tantùm, ſed propriè & efficaciter ſtatuit in impijs cauſam omnium conſiliorum & operum. ipſosque impios diuino nutu & impulſu cogi vt agant omnia quæ agunt.

Libro 3. capit. 23. § 1. dicit *non eſſe tam ſententiarum præparationem ad interitum alio transferre, quam in arcanum Dei conſilium*. Vbi oſtendit non minùs reprobos a Deo præparari ad interitum, quam electos ad regnum. Et §. 4. *Fateor ſimul in hanc quæ nunc illigati ſunt miſeriam, Dei voluntate decidiſſe vniuerſos filios Adæ: atque id eſt quod præcipio dicebam, reddi illam ſuapte ſponte ad ſolam diuinæ voluntatis arbitrium, cuius cauſam inde ſit abſcondita*. Vbi lapſum Adami & totius poſteritatis refert in ſolum diuinæ voluntatis arbitrium. Itaque lapſus eſt Adam, quia Deus ita voluit, ita prædeſtinauit.

§. 6. *Nec quam rerum omnium diſpoſitio in manu Dei ſit, quam penes ipſum reſideat falcem ac mortis arbitrium, conſilio nutuque ſuo ita ordinat, vt inter homines naſcantur ab vtero certæ mortis deuoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent*. Ibidem docet Dei ordinationem adferre neceſſitatem peccandi & percundi: Quam, inquit, *non alia ratione qua futura ſunt præuideat, niſi quia ita vt fierent decreuit: fruſtrà de præſcientia los moueatur, vbi conſtat ordinatione penes eum omnia euenire*.

§. 7. Ridet eos qui dicunt hominem eſſe liberi arbitrij, & Deum propter præuiſa peccata deſtinaſſe illum ad interitum: *Vnde factum eſt*, inquit, *vt tot gentes vnà cum liberis coram inſantibus æterna mortis inuoluerat lapſus Adæ abſque remedio, niſi quia Deo ita viſum eſt? Nec abſurdum videri debet quod dico, Deum non modo primi hominis caſum, & in eo poſterorum ruinam præuidiſſe, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe*.

§. 8. *Non dubitat ergitur cum Auguſtino ſimpliciter fateri, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem; atque id neceſſariò futurum eſſe, quod ille voluerit*. Denique nullum fere dogma tã diligenter ab eo inculcatur, vtpote in quo ſit ſumma Caluinianæ religionis.

Ex his quæ dicta ſunt manifeſtè colliguntur iſtæ propoſitiones.

Primò, Voluntas Dei non ſolùm permiſſiuè, ſed etiam propriè & efficienter eſt cauſa omnium operum in impijs.

Secundò, Nihil agunt impij niſi ex arcano nutu, decreto, & directione Dei.

Tertio, Deus præcipit ſatanæ vt mentiatur, & decipiat homines.

Quartò, Impij imperio & iuſſu Dei excitantur ad bellum, & ad omnia quæ faciunt aduerſus cultores Dei.

Quinto, Deus certa deſtinatione impellit impios & ſatanam ad omnia quæ agunt.

Sexto, Omnia opera ſatanæ & impiorum ſunt propriè opera ipſius Dei, cùm Deus ſit auctor primarius ad ea excitans, impellens & dirigens: ſatan verò & impij ſolùm ſe habent vt miniſtri & inſtrumenta.

Septimò, Deus ſua voluntate & prouidentia excitat & cogit impios ad ea quæ impiè agunt.

Octauò, Deus ab æterno voluit, decreuit, & prædeſtinauit ruinam humani generis, quia ipſi ita viſum eſt.

Nonò, Voluntas Dei eſt rerum omnium neceſſitas, & idcircò omnia impiorum opera neceſſariò fiũt, quia Deus voluit & decreuit vt fierent.

Ex his luce meridiana clarius eſt, Deum omnium ſcelerum a Caluino ſtatui auctorem, & quidem primarium, ac magis principalem quam ſit ſatan vel ipſe homo: idque propter quatuor cauſas. Primò, quia ipſe eſt prima omnium origo & radix. Nam ipſe ex ſe pro ſuo beneplacito decreuit, vt homo omnia illa faceret: ex cuius vi decreti ſuis temporibus omnia eius opera prouenium. Secundò, Quia non externo præcepto aut conſilio tantùm inducit, (quod tamen ſatis eſt vt quis propriè ſceleris ſit auctor) ſed interiùs excitat, impellit, flectit, & dirigit in opus; ita vt initium, medium, & finis operis ab ipſo ſit. Tertiò, Quia non ita impellit, vt relinquat homini facultatem reſiliendi, ſicut ſatan facit, ſed cogit & neceſſitat. Quartò, Quia ipſe in omni opere habet ſe vt auctor principalis; ſatan vero & homo impius ſolùm vt miniſtri & inſtrumenta, ſicut ſecuris in manu artificis, vt ipſe ait. *Deus eſt magis auctor ſceleris iuxta Caluinũ quam ſatan vel homo.*

Sed, inquiunt, Caluinus alijs locis, preſertim libello cõtra Libertinos, acerrimè hanc ſententiam, Deum eſſe omnium ſcelerum auctorem, tamquam maximè impiam inſectatur, ſatius eſſe affirmans nullũ eſſe Deum quam talem. Fateor ita eſſe. Verùm quis neſciat hæreticorum inconſtantem docendi modum, eosque ſua omnia loco & tempori accommodare? Ratio huius inconſtantiæ eſt multiplex. Prima, Studium fallendi lectores, nimirum vt venenum doctrinæ ſuæ hoc artificio contegant; & quod maximè agunt & docent, minimè docere videantur. Cùm enim alibi aperte negant ac deteſtantur quod alijs verbis alibi luculentè tradunt, ſimpliciores, quorũ maxima turba eſt, non aduertentes contradictionem, ſubeſſe putant myſterium: quo fit vt & Doctoribus ſalua ſit ſua exiſtimatio, & diſcipuli maximis erroribus inuoluantur neſcij. Si apertè dixiſſet Deum eſſe auctorem omnium ſcelerum, nimis id durum viſum fuiſſet, nec facilè homines in ſuam traxiſſet ſententiam. Itaque viſum fuit id ſub iſtis terminis fortiter negare: idem tamen alibi ſpecie commendationis diuinæ prouidentiæ & efficacis operationis luculentè & efficaciſſimè tradere. *Excuſatio quorundam miniſtrorũ.*

Secunda, Sæpè diſputatio aliqua vel negotium exortum cogit prioribus dogmatibus contraria proferre. Sic cùm occaſione prioris doctrinæ Lutheri maxima in plebe facta eſſet morum diſſolutio, coactus fuit Lutherus pleraque ſua non ſolùm mitigare, ſed etiam diſſimulanter reuocare, & mutare; vt ex libro quê inſcripſit, *Viſitatio Saxonica* conſtat.

Tertia, eſt ſpiritus vertiginis, quo Deus ſinit illos agitari, & huc illuc tamquam ebrios impelli. quo fit vt ipſi propriam doctrinam clariſſimè deſtruant, & quod vno loco ex verbo diuino firmiſſimum affirmant, alibi tamquam hæreſim ac blaſphemiam condemnent; nimirum vt ſint inexcuſabiles qui huiuſmodi Vertumnis fidem adhibent. Fecit hoc Lutherus in pleriſque ſuis dogmatibus, adeò vt non minùs ipſe ſibi quàm Eccleſiæ Catholicæ aduerſetur; vt Cochlæus clarè oſtendit. Fecit Philippus Melanchthon & Auctores confeſſionis Auguſtanæ. ſæpiſſimè dogmata ſua mutantes. Fecit & Caluinus, tum in alijs multis, tum maxime in hoc dogmate: ita tamen callidè, vt quòd ſub vna verborum forma negabat, ſub alia firmiter aſſereret. rem tamen ipſam ſemper tenuit.

Neque mirum videri debet, Caluinum hæc docuiſſe. Eadem ante illum docuerãt eius magiſtri Lutherus & Zuinglius, Melonchthon etiam & Petrus Martyr, & alij nouorum euangeliorum Apoſtoli.

Lutherus lib. De ſeruo arbitrio contra Eraſmum ſic ſcribit: *Nulli in manu ſua eſt cogitare quidquam mali aut boni, ſed Deus in nobis omnia bona & mala operatur*. Et in aſſert. art. 36. *Quomodo poteſt homo ſe ad bonum præparare, cùm nec in poteſtate eius ſit ſuas vias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur*. Poteſtne aliquid dici clarius? poteratne Deus apertiùs auctor omnium ſcelerũ affirmari? At non ſiſtit in ſimplici aſſertione, ſed vult eſſe præcipuum & clariſſimum fidei articulum. Nam eadem aſſertione, hunc articulum: *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nulli eſt in manu ſua quippiam cogitare mali aut boni, ſed omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt; nimirum quia Deus omnia bona & mala in nobis operatur*: facit primarium, & ſummam totius ſuæ doctrinæ. *In ceteris*, inquit, *articulis de Papatu, Conciliis, Indulgentijs, alijſque nõ neceſſarijs nugis, ferenda eſt lenitas & ſtultitia Papæ, & ſuorum: ſed* [redacted] *hoc articulo, qui omnium optimus, & rerum noſtrarum ſumma*

ſumma

ſumma eſt, dolendum et flendum eſt, miſeros ſic inſanire.

Idem clariſſimè docet Huldericus Zvvinglius Caluini præceptor; tomo 1. in explicat. art. 20. *Fortiſſimum Dei verbum, nos nihil eſſe in nobis, nempe Deum omnia operari in nobis, nos nihil aliud quàm inſtrumenta eſſe, per quæ operatur Deus, ſicut per malleum faber.* Addit, quòd *ſicut faber ſibi tribuit ea, quæ per malleum facit, ſuum malleo; ita opera noſtra omnia Deo magis quàm nobis tribuenda.* Et lib. De prouidentia Dei fol. 365. *Quia lex hominum data eſt, ſemper homo peccat quando contra legem facit; quantumuis recte ſit, accuſatur, nec operetur niſi in Deo, ex Deo, & per Deum. Sed quod Deus operatur per hominem, hominis vitio vertitur, non Deo. Et quando ſaltem ſecundum adulterium, vel homicidium, Dei opus eſt motoris, auctoris atque impulſoris. Iuſto Deo impulſore accidat, & ſæpenumerò cogatur ad peccandum.* Eadem fuſiſſimè proſequuntur & confirmat.

Eadem docuit Melanchthon in locis communibus anni 1521. tit. de libero arbitrio. Vbi Primo doctrinam Patrum de libero arbitrio dicit eſſe impiam, à diuinis litteris & iudicio ſpiritus alieniſſimam. Deinde proponit ſuam: *Quandoquidem*, inquit, *omnia quæ eueniunt, neceſſario ſuntà æterna prædeſtinatione eueniunt, nulla eſt arbitrij noſtri libertas.* Et infrà: *Voluntati noſtræ libertatem per prædeſtinationis neceſſitatem adimit Scriptura*, &c. Et in annotat. in Epiſtolam ad Romanos, cap. 8. *Nos vero docemus, non ſolùm ſinere Deum creaturis vt operentur, ſed ipſum omnia proprie agere. Et ſicut ſententia proprium Dei opus ſaluſ, Pauli vocationem, ita ſecundum opera Dei propria eſſe. Deinde adulterium, Muthij ſeueritatem*, &c. *Conſtat enim ex cap. 1. ad Romanos, Muthij ſeueritatem, Deum omnia facere non permiſſiuè, ſed potenter; id eſt, vt ſit eius propria iuſtè prodito, ſicut Iudæ vocatio*, &c. Hæc fuſiùs, vt intelligatur, quale illorum primariorum Apoſtolorum, qui mundi tenebras diſpulerunt, & Religionem reformarunt, ſit dogma principale. Si enim principale dogma, & fundamentum religionum nouarum adeò tetrum eſt & blaſphemum, quid de eorum religione reformata ſtatuendum?

CAPVT TERTIVM.

Vtrùm Caluinus fuerit conuictus ſodomiæ, & ob eam cauſam ſtigmate inuſtus.

NOn ex aere ſcripſi ea quæ hac de re in Conſultatione adduxi, neque ex meo cerebro, ſed ex bonis auctoribus, & fama communi, quæ 40. & amplius annis viguit, non ſolùm apud Catholicos, ſed etiam apud Lutheranos. Illuſtres ſcriptores huius rei tamquam certæ & notoriæ mentionem fecere: ex quibus paucos adferam.

Primus ſit Hieronymus Bolſecus medicus, conſcius ſecretorum Caluini, vt ex Præfatione apparet. Hic in eius vita, quam ante annos 34. deſcripſit, & dedicauit Primati Franciæ Archiepiſcopo Lugdunenſi, cap. 5. ita ſcribit: *Nihil eam de natiuitate dicam, quæ in annum 1509. incidit, quo Noviodumi Picardiæ in lucem editus eſt. Neque etiam commemorabo de patre eius Gerardo Cauuino aliud, niſi impium hominem fuiſſe, & in Deum maximè blaſphemum: quod de illo teſtimonium præſtiti aliquot ciues Noviodunenſes interrogati perhibuerunt. Notariumque legalis in publicas tabulas retulit, quarum exemplum eiusdem Barthelier Domini Senatusque Genuenſis Secretario, Noviodunum huiuſce rei gratia, vt in vitam atque mores Caluini inquireret, & qualis adoleſcens fuiſſet explicaret, fræ què miſſo, eſſ imperritus. Quod ego teſtimonium publicum apud hunc vidi, & in ipſiuſmet manibus inſpexi: & idcircò rem veriſſimam commemorare poſſum. In quo quidem teſtimonio hoc quoque erat adiectum: Caluinum, cùm Curatum illic beneficium & aliud ſacelli cuiuſdam ſacerdotium obtineret, ſodomitici ſceleris conuictum in vitæ diſcrimen veniſſe, vt igni, quæ huiuſmodi ſceleris ordinaria & legitima pœna eſt, cremaretur. Cæterùm Epiſcopi vrbis commiſeratione pœnam moderatam, vt cauterio cruciatus eius humero lilium inureretur. Quo ſcelere confiſus, neque talem ignominiam ferens, vtrumque Eccleſiaſticum beneficium in Paſtorem Noviodunenſem tranſtulit; & ab eo certa pecuniæ ſumma acceſſit, in Germaniam, deinde in Italiam profectus eſt, fortunæ, ſi quam ſibi propitiam inueniret, ſe permittens. Cæterùm ſilentio præterire nolo, Noviodumo diſcedentem cognomine immutato Caluinum ſe pro Cauuino vocitaſſe, ſuæ imprudentiæ ſine conſultò, quòd hoc nomen moribus eius conueniret. quibus malignum illum & vindictæ cupidiſſimum Caluinum expreſſit. cui Iuuenalis, cùm ad eum Satyram 13. ſcriberet, hunc verſum attribuit.*

Et vindicta bonum vitæ non ſciuit vllum. Sed fuit etiam eũ ſe Carolum de Hatte oppido appellaret, & in omnibus litteris ſubſcriberet. Hæc ille.

Si iſta de crimine ſodomitico & ſtigmate vera nõ erãt, cur diſcipuli Caluini ea nõ refutarunt? Cur inſpectionem actorum publicorum, & Magiſtratuum teſtimonia non petierunt? facile enim, ſi falſa erant, refutari tunc temporis potuiſſent. Primò, teſtimonio Magiſtratus Genuenſis, qui publico inſtrumento declarare potuiſſet, tale ſcriptũ numquam ad ſe perlatum: ſe nihil vmquam de huiuſmodi Caluini crimine inaudiſſe. non enim dubitandum quin eo tempore, nimirum anno 1577. fuerint multi ſuperſtites, qui huius rei poſſent meminiſſe; & fortaſſe ipſe Barthelier, in cuius manibus ſe hoc teſtimonium vidiſſe affirmat Bolſecus, adhuc ſupererat. Secundò, Teſtimonio Magiſtratus Noviodunenſis. Non enim eſt dubium quin ex actis iudiciarijs, quæ aſſeruari diligenter ſolent, veritas cognoſci poſſet: verùm neutrum fecerunt fratres Euangelici. Quis credat, ſi ſolida aliqua ratione tãti ſceleris infamiam a ſuo Apoſtolo amoliri potuiſſent, & aduerſarium ſuæ Religionis Hieronymum Bolſecum calumniæ cõuincere, & apud omnes hoc modo infamem reddere, eos id fuiſſe prætermiſuros? Sic enim effeciſſent, vt nec in ceteris, quæ Bolſecus de Caluini variis criminibus, & peſſimis artibus, ac machinationibus ſcribit, ei fides adhiberetur. Itaque cùm nihil fecerint eo tempore quo maximè oportebat (nimirũ cùm libellum ſuum Bolſecus euulgauit) vt ita ſolidè confutarent; nemini prudenter rem expendenti dubium eſſe poteſt, quin rationis inopia, & criminis conſcientia id omiſerint. alioquin iniurij in ſuum Apoſtolum, & ſacrilegi in ſuam Religionem extitiſſent. Accedit, quòd Bolſecus non ſolùm dicit ſe in manibus illius Secretarij hoc teſtimoniũ vidiſſe & inſpexiſſe; ſed etiam iureiurando affirmat: ita enim ſcribit in Epiſtola dedicatoria ad Archiepiſcopũ Lugdunenſem: *Iam hoc quoque eandem teſtor Deum, nihil me hoc noſtratu complexum, quod contra meam conſcientiam ſcriptum eſſe mihi conſcius ſim: ſed quæ ſcribo omnia veritate mea, & vel ex tabulis & teſtimonijs manu ipſius Caluini deſcriptis ea me deſumpſiſſe, vel referentibus maximè auctoritatis viris cognouiſſe, vel meis oculis conſpexiſſe, manuque palpaſſe*, &c. Omitto ſigna & peripetaſes varias quæ concurrunt vt quòd nomen aliquoties mutarit, quòd beneficia ſua per ſimoniam vendiderit, quòd patriam deſeruerit, quòd in Germaniam ſe contulerit, quòd alia multa impuritatis indicia in eius vita apparuerint: vt Bolſecus, & alij ſcribunt.

Secundus ſit Iulius Brigerus. Hic in Floribus Caluiniſtarum ita ſcribit: *Caluinus enim Noviodumi Curatum beneficium, & aliud ſacelli cuiuſdam ſacerdotium obtineret, ſodomitici ſceleris conuictus in vitæ diſcrimen venit, vt igni cremaretur. Cæterùm Epiſcopi vrbis commiſeratione pœna moderata, cauterio cruciatus eius humero lilium eſt inuſtum. Quam ignominiam haud ferens, vendidit beneficia ſua, & in Germaniam ſe contulit, mutato priùs nomine. Nam pro Cauuino Caluinum ſe vocitabat, & aliquando Carolum de Heppe, aut Hatte.* Hæc ille ex Bolſeco & alijs. Non ſine numinis prouidentia videtur ea nominis mutatio facta. *Caluinus* enim per anagramma eſt *Lucianus*: nimirum vt Luciani in eo notetur impietas.

Tertius ſit Thomas Stapletonus, qui in Promptuario Catholico, Sabbato hebdom. 3. Quadrag. ita ſcribit: *Inſpiciantur etiam adhuc hodie ciuitatis Noviodunenſis in Picardia ſcrinia, & rerum geſtarum monumenta: in illis adhuc hodie legitur Ioannem hunc Caluinum ſodomiæ conuictum, ex Epiſcopi & Magiſtratuum indulgentia ſolo ſtigmate in tergo notatum, vrbe exceſſiſſe. Nec eius familia honeſtiſſimi viri adhuc ſuperſtites impetrare hactenus potuerunt, vt huius fœdi memoria, quæ toti familiæ notam aliquam inurit, e ciuicis illis monumentis ac ſcrinijs eraderetur.* Hæc ille ante annos circiter 23. quia conſcripſit illa aliquot annis ante euulgationem. Itaque tunc exabant adhuc acta publica, quibus id continebatur; quæ tamen iam dicuntur renouata & mutata, omiſſa infami illa de ſcelere & ſtigmate Caluini narratione. Facilè id potuit Stapletonus cognoſcere per Anglos qui aſſiduè

aſſiduè illac tranſibant Duaco Rhemos, vel Rhemis Duacum commeantes.

Quartus ſit præclarus Martyr Edmundus Campianus: quintus, Ioannes Duræus Scotus. Campianus cum ante annos 30. in ſua fidei demonſtratione Ratione 3. Caluinum *ſtigmaticum perfugam vocat*. Ad quod VVittakerus in ſua Reſpon. pag. 50. hoc tantùm reſponder: *Si ſtigmatæus fuit Caluinus, fuit etiam Paulus, fuerunt alij.* Vbi non obſcurè VVittakerus videtur fateri, ſed aliorum exemplo excuſare. Ioannes Duræus hanc VVittakeri reſponſionem refutat his verbis: *Quid Caluini ſtigmata humeris vmbilicum, cum Pauli ſtigmatibus conferre non dubitas; facis id quidem pra tua modeſtia & ſummo in præceptorem amore humaniter: ut ſi quod meminiſſe debuerat Chriſti ſtigmata in corpore ſuo Paulum portaſſe; Caluinum vero ſtigmata liuorum, quibus nihil miſi nefarij homines ob immania crimina ad perpetuam inuiæ memoriam ſolent*. Ad hæc VVittakerus nihil amplius quod reſponſere habuit. Vnde etſi in ſua reſponſione contra Duræum ad cætera, quæ hoc loco Duræus adfert, reſpondere conetur; vt patet pagina 280. hoc tamen de ſtigmate prorſus diſſimulat. Hæc ex libro Anglico cui titulus: *Apologia Proteſtantium pro Romana Eccleſia*. Quia cauſæ fuiſſe putabamus hominj alioquin loquaciſſimo, & importuniſſimo, huius ſilentij: nihil quòd fama publica, & conſcientia propria conuictus, nullo colore rem tegere & honeſtare potuerit?

Sextus, Surius ad annum Domini 1538. ita de Caluino ſcribit; *Hoc* (Argentoratenſi nouæ Eccleſiæ) *aliquandiu præfectus fuit Ioannes Caluinus ex Gallia profugus, qui poſtea Geneuenſem in Allobrogibus Eccleſiam orcupauit. Hunc Caluinum è patria ſua ob vitæ improbitatem exulaſſe quidam ferebant: eumdemque alius dicit inter diſſolutos ſuæ ætatis viros diſſolutiſſimum, inter inconſtantes & fœdifragos inconſtantiſſimum.* Hæc & alia Surius de Caluino ex publica fama: & libellus editus eſt ante annos 47.

Septimus ſit Guilielmus Reginaldus in hæreticorum ſcriptis verſatiſſimus, & tandem ab hæreſi ad fidem Catholicam traductus. Hic lib. 2 Caluino turciſmi cap. 11. id probat ex ſcriptis Lutheranorum ſub perſona Michææ ita ſcribens: *Taceo Theodorum Bezam & Ioannem Caluinum (quales & quantos Apoſtolas) non polygamiæ, non fornicationum, non adulteriorum, non ſtuprorum, ſed ſceleris longè horribilioris reos; qui tamen in Eccleſijs veſtris nunquam clariſſima ſidera longè lateque reſplendent. Mitto quæ Lutherani fratres obijciunt (de Caluini ἀσελγείᾳ, variis flagitijs & ſodomiticis libidinibus, ob quæ ſtigma Caluini do ſo impreſſum fuit a Magiſtratu ſub quo vixit.) Et quamquam Theodorus Beza alter de vita moribuſque Caluini ſcribat, tamen contra Theodorum Bezam iſti arguunt hæc eſſe veriſſima, (nec unquam luculenter & ſolidè à Caluiniſtis refutata.) Num quod ad Beza teſtimonium attinet, (cùm Theodorus Beza, inquiunt, eadem hæreſi & eodem fermè peccato nobilitatus ſit, vt hiſtoria de Candida meretricula & Andeberto teſtatur, nemo iſti huic in parte fidem habere poteſt)*

Conradus Schluſſelburgius Caluinſtas Theol. l. 2. fol. 72. Conradus ibidem.

Ex ſeptem teſtes, omnes ἀξιόπιστοι, omnes omni exceptione maiores: quibus accedat octauus Conradus ipſe Schluſſelburgius Luteranus, cuius verba iam ex Reginaldo retulimus. Longe plures adferre poſſem; ſed hi abundè ſufficiunt, non ſolùm ad me vindicandum a nota calumniæ, ſed etiam ad faciendam fidem cuilibet æquo lectori. Quis enim in re hiſtorica plura & grauiora teſtimonia requirat?

Variis rationibus probatur.

His accedunt multæ rationes, & indicia, quæ rem oſtendunt eſſe valdè credibilem. Primum, Quia hiſtoria de crimine illo conſentanea eſt alijs Caluini geſtis, quæ de ipſo commemorantur. Scribit enim Bolſecus in vita Caluini cap. 11. *Cum puer Caluini mancipium quatuor Francorum millibus libro ſubtractis ſe in fugam dediſſet, & amici vellent illum perſequi, nunquam Caluinum permittere voluiſſe: ne videlicet comprehenſus puer arcana patefaceret. Quæ res ingentem ſuſpitionem mouit, ſi cum puero abuſum eſſe.*

Aliud factum narrat Florimondus Præſes Burdegalenſis lib. 7. De ortu hæreſis, cap. 9. *Ferunt*, inquit, *& cõplures ſcripti euulgarunt Rectorem Collegij de Boncourt accuſſe Caluinũ nefandis criminis; & ex puerorum depoſitionibus, cùm non compariſſet, abſentem fuiſſe condemnatum*. Omitto alia impunitatis illius documenta, quæ a Scriptoribus referuntur.

Secundum, Quia hiſtoria illa eſt conformis vitæ & moribus diſcipulorum Caluini, qui ſe omni genere libidinis inquinarunt. Notæ ſunt libidines Bezæ ſucceſſoris Caluini, de quo ſcribit Conradus lib. 1 fol. 92. *Certò conſtat Theodorum Bezam à iuuentute imbibiſſe Vatum impudicitiam & impudentiam, totamque ætatem explendis ſuis libidinibus & cupiditatibus, ac deſcribendis ſuis amoribus, & defendis ſuis turpibus exercuiſſe: atque in meretricem, lenam, & ruinadum transformatum eſſe. De quo item conſtat & hoc, quòd obſcœniſſimis verbis ſcripſit ad Germanum Andebertum Aurelia, & eumdem impiam ſanctum à Theodoro Beza factum eſſe.* Plurima in hanc ſententiam referunt Bolſecus, Iulius Brigerus, Stapletonus, & alij. Nota eſt in Scotia impuritas Ioannis Knoxi Scotiæ Apoſtoli, & aliorum multorum quos memorat Iulius Brigerius in Floribus, & Guilielmus Reginaldus ſuprà, & Villagagnon aduerſus articulos Richeri, & alij.

Eſt conforme moribus diſcipulorum.

Tertium, Quia eſt conſentanea ſex primarijs capitibus doctrinæ Caluini, quorum primum eſt de prouidentia. Secundum, de electione. Tertium, de libero arbitrio. Quartum, de fide iuſtificante. Quintum, de bonis operibus. Sextum, de præceptorum diuinorum impoſſibilitate.

Eſt conforme doctrinæ.

Primum ſic oſtenditur. Caluini doctrina eſt, Deum ab æterno omnia opera ſcelerata hominum & dæmonum decreto ſuo ſtatuiſſe ac præordinaſſe; & ſuis temporibus ad ea excitare, mouere, impellere: vt ſuprà oſtenſum eſt. Si ita eſt, cur homo nitatur reſiſtere? cur cùm ſe ad huiuſmodi nefanda ſentit impelli, detrectet & tentatur? cur non ſequatur impulſum diuinum? cur non obſecundet eius voluntati & decretis? Imprimis enim eſt. Deo velle reſiſtere, eiuſque impulſum conari caſſum & irritum reddere.

Doctrina Caluini de prouidentia.

Secundum oſtenditur. Caluini doctrina eſt, *Omnes Caluiniſtas eſſe electos ante omnem operum præuiſionem; neque ſolùm eſſe electos, ſed etiam hoc ipſum debere firmiſſimè credere; adeò, vt ſi quis ea de re aliquo modo dubitet, horrendè ſit ſacrilegus, miſerrimè cæcus, Spiritui ſancto iniurius, & primæ pietatis tirocinia ignoret.* Ita docet lib. 3. Inſtitut. cap. 2. §. 38. *Abundè liquet, fidei nihil eſſe magis aduerſum, quàm vel coniecturam, vel aliud quippiam dubitationi affine.* Loquitur de fide electionis, & futuræ ſalutis, Et infrà: *An igitur ſani ſunt iſti, qui nullam eſſe gratiæ Dei certitudinem colligunt?* Per *gratiam*, intelligit fauorem quo proſequitur electos. Et §. 39. *Quid aliud quam Chriſti promiſſiones in dubium vocamus, dum ſerui Dei ſine ipſius ſpiritu haberi volumus, quem ſuper ſuos omnes effuſurum ſe denunciauit? Quid, quo ſpiritus ſancto imbuti ſumus, qui fidem operis eius peculiare ab ipſo ſperamus? hæc cùm prima ſint pietatis tirocinia, miſerrima eſt cæcitas, arrogantia notari Chriſtianos, qui Spiritus ſancti præſentia gloriari auſint, ſine qua gloriatione Chriſtianiſmus ipſe non conſtat.* Idem docet. §. 40. item cap. 14. eiuſdem libri cap. 6. 7. 8. Cùm ergo omnes Caluiniſtæ firmiſſimè credant ſe habere Spiritum ſanctum, qui teſtatur ipſos eſſe filios & electos Dei, quid mirum ſi libere auſint quidquid patrare? Quidquid enim egerint, non poſſunt à ſalute excidere, nec Spiritum ſanctum, vel internum electionis teſtimonium amittere.

Doctrina Caluini de electione ſuprà dicta.

Tertium oſtenditur. Quia Caluini doctrina eſt, *Hominem nec in actionibus bonis, nec in malis, nec in adiaphoris eſſe liberi arbitrij*: eò quòd vis diuinæ prouidentiæ in omnibus actionibus dominatur, & ad omnes inflectit, & impellit. Ita docet lib. 1. cap. 18. & lib. 2. cap. 2. §. 4. *Nimis philoſophicè hac de re* (de libero arbitrio) *locuti ſunt, qui ſe Chriſti diſcipulos eſſe dicebant. Nam quaſi adhuc integer ſtaret homo, ſemper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Græcos verò non puduit multò arrogantiùs vſurpare vocabulum: ſi quidè αὐτεξούσιον dixerunt, ac ſi poteſtas ſui eſſet penes hominem eſſet.* Vbi iugillat omnes Patres Latinos & Græcos libertatem arbitrij ſtatuentes. Idem proſequitur cap. 3. 4. & 5. Si Caluiniſtæ non ſunt liberi arbitrij, & vi prouidentiæ ad omnia quæ agunt impelluntur; cur non liceat illis patrare quidlibet? cur illis culpæ vertatur, quod non libera electione, ſed vi prouidentiæ inſuperabili, admittunt?

De fide.

Quartum oſtenditur. Quia doctrina Caluini eſt, *Fidem Caluiniſtarum non poſſe amitti; eamque efficere, vt nullum peccatum Caluiniſtis imputetur.* Priorem partem tradit libro 3. Inſtit. cap. 2. §. 11. *In fidem non illuminantur reprobi, nec Euangelij efficacem verè ſentiunt, niſi qui prædeſtinati ſunt ad ſalutem.* Et infrà: *Ergo vt ſolos electos ſemine incor-*

ruptibili

rupibili in perpetuum regnerat, vt numquam deperent semen vitæ in cordibus eorum infixum; ita fidelis in illis efficiat adoptionis suæ immutabilis stabilitatem vitæ sit. Eadem vocat semen incorruptibile, & semen vitæ, quod numquam perit de cordibus electorum. Item ibidem: *Vnus fides reddit solos electos dignatur, vt in finem usque perseuerent.* Et §. 12. vbi ita scribit: *Hoc verum tenendum est, quamuis exigua sit ac debilis in electis fides, quia tamen spiritus Dei certa illis verba est ac sigillum suæ adoptionis, numquam ex eorum cordibus delere possit insculpturam.* Ecce hic semel inculpta cordibus prædestinatorum, nunquam delere potest. Ibidem locis docet, *reprobos non dari veram fidem, sed fidei vbique* imaginem nullius momenti quæ indigna sit fidei appellatione.

Alteram partem docet lib. 3. cap. 4. §. 28. Vbi cùm reiecisset distinctionem peccati venialis & mortiferi, & docuisset omnia peccata secundùm se esse morte digna, subdit: *Certum fidelium peccata venialia esse: non quia non mortua mereantur; sed quia Dei misericordia nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu; qui non imputantur, quia venia delentur.* Idem docet lib. 2. cap. 8 §. Vltimo. Si nullum peccatum, quantumuis sit leue & enorme, Fideli Caluinistæ imputatur, cur, qualecunque tandem sit, timeat illud admittere? cur sibi vim faciat, vt suis cupiditatibus resistat? cur voluptatibus, ad quas affectus inclinat, se priuet? Nihil enim inde incommodi ipsi proueniet: sicut nihil commodi accipiet, si restiterit.

De bonis operibus.

Quantum offenditur. Quia doctrina Caluini est, omnia illa quæ vocantur opera bona etiam in fidelibus esse *sordes & inquinamenta, & iusti improbrij merito dum merari.* Ita docet lib. 3. Inst. cap. 12. & §. 4. *Omnes hominum opera, nihil sunt nisi inquinamenta & sordes: & quæ iustitia vulgò habentur, ea apud Deum merito sunt impietas.* Et cap. 14. § 9. *Habemus nec vnum à sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustum opprobrij meritum.* §. 11. *Duobus his fortiter insistendum, nullum vnquam extitisse pij hominis opus, quod si severo Dei iudicio examinetur, non esse damnabile. Ad hæc, si tale aliquod detur (quod possibile hominis non est) peccatis tamen, quibus laborare auctorem ipsum certum est, vitiatum ac inquinatum gratiam perdere.* Idem docet cap. 15. §. 3. Si Caluinistæ firmiter credunt omnia quæ vocantur bona opera esse, *sordes & inquinamenta*, & *omnem operum iustitiam* esse apud Deum *meram iniquitatem:* cur de bonis operibus sint solliciti? cur illa omni studio non detestentur & vitent? Omnes enim tenentur detestari & fugere omne id, quod nihil est nisi mera iniquitas, meræ sordes & inquinamenta. Cur potiùs se dedant operibus bonis quàm prauis, eleemosynæ, quàm rapinis, fidelitati quàm perfidiæ, veritati quàm mendacio, castitati quàm libidini; cùm omnia sint coram Deo prauæ inquinata, iniqua, & mortem æternam mereantur? Quis non videat hoc vno articulo non solùm omnem Religionē & pietatis cultum, sed etiam omnem honestatem & virtutem moralem funditus euerti?

De præceptis diuinis.

Sextum offenditur. Quia doctrina Caluini est, *Præcepta diuina esse homini impossibilia.* lib. 2. Instit. cap. 7. §. 5. *Quòd autem impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul & confirmandum. Solet enim vulgò absurdissima sententia videri, vt Hieronymus non dubitet anathema illis denuntiare. Quid vlsum sit Hieronymo, nihil moror,* &c. Deinde id fusè confirmat. Si Caluinistæ credunt legem diuinam esse impossibilem, non est quòd eam conentur seruare, aut tentationibus carnis resistere. Cur enim conentur ad impossibilia? Fides illis est instar omnis obseruationis, & impletæ legis: vt idem docet capite illo 7. §. 4.

Ex his perspicuum est, historiam illam, & alias huiusmodi quantumuis exoticas, doctrinæ Caluini sex modis esse conuentaneam; nihilque in genere libidinum & scelerum esse adeò mirabile, quod spectata tali doctrina non reddatur credibile. Retuli verba Caluini, ne dicatur me illi falsò imponere.

Postremò hæc historia congruit S. Scripturæ. Ex Scriptura enim habemus, Philosophos traditos in reprobum sensum, ita vt contumelijs notandarum libidinum afficerent corpora sua, eò quod veritatem Dei in iniustitia detinerent; hoc est, iuxta notitiam quam de Deo habebant, non viuerent: cùm enim Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, inquit Apostolus. Si Philosophi, quia iuxta veritatem cognitam non vixerunt, meritò in reprobum sensum sunt traditi: quanto iustiùs id accidit nostris hæresiarchis, & noui Euangelij Apostolis, qui non solùm veritatem Dei in iniustitia detinent, sed eam planè peruertunt, & in mendacium ac blasphemiam commutant? Qui non solùm volunt dici sapientes, sed *Apostoli & Prophetæ, & Sanctissimi, & Ecclesiæ Reformatores & Instauratores*: iusto itaque Dei iudicio traduntur in reprobum sensum; & permittitur diabolo, vt & mentem eorum excæcet, & carnem libidinum facibus accendat, & ad omnē impuritatem, immunditiam, ac libidinum contumeliā eos impellat: vt appareat mundo quàm sint vilēs & abominabiles; & nulla excusatio superstit ijs, qui tam fœdis carnis mancipijs fidem adhibent.

Est conforme scripturæ. Ad Rom. 1.

Testatur de se ipse Luthetus, quòd sub initium sui Euangelij (antequam professam monialem sibi copulasset) *præter modum libidinis vehementiam, & amorem mulierum, ad insaniam pene redactus fuerit.* Idem in capitul. 31. Prouerbio hoc glossema apponit: *Nihil amabilius vel suauius est in terra, quàm amor mulierum, si eius is potest contingere.* Et alibi testatur *se non magis a muliere potuisse abstinere quàm a cibo & potu*; & opus coniugale esse opus diuinum, cœleste, spirituale. Quis vnquam leno vel adulter adeò fuit impurus, vt ita loqueretur.

In colloquijs mensalibus, folio 415. De vita coniugali. Colloquijs mensalibus, fol. 400. & 526. Habetur ta. 2. fol. 115.

Vlricus Zvvinglius in litteris suo & aliorum Euangelicæ doctrinæ Ministrorum nomine scriptis: *Apud Paulum non aliam matrimoniorum causam, quàm carnis ad libidinem æstum, reperire licet; quem in nobis seruere, negare non possumus, cùm huius opera nos coram Ecclesijs in fames reddiderint.* Ecce fatentur isti sua dedecora, & suam infamiam. Sequitur: *Æstum verò libidinis eas carnis cupiditates & affectus intelligimus, quibus homo tantum non accensus, carnis libidinosa studia animo suo versat, in his solis omnes cogitationes suas infumit: hæc meditatur, totusque in hoc est, vt carnis furori satisfaciat.* Idem habet alia supplicatione, quàm nomine quorundam Tuguri Euangelistarum mittit ad Episcopū Constantiēsem; cui præter Zvvinglium subscripsere Leo Iudæ, Erasmus Fabricius, & Balthasar Trascelius: vbi fatentur isti Apostoli, *se tam valdè arsisse, vt multa indecorè gesserint homines quadragenarij.*

De Caluino, Beza, iam dictum. De Anabaptistarum Apostolis nihil dicam, quia res notissima. Ex quibus perspicuum est, nouarum istarum religionum auctores, dum volunt videri Apostoli & Reformatores Ecclesiæ, fuisse miserrima carnis suæ mancipia: & iustissimè hoc probrū a Domino in illos permissum, vt omnibus scintillam prudentiæ habentibus sint contemptui; & nemo, nisi qui sponte se a veritate auertit; ab illis decipiatur. Contraria planè fuit Apostolorum Christi, & eorum qui veram Religionem initio in varijs Prouincijs plantarunt, vita, mores, disciplina.

DOMINE MISERERE.

4

DISPVTATIO
DE STATV VITÆ DELIGENDO, ET RELIGIONIS INGRESSV,
QVÆSTIONIBVS XII. COMPREHENSA:

Auctore LEONARDO LESSIO è Societate Iesu Theologo, & Sacræ Theologiæ Professore.

In qua de Religionem intrantium ætate, voto, commodis, & ceteris attributis luculenter in vtramq; partem disseritur, & quid approbandum, vel declinandum sit, per rationes analyticas semoto fuco ostenditur.

Aliquoties antea in Germania edita, instanti autem tempore iterum in Italia excusa, ab innumeris mendis expolita, & præcipuè in gratiam Ecclesiasticarum personarum publico vsui destinata.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, MDCXXV.

APVD ANDREAM BABA.

Digitized by Google

AD LECTOREM
RELIGIONIS INEVNDÆ
CONSILIA VERSANTEM.

PAuca tibi breuibus volai conſcribere chartis,
Quiſquis adhuc dubia carbaſa cre dis aquæ.
Quemq́, ſubit tandem, poſt longa pericula Vitæ,
Tedia poſt mundi longa quietis amor.
Quid facias, moneo, circumſpice, non lene Verſas
Conſilium, moribus res eget hæc animis.
Prælia cum inſolitâ tibi ſunt belluanda catorvâ:
Bella ciet, nullas qui tuus hoſtis erat.
Ipſe pater Validis natum prior appetit armis,
Mater ad hæc acies claſſica prima canit.
Quin ſoror inſanas imitatur Amazonis iras,
Dulcia nec fratris nomina frater amat.
Et conſanguineæ circumſtant agmina turbæ,
Pársque agit vna minis, pársque agit vna prece.
Telá; ſunt lacrymæ, gemitúſque, precéſque ſagittæ;
Tela etiam armatum tranſadigenda caput.
Non fallo, mihi crede, iter hoc priùs ineimus ipſi;
Nulla tot implexis eſt Via plena dolis.
Scilicet è Belgis dominam quis iturus in Vrbem,
Abſque duce Alpinas audeat ire niues?
Tu labyrinthæos, nullo duce tutus, in orbes
Induis imprudens abſque timore pedem?
O quid agis! mentem melioribus adjice curis,
Aeterna, æterna, hoc ſtatq́, cadiq́, ſalus.
Non pater, aut patre maior auus, non deniq; mater,
Non Vlla eſt fratrum turba roganda tibi.
Cura domus patris eſt, matris ſit cura culinæ,
Cura tui fratrum non facit officio.
Dic, petis à Medico, ſurgant quibus artibus ædes?
Quaq́, leues podagram, conſulis, arte, fabrum?
Quis ferat agricolam de ponto vndiſq́ doctorem?
Aut ſi de raſtris dicere nauta Velit?
Sæpè tibi monitis opplebit inanibus aurem,
Nec, quam rem moneat, ſat ſciet, ipſe pater.
Sæpè tibi, caueas fili dulciſſime, dicet,
Ne nimium ſumas, anxia mater, onus.
Primus adhuc tenero vernat tibi ſanguis in ore,
Necdum etiam magnis par potes eſſe viris.
O fili, ô quoties optaui, vt parvulus hæres
Te referens, noſtro luderet in gremio,
Ecce vetat teneram Chriſto ſacrare inuentam,
Nec graue, coniugij ferre capiſtra, putat.
I nunc, & tantis adhibe de rebus agendis
Matris conſilium, conſiliumq́, patris.
Vt ſi cæruleo facturus vela profundo,
Aurigam poſcas æquor arare rotis.
Ni faciam tamen, inquis, & impia inſſa capeſſam,
In tabulis hæres alter auitus erit,
Pone metum, immeritas ita patrem ſumere pœnas
Poſſe putas? Vanæ ſunt, ea verba, minæ.
Non licet innocuam tabulis expungere prolem,
Si pater in mores nil quod agatur habet.
Nouimus antiqui quæ ſit ſtata Iuris amuſſis,
Si dubitas, huius conſule ſcripta libri.
Si dubitas etiam, ſint verúne cetera, paucis
Quæ tibi tentaui claudere verba metris.
Non moror, vt dubites quantum dubitaſſe lubebit,
Dum liber hic teſtem ſe probet eſſe meum.

Hermannus Hugo

Societatis Ieſu.

Idem de hoc Libro.

DIſcede, moneo, quiſquis hunc legis librum;
Niſi fors abire cum nouâ velis mente
Spernendi honores, ſpeſq́, reſq́, mortales,
Magnumq; inane, quod priùs ſequebare.
Tot namque claris, fortibuſq́, tot verbis,
Rationibuſq́, tam potentibus ſuadet.
Vt, cùm ſecundam, tertiamq́, pagellam
Vix otioſus, oſcitanſq́, Verſarem,
Niſi me catenis, nexibuſq́, ſoluiſſem
Quibus implicatum longa traxerat Vita,
Quoſq́, ipſe nuper ruperam, ſatur fraudum,
Iterum catenas, compedeſq́, rupiſſem.

QVÆSTIONES HIC EXPLICATÆ.

I. QVA ætate adoleſcens vel puella ingredi poſſit Religionem. 129
II. An expediat iuuenes ingredi. 130

III. An votum de ingredienda Religione à puero emiſſum ſit validum. 131

IV. An opus ſit longa deliberatione, & cum quibus ea deliberatio inſtituenda. 132

V. Quomodo ſcire poterit an vocatio ſit à Deo. 137

VI. Quid faciendum ei qui nondum deliberauit ſeriò de ſtatu capeſſendo, quomodo diuinam voluntatem explorabit. 139

VII. An expediat ingreſſum differre in longum tempus donec iudicium maturuerit. 140

VIII. An ſit peccatum, auertere aliquem à propoſito ingrediendæ Religionis. 142

IX. Vtrùm ſit expediens, vt is qui propoſitum Religionis habet, voto ſe aſtringat ad ingrediendum. 146

X. Quam vim talem votum habeat. 146

XI. Vtrùm filij, & filiæ quæ Religionem ingrediuntur, poſſint exhæredari & priuari portione legitima. 146

XII. Quæ & quanta Religionis ſint commoda. 150

DISPV-

DISPVTATIO
DE STATV VITÆ DELIGENDO,
ET RELIGIONIS INGRESSV.

QVÆSTIO I.

Qua ætate adolescens, vel puella ingredi possit Religionem?

1 REspondeo, & dico Primò: Ante annos pubertatis non possunt inuitis parentibus, vel tutoribus, religionē intrare aut habitum suscipere: quòd si contra fecerint, possunt repeti; & Religio compelli Officio Iudicis ecclesiastici, restituere.

Colligitur manifestè ex rescripto Alexandri III cap. Ad nostram. & ex capit. Significatum, de regularibus; & ex Concilio Toletano 12. cap. 6. & Concil. Triburiensi cap. 24. Vide cap. 1. & 2. 20. q. 2. Estq; communis & certa DD. sententia. Ita enim statuerunt Iura: quia ante annos pubertatis non præsumuntur habere satis iudicij, vt de statu vitæ deliberent & decernant. Vnde in omnibus sub potestate parentum vel tutorum (qui loco parentum sunt) illos esse voluerunt, donec ad pubertatem pertuenerint.

2 *Limes pubertatis.* *Pubertatis* autem limes ab eodem Iure constitutus est, in masculo quidem annus decimusquartus ætatis completus, seu initium quintidecimi: in femina annus duodecimus completus, seu initium decimitertij, vt patet ex Iuribus allatis, & alijs plurimis. Eadem etiam est ætas, qua licet ordinariè matrimonium contrahere. Itaque masculus ante annum ætatis decimumquartum completum, vel (quod idē est) ante quintumdecimum inchoatum, non potest, absque parentum bona venia, religionem intrare tradendo se monasterio, aut habitum suscipiendo; neque puella ante annum duodecimum completum.

3 Aduerte tamen, si parentes sciant filium impuberem religionem ingressum habitum suscepisse, & per annum integrum & diem dissimulando non contradixerint, non habere amplius ius repetendi, sed liberum esse puero manere: vt expresè habetur in duobus Concilijs loco citato, & in Concilio Moguntino capitul. Si quis extrauag. de Regularibus.

4 Dico Secundò, Impuberes tamen cū bona parentum venia religionē intrare possunt, & habitum suscipere: quo facto parentes non habent amplius ius repetendi. Colligitur ex Iuribus proximè citatis. Ratio est, quia quod semel placuit, amplius displicere in alterius iniuriam non potest: & quod semel Deo oblatum, postea non potest repeti. In potestate tamen impuberis est, simulatq; ad pubertatem venerit, factum suum ratificare, & se obstringere ad manendum; vel irritum reddere, & egredi. Non enim illū oblatio parentum obstringit ad manendum in religione, nisi in ætate legitima consenserit: imo nisi ipse se obligarit.

5 *Exponuntur canones.* Nec obstāt canones illi qui habentur 20. q. 1. nempe 1. 3. 4. 6. quibus apertè indicatur, eos qui in annis pueritiæ a parentibus oblati sunt monasterio, & susceperunt habitū non posse ad sæculum redire: quia intelligendi sunt de ijs, qui in ætate legitima consenserunt, talem tacitè, retinendo habitum, vel munia professorum obeundo: vt Glossa ibidem exponit; & apertè insinuat Clemens III. cap. Cùm virum. extrau. de Regularibus. Olim enim si quis ætatem debitam confecutus per triduum gestaret habitum professorū, censebatur eo ipso tacitè professus: vt patet cap. Ad nostram. extra. de Regular. & cap. Constitutionem, de Regul. in 6. Similiter si tali habitu suscepto faceret opus professis proprium, statim efficiebatur professus, neque tunc requirebatur triduum. cap. Vidua. extrau. de Regularibus. Simili modo, si puber ingrediebatur religionem non animo probandi, sed absolutè animo renuntiandi sæculo, & mutandi vitam, statim fiebat religiosus, nec poterat amplius religionem deserere, quamuis ad laxiorem transire permitteretur. cap. Consulti. cap. Statuimus. extrau. de Regular. poterant enim renuntiare anno probationis, & statim profiteri. Verùm nunc aliter statutum est per Cōcilium Tridentinum, vt infrà dicemus.

Dico Tertiò: Adepta pubertate (id est completo anno decimoquarto in mare, & duodecimo in femina) efficiuntur sui iuris, & liberi a parentum potestate quoad religionis ingressum: ita vt parentes non possint eos cogere vt intrent, aut impedire ne intrent. 6 *Quando sui iuris in hac negotio.*

Est communis DD. sententia, & certa Ecclesiæ doctrina, de qua nefas est dubitare. Probatur ex Concilio Triburiensi cap. 24. vbi sic statuitur: *Si verò in fortiori ætate* (nempe adepta pubertate) *adolescentula vel adolescens feminæ Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Idem statutum in Concil. Toletano 10. cap. 6. *Parentibus fas è filios suos religioni contradere non amplius quàm vsque ad euentum decimum eorum ætatis annum licentia poterit esse, postea verò siue sit voluntas parentum, siue sua denotionis solitarium votum, erit filijs licitum religionis assumere cultum.* Vnde patet, ante annum decimumquartum filios non esse sui iuris, sed sub potestate parentum: sed post illum annum ita esse sui iuris vt possint liberè religionem ingredi, vel non ingredi, siue parentes consenserint, siue non.

Idem patet ex rescripto Cælestini III. cap. Cùm simus. extrauag. de Regular. & ex multis alijs iuribus: ipsēque Ecclesiæ vsus plusquam a mille annis receptus toto orbe id comprobat. Constat enim, numquam parentibus licuisse filios post pubertatem vel inuitos ad religionem compellere; vel eos, qui religioni [redacted] addicere vellent, impedire; sed summam semper illis relictam libertatem.

Iure quidem naturæ (hoc est sepositā lege positiua) quilibet habilis est ad religionem, simulatque sufficientem discretionem & prudentiam nactus fuerit, vt possit intelligere, talem statum sibi esse salutarem. Verùm quia incertum est quo tempore id in singulis accidat (alij enim citiùs, alij tardius hanc prudentiam assequuntur) Ecclesia, quæ Spiritu sancto regitur, constituit certum limitem in vtroque sexu, qui passim in omnibus locum habeat: ita vt cùm ad eum ventum fuerit, omnino iudicandum sit (nisi de contrario planè constet, vt si esset amens, vel planè stupidus) sufficientem rationis vsum & intelligentiam adesse; ante verò illum, id non sit iudicandum. Hic est annus decimusquartus completus in puero, & duodecimus completus in puella. Idem limes constitutus contrahendo matrimonio. 7

Quòd si hæc ætas iudicio Ecclesiæ sufficiens est; vt quis de statu vitæ deliberet, & religionem eligat; quantò magis sufficit ætas sexdecim, septendecim, vel octodecim annorum?

Ex quo sequitur Primò, Valdè imprudenter eos agere qui tales nimis iuuenes esse iudicant, & differendos sentiunt. Præferunt enim iudicium suum iudicio Ecclesiæ & omnium Doctorum, qui non solùm annum decimumsextum, sed etiam decimumquartum sufficere iudicarunt. Olim ante Concil. Tridentinum annus decimusquartus completus in puero, & duodecimus completus in puella satis erat ad professionem, quę vinculum insolubile injicit. Modò per Concil. Tridentinum id est sublatum. nam sta- 8 *Imprudens iudicium.* *Sess. 25. c. 15. de reformat.*

tuit, vt professio non valeat ante expletum annum probationis, & sextumdecimum ætatis: & consequenter decernit vt professio post illud tempus sit valida. Quòd si Cœcilium Oecumenicum iudicauit hoc tempus septem annorum abunde sufficere ad professionem, quæ vinculum insolubile imponit: quanto magis censuit sufficere ad inchoandum Nouitiatum, quo nullum vinculum nectitur?

9 Accedit quòd ætas quatuordecim annorum in adolescente, & duodecim in puella, sufficiat ad contrahendum matrimonium, vt omnes norunt: quanto potiori ratione sufficiens censeri debet ad capessendam religionem? In matrimonio enim quod sæpè mille difficultatibus implicat hominem, non conceditur tempus probationis, & spatium experiundi, vt si non placeat, possis resilire: sed statim ipso consensu exteriùs expresso, insolubile & grauissimum vinculum contrahitur. In religione conceditur annus integer, vel biennium probationis, vt si displiceat, possis deserere. Itaque longè maiore opus est maturitate, vt prudenter statuas de ineundo matrimonio, quam de capessenda religione: & tamen ad matrimonium iudicio Ecclesiæ, & decretis vtriusque Iuris sufficit ætas pubertatis, nempe quatuordecim annorum.

10 Sequitur Secundò, Eos facere iniuriam adolescenti aut puellæ iustam ætatem habenti, qui vi, fraude, minis impediunt ne religionem intrent. Cùm enim illi hac in re sint sui iuris, & planè liberi à suorum potestate, agitur contra ius illorum, dum vel impediuntur ne intrent, vel coguntur vt intrent: ac proinde fit illis iniuria; quæ cùm sit in re graui & maximi momenti, non video, quo modo possit excusari à peccato mortali. Quod confirmari potest ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 18. de Regularibus. vide hac de re plura infrà quæst. 8.

Iniuria.

11 Petes, quando possit inchoari Nouitiatus hoc tempore post Concil. Trident.

Nouitiatus.

Respondeo posse inchoari ab adolescente anno decimoquarto completo; & à puella anno duodecimo completo; non anteà. Ratio est: Quia in ea ætate, & non anteà, poterat inchoari iure antiquo: Concilium autem nihil hac in re innouauit, sed idem inchoandæ probationis tempus, quod iure antiquo seruabatur, reliquit: solùm autem circa professionem quædam de nouo constituit, nempe vt professio non fiat nisi anno probationis exacto, & decimosexto ætatis completo: cum antea liceret renuntiare anno probationis, & valeret professio absque probatione anno decimoquarto completo facta: vt ex multis iuribus extrau. de Regularibus conflat: vt cap. Vidua. cap. Ad nostram. capit. Significatum. cap. Ad Apostolicam. capitu. Cùm virum, &c. Quòd autem probatio, qua parte pubertatè antecedit, non sit valida; colligitur ex Iuribus supradictis nu. 1. & 6. Ratio est; tum quia ante illud tempus non censetur habere satis iudicij & prudentiæ ad experiundas religionis asperitates; tum quia anteà nō potest experiri difficultates, quas adfert certamen castitatis, quod primùm in pubertatè sentiri solet. Itaque vt probatio valida sit & sufficiens ad professionem, debet necessariò per annum durasse post inceptam pubertatem: ea finita, nihilominus differenda professio vsque ad annum sextumdecimum completum. Quòd si annus quartusdecimus completus sufficiens est ad ingrediendam religionem probandi causa, vt ostensum est: quanto magis sufficiens censeri debet annus decimussextus, decimusseptimus, decimusoctauus? Nullo itaque colore, nulla probabili ratione excusari possunt, quicumque illi sint, qui tam claræ veritati se opponunt.

QVÆSTIO II.

An expediat iuuenes ingredi?

12 QVidam putant id minimè expedire: quia priùs exercendi sunt in præceptis & vita communi, quàm in consilijs quæ ad perfectionem pertinent. Deinde iuuenes non cognoscunt suas vires, nec intelligunt quid ipsis sit conducibilius. Itaque censent differendos in 24. vel 25. annum ætatis, vt interim vires suas probent, & considerent an iugum religionis ferre poterunt. Sed hoc insipiens est consilium, sacris Scripturis, sanctis Patribus, & rectæ rationi aduersum.

Itaq; respondeo & dico Primò, valdè expedire, esseque saluberrimum consilium vt quis iuuenis se religioni mancipet, antequam corruptelas sæculi tuo damno sit expertus. loquor de illis maximè qui ad annos pubertatis peruenerunt, & iam libere se possunt religioni addicere. 13

Hæc sententia est omnium DD. & sanctorum Patrum; quam etiam vsus Ecclesiæ & experientia confirmat.

Probatur Primò ex Scripturis: Threnorum 3. *Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit se super se.* Quem locum S. Thomas, & passim alij pietatis magistri sentiunt de eo, qui in primo adolescentiæ flore iugum religionis capessit. Rationem insinuari aiunt illis verbis, *sedebit solitarius.* &c. nimirum quia talis in ea ætate à mundi tumultu & sæculari conuersatione segregatus, facilè se supra se, id est supra naturæ suæ conditionem (quæ tunc facilè obedit spiritui) leuabit, & ad diuina eriget, Angelorumque vitam & sanctitatem imitabitur. Confirmat id S. Thomas ex B. Anselmo lib. De similitudinibus capit. 78. vbi Anselmus eos qui ab ineunte ætate in religione sunt educati, ait similes esse Angelis, qui nunquam ceciderunt, sed ab initio in Dei seruitio perstiterunt: eos verò qui a sæculari vita conuersi sunt, esse similes hominibus, qui post varios lapsus & errores tandem ad bonum traducuntur. *Probatur ex Scripturis. Lib. contra retrah. à relig. c. 3.*

Marci 10. *Offerebant ei paruulos vt tangeret eos. Discipuli autem increpabant offerentibus: quos cùm videret Iesus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos ad me venire, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.* Si Dominus indignabatur in eos qui paruulos (τὰ παιδία hoc est puerulos, vt Matthæus & Marcus; τὰ βρέφη infantes, vt Lucas) qui nōdum spiritualia capere poterant, impedirebant ne ad Christum accederent benedictionis causa: quanto magis indignatur in eos, qui adolescentes iam spiritalis doctrinæ capaces, ad Christum accedere imitatione vitæ cupientes, eiusque consilia sectari, impediunt & auertunt? *Nulla ætas immatura regno Dei*, inquit Ambrosius. 14

Præterea, is cui Dominus Matth. 19. & Luc. 18. ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me:* adolescens erat, Græcè νεανίσκος, id est adolescentulus: qualis est quatuordecim, quindecim, sedecim annorum. S. Ioannes Euangelista iuuenis, & à sæculi corruptione adhuc immunis, Dominum secutus est, & idcircò singulari amore à Domino dilectus, adeo vt passim vocetur in Scriptura *Discipulus dilectus, Discipulus quem diligebat Iesus:* vnde & maxima ei mysteria præ ceteris a Domino reuelata: vt refert Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Plurimi etiam in veteri Testamento ab ineunte ætate Domino consecrabantur: vt Samson, Samuel, Nazaræi. 15

Secundò, Idem probatur ex sanctis Patribus, qui omnes docent, post vocationem diuinam non esse differendam executionem, sed primo quoque tempore parendum Deo vocanti. qua de re plura infrà q. 6. Idem patet innumeris Sanctorum exemplis. Nam S. Paulus primus Eremita, & S. Antonius, & S. Hilarion, anno decimoquinto ætatis, venditis omnibus & in pauperes distributis, se in desertum contulere, & totos Deo manciparunt: S. Simeon Stylita anno decimotertio. S. Benedictus valdè iuuenis erat quando omnia deseruit, nempe decem vel duodecim annorum. S. Maurus anno duodecimo, S. Placidus & multi alij tempore S. Benedicti a puer. religioni traditi. S. Ioannes Calybita cùm esset annorum circiter quatuordecim, relictis ædibus & opibus paternis, neutri parenti re iudicata, in longinquum monasterium se abdidit, orationi & ieiunio vacaturus. S. Romualdus anno vigesimo, S. Thomas decimoquarto, S. Franciscus à Paula decimotertio, S. Antoninus decimotertio appulit animum, decimoquarto receptus: S. Vincentius Ferrerius decimooctauo, S. Laurentius Iustinianus decimonono, S. Bonaueutura vigesimosecundo, Venerabilis Beda ab anno septimo in religione educatus. Denique in multis Ordinibus etiam pueri recipiuntur: idque iam a mille & amplius annis seruatum. Et hoc tempore præstantissimi quique in Italia & Hispania religiosi & eruditione clarissimi, a primis adolescentiæ annis se ad religionem contulerunt. 16 *Ex Patribus.*

Idem probari potest multis rationibus. Cùm quis religionem ingreditur, seipsum Deo in sacrificium offert: atqui lex diuina Leuitici 1. Malachiæ 1. & alibi præcipit, vt 17 *Probatur ratione.*

id

id quod Deo in sacrificium offerendum est, sit sanum, integrum, purum, absque macula: ergo qui religionem ingredi cogitat, statim id exequi debet, vt Deo puram hostiam (hoc est corpus & animum nondum peccati labe inquinatum) exhibeat. Cur enim expectet donec peccatis inquinetur, & corpus libidine, animus impuris fœdetur affectibus?

18 Secundò, Eo tempore homo ad religionem est aptissimus, quo animus praua consuetudine nondum est corruptus, sed instar tabulæ rasæ, ad omnem formam suscipiendam facilis. Præcipua enim difficultas quæ in religione sentiri solet, prouenit ex praua consuetudine, & inclinatione vitæ præteritæ, & ex memoria eorum quæ quis in sæculo est expertus. Atqui tempus illud quo quis est aptus religioni, & nondum corruptus sæculi venenis, sunt primi pubertatis anni: tunc enim nondum otiosi habitus cõtracti, nondum gulæ & veneris blandimenta mentem depranarunt, nondum ambitio & auaritia regnum animę possedit: itaque hoc tempus religioni capessendæ aptissimum. Confirmatur, Quia praua consuetudines quas adolescentia, dum diutius moratur in sæculo, contrahit, ęgerrimè postea deponuntur, iuxta illud Prouerb. 22. *Adolescens iuxta viam suam etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Et illud Poetæ:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem, Testa diu.

Omnes virtutes & omnia vitia ex frequentatione & consuetudine bonorum vel prauorum actuum generantur: vt docet Aristoteles lib. 2. Ethicorum, ca. 1. Vnde concludit: Οὐ μικρὸν οὖν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως ἐυθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν: id est, *Non parum igitur refert sed permultum, vtrùm sic an sic a puero assuescamus: imò verò totum in eo positum est.*

Ex quibus patet quanta vis sit consuetudinis, siue in bonum, siue in malum: adeò vt consuetudo dicatur esse *altera natura*: qui instar nouæ & accessoriæ naturæ inclinat, vrget, impellit. Si tanta est vis consuetudinis, omni ope conandum est, tum vt praua consuetudinem anticipemus, & nos Deo consecremus priusquam illa nos comprehendat, suisque vinculis constringat, & captiuos teneat; tum vt quàm citissimè bonæ & sanctæ consuetudini nos addicamus, quæ animos nostros possideat, & in bono confirmet.

19 Tertiò, idem probari potest ex omnibus alijs artibus & disciplinis, ad quas apud omnes gentes a tenera ætate applicantur illi, qui in eis vitam sunt acturi. Qui enim futuri sunt clerici, a pueritia in clericatu eruditur: qui milites, in exercitijs militaribus, simulatque per ætatem apti sunt, instrui debent; vt Vegetius præscribit: qui fabri, sartores, sutores, textores, ab incunte ætate hæc discere incipiunt. Cur non etiam qui religiosi futuri, statim vt idonei fuerint, in disciplina religionis se exerceant, & religioni addicant, præsertim cùm ea sit difficilior, & maioris momenti quàm omnes artes humanæ?

20 Quartò denique flexus ille ætatis, qui est ab anno decimooctauo vsque ad vigesimumquintum, maximis periculis est expositus. Tunc enim viget iuuenilis feruor, iuuenilis audacia & temeritas. Tunc rationis lumẽ voluptatum illecebris, & sensuum lenocinijs præstinguitur: tunc castitatis infinita naufragia; tunc ebrietatis, crapulę & ingluuiei dedecora; tunc lites, pugnæ, vulnera, cædes; tunc effusio animi in omnes voluptates, & Dei salutisque obliuio. Vnde innumeri in ea ætate corpore & animo pereunt; vel si superuiuant, pleni praua consuetudine, prauis iudicijs & moribus, & sæpe pleni tædio, cholera; morbis, reliquum vitæ miserè transigunt. Quæ incommoda euitantur, cùm primis adolescentię annis ipsoque iuuentutis flore sæculo quis valedicit, & religioni se mancipat.

Ex quibus perspicuum est, non solùm esse expediens & salutare vt quis statim post pubertatem religionem capessat, & probationem inchoet; sed etiam vt ante pubertatem religioni a parentibus tradatur, sicque a puero religiosis exercitijs assuescat, & omnia sæculi inquinamenta deuitet.

21 *Soluitur argumentum initio obiectum.*

Quòd verò initio obiectum fuit, facilem habet solutionem. Absurdum enim est, & contra rectum ordinem quod assumitur, nempe hominem priùs in præceptis quàm in consilijs exercendum. Præcepta enim non ordinantur ad consilia, sed contrà consilia ad præcepta. Vt enim perfectiùs seruentur præcepta, suscipiuntur consilia. perfectio enim consistit in dilectione Dei & proximi, quę præceptis continetur: non in castitate, vel paupertate, vel obedientia Prælati, quæ ad consilia pertinent. Sed hæc adlubentur tãquam adminicula quibus disponimur & iuuamur ad dilectionem, & animi cum Deo coniunctionem. Paupertas enim voluntaria tollit infinitas mentis implicationes, & impedimenta charitatis, quæ diuitiarum amor & studium adferre consuecuit. Castitas omnes matrimonij, vxoris liberorum, & rei domesticę curas: Obedientia libertatem euagandi, & sectandi propriæ voluntatis adimit arbitrium; & simul ad omnem virtutem dirigit, omniaque errata corrigit. *Quidquid est in mundo*, ait B. Ioannes epist. 1. c. 2. *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Concupiscentia carnis tollitur per castitatem: concupiscentia oculorum per paupertatem: superbia vitæ per subiectionem & obedientiam.

22 *Perfectio nõ consistit in consilijs, sed in dilectione.*

Ex quibus perspicuum est, in consilijs non cõsistere perfectionem, sed amolitionem impedimentorum perfectionis, vt facilius, tutius, & cumulatius perfectionem assequamur. Vnde cùm sint media ad perfectiorem præceptorum obseruationem ordinata, consequens est, ea non esse differenda, sed primo quoque tempore, primisque adolescentię annis complectenda: quia præceptorum perfecta custodia, quæ finis est consiliorum, non est differenda, sed statim omni ope ad eam nobis conandum. Debemus enim *diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota fortitudine*, vt nobis præcipitur Deuter. 6. Matth. 22. Marci 12. Lucæ 10. Quo modo loquendi ostenditur, quò tendere & conari debeamus: vt docet sanctus Augustinus libro de perfect. iustitiæ ratiocinat. 16. Itaque cùm media debeant adhiberi ante finem; perspicuum est, consilia quæ sunt media perfectionis, primo quoque tempore amplectenda.

Denique, quis non videat saluberrimum esse consilium, vt quis se quàm citissimè omnibus huius sæculi vinculis, 23 omnibus salutis impedimentis, animorum corruptelis, peccatorum illecebris, damnationis æternæ periculis eximat, & obsequio diuino, salutique curandæ se totum mancipet? Cur enim differat, & in illis periculis ac impedimentis moram trahat? Quid lucri inde expectet? nimirum vt capiat experimentum huius mundi & vanitatum sæculi. Sed noxium plerumque hoc experimentum, & omnibus securam viam amantibus fugiendum. Primò, quia sæpissimè per hoc experimentum spiritus extinguitur. Secundò, quia interea plurimi in omne genus vitiorum præcipitantur: rarò enim experientia mundi absque multis peccatis transigitur. Tertiò, quia multi in ea præmaturè abripiũtur & pereunt. Quartò denique, etsi contingat postea vt talis religionem intret, multa secum defert impedimenta, & fomenta tentationum: nimirum prauos habitus, phãtasiam in multis rebus corruptam, passiones indomitas, memoriã eorum quæ expertus, corpus contaminatum. Quæ omnia sæpè illi multas difficultates & certamina exhibent. Horũ omnium exempla plurima suppetunt.

Noxium sæculi experimentum.

QVAESTIO III.

Vtrùm votum de ingredienda religione a puero emissum sit validum?

24 *Valet votum impuberis, sed potest irritare.*

REspondeo & dico Primò: Si puer habeat tantum iudicij, vt possit discernere inter ea quæ saluti congruũt vel repugnant, & intelligere religionem esse rem salutarem Deoque gratissimam; votum eius de religione capessenda est validum, & ipsum ex parte sua obligat: si tamen nondum annos pubertatis impleuit, a parentibus vel tutoribus in irritum reuocari potest. Est communis & certa DD. sententia. Colligunt eam DD. ex can. Mulier. 32. quæst. 2. Et ex capit. 1. de Regular. in 6. & ex capit. Ad nostram. extra. eodem titulo. Iura enim vsque ad annos pubertatis voluerunt pueros in omnibus, etiam ijs quæ ad propriam personam pertinent, esse sub potestate parentũ & tutorum, propter imperfectionem iudicij, quæ in illa ętate præsumitur.

25 Vtrùm verò, postquam ad annos pubertatis peruenerint, possit eorũ votum antea nũcupatum, irritum reddi,

quæstio

quæstio est inter DD. Valdè probabile est posse; si tamen adolescens, vbi ad pubertatis limitem peruenerit, illud non ratificauit. Ita sentit Caiet. 1.2.q.189.art.5. Nauar.c.12. Enchir.num.71. Lopez.p.1.cap.48. & alij. Ratio est, quia illud votum ex interpretatione iuris habet tacitam conditionem, nempe hanc, *Si parens vel tutor non contradixerit*. quam conditionem per tractum temporis nõ amittit, cum nulla circa ipsum votum facta sit mutatio, vt supponimus. Vnde ratione illius manet subiectum potestati parentum, & ab illis irritari potest, sicut antea poterat.

16 *Puberes non potest.*

Dicò Secundò: Si puer limitem pubertatis (qui est initium anni decimiquarti in adolescente; decimitertij in puella) attigerit, votum tunc emissum de religione ingredienda, à parentibus nullo modo in irritum reuocari potest, sed manet firmum, & immobilem obligationem inducit. Est certa & communis sententia DD. multorum sæculorũ vsu comprobata: & expressè colligitur ex Iuribus citatis, & ex alijs quæ q.1. attulimus. Ratio est, quia Ecclesia statuit, vt in ea ætate quisque sui sit iuris in ijs quę ad statum vitæ pertinent; nec ab vllius alterius quam a suo arbitrio in hoc negotio pendeat. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: ibi quisque rationẽ pro se redditurus est, non filij pro parentibus, nec parentes pro filijs. Agitur de re nõ exigua, sed omnium maxima, nempe de æterna vita, de æterna morte. Quisque ex sua vita, suisque factis iudicabitur, non ex alienis. Iniquissimum ergo esset si filij ex parentum arbitrio viuere cogerentur, nec saluti suæ securissimo modo possent consulere, nisi ex parentum consensu: sicut iniquissimum est, vt subditus cogatur fidem, quã Principi sæculari iubere placuerit, amplecti.

Cur quisque labor suus sit.

QVÆSTIO IV.

An opus sit longa deliberatione, & cum quibus ea deliberatio instituenda.

HVnc locum copiosè & eleganter tractat noster Platus. Nos breuiter, & Theologico more.

Tria hic occurrũt de quibus potest fieri deliberatio. Primum. An sit expediens religionem intrare. Secundum, An mihi sit expediens. Tertium, Quænam religio ex omnibus mihi maximè conducat.

17 Quod ad primum attinet, res non eget deliberatione. Certum enim est in genere id esse valde expediens ad salutem: cum sit consilium Christi. Vnde id nullo modo apud Catholicos in dubium vocari potest. Iniuriam Christo facit, qui de consilijs eius, an salutaria sint, ambigit.

De secundo potest subinde esse aliqua dubitatio: quia non omnes apti sunt ad religionis onera sustinenda, propter morbos vel naturæ debilitatem. Alij etsi idonei sint, alijs tamen impedimentis tenentur: vt qui rationibus reddendis obnoxij, vel parentibus extrema vel graui penuria pressis succurrere debent: vel si ex ingressu grauissima incommoda sequerentur, v.g. translatio ditionis ad hæreticos: vt interdum in filijs principum accidit. Quòd si nihil horum impedimentorum subsit, non est opus magna deliberatione. quia sicut in genere saluberrima res est renuntiatio sæculi, & religionis ingressus: ita & cuilibet in particulari (nisi aliquid ex dictis impedimentis interueniat) maximè expediens. Consilium Christi ad omnes & singulos pertinet, quibus integrum illud amplecti. Nullus horum excipitur. Omnibus dictum est; *Qui potest capere capiat*. hoc est, Neminem cogo, omnes inuito: cui tantum est animi vt rem tantam ausit suscipere, ne omittat. Omnibus conuenit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Vnde patet non opus esse hic magna deliberatione qua de re videndus S. Thom. 2.2.q.vlt.art.vlt.

Matth.19.

Matth.19.

19 De tertio, quænam ex multis religionibus cuilibet congruentissima sit, & maximè salutaris, opus est aliqua consultatione. Quomodo autem illa inituri debeat, nunc aperiemus.

Non esse inundam cum sæcularibus.

Dico igitur Primò, Consultationem de negotio religionis, & sæculi deserendi, non esse instituenda cum hominibus sæcularibus nihil nisi mundana sapientibus: neque in ea causa consilium ab ipsis exquirendum, etiamsi sanguine essent coniunctissimi. Ita passim monent sancti Patres, spiritus & perfectionis magistri. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* teste Apostolo: nec sæculo addictus ea quæ sunt religionis: neque diuitiarum & honorum sectator, paupertatis & humilitatis bona intelligit. Quo modo enim fieri potest vt qui temporalia illa tantopere diligit & captat, abdicationem temporalium, & sæculi defectionem probet? Monet id optimè ironica locutione Scriptura Ecclesiastici 37. *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum iniusto de iustitia*, &c. q.d. Stultè facies si ab his consilium petas. vnde subdit: *Non attendas his in omni consilio: sed cum viro sancto assiduus esto*, &c. *1. Cor. 2.*

30 Idem in specie de propinquis docet præclarè S. Thomas opusculo 17. quod scripsit contra Retrahentes à religione capit. 10. *Ab hoc*, inquit, *consilio* (de ingredienda religione) *primo quidem amouendi sunt carnis propinquo. Dicitur enim Prouerbio 25. Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reuelas. Propinqui autem carnis in hoc negotio amici non sunt, sed inimici; iuxta sententiam Domini Matth. 10. Inimici hominis domestici eius.* Itaque in hoc negotio propinqui, iuxta S. Thomæ, imò ipsius Christi sententiam, inimicorum loco censendi. Nemo autem ab inimico consilium petit: nemo inimici sententiæ acquieuit. Neque mirum videri debet si Dominus domesticos *inimicos* vocet (quando ab obsequio omino auocant) quia instar capitalium inimicorum grauissima damna inferunt: sæpè enim animam occidunt, bonis æternis spoliant, & in æternam mortem præcipitant. Quid amplius inimicus infestissimus, immo ipse diabolus, facere potest. Simili modo Spiritus sanctus alibi dicit: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* sibique nocentissimus est inimicus. Amor itaque carnis est inimicitia spiritus: & blandimenta sæculi, venena animarum. *Michæa 7.* *Psalm. 10.*

31 S. Bernardus electum Dei organum, & summus spiritalis doctrinæ magister, sermone, *Ecce nos reliquimus omnia*, paulò ante medium, ita scribit: *Quantos mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptum in eis extinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi? Noli, inquit, præcipitanter agere, dum cœlestia, diligentius intuere, magnum est quod proponis, & opus habens multa deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne forte factum pœnitere contingat.* En consilia sæcularium & propinquorum, vt quotidiana experientia constat. Videamus nunc quid tantus vir de tali consilio sentiat. *Hæc sapientia mundi terrena animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Domino vomitum prouocare.* En iudicium Sancti Bernardi de hoc consilio. Deinde probat multis argumentis, non esse opus longa deliberatione. *Cane tibi*, ait sæcularis homo. respondet Bernardus: *Vt quid enim cum a Deo verum non esse dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilij angelus: quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quis sapientior illo? Deduc me Domine, & adducar: fortior esto & inualesce. Noui ego quænam sint quæ oportet fieri ejus. Ab ore putes gehennæ eripior, & inducias petam, & retardabor, & cunctabor exire? Abscondi ignem in sinu meo: & exusto iam latere, iam nudatis visceribus, iam sanie defluente, dum mihi deliberandum est an expergiscar, an exurgam, an abijciam illum? Magnum omnino est quod offertur, sed eo vtique libentius & festinantius suscipiendum, & obuijs arripiendum manibus cum feruore & hilaritate.* Denique refutat rationes sæcularium: *Erubet seipsum qui de propria virtute præsumit: nam diuina quidem omnia probata est. Amicos consulat, qui non legit, Inimici hominis domestici eius. Quid frequentat Euangelium qui Euangelio non obedit? At in eo sanè legimus, promittenti cuidam sequi Dominum, sed defuncti sui prius patrem sepelire volenti, responsum ab eo, vt sineret mortuos sepelire mortuos suos. Alteri quoque tantum suis qui domi erant valedicere cupienti: Nemo, inquit, mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* ita Bernardus. Cuius sententia pluris in hoc negotio æstimanda, quo ille sanctitate, doctrina, miraculis fuit illustrior, & in magisterio spiritus exercitator. *Sententia S. Bernardi. Consilia mũdi.*

32 Dico Secundò: Non solum monent sancti Doctores, cõsilium à propinquis & sæcularibus in hac causa nonesse petendum; sed etiam ob eorum blanditias, quærimonias, aut minas non esse quidquam in sancto proposito mutandum aut differendum, quæ doctrina probatur tum ex sanctis Patribus, tum ex Scripturis, tum Sanctorum exemplis.

Ex

1. *Probatur ex Sacris Patribus.*

Ex Patribus. S. Hieronymus epistol. ad Heliodorum ita scribit. *Quid facis in domo paterna delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hiems adhuc sub pellibus? Audis edictum regis tui: Qui non est mecum, contra me est: & qui mecum non colligit, spargit. Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in Baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti: pro nomine eius non te patris parciturum esse, non matris. Ecce aduersarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donativum quod missaturus acceperat, hostilia castra sustinent. Licet parvulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine & scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater sedens: per calcatum perge patrem: siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Acris & animosa exhortatio, nec mirum, quia agitur de obsequio diuino, de corona & ignominia æterna. Pergit Hieronymus: *Neque vero nescio quæ te dicas nunc compede prepedire. Nam est nobis ferreum pectus, nec dura precordia: non ex felice natos Hyrcana murice tigres. Et nos per ista transiuimus. Nunc tibi blandis vidua fovet humeros lacertis: nunc illi cum quibus adolescis vernula, aiunt: Cui nos seruituros relinquis? &c. facilè rumpes hæc vincula amor Dei, & gehenna timor.* Et paulò post: *Si credunt in Christum, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo: si non credunt, mortuos sepeliant mortuos suos.*

33 Idem epistol. 10. ad Furiam nobilissimam viduam: *Cui dimittes tantas diuitias? Christo qui mori non potest. Quem habebis heredem? Iesum quem & Dominum. Contristabitur pater: sed lætabitur Christus. Lugebit familia, sed Angeli gratulabuntur. Faciat pater quod vult de substantia sua; non eris eius cui natus es, sed cui renatus, qui te grandi pretio redemit, sanguine suo. Cane nutrices & gerulæ, & istiusmodi venenata animalia, quæ de corio tuo satiari ventrem suum cupiunt. Non flendum quod tibi, sed quod sibi profuit.* &c. Vbi postremis verbis insinuat fontem, vnde omnis illa querimonia & conatus impediendi oritur, esse amorem proprium: nimirum, quia vel commodis temporalibus, vel aliquo solatio & voluptate, vel honore quem sibi imaginabantur, destituendos se putant, si filius aut filia sæculum deserat.

34 Ioannes Climacus gradu 3. *Melius est contristare parentes, quàm contristare Dominum Iesum. hic enim nos creauit & saluauit: illi sæpè suos amando perdiderunt. Amor Dei extinguit in animo carnalem parentum amorem. Qui autem vtrosque amores in vno corde clausos posse putat, is seipsum decipit. Ne te moueant tuorum lacrymæ, ne tu tibi ipse æternas lacrymas parias. Cùm te parentes & propinqui circumdant sicut apes, imò sicut vespæ, plangentes & lamentantes; tu tibi propone peccata tua, vt dolorem dolere vincas.* Hæc ille.

35 S. Augustinus epist. 38 (quam aliqui S. Paulino Augustini coætaneo tribuunt) hortatur Lætum, adolescentem nobilem & opulentum, ne parentum amore & querimonijs propositum perfectionis deserat, sed hunc prauum affectum in se & illis perimat, & Christum illis anteponat. *Ecce rapit te studium veritatis agnoscendæ, atque percipiendæ voluntatis Dei in Scripturis sanctis: rapit Euangelica prædicationis officium: dat signum Dominus vt vigilemus in castris, vt ædificemus turrim de qua hostem sempiterna visa & prospicere & propellere valeamus: rapit militem Christi tuba cælestis ad prælium; & retinet mater?* Et infrà: *Sed quid dicat, aut quid allegat? fortè decem illos menses, quibus vtero eius enutriti, & dolores partus tui sunt, & labores educationis. Hoc hoc interfice verbo salutari; hoc perde matris, vt in vitam æternam illam inuenias: hoc memento vt oderis in illa, si diligis eam. Si tyro Christi es, si turris fundamento positus, ne dicere transeuntes: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Carnalis affectus est ille, & adhuc veterem hominem sonat. Hunc carnalem affectum & in nobis & in nostris militia Christiana vt perimamus, hortatur.* Et infrà ostendit nos multò amplius debere patri & matri nostræ spirituali (Christo & Ecclesiæ) quàm parentibus carnalibus: ac proinde in hoc negotio deferendi sæculi illis, non his parendum.

S. Gregorius lib. 7. Moralium cap. 14. docet multa incommoda ex affectu carnali erga propinquos prouenire, & hominem penitus à perfectione impediri, etiamsi iam in religione sit positus; vnde vult hunc affectum exui, & in spiritalem dilectionem conuerti, qua non illorum carnem & commoda temporalia, sed eorum animas & salutè prouideremus. Denique ita concludit: *Extra cognatos ergo quosque & proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius iungi: quatenus eosdem, quos propter Deum vitare negligit, tanto solidius diligat, quanto in eis afflictum fœdabilem carnis ignorat.*

36 S. Bernardus epist. 104. cùm multis rationibus efficacissimè hortatus fuisset nobilem & eruditum adolescentem Galterum ad deserendum sæculum, tandem agit de affectu materno quo ille deuinctus tenebatur, & ostendit hùc necessariò esse vincendum. *Quid*, inquit, *ad hæc respondebitis; vt matrem deseras? sed inhumanum videtur. Vt cum ipsa maneas? sed neque ipsi expedit vt filio sit causa perditionis. Forte vt & mundo simul militet & Christo? sed nemo potest duobus dominis seruire. Mater tua vult contraria tua, ac per hoc sua ipsius saluti. Elige ergo tu ex duobus quod vis, aut vnius videlicet satisfacere voluntati, aut vtriusque saluti. Verùm si multùm eam diligis, defer patriæ ipsam, ne si Christum deseras vt cum ipsa maneas, propter te pereat & ipsa. aliquam malè de te meruit, quæ te peperit, si propter te perit. An non propter te perit, quæ ipsum quem peperit, perimit. Ceterùm fidelis sermo & omni acceptione dignus, vt etsi impium est contemnere matrem; contemnere tamen propter Christum, pissimum est. Nam qui dixit, Honora patrem & matrem, ipse etiam dixit: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Matth. 15. Matth. 10.

Idem vir sanctus epistol. 111. quam nomine Eliæ Nouitij sui ad eius parentes scripsit, ita loquitur: *Sola causa qua non liceat obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Si me verè vt bonis & pijs parentes diligit: si verum, si fidelem erga filium pietatem habeas, quid me, patri omnium Deo placere satagentem, inquietas, & ab eius seruitio, (cui seruire, regnare est) retrahere attentas? Verè nunc cognosco quia inimici hominis domestici eius. In hoc vobis obedire non debeo: in hoc vos non agnosco parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad meum atque vestrum, imò vniuersorum Patrem.* Matth. 10. Micheæ 7. Matth. 10.

Deinde vt ostendat nihil in hoc negotio parentibus deberi, ita pergit: *Quid a vobis habeo nisi peccata mea & miseriam? hoc solum quod gesto corruptibile corpus, de vestro me habere fateor & agnosco. Non sufficit vobis, quod me in hanc sæculi miseriam miseri miserum induxistis? quòd in peccato vestro & peccatores peccatorem genuistis: quòd in peccato natum de peccato nutristis: nisi etiam inuidenda mihi misericordiam, quam consecutus sum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium insuper gehennæ faciatis? O durum patrem! ò sæuam matrem! ò parentes crudeles & impios: imò non parentes, sed percussores: quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filij est: qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis. qui me rursum ad naufragium, vnde tandem vndas euasi, rursus ad ignem, vnde vix feminibus exustis rursus ad latrones, a quibus semiuiuus relictus sum, sed miserante Samaritano iam conualescere cœpi, reuocare conantur,* &c. Vide sequentia; vbi ostendit quanta sit illa & quàm detestanda dementia. Acerba quidem illa videri possent, nisi a tanta sapientia & sanctitate essent profecta: quis enim electum illud Spiritus sancti organum audeat reprehendere? nouerat ille quanti hæc res sit momenti. neque tamen mens ipsius est vt passim tam acriter illis scribatur, nisi quis videat se in grauia salutis periculla illorum importunitate conijciendum, aut illi finem sollicitandi non faciant.

Alia plurima adferri possent: sed ex his abundè perspicitur, quis sanctorum Patrum semper fuerit sensus: nimirum nulla ratione hac in re hominum sæcularium (etiamsi parentes sint carnis nostræ) consilia exequirenda aut sequenda, neque eorum querimonijs aut blanditijs cedendum: idque ob duas causas.

Primò, quia homines sæculo dediti, negotium spirituale perfectionis non intelligunt, neque bona inuisibilia animorum æstimare norunt, splendore fucato rerum sæcularium præstincti. Paupertas voluntaria illis videtur miseria; castitas, melancholia; obedientia, seruitus; sobrietas, afflictio; habitus vilis aut simplicior, dedecus; monasterium, carcer; denique omnia religionis exercitia contemptibilia, & hominibus generosis parum digna. Contrà, maximi æstimant diuitias, honores, opulenta matrimonia, pulchra soboles, vestium splendorem, lauta & magnifica conuiuia, amplum famulatum, viuere suo arbitrio. Fieri non potest, vt ex huiusmodi corde sana consilia in hac deliberatione proce-

38 *Duplex causa cur irretiti ad diuinum consilium. Ignorant.*

procedant. Quisque iudicat & alteri consulit, prout ipse est affectus. Nemo alteri statum perfectionis ex animo suadere potest, nisi qui animo sic est comparatus, vt ipsemet eundem statum vellet capessere, si id ei integrum foret, & quæ in altero circumstantiæ eædem in ipso concurrerent. Idem cernitur in omnibus alijs negotijs, in quibus consilium exquiritur. Nemo enim alteri consilium seriò dare potest, nisi quod ipse iudicat sibi amplectendum, si eodem res ipsius loco essent. Itaque cùm seculares ita sint affecti, vt ipsi nullo modo religionem, in illo iuuentutis flore & rerum secularium copia, vellent amplecti, fieri non potest, vt alijs hac de re sanum consilium impertiant.

39 *Amor proprius.* Secundò, quia consilia eorum ferè semper procedunt ex philautia seu amore *proprio*. Etsi enim videantur quærere bonum liberorum tamen occultè quærunt proprium, vt sancti Patres Hieronymus, Bernardus, & alij notarunt: nimirum vt solatium a suis prolibus & oblectationem accipiant; vt ipsorum aspectu & colloquio recreentur; vt ipsi curam rei familiaris agant, & negotia conficiant; vt lites & iura debitorum prosequantur; vt liberos procreent, quorum præsentia & suauitate senilis ætas delectetur; vt eorum causa apud suos ciues sint in honore; denique vt in illis, eorumque opibus & honoribus ipsi viuere, opibus & honoribus circumfluere videantur. Ita enim natura comparatum est, vt parentes videantur manere superstites, & quodammodò immortales in posteris. Hæ sunt sæcularium imaginationes; hæc eorum vota & curæ; hæc præcipua bona, quibus eorum affectus detinentur. In quibus perspicuum est non veram in liberos pietatem, non sinceram amicitiam, (quæ non suum sed amici bonum quærit) sed amorem proprium, dominari: qui bonus consulitor esse non potest, quia non alteri sed sibi consulit. Et quamuis alteri in speciem videatur bene velle, tamen id totum in suum commodum refert. Simili modo etiam mancipia amantur. Itaque ignorantia rerum spiritualium, seu iniqua rerum æstimatio, & amor proprius, faciunt vt tales in hac causa non sint idonei consultores.

40 2. *Probatur ex Scripturis.* Habemus sensum sanctorum Patrum: habemus manifestam rationem, & iudicij naturalis sententiam. Probemus id ipsum nunc ex diuinis Scripturis. Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Venire ad Christum*, est credere in Christum, eiusque fidem amplecti: vt constat ex capit. 6. Ioann. & docet in illum locum S. Augustinus. *Odisse patrem & matrem*, &c. est odisse carnales & humanos affectus & conatus eorum quibus nos a via salutis & perfectionis auocant; illis non cedere, non sinere se ab illis vinci, sed eos in se & in illis extinguere. *Odisse animam suam*, est affectus animæ propriæ erga sua commoda, erga voluptates, diuitias, honores; erga vitam propriam, quatenus illa saluti vel perfectioni Christianæ sunt impedimento, odisse, detestari, & conari in se perimere, tamquam venena mortifera.

41 *Discipulus Christi* duplici modò quis vocari potest: generali, & speciali. Generali, omnes Christiani vocari possunt *discipuli*: vt patet Act. cap. 6. v. 7. & c. 9. v. 1. Speciali, soli illi dicuntur *discipuli*, qui Christo toti addicti, speciali modo ei adhærent, & eum imitari student, sicut Apostoli, & 72. discipuli faciebant. Dominus autem hoc loco potissimùm agit de *discipulis* peculiari modo sic nuncupatis: vt patet ex illa conclusione quam subiungit: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Constat enim non omnes bonos Christianos renuntiare omnibus quæ possident: sed eos solùm qui perfectè Christum imitari volunt, iuxta illud consilium Domini Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Eodem modo hunc locum intelligunt sancti Patres, Hieronymus epist. ad Heliodorū, Augustinus epist. 38. ad Lætum, Gregorius lib. 7. Moralium cap. 14. Bernardus epist. 111. Sensus itaque verborum Domini est: Etsi quis in me credat, non tamen hoc satis est, vt sit meus discipulus; vel vt sit perfectus; sed vlteriùs requiritur vt mundo renuntiet, & meam vitam imitetur; & idcircò odio habeat omnes affectus carnales parentum ac propinquorum, omnesque eorum conatus quibus eum ab hoc proposito abducere conantur: nec vllo modo patiatur se ab illis vinci: imò & propriam animam hoc modo odisse debet, & eius affectibus, qui perfectioni obsistunt, minimè obsequi; sed eos in se perimere. Hoc odium vera dilectio est: sicut dilectio iniquitatis & vitæ carnalis, verum odium; iuxta illud Psalmi 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Qui hoc modo parentes suos odit, verissimè amat: quia eorum saluti consulit, & malum quod animos eorum obsidet, extinguere satagit. Qui verò carnaliter eos amat, affectibus eorum inordinatis cedens ne cõtristet, odio potiùs quàm amore prosequitur: quia malum fouet, & animas eorum obstrictas æterno Iudici relinquit. Vtrumque pulchrè obtendit S. Bernardus epist. 104. & 111. & S. Gregorius hom. 37. in Euang. vbi sic ait: *Quasi per odium diligitur, qui carnaliter sapiens dum prava nobis vrget, non emendat*. &c. Itaque in tali odio est verus amor: & in amore carnali est verum odium.

42 *Quinque requisita vt quis sit Christi discipulus.* Addit Dominus: *Et qui non baiulat crucem suam*, &c. Ex his Domini verbis colligimus, quinque requiri vt quis Christi discipulus fiat, & perfectionis viam teneat. Primo, *vt credat in Christum*, veram nimirum & Catholicam fidem: hoc enim fundamentum est omnis Christianæ perfectionis. Secundò, *Vt renuntiet omnibus quæ possidet*, quod de renuntiatione bonorum intelligendum est, vt ex Græco colligitur: Ὃς οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσι. Tertiò, *Vt baiulet crucem suam*: hoc est ad mortem pro Christo subeundam sit paratus, quantumuis ea ignominiosa sit. Baiulare crucem solent, qui ad locum supplicij in crucem agendi ducebantur. Item vt paratus sit æquo animo ferre omnes cruciatus, dolores, molestias, ignominiam, quę in hac vita discipulis Christi offerri solent. Quartò, *Vt Christum sequatur*: hoc est vt eius vestigijs insistat, & eius vitam imitari studeat; vt illum veluti præeuntem ad vitam semper in oculis habeat, & tamquam ducem sectetur. In hac sequela continetur castitatis & obedientiæ studium, nec non humilitatis & patientiæ, charitatis ac sobrietatis, & reliquarum virtutum assiduum exercitium. Quintò, Vt omnem affectum nos ab hoc proposito auocantem in nobis & alijs omnibus oderimus, & extinguere conemur. Quòd si hoc debemus facere, dũ nos à via perfectionis & consiliorum Christi auocant: quanto magis cùm à Christi fide, à Christi Ecclesia, à mandatis diuinis ad hæreses, ad peccata mortifera pertrahere conantur? Sicut enim vt simus discipuli Christi particulari ratione, debemus odisse patrem, matrem, & alios propinquos, quatenus nos conantur abducere à proposito perfectionis, & illius peculiaris discipulatus: ita vt simus discipuli Christi generali ratione (id est vt simus boni Christiani) tenemur eosdem odisse, quatenus conantur abducere a recta fide, vel pertrahere ad aliquid quod sit peccatum.

43 *Sensus verborum Domini.*

44 Alius locus Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus: & qui non accepit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Qui locus etsi rectè intelligi possit de ijs, qui parentum, liberorum aut aliarum huius sæculi rerum amore relinquunt Christi fidem, aut alias peccant mortiferè: rectè tamen etiam extenditur ad eos, qui ex simili affectu relinquunt Christi cõsilia; & propositum religionis. Sic enim hunc locum intelligit S. Bernardus epistol. 104. & 111. S. Ambrosius lib. 6. in Lucam, S. Hieronymus epist. ad Heliodorum, & S. Basilius in moralibus regula 2. cap. 3. & alij. Christus te vocat, vt ipsum sequaris, vt ipsius obsequio totum te mancipes, immensa bona promittens; parentes suadent ne id facias, sed vt seruias sæculo, vt cum ipsis maneas: tu ne parentes contristes, neglecto Christi consilio sequens consilium parẽtum, & cum eis potiùs manere, quàm diuinæ inspirationi morem gerere statuis. Quis non dicat hic te patrem & matrem quodam modo magis amare quàm Christum, eorum gratiam & fauorem pluris facere quàm gratiam & fauorẽ Christi? Rex aliquis potentissimus te tuamque familiam ab immani seruitute, maximis impensis & laboribus liberauit, ac insuper opibus & honoribus cumulauit, & in futurum multò maiora promisit: hic te ad illustrem aulæ dignitatem euehere statuit; sed cupit vt te totum ipsius obsequio ad aliquot annos impendas: reluctantur parẽtes, &

nulla

nulla Regis ac beneficiorum eius habita ratione te apud se retinere volunt: tu neglecta regia vocatione & munificentia, immemor beneficiorum olim acceptorum, parentum affectui obsequeris; an non meritò Rex ille dicet, quod parentes pluris quam se facias; ac proinde illo honore quem tibi decreverat, sis indignus? Pari modo ille indignus Christi discipulatu, & honore discipulis præparato.

Tertius sit, Matth. 10. *Nolite arbitrari quia pacem venerit mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filium adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Quibus verbis significatur, Christi doctrinam fore causam, cur multi, repugnantibus parentibus & amicis, viam salutis & perfectionis ingrediantur; nosq; in hoc negotio domesticos potissimùm aduersarios habituros; tacitè insinuans illis nec esse credendum nec cedendum. Quis enim credat consilijs inimicis? Ita passim hunc locum exponunt Patres. 45

Quartus, Matth. 8. & Luc. 9. Cùm quidam ex discipulis peteret à Domino, vt sibi permitteret redire domum & *sepelire parentem*. hoc est curare & solari illum breui moriturum (vt Theophylactus, Lyranus, Caietanus, Titelmannus & alij multi exponunt) respondit illi Dominus: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, aperte indicans neque ob extremam parentum senectutem (nisi alioquin ratione inopiæ nostra præsentia indigeant) consilium perfectionis differendum. Vide Bernardum epistol. 111. & Hieronym. epistol. 1. vbi sic ait: *Si credunt ex Christum fuerunt mihi pro eius nomine pugnaturo: si non credunt, mortuus sepeliant mortuos suos.* Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Græcos: *Barbari dicuntur cadaueribus alligare captiuos, donec cum ipsis putrescant*, &c. *Caue ne idem tibi contingat; ne te barbarus dæmon mortuis alliget amicis vel consanguineis donec cum illis putrescas. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Multi Patres hunc locum intelligunt de simplici sepultura, & discipulum nihil aliud petisse à Domino quàm vt permitteret ei redire domum, & parentis sui quem recenter obijsse acceperat, interesse funeri & exequijs: Dominũ autem id noluisse permittere. Rationem adfert Chrysostomus homil. 28. in Matthæum; ne cum amicis implicaretur in exequendo testamento, in diuidenda hereditate, in soluendis debitis, alijsque multis negotijs quæ in domo mortuaria esse solent. ob hanc causam Dominum recusasse cõcedere, vt omnes qui sæculo renuntiarunt hinc discant tales tricas declinare. Vtraque expositio est valde probabilis, & seruit nostro instituto. 46

Quintus sit Matth. 12. Luc. 8. Cùm quidam Domino populum instruenti dixisset: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te*, respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? & extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Qua sententia significare nobis voluit, in negotijs ad salutem Deique honorem spectantibus non esse agnoscendam propinquitatem carnis, nec curandam vllam parentelam ab obsequio diuino nos auocantem: sed eos solos loco parentum & propinquorum habendos, qui spiritu Dei sunt prædicti, & in omnibus voluntati diuinæ satisfacere student. Ita sancti Patres hunc locum exponunt. S. Ambros. libro 6. in Lucam: *Præscripturus cæteris quid qui non reliquerit patrem aut matrem suam, non est filio Dei dignus; sententia hunc primus se subiecit. Non quò materna refutet pietatis obsequia; sed quò paternis se ministerijs amplius quàm maternis affectibus debere cognoscat: religiosiores capulo mentium esse docentur quàm corporum.* S. Augustinus epistol. 38. *Maternum nomen, quia terrenum erat, in comparatione cælestis propinquitatis abiecit.* Et infrà: *Cuius tamen* (matris) *terrena cognatione contempta, contemnendarum talium consuetudinum discipulis præbet exemplum.* Hieronym. in capitul. 12. Matth. *Non matrem negauit, sed Apostolos cognationi prætulit; vt & nos in comparatione dilectionis, carni spiritum præferamus.* Et epistol. ad Heliodorum: *Aries iste pietatis, quo fides quæritur* (nempe lacrymæ parentum) *Euangelij retundendus est muro; Mater & fratres mei sunt hi quicunque faciunt voluntatem Patris mei qui in cælis est.* Bernardus serm. 2. de nuptijs, Guaricus Abbas serm. 4. de assumptione, & alij. 47

Sextus sit Luc. 9. Cùm quidam vocatus à Domino dixisset; *Sequar te, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt* (hoc est disponere de rebus meis, & vale dicere amicis) respondet illi Dominus; *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* significans, omnes moras, omniaque negotia quæ impetum & feruorem deserentis mundum retardare possunt, esse abrumpenda: & totam mentem, relicta temporalium cura, ad exequendum perfectionis propositum conuertendam. Sanctus Augustinus sermon. 7. de verbis Domini: *Quando parat Deus homines Euangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis huius temporalisque pietatis.* Sanctus Gregorius homil. 3. in Ezechielem; *Ante nos æterna sunt, post nos temporalia: quia & illa pergentes inuenimus; & ista recedentes, quasi post tergum relinquimus.* &c. *Nunc iter facimus & ad æterna properamus: post mortem, vel æternam beatitudinem, vel æternos cruciatus reperiemus. Æterna nos expectant, temporalia nos deserunt. Illa sunt ante nos, quia ad illa tendimus; hæc post nos, quia ea relinquimus. Qui retrò igitur respicit, ad temporalia oculos flectit: qui ea quæ à fronte sunt intuetur, sit æterna contemplatur.* Simon Cassianus lib. 9 capitul. 16. *Vox diuina cùm clamat, ab omnibus humanis atque mundanis rebus abstulit. Verba illa tibi dicta puta, quæ ab angelo Loth accepit: Salua animam tuam, noli respicere post tergum*, &c. *Memento vxoris Loth* (inquit Dominus) *quæ in Statuam versa est, non marmoris sed salis, vt exemplum fieret, & condimentum vnde alij salirentur. Respexit illa retrò, versaque est in Statuam. Caue ne retrò respicias.* 48

Denique ipse Dominus non solùm verbis & doctrina, sed etiam suo exemplo nos instruere voluit, quo modo hac in re nos gerere debeamus. Cùm enim factus esset annorum duodecim, clàm parentibus se subduxit; & in templum, curaturus negotia cælestis Patris, se contulit. Parentes suos per hoc in magnum mœrorem, sollicitudinem & laborem coniecit. Post triduum inuentus in templo inter Doctores, cùm mater sanctissima hac de re benignè conqueritur, quid ei respondit? Non blandè excusauit, sed virili grauitate & diuina auctoritate assumpta, in speciem reprehendit: *Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Ostendere voluit, in ijs quæ ad salutem & Dei obsequium pertinent, nos a parentum consensu, postquam ad vsum rationis peruenerimus, minimè pendere: neque illa esse omittenda, etiamsi inde mœstitiam aliquam sint concepturi. 49 *Exemplum Christi Domini.* *Luc. 2.*

Idem plurimis Sanctorum exemplis probari potest, ex quibus pauca dumtaxat indicabo. 50 *Exempla Sanctorum.*

S. Benedictus valdè iuuenis (nempe 13. vel 14. annorum) inconsultis parentibus sæculum deseruit, & totum Dei seruitio se tradidit.

S. Alexius prima nuptiarum nocte, relictis vxore & parentibus, consilio suo minimè cum illis communicato, ieiunio & orationi alijsque pietatis functionibus se penitus addixit.

S. Ioannes Calybita in primo adolescentiæ flore, occulte parentes, domumque paternam, & omnes opes deserét, in longinquum monasterium se abdidit.

Sanctus Thomas Aquinas decimoquarto ætatis anno, contra voluntatem parentum, S. Dominici institutum complexus est. Cumque mater veniſſet Neapolim vt illi loqueretur; veritus sanctus adolescens ne lacrymis maternis moueretur, rogauit Priorem ne colloquium cum matre permitteret, sed se alio repente amandaret. Itaque cum mater properaret Neapolim, ille mittitur Romam. quo intellecto, mater Romam properat; sed monitus ea de re Thomas, fugit in Galliam. Verùm interceptus a suis fratribus in via, & ad matrem remissus, biennio in arce quadam, tamquam in carcere detinetur. Interea lacrymis, blanditijs, minis, iniurijs, & omni genere artificij a suis oppugnatus non solùm flecti non potuit ad propositum deserendum, sed etiam suis sororibus, quæ illum a pio proposito auertere conabantur, persuasit vt sæculum desererent.

S. Bernardus cum religionem cogitaret, magnum certamen a suis sustinuit; sed ita feliciter id ei successit, vt ipse non solùm non sit euersus, sed triginta ex suis conuerterit, & secum ad religionem adduxerit.

Illustris adolescens Albertus, Comitis Falkenbergensis vnicus filius, cùm Lutetiæ inscijs parẽtibus ordinẽ Domini- 51

minicanorum circa annum Domini 1230. offert ingressus; pater, eo intellecto, cum magno suorum comitatu mox Lutetiam aduolat, & omne machinarum genus admouet, vt filium ab eo consilio abducat. Sed frustrà fuit, quod iam amor Dei iuuenile pectus aduersus carnalem amorem, omnesque parentis blanditias; obfirmallet. Patente tuperato, illustrior eidem Alberto congressus fuit cum Theodorico consobrino. Hic dolore ardens omnia attulit, quæ ad illud consilium labefactandum apta videbantur, lacrymas, preces, argumenta, maiis denique commemorationem, quam præ animi ægritudine vel iam mortuam esse, vel moribundam decumbere affirmabat. Consederant forte è regione iconis cuiusdam, in qua Christus inter matrem & Ioannem Discipulum in cruce pendebat. Tum Albertus oculum ac digitos in eam tabulam intendens: En, inquit, Dei Filius, cùm matrem & consobrinum, vtrumque sibi tam charum, doloris gladio confossum videret; tamen è crucis patibulo descendere noluit, sed in ea cum suo & illorum cruciatu vsque ad mortem permansit. Quare nec ego hanc religiosæ vitæ crucem, quam semel conscendi, deseram vnquam, quamuis & matrem & te consobrinum ad pedes meos exanimes iacere viderem. Quin tu potiùs in eandem hanc crucem mecum conscendis, teque huius mundi laqueis expedis, in quibus hæres cum tanto periculo? Quid plura? Tantum valuit hic adolescentis sermo, vt illum permouerit ad idem institutum reiecto sæculo complectendum, obstupescente tota ciuitate; idque eò magis, quò ille mundanis nugis, omnique vanitate magis tenebatur obstrictus.

Omitto alia. Ex quibus perspicuum est, quo loco in hoc negotio propinqui sint habendi. Hæc tamen non ita accipienda, quasi non oporteat liberos, cùm hac de re agitur, humiliter se cum parentibus gerere, eorumque minas, contumelias, iniurias, ac etiam verbera patienter & moderatè perferre. Quò enim magis ad perfectionem aspirant, eò maiorem humilitatem & tolerantiam præstare debent, vt omnibus sint bono exemplo, & ostendant se spiritu Christi, non humanis affectibus duci. Optandum enim, vt cum bona parentum gratia & benedictione omnia fiat. vnde si parentes non putentur refragaturi, honor illis debitus pollulat, vt conceptum propositum illis aperiatur, eorumque benedictio obtineatur. Si tamen id sperari non potest, & turbæ ac pericula immineant, non expedit arcanum ante tempus patefacere.

52 Dico. Tertiò: Consultatio de Religione & religionis specie, si animo fluctuas, optimè instituetur cum Deo, cum animo proprio, & cum viro religioso ac prudente. *Cum Deo:* effundendo in conspectu ipsius cor tuum, eiusque sanctissimam voluntatem per preces, ieiunia, sacrificia, & Sacramentorum frequentationem exquirendo, vt inspiret quid ipsi maximè placiturus & tibi maximè salutare. Itaque dices cum Propheta: *Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuauit animam meam:* hanc tibi offerre, tuoque obsequio mancipare desiderans. *Eripe me de inimicis meis Domine* (de mundo: inquam, carne, dæmone) *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu:* cui vnicè placere & seruire deliberato. *Spiritus tuus deducet me in terram rectam:* (in locum vbi iustitia & rectitudo floret) *propter nomen tuum Domine* (non propter mea merita) *viuificabis me in æquitate tua*, vitam gratiæ per tuam iustitiam largiendo mihi. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deducant & adducant in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.* Sicut enim montes eleuantur supra reliquam terræ planitiem, & in cælum se erigunt: ita religio supra communem Christianorum vitam. *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus* (diabolus,) *Preualui aduersus eum.* & alia huiusmodi plena spiritus & feruoris. Rursus cum Salomone: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam: & noli me reprobare à pueris tuis. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.*

Neque vllo modo dubitandum quin Deus sic deprecantem & ad se confugientem exaudiet, & quod saluberrimum fuerit inspirabit, vel per se absque vlteriore consultatione, vel (quod frequentiùs accidit) adhibito secundo vel tertio modo. Habemus hac de re certissimam eius promissionem; *Petite, inquit, dico vobis: Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur.* Ecce quoties eadem rem ingeminat, leges idem repetens, vt nullo modo dubitemus nos obtenturos. Idem confirmat hoc argumento: *Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data, quæ non à vobis, sed à Deo accepistis, dare filijs vestris; quanto magis pater vester, qui est in cælis, dabit spiritum bonum petentibus se?* Matth. 7. Luca 11.

Secundò, Cum animo proprio initur ista consultatio, adhibita duplici consideratione, altera circa religionem de qua deliberatur: altera circa propriam personam. Circa religionem quinque potissimùm expendenda. Primò, An essentialia vota seruentur: ita vt absit proprietas & superfluitas; absint comessationes & compotationes, & liberiora cum feminis commercia: quæ castitatis naufragium inferunt; absint exemptiones, & libertas suo iure & arbitratu viuendi. Secundò, An disciplina religiosa vigeat. Hæc ostenditur moribus externis religiosè compositis: reuerentia in rebus diuinis; modestia in congressibus, circumspectione in colloquijs, temperantia in mensa; silentio in domo; quiete in cubiculo; denique exacta regularum ad externam disciplinam pertinentium custodia. Nihil disciplina religiosa exactè seruata pulchrius; nihil ad exemplum & ædificationem efficacius. Tertiò, An concordia, & vnio fraterna. Vbi enim odia & discordiæ inter fratres; ibi non Christus sed satanas habitat. Signum vnionis est, si amicè inter se agant, & mutuò honorem deferant; si inuicem iuuent, & alius de alio benè loquatur. Quartò, An ambitio locum non habeat. Religio enim est schola humiliatis & mortificationis. Itaque magnum religionis venenum Ambitio, qua ad dignitates, prælaturas, honorifica munia aspiratur. Quòd si bona commemorata in ea Religione, de qua deliberas, deprehendantur, tutò eam potes amplecti: erit enim tibi fidissima dux salutis. Quintò potest etiam in considerationem venire, An formam habeat vitæ Apostolicæ. hanc enim S. Thomas docet esse perfectissimam: quia vitam contemplatiuam coniungit cum excellentissima actione, qua salus animarum (exemplo Christi Domini & Apostolorum eius) procuratur. vnde ceteris paribus præferenda. Præter hæc etiam nosse debet religionis officia & functiones, in quibus potissimùm occupatur: pœnitentias item & austeritates, vt possit statuere, an ad eam sit idoneus.

53 *Cum animo suo. Circa relig. Sunt quinq; expendenda.*

2.2.q.188. art.6.

Circa propriam personam considerandæ talenta à Deo acceptæ: nimirum valetudo corporis, vires ingenij, eruditio, aptitudo ad res gerendas, naturæ propensio. His vtrimque consideratis, & inter se probè collatis, non difficulter cognoscere poteris, an talis religio tibi conueniat, eamque præ ceteris expediat amplecti.

54

55 *Cum viro spirituali.*

Tertiò, Cum viro etiam prudente & religioso, qui experientiam habeat status religiosi, saluberiter initur hæc deliberatio. Sicut enim qui vult ædificare, non sutores aduocat vel aurifices; nec qui ægrotat, Iurisperitos; sed ille architectos, hic medicos, & eos quidem quàm potest peritissimos: ita in hoc tanto opere, quo ædificanda est domus illa spiritalis, quæ stare possit aduersus ventos & flumina; & curatio non corporis, sed animæ instituenda; non eorum iudicium requirendum, qui res istas vel non intelligunt, vel iudicium habent varijs affectibus peruersum: sed adeundi illi, qui probitate insignes, & hanc ipsam triuere viam, vt experientia docti, alios fideliter & absque errore dirigere possint. Quid stultius, quàm si mari vel terra iter facturus sis, cum ducem accipias, qui numquam in vita sua iter illud confecerit, quum alios ad manum habeas, qui nihil aliud tota vita sua egerunt? Huic tamen consiliario cauendum, ne quid cupidè agat, & statim ad suam religionem pertrahere conetur. Ea enim res multis exposita est incommodis. Sed lentè procedendum, & tota vocationis ratio exquirenda; & talenta consideranda. Deinde præscribendæ certæ regulæ vel considerationes: quibus expensis per otium, ipsemet possit eligere quod in Domino visum fuerit magis salutare; adiunctis in eum finem precibus, & crebro Sacramenti pœnitentiæ & Eucharistiæ vsu, vt à Domino in hac electione dirigatur. Hoc longè solidius est, quàm si ab homine, præsertim qui causam suæ religionis agere videtur, ad certum ordinem vel locum amplectendum determinetur.

Quid cauendum bono consulenti?

QVÆ-

Psal. 142.

Psal. 42.

Psal. 12.

QVÆSTIO V.

Quo modo sciri poterit, an Vocatio sit à Deo.

56 PEr *vocationem* intelligo affectum illum, & quemdam veluti impulsum internum, quo quis sentit se incitari ad religionem, vel ad aliquem alium statum. Sentit enim anima motus suos & affectus, siue à Deo immissi sint, siue à dæmonis suggestione, vel naturæ propensione prouenant.

Considerandus finis quo tendatur.

Respondeo, & dico Primò: Vt possimus discernere, verùm affectus ille, quo quis religionem ingredi cupit, sit à Deo, considerandus finis, quem ille spectat: cuius amore & desiderio ille ad talem statum amplectendum impellitur. Cùm enim status religionis non sit vltimus finis, sed medium quoddam & instrumentum, quod ad varios fines dirigi, & ex variorum bonorum affectu eligi potest; nunquà propter se appetitur, sed semper propter aliud. Desertio sæculi, paupertas, subiectio, voluptatũ abdicatio, quibus religio constat, non sunt res blandæ, quæ vi sua nostræ voluntatis affectum alliciant, & in sui amorem pertrahant: sed opus est aliquod aliud bonum interueniat, cuius amorem ad illa inamœna complectenda moueamur.

57 *Si finis sit bonum spirituale tantum.*

Dico Secundò: Si tota ratio quæ impellit animum ad religionem, est bonum spirituale (nempe vt periculis sæculi eximas, vt Christi vitam imiteris, vt consilia exequare, vt te totum Deo consecres, eique seruias perfectiùs, vt saluti tuæ consulas, vt alios ad salutem pertrahas) non est dubitandum quin talis vocatio sit à Deo. Ratio est, quia nullus affectus boni temporalis hic interuenit, ratione cuius possit esse dubitatio, sed solùm bonorum spiritalium. Atqui affectus istorum bonorum spiritalium non potest prouenire à dæmone, nec à naturæ propensione: ergo necesse est vt proueniat à Deo. Consequentia est manifesta: quia tres tantùm sunt origines seu fontes nostrarum cogitationum, & affectuum internorum: spiritus bonus, spiritus malus, & spiritus humanus: vt docet abbas Moyses apud Cassianum collat. 1. cap. 19. & communiter Theologi. Vnde si tales affectus non sunt à spiritu malo, nec à spiritu humano, perspicuum est esse à spiritu Dei.

58 *Non esse à spiritu malo*, clarissimum est: quia non est ipse sibi contrarius, nec intendit regnum suum destruere. Atqui si suggereret hominibus desertionem sæculi, contemptum mundi, imitationem Christi, ingressum religionis, esset sibi contrarius, & regnum suum, quod consistit in appetitu diuitiarum, voluptatum, honorum (iuxta illud: *Totus mundus in maligno positus est*, hoc est, in potestate & dominatu diaboli, & : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*) destrueret, quod tamen nullo modo ipse intendit. Hoc modo ratiocinatur Dominus aduersus Pharisæos, cùm eum calumniarentur quasi in principe dæmoniorum eijceret dæmonia. Nihil magis intentioni & menti diaboli contrarium, aut eius regno stabiliendo aduersum, quàm contemptus mundi, amor paupertatis, castitatis, subiectionis, & imitatio vitæ Christi Domini. Confirm. Quia cùm hæc opera sint propria Christo & Spiritui sancto (Christus enim primus ea commendauit, & per Spiritum sanctum homines ad illa incitauit) blasphemia videtur, putare ea à spiritu maligno prouenire. Sicut enim blasphemia est, ea quæ sũt propria diaboli, Deo tribuere (vt faciunt hæretici, dum docent Deum impellere mortalium corda ad omnia opera scelerata quæ faciunt) ita blasphemia est, ea quæ Deo sunt propria, tribuere diabolo. Nec refert, quòd diabolus aliquando se transfiguret in angelum lucis: quia quando id facit, semper interuenit aliquid quod præbeat iustam ansam dubitandi de negotio quod proponit; ita vt homo possit & teneatur rem magis discutere: sicut quando sub specie angeli loquitur, vel apparet in visione, suadẽs vitæ asperitatem, vel longam peregrinationem, vel cædem sui vel alterius; aut immiscet aliqua falsa vel vana quibus animus hominis intumescat, &c. qualia sæpè vidimus. At hic nulla est ratio dubitandi: nulla circumstantia, quæ rem debeat reddere suspectam.

1. Ioan. 5.
1. Ioan. 2.

Luc. 11.

Dices: Excitat hominem ad religionem, vt posteà illum inde abstrahat, & in grauiorem damnationem præcipitet. Contrà, simili modo dicere poterimus illũ excitare Ethnicos & Iudæos ad religionem Christianam, vt posteà eos faciat apostatas vel hæreticos: & ita affectus fidei Christianæ passim in omnibus debebit esse suspectus, & dubitandum erit an sit à Deo, an à diabolo: quod est contra iudicium Ecclesiæ. Hoc ipso enim, quo, re discussa, non constat de contrario, indubitanter præsumitur esse à Deo. Item quando quis vouet castitatem, aut suscipit Ordines sacros, aut bona sua distribuit in pauperes, aut aliud magnum opus molitur, dubitandum erit, vtrum hic affectus sit à Deo, an à diabolo. quæ omnia absurda sunt, sanæ doctrinæ & manifestæ rationi aduersa. Quod si in alijs bonis operibus id suspicari non possumus; multo minùs in negotio religionis. Non enim diabolus adeò rudis est & factus, vt prædam, quàm vnguibus iam tenet, dimittat, & in locum adeò munitum & sibi infestum abire sinat, ac vltrò etiam impellat, ea spe vt aliquando cum fœnore illam recipiat. Ex quibus constat, hunc affectum nullo modo à maligno spiritu immitti posse.

Sed neque à spiritu humano, seu natura corrupta nasci 60
potest. Hic enim ad omnia contraria nos inclinat: nimirum ad appetitum diuitiarum, voluptatum, honorum, libertatis, dominationis; & maximè refugit ea quæ his contraria, mortificationem carnis, paupertatem, subiectionem, humilitatem, abiectionem. Ex his manifestum est, affectum illum religionis nec à malo, nec ab humano spiritu posse procedere; ac proinde illum non esse nisi à spiritu Dei.

Idem conuincitur ex Scriptur. 1. Corinth. 12. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*, id est, nemo potest Christum seriò tanquam Dominum & Deum suum inuocare, nisi ex impulsu Spiritus sancti. Si inuocatio Christi non potest esse in corde cuiusquam nisi ex motione Spiritus sancti: multo minùs affectus & voluntas deserendi sæculi, imitandi Christi, eiusque crucem amplectendi in religionis ergastulo, potest aliunde quàm à Spiritu sancto procedere: cùm hic affectus longè sit difficilior, nostræque vires magis superet. Rursus 2. Corinthios 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Si nulla salubris cogitatio in nobis oriri potest ex spiritu humano, & naturæ nostræ conditione, sed ea à Deo nobis donari debet: quantò minus consilium & affectus religionis à nostro spiritu, vel à dæmone nasci potest? Itaque à Deo necesse est procedat. Denique fide tenendum est, omne bonum VELLE, & omnem salutaris boni affectum esse à gratia Dei, non à spiritu humano: & contrarium est hæresis Pelagiana: vt multis libris docet S. Augustinus. At quis neget, affectum religionis purè propter bonum spiritale conceptum, esse bonum & salutarem affectum? Itaque nullo modo dubitandum quin sit à Deo.

61 *Ex scripturis*

Eamdem veritatem optimè tradit S. Thomas 2. 2. quæst. vltima articul. vltim. ad. 1 *Illi*, inquit, *qui ad religionem accedit, non potest esse dubium an propositum de ingressu religionis in eius corde exortum sit à spiritu Dei, cuius est ducere hominem in terram rectam*, & cetera. Hinc infert illam sententiam, *Nolite omni spiritui credere. sed probate spiritus si ex Deo sint*; non pertinere ad illum qui vult religionem ingredi; quia ille non habet rationem dubitandi, sed ad eos qui illum sunt admissuri. Cùm enim hi cor ipsius non possint intueri, meritò dubitare possunt, & probare vtrùm spiritu Dei moueatur.

62

Nec obstat, inquit, *quòd aliqui non perseuerent: id enim non est signum vocationem non fuisse à Deo; quia non omne quod à Deo, est incorruptibile: alioquin creaturæ corruptibiles non essent à Deo; quod est error Manichæorum: & illi qui semel à Deo accepissẽt gratiam, non possent amplius peccare, nec gratiam amittere; quod est hæreticum*. ita S. Thomas.

Obijcit aliquis: Actorum 5. dicitur à Gamaliele: *Si est ex hominibus cor silium hoc aut opus dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud*: ergo vocatio quæ à Deo est, non potest euerti.

Respondeo, Gamalielem loqui non vniuersè de omni eo quod est ex Deo, sed de lege noua, seu Religione Christiana. Hanc enim fore dissoluendam si sit ex hominibus: sicut aliæ quædam sectæ & factiones, quas ibi commemorat, dissolutæ erant. Si verò à Deo, non posse dissolui: quia si erat à Deo consequens erat, hanc esse Religio-

nem illam quæ in Scripturis prædicta & promissa erat; idq; etiam plurimæ circumstantiæ, cum quibus ea inceperat, & in illud vsque tempus erat propagata, satis indicabant. Hæc autem non posse dissolui, ex ijsdem Scripturis constabat. Volebat hisce verbis Gamaliel Concilium Iudæorum monere, vt à persequendis Apostolis abstinerent, & rem maturiùs successu temporis expenderent: ne forte, si re non satis considerata, Apostolos persequi pergerent, Deo repugnare deprehenderentur. Itaque hic locus nihil iuuat eos, qui vocationem, quæ à Deo inspirata est, dicunt non posse impediri aut euerti.

63 *Si primarius finis sit bonũ temporale.*

Dico tertiò: Si totus vel primarius finis, cuius amore ad religionem impelleris, est quid humanum, seu temporale; talis impulsus non videtur esse à spiritu Dei, sed à spiritu humano, & amore proprio. vt si quis desiderio otij, aut commodorum corporis, religionis statum eligat, vel spe prælaturæ, aut alterius honoris consequendi. Ratio est, quia spiritus Dei non solet mouere voluntatem ad amorem illorum temporalium, sed potiùs ad eorum contemptum; vt ex Scripturis mille locis constat. Abundè enim tales affectus & amores scaturiunt ex fonte naturæ corruptæ. Vnde sequitur spiritum Dei nec ad electionem mediorum, quæ ad talia bona consequenda viurpantur, mouere: cùm hæc electio ex rectitudine finis & intentionis proueniat.

Aduertendum tamen, hoc solùm locum habere cùm tota vel principalis causa cur quis religionem æstimet, & ingredi cupiat, est temporalis: vt internum accidit in hominibus stupidis, qui bonum spirituale religionis non intelligunt, sed tolùm considerant exteriora commoda, vel honorem. Vnde in assert. dixi, *si primarius finis*, & cetera. Interdum tamen accidit, vt is, qui non sancta intentione, sed solius temporalis commodi amore ad religionem venit, accepta bona instructione & directione, intentionem mutet, & solius boni spiritalis desiderio illam diligere incipiat: vt docet Climacus Gradu primo. Fieri etiam potest, vt si amor temporalium non sit inordinatus, spiritus Dei dirigat hominem ad electionem religionis amore boni temporalis, vt sic sensim in religione constitutus, ad bonorum spiritalium amorem inducatur. sic Iudæi promissionibus bonorum temporalium inducebantur ad legem diuinam seruandam.

64 Dico Quartò: Si spes boni temporalis consequendi, vel mali temporalis euitandi, non est primaria causa electionis religionis, sed solùm secundaria, ob quam re hic & nunc, seu in hoc rerum statu ad religionem amplectendam applicas; talis electio & vocatio censenda est esse à Deo.

Vbi notandum est, rem aliquam temporalem duobus modis posse nobis esse causam intrandę religionis. Primò *per modum occasionis*: vt cùm quis occasione alicuius infortunij, vel periculi, incipit considerare vanitatem sæculi, vel discrimen salutis in quo versatur, & concipit propositum religionis. qui modus est valdè creber, eoque diuina prouidentia sæpissimè vtitur. Sic Paulus Simplex, cùm vxorem in adulterio reperisset, statim sæculo cum vxore relicto, ad magni Antonij disciplinam se contulit.

Arsenius Arcadij magister, cùm iram discipuli mortem ei machinantis fugeret, consilium religionis iniit; & declinando mortem corporis, simul obtinet salutem animæ.

S. Paulus primus Eremita in specum ingressus, vt sæuitiã persecutionis sub Decio & Valeriano declinaret, cùm ibi aliquamdiu latuisset, solitudine delectatus, vitam anachoreticam amplexus est.

Moyses Æthiops latro in vitæ discrimen adductus, cùm in monasterium profugisset, ibi religione tactus, sedem fixit monachus effectus.

S. Romualdus, cùm ob eædem à parente patratam, cuius ipse aliquo modo particeps fuisse videbatur, ad aliquot dies in Classense monasterium pœnitentiæ causa se recepisset, partim monachi vnius colloquio, partim gemino S. Apollinaris viso, ad sæculum deserendum impulsus est.

Alios innumeros prætermitto, quibus sua vel scelera, vel pericula, vel damna rei familiaris, vel mortes suorum, vel offensio aliqua in re aut honore accepta, vel expectati boni frustratio, vel aliud incommodum occasionem præbuere religionis amplectendæ.

Secundò, *in medium causæ vocationis*: cùm aliquid temporale nos allicit vt hic & nunc statum religionis amplectamur: vt cùm quis paupertate pressus, vel curis circumseptus, vel molestijs exagitatus cogitat se hæc mala euitaturum ingrediendo religionem, & ideirco seriò ea de re deliberare incipit, & concludit. Etsi enim hic amore commodi alicuius temporalis moueatur, vt animum ad religionẽ applicet; tamen non hoc solùm neque principaliter in religione spectat aut æstimat, sed potissimùm spectat bonũ spirituale, quod illa secum adfert, & illud principaliter per eam acquirere intendit. 65

Quibus positis, Dico neutrum modum impedire quò minùs vocatio censenda sit prouenire à spiritu Dei & motione diuina. Nam quod ad priorem modum attinet, cum res temporalis est solùm occasio, non est difficultas: quia hic fere est ordinarius diuinæ prouidentiæ modus, quo animas mortalium per varios huius vitæ casus ad suum obsequium vocat & dirigit. Nouit enim ipse de malis bona excitare, nouit & mala ipsa permittere, vt bona de illis eliciat. Omnes rerum euẽtus, omnes humani casus à manu diuinæ prouidentię pendent; quæ varijs modis nouit illis vti ad nostram salutem. Itaque hic modus signum est potiùs diuinæ vocationis, quàm humani spiritus. 66

Confirmat hoc Cassianus collat. 13. c. 15. vbi dicit *inscrutabilia esse iudicia Dei, & inuestigabiles vias eius quibus ad salutem humanum attrahit genus.* Deinde id ostendit exemplis S. Scripturæ, in vocatione Andreæ & Petri, & ceterorum Apostolorum, in vocatione Zacchæi, Pauli, Cornelij, sic cõcludens: *Et ita multiformis illa sapientia Dei salutem hominum multiplici & inscrutabili pietate dispensat.*

Et S. Macarius Homil. 32. ait *sæpe euenire vt Deus erumnis & tribulationibus hominem exagitet, vt is qui minimè terrenis rebus animo inhæret, cùm omnia sibi infeliciter succedere videt, ita secum ratiocinari incipiat: Quandoquidem non possim in mundo consequi quæ volebam, ecce mundum relinquo, & ad Deum pergo, vt ei vni seruiam: & ita gratias deinceps agat ab aduersa fortuna, quia eius occasione impulsus est ad Dei famulatum.*

Idem docet S. Hieronymus epist. 34. qua Iulianum nobilem virum, multis calamitatibus recens affectum, hortatur ad deserendum sæculum. Dominum enim hisce modis admonere, viam sternere, impedimenta semouere, &c.

Similiter nec secundus modus impedit. Religio enim multa bona complectitur, non solùm supernaturalia, sed etiam naturæ commoda & amica; nimirum alimenta & vitæ necessaria, vacuitatem à curis externis, à molestijs domesticis, ab vxoris & liberorum vinculis, securitatem ab inimicis, & similia, quæ etiam illam reddunt amabilem. Ergo etiam ob hæc bona amari iure potest, modò nec solùm, nec principaliter ob ea ametur. Potest enim res quælibet amari propter omnia bona quæ illi insunt, ita vt in ea prosequenda omnium habeatur ratio; cuiuslibet tamen in suo ordine & gradu. Principalis ratio cur religio à tali homine æstimetur, & amplectenda iudicetur, est bonum spirituale; puta quia securiùs ducit ad vitam, &c. Secundaria verò est commoditas temporalis, & liberatio ab innumeris sæculi difficultatibus. 67

Nec obstat quòd ad eam non applicasset animum, nisi commoditatem illam temporalem in ea vidisset: quia hoc non est signum quòd eam non appetat ob bonum spirituale, aut quod bonum spirituale non sit præcipuus finis, quem per religionem assequi intendit; sed quòd hic & nunc se ad illam non applicasset, nisi bono spirituali illud temporale vidisset coniunctum. Idem in plurimis actionibus & contractibus humanis cernitur, quos nollemus inire, nisi præter principale commodum, & iustum pretium quod offertur, aliquam aliam secundariam & minoris momenti commoditatem videamus coniunctam. 68

Dico Quintò: Quando quis proponit ingredi religionem, animo renuntiandi sæculo, & seruandi interiùs & exteriùs ea quæ religio postulat & præscribit, nullo modo dubitandum est, quin talis vocatio, & tale propositum sit à Deo, vndecumque demum originem traxerit. 69 *Omnis conuersio à Deo.*

Sequitur ex dictis, & docet expressè S. Thomas opusculo 17. cap. 10. *Sciendum*, inquit, *quòd si cui à diabolo suggeratur, vel etiam ab homine religionis intrante, per quem aliquis accedat ad Christum sequendum, talis suggestio efficaciam*

non

non habet, nisi interius attrahatur à Deo. Et ita religiosi propositum à quocunque suggeratur, à Deo est. Hæc ille. Ratio est, quia tale propositum est bonum VELLE, & salutaris animi motus, qui non posset esse nisi à Deo: vt suprà ex Scripturis ostensum est. Simili modo si hæreticus, vel etiam ipse diabolus Euangelium prædicet, & aliquis conuertatur; illa interior conuersio animi est ex impulsu diuino, non à diabolo. Nec refert, etiamsi aliquis affectus temporalis commodi se admisceat, modò ille non sit causa principalis illius propositi, neque ex illo commodo religio ipsa æstimetur: vt ex dictis constat.

70 *Non esse petendam reuelationem in negotio potentiæ.*

Ex quibus sequitur, vanum esse petere in hoc negotio aliquam reuelationem, vel signum diuinum, quo animus certus reddatur, sitne vocatio à Deo: quia id est præter morem diuinæ prouidentiæ, quæ etiam in maximis rebus nostram salutem concernentibus vult nos esse contentos morali quadam & humana certitudine; alioquin possemus etiam reuelationem exigere, vt sciamus nos esse legitimè baptizatos, vel sacerdotio initiatos, vel matrimonio iunctos, vel ritè dispositos ad susceptionem alicuius Sacramenti: quod insolens est & absurdum. In rebus enim agendis sufficit certitudo moralis. Hic verò est moralis certitudo, eaque tanta, quanta in hac vita regulariter de motibus & impulsibus diuinis haberi potest. Cùm enim quis sentit se impelli ad deserendum sæculum, & Christum imitandum in religiosæ vitæ humilitate; tam certum est hunc impulsum esse à Spiritu sancto, quàm certum est impulsum ad fidem Christi, ad pœnitentiam, ad eleemosynam, aliàve bona opera esse à Spiritu sancto; imò quàm certum est actum fidei, quo credimus diuina mysteria esse à Deo, & talem qualem oportet ad salutem. Nam & hic est solùm moralis certitudo: sicut etiam in actu spei & dilectionis, quem in nobis sentimus. Itaque nulla est ibi maior certitudo quærenda.

QVÆSTIO VI.

Quid faciendum ei, qui nondum deliberauit seriò de statu capessendo, quo modo diuinam voluntatem explorabit?

71 *Deliberatio de statu vitæ.*

NOtandum est, maximi interesse ad salutem, vt quis simulatque sufficientem iudicij maturitatem nactus fuerit (nimirum post annos pubertatis) seriò de statu suo deliberet, & non temerè (vt plurimi faciunt) aliquid firmiter amplectatur. Hoc enim præter quòd res sit magni periculi, etiam magnæ amentiæ est argumentum, & vnus ex præcipuis mundi erroribus. Quid enim stultius, quàm eligere media, priusquam expenderis, vtrum ad finem sint accommodata, & an fortè tibi non sint allatura obstaculum in fine tuo consequendo. Multi enim in matrimonio æternam salutem amiserunt, qui in religione saluati fuissent; quidam econtrà in religione pereunt, qui in matrimonio salutem fuissent consecuti, nonnulli pereunt in hac religione, qui non perijssent in alia. Idem dicendum de omnibus dignitatibus, officijs, statibus, artibus, opificijs, societatibus, alijsque vitæ generibus. Quàm multis dignitas Ecclesiastica, vel canonicatus fuit causa perditionis? Quam multis maiestas regia, & potentia sæcularis? Item studium accumulandi, prolesque ditandi? Sunt enim nonnulli status & studia, quæ plurimas peccatorum occasiones ingerunt. Nam ex est naturæ nostræ conditio, is rerum humanarum cursus, vt ex rebus alioquin per se indifferentibus, aliæ nobis fiant futuræ saluti, aliæ exitio. Nemo autem in particulari id certò nouit præter solum Deum, qui omnes rerum euentus, non solum qui absolutè futuri, sed etiam qui posita qualibet hypothesi essent futuri, certissimè prænoscit.

72 *Tres modi consultationis.*

Ex quibus perspicuum est, eum qui saluti suæ benè consultum cupit, non debere absque præuia deliberatione statum sibi vitæ deligere. Potest autem ea deliberatio tribus modis institui, vt suprà q. 4. ostensum. Primò, *cum Deo*: rogando illum quotidie, vt id nobis inspiret, quod scit futurum maximè salutare, & in eum finem crebrò animum expiando, & Eucharistiæ sacramentum frequentando, vt diuina inspiratione reddamur digni. Secundò, *cum animo nostro*. Non enim Deus ad nostram petitionem id statim per se inspirat, sed vult illud etiam à nobis ratione & iudicio exquiri. Idcircò enim rationis lumen nobis impertijt, vt salutaria inuestigemus. Quod dum facimus, ipse se nostris conatibus immiscet, & adiuuat ne erremus, facitq; vt ipsi quid nobis expediat, certò intelligamus. Et hic solidissimus est modus diuinæ voluntatis inuestigandæ. In quo deliberationis modo illa sex potissimùm obseruanda. Primum, vt consideremus in quem finem conditi simus, & in hanc naturæ lucem è nihilo tenebris educti: videlicet non vt comedamus & bibamus, aut rebus huius mundi nos oblectemus: sed vt Deum cognoscamus, & amemus, eique seruiendo & obediendo æternam vitam consequamur. hoc vitæ Christianæ, & totius salutis est fundamentum, ac proinde sæpè & attentissimè perpendendum. Omnis enim error vitæ humanæ ex defectu considerationis finis accidit. Vnde S. Scriptura Eccles. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua* (vltimos nimirum bonorum & malorum fines) *& in æternum non peccabis.* 73 *Sex consideranda in hac deliberatione.*

Alterum est, vt cogitemus, hunc mundum, & omnia quæ in eo sunt, esse à Deo instituta pro tempore huius vitæ, vt nostris necessitatibus ac vsibus in hac mortalitate seruiant; & ad finem nostrum obtinendum iuuent: ac proinde non amplius ex illis appetendum aut vsurpandum quam conducat fini; & omne illud fugiendum quod timetur obfuturum. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Omnia enim ista temporalia, sunt media quædam ad vlteriorem finem destinata. Atqui media non propter se, sed ob solum finem sunt expetenda. Perspicuum est ergo, temporalia quælibet eatenus solùm, & in ea mensura esse expetenda, quà conducunt ad finem: quà verò forent impedimento, esse repudianda. Magnæ sapientiæ est, ista duo optimæ electionis & perfectioris vitæ principia probè intelligere & animo retinere. 74 Matth. 16.

Tertium est, vt constituamus nos in quadam indifferentia ad omnia quæ sunt in mundo: vt animus non magis appetat diuitias quam paupertatem, honores quàm ignominiam, sanitatem quàm morbum; & sic de ceteris vitæ humanæ conditionibus, casibus, & statibus. Quod intellige, modò illæ conditiones vel status tales sint, vt officijs mentis non obsint. Quæcumq. enim mentem nimium occupant, vel aliquo modo impediunt, quò minùs rebus salutaribus ac diuinis intendere possit, ea fugienda. Quòd si alicui ea indifferentia videatur nimis difficilis (cùm tamen verè non sit) saltem nulli rei animum ita habeat affixum, quin paratus sit eam repudiare, si vel saluti putaretur obfutura, vel aliò vocaretur à Deo. 75

Quartum, Vt expendamus qualitates eorum statuum, de quibus deliberare volumus, v. g. status matrimonij & cælibatus, clericalis & laicis, sæcularis & religiosi; nimirum vter futurus videatur commodior & securior ad salutem, vtriusque commoda & incommoda diligenter expendendo. Deinde quid omnibus consideratis nostræ conditioni videatur fore magis conducibile. Non enim omnes ad religionem, vel statum Ecclesiasticum, aut cælibatum idonei.

Quintum, Vt nobiscum perpendamus, quid consilij 76 daturus nobis esset Christus Dominus, si hic in terris nobiscum versaretur, & nos ab eo in hac deliberatione consilium peteremus: & quod nobis consultum iri à Domino non dubitamus, id absque hæsitatione amplectamur. Ipse enim cùm sit sapientia, falli non potest, & cùm sit bonitas, non potest fallere. Item quid consilij sancti Apostoli, Petrus & Paulus, & dilectus Christo Ioannes: quid SS. Doctores Augustinus & Hieronymus, Ambrosius & Gregorius: denique quid tota cælestis curia, tot beatorum Angelorum, & animorum myriadibus constans: hi falli non possunt, horum consilium non potest non esse saluberrimum.

Sextum, Vt reputemus nobiscum, quid volemus nos fecisse, quando ad mortis articulum peruentum erit, mox rationem omnium æterno Iudici reddituri, & immutabilem sententiam excepturi. Quod tunc optabimus à nobis factum, hoc nunc amplectamur, & facere incipiamus.

Hoc modo quisque cum animo suo deliberare potest, adhibitis illis considerationibus tamquam sapientissimus & fidissimus consiliarijs. ab illis enim nihil nisi 77

ſalutare procedere poteſt. Interim inſeret ſe diuina benignitas, mentem dirigẽs & illuminans, vt clarè perſpicias quid eligere conueniat.

Secundum à turba in hac conſultatione.

Verùm difficile ac pænè impoſſibile, vt quis hac ratione debito modo vtatur in mediis turbis negotiorum; quia mentem collectam habere oportet, & ab alijs curis ac cogitationibus vacuam. Illæ enim & attentam rerum ſalutarium conſiderationem aſſiduè interpellant, & diuinam illuſtrationem impediunt, quæ non niſi tranquillis mentibus infundi ſolet. Ita monet S. Bernardus epiſtola 107. ita ſcribens ad Thomam Præpoſitum de Beuerlo, in hac ipſa delib ratione verſantem: *Tu, ô chariſſime, huic voci Dei tui dulciori ſuper mel & fauum, ſi præparas aurem interiorem, fac curam exteriorem, vt expedito ac vacante interno ſenſu dicas & tu cum Samuele: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus: Vox hæc non ſonat in foro, nec auditur in publico. Secretum conſilium, ſecretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium præ certo dabit & lætitiam, ſi ſobrius aure perceperis.* Vnde ſaluberrimum conſilium eſt, vt ſepoſitis omnibus negotijs ad aliquot dies ſecedas, & alicui viro ſpirituali in talibus exercitato te tradas in diſciplinam, vt ab eo in negotio tanti momenti diriguris: & ita ſimul tres illos conſultandi modos adhibebis. Vnde cùm ex parte tua hoc modo feceris omnia, quæ tuarum ſunt partium, vt diuinam voluntatem cognoſcas, nullo modo dubitandum eſt, quin Deus illam tibi ſit patefacturus, iuxta certiſſimam Domini promiſſionem: *Petite, & accipietis*, &c. vide ſup. num. 52.

Matth. 7. Luce 11.

QVÆSTIO VII.

An expediat ingreſſum differre in longum tempus donec iudicium maturuerit?

79 MVltæ poſſunt occurrere cauſæ differendi: Prima, ætas tenera. Secunda, ſtudia litterarum. Tertia, parentum preces, minæ, mœror. Quarta, vt magis proberis in ſæculo, & rerum mundi capias experimentum. Quinta, timor deficiendi. Sexta, voluntas magis deliberandi. Septima, parentum inopia, vel alia obligatio, cui antea ſatisfaciendum. Octaua, moribus impediens religionis exercitia.

Dico igitur; Nulla harum cauſarum (præter duas vltimas) eſt ſufficiens, vt meritò in longum differenda ſit executio, ſi ætas pubertatis adſit, & de vocatione diuina conſtet. Ita paſſim docent Patres, & ratio manifeſta conuincit. Quod intellige de illo qui ingredi cupit: nimirum hûc ex parte ſua cauſam differendi non habere, ſed quantum in ipſo eſt, debere omnes moras abrumpere: non autem de illis, quorum eſt eum admittere. ipſi enim multas extrahendæ admiſſionis cauſas habere poſſunt.

De *prima cauſa* dictum abundè ſupra. Quæſtione enim ſecunda oſtenſum eſt, valdè expedire, vt à prima adoleſcentia nos Deo mancipemus; ac proinde adepta pubertate non eſſe vlteriùs expectandum: ætatem illam ſalutis negotio ſatis eſſe maturam.

79 *Ætas tenera.*

Studium litterarum.

Secunda etiam cauſa, nempe *ſtudium litterarum*, ſufficiens non eſt, vt benè oſtendit S. Bernardus epiſt. 108 ad Thomam Audomarenſem: tum quia melius in religione ſtudere poterit, ſi expediat: tum quia interim hoſtis antiqui inſidijs, & multis periculis exponitur. Ille enim tunc maximè nos oppugnat, omneſq; artes & machinas admouet, quando videt nos ſalutare propoſitum concepiſſe. Vnde omnis mora periculoſa. Si tamen Superior qui eum admiſſurus eſt, iubeat aut ſuadeat, vt ante ingreſſũ ſtudia ſua perficiat, parendum eſt: quia tunc cùm non ſuo affectu vel iudicio moretur, ſed eius qui loco Dei illum dirigit, cogitare debet hanc eſſe Dei voluntatem. Verùm tunc magis quàm antea ſibi attendere debet; prauа vitare conſortia, incumbere orationi, frequentare Sacramenta, piiſq; monitis aurem præbere, propter multiplices hoſtis inſidias. Sic Dominus illi aderit, ſuaq; proteget gratia ne ſuccumbat, quia facienti quod in ſe eſt, vt Domino ſeruiat, pietas diuina nunquam deerit.

80 *Parentum importunitas.*

Tertia cauſa *de parentibus* non eſt legitima. Nam qu. 4. oſtendimus, non eſſe cum propinquis deliberandum; & ſalutare propoſitum non eſſe ob eorum blanditias vel querimonias differendum: qu. 5. non eſſe opus maiore deliberatione, quando moraliter certi ſumus de diuina vocatione, neque maiorem certitudinem nobis eſſe expectandam. Hoc enim non eſt ferè negotium ſalutis agere, ſed ignauiæ & amori ſæculi colorem prætendere, & animo ſuo tali fuco blandiri: vt præclarè docet Chryſoſt. hom. 57. ad populum Antiochenum.

81 *Vt probetur in ſæculo.*

Quarta cauſa erat, *vt in ſæculo manens, & cum ſæcularibus verſans proberis*, an ſis futurus conſtans. Hanc enim plerique adferunt, vt incautis adoleſcentibus perſuadeant ingreſſum ad aliquot annos extrahendum. Verùm nullum pernicioſius conſilium in hoc genere ſuggeri poteſt. Quid enim hoc eſt aliud, quàm ſub honeſta ſpecie probationis, ſpiritum velle extinguere; & cum, qui in portum ſalutis locumq; ſecurum parabat euadere, laqueis mundi implicare, & tentationum procellis exponere? Qui enim ſic ſuadent, perinde faciũt, ac ſi alicui maris inexperto, qui artem nauticam diſcere velit, ſuadeas vt fragili cymba det ſe in altum, & probet vtrùm in illis fluctibus & tempeſtatibus cymbam poterit ſaluam præſtare: vel ſi mercaturam cogitanti auctor ſis, vt antea vnius aleæ iactu fortunas ſuas exponendo, periclitetur quales in poſterum euentus expectandi. Stultum ſane & noxium conſilium. Quid enim à recta ratione & vera prudentia alienius, quàm tanto periculo probare velle, quod multo certiùs atque periculo cognoſci poteſt? Si hortulanus aliquis accepto ſemine nobiliſſimo ex Oriente miſſo, quod ſumma cultura egerit, depangat illud loco ſaxoſo & ſpinoſo, ſolis ardori & omnibus aeris iniurijs expoſito, vt probet an creſcere poſſit, cùm terra idonea & ab iſtis incommodis tuta non deſit: quis non dicat talem hortulanum inſanire? Multò magis inſaniunt, qui tale conſilium aſpirantibus ad religionem ſuggerunt, vbi de re tanti momenti agitur. Eſt enim inſpiratio diuina, & vocatio religionis, diuinum quoddam ſemen cœlitus in terram tranſmiſſum, vt in omnem virtutem adoleſcat, & fructum æternæ vitæ proferat. Inſeritur hoc ſemen cordi humano tamquam ſolo alieno, & naturæ talis ſeminis parùm accommodato (ſicut cùm planta Orientalis ad ſolum Septemtrionale transfertur) ac proinde eget ſumma cultura & cuſtodia; partim ne volucres cæli (dæmones inquam, qui aſſiduè huic ſemini inſidiantur) illud auferant; partim ne ſpinæ (rerum temporalium cupiditates & ſollicitudines) illud ſuffocent; partim ne ab hominibus (ſæcularium hominum conſuetudine) conculcetur. Ita monet Dominus in parabola ſeminis Matthæi 13. Quicunque ergo vult hoc ſemen in terra cordis, manu illius magni ſatoris ſparſum conſeruari & adoleſcere, procul à communi via ſe debet ſubmouere, ne cõſuetudine ſæcularium proteratur, & ſollicitudines omnes rerum terrenarũ tamquam ſpinas exſcindere; & in eum locum ſe recipere, vbi tutior ſit à dæmonum inſidijs. Quare non eſt illi manendum in ſæculo, vt ibi ſe probet: ſed mox in locum tutum, & talibus periculis vacantem, ſe conferre debet.

82 *Iudicium Sanctorum Patrum.*

Idem conſilium probandi ſe in ſæculo vehementer improbatur à Patribus. S. Bernardus magnus perfectioris vitæ magiſter, & ſpirituum diſcretor, ſermone, *Ecce nos reliquimus omnia*, ſic ait: *Quantus mundi ſapientia maledicta ſupplantet, & in eis conceptum extinguit ſpiritum, quem nouerat Dominus vehementer accendi. Noli, inquit, præcipitanter agere, dum conſidera, diligentiùs intuere; magnum eſt quod proponis, & opus habens multa deliberatione. Experire quid poſſis, amicos conſule, ne poſt factum pœnitere contingat. Hæc ſapientia mundi ſerpens, animalis, diabolica, inimica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ ſolet Domino comitem præmittere.* Eu quàm grauiter inuehitur in tales conſultatores.

Cùm Paulinus presbyter propoſitum religionis concepiſſet, & diutiùs differret exequi, vt interea commodius ſua poſſet vendere, eaque occaſione maneret in ſæculo; S. Hieronymus luculentam ad illum ſcripſit epiſtolam, qua illum hortatur ne propter bona diutiùs moras trahat, ſed potiùs illorum diſpendium ſuſtineat. *Feſtina*, inquit, *quæſo te, & hærenti in ſalo nauicula ſumen magis præcide quàm ſolue. Si habes in poſſeſſione rem tuam, vende; ſi non habes, proijce*, &c.

S. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 5. ſuam cunctationem ita apud Deum accuſat: *Non erat quod tibi reſponderem dicenti mihi, Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illumi-*

nabit

habit te Christus : & undique ostendenti vera te dicere, non erat animo quid responderem veritate convictus, nisi tantùm verbis lenta & somnolenta, Modò, & ecce modò; Sine paululùm; sed Modò & modo non habebant modum, & Sine paululùm ibat in longum.

Qui plura testimonia desiderat, videat S. Chrysostomum homil. 57. ad populum Antiochenum, vbi ostendit esse periculosum differre propositum religionis propter insidias diaboli, qui tunc acerrimè oppugnare consueuit. Et S. Augustinum homil. 59. de verbis Domini, vbi id probat exemplo eleemosynæ. Sicut enim rogatus à paupere eleemosynam, non debes differre in crastinum, si nunc possis dare, vt mandat Spiritus sanctus Prouerb. 3. ita vt in animam tuam sis misericors, non est petenda dilatio. Cùm pauperi offertur à diuite eleemosyna, non dicit; Expecta in crastinum, tunc accipiam. Deus cùm inspirat tibi propositum perfectionis, maximam offert eleemosynam, qua de tua spirituali paupertate, tuisque miserijs emergas, & ditissimus euadas; qua fronte differes?

Item videri possunt ea quæ dicta sunt sup. q. 2. vbi ostensum est, expedire iuuenes ingredi, & moram diuturniorem in sæculo multis periculis & incommodis esse expositam. Huc etiam pertinent pleraque quæ quæstione 4. adduximus.

83 *Exempla Sanctorum.* Denique exempla Sanctorum illud consilium sæculatium confutant. Quis enim eorum eo nomine distulit exequi propositum deserendi sæculi, vt se melius probaret in sæculo? Quis vnquam eorum tale consilium alicui dedit? Omnium vna vox est, Religionis propositum non esse differendum; omnem dilationem in sæculo esse periculosam, maximè eam quæ non ex necessitate, sed ex affectu rerum temporalium & vitæ sæcularis procedit. *Qui enim amat periculum, peribit in illo.* *Eccles. 3.*

84 *Ecclesia præscripsit locũ, & modum probationis.* Addo, vt omnis occasio differendi, prætextu probationis in sæculo, tollatur, Ecclesiam modum probationis & locum præscripsisse, quo omnes sui periculum facere & experimentum capere voluit. Statuit enim annum probationis, idque in ipso Religionis loco, procul à sæculi turbis, & sæcularium consuetudine, inter viros religiosos, sub directione spiritalis magistri. Hic modus est omnium optimus & abundè sufficiens. Submouet enim (quantum fieri potest) omnes tentationum occasiones, & causas, quibus semen diuinum & spiritus salutis solet extingui, quales sunt sæcularium consuetudo, temporalium sollicitudo, feminarum lenocinium, vana colloquia, sympofia, conuiuia, tripudia, spectacula, euagationes: & è contrario suppeditat omnia adminicula, quibus semen illud foueri & crescere queat; salutaria magistri documenta, superiorum monita, fratrum exempla, victus parsimoniam, precum assiduitatem, piarum rerum meditationem, crebrum Sacramentorum vsum, corporis castigationem, denique totam religionis disciplinam. Hæc omnia sunt aptissima instrumenta fouendi illius boni seminis, & corroborandi. Accedit quod hac ratione non solum in genere se probet, an religio ipsi congruat, sed etiam in particulari, an hæc religio conueniat, dum eius iugum & onera experitur. At verò in probatione quæ fit in sæculo, omnia contrario modo se habẽt: nam & innumeras extinguendi spiritus, ac offendendi Deum occasiones præbet; & adminicula pænè omnia, quibus conseruari & foueri possit, subtrahit, vel impedit.

Quod autem quidam aiunt, Vocationem, si à Deo est, non posse extingui probatione illa in sæculo de p. q. 5. n. 62. refutatum est, & ostensum ex D. Thoma eam doctrinam esse erroneam ac hæreticam.

85 *Metus non perseuerãdi, ad Phil. 2. Matth. 11.* Sequitur causa quinta, *Metus non perseuerandi* ob difficultates quas imaginantur. Verùm & hæc causa vana est. *Qui enim dedit velle, dabit & perficere*; vt Apost. ait Gratiæ diuinæ copia, qua id facile & iucundè exequi possis, non deerit: tu tantùm ex parte tua non desis tibi. *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos. & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

Si ita est; si iugum eius suaue, & onus leue, cur adeò timemus ne oneri succũbamus, & iugum eius ferre nequeamus? Cur quod infiniti alij te fortè ingenio & corpore imbecilliores, potuerunt, tu quoque non possis? Vanus itaque timor ille est, & ignauæ mentis iudicium. Quis in alijs rebus grauissimis, vt prælatura, matrimonio, malitia, suscipiendis idcirco distulit, quòd meteret deficere, & se non posse vique in finem onus tolerare?

Reprehendit tales Sanctus Gregorius libr. 30. Moralium capitul. 12. *Multos*, inquit, *fatè cernimus vitam sanctæ conuersationis appetere, sed ire bene obsequi valeant, modò irruentes tentus, modò futura aduersa formidare: qui incerta mala dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. Multa enim ante oculos ponunt, quæ si eis in conuersatione eueniant, subsistere se non posse formidant. De quibus benè Salomon ait: Iter pigrorum quasi sepes spinarum. Nam cùm viam Dei appetunt, eos velut spinea dispositum sepium, sui formidinum suarum oppositi suspitiones pungunt.* Aptissimè. Verè enim qui talia imaginantur & metuunt, nihil aliud quàm viam perfectionis spinarum veluti sepimento sibi obstruunt, ne possint illam ingredi. 86 *Sanctorum Patrum sententia tales perstringũt.* *Prou. 15.*

Idem Homilia 3. in Ezechielem ita scribit: *Alius desiderijs carnis desiderijs cuncta relinquere, & omnipotentis Dei se subdere seruitio festinat, seque ipsum vestigare sub continentiæ & castitatis frano deliberat. Sed ei in tenuisse aliquis etiam post castitatem conspicit, hoc ipsum quod facere deliberat, pertimescit; sicque vt retrò per cogitationem redeat, qui ad anteriora respiciens, iam mentis gressibus ad ima labat. De quo benè per Salomonem dicitur: Qui obseruat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, numquam metet. Ventus quippe nomine maligni spiritus qui mentem tentationibus impellit, nubis vero appellatione peccator exprimitur, qui tentationis impulsione commouetur. Qui ergo attendit ventum, non seminat; & qui considerat nubes, numquam metet: quia is qui tentationes maligni spiritus metuens, & iniquorum lapsus considerans, seipsum desperat, neque nunc exercetur in bono semine operis, neque post recipitur de munere iustæ retributionis.* vnde patet quàm metus ille sit noxius.

Sanctus Augustinus libr. 8. Confess. capit. 11. de sua cunctatione & vano timore ita scribit: *Retinebant me ringa nugarum, & vanitas vanitatum antiqua amica mea, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant. Dimittis me nos? & à momento illo non erimus tecum vltrà in æternum? & à momento illo non licebit tibi hoc & illud vltrà in æternum? Retardabant me cunctantem abripere atque excutere abeas, & transilire quò vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta: Putasne, sine istis poteris?* En luctam carnis & spiritus, quam initio sustinuit, multique alij sustinent quãdo similiter meliora deliberant. Sed postquam se resoluit, & virili animo se totum mancipare Deo statuit, mox omnis illa aporia, animique iactatio conquieuit: & omnia quæ antè vilia dulcia, iam videntur amara; & quæ antè amara, nunc dulcia. Vnde libr. 9. capitul. 1. ait: *Quàm suauis mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum: & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas; ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Idem libr. 8. capitul. 11. inducit Continentiam ita se hortantem: *Ibi tot pueri & puellæ, ibi multitudo multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines. Tu non poteris quod isti & istæ? An verò isti & istæ in seipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis: quid in te stas, & non stas? proijce te in eum; noli metuere ne se subtrahat vt cadas: proijce te securus, excipiet te, & sanabit te.* Planè nihil securius quàm in diuinæ prouidentiæ sinum se proijcere. Ille enim quando ei confidimus, multo suauiùs & securiùs nos regit, omniaque nostra disponit, quàm ipsi sperare potuissemus, vt multorum experientia constat. tunc re ipsa discimus quàm verè ab ipso dictum sit, *Iugum meum suaue est, & onus leue.*

Sanctus Bernardus epistol. 109. ad illustrem iuuenem Gaufridum & socios religionem ingressos: *Ipse ipse colligit vos qui diligit vos tanquam viscera sua, tanquam fructum pretiosissimum cruris sui, tanquam dignissimam recompensationem essi si sanguinis sui.* Vbi nota, iuxta Sanctum Bernardum, *Religiosos ipse fructum & mercedem dignissimam passionis Christi.* Vis eius in illis potissimùm elucet, dum facit perfectos Christi imitatores. Quomodo ergo hanc hereditatis suæ portionem præcipuam deserere posset? Si mercator nullus ita insanus est, vt gemmas multo precio quæsitas, cùm seruare possit, abijciat ac perdat: cuius animi esse

timere ne Deus, quos Filij ſui ſanguine comparauit, quos tantis donis ac theſauris locupletauit, eos ſepenè proijciat ac præcipitet?

87 *Maior deliberatio.*

Sexta cauſa differendi erat *maior deliberatio.* ſed de hac ſatis dictum ſuprà q. 4. & 5. Vel enim facis conſtat diuinùm eſſe vocationem, & ſic non opus eſt longiore deliberatione; vel res eſt dubia, & tunc veritas facilè deprehendi poteſt, adhibita deliberatione iuxta formam q. 5. & 6. propoſitam. quod vt fiat, non opus eſt multo tempore.

Dices: Deus Lucæ 14. monet vt is qui turrim Euangelicæ perfectionis vult ædificare, prius ſedeat & computet ſumptus qui neceſſarij ſunt ad perficiendum: qua parabola ſignificat eſſe opus longa & matura deliberatione.

Reſpondeo, mentem Domini non eſſe vt diuturna ſit deliberatio, quaſi annos aliquot ſuſpenſus manere debeas; nihil ab eius propoſito & à recta ratione alienius; ſed tantum vult ſignificare eum cui tale conſilium ſedet animo, priuſquam illud aggrediatur, debere ſeipſum excutere, & à ſe inquirere, an paratus ſit omnibus renuntiare, & omnes propinquos, omnes opes, voluptates & ipſe ſæculares relinquere. Quòd ſi deprehendat ſe ad hæc omnia paratum, & tantum ſibi ſupereſſe animi, vt confidat Dei gratia ſe illa præſtituram, tam non ſit ſibi ſumptus ad perficiendum neceſſarios ſuppetere. Si verò deprehendat ſe alicui rei ita affixum, vt deſperet ſe illam poſſe relinquere (eo quòd animus illi ſit mollis, nec velit ſibi vim facere, & affectus mortificare) ſumptibus caret. Eſt tamen in eius poteſtate, per Dei gratiam ſumptus habere: nimirum ſi molliticm illam excutiat; & exemplo Chriſti, ac Sanctorum, & ipſe futuræ retributionis, aliorumque commodorum conſideratione animum excitet ad temporalium rerum contemptum. Hùc eſſe ſenſum huius loci, docet S. Auguſtinus epiſt. 38. ad Lætum, & S. Thomas 2-2. quæſt. vlt. artic. vlt. Et colligitur ex verbis quæ Dominus illi parabolæ ſubiungit; eam ſuo propoſito accommodans, cùm ait: *Sic ergo omnis ex vobis, qui nõ renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quibus verbis aperte indicat, ſumptos neceſſarios ad turrim Euangelicam nihil eſſe aliud quàm generoſum animũ, vel firmum propoſitum renuntiandi omnibus, & omnia propter Chriſtum deſerendi. Non opus eſt longo tempore vt ſcias an talis tibi animus ſuppeditet.

88 *Parentum inopia.*

Septima cauſa erat *parentum inopia.* ſiue extrema ea ſit, ſiue etiam grauis. Hæc legitima eſt: imò ea præſente, vel etiam immitente filius intrare non poteſt, ſed debet in ſæculo manere, vt parentes alat. Ad hoc enim iure naturę & diuino tenetur. Præcipit enim Dominus in Decalogo Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* &c. Qui honor non ſolùm in obediendo, & deferendis reuerentiæ ſignis, ſed etiam (& quidem præcipuè) in præbendo ſubſidio vitæ neceſſario conſiſtit; vt probat S. Hieron. Matth. 15. & S. Ambroſ. Luc. 28.

Matth. 15. Marci 7.

Aduerte tamen, ſi alios fratres vel ſorores habeas à quibus parens commodè ſuſtentari queat, non eſſe opus manere in ſæculo. Idem dicendum ſi manendo in ſæculo non poſſis ei quidquam ſubſidij præbere; vel ſi in religione exiſtens æquè vel magis poſſis illum iuuare, quam manendo in ſæculo. Vide hac de re pluſcula lib. 2. de iuſtitia & iure cap. 41. dubit. 3.

Simili modo ingreſſum impedit omnis obligatio, cui ante ingreſſum neceſſariò ſatisfieri debet, nili legitimo modo relaxetur: vt ſi ſeruituti, vel reddendis rationibus ſis obnoxius: ſi virginem ſub promiſſione matrimonij defloraueris, &c.

Morbus.

Octaua cauſa erat *morbus.* Hæc etiam legitima eſt ad differendum donec curetur, præſertim ſi talis ſit vt religionis functiones impediat; vel non videatur tibi commodè poſſe curari.

QVÆSTIO VIII.

An ſit peccatum auertere aliquem à conſilio ingrediendæ religionis?

89 *Si vi, fraude, Metu.*

REſpondeo, & dico Primò: Qui vi, vel fraude, vel metu iniecto aliquem impedit à religionis ingreſſu, peccat mortifere contra iuſtitiam: & tenetur fraudem aperire, & vim ac metum tollere.

Eſt communis DD. ſententia. Ratio eſt, quia infert illi iniuriam in re maximi momenti. Ille enim ius habebat ingrediendi poſtquam ad pubertatem peruenit: ac proinde fit ei iniuria, ſi vi vel fraude vel metu impediatur. Vide cùm agatur de re magni momenti, perſpicuum eſt eſſe peccatum mortiferum contra iuſtitiam. Si enim is qui tali modo quempiam impedit à matrimonio, beneficio, officio obtinendo, vel ab alia re notabilis momenti conſequenda, mortifere peccat contra iuſtitiam: quanto magis is qui à tanto bono quempiam ſic impedit?

Idem confirmatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 18. de Regularibus. vbi cùm S. Synodus anathemati ſubiecciſſet omnes qui aliquo modo cogunt aliquam virginem vel viduam, vel aliam mulierem inuitam intrare monaſterium, vel ſuſcipere habitum, vel profiteri, ſubijcit in hæc verba: *Simili modo anathemati ſubijcit eos, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel veſtem emittendi quoquo modo ſine iuſta cauſa impediunt.* Anathema autem non infligitur, niſi ob manifeſtum peccatum mortiferum. Quòd ſi eſt peccatum mortiferum anathemate dignum cogere vel impedire puellam; cur non cogere vel impedire adoleſcentem? Imò eò maius peccatum videtur impedire adoleſcentem: quò ille, ſi in ſæculo manſerit, in maiori ſalutis diſcrimine verſatur, quàm puella.

Nec refert quòd Concilium non ſtatuerit anathema in eos qui impediunt adoleſcentem. id enim non ideò omiſit, quòd putaret hoc peccatum non eſſe mortiferum, aut anathemate dignum: ſed quia plerumque parentum & aliorum minæ non tantam vim habent in maribus, quantam in puellis. Simile ſtatuerat Concilium Toletanum tertium cap. 10. *Si quis*, inquit, *propoſitum caſtitatis viduæ vel virginis impedierit, à ſuæ communione, & à limitibus Eccleſiæ habeatur extraneus.* Conſtat ergo, eſſe graue peccatum mortiferum.

Ex quibus conſequens eſt, eſſe peccatum mortiferum, non ſolùm cum injicitur metus mortis, aut grauis læſionis, aut verberum, aut multiplicis contumeliæ; ſed etiam cùm injicitur metus, quem Doctores *reuerentialem* vocant: vt cùm parens tanta auctoritate premit prolem, vt nullo modo audeat illi contradicere, malitque quiduis ſuſtinere, quàm vultum eius iratum intueri. Quamuis enim in foro externo hic metus non iudicetur cadere in conſtantem virum: tamen in foro conſcientiæ ſatis eſt ad reſcindendos contractus, qui tali metu extorti vt communiter DD. tradunt: quia cenſentur per iniuriam extorti. vnde qui tali metu aliquid extorſit, tenetur ad reſtitutionem, etiam ante ſententiam. Imò multorum DD. iudicio hic metus ſatis eſt ad irritandum matrimonium, & profeſſionem ſolemnem in religione, ſi ipſe horum cauſa extorſit. Qua de re videri poſſunt ea quæ ſcripſimus lib. 2. de Iuſtitia & iure capitul. 17. dubitat. 6. Quod ſi tanta eſt vis huius metus, vt reſcindat contractus, & inducat obligationem reſtituendi, manifeſtum eſt grauem cenſeri iniuriam, ſi quis talem metum alteri incutiat, vt eum impediat ab eo conſequendo ad quod ipſe ius habet: ac proinde talem à peccato mortifero excuſari non poſſe, niſi forte propter ignorantiam vel inconſiderantiam.

90 *Si Metus reuerentialis.*

Hinc ſequitur, quando aduertit parens filium vel filiam tali metu teneri, cui ipſe ſuo agendi modo occaſionem dedit, eum debere benignè cum illis agere, & metum adimere, vt liberè eligant & exequantur, quod Deus ipſis inſpirat. Ratio eſt, quia iure iuſtitiæ tenetur quiſque reſtituere, quod iniuſtè abſtulit. Atqui is qui in negotio propoſito incuſſit metum, vel fraudem ſtruxit & mendacium, abſtulit alteri libertatem procurandæ ſuæ ſalutis. Ergo tenetur eum ſuæ libertati reſtituere. hoc autem fit tollendo fraudem & metum. Fraudem voco calumniam in religionem, & omne mendacium quo alter decipitur, & inducitur ad mutandum ſalutare propoſitum.

91

Dico Secundò: Etiam qui abſque vi fraude & metu, aliis modis importunè agit, ne perfectionis propoſitum exequaris, ſed maneas in ſæculo, grauiter peccat; & interdum à peccato mortifero excuſari non poteſt. Ratio eſt, quia ſua importunitate eſt tibi cauſa, vt relinquas magnum bonum, nempe ſecuram ſalutis viam, & permaneas in periculis damnationis. Vtrumque autem eſt contra charitatem, & in re magni momenti. Quanam enim ratione tibi maius damnum inferre poſſet, niſi forte perſuadeat hæreſim

ſim aut apoſtaſiam? Plus enim tibi nocet dum illud propoſitum tibi excutit, quàm ſi illud propoſitum retinentem pertraheret ad aliquod peccatum.

Item eſt quædam iniuria in Deum. Deus enim cui infinitis beneficijs es obſtrictus, & æterna pollicetur, te ad ſuũ ſeruitium vocat. Ille ſe huic vocationi opponit, & ſuadet, vt nulla beneficiorum acceptorum, nulla promiſſorum habita ratione, non ſequaris, ſed ſecum maneas, ſuis commodis & ſuæ conſolationi ſeruias. An hoc non eſt impugnare conſilium Dei, & deſtruere quod ille ædificauit, & ſpargere quos congregauit, & milites, quos ad ſuum vexillum vocauit, diſſipare? Qui autem illa facit, an non videtur conſpirare cum dæmone, & bellum gerere cum Deo? Si quis hoc modo ageret cum aliquo quem Princeps ſæcularis vocaret ad ſuum obſequium, poſſet ille cenſeri amicus Principis? Multo minùs qui ab obſequio diuino abſtrahit, poterit eſſe amicus Dei, qui infinities maiora iam contulit, & in futurum promiſit.

93 *Confir. exp a trum ſente - tia.* Idem probari poteſt ex Patrum ſententia, & modo loquendi, quo in hac cauſa vtuntur. S. Hieronym. epiſt. 1. ad Heliodorum dicit, *Retrahere à religione nihil eſſe aliud, quã Chriſtum in pectore alterius occidere, Chriſto ſe opponere, ſpargere & diſſipare quæ Chriſtus collegit, donatiuum militiæ Chriſti ſuffurari.* Epiſt. 10. ad Furiam, vocat tales auocantes *venenata animalia*. S. Auguſtinus epiſt. 38. *hunc affectum in matre occidendum, ne ipſa in æternum pereat.* S. Bernardus epiſt. 104. ſub finem: *Mater tua vult contraria tuæ, ac per hoc & ſuæ ipſius ſaluti*, &c. Epiſt. 111. parentes qui à religione auocant dicit eſſe *duros, fœnos, crudeles, nec eſſe parentes, ſed peremptores*, rationem adfert, quia impediunt ne ſeruias Deo; ne fugias ignem qui à tergo inſtat; ne vites latrones à quibus ſemiuiuus relictus; ne ex tempeſtate ſæculi te in portum ſecurum recipias; ne bonorum cæleſtium quæ offerun tur, compos fias.

Nouem malitiæ gradus. S. Chryſoſtomus lib. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ, ponit nouem malitiæ gradus, & hoc crimen ponit in gradu ſupremo. Primus malitiæ gradus, iumenta & pecora inimicorum errantia vel lapſa negligere. Secundus, inimicis ipſis ſi quæ re egeant, non ſubuenire. Tertius, proximos ignotos aſpernari. Quartus; deſpicere familiares. Quintus, non ſolùm corpora, ſed etiam animas fratrũ pereuntes negligere. Sextus, filios ſuos pereuntes non curare. Septimus, nec eos per ſe curare, nec alios, qui curent, adducere. Octauus, prohibere inſuper eos, qui ſponte iuuare cupiunt. Nonus, ſalutem ſuorum vltrò oppugnare. Ecce ad quantum ſæuitiæ gradum præpoſtera illa parentum charitas prouehat, vt dum eis maximè conſulere arbitrantur, maximè noceant. Ex quibus patet, quàm graue id eſſe peccatum cenſuerint ſancti patres.

94 *An ſit peccatum, non ſequi vocationem.* Dices: Qui nondum voto ſe obſtrinxit, is liber eſt; nec tenetur ſub pœna alicuius peccati, religionem ingredi, ſed poteſt conſilium Chriſti non ſequi. Ideò enim dicuntur conſilia, non præcepta. Ergo ſimiliter qui ſuadet ne ſequatur, non peccat. Quod enim non eſt illicitum facere, id etiam non eſt illicitum ſuadere.

Reſpondeo: Antecedens non ſemper eſt verum. Etſi enim in genere, & per ſe non ſit peccatum, non ſequi conſilia Chriſti; ſæpè tamen fieri poteſt, vt ratione alicuius circumſtantiæ coniunctæ peccatum ſit. Vt ſi cõſcientia dictet tibi (quod ſæpè accidit) te defertum iri à Deo, niſi diuinæ vocationi obtemperes: te periturum ſi manſeris in ſæculo, &c. Tunc enim peccatum eſt, non ſequi diuinam vocationem: ac proinde etiam peccatum eſt, ſuadere vt non ſequaris. Vnde cùm ſuaſor ordinariè ignoret quid alter interius ſentiat, quid conſcientia illi ſuggerat; ordinariè etiam peccat dum vitæ mutationem, & religionis ingreſſum diſſuadet: quia periculo ſe exponit, ne illũ incitet ad id quod eius conſcientiæ repugnat. Deinde etſi fortè non ſit magnum peccatum, ſi leuis & perfunctoria ſit diſſuaſio; ſi tamen ſit vehemens & pertinax; excuſari non poteſt à graui culpa. Ratio eſt, quia debet alteri plena libertas relinqui, vt eligat quod ſalutì ſuæ magis conſonum duxerit. Vehemens autem & pertinax diſſuaſio libertatem valdè minuit, cùm affectum in contrarium impellat, & quodammodò ei vim inferat; adeò vt huic impulſui difficulter, & non ſine magno moleſtiæ ſenſu reſiſtatur. Vnde ſicut eſt quædam iniuria (vt DD. tradunt) cùm quis precum importunitate adigitur ad id quod aliàs omnino nollet, & recuſaret: ita in propoſito eſt quædam iniuria, cùm tali modo quis ab ingreſſu religionis impeditur: vnde à graui peccato id excuſari non poteſt.

Denique etiamſi non ſequi ſuam vocationem, eamque 95
deſerere, per ſe peccatum non ſit: tamen ſæpe eſt cauſa prauæ vitæ; & damnationis æternæ: & ob hanc potiſſimum rationem ſancti Patres adeò illud pondérant, & pernicioſum iudicant. Ratio eſt, quia is qui adeò ſingulare Dei beneficium, & ex tanto amore diuina manu oblatum repudiat, meretur vt in poſterum parciùs cum eo agatur, & minùs diuinæ gratiæ largitatem ſentiat. Si Princeps quiſpiam te ad ſuum obſequium in palatium, magnis honoribus propoſitis, vocaret; & tu commodi tui vel oblectamenti cauſa repudiares oblatam conditionem, putaſne res tuas in poſterum illi magnopere fore curæ, aut ipſum ſollicitum vt te promoueat? Minimè gentium; ſed curam ſuam tibi ſubtrahet, & relinquet te tuo conſilio & arbitrio, quod etiam paſſim vſurpatur inter homines: qui enim optima amici conſilia repudiat, dignus eſt qui ab amico deſeratur, & in poſterum ſuo iudicio finat viuere. Longè magis id locum habet in Deo, cuius maieſtati ſumma debetur reuerentia; cuius bonitati & ſapientiæ ſumma fides, ſummum obſequium. Itaque quo magis indignũ eſt, creaturam ſui creatoris & ſaluatoris vocationem negligere; eò iuſtior eſt cauſa, vt ipſæ gratiæ ſuę auxilia in poſterum ſaltem ex parte ſubtrahat, nec ea copia, qua aliquin ſtatuerat, conferat.

Conſiſtunt hæc auxilia potiſſimùm in tribus; in protectione, excitatione, directione. 96 *In quo conſiſtant illa auxilia.* *Protectio.* Protectio eſt illa cuſtodia, qua Deus diaboli vires comprimit; occaſiones tentationũ, quibus ſuccumberemus, auertit; ab innumeris animæ & corporis periculis eripit: denique omnes impugnationes ita moderatur, vt facilè poſſimus vincere: & ſi victi fuerimus, tuetur ne in illo ſtatu moriamur.

Excitatio fit per varias inſpirationes, quibus nos ad opera bona, & ad omnia ſalutaria excitat, & cor noſtrum ſanctis deſiderijs, & rerum cæleſtium oblectationibus replet; quibus item peccatores ad pœnitentiam vocat, & illis peccati fœditatem, & iuſtitiæ ſplendorem, & vtriuſque ſtipendia oſtendit. *Excitatio.*

Directio pertinet ad executionem, & continet ea auxilia 97
quæ opportuna ſunt, vt conſtanter bonum propoſitum ad finem perducatur. Hæc tria auxiliorum genera, etſi propter illam ingratitudinem non omnino ita ſubtrahantur, quin homo abſolutè eorum adminiculo poſſit in iuſtitia perſeuerare; & ſi lapſus fuerit, reſurgere: tamen valdè minuuntur & extenuantur: adeò vt plerumque reipſa cum tali auxiliorum menſura, homo non ſit perſeueraturus; vel *Menſura auxiliorũ multiplex.* à peccato, in quod poſtea labitur, ſurrectus. Eſt enim certa quædam auxiliorum menſura ſoli Deo cognita; quã ſi decurſu vitæ tuæ accipias, certiſſimè es peruenturus ad ſalutem; ſi minorem accipias, non peruenies, ſed data occaſione laberis, & quamuis reſurgas, rurſum tamen alia occaſione concides, & tandem poſt multas labendi & reſurgendi viciſſitudines damnaberis. Plerumque enim ſalus & exitium pendent à re modica, quam niſi diuina prouidentia procurauerit, vel auerterit, certiſſimè peribis. Adit quis conuiuium; audit ibi verbum minus ſibi honorificum; oritur rixa, occiditur. Alius exit veſperi ebrius vt domum redeat; incidit in aduerſarium, contrahitur pugna: confoditur. Alij iter facienti occurrit biuium: eligit viam quæ videtur commodior; incidit in latrones qui viatoribus ibidem inſidiabantur; ab his ſpoliatur & interficitur. Similia quotidie plurima eueniunt: ſicut ex minima ſcintilla ſæpè maximus accenditur ignis; ita ex modica occaſione ſæpiſſimè maxima pernicies. Poterant illæ occaſiones innumeris modis à Deo qui omnia præuidet, impediri, vel minima inſpiratione auerti; ſed quia homo ſe reddidit indignum, cùm magnum illud Dei conſilium in ſe contempſit, Deus illas permittit, & omittit eam inſpirationem adhibere, qua talis occaſio fuiſſet vitata. Hac ratione infiniti pereunt, quorum & exitium à minima occaſione originem traxit; & facillimo negotio impediri potuiſſet, niſi illi ſe indignos antea tali cura & fauore Dei præſtitiſſent. Simili modo quidam leuiſſima occaſione conuertuntur, & ſalutem conſequuntur, ſiue ipſi id antea bonis operibus quodammodò meruerint, ſiue aliorum preces pro illis fuĩ id impetrarint, ſiue Deus ex

ex sola sua benignitate ita eos dirigere statuerit.

98 Vnde patet, nihil adeo pertimescendum homini, atque ne Deus ita prouidentiæ suæ curam, & auxilia gratiæ imminuat, vt reipsa cum tali mensura non simus saluandi: neque quidquam adeo sollicitè ab eo petendum, quàm vt eam auxiliorum mensuram nobis conferat, cum qua nouit nos certissimè saluandos; hoc est, vt in omnibus ita nos protegat, excitet, dirigat, sicut nouit saluti nostræ expedire. Hoc debet esse perpetuum nostrum votum, & assidua deprecatio; cùm in eo salutis nostræ cardo versetur.

99 *Causa quadruplex imminutionis auxiliorum.* Porrò huius imminutionis auxiliorum gratiæ causa est quadruplex. Prima est peccatum mortiferum, quod non tolùm illa auxilia minuit, sed etiam animam occidit, & æternæ morti reddit obnoxiam. Et quamuis contingat vt ipsa per pœnitentiam reuiuiscat, non tamen idcirco priorem auxiliorum copiam recuperat, nisi sedulò orationi, & operibus pœnitentiæ aliisque pietatis officijs incumbat, vt iniuriam Deo irrogatam compenset. Sicut qui Principem suum capitaliter offendit, etsi benignitate Principis veniâ consequatur, tamen pristinum fauorem, & amicitiæ signa non recuperat, nisi præclaris obsequijs priorem illam labem obruat.

Secunda est peccatum veniale. Etsi enim multa peccata venialia per se vitam animæ non tollant, tamen valdè eam debilitant, minuendo diuinorum auxiliorum copiam: quo fit vt facilè homo in peccata mortifera labatur. Hac ratione docent Theologi peccata venialia minuere feruorem charitatis; quia minuunt auxilia diuina, quibus ad perfectiorem charitatis & alarum virtutum vsum dirigebamur. Omitto quòd difficultatem virtutum augeant, cùm ad contrarios actus, & consequenter ad peccata mortifera præparent ac disponant.

Tertia est tepor & incuria quædam profectus spiritualis: vt cùm quis omnia languidè agit, solum præcisè spectans ad quid sub peccato teneatur: nec est sollicitus vt affectus suos domet, vt gulam & linguam refrænet, vt in virtutibus proficiat, & perfectiùs se Deo per orationem & meditationem coniungat. Talis tepor etiamsi per se peccatum non videatur, tamen est causa imminutionis diuinorum auxiliorum. Vnde fit vt hominem plerumque ad grauia peccata: & in mortem æternam deducat. Quare hic tepor est admodum noxius & periculosus saluti, vt sancti Patres, & in primis S. Bernardus, maximus vitæ spiritalis magister, testantur.

100 *Imminutio secundum triplex genus auxilij.* Quarta causa est neglectus diuinæ vocationis, de qua iam diximus. Fit autem hæc imminutio iuxta triplex genus auxilij iam suprà explicati. Minuitur enim Protectio, dum diabolo laxantur à Deo vires, sic vt fortiùs nos impugnare possit, dum impendentes tentationum occasiones non impediuntur, dum pericula vitæ imminentia non auertuntur, dum res sinuntur suis agi motibus in salutis nostræ detrimentum. Excitatio minuitur, dum rariores vel languidiores inspirationes imittuntur, dum pericula salutis non ostenduntur, dum futura præmia non considerantur, dum sinit Deus mentem hominis cogitationibus & curis terrenarum penitus immergi. Directio minuitur, dum non offeruntur opportunitates bonum propositù exequendi, vel permittuntur oriri obstacula quibus pares non sumus, & cetera dum difficultatibus victi opus inchoatum & bonum propositum relinquimus. Ex quibus patet, quanta incommoda ex neglectu diuinæ vocationis (etiamsi per se peccatum non sit) plerumque sequantur: quæ sanè cuiuis aliquem salutis suæ sensum habenti, valdè sunt reformidanda. Nec minus hæc auxiliorum imminutio timenda ijs qui alios ab obsequio Dei auocare nituntur: sed eò magis, quò magis ille meretur auxilio gratiæ diuinæ destitui, qui in alijs spiritum gratiæ conatur extinguere.

101 *Vindicta diuina in reprobos.* His addo, Deo tantopere id displicere, vt etiam in hac vita non solum gratiæ subtractione, sed etiam alijs pœnis inflictis sæpè vindicet; cuius rei duo exempla adferam ex sanctis Patribus. Alterum ex S. Hieronymo epistol. 7. quæ est ad Lætam de institutione filiæ, quam Paula auia Christo destinarat: *Cane*, inquit, *ne aures eius perforet, ne cutissa aut fusior sfo conseruam Christo ora depingas, nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis moueat, ne capillum irrufet, & aliquid ei de gehenna ignibus assumpserit. Habeat alias margaritas, quibus postea venditis empturus est pretiosissimum margaritum.* Hæc Hieronymus de filia quæ nondum suo arbitrio religionem eligere poterat, sed solùm ab auia erat destinata. His præmissis ostendit quàm Deo illud displiceat: *Prætextata*, inquit, *nobilissima quondam femina, iubente vero Hymettio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum, terribili voce minitantem famas, & hæc verba frangentem: Tunc audaces viri imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris, & finito mense quinto ad inferna duceris? Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis & filijs.* Addit Hieronymus: *Omnia per ordinem expleta sunt, & seram misera pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vltrices Christi violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit.* Hæc ille. Ecce quam diuersa sunt Dei & mundi iudicia: quæ mundus censet æquissima, ille vindicat vt scelera: fiderantur manus, inferuntur cruciatus, mors quinto mense finito inexorabiliter irrogatur, & forte æterna damnatio (vt illud, *ad inferna duceris*, indicat:) adduntur minæ mortis in maritum & filios. Vnde patet tale factum interdum esse causam euersionis totius familiæ. Si illa matrona tantam pœnam meruit, quæ non ex se, sed iubente marito eius neptem habentem propositum virginitatis, vanè ornauit; quantam merebuntur quæ minis metu, asperitate & blanditijs, & omni machinarum genere virginis propositum extinguere contendunt?

102 Alterum ex S. Ambrosio lib. primo, de Virginibus in fine: *Memoria nostra puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cùm vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quò enim melius virgo recurreret, quàm vbi sacrarium virginitatis offertur? Ne is quidem finis audaciæ. Stabat ad aram Deipudoris hostia, victima castitatis, nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens: nunc iusta impatiens mora, ad summum altaris subiecta verticem: Num melius, inquit, quàm altare, quod sanctificat ipsa velamina, frontem velabit? Plus valis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur. Quid agitis vos propinqui? quid exquirendas ad hoc nuptijs sollicitatis animum? iamdudum promissas habeo. Sponsum offertis? meliorem reperi. Quamlibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potentiam prædicate: habeo cum cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo. Si talem habetis, non refuto optionem: si non reperitis, non prouidetis mihi, sed inuidetis. Hæc cùm illa magno feruore dixisset: silentibus ceteris, vnus abruptiùs; Quid si, inquit, pater tuus vineret, innuptam te manere pateretur? Dum illa maiori religione, moderatiore pietate: Et ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum posse afferre. Quod ille responsum de patre, de se oraculum, maturo sui probauit exitu. Ita ceteris eadem sibi metuentes: fauere cœperunt, quæ impedire quærebant: nec dispendium debitarum attulit virginitas facultatum, sed etiam emolumentum integritatis accepit. Haberis puella deuotionis præmium: parentes cautio offensionis exemplum.* Hæc Ambrosius. Multa hoc exemplo Ambrosius docet. Primò, qua constantia & quo feruore in hoc negotio vtendum. Illa enim tanquam hostes fugiens ad altaris asylum confugiebat, & sibi ipsa quantum poterat, velum professionis imponebat. Olim enim sumendo velum per manum sacerdotis ad altare, fiebât statim professæ absque prævio Nouitiatu. Secundò, quomodo propinquis impedire conantibus respondendum. Tertiò, interdum parentes præmatura morte tolli, ne sanctum liberorum propositum impediant. Quartò eos qui impedire conantur, interdum morte à Deo plecti. Quintò, parentibus meritò diuinam vltionem formidandam, nisi libertatem prolibus hac in re permiserint.

103 *Quæ parentum excusationes.* Duo solent hic adferri in excusationem à parentibus. Primò, durum esse filium aut filiam amittere, & in perpetuum à se abdicare: ac proinde non debere mirum videri si se opponant. Secundò, timere se ne non perseueret, sed cum dedecore egredi cogatur, eò quòd sit delicatæ & teneræ constitutionis.

Refutatio prioris. Verùm facilis est refutatio. Nam quod ad prius attinet, facilè ista imaginatio vincetur, si cogitent sequentia.

Primò,

Primò, Deus ipse omnium conditor ac Dominus dedit Filium suum vnigenitum in nostrum obsequium; vt nostra causa cùm dives esset, fieret pauper, subiret labores innumeros & dolores; crucem sustineret & mortem, vt nos ab æterna morte liberaret, & æternæ vitæ faceret participes: & magnum nobis vel durum videbitur, si gratitudinis causa, filium nostrum eius obsequio consecremus? Quæ enim cõparatio filij nostri ad filium Dei? Quid commodi Deo per hoc præstamus?

Secundò, Si Rex filium nostrum in suum palatium ad primariam aliquam dignitatem vocaret, vel filiam suo filio sponsam posceret; non obstiteremus, sed magnum duceremus beneficium, etiamsi numquam eos amplius essemus visuri. Cur non magis beneficij loco ponimus, quòd ab eo qui est Rex regum & Dominus dominantium, ad cælestes æternasque dignitates ac nuptias vocentur?

Tertiò, Cùm filium aut filiam Deo offerimus, nihil ei donamus, sed quod omni iure ipsius erat, ei reddimus. Nihil nostrum propriè est in illis præter peccatum. Ipse solus animam creauit & infudit, ipse mentem & sensum dedit: ipse solus redemit, solus peccatum deleuit, iustitiam & sanctitatem impertijt. Et quamuis opera nostra in formando corpore sit vsus, non tamen idcirco nobis aliquid arrogare debemus: quia hanc vim à nobis non habemus, sed ab illo accepimus, qui instituit hominis natiuitatem. Ipse principalis est auctor, nos dumtaxat instrumenta. Sicut ergo statua non est scalpelli, nec imago penicelli, sed artificis: ita noster filius non est noster, sed Dei, qui solus eius est opifex; & nostra opera tamquam penicillo est vsus. Intellexit hoc præclarè Machabæorum mater, dum se & filios vt fortiter mortem pro legibus patrijs subirent, sic animabat: *Non ego spiritum & animam donaui vobis; & vitam & singulorum membra non ego compegi: sed mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem.* 2. Mach. 3.

104 Quartò, Si filius meus morbo, vel gladio, vel alio casu mihi eriperetur, ferendum esset, nec possem aduersus Deũ (sine cuius prouidentia nec ilta fiunt) murmurare: quanto magis nunc æquo animo ferre debeo cùm non perit, sed saluus manet, vt viuat in domo Dei, in obsequio summi Principis?

Quintò, Cogitent nihil melius in hac vita posse filio obtingere, quàm si vestigijs Christi & Sanctorum insistat, & ex periculis iactationeque sæculi, in religionis portum se recipiat. Nullam meliorem hereditatem, nullos veriores thesauros eis à se posse relinqui, quàm si veræ pietatis studiosos efficiant, & ad sæculi contemptum, perfectionis amorem, Christique imitationem excitent. Has esse veras diuitias, vt quę non solùm in hac vita, sed etiam post mortem stabiles permaneant, & æternam beatitudinem suis possessoribus conferant. Se quoque, si id faciant, eorumdem præmiorum vnà cum liberis fore participes. Vide S. Chrysost. lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ sub finem: vbi fusè hunc locum prosequitur.

105 Sextò, Cogitent quanti res sit periculi, Deo repugnare, eius consilium euertere, spiritum quem ille huic animæ inspirauit, extinguere, & loco eius, mundi amorem in illa accendere: cogitent quàm grauiter Deus id sæpè vindicauerit: caueant ne iram Dei in caput suum prouocent, ne sibi & familiæ celerem perditionem accersant.

Septimò, Recolant exempla eorum qui liberos suos forti animo Deo obtulerunt. Abraham, iubente Deo, etiam suis manibus vnicum filium occidere, & Deo in sacrificiũ offerre voluit. Anna Samuelis mater sponte sua filium ab infantia ad obsequium templi Domino in perpetuum obtulit. Mater Machabæorum septem filios ad mortem pro lege patria fortiter tolerandam animauit. Idem in nouo Testamento fecit S. Felicitas, in eodem filiorum numero; quę, vt scribit S. Gregorius Homil. 3. in Euang. *ita timuit filios post se in carne relinquere, sicut carnales parentes metuere solent ne mortuos præmittant.*

Talis fuit nobilissima illa Paula, quæ & filiam Eustochium ad religionem adduxit, & Paulam neptem adhuc infantulam Deo addixit, & quotquot poterat è suis ad deserendum sæculum incitabat. De qua vide Hieronymum in eius epitaphio.

Talis etiam magna illa matrona Constantinopolitana, quæ filiam vnicum curauit institui à monacho sub habitu sæculari comparẽte. Refert pulcherrimum hoc exemplum prolixè S. Chrysostomus libro 3. contra vituperatores vitæ monasticæ, circa medium. Similes multi alij parentes extitere.

Denique perpendant hanc S. Basilij sententiam. Is enim præfatione in Ascetica, seu monasticas exercitationes, cùm explicuisset quanta religiosos maneant præmia, iubs finem ita parentes hortatur: *Cùm itaque tam eximia ijs posita sint præmia, qui Christi militiam fuerint secuti, agè libenti animo & patres filios suos, & matres suas filias ad eam venire patiamur, poslemque ipsi suum vtrò ad eam alacriter adducant. Lætos eos faciat æternorum spes bonorum, quorum vnà cum liberis suis futuri sunt participes: cùmque apud Deum patronos habere studeant, Caueamus, quæso, ne nimis angustum animum in hac importuna filiorum charitate pra nobis feramus: nève nos exterreant labores, ad quos videntur iturí: sed potiùs gaudeamus quòd adeò magnã gloriam sint inuenturi. Offeramus Deo quod ab ipso accepimus, vt sit laudis & gloriæ filiorum nostrorum societatem ipsi quoque veniamus, nos ipsos vnà cum ipsis offerẽdo, simulque exhibendo. Qui enim hanc animi alacritatem ostenderint, atque hoc modo fortiter perseuerauerint, ijs apte conueniet illud ex Psalmis: Benedicti vos à Domino qui fecit cælum & terram.* 106 *Exortatio S. Basilij ad parentes.* Psalm. 113.

Legant etiam librũ 3. S. Chrysostomi aduersus vituperatores vitæ monasticæ, qui totus in eo versatur, vt parentibus Christianis persuadeat, vt libenter filios suos religioni se addicere sinant, eosque ad hoc iuuent. Hæc ad priorem excusationem refutandam sufficiant.

Ad alteram respondeo, timorem illum vanum esse. Cur enim non perseueraret tot adminiculis adiutus, tot exemplis animatus, tot orationibus defensus, tanta gratię copia, quæ ibi solet à Deo effundi, roboratus? Cur ipse non possit, quod innumerabiles alij non minùs teneri & delicati alacriter præstiterunt, nulla ex parte spatio vitæ accisio, sed magis etiam protracto? Nulli enim magis longæui quàm religiosi; quia sobrietas, quæ apud eos regnat, mater est sanitatis & vitæ diuturnæ. 107 *Refutatio primæ excusationis.*

Nec refert quòd quidam subinde deficiant; quia longè plures sunt qui perseuerant. Itaque multa magis speranda perseuerantia, quàm defectio timeada. Imò post professionem paucissimi deficiũt. Stultum verò est, propter malum quod rarò accidit, auertere quempiam à tanto bono. Cur non magis verentur eum iungere matrimonio, cùm plurimis nuptiæ infelices obtingant, & plures mariti adulterijs se contaminent, quàm professi redeant ad sæculum? Idem dici potest de omnibus vitæ statibus & dignitatibus. Plurimi enim in quouis genere status, infelices exitus fortiuntur; non tamen idcirco parentes ad illos reformidant filios suos promouere. Quis enim filium suum non velit esse Canonicum, Decanum, Præpositum, Episcopum, Comitem, Ducem, Regem, omnibus diuitijs & honoribus circumfluentem? Et tamen quo quis altiore est loco, tanto grauior ei impendet ruina. Vide plura hac de re apud Chrysost. lib. 3. contra vitup. vitæ monast. sub finem. *Non refert quod aliqui non perseuerent.*

Petes: Vtrùm illi qui auertunt aliquẽ à religione, teneantur ad aliquam restitutionem. 108

Non desunt DD. qui doceant tales teneri alium inducere, qui loco eius quem à Dei obsequio obduxerunt, Deo seruiat; vel certè seipsos religioni debere tradere. Et sanè æquitati satis est consentaneum, vt hoc damnum sarcire conentur, eumdem vel alium inducendo vt religioni se mancipet. Non tamen ad hoc tenentur lege iustitiæ. Qui tamen vi vel fraude aliquem auertit, tenetur ex iustitia vim tollere, fraudem aperire, & illum suæ libertati relinquere, vt liberè possit intrare. Quod si res non sit amplius integra, tenetur, quatenus per illam iniuriam causa damni temporalis monasterio extitit. Qua de re vide librum 2. de iustitia capit. 8. dub. 3.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

Vtrùm sit expediens, vt is qui propositum Religionis habet voto, se astringat ad ingrediendum?

109 SVppono ex doctrina S. Thomæ ab omnibus Theologis receptâ, perfectius esse Deoque gratius, si opus bonum fiat ex voto, quàm ex mera arbitrij libertate. Ratio est, quia quando opus alias per se bonum fit ex voto, duplicem habet laudem: tum quia per se & secundum suam speciem bonum est; vt dare eleemosynam, castigare corpus, &c. tum quia fit ex affectu religionis in Deum, seu ex fide quam Deo debemus. Deinde qui vouet & votum soluit, non solùm offert Deo bonum opus, sed etiam boni operis facultatem: nam priuat se facultate illius omittendi. Vnde similis est ei qui donat amico non solùm fructus arboris, sed etiam ipsam arborem, vt ait S. Anselmus libro de similitudinibus cap. 84. Qui autem solum opus præstat absque voto, non dat Deo illius operis facultatem. Denique qui facit ex voto, operatur ex proposito firmiore, magisque immutabili: hoc autem est melius magisque perfectæ virtutis; sicut è contrario in malis obstinatio mentis aggrauat peccatum.

2.2.qu.88. art.6.& qu. vlt.ar.2. Perfectis est bonum opus ex voto.

110 His positis, dico Primò: ☒ res per se spectetur, valdè est expediens, vt quis cognita sua vocatione, voto simplici se obstringat ad eam executioni mandandam. Ratio est, quia id est maioris meriti apud Deum: vt ostensum est. Deinde est valdè vtile ad vincendas tentationes contra vocationem occurrentes. Minùs enim homo mutat, & fortiùs resistit ijs qui ipsum reuocare conantur, dum videt se Deo obstrictum per votum, cuius vinculum nulla auctoritate solui possit. Vnde cùm quis metuit, ne amicorum importunitate vacillare incipiat, prudenter fecerit, si hac anchora se in Deo fixerit. Similiter si aliunde tentationes à carne, mundo, vel diabolo ingruant. Ita enim multi Sanctorum fecere. Ita nobilis illa virgo Mediolanensis, de qua S. Ambrosius libro 1. de Virginibus sub finem. Ita S. Rictrudis & aliæ plurimæ, quæ ad excutiendas solicitantium molestias, subitò sibi velum imposuere: quod erat deferendi sæculi professio. Simili modo in sexu virili ob eamdem causam plurimi statim se obstringebant, habitum professorum sumendo, quo post triduum erant professi: vel aliquod professorum munus in eo habitu obeundo; & ita statim in professorum ordinem transibant, nec opus erat triduum expectare. Itaque consilium illud, innumeris exemplis omnibus sæculis est confirmatum.

111 Dico secundò: Licitum etiam est & laudabile, si res per se spectetur, inducere talem ad votum simplex religionis ingrediendæ; tum vt plus apud Deum mereatur; tum vt se contra omnes oppugnationes magis firmet. Docet hoc S. Thomas suprà locis citatis. Ratio est manifesta quia laudabile est hortari ad id quod est melius, & Deo gratius: atqui tale est votum ingrediendæ religionis: ergo laudabile est ad illud hortari. Confirmatur, quia ipsa Sacra Scriptura ad hoc inuitat his verbis: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*: vt inquit S. Thomas qu. vlt. art. 1. §. Sed contra. Ergo & nos possumus imitari.

Sed obijciet aliquis: *Nemo debet alteri præbere occasionem ruinæ. Vnde Exodi* 21. *dicitur: Si quis aperuerit cisternam, ecciderintque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddat pretium iumentorum. Sed ex hoc quòd aliqui obligantur ad religionem per votum, frequenter aliqui ruunt in desperationem, & in diuersa peccata: ergo videtur quòd non sint aliqui ad religionis ingressum voto obligandi.* Hoc argumentum totidem verbis proponitur à S. Thoma artic. 2. quæst. vlt. Ad quod ita respondet: *Votum religionis ingressum, est quædam confirmatio voluntatis ad meliora: & ideo quantum est de se, non dat homini occasionem ruinæ, sed magis illam subtrahit. Sed si aliquis voti transgressor grauiùs ruat; hoc non derogat bonitati voti: sicut non derogat bonitati Baptismi, quòd aliqui post Baptismum grauiùs peccent.* Hæc ille. Addo paucissimos esse qui idcircò ruant in peius.

Dico Tertiò: Consideraris tamen varijs circumstantijs & incommodis, quæ ex tali inductione possent prouenire; iudice plerumque abstinendum, & eos dirigendos, vt per se consilium à Domino capient, ne postea quærantur consilio humano se hoc vinculum incautè sibi iniecisse. Vnde huius rei magna in nostra Societate est cautio, ne quis confessarius pœnitentem ad huiusmodi, vel alia vota emittenda inducat. Longè latiùs & solidius est, si in huiusmodi rebus consilia humana cessent, & ipse Creator cum sua creatura, quod ipsi placuerit, agere sinatur.

QVÆSTIO X.

Quam vim tale Votum habeat?

DE hac re multa diximus l. 2. de Iustitia c. 41. dub. 5. Nùc breuiter respondeo, & dico Primò, Hoc votum adeo esse firmum, vt eius vinculum non possit laxari aut commutari, nisi auctoritate Summi Pontificis. Est enim vnum ex quinque Sedi Apostolicæ reseruatis. 113

Dico Secundò: Votum religionis ingrediendæ obligat sub peccato mortifero ad experiendum illius Religionis tyrocinium, atque adeò ad profitendum, si bona fide iudicet sibi eam religionem fore salutarem & tolerabilem. Ratio est, quia hæc censetur esse mens vouentis; & vt talis sit, ipsa ratio postulat. Vnde non sufficit subire Nouitiatum: sed oportet vt perseueres, & professionis vinculo te obstringas: nisi per experientiam deprehendas, religionem illa tibi non conuenire.

Dico Tertiò: Si quis tale votum habens non se benè gerat, nec religiosæ disciplinæ, vt par est, se accommodet, eo fine vt hoc modo extorqueat dimissionem, & liberetur à voto suo: talis non est tutus in cõscientia, nec est in bono statu. Ratio est, quia hoc ipso quo quis vouet Deo, etiam obligat se ad non præstandum sponte sua aliquod impedimentum executioni voti. Alioquin votum esset illusorium, & Deus per tale votum videretur irrideri potiùs quàm honorari. Qui enim alteri aliquid promittit, & simul retinet libertatem ponendi impedimentum executioni, non censetur ex animo promittere, sed irridere. Vnde sequitur talem peccare mortiferè: quia facit contra suum votum, non directè quidem, sed indirectè, quatenus impedit eius executionem, suis malis moribus efficiendo vt dimittatur, ac proinde vt non perseueret: ad quod tamen ex vi voti tenebatur. 114

Secundò sequitur, illum teneri se emendare, & tollere illud impedimentum perseuerantiæ, quod sponte posuit, vt votum suum implere possit. Nec obstat, quòd illa in quibus delinquit, per se non sint peccata: quia satis est, quòd in religione præbeant sufficientem causam dimittendi: nimirum quia sunt contra religionis disciplinam, & laudabilem vsum.

Tertiò sequitur, eum qui ob huiusmodi causam voluntariè & de industria datam ad extorquendam dimissionem, iam dimissus est, non videri securum in conscientia, nisi promissa emendatione paratus sit iterum recipi, si Superior velit illum admittere. quia, quantum in ipso est, tenetur sublatis impedimentis adhibere operam, vt votum suum impleat. Nec refert quòd sit dimissus: quia cùm ipse sponte ad hoc causam dederit, tenetur causam tollere, & rem in integrum restituere. Confirmat. quia votum ipsius habuit hanc tacitam conditionem, *Si Superior me retinere voluerit*: atqui superior cupiebat illum retinere; sed ille sua improbitate illum coegit: ac proinde dimissio non fuit omnino libera, neque talis qualis in ipso voto tacitè intelligebatur. Si tamen putet se non recipiendum, sufficit ei pœnitentiæ remedium apud Deum. Plura quæ hac de re dici possent, vide lib. 2. de Iustitia cap. 40. dubitat. 20. & cap. 41. dub. 5. 115

QVÆSTIO XI.

Vtrùm filij & filiæ quæ religionem ingrediuntur, possint exheredari, & priuari portione legitima.

MVlti absque scrupulo id faciunt, existimantes perire in solidum, quidquid liberis religionem intrantibus datur. Verùm dicendum est, id illicitum esse & iniquum, siue Iura spectemus, siue doctrinam Patrum, siue momenta rationum. 116

Ac

Ac primùm est contra Ius ciuile, quo accuratè id prohibetur, & iubetur semper relinqui legitima ijs qui religionem elegerint. Nouella enim 123. capit 38. ita statuit Iustinianus: *Si qua mulier aut vir monasticam elegerit vitam, & introierit monasterium, filijs non extantibus, monasterio quod ingreditur, res eius competere iubemus.* Deinde de ijs qui liberos habent præcipit, vt parens religionem ingressurus relinquat liberis in sæculo manentibus portiones suas, & reliquum in monasterium conferat, nulloque casu vult monasterium priuari portione legitima, perinde ac si ipsum censeatur in numero filiorum. Eadem habentur Authent. Si qua mulier. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs. Rursus capit. 41. eiusdem Nouellæ ita statuitur: *Nullam damus licentiam aut parentibus filios, aut filijs parentes sæcularem vitam relinquentes, velut ingratos à sua excludere hereditate ob causam quæ religiosam vitam antecesserit. Interdicimus autem parentibus, ne filios suos monasticam vitam eligentes ex sacris monasterijs abstrahant.* Vbi aduerte, eam causam quæ sufficiens erat ad exheredandum filium ante ingressum in religionem, per ingressum extingui; ita vt ob illam non possit amplius sua legitima priuari. Si tantus est fauor ingressus, vt eum qui per crimen iam exciderat; in integrum restituat, & ingratitudinis notam deleat; cuius animi erit, filium nihil commeritum ob ipsum ingressum excludere? Idem Iustinianus eadem Nouella, capitul 37. statuit in fauorem religionis, *vt si fuit alicui relicta hereditas, vel legatum sub conditione nuptiarum, vel liberorum, vel dotis causa, vel antenuptialis donationis, eum onere substitutionis & restitutionis, & talis religionem ingrediatur, tales conditiones esse inualidas, & pro non scriptis habendas.* Eadem constit. habetur Authent. Nisi rogati. Cod. ad S. C. Trebell.

Idem communiter docent Doctores: Siluester verbo hereditas 4. quæst. vltim. & alij, qui Summas scripserunt; Felinus in caput In præsentia. num. 37. de probationibus, vbi plurimos citat. Voluerunt enim Iura, omnia submouere quæ à religione possent retrahere. Sicut olim apud Romanos, conditio, *Si non nupserit*, legato vel institutioni heredis adiecta, habebatur pro non adiecta, eò quòd retraheret à nuptijs, quibus tunc magis fauebatur quam castitati: vt patet L. Titiæ, ff. de conditionibus & demonstrationibus. At modò in media luce Euangelica, quando pretium castitatis & religionis innotuit, Imperatores fauere cœperunt religioni, & submouere omnia, quæ ab capessenda possent retrahere. Plura hac de re diximus lib. 2. de Iustitia
117 cap. 18. dubit. 15.

Secundò, Est etiam contra Ius Canonicum vt patet 19. quæst. 3. cap. Si qua mulier. & cap. Non liceat. Quibus locis habetur eadem constitutio in Ius Canonicum relata. Vnde Sanctus Gregorius libr. 7. epistol. 7 *Quia ingredientibus monasterium conuertendi gratia, vlteriùs nulla sit redeundi licentia, sed res eorum eiusdem monasterij iuris fiant, aperta legis definitione decretum est.* &c. Vbi manifestè indicat, illã constitutionem ab Ecclesia receptam, eamque in iudicijs seruandã.

Verùm, omissis ceteris, sufficere nobis poteris vnus Salnianus Episcopus Massilienfis, sanctitate & doctrina clarissimus, qui hanc rem ex professo tractat. Hic vixit temporibus Sancti Augustini, & scripsit libros octo de Prouidentia, & quatuor alios contra Auaritiam Christianorum ad Ecclesiam Catholicam: vtroque opere persequitur & deplorat vitia Christianorum, & ostendit propter eorum multitudinem & enormitatem inundasse flagella per orbem Romanum Barbaris omnia inuadentibus & occupantibus. Hic libr. 111. contra auaritiam, cùm docuisset, in testamentis condendis etiam pietatis habendam rationem, ita subdit: *At verò nunc diuersissimè & impiissimè. Nullis à suis minus relinquitur, quàm quibus ob Dei reuerentiam plus deberur: nullos pietas minùs respicit, quàm quos præcipuè religio commendat. Denique si qui à parentibus filij offerantur Deo, omnibus ceteris postponuntur oblati: indigni iudicantur hereditate, qui digni fuerant consecratione: hac per hoc vna tantum re vobis parentibus sunt, quia coperint Deo esse pretiosi. Ex quo intelligi potest quòd nullus pœnè apud homines vilior est quàm Deus: cuius vtique sit despectione, vt eos præcipuè filios spernant parentes, qui ad Deum cœperint pertinere.* Quibus verbis ostendit, id esse impium, & in Dei iniuriam redundare.

Vilescunt filij causa religionis.

118 Deinde producit rationem parentum, eamque lucu-

Cur filijs suus portio tribuenda.

lenter refellit. *Dicitis: quid opus sit religiosis aquam accipere cum fratribus portionem? Respondeo. Vt rei gestis fungantur officio; vt Religiosorum rebus religio detectur; vt doceant & languantur; vt illis habentibus cunctis habeant non habentes; imò (si tanta est eorum fides & perfectio) vt habeant citò non habituri; beatius vtique, postquam habuerint, non habentes. Cur eis quæso, ò inhumanissimi parentes, necessitatem indignissima paupertatis imponitis? Permittite hoc religioni ipsi cui filios tradidistis: rectius pauperes à se fiunt. Si tantùm eos inopes esse cupitis, concedite id eorum deuotioni: licuit eis (quæso) vt velint pauperes fieri. Eligere inopiam debent, non sustinere. Postremò, etiamsi sustineant, deuotione eam tolerent, non damnatione patiantur. Cur eos velut à natura expellitis, & quasi è iure sanguinis abdicatis? Et ego eos pauperes esse volo, sed vt habeant tamen præmium suum ipsa paupertas: & præclara de mutatione eligant inopiam, ex copia, vt ex inopia electione copiam consequantur.*

Insinuat hic tres causas cur istis filijs debeat sua dari portio. Primò, vt ipsi sustententur, nec oneri sint religioni. Iniquum enim est, si tua diuitibus relinquas, & ipse pauperibus sis oneri. Secundò, vt monasterium locupletetur ad alendos plures Dei ministros, ad augendum cultum diuinum, ad maiores erogandas eleemosynas. Tertiò, Vt filius plus mereatur, sponte diuitijs se exuens, & paupertatem amplectens. Quartam causam postea subdit, ne in Deum sis ingratus, eum exheredem faciens, à quo omnia accepisti.

Adfert deinde aliam rationem qua sæculares mouen- 119
tur, vt filios religionem intrantes priuent: nimirum ne bona veniant ad extraneos (vt ipsi loquuntur) hoc est ad seruos Dei; ac proinde ne veniant ad ipsum Deum, cui in seruis suis datur, vel adimitur; qui in suis ministris heres instituitur & exheredatur. *Quamquam*, inquit, *quid ego vos per ipsum sanctissima rationis officium trahere ad humanitatem pietatemque contendo, cùm id maximè obsistat, & hæc vos parentes impios faciat, quæ magis pios facere deberet? Nam cùm vos ideò plus relinquere ex patrimonio vestro filijs religiosis deberetis, vt aliquid ad Deum ex facultatibus vestris saltem per filios perueniret; ideò filijs non relinquitis ne illi habeant Deo quod relinquant, magnificam repensantes beneficijs sacris vicissitudinem, dum ad studiosissimè procuratis, ne vel per vestros aliquid honoris Deus habere possit, cùm vos omnia per Dei munus habeatis. Cur, rogo, tam infideliter, cur tam impiè? Non exigimus vt vestra Domino largiamini; aliquid Deo de suo reddite. Cum tam auarè, tam impiè agitis? Non est vestrum quod denegatis. Iniquum ergo arbitramini vt sæcularibus filijs religiosos filios substantia pares esse faciatis? Id ergo agitis vt pœnitentiæ eos cœpta religionis, quos religio apud vos fecit viles. Quid enim est aliud, quàm religionem interdicere, ob religionem despectui habere?* *Quod maximè debebat pios facere, facit impios.*

Post hæc agit contra illos qui putant satis esse si vsum- 120
fructum portionis legitimæ illis relinquant. *Sed*, inquit, *inuenit iniquissima infidelitas parentum quomodo à patrimonio suo penitus Deum excludas, proprietatem rerum religiosis filijs auferendo. Vsum enim his dedit, vt esset quo ipsi vtuerent: proprietatem his tulit, vt quod Deo relinquerent, non haberent. O nouum irreligiosæ mentis ingenium! inuenit quo videretur filijs suis maiore erga Deum sua impietate consulere.* &c. Et infrà: *Quid agis miserrima infidelitas, & paganica (vt ita dixerim) irreligiositatis error? Itane tantum odisti Deum, vt possis etiam filios tuos, ob hoc tantùm quòd ad Deum pertinent, non amare? Meliori enim conditione quidam relinquunt libertos suos, quàm tu relinquis filios tuos. In vsu siquidem quotidiano est, vt serui (etsi non optimi, certè non improbi seruitutis) Romana à dominis libertate donentur; in qua scilicet & paupertatem peculij capiunt, & ius testamentarium consequuntur; ita vt & viuentes, cui volunt, res suas tradant, & morientes donatione transferant.* &c. *Quantò, ò quisquis es infidelissime pater, quantò domini illi cum libertis melius agunt, quàm tu tuis liberis? Illi quæ donant, perpetuò iure donant; tu temporario: illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis; tu tollis liberis: illi postremò seruos suos dant libertati; tu quasi addictis filijs seruituti.* Et infrà: *Quid tantum, quæso, sceleris in titulo esse religionis putas, vt ideò eos qui Religiosi sunt filios tuos esse non credas, quia filij Dei esse cœperunt? In quo tibi, hoc tam bonæ voluntatis quasi præculo, res facti sunt, vt idcirco eos putes habendos peiores, quia optimi esse meruerunt?* *Non est satis vsumfructū relinquere.*

Pergit

Pergit Salvianus: *Sed dicitis, non ea à vobis animo hæc agi. Quod idem est, ac si quisquam dicat; malas res bono animo à se fieri, & impiatas facinus pia mente committi. Quid prodest (ò inhumanissimi parentes) quòd filios religiosos bono à vobis animo deheredari asseratis? Res ipsa hoc respuit, res refellit. Parum est quod nudis assertionibus dicitis; ipsi actibus vestris contra vos testes estis. Indignum ergo arbitramini, ut sancta & placita Deo pignora, filij, mundo feruentibus comparemini? &c.*

Deinde adfert excusationem sæcularium, qui dicunt nõ
221 oportere filijs religionem intrantibus concedere proprietatem, eò quòd ipsi non sint habituri liberos, quibus eam relinquant; eamq; ipse fusè refutat. habent enim pauperes Dei, qui sint illis filiorum loco: habent suos fratres spirituales, quibuscum viuunt, quos etiam post se relinquent: habent Christum, quem in membris suis faciant heredem: habent animam suam, cui hoc beneficium impendant. Stultissimum esse, si cogites vt sæculares filij opibus & diuitijs ad breue tempus circumfluant, & non sis solicitus vt animæ tuæ in æternitatem consulas quam amentiam, quia plurimorum animos occupauit, fusè insectatur.

Contra eos qui sunt soliciti, vt hæredes suos ditent, & salutem animæ suæ negligunt.

Est, inquit, quod pro hominum insipientia lugeamus, vllum omnino inueniri, aut esse posse, qui deserto infelicis vitæ istius breui spatio, in ipsa extremitate iam pendens, iturus illico ad tribunal Dei, quidquam aliud cogitet præter finem suum; quidquam aliud præter exitum suum; quidquam aliud præter periculum suum: & neglecta spe sua atque anima (cui opitulari aliquatenus vel in vltimis suis omne nisu, omni re ac substantia sua debeat) hoc solùm cogitet, & animo volutet, quàm lautè hæres sunt res suas comedat. Miserrimè omnium, quid solicitus es? quid affinas? quid auctorem te ipse rerum perturbarum facis? An times fortè ne defint qui te mortuo, quod reliqueris, vorent? Noli metuere, noli verearis. Vtinam tam facilè salvus esses, quàm tua omnia desiderant. O infidelitas! ò persuasitas! Et tam vulgò dictum est, omnes sibi malùs velle quàm alteri. Nouum hoc monstri genus est, cuilibet quemquam velle consulere, tantùm non sibi. Ecce iturus es infelicissime omnium, ad examen sacrum, ad tremendum illud intolleranda; iudicium, vbi peregrinanti animæ atque anxiæ nullum potest omnino esse solatium, nisi sola tantummodò bona conscientia: nisi sola tantùm innocens vita, aut quod proximum est bona vita, misericordia: vbi vero homini nullum est adiutorium, nisi manus larga, nisi pœnitentia fructuosa, & eleemosyna copiosa: vbi denique pro diuersitate meritorum, aut summum bonum inuenies, aut summum malum; aut immortale præmium, aut sine fine tormentum. Et tu de locupletandis heredibus tuis cogitas, de opibus agnatorum tuorum, cognatorumque suspiras; quem potissimùm alienorum patrimonio tuo facias; cui supellectilibus varia ornamenta transcribas; cuius apotheeas copijs tuis repleas. Infelicissime omnium, cogitas quàm benè alij post te vacent, non cogitas quàm malè ipse morieris. Dic mihi quæso, ò miser, ò infidelis, cùm multis patrimonium tuum diuidas, cùm multos facultatibus tuis ditet, numquid de solo te es tam malè meritus, vt tibi nec inter extraneos locum facias heredis? Ecce expectat te egressurum de vita ista officium tribunalis sacri, expectant tortores angeli, & immortalium tormentorum terribiles ministri: & tu futuras post te heredum mundialium voluptates animo volutas? tu delitias alienorum mente pertractas? quàm benè felicem post te heres tuus de tuo prandeat, quibus copijs ventrem expleat, quomodo vsque ad nauseam reuidentem viscera exonerata distendat. Infelicissime omnium, quid tibi cum his deliramentis? quid cum stultitia huius erroris? quid cum perditione istius vanitatis? Numquid succurrere hoc tibi inter supplicia summa poterit, si is qui res tuas prodigè comedit, lautus & prænsus benè cruciaris? &c.

Tarentius.

Officium tribunalis sacri.

222 Idem pulcherrimè prosequitur infrà: *Amate vos absque dubio, amate filios vestros, sed tamen secundo à vobis gradu: ita illos diligite, ne vos ipsos odisse videamini. Inconsultus namque & stultus amor, alterius memor, & sui immemor: vnusquisque proprium onus portabit. Relicta filijs diuitia parentes non liberant de mendicitate; imo relicta immoderatè filijs faciunt, parentum est sempiterna mendicitas: ac per hoc nulli parentibus magis nocij, quàm filij minus amati. Dum enim illi patris bona assumunt, parentes in sempiternitate cruciantur. Flamma infelicium mortuorum, diuitijs non refrigeratur heredum.* Deinde hoc ostendit exemplo diuitis epulonis, qui etsi heredes suos ditarat, hoc tamen nihil illi proderat. *Illi, inquit, erant in abundantia, sed ipse in egestate; illis in gratulatione, ipse in dolore; illi in diuitijs, ille in tormentis, illi fortasse iugiter in luxuria, ille semper in flamma. O infelix & miseranda conditio! bona sua alijs præparant beatitudinem, sibi afflictionem; alijs gaudia, sibi lacrymas; alijs voluptatem breuem, sibi ignem perennem. Hæc diuites cogitent, qui redimere facultatibus suis nolunt ne illa patiantur. Diuites illi sunt, de quo nunc loquimur; diuites sunt & isti, ad quos nunc loquimur. Vnius sunt nomatis: caueant ne sint etiam conditionis vnius. Si durum est ab aliquo filijs ac propinquis parum relinqui; multò est durius, in æternitate torqueri. Opinor enim diuitem illum cùm torqueretur, non tantùm delectabant opes heredis sui, quantum angebant tormenta corporis sui,* &c. Quæ ille copiosè & vtilissimè.

Animæ præ filijs amandæ.

Posteà ostendit, hoc totum proficisci ex quadam infi- 223
delitate, quòd futura præmia & supplicia ex animo non credant. *Nemo, inquit, inter homines, qui cùm beatus esse valeat, miser esse malit: nemo est, qui cùm possit habere delicias summi boni, pati velit supplicium summi mali. Quod si ita est, quid ergo causæ est, vt non vel morientes, & in vltimis positi, id solum supremæ oblationis officio, & omni rerum tuarum ambitu agas, vt si mereri à Deo potes, locuples & beatus sis? Sin autem id non potes, certè vel hoc promereris, vt miser non sis, vt non ureris, vt non torqueris, vt tenebris exterioribus non injiciaris, & ardentibus sine fine flammis non decoquaris. Quæ cùm ita sint, quid ergo, vt dixi, causa est, vt non omnibus modis vel mala fugias, vel bona assequi velis? Quid causæ est, quòd hoc non agis? quid causæ est vt bona æterna non ames? quid causæ est, vt mala æterna non timeas? quid vtique, nisi illud quod prælocutus sum; quòd aut indiscendum à Deo te esse non putas, aut resurrecturum omnino non credis. Si enim crederes, quomodo non futuri iudicij inæstimabile malum fugeres, & immortalia suppliciorum tormenta vitares? Sed non credis, vtique non credis. Sermo enim tuus & professio tua inficiatur fidem; sed vita atque obitus publicatur infidelitatem. Aliquin vince me: vinci vola. non quæro vt mihi credulitatem tuam. superioris vitæ actibus probes, vno sum contentus testimonio supremorum tuorum. Ecce iam morieris egressurus de domo corporis tui, nescions quò iturus, quò abducendus, ad quam tartara, ad quam terra rapiendus: cui vnum tantummodò superest inter suprema perfugium, vna effugiendæ æternæ ignis datur * specula, vt pro te offeras saltem quod in substantia habes; quia aliud quod possis Deo offerre, tam non habes. Et tu immemor tui, oblitus salutis tuæ, de locupletandis tuis cogitas, de locupletando hærede suspiras. Et hæc facientes, credere te iudicium Dei dicis, qui tibi cùm iudicandus iam sis, vel inter suprema non consulis? Et cogitare te aliquid de salute animæ tuæ ais, cui nullus est anima tua vilior? apud quem propè non interest cui prosis, modò tibi noceas? Et credere te futurum iudicium dicis, apud quem nullus est minor aut deffectior quàm ipse Iudex? Clamat tibi ecce morienti ipse qui te iudicaturus est Iudex tuus, ne vllum omnino hominem in erogandis rebus tuis plusquam te ames; ne vlli de substantia tua moriens magis quam tibi consulas: nullum tibi anima tua propinquiorem, nullum iudices charioremm. Quid enim proderit homini, inquit Salvator, si lucretur mundum totum, & detrimentum faciat animæ suæ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? hoc est dicere, Quid tibi, infelicissime homo, proderit, si totum mundum aut ipse habeas, aut tuis posteris relinquas; & ipse salutis atque animæ detrimentum patiaris? damna enim animæ totum penitus secum auferunt: nec quidquam omnino habere poterit, qui seipsum damno animæ perennis amittit. Non respicias pecuniam, non possessionem; nec dubites, saltem moriens, pro anima tua quantum potes, rei tuæ ac facultatis offerre. Quidquid enim dederis pro te, vile est; quidquid pro te obtuleris, parui pretij est: quia anima tua in omnium rerum est comparatione pretiosior. Et ideò non dubites pro te dare: quia si te amiseris, omnia in te perdis. Si autem te lucrifeceris, secum & in te omnia possidebis. Fili, inquit Scriptura Sancta, si habes, benefac tecum, & Deo bonas oblationes offer. Et alibi: Miserere, inquit, animæ tuæ. Videpietatem erga te Domini nostri; videquàm misericors sit Dominus Deus noster, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat: miserere, inquit, animæ tuæ, &c. Cur, ò miserrime, tam Deus sic tecum agat, non acquieseris? Rogat se vt tui misereris, & non vis: causam tuam apud te agit, & non admittitur: dignatur te pro te rogare, &*

Causam esse infidelitatem, seu fidei defectum.

** Pauliq; spes.*

Matth. 16.

Eccl. 14. Eccl. 30.

non potest impetrare. &c. Hæc omnia satis clare ostendunt tales homines futura præmia & supplicia, tribunal illud terribile, & examen strictissimum nō credere: vel si aliquo modo credant (obscure nimirum & languide, vt solent semipoti de rebus iudicare) tanto animi stupore teneri, vt ea non considerent, nec apprehendat animo periculum in quo versantur, aut immensum lucrum, quod facilè tunc possunt consequi. Hęc amentia & *μαιδνοια* est pœna auaritiæ & amoris terrenorum.

114 Postremò agit contra inordinatum affectum, quo plerique tenētur erga propinquos, qui causa est cur Dei monita non audiant, & animæ suæ non consulant.

Sed videlicet causa grandis est, qua Deum audire non possis. Circumstant enim te agrotantem cognati & egnati miserè circumstant lachrymosæ matres familias, circumstant nobiles viri, obsidet lectum tuum firmitatis tuæ fortes atque amatis vestibus circumfusa numerositas. O quantus fructus æternitatis est talibus bonis propria erogare mendicis! Digna videlicet causa & satis iusta, vt animæ tuæ miseras quod egenis talibus derelinquis. Sed nimirum misericordia frangeris & lamentantium propinquorum pietate superaris. Vides quippe opulentissimi & splendidissimi cultus homines tibi accessos, tibi flentes, tristi vultu & fœdato habitu compositos ac mœstitudinem facies tibi effingentes, per imaginariam sollicitationem suam emendes hereditatem tuam. quem non moueat tam sapiens stoquium non moueat talis dolor? Aut quo modo cum hæc talia videris, an obliuiscaris tui? Vides enim extortas lachrymas, sinistra suspiria, fictam anxietatem non perpendis et consulis, sed expectantem quando morianris. Vultus defixos in te & circumstantium obitus cupiditatem, omnium vultus. O infelicem te ac miserrimum, cuius super omnem exitum tantus desiderat & precatur numerus propinquorum: & propter hos animam tuam deseris? Et infrà:

Non formides vultus eorum, neque frangaris ambitu eorum. Despice contemptissimos hereditatem tuam, & diuidentes eam inter se sibilantium tuam: qui non te, sed patrimonium tuum diligunt: imo qui cupiditate rerum tuarum te execrantur. Nam dum tua impatienter sitiunt, te edunt; præsentemque tuam quasi amicam sibi & aduersariam iudicantes, obicem putant cupiditatis suæ esse quod viuis. Despice ergo hos tales & nihili facito: non te moueant blandimenta eorum, venena tibi sunt: non respicias adulationes eorum; gladij sunt iugulatores tui, & quidem ferreis ac hostilibus gladijs terribiles, &c. fuge ergo hoc malum tale; fuge assentationes insidiantes tibi, fuge ob sequelas noxias tibi, fuge ambitus deceptores tuos. Ista sunt officia quæ te iugulant: ista sunt quæ in mortem trahunt, &c.

Inimia.

Simulatio mœstitiæ.

Hæc & alia multò plura doctissimus ille Episcopus zelo Dei plenus, ad Ecclesiam Catholicam, pro reformatione disciplinæ, & salute filiorum eius, quatuor libris prosequitur.

115 *Ratione probatur.* Denique multis rationibus eadem inhumanitas improbari potest. Primo, Quia filij non possunt tua legitima priuari, aut exhæredes fieri, nisi ob crimen aliquod graue commissum in parentem: vt habetur Nouella 115. cap. 3. vbi illa crimina numero 14. recensentur. Vt si filius in patrem manus iniecerit, si grauem ei contumeliam irrogarit, si patrem criminaliter accusauit extra casum boni publici, &c. Si verletur cum maleficis, si maleficus efficiatur, si hæreticus, &c. Atqui intrare religionem nullum est crimen, nulla est iniuria in parentem, sed res laudabilis & familiæ honorifica. Ergo non potest ob & eam causam priuari.

Secundò, Filia non potest sua dote, aut legitima portione destitui propter nuptias inuito patre initas: tum quia nemini per hoc fit iniuriam, cùm iuris permissu sic cōtraxerit: tum quia impediretur libertas matrimonij (quam Ius naturæ & Ecclesia concedit) si posset ob talem causam priuari. Ita communiter tradunt DD. cette Panormit. in cap. 1. de desponsatione impuberum, & Couarru. in 4. Decretalium p. 2. §. 8. num. 5. Ergo multò minùs filius vel filia potest priuari propter ingressum religionis: quia eam rem sequitur consilium Christi, & vtitur iure quod Christus ei concessit; ac proinde fit ei manifesta iniuria, si idcircò priuetur. Denique fit: fieri posset, impediretur libertas amplectendi statum religionis, & sequendi consilium Christi; quæ integra & illibata relinquenda est: vt etiam statuit Concilium Trident. sess. 25. cap. 16. 17. 18.

Tertiò, Est quædam iniuria in Christum priuare enim filium hereditate quia obsequio Christi se mancipat, quid aliud est, quam Christi obsequium vile ducere; & filium minoris æstimare, minusque amare, quòd Christo se consecrarit? Sicut si quis filium suum abdicaret eò quòd addicat se obsequio Principis, videretur iniurius in Principem qui per hoc se contemni interpretaretur. Est etiam quædam Christi exheredatio. Non enim Christus a nobis heres vel exheres scribi potest, nisi ratione famulorum suorum, quibus quod facimus, ipsi Christo facere censemur, iuxta illud Domini Matth. 25. *Amen dico vobis, quod vni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Itaque, qui monasterio vel filio ingredienti religionem suam portionem tribuit, vel hereditatem relinquit, Christum heredem facit; & perinde a Domino acceptatur, ac si ipsemet inde commodum reportaret. Qui verò filium intuitu religionis sua portione priuat, Christum exheredem facit; nec minùs id ab ipso sentitur, quàm si in se hoc damno afficeretur. Itaque non est quòd mirentur, qui talia fecerunt, si familiam suam in graues calamitates incidere & interdum penitus extingui videant. Vlciscitur enim Deus iniurias suas, & ab illis, qui ipsum exheredem fecerunt, suam benedictionem subtrahit: qua sublata, omne genus aduersitatum vel confertim irruit, vel sensim irrepit. Hinc infelicia liberorum matrimonia, damnosi contractus, mercium iactura, sterilitas agrorum, naufragia, incendia, lites, latrones, morbi, quibus subitantia exhauritur, & status honoratus euertitur, & familia mœrore conficitur. Poterant istæ calamitates a Deo, qui omnia præuidet, facillimè præueniri & auerti. sed quia te indignum præstitisti, illatuit non auertere, sed permittere res agi suis motibus: & insuper dæmoni laxat habenas, vt consilia tua dissipet, vel aduersarios tibi suscitet, vel in tuas fortunas sæuiat. Horum nihil permissurus erat, si te in ipsum liberalem præstitisses. Insinuat hoc nobis Scriptura variis locis. Psalm. 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Quibus verbis signatur, quo modo non gesserimus erga Deum eo modo Deum vicissim acturum nobiscum. Si sanctè, reuerenter, liberaliter; ipse vicissim in nos benignus & liberalis erit: si peruersè, irreuerenter, illiberaliter, ipse quoque in nos durus & illiberalis erit. Neque mirum si Deus ita faciat, cùm id æquitati sit maximè consentaneum. Quid enim iustius, quam vt is qui in Deum, a quo omnia accepit, adeò parcus & illiberalis est, vicissim Deum parcum in se experiatur? Hinc Apostolus 2. Corinth. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* & 1. Regum 2. *Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & sublevat: suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* & infrà: *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Itaque familiarum exaltatio & depressio, honores & ignominiæ, paupertas & diuitiæ, successus prosperi & aduersi, & omnes vniuersim rerum humanarum sortes a diuina prouidentia dependent, quæ supra omnia hominum consilia in omnibus dominatur. Hoc si multi benè perpenderent, non ita durè & auarè cum suis religionem ingredientibus agerent; neque Christum in ipsis sua portione priuarent.

Simili modo numquam profuit Reipub. vel Regno inuasisse iura Ecclesiæ. Etsi enim videatur ea in re aliquid commodi accedere statui politico; illud tamen postea magnis plerumque compensatur cladibus. Permittit enim Deus excitari bella intestina & externa; quibus & regiones vastantur, & ærarium exhauritur, & negotiatio auertitur, & pristina gentis gloria obscuratur: adeò vt centies millies plus damni accipiatur in pœna, quam fuerit commodi in culpa. 117

Quartò, Aliæ rationes multæ adferri possent contra illam parentum inhumanitatem: vt quod faciāt contra ius sanguinis, contra paternam pietatem, contra gratitudinem Deo debitam, contra filiorum honorem; quodque filios suos mœrore afficiant, & quantum in ipsis est auocent a religionis ingressu. Sed has & alias similes satis exposuit Saluianus toto illo libro 3. de auaritia, ad quem Lectorem remittimus.

Dices Primò: Consentienti non fit iniuria: sed filij consentiunt vt exheredentur & prætereantur; vel modica 118

portione sunt contenti; ergo nulla eis fit iniuria. Confir. quia communis DD. sententia est, filium posse exheredé scribi, vel præteriri in testamento si consentiat. ita gl. in L. Si quando. §. Et generaliter. C. de inofficioso test.

Respondeo: Si consensus iste sit spontaneus, & omnino liber, fateor tunc nullam eis fieri iniuriam: secùs verò si importunitate, vel metu reuerentiali sit extortus. Talis autem semper esse videtur quando parentes sunt diuites, ita vt nec ipsi nec reliqui filij egeant ista portione ad sui sustentationem. Quicumque enim spiritu Dei ad religionem mouetur, is quantum in se est, omni modo desiderat sequi consilium Christi Domini nostri, quo monet, vt qui vult perfectus esse, sua distribuat non diuitibus, sed pauperibus. Quis enim fructus æternitatis, quæ merces apud Deum, sua diuitibus relinquere, ijsque maiorem fastus & luxus materiam suppeditare? Magnus scilicet Dei honor, si illi splendidiùs vestiantur, si lautiùs comedant, si aulæ & cubilia peristromatis vestita, si domus pretiosa supellectile instructa? Hoc etiam secum reputat, innumerabiles esse, quibus magnæ opes a parentibus relictæ infinitorum peccatorum & æterni exitij causa extiterunt, qui in mediocritate fortunæ probi & saluti futuri erãt. Opes enim attollunt animos iuuenturi, vt neminem curet; vt nullius consilio parere, aut monitis velit acquiescere; sed omnia agere suo arbitrio, omnia experiri, omni genere voluptatis perfrui. Opes omnium flagitiorum & facultatem & commoditatem & audaciam suppeditant: opes studia litterarum, & cultum sapientiæ, modestiam, sobrietatem, & castitatem in contemptum adducunt: denique efficiunt, vt animus otio, luxu, & inertia diffluens, nihil præclari discat aut designet; ipsiq. maneãt * τριῶν ὀχέων ἀφόρητος. Quantò satius foret opes mediocres cum bona institutione liberis relinquere, quibus & intra rationis gyrum ac modestiam contineantur, & ad labores studiorũ, multaque præclara conanda excitentur? hoc modo apud omnes gentes, qui sapientia & auctoritate, siue in religione, siue in politica administratione præstant, ij ex mediocri vel infima fortuna suo labore & industria ad eum dignitatis gradum conscenderunt.

Matth. 19.

** telluris imutila pondus.*

129 Dices Secundò: Religio quam filius ingreditur, non eget, sed est valdè diues: cur illi suam portionem relinquam? an vt diuites magis ditet? Paucis eget Religiosus; quia habitus illi vilis & mensa tenuis; & caret prole cui relinquat. Satius ergo est vt hoc accrescat fratribus, vel cognatis sæcularibus.

Respondeo Primò: Etsi fortè monasterium sit diues, multæ tamè sunt causæ dandi filio legitimam, vt suprà ex Saluiano ostensum: nimirum vt ipse sua; iuxta Christi consilium, pauperibus distribuat, & hoc meritum liberæ renuntiationis habeat: vt plures Dei famuli alantur; vt cultus diuinus, suppetente maiore copia, augeatur; & monasterium copiosius det in pauperes, &c.

130 *Calumnia in opes Religiosorum.*

Respondeo Secundò: Sæpe per calumniam Monasterium vel Collegium audire diues, opulentum, copiosum, quod infigoi paupertate & inopia laborat. Quis enim Collegium dicat opulentum, quod in singula capita non habeat vltra ducentos florenos, quibus & alimẽta & vestes, & medicamina, & libri singulis comparari, & cubicula rebus necessarijs instrui, & ædificia sarta tecta præstari, & focus vel priuatim vel publicè præberi, & sumptus templi sustineri debeant? Nemo est, opinor, hic Louanij, qui eo pretio suis conuictoribus hæc omnia præstare vellet. Itaque tale Collegium verè pauper est, & eget ad congruenter hos omnes sumptus tolerandos. Sicut Sacerdos, & quiuis Ecclesiasticus verè pauper est, qui non nisi ducẽtos florenos annuè recipit, quibus seipsum quoad omnia in solidum sustentet. Accedit quòd Religiosi illi, qui hãc calumniam patiuntur, non sint ex platea (vt dici solet) vel mendicabulo collecti; sed ex honesta conditione, & lauta plerumq. fortuna vel expectatione, solius Dei amore se ad hanc humilitatem demisere: multi inter eos nobiles & ex primarijs familijs: multi splendidæ in sæculo fortunę, vel illis animi dotibus, vt facilis eis ad opes & honores pateret aditus. Denique nemo est inter eos, qui in sæculo non potuisset assequi longè amplius. Itaque nimium videri nõ debet si 200. florenos, vt minimum, in singula capita postulem. Quis enim sæcularium Sacerdotũ ea tenuitate est contentus? Quis, si non amplius haberet, non iudicaretur verè pauper? Imò plerique quibus aliquid doctrinæ, ingenij, industrię, 500. vel 600. non acquiescunt: multis etiã 1000. parum sunt. Nec repugno. Viri enim docti tali honore sunt digni, modò non ad luxum, sed ad honestum vsum referant. Verùm mirari satis non possum quosdam, qui etsi ex tenuissima fortuna ad eam copiam peruenerint, vt post omnes sumptus ordinarios tantum eis supersit, vt bonas summas quotannis condant, & in arcæ tenebras abdant, se tamen pauperes, & illos qui 200. non habent, diuites vocant, & eorum opes vbique verbis exaggerant. Viderint ipsi quo spiritu id faciant: eò enim ista tendere videntur, vt nemo illis Religiosis benignè faciat, sed tamquam auari & opibus inhiantes ab omnibus deserantur. Si in sæculares tam sumus liberales, & tantum eis concedimus: cur in Religiosos tam sumus iniqui? Certè non tam vilia cẽseri debent Religiosorum capita, qui res omnes & spes sæculi, amore Christi deseruere, quin tantil lum illis ad tenuem vitę modum concedi possit: neque ob eam causam auaritiæ & insatiabilis cupiditatis accusandi sunt, & apud vulgus traducẽdi. Necessaria enim vitæ illis non permittere, quid aliud est quàm indignos vita censere? Si digni vita sunt, permittatur illis vt ea quę vitę sustẽtandæ, iuxta modum à religione præscriptum, sunt necessaria, habeant; & conticescat calumnia.

131 Ex his patet, 200. florenos in capita esse veram paupertatem, nec posse Monasterium vel Collegium vocari diues, opulentum, quod amplius non habet. Quod si ita est, quanto minùs poterit opulentum dici quod vix habet dimidium? Tale est hoc Collegium Louanienſe, & alia quędam nostræ Societatis in hac Prouincia, quibus vix centum in capita (comprehensis simul totius Colegij templique sumptibus) suppetunt. Quòd si ducentos haberent, ea tenuitate essent contenti, imo se diuites & copiosos putarent. Nemo enim amplius, quam quotannis secundùm moderatissimum Religionis modum fit opus, desiderat; nemo quidquam condi, & in formitos euentus asseruari.

Nec refert, quòd subinde ædificemus: quia nihil facimus nisi ad quod extrema necessitas iuxta formam & disciplinam religiosam compellit. Quòd si foris in villa supeus facti; ita suasit vtilitas & ratio œconomica cum prudentũ iudicio. Religiosi magno sunt animo, & confidunt in Deo, qui regnũ Dei & iustitiam eius quærentibus, reliqua huic vitæ necessaria promisit se adiecturum. Itaque multa quæ ratio vel disciplina postulat, audent, etiamsi sumptus necessarios manibus non teneant: quia à diuinæ prouidentiæ fidelissima manu (quæ numquam spem eorum fefellit) omnia expectant. Et quamuis calumniæ, multorum animos, qui alioquin illis erant benefacturi, auertant, eoque modo ipsi sæpè in angustias & solicitudines conijciantur, dum & creditores vrgent, & necessariæ prouisiones desunt, tandem tamen Dei benignitate emergunt. *Matth. 6.*

Dices: Si Deo adeò curæ sunt, cur hominum benignitatem requirunt? Respondeo: Quia Deus per homines hominibus consulit; vt diuites habeant occasionem benè merendi, & peccata sua eleemosynis redimant, & thesauros sibi in cælis, rerum suarum in pauperes largitione, construant.

DVBITATIO XII.

Qua & quanta Religionis sint commoda?

132 HAnc rem fusè, doctè, & eleganter prosequitur P. Hieronymus Platus in aureo illo opere quod scripsit. De bono statu religiosi. Nos breuiter præcipua quędam attingemus.

Tria Religionis bona.

Tria generatim religionis sunt commoda seu fructus, sub quibus cetera omnia comprehenduntur: Primum, quod omnia pænè salutis impedimenta remoueat; secundum, quòd omnia adiumenta ac præsidia secum adducat; tertium, quòd debito quo Deo obstricti sumus, eo modo quo fas est homini, satisfaciat. Nihil autem in hac vita potest esse homini optabilius, quàm carere impedimẽtis, & abundare salutis adminiculis, & debitam Deo gratitudinem præstare. Hinc enim maxima spes datur euadendi sum-

summum malum, & consequendi summum bonum. Si aliqua ratio terra marique inuenta esset, quæ omnia damnorum pericula excluderet, & omnes lucrorum vias contineret, quis mercatorum illam non amplecteretur?

133 Ac primum, quòd omnia salutis impedimenta, quàtum fas est in hac vita mortali, religio submoueat, perspicue ostendi potest. Omnia enim impedimenta consistunt vel in consuetudine prauorum, vel in appetitu diuitiarum, vel in secundis voluptatibus, vel in captandis honoribus, vel in amore proprij iudicij, vel in amore libertatis & sui arbitrij, vel in crapula & ingluuie. Quicumque a recto salutis itinere deflectunt, quicumque pereunt, & animæ salutique damnum faciunt; ex horum impedimentorum aliquo, vno vel pluribus, id patiuntur, & hisce causis ad malum incitantur. Itaque hæc sunt omnium peccatorum fontes, hęc æternæ mortis venena, & inferorum præcipitia; hæc retia diaboli, quibus animas captat, & machinæ quibus orbem expugnat. Tellatur id S. Ioannes epist. 1. c. 2. cùm ait: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Vbi insinuat, radices omnium peccatorum, quibus mundus seu mundi dilectores inquinantur & pereunt, tribus contineri.

Nec obstat quòd præter illa tria assignemus alia quatuor, nimirum, prauum sodalitium, amorem proprij Iudicij, amorem sui arbitrij, & ingluuiem: quia si loquamur de ijs quæ impediunt salutem, & mouent ad malum in modum finis, sui nimirum affectu; sic sunt tantùm tria: amor autem proprij iudicij & arbitrij continetur sub vitæ superbia, ingluuies sub concupiscentia carnis. Prauum sodalitium non mouet in modum finis, sed vt causa excitans & impellens in modum exempli, consilij, mandati, aut occasionis: estque causa generalis, ad omne genus peccati se extendés. Itaque maioris claritatis & distinctionis causa septem impedimenta generalia salutis constituimus.

Septem impedimēta salutis, & peccatorum radices.

134 Atqui religio tollit ista impedimenta, & succidit istas peccatorum radices: ergo tollit omnia salutis impedimenta, quantum conceditur in hac vita mortali. Ostendemus id discurrendo per singula. Nam primò, *prauorum hominum consuetudo* tollitur loci separatione, & claustris domus religiosæ. Hanc semel ingressus procul abes à socijs, nec tibi fas amplius cum illis more solito vagari, nugari, compotare, colludere. Non amplius ab illis potes seduci, eorumque exemplo, verbis, aut violentia ad illicita impelli. Non amplius curantur eorum scommata & conuitia, eorum amicitia & familiaritas. Quantum hoc boni sit, & quantum momenti ad salutem habeat, nemo æstimare potest, nisi qui considerat quàm innumerabilis bonorum ado lescentum multitudo prauo sociorum consortio corrumpatur, & in omne genus libidinum ac flagitiorum præcipitetur. magnum hoc diaboli rete ipso religionis ingressu vitatur.

Primum impedimentū.

135 Secundum impedimentum, *appetitus diuitiarum*, & quidquid malorum ex eo appetitu sequitur, tollitur professione paupertatis. Quantus autem iste affectus mortalibus sit laqueus, quantum salutis impedimentum, patet ex illa Domini sententia, Matth. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum. & iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Vbi notandum, Dominum bis idem repetere, & rem per hyperbolem exaggerare, vt eius difficultatem magis apprehendamus. Hæc sententia diuinæ sapientiæ si benè ponderetur, satis est ad omnes diuitias repudiandas. Apostolus in eamdem sententiam 1. ad Timoth. 6. ait: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Expende singula. Deinde rationem subdit: *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* &c. Nullum enim est flagitium tam enorme, quod homines opum amore non designent. Hinc tot vbique furta, tot rapinæ, tot fraudes in contractibus, tot homicidia, latrocinia, parricidia, sacrilegia, periuria. Innumeri præter opes ad hæreses, Turcismum, aliasque impias religiones & superstitiones amplectendas permouentur, vel in eis vt permaneant, retinentur. Opum affectus hæc omnia in cordibus hominum operatur. Neque solùm vt acquiramus & retineantur, tantorum malorum sunt causa, sed etiam cùm illis vtimur; qui & animos addunt ad audiendum, & facultatem præbent ad exequendum. Itaque siue considerentur vt sunt in affectu tamquam finis qui intenditur, siue vt referuntur ad vsum tamquam instrumenta operationum nostrarum, generi humano infinitorum malorum sunt causa: adeò vt maxima pars mundi propter opes terrenas amittat cælestes, & propter temporalia perdat æterna. Accedit, quòd earum studium ita mentem occupatam teneat, vt vix vnquam ferrò de sua salute cogitare queant. Perdit itaque ille affectus omnes bonas cogitationes, omnesque pios affectus, quibus æternas opes in cælo comparare possis. Vnde duo mala studium diuitiarum adfert. Primò, impedit omnes bonas cogitationes, & mentem inutilibus & noxijs curis implet. Secundò, ad omne genus peccati incitat, & exequendi commoditatem præbet. 136

Secundū impedimentū.

Duo mala adfert studium diuitiarum.

Ex quibus patet, maximi æstimandum illud bonum, quo tot & tantorum malorum radix succiditur: vnde, cùm professio paupertatis id præstet, eam in maximis bonis censendam, & omnibus qui tantum bonum capere possunt, merito amplectendam. Hæc enim quatenus tollit amorem diuitiarum, eo ipso tollit infinitas curas & inutiles cogitationes, quibus animus quærentium opes implicatur; & simul occasiones omnium illorum peccatorum quæ amore conquirendarum vel retinendarum diuitiarum committi solent, resecat. Quatenus verò liberum earum subtrahit vsum, submouet occasionem & facultatem omnium eorum peccatorum, quæ earum vsu vel potiùs abusu perpetrantur. Itaque professio paupertatis duo bona nobis præstat. Primò, radicem omnium malorum succidit, & simul ea peccata, quibus maxima pars mundi perit, submouet. Secundò, mentem liberam, rebusque diuinis ac salutiferis expeditam reddit. Quare omne tempus, quod alij terrenis rebus absque fructu anxiè & laboriosè impendunt, Religiosi rebus cælestibus cum maximo æternorũ lucro & animi solatio impendunt, & sicut omnes curæ ac cogitationes sæcularibus apud Deum sunt inutiles: ita Religiosis sunt fructiferæ, & æternam illis coronam præparant. Sicut ergo studium diuitiarum meritò in maximis malis censeri debet (vt quod mentem omnibus pęnè salutaribus cogitationibus spoliet, & inutilibus noxijsque impleat, & simul ad omne flagitiorum genus designandũ incitet, ac facultatem commoditatemque exequendi suppeditet) ita professio paupertatis in summis numeranda huius vitæ bonis, vt quæ radicem omnium malorum succidat, & mentem æternis cogitandis & promerendis expeditam reddat.

Duo bona adfert professio paupertatis.

Tertium impedimentum erat *amor & studium carnis voluptatum*. Quanta hinc fit corruptio & miseria in mundo, quanta peccatorum colluuies, quanta fœditas & abominatio, quàm innumerabiles inde in exitium æternamque miseriam, & luctum interminabilem ruant; satis æstimari non potest. Pauciſſimi enim sunt qui huius mali letifero veneno non inficiantur, & fructus pestilentes non degustent. Duo generatim sunt mala grauissima quæ amor iste in nobis parit. Primum est, quòd mentem omnibus salutaribus cogitationibus spoliet, & impuris ac perniciosis impleat, sicque ex templo Dei prostibulum constituat diaboli. Secundum, quòd ad mortiferas delectationes appetendas assiduè incitet, & vt eas assequatur, nullum genus sceleris patrare recuset. Itaque & finis quem directè intendit, scelus est; nempe impura voluptas: & media quibus ad hunc finem contendit, plerumque scelerata sũt. Quòd si quis matrimonio iungatur, vt absque scelere ista fruatur voluptate; nihilominùs tamen prius incommodum non euadet. Mens enim innumeris implebitur curis & cogitationibus rei familiaris, vt vxorem & familiam regat, vt coniugi satisfaciat, vt huæ domui necessaria comparet, vt amicos excipiat, vt victum lucretur, vt liberos educet; vt eos locupletet, vt honoratè inter suos viuat, & cetera. Hinc videmus plerosque qui matrimonij vinculis constricti, ita occupatos & sollicitos de rebus terrenis, vt vix semel serò de sua salute cogitare queant. Intersunt quidem ad horam semel aut bis per hebdomadam rebus diuinis, sed mens ita consuetis curis ad terrena abripitur, vt etsi corpore adsint diuinis, mente tamen intersint terrenis; à quibus ita destinentur, vt vix aduertant quid coram agatur. 137

Tertium impedimentū.

Duo mala parit.

Totum hoc malum tollit amor castitatis. hic enim omnes impuras cogitationes ac imagines fugat, mentemque sanctis desideriis & diuinis illustrationibus præparat: deinde omnia illa peccata, quæ ex affectu libidinis committi solent, resecat: denique omnes matrimonij afflictiones, & omnes illas curas, quibus miseri coniugati miserè cruciantur, auertit. Quantum hoc boni est, quod tanta fugat mala, & mentem tantis bonis reddit idoneam? Insinuat huius præstantiam Dominus Matth. 19. cùm enim dixisset, *Sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnum Dei*; protinus addidit: *Qui potest capere capiat*; quasi dicat: Neminem cogo ad castitatem, sed quia tantum boni est, omnes inuito. Cui tantum est animi, vt confidat se posse præstare, amplectatur. *Potest* enim *capere*, qui assumpto animo Deo confidit, naturæ appetitus frangere paratus. *Non potest capere*, qui mollitie quadam animi desperat, vel refugit tamquam nimis arduum & molestum. Eamdem magnificè commendat Apostolus 1. Corinth. 7. idque potissimùm ob hęc duo: nimirum quia liberat nos multiplici sollicitudine huius sæculi, & præbet facultatem seruiendi Deo.

139 *Quartũ impedimentũ. Duo mala parit.*

Quartum impedimentum erat *cupiditas honoris, laudis, gloriæ*, &c. Hæc similiter duo generatim mala in genere humano operatur. Primò, mentes hominum salutaribus cogitationibus orbat, & inutilibus perniciosisque replet. Ambitiosi enim noctes & dies circa ea quæ ad suũ honorem & æstimationem, ad statum conseruandum vel augendum, ad iniurias vindicandas & dedecus depellendum pertinent, occupantur. Secundò, impellit eas ad omne genus vitiorum & scelerum. hinc odia & inimicitiæ, si vel in puncto læsus videatur honor; hinc inuidia alienæ prosperitatis; hinc tot bella & cædes; tot Prouinciarum vastationes, expilationes, oppressiones, & alia omnia mala, quæ bellum secum trahit; hinc duella & occultæ in mortem aliorum machinationes: denique hinc hæreses, blasphemiæ, incantationes, & omne spiritualium peccatorum genus. Horum omnium fons est honoris inordinatus amor; qui ita mentes hominum excæcat, & in malum incendit, vt neque opes, neque huius vitæ commoda, neque voluptates carnis, neque vitam ipsam, neque æternam salutem æstiment aut curent, modo honorem, quem sibi imaginantur, tueri possint & illæsum præstare; sic omnia præ vana honoris imagine nihili ducunt.

140 *Professio obedientiæ duo includit.*

Hæc radix adeò perniciosa, cum suis fructibus omnique germine, succiditur honorum contemptu, & humili subiectione sub imperium Prælati; quorum vtrumque per obedientiæ professionem agitur. *Professio* enim *obedientiæ* ita duo includit; sicut professio paupertatis contemptum diuitiarum & amorem paupertatis: professio castitatis contemptum seu horrorem voluptatis carnis, & amorem puritatis. Qui honores, dignitates, magistratus non appetit, qui vanas hominum laudes non curat, liberatur infinitis curis & cogitationibus, quibus mentes ambitiosorum detinentur; ac proinde habet mentem suam ad omnia cælestia ac salutaria expeditam & probè comparatam. Deinde redditur immunis ab omnibus illis prauis affectibus & peccatis innumeris, in quæ ambitio solet impellere; ab odio & inuidia, à contentionibus & rixis, a duellis & homicidijs, & ab omni acerbitate & amaritudine, qua corda ambitiosorum tamquam felle replentur & contabescunt.

141 *Quintũ & sextum impedimentũ.* *Amor proprij iudicij.*

Quintum impedimentum erat *amor proprij iudicij*. Sextum *amor sui arbitrij*. Vtrumque modo quodam ad cupiditatem honoris, seu vitæ superbiam pertinet: quia plerumque ex vana gloria vel nimia sui æstimatione procedit. Verùm distinctionis & perspicuitatis causa seorsum expendemus. *Amor proprij iudicij*, plurimorum malorum est causa. hinc enim omnes hæreses & errores qui Ecclesiam turbant, & tot animas orco demittunt. Cum enim iudicium proprium nimis amatur & æstimatur, Ecclesiæ iudicio anteponitur, & hæresis nascitur. Honor quidem vel voluptas, vel opes ad hæresim alliciunt; non tamen homines tam facilè sequerentur, nec in illud barathrum ita se darent præcipites, nisi sui iudicij nimia æstimatione tenerentur. Hinc innumeri quoque errores non solùm in vita spirituali, sed etiam in sæculari. Quorumquilibet enim est, qui iudicij sui præsidentia non sæpè erret, & in grauia incommoda incidat?

142 *Amor libertatis.*

Non pauciorum malorum causa est *amor libertatis*, & vitæ suo arbitrio degendæ. Hinc omnia illa peccata, quæ iuuentus maiorum soluta imperio committit. hinc comessationes & ebrietates, rixæ & contentiones, pugnæ & cædes, inimicitiæ & simultates, fornicationes, immunditia, impudicitia, ceteraque carnis opera, quæ Apostolus commemorat; quæ qui committit, regnum Dei non possidebit. Denique maxima pars peccatorum, quæ per orbem fiant; ex hac soluta libertate, & defectu probi rectoris committuntur. Sicut enim equus indomitus sublato fræno huc illuc facile impellitur, donec in aliquod præcipitium, vel cœcam foueam cadens se perdat & sessorem: ita sublata directione boni moderatoris, plerique mortalium per omne genus vitiorum volutantur, donec in barathri præcipitium ducates, animam pariter & corpus amittant. *Ad Gal. 5.*

143 *Septimũ impedimentũ. Triplicem à salute impedit.*

Vtrumque hoc impedimentum, & tantorum origo malorum tollitur professione obedientiæ. Hæc enim quatenus iudicium proprium submittit non solùm iudicio Ecclesiæ, sed etiam (in rebus præsertim agendis) iudicio Prælati; excludit non tantum omnes hæreses, sed etiam omnia illa peccata, omnesque errores & illusiones, quæ ex sui iudicij nimia æstimatione solent obuenire. Neque solùm excludit errores, sed etiam adducit veram prudentiam, quæ postulat, vt in rebus ac negotijs propriis nostro iudicio non fidamus, ne philautia nos decipiat, aut alia passio transuersos agat; sed alieno potiùs consilio, ab omni affectu alieno, acquiescamus. Incredibile dictu, quanti in omnibus negotijs sit momenti (& maximè in vita spirituali) habere sapientem moderatorem à quo dirigaris.

Rursus eadem professio obedientiæ, quatenus submittit voluntatem subditi voluntati Superioris, adimit ei libertatem viuendi suo arbitrio; & consequenter resecat omnia illa peccata, quæ ex hac libertate sequi solent, & tamquam fræno intra limites rationis & sæpta virtutis coercet. Corrigit itaque obedientia intellectum & voluntatem, & vtramque facultatem dirigit. Intellectum quidem, subijciendo illum in negotijs occurrentibus, totiusque vitæ moderatione iudicio Superioris: voluntatem verò, adimendo illi omnem libertatem, & ad Superioris arbitrium flectendo.

His adde impedimentum septimum (quamuis sub tertio contineatur) quod crapula & ventris ingluuie, nimiaque cibi potus ingestione contingit. hoc triplici modo hominem impedit à salute. Primo, offuscando mentem & ad omne bonum reddendo ineptam, adeò vt neque studijs, neque orationi, neque rerum salutarium meditationi, neque vlli præclarę rei vacare possit; sed tantùm ad otium & somnum, lusum & iocum sit idonea. Secundò, quia non solùm ad omnia bona animum reddit ineptum, sed etiam ad innumera mala ortolum impellit. hinc enim omnes libidines & turpitudines, quibus maxima pars mundi in exitium ruit. hinc omnia scelerum genera, quæ libidinis causa committuntur. Saturitas enim excitat libidines: libido verò exquirit omnes rationes per fas & nefas, vt voti compos fiat: quia mouet in modum finis. Tertiò, quia ipsa quoque voluptas gulæ, per modum finis mouet. infinita enim peccata committuntur ad gulæ voluptates obtinendas. Ex quibus patet quantorum malorum hoc impedimentum sit causa, & quàm salutis pernicioſum. 144

145 *Sobrietas.*

Tollitur verò magna ex parte illa malorum radix religionis sobrietate. Hæc enim rescindit intempestiua symposia, & longa conuiuia, & concertationes potandi, & ciborum affluentiam, & omnem aliam redundantiam corpori & spiritui noxiam: eamque diætam præscribit, qua & vitia carnis comprimantur, & mens in suis functionibus non impediatur. Verùm sicut hoc impedimentum magna ex parte continetur sub concupiscentia carnis, quæ ad omnes gulæ & tactus voluptates pertinet: ita eius remedium continetur sub castitate, quæ concupiscentiam carnis profligat. Tanta enim est connexio & dependentia castitatis à sobrietate, vt sine hac illa subsistere nequeat.

146 *Omnia impedimenta septem illis continuari.*

Ex quibus perspicuum est, quantum sit religionis bonũ; vt quæ omnia salutis impedimenta, & omnes peccatorum radices (quantum fas est in hac vita mortali) resecet ac submoueat. Quòd enim omnes malorum origines septem illis commemoratis contineantur, sic ostendi potest. Quidquid voluntatem mouet ad malum aut impedit à bono, id vel mouet in modum finis, vel in modum causæ efficien-

efficientis ac incitantis. Si per modum finis; erit vel pecunia seu diuitiæ.vel voluptas carnis,vel honor:horum enim causa omnia peccata committuntur. Si per modum causæ efficientis; vel incitabit vt causa moralis, sicut prauorum consortium,qui consilio,exemplo, metu, iussu, probris ad malum impellunt: vel vt causa physica,sicut gula quæ libidini semina subministrat:vel vt causa remouens aut prohibens,vt eadem gula,quatenus mentem offuscat;& proprij iudicij & arbitrij amor, qui rectum consilium & alienam directionem excludit.

Ex quibus patet,prædictis septem capitibus omnia salutis obstacula, omnes peccatorum fontes contineri; ipsque exclusis omnia excludi. Vnde cùm religio omnia illa(quantum huic mortalitati cõcessum) excludat, manifestum est, eam præstantissimum bonum, quod in hac vita obtineri queat, merito censendam.

147 *Omnia salutis adiumenta religio cõtinet.*

Diximus, quo modo omnia salutis impedimenta submoueat: nunc demonstrandum, qua ratione omnia salutis adminicula repræsentet. Ea omnia ad hæc duodecim reuocari possunt; nempe ad *Sacramentorum vsum, orationem frequentem, meditationem rerum diuinarum, exempla virtutum, monitiones sapientum, correctionem erratorum, directionem Superiorum, lectionem sacram, mortificationem affectuum, exercitium virtutum, crebram sui discussionem, sobriam dietam.*

148 *1. Sacramentorum frequentatio.*

At hæc omnia maximè vigent in religione. Nusquam enim crebrior *Sacramentorum vsus*: nusquam expiatio peccatorum, & perceptio Eucharistiæ frequentior; nusquam præparatio ad illa dignè præstanda accuratior. Quanta verò hinc tot annorum decursu gratiæ copia, quantum præsidij ad perseuerandum, quantum cælestis coronæ augmẽtum, quivis facilè per se æstimare potest, qui vim vtrorum Sacramentorum intelligit.

2. Oratio frequens.

Matth. 7. Luce 11.

Oratio ita crebra & vsitata in religione, vt iuxta monitũ Domini dici possit, ibi *semper orari*. Quantum autem hoc momenti habeat ad salutem, ipse Dominus declarat, cùm promittit omnia quæ ad salutem pertinent,nos per orationem obtenturos. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis: quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur.* Oratio est clauis thesaurorum Dei,vt pulchrè ait Chrysost.om. Homil.1. de oratione. Sicut is, cui concessa clauis thesaurorum Regis, potest aperire arcas, & inde aurum, gemmas, vniones, & alia pretiosa cimelia auferre quibus ditescat; ita oratione veluti claue aperire possumus cælestium thesaurorum arcas, & multas inde spirituales opes reportare. Quod maximè locum habet, si oratio sit assidua(sicut in religione) nec quidquam, nisi ad salutem æternam pertinens, impetrarè contendat. Hac ratione non solùm contra quotidianas tentationes, & hostis tartarei insidias opportunum consequemur auxilium, sed etiam donum perseuerantiæ infallibiliter obtinebimus: quia promissio Domini nihil excipit. Vnde qui orationi iuxta Domini monitum deditus est,perire non potest.

149 *3. Rerum diuinarum meditatio.*

Rerum diuinarum meditatio (quæ interna quædam oratio est)nusquam fere viget nisi in religione. Magnam enim requirit animi quietem, & à curis sæcularibus vacuitatem: qualis rarò in medijs mundi turbis obtinetur. Huius quanti sint fructus,quanta merita, quanta solatia, longum esset prosequi. Per hanc conuersatio nostra in cælis est,& Angelis assimiles ac socij reddimur. Sicut enim per sensus corporis versamur in hoc mundo visibili, & super rerum visibilium formas exteriùs effundimur: ita per meditationem ascendimus in cælum, & inuisibilia quæ illic sunt, oculis mentis lustramus. Per hanc mens illuminatur, vt mundi vanitatem & pericula clarè videat: vt perspiciat quantum bonum sit renuntiatio sæculi, paupertatis amor, calliditatis decus,obedientiæ submissio,abdicatio suæ libertatis,segregatio à sæcularium contubernio,mensa sobria, humilitatis & mansuetudinis Christi imitatio. Hæc omnia clarè ostendit meditatio;& efficit vt ea sicut par est,æstimemus, & amemus, & complectamur. Denique hæc omnes virtutes excitat,& ad copiosos fructus fecundat; hæc omnem mœrorem abstergit,& animos multa pace & consolatione perfundit,hæc omnes defectus & errores corrigit, denique ex hominibus angelos quosdam terrestres efficit.

150 *4. Exempla virtutum.*

Exempla virtutum nusquam maiora aut crebriora quàm in religione. Alius enim dat illustre specimen promptæ obedientiæ,alius humilitatis & contemptus sui; alius charitatis in pauperes vel infirmos; alius zeli animarum,abstinentiæ, mansuetudinis, patientiæ, orationis, deuotionis. Semper in religione sunt plurimi,quorum singuli in aliqua virtute excellunt. Hæc igitur exempla cùm quotidie versentur ob oculos, quem ad sui emendationem & virtutem similem non accendant? Maxima in vtramque partem est vis exemplorum:verba mouent,sed exempla cogunt. Nemo libenter ab altero in aliquo genere laudis vel meriti superatur.Ita secum quisque cogitat:Si tale quid abillo præstitum est,cur & ego præstare non possim? quæ illi hæc mea ignauia, vt ego non audeam,quod ille perfecit? qua cogitatione se ipse ad similia vel maiora perpetranda excitat. Sicut difficile est inter malos bonum esse propter vim exẽpli: ita inter bonos malum.

151 *5. Monitiones sapientum.*

Monitiones sapientum maximè vigent in religione: vbi tot eruditæ & feruidæ ad conuentum exhortationes: tot priuatæ Superiorum & aliorum Patrum monitiones: tot multa in quotidianis colloquijs sapienter dicta, & vtiliter narrata: vbi etiam toto eo tempore quo cibus sumitur, salutaris instructio lectione continuatur; ne dum corpus pascitur,animo suum pabulum desit. Quis, nisi de industria aduersus virtutem animum suum obstinarit, in tantis virtutis illecebris, in tantis ad bonum incitamentis, non proficiat?Sicut enim suasio ad malum cùm est assidua,tandem expugnat animum,& ad malum inducit: ita assidua suasio ad bonum vix repelli potest, sed tandem animum ad bonum traducit.

152 *6. Correctio erratorum.*

Correctio erratorum, & castigatio culparum, maximè in religione frequentantur. Si quis in sæculo peccet(nisi fortè publicè & cum scandalo id fiat) non habet qui corripiat & emendet,sed permittitur suo arbitrio:nec ipse æquo animo se moneri pateretur, præsertim si nobilitatis, vel diuitiarum,vel scientiæ typho sit inflatus. Hanc ergo non modicam talium hominum miseriam censeo, quòd cum plurimos adulatores habeant, qui eorum mala vel dissimulant, vel etiam laudant (iuxta illud Psalmi: *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur*) nullos tamen habeat monitores,qui moneant & emendent. At in religione nullum adeò minutum committi potest erratum, quin statim adsit corrector qui moneat,& emendari curet.quę sanè res est longè saluberrima:tum quia cõtinet animos ne peccent, tum quia si peccarint (etiam in minimo) statim eos sanat,& in pristinum statum cum magno boni spiritalis fœnore restituit. Longè enim amplius illa humilitas & pœnitudo cõfert boni,quàm erratum & delictum intulerit mali,adeò vt etiam ex ipsis peccatis in religione lucrum proueniat animorum. Vnde patet, hanc quoque rem maximũ ad salutem habere momentum: præsertim cùm innumeri sint, qui defectu monitionis errata non corrigunt, sed illis immorantur & pereunt. *Psal. 9*

153 *7. Directio Superiorum.*

Directio Superiorum præsertim exactior, tantùm in religione locum habet. Nusquam enim extra religionem tanta in omnibus actionibus à Superiorum nutu dependentia. Quàm verè res ea sit salutaris, ex tribus cognosci potest. *Tria ex quibus huius directionis.*

Primò, Quia Superior tamquam in specula constitutus, omnium actiones & gressus considerat; & si quem à recto deflectere viderit,statim monet,instruit, corrigit, & in viã rectam à qua deflexisse aliquatenus videbatur,reducit:quo fit,vt subditus,cùm videt omnes suas actiones Superiorum vigilantia notari,rarius peccet, & à minimis quoque labeculis sibi caueat; & si qua in re peccauerit,non diu in malo perstillat, sed mox Superiorum industria ad agnitionem culpæ & emendationem adducatur.

Secundò, Quia per hoc illud assequimur, vt à Deo in omnibus dirigamur: Christi enim loco in religione præest; vt Christi vicarius Superior suos dirigit subditos, & ipsi Christum in illo tamquam vicario intuentur ac venerantur;& obedientiam Christo præstant. Sicut enim summus Pontifex est vicarius Christi in ijs quæ pertinent ad directionem totius Ecclesiæ in doctrina & moribus:ita Superior in religione est vicarius Christi in ijs quæ pertinẽt ad directionem vitæ iuxta religionis normam instituendæ. Si Christus Dominus ageret nobiscum visibiliter in terris, omnes ab illo immediatè regi cuperent: certi enim essent, se non nisi saluberrimè ab illo directum iri. Nunc quia id non est concessum, ea ratio à Christo inlituta est, qua ab illo regamur mediante vicario, quæ non

minùs nobis est salutaris, quàm si visibili modo exteriùs ab ipso regeremur. Cùm enim per suam prouidentiam omnibus inuisibiliter adsit, facilè ipsi est nos per Superiorem absque errore dirigere. Imò adhoc ipsum se quodammodò obtenuxit, quando illi tanquam sibi parere iussit, dicès: *Luc. 10.* *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Quod de omnibus iurisdictionem ab ipso descendentem habentibus intelligendum, vt ostendit S. Basilius Constitut. monasticarum cap. 23 & S. Bernard. Tract. de præcept. & dispensat. Deinde hoc modo magis exercetur fides, humilitas, & charitas, cùm in homine Deum intuemur, & homini propter Deum nos subijcimus. Vnde patet, hunc obediendi modum maioris esse momenti & perfectionis, quàm eũ, quo Christo visibiliter regenti obtemperaretur: sicut maioris meriti est credere in Christum absentem, quàm in præsentem, iuxta sententiam Domini Ioannis 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

Dices: Homo errare potest, ac proinde non est tutum se 154 homini subnittere, eiusque mandatum tanquam Christi mandatum excipere. Respondeo, posse quidem Superiorem errare (non enim ita infallibilem Spiritus sancti habet assistentiam in directione singulorum, sicut summus Pontifex in directione Ecclesiæ), sed quilibet in sua causa multò magis erroribus est obnoxius, propter inordinatum sui amorem & varias passiones quibus iudicium peruertitur. Vnde prudentis est, in talibus suo iudicio non fidere, sed alieno potiùs acquiescere. Deinde etiamsi Superiorem errare contingeret, hic error (nisi tibi de eo constet, vel iustam habeas dubitandi causam) obtemperanti erit innocuus, nec minùs tua obedientia imputabitur ad meritum, quàm si nullus error mandato subsistisset. Vnde etiamsi mira legantur de quorumdam Superiorum mandatis, & subditorum obedientia, non tamen meminisse legere eo nomine in perniciem vel fraudem quemquam Religiosum inductum, quòd Superioris sui mandatis bona fide pareret, & simplici animo ductum obedientiæ sequeretur. Deo enim curæ est, vt hoc eius consilium nemini sit damno, & in eum finem, sæpè ipse etiam miraculis interuenit, vt ex Sanctorum historijs constat.

Varia series auxiliorum in mente diuina.

Tertium est, Quòd per Superioris directionem optimè assequamur eam auxiliorum ac mediorum seriem, cum qua Deus nouit nos infallibiliter fore saluos. Sunt enim in mente diuina mille auxiliorum ordines, & mille mediorum series, quibus cum quilibet nostrum vti potest; & certissime nouit quid ex qualibet serie esset secuturum. Nouit cum qua serie mediorum esses salutem consecuturus; cum qua in exitium & damnationem lapsurus. Nouit quod officium, quis locus, quæ habitatio, qui tactus, quæ occasiones, quæ studia tibi forent ad salutem, quæ ad perniciem. Salus enim & interitus sæpissimè à re modica, & leui occasione pendent. Maximum beneficium est, si salutarem mediorum seriem obtineamus; maximum incommodum, si ab ea excidamus. *Donum perseuerantiæ.* Ex illa mediorum serie pendet donum perseuerantiæ, sine quo nemo saluatur; cuius præparatio in mente diuina est nostra præfinitio. Quod si est aliqua ratio tanti boni consequendi (sicuti re vera est) ea maximè *Luc. 18.* in oratione & Superiorum directione sita est. Hinc Dominus iubet nos semper orare, nimirum vt hoc donum impetremus; quod in eo consistit, vt ipse nos dirigat in omnibus, sicut nouit expedire nobis ad salutem. Itaque orationis est impetrare vt Deus hoc beneficium nobis impertiri velit; obedientiæ illud consequi & apprehendere. Nam exquitur illam directionem per Superiorem, quem ipse constituit vt loco suo nos regat, quo ipse tanquam instrumento ad hoc vtitur. Vnde si obedientiæ ductum in omnibus sequamur, certissimè diuinam directionem qua ille nos ad salutem destinat, & illam mediorum seriem, quam nobis saluti fore præuidit, assequemur.

355 Hæc res cùm tanti sit momenti, diligenter ab omnibus religiosis est perpendenda: & valde cauendum, ne, vbi totum animum suum, & rationes quibus mouentur, Superiori suo exposuerint, detrectent subire quod Superior omnibus consideratis, constituerit; aut alio illum flectere nitantur. Verendum enim ne hac ratione subtrahant se ab illo salutari mediorum ordine, & in alium perniciosum incidant. Cogitent se à Deo, cui salutem suam commisere, dirigi; cui ab initio peripectum, quid cuilibet salutare, quid exitij occasio foret. Non semper quod speciosissimum &

optimum videtur, nobis re ipsa quoque vtilissimum erit, & maioris boni causa. Ob hasce causas, maximi momenti ad salutem, directio Superiorum in religione censenda est.

Lectio sacra in religione ferè est assidua. Frequentatur enim & studiorum causa, & in officijs diuinis, & tempore refectionis, & insuper priuatim vsurpatur, vt animus ad omnem pietatem & virtutem incitetur. Sicut enim lectio vana & impura magnam vim habet ad animos vanitate & libidine contaminandos: ita lectio sacra (præsertim diuinæ Scripturæ) non curiositatis aut scientiæ, sed pietatis ac deuotionis causa frequentata, ad omnium virtutum excitanda officia est efficax. Habet enim verbum Dei peculiarem vim ad mentem illuminandam, & ad omnem religionem & iustitiam inflammandam, iuxta illud Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* 156. 8. *Lectio sacra.*

Mortificatio carnis & affectuum religioni est maximè propria, vt quæ nihil sit aliud quàm schola humilitatis & mortificationis. Sicut enim in schola litteraria id potissimùm agitur, vt ignorantia depellatur, & scientia in animum instilletur: ita in religione præcipuum studium est, vt praui affectus exscindantur, & mens deinde ad omnem virtutem formetur. Nusquam apud Ethnicorum philosophos tale vnquam extitit gymnasium. Ibi ex profesto petulantia carnis coercetur ieunijs; elatio mentis, functionibus humilitatis; motus iræ & inuidiæ, officijs charitatis; affectus gulæ, dietæ sobrietate. Ibi pigritia depellitur labore, acedia studio orationis, somnolentia vigilijs, curiositas sensuum custodia, garrulitas silentio, incuria salutis timore Dei. Denique quidquid in affectu vel moribus inordinatum ac vitiosum, hoc totum disciplinæ custodia emendatur. Itaque tria maxima præstat mortificatio. Primò, pro peccatis commissis Deo satisfacit. Secundò, ipsas peccatorum radices euellit, vel certè compescit, ne in germen peccati erumpant. Tertiò, animum virtutibus inferendis aptissimum reddit. Sicut enim in agrorum cultura primùm extirpandæ spinæ, cardui, vrticæ, aliæque noxiæ herbæ & frutices, vt deinde bono semine suscepto bonos fructus proferat: ita in cultura animorum ante omnia domandæ passiones, & euellendæ prauæ cupiditates, vt concepto iustitiæ semine fructum salutis proferre possint. 157 9. *Mortificatio.*

Sicut mortificatio affectuum, ita quoque *exercitatio virtutum* in religione maximè viget. Præcipuum enim eius studium est, affectibus domitis, in omni virtutum genere suos exercere cultores. quomodo autem id fiat, breuiter exponam. Ac primùm exercemur *in fide*, dum assiduè versamus animo nostræ religionis mysteria; tum quæ ad diuinam naturam, nimirum ad omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, prouidentiam, iustitiam, misericordiam, & diuinarum personarum processionem pertinent: tum quæ ad eius operationes foras prodeuntes; vt mundi creationem & gubernationem, hominum redemptionem & iustificationem, iudicium & damnationem, supplicium æternum & præmium, &c. hæc & similia crebrò meditari, & firmissimo assensu propter diuinam auctoritatem credere, est fidei exercitatio. *In spe*, dum animo volumus bona illa quæ Deus nobis promisit; & media, per quæ illa obtinenda fore promisit; & infinitam misericordiam, qua promisit. *In charitate*, dum immensam eius benignitatem, maxima & innumera in nos beneficia perpendimus: dum eius causa multa agere & pati optamus, dum re ipsa ad eius gloriam, & proximorum salutem, quidquid in nobis est, præstamus. *In religione*, dum eius maiestatem, & nostram considerationem vilitatem: dum oratione, laude, gratiarum actione, sacrificio illum prosequimur & honoramus. *In humiliate*, cùm nostros defectus & peccata, nostrumque nihilum cogitamus; dum omni nos probro ac supplicio dignos censemus; dum in abiectis ministerijs submissionis causa nos occupamus. *In obedientia*, cùm in Superioribus Christum intuemur; cùm voluntatem & iudicium nostrum abnegantes, omnia ex illorum præscripto agimus. Simili modo in cæteris virtutibus quisque per actus internos & externos in religione se exercet; vt meritò Religio apud veteres, Athanasium, Basilium, Gregorium, & alios Patres Græcos vocetur ἄσκησις, exercitatio, & ipsi religiosi ἀσκηταί, exercitores; & domus religiosa 158 10. *Exercitatio virtutis. Exercitium fidei. Spei. Charitatis.*

ἀσκη-

ἀγωνιστον, hoc est exercitatorium, palæstra gymnasium. Nullum enim potest esse vel nobilius, vel salubrius exercitium, quam Virtutis: nulla re vtilius aut dignius occupari mens potest. Itaque vel eo nomine religio maximi facienda, quòd ex professo omnis virtutis assidua sit exercitatio.

159 11. *Discussio sui.*

Discussio sui in religione est quotidiana. Plurimi sunt in sæculo, qui menses & annos ablque tali discussione transigunt, semper ad externa effusi, semper huius sæculi fugacibus bonis intenti. Numquam intro se recipiunt, vt conscientiæ latebras excutiant, & quæ ibi recondita, lustrent: numquam a se cogitationum suarum, numquam dictorum & factorum rationem exigunt. quo fit vt veluti in tenebris agentes mala sua non modò non corrigant, sed nec videant. At in religione bis terve quotidie conscientia discutitur, & quisque a seipso rationem actorum exigit: quid fecerit, dixerit, cogitarit; quid boni prætermiserit, quæ pericula peccatorum adierit, quibus tentationibus pulsatus fuerit, quàm remisse vel ardenter se in omnibus gesserit. Si quid rectè actum, gratias agit Deo, cuius hoc est beneficium; si quid perperam, precatur veniam, proponit emendationem, & flagitat gratiam. Hac ratione, fit vt nullum erratum lateat, nihil sine pœnitudine tranleat, nihil incorrectum maneat. Deinde crebrò se coram Deo, qui corda omnium intuetur, sistens, exquirit num aliquid sibi conscius, cur ex hac vita decedere, & ante tribunal supremi Iudicis vereatur comparere: num quid lateat, quod ante illum articulum, dolore & lacrymis sit delendum: an paratus sit examen illud subire, ac sententiam irrevocabilem, qua æternum supplicium vel præmium decernitur, excipere. Hoc enim est præcipuus religionis scopus, ita viuere vt omni hora ad mortem, & rationem æterno Iudici reddendam, sis paratus: ita viuere, vt nihil tibi sis conscius cur mori timeas. Itaque *Religio est vera philosophia*, quam Platonici mortis meditationem definiebant: & Religiosi sunt veri philosophi, vt qui assiduè quo modo rectè moriantur, cogitant. Hoc nomine eos Chrysostomus, Basilius, Gregorius, & alij SS. Patres, præsertim Græci, appellant. Omnis alia philosophia, quæ huc non ducit, hoc nomine est parum digna, vt quæ veram stultitiam non excludat. Summa stultitia est, terrena cœlestibus, momentanea æternis, humana diuinis anteponere; seque in periculo æternæ vitæ perdendæ, & mortis æternæ incurrendæ propter fugacia & infima illhæc bona constituere. Quæ enim maior insania animo concipi queat? Omnis itaque sapientia quæ ad hanc insipientiam sanandam non tendat nomine sapientiæ & philosophiæ est indigna.

Religio vera Philosophia.

Summa stultitia.

160 12. *Sobria ebrietas.*

Postremum adminiculum erat *sobria ebrietas*, quæ vt alia iam commemorata maxime in religione viget. Quantum verò hæc momenti ad castitatem, ad sapientiam, ad orationem & contemplationem, denique ad omnem virtutis cultum habeat, satis à nobis alibi explicatum. vide S. Basilium orat. 1. & 2. de Ieiunio: Cyprianum Homilia de Ieunio: Ambros. lib. de Elia & Ieiunio: Chrysost. Homilia 1. de Ieiunio tom. 5.

Ex his perspicuum est, religionem ex professo omnia salutis impedimenta submouere, & omnia adminicula suppeditare. Vnde sequitur, neminem in religione perire posse, qui vel mediocrem salutis suæ curam habuerit: & si qui in ea pereant, mera ostentatio & crassa quadam negligentia, vel potius obstinata malitia perire. Ita enim tentationum occasiones, quibus homines perire solent, per religionem ab eis submouetur; ita ipsi omnibus salutis præsidijs vallati, vt nisi sponte omnibus suæ religionis adminiculis contemptis, in barathrum se dent præcipites, non videantur salute posse excidere: sicut qui in turri aliqua firma, & vndique valido sepimento vallata constitutus est, excidere non potest, nisi se sponte vltra sepimenta & pinnas proiecerit.

161 *De tertio religionis bono.*

Explicuimus duo priora religionis bona, quo modo omnia salutis impedimenta submoueat, & omnia adminicula copiose subministret. Sequitur nunc tertium, quomodo religionis cultu gratitudinem Deo debitam rependamus. Nihil magis homini cordi esse debet, quam vt in Deum suum, à quo tot tantisque beneficijs cumulatus est, non sit ingratus. hoc enim & ipsa beneficiorum multitudo ac magnitudo, & donantis sublimitas, & nostra quoque vtilitas postulat. Nihil enim æquè fontem diuinæ liberalitatis exsiccat, atque ingratitudinis vitium: nihil ita eum scaturire & exundare facit, sicut gratitudinis virtus.

Duo itaque nobis breuiter sunt explicanda. Primò, quos & quantis nominibus illi obstricti simus. Secundò, quo modo per religionem huic debito satisfaciamus.

162 *Decem titulis Deo obstricti.*

Quod ad prius attinet, plurimis rationibus seu nominibus vel titulis obligati sumus ad ei seruiendum, imò ad nos totos eius seruituti mancipandos: qui tamen ad decem reuocari possunt. Primò, ratione creationis nostri. Secundò, ratione creationis mũdi in nostrum obsequium. Tertiò, ratione conseruationis. Quartò, ratione incarnationis. Quintò, ratione redemptionis. Sextò, ratione adoptionis. Septimò, ratione donationis sui in mysterio Eucharistiæ. Octauò, ratione promissionis æternorum bonorum. Nonò, ratione professionis Christianismi. Decimò, ratione peculiarium beneficiorum. Expendamus modo breuiter singula.

Ratione creationis nostri.

Primus titulus quo Deo debitores sumus, est ratione *creationis nostri*. Ipse enim nos ex nihili tenebris, vbi ab æterno delitueramus, in lucem essentiæ & naturæ eduxit: ipse ad imaginem & similitudinem suam formauit: ipse ad seipsum tamquam ad proprium finem nostrum nos condidit & ordinauit. Itaque in hoc titulo triplex ratio debiti continetur: quia triplici modo Deus est causa nostri, & nos ab illo triplici modo dependemus; nempe tamquam à causa efficiente, exemplari, & finali: estque hæc dependentia non extrinsecus adueniens, non accessoria, sed intrinseca & essentialis; adeò vt naturam nostra fine hac dependentia ne concipi quidem animo perfectè possit. Vnde sequitur ex creatione nos essentialiter esse Dei, ac proinde ex vi essentiæ nostræ, eius seruituti nos esse obstrictos: idque triplici ratione. Primò, quia eius opus sumus & figmẽtum. Secundò, quia eius imago & imitatio. Tertiò, quia ipse noster finis, ad cui seruiendum conditi sumus.

Triplici modo Deus est causa nostri.

Triplici Ratione sumus Dei ex vi Creationis.

Singuli hi tituli etiam per se & seorsim spectati, omnem à nobis seruitutem, omne obsequium postulant. Quatenus enim eius opus sumus, longè plus ille in nos iuris habet, quam Dominus in infimum mancipium, & possessor in iumenta, & figulus in testam, & pictor in statuam, & quilibet opifex in suum opus. Hic enim solam externam figuram rebus arte factis tribuit: ille verò vsque ad fundum penetrans, rem totam in solidum producit, eique totum suum esse ex nihilo tribuit. Quare si Dominus de suo iumento, & opifex de suo opere pro arbitrio statuere, & eo prout libet, vti potest; multò magis Deus de nobis & vniuersa creatura. Potest itaque nos extollere & deprimere, percutere & sanare, affligere & consolari, occidere & viuificare, saluare & condemnare: nec quisquam ei dicere potest, cur sic agis? quia ipse iure suo & re sua vtitur: cùm ipsius, plenissima subiectione & absolutissimo dominio, sint omnia. Hac ratione S. Scriptura passim omnium rerum dominium Deo tribuit, quòd omnia sint ipsius opera & figmenta. Psalm. 94. *Tua sunt cæli, & tua est terra: orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem & mare tu creasti.* Act. 17. *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt; hic cæli & terræ cum sit Dominus.* &c.

163 *Vt eius figmentum.*

Quatenus eius imago, ita ei subiecti sumus, & seruire debemus, sicut imago suo prototypo. Vnde sicut totum imaginis officium, & totus eius vsus ac functio est imitari & exprimere ipsum exemplar: ita totum officium hominis est imitari Deum, eiusque perfectiones, nempe sapientiã, charitatem, benignitatem, mansuetudinem, patientiam, misericordiam, & iustitiam, quantum fas est, in se exprimere. Est enim homo imago Dei non mortua, sed viua & sui arbitrij, in cuius potestate est magis & minus exemplari suo se assimilare. Ex hoc titulo monet Dominus Matthæi 5. vt Deũ imitemur. *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* nimirum quia filius est imago patris: imago verò suum exemplar exprimere debet.

164 *Vt eius imago.*

Denique vt ipse finis noster est, etiam ei summam debemus seruitutem: quamuis nec ab ipso, nec ad ipsius similitudinem fingamur esse conditi. Hoc ipso enim, quo ex naturæ nostræ conditione ad eius seruitutem instituti sumus, ei seruire debemus, sicut corpus animæ, & iumentum domino seruire debet. Seruire Deo, est ipsum cognoscere, amare, timere, honorare, laudare, seruare eius præcepta, & omnia ad eius gloriam facere. Hic est finis noster, ad hoc conditi sumus. Non enim ideò facti sumus, aut in

165 *Vt ipse finis noster.*

Seruire Deo.

hanc

hanc vitam venimus; vt comedamus & bibamus; vt diuitijs, honoribus, voluptatibus huius vitæ ad momentum fruamur (indigna sunt infima ista & transitoria, mentis nostræ celsitudine, æternitate, & capacitate) sed vt Deum, bonum infinitum, cognoscamus & amemus, eiusque præcepta ad breue tempus seruando, æternam beatitudinem, quæ in eius clara visione, ardentissimo amore, & fruitione est sita, promereamur. Quod etiam ex eo confirmatur, quod finis cuiuslibet rei sit perfectissima eius operatio. Quare cùm cognoscere, amare, & laudare Deum, sit perfectissima operatio hominis, tam in hac vita quam in futura (vtpote perfectissimæ potentiæ circa perfectissimum obiectum) perspicuum est, id esse finem hominis.

366 Ex quibus perspicuum est, ex sola *creatione* nos triplici titulo naturaliter esse Dei seruos, eique omnem debere famulatum; ita vt nos toto eius obsequio mancipare debeamus, si huic debito vtcumque satisfacere velimus. Primò, quatenus eius sumus figmentum & opificium. Secundò, quatenus eius imago & imitatio. Tertiò, quatenus ad eius seruitutem conditi, & ex natura nostra ordinati. Nulla potest fingi aut animo concipi maior subiectio, nulla maior obligatio, nullum arctius ac penitius vinculum seruitutis.

167 Secundus titulus generalis est, *ex creatione mundi, & deputatione Angelorum in obsequium hominis*. Deus non solum hominem ad suam imaginem, & ad sibi seruiendum condidit; sed etiam condidit hunc mundum, & omnia quæ in eo sunt, ad hominis obsequium: insuper angelicos spiritus ad eius custodiam & directionem deputauit. Triplex hic continetur beneficium. Primum, quòd mundum in nostrum commodum fabricarit. Non enim Angeli, vt qui absque tota natura corporali felicissimè poterant viuere, mundo egebant: sed hominibus ad innumeros vsus erat necessarius. Secundum, quòd mundum nostra causa non solum fabricarit, sed etiam assiduè laborare, & sine intermissione nobis seruire faciat. Nobis enim gyrantur cœli, splendet sol, lucent sidera, spirant venti, coguntur nubes, ruunt imbres, assurgunt montes, currunt flumina, mouentur maria, germinat terra, fecundatur aqua. & parturit omnis rerum natura. Hæc omnia nostra causa, vt nobis seruiant, & commodent, Deus sic esse & operari præcepit. *Ille solem suum oriri facit super bonos & malos: pluit super iustos & iniustos*; ille *homini omnia subiecit: oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris*. Tertium, quòd Angelos multos nobis præstantiores ad nostram destinarit tutelam.

Rationi Creationis Mundi, &c.

Matth. 5.

Psal. 8.

Triplex hoc beneficium rursus de nouo triplici ratione 168 à nobis seruitutem exigit. Si enim ille totam rerum naturam nostræ seruituti mancipauit, omnis ratio postulat, vt vicissim nos totos illius obsequio mancipemus. Si illius imperio & impulsu totus mundus sine intermissione pro nobis laborat, & nostris commodis noctes dieisque seruit; par est vt nos illi tota vita sine intermissione seruiamus; præsertim, cùm eo ipso quo creaturæ nobis seruiunt, ipsemet nobis seruiat, & pro nobis assiduè in creaturis & per creaturas laboret. Illæ enim sunt instrumenta; vt quæ omnem vim suam ab ipso habeant, & sine ipsius auxilio nihil possint. Ipse verò est principalis motor, director, & auctor omnium commodorum, quæ nobis à creaturis prouenium. Itaque ‖ Deus ipse assiduè pro nobis laborat, vt nostris commodis seruiat; qua fronte nos illi seruire, & ad eius gloriam laborare recusabimus? Denique si etiam principes regni sui nostris commodis seruire voluit; quod genus seruitutis & obsequij ei non debeamus? præsertim cum hæc omnia *in* eum finem nobis præstiterit, vt nos ad suum obsequium alliceret. Itaque omnis ratio, omnis æquitas postulat, vt ei nos totos consecremus, qui vniuersam rerum naturam vnà cum cœlestibus spiritibus in nostrum obsequium & commodum mancipauit.

169 Tertius titulus generalis est ratione *conseruationis*. Conseruatio rerum non minus est beneficium, quam prima creatio, cum nihil sit aliud quam creationis continuatio. Nam per illam operationem, qua Deus omnia intimè tenet & conseruat, continenter dat, quod semel datum est. Non enim ita res factæ sunt, vt possint per se consistere, sicut domus semel facta abeunte artifice per se stat: sed opus est assiduo influxu, quo singulis momẽtis detur quod semel datum est: alioquin omnia in nihilum euanescerent. Si ergo singulis momentis Deus confert totum illud bonum quod semel dedit: profectò singulis momentis nos obstringit ad suum obsequium. Non enim naturæ necessitate, aut coactè, sed liberè & mera benignitate nos conseruat: cum singulis momentis, potentia illa, qua nos sustentat, manum possit subtrahere, & sinere nos in nostrum nihilum recidere. Itaque libera illa tanti beneficij continuatio singulis momentis est instar noui beneficij, & nouam ac continuam seruitutis obligationem inducit. Quare ratione conseruationis non minus toti sumus Dei, nec minus ei subiecti, & ad eius seruitutem obstricti, quã ratione creationis. Hos tres titulos complexus est S. Bernardus serm. de quadruplici debito, his verbis: *Ecce in ianuis est, qui fecit cælum & terram; & creator tuus est, tu creatura: tu seruus, ille dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es illi debes, à quo totum habes; qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fecunditatem terræ, fructuum vbertatem. Huic reuerè totis medullis, totis viribus seruiendum, ne forte indignationis oculo te respiciat & despiciat, & conteras in æternum.* Hæc ille.

Rationi Conseruationis.

Quartus titulus est ratione *Incarnationis*: quòd nostræ 170 salutis causa nostram naturam, nostrasque miserias (absque tamen peccato) assumpsit, & triginta tres annos in nostrum obsequium impendit. *Ille cum dives esset, pro nobis egenus factus est, vt nos illius inopia ditates fieremus*. Ille pro nobis famem & sitim, frigus & æstum, labores & fatigationes, dolores & cõtumelias, & omnia vitæ mortalis incommoda sustinuit, vt nobis viam æternæ salutis ostenderet, & exemplum Deo seruiendi præberet. Duplex hic occurrit ratio illi seruiendi. Primò, quod nostram naturam nostrasque miserias assumpserit: altera, quod tanto tempore se in nostrum commodum expenderit. Quidnam tantis beneficijs à nobis digne possit rependi? Infinitam profectò merentur gratitudinem, infinita obsequia, infinitam gratiarum actionem: quia vtrumque infinitæ æstimationis propter infinitam maiestatem benefactoris. ‖ Rex deposita veste regia, & relicta solita magnificentia assumeret habitum & statum mancipij, & triginta tres annos hoc modo in magna afflictione seruiret, vt vilissimum mancipium redimeret; quanto gratitudinis vinculo mancipium illud teneretur obstrictum ad seruiendum Regi illi? Ingratissimum planè censeretur, nisi totius viribus ei studeret famulari. At infinities pluris æstimandum quod Deus pro nobis fecit. *Quid tibi*, inquit Sanctus Bernardus, *dirum vel durum esse poterit, cum retexeris fueris, quòd ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus Sanctorum, ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Dei, venit ad cænosum tuum, ad limum tuum, infixus vsque ad cubitos (vt dicitur) in limo profundi? Quid non suaue tibi, cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui: & rememoraberis primum quidem illarum infantilium necessitatum; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum, conuitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobationum, clamorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis triginta & tribus annis operatus & passus es in medio terræ?*

Rationi Incarnationis.

Ser. de quadruplici debito.

Quintus titulus est ratione *redemptionis*: quòd ille san- 171 guinem & vitam profuderit, vt nos è tyrannide diaboli, & æterna morte eriperet. Duplex est hic beneficium immensæ æstimationis, quorum vtrumque summam à nobis gratitudinem & seruitutem postulat. Primò, quia vitam suam infinities nostra præstantiorem, expendit pro nostra. Vnde etiamsi omnes humus vitæ labores & dolores illius causa toleremus, paria ei reddere non poterimus. Finiti enim ad infinitum nulla est proportio. Illius sanguis & vita, illius labores & dolores; illius contumeliæ & acerbitates, infinitæ sunt æstimationis, propter dignitatem & maiestatem personæ. Secundò, quia nos ab æterna morte & diaboli tyrannide liberauit. Vnde nouo modo facti sumus eius serui; vtpote ab illo è seruitute & morte, soluto maximo pretio, redẽpti. Tota igitur vita nostra omni iure ei seruire debet; quia ille & vitam suã pro nostra expẽdit, & per suam mortem nos ab æterna morte liberauit. Vnde S. Bernardus serm. de quadruplici debito; *Christo Iesu debes om-*

Rationi Redemptionis.

nem

nem vitam tuam: quia ipse vitam suam posuit pro nu, & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. O quàm indebita misericordia, quàm gratuita & probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm inaudita mansuetudo. Regem gloriæ pro despicatissimo vermiculo, imò vermiculo, crucifigi?

172 *Ratione adoptionis.*

Sextus titulus est ratione *adoptionis*: quia nos ex mancipijs & hostibus adoptauit in filios. Quid huic beneficio possit à nobis dignè refundi? Si Rex mancipia rebellia, millies mortem commerita in gratiam reciperet, & insuper in filios adoptaret, eique vnius prouinciæ gubernatione attributa; quis non obstupesceret ad tantã benignitatem? Quis illa mancipia non damnaret ingratitudinis, si non Regis obsequijs, sed suis voluptatibus & lusibus se addicerent? Postulat planè tantum beneficium omnem gratitudinem, omne obsequium, omnem famulatum.

173 *Ratione donationis sui in Eucharistia.*

Septimus titulus est ratione *donationis sui in mysterio Eucharistiæ*, vbi seipsum totum nobis dedit in cibum & potum, vt sic in animam nostram suum transfunderet spiritum, & in corpus immortalitatem. Si ipse totum suum corpus, & totum sanguinem vnà cum anima & diuinitate nobis in cibum & potum dedit, vt nos sanctificaret & beatos efficeret: quid excusationis habebimus, nisi vicissim nos totos ipsi cõsecremus, vt anima nostra & corpus nostrum omni tempore illius honori seruiant? Plus est se dare in cibam, quàm in seruum; & intimè se vnire, quàm exterius famulari. Immensum est hoc beneficium; quia quod datur, immensi est pretij: & fructus qui inde percipitur, immensus: quia spiritus diuini per hunc cibum efficimur participes.

174 *Æternorum promissio.*

Octauus titulus est *æternorum bonorum promissio*. Promittitur ijs, qui Deo fideliter seruiunt, visio Dei, fruitio diuinorum bonorum, participatio diuinæ beatitudinis, Angelorum contubernium, habitatio cælestis, vita æterna, omnium bonorum affluentia. Videmus innumeros qui omni industria per totam vitam seruiunt potentioribus pro rebus infimis & temporalibus: quanto magis seruiendũ Deo pro summis illis & æternis? Si infima & momentanea tantam seruitutem merentur, tantisque obsequijs digna iudicantur, quantis digna sunt æterna illa, quæ infinities omnibus temporalibus præstantiora? Infinitum bonum infinito labore dignum fuerat. Verùm quia hic præstari non poterat, saltem æquitas postulat, vt quidquid habemus & possumus, in illud conferamus: sic enim etiam id quod nos afferimus, quodam modo infinitum erit, si à nobis nullo fine, nullisque limitibus restrictum fuerit. Si vita perpetua pretio comparari posset, nullum pretium videretur nimium: & si quis totius mundi aurum & gemmas possideret, libenter, offerret. *At modo hoc bonum venale est*, (inquit Sanctus Augustinus serm. 64. de verbis Domini) *emo si vis. Dum multum exaltas de re magna propter pretij magnitudinem. Tantum valet, quantum habet; noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res illa tanti valet, quanti es tu: da te, & habebis illam. Sed malus sum, inquies, & fortè non accipiet me. Dando te illi, bonus eris.* Itaque vt hoc bonum comparetur, nihil aliud requiritur, quam vt nos Deo in obsequium tradamus. Si in hoc tempore vitæ nostræ illi fideliter seruierimus, ille in sua æternitate liberalissimè compensabit.

175 *Ratione professionis Christianismi.*

Nonus titulus est ratione *professionis Christianismi*, quam in Baptismo fecimus. Hic renuntiauimus diabolo & operibus eius; renuntiauimus sæculo & voluptatibus eius. Hanc renunciationem valdè ponderant sancti Patres, inter quos Sanctus Ambrosius lib. 1. de Sacramentis capitu. 2. ita scribit; *Quando te interrogauit, Abrenuntias diabolo & operibus eius, quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo & voluptatibus eius? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tua series cautionis*, &c. Similia habet Sanctus Augustinus lib. 4. de Symbolo ad Catechum. capit. 4. & Cyprianus epistol. 7. Itaque ex vi nostræ professionis obstricti sumus, vt voluptates, diuitias, honores non amemus, non sectemur, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Hoc itaque dico, fratres, tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. præterit enim figura huius mundi.* Ecce quanta perfectio exigatur ab omnibus Christianis, si suæ professioni satisfacere velint: nimirum vt tam parum afficiantur rebus huius mundi, ac si eas non haberent, ac si eas à se abdicassent.

Idem confirmatur ex eo, quòd in Baptismo profiteamur nos exuere veterem hominem, & induere nouum. Vita veteris hominis est amor sæculi, & vita sæcularis. Vita noui hominis est amor Dei, & imitatio Christi. Ex quibus patet, eum Christianum, qui amore diuitiarum, honorum, voluptatum tenetur, non satisfacere suæ vocationi: quia neque veterem hominem exuit, neque nouum induit; sed ijsdem affectibus viuit quibus Ethnici. *Ad Gal. 3. & ad Colos. 3.*

176 *Ex beneficijs primatis.*

Decimus titulus est *ex beneficijs primatim collatis*, quę multiplicia sunt: vt quòd tempore gratiæ nati; quod à Christianis parentibus progeniti, & Christianè educati: quòd ab hæresi & infinitis peccatorum periculis præseruati: quod etsi Deum toties offenderimus, ab ipso, prout merebamur, non simus condemnati, nec dæmonis potestati traditi, sed benignè tolerati, & ad pœnitentiam adducti; quòd toties peccantibus, toties peccata condonarit, & ex inimicis filios effecerit: & alia huiusmodi. Singula horum beneficiorum perpetuam merentur seruitutem. Et vt cetera omittam, quisque secum cogitet quoties Deum mortiferè offenderit, & æternos cruciatus meruerit: & quoties iterum ei sit reconciliatus, & ex inferno ereptus, & ex inimico amicus & filius effectus. Singulæ peccatorum condonationes, & singulæ adoptiones infinitam postulant gratitudinem; quia singulæ bonum infinitum.

177 *Immensa summa.*

Ex quibus perspicuum est, si omnes isti tituli, omniaque debitorum nomina in vnum conferantur, immensam quãdam debitorum summam confectum iri, cuius ne millesimæ quidem parti vmquam pares esse possimus.

Vt enim breuiter omnia colligamus: sumus illi debitores. Primò, quia eius figmentum. Secundò, quia eius imago. Tertiò, quia ad eius seruitutem à natura destinati & facti. Quartò, quia ipse mundum, & omnia quæ in eo sunt, nostra causa fecit. Quintò, quia omnem creaturam in nostrum commodum assiduè laborare facit. Sextò, quia Angelos in nostram tutelam destinauit. Septimò, quia nos assiduè conseruat, & ab ipso, sicut radius à sole, dependemus. Octauò, quia nostram naturam, nostrasque miserias assumpsit, & se in nostrum obsequium magnis laboribus impendit. Nonò, quia per magnos cruciatus vitam suam profudit, vt nos à tyrannide diaboli & æterno incendio liberaret. Decimò, quia cùm inimici essemus, nos sibi reconciliauit, & in filios adoptauit. Vndecimò, quia seipsum nobis in cibum & potum dedit, vt spiritum suum in nos transfunderet, & immortales redderet. Duodecimò, quia æterna & infiniti pretij bona nobis promisit. Decimotertiò, quia nos ipsi sæculo renuntiauimus, & Christi imitationem professi sumus. Decimoquartò, quia toties peccata nostra, cùm æternum ignem mererentur, tolerauit, & diabolum in nostrum exitium paratum, impediuit. Decimoquintò, quia toties peccata nostra nobis condonauit, toties ius adoptionis & cælestis hæreditatis amissum restituit. Omitto particularia multa, quæ speciatim cuique collata. Et immensam debitorum summam. Imò singula per se spectata & ponderata immensa sunt, cùm singula beneficia, ex quibus illa oriuntur, infinitæ sint æstimationis.

178

Meritò itaque dicere possumus cum B. Bernardo: *Cum ei donauero quidquid sum, quidquid possum; nonne istud totum est sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad æternum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel potiùs vnum minutum, voluntatem meam: & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficijs præuenit, qui toto se totum me comparauit?*

Idem Epistol. 143. ad suos Clareuallenses in eamdem sententiam ita scribit: *Seruite illi in spe, quia fidelis est in promissis: seruite ex merito, quia multis in meritis est. Nam etsi cetera taceam, hoc solo certè non immeritò sibi vendicat vitam nostram quia pro ea posuit suam. Nemo igitur sibi viuat, sed ei qui pro se mortuus est. Cui enim iustius viuam, quàm ei, qui si non moreretur, ego non viuerem? Cui commodiùs quàm promittenti vitam æternam? Cui magis ex necessitate, quam flammæ perpetuæ minitanti?*

Idem tractatu de diligendo Deo col. 6. pulcherrimè ostendit nos pluribus titulis in solidum esse, eique omnem debere seruitutem: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam*

dam iam pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus quam factus. Nam qui me semel & tantum dicendo fecit: in reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantum dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se: & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus tue pro re debeo. & bis debeo. Quid Deo retribuã pro se? Nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum?

Ex his manifestè sequitur, cũ tot nominibus simus Dei, & omnem ei debeamus seruitutem, quantum crimen sit Deo non seruire; velle esse sui iuris, sibi viuere, & omnia ad suum commodum & honorem referre? bene hoc expressit S. Bernardus sermone 20. in Cantica: *Dignus planè est morte, qui tibi Domine Iesu recusas viuere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit; & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Propter semetipsum Deus fecisti omnia, & qui vult esse sibi, non tibi, nihil incipit esse inter omnia;* hoc est, nullius pretij, nullius momenti.

179 Sequitur nunc vt videamus, qua ratione tanto debito tantisque beneficijs, etsi non plenè, saltem pro nostra infirmitate possimus satisfacere. Non enim amplius à nobis diuina benignitas requirit, quam commode possimus præstare. Tria bonorum genera habemus, quæ illius obsequio deuouere & mancipare possumus, *animam, corpus, & bona externa*. Qui hæc tria pro tempore huius vitæ integrè ei consecrat, is pro sua conditione illi satisfacit: qui verò aliquid sibi retinet, non satisfacit, quia omnia debet. Consecrantur autem illa tria Deo fiendter in religione, non alibi. ac proinde sola religio Deo satisfacit: sola perfectam gratitudinem, quantum fert humana conditio, pro tot beneficijs ac nominibus refert: sola nos totos ei penitus mancipat, & indolubili vinculo adstringit. Itaque etiam hac ex parte, & ratione huius effectus, maximum bonum censeri debet. Per votum paupertatis Religiosus offert Deo omnia bona externa, seque ita spoliat, vt nullius dominij sit amplius capax; nec possit vllare vti, nisi ex Dei nutu & beneplacito. Per votum castitatis offert ei corpus, vt absque omni contaminatione per totam vitam ei seruiat. Per votum obedientiæ offert intellectum & voluntatem, & omnes eorum tam externas quam internas functiones, vt omnes ex eius arbitrio, & ad eius gloriam dirigantur. Nihil amplius in hac vita à nobis donari aut præstari potest: nulla maior aut perfectior de nobis & nostris rebus fieri oblatio: nullo vinculo ei possumus arctius colligari. Vnde meritò nomen Religionis hic status ἐξοχὴν sibi vindicat.

Quare cùm religio tanta bona in se complectatur, omnia salutis impedimenta submoueat, omnia adminicula 180 conferat, & debito illi quo Deo obstricti sumus, quantum homini possibile est, satisfaciat; meritò sancti Patres miris laudibus hunc statum efferunt. Nam Religionem ipsam appellant *domum Dei, familiam Christi, portam cæli, cælum terrenum, vitam angelicam, cælestium spirituum imitationem, veram philosophiam, militiam spiritalem, virtutum palæstram, scholam humilitatis, turrim Euangelicam, arcem munitam contra omnes nostræ salutis hostes, in qua sunt muri paupertatis, excubiæ Prælatorum, turres doctrinarum, tuba prædicationis, scutum orationis, vinum compunctionis, aqua lacrymarum, cibus robustorum: agnum Dei ex quo magnus cælo prouentus: scalam Iacob, per quam commodissimè ascenditur in cælum: cuius gradus sunt lectio, pia meditatio, carnis mortificatio, humilitatis, obedientiæ, charitatis, & aliarum virtutum exercitatio: per hos gradus ascendere Angelos, cum ista Religiosorum opera Deo offerunt; descendere, diuina cùm munera, quæ ipse propter illa largitur, ad eos deferunt; huic scalæ supernè incumbere Deum; quia eius singulari prouidentia religio gubernatur & stabilitur: ipse ascendentibus firmamentum, & perueni entibus præmium. Vnde meritò de hac scala dici potest: Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. Montem Thabor, in quo Domini gloria, quantum fas in hac vita, cernitur: montem coagulatum & pinguem, in quo Deo no beneplacitum habitare: pretiosum illud margaritum Euangelicum omnibus dicendis comparandum.* Et multa alia, quibus dignitatem, sanctitatem, fructum, & solatia huius status omnium animis insinuare studeut.

Ipsos quoque Religiosos magnis titulis ornant, dum eos vocant, *partem selectiorem & sapientiorem Ecclesiæ, Nazaræos* 181 *noua legis, illustriorem gregis Christi portionem, florem Ecclesiastici germinis, inter Ecclesiastica ornamenta lapidem pretiosissimum, fœnum vitæ, homines cælestes, angelos terrestres, veros philosophos, imitatores Christi, angelicæ vitæ æmulos, mundo superiores.* & similia.

Multa in hanc sententiam habemus apud S. Cyprianum lib. de disciplina & habitu Virginum: Eusebium lib. 1. demonst. Euang. cap. 8. S. Gregorium Nazianzenum oratione ad Iulianum quæstorem sub finem; oratione prima in Iulianum Apostatam ante medium, & in carmine ad Hellenium: S. Basilium Constit. monast. c. 19. S. Chrysostomum homil. 56. 57. & 58. ad populum, quæ totæ sunt de vita Monachorum, & libris tribus contra vituperatores vitæ monasticæ: S. Hieronymum Epist. 1. 8. 17. & 34. Climacum gradu 4. S. Ephræm. serm. de virt. & vitijs. S. Ioannem Damascenum in historia Iosaphat: S. Bernardum ad Fratres de monte Dei, & serm. 63. in sermonibus paruis: S. Antoninum 3. p. tit. 16. ca. 10 §. 11. S. Laurentium Iustinianum lib. de monastica conuersatione, & alios. Ex quibus multa testimonia verbatim refert noster Platus. Nos duobus contenti erimus, altero S. Basilij, altero S. Augustini. S. Basilius constit. monast. cap. 19. *Primum*, inquit, *qui hanc vitæ communionem amplectuntur, ad illud bonum, quod secundùm naturam est, reuertuntur. Eam enim vitæ communionem ego perfectissimam voco, à qua omnis propria & priuata rei cuiuslibet possessio est exclusa: à qua abest omnis dissensio, omnis perturbatio, & rixa: sed è contrario, vbi omnia communia, animi, mentes, corpora, & ea quibus necessario ad cultum & victum vtimur: communis Deus, communis pietatis mercatus, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum corona: vbi multi vnus, & vnus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ instituto quid tandem est quod possit æquiparari? Quid beatius, quid hac communitione, vnitate, necessitudine amplius excogitari? Quid elegantius fingi mutuum inter se morum & animorum contemperationem? homines ex diuersis nationibus ac regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeò veluti in vnum coaluisse, vt in pluribus corporibus vnus tantum animus inesse videatur; & vtique plura corpora vnius mentis instrumenta censantur?* Et multa alia quæ sequuntur.

S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 31. *Quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, vincentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pernicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & suauissimam in Deum, gratissimum ipsi munus afferunt, à quo ista posse mereruntur. Nemo quidquam possidet proprium; nemo cuiquam onerosus est. Patres verò non solum sanctissimis moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, nulla superbia consolunt ijs quos filios vocant: magna sua in iubendo auctoritate, magna eorum in obtemperando voluntate.*

Et infrà: *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque dignè valeo & vereor, ne vituperare videar per se ipsum tantummodò expositum, placere non possit.* Hæc ille.

Finem facio hac breui & veriſſima ſententia, qua ſummatim bona religionis perſtringuntur: *In religione horum vnus puerùm, incedit cautiùs, cadit rariùs, surgit velociùs, rigatur frequentiùs, fructificat vberiùs, consolatur ocundantiùs, moritur securiùs, præmiatur copiosiùs.*

FINIS.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

PERLATVS *eſt ad me nuper libellus typis Londini in Anglia, à Ioanne Norton excuſus, hac epigraphe:* Apologia pro iuramento fidelitatis, primùm quidem ἀνώνυμος, nunc verò ab ipſo Auctore Sereniſſimo ac Potẽtiſſimo Principe, Iacobo Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rege, fidei defenſore, denuò edita: cui præmiſſa eſt Præfatio monitoria, Sacratiſs. Cęſari Rodolpho II. ſemper Auguſto, ceteriſque Chriſtiani orbis Sereniſſimis ac Potentiſſimis Monarchis, ac Regibus, &c. inſcripta eodem Auctore. *Idem in Hollandia ac Gallia recuſus, & in vulgares linguas transfuſus. Legi mox accuratè, & indolui tale ſcriptum tanti Principis in fronte nomen præferre. Et ſanè ægrè in animum inducere potui, vt crederem ipſius Principis eße opus, cùm tam procul à grauitate, & moderatione, quam Principes ſeruare decet, & præſertim à veritate & ſinceritate abſit, vt longiùs abeße non poſſit. Omnia plena lædorijs, maledictis, blaſphemijs, calumnijs, irriſionibus, deprauatis Scripturarum, & Patrum ſententijs, adulteratis interpretationibus, paralogiſmis, antilogijs. Multa quę millies à Catholicis ſunt refutata, tanquam certa & manifeſta ingeminantur: multa quæ manifeſtè falſa, intrepidè & abſque fronte aßeruntur. Redolet profectò ſcriptũ iſtud non Regiam indolem, ſed noui Euangelij miniſterium; quod huiuſmodi tropis, & pigmentis orationis, ſcripta ſua ſolet adornare: qualia ſunt iſta quæ paſſim hic occurrunt:* Apoſtatica Eccleſia *pro Apoſtolica:* Babylonius monarcha: Babylonius tyrannus: ſtramineus ſanctus: ſtraminea miracula: Babylonicę meretricis ſcortationes; abominationes Antichriſti; *& ſimilia. Produnt etiam ſe paſſim in quoſdam priuatos degeneres affectus, indoli Regiæ indecori, & odia pluſquam Vatiniana, quibus Auctor aculeis orationis mirè indulget. Denique quidquid vmquam* acerbitatis *ab hæreticis huius æui in doctrinã Eccleſiæ, in Summum Pontificem, in dignitatem Cardinalium, in ordines Religioſorum, & præſertim in Ieſuitas effuſum eſt, hoc ferè totum in iſtum libellum inuenias ſtipatum. Quare meritò non Regi ipſi, quem ego melioribus exercitijs, Regiaq; dignitati congruẽtioribus diſtineri crediderim, ſed Miniſtro alicui Calumniſtico duplex hoc ſcriptum quis aſſignauerit, & vt miniſtricum opus refutauerit, etſi Regium nomen præſeferat. Non enim ſemper quæ ſub nomine Regum prodeunt, ab illis excogitata, collecta, conſcripta. Sæpè ab hominibus improbis cauſam ſuam tectè agentibus, & priuata compendia ſectantibus, magnis Principibus ſpecie Iuſtitiæ, vel Religionis, vel publicæ vtilitatis imponitur, vt ea ſub nomine ſuo euulgari ſinant; qua detecta veritate ipſimet deteſtarentur, & ſupplicijs vindicarent. Exempla plurima extant apud veteres; & in primis notabile illud Aßueri circumuenti ab Amano. Multi hoc tempore apud Principes quoſdam potentes Amani, qui priuatis affectibus indulgentes, Principum potentia, & facilitate ad piorum euerſionem, & religionis Catholicæ exterminium,*

abuntur, pari exitu dignissimi. Itaque mirum non est, eum Regem ab impostoribus in hanc fraudem impulsum, cuius iuuenta non alios ad religionem formatores habuit; etsi alioquin indoles præclara extiterit.

Et quamuis nihil in hoc libello noui adferatur ad dogmata pertinens, quod non sæpiùs à Catholicis Doctoribus, & in primis à Doctissimo Cardinale Bellarmino hæreticorum malleo tractatum sit, & confutatum: tamen quia non desunt in Hollandia, & alibi, qui disputationem de Antichristo inter cetera magnifaciant, & contumeliam in fidei articulum vertant: rogatus sum vt hanc partem paulò accuratiùs excuterem, & argumentis, quæ in Regio libello adferuntur, responderem. id enim ab alijs nisi obiter hactenus factum non esse. Qua in re censui mihi parcendum Regiæ dignitati, & nomini, quod mihi cumprimis venerabile; & totam disputationem in eum dirigendam, qui Regiæ Maiestati fucum, & impostruram fecit, eamque in probrosissimam causam pertraxit. Porrò vt tota res melius discutiatur, instituam duas Disputationes: alteram de rebus Antichristi: possintne ea quæ à Scripturis de Antichristo traduntur in Summos Pontifices conuenire: alteram de Antichristi præcursoribus, quinam iuxta mentem Scripturarum sint veri illi præcursores, & ministri prodromi.

De auctoritate Patrũ.

Et quamuis sola Scriptura propriè & seriò non illusoriè exposita, in hac causa nobis satis esse queat: tamen vt omnes clarè videant, quænam omnibus sæculis antiquorum Patrum fuerit sententia, putaui etiam horum testimonia proferenda. Horum enim præcipua hac in re debet censeri auctoritas. Primò, propter eximiam eorum sapientiam & sanctitatem. Secundò, propter eorum consensum; cùm tamen diuersis sæculis, diuersis regionibus, & diuersis occasionibus scripserint. Tertiò, quia vacui fuere in hac causa passionibus, quæ maximè hominum iudicia peruertunt, vt qui diu ante has controuersias extiterint. Aduersarij nostri nullos testes habent nisi domesticos, & suæ factionis homines, qui hoc sæculo huius controuersiæ fuere auctores, vel post eam motam exorti. Quartò, quia omnino credibile est Patrum hac in re sententiam ex Apostolica traditione descendere.

Multa de Antichristo tradidere Apostoli verbo, quæ literis non fuere ausi commendare, ne in Romanum Imperium viderentur inurij, vt multi Patres notarunt. Vnde Paulus 2. ad Thessal. 2. cùm breuiter & obscurè quædam de Antichristo, & tempore aduentus eius dixisset, addit: Num retinetis quòd cùm adhuc

Hieron. epist. 151. ad Algasiam. Chrysost. homil. 4. in c. 2. ep. 2. ad Thessalo. Theophyl. in eundem locum, & alij.

essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in tempore suo, &c. *Illi itaque quid remoraretur aduentum eius, & multa alia de Antichristo ex doctrina Apostolica nouerant, quæ ex Scripturis non possunt clarè colligi: quæ nos omnino ignoraremus, nisi ea à Patribus tradita & exposita haberemus: quos dubitandum non est eadem à suis maioribus, & hos ab Apostolorum discipulis accepisse. Cùm enim Spiritus Sanctus docuisset Apostolos omnem veritatem iuxta Christi promissum, & totius Scripturæ intelligentiam: dubitari non potest, quin suis discipulis, & Episcopis, quos vbique instituebant (cum quibus tot annis versati sunt) omnia fidei mysteria explicuerint, & obscuriora Scripturarum loca eò pertinentia sint interpretati; & Episcopi eorum discipuli in omnibus dubijs, & obscuris quæstionibus eas consaluerint. Debebat enim doctrina mysteriorum, & intelligentia Scripturarum, in totum corpus Ecclesiæ, per omnes ætates,*

Irenæus li. 3. contra Hæres. c. 4. Basilius de Spiritu Sancto, c. 27. Epiphan. Hæresi 55. Hieron. dialo. contra Lucif. c. 4.

tes, vsque in finem sæculi propagari. Non enim Apostoli tantùm pro seipsis, aut Ecclesia sui temporis; sed pro suis posteris, & Ecclesia sequentium sæculorum, mysteriorum fidei, & Scripturarum intellectum accepere. Certissimum ergo est, eos successores suos, & Ecclesiarum Rectores de omnibus instruxisse: qui deinde suis posteris, ea quæ ab Apostolis acceperant, tradiderunt. Hinc tanta Patrum in rebus fidei omnibus sæculis consensio: hinc tanta Romanæ Ecclesiæ, quæ traditioni Apostolicæ penitùs inhæret, doctrinæ vniformitas, & stabilitas, omnis nouitatis respuens. Et sanè sine hac traditione nihil certi neque in Scripturis, neque in mysterijs explicandis haberemus.

Itaque cùm multa apud Danielem, Apostolum Paulum, & in Apocalypsi de Antichristo habeantur, & valdè necessaria sit Ecclesiæ eorum notitia, nimirum, quo tempore venturus, quid acturus, & docturus, & quibus notis, cùm venerit, possit cognosci, vt fideles tempestiuè possint moneri, ne ab illo circumueniatur: necessarium omnino fuit, vt Apostoli horum notitiam, doctrinam, & explicationem suis discipulis, & successoribus traderent, & hi vlteriùs suis; vt sic per omnem Ecclesiam in omne æuum propagaretur. Quare sicut in alijs mysterijs obscurissimis, & cognitu necessarijs maximè ad Patrum expositionem, & sententiam concordem, tamquàm ab Apostolis deriuatam, confugiendum est: ita in hoc arcano de Antichristo. Et quæcumque Patres vnanimi consensu absolutè affirmant, ea pro indubitatis habenda; etiamsi fortè non ita clarè ex Scripturis probari posse videantur. Credendum enim eos traditione illa accepisse: vt, Antichristum fore Iudæum; venturum sub finem sæculi; gesturum se pro Messia; à Iudæis recipiendum; coacturum homines, vt se pro vero Deo adorent, & Christum abnegent: persecuturum Ecclesiam Christi; cultum Christi, & Sanctorum totis viribus aboliturum; ex professo apertum Christi hostem futurum; tres annos cum dimidio Ecclesiam oppugnaturum; Eliam Thesbiten, eiusque comitem perempturum, &c. Fieri enim nequit, vt tanto consensu in idem conspirent, nisi vel Scriptura apertè eos conuincat, vel illud tamquam ab initio traditum acceperint.

Ex quibus perspicuum est, quanti Patrum auctoritas sit æstimanda. Porrò hanc in disputando rationem seruabo: semotis conuicijs, quæ causam numquam meliorem efficere possunt, & Rhetoricis digressionibus, more scholastico vrgebo Scripturarum, & Patrum sententijs, & rationibus in illorum doctrina fundatis. Deinde argumenta, quæ in libro Regis proponuntur, vel insinuantur, dissoluam, singulis in suam classem ordinis causa digestis. Multa priuata quæ ibi tractantur, non putaui mihi persequenda: alijs fortè id curæ erit, qui res Anglicas melius norunt. Mihi satis erit, doctrinam Catholicam generatim defendisse; & quæ illi aduersantur, refelliſſe. Vnde confido neminem, ne ipsum quidem Magnæ Britanniæ Regem, cui ego omne bonum intimo animi affectu voueo, hoc meum studium ægrè laturum.

DISPVTATIO
DE ANTICHRISTO
CONSTAT XVI. DEMONSTRATIONIBVS.

I. EX *auctoritate Doctorum, & omnium patrum.num.* 3. pag. 173
II. *Ex absurdo. nu.*5. 173
III. *Ex Vnitate Antichristi. nu.*9. 174
IV. *Ex tempore, & modo istius mutationis, num.* 12. 175
V. *Ex repugnantia aduersus Christum.n.*18. 176
VI. *Ex modo Veniendi, & receptione à Iudais. nu.* 19. 176
VII. *Ex professione Antichristi.nu.*21. 177
VIII. *Ex tempore aduentus.nu.*25. 178
IX. *Ex persecutione Antichristi.nu.*27. 179
X. *Ex miraculis Antichristi.nu.*34. 181
XI. *Ex consideratione nominis.nu.*38. 182
XII. *Ex loco & sede Antichristi.nu.*41. 182
XIII. *Ex consideratione temporis quo regnabit persequens Ecclesiam.n.*49. 186
XIV. *Ex consideratione potentiæ, & præliorum eius. num.*56. 187
XV. *Ex consideratione duorũ Prophetarum Enoch, & Eliæ. nu.*63. 190
XVI. *Ex consideratione finis Antichristi.nu.*76. 197

DISPVTATIO
DE ANTICHRISTI
PRÆCVRSORIBVS

Constat duabus Demonstrationibus, & Responsione ad quædam argumenta, & Appendice de Caluino.

I. DEmonstratio sumitur ex generali ratione hæreseos, quæ conuenit in Lutheranos, & Caluinistas. nu.1. 200
II. Demonstratio ex decem Comparationibus inter Antichristum, & Sectarios huius temporis. nu 6. 201
I. Comparatio 1. in studio abducendi homines à fide.nu 7. 201
II. In neglectu bonorum operum & licentia vitæ. nu.9. 202
III. In tollendo ingi Sacrificio.nu.10. 202
IV. In tollendis Ecclesiæ Sacramentis, Officijs diuinis, Festis, ieiunijs. &c.nu.11 202
V. In mutilandis Scripturis, & earum sententia pernertenda. nu.12. 203
VI. In tollendo mysterio Sanctissimæ Trinitatis. nu. 15. 204
VII. In varijs contra Deum, & Sanctos blasphemijs, quarum XIII. genera recensentur.nu.17. 205
VIII. In hypocrisi, & varia fraude. nu.30. 209
IX In persecutione contra Ecclesiam.nu.35. 210
X. In falsis miraculis,nu.37. 211
Responsio ad rationes, quibus Author Monitionis contendit se probare Catholicum.nu.38. 211
Appendix de Caluino.nu.46. 213

ZACHA-

ZACHARIÆ VIII.

VERITATEM ET PACEM DILIGITE

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM,

QVÆ DVABVS HISCE DISPVTATIONIBVS continentur.

Æquiuocatione, quando ex Catholicorum Doctorum sententia, liceat Vti. 180
Agni Victoriam, mirificè contra Scripturam interpretatur Auctor Præfationis. 190
Anabaptistæ sunt hæretici. 200
Anabaptistarum doctrina ab omnibus damnata est. 200
Antichristi nomen dupliciter sumitur in Scripturis. 173
Antichristum Vnum fore hominem, qui in fine mundi Ecclesiam persequetur, docent Hieronymus, & Augustinus. 174
Antichristus in nomine suo & non tamquam ab alio missus veniet. 174.176
Antichristus se pal im geret pro aduersario Christi. 176. pro Messia & Deo. 177
Antichristus recipietur à Iudæis pro Messia. 176
Antichristus extollet se supra Deum propriè dictum. 177
Antichristus tollet publicum cultum aliorum idolorum, vt ipse solus publicè colatur. 178
Antichristus non veniet, nisi sub finem mundi. 178
Antichristus persequetur fideles omnes, vt eos à Christi cultu ad sui cultum traducat. 179
Antichristus sibi adhærentibus certum signũ dabit, sine quo nemo possit emere vel vendere. ibidem
Antichristus prosperabitur Vsque dum interimatur. 179
Antichristi persecutio non diu durabit. 180
Antichristus innumerabili exercitu persequetur Ecclesiam. 180
Antichristi nomen. 182
Antichristus erit Iudæus, non Latinus. 182
Antichristi sedes, non erit Romæ sed Ierosolymis. 182
Antichristus peribit in monte sancto. 183
Antichristus inchoabit regnum suum in regione Babylonis. 183
Antichristus tres annos cum medio persequetur Ecclesiam. 186
Antichristi figura fuit Antiochus. 186
Antichristus maximum habebit imperium per totum panè orbem. 187
Antichristo se opponent duo Prophetæ. 190
Antichristi exercitus igne delebitur. 197
Antichristus ipse cum suo Pseudopropheta vivus mittetur in stagnum ignis, & sulphuris. ibid.
Antichristi mors. 197
Antichristus abducet homines a studio bonorum operum. 202
Antichristus non exiget à suis Decalogi obseruationem, sed tantùm fidem in se. 202
Antichristus auferet iugi sacrificium. 202
Antichristus tollet omnia Ecclesiæ Sacramenta, officia diuina, festa, ieiunia. 202
Antichristus quodammodo retinebit diem Dominicum. 203
Antichristus reijciet Scripturæ partes sibi manifestiùs aduersas. 203
Antichristus, quas Scripturas admittet, eas ad libitum, contra mentem Patrum, explicabit. 203
Antichristus tollet mysterium sanctissimæ Trinitatis. 204
Antichristus Deum & Sanctos blasphemabit. 205
Antichristus erit insignis hypocrita. 209
Antichristus grauissimè persequetur Ecclesiam. 210
Antichristus falsis miraculis homines fallere nitetur. 211

B

Babylon fuit figura Romæ gentilis. 183
Bestia, per quam Antichristus significatur, vnica est & singularis. 175
Bestia, quæ describitur cap. 13. Apoc. significat Antichristum. 184
Bestia, de qua agitur cap. 17. Apocal. non potest significare Antichristum. ibidem
Bestia, quæ cap. 13. describitur, non est eadem cum illa, quæ cap. 17. describitur. ibid.
Bestia de qua agitur cap. 17. Apocal. est Diabolus, vt regnum huius mundi obtinens. 185
Bestia quarta Danielis 7. designat quartum regnum; scilicet Monarchiam Romanorum. 187
Beza asserit, Actor. 2. v. 27. tam certum esse per animam corpus, & per infernum sepulchrum, intelligi, vt nemo dubitare possit, nisi qui in meridie cæcutire velit. 209
Blasphemia prima hæreticorum nostri temporis. 205
Blasphemia secunda eorumdem. 207
Blasphemia tertia. 207
Blasphemia quarta. ibid.
Blasphemia quinta. ibid.
Blasphemia sexta. ibid.
Blasphemia septima. 208
Blasphemia octaua. 208
Blasphemia nona. 208
Blasphemia decima. 208
Blasphemia Vndecima. 208
Blasphemia duodecima. 208
Blasphemia decimatertia. ibid.
Blasphemias hæretici vẽdũt p dogmatibus fidei. 205
Bonifacius III. non fuit primus Antichristus. 175
Bonifacius III. nil noui iuris a Phoca Sedi Apostolicæ impetrauit. 176

C

Caluinus præcursor est Antichristi. 200
Caluinus blasphemè docuit, Christum in cruce

vocem deſperationis emiſiſſe. 208
Caluinus blaſphemè docuit, quòd Chriſti mors inutilis planè fuiſſet, niſi ipſe damnatorum etiam pœnas ſuſtinuiſſet. 208
Caluinus odio cæcus, aſſerit adeò manifeſtum eſſe ex Scripturis, Papam eſſe Antichriſtum, vt puer decennis id facilè poſſit aduertere. 209
Caluinus viam ſtrauit tollendo myſterio SS. Trinitatis. 205
Caluinus Iudaizans. 205
Caluinus clarè docet Deum omnium ſcelerum auctorem primarium. 205
Caluinus docet Deum magis eſſe auctorem ſcelerum, quàm vel hominem, vel diabolum. 206
Caluinus ſibi repugnat. 206
Caluini ſententia de regula credendi. 203
Caluinum criminis Sodomitici condemnatum fuiſſe, probatur. 214.213
Caluini parens Gerardus Cauuinus, homo impius, & in Deum maximè blaſphemus extitit. 214
Caluinus Simoniam, Eccleſiaſtica beneficia vendendo, commiſit. ibid.
Caluinus, Cauuinus antè dictus, nomè immutauit. ibid.
Caluinus Caluinum vindictæ cupidiſſimum apud Iuuenal. Satyr. 13. pulchrè expreſſit. ibid.
Caluinus, per anagramma eſt Lucianus. ibid.
Caluini ſtigmata, cum Pauli ſtigmatibus confert Vvittakerus Caluinista. ibid.
Caluinus, inter diſſolutos fuæ vrbis diſſolutiſſimus; inter inconſtantes inconſtantiſſimus fuit. 215
Caluinum in Sodomiæ crimen incidiſſe, conſonat ipſius doctrinæ. ibid.
Caluinum in Sodomiæ crimen incidiſſe, conſonat moribus diſcipulorum eius. ibid.
Caluinum in Sodomię crimen incidiſſe, conſonat ſacrę Scripturæ. 216
Caluinum in Sodomiæ crimen incidiſſe, ſeptem teſtes omni exceptione maiores aſſerunt. 214
Caluinum in Sodomiæ crimen incidiſſe, frater ipſius in Chriſto Conradus Schluſſelburgius Lutheranus Euangelicus aſſerit. 215
Caluiniſtarum grex, non eſt ciuitas dilecta. 180
Caluiniſtas hæreticos eſſe. 200
Caluiniſtarum doctrina, ab omnibus, præterquam ab ipſis, damnata eſt. 200
Caluiniſtæ auocant a ſtudio bonorum operum. 202
Caluiniſtas præcurſores eſſe Antichriſti, demonſtratur. 200. *vſque ad finem libri.*
Caluiniſtæ niuntur iuge ſacrificium tollere. 202
Caluiniſtæ tollunt venerationem crucis, & imaginum Chriſti, & Sanctorum. ibid.
Caluiniſtæ ſeipſos in notitia ſuæ ſalutis, & diuino fauore, Chriſto præferunt. 208
Caluiniſtæ blaſphemant Chriſtum in Euchariſtia. 208
Caluiniſtæ baptiſmi auferendi fundamentum poſuerunt. 202
Caluiniſtæ retinent diem Dominicum. 203
Caluiniſtæ diuina officia, feſta, & ieiunia Eccleſiæ ſuſtulerunt. 203
Caluiniſtæ quos Scripturæ libros reiiciant. 203
Caluiniſmum cur multi amplexentur. 211
Calumnia Præfatoris in Pontificem, quantum peccatum. 198
Caſtalion Euangelicus, aſſerit Caluiniſtarum Deum eſſe Satanam. 207
Catholicorum vitam & doctrinam, per mendacia impudentiſſima traducunt hæretici. 209
Catholicus ſit Auctor hæreticæ Præfationis? 211
Catholicorum fundamentum ſolidum. 212
Catholici nulli Pontificem proprié Deum eſſe crediderunt, aut dixerunt. 177
Characterem Antichriſti ſolidè explicat Auctor hæreticæ Præfationis. 180
Chriſtus Eccleſiam ſuam deſeruit, ſi Pontifex eſt Antichriſtus. 174
Chriſti corpus vbiq; eſſe, blaſphemauit Lutherus. 176
Chriſtum in cruce damnatorum pœnas ſuſtinuiſſe, blaſphemè docuit Caluinus. 208
Chriſto ignorantiã ſui ſtatus tribuũt Caluiniſtæ. 208
Chriſtum grauiter peccaſſe, ſequitur ex dictis Caluiniſtarum. ibid.
Chriſti ſanguine nos non poſſe ſaluari, docet Caluinus. ibid.
Chriſtum non pro omnibus, ſed pro ſolis ſecum conſentientibus, mortuum eſſe, blaſphemè docent Caluiniſtæ. ibid.
Chriſtum ipſum ferunt blaſphemiæ in Rom. Pontificem ipſius Vicarium, & Eccleſiam Catholicam ipſius ſponſam, iaculatæ. ibid.
Comparatio prima Lutheranorum, Caluiniſtarum, & Anabaptiſtarum cum Antichriſto, in ſtudio abducendi à fide Catholica. 201
Comparatio ſecunda eorundem, in neglectu bonorum operum, & licentia vitæ. 202
Comparatio tertia in tollendo ſacrificio. 202
Comparatio quarta, in tollendis Eccleſię Sacramẽtis, & cærimonijs. 202
Comparatio quinta, in mutilandis & peruertendis Scripturis. 203
Cõparatio ſexta, in tollendo myſterio Trinitatis. 204
Comparatio ſeptima, in variis blaſphemijs. 205
Comparatio octaua, in hypocriſi & fraudibus. 209
Comparatio nona, in perſecutione cõtra Eccleſiã. 210
Comparatio decima, in falſis miraculis. 211
Cornu paruulum eſt Antichriſtus. 175
Cornua decem apud Danielem, non ſunt decem ſeries ſeu ſucceſſiones Regum, ſed decem Reges ſingulares. 175
Cornu paruulum, non eſt multorum ſucceſſio, ſed vnus Rex. ibid.
Cornua decem Apocal. 13. ſunt Regna decem Regum in quę orbis tunc erit diuiſus. 188
Cornua decem Apocal. 17. ſunt decem poſtremi Reges. ibid.

D

Damaſcenus notat dupliciter accipi nomen Antichriſti in Scripturis. 173
Demonſtratio prima, quòd Pontifex Romanus non ſit Antichriſtus, ex auctoritate Doctorum & SS. Patrum. 173
Demonſtratio ſecunda, ex abſurdo. 173
Demonſtratio tertia, ex vnitate Antichriſti. 174
Demonſtratio quarta, ex tempore & modo mutationis. 175
Demonſtratio quinta, ex repugnantia aduerſus Chriſtum. 176
Demonſtratio ſexta, ex modo veniendi, & receptione à Iudæis. 176

Demonſtratio ſeptima, ex profeſſione Antichriſti. 177
Demonſtratio octaua, ex tempore aduentus. 178
Demonſtratio nona, ex perſecutione Antichriſti. 179
Demonſtratio decima, ex miraculis Antichriſti. 181
Demonſtratio undecima, ex conſideratione nominis. 182
Demonſtratio duodecima, ex loco & ſede Antichriſti. 182
Demonſtratio decimatertia, ex tempore quo regnabit perſequens Eccleſiam. 186
Demonſtratio decimaquarta, ex conſideratione potentiæ & præliorum eius. 187
Demonſtratio decimaquinta, ex conſideratione duorum Prophetarum, Enoch & Eliæ. 190
Demonſtratio decimaſexta, ex conſideratione ſtatis Antichriſti. 197
Deus omnium ſcelerum auctor primarius, ex ſententia Caluini. 205
Deus eſt magis auctor ſceleris iuxta Caluinum, quàm Satan, vel homo. 206
Deus ex ſola ſua Voluntate prædeſtinauit homines ad æternum exitium, ex ſententia Caluini, & Lutheri. 207
Dei filium eſſe mediatorem, etiam ſecundùm naturam diuinam, docent Caluinus, Beza, Melanchthon, liber concordiæ Lutheranorum. 207
Dies Domini magnus, quis dicatur? 195
Dies iudicij an poterit præſciri? 187
Diſceſſionis nomine quid intelligat Apoſtolus? 188
Diſputationis de Antichriſto præcipuus ſtatus. 173
Diſſenſio hæreticorum de tempore quo ſedes Romana Antichriſti facta ſit. 173

E

Eccleſia, iam à mille annis penitus euerſa eſt, ſi Pontifex Romanus ſit Antichriſtus. 173
Eccleſia nõ deficiet penitus tempore Antichriſti. 188
Eccleſiæ adhærentes, non ſunt hæretici. 200
Eccleſia Apoſtolica non potuit tota ſenſim corrumpi. 200
Eccleſiam Catholicam reijciens, non credit Chriſto. 202
Elias & Enoch, duo Prophetæ, oppoſituri ſe Antichriſto. 193
Elias & Enoch, cur ſua corpora induent cilicio. 196
Elias & Enoch an publicè translati. 196
Eliæ & Enoch corpora an ſubuecta in cælum, & an incorruptibilia. 195

F

Farellus, quem Beza vt fidelem laudat, reſurrectionem corporum omnino negauit. 208
Fidei articulos Rex & Parlamentum in Anglia definiunt. 178
Filium Dei non eſſe Deum, ſequitur manifeſtè ex doctrina Caluini. 207
Fruſtrà omnia hactenus in Eccleſia facta, ſi Pontifex Romanus eſt Antichriſtus. 174

G

Gladius ſedentis ſuper equum, quid deſignet? 197
Gog & Magog ſeducentur ab Antichriſto. 197
Gregorij verba, ab hæreticis obiecta, ſtant à Catholicis; & ſolum Conſtantinopolitanum Patriarcham notant. 176

H

Hebdomas in Scripturis, ſeptenarium vel annorum vel dierum ſignificat. 187
Hæreſim promouentes, etiam ſæculares, præcurſores ſunt Antichriſti. 200
Hæretici, præ odio iniquo, mendaciter affirmant Papam, magnum eſſe Antichriſtum. 173
Hæretici Pontificem, & omnes ipſi adhærentes, crudeliſſimè perſequuntur. 179
Hæretici Scripturam iugulant. 191
Hæreticorum argumenta, quibus contra apertam Scripturam probare nituntur Eliam non venturũ. 194
Hæretici, Patres ſeponi, & ſua commenta ſuſcipi volunt. 194
Hæretici, Principes Catholicos, Antichriſti ſeruos iniuriosè vocant. 200
Hæretici quiẽ? 201
Hæretici huius temporis tollunt, vbi poſſunt, inge ſacrificium. 201
Hæretici huius temporis plerique tollunt venerationẽ crucis, & imaginum Chriſti, & Sanctorum. 202
Hæretici Sacramenta omnia, præter Baptiſmum, ſuſtulerunt. 202
Hæretici noſtri ſuſtulerunt omnia Officia diuina, Feſta, & ieiunia Eccleſiæ. 203
Hæretici noſtri retinent diem Dominicum. 203
Hæretici cur ſibi ipſis contradicant? 209
Hæretici in Sanctos omnes, qui in Eccleſia Catholica a mille annis vixerunt, blaſphemi. 208
Hæretici, dum ſe præponunt Patribus, Conciliis, Chriſti Vicario, Antichriſtũ inſigniter imitantur. 208
Hæreticorum ſuperbia. 208
Hæreticorum hypocriſis. 209
Hæreticorum fraudes, & mendacia. 209
Hæretici, cùm aliquod paradoxum ſtatuere volunt, clamant id eſſe clariſſimum. 209
Hæretici, quo Catholicorum argumenta validiora ſunt, eò ſe magis fingunt ea contemnere. 209

I

Ieruſalem reſtè Sodoma appellatur. 183
Ignem è cælo deſcendentem, inepte interpretatur Auctor Præfat. fulmen excommunicationis. 181
Imaginem beſtiæ ridiculè Auctor Præfationis interpretatur ſupremam Pontificis poteſtatem. 183
Ioannes Baptiſta non eſt Elias, de quo agitur Malachiæ 4. etſi quibuſdam aliis Scripturæ locis ſic Vocetur ob ſimilitudinem officij. 194
Iudæi negant Trinitatem. 204
Iudæorum regnum ſuſcitabit Antichriſtus. 182

L

Λατῖνοι, non vocantur Pontifices Romani, ſed Λατῖνοι. 182
Lutherus fatetur, eos qui dicunt Pontificem eſſe Antichriſtum, ſcriptoribus antiquis repugnare. 173
Lutherus præcurſor eſt Antichriſti. 200
Lutherus quos Scripturæ libros reijciat? 203
Lutheri ſententia de regula credendi. 203
Lutherus viam ſtrauit tollendo myſterio Trinitatis. 204
Lutherus blaſphemias vt dogmata fidei ſtatuit. 205
Lutherus, diuinam naturam in Chriſto paſſam eſſe, blaſphemè aſſeruit. 207
Lutherus blaſphemè docuit, corpus Chriſti vbique eſſe. 207

Lutherus Neſtorij & Eutychetis hæreſim, vna blaſphemia, præclarè complexus eſt. 207
Lutheri quinquaginta mendacia in vno libello notata. 213
Lutherus in duabus tantum confutationibus conuictus eſt de mendacijs octingentis ſeptuaginta quatuor. 209
Lutherani iactant Lutherum primum docuiſſe Papã eſſe Antichriſtum. 173
Lutherani ſunt hæretici. 200
Lutheranorũ doctrina ab omnibus damnata eſt. 200
Lutherani auocant à ſtudio bonorum operum. 202
Lutheranos eſſe præcurſores Antichriſti, demonſtratur. 200
Lutheranorum inſignis inconſtantia. 207

M

Malachias, cap. 4. neceſſariò de vero Elia eſt exponendus. 192
Melanchthon docet Deum propriè fuiſſe cauſam proditionis Iudæ, & adulterij Dauidis, vt vocationis Pauli. 207
Melanchton præcurſor eſt Antichriſti. 200
Menno præcurſor eſt Antichriſti. 200
Miniſtri omnes hæretici, præcurſores ſunt Antichriſti. 200
Miracula Sanctorum vera fuerunt. 174
Miracula Antichriſti erunt mendacia. 181
Myſterium ridiculè ſcrutatur Auctor hæreticæ Præfationis. 184
Myſterij nomine quid deſignet Ioannes. ibid.
Mulier inſidens beſtiæ Apocal. 17. non deſignat Antichriſtum, ſed Romam. ibid.

N

Nomen Antichriſti. 182
Numerus nominis beſtiæ non conuenit Bonifacio, aut dictioni Latinus. 176. & 182
Numerus certus, quando pro incerto in Scriptura ponatur. 187. & 189

P

Patres aſſerunt Antichr. à Iudæis recipiẽdũ. 176
Patres docent Antichriſtum venturum ſub finẽ mundi. 178
Patres docent Antichriſtum fore Iudæum. 182
Patres omnes condemnat imperitiæ extremæ Scriptor Præfationis hæreticæ. 186
Patres aſſerunt Eliam & Enoch oppoſituros ſe Antichriſto. 193
Phocas nihil noui tribuit Apoſtolicæ ſedi. 176
Pontifices Romani Chriſtum humilimè colunt, & vt ab alijs colatur, elaborant. 176
Pontifices Romani ad pedes aliorum Chriſti ſeruorũ accidunt. 176
Pontificũ nullus ſe pro Meſſia aut Deo vẽditauit. 177
Põtifices ſe ſeruos ſeruorũ Dei humilimè nominãt. ibi.
Pontificũ pauci, à mille annis, miracula fecerunt. 181
Pontifici Romano non congruit nomen, aut numerus nominis Antichriſti. 182
Pontifices Romani ſummam curã gerunt, vt Scriptura ſacra quàm emendatiſſimè excudatur. 191
Pontifex Romanus numquam ſuppreſſit Scripturas. 192
Pontificem Romanum, Chriſti Vicarium, qui Antichriſtum vocat, quantum peccet. 198
Præcurſor quis dicatur ij 201
Præcurſores Antichriſti qui? 200
Prophetæ duo magni ſe opponent Antichriſto. 190
Prophetæ duo Apocal. 11. non deſignant nouum & Vetus Teſtamentum. 190
Prophetæ duo non deſignant Miniſtros Caluinianos, & Lutheranos. 191
Prophetæ duo Apocal. 11. qui? 192
Punitio hæreticorum, non poteſt dici perſecutio Antichriſti. 179

R

Redemptionis myſterium euertit Caluinus. 808
Res Angliæ nullũ Iudicẽ agnoſcit in terris. 178
Reges Ægypti, Libiæ, & Aethiopiæ, bello ſibi ſubijciet Antichriſtus. 187
Reges omnes Catholicos ſceleratiſſimos eſſe, & fuiſſe, ſequitur ex eo, quòd Auctor hæreticæ Præfationis aſſerat, eos per decem Reges deſignari. 189
Regulam credendi quam ſtatuant hæretici. 203
Roma Antichriſti tempore erit delera. 183
Roma non eſt ſedes Antichriſti futura. 184
Roma impia, qualis fuit tempore S. Ioannis, & futura eſt ſub finem mundi, eſt ciuitas magna, per mulierem in Apocalypſi ſignificata. 81. eadem dicitur Babylon myſtica. ibid.
Romanum imperium, ſub finem ſæculi, in decem Reges diuidendum. 187
Romanum Imperium ante diem Iudicij deficiet. 188

S

Sacerdotes omnes poteſtate diuinitus accepta, peccata condonant, non ſolus Pontifex. 178
Scripturam pro ſe ſtare, falsò & fruſtrà ſingulæ hæreticorum ſectæ ingeminant. 173
Scriptura Moyſem & Principes Iudicesque Deos appellat. 177
Scriptura quomodo interficiatur, iuxta Auctorem hæreticæ Præfationis. 191
Scripturam iugulant hæretici. 191
Scripturæ vulgata translatione vſa eſt Eccleſia plus quam mille ducentis annis. 191. ea meritò alijs omnibus præfertur. ibid.
Scriptura, qua ratione naſus cæreus, regula Lesbia, &c. nuncupetur. 191
Scripturæ antiqua editio, meritò præferenda etiam Græcis & Hebræis exemplaribus. 191
Scripturæ verba Sanctis aptari poſſunt. 192
Scripturæ translationes in linguam vernaculam meritò non paſſim permiſſæ. 192
Scriptura diuina quàm indignè ab hæreticis tractetur. 198
Scriptura teſtatur hæreticos eſſe præcurſores Antichriſti. 200
Scripturæ iudicium, quomodo hæretici appellent. 201
Scripturæ partes, ſibi clarius aduerſarias, tamquam adulterinas, reijciet Antichriſtus. 203
Scripturæ partes, ſi quas recipiat, non ex ſententia Patrum explicabit Antichriſtus. 203
Scripturæ libros quos hæretici reijciant. 203
Scripturæ ſenſum vt peruertant hæretici. 203
Scripturas quàm irreuerenter tractent hæretici exemplis oſtenditur. 204
Scripturas hæretici habent ludibrio. 212
Scripturæ ſenſus recipiendus fidelibus. 212

Sectæ singulæ à se inuicem condemnatæ sunt. 201
Septem capita bestiæ, quam acutè explicet Auctor Præfationis hæretica. 185
Septem capita bestiæ cap. 13. Apocal. non sunt septem Reges, de quibus cap. 17. 185
Septem capita bestiæ Apocal. 13. designant septem Reges, qui victis tribus, se submittent Antichristo. 188
Signa secundi sui aduentus, à Domino tradita. 178
Signum in dextera, stolidè explicat Auctor Præfationis hæreticæ. 180
Spiritus Caluinistarum priuati iudicium fallax. 212
Symboli Apostolici quatuor articulos hæretici in sensu antiquo Ecclesiæ non admittunt. 212
Symbolum Nicænum, seu Constantinopolitanum, peruersa interpretatione corrumpunt Caluinistæ. 213
Symbolo Athanasii non credunt Caluinistæ. 213
Synodus Nicæna, Arrij hæresim, ex doctrina non scripta, damnauit. ibid.

T

TEmplum Dei 2. ad Thessal. 2. nõ significat sedem Apostolicam, sed templum materiale, & visibile. 184
Tempus apud Danielem, designat annum. 187
Testamenta duo, ineptissimè Auctor hæreticæ Præfationis dicit significari per duos Prophetas. 190
Traditiones humanæ non præferuntur Scripturis à Catholicis. 191
Trinitatis fides vt abrogaretur, adlaborarunt Caluinus, & Lutherus. 204

Z

ZVinglius præcursor est Antichristi. 200
Zvvinglius docet, Deum cogere homines ad peccandum. 207
Zvvinglius Lutherum blasphemiæ redarguit. 207

AD MAIOREM DEI,
Deiparæque Gloriam.

DE ANTICHRISTO DISPVTATIO.

Vtrùm PAPA ROMANVS sit Antichriſtus.

MVLTA de Antichriſto quæ ni poſſunt; ſed quod præcipuè in controuerſiam vocatur, eſt; *Vtrùm Papa ſit Antichriſtus.* Quod vt plenè tractetur, pleraque quæ ad Antichriſtum pertinent explicanda ſunt. crambe toties cocta, & recocta.

1 Nomen *Antichriſtus*, vt inter alios notat Damaſcenus dupliciter accipitur in Scripturis. Primò, vt ſignificet omnes eos qui Chriſtum oppugnant; & maximè qui negant Filium Dei veniſſe in carne, & eſſe ſimul Deum & hominem. Secundò vt denotet magnum illum Chriſti aduerſarium, qui in fine mundi venturus deſcribitur: qui, κατ' ἐξοχήν, *Antichriſtus* dicitur. Vtramque ſignificationem complexus eſt Ioannes Epiſt. 1. cap. 2. cùm ait; *Filioli nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit, nunc Antichriſti multi facti ſunt. Vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt.* q. d. Scimus magnum illum *Antichriſtum* in fine ſæculi debere venire: at nunc videmus adeſſe multos eius præcurſores, qui illi viam parãt, dum Chriſtum oppugnare incipiunt. Vnde colligimus eſſe nouiſſimam horam, ſeu ætatem. Verùm hîc agimus de *Antichriſto* propriè & per excellentiam ſic nuncupato; nimirum, Vtrùm Papa Romanus ſit magnus ille Antichriſtus, Scripturarum mentione celebris?

Lib. 4. de fide. cap. 28. in principio.

2 Omnes hæretici hoc ſæculo exorti affirmant, idque volunt adeò eſſe certum & perſpicuum ex Scripturis, vt non ſit amplius ea de re dubitandum: & multi id velint eſſe articulum fidei. Hoc autem ſic intelligunt & explicant, vt non velint tantùm vnum aliquem ex Summis Pontificibus eſſe *Antichriſtum*, ſed longam Pontificum ſeriem; nimirum omnes, qui iam plurimis ſæculis in ſede Apoſtolica ſucceſſerunt; & vſque in finem ſæculi ſuccedent. His omnibus & ſingulis hoc nomen tribunt. Sed magna inter eos eſt diſſenſio, dum explicare conantur, quo tempore Sedes Apoſtolica mutata [illegible] in ſedem Antichriſtianam, & Pontifices Romani cœperint eſſe Antichriſti. Quidam enim dicunt id accidiſſe ſtatim poſt tempore Apoſtolorũ alij circa annum Domini 600. alij circa 763. alij paulò poſt tempora D. Bernardi, quæ varietas oſtendit infirmitatem huius commenti. Rationes eorum nullæ ſunt præter commentitias aliquod expoſitiones Scripturarum: quas ſuis locis adducemus & refutabimus.

Sententia hæreticorum.

Prima Demonſtratio, ex auctoritate Doctorum, & omnium Patrum.

IGitur hanc ſententiam omnino falſam eſſe, & omni probabilitatis colore deſtitutam, multis rationibus demonſtrari poteſt; quas ad quindecim reuocabimus.

Prima, Quia omnibus Patribus, & Scriptoribus omniũ ſæculorum ſuperiorum repugnat. Quod etiam ipſe Lutherus fatetur (quem Lutherani iactant eſſe primum, qui hoc myſterium mundo detexit) qui ad cap. 49. Geneſis ſic ait; *Vulgata opinio eſt apud omnes Scriptores Eccleſiaſticos, quòd ex tribu Dan venturus ſit Antichriſtus.* Et infrà: *Ex omnibus ſcholis Papiſticis nemo eſt qui ſentiat Papam eſſe Antichriſtum.* Si omnes ſentiunt Antichriſtum venturum ex tribu Dan, vel ſaltem [illegible] Iudæis; ſi nemo eſt qui ſentiat Papam eſſe Antichriſtum, qua fronte, quo veri colore audet Lutherus, & illum ſecutus Caluinus, aſſerere tanquam certum & manifeſtum, quod omni antiquitati repugnat? Quod nulli ex Patribus tam doctis & ſanctis, nulli Doctori, nulli Academiæ, nulli Scriptori vel per ſomnium in mẽtem venit? quod nec Græci, etſi infeſtiſſimis animis iam aliquot annorum centurijs ab Eccleſia Romana diſſidentes, ei vnquam obiecere? nimirum tot ſæculis omnes cæci fuere, nemo tantum malum videre, aut vllo modo notare potuit; nemo vel vnum apicem in Scripturis, quæ de Antichriſto loquuntur, intellexit, donec veniret Lutherus, & hoc myſterium mundo patefaceret? Quis obſecro, cui ſit mica ſani ſenſus, iſta credat? Quis hic non videat ſpiritum hæreticum, qui totam antiquitatem contemnit, qui ſe omnium ætatum Doctoribus anteponit?

Conſtituamus ex vna parte omnes Patres, omnes Scriptores Eccleſiaſticos, omnia Concilia, omnes Academias, omnes Doctores & Rectores Eccleſiarum, qui à temporibus Apoſtolorum, vſque ad noſtra tempora extiterunt: hi omnes hanc calumniam à Summo Pontifice remouent; imò numquam illis vel per leuem ſuſpicionem id in mentem venit. Ex altera parte ſtatuamus Lutherum & Caluinum cum ſuis adhærentibus, tandem poſt quindecim ſæcula exortos: qui immenſo quodam in Summum Pontificem odio impulſi, eò quòd hæreſes ipſorum damnarit, vt ſeſe de illo vindicent, hanc contumeliam ei rependunt. Nunc cõſideret prudens Lector, vtris ſit fides adhibenda; vtrorum auctoritas præponderet; vtrùm in tribunali diuino aliquam excuſationem obtendere poſſint, qui his paucis, & nouis magiſtris, quorum vita infamis, lingua maledica, doctrina inconſtans, animus odio inflammatus, contra tãtam ſanctitatem, ſapientiam, antiquitatem, dignitatem, numeroſitatem, adhæſerint.

Nec refert quòd iactent Scripturam à ſe ſtare, & huic ſuæ ſententiæ fauere. Hoc enim omnes hæreticorum ſectæ, etſi inter ſe maximè diſſideant, ſemper iactant. Quàm multis in articulis diſſentiunt Caluiniſtæ & Lutherani; Lutherani molles & rigidi; Puritani & Proteſtantes Anglj; Anabaptiſtarum ſectæ tum inter ſe, tum à reliquis; Samoſateni in Tranſiluania, & aliæ ſectæ? & tamen ſingulæ æque audacter & fortiter ingeminant, Scripturam à ſe manifeſtè ſtare, ſuam ſententiam eſſe purum putum Dei verbum, Spiritus ſancti ſenſum & mentem: alios omnes ſpiritu vertiginis decipi. Itaque cùm non habeant aliud quàm impudentiam aſſeuerandi, quis non videat eſſe recurrendum ad ſententiam & expoſitionem veterum, qui ante has controuerſias ſincerè, abſque affectu & partium ſtudio, de iſtis ſcripſere?

Secunda Demonſtratio, ex abſurdo.

SI Papa Romanus iam tot ſæculis eſt Antichriſtus, conſequens eſt, Primò, iam à mille annis penitus euerſam eſſe Chriſti Eccleſiam, penituſque extinctam, & conuerſam in Synagogam Antichriſti & Satanæ. Omnes enim, qui Chriſtiano nomine cenſentur (exceptis paucis hæreticis, qui ſubinde exorti, & paulò poſt extincti ſunt) adhæſerunt Romano Pontifici, tamquam Chriſti locum tenenti. Si ergo ille iam à mille annis cœpit eſſe Antichriſtus, tota Chriſtianorum multitudo illi adhærens cœpit eſſe Synagoga Antichriſti. Quomodo ergo verum eſt, Eccleſiam Chriſti eſſe *fundatam ſupra petram, & portas inferi aduerſus eam non prævalituras?* Quomodo ipſa eſt *columna & firmamentum veritatis?*

Primum abſurdum, euerſam Chriſti Eccleſiam.

Matth. 16. 1. ad Timoth. 3.

6 *Secundum omnia acta fruſtra in Eccleſia.*

Secundò, fruſtrà iam tot ſæculis prædicatum Euangelium, fruſtrà creditum, fruſtrà tot gentes conuerſas ad fidem Chriſti, & Baptiſmo luſtratas, fruſtrà tot labores pro Chriſti gloria, pro ſalute animarum à viris Apoſtolicis ſuſceptos, fruſtrà tot martyria obita, fruſtrà tot millibus vtriuſq; ſexus renuntiatum ſæculo, & contra carnem mundum & Satanam certatum, & in Chriſti ſpeculam incubitum. Hæc enim omnia extra Eccleſiam Chriſti, in Synagoga Antichriſti ſunt inutilia. Ergo perierunt omnes mamres noſtri; perierunt tot animæ Deo addictiſſimæ, ſapientia, ſanctitate vitæ, & miraculorum gloriâ celeberrimæ: perierunt Apoſtoli prouinciarum noſtrarum, qui Angliam, Germaniam, Flandriam, Hollandiam, Brabantiam, Friſiam, Daniam, Hungariam, Poloniâ, Pruſſiam, & vicina Septentrionis regna ab Idololatria ad Chriſtianiſmum traduxerunt. Periit Auguſtinus, Bonifacius, Beda, Anſelmus, Dunſtanus, Adelbertus, VVillebrordus, Rumoldus, VVulfrandus, Malachias, Bernardus, Bruno, Dominicus, Franciſcus, Ignatius, Xauerius, aliique innumeri, quorum vita mirabilis fuit admirabilis: hi enim omnes Pontifici Romano fuere addictiſſimi, eiuſque inſtituta & imperium ſpirituale ſumma ope conati ſunt propagare.

Neque poſſunt excuſari per ignorantiam & ſimplicitatem, vt quidam ex hæreticis dicunt: quia tantæ rei, vnde totum Chriſti regnum, & tota Eccleſiæ ratio pendet, ignorantia, in primarijs Chriſtianis orbis magiſtris, tolerabilis non eſt: & ſi ipſi hac in re excuſari poſſunt, etiam Pontifices Summi per ignorantiam excuſari poterunt: ſicque Antichriſtus ſine culpa Antichriſtus, & hoſtis Chriſti iuratiſſimus erit. Quo quid abſurdius dici poteſt? Accedit quod Scriptura Apocal. 13. & alibi, apertè doceat omnes qui beſtiæ characterem habuerint, ſiue qui Antichriſto adhæſerint perituros: *Adorauerunt*, inquit, *eam* (beſtiam) *omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni.* & capitul. 14. prolixè dicitur omnes qui beſtiam adorauerint *cruciandos igne & ſulphure in ſæcula ſæculorum.* Si omnes qui ſolùm adorauerunt, quanto magis qui auctores fuerunt adorandi, & alios ſeduxerunt, & imperium beſtiæ amplificarunt?

7 *Tertiò Chriſtum Eccleſiam ſuam deſeruiſſe & deceptſſe.*

Tertiò, Deum tot ſæculis Eccleſiam ſuam deſeruiſſe, imò decepiſſe, & in errorem grauiſſimum inpulſiſſe. Permiſit enim enim cõuerti in Synagogam Antichriſti, & omnes ita excæcauit, vt nullus tanto tempore extiterit, qui hanc tam funeſtam mutationẽ poſſet animaduertere. Imò plurimos qui maximè addicti fuere Antichriſto, eiuſque regnum totis viribus conati ſunt propagare, ornauit ſpiritu prophetiæ, & gloria miraculorum, eoſque hoc nomine toto orbe fecit celeberrimos; vt patet in ijs quos antè nominauimus. Ex quibus vnus S. Bernardus Galliam, Germaniam, & Italiam clariſſimis miraculis implcuit.

8 *Fuiſſe ver a miracula idẽ ſignum.*

Neque dici poteſt illa non fuiſſe vera miracula virtute diuina patrata, ſed dæmon præſtigias, vel talia vt a dæmone fieri poſſent, vt hæretici calumniantur. Contrarium enim teſtatur orbis, qui illos hactenus multis ſæculis, pro diuinis viris ob miracula habuit. Teſtatur ipſa operum magnitudo & ſolidtas. Non enim diabolus poteſt mortuos excitare, cæcos illuminare, claudis repentè greſſum firmum præbere, paralyticos erigere, membra mutila inſtaurare, qualia Sancti innumera ſubitò fecere. neque præſtigiæ ſunt durabiles, ſed mox euaneſcunt. Teſtatur gentium conuerſio, & morum correctio inde ſecuta. Teſtatur ſimplicitas eorum, qui illa fecerunt, & mores a commercio dæmonis alieniſſimi, vt qui plurimos dæmones expulerint. Denique teſtantur auctores illorum temporum, qui ea vel viderunt, vel ab ijs qui viderant, acceperunt; quibus hæretici ſine vlla ratione contradicunt. Itaque omnes fuerunt, vt præſtigias dæmonum pro veris miraculis venerarentur, nec vllus potuerit impoſturam deprehendere, donec veniret aliquot Apoſtatæ libidinibus infames, qui eam retegerent? Quare nullo modo dubitandum quin diuina virtute peracta fuerint. Vnde ſi illi fuerunt ſoci; & miniſtri Antichriſti, vt hæretici volunt; Deus qui illis poteſtatem miraculorum contulit, eos iuuit in ſtabilicndo & amplificando Antichriſti regno, & hac ratione omnes Catholicos decepit, vt Synagogam Antichriſti crederent eſſe Eccleſiam Chriſti: quorum vtrumque blaſphemum eſt dicere.

Tertia Demonſtratio, ex Vnitate Antichriſti.

SI Papa eſt Antichriſtus, ergo non vnus, ſed plures ſunt Antichriſti; nimirum omnes & ſinguli Pontifices qui iam mille annis fuere, & vſque ad finem mundi ſunt futuri. Itaque erunt pluſquam ducenti Antichriſti. At hoc repugnat omnibus Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui hactenus extitere; vt etiam Lutherus fatetur. Etſi enim concedant plures eſſe Antichriſtos generali quadam ratione, qua omnis qui negat Chriſtum eſſe verum Deum & verum hominem, Antichriſtus dicitur; tamen omnes docent eum qui proprie & κατ' ἐξοχὴν Antichriſtus dicetur, vnicum fore, non plures: ſicut vnicus eſt, qui proprie dicitur Chriſtus. Idem ſemper fuit ſenſus omnium Chriſtianorum. Omnium hanc eſſe ſententiam teſtatur etiam D. Hieronymus in capitul. 7. Danielis: *Ego*, inquit, *dicamus, quod omnes Scripturæ Eccleſiaſticæ tradiderunt, in conſummatione mundi, quando regnum diſtruendum eſt Romanum, decem futuros Reges qui orbem Romanum inter ſe diuidant, & undecimum ſurrecturum eſſe regem parualum, qui tres reges de decem illis regibus ſuperaturus ſit, id eſt, Aegyptiorum regem, & Africæ, & Aethiopiæ, &c.* quibus interfectis etiam ſeptem alij reges victori colla ſubmittent. *Et ecce ait Daniel, oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, ne cum putemus iuxta quorundam opinionem vel diabolum eſſe, vel dæmonem, ſed verum de hominibus, in quo verus Satanas habitaturus ſit corporaliter.* &c. Et in capitul 11. Danielis: *Noſtri autem & melius interpretantur & rectius, quod in fine mundi hoc ſit facturus Antichriſtus, qui conſurgere habet de modica gente, id eſt, de populo Iudæorum, & quam humilis eris usque diſperiuscu et non detur honor regum.* &c. D. Auguſtinus lib. 18. de ciuitate cap. 53. in fine dicit, *nullum Chriſtianum ambigere de nouiſſima perſecutione*, nimirum quam mouebit Antichriſtus. Et lib. 20. capitul. 23. *Antichriſti aduerſus Eccleſiam ſanctiſſimum regnum licet exiguo tempore ſpatio (nempe trium annorum cum medio) ſuſtinendum, donec Dei ultimo iudicio ſanctis regnum accipiant ſempiternum. qui vel dormitans hac legit, dubitare non ſinitur.* Itaque teſtimonio SS. Hieronymi & Auguſtini, omnium Scriptorum & Chriſtianorum conſus eſt Antichriſtum fore vnum aliquem hominem, qui in fine mundi Eccleſiam perſequitur.

Magnũ Antichriſtum eſſe vnicum, non multos.

10 *Probatur ex ſcripturis eſſe vnicum.*

Idem optimè colligitur ex Scripturis, quæ ſemper de Antichriſto tanquàm de vno homine loquuntur. Primò, II Epiſtol. 2. ad Theſſalon. 2. vbi dicit Apoſtolus diem Domini non venturum, *niſi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus.* &c. Et infra: *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* &c. Quis non videat Apoſtolum de vno tantùm loqui? Si tot eſſent Antichriſti, debuiſſet dicere, niſi reuelati fuerint homines peccati, filij perditionis, qui aduerſantur, &c. Et tunc reuelabuntur illi iniqui, &c. Alioquin dediſſet illis & Eccleſiæ futuræ occaſionem maximi erroris, nimirum vt putarent eſſe vnicum, cum ſint tam multi: præſertim cùm in Græco (qua phraſi ſcripſit Apoſtolus) vbique adſtatur articulus qui vocem ad aliquid certi reſtringere ſolet: ἐὰν, inquit, μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεόν. &c. Et inf. καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος. q. d. Niſi venerit magna illa diſceſſio, & reuelatus fuerit ille homo peccati, ille filius perditionis, ille aduerſarius: nimirum qui diuinitus eſt præſcitus, & nobis reuelatus. Sanè illa tam crebra articuli repetitio, apertè indicat de certo aliquo ſermonem eſſe.

Secundò colligitur ex illo Ioannis 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Non dicit: ſi *alij* venerint, ſed, ſi *alius*. Opponit enim ſe Antichriſto, & dicit ſe venuſſe non ſua auctoritate, ſed vt miſſum à Patre, nec eſſe receptum a Iudæis pro Meſſia; venturum *alium*, ſcilicet Antichriſtum, in nomine ſuo, id eſt non tanquam miſſum ab alio, ſed ſua auctoritate tanquam Deum a nullo procedentem; & ipſum a Iudæis pro Meſſia recipiendum. ita hunc

locum

locum exponunt omnes Patres, & res ipſa cogit ſic intelligere. Non enim multi venerunt ad Iudæos, aut venturi ſunt in nomine ſuo: nam alij pſeudoprophetæ tamquam miſſi ab alio nimirum à Deo venturi ſunt. Neque plures à Iudæis pro Meſſia recipiendi ſunt, ſed vnus tantum, qui nouiſſimis temporibus prodibit.

Tertiò colligitur ex Apocalypſi cap. 13. Antichriſtus enim eſt beſtia illa, quam Ioannes vidit aſcendentem de mari, habentem capita ſeptem & cornua decem: de cuius capitibus vnum fuit quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis illius capitis curata eſt: cui beſtiæ decem reges cap. 17. verſ. 13. & 17. ſuam poteſtatem dabunt; quæque cap. 19. cum regibus terræ & exercitibus facit prælium aduerſus Chriſtum & Sanctos, & apprehenſa mittitur in ſtagnum ignis. Atqui hæc beſtia eſt vnica & ſingularis; & quæ de ea dicuntur, non poſſunt conuenire in tantam multitudinem, ſed ſolum in vnam perſonam.

Quartò, ex viſionibus Danielis. Antichriſtus eſt cornu illud paruulum, inter decem cornua quartæ beſtiæ exortum. Atqui decem illa cornua non ſunt decem ſeries & ſucceſſiones regum, ſed decem reges ſingulares; vt aperte indicatur capitul. 7. in expoſitione viſionis, cùm dicitur: *Decem cornua ipſius regni decem reges erunt.* Ergo & cornu illud paruulum, non eſt multorum ſucceſſio, ſed vnus rex; de quo ibidem dicitur, quod *tres ex decem illinc humiliauit, & verba contra excelſum loquetur, & Sanctos Altiſſimi conteret, & regnabit tres annos cum medio.* Quæ omnia in vnum tantùm, non in multitudinem congruunt.

Ex his luce meridiana clarius eſt, Antichriſtum illum eximium fore: vnicum, non multos; ac proinde in tot Summos Pontifices eius perſonam non poſſe tribui.

11 *Obiectio.* Dices: Ioan. 2. Antichriſtus dicitur omnis qui negat Ieſum eſſe Chriſtum: *Quis*, inquit, *eſt mendax, niſi is qui negat quoniam Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium.* Loquitur autem de Antichriſto primario, quia Græcè eſt articulus, Τίς ἐστιν ὁ Ἀντίχριστος ὁ ἀρνούμενος, τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱόν. Et Epiſtol. 2. *multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Ieſum Chriſtum venuſſe in carne. hic eſt ſeductor & Antichriſtus.* Græcè, οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ Ἀντίχριστος.

Reſponſio. Reſpondeo, ſolùm ſignificari tales omnes magnè Antichriſti duci ſpiritu, & eadem operari: vnus enim idemque ſpiritus qui poſſidebit & reget magnum Antichriſtum, etiam illos poſſidet & regit, & eadem in illis & per illos operatur. Sicut enim ſi quis venderet, & proderet Vicarium Chriſti, vel virum aliquem ſanctitate eximium, rectè de illo diceretur; Hic eſt Iudas proditor, nimirum ſpiritu & imitatione: ita rectè de quouis tali hæretico dicitur; Hic eſt Antichriſtus, nimirum ſpiritu & repræſentatione. ſic de Ioanne dictum Matthæi 11. *Ipſe eſt Elias qui venturus eſt.*

Quarta Demonſtratio, ex tempore & modo iſtius mutationis.

12 SI Sedes Romana facta eſt ſedes Antichriſti; pero Primò, Quando facta ſit hæc mutatio, & quo Pontifice? Quis fuit primus, qui ex vero Paſtore Eccleſiæ, & Chriſti vicario, factus eſt hoſtis Eccleſiæ, & Chriſti iuratus aduerſarius? Secundò, Quomodo nemo Scriptorum veterum huius mutationis meminit? non enim potuit latere, cùm eſſet maxima. Nam non poteſt eſſe maius diſcrimen, magiſque palpabile, quàm inter regnum Chriſti & Antichriſti; cùm doctrina, moribus, & cultu religionis hæc regna ex diametro ſint oppoſita. Vnde etiam hinc maxima mundi perturbatione hæc mutatio fieri non potuit. Si enim cùm Angliæ regnum non ita magnum ex Catholico factum eſt hæreticum, & Princeps ex ſubdito Eccleſiæ & filio, ſe extulit in caput Eccleſiæ & Paſtorem, non modica perturbatio fuit in regno, & totus mundus facilè eam cõuerſionem rerum aduertit: ſimiliter cùm in alijs prouincijs mutatio aliqua Religionis facta eſt, omnibus fuit conſpicua & notabilis: quantò magis toti mundo conſpicua eſſe debebat horrenda illa mutatio, qua Eccleſia Chriſti per totum orbem diffuſa, facta eſt ſynagoga Antichriſti, & ipſe Chriſti generalis Vicarius mutatus eſt in Chriſti ſupremum hoſtem, omnium Chriſti hoſtium anteſignanum? At nullus Scriptorum vllius talis mutationis aut perturbationis meminit. Nullus mortalium tot ſæculis eam vel leuiter eſt odoratus. Vnde apparet quàm ſtolidum & cæcum ſit hoc commentum; & quàm nihil mentis habeant, qui illud credunt.

13 *Reſponſio hæreticorum.* Reſpondent hæretici hanc mutationem ſenſim eſſe factam per aliquot annorum centurias, & ita non fuiſſe animaduerſam. Pedetentim enim introductas ſuperſtitiones, & tandem acceſſiſſe complementum, quo formatus eſt Antichriſtus.

Refutatur. Sed perſpicuum eſt, hæc ſolùm eſſe effugia, ne cogantur oſtendere quando & in quo Pontifice facta ſit hæc tanta mutatio. Nam quod attinet ad ea, quæ ipſi ſuperſtitiones vocant, vt cultum Sanctorum, venerationem imaginum, Miſſas pro defunctis, & ſimilia; hæc non ſunt ſenſim introducta, ſed ab initio fuerunt in Eccleſia; vt à Catholicis DD. clariſſimè eſt demonſtratum. Deinde nulla vnquam facta eſt mutatio in Religione per hæreſes, quin ſtatim animaduerſa fuerit, & turbas contentioneſque excitauerit, Catholicis Epiſcopis & Doctoribus ſe opponentibus. Vnde omnium hæreſum initia, auctores, ſucceſſus & exitus aſſignare poſſumus, nimirum quando ſingulæ exortæ, quibus auctoribus, à quibus oppugnatæ, & damnatæ. Quinam ergo fieri poteſt, vt tanta mutatio (quæ nulla poteſt eſſe maior in Religione) omnes latuerit, & nemo Doctorum, nemo ſanctorum virorum illam animaduerterit, nemo conferens præſentem Religionem cum veteri, quæ quinque primis ſæculis viguit, potuerit notare immanem illam diſtantiam & diſcrimen immenſum? Denique non potuit non eſſe ſummum diſcrimen & maximè notabile inter eum Pontificem, qui primus ſe extulit in Antichriſtum, & inter præcedentes, qui non fuerunt Antichriſti. Ergo non potuit illud latere homines illius temporis, qui illum & priores nouerant, eorumque ſtatum & rationem gubernandi perſpectam habebant.

14 *Sententia auct. præfationis de Bonifacio III.* Auctor in Præfatione pag. 99. dicit Bonifacium Tertium fuiſſe primum Papam Antichriſtum: *Primum*, inquit, *illum hominem intelligo Bonifacium Tertium, qui primus ſe nuncupauit Vniuerſalem Epiſcopum, quo titulo Sanctus Gregorius, qui viam vſque ad tertium annum ante Pontificatum illius produxit, ipſum Antichriſtum cognoſcendum fore prædixerat, ſine eius, vt ipſe loquitur, præiudicio.*

Refutatur. Verùm hæc facilè refutantur. Primò, Inter Bonifacium & Gregorium vix interceſſit triennium: Gregorius autem fuit ſanctus, vt hic fatetur; ergo ſi Bonifacius fuiſſet Antichriſtus, maximum inter hos, eorumque gubernandi modum, fuiſſet diſcrimen; nec ſine magna rerum perturbatione potuiſſet illa mutatio, qua Præſuli ſancto ſucceſſit Antichriſtus, & gubernationi cõſentaneæ Euangelio Chriſti, imperium tyrannicum Euangelio directè oppoſitum, peragi. At nullum diſcrimen eſt animaduerſum, nulla extitit perturbatio aut admiratio in illa ſucceſſione. Nam Bonifacius ille Gregorio non fuit diſſimilis, & breui illo tempore quo præfuit (nam nono menſe obijt) conuocata Synodo multa præclara conſtituit. Secundò, Si ideò factus eſt Antichriſtus, quia primatum & auctoritatem in vniuerſam Eccleſiam ſibi vindicauit; ergo omnes omnino Pontifices fuerunt Antichriſti, etiam B. Petrus, Linus, Cletus, Clemens, & cæteri. Omnes enim hanc auctoritatem & eminentiam ſupra omnes Chriſtianos & omnes Eccleſias habuerunt, & in ſe agnouerunt; vt plurimi ex Catholicis Doctoribus luſè demonſtrarunt. Qua de re alibi vberiùs dicendum.

Et ſanè ſi Reges Angliæ in ſuis regnis vſurpant ſibi primatum in ſpiritualibus, nouo poſt tot ſæcula exemplo, & tamen non dicuntur idcircò magnus ille Antichriſtus: cur Pontifex Romanus ratione primatus in totam Eccleſiam, quem tot ſæculis ſine controuerſia obtinuit, Antichriſtus dicetur? Nec refert quòd Rex Angliæ non arroget ſibi illum primatum niſi in ſuis regnis: quia ſi poteſtas ipſis temporalis extenderetur per totum orbem, etiam ſupra Eccleſias totius orbis ſibi primatum ſpiritualem vindicaret. quo caſu neceſſe eſſet ipſum planè fieri Antichriſtum, ſi Summus Pontifex ob primatum in totum orbem eſt Antichriſtus.

Tertiò, Si titulus ille vniuersalis Patriarchę vel vsurpatio primatus facit Antichristum, etiam Constantinopolitani Patriarchæ fuerunt Antichristi, qui hunc titulum sibi iniquè multis sæculis vsurparunt. Et si Alexandrinus eundem vsurparet, etiam Antichristus fieret: sicque multos Antichristos timol habere possemus.

15 *Factum Bonifacij.* Quod ad factum Bonifacij attinet, nihil noui iuris impetrauit à Phoca Sedi Apostolicæ, quod antea omnes decessores eius non habuissent; sed impetrauit vt finis imponeretur diutinæ contentioni Patriarcharum Constantinopolis, qui contra antiquam sanctorum Patrum traditionē, & tot sæculorum receptum morem, in præiudicium Sedis Apostolicæ sibi titulum Patriarchæ Oecumenici vsurpabant: ne videlicet ipse id permitteret, sed honorem primatus Sedi B. Petri seruari iuberet. Neque Bonifacius hoc egit vt titulus Oecumenici seu Vniuersalis Patriarchæ sibi tribueretur, sed ne Constantinopolitanus illum vsurparet. Vnde verum non est ipsum a Phoca hunc titulum impetrasse: præsertim cùm Phocas ipsum non vocet *Patriarcham Oecumenicum*, sed *caput Ecclesiarum*. Constituit autem Phocas vt Romanus Pontifex iuxta Apostolica dogmata, & sanctorum Patrum vetustissimam traditionem, primum omnino locum in Ecclesia Catholica retineret: secundum verò Constantinopolitanus Antistes. Ita Beda libr. de ratione temporum, & Paulus Diaconus lib. 4 ca. 21. Historiæ Longobardicæ: Platina & Ciacconus in Bonifacio III.

16 *Ad testimonium S. Gregorij.* Testimonium Gregorij à nobis facit. Non enim dicit Gregorius, *ipsum Antichristum fore agnoscendum titulo Vniuersalis Episcopi*, vt Auctor ei imponit; sed dicit eum qui hunc titulum vsurpat, Antichristum sua elatione præcurrere. Quantum autem inter hæc duo, *ejus ipsum Antichristum, & esse præcursorem Antichristi*, interest, nemo non videt: & tamen Auctor hæc duo pro ijsdem nobis obtrudit. Verba Gregorij libr. 6. Epist. 30. sunt: *Numquid non, cùm se Antichristus veniens Deum dixerit, frustrata valdè erit? sed tamen nimis pernicioſum. Si quanti tatem sermonis attenditmus, duæ syllabæ sunt: si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se Vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se ceteris anteponit.* Ex quo testimonio habemus. Primò, ipsum Antichristum se venditaturum pro vero Deo. Secundò, qui vsurpat sibi iniquè titulum eminentiæ supra omnes Sacerdotes, eum esse præcursorem Antichristi, iuxta sententiam Gregorij, siue sit Ecclesiasticus, siue Princeps sæcularis. Tertiò, Patriarchas Constantinopolis potius esse præcursores Antichristi, qui hunc titulum sibi iniquè arrogant, quàm Pontifices Romanos, qui hoc titulo non vtuntur, etsi ipsis quodam sensu iure competat, & à multis Concilijs, Patribus, & Principibus sit tributus. Neque verum est numerum nominis bestiæ, qui est 666. in Bonifacium III. competere, vt vult Auctor Præfationis. Neque enim hoc nomen *Bonifacius* hunc numerum reddit. Neque *Latinus*; præterquam quòd *Latinus* non sit nomen proprium, sed commune omnibus Pontificibus, & plurimis Imperatoribus, &c. Vnde ex eo nihil certi potest colligi. Græcum autem λατεῖνος, numerum illum confecit; sed neque proprium est (de quo loquitur) vt omnes Interpretes exponunt; neque vsitatum, sed barbarum. Nihil enim λατεῖνος significat. Quod autem additur de numero annorum, plane ridiculum est; vt infrà ostendetur.

De numero nominis bestiæ.

17 *Noui Samosateni.* Noui Samosateni dicunt Papam factum Antichristum, paulò post tempora Apostolorum, quando abolito vero Christo, qui erat purus & simplex homo, introduxit Christum falsum & geminum, qui simul & Deus & homo: & abolito Deo vno, introduxit Deum trinum. Ecce qualia monstra tellus fullinet. Sed hi nec nomen quidem Antichristi intelligere videntur. Non enim Antichristus dicitur, qui Christum exiollit & Deum facit, sed qui se contra Christum exollit, & pro Deo venditat; vt apertè Apostolus docet 2. ad Thessal. 2. Deinde se potiùs Antichristos esse demonstrant. *Omnis enim spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*; vt 1. Ioan. 4. dicitur. Illi autem Iesum soluunt: quia Deum negant. Soluere enim Iesum, est negare vnionem humanæ & diuinæ naturæ, & illum vel solum Deum, vel solum hominem confiteri. Omitto alia quæ contra hoc commentum adferri possent.

Quinta Demonstratio, ex repugnantia aduersus Christum.

ANtichristus ex diametro se opponet Christo, & se eius aduersarium profitebitur. Dicet enim se esse verum Messiam in Lege promissum: & Christi Religionem conabitur exterpare. Ita docent omnes Patres, & colligitur manifestè ex Scripturis, Ioan. 5. 2. ad Thess. 2. & ex ipso nomine. Ἀντίχριστος enim significat aduersarium Christi, vt inquit Damascenus libr. 4. de fide, capit. 28. Isidorus lib. 8. orig. capit. 11. & alij. Oportet autem vt se gerat pro tali; alioquin non esset præcipuo quodam modo aduersarius, sed occultè tantùm. & sub specie amici vel serui. Perspicuum enim est, eum longè perfectiùs esse, & dici Antichristum, qui palàm se hostem Christi profitetur, & eius cultum ac regnum exterminare conatur, quam qui occultè sub specie amici. 18 *Quòd sit Antichristus pro aduersario Christi.*

At Summi Pontifices tantum abest vt profiteantur se Christi aduersarios, vt glorientur se dici eius ministros, & Vicarios; & humillimè se Christi institutis & præceptis subijciant, Christo sacrificium offerant, indignos se eius ministerio fateantur, ad pedes aliorum Christi seruorum accidant, vt per eos virtute Christi eis communicata à peccatis absoluantur, & Christi gratiæ fiant participes. Denique toti in eo sunt, vt & ipsi & omnes Christiani Christum humillimè ac deuotissimè colant, & vt eius cultus per totum mundum propagetur. Hæccine sunt signa iurati aduersarij? Et quanam tandem ratione posset ostendere se gloriæ & regni Christi illustrandi esse cupidiorem, aut magis studiosum?

Sexta Demonstratio, ex modo Veniendi, & receptione à Iudæis.

ANtichristus *veniet in nomine suo*, vt Dominus ait Ioan. 5. id est, non tamquam missus ab alio, à quo auctoritatem acceperit, (sicut Christus venit in nomine Patris sui) sed veniet vt à te ipso auctoritatem habens à nullo acceptam, vt perspicuum est ex loco illo Ioan. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. At Pontifex Romanus non venit in nomine suo, id est tamquam à se ipso auctoritatem habens, sed vt seruus & minister Christi. 19

Deinde Antichristus cùm venerit, recipietur à Iudæis pro Messia, vt aperte hic Dominus insinuat, cùm ait, *illum recipietis*. Quod etiam indicat Apostolus 2. ad Thessal. 2. cùm ait: *Ideò*, (nempe *quia charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent*) *mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio* &c. id est, quia Christum recipere noluerunt, permittet Deus vt seducātur ab Antichristo, eumque pro Messia excipiāt, &c. Quòd enim de Antichristo loquatur, patet ex verbis præcedentibus: *Cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt; eò quòd charitatem veritatis non receperunt*, &c. Vbi etiā Iudæos tectè denotat, qui Christum nolebant recipere. *Recipientur à Iudæis.*

Eadem est communis Patrum sententia. Irenæus libr. 5. de hæresibus capitul. 25. *Et Dominus hoc idem non credentibus sibi dicebat: Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: cùm autem alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Alium dicens Antichristum, quoniam alienus est à Domino*, &c. Vbi Irenęus etiam explicat vim illius particulæ *si* per cùm quia re vera non denotat eventum incertum, sed certum, & certæ personæ. *Probatur id ex Patribus.*

Hippolytus Martyr de consummatione sæculi, dicit *Antichristum suscitaturum regnum Iudæorum*. & infrà dicit illum *ex Iudæis*, nimirum ex tribu Dan *nasciturum*, & *Ierosolymis templum exstructurum*, & *Iudæos illum vt Saluatorem susceptures*.

Hieronymus ad Algasiam quæstio. 11. exponens locum Apostoli 2. ad Thessal. 2. *Faciet hæc omnia non sua virtute, sed concessione Dei propter Iudæos, vt qui noluerunt suscipere charis-*

ſ ab veritatis, hoc eſt, ſpiritum Dei per Chriſtum. &c. mittet illis Deus non operaturem, ſed ipſam operationem, id eſt, fontem erroris vt credant mendacio. Et infrà; *Nunc autem idèo inducendi ſunt, imò procul dubio condemnandi, quia Chriſti veritate contempta, poſtea mendacium, id eſt Antichriſtum ſuſcepturi ſunt.*

Ambroſius in Epiſto. 2. ad Theſſalon. cap 2. ex illo loco Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis*; infert: *Quamobrem ex circumciſione aut circumciſum illum venire ſperandum eſt, vt ſit Iudæis credendi illi fiducia.*

D. Auguſtinus tract. 29. In Ioannem: *Ego veni in nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me: alius veniet in nomine ſuo hunc ſuſcepietis. ſignificauit eos Antichriſtum ſuſcepturos, qui gloriâ nominis ſui quæſiturus eſt. &c.*

Cyrillus Catecheſi 15. *Si tanquam Chriſtus ad Iudæos venter, à Iudæis ſanè adorari volet, vt illos maximè decipiat: ſtudioſiſſimum ſe oſtendet illius templi, vt ipſe de progenie Dauid eſſe ſe videatur, &c.*

Ephrem Syrus de conſummatione ſæculi: *Supra modum Iudæorum genem honorabit, quòd ſcilicet ſe maximè expectent illum aduenturum, tanquam veri Meſſiæ. &c.*

Hilarius can. 25. in Matth. *A Iudæis ſuſceptus* (Antichriſtus) *loco ſanctificationis inſiſtet. &c.*

Nazianzenus orat. 47. *Quod ad hunc locum attinet, Abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto: aiunt fore vt Ieroſolymitanum templum rurſus extruatur, atque Antichriſtus à Iudæis Chriſtus credatur, in eique ſedeat. &c.*

Gregorius lib. 11. epiſt. 3. *Quos Antichriſtus perfidiam Iudaïcam compellit, vt exteriores legis ritum renouent, & ſibi Iudaïcum perfidiæ ſubdant, ſoli vult Sabbatum. &c.*

Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 18. *Ergo Iudæi Dominum Ieſum Chriſtum, ac Deum Deique Filium haudquaquam receperunt: impoſtorem contrà, diuinitatem ſibi arrogantem, recipient.* Idque probat ex duobus locis Scripturæ, Ioan. 5. & 2. ad Theſſal. 2. Idem ex iſtidem locis probat Proſper in dimidio hebdomadis, cap. 9. & Theodoretus in Danielem oratio. 7. explicans illud verſiculum, *Indetium ſedis*, &c. *et.*

Theophylactus in cap. 5. Ioan. & in cap. 2. Epiſtol. 2. ad Theſſalon. Denique ceteri omnes interpretes in eadem Scripturæ loca docent Antichriſtum à Iudæis pro Meſſia recipiendum. Hinc communiter Patres docent illum fore Iudæum, & inſtauraturum templum, Sabbatum, ac circumciſionem aliaſque cærimonias. At numquam Pontifices ſe venditarunt pro Meſſia: neque vnquam à Iudæis pro Meſſia ſuſcepti. Imò nullus eorum à mille annis eſt ex Iudæis.

Septima Demonſtratio, ex profeſſione Antichriſti.

21 ANtichriſtus ſe venditabit pro vero Meſſia in Lege promiſſo, imò ſeipſum faciet Deum, vt indicat Dominus Ioann. 5. cùm ait: *Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis:* nimirum tamquam Meſſiam, vt omnes Patres intelligunt; & ipſa antitheſis, quam ibi Dominus inter ſe & illum facit, poſtulat, & ſatis oſtenſum eſt in ſexta Demonſtratione. Non autem credibile recipiendum pro Meſſia, niſi ipſe pro tali ſe gerat, & ſe Meſſiam affirmet.

Profitebitur ſe Deum.

Quòd etiam ſe Deum faciet, indicat illud, *in nomine ſuo*. Si enim non veniret vt Deus, neceſſariò deberet comparere tamquam miſſus à Deo: & ita non veniret in nomine ſuo. Hæc enim duo Chriſtus opponit, *venire in nomine Patris*, ſiue Dei, & *venire in nomine ſuo*. Itaque hoc ipſo quo dicitur ipſum venturum *in nomine ſuo*, perſpicuè inſinuatur ipſum comparaturum tamquam Deum, qui ſua, non ab alio accepta, nitatur auctoritate. Idem clarè docet Apoſtolus 2. ad Theſſalonicen. 2. *Qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus:* vel vt Græca habent: ἀποδεικνύζα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ Θεός, *oſtendens ſe quòd ipſe ſit Deus*. Efferet itaque ſe ſupra Chriſtum, & omnes deos Gentium, & ſibi ſoli diuinitatem arrogabit, ſeque tamquam Deum adorari faciet. Idem habetur Danielis 11. *Et elevabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum: & aduerſus Deum deorum loquetur magnifica.* & infrà: *Et Deum patrum ſuorum non reputabit.* Denique idem communi conſenſu docent Patres, quorum verba producerem, niſi res eſſet ſatis clara ex Scripturis. Nam vix clariùs dici poteſt.

Atque hæc omnia immane quantum diſtant à profeſſione & moribus Pontificum. Nullus enim vmquam ſe pro Meſſia venditauit: nullus ſe ſupra aut contra Deum extulit: nullus ſe vt Deum oſtentauit, aut vt Deus coli voluit. Omnes confitentur ſe ſeruos, & miniſtros Dei, & Chriſti, eoque nomine gloriantur: neque ſolùm *ſeruos Dei*, ſed etiam *ſeruos ſeruorum Dei*. Numquam aliquis Princeps tam humili titulo in ſuis litteris & diplomatibus vſus eſt. Nemo Catholicorum adeò vecors vmquam fuit, vt Pontificem Summum pro Deo proprie dicto colendum, aut habendum ſenſerit: quamuis a quibuſdam metaphoricè *Deus in terris* dictus ſit: nimirum, quia in terris eſt ſupremus, & Dei locum tenet. Simili forma loquendi Dominus Exodi 7. dicit Moyſi: *Conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*. & Pſal. 81. Principes ac Iudices Dij vocantur. 22

Reſpondet Auctor in Præfatione pag. 57. *Pontificem ſe exiſtimare ſupra omne quod dicitur Deus; quia exiſtimat ſe ſupra Reges, & ſupra Epiſcopos: de quibus dicitur; Ego dixi, Dij eſtis.* *Reſponſ. Auctor. Præfat.*

Sed hæc reſponſio facilè refutatur. Primò, Si nihil aliud eſt extollere ſe ſupra omne id quod *dicitur Deus*, quam extollere ſe ſupra Reges Chriſtianos & Prælatos Eccleſiaſticos, non eſt per ſe malum; ſed fieri poteſt, vt quis abſque culpa & laudabiliter id facit. Ponamus enim Chriſtum aliquem conſtituere ſuum Vicarium, eique omnem eam auctoritatem dare, quam re ipſa Catholici dicunt Pontifici conceſſam (quis enim dicat Chriſtum id facere non poſſe?) iſte iure ſibi in omnes auctoritatem vindicabit, & ſuprà vtriuſque gladij poteſtatem ſe efferet. Itaque abſque culpa ſe extollet *ſupra omne id quod dicitur aut colitur Deus. & ſedebit in Eccleſia oſtendens ſe eſſe Deum.* Ad hoc non niſi abſurdiſſimè dici poteſt; Apoſtolus enim vt atrociſſimum ſcelus illud refert, in quo, teſte Gregorio, *eſt vniuerſa pernicies.* Secundò, Si Rex Angliæ haberet tam latum Imperium, quàm olim habuere Imperatores Romani, extolleret ſe ſupra omnes Reges & Epiſcopos: ſupra Reges, vt Imperator; ſupra Epiſcopos omnes, vt primatum Eccleſiæ ſibi vindicans: & tamen non idcirco putaret in ſe competere iſta verba Apoſtoli; alioquin ſe faceret Antichriſtum. Tertiò, Antichriſtus non minùs ſe faciet Deum, quàm olim fecerunt aliqui Principes Ethnici: eam vincet omnes impietate & ſuperbia. Atqui multi Principes Ethnici non ſolùm extulerunt ſe ſuprà *vtriuſque gladij poteſtatem*, ſed etiam arrogarunt ſibi honores diuinos, & voluerunt vt dij adorari; vt Nabuchodonoſor, Nero, Caligula, & multi alij. Ergo Antichriſtus venditabit ſe non ſolùm pro Principe ſupremo, cui omnes mortales ſubſint, ſed etiam pro vero Deo, voletque honore diuino coli. quod expreſsè indicat Apoſtolus, cùm ait: *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus*, nimirum, vt adoretur. Et Apocalypſis 13. omnes coguntur illum adorare, & recuſantes iubentur occidi: ſicut olim ſub Nabuchodonoſor, Danielis 3. *Refutatur.* *Lib. 6. ep. 30.*

Quartò, Nomen *Deus* in illis verbis Apoſtoli non accipi metaphoricè pro ſolis Regibus, vel Iudicibus, ſed proprie & generatim pro omnico, cui hoc nomen ab hominibus in propria ſignificatione, ſiue verè, ſiue falsò tribui ſolet; patet ex illa forma loquendi, *qui extollitur ſupra omne quod dicitur Deus*; Græcè, ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεόν. At præter Iudices, quibus ſolùm impropriè hoc nomen tribuitur, multi ſunt alij, quibus tribuitur in propria ſignificatione, etſi quibuſdam falsò; vt Iupiter, Mars, Mercurius, &c. & ipſe Chriſtus, cui tribuitur verè. ergo etiam ſupra hos ſe extollet. Idem confirmat illud, *aut quod colitur*, Græcè σέβασμα: quæ vox generatim ſignificat *omnem quod religioſè colitur*, vt etiam Erasmus animaduertit; & ita vertit hoc loco. plerumque autem accipitur pro Idolo: vt Sapientiæ 15. & Actorum 17. & hoc loco; vt paſſim Patres exponunt. Itaque non agitur de Iudicibus, ſed de numinibus, quibus honores diuini impenduntur. Quintò, Antichriſtus negabit Chriſtum eſſe Deum, & ipſum Meſſiam eſſe dicet, vt oſtenſum eſt; hinc Ioann. 2. dicitur, *eum eſſe Antichriſtum, qui negat Ieſum eſſe Chriſtum*, ſeu Meſſiam promiſſum; nempe quia dicitur ſpiritu Anti- *Nomen Deus accipi primò ab Apoſtolo.*

chriſti, qui hoc penitus negaturus eſt, vt ſe Meſſiam faciat. Atqui Chriſtus ſecundùm Scripturas eſt verus Deus, & pro tali colitur a Chriſtianis : ergo Antichriſtus ſe dicet verum Deum. Sextò, Idem colligitur ex loco Danielis ſuprà allato; vbi dicitur, quòd *eleuabitur aduerſus omnem Deum : nec quemquam Deorum curabit; quia aduerſus vniuerſa conſurget*. Quis hæc interpretetur de Iudicibus? Septimò denique communis omnium verum & recentiorum ſententia eſt, quòd Antichriſtus ſe iactabit eſſe verum Deum, & coget homines ad ſe adorandum inſtar Dei: nec vlli vnquam illud commentum de Dijs metaphoricis, hoc eſt Iudicibus, in mentem venit. Vnde cùm hæretici dicunt Pontificem eſſe Antichriſtum, & nihilominus affirmant illum colere Idola, & Idolorum cultum (ſic enim ſacrarum Imaginum venerationem vocant) promouere, ſe ipſi euertunt. Si enim eſt Antichriſtus, ergo non promouebit, ſed tollet cultum Idolorum, vt ipſe ſolus publicè colatur: vt aperte ex Scripturis & Patribus colligitur. Si autem promouet cultum Idolorum, & ipſe ſe illis publicè ſupplicem præbet: ergo non eſt Antichriſtus, qui aduerſus omnem Deum conſurget, & ſupra omnem ſe extollet.

24 Dices: Si Antichriſtus geret ſe pro Deo, & omnibus alijs Dijs aduerſabitur, eoſque exterminabit; quomodo ergo Danielis 11. dicitur: *Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur?* Reſpondeo: Etiamſi publicè ſe gerat pro Deo; tamen priuatim in arce aliqua poterit colere diabolum, cuius opera in omnibus vtetur, à quo eius fortuna, & ſucceſſus omnis pendebit.

Ex his patet illos quinque actus (in quibus Auctor pag. 57. vult Pontificem ſe gerere. vt Deum) primò, *Quòd peccata condonet*: ſecundò, *Quòd animas redimat*: tertiò, *Quòd articulos fidei definiat*: quartò, *Quòd omnium confeſſor eſſe velit & ludex*: quintò, *Quòd ipſe à nemine velit nec dicari*: non ſufficere. quod vlterius confirmo. Nam quod ad primum & ſecundum actum attinet, ſi illi ſufficiunt; ergo omnes Sacerdotes in Eccleſia Catholica gerunt ſe vt Deus, iuxta mentem Apoſtoli. Omnes enim peccata condonant, omnes peccatis captiuas animas è miſerabili illa ſeruitute eripiunt. omnes itaque erunt Antichriſti. Sed hæc non faciunt ſua auctoritate, ſed auctoritate à Chriſto accepta (qui Apoſtolis ſuis, & in Apoſtolis omnibus Sacerdotibus dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* &c) nec ſuis meritis, ſed Chriſti; applicando pretium ſanguinis ipſius Sacramentis inclu- ſum. Vnde in hoc opere non oſtendunt ſe eſſe Deum; ſed miniſtros Dei, & diſpenſatores myſteriorum Chriſti. Proprie tamen non dicuntur Sacerdotes *animas redimere*: quia *redimere* propriè eſt pretium dependere, & de ſuo ſoluere. Hoc ſolus Chriſtus facit. Vnde ipſe ſolus propriè dicitur *animas redimere*. Quodam tamen ſenſu poteſt dici *redimere* etiam is qui pretium ſolutum defert & applicat; vt exemplis humanis conſtat. Et hoc modo conuenit Summo Pontifici, & Sacerdotibus omnibus: quia pretium redemptionis Sacramentis inclaſum peccatoribus applicat, & ſic à peccato & damnatione eripiunt. *Ioan. 20.*

Neque tertius ſufficit. quia etiam Apoſtoli *articulos fidei definierunt*. quando declararunt gentibus legalium obſeruationem non eſſe neceſſariam, Act. 15. Et cuius tandem erit, obortis controuerſijs, ſtatuere, quin in Eccleſia vniuerſa ſit tenendum, niſi eius, qui loco Chriſti toti Eccleſiæ præſidet, adhibitis alijs inferioribus Eccleſiarum Principibus? Omitto quòd Princeps & Parlamentum in Anglia articulos fidei definiant, & quid credendū ſtatuant, & præcipiant.

Quartus etiam & quintus non ſufficiunt, vt oſtenſum eſt numero 23. in principio: Quia rex Britanniæ nullum Iudicem, vt opinor, agnoſcit in terris, & tamen non ideò ſe propriè Deum facit. Et ſi eſſet Monarcha tantus, quantus olim Imperator Romanus, ſe etiam omnium hominum Imperio ſubditorum cenſorem, & Iudicem crearet, à nemine iudicandum. Nemo tamen recte dixerit, ipſum ſe Deum facere.

Denique nec omnes ſimul ſufficiunt, quia in merum hominem omnes cadere poſſunt, vt oſtenſum eſt: imò præcipui omnibus Sacerdotibus conueniunt. Longè enim excellentius, admirabilius, & diuinius eſt à peccatis abſoluere, animas Deo reconciliare, Euchariſtiam conſecrare, quàm omnibus regibus imperare, & poſſe de eorum regnis etiam pro arbitrio diſponere.

Octaua Demonſtratio, ex tempore Aduentus.

ANtichriſtus non eſt venturus niſi ſub finem mundi, nimirum paulò ante ſecundum Domini aduentum. Falſum ergo eſt Summos Pontifices iam tot ſæculis Antichriſtos fuiſſe. Antecedens clare conuincitur tum ex Scripturis, tum ex communi omnium Patrum ſententia. Ex Scripturis. Nam 2. ad Theſſalonic. 2. monet Apoſtolus, vt nemo ſibi perſuadeat inſtare diem Domini, niſi reuelatus fuerit Antichriſtus: quaſi eius reuelatio ſit ſignum illius diei imminentis. Matth. 24. cùm Apoſtoli perijſſent aliqua ſigna ſecundi aduentus, & conſummationis ſeculi; Dominus tradit illis quinque ſigna, quæ debent antecedere. Primò, Generis humani magnam perturbationem: *Conſurget*, inquit, *gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc ſunt initia dolorum*. Secundò, Multorum à pſeudoprophetis ſeductionem: *Et multi*, inquit, *pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos*. Sicut enim Chriſtus Prophetas habuit præcurſores, qui illi viam in mentibus hominum pararent: ita Antichriſtus pſeudoprophetas præcurſores habet, qui mentes hominum ad ipſius aduentum diſponant: quales ſunt omnes hæretici, & maximè hereſiarchæ, vt Lutherus, Caluinus, Menno, Melanchthon, & ſimiles. Hi ſeducent multos. Hoc ſignum noſtro ſæculo magis quàm vnquam videmus impleri. Tertiò, Prædicationem Euangelij in toto orbe: *Prædicabitur*, inquit, *hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc veniet conſummatio*. Quartò, Maximam tribulationem ſeu perſecutionem, qualis non fuit ab initio mundi; cuius typus fuit calamitas Iudæorum in excidio Vrbis. Hanc inferet Antichriſtus, vt communiter docent Patres. Quintò, Signa cæleſtia, & perturbationem Elementorum, quæ ſtatim poſt inchoatam perſecutionem Antichriſti incipient; eumque aduentui Domini propinquæ: *Statim*, inquit, *poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur*. & cetera. *poſt tribulationem* inceptam nimirum, non completam, vt ex Apocalyp. capit. ſexto, verſ. 13. colligitur. Itaque non erit magna mora inter aduentum Antichriſti, & finem ſæculi. Idem colligitur ex cap. ſeptimo Danielis. Vbi Daniel poſtquam vidit cornu paruulum, ortum inter decem cornua quartæ beſtiæ, loquens grandia contra Altiſſimum (quo ex communi Patrum ſententia ſignificatur Antichriſtus) ſtatim vidit *thronos poſitos, & antiquum dierum* ſedentem ad iudicandum orbem. Et infrà: *Aſpiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduerſus Sanctos, & præualebat eis, donec veniret antiquus dierum, & iudicium daret Sanctis*. Idem paulò poſt dicitur adhuc apertiùs. *Quinque ſecundi aduentus ſui ſigna à Domino tradita.*

Ex Patribus quoque eadem res eſt perſpicua. Iren. libro quinto, capit. 30. *Cum vaſtauerit Antichriſtus omnia in hoc mundo, regnans annis tribus & menſibus ſex, & ſederit in templo Ieroſolymis, tunc veniet Dominus de cælis in iudicium*. Tertullianus libro de reſurrect. carnis capit. pag. 27 *Hoc ipſo quod ait, Donec ira prætereat, quæ extinguet Antichriſtum, poſt iram oſtendit proceſſuram carnem de ſepulchris, in qua ante iram fuerit ſtatus*. & cetera. *poſt Antichriſti euacuationem agitabitur reſurrectio*. Cyprianus epiſtol. 56. *Scire debetis, & pro certo tenere occaſum ſæculi, atque Antichriſti tempus appropinquaſſe, vt parati ad prælium ſtemus*. Et libro de exhortat. martyrij ad Fortunatum, in principio Præfationis: *In fine atque in conſummatione mundi, Antichriſti tempus inſtans appropinquare cœpit*. Vbi aduertendum, Cyprianum & quoſdam alios Patres, conſideratis perſecutionibus & flagellis mundi, & ſcelerata hominum vita, exiſtimaſſe finem mundi inſtare; & inde collegiſſe aduentum Antichriſti. quam re apertè declarant ſe ſenſiſſe, Antichriſtum ſub occaſum mundi venire debere. Et quamuis in illa coniectura de fine mundi inſtante ſint decepti; non tamen in eo, quod Antichriſti aduentum cum fine mundi coniunxerint. Hoc enim tamquam indubitatum ex Scripturis, & receptum in Eccleſia dogma ſupponebant: illud ex ſignis quibuſdam coniectabant. *Venturus ſub finem mundi dicit patres.*

Hiero-

Hieronymus in capit. 11. Danielis: *Noſtri*, inquit, *& nobiliùs interpretantur & rectiùs, quod in fine mundi hæc ſit facturus Antichriſtus, qui conſurgere habet de modica gente, id eſt, de populo Iudæorum.* Vbi apertè indicat hanc eſſe receptam Chriſtianorum ſententiam. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. vltimo: *In illo itaque iudicio, vel circa illud iudicium, hæc res decimas eſſe futuras, Eliam Thesbitem, fidem Iudæorum, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum venturum iudicaturum, mortuorum reſurrectionem, &c. quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt; ſed quibus modis, & quo ordine venient, magis tunc docebit rerum experientia, &c.*

Proſper, In dimidio temporis cap. 9. *Hic oſtenditur quod ex Iudæis, de tribu Dan quæ hodieque in Perfidia eſt, venturus ſit Antichriſtus. &c. Hæc itaque verum Chriſtum Dominum venturum oſtendit dicens; Saluatore tuum expectabo Domine.* Chryſoſtomus Homil. 78. in capit. 24. Matth. *Sicut cùm arca fieret, aperte futurum præmuniuit diluuium, illi autem non credentes tanquam nullo malo venturo laſciuiebant: ſic Antichriſtus apparebit, poſt quam conſummata & intolerabiles; tunc ſequentur.* Damaſcenus libro 4. capit. 28. *Primùm Euangelium apud omnes gentes prædicetur, neceſſe eſt; & tunc reuelabitur iniquus ille*, & cetera. At nondum apud omnes gentes prædicatum eſſe conſtat. Denique eadem eſt ceterorum omnium conſtans & indubitata ſententia, nimirum Antichriſtum non niſi ſub finem mundi venturum: neque per quindecim annorum centurias quiſquam Patrum, aut Doctorum fuit, qui in de re dubitauerit. Ratio eſt, quia Antichriſtus venire debet cùm impietas & licentia vitiorum ad culmen peruenerint. Ipſius enim regnum maximè aduerſabitur regno Chriſti, & totis viribus omnem Chriſti & veri Dei cultum conabitur exterminare. Illud autem erit ſub occaſum mundi. Nam vt ait B. Auguſtinus Hom. 26. in Ioannem: *Quantum accedit finis mundi, creſcunt errores, creſcunt tenebræ, creſcit iniquitas, creſcit infidelitas.* Quò enim longius progreditur genus humanum, eò magis lateſcit pietas olim ſuſcepta, & creſcit vitiorum licentia: vt patuit omnibus mundi ætatibus, & in plurimis regnis, vbi olim Religio viguit. Itaque ſub mundi terminum impietas & contemptus Numinis erit in ſummo, & Religio in infimo, quod indicat Dominus Lucæ 18. *Verumtamen Filius hominis veniens putaſne fidem inueniet in terra?* Vitium enim cùm ſit ſecundùm inclinationem naturæ corruptæ, vſu, conſuetudine, & exemplo ſemper creſcit. Pietas cùm ſit ſpiritalis, & ſupernaturalis, eſt naturæ corruptæ & terrenis addictæ difficilis, moleſta, & quaſi violenta. Vnde ſenſim, hominibus ſpiritalia negligentibus, & terrena ſectantibus, euaneſcit. Cùm ergo ſub finem mundi venturus ſit, qua fronte aſſerunt hæretici, iam à mille annis Antichriſtum veniſſe, & omnes Pontifices Romanos tanto tempore Antichriſtos fuiſſe.

Nona Demonſtratio, ex perſecutione Antichriſti.

27 ANtichriſtus commouebit aſperrimam perſecutionem aduerſus Eccleſiam, & quidem toto orbe; idque eo fine, vt omnes à Chriſti cultu ad ſui cultum traducat: & ſibi adhærentibus certum imprimet vel tradet ſignum, vt nemo, niſi eiuſmodi ſigno eius ſe profiteatur cultorem, poſſit emere aut vendere. Atqui nihil horum factum à Summis Pontificibus. Ergo illi non ſunt Antichriſtus. Maior probatur ex Scripturis, Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet.* Vbi Dominus potiſſimùm loquitur de vltima tribulatione, vt patet ex illis verbis: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur.* Et Danielis 7. dicitur de Antichriſto: *Sanctos Altiſſimi conteret.* & Apocal. 20. *Cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas*, nimirum ad perſequendam Eccleſiam, vt ex ijs quæ ſequuntur conſtat. Vnde tanto maior erit tunc perſecutio, quàm ſub vllo fuerit vnquam tyranno; quanto magis ſæuire diabolus poteſt ſolutus quam ligatus, vt Patres tradunt.

Erit etiam hæc perſecutio generalis, & per totum Antichriſti imperium; vt colligitur ex illis verbis, *Et circumdederunt caſtra Sanctorum, & dilectam ciuitatem.* quibus verbis ſignificatur Eccleſiam vbique diffuſam ab eo affligendam. Quod autem eo fine hæc perſecutio excitabitur, vt omnes à Chriſti cultu ad ſui cultum traducat, manifeſtum eſt ex cap. 13. *Et data eſt ei poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eum omnes habitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ*, & cætera. Et infrà: *Et datum eſt ei vt faciat, vt quicumque non adorauerit imaginem beſtiæ, occidantur.* Denique de charactere patet eodem capite 13. *Et faciet omnes puſillos & magnos, diuites & pauperes, liberos & ſeruos habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis; & ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.* Eadem fusè probari poſſunt ex Patribus; ſed opus non eſt, cùm aduerſarij non negent.

Quod autem nihil horum à Romano Pontifice factum ſit aut fiat, perſpicuum eſt. Numquam enim Romani Pontifices viſi ſunt mouere apertam perſecutionem contra Eccleſiam, aut conari homines à cultu Chriſti ad cultum ſuum traducere: numquam ab ijs datus omnibus adhærentibus character aliquis, ſine quo non poſſent emere vel vendere.

28 *Reſpuſio hæreticorum vrgetur.*

Reſpondent hæretici, Pontifices Romanos mouiſſe perſecutiones contra Eccleſiam Dei, quando ipſorum ſectios iuſſerunt occidi. Hanc autem perſecutionem miłe exaggerant; ſed ridiculè. Primò, quia Antichriſti perſecutio erit vniuerſalis: hæc autem fuit ſolùm in paucis locis, vbi erant hæretici. Secundò, Antichriſti perſecutio erit ſæuior, quàm fuerit vlla Tyrannorum antiquorum, vt Neronis, vel Diocletiani, &c. vt docent omnes Patres, & apertè colligitur ex verbis Domini, Matth. 24. citatis. At quis rationis compos dicet perſecutionem Pontificis Romani in hæreticos eſſe immaniorem, quàm fuerit vnquam perſecutio Diocletiani, qua tot millia Chriſtianorum toto Romano Imperio ſublata, tot genera tormentorum per multos ſæpè dies irrogata, tot carceres impleti, tot metalla referta? Tertiò, Antichriſtus perſequetur Catholicos, quia tenent religionem auitam: at Pontifex perſequitur hæreticos, quia deſeruerunt auitam. Quartò, Antichriſtus perſequetur vt cogat omnes ad cultum ſuum, relicto cultu Chriſti. At Pontifex non perſequitur quemquam, vt cogat illum ad cultum ſuum; ſed vt redeat ad cultum Chriſti, quem eſt profeſſus. Quintò, Antichriſti perſecutio erit toto mundo notiſſima, & vehementiſſimè concutiet orbem. At perſecutio Pontificis in hæreticos, non turbat pacem mundi, ſed tollit faces ſeditionum, & tranquillitatem mundi conſeruat: vnde nemo ſentit illud eſſe perſecutionem, niſi eo modo quo punitio furum, latronum, proditorum, ſeditioſorum, perſecutio dicitur.

Sextò, Antichriſtus ſua perſecutione penitus opprimet Eccleſiam, ita vt ipſa non valeat ei reſiſtere; nam ipſe vſque dum interimatur, proſperè aget, & pro ſuo arbitratu omnia faciet. Vt enim Danielis 7. dicitur: *Roborabitur fortitudo eius, & ſupra quàm dici poteſt vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet, & interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundùm voluntatem ſuam.* At perſecutio Pontificis in hæreticos non habet illum ſucceſſum. Nam non ſolùm ei reſiſtunt, vt non poſſit illos pro arbitrio & meritis caſtigare, ſed etiam & ipſi, & omnibus ipſi adhærentibus grauiſſimam perſecutionem mouent. Teſtis eſt Anglia, Gallia, Hollandia, & aliæ regiones; in quibus paucis annis plures Catholici ab hæreticis vario tormentorum genere interfecti, quàm totis decem ſæculis hæretici ab Inquiſitoribus damnati. Quòd ſi multi in bellis cecidere, ij non ſunt dicendi perſecutione, quæ martyres faciat, occiſi; ſed prælio tamquam milites deleti. Cùm enim regna pacata turbaſſent, & populum ad arma contra Principes concitaſſent, Principes ſe aduerſus illos armarunt, & ſic multi eorum vt ſeditioſi & rebelles interempti. Deinde tantum abeſt vt potentia Romani Pontificis creſcat, vt iam à mille annis cœperit decreſcere, præſertim in Europa & locis vicinis. Creſcente enim regno Turcarum, decreuit Eccleſia, prouincijs Chriſtianorum ſenſim ab eo occupatis. Itaque amiſſa iam antea Africa, cœpit amittere Aſiá; qua tota abſorpta, quidquid imperij Orientalis ſupererat in Europa, tandem adempturus current-

te ſæ-

te ſæculo xv. Superiore autem ſæculo, quot regna in Europa Eccleſiæ ſubducta? quot in Religione conuulſa, & ad defectionem inclinantia? Vnde Auctor Præfationis pag. 138. dicit, *partem propè dimidiam Chriſtianus orbis à Babylone*, hoc eſt, ab Eccleſia Romana, *exiſſe*. eoque nomine excitat Principes Catholicos, vt Antichriſti (Pontificis) iugum excutiant. At hæc minimè congruunt cum ſucceſſibus Antichriſti, cuius potentia creſcet vſque ad finem; cui nemo poterit reſiſtere, vt ex Scripturis conſtat: nedum populus ſanctorum, quia perſecutionem patietur.

Septimò, Si perſecutio Pontificis, qua perſequitur Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas, eſt perſecutio Antichriſti; ipſi ergo ſunt *ſancti Dei Altiſſimi*, qui ab Antichriſto conterentur; Danielis 7. Ipſi ſunt *caſtra ſanctorum, & ciuitas dilecta*, quam exercitus Antichriſti cinget & affliget; Apocal. 20. Si ita eſt (quod etiam ipſi aperte affirmant) peto an hæ præclaræ appellationes conueniant in omnes ſectas huius temporis, an in aliquam tantùm? Si in omnes, quomodo id fieri poteſt, cùm vnica tantum ſit fides, & religio, quæ hominem ſanctum efficiat, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo? Nam illæ ſectæ habent fides & religiones valdè diuerſas. Diſſentiunt enim Caluiniſtæ & Lutherani in primarijs fidei capitibus, & ſe mutuò hæreſeos damnant. Similiter Caluiniſtæ Proteſtantes, à Puritanis; & Lutherani molles, à rigidis; & hi omnes ab Anabaptiſtis, & à nouis Arrianis, & Samoſatenis. Itaque non poſſunt omnes illæ ſectæ eſſe caſtra ſanctorum, & ciuitas dilecta. Si vna ex his eſt ciuitas dilecta, quænam tandem eſt illa? quibus notis eam deprehendemus? Singulæ enim ſectæ æquè fortiter aſſeuerant ſe hanc ciuitatem conſtituere: Quia, inquiunt, noſtra doctrina eſt purum putũ verbum Dei. Neq; aliam probationem adferre poſſunt, cùm extra Scripturas nihil ſit credendum. Si Caluiniſtæ ſibi hanc gloriam vindicare velint, opponent ſe Lutherani, qui plurimos & peſtilentes errores in illis notarunt: Si Lutherani, obſiſtent Caluiniſtæ, qui non pauciores errores obijciunt Lutheranis. Quare cùm fieri nequeat, vt omnes ſectæ ſint ciuitas illa dilecta; neque vlla poſſit adferri ratio, cur hæc potius ſit quàm illa; meritò colligimus nullam ex his ad illam ciuitatem pertinere, ſed omnes potiùs ad ſocietem Antichriſti.

Rurſus, ſi grex, v. g. Caluiniſtarum eſt *ciuitas illa dilecta*: ergo Antichriſtus multò eſt antiquior Eccleſia Chriſti: multis enim ſæculis ipſe Caluinismus anteceſſit; vt quorum primus Apoſtolus Lutherus nondum vnum ſæculum impleuerit. Vbi quæſo ante Lutherum erant Lutheranorum & Caluiniſtarum ſynagogæ? Si erant inuiſibiles non audentes ſuam religionem metu Pontificis profiteri, indigni planè erãt Eccleſiæ nomine, quæ eſt ciuitas ſupra montem poſita, quæ ſuum ſponſum non erubeſcit. Vnde numquam ita latuit in perſecutionibus Tyrannorum, quin facile cognoſceretur. Si viſibiles, quomodo non fuerunt illi fratres apprehenſi ab Inquiſitoribus, & puniti? Denique quomodo ſcitis eas anteà extitiſſe, cùm nullus Scriptor, nullus Hiſtoricus id tradat, nec vllum huius rei ſit veſtigium? Nam & ipſe parens earum Lutherus anteà Catholicus fuit, & cùm furore percitus, eò quòd Indulgentiarum promulgatio ipſius Ordini in Germania delata non eſſet, ab Eccleſia deſciuiſſet; non antiquos illius ſectæ cultores collegit, ſed Catholicos peruertit, & nouam ſectam ex veterum ſectarum fruſtis excitauit. Itaque nullo colore dicitur, religionem Lutheranam & Caluiniſticam anteà extitiſſe.

Octauò, Antichriſti perſecutio non diu durabit, vt omnes fatentur: *niſi enim breuiati fuiſſent dies illi, non ſaluaretur omnis caro*; vt Dominus ait Matth. 24. Sed perſecutio Pontificis in hæreticos multis ſæculis durauit: ergo hæc non eſt perſecutio Antichriſti. Nonò, Antichriſtus ſua perſecutione tollet omnem publicum Chriſti cultum, & in primis iuge ſacrificium; vt patet ex cap. 12. Danielis. At Summus Pontifex non tollit, ſed ſtabilit iuge ſacrificium, & nouis illud regionibus infert. Itaque ex diametro repugnat Antichriſto. Decimò, Antichriſtus innumerabili exercitu perſequetur Eccleſiam: vt enim Apocalypſis 20. dicitur, Satanas tunc ſolutus *exibit & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris, & aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam, & deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit eos.* At nihil horum hactenus eſt viſum, nunquam Pontifex talem exercitum habuit, vnde nec Lutheranos, nec Caluiniſtas illo perſequi potuit. Vndecimo, Antichriſtus in ſua perſecutione prohibebit, ne poſſit quis emere aut vẽdere abſque eius characterе, quem ſuis tradet, quo profitebuntur ſe ab eius partibus ſtare. At hactenus tot ſæclis Summi Pontifices nullum tale præceptum dederunt, nec vllum characterem Catholicis impreſſerunt; nec vllus hactenus in regno Pontificis coactus fuit aliquod tale ſignum exhibere.

Ad hoc reſpondet Auctor Præfationis, pag. 98. *Characteri fronte eſt externa profeſſio ſe huic beſtiæ* (Romano Pontifici) *ſubijci. Signum in dextra eſt actualem atque implicitam obedientiam erga eum, quam putant non poſſe errare, etiamſi eos contra Principes ſuos naturales arma ferre iuberet; cui ſimilis eſt cæca illa obedientia, in quam omnes Ieſuitæ iurant.* &c. Et infrà: *Qui non concedit abſolutam hanc poteſtatem, neque emendi neque vendendi ius habet: quam nemo fidem ſeruare tenetur hæreticis, vtiamſi contractum cum illis vetum habeat.* 31 *Reſpõſio Auct. Præfat. de charactere Antichriſti;*

En præclaram illius loci explicationem, quæ neque texitur, neque vſui applicari poteſt. Quomodo enim hæc profeſſio ſubiectionis, & obedientia actualis, & implicita, vel cæca, in foro ad ſingulos emptionis & venditionis actus exhibebitur? v. g. Vis emere panem, vinum, piſcem, carnem, pannum; quomodo hunc characterem proferes, vt oſtendas tibi ius emendi competere? Quomodo oſtendes ſingulis, te erga Summum Pontificem habere obedientiam, præſertim implicitam, aut cæcam? Deinde profeſſio ſubiectionis eſt in ore, non in fronte, vel dextra: obedientia actualis & implicita eſt in externa alicuius operis executione, non in dextra. At character ille Antichriſti erit in fronte vel in dextra, & poterit ſtatim venditori exhiberi. Denique hactenus in regno Pontificis neque fuit vllus præceptum, neque vſus alicuius ſigni in quotidianis contractibus exhibendi; vt etiam hæretici teſtari poſſunt, qui in locis Catholicorum, & maximè in Italia, & Romæ ſunt verſati. Non enim rogantur, an profeſſionem ſubiectionis Pontifici fecerint: an illi obedientiam actualem & implicitam, aut cæcam præſtent. Omitto non videri Auctorem intelligere quid ſit obedientia implicita, cùm hæc ſit maximè inuiſibilis. Obedientiam cæcam in religioſis maximè commendant ſancti Patres: Baſilius conſtitut. monaſtic. capit. 23. Gregorius lib. 2. capit. 4. *in* 1. Regum: Bernardus libr. de præcepto & diſpenſat. colum. 6. Caſſianus de Inſtit. renuntiantium lib. 4. cap. 31. &c. Vnde non eſt irridenda. *Reſutatur.*

Similiter illud de poteſtate emendi & vendendi, nullum colorem habet. Si enim non poſſe emere aut vendere, nihil eſt aliud quàm contractum poſſe reſcindi, eò quòd hæreticis fides non ſit ſeruanda, parui ſanè eſt momẽti, parumque afflictionis adfert. Quotuſquiſque enim eſt hæreticorum, qui metu reſciſſionis non auſit emere neceſſaria à Catholicis, aut quoſuis cum illis inire contractus? Quot contractus eo nomine à Catholicis, cum detrimento hæreticorum ſunt reſciſſi? Aut quomodo hæc reſciſſio in quotidianis rerum neceſſarium emptionibus & venditionibus mandari poſſet executioni? Denique quis vnquam docuit Catholicorum, hæreticis in emptione & venditione fidem non eſſe ſeruandam? Neque verum eſt Catholicos Doctores ita generatim & abſolutè docere, hæreticis fidẽ non eſſe ſeruandam, vt hæretici falsò imponunt. Loquuntur enim de fœderibus iniquis, & in damnum religionis vergentibus, ad quæ hæretici per vim Catholicos compulerunt; modò tamen ante legitima auctoritate à iureiurando ſoluãtur, & conſtet maiora mala ex reſciſſione non impendere. Idem docent hæretici noſtri temporis, de fide data Catholicis, & longè amplius: vt in alia Diſputatione oſtendemus. 32

Quod autem de æquiuocatione hic παρεργον aſſuitur: Nemo Catholicorum DD. docet fas eſſe ea vti, cũ quis legitimè à ſuo Iudice interrogatur; ſed cùm a Iudice non ſuo, vel iniquè contra ordinem Iuris: vt cum in Anglia à Iudicibus ſæcularibus & hæreticis interrogantur Sacerdotes quorum confeſſiones ipſi exceperint; in quorum ædibus ſacrificium obtulerint; quæ peccata in confeſſione audierint; quænam ipſi peccata Sacerdoti ſint confeſſi; 33

quam

quam pœnitentiam Sacerdos eis iniunxerit: quibus iunculas benedictas diſtribuerint; & ſimilia, quæ in Anglicanis iudicijs inquiri à Sacerdotibus, multis Auctoris Angli ſcribunt. In his Catholici docent, non teneri reum ad mentem Iudicis reſpondere, ſed poſſe verborum artificio, abſque tamen mendacio, ſe diſcrimini eripere. Cur enim tenear gladium occultum porrigere, vel offendere volenti, me iniquè iugulare? Cur hæretici hoc in Catholicis calumniantur, cùm ipſi in huiuſmodi diſcrimine, etiam fidei ſuæ externam abnegationem, & profeſſionem alienæ permittant? exemplo ſint Puritani in Anglia, qui contra Religionis ſuæ dogma iurant in Primatum ſpiritualem Regis: & eorum Apoſtolus Caluinus, qui Argentinæ ſubſcripſit ſententiæ Lutheranorum, de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, ad eorum gratiam demerendam.

Decima Demonſtratio, ex miraculis Antichriſti.

34 ANTICHRISTVS faciet varia miracula, ſpeciem quidem externam operis miraculoſi & ſupernaturalis habentia, reipſa tamen inania & falſa, vt quæ præſtigijs & ope diaboli conflabunt. Habebit quoque varios miniſtros, & primarium quendam pſeudoprophetam, qui ſimilia patrabit; & hæc omnia eo fine, vt omnes Antichriſtum pro Meſſia & verò Deo agnoſcant, & adorent tum ipſum, tum imaginem eius. At nihil horum competit in Pontifices, ergo hi non ſunt Antichriſtus.

Miracula Antichriſti.

Maior patet. Primò, ex Scripturis. 2. ad Theſſ. 2. *Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute: & ſignis & prodigijs mendacibus.* id eſt, aderit inſtructus tota diaboli potestate. hoc enim ſignificat illud, *in omni virtute*, Græcè ἐν πάσῃ δυνάμει, ad patranda ſigna & prodigia mendacia. Mendacia vocat, quia non erunt vera ſigna ſupernaturalia: ſed vel erunt præſtigiæ & illuſiones oculorum, vt cùm vnum ex capitibus Antichriſti videbitur mori, & excitari ab Antichriſto; vel ſi aliquid ſolidi habebunt, non excedent vim naturalem cauſarum creatarum qualis eſt ignem deſcendere de cælo; hoc enim diabolus fecit, cùm greges Iob perderet: & imaginem beſtiæ loqui, diabolo intus loquente, &c. Apocal. 13. *Dedit illi* (beſtiæ, Antichriſto) *draco virtutem ſuam & poteſtatem magnam; & vidi vnum de capitibus ſuis* (videtur ſignari vnus de ſeptem Principibus, qui ſe illi ſponte ſubmittent, cùm tres alios prælio vicerit, Danielis 7.) *quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis eius curata eſt*, nempe à beſtia, *& admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam. & adorauerunt draconem* (diabolum qui operabatur in Antichriſto, & quem putabant eſſe numen diuinum) *qui dedit poteſtatem beſtiæ: & adorauerunt beſtiam.* Dicet enim Antichriſtus ſe eſſe Deum & hominem, & naturam humanam eſſe aſſumptam à Diuinitate in vnionem hypoſtaticã. Itaque vtrumque adorabunt. Et infrà de alia beſtia, quæ erit primarius ipſius pſeudoprophetæ, dicitur, *fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram coram hominibus, vt adorent beſtiam & imaginem eius:* & inter cetera, fecit ignem è cælo deſcendere, & imaginem beſtiæ loqui.

Idem docent omnes Patres, & omnes Interpretes. Omnes enim hæc ſigna propriè, & non metaphoricè explicant, ſicut hæretici. Omnes enim docent Antichriſtum maximum fore magum, & ope diaboli plurima ſigna & prodigia editurum; idque eo fine, vt ipſe ab omnibus Meſſias & Deus habeatur, & honore diuino colatur, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Minor, nempe in Summos Pontifices nihil horum congruere, eſt manifeſta. Pauci enim miracula à mille annis fecere: nemo illorum hominem, qui mortem ſimularit, viſus eſt excitare; nemo ignem è cælo in terram deuocare; nemo vocem imagini tribuere; quæ tria hic ſpeciatim recenſentur: & primum Antichriſto, reliqua duo eius pſeudopheta tribuuntur. Deinde Pontifices non habent aliquem primarium pſeudoprophetam, qui homines ad eius vel imaginis ipſius adorationem ſub pœna mortis compellat, aut eo fine ſigna aliqua faciat.

Ad hæc reſpondet Auctor Præfationis ſua. Primò, De ſignis Antichriſti in genere pag. 59. ſigna & prodigia mẽdacia Antichriſti, eſſe miracula quæ fiunt in Eccleſia Catholica, *Iam*, inquit, *quæ tandem Eccleſia cælites innumerabilia miracula, quæ tamen maximam partem aduerſentur ſuæ ipſorum doctrinæ, nemo melius Bellarmino dixerit, cum iumento ſuo famelico, quod pabuli oblitum, Sacramentum genibus curuatis adorabat.*

Reſponſio Auct. Præfa. de ſignis in genere.

Sed contrà. Si miracula quæ fiunt in Eccleſia Catholica ſunt ſigna mendacia Antichriſti; ergo non ſolum a mille annis venit Antichriſtus, ſed à temporibus Apoſtolorum. Singulis enim centurijs annorum plurima miracula facta ſunt, vt conſtat ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij, Socratis, Sozomeni, Ruffini; & ex vita Gregorij Thaumaturgi deſcripta à Gregorio Nyſſeno, Antonij ab Athanaſio, Hilarionis ab Hieronymo, Martini à Sulpitio, Simeonis Styliæ à Theodoreto. Plurima alia commemorantur à S Auguſtino libro 22. de Ciuitate cap. 8. facta in Africa ipſi notiſſima. Falſum ergo eſt Antichriſtum primum poſt annum Domini 600. veniſſe. Secundò, Si illa miracula ſunt Antichriſti, ergo omnes illi Sancti fuerunt miniſtri Antichriſti: ergo Franciſcus, Dominicus, Bernardus, Malachias, Bonifacius, Adalbertus, Auguſtinus, Villebrordus, & omnes prouinciarum Septentrionalium Apoſtoli, & reliqui iam commemorati fuerunt pſeudoprophetæ Antichriſti, eiuſque inſtrumenta ad hominum ſeductionem. Ergo Sancti in cælo regnantes, & in primis beatiſſima Virgo, ad quorum inuocationem longè maxima pars miraculorum perficitur, quibus Eccleſia gloriatur, Antichriſto ſeruiunt ad humani generis perniciem? Quæ omnia quàm ſint blaſphema, quis non videt? Ait quidam de Diuis loquens, Αἰεὶ δ' ἐπ' ἀνθρώποις ἀμφιλαφὴς κατὰ γλῶσσαν ἔρχεται ἐσλῶν ἀμαρτὰ καταγόρων, *Damnum crebrò rapit maledicus*: quanto magis blaſphemos? Eſtque hæc non vulgaris blaſphemia, ſed in Spiritum ſanctum; qua opera virtute Spiritus ſancti ad veritatis confirmationem, & mentium illuſtrationem patrata, referuntur in diabolicam operationem. de qua blaſphemia dictum à Domino Matthæi 12. & Marci 3. *eam neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittendam.* Tertiò, Miracula Antichriſti eo fine efficientur, vt homines illum pro Deo agnoſcant & adorent. At miracula quæ fiunt in Eccleſia, non fiunt vt Pontifex Deus habeatur, aut honore diuino colatur: ergo non pertinent ad miracula Antichriſti.

Pindarus Olymp. Ode 1.

Refutatur.

Sed cur obſecro miracula Eccleſiæ aduerſantur ipſius doctrinæ? *Quia*, inquit Auctor, *inter miracula Eccleſiæ permiſit iumentum externo geſtu Euchariſtiam adorare, cùm tamen hoc Sacramentum non ſit inſtitutum, vt illud mues & boues & pecora campi adorarent.* At certè hoc iumentum, vel potius Deus per illud, impietatem Caluiniſtarum, qui realem ibi Domini præſentiam nolunt agnoſcere, egregiè confutat. ſicut olim per aſinam, Prophetæ inſipientiam redarguit. Neque ideò conſequens eſt, vt Euchariſtia ſit inſtituta, vt à iumentis adoretur: imò ideò miraculum eſt, quia ad hoc inſtituta non eſt. Cùm enim hic actus longè ſuperet naturæ brutalis captum, ſignum eſt eum prouenire ex diuino impulſu, ad præſentiam Creatoris, cui omnia ſubduntur, teſtandam: vt S Antonius de Padua huius miraculi patrator dicebat.

Secundò, * De deſcẽſu ignis & imaginis adoratione reſpondet pag. 99. *Ignem eſſe fulmen excommunicationis, cuius*, inquit, *tanta eſt vis, vt thronis exturbare Principes valeat, adeo vt omnes pro hæreticis occidendi ſint & amouendi, qui beſtiæ vel imaginem adorare, hoc eſt, ſummam eius poteſtatem nullis limitibus circumſcriptam.* Itaque *facere ignem deſcendere de cælo*, hoc Interprete, eſt *fulmen excommunicationis vibrare: adorare beſtiam, eſt agnoſcere eius ſuprenam poteſtatem. Imago beſtiæ, eſt ſumma & illimitata eius poteſtas.*

36 * *Reſponſio Auct. Præfat. de deſcẽſu ignis & imagine beſtiæ.*

Verùm quis illa à iudicio tranquillo, non ab animo intemperijs agitato, proficiſci dixerit? Nam Primò, Scriptura commemorat illud tamquam rem ſtupendam, exoticam, & mortalium oculis inſolentem. *Fecit*, inquit, *ſigna magna, ita vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* At fulmen excommunicationis eſt res quotidiana in Eccleſia. & quotannis cum ſumma ſolemnitate in multos vibratur; & nemo obſtupeſcit. Quia etſi ſit res valdè terribilis, neque ſolum poſſit hominem throno deijcere, ſed etiam Summæ tradere: tamen hæc vis eſt inuiſibilis. Vnde pleroſque parum terret; & hæretici illud *fulmen breuium* vocant. Secundò, Plu-

Refutatur.

rimi

rimi Pontifices ſanctiſſimi ante annum Domini 600. & ipſe S. Paulus, hoc fulmen iaculati ſunt in contumaces: ergo vel ipſi ſunt Antichriſti; vel ſaltem fecerunt ſigna & prodigia mendacia, & Antichriſtiana: quorum vtrumque abſurdum eſt & blaſphemum; ac proinde etiam hæc interpretatio, ex qua id ſequitur. Tertiò, Non ipſe Antichriſtus, ſed eius pſeudopropheta ignem cælo deuocauit. At excommunicationes, præſertim in Principes, à Summo Pontifice feruntur, non ab inferioribus. ergo Summus Pontifex non eſt Antichriſtus, ſed quærendus eſt alius qui ſit Antichriſtus, cui Pontifex ſubleuatus ſi fulmen excommunicationis ad miracula Antichriſti pertinet.

Imago beſtiæ.

37 Iam quod ad imaginem beſtiæ attinet; quomodo ſuprema & illimitata poteſtas eſt imago Antichriſti? Imago enim debet eſſe extra rem cuius eſt imago, & ab ea diſtincta: hæc autem poteſtas eſt ipſi intrinſeca. Deinde res eſt prior ſua imagine, & abſque ea eſſe poteſt. At Antichriſtus non poteſt eſſe ſine hac poteſtate; imò per hanc tamquam per formam (Auctoris & aliorum hæreticorum iudicio) conſtituitur. Ideo enim dicunt Pontificem eſſe Antichriſtum, quia hanc illimitatam poteſtatem ſibi arrogat; vt ſuprà Demonſt. 7. dictum eſt. Idem ergo erit forma conſtituens eſſe rei, & imago extrinſeca eiuſdem rei. Præterea, quomodo poteſtas illa poteſt cerni oculis, & proponi populo, vt ab illo adoretur? à quomodo populus poteſt hanc poteſtatem fabricare, & domi ſuæ adorandam collocare? Ait enim Scriptura, Pſeudoprophetam dixiſſe *habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit*. Quomodo huic poteſtati datus eſt ſpiritus & loquela? Nam vt Scriptura dicit: *Datum eſt illi vt daret ſpiritum imagini beſtiæ: & vt loquatur imago beſtiæ*. Ex quibus videat Lector qualibus commentis Poteſtas Pontificia oppugnetur.

Vndecima Demonſtratio, ex conſideratione nominis.

38 SCriptura Apocalypſis 13. dicit Antichriſtum habiturũ nomen cuius numerus ſit 666. Hunc autem numerum Spiritus ſanctus eo fine reuelauit, vt cùm Antichriſtus venerit, & coeperit omnia ſibi ſubijcere, ex nomine poſſit à ſapientioribus Eccleſiæ certò deprehendi, deprehenſus caueri, & alij poſſint præmoneri vt caueant. Si enim nomen habuerit, cuius litteræ hunc numerum adæquatè expleãt; id certum ſignum fore hunc eſſe ipſum Antichriſtum. Ita Irenæus libro 5. cap. 30. & paſſim interpretes huius loci. Atqui hactenus hæretici in nullius Pontificis nomine hũc numerum oſtendere potuerunt: ergo nullius eorum Antichriſtus habendus.

Reſponſio hæreſis.

Hic ſe mirè torquent, vt vel in ſpeciem videantur hunc numerum deprehendiſſe. Itaque plerique confugiunt ad nomen ΛΑΤΕΙΝΟΣ, cuius litteræ ſummam illam conficiunt, Quam ſententiam approbat quoque Auctor noſter pag. 80. etſi firmiter ei non adhæreat. Sed eſt omnino improbabilis. Agitur enim de nomine proprio, non de communiſſimo, ex quo nihil certi de ſingulari perſona colligi poteſt. Deinde Romani Pontifices numquam appellati ſunt ΛΑΤΕΙΝΟΙ vel ΛΑΤΕΙΝΟΣ, ſed ΛΑΤΙΝΟΙ quod nomen non explet illum numerum. Secundò, communis Patrum ſententia eſt Antichriſtum fore Iudæum, vt ſuprà oſtenſum eſt, non Latinum, & Iudæorum regnum ſuſcitaturum, vt ipſi toto orbe dominari videantur cum ſuo Meſſia. Itaque non gloriabitur illo nomine ΛΑΤΕΙΝΟΣ, ſed alio auguſtiore, quo ſignificet ſe eſſe Meſſiam in Lege promiſſum. Tertiò, Nomẽ Romanorum longe fuit ſemper auguſtius quàm Latinorũ: vnde etiam Græci vocabant ſe Romanos; & ſuos exercitus, exercitus Romanorum; ergo potiùs deberet vocari Romanus quàm Latinus.

Nec obſtat quòd Irenæus lib. 5. cap. 30. inter cetera hoc etiam nomen ponat tamquam probabile: quia accipit hoc nomen tamquam proprium; non vt commune, ſicut hæretici. Spectata autem potentia Romanorum, quæ erat ipſius ætate, non erat improbabile fore aliquando, vt illa tandem ſub finem ſæculi deueniret ad aliquem Principem, cui nomen eſſet ΛΑΤΕΙΝΟΣ, qui totis viribus Eccleſiam perſequeretur, & repræſentaret Antichriſtum. Deinde Irenæus probabilius cenſet nomen Antichriſti non fore ΛΑΤΕΙΝΟΣ ſed ΤΕΙΤΑΝ. hoc enim eſt magnificentiùs, vtpote ipſi Soli congruens, & tyrannicum quiddam & minas præ ſe ferens, Antichriſti potentiæ & moribus accommodare.

39 *Refutatur & ſua reſponſio.*

Alij cùm vident ſe hic non poſſe euoluere, confugiunt ad numerum annorum, qui fluxerint vſque ad Antichriſti regnum, vel mortem: ſed eorum initium varie ſtatuunt. Quidam dicunt hos annos numerandos à tempore quo Pompeius ſpoliauit templum Iudæorum: alij à Domini natali: alij à Domini aſcenſu in cælum: alij à tempore quo Ioannes Apocalypſim illam habuit, qui fuit annus 97. Chriſti, vt ex Euſebio colligitur. Auctor Præfationis cùm Bonifacium III. faciat primùm Antichriſtum, computat à natiuitate Chriſti. Verùm cùm ab eo tempore vſque ad Bonifacium ſolùm reperiantur anni 605. deſunt ad numerum requiſitum 60. Vnde ſequitur manifeſtè ab Auctore perperam Bonifacium ſtatui primum, cùm Antichriſtus 60. annis poſt Bonifacium venire debuerit. Additis autem 60. annis incidimus in Vitalianum, ſub quo nihil noui Eccleſiæ Romanæ collatum, ſed ſolùm priuilegia eius confirmata; ne videlicet Conſtantinopolitanus Patriarcha ea ſibi vſurparet. Maximæ autem calamitates totis illis 60. annis Eccleſia perpeſſa, peſtem, famem, inundationem, terræ motus, Perſarum incurſiones, quibus 90. millia Chriſtianorum vno tempore occiſa, ſeditiones Orientales, hæreſim Monothelitarum, S. Martini captiuitatem & exilium, & vrbi ſacri multis ſæculis congeſti expilationem. Denique ſub Vitaliano vrbs omnibus ſuis ornamentis à Græco Imperatore ſpoliata. Hoccine eſt regnum Papæ confirmare?

40 *Alia ſententia auctoris præfat. refutatur.*

Sed inquit, *Confirmatus eſt titulus Vniuerſalis Epiſcopi ſub Vitaliano.* Verùm quid iuuat tituli confirmatio, cùm res ſemper fuerit & vigueriti? Itaque cùm Auctor videret hæc eſſe parum firma, alium adhibuit computum: nimirum, vt numerus ille annorum ineatur à direptione templi Iudaici per Pompeium. Ab hoc enim tempore vſque ad Bonifacium III. ſunt anni 666. Sed contrà Primò, Cur à direptione templi ille numerus cenſendus, potiùs quàm à vaſtatione, quæ multò fuit illuſtrior, aut à Domini natiuitate? Certè nulla eſt ratio, niſi quia magis ſeruire videbatur Auctoris propoſito. Quis enim diuinare queat ab illa direptione ſumendum initium huius numeri, præſertim cùm nulla vſitata computandi ratio inde ſumatur? deinde ab eo tempore vſque ad Bonifacium Tertium ſunt plures anni quã 666. nempe 669. vel 670. itaque numerus non exactè reſponderet. at debet exactiſſimè congruere; alioquin daret occaſionem errandi; & potiùs dici debebat numerum eius eſſe eſſe 670. quàm 666. Tertiò, Scriptura loquitur de numero nominis, non de numero annorum. Hæc autem duo multum diſtinguuntur. Nemo enim numerum nominis ſanæ mentis vocauerit numerum annorum à natiuitate Domini, & cetera alioquin de ſingulis Imperatoribus & Regibus dici poterit, numerum nominis eius eſſe talem numerum. v.g. numerum nominis Caroli V. eſſe 1520. numerum nominis Ferdinandi eſſe 1558. numerum nominis Maximiliani II. eſſe 1564. & ſimilia. Quarto, Antichriſtus tradet numerum nominis ſui populis in ſignum, vt poſſint emere & vendere; vt apertè habetur capit. 13. Apocalypſis. At quis mentis compos credat illum acceptum numerum annorum qui effluxit à natiuitate vel à circumciſione Chriſti, cuius memoriam totis viribus conabitur aboleri; aut à viſione Ioannis, vel à templi direptione; & hunc numerum populis traditurum, tamquam ſuum characterem, quo profiteantur ſe eius eſſe cultores? ex quibus conſtat quàm inconſideratè & nullo iudicio hæc in chartam ſint illata.

Duodecima Demonſtratio, ex loco, & Sede Antichriſti.

41 *De ſede antichriſti ſyllogiſmus.*

SEdes Antichriſti non erit Romæ, ſed Ieroſolymis: At ſedes Pontificum eſt Romæ, non Ieroſolymis: Ergo Pontifices non ſunt Antichriſtus.

Prima probatio maioris.

Maior probatur: Primò, Quia Antichriſtus erit Iudæus, & ſe Iudæis venditabit pro Meſſia in Lege promiſſo, & ab

& ab eis pro tali recipietur, vt ſupra num. 19 & 20. ex Scriptura, & omnium Patrum ſententia oſtenſum eſt: ergo ſedem ſuam conſtituet in Iudæa, nimirum in terra diuinitus promiſſa, & in vrbe ſancta Ieruſalem, de cuius gloria, & magnificentia futura, multa dicuntur in Scripturis; quæ omnia Iudæi ad terrenam Ieruſalem, qualis erit ſub Meſſia, referunt. Si Romæ ſedem figeret, non offenderet ſe Meſſiam promiſſum: quia ſedem Dauid non videretur occupare, nec implere ea, quæ de gloria & imperio illius verbis, & Templi inſtauratione, a Prophetis prædicta putant. Accedit quod Romam cenſeat profanam, & contaminatiſſimam tum idololatria veterum, tum cultu Chriſti, eãque habeant maximè exoſam: quia à Romanis ipſorum Principatus, oppida, Templum & Sacerdotium ſunt deleta, maioribus eorum ſeruituti ſubiectis, vel variis cladibus interemptis. Itaque nullo modo credibile eſt ſedem Antichriſti Romæ fore.

Prima probatio minoris.

Secundò, Idem apertè colligitur ex capit. 11. Apocal. vbi dicitur Antichriſtum facturum bellum aduerſus duos illos Prophetas, & illos occiſurum. *Et corpora eorum*, inquit, *iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus: vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.* At non Romæ, ſed Ieroſolymis crucifixus eſt Dominus.

42 *Reſponſio Anti. præſer.*

Hæretici hic confugiunt ad tropos, more conſueto, cùm verborum proprietas illis aduerſatur, & dicunt hic ſignari *Romam, quia ibi Dominus magis quam vſquam alibi per peccata crucifigitur.* Ita Auctor pag. 61. Et confirmatur, quia capit. 18. v. 24. de Roma dicitur: *In ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt ſuper terra.*

Refutatur.

Sed contra. Primo, Quia eſt regula generalis, Non eſſe recedendum à verborum proprietate in exponendis Scripturis, niſi aliquid ad hoc cogat; alioquin nihil erit certi: quam regulam etiam Lutherus ſeruandam præſcribit, ita ſcribens in captiuitate Babyl. cap. de Sacramento panis: *Verbis diuinis non eſt vlla vis facienda, neque per hominem neque per Angelum, ſed quantum fieri poteſt in ſimpliciſſima ſignificatione ſeruanda ſunt: & niſi manifeſta circumſtantia cogat, extra grammaticam & propriam accipienda non ſunt, ne detur aduerſarijs occaſio vniuerſam Scripturam eludendi.* quo conſilio vellè Origenes olim repudiatus eſt, quod ligna, & omnia quæ de paradiſo ſcribuntur, contempta grammatica lacutione, in allegorias verteret. Itaque cùm hic nihil cogat, non poſſumus à proprietate recedere. Deinde Scriptura voluit clarè inſinuare vbinam illi eſſent occidendi. vnde cùm dixiſſet, *quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus*; quia hoc obſcurum videbatur, ne erraremus quæ illa ciuitas eſſet, addidit ſignum notiſſimum, *vbi Dominus eorum crucifixus eſt.* Nemo enim poteſt ignorare, vbi id factum ſit. Si locutus fuiſſet de crucifixione per peccata, res fuiſſet obſcuriſſima. Cui enim niſi hæreticis eſt manifeſtum, Chriſtum magis crucifigi Romæ per peccata ſub Pontificibus, quàm in multis alijs oppidis? Sanè Catholicis manifeſtum eſt, illum multò amplius crucifigi Londini, & in alijs magnis hæreticorum vrbibus, quam Romæ. Itaque fruſtrà illud additum fuiſſet, vtpote magis obſcurum. Tertiò, Roma à Ioanne ſæpiùs vocatur *Babylon*: vt patet capit. 17. & 18.

Babylon Figura Romæ.

quia *Babylon* fuit figura Romæ; vt inquit Diuus Auguſtinus libro 18. de Ciuitat. capit. 22. nimirum magnitudine imperij, potentia, afflictione Iudæorum, excidio vrbis & templi, deletione populi, captiuitate eorum & ſeruitute. Eodem modo vocatura D. Petro Epiſtol. 1. in fine. Nec erat ratio cur hanc appellationem mutaret in aliam minus congruentem. At Ieruſalem rectè vocatur *Sodoma*, alluſione ad locum Iſaiæ capit. 1. *Audite Principes Sodomorum*, &c. idque ob impuritatem, ſuperbiam, & violentiam, quæ ibi tempore Antichriſti regnabunt; & Aegyptus, ob cæcitatem cordis & omnem impietatem fuit olim ciuitas magna, & rurſus magna erit illo tempore Iudæis ex toto mundo eò confluentibus, eamque in Sedem Regni inſtaurantibus.

Ad confirmationem. Solùm ſignificatur illis verbis Romam ſuſtinere culpam ſanguinis Prophetarum & Sanctorum, vbique effuſi: quia per ſuos præſides & miniſtros toto orbe perſequebatur Chriſtianos, & innumerabilem eorum multitudinem occidit. Loquitur autem de Prophetis noui Teſtamenti, quales multi fuere in primitiua Eccleſia. Ridiculè interpretantur illa hæretici de Summo Pontifice; quia variis locis aliquot Lutherani & Caluiniſtæ per Inquiſitores traditi ſunt brachio ſæculari puniendi. Hi videlicet ſunt illi Prophetæ & Sancti. Sed de hoc ſuprà numero 29.

Tertia probatio maioris.

Tertiò probatur: Tempore Antichriſti Roma erit deleta, vt apertè colligitur Apocal. 13. vbi dicitur decem illos Reges, qui breui tempore regna potientur, odio habituros fornicariam, eamque igni combuſturos & tradituros regnum ſuum beſtiæ, ſeu Antichriſto. Deinde explicans quænam illa mulier ſit, *Mulier*, inquit, *quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.* Quibus verbis apertè deſignat Romã, qualis erat tempore S. Ioannis, & qualis futura eſt ſub finem mundi, vt optimè oſtendit Ribera in hunc locum, & in capit. 11. Apocal. numero 51. & ſequentibus. Neque alicui videri debet incredibile Romam aliquando rurſus imperium obtenturam. Quid enim ſi Turca Italiam, impijs quibuſdam Chriſtianis cum accerſentibus vel inuadentibus, aliquando obtineat, & ſedem regni Romæ conſtituat? Quo facto mirum non eſſet, ſi vicina regna hæreticorum factionibus debilitata & diſſecta, in eius quoque poteſtatem venirent; præſertim cùm hæretici Turcam regnare malint quàm Pontificem, aut Regem probè Catholicum. Hoc euentu, an non omnia quæ olim Romano imperio paruerunt, rurſus Romæ ſubeſſent, & ipſa rurſus orbi ſicut olim dominaretur? Rurſus facilè fieri poteſt, vt tam vaſtum imperium ſcindatur, & in decem Reges diuidatur; à quibus deinde ipſa Roma, quæ illos afflixerat, eſcindatur. Magna paucis ſæculis poteſt fieri rerum conuerſio. Verùm quomodo iſtæ futuræ ſint, Deo permittamus. Hoc tamen conſtat, Romam ab illis Regibus ante regnum Antichriſti, vel ſub initium illius, eſſe euertendam: ac proinde eius ſedem Imperij eſſe non poſſe.

Quarta probatio maioris.

Quartò, Danielis 11. *Figet tabernaculum ſuum in Apadno, inter duo maria, ſuper montem inclytum & ſanctum; & veniet ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei.* Hic ſermo eſt de Antichriſto: vt patet ex antecedentibus & ſequentibus. Non enim illam in Antiochum conuenire poſſunt, vt benè oſtendit Hieronymus contra Porphyrium; ſed in Antichriſtum, cuius figuram gerebat Antiochus. Significatur autem Antichriſtum poſt victorias ſuas fixurum ſedem in Iudæa, & periturum in monte ſancto; vt Hieronymus, Theodoretus, & alij interpretantur. *Apadno eſt in Iudæa, vbi montana incipiunt iuxta Necropolim, quæ olim Emmaus dicta*, teſte Hieronymo. His conſentiunt ea quæ habentur Zachariæ 5. cùm dicitur: *Et leuauerunt amphoram* (in qua erat impietas) *inter cælum & terram. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quò iſte déferunt amphoram? Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſim ſuam.* Quibus verbis inſinuatur impietatem & excæcationem Iudaicam duraturam vſque ad illud tempus, quo ædificabitur ei domus, ſeu regnum in terra Sennaar, quod fiet quando Antichriſtus regnare incipiet, & à Iudæis in Meſſiam recipietur. Tunc impietas dominabitur, & erit ſupra baſim ſuam (Antichriſti) locata. Itaque inchoabit regnum ſuum in regione Babylonis, vbi plurimi Iudæi habitant (pauci enim ex captiuitate redierunt) poſtea tamen transferet ſedem regni in Iudæam, vt dictum eſt.

43 *Ex patribus idem probatur.*

Idem probatur ex communi Patrum ſententia. Irenæus libro 5. capitul. 30. de Antichriſto loquens: *Sedebit*, inquit, *in templo Ieroſolymis.* Hippolytus Martyr de conſummat. ſæculi: *Templum conſtruet Ieroſolymis, quod euerſum extitit, tradet Iudæis.* Ibidem dicit ſuſcipiendum à Iudæis pro Meſſia. Cyrillus catecheſi 15. *Antichriſtus in templo Dei ſedet. quale autem hoc templum dicit? in templo quod reliquum eſt Iudæorum.* Et infrà: *Si enim tamquam Chriſtus ad Iudæos veniet, à Iudæis ſanè adorari volet, ſtudioſiſſimus ſi oſtenderit illius templi, vt ipſe de progenie Dauid eſſe videatur*, &c. Lactantius libro 7. Diuinarum inſtitutio. capitul 16. dicit, ipſum nomen Imperij Romani mutaturum, & ſedem tranſlaturum in Aſiam. Hilarius cantic. 25. in Matth. *A Iudæis ſuſceptus loco ſanctificationes inſiſtet.* id eſt, in templo Ieroſolymitano. Hieronymus in capitul. 11. Danielis: *Nolite*, inquit, *& melius interpretamini & veſtimus,*

Tertiò, si titulus ille vniuersalis Patriarchę vel vsurpatio primatus facit Antichristum, etiam Constantinopolitani Patriarchæ fuerunt Antichristi, qui hunc titulum sibi iniquè multis sæculis vsurparunt. Et si Alexandrinus eumdem vsurparet, etiam Antichristus fieret: sicque multos Antichristos simul habere possemus.

15 *Factum Bonifacij.* Quod ad factum Bonifacij attinet, nihil noui iuris impetrauit à Phoca Sedi Apostolicæ, quod antecà omnes decessores eius non habuissent; sed impetrauit vt finis imponeretur diutinæ contentioni Patriarcharum Constantinopolis, qui contra antiquam sanctorum Patrum traditionê, & tot sæculorum receptum morem, in præiudicium Sedis Apostolicæ sibi titulum Patriarchæ Oecumenici vsurpabant: ne videlicet ipse id permitteret, sed honorem primatus Sedi B. Petri reseruari iuberet. Neque Bonifacius hoc egit vt titulus Oecumenici seu Vniuersalis Patriarchæ sibi tribueretur, sed ne Constantinopolitanus illum vsurparet. Vnde verum non est ipsum à Phoca hunc titulum impetrasse: præsertim cùm Phocas ipsum non vocet *Patriarcham Oecumenicum*, sed *caput Ecclesiarum*. Constituit autem Phocas vt Romanus Pontifex iuxta Apostolica dogmata, & sanctorum Patrum vetustissimam traditionem, primum omnino locum in Ecclesia Catholica retineret: secundum verò Constantinopolitanus Antiites. Ita Beda libr. de ratione temporum, & Paulus Diaconus lib. 4 ca. 31. Historiæ Longobardicæ: Platina & Ciacconus in Bonifacio III.

16 *Ad testimonium S. Gregorij.* Testimonium Gregorij à nobis facit. Non enim dicit Gregorius, *ipsum Antichristum fore agnoscendum titulo Vniuersalis Episcopi*, vt Auctor ei imponit; sed dicit eum qui hunc titulum vsurpat, Antichristum sua elatione præcurrere. Quantum autem inter hæc duo, *esse ipsum Antichristum*, & *esse præcursorem Antichristi*, interfit, nemo non videt: & tamen Auctor hæc duo pro isdem nobis obtrudit. Verba Gregorij libr. 6. Epist. 30. sunt: *Nunquid non, cùm si Antichristus veniens Deum dixerit, frustum valdè erit? sed tamen nemis pernicioſum. Si quantitatem sermonis attenditmus, duæ syllabæ sunt: si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se Vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris anteponit.* Ex quo testimonio habemus. Primò, ipsum Antichristum se venditaturum pro vero Deo. Secundò, qui vsurpat sibi iniquè titulum eminentiæ supra omnes Sacerdotes, eum esse præcursorem Antichristi, iuxta sententiam Gregorij, siue sit Ecclesiasticus, siue Princeps sæcularis. Tertiò, Patriarchas Constantinopolis potiùs esse præcursores Antichristi, qui hunc titulum sibi iniquè arrogant, quàm Pontifices Romanos, qui hoc titulo non vtuntur, etsi ipsis quodam sensu iure competat, & à multis Concilijs, Patribus, & Principibus sit tributus. Neque verum est numerum nominis bestiæ, qui est 666. in Bonifacium III. competere, vt vult Auctor Præfationis. Neque enim hoc nomen *Bonifacius* hunc numerum reddit. Neque *Latinus*; præterquam quòd *Latinus* non sit nomen proprium, sed commune omnibus Pontificibus, & plurimis Imperatoribus, &c. Vnde ex eo nihil certi potest colligi. Græcum autem ΛΑΤΕΙΝΟΣ, numerum illum conficit; sed neque proprium est (de quo Ioannes loquitur) vt omnes Interpretes exponunt; neque vsitatum, sed barbarum. Nihil enim ΛΑΤΕΙΝΟΣ significat. Quod autem additur de numero annorum, plane ridiculum est; vt infrà ostendetur.

De numero nominis bestiæ.

17 *Noui Samosateni.* Noui Samosateni dicunt Papam factum Antichristum, paulò post tempora Apostolorum, quando abolito vero Christo, qui erat purus & simplex homo, introduxit Christum falsum & geminum, qui simul sit Deus & homo: & abolito Deo vno, introduxit Deum trinum. Ecce qualia monstra tellus fultinet. Sed hi nec nomen quidem Antichristi intelligere videntur. Non enim Antichristus dicitur, qui Christum extollit & Deum facit, sed qui se contra Christum extollit, & pro Deo venditat; vt apertè Apostolus docet 2. ad Thessal. 2. Deinde se potiùs Antichristos esse demonstrant. *Omnis enim spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*; vt 1. Ioan. 4. dicitur. Illi autem Iesum soluunt: quia Deum negant. Soluere enim Iesum, est negare vnionem humanæ & diuinæ naturæ, & illum vel solum Deum, vel solum hominem confiteri. Omitto alia quæ contra hoc commentum adferri possent.

Quinta Demonstratio, ex repugnantia aduersus Christum.

ANtichristus ex diametro se opponet Christo, & se eius aduersarium profitebitur. Dicet enim se esse verum Messiam in Lege promissum: & Christi Religionem conabitur exterpare. Ita docent omnes Patres, & colligitur manifestè ex Scripturis, Ioan. 5. 2. ad Thess. 2. & ex ipso nomine. Ἀντίχριστος enim significat aduersarium Christi, vt inquit Damascenus libr. 4. de fide, capit. 28. Isidorus lib. 8. orig. capit. 11. & alij. Oportet autem vt se gerat pro tali; alioquin non esset præcipuo quodam modo aduersarius, sed occultè tantùm, & sub specie amici vel serui. Perspicuum enim est, eum longè perfectiùs esse, & dici Antichristum, qui palàm se hostem Christi profitetur, & eius cultum ac regnum exterminare conatur, quam qui occultè sub specie amici. 18 *Geret se Antichristus pro aduersario Christi.*

At Summi Pontifices tantum abest vt profiteantur se Christi aduersarios, vt glorientur se dici eius ministros, & Vicarios; & humillimè se Christi institutis & præceptis subijciant, Christo sacrificium offerant, indignos se eius ministerio fateantur, ad pedes aliorum Christi seruorum accidant, vt per eos virtute Christi eis communicata à peccatis absoluantur, & Christi gratiæ fiant participes. Denique toti in eo sunt, vt & ipsi & omnes Christiani Christum humillimè ac deuotissimè colant, & vt eius cultus per totum mundum propagetur. Hæccine sunt signa iurati aduersarij? Et quanam tandem ratione posset ostendere se gloriæ & regni Christi illustrandi esse cupidiorem, aut magis studiosum?

Sexta Demonstratio, ex modo veniendi, & receptione à Iudæis.

ANtichristus veniet in nomine suo, vt Dominus ait Ioan. 19
5. id est, non tamquam missus ab alio, à quo auctoritatem acceperit, (sicut Christus venit in nomine Patris sui) sed veniet vt à se ipso auctoritatem habens à nullo acceptam, vt perspicuum est ex loco illo Ioan. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* At Pontifex Romanus non venit in nomine suo, id est tamquam à se ipso auctoritatem habens, sed vt seruus & minister Christi.

Deinde Antichristus cùm venerit, recipietur à Iudæis pro Messia, vt aperte hic Dominus insinuat, cùm ait, *Illum recipietis.* Quod etiam indicat Apostolus 2. ad Thessal. 2. cùm ait: *Idcò* (nempe *quia charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent*) *mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio* &c. id est, quia Christum recipere noluerunt, permittet Deus vt seducatur ab Antichristo, eumque pro Messia excipiat, &c. Quòd enim de Antichristo loquatur, patet ex verbis præcedentibus: *Cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt; eò quòd charitatem veritatis non receperunt*, &c. Vbi etiam Iudæos recte denotat, qui Christum nolebant recipere. *Recipietur à Iudæis.*

Eadem est communis Patrum sententia. Irenæus libr. 5. de hæresibus capitul. 25. *Et Dominus hoc idem non credentibus sibi dicebat: Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: cùm autem alius venerit in nomine suo, illum recipietis, Alium dicens Antichristum, quoniam alienus est à Domino*, &c. Vbi Irenæus etiam explicat vim illius particulæ *si* per *cùm* quia re vera non denotat euentum incertum, sed certum, & certæ personæ. *Probatur idem ex Patribus.*

Hippolytus Martyr de consummatione sæculi, dicit *Antichristum susciturum regnum Iudæorum*. & infrà dicit illum *ex Iudæis*, nimirum ex tribu Dan *nasciturum*, & *Ierosolymis templum extructurum*, & *Iudæos illum vt Saluatorem susceptures*.

Hieronymus ad Algasiam quæstio. 11. exponens locum Apostoli 2. ad Thessal. 2. *Faciet hæc omnia non sua virtute, sed concessione Dei propter Iudæos, vt qui noluerunt susceperę charis-*

ſ ch mitatem veritatis, hoc eſt, ſpiritum Dei per Chriſtum. &c. *mittet illis Deus non operatorem, ſed ipſam operationem, id eſt, fontem erroris vt credant mendacio.* Et infrà; *Nunc autem ideò inducendi ſunt, imò procul dubio condemnandi, quia Chriſti veritate contempta, poſtea mendacium, id eſt Antichriſtum ſuſceptori ſunt.*

Ambroſius in Epiſto. 2. ad Theſſalon. cap 2. ex illo loco Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis*; infert: *Quamobrem ex circumciſione aut circumciſum illum venire ſperandum eſt, vt ſit Iudeis credendi illi fiducia.*

D. Auguſtinus tract. 29. in Ioannem: *Ego veni in nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me: alius venerit in nomine ſuo iſtum ſuſcepietis. ſignificauit eos Antichriſtum ſuſceptoros, qui gloriã nominis ſui quæſiturus eſt.* &c.

Cyrillus Catecheſi 15. *Si tanquam Chriſtus ad Iudæos veniet, à Iudæis ſanè adorari volet, vt illos maximè decipiat: ſtudioſiſſimum ſe oſtendet illius templi, vt ipſe de progenie Dauid eſſe videatur,* &c.

Ephrem Syrus de conſummatione ſæculi: *Supra modum Iudæorum gentem honorabit, quòd ſcilicet hi maximè expectent illius aduentum, tanquam veri Meſſiæ.* &c.

Hilarius can. 25. in Matth. *A Iudæis ſuſceptus* (Antichriſtus) *loco ſanctificationis inſiſtet.* &c.

Nazianzenus orat. 47. *Quod ad hunc locum attinet, Abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto: aiunt fore vt Hieroſolymitanum templum rurſus extruatur, atque Antichriſtus à Iudæis Chriſtus creatur, in eoque ſedeat.* &c.

Gregorius lib. 11. epiſt. 3. *Quos Antichriſtus populum Iudaïzare compellit, vt exteriores legis ritum renouet, & ſibi Iudaicum perfidiam ſubdat, coli vult Sabbatum.* &c.

Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 18. *Ergo Iudæi Dominum Ieſum Chriſtum, ac Deum Deique Filium haudquaquam receperunt: impoſturam contrà, diuinitatem ſibi arrogantem, recipient.* Idque probat ex duobus locis Scripturæ, Ioan. 5. & 2. ad Theſſal. 2. Idem ex iiſdem locis probat Proſper in dimidio hebdomadis, cap. 9. & Theodoretus in Danielem oratio. 7. explicans illud verſiculum, *Iniquum ſedis*, &c. cæt.

Theophylactus in cap. 5. Ioan. & in cap. 2. Epiſtol. 2. ad Theſſalon. Denique ceteri omnes interpretes in eadem Scripturæ loca docent Antichriſtum à Iudæis pro Meſſia recipiendum. Hinc communiter Patres docent illum fore Iudæum, & inſtauraturum templum, Sabbatum, ac circumciſionem aliaſque cærimonias. At numquam Pontifices ſe venditarunt pro Meſſia: neque vnquam à Iudæis pro Meſſia ſuſcepti. Imò nullus eorum à mille annis eſt ex Iudæis.

Septima Demonſtratio, ex profeſſione Antichriſti.

21 ANtichriſtus ſe venditabit pro vero Meſſia in Lege promiſſo, imò ſeipſum faciet Deum, vt indicat Dominus Ioann. 5. cùm ait: *Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis:* nimirum tamquam Meſſiam, vt omnes Patres intelligunt; & ipſa antitheſis, quam ibi Dominus inter ſe & illum facit, poſtulat, & ſatis oſtentum eſt in ſexta Demonſtratione. Non autem credibile recipiendum pro Meſſia, niſi ipſe pro tali ſe gerat, & ſe Meſſiam affirmet.

Profitebitur ſe Deum.

Quòd etiam ſe Deum faciet, indicat illud, *in nomine ſuo*. Si enim non veniret vt Deus, neceſſariò deberet comparere tamquam miſſus à Deo: & ita non veniret in nomine ſuo. Hæc enim duo Chriſtus opponit, *venire in nomine Patris*, ſiue Dei, & *venire in nomine ſuo*. Itaque hoc ipſo quo dicitur ipſum venturum *in nomine ſuo*, perſpicuè inſinuatur ipſum comparaturum tamquam Deum, qui ſua, non ab alio accepta, nitatur auctoritate. Idem clarè docet Apoſtolus 2. ad Theſſalonicen. 2. *Qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus:* vel vt Græca habent: ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός, *oſtendens ſe quòd ipſe ſit Deus*. Efferet itaque ſe ſupra Chriſtum, & omnes deos Gentium, & ſibi ſoli diuinitatem arrogabit, ſeque tamquam Deum adorari faciet. Idem habetur Danielis 11. *Et elevabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum: & aduerſus Deum deorum loquetur magnifica.* & infrà: *Et Deum patrum ſuorum non reputabit.* Denique idem communi conſenſu docent Patres, quorum verba producerem, niſi res eſſet ſatis clara ex Scripturis. Nam vix clariùs dici poteſt.

At hæc omnia immane quantum diſtant à profeſſione & moribus Pontificum. Nullus enim vnquam ſe pro Meſſia venditauit: nullus ſe ſupra aut contra Deum extulit: nullus ſe vt Deum oſtentauit, aut vt Deus coli voluit. Omnes confitentur ſe ſeruos, & miniſtros Dei, & Chriſti, eoque nomine gloriantur: neque ſolùm *ſeruos Dei*, ſed etiam *ſeruos ſeruorum Dei*. Nunquam aliquis Princeps tam humili titulo in ſuis litteris & diplomatibus vſus eſt. Nemo Catholicorum adeò vecors vnquam fuit, vt Pontificem Summum pro Deo proprie dicto colendum, aut habendum ſenſerit: quamuis a quibuſdam metaphoricè *Deus in terris* dictus ſit: nimirum, quia in terris eſt ſupremus, & Dei locum tenet. Simili forma loquendi Dominus Exodi 7. dicit Moyſi: *Conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*. & Pſal. 81. Principes ac Iudices Dij vocantur. 22

Reſpondet Auctor in Præfatione pag. 57. *Pontificem ſe extollere ſupra omne quod dicitur Deus; quia extollit ſe ſupra Reges, & ſupra Epiſcopos: de quibus dicitur; Ego dixi, Dij eſtis.* 23 *Reſponſ. Auct. Præfat.*

Sed hæc reſponſio facilè refutatur. Primò, Si nihil aliud eſt extollere ſe ſupra omne id quod *dicitur Deus*, quàm extollere ſe ſupra Reges Chriſtianos & Prælatos Eccleſiaſticos, non eſt per ſe malum; ſed fieri poteſt, vt quis abſque culpa & laudabiliter id facit. Ponamus enim Chriſtum aliquem conſtituere ſuum Vicarium, eique omnem eam auctoritatem dare, quam re ipſa Catholici dicũt Pontifici conceſſam (quis enim dicat Chriſtum id facere non poſſe?) iſte iure ſibi in omnes auctoritatem vindicabit, & ſupra vtrumque gladij poteſtatem ſe efferet. Itaque abſque culpa ſe extollet *ſupra omne id quod dicitur aut colitur Deus. & ſedebit in Eccleſia oſtendens ſe eſſe Deum*. Ad hoc non niſi abſurdiſſimè dici poteſt; Apollolus enim vt atrociſſimum ſcelus illud refert, in quo, teſte Gregorio, *eſt vniuerſa pernicies*. Secundò, Si Rex Angliæ haberet tam latum Imperium, quàm olim habuere Imperatores Romani, extolleret ſe ſupra omnes Reges & Epiſcopos: ſupra Reges, vt Imperator; ſupra Epiſcopos omnes, vt primatum Eccleſiæ ſibi vindicans: & tamen non idcirco putaret in ſe competere illa verba Apoſtoli: alioquin ſe faceret Antichriſtum. Tertiò, Antichriſtus non minùs ſe faciet Deum, quàm olim fecerunt aliqui Principes Ethnici: nam vincet omnes impietate & ſuperbia. Atqui multi Principes Ethnici non ſolùm extulerunt ſe ſupra *vtriuſque gladij poteſtatem*, ſed etiam arrogarunt ſibi honores diuinos, & voluerunt vt dij adorari; vt Nabuchodonoſor, Nero, Caligula, & multi alij. Ergo Antichriſtus venditabit ſe non ſolũ pro Principe ſupremo, cui omnes mortales ſubſint, ſed etiam pro vero Deo, voletque honore diuino coli. quod expreſsè indicat Apoſtolus, cùm ait: *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus*, nimirum, vt adoretur. Et Apocalypſis 13. omnes cogentur illum adorare, & recuſantes iubentur occidi: ſicut olim ſub Nabuchodonoſor, Danielis 3. *Refutatur.* *Lib. 6. ep. 30.*

Nomẽ Deus accipi propriè ab Apoſtolo.

Quartò, Nomen *Dei* in illis verbis Apoſtoli non accipi metaphoricè pro ſolis Regibus, vel Iudicibus, ſed propriè & generatim pro omnico, cui hoc nomen ab hominibus in propria ſignificatione, ſiue verè, ſiue falsò tribui ſolet; patet ex illa forma loquendi, *qui extollit ſe ſupra omne quod dicitur Deus*, Græcè, πᾶν λεγόμενον θεόν. At præter Iudices, quibus ſolùm impropriè hoc nomen tribuitur, multi ſunt alij, quibus tribuitur in propria ſignificatione, etſi quibuſdam falsò; vt Iupiter, Mars, Mercurius, &c. & ipſe Chriſtus, cui tribuitur verè. ergo etiam ſupra hos ſe extollet. Idem confirmat illud, *aut quod colitur*, Græcè σέβασμα: quæ vox generatim ſignificat *omnem quod religiosè colitur*, vt etiam Eraſmus annotauit; & ita vertit hoc loco. plerumque autem accipitur pro Idolo: vt Sapientiæ 15. & Actorum 17. & hoc loco; vt paſſim Patres exponunt. Itaque non agitur de Iudicibus, ſed de nominibus, quibus honores diuini impenduntur. Quintò, Antichriſtus negabit Chriſtum eſſe Deum, & ipſum Meſſiam eſſe dicet, vt oſtenſum eſt; hinc Ioann. 2. dicitur, *eum eſſe Antichriſtum, qui negat Ieſum eſſe Chriſtum*, ſeu Meſſiam promiſſum; nempe quia dicitur ſpiritu Anti-

chriſti, qui hoc penitus negaturus eſt, vt se Meſſiam faciat. Atqui Chriſtus ſecundùm Scripturas eſt verus Deus, & pro tali colitur a Chriſtianis: ergo Antichriſtus ſe dicet verum Deum. Sexto, Idem colligitur ex loco Danielis ſuprà allato; vbi dicitur, quòd *eleuabitur aduerſus omnem Deum: nec quemquam Deorum curabit, quia aduerſus omnia conſurget*. Quis hæc interpretetur de Iudicibus? Septimò denique communis omnium verum & recentiorum ſententia eſt, quòd Antichriſtus ſe iactabit eſſe verum Deum, & coget homines ad ſe adorandum inſtar Dei: nec vlli vmquam illud commentum de Dijs metaphoricis, hoc eſt Iudicibus, in mentem venit. Vnde cùm hæretici dicunt Pontificem eſſe Antichriſtum, & nihilominus affirmant illum colere Idola, & Idolorum cultum (ſic enim ſacrarum Imaginum venerationem vocant) promouere, ſe ipſi euertunt. Si enim eſt Antichriſtus, ergo non promouebit, ſed tollet cultum Idolorum, vt ipſe ſolus publicè colatur: vt apertè ex Scripturis & Patribus colligitur. Si autem promouet cultum Idolorum, & ipſe ſe illis publicè ſupplicem præbet: ergo non eſt Antichriſtus, qui aduerſus omnem Deum conſurget, & ſupra omnem ſe extollet.

24 Dices: Si Antichriſtus geret ſe pro Deo, & omnibus alijs Dijs aduerſabitur, eoſque exterminabit; quomodo ergo Danielis 11. dicitur: *Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur?* Reſpondeo: Etiamſi publicè ſe gerat pro Deo; tamen priuatim in arce aliqua poterit colere diabolum, cuius opera in omnibus vtetur, à quo eius fortuna, & ſucceſſus omnis pendebit.

Ex his patet illos quinque actus (in quibus Auctor pag. 57. vult Pontificem ſe gerere, vt Deum) primò, *Quòd peccata condonet*: ſecundò, *Quòd animas redimat*: tertiò, *Quòd articulos fidei definiat*: quartò, *Quòd omnium cenſor eſſe velit & Iudex*: quintò, *Quòd ipſe à nemine velit iudicari*: non ſufficere. quod vlterius confirmo. Nam quod ad primum & ſecundum actum attinet, ſi illi ſufficiunt; ergo omnes Sacerdotes in Eccleſia Catholica gerunt ſe vt Deus, iuxta mentem Apoſtoli. Omnes enim peccata condonant, omnes peccatis captiuas animas è miſerabili illâ ſeruitute eripiunt. omnes itaque erunt Antichriſti. Sed hæc non faciunt ſua auctoritate, ſed auctoritate à Chriſto accepta (qui Apoſtolis ſuis, & in Apoſtolis omnibus Sacerdotibus dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* &c) nec ſuis meritis, ſed Chriſti; applicando pretium ſanguinis ipſius Sacramentis incluſum. Vnde in hoc opere non oſtendunt ſe eſſe Deum; ſed miniſtros Dei, & diſpenſatores myſteriorum Chriſti. Propriè tamen non dicuntur Sacerdotes *animas redimere*: quia *redimere* propriè eſt pretium dependere, & de ſuo ſoluere. Hoc ſolus Chriſtus facit. Vnde ipſe ſolus propriè dicitur *animas redimere*. Quodam tamen ſenſu poteſt dici *redimere* etiam is qui pretium ſolutum defert & applicat; vt exemplis humanis conſtat. Et hoc modo conuenit Summo Pontifici, & Sacerdotibus omnibus: quia pretium redemptionis Sacramentis incluſum peccatoribus applicat, & ſic à peccato & damnatione eripiunt.

Ioan. 20.

Neque tertius ſufficit. quia etiam Apoſtoli *articulos fidei definierunt*, quando declararunt gentibus legalium obſeruationem non eſſe neceſſariam, Act. 15. Et cuius tandem erit, obortis controuerſijs, ſtatuere, quin in Eccleſia vniuerſa ſit tenendum, niſi eius, qui loco Chriſti toti Eccleſiæ præſidet, adhibitis alijs inferioribus Eccleſiarum Principibus? Omitto quòd Princeps & Parlamentum in Anglia articulos fidei definiant, & quid credendū ſit ſtatuant, & præcipiant.

Quartus etiam & quintus non ſufficiunt, vt oſtenſum eſt numero 23. in principio: Quia rex Britanniæ nullum Iudicem, vt opinor, agnoſcit in terris, & tamen non ideò ſe propriè Deum facit. Et ſi eſſet Monarcha tantus, quantus olim Imperator Romanus, ſe etiam omnium hominum Imperio ſubditorum cenſorem, & Iudicem crederet, à nemine iudicandum. Nemo tamen rectè dixerit, ipſum ſe Deum facere.

Denique nec omnes ſimul ſufficiunt, quia in merum hominem omnes cadere poſſunt, vt oſtenſum eſt: imò præcipui omnibus Sacerdotibus conueniunt. Longè enim excellentius, admirabilius, & diuinius eſt à peccatis abſoluere, animas Deo reconciliare, Euchariſtiam conſecrare, quàm omnibus regibus imperare, & poſſe de eorum regnis etiam pro arbitrio diſponere.

Octaua Demonſtratio, ex tempore Aduentus.

ANtichriſtus non eſt venturus niſi ſub finem mundi, nimirum paulò ante ſecundum Domini aduentum. Falſum ergo eſt Summos Pontifices iam tot ſæculis Antichriſtos fuiſſe. Antecedens clarè conuincitur tum ex Scripturis, tum ex communi omnium Patrum ſententia. Ex Scripturis. Nam 2. ad Theſſalonic. 2. monet Apoſtolus, vt nemo ſibi perſuadeat inſtare diem Domini, niſi reuelatus fuerit Antichriſtus: quaſi eius reuelatio ſit ſignum illius diei imminentis. Matth. 24. cùm Apoſtoli perijſſent aliqua ſigna ſecundi aduentus, & conſummationis ſæculi; Dominus tradit illis quinque *ſigna*, quæ debent antecedere. Primò, Generis humani magnam perturbationem: *Conſurget*, inquit, *gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia dolorum*. Secundò, Multorum à pſeudoprophetis ſeductionem: *Et multi*, inquit, *pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos*. Sicut enim Chriſtus Prophetas habuit præcurſores, qui illi viam in mentibus hominum pararent: ita Antichriſtus pſeudoprophetas præcurſores habet, qui mentes hominum ad ipſius aduentum diſponant: quales ſunt omnes hæretici, & maximè hereſiarchæ, vt Lutherus, Caluinus, Menno, Melanchthon, & ſimiles. Hi ſeducent multos. Hoc ſignum noſtro ſæculo magis quàm vmquam videmus impleri. Tertiò, Prædicationem Euangelij in toto orbe: *Prædicabitur*, inquit, *hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc veniet conſummatio*. Quartò, Maximam tribulationem ſeu perſecutionem, qualis non fuit ab initio mundi; cuius typus fuit calamitas Iudæorum in excidio Vrbis. Hanc inferet Antichriſtus, vt communiter docent Patres. Quintò, Signa cæleſtia, & perturbationem Elementorum, quæ ſtatim poſt inchoatam perſecutionem Antichriſti incipient; eruntque aduentui Domini propinqua: *Statim*, inquit, *poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur*, & cetera. *poſt tribulationem*: incepram nimirum, non completam, vt ex Apocalyp. capit. ſexto, verſ. 13. colligitur. Itaque non erit magna mora inter aduentum Antichriſti, & finem ſæculi. Idem colligitur ex cap. ſeptimo Danielis. Vbi Daniel poſtquam vidit cornu paruulum, ortum inter decem cornua quartæ beſtiæ, loquens grandia contra Altiſſimum (quo ex communi Patrum ſententia ſignificatur Antichriſtus) ſtatim vidit *thronos poſitos, & antiquum dierum* ſedentem ad iudicandum orbem. Et infrà: *Aſpiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduerſus Sanctos, & præualebat eis, donec veniſt antiquus dierum, & iudicium dedit Sanctis*. Idem paulò poſt dicitur adhuc apertiùs.

25

Quinque ſæculi aduentus ſui ſigna à Deo nobis tradita.

Ex Patribus quoque eadem res eſt perſpicua. Iren. libro quinto, capit. 30. *Cum conſummauerit Antichriſtus omnia in hoc mundo, regnans annis tribus & menſibus ſex, & ſederit in templo Heroſolymis, tunc veniet Dominus de cælis in iudicium.* Tertullianus libro de reſurrect. carnis capit. pag. 27 *Hoc ipſo quod ait, Donec ea præueniat, quia exſtinguet Antichriſtum, poſt iram oſtendit proceſſuram carnem de ſepulchris, in qua ante iram fuerit illata*, & cetera. *poſt Antichriſti eradicationem agitabatur reſurrectio*. Cyprianus epiſtol. 56. *Scire debetis, & pro certo tenere occaſum ſæculi, atque Antichriſti tempus appropinquaſſe, vt parati ad prælium ſtemus*. Et libro de exhortat. martyrij ad Fortunatum, in principio Præfationis: *In fine atque in conſummatione mundi, Antichriſti tempus inſtans appropinquare cœpit*. Vbi aduertendum, Cyprianum & quoſdam alios Patres, conſideratis perſecutionibus & flagellis mundi, & ſcelerata hominum vita, exiſtimaſſe finem mūdi inſtare; & inde collegiſſe aduentum Antichriſti. quæ re apertè declarant ſe ſenſiſſe, Antichriſtum ſub occaſum mundi venire debere. Et quamuis in illa coniectura de fine mundi inſtante fint decepti; non tamen in eo, quod Antichriſti aduentum cum fine mundi coniunxerint. Hoc enim tamquam indubitatum ex Scripturis, & receptum in Eccleſia dogma ſupponebant; illud ex ſignis quibuſdam coniectabant.

Ventrum ſub finem mundi dicit patres.

Hiero-

Hieronymus in capit. 11. Danielis: *Noſtri*, inquit, *& maliùt interpretantur & rectiùs, quod in fine mundi hoc ſit facturus Antichriſtus, qui conſurgere habet de modica gente, id eſt, de populo Iudæorum.* Vbi apertè indicat hanc eſſe receptam Chriſtianorum ſententiam. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. vltimo: *In illo itaque iudicio, vel circa illud iudicium, hæc res decimas eſſe futuras, Eliam Thesbitem, fidem Iudæorum, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum venturum iudicaturum, mortuorum reſurrectionem, &c. quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt; ſed quibus modis, & quo ordine venient, magis tunc docebit rerum experientia, &c.*

Proſper, In dimidio temporis cap. 9. *Hic oſtenditur quod ex Iudæis, de tribu Dan quæ hodieque in Perfidia eſt, veniat Antichriſtus, &c. Hæſumque verum Chriſtum Dominum venturum eſſe dixit, dicens; Saluatore tuum expectabo Domine.* Chryſoſtomus Homil. 78. in capit. 24. Matth. *Sicut cùm arca fieret, apertè futurum præuaricatum diluuium, illi autem non credentes tanquam nullo malo venturo laſciuiebant: ſic Antichriſtus apparebit, poſt quem conſummatio & intolerabiles; quæ ſequentur.* Damaſcenus libro 4. capit. 28. *Primùm Euangelium apud omnes gentes prædicetur, neceſſe eſt; & tunc reuelabitur iniquus ille*, & cetera. At nondum apud omnes gentes prædicatum eſſe conſtat. Denique eadem eſt ceterorum omnium conſtans & indubitata ſententia, nimirum Antichriſtum non niſi ſub finem mundi venturum: neque per quindecim annorum centurias quiſquam Patrum, aut Doctorum fuit, qui ea de re dubitauerit. Ratio eſt, quia Antichriſtus venire debet cùm impietas & licentia vitiorum ad culmen peruenerint. Ipſius enim regnum maximè aduerſabitur regno Chriſti, & totis viribus omnem Chriſti & veri Dei cultum conabitur exterminare. Illud autem erit ſub occaſum mundi. Nam vt ait B. Auguſtinus Hom. 26. in Ioannem: *Quantum accedit finis mundi, creſcunt errores, creſcunt tenebræ, creſcit iniquitas, creſcit infidelitas.* Quò enim longius progreditur genus humanum, eò magis langueſcit pietas olim ſuſcepta, & creſcit vitiorum licentia: vt patuit omnibus mundi ætatibus, & in plurimis regnis, vbi olim Religio viguit. Itaque ſub mundi terminum impietas & contemptus Numinis erit in ſummo, & Religio in infimo. quod indicat Dominus Luc. 18. *Verumtamen Filius hominis veniens putaſne fidem inueniet in terra?* Vitium enim cùm ſit ſecundùm inclinationem naturæ corruptæ, vſu, conſuetudine, & exemplo ſemper creſcit. Pietas cùm ſit ſpiritalis, & ſupernaturalis, eſt naturæ corruptæ & terrenis addictæ difficilis, molella, & quaſi violenta. Vnde ſenſim, hominibus ſpiritalia negligentibus, & terrena ſectantibus, euaneſcit. Cùm ergo ſub finem mundi venturus ſit, qua fronte aſſerunt hæretici, iamà mille annis Antichriſtũ veniſſe, & omnes Pontifices Romanos tanto tempore Antichriſtos fuiſſe.

Nona Demonſtratio, ex perſecutione Antichriſti.

27 ANtichriſtus commouebit aſperrimam perſecutionem aduerſus Eccleſiam, & quidem toto orbe; idque eo fine, vt omnes à Chriſti cultu ad ſui cultum traducat: & ſibi adhærentibus certum imprimet vel tradet ſignum, vt nemo, niſi eiuſmodi ſigno eius ſe profiteatur cultorem, poſſit emere aut vendere. Atqui nihil horum factum à Summis Pontificibus. Ergo illi non ſunt Antichriſtus. Maior probatur ex Scripturis, Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet.* Vbi Dominus potiſſimùm loquitur de vltima tribulatione, vt patet ex illis verbis: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur.* Et Daniel. 7. dicitur de Antichriſto: *Sanctos Altiſſimi conteret.* & Apocal. 20. *Cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas*, nimirum ad perſequendam Eccleſiam, vt ex ijs quæ ſequuntur conſtat. Vnde tanto maior erit tunc perſecutio, quàm ſub vllo fuerit vnquam tyranno; quanto magis ſæuire diabolus poteſt ſolutus quam ligatus, vt Patres tradunt.

Erit etiam hæc perſecutio generalis, & per totum Antichriſti imperium; vt colligitur ex illis verbis, *Et circumdederunt caſtra Sanctorum, & dilectam ciuitatem.* quibus verbis ſignificatur Eccleſiam vbique diffuſam ab eo affligendam. Quod autem eo fine hæc perſecutio excitabitur, vt omnes à Chriſti cultu ad ſui cultum traducat, manifeſtum eſt ex cap. 13. *Et data eſt ei poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eum omnes inhabitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ*, & cætera. Et infrà: *Et datum eſt ei vt faciat, vt quicunque non adorauerit imaginem beſtiæ, occidantur.* Denique de charactere patet eodem capite 13. *Et faciet omnes puſillos & magnos, diuites & pauperes, liberos & ſeruos habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis; & ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.* Eadem fusè probari poſſunt ex Patribus; ſed opus non eſt, cùm aduerſarij non negent.

Quod autem nihil horum à Romano Pontifice factum ſit aut fiat, perſpicuum eſt. Numquam enim Romani Pontifices viſi ſunt mouere apertam perſecutionem contra Eccleſiam, aut conari homines à cultu Chriſti ad cultum ſuum traducere: numquam ab ijs datus omnibus adhærentibus charakter aliquis, ſine quo non poſſent emere vel vendere.

28 *Reſponſio hæreticorum refutatur.*

Reſpondent hæretici, Pontifices Romanos mouiſſe perſecutiones contra Eccleſiam Dei, quando ipſorum ſacros iuſſerunt occidi. Hanc autem perſecutionem miſè exaggerant; ſed ridiculè. Primò, quia Antichriſti perſecutio erit vniuerſalis: hæc autem fuit ſolùm in paucis locis, vbi erant hæretici. Secundò, Antichriſti perſecutio erit ſæuior, quàm fuerit vlla Tyrannorum antiquorum, vt Neronis, vel Diocletiani, &c. vt docent omnes Patres, & aperte colligitur ex verbis Domini, Matth. 24. citatis. At quis rationis compos dicet perſecutionem Pontificis Romani in hæreticos eſſe immaniorem, quàm fuerit vnquam perſecutio Diocletiani, qua tot millia Chriſtianorum toto Romano Imperio ſublata, tot genera tormentorum per multos ſæpè dies irrogata, tot carceres impleti, tot metalla referta? Tertiò, Antichriſtus perſequetur Catholicos, quia tenent religionem auitam: at Pontifex perſequitur hæreticos, quia deſeruerunt auitam. Quartò, Antichriſtus perſequetur vt cogat omnes ad cultum ſuum, relicto cultu Chriſti. At Pontifex non perſequitur quemquam, vt cogat illum ad cultum ſuum; ſed vt redeat ad cultum Chriſti, quem eſt profeſſus. Quintò, Antichriſti perſecutio erit toti mundo notiſſima, & vehementiſſimè concutiet orbem. At perſecutio Pontificis in hæreticos, non turbat pacem mundi, ſed tollit faces ſeditionum, & tranquillitatem mundi conſeruat: vnde nemo ſentit illud eſſe perſecutionem, niſi eo modo quo punitio furum, latronum, proditorum, ſeditioſorum, perſecutio dicitur.

Sextò, Antichriſtus ſua perſecutione penitus opprimet Eccleſiam, ita vt ipſa non valeat ei reſiſtere; nam ipſe vſque dum interimatur, proſperè aget, & pro ſuo arbitratu omnia faciet. Vt enim Daniel. 7. dicitur; *Roborabitur fortitudo eius, & ſupra quàm dici poteſt vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet, & interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundùm voluntatem ſuam.* At perſecutio Pontificis in hæreticos non habet illum ſucceſſum. Nam non ſolùm ei reſiſtunt, vt non poſſit illos pro arbitrio & meritis caſtigare, ſed etiam & ipſi, & omnibus ipſi adhærentibus grauiſſimam perſecutionem mouent. Teſtis eſt Anglia, Gallia, Hollandia, & aliæ regiones; in quibus paucis annis plures Catholici ab hæreticis vario tormentorum genere interfecti, quàm totis decem ſæculis hæretici ab Inquiſitoribus damnati. Quòd ſi multi in bellis cecidere, ij non ſunt dicendi perſecutione, quæ martyres faciat, occiſi; ſed prælio tamquam milites deleti. Cùm enim regna pacata turbaſſent, & populum ad arma contra Principes concitaſſent, Principes ſe aduerſus illos armarunt, & ſic multi eorum vt ſeditioſi & rebelles interemti. Deinde tantum abeſt vt potentia Romani Pontificis creſcat, vt iam à mille annis cœperit decreſcere, præſertim in Europa & locis vicinis. Creſcente enim regno Turcarum, decreuit Eccleſia, prouincijs Chriſtianorum ſenſim ab eo occupatis. Itaque amiſſa iam antea Africa, cœpit amittere Aſiã; qua tota abſorpta, quidquid imperij Orientalis ſupererat in Europa, tandem ademptum current-

te ſæ-

te ſæculo xv. Superiore autem ſæculo, quot regna in Europa Eccleſiæ ſubducta? quot in Religione conuulſa, & ad defectionem inclinantia? Vnde Auctor Præfationis pag. 138. dicit, *partem propè dimidiam Chriſtiani orbis à Babylone*, hoc eſt, ab Eccleſia Romana, *exiſſe*, eoque nomine excitat Principes Catholicos, vt Antichriſti (Pontificis) iugum excutiant. At hæc minimè congruunt cum ſuccellibus Antichriſti, cuius potentia creſcet vſque ad finem; cui nemo poterit reſiſtere, vt ex Scripturis conſtat: nedum populus ſanctorum, quia perſecutionem patietur.

Septimò, Si perſecutio Pontificis, qua perſequitur Lu-
29 theranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas, eſt perſecutio Antichriſti; ipſi ergo ſunt *ſancti Dei Altiſſimi*, qui ab Antichriſto conterentur; Danielis 7. Ipſi ſunt *caſtra ſanctorum, & ciuitas dilecta*, quam exercitus Antichriſti cinget & affliget; Apocal. 20. Si ita eſt (quod etiam ipſi aperte affirmant) peto an hæ præclaræ appellationes conueniant in omnes ſectas huius temporis, an aliquam tantùm? Si in omnes, quomodo id fieri poteſt, cùm vnica tantum ſit fides, & religio, quæ hominem ſanctum efficiat, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo? Nam illæ ſectæ habent fides & religiones valdè diuerſas. Diſſentiunt enim Caluiniſtæ & Lutherani in primarijs fidei capitibus, & ſe mutuò hæreſeos damnant. Similiter Caluiniſtæ Proteſtantes, à Puritanis; & Lutherani molles, à rigidis; & hi omnes ab Anabaptiſtis, & à nouis Arrianis, & Samoſatenis. Itaque non poſſunt omnes illæ ſectæ eſſe caſtra ſanctorum, & ciuitas dilecta. Si vna ex his eſt ciuitas dilecta, quænam tandem eſt illa? quibus notis eam deprehendemus? Singulæ enim ſectæ æquè fortiter aſſeuerant ſe hanc ciuitatem conſtituere: Quia, inquiunt, noſtra doctrina eſt purum putũ verbum Dei. Neq; aliam probationem adferre poſſunt, cùm extra Scripturas nihil ſit credendum. Si Caluiniſtæ ſibi hanc gloriam vindicare velint, opponent ſe Lutherani, qui plurimos & peſtilentes errores in illis notarunt: ſi Lutherani, obſiſtent Caluiniſtæ, qui non pauciores errores eis obijciunt Lutheranis. Quare cùm fieri nequeat, vt omnes ſectæ ſint ciuitas illa dilecta; neque vlla poſſit adferri ratio, cur hæc potius ſit quàm illa; merito colligimus nullam ex his ad illam ciuitatem pertinere, ſed omnes potiùs ad ſortem Antichriſti.

Rurſus, ſi grex, v. g. Caluiniſtarum eſt *ciuitas illa dilecta*: ergo Antichriſtus multò eſt antiquior Eccleſia Chriſti: multis enim ſæculis ipſe Caluiniſtas anteceſſit, vt quorum primus Apoſtolus Lutherus nondum vnum ſæculum impleuerit. Vbi quæſo ante Lutherum erant Lutheranorum & Caluiniſtarum ſynagogæ? Si erant inuiſibiles non audentes ſuam religionem metu Pontificis profiteri, indigni planè erãt Eccleſiæ nomine, quæ eſt ciuitas ſupra montem poſita, quæ ſuum ſponſum non erubeſcit. Vnde numquam ita latuit in perſecutionibus Tyrannorum, quin facile cognoſceretur. Si viſibiles, quomodo non fuerunt illi fratres apprehenſi ab Inquiſitoribus, & puniti? Denique quomodo ſcitis eas anteà extitiſſe, cùm nullus Scriptor, nullus Hiſtoricus id tradat, nec vllum huius rei ſit veſtigium? Nam & ipſe parens earum Lutherus anteà Catholicus fuit, & cùm furore percitus, eò quòd Indulgentiarum promulgatio ipſius Ordini in Germania delata non eſſet, ab Eccleſia deſciuiſſet; non antiquos illius ſectæ cultores collegit, ſed Catholicos peruerit, & nouam ſectam ex veterum ſectarum fruſtis excitauit. Itaque nullo colore dicitur, religionem Lutheranam & Caluiniſticam anteà extitiſſe.

Octauò, Antichriſti perſecutio non diu durabit, vt
30 omnes fatentur: *niſi enim breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro*; vt Dominus ait Matth. 24. Sed perſecutio Pontificis in hæreticos multis ſæculis duraut: ergo hæc non eſt perſecutio Antichriſti. Nonò, Antichriſtus ſua perſecutione tollet omnem publicum Chriſti cultum, & in primis iuge ſacrificium; vt patet ex cap. 12. Danielis. At Summus Pontifex non tollit, ſed ſtabilit iuge ſacrificium, & nouis illud regionibus infert. Itaque ex diametro repugnat Antichriſto. Decimò, Antichriſtus innumerabili exercitu perſequetur Eccleſiam: vt enim Apocalypſis 20. dicitur, Satanas tunc ſolutus *exibit & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris, & aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam: & deſcendit ignis de cælo, & deuorauit eos.* At nihil horum hactenus eſt viſum, num quam Pontifex talem exercitum habuit, vnde nec Lutheranos, nec Caluiniſtas illo perſequi potuit. Vndecimo, Antichriſtus in ſua perſecutione prohibebit, ne poſſit quis emere aut vendere abſque eius charactere, quam ſua tradet, quo profitebuntur ſe ab eius partibus ſtare. At hactenus tot ſæclis Summi Pontifices nullum tale præceptum dederunt, nec vllum characterem Catholicis impreſſerunt; nec vllos hactenus in regno Pontificis coactus fuit aliquod tale ſignum exhibere.

Ad hoc reſpondet Auctor Præfationis, pag. 98. *Charac-* 31
teri fronte eſt externa profeſſio ſe hoſte beſtiæ (Romano Pon- *Reſpõſio Auct.*
tifici) *ſubijci. Signum in dextra erat actualem atque impli- Præfat. de*
citam obedientiam erga eam, quam putant non poſſe errare, charactere
etiamſi eos contra Principes ſuos naturales arma ferre iuberet; Antichriſti.
cui ſimilis eſt cæca illa obedientia, in quam omnes Ieſuitæ iu-
rant. &c. Et infrà: *Qui non concedit abſolutam hanc pote-*
ſtatem, neque emendi neque vendendi ius habet: quia nemo fi-
dem ſeruare tenetur hæreticis, vtpote contractum cum illis vi-
tium habens.

En præclaram illius loci explicationem, quæ neque tex- *Reſpondeo*
tui, neque vſui applicari poteſt. Quomodo enim hæc profeſſio ſubiectionis, & obedientia actualis, & implicita, vel cæca, in foro ad ſingulos emptionis & venditionis actus exhibebitur? v. g. Vis emere panem, vinum, piſcem, carnem, pannum; quomodo hunc characterem proferes, vt oſtendas tibi ius emendi competere? Quomodo oſtendes ſingulis, te erga Summum Pontificem habere obedientiam, præſertim implicitam, aut cæcam? Deinde profeſſio ſubiectionis eſt in ore, non in fronte, vel dextra: obedientia actualis & implicita eſt in externa alicuius operis executione, non in dextra. At character ille Antichriſti erit in fronte vel in dextra, & poterit ſtatim venditori exhiberi. Denique hactenus in regno Pontificis neque fuit vllũ præceptum, neque vſus alicuius ſigni in quotidianis contractibus exhibendi; vt etiam hæretici teſtari poſſunt, qui in locis Catholicorum, & maximè in Italia, & Romæ ſunt verſati. Non enim rogantur, an profeſſionem ſubiectionis Pontifici fecerint: an illi obedientiam actualem & implicitam, aut cæcam præſtent. Omitto non videri Auctorem intelligere quid ſit obedientia implicita, cùm hæc ſit maximè inuiſibilis. Obedientiam cæcam in religioſis maximè commendant ſancti Patres: Baſilius conſtitut. monaſtic. capit. 23. Gregorius lib. 2. capit. 4. in 1. Regum: Bernardus libr. de præcepto & diſpenſat. colum. 6. Caſſianus de Inſtit. renuntiantium lib. 4. cap. 41. &c. Vnde non eſt irridenda.

Similiter illud de poteſtate emendi & vendendi, nul- 32
lum colorem habet. Si enim non poſſe emere aut vendere, nihil eſt aliud quàm contractum poſſe reſcindi, eò quòd hæreticis fides non ſit ſeruanda, parui ſanè eſt momẽti, parumque afflictionis adfert. Quotuſquiſque enim eſt hæreticorum, qui metu reſciſſionis non auſit emere neceſſaria à Catholicis, aut quaſuis cum illis inire contractus? Quot contractus eo nomine à Catholicis, cum detrimento hæreticorum ſunt reſciſſi? Aut quomodo hæc reſciſſio in quotidianis rerum neceſſarium emptionibus & venditionibus mandari poſſet executioni? Denique quis vnquam docuit Catholicorum, hæreticis in emptione & venditione fidem non eſſe ſeruandam? Neque verum eſt Catholicos Doctores ita generatim & abſolutè docere, hæreticis fidẽ non eſſe ſeruandam, vt hæretici falsò imponunt. Loquuntur enim de fœderibus iniquis, & in damnum religionis vergentibus, ad quæ hæretici per vim Catholicos compulerunt; modò tamen ante legitima auctoritate à iureiurando ſoluãtur, & conſtet maiora mala ex reſciſſione non impendere. Idem docent hæretici noſtri temporis, de fide data Catholicis, & longè amplius: vt in alia Diſputatione oſtendemus.

Quod autem de æquiuocatione hic *παρεργον* aſſoi- 33
tur: Nemo Catholicorum DD. docet fas eſſe vti, cũ quis legitimè à ſuo Iudice interrogatur; ſed cùm a Iudice non ſuo, vel iniquè contra ordinem Iuris: vt cum in Anglia à Iudicibus ſæcularibus & hæreticis interrogantur Sacerdotes quorum confeſſiones ipſi exceperint; in quorum ædibus ſacrificium obtulerint; quæ peccata in confeſſione audierint; quænam ipſi peccata Sacerdoti ſint confeſſi;

quam

quam pœnitentiam Sacerdos eis iniunxerit: quibus iocunditas benedictas diſtribuerint; & ſimilia, quæ in Anglicanis Iudicijs inquiri à Sacerdotibus, multis Auctoris Angli ſcribunt. In his Catholici docent, non teneri reum ad mentem Iudicis reſpondere, ſed poſſe verborum artificio, abſque tamen mendacio, ſe diſcrimini eripere. Cur enim tenear gladium occultum porrigere, vel offendere volenti, me iniquè iugulare? Cur hæretici hoc in Catholicis calumniantur, cùm ipſi in huiuſmodi diſcrimine, etiam fidei ſuæ externam abnegationem, & profeſſionem alienæ permittant? exemplo ſint Puritani in Anglia, qui contra Religionis ſuæ dogma iurant in Primatum ſpiritalem Regis: & eorum Apoſtolus Caluinus, qui Argentinæ ſubſcripſit ſententiæ Lutheranorum, de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, ad eorum gratiam demerendam.

Decima Demonſtratio, ex miraculis Antichriſti.

Miracula Antichriſti.

34 ANTICHRISTVS faciet varia miracula, ſpeciem quidem externam operis miraculoſi & ſupernaturalis habentia, reipſa tamen inania & falſa, vt quæ præſtigijs & ope diaboli conflabunt. Habebit quoque varios miniſtros, & primarium quemdam pſeudoprophetam, qui ſimilia patrabit; & hæc omnia eo fine, vt omnes Antichriſtum pro Meſſia & verò Deo agnoſcant, & adorent tum ipſum, tum imaginem eius. At nihil horum competit in Pontifices, ergo hi non ſunt Antichriſtus.

Maior patet. Primò, ex Scripturis. 2. ad Theſſ. 2. *Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute: & ſignis & prodigijs mendacibus.* id eſt, aderit inſtructus tota diaboli poteſtate. hoc enim ſignificat illud, *in omni virtute*, Græcè *ἐν πάσῃ δυνάμει*, ad patranda ſigna & prodigia mendacia. Mendacia vocat, quia non erunt vera ſigna ſupernaturalia: ſed velerunt præſtigiæ & illuſiones oculorum, vt cùm vnum ex capitibus Antichriſti videbitur mori, & excitari ab Antichriſto; vel ſi aliquid ſolidi habebunt, non excedent vim naturalem cauſarum creatarum quale eſt ignè deſcendere de cælo; hoc enim diabolus fecit, cùm greges Iob perderet: & imaginem beſtiæ loqui, diabolo intus loquente, &c. Apocal. 13. *Dedit illi* (beſtiæ, Antichriſto) *draconem virtutem ſuam & poteſtatem magnam; & vidi vnum de capitibus ſuis* (videtur ſignari vnus de ſeptem Principibus, qui ſe illi ſponte ſubmittent, cùm tres alios prælio vicerit, Danielis 7.) *quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis eius curata eſt*, nempe à beſtia, *& admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam. & adorauerunt draconem* (diabolum qui operabatur in Antichriſto, & quem putabant eſſe numen diuinum) *qui dedit poteſtatem beſtiæ: & adorauerunt beſtiam.* Dicet enim Antichriſtus ſe eſſe Deum & hominem, & naturam humanam eſſe aſſumptam à Diuinitate in vnionem hypoſtaticã. Itaque vtrumque adorabunt. Et infrà de alia beſtia, quæ erit primarius ipſius pſeudoprophetæ, dicitur, *feciſſe magna ſigna, eorum hominibus, vt adorent beſtiam & imaginem eius*: & inter cetera, feciſſe ignem è cælo deſcendere, & imaginem beſtiæ loqui.

Idem docent omnes Patres, & omnes Interpretes. Omnes enim hæc ſigna propriè, & non metaphoricè explicant, ſicut hæretici. Omnes enim docent Antichriſtum maximum fore magum, & ope diaboli plurima ſigna & prodigia editurum; idque eo fine, vt ipſe ab omnibus Meſſias & Deus habeatur, & honore diuino colatur, vt ſupra oſtenſum eſt.

Minor, nempe in Summos Pontifices nihil horum conuenire, eſt manifeſta. Pauci enim miracula à mille annis fecere: nemo illorum hominem, qui mortem ſimularit, vſus eſt excitare; nemo ignem è cælo in terram deuocare; nemo vocem imagini tribuere; quæ tria hic ſpeciatim recenſentur: & primum Antichriſto, reliqua duo eius pſeudoprophetæ tribuuntur. Deinde Pontifices non habent aliquem primarium pſeudoprophetam, qui homines ad eius vel imaginis ipſius adorationem ſubpœna mortis compellat, aut eo fine ſigna aliqua faciat.

Ad hæc reſpondet Auctor Præfationis ſuæ. Primò, De ſignis Antichriſti in genere pag. 59. ſigna & prodigia mẽdacia Antichriſti, eſſe miracula quæ fiunt in Eccleſia Catholica, *Iam*, inquit, *quæ tandem Eccleſia ſanctæ innumerabilia miracula, quæ tamen maximam partem aduerſantur ſuæ affo-rum doctrinæ, nemo melius Bellarmino dixerit, cum inuento ſuo famelico, quod pabulo ablatum, Sacramentum genibus curuatis adorabat.*

Reſponſio Auct. Præfa. de ſignis in genere.

Sed contrà. Si miracula quæ fiunt in Eccleſia Catholica ſunt ſigna mendacia Antichriſti; ergo non ſolum a mille annis venit Antichriſtus, ſed à temporibus Apoſtolorum. Singulis enim centurijs annorum plurima miracula facta ſunt, vt conſtat ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij, Socratis, Sozomeni, Ruffini; & ex vita Gregorij Thaumaturgi deſcripta à Gregorio Nyſſeno, Antonij ab Athanaſio, Hilarionis ab Hieronymo, Martini à Sulpitio, Simeonis Styliæ à Theodoreto. Plurima alia commemorantur à S Auguſtino libro 22. de Ciuitate cap. 8. facta in Africa ipſi nouiſſima. Falſum ergo eſt Antichriſtum primum poſt annum Domini 600. veniſſe. Secundò, Si illa miracula ſunt Antichriſti, ergo omnes illi Sancti fuerunt miniſtri Antichriſti: ergo Franciſcus, Dominicus, Bernardus, Malachias, Bonifacius, Adalbertus, Auguſtinus, VVillebrordus, & omnes prouinciarum Septentrionalium Apoſtoli, & reliqui iam commemorati fuerunt pſeudoprophetæ Antichriſti, eiuſque inſtrumenta ad hominum ſeductionem. Ergo Sancti in cælo regnantes, & in primis beatiſſima Virgo, ad quorum inuocationem longè maxima pars miraculorum perficitur, quibus Eccleſia gloriatur, Antichriſto ſeruiunt ad humani generis perniciem? Quæ omnia quàm ſint blaſphema, quis non videt? Ait quidam de Diuis loquens, *Αἰαῖ, δεῖνα λίαν χεὶ ἀμφιδὰκε κακαγόρος*, *Damnum crebrò corripit maledicos*: quanto magis blaſphemos? Eſtque hæc non vulgaris blaſphemia, ſed in Spiritum ſanctum; qua opera virtute Spiritus ſancti ad veritatis confirmationem, & mentium illuſtrationem patrata, referuntur in diabolicam operationem. de qua blaſphemia dictum à Domino Matthæi 12. & Marci 3. *eam neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittendam.* Tertiò, Miracula Antichriſti eo fine efficientur, vt homines illum pro Deo agnoſcant & adorent. At miracula quæ fiũt in Eccleſia, non fiunt vt Pontifex Deus habeatur, aut honore diuino colatur: ergo non pertinent ad miracula Antichriſti.

Pindarus Olymp. Ode 1.

Refutatur.

Sed cur obſecro miracula Eccleſiæ aduerſantur ipſius doctrinæ? *Quia*, inquit Auctor, *inter miracula Eccleſiæ poterunt iumentum extremo geſtu Euchariſtiam adorare, cùm tamen hoc Sacramentum non ſit inſtitutum, vt illud aret & boues & pecora campi adorarent.* At certè hoc iumentum, vel potius Deus per illud, impietatem Caluiniſtarum, qui realem ibi Domini præſentiam nolunt agnoſcere, egregiè confutat. ſicut olim per aſinam, Prophetæ inſipientiam redarguit. Neque ideò conſequens eſt, vt Euchariſtia ſit inſtituta, vt à iumentis adoretur: imò ideò miraculum eſt, quia ad hoc inſtituta non eſt. Cùm enim hic actus longe ſuperet naturæ brutalis captum, ſignum eſt eum prouenire ex diuino impulſu, ad præſentiam Creatoris, cui omnia ſubduntur, teſtandam: vt S. Antonius de Padua huius miraculi patrator dicebat.

Secundò, * De deſceſu ignis & imaginis adoratione reſpondet pag. 97. *Ignem eſſe fulmen excommunicationis, cuius*, inquit, *tanta eſt vis, vt thronis exturbare Principes valeat, adeo vt omnes pro hæreticis occidendi ſint & amouendi, qui beſtiæ vadunt imaginem adorare. hoc eſt, ſummam eius poteſtatem nullis finibus circumſcriptam.* Itaque *facere vt ignis deſcendere de cœlo*, hoc Interprete, eſt *lumen excommunicationis vibrare: Adorare beſtiam, eſt agnoſcere eius ſupremam poteſtatem. Imago beſtiæ, eſt ſumma & illimitata eius poteſtas.*

36 * *Reſponſio Auct. Præfat. de deſcenſu ignis & imagine beſtiæ.*

Verùm quis ita à iudicio tranquillo, non ab animo intemperijs agitato, proficiſci dixerit? Nam Primò, Scriptura commemorat illud tamquam rem ſtupendam, exoticam, & mortalium oculis inſolentem. *Fecit*, inquit, *ſigna magna, ita vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* At fulmen excommunicationis eſt res quotidiana in Eccleſia. & quotannis cum ſumma ſolemnitate in multos vibratur; & nemo obſtupeſcit. Quia etſi ſit res valdè terribilis, neque ſolum poſſit hominem throno deijcere, ſed etiam Satanæ tradere: tamen hæc vis eſt inuiſibilis. Vnde pleroſque parum terret; & hæretici illud *fulmen breuem* vocant. Secundò, Plu-

Refutatur.

rimi

rimi Pontifices ſanctiſſimi ante annum Domini 600. & ipſe S. Paulus, hoc fulmen iaculati ſunt in contumaces: ergo vel ipſi ſunt Antichriſti; vel ſaltem fecerunt ſigna & prodigia mendacia, & Antichriſtiana: quorum vtrumque abſurdum eſt & blaſphemum; ac proinde etiam hæc interpretatio, ex qua id ſequitur. Tertiò, Non ipſe Antichriſtus, ſed eius pſeudopropheta ignem cælo deuocauit. At excommunicationes, præſertim in Principes, à Summo Pontifice feruntur, non ab inferioribus. ergo Summus Pontifex non eſt Antichriſtus, ſed quærendus eſt alius qui ſit Antichriſtus, cui Pontifex ſubſeruiat, ſi fulmen excommunicationis ad miracula Antichriſti pertinet.

37 *Imago beſtiæ.*

Iam quod ad imaginem beſtiæ attinet; quomodo ſuprema & illimitata poteſtas eſt imago Antichriſti? Imago enim debet eſſe extra rem cuius eſt imago, & ab ea diſtincta: hæc autem poteſtas eſt ipſi intrinſeca. Deinde res eſt prior ſua imagine, & abſque ea eſſe poteſt. At Antichriſtus non poterit eſſe ſine hac poteſtate; imò per hanc tamquam per formam (Auctoris & aliorum hæreticorum iudicio) conſtituitur. Ideo enim dicunt Pontificem eſſe Antichriſtum, quia hanc illimitatam poteſtatem ſibi arrogat; vt ſupra Demonſt. 7. dictum eſt. Idem ergo erit forma conſtituens eſſe rei, & imago extrinſeca eiuſdem rei. Præterea, quomodo poteſtas illa poterit cerni oculis, & proponi populo, vt ab illo adoretur? quomodo populus poterit hanc poteſtatem fabricare, & domi ſuæ adorandam collocare? Ait enim Scriptura, Pſeudoprophetam dixiſſe *habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit*. Quomodo huic poteſtati datus eſt ſpiritus & loquela? Nam vt Scriptura dicit: *Datum eſt illi vt det ſpiritum imagini beſtiæ: & vt loquatur imago beſtiæ*. Ex quibus videat Lector qualibus commentis Poteſtas Pontificia oppugnetur.

Vndecima Demonſtratio, ex conſideratione nominis.

38 SCriptura Apocalypſis 13. dicit Antichriſtum habiturũ nomen cuius numerus ſit 666. Hunc autem numerum Spiritus ſanctus eo fine reuelauit, vt cùm Antichriſtus venerit, & cœperit omnia ſibi ſubijcere, ex nomine poſſit à ſapientioribus Eccleſiæ certò deprehendi, deprehenſus cauerí, & alij poſſint præmoneri vt caueant. Si enim nomen habuerit, cuius litteræ hunc numerum adæquatè expleãt; id certum ſignum fore hunc eſſe ipſum Antichriſtum. Ita Irenæus libro 5. cap. 30. & paſſim Interpretes huius loci. Atqui hactenus hæretici in nullius Pontificis nomine hũc numerum oſtendere potuerunt: ergo nullus eorum Antichriſtus habendus.

Reſponſio hæret.

Hic ſe mirè torquent, vt vel in ſpeciem videantur hunc numerum deprehendiſſe. Itaque plerique confugiunt ad nomen ΛΑΤΕΙΝΟΣ, cuius litteræ ſummam illam conficiunt, Quam ſententiam approbat quoque Auctor noſter pag. 80. etſi firmiter ei non adhæreat. Sed eſt omnino improbabilis. Agitur enim de nomine proprio, non de communi ſi no, ex quo nihil certi de ſingulari perſona colligi poteſt. Deinde Romani Pontifices numquam appellati ſunt ΛΑΤΕΙΝΟΣ vel ΛΑΤΕΙΝΟΣ, ſed ΛΑΤΙΝΟΣ quod nomen non explet illum numerum. Secundò, communis Patrum ſententia eſt Antichriſtum fore Iudæum, vt ſuprà oſtenſum eſt, non Latinum, & Iudæorum regnum ſuſcitaturum, vt ipſi toto orbe dominari videantur cum ſuo Meſſia. Itaque non gloriabitur illo nomine ΛΑΤΕΙΝΟΣ, ſed alio augultiore, quo ſignificet ſe eſſe Meſſiam in Lege promiſſum. Tertiò, Nomẽ Romanorum longe fuit ſemper augultius quàm Latinorũ: vnde etiam Græci vocabant ſe Romanos; & ſuos exercitus, exercitus Romanorum; ergo potius deberet vocari Romanus quàm Latinus.

Nec obſtat quod Irenæus lib. 5. cap. 30. inter cetera hoc etiam nomen ponat tamquam probabile: quia accipit hoc nomen tamquam proprium; non vt commune, ſicut hæretici. Spectata autem potentia Romanorum, quæ erat ipſius ætate, non erat improbabile fore aliquando, vt illa tandem ſub finem ſæculi deueniret ad aliquem Principem, cui nomen eſſet ΛΑΤΕΙΝΟΣ, qui totis viribus Eccleſiam perſequeretur, & repræſentaret Antichriſtum. Deinde Irenæus probabilius cenſet nomen Antichriſti non fore ΛΑΤΕΙΝΟΣ ſed ΤΕΙΤΑΝ. hoc enim eſt magnificentius, vtpote ipſi Soli congruens, & tyrannicum quiddam & minas præ ſe ferens, Antichriſti potentiæ & moribus accommodare.

39 *Reſutatur ſolutio.*

Alij cùm vident ſe hic non poſſe euoluere, confugiunt ad numerum annorum, qui fluxerint vſque ad Antichriſti regnum, vel mortem: ſed eorum initium varie ſtatuunt. Quidam dicunt hos annos numerandos à tempore quo Pompeius ſpoliauit templum Iudæorum: alij à Domini natali: alij à Domini aſcenſu in cælum: alij à tempore quo Ioannes Apocalypſim illam habuit, qui fuit annus 97. Chriſti, vt ex Euſebio colligitur. Auctor Præfationis cum Bonifacium III. faciat primùm Antichriſtum, computat à natiuitate Chriſti. Verùm cùm ab eo tempore vſque ad Bonifacium ſolùm reperiantur anni 606. deſunt ad numerum requiſitum 60. Vnde ſequitur manifeſte ab Auctore perperam Bonifacium ſtatui primum, cùm Antichriſtus 60. annis poſt Bonifacium venire debuerit. Additis autem 60. annis incidimus in Vitalianum, ſub quo nihil noui Eccleſiæ Romanæ collatum, ſed ſolùm priuilegia eius confirmata; ne videlicet Conſtantinopolitanus Patriarcha ea ſibi vſurparet. Maximas autem calamitates totis illis 60. annis Eccleſia perpeſſa, peſtem, famem, inundationem, terræ motus, Perſarum incurſiones, quibus 90. millia Chriſtianorum vno tempore occiſa, ſeditiones Orientales, hæreſim Monothelitarum, S. Martini captiuitatem & exilium, & varij ſacri multis ſæculis congeſti expilationem. Denique ſub Vitaliano vrbs omnibus ſuis ornamentis à Græco Imperatore ſpoliata. Hoccine eſt regnum Papæ confirmari?

40 *Alia ſententia auctoris præſat. refutatur.*

Sed inquit, *Confirmatus eſt totius Vniuerſalis Eccleſiæ ſub Vitaliano*. Verùm quid iuuat tituli confirmatio, cùm res ſemper fuerit & viguerit? Itaque cùm Auctor videret hæc eſſe parum firma, alium adhibuit computum: nimirum, vt numerus ille annorum ineatur à direptione templi Iudaici per Pompeium. Ab hoc enim tempore vſque ad Bonifacium III. ſunt anni 666. Sed contrà Primò, Cur à direptione templi ille numerus cenſendus, potiùs quàm à vaſtatione, quæ multò fuit illuſtrior, aut à Domini natiuitate? Certè nulla eſt ratio, niſi quia magis ſeruire videbatur Auctoris propoſito. Quis enim diuinare queat ab illa direptione ſumendum initium huius numeri, præſertim cùm nulla vſitata computandi ratio inde ſumatur? deinde ab eo tempore vſque ad Bonifacium Tertium ſunt plures anni quã 666. nempe 669. vel 670. itaque numerus non exactè reſpondet. at debet exactiſſimè congruere; alioquin daret occaſionem errandi; & potiùs dici debebat numerum eius eſſe eſſe 670. quàm 666. Tertiò, Scriptura loquitur de numero nominis, non de numero annorum. Hæc autem duo multum diſtinguuntur. Nemo enim numerum nominis ſua mente vocauerit numerum annorum à natiuitate Domini, & cetera alioquin de ſingulis Imperatoribus & Regibus dici poterit, numerum nominis eius eſſe talem numerum. v.g. numerum nominis Caroli V. eſſe 1520. numerum nominis Ferdinandi eſſe 1558. numerum nominis Maximiliani II. eſſe 1564. & ſimilia. Quartò, Antichriſtus tradet numerum nominis ſui populis in ſignum, vt poſſint emere & vendere; vt aperte habetur capit. 13. Apocalypſis. At quis mentis compos credat illum acceptum numerum annorum qui effluxit à natiuitate vel aſcenſione Chriſti, cuius memoriam totis viribus conabitur aboleri; aut à viſione Ioannis, vel à templi direptione; & hunc numerum populis traditurum, tamquam ſuum characterem, quo profiteantur ſe eius eſſe cultores? ex quibus conſtat quàm inconſiderate & nullo iudicio hæc in chartam ſint ſlita.

Duodecima Demonſtratio, ex loco, & Sede Antichriſti.

41 *De ſede antichriſti ſyllogiſmus.*

SEdes Antichriſti non erit Romæ, ſed Ieroſolymis: At ſedes Pontificum eſt Romæ, non Ieroſolymis: Ergo Pontifices non ſunt Antichriſtus.

Prima probatio maioris.

Maior probatur: Primò, Quia Antichriſtus erit Iudæus, & ſe Iudæis venditabit pro Meſſia in Lege promiſſo, & ab

& ab eis pro tali recipietur; vt ſupra num. 19 & 20. ex Scriptura, & omnium Patrum ſententia oſtenſum eſt: ergo ſedem ſuam conſtituet in Iudæa, nimirum in terra diuinitus promiſſa, & in vrbe ſancta Ieruſalem, de cuius gloria, & magnificentia futura, multa dicuntur in Scripturis; quæ omnia Iudæi ad terrenam Ieruſalem, qualis erit ſub Meſſia, referunt. Si Romæ ſedem figeret, non oſtenderet ſe Meſſiam promiſſum: quia ſedem Dauid non videretur occupare, nec implere ea, quæ de gloria & imperio illius vrbis, & Templi inſtauratione, a Prophetis prædicta putam. Accedit quòd Romam contaminatiſſimam tum idololatria veterum, tum cultu Chriſti, eâque habeant maximè exoſam: quia à Romanis ipſorum Principatus, oppida, Templum & Sacerdotium ſunt deleta, maioribus eorum ſeruituti ſubiectis, vel variis cladibus interemptis. Itaque nullo modo credibile eſt ſedem Antichriſti Romæ fore.

Minor probatio minoris.

Secundò, Idem apertè colligitur ex capit. 11. Apocal. vbi dicitur Antichriſtum facturum bellum aduerſus duos illos Prophetas, & illos occiſurum. *Et corpora eorum*, inquit, *iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.* At non Romæ, ſed Ieroſolymis crucifixus eſt Dominus.

42 *Reſponſio Andr. Præſat.*

Hæretici hîc confugiunt ad tropos, more conſueto, cùm verborum proprietas illis aduerſatur, & dicunt hîc figurari *Romam, quia ibi Dominus magis quam vſquam alibi per peccata crucifigetur.* Ita Auctor pag. 61. Et confirmatur, quia capit. 18. v. 24. de Roma dicitur: *In ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.*

Refutatur.

Sed contra. Primo, Quia eſt regula generalis, Non eſſe recedendum à verborum proprietate in exponendis Scripturis, niſi aliquid ad hoc cogat; alioquin nihil erit certi quam regulam etiam Lutherus ſeruandam præſcribit, ita ſcribens in captiuitate Babyl. cap. de Sacramento panis: *Verbum diuinum non eſt vlla vi fingendum, neque per lumineam nebulam, neque per Angelum, ſed quantum fieri poteſt in ſimpliciſſima ſignificatione ſeruanda ſunt: & niſi manifeſta circumſtantia cogat, contra grammaticam & propriam accipienda non ſunt, ne detur aduerſariis occaſio omnem ſcripturam eludendi, quo conſilio vsus olim Origenes olim repudiatus eſt, quod ligna, & omnia quæ de paradiſo ſcribuntur, contempta grammatica laxatione, in allegorias verterit.* Itaque cùm hîc nihil cogat, non poſſumus à proprietate recedere. Deinde Scriptura voluit clarè inſinuare vbinam illi eſſent occidendi. vnde cùm dixiſſet, *quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus*; quia hoc obſcurum videbatur, ne erraremus quæ illa ciuitas eſſet, addidit ſignum notiſſimum, *vbi Dominus eorum crucifixus eſt.* Nemo enim poteſt ignorare, vbi id factum ſit. Si locutus fuiſſet de crucifixione per peccata, res fuiſſet obſcuriſſima. Cui enim niſi hæreticis eſt manifeſtum, Chriſtum magis crucifigi Romæ per peccata ſub Pontificibus, quàm in multis alijs oppidis? Sanè Catholicis manifeſtum eſt, illum multò amplius crucifigi Londini, & in alijs magnis hæreticorum vrbibus, quam Romæ. Itaque fruſtrà illud additum fuiſſet, vtpote magis obſcurum. Tertiò, Roma à Ioanne ſæpiùs vocatur *Babylon*: vt patet capit. 17. & 18. quia *Babylon* fuit figura Romæ; vt inquit Diuus Auguſtinus libro 18. de Ciuitat. capit. 22. nimirum magnitudine imperij, potentia, afflictione Iudæorum, excidio vrbis & templi, deletione populi, captiuitate eorum & ſeruitute. Eodem modo vocatura D. Petro Epiſtol. 1. in fine. Nec erat ratio cur hanc appellationem mutaret in aliam minus congruentem. At Ieruſalem rectè vocatur *Sodoma*: alluſione ad locum Iſaiæ capit. 1. *Audite Principes Sodomæ.* &c. idque ob impuritatem, ſuperbiam, & violentiam, quæ ibi tempore Antichriſti regnabunt; & Aegyptus, ob excitatem cordis & omnem impietatem. fuit olim ciuitas magna, & rurſus magna erit illo tempore Iudæis ex toto mundo eò confluentibus, eamque in Sedem Regni inſtaurantibus.

Babylon Figura Romæ.

Ad confirmationem. Solùm ſignificatur illis verbis Romam ſuſtinere culpam ſanguinis Prophetarum & Sanctorum, vbique effuſi: quia per ſuos præſides & miniſtros toto orbe perſequebatur Chriſtianos, & innumerabilem eorum multitudinem occidit. Loquitur autem de Prophetis noui Teſtamenti, quales multi fuere in primitiua Eccleſia. Ridiculè interpretantur illa hæretici de Summo Pontifice; quia variis locis aliquot Lutherani & Caluiniſtæ per inquiſitores traditi ſunt brachio ſæculari puniendi. Hi videlicet ſunt illi Prophetæ & Sancti. Sed de hoc ſupra numero 29.

Tertia probatio maioris.

Tertiò probatur: Tempore Antichriſti Roma erit deleta; vt aperte colligitur Apocal. 13. vbi dicitur decem illos Reges, qui breui tempore regna potientur, odio habituros fornicariam, eamque igni combuſturos & tradituros regnum ſuum beſtiæ, ſeu Antichriſto. Deinde explicans quænam illa mulier ſit, *Mulier*, inquit, *quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.* Quibus verbis aperte deſignat Romã, qualis erat tempore S. Ioannis, & qualis futura eſt ſub finem mundi, vt optimè oſtendit Ribera in hunc locum, & in capit. 11. Apocal. numero 51. & ſequentibus. Neque alicui videri debet incredibile Romam aliquando rurſus imperium obtenturam. Quid enim ſi Turca Italiam, impijs quibuſdam Chriſtianis cum accerſentibus vel iuuantibus, aliquando obtineat, & ſedem regni Romæ conſtituat? Quo facto mirum non eſſet, ſi vicina regna hæreticorum factionibus debilitata & diſſecta, in eius quoque poteſtatem venirent; præſertim cùm hæretici Turcam regnare malint quam Pontificem, aut Regem probè Catholicum. Hoc euentu, an non omnia quæ olim Romano imperio paruerunt, rurſus Romæ rebelleſſent, & ipſa rurſus orbi ſicut olim dominaretur? Rurſus facilè fieri poteſt, vt tam vaſtum imperium ſcindatur, & in decem Reges diuidatur; à quibus deinde ipſa Roma, quæ illos affixerat, eſcindatur. Magna paucis ſæculis poteſt fieri rerum conuerſio. Verum quomodo iſta futura ſint, Deo permittamus. Hoc tamen conſtat, Romam ab illis Regibus ante regnum Antichriſti, vel ſub initium illius, eſſe euertendam: ac proinde eius ſedem Imperij eſſe non poſſe.

Quarta probatio maioris.

Quartò, Danielis 11. *Figet tabernaculum ſuum in Apadno, inter duo maria, ſuper montem inclytum & ſanctum; & veniet ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei.* Hic ſectimo eſt de Antichriſto: vtpatet ex antecedentibus & ſequentibus. Non enim illam Antiochum conuenire poſſunt, vt benè oſtendit Hieronymus contra Porphyrium; ſed in Antichriſtum, cuius figuram gerebat Antiochus. Significatur autem Antichriſtum poſt victorias ſuas fixurum ſedem in Iudæa, & periturum in monte ſancto; vt Hieronymus, Theodoretus, & alij interpretantur. *Apadno eſt in Iudæa, vbi montana incipiunt iuxta Neapolim, quæ olim Emmaus dicta.* teſte Hieronymo. His conſentiunt quæ habentur Zachariæ 5. cùm dicitur: *Et leuauerunt amphoram* (in qua erat impietas) *inter cælum & terram. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quò iſta deferuntur amphoram? Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſim ſuam.* Quibus verbis inſinuatur impietatem & excæcationem Iudaicam duraturam vſque ad illud tempus, quo ædificabitur ei domus, ſeu regnum in terra Sennaar; quod fiet quando Antichriſtus regnare incipiet; & à Iudæis in Meſſiam recipietur. Tunc impietas dominabitur, & erit ſupra baſim ſuam (Antichriſtũ) locata. Itaque inchoabit regnum ſuum in regione Babylonis, vbi plurimi Iudæi habitant (pauci enim captiuitate redierunt) poſtea tamen transferet ſedem regni in Iudæam, vt dictum eſt.

43 *Ex patribus idem probatur.*

Idem probatur ex communi Patrum ſententia. Irenæus libro 5. capitul. 30. de Antichriſto loquens: *Sedebit*, inquit, *in templo Ieroſolymis.* Hippolytus Martyr de conſummat. ſæculi: *Templum conſtruet Ieroſolymis, quod conſtitum euertitum, tradet Iudæis.* Ibidem dicit ſuſcipiendum à Iudæis pro Meſſia. Cyrillus catecheſi 15. *Antichriſtus in templo Dei ſedet. quale autem hoc templum dicit? in templo quod reliquum eſt Iudæorum.* Et infrà: *Si enim tamquam Chriſtus ad Iudæos veniet, à Iudæis ſanè adorari volet, ſtudioſiſſimum ſe oſtendet illius templi, vt ipſe de progenie Dauid eſſe videatur*, &c. Lactantius libro 7. Diuinarum inſtitutio. capitul 16. dicit, ipſum nomen Imperij Romani mutaturum, & ſedem tranſlaturum in Aſiam. Hilarius can. 25. in Matth. *A Iudæis ſuſceptus loco ſanctificationis inſiſtet*, id eſt, in templo Ieroſolymitano. Hieronymus in capitul. 51. Danielis: *Nobis*, inquit, *& melius interpretantur & verius.*

vetitus, quòd in fine mundi hoc faciturus ſit Antichriſtus, qui conſurgere habet de modica gente, id eſt, de populo Iudæorum: & tam humilis erit atque deſpectus, vt ei non detur honor regius, & per inſidias & fraudulentiam obtinent principatum, & bracchia pugnantes populi Romani expugnentur ab eo, & conterantur: & hoc faciet, quia ſimulabit ſe ducem eſſe fœderis, hoc eſt legis & teſtamenti Dei, &c. Quomodo ſedem ſuam ſtatuet Romæ, ſi ſimulabit ſe ducem fœderis, qui impleat promiſſiones veteris teſtamenti Iudæis factas? Idem in fine capit 11. dicit *Antichriſtum interficiendum in monte ſancto*; idque probat ex Iſaia.

Nec obſtat quod Hieronymus quæſt. 11. ad Algaſiam ait quod ſedebit *in templo Dei, vel Ieroſolymis, vt quidam*, inquit, *putant; vel in Eccleſia, vt verius arbitramur*. Quia credibile eſt illum etiam in Eccleſijs Chriſtianorum ſe oſtentaturum, in loco eminenti, vt ab omnibus tamquam Deus adoretur. Denique omnes veteres docent illum fore Iudæum, & à Iudæis pro Meſſia recipiendum. Itaque non eſt dubitandũ quin ſedem regni in Iudæa ſit conſtituturus, vt diuinas promiſſiones de futura illius terræ & populi felicitate, & imperio in totum orbem, implere videatur.

44 *Obiectiones Auct. præf.*

Auctor Præfationis totis viribus contendit ſedem Antichriſti eſſe vrbem Romanam. Primò, Quia Apoſtolus 2. ad Theſſalonicenſ. 2. de Antichriſto ita dicit: *Vt in templo Dei ſedeat. Id eſt*, (inquit Auctor pag. 57.) *in ſinu & penetralibus Eccleſiæ. Iam vbi ſit Apoſtolica illa Sedes, cuilibet relinquo diuinandum: ſed & quis in ea ſedens pro Deo ſe gerat peccata condonans, animas redimens, fidei articulos definiens, omnium hominum cenſor & Iudex, ipſe in nomine suo dicendus*.

Reſpondeo: Si templum Dei accipiamus pro templis Chriſtianorum, non ſolùm Romæ eſt templum Dei, ſed alijs locis innumeris. Nihil ergo nos ad Romam attingit. Sed Romæ ſunt, inquit, *penetralia Eccleſiæ*, ita eſt, ſi metaphoricè Sedem Apoſtolicam vocemus *penetralia Eccleſiæ*. Sed probandum eſt illi hæc penetralia per *templum Dei* intelligi. Sanè Patres paſſim *templum Dei* accipiunt propriè, nimirum pro templo materiali & viſibili, vt oſtenſum eſt. Numquam enim à propria ſignificatione ad tropos confugiendum, quando ex illa nihil abſurdi ſequitur. Nec refert, quod aliqui per *templum Dei* intelligant corda Fidelium; quia myſticè exponunt, nec literalem ſenſum negant. Deinde quis vnquam Sedem Apoſtolicam (hoc eſt auctoritatem Pontificiam) vocet *Templum Dei*? aut occupare ſedem Apoſtolicam, dicat eſſe *ſedere in templo Dei*? Semper ergo Pontifices in templo Dei ſedent, etiam dum foris deambulant: quia ſemper auctoritatem ſuam retinent. Illos autem actus, quos Auctor hic commemorat, non ſufficere vt *ſedeat in templo gerens ſe tamquam ſit Deus*, ſuprà num. 24. demonſtratum eſt.

65 Secundum Argumentum pagina 60. *Ioannes*, inquit, *ſuſius licet μετωνυμικῶς deſcribit hunc Antichriſtum, quem ſuis figuris prodigioſa cuiuſdam beſtiæ, cui ſeptem erant capita, cornua decem. Apoc. XVII. cap. proponit, deinde XVII. interpretatur. Vbi illam appellat meretricem, quæ ſederet ſuper aquas multas, & prodigioſa beſtia inſideret. Deinde ſic concludit illud caput, vt mulierem hanc magnam illam ciuitatem, quæ Regibus terræ dominatur, appellet: & tam illo capite quàm iuxta proximè ciuitatem magnam Babylonem vocet. Itaque Romam eſſe aut ſaltem ſedem illius Antichriſti, locus iſte perſpicuè, & ſine vlla contradictione declarat.* Cap 18. v. 3.

Argumentum igitur in forma eſt tale. Antichriſtus eſt prodigioſa illa beſtia quæ deſcribitur Apocal. 13. v. 1. Hæc autem beſtia eſt meretrix illa, quæ ſedet ſuper aquas multas, Apocal. 17. v. 1. Hæc meretrix eſt ciuitas magna quæ regibus dominatur cap. 17. v. 18. Hæc ciuitas magn. eſt Babylon myſtica: Babylon myſtica eſt Roma; ergo ſedes Antichriſti erit Roma.

Videri poſſit Auctor *ouoroſiria* laboraſſe in tam longa Sorite. Inferendum enim erat: *Ergo Antichriſtus eſt ciuitas Romana*, vt cuius mentem parumper aduertenti planum eſt. Multum intereſt inter Antichriſtum & ſedem regni eius; inter hominem & ciuitatem; quæ tamen Auctor pro iiſdem habere videtur. Expreſsè enim hic dicit *Antichriſtum eſſe illam meretricem cap. XVII. v. 1. & hanc meretricem eſſe Babylonem ſiue Romam*. Et pagin. 164. dicit *hanc meretricem eſſe caput adulterinæ Eccleſiæ*, eique tribuit omnia illa horrenda quæ Scriptura ibi commemorat. & infrà eadem pagina dicit: *Ipſa ſe caput viſibile indigetat, quæ tenus diſſenſurrix eſſe vult, & ſola myſteriorum Dei interpres. Denique magnus hic in terra Deus & Auctor fidei, myſtes eſt profeſſionis, id eſt, ſacerdos*. &c. Et tamen ibidem dicit *hanc meretricem eſſe Babylonem illam magnam, matrem ſornicationum & abominationum terræ*. Et pagin. 107. &c ait: *Deinde vno verbo explicat meretricem, quæ ſuper illam* (beſtiam) *ſedebat, ſeu Monarchiam quæ regebat tum, non eſſe aliud quàm magnam illam ciuitatem quæ tunc temporis habebat Regibus terræ, ſedem imperij dixe ſignans*. Itaque iuxta hunc Auctorem Antichriſtus eſt Sacerdos, eſt *Babylon magna*, eſt Roma, eſt *Monarchia Romæ inſidens*, eſt *Rex & ſedes regni*. Nimirum iſta eſt ſolida & clara huius loci explicatio, omnibus Patrum explicationibus præferenda.

Sed quis non videat iſta eſſe manifeſtè *deuerra*, & cur barii cerebri phantaſmata? Quomodo eadem poteſt eſſe Monarchia, & ciuitas, Rex & regni ſedes, Babylon, & homo? Quis mentis compos Antichriſtum vocet Babylonem, Romam, ciuitatem? Quare mulier illa inſidens beſtiæ capit. 17. non eſt Antichriſtus, ſed Roma, vt ipſa Scriptura explicat in fine cap. cùm ait; *Mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna quæ habet regnum ſuper reges terræ*. Vbi ſignificatur Roma impia, qualis fuit tempore Ioannis, & figuratè eſt ſub finem ſæculi. Hæc dicitur *Babylon* myſtica, quia illi ſimilis, & per eam præſignatur, vt ſuprà num. 43 oſtenſum. Accedit quòd illa mulier ſit comburenda à decem Regibus, qui eam odio habebunt; vt expreſsè Scriptura docet capit. 16. At non comburent Antichriſtum: quia ei ſuam poteſtatem tradent, eique ſervient, vt ibidem habetur.

Omitto quæ ſcribit Auctor pag. 104. de nomine *myſterij*, vt oſtenſatum illud Pontifici conueniat. Non enim mulieris illius nomen eſt *Myſterium* (vt Auctor ſupponit) ſed *Babylon*. Per vocem *myſterium* inſinuat S. Ioannes Babylonem & fornicationes myſticè accipiendas, non propriè. Fruſtrà ergo in myſterio quæritur myſterium, ad ſtruendam Pontifici calumniam.

Tertium Argumentum eſt pag. 60 *Deinde*, inquit, *hanc* 66 *mulierem eſſe illam Antichriſtum ſequet ex tempore quo vim ſuã atque operationem exercet; quod erit quadraginta duorum menſium, prout cap. 13. habetur, prorſusque conſentit cum illo triennio & ſex menſibus, quod temporis ſpatium omnes Pontifices regna Antichriſti tribuunt*.

Reſpondeo; Cap. 13. non dicitur de muliere quòd operationem ſuam exercebit menſibus quadraginta duobus, ſed de beſtia, quam initio illius capitis deſcribit. Fatemur autem hanc beſtiam eſſe Antichriſtum. Verùm dicimus hãc beſtiam multum diſtingui ab illa muliere, quam Ioannes vidit cap. 17. quam conſtat eſſe Romam, non Antichriſtum. Auctor vero ſupponit eam mulierem eſſe Antichriſtum, quod erat probandum, & ita petit principium.

Quartum Argumentum, ibidem: *Beſtia cum ſeptem illis capitibus & decem cornibus, quorum vnum caput vulneratum eſt, rurſuſque ſanatum*, 13. & 17. *capitibus iuxtà deſcribitur: quam in priore capite, ex tempore quo regnum obtinebat, Antichriſtum eſſe conſtat: in poſteriore Romam ſignificari nomine Babylonis, Pontificiorum ipſorum confeſſione manifeſtum*. Ita tam liquidò probatum eſt Romam eſſe ſedem Antichriſti, 67

Reſpondeo dupliciter. Primò, non eſſe eandem beſtiam quæ deſcribitur cap. 13. & cap. 17. Quę enim deſcribitur cap. 13. eſt Antichriſtus, vt Auctor fatetur: quæ autem cap. 17. non poteſt eſſe Antichriſtus. Primò, Quia illa beſtia antecedit decem illos reges, quos Scriptura dicit venturos, & regnum nondum accepiſſe: ſed Antichriſtus non antecedet illos decem reges, ſed ſequetur; vt apertè colligitur ex cap. 7. Danielis, & capit. 17. Apocal. v. 17. Illa enim regnantibus orietur Antichriſtus, eorũ ipſi poteſtatem ſuam tradent Roma deleta. Secundò, Quia mulier illi beſtiæ inſidens eſt Roma impia, conſiderata ſecundùm totum illud tempus non dominata eſt orbi, & perſecuta Martyres Ieſu, eorum ſanguine ſe inebrians, vt antiqui Patres exponunt. Sic enim conueniunt illi omnia, quæ ibi ei tribuuntur. Atqui tunc nondum erat Antichriſtus. Vnde Antichriſtus non poteſt eſſe beſtia, cui Roma tunc inſidebat. *Beſtiam de qua capit. 17. Apocal. non eſſe Antichriſtum.*

Idem

Idem cogimur fateri Auctor. Nam ipſius ſententia, mulier inſidens beſtiæ eſt Antichriſtus: ergo beſtiæ cui inſidet nō poteſt eſſe Antichriſtus: niſi forte idem ſibi ipſe inſideat, ſitque idem ſeſſor & vector, & equus & eques; ſicut anteà idem ipſi erat homo & ciuitas, Monarchia & ſedes Monarchię, etc. Quid ergo illa beſtia, cui mulier inſidet, deſignat? Quidam monarchiam Romanam, quam Roma adminiſtrabat, ſignari volunt, quæ ſub forma portentoſæ beſtiæ Danielis 7. deſcribitur. Sed hæc opinio non videtur vera: tum quia illa beſtia Danielis 7. longè alia forma deſcribitur: tum quia ea, quæ hic dicit S. Ioannes de hac beſtia nō poſſunt Imperio Romano accōmodari. Non enim de Imperio Romano tempore S. Ioannis dici poterat, *Fuit & nō eſt*, cùm nunc maxime flōreret. Deinde non poteſt explicari qui ſint illi ſeptem Reges Imperij Romani, è quibus quinque eo tempore ceciderunt, ſextus regnabat, & ſeptimus, nōdum venerat, qui paruo tempore erat regnaturus. Nam plurimi poſt illum qui tunc erat, nempe poſt Domitianum, impijſſimi ſunt ſecuti. Denique quomodo ipſum Imperium eſt Octauus Rex, & tamen vnus ex ſeptē? Imperium enim non poteſt numerari tamquam vnum ex Regibus Imperij, cum omnes illos Reges complectatur.

Itaque verius eſt quod alij docent, beſtiam illam non eſſe Imperium Romanum, ſed diabolum conſideratum vt regnantē in mundo, quem Dominus *Principem huius mundi* vocat. Huic ſunt *ſeptem capita*, nimirum Reges Impij ſeptem ętatum mundi, per quos populum Dei ſingulis ætatibus perſequitur. *Ex his quinque*, cum illa viſio oſtenderetur, *ceciderant*; nimirum qui ad quinque ætates mundi ante Chriſti aduentum tranſactas pertinebant: *ſextus iam erat*; nimirum perſecutor ſextæ ætatis, quæ à Chriſti aduentu extenditur vſque ad Antichriſtum: *ſeptimus venturus erat*: nimirum Antichriſtus, *ſed modico tempore regnum obtenturus*. *Beſtia dicitur eſſe octauus*, quia diabolus etiam perſequitur per ſeptem quantum poteſt: & rurſus dicitur eſſe ex ſeptē; quia in ſuis capitibus vget & perſequitur, maximè in Antichriſto, in quo tota vis Sathanæ reſidebit, & affliget populum Dei. Dicitur illa beſtia *fuiſſe, & modo non eſſe*, quia ante Chriſti aduentum obtinebat mundi Imperium, ſed per Chriſti mortem illud amiſit: eſtque *ligata ad mille annos*, hoc eſt vſque ad tempora Antichriſti. Tunc *modico tempore ſoluetur*, & dominabitur, ſed mox rurſus deturbabitur Imperio, & æterno exitio vna cùm Antichriſto & pſeudopropheta addicetur. Qui plura hac de re voler, conſulat Riberam noſtrum in cap. 17. Apocalypſis. Nobis ſatis eſt non eſſe eamdem beſtiam quæ cap. 13. & cap. 17. deſcribitur, vt volebat Auctor.

Reſpondeo Secundò, argumentum Auctoris non cohærere. quæ enim eſt iſta ſylloge: *Beſtia cap. 13. eſt Antichriſtus: ea Roma ſignificatur nomine Babylonis cap. 17. Ergo liquidò conſtat Romam eſſe ſedem Antichriſti?* Omittitur quod erat præcipuum & probandum, beſtiæ illius ſedem eſſe Babylona; quod iam ſæpiùs oſtenſum eſt eſſe falſum.

Non cenſui hic omittendam pulchram expoſitionem beſtię & ſeptem capitum eius, quam habet Auctor pa. 87. Vbi cùm *ſcortum Babylonicum* inſidens beſtiæ Apocalyp. 17. dixiſſet eſſe *Antichriſtum, & ſedem Imperij* ipſius, ac *ciuitatem Romanam*; pari ſubtilitate interpretatur beſtiam cui mulier inſidebat, & capita illius: *Beſtia*, inquit, *ipſe eſt Antichriſtus, ſeptem eius capita, ſunt ſeptem imperij formæ, illi ſedi propriæ; quarum quinque iam ceciderant. Reges enim primo fuerunt; deinde exactis Regibus, Conſules. Dictatores, Decemuiri, Tribuni militum. Sexta erat, qua tempore Ioannes conſcripſit hunc librum. Cæſarum Imperium. Septima quæ nondum venerat, & exiguo ſpatio erat duratura, Eccleſiaſtica eſt Epiſcoporum; qua translationem Imperij Roma Conſtantinopolim confecuta eſt. Octaua; quæ eſt Beſtia, ipſe eſt Antichriſtus* (Romanus Pontifex) *qui quidem cenſetur octauus propter illius ſummum & abſolutum Imperium: ſimul tamen ſeptimus, quia viſus eſt ſucceſſiſſe Epiſcopis in Eccleſiaſtica quadam ratione imperandi, & cetera.*

Videri hæc poſſint alicui deliria, nec immeritò. Vtenim omittā apertā ἀντίφρασιν, cùm mulier illa dicitur eſſe Antichriſtus, & ciuitas Romana; quomodo illa beſtia cui inſidet mulier poteſt eſſe Antichriſtus, ſi ipſa mulier eſt Antichriſtus? An forte ſibi ipſe inſidet, eſtque ſimul ſeſſor & vector? Deinde quomodo illi ſeptem reges ſunt ſeptem Imperij formæ, cùm Imperium Romanum nunquam gubernatum fuit per Tribunos militum? hoc enim munus pertinebat ſolùm ad militiam, eratque idem ferè quod modò apud nos munus illius quem vocant *Maeſtro del campo*, & *Mareſcal du camp*, vt inquit Budæus. Deinde Tribunatus iſte non excludebat ordinariam adminiſtrationem Imperij, quę fiebat per Conſules, vel Imperatores, ſed ſimul cū ea conſtitebat. Sede Tribunis plebis intelligat, malè hos Tribunos militum vocat, qui multùm ab illis differunt. deinde Tribuni plebis non vltra quindecim annos Rempubl. adminiſtrauere; Decemuiri vix biennio. Dictatura quoque non erat aliqua ordinaria poteſtas, ſed extraordinaria ad breue tempus, nempe non vltra ſex mēſes, ob aliquam grauem neceſſitatem vrgente periculo alicui commiſſa: vnde non poteſt conferi forma diſtincta. Deinde ſpectabat potiſſimùm militiam, & media ad illā neceſſaria. vide de his l. 2. ff. De orig. Iuris. Poteſtas Epiſcoporum Romanorum, à tempore Conſtantini vſquē ad tempora Bonifacij, non poteſt etiam conferi inter formas illas; quia hi numquam Imperium rexerunt. nam toto illo tempore fuere Imperatores Romani, qui Imperium Occidentale gubernarunt; quorum multi ipſum Pontificem non parum afflixerunt. Similiter poſt Bonifacium Tertium numquam Pontifices Imperium Romanum in temporalibus adminiſtrarunt. nam ſemper Imperatores fuere. Illam autem poteſtatem abſolutam, qua in omnes Chriſtianos poſt Bonifacium vſi ſunt, etiam ante illum habuere, eaque vſi ſunt, quantum ratio temporum permittebat, & rerum conditio poſtulabat. Præterea quomodo ratio gubernandi Epiſcoporum, quam vult deſignari per ſeptimum Regem, breui tempore manſit, cùm manſerit 276. annos, vt ipſe fatetur? Nec valet quod ait, manſiſſe breui tempore facta comparatione ad tempus, quo poſteà Pontifices abſoluta poteſtate dominati ſunt, quod eſt pluſquā mille annorum: quia Scriptura loquitur abſolutē, nō comparatione temporis longiſſimi: vel certè loquitur comparatione reliquarum formarum; quarum reſpecto 276. anni non poſſunt cenſeri breue tempus, cùm gubernario Regum, Tribunorum & Decemuirorum ſimul iuncta tanto tempore non durauerit.

Denique vt alia multa omittam, ſi iſta beſtia eſt Summus Pontifex, quomodo illæ ſeptem formæ Imperij ſunt eius capita, cùm priùs exiterint, quàm ipſe cœperit eſſe Antichriſtus? nam vt Auctor fatetur, cœpit eſſe Antichriſtus circa annum 606. at tunc illæ formæ præceſſerant. Imò tempore D. Ioannis iam quinque ceciderant. Itaque capita beſtiæ ſunt priora quàm ipſa beſtia; & quando capita aliquot ſæculis perire, tunc tandem oritur ipſa beſtia. Erit ergo ἀκέφαλος, non ſepticeps. Quis dicat iſta à ſobrio ſcripta?

Quintum Argumentum, pag. 63 *Sanct. Ioannes cap. 17.* 48
dicit, ſeptem capita illius beſtiæ quam deſcripſerat cap. 13. eſſe ſeptem Reges quorum quinque ceciderſe, vnum eſſe, ſeptimum nondum veniſſe: ſed cùm venerit, exiguo ſpatio remanſurum: beſtiā autem quæ fuit & non eſt, octauum eſſe, & tamen è ſeptem, qua deſignat Antechriſtum, qui nondum venerat temporibus Apoſtolorum, ſed poſteà erat venturus. Vnde manifeſtum eſt Babylonem, quæ eadem eſt Roma fore ſedem Antichriſti.

Reſpondeo: Et hoc Argumentum eſt ſimile ceteris. In antecedente ſunt tres propoſitiones, ex quibus duæ ſunt manifeſtè falſæ: & conſequens nullam habet connexionem cum antecedēte. Falſum enim eſt ſeptem capita beſtiæ cap. 13. eſſe ſeptem illos Reges de quibus cap. 7. quia beſtiæ illæ ſunt planè diuerſæ: vt iam oſtenſum eſt. Nam *beſtia*, de qua cap. 13. denotat *Antichriſtum*: *beſtia* verò de qua cap. 17 eſt diabolus, vt Regnum huius mundi obtinens. Secundò, Sententia Auctoris *mulier inſidens beſtiæ* cap. 17. eſt Antichriſtus: ergo falſum eſt hanc beſtiam capit. 17. eſſe Antichriſtum. debet enim ſeſſor eſſe diſtinctus à vectore. Tertiò, Illa viſio cap 17. extenditur ad tria tempora, nimirum ad tempus quod præceſſerat illam viſionem, & ad tempus illius viſionis, & ad futurum poſt illam; & ad illa tria tempora pertinet illa beſtia. Nam vt Angelus exponens hanc viſionem ait, quinque ex capitibus illius beſtiæ, ſeu regibus ſub beſtia dominantibus, iam ceciderant, cùm viſio illa oſtenderetur. Sextum iam regnabat, & ſeptimum nondum venerat; & cùm venerit,

1. ad Tim. 3. Matth. 16.

modico tempore ſerat manſurum. Itaque illa beſtia non denotabit Antichriſtum. Hic enim fuit ante tempora S. Ioannis; nec eius capita, ſeu principes illis ſeruientes. Verùm Antichriſtus ſignatur per ſeptimum Regem, qui eſt ſeptimum caput beſtiæ, qui modico tempore dicitur manſurus.

Conſecutio etiam nulla eſt: quia etiamſi illa beſtia eſſet Antichriſtus, probandum tamen eſſet ſedem illius beſtiæ eſſe Romam: at hoc nondum præſtitum eſt. Ex quibus videat Lector quales nugas hæretici pro perſpicuis demonſtrationibus venditent.

Decimatertia Demonſtratio, ex conſideratione temporis quo regnabit perſequens Eccleſiam.

ANtichriſti regnum erit breue; ſolùm enim tres annos cum medio illud plenè obtinebit: etſi enim credibile ſit plures annos inſumpturum vt creſcat, & omnia ſibi ſubijciat; tamen certum eſt non regnum niſi tres annos cum medio, poſtquam omnia obtinuerit, & cœperit Eccleſiam generatim perſequi. At Pontifices iam multis ſeculis regnarunt, vt aduerſarij fatentur: ergo illi non ſunt Antichriſtus.

49 *Tres annos cum medio perſequetur eccleſiam.*

Maior probatur clarè ex Scripturis & Patribus. Ex Scripturis, Daniel 7. *Tradentur*, inquit, *in manus eius vſque ad tempus & tempora & dimidium temporis.* Quo in loco manifeſtum eſt illum loqui de Antichriſto; neque id hæretici negant: & ſignificat illum perſecuturum Sanctos *ad tempus*, hoc eſt ad annum, *& tempora*, hoc eſt duos annos (in Hebræo eſt עדנין, quod in duali legi poteſt mutatis punctis עדנין, quo modo haud dubiè legit Hieronymus) *& dimidium temporis*, hoc eſt medium annum: itaque ad tres annos cum medio. Et cap. 12. cùm Daniel petiſſet ab Angelo: *Vſquequo finis horum mirabilium*, quæ ipſe in ſuperiore viſione vidiſſet, nimirum regni & perſecutionis Antichriſti, iurauit Angelus: *Quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis*: ſignificans illa tribus annis & medio finienda. Et paulò poſt: *A tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem* (id eſt Antichriſti regnum fuerit erectum ad vaſtandam Eccleſiam) *dies mille ducenti nonaginta*; qui efficiunt tres annos cum medio & dies duodecim.

Idem probatur ex Apocalypſi Ioannis. nam c. 11. dicit: *Calcabunt gentes ciuitatem ſanctam per menſes quadraginta duos*: id eſt, tres annos cum medio oppriment impij Eccleſiam, nimirum ſub Antichriſto. Et cap. 12. *Mulier* (Eccleſia Chriſti) *quam perſequitur Draco* (per Antichriſtum) *fugit in ſolitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi paſcatur diebus mille ducentis ſexaginta*: nimirum vſque prope finem perſecutionis. Idem ſignificatur paulò infrà: *Data ſunt*, inquit, *mulieri ala duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alatur per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Eademque itaque ſunt 1260. *dies*, & *tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Nec refert quod tres anni cum dimidio ſint 1277. dies: tum quia defectus paucorum dierum non impedit quo minùs poſſint dici tres anni cum dimidio: tum quia vox Hebræa יום non ſignificat præcisè medietatem, ſed partem. Et cap. 13. *Data eſt illi* (Antichriſto) *poteſtas facere & gerere bellum cum Sanctis, & vincere eos per menſes quadraginta duos*. Huic conſentaneum eſt illud quod Dominus ait Matth. 24. dies perſecutionis extremæ, nimirum quæ erit ſub Antichriſto, *propter electos fore breuiandos*: id eſt fore paucos; tempus fore breue. Et cap. 20. Apocalyp. Expletis mille annis ſoluendus eſt ſatanas *modico tempore*. ſolutus autem erit toto tempore regni Antichriſti: erit ergo hoc tempus modicum, non ali quot ſæculorum.

50

Idem docent omnes Patres. Irenæus lib. 5. cap. 3. *Cum vaſtauerit Antichriſtus hæc omnia in hoc mundo, regnans annis tribus & menſibus ſex, & deſerit in templo Heroſolymis, tunc veniet Dominus*, &c. Hippolitus Martyr Orat. de conſummat. ſæculi: *Dimidium hebdomada prædicabunt Prophetæ* (Enoch & Elias) *dimidium hebdomada, hoc eſt tres annos cum dimidio, regnabit Antichriſtus ſuper terram: poſt auferetur regnum eius & gloria.* Lactantius lib. 7. Diuinarum inſtitut. cap. 17. *Dabitur ei de ſolari orbem terrarum meſibus quadraginta duobus.*

51 *Sententia patrum.*

Hieronymus in capit. 7. Danielis explicans illum verſ. *vſque ad tempus &c. Tempus annum ſignificat; tempora iuxta Hebraici ſermonis proprietatem, qui & ipſi dualem numerum habent, duos annos præfigurant: dimidium autem temporis ſex menſes, quibus ſanctis poteſtatem Antichriſti permittendi ſunt, vt condemnentur Iudæi, qui non credentes veritati ſuſceperunt mendacium*, &c. Et in cap. 11. *Tribus cum medio annis, hoc eſt mille ducentis nonaginta diebus, ſanctos perſecuturus eſt, & poſtea corruturus in monte inclyto & ſancto.*

Auctor operis imperfecti Homil. 49 in Matth. *Quod autem tribus annis & ſex menſibus protendendum ſit Antichriſti regnum, multa Scripturæ ſignificant.*

Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. 23. explicans illum locum Danielis 7. *Et tradentur in manus eius vſque ad tempus, &c. Antichriſti aduerſus Eccleſiam ſæuiſſimum regnum, breui exiguo temporis ſpatio ſuſtinendum, donec Dei vltimo iudicio ſancti regnum accipiant ſempiternum, qui vel dormitans hoc legit, dubitare non ſinitur.* Itaque iudicio Auguſtini nemo ratione vtens dubitare ea de re poteſt. Theodoretus in cap. 7. Danielis dicit hanc phraſim; *per tempus & tempora*, &c. explicari in fine cap. 12. per dies 1290. Denique idem ſentiunt reliqui omnes poſteriores.

Reſponſio Auctoris præfat. numerum certum accipi pro incerto.

Reſpondet Auctor Præfationis pa. 64. illum numerum certum poni pro incerto: & ſignificari Antichriſtum regnaturum per mediam hebdomadam. Hebdomadam autem eſſe totum tempus quod eſt inter primum & ſecundum Chriſti aduentum. mediam hebdomadam eſſe dimidium illius ſpatij: *Sanè*, inquit, *cui vel paulùm modò notus eſt ſtilus, & loquendi modus S. Ioannis in Apocalypſi ſuus, facilè animaduertet illum numerum certum pro incerto ponere conſueuiſſe.* Probat a ſimili, ex numero *duodecim millium ſignatorum* é quauis tribu, de quibus capit. 7. & ex numero *exercitus ducentum millium* (inquit) qui miſſi ad delendam tertiam hominum partem capit. 9. Quibus verbis condemnat hic Auctor omnes Patres & Doctores Eccleſiæ extremæ imperitiæ. Nullus enim eorum eſt (eius iudicio) *cui vel paulùm modò notus ſit ſtilus & loquendi modus S. Ioannis.* non Irenæus, non Hippolytus, non Cyrillus Heroſolymitanus, non Hieronymus, non Auguſtinus, non Proſper, non Theodoretus, nec quiſquam poſteriorum. Omnes enim literaliter exponunt de tribus annis & medio; nec vnquam vel per ſomnium illis in mentem venit, quod Auctori hic perſpicuum, & cuius tenuiter in phraſi S. Ioannis veſtigia obuium videtur. Sed hic mos ſcribendi hæreticorum, vt vbi aliquod paradoxum toti antiquitati repugnans ſtatuere volunt, contemptis omnibus Patribus, dicant id eſſe certiſſimum & perſpicuum, vt alibi latiùs oſtendemus.

Omnes Patres condemnat imperitiæ extremæ.

Verùm hoc figmentum facilè refutari poteſt. Primò, Quia tot ſæculis nemini vel dubitando in mentem venit; quod eſt ſignum ab omni ſpecie probabilitatis abeſſe. Secundò, Quia D. Auguſtinus ſuprà citatus dicit illud de tribus annis & dimidiato regni Antichriſti adeò eſſe perſpicuum, vt qui vel dormitans verba Danielis legit, dubitare non poſſit. Tertiò, Quia Scriptura ipſa duobus alijs modis, nimirum per numerum mẽſium, & per numerum dierum explicat quid per illam locutionem velit intelligi. ſignificari enim menſes 42. dies 1290. nam menſes 42 ſũt tres anni cum dimidio: ſimiliter dies 1290. Quo ergo colore defendi poteſt ibi non ſignificari tres annos & dimidium, ſed multas annorum centurias? Quartò, Quomodo tot annorum centuriæ poſſunt dici adæquate menſes quadraginta duo, aut dies mille ducenti nonaginta? Si enim *tempus, & tempora, & dimidium temporis* apud Danielem & Ioannem ſunt decem vel duodecim annorum centuriæ: oportet vt etiam menſes 42. & dies 1290. qui ſpatio illi æquantur, ſint decem vel duodecim annorum centuriæ. At quis ſanus id dixerit?

53 *Refutatur.*

Quintò, Antiochus erat figura Antichriſti; tempus autem maximæ perſecutionis Antiochi, qua auferendum erat iuge ſacrificium, & conculcandum ſanctuarium, clarè explicuit Daniel capit. 8. v. 14. per dies cùm ait: *Vſque ad veſperam & manè duo millia trecenti*; qui numerus dierum efficit ſex annos, tres menſes, & viginti dies, quod tẽpus conſentit cum euentu, vt ex hiſtoria Machabæorum conſtat.

conſtat. Ergo ſimiliter hic numerum dierum accipere debemus. Dimidia ferè parte breuior erit Antichriſti perſecutio; quia longè ſæuior. Vnde Dominus propter electos non permitteret illam eſſe diuturnam, vt Matth. 24. dicitur.

Sextò, Quando Scriptura exprimit tempus per hebdomadas, ſemper intelligit tempus certum: nimirum hebdomadam annorum, vt Danielis 9. *Septuaginta hebdomades abbreuiata, ſunt ſuper populum tuum, & ciuitatem*, vel dierum, vt Leuitici 23. nam hebdomas idem eſt quod ſeptenarius; vnde eſt indifferens ad dies, & annos, & cætera. Quare etiamſi Daniel expreſſe dixiſſe Antichriſtum regnaturum dimidiam hebdomadam, quærendum fuiſſet certum tempus, nempe ſeptem annorum, vel ſeptem dierum, cuius dimidium tribueretur eius regno. Sicut cùm Danielis 9. dicitur, *Confirmabit pactum multis hebdomada vna, & in medio hebdomadis deficiet hoſtia*, & cætera intelligitur hebdomas annorum; & *in medio illius*, hoc eſt, exactis tribus annis cum dimidio illius hebdomadis, defectura ſignificatur hoſtia, & cætera. Itaque omni ratione caret quod Auctor ait *per hebdomadam ſignari totum tempus, quod eſt à primo aduentu vſque ad ſecundum*. Quis vnquam ita locutus eſt? & quare hoc potiùs dicatur hebdomas, quàm decas vel chilias? præſertim cùm aliquoties huc tempus per mille annos explicetur?

54 *Quando numerus certus pro incerto.*

Nec refert quòd aliquando numerus certus pro incerto vſurpetur: id enim ſolùm locum habet in numeris integris (vt ſunt mille, centum, & apud Latinos ſexcenta, apud Græcos μύρια apud alias nationes alij) idque vel ad deſignandum in confuſo numerum ingentem; vt cùm ſatanas dicitur ligandus per mille annos, quo denotatur totum tempus quod eſt à morte Chriſti vſque ad Antichriſtum, vt communiter Patres exponunt. Item Pſalm. 104. *Verbi quod mandauit in mille generationes*, id eſt, in omnes generationes vſque ad finem ſæculi, etiamſi eſſent mille vel plures: etſi certum ſit eſſe longè pauciores. Vel cùm veluti exempli cauſa certus numerus ponitur, eò quòd nihil ad propoſitum referat, vtrum ille vel alius ſumatur. Sic Iſaiæ 4. *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum*, & cætera. Numquam autem id fit in fractis. Quis vnquam de re quæ duravit mille annis, dicat illam rem duraſſe tribus annis cum dimidio, aut dimidiam hebdomadam annorũ, aut per tempus, & tempora, & dimidium temporis? Quæ aures ferant iſtam orationis inſolentiam, ne dicam fatuitatem? *Tempus* enim annum deſignare apud Danielem cõſtat ex dictis, & ex cap. 4. verſ. 13. & 22. vbi ſeptem tempora ſunt ſeptem anni.

Quod ad numerum duodecim millium ſignatorum ex quauis tribu attinet, is numerus eſt integer. Deinde non deſunt boni interpretes, qui putent non accipi pro incerto: quod & mihi valdè probabile videtur, ob multas cauſas. Idem dico de numero exercitus capit. 9. qui non eſt duo centum millium (vt Auctor ſcribit) ſed ducentorum millionum, vt more vulgi loquar; ſiue vt Scriptura dicit, *vicies millies dena millia*. hoc eſt, vicies mille myriades. Sed parum refert vtrũm numerus certus pro incerto in illis exemplis ponatur: quia ſunt numeri integri, & maximam multitudinem in confuſo deſignare poſſunt. Alia eſt ratio in numero trium annorum cum dimidio. Ex his clariſſimè patet regnum Antichriſti, quo perſequetur Eccleſiã, ſolùm fore trium annorum cum dimidio: ac proinde regnum ſpiritale Pontificis, quod iam tot ſæculis ſtetit, non eſſe regnum Antichriſti.

55 *Obiectio auctoris præfat. Reſponſio. An poterit præſciri dies iudicij.*

Obiecit auctor pag. 65. Si tempus regni Antichriſti erit adamuſſim trium annorum & ſex mentium: ergo *certò poterit præſciri dies Iudicij, quod planè toti nouo Teſtamento repugnat. Nam illud tempus ex ſententia Pontificiorum incidit in dies nouiſſimos, exceptis 45. diebus.* Hanc obiectionem iam pridem multi fecere Catholicorum, ad quam dupliciter reſponderi poteſt. Primò, Negando conſecutionem. Nam etſi multi Catholici Doctores, inter quos Hieronymus & Theodoretus ea verba Danielis 12. verſ. 12. *Beatus qui expectat & peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque* (qui numerus continet 45. dies poſt occiſum Antichriſtum) explicent de aduentu Domini ad Iudicium: tamen hæc ſententia non eſt certa, ſed ſolùm probabilis. Itaque ſolùm probabilis coniectura ex ea capi poterit; qualem etiam ex multis alijs ſapientiores Eccleſiæ viri capient; vt ex ſignis quæ fient in Sole, Luna, Stellis, Mari, &c. Non enim deſunt DD. (inter quos Ribera in cap. 20. Apocalyp. nume. 73.) qui ea verba aliter intelligant, nimirum de magna tranquillitate tunc ſecutura in Eccleſia; qui putant mundum vt minimùm adhuc ſeptem annos tũc duraturum. Quod etiam ex cap. 39 Ezechielis videtur confirmari; vbi dicitur exercitu Gog & Magog diuinitus delecto cadauera per ſeptem menſes continuos ſepelienda, & arma per ſeptem annos comburenda.

Secundò, nullo modo Scripturæ repugnare, ſi dicamus Antichriſti tempore, & eo occiſo, poſſe a ſapientibus Eccleſiæ illud tempus præciri; imò idcirco Dominum Matthæi 24. nobis tot indicia dediſſe, vt ex illis cognoſcamus illum diem appropinquare: *Cùm*, inquit, *videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt in ianuis*. Quod autem Matthæi 24. & Marci 13. ait, *De die illo nemo ſcit*, & cætera, intelligendum eſſe de ijs, qui Antichriſti aduentum, & nouiſſima illa tempora antecedunt. Quando autem ad illa peruentum erit, facilè tunc ſciri poſſe. Neque enim vis facienda in voce die, quaſi ſolùm de die propriè dicto ſit ſermo; ſed dies more Hebræo accipitur pro tempore, etiamſi vnum menſem, vel etiam annum complectatur. Apoſtoli enim de tempore quærebant, quo vicinitas vel diſtantia illius aduentus cognoſci poſſet. Simili modo dicere potuiſſet neminem ſcire tempus aduentus Antichriſti, aut ſignorum cæleſtium, quæ iudicium antecedent. Plerique tamen è vulgo ignorabunt hoc tempus inſtare, nec volent credere: & ita, *cùm dixerint, Pax & ſecuritas; repentinus eis ſuperueniet interitus*, vt ait Apoſtol. 1. ad Theſſal. 5. ſicut accidit tempore Noè, cui exitium impendens annuntianti nolebant fidem adhibere.

Decimaquarta Demonſtratio, ex conſideratione potentiæ, & præliorum eius.

56 *Probatur Antichriſti potentia ex ſcripturis.*

Antichriſtus habebit maximum imperium & potentiam politicam per totum pœnè orbem, & omnes Principes eius ditioni temporali ſubijcientur. Maxima etiam geret in Oriente bella, quibus tres Reges ſibi ſubijciet, nimirum Regem Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ; quibus ſubactis, alij ſponte ſe illi ſubmittent, eique ſeruient. At nihil horum habet locum in Summis Pontificibus: ergo, &c. Maior probatur, Primò ex Scripturis; Apocalyp. 13. verſic. 7. *Data eſt ei poteſtas in omnem tribum & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eum omnes qui inhabitant terram*. Loquitur autem de poteſtate regia, qua vbique liberrimè & pro arbitrio dominabitur, & omnia plenissimè habebit ■ ſua poteſtate; ita vt poſſit leges præſcribere quas volet; vetare contractus omnes ijs qui characterem ipſius non habuerit, & interficere omnes qui ipſum noluerint adorare, vt ex decurſu illius capitis conſtat. Cap 20. deſcribitur exercitus eius collectus ex quatuor mundi partibus, cuius numerus erit inſtar arenæ maris. Erit ergo Princeps potentiſſimus.

57 *Romanum Imperium diuidendum in decem Reges inſinuat Scriptura multis locis.*

Præterea Scriptura varijs locis indicat Imperium Romanum ſub finem ſæculi diuidendum in decem Reges, & eo tempore oriturum Antichriſtum. Hunc, etſi initio ſit obſcurus, ita tamen repente auctum iri, vt tres ex illis decem Regibus prælio victurus ſit, eorumque regna occupaturus. quo facto reliquos ſe & ſua regna illi ſubmiſſuros, eiusque fore veluti miniſtros: & ſic obtenebit omnia regna illorum decem Regum, atque adeò quidquid olim tenuere Romani.

Inſinuat hoc Scriptura multis locis. Primò, Danielis 7. in viſione beſtiæ quartæ habentis cornua decem, inter quæ ortum eſt cornu paruulum, à quo tria cornua ex decem euulſa ſunt. Beſtia illa quarta deſignat quartum regnum, nempe Monarchiam Romanorum, quæ olim fuit potentiſſima, omnia conterens & ſibi ſubijciens. decẽ cornua ſunt decem Reges, vt ibidem dicitur, nempe in quos tandem illa Monarchia deſinet, & diuidetur. Cornu enim potentiam, & Principem potentem deſignat, metaphora Hebræis vſitata, vt ex multis locis eſt perſpicuum. Cornu paruulum, quod illis regnantibus orietur, eſt Antichriſtus; vt ex factis quæ illi tribuuntur aperte conuincitur. Nam eadem omnino tribuit illi Ioannes capitul. 13.

quæ Daniel hoc loco. hoc cornu tres Reges humiliabit eos vincendo. Quinam autem hi futuri ſint, indicatur Danielis 11.v.43 nempe Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ.

Secundò, Inſinuatur idem Apocalyp. 13 cùm deſcribit Ioannes Antichriſtum per beſtiam habentem capita ſeptem, & cornua decem. ſeptem capita deſignant ſeptem Reges, qui victis tribus ſe illi ſubmittent. Hi erunt principes & capita regnorum, & exercituum ſub ipſo. decem cornua ſunt regna decem Regum, in quæ orbis tunc erit diuiſus. Ipſe enim erit ſupremus illorum Rex. Vnde in cornibus habet decem diademata. Ad regna enim ſeptem Regum qui ſe illi ſubmittent, addenda regna trium quos ipſe antea vincet, & occidet; ſicque erunt decem.

Tertiò, Inſinuatur cap. 17. Apocalyp. v. 12. vbi decem cornua beſtiæ illius mulierem portantis (hoc eſt diaboli impia regna ſuſtentantis) ſunt decem poſtremi Reges, in quos imperium diaboli diuidetur, qui vna hora poteſtatẽ poſt beſtiam accipient; quia breui tempore ſub diabolo regnabunt; & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent, nimirum Antichriſto, quia ſe illi vel victi, vel ſponte ſubmittent, & ad eius imperium amplificandum ſe conferent.

Quartò, His conſentanea eſt viſio ſtatuæ Danielis 2. cuius tibiæ ferreę deſignant monarchiam Romanam; quę ſicut tibiæ gemmæ ſunt, ita multis ſæculis gemina fuit, Orientalis & Occidentalis. Deſinunt hæ tibiæ in pedes partim ferreos, partim fictiles: quia poſterioribus ſæculis Monarchia iſta futura erat ex parte ſolida, ex parte infirma. Nam aliquot ſæculis pars Orientalis fuit ſolida, pars Occidentalis infirma: deinde aliis aliquot ſæculis contrà ſe res habuit. Nam Occidentalis potens fuit, Orientalis infirma. Nunc verò hæreticorum factionibus rurſus Occidentalis infirma eſt; & Orientalis ſub Turca, qui ſe Imperatorem Orientis ſcribit, valdè potens. Denique hi pedes deſinunt in decem digitos, partim ferreos, partim fictiles: quia vltimò deſinet totum Imperiũ iſtud in decem Reges: qui potentiſſimi quidem erunt; ſed breui tempore regnabunt, Antichriſto omnia illorum regna occupante. Tunc lapis percutiet ſtatuam in pedibus, quia Chriſtus delebit extrema illius Monarchiæ tam ad Antichriſtum translatæ, & deinde ſubſequetur Chriſti regnum æternum.

Denique his conſentit illud Apoſtoli 2. ad Theſſalo. 2. vbi dicit non venturum diem Domini, *niſi venerit diſceſſio primùm* (generalis defectio à Romano imperio) *& reuelatus fuerit homo peccati*, & cetera. Et infrà: *Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore*: quid moretur Antichriſti aduentum, qui diuina ordinatione venire non debet, niſi Imperio ſublato. Quòd autem venire debeat, probat: *Nam myſterium iam operatur iniquitatis*, & cetera id eſt, ipſius prodromi & præcurſores, qui ſunt illius iniqui typus, iam vim ſuam exercere incipiunt, Chriſtum in membris ſuis perſequendo. Itaque vt ipſe veniat nihil ſupereſt, quã vt qui nunc rerum potiuntur Romani Principes regnent; donec eorum monarchia è medio tollatur. Tunc enim reuelabitur ille iniquus. Ita ferè explicant hunc locum Sanctorum Patres, & plerique Interpretes. Tolletur autem è medio per generalem defectionem, ſeu apoſtaſiam, vt Apoſtolus loquitur, diuiſo Imperio in decem Reges, quibus deinde Antichriſtus eorum regnis occupatis ſuccedet; vt dictum eſt.

Auctor in Præfat. pag. 56. per *diſceſſionem* intelligit *diſceſſionem generalem à fide*. & dicit *omnes Pontificios conſtanter affirmare eam tantùm fore temporibus Antichriſti: alioquin*, inquit, *eorum Eccleſia eſſet quotidie erroribus obnoxia, quod omnino ipſorum doctrinæ repugnat.*

Sed manifeſtè falſum eſt id omnes Pontificios affirmare: imò (ſi vnum ex recentioribus excipias, cui per imprudentiam tale quid excidit) nemo id docet; tantum abeſt, vt omnes conſtanter id affirment. Dicunt quidem multi DD. fore vt plurimi tunc à fide diſcedant, nemo tamen dicit hanc defectionem fore generalem, ita vt Eccleſia deficiat, & erroribus tunc ſit obnoxia, vt Auctor hic inſinuat. Norunt enim Catholici Doctorum *Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis; eſſe domum Dei ædificatam ſupra petram: portas inferi aduerſus eam non prævaliturας; eſſe regnum Chriſti, quod æternum ſtabit, nec vnquam concidere poterit.* Deinde ſi tempore Antichriſti vel paulo antè futura eſt generalis diſceſſio à fide, ita vt Eccleſia concidat; ergo non erit tunc amplius ciuitas dilecta, nec erunt *caſtra ſanctorum*, quæ ab impijs oppugnentur, nec erunt electi, qui in errorem non poſſint induci: quorum vtrumque repugnat Scripturæ Apocalyp. 20. & Matth. 24. Denique Eccleſia quę Chriſto protegente & opitulante in tot alijs perſecutionibus & prælijs aduerſus portas inferorum per ſitit inuicta, non poteſt ſuccumbere in vltima. Sicut enim tunc acriùs oppugnabatur; ita quoque fortiùs defenderur: ne diabolus ſolutus prævaluiſſe Chriſto, eiuſque regnum in nihilum redegiſſe, videri poſſit. Itaque non loquitur Apoſtolus de generali diſceſſione à fide, ſed à Romano Imperio, cui tamen plurimorum à fide & Apoſtolica Sede diſceſſio erit coniuncta.

Idem probatur ex Patribus. Irenæus libro 5. capitul. 25. 58
Daniel nouiſſimi regni finem reſpiciens, id eſt, nouiſſimos decem Reges, in quo diuidetur regnum illorum ſuper quos filius perditionis veniet, & cetera. Et infrà: *Poſt eos* (decem Reges) *exurget alius, qui ſuperabit alios omnes, qui ante eum fuerunt, & tres Reges demonorabit.* Et infrà: *Manifeſtum eſt itaque quoniam ex his* (decem) *tres interficiet ille qui venturus eſt, & reliqui ſubjacentur ei; & vaſtabunt Babylonem.* & cetera. Romam indicans. Et paulò poſt dicit regnum (Romanorum) in decem diuidi debere; idque ſignari decem digitis pedum ſtatuæ illius myſticæ, quam vidit Nabuchodonoſor.

Probant Patres.

D. Hippolytus Orat. de conſummat. ſæculi: *Decem digitis pedum imaginis ſignificauit decem Reges, unde* (ex monarchia Romana) *exortos.* Et infrà: *Tria cornua, quæ ab eo* (Antichriſto) *radicitus euellentur, tres Reges indicant Aegypti, Libyæ, Aethiopum, quos deleturus eſt acie bellica; quibus omnibus potitus, iam tyrannus formidabilis Sanctos affliget.*

Tertullianus libro De reſurrect. carnis, explicans locum illum 2. ad Theſſalon. 2. ait: *Niſi veniat abſceſſio prima vtique huius regni, & reueletur delinquentia homo, ideſt Antichriſtus.* Et infrà: *Donec de medio fiat, quæ niſi Romanus ſtatus, cuius abſceſſio in decem Reges diſperſa Antichriſtum ſuperducet.*

Lactantius libro 7. Diuinarum inſtitut. cap. 15. loquens de ſæculi termino: *Tunc*, ait, *peragrabit clades orbem, metent omnia, & tamquam meſſem cuncta proſternens: cuius vaſtitatis & confuſionis hæc erit cauſa, quòd Romanum nomen, quo nunc regitur orbis* (horret animus dicere; ſed dicam quia futurum eſt) *tolletur de terra, & Imperium in Aſiam reuertetur: ac rurſus Oriens dominabitur, & Occidens ſeruiet.* Et capit. 16. *Nulla requies bellis exitialibus erit, donec Regem decem pariter exiſtent, qui orbem terræ non ad regendum, ſed ad conſumendum partiantur. His exercitibus in immenſum conflatis, diſperdent omnia. Tum repentè aduerſus eos hoſtis potentiſſimus ab extremis finibus plaga Septentrionalis orietur, qui tribus ex contumace deletis, qui tunc Aſiam obtinebunt. Princeps omnium conſtituetur*, &c. Antichriſtum intelligit.

Ambroſius in capitul. 2. Epiſtol. 2. ad Theſſal. *Non prius veniet Dominus, quàm Romani regni deſtit. o fiat, & appareat Antichriſtus, qui interficiet ſanctos, reddita Romanis libertate, ſub ſuo tamen nomine*: nimirum quia nomen Romani Imperij erit deletum, omnibus in poteſtatem Antichriſti translatis.

Hieronymus in cap. 7. Danielis refutata Porphyrij expoſitione ait: *Ergo dicamus, quod omnes ſcripturæ Eccleſiaſticæ tradiderunt, in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant, & undecimum ſurrecturum eſſe Regem parvulum, qui tres Reges de decem Regibus ſuperaturus ſit, id eſt, Aegyptiorum Regem, & Africæ, & Æthiopiæ, ſecus in conſequentibus manifeſtiùs dicemus; quibus interfectis, etiam ſeptem alij Reges, victori colla ſubmiſerint*, &c. Vbi nota, teſte Hieronymo, hanc eſſe omnium Patrum antiquorum ſententiam.

Chryſoſtomus Homil. 4. in 2. ad Theſſal. 2. *Quando Romanorum imperium de medio ſublatum fuerit, tunc ille Antichriſtus veniet*. Et infra dicit illum *occupaturum regnum Romanorum*, hoc eſt, ditiones quæ aliquando fuere ſub Imperio Romano. Idem habent Theophylactus & Oecumenius in eumdem locum.

Auctor tractatus de Antichriſto apud Auguſtinum tomus nonus. *Dicit Apoſtolus Paulus Antichriſtum non ante*

ad Tim. 3
Matth. 16.

antea in mundum venturum, niſi venerit primùm diſceſſio, hoc eſt, niſi omnia regna diſceſſerint à Romano imperio, quæ priùs ſubdita erant. hoc autem tempus nondum aduenit: quia licet videamus Romanum imperium ex maxima parte deſtructum; tamen quamdiu Reges Francorum duraturi ſunt, qui Romanum imperium tenere debent, Romani dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus ſuis ſtabit.

Proſper in dimidio hebdomad. capit. 9. *Notandum ſanè poſſe beſtiam hæc omnia eſſe venturam: id eſt, ſublata regno in quo mulier ſedas ebria Sanctorum ſanguine; id eſt, ſublato imperio Romano.*

Theodoretus Orat. 7. in Danielem: *Perſpicuum igitur ita prædixerit fore ut decem (Reges) circa finem mundi ſimul emergant, & poſtremus Antichriſtus oriatur, regnumque obtinere contendat: quem cum ipſis bellaturum, ac tres ex ipſis euerſurum aſſerit.*

Conſtat ergo hanc eſſe communem & receptam antiquorum ſententiam. Quibus poſitis, perſpicue conuincitur Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum. Primò, Quia numquam ipſe monarchiam Romanam vt Rex tenuit, angusta ditione contentus. Secundò, Quia numquam exercitus in Oriente duxit. Neque vnquam Regem Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ profligauit & occidit. Tertiò, Quia nondum apparuit monarchiam Romanam in decem Reges diuiſam; ex quibus, deuictis tribus iam nominatis, ceteri regna ſua illi tamquam ſuo Regi ſubmiſerint, & poteſtatem ſuam illi tradiderint.

59 *Reſponſio Auct. Præfat.*

Ad hoc vltimum reſpondet Auctor pag. 106. Diſtinguam ſtationem confalam in tres partes, vt ſigillatim refutari poſſit. Primò igitur dicit *ſcripturam cùm de decem Regibus agit, ponere numerum certum pro incerto: ſimiliter cùm agit de ſeptem capitibus, & decem cornibus draconis, ſeu diaboli: nec poſſe aliter intelligi. Secundò, Hos decem Reges eſſe omnes in communi Reges Chriſtianos, & Liberos Principes ac Reſpublicas: quia horum poteſtas eodem tempore cum capite eum beſtia (illuſtriora enim orbis Chriſtiani regna, nam miſi eunte Extincto Imperio Romano libertatem ſuam vendicarunt) atque indidem (à tempore ruentis Imperij) Antichriſtum ſuum regnum auſpicatum eſſe. Tertiò, Omnes Principes Chriſtianos hactenus in adorando beſtia (Antichriſto, Romano Pontifice) perſeuraſſe, in eius obſequium catholicè & vniuerſim conſentiendo, omnem & poteſtatem & auctoritatem ſuam concedendo, pedes eius oſculando, cum ea ſimul calicem Idololatriæ hauriendo, bellum cum Agno in perſecutione ſanctorum eius, inibentem, gerendo. Quartò, Tempore opportuno, quod Deus præfixit Principes Catholicos ab Agno ſuperandos, hoc eſt conuertendos ad veram fidem (Caluiniſticam) & tunc eos meretricem (Sedem Apoſtolicam) odio habituros, eius carnem comeſturos, & ipſam igne crematuros. Et hunc, inquit, in modum via Regum Orientis erit parata.*

Refutatur. Numerum certum non poni pro incerto.

Sed hæc facilè conuinci poſſunt vanitatis. Nam quod ad primam attinet; ſi denarius accipitur pro numero incerto, cur toties variis locis repetitur? Cur beſtia ſemper dicitur habere cornua decem, & Scriptura interpretatur Reges decem? Cur non aliquando illum numerum mutat, vt ſolet fieri cùm incertum numerum deſignare volumus? Præterea cur toties illum numerum diuidit in tres & ſeptem, & dicit tres Reges ab Antichriſto victos, inſinuans ſeptem reliquos ſe illi adiunxiſſe? Similiter tria cornua ex decem euulſa? Ineptiſſimè de numero incerto ita loqueremur: quia nulla eſt ratio cur ſic diuidatur, aut cur potius tria cornua ex decem dicantur euulſa, aut tres Reges victi, quàm quinque: aut cur potiùs dicantur ſeptem capita, quàm centum. Pari modo ſi ſeptem capita beſtiæ illius quæ deſcribitur cap. 17. ſunt numero incerto; quomodo dicitur ibidem ſeptem capita eſſe ſeptem Reges ex quibus quinque ceciderunt, ſextus iam ſit, & ſeptimus ſic venturus, & cetera. quis vnquam ita numerum incertum in certas portiones diſtribuit? Denique communis Patrum ſententia eſt numerum certum, nimirum decem Reges non plures, aut pauciores deſignari, vt ex ſupradictis conſtat.

60 *Per decem reges non deſignari Reges Catholicos.*

Ex quibus refutatur etiam quod 2. & 3. loco Auctor dixit, Omnes Principes Catholicos his decem Regibus deſignari, & cetera. Primò, Quia certus numerus deſignatur, non incertus, vt oſtenſum eſt. Deinde, cùm plus quàm mille Principes Chriſtiani ab eo tempore, quo cœpit imperium deficere, exiterint; ſi omnes illos deſignare volebat, potiùs millenario, quo ſignificamus ingentem aliquam multitudinem, quàm denario, quem exempli cauſa, & ad mediocrem numerum indicandum adhibemus, vti debuiſſet. Tertiò, Illi decem Reges ſimul extabunt & regnabunt; vt ex Theodoreto, & alijs Patribus eſt oſtenſum: & Scriptura inſinuat in ſtatua illa myſtica, cuius tibiæ in decem digitos terminantur: & cùm tradit tres Reges ex illis decem, vno veluti impetu, ab Antichriſto vincendos. At Chriſtiani Principes non ſimul extant, ſed multis ſæculis ſunt diuulſi. Quartò, Quia illi decem exiguo tempore regnabunt: *Faceſſatem*, inquit, *tamquam Reges vna hora accipient poſt beſtiam* (ſub diabolo) At Principes Chriſtiani plurimis ſæculis regnarunt. Quintò, Illi Reges tradent regnum ſuum beſtiæ (Antichriſto) *donec conſummentur verba Dei*, hoc eſt, donec impleantur quæ Deus per Danielem prædixit de regno Antichriſti, eiuſque perſecutione duratura per tres annos cum medio. Loquitur autem de traditione, quæ omnia ipſius ſubijciant poteſtati, agnoſcentes illum pro ſuo Rege. At non ita ſubiecerunt omnes Principes ſua regna Pontifici; quamuis ſemper agnouerint illum pro ſuo capite, & legitimo ſuperiore in ſpiritualibus, & indirectè in temporalibus, dumpe quatenus id ad gubernationem ſpiritalem eſt neceſſarium. *Apocal. 17. v. 12.*

61 Sextò, Si omnes Catholici Principes deſignantur per illos decem Reges: ergo quotquot ſunt, & fuerunt iam à mille annis Principes Catholici, ſunt impiſſimi, & ſceleratiſſimi, vtpote capita, cornua, & primaria inſtrumenta Antichriſti. Conſtat enim ex Scripturis, & Patribus, decem illos Reges, in quos Imperium Romanum diuidetur, qui Antichriſto poteſtatem ſuam tradent, eique ſe ſubmittent, fore impiſſimos & crudeliſſimos. Nam per eos concitabit & exequetur immaniſſimam illam perſecutionem aduerſus Eccleſiam, & coget omnes ad ſe adorandum. Itaque erunt non minùs impij & flagitioſi, quàm fuerint olim Nero, Caligula, Domitianus, Heliogabalus, Decius, Diocletianus, Iulianus Apoſtata, & ſimiles. Et ſanè ſi Antichriſtus omnium mortalium qui vnquam extiterunt, erit impiſſimus & ſceleratiſſimus, vt omnes docent (ſicut enim in Chriſto fuit tota vis & plenitudo Spiritus ſancti, ita in Antichriſto tota virtus Satanæ iam ſoluti & laxati ſe exeret, vt Patres tradunt) quis dubitet ipſius capita per quæ omnia animi ſui decreta exequetur, & cornua quibus omnem Dei cultum euertet, proximum impietatis & ſcelerum gradum obtentura?

Impiſſimi ergo & ſceleratiſſimi iam à mille annis omnes Imperatores Summo Pontifici adhærentes. omnes Reges Chriſtianiſſimi Galliæ, omnes Reges Catholici Hiſpaniæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Daniæ, Poloniæ, Hungariæ, & ceteri Principes ſupremi, & Reſpublicæ abſolutæ, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem agnoſcentes: *Omnes enim ſunt capita, & cornua beſtiæ*, & primaria organa Antichriſti, *perſecutores Sanctorum hoſtes Agni: omnes in obſequium beſtiæ catholicè & vniuerſim conſenſerunt; omnes ſua regna, ſuamque potentiam omnem beſtiæ tradiderunt, & ad eius imperium ampliſcandum contulerunt: omnes beſtiam adorarunt; omnes cum ea ſimul calicem Idololatriæ hauſerunt, & bellum cum Agno in perſecutione Sanctorum geſſerunt:* & hactenus in his omnibus perſeuerant.

Rurſus quò quis ex iſtis ampliùs fuit addictus Sedi Apoſtolicæ, neceſſe eſt eò fuiſſe magis impium. Maximè ergo impius Carolus Magnus, qui tot ditionibus potentiam illius auxit. Maximè impij Sanctus Henrichus & S. Otho Imperatores; S. Sigiſmundus Rex Burgundiæ; Sancti, Edmundus, Richardus, Oſwaldus, Reges Angliæ; Sanctus Eduardus Rex Britanniæ; S. Edilbertus Rex Cantiorum in Anglia; S Stephanus Rex Hungariæ; S Olaus Rex Norwegiæ; S. Canutus Rex Daniæ; S. Ludouicus Rex Franciæ. Hi enim omnes Sedis Apoſtolicæ fuere ſtudioſiſſimi, eiuſque Imperium ſummo conatu præ ceteris amplificare conati ſunt, inſtituta & mandata illius diligentiſſimè ſunt executi.

Nunc relinquo cuilibet conſiderandum quàm ſint iſta atrocia & contumeliola in omnes Principes Catholicos, & blaſphema in Sanctos. Quid atrocius poteſt dici in Principem Catholicum, ipſum eſſe vnum ex capitibus & cornibus beſtiæ, ſeu Antichriſti, cultorem Idolo-

rum, perſecutorem Sanctorum, hoſtem Agni? Non opus eſt iſta refutare, ſed expendere, & ſuis librare momentis. hoc ſufficit ad omnem refutationem.

62 Quod ad quartum attinet, vbi prædicit Reges Catholicos, qui nunc Antichriſti ſunt capita, *tempore dimidiato profinto conuertendos* (nempe à fide Catholica ad Caluiniſmum) & tunc Sedem Apoſtolicam euerſuros, & Romam combuſturos; ſpero prædictionem fallam fore, & contrarium potiùs euenturum, vt Principes hæretici, ab huius ætui Pſeudoprophetis ſeducti, redeant ad vocem illam Eccleſiam Chriſti, extra quam ſalus non eſt, ſed certiſſima damnatio. Mirificè autem *victoriam Agni aduerſus illos Reges*, interpretatur illorum Regum conuerſionem. Conflat enim ex Scriptura illos non conuertendos, ſed igne cæleſti vna cum ſuis exercitibus abſumendos; vt apertè indicatur capit. 20. Apocalyp. & capit. 39 Ezechielis, de quo plura infrà numero 86. *Vincet eos Agnus, quia Dominus dominorum eſt, & Rex regum*, ait Scriptura capitul. 17. Apocalyp. hoc eſt, quia omnibus Regibus eſt potentior, omnium Dominus & Iudex. At non opus eſt magna potentia vt homines ad Caluiniſmum trahantur; ſatis eò impellit natura corrupta, ſatis allicit carnis libertas, licentia vitæ, & fides illa ſpecialis, per quam nulla ſcelera ſalutem poſſunt officere.

Decimaquinta Demonſtratio, ex conſideratione duorum Prophetarum Enoch & Eliæ.

63 REgnante Antichriſto, comparebunt duo magni Prophetæ, qui ſe illius doctrinæ opponent; de quibus Scriptura Apocalyp. 11. tradit iſta: Primò, *Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis.* hoc eſt, toto tempore perſecutionis Antichriſti, paucis diebus exceptis, quod indicant verba præcedentia: *Ciuitatem ſanctam* (Eccleſiam) *calcabunt* (gentes) *menſibus* 42. Dies enim 1260. efficiunt menſes 42. ſeu annos tres cum medio; vt ſuprà dictum eſt. Secundò, *Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum* (ad eorum imperium, vt olim ad imperium Eliæ) *& deuorabit inimicos eorum.* Tertiò, *Habebunt poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quoties voluerint.* Quartò, *Cùm finierint teſtimonium ſuum, Antichriſtus occidet eos.* Quintò, *Eorum corpora iacebunt in plateis ciuitatis magnæ*, & cetera, *vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*, hoc eſt, in Ieruſalem. Sexto, *Iacebunt ibi per tres dies cum dimidio, toto mundo inſpectante, & munera inter ſe mittente.* Septimò, *Poſt tres dies & dimidium reſurgent, & omnibus inſpectantibus aſcendent in cælum.* Octauò, *Eadem hora fiet magnus terræmotus, & decima pars ciuitatis corruet, occiſis ſeptem millibus hominum: cæteri dabunt gloriam Deo cæli.* At nihil horum regnante tot ſæculis Summo Pontifice hactenus viſum eſt, vel auditum. Ergo ſummi Pontificis regnum, non eſt regnum Antichriſti, nec ipſe Antichriſtus.

Hic hæretici non habent quò ſe vertant niſi ad tropos & metaphoras, conſuetum obſtinatæ mentis refugium.

Itaque Auctor Præfat. duobus modis reſpondet.* Prius pag. 78. 64 *per duos iſtos teſtes intelligi vetus ac nouum Teſtamentum. Nam*, inquit, *vt Antichriſtus non poteſt non inimicus eſſe verbo Dei, illudque ſupra omnia odiſſe: ſic nihil inuentum relinquet, quo illud dedecoret, corrumpat, ſupprimat, & quibus poſſit artibus, deſtruat.* Deinde explicat quomodo *liber noui & veteris Teſtamenti vim paſſus ſit à Babyloniса monarchia. Primò*, Quia ad minuendam, inquit, *eius auctoritatem vtuntur variis dictionibus; eiuſmodi ſunt, naſus cereus, mortua littera, Lesbia regula, ſexcenta alia probri & ignominiæ plena. Secundò*, Quia traditiones hominum, atque auctoritatem Eccleſiæ his teſtibus præferunt; *Idque ex ipſorum doctrina apparet.* Confirmat *ex libello Cardinalis Peron, ſeitam hanc inſcriptionem præferente, De inſufficientia Scripturæ ſanctæ. Tertiò*, Quia complures veteris verſionis locos etiam corruptiſſimos correctis minimè pa- Exc. 15. v. 8. *tiuntur: cuiuſmodi ſunt; Euertere domum, pro Euerrere, ad mu-* Ier. 22. v. 22. *nuendum denarium. Et illud de Ioanne dictum; Sic eum volo manere donec veniam, pro Si: tametſi non ſolùm mendi, ſed etiam mendacij manifeſtum ſit, vt ſequentia textus verba declarant. Quartò*, Quia vulgatam editionem archetypis originibus Hebræorum & Græcorum anteponunt. *Quintò*, Quia maximam partem apocryphorum exæquant Scripturis canonicis, contra Patrum & Conciliorum decreta. *Sextò*, Illa autem quàm ſacrilega corruptio, Dominum pro Domino ponere in toto Pſalterio? Sic enim Domina noſtra Pſalterium à Bonauentura Doctore Seraphico editum, non ita pridem denuò Pariſiis excuſum, nonne hoc eſt Chriſti, matriſque perſonarum ac dignitatem confundere? *Septimò*, Quia de teſtes multis ſæculis ſuppreſſi, & ad ſilentium damnati fuere; vt pro hæretico comburerentur, qui in manus ſumere auderet; & ſic obſcuratis enigmata linguæ tacuerunt, vt pauci poſſint adire: quorum in locum Legenda ſubierunt, & portenſoſa mendacia, quibus omnia ſuggeſta & templa reſonabant.

Verùm hæc nihil aliud ſunt quàm mera figmenta, & iratæ mentis ἀληθόπληκτα, omni colore veri deſtituta. Nam Primò, vt omittam illud ἅπαξ λεγόμενον & inſolens, quo duo libri vocantur duo Prophetæ a Deo miſſi, vt opponant ſe Antichriſto. Iſti duo teſtes, quos Deus mittet, erunt teſtes viui, qui poſſint ſe explicare, diſputare, refutare aduerſarios, oſtendere illum hominem eſſe Antichriſtum, eius ſigna eſſe mendacia, ſoluere obiectiones, edere miracula; denique qui poſſint occidi & mori, vt ex verbis Scripturæ patet. Idem apertè committunt reliqui omnes actus, qui eis à Scriptura tribuuntur. At duo iſti libri ſunt teſtes mortui, nec poſſunt certamè inire cum aduerſarijs, aut ſe explicare, & obiecta ſoluere; neque occidi. *Refutatur.*

Secundò, Iſti duo teſtes prædicabunt ſolùm per dies 1260. amicti ſaccis, illiſque expletis finietur tempus prædicationis illorũ. At iſti duo libri iam prædicarunt per quindecim ſæcula, & nondum finitum eſt tempus eorum, nec prædicant amicti ſaccis, ſeu cilicijs.

Reſpondet Auctor *tempus prædicationis eorum eſſe priorem partem dimidiæ hebdomadæ ſpiritalis, ſiue primos ſexcentos annos à Chriſti ortu: eo tempore prædicaſſe amictos ſaccis, quæ prædicarunt panitentiam.; eo tempore expleto peremptos ab Antichriſto.*

Sed contrà. Primò, Iſta hebdomadas ſpiritalis planè fictitia eſt, & omnis rationis expers, vt ſuprà numero 53. oſtenſum. Deinde Scriptura exprimit tempus prædicationis eorum per dies 1260. non per dimidium hebdomadæ ſpiritalis. Oſtendatur ergo quomodo illo dierum numero impleatur tempus prædicationis librorum noui & veteris Teſtamenti. Præterea, tempore prædicationis teſtium clauſum erit cælum ne pluat, & terra multis cladibus ab eis afficietur: ergo ſi illud tempus ſunt ſex illa prima Eccleſiæ ſæcula, ſequitur toto illo tempore non pluiſſe, & terram omni plaga ab eis fuiſſe percuſſam, & inimicos eorũ igne cæleſti deuocatos. At nullas auctor tale quid ſcribit. Præterea, tempus prædicationis illorum teſtium debet concurrere cum tempore perſecutionis Antichriſti. Ideò enim mittentur, vt ipſi reſiſtant, & in hunc finem eis poteſtas miraculorum conferetur. At iuxta Auctoris ſententiam, prædicatio duorum illorum teſtium (noui & veteris Teſtamenti) anteceſſit tempus perſecutionis Antichriſti; nam ſtatim veniente Antichriſto conticuerunt, & oppreſſi ſunt, vt ipſe docet. Vbi aduertendum quam aptè ſcilicet hæc Auctoris interpretatio congruat textui Scripturæ. Nam iuxta Scripturam iſti duo Prophetæ non inchoabunt ſuam prædicationem ante aduentum Antichriſti, ſed poſt, & continuabunt eam toto tempore perſecutionis Antichriſti, paucis diebus exceptis. Iuxta Auctorem inchoarunt illam ſexcentis annis ante aduentum Antichriſti, & ſtatim poſt ipſius aduentum conticuerunt. nimirum cùm minùs eſſet neceſſarium, tunc ſedulò prædicarunt; cùm maximè neceſſarium, à prædicando ceſſarunt.

Ad hæc iſti teſtes etiam poſt annum ſexcenteſimum aſſiduè in omnibus templis per totum orbem prædicarunt pœnitentiam. Nam ſacra Scriptura in liturgia Miſſæ, & precibus canonicis ſemper ab eo tempore lecta fuit, maximè ea pars, quæ ad pœnitentiam excitat. Eadem in concionibus per annum, & maximè per Aduentum, & Quadrageſimam ſemper fuit populo explicata; vt ex Homiliographis eſt notiſſimum. Lepidum verò quod addit, ideò iſtos teſtes dici amictos cilicijs prædicaſſe, quia prædicarunt pœnitentiam. Nempe ſi miniſter aliquis compulſus

iuſſu

* *Reſponſio auct. præfat. nouum & vetus teſtamentum eſſe duos Prophetas illos.*

instar proci, vt sunt plurimi, prædicaret pœnitentiam Caluinisticam, diceretur ille prædicare amictus cilicio.

Tertiò, Illi duo Prophetæ habebunt potestatem claudẽdi cælum ne pluat toto tempore prophetiæ ipsorum; & igne cælesti ferendi suos aduersarios, & terram omni plaga percutiendi: & ita nemo audebit eis nocere. At quomodo hæc possunt competere in volumen veteris & noui Testamenti? Quis sanus dixerit illi volumini datam potestatem claudendi cœlum, faciendi miracula, & se tuendi aduersus inimicos?

Quomodo S. Scriptura libri interficiantur inuicem alterum.

Quarto, Quomodo isti libri pugnabunt aduersus Antichristum, aut quomodo ipse illos occidet, & eorum corpora iacebunt in plateis tres dies & dimidium? Respondet Actor *interficiendos*, quia *mucrone censorio iugulabuntur. Quæ*, inquit, *ad vẽ prodijt censura generalis Venetijs excusa anno* 1562. *ut censorio mucrone iugulentur*. O crudelem mortem illorum Prophetarum. Deinde probat quod dixit: *Quid enim aliud agit quàm iugulat, cùm omnes alias translationes præter suam Auctor cremari mandat? &c.*

Quamuis hæc vt febrientium deliria contemni possint; tamen quia multi hoc æuo ex hæresi febri delirant, breuiter refello. Primò, Si isti duo testes tandem interficiuntur, & iugulantur mucrone censorio illius censuræ generalis, editæ anno 1562. quomodo eorum corpora iacuerunt iam in plateis per mille annos & amplius, seu *per dimidium alterum hebdomadæ spiritalis*, vt ipse ait; quod continet totum tempus à Bonifacio III. vsque ad finem mundi? An forte ibi iacuerunt, priusquam essent occisi?

Deinde iuxta Auctoris sententiam, postquam tot sæculis iacuissent corpora istorum Prophetarum in plateis, resuscitati sunt ad vitam, & in pedes erecti, ac in cælum eleuati, nempe per Lutherum & Caluinum; & terræ motus factus est magnus, conuersis tot millibus (vt ipse interpretatur pag. 84.) ad Caluinismum? Quare si tandem interfecti sunt anno 1562. per censorium mucronem illius censuræ generalis; ergo multis annis antè resuscitati sunt, & in cælum ascenderunt quàm interfecti; & vita illis restituta, priusquam illam amiserunt. quis dicat Auctorem intelligere quid scribat?

Præterea corpora Prophetarum iacebunt in plateis vbis Romæ, vt vult Auctor, *omnibus gentibus, & populis, & linguis inspectantibus, & plaudentibus, & sibi munera mittentibus, mirè gratulantibus, quia hi Prophetæ cruciauerunt eos.* vt ait Scriptura, capit. 11. verſic. 10. At nec ante iugulationem illam per censuram generalem, nec post, visa est publicè proiecta Scriptura in plateis Romanis, nec ea de re fuit vlla Romæ aut alibi populorum gratulatio; nec vlli populi Romanæ Ecclesiæ adhærentes, communiter conquesti sunt se à Scripturæ libris cruciari.

Quomodo in hæreticos conuenerit, quæ Catholicis de Scriptura iugulata obijciuntur.

Optimè hæc omnia conueniunt in hæreticos interfectores veritatis (vt eos vocat Tertullianus) qui mirè sibi gratulati sunt, quando Sacræ Scripturæ vitam & animam, quæ tot sæculis feliciter & gloriosè vixerat, in legitimo sensu consistentem, violentis modis extorsere, quæ anteà eorum spiritum mirè cruciauerat. Denique ridiculum est dicere Scripturam iugulari, interfici, cùm vetantur hæreticorum translationes, & illa sola, qua iam Ecclesia plusquam tot annis vsa est, omnibus præfertur. An hoc est abolere Scripturam, & non potiùs eam sartam tectam a deprauationibus & nouitatibus tueri? Quàm sit vitanda omnis nouitas etiam in translationibus, declarat vel cucurbita Ionæ à D. Hieronymo verso in hederam; vt alias rationes grauissimas omittam.

Quintò, Si illi testes sunt duo libri Testamenti, quomodo ministri Antichristi corpora eorum iacentia in plateis non sinent poni in monumento? quomodo post tres dies & dimidium reddita est illis vita? Si enim illi tres dies cum dimidio continent reliquum dimidiũ hebdomadæ spiritalis, vt ait Auctor, hoc est totum tempus, quod est ab anno sexcentesimo, vsque ad finem mundi: ergo illi testes primũ suscitabuntur ad vitam in fine sæculi. Falsum ergo est, esse resuscitatos a Luthero & Caluino.

Sextò, Quomodo illi duo testes steterunt in pedes omnibus videntibus & timore perculsis? Quomodo facta est vox magna de cœlo, omnibus audientibus, dicens eis, *Ascendite huc?* Quomodo in nube ascenderunt in cælum videntibus inimicis eorum? Denique quomodo eadem hora pars vrbis decima terræmotu corruit, & septem hominum millia sunt interfecta? Laudant metaphoris & tropis quantum volunt, nunquam aliquid poterunt afferre, quod aliquem colorem habeat.

Ad rationes auctoris N. Lxiv. allatas.

His confutatis breuiter respondeo ad rationes (qui nihil sunt aliud quàm hæreticorum calumniæ) quibus probat duos illos Prophetas suos (vetus & nouum Testamentum) fuisse vim passos à Pontifice multis sæculis. Ac primùm ablique omni specie veri dicitur, *Summum Pontificem supra omnia odisse verbum Dei, & nihil intentatum relinquere, quo illud dedecoret, corrumpat & supprimat.* Contrarium ostendit summa cura ac prouidentia quam adhibet, vt nihil in eo innouetur, nihil mutetur: & si quid tot sæculis per scriptores vel typographos mundi irrepsit, ad antiquissimorum exemplarium fidem emendetur. Denique vt Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, Syriacè, quàm elegantissimis typis excusum extet: vt Biblia Complutensia, & Regia satis testantur. Verissimè de hæreticis id dici poterat; quia ipsam vitam & animam sacræ Scripturæ, quæ in vero sensu consistit, pessimè oderunt: corpus quidem amant; sed vt ei nouam animam tribuant, & ex verbo Dei verbum suum, vel potius diaboli, efficiant.

Cura Summi Pontificis circa Scripturas.

Quo modo Scriptura Nasus eremus, &c.

Ad primam, Scriptura Sacra dicitur à Catholicis, *Nasus eremus, regula Lesbia, &c.* non animata, sed inanima, hoc est, si nuda spectentur verba, remoto Ecclesiæ sensu, & sanctorum Patrum interpretatione: quo modo accipitur ab hæreticis. quod ipsa experientia clarè conuincitur. Nam videmus omnes hæreticorum sectas, etsi dogmatibus maximè repugnantes, sacram Scripturam suis placitis tamquam regulam accommodare; & profiteri se illa sola niti, per illam sua omnia perspicuè probari, &c. An non regula illis Lesbia, quam omnibus suis imaginationibus quàm tumuis absurdis accommodant, & seruire faciunt? Qui per Antichristum designari volunt non vnum hominem, sed plurimorum seriem; per tres annos cum medio, multas annorum centurias; per duos Prophetas, libros noui & veteris Testamenti plurimos, vel predicantium aliquot centurias; per miracula Antichristi fallacia, miracula Ecclesiæ Catholicæ; per ignem de cælo descendentem, fulmen excommunicationis; per imaginem bestiæ, potestatem illimitatam Summi Pontificis, per tres ranas, Ordinem totum Iesuitarum; & alia huiusmodi deliria. Apud Catholicos, non est *regula Lesbia*, quia est animata, vero nimirum sensu; qui contrarijs placitis aptari nequit.

**Traditiones humanæ non præferuntur Scripturis.*

Ad Secundam, * Nullus Pontifex, nullus Ecclesiæ Doctor præfert traditiones hominum, & Ecclesiæ auctoritatem, nouo & veteri Testamento: neque id ex eorum doctrina apparet, sed planè contrarium, aliqui nomen auctoris & locus proferatur. Scripturam nudam esse insufficientem ad omnium controuersiarum diremptionem, clarissimum est: quia sunt multæ controuersiæ inter sectas nostri temporis, quæ non possunt dirimi ex Scripturis præsertim vt ipsi eas accipiunt, nimirum vt sunt destituta Patrum & Ecclesiæ interpretatione. Similiter cùm de singulis libris aut sententijs quæritur, an sint Verbum Dei; an nulla sit in illis adulteratio, nulla impostura; non potest id ex nuda Scriptura decidi: denique cùm de sententia alicuius loci est quæstio: Sed quænam est ista *ἀλλογενία*? Catholici dicũt Scripturam Sacram per se insufficientem ad omnes controuersias dirimendas: ergo præferunt traditiones hominum, & Ecclesiæ auctoritatem, verbo Dei?

Ad Tertiam, Quòd locos corruptos non patiamur corrigi, falsum esse ostendunt Biblia Sixtina, & iam ante falsum in plerisque exemplaribus vel correctum erat illud *ἀβροχαρίας ὀφθαλμάτων*, vel in margine indicatum, vt ex Plantinianis editionibus constat. Quamuis hic error *euertere*, pro *euertere*, sit parui momenti, cùm sententiæ subtilitatem non mouet. Vulgò dicimur in quærendo euertere domũ, cùm sedes, scamna, mensas, lectos, & similia mouemus. Nec minùs falsum est lectionem illam, *sic eum volo manere*, mendacij manifestum esse. Multi sancti Patres ita leguntur, & sensus eodem recedit, vt multi Doctores, Toletus, Maldonatus, & alij ostenderunt.

Antiqua scriptura editio præferenda.

Ad Quartam, Iure præfertur antiqua editio Hebræis & Græcis exemplaribus; quia fidelius & diligentius a mendis præseruata. Facilius Hebræa quam Latina corrumpi potuerę, partim literarum quarumdam similitudine, partim

tim punctorum appoſitione, cuius rei exempla plurima adferri poſſent. Eſt etiam apud eos varia lectio in locis 848. vt ſcribit Hugo Broughton Anglus in quadam oratiuncula de molitione veritatis à ſacrorum codicum fontibus in riuulos Britannicos. In Græca etiam non tantum veteres ſed & noui Teſtamenti, multa errata irrepſere.

Poſſunt verba ſcripturæ ſanctis aptari.

Ad Quintam, Probandum erat, libros aliquos quos Eccleſia pro Canonicis recipit, apocryphos eſſe. Satis ea crimination à multis Catholicis depulſa.

Ad Sextam, Si verba nonnulla, hemiſtichia, aut verſiculos Pſalmorum accommodare Beatiſſimæ Virgini, & pro *Domino* ponere *Dominam*, eſt ſacrilega corruptio; ergo S. Bonauentura doctrina & ſanctitate illuſtriſſimus, eſt ſacrilegus corruptor ſacræ Scripturæ, qui Pſalterium B Virginis contexuit. Fatetur Auctor, quia in margine illum expreſſit. Sacrilegus quoque eſt S. Bernardus, & multi alij ſanctiſſimi viri, qui ſæpe verba Scripturæ hoc modo Sanctis accommodant. Sed eos ſua ſanctitas & ſapientia, quæ orbi ſunt notiſſimi, ſatis aduerſus hæreticorum criminationes tuetur.

Sacrilegum eſt S. Scripturæ verbis vti ad facetias, ad paſquillos, detractiones; non ad laudes Sanctorum, cùm ſenſu ad eas poſſint aptari. Neque hoc eſt Chriſti & Matris perſonam & dignitatem confundere; ſed ea quæ per excellentiam tribuuntur Filio, inferiore modo transferre ad Matrem. Sic Apoſtoli vocati ſunt à Domino *ſal terræ, lux mundi, fundamenta Eccleſiæ* nuncupati.

Ad Septimam, Totum quod ibi dicitur, merũ eſt commentum. Numquam Scriptura à Summo Pontifice fuit ſuppreſſa, numquam ad ſilentium damnata: numquam ideo aliquis hæreticus habitus & combuſtus, quòd ſacram Scripturam legere, nedum in manus ſumere auderet. Translationes in linguam vulgare meritò non paſſim permiſit: tum quia difficillimum ſemper fuit aptas habere (cuius ſignum eſt, quod ea qua modo Proteſtantes in Anglia vtuntur, & plebi legendam tradunt, myriadas mendacorum habeat, vt Hugo Broughton teſtatur) tum quia non expedit eam plebi paſſim ſine delectu ac iudicio Parochorum permitti. Nam vt docet experientia, cùm plebs myſteria Scripturæ non intelligat, ſe tamen probè intelligere putet; fit vt quiſque ſibi priuatam fidem ſuam fabricet. Hinc paſſim dicunt ſe non curare quid Lutherus dixerit, quid Caluinus, quid Menno, primi Apoſtoli nouorum Euangeliorum huius æui, quid ille vel ille minitter; acquieſcere ſe in ſolo Dei verbo, quod errare non poſſit: & ita ſinguli priuatum iudicium & priuatum ſpiritum ſibi regulam credendi ſtatuunt. En fructum illius indiſcretæ permiſſionis. Semper in Eccleſia Scripturæ, quæ ad populi fidem inſtruendam & mores formandos pertinent, diligentiſſimè fuerunt expoſitæ; vt ex Homilijs & concionibus variorum Doctorum conſtat, quæ Scripturis ſunt refertiſſimæ.

Quod ad Legendas Sanctorum attinet, quas Auctor ſugillat; probandum ei eſt, eas quæ à ſanctis Patribus & alijs Auctoribus grauiſſimis conſcriptæ ſunt, mendaces eſſe.

67 *Alia reſpon. ſio auctoris duos teſtes eſſe Prædicatores Verbi. Refutatur.*

Satis offenſum eſt ſententiam priorem noſtri Auctoris de duobus teſtibus nullam veri ſpeciem præferre. Itaque ſubijcit alteram pag 85. vt *duo teſtes ſint prædicatores verbi* (Euangelij noui) quam ait eſſe *magis receptam, & magis accedere ad literalem litteræ.* Sed & hoc figmentum pari facilitate refutatur. Primò, Illi Prophetæ de quibus loquitur Scriptura prædicabunt ſolùm per dies 1260. & eo tempore cõplebo occidentur, vt habetur cap. 11. At miniſtri Caluiniſtarum & Lutheranorum iam per 60. vel 80. annos prædicarunt. Secundò, Illi prædicabunt toto tempore quo durabit perſecutio Antichriſti, colligitur aperte ex capite 11. v. 2. 3. 7. At miniſtri Caluiniſtici & Lutherani non prædicarunt toto illo tempore, quo Antichriſti perſecutio duraut. Nam iuxta ſententiam Auctoris hæc durauit per dimidium ſpiritalis hebdomadæ; nempe a tempore Bonifacij III. vſque ad hoc tempus, quod eſt plus quàm mille annorum. At prædicatio Caluiniſtarum & Lutheranorum non duraut, niſi 60. vel 80. annos.

Dicet forte (vt quidam alij hæretici dicunt) ad hos duos teſtes pertinere etiam miniſtros ſectarũ quæ ſuperioribus ſeculis viguerunt, nempe Huſitarum, Wiclefiſtarum, Lollardorum, Begardorum, Fraticellorum, Albigenſium, Bogomilum, Valdenſium, Catharorum, Apoſtolicorum, Berengarianorum, Iconomachorum, Monothelitarum. Hæ enim ſunt præcipuæ, quæ à tempore Bonifacij exortæ. Hæ omnes à Babylone exierunt, & Antichriſto reſtiterunt, iuxta ſententiam Auctoris.

Sed contra. Illi Prophetæ, quos Deus mittet aduerſus Antichriſtum, habebunt ſanam doctrinam, eruntque inter ſe in doctrina fidei concordes. At hæ ſectæ ſunt admodum diſcordes, tum inter ſe, tum à Caluiniſtis & Lutheranis; & multa habent quæ ſanæ doctrinæ, etiam Caluiniſtarum iudicio, repugnant. vt interim omittam illarum ſectarum prædicantes ducentis & amplius annis conticuiſſe, nimirum ab anno 800. vſque ad 1050. quia non legimus eo tempore aliquam ſectam viguiſſe. Deinde Auctores illarum ſectarum (excepto forte vno altero) non habuerunt Papam pro Antichriſto. At Prophetæ quos mittet Deus, cognoſcent Antichriſtum, & monebunt omnes vt eum pro ■ li habeant. Tertiò, Illi Prophetæ erunt ſolùm duo numero. *Dabo*, inquit, *duobus teſtibus meis. Hæ ſunt duæ oliuæ, &c.* At prædicantes Lutherani, Caluiniſtæ, &c. ſunt maximo numero. Reſpondet Auctor, *duplo numero deferendos eſſe, quia initio pauci erant, & in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.*

Quomodo dicantur duo iuxta multitudinem.

Contrà. Quinam erant illi pauci, Lutherũne, Zuinglius, Menno, Melanchthon, Caluinus, Bucerus, &c.? At cur hi omnes dicuntur potiùs duo quàm decem, qui eſt numerus perfectus? Deinde, etſi initio erant pauci, poſtea tamen creuerunt in maximum numerum: cur ergo tam exiguo numero deſignantur? An quia duo teſtes ſufficiunt, is qui mille teſtes producit, non dicetur niſi duos produxiſſe? Sed neque verum eſt duos teſtes ſufficere ad condemnandum, quando totidem vel plures adferuntur in cõtrarium. At in hac cauſa multa millia teſtium pro Summo Pontifice proferre poſſumus, qui ſuo ſanguine parati ſunt hunc teſtimonium obſignare. Quomodo ergo duo teſtes ſufficiunt, vt teneamur illum condemnare, & pro Antichriſto habere? Itaque inſulsè ratio illius numeri ſic explicatur. vt omittam omnes numeros certos huic Auctori poni pro incertis, vt eos ſuo proposito accommodet: nimirum decem cornua, decem Reges, decem diademata; ſeptem cornua, tria cornua, tres immundi ſpiritus; 42. menſes, dies 1260. duo Prophetæ, tres anni cum medio, omnes hæ numerorum ſpecies maximos numeros ſed incertos denotant. quis Oedipus, quæ ſphynx illa diuinet?

Quartò, ■ duo iſti Prophetæ ſunt prædicantes noui Euangelij, peto cuius ſectæ? Si dicas, Caluini: repugnabunt Lutherani, & Anabaptiſtæ. Hi enim non minus ſuos miniſtros dicent ad hunc dualem numerum pertinere, quam Caluiniſtarum. ■ velis è ſecta Lutheri, opponent ſe Caluiniſtæ, & alij. ſingulæ enim ſectæ eos ſibi vindicabunt. Si ex omnibus ſectis huius æui ſeligas, ■ omnibus fiat ſatis; quam hoc eſt abſurdum & ridiculum, cùm tanta inter illas ſit diſcordia, tanta animorum & dogmatum diſſenſio, tanta in ſe inuicem maledicentia, alia aliam hæreſeos condemnante?

Quinò, Iſti duo Prophetæ habebunt poteſtatem igne cælesti & *κατακαιειν τους* inimicos ſuos, qui eis nocere tentauerint, feriendi, & cælum claudendi ne pluat, & terram omni plaga percutiendi, &c. At nihil horum vmquam viſum in prædicantibus Lutheranis vel Caluiniſtis. Denique nec reliqua illis applicari poſſunt. non enim occiſi omnes iſti prædicantes, ſed pauciſſimi, minuſque celebres. Neque occiſorum corpora iacuerunt per tres dies & medium in plateis ciuitatis magnæ, *quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi Dominus crucifixus eſt*, omnibus gentibus inſpectantibus & plaudentibus. Neque viſi reſurgere & aſcendere in cælum corruente decima ciuitatis parte, obrutis ruina ſeptem hominum millibus. Ex quibus teſtes ſomni euaneſcit hoc ludibrium.

Supereſt vt tandem explicemus, quinam illi duo teſtes 68
ſint futuri. Communis Doctorum ſententia eſt, alterum fore Eliam Thesbiten, quod etiam clarè conuincitur ex Scripturis: Malachiæ 4. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Eccleſiaſtici 49. *Qui receptus es in turbine ignis, in turbine equorum igneorum: qui inſcriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conuertere cor patris*

Quinã ſint iſta duo Prophetæ?

trix ad filium, & *reſtituere tribus Iacob*. Matth. 17. *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*. Nec obſtat quod ſubiungit: *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum*. quia non loquitur de eodem Elia, ſed de alio, nempe Ioanne Baptiſta, qui ſolum officij ſimilitudine Elias dicitur; vt omnes Patres explicant; de quo plura infernus. Ob hæc Scripturæ loca omnes Catholici pro certo tenent Eliam eſſe alterum ex illis teſtibus ſeu Prophetis, q ios Dominus ſub finem mundi mittet, de quibus Ioannes cap. 11. Apocalyp. Vode fine graui errore negari non poteſt.

Quidam putant Moyſen fore alterum.

De altero quis futurus ſit, non eſt adeò certum apud omnes. Non cum deſunt Doctores, qui putent fore Moyſen: tum quia Moyſes cum Elia apparuit in Domini tranſfiguratione: tum quia ipſe eſt qui conuertit aquam in ſanguinem, & habuit poteſtatem percutiendi terram omni plaga: tum quia totum quod geſſit Moyſes in Aegypto, figura fuit eorum quæ gerenda ſunt ſub fine ſæculi. Aegyptus enim deſignat mundum: Pharao cum ſuis Aegyptijs, Antichriſtum cum omnibus impijs ipſi adhærentibus: plagæ Aegypti, plagas quibus tunc ferietur orbis: eductio filiorum Iſrael per mare Rubrum & terram promiſſionis, liberationem populi Dei, per ſanguinem Chriſti, ab impijs, in regnum cæleſte: ſubmerſio Pharaonis & exercitus eius, ſubmerſionem impiorum in abyſſum inferorum. Sicut ergo Moyſes cum Aaronis præfuit in typo; ita cum Elia adfuturum in ſignato.

Alter erit Enoch.

Sed communis ſententia Patrum eſt, alterum fore Enoch, qui ante diluuium traslatus eſt. Colligitur ex cap. 44. Eccleſiaſtici: *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam*. q. d. Vt ibi vſque ad nouiſſimam tempora ſeruatus, tunc veniat ad conuertendas gentes. Cur enim tot ſæculis ſeruaretur in vita, niſi vt aliquando ad nos redeat, & peracto ſuo munere, mortalitatis debitum perſoluat, & ſic mercedem iuſtitiæ percipiat?

Ex his conſtat duos iſtos Prophetas fore Enoch & Eliam; qui idcircò rapti ſunt ab hominum conſuetudine, & conſeruantur in vita, vt nouiſſimis temporibus comparentes, Antichriſto ſe opponant, & Iudæos atque gentes ad pœnitentiam adducant.

Quod probatur ex Patribus. Irenæus lib. 5. cap. 5. *Dicunt presbyteri qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, eos qui translati ſunt, illuc* (in paradiſum) *translatos eſſe*. Et paucis parentheſi interiectis addit: *Et ibi manere eos qui translati ſunt, vſque ad conſummationem, conſpicantes incorruptelam*. Loquitur de Enoch & Elia; & dicit eos manere in Paradiſo, in quo primus homo poſitus fuerat, vt ex verſiculo præcedente conſtat; ibique ſeruari incorruptos vſque ad conſummationem, hoc eſt, nouiſſima tempora, quibus mundus eſt finiendus. Vbi tacitè inſinuat eos tunc mortem oppetituros; alioquin non reſtrinxiſſet eorum incorruptelam ad tempus conſummationis. Atqui nulla eſt ratio cur ibi ſeruentur incorrupti vſque ad finem ſæculi, niſi vt aliquando ad commercium humanum remittantur.

Methodius de rebus quæ ab initio mundi contigerunt, &c. ſub finem: *Conſtituit mittere ſuos famulos ſinceriſſimos & chariſſimos Enoch & Eliam ad redarguendum eum*, &c.

Tertullianus lib. de anima, cap. 50. *Translatus eſt Enoch & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Ceterum morituri reſeruantur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo exstinguant*.

Origenes in cap. 17. Matth. tractatu 3. *Ad hæc* (nempe ad interrogationem diſcipulorum) *reſpondit Ieſus non reprobans quidem, quæ à Scribis tradita fuerant de Elia, ſed aliam Elia aduentum ante ſe indicans faſtum*, &c.

Lactantius lib. 7. Diuinarum inſtitutionum, cap. 17. *Imminente iam temporum concluſione Propheta magnus mittetur à Deo, qui conuertat homines ad Dei cognitionem, & accipiat poteſtatem mirabilia faciendi*, &c. Aptè ſatis Eliam hunc fore indicat.

Hilarius can. 17. in Matthæum, *Quibus reſpondit Eliam eſſe venturum, & reſtituere vniuerſa, ideſt reliquum quod deprehenderit ex Iſrael ad cognitionem Dei reuocaturum, ſed in virtute & ſpiritu Elia Ioannem veniſſe ſignificat*, &c.

Ephrem de Antichriſto verſus finem: *Ceterum priuſquam cuncta iſta fiant, mittet miſericors Deus Eliam Thesbiten & Enoch, qui palàm populo prædicent, ne illi credant*, &c.

Chryſoſtomus Homilia 58. in Matthæum; *Prophetæ vtriuſque aduentus mentionem faciunt. & ſecundi cui præcurſorem Eliam aſſerunt futurum. Primi enim Ioannes fuit præcurſor, quem etiam Eliam Chriſtus appellabat: non quia Elias eſſet, ſed quia miniſterium Elia faciebat. Sicut enim ille ſecundi aduentus præcurſor erit, ſic primi fuit Ioannes*.

Comentarius Ambroſij in illud capitul. 4. prioris ad Corinth. *Puto enim Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit. Hoc ideò perſona ſua deputat, quia ſemper in neceſſitate fuit; perſecutiones & preſſuras vltra ceteros paſſus, ſicut paſſuri ſunt Enoch & Elias, qui vltimo tempore futuri ſunt Apoſtoli*.

Hieronymus in capitul. 17. Matth. *Traditio Phariſæorum eſt iuxta Malachiam Prophetam, quòd Elias veniat ante aduentum Saluatoris, & reſtituat omnia in antiquum ſtatum. Æſtimant ergo diſcipuli transformationem gloriæ hanc eſſe quam in monte viderant, & dicunt, Si iam veniſti in gloria, quemodo præcurſor tuus non apparet? quando adijcient. Scriba dicunt quod Eliam oporteat primùm venire; primum dicendo oſtendunt quòd niſi Elias venerit, non ſit ſecundùm Scripturas Saluatoris aduentus. At ille reſpondens ait: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Ipſe qui venturus eſt in ſecundo aduentu Saluatoris iuxta corporis fidem, nunc per Ioannem venit in virtute & ſpiritu*, &c. Idem in capitul. 4. Malachiæ apertè indicat Eliam venturum. & in illo chorum Prophetarum; vt qui olim ad eos fuere miſſi, rurſus mittantur in fine ſæculi in Elia.

Diuus Auguſtinus libr. 20. de Ciuitat. Dei capitul. vltimo: *In illo iudicio vel circa illud iudicium has res didiciſſemus eſſe futuras Eliam Thesbiten, fidem Iudæorum, Antichriſtum perſecutorem*, &c. Deinde ſubdit: *Quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt; ſed quibus modis, & quo ordine veniant, magis experientia docebit*, &c. Itaque iuxta Diuum Auguſtinum certa fide tenendum, vt reliqua quæ ibi commemorat. & capitul. 29. exponens locum illum Malachiæ 4. *Per hunc Eliam*, inquit, *magnum mirabilemque Prophetam, expoſita ſibi lege vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Chriſtum noſtrum eſſe creditoros celeberrimum eſt in fermonibus cordibuſque fidelium*. &c. Ecce communem Eccleſiæ ſenſum.

Proſper in dimidio temporis, tribus capitibus ex profeſſo docet hos duos Prophetas fore Enoch & Eliam. Capitul. 13. locum Malachiæ 4. exponit de miſſione Eliæ ante diem iudicij futura. Et infrà: *Ecce & hic tripertita teſtium diuiſio. Contra Pharaonem duo teſtes Dei miſſi ſunt, Moyſes & Aaron; & duo magi Ioannes & Mambres reſiſtentes Moyſi, qui ſimul cum ſuo Rege perierunt. contra Neronem duo, Petrus & Paulus Apoſtoli: at è contrario Simon Magus, qui & ſe perdidit, & Neronem decepit. & contra Antichriſtum duo, Enoch & Elias Prophetæ, aduerſus quos tres pſeudoprophetæ Antichriſti exurgent*, &c. Capitul. 15. agit de eorum paſſione ſub Antichriſto: & capitul. 26. de eorum poſt tres dies & dimidium reſurrectione.

Eucherius Lugdunenſis Dominica 2. Aduentus: *Fremebatur contra Sanctos* (Antichriſtus) *quia veniet Enoch & Elias tunc, quos quia ratione ſuperare non poterit gladijs interimi faciet*.

Theodoretus in illum locum Malachiæ 4. *Diem ſecundi aduentus dixit, docetque item quæ magnus Elias faſturus eſt cùm venerit: & cauſam quare prior veniet, oſtendit*.

Gregorius lib. 9. Moralium capit. 4. *Hinc eſt quòd duo illi prædicatores eximij dilata morte ſubtracti ſunt, vt ad prædicandum nil vſum in fine renouentur, de quibus per Ioannem dicitur: Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes; quorum vnum in Euangelio per ſemetipſum Veritas pellucere dicens: Elias venturus eſt & reſtituet omnia*. &c. Idem habet lib. 20. cap. 26. & lib. 35. cap. 15. & Homil. 7. in Euangelia ſic ait: *Qui* (Ioannes) *ideirco in ſpiritu & virtute Elia venturus dicitur; quia ſicut Elias ſecundum Domini aduentum præuenit, ita Ioannes præuenit primum. Sicut ille præcurſor venturus eſt iudicis; ita iſte præcurſor faſtus eſt redemptoris*.

vis. Ioannes igitur in ſpiritu Elias erat, in perſona Elias non erat.

Beda in Samuelem cap. 11. *Neque aliud erat duas has vaccas, quæ arcam Domini referentes Iſraelitis, holocauſtum ſunt Domino, ſuper Enoch & Eliæ interpretari, qui tunc* (tempore Antichriſti) *Iudæis fidei gratiam aperturi, nec mora ab Antichriſto mortem erediturus eſſe ſuſceturi.*

Alcuinus lib. 3. de Trinitat. capitul. 19. *Eliam & Enoch maximos Prophetas, venturos eſſe Eccleſiæ fides habet; per quorum doctrinam populus Iſraeliticus converteretur ad fidem,* & cætera.

Theophylactus in capit 17. Matth. *Deceptientes Scribæ populum dicebant ipſum non eſſe Chriſtum: nam ſi eſſet Chriſtus, Elias iam veniſſet: ignorantes quid duo ſint Chriſti adventus; quorum primus præcurſor Ioannes, ſecundus autem Elias. Sic enim & Chriſtus interpretatur Diſcipulus.* Et infrà: *dicendo quidem quòd Elias veniet, oſtendit quid nondum venit: in ſecundo autem adventu venientem, reſtituturus ſit ad fidem Chriſti omnes Hebræos, quos perſuaſibiles inveniet. Cùm autem dicit, Elias iam venit, præcurſorem illum Ioannem dicit,* &c. Et paulo poſt: *Tunc igitur Diſcipuli facti perſpicaciores intellexerunt quòd Ioannem Eliam vocarit, quid ipſe primi adventus præcurſor fuerit, ſicuti ille ſecundi futurus eſt præcurſor.* Omitto poſteriores qui idem tradunt.

Ex quibus patet omnibus ſæculis à temporibus Apoſtolorum hanc fuiſſe communem fidelium, & ſanctorum Patrum ſententiam. Hæc paulo fuſiùs ob hæreticorum impudentiam, qui iſtam doctrinam de Enoch & Elia tamquam futilem & anilem fabulam reijciunt; & Eliam de quo Malachias loquitur, Ioannem Baptiſtam fuiſſe contendunt, nullumque alium Eliam expectandum.

71 *Reſpõſio Auctoris.*

Auctor in Præfat. pag. 77. *Nimis*, inquit, *anxiè hanc futilem & anilem fabulam refutavit: eo tantum abeſt ut credam, ut contrà iſto tam erudito ſæculo hoc qui credat, Deum teſtor, non modò pro magni nominis Theologo, ſed ne pro Chriſtiano quidem habeam: quin potiùs Scribis & Phariſæis accenſeam, qui ſic infanirent, ut quamvis Chriſtus contrarium docuiſſet, ſemper tamen venturum Eliam ſomniarent.*

Refutatur.

Si ob Chriſti contrarium aſſerentis doctrinam, non eſt pro Chriſtiano habendus, &cæt. qui credit Eliam venturum: nullus ergo fere ſanctorum Patrum Chriſtianus habendus, ſed omnes Scribis & Phariſæis accenſendi; omnes in anili & Iudaica fabula inſaniunt. Nam omnes docent Eliam Thesbitem venturum ante ſecundum Domini adventum. neque putant id impletum per Ioannem Baptiſtam. At qui dici poteſt abſurdius, aut in ſanctos Patres injuriosius? Sed, inquit, *veteres excuſandi, ſi ſe pius hic errent, & minùs rectè multa Apocalypſis myſteria intelligant: quia liber ille eorum temporibus adhuc obſignatus erat, & homo ille peccati nondum revelatus.*

Sed contrà. Primò, Hic non eſt quæſtio de intelligentia myſteriorum Apocalypſis, ſed de explicatione cap. 4. Malachiæ, & verborum Domini Matth. 11. verſic. 14. & 17. verſic. 12. vbi agitur de adventu Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ. Itaque ſi iſta loca intelligenda de adventu ſolius Ioannis, ita ut alius Elias non ſit expectandus; iam à tempore Chriſti impleta fuit illa prophetia, ac proinde Patribus debuit eſſe manifeſta: neque excuſatio illa ex obſcuritate nõdum impletæ prophetiæ in ipſis locum habebit. Quare nullus eorum in Chriſtianis erit cenſendus.

Dicet forte, rem non fuiſſe adeò manifeſtam, donec impleta eſt Prophetia Apocalypſis de adventu Antichriſti, & revelatus eſt homo peccati; poſtquam autem ille mundo apparuit, nullo alio Elia comparente, perſpicuum fuit per Eliam non eſſe alium intelligendum quam Ioannem Baptiſtam. Verùm etſi hoc inepte dicatur; ſi ita: ergo ſaltem nullus eorum qui iam à mille annis (ex quo tempore vult Auctor cum ſuis Antichriſtum mundo revelatum) extitere, Chriſtianus eſt habendus: non D. Thomas, non D. Bonaventura, non Sanctus Franciſcus, Dominicus, Bernardus, Anſelmus, Norbertus, non Richardus & Hugo Victorini, non Rabanus, Bonifacius, Alcuinus, Beda, & alij innumeri ſanctitate, doctrina, miraculis clari. Hi enim omnes Patribus antiquiſſimis adhærentes, crediderunt Eliam Thesbiten venturum.

Deinde, Si prophetiæ Apocalypſis de Antichriſto iam ſunt impletæ, & ideò non amplius obſcuræ, ſed adeò perſpicuæ, vt etiam Scripturas illas, quæ de adventu Eliæ agunt, planè illuſtrent; quomodò Auctor pag. 56. dicit *deſinitionem Antichriſti eſſe rem obſcuram & inexplicatam?* Quomodo pag. 78. & 86. ſuas expoſitiones de duobus teſtibus, *conjecturas probabiles* appellat? Itaque immemor ſui ſe ipſe manifeſtè confutat. Rurſus, quomodo tam diverſæ ſunt adverſariorum hac de re ſententiæ? In rebus apertis & ipſi experientia notis non eſt locus conjecturis, & ſententiarum diverſitati. Quomodo per novem ſæcula omnes adeò cæci & ſtupidi fuere, vt nemo has prophetias impletas adverterit, nemo vel ſuſpicatus fuerit; donec tandem odium exitiale & furor in Pontificem Luthero oculos aperuit, eique hoc mirabile myſterium oſtendit?

Denique cùm hæretici dicunt Patres in illis erraſſe, eò quòd Antichriſtus eorum tempore nondum erat revelatus; nunc autem revelatum eſſe, & ideo meliùs oſtendunt Scripturas intelligi, manifeſtè principium in diſputando petunt. Hoc enim eſt quod in quæſtionem vocatur. Quæritur enim an Papa ſit Antichriſtus. Probamus non eſſe: quia Elias Antichriſti tempore venire debet; vt ex Scripturis, iuxta Patrum interpretationem, perſpicuum eſt. Reſpondet illas Scripturas aliter exponendas, Patres in earũ expoſitione erraſſe, ſed eſſe dignos venia, quia Antichriſtus eorum tempore nondum erat revelatus, nunc autem revelatum eſſe; & ideò tam docto ſæculo, cujus hoc illud myſterium eſt patefactum, non eſſe venia dignos, qui Patrum ſententiam ſequuntur. Quis non videat hic apertè principium peti, & aſſumi tamquam perſpicuum quod pars adverſa negat, de quo eſt tota quæſtio.

Addo mirum eſſe nunc Auctori tam paruam rem (nimirum *credere Eliam venturum tempore Antichriſti*) efficere non Chriſtianum, cùm tam multa & gravia, in quibus Lutherani à Calvinianis diſſentiunt, reputet inter apices, & omnes eorum Synagogas velit vocare Eccleſiam verè Chriſtianam conſtituere: vt patet pag. 138.

Nunc videamus quibus Argumentis hoc eruditum ſæculum; vt vult Auctor, adeo perſpicuè probet Eliam non venturum, vt ſine jactura fidei Chriſtianæ contrarium tenere non poſſumus. Digeram ordine, quæ ex Auctore exſculpere potui. 72

Argumenta Hæreticorũ vt probent Eliam non venturum.

Primum, Quia locus Malachiæ 4. quo maximè nituntur Catholici non eſt intelligendus de Elia Thesbite, ſed de Ioanne Baptiſta, qui fuit præcurſor primi adventus. Quod confirmatur, *Quia*, inquit Auctor pag. 68. *Chriſtus his apud Matthæum, apud Marcum ſemel, certiores fecit tam ipſam multitudinem, quàm Diſcipulos ſuos, Ioannem Baptiſtam illum eſſe Eliam repromiſſum.* Deinde poſt acrem invectivam in Cardinalem Bellarminum, quaſi non bona fide verba Chriſti tractaſſet (nempe quia ex Patrum potius ſententia quàm ex hæreticorum figmentis ea exponere maluit) addit: *Idem improbiſſimè cavillatur ſuper verbo Venturus. Chriſtus enim utitur quidem illo verbo, ſed repetens vulgarem opinionem: interpretatur mentem ſuam eum in Ioanne veniſſe: ac ſi diceret, Vera eſt quidem prophetia, Eliam eſſe venturum, ſed ego dico vobis, Elias iam venit de Ioanne Baptiſta ſentiens.* *Iocus Malachiæ 4. & Matth. 11. 14. & 17. 12.*

Reſpõſio.

Hæretici duo ferè in omnibus controverſis quæſtionibus à Catholicis poſtulant. Primò, vt omnes ſeponant Patres, & omnem veterum auctoritatem, vt qui tamquam homines errâverint. Secundò, vt clauſis oculis novas ipſorum interpretationes pro puto verbo Dei acceptent, etiamſi omni penitus probabilitate careant, quales plurimas in hac Diſputatione refutavimus. Sed iniquum poſtulant.

Locus Malachiæ IV. de Elia vero.

Itaque ad hoc Argumentum reſpondeo, locum illum Malachiæ neceſſariò de perſona Eliæ intelligendum, nec poſſe ullâ ratione de Ioanne exponi. Primo, Quia communis & recepta omnium Patrum; & Doctorum qui ſingulis ſæculis extitere, expoſitio obſtat; vt oſtenſum eſt. Secundò, Quia Ieſus Siracides manifeſtè ad hunc locum Malach. reſpicit, vt Auctor fatetur, eumque intelligit non de Ioanne Baptiſta, vt ipſe contendit, ſed de perſona Eliæ, vt nemo dubitare poteſt, qui antecedentia & conſequentia vel obiter legit. Sulcepit enim ibi laudãdum Eliam, ejuſq; facta commemorat; de quo cùm dixiſſet; *Qui receptus es in turbine*; ſtatim addit: *Qui inſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Dei*, &c. Eadem ergo eſt perſona, quæ in tur-

ſin turbine recepta eſt, & quæ inſcripta, id eſt, de qua ſcriptum eſt debere venire in iudicijs temporum (cùm Deus orbem eſt iudicaturus) lenire iracundiam Dei, &c. Græca paulò aliter habẽt, ὁ καταγραφεὶς ἐν Ἐκγραφεῖς εἰς καιρὸν κατάραν ὀργὴν πρὸ ὀργῆς id eſt, *qui deſcriptus eſt* (in Malachia) *lenire iracundiã ante furorem* (ante ſententiã condemnationis, reſpicit enim ad illud Malach. *Nè forte veniam & percutiam terram anathemate*) *in temporibus quibus Deus orbem redarguet, ſeu caſtigabit*. Nolter interpres optimè ſenſum expreſſit. Tertio, Malachias apertè diſtinguit duplicẽ aduentum Domini: nimirũ priorem, de quo ca. 3. & huius præcurſorem facit Ioannem Baptiſtam: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis*. Hunc Angelum præcurſorem conſtat eſſe Ioannem Baptiſtam, ipſo Domino interprete Matth. 11. 10. Luc. 7. 27 &c. Et poſteriorem, de quo c. 4. *Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes iniquitatem ſtipula*. Huius præcurſorem facit Eliam: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam* (vel vt Græca habent, *Thesbiten*) *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*.

Auctor per *diem Domini magnum & horribilem intelligit diem paſſionis Chriſti, cum ſol omnino obſcuratus eſt ad tres horas, terra contremuit, petræ ſciſſæ ſunt, monumenta aperta ſunt, mortui reſurrexerunt: ſi*, inquit, *ille dies non fuit magnus atque horribilis, quid horribile ſit non video*. Sed id facit contra perpetuum Scripturæ vſum, quæ ſemper per *diem Domini* denotat diem iudicij extremi, vt patet plurimis Scripturæ locis: vt 1. ad Theſſal. 5. 2. 2. Cor. 1. 14. ad Philip. 1 6. 10 2. Theſſal. 2. 2. Pet. 3. 10. Et in veteri Teſtamento, Iſaiæ cap. 2. 12 cap. 13. 6. 9 cap. 34. 8. Ioelis cap. 2. 2. 11. 31. Sophoniæ ca. 1. 7. 14. & alibi. Et quamuis interdum extendatur ad ſignificandum diem maximè vltionis, vt excidij Iudæorum; tamen ſemper habetur reſpectus ad diem Iudicij, cuius illud excidium erat typus. At dies paſſionis nõ erat dies vltionis & vindictæ, ſed miſericordiæ & ſalutis: tunc enim *delebatur peccatum, & iuſtitia ſempiterna adducebatur*. Et quamuis illa commotio naturæ ad breue tempus durans ſua ſpecie eſſet horribilis, nihil tamen mali peccatoribus intulit. Non enim erat ad puniendum, ſed ad teſtimonium Chriſto perhibendum. Imo tantum abeſt, vt ille dies poſſit dici *dies Domini magnus & horribilis*, vt dicatur *dies mũdi, dies hominum, & poteſtas tenebrarum*. De illo enim dictum eſt à Domino: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*. Et, *Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini*, &c. Denique quis non videat Malachiam loqui de illo die Domini magno & horribili, quem toto illo capite deſcripſerat, quem conſtat eſſe diem iudicij? Idem patet ex verbis proximè ſequentibus: *Ne forte veniam & percutiam terram anathemate*, vel internecione, (nam vox Hebræa חרם hoc etiã ſignificat) vel vt Septuaginta, ἐφ' ὅλῃ omnino, funditus. Atqui Chriſtus tunc non venit ad percutiendam terram anathemate, etſi eſſet impiiſſima, ſed ad eam benedicendam. Vnde quod Auctor ait, quod *iſte dies haud dubiè omnes ſine exceptione Iudæos iuſto anathemate perdidiſſet, niſi Ioannes præcurſor Domini permultos prius convertiſſet doctrina pœnitentiæ atque baptiſmo*; non ſolùm fundamento caret, ſed etiam Scripturæ repugnat. Illorum merita & ſanctitas (quæ forte tunc exigua vel nulla erat, ſi paucos excipias) non auerterunt excidium, ſed ipſa temporis conditio diuinitùs diſpoſita; quia erat tempus patiendi, non vlciſcendi; & multi adhuc ex Iudæis erant conuertendi. quam ob cauſam vltio in quadraginta annos fuit extracta. Adde Ioannis doctrinam & baptiſmum non potuiſſe delere peccata, aut perfectè homines conuertere, ſed ſolùm fuiſſe diſpoſitionem ad doctrinam & baptiſmum Chriſti. Vnde ipſe ad Chriſtum remittebat: imò pauci occaſione Ioannis ante Chriſti mortem perfectè in illum videntur credidiſſe.

73 *Dies Domini magnus quis dicatur.*

Luce 21. *Ioan.* 16.

Quartò, Ipſe Ioannes Baptiſta rogatus à Phariſæis, *an eſſet Elias*, negauit ſe eſſe Eliam: Ioannis 1. 21. Non eſt autem dubitandum quin Phariſæi rogauerint de illo de quo loquitur Malachias capit. 4. Nimirum an eſſet Elias, quem Malachias prædixit venturum ante aduentum Domini: ſicut cùm rogant; *Propheta es tu?* loquuntur de illo Propheta, de quo Moyſes Deuteron. 18. Ergo cum negat ſe eſſe Eliam, negat ſe eſſe illũ de quo Malachias: ſicut cùm negat ſe Prophetam, negat ſe non quemlibet Prophetam, ſed illum de quo ibi *Moyſes*. Debebat enim reſpondere ad mentem Scripturæ, ad quam Phariſæi, & qui eos miſerant, reſpiciebant.

Quintò, Ipſe Dominus apertè Matth. 17. dicit: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*. idque dixit multò poſt mortem Ioannis. Non ergo ibi loquitur de Ioanne. Iam enim hic venerat, & curſum ſuum abſoluerat: & tantum abeſt, vt reſtituerit omnia, vt pauciſſimi ab ipſo videantur conuerſi. hoc autem proprié dicitur de Elia; quia in fine mundi, *cum plenitudo gentium intrauerit*, multa millia ipſius opera conuertentur, & ſic *omnis Iſrael ſaluus fiet* iuxta Apoſtolum ad Roman. 11. hoc eſt *omnia reſtituet*, vt ſancti Patres explicant.

Nec obſtat quod Dominus ſubdit: *Dico autem vobis quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum*. Quia loquitur de alio Elia, quem ob ſimilitudinem officij ſic vocat: vt omnes Patres explicant. Vnde verum non eſt Chriſtum his verbis interpretari illa verba priora; *Elias quidem venturus eſt*, &c. vt vult Auctor: ſed vult oſtendere nõ ſolum ante ſecundum aduentum venturum Eliam; ſed etiam ante primum veniſſe, non in perſona ſua, ſed in ſpiritu & ſimilitudine officij. Idem confirmatur ex capit. 17. Matth. vbi cùm dixiſſet; *Omnes Prophetæ prophetauerunt uſque ad Ioannem. & ſi vultis veci pere, ipſe eſt Elias*: addit; *Qui habet aures audiendi, audiat*. Quaſi dicat: Quia vos putatis Meſſiam non venturum, niſi primum veniat Elias, cogitate Ioannem eſſe Eliam; hoc tamen non ita craſsè, ſed figuratè accipere debetis: quia non eſt Elias perſona, ſed ſimilitudine officij. Itaque ſcire debetis Meſſiam iam eſſe præſentem. Sentiebant enim Meſſiam non venturum, niſi præcurrente Elia: & quia Eliam nondum videbant, colligebant Dominum non eſſe Meſſiam. Dominus oſtendit quo modo illorum ſententia ſit vera, duplicẽ diſtinguens perſonam præcurſoris, ſicut duplex eſt Meſſiæ aduentus; quarum prior ſit Elias ſpiritu, quæ iam venerit: altera Elias perſona, quæ ventura ſit ante ſecundum aduentum. Et hoc modo ſoluit eorum rationem, & indicat Meſſiam iam veniſſe. Simile eſſet ſi quis ita diceret: Antichriſtus venturus eſt, & Eccleſiam vaſtaturus; ſed verè dico vobis, Antichriſtus iam venit, & Eccleſiam vaſtare cœpit, intelligens Lutherum cum tota ſobole, &c.

Denique ita explicant omnes Patres. Vnde inter alios Chryſoſt. Homilia 58. in Matth. vbi & hunc locum fusè explicat, & probat Malachiam non eſſe intelligendum de Ioanne, ſed de perſona Eliæ: & Auguſtinum tractat. 4. in Ioannem; vbi luculentiſſimè explicat duos aduentus, & duplicem Eliam præcurſorem.

Secundum Argumentum. Fieri nequit vt corpora glorificata mortem patiantur: *atqui illorum corpora ſunt glorificata. Nam haud dubiè* (inquit Auctor) *ſunt in cœlo, quo nihil corruptibile poteſt penetrare*: ergo, &c.

74 *De corp. glorioſis Enoch & Eliæ.*

Reſpondeo: Hæc ratio duo aſſumit in minore manifeſtè abſurda, & cõtra Scripturas. Alterum, corpora Enoch & Eliæ fuiſſe ſubuecta in cœlum, quò *nihil* corruptibile poſſit penetrare, hoc eſt in cœlum ſupremum beatorum. Alterum, corpora eorum eſſe ab eo tempore incorruptibilia & glorificata.

Si enim ſubuecta ſunt in cœlum: ergo ante Chriſtũ aliqui in cœlum aſcenderunt, quod eſt primò contra communem Chriſtianorum ſenſum. qui eſt, cœlum vſque ad mortem Chriſti fuiſſe clauſum, & Chriſtum ſua morte aditum patefeciſſe. Secundò eſt contra ſententiam Domini, Ioan. 3. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo*. Quibus verbis ſignificat nullum hominem vſque ad illud tempus conſcendiſſe in cœlum, & cœleſtia luſtraſſe præter ſe ſolum. Tertio, eſt contra Apoſtolum ad Hebr. 6. vbi Chriſtum vocat πρόδρομον, ſeu præcurſorem *in interiora velaminis, ſeu ſancta ſanctorum*: quia primus cœlum introiit. Cui congruit illud Ioan. 14. vbi Dominus Apoſtolis ſuis ait: *Vado parare vobis locum*. Ergo ante Chriſti mortem locus non erat paratus. Quartò, eſt contra Apoſtolum ad Hebr. 9. vbi cum dixiſſet, neminem potuiſſe ingredi ſancta ſanctorum præter ſummum Pontificem, qui ſemel in anno, non ſine ſanguine intrabat; addit: *Hoc ſignificante Spiritu ſancto nondum propalatam eſſe Sanctorum viam* (aditum in cœlum) *adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*. &c. quia nimirum pretium nondum erat ſolutum, nondum illud erat exhi-

exhibitum quo peccatum ſolueretur. Confirmatur, quia ingreſſus in cælum eſt hæreditas quæ datur credentibus ex Chriſti teſtamento: atque vbi eſt teſtamentum, non poteſt dari hæreditas niſi interueniat mors teſtatoris. ergo nemo poterat cælum ingredi ante mortem Chriſti. Ita ratiocinatur Apoſtolus eodem capite.

Rurſus, ſi corpora eorum fuere glorificata: ergo & animæ ſuam gloriam, quæ in viſione & fruitione Dei conſiſtit, ſunt conſecutæ. Gloria enim corporis ex gloria animæ ſequitur, & quodammodò dimanat, vt per ſe notum eſt. Fuerunt ergo & corpore & anima beati ante Chriſti mortem; quod repugnat Apoſtolo ad Hebræos 9. vt oſtenſum eſt. repugnat etiam iis quæ idem Apoſtolus ſcribet capitul. 11. vbi de Sanctis veteris Teſtamenti loquens ait: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt reprom ſſionem* (promiſſam gloriam, regnum cæleſte) *Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.* *Hi Omnes*, inquit, nimirum quos antè commemorauerat, inter quos etiam Enoch & Eliam recenſuit, vt conſtat v. 5. *Fide Enoch tranſlatus eſt ne videret mortem.* &c. & v 37. *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Eliam indicans. Quòd ſi Enoch & Elias conſcenderunt in cælum, & adepti ſunt gloriam corporis & animæ, adepti ſunt toti ſæculis ante Chriſti mortem repromiſſiones, & hoc nobis (ante tempus noui Teſtamenti) conſummati; quod apertè hic negat Apoſtolus. Item, falſum erit, *Chriſtum eſſe primogenitum in multis fratribus; & in omnibus primatum tenere*: nimirum non ſolum in geneſi quoad Diuinitatem, ſed etiam in palingeneſia, quoad humanitatem: quod eſt contra Apoſtolum ad Roma. 8. ad Coloſſ. 1. &c. Denique ſi illi aſſecuti ſunt incorruptionem & gloriam, numquam morientur; quod apertè Auctor concedit: ſed Scripturæ non ſatis conforme eſt, vt aliqui qui peccato ſubiecti fuere numquam guſtent mortem. Nam ſicut peccatum in omnes peruaſit, ita per peccatum mors, vt Apoſtolus docet ad Rom. 5. Hinc ad Hebræos 9. idem Apoſtolus ait: *Statutum hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium.* Vnde D. Auguſtinus libr. 9. de Geneſi cap. 6. *Nam ſi*, inquit, *Enoch & Elias in Adam mortui, mortiſque propagatem in carne geſtantes: quod debitum vt ſoluant, creduntur etiam rediturі ad hanc vitam; & quod tamdiu dilatum eſt, morituri.*

Neque verum eſt quod ait Auctor Irenæum & Tertullianum planè negare illos morituros. Irenæus enim (vt ſuprà num. 40. oſtenſum eſt) ſolum dicit *eos manere in Paradiſo vſque ad conſummationem conſpicientes incorruptionem*, cum quo benè conſiſtit, eos tunc occidi. Conſummationem enim vocat nouiſſima tempora, cùm nimirum incipiet conſummatio & mundi interitus. Et ſanè ſi numquam morituri, cur eorum incorruptionem extendit ſolum ad tempus conſummationis? Tertullianus apertè docet eos morituros, & *ſuo ſanguine Antichriſtum extenturos*, vt ſuprà num. 70. diximus. Nec obſtat quòd libro contra Iudæos capit 2. dicat Enoch eſſe *candidatum æternitatis*: quia eo ipſo apertè indicat nondum eſſe conſecutum immortalitatem. *Candidatus* enim dicitur, qui nondum eſt aſſecutus dignitatem quam ambit, ſed eſt in expectatione: vbi aſſecutus fuerit, non amplius dicitur *candidatus*. Nihil ergo obſtat, quin *candidatus æternitatis* poſſit mori. Nec ideò hoc *ius illi malè firmatum eſt*; quia per breuem mortem, quæ inſtar ſomni eſt, non eliditur. Idem indicat apertè Tertullianus, cùm ait: *Enoch necdum mortem guſtauit, vt æternitatis candidatus.* Cur dicit *necdum*, niſi quia poſtea guſtabit? Dicuntur *candidatus æternitatis*, quia tam longa vita & immunitas incorruptionis eſt certum ſignum & documentum integritatis ſeu immortalitatis futuræ: vt idem Tertullianus libro De reſurrectione carnis ait: vbi apertiſſimè ſignificat illos necdum eſſe immortales.

Ex his patet quàm parum conſideratè dicat Auctor certum eſſe illorum corpora eſſe glorificata in cælo, cum certum ſit neque in cælo, neque glorificata eſſe. Dicimus ergo eorum corpora non eſſe in cælo, ſed in paradiſo: nec glorioſa, ſed diuinitus ſeruari incorrupta (quod Deo facillimum eſt) ibique in magna carnis & ſpiritus tranquillitate degere. Vbi autem ſit paradiſus ille, non eſt opus nos ſcire. Credibile eſt eumdem eſſe, in quo fuit Adam, qui fortè magnam Aſiæ partem complectebatur. Multa ſunt ibi loca ab hominum commercio diſſita. Sed hic aduerte miram hæretici ſpiritus indolem. Qui in queſtione de paradiſo ſequitur antiquorum Patrum ſententiam, is non ſapit ipſi *an ſobrietatem & mera delira proferat*, vt pag. 75. & 76. inſinuatur. at qui contra omnes Patres, contra omnes Scripturas quas adduximus, contra omnium fidelium ſenſum ponit Eliam & Enoch euectos in cælum, aſſecutos gloriam, corporum immortalitatem, hic ſobrie ſapit, & dogmata certiſſima tradit. Eiuſdem generis eſt & illud: *Blaſphemū* inquit, *eſt credere vllum ex Adami poſteris eo* (in paradiſum) *poſt modum* (poſt Adami expulſionem) *peruenſſe.* Quare id blaſphemum? *Quia omnes Adami progenies maledicta eſt in ipſo, & de terreſtri paradiſo eliminata, nec non ipſa terra vniuerſim ac paradiſus ſeparatim propter ipſum maledicta ſunt.* Sed in primis verum non eſt progeniem Adami fuiſſe maledictam à Deo, aut paradiſum ſpeciatim. Maledixit enim terræ & ſerpenti, non Adamo vel Euæ, ſed ærumnis tantum & neceſſitati moriendi ſubiecit. Deinde vt de veritate omittam, quænam eſt illa connexio: Progenies Adami fuit maledicta in paradiſo & expulſa, & ipſe paradiſus maledictus fuit: ergo blaſphemum eſt dicere aliquem ex Adami poſteris ibi ſingulari aliquo Dei priuilegio collocatum? Nonne locus terreſtris & maledictus, homini terrenum corpus geſtanti & maledicto congruentior erat, quàm cæleſtis patria, in quam nihil maledictum intrare poteſt; præſertim cùm maledictio peccati nondum tunc eſſet per Chriſti ſanguinem abſterſa? Denique blaſphemi erunt diſcipuli Apoſtolorum, Irenæus & tot alij Patres antiqui, qui docent Enoch in paradiſum Adami traslatum. Imò & ipſe Lutherus magnus Propheta, & parens omnium huius temporis ſectarum blaſphemus erit; quia idem docet in cap. 5. Geneſis. Numquam finis fit, ſi omnia refutare velim. 75 *Tranſlatio Enoch.*

Tertium Argumentum: Illi Prophetæ prædicabunt induti cilicio. At corpora, quæ tam diu fuerunt exempta à peccato, non egent dira maceratione.

Reſpondeo: Etiam S. Ioannes Baptiſta non egebat illa victus & cultus aſperitate, ſed eam diuina inſpiratione ſuſcepit, vt Iudæos ad pœnitentiam prouocaret. Idem facient Enoch & Elias.

Quartum Argumentum: *Enoch tranſlatus eſt, vt det gentibus pœnitentiam non ſua prædicatione, ſed exemplo*: nimirum, *vt exemplo*, inquit, *gentibus eſſet, & hic tantus honos illi habitus gentes impellet ad agendam pœnitentiam, ſanctiſque eius veſtigijs inhærendum. Quid enim potuit efficacius adigere nationes ad pœnitentiam, quam vt ipſis inſpectantibus diuinus ille vir vnus in cælum pro mercede integritatis ſuæ ſuſtollaretur, ceteri omnes in corruptionem abirent?*

Reſpondeo: Primò. Vnde conſtat illum publicè nationibus inſpectantibus translatum; cùm Scriptura potius contrarium inſinuet, cum ait Geneſ. 5. *Ambulauit Enoch cū Deo* (ſanctiſſimè vixit) *& non apparuit, quia tulit illum Deus!* Quod etiam in eum locum tradit Lutherus; & facit phraſis Hebræa, וְאֵינֶנּוּ *& non ipſe.* Si in omnium conſpectu id factum fuiſſet, Scriptura non tacuiſſet. Imò nec Elias publicè translatus eſt, ſed ſolo Eliſæo ſpectante, cum tamen plurimi tunc eſſent Prophetæ: 4. Regū 2. 12. Deinde etiamſi publicè ſublatus eſſet, parum id fuiſſet ad pœnitentiam ab hominibus peſſimis, quales tunc erant, extorquendam. Sicut ſi modo ſanctus aliquis Monachus vel Ieſuita publicè in cælum raperetur, parum idcircò hæretici ad pœnitentiam commouerentur, ſed potiùs artimagicæ tribuerent; cùm ſimilia vi dæmonis facillimè fieri poſſint. Si enim miraculis maximis omnem diaboli vim ſuperantibus, qualia plurima celeberrimè fiunt in Eccleſia, non mouentur, quibus credat illos motum in illa ſubtili ſubuectione, quæ diabolo eſt facillima, & magis ſtrigibuſque vſitatiſſima?

Denique communis Patrum intelligentia obſtat, vt oſtenſum eſt. Omitto quòd ait cælum dari pro mercede integritatis. Merentur ergo bona opera vitam æternam; libenter hoc accipimus: ſed cum placitis Caluini non benè congruit. Tanta eſt vis illius veritatis, & tantopere cum ratione naturali cōſentit, vt eius confeſſio interdum hæreticis excidat non aduertentibus.

Deri-

Decimasexta Demonstratio, ex consideratione finis Antichristi.

76 EXercitus Antichristi, & Reges ductores igne cælesti delebuntur, ipse vero Antichristus & eius pseudopropheta vivi mittentur in stagnum ignis & sulphuris. At nihil tale hactenus vnum in Pontificibus, aut Regibus & exercitibus illis parentibus ergo, &c.

Exercitus Antichristi quomodo delebitur.

Maior probatur. Dicit enim Apocalyps. 19. vbi dicitur: *Lapidemola* [illegible] *est*, toto tempore quod est ab inventa Christi religione ad Antichristum, *solummodo petram*, *quæ fuerat super quatuor angulos terræ* (tota orbe) *& inter alios Gog & Magog & congregabit eos in prælium*, cum tumultuosum Antichristi ad persequendos fideles: *quorum numerus erit sicut arena maris. & ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum & dilectam & descendit ignis a Deo de cælo, & devoravit eos.* Non est dubitandum quin hic exercitus sit Antichristi, ductoribus Regibus qui fuit tum subditi, inter quos Gog & Magog videntur esse præcipui. Colligimus id, 1. eo partim ex tempore quo hæc fiunt, nimirum expletis mille annis, & soluto Satana, quod est tempore Antichristi, vt passim Patres exponunt: partim ex loco, quia non ex vna aliqua regione, sed ex *quatuor angulis terræ congregabit*: Antichristus autem tunc omnes obsessos: partim ex fine, quia cogetur ad persequendos fideles, & ad cogendos omnes vt Antichristum agnoscant pro Messia. Secundo, Idem colligitur ex capit. 17. vbi de decem Regibus dicitur, qui brevissimo tempore regnabunt: *Hi unum consilium habent, & virtutem & potestatem suam bestiæ* (Antichristo) *tradent: hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet eos, quia Dominus dominorum est, & Rex regum. Pugnabunt cum eo qui ipsius Ecclesiam persequendo, & gloriam conando delere. Vincet eos*, igne cælesti feriendo. Tertio, Colligitur ex capit. 19 vbi sub alia visione hæc eadem res Ioanni est ostensa, & vterque, exercitus ac duces describuntur, & convocantur omnes aues cæli, vt manducent carnes Regum & Tribunorum, &c. vt indicetur maximam stragem futuram. *Et vidi*, inquit, *bestiam* (Antichristum) *& Reges terræ*, qui se bestiæ submiserunt, *& exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo*: nimirum ad Ecclesiam & Christi gloriam extinguendam. Perspicuum est esse hîc eumdem exercitum, de quo capit. 20. qui persequens dilectam civitatem, igne cælitus immisso deletus est. Sæpè eadem res Ioanni diversis visionibus ostensa est. Nec obstat quòd hic exercitus dicatur *occisus gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius*: quia illa forma loquendi apertè indicat non esse gladio materiali occisum; sed virtione divina iussu Christi immissa. hoc enim phrasis illa significat. Itaque hic gladius nihil est aliud etiam ignis cælestis Christi imperio & virtute immissus. Quarto, Idem apertè colligitur ex capit 39 Ezechielis, vbi Dominus de hoc exercitu loquens, & prædicens totum delendum, addit: *Et immittam ignem in Magog*, &c. apertè significans igne delendum. Conferat Lector quatuor illa loca iam citata inter se, & nullo modo dubitare poterit, hunc exercitum esse Antichristi, & regum ipsi subditorum, & igne divinitus occidendum. Instante enim iudicio incipiet sensim iustitiæ suæ gladium adversus impios exerere, idque partim vt ceteri terreantur, & ad pœnitentiam festinent; partim ne fideles tantis persecutionibus diutiùs continuatis vincantur.

77 De morte Antichristi Apostolus 2. ad Thessal. 2. ait: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui. Spiritu oris sui*, hoc est efficaci & potenti imperio suo, quo omnis creatura illi serviit ad vindictam impiorum; vt passim Doctores exponunt. Hieronymus quæstio. 11. ad Algasiam; Chrysost. Theophylact. D. Thomas, & alij in locum illum Apostoli. Theodoretus in capitul. 11. Danielis, &c. Quomodo autem id futurum sit, expressiùs habetur capitul. 19. Apocalypsis, vbi dicitur: *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem eius. vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis & sulphuris. Apprehensi sunt*, nempe iussu Domini à dæmonibus divinæ iustitiæ in damnatos ministris. *Et missi vivi*, terra nimirum dehiscente. Non tamen est necesse vt vivi perveniant vsque ad ipsum stagnum; sufficit vt vivi illuc rapiantur, sicut Dathan & Abiron Num. 16. dicuntur *vivi descendisse in infernum*. quos tamen in tam immenso præcipitio ante mortuos quam terminum attingerent, non videtur dubitandum, præsertim hiatu terræ statim se claudente.

Mors Antichristi.

Respondet Auctor pag. 59. *Spiritum oris Domini non esse aliud quam verbum Dei, & verbi prædicationem* (Calvinistarum) *quæ potentia divina hominis peccati* (Summi Pontificis) *funditus immutatur, atque comminuitur.* 78 *Responsio Auctoris.*

Sed contrà, Primo, quia illud ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει, non *Refutatio.* significat tantùm ipsius potentiam tollendam & confundendam, sed ipsius personam interficiendam, & prorsus delendam cum omni sua potentia: vt omnes interpretantur. Plus enim est ἀναλίσκειν, *consumere*, delere, & quasi in nihilum redigere, quam κτείνειν, occidere.

Deinde, si *spiritus oris Domini* nihil est aliud, quàm potentiam Summi Pontificis, vel potiùs obedientiam populorum erga illum tantùm nimium, nó est magnum malum, nec grandis pœnitentia ipsius Summi Pontificis; sed potiùs est malum Ecclesiæ, & in primis eorum qui se ab illius obedientia subtrahunt. Sicut cùm Dathan & Abiron cum suis ab obedientia Moysis se subtraxerunt, non nocuerunt Moysi, sed sibi. Potentia illa Summi Pontificis non tam est coram ipsis, quàm subditorum. Non enim propter honorem vel commodum ipsius, sed propter vtilitatem subditorum militat. Itaque si ipsius personam spectes, onus est grave minuere expetendum, sed potiùs omni ratione recusandum. Vnde plurimi ex Summis Pontificibus illud fugerunt, & impositum gementes tulerunt, præoptantes vitam privatam, in qua libere animus divinis posset intendere. Communicatio cum ipsis quæ sunt supra mentem perficit mentem, non cum ijs quæ infra; vt rectè Plato dixit. Quò plures ab obedientia Pastoris recedunt, eò minorem de perditione eorum redditurus est rationem Deo. Verùm qui summum bonum constituunt in magnitudine Imperij, sicut multo faciunt hoc tempore, qui omnia ad famam & gloriam suam referunt, ijs ingens malum, & mortis instar videtur Imperij imminutio.

Tertiò, Etsi hæretici multas regiones in Europa ab obedientia Summi Pontificis abduxerint; tamen in India, China, Iapona, & novo orbe non pauciores ad eius Imperium accedere: ita vt non videatur imminutum, sed potius auctum, ex quo illi prædicatores verbi illud oppugnare cœperunt. Quarto, Antichristus cum delebitur virtute Christi, erit in summo gradu gloriæ & potentiæ: id enim fiet postquam omnia sibi subiecerit, & nulla vis humana illi amplius poterit resistere; ita Ecclesiam opprimet, vt persecutio non sit amplius tolerabilis, vt apertè ex Scripturis constabit, Danielis 7. & 11. Apocalyp. 19. & 20 Matth. 24. & docent omnes Patres. Commentitium ergo est quod hæretici dicunt, illius potentiam sensim cõsumendam prædicatione verbi, donec funditus tollatur. Si enim sensim deberet consumi in fine esset debilissimus, & facile humanis viribus posset extingui. Quintò, Antichristus interficiet illos duos Prophetas, qui se illi opponent, quos Auctor interpretatur concionatores verbi: quomodo ergo ab illis interficietur? An forte vbi resurrexerint, interficient suum interfectorem, mortem suam vlciscentes? an mutuis concident vulneribus? vnde apparet huius figmenti insulsitas. Fingentem oportet esse memorem, ne se ipse confutet & evertat; vt sæpè nostris hæreticis accidit. Sextò denique, Mundus quo longiùs procedet, fiet semper deterior, & impietas crescet vsque ad finem, vt suprà num. 26. dictum est. Ergo Antichristi regnum, quod est regnum impietatis, & omnium scelerum, debet etiam crescere vsque ad finem sæculi. At iuxta sententiam Auctoris, debet semper minui per efficaciam verbi Dei, & omnes qui illi parent debent illius obedientiam deserere, & convertere: ac proinde mundus vsque ad finem crescet in omni virtute, & vera pietate, eritque tunc optimus ille status. Ita planè sentiant, qui malum dicunt bonum, qui tenebras lucem, qui impietatem religionem, qui Antichristum Christum. Hæc de Antichristo sufficiant.

Ex his quæ hac Disputatione dicta sunt, duo nobis sunt perspicua: Alterum est, quàm ab omni specie veri aliena, indigna & gravis sit illa hæreticorum in Summũ Pontifi-

cem calumnia. Si enim *qui dixerit fratri suo, fatue, reus est gehennæ ignis*: quæ tormenta, quos ignes non meretur, qui Patrem omnium Christianorum, qui Ecclesiæ Catholicæ Pastorem, sacrorum Principem, successorem Petri, Vicarium Christi, Antichristum vocat? neque solùm vocat ex ira per conuitium, sed ex odio quodam amaro & inueterato; & toti mundo tamquam dogma fidei vult esse persuasum? Quid enim teterius vel detestabilius dici potest? Qui probæ famæ virum vocat furem, adulterum, homicidam, latronem, sodomitam, grauem iniuriam irrogat: sed nihil ad illam nominis Antichristi contumeliam. hoc enim verbo omnium atrocissimorum scelerum continetur colluuies. Itaque maior contumelia excogitari nō potest. Et fit hæc non alicui de vulgo, sed supremo Sacrorum Principi, Christi in terris locum tenenti. Vnde & in ipsum Christum redundat, vt hac ratione etiam grauis blasphemia censeri debeat. Rursus, si crimen est læsæ Maiestatis, cùm quis è subditis excitat ceteros vt desciscant á suo Principe, vt correptis armis illum veluti Tyrannum ejiciant: cur non sit crimen læsæ maiestatis concitare Principes Christianos, vt desciscant ab obedientia Sedis Apostolicæ, eamque infestissimi hostis loco habeant & exterminent? Omnes enim quâ Christiani, huic Sedi sunt subiecti, eamque vt principali auctoritate, in ijs quæ salutem concernunt, eminentem, omnes Catholici venerantur, omnibusque sæculis sunt venerati. Si Dathan & Abiron viri primarij Leuitici generis, ob seditionem aduersus Moysen & Aaron concitatam, terra dehiscente cum suis tabernaculis absorpti sunt, & viui in infernum descenderunt operti humo, vt Numerorum 16. narratur: quæ vindicta manet eos, qui omnes ad rebellandum Sedi Apostolicæ, & ad eam euertendam ac exterminandam sollicitāt? Cuius dignitas & auctoritas tanto est præstantior dignitate & auctoritate Moysis ac Aaronis; quanto præstantiùs Euangelium Lege, spiritus littera, veritas vmbra, noui Testamenti administratio & sacerdotium sacerdotio Legis veteris. Si tetre refellendus qui Reginæ Angliæ memoriā conuitijs onerat, vt vult Auctor Præfationis pag. 12. quo supplicio plectendus, qui Principem sacrorum, & omnium Christianorum Patrem tam contumeliosè tractat?

L. 1. ff. ad L. Iuliam maiestatis. & L. Quisquis. C. eodem tit.

Alterum est, quàm indignis modis diuina Scriptura ab hæreticis tractetur, dum contra omnium veterum sensum & consensum, contra apertam verborum significationem, contra omnem vsum & rationem, per tropos & metaphoras torquetur ad quidlibet, quod eorum proposito vel passionibus seruire queat.

Hæc dixerim non in Regem ipsum, aliorum fraude iam inde ab infantia circumuentum, quem spero diuina bonitas aliquando respiciet; sed in eos qui tanti sceleris Auctores extiterunt, & nomine Regio, ad oppugnandam veritatem, & licentius in Religionem Catholicam debacchandum, abutuntur. Infinitam Dei clementiam precor eos illuminet, vt quàm horrenda maneant eos tormenta, in stagno ignis & sulphuris, videant, & maturè resipiscāt.

DE

DE ANTICHRISTI PRÆCVRSORIBVS DISPVTATIO.

Vtrùm hæretici huius sæculi, præsertim Lutherus, Caluinus, Menno, & alij hæreseos Doctores, Ministri & promotores, sint præcursores Antichristi.

PRÆFATIO.

NEMO suspicetur conuitiandi causa me hæc scribere. Deum testor qui me iudicaturus est, longè id esse à mente mea & consuetudine. Rationibus vrgere consueui, non conuitijs; idque plano & scholastico stylo, absque Rhetoricis digressionibus, quibus hæreticorum libri plerumque sunt conferti. Dogma tractamus in Sacris Scripturis fundatum, non conuitia ingerimus; cuius tractationis aduersarij nobis dant occasionem, & pœnè ad eam nos compellunt. Cùm enim ipsi nos Antichristi volunt esse ministros, Summum verò Pontificem Antichristum, idque toti mundo persuadere conantur: cogunt nos veritatem patefacere, & ostendere quis & qualis futurus sit magnus ille Antichristus in Scripturis prędictus: qui & quales eius præcursores ac ministri, quorum in ijsdem Scripturis sępè mentio. Itaque non est quòd nobis indignentur huius rei causa; neque conuitium putent si quid asperiùs dicatur. Rem enim nudè absque amplificationibus proponemus, nihilque quod non sit certum & perspicuum, vel iusta ratione suffultum, adferemus. Cùm aliquid asperum vel probrosum alicui ingeritur, eo tantùm fine vt hoc ipsum mordeat, & animum eius dolore vulneret, ad conuitium pertinet: cùm verò non eo fine, sed vt veritas patescat, vt hypocrisis detegatur, vt venena latentia ostendantur; non est conuitium, sed salutaris monitio & doctrina. Hæc præfati rem aggrediamur.

PRIMA DEMONSTRATIO,
EX GENERALI RATIONE
HAERESEOS.

1 HÆretici cùm statuant Summum Pontificem esse ipsum Antichristum, consequenter affirmant Episcopos omnes, Doctores Ecclesiæ Catholicæ, Principes Catholicos Pontifici adhærentes, & quicunque Religionem Catholicam promouent, esse Antichristi sectatos, & instrumenta; vt patet ex ijs quę Auctor scribit pag. 59. 97. 98. 106. 107. At Catholici non tam desperate de illis sentiunt: omnes tamen in eo conſentiunt, & firmiter tenent ipsos esse Antichristi prodromos seu præcursores, eius aduentui viam sternentes. Quod intelligo in primis de ipsis hæresiarchis, Luthero, Caluino, Menonę, Zuinglio, Melanchthone, & ceteris primarijs huius sæculi hæresium auctoribus: deinde de omnibus Ministris & Doctoribus: denique de omnibus qui hæresim defendunt ac promouent, & Ecclesiam Catholicam oppugnant, siue sæculares illi sint, siue Ecclesiastici.

2 *Omnes hæretici sunt præcursores Antichristi.*

Hanc sententiam esse verissimam, ac planè ex mente diuinarum Scripturarum, facile conuinci potest; idque duplici demonstratione, generali & speciali. Generalis est hęc: Omnes hæretici, præsertim doctores & promotores hæreseos, sunt præcursores Antichristi. Atqui Lutherus, Caluinus, & alij supradicti sunt hæretici, imò doctores & promotores hæreseos. Ergo sunt veri præcursores Antichristi. Maior est manifesta, & concedituri Lutherani, Caluinistæ, & reliqui sectæ. Docent enim hæreticos qui antecesserunt aduentu Antichristi, esse ipsius præcursores: eos verò qui post eius aduentu emergunt, esse ipsius ministros & satellites. Vnde de hac propositione non est inter nos & illos controuersia, sed solùm quæstio est de Minore nempe quænam verè sint hæretici.

Eadem veritas colligitur ex Scripturis: 2. ad Thessal. 2. *Nam*, inquit, *mysterium iam operatur iniquitatis*. Quem locum plerique Patres (vt Theodoretus, Sedulius, & alij multi in hunc locum, & D. Augustinus lib. 20. de Ciuitate cap. 19.) interpretantur de hæreticos, quos vocant *mysterium iniquitatis*, μυστήριον τῆς ἀνομίας: quia sunt figura Antichristi, qui more Hebræo dicitur *iniquitas*, sicut Christus *iustitia*: quia plenus erit *iniquitate*, & mundum ad *iniquitatem* impellet. Alij per *mysterium iniquitatis* intelligunt Neronem, & similes Ecclesiæ persecutores. Verùm non est dubitandum quin etiam comprehendantur hæretici. Loquitur enim de omnibus Ecclesiæ persecutoribus. Hi omnes sunt mysterium iniquitatis, & figura Antichristi incepiunt enim quod ipse perficiet. Posset etiã illud ἐνεργεῖται. *operatur*, accipi passiuè, & per *mysterium iniquitatis* intelligi persecutio Ecclesiæ ab hæreticis & tyrannis; quæ persecutio est figura persecutionis Antichristi, & veluti dispositio ad illam, & eodem sensus recipit. Placet tamen prior expositio, cui congruit illud 1. Ioannis capitul. 2. *Filioli, nouissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus venit* (ἔρχεται venire debet) *nunc Antichristi multi facti sunt; vnde scimus quia nouissima hora est.* Quasi dicat, Magni illius Antichristi, qui nouissimo tempore debet venire, præcursores iam adsunt: ergo nunc est nouissima ætas, qua ipse debet subsequi. Simili modo colligit Apostolus: *Mysterium iniquitatis iam operatur*, iam adest & viget: ergo iniquus ille suo tempore, impedimento sublato, reuelabitur. Ita duo illa loca intelligit D. Augustinus lib. 20. de Ciuita. cap. 19. & alij Doctores. Vtrobique ergo significantur hæretici, qui ex eadem causa dicuntur Antichristi, & mysterium iniquitatis: nimirũ, quia Antichristi præcursores & typi.

3 *Aduersarius Ecclesiæ non esse hæreticos.*

Nunc probanda Minor. Ac primùm eos qui Ecclesiæ Catholicæ adhærent hæreticos non esse, vt Lutherani & Caluinistæ volunt ipsum nomen *Catholici* apertè declarat. Hi enim semper omnibus sæculis *Catholici* habiti & vocati sunt: cæteri verò qui se ab ea Ecclesia segregarunt, hæretici vel schismatici. Deinde hæretici dicuntur qui desciscũt ab Ecclesia Catholica, & noua dogmata pro suo arbitrio sibi deligunt, iudicio Ecclesiæ Catholicæ nolentes acquiescere. At non potest ostendi fuisse aliquam Ecclesiam priorem, quæ Catholica dicta fuerit, à qua Romana Ecclesia desciuerit.

Responsio hæreticorum. Refutatur.

Respondent Lutherani & Caluinistæ eam desciuisse ab Ecclesia Apostolica. Sed quando id factum? quo anno, quo loco, quo auctore, in quibus dogmatibus? Quinam manserunt in Ecclesia Apostolica, qui Ecclesiæ Romanæ segregantide ab ea restiterint, & se illi opposuerint: quorum monitis ipsa noluerit acquiescere? nihil horum ostendere possunt. At numquam est facta aliqua notabilis discessio ab Ecclesia per hæreses, de qua non possimus ostendere, quo tempore, quo loco, quo auctore, in quibus dogmatibus facta sit: quinam se opposuerint: qui dogmata illa notitia condemnarint: quinam in Ecclesia, a qua illi nouorũ dogmatum sectatores aduersi sunt, permanserint. Vnde patet illud responsum nullum colorem habere.

Alia responsio.

Dicent fortasse Ecclesiam Romanam non ita recessisse ab Apostolica, vt hæc permanserit in suo statu, vt Ecclesiam Romanam erroneam posset corrigere; sed totam Ecclesiam Apostolicam sensum esse corruptam, & mutatam in eam formam fidei & religionis in qua modò est Ecclesia Romana. Aiunt enim statim post tempora Apostolorum cœpisse errores irrepere, & singulis sæculis maguam esse factam accessionem.

Refutatio.

Sed quis non videat hoc absurdissimè dici? Si enim ita est; ergo parum stetit regnum Dei, sed simul atque a Christo constitutum est, *mox concidit*, & portæ inferorum aduersus illud prævalere cœperunt: nec est ædificatum supra petram, sed super arenam: nec est columna & firmamentum veritatis, sed arundo mobilis, & scholia mendacij. Deinde si Ecclesia Apostolica ita defecit; ergo nullus posted censendus fuit hæreticus, nullus schismaticus; quia nulla fuit Ecclesia, cuius iudicio stare teneretur; quam si audire nollet, habendus si velut Ethnicus & Publicanus.

4 *Lutherani Caluinistæ, &c. hæreticos esse.*

At verò Lutheranos, Caluinistas, Anabaptistas, & cæteros hæreticos esse, facilè demonstrari potest. Primò, quia doctrina, quam profitentur, hæreseos damnata est ab omnibus Academijs omnium regnorum orbis Christiani; ab Imperatoribus, a Regibus & Principibus Christianis, ab omnibus Ecclesiarum Rectoribus & Episcopis, ab omnibus Synodis prouincialibus, a Synodo Oecumenica Tridentina, a Summis Pontificibus: denique etiam ab Ecclesia Græcorum. Itaque iudicium orbis terrarum est, illos hæreticos esse. Quis tantæ auctoritati non credat? quis maius aut grauius iudicium requirat? quis plures aut aptiores Iudices postulet?

Ab omnibus damnata eorum doctrina.

Nec refert quòd aliqui Reges & Principes illam doctrinam postea fint complexi: quia id factum, nõ quòd ratione conuicti eam veram iudicarint; sed quòd eam vel rebus suis stabiliendis & augendis, vel doloribus, vlciscendis, vel ad voluptates & licentiam vitæ, censuerint cõmodiorem.

Neque solùm hoc sæculo, sed etiam nouem vel decem sæculis superioribus, omnium illorum iudicijs, atque adeò a toto orbe ista doctrina damnata est: quod etiam ipsi satis apertè fatentur. Omnes enim Summi Pontifices, omnia Concilia Oecumenica, omnes Episcopi & Ecclesiarum Rectores, non solùm in Ecclesia Latina, sed etiam in Græca, omnes Academiæ, omnes viri sanctitate vel doctrina illustres, omnes Imperatores, omnes Reges, omnia Regna orbis Christiani, illam doctrinam, quam Lutherani, Caluinistæ, & Anabaptistæ modò tradunt, iam a decem sæculis hæreticam censuerunt. Quod vel ex eo manifestè constat, quòd omnes toto illo tempore pro fidei dogmatibus tenuerunt: Primò, hominem esse liberi arbitrij. Secundò, Deum non impellere ad peccatum. Tertiò, mandata diuina homini iustificato esse possibilia.

Quartò,

Quartò, dari multa opera bona, in quibus homo non peccet. Quintò, Chriſti corpus eſſe verè realiter, & ſubſtantialiter præſens in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Sextò, ſubſtantiam panis & vini mutari in corpus & ſanguinem Chriſti. Septimò, in Eccleſia offerri verum & propitiatorium ſacrificium pro viuis & defunctis. Octauò, eſſe purgatorium. Nonò, Sanctos eſſe invocandos. Decimo, eorum imagines & reliquias eſſe honorandas. Vndecimò, vota monaſtica laudabiliter ſuſcipi, nec poſſe abſque ſcelere violari. Duodecimo, Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem. Decimotertiò, Eſſe in Eccleſia Sacramentum Pœnitentiæ, Ordinis, &c. conferens gratiam. Decimoquartò, Suſcepto ſacerdotio fas non eſſe vxorem ducere. Decimoquintò, Fidem non ſufficere ad ſalutem, Et alia multa, quæ ab illis negantur. Si illa tenebant tanquam fidei dogmata: ergo contraria quæ ab illis ſectis traduntur, cenſebant eſſe hæretica. Denique etiam iudicijs priorum ſæculorum, quæ proximè poſt Apoſtolorum ætatem fuere, illam doctrinam conſtat eſſe damnatam. Nam dogmata ſupradicta ſemper in Eccleſia viguere; vt ex ſcriptoribus antiquiſſimis facile oſtendi poteſt. Et quamuis de aliquibus item nobis moueant noſtri nouatores: de multis tamen fatentur, ſed dicunt cœpiſſe mòx ſecundo & tertio ſæculo ſuperſtitiones in Eccleſiam irrepere, & libertati humanæ, bonisque operibus nimium tribui.

Ex quibus luce meridiana clarius eſt, Lutheranos, Caluiniſtas, & Anabaptiſtas hæreticos eſſe credendos; cùm ea dogmata pertinaci teneant aſſenſu, quæ omnibus ſæculis ab omnibus Catholicis Doctoribus, Epiſcopis, Summis Pontificibus, Synodis, atque adeò ab omnibus ijs ad quos aliquo modo pertinet de dogmatibus fidei credere, conſentientibus Principibus & populis orbis Chriſtiani, hæretica iudicata fuere. Neque ſolùm ab omnibus omnium ætatum Catholicis, ſed etiam ſingulæ ſectæ mutuis damnatæ ſunt cenſuris. Nam Lutheranu hæreſeos damnant quæ Caluiniſtarum ſunt propria: & Caluiniſtæ ea quæ Lutheranorum: & vtrique ea quæ Anabaptiſtarum: & hi vtroſque viciſſim. Itaque Caluiniſtæ hæretici ſunt non ſolùm omnium Catholicorum, qui omnibus ſæculis extitere, ſed etiam Lutheranorum & Anabaptiſtarum iudicio. Idem dixerim de Lutheranis & Anabaptiſtis. Quæ maior poteſt eſſe damnatio, quàm ea, in quam ætot ſæculis conſentit orbis Chriſtianus? quæ ita approbatur ab omnibus, vt nullus amplius ſuperſit qui contradicat, præter ipſum reum? a qua non poteſt fieri appellatio, niſi ipſe reus iudex omnium conſtituatur? At quis vmquam reum à toto orbe condemnatum, Iudicem ſuæ cauſæ & omnium Iudicum conſtituat? aut illi contra omnium iudicia, ſe iure feciſſe quod fecit affirmanti, credendum putet?

Singulæ ſectæ damnatæ a ſe inuicem.

Dicent ſe ad tribunal & iudicium Scripturæ appellare; eoque ſe a labe hæreſeos abſolui qua in re perinde faciunt, ac ſi quiſpiam in omnibus Regni tribunalibus perduellionis condemnatus appellaret ad Codicem Iuſtiniani, vt ex eo probet ſe non crimen perduellionis, ſed iuſtum in Patriam officium præſtitiſſe; ſed hunc Codicem vellet intelligi non vt ab omnibus Iuriſperitis & Iudicibus intelligitur, ſed iuxta ſuam imaginationem. Cui appellationi ſi deferendum ſit, nullus vmquam reus condemnari, nulla cauſa iure decidi poterit aut terminari. Simili modo illi in omnibus legitimis fidei & Religionis Tribunalibus hæreſeos condemnati, prouocant ad ſacram Scripturam, non iuxta receptum Doctorum & Eccleſiæ Catholicæ ſenſum, ſed iuxta propriam phantaſiam explicandam. Quæ appellatio ſi eſſet admittenda, iam nulli pœnè eſſent hæretici; non Ariani, non Sabelliani, non Macedoniani, non Donatiſtæ, non Pelagiani, non Monothelitæ, & ſimiles ſectæ. Omnes enim ad Scripturam Iudicem prouocant; & eam à ſe ſtare conſtanter affirmant. imò ſi quis benè aduertat, ſinguli ſeipſos Iudices totius cauſæ conſtituunt, dum ſibi Scripturæ interpretationem reſeruant. tota enim vis eſt in ſenſu. nullum autem ſenſum admittunt, niſi qui ipſorum erroti fauere videatur. Itaque dum appellant ad Scripturam, ad ſuum tribunal prouocant, ſeipſos totius controuerſiæ Iudices conſtituunt; ſicque facilè ſeipſos abſoluunt, & reliquos omnes condemnant. Verùm ſicut omnes aliæ ſectæ (non obſtante hac prouocatione) propter Eccleſiæ iudicium, quo hæreos ſunt condemnatæ, omnibus ſæculis à toto mundo hæreticæ ſunt habitæ: ita Lutherana, Caluiniſtica, Anabaptiſtica, & aliæ huius aui ſectæ, ob ſimilem Eccleſiæ condemnationem, certiſſimè ſunt hæreticæ iudicandæ.

Idem confirmatur hac ratione: Hæretici ſunt qui ab Eccleſia Catholica recedentes, propria ſibi dogmata ſub profeſſione Chriſtiani nominis deligunt, iudicio Eccleſiæ nolentes acquieſcere. Hi enim omnibus ſæculis pro hæreticis habiti fuere. Ob hanc cauſam hæretici iudicati Ariani, Sabelliani, Macedoniani, Neſtoriani, Eutychiani, Pelagiani, &c. Atqui Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ receſſerunt ab Eccleſia Catholica, & propria ſibi dogmata ſub profeſſione nominis Chriſtiani delegerunt, iudicio Eccleſiæ acquieſcere recuſantes: perſpicuum ergo eſt, eos veriſſime & propriſſimè hæreticos eſſe: ac proinde Antichriſti præcurſores.

Nec refert quòd multi eorum Catholici numquam fuerint, ac proinde non videantur ab Eccleſia Catholica receſſiſſe. Satis enim eſt maiores eorum quorum ſequuntur errores, Lutherum, inquam, Caluinum, Mennonem, & ſimiles, ab Eccleſia Catholica receſſiſſe. Sic enim illi in ſuis maioribus ab Eccleſia receſſerunt.

Deinde ſuſceptio Baptiſmi eſt implicita quædam totius fidei Catholicæ profeſſio, & conſtituit hominem membrum Eccleſiæ, ſicut circumciſio iuxta Apoſtolum erat profeſſio legis Iudaicæ, & faciebat membrum Synagogæ: ergo ſi quis poſtea profiteatur hæreſim, is verè deſerit Eccleſiam, & fidem Catholicam, quam in Baptiſmo ſuſcepit & profeſſus eſt; vereque deſertor Eccleſiæ, fidei & religionis dicendus eſt. *Ad Galat. 5.*

Secunda Demonſtratio, ex decem comparationibus.

SEquitur altera Demonſtratio, ex conſideratione doctrinæ & operum Antichriſti, ex quibus manifeſtè eius præcurſores eſſe conuincuntur. Præcurſor enim eſt, qui viam munit; & animos hominum diſponit ad ſuſpiciendum eum, cuius præcurſor dicitur, inchoando quodammodò quod ille completurus eſt. Hoc modo Prophetæ, & in primis Ioannes Baptiſta, dicuntur præcurſores primi aduentus Domini: quia animos hominum ab impietate alijſque flagitijs auocarunt, & in eis cognitionem ac timorem diuinum, pietatis & iuſtitiæ ſtudium inchoarunt, per quæ idonei redderentur ad Dominum recipiendum, quæ tuc ipſe Dominus ſua præſentia ad perfectam ſanctitatis formam perduceret. Atqui Lutherani & alij ſectarij diſponunt animos hominum ad Antichriſtum facilius acceptandum, inchoando ſtrenuè quod ille perfecturus eſt. Cur ergo non ſunt verè & propriè eius præcurſores iuxta mentem Scripturarum? *6 Præcurſor quis dicatur.*

Sola Minor probanda: nam cetera ſunt manifeſta. Hanc ex collatione operum oſtendere poſſumus.

Prima Comparatio, in ſtudio abducendi à fide.

PRimò, Antichriſtus abducet homines à fide Chriſti; Lutherani, Caluiniſtæ, &c. abducunt homines à fide Eccleſiæ Chriſti. Ille dicet non eſſe credendum Chriſto noſtro, ſed ſibi vtpote vero Chriſto: hi dicunt non eſſe credendum Eccleſiæ Catholicæ, veræ inquam Chriſti Eccleſiæ, ſed nouis magiſtris, & nouarum Eccleſiarum architectis. Atqui non credere Eccleſiæ Chriſti, magnus eſt gradus ad non credendum Chriſto; ac proinde ad recipiendum Antichriſtum. Quia ſublata Eccleſiæ auctoritate, nihil omnino certi de Chriſto relinquitur, in quo indubitanter poſſimus acquieſcere; cùm etiam de ipſis Scripturis abſque illa incerti ſimus. Nam vt ait D. Auguſtinus contra Epiſt. fundamenti capit. 5. *Ego etiam Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoueret auctoritas.* quod etiam quotidiana experientia confirmat. Multi enim cùm ab Eccleſia receſſerunt, extra illam nihil ſolidi, quod animo accuratè omnia expendenti ſatisfacere queat, reperientes, à ſecta vna in aliam, & tandem ad Arrianiſmum vel Turciſmum, vel quod crebriùs eſt ad Atheiſmum deuoluuntur; vt multis exemplis oſtendi poteſt. Imò tota 7

ſecta nouorum Arrianorũ & Neſtorianorum, quæ in Hungaria, Tranſiluania, Polonia, & locis vicinis graſſatur, ex Lutheranis, & Caluiniſtis originem ducit.

8 Addo eos qui Eccleſiam Catholicam reijciunt, eo ipſo communi non credere Chriſto. Eccleſia enim eſt interpres Chriſti, ac ὑποφῆτις, & veluti os ipſius per quod ipſe nobis loquitur, & omnem ſuam doctrinam proponit. ergo qui illi non credit, hoc ipſo non credit Chriſto, qui per illam loquitur: ſicut Iudæi hoc ipſo quo nolebant credere Prophetis quos Deus ad illos mittebat, cenſebantur nolle credere Deo qui per illos loquebatur. quod confirmat Dominus Luc. 10. cùm ait: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Et Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Ex quibus perſpicuum eſt, eos qui ab Eccleſia recedunt, verè non credere Chriſto, ſed ſuæ phantaſiæ, vel ſpiritui priuato; ac proinde comparatos eſſe ad credendum Antichriſto.

Secunda Comparatio, in neglectu bonorum operum & licentia Vitæ.

7 SEcundò, Antichriſtus abducet homines a ſtudio bonorum operum, & faciet illis omnem ſcelerum licentiam. Vnde 2. cap. Epiſt. 2. ad Theſſal. vocatur ab Apoſtolo *homo peccati*: nimirum quia ipſe non ſolùm erit maximus peccator, ſed alios adducet ad peccandum, latiſſimam ad omnia flagitia portam aperiens. Quidquid enim Chriſtus adſtrinxit, hoc Antichriſtus laxabit; & nihil aliud requiret, quàm vt in ipſum credant: ſe omnes qui ipſum receperint, felices & beatos effecturum. Colligitur ex cap. illo 2. & ex alijs quę priori de Antichriſto Diſputationi dicta ſunt.

Lutherus ar. 30. & ar. 1. Caluinus li. 3 Inſt. c. 12. §. 4 & c. 14. §. 9.

Eadem egregiè præſtant Lutherani & Caluiniſtæ, adeò vt hac in parte vix cedant Antichriſto. Ad ſtudio enim bonorum operum abducunt: quia docent homines per ea non fieri ſanctiores, nec quidquam mereri apud Deum, nihilq; mercedis pro illis accepturos; ſed ſolam fidem apud Deum æſtimari. Denique omnia hominum opera, quæ videntur bona, occulta peccati labe inquinata eſſe, & iuſtam opprobrij mercedem apud Deum mereri. Itaque ſubtrahunt totum illud, quod homines ad bona opera poſſet allicere, nimirum ſpem fructus & mercedis; & inſuper apponunt aliquid quod eos ab illis deterreat, labem & turpitudinem peccati.

Lutherus in aſſer. art. 1. & lib. de libert. Chriſtiana. Caluinus li. 3. c. 4. §. 28. & lib. 2. ca. 8. §. 58.

Licentiam omnium ſcelerum faciunt, dum docent nullum crimen poſſe credentibus officere: nam propter fidem Chriſti nullum peccatum ad culpam vel pœnam imputari. qua doctrina poſita tollitur omnis timor vindictæ, & tam lata ad omne flagitium, quàm per Atheiſmum, porta aperitur; vt in Confolatione de Religione fuſius oſtendimus. Id enim quod homines retinet & cohibet à peccatis, eſt timor vindictæ a Deo irrogandæ; vt paſſim Scriptura docet, & experientia quotidiana demonſtrat. Semoto hoc timore, nullum eſt amplius retinaculum, nullum frænum; itaque liberè toto impetu abſque vllà formidine in omnes libidines, in omnes fraudes, in maleficij & veneficij genus omne ruere poſſunt, modò id clam magiſtratibus faciant, aut ab illis per leges humanas nulla caſtigatio impendeat. Quare cùm iſti tua doctrina omnem vindictæ timorem penitus tollant, perſpicuum eſt eos omnium vitiorum facere poteſtatem, atque adeò omnium ſcelerum præbere cauſam. Sicut enim qui ſubluit fulcra quibus ruina domus impediebatur, eſt cauſa ruinæ domus: ita qui tollit timorem diuinæ vltionis, quo genus humanum ſuſtentabatur ne liberè in omne flagitium rueret, eſt cauſa ruinæ in illa flagitia. Quatenus ergo tollunt ſpem mercedis, extinguunt ſtudium bonorum operum: quatenus tollunt timorem vindictæ, faciunt copiam & licentiam omnium ſcelerum. Neſcio qua ratione Antichriſtus efficaciùs iſta facere queat; niſi fortè bonis operibus ſupplicium, prauis præmium conſtituat. quamuis neſic quidem noſtri hæretici hac in re omnino ab ipſo vincerentur. Nam & ipſi bonis operibus, ſi quis ea animo promerendæ mercedis præſtet, ſupplicium conſtituunt; cùm ea ſuperſtitioſa eſſe, & in Chriſti iniuriam cedere, ac proinde ignem æternum mereri dicant. Vnde cùm omnia bona opera Catholicorum etiam mercedis intentione fiant, (iuxta illud Pſalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem*, aliasque plurimas Scripturæ ſententias) eadem lege illa condemnant. Denique ſicut Antichriſtus à ſuis aſſectis non exiget Decalogi obſeruationem, ſed tantùm fidem, quæ in ipſum credunt, & vt Meſſiam recipiant; ita ipſi ſolam fidem ad ſalutem exigunt.

Tertia Comparatio, in tollendo Sacrificio.

TErtiò Antichriſtus auferet *iuge ſacrificium*, vt conſtat ex capit. 12. Danielis: auferet, inquam, quoad publicum vſum, grauiſſimè puniens & occidens eos, quos cognouerit illud vel publicè vel priuatim obtuliſſe. Dicet enim eſſe idololatriam, & propterea tollendum. Ob eamdem cauſam tollet cultum imaginum Chriſti & Sanctorum. Vtetur enim in ſuis factis rationabili aliquo prætextu, & ſpecie quadam rationis ac pietatis, vt homines decipiat.

Eodem modo faciunt hæretici huius temporis, præſertim Caluiniſtæ. Tollunt enim vbique, vbi rerum potiuntur, iuge ſacrificium, & Liturgiam Eccleſiæ, idololatriæ obtentu; imò nullam Ethnicorum idololatriam adeò execrantur. Vnde euertunt altaria, confringunt calices, & omne ſacrum inſtrumentum ad hoc ſacrificium comparatum vaſtant & profanant, inde ſibi caligas, induſia, thoraces concinnantes. Tollunt etiam eodem prætextu veneration em crucis, & imaginum Chriſti & Sanctorum, & illas tamquam Idola cum mille probris deturbant, confringunt, exurunt. Porrò hunc cultum adeò exagitant, vt nulla Ethnicorum idololatria videatur illi poſſe compari. Nam quidquid ferè in Apocalypſi aduerſus veram Idololatriam dicitur, hoc totum ad hunc cultum detorquent, quaſi præcipuus Spiritus ſancti ſcopus illis fuerit locis, cultum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & veneration em Imaginum & Reliquiarum traducere, & damnare. Denique grauiſſimas pœnas in eos qui ſacrificium Miſſæ obtulerint, vel eidem interfuerint, conſtituunt. An hoc non eſt parare viam Antichriſto, eiuſque le prodromum oſtendere?

Quarta Comparatio, in tollendis Eccleſiæ Sacramentis & cærimonijs.

QVartò, Antichriſtus tollet omnia Eccleſiæ Sacramenta, omnia officia diuina, omnia feſta, & ieiunia. Quidquid enim à Chriſto inſtitutum eſt, vel aliquo modo ad ipſius cultum ac honorem pertinet, abrogabit; vtpote Chriſti iuratus hoſtis, eique ex diametro repugnans. Vnde D. Hippolytus Oratione de Antichriſto: *Nec ingemet Eccleſia luctum magnum quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus: ſed Eccleſiarum ædes tugurij inſtar erunt, pretioſumque corpus & ſanguis Chriſti non exibebit in ædibus illis. Liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit, Scripturarumque recitatio non audietur.*

Noſtri hæretici ſuſtulerunt omnia Sacramenta præter Baptiſmum; & huius etiam tollendi poſuere fundamentum. Docent enim Caluiniſtæ infantibus fidelium non eſſe neceſſarium ad ſalutem: nam eos hoc ipſo quo naſcuntur è parentibus Chriſtianis, ſanctos eſſe ex vi illius promiſſionis diuinæ factæ Abrahamo Geneſ. 17. *Ero Deus tuus, & Deus ſeminis tui poſt te.* Si neceſſarius non eſt, ſeu occaſione abrogari poterit; præſertim cùm ex ſententia illorum nihil ſit niſi nudum ſymbolum, quo Deus conſcientijs noſtris ſuas promiſſiones obſignat, vt ait Caluinus lib. 4. cap. 14. nu. 3. hoc eſt, quo ipſe teſtatur conſcientijs noſtris, vt credamus ipſum nobis eſſe propitium; quod teſtimonium inutile prorſus eſt infantibus, cùm ipſi nec illud percipere, nec credere poſſint. Libenter diabolus Baptiſmum quoque ſuſtuliſſet: ſed quia id Deo, ne tot millia infantium perirent, nondum permittere placuit: rem ita diſpoſuit, vt facili negotio cùm opportunum fuerit, & creſcentibus hominum peccatis, Deus non amplius

Ex ſententia Caluini lib. 4. Inſt. c. 16. nu. 6.

illum

illum impedierit, è medio tollere poſſit.

Sustulere quoque officia diuina, nimirum Liturgicam actionem, vt dictum eſt, pſalmodiam, & laudes diuinas, quæ diu noctuque in Eccleſijs & monaſterijs celebrari & decantari ſolent. hæc omnia perpetuo apud eos ſilentio damnata. Denique ſuſtulere omnia pæne feſta & ieiunia Eccleſiæ, & quidquid earum molestiarum, partim vt ſuperſtitioſa, partim vt Euangelicæ libertati repugnantia. Retinent tamen diem Dominicum, nec immeritò. Nam & hunc quodam modo retinebit Antichriſtus, iubens eum diem in ſuum honorem & cultū ſeruari; vt quodam loco Sanctus Gregorius tradit, cùm ait: *Quia enim mori ſe & reſurgere ſimulat* (Antichriſtus) *habere in veneratione vult diem Dominicum.*

Lib. 11. epiſt. 3.

Quinta comparatio, in mutilandis & peruertendis Scripturis.

12 QVintò, antichriſtus eas ſacræ Scripturæ partes, quæ ipſius inſtituto clariùs videbuntur aduerſari, vt nouum Teſtamentum, & quaſdam partes veteris, tollet è medio, tamquam adulterinas, ſuppoſititias, & confictas: & eas quas admittet, interpretabitur non ex ſententia Patrum, ſed pro ſuo commodo, declinando ad ſenſus Iudaicos & Rabbinorum, de externa gloria Meſſiæ. Nam conabitur perſuadere Iudæis ſe eſſe Meſſiam in Scripturis promiſſum, vt ſuperiore Diſput. de Antichriſto Demonſtrat. 6. & 7. oſtenſum eſt. Sicut enim Chriſtus ſe verum Meſſiam miraculis & Scripturarum teſtimonijs probauit: ita & ipſe conabitur ſe Meſſiam probare miraculis mendacibus, & adulteratis Scripturæ ſententijs, vt paſſim docent Patres.

Quos S. Scripturæ libros Hæretici reiiciant.

Etiam hac in re præclaram ipſi operam nauant noſtri hæretici. Nam omnes aliquot S. Scripturæ libros, vt apocryphos vnà cum Iudæis reijciunt; nimirum librum Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum; & alias quaſdam particulas, vt Hymnum trium puerorum Dan. 3. Hiſtoriam Suſannæ, & Belis. His accenſet [a] Caluinus librum Baruch. [b] Lutherus etiam librum Iob, & Eccleſiaſten contemnit. *Illum* ait *in ſtar fabulæ ad exemplum patientiæ concinnatum: hunc videri ſibi ocreis & calcaribus deſtitutum equitare in ſacris, vt ipſe ſoleret cùm adhuc degeret in ea nobis.* E nouo teſtamento [c] Lutherus ſuſtulit Epiſtolam ad Hebræos, tamquam nonnulla contra doctrinam Euangelicam & Apoſtolicam continentem: Epiſtolam Iacobi & Epiſtolam Iudæ omnino contemnit. De ſecunda & tertia Ioannis dubitat. Apocalypſin abſolutè reijcit. Denique idem Lutherus cùm non auderet apertè reijcere Euangelia, tria tamen tectè exauctorauit. Sic enim ſcribit in Prologo noui teſtamenti: *Abolenda eſt falſa illa opinio, quòd ſint quatuor Euangelia. Nam Euangelium Ioannis eſt vnicum, pulchrum, verum ac principale, aliſque tribus longè & longè anteponendum.* Et infrà: *Pauli Epiſtola ac Petri longè præcedunt tria Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ; Iacobi autem Epiſtola præ illis ſtraminea eſt.* Abolitis tribus Euangelijs tamquam non veris, nec diuino Spiritu ſcriptis, parum ſupererit difficultatis Antichriſto in abolendo Ioanne, & ceteris quæ ſuperſunt.

[a] *Lib 3. c. 20 nu. 8.*
[b] *In conuiuialibus ſerm. de libris veteris et noui Teſtamenti.*
[c] *In Prologo in epiſt. ad Hebræos.*

13 *Quomodo ſententiam peruertant.* Deinde ea quæ recipiunt interpretantur ex ſuo ſenſu, reiecto ſenſu Patrum & totius Eccleſiæ; & paſſim magis Rabbinorum placitis, quàm ſanctorum Patrum interpretationibus fauent. Qua in re duo grauiſſima mala, quantum in ipſis eſt, Eccleſiæ inferunt. Alterum eſt, quòd Sacræ Scripturæ vitam, quæ in vero ſenſu ſita eſt, adimant. Hic enim ſenſus ab Eccleſia, & Patrum conſenſu, petendus. Vnde hoc ipſo quo Eccleſiæ & Patrum auctoritatem contemnunt, S. Scripturæ ſpiritum elidunt, totumque eius, vt ita dixerim, cadauer nobis relinquunt. Itaque non minus damni inferunt, quàm ſi cum Suenefeldianis vniuerſam abſolutè è medio tollerent. Ipſa enim S. Scripturæ verba legitimo ſenſu, certaque intelligendi norma deſtituta, longè plus damni quàm vtilitatis adferunt, mentibus hominum in peſtiferos errores illorum occaſione impingentibus. Sic enim omnes pæne hæreſes ortæ. Vnde ſatius eſſet nullas extare Scripturas, quàm eas extare ſine certa & infallibili explicandi regula. Nullus enim eſſet finis nouitatum & errorum, nullius controuerſiarum & contentionum, nullus ſchiſmatum & ſectarum; vt illi qui ab Eccleſia Catholica receſſerunt, ſuo exemplo abundè oſtendunt. Cū enim Lutherus iudicium Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum conſenſum, circa S. Scripturæ interpretationem reiecriſſet; mox diſcipuli eius in tres abiere ſectas: quæ ſingulæ rurſus in multas alias ſunt diuiſæ.

Damnum duplex eccleſiæ inferunt.

Alterum eſt, quòd ſublato legitimo Scripturæ ſenſu ac ſpiritu a iudicio Eccleſiæ & Patribus petendo, alium ex iudicio cuiuſque priuato pendentem verbis Scripturæ aptauerint; eamque, vt huic ſenſui ſubeſt, eoque veluti animatur, infallibilem credendi normam ſtatuerint: quare nihil poteſt fieri abſurdius aut peſtilentius. Hoc enim nihil eſt aliud quàm aperire ianuam latiſſimā omnibus hæreſibus; & omnes pæne antiquas ſectas, quantumuis inter ſe contrarias, approbare, earumque dogmata tamquam fidei articulos tueri.

14 *Quam regulam credendi ſtatuant.* Quòd autem Scripturam, vt priuato iudicio cuiuſque ſubeſt, credendi normam ſtatuant, manifeſtum eſt. Nam Auctor pag. 139. ſic ait: *In primis vt velitis Scripturas peruoluere, ex his credendi normam petere. neque ſuper aliorum incertis opinionibus, ſed ſuper veſtra ipſorum certa ſcientia fidei fundamenta collocare, quando ineſtus fide ſua viuet, & vt vnuſquiſque ſit propria fide ſaluus.* Hortatur Principes vt reiectis Eccleſiæ Catholicæ, & Conciliorum Oecumenicorum, & ſanctorum Patrum explicationibus & definitionibus tamquam incertis, ipſi per ſe Scripturas peruoluant, & ſuo iudicio inde ſibi credendi normam conficiant, ſicque ſuper iudicium proprium, non ſuper alienum fundamentum fidei collocent: quia quiſque fide ſua viuit & ſaluatur, hoc eſt, ſuper proprio iudicio & propria ſententia, non ſuper aliena auctoritate fundata. Idem antea docuit Caluinus. Nam libro 1. Inſtitut. capitul. 7. §. 1. 2. 4. docet non eſſe Eccleſiæ iudicare, qui libri ſint diuinæ auctoritatis, ſed hoc ad arcanum ſpiritus teſtimonium pertinere. Si ad teſtimonium arcanum ſpiritus priuati pertinet cenſura ſingulorum librorum, etiam pertinet cenſura ſingularum ſententiarum: eiuſdem enim eſt iudicare de toto & de partibus, cùm totum nihil ſit præter partes. Rurſus ſi ad teſtimonium ſpiritus interni pertinet iudicium de Scriptura; ergo & de ſenſu Scripturæ: nam Scriptura non eſt verbum Dei niſi ratione legitimi ſenſus. Idem clariſſimè docet lib. De libero arbitrio contra Pighium, pag. 242. *Sacrilegam*, inquit, *illam vocem ſuam ructat Pighius; Nullius Scripturæ auctoritate, quamlibet clare noſtro quidem priuato iudicio, & euidentis, aduerſus clarum conſonantemque Orthodoxorum Patrum ſententiam, aduerſus communem Eccleſiæ definitionem aliquid credere cuiquam licere: fieri enim poſſe vt in Scriptura intelligentia erret vnuſquiſque noſtrum: vt autem erret Eccleſia in ijs quæ ad fidei veritatem pertinent, fieri non poſſe; quia ſit columna & firmamentum veritatis.* Hæc ille. Quibus verbis docet cùm aliquis Scripturæ locus alicui priuato iudicio videtur clarus, priuatum iudicium anteponendum eſſe concordi iudicio omnium Patrum & omnium Conciliorum, totiuſque Eccleſiæ definitionis, imò ſacrilegum eſſe id non facere. Idem ante Caluinum docuit Lutherus multis locis. artic. 115. *Caute*, inquit, *hoc Euangelium, quia neque Papæ, neque Concilijs, neque vlli hominum commiſſum eſt vt conſtituat & concludat quid ſit fides; quia dicit, Cauete a falſis prophetis. Oportet igitur Euangelium mentiatur, aut Papa ſimul cum Concilijs. Ideò debeo dicere: Papa tu concluſiſti cum Conciliis; nunc habeo ego iudicium an acceptare quam nec ne. Quare? quia non ſtabis pro me & reſpondebis, quando debeo mori: & falſam doctrinam nemo iudicare poteſt niſi ſpiritualis homo. Ideò eſt res inſana quòd Concilia concludere & ſtatuere voluerit quid ſit credendum; cùm ſæpè nullus vir ſit ibi, qui diuinum ſpiritum vel modicum olfecerit,* &c. Hic totum iudicium, totamque auctoritatem ſtatuendi quid ſit credendum, quid non, refert ad ſpiritum priuatum cuiuſque, idque fundamento ſimili illi, quo Auctor noſter in Præfatione; nimirum quia in iudicio Dei quiſque pro ſe reſpondere debebit. Simili habet tom. 2 fol. 404. vbi inter cetera dicit *omnes Chriſtianos habere ius & auctoritatem iudicandi de omni doctrina, & non eſſe expectandum vt Concilia definiant, quid credere & ſequi debeamus.*

Sententia Caluini.

Nota.

Denique, hæc ferè eſt communis hæreticorum noſtri temporis

temporis doctrina: qua poſita, nulla iam ampliùs eſt hæreſis. Nihil enim eſt adeo abſurdum & paradoxum, quod priuato iudicio alicuius clarè non ſignificetur in aliquo Scripturæ loco. Non erit hæreſis, *Deum eſſe propriè audacem omnium malorum: & nullam eſſe arbitrij libertatem: omnia de neceſſitate abſoluta euenire:* quia Lutheri, Caluini, & multorum aliorum iudicio hæc clarè in Scripturis traduntur. Non erit hæreſis; *Filium eſſe Patre minorem, & eſſe creaturam: Spiritum ſanctum eſſe creaturam, & Filio minorem: vnicam eſſe perſonam in natura diuina: naturam humanam non eſſe aſſumptam a Verbo in vnionem hypoſtaticam, ſed ſolum ut organum, ut veſtimentum, ut templum & domicilium; diuinitatem eſſe conuerſum in carnem*, & ſimilia: quia hæc omnia iudicio priuato non vnius, ſed plurimorum, nimirum Arrianorum, Macedonianorum, Sabellianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, clarè continentur in Scripturis. Omnes illi in hiſce dogmatibus ſequuntur normam credendi, quam Caluiniſtæ & Lutherani præſcribunt, & quam iudicio Caluini ſequi debent, niſi ſacrilegi eſſe velint. Cùm enim priuato iudicio perſpicuum ipſis ſit, illa in Scripturis ſignificari, tenentur ſub pœna ſacrilegij vel infidelitatis, contra omnium Conciliorum definitionem, & Orthodoxorum Patrum conſenſum, ita credere. Quid hac doctrina poteſt eſſe funeſtius? aut qua tandem ratione aptior via ad omnem errorem, & ad Antichriſtum pro Chriſto recipiendum, ſterni queat? Si enim priuato iudicio perſpicuum tibi fuerit, librum aliquem Sacræ Scripturæ non eſſe genuinum, aut eſſe ſuppoſititium (quomodo perſpicuum eſt Lutheranis de Epiſtola ad Hebræos, de Epiſto. Iacobi & Iudæ, de Apocalypſi; quomodo item Lutheranis ſimul & Caluiniſtis perſpicuum eſt de Iudith, Tobia, Sapientia, Eccleſiaſtico, & libris Machabæorum) credere debes ita eſſe, & illum a Canone reijcere. Si idem tibi clarum fuerit de toto nouo Teſtamento, eodem iure teneris illud repudiare. Si cum Iudæis loca veteris Teſtamenti, quæ de gloria Meſſiæ tractant, intelligenda putaueris de externa eius gloria in primo aduentu, idque iudicio tuo ſit manifeſtum, debes ita credere, & Antichriſtum pro Chriſto recipere.

Hæc ſi quis ſecum perpendat, & ſimul conſideret quomodo Scripturas corrumpant, & ſuis affectibus ſeruire faciant; non facilè inducet in animum vt credat illos Scripturam venerari, & magni æſtimare, quantumuis eam iactent, vt auctoritatem ſibi apud plebem concilient: ſed potius ludibrio habere & ipſam, & auctorẽ eius Deum. Quæ enim poteſt eſſe maior irreuerentia in Scripturam ſacram & in Deum Scripturæ auctorem, quàm ſi eam cuiuslibet priuati hominis interpretationi & iudicio ſubijcias; vt quod illius ſpiritui viſum fuerit, hoc ſententia Scripturæ, hoc verbi diuini nucleus iudicetur? Quod poteſt eſſe maius ludibrium, quàm Scripturas ita interpretari, vt eas tuis affectibus & phantaſijs contra totius antiquitatis ſenſum & conſenſum ſeruire facias; vt quidquid bilis vel odium ſuggerit, quidquid ad maledicendum & mordendum videtur opportunum, mox verbum diuinum, & Spiritus ſancti dictatum habeatur? Declarabo id paucis exemplis. Scriptura docet quòd *Antichriſtus ſe extollet ſupra omne id* 2. ad Theſſ. 2. *quod dicitur Deus, aut quod colitur.* hoc ipſi, vt poſſint Summum Pontificem facere Antichriſtum, nihil aliud volunt ſignificare, quàm quòd Antichriſtus ſe preferet omnibus Regibus, & Iudicibus humanis. Scriptura docet Anti- Dan. 7. 25. Apocal. 11. christum regnaturum *per tempus, & tempora, & dimidium* 2. & c. 13. 7. *temporis.* hoc eſt tres annos cum medio, ſeu 42. menſes, ſeu dies 1260. vt ipſa Scriptura exponit. hoc vt poſſit quadrare in Summum Pontificem, per quaſdam deductiones ita torquent, vt ex tribus annis cum medio fiant pluſquà mille annis: aliàs non poterat ſeruire calumniæ. Scriptura docet Antichriſtum habituram *pſeudoprophetam, qui ſignis &* 2. ad Theſſ. 2. *prodigijs fallacibus ſeducat homines.* illi quia hominem aliquem, qui Pontifici ad hoc ſeruiret, inuenire non poterãt, Apoc. 13. fingunt hunc *pſeudoprophetam eſſe Eccleſiam Catholicam* toto orbe diffuſam; & miracula ac ſigna illa fallacia, eſſe miracula Sanctorum quæ in Eccleſia fiunt. Scriptura docet Apoc. 11. 4. Deum tempore Antichriſti miſſurum duos Prophetas, qui illi reſiſtant, miracula faciant, & homines conuertant: illi hos duos Prophetas dicunt nihil aliud eſſe, quàm nouum & vetus Teſtamentum, vel prædicantes ſuarum ſectarum. Ioannes dicit ſe *ex ore draconis, beſtiæ, & pſeudo-* Apocal. 16. 13 *prophetæ vidiſſe exire tres ſpiritus immundos in modum ranarum.* Illi per tres illos ſpiritus immundos dicunt intelligi Ordinem Ieſuitarum: quem dicunt numero ternario deſignari ob duas cauſas. Prior eſt, quia à tribus principijs procedit; nimirum à draconе ſeu diabolo, cuius ſpiritu animatur; à beſtia ſeu Summo Pontifice, cuius auctoritate eſt confirmatus; & à pſeudopropheta, hoc eſt Eccleſia Catholica, cuius doctrina inſtruitur. Altera eſt, quia pugnat pro ſuo Monarcha, qui triplici corona inſignitur. Scriptura docet, pſeudoprophetam Antichriſti effecturum *vt ignis deſcendat de cælo, & vt homines adorent imaginem Antichriſti*, &c. illi deſcenſum ignis, interpretantur *excommunicationem*; *imaginem Antichriſti*, eius *illimitatam poteſtatem*; *adorare imaginem Antichriſti*, nihil eſſe aliud quàm eius *illimitatam poteſtatem agnoſcere*. & ſimilia plena vanitatis & *ἀσεβείας*.

Omitto alia huius generis innumera. Vt enim faciant Scripturam dicere quod ipſi volunt, fingunt quidlibet, ſine vllo colore, ſine auctore, ſine pudore, ſine conſcientia, ſine artificio, ſine connexione, non curantes an cum alijs rectè cohæreat, an verbis Scripturæ congruant, an aliquis ex antiquitate ſuffragetur, an vlli vnquam veterum in mentem venerit. Hinc fit vt ſibi ipſis fœdiſſimè contradicant, & ſæpe ita implicent, vt neſciant quid dicant: vt cùm eandem beſtiam nunc interpretantur Antichriſtum, nunc vrbem Romanam, nunc ſedem regni, nunc eum qui ſedem occupat, &c. Incredibile eſt eos ita omni luce rationis eſſe deſtitutos, quin facilè videant hanc Scripturæ mentem non eſſe; & ſe hæc omnia ex odio, quo Summum Pontificem & doctrinam Catholicam proſequuntur, confixiſſe. Quis ergo non exiſtimet eos Scripturas ludibrio habere, quas tam irreuerenter tractant, & ſuis Paſſionibus accommodant? quis non dicat Deum ab ipſis irrideri, quem ſuarum blaſphemiarum auctorem tam impudenter faciunt? Sanè qui vel minimum habet timoris diuini, horret huiuſmi ſacrilegas verbi Dei Profanationes.

Sexta comparatio, in tollendo myſterio Trinitatis.

SEXTO, Antichriſtus tollet myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, diſtinctione perſonarum abregata, vt multi Patres tradunt: & colligitur ex verbis Domini Ioannis 5. *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Vbi notanda antithelis inter venire *in nomine Patris*, & *in nomine ſuo*: quæ apertè inſinuat illum non venturum tamquam miſſum ab aliqua perſona diuina, ſicut Chriſtus venit miſſus à Patre, ſed ſola ſua auctoritate tamquam Deum à nullo procedentem. Eſtque id etiam conforme perfidiæ Iudaicæ, qui ipſe ſe accommodabit. Negant enim Iudæi Trinitatem perſonarum, quia putant per illam tres deos introduci: vnde & Chriſtianos vocant Tritheiſtas. Idem ergo ipſe faciet Antichriſtus, vt etiam hac ratione noſtram Religionem calumnietur, & traducat. 15

Tollunt Myſterium Trinitatis.

At huic operi Lutherus & Caluinus, Lutherani & Caluiniſtæ, eorumque progenies noui Arriani, & Sabelliani, egregiè viam complanant. Lutherus contra Latomum: *Nec eſt quod mihi homouſion obiectes aduerſus Arrianos receptum. Non fuit receptum à multis iiſque præclariſſimis; quod & Hieronymus optauit aboleri, ideoque non effugerunt periculum hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus quereretur neſcire quid veneni latere in literris & ſyllabis.* Et infrà: *Quòd ſi anima mea odit vocẽ homouſion, & nolim ea vti, non eſt hæreticus.* &c. At cur oderat niſi propter ſignificationem: quia expreſsè ſignificat perſonas diuinas eſſe eiuſdem ſubſtantiæ. Ob hanc enim ſolam cauſam oderant illud Arriani, & decem conciliabulis totaque Imperij potentia conati ſunt illud è medio tollere. Videbant enim per illud apertiſſimè ſuam hæreſim iugulari. Mentitur autem ſplendidè Lutherus, cùm ait Hieronymum optaſſe illud aboleri: & rurſum cùm ait Hieronymum illud habuiſſe ſuſpectum, quaſi venenum in eo lateret. Sed huiuſmodi ſunt apud Lutherum alia ſexcenta.

Simi-

Similiter diſplicebat ei nomen *Trinitas*. *Vocula*, inquit, *hæc Trinitas nuſquam in Scriptura reperitur, humanitus tantum modo inuenta eſt. Vocabulum etiam frigidè ſonat, & multo præſtabilius foret, ſi Deus potiùs quàm Trinitas diceretur.* Vnde hanc formulam precandi, *Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis*, è precibus Germanicis ſuſtulit. Nimirum res ſignata diſplicebat, quæ aptius, breuius, & ſignificantius exprimi non poterat.

16 Caluinus omnia pènè Scripturæ loca quæ à Patribus ad probandum Trinitatis myſterium adducſus Sabellianos, Arrianos, & Macedonianos adferri ſolent, conatur ellendere eſſe inualida, & in alium ſenſum interpretatur. Adeò vt etiam locum illum clariſſimum Ioan. 12. *Ego, & Pater vnum ſumus*: dicat non eſſe intelligendum de vnitate eſſentiæ, ſed de concordia & conſenſu voluntatis. Vnde Ægidius Hunius Lutheranus anno 1593. emiſit librum in lucẽ hoc titulo, *Caluinus Iudaizans, hoc eſt, Iudaica gloſſa & corrupte la, quibus Ioannes Caluinus illuſtriſſima Scripturæ ſacra loca & teſtimonia de gloriosa Trinitate, deitate Chriſti, & Spiritus ſancti, detęſtandum in modum corrumpere non exhorruit.* Idem Hunnius poſtquam multa loca à Caluino deprauata excuſſiſſet, pag. 59 concludit: *Quis ergo non videbat diabolum per arcanum hoc ſanctæ Trinitatis ſacramentum data opera tales voluiſſe procudere ſtrophas illiformes, quibus Antitrinitarij propugnacula Chriſtianorum non ſolum hoſtiliter tentare, ſed etiam diruere valeant?* Et infrà pag. 60. dicit, *à Caluino longiſſimam & latiſſimam viam ſtratam ad Arrianam laxiſſimis patentibus portis atque umbribus in orbem terrarum ingurgitandam & ingurgitandam.*

Præterea Caluinus multis locis inſinuat Filium ſecundum Diuinitatem eſſe Patre minorem: quod quid eſt aliud quàm illi adimere veram diuinitatem? Libro contra Valentinum Gentilem dicit, *Nomen Dei καθ' ὑπεροχὴν ſoli Patri tribus.* Si ſolus Pater per excellentiam eſt Deus, perſpicuum eſt eius diuinitatem eſſe maiorem & excellentiorem diuinitate Filij. Eodem libro dicit hanc propoſitionem Gentilis eſſe veram: *Deus habuit vim generandi Filium, & propagandi Spiritum ſanctum, quia voluit.* Si hæc poteſtas pendet à voluntate Dei; potuit ergo non eſſe: ac proinde (& multò quidem magis) potuit non eſſe quod per hanc producitur, nempe Filius, & Spiritus ſanctus. Eodem libro ait: *Filium perſonæ reſpectu non niſi improprè creatorem cæli & terræ nominari. Patrem propriè.* Non ergo Filius eſt propriè Deus, ſed creatura, & inſtrumentum Dei, vt Ariani dicebant. Ibidem dicit, *Filium eſſe Patri ſubiectũ etiam ſecundùm diuinitatem.* Item impropriam & duram eſſe locutionem ſymboli Nicæni, *Deum de Deo, lumen de lumine*, Epiſtola ad Polonos aſſerit, *Chriſtum ſecundùm naturam eternam diuinam Patre minorem eſſe.* Alia Epiſtola ad Polonos ſcripta anno 1563. *Precatio vulgò trita eſt, Sancta Trinitas vnus Deus miſerere noſtri; mihi non placet, & omnino barbariẽ ſapit*, &c. Omitto alia plurima.

In refut. decima prophet.

Demum; ex Lutheri & Caluini ſchola prodierunt illi qui in Hungaria, Polonia, Tranſiluania Sabellianiſmum, Arrianiſmum, Tritheiſmum, & Ebionitmum inſtaurarunt: vt Michael Seruetus, & huius ſectatores Georgius Blandratus, Paulus Alciatus, Lælius Sozinus, Franciſcus Dauid, Bernardinus Ochinus, & alij qui diſtinctionem perſonarum è medio tollunt, & Chriſtum cum Ebione & Neſtorio putant hominem ſtatuunt, vel eius carnem ex diuina ſubſtantia conceptam & formatam cum Eutyche te affirmant. Item Valentinus Gentilis cum ſuis collegis, Matthæo Gribaldo, Franciſco Liſinanino, Gregorio Paulo, & alijs qui Tritheiſmum introducunt; & ſicut tres hypoſtaſes, ita tres naturas in diuinitate ſtatuunt. Qui tamen hoc cum Arrio commune habent, quòd Patrem ante Filium velint extitiſſe, & ſolum Patrem propriè verum Deum eſſe. Ex quibus patet quàm præclarè Lutherus & Caluinus cum familijs ſuis Antichriſto venturo viam ſternant.

Septima Comparatio, in variis Blaſphemis.

19 SEPTIMO, Antichriſtus Deum & Sanctos blaſphemabit, & mirè ſe ipſum iactabit, omnibus præ ſe contemptis. Danielis 7. *Sermones contra Excelſum loquetur.* Apocalyp. 13. *Datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias.*

Idem egregiè faciunt noſtri hæretici. Nam quod ad blaſphemias attinet, non ſolùm eas per modum conuitij ex ira in Deum effundunt, vt interdum impij homines ſolent; ſed quod longè eſt deterius, plurimas vt articulos fidei ſtatuunt. è quibus aliquot recenſebo. Itaque prima ſit: *Deum omnium peccatorum eſſe auctorem.* hæc Luthero & Caluino communis. Lutherus libro De ſeruo arbitrio contra Eraſmum: *Nullis*, inquit, *in manu ſua eſt cogitare quidquam mali aut boni, ſed Deus in nobis omnia bona & mala operatur.* Et in aſſert. artic. 36. *Quomodo poteſt homo ſe ad bonum præparare, cùm nec in poteſtate eius ſit suas vias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur.* Poteſtne aliquid dici clarius? poteratne Deus apertius auctor omnium ſcelerum affirmari? At non ſitit in ſimplici aſſertione, ſed vult eſſe præcipuum & clariſſimum fidei articulum. Nam eadem aſſertione, hunc articulum: *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nulli eſt in manu ſua quippiam cogitare mali aut boni, ſed omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt; nimirum quia Deus omnia bona & mala in nobis operatur:* facit primarium, & ſummam totius ſuæ doctrinæ. *In cæteris*, inquit, *articulis, de Papatu, Conciliis, Indulgentijs, alijſque non neceſſarijs rebus, ferenda eſt lenitas & ſtultitia Papæ, & ſuorum: ſed in hoc articulo, qui omnium optimus, & rerum noſtrarum ſumma eſt, dolendum ac flendum eſt miſeras ſic inſanire.* At quæ maior blaſphemia cogitari poteſt, quàm nullam eſſe arbitrij libertatem, eò quod Deus omnia bona & mala operetur in nobis? Sic enim Deus non optimus, ſed peſſimus omnium eſſet. Longè ſatius foret totam diuinitatem & prouidentiam negare, quàm talem Deum ponere. Et tamen hic articulus adeò teter & blaſphemus eſt baſis doctrinæ Lutheri & Caluini; quem Lutherus vult ita eſſe perſpicuum, vt dicat omnes qui illum non recipiunt eſſe miſeros, inſanos, deflendos. Eadem ex profeſſo & luculentè tradit Caluinus, & plurimis Scripturæ ſententijs confirmat: quod quia vel per impudentia, vel per ignorantiam, à quibuſdam illius ſectæ miniſtris negatur, breuiter oſtendam. Igitur libro 1. Inſtitut. capitul. 18. §. 1. ita ſcribit: *Abſurdum videtur* (ſenſui carnis) *volente ac iubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ daturus eſt pœnas. Tergiuerſando itaque effugimus Dei tantum permiſſu non etiam voluntate hoc fieri: ipſe verò palàm ſe facere pronunciamus; effugium illud repudiat.* Hic apertè docet Deum non ſolùm permittere, ſed etiam velle, & iubere, & facere vt homo excæcetur; etſi id ſenſui carnis abſurdum videatur. Sequitur: *Quod autem nihil efficiant homines niſi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitent, niſi quod ipſe iam apud ſe decreuerit, & arcana ſua directione conſtituat, innumeris & claris teſtimonijs probatur.* Hic omnia hominum opera tam mala quàm bona aſſerit effici arcano Dei nutu, decreto, & directione. Itaque omnia hominum ſcelera iam ab æterno à Deo ſunt decreta, vt ſic fierent: & homines nutu diuino ad illa excitantur, & diriguntur. Et paulò poſt: *Vult Deus perfidum Regem Achab decipi: operam ſuam offert diabolus ad eam rem: miſſus cum certo mandato vt ſit ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Hic docet Deum velle & præcipere vt diabolum mentiatur, & decipiat hominem; & reijcit ſententiam de permiſſione. Et infrà: *Abſalon inceſtu eius patris thorum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat. Clamat Deus, ſuo ſibilo, tuba ſua clangere, imperio & iuſſu excitari impios ad bellum.* Ibidem docet, quidquid Satan operatus eſt contra Iob, quidquid Iudæi contra Chriſtum, quidquid Chaldæi contra Iudæos, quidquid Semei contra Dauid; id totum fuiſſe opus Dei: nec ſolùm permiſſu, ſed decreto, nutu, directione, iuſſu & imperio Dei factum. His enim vocibus ad mentem ſuam meliùs explicandam vtitur. At qua ratione poteſt Deus clariùs, aut magis propriè ſtatui omnium ſcelerum auctor?

Prima blaſphemia.

Caluini ſententia. Deus omnium ſcelerum primarius.

§. 2. *Quantum ad arcanos motus ſpectat, quod de corde Regis prædicat Salomon, flectis huc atque illuc prout Deo viſum eſt; ad totum certè humanum genus extenditur, tantumdemque valet, ac ſi dixiſſet; Quidquid animis concipimus, arcana Dei inſtinctione ad ſuum finem dirigi.* Si omnes

nes interni motus ex inſpiratione & impulſu Dei concipiantur, & in fines ſuos tendunt: Deus non minùs eſt auctor proditionis Iudæ, quàm conuerſionis Pauli: non minùs olij in Chriſtum, quam amoris, &c. Et infrà: *Sed nihil poteſt clarius deſiderari, quàm vbi toties pronuntiat ſe excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, ſpiritu ſoporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Hæc enim ad permiſſionem male, rejiciunt, ac ſi deſerendo reprobos, à ſatana excæcari fingeret. Sed quam diſertè exprimat ſpiritus iuſto Dei iudicio infligi excæcationem, & amentiam, nemo ſtrictula eſt illa ſolutus.* Itaque Deus iuxta Caluinum propriè eſt auctor primarius cæcitatis, infidelitatis, amentiæ, & obdurationis ſeu obſtinationis animi in malo. Ipſe hæc omnia directe vult, decernit, infligit, & operatur in homine. Item paulò poſt dicit *Deum præcipere impijs vt faciant quæ iuſſurus ſunt, non quòd eos docere velit ad ſponte parendum; ſed quia eos flectit ad exequenda ſua iudicia, perinde ac ſi ipſius eius animus inſculpta geſtarent. Vnde*, inquit, *apparet certa deſtinatione Dei fuiſſe impulſos.* Itaque impij ad omnia quæ agunt, flectuntur a Deo, & certa deſtinatione Dei impelluntur. Addit: *Fateor quidem interpoſita ſatanæ opera ſæpè Deum agere in reprobis, ſed vt eius impulſu ſatan ipſe ſuas partes agat, & perficiat quantum datum eſt.* Ecce quidquid facit ſatan, facit impulſu Dei. *Detur ſatan excæcare infidelium mentes; ſed vnde hoc, niſi quòd a Deo iſſo manat efficacia erroris, vt mendacijs credant, qui veritati parere veritus.* q. d. Satan quidem interiùs & exteriùs proponit errores, ſed hoc totum non ſufficit ad excæcandas hominum mentes, niſi Deus eas flectat, & efficaciter moueat, vt illis fidem adhibeant. *Deus dicitur homines dare in reprobum ſenſum, & pejicere in fœdas cupiditates: quia iuſta vindicta ſua præcipuus eſt auctor. Satan verò ſolùm minister.* Denique ita concludit: *Summa hæc ſit, cùm Dei voluntas dicatur omnium rerum eſſe cauſa, prouidentiam eius ſtatui moderatricem in cunctis hominum conſilijs & operibus, vt non tàm vim ſuam exerat in electis, qui Spiritu ſuo regantur; ſed etiam reprobos in obſequium cogat.* Vbi Dei voluntatem non permiſſiuè tantùm, ſed propriè & efficaciter ſtatuit in impijs cauſam omnium conſiliorum & operum, ipſoſque impios diuino nutu & impulſu cogi vt agant omnia quæ agant.

Lib. 3. capitul. 23. §. 1. dicit *non eſſe conſentaneum præparationem ad interitum alò transferre, quàm in arcanum Dei conſilium.* Vbi oſtendit non minùs reprobos a Deo præparari ad interitum, quàm electos ad regnum. Et §. quarto. *Fateor ſanè, in hanc quo nunc illigati ſunt miſeriam, Dei voluntate deciduſſe vniuerſos filios Adam, atque id eſt quod principio dicebam, recurrendum ſemper eſſe ad ſolum diuinæ voluntatis arbitrium, cuius cauſa in ipſo ſit abſcondita.* Vbi ipſum Adami & totius poſteritatis refert in ſolum diuinæ voluntatis arbitrium. Itaque lapſus eſt Adam, quia Deus ita voluit, ita prædeſtinauit. §. 6. *Ecce quam rerum omnium diſpoſitio manu Dei ſit, quam pecus ipſum reſideat ſalutaris mortis arbitrium, conſilio nutuque ſuo ita ordinat, vt inter homines naſcantur ab vtero certa morte deuoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent.* Ibidem docet Dei ordinationem adferre neceſſitatem peccandi & pereundi: Deum, inquit, *non alia ratione quæ futura ſunt prænoſcat, niſi quia ita ea fieri, decreuit: fruſtrà de præſcientia his tribuetur, vbi conſtat ordinationem poſcias & nutu omnia euenire.*

§. 7. Ridet eos qui dicunt hominem eſſe liberi arbitrij, & Deum propter præuiſa peccata deſtinaſſe illum ad interitum: *Vnde factum eſt*, inquit, *vt tot gentes vnà cum liberis eorum infantibus æterna mortis iaculuerit lapſus Adæ abſque remedio, niſi quia Deo ita viſum eſt? Nec abſurdum videri debet quod dico, Deum non modo primi hominis caſum, & in eo poſteritatis ruinam præuidiſſe, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe.* §. 8. *Non dubitabo igitur cum Auguſtino ſimpliciter fateri, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem; atque id neceſſariò futurum eſſe, quod ille voluerit.* Denique nullum ferè dogma tam diligenter ab eo inculcatur, vtpote in quo ſit ſumma Caluinianæ religionis.

Ex his quæ dicta ſunt manifeſtè colliguntur iſtæ propoſitiones.

Primò, Voluntas Dei non ſolùm permiſſiuè, ſed etiam propriè & efficaciter eſt cauſa omnium operum in impijs.

Secundò, Nihil agunt impij niſi ex arcano nutu, decreto, & directione Dei.

Tertiò, Deus præcipit ſatanæ vt mentiatur, & decipiat homines.

Quartò, Impij imperio & iuſſu Dei excitantur ad bellum, & ad omnia quæ faciunt aduerſus cultores Dei.

Quintò, Deus certa deſtinatione impellit impios & ſatanam ad omnia quæ agunt.

Sextò, omnia opera ſatanæ & impiorum ſunt propriè opera ipſius Dei, cùm Deus ſit auctor primarius ad ea excitans, impellens & dirigens: ſatan verò & impij ſolùm ſe habent vt miniſtri & inſtrumenta.

Septimò, Deus ſua voluntate & prouidentia excitat & cogit impios ad ea quæ impiè agunt.

Octauò, Deus ab æterno voluit, decreuit, & prædeſtinauit ruinam humani generis; quia ipſi ita visum eſt.

Nonò, Voluntas Dei eſt rerum omnium neceſſitas, & idcircò omnia impiorum opera neceſſariò fiunt, quia Deus voluit & decreuit vt fierent.

Deus eſt magis auctor ſceleris iuxta Caluinum quam ſatan vel homo.

Ex his luce meridiana clarius eſt, Deum omnium ſcelerum a Caluino ſtatui auctorem, & quidem primarium ac magis principalem, quàm ſit ſatan vel ipſe homo: idque propter quatuor cauſas. Primò, Quia ipſe eſt prima omnium origo & radix. Nam ipſe ex ſe pro ſuo beneplacito decreuit, vt homo omnia illa faceret: ex cuius vi decreti ſuis temporibus omnia eius opera proueniunt. Secundò, Quia non externo præcepto aut conſilio tantùm inducit (quod tamen ſatis eſt vt quis propriè ſceleris ſit auctor) ſed interiùs excitat, impellit, flectit, & dirigit in opus; ita vt inſtinctus medium, & finis operis ab ipſo ſit. Tertiò, Quia non ita impellit, vt relinquat homini facultatem reſiſtendi, ſicut ſatan facit, ſed cogit & neceſſitat. Quartò, Quia ipſe in omni opere habet ſe vt auctor principalis; ſatan verò & homo impius ſolùm vt miniſtri & inſtrumenta, ſicut ſecuris in manu artificis, vt ipſe ait.

Excuſatio quorundam patronorum.

Sed, inquiunt, Caluinus alijs locis, præſertim libello cõtra Libertinos, acerrimè hanc ſententiam, Deum eſſe omnium ſcelerum auctorem, tanquam maximè impiam inſectatur, latus eſſe affirmãs nullum eſſe Deum quam talem. Fateor ita eſſe. Verùm quis neſciat hæreticorum inconſtantem docendi modum, eoſque ſua omni loco & tempori accommodare? Ratio huius inconſtantiæ eſt multiplex. Prima, Studium fallendi lectores, nimirum vt venenũ doctrinæ ſuæ hoc artificio contegant; & quod maximè agunt & docent minimè docere videantur. Cùm enim alibi aperte negant ac deteſtantur quod alijs verbis alibi luculentè tradant, ſimpliciores quorum maxima turba eſt, non aduertẽtes contradictionem, ſubtile putant myſterium: quo fit vt & Doctoribus falſa ſit ſua exiſtimatio, & diſcipuli maximis erroribus inuoluantur neſcij. Si apertè dixiſſet Deum eſſe auctorem omnium ſcelerum, nimis id durum viſum fuiſſet, nec facile homines in ſuam traxiſſet ſententiam. Itaque viſum fuit id ſub iſtis terminis fortiter negare: idem tamen alibi ſpecie commendationis diuinæ prouidentiæ & efficacis operationis luculentè & efficaciſſimè tradere.

Secunda, Sæpè diſputatio aliqua vel negotium exortum cogit prioribus dogmatibus contraria proferre. Sic cùm occaſione prioris doctrinæ Lutheri maxima in plebe facta eſſet morum diſſolutio, coactus fuit Lutherus pleraque ſua non ſolùm mitigare, ſed etiam diſſimulanter reuocare, & mutare; vt ex lib. quem inſcripſit, *Viſitatio Saxonica*, conſtat.

Tertia, eſt ſpiritus vertiginis, quo Deus ſinit illos agitari, tari, & huc illuc tanquã eorios impelli: quo fit vt ipſi propriam doctrinam clariſſimè deſtruant, & quod vno loco ex verbo diuino hiſtoriſſimũ affirmant, alibi tãquã hæreſim ac blaſphemiam condemnent, nimirum vt ſint inexcuſabiles qui huiuſmodi Vertumnis fidem adhibent. Fecit hoc Lutherus in pleriſque ſuis dogmatibus, adeò vt non minùs ipſe ſibi quàm Eccleſiæ Catholicæ aduerſetur; vt Cochlæus clarè oſtendit. Fecit Philippus Melanchthon & Auctores confeſſionis Auguſtanæ, ſæpiſſimè dogmata ſua mutantes. Fecit & Caluinus, tum in alijs multis, tum maximè in hoc dogmate: ita tamen callidè, vt quod ſub vna verborum forma negabat, ſub alia firmiter aſſerere: rem tamen ipſam ſemper tenuit.

Hæc de ſententia Caluini. Eamdem blaſphemiam docuerunt

euerunt Zvvinglius & Philippus Melanchthon, vt infrà oſtendemus; & Petrus Martyr noui Euangelij in Anglia Apoſtolus in commentar. cap 9 ad Romanos; & Beza integris libris. Hæc paulò fuſius, propter eos qui Caluinum libenter eximerent.

18 Secunda blaſphemia, Deum maximam hominum partem, ex ſolo ſuo arbitrio prædeſtinaſſe, & creaſſe ad æternum exitium; & illud exitium reipſa inferre immerẽtibus abſque vlla illorum culpa; qua ſanè crudelitate nulla major cogitari poteſt. Docet hoc Lutherus lib. De ſeruo arbitrio contra Eraſmum: *Deus*, inquit ille, *vt merita non reſpicit in ſaluandis, ita neque in damnandis: illic indignos coronat, hic indignos punit, & immeritos damnat. Quòd ſi tibi placet Deus indignos coronans, nec debet diſplicere immeritos damnãs. Illic gratiam & miſericordiam ſpargit in indignos, hic iram & ſeuritatem ſpargit in immeritos.*

Secũda Blaſphemia.

Idem aperte ſequitur ex doctrina Caluini. Si enim Deus omnes qui pereunt prædeſtinat ad exitium, quia illi ſic placuit, & prædeſtinauit in illis cauſam exitij? vt paulò ante ex ipſius verbis oſtenſum eſt; quomodo non damnat immeritos? non enim meriti erant vt Deus eos ad exitium prædeſtinaret, neque etiam vt mala illorum opera prædeſtinaret, & in ipſis ſuo efficaci impulſu operaretur; vt in Angelis & Adamo eit manifeſtum. Horum enim omnium cauſa iuxta Caluinum, eſt ipſius voluntas: quæ omnium rerum eſt ratio prima & neceſſitas; vt ipſe ait. Quomodo non damnat immeritos, cùm non potuerint ipſius impulſui, quo illos in malum impulit, reſiſtere; nec vllam omnino in ſuis operibus libertatem, qua ſe in hanc vel illam partem flectere poſſent, habuerint, vt ipſe Caluinus multis locis docet? Tollit enim ipſe libertatem propter duas cauſas. Prima, Propter efficaciam diuinæ voluntatis, qua omnia ſunt abſolutè prædefinita, per quam voluntas humana ad omnes ſuos motus & actus impellitur. De hac potiſſimum agit libro 1. Inſtitut. capit. 18 & lib. 3. cap. 22. & 23. Secunda, Propter malitiam humanæ voluntatis ex peccato originali contractam; per quam fit, vt non poſſit niſi peccare. De hac agit libro 2. capit. 3. Nemini ad culpam vel pœnam imputari poteſt, ad quod tanta neceſſitate impellitur, quod nullo modo vitare aut declinare poteſt.

19 Ob hos potiſſimum duos articulos Caſtalion refert ſe a Caluino, cui diu amiciſſimè conuixerat, receſſiſſe, & librum aduerſus ipſum ſcripſiſſe, in quo oſtẽdit Caluinum, *bonum Deum a ſua ſede deturbaſſe, & loco eius ſatanam omnium ſceleratum auctorem collocaſſe. Hunc modo eſſe Caluini & Caluiniſtarum Deum. & idcirco Caluiniſtas eſſe ſuperbos, immites, inuidos, ſanguinarios, calumniatores, hypocritas, malitioſos, ſeditioſos, ambitioſos, denique omnibus prauis & inhoneſtis affectibus plenos, quam talem Deum qui tales gignit filios ſibi conſtituere.* Hæc ille.

Lib. de prædeſtinatione.

Eoſdem articulos clariſſimè docet Huldericus Zvvinglius Caluini præceptor, tomo 1. in explicat. art. 20. *Fortiſſimum Dei verbum ſtat a nobis, nempe Deum omnia operari in nobis, nec nihil aliud quàm inſtrumenta eſſe, per quæ operatur Deus, ſicut per malleum faber.* Addit, quòd *ſicut faber ſibi tribuat opus quod per malleum factum, non malleo: ita opera noſtra omnia Deo magis quam nobis tribuenda.* Et libr. De prouidentia Dei fol. 365. *Quia lex hominis data eſt, ſemper homo peccat quando contra legem facit, quantumuis nec ſit, nec vitari, nec operari niſi in Deo, ex Deo, & per Deum. Sed quod Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non Deo. Et quando tamen facimus adulterium, vel homicidium, Dei opus eſt motoris, mallei atque impulſoris. Latro Deo impulſore occidit; & ſæpenumerò cogitur ad peccandum.* Eadem fuſiſſimè perſequitur & confirmat.

Eadem docuit Melanchthon in locis communibus anni 1521. titul. de libero arbitrio. Vbi Primò, doctrinam Patrum de libero arbitrio dicit eſſe impiam, a diuinis litteris & iudicio ſpiritus alieniſſimam. Deinde proponit ſuam, *Quandoquidem*, inquit, *omnia quæ eueniunt, neceſſario iuxta æternam prædeſtinationem eueniunt, nulla eſt arbitrij noſtri libertas.* Et infrà: *Voluntati noſtræ libertatem per prædeſtinationis neceſſitatem adimit Scriptura.* &c. Et in annotat. in Epiſtol. ad Roman. capitul. 8. *Nos verò docemus non ſolum permittere Deum creaturis vt operentur, ſed ipſum omnia proprie agere. Et ſicut fatentur proprium Dei opus fuiſſe, Pauli vocationem; ita fatemur opera Dei propria eſſe, Davidis adulterium, Manlij ſeuritatem,* &c. *Conſtat enim ex capitul. 1. ad Roman. Deum omnia facere, non permiſſiuè, ſed potenter; id eſt, vt ſit eius propria Iudæ proditio, ſicut Pauli vocatio.* Hæc fuſiùs, vt intelligatur, quale illorum primariorum Apoſtolorum, qui mundi tenebras diſpulerunt, & religionem reformarunt, ſit dogma principale. Si enim principale dogma, & fundamentum religionum nouarum adeò tetrum eſt & blaſphemum, quid de eorum religione reformata ſtatuendum?

Tertia blaſphemia eſt, *Diuinam naturam in Chriſto eſſe paſſam, crucifixam, mortuam, imò cum natura humana; aliosquin paſſionem & mortem naturæ humanæ in Chriſto nihil nobis profuturam.* Hoc docuit fusè Lutherus in libello de Patribus & Concilijs parte ſecunda, vbi etiam *Zvvinglium & Zvvinglianos damnat hæreſeos, quod diuinitatem patri ſemiſſe, pertinaciter negarent.* Et in libello qui inſcribitur Confeſſio Martini Lutheri de Sacramento Cœnæ Domini, acerrimè hoc tuetur. contra quem Zvvinglius tom. 2. in reſponſione ad Confeſſionem Lutheri: *Quid* inquit, *dici poteſt blaſphemius? Num Deus quoque pati poteſt? num eundem etiam mortuum eſſe fatebimur? huc quò ſe vertere pertit Lutherus, ſi Pontificij dictum hoc arripientes, eum in diuinitatem quoque blaſphemum eſſe dixerint, vt qui illam quoque mortuam eſſe pronuntiat?* Lutherum ſecutus eſt Brentius, qui hoc ita propugnauit, vt inde Brentianorum ſecta emerſerit: qui, niſi diuinitas quoque in Chriſto paſſa ſit & mortua, clamant *Filium Dei ab opere redemptionis flagitioſa impietate ſegregari.* His mordicus adhæret Islebius, Muſculus, Smidelinus, Gerlachius, & alij plurimi. At dicere diuinitatem eſſe mortuam, quid eſt aliud quàm tollere diuinitatem funditus, & mundum efficere atheum?

20 *Tertia blaſphemia.*

Quarta blaſphemia eſt, *Filium eſſe Patri ſubiectum etiam ſecundum diuinitatem.* de qua ſuprà num. 16. cui ſimilis eſt iſta, *Filium eſſe mediatorem, & ſacerdotem etiam ſecundum naturam diuinam.* Quam docet Caluinus libro De Chriſto mediatore contra Stancarum: Beza in opuſculo pro defenſione Caluini, & alij. Idem docent plurimi Lutherani, vt Melanchthon in locis anni 1558. titul. de Filio. vbi dicit *Deitatem Filij fuiſſe Patri obedientem.* Denique tota turba Lutheranorum quæ ſubſcripſit libro concordiæ. Vnde manifeſtè ſequitur Filium non eſſe verè Deum, nec habere diuinitatem.

21 *Quarta blaſphemia.*

Quinta blaſphemia eſt in ſanctiſſimam Trinitatem, eaque multiplex: vt cùm Trinitatem perſonarum eiuſdem eſſentiæ *nouum Idolum, Turrim Babel, Deum fictitium ac ſophiſticum, ſtratagema Satanæ, Cerberum tricipitem, Tricorporem Geryonem* impietate pluſquam ſatanica appellant: quarum duæ poſtremæ ſunt Michaelis Seruetj; reliquę Valentini Gentilis, qui primarij fuere Apoſtoli nouarum religionum in Hungaria, Polonia, Tranſiluania. His fauent Lutherus & Caluinus illorum magiſtri, quatenus nomen Trinitatis reijciunt, vt ſuprà dictum eſt.

22 *Quinta blaſphemia.*

Cardinal. Bellarminus in ſua Fidei tione in controuer. de Chriſto.

Sexta eſt, *Chriſtum ſecundùm corpus & naturam humanam non eſſe certo loco circumſcriptum, ſed vbique inuiſibiliter diffuſum, ſicut natura diuina vbique eſt.* Ita docuit Lutherus ſermone de Sacramento cœnæ Domini, qui id probat; quia Chriſtus ſecundùm humanitatẽ eſt in dextra Patris; dextra autem Patris eſt vbique: ergo & Chriſti humanitas eſt vbique. Hanc doctrinam amplexi ſunt Brentius cum ſuis, qui idcircò *Vbiquiſtæ* dicti ſunt; inter quos Illyricus, Muſculus, Kemnitius, Smidelinus, & alij. Eandem tempore Lutheri tenuere omnes Lutherani in Saxonia; mortuo Luthero cœperunt cum Melanchthone oppugnare vbiquitatem: adeò vt in ampliſſima ſua Synodo anno 1571. Dreſdæ celebrata omnibus Superintendentibus & Miniſtris conſentientibus definiuerint, *Vbiquitatem corporis Chriſti eſſe horribilem profanationem omnium articulorum Symboli, & renouationem omnium hæreſeon.* At vix decem anni elapſi erant, cùm damnata Synodo ſua tamquam impia, eandem vbiquitatem tamquam articulum fidei reciplunt: vt patet ex libro concordiæ edito anno 1580. art. 7. & 8. cui octo millia Lutheranorũ ſubſcripſere. Nimirum hæc eſt conſtantia doctrinæ, & firmitas Synodorum apud hæreticos. Hæc doctrina ſimul inuolut blaſphemiam Neſtorij & Eutycheis. Neſtorij, quia

23 *Sexta blaſphemia.*

Card. Tellarm. l. 3. de Chriſt. c. 1.

quia vnionem hypoſtaticam cõſtituit in eo tantum quod diuinitas communicet humanitati ſuas proprietates, id quæ per accidens. itaque manent quæ perſonæ. Lutycheteſ. quia veram carnis naturam abolet, eamque cum diuina confundit.

Cred. Bellar. ſupra.

24 *Septima blaſphemia.*

Septima eſt, *Chriſtum in cruce dubitaſſe de ſua ſalute, ſuamque fidē cum deſperationis ſuſpicionibus, damnatorum pœnas in extrema ſuſtinuiſſe, & deſperaſſe de ſua ſalute.* Ita docet Caluinus Inſtitut. libr. 2. capit. 16. & in capit. 27. Matthæi. Sequuntur poſtea Caluinitæ: hoc modo explicant illum articulum Symboli, *Deſcendit ad inferos.* Nolim eos apud Caluinitas fuiſſe veri Chriſti, nulla ſubterranea loca, in quibus impij torqueantur. Sed eis nihil eſt aliud deſcendere ad inferos, quam apprehendere Deum ſibi iratum, & inde terrore & anxietate affici. hinc volunt eſſe omnem damnatorum pœnam, quę figurate per ignem deſignatur. Verum hic multæ ſunt blaſphemiæ. Prima, Cum Chriſto in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, tribuunt ignorantiam ſui ſtatus, & affectus patrem erga ſe. Secunda, Cùm tribuunt illi metum horribilem damnationis, & impulſum vehementiſſimum ad deſperationem. Tertia, Cum tribuunt illi eam animi afflictionem, quam patiuntur damnati. Quarta, Cùm tribuunt illi vocem deſperantis, quaſi ex impulſu deſperationis in verba illa, *Deus meus, Deus meus, vt quid derelinquiſti me?* proruperit. Vt de neceſſe eſt etiam illi graue peccatum imponant; quia in verba deſperationis proruptit graue peccatum eſt; præſertim cum illa etiam blaſphemiam continerent. Blaſphemium enim erat dicere; Patrem æternis precibus velle adiicere Filium. Neque dicere poſſunt Chriſtum per inconſiderationem & deliberationis inopiam excuſari, cùm etiam primi motus apud eos peccata ſint mortifera: & impiæ noſtræ illi meritis imbecillitas & virium ataxia, & velut quædam paralyſis illi tribuatur. Mira profecto impietas iſtius ſectæ. Nam ex eius doctrina omnes fratres huius ſectæ habentes fidem ſpecialem, quam Caluinus docet, ſunt certi de ſua ſalute, de ſua prædeſtinatione, & æterno Dei in ipſos fauore, & ſciunt ſe nullis peccatis poſſe a ſalute excidere; vnde nec metuunt damnari. Hæc enim eſt vnus ex primarijs articulis doctrinæ Caluini ſticæ. At Chriſtus Dominus, omnium ſalus & vita, fuit horum omnium incertus & dubius, & neſciuit quid Pater de ſe ſtatuiſſet: vnde & vehementiſſime metuit damnari, & diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit, & in vocem deſperationis erupit. Itaque in noticia ſalutis & fauore diuino ſe Chriſto longè præferunt.

Caluinus li. 3. Inſtitut. c. 24. Per totã Beza in Colloquio Montpelgar. f. 463. Confeſſio Eccleſiæ Genuenſis. c. 4. §. 20.

25 *Octaua blaſphemia.*

Octaua eſt, cùm dicunt, *ſine tolerantia pœnæ damnatorum totum Chriſti paſſionem & mortem fuiſſe inutilem. Nihil*, inquit Caluinus, *actum erat, ſi corpora tantùm morte ſatisfacta fuiſſet Chriſtus: ſed opera simul pretium fuit, vt diuinæ vltionis feueritatem ſentiret*, &c. *Vnde etiam eum oportuit cum inferorum copijs, animaque mortis horrore, quaſi conflictus manibus luctari, & eam mortem perferre, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur, & diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis ſuſtinere.* Similia habet in capit. 27 Matthæi. Vnde ſequitur Primo, Nos non eſſe redemptos pretio ſanguinis Chriſti, aut ſacrificio crucis, ſiue paſſione & morte illius; ſed tolerantia pœnarum inferni. Secundo, Cùm ad illam tolerantiam neceſſaria fuerit ignorantia, dubitatio, falſa apprehenſio, tentatio deſperationis, & peccatum; ſequitur hinc etiam neceſſaria fuiſſe ad noſtram redemptionem, neque Chriſtum potuiſſe ſine illis imperfectionibus animæ nos redimere: quę omnia apertiſſimis Scripturis repugnant. An hoc non eſt totum redemptionis noſtræ myſterium euertere; & rem futilem, falſam, impoſſibilem & blaſphemam pro illo nobis obtrudere; nimirum vt fiduciam non collocemus in Chriſti ſacrificio crucis, in pretio ſanguinis, in morte & paſſione corporis; ſed in falſa tolerantia pœnarum inferni, & ſpiritus damnati; in dubitatione & deſperatione ſalutis Chriſti.

Caluinus li. 2. Inſtit. cap. 16. §. 10.

26 *Nona blaſphemia.*

Nona, Cùm dicunt, *ſanguinem Chriſti iam pridem computruiſſe, diſſipatum eſſe, euaniſſe, & nuſquam exiare: vnde per illum non poſſe nos ſaluari.* Ita plurimi Caluinitæ docent, quorum nomina & verba refert Conradus in Theologia Caluiniſtica lib. 1. artic. 20. quæ ſententia valde conſentanea eſt doctrinę Caluini, proxime explicata; & diuerſa eſt ſtarum ſectarum ſententiæ qua ſtatuunt *Chriſti meritum vtcunque Dei opus non eſſe: illudque tum ex dignitate perſonæ, ſed ex gratuito Dei fauore ſuam dignitatem & valorem habere:* quo modo etiam cuiuſuis puri hominis meritum robur habere poteſt. de qua Conradus ſupra. Hæc blaſphemia tollit Chriſti meritum, & corporum reſurrectionem. De Chriſti merito eſt manifeſtum. De reſurrectione ita probat Conradus: *Semen*, inquit, *ſanguis Chriſti in eius perſona effuſus computruit, & tertio die non rurſus cum corpore eius vitæ gloriosè reſurrexit, & iam in æternum viuit; nam certe nulla ſpes aſſurget, vel ſanctorum martyrum ſanguinem effuſum, vel aliorum piorum defunctorum ſanguinem in extremo die omnino reſuſcitaturum eſſe, ita vt rurſum cum corporibus eorum viuatur. Atque hinc apparet Caluiniſtas, lectore, & ſcriptis aſſumenta, animis corde ſic non credere reſurrectionem corporum. Qui enim non credit Chriſti filij Dei ſanguinem effuſum, cum corpore a Deo Patre reſuſcitatum eſſe, is profectò nunquam credet mortuos in cuiuſcunque redactos, reſurrecturos eſſe.* Hæc ille. Certe Farellus vnus ex primis Apoſtolis huius nouæ doctrinæ & intimus Caluini collega, qui teſte Beza Genuenſes, Lauſanenſes, & Neocomenſes Chriſto lucrifecit, apertè reſurrectionem corporum negauit: ſed quia fortè nimis citò illud nouæ Euangelij arcanum reuelare cœpit, a Caluino per epiſtolam monitus & correptus fuit.

Caluinus Inſtit. li. 3. c. 25. §. 5. Beza in Icon. Beza in Colloquio Montpelgar. p. 512. Bucerus in Ioannem. p. 34. Vide Theol. Caluiniſt. fol. 25. 26. 42. Caluinus Inſtit. li. 3. c. 1. § 2. & c. 25. 3. & 2. §. 11. Beza in confeſſ. fidei, cap. 4. §. 20.

Decima, Cùm dicunt *Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, ſed pro ſolis prædeſtinatis, eo quòd cæteri omnes iam ex Dei decreto eſſent damnati.* Deinde ita explicant prædeſtinationem, vt ſoli Caluiniſtæ (nimirum qui habent fidem illam ſpecialem a Caluino deſcriptam, quæ ſola iuſtificat, & ſemel habita numquam amitti poteſt) ad numerum prædeſtinatorum pertineant. Itaque Chriſtus mortuus eſt pro ſolis Caluiniſtis (non pro Catholicis, vel Lutheranis, vel Anabaptiſtis, vel Turcis, &c.) nimirum vt illis daretur illa fides inamiſſibilis propria prædeſtinatorum, per quam abſque vllo ſalutis periculo in omni flagitiorum genere viuere poſſent. Hanc eſſe doctrinam Caluini, Bezæ, & aliorum Caluiniſtarum, ſatis notum eſt vel mediocriter in ſcriptis eorum verſato. Hinc tot opuſcula polemica Lutheranorum & Caluiniſtarum, quibus hæc res digladiantur. Nam Lutherani in vtroque a Caluiniſtis capitaliter diſſentiunt.

27 *Decima blaſphemia. Caluinus cõtra Heſhuſium. p. 39. Beza in colloquio Nompelgard. p. 512. Bucerus in Ioannem. p. 34. Vide Theol. Caluiniſt. fol. 25. 26. 42. Caluinus Inſtit. li. 3. c. 1. § 2. & c. Beza in confeſſ. fidei, cap. 4. §. 20.*

Vndecima, Cùm ſanctiſſimam Euchariſtiam, horrenda ſane blaſphemia, vocant *Idolum, Deum panaceum, magnum Baal*, &c.

28 *Vndecima blaſphemia. Duodecima blaſphemia. Decimatertia blaſphemia.*

Duodecima, Cùm Vicarium Chriſti vocant *Antichriſtum*; & Eccleſiam Catholicam Chriſti ſponſam vocant *ſynagogam Antichriſti. & meretricem Babylonicam.* Hæc enim contumelia in ipſum Chriſtum redundat: ſicut contumelia quæ fit ſponſæ, tranſit in ſponſum; & quæ Regis Vicario, aut Concilio regio, in ipſum Regem. Sicut enim qui honorat Vicarium Chriſti propter dignitatem vicariam, Chriſtum ipſum honorat: ita qui contumelia illum afficit, Chriſtum contumelia afficit.

Præterea in hac contumelia continetur alia, quæ in omnes Sanctos, qui iam a mille annis in Eccleſia Catholica floruerunt, refunditur. Hi enim omnes condemnantur, vt ſuperſtitioſi, impij, Idololatræ, & vt Antichriſti aſſeclæ, ac propugnatores. Vnde non deſunt Caluiniſtæ qui expreſsè auſi ſint dicere Sanctum Franciſcum, Dominicum, Bernardum, Brunonem, & ſimiles fuiſſe hypocritas, ſuperſtitioſos, & a diabolo faſcinatos; ac proinde in æternum damnatos. Multa alia blaſphemiæ plena prætereo: nec enim mei inſtituti eſt, omnia perſequi. Ex his ſatis conſtat, illos etiam hac in re Antichriſti eſſe præcurſores.

29 *Hæreticorũ ſuperbia.*

Nec minùs in ſuperbia & contemptu ſanctorum Patrum. Sicut enim Antichriſtus ſupra omnes Sanctos, & ſupra Chriſtum ipſum ſe efferet: ita illi ſe efferunt ſupra omnes ſanctos Patres, ſupra omnes Eccleſiæ Doctores, ſupra omnia Concilia Oecumenica, & ſupra ipſum Chriſti Vicarium: nec ſolùm his ſe præferunt, ſed etiam horum omnium ſe iudices conſtituunt: ſuam tamen doctrinam a nemine iudicari volunt. An hoc non eſt proximum Antichriſti ſuperbię gradum tenere? Lutherus parens cæterorum in libro aduerſus Regem Angliæ inter cætera ſic ait: *Ego nec audiui ſi dicta Patrum, ſanctorum, Angelorum, damnatorum, pœnæ non æquum iſtum: non multitudi-*

nem,

dæmonum, puto non arriquum vſum, non multitudinem hominum, ſed vnius Maieſtatis æternæ verbum Euangelion, quod ipſimet coguntur probare. Hic ſto, hic ſedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho; hic inſulto Papiſtis, Iconiſtis, Henricillis, Sophiſtis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet ſanctorum, aut conſuetudini fallaci. Diuina Maieſtas mecum facit, vt nihil curem ſi mille Auguſtini, mille Cyprians, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent. Poſſem hic alia plurima commemorare, quę ad hanc rem pertinent, ſed abſtineo ne lectori moleſtiam adferam.

Octaua Comparatio, in hypocriſi & fraudibus.

30 ANtichriſtus magnus erit hypocrita, & ſpecie quadam religionis homines decipiet, varijſque mendacijs & fraudibus auctoritatem & potentiam ſibi conciliabit: Daniel. 11. 2. ad Theſſal. 2. D. Hieronymus in capitul. 11. Danielis: *Per inſidias & fraudulentiam obtinebit principatum quia ſimulauit ſe ducem fœderis, hoc eſt legis & teſtamenti Dei*, &c. Idem docet Hippolytus, Theodoretus, & alij.

Hypocriſis vera. Similia cernuntur in noſtris hæreticis. Nam quod ad hypocriſim attinet, quænam maior aut nocentior hypocriſis eſſe poſſit, quàm: exteriùs nihil niſi purum putum verbum Dei præferre, & ſub hoc velo obtrudere phantaſmata proprijs ſuis, & tanquam aureo poculo venena animorum propinare? magnifice apud plebem meritum & ſatisfactionem Chriſti euellere, & interim ea ponere fundamẽta, ex quibus meritum Chriſti penitus euertatur vel enerueturꝰ denique ſpecie promouendæ pietatis & gloriæ diuinæ, abolendæ ſuperſtitionis ac humanarum traditionum, tollere è medio omnia pæne Sacramenta, omnes legitimos miniſtros, angeliſſimum ſacrificium Euchariſtiæ, veram Scripturarum expoſitionem, ſtudium bonorum operum, timorem diuinæ vindictæ; & quidquid ad bonum incitare, vel à malo cohibere mortales ſolet? hac hypocriſi innumeros ad ſuas partes traxere, & ſectas ſuas mirificè amplificarunt.

31 De alijs mendacijs & fraudibus quid dicam? Infinitum eſſet omnia perſequi; nonnulla dumtaxat generatim complectar. In primis ſtudium illis eſt infamare doctrinam Catholicorum, variis erroribus illis affictis. Paſſim enim docent & ſcribunt Papiſtas contemnere ſacram Scripturam; illi præponere humanas traditiones: nullam apud eos eſſe mentionem fidei, & meritorum Chriſti: eos ius & Sanctorum bonis operibus, non Chriſti meritis confidere: eos ad Sanctos, non ad Chriſtum, aſſidue confugere: Sanctorum imagines ab illis adorari, ſicut Idola ab Ethnicis: eos à lapidibus & lignis auxilium petere: Miſſas priuatas, Purgatorium, Indulgentias eſſe inuentiones humanas multis poſt Apoſtolorum tempora ſæculis ad quæſtum excogitatas: denique Papiſticam Eccleſiam plenam eſſe abuſibus, ſuperſtitionibus, & cultu idololatrico. Huiuſmodi calumnijs plurimos ita fascinarunt, vt Eccleſiam Catholicam inſtar ſynagogæ Antichriſti deteſtentur, & ad quamlibet potiùs ſectam ſe conferant, quam ad eam redeant.

Fraudes.

32 Neque ſolùm doctrinam, ſed etiam vitam Catholicorum, præſertim eorum qui fidem Catholicam tuentur, & hæreſes oppugnant, infamare conantur, vt eos in contemptum & odium adducant. Itaque impoſtûr eis varias proditiones, & machinationes contra quietem publicam, & vitam Principum; & quidquid vſquam aduerſi accidit, hoc illorum conſilijs aſſignant. Studium reducendi errantes ad fidem Catholicam, & reconciliandi Eccleſiæ, interpretantur proditionem patriæ; coronas precarias, agnos cereos, icũculus benedictas, & ſimilia pietatis Chriſtianæ ſymbola, teſſeras coniurationum. Imponunt etiam illis varias libidines, & alia ſcelera, ſparſis in vulgus libellis infamatorijs: qui etſi parum apud eos qui innocentiam illorum perſpectam habent obſint; apud alios tamen qui procul abſunt, & res illorum minime norunt, vel ſimplicitate quadam ſtatim credunt quicquid typis euulgatum vident, multum mali efficiũt. Denique quidquid ab ipſis, vel ipſorum Apoſtolis, vnquam proditorie, ſeditioſè, perfidioſe, licentioſè actum vel deſignatum fuit; huius fœderis infamiam in propugnatores fidei Catholicæ transferre conantur. Notum eſt quatuor primarios itarum ſectarum auctores libidinibus infames fuiſſe; Lutherum ſacrilega, Caluinum & Bezam præpoſtera, Menponem prodigioſa: hinc eorum poſteri tantopere laborant, vt ſuos aduerſarios ſimilibus criminibus infames reddant.

Genus ſcribendi fraudulentum. Genus quoque ſcribendi contra Catholicos eſt fraudulentiſſimum 33 Nam primo, omnia mendacijs, calumnijs, & conuitijs ſunt plenißima; quibus ſubtractis, ingentia volumina ad paucos redigas quaterniones. Scribit Ioannes Cochlæus in actis Lutheranni 23. a quodam notata ex vno Lutheri libello mendacia quinquaginta. Eundem Lutherum à D Ioanne Dietenbergio in duabus dumtaxat confutationibus conuictum fuiſſe de mendacijs octingentis ſeptuaginta quatuor. Idem ſcribit Surius ad initium anni 1523. Si tot mendacia in libris uſque ad illud tempus editis, quid cenſendum de ceteris, quos uſque ad annum XLVI. ſcripſit? Plurima quoque & apertiſſima in ſcriptis Caluini, Bezæ, & aliorum reperias; qua de re breui forte aliquid in lucem à quodam uiro docto multaque lectionis prodibit, ne uideamur falſa imponere.

Deinde, cùm aliquod paradoxum ſtatuere uolunt, contemptis omnibus qui contrarium docent, clamant id eſſe certiſſimum, clariſſimum, puero decennio obuium; miratur ſtuporem & cæcitatem Papiſtarum, qui id nõ videãt; illos à diabolo fuiſſe cæcatos, & alia huiuſmodi. Sic Lutherus in aſſert. art. 36. dicit *eſſe ſomnium à ſomnio, credere hominem eſſe liberi arbitrij.* Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 18. nu. 18. *Quid ſupereſſet niſi vt cæci videant, ſurdi audiant, muti ipſi intelligant hanc Miſſæ abominationem? qui in calice aureo papauerat, omnes Reges terræ & populos à ſummo vſque ad nouiſſimum ſic inebriauit, ſic peruerſæ ſuperſtitionis ac vanitatis, vt brutis ſui ſtupidiores primum & poſtmodum ſua ſalutis inhiantes exitialis vanitatis ſtatuerint?* Idem in cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſſal. Papam eſſe Antichriſtum, uult adeò eſſe manifeſtum ex Scripturis, *vt puer decennis id facilè poſſit aduertere.* Beza cum uertiſſet illum locum Actor. 2. u. 29. ὑμῖν ἐξὸν παῤῥησιάσασθαι πρὸς τὸν πατριάρχην Δαβὶδ, hoc modo: *non relinquetur corpus eius in ſepulchro:* in defenſione huius uerſionis contra Caſtalionem, *Hic*, inquit, *ego de corpore & de ſepulchro nemo dubitare poteſt, niſi qui in meridie cæcutire velit.* Nimirum qui negat animam eſſe corpus, & orcum eſſe idem quod ſepulchrum, cæcutit in meridie. Huiuſmodi auxeſibus & hyperbolis ſcripta eorum ſcatent.

Tertiò, Quo Catholicorum argumenta ſunt ualidiora, 34 & magis premunt, eo magis ipſi illa contemnunt, & contumelijs exagitant, tamquam nullius ponderis: miranturꝰ ſtuporem & ſtultitiam: exclamant; *Quis te, Bellarmine, furor iſte cæcauit? quæ intemperia exagitant? tam te ipſum ſtultitia ſuperauit: tam magis delirat quàm unquam antea; peſſima fide cum Chriſto agis; impudentiſſimè illud diſſimulas*, &c. Ita ſcribunt indocti rabulæ in uirum doctiſſimum & modeſtiſſimum, quo nemo noſtro ſæculo uel ſolidiùs, uel moderatiùs hæreticorum errores confutauit. Nimirum ujdent ſe nullo modo reſpondere poſſe, & idcircò tamquam in rabiem acti in huiuſmodi furiosas uoces erumpunt, ut quod ratione non poſſunt, clamoribus & conuitijs euincant. Denique paſſim ita ſcribunt, ut mordaciùs & aculeatiùs non poſſint, conquiſitis undique contumelioſiſſimis & ſpurciſſimis dictis, vt ſuos aduerſarios exagitent, & à ſcribendo deterreant; qua in re imitantur parentes ſuos Lutherum & Caluinum. Lutherus in opuſculo cui titulus, Contra ſicarium Dreſdæ, inter cetera ſic ſcribit: *Nihil curo quid queratur in libro meo ſerè non niſi maledicta & diabolos nominari. hoc debet eſſe mea gloriatio, monſque bonus. Sic & haberi volo, vt deinceps dicatur de me quòd plenus ſim maledicentia, criminationiſque & execrationis in Papiſtas. Volo & de cetero me aduerſus nebulones iſtos exercitare execrationibus ac maledictis, vſque ad ſeptuagieſimam meam; nec vllum verbum bonum ex me amplius audiant. Ego meis tonitruis ac fulminationibus ſic eos ad ſepulturam compelſabo*, &c. Non minùs contumelioſi, mordaces & maledici ſunt Caluinus & Beza; nimirum ut ſpiritum huius noui apoſtolatus agnoſcamus, qui tam acriter in Catholicos, quia antiquam

doctrinam non deſerunt, & nouitates eorum non admittunt, exardeſcit. ſed malunt Catholici audire ab illis contumelias quam laudes, memores ſententiæ Domini: *Beati cùm maledixerint vobis homines & exprobrauerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

Quartò, Cum aliquod caput oppugnandum ſumunt, ordinem diſputationis mouertunt; & nunc ex fine, nunc è medio, nunc ex initio vnum vel alterum reſectum frustillum calumniantur: nunc ex vna propoſitione duas vel tres peruerſo ſenſu efficiunt, nunc plures in vnam conflant: teſtimonia & probationes ſuis locis auulſas ad aliena transferunt; & quæ ad hanc rem confirmandam adducuntur, tamquam ad aliam producta commemorant. Denique rem totam in ſyllogiſmum inſulſiſſimum contra mentem auctoris colligunt: quo deinde refutato, tamquam parta victoria, ineptiſſimè gloriantur, triumphant, inſultant: *Hic te confrictum tamen; quo te nunc vertis? per quam rimam elaberis? quibus artibus te nunc eripies?* & alia huiuſmodi thraſonica: quæ etſi apud doctos hæc ridicula; tamen apud imperitos, qui rem non penetrant, ſunt gloriola & certa victoriæ indicia.

Quinto, Scripturas ad ſuum commodum, reiectis veterum ſententijs, exponunt, eaſque expoſitiones a Catholicis vt verbi diuini meduliam admitti poſtulant: ingeminant id eſſe clariſſimum; cæcum eſſe qui id non videat, ſtolidum, ſtupidum, alienum qui non intelligat, &c. Obſcura loca veterum, quæ ipſis aliqua ratione fauere videntur, ita hoſtiliter congerunt, apertiſſimis diſſimulatis, vel impudenter tamquam dictis hominum repudiatis. Denique quam malè fide in toto hoc negotio cum Catholicis agant, vel ex eo conſtare poteſt, quod nullam iudicem præter Scripturam ſuo ipſorum iudicio expoſitam, hoc eſt præter ſeipſos, ſuamque phantaſia admittant. Itaque totum negotium Religionis apud eos ſolis fraudibus & mendacijs conſtat.

Surius, Gretzerus, Sanderus, Guilelmus, Reginaldus, Philopater, Didymus, Viridicus, Arc. mentis de Calumniatrice, &c.

De fraudibus, periurijs, & mendacijs eorum in negotijs politicis plenæ ſunt hiſtoriæ: & paſſim ſatis notum eſt, quibus artibus in Gallia, Anglia, Scotia, Belgica, Germania, Hungaria, Tranſiluania ad guberacula rerum adipiſcantur. Itaque in hoc capite præclarè Antichriſtum decem ſuum referunt.

Nona Comparatio, in perſecutione contra Eccleſiam.

35 ANTICHRISTVS grauiſſimam perſecutionem mouebit aduerſus Eccleſiam, & variis ſupplicijs ad ſuam religionem homines compellet: vt ex multis S. Scripturæ locis conſtat; Daniel. 7. & 11. Matth. 24. Apocalyp. 13. & 17.

Multiplex Perſecutio. 1 Similia faciunt hæretici huius temporis, Lutheriſtæ, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, &c. Nam acerrimè Eccleſiam hactenus ſunt perſecuti, & etiamnum perſequuntur, euerſis & direptis tot Eccleſiarum myriadibus, direptis & expilatis tot monaſterijorum millibus, occiſis Religioſis & Sacerdotibus, aliſque Catholicis, odio Religionis, innumeris. Denique per omnia pœnè Europæ regna & prouincias ſparſæ cernuntur ruinæ, & calamitatum, quas illi intulerunt, veſtigia. Vbi verò iam rerum potiuntur, graues multas & pœnas in eos conſtituunt, qui vel ſacrificio Miſſæ interſunt, vel Sacerdotem hoſpitio excipiunt, vel imagines ſacras, calculos benedictos, agnos cereos & ſimilia Catholicæ religionis ſymbola retinent. Scribunt leges, quibus illos qui ſacris initiantur reos læſæ Maieſtatis peragant. Eſt enim id apud eos præſumptio iuris, & de iure (vt iuriſperiti loquuntur) coniurationis initæ cum Summo Pontifice aduerſus ſalutem regni: quaſi hominem Anglum ſuſcipere Ordinem ſacrum, & conſpirare contra ſalutem Angliæ, ſint inſeparabilia; ita vt nulla in contrarium admittenda ſit probatio.

2 *Hæc fusè perſequitur Alanus Cardin. Reſp. ad perſec. Ang'as, Philopater, Guil. Reginaldus & alij.*

3 Simili modo rei læſæ Maieſtatis declarantur omnes qui diſſuadent alicui, vel diſſuaderi procurant, eam Religionem quæ à Principe in regno eſt ſtabilita; ſi id ea intentione faciant, vt ille ad Catholicam redeat. Neſcio an Antichriſtus maiorem odij in Catholicam Eccleſiam & Religionem argumenta dare poterit. Manifeſtè enim oſtendunt, ſe Eccleſiam Catholicam præ omnibus hæreticorum conuentibus, & Religionem Catholicam præ omnibus ſectis, Lutheraniſmo, Anabaptiſmo, Arrianiſmo, Libertiniſmo, Turciſmo & Atheiſmo odiſſe, & quidem in ſummo odij & deteſtationis gradu. Si enim ad quamuis aliam ſectam conaris aliquem perducere, nullis id legibus vindicatur; nulla pœna tibi pertimeſcenda. Omnibus enim ibi conceditur impunitas, Anabaptiſtis, Familianis, Libertinis, Atheiſtis; omnes ſuæ degunt, & ſe propagant vel legum permiſſu, vel Magiſtratuum conniventia. Si autem ad Catholicam, quæ tot ſeculis vbique terrarum floruit, ſtatim eſt crimen, & quidem maximum, læſæ nimirum Maieſtatis, pœna proditoribus conſtituta mox vindicandum. Si diabolus huiuſmodi leges ferret, nihil eſſet mirādum; quia ſuſceptio ſacrorum ordinum, & ſtudium conuertendi homines ad Catholicam fidem directè tendit ad euerſionem ipſius regni & imperij: vnde merito illa cenſeret crimina læſæ Maieſtatis, cùm per ea Maieſtati & imperio ipſius damnum comparetur. Atqui ratione illa poſſint cenſeri crimina perduellionis in ſtatum politicum, intelligi nequit, niſi ſtatus ille in impietate fundatus ſit: adeò vt ſtante impietate, & vigente quauis ſecta conſiſtere poſſit; ruente autem illa, & in eius locum pietate antiqua Religionis reſtituta, neceſſe ſit illum ruere. Infelicem plane ſtatum, qui cū omni ſecta & nouitate conſiſtere poteſt, cum antiqua Patrum religione non poteſt.

Ad perſecutionem quoque pertinet, quòd etſi Catholicos, præſertim Sacerdotes, multis modis odio ſuo cauſa Religionis affligant, & acerbiſſimis ſupplicijs conficiant; exteris tamē perſuaſum eſſe velint, neminem cauſa Religionis interimi, ſed omnes illos, qui hactenus plectuntur, cauſa proditionis plexos eſſe. Quem in finem interdum acta iudicialia, & ea dicta principalia mendaciſſima euulgant: nulla habita ratione aut conſcientiæ ſuæ apud Deum, aut famæ apud homines, aut honoris ſui Principis, cui miſere imponunt: adeò cæcum eſt illorum hominum in Catholicos odium. Verùm ea fraus Martyribus obeſſe non poteſt; ſed eorum coronam potius illuſtriorem reddit: vt quę non ſolùm ex corporalium tormentorum toleratia, ſed etiam ex infamiæ & calumniarum perpeſſione ſplendeſcat. Notum enim eſt Deo & Angelis odio Religionis illa irrogari: notum etiam eſt prudentioribus quibuſque qui morem hæreticorum norant; & è vulgo plurimis. Nec Hiſtorici ipſorum id poſſunt diſſimulare, ſed interdum apertè fatentur. 36 5 *Philopater Didymus. Reſp. ad Inſtit. Britannicam.*

Eamdem perſecutionem non parum exaſperat, quòd falſi ſæpenumero teſtes ſubornentur: quòd delatoribus tertia pars deferatur bonorum: quòd adulatoribus fiat poteſtas inquirendi Catholicos, cōceſſis eorum bonis: quòd Aduocato fiſcali tantum temporis ad accuſandum & ad exaggerandum crimen fictitium, reumque exagitandum, concedatur, quātum ipſe deſiderat; reo verò ad ſe purgandum & accuſationis vanitatem demonſtrandam, breuiſſimum; ſed mox clamoribus, iurgijs, & conuitijs, tamquam manifeſtè conuictus interpelletur. 6

Denique grauibus multis vel ſupplicijs propoſitis coguntur Catholici frequentare preces & concliones hæreticas, ſumere cœnam Caluiniſticam, offerre proles miniſtris hæreticis baptizandas, vt Miniſtrorum opera in contractu matrimonij, iuramenta doctrinæ Catholicæ repugnantia ſuſcipere, liberos hæreticis inſtituendos committere, & alia multa huiuſmodi contra conſcientiam & ſuā Religionem ſubire. At quid poteſt eſſe magis durum & ab omni æquitate alienum? Si compelleretur aliquis ad Religionem antiquam, quæ plurimis ſæculis vigut, & ſanctitate vitæ, miraculis plurimis, & eximia multorum eruditione eſt confirmata & ſtabilita (qualis eſt Religio Catholica) res eſſet tolerabilis, & aliqua ratione nixa videretur: & tamen Eccleſia neminem compellit, niſi qui Religionem Catholicam aliquando ſuſcepit. At verò compellere homines deſerere Religionem antiquam, tot ſeculorum conſenſu & vſu receptam, tam multis modis contectam, & cogere ad capeſſendam nouam, ab hominibus turbulentis & infamibus introductam, quam illi numquam acceperunt, numquam probarunt; cui nihil debent, nulloque modo ſunt obſtricti; id verò omnem immanitatem ſuperare videtur. Quid enim hoc aliud eſt, 7

quàm

quàm non ſolùm corpus & bona temporalia ſubditorum, ſed etiam animas, & æternam eorum ſalutem tapere, perſundere, perdere?

Decima Comparatio, in falſis miraculis.

37 ANTICHRISTVS falſis miraculis & prodigijs homines ad ſuam Religionem pertrahet; vt conſtat ex Apoſtolo 2. ad Theſſal. 2. & ex verbis Domini Matth. 24. Tunc enim diabolus erit ſolutus, & vim ſuam exetere permitteretur ad hominum, qui charitatem veritatis non receperunt, ſeductionem.

Noſtri hæretici tentarunt quidem aliquando miracula patrare, ſed irrito conatu, Deo id minimè permittente, ne totus mundus ante tempus conſtitutum in hæreſeos barathrum præcipitaret. Si enim diabolus illi ſua ope, tum que præſtigijs ita adeſſet, ſicut adeſt Antichriſto, vt doctrinam ſuam miraculis confirmare viderentur, maiorem hominum partem breui ad ſe pelliceret, effetque ea tentatio multis infirmis inſuperabilis. Itaque cùm & veris & falſis miraculis ſint deſtituti, initar omnium miraculorum eſſe volunt, quòd tanta hominum multitudo ad hotas illas religiones breui tempore confluxerit. Verum huiuſmodi miraculum etiam in Arriana religione conſpicitur; & quidem multo illuſtrius. Illa enim breuiſſimo tempore longè amplius eſt diffuſa & propagata, quàm omnes ſectæ hæreticæ totius temporis ſimul iunctæ. Cernitur etiam in Mahometana, quæ maxima & potentiſſima Imperia continet. Sed quid mihi ſi ad Lutheriſmum & Caluiniſmum multi confluant; cùm quidquid eſt ſuperbum & moleſtum carni, è medio tollat, & omnem licentiam eum que iuxta ſuas cupiditates viuendi tribuat? cùm nihil niſi fidem requirat, & per hanc æternam vitam certiſſimè promittat? Quis non cupiat tam mollem, tam indulgentem, tam liberalem Religionem, à qua procul abeſt omnis pœnitentia, omnis vitæ auſteritas, omnis ieunij obligatio, omnis metus damnationis, & in qua eſt ſumma ſecuritas & certitudo ſalutis? in qua quantumuis peccet, & omni te ſcelere inquines, nihil tamen tibi id poteſt obeſſe, ſi fidem retineas? Itaque quod multi ad illas ſectas confluant, non plus eſt miraculi, quàm quòd multi ea quæ carni ſunt commoda, quærant, & cum ſumma vitæ licentia certam poſtea ſalutem abſque labore expetant. Si tamen conſideremus paradoxa & abſurda quæ illæ Religiones continent, & modum quo ſunt introductæ; valdè mirum eſt homines ratione præditos potuiſſe in animum inducere, vt eas amplecterentur. Et hoc meritò inter miracula, quibus Antichriſtum præcurrunt, numerari poteſt. Sicut enim ſub Antichriſto diabolus etiam exterius præſtigijs homines ſeducet, vt amplectantur illum pro Chriſto: ita nunc interius præſtigijs mentes hominum carnalium faſcinat, & perſuadet vt ſummos impoſtores pro Chriſti Prophetis, & teterrimas hæreſes pro Chriſti doctrina & verbo Dei recipiant. Hic eſt ſpiritus quem illi omnes, etſi inter ſe maximè diſſentiant, aſſiduè iactent & allegant; à quo Scripturarum intelligentiam accipiunt in cuius inſtinctum & interpretationem omnem quæſtionem & controuerſiam terminant: denique qui omnes illas nouas doctrinas, etſi inter ſe contrarias, reuelat & patefacit.

Hæc breuiter de præcurſoribus Antichriſti: ex quibus luce meridiana clarius eſt, Lutheranos, Caluiniſtas, Anabapti ſtas, & reliquos ſectarios è Luthero prognatos, qui Summum Pontificem Antichriſtum faciunt, hæreticos eſſe, & magni Antichriſti veros typos, veros præcurſores & imitatores.

Secundò, Patet quantum mundo mali inferant. Tollunt enim reipſa Chriſti meritum & ſatisfactionem: tollunt S. Scripturæ vitam & ſpiritum, veram nimirum eius intelligentiam, ac pro ea ſuas ſubſtituunt phantaſias: tollunt omnia Sacramenta Eccleſiæ, Baptiſmo excepto, quem tamen ſuo etiam ornatu & effectu ſpoliant: tollunt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium: tollunt officia diuina, & omnes Eccleſiæ cærimonias, quibus Deo cultus exhiberur, & hominibus deuotio excitatur: tollunt venerationem & inuocationem Sanctorum: tollunt ſuffragia defunctorum: tollunt omnia Chriſti conſilia, & opera Chriſtianæ perfectionis: tollunt omnia bona opera, cùm ea peccati labe infecta ſtatuunt: tollunt omnem Dei timorem, omnem ſalutis ſolicitudinem, per fidem ſuam ſpecialem & prædeſtinationem omnibus ſceleribus latiſſimam portam aperientes. Denique ipſum Deum auctorem omnium ſcelerum tribuunt, & multis alijs blaſphemijs afficiunt. Itaque ſunt iniurij in Eccleſiam vniuerſam, in animas defunctorum, in Sanctos omnes cum Chriſto regnantes, in Chriſtum, & in ipſam Diuinitatem.

Reſponſio ad rationes, quibus Auctor Catholicum ſe probare contendit.

38 SVPERSVNT nunc excutiendæ aliquot rationes quibus Auctor hæreticos nomen à ſe auertere, & Catholicum probare contendit: à fol. 33 vſque ad 55. Rationes referam ipſius verbis quantum licebit, ſuperuacaneis omiſſis. *An auctor mentionis ſit Catholicus.*

Primò, Ego, inquit, *ſum Catholicus Chriſtianus, qui in tria fidei Symbola, Apoſtolicum, Nicænum, & Athanaſij, libens iuram; quibus ſymbolis, quotquot ſunt in Anglia Miniſtri, ſubſcribunt cùm ordinantur.* Secundò, *Prima quatuor Concilia tamquam Catholica & Orthodoxa veneror atque recipio.* Tertiò, *Imaginibus*, inquit, *eam veneracionem exhibeo: qua nec ipſi maiorem optarent, nec Ieſuita parem vnquam deſiderant. Quidquid enim quadringentis poſt Chriſtum annis vnanimi conſenſu Patres ad æternam ſalutem neceſſarium ſtatuerint, aut tam ijs ita ſentiam, aut modeſto ſaltem ſilentio obmuteſcam, reprehendere certè non audebo.* Quartò, *Scripturis quidem ipſis, nemo*, inquit, *eſt quin credat, quæ non eam à me fidem habeant, quæ illis à Chriſtiano homine debetur, exiſtimet, &c.* Inter apocrypha tamen cenſet, quæ ſunt ſecundi ordinis, de quibus nimirum aliquando ab aliquibus veterum fuit dubitatum: vt ſunt Tobia, Iudith, Eccleſiaſticus, Sapientia, Baruch, libri Machabæorum, & quædam fragmenta, vt Hymnus trium puerorum, hiſtoria Belis & Suſannæ, & poſteriora capita libri Eſther, eaque non valere ad dogmata ſtabilienda valere.

Poſt hæc adfert ſuas quaſdam ſententias, ob quas ait ſe non eſſe cenſendum hæreticum.

Prima, *Non eſſe colendam Sanctorum memoriam, niſi eorum quos Scripturæ auctoritate in album Sanctorum relatos legimus.*

Secunda, *Beatam Virginem non eſſe inuocandam: quia ipſa ſe negotijs noſtris intermiſceat: alioquin à gaudijs cœleſtis beatitudinis auocaretur. In cœlis*, inquit, *in æterno ſanctorum animarum receptaculo, in æternam eſt felicitatem collocata, numquam à tantis gaudijs vlla terrenarum rerum cura aut ſolicitudine auocanda.*

Tertia, *Poſtulare ſuffragia Sanctorum eſſe contra illam ſententiam Domini, Matthæi 11. v. 28. Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Eſſe ſuperſtitionem quam reprehendit Apoſtolus ad Coloſſ. 2. vbi humilitatem & religionem Angelorum prohibet: eſſ. recurſum ad deos penates, ſine tutelares.*

Quarta, *Eccleſiam Romanam prorudere filij articulos ante annum Domini quingenteſimum: mendaces, & impios. In his*, inquit, *priuatas Miſſas numero. In his Sacramenti mutilatio, qua laicis partem illius mediam ſubtrahere, transubſtantiatio, adorandi cauſa elevatio, in ſupplicationibus Sacramenti circumgeſtatio, ſuperrogationis operæ baptiſtio, campanarum, & mille præterea noxa, et ſuperſtitiones illa ſtatuis delata.*

Quinta, *Reliquias Sanctorum nobis eſſe inſerendas: eas ſeruare, nihil eſſe aliud quam illas deierare.*

Sexta, *Reliquiarum & imaginum adorationem eſſe intolerabilem Idololatriam. Idem ſentiendum de vitæ Dominicæ, in qua Dominus pependit.*

Septima, *Purgatorium eſſe commentum. & multa in eo ſtimula ſequi.*

Octaua, *Petrum non fuiſſe caput Eccleſiæ & Primatem.* 39

Ob hæc & ſimilia contendit ſe non eſſe hæreticum, cùm Scripturam, tria Symbola, & quatuor priora Concilia Oecumenica recipiat.

Verùm hæc non ſufficiunt vt ſe ab hæreſi vindicet, vel ipſomet iudice. Nam ipſius iudicio *Hæreticus eſt non Chriſtianus*

ſtianus cenſendus eſt, quiſquis adhuc credit Etiam Theſibien ſenturum. Ita quum expreſsè ſcribit p.g.27. addito iurejurando: atqui hoc credunt omnes Cátholici ſeu Papiſtæ (vt ipſi nos vocant) & omnibus ſæculis crediderunt; quos tamen conſtat recipere omnes Scripturas, & Symbola tria fidei, & quatuor illa Concilia Oecumenica; ergo Auctoris iudicio, vt quis ſit Chriſtianus habendus, non ſatis eſt, ſi recipiat ſaltem Scripturam, tria Symbola, & quatuor Concilia; ſed ampliùs requiritur, nimirum vt alios errores non teneat. Poteſt ergo Auctor eſſe hæreticus ob alios errores, ſicut ipſius iudicio omnes Papiſtæ ſunt hæretici & Antichriſti cultores, & Idololatræ; & tamen Scripturas, tria Symbola, & quatuor Concilia Oecumenica recipiunt.

Secundò, Pelagiani, Monothelitæ, & Græci in articulo de proceſſione Spiritus ſancti, ſunt hæretici etiam iudicio Proteſtantium, è quorum numero eſt Auctor; & tamen Scripturam, Symbola, & quatuor Concilia recipiunt. Ratio eſt clariſſima; quia multæ ſunt hæreſes pernicioſiſſimæ (vt; *Non ſolo permiſſu, ſed impulſu Dei omnia opera mala fieri; hominem non eſſe liberi arbitrij*, &c.) quæ non ita clarè damnantur in illis Symbolis, Conciliis, vel Scripturis, quin poſſit quis illarum damnationem negare: & ita poterit illas pertinaciter tenere, & illa ſimul admittere. Itaque cùm Auctor plurimos errores alios teneat, poteſt eſſe hæreticus, etiamſi prædictas fidei regulas admittat.

40 *Quomodo S. Scriptura, ſymbolum & concilia debeant recipi, & ex quo fundamento.*

Præterea vt quis ſit Chriſtianus, non ſatis eſt quouis modo Symbolum fidei, ſacram Scripturam, & cetera recipere, ſed oportet certo modo, & ex ſolido & infallibili fundamento recipere. Si enim recipias innixus fundamento fallaci, iam non fide certa & diuina (quabs ad Chriſtianiſmum eſt neceſſaria, & ſine ſpeciali auxilio Dei nequit obtineri) recipies, ſed humana, quæ errori obnoxia. At facile eſt oſtendere Auctorem cum ſuis Proteſtantibus ea quæ recipit, non recipere ex infallibili fundamento, ſed ex planè fallaci & erratico: quod perinde eſt, ac ſi non reciperet. Quæro enim quaratione nixus credat hoc eſſe Symbolum Apoſtolorum? aut nihil falſi in eo contineri? An quia aliqui veteres Auctores id ab Apoſtolis conſectum ſcribunt? At hoc fundamentum etiam ipſius iudicio eſt fallax: quia alia pluria veteres ſcribunt, quæ ipſe non ſolùm non credit, ſed falſa eſſe non dubitat. An quia conſentit cum Scripturis? At vnde id nouit, præſertim cùm in Scripturis expreſsim non habeatur? Deinde quæram, vnde nouit Scripturas? &c. An quia conſentit cum iudicio ſpiritus interno? At hoc fundamentum eſt occultum, & à quouis hæretico proferri poteſt: vnde eſt inutile ad ſuam fidem alteri probandam, ſeque ab hæreſi vindicandum: præſertim cùm omnes hæretici, etiam dum maximè diſſentiunt, hoc fundamentum allegent. Itaque ſepoſita Eccleſiæ auctoritate, qua nobis hoc Symbolum traditur vt Apoſtolicum & veriſſimum, nulla eſt ratio firma & infallibilis, qua illud recipiatur & credatur. Simili modo ſemota hac auctoritate, nulla eſt ratio ſolida, cur Symbolum Nicænum & Athanaſij ſit recipiendum. Vnde cùm Auctores cum ſuis hanc auctoritatem infallibilem repudient; nullo ſolido fundamento, ſed fallaci & erratico, illa recipiunt, ſolisque humanis coniecturis nituntur.

Idem dixerim de quatuor illis Conciliis. Qua enim ratione conuicti credunt illa quatuor Concilia eſſe recipienda, vt à Spiritu ſancto directa; cetera minime? Quid in illis fuit quod ea faceret eſſe legitima, quod poſterioribus defuerit? In omnibus enim præſedit Summus Pontifex per ſe vel Legatos ſuos: in omnibus ſoli Præſules Eccleſiarum, & viri Eccleſiaſtica dignitate illuſtres, non autè laici, vel ſimplices presbyteri, ſedere Iudices: omnibus tamen doctis ad examen & diſcuſſionem rerum patuit aditus; omnia à Summis Pontificibus confirmata. Itaque qui ſolida ratione motus recipit illa quatuor priora; ob eamdē rationem neceſſariò debet recipere etiam poſteriora. Eadem enim eſt ratio vel omnia recipiendi, vel omnia repudiandi.

De Scripturis.

Idem conſtat de Scripturis. Vnde enim norunt hunc librum eſſe Scripturam ſacram, & verbum Dei; non illum? Vnde ſciunt illum ab hæreticis vel librarijs non eſſe adulteratum, nihil detractum vel additum quod ſententiam mutet? Cur Tobiam, Iudith, & alios ſupra nominatos non recipiunt, ceteros autem recipiunt? An quia de illis aliquando ab aliquibus dubitatum? de hi minimè? Cur ergo Apocalypſin recipiunt, & Epiſtolam ad Hebræos? Nam & de his aliquando à Catholicis dubitatum eſſe conſtat. Sic enim ſcribit Hieronym. Epiſtol. 129. quæ eſt ad Dardanum: *Quid ſi eam* (Epiſtolam ad Hebræos) *Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas canonicas: nec Græcorum quidem Eccleſia Apocalypſin Ioannis eadem libertate ſuſcipiunt: & tamen nos vtraque ſuſcipimus.* &c. Cur recipiunt Epiſtolam Iacobi, Iudæ, ſecundam Petri, ſecundam & tertiam Ioannis? cùm etiam de his olim aliqui dubitarint, an eſſent verè Apoſtolicæ; vt teſtatur Hieronymus lib. De viris illuſtribus, agens de his Apoſtolis; & Euſebius lib 3. Hiſtor. cap. 23. An quia Tobias, Iudith, &c. non reperiuntur in textu Hebræo? At vnde conſtat nihil veteris Teſtamenti eſſe Scripturam diuinam, niſi quod extat Hebraicè? Cur aliqua non potuerunt Græcè ſcribi, præſertim ad Hiſtoriam vel mores pertinentia, vt à pluribus poſſent legi, vel ex Hebræo in Græcum transferri, Hebræis poſtea interciderunbus? aliqua enim Hebræa periſſe (vt videnem Aliæ Sibyllis, Addo Videpris, verba dierum Regū Iſrael, & multa Salomonis) ex ipſis Scripturis ſatis conſtat. Nulla igitur ex illis rationibus eſt ſolida, nulla ſecura & erroris expers. Quod cùm ipſius minimè lateat, recurrunt ad teſtimonium æternum priuati ſpiritus. Sed hoc teſtimonium eſt omnium fallaciſſimum; vt oſtenſum eſt. Quæ enim ſpiritus Caluiniſtis teſtatur eſſe canonica, eadem Lutheranis teſtatur eſſe ambigua, apocrypha, ſtraminea.

Ex quibus perſpicuum eſt, eos nullum habere ſolidum *κριτηριον*, quo verum à falſo, canonicum ab apocrypho diſcernant: nullum infallibile fundamentum, quo quis Scripturas, vel Symbola, vel Concilia, vel aliud quid pertinens ad fidem, recipiant; ac proinde non poſſe hunc oſtendere ſe Chriſtianos & non hæreticos eſſe. At fundamentum quo Catholici nixi illa recipiunt, ſolidiſſimum eſt & falli neſcium; nimirum teſtimonium Eccleſiæ, hoc eſt magni Parlamenti (vt ſic dicam) Regni Chriſti, quod à Spiritu ſancto regi ex ipſis Scripturis cognoſcimus. quod autem priuatus quiſque ſpiritu Dei in iudicando de rebus fidei ducatur, ex Scripturis non habemus, ſed contrarium; nimirum venturos nouiſſimis temporibus multos pſeudoprophetas, multos qui attendant ſpiritibus erroris, qui agantur ſpiritu vertiginis; multos errantes, & in errorem mittentes, & ſeducentes plurimos. Et ſane quis non videat longe credibilius eſſe magnum illud regni Chriſti comitium ſpiritu Dei regi, & errare non poſſe, quam priuatum quemlibet?

Matth. 24. 1. ad Tim. 4. 2. ad Tim. 3.

41 Rurſus, vt quis ſit Chriſtianus non hæreticus, non ſatis eſt, verba Scripturæ, & cetera recipere; ſed oportet in primis legitimum ſenſum recipere. Non enim in externo verborum cortice, ſed in ſenſu legitimo, ſita eſt Scripturæ & Symboli ratio, & Conciliorum definitio, ac decreta. At certum eſt Proteſtantes non recipere illa ſecundum legitimum ſenſum, quo Eccleſia Catholica, & tota antiquitas illa recipit. Scripturas enim non explicant, nec admittunt iuxta communem Patrum intelligentiam, & Eccleſiæ ſenſum; ſed iuxta ſenſum proprium, quem illis priuatus ſpiritus ſuggerit, qui nulli vnquam veterum in mentem venit, ſed omnibus aduerſatur. Addo, ſi quis attentè plurimas eorum expoſitiones perpendat, illi meritò viſum *Hæretici ludibrio Scripturas habent.* iri, eos non ſolùm Scripturas ex animo non recipere, ſed etiam contemnere & ludibrio habere. Nam quidquid odiū vel ira in Summum Pontificem, & Eccleſiæ miniſtros, ſuggerit; quidquid ad calumniandum vel maledicendum videtur opportunum, quidquid commodum ad doctrinam Catholicam traducendam, vel ad phantaſias eorum defendendas, mox genuinam verbi Dei mentem, & ipſam Scripturæ ſacræ medullam faciunt. At quod poteſt ſummæ in Scripturas ſacras irreuerentiæ & ludibrij clarius eſſe ſignum? Sed de hoc plura diximus ſuprà numero 14.

41 Senſus Scripturæ recipiendus.

Pari modo ſe habent in Symbolis. In Symbolo Apoſtolico quatuor articulos ſenſu Eccleſiæ & omnium veterum non admittunt, ſed ſuo dumtaxat & nouo. Primus eſt, Deſcendit ad inferos, hunc non intelligunt de deſcenſu animæ Chriſti poſt mortem ad loca inferiora terræ receptacula animarum; ſicut Eccleſia & omnes Patres ſemper intellexerunt; ſed de perpeſſione tormentorum inferni, idque ante mortem in ipſa cruce, vt ſenſum ſit:

Deſcen-

Deſcendit ad inferos: hoc eſt, perpeſſus eſt inferorum, & hominis damnati tormenta: & hæc tormenta volunt conſiſtere in anxietate quadam orta ex eo quòd apprehendit Patrem ſibi iratum, & dubitauerit de ſua ſalute. Qua de re ſupra nu. 14. aliquid diximus.

Secundus eſt, *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Quo ſignificatur nos credere non ſolum in genere eſſe aliquam Chriſti Eccleſiam, ſed etiam in particulari, hanc Eccleſiam, eamque eſſe ſanctam, ita vt extra eam nulla ſit ſanctitas: & Catholicam, quæ toto orbe ſit diffuſa, & omnibus ſæculis poſt Chriſtum extiterit. Maximè enim neceſſarium eſt, in particulari noſſe quænam ſit vera Chriſti Eccleſia, eamque firma fide tenere. In hac enim notitia & fide fundata eſt tota inſtructio & fides cæterorum articulorum, noſtri reſpectu. Qui enim Eccleſiam ignorat, neceſſe eſt in omnibus alijs vacillet. Neſcit enim quænam ſint Scripturæ diuinæ: quæ ſit earum mens & interpretatio: quid debeat credere, quid reſpuere, cui cœtui ſe adjungere, &c. At noſtri Calumniatæ, & alij hæretici hunc articulum non intelligunt de vera Chriſti Eccleſia; ſed ſinguli de ſuorum cœtu, qui nullo modo Eccleſia Catholica dici poteſt; cùm & nouitius ſit, vtpote nuper exortus, & angulo orbis angulo concludatur. Denique omnibus hæreticis commune eſt circa hunc articulum errare. Nũ enim Eccleſiam Catholicam negarent, hæretici eſſe non poſſent.

Tertiò eſt *Sanctorum communionem*: quo ſignificatur nobis in hac vita Sanctorum cum Chriſto regnantium preces prodeſſe, & defunctos viuorum ſuffragijs iuuari; denique aliorum preces & merita alijs auxilio & ſolatio eſſe. At Caluiniſtæ & alij paſſim hæretici negant Sanctos vllam noſtri curam gerere, aut rebus noſtris vllo modo conſulere, aut preces noſtras percipere: negant ſuffragia noſtra defunctis prodeſſe. Tollunt itaque illam ſupernaturalem Sanctorum communionem, & nullam ferè niſi politicam viuorum concedunt.

Quartus eſt, *Remiſſio peccatorum*. non enim agnoſcunt cum tota antiquitate veram peccatorum remiſſionem, quæ in abſterſione ſordium peccati, & mundatione cordis, interioriſque hominis renouatione conſiſtit: ſed ſolam diſſimulationem, qua non imputet peccata ad vindictam, propter fidem ſpecialem. Quòd figmentum planè nouum eſt, & toti antiquitati inauditum.

43 Quod ad Symbolum Nicænum ſeu Conſtantinopolitanum attinet, Caluinus illud, *Deum de Deo, lumine de lumine, Deum verum de Deo vero*, vult dici improprie: ac proinde propriè non eſſe verum: propriè *Filius non eſſet Deus de Deo, lumen de lumine*. Deinde Caluiniſtæ ita faciunt Filium Patri conſubſtantialem, vt illum etiam ſecundùm Diuinitatem ſtatuant mediatorem, & ſacerdotem, & Patri ſubiectum. Quod quidam eſt aliud quàm tollere conſubſtantialitatem? Præterea non agnoſcunt *vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*: vt oſtenſum eſt. Denique *non confitentur vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum*; nam baptiſmo nullam vim gratiæ conferendæ & peccati delendi tribuunt, ſed ſolùm obſignandi conſcientijs noſtris diuinas promiſſiones: deinde quia adultos docent iuſtificari per fidem ſpecialem; paruulos verò vi diuinæ promiſſionis factæ Abrahæ. Baptiſmus ergo illis non operatur peccatorum remiſſionem.

In Symbolo Athanaſij, præter ea quæ de Chriſti & Patris æqualitate, & deſcenſu ad inferos notata ſunt; quomodo credunt *omnes homines de facti proprij rationem reddituros*, cùm doceant ſolius fidei ſpecialis in iuſtificatione rationẽ haberi: & omnes qui fidem illam habuerint, ſaluos fore; qui non habuerint, certiſſimè damnandos? Quid opus eſt factorum diſcuſſione, ſi bona opera nihil ad ſalutem conferant, & mala fidem habenti non obſint? Superflua eſt itaque illa factorum diſcuſſio, cum ſatis ſit inſpicere, an fidem habeat. Rurſus, quomodo credunt eos qui bona egerunt, ituros in vitam æternam, cùm opera bona nihil illis mereantur, nihil ad ſalutem proſint, & omnia ex fide ſint æſtimãda? Quo modo qui bona opera egerunt, ſalutem conſequentur, cùm iuxta illos nulla ſint opera bona, ſed omnia peccati labe ſint inquinata, ita vt nullum a Sanctis exeat opus, quod nõ iuſtam opprobrij mercedem mereatur? Rurſus, quomodo *qui mala egerunt, ibunt in ignem æternum*, ſi fidem habuerint? An forte cum ſua fide ſpeciali propter opera mala damnati poterunt? Denique, quomodo *ibunt in ignem æternum*, cùm iuxta veſtrum Prophetam, nullus ibi ſit verus ignis; ſed ſolùm anxietas & terror ex apprehẽſione Numinis irati; qualem ignem etiam Chriſtus in cruce ſuſtinuerit.

Quòd etiam multa, quæ prioribus illis quatuor Conci- 45
lijs continentur, non recipiant; neque ea a Spiritu Sancto directa putent; multis rationibus oſtendi poſſet. Et, vt cætera omittam; omnibus illis præſedit Summus Pontifex per ſuos Legatos; at iuxta noſtrum Auctorem & Proteſtantes, Imperator vt caput Eccleſiæ per ſuorum Imperium præſidere debebat. In illis ſoli Præſules Eccleſiarum ſedere Iudices, & ius definiendi habuere: at Proteſtantes volunt omnes eruditos etiam laicos eſſe Iudices, & ius ſuffragij deciſiui habere.

In Nicæna Synodo hæreſis Arrij damnata, & Filius Patri *ὁμοούσιος* definitus, non ex nudis Scripturis, cũ plurimæ & in ſpeciem pugnantes vtrimque adducerentur, ſed ex traditione & doctrina non ſcripta; vt teſtatur Theodoretus lib. 1. Hiſtoriar. cap. 8. At illi traditionem repudiant, & omnia ex nudis Scripturis decidi poſtulant.

De alijs, quæ Auctor nouitia dogmata, & poſt annum Domini quadringenteſimum vel quingenteſimum introducta putat, & idcircò ait [illegible] non recipere; qualia dicit eſſe cultum & inuocationem Sanctorum, eorumque interceſſionem, Miſſæ ſacrificium, Communionem ſub vna ſpecie, Tranſſubſtantiationem, ad orationem Euchariſtiæ, opera ſupererogationis, Imaginum & Reliquiarum veneratiogem, Purgatorium, & Petri primatum; nimis longum eſſet ſingula perſequi, neque ad præſens inſtitutum neceſſarium. Abundè præter alios reſpondit doctiſſimus Cardinalis Bellarminus, tum in ſua Apologia caput. 8. tum in opere Controuerſiarum, oſtendens ea eſſe antiquiſſima Eccleſiæ dogmata. Porrò ex ijs quæ diximus ſatis conſtat, etiamſi ob illa hæreticus non eſſet (quorum tamen ſingula ad hæreſeos labem abundè ſufficiunt) tamen ob alia multa quæ adduximus, ab hæreſi excuſari non poſſe: imò totius orbis & omnium ſæculorum iudicio, ipſius doctrinam, & ſectam cui mordicus inhæret, hæreſeos eſſe damnatam. Itẽ conſtat omnes hæreticos, & præſertim propagatores & defenſores hæreſum, verè & propriè iuxta mentem Scripturarum, magni Antichriſti, qui ſuo tempore exurget, præcurſores ac miniſtros eſſe.

Appendix de Caluino.

EMiſi ab hinc biennium breuem formulam, qua dirigi & iuuari poſſint qui de fide & Religione conſultant, vel dubitant quænam ex tanta multitudine & varietate, quantam hoc ſæculo videmus, ſit amplectenda: quam idcircò hoc titulo inſcripſi: *Quæ Fides & Religio capeſſenda ſit. Conſultatio*. Huic quidam Miniſtri Caluiniſtæ apud ſimpliciores detrahere conati ſunt, eo nomine quòd dicerem Auctorem duplici manifeſta calumnia in Caluinum vti. Altera, cùm ait *Caluinum ſtatuere Deum eſſe auctorem omnium ſcelerum*: id enim Caluinum numquam docuiſſe. Altera, cùm refert *illum incurriſſe infamiam furis, ratione ſententiæ, qua Nouedani criminis nefandi damnatus fuerit, & ferro candenti vſtulatus*. Sed abſit a me, vt alicui etiam hæretico aliquid falsò ſciens imponam, ſiue de doctrina agatur, ſiue de moribus. Ita mihi Chriſtus inſpector cordis mei, qui me iudicaturus eſt ſecundùm opera mea, propitius ſit. Scio huiuſmodi mendacium pernicioſum eſſe, & de eo ſcriptum: *Os quod mentitur, occidit animam*. Non opus habent Catholici mendacij & calumniæ præſidio, vt hæreticorum doctrinam oppugnent. Hæc illorum arma ſunt, quibus hactenus niſi, & in quibus ſpem ſuam omnem poſuere, iuxta illud: *Poſuimus mendacium ſpem noſtram; mendacio protecti ſumus*.

Verùm priorem accuſationem de doctrina falsò impoſita ſupra ſatis recudimus: vbi ex verbis Caluini oſtendimus, ipſum clare docuiſſe, omnia ſcelera & opera nefaria omnium hominum & dæmonum, tam interna quàm externa, fuiſſe ab æterno a Deo prædeſtinata, decreta, ordinata, diſpoſita; & in tempore dæmones & homines ad illa à

Deo

44 *Caluinus li. 3 Inſti. ca. 11. §. 13. ca. 15. & c. 19.*

Caluinus li. 3. ca. 12. §. 4. & c. 14. §. 9. &c.

Sap. 1.

Iſaiæ 28.

47 *Doctrina Caluini.*

Deo agreſtari, moueri, cogi, impelliſita vtipſi ſe habeant in modum inſtrumenti, Deus in modum cauſæ principalis. Idem aere oſtenſum a multis Doctoribus Catholicis, & Lutheranis, vt ſaxea frontis ſit, qui auſit negare. Et vt alios multos omittam, fusè & clariſſimè id demonſtrarunt ex Catholicis Cardinalis Bellarm. lib. 2. De Amiſſ. gratiæ, & ſtatu peccati, capit. 3. & 4. Guilielmus Reginaldus lib. 3. Caluino turciſmi, cap. 23. & Martinus Becanus in opuſculo De auctore peccati. Ex Lutheranis, Conradus Schlieſſelburgius in ſua Theologia Caluiniſtica; & Sebaſtianus Caſtalio De prædeſtinatione ad Caluinum. Neque ſolius Caluini, ſed etiam Lutheri, Melanchthonis, Zuvinglij, Bezæ, & aliorum nouæ Euangelij Apoſtolorum hæc doctrina fuit: vt ſupra oſtenſum eſt. Sed miniſtros pudet hæc apud plebem fateri, & dicunt per calumniam imponi: quia verentur ne tam teterra doctrina ſemel detecta, ſimpliciores, quorum animi non ſunt planè corrupti, & aliquem adhuc pietatis ſenſum retinent, Magiſtrum & Apoſtolum deteſtentur.

48 *De impuritate Caluini.*

Ad alteram accuſationem, de libidine præpoſtera falsò impoſita, modo reſpondere eſt animos. Non ex aere iſta ſumpſi, nec exaneo cerebro, ſed ex bonis auctoribus, & fama communi, quæ 40. & amplius annis viguit, non ſolùm apud Catholicos, ſed etiam apud Lutheranos. Plurimi fuerunt proteſtantes huius rei tanquam certæ & notoriæ mentionem facientes ex quibus paucos adferam.

Primus ſit Hieronymus Boſſecus medicus, conſcius ſecretorum Caluini, vt ex præfatione apparet. Hic in eius vita, quam ante annos 24. deſcripſit, & dedicauit Primati Galliæ Archiepiſcopo Lugdunenſi, cap. 5. ita ſcribit: *Nihil iam de natiuitate dicam, quæ in annum 1509. incidit: quo Noviodunis Picardiæ in lucem editus eſt. Neque etiam commemorabo de patre eius Gerardo Caruino aliud, niſi impiè hominem fuiſſe; & in Deum maximè blaſphemum: quod de illo teſtimonium publicum aliquot ciues Noviodunenſes interrogati perhibuerunt, Notariumque legalis in publicas tabulas retulit; quarum exemplum erudero Bartelier Domuij Senatuſque Genetenſis Secretario. Nonnullorum huiuſce rei gratia, vt in vitam atque mores Caluini inquireret, & qualis adoleſcens fuiſſet explorarem, & præcipuè miſſo Lutetiam. Quod ego teſtimonium publicum apud hunc vidi, & in manibus habui: & ideirco vt rem veriſſimam commemorare poſſum. In quo quidem teſtimonio, hæc quoque erant adiecta: Caluinum ciuem Caruæum illius beneficium & aliud ſacelli eiuſdam ſacerdotium obtinuiſſe, ſodomitici ſceleris conſilium in vita diſcrimen vaniſſe, & ignis, quæ huiuſmodi ſceleris ordinaria & legitima pœna eſt, extinctum. Quarum Epiſcopi vrbis commiſeratione pœnam moderatam, vt cauterio candenti eius humero illatum inureretur, quo probro confuſus neque talem iniquitatem ferens, ciuitatemque Eccleſiaſticum beneficium in Paſtoſem Noviomenſem transtulit; & ab eo certa pecuniæ ſumma accepta in Germaniam, deinde in Italiam profectus eſt. fortunæ, ſi quam ſibi propoſitam inuenire poſſet, ſe permittens. Cæterùm ſilentio præterire nolo, Noviodumo diſcedentem cognomine immutato Caluinum ſe pro Caruino vocitaſſe, ſiue imprudentem ſiue conſultò, quod hoc nomen moribus eius conueniret, quibus malignum illum & vindicta cupidiſſimum Caluinum expreſſit, cui Iuuenalis, cum ad eius Satyram 13. ſcriberet, hunc verſum attribuit:*

Ad vindicta bonum quo non felicius vllum.

Sed fuit etiam cùm ſe Carolum de Hoppe oppido appellaret, & in omnibus literis ſubſcriberet. Hæc ille.

49 Si illa de crimine ſodomitico & ſtigmate vera non erant, cur diſcipuli Caluini ea non refutarunt? Cur inſpectionem actorum publicorum, & Magiſtratuum teſtimonia non petierunt? facile enim, ſi falſa erant, refutari tunc temporis potuiſſent. Primò, teſtimonio Magiſtratus Genetenſis, qui publico inſtrumento declarare potuiſſet, tale ſcriptum nunquam ad ſe perlatum: ſe nihil vnquam de huiuſmodi Caluini crimine inaudiſſe. Non enim dubitandum quin eo tempore, nimirum anno 1577. fuerint multi ſuperſtites, qui huius rei poſſent meminiſſe; & fortaſſe ipſe Bartelier, in cuius manibus ſe hoc teſtimonium vidiſſe affirmat Boſſecus, adhuc ſuperarat. Secundò, Teſtimonio Magiſtratus Noviodunenſis. Non enim eſt dubium quin ex actis iudiciarijs, quæ alteruari diligenter ſolent, veritas cognoſci poſſet: verum neutrum fecerunt fratres Euangelici. Qui credat, ſi ſolida aliqua ratione tanti ſceleris infamiam à ſuo Apoſtolo amoliri potuiſſent, & admirabilem ſuæ Religionis Hieronymum Boſſecum calumniæ conuincere, & apud omnes hoc modo infamem reddere, eos id fuiſſe prætermiſſuros? Sed enim effeciſſent, vt nec in ceteris, quæ Boſſecus de Caluini variis criminibus, & peſſimis artibus, ac machinationibus ſcribit, ei fides adhiberetur. Itaque cum nihil fecerint eo tempore quo maximè oportebat (nimirum cùm libellum ſuum Boſſecus euulgaret) vt ita ſolidè confutarent; nemini prudenter rem expendenti dubium eſſe poteſt, quin rationis inopia, & criminis conſcientia id omiſerint. alioquin iniurij in ſuum Apoſtolum, & ſacrilegium ſuam Religionem extruiſſent. Accedit, quod Boſſecus non ſolùm dicit ſe in manibus illius Secretarij hoc teſtimonium vidiſſe & inſpexiſſe; ſed etiam iureiurando affirmat; ita enim ſcribit in Epiſtola dedicatoria ad Archiepiſcopum Lugdunenſem: *Iam hoc quoque remedium reſtat Deum, nihil vir hoc tractatu complexum, quod contra meam conſcientiam ſanctum eſſe mihi conſtet ſim: ſed quæ ſcribo omnia veritate niti, & vel ex tabulis & teſtimonijs maiorum ipſius Caluini, deſcripta ea me deſumpſiſſe, vel referentibus maximæ auctoritatis viris cognouiſſe, vel me oculis conſpexiſſe, manuque palpaſſe*, &c. Omitto ſigna & perſtrales varias quæ concurrunt: vt quòd memoratus aliquoties mutarit, quòd beneficia ſua per ſimoniam vendiderit, quòd patriam deſeruerit, quod in Germaniam ſe contulerit: quòd alia multa impuritatis indicia in eius vita apparuerint; vt Boſſecus, & alij ſcribunt.

50 Secundus ſit Iulius Brigerus. Hic in Floribus Caluinianarum ita ſcribit: *Caluinus enim Noviodunum Curatum beneficium, & aliud ſacelli eiuſdam ſacerdotium obtinuerat, ſodomitici ſceleris conſilium in vita diſcrimen vaniſſe, vt ego memoratur. Cæterùm Epiſcopi vrbis commiſeratione pœna moderata, cauterio candenti eius humero Latium eſt inuſtum. Quam ignominiam haud ferens, vendidit beneficia ſua, & in Germaniam ſe contulit, mutato priùs nomine. Nam pro Caruino Caluinum ſe vocitabat, & aliquando Chenalum de Hoppe, aut Happe.* Hæc ille ex Bolſeco & alijs. Non ſine numinis prouidentia videtur ea nominis mutatio facta. *Caluinus* enim per anagramma eſt *Lucianus*: numirum vt Luciani in eo notetur impietas.

51 Tertius ſit Thomas Stapletonus, qui in Promptuario Catholico, Sabbato hebd. 3. Quadrag. ita ſcribit; *Inſpectantur etiam adhuc hodie tabulæ Noviodunenſis in Picardia ſeruatæ, & veteris geſtarium monimenta: in illis adhuc hodie legitur Iacentem hunc Caluinum ſodomiæ conſilium, ex Epiſcopi & Magiſtratus indulgentia ſolo ſtigmate in tergo vtrinque, vbe exciſſibile. Nec eius familiæ honeſtiſſimi viri adhuc ſuperſtites impetrare haſtenus potuerunt, vt huius ſceli memoria, quæ tot familias totam aliquam vrbis, è ciuicis illis monumentis ac ſcriniis eraderetur.* Hæc ille ante annos circiter 23. quia conſcripſit illa aliquot annis ante euulgationem. Itaque tunc extabant adhuc acta publica, quibus id continebatur; quæ tamen iam dicuntur renouata & mutata, omiſſa infami illa de ſcelere & ſtigmate Caluini narratione. Facilè id potuit Stapletonus cognoſcere per Anglos qui aſſiduè illac tranſibant Duaco Rhemos, vel Rhemis Duacum commetantes.

52 Quartus ſit præclarus Martyr Edmundus Campianus: quintus, Ioannes Duræus Scotus. Campianus enim ante annos 30. in ſua fidei demonſtratione Ratione 3. Caluinum *ſtigmatorum perfugam vetat*. Ad quod VVittaKerus in ſua Reſp. pag. 50. hoc tantùm reſpondet: *Si ſtigmatorum fuit Caluinus, fuit etiam Paulus, fuerunt alij.* Vbi non obſcurè VVittaKerus videtur fateri, ſed aliorum exemplo excuſare. Ioannes Duræus hanc VVittaKeri reſpõſionem refutat his verbis: *Quòd Caluini ſtigma haueris in mente, cum Pauli ſtigmatibus conferre non dubitas; facis id quidem pro tua modeſtia & ſumma in præceptorem amore humanitate: niſi quòd meminiſſe debueras Chriſti ſtigmata in corpore ſuo Paulum portaſſe; Caluinum verò ſtigmata liliorum, quibus non niſi noſarij homines ob immania crimina ad perpetuam eiuſ memoriam ſolent.* Ad hæc VVittKerus nihil amplius quod reſponderet habuit. Vnde etſi in ſua Reſponſione contra Duræum ad cetera, quæ hoc loco Duræus adfert, reſpondere conetur, vt patet pag. 280. hoc tamen de ſtigmate prorſus diſſimulat. Hæc ex libro Anglico

glico cui titul. *Apologia Proteſtantium pro Romana Eccleſia*. Quid cauſæ fuiſſe putabimus homini alioquin loquaciſſimo, & importuniſſimo, huius ſilentij; niſi quod fama publica, & conſcientia propria convictus, nullo colore rem tegere & honeſtare potuerit?

Sextus, Surius ad annum Domini 1538. ita de Caluino ſcribit: *Hucuſque* (Argentoratenſi nouæ Eccleſiæ) *aliquamdiu præfectus fuit Ioannes Calvinus ex Gallia profugus, qui poſtea Genuæ ſenem in Allobrogii ac Eccleſiam occupauit. Hunc Calvinum à patre ſuo ab vxore improbissimum exulaſſe quidam ſcribunt eumque alius ab eo ipſo diſpoſitus fuo tribus vxoribus diſſolutiſſimum, rixoſum inconſtantem & fœdifragum inconſtantiſſimum.* Hæc & alia Surius de Caluino ex publica fama: & libellus editus eſt ante annos 47.

Septimus ſit Gulielmus Reginaldus in hæreticorum ſcriptis verſatiſſimus, & tandem ab hæreſi ad fidem Catholicam traductus. Hic lib. 2. Calaino turcilini cap. 11. id probat ex ſcriptis Lutheranorum ſub perſona Micheæ ita ſcribens: *Taceo Theodorum Bezam & Ioannem Caluinum (quales & quantos Apoſtolos) non poſſe vnius non fornicationum, non adulteriorum, non ſtuprorum, ſed ſceleris longè horribilioris reos: qui tamen in Eccleſijs veſtris tanquam clariſſima ſidera longè lateque reſplendent. Mitto quæ Lutherani fratres obijciunt* (de Caluini ἀσελγείᾳ, variis ſtupris & ſodomiticis libidinibus, ob quas ſtigma Caluini dorſo impreſſum fuit à Magiſtratu ſub quo vixit.) *Et quamquam Theodorus Beza aliter de vita moribuſque Caluini ſcribat, tamen contra Theodorum B. Zanchi illi arguunt hæc eſſe veriſſima, nec tamquam luculenter & ſolidè à Caluiniſtis refutata.) Nam quod ad Beza teſtimonium attinet, (cùm Theodorus Beza, inquiunt, eadem hæreſi & eodem fermè peccato nobilitatus ſit, vt hiſtoria de Candida meretricula & Audeberto teſtatur, nemo ipſi hac in parte fidem habere poteſt).*

Conradus Schluſſelburgius Caluinus Theol. l. 2. fol. 72.

Conradus, ibidem.

En ſeptem teſtes, omnes ἀξιόπιστοι, omnes omni exceptione maiores: quibus accedat octauus Conradus ipſe Schluſſelburgius Lutheranus, cuius verba iam ex Reginaldo retulimus. Longè plures adferre poſſem; ſed hi abundè ſufficiunt, non ſolùm ad me vindicandum à nota calumniæ, ſed etiam ad faciendam fidem cuilibet æquo lectori. Quis enim in re hiſtorica plura & grauiora teſtimonia requirat?

54 *Variis rationibus probatur.*

His accedunt multæ rationes, & indicia, quæ rè oſtendunt eſſe valdè credibilem. Primùm, Quia hiſtoria de crimine illo conſentanea eſt alijs Caluini geſtis, quæ de ipſo commemorantur. Scribit enim Bolſecus in vita Caluini cap. 11. *Cùm puer Caluini miniſter quatuor Francorum militibus hero ſubmiſſis ſe in fugam dediſſet, & amici vellent illum perſequi, nunquam Caluinum permittere voluiſſe: ne videlicet comprehenſus puer arcana patefaceret. Qua re ingentem ſuſpitionem nouit ipſum puero abuſum eſſe.*

Aliud factum narrat Florimondus Præſes Burdegalenſis lib. 7. de ortu hæreſis, cap. 9. *Fertur*, inquit, *& complures ſcriptis euulgarunt Rectorem Collegij de Boncourt accuſaſſe Caluinum nefandi criminis; & ex puerorum depoſitionibus, cùm non comparuiſſet, abſentem fuiſſe condemnatum.* Omitto alia impuritatis illius documenta, quæ à Scriptoribus referuntur.

55 *Eſt conformis moribus diſcipulorũ.*

Secundum, Quia hiſtoria illa eſt conformis vitæ & moribus diſcipulorum Caluini, qui ſe omni genere libidinis inquinarunt. Notæ ſunt libidines Bezæ ſucceſſoris Caluini, de quo ſcribit Conradus lib. 1. fol. 92. *Certò conſtat Theodorum Bezam à pueritia imbibiſſe Veſtam impudicitiam & impudentem, totamque ætatem explendis ſuis libidinibus & cupiditatibus, ac deſcribendis ſuis amoribus, & vleiſcendis ſuis rivalibus exercuiſſe: atque in meretricem, lenam, & ean dem transformatum eſſe. De quo item comites & hoc quod obſcœniſſimis verbis ſcripſit ad Germanum Audebertum Aurelia. & eundem tanquam Adonidem à Theodoro Beza factum eſſe.* Plurima in hanc ſententiam referunt Bolſecus, Iulius Brigerus, Stapletonus, & alij. Nota eſt in Scotia impuritas Ioannis Knoxi Scotæ Apoſtoli, & aliorũ multorum quos memorat Iulius Brigerus in Floribus, & Guilielmus Reginaldus ſuprà, & Villagagnon aduerſus articulos Richeri, & alij.

Tertium, Quia eſt conſentanea ſex primarijs capitibus doctrinæ Caluini, quorum primum eſt de prouidentiâ. Secundum, de electione. Tertium, de libero arbitrio. Quartum, de fide iuſtificante. Quintum, de bonis operibus. Sextum, de præceptorum diuinorum impoſſibilitate.

Primùm ſic oſtenditur. Caluini doctrina eſt, Deum ab æterno omnia opera ſcelerata hominum & dæmonũ decreto ſuo ſtatuiſſe ac præordinaſſe, & ſuis temporibus ad ea excitare, monere, impellere: vt ſupra oſtenſum eſt. Si ita eſt, cur homo nitatur reſiſtere? cur ſibi ad huiuſmodi nefanda ſcelera impelli, detrectet & reniteatur? cur non ſequatur impulſum diuinum? cur non obſecundet eius voluntati & decretis? Impium enim eſt Deo velle reſiſtere, eiuſque impulſum conari caſſum & irritum reddere.

56 *Eſt conforme doctrinæ Caluini de prouidentia.*

Secundum oſtenditur. Caluini doctrina eſt, *Omnes Chriſtianos eſſe electos certo omnem æternam prædeſtinationem: neque ſolùm eſſe electos, ſed etiam hoc ipſum debere firmiſſimè credere; adeò, vt ſi quis ex de re aliquo modo dubitet, horrendi ſit ſacrilegij, miſerrimè cæcus, Spiritus ſancto ingratus, & prima pietatis tirocinia ignoret.* Ita docet lib. 3 Inſtit cap. 2. §. 38. *Eòque liquet fidei nihil eſſe magis aduerſum, quam vel coniecturam, vel aliud quidpiam dubitationis affine.* Loquitur de fide electionis, & futuræ ſalutis. Et infrà: *An igitur ſani ſunt iſti, qui nullam eſſe gratiæ Dei certitudinem colligunt?* Per *gratiam*, intelligit fauorem quo proſequitur electos. Et §. 38. *Quid aliud quam Chriſti promiſſiones in dubium reuocamus, dum ferè Dei ſine ipſius ſpiritu habere volumus, quem ſuper ſuos omnes eſſe ſuum ſe donaturum?* Quid, quid Spiritus ſancto ſumus, qui fidem operis eius peculiare ei ipſo ſperamus? hæc cum poena ſint prauitatis tirocinia, miſerrimè eſt cæcitatis, arrogantiæ notari Chriſtianos, qui Spiritus ſancti præſentia gloriari audent, ſine qua gloriatione Chriſtianiſmus ipſe non conſtat. Idem docet §. 40. item c. 24. eiuſdem libri ca. 6. 7. 8. Cùm ergo omnes Caluiniſtæ firmiſſimè credant ſe habere Spiritum ſanctum, qui teſtatur ipſos eſſe filios & electos Dei, quid mirum ſi liberè audeant quidquid patrare? Quidquid enim egerint, non poſſunt à ſalute excidere, nec Spiritum ſanctum, nec internum electionis teſtimonium amittere.

57 *Doctrina Caluini de electione, ſeu prædeſtinatione.*

Tertium oſtenditur. Quia Caluini doctrina eſt, *Hominem nec in actionibus bonis, nec in malis, nec in adiaphoris eſſe liberi arbitrij:* eò quòd vis diuinæ prouidentiæ in omnibus actionibus dominatur, & ad omnes inflectit, & impellit. Ita docet libr. 1. capitul. 18. & libr. 2. capitul 2. §. 4. *Nimis philoſophicè hac de re* (de libero arbitrio) *locuti ſunt, qui ſe Chriſti tantùm eſſe diſcipulos. Nam quaſi adhuc integer ſtaret Latio, ſemper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Græcos verò non pudituit nimiùm arrogantiùs vſurpare vocabulum: ſequiolem αὐτεξούσιον dixerunt, ac ſi poteſtas ſui eſſet penes hominem eſſe.* Vim ſugillat omnes Patres Latinos & Græcos libertatem arbitrij ſtatuentes. Idem proſequitur capit. 3. 4. & 5. Si Caluiniſtæ non ſunt liberi arbitrij, & vi prouidentiæ ad omnia quæ agunt impelluntur; cur non liceat illis patrare quidlibet? cur illis culpæ vertatur, quod non libera electione: ſed vi prouidentiæ inſuperabili admittunt?

58 *De libero arbitrio.*

Quartum oſtenditur. Quia doctrina Caluini eſt, *fidem Caluinianam non poſſe mitem, eamque efficere, vt nullum peccatum Caluiniſtis imputetur.* Priorem partem tradit. lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 11. & 12. cap. 21. §. 6. Alteram docet li 3. cap. 4. §. 28. Vbi cum reieciſſet diſtinctionem peccati venialis & mortiferi, & docuiſſet omnia peccata ſecundùm ſe eſſe morte digna, ſubdit: *Ceterùm fidelium peccata venialia eſſe; non quia non mortem mererentur; ſed quia Dei miſericordia nulla eſt condemnatio ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu; quia non imputantur, quia venia delentur.* Idem docet lib. 2. cap. 8. §. vltimo. Si nullum peccatum, quantumuis in ſe graue & enorme, fideli Caluiniſtæ imputatur; cur, qualecumque tandem ſit, timeat illud admittere cur ſibi vim faciat, vt ſuis cupiditatibus reſiſtat? cur voluptatibus, ad quas affectus inclinat, ſe priuet? Nihil enim inde incommodi ipſi proueniet: ſicut nihil commodi accipiet, ſi reſtiterit.

59 *De fide.*

Quintum oſtenditur. Quia doctrina Caluini eſt omnia illa quæ vocantur opera bona, etiam in fidelibus eſſe ſordes & inquinamenta, & iuſtam opprobrij mercedem merere. Ita docet lib. 3. Inſtit. cap. 12. §. 4. *Omnia hominum opera, nihil ſunt niſi inquinamenta & ſordes: & quæ iuſtitia vulgò habetur, ea apud Deum mera eſt iniquitas.* Et cap. 13. §. 9. *Habemus ne vnum à ſanctis extare opus, quod ſi in ſe cenſeatur,*

60 *De bonis operibus.*

non

non meretur iustam opprobrij mercedem. §. 11. *Duobus his foriter insistendum, nullum vnquam extitisse ex hominis opus, quod si severo Dei iudicio examinetur, non esset damnabile. Ad hæc, si talo aliquod detur (quod possibile homini non est) peccatis tamen, quibus laborare auctorem ipsum certum est, vitiatum ac inquinatum gratiam perdere.* Idem docet cap. 15. §. 3. Si Caluinistæ firmiter credunt omnia quæ vocantur bona opera esse *sordes* & *inquinamenta*, & *omnem operum iustitiam* esse apud Deum *meram iniquitatem*: cur de bonis operibus fiat sollicita? cur illa omni studio non detestentur & vitent? Omnes enim tenentur detestari & fugere omne id, quod nihil est nisi mera iniquitas, meræ sordes & inquinamenta. Cur potiùs se dedant operibus bonis quàm prauis, eleemosynæ quàm rapinis, fidelitati quam perfidiæ, veritati quàm mendacio, castitati quàm libidini; cùm omnia sint coram Deo prava, inquinata, iniqua, & mortem æternam mereantur? Quis non videat hoc vno articulo non solùm omnem Religionem & pietatis cultum, sed etiam omnem honestatem & virtutem moralem funditus euerti?

61 *De præceptis diuinis.*

Sextum ostenditur. Quia doctrina Caluini est, *Præcepta diuina esse homini impossibilia*, lib. 2. Instit. cap. 7. §. 5. *Quod autem impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul & confirmandum. Solet enim vulgò absurdissima sententia videri, vt Hieronymus non dubitet anathema illi denuntiare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror,* &c. Deinde id fusè confirmat. Si Caluinistæ credunt legem diuinam esse impossibilem, non est quòd eam conentur seruare, aut tentationibus carnis reluctari. Cur enim conentur ad impossibilia? Fides illis est instar omnis obseruationis, & impletæ legis: vt idem docet cap. illo 7. §. 4.

Ex his perspicuum est, historiam illam, & alias huiusmodi quamplurimas exoticas, doctrinæ Caluini sex modis esse consentaneam; nihilque in genere libidinum & scelerum esse adeò mirabile, quod spectata tali doctrina non reddatur credibile. Retuli verba Caluini, ne dicatur me illi falsò imponere.

62 *Est conforme scripturæ. Ad Rom. 1.*

Postremò hæc historia congruit Sacræ Scripturæ. Ex Scriptura enim habemus, Philosophos traditos in reprobum sensum, ita vt contumelijs nefandarum libidinũ afficerent corpora sua; eò quòd veritatem Dei in iniustitia detinerent; hoc est, iuxta notitiam quam de Deo habebãt, non viuerent: cùm enim Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, inquit Apostolus. Si Philosophi, quia iuxta veritatem cognitam non vixerunt, meritò in reprobum sensum sunt traditi: quanto iustiùs id accidit nostris hæresiarchis, & noui Euangelij Apostolis, qui non solùm veritatem Dei iniustitia detinent, sed eam planè peruertunt, & in mendacium ac blasphemiam commutant? Qui non solùm volunt dici sapientes, sed *Apostoli* & *Prophetæ*, & *Euangelistæ*, & *Ecclesiæ Reformatores*, & *Initiatores*. Iuxta quæ Dei iudicio traduntur in reprobum sensum; & permittitur diabolo, vt & mentem eorum excęcet, & carnem libidinum facibus accendat, & ad omnem impuritatem, immunditiam, ac libidinum contumeliam eos impellat: vt appareat mundo quàm sint viles & abominabiles; & nulla excusatio superstit ijs, qui tam fœdis carnis mancipijs fidem adhibent.

Tentatur de se ipse Lutherus, quòd sub initium sui Euãgelij (antequam professam monialem sibi copulasset) *propter libidinis vehementiam, & amorem mulierum, ad infamiam paulò redactus fuerit.* Idem in cap. 31. Prouerb. hoc glossema apponit, *Nihil amabilius vel suauius est in terra, quàm amor mulierum, si cui is potest contingere.* Et alibi testatur *se non magis à muliere potuisse abstinere quàm à cibo & potu*; & opus coniugale esse opus diuinum, cælestis, spirituale. Quis vnquam leno vel adulter adeo fuit impurus, vt ita loqueretur?

In colloquijs mensalibus fol. 415.

De vita coniugali. Colloq. mensal. fol. 408. & 526. 63

Vlricus Zvvinglius in litteris suo & aliorum Euangelicæ doctrinæ Minutrorum nomine scriptis; *Apud Faulum non aliam matrimonierum causam, quàm carnis ad libidinem astum, reperire licet; quem in scribis feruere, negare non possumus, cùm huius opera nos coram Ecclesijs infames reddiderint.* Ecce fatentur illi sua dedecora, & suam infamiam. Sequitur: *Astum vero libidinis nos carnis cupiditates & affectus intelligimus, quibus homo tantum non accensus, carnis libidinosa studia animo suo versat, in his solis omnes cogitationes suas infumat, hæc meditatur, sensumque in hoc est, vt carnis furori satisfaciat.* Idem habet alia supplicatione, quam nomine quorumdam Tuguri Euangelistarum mittit ad Episcopum Constantiensem; cui præter Zuinglium subscripsere Leo Iudæ, Erasmus Fabricius, & Balthasar Tracschus: vbi fatentur illi Apostoli, *se tam valdè arsisse, vt multa indecorè gesserint homines quamvage, arij.*

Hoberus in. 1. f. 115.

De Caluino, Beza, iam dictum. De Anabaptistarum Apostolis nihil dicam, quia res notissima. Ex quibus perspicuum est, nouarum istarum religionum auctores, dum volunt videri Apostoli & Reformatores Ecclesiæ, fuisse miserrima carnis suę mancipia: & iustissimè hoc probrum a Domino in illos permissum, vt omnibus scintillam prudentiæ habentibus sint contemptui; & nemo, nisi qui sponte se a veritate auertit, ab illis decipiatur. Contraria planè fuit Apostolorum Christi, & eorum qui veram Religionem initio in varijs Prouincijs plantarunt, vita, mores, disciplina.

DOMINE MISERERE.

HYGIASTICON
SEV VERA RATIO
VALETVDINIS BONÆ ET VITÆ
VNA CVM SENSVVM, IVDICII, ET MEMORIÆ
integritate ad extremam senectutem conseruandæ:

Auctore LEONARDO LESSIO è Societate Iesu Theologo,
& Sacræ Theologiæ Professore.

Cui subiunctus est Tractatus LVDOVICI CORNARI Veneti, eodem pertinens, ex Italico in Latinum sermonem ab ipso LESSIO translatus.

Ex quibus vtrisque Opusculis cuiuslibet status, & sexus personæ ad vitam longius producendam, & in optima valetudine conseruandam saluberrima documenta haurire, & ad cotidianum vsum sibi mira facilitate, ac vtilitate adaptare poterunt.

In Germania paucis ab hinc annis aliquoties impressum, sed instanti temporis progressu in Italia iterum in gratiam eorum, quibus longitudo vitæ, & prosperæ valetudinis studium curæ est, prælo elaboratum, ab innumeris erroribus vindicatum, & publico vsui, necnon cuiuslibet commoditati exhibitum.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, MDCXXV.

APVD ANDREAM BABA.

Digitized by Google

IN R. ADM. P.
LEONARDI LESSII
TRACTATVM DE SOBRIETATE.

Vitam quòd faciat beatiorem;
Affectusq́, animæ quietiores
Victus parcior, & ſine arte menſæ,
Illo LESSIVS aſtruit libello,
Tam vitis rationibus, modiſq́,
Parum vt ſobrius integræve mentis
Credi debeat, & gulæ miniſter,
Quiſquis negligit hunc modum fugandi
Morborum genus omne, & impotentis
Compeſcendi animæ vagos furores.
Annon Siluicolæ prioris æui
Hoc victu tenui leniq́ue, ſani
Degerunt placidiſſimam ſenectam?
Quin & LESSIVS ipſe per tot annos
Afflictus grauiter, nihil parumne,
Sic viuendo, moleſtiora ſentit
Accidentia, nec remittit vnquam
Ad commune bonum impiger labores:
Tantum cura poteſt & ars dietę.

Franciſcus Saſſenus

Med. Doctor.

AD R. P.
LEONARDVM LESSIVM
DE SVO HOC LIBRO.

Enũ Decembres ſenibus indulſit Deus
Vixiſſe multis; rara quæ nunc gratia
eſt?
Sed copioſo tot ſenum è numero tamen,
Vix numerus eſt, mihi crede LESSI, tantulus,
Quantus fuiſſe fertur in Nili oſtijs,
Centum nitentes qui ſine nebulis dies
Centum per annos integros, aſpexerit.
Quæ cauſa? Sicne Solem & aſtiuum frequens
Aquæ volantis horror obnubit diem?
Non illa, LESSI, cauſa tam grandis mali eſt:
Sed venter extra ſobriæ Vitę orbitam
Effuſus, appetentis immodici cibi,
Plerumq́, Solem mentibus ſuum eripit,
Rationis ipſum crapula obtundens iubar.
O miſera vitæ tam bonę diſpendia!
Vt prę ſt it ad laudandam amuſſim viuere,
Quam pauculis doctiſque, LESSI, chartulisve
Ex arte ſcriptis explicas Machaonis.
Tum nempe veram pura mens lucem adſpicit,
Et abſq́, fece, limpido fruitur die:
Et, ſeu quietam ſe libris velit abdere,
Seu magna cęli permeare mœnia,
Et ſe beatis applicare mentibus,
Nullo tenetur illigata compede.
O grata longi temporis compendia!
Sic viuere, dies mauelim centum aut minus;
Quàm infra centum tota alia vel ampliùs.

Hermannus Hugo

Societatis Ieſu.

INDEX
OMNIVM RERVM
AC VERBORVM
MEMORABILIVM,

QVÆ IN VTROQVE OPVSCVLO DE VERA conſernandæ valetudinis ratione continentur, locupletiſſimus, & ſecundum ordinem Alphabeticum taliter diſpoſitus;

Vt numerus paginam, & litera A primam, B autem ſecundam folij columnam deſignet, qui ſtudioſi Lectoris memoriæ plurimum inſeruire, & in quærendo omnem moleſtiam eximere poterit.

A

ABſtinentia quæ commoda afferat. 230.b

Abſtinentes quibus dotibus ſint ornati. 233.a

Æſtate humidis, & refrigerantibus veſcendum. ibid.

Æſtate languidior eſt venter quam hyeme. 228.b

Ætas ſenilis multa habet oblectamenta. 239.a

Affectus animi ſequuntur apprehenſionem phantaſiæ. 232.b

Animi functionis impediunt concoctionem & quare. 225.b

Animi occupationes aliam menſuram deſiderant, quam corporis. ibid.

S. Antonii ætas. 220.b

Aphoriſmus Hippocratis 5. *ſect.* 5. *quomodo intelligendus.* 229.a

Appetitus quare fallax ſit. 234.b

Aqua & panis initium vitæ hominis. 228.a

Arſenius præceptor Arcadij Imperatoris quot annos vixerit. 231.a

Athenas peſte affligente tutus fuit propter ſuam temperantiam Socrates. 230.b

Auditus in ſenibus minuitur, & quare. 232.a

S. Auguſtini anni. 231.a

Aurum potabile vocatur Elixir. 238.b

B

BEdæ ætas, & religio. 231.a

Bilioſorum temperamentum, & ſomnia. 232.b

Brachmanes apud Indos viuaces. 231.a

Braſſica an ſit comedenda. 227.b

C

CAcochymi torpent & languent ob nimiam humiditatem. 226.b

Carnium eſus an ad tuendam ſanitatem conferat, 228.a

Cauſa ſublata tollitur effectus. 238.b

Cauſæ contrariæ contrarias operationes producunt. 236.b

Cerebrum obnubilatur fumo è Ventriculo cibis aſſumptis aſcendente. 236.b

Cholericorum temperamentum & ſomnia. 232.b

Chryſoſtomi ſententia pulcherrima de ſobrietatis fructibus. 234.b

Chylus quid ſit. 230.a

Cibus comedendus plus iuuat quam comeſtus. 237.b

Cibi potusque certa moderatio bonam valetudinem conſeruat. 225.a

Cibis non ſatiari ſtudium eſt ſanitatis. 237.a

Comœdia a Ludouico Cornaro Veneto anno 83. *ætatis conſcripta.* 239.b

Concoctio ſecunda non emendat primam. 230.a

Concoctionis ſpecies, & vbi fiant. ibid.

Conſuetudo altera natura. 227.a

Conſuetudo bona facilè vertitur in prauam. 236.a

Contraria contrarijs curantur. 229.b

Contuſiones ſobrio non nocent. 237.b

Corum aluit S. Paulum primum Eremitam. 230.b

Crapula habetur res honorabilis, & liberalis. 236.a

Crapula res perniciosa. 236.a

Crapulæ exterminandæ remedia. 236.a. & b

Cruditas omnium morborum ſeminarium. 230.a

Crudias quid ſit, vnde oriatur, & quæ incommoda afferat. ibid.

Cupiditas triplex ab ineunte ætate homines comitatur 239.a

D

DEmocriti ætas. 231.a

S. Dionyſius Areopagita centeſimum ſuperauit annum. 231.a

INDEX RERVM.

E

S. Epiphanij ætas, 231.a
Epularum conspectus vitandus ne odore, & specie gulam alliciant. 228.a. & b
Esseni fuerunt longissimæ vitæ. 231.a
Euacuatione curantur morbi. 229.b
Exhortatio ad vitam sobriam. 240.a

F

Feminæ in monasterijs viuunt vsque ad 80. vel 90. annos. 231.a
Fides quid sit. 233.b
S. Franciscus de Paula abstinentissimus fuit. 231.a
Frugalitas repellit prauos humores. 231.a
Fructus vitæ sobriæ qui sint. 225.b
Fumi ventriculi serenitatem cerebri obnubilant. 226.b
Functiones animi retardant concoctionem & quare 225.b
Functionibus menti post cibum sumptum non est incumbendum. 225.a

G

Galenus affirmat, sibi ideo excessus non nocuisse, quia in cibo & potu debitam seruabat moderationem. 237.a
Grata palato non semper sunt comedenda. 225.a
Granitas corporis est signum excessus mēsuræ. 226.b
Gulæ dediti ferent. 228.b
Gulæ voluptas brevis, & momentanea, quæ tantum cum cibus manditur, & in ventrem trajicitur sentitur. 235.a
Gustus quare vitiatur. 232.a

H

Heyodicus Philosophus licet tabe laborabat, tamen ad centesimum peruenit annum. 231.b
Hippocrates super 5. sect. 1. explicatur. 229.a
Hippocratis ætas. 231.a
S. Hieronymi ætas. ibid.
S. Hilarionis ætas. 230.b
Homo sibi soli, & non alijs perfectus Medicus esse potest. 238.a
Horæ non audiuntur à diligenter studentibus, & quare. 225.b. & 226.a
Humido consumpto calor in corpore humano extinguitur. 231.b
Humores sunt causæ passionum, & affectuum humanorum. 232.a
Hyeme calidis & siccis vescendum. ibid.
Hyeme cur ventres calidiores. 238.b

I

Iacobus Eremita genere Persa quot annos transegit. 230.b
S. Iacobi minoris ætas, & à carne & vino abstinentia. 231.a
Ientaculum an ad alimentum conferat. 226.b
Infirmitas multis escis inest. 230.a
Intemperantia abusus. 236.b
S. Ioannes Euangelista quot annos post Domini ascensionem superstes manserit. 231.a
Iulianus cognomento Saba qualem victum obseruauit. 231.a

L

Lampas ardens tribus modis extinguitur. 231.b
Lapis philosophicus vocatur Elixir. 238.b
Lapsus homini sobrio non afferunt nocumentū. 237.b
Laus vitæ sobriæ. 239.a
Libidinis causa materialis, impulsiua, & excitans. 234.a
Libidinosi non sunt vitæ diuturnæ. 231.a
Libra apud Veteres quot Vnciarum fuerit, & quot apud nos sit. 227.a
Lis alicui mota reddit ipsum melancholicum. 237.b

M

S. Macarij ætas. 231.a
S. Martini ætas. 231.a
Medice qui viuit, misere viuit. 225.a
Melancholicorum temperamētum, & somnia. 232.b
Memoriam humor frigidus cerebrum occupans offendit. 233.a
Mensura alia inueni, alia seni, ægroto & sano, robusto & debili, bilioso, & pituitoso corpori conuenit. 225.b
Mēsura sobriæ vitæ cum difficultate inuenitur. 226.a
Mensura victus in monasterijs lege statuta. 227.a
Mensura iusta quo pacto in vitæ sobriæ obiecto constitui possit. 225.b
Morbi an proueniant ab excessu cibi, & potus, vel alijs causis extrinsecis. 226.a
Morbi penè omnes nascuntur ex repletione. 229.b
Morbi rari ex euacuatione nascuntur. 230.a
Mores tres mali in Italiam inuecti. 236.a
Mors doloris expers quomodo reddatur. 231.b
Mors iuuenibus summum malum videtur. 240.b
Mors, quæ fit per meram resolutionem, omnium optima. 230.b
Mutatio subita si sit notabilis offendit naturā. 227.a

N

Natura paucis contenta. 237.b
Naturę cōtrarium vehementer sentitur. 227.a

O

Obiectum naturaliter mouet potentiam. 228.b
Oblinio omniū disciplinarū vnde oriatur. 233.a
Oratio magna cum facilitate & consolatione fit à sobrio. 225.b
Ordo in omnibus rebus vehementer prodest. 238.a
Ordo victus in monasterijs præscriptus. 226.a
Ordinis in cibo & potu quanta vis sit. 238.a

P

Paludes sobrium non molestant. 239.b
Panatella quid sit. 228.a
Panatella senibus, & debilibus admodum congruit. 227.a
Panatellæ commoda maxima. 228.a

S. Pa-

INDEX RERVM.

S. Paphnutij ætas. 232.b
Parvulos panes quomodo intelligatur. 227.a
Palinda cum pane sumpta prosunt. 229.a
S. Pauli primi Eremitæ ætas. 230.b
Paximacia quæ vncialium fuerint. 227.a
Platinus solo lacte ad famem sedandam vsus. 228.a
Phlegmaticorum temperamentum, & somnia. 232.b
Pinguia omnia caput fumis implent. 232.a
Pinguia quæ noxia afferant. 227.b
Platonis vita. 231.a
Plethorica corpora fiunt languida ob nimiam humiditatem ex pridiana cœna. 226.b
Poeta quidam Græcus anno ætatis 73. tragœdiam cõscripsit. 239.b
Posteri sunt species immortalitatis. 239.b
Potus cibique certa moderatio bonam valetudinem conseruat. 225.a
Prouerbium, quod sapit, nutrit, & iuuat, an veritati sit consentaneum. 237.a
Purgatio corporis bis in anno, puta Vere & Autumno instituenda. 229.b

Q

Qvantitas portionum à Superioribus in monasteriis est constituta. 226.a
Quies post prãdium an sit salubris. 226.b
Qui multum Vnde comedere comedat parum. 237.b
Quod sapit, nutrit, & iuuat, quomodo intelligatur. 237.a

R

Recordatio quomodo fiat. 233.a
Religiosi Mahometica superstitionis abstinentia, & austeritati plurimum dediti. 231.a
Remedia crapulæ exterminandæ. 236.a & b
S. Remigij ætas. 231.a
S. Romualdus Italus ad quantam ætatem peruenerit. ibid.

S

Sancti Patres solo pane vescebantur, & aquam bibebant. 227.a
Sancti Patres solum semel per diem cibum sumebant. 226.b
Sanguineorum temperamentorum & somnia. 232.b
Sanitatis studium ad quid prosit. 237.a
Sanitatis studium in quo consistat. 230.a
Sapientia in sicco residet. 229.b
Semen quid, & vnde generetur. 234.a
Senes bis in die refici debent. 228.b
Senium quid sit. 232.a
Senij expers an quis viuere possit. 231.b
Serapion abbas tria paximacia comedit. 227.a
S. Simeon quot annos habuerit. 231.a
Simeon Stylites quot annos vixerit. 231.a
Sobrietatis effectus. 232.b
Sobrietatis laus. 240.a
Socrates ob suam frugalitatem, & temperantiam nũquam ægrotauit. 230.b
Socratis victus simplicissimus & tenuissimus fuit. 228.a
Somnus post prandium vires animi, & corporis defatigatas recreat, & spiritus consumptos reparat. 226.b
Speculationis adminicula quomodo augeantur. 232.b
Surditas vnde descendat. 232.a

T

Temperantia quã necessaria sit Theologo. 225.b
Torpor est signum mensuram congruentem excedi. 226.b
Tragedia à quodam Græco Poeta ætatis anno 73. cõscripta fuit. 239.b

V

Valetudinis curandæ neglectio in florenti ætate mortem accelerat. 225.a
Vdalricus Episcopus Patauiensis quot habuerit annos. 231.a
Venerabilis Beda quot annorum fuerit. 231.a
Victus ordo vires recreat, & corroborat. 225.a
Vinum magna copia haustum frigidos morbos parit. 233.a
Visus in senibus hebetatur & quare. 232.a
Vita ordinata, regulata, & temperata quid sit. 225.b
Vita sobria cacochymiam castigat. 226.b
Vitæ sobriæ nomine quid intelligatur. 225.b
Vita tribus modis amittitur. 231.b
Vncia cibi quot conueniant ad senium vergentibus & debilibus. 227.a
Voluptas impedit ne sentiamus quando ad debitam mensuram sit peruentum. 226.a
Vox in senibus quandoque clarior, & magis sonora. 240.a
Vsus in hominibus vertitur in naturam. 236.a

Z

Zoroaster per viginti annos in deserto solum caseum comedit, & sanus fuit. 228.a

FINIS.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD STVDIOSVM
LECTOREM.

TSI varia & multa in vniuerſo huius mundi theatro homini ſeſe offerant bona, quorum incredibili deſiderio ſingulis fere momentis fatigatur, ingentique ad illa comparanda ſolicitudine accingitur: attamen inter omnia primarium locum obtinet commodus corporis ſtatus actiones ſuas probè obeuntis, & ſanitas in plurimos annos prolonganda. Nullus enim ſapiẽtiam exoptat, qui illam alijs communicandi adminiculo deſtituitur. Diuitias nemo ſanæ mentis expeteret, ſi fruendi licentia denegaretur. Virtutis poſſeſſio ad quid prodeſſet, facultate illam in communi hominum ſocietate ac conſortio exercendi adempta. Denique vix quempiam reperiri poſſe pro certo ſtatuendum eſt, qui honorem ambiret, & ad rerumpublicarum gubernacula ſedendi poteſtatem appeteret, ſi Prætorio non intereſſe, neque roſtra aſcendere, neque officium ſuum cum laude, & omnium bonorum admiratione exercere valeret. Sed iſta omnia debito & legitimo modo obeundi vis, & potentia omnis dependet à ſalubri, & innoxia valetudine, cuius præſtantiam intelligimus, quamdiu à morborum violentia alieni, nec non ab illorum iniurijs liberati ſumus. Quamobrem qui huius amore tangitur, media ad finem iſtum ducentia apprehendat neceſſe eſt, nec conſilia prudentum virorum ſpernat, aut in hac palęſtra diutius exercitatorum veſtigia ſequi detrectet. Longa enim experientia edocti deprehenderunt, ſanitati nihil ſobrietate gratius, iucundius, delectabiliuſve accidere poſſe, quoniam ex diuturna temperantiæ conſuetudine talem habitum adepti fuerunt, vt vltra hominum fidem, & memoriam, annos vitæ ſuæ producerent. Celebre eſt, vt Solinus cap. 21. ſcribit, idque quam plurimorum calculo approbatur, in faſtigio mentis Athi fuiſſe oppidum Achorum nomine, in quo dimidio longior, quam in alijs regionibus incolentium vita prorogaretur, & vſque ad extremam ſenectutem ſine quorumlibet morborum faſtidio, moleſtiave tranſigeretur. Verum id illius populi ſobrietati, & frugalitati potius quam loci qualitati, aeris conſtitutioni, & temperamenti accidentibus, naturæve aſcribi debuit, quæ vtinam apud omnes, prout deceret, ſtudiosè coleretur, & crapula, nimius luxus, & comeſſationes cane peius & angue fugiendæ deteſtarentur, nullum dubium foret, quin ſicut Achori incolæ dimidio vitæ ſpacio alios antecelluerunt, ita hos viciſſim illos duplo exuperaturos firmiter ſtatuendum. Igitur vt hac in parte conſuleretur publico bono,

& vnuſ-

& vnusquisque ad temperantiæ studium accenderetur, præclaros hos duos Tractatulos de bona vitæ conseruandæ & longandæ ratione conscriptos in lucem vna cum alijs annexis emittere censui, & si secundum meam intentionem hoc meum, quicquid est, studium profuisse animaduertero, ad alia longè vtiliora & pulchriora, propediem me multo alacriorem accingam. Venetijs ex nostra Typographia xvij. Kal. Iunij Anno partus Virginei. M. DC. XVII.

Andreas Baba
Typographus Venetus.

HYGIASTICON
SEV VERA RATIO
VALETVDINIS
CONSERVANDÆ.

MVLTI Auctores eruditè & copiosè de conseruanda bona valetudine scripserunt: sed tot præceptis onerant homines, tot obseruationes & cautiones requirunt circa cibi potusque qualitatem & quantitatem; circa aerem, somnum, exercitia, tempus anni, purgationes, sectiones venæ, tot condita, opiata, & alia remediorum exquisitorum genera præscribunt, vt assidua solicitudo ad ea seruanda debeat adhiberi, & meta seruitus sit, illa conari præstare. Accedit quòd effectus sit exiguus & sæpè nullus, dum id quod præcipuam vim habet, non obseruatur. Volunt enim homines liberè omnibus vesci quæ palato grata, & quantum appetitus desiderat: volunt se communi vsui accommodare, & sensualitati ac orexi indulgere. quo fit vt illarum præceptionum & obseruationum custodia parum illis prosit. Quam ob causam plerique neglectis Medicorum præceptis, omnia, naturæ & euentui committunt. Miserum putant, ex Medicorum præscripto viuere, iuxta dictum vulgare, *Qui mediè viuit, misèrè viuit*; miserum non posse quibuslibet cibis qui apponuntur, copiosè vesci, non posse vnquam appetitui satisfacere, & ventrem satiare. Itaque comedunt bis terve per diem abundè, quantum appetitus postulat, ex quolibet ciborum genere. Deinde sumpto cibo, functionibus mentis ad aliquot horas incumbunt; nec vnquam in animum inducunt vt purgationes statis temporibus sumant, nisi morbi sensus vrgeat, putantes omnia salua, cùm nihil sentiunt aduersi. hinc fit vt sensim crudis, & noxijs repleatur succis, & humoribus, qui diuturnitate non solum augentur, sed etiam putrescunt, & maligniores reddantur; adeo vt oblata leui occasione, vel ab æstu & frigore, vel à profectione, alióve labore, vel à ventris, vel ab alio aliquo excessu, & incommodo, accendantur, & in letales morbos facessant.

2 Vidi ego multos viros præstantes in florenti ætate hac sola causa abreptos; qui si curandæ valetudinis rationem tenuissent, in plurimos annos ætatem prorogare, & sua doctrina, vel præclaris factis magna commoda mundo adferre, & sibi longè maiorem coronam in cælo promereri potuissent. Multi etiam sunt tam in Religionibus quàm in sæculo, qui huius rei imperitia sæpè malè valent, nec ita possunt studijs, alijsque meris functionibus vacare, sicut & ipsi optarent, & eorum vocatio postulat.

3 Quæ cùm multis iam annis in varijs locis considerassem, cogitaui operæ pretium me facturum; si eam rationem conseruandæ bonæ valetudinis proponerem, qua & ipse me plurimis annis in multis corporis incommodis (post iudicia præstantium Medicorum, qui solùm biennium vitæ tribuebant) sanum, & ad omnia mentis officia expeditum præstiti, & alij tum in nostra Societate, tum extra, se diutissimè incolumes & alacres tuentur, & superioribus sæculis sancti viri & philosophi plurimum vsi sunt. Ea potissimum sita est in recto victus ordine, & cibi potusque certa moderatione; non molestia, quæ affligat & debilitet, sed naturæ accommoda, quæ recreet, & vires corroboret.

Hæc cogitanti exhibitus est à viro illustri libellus quidà de Vita sobria, Italico sermone conscriptus, auctore D. Ludouico Cornaro Veneto, magni ingenij viro, honorato, opulèto, & coniugij vinculis adstricto, in quo mirificè hæc ratio commendatur omnibus, & multa certaque experientia cõprobatur. Valdè recreatus fui libelli huius lectione, planeque dignum iudicaui, quem in Latinum sermonem translatum omnibus facerem communem: præmisso hoc meo Tractatu exegetico.

Neq; hæc tractatio aliena videri debet ab instituto meo, qui Theologiam, non artem Medicam profiteor. Nam præterquam quòd Medices theoriam olim non leuiter attigi; res hæc à Theologi instituto non est aliena. Agitur enim de virtute pulcherrima Temperantiæ: in quo mirum ipsa consistat, quod sit eius medium, quæ mensura obiecti: quomodo hæc mensura inuestiganda: denique qui fructus ex ea nascatur. Itaque hæc consideratio non ita est medica, quin etiam suo modo ad Theologiam, & moralem Philosophiam pertineat. Accedit quòd finis & scopus, quem hac in re potissimum specto, Theologo sit dignissimus. hic est, vt plurimis viris religiosis, & alijs pietati addictis suppetat commoda ratio, qua Deo Domino nostro longo tempore faciliùs, lætiùs, & feruentiùs seruiant, cũ magna sua spirituali voluptate, & ingenti merito æternæ gloriæ. Incredibile enim dictu est, quanta facilitate & interna consolatione vacetur orationi, recitentur preces canonicæ, peragatur Missæ sacrificium, incumbatur meditationi rerum diuinarum, legatur sacra Scriptura ab ijs, qui vel cum mediocri talium rerum scientia, sobriæ vitæ sunt addicti. Hic meus præcipuus scopus in hoc Tractatu: hoc meum summum votum. Omitto quantum momenti adferat etiam alijs omnibus ad studiorum progressus, & ad omnia negotia, quæ mente & ingenio peraguntur, facilius & felicius peragenda. Verum de his & alijs commodis infrà ex professo dicemus. Itaque siue materiam spectes, siue scopum, non debet hæc tractatio aliena à Theologi instituto videri. Habes, Lector, rationem mei in hoc opusculo instituti.

4 *Argumentũ hoc non esse alienum à Theologi instituto.*

Itaque vt rem ipsam aggrediamur, Primùm dicemus, Quid intelligatur nomine *Vitæ sobriæ*. Secundo, Qua vi & ratione possit iusta mensura in eius obiecto constitui. Tertiò, Qui sint eius fructus & commoda.

5 *Quid vita sobria.*

Quod ad primum attinet: *Vitam sobriam* hic vocamus, non solum quæ modum statuit in potu, sed etiam in cibo: ita vt non amplius cibi vel potus assumatur, quàm corporis cõstitutio in ordine ad functiones animi postulet. Eamdem vocamus *Vitam ordinatam, regulatam, temperatam*. his enim nominibus idem significamus. Itaque materia circa quam potissimum versatur hæc vita, seu Temperantia, est cibus, & potus; in quibus debitam mensuram constanter seruat. Secundariò tamen, & posteriore cura cauet etiã ab alijs excessibus, v.g. nimio æstu, frigore, fatigatione, & similibus quæ valetudinẽ lædũt, & functiones animi impedũt.

6 *Diuersis diuersa mensura congruit quæ sit mensura cuiusque.*

Mensura illa non est eadem respectu omnium, sed diuersissima, pro diuersa corporis constitutione, robore, ætate. Alia enim conuenit ætati florenti, alia senili; alia robusto, alia debili; alia sano, alia ægro; alia corpori biliolo; alia pituitoso. Diuersa enim in his est facultas ventriculi cui facultati hæc mensura exactè, quantum fieri potest, debet esse æqualis & commensa. Ea enim est *mensura* cuiusque, quam facultas ventriculi ipsius inter occupationes animi & corporis, quibus ille distinetur, perfectè potest concoquere, & alendo corpori satis est.

Dico inter occupationes animi & corporis. &c. Quia maior mensura congruit illi qui corporis exercitijs est deditus, & corpus assiduè exercet quã ei qui totus est in studijs, meditatione, oratione, alijsque mentis functionibus. Functiones enim animi valdè impediunt & retardant concoctionem: vel, quia dum totam vim animæ sursum trahunt, actiones vitium inferiorum quodammodò suspendunt: vt experimur cum attenti studijs vel orationi nec horas

audimus, nec ea quæ ante oculos sunt, aduertimus: vel, quia spiritus non solum animales, sed etiam vitales & naturales auocant. Hinc sæpe fit, vt duplo minùs cibi ac potus conueniat ei, qui studijs & mentis functionibus est intentus, quàm ei qui assidue corpus exercet; etiamsi viribus alioquin & ætate sint pares.

17 Itaque difficultas est in hac mensura inuenienda. Quod etiam notauit S. Augustinus lib. 4. contra Iulianum ca. 14. ita scribens: *Iam verò cùm ad vsum escarum fuerit necessaria voluptas, per quam reficimus corpus, qui verbis explicet quemadmodum nos modum necessitatis sentire non sinat, & ipsum limitem præcurrendæ fallax (si qua adsint delectabilia) rapiendo abscondat & transeat, putantibus nobis satis non esse quod satis est, dum libenter eius prouocationibus ducimur, existimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cum agamus potius voluptatis. Ita nescit cupiditas, vbi finiatur necessitas.* Quibus verbis causam huius difficultatis refert in voluptatem, quæ facit vt non sentiamus quando ad debitam mensuram peruentum fuerit, & abscondit illum limitem, vt eum transiliamus, nobisque persuadet nos agere causam sanitatis, cùm agamus voluptatis. Itaque de hac mensura, quibus obseruationibus sit inuestiganda, nobis secundo loco dicendum allatis ad eam rem quibusdam regulis, e quibus illa colligi possit.

Quomodo mensura inuestiganda.

8 Sed hic occurreret forte aliquis: Non opus esse, vt in monasterijs quispiam de ea mensura sibi præfigenda sit sollicitus, cùm ipse Ordo, vel Superiores prudenti iudicio hanc mensuram definierint, constituendo vt pro ratione temporis tot portiones apponantur tantùm piscium, vel ouorum, vel caroium; tantum leguminum, oriæ, fructuum, casei & butyri tantum cereuisiæ, & vini: omnia certo numero & mensura definita. Possumus ergo omnia illa tutò sumere, nec debitam mensuram excedemus. Hi catarrhos, tussis, dolores capitis & stomachi, febres, & alios morbos, quibus sæpe conflictantur, non putant prouenire ab excessu cibi, vel potus, sed assignant ventis, aurę maligną, vigilijs, nimio labori, & similibus causis extrinsecis. Sed falluntur manifestè. Vbi enim est tanta diuersitas corporum, & virium ventriculi, non potest eadem mensura omnibus esse accommodata; sed quod huic robusto & iuueni est æquale, illi debili & seni in duplum vel triplum est nimium: vt benè docet D. Thomas 2. 2. q. 141. ar. 6. Aristotelem secutus: estque per se satis clarum. Itaque non eo consilio ea portionum quantitas & multitudo a posterioribus est constituta, vt quilibet sibi persuadeat hanc mensuram sibi congruere; sed vt etiam robustissimi satis haberent: ceteri verò ex diuersis sumerent quod placeret (tamen ea mensura, quam ratio dictaret) & in ijs quæ relinquerent, haberent occasionem mentis frænandæ gulam. Non est difficile dum illecebræ adsunt, temperantiam præstare; sed esurire inter epulas, & cohibere ventris ingluuiè irritamentis præsentibus, hoc opus, hic labor est, præsertim iunioribus, & alijs nondum gulam penitus domitam habentibus, ac proinde magni apud Deum meriti. Vnde ne in Religionibus hæc augendæ coronæ occasio desit, subinde aliquid amplius & in varietate, & in quantitate concedi tur, quàm temperantiæ mensura requirat.

Nec obstat quòd illa dicantur dari ad aliquam naturæ recreationem, quia hæc recreatio non consistit in eo, vt consueta temperantiæ mensura tunc notabiliter excedatur, sed vt varietate quadam, vel grato ciborum, qui varius dantur, sapore delectetur, semper tamen intra mensuram temperantiæ, ita vt appetitus non omnino satietur. Quidquid enim hanc mensuram excedit, in vitio ponendum, siue nuptiæ fiant, siue encænia, siue quæuis alia conuiuiorum solennitas. Excedit verò quidquid superat eam quantitatem, quam ventriculus potest perfectè coacquere, nulla cruditate relicta.

Ad hanc mensuram deprehendendam, vti possumus hisce regulis, & obseruationibus.

9 Prima Regula. Si tantum ordinariè sumas, vt postea parùm sis aptus functionibus mentis, orationi, meditationi, studijs literarum, perspicuum est te mensuram iustam excedere. Natura enim, & ratio postulat, vt pars vegetans ita foueatur, vt facultas animalis & rationalis non offendatur; quia illa his seruire debet, & esse adminiculo ad earum functiones, non impedimento. Cùm ergo tantum ingestus pro parte vegetante, vt functionibus superiorum facultatum, nempè sensuum, imaginatricis, intellectus, memoriæ, notabile detur impedimentum: signum est congruentem mensuram excedi. Prouenit hoc impedimentum ex vaporum, qui potissimum è ventriculo in caput emittuntur, redundantia: qui modicè tantùm eò mitterentur, si mensura non excederetur, vt experientia constat. Nam qui sobriam vitæ rationem lectantur, tam sunt ad omnes animi functiones expediti post cibum quàm ante: vt Auctor noster, quem infra subiunximus, sæpe testatur, & ipse quotidie experior & alij plurimi in nostra Societate experientia docti nouerunt. Imò Sancti Patres, qui totum semel per diem cibum sumebant, ita parce id faciebant, vt nullo modo in functionibus animi impedirentur; quantò facilius id præstare possunt qui illam quantitatem diuidunt, & gemina refectione modicè vtuntur?

Dixi fumos illos, qui cerebri serenitatem obnubilant; *potissimum prouenire è ventriculo cibis assumptis*: quia etsi hæc præcipua sit causa, non tamen sola. Non enim solùm è cibo recens assumpto, qui iam efferuescere, & concoqui incipit, prouenunt: sed etiam è copia sanguinis & humorum qui sunt in hepate, liene, & venis; qui simul incalescunt, & magnam vim huiusmodi fuliginum sursum mandant. Verùm sobria vita sensim hanc plethoram vel cacochymiam castigat, & ad debitum modum tum in quantitate, tum in qualitate reuocat: adeò vt cibo assumpto non amplius huiusmodi fuliginum in caput emittat. Quando enim natura perfectè suos humores per facultates vegetantes regit; ita omnia dispensat, vt neque illi nascantur morbi, neque functionibus superioribus præbeatur impedimentum.

Nec refert quòd multi viri sobrietati dediti à prandio se tradant quieti, & paulisper dormiant: quia id ob eam causam faciunt, vt vires laboribus mentis, vel corporis auctæ fatigatæ, somno recreentur, & spiritus consumpti reparentur. Ad vtrumque enim seruit somnus. Debitæ somnus ille est breuissimus, & nisi consuetudine vel fatigatione aliqua tenerentur, facilimè possent illum declinare. Nonnulli somnum hunc diurnus protrahunt, sed tantumdem postea nocturnæ quieti detrahunt, in duas veluti partes totam corporis quietem partientes.

Secunda Regula. Si tantum cibi vel potus assumas, vt 11
postea sentias corporem quemdam, grauitatem, & hebetudinem corporis, cum aceu essies agilis & excitatus: signum est mensuram congruentem excedi: nisi forte ex morbo, vel morbi reliquijs, id proueniat. Cibus enim & potus, naturam & vires corporis recreare debent, & alacriores reddere, non grauare, & opprimere. Qui ergo ita constituti sunt, vt grauiores sentiant, his dimensum diurnum minuendum, præuia diligenti consideratione, vtrùm excessu ciborum hoc incommodum proueniat, an portionis, an vtriusque coque deprehenso, sensim corrigendus, donec ad eam mensuram redigatur, ex qua non amplius sentiatur incommodum.

Multi hic falluntur, qui etsi largè comedant, & bibant, 12
eibisque alimentosis vtantur, tamen semper querantur se debiles & putant id ex defectu alimenti & spirituum prouenire: vnde cibos maioris alimenti poscunt: & manè ad ientaculum properant, ne videlicet natura deficiat alimenti inopia. Verùm falluntur, vt dixi, & miserum corpus succo nimio grauatum magis grauant. Hæc enim debilitas in huiusmodi non prouenit ex defectu; sed ex humorum copia (vt plerumque etiam habitus ipse corporis ventrisque tumor indicant) qui musculos, & spirituum vias & meatus, neruos inquam, nimium humectant. quo fit vt spiritus animalis (a quo tanquam vniuersali, & proximo animæ instrumento, omnis vigor corporis in sensu & motu) liberè commeare, & corpus regere nequeat. hinc illa debilitas & corporis grauitas, sensuumque torpor, spiritu animali per plethoram quodammodo intercepto. Docet id in plurimis plethoricis & cacochymis corporibus quotidiana experientia, quæ cùm tempore matutino sint languida & torpeant ob nimiam humiditatem ex pridiana cœna, & somno nocturno relictam, consumpta per inediam & apophlegmatismos humiditate, sensim fiunt alacriora, & magis magisque vegeta, crescitque ille vigor vsque ad vesperam, etiamsi valdè parum, vel nihil sumatur meridie. Quòd si durante illa humiditate & debilitate rursus comedant, præsertim humida, & notabili quantitate, augent malum, & manent in suis miserijs. Itaque si quis agilis, & ad omnem motum ac sen-

sum

ſuum vſum expeditus eſſe velit, minuendi humores per dietam, vt ſpiritibus toto corpore ſit liber commeatus, & anima illos vbique ad omnem motum, omneſque functiones corporis, paratos habeat.

13 Tertia Regula. Ab inordinata viuendi ratione non eſt immediatè tranſeundum ad exactam regulam: ſed id ſenſim faciendum, minuendo modicis ſubtractionibus conſuetam quantitatem, donec ad eam perueniatur menſurâ. quæ non amplius animi functiones offendit, nec grauat corpus. Eſt communis Medicorum doctrina. Omnes enim ſubitæ mutationes, ſi ſint notabiles, offendunt naturam, propter conſuetudinem (quæ velut eſt altera natura) à quâ violentè receditur, & inducitur quod illi eſt contrarium. Sicut ergo id quod eſt contrarium naturæ, vehementer ſentitur & affligit: ita quod eſt contrarium conſuetudini, quandò illa adhuc viget. Vnde ſenſim & exiguis momentis recedendum. Sic enim inolita conſuetudo veluti per exiguas particulas gradatim tollitur, & eneruatur, ſicuti gradatim antè creuit: ac proinde minimè ſentitur, parùmque moleſta eſt talis mutatio.

14 Quarta Regula. Etſi non poſſit certa quantitas ſtatui quæ omnibus ſit accommodata, propter ætatum virium-que varietatem, ciborumque diſcrimina: ad ſenium tamen vergentibus, & debilibus communiter ſatis eſſe videntur 12. 13. vel 14. vnciæ cibi per diem, computato pane, carne, ouis, vel alijs obſonijs quibus quiſque veſcitur, & totidem vel paulo plures vnciæ potus. Ita ſentiunt quidam ratione probabili, & experientia ducti. Hoc intellige de ijs qui parùm corpus exercent, & toti ludijs, vel alijs mentis officijs ſunt addicti. Sanè D. Ludouicus Cornaros, cuius opuſculum de vita ſobria hic ſubiecimus, hanc menſuram probat, eamque ſibi anno 36. ætatis præſcripſit, & vſque ad finem vitæ tenuit, viuitque diutiſſimè, & ſaniſſimè. Sancti quoque Patres in eremo, & ſi ſolo pane veſcerentur, & aquam biberent, hanc menſuram non excedebant; ſed eam paſſim in monaſterijs etiam lege ſtatuebant, vt ſcribit Caſſianus collat. 2. abbatis Moyſis cap. 19. vbi abbas Moyſes interrogatus quinâ eſſet optimus temperantiæ modus, ita reſpondet: *Super hac re inter maiores noſtros frequenter nouimus habitum fuiſſe tractatum. Nam diſſimiles in hac mensura deprehendimus, qui vel ſolis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis etiam ingiter exegebant: præponere cæteris illis perfectionem ſolius panis, cuius æquiſſimam mensuram ad uſus paximacij ſtatuerunt, quos paximios panes vocant libra vnius pondus habere certiſſimum eſt.* Itaque in ſingulos dies circiter 12. vncias panis ſtatuebant iuſtam menſuram, quæ omnibus paſſim ſatis eſſe poſſet. libra enim apud veteres eſt 12. vnciarum, non 5. vt apud nos.

15 Quidam putant ſingula paximacia fuiſſe vnius libræ: & ita intelligunt verba abbatis Moyſis, *quos paximios panes*, ſingulos nimirum. Sed non id de ſingulis, verum de duobus iunctim eſſe intelligendum, videtur manifeſtum, ſi res attentè conſideretur. Primò, quia volunt exprimere quantum tota menſura, quæ duobus paximacijs edittabat, penderet, non quantum ſingula paximacia. Deinde, quia illa menſura panis cenſebatur ſatis exigua, & valde difficilis ſeruatu: vt idem abbas Moyſes docet capit. 21. Atqui ſi duo paximacia erant duæ libræ panis per diem, non fuiſſet ea menſura exigua, nec difficilis ad ſeruandum: maximè ſenibus. Quis enim tanta quantitate panis aſſumptâ non haberet ſatis, aut dicatur modicè aut parum ſumpſiſſe? Imò mirum videretur etiam apud nos, quibus regio frigida, ſi religioſus aliquis vna refectione duas libras panis comederet: nec ille (quòd ad quantitatem attinet) abſtinens & ſobrius cenſeretur, ſed potius multi cibi, & vorax. Præterea duo paximacia adeò non explebant famem, vt quidam mallent biduo ieiunare, quam quotidie cum alijs refici minimum vt duplicatam portionem ſumerent, & ſic petitui ſatisfacerent: vt refert idem abbas Moyſes cap. 21. vbi etiam id improbat. At quis exercitus mentis deditus, comedat vna vice 4. libras, ſiue 48. vncias ſicci panis? Denique vt idem abbas Moyſes refert cap. 15. abbas Serapion cùm adhuc eſſet puerulus, poſtea tempore refectionis horâ circiter nonâ cum alijs ſumpſiſſet duo paximacia, adhuc famebat, & ideirco furabatur tertium, quòd poſtea clanculum comederet. At quis puerorum tres libras panis comedat? Itaque certum videtur ſingula paximacia fuiſſe ſolum ſex vnciarum, & duo ſimul ſumpta pendiſſe circiter libram.

Quòd ſi illi Patres per longam experientiam ſatis eſſe iudicarunt duodecim vncias panis ſicci abſque vllo obſonio, & cum hac dieta ad extremam ſenectutem ſani, & ſenſibus integri peruenerunt: quanto magis ſatis eſſe poterunt 6. 7. 8. vnciæ panis cum 6. vel 7. vncijs optimorum obſoniorum, quæ duplo plus alunt quàm ſiccus panis? His accedit loco aquæ (qua illi vtebantur) quæ per ſe non alit, cereuiſia vel vinum, quæ multum alimenti præbent. denique experientia conſtat, multos eſſe quibus longè minus cibi & potus ſatis ſit.

Etſi hic potiſſimum de debilibus, vel ad ſenium vergentibus, ſermo ſit, tamen valde probabile ſentio, ſupradictam menſuram etiam ſanis, robuſtis, & in ætatis flore conſtitutis ordinariè ſufficere, ſi minimum orationi, ſtudijs, alijſve mentis functionibus ſint dediti. Probat hoc infinita exempla Sanctorum virorum, qui etiam ab anno 15. 16. aut 20. hanc menſuram vel etiam minorem ſunt complexi: etiamſi ſolo pane & aqua, vel paucis oleribus aut leguminibus vterentur; & tamen diutiſſimè, ſaniſſimè in ſummis laboribus mentis, & maxima corporis afflictatione vixerunt: vt videre eſt in plurimis, quorum vitæ extant: ex quibus aliquod referemus infra num. 35. Deinde, quia in plurimis Monaſterijs hæc menſura cõmuniter lege ſancita erat tam quam ordinariè omnibus tam iunioribus quàm ſenioribus ſufficiens. Vnde Patres illi, qui maximam harum rerum experientiam habebant, & optimè norant quantum natura requireret, indicarunt hanc menſuram ordinariè omni ætati poſſe ſufficere. Idem ſentit noſter Auctor, & ſuo exemplo probat: nam ab anno 36. ætatis incœpit.

Quòd verò quidam hic obijciunt de panatella, eam facilè ſeptem, octo, vel nouem vncias continere, ac proinde tunc non niſi tres vel quatuor vncias panis & obſoniorum reſtare; facile ſoluitur. Nam eiculenta & poculenta ſi miſceantur (vt in panatella & ſimilibus meneſtris) ſeorſim expendenda ſunt, & in ſuum reducenda ordinem, ad conſtituendam debitam menſuram. Liquor enim potabilis, ad menſuram potus pertinet, panis, ad menſuram edulium. Verùm noſtri inſtituti non eſt, hæc minuta perſequi. Satis eſt oſtendiſſe generatim, illam menſuram à ratione non abhorrere.

16 Quinta Regula. Quod ad qualitatem attinet, ea non eſt magnopere curanda, ſi ſano ſis corpore, & tale genus cibi vel potus naturam tuam non offendat. Omnes penè cibi communiter vſitati naturæ benè cõſtitutæ congruũt, ſi debita in illis menſura ſeruetur. Vnde etiam ſolo pane cum lacte, butyro, caſeo, & cereuiſia, diutiſſimè & ſaniſſimè quis viuere poteſt; præſertim qui à puero ita conſueuit. Abijs tamen quæ nocent cauendum, etiamſi palato alioquin ſint gratiſſima, ne magna ſaltem quantitate ſumantur. Talia ſere ſunt pinguia, quæ & ſtomachum relaxant; eiuſque vires in attritione ſitas diſſoluunt, concoctionem vehementer obſtruunt, eoque ſemiconfectos & ſemicrudos ſtomacho excidere faciunt; in caput fumos copioſè emittunt; vnde nebulæ, ruffes, aſthmata, aliaque pulmonis mala. Denique ipſa etiam probè concoquantur (ad quod opus eſt ſtomacho bono, & tempore diuturno) conuertuntur in prauos humores materiantes; febrem, dum partim bilioſos, partim in phlegmaticos ſuccos faceſſunt. His igitur ſtudioſis viris vtendum parcius, adiuncta ſufficienti panis quantitate. Sic enim eorum horas magna ex parte impeditur.

17 Talia item ſunt omnia, quæ experientia teſte, vel capiti ſuffuſiones, nebulas, vertigines, deſtillationes, aut tuſes adferunt; vel ventriculo eructationes, inflationes, tormina, morſus, lancinationes faciunt; vel alia ratione ſtatum corporis aut animi functiones lædunt. Abſurdum enim eſt tantis incommodis tam imbecillem, ac breuem nundinari gulæ voluptatem. Nulla re magis profitetur quis ſe gulæ mancipium, quam ſi, cui illi ſenſui placet, noxia ingerat. Cùm dicitur ab his cauendum, non ſic intelligas, quaſi ne parce quidem liceat vti (ſicut quidam à braſſica, capis, caſeo, fabis & piſis, item humoris melancholici, bilioſi, vlcoſi, inflationis, ſcrupuloſè abſtinent) ſed ne aſſumantur notabili copia. Exigua enim quantitate, vehementiùs aſſumpta nocere non poſſunt, præſertim ſi grata appetitui. Imò ſæpe quæ magna quantitate obſunt, modica naturæ proſunt.

Inter omnia ciborum genera, ſenibus & debilibus nihil conuenientius panatella; quæ ſola cum vno vel altero ouo

salubertimè quis & diutissimè viuere potest; vt auctor noster testatur. Panatellam Itali vocant pulticulam, quæ ex pane & aqua, aut carnium iusculo, simul coctis constat. Ratio cur hæc sit maximè conueniens, est, tum quia concocta facillima, cùm iam sit instar illius chyli quem stomachus ex cibi concoctione efficit: tum quia qualitatibus est temperatissima: tum quia putredini & corruptioni minimè obnoxia, vt multi alij cibi, qui in stomacho putrescũt. Denique copiosus & probus laugus in ea conficitur. Facilè etiam aliquid additur, quo vel calidior euadat, vel magis alimentosa. Vnde meritò dixit Sapiens Ecclesiastici 29. *Initium vitæ hominis aqua & panis.* Quibus verbis significat vitam hominis his duobus potissimùm foueri & conitare, eaque vitæ conseruandæ esse maximè conuenientia; vt frustrà pretiosæ carnes & pisces, aliaque gulæ irritamenta quærantur.

Plutarchus lib. de sanitate tuenda non probat carnes. ita enim scribit: *Maximè eruditates metuendæ sunt ab esu carnium. Nam hæ & initio statim valdè pregrauant, & reliquias post se malignas relinquunt, ac optimum quidem erat ita corpus assuefacere, vt nullum id carnium requireres esum. Non enim ad nutriendum modò sufficientia largiter tellus produxit, sed etiam ad delectationem & voluptatem: quibus partim nullum alium apparatum requirentibus vesci possis, partim facentis modos miscere & suauia reddere.* Ad cuius sententiam accedunt multi Medici, eamque probat experientia. multæ enim sunt nationes quæ raro carne vescuntur, sed potissimum viuunt oriza & fructibus, & tamen diutissimè viuunt & sanissimè, vt Iaponij, Chinenses, Africani multis regionibus, & Turcæ. Idem cernitur in plurimis agricolis & mechanicis, qui ordinariè vescuntur pane, butyro, pulticula, legumine, herbis, caseo; carne rariùs; & tamen corpore sunt non solùm sano, sed etiam firmo vtrque diu turnæ. Omitto Patres qui in eremo vitam egere, & omnia antiqua monasteria.

19 Sexta Regula. Quibus bona valetudo curæ est, ijs maximè cauenda ciborum varietas, & exquisita condiendi ratio. Hinc doctissimus Medicus Disarius apud Macrobium l. 7. Saturnal. c. 4. & Socrates monent, illos cibos potusque vitandos, *qui vltra sitim famemque sedandam appetentiam producerent.* Idem est commune Medicorum præceptum. Ratio est, quia illa varietas semper nouo modo gulam prouocat, & appetitum excitat, vt numquam videatur satis sumpsisse. quo fit vt iusta mensura enormiter excedatur, & triplo vel quadruplo amplius sumatur, quam natura postulet. Deinde quia diuersorum ciborum diuersa est natura, diuersum temperamentum, & sæpè contrarium: quo fit vt alij citius, alij tardiùs concoquantur. Hinc mira in ventriculo cruditas, & totius concoctionis depravatio; hinc inflationes, tormina, colicę obstructiones, renum dolores & calculi: itaque & ratione quantitatis nimiæ, & ratione varietatis, maxima chyli seu succi, ex quo sanguis conficiendus, cruditas & inquinatio. Vnde Franciscus Valeriola insignis Medicus, locorum communiũ lib. 2. capit. 6. hac de re disputans, ait: *Ciborum varietates & copia in eadem mensa, & productiones in longas moras, nihil nocentius homini ad salutem, omnibus ex æquo bredicis visum est.* Vide plura hac de re pulchrè disputata apud Macrobium loco citato. Scribit Xenophon. lib. 1. de dictis & factis Socratis, eius dietam fuisse simplicissimam ac tenuissimam, adeò vt nemo sit, qui non possit facili negotio talè sibi parare. minimo enim sumptu opus fuisse. Athenæus lib. 2. refert ex Theofratto, Phalinum quendam nullo alio cibo vel potu totius vitæ decursu visum, quam lacte solo, alios multos ibidem commemorat, qui victu simplici vsi. De Zoroastre refert Plinius lib. 11. cap. 42. eum 20. annos in deserto vixisse solo casei esu, qui ita temperatus erat, vt vetustatem non sentiret. Denique & olim omnibus sæculis, & modò apud omnes gentes illi sallubriùs & diutiùs viuunt, qui simplici tenui ac vulgari ratione victus vtuntur.

20 Septima Regula, Cùm tota difficultas in constituenda seruandaque iusta mensura, proueniat ex appetitu sensuali. & appetitus ex apprehensione imaginationis, quâ cibi concipiuntur vt delectabiles, danda maximè est opera, vt talis imaginatio corrigatur. Ad quod hæc duo inter cetera multum valent. Primum, Subducere se ab epularum conspectu, ne specie & odore suo imaginationem excitent, & gulam alliciant. Præsentia enim obiecti naturaliter mouet potentiam. Multo difficilius est continere appetitum epulis præsentibus, quam absentes non concupiscere. Idem accidit in alijs omnibus sensuum obiectis & lenocinijs. Secundum, Imaginari res eas ad quas gula incitat, non vt blandas, odoratas, suaues, palato obiectabiles, quales modò videntur, sed vt sædas, sordidas, olidas, detestabiles, quales mox futuræ. Quælibet tres dum in sua resoluitur principia, tunc apparet qualis re vera sit, & quidnam sub amabili illa specie latebat. At quidnam putentius aut fædius illis delicijs, simulatque leuem alterationem in stomacho subierint? Imò quo quid gulæ videtur gratius, eò mox euadit detestabilius, & maiorem fœtorem exhalat. Vnde qui delitijs diffluunt, offi externis odoribus vitiatur, graueolentia corporis sui molesti sunt instar cadauerũ putentes. Similiter excretiones teterrimo sunt odore, & halitus fœtor intolerabilis. Contra fit in rusticis & mechanicis, qui pane cibario, caseo, & alijs cibis vulgaribus temperate vtuntur. Meritò sic à Deo comparatum est, vt delicias discamus aspernari, & simplici victu esse contenti. Itaque hæc sæpè animo voluenda, & imaginatio in hunc modum assuefacienda.

Verùm occurrunt hic duæ dubitationes. Prima est, Vtrum mensura cibi & potus, similiter & qualitas non sit varianda secundum tempus anni. Plus enim videtur assumendum hyeme quàm æstate; eò quòd hyeme ventres (teste Hipocrate sect. 1. aphor. 15.) sint calidiores, dum propter frigus ambiens calor à circũferentia concurrit ad centrum, seu ad intima viscera: æstate verò languidiores, ob causam contrariam; nimirum quia calor ab intimis partibus euocatur ad circumferentiam, & dissipatur. Pari modo hyeme vtendum siccis & calidis ob copiam pituitæ, quæ tunc redundat, & non dissipatur; æstate potius humidis & refrigerantibus; quia per calorem aeris ambientis magna fit humorum discussio, & corpus arescit. 21 *An mensura sit varianda.*

Respondeo, Iuxta Medicorum placita ita videri faciendum, non tamen anxiè aut minutè, sed prout se offert commoditas. Quòd si non adsit commoditas, non est magnopere curandum. Nam si opus fit dieta siccriore, vt hyeme, & quando diuturnæ pluuiæ, facile est augere quantitatem panis, & minuere quantitatem potus ac obsoniorum humidorum. Copia enim potus & humidorum quæ tempore sicco iuuat, eadè si humida aura & subfrigida per aliquot dies suniatur, nocet, destillationes, raucedines ac tusses procreans. Quando verò opus est dieta humidiore, augeri potest mensura potus, addita vino maiore aquæ quantitate; vel loco vini potest assumi tenuis Cereuisia, quæ satis humectat & refrigerat. Hinc sancti Patres olim non videntur huius discriminis temporum magnam habuisse rationem, vnam eamdemque mensuram, & vnius generis cibum & potum per totum annum constituentes: & tamen diutissimè vixerunt. Nunc tamen in monasterijs hac in re satis valetudini est consultum, vt congruentia tempori edulia præbeantur, ex quibus qui sobrietatem sectati volunt, sibi maximè accommodata possunt seligere.

Altera dubitatio est, Verùm illa mensura de qua diximus, vna refectione an pluribus sit sumenda. Respondeo: Etsi ueteres omnes qui temperantiam eximie coluere, vna refectione contenti fuerint, idque uel post solis occasum, uel hora diei nona, seu tertia post meridiem: vt refert Cassianus collat. 2. abbatis Moysis cap. 25. & 26. tamen multi conuenientiùs censent vt senes bis reficiantur, distributa in duas partes supradicta mensura. Ratio est, quia cum senes ob imbecillitatem non possint multum vna vice assumere, expedit vt sæpiùs comedant, sed modica quantitate. Sic enim fiet vt non grauentur cibo, & facilius concoquant. Itaque in prandio poterunt sumi 7. vel 8. vnciæ, uespere 3. uel 4. aut contra, prout cuilibet est commodius. Verùm in illis diuturna consuetudo magnam uim habet: similiter & corporis dispositio. Nam si uentriculus pituita frigida & lenta abundet, magis expediens uidetur, vt semel tantùm comedat: quia multum temporis requiritur vt illa concoquatur uel extenuetur: idque ipsa experientia abunde compertum habeo. Si tamen refectio in uesperam differatur, proderit meridie modicum quid sumere, præterim quod iuuet ad nimiam uentriculi humiditatem exsiccandam. Vel si meridie prandeatur, tale quid 22 *Vtrum semel an bis cibus sumendus.*

quid expediet ſumere veſperi, v.g. paſſulas cum pane, vel ſimilia. Maximè enim ijs qui ita affecti curandum, vt humiditas illa ſtomachi, quantum fieri poteſt, corrigatur. quia inde ſtomachus flatibus, & caput nebulis ſeatoque phlegmate oppletur. *Sapientes*, inquit ille, *in facie videntur non in pedibus, & lucrum*, vnde Heraclitus: *Lux ſicca anima ſapientiſſima*.

23 Obijciat aliquis aduerſus ea quæ diximus, à præſtantibus Medicis improbari, vt quis certam cibi, & potionis ſibi præfigat menſuram, præſertim modicam: quia hac ratione ſtomachus contrahitur, & ita illa quantitate conſueſcit, vt ſi contingat eam excedi, notabile grauamen & læſionem ſentiat, dum ſupra conſuetum diſtenditur. Quod incommodum vt euitetur, ſuadent non ſeruari eundem modum, ſed aliquando plus, aliquando minus aſſumi. Quod videtur etiam ab Hippocrate cõfirmari aphoriſmo 5 ſect. 1. vbi ſic ſcribit: *Etiam in ſanis periculoſus eſt valde tenuis, & conſtitutus, & exactus victus; quoniam & lecta grauius ferunt. ab hoc igitur tenuis & exactus victus periculoſus eſt magis quàm paulò plenior.*

Reſpondeo, Hoc placitum Medicorum locum habere
24 in ijs, qui eum dietæ temperantiæ tenorem præſtare nequeũt, propter crebras occaſiones cõuiuiorum & ſympoſiorum, quas ipſi vel non poſſunt, vel nolunt vitare: neque ita ſtomachi habent gulam, vt inter epularum affluentiam, ſolitam moderationem poſſint ſeruare, alijs præſertim ſuo exemplo & ſermone ad indulgendum genio excitantibus. Tunc enim à multùm ſe intercam, ſentient aliquid incommodi ob cauſam allatam. Secus de ijs qui ſibi ab huiuſmodi vel occaſionibus, vel exceſſibus poſſunt cauere, & eamdem vitæ rationem tenere. His enim congruentiſſima eſt certa menſura, præſertim ſi debiles ſint, aut ſenes; vt experientia & ratio ipſa conuincit. Nec refert quòd interdum occaſione aliqua contingat hanc menſuram excedi: quia vnus aut alter exceſſus parum nocet, modò ſtatim ad ſolitam ſobrietatem redeatur. tantoque minus in ſequenti refectione ſumatur, vt exceſſus omittatur. Vt ſi modicè prandere, aut cœnare conſueſcus pluſculum ſumpſeris in prandio, abſtineto a cœna: ſi in cœna exceſſeris, abſtine ſequenti die prandio. Itaque hoc incommodum non eſt tantum vt propter illud vitandum certa menſura, quæ ordinarie ſeruetur, ſit repudianda; cùm exceſſus aliquis modò raro ſit, etiam ſenibus, & debilibus parum nocear.

Si tamen exceſſus ſit creber, multoſque dies duret, gra-
25 ue nocumentum ſentient, præſertim debiles & ſenes, qui anteà certæ menſuræ erant addicti. Narrat Auctor noſter, cùm ab anno ætatis 36. vſque ad 75. ſolùm 12. vncias cibi, & 14. potus ſumpſiſſet, optima ſemper valetudine; ſe Medicorum hortatu & amicorum importunitate fuiſſe inductum, vt duas adhuc vncias tum cibo, tum potui adderet. Hunc verò etſi modicum exceſſum decimo die graviſſimos ili morbos attuliſſe, dolorem lateris acerrimum, anguſtias pectoris, & febrem 35. dierum, adeò vt a Medicis iudicaretur depoſitus, nec potuiſſe curari niſi reſtituta priori conſuetudine. Noui & ego quemdam, qui cùm multis annis ſolitus eſſet tantum cœnare, modica duntaxat re eaque ficca meridie aſſumpta, hortatu multorum cœpit paulo amplius, eaque humida, meridie comedere quæ res poſt decem vel duodecim dies tantos ſtomachi, & inteſtinorum dolores per aliquot hebdomadas illi attulit, vt morituus videretur: in quos dolores, cùm bis multis medicamentis, magnaque doctiſſimorum Medicorum induſtria eſſet curatus, bis relapſus eſt. Cumque iam tertiò per aliquot dies affligeretur, venit illi in mentem mutatæ conſuetudinis, & re diligenter expenſa, ſibi perſuaſit hanc eſſe cauſam tanti mali. quare ſtatim illam repetere. Quo facto, mox primo die cœperunt dolores minui, itaque intra quatriduum decreuere, vt nihil amplius præter magnam corporis debilitatem remaneret. quæ tamen & ipſa paulatim ſobriæ illius & ſiccæ dietæ præſidio ſublata. Non enim multitudo ciborum & deliciæ naturam debilem corroborant, ſed modica quantitas viribus reſpondens, & qualitas temperamento conueniens.

26 Neque Hippocratis aphoriſmus ſuprà allatus huic noſtræ ſententiæ aduerſatur. quia ille loquitur de victu tenui, id eſt parui alimenti, eaque menſura quæ viribus & bonæ conſtitutioni tuendæ non ſufficiat. Nos verò quodlibet genus ciborum, quod naturæ ſit commodum, admittimus, & eam menſuram, quæ viribus ſtomachi, & bonæ valetudini ſit accommoda.

Dices: Non omnibus integrum eſt vel commodum exactam dietæ rationem ſeruare: nullamne ſuppetere rationem qua tales valetudinem ſuam curentur, & vitam in longam ſenectutem producant? Reſpondeo, Suppetere hanc vnicam, quam multi præſtantes Medici præterierunt. Ea eſt, vt quotannis bis ſaltem, nempè in Vere & Autumno corpus benè purgetur, & humoribus noxijs liberetur. Loquor de ijs qui corpus ordinariè non exercent, ſed officijs mentis ſunt intenti: vt ſunt ſacerdotes, religioſi, Iuriſconſulti, ſtudioſi, & ſimiles. Porrò ea purgatio fieri debet præuia humorum præparatione, idque præſcripto periti Medici: neque debet eſſe valida, & confertim operari, ſed ſenſim per duos vel tres dies aſſumpto medicamento. Sic enim & facile toleratur, & amplius proficit. Nam primo die purgatur prima regio, vt Medici loquuntur, hoc eſt inteſtina: ſecundo, hepar: tertio, venæ in quibus maxima prauorum humorum colluuies. Qui enim nõ ſobriè viuunt ſingulis diebus aliquid crudi humoris addunt, quod ad venas attractum per totum corpus veluti per ſpongiam diſtribuitur.

27 *Alia ratio tuendæ valetudinis.*

28 Itaque intra vnum, vel alterum annum tanta ſæpè eſt quantitas praui humoris in corpore, quantum vas ducentarum vnciarum, ſeu quatuor poculorum vix capiat. Hi humores tandem temporis tracta putreſcunt, & lethales morbos inferunt: vnde maxima pars hominum ante tempus extinguitur. Quicunque enim ante extremam ætatem pereunt, ferè hac de cauſa pereunt: exceptis illis qui vi externa; vt gladio, igne, calculo, beſtiarum morſu; vel veneno, vt peſte, toxico, &c. pereunt. Plurimi in ſuis domibus omnibus commodis affluentes, breui tempore humorum ſuorum malignitate extinguuntur, qui in truculentis vinctis, & nautico pane, & aceto patti, ſani & incolumes in longam ætatem vitam propagaſſent. Huic periculo occurritur tempeſtiuis purgationibus, ſaltem bis quotannis aſſumptis. Sic enim neque valde magna poteſt eſſe talium humorum copia, neque multum poſſunt putreſcere, cùm quoque ſemeſtri excernantur. Non multos qui hac ratione ad extremam ſenectutem peruenere, vix vllo notabili morbo per totam vitam tentari.

Sequitur nunc tertium eorum quæ propoſuimus, nimi- 29
rum vt explicemus, quanta commoda corpi & animo lo- *Commoda ſobriæ vitæ.*
bria vita conferat. *Liberat a morbis.*

Primum commodum eſt, quòd hominem ab omnibus pene morbis liberet & defendat. Aufert enim catarrhos, tuſſes, aſthmata, vertigines, capitis & ſtomachi dolores: arcet apoplexiam, lethargum, epilepſiam, alioſque cerebri affectus: curat podagram, chiragram, dolores iſchiadicos, & articulares morbos. Aufert eruditatem, omnium morborum matrem. Denique ita humores temperat, & in debita proportione conſeruat, vt neque quãtitate neque qualitate peccent. Vbi vero eſt cõgrua humorum ſymmetria, ibi morbus locum non habet, cùm ratio ſanitatis in tali proportione conſiſtat. Confirmat id tum experientia, tum ratio. Videmus enim, eos qui ſobriam victus rationem ſequuntur, raro vel numquam morbis tentari; & quando tentantur, facilius ferre quàm alios, qui praui humoribus ex intemperantia gulæ redundant; & breui tempore reſtitui. Noui plurimos, qui etſi natura ſint debiles, & ætate prouecti, & aſſiduè officijs mentis intenti, tamen beneficio temperantiæ ſani viuunt, & ab omni morbo notabili tota penè vita, longaque ætate immunes. Idem declarant exempla ſanctorum Patrum, & monachorum, qui in ſumma victus parſimonia incolumes & alacres diutiſſime vixerunt.

Ratio eſt, quia omnes penè morbi, quibus ordinariè 30
homines laborant, naſcuntur ex repletione; nimirum quòd plus aſſumatur quàm natura requirat. & ſtomachus poſſit perfectè concoquere. Cuius ſignum eſt, quòd omnes pene curentur euacuatione. Detrahitur enim ſanguis per ſectionem venarum, vel cucurbitulas, vt natura leuetur: ſubducitur medicamentis maxima humorum colluuies, quæ per viſcera & corpus diffuſa, imperatur abſtinentia, & tenuiſſima victus ratio præſcribitur. Hic modus curandi manifeſtè indicio eſt, morbum ex repletione ortum. Cõtraria enim cõtrarijs curantur. vnde Hippocrates

ſect. 2. aphor. 22. *Quicunque morbi ex repletione fiunt, eos exacuatio ſanat: & quicunque ex exacuatione, repletio.* Rari tamen ſunt morbi ex exacuatione, niſi in longa fame tempore obſidionis, vel nauigationis, vel alio ſimili euentu. quo caſu detracto priùs humore adulto, quem calor per mediam procreauit & veluti aduſſit, corpus ſenſim (aucta paulatim cibi menſura) alendũ & corroborandum. Quod etiam poſt multas exacuationes, quibus in magnis morbis corpus & vires exnauſtæ, faciendum vt fiat reparatio. Itaque cùm omnes penè morbi naſcantur ex eo quod plus aſſumatur, quàm natura poſtulet; conſequens eſt, vt ſi quis debitam menſuram ſeruet, ab omni penè morbo ſit immunis. Quod etiam inſinuatur celebri illo dicto Hippocr. 6. epidem. ſect. 4. *Κρατεῖς ὑγιείνε ἀκριβὴς τροφῆς, ἀσκητὴς πόνων. Studium ſanitatis eſt, cura cibi ſtatuenda, & impigrum eſſe ad labores.* vbi in parſimonia victus, & exercitatione corporis ponit rationem conſeruandæ bonæ valetudinis.

31 *Cruditas morborum mater.*

Idem confirmatur ex eo quòd cruditas à Medicis dicatur omnium morborum (quibus homines ordinariè laborant) ſeminarium. Vnde Galenus lib. 1. de cibis boni aut mali ſucci: *Nemo morbo corripietur, qui accuratè cauet ne in cruditates incidat.* Et ratione cruditatis dici ſolet, plures occidi crapula quàm gladio. Et Sacra Scriptura Eccleſiaſtici 37. *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam.* Et paulò antè: *Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam; in multis enim eſcis erit infirmitas.* Atqui ſobria victus ratio prohibet cruditatem, ac proinde ſuccidit morborum cauſam. *Cruditatem* vocant imperfectam ciborum concoctionem. Cùm enim ſtomachus vel ob nimiam ciborum quantitatem, vel ob eorum qualitatem contumacem, vel ob varietatem ſimul aſſumptam, vel ex eo quòd deſit iuſtũ interuallum ad perfectam ciborum confectionem requiſitum, imperfectè cõcoquit, dicitur chylus, ſeu ſuccus, quem ex cibis confecit, eſſe crudus, & habere cruditatem, quæ multa adfert incommoda. Primò, replet cerebrum & viſcera multis pituitoſis & bilioſis excrementis. Secundò, parit in exiguis viſcerum meatibus multas obſtructiones. Tertiò, vitiat totum corporis temperamentum. Denique, venas implet humore putrido, ex quo grauiſſimi morbi.

Poſſent hæc ſingula fusè oſtendi, ſed res eſt ſatis manifeſta, præſertim primum & ſecundum; ſolùm itaque exponam tertium & quartũ. Vbi chylus fuerit crudus, ſeu malignè a ſtomacho confectus, & inquinatus potiùs quàm concoctus (Ariſtoteles enim μόλυνσιν id vocat nõ πέψιν, inquinationem non concoctionem) ex huiuſmodi chylo non poteſt in hepate ſanguinis officina confici probus ſanguis, ſed ſolùm vitioſus. Secunda enim concoctio, vt aiunt Medici, non poteſt emendare primam. Ex vitioſo ſanguine nõ poteſt fieri proba nutritio, ſed neceſſe eſt vitioſum exiſtere corporis temperamẽtum, & morbis obnoxium. Nam tertia concoctio (quæ in poris minutiſſimis toto corpore agitur, vbi ſanguis parti cuilibet alendæ aſſimilatur, & vltimo diſponitur ad eius formam ſuſcipiendam) non poteſt emendare ſecundam. Hac ratione ſenſim per cruditatem mutatur & deprauatur totum corporis temperamentum, multiſque incommodis ſubijcitur. Rurſus chyli cruditas efficit, vt venæ per totum corpus repleantur ſanguine impuro, multiſque prauis humoribus permixto, qui tractu temporis ſenſim putreſcunt, & tandem data occaſione per laborem, æſtum, frigus, ventum, &c. in graues & periculoſas febres, quibus mnumeri ætate florenti pereunt, accenduntur. Hæc incommoda defendit ſobria victus ratio: quia tollit cruditatem, horum omnium cauſam. Cùm enim non plus ingeritur quàm ventriculus probè poſſit conficere, & ad hoc ſufficiens temporis interuallum conceditur, non poteſt naſci cruditas, ſed chylus exiſtet probus, & naturæ conueniens; ex probo chylo probus quoque fiet ſanguis; ex bono ſanguine bona totius corporis nutritio, & bonum temperamentum. Præterea vitantur hoc modo putredo humorum in venis, vitantur obſtructiones viſcerum, & excrementitiæ ſuperfluitates, quibus & caput, & viſcera, & iunctuæ perſæpè affliguntur: itaque conſeruatur bona corporis conſtitutio & ſanitas.

Sanitas in duobus ſita.

Hæc enim in duobus ſita eſt; in humorum debita proportione & ſymmetria tam ſecundùm quantitatem quàm ſecundùm qualitatem: & in totius corporis ſpongioſo quodam habitu, nullis obſtructionibus impedito, vt ſpiritus & ſanguis liberum per omnes partes habeant diſcurſum. Neque ſolùm cruditatem humorũ, & mala quæ inde ſequuntur, impedit ſobrietas, ſed etiam ſuperuacaneos humores conſumit, idque multò ſecurius & efficaciùs quàm corporis exercitatio, vt erudite oſtendit Cl. Doctor Virungus li. 5. de Ieiunio, capit. 3. 4. & 5. labor enim confertim corpus agitat, & ſolùm partes quaſdam præ ceteris exercet, idque ſæpè cum humorum perturbatione, cum magno æſtu, & morborum periculo, præſertim febrium, pleuritidis, & variarum in varias partes deſtillationum, quæ magnos dolores adferunt. Abſtinẽtia verò magis intrò ad ipſa viſcera, & ad omnes iuncturas ac articulos penetrat, omnia blandè & æquabiliter euacuans: craſſa enim extenuat, obſtructa aperit, ſuperflua conſumit, ſpirituum vias reſerat, & ipſos ſpiritus clariores efficit; idque abſque humorum perturbatione, abſque defluxionibus & doloribus, abſque æſtu corporis, ac morborum periculo, abſque iactura temporis & diſpendio functionum meliorum. Negandum tamen non eſt quin exercitatio, ſi modum non excedat, ſit valde vtilis, & multis neceſſaria.

33 *Sobria vita munit aduerſus cauſas externas.*

Alterũ Commodum eſt, quòd non ſolùm à morbis, qui ex cruditate & interna humorum corruptione naſcuntur, nos tuetur; ſed etiam aduerſus externas cauſas munit. Nam qui corpus purum, & humores benè temperatos habent, non ita facilè lædũtur ab æſtu, frigore, labore, & ſimilibus incommodis, ſicut alij qui prauis humoribus abundant: & ſi lædantur, facilius & citiùs curantur. Idem accidit in vulneribus, contuſionibus, luxationibus, & fracturis oſſium; quia nullus vel exiguus ſit affluxus humorum ad partem affectam; qui affluxus curationem maximè impedit, & dolores & inflammationes efficit. Declarat in luculento exemplo noſter Auctor infrà nu. 11. Munit & contra peſtem: facilius enim ibi veneno reſiſtitur ſi corpus ſit purum. Vnde Socrates ſua frugalitate & temperantia effecit, vt quotiens Athenas ſæpenumero peſtis vaſtaret, ipſe tamen nunquam ægrotarit, vt ſcribit Laert. lib. 2. de vitis Philoſ.

Tertium Commodum vitæ ſobriæ eſt, quod etſi non curet morbos incurabiles, tamen eos ita mitigat, vt facilè tolerẽtur, nec magnopere functiones animi impediant. Cõſtat hoc quotidiana experientia. Multi enim cum vlcere pulmonis, cũ ſcirrho hepatis vel lienis, cum calculo in renibus aut veſica, cum inueterata impetigine, cum antiqua & inolita intemperie viſcerum, cum enterocele, hydrocele, aliſque herniæ generibus, tolius dietæ præſidio diu vitam producunt, ſemper alacres, & ad ingenij labores expediti. Sicut enim illa mala per ingluuiem ualdè exacerbantur, ita vt natura grauiter affligant, breuique tempore præcipitent: ita per ſobriam victus rationem mirificè mitescunt, adeò vt parum incommodi plerumque ex illis ſentiatur, nec multum de ordinario vitæ ſtadio accidant.

34 *Mitigat morbos incurabiles.*

Quartum Commodum eſt, quod ſuis cultoribus non ſolùm ſanitatem, ſed etiam longeuitatem conferat, eoſque ad extremam ſenectutem perducat; adeò vt cùm ex hac vita decedendum, nullos ferè vel exiguos dolores ſentiant; quia moriuntur per meram reſolutionem. Vtrumque experientia & ratione notum eſt. Nam quod ad longæuitatem attinet, conſtat, ſanctos viros in eremo & monaſterijs fuiſſe admodum longæuos, etiamſi aſperrimam vitam omnibus penè corporis commodis deſtitutam ducerent. quod potiſſimùm illorum ſobrietati acceptum ferendum. Sic S. Paulus primis Eremita ætatem ad annos ferè 115. produxit: ex quibus circiter 100. egit in eremo; quadraginta quidem primos paucis dactylis & hauſtu aquæ; reliquos cùm dactyli defeciſſent, pane dimidio, quem coruus ei quotidie ſubminiſtrabat: vt ſcribit Hieronymus in eius vita. S. Antonius ad annos 105. ex quibus 90. egit in eremo ſolo pane & aqua (quibus aliquid oleris in extrema ſenectute addebat) corpus ſuſtentans; teſte Athanaſio. S. Paphnutius eceſſit annos 90. ſolo pane veſcens: vt colligitur ex Caſſiano collat. 3. cap. 1. S. Hilarion etſi naturæ eſſet teneræ, & ſemper rebus diuinis intentus vixit annos circiter 84. ex quibus ferè 70. tranſegit in eremo, mira abſtinentia, & cultus victuſque aſperitate: vt refert Hieronymus. Iacobus Eremita Perſa genere, partim in eremo, partim in monaſterio tranſegit annos 104.

35 *Præſtat longæuitatem.*

victu tenuiſſimo: vt refert Theodoretus hiſtoria religioſa in Iuliano. Et ipſe Iulianus, cognomento Saba, id eſt, ſenex, ſemel in hebdomade reficiebatur, pane hordeaceo, ſale & aqua contentus: vt ibidem Theodoretus. S. Macarius, cuius Homiliæ extant, exceſſit annum nonageſimum, ex quibus in eremo, aſſiduo ieiunio peregit ſexaginta. Arſenius præceptor Arcadij Imperatoris annos vixit 120. in ſæculo 65. reliquos 55. tranſegit in deſerto abſtinentia admirabili. Simeon Stylites vixit annos 109. ex quibus 81. in columna; 10. in monaſterio: verùm huius abſtinentia & labores naturam humanam ſuperare videntur. S. Romualdus Italus, annos vixit 120. ex quibus 100. ſolidos egit in religione ſumma abſtinentia, & cultu aſperrimo. Vdalricus Epiſcopus Patauienſis, vir miræ abſtinentiæ, vixit annos 105. teſte Paulo Bernriedenſi in vita Gregorij VII. quem ante annos aliquot in lucem produxit noſter Gretzerus. S. Franciſcus de Paula abſtinentia admirabili (pane enim & aqua ſemel in die poſt ſolis occaſum reficiebatur, vix aliquid obſonij, quo veſci in Quadrageſima licet adhibens) ſuperauit annum 90. S. Martinus 86. S. Epiphanius ferè 115. S. Hieronymus circiter 80. S. Auguſtinus 76. S. Remigius exegit annos 74. in epiſcopatu. Venerabilis Beda ab anno 7. ætatis vſque ad 92. vixit in religione. Nimis longum eſſet omnes recenſere, qui ex hiſtorijs & vitis Sanctorum adduci poſſent. Omitto plurimos noſtræ ætatis, qui ſobria victus ratione vitam incolumem ad annos 80. 90. 95. &c. extenderunt. Sunt enim etiam feminarum monaſteria, in quibus victu tenuiſſimo viuitur ad annos 80. vel 90. adeò vt ſexagenariæ & ſeptuagenariæ vix inter ſeniores numerentur.

36 Neque dici poteſt, hos non vi naturæ, ſed ſupernaturali Dei munere tantam ætatem vixiſſe. Non enim paucorum fuit illa longæuitas, ſed plurimorum, & ferè omnium qui exactam illam ſobrietatem ſunt ſectati, & externo aliquo caſu non ſunt perempti. Vnde S. Ioannes Euangeliſta, qui ſolus inter Apoſtolos violenta morte ante naturæ terminum non eſt abreptus, vixit annos 68. poſt Domini Aſcenſionem. Itaque credibile eſt eum ad centeſimum pertigiſſe. Et S. Simeon annos 120. habebat, cùm martyrio afficeretur. S. Dionyſius Areopagita centeſimum ſuperabat annum: Sanctus Iacobus minor 96. ieiunijs & orationibus aſſiduè vacans, carne & vino ſemper abſtinens.

37 Deinde non ſolis Sanctis id conceſſum, ſed etiam alijs. Nam apud Indos diutiſſimè viuunt Brachmanes ob victus frugalitatem: apud Turcas religioſi Mahometicæ ſuperſtitionis, qui abſtinentiæ, & auſteritati plurimum dediti. Scribit Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico capit. 7. *Eſſenos longiſſimæ eſſe vitæ, ita vt plurimi eorum vſque centenariam peruenirent ætatem; propter ſimplicitatem victus, & vitam benè ordinatam: ſolum enim panem & varium pulmentum ſingulis apponi.* Democritus & Hippocrates vitam produxere ad annos 105. Plato ſuperauit 80.

Cur homicida & blaſphemi non ſint longæui.

Denique quando Scriptura Eccle. 37. ait: *Qui abſtinens eſt: adijcies vitam*, generatim loquitur de omnibus, qui abſtinentiam ſeruant, non de ſolis Sanctis. Fateor tamen, impios, & maximè homicidas ac blaſphemos, plerumque non diù viuere (etiamſi in victu temperati ſint) diuina vltione eos perſequente. Hi tamen non morbo ex humorum corruptione, ſed vi extrinſecus illata pereunt. Similiter qui *Libidinoſi.* impenſè libidini ſunt addicti, non poſſunt vitæ eſſe diuturnæ: quia nihil æquè ſpiritus & optimum naturæ ſuccum exhaurit; nihil naturam ſic debilitat & frangit.

38 Dices, multos ad extremam ſenectam peruenire, qui non ſeruant illam ſobriam dietam, ſed gulæ laxant habenas prout occaſio ſe offert, quotidie pene ad ſatietatem cibo potuque ſe farcientes. Reſpondeo, huiuſmodi eſſe raros, & rari roboris ac temperamenti. Nam plerique qui voraces ſunt, ante tempus extinguuntur. Quòd ſi robuſti illi & ἄτρωκτοι congruam moderationem adhiberent, multò diutiùs & ſalubriùs viuerent, & longè plura ingenio ſuo & doctrina efficerent. Neceſſe enim eſt, eos qui non frugaliter viuunt, multis prauis humoribus impleri, & ſæpè morbis tentari, nec poſſe ſine detrimento valetudinis arduis mentis functionibus diu intendere: tum quia in illis tota vis naturæ & ſpirituum concoctioni & digeſtioni ciborum mancipata eſt, à qua ſi violentè per ſpeculationem abſtrahatur, neceſſariò maligna erit cõcoctio, & multæ naſcentur cruditates: tum quia caput impletur vaporibus, qui mentem obnubilant, & dolorem, ſi acrius ingenio contendas, adferunt. Denique opus illis eſt crebra corporis exercitatione, vel medicamentis quibus corpus vacuetur: itaque etiamſi diu videantur viuere corpore; tamen animo & ingenio parum viuunt, cùm exiguo tempore ad functiones animi ſint idonei, & maior pars temporis debeat impendi obſequio corporis. Quod quid aliud eſt, quam animum ſuæ carnis, hoc eſt ſui mancipij, facere mancipium? Talis vita non decet hominem, præſertim Chriſtianum, cuius omne bonũ ſpiritale eſt, & functionibus mentis ac corporis, ſenſuumque mortificatione comparatur.

His adde, eos qui debilioris ſunt naturæ, ſi temperate vi- 39
nant, multò eſſe ſecuriores de ſua valetudine & vitæ productione, quàm ſint robuſtiſſimi quique inordinatè viuentes. Illi enim ſciunt ſe non habere noxios ſuccos in corpore, vel non ea copia vt morbum poſſint creare: illi verò neceſſariò plurimis huiuſmodi ſuccis aliquot annorum tractu replentur; qui ſenſim magis ac magis putreſcentes, leui occaſione in morbum grauem, & ſæpè lethalem euadunt. Tentatur Ariſtoteles in problematibus, fuiſſe ſuo tempore quemdam Philoſophum, Herodicum nomine, qui etſi omnium iudicio debiliſſimæ eſſet naturæ, & tabe laboraret, tamen arte τῆς διαιτητικῆς (quæ victus rationem præſcribit) ad centeſimum annum peruenerit. meminit eiuſdem Plato lib. 3. de Republ. Galenus lib. de maraſmo, & lib. de tuenda ſanitate refert, extitiſſe ſuo tempore quemdam Philoſophum, qui librum ediderat, quo docebat qua ratione poſſet quis penitus expers ſenij cõſeruari. Meritò quidem id tamquam vanum reprehendit Galenus; tamen artem non fuiſſe omnino vanam, & valuiſſe ad vitam producendam, ipſe Philoſophus ſuo exemplo oſtendit. Cùm enim ad octogeſimum annum peruenisſet, & adeò eſſet exhauſtus, vt nihil ei præter oſſa & cutem reſtare videretur, arte tamen & moderatione victus ſingulari effecit, vt non niſi lentiſſima tabe confectus tandem occumberet. Idem Galenus lib. 5. de tuenda ſanitate ait: *Arte illa quæ dietam præſcribit, eos qui ab ipſo ortu imbecillum corpus non ſunt ſortiti, ſenſibus illæſis, & ab omni morbo & dolore alienos, ad ſummam ſenectutem peruenire.* Deinde addit de ſeipſo. *Ego verò tametſi nec ſalubrem corporis ſtatum ab ipſo ortu ſim nactus, nec vitam planè liberè egerim, hanc tamen ipſa arte vſus, poſt 28 ætatis annum, ne minimo quidem laboraui morbo, niſi forte diario febri ob laſſitudinem aliquando contracta.*

Neque ſolum ad extremam ſenectutem morborum & 40
dolorũ expertes perueniunt ſobrietatis cultores, ſed etiam *Abſque dolo-*
in ipſa morte doloribus non affliguntur: quia non vi illa- *ribus mori.*
ta naturę, ſed ſimplici reſolutione, humidique radicali conſumptione vinculum animæ & corporis diſſoluitur: ſicut lampas ſponte ſua abſque ſtrepitu extinguitur oleo conſumpto. Sicut enim lampas ardens tribus modis poteſt extingui, 1. vi extrinſecus illata, vt cùm flatu vehementi extinguitur; 2. affuſa multa aqua, qua olei bonus liquor opprimitur vel corrumpitur; 3. folius olei conſumptione: ita etiam vita humana (quæ inſtar lampadis ardentis) tribus modis extingui ſolet. 1. vi externa, v.g. gladio, igne ſuffocatione; 2. humorum noxiorum abundantia, vel qualitate maligna, qua humidum radicale opprimitur, vel deſtruitur; 3. cùm ipſum humidum à calore naturali longo temporis tractu abſumitur, & in auras diffletur, quod eo fit modo quo aqua calida, vel oleum calidum conſumitur à calore ſibi ab igne impreſſo. In primo & ſecũdo modo magna fit naturæ turbatio, ac proinde neceſſe eſt magnos ſentiri dolores, ſi ea res duret: quia temperamentum vi contraria euertitur, & vinculum naturæ violentè diſſoluitur. At in tertio nullus vel exiguus eſt dolor, quia ab intrinſeco temperamentum ſenſim diſſoluitur, & humidum primigenium (in quo maximè vita conſiſtebat) vnà cum calore innato conſumitur. Dum enim humidum illud minuitur, ſimul minuitur calor illi inſertus; & conſumpto humido, ſimul extinguitur calor: ſicut in lucernis accidit. Hoc modo moriuntur plerique, qui exactam dietæ regulam ſeruarunt, niſi forte vi extrinſecus illata pereant. Cùm enim per dietam noxios humores euitent, nihil in ſe habent quod temperamentum violentè poſſit deſtruere, aut calorem naturalem opprimere: ac proinde neceſſe eſt vt viuant, donec humidum primogenium

vna cum calore insito sit ita consumptum, vt non sufficiat ad animam in corpore vlteriùs retinendam. Simili modo moreretur homo, si calor naturalis (etiam humido saluo) detineretur à Deo conseruari: vel si ipsum humidũ diuina virtute subitò consumeretur.

41 *Corpus reddit agile.*

Quintum Commodum sobriæ dietæ est; quod corpus reddat leue, agile, vegetum, & ad omnes suos motus expeditum. Grauamen enim, naturæ oppressio, & tarditas prouenit ex humorum redundantia, qui vias spirituum obstruunt, & iuncturas obsident, nimirumque humectant. Itaque sublata humorum copia per dietam, tollitur causa illius grauaminis, & tarditatis, & laxantur viæ spirituum. Deinde per eandem dietam fit, vt concoctio sit bona, & probus conficiatur sanguis, ex quo deinde puri, & copioli suppeditantur spiritus, a quibus omnis vigor, & agilitas.

42 *Commoda animi ex sobrietate.*

Attulimus commoda quinque, quæ sobrietas adfert corpori. Videamus nunc quæ præstet animo. Ea similiter ad quinque reuocari possunt.

Vigorem præstat sensibus.

Primum sit, quòd incolumitatem, & vigorem præstet sensibus externis. Sensus enim videndi in senibus potissimum hebetatur, eò quòd nerui optici humoribus superfluis, aut vaporibus obsideantur. quo fit vt spiritus animalis qui visioni deseruit, vel obscuretur, vel non possit ea copia subministrari, quæ ad acutè cernendum est necessaria. Hoc impedimentum tollitur, vel multum minuitur sobrietate victus, & potus, & abstinentia ab ijs rebus, quæ caput fumis implent; qualia sunt pinguia omnia, & maximè butyrum copiosè assumptum, vina potentia, cereuisia crassa, vel herbis caput tentantibus medicata.

43 Sensus audiendi impeditur humoris superuacanei, & crudi ex cerebro defluxu in organum auditus, vel in neruum qui ei deseruit. hac enim ratione fit, vt homo ex ea parte, in quam defluxio incumbit, fiat surdus, vel grauiter audiat. Talis defluxio facilè arcetur & præuenitur sobrietate victus. Et postquam accidit, sicut medicamentis potest tolli (nisi fortè sit inueterata, & sedem fixerit) ita etiam per dietam; præsertim si topica quædam simul adhibeantur.

44 Sensus gustandi potissimum vitiatur prauis humoribus organum ipsius imbuentibus; vt si biliosi humores, vel acidi, vel salsi linguam faucesque occupent (siue illi veniant ex capite, siue ex stomacho, cuius interior tunica cum illis organis continuatur) omnia videbuntur amara, acida, vel salsa. Hoc vitium tollitur congruenti dieta, qua etiam fit, vt communes cibi & panis siccus melius sapiant homini moderato, & plus ei voluptatis afferat, quam gulæ dedito pretiosi & exquisitè conditi. Sublatis enim vitiosis succis, qui stomachum & organũ gustus inficiebant, & ἀνορεξίαν vel fastidium inducebant, redit appetitus, & sincerus ciborum sensus, ac naturalis voluptas. Simili modo conseruat sensum odorandi, & tangendi.

45 Fateor tamen, longa tandem senectute vigorem sensuum, præsertim oculorum, & aurium, multùm hebetari, ac ferè extingui, quia temperamentum organorum, vti & reliquarum partium, paulatim dissoluitur, consumpto sensim humore radicali, & calore innato: quo fit vt, & temperamentum euadat siccius quàm conueniat sensuum operationi, & omnes meatus ac pori pituita frigida repleantur, quæ omnibus animæ functionibus maximè aduersatur. Sicut enim senes interno corporis temperamẽto fiunt siccissimi & frigidissimi: ita excrementitijs succis humidissimi, adeò vt senium nihil sit aliud quàm frigus & siccitas temperamenti ex consumptione humidi radicalis, & caloris innati prouenientis, quibus necessariò pituitę frigidæ copia toto corpore est coniuncta.

Mitigat passiones.

Alterum Commodum, quod dieta sobria confert animæ, 46 est, quòd valdè minuat ac mitiget effectus seu passiones præsertim iræ & melancholiæ, tollens in his excessum & inordinatum impetum. Idem facit circa affectum delectabilium gustus & tactus: vt merito etiam ob hunc effectum illa ratio vitæ sic magni æstimanda. Turpe enim est esse iræ impotentem, esse subiectum melancholiæ, & tristissimis phantasiæ curis: esse mancipium gulæ & ventris, cæcoque impetu in esculentã & venerea effundi. Neque solum turpe, & virtuti aduersum, sed etiam valetudini noxium, & apud honestos probrosum. Hisce malis sobrietas facili negotio medetur, partim subtractis, partim correctis humoribus, qui illorum causa. Quòd enim humores sint causa talium passionum, apud Medicos, & Philosophos est notissimum, & constat experientia.

47 Videmus enim, eos qui biliosis humoribus abundant, esse iracundos & præcipites: qui melancholicis, continuo mœrore ac metu cõfici: si humores illi in cerebro inflammentur, phrenitidem, & maniam procreare; si acidus humor stomachi tunicis sit impactus, assiduam famem & voracitatem: si feruidi sanguinis in corpore sit copia, incitare ad libidinem, præsertim si materia aliqua flatulenta sit coniuncta. Ratio est, quia affectus animi sequuntur apprehensionem phãtasiæ, vt ex philosophia notum est: phantasię aũt apprehensio est conformis dispositioni corporis, & humoribus qui in corpore dominãtur. Hinc biliosi somniant ignes, incendia, bella, cędes: melancholici, tenebras, funera, sepulchra, spectra, fugas, foueas, & tristia omnia: pituitosi pluuias, lacus, flumina, inundationes, submersiones, naufragia: sanguinei, volatus, cursus, conuiuia, cantus, amores. Somnia verò nihil aliud sunt quàm phantasiæ apprehẽsiones ceteris sensibus sopitis. Vnde sicut in somnijs, ita etiã in vigilia phantasia plerasque apprehendit conformia humori, & qualitati præualenti, præsertim primo obiecti appulsu, priusquam à ratione corrigatur & dirigatur. Itaque excessus illorum humorum peruertit naturalem phantasiæ flatum, & apprehensionem. Bilis enim, quia amarissima, & naturæ maximè aduersa, facit vt phantasia dictum factùm ve alterius, vel quidlibet aliud, quod displicet, apprehendat vt sibi aduersum, inimicum, iniuriosum; & quia humor ardens est, & impetuosus, facit vt apprehensio fit velox & vehemens, inciteteque ad celerem mali repulsionem, & vindictam. Humor melancholicus est grauis, frigidus, siccus, torpidus, acidus, atro colore, & cordi valdè infestus. Itaque facit vt phantasia apprehendat omnia tamquam infesta, inimica, tristia, tenebrosa. Ratione autem frigoris, & grauitatis fit vt non incitet ad mali repulsionem, sicut bilis quæ leuis est, sed injcit metum, fugam, cunctationem. Pituita frigida est & humida: vnde fit vt apprehensio ad omnia sit tarda, languida, absque vigore, acrimonia, alacritate. Itaque bilis facit vt homo sit iracundus, præceps, velox, audax, vehemens, rixosus, morosus: ad quidlibet indignetur, iuret, maledicat, clamet, vociferetur. Hinc tot iniuriæ, pugnæ, vulnera, cædes in genere humano. Nam etiam ea quæ inebrietate patrantur, ex furore bilis plerumque proueniunt vino bilem augente, & accedente. Melancholia facit tristes, pusillanimes, meticulosos solitarios; cogitabundos, desperabundos. Et sicut bilis ad breue tempus, dum feruet, rectum mentis iudicium peruertit: ita melancholia ferè assiduè, maximè quæ cerebrum occupat, vel tetros vapores sursum ad cor, & caput ex hypochondrijs emittit. Pituita efficit lentos, languidos, somniculosos, meticulosos, obliuiosos; denique ad omnia præclara inutiles. Etsi enim humor ille non ita sit corpori infestus, sicut bilis, & melancholia; est tamen maximè aduersus functionibus animæ: quia frigore suo vigorem spirituum hebetat, & humiditate cerebrum, & meatus spirituum nimiùm humectat.

48 Omnibus hisce malis magna ex parte medicinam facit sobria dieta. Hac enim adhibita, sensim minuuntur praui humores, natura eos consumente vel expellente, adhibitis præsertim quibusdam adminiculis à medicamentis purgantibus. Deinde corrigitur corporis intemperies, dum purus & temperatus sanguis subministratur, qui nullis cruditatibus sit permixtus, nullis humoribus superfluis vitiatus, nulla qualitate noxia excedens. Hinc eos, qui sobrietate vti consueuerunt, videmus placidos, affabiles, benignos, lætos, tractabiles, & in omnibus moderatos. Benignus enim succus naturæ, affectus, & mores facit benignos: & malignus succus (qualis est bilis & melancholia, si quantitate vel qualitate excedat) facit affectus, & mores malignos, & efferatos. Vbi id quoque dignum consideratione, prauos humores non solum excitare passiones, ijsque dare initium, sed vicissim per quandam sympathiam ab ipsis passionibus accendi, & roborari, & accensos roboratosque efficere vt ipsa quoque passio augeatur, & confirmetur. Patet hoc in humore biliosо, qui cum abundat, mediante apprehensione phantasiæ quam vitiauit, excitat passionem iræ; iræ commotio per quamdam sympathiam accendit spiritus, & humorem biliosum: humor biliosus

iam

iam accenſus efficit vt phantaſia fortiùs, & vehementiùs rem apprehendat, & maior videatur iniuria quam antea: & ſic ipſa quoque iræ commotio augetur, & roboratur. Hinc fit vt interdum ex ira tranſeatur in furorem, ſi phantaſia multo tempore in imaginatione iniuriæ perſiſtat. vnde ſaluberrimum conſilium eſt, cogitationem ab iniurijs acceptis auertere: quia earum conſideratio non ſolùm animo, ſed etiam corpori eſt noxia. Simili modo humor melancholicus, mediante phantaſia, excitat mœrorem, nulla alia cauſa mœroris ſuppetente: mœror per quamdam ſympathiam concludit cor, & impedit liberam eius diaſtolem: quo fit vt humor melancholicus aduratur, fiatque malignior, eò quod terræ fuligines non poſſint diſſipari: factus malignior, auget mœroris affectum, & ſæpè adigit ad deſperationem, funeſtaque conſilia.

49 *Memoriam conſeruat.*

Tertium Commodum animæ ex dicta ſobria prouenies, eſt incolumitas memoriæ. Hæc enim maximè lædi ſolet ab humore frigido cerebrum occupante, qui potiſſimùm intemperantibus, & ſenibus eſt infeſtus. Hic enim humor, & vias ſpirituum anguſtiores obſtruit, & ſpiritus ipſos refrigerat, & torpidos reddit: quo fit vt apprehenſiones ſint lentæ, languidæ, & fluxæ, & ſæpè in media narratione hominem ita deficiant, vt neſciat quid dixerit, aut qua de re locutus fuerit; rogetque ſocios, Quid tractabamus? Poteſt autem id fieri tripliciter. Primo, ex eo quod ſpiritus animalis, quo phantaſia in recordando, & in omni actu ſuo vtitur, ab humore pituitoſo in tranſcurſu raptim intercipiatur: quo intercepto ceſſat rei apprehenſio, & conſequenter omnis recordatio. Secundò, ex eo quòd apprehenſio fuit languida, & abſque reflexione, idque ob ſpirituum inopiam vel ineptitudinem: apprehenſio autem rei facta abſque reflexione, non poteſt relinquere ſui veſtigium, quod ad recordationem ſit ſufficiens. Omnis enim recordatio immediatè verſatur circa actus noſtros, & ſolùm mediatè circa actuum illorum obiecta. Non enim recordor proprié Petrum eſſe mortuum, ſed me vidiſſe, vel audiuiſſe, vel legiſſe, &c. eſſe mortuum. Itaque vbi nulla eſt reflexio ſuper actus noſtros, nullum poteſt relinqui veſtigium ad memoriam ſufficiens. Tertiò, ex ſola ſpirituum ineptitudine, quia etſi veſtigium ſit aliquo modo ſufficiens ex parte ſua, tamen ſæpiſſimè fit, vt inopia, vel impuritate, vel torpore, vel nimio feruore ſpirituum non poſſumus eo veſtigio congruenter ad recordationem vti. Hac ratione interdum accidit, vt quis omnem penè memoriam perdat, & omnium diſciplinarum obliuiſcatur; vt cùm pituitæ frigidæ copia meatus anguſtiores cerebri obſtruit, & ſpiritus torpidos reddit, totamque cerebri ſubſtantiam nimium humectat, & refrigerat.

50 Totum hoc malum mirificè vel arcetur, vel curatur ſobria, & congruenti victus ratione: nimirum abſtinendo à potu calido, & fumoſo, niſi forte exigua ſit quantitas. Etſi enim vinum ſit calidum, tamè crebro, & magna copia hauſtum, frigidos morbos parit: nimirum deſtillationes, cataſtes, coryzas, apoplexiam, paralyſim. Ratio eſt, quia caput vaporibus implet, qui ibidem refrigerati, in frigidam pituitam, quæ illorum malorum cauſa eſt, denſantur. Neque tantùm à potu calido, & fumoſo, ſed etiam à copia omnis humidi abſtinendum, & quantum fieri poteſt, ſicca dieta vtendum. Hac enim fit vt ſuperflua humiditas vel non gignatur, vel genita conſumatur; & conſequenter vt obſtructiones, quæ ab ea proueniebant, tollantur, & viæ ſpirituum laxentur, & ipſi ſpiritus extenuentur, debitumque ſtatum conſequantur, & cerebro natiuum redeat temperamentum, fiatque vnà cum ſpiritu idoneum, vt phantaſiæ, & memoriæ deſeruiat.

51 *Vigorem ingenij tuetur.*

Quartum Commodum eſt vigor ingenij in excogitando, ratiocinando, inueniendo, iudicando; & aptitudo ad diuinas illuſtrationes ſuſcipiendas. Hinc fit vt homines abſtinentiæ dediti ſint vigilantes, circumſpecti, prouidi boni conſilij, recti iudicij. Si de diſciplinis agatur, facilè excellunt in iis, quibus animum applicuerit. Si de oratione, meditatione, contemplatione; magna facilitate, voluptate, & guſtu ſpirituali ea obeunt. Oſtendunt id ſuo exemplo antiqui Patres & Eremitæ, qui cùm eſſent abſtinentiſſimi, ſemper mente vigebant, & totas noctes in oratione, rerumque diuinarum commentatione traducebant, tanto animi ſolatio, vt in paradiſo verſari ſibi viderentur, & temporis fluxum non percіperent. Hac ratione ad ſummam ſanctitatem, & familiaritatem Dei peruenerunt, & dono prophetiæ ac miraculorum ornati ſunt, & toti mundo admirabiles extitere. Cùm enim perpetuò mentem ſurſum erectam, Deoque intentam tenerent, digni habiti fuere, ad quos Deus vicißim ſe inclinaret, eos eximiè illuſtrando, (iuxta illud Pſal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini*) ſuorumque ſecretorum faciendo participes, & operum mirabilium adminiſtros: nimirum vt mundus hinc intelligeret, quantopere vita illorum Deo placeret & ad eorum imitationem ac venerationem excitarentur.

Sunt etiam hoc tempore plurimi, qui eadem abſtinentiæ via ad ſapientiæ, & virtutum Chriſtianarum culmen 52
niuntur: e quibus aliqui ſcriptorum ſuorum multitudine & eximia eruditione omnibus ſunt admirationi. Nemo abſque ſobrietatis præſidio ſimile quid præſtare poterit: quòd ſi obſtinatè conetur, ſe ipſe ante tempus conficiet. nemo ſine huius virtutis ope paſſiones ſuas frænare, animi tranquillitatem obtinere, mentis functiones circa res diuinas facili modo, & cum voluptate obire, ad inſignem ſanctitatis gradum pertingere poterit. Horum omnium veluti baſis, & fundamentum eſt ſobrietas, vt docet Caſſianus libro 5. qui eſt de Gaſtrimargia: cap. 14. & 17. Vnde Sancti omnes, qui ceſſam perfectionis Euangelicæ turrim ædificare voluerunt, ab hac, tamquam fundamento totius ædificij ſpiritalis, inceperunt.

Nec obſtat, quòd fides ceterarum omnium virtutum, & 53
conſequenter totius ſtructuræ ſpiritalis, dicatur fundamentum: quia fides eſt quidem intrinſecum & primarium fundamentum, cui directè ceteræ virtutes innituntur; ſed abſtinentia eſt fundamentum extrinſecum, ſecundarium; & ſubſeruiens: quatenus nimirum remouet ea quæ vſum fidei, & functionem potentiæ intellectiuæ vel impediunt, vel difficilem, inamœnam, & laboriоſam reddunt; & ſimul ea ſuppeditat adminicula, quibus functiones illius potentiæ reddantur illuſtres, faciles, & delectabiles. Omnis enim profectus ſpiritualis pendet ex vſu intellectus, & fidei quæ in intellectu reſidet. Non enim poſſumus amare aliquod bonum, autin eius amore proficere; nec odiſſe malum, aut in eius odio creſcere, niſi illud ab intellectu ad mouendum affectum nobis proponatur. Vnde qui ita diuino munere comparatus eſt, vt cæleſtia & diuina ſemper eius menti obuerſentur, (ſicut accidit Apoſtolis, & multis Apoſtolicis viris) is facili negotio terrena omnia contemnet, & ad ſublimem ſanctitatis, & meritorum gradum conſcendet; ac proinde in cælo illuſtrem gloriæ coronam obtinebit. Voluntas enim facilè ſe conformat iudicio intellectus, quando res ei non raptim, ſed continuè, & acriter ab intellectu proponitur. Ex quibus patet, ea quæ mentis functiones impediunt, obſcurant, vel difficiles, & laboriоſas reddunt, plerumque in cauſa eſſe, cur neque in diſciplinis, neque in pietatis officijs, neque in ſanctitate vitæ, ad inſignem perfectionis gradum perueniatur: quæ verò functiones intellectus reddunt faciles, expeditos, illuſtres, delectabiles, præſtare hominem idoneum, qui facili negotio, & cum voluptate rebus ſpiritualibus intendat, & ad excellentem ſapientiæ ſanctitatiſque menſuram pertingat.

Itaque cùm ſobrietas hanc vim habeat, vt tollat ea quæ 54
mentis conſiderationem vel impediunt, vel difficilem, & inamœnam reddunt; & ſuppeditet ea quæ facilem, & iucundam efficiunt, merito fundamentum ſecundarium ſapientiæ, & profectus ſpiritualis dicenda eſt. Qua autem ratione id faciat, patet ex dictis ſuprà. Quæ enim ſpeculationem impediunt ac difficilem reddunt, ſunt illa: nimia cerebri humiditas, vaporum, & fuliginum abundantia, meatuum cerebri obſtructio, nimia ſanguinis copia, ſpirituum feruor à ſanguine vel bile proueniens, vapores bilioſi vel melancholiæ aduſtæ caput petentes, humor bilioſus vel melancholicus cerebrum occupans. Hæc omnia impedimenta nondum adſint, ea præcauentur ſobria dieta, vt non irrepant: ſi autem adſint, ſenſim vincuntur, & emendantur, adhibita ſimul, ſi neceſſe ſit, quorumdam pharmacorum ope, maximè mirio; niſi forte malum ſit inueteratum, & incurabile: vt interdum in melancholia, & pituita cerebrum per protopathiam occupante, per quam amentia ſtabilis inducitur, accidit. Neque ſolùm tollit impedimenta ſpeculationis, ſed etiam ſuggerit adminicula ſpeculandi, nimirum probum ſanguinem, &

conſe-

consequenter puros, & benè temperatos spiritus, & congruum cerebro temperamentum. Nam & ipsum temperamentum cerebri, quod per intemperantiam factum est nimis vel humidum, vel frigidum, vel siccum, vel calidum, per dietam sensim emendatur, & ad mediocritatem reducitur.

55 *Quanti hic fructus sit momenti.*

Fructus hic sobrietatis maximi æstimandus est. Quid enim optabilius homini Christiano, & præsertim religioso, quàm in longa senectute vti mente sana, alacri, expedita, & vegeta ad omnes suas functiones? Nam præterquam quòd hoc per se valdè iucundum sit, maximum nobis bonum spirituale, si velimus, adducit. Tunc enim post longam experientiam præcedentis ætatis, mundi vanitas clariùs cognoscitur, & animo vilescit: tunc cælesti à nobis magis sapere, & terrena contemni incipiunt: tunc futura quæ impendent assiduè versantur ob oculos, vt dignè ad ea nos comparemus: tunc omnis nostra notitia & experientia, quàm abeunte ætate vique ad illud tempus comparauimus, nobis est adminiculo, eiusque suaues fructus carpimus. Tunc sedatis animi affectibus & turbellis, cum magna voluptate & facilitate incumbere possumus orationi, meditationi rerum diuinarum, lectioni sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, & assiduè aliquid pij animo voluere, aliquam diuini eloquij sententiam (more sanctorum Patrum) ruminare; preces canonicas in digni attentione persoluere, sacrificium Missæ magna reuerentia & deuotione offerre. Mirum dictu est, quanta in omnibus illis mentis officijs sobriæ senectuti sit facilitas, quanta voluptas, quanta animi consolatio, & cõsequenter, quantum meriti & præmij possint hinc sibi comparare.

56 Hæc potissimum causa me impulit ad hunc tractatum scribendum, nimirum vt hominibus pijs, & præsertim religiosis, tantum bonum commendarem, quò & ipsi diu sani viuere, & Deo cum magna facilitate & gaudio seruire, & animum suum diuinis inspirationibus & illustrationibus suscipiendis apare, & maximos bonorum operum thesauros sibi congregare possint. Parui quidem facienda, parumq; vtilis est longa vita, si sæculo potiùs quàm Deo seruit, si auaritiæ vel ambitioni, vel voluptati dedita: verùm si Deo tota est mancipata, virtutisque officijs addicta, maximi est pendenda, & vtilissima. Itaque etsi sobrietas eam vim habeat vt omnibus, non solùm qui pietati, sed etiam sæculo dediti, corpus sanum & mentem vegetam præstet; tamen illis potissimùm est lectanda, qui pietatem colunt, & Deo quàm maximè placere studeant: quia his maximam voluptatem etiam in hac vita, & postea copiosissimum in æternitate fructum affert.

57 *Stimulos carnis mitigat.*

Quintum Commodum est, quòd libidinis impetum extinguat, & tentationes carnis mirificè sedet, & magnam carni ac spiritui tranquillitatem conciliet. Rectè dixit quidam: *Sine Cerere & Baccho friget Venus*. Hoc remedio aduersus istud malum vsi sunt omnes quotquot sanctitate illustres fuere. Et sanè, post gratiam diuinam nullum est efficacius: quia sobrietas & materiam, & causam impulsiuam, & causam excitantem subtrahit. *Materiam* voco copiam spermatis; *causam impulsiuam*, copiam spiritus animalis, quo sperma expellitur: *causam excitantem*, imaginationem rerum venerearum. Hæc imaginatio excitat primùm concupiscentiæ passionem: hæc statim commouet spiritus ad expulsionem; hi commoti vrgent, & nisi voluntas cohibeat, perficiunt. Vincere hunc impetum, præcipuum certamen hominis Christiani, præsertim florenti ætate, & natura adhuc robusta.

58 Sobrietas materiam & causam impellentem subtrahit; quia si adsit copia spermatis, facit vt sensim minuatur tum quantitate, tum flore. Similiter minuit copiam & feruorem spirituum, abstinendo à calidis & flatulentis cibis; à vini & cereuisiæ potentis vsu, saltem quamdiu opus est, vt ad mediocritatem deueniatur. Imminuto autem & temperato spermate ac spiritibus, sponte cessant libidinosæ imaginationes; vel si occurrant, facilè excutiuntur (nisi forte Dei permissu à diabolo suggerantur;) quia oriuntur per quamdam sympathiam ex dispositione corporis, nimirum ex copia seminis & spirituum, sicut imaginationes aliæ, quæ humoris dominantis conditionem sequuntur, vt suprà ostensum. Cuius signum est, quod sobrietatis cultores ab huiusmodi imaginationibus, & tentationibus plerumque fiant liberi, & raro admodum illis vexentur.

Quòd si causarum illarum copia non adsit, facilè sobrietas præcauet ne nascatur; dum facit vt non comedas aut bibas amplius quàm sustentatio corporis postulat. Nõ enim quantitatem eorum quæ assumit, metitur appetitu, qui maximè fallax; sed ratione, quæ spectat quid, & quantum corpori conseruando, & functionibus animi congruat.

59 *Cur appetitus fallax.*

Cur verò appetitus fallax sit causa est duplex. Prima est, quia nõ solùm appetit quantum necessarium conseruando corpori, sed etiam quantum seruire potest procreationi. Ad vtrumq; enim finem infirus homini, & ceteris animantibus esculenti, & potulenti appetitus; nimirum ad conseruationem individui, & ad propagationem speciei. Itaq; ratio dictat ijs qui caste viuere, & incitamẽtis libidinis carere volunt, non esse obsequendum appetitui, sed dimidia solùm parte ei satisfaciendum: nimirum quatenus appetit necessaria corporis sustentationi. quod si fiat, nulla erit seminis copia, nulli vel exigui libidinis stimuli. semen enim est superfluum alimẽti; nimirum quod corpori alendo non erat necessarium. Vbi ergo non plus alimenti sumitur quàm alendo corpori sit opus, ibi vel nihil, vel parum est superflui, quod in semen dispensetur.

60 Altera causa cur appetitus sit fallax, est, quia sæpè longè plus appetit quàm vtrique fini (nempe sustentationi proprij corporis, & propagationi naturæ) conueniat: idque vel ob stomachi prauam dispositionem, vt fit in fame canina, boulimia, & cùm humor melancholicus tunicis stomachi impactus: vel ob ciborum mangonia, & condimenta, quibus varietate, & nouo sapore assiduè orexin & gulam prouocant. Quam ob causam talis varietas & exquisita epularum instructio omnibus sobrietatis, & castitatis cultoribus, imò omnibus qui suæ valetudinis curam habẽt maximè vitanda, vt passim Medici tradunt. Qua de re suprà diximus.

Ex quibus perspicuum est, in sobrietate, & abstinentia ad libidinem domandã longè maiorem esse vim, quàm in alijs corporis afflictationibus, cilicijs, disciplinis, chamenia, labore manuum. Hæc enim exteriùs tantùm corpus affligunt, & cutem perstringunt; causam vero mali, quæ interiùs latet, non attingunt. Abstinentia vero causam ipsam ex fibris, & venis intimis subducit, & natura temperamentum ad mediocritatem reuocat. Itaque hæc omnibus, qui illo malo vexantur, consulenda.

61 Hactenus de sobrietatis commodis, & fructibus: quæ omnia possent sanctorum Patrum testimonijs confirmari, sed ex breuitatis causa prætermitto, vnius D. Chrysostomi sententia contentus. Is Homil. de ieiunio ita scribit: *Ieiunium, Angelorum imitatio est pro nostra virili, contemptus præsentium, schola prærum, alimenta animæ, fi nium oris, mitigatio concupiscentiæ, vt probè norunt qui iuuant: mollis furorem, compescit iram, sedat fluctus naturæ, excitat rationem, clarum reddit mentem, alleuiat caunem, fugat nocturnas fœditates, capitis dolores tollit, clarus adfert & calores, & aspectus. Ieiunis gestus compositi, expedita lingua, recta cogitatio*, &c. Vide eumdem Homil. in Genesim. Similia multa legere est apud Basilium oratione de ieiunio; Ambrosium lib. de Elia & ieiunio; Cyprianum orat. de ieiunio, & alios.

62 *An sit molesta.*

Dicet aliquis molestam esse istam dictæ parsimoniam, vt quæ hominem perpetua fame torqueat; ac proinde satiùs esse citò mori, quam adeo duro remedio miseram vitam trahere, iuxta dictum cuiusdam, cui cùm crus esset secandum, recusauit inquiens:

Non est tanto digna dolore salus.

Respondeo Primò. Initio quidem esse nonnihil molestam, ob contrariam consuetudinem, & stomachi dilatationem; verùm sensim ea molestia tollitur. Non enim repente à magna quantitate ad exiguam transeundum, sed sensim singulis diebus aliquid detrahẽdo, donec ad iustam mensuram sit deuentum: vt sæpè Hippocrates docet. Sic enim sensim absque molestia stomachus contrahitur, & auiditas, quę ante sentiebatur, tollitur. Stomacho autem ad iustum & debitum modum contracto, nulla amplius est molestia in sobria dieta: quia exigua illa quantitas eius capacitati & viribus aptè respondet. Cuius signum est, quòd initio Quadragesimæ abstinere à ientaculo, plerisq; qui aliter consueuere, sit graue; sed sensim ipso vsu difficultas illa tollitur, & tantũ commodi ex abstinentia multi sentiunt, vt perpetuo abstinere ientaculo cupiant. Idem multi experiuntur in carenda cęna. Simili modo cùm quis non-

nonnihil aſſueuit, non eſt moleſtum abſtinere à quibuſdam cibis minùs ſalubribus, etiamſi gula priùs eos valdè affectaret. Itaque falſum eſt quod obijcitur, ſobriam diætam perpetua fame hominem torquere.

Reſpondeo Secundo: Eſto, aliquid moleſtiæ in tali dieta multo tempore ſentiatur (quod tamen non eſt ita) ſed cogitandum eſt, exiguam illam moleſtiam maximis commodis & fructibus compenſari. Sobria enim dieta morbos pellit, corpus agile, ſanum, purum, à fœtore ac fœditate alienum præſtat, longęuitatem adducit, ſomnos quietos & placidos inducit: epulas communes ſuaues & iucũdas efficit, ſenſibus incolumitatem, memoriæ vigorem, ingenio perſpicaciam, claritatem, & ad diuinas illuſtrationes excipiendas aptitudinem confert; paſſiones ſedat, iracundiam & mœrorem pellit, libidinis impetum frangit. Denique corpus & animam maximis bonis replet: vt meritò mater ſanitatis, hilaritatis, ſapientiæ, & omnium virtutum dici poſſit.

Incommoda vitæ intemperatæ.

E contrario vita inordinata exiguam illam & breuem voluptatem quam gulæ adfert, innumeris compenſat incommodis. Nam & ventrem ſuo pondere grauat, ſanitatem pẽdit, morbos plurimos introducit, corpus fœdum, oliduum, ſordidum, muco & excremẽtis plenum reddit, libidinem accendit, paſſionibus animam ſubijcit, ſenſus obrundit, memoriam debilitat, ingenium & iudicium obſcurat; denique mentem ad omnes ſuas functiones, ad diſciplinas, ad orationem & meditationem, ad ſublimia & ſalutaria omnia hebetat & ineptiorem reddit. quo fit vt & in pulcherrimarum rerum ſcientia, & in vitæ ſanctitate, & in meritis bonorum operum minor ſit profectus. At quale & quantum bonum eſt, cuius cauſa hæc omnia mala ſuſtinentur? Breuis & momentanea gulæ voluptas; quæ tunc ſolùm ſentitur, cùm cibus manditur, & in ventrem trajicitur; quæque & per ſe vilis eſt, vtpote nobis cum beſtijs communis, & exiguam corporis partem afficit, nempe linguam, palatum & fauces. Huius cauſa omnia illa ſuſtinentur, tantaque mole tolerantur. Huius appetitio eſt ratio totius difficultatis, quæ in ſobrietate ſentitur. Si enim nulla eſſet in ſumendo cibo & potu voluptas, nulla eſſet in abſtinendo difficultas. Nihil aliud boni habet intemperantia præter vilem illam, & momentaneam gulæ oblectationem. Quam miſerum eſt & homine indigṅum, ſe reddere huius mancipium, eiuſque cauſa tanta incommoda & diſpendia ſuſtinere? Quantum abſinthij & fellis pro illa modica dulcedine refunditur?

Hæc diligenter conſideranda & perpendenda viris prudentibus, maxime eccleſiaſticis, & Deo dicatis, quorum 65
profeſſio eſt functionibus mentis vacare, & rebus diuinis intendere. Si enim ita accurate expendamus, fieri nequit, quin ſobrietas nobis ſit placitura, & facilis ac iucunda futura; intemperantia verò horrori & detestationi. Pudebit nos noſtræ mollitiei, pudebit tantæ vilitatis, & imbecillitatis animi, quòd gulæ obſequijs ita ſimus ſubiecti, quod duro eius imperio adeò ſeruiliter pareamus, quòd vilißimis & momentaneis eius illecebris non poſſimus reſiſtere. Quid turpius aut magis dedecoroſum, quàm eſſe mancipium gulæ & ventris? Quid ſtultius, quàm propter modicam gulæ voluntatem renunciare omnibus animi & corporis bonis quæ nobis adfert ſancta ſobrietas; & exponere ſe omnibus incommodis & malis quæ corpori & animo irrogat intemperantia? Miſeram mortalium ſortem, quæ tantę vanitati ſubiecta eſt, tantis tenebris occęcata, tantis erroribus obnoxia? cuius mens in iudicando & eligendo, inani ſpecie boni delectabilis quaſi per ſomnium deluditur.

Hæc de ſobrietate, quatenus medium eſt & inſtrumentum optimum ſanitatis corporis, & vigoris mentis in longam ſenectutem conſeruandi, & maxima bona vtrique parti, tam temporalia quàm ſpiritualia conſequendi, dicta ſufficiant: quæ vt multis ſalutaria ſint Deum enixè rogo. Finem itaque faciam verbis B. Petri omnes ad ſobrietatem hortando: *Fratres ſobrij eſtote & vigilate; quia aduerſarius* 1. Pet. 5.
veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret; cui reſiſtite fortes in fide. Non enim ſolùm ad carnis tentationes, quibus maxima pars mundi ſuccumbit, vincendas valet ſobrietas, ſed ſimpliciter ad omnes: ſicut etiam ad omnes iuuat virtutes, vt ex ijs, quæ ſupra deduximus, eſt perſpicuum.

LV.

LVDOVICI CORNARI VENETI

TRACTATVS DE VITÆ SOBRIÆ commodis.

1 *Vis consuetudinis.*

ERTVM est, vsum in hominibus successu temporis verti in naturam ita vt illos quodammodo cogat ad ea vitanda, quibus consueuerunt, siue bona ea sint, siue mala. Pari modo in multis rebus videmus vsum consuetudinem habere plus virium quàm rationem. Neque id negari potest. Imò crebrò cernimus, eum qui probus est, consuetudine improbi ex probo fieri improbum. Et sicut bona consuetudo facile conuertitur in prauitatem è contrario prauæ subinde reducitur ad bonam. Notus qui ex probo cõsuetudine prauus factus est prauus; is consuetudine viri probi rursus redit ad probitatem pristinam. Et hoc totum procedit ex vi vsus & consuetudinis, quæ re vera est magna.

Quæ cum mecum ipse perpenderem, animaduerti ex vi vsus in nostram Italiam non ita pridem, imò æuo meo, tres malos mores inuectos. Primus est, adulatio, & aulicæ cæremoniæ secundus, viuere iuxta sensum & doctrinam Lutheranam: quæ ratio viuendi ab aliquibus immeritò defenditur consuetudine. Tertius, crapula. Hæc tria vitia, vel potiùs crudelia vitæ humanæ monstra, nostris temporibus inualuerunt e vita ciuili sinceritatem, ab animo religionem, & a corpore sanitatem. Quamobrem statui tractare de vitioso, & ostendere esse abusum; vt, si fieri possit, tollatur. Quod ad opinionem Lutheranam, & adulationem attinet, breui præclarum aliquod ingenium laborem sumet ea refutandi, dicique spero ante mortem me visurum hos tres abusus extinctos, & nostram Italiam antiquis & sanctis moribus suis restitutam.

2 *Vitia multa consuetudine inducta.*

Vt ergo veniam ad id de quo statui tractare: Dico *crapulam* esse rem perniciosam, quia vitam sobriam exulare fecit, & plurimùm fori subiecit. Et quamuis omnes norint, *crapulam* procedere è vitio gulæ, & vitam sobriam à virtute temperantiæ; nihilominus *crapula* habetur res liberalis & honoralis; vita sobria res sordida & contemptu digna. Hæc totum procedit ex vi consuetudinis, quam sensus & appetitus sensualis intro luxerunt, quia inebriant homines, vt relicta bona via, se conuerterint ad lectandam prauam, quæ illos lucrer conducit ad peregrinas & letiferas infirmitates, & præmaturam senectutem, cum tertiusquadragesimum ætatis annum attingant, pene fiat decrepiti. Oppositum vita sobria, priusquam esset penitus abacta præstabat, conseruando homines in prospera valetudine, etiam anno ætatis octuagesimo.

3 *Crapula vocatur omne immoderatum cibum & potum, siue sit in quo, siue in quo.*

4 O miseram & infelicem Italiam! non aduertis *crapulam* quotannis tibi plures eripere personas, quam posset e medio tollere vel tempus grauissimæ pestis, vel multi armorum conflictus? Quid dicam de tuis conuiuijs verè inhonestis, quæ iam passim in vsu; quæ adeo sunt grauia & intolerabilia, vt mensæ satis capaces fieri nequeant, propter infinitam ciborum multitudinem, qui imponuntur; ita vt opus sit lances alias alijs in cumulum imponere? Quis posset viuere in tantis excessibus, & vitæ humanæ infestis vsibus? Per amorem Dei ponatur in illis modus: quia certus sum, Maiestati diuinæ ea maximè displicere. Abigatur illa noua mors: illa nostris maioribus inaudita pestis: ne tanta damna animis corporibusque inferat. sicut publica auctoritate fiunt prouisiones annonæ salubris: ita & in vtu moderatio præscribatur, quæ valetudini ciuium sit consentanea.

Luxus conuiuiorum.

5 Nec desunt crapulæ exterminandæ etiam priuata remedia quibus quilibet apud se vti poterit; nimirum si viuat secundum naturæ simplicitatem, quæ paucis est contenta, teneatque medium sanctæ temperantiæ ex rationis præscripto, & assuescat non comedere amplius quàm vitæ necessitas postulet, certò sibi persuadens, illud amplius infirmitatem esse & mortem. Cogitet voluptatem palati momentaneam, sed noxam quam infert corpori, & molestiam diuturnam, eamque tandem ipsum corpus vnà cum anima premere. Vidi ego multos ex meis amicis præstantissimi ingenij, & nobilis naturæ, florenti ætate abreptos ista peste intemperantiæ, qui si viuerent, essent, & mundo ornamento, & multis mortalibus solatio. Itaque vt tantis damnis occurram in posterũ, statui hoc breui discursu patefacere, *Intemperantiam* esse abusum, qui facilè possit tolli vita sobria in eius locum introducta. Quod eò libentiùs faciam quod multi iuuenes ingenio præstantes me ad hoc obstrinxerunt. Cùm enim viderint parentes suos ætate florenti extinctos, & me in ætate 81. annorum adeò sanum, & valentem, incessit illis desiderium eodem peruenièdi: meque rogarunt, vt modum quẽ ea in re tenui, aperirẽ. Itaque vt illorum honesto desiderio faciam satis, & simul alios multos, qui hoc expendere vòlent, iuuem: declarabo causas quæ me compulerunt intemperantiam deserere, & vitam sobriam capessere, narrãdo modum, quem ea in re secutus sum, & quidnam bonus iste vsus in me sit operatus. Hinc clarè cognoscetur, quàm facile sit, vitium intemperantiæ superare. Adiungam in fine, quantos fructus ex vita sobria capiamus.

6 *Causa cur ad sobriam vitam se conuerterit.*

Dico ergo, infirmitates, quæ non solùm initia in me dederant, sed etiam magnos progressus fecerant, causam mihi præbuisse relinquẽdæ intemperantiæ, cui multùm eram addictus. Per hanc enim & prauitatem mei temperamenti (cùm stomachus mihi esset frigidissimus, & humidissimus) incideram in varios morbos, nempe in dolorem stomachi, & sæpè lateris, initiaque podagræ, cum vna febricula ferè continua, & siti perpetua. Ex hac pessima dispositionè nõ aliud mihi restabat expectandum, quam vt post multas vitæ molestias ac dolores finem acciperem per mortem: cùm tamen vita mea tantum per naturam adhuc abesset a termino, quantum per intemperantiam ei erat propinqua. Cùm igitur hisce modis affectus essem ab anno 35. vsque ad 40. ætatis meæ, adhibitis, & tentatis omnibus remedijs absque fructu, dixerunt Medici, vnam adhuc meis malis superesse medicinam, si velim ea constanter vti, & patienter continuare: nempe *vitam sobriam*, & ordinatam: hanc habere maximam vim ad sanitatem recuperandam, & cõseruandam, sicut ei contraria maximam vim habet ad eam labefactandam, & extinguẽdam; vt ego iam experientia didiceram. Illa enim homines prauæ complexionis, & ætate decrepitos conseruat sanos: hæc etiam ætate florentes, & perfectissimæ complexionis prosternit, & longissimo tempore in morbis detinet. Quod etiam ipsa ratio conuincit. Nam contrariæ causæ contrarias habent operationes, & effectus: vitia naturæ sæpè arte emendari; terrasque steriles, & malignas mangonio agriculturæ reddi fertiles, & fructiferas. Addebant, nisi tali remedio tunc vterer, intra paucos menses me eò redactum iri, vt amplius iuuari nequeam, & posteà intra paucos alios moriturum. Auditis his rationibus, cùm abhorrerem a mòrte adeò præmatura, & premerer assidue morborum doloribus, persuasus fui, ex temperantia, & intemperantia necessariò supradictos contrarios effectus nasci debere; & spe

bona

bona vitandæ mortis, & emergendi è doloribus, animatus, ſtatui me dedere vitæ ordinatæ.

7 Itaque accepto ab illis modo quem deberem tenere, intellexi me non poſſe comedere aut bibere uiſi è cibis, & vino, quæ vocantur infirmorum, idque in modica quantitate. Idem mihi anteà mandarunt: ſed ego tunc temporis cùm modo meo viuere vellem, & tales cibos faſtidirem, non acquieſcebam, ſed veſcebar cibis palato gratis; & cùm ſentirem internos ardores, bibebam vina guſtui amica, idque magna copia: nec tamen ea de re quidquam Medicis drosham, vt paſſim moris eſt infirmorum. Sed poſtquam ſtatui ſectari temperantiam, & rationis ductum, & viderem non eſſe rem difficilem, ſed proprium, & debitum hominis officium, ita me addixi huic viuendi rationi, vt numquam à recto tramite deflecterem. Quod cùm facerem, paucos intra dies cœpi cognoſcere, tali modo me plurimùm iuuari, eumque continuando, intra ſpacium temporis minùs anno (etſi videri queat alicui incredibile) fui ab omnibus meis infirmitatibus prorſus immunis, & liber.

8 Sanus effectus, cœpi conſiderare vim temperantiæ, & ita mecum reputare: Si temperantia tantas habuit vires, vt tanta mea mala profligaret, & ſanitatem adduceret, multò magis vim habebit, vt mihi ſanitatem conſeruet & prauam meam complexionem iuuet, & debilem ſtomachum corroboret. Quapropter diligentiſſimè cœpi inueſtigare, qui cibi propoſito meo congruerent, qui aduerſarentur: & ſtatui experiri, ſi illi qui guſtui placent, mihi commodum an noxam adferrent, & an prouerbium illud, quo homines gulæ dediti, ſe tueri ſolent, *Quod ſapit, nutrit, & iuuat*, ſit veritati conſentaneum. Hoc cùm facerem, deprehendi eſſe falſum: nam vina fortia, & frigidiſſima optimè mihi ſapiebant; ſimiliter melones, & alij fructus, lactuca cruda, piſces, caro porcina, tortulæ, legumina, cibi ex paſta farinæ, & ſimiles; tamen ex his omnibus nocumentum ſentiebam. Itaque experientia fretus, ciborum illa genera, & vina fortia, & portionem frigidam reliqui, aſſumpto vino quod ſtomacho meo eſſet commodum, eaque menſura, quæ facilè poſſet concoqui. Idem feci in cibis quod ad qualitatem, & quantitatem attinet; ſimul ita aſſuefcens, vt numquã appetitu cibi potùsve ſaturo è mensa diſcederem, ſed poſſem amplius comedere, & bibere; ſecutus ea in re dictum commune: *Ne non ſatiare cibis; ſtudium eſt ſanitatis*.

9 Hac ratione ſubmota intemperantia, me addixi vitæ ſobriæ, & regulatæ: quæ primò in me operata eſt id quod dixi, nimirum vt interuallo minore quàm vnius anni liberatus fuerim omnibus malis, quæ tanto tempore me obſederant, & reddita erant quaſi incurabilia: deinde vt in poſterum non amplius quotannis in morbum inciderem, ſicut antea ſolitus eram, cum ſenſibus & appetitu obſecundarem. Ab eo itaque tempore liberatus fui, & ſaniſſimus effectus, idque mihi in hanc horam continuauit: ò quòd à ſuſcepta ſobriæ vitæ ratione numquam diſceſſerim. quæ ſua vi admirabili efficit, vt cibus, & potus congrua menſura aſſumptus, vim ſuam corpori relinquat, & ſuperflua ſine difficultate exeant, nullo prauo humore in corpore generato.

10 Cum hac dieta, ab alijs quibuſdam nocumentis mihi caui, nimirum à nimio calore, frigore, fatigatione, vigilijs, & ab exceſſu in opere coniugali: itemque ab habitatione noxij aeris, à ventis, & ſolis ardore. Etſi enim in menſura cibi, & potus ratio valetudinis potiſſimum conſiſtat, tamen illa quoque quæ iam commemorata, ſuam vim habent. Seruauit me quoque quantum potui immunem ab odio, & melancholia, alijſque animi perturbationibus, quæ magnam in corpora noſtra vim obtinent. Non tamen ea potui me ab omnibus illis ſeruare liberum, quin ſubinde in quædam inciderem: ſed ea res mihi ad hoc admmiculo fuit, vt cognoſcerem per experientiam illa non magnam vim habere, nec magna poſſe damna inferre in corpora, quæ moderatione cibi, & potus benè ſunt diſpoſita: ita vt verè poſſim dicere eos, qui in duobus illis, quæ per os intrant, congruam menſuram ſeruauerint, ab alijs exceſſibus parum nocumenti paſſuros. Confirmat id Galenus, cùm ait, omnes alios exceſſus, v. g. ſolis ardorem, frigora, ventos, labores, &c. parum ei nocuiſſe, eò quòd in duobus illis, quæ per os intrant, nimirum in cibo, & potu, debitam moderationem ſeruaret; ac proinde ab illis incommodis numquam ægrotaſſe, niſi per vnum diem. Id ita ſe habere, per experientiam cognoui, ſicut teſtari poſſunt multi qui me nouerunt. Sæpe enim paſſus frigora, calores, & alia huiuſmodi corporis incommoda; animi non modicas vexationes: ſed parum hæc mihi nocuerunt, cùm tamen alijs qui temperatè non viuebant, nocuerint plurimùm. Cùm enim frater meus, & alij quidam de mea familia viderent motam mihi à viris potentibus litem maximi momenti, & metuerent ne cauſa caderem, correpti ſunt humore melancholico, qui in corporibus vitæ mordinatæ ſolet abundare, qui malignitate contracta ita increuit, vt eis mortem præmaturam attulerit. Ego verò, cui res maximè debebat eſſe cordi, nihil paſſus ſum incommodi; eò quòd talis humor in me non eſſet ſuperfluus: quinimò vt mihi ipſe animũ adderem, conabar credere, diuina prouidentia hanc litem mihi excitatam, vt cognoſcerem quantam vim ſobria vita in corporibus animiſque noſtris habeat, ac tandem me fore victorem; ſicut paulo poſt euenit. Nam in fine victoriam retuli magno meo honore, & fructu rei familiaris. Vnde percepi maximum tum gaudium; quod tamen corpori nocumentum inferre non potuit. Ex quibus perſpicuum eſt neque melancholiam, neque alium animi affectum nocere poſſe corporibus vitæ temperatæ.

11 Amplius dico, etiam contuſiones, & lapſus, qui alijs periculum mortis adferre ſolent, & grauiſſimè afficere, non poſſe niſi modicum nocumentum, & modicum dolorem talibus corporibus adferre. Hoc ita eſſe, experientia probaui cùm eſſem ſepuagenarius. Cùm enim rheda celeriter procederem, accidit eam euerti, & ſic euerſam per aliquod ſpacium impetu equorum raptari. Hinc grauiter mihi læſum caput, & corpus vniuerſum, & inſuper alterum brachium, & altera tibia ſuis iuncturis diuulſa. Domum relatus, cum à Medicis viderer adeò malè mulctatus, concluſerunt me intra triduum eſſe moriturum. Nihilominùs poſſe in omnem euentum adhiberi duo remedia, ſectionem venæ & medicamentum euacuans; vt humorum affluxus, & inflãmatio, & febris (quæ certiſſimè mox putabatur ſecutura) impediatur. Ego contra, cùm ſcirem vitam meam ordinatam tot annis continuatam, humores corporis mei ita temperaſſe, & diſpenſaſſe, vt non poſſent multùm conturbari, aut confluxum grauem efficere, recuſaui vtrumque remedium, & ſolùm uſſi vt tibiam, & brachium ſuis iuncturis reſtituerent, & ſingulas partes congruis oleis vngerent: ſicque abſque alio remedio conualui, nullo alio incommodo, nulla alteratione affectus: quæ Medicis inſtar miraculi viſa. Vnde concludo, eos qui vitam temperatam colunt, parum mali ab alijs incommodis ſenſuros.

12 *Ordinata vitæ regula periculoſè violatur.*

Sed & hoc quoq; per experientiam cognoui; ordinatæ vitæ regulam diu obſeruatam, non ſine grauiſſimo incommodo violari. Quatuor iam anni ſunt (accedit enim cùm 78. eſſem annorum) cùm Medicorum conſilio, & meorum importunitate aſſidua inductus ſum, vt aliquid menſuræ conſuetæ adijcerem. Varias rationes adferebant: ſenilem ætatem non poſſe tam modico cibo, & potu ſuſtentari; neque ſolùm dandam operam vt natura vtcumque ſuſtentetur, ſed etiam robur, & vigorem habeat: idque niſi per cibum, & potum fieri non poſſe. Ego contra naturam paucis eſſe contentam; me tot annis modica illa menſura ſanum perſeueraſſe: hanc conſuetudinem mihi verſam in naturam: rationi conſonum eſſe, vt creſcentibus annis & viribus ſenſim decreſcentibus, cibi potuſque menſura minuatur potiùs quàm augeatur; vt patiens ſit proportionatum agenti: ſtomachi vim ſenſim fieri imbecilliorem. Huc pertinere duo prouerbia apud Italos vſitata. Alterum. *Qui multum vult comedere, comedat parum*: nimirum, quia parum comedendo protrahit vitam. Alterum: *Plus nocet cibus qui ſupereſt comedenti, quàm qui ab illo conſtat*. Vbi inſinuatur, nocumentum immoderati cibi aſſumpti maius eſſe, quàm ſit commodum ex moderato. Verum hæc omnia, illis aſſiduè vrgentibus, me tueri non poterunt. Itaque ne viderer obſtinatior, & vt amicis gratificarer, ceſſi tandem, & permiſi menſuram cibi augeri, ſed duabus duntaxat vncijs. Cùm enim antea menſura cibi diurni totius, nimirum panis, vitelli, oui, carnis, & mineſtræ eſſet vnciarum 12. exactè penſata, auxi adiectis 2. vncijs ad 14. menſuram potus, quæ vnciarum erat 14. auxi ad 16. duabus ſimiliter

militer vncijs adiectis. hoc augmentum post decem dies cœpit operari, vt ex tristi, & alacri factus sim melancholicus, & cholericus, adeò, vt omnia mihi essent molesta, nec scirem quid dicerem aut facerem. Duodecimo die inualit medicor lateris, qui 22. horis durauit: deinde supervenit febris grauissima, quæ 35. dies & totidem noctes continuauit: etsi post quintumdecimum diem semper minor euaserit. Accedebat, quòd interea à tempore non possem capere somnum, vel ad vnius horæ quadrantem: vnde omnes iudicabant me moriturum. Nihilominùs ego (Dei gratia) me curaui sola regula illa viuendi, et triam eiusdem annorum 78. & hyems esset asperaque frigidissima, & corpus extrema macie confectum. Mihique certum est, nihil aliud post Deum me à morte liberasse, quam exactam illam vitæ regulam, tot annis à me continuatam: quo tempore vnquam nihil mali sensi, nisi subinde aliquam indispositionem vnius aut alterius diei. tot enim annorum temperantia, consumpsit prauis humoribus, non permiserat alios malignos subnasci, neque probos corrumpi, aut malignã qualitatem contrahere, sicut in senum corporibus, qui absque huiusmodi regula viuunt, euenire solet. Nulla in humoribus corporis mei sensibus malignitas, quæ mortales occidere solet. Noua autem illa ex noua mea ordinatione, de qua dixi, introducta, vim non habuit (etsi malum esset grauissimum) ad me occidendum.

Ex his clare perspici potest, quanta sit vis recti ordinis, & inordinationis, temperantiæ inquam, & intemperantiæ: quarum illa tot annos me sanum præstitit; hæc etsi exiguus fuerit excessus, paucis diebus ita prostrauit. Si mundus ordine constat, si vita nostra corporalis pendet ab harmonia, & proportione humorum ac elementorum: mirum non est, si ordine certa regula debeat conseruari; & inordinatione læsi ac destrui. Ordo disciplinas reddit faciliores: exercitum efficit victorem; regna, ciuitates & familias in pace retinet, & confirmat. Vnde concludo; vitam ordinatam esse certissimam rationem, & fundamentum vitæ sanæ, & longæuæ; ac veram, & solam medicinam morborum plurimorum. Neque id quispiam negare potest, qui rem attentiùs inspexerit. Hinc Medicus cùm infirmum visitat, hanc ei primam medicinam præscribit, vt certa mensura cibum potumque sumat: eandem commendat iam curato, si sanitatem retinere desiderat. Neque dubitandum est, quin à morbis in posterum liber foret, si talem vitæ rationem teneret; quia omnes illæ morborum causas resecaret, & ita nec Medicis nec medicamentis ei opus foret. Imò si animum ad ea quæ oportet, attendere velit, se ipse Medicum efficiet, & quidem perfectissimum. Nam re vera homo non potest esse alijs perfectus Medicus, sed tantùm sibi soli. Cuius rei hæc est ratio. Quuis enim diuersis experientijs possit cognoscere naturæ suæ conditionem, imò quæ occultas proprietates: qualis cibus & potus, & quæ mensura naturæ sua congruat. Hæc tamen non ita possunt cognosci in alijs: quia opus longa experientia, & obseruatione exactissima, quam circa alios non facile habere possumus; præsertim cùm maior sit diuersitas temperamentorum quàm vultuum. Quis credat, vinũ vetus nocere meo stomacho, & nouum iuuare? Me pipere minùs incalefacere quàm cinnamomum? Quis Medicorum has duas occultas proprietates mihi indicare potuisset, si ego longa experientia vix tandem eas deprehendere potui? Itaque alter alteri non potest esse perfectus Medicus. Vnde cum homo non habeat meliorem seipso Medicum, nec melius medicamentum quàm sobriam vitam, perpocum est hanc omnino amplectendam.

33 *Vita sobria optima medicina morborum.*

Non tamen negauerim quin Medici sint necessarij, & magnopendendi ad cognoscendos & curandos morbos, in quos sæpe incurrunt qui vitam ordinatam nõ sectantur. Si enim amicus, qui te visitat in morbo, & solùm verbis solatur, & compatitur, rem tibi gratam præstat: quanto tibi charior debet esse Medicus, qui vitæ amici te iuuare ut iuuet, remedia adhibet, & salutem tibi promittit? Verùm vt quis sanum se conseruet, sentire debet ac pleni lotto Medici vitam regulam, quæ, vt experientia constat, est medicina naturalis, & nobis proposita; quia etiam maligni temperamenti corpora conseruat sana; & efficit vt ad longum ætatis etiam 100. annorum & amplius, vitam proferant, & tandem absque doloribus, & humorum perturbatione vitam finiant, ac per puram humoris radicalis con-

34 *Medici necessarij.*

sumptionem, instar lampadis extinguantur. Multi putarunt id posse fieri auro potabili, & lapide philosophico (quem Elixir vocant) à multis quæsito, à paucis inuento: sed frustrà sunt, si vita temperata absit.

Verùm homines sensuales, & intemperantes (quales plerique sunt) volentes suos appetitus tutare, & gulæ indulgere, etsi videant ab intemperantia se malè subinde tractari: nihilominus vitam sobriam refugiunt. quia, inquit, *Melius est aliquid appetitum, & decem annis minus viuere, quàm naturam sua sponte effusas frenare.* sed non cõsiderant quanti momenti sint homini decem anni vitæ, & sanæ vitæ in ætate matura, qua maximè perficitur, & viget prudentia, & sapientia, & omne virtutum genus, quæ nisi in illa ætate perfectè esse nequeunt. Et vt de ceteris taceam, nonne omnes pene eruditissimi libri quos habemus, à suis auctoribus ætate matura, & illo decennio, quod illi præ gulæ suæ voluptate nihili æstimant, conscripti sunt?

35 *Cur sensibus dediti refugiant vitam sobriam.*

Decem anni vitæ in ætate matura magnipendendi.

Præterea dicunt isti sensuum serui, vitam ordinatam rem esse adeò difficilem, vt seruari nequeat. Ad hoc respondeo, Galenum illam seruasse, & loco optimæ medicinæ habuisse: Platonem quoque & Hocratem & Ciceronẽ, aliosque plurimos veterum: & nostra ætate Paulum Terniũm, & Cardinalem Bembum, qui ideircò tamdiu vixerunt: & è nostris Ducibus Landum, & Donatum; alioque plurimos inferioris conditionis, non solùm in vrbe, sed etiã in vicis ac pagis. Itaque cùm multi olim illam tenuerint, & modò adhuc teneant, non est res quæ non à quolibet præstari queat: præsertim cum hic non sit opus multis aut exquisitis rebus, sed tantum vt quis incipiat, & sensim adsuescat.

16 *Non esse vitam difficilem.*

Nec obstat quòd Plato dicat, eos qui in Repub. versantur, non posse vitam ordinatam tenere, quia sæpè opus est calores, & frigora, & ventos, & imbres, & niues ac varios labores perpeti, quæ non conueniunt vitæ ordinatæ. Respondeo enim huiusmodi incommoda non esse magni momenti (vt supra ostensum est) si vitam sobriam agas in cibo & potu: quod facile est ijs, qui in Rep. versantur, & maximè conueniens: tum vt à morbis, qui functiones publicas impediunt, se præstent immunes; tum vt mente in omnibus, quæ occurrunt, negotijs magis vigeant.

Obijciunt aliqui: Qui vitam agit regulatam comedendo semper infirmorum cibos, & exigua quantitate, quid faciet in morbis? qualem dietam capeliet, cùm eam anticipârit sanus?

17

Respondeo Primò: Natura, quæ hominem nititur conseruare quantum potest, nos docet quomodo in morbis debeamus nos gubernare: nam subitò tollit appetitum, vt non comedat nisi parum: ipsa enim paruo est contenta. Vnde infirmus siue antea vitam regulatam tenuerit, siue nõ cùm infirmus est, non debet vesci nisi cibis morbo congruẽtibus, idque multo minore mensura, quàm cùm esset sanus. Si enim priorem mensuram seruare vellet; naturam, quæ iam morbo grauata est ac debilitata, opprimeret.

Secundò respondeo, & melius: Eum qui vitam sobriam sectatur, non posse in morbum incidere, imò raro, & exiguo tempore se sentiet indispositum: quia ratio illa viuendi sustulit mali causam. Causa sublata, tollitur quoque effectus, nempe morbus.

Quare cùm vita ordinata adeò sit vtilis, adeò virtuosa, pulchra & sancta; digna est quam omnes amplectantur: præsertim cùm facilis sit & hominis naturæ maximè consentanea. Nemo qui illam sectatur, astringitur vt tam parũ comedat aut bibat quam ego: nemo vetatur vesci fructibus, pisce, & alijs, quibus ego non vescor. Ego parum comedo, quia tantillum satis est paruo, & debili meo stomacho. Abstineo fructibus, pisce & similibus cibis, quia mihi nocent: qui verò talibus iuuantur, possunt, imò debent illis vti; tantumabest vt sint vetandi. Cuilibet tamen cauendum, ne maiorem quantitatem etiam commodissimi cibi, vel pocus assumat, quam ventriculus ipsius facilè possit concoquere. Vnde qui nullo cibi vel potus genere offenditur, ei sola quantitatis regula, non qualitatis est seruanda, quæ res factu est facilima.

18 *Vitæ sobriæ amplectendæ.*

19

Nemo hic mihi obijciat, multos reperiri qui etsi inordinatissimè viuant, sani tamen ad vltimos vitæ terminos peruenium; quia cùm hæc res sit incerta, periculosa, & rarissima accidat; non debet eius fiducia nos inducere ad vitam inordinatam. Non est prudentis,

Quidã inordinatè viuentes diu sani viuunt sed hi rarissimi.

tantis

tantis ſe exponere morborum & mortis periculis ac incó-
modis, ſpe euentus felicis qui rariſſimis obtingit. Magis ſe-
curus eſt vitæ, ſenex prauæ complexionis, tenens vitæ re-
gulam: quàm iuuenis robuſtiſſimus abſque regula viuens.
qui tamen probi eſt temperamenti, poteſt cum recto vitæ
ordine longiùs producere vitam, quàm qui eſt praui. Et po-
teſt interdum fieri, vt homo ſit tam boni & firmi tempera-
menti, vt etiam abſque tanta regula poſſit viuere ſanus an-
nos plurimos, & mori in extrema ſenectute per puram re-
ſolutionem: ſicut Venetijs accidit procuratori Thomæ
Contareno, & Paduæ viro nobili Antonio Capo di vacca.
Sed talem vix vnum inueniasinter centum millia. Vnde
quod ad alios attinet, ſi quis ex illis diu ſanus viuere exo-
perat, & abſque dolore & moleſtia mori per reſolutionem;
neceſſe eſt vt ordinatam vitæ rationem teneat. Hoc enim
modo, non aliter, poteſt frui fructibus talis vitæ, qui ſanè
ſunt plurimi, & ſingulieorum maximi æſtimandi.

Effectus vitæ ſobriæ.

20 Primò, quia efficit vt humores in corpore ſint puri & benigni: quò fit vt non permittat fumos, è ventriculo ad caput efferri. Vnde vlteriùs ſequitur, vt tali homini cere-
brum ſit purum inſtar ſpeculi, & mente vbique vigeat. Ita-
que facile ex infimis illis & terrenis ad diuinarum rerum
ſublimes aſcendit conſiderationes, cum ſumma animi vo-
luptate & conſolatione; eaque cognoſcit, quæ aliàs num-
quam potuiſſet cogitare: nimirum quanta ſit Dei poten-
tia, ſapientia, & bonitas. Hinc deſcendit ad naturam cor-
poralem eamque cognoſcit eſſe opus diuinum. Videt &
manu tangit ea quæ in alia ætate, & cerebro minùs purga-
to non potuiſſet vnquam videre vel tangere. Tunc videt
turpitudinem vitij, in quod cadit is, qui affectus humanos
nequit domare. Tunc cognoſcit triplicem illam cupidita-
tem, quæ nos ab ineunte ætate comitatur, carnalis volu-
ptatis, honoris, & diuitiarum; quæ in ſenibus vitæ intem-
peratæ creſcere ſolet. Hanc ii, qui non ſenſum & appeti-
tum, ſed rationis ductum longo vſu conſueuerunt ſectari, fa-
cile temperat, & cohibet: ita vt ea non magnopere infe-
ſtetur. Deinde cùm ſe videt ad terminum tendere, & reſo-
lutioni propinquum, non concipit inde animo mœrorem;
quia cùm ſciat Dei beneficio, relicto vitio, ſectatum vir-
tutem, iperat per Chriſti Redemptoris noſtri merita mori
in eius gratia, & æterna frui beatitudine. Accedit quòd vi-
deat ſe tam ad id ætatis peruenifle, ad quod pauciſſimi
pertingunt: & mortem propinquare non cum impetu &
ex improuiſo cum acerbis doloribus, ſed leni & benigno
paſſu, ſolius humidi radicalis, qui inſtar olei lucernæ ſen-
ſim minuitur, conſumptione: quo fit vt ipſe ſuauiter ſine
dolore, ab hac vita terrena, & mortali, ad cæleſtem & æter
nam tranſeat.

*Vera vita ſo-
bria.*

21 O ſanctam & verè felicem vitam ordinatam, meritoque
ab omnibus colendam. O infelicem & deteſtandam ve-
tam inordinatam, quæ tantis malis genus replet humanũ.
Pulchra vox & amabilis, *Vita ordinata, ſobrietas, temperantia*
ſicut è contrario fœditatem ſonat, *Vita inordinata, crapula,*
intemperantia. Et tale diſcrimen inter hæc cernitur, quale
inter vocem *Angelus, & Diabolus.*

Hactenus explicui cauſas, per quas me ab intemperantia
vindicaui, & vitæ ſobriæ addixi, & modum quem in ea te-
nui, & quid inde mihi acciderit: & commoda quæ illa
ſuis allectis præſtat.

Sed quidam ſenſibus dediti, & plerum rationi obſequen-
tes obijciunt, non eſſe optandam longam vitam, eò quòd
poſt ſexageſimum quintum ætatis annum, non poſſit dici,
Vita viua, ſed *Vita mortua*. Verùm hi errant grauiter, vt
nunc oſtendam ex meipſo, narrando mea oblectamen-
ta, & voluptates, quas in hac mea ætate 83. annorum ca-
pio, quę tales ſunt, vt paſſim me homines felicem iudicent.

*Ætas ſenilis
multa habet
oblectamen-
ta.*

Proſpera vtor continuò valetudine, & ita ſum agilis, vt ex
plano facilè equum conſcendam; & alios gradus, & col-
les ſublimes pedibus ſubeam. Deinde ſemper ſum alacris,
iucundus, & benè cõtentus, liber ab animi turbelis, & omni
moleſta cogitatione: quorum loco gaudium & pax in cor-
de meo ſuam fixere ſtationem. Non me tædet vitæ, quam
ego magna mea voluptate tranſigo. Sæpè offertur occaſio
colloquendi cum viris præſtantibus, qui ingenio, moribus,
literis, alijſque virtutibus excellunt. Cùm talium deeſt copia,
tranſeo me lectioni alicuius libri eruditi, & poſtea ſcriptio-
ni, id in omnibus inquirens, quo poſſim iuuare alios quan-
tum vires meæ permittunt. Hæc omnia facio pro meo cõ-
modo, & congruis temporibus, & in proprijs ædibus, quæ
præterquam quod ſint in pulcherrima huius eruditæ ciui-
tatis (Paduæ inquam) regione, ſunt valde pulchræ. & com-
modæ, quales paucæ hac ætate, ſecundum rationem archi-
tecturæ ita à me fabricatæ, vt non minus aduerſus æſtum,
quam frigus ſeruiant. Fruor ſimul meis hortis, iiſque di-
verſis, aquarum currentium riuis ad latus deriuatis: in quibus
magna ſanè oblectatio. Fruor aliquot menſibus per annum
oblectatione collis in montibus illis Euganeis, vbi & fon-
tes habeo & hortos, & domum commodiſſimam. Fruor
alia villa mea in plano ſita, quæ eſt pulcherrima: quia plu-
mæ viæ ita diſpoſitæ, vt in mediam quamdam aream benè
amplam concurrant: in huius aream medio Eccleſia ſatis
honorata pro loci conditione. Interluitur hæc area fluuio
Brenta, vtrinque magnis campis adiacentibus, qui fertiles,
& benè culti, multiſque habitaculis ornati. Antea non ſic
erat; quia locus erat paludoſus, & male ſanus bellijs quam
hominibus aptior: ſed ego aquas deduxi, terram ſiccaui, &
aerem bonum effeci, vnde homines eò concurrerunt, &
ædibus ædificatis habitare cœperunt, felici ſucceſſu. Hoc
modo locus ad eum ſtatum, multiplicatis plurimum inco
lis perductus eſt quem hodie videmus: vt poſſim vere di-
cere, me Deo dediſſe templum & altare, & animas quæ ip-
ſum adorent: cuius rei recordatio maximum mihi affert
gaudium. Excurro etiam quotannis ad aliquam è ciuitati-
bus vicinis, vt amicorum fruar aſpectu & colloquio, &
præterea artificum præſtantium in architectura, pictoria,
ſculpeoria, muſica, & agricultura, qualium hoc æuo magna
copia. Inſpicio eorum opera, confero ea cum antiquis, &
ſemper diſco aliquid, quod gratum noſſe. Luſtro palatia,
hortos & antiquitates, loca publica, templa & munitiones,
nec quidquam omitto, vnde poſſim diſcere, & voluptatem
capere. Oblector quoque plurimùm cùm proficiſcor, in
itu & reditu conſiderando pulchritudinem locorum, &
eorum ſitum: quorum alij in plano, alij in colle, vicini flu-
minibus vel fontibus, multis ſtructuris, & hortis exornati.
Neque hæc oblectatio mihi ſenium obtuſione redditur
minor; quia omnes mihi ſenſus perfectè vigent, præſertim
guſtus; ita vt ſimplex cibus quouis loco magis mihi ſapiat,
quàm olim, cùm ſenſibus & vitæ inordinatæ deditus, om-
nes delicias. Lectorum mutatio non mihi moleſta: quouis
loco bene & quietè ſomnum capio: ſomnia pulchra & iu-
cunda. Sed hoc imprimis oblectat, quòd videam felicem
exitum ſortiri conatum illum, hanc Reipub. vtiliſſimum,
quo tanta locorum incultorum ſpatia reducuntur ad cul-
turam, meo ſuggeſtu, & conſilio inchoatum. Fui ego vnus
ex deputatis ad illius operis directionem, & manſi in locis
illis paluſtribus duos menſes continuos in feruore ætatis:
nec tamen inde ſenſi aliquid nocere, aut incommodi: tanta
vitæ ſobriæ, quæ ſemper & vbique me comitatur, eſt vis
& efficacitas. Præterea certò ſperamus videre inchoatam
& finitam aliam multitudinem non minoris momenti, qua
conſeretur noſtrum æſtuarium, maximum & admirabile
monumen charæ patriæ: cuius conſeruationis ratio, & mo
dus à me (abſit verbo iactantia) eſt excogitatus, & ſuppli
huic Reipub. ſuggeſtus, tum viua voce, tum ſcriptorum
meorum lucubrationibus. Hæ ſunt oblectationes, & lolla
tia meæ ſenectutis: quahs plane ſenectus multùm præfe-
renda eſt alterius iuuentuti & ſenio; eo quòd per vitam ſo-
briam, Dei gratia, ab animi perturbationibus & morbis cor
poris ſanata, non ſentiat ea incommoda, quibus infinite iu-
uenes, & totidem languidi ſenes miſere conflictantur. Sed
& ex hoc, quomodo corpore & animo ſim diſpoſitus, co-
gnoſci queat, quod hac ætate nempe annorum 83. compo-
ſuerim lepidiſſimam comœdiam, plenam honeſtis iocis, &
verborum ſalibus; quod genus poematis ſolet eſſe partus
iuuentutis, cui ob varietatem & iucunditatem maximo
congruit: ſicut tragœdia ſenectutis, cui ratione grauitatis
& triſtium euentuum quos proponit, eſt accommodata.
Nunc ſi Græcus poeta laudatur, quòd anno 73. ætatis trage
dia conſcripſit, & idcirco ſanæ mentis & prudẽs iudicatus
eſt; cur ego minùs videar felix aut ſani iudicij, cùm 10. an-
nis illo ſenior conſeuerim comœdiam? Ne quæ verò deſit
meæ ſenectuti oblectatio, ſtatuo aſſiduè ſpeciem quandã
immortalitatis in ſucceſſione meorum poſterorum. Cùm
enim domum redeo, mutuò videntur nepotes, omnes ve-
nus patris & matris filios, omnes ſanctiſſimos: omnes, quan-
tùm conijcere licet literis pariter ac bonis moribus aptiſ-
ſimos,

ſimos, & valdè deditos. Recreor illorum cantu & bonis moribus; & ipſe canto ſæpenumerò, quia clarior mihi nùc magiſque ſonora vox, quam vmquam antea.

Ex quibus perſpicuum eſt, vitam, quam ego viuo in hac ætate, non eſſe vitam mortuam, tristem, moroſam; ſed viuidam, lætam, iucundam. Neque ſi mihi optio detur, velim mutare ætatem, & corporis mei ſtatum cum iuuenili eorum qui ſectantur ſuos appetitus, etſi optimi ſint temperamenti, & naturæ robuſtiſſimæ: quia tales quotidie ſunt expoſiti mille morbis, & mortibus; ſicut quotidiana experientia docet, & ipſe in me ſum expertus, cùm iuuenis eſſem. Scio quàm illa ætas ſit inconſiderata, & propter caloris abundantiam animoſa, & ſibi vbiq; præſidens ſpe bona in omni rerum proptet defectum experientiæ, tum quia ſe putant ad omnia ſatis firmos & validos. Vnde audaciter ſe periculis quibuſuis exponunt, & ab acta ratione, traditoq; rationis imperio in manibus concupiſcentiæ, quærunt vbique ſatisfacere ſuis deſiderijs: nec aduertunt miſeri, ſe hac ratione multos morbos, ac ſæpè mortem præmaturam ſibi accerſere. quorum malorum alterum eſt toleratu acerbum; alterum intolerabile, & tremendum. Mors enim apparet intolerabilis omnibus ſenſuum, & carnis mancipijs, & potiſſimum iuuenibus, quibus ſummum malum videtur, mori ante tempus. Eadem tremenda illis, qui peccata ſua, quibus vita illa mortalis eſt plena, & vindictam diuinæ iuſtitiæ, in pœnarum æternitate conſiderant.

Ego verò contrà ab vtroque hoc malo ſum immunis: à
24 morborum metu; quia certus ſum non facilè me poſſe in morbum incidere, morborum cauſis per ſanctam medicinam ſobrietatis exciſis. A mortis anxio metu: quia tot annorum vſu didici locum dare rationi. Vnde non ſolùm turpe mihi videtur, timere, id quod vitari nequit: ſed etiam ſpero cum ad illud punctum venero, non modicam, gratia Ieſu Chriſti, ſentire conſolationē. Præterea finis iſte adhuc procul abeſt. Scio enim me (fortuitis euentibus ſepoſitis) non moriturum, niſi per puram reſolutionem: eò quod per vitæ meæ regulam omnes alios aditus morti occluſerim. Pulchra, & deſiderabilis mors, quā natura nobis affert via reſolutionis. Cùm enim natura vinculum vitæ noſtræ effecerit, facilùs inuenit modum illius ſoluendi, & dat maiores in ſuccas, vt leniſſimè ſoluat. Talis mors non obuenit niſi poſt longiſſima ætatum ſpacia, & vi ſummę debilitatis; quia ſenſim lōgo temporis tractu eo rediguntur homines, vt non poſſint amplius ambulare, nec etiam, niſi difficulter, ratiocinari, fruiq; cæci, ſurdi, curuiq; à quibus malis per gratiam Dei video me adhuc procul abeſſe; & credo animam meam; quæ in huius mei corporis ſtatione nihil inuenit niſi pacem & concordiam, tum inter humores, tum inter ſenſum & rationem, non facilè ab ea receſſuram, & multis annis opus fore, vt ab ea expellatur. Vnde videor mihi certò poſſe concludere, me multos adhuc annos victurum proſpera valetudine, fruendo huius mundi aſpectu & pulchritudine, & ſperando idem me facturum per gratiam Dei in alterum: idq; totum adminiculo virtutis, & ſanctæ ſobrietatis; cui me addixi, amicum me conſtituens rationi, & inimicum ſēſus, & appetitus. Quòd omnino cuilibet facilè eſt facturo, qui vult viuere prout decet hominem.

Vixit poſt ea multos annos, nam anno xcv. ætatis totus ſanus & alacris alium tractatum edidit.

Supereſt ergo, cum vita ſobria res ſit adeò felix, & nomē
25 delectabile, poſſeſſio adeò facilis, conſeruatio ita certa, & firma, vt omnes, qui ingenio præditi, ex animo monēam, horter, & deprecer, vt hunc opulentiſſimum vitæ theſaurum obuijs vlnis amplectantur. Qui theſaurus ſicut omnes alias opes huius mundi ſuperat (adfert enim nobis vitam longam, & ſanam) ita digniſſimus eſt, quem omnes ament, inquirant, & poſſideant ſemper.

Exhortatio ad vitam ſobriam.

Hic theſaurus eſt ſancta illa ſobrietas, grata Deo, amica naturæ, filia rationis, ſoror virtutis, ſocia vitæ temperatæ, modeſta, nobilis, elegans, paucis contenta, ordinata, & ſuis functionibus diſtincta.

Ex ipſa tamquam radice naſcitur vita, ſanitas, alacritas, induſtria, rerum honeſtarum ſtudia, & omnes actiones dignæ animo bene morato & compoſito. Et fauent leges diuinæ & humanæ. Procul abilla tamquam nebulæ à ſole, fugium repletio, ſaturitas, crapula, humores ſuperuacanei, vapores noxij, intemperies, febres, dolores, mœrores, & mortis pericula. Sua pulchritudine allicit, animos generoſos, ſua ſecuritate promittit omnibus amicam & longam vitæ conſeruationem: ſua facilitate inuitat quemlibet cum exigua moleſtia ad obtinendas eius victorias. Denique promittit ſe forè benignam cuſtodem vitæ tam diuitis quàm pauperis, tam maris quàm feminæ, tam ſenis quàm iuuenis. Diuitem docet modeſtiam, pauperem parſimoniam, virum continentiam, feminam pudicitiam, ſenem qua ratione mortem à ſe defendat, iuuenē, vt firmiorem ſpem vitæ habeat. Sobrietas ſenſus reddit purgatos, corpus agile, intellectum viuacem, animum alacrem, memoriam tenacem, motos expeditos, actiones promptas & faciles. Per illam anima veluti terreno pondere exonerata, experitur magna ex parte ſuam libertatem: ſpiritus ſuauiter per arterias diſcurrunt, ſanguis blandè per venas diffunditur, & calor temperatus ac blandus facit temperatos & blandos effectus. Denique noſtræ potentiæ pulcherrimo ordine ſeruant gratiſſimam harmoniam.

O ſanctiſſima & innocentiſſima ſobrietas, vnicum naturæ refrigerium, benigna mater humanæ vitæ, vera tam animi quàm corporis medicina, quantum te mortales laudare, quanto affectu, & promptitudine amplecti deberent, quia præbes illis modum, quo maximum huius vitæ bonū, vitam inquam, & ſanitatem tueantur. Vtinam ipſis tua bona perſpecta forent præſertim ijs qui vitæ ſanctæ, & ſpirituali dediti, in monaſterijs contemplationi, & orationi vacant. Quantò, & ipſi, & eorum actiones ſummo Deo gratiores forent, ſi totos ſe ad te colendam conferrent. Quantum hunc mundum & Eccleſiam Chriſti exornarent. Nā in terris æſtimarentur, vt verè Patres Sancti, ſicut olim habiti fuere antiqui Eremitæ, Religioſi, & Epiſcopi: qui præter vitam ſpiritualem etiam hanc ſobriam ſeruabant. Sicut hi viuendo hoc modo vltra 100. annos ſæpenumerò ætatem extenderunt, & multa miracula patrarunt: ita, & illi facerent, eandem ducem ſecuti. Eſſent præterea ſani, contenti, alacres, vbi modò magna ex parte ſunt morbidi, melancholici, inquieti, ſua forte non contenti. Et quia aliqui dicunt iſta illis à Deo immitti, vt exerceat illorum patientiā, & ipſi pro peccatis ſuis penitentiam agant: ego puto illos decipi; quia nō poſſū credere* Deo placere vt homo opus, & imago ipſius, quem tantopere amat, viuat infirmus, melancholicus, malè contentus: quin potiùs illi placet, vt viuat ſanus, alacris, benè contentus. Sic enim viuebant Sācti Patres, & ita meliùs ſeruiebant diuinæ Maieſtati, orationibus, & ſanctis operibus vacādo. O quam pulcher eſſet hic mundus, ſi tales eſſent religioſi huius temporis; quia nunc ſunt plures religiones, & plura monaſteria quā olim erant: in quibus ſi regula ſobriæ vitæ ſeruaretur, magnus eſſet venerandorum ſenum doctrina & ſanctitate eminentium numerus, quos orbis ſuſpiceret. Neque idcirco deeſſent vitæ, ordini, & regulæ viuendi, quam religio, vel monaſterium ſtatuit, ſed potiùs hanc redderent perfectionem. Nam in omni religione conceſſum veſci pane, & bibere vinum, & interdum veſci ouis, & in quibuſdam permiſſa etiam caro, præterea variæ ſorbitiones, acetaria, fructus, & ouorum tortulæ; qui cibi ſæpè illis nocent, & aliquibus vitam adimunt: ſed quia ab Ordine conceſſi, illis vtuntur, cogitantes forſitan ſe peccaturos, ſi aliquid ex illis relinquerēt. Verùm non peccarent, imò magnum bonum præſtarent, ſi vbi trigeſimum ætatis annum exceſſere, illos relinquerent, & inciperent viuere pane & vino, cum panatella ex pane & ouis cum pane. Hæc eſt vera ratio conſeruandi hominem à prauis ſuccis, & humoribus, malaq; complexione: eſtq; multò laxior quam illa ſanctorum Patrum antiquorum in deſertis, qui ſolū fructibus ſilueſtribus & herbarum radicibus veſcebantur, & aquam bibebant: & nihilominùs diutiſſime ſani, alacres, & benè contenti viuebant. Idem euenire religioſis huius ætatis, quibus etiam hac ratione facilior eſſet aſcenſus in cælum, quod omni fideli Chriſtiano ſemper patet; poſtquam Dominus noſter, ſparſo pro noſtra redemptione ſuo pretioſo ſanguine, illud ſemel nobis apperuit.

Ex alio tractatu poſt annum ætatis xcv. ad Religioſos.

** Patet ex ſcr. et ordinario*

Poſſem hic plura alia in commendationem vitæ ſobriæ in medium adferre: ſed quia non eſt mihi propoſitum conſcribere panegyricum, finem facio, vt & ipſe ſim ſobrius in hac cauſa; reliquis in aliam occaſionem dilatis.

FINIS.

DE PROVIDENTIA
NVMINIS
ET ANIMI IMMORTALITATE
LIBRI DVO

ADVERSVS ATHEOS ET POLITICOS:

Auctore LEONARDO LESSIO è Societate Iesu Theologo,
& Sacræ Theologiæ Professore.

Quorum assidua consideratio vt pulcherrima, ita magni solatij esse poterit homini, qui pro benefactis præmia expectat, & pro malefactis pœnas formidat, quæ mortali animæ vix contingerent.

In Germania superiori tempore impressi, sed nunc in Italia post primam vicem iterum prælo suppositi, & in cuiusuis gratiam, & commodum publico iuri destinati.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, MDCXXV.

APVD ANDREAM BABA.

Digitized by Google

IN LIBRVM R. P. LEONARDI LESSII DE NVMINE

MAGNVS est numerus, fuitq;, eritq;
Oris omnibus, angulisq; mundi,
Qui mundo negat imperare Numen.
Sed minor numerus, minor, minorque
Fiet LESSII ob aureum libellum
Quem de Numine condidit recenter.
Cuius qui modò, tresve, quatuorve
Pagellas leget, immo pauciores;
Negabit priùs esse in orbe Solem
Quàm verum neget esse in orbe Numen.

Hermannus Hugo Societ. Iesu

PRÆFATIO.

DVÆ nobis hic quæstiones discutiendæ: altera de Numine; sitne aliquod Numen quod sua prouidentia res humanas gubernet, & post hanc vitam rationem factorum exigat: altera de anima humana, sitne illa immortalis: an vnà cum corpore extinguatur. Res vtraque inquisitione dignissima, & inter omnia cognitu maximè necessaria. Nam quod ad priorem quæstionem attinet, si semel constiterit nullum esse Numen, à quo istud Vniuersum, & res humanæ gubernentur, sed omnia vel naturæ quodam impetu, vel fortuito causarum concursu euenire; magno futurorum metu soluti, liberè securèq. poterimus agere, quidquid animo fuerit collibitum. Nemo enim post hanc vitam rationem actorum exiget, nemo pro malè gestis pœnas irrogabit; nulla etiam pro benè actis præmia erunt expectanda. Vtcumq. ergo vixerimus, nihil mali nobis inde impendebit, aut boni. Nam & peccatum ipsum nihil erit, nisi falsa quædam opinio legis violatæ, Numinisq. offensi.

Si verò sit aliquod Numen, cuius prouidentia regantur omnia, magnos eius timore contineri par est; & maximoperè nobis cauendum, ne illius leges & sanctiones violantes, illud offendamus. Certissimè enim post hanc vitam rationem actorum exiget, & meritas pœnas ijs qui peccauerit infliget. Nam ad prouidentiam Gubernantis pertinet in primis, & malefacta supplicijs, & benefacta præmijs compensare. Confirmant id omnes gubernationis, quæ inter mortales in vsu sunt, formæ: tam quæ vitiosæ, vt Tyrannis, Oligarchia, & Democratia; quàm quæ probæ, vt Monarchia, Aristocratia, Politia, & quidquid ex his mixtum. Nam hæ omnes præmia, & supplicia constituunt, quibus tamquam fundamentis nituntur, sine quibus nullo modo consistere valerent. Si ergo est aliquis supremus rerum moderator, necesse est etiam in eius gubernandi ratione præmia, & supplicia esse constituta, vt eorum consideratione & à flagitijs absterreantur, & incitentur ad virtutem. Valdè igitur hoc Numen mortalibus est formidandum, ne illius iram incurrant, ne vindictam illius in caput suum accersant. Nemo illi resistere valet, nemo eius potentiam & dominatum effugere; nemo extra imperij limites euadere.

Quare & hoc cauendum quàm maximè, ne priusquam solidis rationibus planè & perspicuè constiterit tale Numen nusquam existere, sed esse figmentum humanum ad rem politicam (vt quidam volũt) excogitatum; negetur esse in rerum natura, vel prouidentia & mundi gubernatio ei detrahatur. Maximum enim in huiusmodi temeritate est periculum grauissimi sceleris. Si enim tale Numen existit, atrocem blasphemiam, & grauissimum perduellionis crimen in illam Maiestatem patrasti. Sicut enim Regem maxima iniuria afficit, qui vel ipsum esse Regem, vel Regnum ipsi negat esse subiectum, estq. reus lęsę Maiestatis, etiamsi ex aliquibus coniecturis

ćturis putet ſe vera dicere: ita qui negat eſſe aliquod Numen ſupremum, quo mundus & omnia regantur, atrocem iniuriam irrogat Deo, eſtque reus læſæ Maieſtatis diuinæ, quamuis ratiunculis aliquibus in hanc opinionem adductus ſit. Quid ergo illi aliud expectandum quàm grauiſſima vindicta, ſi tale Numen extiterit?

Ex quibus conſtat, quantopere hæc res ſit cognitu neceſſaria. Neque multò minùs neceſſaria eſt notitia conditionis animæ. Si enim deprehenſum fuerit hanc eſſe mortalem in hominibus ſicut in brutis, nihil eſt quod vereamur in poſterum, ſed ſecuri futurorum pro arbitrio viuere poterimus. Si verò contrarium oſtenſum fuerit, meritò conuenit nos eſſe anxios, ne poſt hanc vitam immortalis anima in graues, & immortales pœnas incurrat. Vtrumque horum ſtatui diſcutere. Prius de Numine, libro priore: poſterius de anima, libro poſteriore. Vtriuſque conſideratio pulcherrima eſt, & magni ſolatij. Nam præſentia diuini Numinis, eiuſque prouidentia mirificè elucet, tum in ipſa mundi, & eorum quæ mundo continentur, fabrica; tum in rerum curſu & gubernatione. Animi quoque immortalitas plurimis, & apertiſſimis indicijs deprehenditur. Tractabo hæc ea quæ potero breuitate, & perſpicuitate, prætermiſſis multis curioſis, & parum vtilibus, quæ Lectorem implicare & à primario ſcopo auertere poſſent. Non enim hæc ad oſtentationem, ſed ad fructum legentium comparata eſſe deſidero.



DE NVMINE EIVSQVE PROVIDENTIA LIBER PRIMVS.

PRimò, recenſebo quinam ex veteribus ſenſerint nullum eſse Numen, quo res humanæ temperentur, & potiora eorum argumenta proferam. Secundò, ſtatuam ſententiam contrariam, eamque multis argumentis confirmabo. Tertiò, rationes aduerſæ partis diſſoluam.

CAPVT PRIMVM.

Quinam ſuſtulerint Diuinitatem, & quenam ad hoc ſupperant rationes.

1 INTER veteres quidam reperiuntur, qui totaliter prorſus Diuinitatem, negantes omne Numen a quo mundus dependeat. Quidam admiſſo tali Numine, negarunt ipſius prouidentiam circa res in particulari ſpectatas, præſertim circa liberas actiones, coactis rationibus, quas ſoluere non poterant. Qui prorſus negarunt, pauci fuere; quorum præcipui Diagoras Meleſius, & Protagoras Abderites, vterque Democriti diſcipuli, & Theodorus ille paſſim atheus dictus, ſophiſta impudentiſſimus pariter & impudentiſſimus, & Bion Boryſthenites Theodori diſcipulus; de quibus conſule Suidam in Lexico, & Laertium l. 2. & 9. de vitis Philoſophorum. His adiungi poteſt Lucianus omnium numinum irriſor, & acerrimus Chriſtianorum hoſtis, qui ob impietatem à canibus diſcerptus, teſte Suida. & Plinio, qui lib. 2. c. 7. dubitat an præter ſolem, quem principale naturæ regimen ac numen antè dixerat, ſit aliud numen, ſeu Deus alius. *Quiſquis* inquit, *eſt Deus (ſi modò eſt alius) & quacunque in parte, totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus, totus anima, totus animus, totus ſui.* Deinde refutatis gentilium dijs, ait: *Deus eſt mortalis iuuare mortalem, & hac ad æternam gloriam via: hac proceres iere Romani, hac nunc cœleſtes poſſe cum liberis ſuis vadet maximus omnis ætas Rectorem Veſpaſianum Auguſtum, feſſis rebus ſubuenientem. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi benè meritorum gratiam mos, vt tales numinibus adſcribantur.* Et infrà: *Irridendum verò, agere enim rerum humanarum iſtud quidquid eſt ſummum, Animo tam triſti atque multiplici miniſterio non pollui credamus, dubitemuſne?*

2 Solam prouidentiam, conceſſo numine, negarunt Democritus, Heraclitus, Epicurus, & Lucretius; quia omnia putabant euenire aut vi naturæ, teſte Lactantio lib. 1. de ira Dei cap. 9. & 10 aut fortuito atomorum concurſu, vt aperte colligitur ex Lucretio. Item Ariſtoteles, vt multi putãt. Nam lib. 12. Metaphyſ. cap. 9. dicit abſurdum eſſe primam mentem de rebus quibuſdam cogitare, & melius eſſe quædam non videre quàm videre. Contrarium tamen inſinuat lib. 10. Ethic. cap. 8 quam ob cauſam illum ab hoc crimine malim vindicari. Cicero lib. 2. de diuinat. tollit præſcientiam futurorum quæ pendent à libertate arbitrij; quia putat hanc præſcientiam allaturam ipſis rebus neceſſitatem: vnde etiam tollit diuinationem & prouidentiam. Inter recentiores plures reperias, qui ipſam diuinitatem è medio tollant, pauciores qui ſolam prouidẽtiam. Ratio enim prouidentiæ ita eſt connexa cum diuinitate, vt nullo modo ſeparari poſſit, ſi quis rem paulò attentiùs expendat. Qualis enim eſſet ille Deus qui ignoraret etiam ea quæ nobis ſunt perſpicua? aut cui mens eſt adeò debilis & angusta, vt ad omnia, quæ fiunt in mundo, attendere nequeat? Rectè D. Auguſtino quodam loco contra Ciceronem dictum eſt, *confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt.* Itaque vel admittenda eſt prouidentia, vel penitus Diuinitas è medio tollenda. *Lib. 5 de Ciuit. c. 9.*

3 Etſi autem complures ſint hodie qui Diuinitatem omnino negent, nõ tamen ita paſſim ſunt noti. Præmunit enim ſilentio hoc myſterium metu legum, nec auſi euulgare niſi apud familiares. Occaſionem maximam præbuere huius ætui hæreſes, quæ fere omnes ad atheiſmum ducunt. Vbi enim diſceſſum eſt à religione Catholica, nihil inuenitur ſolidi in quo animus poſſit acquieſcere: quo animaduerſo, ſtatim incidit dubitatio de toto Religionis negotio, & incipit homo ambigere, ſitne res conficta ad populum metu Numinis & prætextu pietatis in officio continẽdum. Hinc fit, vt plerique qui inter hæreticos ſunt prudentiores, maioreque præditi ingenio, de ſumma Religionis ambigant; & vel nullum eſſe Numen putent, vel ancipites hæreant, parati ad quamlibet Religionem, prout ad ſtatũ ſuum retinendum vel augendum viſum fuerit opportunius. Hos paſſim Politicos vocamus, quia omnem Religionem ad Politiam, ſiue ſtatum Politicum referunt; & quatenus Religio aliqua ad hunc conducibilis videtur, eatenus eam æſtimãt & vſurpant. In horum numero non poſtremas tulit Nicolaus Macchiauellus, vt ex libris, quos Italicè conſcripſit, & in primis ex libro de Principe, qui multorum manibus teritur conſtat.

4 Rationes præcipuę quibus hæc ſentẽtia nititur, ſunt iſtę. *Ratione contra Prouidẽtiam.*

1. Si eſſet aliquod Numen quo mundus regeretur, nõ ſic inualeſceret improbitas, nõ tam proſperos haberet ſucceſſus, nec ita poſſet opprimere virtutis & innocentiæ cultores; licèt omnibus ſeculis factum videmus. Nam ad prouidentiã gubernantis pertinet, improbos non permittere dominari; ſed coercere pœnis, & varijs calamitatibus caſtigare, tum vt probos affligere deſinant, tum vt vitam emendent, & ad virtutis ſtudium ſe conuertant. Sit enim ciuitas aliqua, in qua peſſimi quique perpetuò dominentur, impunè in aliorum fortunas inuolent, alienos toros violent, omnimque pro ſua libidine gerãt nemine impediente; quis dixerit hanc ciuitatem habere gubernatorem? ſapientem, inquam, & prouidum? Quare cùm in mundo tantam videamus ordinis perturbationem, quanta maior vix animo cogitari poteſt; nimirum Dei cultores opprimi, paupertate & varijs miſerijs conflictari, ab omnibus deſpici, & rãdem ſæpè miſerè mori; impios verò dominari, triumphare, pios ſubijcere, opibus abundare, voluptatibus & honoribus circumfluere, omnia illis ex voto cedere, denique tranquilla morte defungi; quis hic putet præſidere aliquam prouidentiam, qua omnia diſpenſentur? Ex illa enim ataxia & confuſione rerum quę apparet in opere, conijcimus nullum eſſe Rectorem, qui illi præſideat. Hoc argumentum iſti ſententię fulciendæ videtur præcipuum, quod etiam olim multos turbauit, & etiamnum turbat.

2. Experientia conſtat, cuique ferè ſua negotia ſuccede- 5

re pro ratione induſtriæ, & virium quas adhibet, non pro ratione iuris quod habet: vnde plerumque qui iniquiſſima bella gerunt, victoriam obtinent, vel quia potentiores ſunt, vel quia maiore induſtria vtuntur: & qui iniquam litem fouent, ſæpe iudicium ſententiam obtinent, periurijs & falſis inſtrumentis inſtructi: denique in omnibus negotijs humanis magis induſtriam & vim humanam, quam prouidentiam & diſpoſitionem alicuius cauſæ ſuperioris dominari videmus: quæ omnia nobis videntur indicio, nullum eſſe numen à quo omnia gubernentur, ſed quemque ſuæ prouidentiæ ac induſtriæ relictum.

6 3. Videmus res eas quæ natura conſtant, ſemper eodem modo procedere, cum eumque curſum & ordinem tenere; ſolem ortri, occidere, remeare in tuos circulos, ſuo acceſſu efficere ver & æſtatem; receſſu autumnum & hiemem: res oriri & occidere, & alias ex alijs ſine fine procreari ad perpetuitatem ſpeciei: quod ſignum eſt omnia naturæ vi gubernari: nec aliud numen præter naturam rerum, qua hæc omnia efficiantur, quærendum.

4. Præterea videmus homines gigni, formari, naſci, creſcere, adoleſcere, ſe. eſcere, & mori eodem modo, quo reliqua animantia perfectiora; & iiſdem conſtare membris ac organis: ergo idem quoque ipſis eſt finis vitæ: & ſicut illa funditus pereunt, ita & homines.

7 5. Denique ſi eſt aliquod Numen ſupremum, credibile eſt illud ſe rebus humanis non immiſcere, nec curare quid apud nos agatur. Primò, quia id indignum videtur eius maieſtate: ſicut magnus quiſpiam monarcha non immiſcet ſe negotijs priuatis ſingulorum ciuium, aut agricolarũ, aut mancipiorum; nec curat quid ſinguli cogitent, aut dicant, aut agant; omnes enim tam minutam curam faſtigio regali cenſet indecoram: ſic etiam homines non immiſcent ſe negotijs formicarum aut culicum; neque curant quam illi politiam habeant, quæ cõmercia tractent aut bella gerant. At nos ad illud Numen longè ſumus formicis minores. Deinde, quia ipſum erit ſummè beatum, & ſibi ſufficientiſſimum, nec quidquã extra ſe quæret: cur ergo de rebus noſtris ſit ſollicitum? Denique, quia per res humanas, vtcumque ſe habeant, nulla poteſt illi fieri acceſſio vel deceſſio. Alias rationes non inuenio.

CAPVT II.

Eſſe vnum ſupremum Numen, cuius prouidentia adminiſtrentur omnia, multis rationibus demonſtratur.

8 AT contraria ſententia tamquam certiſſima ſtatuenda eſt, nimirum eſſe vnum ſupremum Numen, cuius prouidentia res humanæ, & cetera omnia gubernentur, quod Deum vocamus: idque non tantum credi ex reuelatione diuina, ſed etiam multis rationibus, ex ijs quæ nobis nota ſunt, & ſenſibus percipiũtur, ſolidè probari poſſe. Etſi enim Diuinitas ſecundum ſe nobis ſit planè inuiſibilis, tamẽ tam multæ & perſpicuæ illius in rebus ſenſibilibus eluceant notæ, tot vbique impreſſa veſtigia, tot illius lucis emicent ſtricturæ, vt ſi quis hæc diligenter conſideret, nullo modo de illa, eiuſque prouidentia, poſſit ambigere.

9 Quatuordecim vel quindecim mihi occurrunt rationes, quibus hæc veritas probari, imo & clarè demonſtrari poſſe videtur, quas breuiter explicabo.

1. Ex omnium gentium & ſapientum confeſſione.
2. Ex motu orbium cæleſtium.
3. Ex eo quod res corporeæ & aſpectabiles non poſſint eſſe à ſeipſis.
4. Ex rerum pulchritudine, & ſtructura partium reſpectu totius.
5. Ex ſtructura partium mundi in ordine ad finem.
6. Ex ſtructura partium in animalibus & plantis in ordine ad finem.
7. Ex eo quòd omnium operationes ordinatiſſimè ad finem tendunt.
8. Ex vulturum & vocum diuerſitate, & mũdi paupertate.
9. Ex miraculis.
10. Ex prædictionibus & occultorum reuelatione.
11. Ex ſpiritibus.
12. Ex morum & vitæ directione.
13. Ex eo quòd nihil debet manere inordinatum, & animę immortalitate.
14. Ex varijs diuinæ ſeueritatis & benignitatis exemplis.
15. Ex pœnis quæ blaſphemis, ſacrilegis, periuris repentè & inuitabiliter irrogatæ.

Prima Ratio, ex gentium, & ſapientum confeſſione.

OMNES gentes tam barbaræ quàm litteris cultę, omnibus ſæculis, quantum ex hiſtorijs conſtare poteſt, 10
tenuerunt eſſe aliquod Numen, quod res humanas cognoſcat & gubernet, quod noſtri curam gerat, ad quod in periculis & afflictionibus ſit cõfugiendum, a quo præmia pro rectè factis, & ſupplicia pro ſceleribus ſint expectanda. Ita Iudæi, Ægyptij, Æthiopes, Aſſyrij, Chaldæi, Græci, Romani, Germani, Galli, Indi, Chinenſes, Iapones, Tartari, & alij, non ſolum poſt Chriſtum, ſed etiam ante. Cuius manifeſtũ ſignum eſt: nam omnes habuerunt ſua ſacra, ſuas cærimonias, ſua templa, ſuos ſacerdotes ad cultum Numinis inſtitutos. Huic preces & vota faciebant, ſacrificia & donaria offerebant, & varijs modis illud placare, & ſibi conciliare conabantur. Tribuebant ergo illi prouidentiam, & tenebant omnia noſtra ab eo cognoſci; illudque poſſe opẽ ferre, pericula propulſare, deſiderata largiri, & malefacta vindicare. Fruſtra enim ſupplicarent, & ſacrificia offerrent illi qui non attenderet, qui rebus noſtris ſe non miſceret, nec noſtri curam gereret.

Hinc ſequitur hanc ſententiam non eſſe traditione ac- 11
ceptam, ſed a natura omnium mentibus inſitam, cum omnes gentes in eam conſentiant. Etſi enim non omnes cõueniant, ſiue illud Numen vnum an plura, corporeum an incorporeum, finitum an immenſum; omnes tamen ſentiunt eſſe aliquod Numen, idque eſſe colẽdum: vt etiam Cicero teſtatur, cùm ait: *De hominibus nulla gens eſt neque tam immãſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.* Vide idem alibi ait *hoc omnibus eſſe inſitum & inſculptum.* Si omnibus hoc a natura eſt inſitum, fieri omnino nequit, vt ſit falſum. Natura enim nõ inſeuit menti aſſenſum falſi (alioquin praua eſſet, & mentem rationemque peruerteret) ſed ſolum veri. Nã verum eſt bonũ intellectus, & veluti ſanitas, falſũ verò eſt malũ eius & deprauatio. Atqui malũ & vitiũ rei non eſt ex inclinatione naturę, ſed cõtra illã: quare nec aſſẽſus falſus. *Lib. 1. De legibus.* *De Natura Deorum.*

Addo: Si non eſſet verum *Deum eſſe*, non ſolum id eſſet 12
falſum, ſed etiam penitus *ἀδιανόητον*, & contradictionẽ implicans. Si enim Deus iam non eſt, aut prouidentiam non habet; prorſus impoſſibile eſt, & contradictionẽ inuoluit, ipſum aliquando exiſtere, & prouidentiam habere. In diuinis enim idem eſt eſſe actu, & poſſe eſſe: non eſſe actu, & eſſe impoſſibile, vt Ariſtoteles & omnes Philoſophi docent. At quomodo fieri poteſt, id quod non ſolùm eſt falſum, ſed penitus impoſſibile, ita omnibus gentibus eſſe perſuaſum, ita omnium animis inſculptum, vt in illud conſentiant omnes, & omnibus locis abſque doctrina externa ſemper conſenſerint? Qua in re oſtenditur vis huius veritatis, quæ tanta eſt, & tantam cum mente humana conſentionem habet, vt omnium mentes ſponte ſua peruaſerit, & occupârit. Cuius etiam ſignum eſt, quod omnes gentes in repentinis periculis naturæ quodam inſtinctu, abſq; deliberatione ad Deum recurrant, eiuſque opem implorent: *O Deus iuuenta, ô Deus adiuua me, à Deus miſerere*, &c. Rurſus quod Deum dicant omnia ſcire, omnia poſſe; eius fauorẽ imprecentur amicis, vindictam inimicis; vt elegantèr proſequitur Tertullianus libello De animę teſtimonio.

Et quamuis hæc veritas non ſit ita per ſe nota, & omni- 13*
bus conſpicua, vt nemo poſſit refragari; ita tamen luminis rationis eſt cõſentanea, vt & ex ipſis terminis ſtatim appareat veroſimilis, & mẽs in eius aſſenſum inclinet, & lingua in eius confeſſionem erumpat occulto quodam inſtinctu, nulla deliberatione præuia. Vnde nemo vnquam illã negauit, niſi cui naturale iudicium falſa aliqua ratiuncula, vel peruerſa phãtaſia corruptũ, & veluti praui coloris fuſcatũ fuit: quo modo etiã interdũ accidit, vt quidam ea quę ipſis ſẽſibus sũt manifeſta iuerint ificias. Sic Zeno negabat motũ; Democritus ſtatũ, affirmãs nihil eſſe permanens, ſed oĩa verſari in aſſiduo fluxu, & mundũ quotidie naſci, quotidie interire. Nihil enim eſt adeo abſurdũ, qd' huic vel illi, corrupto mẽtis ſinciput (vt ſic dicã) palato, & peruerſa imagina-

amicis

tieis natiua disposidone, verum & rationi consonum videri non possit. Qua ex causa etiam factum est, vt quidam ex Philosophis diuinitatem sustulerint, aut prouidentiam, vt suprà diximus. Verùm non est curandum quid pauci aliqui senserint, sed quibus rationibus nixi ita senserint. Rationes esse nullius momenti, infrà ostendemus.

Præter commune iudicium omnium gentium, habe-
14 mus etiam sententiam præstantissimorum Philosophorum, qui vsquam gentium floruerunt. Hi enim pœne omnes diuinitatem & prouidentiam statuere, vt fusè ostendit Augustinus Eugubinus in opere De perenni Philosophia. Ita docuere Patriarchæ, Prophetæ, & omnes sapientes apud Hebræos, Sacerdotes apud Ægyptios, Magi apud Chaldæos, Gymnosophistæ apud Indos, Druidæ apud Gallos, & præcipuæ Philosophorum sectæ apud Græcos: nimirum Pythagoreorum, Platonicorum, Stoicorum, & (vt probat Eugubinus) etiam Peripateticorum. Omitto sententias hac de re clarissimas & pulcherrimas, quæ ex Trismegisto, Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo, Pindaro, Sophocle, ex Platone & Platonicis, ex Seneca, Plutarcho, & alijs adferri possent; quas qui cupit inspicere, Auctorem in memoratum consulat.

Stant igitur ab hac sententia omnes gentes, omnes
15 ætates, omnes religiones, omnes sacrorum ritus, omnes sacerdotes, omnes prophetæ, omnes magorum disciplinæ, omnes omnium gentium illustriores philosophi; denique ipsa natura rerum quæ hunc sensum humano generi inculpsit.

Cuius ergo vel amentiæ vel arrogantiæ fuerit, ob leues aliquas cõiecturas contra sentire? hoc enim nihil est aliud quàm iudicium priuatum iudicio totius orbis & omnium sæculorum anteponere; & seipsum omnibus sapientiorem & perspicacionem facere. Profunt ergo omnes athei suã amentiam & superbiam quandam immensam, quæ eos dementauit.

Secunda Ratio, ex orbium cælestium conuersione.

16 Adferam nunc aliquot rationes philosophicas, sed perspicuas, omissis obscuioribus quæ ex Metaphisica peti possent. Primo, Videmus corpora cælestia rapidissimo motu in orbem rotari. hic autem motus non potest habere originem ab impetu aliquo naturæ cœlis insito, vel a causa corporali; ergo ab aliqua substantia spiritali & intelligente. hæc autem erit Deus. Quòd hic motus non oriatur ex inclinatione naturali cælorum, videtur manifestum. Nam quæ ex naturæ inclinatione mouentur, tendũt ad aliquem terminum in quo quiescant, & conseruentur. Sic omnia sublunaria habent impetum ad motum, vt si fortè extracta loco suo natiuo fuerint, ad illum redeant, & in eo se locent ac firment. Nam in loco natiuo res omnes interitui obnoxiæ bene se habent & conseruantur: extra illum tabescunt, & naturæ tractum amittunt. Nihil autem habet inclinationem ad motum, vt sine fine moueatur, & numquam ad terminum perueniat: quia motus est quid imperfectum, vtpote via ad terminum. Nihil appetit semper esse in via, sed omnia cupiunt venire ad terminum, & in eo conquiescere. Quare cùm orbium cælestium motus non tendat ad aliquem terminum, vt ibi sit requies, consequens est hunc motum non esse ex naturæ inclinatione, sicut motus omnium rerum inanimarum, quas in mundo videmus.

17 Idem confirmatur ex eo quòd inclinatio naturalis ad motum sit propter bonum subiecti, nimirum vt illud suam perfectionem assequatur, & conseruetur; non autem propter bonum aliorum. Ideò enim res singulæ habent impetum ad motum, vt singulæ suum locum naturæ suæ congruentem assequantur, & in eo se firmiter locent; non vt alijs prosint. Atqui motus orbium cælestium nihil perfectionis affert ipsis orbibus aut cælestib. corporibus (quid enim soli vel astris illa gyratio prodest?) sed solùm vtilis est rebus inferioribus, dum astrorum vim & efficientiam per totum orbem differt ac distribuit, & omnia facit crescere, vegetari, perfici, conseruari. Constat ergo hunc motum non esse ex naturæ inclinatione. Non enim cælorum orbes cogitare potuerunt hunc motum vtilem fore mundo inferiori, vt ex affectu ac charitate illius sese hoc modo assidue rotarent. Nam hoc nimis est & intelligentiæ. Quare necesse est vt sit aliqua mens potentissima, quæ hãc vtilitatem animo conceperit, & propter illam hunc motum instituerit, certoque modo temperauerit, a qua assiduè dependeat & continuetur.

Præterea ipsa motuum cælestium varietas satis indicat, 18
illos à natura, cuius inclinatio simplex & vniformis, non esse. Nam præter motum ex Oriente in Occidentem super polos mundi (qui omnibus est communis) singuli planetarum orbes habent proprium ex Occidente in Orientem, diuerso axe, diuerso tramite, differenti celeritate. Orbis enim Saturni periodum suam cõficit annis fere 30. Iouis 12. Martis circiter duobus. Solis vno, Veneris vno, Mercurij eodem fere spatio, Lunæ 27. diebus, horis 8. Ecce quanta diuersitas? Neque refert, etsi loco motus planetarum in Orientem, tantum motum in Occidentem, sed tardiorem, iuxta quorundam sententiam; quia eadem cernitur varietas, idem motuum discrimen, eadem symphonia & proportio. Rursus planetæ interdum sunt terræ viciniores, interdum multò remotiores, nunc stationarij, nunc directi, nunc retrogradi: ad quod demonstrandum excogitati sunt eccentrici & epicycli.

Præterea multa alia per fistulam dioptricam, recens à quodam Batauo inuentam, in cœlo nuper animaduersa sunt prorsus admiranda, & toti antiquitati tot sæculis ignota. Nimirum corpus lunæ veluti spongiosum, & floccis quibusdam constans, varijs locis interciscum. Sidus Veneris crescere & decrescere instar lunæ: curuatur enim in cornua, eodem prorsus modo quo luna, dimidiatur, & impleatur. Sed cùm plenus est eius orbis, non opponitur soli ex diametro sicut Luna; sed parum ab eo distat. Vnde efficaciter colligi videtur fictus Veneris in vasto epicyclo moueri circùm solem, ita vt aliquando sit multò altius sole, aliquando multò demissus. Simili modo circa sidus Iouis notatæ sunt quatuor stellæ paruæ, quæ nunc ipsum antecedunt, nunc sequuntur; nunc omnes simul apparent: nunc aliæ apparent, aliæ non apparent. Vnde perspicuè sequi videtur illas moueri in paruis epicyclis circa illud sidus. Rursus in sole animaduersæ sunt multæ maculæ, quæ tamen non retinent eundem situm, sed assiduè locum mutant: & nunc pauciores, nunc plures apparent. Vnde facilè colligitur eas corpori solis non inhærere, sed esse paruas stellas, quæ se inter aspectum nostrum & solem obijciunt, & circùm corpus solis in epicyclis mouentur. Sæpè hæc omnia ipse instrumento conspexi, cum summa admiratione diuinæ sapientiæ & potentiæ, quæ motus astrorũ tam stupendo artificio disposuit, vt mens humana eorum rationem & modum nullo modo possit assequi. Omitto innumerabilem stellarum multitudinem quæ adminiculo illius instrumenti distinctissimè in cælo notantur, omnibus Astronomis vsque ad hoc tempus irrepertam.

Denique in sphæra octaua, in qua sunt stellæ fixæ, tri- 19
plex animaduersus est motus. Primus ex Oriente in Occidentem, qui totum cyclum horis 24. absoluit. Secundus ex Occidente in Orientem, qui centum annis putatur conficere gradum vnum. Tertius ex Austro in Septentrionem, & contrà, quo principium Arietis & Libræ sphæræ octauæ describit paruulos circulos circa principium Arietis & Libræ sphæræ nonæ, qui 700. annis peragitur. Quis tam multiplicem varietatem motus localis dicat esse à natura, & non à mente aliqua præstantissima, hæc omnia sic moderante ob commoda sublunarium, præsertim humani generis, cui cetera seruiunt?

Neque refert, siue dicas hos motus fieri per varios im- 20
pulsus transeuntes, sicut motus rotæ figuli efficitur à figulo, siue per vires stabiles & permanentes (vt quidam volunt) cœlestibus orbibus impressas. Nam vtrouis modo fiat, necesse est procedere à causa aliqua incorporea, mente & intelligentia prædita, non ab inclinatione propria naturæ. Hanc autem causam tam potenti manu, tam miris modis orbes cœlestes rotantem dicimus esse Deum, siue id ipse faciat immediatè, quod est multò verisimilius, siue ministerio inferiorum spirituum, vt multi sentiunt.

Tertia

Tertia Ratio, ex eo quòd res corporeæ & aſpectabiles non poſſint eſſe a ſeipſis, nec a caſu fortuito.

21 ESt aliqua cauſa in rerum natura, a qua cetera omnia ſecundùm ſuam ſubſtantiam dependent. hanc autem vocamus Deum. Eſſe talem cauſam probatur: quia res corporeæ vel ſunt a ſeipſis, vel a caſu fortuito, vel ſunt ab aliqua cauſa incorporea mente prædita; Nullus enim Philoſophorum aliud mundi principium efficiens ſtatuit, neć aliud fingi poteſt, niſi quis dicat hunc mundum eſſe productum ab alio mundo, & illum ab alio, & ſic deinceps abſque termino: quod per ſe eſt abſurdum, cùm inducat proceſſum in infinitum. Atqui conſtat res non eſſe a ſeipſis, nec a caſu: ergo neceſſe eſt illas eſſe productas & formatas ab aliqua mente. Non eſſe a caſu, nimirum ex concurſu fortuito atomorum ſeu minimorum corpuſculorũ, ſicut Democritus, Epicurus, Lucretius & alij quidam cenſuerunt, patet tum ex mundi rerumque omnium ſtructura & forma; tum ex ſummo ordine & conſtantia, quæ in motu cęlorum, & aliarum rerum functione conſpicitur. Quis rationis compos ea quę ſumma ratione cõſtant, & artium omnium ingenia ſuperant, ſine ratione, ſine arte, ſolo motu, & cõcurſu fortuito atomorum producta exiſtimet? hoc enim perinde eſt, ac ſi palatium quoddam pulcherrimum, non ab artifice aliquo ſumma arte conſtructum, ſed fortuitò extitiſſe dicat, terrę motu rupem diſturbante, & fragmentis ſaxorum caſu in hanc formam diſpoſitis: aut annales Ennij, vel Liuij commentarios non a ſcriptoribus illis concinnatos, ſed fortuito litterarum cõcurſu perfectos. Si enim mũdi partes, & partium diſpoſitio, & corpora animalium ac plantarum, in quibus eſt ſumma ratio ſummumque artis ingenium, ſine arte & ratione, ſolo fortuito concurſu atomorum fieri potuerunt: cur ſimili modo non poſſunt fieri palatia, templa, ciuitates, veſtes, gladij, libri, epiſtolæ, & ſimilia in quibus longè minus eſt artis & ingenij? Valeat ergo inſana illa de atomorum concurſu ſententia, quæ nullum alium in finem a ſuis Auctoribus videtur excogitata, quàm ne cogerentur fateri mundũ diuina prouidentia gubernari: quam prouidentiam tamquam formidabilem humanæ menti flagitijs mancipatæ, & omnis voluptatis turbatricem, exotam habebant; vt ex Lucretio & Plinio aperte colligitur.

Luer. li. 1 & 3. Plin. li. 2. c. 7. & lib. 7. cap. 55.

22 *Homo & animantia.*

Non eſſe a ſeipſis, conſtat Primò, in rebus ſublunaribus, inter quas ea quæ ſunt perfectiſſimæ, (vt homo & animãtia) non poſſunt eſſe a ſeipſis. Quæ enim tot cauſarum egent præparatione & concurſu, vt naſcantur, tot adminiculis externis vt viuant, quomodo poſſunt eſſe a ſeipſis? Quomodo a ſeipſo eſſe qũeat, quod tanta facilitate extinguitur & perit?

Dices Indiuidua ſeu ſingulos homines a ſeipſis non eſſe, verùm ipſam humanam ſpeciem a ſe eſſe, vtpote æternam; ſimiliter & alias rerum ſpecies. Verùm hoc imperitè dicitur. Nam ſpecies non eſt quid ſeparatum ab indiuiduis vt Platonici quidam finxerunt; ſed exiſtit in ipſis, nec habet eſſe in rerum natura niſi per ipſa. Imò ſpecies humana nihil eſt aliud quàm tota hominum indiuiduorum tum exiſtentium tum poſſibilium multitudo, vt illi inter ſe quandam naturæ ſimilitudinem habent. Si ergo ſinguli homines indiuidui ab alio pendent etiam tota ſpecies, quæ ab indiuiduis ex parte rei non diſtinguitur, ab alio pendeat neceſſe eſt.

23 *Quod a ſe eſt, nunquam incepit.*

Quod etiam ex eo clarè conſtat. Nam tota ſpecies deleri poteſt, & penitus extingui. Id autem quod a nullo pendet, ſed a ſe eſſe habet, deleri non poteſt. Quod enim eſt a ſe, numquam incepit, ſed ſemper exitit: ac proinde nec poteſt deſinere. Numquam incepiſſe, ex eo conſtat, quia quidquid incepit, aliquando non fuit: eſt ergo productum a non eſſe ad eſſe. Atqui non poteſt eſſe productum a ſeipſo, cùm producens debeat antecedere, vt id quod producendum eſt, ex non eſſe ad eſſe trahere poſſit. Ergo quidquid incipit, ab alio productum eſt: ac proinde non habet eſſe a ſeipſo. Habere enim eſſe a ſeipſo, eſt habere per ſuam eſſentiam abſque vllius cauſæ efficientis influxu. Perſpicuum eſt ergo, omne quod a ſeipſo eſt, numquam incepiſſe; ac proinde nec poſſe vnquam deſinere. Et contrà omne quod incepit, non habere eſſe a ſeipſo, ſed neceſſariò eſſe productum ab alio.

Præterea, quidquid eſt compoſitum ex materia & forma, non poteſt eſſe a ſe, ſed neceſſariò eſt ab aliqua cauſa efficiente, quæ materiam diſponat, & formam producat, & eam materiæ conungat. Materia enim neque illas diſpoſitiones ex ſua eſſentia obtinet, neque formam: poſſunt enim ab ea ſeparari. Prouenit ergo illa vnio materiæ & formæ ab aliqua cauſa extrinſeca. Idem dicendum de omni eo quod partibus conſtat. Cùm enim partes non ſint vnitæ neceſſario, poſſintque a ſe mutuò ſeparari, neceſſe eſt earum vnionem, ab aliqua cauſa, quæ partes coniunxerit, procedere. 24 *Omne compoſitum.*

Ex his patet etiam elementa, vt terram, aquam, aerem, non eſſe ex ſe, ſed habere aliquod principium efficiens. Si enim ■ quæ ſunt perfectiſſima in rebus ſublunaribus, non ſunt a ſe, ſed pendent ab alio; multò magis ea quæ ſunt imperfecta, vt ſunt elementa, ab alio pendere neceſſe eſt. Eſſe enim à ſe, ſeu à nullo dependere, maximæ eſt perfectionis, cùm ipſum quod tale eſt, ſit ſibi origo & fons totius boni, & nullo externo indigeat. Deinde elementa non ſunt propter ſe, ſed propter alia, nimirum vt ſint partes mundi, & vt præbeant materiam corporibus mixtis: ergo non ſunt à ſe. Quod enim habet cauſam finalem ad quam ordinetur, habet etiam efficientem à qua ordinetur. Nihil enim eſt à ſe vt alteri ſeruiat, ſed vt ſeipſo fruatur. Itaque hoc ipſo quo aliquid eſt non propter ſe, ſed ob aliud, indicat ſe ab aliquo eſſe inſtitutum, qui bonum alterius intendit. Præterea, quod elementa ſint huius vel illius magnitudinis & menſuræ, in hoc vel illo ſitu reſpectu immenſi ſpatij, non habent a ſe, cùm eſſentia eorum nihil horum poſtulet: ergo habent id ab aliqua cauſa extrinſeca, quæ ſingulis menſuram & ſitum conſtituit. Denique cùm elementa tot ſubiecta ſint mutationibus, & tantæ cauſarum extrinſecarum ſeruituti, qua ratione dicentur eſſe a ſeipſis, ſuique iuris, & à nullo dependere? 25 *Elementa.* *Quod eſt propter aliud, non eſt a ſe.*

Eædem rationes conuincunt etiam materiam primam non a ſe, ſed ab alio eſſe. Hæc enim vel non diſtinguitur ab elementis, vt multi antiquorum Philoſophorum putarunt: vt ſi elementa ponantur corpora plane ſimplicia, omnis compoſitionis materiæ & formæ expertia, & vltimum formarum omnium ſubiectum: vel ſi diſtinguitur (vt vult Ariſtoteles cum ſuis) eſt quid elementis longè imperfectius, vtpote elementorum materies. Itaque cum ſit imperfectiſſima & nihilo propinquiſſima, omnibus mutationibus ſubiecta, omnibus cauſis naturalibus ſertia, a ſe planè inops & informis, omnem perfectionem ſuam ab alijs mendicans, non poteſt eſſe a ſeipſa, ab omni alia cauſa independens. 26 *Materia prima.*

Ex his perſpicuum eſt, nihil ſublunarium a ſe ipſo, ſed omnia ab alia quadam cauſa effectrice eſſe ſuum obtinere. 27 *Eſſe cauſam incorporeã.*

Hanc autem cauſam eſſe incorpoream & intelligentem patet Primò, quia materia prima non potuit produci a cauſa aliqua corporea, cùm omnis actio rei corporeæ ſupponat ſubiectum in quo recipiatur, vt Ariſtoteles & omnes Philoſophi docet. Atqui ante materiam primam nullum ſubiectum ſupponi poteſt, cùm ipſa ſit primum, & vt ſic dicam, profundiſſimum & fundamentale ſubiectum. Deinde, ſi cauſa eius eſſet corporalis, ea haud dubiè eſſet cælum. Nulla enim alia ſupereſt cauſa corporea, cui id poſſit affingi. Cælum autem non potuit materiam primam produxiſſe; tum quia nõ agit niſi lumine & influxu aſtrorum, quæ duo requirunt ſubiectum in quo excipiantur: tũ quia ante productionem illam, totum ſpatium, in quo nunc ſunt elementa, fuiſſet vacuum, vtpote deſtitutum omni corpore; & cælum debuiſſet materiam in vacuo producere, nullo ſubiecto ſuppoſito: ac proinde ex nihilo creare: quod eſt ſupra vires omnis naturæ corporeæ. Neceſſe ergo eſt, vt cauſa materiæ ſit incorporea & potentiſſima, vt quæ illam ex nihilo ad eſſe extraxerit.

Vnde etiam oportuit vt eſſet intelligens: tum quia omnis ſubſtantia incorporea neceſſariò intelligens eſt, vt Philoſophi docent: tum quia non produxit illam eæco modo; ſed certo conſilio, nimirum vt ex ea res aliæ conficerentur, eſſetque formarum omnium ſubiectum: denique, quia cauſæ tam ſublimi & potenti perfectiſſimus modus operandi tribuendus eſt: hic autem eſt per intellectum & voluntatem. Idem cõſtat ex eo quòd in cauſa debeat con- 28

tineri

& ſpiritum ſeminalem excitando, humores præparando. Itaque infinita illa rerum diuerſitas, & quę in illis cernitur proportio & pulchritudo, non poteſt eſſe a ſole, cuius operatio circa omnia eſt vniformis, ſed debet reduci ad aliquod principium, quod hæc omnia in ſe diſtinctè eminenti quadam ratione contineat: quod non poteſt eſſe aliud quam mens aliqua præſtantiſſima, horum omnium inuentrix & opifex.

Fiet hoc magis perſpicuum ſi res ſingulæ conſiderentur. 36 Animantia. Inſpiciamus animalia: quantum eſt in illorum ſtructura artificij, quantum ingenij? ſingula innumeris ferè particulis conſtant, & tamen hæ omnes certam habent tum inter ſe, tum ad totum quod ex illis conſtat, proportionẽ, quę in omnibus eiuſdem ſpeciei eadem reperitur, niſi aliquid vitij ex abundantia vel defectu materiæ, vel externæ cauſę concurſu interuenerit. Exempli gratiâ, in corpore humano eſt ea proportio, vt longitudo ad latitudinem ſit ſextupla, ad craſſitiem (quæ ſpectatur a ſuperficie dorſi ſecundum lineam rectam ad ſuperficiem pectoris) decupla: ad cubitũ quadrupla; ad extenſionem vtriuſque brachij æqualis, ad pedem exporrectum ſextupla, ad palmum vigecupla quadrupla, ad pollicis latitudinem ſepteigecupla dupla, ad latitudinem digiti nonagecupla ſextupla. Similes ſunt proportiones ad oculos, ad naſum, ad frontem, ad auriculas, ad oris hiatum, ad ſingulos artus, ad ſingulas etiam partes internas, ad oſſa, ad viſcera, ad neruos, arterias, venas, muſculos: ſimiles & harum omnium partiũ inter ſe, adeò vt pluſquam centum millia proportionum in ſolius hominis fabrica ſint conſideranda. Non enim tantùm in longitudine, ſed etiam in craſſitie, in conformatione, in diſtantia & vicinitate, in robore, in temperamento proportio ſingularũ partium eſſe debet. In hac partium inter ſe & cum toto ſymmetria conſiſtit totius corporis pulchritudo: adeò vt ſi vel vna debita proportione caruerit, aliquid de totius pulchritudine detrahatur.

Corpus humanum.

Similem partium ſymmetriam in omnibus animalibus reperiri oportet, vt formam & ſtructuram naturæ ſuæ congruentem obtineant; adeò vt neque muſcæ, neque culices, neque vermiculi ea ſint deſtituti. Quodlibet enim horum adeò iuxta ſuam ſpeciem eſt perfectum, adeò pulchrum & admirabile, vt tota ſapientia hominum, etſi in vnum conflata foret, non poſſet quidquam in his vel minimum emendare: imò ne cogitando quidem rationem ſtructuræ aſſequi. Vnde etiamſi aliquis hominum tanta eſſet præditus potentia, vt ſolo nutu poſſit exteriùs facere, quidquid interiùs animo poteſt concipere, non tamen poſſet vel vnam muſcam formare (quia totam ſtructuræ illius internæ & externę rationem comprehendere nequit) multoque minùs animare, vigoremque ſenſus & motus tribuere, phãtaſiam & indolem inſerere: quorum ſingula quid ſint, multo minùs imaginari poteſt.

Reliqua animalia.

37 *Plantarum genus.* Iam quanta eſt pulchritudo in plantarum genere? Quàm decore terram vellunt? Quàm miro modo eas ex ſinu ſuo terra ſurſum protrudit, & radicibus apprehenſas tenet & firmat, ne ventorum flatu proſternantur? Quanta in his eſt varietas, tot arborum, tot virgultorum, tot ſegetum & leguminum, tot herbarum hortenſium, campeſtrium & montanarum, tot florum, quibus prata & horti renident & fragrant? Et quidem in ceteris multiplex eſt cõmoditas vel ad ædificia, & varia inſtrumenta conficienda; vel ad alimenta hominum & animantium; vel ad funes, floreas, indumenta, vela, aliaue huiuſmodi: vel ad ignis fomenta, & alias vitæ opportunitates.

Flores.

In floribus autem id tãtum ſpectari videtur, vt ſua multiplici forma, colore, odore oblectent, & nos in admirationem tanti artificis rapiant. Nuſquam maior prouidentię luſus, & profuſio artis diuinæ in materia adeo vili, & mox tabeſcente. Quæ non ibi formæ diuerſitas? ſunt continui, diſſecti, profundi, repandi, in cymbam cauati, in crinem furrecti, in lanam carminati, alati, roſtrati, cornuti, caudati, apiformes, ſpicati, in ſphærem radiatim diſpoſiti, racematim ſtipati, vmbellatim diffuſi, circinatim digeſti; folio ſimplici, triplici, quadruplici, multiplici, conſtipato, in orbem extrorſum conuoluto, introrſum replicato, falcato, criſpãte, explanato, ſtriato, crenato, fimbriato.

38 Nec minor colorum variatio, candidis, flauis, giluis, luteolis, ſanguineis, puniceis, cyaneis, purpureis, ianthinis, colore ſimplici, miſcello, multiplici, ſaturo, diluto, ex nubro pallęſcente, ex croceo rubeſcente, ex puniceo purpuraſcente; aurato vel purpureo inter puncti, virgati, ſtellati, ſegmentati: fundo gemmato, vmbone medio, apicibus è centro decore prodeuntibus, quibus varius color, forma & diſpoſitio multiplex. Denique ſingulæ ſpecies ad miraculum pulchræ. Singulæ particulæ in tanta varietate ita conformatæ & diſpoſitæ ad elegantiam formæ pro natura & temperie cuiuſque, vt nulla arte poſſint melius aut accommodatius. Quis iſta conſiderans non agnoſcat artificis ſapientiam, eamque admiretur, laudet & veneretur?

De odoribus, quorum mira quoque varietas, & in multis ſuauitas, nihil dicam. Vix eſt vllum reperire floſculum, qui non ſuum odorem vel apertiùs, vel obſcuriùs habeat. Sæpè tamen hic minùs gratus vel etiam grauis, quibus maior formæ dignitas, non obſcuro mortalium documento: in quibuſdam tamen, odoris & formæ præſtantia copulatur & concertat.

39 Ex his luce meridiana clarius eſt, iſta non poſſe ab aliqua natura, & cauſa ratione deſtituta originem habere; ſed ab aliqua mente ſapientiſſima ſimul & potentiſſima, quæ hæc omnia antè animo conceperit, quæ ſingularum partium menſuras, figuras, proportiones, temperamenta, vires, colores, odores conſtituerit, quæ omnia & ſingula exactiſſimè expenderit, & inter ſe contulerit. Hæc ſuæ conceptionis veluti imaginem ſeminibus rerum, vel elementari miſcellæ impreſſit, per quam illa omnia ſic formet & perficit. Vis enim ſeminibus impreſſa non ſecùs operatur, ac ſi ratione prædita eſſet: nimirum quia eſt conceptionis diuinæ veſtigiũ, & veluti ἀπεσφράγισμα, ac ſigillaris impreſſio. Ab hac igitur mente tamquam prima inuentrice & formatrice cauſa, eſt omnium rerum pulchritudo, proportio, perfectio.

40 *Pulchritudo inuiſibilis animarum.* Neque ſolùm iſta pulchritudo viſibilis, quæ oculis cerni poteſt, & omnis eius varietas in illam cauſam referenda eſt, ſed etiam omnis pulchritudo inuiſibilis, quæ in rebus iſtis viſibilibus interiùs occultatur, & ſola ratione deprehendi poteſt. Ab hac enim illa viſibilis oritur. Quicquid enim in rebus iſtis corporalibus exteriùs apparet vel formæ vel proportionis, vel coloris vel ſpeciei, id totum prouenit ab interna quadam & inuiſibili ſubſtantia, quæ eò quoque eſt pulchrior & mirabilior, quò ſublimiùs & ſimpliciùs omnium illorum continet rationes. In anima vegetante, qua arbores, virgulta, herbæ, flores, ſingula iuxta ſpeciem ſuam conſtant & viuunt, latet ratio ſtructuræ, & totius formæ, quæ in illis oculos noſtros oblectat. In anima ſentiente ſingulorum animalium, latet tota ratio fabricæ corporis animantis cuiuſque. Eadem quoque latet in vi geniali, qua iſta formantur. Quanta igitur in animabus iſtis, quibus ſingula conſtant, & in quibus omnia iſta ſimplici modo latent, eſt pulchritudo? Quàm ſunt res iſtæ mirabiles & ſtupendæ, quæ vniformi modo tantam diſſimilium formarum & figurarum multiplicitatem continent.

41 *Anima ſentiens.* Porrò in anima ſentiente continetur non ſolùm tota ratio ſtructuræ corporis, ſed etiam ratio omnium ſenſuum, imaginationis, appetitus ſenſitiui, omnium inſtinctuum, & morum & operationum cuiuſque: quorum ſingula adeò ſunt mira, vt ea mens humana capere nequeat. Quanta enim eſt potentia ſenſuum? Quàm longè aſpectus in momento penetrat, omnia luſtrans, omnia ſuo radio tangens, omnium formas apprehendens & in ſe exprimens? Quanta eſt vis odoratus in canibus, vulturibus, multisque alijs? Iam imaginatrix numquam eſt otioſa, ſemper formas rerum, quas per ſenſus externos accepit, ſecum voluens, & variè componens. Appetitus ad ea quæ imaginatio concepit vt conuenientia animam trahit & impellit; a contrarijs auertit. Denique potentia motrix incredibili celeritate appetitui obedit, vt etiam in muſcarum curſu & volatu cernitur. Nimis longum eſſet omnia perſequi. Singulæ vires habent ſua obiecta, ſua inſtrumenta, ſuas operationes, ſuum peculiarem operandi modum, adeò occultum & mirabilem, vt nullus mortalium poſſit illum comprehendere: & tamen horum omnium ratio, modus, menſura in animabus latet animantium: adeò vt qui has plenè comprehenderet, illa omnia perſpecta haberet. Vnde mihi certò perſuadeo ſi quis perfectam vel vnius muſcæ notitiam poſſet adipiſci, pluris eum hanc notitiam æſtimaturum, quàm omnes regum opes, honores & delitias.

Si

Si enim Pithagoras inuenta demonſtratiuncula vna mathematica qua quadratū lateris longioris in Iroſcelli probatur æquale duobus quadratis eiusdem, ita gaudio exiluit, vt ſeipſum non caperet; quantum gaudium adiecerit clara notitia tot & tantarum rerum, quæ in muſca continentur, quas nullus vnquam Philoſophorum apprehendere potuit, & quæ ad multorum annorum ſuauiſſimam ſpeculationem poſſent ſufficere? Sanè quod ad me attinet, ego hanc longè præuulerim: quotquot opera Dei attentè conſiderarunt, eadem mente fore non dubitem.

41 *Anima rationalis.* At omnium illorum animis longè pulchrior eſt anima rationalis, in qua non ſolum ratio ſtructuræ corporis, & omnium ſenſuum; ſed etiam facultas intelligendi, recordandi, & libere quidlibet amplectendi vel repudiandi cōtinetur. Per intellectum concipit totum mundum, & omnium rerum in ſe veluti picturas inuiſibiles pingit. Per memoriam omnes illas firmiter retinet; & cùm opus fuerit, in vſum profert. Quàm vaſti ſunt illi ſinus, tam innumerabilium formarum, & tot tantarumque rerum capaces? Per voluntatem omnibus vti vel frui, & de omnibus ad ſuum commodum diſponere, imò ſibi ipſe ſcopum vitæ ſtatuere poteſt.

Neque refert, ſiue hæc omnia poſſit anima per ſimplicem ſubſtantiam, ſiue per facultates diſtinctas; quia omnium ratio in ipſi ſimplici eſſentia continetur. Neceſſe igitur eſt animam rationalem eſſe ſubſtantiam miræ pulchritudinis & perfectionis; adeò vt ſi clarè cognoſceretur prout eſt in ſeipſa, diuinitas quædam videri poſſit, & eius contemplatio incredibili voluptate mentem perfunderet. Eſt enim longè altioris ordinis, & celſioris pulchritudinis, quam omnia corporalia, & omnes animæ cæterorum viuentium, ſiue plantarum, ſiue animantium.

43 Sunt igitur quatuor pulchritudinis gradus mundo. Primus, qui & infimus eſt corporum; qui oculis cernitur. Secundus eſt animæ vegetantis. Tertius, animæ ſentientis. Quartus, animæ rationalis. Itaque non ſolùm primum, ſed etiam ceteros à mente aliqua ſapientiſſima eſſe formatos perſpicuum eſt. Si enim pulchritudo, quæ eſt in corporibus, ad mentem fabricatricem referenda eſt, propter partium ſymmetrias & proportiones, vt oſtenſum eſt: multò magis pulchritudo, quæ eſt in animis, quæ rationem totius fabricæ corporis continet, & illa longè eſt mirabilior, ad eamdem mentem fabricatricem referri debet. Deinde quomodo fieri poteſt, vt cauſa aliqua abſque mente & ſapientia primitus formauerit, & inſtituerit tot animarum vegetantium & ſentientium diuerſitates, cùm quælibet adeo ſit mirabilis, & tanti operis ingenij, vt nullum humanum ingenium poſſit comprehendere, aut eius conceptum proprium & λόγον animo informare.

Denique in cauſa debet contineri omnis perfectio & pulchritudo effectus. non enim cauſa poteſt dare effectui ſuo quod non habet. Quare omnis perfectio animalium, omnis ſenſuum vigor & induſtria, debet in cauſa illa à qua primitus formata ſunt, contineri: non quidem eodem modo, ſed longè eminentiori; nimirum ſicut opus continetur in arte & mente artificis. Confirmatur, quia nulla eſt cauſa in qua tanta rerum diuerſitas & pulchritudo extare potuit præter mentem: in mente autem diſtinctiſſimè & perfectiſſimè poteſt exiſtere: ſicut in mente artificis forma domus, & omnes eius menſuræ & proportiones.

44 Addo, qui humanam formauit animam, eique dedit intelligentiam & arbitrij libertatem, non potuit ipſe intelligentia & libertate arbitrij carere; ſed neceſſe eſt excellentiſſimo modo iſta habuerit. Quomodo enim fieri poteſt vt intelligentia vel libertate careat, qui intelligentiam & libertatem fecit, & alijs dedit? *Intelligite*, inquit Propheta, *inſipientes in populo. & ſtulti aliquando ſapite; qui plantauit aurem, non audiet? qui finxit oculum, non conſiderat?* præſertim cùm hæc talia ſint, vt nulli maiori perfectioni obſint. Melius enim eſt intelligentia & libertate præditum eſſe, quàm ijs carere, aut aliquid habere quod his repugnet. *Pſalm. 93.*

Ex his perſpicuum eſt. eſſe quamdam mentem, quæ omnium illorum pulchrorum viſibilium & inuiſibilium ſit inuentrix, auctor, & architecta; & in qua tamquam in cauſa, & primo fonte omnis pulchritudo eminenter præexiſtit, & anticipatur, quam Deum vocamus; qui eſt benedictus in ſæcula.

Quinta Ratio, ex Structura & diſpoſitione partium mundi in ordine ad finem.

45 SIcut nulla rerum iſtarum quæ ſub aſpectum cadunt eſt à ſe, ſed ab alia quadam effectrice cauſa: ita nulla etiam eſt propter ſe, ſed propter finem quemdam extrinſecum, ad quem tota ipſius ſtructura, & omnes partes, & partium facultates aptiſſimè, & mirando modo ſunt comparatæ & diſpoſitæ. Neceſſe eſt ergo eſſe mentem quamdam ſapientiſſimam, quæ omnes illos fines conceperit, & media ad ſingulos opportuna ordinauerit & inſtruxerit. Natura enim quæ ratione prædita non eſt; ſicut non poteſt fines rerum concipere: ita nec poteſt idonea ad ſingulos media diſponere. Hoc enim eſt artis & ſapientiæ præcipuum opus. Declaremus id primùm in cæleſtibus. Sol iſte omnium rerum viſibilium pulcherrimus, non eſt propter ſeipſum (neque enim ſuam pulchritudinem ſentire poteſt.) ſed propter bonum aliorum, nimirum vt mundum illuminet & aſpectabilem faciat, & ſuo calore foueat: ſicut in homine & animantibus cor non eſt propter ſe, ſed propter commodum totius corporis. quod enim eſt cor in animante, hoc ſol in mundo illo inanimo. Debuit itaque & luminis & quantitatis habere certam menſuram, & ſitum in mundo determinatum: ne ſi lumen eſſet maius, vel ipſe propinquior terras exureret; ſi lumen eſſet minus, vel ipſe remotior, non ſatis illuminaret vel non ſatis calefaceret. Hæc autem certæ menſuræ & ſitus determinatio, niſi à mente aliqua quæ finem & media conſiderare, & congruentiſſimam inter illa proportionem conſtituere poteſt, fieri non potuit. *Sol eſt propter aliud, nō propter ſe.*

Quod ſi ſol non ſui cauſa, ſed propter finem extrinſecum factus eſt, multò magis aſtra cetera, & cælorum orbes, ac reliqua corporea natura. Idem hac ratione confirmari poteſt. Id quod eſt ſui gratia, ita debet eſſe excellens, vt nihil eo ſit præſtantius in cuius bonum poſſit ordinari, vt per ſe notum eſt; alioquin non erit propter ſe, ſed propter illud in cuius bonum deſtinatum eſt. Deinde debet eſſe tale, vt bonum ſuum ſentire, eoque frui poſſit. Si enim nullum eius habet ſenſum, ei non prodeſt. Quid enim mihi prodeſſet dominium totius orbis, ſi inde nullam voluptatem capere, nullum huius rei noticiam habere poſſem? Signum ergo eſt, illud quod ſuum bonum ſentire non poteſt, non eſſe propter ſe, ſed propter aliud quod illud ſentire, & inde aliquid commodi vel honoris poteſt percipere. Atqui nulla natura corporea ita eſt excellens, vt non poſſit ad aliquid præſtantius ordinari; gradus enim naturæ rationalis longè eſt præſtantior gradu naturæ corporalis; & hic illi ad multa vſui eſſe poteſt. Deinde natura corporea nullum ſui boni ſenſum habere poteſt, ſed hoc totum alteri tantùm eſt vtile. Nulla igitur natura corporea eſt ſui gratia, ſed ex eſſentia ſua ad aliud ordinatur, nimirum ad naturam rationalem, in cuius bonum & commodum exiſtit, quo fit, vt ſi natura rationalis non exiſteret, tota natura corporea ſit fruſtra & nullius vtilitatis; cùm neque ſibi aliquid commodi poſſet adferre, neque alteri: ſicuti poſſeſſio multarum opum eſſet inutilis & nullius momenti, ſi illarum nulla eſſet notitia, nullus vſus, nullus ſenſus. *46 Aſtra & orbes & reliqua corporea natura propter naturam rationalem. Quid dicitur eſſe ſui gratia.*

Idem conuincitur ex orbium cæleſtium motu, qui nihil commodi ipſis cælis adfert, ſed totus ad hominum, & eorum quæ hominis vſibus ſeruiunt, vtilitatem eſt comparatus. Primùm namque ita motus eorum temperatur, vt intra 24. horas omnes gentes per totum orbem diffuſæ (exceptis paucis qui verſus polos vltra 66 gradum habitant) ſemel diem habeant & noctem, nimirum ad quietis & laboris gratiſſimam alternationem. *46 Motus cœlorum propter naturam rationalem.*

Deinde ſol proprio motu ſub eliptica medium Aequinoctialem ſecans, & nunc ad Septemtrionem, nunc ad Auſtrum 23. gradibus & medio declinans, quatuor anni tempeſtates, Hiemem, Ver, Æſtatem, & Autumnum varia temperie, omnibus quæ tellus profert, accommodatiſſima, inducit. Hiems enim ſuo frigore efficit, vt ſpiritu & calore qui ſeminibus & ſtirpibus ineſt, introrſum recepto, omnia interiùs roborentur, humorem & alimenta colligant, radices figant, & omnia turgeant ad erumpendum foras. Ver ſuo blando tepore omnia foras euocat, *Anni tempeſtates.*

& in

& in culmos, in caules, in gemmas, in frondes, in flores elicit. Æstas suo fetuore humorem superuacaneum absumit, cruda concoquit, crassa extenuat, meatus aperit, spiritum diffundit, fructus ad maturitatem perducit. Denique Autumnus suo humore & moderato frigore rursus omnia temperat, siccitatem ac fetuorem, quem Aestas rebus impressit, corrigit, terra simul ad noua semina, nouasq; stirpes disponendas & corpora viuentium exhausta, ad reparandas vires, represso spiritu, & nativo calore, (ne euanescant) affouet & immutans. Ex quibus quis non videat, totum hunc solis & cœlestium corporum motum, ad hominum commoda, ad viuentium, quæ homini alieno modo vsui esse possunt, ortum perpetuandum, & copiam suppeditandam, esse institutum? Nulla enim alia eius vtilitas assignari potest, nulla cur sic vel hic fiat alia ratio adferri.

48 *Venti, imbres, nubes, &c.* Iam verò si quis ventos, imbres, nubes, niues, gelu consideret, videbit hæc omnia propter viuentia, & maximè propter hominem esse instituta. Ventorum maxima sunt commoda. Primò vt aerem ventilent, & salubrem reddant inspirationi: qui si immotus staret, putesceret, & pestilente qualitate concepta, homines & animantia extingueret. Loca enim concluſa quæ multo tempore perflata non fuere, pestifera reddantur. Deinde vt nubes per aerem deferant, ac regionibus dispertiant. Absque vento torrerent, loca mediterranea & nubibus & imbribus perpetuo destituerentur, profusaque redderentur retorrida, sterilia, & animantium habitationi inepta. Cum enim ex locis à mari remotioribus non possint vapores, qui nubibus & imbribus sufficiant, excitari; nisi aliunde excitati eo deferrentur ventorum beneficio, oporteret ea assiduo sole torreri, & omni rigmone quieti priuari. Mare enim potissimum est quod nubibus materiam subministrat, e cuius vasto sinu directè & adhuc soli oppanso, magna vaporum copia vi solis sursum attrahitur, quæ in nubes coacta vi frigoris, postea refunditur. Itaque nisi venti has nubes alio deferrent, omnis pluuia directè in mare, vnde eius hausta est materia, relaberetur, & vniuersa terra sterilis ac inutilis relinqueretur.

49 *Flumina & fontes vnde oriantur.* Neque id solum, sed etiam omnes fontes, & omnia flumina breui exhausta cessarent. Hæc enim ex niue & imbribus, qui in mediterraneis & montosis locis decidunt, colliguntur & perpetuantur. Nix enim quæ per hiemem in montibus coaceruatur, calore æstiuo sensim liquefcens, & per saxorũ commissuras colata, variis locis ad montium radices eruptione facta, fontes constituit. Simili modo imbrium aquæ altioribus terræ locis exceptæ & combibitæ, perque varios tractus tandem in vnum corriuatæ, reperto exitu in fontes exiliunt. Ex fontibus autem & alijs aquis, siue niualibus siue pluuialibus, in vnum alueum confluentibus, flumina existunt. Hinc fit vt per æstatem dum raro pluit, flumina admodum minuantur: & nisi per niues montanas sustententur, pæne deficiant. Vnde si duobus vel tribus annis nihil vel pluuiæ vel niuis, caderet, necesse esset omnia flumina, & omnes pene fontes inopia materiæ deficere. Sed res ita sunt dispositæ, vt quibusdam temporum interuallis tantum imbrium & niuium suppeditetur, quantum satis est ad eorum continuationem.

50 Præterea necessarij sunt venti ad inutilem terræ humorem absumendum, ad corpora viuentium recreanda, ad fructus maturandos, ad molas, ad haustra & similes machinas, denique ad vsum nauigationis. Ventis sublatis cessabit omnis pæne nauigatio. At quantum hæc commodi adfert mortalibus? Per hanc enim quidquid in aliqua regione est boni, quod vel ad vitæ commoditatem, vel ad medicos vsus, vel ad delicias pertineat, facillime per totum orbem distribuitur: & quidquid singulis est præcipuum, toti humano generi fit commune.

Imbrium non minor ferè vtilitas. Aerem enim refrigerant, corpora viuentium reficiunt, fontes & flumina perpetuant, potum animantibus suppeditant, terram irrigant & fructiferam efficiunt. Hæc enim sine imbribus prorsus esset arida, sterilis, informis, omni gratia & ornatu destituta, & hominum animantiumque habitationi inepta. Fecunditatem imbres habent duplici ex causa. Primò, mistura materiæ pinguis, quæ vnà cum vaporibus e terra & mari educitur. Mare enim fecundi est, & suam quamdã pinguedinem habet, qua etiam pisces aluntur. Dum ergo tenuiores eius partes sursum trahit, simul oleosum quiddam elicit, quod, vnà cum vapore cui miscetur, in pluuias frigore dentatum, terras irrigat. Idem accidit dum è terra virginea, è pratis, campis & siluis ardore solis vapores & halitus excitantur. Deinde a spiritu incluso & calore per solis radios imbri impresso: spiritus enim & calor omnia orire & crescere faciunt. Vt verò sua ruina, teneras plantarum, & florem nascentem imbres non obruerent, cauit Prouidentia, ne simul & confertim præcipitarent, sed sensim e sublimi stillarent per magnum aeris tractum, quo in minutissimas guttas dilecti & velut crebri, blando illapsu terras adpergerent. Deinde ne factum quod infidum est, rursus ardore solis euocaretur, priusquam ad stirpium radices pertingere posset; obtenduntur plerumque nubibus infecundæ reliquiæ, quæ solis radium intercipiant, donec per totum terra humorem acceptum combiberit, & introrsus ad viscera transmiserit, suis fetibus alimentum recondens.

Niues etiam, quæ nubium veluti spuma sunt, non modicam vtilitatem habent. Præterquam enim quod maxima flumina & fontes qui ex altissimis montibus ortum habent, perennent, terram quoque instar velleris infirati fouent, eius calore intus cohibito; & ne gelu profundiùs penetrans vim seminalem extinguat, prohibent. Hinc maximam fertilitatem & segetum copiam auferunt. habent etiam in se fecunditatem propter aerem & halitum calefactum inclusum, qui illis cadorem illum eximium impertit, infinitis veluti bullulis elucens. 52 *Niuis vtilitas.*

Gelu quoque rebus est pernitile. Nã spiritum & calorem terræ ac viuentium omnium reprimunt, & interimendi agit, non sinens euanescere. Hinc fit vt non solum homines, sed etiam animantia in regionibus frigidis sint maiora & robustiora, magisque longæua quam in feruidis. 53 *Gelu.*

Porro hæc omnia non promiscuè quouis tempore eueniunt, sed ita per anni tempestates sunt distributa, vt aptissime rebus gignendis, augendis, perficiendis, & earum perpetuandis speciebus congruant, & humanis vsibus cõmodissime deseruiant.

Ex quibus omnibus manifestè colligitur, ista viuentium dumtaxat causa, & in primis humani generis, cui cetera subiecta sunt, à quadam sapientissima & potentissima mente esse instituta & ordinata.

Sed & ipsa elementa ob eamdem causam esse facta, & hoc situ disposita, & in hanc formam digesta, terra & aqua satis indicant. Si enim natura rerum spectetur, terra deberet esse exactè rotunda, & aqua eam circumquaque ambire & operire. Omnia enim grauia ad centrum mundi æqualiter tendunt; & quo quid est altero grauius, hoc centro vult esse propinquius, & altero inferius. Itaque totam terram sub aquis esse oporteret, & aquam sphæricè circumfundi. At modo res longè aliter habet. Immensa enim terræ portio, nimirum illud totum quod mari non est opertum, cum vniuersa montium mole, longe altius est, & à centro remotius, quàm aqua. Nam per medium terræ ambitum depressus est ingens alueus, incomprehensæ profunditatis, vallis antractibus & sinubus huc illuc ad latera excurrens, nunc latior, nùc angustior, relictis sparsim exòchis variis quà maioribus, quà minoribus ad Insularum constitutionem. In hunc alueum, vniuersum aquæ elementum (præter id quod extenuatum abijt in auras) est compulsus, vt detecta terra habitationi hominum & animantium, rebusque gignendis seruire posset. 54 *Elementorũ dispositio.*

Deinde ipsa eo modo est conformata, vt à mari versus mediterranea sensim se attollat, donec vtrimque in montes & rupes, vt plerisque locis est videre, terminetur: mirabili tamen artificio. Primò, quia sic tuta redditur ab eluuionibus, quæ subinde longis temporum interuallis, vi aquarum, vel impetu ventorum aquas in vnam partem impellente, accidunt. Ab his loca humiliora, quæ altitudinem maris non multum superant, sæpè absorbentur, habitatoribus extinctis, & vniuersa substantia perdita. Deinde sine hoc molli ascensu non possunt esse flumina. Si enim terræ superficies æquè distaret vndique a centro, vt in globo perfectè rotundo, nullus esset fluminum lapsus. Aqua enim fluere non potest, nisi assidue loca inferiora, centroque viciniora inueniat. Si in tumorem repentè attolleretur, lapsus fluminum esset iusto concitatior, nec multum commodi hominibus adferre, nec etiam perpetuari 55 *Terra conformatio.*

Poſſet materiæ defectu. Omitto periculum exûnationum, quæ crebrò accederent, magno mortalium damno, quando imbrium vel nimis liquatæ copia in vnum collecta ſubito ex alto præcipitaret. Sentim ergo attolli debuit, inſenſibilibus augmentis ab oſtijs fluminum, vbi ſe in mare deuoluunt, vſque ad eorum origines, & mediterranea loca.

Iam ſi montes conſideremus, nulla rerum natura hos poſtulat, ſed hominum dumtaxat commoditas. Seruunt enim ad vim ventorum frangendam, qui, ſi omnia plana eſſent, nec quidquam inuenirent, quod eorum retarduret impetum, longe magis fœuirent, & grauia mortalibus damna inferrent. Hinc ſi vt multò magis in vaſto mari, vbi nulla obſtacula, & omnia æquabilia, quàm in medijs terræ locis dominentur & vigeant. Deinde ad regiones & regna diſtermmanda. Sunt enim velut magnorum regnorum limites, quibus ambitio mortalium, & dominandi libido coerceatur, ne ſine fine ad vexandos ſubiugandosque finitimos ſe effundat. Itaque ſingulorum regnorum conſulitur ſecuritati, & infinitæ bellorum clades per montium difficiles & inacceſſos tranſitus impediuntur. Suppediant quoque materiam ſtructuris, ſaxa, calcem, lignum, tegulas, aliaque plurima vitæ mortalium vel neceſſaria, vel peraccommoda. Nam & omnia pæne metalla, & varia gemmarum genera ex montium viſceribus & venis eruuntur, vel ad eorum radices effodiuntur. Suggerunt quoque ad vſus medicos pretioſis radices, & infinitam herbarum varietatem: præſtantiſſima quoque vina & oliuæ e montibus proueniunt. Poſtremo fontium & fluminum continent origines, illisque alimenta ſubminiſtrant ad perpetuitatem.

Monte. 56

Veniamus nunc ad terræ mariſque qualitatem. Hæc non eſt talis, qualem ipſa elementorum natura per ſe ſpectata exigit, ſed qualem viuentia & commoditas hominum requirunt. Si enim naturam rerum ſpectemus, elementa deberent eſſe ſimplicia, vniformia, eiuſdem vbique virtutis, eiuſdem affectionis. Terra quidem extremè ſicca & moderatè frigida, aqua extremè frigida & humida: aer humidus & modicè calidus: omnia omnis ſaporis, coloris, odoris expertia. At longè aliter res habet. Terrarum enim ſunt plurimæ diuerſitates. Sunt enim calidæ, frigidæ, lentæ, friabiles, leues, ponderoſæ, pingues, macræ, puellæ, gluæ, fluxæ, albicantes, rubeſcentes, varij ſaporis, varij odoris, varijs rebus gignendis accommodatæ.

Terræ mariſque qualitas. 57

Hic ſegetis, illic veniunt felicius vuæ.
Arborei fœtus alibi, atque immiſſa viteſcunt
Gramina. Nonne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?

Itaque ſingulæ peculiarem quamdam qualitatem & fœunditatem habent, abeo qui hoc elementum condidit, varijs locis impreſſam. Neque enim in ſolem & ſidera hanc totam diuerſitatem referre poſſumus; cum ſub eodem climate alia loca ſint deſerta, alia fertiliſſima: & quibus fertilitas inſit, non idem vbique, etſi eodem modo à ſole & aſtris aſpiciantur, proferre poſſunt. Pari modo foſſilia non vno omnia loco terra producit, ſed diuerſis diuerſa. Alibi enim ſaxum gignit, alibi cretam, alibi rubricam, alibi chalcanthum, alibi lithanthracem, alibi ſulphur, alibi ferrum, æs, plumbum, ſtannum, argentum, aurum, gemmas. Diuerſas igitur diuerſis locis vires obtinet, & diuerſa temperamenta, vt mortalibus omne genus opum non ſolùm ad neceſſitatem, ſed etiam ad commoditatem, ad delicias, ad ſplendorem, ad benefici Numinis commendationem ſuppeditet.

Habet etiam mare ſuam fœcunditatem prorſus admirabilem, eamque varijs locis variam. Non enim in quauis parte maris quæuis genera piſcium reperiuntur, ſed quædam in hac parte, alia in illa vel illa. Alia naſcuntur in Septemtrione, alia in plaga Auſtrali, alia in Orientali & Occidentali. 58

Salſedo maris.

Deinde vniuerſum mare contra naturam illius elementi eſt miræ ſalſedinis. Vnde id contraxit? quæ vis hoc illi impertijt, & in quem finem? Ridiculum eſt quod quidam Philoſophi excogitarunt, ſaliedinem ei prouenire vi radiorum ſolis, quibus fundus maris aduratur: aduſtione enim ſalſedinem naſci, vt cinis indicio nobis eſt. Quomodo enim fundus maris tanta aquarum mole (quæ multis locis 500. vel 1000 cubitos ſuperat) opertus, ita exuri à ſole poteſt, vt inde immenſa illa vis aquæ ſalſedinem contrahat? Non enim ſol vrit niſi per lumen, quod vltra 15. cubitos non penetrare vrinatores tentantur; eſt que ita languidum, vt eius calor paulo infra aquam ſentiri nequeat? Vt adultione ſalſitas oriatur, deber eſſe tanta, vt rem diſſoluat, & in ſua principia redigat, vt experientia docet. Neque propriè adultio in alijs rebus talem efficit, ſed latétem aperit. Vnde variarum rerum ſal arium eſt, & proprius rei ex qua elicitur, vires obtinet, vt per Chymicorum conſtat experimenta. Pari modo ſpiritus cuiuſque rei (ſeu olcum quod igne elicitur) antè in ipſis rebus diffuſus latebat. Deinde ſi adultione ea ſalſitas orta eſſet, deberet mare continuò fieri ſalſius; vnde oporteret pices tandem emori, tantam ſalſedinem non ferentes; ſicut in lacu Aſphaltite, quod mare mortuum dictum eſt, accidit. Requirit enim eorum natura certam aquarum temperiem. Denique illud incrementum, vt minimum ſingulis ſæculis poſſet notari. at nihil vnquam tale eſt deprehenſum. Paris probabilitatis eſt ſententia de montium ortu; qua ſtatuitur eos terræ motu extitiſſe, ſpiritu viſceribus terræ incluſo partem ſuperiorem attollente, & in ſublimi ſuſpendente. Tolerari fortè ea ſententia poſſet, ſi de paucis aliquot monticulis ageretur; ſed in tanta valliſſimorum montium omnia pene mediterranea occupantium, & longiſſimè ad 800. vel 1000. leucas excurrentium multitudine, nullam veri ſpeciem habet. Omitto rationes plurimas, quibus hoc figmentum refutari poſſet. Concludo itaque hanc ſalſedinem ab initio fuiſſe mari ab auctore ſuo communicatam: qui ſicuti terræ, præter naturæ debitum, fecunditatem impertijt ad ſtirpium & animantium terreſtrium procreationem ac ſuſtentationem, ita mari ad productionem & vitam piſcium.

Ex quibus omnibus, conſtat, omnia illa quæ diximus, ab aliqua mente, hominum cauſa fuiſſe ſic inſtituta & diſpoſita. Omnia enim præter naturæ ſuæ conditionem hominum commodis ſeruunt, & in hunc finem manifeſtè diriguntur; nec alia ratio, cur ita ſint diſpoſita & comparata, quàm ex ordine ad res humanas, reddi poteſt. 59

Nec obſtat quòd ſæpè per illa magnæ clades & calamitates hominum generi inferantur, nimirum per turbines ventorum, per grandinem, per fulmina, per terræ motum, infectionem aeris, exundationes imbrium, ſiccitates. Hoc enim diuinam prouidentiam magis aperit, & reddit omnibus manifeſtiorem. Sicut enim ſapientis & prouidi Principis eſt leges, tribunalia, arces, militiam, & cetera omnia in regno ita diſponere, vt in commodum & quietem ſubiectorum cedant, quamdiu in fide & obedientia ſteterint, & eaſdem cauſas conuertere ad eorum puntionem, ſi rebelles vel inobedientes eſſe ceperint: ita ſupremum illud Numen etſi cœlos & elementa in commodum hominum inſtituerit; tamen ita regit omnia vt ſubinde incommoda & damna per ea irroget, ad ipſorum peccata vel maiora, vel minora, fine quibus non viuitur, caſtiganda. Quamuis & hæc ipſa caſtigatio in maximum commodum cedat omnibus, qui bona mente præditi, ea probe norunt vti, vt infrà dicemus. 60 *Calamitates.*

Obijciat aliquis, iſta quæ diximus, non euenire ob aliquem finem ad quem ab aliqua cauſa intelligente ſint deſtinata, ſed materiæ (vt Philoſophi loquuntur) neceſſitate. Ardore enim ſolis halitum è terra & mari excitari, qui ſurſum elatus frigore mediæ regionis repulſus, ventos efficiat; coactus in nubes imbribus, niuibus, & grandini materiam præbeat, hinc fontes & flumina exiſtere. 61 *Obiectio.*

Fateor, quædam ex illis ita euenire, vt neceſſitate materiæ fieri videantur; hoc tamen maiorem & ſublimiorem prouidentiæ diſpoſitionem indicat, per quam cauſa eorum vniuerſalis (nimirum motus ſolis & aſtrorum) ita eſt inſtituta & temperata, vt abſque alterius cauſæ effectricis concurſu faciat illa ſuis temporibus & locis, congruentiſſimè rebus gignendis & mortalium commodis, produci & exiſtere. Itaque non ſola materiæ neceſſitate, ſed cauſæ vniuerſalis vario adſpectu & applicatione iſta proueniunt. Adde maris & terræ diſpoſitionem, montium exortum & excurſum, fluuiorum alueos, &c. non poſſe in materiæ neceſſitatem aut rerum naturam referri, ſed neceſſariò ab arte & prouidentia eſſe profecta; vt oſtenſum eſt. Sic Ægyptus cùm pluuijs deſtituatur, inundatione Nili per ætatem ita rigatur, & limo pingui obducitur, vt ſit fertiliſſima. Sic inſulæ cuidam Canaricæ quæ *Ferri* dicitur, omni aqua dulci deſtitutæ, ſubuenit diuina prouidentia *Reſponſio.*

arboris

arboris cuiuſdam præſidio: cuius ea eſt natura, vt aſſiduè, inter fontis, dulci humore fluat, qui hominibus & pecoribus ad potum ſufficiat.

62 Præter cælestia corpora & elementaria, de quibus dictum eſt, reperiuntur in aperfecte mixtorum genere, animantes, ſtirpes & foſſilia. Hæc quoque hominis cauſa eſſe, dubitari non poteſt, cùm videamus ea homini ministrare, eique illis dominari, & in ſuum illa commodum conuertere pro ſuo arbitratu.

Mundus cur conditus. Ex quibus conſequens eſt totum hunc mundum aſpectabilem cum omnibus rebus, quas intra ſe claudit, ob hominis cauſa conſtitutum; atque adeò eſſe veluti quandam amplißimam & pulcherrimam domum omni ſupellectilis genere, omni delectarum, opum & ornamentorum varietate & copia inſtructißimam, in qua homo conſtitutus eſt, vt vitam in ea degens, diuinum Numen tocum mundique totius auctorem cognoſcat, amet, veneretur & dignè colat, rebuſque omnibus iuxta rationis præceptum, ſiue ad corporis fomentum, ſiue ad animi ſolatium, ſiue ad cognitionis præſidium vtatur.

63 *Homo eſt finis rerum viſibilium, & totus mundus eſt propter hominem.* Homo enim omnium quæ in mundo ſunt, longè eſt præſtantiſſimum, eminentioris naturæ, eminentioris gradus & ordinis; cùm claſſis intelligentium ſit omnium ſuprema in rebus. Itaque debuit ipſe ceterorum eſſe finis, & cetera ipſius cauſa exiſtere, ipſique ſeruire. Solus omnia conſiderat, omnia percipit, omnia diſcernit omnibus vti & frui poteſt; omnium dulcedinem & pulchritudinem ſentire, & veluti nouum quoddam & ſecundarium numen totum hunc mundum corporeum in ſeipſo, incorporeum modo per intellectum producere & creare. Absque homine fruſtrà eſſet in rebus tanta pulchritudo, tantum artificium, tam mira diſpoſitio, tam ſtupenda ſtructura, tanta varietas formarum, colorum, odorum, ſaporum, temperamentorũ. Nihil enim eſſet, quod illa poſſet percipere, diſcernere, mirari, laudare, vti, frui, voluptatem ex illis capere. Nam cetera animalia ad paſtum abiecta ſunt, nec quicquam ſub boni ſpecie apprehendunt, niſi quod ventri aut veneris congruit; idque confuſo brutoque modo. Sicut ergo domus ea quam nullus incolit, quæ nullius vſibus aut commodis ſeruire poteſt, etiamſi opibus & omnigena ſupellectile ſit referta, nullius eſt momenti, nullius æſtimationis, & omnino fruſtrà eſt in mundo: ita mundus ipſe cum omni ſuo ornatu fruſtrà prorſus eſſet, ſi nulla exiſteret rationalis natura cui ille ſit vſui, quæ illum incolat, inſpiciat, cognoſcat, ſcrutetur, & fructum ex eo capiat ſiue commoditatis ſiue cognitionis.

Perſpicuum ergo eſt mundum eſſe propter hominem: eſt ergo aliqua prouidentia, quæ mundum in hunc finem condidit. Non enim à ſeipſo in hũc finem exiſtere potuit; neque à ſe totam illam diſpoſitionem, qua vſibus hominũ accommodatus eſt, habere, vt oſtenſum eſt. Habet ergo ſuum eſſe, ſuamque formam, diſpoſitionem, motum, vires ab alio, quem Deum dicimus.

Sexta Ratio, ex ſtructura animalium & plantarum in ordine ad finem.

PORRO eius prouidentiam non ſolum eſſe generalem & confuſam, nimirum quatenus ſupradictas cauſas generales inſtituit ad rerum ſublunarium productionẽ; ſed etiam particularem & perfectißimam ad minima quæque diſtinctè pertinentem, ex ipſa ſtructura animalium & plantarum clarè conuincitur. Tam enim exquiſito artificio, tanta proportione ſingulæ partes ſunt conformatæ, & ad ſuas functiones ac fines aptatæ, vt nulla ars, nulla ſapientiæ vel minimum poſſit adijcere aut emendare: quod certißimum eſt ſignum, illa omnia à ſapientiſſima quadam mente eſſe excogitata, quæ ſingula diſtinctißimè conſiderauerit, & ſtupenda arte externis curioſißimè effecerit.

Id aliquot exemplis oſtendamus. Non poterat homo vnico oſſe conſtare; quia ſe flectere, & membris ſuis ad varios motus & functiones vti nequiuiſſet. Itaque ex plurimis oſſibus partim maioribus, partim minoribus, partim minutiſſimis conſtructus eſt, quorum ſingula eam habent magnitudinem, figuram, firmitatem, connexionem, quam corporis robur, facilitas motus, & membrorum vſus poſtulabat. Capitis oſſa ſunt octo. Maxillæ ſuperiores duodecim, inferioris vnum. Dentes triginta duo. Spina conſtat vertebris triginta quatuor; os pectoris enſiforme oſſibus tribus. Coſtæ ſunt viginti quatuor, ex quibus quatuordecim a ſpina dorſi ad os pectoris pertingunt, in eoque firmantur ad cordis & pulmonum cuſtodiam; decem nõ pertingunt, vt ſtomacho & ventri laxitas relinquatur. Singuli digiti conſtant oſſiculis ternis, pollex binis. Manus verò ipſæ, nectis oſſiculis carpi per quæ ad oſſa cubiti nectuntur, conſtant oſſiculis vicenis. In pedibus verò non eſt minor oſſiculorum multitudo. hæc autẽ miro modo inter ſe ſunt contexta. Quædam enim inſtar clauorum ſunt infixa, vt dentes maxillæ; quædam ſerratim commiſſa & veluti conſuta, vt videre eſt in oſſibus cranij; alia pyramidum immiſſa, & validis ligamentis reuincta, ſicut os femoris in coxæ acetabulo; alia in modum cardinis ſe mutuò ſubintrãt, (γιγγλυμὸς ἐνάρθρωσις vocant;) alia alio modo connectuntur, prout ratio firmitatis & motus membri poſtulat. Quanto artificio oſſicula minutiſſima quæ ſeſamina dicuntur, certis locis interponuntur ad faciliorem articulorum motum? Denique tanta ratione ſingula ad ſuum finem ſunt aptata, vt nihil poſſit fingi accommodatius. Nihil ibi fruſtrà, nihil redundans, nihil minus quam oporteat, nihil non neceſſarium vel maximè expedicus ad ſuum finem.

66 *Muſculi.* Pari modo hæc oſſa non poterant vna aliqua & continua carnis maſſa contegi; nam & hæc quoque inepta ad motum vſumque membrorum fuiſſet: ſed oportuit varias carnis particulas, quas muſculos vocamus, aptari, & ex illis vario modo diſpoſitis oſſa contegi, corpuſque formari. Sunt itaque muſculi pluſquam ſexcenti, longi, breues; lati, anguſti; craſſi, tenues; recti, curui; acuti, obtuſi; teretes, plani, anguloſi; figura ſimplici, multiplici: alij ſuper alios, iuxta alios, in directum, in obliquum, in tranſuerſum, ſtupendo prorſus artificio diſpoſiti, quorum beneficio ſingula membra ſuum motum obtinent. Scribit Galenus eſſe in corpore humano oſſa ſupra ducenta; & ſingula oſſa habere ſcopos ſupra 40. qui in illis formandis, diſponendis, connectendis conſiderandi ſunt. Itaque vt ſola oſſa corporis humani aptè formentur pluſquam octies mille ſcopos eſſe ſpectandos. Muſculos eſſe ſupra ſexcentos, quorum ſinguli ſcopos habeant decem, ac proinde in ſolis muſculis ſex millia ſcoporum conſiderari. *Eadem*, inquit, *ars circa tenuia viſcera exiſtit, & omnino circa quamlibet partem, adeò vt ſi quis ſtructura ſcopos conſideret, in aliquam myriadem eorum multitudo excreſcat.* Hinc concludit corpus humanum à ſapientiſſimo & potentiſſimo artifice eſſe formatum.

Galen. de fac. nat. ſum. 1. Dottor Willis magn. ſcient. 280.

Non ſatis erat corpus humanum oſſibus conſtare & muſculis, ſed calore opus erat vt poſſet viuere, & ſanguine quo poſſet ali, & ſpiritu quo poſſet moueri ac ſentire. Conſtat enim ſine ſpiritu animam nec ſentire, nec corpus ſuum mouere poſſe. Spiritus enim cùm tenuiſſimæ ſit ſubſtantiæ, tamquam medium quiddam inter animam ſubtiliſſimam & corpus craſſum, eſt proximum animæ inſtrumẽtum, quo motum & ſenſum effici, ſine quo etiam alimenti diſtributio fieri nequit. Fabricata eſt igitur Prouidentia tria viſcera principalia in homine, quibus hæc perficerentur, cor, hepar, cerebrum. Cor ad totius corporis calorem & ſpiritum vitalem; hepar ad ſanguineum & ſpiritum naturalem; cerebrum ad ſpiritum animalem. His cetera viſcera, & organa externa ſeruiunt. Hepati ſeruiunt dentes, œſophagos ſtomachus ad ſuppeditãdam ſanguini materiam, ſeu ſuccum probè ſubactum, quem chylum vocamus. Inteſtina partim ad hunc chylum per venas meſaraicas ad hepar tranſmittendum; partim ad feculentam ciborum materiem educendam. Deinde hepati quoque ſeruit folliculus fellis, vt chylo in ſanguinem conuerſo, acrẽm materiam corpori noxiam attrahat, & excipiat; lien, ac craſſiores & feculentas ſanguinis partes ad ſcaturiginem, vt ſerum crudum & redundans ſanguini mixtum erugant, probèque colatum, per vreteres in veſicam tranſmittant, opportuno tempore excernendum. Pulmo ſeruit cordi, nouã aura crebrò attracta & exſpirata ad refrigerium, & ſpiritus vitalis recreationem.

67 *Spiritus.*

Viſcera tria principalia.

Porrò ſpiritus gignuntur hoc modo. Cibo concocto optimus eius ſuccus tranſmittitur ad hepar. Fit hæc tranſmiſſio partim vitali ſtomachi compreſſione, partim vi vinarum inteſtini ieiuni, & aliarum innumerabilũ, quæ

68 *Spiritum ex-*

Conſideratio humani corporis. Oſſa.

95

in meſenterio poſitæ habent vim ſugendi. Hepar corpore fitulofo chylum excipiens, tranſmutat illum ſua vi in ſanguinem, & ſanguinis tenuiores partes in vaporem, quem ſpiritum *naturalem* putamus, qui venas & corporis poros diſtendat, & aperiat, &c. Sanguinis partem vnam per venã cauam, quæ ex ipſo oritur, tranſmittit ad cor. Ibi calore cordis primum in dextro, deinde in ſiniſtro ventriculo mirè extenuatur, & bonam partem in tenuiſſimum vaporem cõuertitur; cuius portio aliqua per arteriam maiorem à corde ad cerebrum tranſmiſſa, ibi per plexum retiformẽ probe elaborata, clarificata, & temperata efficitur ſpiritus *animalis*, idoneus qui ad ſenſum & motum, functiones animãti proprias, ſeruiat; reliquam portionem ſpirituum cor per arterias vnã cum tenuiſſimo ſanguine in totum corpus diſtribuit, vt illius calorem natiuum conſeruet & foueat, hũc ſpiritum *vitalem* appellamus. Nunc breuiter expediendum quomodo ſpiritus vterque & ſanguis per totum corpus diſtribuatur: vt intelligatur quam admirabili ſapientia hæc omnia ſint diſpoſita.

69 *Quomodo per totum diſtribuantur corpus.*

Corpus noſtrum conſtat calido & humido. Calor aſſiduè humidum abſumit & in auras diſſipat, vt patet exemplo aquæ ſoli expoſitæ, vel calefactæ, quæ ſenſim tota euaneſcit. Hinc omnia membra & viſcera exareſcerent, niſi per alimentum fieret inſtauratio. Alimentum propinquum corporis eſt ſanguis. quare hunc per totum corpus diſtribui oportuit, vt omnes partes ex eo ali poſſent. Officina ſanguinis eſt hepar. Itaque ex hepate ducuntur duæ venæ ingentes, altera ſurſum, altera deorſum, quæ deinde in varios diuiduntur ramos, & ſinguli rami rurſus in alios minores, & hi in alios, donec tandem in minutiſſimas & inuiſibiles venulas faceſſant: tendunt hæ venæ in viſcera & in muſculos omnes, & in eos terminantur. Itaque cùm muſculi ſint ſupra ſexcentos, & plerumque multæ venulæ in ſingulos abeant, fit vt præter venas inuiſibiles (quas capillares vocant) ſint aliquot venarum ſeu potius ramorum ex gemina vena ductorum chiliades.

Diſtributio ſanguinis.

70 Hac ratione efficitur vt nulla ſit particula corporis tam parua, quin ad eam alimentum deferatur. Venarum mira ſtructura & vis. Conſtant enim fibris directis, obliquis & tranſuerſis. Directis, vt ſanguinem attrahant & fugant; obliquis, vt retineant; tranſuerſis, vt vlterius ad muſculos & extimas vſque partes tranſmittant. Eadem ars in fitulis inteſtinorum ſeruata. Habent vim ſanguinis conſeruandi, qui extra illas erumpens ſtatim putreſcit, & morbos efficit, in pleuritide, contuſionibus & inflammationibus videmus. Miſcetur ſanguini ſeroſus humor ad faciliorem diſtributionem, qui poſtea vel calore in halitum diſſipatur, vel ſudore excernitur. Miſcetur & modicum bilis ad tenuitatem, ne craſſeſcat, & quaſi coaguletur. Miſcetur & ſpiritus quem naturalem dicimus, vt poros aperiat, & alimentum inducat. Nulla enim eſt corporis particula, quæ porоſa non ſit.

In oſſibus, muſculis, viſceribus, neruis, venis, arterijs, mẽbranis, cartilaginibus eſt vis aſſimilatrix, per quam hę partes ſingulæ alimentum ad ſe tranſmiſſum in ſuam naturam & ſpeciem conuertunt.

71 *Diſtributio caloris & ſpiritus vitalis.*

Sicut hepar omnibus partibus corporis ſanguinem quo alantur, & ſpiritum naturalem ſuppeditat; ita cor calorem & ſpiritum vitalem, quo calor natiuus aſſiduè foueatur & ventiletur: in quem finem a corde ducuntur duæ arteriæ, altera ſurſum, altera deorſum, quæ rurſus in multos ramos abeunt, & hi rurſus in alios minores, donec in tenuiſſimas veluti fibras terminentur; eo prorſus modo quo venarum genus. Pertingunt arteriarum ramuſculi ad omnes muſculos, & ad viſcera omnia, vt calorem & ſpiritum illis infundant.

Ventilatio.

Porrò ſicut in ijs quę manifeſtè calidum habent ſanguinem, cor aſſiduè per ſyſtolem & diaſtolem ſeſe agitat, vt per diaſtolem ſeu dilationem ſui nouum aerem attrahat ad caloris temperiem & ſpirituum recreationem; per ſyſtolem ſeu compreſſionem ſui, fuligineſum vaporem expellat: ita arteriæ omnes per totum corpus ijſdem momentis mouentur, perpetua viciſſitudine ſeſe dilatando & contrahendo, ob eoſdem fines. Eſtque hæc ventilatio tanti momenti, vt ea prohibita (quod interdum per affluxũ humorum accidit) ſtatim accendatur febris.

72 Cerebrum ſuppeditat ſpiritum animalem, qui, ſicut ſanguis & ſpiritus naturalis per venas, & ſicut calor ac ſpiritus vitalis per arterias, ita diffunditur per nemos. Verum quia è cerebro, quod capite continetur, non poterant ſufficientes nerui procedere, qui ad omnia viſcera & muſculos omnes pertinerent, Prouidentia opifex hominis, ſubſtantiam cerebri vnã cum ſuis membranis à capite per colli vertebras, & per totam ſpinam dorſi protendit, ita vt medulla ſpinalis non ſit aliud quam continuatio quædam & productio cerebri. Ne autem ſpiritus euaneſcat, & animal ſubitò moriatur, inuolutum eſt cerebri duplici membrana, altera tenuiore, quæ interior eſt; altera duriore & robuſtiore, quæ exterior, & oſſi cranij proxima. Simili modo inuoluitur medulla ſpinalis.

Diſtributio ſpiritus animalis.

Productio cerebri & membranarum eius.

Nerui procedunt a cerebro, & à medulla ſpinali, & horum duplici membrana. A cerebro ſex neruorum paria; quinque quidem paria ad quinque ſenſuum organa, vt ſpiritum ſuppeditent, potiſſimum quidem ad ſenſum; deinde etiam ad motum muſculorum capitis: ſextum par extra caput protenditur ad muſculos aliquos cerui cis, laryngis, pectoris, & ad ſtomachi orificium cui ſumma cum corde ſympathia. Ex medulla ſpinali ciuſque membranis oriuntur paria neruorum triginta, quorum ſinguli in plurimos ramos diuiſi, tandem in muſculos, ſicut de venis & arterijs dictum eſt, terminantur: vbi autem ad muſculos pertingunt, in neruoſam abeunt materiam, quam tendinem vocant, & muſculi caput conſtituit. Spiritus itaque à cerebro & ſpinali medulla per neruos hoc modo in ſenſuum organa & muſculos tranſmittitur; quo ſpiritu anima veluti inſtrumento quodam mouet muſculos, & mediantibus muſculis membra ſingula. & eiuſdem ſpiritus adminiculo ſenſuũ externorum & internorum operationes perficit.

Neruorum ſex paria à cerebro.

Triginta neruorum paria ex ſpina dorſi.

73 *Neruorum compoſitio.*

Neruorum mirabilis eſt compoſitio. Sicut enim cerebrum integrum tribus conſtat, nimirum medulla, & duplici membrana qua inuoluitur: ita enim ſinguli nerui qui ab ipſo oriuntur. Nam intimum neruorum medulla eſt cerebri ſubſtantiæ ſimilis, quæ duabus tunicis tegitur; adeò vt nihil aliud nerui eſſe videantur quàm illius medullæ, & illarum membranarum, quibus cerebrum conſtat, productio & continuatio. Hac ratione fit vt cerebrum quodammodò ſit per totum corpus, & in ſingulis corporis particulis, quę ſenſum & motum habent. Primariò enim locatum eſt in capite, in quo omnia ſenſuum organa. A capite vnã cum ſuis membranis protenditur per ſpinam dorſi: à ſpina dorſi abit in nerues qui ſparguntur per totum corpus, in omnes diffuſi muſculos.

74 *Quo modo tria principalia viſcera ſint in ſingulis corporis partibus.*

Simili modo cor per arterias quæ cordis naturam imitantur, & hepar per venas, quæ ipſius vim & indolem retinent, per totum corpus diffunduntur, & in minima quauis particula exiſtunt. Quo mirabili artificio tria illa principalia viſcera quibus ſenſus, motus, pulſus & nutritio perficitur, nempe cerebrum, cor, hepar, per totum corpus extenduntur, & in ſingulis eius partibus quodammodo exiſtũt. Omitto alia innumera quę de ſtructura ſingulorum & vſu dici poſſent.

Recenſui hæc pauca de vſu & fine iſtorum trium primariorum viſcerum, quia mihi ſæpè ſummam admirationem diuinæ ſapientiæ, quæ iſta tam mirificè excogitauit & diſpoſuit, commouerunt. Conueniat omnis ſapientia omnium hominum & Angelorum, nihil vnquam ſimile, nihil adeo ordinatum & aptum ad ſuum finem, & naturæ rei ita congruum excogitare poterunt.

75 *In ceteris animantibus tria illa reperiri.*

Neque ſolum in homine, ſed etiam in reliquorum animantium ſpecielbus artificium illorum trium viſcerum reperitur. Cùm enim omnia ſenſum & motum habeant, opus habent ſpiritu animali, ac proinde cerebro ſui generis, quod ſpirituum ſit officina; & neruis è cerebro ductis, per quos ſpiritus ad organa ſenſuum & muſculos decurrant. Quia aluntur, opus eſt hepate, quod alimentum præparet; & venis, per quas ad ſingulas partes deferatur; & ſpiritu naturali, cuius beneficio per omnia penetret: quia ſuo quodam calore fouenda ſunt, vt viuere poſſint, opus eſt corde à quo calor vitalis & ſpiritus in totum corpus deferatur, & arterijs per quas deferatur. Aptiſſimè autem hęc in ſingulis ſunt diſpoſita non eodem modo, ſed infinita quadam varietate, pro natura & ſpecie cuiuſque. Itaque etiam in muſcis, in culicibus, in pulicibus, in vermiculis ita reperiuntur. Habent enim etiam hæc animalcula ſuum cerebrum, ſuũ hepar, ſuos neruos, ſuas arterias,

& ve-

& venis mira subtilitate concinnatas. Non sunt interiùs res confusæ & vniformes, sed organa habent perfecta, discreta, imperantia, diuersi temperamenti, diuersæ facultatis, diuersi vsus, diuersæ formæ, diuersæ connexionis, diuersi situs, intro & fine diuerso, sed tenuitate inuisibili & humana industria incomprehensibili. in vicant hoc manifeste sentium acrimonia, velocitas motus, multiplex industria ac sagacitas eorum.

76 *Externæ partes animantium.* *Animum confirmatio.*

Iam si externas partes animantium cõsideremus, quàm singulæ sunt accommodatæ ad proprios vsus? quàm faciles & expeditas habent functiones & motus? Quanta earum pro varietate specierum varietas? Aues capite minuto & in rostrum acuminato, ad aerem facile findendum, pedibus aduncis ad ramusculos arborum, quibus insideãt, complectendos; plumis auersis ne obsint volatui, quæ inter volandum ita corpori applicantur, vt aer minime subintret. Alæ leuissimæ, & ita conformatæ, vt facillime explicari ad volatum, & rursus contrahi possint, molli cauitate idoneæ ad aerem in motu colligendum, & in quiete ad corpus decorè arcteque tegendum. Quæ carniuoræ, rostro sunt valido & adunco ad discerpendum, vnguibus firmis & acutis ad apprehendendum. Quæ ex aquis pastum habent, collo oblongo, vt in profundum possint caput immergere. Denique quanta in auium genere colorum pigmenta? quanta pennarum pulchritudo? quanta vocum diuersitas? Quàm suauis & artificiosus quarundam cantus in exiguo corpusculo quàm acuta & longe penetrans vocalitas?

77 *Quadrupedum.*

Quadrupedum alia est formatio, quia per terram ambulant. Quæ carniuora sunt, & ex præda viuunt, his membra ad capturam accommodata. In rictu superè & infernè dentes gemini, longi, valdi ad tenendum & discerpendum; vngues acuti & falcati ad apprehendendum, quos incedendo condunt in vaginas ne atterantur: ad capturam exerunt instar digitorum, & prædæ injciunt.

Quæ herbis, frondibus, fructibus vescuntur, aliter dentes & vngulas dispositas habent. Dentium series non serrata vt carniuoris, sed continua & æquabilis: quorum priores acuti ad gramina incidenda, ad virentia prata & virgulta tondenda; posteriores obtusi & lati ad pabulum cõminuendum. Vngulæ firmæ instar calceorum, vt firmiùs insistant, & ne facile pedes lædi possint in tanto corporis pondere. Colli ea longitudo quæ necessaria, vt erecta in pedes pastum è terra capiant. Hinc camelis ob corporis altitudinem collum longissimum. In elephante alia ratio. Deformis enim fuisset tãta colli procerita, & vastam illam molem imbecillam reddidisset ad sui tutamen. Itaque habet collum breuissimũ, & data est ei proboscis; qua tamquam manu omnia facilimè apprehendit & ori admouet. Quis non videat hæc omnia de industria mira sapientia & consideratione sic esse disposita?

78 *Pisces.*

Piscium quoque genus quàm aptè ad degendum in illo elemento, formatum! Caput plerisque anguillum ad secandam facilius aquam: cauda lata & expansa, qua tamquam gubernaculo motum suum in omnem partem mira celeritate dirigunt. Pinnas habent ad ventrem alij binas, alij quaternas vel plures, quibus tamquam remis motum impellunt & siſſunt. in dorso quoque pinnam instar membranæ productam, quam intendunt vt prom natent, neve facilè in tergum relapinentur. Branchiæ quas vtrimque ad fauces habent, ferunt ad emissionem aquæ, tum eius quam assiduè hauriunt ad cordis refrigerationem; tum illius quæ confertim influit, dum escam capiunt. Vnde qui branchijs carent, habent foramina vel fistulas, per quas hanc aquam emittant. sine hoc subsidio suffocarentur; omni respiratione impedita, vt harum rerum curiosi scribunt. Squamas habent auersas, ne obsint natatui, quæ inter meandum stringuntur arctiùs. Qui non validè respirant pulmone carent, & cor prope fauces habent, tenuiter obtectum, vt facilè aquarum attactu refrigeretur. qui validam habent respirationem, pulmone quo cor obtegitur, præditi sunt, & ceteris organis ad hoc opportunis. Denique innumerabilis est ibi specierum & formarum varietas, quarum singulæ omnes partes internas & externas decentissimè formatas habent, & ad proprium vsum aptissimè; adeò vt nihil omnino ibi deprehendi possit, quod summa ratione non sit constitutum. Neque solùm in piscium corporibus hæc varietas formæ, & structuræ elegantia cernitur, sed etiam in ipsis testis, quibus concharum genus, etsi maximè imperfectum tegitur & inuoluitur. Harum enim stupenda pulchritudo & varietas, etsi ad nihil aliud quàm ad vltimi integumenti teneris concharum corpusculis muniendis fieri videatur. Nusquam alibi manus diuinæ artis specimen, præsertim absque semine, informi elemento seminales omnium rationes in se continente, & omnem illam varietatem producente. *Tot ibi colorum effigies & tot figura planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in deorsum elatis, leuibus, nitentibus, denticulatis, striatis, vertice muricatim inserto, margine in mucronem emisso, foris effuso intus replicato: tũ distinctione virgulata, crinita, crispa, canaliculatum, pectinatim diuisa, imbricatim undata, concentrim reticulata, in obliquum, in rectum expansa; densata, porrecta, striata: breui nodo ligata, filo tenere connexa, ad plausum aperta, ad buccinam reclusa. Nitor & puritas in plerisque incredibilis, omnia vincens auri & argenti metalla, nisi longissimo ano non obsolescens.* Plinius libro 9 c. 33.

79 *Arma, tegumenta.*

Hoc etiam in animantibus dignum consideratu. Homini, ratione prædito qua sibi consulere potest, neque vestes, neque arma data, sed horum loco tributæ manus, quibus omne sibi vestimi & armorum genus conficere, confecta assumere, & deponere pro arbitrio posset. Brutis vero, quia sibi illa parare non poterant, neque pro re nata assumere & deponere, vestes & arma semper adhærentia concessa, quæ etiam cum crescentibus crescerent, nec opus haberent interpolari & reficiri. Pro armis data sunt alijs cornua, alijs dentes, alijs vngues, alijs robur in calcibus, alijs spiculum in cauda, alijs vis pernicialis in dente, vngula, saliua, contactu, afflatu; alijs præsidium in fugæ celeritate & alitu, vel testæ qua includuntur duritie, vel echinata cute, & spinarum quibus vestiuntur horrore, quas etiam in hostem vibrare norunt aliqua. Loco vestium alia habent pilos, plumas, squamas, cruſtas, testas, cutem glabram, quæ tamen sua duritie & firmitate illis sufficiat. Est in singulis animantibus vis, qua hæc omnia locis congruentibus, figura, & colore accommodo, formentur & crescant; idque ex terrestri parte alimenti, naturæ alioquin inutili & excernenda: vt etiam in eo prouidentiam mirentur, quę materiam corpori alendo noxiam in tam necessarios vsus dispensat.

Omitto insectorum & vermiculorum diuersissimas formas, quibus & aer & terra & campi & flumina & stagna per ætatem scarent & personant. Omnia ad miraculum pulchra, omnia suis numeris absoluta, & ad functiones sibi congruentes instructissima. Nihil in his adeò vile, quod nõn summam admirationem moueat attentiùs consideranti. Quinimò quò quid est minus & abiectius, eò magis in eius structura diuinæ prouidentiæ elucet artificium.

80 *Fabrica plantarum.*

Eadem prouidentia cernitur in fabrica plantarum, quæ ex terra erumpentes, terræ affixæ manent; quarum plurima sunt genera & diuersissimæ structuræ. Nihil in his sine summa ratione conflat. Omnes partes aptissimè ad suos fines comparatæ. Radices, vt totam plantam (siue arbor sit, siue virgultum, siue herba) terræ alligent, & ex ea humorem sugant, ad totius & omnium partium alimentum. Mira earum vis, qua etiam vastissimæ & ramis longè lateque diffusæ arbores ita le terræ affigunt, vt nullus ventorum impulsus eas possit prosternere. Cortex instar vestis contra frigus & æstum, & rerum incurrentium læsiones. Rami ad fructuum multiplicem prouentum. Frondes ad ornamentum, & in primis ad fructum tutamen, ne sole vel imbribus vastentur. Fructus ad seminis custodiam, & in plerisq; potissimùm ad hominum & animantũ escam: ideòque adeò torosi & succosi, longeque maioris quàm seminis defensio postulet; vt in pomis, pyris, melonibus, peponibus, alijsque multis fructuum generibus, est videre. Plantæ carent musculis: quia non habent motum vt animalia, sed terræ adhærent immobiles. Constant itaq; fibris rectis, quæ omnes poris plenæ, per quos alimentum sugãt. Omnes omnino partes à primis radicum capillamentis vsque ad foliorum extrema porosæ sunt, & vim sugẽda habent, & succum attractum assimilandi. Frondes & fructus ex tenui pedunculo pendent, qui in fibras innumeras facessit. per hunc omnis succus transit, qui deinde per fibrarum poros in totum corpus frõdis & fructus diffunditur,

ſem aſſequetur: vt ſi agatur, verbi gratia, de corpuſculo muſcæ, quot pedes habere debeat, quot crurum internodia, quæ ſingulis internodijs menſura, temperies, proportio, connexio; quot nerui in ſingula crura deducí, quot venæ, quæ menſura bifulcas vnguiculis, quæ pene ſenſum fugiunt, & alia innumera. Poſſent enim vel in vnius muſcę corpuſculo multa proportionum millia reperiri neceſſaria vt ſuæ animæ illud apte reſpondeat; quas omnes nemo aſſequi poteſt, niſi naturam animæ in qua omnium ratio velut in radice latet, mente penetret.

Vis ſeminalis ſummam debet habere proportionem ad corpus, vt tale quoad omnia formare poſſit, quale anima illa poſtulat. Itaque qui vim ſeminalem inſtituit, & fecit, debuit ante perſpectam habere totam corporis ſtructuram, vt vim effectricem illi proportionatam & exactè cõmenſam repræſentaret: Sicut enim in anima, tamquam in cauſa finali, latet tota ratio ſtructuræ corporis, & ideò corpus debet illi exacta proportione eſſe commenſum: ita in vi ſeminali latet eiuſdem ſtructuræ ratio, vt in propria & adæquata cauſa effectrice. Vnde debet inter ſtructuram corporis & vim ſeminalem eſſe exacta proportio, qualis eſt inter cauſam effectricem & effectum illi adæquatum.

84 Ex quibus clariſſimè demonſtratur, hæc tria, animam cuiuſlibet animantis, corporis fabricam, & vim ſeminalem ab eodem principio originem habere: quod principiũ non potuiſſet aliqua natura ratione deſtituta. Hæc enim non poterit inter diuerſa congruas proportiones conſtituere, nedum tam exactas & multiplices, quales ſunt inter corpus & animam, inter vim ſeminariam & corporis fabricam. Nam illud ſummam & diſtinctiſſimam cognitionem requirit. Fuit ergo mens aliqua ſapientiſſima ſimul & potentiſſima, quæ per ſapientiam iſta potuit excogitare, & per potentiam exequi.

Hæc tria ab eodem principio.

85 Cauſa cur vis ſeminaria tanta arte operetur, vt mente prædita videri poſſit, eſt; quia eſt impreſſio quædam, & quaſi veſtigium artis diuinæ: hinc perinde operatur, ac ſi arte prædita eſſet. Sicut ſi pictor artis ſuæ vim permanentem poſſet imprimere penicillo, penicillus perinde moueretur & per ſe pingeret formaretque totam imaginem, ac ſi ars ipſa & mens ei ineſſet. Accedit quòd diuina mens aſſiduo influxu illam impreſſionem conſeruet, & ei operanti vniuerſali concurſu cooperetur. Sicut in animantibus tria iſta, anima, corpus, & vis ſeminalis mira proportione inter ſe reſpondent & commenſa ſunt: ita etiam in toto plantarum genere. In anima plantæ cuiuſque, tota ratio ſtructuræ corporis ipſius plantæ, & frondium, & florũ & fructuum continetur. Similiter in vi ſeminali. Res ſimplex eſt forma ſeu anima plantæ, & vis ſeminalis; ſed infinita latet ibi varietas, cauſali ratione. Totum enim diſcrimen & tota multitudo figurarum, colorum, odorum, linearum, proportionum quæ exteriùs vel in corpore plantæ, vel in foliis, vel in floribus, vel in fructibus, vel in radicibus, vel in cortice, vel in medulla, vel in ſucco cernitur, ea omnis a vi ſeminali, & ab ipſa forma ſeu anima proficiſcitur; ac proinde in vtroque ſimplici quodam & inuiſibili modo ſtupenda ratione interiùs continetur. Itaque ſi flores exteriùs apparent oculis pulchri, & admirabiles tanta figurarum, colorum & proportionum varietate, quanto pulchrior ipſa forma & vis ſeminalis, à qua tota illa viſibilis pulchritudo promanat, & in qua miro, ſingulari & ineffabili modo ea tota continetur?

Eſt impreſſio artis diuinæ.

86 Neque ſolùm rerum temina, quæ naturali modo & abſque cognitione vlla operantur, ſua operatione in finem aliquem tendunt, ſed etiam animantes ipſæ cùm agunt per imaginationem. Hæ enim omnes & ad paſtum, & ad generationem mouentur, & has functiones peragunt, nihil omnino cogitantes aut concipientes de fine, ad quem illæ tendunt & ſunt inſtitutæ. Non enim amore prolis concitantur ad concubitum; neque deſiderio conſeruandi ſui, & vitam producendi, mouentur ad paſtum; ſed confuſo dumtaxat modo apprehendunt cõcubitum & paſtum ſub ſpecie conuenientis aut delectabilis, & idcircò ad hæc incitantur. Certum tamen eſt has actiones vlteriùs tendere. Non enim paſtus aut concubitus eſt inſtitutus ob voluptatem; ſed hic ad conſeruandam ſpeciem communem, ille ad tuendam vitam priuatam. Neceſſe ergo eſt vt ſit mens aliqua ſuperior, quæ hos fines cognoſcat, & animalia bruta ad illos dirigat; quæ etiam inſtrumenta & organa idonea, quibus ad eos perueniretur, in ſingulis pro conditione & natura coniunxerit, diſpoſuerit.

Animantiũ operationes in finem tendunt.

Deinde elucet in multis ſingularis quædam induſtria, qua vel cibos captant, vel cubilia & nidos conſtruunt, vel prolem educant & tuentur, vel vitam ſuam conſeruant, adeò vt etiamſi ratione prædita eſſent, non poſſent illa ſagatiùs præſtare; & tamen finem, ob quem illa faciunt, non apprehendunt. 88 *Induſtria animantium.*

Aranea mira ante telam texit, & tamquam venator muſcis captandis retia pandit. Stamina primùm decuſſatim extendit, paribus in medio angulis, & extrema in vtrumque ad oppoſita alligat & firmat. Deinde a medio orſa texere, circinato orbe ſubtegmina adnectit, maculaſque paribus ſemper interuallis, ſed ſubinde creſcentibus, indiſſolubili nodo implicat. Quanta ſubtilitate cedat pedicas ſcutula to reti graſſantes, pexitate & politura quadam telæ tenacem tramæ rationem occultans? Extra, ſpecum ſibi concamerat ad inſidias, aucupum more, ne conſpiciatur. Vbi muſca inciderit, accurrit citiſſimè, apprehendit, alas glomere ventris implicat, ne auolare poſſit; necat, aufert, recondit in tempus famis. Poſſetne ſi ratione prædita eſſet, ſingula facere ordinatiùs, & ad illum finem aptiùs? *Aranea.*

Apicolæ fauos cõſtruunt tenerrimos, hexagonis vtrimque diſtinctos cellulis, quas ſenis pedunculis in orbem cõmeantes formant. Deinde longè lateque per ſata floreſque camporum diſperſæ, dulcem cæli rorem colligunt, & in illos alueolos condunt, ad hiberni temporis, cùm egredi non licebit, annonam. Mira inter eas operis diſtributio. Aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttaſque lanugine totius corporis, aliæ ſtruunt, aliæ poliunt, aliæ ſuggerunt, aliæ aduentantes exonerant. Cùm cellæ fuerint plenæ, tenuem membranam obtendunt, ne liquor effluat. Ruentes ceras fulciunt pilarum integerimis, quas ſolo in fornicem ſtruunt, tum ad firmitatem, tum ne deſit aditus ad farciendum. communiter quieſcunt, communiter laborant, in commune conſpirant opus, & in vicem pro ſua quæque facultate ad hoc perficiendum ſe iuuant: omitto quæ de mira earum politia auctores ſcribunt, à pluribus curioſè obſeruata. 89 *Apes.*

Iam in formicis quanta ſedulitas? quanta futuri cura, quibus tamen nulla futuri cognitio? In cauernulis habitaculum varijs anfractibus ſinuoſum parant, terram emolientes. hic oua vere pariunt, huc omnem annonam inferunt, & hiemem condunt; laborem communicant vt apes. Eſt enim & in illis Reipubl. ratio & cura. Semina antè arrodunt, ne condita rurſus in fruges exeant, miranda planè prouidentia. Madefacta imbre proferunt, & ſiccant ad ſolem: deinde rurſus condunt; onera forcipe oris apprehenſa gerunt. In tanta exeuntium, redeuntium, obuiantiũ concurſatione, & quidem anguſto calle, inuicem ſe non impediunt; ita dextrè norunt cauere. Sepeliuntur inter ſe viuentium ſolæ præter hominem. 90 *Formicæ.*

Bombyces ſepulchrum ſibi concinnant ex ſuis viſceribus, largiera veteri fertilitate materiam ſuppediante, quo incluſi, veluti morte functi, tandem alia forma emerſi & in lucem prodeuntes, palingeneſiam æmulantur, metamorphoſi ſtupenda. Forma illis erucarum hortenſium: pabulũ carpunt pœnè aſſiduè, duobus tantùm interuallis interquieſcentes ad concoctionem, donec adoleuerint. Iuſtam adepti molem, & paſtu corpore dittento rurſum quieſcũt, vt materia concoquatur. Deinde texere incipiunt opere continuato, labore indefeſſo, donec ſe incluſerint. Mira ſtaminis huius tenuitas & tenax firmitas. Pedum vnguiculis fila deducunt, & in glomum vacuum, quaſi figura, conuoluunt, intus ſe claudentes. Quanta in hoc opere induſtria & prouidentia? hinc tanta bombycini panni copia, quo nunc ad mundus ad luxum abutitur. 91 *Bombyces.*

Erinaceus vites ſubit, acinos maturos in terram excutit; vbi magna copia exciderit, in ſphæram ſe contrahit: deinde per illos huc illuc ſeſe voluens, acinos illos ſpinis confixos, & in formam racemi collectos in ſpecum aſportat, catulis ſe legendum præbens. Idem facit in pomis. Neque parua in felibus induſtria. quo ſilentio, quàm lenibus veſtigijs obrepunt auibus? quàm occulto ſpeculatu in muſculos exiliunt? excrementa ſua, effoſa humo obtegunt ne odore prodantur. 92

Multiplex quoque in piſcibus rationis & prouidentiæ ſpeci-

Piſcium induſtria.

ſpecimen, etiam illis, quibus maximè ſtupida natura. Polypus cõchis manus inſidiatur, vt earum le carne paſcat; hę vt brachia illius intra biforem teſtã immiſſa ſenſerint; valuas valide comprimunt, & brachia illi amputant: quod vt præcaueat, arrepeum lapillum inter valuas interponit, ne claudi poſſint, & ita ſecurè incluſam carnem populatur.

Oppianus li. 5. Depiſcatu. Aelianus li. 10. cap. 6. Plutarch. De prædetia animal.

94 Balenæ, vt multi veterum ſcribunt, cùm viſu ſint hebeti, habent piſciculum oblungum ducem qui præeat, ne in ſcopulos, breuia, aut arcta impingant. Multi piſces quibus minor velocitas ad venatum, appendices habent circa labra vermiculorum, inſtar, vt minores piſculi eſcæ ſpecie illecti, facilèus ab illis capiantur. Sepia, vt ſe tangi ſenſerit, atramento ſuo aquam infuſcat, vt obrectis tenebris, ſe occultet. Prima conchæ genus naſcitur in limoſis ſurrecta ſemper, nec vnquam ſine comite quem pinnoterem ſeu pinnæ cuſtodem vocant: is eſt parua ſquilla, vel cancer dapis affectator. Pandit ſe pinna ad capturam, lumimbus orbium corpus intus minutis piſciculis præbens. aſſultant illi protinus ad eſcam, eo numero vt tandem impleant: quod tempus ſpeculatus index, leui morſu ſignificat. Illa compreſſu quidquid incluſit exanimat, partem ſocio epulandam tribuens. Torpedo merſa limo ſe occultat, vt piſces non diſtugiant: hos igitur ſecurè ſupernatantes & obtorpescentes corripit. Plura huiuſmodi recenſent Plinius, Plutarchus, Oppianus, & alij.

Animi in ſuis proles.

95 Nec minor prouidentia in auibus. Quanta ratione & cura nidos ſibi conſtruunt, quieti captandę per noctem, & ſoboli educandæ idoneos? Fabricant eos in arboribus vel dumetis, procul ab hominum & ferarum incurſibus. Extima materia rudis ex ſpinis & ſarmentis, quę magno ſtudio vndique comportant. Hanc in formam repandi galeri diſpoſitam argilla probe ſubacta oblinunt, vel ita implicant, vt facilè diſſolui nequeat. Mox veſtiunt interiùs materia molliore, feno, ſtipula, muſco; cauitatem ſenſim arctãtes in orbem verſus centrum. Poſtremò ad mollitiem & calorem obducunt textum plumarum, pilorum, lanuginis, quantum corpore incumbantes contingere queunt. Et quamuis omnes hanc rationem ſeruẽt in diſpoſitione materiæ, ſingulæ tamen ſuam habent formam, & propriam architecturæ rationẽ; ſicut apud nos in opere Corinthio, Dorico, Tuſcano, Gothico.

Educatio ſobolis.

96 Eſt præterea in auibus & alijs animalibus, quorum fœtus recentes non poſſunt ſibi conſulere, ingens cura ſobolis educandę, donec adoluerit. Vndique paſtum accommodum conquirunt, & in nidos illatum pullis offerunt, etiam illis quæ iam deuorarant refuſis, propria appetentia repreſſa, ſtomachoque fraudato.

Defenſio.

Iam quibus animis ſobolem teneram tuentur aduerſus hoſtem? Statim ſe arrigunt, corpus interponunt, intumeſcunt, horrent pilis plumiſque ad terrorem, arma expediunt, roſtrum, dentes, vngues, cornua, calces, ſua quæque tela hoſti opponunt. Quædam, vbi vis maior ingruerit, vtuntur dolis vt inſidiatorem auertant a nido; oſtentata ſpe ſui capiendi, minutis & interciſis volatibus illum aliorſum ducentes. Inuento nido quanta in multis complo ratio? quantis aerem implent querelis? quàm inſolabilis mœror, donec hinc dies ipſa abſterſerit.

Induſtria cũ ſeruanda vitæ.

97 Denique in omnibus eſt induſtria quę qua ſe conſeruẽt. Multis eſt præſidium fuga, alijs in armis, alijs in dolis. Lepores in periculis cùm aliquo loco quieſcere volunt, maximos ſaltus poſtremos habent, vt canes odorem veſtigijs interciſis amittant. Ob eamdem cauſam aquas interdum & flumina tranſmittunt: quia odor in aqua non figitur. Similia & plura faciunt vulpes.

In Ægypto magna eſt aſpidum copia. huic peſti Prouidentia oppoſuit ichneumonem, gliris inſtar animalculum. hic cum aſpide pugnaturus, ſe in limo probè voluitat, & obuoluit; quo ad ſolem ſiccato, veluti lorica munitus hoſtem ex antro ad pugnam prouocat, & congreſſum conficit. Idem etiam in fauces crocodilli per ſomnũ hiantes ſe conijcit, & intrò penetrans illum, viſceribus eroſis, interficit.

Norunt noxia & remedia.

98 Norunt etiam noxia pabula, & morborum vulnerumque ſuorum remedia. Canes nauſeabundi graminis eſu vomitum prouocant, & bilem reijciunt. Palumbes, gracculi, merulæ, perdices lauri folio annuum faſtidium purgant. Chelidoniam viſui ſaluberrimam hirundines monſtrare, vexatis pullorum oculis illa medentes. Cerui ſagitta confixi dictamni paſtu illam eijciunt, & a phalangio vel ſerpente percuſſi, cancros edendo ſibi faciunt medicinam. Pantheras carne aconito tincta barbari venantur: at illæ cùm fauces vi veneni intercludi ſentiunt, humana inquirunt peritomata, vnicum illis veneni illius remedium. Multela ſe ruta præmunit ad conſerendum cum venenatis. Omitto alia innumera quę diligenti hominum inueſtigatione, vel crebra experientia de moribus animantium innotuerunt, & a probatis auctoribus referuntur.

Ex his perſpicuum eſt, animantium operationes, etiam illas quas interuentu imaginationis peragunt, ordinatiſſimè ad certum finem tendere. Si ad certos & proprios fines tendunt, neceſſe eſt eò ab aliqua cauſa deſtinari & dirigi. Hæc autem cauſa non poteſt eſſe ipſum brutum: quia bruta ſuarum operationum fines non cognoſcunt, nec cogitant hoc eſſe ad illud vtile, aut hoc propter illud eſſe faciendum. Non enim norunt aranęæ, ad quid textus telæ ſit vtilis, aut quo ordine in illa concinnanda ſit procedendum. Nec apiculæ, cur tali forma ſtruant fauos, aut quid inde commodi percipient. Nec vllum animal, cur comedat, cur bibat, cur generet, cur ſobolem alat, cur fugiat, cur ſe ſuaque defendat. Denique nullius rei quam gerit, finem aut rationem nouit: & tamen tanto ordine, tanta induſtria & ratione omnia gerit, ac ſi perfecta ratione præditum eſſet. vnde aliqui veterum putarunt omnia animalia ratione eſſe prædita, etiamſi ſermone nobis noto deſtituta eſſent: qua de re Plutarchus libellum conſcripſit: ſed falſa & ridicula eſt ſententia.

99

100

Quadruplex cognitio neceſſaria.

Neceſſe eſt ergo, ſit mens aliqua omnib. brutis præſidẽs, omnium actiones gubernans, quæ quid ſingulis ad vitam & incolumitatem, & ad naturæ propagationem conueniat, optimè noverit, & quibus medijs & functionibus ad illa ſit perueniendum: per quam mentem omnium actiones in proprios ac diſtinctos fines ſint ordinatæ. Exacta enim & diſtincta notitia opus fuit tum omnium eorũ quæ cuique iuxta ſpeciem ſuam congruunt; tum mediorum per quæ ad ea foret perrigendum. Deinde quænam cuiuſque medij ad ſuum finem ſit proportio & vtilitas. Denique qualis inſtinctus ad ſingulas functiones, vel functionum ſeries, ſit neceſſarius. Hac cognitione ſuppoſita vt omnino neceſſaria, facile fuit menti illi Architectrici ſingulis animalibus proprios & accommodatos inſtinctus ad omnia iſta inſerere.

101

Cur inſtinctus dirigat inſtar rationis.

Quòd autem per iſtos inſtinctus, in ſuis actionibus ita procedant, ac ſi mente prædita eſſent; ratio eius eſt, quia ſunt impreſſiones quædam rationis diuinæ & prouidentiæ. Vnde ita dirigunt operationes, ſicut ipſa ratio & prouidentia diuina, ſi animantibus inſita eſſet, vel illis vt inſtrumentis vteretur, dirigeret. Duobus enim modis poteſt res aliqua ratione & arte in operando dirigi, & in finem tendere. Primò, proximè tamquam inſtrumentum ab artifice motum; ſicut penicillus a pictore. Secundò, mediante vi impreſſa, quæ rationis ſit quoddam veſtigium & imitatio. Hoc modo mouentur & diriguntur animalia a diuina prouidentia. Dirigũtur itaque ratione in omnibus non inhærente, ſed inuiſibiliter aſſiſtente, & præſidente; non ſicut nuda inſtrumenta proximè ab artifice mota, ſed mediante vi impreſſa, quæ vis artis formam retinet in operando. Hoc ſenſu dixere Philoſophi *opus naturæ eſſe opus intelligentiæ:* quia ab intelligente per vim impreſſam, natura in omnibus dirigitur.

102

Ars humana ſui ſpecimen brutis imprimit.

Simile quid efficit in brutis ratio & ars humana. Videmus canes & ſimias docerieri hominis induſtria, vt nunquam roſè tripudient ad ſpectantium voluptatem, & quæſtum heri. Hoc tripudium artè regitur; non quæ bruto illi inhæreat, ſed quæ præſideat, quæ illius phantaſiæ quoddam ſui veſtigium crebro vſu impreſſit: & dirigitur in finem non a bruto, quod non cogitat de ſpectantium oblectamẽtis, & quęſtu magiſtri; ſed ab ipſo qui præeſt, qui artis imaginem ad eum finem illi indidit. Multa alia docentur canes, præſertim ad venatum, & aues, aliaque animalia, quæ ipſa pulchrè præſtant, nec tamen ſciunt quid faciant; aut cur ſic potiùs quàm aliter agant, aut ob quem finem. ſed hæc omnia nouit is, qui illa dirigit, & docuit. Si homo artis ſuæ veſtigium in quædam animantia ad certas functiones certoſque fines poteſt transfundere: quanto facilius mens illa ſapientiſſima & potentiſſima potuit artis

tis & prouidentiæ ſuæ veſtigium omnibus imprimere, ad ea quæ ſingulis ad vitæ conſeruationem & propagationem eſſent congrua.

103 Homo quia ratione & prouidentia quadam vniuerſali præditus eſt, qua ſeipſum regere, ſibi finem in ſingulis operibus ſtatuere, & media ad illum opportuna diſponere poteſt, huiuſmodi inſtinctibus opus non habebat. Et quamuis plurimi ratione peculiaris temperamenti peculiares inſtinctus habeant, tum ad varios animi affectus, tum ad varias artes; tamen his ſe regere non debent, ſed rationis iudicio, quod eis pro regula vitæ conceſſum. Animantia cetera quia ratione deſtituta, non poterant ſeipſa gubernare, & ſingulas actiones ad fines ſibi conſentaneos dirigere, inſtinctu quodam prudentiali opus habebant, quo dirigerentur, tum in operis cuiuſque confectione, tum in tendentia ad finem. Itaque homo habet prudentiam vniuerſalē, qua omnia ad ſuum finem poteſt diſponere: ſingula animalia quamdam prudentiæ veluti particulam, vel potiùs peculiarem in paucis quibuſdam operibus inſtinctum prudentiæ ſimilem. Hic inſtinctus quatenus conficit opus artificioſè (vt in aranea telam, in ape fauum) eſt participatio quædam & veſtigium artis diuinæ, non vniuerſè, ſed ſpeciatim, vt conſideratur in illo opere. Vt autem facit accommodatè ad finem, eſt ſimili modo ſpecimen quoddam & veſtigium diuinæ prouidentiæ.

In quo conſiſtat iſte inſtinctus. Conſiſtit autem primariò in diſpoſitione phantaſiæ, qua fit vt ipſa certo modo, pro tempore & loco, quando res poſtulat, aliquid vt conueniens aut noxium apprehendat; ſecundariò tantum appetitus inclinatione, tum in quadam dexteritate ac habilitate exequendi.

104 Ex his clare demonſtratum eſſe arbitror, eſſe quamdam mentem ſapientiſſimam & potentiſſimam, à qua non ſolùm primariæ mundi partes formatæ, & ad ſuos fines ſint diſpoſitæ; ſed etiam omnium animalium & plantarum membra ac particulæ, & omnia rerum ſemina; cuius prouidentia omnes rerum viuentium operationes in certos fines congruentiſſimè & ordinatiſſimè dirigantur. Ex quo rurſus perſpicuum eſt, eius prouidentiam ſe ad omnia etiã minima extendere, & nihil omnino ſine eius prouidentia fieri; cùm nihil poſſit fieri ſine virtute, vel inſtinctu ab ipſo rebus communicato & impreſſo.

105 *Obiectio.* Dices, Esto, omnes vires ad operandum rebus contulerit, hinc tamen non conficitur eius prouidentiam ad omnes earum operationes ſe extendere. Sicut qui canem docuit autem artem ſaltandi, vel pſittacum Græcè loquendi, non idcirco cognoſcit omnia quę illi poſtea per hæc agũt. Verùm reſpondeo eſſe magnam diſparitatem. Homo enim poteſt procul recedere ab opere ſuo; tunc autem ſcire nequit quid illud agat. *Deus ſemper operi ſuo præſens.* Deus autem ab opere ſuo diſcedere nequit, ſed ſemper intra illud manet; tum quia eſt vbique & omnia implet, vt nullus locus ſuperſit, quò ſe conferre poſſit: tum quia opus ſuum aſſiduo influxu ſuſtinere & conſeruare debet: alioquin ſtatim corrueret, & inſtar vmbræ euaneſceret. Non enim ſicut faber domum extruit, & illo ceſſante & abeunte, ipſa per ſe ſtatuta mundus, aut aliqua res mundi Deo ceſſante ſtare poteſt. Primò, Quia faber facit opus ſuum in materia, quam ipſe non fecit, nec conſeruare debet, ſed quam Deus fecit & conſeruat: in ea autem nihil facit niſi aliqua addendo vel detrahendo, & omnia certo ordine collocando. Deus autem operatur in materia quam ipſe ſolus fecit, & ſolus poteſt deſtruere & conſeruare. Secundò, Quia Deus fecit omnia ex nihilo, ſua omnipotenti virtute inde omnia veluti extrahens, & ad eſſe elevans. Hinc fit vt omnia rurſum in ſuum nihilum propendeant; ſicut res quæ vi e terra in ſublime elata eſt, ſuopte nutu in terram propendet. Quare ſicut hęc aſſi luè ſuſtineri debet, ne deorſum ruat: ita creata omnia diuina virtute continuè ſuſtentanda, ne rurſus in nihilum corruant. Notum in nihilum non intelligo inclinationem aliquam poſitiuam, qualis eſt grauitas terræ; ſed defectum virtutis retinendi ſuum eſſe: quia non habent vllam vim quaſe abſque Deo ineſſe conſeruent. Tertiò, Quia omnia dependent a Deo perfectiori modo, ſicut lumen aeris a ſole, & ſicut ſpecies colorum intentionales (vt vocãt) ab obiectis; & ſicut vmbra a corpore ſoli oppoſito: vt docent paſſim Philoſophi antiqui præſertim Platonici. Non enim putandum eſt, minorem eſſe dependentiam rerum creaturarum a Deo cauſa vniuerſaliſſima, quàm ſit illorum effectuum à cauſis particularibus & creatis, ſed longè maiorem. Omnia ergo egent aſſidua conſeruatione & aſſiduo influxu; adeò vt ſi vel ad momentum Deus hunc ſubſtantificum radium (κατοχὴν ὄντως Dionyſius vocat) cohiberet, omnia in nihilum euaneſcerent. Omitto alias rationes. Exactior enim huius rei probatio alibi loco reſeruatur; ſicut & de concurſu. Sufficit nobis modo illum non poſſe ab opere ſuo abeſſe. Ex quibus patet, fieri non poſſe, vt diuinam prouidentiam aliquid lateat, cùm omnibus ſemper intimè ſit præſens.

Octaua Ratio, ex Vultuum & vocis diuerſitate, ex hominum paupertate.

106 NON paruam iſta quoque vim habet ad diuinæ prouidentiæ curam nobis perſuadendam, ſi accuratè conſiderentur.

Diuerſitas vultuum. Ac primùm *diuerſitas vultuum* adeò multiplex, ac propè infinita in genere humano, non paruum eſt prouidentiæ ſignum. Sine enim tali varietate nec poſſet iuſtitia inter homines conſeruari, nec Reipublicę forma conſiſtere. Finge homines vultu ſimiles, ſicut oues, corui, paſſares, & alia plurima eiuſdem naturæ animantia inter ſe ſunt ſimilia; grauiſſima ſequetur omnium rerum perturbatio. Neque enim mariti poterunt diſcernere ſuas vxores, neque parentes ſuos liberos, nec creditores ſuos debitores, nec amici ſuos inimicos, nec magiſtratus maleficos, nec ſubditi ſuos principes: ac proinde omnia plena erunt adulteriis, inceſtibus, fraudibus, proditionibus, cædibus, omnique; maleficia impunè committi poterunt quippe enim poterit ſe fingere quemlibet, nec vllo indicio facilè poterit deprehẽdi. Res per ſe eſt manifeſta attentius intuenti, & declarant exempla eorum qui ſimilitudine vultus confiſi, alienos toros, patrimonia, & regna inuadere auſi ſunt: interdum felici euentu, interdum irrito conatu: ſemper tamen cum ingenti perturbatione, multiſque incommodis. Perſpicuum igitur eſt vultuum diſcrimen in hominibus neceſſarium eſſe, vt iuſtitiæ & Reipubl. ratio inter eos conſtare poſſit, & pax ac tranquillitas conſeruari.

107 Dicet fortè aliquis, Diſcrimen iſtud caſu euenire, non aliqua prouidentia ita diſponente & procurante. Verùm abſurdum illud a caſu pendere, quod tantopere ad iniurias cauendas & iuſtitiam tuendam in genere humano eſt neceſſarium, alioquin tota iuſtitia & ratio politiæ quę inter homines reperitur, caſu niteretur, & fortuna omnium rerum publicarum eſſet fundamentum. Deinde quod caſu fit non eſt perpetuum, nec paſſim reperitur in omnibus, ſed rariùs fit, & in paucis: vt Ariſtoteles & alij Philoſophi tradunt. Quòd enim homo naſcatur quinis digitis, non caſu fit, cùm paſſim vbique ſic naſcatur; ſed quòd ſenis. Atqui diſcrimen vultuum non eſt res rara ſed ordinaria, quæ ferè ſemper & vbique ortui hominum coniungitur. Non ergo caſui aſſignanda, ſed prouidentiæ, quę genus humanum ad iuſtitiam & vitam ciuilem, quæ ſine hac varietate non poterat probè conſiſtere, inſtituit. Si natura humana eiuſque propagatio ita eſſet inſtituta, vt homines plerumque naſcerentur ſimiles, raroque interueniret diſſimilitudo: meritò hæc dici poſſet caſu prouenire. Sed contrà fieri videmus, nam diſſimilitudo eſt ordinaria, ſimilitudo valdè rara. Vnde quòd homines naſcantur ſimiles, potiùs caſui imputandum: quod diſſimiles, prouidentiæ. *Caſum* intelligo rarum quemdam & extraordinarium cauſarum concurſum, qui tamen diuinæ prouidentiæ manu regitur. Nihil enim illi, prouidentiæ ad omnia ſe extendenti caſuale, ſed cauſis tantum ſecundis, quarum & cognitio & vis agendi limitata.

108 In pleriſque brutorum animantium generibus tanta eſt individuorum eiuſdem naturæ paritas, vt vix aliquod diſcrimen notari queat. Cùm enim nihil interſit ſimilène ſint an diſſimilia, natura ſequitur id quod eſt facilius, faciéque ſimilia, ita vt exteriùs non appareat notabilis diſſimilitudo. Procliuius enim eſt vt ea quæ eiuſdem naturæ & ſubſtantiæ ſunt interiùs, exteriùs quoque ſimilibus prædita qualitatibus ornatur, quàm diuerſis. Quòd ſi interdum vſus poſtulet aliqua horũ internoſci, vt in ouibus,

bus,capris,equis;facile eſt imprimere notas quibus diſcernantur.

109 Neque ſolùm eſt vultuum varietas in hominibus ad diſcernendum,ſed etiam vocum;adeò vt non minus ſono vocis quam forma vultus homines differant & internoſcantur. Cùm enim diſtincta notitia perſonarum ad iuſtitiam & pacem tuendam eſſet omnino neceſſaria; non ſolùm in vultu,ſed etiam in voce diſcrimen notabile conſtituit prouidentia,vt duplici ſenſu,nempe viſu & auditu,tamquam geminato teſte,quilibet de perſona alterius conſtaret. Scio non raro rerum tabulas dolo falli contingere;ſed vt vtrumque ſimul fallendo contentum,vtrx fieri poſſet,tabula vultuum diſcretionis non erat: quia ſæpe agitur res in tenebris; ſæpe oculos ſi remota vt exacte internoſcamus faciei non diſcernat interdum quoque magna eſt vultuum ſimilitudo, ita vt in ea diſtinguenda oculos decipiamur. Hinc ſiquando diſcrimen vocis & ſoni locutionis humanæ: & qui ex vultu internoſci non poterant,facile cognoſcantur & diſcernantur ex voce.

Sed & in paupertate,qua ferè totus mundus conflictatur,non modicum eſt Prouidentiæ rectricis argumentum. 110 Paupertas enim eſt quæ genus humanum ferrat, & omnibus ornamentis,rebuſque bonis dignis excolit & ornat: ſine è contrario affert tecta perdit, & ad dedecus, turpitudinem,ac pecudum vitam adigit. Hinc annus omnia,quæ ad vitam tuendam neceſſaria abſumes omnibus ſolertiæ laboris ſuppetere, nec vllius rei quemquam inopia premi;nonnullos grauiſſima male conſequuntur. Nimirum omnium artium & rerum pulchrarum tornique ſplendoris, quæ in rebus humanis cernuntur, interitus: & morum extrema corruptela, ac turpitudo. Nemo amplius artes mechanicas aut diſcere voler,aut ſi quas didicerit,factitaret nemo laboriosa opera ſubire;nemo alteri ſeruire. Nimio enim hoc præſtat vim paupertate quodammodo compellente. Ceſſarent itaque omnes hominum induſtriæ, omnia artificum opera, omnia priuata & publica cultatum ornamenta. Nullæ amplius fierent pulchræ veſtes, nulla pretiota ſupellex,nullæ ſplendidæ domus,nulla magnifica templa, nulla oppida, nullæ arces. Conquieſcet agricultura,pecuaria,aurigatio,piſcatio aucupium,mercimonium. Nulli eorum viri nobiles & potentes, vtpote famulatu & obſequijs deſtituti. Graduum ac ordinum, quæ in Republica ſunt neceſſarij, diſcrimen omne peribit;ac proinde reuerentia pariter & obedientia. Quidquid igitur in genere humano eſt pulchrum, ſplendidum, magnificum, admirabile, id omne paupertate ſublata tolletur, nihilque præter barbariem & vaſticatem beluinam erit reliquum.

111 Huic malo coniunctum erit aliud etiam maioris momenti,morum ſumma corruptio, omnibus in comeſſationes & libidines effuſis. Vbi enim otium & rerum abundantia ſuppeditat, aliud ſequi non ſolet. Iudicio nobis ſint homines illi qui ante diluuium vixerunt,quos otium & luxus perdidit: & gentes quædam barbaræ apud Braſilios,quæ cùm paucis rebus ob clementiam cæli opus habeant,& annona abundent,ventri penitus ſunt mancipatæ,& aſſidua abdomini ſeruiunt,omnibus vitijs inquinatiſſimæ.

Duo ſunt quæ mores hominum maximè corrumpunt, otium & rerum affluentia. Hæc materiam omnibus vitijs ſubministrat: illud animum ad eis vacandum expeditum efficit. Vtrumque ſubmouet paupertas. affluentiam quidè proximè & per ſe, cùm ipſa nihil aliud ſit quàm affluentiæ abſentia & priuatio: otium verò dum ſuis quibuſdam aculeis hominem pungit,& moleſtiam infert;quam vt eludant, ad opus excitantur. Itaque ſe habet inſtar ſtimuli, quo pigra natura & otio amica, ad induſtriam laboremq; excitatur & compellitur; quæ cùm tota intendit operi, à noxijs cogitationibus arcetur,nec vacat comeſſationibus & impudicis actibus dare operam.

112 Ex his perſpicuum eſt, quàm ſalutaris hominum generi ſit paupertas: vt quæ fomitem malorum abſcindat,& mentem innocuis curis & cogitationibus occupet, & orbem omnibus ornamentis & commodis impleat. Quidquid enim in rebus humanis præclari, pulchri, admirandi cernitur, id omne paupertatis eſt opus,& huic maximè acceptum ferendum. Recte quidam: *Η πενία σοφίαν ἔγειρει.* Tractant hoc argumentum Ariſtophanes in Pluto. Nos in eo inſignem Dei prouidentiam, qua genus humanum gubernat, manifeſtè conſpicimus.

Nona Ratio, ex miraculis.

Miracula etiam diuinum numen apertè demonſtrant. 113 Si enim conſtiterit multa fieri,aut eſſe facta,quæ in nullam cauſam corporalem referri poſſunt: perſpicuum erit eſſe vim quandam maiorem & inuiſibilem,a qua iſta proficiſcantur. hanc Deum vocamus. Plurima autem ſunt huiuſmodi; quæ cùm vim omnem creatam ſuperent, aliquando tamen facta eſſe conſtat,vel perſpicua ratione,vel hiſtoriarum fide digniſſimarum teſtimonio, & omnium gentium confeſſione. Recenſebo quædam præcipua & illuſtriora; tum eorum quæ ante Chriſti aduentum, tum quæ poſt fuere patrata.

Primum eſt, Mundi ex nihilo creatio. hic enim cùm non ſit actus,vt ſupra Ratione 3 & 4. oſtenſum eſt,neceſſe eſt vt ab alio factus extiterit. Ingens planè fuit ac immenſum miraculum tanti operis ex nihilo excitatio,ſolaque potentia & ſapientia infinita parabile.

Secundum eſt, Tot animalium & plantarum formatio; tot ſeminum, quibus illa propagarentur inſtituto: tanta terræ & maris collata fecunditas; qua cooperante fit, vt vnum ſemen breui tempore propagetur in millia.

Tertium, Cœlorum ocyſima vertigo, & mundi inferioris per hanc vertiginem gubernatio. Per hanc enim efficit diei & noctium gratiſſimam alternationem,& tacita vtrorumque decrementa & incrementa. Per hanc ordinat anni tempeſtates,& omnia naſci, creſcere, maturari & perficiens facit periodis. Per hanc ornat campos floribus,paſcua gramnibus,agros ſegetibus, ſiluas frondibus, arbores fructibus. Huius interuentu efficit maris æſtum, 114 ventorum flatus, nubium velamina, imbrium opportunitates,montium fecunditatem,fontium ſcaturigines, fluminum lapſus, auræ ſalubritatem, aeris ſereinitatem, tonitruum bombos, fulminum ictus, & mille ætheris phaſmata.

His adde mundi cataclyſmum, hominum & animantium per artam ſalutem, ardentis ſulphuris nimbum quo 115 Pentapolis euerſa, plagas Ægyptiacas, maris diuiſionem, Ægyptiorum ſubmerſionem, columnam nubis & ignis, eſcam cæleſtem quadraginta annis populo exhibitam, fontes virgæ percuſſu e rupibus elicitos, coturnicum infinitam multitudinem caſtris immiſſam, tot numinis apparitiones omnibus conſpicuas, tot rebellium & incredulorum caſtigationes,nunc terra dehiſcente, nunc igne irruente,nunc ſerpentibus immiſſis: tot mirandas victorias. Adde ſolem in medio curſu inhibitum, & decem circiter horis detentum;& alias retrorſum actum: ignis vim comprellam,& Dei veri cultores in ardenti fornace illæſos ſeruatos: leonum rabiem coercitam, ne iuſto nocumentum inferent: mortuos ad vitam reuocatos: impios nouis modis diuinitus ſæpiſſimè punitos. Ex quibus perſpicuum eſt, eſſe quoddam numẽ quod omnia videt,omnia gubernat, omnia æqua lance rutinat, & peccata mortalium acriter punit: quod peculiarem gerit curam eorum, qui ipſum ſanctè colunt;quod multa miranda ſupra naturæ vires eorum cauſa ſæpenumerò perpetrat.

Neque in his poteſt vlla fictionis aut impoſturæ ſubeſſe ſuſpicio. Auctor enim, qui, exceptis paucis, omnia illa 116 ſcripſit, erat & ſapientiſſimus & grauiſſimus, & omnibus ſæculis ab ijs qui ſanctitate vitæ vel ſapientiæ laude floruerunt maximus propheta & plenus numine ſemper habitus. Deinde,quia plurimæ in eius opere ſunt prædictiones (vt Geneſis 12. & 49. Numerorum 24. Deuteron. 32. & 33.) quas cùm ſciamus ex euentu eſſe veriſſimas, non poſſumus dubitare, quin in ceteris quoque verax fuerit. Tertiò, Singula eorũ quæ cõmemorauimus, ita minutim conſcripta ſunt,cum omnibus circumſtantijs temporum, locorum,perſonarum,nominum,occaſionum,affectuum, tanto ordine,tanta rerum conſequentia,cum accommodatione rerum naturæ,tam congruenter pietati & morum probitati, vt rerum geſtarum inſpector non poſſit exactius & congruentius. Qui fingunt, multas circumſtantias declinant, vel ſi addiderint, facilè detegitur impoſtura. Non

enim

enim congruunt vel tẽpori, vel loco, vel naturę rerũ, vel aliis certionibus historijs, vel libri ipsæ nõ constant, vt in cõfictis historijs Homeri, Nonni, Virgilij, Ouidij, Amadisi, & similium cernitur. Quartò Auctor plerisque non solum interfuit, sed etiam præfuit, eaque gessit tamquam numinis instrumentum: itaque ea optime nosse potuit. Quintò, Si falsa scripsisset, præsertim de plagis Ægypti, de maris diuisione, de gestis in deserto, a sexcentis millibus testium, qui interfuerunt, conuinci potuisset falsitatis. Nam coram tota multitudine hæc omnia lecta fuere. & in posterum legi septimo quoque anno omnibus congregatis debebant: vt constant Deut. 31.

Sextò, Eadem omnia a Dauide maximo Rege & Propheta (qui Moyse solùm 450. annis posterior fuit) carmine Hæbreo celebrata fuere, tamquam in toto Oriente notissima; quæ carmina ab eo tempore vsque in hanc diem assidue in sacris & solemnitatibus toto pœne orbe canuntur, ab Hebræis, vbi liberum habent religionis suæ vsum, & a Christianis iam ab annis ferè mille sexcentis. Imò post Moysem in illo populo singulis pœne sæculis extiterunt Prophetæ, & viri admirandi, qui numine afflati populum regerent, docerent, & abeuntem a iustitia & cultu diuino, ad legem per Moysem traditam reuocarent: qui omnes Moysem tamquam diuinum Vatem & supremi numinis interpretem ac organum suspexere. Quales verò & quanti viri illi fuerint, constat ex eorum tum gestis, tum scriptis. Gesta omnem humanam industriam longe superãt, & manifestè diuini numinis directionem & opem demonstrant: qualia sunt quæ patrarunt Iosue, Debora, Gedeon, Sampson, Samuel, Dauid, Nathan, Salomon, Ahias Silonites, Elias, Elizæus, Esaias, Ieremias, Daniel, Ionas, Iudith, Esther, Machabæi, & alij plurimi. Scripta plena sunt futurorum prædictionibus, quæ longo sæculorum decursu, manifestè sunt consecuta. Nihil simile in aliarum gentium historijs aut scriptis inuenitur.

Septimò, In ipsa lege Iudaica, iam inde a Moysis temporibus, fuit quotannis illorum mirabilium gestorum, quæ a Moyse descripta, per varias cerimonias, festos dies, sacrificia, aliosque ritus professio; ne vnquam eorum memoria mortalibus excideret. Festum Paschæ, & sacrificium agni Paschalis agebatur in gratiarum actionem pro beneficio liberationis ex Ægypto, & seruatis Hebræis in cæde primogenitorum Ægypti. Ob eamdem causam offerebantur Domino omnia primogenita. Festum Pentecostes in memoriam datæ Legis diuinæ, die quinquagesimo post egressum. Festum Tabernaculorum, eò quòd in deserto per annos quadraginta habitassent in tabernaculis. Seruabatur arca fœderis, quam ipse Moyses iussu Dei & præscripto fecerat, in qua virga Aaron, quæ fronduerat, & vrna mannæ, & Lex diuina manu in tabulis duabus lapideis incisa & Moysi tradita: variisque canticis omnia illa Dei beneficia, & opera mirauda celebrabant. Ipsi quoque libri summa diligentia, publica auctoritate in loco publico, sacro, & securissimo, tamquam oracula diuina adseruati fuere, ne qua fraude possent corrumpi.

Octauò, His accedit scripta illa esse plena sapientię, sanctitatis & grauitatis. nulla in eis vanitas, nulla inutilis curiositas. Omnia seria & animis formandis ad omnem virtutem aptissima. Omni ope id in eis agitur, vt homines ab omni flagitio deterreantur, & ad omnẽ pietatem, iustitiam, benignitatem, mansuetudinem, patientiam, & temperantiam informentur; propositis ad hunc scopum non solùm admirandis documentis, sed etiam præstantissimorum virorum quos imitemur exemplis. Nihil simile in scriptis philosophorum, in quibus multa sæpè vana & curiosa, nihil vtilitatis animo adferentia: multa impia, iniqua, & impura. Nam permittunt idolorũ cultum propter communem vsum; etsi sentiant vnum dumtaxat esse supremum numen: & contemptum, odiaque occulta in inimicos, & fornicationem, & fœdas libidines, & inanem gloriæ cupiditatem, aliosque vitiosos affectus, præsertim internos. Et quamuis subinde aliquid boni dicant dum virtutem commendant, & vitia reprehendunt: tamen nihil solidi adfuerunt, quod animos efficaciter stimulet, & concutiat, quod eos a malo abterreat, & ad iustitiam impellat. Pulchritudo enim virtutis, & peccati turpitudo (quæ sola ab eis allegantur) paruam vim habent ad animos permouendos. Longè maioribus opus est stimulis. Hinc nulli, vel paucissimi ex scriptis illorum meliores effecti: superbiores certe innumeri. At ex Moysis scriptis & disciplina, aliisque libris sacris, infiniti ad summam sanctitatem, & numinis diuini familiaritatem peruenere, adeò vt etiam admirandis operibus illustres fuerint.

Denique, si quis mysteria religionis Iudaicæ & Christianæ penitius inspexerit, eaque inter se contulerit, clare perspiciet, quæ apud illos gesta, fuisse typos & vmbras mysteriorum Religionis Christianę. vt enim Apostolus 1. ad Corinth. 10. ait, *Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta autem sunt ad nostram institutionem (ad nos etiam) in quos fines sæculorum deuenerunt.* Quare ex ijs quæ apud nos geruntur, possumus cognoscere etiam ea, quæ apud illos facta narrantur, esse consentanea veritati. Ex quibus conflat libris Moysis fidem esse habendam, non solùm vt commentarijs Cæsaris, aut historiæ Liuij, alterius ve auctoris profani; sed vt oraculis afflatu numinis conscriptis. Idem de aliis libris sacris siue historicis, siue Propheticis sentiendũ; quia eædem rationes locum habent.

Veniamus nunc ad miracula noui Testamenti. Quàm 117
multa & præclara Dominus hic in carne cum hominibus degens, per carnem patrauit? leprosos mundauit, paralyticos erexit, dæmoniacos liberauit, morborum & languorum omne genus depulit; cæcis visum, surdis auditum, mutis sermonem, claudis gressum, mortuis vitam restituit. Imperauit ventis, compescuit tempestates, ambulauit super vndas maris; multa hominum millia pauit, modico cibo in millecuplum repente multiplicato. Fecit hæc non clanculùm, sed palam coram toto mundo, ita vt per totam regionem Iudææ essent notissima, nec æmuli possent negare. Fecit non multa molitione, non magno apparatu, sed solo verbo, vel leui contactu. In eius morte sol obscuratus, terra cõtremuit, rupes & saxa dissilierunt, scissum templi velum, monumenta reuulsis ostijs patefacta. Testes horum omnium multæ myriades hominum, qui Euangelistas ista diuersis temporibus & locis scribentes, sacrilegæ vanitatis arguere potuissent, si falsa narrassent. Mendacium enim in negotio religionis augens est sacrilegium.

Verùm vt cetera prætermittam, quantum est miracu- 118
lum, quod per duodecim homines eosque ignobiles, pauperes, rudes, piscatores conuerterit mundum, tota mundi potentia, sapientia, eloquentia repugnante; obnitente simul carne & sanguine; obnitente natura corrupta, & inueterata consuetudine? Non enim ad religionem facilem & sensibus blandientem, sed ad arctam, seueram, moribus humanis insolentem, traduxit mundum: quæ hominem cruci affixum Deum statuit; quæ diuitias, honores, voluptates, & quidquid magni penditur in vita, docet aspernari; quæ carnem domare, cupiditatibus repugnare, crucem ferre, inimicos diligere, bonum pro malo reddere, sanguinem & vitam pro Christo profundere, maledicentibus benedicere, persecutoribus bene precari. Quàm difficile fuit, mundo idololatria excæcato, & omnem felicitatem in ouibus, honoribus, & voluptatibus reponenti, persuadere illa esse acceptanda; contra morem & auctoritatem maiorum, contra omnium gentium vsum, contra commune generis humani iudicium, contra omnium philosophorum sententiam, contra Principum minas & edicta, contemptis omnibus huius vitæ commodis & incommodis, honoribus & contumelijs, illecebris & tormentis? Et tamen id Christus per Apostolos suos, homines pauperes & ignobiles, perfecit. & mundi potentiam an sapientiam subiugum misit. Erant illi antea rudes, timidi, pusilli animi, ignari rerum diuinarum, ignari linguarum, & plane ad istud munus inepti: & ecce accepto Christi munere Spiritu sancto, repente facti sunt sapientissimi, imperterriti, magnanimi, omnium linguarum periti, & ausi sunt tantum opus aggredi; quod & gloriosissimè perfecerunt. Nemo hæc negare potest: plenæ sunt veteres historiæ: toti orbi notum est, orbẽ per piscatores & rudes homines ad Christianismum traductum; & omnia tyrannorum tormenta (quibus ipsi & innumerabiles alij erogati & consumpti) non potuisse id impedire. Nihil vnquam simile in vlla religione accidit. Planè hoc miraculum suis momentis expensum, satis est non solùm ad numinis prouidentiam, sed etiam ad Christi diuinitatem, noltræque Religionis veritatem asserendam.

Fuerunt

Fuerunt Apostoli etiam dono miraculorum instructi. Non enim tam mira & exotica mundo persuadere potuissent, nisi ea rationis quoque & diuinis argumentis confirmassent. Itaque & illi cæcos illuminarunt, resolutos seu paralyticos roborarunt, claudos erexerunt, omnia morborum genera depulerunt, mortuos ad vitam reuocarunt, & alia miranda, vt ex eorum actis constat, perpetrarunt.

119 *Sæculis facta miracula edit. a S. Gregorium Thaumaturgum.*

Ex illo tempore nullum fæculum effluxit, quod miraculis fuerit destitutum, vt ex historijs Ecclesiasticis, & Sanctorum gestis est notissimum. Et vt alios præteream, Gregorius Neocæsariensis, qui a miraculorum magnitudine Thaumaturgus dictus, montem qui ecclesiæ antistiti obstabat, alio transtulit, paladem inter fratres causam discordiarum siccauit: Lycum fluuium perniciosè agros inundantem defixo ad ripam baculo (qui mox virentem creauit in arborem) coercuit: sæpissime dæmones ex idolorum simulachris & hominum corporibus eiecit: multa futura prædixit, & alia plurima supra naturæ vires, numen diuinum per eum effecit. Celebratur Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 29. Gregorius Nissenus in vita Gregorij, Hieronymus, Rufinus, Socrates, Nicephorus, & alij. Sanctus Benedictus, vas in quo venenum ei propinabatur, signo crucis confregit: fontem ex rupe oratione elicuit: mortuum puerum excitauit: futura prædixit, & multa alia miranda perfecit. Tentatur Gregorius Magnus libro 4. Dialogorum. B. Bernardus innumera patrauit. Non quocumque locorum pergeret, occurrebant populi, & omne genus ægrorum offerebant, quos ille signo crucis, precumque oratione curabat. Plurima huiusmodi per Germaniam, præsente Imperatore Conrado, multisque Principibus, & infinita populi multitudine, patrauit. Plurima per Galliam præsente Legato Apostolico, aliisque Episcopis, & quadã præsente Summo Pontifice Eugenio. Multa per Italiam, Romæ præsertim & Mediolani, concionatore tota ciuitate. Denique res erat cuipiam quotidiana miracula facere; vt eo nomine vbique tanquam Angelus cælo demissus exciperetur & coleretur ab omnibus. Scribit auctor vitæ illius (qui eodem tempore vixit) certis testibus qui præsentes inspexerint, constare, in territorio Constantiensi circa vicum quem Dongnet vocant, vna die per manus impositionem ab eo illuminatos cæcos vndecim, sanatos mancos decem, claudos erectos decem & octo. Narrat idem alia plurima particulatim signato loco, tempore, nominibus personarũ, occasione, modo, & alijs circumstantijs; vt non possit esse suspicio fraudis vel mendacij.

S. Benedictus.

S. Bernardus.

Lib. 4. cap. 4.

120 *Miracula nostri sæculi.*

Nec minora facta hoc sæculo, tum apud Indos & Iapones per eos qui fidem Christianam illis populis annuntiarant, tum in Europa variis locis a viris sanctitate conspicuis, quæ diligentissimè publica auctoritate sunt examinata, & testibus iuratis probata. Denique plerique eorum qui in Ecclesia iam inde a temporibus Apostolorum sanctimonia vitæ illustres habiti sunt, miraculis quoque illustres fuere; vt ex vitis Sanctorum quæ a viris fide dignissimis conscriptæ, & probatis historijs, est perspicuum.

Porrò miracula quæ ad inuocationem Sanctorum cum Christo regnantium, & præsertim beatissimæ Virginis, toto orbe facta sunt, hodieque fiunt, sunt infinita. quæ omnia apertissimè vim numinis vbique præsentis, & omnia cernentis ac gubernantis, testantur. Patrantur hæc publicè in oculis omnium, in omnibus prouincijs Catholicis; ita vt omnes ea videre, & manibus palpare possint, ne qua possit de veritate fabellæ dubitatio. Vidimus superioribus annis multa huiusmodi in Belgica, quæ auctoritate publica rite discussa & approbata in lucem typis sunt edita.

121 *Refutatio eorum qui dicunt illa esse conficta.*

Nihil ad hæc responderi potest, nisi hæc omnia esse cõficta, et ope dæmonum perfecta. At quo calore, qua veri specie dici potest illa esse conficta; cùm id nulla ratione probari possit? Vnde enim tibi fictionis huius notitia? An quia miracula illa tibi videntur impossibilia? At ostendendum erat ea impossibilia esse, cùm nihil *ἀνυπαρκτον* & repugnans implicent. Nam quod viribus naturæ hæc non possint, nos ipsi dicimus; & inde probamus esse aliquod numen inuisibile natura potentius, cuius vi illa fiant. Deinde illa ponere conficta, est tollere omnem fidem historiarum, omnem memoriam antiquitatis, omnem notitiam superiorum sæculorum. Omnes enim antiquæ historiæ merito confictæ dicentur; & omnes vt fabulæ erunt reijciendæ, si miracula Sanctorum conficta dixerimus: quia nullæ historiæ accuratius, aut maiori fide conscriptæ: præsertim cùm Ecclesiæ semper maximè curæ fuerit ne incerta miracula prædicentur. De ijs enim solis loquimur, quæ ab Ecclesia tamquam certa & explorata sunt recepta. Tertio, Quæ ita loquuntur, fatuitatis condemnant & amentiæ omnes Principes Christianos, omnes magistratus, & nobiles, & totum populum Christianum; vt qui innumeras fabulas pro rebus vere gestis sibi permittant obtrudi; nec tantum habeant iudicij vt valeant impostoris deprehendere. Condemnant sacrilegæ impostæ omnes Ecclesiæ Prælatos, omnia Œcumenica, omnes Theologos, omnes sapientes quod huiusmodi communitus narrationes & fabulas pro veris miraculis commendent & venditent, & orbem tam scelerate illudant.

122 Quarto, Pleraque à tantis auctoribus, tanta doctrina & sanctitate prædita, tam minutim, cum tot circumstantijs scripta sunt, vt non possit esse suspicio fraudis. In rebus confictis studiosè vitari solet notatio nominum, cognominum, & maximè temporum & locorum, ne fraus facile possit deprehendi. Quinto, Nullam causam habuerunt ista fingendi. Cur enim tanto sacrilegio se volutarent obstringere? qua spe, quo præmio tam infamem mendacij & imposturæ labem suo nomini inurere? Nemo enim sine causa quidquam facit. Quæ igitur causa omnes illos scriptores, Eusebium, Socratem, Sozomenum, Rufinum, Gregorium Nissenum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Sulpitium, Gregorium Turonensem, Optatum Milenitanum, Theodoretum, Damascenum, Gregorium Magnum, Bernardum, Bonauenturam, & alios plurimos qui miracula scripsere, impulit ad tam immane & nefandum facinus audendum? Sanè nulla causa fingi potest. Quis enim vir grauis & religiosus non malit potiùs mori, quam vel vnum mendacium scribere, maximè in ijs, quæ ad religionem pertinent: cùm id non solùm sit infame apud homines, sed etiam scelestum & abominabile apud Deum? De hæreticis quidem huius temporis, quibus per fidem specialem nullum scelus ad culpam vel pœnam imputatur, merito potest esse fictionis suspicio, cùm de suis multas laudes, & de Catholicis multa probra scribunt. At Catholicis graue scelus est, & æternis ignibus plectendum, si quis vel falsa miracula suæ religionis locis tribuat, vel falsa probra in hostem confingat. Sexto, Si illa essent conficta, facile potuissent auctores ab eiusdem ætatis hominibus conuinci vanitatis; quia vitæ & res gestæ Sanctorum plerumque orbi eo tempore quo viuebant erant notissimæ, cùm tanta lux virtutis non possit manere occulta. At nemo eorum qui illa ætate vel paulò post vixerunt, deprehensus est, qui eos falsitatis argueret, aut illorũ scripta in dubium vocaret. Septimò, Ingenium humanum suspicax est & incredulum, cùm de nouis miraculis agitur. Hinc studiosè omnia examinat, ne forte fraus aliqua subsit, aut error. Numquam desunt æmuli, qui aliorum inuideant celebritati & gloriæ. Hi curiosissimè omnia excutiunt vt aliquid deprehendant, quo totum negotium in dubium vocent, vel saltem eleuent. Denique adhuc talia crebrò fiunt, qualia apud Scriptores leguntur, quorum multa innumeris testibus probantur. Itaque non est quod illorum fides in dubium vocetur, aut ea a scriptoribus conficta quispiam suspicetur.

123 Si dicas ope dæmonum facta: Iam hoc ipso fateris esse spiritus, qui rebus istis visibilibus sint præstantiores: & consequenter fatendum tibi est esse aliquem supremum spiritum sapientia & potentia omnibus præstantiorem, quem Deum vocamus; vt infrà ostendetur. Verùm nulla probabili ratione ista in vim dæmonum referri possunt. Nam illuminare cæcos, erigere claudos, fumare verbo solo paralyticos, excitare mortuos, longè vim dæmonum superat; qui morbos curare nisi per causas naturales, applicitis herbarum vel aliarum rerum viribus, non possunt: vt passim Theologi & Philosophi docent. Deinde sancti viri, quorum ministerio ista facta sunt, dæmonibus fuere infensissimi; & tantum abest vt eorum adminiculo vti voluerint, vt eos passim ex corporibus hominum expulerint, eorum cultum euerterint, fraudes detexerint, disciplinam confutauerint, artes & præstigias tulerint, regnum & imperium destruxerint. Tales in primis fuere Apostoli omnes,

S. Augustinus libro 3. de Trinit. c. 8. S. Thomas 1. part. qu. 110. 2. a.

nes, & Apostolorum multi successores: tales Gregorius Thaumaturgus, magnus Antonius, Hilarion, Paulus Eremita, Martinus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Xauerius, & alij innumeri. Nulla potentia dæmonum, nullæ artes magicæ, nulla spirituum machinationes, nullæ prætigiæ, nulla terricula menta quidquam valent aduersus Sanctos, sed vtcunque fumi ad signum Crucis euanescunt omnia: quod præter historias antiquitùs à probatissimis scriptoribus relatas, quotidiana docet experientia.

Præterea adeòne stupidi sunt omnes Catholici Doctores, omnes Prælati, omnes Principes, omnes sapientes & prudentes, qui Catholicam religionem colunt, vt non possint vera miracula distinguere à falsis, genuina ab adulterinis, proba abiectissimis; & innumera falsa pro veris acceptet, & tot diaboli prestigias opera diuina esse putet? Scilicet soli Pharisæi, & persecutores Ethnici, & hæretici hoc donum discernendi acceperunt; soli videre potuerũt fucum in illis diabolicũ? Catholici omnes cęci sunt, amentes, fatui, & omni tandem rationis iudicio destituti?

Athanas. li. de Incarnat. Nazianz. orat. 1. in Iulianum. Epiphan. hæres. 30. Greg. lib. 3. Dial. c. 7.

124 Fuit hæc olim calumnia Pharisæorum in Dominum, & Ethnicorum in Martyres, qui cum ipsorum miraculorum claritate essent conuicti (vt quæ suis oculis palàm coram omnibus patrari viderent) furore perciti erumpebant in blasphemias, dæmonum verbus & artibus magicæ ea quæ manifesta Dei virtute patrabantur, assignantes. Sed licet tunc innocentia vitæ, grauitas morum, & operum magnitudo satis erat ad eam calumniam refutandam, ita & modò.

Luca. 11. In Actis Mart.

125 Causa cur numen diuinum varijs subinde locis miracula faciat, est multiplex. Primo, Vt suam præsentiam & prouidentiam mortalibus declaret. Si enim multis sæculis nihil supra naturæ vires euenire, facilè inducerent in animum credere nullum numen, cui res humanæ sint curæ, extare, sed omnia naturæ quodam impulsu euenire. Etsi enim illud infinitis se modis prodat, in motu siderum, in rerum fabrica, in directione singulorum ad certos fines, vt otientium est; tamen multi illa non penetrant, nec attentè considerant, ipsa consuetudine oculorum quodammodò occæcati. Quam mirabile est ex paucis grani breui tempore tantam conlurgere segetem? ex informissimine tam pulchra & varia tum animalium tum plantarum formari corpora? ex minuta glande tantas excrescere arbores? Et tamen pauci hæc mirantur, pauci considerant, pauci in his mirandam Dei potentiam & prouidentiam intuentur. Itaque ne mentibus hominum suspicio subrepat, nullum supra rerum corporalium naturam esse numen; opus fuit, vt illud subinde per opera quædam rara, & naturæ vires ac ordinem superantia, se ostenderet. His enim ob raritatem & insolentiam excitantur homines ad considerandum auctorem, eiusque religione ac reuerentia commouentur. Secundò, Vt hominum animi etiam in alijs fidei capitibus confirmẽtur, omni prorsus dubitatione absersa: & vt illis ritè, deuitaque cum reuerentia vtantur. Sic multa facta sunt per Eucharistiam, Baptismum, Extremam vnctionem, Ordinem, inuocationem Sanctorum, &c. vel horum occasione, nimirum vt homines intelligerent, quo loco ista sint habenda, qua reuerentia vsurpanda. Tertiò, Vt doctrinam eorum per quos ista fiunt, & viram nobis commendet. Sunt enim miracula diuina quędam testimonia tum veritatis doctrinæ, tum sanctitatis vitæ, præsertim si vita conformis doctrinæ. Quartò, Vt Sanctos suos hoc modo honoret. Nihil enim est quod ita celebres faciat viros sanctos per orbem, & populos ad eorum amorem, cultum & imitationem excitet, vt miraculorum effectio. Sicut enim Deus vult se amari ab hominibus supra omnia, proximum autem non supra omnia, sed in suo gradu, propter Deum: ita vult ipse se coli supra omnia, nimirum tamquam primam omnium causam effectricem & vltimum finem; Sanctos autem non hoc modo, sed in suo gradu, & propter respectum quem habent ad Deum, tamquam filios adoptiuos, participes regni, amicos charissimos, &c. Vnde nulla hic vmbra idololatriæ, vt hæretici calumniantur. nam per idololatriam supremus honor, quo nimirum aliquid æstimatur & colitur tamquam numen & primum principium, impenditur: hoc autem modo non coluntur Sancti. Quintò, Vt occasione beneficiorum corporalium, quę populus sperat obtinere, excitetur ad pœnitentiam & vitæ emendationem. Vbi enim miracula fiunt, sæpe multa hominum magnis sceleribus inquinatorum millia confluunt: qui ibidem graui præteritæ vitæ concepto dolore, suisque peccatis salutari confessione expiatis, seriam vitæ emendationem suscipiunt; sicque fit vt multa millia hac ratione saluẽtur, qui alioquin erant perituri. Denique per miracula omnes excitantur ad reuerentiam & laudem numinis, ad gratiarum actionem, & gaudium spirituale, omnium animi eriguntur, & bonam spem adfuturi auxilij in afflictione concipiunt: vt superioribus annis hic in Belgica vidimus.

Decima Ratio, ex Prophetijs.

PROPHETIAM voco futurorum, quæ à libertate arbitrij pendent, prædictionem. Hæc prædictio est manifestum signum diuinitatis. Mens enim quæ vi sua nouit futura, multò magis omnia præsentia & præterita perspecta habebit: ac proinde nosset absolutè omnia; omnia, inquam, intelligitur; id est, quibus non repugnat intelligi. Si omnia intelligibilia vi sua nouit, etiam omnia possibilia: ac proinde est omniscia & omnipotens. causa enim rerum est scientia, seu idea & notio rerum. vnde qui ex se habet omnium notitiã, necessariò etiam est omnipotens. Deinde esse præscium futurorum, longè excedit facultatem omnium mortalium, vt experientia constat. Τῶν μελλόντων τετύφλωνται φρένες, ait Pindarus: *Ad futura cęcutiunt mentes humanæ*. Est ergo aliqua mens superior mente humana, & intuitibilis, cui vi propria hęc prænotio competit. ea ergo erit Deus: præsertim cùm hæc prænotio adeò sit sublimis & difficilis, vt vim intelligendi infinitam postulare videatur. Nam res futuræ neque in se determinatæ existunt, neque in suis causis: neque quidquam est vnde certò colligi possit eas potiùs euenturas quàm nõ euenturas. Quomodo ergo mens illa poterit determinate & certò videre quid euenturum sit, quid non; nisi tanta sit vis eius intuitus, tanta efficacia luminis, vt se ad omnia futura, vt in seipsis suo tempore erunt, extendat, perinde ac si modò determinatè existerent, vel ab æterno extitissent? Oportet ergo hanc vim esse infinitam; tum quia maior & sublimior intuendi modus fingi nequit, tum quia ad omnia futura se extẽdit. Eadem enim est omnium cognoscendi ratio, idem modus, eadem sublimitas. Vnde hoc ipso quo mens illa vi sua cognoscit vnum futurorum, cognoscit omnia. Prænotio itaque futurorum est apertum signũ diuinitatis: vnde prædictio, *diuinatio* vocatur, quasi prædicere futura, sit opus proprium diuinitatis. Sic Esaiæ 41. refutantur dij gentium, quod futura prædicere non possint. *Annunciate*, inquit, *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* 126

Esse autem *prænotionem futurorum*, clarissimũ est ex prædictionibus innumeris, quas ex euentu constat esse verissimas. Prædictio enim prænotionem supponit. Hanc prænotionem non habuerunt Prophetæ ex seipsis, suaque industria & perspicacitate cùm longè captum humanum superet; sed acceperunt ab aliqua mente superiore, quæ vi sua, & à se illam habet, non ab alio. Porrò tales prædictiones plurimæ sacris litteris continentur: ex quibus aliquas proferam, quas esse impletas clarè ostendi potest. 127

Genesis 3. prædicitur semen (prolem) mulieris contritum caput serpentis, hoc est, diaboli potentiam & imperium euersurum: quod partim iam impletum est per Christum, dæmonum cultu, quo antè tenebatur orbis, plerisque locis abolito; partim restat implẽdũ per eumdẽ in extremo iudicio, cùm diaboli & impiorũ dominatus funditus delebitur. Genesis 18. & 22. prædicitur Abrahæ nasciturus filius, cuius beneficio omnes gentes benedictionẽ & felicitatem consequantur. quod constat impletum in Christo, per quem orbis ab idololatria & pernitiosis erroribus, ad cognitionẽ veri Dei traductus est, & iustitiã ac salutis ęternæ spẽ consecutus. Rursus cap. 40. eiusdem libri extat mirabilis prædictio Ioseph intra triduum complenda, & obscurissimorum somniorũ de tribus propaginibus vitis, & tribus canistris, interpretatio. Et c. 41. interpretatio somnij Pharaonis de bis septẽ bobus, & bis septẽ spicis. Vbi considerandũ quã expeditè, & quãta cũ securitate illa exponat & minutim declaret, & euentum asserat. Somnia illa futu-

rorum indicia, non nisi à numine, cuius prouidentia res humanæ disponuntur, prouenire poterant: nec eorum intelligentia aliundè quàm reuelatione eiuldem numinis, obtineri.

118 Cap. 49. Iacob Patriarcha moriturus prædicit filiorum singulis, quid eorum posteris euenturum, præsertim quod ad propagationem, opes, industriam, sortem in diuisione terræ promissæ, attinet: quæ omnia sensim longo sæculorum decursu impleta esse, ex Sacra Scriptura constat. Sed in primis illud memorabile quod ibidem habet: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quibus verbis tria prædicuntur. Primò, Potestatem regiam fore in tribu Iuda. Hoc impletum, cùm in Dauidem translata: cuius in familia mansit per 520. annos. Secundò, Hanc potestatem semper futurâ in tribu Iuda, donec veniret Christus: quod etiam impletum est: quia mansit in illa tribu donec translata est in Herodem Ascalonitem (qui nó erat Iudæus) quo regnante natus est Christus. Tertiò, Christum reprobandum à Iudæis, & à gentibus recipiendum: ideo enim dicitur *Expectatio gentium.*

119 Numerorum 24 Balaam spiritu diuino correptus multa prædicit; inter cetera hæc tria. Primò: Propter Agag regem Amalec, è medio tollendum regem Israel. Vox exprimit nomen illius regis, qui post quatuor sæcula nasciturus erat, & cuius causa Saul regno priuatus: quod impletum est 1. Reg. 15. Secundò, Ex Israel oriturum Regem, qui totum mundum non Iudæam illustret, & omnibus mortalibus dominetur: hoc in Christo impletum. Tertiò, Venturos Romanos cum triremibus & vastaturos Hebræos. Factum illud sub Tito & Vespasiano, annis plusquam mille quingentis post illam prædictionem.

Deuteronomij 18. Moyses præ licit Deum ex Iudæis
120 excitaturum Prophetam ipsi similem, quem omnes audire debeant: & ni audirent, Deo vltore plectendos. Vbi apertè prædicit aduentum Christi, eiusque munus insigne, & Iudæorum incredulitatem & excidium. Erat Christus similis Moysi sicut corpus vmbræ, veritas figuræ, exemplar imagini: quia Moyses typus Christi. Moyses liberauit populum ex seruitute Ægyptia: Christus mundum è seruitute diaboli. Moyses traduxit eos per mare rubrum submersis Ægyptijs: Christus traduxit per Baptismum (cuius tota vis à Christi sanguine) submersis ac deletis peccatis. Moyses dedit illis legem veterem; Christus mundo legem nouam & euangelicam. Moyses in deserto pauit populum manna cœlitus, seu ex loco sublimi aeris delapso, & potauit aqua de petra: Christus in Ecclesia pascit suos vero pane & potu cœlesti, corpore & sanguine suo: ipse enim panis de cœlo descendens, & manna absconditum: ipse petra salutis æternæ, potum suis profundens. Illi opera Moysi vicerunt inimicos, & tandem peruenerunt ad terram promissionis: nos auxilio Christi vincimus hostes salutis nostræ, & perducimur ad cœlum. Ob has & similes comparationes Christus dicitur Propheta similis Moysi.

Deuteronomii 28. 29. 30. 31. & 32. prædicitur idololatria
121 Iudæorum; aliaque peccata, & multæ clades ob eam causam ipsis obuenturæ. Deutero. 33. singulis tribubus suam sortem, & varios euentus, quos in sua benedictione Iacob non expressérat, prædicit Moyses.

Mirabilis quoque est illa prædictio quæ narratur 3. Reg. 13. Vbi cùm Ieroboam thus adoleret Idolis, quidam Propheta exclamauit: *Altare, Altare, Hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet*, &c. Quæ omnia exactè completa esse patet 4. Regum 23. idque post annos 361. tot enim annos intercessisse inter illam prædictionem & eius euentum scribit Iosephus lib 10 antiquit. cap. 5.

Isaiæ 45. prædicitur regnum Cyri post ducentos annos nasciturum, expresso eius nomine; & simul eius potentia, bella, victoriæ, spolia, opes, beneficentia in Iudæos insinuantur. Quem locum cùm Iudæi Cyro ostendissent, admiratus est ipse vatis diuinitatem, & incensus cupiditate exequendi quæ legerat, magnis eos beneficijs affecit, vt testatur Iosephus lib. 11. Antiquitatum cap 1. Omitto alias innumeras prophetias, quæ apud eumdem Prophetam leguntur.

122 Apud Danielem extant multæ stupendæ prædictiones, & obscurissimarum rerum interpretationes. Cap. 2. Cùm Rex Chaldæorum mirabile quoddam somnium oblatum esset, illudque memoria excidisset, Daniel ei distinctè & per partes visum aperuit, nimirum per quietem ostensam ei statuam quamdam grandem & terribilem, cuius caput aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora ærea, tibiæ ferreæ, desinentes, in pedes partim fictiles, partim ferreos. Deinde vidisse lapidem abscindi è monte sine manibus, & ferire statuam in pedibus; quibus contritis corruisse statuam & in puluerem redactam: & lapidem illum crescere in montem magnum, qui repleret totam terram. Expliato somnij visu, adiecit eius interpretationem: præsignari hac statua quatuor monarchias, quarum prima iam extabat, ceteræ suis temporibus alia post aliam erant exorituræ. Caput enim aureum designabat regnum Chaldæorum, quod tunc amplissimum erat & opulentissimum. Pectus argenteum monarchiam Persarum & Medorum, quæ illi successit, & duobus regnis, veluti brachijs, constabat. Venter & femora ænea monarchiam Græcorum. Tibiæ ferreæ monarchiam Romanorum potentissimam. in imperium Orientale & Occidentale diuisam. Pedes partim fictiles, partim ferrei, indicant illam monarchiam extremis temporibus partim firmam fore, partim imbecillam. Lapis excisus de monte sine manibus Christum Dominum demonstrat, qui absque virili opera de Virgine sanctissima, stirpeque Abrahamitica natus; qui in montem magnum excreuit, excitato regno quod totam terram erat occupaturum: qui in fine mundi omnia alia regna delecturus, & solus regnum æternum obtenturus. In huius somnij iudicio & expositione tam clarè diuini numinis potestas, sapientia, & prouidentia eluxit, vt Rex superbissimus in faciem procidens Danielem seruum suum adorauerit, & numinis maiestatem luculentè fuerit confessus.

131 Eædem quatuor monarchiæ ordine successuræ, & singularum cõditiones ac proprietates alio mirabili visu Danieli fuere præmonstratæ capit. 7. sub specie quatuor bestiarum. Deinde illi ostensum regnum sanctorum, quod deletis omnibus mundi regnis æternum florebit: ita enim Angelus hanc visionem Danieli est interpretatus. *Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, & obtinebunt regnum vsque in sæculum, & sæculum sæculorum*, id est, in omnem æternitatem. Videmus nunc impleta quæ de quatuor monarchijs exoriturís ipsi ostensa fuere: vnde non debemus dubitare, quin ea quæ de regno sanctorum & iudicio diuino ibidem prædicta sunt, suo tempore certissimè complebuntur.

Rursus cap. 8. adhuc florente Monarchia Chaldæorum, aliæ monarchiæ huic successuræ, eidem Danieli ostensæ: Medorum quidem & Persarum specie arietis bicornis; Græcorum hirci vnicornis: modus item quo illa ab hac foret delenda; & hæc post primum Regem mox in quatuor reges diuidenda. Ex quorum regum posteris vnus esset venturus (nempe Antiochus Epiphanes) qui ex modico magnus effectus, Iudæos grauiter afflìgeret, Sanctuarium profanaret, iuge sacrificium è medio tolleret, & cogeret omnes ad idololatriam; idque per dies 2300. hoc est, per sex annos, tres menses, & dies viginti. & illum tandem absque hominum opera, vltione diuina conterendum. Quæ omnia impleta esse tempore persecutionis Antiochi constat ex libris Machabæorum; nimirum quadringentis & octo annis post hanc Danielis prædictionem: vt refert Iosephus lib. 12. Antiquitat. cap. 11. Qui libro 11. cap. 8 etiam narrat hoc vaticinium Danielis de rege Græcorũ qui Persarum imperium euerteret, Alexandro, cùm esset Ierosolymis, a sacerdotibus ostensum: illumque magno gaudio affectum, eò quòd ipse de se illud interpretaretur; nempe se esse illum regem Græcorum (sicuti verè erat) qui Persarũ imperium esset obtenturus.

134 Capitul. 11. multa prædicuntur. Primò, progressus Imperij Persici. Secundò, expeditio Xerxis in Græcos. Tertiò, Alexandri Magni imperium Persico successurum. Quartò, huius diuisio in quatuor regna. Quintò, bella atrocissima inter duos Alexandri successores; reges nimirũ Syriæ & Aegypti, quibus inter se collisis, Iudæam in medio positam, vtrumque misere afflictandam item fœdera, matrimonia, fraudes, proditiones, & varij successus inter eosdem,

eoſdem, adeò vt non tam prophetia videatur, quàm hiſtoria. Sextò, perſecutio Antiochi Epiphanis aduerſus Iudæos. Septimò, occaſione illius perſecutionis tranſit ad perſecutionem quæ futura eſt ſub Antichriſto, cuius typus erat illa Antiochi. Porro omnia illa impleta eſſe præter vltimum (quod in finem mundi implendum expectatur) cõſtat ex ſcriptis Ethnicorum, Ioſephi, & libris Machabæorum. Stupenda planè fuit tam exacta, minuta, & multiplex futurorum prophetia.

Sed infinitũ eſſet omnia perſequi, quia omnes libri Prophetarum huiuſmodi vaticinijs pleni: vnde ipſi & *Prophetæ* & *Videntes* ab omnibus appellati. Solùm breuiter oſtendam ea quæ ad Chriſtum Dominum noſtrum pertinent, & ab Euangeliſtis commemorantur, ſigillatim plurimis retro ſæculis fuiſſe prænuntiata.

135 1. Ac primùm, Deum in ſpecie humana cum hominibus verſaturum plurimis locis inſinuatur ſed clariſſimè Baruch. 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Item Iſa. 35. infra 7.

2. Naſciturum ex virgine. Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, vocabitur nomen eius Emmanuel.* quo nomine inſinuatur illum fore Deum & hominem: quia *Emmanuel* idem eſt quod Nobiſcum Deus.

3. Naſciturum in Bethlehem. Michææ 5. *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te exiet Dux qui regat populum meum Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Vbi rurſus eius æternitas inſinuatur.

4. Tempus quo venturus eſſet, deſignauit Iacob Geneſis 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Et magis diſtincte Daniel cap. nono, vt paulò poſt dicemus.

5. Præcurſorem qui animos populi ad illum excipiendum præparet, prædicitur Malachiæ 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Quem locum ipſe Dominus de ſuo præcurſore Ioanne intelligendum docuit Matth. 11. & Luc. 7. Rurſus Iſaiæ 40. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* De quo loco vide c. 3. Matth. & 3. Lucæ.

6. Prædicatio Domini. Iſaiæ 61. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis aperitionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro: vt conſolarer omnem lugentem, &c.* Quam prophetiam ipſe Dominus in ſe completam docet Lucæ 4.

7. De miraculis Iſaiæ 35. *Dicite puſillanimes; Confortamini, & nolite timere. Ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c.* Quem locum de ſe intelligendum oſtendit Dominus Matthæi 11. cùm ait: *Ite & renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.*

8. Ingreſſus Domini in Ieruſalem. Zachariæ 9. *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* Hoc impletum conſtat ex c. 21. Matth.

9. Proditio per diſcipulum. Pſalm. 40. *Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Quem locum ipſe Dominus Ioannis 13. de ſuo proditore interpretatur.

10. Triginta argenteis vendendum. Zachariæ 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. & dixit Dominus ad me, Proijce illud ad ſtatuarium decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium.* Hic aperte prædicitur Dominum triginta argenteis appretiandum, & illos triginta argenteos abijciendos in templum, & agrum figuli ſeu ſtatuarij ex illis coemendum. Quæ omnia impleta eſſe patet Matthæi 27.

11. Fuga diſcipulorum. Zach. 13. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues.* Ita hunc locum interpretatur ipſe Dominus paſſione imminente Matth. 26

12. Multiplices ipſius dolores per flagella, coronationẽ, crucem. Iſaiæ 53. *Non eſt ſpecies ei neque decor. Et vidimus eum* (Prophetica viſione) *deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, &c.*

13. Quòd ſponte & ſumma cum modeſtia ac manſuetudine, & ſine vlla contradictione, noſtra cauſa illa paſſurus eſſet. Iſa. 52. *Verè langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra. Correctio pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues erauimus; vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquit. tem omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutueſcet, & non aperiet os ſuum, &c.* Hæc omnia apertiſſimè in Domino impleta eſſe conſtat ex Euangelijs.

14. Crucifixio. Pſalm. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Eadem præfigurata in ſerpente æneo in ſublimi ſuſpenſo, cuius aſpectu morſi à ſerpentibus ſanabantur. Nu. 21 ſicut ipſe Dominus declarat Ioan. 3.

15. Quòd inter latrones crucifigendus, & pro ſuis perſecutoribus eſſet rogaturus Patrem. Iſa 53 *Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam; & cum ſceleratis reputatus eſt. Et ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.*

16. Iudæorum irriſiones & blaſphemiæ in Chriſtum cruci affixum. Pſalm. 21. *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum quoniam vult eum.* Ecce ipſiſſima verba Scribarum & Phariſæorum Matthæi 27.

17. Veſtimentorum diuiſio & ſortitio. Pſalmo 21. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Alteram enim veſtem diuiſerunt in quatuor partes: pro altera, quia ſcindi non poterat, miſerunt ſortem. Ioannis 19.

18. Quòd felle & aceto in cruce potandus. Pſalm. 68. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſitim meam potauerunt me aceto.*

19. Oſſa eius non confringenda. Exod. 12. & Num. 9. *Os illius non confringetis.* Lancea latus eius proforandum. Zachar. 12. *Adſpicient ad me quem confixerunt.* Vtrumque locum expoſuit nobis Sanct. Ioannes Euangeliſta capitul. 19.

20. Reſurrectio Pſalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Hunc locum de Domini reſurrectione intelligendum oſtendit Petrus Spiritu ſancto iam recens accepto illuſtratus, & repentè ex rudi & indocto piſcatore ſapientiſſimus orbis doctor effectus. Act. 2.

21. Die tertia reſurrecturum. Oſeæ 6. *Viuificabit nos poſt duos dies, & in die tertia reſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.* Huius rei typus (iuxta Domini explicationem, Matth. 12.) fuit Ionas, qui tribus diebus fuit in ventre ceti, & tertio die viuus exiuit. Ionæ 2.

22. Aſcenſio in cœlum. Pſalm. 23. *Aperite portas principes veſtras, & elenamini porte æternales, & introibit Rex gloriæ.* Et Pſalm. 67. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* Ita hunc locum intelligendum docet Apoſtolus ad Epheſios 4. Michææ 2. *Aſcendit pandens iter ante eos.*

23. Miſſio Spiritus ſancti. Ioelis 2. *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, &c.* Quam prophetiam impletam eſſe conſtat Actorum 2. Petro interprete.

24. Excidium Iudæorum ob necem Chriſti. Pſalm. 68. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in retributionem, & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Effunde ſuper eos iram tuam,*

& furor ira tua comprehendere eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui habitet: quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt, &c.

25. Tempus quo hæc omnia debebant fieri exactè descripsit Daniel angelica reuelatione edoctus. Ita enim loquitur Angelus cap. 9. *Tu animaduerte sermonem, & intelligе visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, vt consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.* Scitus est, Deum definisse spatium annorum 490. (tot enim annos continent septuaginta hebdomades annorum) intra quod spatium (nempe sub finem illius) venturus est Messias auctor omnis sanctitatis, qui peccatum generis humani delebit, & homines Deo reconciliabit, & iustitiam sempiternam adducet: cuius aduentu visiones & prædictiones Prophetarum implebuntur. Deinde declarat quomodo hebdomades illæ sint inchoandæ, & vbi terminandæ. *Scito ergo & animaduerte: Ab exitu sermonis, vt iterùm ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades septem & sexaginta duæ erunt*, hoc est sexaginta nouem, seu anni 483. *Exitus sermonis* (id est completio mandati Regij de ædificanda Ierusalem, nempe quando ciuitas completa & dedicata est, vt viri doctissimi interpretantur & probant) factus est anno vigesimo tertio Artaxerxis, siue vt Iosephus libro 11. Antiquit. capitul. 5. ait, anno vigesimo octauo ab exordio regni Xerxis computando, hoc est Olympiadis octogesimæ anno tertio, qui fuit annus septimus Artaxerxis Iohannis regnantis. Porrò ab anno illo tertio Olympiadis octogesimæ vsque ad baptismum Christi, quando Christus à Patre dux populi declaratus est, & ipse se ducem doctrina & miraculis præbere cœpit, sunt præcisè anni 483. seu hebdomades sexaginta nouem. *Et rursus ædificabitur platea & muri in angustia temporum.* Hoc sæpius concessum & tentatum, sed bis impeditum, & demùm perfectum à vigesimo anno Artaxerxis vsque ad vigesimum tertium Olympiade octogesimæ. *Et post hebdomadas sexaginta duas* (quæ sequentur post septem hebdomadas primas) *occidetur Christus*, id est, post annos 483. seu in hebdomade septuagesima. *Et non erit eius populus, qui eum negaturus est.* Iudaicus populus non amplius censebitur populus Dei. *Et ciuitatem & sanctuarium* (templum) *dissipabit populus cum Duce venturo*; exercitus Romanus cum Tito & Vespasiano. *Et finis eius vastitas: & post finem belli statuta desolatio*, nempe quam Deus statuit & prædixit. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna.* Legem Euangelicam multis miraculis, aliisque modis confirmabit Christus dux hebdomadæ vltimæ, nempe septuagesimæ. Nam per tres annos & aliquot menses post baptismum prædicauit. *In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium.* Christo enim in dimidio hebdomadis vltimæ mortem subeunte, cessauit ratio veterum sacrificiorum, quæ ad sacrificium crucis præfigurandum erant instituta. *Et erit in templo abominatio desolationis.* Quibus verbis vel insinuatur detestabilis factio zelotarum, quæ tertias desolationis & excidij causa extitit: vt narrat Iosephus libr. 6. De bello Iudaico cap. 16. lib. 7. cap. 4. & alibi. vel significatur quod exercitus gentilium desolationem & vastitatem inferens non solùm ciuitatem, sed etiam templum occupabit & vastabit. *Et vsque ad consummationem* (sæculi) *& finem perseuerabit desolatio.* Videmus hæc omnia completa præter illud vltimum. Verùm non dubitandum, quin & hoc quoque perfectè complebitur, cùm iam pœnè sedecim sæculis illa desolatio & Iudæorum dispersio durauerit.

Ioann. Dec-Kerius in Theſib. Iac. Tirinus & quidam alij.

26. Gentium ad fidem Christi conuersio. Genesis 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Psalm. 21. *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium: quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium,* &c.

Isaiæ 49. *Parum est vt sis mihi seruus ad suscipiendas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea ad extremum terræ.* & cap. 66. *Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam: & annunciabunt gloriam meam gentibus, & de cunctis gentibus adducent donum Deo.*

Hæc & alia plurima de Domino multis sæculis ante eius in carnem aduentum a Prophetis prædicta, quæ clarissimè constat esse completa. Ipse verò Dominus, tamquam omnium præscius, miras quoque prædictiones edidit, quibus suam diuinitatem patefecit: ex quibus nonnullas referam.

1. Prædixit minutim & ordine totam suam passionem 137
Matth. 20. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis* Marci 10.
tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte: & tradent illum gentibus ad illudendum, Luca 18.
& crucifigendum. & tertia die resurget. Eadem sæpè aliàs insinuauit Matthæi cap. 16. 17. & 26. Marci 9. Lucæ 9. Ioannis 3. &c.

2. Negationem Petri. Marci 14. ait illi Iesus: *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Stupenda profus fuit ista adeò distincta & minuta prædictio, præsertim cùm Petrus videretur omnium firmissimus, & tempus esset adeò breue, & illa præmonitio posset illam ad sibi cauendum excitare. Vnde Dominus non solùm præsciebat illud ita euenturum, sed etiam nouerat hanc suam reuelationem non impedituram euentum.

3. Proditionem Iudæ & fugam discipulorum. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioannis 13.

4. Occursum hominis amphoram aquæ baiulantis, &c. Marci 14. & Lucæ 22. *Mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magister, vbi est diuersorium vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis,* &c. Similis est prædictio de pullo asinæ Luc. 19. Matth. 21.

5. De latere in ore piscis qui primus occursurus. Matth. 17. *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit tolle: & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Vbi non solùm ostendit se præscium futurorum, sed etiam se esse Dominum maris & piscium; qui omnia etiam longinqua & absentia habeat in potestate.

6. Euersionem Iudæorum. Matth. 24. *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Lucæ 19. *Videns ciuitatem fleuit super eam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis! Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique: & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Lucæ 21. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes; & qui in medio eius, discedant; & qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt: & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes,* &c. Quæ omnia sic impleta esse constat ex historia Iosephi.

Omitto alias plurimas Domini prædictiones, vt de Apostolorum prædicatione & miraculis; de illorum persecutionibus, de Petri crucifixione, & Ioannis permansione; de gentium conuersione, de Euangelij in toto orbe prædicatione, de Ecclesiæ in finem mundi duratione, & similia.

Omitto etiam innumeras prædictiones sanctorum virorum qui post Christum singulis sæculis extiterunt, & diuino spiritu affati futuros euentus prænuntiarunt, & alia occultissima patefecerunt.

Ex ijs quæ dicta sunt, tria manifestè colliguntur. Primò, Esse aliquod Numen omnium futurorum & occultorum conscium, à quo res humanæ gubernantur, quod suis eximijs cultoribus arcana pandit, & futura, quorum nullæ causæ determinatæ extant, reuelat. Secundò, Christum, cuius omnia gesta & euenta à Prophetis tot antè sæculis prædicta sunt, quique ipse adeò mirabilis, & ortu, & operibus, & prædictionibus, & doctrina, & vita, & exitu, & 138

successibus

ſucceſſibus fuit, eſſe verum & vnicum mundi Saluatorem. Tertiò, Fidem Chriſti ad ſalutem eſſe neceſſariam. Nemo de illis dubitare poterit, qui prædictiones ſuprà commemoratas iudicio & ratione expenderit.

Vndecima Ratio, ex ſpiritibus.

139 INfinitis exemplis & experientijs conſtat eſſe ſpiritus, hoc eſt, ſubſtantias quaſdam inuiſibiles, mente præditas, ſubtilitate naturæ omnia peruadentes, quæ longe humanam omnẽ potentiam, ſapientiã & induſtriam ſuperãt.

Id manifeſtum eſt, Primo, ex oraculis & reſponſis quæ per idola apud omnes gentes reddi conſulentibus conſueuerunt. Non enim ſtatuæ inanimæ ſupplicantes intelligere, aut reſponſa dare poterant, ſed ſubibant eas ſpiritus, ſeu dæmones, & per illas reſpondebant. Alijs locis reſponſa dabantur per ſacerdotes idolorum, qui certis ceremonijs inuocato dæmone, ab eo correpti, tamquam numine affiati oracula fundebant, dæmone per os eorum, aut ventrem & vmbilicum, aut pudenda, loquente. Hinc ἐγγαστρίμυθοι, ſiue ventriloqui, & Pythonem habentes. Notiſſima ſunt ita non ſolùm ex ſacra, ſed etiam ex prophana hiſtoria. Celeberrimum multis ſæculis fuit oraculum Apollinis Delphici, & Iouis Ammonis vltra Cyrenem, & Dodonæum in Epiro, & alia nonnulla. Hac impoſtura dæmones idololatriam propagarunt, & ſe ipſi in ſtatuis toto fere orbe plurimis ſæculis tamquam numina coli fecerunt; & etiam nunc apud Indos, Chinenſes, Iapones, Tartaros, Braſilios, Perſianos, & alias nonnullas gentes coluntur: vt merito dixerit Propheta Pſalmo 95. *Quoniam omnes dij gentium dæmonia; Dominus autem cælos fecit.*

140 Secundò, Idem perſpicuum eſt ex diſciplina Necromanticorum & Magorum, qui apud omnes gentes reperiuntur. Hi enim certis cerimonijs & carminibus norunt dæmones euocare, & efficere non ſolùm vt mirabiles edant effectus, qui eorum indicent præſentiam; ſed etiam vt ipſi ſe præſentes viſibili forma ſiſtant, & cum hominibus ſermones miſceant, ſeſeque familiares exhibeant. Formam huius euocationis deſcribit Homerus lib. 11. Odyſſeæ: vbi Vlyſſes excitat Tyreſiam & vmbras Orco, vt ab illis de reditu ſuo ſciſcitetur. Similis Necromantica excecratio facta legitur à Scipione apud Silium, à Tireſia apud Statium, ab Oeſone apud Flaccum, à Canidia apud Horatium, ab Erichthone apud Lucanum. Vnde patet hanc rem etiam apud veteres fuiſſe vſitatam; imò antiquiſſimam eſſe conſtat ex Hiſtoria ſacra, quæ de magis Pharaonis, & pythoniſſa commemorat. & hoc ſæculo ex actis iudicialibus & multiplici experientia paſſim conſtat de ſagarum cum dæmonibus commercio & conuictu.

Exo. 7. & 9. 1. Reg. 28.

141 Tertiò, Ex ijs quæ cernuntur in obſeſſis, quos energumenos vocamus. Duo enim in illis videmus, quæ vim humani ingenij longè ſuperant. Alterum eſt, quod ſæpè loquantur linguis peregrinis, quas ipſi prorſus nec intelligunt, nec vnquam didicerunt. Alterum quòd pandant occulta, vel procul poſita annuntient, perinde ac ſi coram vidiſſent. Vtrumque manifeſtum eſt indicium ſuperioris cuiuſdam & inuiſibilis naturæ, qua tunc agantur.

Denique idem conuincitur ex plurimis ſpirituum appariti-onibus, quæ probatiſſimis hiſtorijs ſunt conſignatæ.

142 Ex his perſpicuum eſt, eſſe in mundo ſpiritus, & quidem ingenti numero. Nam vbique terrarum ab omni æuo ſæpiſſimè ſe manifeſtarunt: adeò vt nullum ſit regnum, nulla prouincia, nullum oppidum, nullus pagus, vbi apparitionis eorum non ſit memoria, aut non extent veſtigia. Pythagoras, vt refert Laertius, *Terram hanc aera plan non eſſe volebat animis; & eos dæmones ac heroas exiſtimari.* Eadem ferè fuit aliorum veterum ſententia: qui ſingulis hominibus ſuum genium vel dæmonem aſſignatum à Deo ſtatuebant. ita Heſiodus, Homerus, Menander, Triſmegiſtus, Plato, & Stoici. Quòd ſi multi ſunt ſpiritus, neceſſe eſt vnũ eſſe ſpiritum ſuminum, cui ceteri ſubſint, cuius nutu & imperio reganter. Omnis enim multitudo niſi ad vnum principium & rectorem reuocetur, parit confuſionem. Vnde etiam inter corpora eſt certus ordo, & alia ſunt ſuperiora, alia inferiora; omniaque tandem vni ſupremo ſubſunt, cuius & complexu coercentur, & motu cientur. potiore ratione debet eſſe ordo inter ſpiritus, ita vt omnes ad vnum ſupremum reducantur. Quanto enim aliquid eſt præſtantius, tanto debet eſſe magis ordinatum, & rectè diſpoſitum in mundo. at ſpiritus ſunt longè omnibus rebus corporeis præſtantiores: debet ergo inter illos eſſe maximus ordo, ſubiectionis nimirum & prælationis. Abſurdum plane eſt in ſuprema ac nobiliſſima Vniuerſi claſſe ἀταξίαν, & confuſionem admittere, cùm inferiorem tam præclare videamus diſtributam & diſpoſitam.

Idem confirmatur ex grauiſſimis incommodis, quæ inde ſequerẽtur. Si enim inter ſpiritus non eſſet ordo, nec omnes vni ſupremo ſubijcerentur, cuius nutu ac potẽtia continearitur; quilibet eorum pro ſua libidine poſſet mundum turbare, homines exagitare, bona diripere, incendere, vaſtare; corporibus dolores morbos, mortem immittere; denique totum genus humanum perdere ac proſtigare: nec vllum eſſet remedium, cùm ille non habeat ſuperiorem à quo coerceatur. Itaque non poſſet mundus vllo modo conſiſtere. Quàm enim ſpiritus dæmoniorum ſint proni ad malefaciendum, & ad calamitates hominibus inferendas, conſtat tum ex hiſtoria Iob, cuius vniuerſam ſubſtantiam ſatan perdidit, filios & filias interfecit, corpus grauiſſimis vlceribus affixit: tum ex innumeris ſacrificijs Ethnicorum, in quibus humanas hoſtias ſibi dæmones iubebant offerri, delecto eo quod quique erat chariſſimum, nempe filio vel filia, vel eo qui in Republica præſtantiſſimus: tum ex bellis & cædibus ad quæ illi ſpecie numinum mortales concitabant. Si ita ſæuierũt in homines, Deo illis habenas propter hominum peccata nonnihil laxante; quid non facerent, quas calamitates non irrogarent, quos cultus & honores ab illis non extorquerent, ſi ſui prorſus eſſent arbitrij, & nullius ſuperioris vi & imperio cohiberentur? 143

Sed & inter ipſos diſcordiæ & bella facilè concitari poſſent, nemine eos coercente. Sicut enim inter Principes, qui nullum ſuperiorem agnoſcunt, paſſim videmus bella moueri, quibus orbis grauiſſimè concutitur; eò quòd nullius potentioris, qui eorum controuerſias dirimat, ius dicat, & iniqua molientes coerceat, imperio contineantur: ita inter ſpiritus neceſſe erit diſſenſiones, ſimultates, & bella concitari, quibus mundus planè peſſum ibit, ſi nulli ſuperiori ſubduntur. Quiſque enim ſuo honori ſtudebit, & omnia ad ſuum nutum & imperium trahere conabitur. Vnde merito Homerus:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

Non eſt bonum multos eſſe in regno Principes, vnus Princeps eſto vnus Rex. & ex Homero Ariſtotel. Τὰ γὰρ ὅλα πέφυκε βέλτιον διοικεῖσθαι μοναρχίας. *Natura rerum non vult multi gubernari,* ſed optime.

Denique cùm multi ſint ſpiritus, vt oſtenſum eſt; vnde hæc multitudo ortum habuit? quis eos in hunc mundum introduxit? Non enim orti ſunt ex corporibus, cùm ipſi omnibus rebus corporalibus ſint eminentiores: & corpus non parat niſi corpus. Neque etiam alij ex alijs, ſicut animalia, propagati: hoc enim proprium eſt rerum corruptioni obnoxiarum; nimirum vt hac ratione ſpecies earũ perpetuentur, dum natura extincta in parente, conſeruatur in ſobole. Neque ſinguli habent eſſe a ſeipſis, ita vt à nulla cauſa dependeant: quia ſi aliquid ſtatuendum ſit quod eſſe à ſe habeat, ſatius eſt illud eſſe vnum quàm multa. Magis enim conſentaneum eſt, eſſe vnam quamdam naturam à nullo dependentem, in qua tota plenitudo eſſendi eminenter & vnitè exiſtat, & à qua in reliquas omnes pro cuiuſque gradu & captu eſſe deſcendat; quàm multas naturas, quæ à nullo dependeant. Vbi enim eſt multitudo vel ſpecierum vel individuorum, ibi quoque eſt limitatio & imperfectio, cùm illa multa ſint omnino diſtincta, nec alterum alterius perfectionem & vim contineat. Hinc fit vt nihil illorum ſit propter ſe, ſed propter aliud, & omnia illa conſpirent, & coaleſcant in vnum, ſintque veluti partes vnius integri, quod ex ipſis conſurgit. Sint multa corpora conſtituunt vnum mundum, & multi homines vnam Rempublicam, & multi ſpiritus vnum regnum, ſeu Respublic. ſpirituum. At verò quod eſt à ſe, debet eſſe omnino perfectum, & ſibi planè ſufficiens, nullius egens conſortio, quid ita? quia quod à ſe eſt, id etiam eſt propter ſe: quod caret principio effectiuo, etiam caret fine: ac proinde ipſum ſibi eſt finis ac omne bonum, ita vt extra ſe nec conſortium, nec auxilium, nec complemẽtum, nec lucem, 12. *Metaph. c. vlt. in fin.*

nec veritatem, nec gaudium, nec beatitudinem quærere debeat, sed omnia hæc in seipso, & à seipso plenissimè habeat. Itaque id quod est à se, à nullo dependens, solùm vnum esse potest, non multa: nempe ipsum esse illimitatum & primordiale, per se sufficiens, fons omnis entis & naturæ limitatæ.

145 His accedit, quòd ponere multos spiritus à nemine dependentes, nihil est aliud, quã introducere πολυθεΐαν, seu deorum confusam turbam, & multa prima principia: sicut olim faciebat cæca Gentilitas, singulis negotiis & rebus humanis proprios & particulares deos affignans, qui illarum essent auctores, directores, & supremi præsides, à nullo dependentes. Sic Venerem faciebant præsidem amorum & libidinum; Dianam, venationis; Cererem, frugum; Mercurium, negotiationis; Æsculapium, curandorum morborum; Martem, belli; Palladem, sapientiæ; Apollinem & Musas, poetices; Fortunam, euentuum fortuitorum; & ita in alijs innumeris: stulto planè iudicio: quasi vnum numen non valeat tantæ negotiorum multitudini attendere; nec tantum habeat sapientiæ aut potentiæ, vt illa possit simul dirigere ac moderari, vel saltem non absque tædio & molestia. *Fragilis & laboriosa mens alienæ imperfectæ vitæ digessit, infirmitatis suæ memor, vt portionibus quisque colaret, quo maximè indigeret.* Plin. lib. 2. c. 7.

Ex his satis demonstratum, esse vnum supremum spiritum, cui omnes alij spiritus subsint, cuius nutu & imperio gubernentur, a quo ceteri omnes sint procreati & formati; quem Deum vocamus.

Duodecima Ratio, ex absurdo.

146 SI nullum est numen, nullaque prouidentia, qua res humanæ gubernentur; multa profectò sequuntur absurda, & ab omni ratione, sanoque iudicio aliena; quæ clarè conuincant illud nullo modo statui posse.

Si nullum est numen, prima veritas aperiet viam ad omnia scelera.

Nam primò sequitur, Primam ac supremam veritatem de numine & prouidentia aperire portã mortalibus ad omnem vitæ impunitatem, ad omnem iniquitatem & iniustitiam, ad omnem superbiam, arrogantiam, tyrannidem, denique ad perfidiam, periuria, sacrilegia, & omne scelerum genus. Nihil enim est tam immane, vel inceptum, vel impium, quod metu numinis sublato, mens humana non audeat aggredi, & perficere. iuxta illud Psalmistæ; *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus*, &c. Ecce fructum illius doctrinæ & persuasionis; omnium scelerum turpitudo & abominabilis enormitas. Illud sequi est manifestum. Sicut enim, si est aliquod numen, prima & suprema veritas est *esse Deum qui mundum regat*: ita si nullum est numen, prima & suprema veritas erit *nullum esse Deum qui mundum regat*. Erit enim veritas de eo, quod apprehenditur ab omnibus esse supremum ac primum omnium principium. Hæc autem veritas extinguet in animis hominum omnem numinis metum & reuerentiam: sublato autẽ metu, patet via ad omnia scelera. At quid absurdius dici vel cogitari potest, quàm primam & summam veritatem, & maximum diuinitatis arcanum ab hominibus cognitũ vel apprehensum, ad omne nefas & flagitium viam aperire, eosque sceleratissimos, & impurissimos efficere? Psal. 52.

147 *Impossibile figmentũ erit causa omnis virtutis.*

Secundò sequitur, id quod est falsum & impossibile, & mera chimæra, esse causam omnis religionis, pietatis, iustitiæ, temperantiæ, modestiæ, benignitatis, patientiæ, denique omnis virtutis & honestatis: pacis insuper & tranquillitatis in Republica, & omnis boni in genere humano. Persuasio enim numinis, eiusque amor & timor, hæc omnia bona pariunt: & quò illa maiora & vehementiora fuerint, eò maiora bona ex illis in animis hominum, & statu politico oriuntur. Vnde numquam extitit Respublica benè instituta, in qua Religio, & persuasio prouidentiæ numinis non viguerit: & priuatim quò quisque fuit erga numen reuerentior & religiosior, eò probitate & vitæ innocentia fuit illustrior. Et contrario quò quis numen minoris æstimauit, eò fuit sceleratior: vt ex vtraque historia tam prophana quàm sacra constat. At cuius amentiæ est credere, falso & impossibili figmento tantam ineſſe vim ad omnem virtutem, solidæ, autem veritati tantam illecebram ad omne flagitium & perniciem?

148 Tertiò sequitur, Veram & summam sapientiam extinguere omnem virtutem, & homines efficere pessimos: summum verò errorem & amentiam excitare ad omnem virtutem, & homines efficere optimos. Si enim nullum est numen, summus error & amentia est, certò credere esse numen, & prouidentiam; summa sapientia, credere hæc nihil esse nisi hominum figmenta & chimæras. Item consequitur, veritatem & sapientiam esse homini & Reipublicæ maximè perniciosam; errorem verò maximè salutarem: veritatem & sapientiam esse maximè occultandam tamquam venenum animorum & omnis Reipublicæ; errorem verò omnibus modis promouendum tamquam omnis boni fontem: lucem summam intellectus summas adferre tenebras animorum; & summas tenebras intellectus gignere summam lucem & pulchritudinem animorum. Quæ omnia plena sunt furoris & amentiæ. *Sapientia extinguet omnem virtutem; error verò scientiam.*

Quartò sequitur, Omnes eos qui sapientia, vitæ sanctitate, miraculis, prophetico spiritu maximè illustres vmquam fuere, deceptos fuisse in re maxima, nec potuisse veritatem circa numinis rationem adequi; hi enim omnes diuinitatem & prouidentiam agnouere, & summe venerati sunt; qui verò impietate, turpitudine vitæ, & omni scelerum immanitate erant infames, eos solos hoc arcanum deprehendisse; tales enim fuerunt omnes numinis contemptores. Omnium ergo mortalium pessimi fuere sapientissimi, omnium verò optimi insipientissimi, & tenebris maximis ignorantiæ, & errorum obsiti. *Optimi fuissent stultissimi; pessimi sapientissimi.*

149 *Optima virtutum effecta effunt pessima*

Quintò sequitur, Amare Deum, timere vindictam, offerre sacrificia orare numen, hymnis & laudibus illud celebrare, seruare iusiurandum, nõ esse bona, sed inania, stulta, impia, & rectæ rationi aduersa: non secus ac amare, timere, colere, laudare chimæram, vel aliud hominum capitis figmentum. Si enim diuinitas est figmentum sicut chimæra, manifestum est non amplius illi deferendum quàm chimeræ.

Blasphemia non esset mala.

Sextò sequitur, Esse impium, sacrilegum, blasphemum, numinis contemptorem, non esse malum, aut rectæ rationi aduersum; sed hæc esse bona & laude digna, cùm veræ doctrinæ de numine sint consentanea. Si enim nullum est numen, omnes illi actus quibus contemnitur, & ignominia afficitur, boni sunt: tum quia sunt protestationes quædam arcanæ veritatis: tum quia valent ad falsam persuasionem hominibus de prouidentia & numine eximendam. Sicut contumeliæ in idola gentilium sunt laudabiles: quia illis testamur nullam idolis esse diuinitatem. nihil contemptibilius eo quod nec est, nec esse potest.

150 Septimò sequitur, Mundum esse instar nauis in salo fluctuantis, quæ gubernaculo & gubernatore est destituta. Et instar maximæ Reipub. ex omni hominum genere conflatæ, in qua nullæ sunt leges, nullus iudex, nullus rector, nullus tranquillitatis & boni publici curator. Si ita est, quomodo mundus potest consistere, præsertim cùm rebus tam disparibus, & contrarijs, & pugnantibus constet? Sicut enim nauis absque gubernatore huc illuc fortuito impetu rotatur, donec allidatur in scopulos, vel impingat in breuia, vel fluctibus haurriatur; Respublica absque rectore cæsibus & seditionibus se ipsa conficit: ita necesse erit mundum inordinatissimè ferri, & contrariorum pugna dissolui, si nullus est rector, qui dirigat, & pugnantia in concordiam cõspirare faciat.

Vniuersũ confectum.

Octauò sequitur, Hoc vniuersum, & partium eius formationem ac dispositionem casu extitisse, & in hanc formam ac speciem coaluisse. Si enim nulla est mens, quæ singulas eius partes formauit, & in hanc structuram, quam videmus, digessit ac composuit; necessariò fatendum est casu id totum accidisse, iuxta sententiam Democriti, qui ex fortuito impetu & concursu atomorum omnia formata statuebat. At quid hoc est aliud quàm mera fatuitas & rationis inopia? Quomodo quod summa ratione constat, casu fieri potuit? Videt quispiam splendidissimum & summa arte perfectum palatium, cuius structuram omnes Architecti mirantur; quærit, quis artifex hoc extruxerit: respondetur ei, à nullo artifice extructum, sed olim ibidem extitisse montem arboribus consitum, quo per terræ motum corruente partes dissilierint: & hoc lapsu ac collisione singulas partes ita formatas, in hanc speciem substructionis & palatij formam, loco informis cumuli, repente coaluisse. quis adeò vecors erit, vt hoc credat?

Hæc & alia multa, eo principio posito, manifestè consequun-

sequuntur, quæ omnia quàm ab omni specie veri sint aliena, rationis luci aduersa, & dictu horrenda, nemo non videt. Quare & illud principium, quod fons est malorum scatebrarum, oportet a veritate esse alienissimum.

Obiectio. 151 Dicet aliquis saltèm persuasionem in religionibus sæpè maximam vim habere ad hominum animos a sceleribus abterrendos, & ad probitatem ac iustitiam impellendos. Ethnici enim qui plures deos pro multitudine & diuersitate rerum humanarum statuebant, eorumque prouidentia res humanas geri, & mortalibus præmia vel supplicia pro meritis decerni putabant (quæ tamè omnia falsa erat, & impossibilia) nihilominùs ex hac animi conceptione abstinebant a multis iniurijs & sceleribus, quibus illa numina credebant offendi, ne in illorum iram incurrerent, & pœnas siue in hac vita, siue in futura darent. Itaque argumentum illud quod suprà secundo loco numero 141. adduximus, alicui videri possit minimè firmum.

Respondeo, Persuasionem Ethnicorum fuisse quidem falsam in particulari (quatenus sentiebant hos vel illos esse numina, & curare res humanas) non tamen in genere, quatenus sentiebant esse aliquod numen, cui res humanæ sint curæ, quodque factorum exigat rationem. Vnde quando vel metu numinis offendendi, vel affectu placendi, abstinebant a malo, vel faciebant aliquid boni, impellebantur non vi persuasionis quæ falsa erat de tali numine, sed quæ vera in genere. Solùm enim errabant in re subiecta, tribuentes rationem numinis & prouidentiæ illis quibus minimè oportebat, eamque in illis venerantes. Itaque non tollebant ipsam rationem formalem numinis & prouidentiæ, sed eam statuebant: ac proinde retinebant aliquo modo iustitiæ politicæ verum fundamentum. At verò si nullum est numen, nulla prouidentia, ipsum fundamentum in genere penitus est falsum & fictitium: ac proinde fieri non potest vt aliquam vim habeat ad vitæ probitatem: aut si aliquam vim habet vt experientia constat habere maximam, perspicuum est non esse rem fictitiam, sed veram.

Decimatertia Ratio, ex animæ immortalitate.

152 Si anima rationalis statuitur non extingui cum corpore, sed viuere immortalis, nulla est ratio tollendi numinis & prouidentiæ. Si enim est infimus aliquis spiritus incorporeus, viuus, intelligens & immortalis, cur non sit aliquis summus? Vbi enim sunt varij gradus naturarum, necesse est inueniri supremum, nõ minus quàm infimum, & medios. Ostensum autem est suprà, esse aliquos spirituum gradus longè anima humana præstantiores. Infra tamen animam nullus est gradus, sed ipsa natura rationalis vltimus est terminus. Brutorum enim animas cum corpore interire constat.

Deinde si est immortalis, non est dubitandum, quin post hanc vitam fit factorum retributio; & virtuti constitutum sit præmium flagitio supplicium.

Absurdum enim est eas animas quæ sceleratè & in omni bonorum affluentia vixerunt in corpore, & nullam sceleris pœnam dederunt, post hanc vitam pares esse illis, quæ hic grauia sunt perpessæ, & nihilominùs iustitiæ tramitem nõ deseruerunt nullamque haberi rationem eorum, quæ gesta in hac vita. Oportet ergo esse aliquam prouidentiam, cui hæc curæ sint, & singulis pro meritis compenset. Vnde omnes philosophi, & omnes religiones quę animam post corpus superesse censent, simul statuũt præmia & supplicia, & prouidentiam numinis, qua hæc iustè dispensentur. Pulchrè hoc argumẽtum prosequitur Chrysostomus serm. 4. De prouidentia. *Si nihil est post hanc vitam (si anima cum corpore extinguitur) ergo neque Deus est. Nam si Deus est, iustus est: si iustus est, iuxta merita vnicuique distribuit. Si autem nihil est post hanc vitam, vbi accipient singuli pro suis meritis? Multi hic bene habent, & in honore degunt, licet mali: alij verò afflguntur, licet iuste viuant. Si ergo posticæ nihil est, euigrabunt iusti affecti iniuria, & iniusti immerita felicitate potiti. Vbi manebit ergo iustitia? Si omnino quæ meriuimus est accipiat, neque Deus secundùm se iustus est. Si autem Deus non est iustus, neque Deus est*, &c. Et infrà: *Atqui Deum esse, creatura clamitans: igitur & iustus est. Quòd si iustus est, vibuit vnicuique quod iustum. Si vnicuique quod iustum est tribuit; necesse est post hanc vitam esse tempus, in quo singula iuxta merita accipient.* Hæc ille. Itaque concessa animi immortalitate, necesse est fateri numen, eiusque prouidentiam: & tublata animi immortalitate, etiam tollitur iustitia & prouidentia numinis, atque adeò ipsum numen. Probanda igitur nobis est animorum immortalitas: verùm quia ea res erit prolixior, cõmodiùs in secundum librum differetur, vbi ex professo id acturi sumus.

Decimaquarta Ratio, ex Variis diuinæ vltionis & benignitatis exemplis.

153 Etsi præcipua peccatorum vindicta reseruetur sæculo futuro: quando fiet omnibus iusta meritorum compensatio tamen in hoc sæculo interdum nonnulla eduntur exempla, vt homines intelligant, Deum non dormire, sed excubare in rebus humanis, & omnia aduertere; secumq; reputent quàm grauia post hãc vitam omnes iniquos maneant supplicia. Itaque etsi laxæ admodum habenæ, & magna viuendi pro arbitratu licentia mortalibus sit concessa, & pleraque ita perturbatè gerri ferrique videãtur, ve nulla subinde numinis prouidentia in rebus humanis appareat, impijs omnia pro sua libidine agentibus, & iustis miserè oppressis: tamen si quis temporum decursus consideret, videbit eam non ita quiescere & abdi, quin sæpius post aliquod interuallum (mensura peccatorum in aliqua gente completa) sese prodat graui & notabili supplicio in eam gentem vindicando. Cuius rei plurima extant exempla, tum in Sacris litteris, tum apud profanos scriptores. Nos aliquot illustriora in medium proferemus.

154 Primum sit diluuium generale, quo totum genus humanum (exceptis octo hominibus) propter sua scelera est deletum. Descripsit hoc supplicium cum suis peculiaribus elegantissimè magnus propheta Moyses, Genesis 6. 7. 8. Multis modis hic se aperuit diuina prouidentia. Primò, cùm in vindictam peccatorum sanxit humani generis internecionem, eamque prædixit ipsi Noe centum & viginti annis ante euentum. Secundò, cùm ad seminarium mundi iussit fabricari arcam, præscripta forma & mensura, quæ omnium animantium terrestrium & volatilium species capere posset, & ab interitu seruare: trecentis cubitis in longum, quinquaginta in latum, & triginta in altum designatis. Eam verò mensuram fuisse sufficientem, non solum omnibus animantibus, sed etiam pabulo quantum in annum opus erat, facile demonstrari potest, & à viris doctissimis ostensum: vt liqueat rem eam non humano consilio, sed diuina sapientia constitutam. Tertiò, cùm miro modo effecit vt pluuia ingruente omne genus animantium ad arcam conflueret, & se per mansiunculas aptatas distribui sineret. Quartò, cùm pluuiam assiduam, quadraginta dierum & quadraginta noctium spatio, per totum orbem induxit, qua globus aquæ terram vndique cingens ita excreuit, vt altissimos montes quindecim cubitis superaret. Porrò eam pluuiam potuisse tantum aquarum intra illud tempus efficere, partim ratione, partim experiẽtia facilè ostendi potest. Quintò, cùm intra vnius anni spatium tantum aquarum in terras effusum, & rursum in auras dissipatum. Nam quadraginta diebus aqua ad summum excreuit, centum quinquaginta diebus in eadem altitudine & copia constitit; reliquo tempore anni, hoc est centum septuaginta quinque diebus ita absumpta dissipata, vt vltimo die terra iam siccata, Noe cum vniuersa familia & animantibus omnibus sit egressus. Itaque annum integrum solarem in arca fuit, hoc est dies 365. ingressus enim est anno sexcentesimo vitæ suæ, mense secundo, die decimoseptimo: egressus verò anno sexcentesimo primo, mense secundo, die vigesimo septimo: quare duodecim menses lunares & undecim dies, qui efficiunt annum solarem. Sextò, cùm pœnæ lentitudine miseris illis tribuit spatium pœnitentiæ, ne vna cum corpore perirent etiam animæ. Non enim dubitandum est quin innumeri, diuinam manum in tam horrenda calligatione sentientes, pœnitentiam egerint, & veniam peccatorum cum ingenti dolore à Domino petierint & obtinuerint. sicut fieri consuevit in periculis naufragij, vbi etiam sceleratissimi quique magno pie-

Gen. 6. v. 3.

tatis

tatis affectu ad Deum confugiunt, pectora tundunt, dolorem malefactorum concipiunt, emendationem promittunt, & veniam obtinent, animæque salutem, corporibus pereuntibus, consequuntur. Diluuij illius & Arcæ meminerunt omnes barbaricæ historiæ scriptores, teste Iosepho libro 1. Antiquit. Iudaicarum capit. 4. vbi & hoc addit, etiam suo tempore reliquias arcæ apud Armenos ostendi solitas.

Secundum sit excidium Sodomæ & vicinarum trium
155 ciuitatum, quando Deus imbre sulphureo cœlitus immisso totam illam regionem cum omnibus suis habitatoribus propter eorum peccata deleuit. Hanc cladem ita describit Moyses Genesis 19. *Sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino de cœlo: & subuertit ciuitates has, & omnem terrâ regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Vix quadringenti anni elapsi erant à diluuio, cùm hoc accidit; quò minus excusatione digni erant, qui in tam recenti memoria tantæ punitionis, rursum in omnia flagitiorum genera, & præsertim in fœdissimas libidines (quarum causa potissimum prior illa interneciuo irrogata fuerat) se ingurgitarunt. Mirificè in hoc Dei opere eluxit tum misericordia, tum iustitia, *Misericordia*, cùm deprecante Abrahamo ostendit Dominus se paratum parcere Sodomæ, si vel decem iustitiæ cultores in ea reperirentur. Quid benignius, quam parcere decem millibus impiorum propter decem iustos illis permixtos? Tanti est apud Deum iustorum vita. *Iniitia*, cùm eos ex inopinato, & nihil tale metuentes opprimit; vix modico ad pœnitendum concesso spatio, idque supplicio adeo immani & horrendo. Quid enim terribilius quam ardentis sulphuris immensa vis cœlitus confertim effusa? Hac repentè omnia longè lateque arsere, & ipsum solum in profundum ita exustum, vt alueum ingentè excipiendo mari mortuo per septuaginta duo milliaria in longum, & tredecim in latum præbuerit. Aquæ huius amarissimæ nihil viuum retinent, halitu adeò terro, vt vicina reddantur sterilia, nec quicquam in hodiernum diem proferant præter poma quædam putenti cinere plena, iræ diuinæ symbola. Ostendere voluit Deus hoc exemplo quid peccatoribus post hanc vitam sit expectandum, nempe sulphureum ignem & æternam vastitatem.

Tertium sit multiplex illa Pharaonis & Ægyptiorũ ca-
156 stigatio, cùm populum Dei nollent dimittere. Descripsit illam Moyses luculentissimè, qui vbique non solùm interfuit, sed etiam præfuit, omnium arbiter & moderator: quo Deus vt instrumento in omnibus illis cladibus tum irrogandis, tum continuandis, tum desinendis vsus est. Primùm, Conuertit omnes aquas Ægypti, quæ vel flumine, vel lacubus & paludibus, vel puteis & cisternis continebantur, in sanguinem. durauit ex plaga per septem dies. Secundò, Eduxit repente infinitam ranarum copiam, quæ totam terram, & domos Ægyptiorum impleuit, omnia luto tabo contaminans. Tertiò, Ranis succedere cinyphes, vniuerso pulueri Aegypti subitò in cinyphes conuerso. Erant cinyphes culicum genus minutissimum, spiculo acutissimo intra proboscidem armatum, cutim acri cum dolore terebrans & sanguinem sugens. Iosephum tamen lib. 2. cap. 5. putat fuisse pediculos è corporibus Aegyptiorum infinita copia prorumpentes, & eorum carnem depascentes. Quartò, His ad preces Moysis sublatis, sicut & prioribus plagis, persistente in contumacia Pharaone, immissa muscarũ omne genus & insectorum agmina, quibus Aegyptij mirum in modum diuexati. Quintò, Muscas excepit pestis animalium: qua vno tempore omnes equi, asini, cameli, oues & boues quæ in agris erant per totam Aegyptũ (salutis ijs quæ erant filiorum Israel) perierunt. Sextò, Hanc cladem mox secuta est scabies, hominum & iumentorum superstitum corpora grauissimè exulcerans & affligens. Septimò, Scabiem sequitur grando immanis (qualis umquam in Ægypto visa) fulminibus permixta, qua omnia viuentia, quæ foris erant, & arbusta protrita, confracta & vastata fuere. Octauò, grandinem secuta immensa locustarum agmina. Hæ, quidquid grando & fulmen reliqui fecerant, deuorarunt, adeò vt nihil virens relictum fuerit. Homines quoque crebro assultu & diro morsu, & acutis vnguibus, & alarum strepitu, & fœdis excrementis & tabo abominabili mirè discruciabant. Hoc quoque malo ad preces Moysis repentè sublato, cùm Pharao non staret promissis, inducta tenebræ horribiles per totam Ægyptum (excepto loco vbi habitabant Israelitæ) eæque triduo continuatæ: nemo alterum poterat videre; nemo se præ metu audebat loco, in quo constiterat mouere. Decimò, Post triduum, restituta luce, cum Rex in obstinatione perstiteret ingẽs clades immissa, occisis per Angelum media nocte, vna hora, omnibus hominũ & iumentorum primogenitis: adeo vt nulla domus esset sine funere & luctu, perempto eo quod in quaque dignissimum & charissimum. Accidit ea clades decima quarta luna mensis primi nocte insequente. Eius rei memoriam præcipua ceremonia quotannis ab eo tempore vsque ad hanc ætatem Iudæi celebrant, nempe sacrificio agni Paschalis, & vsu azymorum, & oblatione primogenitorum.

Exo. lib. 8. 9. Phil. li. 1. de vita Moysis. Iosephus l. 2. Antiquitatum.

Tantis calamitatibus fracti Ægyptij, tandem illis abitũ liberum permisere: verùm paulo post ducti pœnitentia eos ingenti exercitu sunt persecuti, vt retraherent in seruitutem. quibus inter mare & montes deprehensis, cùm nullum esset effugium, Dominus mare aperuit, latissima via in fundo a vicino littore in litus oppositum patefacta, quæ immenso exercitui ad celerem transitum sufficeret. itaque per siccum medij maris alueum transeunt in aduersam solitudinem, Ægyptijs propere sequentibus. qui cùm omnes in eumdem alueum descendissent, & Israelitæ iam euasissent in contrarietatem, Dominus relaxat manum, & Moyse aquam eius iussu feriente, immensa illa moles aquarum, quæ veluti muris vtrimque coercita sublimis steterat, subitò cum ingenti fragore concidit, & in consuetum præcipitans alueum magna vi collisa, Ægyptios omnes vna cum suis equis, curribus, armis ita inuoluit & obruit, vt ne vnus quidem euadere potuerit. Clades illæ Ægyptiorum populum Dei persequentium, typus quidam & adumbratio earum fuere cladium, quibus sub finem mundi (quando Deus populum suum ab impiorũ tyrannide liberaturus est, & in promissam terram traducturus) impij cõflictabuntur. Postquam enim multas eis calamitates, vt respiscant, irrogauerit, & illi nihilo inde meliores effecti in contumacia perstiterint, tandem omnes immisso igne, terraque dehiscente delebuntur.

157 Quartò, Occurrunt plurima diuinæ prouidentiæ exempla (benignitatis præsertim & seueritatis) populo Israelitico exhibita in deserto. 1. Cum enim tantam hominum multitudinem, in qua facilè ad vicies centena millia capitum censebantur, eduxisset in vastam solitudinem, & alimenta, quæ ex Ægypto secum detulerant, iam essent absumpta, nouo & inaudito miraculo illis de annona prouidit; quotidie (sabbatis exceptis) per noctem cœlitus illis manna instar pruinæ, vel minutissimæ grandinis effundens: quo cibo per annos quadraginta sustentati.

2. Deinde cùm aquæ ibidem essent amaræ, eas mox in dulces conuertit, & potabiles fecit. *Exod. 16. Ibid. 15.*

3. Quinquagesimo ob egressu die, omnibus inspectantibus & audientibus legem dedit; omnium oculis in vertice montis Sinai sub specie maximi ignis, & caliginosæ nubis, se conspicuum exhibens, cum ingenti sonitu buccinæ crebrisque tonitruis & fulminibus, terra tremente, & monte crebrò subsultante.

4. Per quadraginta annos assiduè suam præsentiam illis exhibuit, per diem ingenti nubis columna ab æstu solis castra protegens, & noctu eadem columna instar ignis tunc fulgente, castra illustrans. Hæc columna, quãdo castra mouenda, in altum se leuans lento motu præcedebat, vt scirent qua esset eundum; & rursus quando & vbi quiescendum, sistebat: adeò vt omnis castrorum metatio, & commoratio, & mutatio, & profectio ex directione solius nubis ageretur. *Exod. 40.*

5. Iussu & præscripto Dei Moyses primo anno egressionis extruxit tabernaculum, illudque anno secundo, mense primo, prima die mensis in medio castrorum erexit: quo erecto statim columna illa se directè supra tabernaculum stitit, ei perpetuò incumbens; præter cùm esset proficiscẽdum: tunc enim in altum se efferens præcedebat. Cùm Moyses Deum deprecaturus, tabernaculum ingrederetur, descendebat Deus sub illa nube omni populo inspectante super tabernaculum, illud operiens: oratione peracta rursus nubes in consuetum locum ascendebat. *Ibid. 40. Exod. 33.*

6. Cùm populus siti laboraret mansionem vndecima in Ra-

Exod. 17. Num. 20. Rhapidim, iussu diuino Moyses rupem arentem loleque exultam virga percussit, & egressæ sunt aquæ largissimæ. Idem factum mansione trigesimatertia in Cades, vbi cùm Moyses propter incredulam plebem nonnihil hæsitasset, ambigens an Deus aquam ellet daturus, punctus est, hac pœna ei a Deo inflicta, Populum in terram promissam non introduces, sed ante e vita decedes.

7. Cùm populus carnes appeteret, earumque ob causam aduersus Moysen concitaretur, ollas Ægypti suspirans; Deus, etsi iratus, promisit carnes, & postridie tantam coturnicum multitudinem in castra immisit, vt ad mensem *Num. 11.* integrum omnibus sufficerent. Vix toto mundo tanta huius generis auium copia contineri putabatur. Verùm mox Deus hanc ingratissimi populi importunam creophagiam seuerè vindicauit, plurimis eorum interfectis; vnde & locus *Sepulchra concupiscentiæ* appellatus.

8. Exploratoribus reuersis, & robur aduersariorum extollentibus, terramque promissam calumniantibus, populus timore correptus promissis diuinis diffidere cœpit, adeò vt terræ promissæ renuntiaret, & in Ægyptum reuerti vellet. Quam ob causam iratus Dominus omnes à viginti annis & suprà (qui erant sexcenta tria hominum millia & quingenti) morte damnauit, præter duos, Caleb & Iosue, qui Domino confisi populum animarant. Statuit enim vt nullus illorum terra promissam ingrederetur, sed omnes in solitudine (vti murmurando præoptarant) morerentur. Quam ob rem quadraginta annis illos in deserto detinuit, huc illuc circumducens, donec omnes cõsumpti: filijs eorum qui infra vigesimum annum erant in vita *Num. 26.* conseruatis, & loco parentum substitutis. Vnde etsi anno quadragesimo cùm terra illa erat occupanda, omnes illi murmuratores essent mortui, inuenta tamen sunt ex filijs eorum sexcenta millia, mille septingenti triginta: & præter eos viginti tria millia Leuitici generis: adeò vt plures tunc fuerint terram promissam ingressuri, quàm primo anno fuerant.

9. Core, Dathan, & Abiron primarij viri inter Israelitas, adiunctis sibi alijs ducentis quinquaginta ex nobilioribus seditionem contra Moysen & Aaron concitarunt, auerso ab ipsorum obedientia populo, quasi ipsi sibi principatum & pontificatum per ambitionem & malas artes vsurpassent, non diuino iussu & decreto suscepissent. Itaque *Num. 16. & 26.* ob rei indignitatem Moyse diuinum iudicium appellante, Deus causam diiudicauit, horrendo supplicio omnibus inspectantibus ex illos animaduertens. Vix enim Moyses verba minacia finierat, cùm terra sub illis contremiscere, & instar maris fluctuare cœpit: mox vasto hiatu cum ingenti fragore dehiscens, Core, Dathan & Abiron cum suis tabernaculis & vniuersa substantia obsorpsit, & rursus ita se clausit, vt nullum hiatus extaret vestigium. Reliquos verò ducentos quinquaginta socios seditionis, ignis, maxi- *Num 26.* mus diuinitus accensus in eos irruens subito consumpsit, *Iosephus lib.* ita vt ne cadauerum quidem extarent reliquiæ. Postridie *4. c. 3. & 4.* cùm ob hanc causam populus aduersus Moysen & Aaron insurgeret, quasi ipsi eius cladis auctores fuissent, & Deus in eorum gratia tot viros innoxios (vt ipsi ferebant) morte affecisset, iratus in rebelles Deus, ignem in eos immisit, quo statim quatuordecim millia septingenti internecione deleti.

10. Alio item tempore, populo contra Dominum ob laborem itineris murmurante, rursus Deus in eos ignis *Num. 10.* flammam immisit, quæ deuorauit extremam castrorum partem, longius etiam progressura, nisi Moyse deprecante fuisset cohibita: cuius precibus terra se aperiente ignis ille absorptus.

11. Aliquanto tempore post, rursus ob itineris molestiam populus contra Deum impiè murmurauit. Quamobrem Deus ignitos serpentes in eos immisit. ad quorum plagas & mortes plurimorum venerunt ad Moysen peccatum suum confitentes. Itaq; Moyses iussu diuino erexit ser- *Ibid. 21.* pentem æneum, è sublimi furca suspendens; cuius solius aspectu curabantur quicumque a serpentibus illis nocentissimis ictu erant. Fuit hoc illustris typus Christi Domini *Isa. 53. v. 14.* in cruce suspensi, cuius solius fide antiqui serpentis ictus curantur, & salus æterna restituitur.

Deut. 29. 12. Denique totis illis quadraginta annis quibus in illa solitudine & arenis circumducti, nec vestes eorum nec calceamenta fuerunt detrita, aut vetustate consumpta, diuina prouidentia ea conseruante, quòd aliorum non suppeteret copia.

13. His adde tot opitulationes in prælijs, tot illustres victorias diuinitus obtentas; toties ex hostes a illo vel certè quam minimo Israelitarum damno. Exercitus Amalec ad internecionem cæsus, Moyse ad Deum manus leuãte, quamdiu eas leuabat, vincebat Israel, paululùm remittente, vincebat Amalec: magno planè mysterio. Iordanis ad præsentiam Arcæ diuisus (superiore parte instar montis intumescente, & fortiore prorsus efficiente) vt uerso populo transitum præbuit. Muri Iericho validissimi ad sonitum buccinarum, & populi clamorem, fundamentis ex circui- *Ibid. 6.* tu corruerunt. Exercitus quinque Regum Amorrhæorum *Ibid. 10.* victus ab Israelitis, cùm fugeret, in ipsa fuga lapidibus grandinis diuinitus immissis, magna ex parte contritus. Sol & luna ad imperium Iosue (Deo eius petitioni obsequente) ad decem vel duodecim horas inhibito cursu steterunt immobiles, donec ille hostes suos deleret. Omitto alia plurima illi populo, vt terram promissam assequeretur, eo tempore diuinitus præstita, quæ assiduam numinis præsentiam & prouidentiam clarissimè demonstrant. Fuerunt illa omnia figuræ quædam & typi eorum, quæ tempore noui Testamenti gerendam Ecclesiæ; & illius prouidentiæ, qua Deus in populo suo tum e seruitute diaboli liberando, tum ab inimicis defendendo, tum in cœlestem patriam introducendo, tutus erat.

Quinto, considerandæ quæ eis obuenerint sub Iudicibus 158
postquam terram promissam occuparunt. Quoties enim relicto Dei cultu ad idola, more aliarum gentium, conuersi sunt, grauiter a Deo fuere afflicti, & in potestatem hostium ac seruitutem traditi: quoties verò pœnitentia ducti ad Deum ex animo redierunt, mox illorum calamitate miseratus, excitauit illis Ducẽ, qui eos ab hostium oppressione eriperet, & in libertatem vindicaret. Septies id eis (mirum dictu) intra spatium vix quadringentorum annorum, cùm sub Iudicibus agerent, accidit; septies illo temporis interuallo idolatriæ se mancipauere; septies in seruitutem traditi, septies ad Dominum redeuntes liberati.

Ac primùm mortuo Iosue & senioribus, qui mirabilium *Iudic. 3.* Dei operum spectatores fuerant, eoque in vera religione continuerant, recesserunt a Deo, cultui idolorum Baalim & Astaroth se mancipantes. Quamobrẽ tradidit eos Deus in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ, cui seruierunt octo annis tãdem cùm illis ex oppressio grauis ad modum esset, & monitu virorum sanctorum cognoscerẽt eam propter peccata a Deo inflictam, pœnitentiam ducti veniam & opem flagitant. Itaque Dominus illorum misertus suscitauit illis Othoniel, qui coacto exercitu Regẽ Mesopotamiæ cecidit, eiusque iugum excussit: & quieuit terra annis 40.

Mortuo Othoniel, rursus illi, aliarum gentium consuetu- *Iudic. 3.* dine veluti æstu pelagi abrepti, ad idola redire, omnium beneficiorum & mandatorum Dei immemores. Quare ad eos castigandos suscitauit Dominus Eglon regem Moab, cum Ammonitis & Amalecitis, a quibus vehementer afflicti annis octodecim. Vnde cùm rursus peccata sua detestati ad Deum confugerent, excitauit illis Aod, qui occiso Rege & exercitu Moabitarum deleto, populum liberauit: & quieuit terra a bellis annis octogiata.

Post mortem Aod iterùm ad idolatriam reuersi. Quare *Ibid. 4.* tradidit eos Dominus in manus Iabin regis Chanaan, a quo oppressi annis vigenti Vexatione iterùm illis intellectum dante, rursus pœnitet scelerum, & ad opem diuinam confugitur. Iterum Dominus misericordia motus suscitauit eis Deboram prophetissam & Barac virum strenuum, qui coacto exercitu deleuerunt exercitum regis Iabin, occiso eius duce Sisara, per fœminam nomine Iahel. Hinc quies a bellis annis quadraginta.

Quiete potiti, rursus ad idola conuersi sunt. Quam ob *Ibid. 6.* causam traditi a Domino in manus Madian annis septem, grauissimè ab his afflicti fuere. Madianitis quotannis cum infinita multitudine redeuntibus, & omnia absumentibus. Vnde rursus opem a Domino flagitantes, primùm per Prophetam grauiter corripiuntur, quòd toties a Domino liberati, & tot beneficijs affecti, ab ipso defecissent. Deinde cùm illi perstarent: Deum obnixè precari, suscitauit illis Gedeonem, misso ad eum Angelo specie humana, qui illum ad tantum opus animaret. Hic cum miris indi-

indicijs diuinitus ei oſtenſis certior eſſet redditus de victoria, trecentis viris inermibus, ſola buccina, & vacuis fictilibus face in continente inſtructis, rem tantam eſſet aggreſſus. His per circuitum caſtrorum, tribus locis buccina perſtrepentibus, & fictilia complodentibus, tanta inter hoſtes orta eſt perturbatio, vt veluti furore percit, partim ſe mutuis gladijs confoderent, partim in effuſam fugam ruperentur, interfectis ex ipſis ampliùs centum millibus.

Iudic. 10. Mortuo Gedeone iterùm ad idola relapſi. Quam ob cauſam tradidit illos Dominus in poteſtatem Philiſthinorum & Ammonitarum, a quibus afflicti & oppreſſi annis decem & octo. Itaque cùm rurſus ad Dominum confugerent, & veniam opemque poſtularent, excitauit illis Iephte; qui nox comparato exercitu conflixit cum hoſtibus, & vno impetu viginti ciuitates Ammonitarum cepit, eorumque iugum Iſraelitis in libertatem vindicatis, excuſſit.

Vix a morte Iephte vigintiquinque anni effluxerant, cùm Iſraelitæ rurſus ad vomitum redeunt; Deo vero, cuius beneficia toties fuerant experti, relicto, idolorum cultui (qui tot malorum eis cauſa fuerat) ſe mancipantes. Itaque tradiſti in manus Philiſthinorum annis quadraginta, a quibus cùm grauiter affligerentur, Dominus miſericordia motus excitauit eis Samſonem; cuius tantum erat corporis robur, diuina ſpiritu illum agente, vt nihil ei poſſet reſiſtere. Nam & leonem in ipſum ferocientem manibus diſcerpſit, & portas vrbis Gazæ, vbi incluſus ab hoſtibus obſidebatur, cardinibus reuulſas, vnà cum ſeris & vectibus in montem ſuis humeris aſportauit; & inermis multorum millium armatorum exercitum, ſola aſini mandibula inſtructus, nuauit; mille ex illis eo inſtrumento interemptis, reliquis in fugam actis: & ædem Dagon, concuſſis vi lacertorum duabus primarijs columnis, euertit, multis millibus Philiſthinorum, qui ibi præſentes erant, ruina oppreſſis. Quibus cladibus afflicti Philiſthæi Iſraelitis dedere ſpatium reſpirandi.

Iudic. 24. 15. 16.

1. Reg. 4. Qui rurſus longa pace corrupti, cùm peccatis veteribus aſſidue noua adijcerent, traditi ſunt iterum in manus Philiſthinorum, a quibus cæſa Iſraelitarum triginta quatuor millia, Arca capta, & primarij Sacerdotes Arcæ cuſtodes Ophni & Phinees (prout Dominus per Samuelem futurũ prædixerat) interfecti. Accidit ea calamitas anno quadrageſimo Heli. Verum hic ita puniti ſunt Iſraelitæ victi, vt longe grauioribus plagis affecti fuerint Philiſthæi victores. Cùm enim arcam Dei idolo ſuo, tamquam victori ſpolium, obtuliſſent, Deus in vindictam iniuriæ multos eos cladibus affecit: nam non ſolùm ipſum idolum bis terræ affictum coram Arca, & capite palmiſque fuit mutilatum, ſed etiam corpora Philiſthinorum per omnes ciuitates acri & fœdiſſimo morbo percuſſa, extremo inteſtino putreſcente foraſque prominente; vnde mortes innumerabiles. Deinde infinita vi murium ex agris & villis ebullientes, omnes terræ fructus vaſtati, omniſque annona abſumpta vel corrupta. Longè acerbiora hæc erant, quàm ſi ab Iſraelitis in ſeruitutem redacti fuiſſent. Itaque vel inuiti coacti ſunt potentiam Dei Iſrael confiteri, & Arcam cum donarijs malorum a Deo inflictorum teſtibus, honorificè remittere. Hæc ſub Iudicibus.

159 Sextò, conſideranda quæ illis acciderè ſub Regibus. 1. Saul mirabili modo, & ſingulari Dei beneficio (nimirum electione diuina pariter & ſorte populi) euectus ad regnũ, cùm mandatis diuinis non obtemperaſſet, rurſus a Deo in re regnandi cum tota poſteritate priuatus eſt, & tandem in prælio vnà cum filio primogenito, amiſſo exercitu, cæſus, regnumque ad Dauidem tranſlatum.

1. Reg. 13. & 15.

2. Dauid, etſi maximus Dei cultor eſſet, tamen eius peccata (vnum videlicet adulterium & vnum homicidium) grauiſſimè a Deo, etiam poſt peractam pœnitentiam, fuere vindicata. Nam & proli ſuſceptæ, magno eius dolore, vita ablata, & filiarum ipſius pulcherrima a primogenito infami inceſtu violata: & idem primogenitus a fratre proditorie interfectus: & ipſe a filio turpiter regno deiectus, eiuſque vxores in oculis totius populi a filio conſtupratæ. Hæc omnia ei obuentura in vltionem illius adulterij & homicidij prædixerat iuſſu diuino Nathan Propheta.

2. Reg. 11. 12. &c.

3. Rurſus cùm Dauid peccaſſet animi elatione numerando populum, Deus in vltionem, miſſo ad illum Gad Propheta, è tribus flagellis ei optionem dedit: nimirum vt vel ſeptem annis fame regnum afflige retur, vel tribus mensibus ſuperaretur ab hoſtibus; vel tribus diebus vaſtaretur peſtilentia. in quas angultias cùm ſe videret coniectum Dauid, reſpondit: *Coarctor nimis: ſed melius eſt vt incidam in manus Domini (multa enim miſericordia eius ſunt) quàm in manus hominum.* Itaque elegit peſtilitatem; qua repentè diuinitus immiſſa, triduo abſumpta ſunt ſeptuaginta hominum millia: & oblato ſacrificio clades illa ſubitò eſt cohibita.

2. Reg. 24.

4. Dauidi ſucceſſit Salomon. hic cùm ſapientia ſupra omnes mortales à Deo eſſet ornatus, inſuper opibus, gloria, diuitijs, & longa pace præ reliquis illius populi Regibus cumulatus, tandem mulierum amoribus, quibus effuſiſſimè deditus erat, ita depravatus eſt, vt idolorum cultui in earum gratiam ſe manciparet. In vltionem tanti ſceleris Deus ſtatim ipſo mortuo ſcidit regnum ipſius, decem tribubus ad Ieroboam translatis; & duabus tantùm filio Salomonis Roboamo relictis; ſicut Salomoni ante mortem fuerat minatus. Mira in executione huius diuiſionis apparuit Dei prouidentia: ſicuti cap. 11. & 12. lib. 3. Regum eſt videre. 3. Reg. 11.

5. Ieroboam ex humili ſtatu euectus ad regnum, nihil habuit antiquius, quam vt ſibi per fas & nefas imperium ſtabiliret. itaque cùm metueret ne ſi populus ſacrificij cauſa quotannis adiret templum Domini in Ieruſalem, ſenſim conuerteretur ad Roboam Regem Iuda, & ipſe regnum amitteret, aſſutum in ſpeciem excogitauit conſilium quo hoc impediret, formatis & in deos erectis duobus vitulis aureis, & excitatis phanis in Dan & Bethel, addito edicto quo iuberetur populus non adire Ieruſalem, ſed in Dan & Bethel illis idolis ſacrificare. Videbatur hoc conſilium ad ſtatum politicum tuendum ſalutare; ſed re vera nihil ad illum labefactandum & funditus ſubuertendum excogitari poterat accommodatius. Nam propter hanc cauſam *euerſa eſt domus Ieroboam, & deleta de ſuperficie terræ*: vt habemus 3. Regum cap. 13. Regnauit ipſe annis vigintiduobus, non ſine multis doloribus & incommodis. quo mortuo cùm Nadab filius ſucceſſiſſet, & vix biennium obtinuiſſet imperium, vita pariter & regno à ſeruo ſuo, Baaſa nomine, priuatus eſt, qui mox omnem familiam Ieroboam ita deleuit, vt ne vnus quidem eſſet reliquus. Hoc ipſum Dominus ei per Prophetam minatus fuerat. Talia ferè ſunt conſilia Politicorum (quorum ille Ieroboam clariſſimum exemplar) qui Religionem ſeruire faciunt politiæ, & talem fidem ac religionem amplectuntur, qualem regno vel obtinendo vel retinendo, vel augendo, aliſque ſcopis ſibi propoſitis putant commodiorem. Etſi enim eorum conſilia initio videantur ſpecioſa & vtilia, tamen plerumque ſucceſſu temporis maximis difficultatibus Principes inuoluunt, & eis perniciem adferunt: ita diſponentes diuina prouidentia, quæ omnibus hominum conſilijs dominatur.

6. Poſt Ieroboam, eiuſque filium, imperium Iſraeliticum tenuit Baaſa. Mira huius hominis fatuitas. Cum enim ſciret Ieroboam cum vniuerſa familia ob idolatriam penitus exciſum, nihilominus ipſe eam non deſeruit. quapropter & ipſi per Prophetam Iehu excidium ſimile denuntiatum: & euentus non ita diu poſt eſt ſecutus. Cùm enim viginti & duos annos regnaſſet ſicut Ieroboam, & Ela filius ei ſucceſſiſſet, anno ſecundo Elæ, vnus ex ducibus, Zamri nomine, aduerſus Elam inſurrexit, eoque occiſo regnum inuaſit, & mox omnem familiam Baaſa internecione deleuit.

7. Idem poſt aliquot annos accidit Regi Achab, & vxori eius impiſſimæ Ieſabel. Nam & ipſe Achab poſt triennalem & ſemeſtrem ſiccitatem, aliaſque calamitates, in prælio contra Syros eſt occiſus; & poſt mortem eius, Iehu dux militiæ à Deo excitus, filium Achab Ochoziam regni ſucceſſorem interfecit, & omnem progeniem eius è medio ſuſtulit, & Ieſabel Reginam è ſublimi præcipitatam canibus deuorandam obiecit. Hæc omnia propter idololatriã, aliaq; ſcelera, illis obuentura Deus per ſuos Prophetas illis prænuntiarat.

8. Tandem poſt toe minas, tot Prophetarum monitiones & increpationes, tot clades à Deo inflictas, cùm Reges Iſrael & eorũ populus nullum peccandi, & præſertim idola colendi finem facerent, ſpoliati ſunt regno, vrbibus

bus,& domicilijs,agris,poſſeſſionibus,libertate, & in perpetuam ſeruitutem traditi, & translati in Aſſyriam.

9. Simili modo diuina prouidentia ſe geſſit cum regibus Iuda & populo illorum. Nam quoties cumque ad idololatriam deflexerunt, variis bellis & calamitatibus attriti ſunt, donec reſipiſcerent: quando vero Deum pie colebant, magna proſperitate vti ſunt, multiſque victorijs & opibus aucti: vt Abia, Aſa, Iosaphat, Ezechias. Contra Abiam Regem Iuda venit Ieroboam cum octoginta millibus: ille ſe imparem videns tantæ potentiæ, cum ſuis ad preces confugit; quibus diuinam opem inclamantibus. 2. Par. 13. Deus immiſſo terrore exercitum Ieroboam in fugam compulit, quem inſecutus Abia, quinquaginta millia occidit, & multas ciuitates hoſti ademit. Maiorem longè victoriã 2. Par. 14. obtinuit Aſa. Mouerat illi bellum Zara Aethiops, maximo exercitu, in quo decies centena millia armatorum, in eum producto. Hunc tanto exercitui Aſa etſi viribus longe inferior, obuiam prodit diuino fretus auxilio: cumque inſtructa acie Deum ſupplex inuocaret, exterriti ſunt diuinitus Aethiopes, & in fugam acti. Fugientes perſecutus Aſa cum ſuis vſque ad internecionem deleuit, infinitis ſpolijs ditatus. Nec minùs miranda victoria Iosaphat, qui ſua pietate maximum exercitum ex tribus gentibus numeroſiſſimis, Ibid. 20. Ammonitis, Moabitis & Idumæis conflatum abſque armis deleuit. Eductis enim ſuis contra hoſtes copijs, iuſſit cantores qui diuinas laudes concinerent, aciem antecedere, quibus concinentibus, & contra hoſtilem exercitum canendo procedentibus, hoſtes ſubito veluti in rabiem acti ſe mutuis vulneribus confecere, & Iudeis immenſam vim ſpoliorum reliquere. His meritò adiungi poteſt victoria 4. Reg. 19. Ezechiæ, qui ab Aſſyrijs ad extrema redactus, cum ſuis ad 2. Par. 32. diuinam opem confugit; quem Deus exaudiens, miſit Angelum qui vna nocte centum octoginta quinque millia Aſſyriorum interfecit.

Omitto captiuitatem Babylonicam, hiſtoriam Eſther, hiſtoriam Iudith, hiſtoriam Tobiæ, prælia Machabæorum, obſidionem Romanorum, excidium Iudæorum, in quibus omnibus mirificè diuina prouidentia eluxit. Infinitum eſſet omnia diuinæ prouidentiæ exempla quibus pios iuuat & extollit, impios humiliat & caſtigat, perſequi. Nihil enim ferè aliud hiſtorijs ſacris continetur, cùm omnis earum narratio eò tendat, vt homines intelligant res ſecundas & aduerſas a diuina prouidentia pendere, eaſque hominibus plerumque, pro ratione operum, diſpensari, nec poſſe quemquam eius vim & diſpoſitionem effugere. qua in re differt hiſtoria ſacra a prophana. Illa enim cùm ſpiritu diuino conſcripta ſit, narrat res humanas vt à diuina prouidentia gubernantur: hæc verò ſpiritu humano compoſita, refert eas vt ab hominum prudentia & induſtria proueniunt. Itaque illa docet prudentiam diuinam, qua mens pio cultu Deo adhæreat, eiuſque ope potiſſimùm nitatur: hæc verò prudentiam humanam, & minutas quaſdam cautiunculas hominum induſtria inuentas; quæ plerumque parum habent vitium, & ſæpenumerò adferunt perniciem. Quamobrem nihil congruentius Principum inſtitutioni, quàm ſacræ hiſtoriæ, præſertim libri Regum, explicatio. Inde clarè intelligent fundamentum regni & politiæ, totiuſque proſperitatis in vera religione & iuſtitia collocandum: extra hæc nihil Chriſtiano principi fore firmum aut tranquillum. Profuit id plurimum Carolo V. cui adoleſcenti Adrianus Inſtitutor datus prælegit libros Regum. Vnde ille ea hauſit gubernandi documenta & principia, quæ illum non ſolùm Catholicum & piam præſtiterunt, ſed etiam in maximum & potentiſſimum Principem, ſuccellibus felicem, euexere. Porrò libros illos eſſe fide digniſſimos, & diuini ſpiritus afflatu ac directione ſcriptos, ſuprà numero 109. oſtenſum.

Diſcrimen hiſtoriæ ſacræ & prophanæ.

Decima quinta Ratio, ex occulta punitione blaſphemiæ, periurij, ſacrilegij.

161 HAec peccata potiſſimùm ſunt contra diuini numinis reuerentiam. Vnde cum varijs exemplis conſtet ea præ ceteris inuiſibili manu ſæpè vindicari, manifeſtè colligimus eſſe aliquod numen quod illorum iniuriam ſentiat. Si enim nullum eſſet numen, nullam in illis eſſet peccatum: ſicut nullum peccatum eſt ſi maledicas chimeræ, aut periures, aut ſi eius ſignum violes & proteras. Si nullum eſſet peccatum, nulla deberetur pœna, nulla caſtigatio. Atqui contrarium multis exemplis eſt perſpicuum. Rex Ægyptius Pharao cùm Deum vilipenderet, & contemptim de eo loqueretur (*Quis*, inquit, *eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam*) maximis calamitatibus affectus eſt, & tandem cum exercitu ſuo funditus deletus. Exod. 5. & ſeq.

Sennacherib Rex Aſſyriorum potentiſſimo exercitu Iudæam inuadens, Ezechiæ Regi per ſuos duces renuntiari iuſſit, fruſtra ab ipſo ſpem in ope diuina reponi. Aliarum gentium Deos non potuiſſe ſuos cultores aduerſus Regis Aſſyriorum potentiam tueri: quare nec Deum Iſraelis poſſe. Ob quam blaſphemiam Deus exercitum Regis vna nocte pene totum ad internecionem deleuit, cæſis opera vnius Angeli armatorum centum octoginta quinque millibus. Et ipſe Rex poſt tantam cladem in ſuam ciuitatem Niniuen reuerſus, dum ſtudet placare idola, quæ illum iuuare non potuerant, à proprijs filijs interficitur. 4. Reg. 19. 2. Par. 32. Tobiæ 1.

Nabuchodonoſor Rex Chaldeorum, cùm ira incenſus tres pueros, qui ſtatuam ab ipſo erectam adorare recuſabant, in ardentem fornacẽ immitteret, ſimili modo Deum blaſphemauit, ſuam potentiam illius potentiæ præferens: *Quis*, inquit, *eſt Deus, qui vos eripiat de manu mea?* Agnouit tamen paulò poſt, & confeſſus eſt diuinam potentiam viſo ſtupendo illo miraculo, quo illi in medijs ignibus illæſi mantere. Verùm cùm poſtea rediret ad ingenium, & rurſum ſuperbè ſe efferret ſuam, potentiam & gloriam tanquam nulli ſubiectam vel obnoxiam iactando, ſubito à Deo punitus eſt; huiuſmodi voce cælitus ad eum ruente: *Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex: Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua: fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Hæc voce completa e vestigio ille mente captus eſt, & in furorem versus. Vnde ab humano contubernio expulſus, inter feras in ſiluis commorari cœpit, & ferarum more per ſeptennium vixit. quo exacto, mens illi reſtituta eſt, & ipſe potentiam diuinam præclare confeſſus. Hoc illi obuenturum Deus mirabili viſo in ſomnis ante annum, prænuntiarat, Daniele viſum interpretante. Dan 3. Dan. 4.

Agrippa ſenior, cùm Cæſareæ in ſplendido amictu & ſublimi tella ad populum verba faceret, et ab adulatoribus, tamquam Deo cuidam, acclamatum eſt: quas voce cùm ille libenter admiſiſſet, ſibique de tali honore in animo blandiretur, repente ab Angelo percuſſus eſt, & putreſcente carne ab viſceribus, morbo pediculari conſumptus. Actor 12. Ioſephus lib. 19. Antiquit. tatum, ca. 7.

Syri prælio ab Iſraelitis in locis montanis ſuperati, clades ſuam Dijs montium referebant acceptam, quos aiebant Iſraelitis fauere. Itaque in vallibus cum illis pugnandum, in quas Deo Iſrael nihil iuris competeret; ibique ſe fore victores. Quam ob cauſam Deus per Prophetam ita locutus eſt ad Regem Iſrael: *Quia dixerunt Syri; Deus montium eſt Dominus, & non eſt Deus vallium; dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & ſcietis quia ego ſum Dominus.* Itaque directis vtrimque aciebus, Iſraelitæ etſi exiguo numero, *percuſſerunt de Syris centum millia peditum vna die.* Remanſerant in loco vicino viginti ſeptem millia, qui omnes, cùm in ciuitatem confugerent, muri ruina oppreſſi perierunt; manifeſta blaſphemiæ vindicta. 3. Reg. 20.

Ductor exercitus Demetrij Regis Nicanor cùm Iudæos ſabbato pararet inuadere, monitus vt in honorem Dei omnia conſpicientis ſacro die abſtineret, arroganter reſpondit: *Eſtne potens quiſpiam in cælo, qui imperauit agi diem ſabbatorum?* Cui cum diceretur: *Eſt Dominus viuus, ipſe in cælo potens, qui inſſit agi diem ſeptimum.* ſubiecit: *Et ego potens ſum ſuper terram: qui impero ſumi arma, & negotia Regis impleri.* Quam ob cauſam commiſſo prælio, etſi maximum & omni genere armorum inſtructiſſimum haberet exercitum, à paucis cæſus eſt, triginta quinque millibus armatorum amiſſis, eiuſque lingua blaſphema excila, & auibus particulatim obiecta, & manus quam contra templum extenderat, è regione templi ſuſpenſa. 2. Mach. 15.

Leuitici 24. Dominus filium mulieris Iſraelitidis qui in iurgio blaſphemauerat, iuſſit lapidibus obrui: ibidemque Leuit. 24.

lex

lex ista sancitur, & bis repetitur: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte morietur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, sive ille ciuis sive peregrinus fuerit. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte morietur.* Repetitio illa monentium rei & firmam legislatoris voluntatem insinuat.

Iudith. 6. Cùm Achior potentiam Dei cæli commendaret, diceretque Iudæos ea tutos fore, si Deum pie colerent: indignatus Holofernes respondit: *Quoniam prophetasti quod ges Iudæi defendatur a Deo suo, ecce nunc est Deus absque Nabuchodonosor, qui cum omnes quasi unum hominem perdiderit.* &c. quæ ab ipso in illa cæde dicta. Nam & ipse mane femore abscisso capite ibidem periit, & exercitus in fugam actus magnam partem a Iudæis concisus.

2. Mac. ib. 9. Antiochus ob superbiam & blasphemiam insanabili & insanabili plaga a Deo percussus est. Nam repentè dirus viscerum dolor illum inuasit: mox curru excussus grauiter ad terram affligitur: insuper fœda phthiriasi corpus computrescens, & intolerabilem fœtorem exhalans, vsuq; a vermibus absumptum.

1. Reg. 5. & 6. Philisthæi maximis calamitatibus diuinitus oppressi fuere, quòd Arcam Domini indignè tractassent: & nisi eã breui remisissent, periculum erat ne omnes vsque ad internecionem delerentur. Vnde post septem menses eam cum honore restituere: quo facto plaga cessauit.

Ibid. 6. Cùm Bethsamitæ Arcam Domini curiosè & parum reuerenter contra præceptum diuinum cap. 4. Numer. expressum inuasi essent interfecti ex primoribus septuaginta viri, & ex plebeijs quinquaginta millia; diuino numine etiam conclamantium curiosum morte vltiscente.

Dan. 5. Balthazar Rex Chaldæorum cùm vasa sacra proferri iussisset, & ex illis cum suis optimatibus & concubinis potare, repentè vltionem diuinam sensit. Nam in medio conuiuio, & cantantium lætitia, *apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentes contra candelabrum, in superficie parietis aulæ regiæ*, omnibus intuentibus & vehementer consternatis. Scripta fuere autem hæc tria verba, MANE, THECEL, PHARES: quorum interprete Daniele, hæc erat sententia: MANE, *numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud*: hoc est, compleuit annos quibus regnum tuum durare constituit. THECEL, *appensus es in statera, & inuentus es minus habens*. PHARES, *diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis*. Denique eadem nocte & ciuitas capta est, & Rex cum infinita hominum multitudine, & magna nobilitatis parte interfectus. Tria ex hoc facto colligimus. 1. Omnibus regnis certam periodum à diuina prouidentia constitutam, quæ expleta commutentur, & ad alios transferantur. 2. Singulorum Regum opera expensi, & inde plerumque statui de spatio regnandi. 3. Regnorum ortus, interitus, durationes & translationes à diuina prouidentia dispositi.

2. Math. 3. Heliodorus cùm sacrum ærarium violato templi asylo spoliare conatur, Iudæis diuinam opem implorantibus, non solùm ipse virtute numinis est prohibitus, sed etiam grauiter ob sacrilegium attentatum verberibus mulctatus, & milites quos secum duxerat ingenti pauore concussi. Apparuit enim illis eques vultu terribili, amictu splendido: cuius equus in Heliodorum impetu facto prioribus calcibus insiliens, illum grauiter affligit. Deinde conspecti duo iuuenes robore & pulchritudine excellenti, qui Heliodorum vtrinque inuadentes, flagellis ita excipiunt, vt de vita ipsius desperaretur. Verùm sacrificio pro illius salute oblato, subitò curatur. Hæc breuiter ex sacris. Nam exempla, quæ ex prophanis & alijs Ecclesiæ scriptoribus in hanc sententiam adduci possunt, sunt infinita. Nulla enim est natio, nulla prouincia, nullũ oppidulum, vbi blasphemiæ, sacrilegia, & periuria non fuerint à numine sæpiùs vindicata: adeò vt hic metus vbique gentium plerumque homines ab illis flagitijs deterreat.

162 Mirum fortasse alicui videatur, quòd non solùm vnius veri, summique Numinis, sed etiam falsorum numinum contemptores & sacrilegos legamus diuinitus fuisse punitos. Milites enim Xerxis qui fanum Cabirorum apud Thebanos (vbi Ceres colebatur) spoliandi causa intrare ausi fuere, omnes insania correpti, partim se in mare abiecere, partim è rupibus præcipitarunt: vt refert Pausanias in Bœoticis. Cùm Alexander Macedo Miletum vrbem Ioniæ munitissimam expugnasset, & quidam è militibus in templum Cereris, illius spoliandi causa irrupissent, repentè omnium oculos obiectus fulgor ignis extinxit. Refert Lactantius lib. 2. cap. 8. & Valerius Max. lib. 1. cap. 2.

Appius Claudius Censor cùm aduersus responsum ad seruos publicos Herculis sacra transtulisset, luminibus orbatus est; & Potitiorum gens quæ prodidit, intra vnius anni tempus extincta. Censor Fulvius cùm ex Iunonis Lacinix templo marmoreas tegulas abstulisset, quibus ædem Fortunæ equestris, quam Romæ fecerat, tegeret; mente captus est, & amissis duobus filijs in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumptus.

Pyrrhus Epirotarum Rex sublata ex thesauro Proserpinæ Locrensis pecunia naufragium fecit, ac vicinis Deæ litoribus illisus est, vt nihil præter eam pecuniam incolume reperiretur. Refert ista ex antiquis scriptoribus Lactantius lib. 2. cap. 8. Plurimæ huius generis apud auctores probatos est inuenire.

Verùm in huiusmodi euentis nõ est existimandum vindictam a vero Deo fuisse illatam, sed a dæmonibus diuinitatis æmulis: qui vt dij haberentur, & diuinos honores ab hominibus extorquerent, veri Dei instituta & mores conati sunt imitari. Hinc tot visiones, tot apparitiones, tot responsa & oracula, tot in speciem miracula abillis edita, tot beneficia quæ suis cultoribus videntur præstitisse; tot castigationes ijs, qui in eorum religiones peccassent, irrogatæ. Illorum ope vel præstigijs factum vt lapis nouacula ab augure incideretur: vt statua Iunonis Veientis migrare se Romam velle, militi responderit: vt Fortuna muliebri specie periculum denuntiarit: vt Claudiæ innocuum nauis cingulo tracta sequeretur; vt Roma, aduecto ex Epidauro serpente, pestilentia liberaretur: vt in sacrilegos & Ceres Thebana, & Ceres Milesia, & Proserpina Locrensis, & Iuno Lacinia vindicauerit: vt Hercules de Appio, Iupiter de Atinio, Apollo de milite Scipionis. Multa in hanc sententiam Lactantius lib. 2. cap. 17.

164 Cur Deus illa permittebat. Permittebat ista diuinum numen tum propter alia mortalium scelera, quæ tyrannidem dæmonum merebantur: tum quia in huiusmodi facinoribus ethnici vel peccabant contra cõscientiam, qua illis aliquid inesse diuinitatis credebant, vel non solùm falsorum istorum numinum, sed absolutè omnis numinis & diuinitatis contemptu ista committebant. Cùm enim verum Deum omnium conditorem ignorarent, & rationis luce cognoscerent vulgaria illa numina quæ plane colebantur, vana esse facile in eam sententiam adducebantur vt crederent nullum omnino esse numen, quo hic orbis regeretur; sed omnia vel fatali necessitate, vel temeritate fortunæ geri. Qua ratione doctiores plerique apud Iaponios & Sinenses etiam hoc tempore vel sunt Athei & omnis numinis contemptores, vel certè de negotio diuinitatis animo fluctuant.

Itaque cum Ethnici in exemplis suprà commemoratis (dum in sacris suorum numinum sacrilegè agunt) peccent vel contra conscientiam, qua credunt ipsis aliquid diuinitatis inesse; vel contemptu generali numinis; mirum non est, si pœnam subinde senserint.

Neque his obstat, quòd inter blasphemos, sacrilegos, & periuros multò maior sit eorum numerus qui in hac vita non puniantur, quàm qui puniuntur. Id enim non est signum defectus prouidentiæ, sed dilationis pœnæ. Ad prouidentiam pertinet non hic omnia punire, sed finere res agi suis motibus; præcipua vindicta in futurum dilata: alioquin & genus humanum breui exhaustum foret, & virtutis officia seruiliter coacta, non libera, non ex ingenuo in bonum virtutis affectu profecta viderentur. Satis prouidentia se prodit, dum subinde miris & insolitis modis in hoc sæculo peccatoribus pœnas irrogat, idque in media hominum luce, omnibus animaduertentibus & obstupescentibus, ac diuinæ potentiæ manum ea in re agnoscentibus.

CA-

CAPVT III.

Dissolutio argumentorum quæ contra Prouidentiam obijciuntur.

Primum argumentum contra Prouidentiam.

165 SI prouidentia Numinis mundus regeretur, non sic inualesceret improbitas, nec tam prosperos haberet successus aduersus innocentiam & probitatem. Nam ad prouidentiam Gubernantis maximè pertinet, improbis non dare licentiam grassandi, sed eos coercere, & ad virtutem compellere: probos verò tueri, & ad honores ac opes euehere. Si in aliqua magna ciuitate pessimi quique perpetuò dominarentur, & impunè alijs iniurias inferrent, & probi ciues ab eis oppressi iacerent; quis dixerit eam ciuitatem a prouido iustoque Rectore gubernari? Quare cùm in mundo tantam videamus ordinis perturbationem, quanta maior vix animo concipi posset, improbis vbique dominantibus, & omnia pro arbitrio gerentibus, probis miserè afflictis & oppressis; quis credat illum prouidentia aliqua suprema, quæ omnia iustè disponere deberet, regi?

166 Respondeo, hoc argumento potissimùm Atheos niti: eodemque etiam si fideles interdum conturbantur; & ipse Propheta Dauid se commotum infinuat Psalmo 72. Verùm facilis est solutio. Siquidem enim duplex est finis, alter ad hanc vitam temporalem pertinens, nempe tranquillitas Reipublicæ; alter ad futuram, nimirum æternæ gloriæ in cælis: ita quoque duplex est prouidentia considerandi, quarum altera disponit media ad obtinendum finem temporalem, altera ad finem æternum. Illa est humana & politica, vtpote sapientia humana nitens, & ad bonum politicum tendens: ista verò est diuina, vt quæ diuina sapientia constet, & æternum bonum spectet.

Cùm ergo dicitur, ad prouidentiam pertinere coercere iniquos, non sinere eos dominari, &c. verum est si loquamur de prouidentia politica, & coercitione temporali, &c. Cùm enim hæc prouidentia instituta sit ad conseruandam pacem temporalem, eius munus est impedire (quantum fieri potest) omnia scelera, quibus pax temporalis turbatur. Vnde si aliqua sit Respublica in qua flagitia impunè committantur, rectè iudicamus illam Gubernatore destitui, vel certè hunc iniquum esse, ac tyrannum.

167 *Cur prouidentia in hoc mundo sinat plerumque res ferri suis motibus.*

Si verò loquamur de prouidentia illa suprema, falsum est ad illius munus spectare, vt non permittat impios temporaliter dominari. Quinimò contrarium planè ad illius munus spectat, nimirum vt res omnes suis facultatibus instructas sinat ad certum tempus ferri suis motibus: idque ob multas causas.

Primò, Vt sponte ad virtutem feramur, non amara necessitate compulsi. Virtus enim coacta non est virtus, sed seruitus. Vera virtus non formidine pœnæ, sed honesti amore officium præstat. Itaque vt vera virtus ac perfectum meritum locum habeat, necessarium fuit, vt diuina prouidentia homines non cogeret, sed suo arbitrio & libertati relinqueret.

Secundò, Quia dignitas æterni præmij tanta est, vt abundè sufficiat, si benè consideretur, ad nostros affectus sui amore inflammandos, & ad omnem virtutem ac sanctitatem excitandos. Itaque contra dignitatem illius boni foret, si homines ad illud prosequendum compellerentur.

Tertiò, Pari modo æterna supplicia, si benè suis pendantur momentis, abundè satis sunt ad hominum animos ab omnibus flagitijs deterrendos. Vnde etiamsi Deus non castigaret homines in hac vita, non tamen eius prouidentia essent destituti. Sufficit enim vt promittat præmia, & minetur supplicia in futurum.

Quarto, Si diuina prouidentia semper pro meritis flagitia plecteret in hac vita, sicut facit prouidentia politica, breui mundus foret exhaustus. Vnde & paucissimi essent virtutis cultores, & hominibus sceleratis non pateret aditus ad salutem.

Quintò, Malignitas iniquorum non frustrà à Deo permittitur, quia per illam excitatur, & exercetur, & illustriùs apparet virtus iustorum; & datur occasio maioris meriti & coronæ. Tolle sæuitiam tyrannorum, non erit gloria martyrum: tolle iniurias iniquorum, non apparebit patientia iustorum. Infinita seges bonorum mundo deerit, si Deus iniquos in hac vita semper coerceat. Eadem malignitas seruit ad punienda peccata tam iustorum (quæ ipsi subinde committunt) quàm iniquorum: vt ex Sacris literis constat. Sic Deus sæpè malitia & ambitione Assyriorum, Chaldæorum, Persarum, Ægyptiorum, Romanorum, & aliorum impiorum vsus est, ad populum Iudaicum aliasque gentes castigandas, permittens eos iuxta certam temporum, locorum, personarum, calamitatum & suppliciorum mensuram in populum Dei aliasque nationes grassari. Et hanc rationem omnibus sæculis seruabit, & seruabit vsque ad mundi consummationem.

Sexto, Præterea discimus ex hac prouidentia, non esse magni pendenda ista temporalia, vt quæ bonis & malis sint communia, & quibus mali magis abundant quàm boni. Deinde quanta sint ea bona quæ Deus suis cultoribus promisit. Si enim inimicis suis, qui ipsum assidue iniurijs afficiunt, tribuit ista temporalia, quæ multis adeò videntur splendida: qualia & quanta sunt ea, quæ suis amicis & filijs toto corde ipsum colentibus reseruauit?

Denique hæc ratio prouidentiæ maximè commendat diuinam benignitatem, quæ dum lente procedit ad vindictam, expectat peccatores ad pœnitentiam. Neque tamen omnino expers est iustitiæ & seueritatis; quia sæpè miris modis etiam in hac vita peccata punit, vt homines intelligant illum non dormire, sed suo tempore omnium rationem exacturum. Ex quibus patet, hanc prouidentiam, quæ tantam perturbationem in rebus humanis permittit, esse perfectissimam, & summa ratione subnixam. Illa enim perturbatio ordinis est temporalis, & quasi momentanea, breuique æterna quiete & tranquillitate commutabitur. Qui hoc consideret, non solùm hac rerum humanarum iactatione non offendetur, sed admirabitur, & laudabit diuinam prouidentiam, quæ tam sapienti consilio illam permittit.

Secundum Argumentum contra Prouidentiam.

168 EXperientia docet, cuique fere negotia succedere pro ratione industriæ quam adhibet, non pro ratione iuris quod obtinet: vnde plerumque qui iniquissimas causas fouent, superiores euadunt. Quod est indicium quemque suæ relictum prouidentiæ, nec aliam homini quærendam. Vide supra cap. 1. numero 5. Hoc argumento vsus est ante aliquot annos quidam Dux hæreticorum multis victorijs clarus: cui cùm quidam Princeps Catholicus ab illo in bello captus, diuinam prouidentiam commemoraret; ille subridens, manu ensis sui capulo admota, respondit, Hac prouidentia nitendum.

Respondeo huius argumenti solutionem patere ex superiore. Idcircò enim plerumque negotia hominibus secundùm industriam quam adhibent, succedunt: quia suprema prouidentia statuit permittere, vt res, durante hoc æuo vitæ mortalis, suis agantur motibus, laxissimis habenis in vtramque partem naturæ humanæ concessis. Itaque vbi maior industria vel potentia, ibi plerumque successus felicior: non vbi maior iustitia vel æquitas. Cur autem hoc ita statuerit, suprà multæ rationes allatæ.

169 Adde, Etsi plerumque conatus iniquorum videantur ipsis ad tempus ex voto succedere, cùm potentia præualent: id tamen non est diuturnum, & illa prosperitas sæpè multis aduersitatibus & afflictionibus temperatur. Nam plerique vel in ipsis exordijs, vel in progressu, cùm se planè firmos & securos existimant, miserrimè eruuntur. Videre id est Primò in celeberrimis monarchijs, quæ suis temporibus maximè floruerunt. Nam Assyriorum monarchia euersa est a Chaldæis: Chaldæorum a Persis & Medis: Persarum a Græcis: Græcorum a Romanis: & Romanorum nunc mirè aucta, & ad magnas angustias redacta. Deinde in singulis monarchijs quantæ extitere calamitates, & clades etiam eorum qui potentissimi videbantur? Nabuchodonosor in summa prosperitate posse tot gentes subactas & euersas, repentè cælesti sententia percussus,

ad loca deserta & ferarum vitâ ablegatur. Balthazar eius nepos epulis & lętitię deditus, eadem nocte capta ciuitate, occiditur. Cyrus post tot victorias, miserrimè à Scythis, amisso exercitu, trucidatur. Xerses cum exercito in quo tricies centena millia pugnatorum, à Grecis turpiter vincitur & pænè deletur. Alexander Magnus, deleto Persarum imperio, & alijs plurimis regnis breui tempore subactis, absque herede moritur; & suis Ducibus regna parta diuisit: qui paulo post mutuis cladibus se confecere, & Romanis in prędam cessere. Ipsi verò Romani quantis laboribus & incommodis creuere? Quot cladibus sæpè attriti, & pæne vsque ad internecionem deleti? Quot bellis intestinis affecti? Quantas suorum Ducum & Imperatorum crudelitates perpessi? Quot eorum Duces & Imperatores post infinitas curas & labores tandem crudeliter occisi, & ignominiosè tractati? Infinitum esset omnia persequi. Si quis enim historias tum veteres, tum recentiores lustret, singulis fere saeculis inueniet plurimos, quorũ iniqui conatus, etsi potentia & armis essent instructissimi, infelices exitus habuere, prouidentia numinis manifestè se inferente, & iniquas molitiones disturbante; iuxta illud Psalmi: *Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum. Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes eius in generationem & generationem.* Psal. 32.

Tertium argumentum.

170 VIDEMVS res eas quæ natura constant, semper eodem modo procedere, eumdemque cursum & ordinem tenere; Solem oriri, occumbere, remeare in suos circulos, suoque accessu & recessu solitas anni tempestates efficere: item sublunaria omnia oriri & occidere, & alia ex alijs sine fine procreari ad speciei perpetuitatem. Atqui hæc omnia vi naturæ, quæ tam ratum ordinem tenere consueuit, ita procedunt: ac proinde præter naturam nulla alia prouidentia requirenda; nulla præmia aut supplicia expectanda.

Respondeo: Hoc argumẽto nouissimis temporibus homines Atheos viuros, insinuat S. Petrus Epist. 2. cap. 3. *Venient*, inquit, *in nouissimis diebus in deceptione illusores* (qui mysteria fidei nostræ irrident) *iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio aut aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.* Ad quod ipse respondet: Promissiones diuinas quibus æternum regnum promisit, non esse idcirco vacuas putandas, quòd videantur in longum differri: quia quod nobis longum, Deo est breuissimum: cùm mille anni, apud eum qui æternitatẽ cõplectitur, sint instar diei vnius, imò instar momenti. Deinde omnem illam moram procedere ex illius benignitate, qua omnes ad salutem expectat. Errare vero eos, qui mundum in eodẽ semper statu perseuerare existimant: nam & olim aquis deletum, & in futurum igni delendum reseruari: nunc nouos cælos & nouam terram exhibitum iri. His adde, omnia ea quæ naturę vi effici videntur, esse opera intelligentię & prouidentiæ: tantum abest vt hæc inter se pugnent. Nam & cęlorũ motus, & astrorum situs, & terrarum, montium, fluminum, marium dispositionem; & animantium ac plantarum formas, ortus, incremẽta, propagationes, opus esse prouidentiæ, supra luculentè demonstratum. Neque constantia rerum prouidentiam excludit, cùm hanc ab ipsa prouidentia acceperint, vt seruiant humano generi, donec terminus huius æui mortalis à Deo præstitutus aduenerit.

Quartum argumentum.

171 QVARTVM Argumentum sumitur ex similitudine nascendi, crescẽdi, senescendi, moriendi, quæ hominibus intercedit cum bestijs: & ex mẽbrorum cõformitate. Hinc enim videtur rectè colligi, ita homines funditus extingui per mortem, sicut cetera animantia.

Respondeo id perperàm colligi. Etsi enim corporis affectibus homo sit similis bestijs; animi tamen conditione illis infinitè est præstantior: adeo vt animo sit sublimior magisque affinis Deo & spiritibus incorporeis, quàm corpore bestijs. Itaque nihil mirum si corpore tabescente animus superstes maneat, & spiritibus aggregetur. Verũ hoc argumentum potiùs ad librum secundum pertinet, vbi ex professo de animorum immortalitate agitur: secundario tamen & ex consequenti oppugnat etiam Prouidentiam.

Quintum argumentum.

S Est aliquod numen, credibile est illud rebus humanis 172
se non miscere, sed seipso beatum & contentum, æternum quum ducere, semotum a curis mortalium. Tum quia indignum videtur eius maiestate, ad tam vilia & minuta descendere: tum quia seipso beatum, nihil extra se quærit: tum quia per res humanas, vtcumque se habeant, nulla potest ei fieri accessio, aut decessio. Vide supra num. 7.

Respondeo ita ratiocinari Epicurum, Lucretium, Plinium, & alios quosdam veterum, qui diuinam mentem angustijs suæ mentis metiebantur. Et sanè si mens diuina foret limitata, neque vim intelligendi infinitã haberet, ratio illa esset valde probabilis. Tunc enim longè melius esset ipsam rebus humanis non attendere: tum quia sine molestia tã *multip lici & tristi ministerio* (vt Plinius loquitur) nõ posset vacare, tum quia à melioribus & iucundioribus auocaretur. Sed nimis rudis, Deoque indigna est illa imaginatio. Sicuti enim essentia diuina est infinita, & vniuersum ens in se eminenter continet: ita etiam intelligentia infinita est, & ad omne intelligibile se extendit, idque absque labore, & conatu, sola naturæ necessitate. Neque multiplicitas rerum impedit attentionem ad singula: quia tam perfectè considerat singula, quàm si ea sola proposita haberet, cùm ad singula lumen infinitum conferat. Insinuat illud præclarè Scriptura sacra, tum alijs locis plurimis, tum Ecclesiastici 23. Ὀφθαλμοὶ κυρίου μυριοπλασίως ἡλίου φωτοειδέστεροι, ἐπιβλέποντες πᾶσαν ὁδὸν ἀνθρώπων καὶ κατανοοῦντες εἰς ἀπορρυτα μέρη. *Oculi Domini decies millies* (infinities) *sole lucidiores, inspicientes omnes vias hominum, & considerantes in abstrusiores partes*; id est, omnia quæ in penitissimis cordis recessibus latent. Itaque hæc consideratio minimorum non est indigna diuina Maiestate, sed maxime digna; imò necessaria: quia alioquin in Deo esset infinitarum rerum ignorantia. Et quamuis res & actiones humanæ viles sint; non tamen est vilis earum intelligentia, & diiudicatio; neque vilis est iustitiæ ratio, qua illis congrua merces persoluitur.

Nec obstat quòd Deus seipso sit plenissimè beatus. Hoc 173
enim solùm probat, ipsum extra se nihil agere, neque curam rerum gerere eo fine, vt inde beatior reddatur, aut sibi aliquid cõmodi acquirat; non autem probat absolute, eum nihil extra se moliri. Quia cùm sit summum bonum, atque adeo tõtius bonitatis plenitudo, totũ vniuersi bonum eminenter in se continens; congruentissimum erat, vt illũ fontem apud se concluſum non retineret, sed sineret emanare in creaturas secundùm varios gradus & species rerum, & mensuram capacitatis cuiusque, singula in suo ordine creando, formando, conseruando, & suum in finem dirigendo. Bonum enim est sui diffusiuum. Nulla itaque inopia, nulla propriæ vtilitatis aut commodi ratio Deum impulit ad res moliendas & gubernandas; sed supereminens ipsius bonitas: nimirum, vt ea in res creatas pro earum captu diffunderetur, & cum eis communicaretur. Denique rerum etiam minutissimarum: vt muscarum, culicum, vermiculorum notitiam & prouidentiam gerere, supra copiosè demonstratum est: quanto magis hominũ, qui animo ei quàm simillimi.

Dicet aliquis, Deum quidem scire quid homines agant, 174
dicant, cogitent; nihil tamen curare: sicut magni Principes, quorum status in tuto est, parum curant, quid plebs de illis dicat. Sed hoc absurdissimè dicitur. Cùm enim homo sit opus Dei, cuius menti ipse leges iustitiæ omnisque virtutis impressit; maximè ad illum pertinet illius curam gerere, vt secundum illas leges viuat. Ad opificem enim pertinet curare suum opus, vt perfectum euadat: ad legislatorem, vt leges, quas suis subditis imposuit, seruentur. Parentis interest quomodo se gerant filij. Deus autẽ omnium parens. Nemo architectum probauerit, qui palatium à se constructum, impolitum relinquit, & conseruare negligit, ita vt nemini sit commodum: nemo legislatorem, qui conditis optimis legibus, nullam curam adhibet vt executioni mandentur, sed omnia permittit subditorum

rum arbitrio: nemo parentem, cui nulla de filiorum moribus & vita eſt cura. Quantò minùs probandus eſſet ille Deus, qui tam eximium opus a ſe factum negligeret, & nullam rerum humanarum curam gereret, præſertim cùm facillimè, & abſque omni labore poſſit eas optimè gubernare? Denique quis eſt Principum, qui non magnopere curet, quomodo ſubditi in ſua præſentia & conſpectu ſe gerant, quid dicant, quid agant; an leges ſeruent, an eas violent & contemnant; honorem an contumeliam, laudes an conuitia ingerant? Imo quis priuatus adeo brutus eſt, qui iniurias & honores non ſentiat? Atqui Deus vbique præſens eſt: omnia audit, omnia videt, omnes cordis latebras introſpicit: omnia in eius oculis & præſentia geruntur. Fatuum itaque eſt, putare eum dictis, factis, & cogitatis hominum non tangi, non exacerbari, non delectari. Quò maior eſt illa maieſtas, illa ſapientia & potentia, & quò maiora eius in nos beneficia: eo magis & acriùs omnes iniurias & legum ſuarum prævaricationes ſentit & ponderat, & ſuo tempore vindicabit.

Hactenus de prouidentia numinis: atque hic eſto finis libri. Sequitur liber ſecundus, qui de animi immortalitate.

DE IMMORTALITATE ANIMORVM LIBER SECVNDVS.

LIBRO superiore demonstrauimus diuinam prouidentiam: hoc verò probanda nobis animi immortalitas. Sint quidem hæc duo dogmata adeò inter se connexa, vt se vicissim statuant & tollant. Si enim est prouidentia, necesse est animum post hanc vitam superesse, vt pro meritis accipiat. Et si animus post hanc vitam manet superstes, oportet esse prouidentiam, quæ illi pro meritis cõpensetur, vt suprà ex Cleomedone obiter ostensum est. Rursus sublata prouidentia, tollitur animæ immortalitas; & sublata animæ immortalitate, necesse est tolli prouidentiam; qua de re plura suo loco dicturi sumus. Quia tamen dogma immortalitatis multis alijs rationibus stabiliri potest, nec pauci sint qui de eo ambigant, etsi numen nõ omnino negare videantur; operæpretium censui hanc rem accuratiùs & seorsim discutere.

Agimus de anima hominis, non brutorum. Hanc enim mortalem esse constat, cùm nihil appetat, nec vlla re delectetur, nisi quæ ad corporis commodum aut voluptatem pertinent. Igitur animam humanam (quæ & *animus* & *mens* dicitur, quatenus intelligentia & libertate prædita est) immortalem esse, multis argumentis ostendi potest, quæ breuiter & dilucidè in medium adferemus.

2 Ac primùm si auctoritate agendum sit, quicumque sapientia maximè fuere illustres, statuerunt animos hominum esse immortales. nimirum sapientes Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum cum suo Trismegisto Mercurio; Indorum, Gallorum, quos Druidas vocabant; Pythagorici & Platonici cum suis antesignanis: Stoici quoque animum post funera superesse voluerunt. etsi in eo plerique eorum hallucinati sint, quòd existimarẽt omnes animos esse particulas ex anima mundi (quam Deum esse arbitrabantur) delibatas, & certa specie insignitas: quam speciem in mundi conflagratione essent perituri, eamque amissa in simplicem formam, nimirum in animam mundi, reuersuri: sicut corpora mixta resoluuntur in elementa ex quibus formata. Quid Aristoteles hic senserit, est satis ambiguum: quia varie loquitur. Libro tamen secundo De ortu animalium cap. 3 apertè dicit *solam mentem foris fabre corpus, & solam quid diuinum sit: eò quòd ipsius operationi corporalis operatio non communicet.* Ceteras animas vult in materia vt feminis ingigni, eò quòd omnis earum operatio à corpore pendeat. Hic manifestè docet animum humanũ à corpore non pendere, ac proinde vi seminis non nasci, sed foris venire. Vnde plerique Aristotelis sectatores hanc sententiam illi tribuunt. Denique eandem sententiam clarè & indubitanter tenuere omnes qui vitæ sanctitate, vel insigni probitate, vel prophetiæ dono, vel miraculorũ patratione celebres extiterunt. Qui illam negarunt, ferè improbi fuere & impij; vt Epicurei, & Athei.

3 *Præcipua ratio sententiæ aduers.*

Si verò rationibus philosophicis hæc res discutiatur, parum quoque aduersæ sententiæ præsidij. nam ratio præcipua qua aduersa sententia nititur, est valdè infirma. Ea ex similitudine corporum, quę hominibus cum brutis animantibus intercedit, desumitur. Videmus enim homines & bruta similiter concipi, formari, nasci, ali, augescere, senescere, mori: similibus constare partibus tum internis, tum externis, quæ singulæ similes vsus in vtrisque habeãt. Sicut ergo moriente & expirante bruto, in nihilum euanescit eius anima, nec quidquam illius post corpus superest: ita dicendum videtur, moriente homine, animam eius in nihilum redire.

Verùm hæc ratio nullius est momenti. Etsi enim inter homines & bruta magna sit affinitas, si corporis structura, & singularum partium vius spectetur: inter animam tamen hominis, qua parte ratione prædita est, & Mens dicitur, & animam brutorum, infinita est distantia: ex qua meritò colligimus, illam vtpote superioris & diuini ordinis, non interire; etsi hæc vnà cum corpore extinguatur. *Soluitur ratio.*

Nam bestiæ nullo modo percipiunt ea quæ ad homines pertinent: nec vlla est inter hos & illas negotiorum & cõsiliorum communicatio. Nesciunt canes & equi, an dominus sit diues an pauper, nobilis an ignobilis, senex an iuuenis, sanus an æger, matrimonio iunctus an cælebs, pius an impius, Italus an Germanus; nihil horum discernunt, aut apprehendunt: vnde nec gaudium, nec mœrorem ex ijs quæ hominibus obueniunt, concipere possunt. Vident solem & lunam, arbores & domos, vrbes & villas; sed non cogitant quid illa sint, aut quem vsum habeant, aut vnde proueniant. Tota eorum notitia ad pauca est restricta & limitata, nempe ad ea quæ ad pastum & venerea pertinẽt, vel naturæ eorum sunt amica aut inimica: de his solis pro suo captu iudicant, idque confuso & bruto modo, sub imagine commodi vel incommodi, conuenientis vel aduersantis, ea concipiendo. Non alia ratione amant herum, nisi quia per phantasiã apprehendunt illũ specie cõmodi, quòd pabulũ illis suppeditet, vel corpus bene afficiat: nec alia ratione ouis fugit lupũ, nisi quia naturæ instinctu concipit vt sibi aduersum: causa cõmodi & incõmodi nõ cogitas. 4 *Brutorũ vegetatio & apperitio vel. de anguilla.*

Itaque cùm bruta animantia habeant notitiam adeò rudem & restrictam, nec quidquam norint, nisi quod ad corporis & vitæ conseruationem pertinet, nec vlla re delectentur aut doleant, nisi quatenus ea res corpus benè aut malè afficit: manifestè colligimus, animam eorum simul cum corpore interire. Si enim anima cognoscendo & appetendo non potest se eleuare ad aliquid quod est supra corpus, & propriè ad naturam spiritalem pertinet; perspicuũ est ipsam non esse spiritalem, nec supra corpus eleuatam, sed naturæ corporeæ penitus immersam. Substantia enim rei cognoscitur ex operatione: operatio verò ex obiecto circa quod versatur. Itaque cùm hoc obiectum eiusque ratio formalis (quæ est commodum vel incommodum corporis) corpus tantùm respiciat; necesse est substantiam animæ corpori adstrictam esse. *Brutorum animantiũ animas ipsi mortales.*

At longè aliter se res habet in homine.

Prima Ratio.

QVia cognitio eius est omnino illimitata. Concipit enim omnia rerum genera, omnes gradus naturarũ; neque solùm ea quæ sunt, sed etiam quæ non sunt. Fingit animo quidlibet, & nouos in mente sua architectatur mundos: concipit rationes rerum vniuersales, à singularibus, à materia sensibili, à loco & tempore abstractas, easque per se contemplatur. Inquirit rerum omnium rationes, causas, effectus proprietates, & de omnibus iudicat. Hæc omnia manifesta sunt argumenta, mentẽ humanam non esse corpori immersam, sed substantiam spiritalem, a corpore separabilem. Nam omnes hi actus nullum habent ordinem ad corporis commoda, sed sunt ornamenta solius animi. Ipsa quoque obiecta non concipiuntur vt corpori amica aut sentiri, gustandi vel tangendi gratia; sed secundum proprias rationes, vt vera & æternis rationibus cõformia, quomodo ad solũ animum, & nullo modo ad corpus pertinẽt. 5 *Cognitio hominis illimitata.*

Secun-

Secunda Ratio.

6 QVia appetitio humana ſimiliter eſt illimitata & infinita. Non enim ſolùm appetit ea quæ ad corpus pertinent, nempè paſtum & venerea, ſicut beſtiæ; ſed extendit ſe ad omne verum, appetendo omnis veri notitiam & contemplationem: nec ſolùm ad omne verum, ſed etiam ad omne bonum, ad quod appetitus & amor omnium & ſingularum rerum ſe profert. Singulæ enim res ſuo modo amant quod naturæ ipſarum eſt conſentaneum. Homo verò omnia illa ſuo amore complectitur, cum non ſolùm ſibi commoda appetat, ſed etiam cuique rei ea omnia, quæ ipſi ſunt conſentanea, exoptet, & quantum in ſe eſt procuret. Itaque & ſibi & rebus omnibus appetit omnia congruat ſibi in cognitione, ſeu vt Philoſophi loquuntur, in eſſe cognito: rebus ſingulis in eſſe reali. Hinc patet quantopere vis appetendi in homine ſit eleuata ſupra materiam, & corpoream conditionem.

Tertia Ratio.

7 IDem confirmatur ex eius delectationibus & oblectamentis. Delectatur enim maximè contemplatione veritatis, & ipſa veritate: delectatur rerum omnium pulchritudine & ſpecie, & mirando quod in ſingulis elucet artificio: delectatur proportionibus, & mathematicis diſciplinis: delectatur operibus religionis, pietatis, iuſtitiæ, & aliarum virtutum officijs; delectatur fama, honore, laude, gloria, imperio. Hæc omnia ſunt propria animi bona, eaque homo tanti facit, vt omnia quæ ad corporis commoda pertinent, contemnat, & nihili æſtimet. Itaque cùm mentis humanæ tanta ſit capacitas, & tam latè patens ſinus, vt omnia complectatur, & totam entis latitudinem, altitudinem, & profunditatem ambiat, & in ſe ipſa, ac intra ſe condat; habeatque proprias notiones, appetitiones, amores, delectationes, & propria ornamenta, quæ nihil ad corporis commoda pertinent, idque circa obiecta ſpiritalia, vel ea quæ à corporis commodis ſunt aliena, & hæc longè pluris æſtimet quàm corporis bona: perſpicuum eſt eam longè corpore eſſe ſuperiorem, & diuinæ cuiuſdam indolis, quæ à carnis commercio minimè pendeat.

Quarta Ratio.

8 IDem probatur ex dominio animi ſupra corpus, & arbitrij libertate. Ita enim dominatur animus corpori & omnibus affectibus, vt nullis vel bonis oblatis, vel tormentis intentatis aut etiam irrogatis cogi poſſit, vt aliquid dicat aut faciat quod non vult, aut propoſitum mutet: vt infinitis conſtat exemplis. Idem oſtendit Ioſephus in opuſculo cui titulus, Ὅτι αὐτοκράτωρ τῶν παθῶν ὁ λογισμός, *Quòd Ratio affectuum ſit domina*. Huius rei non poteſt alia cauſa aſſignari, niſi quia animus à corpore minimè pendet, ſed iuris eſt, ſui mancipij, ſui arbitrij & conſilij. Vnde ea quæ corporis ſunt, ita æſtimant, ac ſi ad ſe minimè pertinerent, ſuis bonis nixus & contentus. Contrarium cernitur in beſtijs. Earum enim anima cùm tota ſit corpori mancipata, & ſecundùm ſuum eſſe à corpore pendeat, neceſſariò fertur ad ea quæ corpori ſunt commoda, & fugit ea quæ corpori aduerſa. Vnde nec affectus ſuos, nec externos motus in ſua poteſtate.

Quinta Ratio.

9 SI animus omnino penderet à corpore, nec poſſet extincto corpore conſiſtere, nihil adeò horreret ac mortem, nec quidquam adeò illi eſſet charum, quod non libenter ad mortem arcendam extenderet. Mors enim corporis animum omni bono ſpoliaret, eſſetque ſummum eius malorum & vita præſens ſummum bonum. Itaque nihil æquè ac ipſa mors, qua funditus interiret, ei eſſet pertimeſcendum; & nihil perinde vt vita præſens foret amandum, proſequendum & tuendum. Atqui contrarium docet experientia quotidiana. Plurimi enim vitam iſtam parui æſtimant, etſi omnibus bonis fortunæ circumfluentem, eamque pro laude, pro fama, pro libertate, pro vitando dedecore, pro virtutis pulchritudine libenter profundunt, nec deſunt qui manu ſua illam abrumpant, vt dedecus aliquod vel moleſtiam animi declinent, vel laudem conſequantur. tanti quæ ad animum pertinent æſtimantur præ illis, quæ ad corpus.

Sexta Ratio.

10 TAnta eſt capacitas animi & amplitudo, vt nullæ opes, nullæ dignitates, nulla regna, nec totius quidem orbis imperium, nullæ voluptates, nulla denique bona finita ipſius deſiderium explere poſſint; ſed opus ad hoc ſit bono immenſo & illimitato, in quo totius boni plenitudo eminenter contineatur. Inſinuat hoc Propheta cùm ait: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* quaſi dicat: Nulla res alia me ſatiare poterit, niſi manifeſtatio gloriæ tuæ, quæ bonum infinitum. Et S. Auguſtinus: *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Si ad corporis angustias animus eſſet reſtrictus, non eſſet capax boni infiniti: imò nec deſiderium ſuum vltra ea, quæ vitæ corporali ſunt accommodata, proferre poſſet; vt in ceteris animantibus cernitur. Corpus enim & materia, formarum appetitum & capacitatem reſtringit. *Pſal. 16.* *Lib. 1. confeſſ. cap. 1.*

11 Vnde quò forma eſt magis materialis, eò anguſtior & minùs capax: quò verò eſt eleuatior & ſpiritalior, eò amplior & capacior & ad plura ſe extendit, vt ſe perficiat. quod perſpicuum fiet, ſi quis formarum gradus conſideret. Nam res inanimæ, vt ſaxa & metalla, earúque formæ, quia maximè materiales, nihil extra ſe appetunt, nec aliquid ad ſuam perfectionem moliuntur, ſed in ſe quietæ & mortuæ manent. Plantæ verò, quia earum forma magis eſt eleuata, ſuo modo apperunt alimentum, illudque extrinſecus attrahunt, immutant, diſtribuunt per vniuerſum corpus, & in ſe conuertunt; deinde flores, fructus, ſemina, & frutices emittunt; ſicque aſſiduè ad ſui augmentum, conſeruationem, perfectionem & propagationem operantur. Verùm nullũ habent alimenti ſenſum, nullam inde voluptatem, vel ex contrario dolorem percipiunt. Animalia, quòd forma eorũ in altiori ſit gradu, non ſolùm faciunt omnia quæ plantæ, ſed etiam habent notitiam & ſenſum ſui alimenti, ad illud ſe mouent, illud inquirunt, ex eius vſu voluptatem, ex inopia moleſtiam percipiunt. Verùm tota eorum notitia & affectio inter angustos limites eſt reſtricta. ſolùm enim ad corporis commoda & incommoda ſeſe extendit, ita vt nihil aliud percipiant, nihil aliud appetant, & fugiant, nulla alia re delectentur & doleant: manifeſtum id eſt indicium, animam eorum à corpore pendere. Ideo enim nihil percipit, nihil appetit, niſi ad corporis vel vitæ corporalis quietem & commodum pertinens, quia ſine corpore eſſe non poteſt: & ita totum ipſius bonum à corporis bono dependet. Suprà animalia cetera eſt homo, anima rationali ſeu mente præditus, cuius notitia & affectio non eſt limitata ad ea quæ corporali vitæ congruunt, ſed omnino illimitata, extendens ſe ad omne verum, & omne bonum (vt ſuprà oſtenſum eſt) quæ nullum ordinem ad corpus habent. Vnde eius capacitas tum in cognoſcendo, tum in appetendo, tum in delectatione percipienda eſt infinita, non ſecùs ac capacitas ſpirituum ſeparatorum, ſeu Intelligentiarum cæleſtium, quod eſt euidens argumentum animum hominis non eſſe corpori aſtrictum. *Quinque formarum gradus.*

12 Quod etiam inde confirmari poteſt. Idcircò enim ſubſtantiæ ſeparatæ habent vim intelligendi, & extendunt ſe ad totum ens, & ad omne verum ac bonum, quia ſunt formæ ſimplices, eleuatæ ſupra materiam, ita vt ab ea non dependeant: vt paſſim tradunt philoſophi. Vnde fieri non poteſt, vt ſit aliqua ſubſtantia ſpiritalis, quin eo ipſo ſit intelligens. Itaque cùm animum hominis videamus vi intelligendi præditum, & ſe ad totam entis latitudinem, & ad omne verum ac bonum expandere, non ſecùs ac ſubſtantias ſeparatas; dubitare non poſſumus, quin à materia non pendeat. Vbi enim inuenitur proprius, & adæquatus effectus, ibi quoque neceſſe eſt reperiri propriam & adæquatã cauſam, vnde effectus ille ſequitur. Atqui in animo humano reperitur effectus, nempe vis intelligendi, & capacitas omnis veri & boni: ergo reperitur & cauſa, natura videlicet ſpiritalis à materia & corpore independens. *Ariſtoteles 12. Metaphyſ. cap. 8.*

Septima Ratio.

13 SVNT in rerum natura aliquæ formæ viuæ, à materia ſecundùm eſſe & modum eſſendi penitus ſeparatæ: quas philoſophi vocant Intelligentias; & ſubſtantias ſeparatas; Chriſtiani, ſpiritus & angelos. Sunt item aliquæ ſecundum eſſe & modum eſſendi materiæ penitus addictæ ac immerſæ; quales ſunt animæ brutorum animantium. Ergo oportet eſſe aliquas quæ medio modo ſe habeant, quæ ſecundùm ſuum eſſe non pendeant a corpore, vt hac ex parte conueniant cum ſpiritibus ſeparatis; ſecundùm tamen modum eſſendi, nempe vt congruenti modo ſint, corpus requirant: & ita conueniant cum animabus brutis. Tales ſunt animi humani. Confirmatur, quia hic gradus rerum maximè videtur conſentaneus; ne tranſeatur ab extremo ad extremum ſine medio, niſi rerum a natura penitus mortali, & corpori addicta, ad naturam penitus immortalem, & ſeparatam a corpore. In medio enim erit natura partim mortalis, partim immortalis; mortalis ſecundum corpus, immortalis ſecundùm animã: & ipſa anima ſecundùm eſſe ſuum erit immortalis, ſpirituum ſuppar & ſocia; ſecundùm modum exiſtendi, & viuificationem corporis mortalis, vt ita dicam, eſt ſimilis animabus brutorum. Perit enim vnio eius cum corpore, informatio, & viuificatio totius corporis, ſicut in belluis. Hinc fit vt homo contineat in ſe vires & facultates vtriuſque extremi, ſpirituum & brutorum, ſitque corpore & ſenſibus ſimilis brutis, mente ſpiritibus ſeparatis. Vnde Platonici illum vocant horizõtem Vniuerſi, quia cùm Vniuerſum duabus partibus veluti hemiſperijs conſtet, natura ſpirituali & corporali; homo naturam ſpiritualem, quaſi hemiſpherium ſuperius connectit naturæ corporali, veluti hemiſphæroi inferiori, vtriuſque extremi particeps. Ob eamdem cauſam vocatur μικρὸς κόσμος, mundus minor, quia omnes Vniuerſi gradus in ſe complectitur; non ſecùs ac mundus ille maior.

Octaua Ratio.

14 ACCEDIT quòd longè maior ſit affinitas mentis humanæ cum ſpiritibus, quàm brutorum cum hominibus. Sicut enim ſpiritus habent notitiam, & affectum nullo limite circumſcriptũ, & delectantur veritatis ac virtutis pulchritudine; ita etiam animus humanus: adeò vt hac in re nulla ſit inter animum & ſpiritus diſcrepãtia, etſi ſit aliquod diſcrimen in actuum intellectus & voluntatis perfectione. Brutorum verò ſenſus omnis & affectus eſt ad paſtum & venerem obiectus. Deinde mens humana ſocietatem & amicitiam habet cum ſpiritibus, cum illis verſatur, & ſua negotia tractat, ab illis conſilium & opem petit, de rebus illorũ & ſtatu cogitat, diſquirit, diſputat, iudicat, & ſimilẽ ſibi ſtatũ exoptat. Nihil tale cernitur in brutis ad homines. Nihil enim de rebus hominum concipere poſſũt aut appetere nullaque poteſt eſſe conſiliorum communicatio. Itaque quod ad conditionem mortalitatis & immortalitatis attinet, mirandum non eſt, ſi mens humana ſequatur potius conditionem ſpirituum, quibuſcum tanta ei cognatio; quàm brutorum, à quibus immenſo interuallo, atque adeò toto genere diſtat.

Nona Ratio.

15 SI animus ſine corpore eſſe non poſſit, ſummum eius bonum conſiſtet in vita corporali, & voluptatibus corporis: & ſummum malũ in corporis afflictione & morte. Vnde Epicurei, & alij qui animum cum corpore extingui voluerunt, ſummum bonum in corporis voluptate ſtatuerunt. Idem aperte oſtendunt illi qui Sapientiæ 2. concludunt, in hac vita vacandum voluptatibus, & hanc eſſe felicitatem hominis; eò quòd poſt mortem nihil ſuperſit & qui Iſaiæ 22. dicunt: *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.*

Si ita eſt laudabile erit vacare ventri & abdomini, & ſtudioſè ſectari quidquid huc pertinet, & ad hoc iuuat: quia laudabile eſt ſectari ſummum bonũ, eoque omni tempore frui. At contrà videmus id probro dari, & reprehendi tamquam fœdum, & homine indignum; & eos qui voluptatibus ſunt dediti, in beſtiarum cœtu locari. Nihil enim adeò ad brutorum vtilitatẽ hominem abijcit, ac voluptas corporis, quæ guſtu vel tactu percipitur. Vnde merito Architas Tarentinus perſuadere conabatur, *Nullum capitale malum poſſe tam quàm corporis voluptatem à natura hominibus eſſe datum* teſte Cicerone lib. De ſenectute.

Rurſus, ſi ſummum hominis bonum ad vitã corporalẽ pertinet, fas erit ad mortem & tormenta vitanda cogente tyranno peierare, blaſphemare, idola colere, omnem pietatem, iuſtitiam, virtutem & veritatem prodere ac peſſumdare. Eſt enim naturæ lex per ſe omnibus nota, nihil ſummo bono anteponendum; ipſum verò præferendum aliis omnibus: &, nihil ſummo malo magis fugiendum. Vnde in omni euentu, in quo neceſſe eſt vel ſummum bonum perdi, vel aliud bonum quod non eſt ſummum; natura & ratio dictat quodlibet aliud bonum pro ſummo bono retinendo profundendum, & quoduis malum pro vitando ſũmo malo ſubeundum. At quid abſurdius aut terrius dici poteſt, quàm mortis vitandæ cauſa quodlibet flagitium poſſe committi? 16

Decima Ratio.

17 NATVRA intelligens eſt omnium quæ ſunt in mundo præſtantiſſima. cuius ſignum eſt, quòd omnium ceterarum ſit capax. Omnes enim illas comprehendit, & in ſeipſa quodammodò format & exprimit, veluti omnium artifex: omnibus vtitur, omnia in ſua aſſumit commoda, non ſolùm terrena, ſed etiam cæleſtia; lucem, tenebras, diem, noctem, ventos, imbres, æſtum, frigora, & ipſa mundi elementa. Itaque natura mente prædita eſt in hoc mundo, veluti in ſuo domicilio, omnis generis ſupellectili, ad vſum, commoditatem & oblectationem inſtructiſſimo. Abſurdum ergo eſt illam penitus interire. ſic enim id quod in mundo eſt præſtantiſſimum, & ſolùm dominatum obtinet, & cui cetera ſeruiunt, periret: quod prorſus à ratione eſt alienum. Si enim terra, mare, ſidera, quæ propter naturam intelligẽtem facta ſunt, vt ei ſeruiant, non pereunt vnquam, ſed permanent æterna: qua ratione dici poteſt naturam intelligentem, quæ eſt illorum finis, ſcopus, domina, perire? Si mens adeò nobilis eſt, vt talia ſeruitia ei fuerint comparanda, quæ numquam deficiant; quomodo rationi conſonum eſt, vt ipſa intercidat? Iniquum eſt eam naturam, cui immortalia ſeruiunt, mortalem exiſtimare.

Vndecima Ratio.

18 NATVRA humana ſecundùm mentem eſt infinitè præſtantior omnibus animantibus; cùm toto genere ſit ſuperior, & ad infinita ſe extendat: vt ex ſupradictis eſt manifeſtum. Ergo oportet vt ſummum ejus bonum ſit infinitè præſtantius & ſublimius ſummo bono beſtiarũ: ſimiliter actio illa, qua ſummum bonum ſuum percipit & ſentit, & voluptas quam inde percipit, actione & voluptate beſtiarũ. Talis enim eſt proportio inter obiecta, inter operationes, & inter voluptates, qualis eſt inter naturas, & inter facultates quibus obiecta percipiuntur. At ſi mens vnà cũ corpore extinguitur, nihil natura humana calamitoſius: nam omnes ferè beſtiarum ſpecies longè erunt feliciores. Subijcitur enim ipſa in hac vita ærumnis innumeris, à quibus beſtiarum natura eſt immunis. Aſſiduè ſolicitatur curis, exagitatur timoribus, tabeſcit inuidia, conficitur mœrore, cruciatur deſiderijs, uritur aliena proſperitate, ſemper anxia, ſemper querula, numquam ſua ſorte contenta, numquam animo tranquilla. His adde paupertatem, exilia, carceres, ſeruitutem, orbitatem, infamiam, matrimonij iugum, liberorũ educationem, fortunarum iacturã, præteritorum pœnitentiam, futurorum ſolicitudinẽ; tot labores & ſudores vt caro miſera ſuſtẽtetur, vt ab iniurijs aeris vindicetur vt miſeram vitam trahat: tot errores, tot ſuſpiciones, tot fraudes, tot morbos, languores & dolores quibus noſtra mortalitas eſt expoſita: vt meritò dixerit quidam:

Οὐκ ἔστιν ἄλγιον ἀνδρὶ οὐδὲ σοφῷ,
Ἢ ὅσα τε γαῖαν τρέφει καὶ ἀνθρώπους γίγνεται.
Nihil adeò grave aut calamitoſum,
Quàm quod terra non ferat humanum genus.

At beſtiarum genus ab omnibus iſtis malis ferè eſt 19 libe-

liberum,& summa in tranquillitate ac libertate viuit. Nullis exagitatur curis, nullis futuri mali timoribus, nullo ex aduersis casibus mœrore. Non est sollicitum de futuris, nec pœnitet præteritorum, nec impendentia mala pertimescit. Nulla ambitione, nulla inuidia tangitur, sua sorte contentum; omnia quæ ipsi necessaria & commoda, absque laboris molestia abundè suppeditante natura. Quòd si æuum consideres, multis id animantium est longius quàm homini: vt ceruis, elephantis, coruis. Si locum & regionem, quid operabilius quam viuere in sublimi aere procul à cœno & fœce terrena, & celerrimo volatu ingentes ætheris tractus breuissimo tempore transmittere? Si corporis habitum, longè commodius est pilis vel plumis vestiri, quæ corporis agilitatem non impediunt, quàm externarum vestium pondere grauari. Si voluptates corporis, ijs magis assiduè & sincere fruuntur bestiæ, quæ totos dies pastui sunt deditæ, & venerem absque verecundiæ metu & crebrius exercent.

Ex quibus perspicuum est, cetera animantia homine & mente humana longè esse feliciora, si mens post hanc vitam non manet superstes.

Duodecima Ratio.

30 NOn solùm cetera animantia homine erunt beatiora, sed inter homines illi erunt feliciores, qui fuerint scelleratiores, & carni magis mancipati; illi miseriores, qui contemptis carnis illecebris vacant sapientiæ, colunt pietatem & iustitiam: imò optimi & sanctissimi erunt infelicissimi & miserrimi: quia maximè à carnis voluptatibus alieni, cũ eam varijs modis affligant & macerent. Vnde Apostolus 1. ad Corioth. 15. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus*, id est, si nihil superest post hanc vitam, *miserabiliores sumus omnibus hominibus*. nimirum quia expertes bonis huius vitæ & futuræ; insuper assiduos labores & acerbas persecutiones sustinemus.

Decimatertia Ratio.

31 VIdemus res omnes perduci ad perfectionem cuius sint capaces. Exemplo sunt plantæ & animantium species. Ita enim sensim crescunt, augentur, roborantur & secundùm corpus, & secundùm omnes animæ facultates, vt tandem perueniant ad culmen perfectionis cuius quæque species est capax. Oportet ergo etiam hominem & animũ humanum ad suæ perfectionis apicem perduci. Cùm enim inferiora illa & vilia naturę suam assequantur perfectionem; cur id quod omnium est pretiosissimum & summum, non etiam aliquando assequatur suam? Atqui hoc omnino est impossibile, nisi animus post hanc vitam supersit. Perfectio enim animi consistit in sapientia & virtute, quibus supremæ facultates exornantur, & suos fines attingunt. At paucissimi in hac vita sapientiæ sunt dediti, ac proinde longè maxima pars hominum nihil vel parum eius obtinent: & illi quoque qui assiduè ad eam incumbunt, vix centesimam partem illius abundantiæ assequuntur, cuius mens humana est capax. Etsi enim homo viueret mille annos, & continenter operam sapientiæ daret, semper posset proficere, nec vnquam pertingeret ad culmen. Necesse est ergo illum superesse post hanc vitam, & tũc suam perfectionem consequi. Frustrà alioquin esset tanta eius capacitas; frustrà tantum sciendi desiderium animo à natura inditum. Frustrà enim est capacitas & desiderium, quod impleri non potest. Et absurdum est naturam, quę ne minimis quidem in rebus quidquam frustrà facit, in re maxima & nobilissima tantùm frustrà & in vanum molitam.

Decimaquarta Ratio.

32 ANimus in hac vita non potest seipsum cognoscere, nisi admodum obscurè & confusè; sicut is qui eminus aliquid per nebulam videt, maligné percipit, nec potest colores & lineamenta rei discernere. vnde nihil pœnè de se nouit planè & perspicuè. Hinc tot philosophorum de animi substantia opiniones, alijs eum igneæ naturæ, alijs aereæ, alijs ex æthere vel anima mundi delibatum asserentibus. Nescit ipse sese, quid sit aut qualis; spirituine purus, an corpore tenuissimo constans: facultates habeat à se distinctas, sibique inuicem, an ipse per se omnia præstet: quæ singularum sit vis & natura: quomodo suas obeant functiones: quomodo obiecta se cum illis socient, & concurrant: quomodo sensuum organa & spiritus animales. In his & alijs ferè omnibus ad se pertinentibus, etsi generalia sint, mirè excutit, & veluti per somnium diuinat. Itaque si vnà cum corpore perit, numquam seipsum cognoscit; sed ignarus sui & nascitur, & viuit, & extinguitur. At maximè consentaneum erat vt seipsum aliquando contemplari posset, suamque speciem, naturam, & ornamenta videre. Sicut enim nihil adeò ad ipsum pertinet ac sua ipsius natura, & ea quæ ipsi intrinseca; ita nulla notitia est magis congruit, quàm notitia sui, & rerum suarum: nihil est propinquius, nihil charius, quàm ipse sibi. Necessariò itaque fatendum est ipsum non extingui, sed cùm exutus corpore fuerit, & ab obiectis corporeis ad quæ per sensus exteriores erat effusus, receperit se ad suam simplicitatem, tunc se distinctè & clarè visurum, & bona sua, quæ ipse hic subinde contemnit, suis momentis æstimaturum. Alius enim intelligendi modus congruit ei dum corpori mortali est alligatus, alius quando a corporis vinculis erit liber, & nudus per se exsiliet. In corpore nihil distinctè potest nosse nisi corporeum, & sub corporali specie: quò fit vt seipsum videre aut cognoscere nequeat. Vbi verò corpore erit solutus, accipiet modum intelligendi spirituum, & ita tunc cernet spiritalia, sicut modò per oculos intuetur corporalia. Modus enim cognoscendi respondet modo existendi, & congruit intelligentis statui. nam quælibet res iuxta modũ naturæ suæ operatur.

Decimaquinta Ratio.

33 MVndus iste corporeus, & cetera res quæ eius complexu continentur, factæ sunt propter hominem: vt suprà ostensum est. Sic enim omnia dispositа sunt, vt commodis hominum seruiant; adeò vt ipse mundus nihil videatur esse aliud quàm amplissimum domicilium, omnis generis supellectili, & annona, & seruitijs instructum; cuius incola, possessor & fructuarius sit homo. Vnde sublato homine nullus amplius est mundi vsus, sed perinde est ac domus deserta, nulli seruiens vsui nisi ad ferarum lustra, & horridam spinarum ac fruticum siluam. Itaque cùm omnia illa instituta sint propter hominem, necesse est hominem esse rem dignissimam, & ad maiora destinari, quàm sint ea quæ ipse percipit in hac vita. Cui enim tanta deputata sunt obsequia, tantæ opes ad hanc mortalem vitã transigendam: quomodo credi par est, nihil boni cum post hac vitam manere, sed vnà cum corpore extingui? Indicio profectò sunt illa, illum ad ingens quoddam & admirabile bonum, & summum statum, huc præparari.

34 Confirmatur, Quia si perit vnà cum corpore, ergo totus ille mundi apparatus idcircò solùm instructus erit à natura, vt homo ad breue tempus, ad momentum, inquam, viuat, comedat, bibat, dormiat, generet, & mox funditus pereat. Nimirum hoc totum erit bonum, huc finis & fructus tantæ molitionis. Idcircò assidua vertigine rotantur cæli, & cursum suum peragunt Sol, Luna, sidera; in hunc finem instituta alternatio dierum & noctium, vicissitudo temporum, & perpetuus veris, ætatis, autumni ac hiemis circulus: idcircò spirant venti, coguntur nubes, effunduntur imbres: idcircò terra tot species florum & fructuum effundit, tantas opes sinu suo condit; mare tot piscium genera producit; aer tot volatilibus scatet, & omnis natura in hunc finem parit & laborat: nempe vt mortale animal homo in multis miserijs, in multa ignorantia & animi prauitate, ad modicum tempus viuat, mox in nihilum reuersurus. Si nullum aliud tantæ rei & operæ est pretium, nullus alius fructus: ergo frustrà omnia illa instituta sunt, frustrà in omnibus operatur natura, frustrà constat totus hic mundus visibilis. Quid enim boni habet, tam breui tempore in tantis animi & corporis miserijs viuere? Non enim illud per se bonum est aut optabile, tum quia tantis permixtum malis; tum quia nullum bonum corporale per se expetendum. Nam sicut corpus est propter animum: ita bona corporalia referenda ad bonum animi. Neque etiam est optabile, propter aliud bonum, ad quod per hanc vitam transeatur: quia supponitur nullum tale superesse.

Intel-

Intellexit hoc præclarè Salomon, qui postquam omnes huius vitæ delitias abundè fuisset expertus, hanc protulit sententiam: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et infrà: *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas & afflictio spiritus.* Et alia plurima toto illo libello prosequitur, quibus omnibus mortalibus velut è sublimi loco concionatur, omnia huius vitæ bona, omnes delitias, opes, honores, oblectationes, esse res vanas, nullius momenti, nullius fructus, nempe si in se spectentur, nec ad futuram vitam iuuent.

35 Addo, vitam istam corporalem non solùm nihil habere boni quod sit alicuius momenti, sed etiam tantis implicari malis, vt longè melùs sit & congruentius, hominem ipsum nunquam extitisse, quàm accepisse animum morti obnoxium. Nam præterquam quòd infinitis curis, ægritudinibus, & miserijs conflictetur, parum vel nihil faciet boni; & plurimum faciet mali, in omni turpitudine & scelerum immanitate vitam transigens. Conferantur mala cum bonis, peccata & scelera cum virtutum officijs; infinitis illa partibus excedent, non secùs ac arena maris vnum pugillum. Atqui res quæ tanti mali est auctor, & tam exiguum vel nihil boni præstat, & de qua nihil vnquam boni fieri potest, quomodo bona aut vtilis censeri potest huic Vniuerso? Imò cur non statim tanquam perniciosa debeat exterminarì? Sicut in Regno vel Republica amplissima, si aliqua gens reperiatur, quæ cùm nihil ferè in publicum conferat commodi, assiduè tamen Leges ac Iura Reipubl. violat & pollumdat, statim è medio tollitur, quia pernicioſa bono publico iudicatur: sic pari modo totum genus hominum, quod naturæ & Dei legem proculcat, ex hac totius Vniuersi amplissimæ Republica, tanquam iustitiæ & virtuti inimicum, non exterminetur?

Ex quibus consequens est, hominem & ipsum mundum non totùm frustrà esse factum, vt ex quo tam parum existet boni, vt fructus non conferet operæ; sed malè à natura comparatum, quod genus humanum vnquam in lucem fuerit productum. Sicut enim qui gentem inutilem, & legum contemptricem inducit in regnum, malè de regno meretur; ita qui hominem in Orbem. Quæ omnia quàm sint à ratione aliena, nemo sanæ mentis non videt. Fatendum ergo, animum post hanc vitam non extingui; & eum maximorum bonorum fore compotem, si benè vixerit in corpore: vel maximorum malorum, si malè.

36 *Primùm impij frustrà sunt in mundo.*

Dices, Si hæc ratio esset firma, sequeretur etiam nùnc omnes impios esse frustrà natos; imò debuisse non nasci: quia nihil vel parum faciunt boni in mundo, & insuper illũ fœdant suis sceleribus, abutentes vniuersa natura & omnibus Dei donis ad omnem improbitatem.

Respondeo, Fateor omnes impios qui non sunt convertendi, & omnes qui diem extremum in improbitate sunt clausuri, quadam ex parte posse dici frustrà natos; quia a principali fine, ad quem primariò conditi sunt, excidunt, & melius illis fuisset numquam nasci, quàm ita vivere & mori. Hinc tamen non sequitur, ipsum genus humanum, & hoc eius domicilium, nempe mundum, esse frustrà institutum. Primò, Quia plurimi hic iustè viuunt, & postea summi boni erunt participes; qui planè digni sunt, quibus in hac vita mundus ille seruiat, & ad tam sublime bonum adminiculetur. *Omnia enim propter electos, vt ipsi salutem consequantur.* 1. ad Cor. 3. 2. Tim. 2.

Et quamuis numerus reproborum sit incomparabiliter maior quàm electorum; tamen hic non est tam exiguus, aut parui momenti, vt Deum pœnitere debeat vel mundi conditi, vel generis humani. Sicut qui colit hortum, & plurimas in eo peregrini generis serit arbores, quarum plerisque emortuis, quæ supersunt eximios proferunt fructus, qui abundè sufficiant alendæ familiæ; non frustrà laborem impendit, sed sibi gratulatur tam nobilem prouentum, etsi in minore numero; quia præstantia fructuum paucitatem compensat, præsertim cùm ea copia sit familiæ sufficiens: simile quid & analogum de mundi & hominum opifice ac fatore Deo cogitandum.

37 Secundò, Quia iniqui non sunt omnino frustrà in hoc mundo. Seruiunt enim ad acuendam virtutem iustorum. Dum enim iustos varijs modis affligunt; vberem patientiæ, & humilitatis materiam, & multiplicis calendæ virtutis occasionem eis præbent. Sic enim iusti terrena discunt contemnere, cælestia sectari, ad Deum confugere, in ipso spes suas collocare, eleemosynas largiri, & genus omne bonorum operum exequi. quotidianis exemplis id est manifestum. Rectè S. Augustinus in Psalm. 54. *Ne putetis, gratis malos esse in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò vivit vt corrigatur; aut ideò vivit, vt per eum bonus exerceatur.* Hac ratione dicitur Deus vti malis ad profectum & salutem bonorum. Deinde relucet circa illos in hac vita magnitudo diuinæ bonitatis & misericordiæ; quæ homines sceleratos tantis beneficijs prosequitur, tantis bonis cumulat, tam benignè inuitat & expectat ad pœnitentiam, vt cælestium bonorum fiant participes. Denique post hanc vitam resplendet in illis seueritas diuinæ iustitiæ, peccata illorum iustissimè vindicantis: & simul conspicitur, quanta peccati sit malignitas, quæ tantam meretur castigationem: datur que occasio electis perpetuæ gratarũ actionis, quòd tantis malis sint erepti.

Itaque etsi homines impij non pertingant ad finem primarium, & hac ratione quodammodo frustrà sint nati; tamen absolutè non sunt frustrà; quia pertingunt ad finem suæ idoneum, ad quem secundo loco, & veluti sub conditione, si a primo excideret, eoque se redderent indignos, sunt destinati. Quòd si animus simul cum corpore periret, nihil illorum bonorum haberet locum; vnde planè frustrà & ipse, & mundus propter ipsum conditus videretur; vt ostensum est.

Decimasexta Ratio.

38 PVlchritudo mundi, & rerum omnium quæ mũdi complexu continentur, comparata est ab Auctore mundi, vt videatur, cognoscatur, æstimetur; nimirum vt volentes speciem tam eximiam operis admiremur, laudemus, & amemus artificem. Sic pulchritudo basilicarum, palatiorum, picturarũ, & omnium operum humanorum, concinnata est vt videatur & æstimetur. Si à nemine cognoscitur, planè censetur inutilis. Ad quid enim seruit species & decor vultus delitescens in tenebris? Sicut inutiles sunt odores, si nullus est odoratus, & sapores, si nullus est gustatus; & symphoniæ, si nullus auditus: ita omnis pulchritudo rerum, omnis artificij subtilitas, omne ingenium artis superuacaneum est, si nullus est oculus vel corporis vel mentis, qui illa videat & norit æstimare. Atqui si animus extinguitur vnà cum corpore, pulchritudo mundi & rerum omnium manet incognita, & veluti æternis tenebris circumfusa; quia in hac vita vix millesimam partem assequimur, idque valdè confusè & distortè, sicut cum cæcutiens eminus cernit picturas. Toti hæremus in externa superficie, nusquam penetramus ad penitiora essentiæ, vbi tamen omnis pulchritudo rerum & veritas recondita. ibi genuina rei species & forma, ibi omne artificium & ingenium magnæ illius mentis, quæ sua sapientia omnia excogitauit & formauit; ibi omnium quæ rei conueniunt, rationes latent. Denique tanta est in essentijs rerum pulchritudo, tanta artis diuinæ excellentia, vt ausim dicere, optabilius esse cernere clare (sicut Angeli cernunt) naturam vnius muscæ vel culicis, quàm obtinere imperium totius Orbis. Plus enim voluptatis ex hac luce & contemplatione menti obtingeret, quàm ex omnibus delitijs corporis & honoribus. Facilè mihi fidem habebunt, qui capiunt quod dico, & dulcedinem veritatis, quę etiam in rebus istis infimis recondita, aliquando sunt experti. Adstipulantur quoque antiqui Philosophi, qui pulchritudine veritatis & sapientiæ capti, opes & voluptates corporis aspernati sunt, vt ad eam sectandam essent expeditiores. Cùm ergo à ratione alienum sit, mundi rerumque omnium pulchritudinem, artemque interiorem frustrà constituram, aut semper in tenebris remansuram: dubitandum non est, animum fineri esse superstitem, & tunc perfectam omnium adepturum cognitionem. Tunc omnes abditæ veritates, & totius naturæ vultus, qui nunc abscondit us, proferetur in lucem; tunc mirabitur & laudabit artificem, qui singulis suam speciem impressit, & infinita sapientia formauit.

39 Obiectio.

Dicet aliquis, Substantiæ spirituales, quas Angelos vocamus, perfectè cognoscunt totius mundi & rerum omnium structuram: ergo etiamsi ea nunquam ab homine cognoscatur, non ideò erit frustrà.

Respon-

Reſpondeo, negando conſequentia. Ab illo enim ſtructura mundi debet cognoſci, cuius cauſa factus eſt, vt hic gratias agat conditori. atqui factus eſt hominis cauſa, non Angelorum, qui mundo corporeo non egebant. Itaque ab homine cognoſci debet. homini enim ſeruit; idque duplici ratione: ſuis commodis & fructibus ad vitam corporalem; & ſua ſpecie ac pulchritudine ad ſapientiam & contemplationem: vt ex opere diſcat opificem, eiuſque potentiam, ſapientiam & bonitatem admiretur, laudet, veneretur, & illius legibus obtemperet.

Decimaſeptima Ratio.

30 ILLVD dogma, quod è vita humana tollit omnẽ probitatem, & inducit omnem impuritatem, ac vitiorum colluuiem, non poteſt cenſeri ſanum, aut veritati conſonũ. Veritas enim & ſapientia auertunt homines à turpitudine, & accẽdunt in eorum animis amorem honeſti & virtutis. Nam virtus intellectus, eſt cauſa virtutis omnis quæ in affectu, & hæc ab illa naſcitur; ſicut pulchritudo quæ eſt in opere, naſcitur ab arte quæ eſt in mente. Lumen non poteſt eſſe cauſa tenebrarum. Veritas eſt lumen, & norma recti; vitium tenebræ, mendacium, & aberratio à regula veritatis. Atqui dogma, quo anima ſtatuitur mortalis, ſubuertit fundamentum omnis probitatis, & tribuit licentiam omnium vitiorum & ſcelerum. Quis enim ducum virtutis iter capeſſat, cupiditates frangat, libidinem domet, ab alieno abſtineat, numen colat, ſi nihilinde ſperat commodi, nec vllus huius laboris eſt fructus? Vnde experientia conſtat, eos, qui hac perſuaſione ſunt imbuti, eſſe vitæ proſligatiſſimæ. Sicut enim in Republ. fieri non potẽt, vt cõſtet iuſtitia externa, & honeſtas politica, vt arceatur vis ac iniuria, niſi legum decreto propoſita ſint præmia & ſupplicia: ita in genere humano non poteſt retineri probitas, & improbitãs caueri, niſi diuino decreto cõſtituta ſint præmia & ſupplicia. Quæ cùm in hac vita non rependantur, conſequens eſt reſeruari in futurum. Alioquin (quod dictu nefas eſt) ſapientiùs & melius inſtituta eſſet Reipublica per homines, quàm genus humanum à Deo.

31 Improbitatem eiuſmodi hominum optimè deſcribit Sapiens cap. 2. *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis. quia ex nihilo (ἀυτοσχεδίως: caſu) nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus*, &c. *Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vinum pretioſum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Itaque conſtituunt ſummum bonum in voluptatibus corporis. Deinde oſtendit quomodo ſe gerant erga iuſtos, eoſque ſpolient, affligant, occidant, & ſuam potentiam faciant iuſtitiæ legem; vt omne quod volunt & poſſunt exequi, iuſtum habeatur: quo nihil poteſt eſſe iniquius. *Sit*, inquiunt, *fortitudo noſtra lex iuſtitiæ; quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur*, &c. Denique poſt multa concludit Sapiens: *Hæc cogitauerunt & erauerunt. excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt Sacramenta Dei* (arcana eius conſilia) *neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum: quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.* Vbi reddit rationem, cur homo ſecundùm animum ſit inexterminabilis; nimirũ, quia ſimilis eſt Deo, vtpote eius imago: mente enim capax diuinitatis, & omnis veri ac boni. Itaque cùm hæc de animi natura perſuaſio adeò ſit peſtilens moribus, & inimica omnis virtutis; conſequens eſt eam à veritate eſſe alieniſſimam.

32 Rurſus, illud dogma quod eſt fons & fundamentum omnis iuſtitiæ, pietatis, & virtutis, non poteſt eſſe inane & falſum. Sicut enim lux non poteſt naſci ex tenebris, aut illis inniti; ita ſplendor virtutis non poteſt naſci ex errorum caligine. Et ſane per ſe abſurdum eſt, omnis iuſtitiæ & probitatis fontem eſſe errorem iudicij, & falſam animi perſuaſionem. Atqui dogma quo ſtatuitur anima immortalis, & poſt hanc vitam capeſſere præmia vel ſupplicia, eſt fons & fundamentum omnis iuſtitiæ & probitatis. Hac enim vnica ratione impellitur homo vt vitiorũ lenocinia deuitet, & virtutis tramitem ſectetur. Vnde quicunque aliqua virtutis laude vnquam floruerunt, hac perſuaſione ad illius ſtudium incitati fuere. Oportet ergo hoc dogma veritati eſſe conſentaneum. Incredibile enim eſt animi naturam ita eſſe inſtitutam, vt vera ſui notitia ſit ipſi cauſa omnis improbitatis; & falſa perſuaſio, cauſa omnis virtutis. Sic enim nihil ei eſſet ſalutarius, quàm ſe ignorare; nihil nocentius, quàm ſe nosse: quod omnino eſt paradoxon & abſurdum. Nam omnes ſapientes inſtar oraculi hoc monitum, Γνῶθι σεαυτὸν, *Noſce teipſum*, habuerunt. adeò vt ve ſtibulo templi Apollinis Delphici inſcribi voluerint, vt teſtatur Plato: rem vt omnibus eſſet conſpicuũ, hanc vnica eſſe ad felicitatem viam, a numine patefactam hominibus. Vnde quidam.

In Chrmide.

Immalis.

E cælo deſcende, Γνῶθι σεαυτὸν.

33 *An virtus ſit ſui præmium.*

Dices, Ipſa virtus eſt ſui præmium, & vitium ſui ſupplicium: ergo etiamſi animus ſit mortalis, nec aliud ei vel expectandum ſit præmium, vel metuendum ſupplicium; habebit tamen ad virtutem ſectandam, & vitium fugiendum, ſatis magnum calcar & incitamentum.

Reſpondeo, Stoicam iſtam imaginationem eſſe imbecillam, & parui momenti ad affectus hominum regendos, quantumuis aliquid inaſculi in fronte præferre videatur. Primò, quia valde abdita res eſt illa virtutis pulchritudo, & vitiorum deformitas; & a paucis apprehenditur: quo fit vt animos hominum commouere nequeat. Nihil enim incognitum mouet affectum.

Deinde, quia etiam in animis eorum quibus hæc res vtcumque nota eſt, parum virium habet. Quotus enim quiſque eſt qui voluptates eo dumtaxat nomine fugiat, quòd turpes ſint, ſeu legi rationis aduerſæ; & arduum virtutis iter amplectatur, quia pulchrum & rationi conſonum, nullo alio commodo vel incommodo ſibi propoſito? Nam & ipſi Stoici, qui hanc doctrinam venditabant, non ſolo virtutis & vitij valitu ducti fuere; ſed potiſſimum laude, & probro: ſicut & alij qui apud Romanos, vel Græces clari extitere. Omnes enim ardebant gloriæ cupiditate. Teſtatur hoc multis locis Cicero. *Trahimur*, inquit, *omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloria ducitur. Ipſi illi Philoſophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt. in quo prædicationem & nobilitatem deſpicient, prædicari ſe ex nomine volunt.* Longè enim plus virium habent blanditiæ & lenocinia voluptatum, quæ ſenſibus ſunt obuia, ad affectum alliciendum, quàm turpitudo earum (quæ valdè ſubtilis eſt, & vix mente concipitur) ad repellendum. Senſibus accommodata vehementius mouent. Pari modo aſperitas virtutis carni & innatæ cupiditati repugnans, maiorẽ vim habet ad animam carni amicam abterrendã, quam decor eius ad conciliandum amorem. Opus eſt ergo alijs adminiculis & incentiuis, quibus animus ad virtutis ſtudium, & vitiorum fugam impellatur.

Pro Archia, Poeta.

34 Tertiò, quia Stoicorum illud placitum, *Virtutem ſibi ipſam eſſe præmium*, a veritate alienum eſt. Nulla enim res agit ſolùm vt agat, & in pulchritudine ac præſtantia ſuæ actionis quieſcat; ſed vlterius aliquid intendit, quod per ſuam actionem conſequatur: vt perſpicuum eſt tam in ijs quæ natura, quàm quæ arte operantur. Non enim cæli mouentur propter pulchritudinem illius motus, ſed propter bonum mundi inferioris, & commodum hominum. Neque vis quæ ineſt ſeminibus, plantis, animalibus, operatur ſolùm vt extet bonum illius operationis, ſed vt res formẽtur, naſcantur, alantur, creſcant, perficiantur, fructus proferant. Neque animantia ſe mouent & operantur propter ipſum motum, ſed vt ea quæ commoda, conquirant: quæ incommoda, fugiant. Pari modo omnes artifices aliquid vltra ſuæ artis functionem ſpectant, cuius cauſa illam ſuſcipiunt. Idem ergo dicendum erit de functionibus virtutum, eas non ſuſcipi ob ſolum bonum & pulchrum, quod in ipſis cernitur; ſed ad aliquid aliud, quod ſit optimum, & animo maximè expetendum, referri.

Etſi enim ſingulæ virtutes non ſe proferant vltra propriam honeſti, quod cuique propoſitum eſt, rationem; tamen animus, qui illas poſſidet, & tanquam inſtrumentis vtitur, eo bono non eſt contentus, ſed vlterius aliquid ſpectat, ſiue honor illud ſit vel gloria, ſiue futuræ felicitatis gaudium a Deo poſt hanc vitam retribuendum. Hinc fit vt qui hanc futuræ vitæ mercedem vel ignorant, vel non cogitãt, pẽnè in omnibus præclaris factionibus gloriæ cupiditate

piditate ducantur. *Ex omnibus præmijs virtutis*, inquit Ci-
pro Archia. cero, *amplissimum est præmium, gloria: quæ vita brevitatem posteritatis memoria consolatur.* Et alibi: *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ; quæ detracta, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus?* Hæc ille, quia maiora præmia ignorabat. Sic Romani veteres, qui insignem iustitiæ & moderationis
Lib. 5. De ciuit. Dei, cap. 12. speciem in suis factis præ se tulerunt, gloriæ studio plerumque ducti fuere; vt S. Augustinus luculente ostendit. Ita planè est humanum ingenium, & sic natura comparatum, vt in virtutum officijs obeundis aliquid amplius desideret & spectet, quàm pulchrum & bonum ipsarum functionum; quod ipsum tale sit vt affectum potentiùs ad se pertrahat, & in virtutum functiones impellat, quàm ipsa virtutis pulchritudo. quod etiam hac consideratione magis fiet perspicuum.

35 Deus auctor naturæ ijs functionibus quæ ad vitam tuendam, vel ad speciem propagandam pertinent (nimirum sumptioni alimenti & procreationi liberorum) magnas admiscuit voluptates, ne forte animalia pertæsa laboris & molestiæ quæ subinde coniuncta, eas functiones negligerent, vel minùs studiosè sectarentur, quam conseruationi sui, & speciei propagationi conueniat. At virtutis functionibus plerisque nulla fere, exigua voluptas coniuncta, sed ingentes sæpè labores, curæ, molestiæ. Arduum est virtutis iter, nec sine sudore conficitur. Difficile mortalibus frænare cupiditates, frangere impetus animorum, desideria moderari, iracundiam extinguere, affectus omnes intra rationis gyrum coercere. Triste & molestum iniurias perferre, odium & iram continere, sua in egenos & miseros effundere, nomina debitorum dissoluere. Itaque cum in ipsa virtutis functione, nulla vel exigua sit illecebra quę animos alliciat, sed contra multę asperitates quæ auertant: opus fuit extra illam causas aliquas constitui, quæ potenter & ad virtutem impellant, & a vitijs deterreant, nempè præmia & supplicia, sine quibus arduum virtutis tramitem nemo vel ingredi, vel ingressum tenere, & vitiorum lenocinia contemnere vellet. Si enim functionibus istis infimis, quibus vita corporalis conseruatur & propagatur, tantas prouidentia admiscuit illecebras, ne omitterentur: quis credat illam neglexisse summas & nobilissimas, quibus Deo similes efficimur; nec vllos stimulos, quibus ad eas excitaremur, apposuisse? Præpostera plane fuisset illa prouidentiæ cura. Etsi itaque virtus earum sit aspera, & vitia blanda: tamen consideratio præmij quod virtuti propositum (in quo summa & æterna voluptas) temperat molestiam, & facit illam suauem ac expetendam, & consideratio supplicij in quod vitia præcipitant, voluptatem illorum reddit amaram & detestabilem.

36 Accedit, quòd is qui alteri seruit, & in gratiam eius operatur, mercedem ab opere suo distinctam meretur. Non enim bonum operis sui seruat sibi, vt ipse eo fruatur, sed impendit alterius honori vel commodis: ac proinde iustè ab eo expectat mercedem. Atqui homo qui ex virtute vitam instituit, ea ipsa re alteri quodammodò seruit, nimirum Deo, omnis iustitiæ & rectitudinis præceptori ac præsidi. Facit enim illud vt legem diuinam custodiat. Deo placeat, Dei voluntati se accommodet, Deo honorem habeat. Ergo debetur ei merces extra suum obsequium. Confirmatur, quia si virtus esset sui merces sufficiens, nemo vlteriorem expectare deberet. Hoc ipso enim quo ex virtute esset præsticum opus, iustam mercedem sui laboris accepisset, sicque esset illi satisfactum. Itaque nec militi, qui strenuè pugnasset pro Republica; nec famulo, qui fideliter domino inseruisset; nec vlli alteri, qui opus iuxta virtutis regulam confeciisset, vlla alia merces esset persoluenda. Iniquũ enim est vltra iustam mercedem alia stipendia exigere. Ex quibus patet hanc doctrinam ipso communi sensu generis humani damnari. Est quidem in virtutis functione bonum aliquod, quod etiam propter se, & absque præmio dignum sit expeti; sed illud minimè est sufficiens ad animos hominum permouendos. Vnde si nulla alia esset eius vtilitas, nemo virtutis iter capesseret.

Hęc tamen omnia intelligi velim de functionibus, quas virtus in hac vita præstare potest. Non enim negandum, quin post hanc vitã sit aliqua functio, quæ & sui & ceterarum quæ antecesserunt, sit præmium. Talis est Visio clara Dei, & amor, ac gaudium inde exoriens. Hæ etiam functiones maximè sunt propter se expetendæ, eo modo vt nullum vlterius inde commodum expectes; cùm in his nostra suprema felicitas, seu beatitudo formalis (vt scholæ loquuntur) sit constituta. Verùm quòd hæ functiones nos beatos efficiant, non habent ex eò quòd sint functiones virtutum, sed quòd coniungant animum cum Deo, qui est *summum verum, summum pulchrum*, & *summum bonum*. Vnde non ita nos illis constituimus nostram beatitudinem, sicut Stoici in virtute. Hi enim summum bonum statuebant potissimùm in ipsa virtute, & proposito animi rationi consentaneo, non in obiecto, cui virtus mentem copulat: virtutem ipsam facientes beatitudinem, & formalem, & obiectiuam. Nos verò summum bonum non locamus præcipuè in illis functionibus, sed in obiecto cui mentem coniungunt: ita vt illæ functiones non dicantur summum bonum, nisi quatenus sunt vnio quædam perfecta cum summo bono, & vitalis coniunctio. Deinde illi functionem eã virtutis volebant esse in nostra potestate, ac omnino liberam: at nos functionem beatam statuimus non esse in nostra potestate, sed esse donum cælestis diuinitus infusum, constans, immutabile, sempiternum.

37 Dices, Gloriam & laudem sufficere animis hominum ad virtutis studium excitandis; ac proinde non opus esse alijs post hanc vitam vel præmijs, vel pœnis. Id enim videtur sensisse Cicero, qui passim hoc præmium mirifice extollit, affirmans *nullam mercedem à virtute excellentia præter hanc laudis & gloriæ desiderari. Ex omnibus enim præmijs virtutis amplissimum est præmium gloriam: quæ*, inquit, *vitæ brevitatem posteritatis memoria consolatur: quæ efficit vt ad sensus adsimus, vt mortui viuamus, cuius gradibus etiam homines in cælum videntur ascendere.* Et alibi: *Non vita ac dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur: illa, inquam, illa vita est, quæ viget memoria sæculorum omnium, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur.*

Respondeo, Perspicuum esse, gloriam & laudem humanam minimè sufficere; idque ob multas causas. Primò, Quia gloriæ appetitio bonum virtutis corrumpit, solam externam speciem & velut virtutis larvam relinquens. *Lib. 2. Eth. cap. 4.* Virtus est amor honesti quia honestum, vt rectè Aristoteles, & tota philosophorum schola. Si ergo opus honestum facias non affectu honesti, sed amore commodi, voluptatis, laudis; non est opus veræ virtutis nisi externa facie: abest enim vita interior, & velut anima virtutis. Sicut enim animal constat anima & corpore: ita opus virtutis affectu interno honesti, & opere externo. Vnde sicut extincta vel recedente anima, solum relinquitur cadauer: ita extincto affectu honesti, nihil superest nisi vacua virtutis imago. Tantum ergo abest vt gloria, laus, fama, sufficiant ad virtutem excitandam, vt eius bonum perdant & corrumpant: sicut venena quædam feruida, quæ spiritus sopiros animantis ita excitant, vt illos penitus dissoluant & dissipent.

Secundò, Quia isti fines non habent locum nisi in paucis actionibus externis, quæ publicè geruntur. Non enim ad internum virtutis affectum & genuinum amorem impellunt, vt ostensum est; sed ad actionem externam, non quamlibet, sed eam dumtaxat quæ est conspicua, & oculis hominum patet. Laudi enim & gloriæ satis est, si exterius in oculis hominum appareas probus & strenuus, etiãsi in recessu animi & priuatim sis improbus & ignauus. Itaque appetitio Laudis potiùs hypocritas facit quàm virtutis cultores.

Tertiò, Quia virtutis præmium debet esse solidũ quoddam bonum & intrinsecum, quod animum ipsum afficiat & perficiat; sicque virtute præstantius. Finis enim debet esse præstantior medijs. Atqui gloria humana est res extrinseca in hominum persuasione & iudicio sita, nihil animo conferens perfectionis. Quid enim miserorum mortalium opinio mihi prodesse potest? quid sermones & rumusculi?

38 Dices, Vnde ergo fit, vt omnes pœnè mortales laudis & gloriæ cupiditate incitentur? *Nulla enim*, vt quidam ait, *est tam humilitas, cui dulcedine gloria non tangatur.* quo fit vt etiã viris sanctis hæc affectio cenodoxiæ & philotimiæ interdum subrepat. *Cur homines adeò sint laudis appetentes. Val. Max. lib. 8. 1. Causa.*

Respondeo, huius rei tres esse causas. Primò, Quia omnibus innatus est appetitus excellentiæ, qui maxime in animo

mo dominatur. Nihil enim in omni bono, siue sit sapientia, siue virtus, siue potentia, siue nobilitas, magis expetendum, quàm in eo excellere. Honor autem est excellentiæ testimonium; gloria, eiusdem excellentiæ notitia & opinio; laus, prædicatio. Vnde dum hæc exhibentur, nascitur in homine apprehensio & cogitatio suæ excellentiæ, qua mirificè delectatur. Sicut è contrario per conuitium concitatur apprehensio vilitatis, quæ illi est exosa, & mœrorem adfert. Itaque omnes amant laudem & gloriam, quia hæc sunt signa excellentiæ: oderunt conuitium & cõtumeliam, quia sunt signa vilitatis & abiectionis.

1. Causa. Secundò, Quia sicut animus maximè desiderat eminere & excellens esse in quoque desiderat videri, & talis haberi in mentibus hominum. Hoc enim sentit ad se pertinere, tamquam nouum quoddam esse, & nouam vitam intelligibilem; qua cognitum sub illustri specie & forma videtur viuere in mente cognoscentis. Intelligere enim est quoddam rei intelligibilis esse, vt philosophi docent. Hoc ipsum aperte indicat Cicero verbis supra recitatis, cum ait: *eam esse vitam quæ viget memoria sæculorum omnium, quàm posteritas alit, qua absentes adsumus, & mortui viuimus*. Hæc itaque memoria, hæc æstimatio & prædicatio, est vita quædam animi & ornamentorum ipsius, quæ non oculis videtur, sed mente sentitur; non natura constat, sed animorum iudicio & æstimatione; non intrinsecus inhæret, sed extrinsecus possidetur: qua sibi videtur in mentibus hominum viuere, & tot habere vitas, quot sunt homines, in quorum cordibus magni penditur. Hanc tanti plerumque facit, vt vitam corporalem præ illa aspernetur, & malit corpus exponere certissimæ morti, quàm vel tantillum gloriæ & nominis sui detrimentum sustinere: pluris æstimans viuere in aliorum mente per memoriam, quam in proprio corpore per naturam. Quod sanè indicio est, gloriam & diuitijs & voluptatibus præstare, etsi alioqui res ieiuna, vacua & imaginaria videatur; nimirum ea est animi excellentia, vt minima bona quæ ad ipsum pertinere censentur, maximis bonis corporis longe sint præferenda.

3 Causa. Tertiò, Quia gloria & fama ad multa vtilis. retinet enim hominum in officio, coercens à turpitudine, ignauia, improbitate, nimirum ne bonum nomen amittat. Pessima res est depudusse, pudoremque exuisse contempto prohorum hominum iudicio. Deinde efficit vt cum dignitate & voluptate possimus versari in publico, & hominum probrorum conuentibus, vbi viles & degeneres non audent comparare. Item vt prouehamur ad magistratus, honores, & munia publica; cùm infamibus portæ dignitatum non pateant. Denique vt cum fructu versemur inter homines. Siue enim de doctrina agatur & monitis, siue de officij administratione, neutrum fructuosè præstari potest sine bono nomine; vt meritò dixerit Sapiens; *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*. Et alibi: *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi & magni*.

Prouerb. 22. Eccles. 41.

Decimaoctaua Ratio.

39 *Quòd iniuriæ maneant inultæ, & virtus sine præmio.*

RVrsus si animus vnà cum corpore extinguitur, præter alia incõmoda quæ suprà adduximus, etiam hæc duo consequuntur. Primò, quòd iniuriæ maneant multæ, & scelera sine vindicta, omniaque in genere humano impunè gerantur. Secundò, quòd pietati & iustitiæ nullum sit præmium, nullus fructus. Quòd enim in hac vita plerumque nulla fiat vindicta aut compensatio, manifestum est. Videmus enim in hoc sæculo homines impios, conscelleratos, & innocentium oppressores, maximè florere, & omni temporalium bonorum genere, opibus inquam, honoribus, delitijs circumfluere: iustos verò & pios varijs calamitatibus inuolui, & vitam in afflictione transigere: quasi impietatis merces sit prosperitas, iustitiæ verò calamitas. Itaque si nec etiam post hanc vitam est retributio, perspicuum est manere istam ἀταξίαν, & ordinis perturbationem: nimirum vt scelera sint impunita, & virtus irremunerata; iustitia proculcata; & iniquitas erecta. Iniuriæ enim & crimina censentur manere, & hanc Vniuersi Reipubl. funestare, donec vindicentur & per supplicium expientur: vt ex communi hominum iudicio constat.

Hinc vlteriùs sequitur, nullum esse numen, nullam prouidentiam, cui res humanæ sint cordi, sed omnia temerè geri, & cuique suam libidinem & potentiam legem esse. Nihil enim est quod magis sit aduersum prouidentiæ, quàm huiusmodi licentia & impunitas. Sicut enim, si aliquod sit regnum in quo nulla iniuriarum & scelerum publicè sit constituta vindicta, sed omnibus omnia impunè liceant, rectè dicimus illud regnum vel carere rectore, vel rectorem esse iniustum, & sceleratorum fautorem: ita si in hoc totius humani generis veluti regno omnia impunè aguntur, rectè collegerimus nullam esse prouidentiam, nullum supremum moderatorem, quo res humanę regantur; vel si sit aliquis illum iniustum esse. Confirmatur, Quia primarium rectoris officium est curare leges seruari, propositis præmijs & supplicijs: deinde eos qui seruarint remunerare; qui violarint, punire. Sic enim omnia rediguntur ad ordinem iustitiæ, quo nihil pulchrius in mundo. Vbi ergo hęc desiderantur, perspicuum est, desiderari rectorem & prouidentiam. Idem confirmatur ex eo quòd ad prouidentiam maximè pertineat, cuique, quod suum est, tribuere. Hæc enim est lex iustitiæ, quæ maximè in gubernatione seruanda. Vnde diuina prouidentia in omnibus rebus creatis, prout quæque capax est, id seruat, singulis id tribuens, quod cuique secundùm suam naturam & conditionem congruit. Quòd si in rebus infimis id seruatur, multò magis par est seruari in re totius mundi præstantissima, nempe in animo humano, qui solus iustitiæ & iniuriæ, iuris & debiti est capax. Absurdum profectò est, muscis, culicibus, & vermiculis, ad quos nulla est iustitiæ vel iniuriæ ratio, per diuinam prouidentiam exactè omnia, quæ naturæ illorum sunt congruentia, tribui; animo humano quæ ipsi congruunt & debita sunt, quæ ipse suis actionibus bonis vel malis promeretur, non rependi. Præposterа esset illa prouidentiæ cura circa minima, si in maximis esset otiosa. Id enim periode esset ac si res quispiam summa cura prouideret, vt equis, mulis, canibus omnia suppeterent, quæ illorum congruunt conditioni; familiam verò suam negligeret, nulla compensatione proposita fidis obsequijs, nulla vindicta sceleribus. Quo quid potest esse magis præposterum, aut à recta ratione alienum? Quò enim quęque res dignior est & Deo similior, eò maiorem prouidentiæ curam postulat, vt finem suum consequatur. Familia Dei est sola natura rationalis. Hæc enim sola Deum cognoscit, illique obsequium & honorem voluntariè defert. Hæc sola illum contemnit & offendit; ac proinde sola prę-
mium vel supplicium meretur.

Ex his itaque manifestè conuincitur, nullum esse numẽ, nullam prouidentiam, si animus cum corpore extinguitur. 41
Si enim extinguitur, nulla est retributio, nulla iustitia: manent iniuriæ inultæ, & virtus inhonorata: manet summa ordinis perturbatio in prestantissima mundi parte. Quæ omnia apertè conuincunt, mundum rectore destitutum. Vnde hæc potissimum consideratio omnibus sęculis mentes hominum perturbauit, & ad negandam prouidẽtiam, suasque cupiditates sectandas impulit: neque alia suppetijt vmquam ratio effugij, quàm nouissima, quæ post mortem singulis obueniunt, considerando; sicut pulcherrimè 42
Propheta Psalmo 72. explicuit. Horum sola consideratio mentem pacatam reddit, & virtutis tramitem in rebus aduersis constanter tenere facit.

Dicet aliquis, satis esse supplicij animo pro omnibus iniurijs & sceleribus hic patratis, quòd in morte funditus pereat. Verùm id non rectè dicitur: quia interitus ille tacuitur non poena, sed naturæ conditio, quam non minùs pietatis & iustitiæ cultores necessariò sustinere debeant, quàm impij & sceleratissimi. Sicut in Republica si nulla est set constituta poena præter mortem corporis; quæ secundùm naturæ cursum cuilibet est obuentura: nulla absolutè poena censeretur ibi sceleribus statuta sed summa impunitas & licentia. Poena debet infligi propter culpam, tamquam iusta illius compensatio & merces; adeo vt si culpa non sit, malum pęnę locum non habeat: iste autem interitus non infligitur ob culpam; nec minùs obuenit probis quàm improbis.

Decimanona Ratio.

IDeo conditus est hic mundus à Deo; vt in eo, tamquam in opere pulcherrimo, diuinitatis perfectiones respicerentur & manifestentur. Hæc enim manifestatio fest vlti- 43

mus

mus finis Dei, seu primi agentis in mundi molitione. Cùm enim nihil sit præstantius Deo, cuius causa ipse operetur, & cuius bonum vltimo intendat, necessario operatur & intendit bonum proprium: non intrinsecum (quod necessariò semper adest, nec augeri vel minui potest) sed extrinsecum: quod nihil est aliud quàm suæ perfectionis in creaturis & per creaturas manifestatio: in qua ipsius gloria extrinseca consistit. Hoc sensu philosophi dicunt, *Idem esse primum agens & vltimum finem*, quia primum agens necessariò intendit vltimo loco bonum suum. Quod etiam indicat Scriptura Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* *Omnia operatur*, non solùm positiua actione, faciendo; sed etiam negatiua, sinendo & permittendo. *Operari* enim latissimè hic sumitur, *propter semetipsum*, id est: propter suam gloriam; nempe vt ipsius excellentissimæ perfectiones manifestentur & cognoscantur. *Impium quoque*, &c. quia quòd hominem finat fieri impium, & iam impium factum destinet ad diem damnationis, & pœnam æternam, id totum facit gloriæ suæ intuitu. Atqui si animus est mortalis, tantum abest vt diuinæ perfectiones in mundi fabrica & dispositione resplendeant, vt potius videantur obscurari. Non enim est indicium potentiæ conditoris, sed potiùs imbecillitatis, quòd animum rerum dominatorem non potuerit facere immortalem, cùm maximè tamen id ei videatur debitum. Non est sapientiæ, seruitia, mancipia, & domicilium efficere æterna: ipsum verò dominum, cuius obsequijs cetera instituta, tam breui & miserabili æuo concludere; & eo exacto, finere funditus interire. Non est bonitatis, cetera omnia ad perfectionem cuique congruentem perducere, animum verò ita negligere, vt nunquam vel exiguam partem eius boni, cuius est capax, consequi possit. Non est prouidentiæ, relinquere animum suæ libidini, nullis præmijs quibus alliciatur ad virtutem, nullis supplicijs quibus à flagitijs deterreatur illi propositis: relinquere scelera inulta, & iustitiam pessum datam: denique tantam in mundo permittere ataxiam, tam fœdam & horribilem confusionem, iniquis dominantibus, & iustis oppressis; nulla data spe recti ordinis aliquando instaurandi.

44 De misericordia & iustitia quid dicam? Cuius enim misericordia est, hominem tam breui tempore, & in tantis miserijs vitâ illam corporalem & animalem trahere, absq; spe vllius boni in posterum obtinendi? Si quid enim illa vita habet dulcedinis, tantum absynthij admixtum est, vt prudenti tota amara videatur, nisi expectationis futurorũ dulcedo illam temperet. Cuius æquitatis & iustitiæ, optimum quemque à sceleratis permittere opprimi, affligi, occidi; nulla vindicta, qua tantæ iniuriæ farciantur reperta? nullum pietati, iustitiæ, virtuti constituere præmium; nullum impietati, iniuriæ, sceleri supplicium? impios omnibus huius vitæ bonis, opibus, honoribus, voluptatibus, imperio cumulare; pios omnibus calamitatibus inuoluere? Quis illa considerãs nõ existimet ea potiùs esse signa crudelitatis & iniuriæ, quàm misericordiæ & iustitiæ? & ipsum Numen, si quod sit, fauere impijs & iniquis, odisse pietatis & iustitiæ cultores, nisi post hanc vitam vtriusque iusta fiat compensatio? Hinc Ethnici, qui de futura retributione parum nouerant, sæpè deos suos crudelitatis & iniustitiæ accusabant, quòd iugos affligi, impios dominari permitterẽt. Exempla multa extant apud Homerum, Euripidem, Athenæum, & alios. Quin & Christianis non rarò talis cogitatio & commotio animi subrepit, dum futura non considerant. Et sanè, si post hanc vitam nihil superesset, non facile esset Numen à crudelitatis & iniustitiæ nota vindicare: vt suprà lib. 1. demonst. 13. etiam ex Chrysostomo ostensum est. Quis enim Regem illum benignum & iustum censeat, qui tantam in regno suo permitteret cõfusionẽ, nullo præmio virtuti, nullo supplicio sceleri constituto; summa impunitate sceleratis omnibus concessa?

45 At verò, posita animi immortalitate, omnia cessant incommoda, omnes aduersus Deum querimoniæ & murmurationes silent. Hæc enim rerum confusio non durat nisi ad modicum tempus; quo transacto, æterno ordine emendabitur. Singulis enim statim post hanc vitam suus assignatur locus, & status, & gradus, & iusta actorũ ac perpessorum cuique fit retributio. Nullum malum remanet multum, nullum bonum irremuneratum. Sicut peritus pictor nouit quo loco ponat colorem atrum, quo candidum, vel aureũsita Deus nouit quo locõ in hoc Vniuerso quemque collocet, probum, improbum; pium, impium. Et sicut ex illa colorum apta distributione consurgit pulchritudo picturæ; ita ex hac animorum, pulchritudo Vniuersi, quod est veluti pictura quædam diuinitatis, eius potentiam, sapientiam, bonitatem, prouidentiam, misericordiam & iustitiam mirifice nobis spectandam exhibens.

Non ergo est quod iusti murmurent & querantur de diuina prouidentia, cùm in hac vita rebus aduersis cõflictantur: quia huius vitæ calamitates breues sunt, & animo generoso exiguę: fructus verò earũ maximus & æternus. Vt enim inquit ille, quo fortasse nemo mortalium plura & grauiora pertulit, *Momentaneum & leue tribulationis huius, supra modum in sublimitate* (in cælo) *æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Non debet graue videri, quod tanta mercede compensatur. Valent quoque ad animorum rubiginem, & quotidianas maculas abstergendas. Nemo enim hic est adeò purus, quin subinde labes aliquas animo contrahat, quæ huiusmodi remedio tamquam acri sapone sint eluendæ. 46 2. Cor. 4.

Pari modo non est cur indignentur prosperitate impiorum: hæc enim & breuis est, & multo felle permixta, eamque æternus luctus excipiet. Nemo latroni, qui breui iturus agendus, inuidet hausturo vini, aut quòd paucis horis aliquid ei permittatur solatij. *Noli*, inquit Propheta, *æmulari in malignantibus, neque zelauris facientes iniquitatem; quoniam tamquam fœnum velociter arescent*. Et Sapiens: *Stupa colligetur synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis*. Veniet messis, cùm omnes peccatores tamquam noxiæ herbæ & zizania in fasciculos colligentur, & igni tradentur, sicut Dominus admiranda illa parabola Matthæi 13. docuit. Psal. 36. Eccl. 21.

Vigesima Ratio.

47 ITa natura comparatum est, vt qui grauia crimina commiserint, patiantur occultum conscientiæ flagellum: quo interdum ita exagitantur, vt sibi ipsi vitam abrumpant? Illa enim assiduè eos accusat & condemnat, & dignos supplicio pronuntiat, & tamquam ingens malum impendeat, dira apprehendere & timere facit. Hinc fit vt omni industria conentur mentem auertere, & has cogitationes discutere, vt illa molestia careant. Dedunt se lusibus & conuiuijs, symposijs & confabulationibus, & ad omnia externa se effundunt, vt interdum illum accusatorem & tortorem fugiant: nihil illis grauius quàm esse secum, & cum animo suo colloqui. Hæc omnia sunt prælagia futuri iudicij, & vindictæ, quæ post hanc vitam sceleratos animos manet. Ipsa crimina sunt veluti semina impendentium suppliciorum; & ideò naturæ quodam instinctu præcipitur & sentitur illa molestia ex criminum recordatione. Non est existimandum, naturæ prælagia esse vana, aut instinctus frustraneos. Si nihil post hanc vitam esset metuendum, nec mali quidquam imminueret, frustrà datus esset animis ille stimulus, frustra mala conscientia sæua præsumeret.

Pari modo conscientia rectè factorum magnum adfert solatium: *Magna est*, ait quidam, *vis conscientiæ in vtramque partem. vt neque timeant, qui nihil commiserunt: & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt*. Et alibi: *Si optimorum cor filiorum atque factorum tuorum tibi tu enim vita nobis consentiens fuerit, sine vllo metu summa, cum bona ætate vincemus*. Nimirum præsagit animus bona, quæ virtutis cultoribus post hanc vitam rependentur. Cicero.

Vigesimaprima Ratio.

48 DEnique immortalitas animi manifestè conuincitur ex reditu animarum post hanc vitam. Constat enim infinitis exemplis, mortuos excitatos, & animas defunctorum reduces à suis locis, vitis apparuisse. Anima Samuelis apparuit Pythonissæ & Sauli, eique interitum suum prædixit, 1. Reg. 28. & Ecclesiastici 49. Anima Moysis siue in corpore proprio, illi ad tempus diuina virtute restituto, siue in assumpto, vnà cum Elia obtulit se Christo in monte Thabor, & tribus primarijs Apostolis, Petro, Iacobo, & Ioanni; vt refertur Matthæi 17. & Lucæ 9. Anima Oniæ & Ieremiæ Prophetæ per visum se exhibuere Iudæ Machabæo,

chabæo, eiq; ad hoſtes patriæ debellandos animum addidere, 2. Machab. 15. Apoſtoli Petrus & Paulus in formis apparuere Conſtantino Imperatori, eique remediũ lepræ ostendere: vt refertur in ſeptima Synodo Act. 2. & teſtantur Hiſtorici complures.

Ioannes Euangeliſta & Philippus Apoſtolus apparuerunt Theodoſio, eique victoriam aduerſus Eugenium promiſere, quæ ita tum non ſine ingenti miraculo ſecuta eſt. Idem viſum cuidam militi eodem tempore oblatum eſt, ne ab Imperatore conſictum putaretur: refert Theodoretus lib. 5. hiſt. c. 24. Idem Euangeliſta cum B. Virgine auguſtiſſima ſpecie ſe exhibuit Gregorio Thaumaturgo vigilanti, eumque myſterium Trinitatis edocuit. Rem totam & ipſam doctrinæ formulam refert Gregorius Nyſſenus in vita Thaumaturgi.

B. Virgo cum inſigni beatarum virginum choro apparuit cuidam puellæ, cui nomen Mala, eamque ad ſanctiorem vitam traduxit. & breui cum illis virginibus futuram promiſit. Eadem viſio eidem puellæ rurſum poſt triginta dies, cùm mors inſtaret, ſe obtulit: refert S. Gregorius lib. 4 dial. cap. 17. Eadem B. Virgo apparuit Ioãni Patritio, & oſtendit qua ratione opes ſuas optimè collocaret, quod ipſe noſſe iam diu deſiderabat: atque vt fides certior huic viſioni conſtaret, eadẽ nocte apparuit Liberio Summo Pontifici, & ſimilia monita dedit. Veritatem huius viſionis declarauit nix locum Eccleſiæ in monte Eſquilino ſignãs, & magnifica baſilica ibidem opibus Ioannis excitata. Refertur in precibus Canonicis, & in monumentis Baſilicæ S. Mariæ maioris. Apparuit Ioanni Damaſceno, eiuſque manuum fraude & calumnia per Leonem Iſaurum ſtructa, abſciſſam reſtituit; vt teſtatur Ioannes Patriarcha Heroſolymitanus in eius vita. In cuius rei fidem relicta in brachio ad locum inciſionis rubra linea.

Refert Gregorius Turonenſis, lib. De gloria Martyrum cap. 8. puerum quendam filium vitriarij Iudæi à parente in ardentem fornacem coniectum, eò quòd vna cum Chriſtianis in æde B. Virginis Euchariſtiam ſumpſiſſet; verùm illæſum conſeruatum; & iam egreſſum retuliſſe ſe contra vim ignis protectum ab illa, cuius imaginem in templo viderat.

Omitto innumeras eiuſdem Beatiſſimæ Virginis apparitiones. Extant & aliorum Sanctorum plurimæ. Sancta Agnes poſt mortem choro beatarum Virginũ ſtipata, parentibus ad ipſius monumentũ pernoctantibus apparuit, eoſq; conſolata eſt. Eadem ſe per viſum exhibuit Conſtãtiæ Conſtantini filiæ, eiuſque vlcus inſanabile curauit. refert S. Ambroſius ſerm. 90.

S. Potamiena tertio à ſuo martyrio die aſſitit Baſilidi ſuo carnifici per noctem, & capiti eius coronã impoſuit, dicens ſe illi gratiam à Domino impetraſſe propter humanitatem, qua erga illam vſus fuerat: quam ob cauſam & ipſe Chriſtianus factus eſt, & pro fidei confeſſione mortẽ ſubijt. Narrat Euſebius lib. 6. hiſtoriæ cap. 5.

S. Antonius vidit animam San. Pauli inter Angelorum choros, inter Prophetarum & Apoſtolorum cœtus in cœlum aſcendere, teſte Hieronymo in vita Pauli. Abbatis Spei anima ab omnibus fratribus qui aderant, ſpecie columbæ viſa eſt ex ore eius egredi, & aperto oratorij tecto cœlum penetrare: Gregorius lib 4. dial. c. 10. Probo Reatinæ vrbis Epiſcopo, & eius miniſtro viſibili ſpecie ſe oſtenderunt S. Iuuenalis & S. Eleutherius: vt refert idem Greg. cap. 12.

Iuſtiniano Imperatori deſperatè laboranti apparuerunt Sancti Coſmas & Damianus, eique ſanitatem attulerunt: teſtis Procopius de ædificijs Iuſtiniani.

S. Benedictus animam Scholaſticæ ſororis ſuæ egreſſam è corpore vidit in ſpecie columbæ ſecreta cœli penetrantem. & Germani Capuani Epiſcopi animam vidit in ſphæra ignea ab Angelis in cœlum ferri, teſte S. Gregor. lib. 2. dialog. cap. 34. & 35.

Quidam Eremita magnæ ſanctitatis in Inſula Liparæa hora qua Theodoricus rex Arrianus defunctus eſt, vidit ipſum diſcinctum & diſcalceatum vinctis manibus inter Ioannem Papam & Symmachum Patritium (illum carcere, hunc ferro iniquè necauerat) deduci, & in vicinam Vulcani ollam, id eſt Ætnam, iactari. Viſioni fidem fecit, quòd eadem hora obijſſe deprehenſum ſit; Gregorius libro 4. dialogorum cap. 30.

Tiburtius quidam impuræ vitæ presbyter, viſus eſt ad loca pœnarum deduci, rogo imponi & exuri; cui viſioni fides habita, quia facta inquiſitione, cognitum fuit Tiburtium eadem hora expiraſſe, & vitam eius tale ſupplicium mereri; Greg. lib. 4 dial. cap. 31.

Paſchaſius Diaconus diu poſt mortẽ viſibili ſpecie exhibuit ſe S. Germano Epiſcopo Capuano in Thermis Angulanis, vbi expirabatur, teſte eodem Greg. l. 4. c. 40.

Infinitum eſſet recenſere omnia quæ de apparitionibus animarum, vel ſanctarum vel improbarum, reperiuntur apud Scriptores. Nimiæ impudentiæ eſt, dicere illa omnia eſſe cõficta. Hoc enim eſt tollere fidem omnium hiſtoriarũ, & plurimis viris ſanctitate & eruditione clariſſimis, aũctoritate grauiſſimis crimen imponere falſi, idque abſque vlla probabili ratione. Nullus eſt ſanctorum Patrum, nullus Hiſtoricorum, præſertim Chriſtianorum, qui harum mentionem non faciat. Apud Ethnicos etiam olim ea res paſſim fuit celebrata, vt ex Homero, Virgilio, & alijs notum eſt.

Homerus li. 11. odyſſ. & alibi paſſim. Virg. lib. 8. Aeneid. Ouid. lib. 4. Metamor. Silius Italicus lib. 13.

Itaque cùm tot exemplis, quæ nullo colore negari poſſunt, conſtet animas poſt hanc vitam ſubinde viuentibus ſe exhibuiſſe: perſpicuè concludimus, eas cum corpore nõ extingui, ſed immortales perſiſtere; & tunc eorum quæ in vita geſſerunt præmia, vel pœnas referre.

Idem confirmatur ex mortuorum reſurrectione. Plurimis enim exemplis conſtat mortuos ad vitam reuocatos. Elias enim Propheta excitauit filium viduæ Sareptanę defunctum, 3. Regum 17.

49
Ex mortuorum reſurrectione.

Eliſeus filium Sunamitidis, 4. Reg. c. 4. Idem iam mortuus alium defunctum excitauit ſolo oſſium contactu: vt habemus capite 13. eiuſdem libri.

Chriſtus Dominus præter alios excitauit Lazarum quatriduò iam mortuum, tota ciuitate Heroſolymorum conſcia: vt refert ſanctus Ioannes cap. 11.

Denique ne longior ſim, excitati ad vitam plurimi, tum ab Apoſtolis, tum ab alijs ſanctitate illuſtribus viris: vt ex hiſtoria Eccleſiaſtica, & Sanctorum vitis conſtat.

Reſurrectio mortuorum manifeſtum eſt ſignum animas non interire, ſed permanere ſeparatas, donec rurſus corpore conuenienter diſpoſito reuocentur, & ei vniãtur. Simul atque enim completa fuerit tota corporis diſpoſitio quæ ad vnionem eſt neceſſaria, & anima ſe illi intimè præſentem exhibuerit; ſponte, & naturali quodam conſequio reſultat vnio: ſicut ignis fomitem tangens naturaliter illi adhæreſcit, mutuo quodã raptu & attractu. Corpus enim aptatum, naturali quodam pondere appetit vnionem animæ, & anima vnionem corporis: quod pondus exit in actum, quando poſita vltima diſpoſitione ſunt ſibi mutuo intimè præſentia.

Vigeſimaſecunda Ratio.

50 DENIQVE vt multa alia minuta omittam: Immortalitas animæ eſt fundamentum omnis religionis, omnis iuſtitiæ, omnis probitatis innocẽtiæ, ſanctitatis. Si hoc fundamentum eſt falſum, falſa eſt & conficta fabula vniuerſa ſacra Scriptura: falſa Prophetarum oracula: falſa Chriſti doctrina & prædicatio: falſa eius miracula: falſa quæ de eius reſurrectione, de quadraginta dierum cum Apoſtolis poſt reſurrectionem tractatione, de aſcenſione, de Spiritu ſancto in Apoſtolos & alios fideles effuſo, ab Euangeliſtis ſunt prodita. Decepti ſunt omnes qui Chriſti religionem ſuſcipere, fruſtrà toi myriades Sanctorum carnem domuere; pietatem, iuſtitiam, innocẽtiam, temperantiam, & virtutum genus omne tanto ſtudio tantoque labore coluere. Fruſtra omnia Eccleſiæ ſacramenta, omnia ſacrificia, omnia inſtituta, omnes diuinæ laudes, omnis eccleſiaſticus ordo; omnes ſacri conuentus, omnes Prælatorum & Paſtorum labores, omnis Patrum doctrina, omnis Chriſtianorum vita: hæc omnia, ſi anima cum corpore extinguitur, fruſtrà ſunt, inania, nullius frugis, falſo & commentitio ſubnixa fundamento: & omnes qui ſanctitate vitæ, prophetiæ dono, miraculorum gloria, cæleſti ſapientia, omnibus ſæculis celeberrimi exitere, decepti ſunt, & a vero aberrarunt; ſolique impuris, improbis, & prophanis veritas patefacta. Quæ omnia ab omni luce rationis ſunt alieniſſima.

Hactenus adduximus rationes quibus animæ immortalitas stabiliatur. quæ si ritè perpendantur, animum ita cõuincunt, vt nulla prorsus relinquatur ambiguitas. His adijciamus vnum vel alterum Ethnicorum testimonium. Seneca Epistola 102. *Magna & generosa res est humanus animus: nullos sibi pono nisi communes & cum Deo terminos patitur.* nimirum quia ad omnem locum, & ad omne tempus se extendit. Pergit hoc explicare. *Primùm humilem non accepit patriam; Ephesum aut Alexandriam, aut si quod est etiam num frequentius medijs, lapsus rectis solum. Illi patria est quodcunque supremo & omne circumitu suo cingit: hoc omne connexum, intra quod iacent maria cum terris, intra quod aer humanis diuina secernens etiam contulit, intra quod dispositæ tot numina in actus suos excubant.* Per *numina* stellas intelligit, & fortè etiam genios. Hæc de loco seu patria. Addit de ætate seu tempore. *Deinde artiam ætatem sibi dari non sinit. Omnes, inquit, anni mei sunt: nullum seculum magnis ingenijs clausum est: nullam non cogitationi pertinum tempus. Cum venerit dies ille qui mixtum hoc diuini humanique secernat, corpus hoc, vbi inueni, relinquam: ipse meliori reddam. Nec nunc sine illis sum, sed graui terrenoque detineor.* Per has mortalis animo*ras, ille melioris vitæ longæque proluditur. Quemadmodum no*uem *mensibus nos tenet maternus uterus, & præparat non sibi, sed illi loco in quem videmur emitti, tam idoneos spiritum trahere, & in aperto durare: sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium matrem aetamus partum. Alia origo nos expectat: alius rerum status. nondum cælum nisi ex intervallo potest: possumus. proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice: non est animo suprema, sed corpori. Quicquid circa te iacet rerũ, tamquam hospitalis loci sarcinas spectа: transeundum est. Exiuit reclemitem natura, sicut intrantem. Non tic et plus efferre quã intuleris: imò etiam ex eo quod in vitam attulisti, magna pars ponenda est. Detrahetur tibi hæc circumdata, nouissimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro & suffusus sanguis: detrahentur ossa, nerui que sirmamenta fluidorum ac labentium. Dies ille quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est. Depone onus, quid cunctaris, tamquam non prius quoque relicto in quo latebas corpore exieris? Hæres & reluctaris: tum quoque magno nisu matris expu' sus es. Gemis, ploras: & hoc ipsum flere nascentis est.* Et infrà. *Quid ista sic diligis quasi tua? ijsdem apertus es. Veniet qui te reuelet dies, & ex contubernio sadi atque oluli ventris educat. Aliquando natura arcana tibi retegentur, discutietur ista caligo & lux undique clara percutiet. Imaginare tecũ quantus ille sit fulgor, tot sideribus lumen inter se miscentibus. Nulla serenum umbra turbabit: æqualiter splendebit omne cæli latus: dies & nox actis insimi vices sunt. Tunc in tenebris vixisse dices, cùm totam lucem totus adspexeris: quam nunc per angustissimas oculorum vias obscurè intueris, & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam suo loco videris? Hæc cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinet, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum esse testes ait: illis nos approbari, illis in futurum parari iubet, & æternitatem proponere.* Hæc ille.

Vita mortalis est præparatio ad immortalem.

Omnia externa veluti hospitalis loci sarcina spectanda.

Dies mortis est natalis æternitatis.

Bona vitæ futuræ.

Deo nos approbare & parare iubemur.

Multa hic præclara tradit Seneca de animo humano. 1. Esse similem Deo, cùm per omnem locum & æternitatem se extendat. 2. Cùm excesserit è corpore, diuis & genijs, seu spiritibus sociari. 3. Nos hic versari tamquam in via: patriam nostram esse cælum. Omnia quæ in hoc mundo extra animum sunt posita, eo loco habenda quo sarcinæ, & varia supellex hospitij, per quod iter agentes trãsiemus 4. Sicut infans nouem mensibus præparatur ad vitam degẽdam in hoc mundo: ita in hoc mundo toto tempore quo viuimus, nos aptari ad vitam immortalem sæculi futuri. 5. Supremum diem vitæ mortalis, initialem esse æternitatis. 6. Animum a corpore digressum, arcana naturæ, & lucem diuinam clarè visurum. 7. Aeternitatem ob oculos habendam, vt illi nos aptemus, & Deo omnium rerum inspectori vitam nostram approbemus.

Æternitas proponenda.

Similia reperire est apud Platonem, Plotinum, Ciceronem, Epictetum, Arianum, & alios Ethnicos scriptores. Sequitur nunc, vt argumenta, quibus hæc veritas oppugnari queat, proferamus in medium eaque dissoluamus.

Argumenta contra immortalitatem animorum, & eorum solutio.

PRIMVM sit: Ea anima, cuius omnis operatio & functio dependens est ab organo corporeo, non potest consistere separatim: Atqui anima rationalis est talis: Ergo non potest separata subsistere. Maior est Aristotelis lib. 1. de Anima capit. 1. text. 15. & communiter recepta est a Philosophis. Ratione etiam manifesta probari potest. Cũ enim *esse* sit propter operationem, in eo statu in quo anima non potest habere operationem, non potest etiam habere *esse*. Illud enim *esse* frustraneum esset, cùm suo destitueretur fine. Deus autem & natura nihil faciunt frustrà. Confirmatur, Quia illa anima, etsi nobilissima, esset instar mortui, & rei inanimæ, sine notitia, sine affectu, sine gaudio, sine dolore, sine sensu, sine motu: ac proinde frustrà haberet *esse* animæ, *esse* viuum & vitale. 52 1. Argum.

Minor verò, nempe *Quod omnis functio animæ rationalis pendeat a corpore*, probatur duobus indicijs. Primò, Quia constat functiones sensuum externorum, & facultatis vnã ginatricis, a corporeo instrumento pendere. Itaque relinquitur sola intellectus operatio; de qua possit esse dubitatio: sed neque hæc absq; corporis ope perfici potest, quia, vt Aristoteles inquit libro 3. de Anima, capit. 8. text. 39. *Cùm mens contemplatur, necesse est simul phantasma aliquod contemplari.* Experientia enim constat, non posse nos quidquam intelligere, aut aliqua de re intellectu iudicare, nisi simul eius quoddam simulachrum corporeum animo fingamus & imaginemur: adeò, vt neque spiritalia & diuina aliter concipere possimus. Atqui hoc simulachrum formatur per phantasiam, quæ a corporeo instrumento pendet. Itaque cùm intellectus non possit intelligere sine ope phãtasiæ, & phantasia non possit operari sine spiritibus, & apta cerebri dispositione; perspicuum videtur, functionem intellectus a corpore pendere. Secundò, Quia experientia constat interceptis spirituum animalium meatibus (vt in syncope & apoplexia) repentè hominem omni rationis vsu destitui: quod signum est rationis vsum a spiritibus & cerebri affectu pendere.

Respondeo, distinguendo maiorem. Dupliciter enim potest animæ operatio pendere ab organo corporeo. Primò, per se, & immediatè. Secũdò, per accidẽs, & mediatè. 53 Responsio.

Si primo modo dependeat; manifestum est, talem operationem sine corporis adminiculo præstari non posse: ac proinde eam animam, cuius omnis operatio hoc modo a corpore dependet, non posse separatam existere: tales sunt animæ brutorum animãtium. Et hoc sensu vera est maior.

Si verò solũ secundo modo dependeat, maior est falsa: quia quod per accidens & solùm per aliud cõpetit, potest tolli. Itaque cùm functio intellectus non per se & immediatè à corpore pendeat, sed solùm per accidens & mediatè, nihil obstat quin extra corpus obiri queat. Quòd autem per se non dependeat à corpore, multis indicijs manifestè deprehenditur. Primò, Functio intellectus potissimum consistit in iudicando. atqui ad iudicandum phantasia & simulachrum illud corporale nullo modo iuuat, sed potius impedit, & errandi occasionem præbet: vnde intellectus phantasiæ conceptionem non debet sequi, neque secundùm illius modum & speciem iudicare; sed luce sua illam corrigere, vtriplam veritatem possit attingere. Quòd si tanta est vis intellectus vt phantasiæ rudiatè & errata corrigat, & liquidam veritatem longe supra phantasiæ captum positam assequatur; perspicuum est eam per se & secundùm suam subsistantiam à phantasia non pendere. Secundò, Quia maximè desideramus intelligere spiritalia, quæ sub phantasiam non cadunt. Tertiò, Quia veritatis cognitio non est vllo modo bonum corporis, sed animi tantum, & propter solius animi perfectionem expetenda. Quarto, Quia viri sancti interdum in ecstasi ad spiritalem contemplationem nullis verbis explicabilem, ac proinde nullis phantasmatibus imaginabilem aut repræsentabilem, euehuntur: vt ex Apostolo 2. ad Corinth. 12. colligitur. Omitto alia quæ suprà de vi intelligendi & appetendi deducta sunt.

Dicet aliquis. Qui fit ergo, vt non possimus quidquam intelligere, nisi per phantasiam corporale quoddam simulachrum

lachrum rei fingamus? vnde huius rei oritur nobis neceſſitas? Reſpondeo. id prouenire ex præſenti animæ ſtatu; nimirum, quia eſt forma corporis illud actu informans & viuificans. Sicut enim cùm ipſa habet ſtatum in corpore, quodam modo corporatur, & velati craſſeſcit, vt ſe naturæ corporali accommodet: ita omnia quæ concipit, ſub corporali quadam ſpecie concipit. Modus enim operandi ſequitur modum exiſtendi. Cùm verò fuerit a corpore ſeparata, & in ſe ipſam, ſeu in apicem ſui collecta, & per ſe ſubſtiterit, alium modum intelligendi conſequetur; nec opus erit illi tale idolum formare, ſicut nec Intelligentijs, quas Angelos vocamus. Denique cùm eſt in corpore, non poteſt intellecta & ratione probè vti, niſi etiam ſenſus externos ſolutos & liberos habuerit; vt ex ijs quæ in ſomnis experimur, eſt manifeſtum. Cuius rei cauſa eſt, non quòd ſenſuum functio iuuet functionem intellectus, aut hęc per ſe ab illa pendeat: ſed quia functio intellectus eſt ſuprema ac præſtantiſſima. Vnde ad eam obeundam oportet animam prorſus eſſe liberam & ſui compotem, vt vniuerſam vim eſſentiæ ſuæ in illam conferre queat. Cuius ſignum eſt, quòd cùm mentem ad aliquid intelligendum vehementer applicamus, vix aduertimus ea quæ interim in ſenſum incurrunt, vt animæ ſeim ſuprematn functionem expendiento. Accedit quod ea ſit potentiarum animæ in corpore connexio & ſympathia, vt anima non poſſit vti ſuprema, niſi etiam ſit expedita ad infimas. Loquor de ijs quæ ad cognitionem pertinent.

55 Secundum argumentum: Si anima corpore exuta manet immortalis, vel perpetuò manebit ſeparata, vel aliquando reſtituetur corpori. Neutrum videtur ratione dici poſſe. Non prius: quia ſic perpetuò maneret in ſtatu violento & naturæ aduerſo. Cùm enim ſit infima ſubſtantiarum ſpiritalium, poſtulat eſſe in corpore tanquam corporis forma; ac proinde habet naturale pondus ad vnionem corporis: ergo ſeparari à corpore, & ſeparatim exiſtere, eſt naturali ipſius inclinationi contrarium, & ipſi quodammodò violentum. Atqui nihil violentum eſt perpetuum. Non poſterius: quia inde ſequeretur reſurrectionem eſſe naturalem, & ordini rerum naturali debitam. quod non videtur concedendum: tum quia eſt fidei myſterium: tum quia omnes philoſophi illam ignorauerunt.

1. Argum.

Reſpondeo: Origenes & Platonici negarunt animam rationalem eſſe corporis formam; eamque ſtatuerunt in corpore non tanquam formam in ſtatuo ſubiecto, ad eius commodum & perfectionem, ſed tanquam reum in carcere ad vindictam ante commiſſorum. Vnde etiam volebant, ex anima & corpore nõ componi propriè vnam ſubſtantiam, ſiempe hominem; ſed ſolam animam eſſe hominem, corpus autem eſſe veluti carcerem, ac proinde omne corpus fugiendum. Verùm hæc ſententia manifeſtè rationi repugnat. Si enim anima in corpore tanquam in carcere; vel loco alieno detinetur: cur adeò horret & refugit mortem? cur adeò moleſtum eſt ei à commercio corporis diuelli? Cur non eſt ei graue in corpore ſordibus oppleto morari? ſicut viro nobili puriſſimis aſſueto, graue foret in loco impuro & fœtido detineri. Cur corporis commoda & voluptates amat, ijſque tantopere delectatur? Cur læſione & incommodis corporis tantopere offenditur, & dolet, cùm potiùs deberet illis gaudere, ſicut gaudent vincti, dum vincula rumpi, & carcerè collabi vident? Itaque cùm anima rationalis non minùs corporis commoda & incommoda ſentiat, ijſque afficiatur, quàm anima brutorum; perſpicuum eſt eam ſimiliter naturalem corporis eſſe formam, & naturæ quodam deſiderio corporis vnionem affectare. Quia tamen non ita immerſa eſt corpori, vt vna cum illo extingui debeat; ſed beneficio ſuæ ſubtilitatis & ſubſtantiæ ſpiritalis per ſe ſubſiſtere poteſt: hinc fit vt corporis affectibus ſit ſuperior, & poſſit eos cõtemnere, ita vt nec voluptati, nec dolori, neque etiam morti cedat: quod in brutis animantibus locum non habet.

Animam eſſe corporis formam.

56 Hæc igitur ſententia reiecta, dicendum eſt animam non perpetuò manſuram ſeparatam, ſed aliquando corpori reſtituendam. Quia non ſic inſtituta eſt vt ſit integra & completa ſubſtantia, ſicut angelus; ſed vt ſit pars ſubſtantiæ, nempè forma, ac proinde incompleta. Vnde neceſſe eſt ponere corporum reſurrectionem. Hanc tamen non dicimus eſſe naturalem: quia etſi terminus eius, nimirum corporis formatio, & vnio animæ cum corpore, ſit res naturalis, & debita naturali animæ ſtatui & perfectioni: tamen per cauſas naturales fieri non poteſt, ſed virtute diuina: vt de dicenda ſupernaturalis. Sicut illuminatio cæci, reſtitutio membrorum, curatio morborum incurabilium.

Neque mirum videri debet, animam humanam non poſſe abſque diuina virtute & extraordinaria ope ſuam perfectionem naturalem in æternum obtinere: quia duplicis, & quoadmodò contrariæ naturæ eſt particeps; ſpiritalis & corporalis mortalis, & immortalis. Itaq; poſtulat ſibi corpus aniſſum reſtitui, ſed ita firmiter reſtitui, vt numquam amplius amittat; alioquin infinities deberet fieri reſurrectio.

Philoſophi reſurrectionem ignorarunt, vel quòd putarent animam non eſſe naturalem corporis formam, ſed ſubſtantiam completam: vel quòd dubitarent de eius immortalitate: vel quia minus incommodi cenſebant, ſtatuere animam perpetuò ſeparatam, quàm introducere corporum reſurrectionem. Etſi enim naturale ſit animæ, eſſe in corpore: tamen ex ſtatu ſeparationis nihil ſentit moleſtiæ vel incommodi: quin imò liberatur omnibus huius vitæ incommodis, & aſſequitur gradum quendam altiorem, & rebus diuinis propinquiorem. Vnde conſitendo intra limites naturæ, non exiſtimo animam appetitu elicito ſeu rationali deſiderare corporis vnionem, quam eius naturę quodam pondere ad illam propendeat. quia bona illa quæ in ſtatu ſeparationis poſſidet, longe pluris ſunt æſtimanda quàm ea quæ obtinet in corpore.

Neque verum eſt illum ſtatum eſſe illi violentum: quia etſi carentia vnius quodammodo violenta ei ſit, nempe negatiuè, quatenus eſt priuatio eius ad quod ipſa eſſentia animæ effectiuè propendet: tamen libertas illa qua tunc fruitur, & vigor mentis, & modus intelligendi non eſt vllo modo illi violentus, ſed conſentaneus illius naturæ in ſtatu ſeparationis.

57 Tertium argumentum; Ipſa corporis ſtructura mortalitatem animi videtur arguere, quia tota ferè ad vſus temporales huius vitæ mortalis comparata eſt, nimirum vt corpus ſuſtentetur, & natura propagetur. Sic dentes & ſtomachus ad cibum conterendum & coquendum; inteſtina ad ſuperflua amandanda; hepar ad conficiendum ſanguinem; folliculus fellis ad excipiendas acriores alimenti partes; lien ad craſſiorem ſanguinem; renes ad ſecernendam a ſanguine ſeroſam alimentorum materiam; veſica ad illa excipiendam & emittendã; lexus ad procreationẽ. Atqui poſt hanc vitam nõ erit amplius vſus ciborum, aut procreationis. Ergo nec debent eſſe illa membra, quæ ad eum finem inſtituta ac proinde neque anima quæ talia membra & corpus ita conſtructum poſtulat. Frustra enim eſſent illa membra, quorum in æternum nullus ſit vſus.

3. Argum.

58 Reſpondeo: Hoc argumentum directè oppugnat reſurrectionem, & ſolùm ex conſequenti animorum immortalitatem. Corporis humani compoſitio & conformatio manifeſtè conuincit ipſum ſecundum ſe eſſe mortale ac ſolubile, non autem ipſam animam. Verùm etſi corpus diſſolutum; facile eſt Deo tempore conſtituto illud rurſus compingere, eique ſuam animam inſerere: & ſimul efficere ne amplius diſſolui poſſit. Vt enim Plato in Timæo docet, *Quod natum ſum ſolubile eſt, & morti obnoxium, imperio diuino poteſt fieri immortale, ita vt nunquam mortis ſubeat neceſſitatem.* Ceſſabunt quidem tunc illæ membrorum functiones, quę ad alendum corpus & generandum pertinẽt: non tamen idcircò membra illa erunt fruſtrà: quia ſeruiẽt conſtitutioni naturali corporis, tanquam neceſſaria ad eius integritatem & pulchritudinem. Hic enim eſt præcipuus illorum finis, conſtituere corpus perfectum, animæ conditioni & ſtatui accommodatum. Functiones autem illæ ſolùm ſunt finis ſecundarius; quia ſolùm ad tempus inſtituræ, ad farciendas corporis mortalis ruinas, calore naturali carnis ſubſtantiam depaſcente. Vnde ſicut ceſſat accretio, quando corpus iuſtam ſtaturam nactum fuerit: ita ceſſabit nutritio, & functiones ei ſeruientes, quando corpus diuino munere immortale redditum fuerit. Cùm enim iſtæ functiones ſint infimæ, vt quæ conueniant animæ ſecundùm infimam ipſius partem & facultatem, qua communicat cum plantis, & multas habeant coniunctas ſordes & putredines; non conueniebat vt eſſent perpetuæ, ſed vt ſuo tempore tollerẽtur, Deo meliori modo corpori

ſuccurrente. Senſuum tamẽ functiones, quia modo ſpiritali abſque corruptione fiunt, perpetuæ erunt, ſimiliter & vocis ac locutionis, quibus illa membra propinquus vel remotus ſuo modo deſeruient: ac proinde etiam hac ratione fruſtra non erunt.

Quartò, adduci poſſunt ea quæ Plinius libro 7. capit. 55. hiſtoriæ naturalis adfert, etſi nihil virium habeant. Primò dicit: *Omnibus a ſuprema die eadem quæ ante primum, nec magis a morte ſenſus vllus aut corporis, aut animæ, quam ante natalem.* 59 *Arg. Plinij.*

Reſpondeo, hic aſſumi id quod erat in primis probandum. Vnde eadem facilitate negatur, qua aſſeritur. Et ſanè illud falſum eſſe, docet tota Platonicorum & Pythagoricorum ſchola. Nulla enim eſt neceſſitas, vt id quod cœpit eſſe, aliquando eſſe deſinat, præſertim ſi illud ſit ſimplex ſubſtãtia, ſicut eſt anima, & quæuis natura ſpiritalis. Secus eſt de rebus corporeis, quæ ex elementis conſtant; in quibus ſolisillud pronuntiatum, *Omne genitum poteſt corrumpi*, locum habet. Certũ enim eſt materiam primam, quia ſimplex eſt, etiamſi inceperit, non poſſe corrumpi. Idem de cœleſtibus corporibus, etiam iuxta Platonicorum doctrinam, dicendum. Itaque etſi ante natalem nullus animæ fuerit ſenſus, nõ tamen idcirco poſt mortem nullus ei ſenſus erit. Ratio eſt, quia etſi natalis animæ coniunctus fuit cum natali corporis, ac proinde anima ante natalem corporis non exiterit; non tamen interitus animæ comitatur interitum corporis. Mors enim non eſt interitus vtriuſque, ſed ſolius corporis ex animæ ſeparatione.

60 Deinde quærit Plinius: *Quod corpus animæ perſequatur maternum?* Reſpondeo, Animam hinc abeuntem nullum ſequitur corpus: quia abſque omni corpore, nuda (vtpote ſubſtantia ſpiritalis) poteſt conſiſtere. *Vbi cogitatio illi?* Nõ opus eſt illi cerebro aut corpore vt cogitet; ſicut nec Deo, nec alijs ſubſtantijs ſpiritalibus: quia vis intelligendi quo a corpore remotior, eò præſtantior. *Quomodo viſus, auditus?* Non opus habet ſenſuum externorum obſequio, cùm omnia tunc mente percipiat. Mens enim non ſolum ſeruit ad cogitandum & abſtractim cognoſcendum, ſed etiam ad intuendum & percipienda omnia quæ nos hic ſenſibus externis percipimus. Sicut enim tu ipſe de Deo ais: *Quia quis eſt Deus, totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus: totus animæ, totus animi, totus ſui*: ita anima ſeparata tota eſt ſenſus, tota viſus, tota auditus, tota mens, tota vigor & vita. *Quid agit? qua vſus eius?* Quid agunt alij ſpiritus? Quaſi Deum contemplari, amare, laudare, cœleſtium ſpirituum contubernio frui nihil ſit agere, aut id quod his vacat, nulli vſui ſeruiat? Mira iſtius hominis cæcitas, qui nullum videtur agnouiſſe ſpiritum. Quantò ſapientius Platonici & Peripatetici, qui etiam ſummum bonum in contemplatione primi principij ſtatuerunt? *Lib. 2. c. 7.*

61 Pergit Plinius: *Aut quod ſine his bonum?* Extra ſenſus nullum bonum animæ agnoſcere porcorum eſt, non philoſophorum. *Quæ deinde ſedes?* Facilis reſponſio. Piarum apud ſuperos, impiarum apud inferos. Hic ſenſus totius antiquitatis. *Quanta multitudo tot ſæculis animarum velut vmbrarum?* Tanta multitudo animarũ, quot ab initio mundi in hunc diem vixerunt homines. Cùm enim mundus cœperit exordium, non eſt infinita earum multitudo, ſed certo numero, eoque non adeo magno comprehenſa. Facile enim eſſet oſtendere hunc numerum duas vel tres myriades millionum non excedere. Perperam vocantur *vmbræ*; cùm ipſæ ſint inſtar lucis: corpus potiùs vmbræ eſt ſimile, vt rectè Platonici. *Quæ (malum) iſta dementia eſt iterari vitam morte?* Non iteratur vita animæ poſt mortem corporis, ſed corpore moriente cõtinuatur & perſeuerat. *Quæ igitur quies vnquam, ſi in ſublimi ſenſus animæ manet?* Non modo quies illis & vacatio ab huius vitæ turbis & incommodis, ſed etiam ſumma voluptas, ſummum gaudium ſi piè vixerint: ſi impiè, ſumma miſeria. Hoc etiam Platonici agnoſcunt. *Perdit profectò iſta dulcedo, credulitaſque præcipuum naturæ bonum mortem, ac duplicat obiturì dolorem etiam poſt futuri æſtimatione.* Nimirum hæc eſt præcipua ratio, cur ſcelerati homines refugiant credere animæ immortalitatem; quia hæc credulitas corrumpit omnem eorum voluptatem, & animos aſſidua lancinat formidine futurorum. Conſcij enim ſibi ſunt ſuorum ſcelerum, & quid eis iuſtè debeatur. Optant itaque animam vnà cum corpore extingui, cùm maius bonum expectare non poſſint. Sic enim immunes forent a miſeria, quæ illis propter ſua flagitia impendet. Et quia id vehementer optant, facilè in animum inducunt credere ita futurum. Non eſt interitus animæ præcipuum naturæ bonum, ſed præcipuum naturæ malum. Hoc quælibet res maximè refugit ſui interitum; vt quo totum naturæ bonum perdatur. Deinde quomodo dici poteſt præcipuum naturæ bonum, quo euertitur omnis iuſtitia? quo ſubtrahitur præmium virtuti, & caſtigatio debita flagitio? Etſi enim impijs omnibus bonum foret animam extingui: pijs tamè & pariter bono publico Vniuerſi foret malum & iniurium: non ſecùs ac Reipubl. malum foret, ſi nulla virtuti eſſent præmia; nulla ſceleri vindicta. Impijs quidem duplicat ea cogitatio dolorem: dum non ſolùm ob mortem corporis quæ huius vitæ dulcia præſcidit, dolore afficiuntur; ſed etiam (& longè acrius) ob ſupplicia quæ poſt mortem corporis occulto naturæ ſenſu iudicant impendere animæ. hoc eſt quod ait Plinius, *poſt futuri æſtimatione*. At contra pijs ea credulitas gaudium conduplicat, cùm non ſolùm gaudent morte corporis, quæ omnibus huius vitæ miſerijs eos eximit, ſed etiam (& longè vehementius) certa expectatione maximorum bonorum, quæ poſt mortem laboribus eorum refundentur.

Ex his perſpicuum eſt, frivolas eſſe Plinianas obiectiones, magnique ex affectu & odio aduerſa ſententiæ, quam ex ratione profectas.

62 Dicet aliquis: Eſto ſanè, ſit anima immortalis; at nihil poſt hanc vitam mali patietur, ſed fruetur magna libertate, & vacabit rerum cõtemplationi: vel ſi aliquod patiatur, id non erit perpetuum, ſed longius vel brevius pro ratione libidinum quas hic contraxit: maiores labes magiſque inolitæ diuturniore ſupplicio, vel certè grauiore, eruntexpiandæ; minores leuiore, vel minus diuturno.

Fateor Stoicorum fuiſſe ſententiam, animam poſt hanc vitam nihil mali paſſuram, ſed ad cognatam ſibi ſtellam reuerſuram, ibique perſeueraturam, ſi quidem ſapiens & proba fuit, vſque ad mundi generalem exuſtionem; ſi improba vel fatua, ad breuius tempus: quo tranſacto, in elementum, vnde ſumpta eſt, conuerſum iri. Verùm friuola ſunt iſta, & prorſus à ratione aliena. Si enim animæ ſuperſunt poſt hanc vitam, qui procliuius creditu; quàm eas tunc pro meritis accipere? Alioquin vbi prouidentia numinis? Vbi iuſtitia? Verùm ſatis multa ea de re ſupra dicta ſunt. Deinde ſi abſque corpore ad tempus poſſunt ſubſiſtere, cur non ſemper? Cùm enim ſint ſimplices ſubſtantiæ, non poſſunt temporis progreſſu veteraſcere, aut vigorem amittere, ſicut corpora ex elementis compoſita: ſed ſi vel ad momentum extra corpus ſubſiſtere poſſunt, æterno tempore poſſunt, & omnis interitus ſunt expertes: vt tota Peripateticorum ſchola cum Ariſtotele fatetur. Nihil enim eſt quod ſubſtantiam ſimplicem per ſe ſubſiſtentem poſſit pertingere. Vnde & ipſa materia prima, quia res ſimplex eſt per ſe ſubſiſtens, nullique alteri velut ſubiecto innixa, incorruptibilis & interminabilis eſt. *Stoicorũ imaginatio.*

Quod autem de cõflagratione animarum dicitur, quaſi per ignem poſſint diſſolui, liqueſcere, & euaneſcere in auram ſicut corpora, non minus abſurdum eſt. Non enim anima eſt corpus aut oleoſa ſubſtantia quæ inflammari & igne diſſolui poſſit, ſed ſpiritus omni aura & igne ſubtilior & leuior. quod autem igne diſſoluitur, corporeum eſſe debet, ipſo igne & ijs rebus in quas diſſoluitur, craſſius & corpulentius.

Adde, fundamentum Stoicorum, quo nixi exiſtimarunt animas poſt hanc vitam nihil mali paſſuras, etſi hic peſſimè vixiſſent, fuiſſe hanc perſuaſionem, qua credebant animas noſtras eſſe particulas quaſdã, & ἀποσπάσματα diuinitatis a. Diuinitatem enim ſtatuebãt animam mundi b: ab anima mundi tamquam omnium communi & vniuerſali, decerpi animas particulares animantium, & in primis humanas. Itaque vinculis corporeis ſolutas, redire ad ſuũ principium vnde deſumptæ, nempe ad animam mundi, eique rurſus coaleſcere. Quæ omnia ita abſurda ſunt, vt vix egeant refutatione. Si enim particulæ Dei, quomodo poſſunt igne diſſolui? quomodo tot mutationibus, miſerijs, doloribus & timoribus eſſe obnoxiæ? quomodo tot flagitijs inquinari? Itaque & ipſa diuinitas ex partibus concreta inſtar rei corporeæ, & omnibus malis erit obnoxia. Faceſſat rude commentum, quod etiam Cicero bene confutauit.

63 a *Epictetus diſſert. 1. ca. 14. Cic. Tuſc. 5. & libr. 1. de Diuinatione. Seneca Epiſt. 92.* b *Sen. Epiſt. 94. & 97. Manilius lib. 1. Aſtronom.*

Ori-

64 *Origenis error.*

Origenes fatebatur quidem animas esse immortales, eaſq; nunquam ſuam ſpeciem ac naturam propriam amiſuras; volebat tamen pœnas earum non esse ſempiternas, ſed poſt aliquot ſæcula finiendas. Item ſtatuebat de pœna dæmonum. Verùm & hanc Origenis dogmati (quod ipſe à Platonicis hauſerat) multi errores innexi vel connexi ſunt.

1. Omnes animas, dæmones, & Angelos eſſe eiuſdem naturæ: ac proinde non minùs animas quam Angelos ab omni corporum commercio ſegregatas.

2. Animas antequam corpori iungerentur, in cœleſtibus peccaſſe, & propter peccatum corporibus tamquam carceribus ligatas.

3. Has ordine quodam in corpora demitti; primùm in ſubtiliora: deinde, ſi peccare pergant, in craſſiora: vltimò in terreum. Hos gradus deſcenſus animarum in corpora deſignatos per ſcalam, quæ in ſomnis oſtenſa Iacob, Geneſis 28.

4. Omnes animas, & etiam dæmones poſt aliqua ſæcula liberandos, & angelicæ luci reſtituendos; nempe cùm ſuas culpas pœnis exhauſerint, & ſupplicium perpeſſione omnino fuerint expiati.

5. Hanc vicißitudinem felicitatis & miſeriæ in creatura rationali fore ſempiternam; ita vt infinities eædem animæ nunc ſint beatæ, nunc miſeræ. Poſtquam enim multis ſæculis in cœlo fuerint beatæ, rurſum tædio rerum diuinarum affectas, peccato ſe contaminaturas; ob quæ rurſus detrudantur in corpora: in quibus ſi inique vixerint, demergentur in pœnas tartari: quibus expiatæ, rurſus cœlo reſtituentur. Hanc conditionem & ſortem ſtatuit omni creaturæ rationali, quocunque nomine vocentur, ſiue Angeli, ſiue principatus, ſiue poteſtates, ſiue dominationes, ſiue dæmones, ſiue animæ. Vide Hieronymum epiſtol. ad Pammachium contra errores Ioannis Heroſolymitani, & Auguſtinum de hæreſibus cap. 43.

65 Sed multa in his delirat Origenes.

1. Quòd omnes ſpirituales ſubſtantias faciat eiuſdem naturæ & conditionis.

2. Quòd animas nolit eſſe formas corporum, ſed ſubſtantias ſeparatas, quæ corporibus tamquam carceribus illigentur.

3. Quòd omnes animas ponat ab initio mundi ſimul conditas.

4. Quòd ſpiritus beatos putet aſſici interdum tædio diuinæ contemplationis, & peccare.

5. Quòd propter huiuſmodi peccata velit eos mitti in corpora veluti in carcerem.

6. Quòd ſupplicia dæmonum & animarum putet aliquando terminanda.

7. Quòd omnes damnatos velit aliquando ſaluandos.

8. Quòd hunc circulum, quo ex ſalute itur in peccatũ, ex peccato in corpus, ex corpore in damnationem, ex damnatione in ſalutem, ſtatuat eſſe perpetuum.

Poſſent hæc omnia pluribus rationibus refutari, ſed id non eſt huius loci, & nimis abiret in longum. Solùm hoc loco ex diuinis oraculis nobis demonſtrandum eſt, pœnas iniquorum poſt hanc vitam fore acerbiſſimas, & nullo vnquam tempore finiendas.

De pœnis Vitæ futuræ, ex diuinis oraculis.

66 ETſi rationi naturali ſit valdè conſentaneum, vt poſt hanc vitam diuina prouidentia cuique congruam mercedem retribuat, omniaque ad iuſtum reuocet ordinem; qualis tamen ea merces ſit futura, ſiue in bonum ſiue in malum, & quàm diuturna, nulla ratio humana, nulla Philoſophorum induſtria certò & indubitanter deprehendere poteſt. Cauſa eſt, partim quòd ea res pendeat à libero Dei decreto; partim quòd meritum peccati non ſit iudicio naturali ſatis exploratum. Itaque vt aliquid quod omnino certum ſit habeamus, recurrendum ad oracula diuina; & videndum quid ſpiritus diuinus per Prophetas & viros ſanctos hac de re, & præſertim de pœnis iniquorum, de quibus modò agimus, pronuntiarit.

67 Primum teſtimonium ſit Deuter. 32. in cantico illo admirabili & prophetico Moyſis: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni nouiſſima: deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.*

Quinque hic expendenda. Primò, Ignem, quo peccatores punientur, iam ſuccenſum: tum quia ignis inferni ab initio præparatus eſt; vt inſinuat Dominus Matth. 25. & Iſaias Propheta capit. 30. tum quia ignis ille, quo mundus exuretur & peccatores inuoluentur, etſi nondum reipſa ſuccenſus ſit, tamen in certiſſima Dei præſcientia & prædeſtinatione iam exiſtat. More enim prophetico, quod certiſſimè futurum eſt ex vi diuini decreti, iam eſſe, exiſtere, & factum eſſe dicitur. De hoc igne prophetat Dauid Pſalmo 49 *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas validiſſima.* & Pſalm. 96. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Sermo eſt vbique de igne extremi iudicij.

Secundò, Ignem illum ſuccenſum eſſe *in furore Domini*. Vbi deſignatur cauſa efficiens & auctor illius ignis. Auctor enim illius eſt *furor Domini*, id eſt, voluntas & humanum propoſitum puniendi impios; puniendi, inquam, non vulgari modo, ſed prorſus horribili & inaudito, qualem furor ſuggerere ſolet. *Ira* & *furor* in Deo non ſunt paſſiones, quales in nobis, ſed voluntas tranquilla & rationabilis, acerrima tamen & efficaciſſima, & omnipotens infligendi pœnas æternas. Itaque cùm eius effectus omnem furorem æquet, & etiam ſuperet, merito furor dicitur.

Tertiò, Ignem illum *ardebit uſque ad inferni nouiſſima*. vel vt habent Hebræa בערה עד שאול תחתית *baarah ad ſcheol tachtith; uſque ad voraginem infernum*. quibus verbis ſignificatur, quod ille ignis non ſolùm hic in terra corripiet, & inuoluet impios (cùm Dominus iudicabit orbem) ſed etiam in inferno, & in ima terræ voragine in omnem æternitatem ardebit; quia ſupplicium ignis continuabitur.

Quarto, Ignem hunc *deuoraturum terram* (id eſt viuentium terræ ſolum & ſuperficiem) & omnia quæ ex terra oriuntur, nimirum, omnes arbores, ſiluas, ſegetes, herbas: & omnes ſubſtructiones, & opera humana, quæ tunc extabunt, vt ſunt domus, ciuitates, ſuperba Regum & Principum palatia, arces, munitiones, turres, propugnacula, & omnis pretioſa ſuppellex, omneſque opes quæ his continentur. Hæc omnia igne illo abſumentur, & in fauillam ac cinerem redigentur: vt etiam aperte teſtatur B. Petrus, cuius teſtimonium infrà adducemus. *Petri 2. c. 3. vers.*

Quintò, Illum ignem, diuinæ vindictæ miniſtrum, exſtiturum non ſolùm terræ ſuperiora, & ea quæ ibi reperiet, ſed etiam in terræ viſcera penetraturum; vt etiam ipſorum montium fundamenta altiſſimè demerſa comburat & in cinerem redigat. Vnde liquet eodem igne omnia metalla, omnes lapides pretioſos, omnes terræ opes quibus ſuperbit mundus, abſumptum iri. Hæc enim ferè montium intimis, terræque viſceribus addita continentur. Nihil adeò ſolidum reperietur, quod huic igni valeat reſiſtere: ſed omnia corpora ex elementis concreta, quæ generali nomine Mixta vocantur, breui tempore ſua vi diſſoluet, & in ſua primordia, ac ſimplicia principia rediget. Idem inſinuatur Pſalm. 96. qui totus eſt de futuro iudicio: etſi more prophetico quaſi de rebus tranſactis loquatur: *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, a facie Domini omnis terra*. Et Iudith 16. *Montes à fundamentis mouebuntur cum aquis: petra ſicut cera liqueſcent ante faciem tuam*. Scimus ingenti ardore ſaxa diffluere, & inſtar torrentis ignei e montibus per plana decurrere. Quæcunque ignis ille circa res alias operabitur, ea omnia ſunt indicia & veluti præambula horrendæ & interminabilis impiorum vindictæ.

Secundum teſtimonium, Iudith 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt uratur & ſentiant uſque in ſempiternum*. Hic expreſsè impiorum ſupplicia ſtatuuntur ſempiterna. Similis locus eſt Eccleſiaſtici 7. *Memento noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Humilia valde ſpiritum tuum, quia vindicta carnis impij ignis & vermis*. 68

Dabit ignem in carnes eorum: quia ipſa corpora damnatorum ſtatim poſt reſurrectionem igne corripientur, & inſtar lignorum ardebunt, vt opus non ſit externa materia quæ illis applicetur; quamuis nec iſta deerit. Vtrumque infrà ex aliis Scripturæ locis declarabitur. *Et vermes*. Non exiſtimo iſtos vermes fore corporales, vt dentibus carnes impiorum lacerent: non deſunt tamen boni auctores qui ita ſentiant. Verùm quid opus eſt nouo miraculo viliſſimas beſtias in acerrimo igne facere immortales, vt homi-

nes crucient, cum morſus beſtiarum ad ignis dolores videatur ludus, vel parui momenti? Omitto quòd damnati præ furore & impatientia ſatis tum in ſe ipſos, tum in ſocios dentibus ſæuient. Itaque nomine *vermium* poſſunt hic intelligi flammulæ tenues, quæ mille locis è carne impiorum inſtar vermiculorum erumpent: vel vermis conſcientiæ, cuius acerbiſſimus morſus etiam corpus affligit. *Vermis impenitus.*

Quod vt intelligatur, ſciendum eſt, duas cogitationes affigue menti eorum obuerſaturas: nimirum, quòd propter peccata ſua priuati ſint æterna gloria, quàm facili negotio poterant conſequi, & addicti æternis ſupplicijs, quę facile poterant euadere. Hinc geminus naſcetur dolor, qui immenſa quadam acerbitate cor eorum inſtar vermis corrodet: nempe quòd inæſtimabilem illam gloriam, quæ illis erat quaſi in manibus, ſua ſtultitia amiſerint, & in æterna tormenta ſe præcipitarint. Hæ cogitationes, & hi dolores ſunt vermes acerbiſſimi, quorum morſus præcipuum eſt damnatorum tormentum. Plus enim illos affligit apprehenſio æternitatis tanti boni amiſſi, & tantæ pœnæ contractæ, quàm ſolitarius ignis. Confirmari id poteſt ex eo, quòd Dominus in Euangelio, & Iſaias Propheta tormenta impiorum explicent per *ignem*, & *vermem*, vt infrà oſtendemus. Vnde niſi per *vermem* intelligatur illa cogitatio gemina, & geminus ille dolor ex ea naſcens, præcipua pœna videretur ab illis præterita. *Marci. 9. Iſaiæ 66.*

69 Tertium, Iob 21. *Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoſcetis, quia in diem perditionis ſeruatur malus, & ad diem furoris adducetur.* Vbi ſanctus Iob inſinuat, doctrinam de punitione improborum poſt hanc vitam fuiſſe tuo tempore, hoc eſt diu ante Moyſem (nam Iob putatur Moyſe antiquior) paſſim notam & vulgarem, etiam extra nationem Iudaicam. Idem cap. 20. v. 18. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur: ſecundum multitudinem adinuentionum ſuarum ſic & ſubtrahetur.* Quibus verbis ſignificatur pœnæ æternitas. ita enim luet vt numquam conſumatur, ſed ſemper maneat integer ad ſuſtinenda tormenta. Idem v. 26. *Omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis eius; deuorabit eum ignis qui non ſuccenditur* (ope humana) *affligetur relictus in tabernaculo ſuo.*

70 Quartum, Pſalm. 10. *Dominus interrogat* (id eſt, examinat, & vt Iudex cognoſcit) *iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Meritò peccator dum amat peccatum dicitur *odiſſe* animam ſuam, quia æternum illi malum accerſit. Quod odium poteſt eſſe maius eo odio quod tàtum malum conciliat oſori? Itaque omnis peccator dum ſe videtur maximè amare (omnia enim facit vt ſuæ libidini & ambitioni ſeruiat) maximè ſe ipſe odit, ſummum malum inordinato amore in caput ſuum accerſens.

Pluet, inquit, *ſuper peccatores laqueos*. *Laquei* ſunt inextricabiles malorum nexus. Omnia futura ſupplicia erunt laquei, quia ita firmiter impijs adhęreſcent, vt nulla vi, nulla arte valeant illa à ſe excutere, aut ſeipſos vel ad breuiſſimum tempus euoluere. Verbo *pluet* duo inſinuantur. 1. Hæc mala uentura ex alto, nimirum ex decreto & ſententia cęleſtis Iudicis; ſicut pluuia ruit e cælo. 2. Ea inſtar nimbi magno impetu & copia innumerabili in eos præcipitatura. *Ignis & ſulphur*, &c. portio eorum hereditaria, qua in æternum fruentur, erit ignis, quo ipſorum corpora ardebunt; & *ſulphur* ardens, in quo ipſi verſabuntur, & *ſpiritus procellarum*, quo ignis inferni & ſulphur exardeſcet. Græcè eſt πνεῦμα καταιγίδος, ſpiritus turbinis. Videtur hoc verbo inſinuari ventus procelloſus, diuina virtute excitatus, quo ignis ille & ſtagna ſulphurea horrendo cum fremitu perpetuo exæſtuabunt. Talis interdum auditur per multos dies in montibus igniuomis, quando ſuos ignes & flagrantem materiam ſunt effuſuri. Quidam intelligunt virtutem diuinam, qua ignis ille accendetur & continuabitur.

71 Quintum, Pſalm. 20. *Ponet eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Senſus eſt: Eo tempore quo Dominus iram ſuam declarabit, hoc eſt, cùm iudicabit, orbem, omnes inimicos ſuos igne ingenti inuoluet, ita vt ipſi ardeant inſtar clibani. Deinde in ira ſua deturbabit illos ad inferos, vbi æterno igne cruciabuntur, *Conturbabit eos*. Hieronymus vertit, *præcipitabit eos*: quia cùm ignis eos inuoluerit, terra dehiſcente præcipitabuntur in voraginem inferorum; Hebraicè iebullehem, quod ſignificat, *deglutiet eos*: nimirum quia terra eos deglutiet. *Deuorabit eos ignis*, non quidem ſic vt pereant, ſed vt ignis vndique eos inuoluat & concludat, vt abſorpti ab igne videantur.

Sextum, Pſalm. 139. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos in miſerijs non ſubſiſtent.* Quibus verbis ſignificatur, ex alto nempe imperio ſupremi Iudicis, non momentaneam aliquam flammam, ſed ignem ſolidum & permanentem, qualis eſt prunarum, ſeu carbonum ardentium peccatoribus incubiturum. Fiet hoc communiter omnibus in extremo iudicio, quando iuſſu diuino ignis, quo mundus ardebit, peccatores corripient *In ignem deijcies eos*. Primùm igne hic corripientur; & mox in alium ignem, nempe inferum, deijcientur. Illud *in miſerijs non ſubſiſtent*, Hebraice eſt bemahamoroth bal iacumu: hoc eſt, *in foueas profundas ne reſurgant*: & ita quoque vertit Hieronymus. Iuxta Hebraicam lectionem ſignificatur eos hic in igne correptos in terris, deijciẽdos in ignem qui eſt in profundis foueis, nempe in voragine infernali, ita vt nunquam poſſint emergere. 72

Septimum, Pſalm. 48. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* id eſt, in æternum affligetur, torquebitur peccator, & numquam extinguetur. Ibidem, *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Gregatim peccatores intra ſpecum infernalem tanquam oues imbelles, quæ ſibi non poſſint auxiliari, concludentur: & mors eorum paſtor erit, qui omni amaritudine eos paſcat. Ita enim illud *depaſcet* accipiendum eſſe, ex Hebræo & Græco textu colligitur. Græcè enim eſt θάνατος ποιμανεῖ αὐτούς, *mors reget eos tanquam paſtor*. Idem planè ſignificant Hebræa maueth irhem: *mors paſcet eos*. Ea teterrimum paſtorem & principem qui reget damnatos. Nomine *mortis* vel ſignificatur diabolus mortis auctor: vel ex prolopopœia. Meritò ibi mortem paſtorem habebunt, qui hic vitam paſtorem, nempe Chriſtum, ſequi recuſarunt. 73

Eodem Pſalmo, *Introibit vſque in progenies patrum ſuorum, & in æternum non videbit lumen.* Pſalm. 91. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc: cùm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in ſæculum ſæculi: tu autem altiſſimus in æternum Domine. Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & diſpergentur omnes qui operantur iniquitatem*, &c. Pleni ſunt Pſalmorum libri comminationibus pœnarum futuræ vitæ, & ſententijs grauiſſimis de futura cuique pro meritis retributione. 74

Octauum, Eccleſiaſtici 21. *Stupa congregata ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Senſus prioris verſiculi eſt: Tota iniquorum multitudo in vnum faſcem colligetur, eique inſtar ſtupæ compactæ: quo facto, igne corripietur, & ſine fine ardebit. Sicut ſtupa facillimè flammam concipit: ita tota peccatorum multitudo in vnum collecta facili negotio inflammabitur. Fiet hoc in magno illo generalis Iudicij die, quo omnis zizania colligetur in faſciculos ad comburendum, & triticum cõgregabitur in horreum Domini, ſicut ipſe Dominus explicuit. *Conſummatio*. Græcè συντέλεια id eſt, vltimum complementum, & extremus finis illis congruẽs, poſt quem nihil vlteriùs expectandũ, quia ſine fine durabit. Inſinuatur hoc verbo, totam multitudinem impiorum ad nihil eſſe idoneam, niſi vt in æternum ardeat. 75 *Matth. 13.*

Alter verſiculus ſignificat viam ſeu rationem viuendi iniquorum videri facilem, commodam, ſuauem, inoffenſam inſtar viæ planiſſimæ lapidibus ſtratæ; ſed eam terminari & definere in præcipitium immane, vnde quis ex improuiſo ruit ad inferos, vbi tenebræ & pœnæ æternæ.

Nonum, Sapientiæ 5. Deſcribitur turbatio & lamentatio, qua vſuri ſunt iniqui apud inferos quando videbunt iuſtos trãslatos in gloriam, & ſe præcipitatos in tantas miſerias. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum. Ergo erraximus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis*, &c. 76

Decimum

77 Decimum, Isaiæ 30. *Præparata est ab heri Topheth, a Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam.* Hæc sententia a S. Hieronymo & alijs veteribus intelligitur de loco inferorum, qui a Deo summo Rege & Iudice iam olim præparatus est diabolo, & omnibus ei adhærentibus. Hic locus & *profundus* est, vtpote in imis terræ visceribus, & *dilatatus*, vt sit capax tot corporum: *nutrimenta eius ignis* sulphureus; & *ligna multa*. hoc est, damnatorum corpora, quæ instar lignorum aridorum ardebunt. Peccatores enim in Scriptura vocantur *ligna arida*; iusti *ligna viridia*. Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciũt, in arido quid fiet?* Ecclesiasticæ 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* &c. Si quæras, qua vi ignis ibi accendetur; respondet Propheta: *Flatus Domini tamquam torrens sulphuris succẽdens est*, nempe Topheth, seu gehennam. *Flatus Domini* vel est spiritus procellosus, diuinitus ibi excitatus; vel vis diuina, qua ignis ille perpetuò absque consumptione ardebit. Hic flatus perinde gehennam succendet, ac si torrens sulphuris ardentis in eam infunderetur. Quid magis horrendum animo concipi queat?

78 Vndecimum, Isaiæ 33. *Conterriti sunt in Sion peccatores: possidebit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Hic locus a multis exponitur de poenis inferorum.

79 Duodecimum, Isaiæ 50 *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis: ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis: in doloribus dormietis.* Hic locus intelligitur non solùm de igne quo vastati sunt Iudæi a Romanis, quem suis peccatis accenderunt; sed etiam de igne æterno, quem omnes peccatores sibi accendunt: vt S. Hieronymus & alij Patres explicant. Ipsa peccata sunt veluti semina ignifera occultã flammam in se continentia, quæ suo tempore erumpet in apertum ignem. Quot ergo quisque habet peccata, tot habet in se ignis fomenta, tot flammarum semina, tot flammis inuisibiliter est succinctus. Rursus peccata in Scripturis cõparantur materiæ facilè inflammabili, nimirum ligno arido, fœno, stipulæ, zizanijs, spinis. Itaque qui peccata accumulant, pyram sibi construunt, qua in æternum concrementur. *Ambulate in lumine ignis vestri.* pergite in peccatis vestris, & augete flammas, quas accendere cœpistis. *De manu mea factum est hoc vobis.* Verba sunt Christi, cuius iudicio ac sententia & Iudæi igne vastati sunt, & omnes peccatores igne vastabuntur.

Peccata ignis semina.

Isaiæ 30. & 66. Malach. 4. Matth. 25. &c.

Decimumtertium, Isaiæ 66. *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* *Cadavera* vocat corpora reproborum: tum quia instar cadauerum erunt fœda & horrida; tum quia prostrata & affixa terræ; tum quia instar cadauerum in Inferno in cumulum proiecta. Itaque sensus est: Sicut habitatores cælestis Ierusalem pace fruẽtur, & se videbunt omnibus bonis circumfluentes: ita consideratione egredientur foras, & videbunt peccatores in corpore & anima diris cruciatibus subiectos. *Vermis eorum nõ morietur*: quia interiùs in anima perpetuò affligentur dolore tanti boni amissi, & tanti mali suis peccatis contracti. *Et ignis eorum non extinguetur*: quia æternum ardebunt; & hæc patientur in conspectu omnium electorum.

80

Decimumquartum, Danielis 12. *Multi de his qui dormiunt in terra pulueris, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper.* Id est, iusti resurgent vt æterna vita fruantur: peccatores, vt æternum opprobrium sentiant & sustineant. *Vt videant*, id est, vt sentiant, experiantur, sustineant opprobrium & tormentum æternum.

81

Decimumquintum, Malachiæ 4 *Ecce dies venit succensa quasi caminus; & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula. & inflammabit eos dies veniens dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem & germen.* quia funditus peccatores succidentur è terra, ita vt nullum amplius eorum superfit vestigium. Loquitur de die Iudicij.

Decimumsextum. Veniamus nunc ad loca noui Testamenti. Sanctus Ioannes Baptista Matthæi 3. in breui monitione ter punitionem futuram insinuat. Primò, cùm ad Pharisæos ait: *Genimina viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira?* id est, ab æterna vltione quæ peccatoribus impendet. Secundo, cùm ait: *Omnis ergo arbor, quæ non facit fructũ bonũ, excidetur, & in ignẽ mittetur.* Tertiò his verbis: *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sicut agricola vanno agitando separat paleam a tritico; ita Christus potestate iudiciaria separabit bonos à malis, & vtrisque congruentem locum & sortem assignabit.

82

Decimum septimum, Marci 9. *Si scandalizauerit te manus tua, abscinde eam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem, ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Idem dicit de pede & oculo. Quibus verbis significat, omnia esse deferenda quæ nobis præbent occasionem peccandi, etiamsi instar manus, pedis vel oculi nobis essent commoda & vtilia: quia longè satius est carere commodis & solatijs temporalibus, quàm conijci in ignẽ æternum, &c. Vbi aduertendum, hanc sententiam ter iisdem verbis à Domino repeti: tum vt insinuet eam esse longè certissimam, tum vt eam mentibus mortalium altissimè infigat. Non satis ei erat dicere: *mitti in gehennam, in ignem illum in extinguibilem.* Græcè ὁλε τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον: sed idem ingemmans addit, *vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*: bis in eadem sententia nobis ingerens huius ignis æternitatẽ. Addit in fine: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Vbi insinuat rationem cur peccatores igne cremandi sint. Sicut enim omnis victima quæ Domino secundum legis præscriptum offerebatur, sale aspergenda erat, & salienda, iuxta illud Leuit. 2. v. 13. *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies*: ita omnes peccatores cùm sint futuri instar victimæ, quæ iustitiæ diuinæ sacrificabitur, igne veluti sale condiendi, & saliendi erunt. Comparat peccatores victimæ, & ignem sali. Multis enim locis S. Scriptura punitionem impiorum vocat *victimam* & *sacrificium*. Isaiæ 34. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.* Ierem. 46. *Victima enim Domini exercituum in terra Aquilonis iuxta fluuium Euphratem.* Ezech. 39. *Conuenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel.* Sicut enim victimæ occiduntur in honorem Dei ad peccata expianda, & iram diuinam placandam: ita tota iniquorum multitudo æterna nocte mactabitur, & Deo quodammodo sacrificabitur, vt eorum peccata suppliciis, quantum fas est, expientur, & ira diuina conquiescat, hac veluti satisfactione placata. Rectè etiam *ignis* comparatur *sali*. Sicut enim *sal* vrit & conseruat corpora quibus insperfus fuerit: ita ignis vrit corpora damnatorum, sic tamen vt numquam ea consumat, sed semper integra seruet ad pœnas.

83

84

Decimum octauum, Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus: sed potiùs timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Lucæ 12. *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant: ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Hic ostendit solum Deum timendum, & omnia huius vitæ mala nullius esse momenti, si conferantur cum malis vitæ futuræ, quæ Deus irrogare potest.

85

Decimumnonum, Matthæi 13. duabus parabolis futuras pœnas explicat. Primò, parabola zizaniorum. *Sicut*, inquit, *colliguntur zizania, & igne comburuntur: sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum.* Per *scandala* intelligit omnes eos, qui vel imperio, vel doctrina, vel consilio, vel exemplo alios ad peccandum pertrahunt: vt sunt Tyranni, hæretici, mali consiliarij, publici peccatores. Per *eos qui operantur iniquitatem* intelliguntur ceteri peccatores, qui non alijs, sed sibi tantum causa peccati fuere. Hi omnes veluti noxiæ herbæ in fasciculos colligati in ignem æternum mittentur.

Secundò, parabola sagenæ. *Sic erit*, inquit, *in consummatione sæculi. Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.*

Vige-

86 Vigesimum. Dominus toto cap. 25. Matthæi hoc vnum agit variis parabolis propositis, vt animis nostris hanc doctrinam de futuris præmijs & supplicijs altiùs infigat. Primo, parabola decem virginum. Secundo, parabola domini peregrè proficiscentis, & seruis suis talenta ad negotiationem dispertientis. Tertiò, similitudine pastoris separantis oues ab hœdis. *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes: & separabit eos ab inuicem sicut segregat pastor oues à hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim &c.* Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*, &c. *Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Hic clarissimè ab ipso Iudice & forma illius iudicij, & sententiæ Iudicis, & æternitas supplicij ac præmij describitur. Denique nihil est quod adeò frequenter & parabolis, & grauissimis sententijs à Domino nobis proponatur & inculcetur, ac futura supplicia, & præmia.

Vigesimum primum. Apostolus ad Romanos 2. *Secundùm duritiem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique iuxta opera eius*, &c. Multitudo peccatorum thesaurus est pœnarum, & singula peccata sunt semina suppliciorum & ignis æterni, quæ nisi in hac vita pœnitentiæ lacrymis extinguantur, inextinguibilem certissimè ignem excitabunt.

Vigesimum secundum, 2. ad Corinth 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Idem multis alijs locis repetit.

Vigesimum tertium, 2. ad Thessalonic. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & à gloria virtutis eius: cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Loquitur de omnibus peccatoribus qui Euangelio non obediunt. His funditus euersionis omnibus, quibus hic fruebantur, dabunt pœnas æternas a facie Domini: quia Domini iudicio, sententia, & potestate illis hæc pœna infligetur, & in conspectu eius, & omnium Sanctorum eam sustinebunt. Porrò hoc fiet communiter omnibus, cùm Dominus venerit, vt Sanctos suos æterna gloria remuneret, & in regnum suum trapsferat.

87 Vigesimum quartum, 2. Petri 3. *Cœli qui nunc sunt, & terra eadem verbo repositi sunt, ignibus reseruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum.* Et infrà: *Aduenient autem dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Addit B. Petrus: *Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, exspectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa igne ardore labescent?*

88 Vigesimum quintum, Apocalyp. 14. *Si quis adorauerit bestiam, &c. si quis Antichristo conseruerit, hic bibet de vino ira Dei, quod mixtum est mero in calice iræ eius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum & ante conspectu Agni & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: & requiem non habebunt die ac nocte.* Et cap. 20. *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Et cap. 21. *Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Timidos vocat, qui timore mortis vel amissionis bonorum recedunt à recta fide. Execratos, qui more idololatrarum viuunt. Mendaces, qui perniciosè mentiuntur: vt sunt omnes hæretici, periuri, calumniatores.

Omitto alia plurima sacræ Scripturæ testimonia, quibus & iudicium extremum, & futura remuneratio luculentè astruitur nullum dogma in tota Scriptura frequentius: quia illud omnis virtutis & iustitiæ est fundamentum. Nihil æquè vel ad virtutem impellit, vel à flagitijs deterret, atque hæc cogitatio. Vnde Sapiens Ecclesiastici 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Neque est quòd quis suspicetur hanc doctrinam politiæ causa excogitatam, ad populum facilius in obsequio & legum obedientia continendum. Res enim falsa & conficta tantas vires ad probitatem, innocentiam & iustitiam habere non potest: vt supra ostensum est. Deinde qui hanc doctrinam maximè tradiderunt, nihil minus quam externam politiam, & dominatum temporalem spectarunt: cùm rerum temporalium fuerint contemptores; & omnes honores, dignitates, & principatus huius vitæ contemnere docuerint. Adulatorum est, & eorum qui Principum gratiam captant, fingere ea quæ politiæ seruiant, & dominationem eorum illustriorem ac firmiorem efficiant. Tales hoc æuo sunt permulti. Accedit quòd omnes illi & sanctitate admirabili & sapientia diuinitus infusa, & miraculorum gloria, & prophetiæ spiritu toti mundo fuerint admirabiles, vt nullus sit locus de veritate doctrinæ illorum ambigendi. 89

RECOLLECTIO.

QVO ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si *Psal. 138.* ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumam pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Væ mortalium mentibus tua nobilitia occæcatis. Væ cordibus insipientium, tenebris peccatorum circumfusis. Cœlum & terram impleo, & tamen à plurimis non agnosceris omnibus intimè præsens adeo, & ignoraris. Omnia creas, formas, nutris, perficis, sustentas, gubernas; & te horum omnium fontem & auctorem negant. Omnibus alias esse, & te esse non credunt. Infinitis modis tuam potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam & iustitiam prodis, omnimque oculis ingeris; & tanquam cæci non percipiunt. Omnis te natura rerum prædicat, & ad prædicationem tam illustrem obsurdescunt. *Cæli enarrant* *Psal. 18.* *gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Omnia clamant: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*; nec fortuitus *Psal. 99.* atomorum concursus. Ipse sua potentia nos è nihilo in hanc lucem eduxit: ipse sua sapientia formauit, & hanc speciem & pulchritudinem impressit: ipse sua bonitate conseruat, sua prouidentia gubernat, & in suum finem dirigit singula. Clamor ille totius creaturæ toto orbe personat, vt neminem latere queat, nisi qui dæmonio surdo obsessus tenetur.

Vnde enim nisi ab omniporentia & sapientia tua rapidissimæ cælorum vertigines? Vnde tantissima illa motuum harmonia, numquam intercisa, numquam vacillans, eodem semper tenore indeclinabiliter perseuerans? Vnde animantium structuræ, & multiplices ac mirabiles formæ? Vnde innumerabiles illæ & aptissimæ partium tum inter se, tum ad totius corporis speciem, proportiones & symmetriæ? Vnde singularum partium infinita multiplex interna temperies, & externa coformatio ad proprias cuique functiones congruentissima? Vnde tenuium stupenda vis, qua omnium corpora, & corporum particulæ summa arte disponuntur, formantur, & suos in usus aptantur? Nihil horum a se esse potest, quia nec propter se: nihil sibi esse finis, vnde nec principium. Sed neque a fortuna vel casu, in quibus nihil ratum & firmum, nihil ordinatum, & suis constans mensuris: sed omnia confusa, incerta, ἀτελέσι plena.

Necesse est ergo hæc omnia ab aliqua mente procedere, quæ & sapientia sua tam mira & infinita potuit excogitare, & potentia exequi, & prouidentia gubernari. Hanc mentem te esse dicimus Deum ac Dominum nostrum. Tu ergo omnium origo, omnium causa effectrix, omnium forma, omnium finis, omnium sustentaculum, firmamentum, conseruatio. In te ab æterno præexistunt omnia non confusè, sed ordinatissimè, modo tamen simplicissimo, & in esse quodam purissimo: sicut opus artificis priusquam fiat exteriùs, latet interiùs per artem in mente architecti, illique soli est conspicuum. In te, & ex te, & per te, & ad te sunt omnia, & tu supra omnia. Omni enim magnitudine tu diffusior; omni æternitate antiquior; omni potentia fortior; omni luce clarior; omni pulchritudine gratiosior; omni voluptate dulcior; omni honore sublimior; omni secreto interior; omni altitudine celsior; omni profundo inferior. Tu summus simul & optimus,

mus, potentissimus & benignissimus, misericordissimus & iustissimus, secretissimus & præsentissimus, pulcherrimus & fortissimus, stabilis & incomprehensibilis; immutabilis, & omnia mutans: numquam nouus, numquam vetus, innouans omnia, & in vetustatem deducès superbos, & nesciunt. Semper agens, & semper quietus; omnia creans, nutriens & perficiens: omnia portans, implens & protegens: omnibus superior & inferior, interior & exterior. Superior per gubernationem, inferior per sustentationé; interior per penetrationem, exterior per circumdationé. Quàm mirè & benignè nobiscum agis, ò infinita maiestas! Tu *solem tuum oriri facis super bonos & malos. & pluis super iustos & iniustos.* Tu in perduelles, qui leges tuas proculcant, nomen tuum blasphemàt, prouidentiam pernegant, Ecclesiam oppugnant, copiosè thesauros tuæ bonitatis effundis, omnibus huius vitæ copijs eos locupletans, & ad pœnitentiam. vt etiam æternorum participes fiant, inuitans. Quæris nos cùm nihil desit tibi. Amas, nec æstuas; zelas, & securus es; irasceris, & tranquillus es; pœnitet te, non doles, opera mutas, & non mutas consilium. Numquam inops, & gaudes lucris; numquam auarus, & vxuras exigis. Reddis debita, nihil debens; donas debita, nihil perdens. Et quid dicimus Deus meus, vita mea, lumen & dulcedo cordis mei? quid dicimus, cùm de te loquimur, qui supra omne eloquium ineffabilis, supra omnem mentem incomprehensibilis? Sed hoc ipsum de te dicendum & cognoscendum erat, te omni eloquio & cogitatione esse præstantiorem. Væ omnibus qui ignorant te. Væ væ omnibus, qui cùm norint te, non seruiunt tibi, non seruant sanctissimas leges tuas. Vę væ væ omnibus qui oppugnant, vel contemnunt (vt faciunt hæretici & atheistæ) salutarem doctrinam, quam per Filium reuelasti, & per sponsam eius Ecclesiam Catholicam nobis proposuisti. Tu qui fons es omnis boni, lucem miserationum tuarum super miseras istorum omnium mentes effunde, vt aduertant cæcitatem & errores suos; vt videant æternæ salutis discrimen quod certissimè illis impendet: vt amplectantur lucem doctrinæ tuæ, quam per Ecclesiam omnibus proponis, & sic illuminati tuam maiestatem ac prouidentiam agnoscant, timent, ament, laudent, veneretur, & hic pro tempore huius vitæ, & postea in omnem æternitatem. Amen.

Matth. 5.



BIBLIOTECA N
ROMA

INDEX

INDEX RERVM MAGIS MEMORABILIVM.

A

ÆGYPTVS Nilo exundante fœcundatur. pag. 14.
Ægypti multiplices plagæ, diuinæ vltionis argumenta. 32
Animarum inuisibilis pulchritudo. 11
Animæ vegetantis, sentientis & rationalis discrimen. 11. & 12
Animæ ad corpus proportio. 18
de Anima quid Stoici senserint. 40
Animas brutorum inter & hominum quæ distinctio. 40
Animæ brutorum mortales. 40
Anima propria est corporis forma. 51
Anima vt à corpore in functionibus suis dependeat. 50
Animarum à corpore in corpus transmigrationem falsò statuit Origenes. 53
Animus hominis quantæ capacitatis. 41
Septum in hac vita non cognoscit. 43
Animi oblectationes. 41. & 42
Animorum patria cælum est. 50
Anni tempestates. 12
Anni temperiem vtilitas, temperies & commoditas. 13
Apum respublica & industria admirabilis. 19
Aranei artificium admirandum. 16
Arbor quædam insulæ Canariæ aqua dulci destitutæ humorem dulcem suppeditat. 15
Apostolos mundum conuertisse ingens miraculum. 23
Aristoteles de prouidentia dubius. 6
item de animarum immortalitate. 40
Athei qui fuerint. 6
alij omne numen negarunt, alij prouidentiam. 6
Atomorum concursu mundum esse factum reijcitur. 9 30
Auium varietas & membrorum apta compositio. 17
Auium artificium in nidis componendis. 20
Sobolis cura & educatio. ibid.

B

Balena non sine duce natat. 20
Bias Borysthenes Deum esse negat. 6
Blasphemia fere subita vindicta punita. 35
Bombycum natura & palingenesia. 19
Brutorum pro diuersa natura diuersa membrorum compositio. 17
Bruta arma secum & vestes ab ortu gerunt. 17
Brutorum corpora ad instar hominum efformata. 16. 40
Bruta ob finem operantur. 17
Brutorum mira sagacitas. ibid. & seqq.
Bruta vt se & sobolem in periculis tueantur. 20
Bruta noxia euitant & vulnera curant. 20
Bruta à diuina prouidentia diriguntur. 20
Brutorum instinctus quo reguntur quid sit. 21
Bruta hominum industria edocentur. 20
Bruta quantum ab homine cognitione & appetitione differant. 40

C

Cæli pulchritudo. 10
Cælorum motus non ex natura. 8
Cælorum motus diuersi. 8
eorum celeritas. 10
Cælorum motus mundo inferiori subseruit. 12
Cerebrum sensationis origo. 16
Cerebri per spinam dorsi diffusio. 16
Cerebrum neruorum origo. ibid.
Cerebrum duplici membrana inuoluitur, & cur. 16
Cicero Deum agnoscit, præscientiam negat. 6
Cognitio perfecta vel vnius muscæ, omnibus regnis præstat. 12. 44
Cognitio hominis illimitata. 40
Concharum admiranda varietas & pulchritudo. 17
Conscientia improbis flagellum, iustis solatium. 48
Conscientia impiorum vermis. 53
Cor spirituum officina. 16
Cor cur semper ac se agitet. 16
Corporis humani structura & partes. 15
Corpora vnde in frigidis locis robustiora. 15

D

Democritus Dei prouidentiam negauit. 6
Deum aliquem omnes gentes semper agnouerunt. 7. & 8.
Deum in periculis naturali instinctu omnes inuocant. 7
Deorum apud Ethnicos multitudo vnde ortum habeat. 30
Deus etiam minimarum rerum prouidentiam habet. 28.
Deus ab opere suo nemquam recedit. 28.
aliquin in nihilum recideret. 28. 32
Deo proprium futura præscire. 25
Dei intelligendi vis infinita. 38
Deo nihil ex creaturis commodi accedit. 38
Dei reuerentia & supplicium metus homines continet a sceleribus. 30. 45
ad omnem virtutem excitat. 30. 45
etiam Ethnicos qui plures deos colebant. 31
Deus merita & demerita post hanc vitam compensat. 31
sabinde etiam in hac vita. 31
Dei seueritas, sed & benignitas in Sodomorum euersione elucet. 31
Dei erga Israelitas in deserto mira prouidentia. 32
item seueritas 33
Deus sinit res ferri suis motibus. 37
nonnumquam tamen suam potentiam interponit. 37
Deus aliquorum improbitate ad aliorum exercitationem vtitur. 37. 44
Deum quinam negarint esse. 6
Diagoras Milesius Deum negauit. ibid.
Diluuium generale magnum miraculum. 22
Diuinæ vltionis clarissima argumenta. 31
Dioptrici tubi recens inuenti mirabilis vsus. 8

E

Elementa non à se sunt. 9
Elementorum mira dispositio. 13
Elephanti mirè Deus prospexit. 17
Epicurus Dei prouidentiam negat. 6
Erinacei industria in pomis legendis. 19

F

Felicitas impiorum breuis. 48
Finis alicuius gratia sunt omnia corpora tum superiora, tum inferiora. 12
Quid sui gratia esse dicatur. 12
Fines & scopi ob quos ossa & musculi in homine ita collocata sunt innumeri. 15
Finis gratia operantur omnia. 18
etiam animantes. 19
Finem ob quem operantur animantes non agnoscunt. 19. & 20.
Florum mira varietas & compositio. 17
Fontium & fluminum origo. 13
Formicarum prouidentia & labores. 19
Felicitas improborum præcipuum pro atheismo argumentum. 6. 32
Fortuitum atomorum concursum mirus rerum omnium ordo & dispositio negat.

G

Gelu quas adferat vtilitates. 13
Gloria omnes ducuntur, & quare. 46
Gloria insufficiens virtuti præmium. 46
S. Gregorij Thaumaturgi miracula. 24

H

Heraclitus prouidentiam negat. 6
Hebdomadæ 70. Danielis breuiter expositæ. 28
Hæretici ferè iam politissimi. 6
Homo inter animalia nudus & inermis nascitur. 17
Hominem & brutum inter, quodnam discrimen. 40

Homo

INDEX.

Homo intelligentijs quàm brutis propior. 43
Hominum cognitio & appetitio illimitata. 40
Homo ὁριζων & μικρος κοσμος dictus. 42
Homo mundi dominus. 43
Humanæ vitæ miseriæ. 42

I

Ichneumonis cum aspide bellum. 20
idem crocodilum interimit. 20
Idololatria seueriſſimè in Israelitis à Deo punita. 33
Improbos dominari cur Deus permittat. 37
Quid inde commoditatis ipſe percipiat. 37.44.
Inferni ignis animas non dissoluet. 52
horribilis est atque æternus. 53
Infectæ etiam suæ membra principalia, spirituumque deductiones habent. 16
Infecti vnius perfecta notitia omnibus regnis præferenda. 11.& 12.
Iouis sidus 4-stellas circa se habere nunc ipsum sequentes, nunc præcedentes, tubus dioptricus nuper detexit. 8
Quid de his stellis dicendum. ibid.
Iustitia Dei improborum punitionem in futura vita exigit. 31.47
Iustitia Dei vindicata. 48

L

Lepus vt canes infectantes eludat. 20
Lucianus Atheus à canibus discerptus. 6
Lucretius prouidentiam negat. 6

M

Maculæ in sole per tubum dioptricum nuper detectæ. 8
Machiauellus Politicorum princeps. 6
Magi dæmones euocantes, spiritus esse notum faciunt. 29
Mare varias varijs locis vires & temperamenta habet. 14
Maris salsedo vnde proueniat. 14
Materia prima à se esse nequit. 9
necessariò est à causa incorporea. 9
Membra tria in homine principalia & eorum per totum corpus diffusio. 15.16
Miracula varia in veteri Testamento acciderunt. 22
Miracula noui Testamenti. 23
Miracula SS. Gregorij Thaumaturgi, Benedicti, Bernardi. 24.
Miracula nostro æuo non desunt: 24
Miracula cur Deus patret. 25
Miraculosæ Sanctorum apparitiones. 48.& seqq.
Montium vtilitas. 14
Montes non ex terræ motu, nec attollẽte se spiritu orti. 14
Mors æternæ vitæ natalis. 50
Mortui resuscitati qui fuerint. 49
Motum negauit Zeno. 7
Motus naturalis quis, & quare. 8
Motuum cœlorum varietas. 8
velocitas & periodus. 10
Mundus non est ex atomorum concursu. 9.30
Mundus non est à se. 9
Mundi creatio ingens miraculum. 22
Mundus sine Numine constare nequit. 30
Mundus propter hominem factus. 43
Musculorum in homine varietas & vsus. 15

N

Nerui originem habent ex cerebro & medulla spinali. 16
Neruorum sex paria è cerebro. ibid.
Neruorum mirabilis compositio, & vsus varius. ibid.
Neruorum 36 paria in spina dorsi. ibid.
Nerui in tendinem abeunt. ibid.
Niues terris vtiles. 13
Niuium candor vnde proueniat. 13
Nix in monte Esquilino locum ostendit basilicæ Diuæ Virginis extruendæ. 49

O

Oracula & responsa idolorum, spiritus esse adstruunt. 29
Ossium in humano corpore mira varietas. 15
Ossium numerus in singulis membris & toto corpore. 15
Otium viriorum omnium seminarium. 22

P

Paupertas quàm humano generi necessaria. 22
Philosophorum & Sapientum sectæ omnes Deum asserunt. 8
Philosophi quanti sapientiam fecerint. 32.44
Piscium varietas & diuersa conditio. 20
eorum multiplex industria. 19
Plantarum varietas & vsus. 11
Plantarum admiranda structura. 17
Plantarum semen quàm diuersa operetur. 19
Plinius, an sit Deus, dubitat. 6
Pluuia varia mundo adfert commoda, maximè fœcunditatem, & quare. 13
Pœnas damnatorum non fore æternas, falsò putauit Origenes. 53
Politici ferè sunt moderni hæretici. 6
Polypus conchis insidiatur. 20
Prophetia & præscientia futurorum Deo propria. 25
Prophetiæ aliquot de Christo examinantur. 26. & seqq.
Proportiones variæ humani corporis ad singula membra. 11.
Prouidentia. *Vide* Deus.
ad Prouidentiam spectat non statim punire nocentes. 36
item sinere res ferri suis motibus. 37
Pulchritudo singularum mundi partium. 10
varij eius gradus. 12
Punitio cur sæpè sera sit. 36
Puniti etiam falsorum Deorum cultores, & quare. 36

R

Regum & regnorũ prosperitas à cultu Dei pendet. 34.36
Regum institutioni sacra Scriptura quàm idonea. 35
Resurrectio mortuorum Philosophis ignota fuit, item an naturalis. 51
qui à mortuis Resurrexerint. 42

S

Sacrilegij subita ferè & varia punitio. 36
Puniti etiam qui idolorum fana spoliabant, & cur. 36
Sanguinis officina hepar. 16
Sanguinis per humanum corpus dispensatio. 16
Sacræ Scripturæ auctoritas rationibus adstruitur. 22
Sacræ & prophanæ historiæ discrimen. 35
Seminalis vis quàm varia ob finem operetur. 18
Septimo die post conceptum totius corporis forma apparet. 18
Semen ex impressione artis diuinæ operatur. 19
Sol non est causa pulchritudinis rerum omnium. 10
Solis maculæ nuper detectæ quid sint. 8
Sol in vniuerso vt cor in animante non est propter se. 12
Species rerum nec extra individua, nec à se sunt. 9
Spiritales substantias esse Oracula gentium, Magi & Energumeni ostendunt. 29
Suum cuique spiritum vel genium veteres assignarunt. 29
Spirituum ordo & subordinatio esse debet. ibi.
Spiritus non sunt à se, sed ab vno summo producti. 29
Spirituum naturalis, animalis & vitalis, ortus, dispensatio, officina, vehiculum. 30

T

Terræ mira conformatio 12
Terra sub aquis latere deberet. ibid.
Terra cur à mari versus mediterranea sensim se attollat. 13
Terrarum variæ conditiones & naturæ. 14

V

Venarum in homine structura, vis, & multitudo. 16
Venus planeta crescit & decrescit vt Luna. 8
Ventorum commoda. 13
sine illis pluuiæ cessarent. ibid.
item nauigatio. ibid.
Vis seminalis. 18
Virtus sine præmio langueſcit. 44
Virtus an sibi sufficiens præmium. 45
Virtus in arduo. 46
Vocum in hominibus diuersitas quanta. 22
quàm ea vtilis. ibid.
Voluptas hominis spiritalis. 41.42.44
brutorum carnalis. 40
Vultuum in hominibus quanta diuersitas. 21
quæ commoda afferat. ibid.

Z

Zeno motum negauit. 7

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google